UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi, Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

urn:nbn:de:hbz:466:1-94565

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 309a.

C. VIII
7

HONORATI
FABRI S.I.

HORAT
MAIORI S.I.
ACADEMIAE

R. P. HONORATI

FABRI,

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

APOLOGETICUS

DOCTRINÆ MORALIS

EJUSDEM SOCIETATIS.

E. VIII
7.

R. P. HONORATI

FABRI,

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,

APOLOGETICUS

DOCTRINÆ MORALIS

EJUSDEM SOCIETATIS

IN QUÆSTIONIBUS PROBABILIORUM OPINIONUM

VARIIS TRACTATIBUS,

Diversorum Auctorum Opuscula co[ntinen]tur; quorum nomina sequens Elenchus dabit; & selectæ quædam quæstiones discutiuntur:

IN DUAS PARTES COMMODE SECTUS:

Cum Indicibus Tractatuum, & Rerum præcipuarum.

EDITIO ALTERA; PRIMA IN GERMANIA, DUPLO AUCTIOR.




Alexij societatis Jesv Paderborna · Ao. 1683

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Viduæ JOANNIS BUSÆI, Bibliopolæ sub Monocerote. ANNO M. DC. LXXII.

PERMISSU SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO.



EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO ECCLESIÆ

PRINCIPI ET CARDINALI,

FRANCISCO ALBICIO,

HONORATVS FABRI NESTORIS ANNOS.

TE ab hinc annis, brevissimum, [illegible] opinione Probabili, O [illegible], ibi nuncupaveram [illegible] Cardinalis Eminentissime, quod cùm deinde adolev[illegible] illúdque longiori lucubratio[illegible] dnectendum esse putarim, alteri certè, quam Tibi, totum Opus, qualecumque tandem sit, inscribendum esse, non duxi. Habes in eo morales aliquot dissertationes, seu veriùs concertationes, cum doctissimis hujusce temporis Scriptoribus, à me ultrò susceptas, tum ad gravissimos Societatis nostræ Auctores, ab eorum seu calumniis, seu argumentis, vindicandos; tum ad ea refutanda, quæ ipsi, ut veritati minimè consentanea, perperàm adstruxerunt: nam, ut mucro mucrone concertando repellitur, ita hic in adversarium justæ defensionis jure torquetur. Sedebis igitur Princeps doctissime, nobilissimus nostra hujus concertationis Agonotheta, nec non sapientissimus dissertationis, & totius causæ Judex: Partes Tuo judicio stabunt; pronuntiabis de victoria, judicabis de corona; nullus enim, opinor, de his, aut æquiùs pronuntiet, aut judicet prudentiùs; cùm reverà, nec rerum illarum Te peritiorẽ, nec qui acriore judicio polleat, habeamus. Alias ego partes prudens reticeo, quibus tùm à natura & indole, tum ab arte & studio abundè sanè instructus es; nimirum omnigenam illam, & variàm rerum optimarũ copiam, seu copiosam & uberẽ varietatem, cumulatissimam utriusq; Juris scientiam, clarissimam rerũ Ecclesiasticarum notitiam, vastissimam sacræ & prophanæ eruditionis sylvam, divinam propemodùm ingenii vim; mirabilem, tum scribendo, tum dicendo, facundiam, pectus illud intrepidum & inconcussum, in adstruenda, sustinenda, vindicanda, auctoritate, libertate Ecclesiastica, quam Innocentius moriens impensè Tibi commendavit; in frangenda hæreticorum protervia, arcendísque ab Ecclesia errorum monstris; incredibilem illam in rebus agendis prudentiam, in explorandis, sagacitatem, in explicandis solvendísque solertiam, in componendis industriam, subtilitatem in penetrandis, mirificam demum in perficiendis &

ad optatum exitu.

Christianus orbis [illegible]erducendis fœlicitatem: hæc omnia lubens reticeo, quæ facultatem ac dotem, [illegible]ersus in te miratur; ut singularem illam recti judicii citra omnem assentatio[illegible] certè mirificè polles, suspiciam: Illud ego unum, non dubito; nullum unq[illegible], à qua longissimè absum, asseveranter asserere literariis & politicis, sacris [illegible] profanis, humanis atque divinis, civilibus & Canonicis, sentiret saniùs, [illegible]utiùs disputaret, meliùs judicaret: Appellamus igitur hoc loco sacrum & [illegible]corruptum tui judicii tribunal, eique concertationes nostras, atque adeo [illegible]usam nostram subjicimus: tuæ sententiæ, citra omnem appellationem, stabi[illegible]us ultrò, sive illa nobis, uti spero, sive adversariis nostris, quod tamen vix crediderim, faveat; stabimus, inquam, tuæ sententiæ, stabunt etiam Adversarii nostri, cum sanè omnium optimam & aquissimam esse constet; quod certè nisi faciant, vel inde, plenissimè confutati censebuntur, quod tuo judicio, juxta atque nobis adversari videantur. Quod ad me spectat, nihil est, quod dicam cum vix unus sit, qui nesciat, quid tibi ego sim, id est, quot & quantis nominibus tibi obstrictus atque devinctus: quid etiam tu mihi, quem pro tua humanitate singulari semper, immo & tenera quadam benevolentia, quamvis immerentem, benignè complecti dignatus es, quasi non tam mihi Domini & Patroni, sed optimi Patris loco esses: enitar profectò, quoad vixero, non par quidem pari referre: Quis enim ego sum? sed te summa quadam observantia & ardentissimo totius cordis affectu enixè prosequi. Lugduni Segusianorum, pridie Kalendas Augusti, anno 1669.

PRÆ-

PRÆFATIO APOLOGETICA ÆQUO LECTORI.

1. VNEM profectò ſuperat fidem, quanta Librorum vis adverſùs doctrinam moralem Societatis noſtræ, ab aliquot annis in publicam lucem prodierit. Præluſerat, & cæteris omnibus, tum Catholicis, tum Heterodoxis facem prætulerat, celebris ille ſcurra Petrus Molinæus, quem ſanè hucuſque multi alii, diverſo licèt, opinor, animo & fine, quaſi agmine facto ſequuti fuerunt. Paucos appellabo è præcipuis, quorum aliqui jam plenè refutati, alii verò refutandi. Omitto primam illam, uti vocabant, Jeſuitarum doctrinam moralem, multiplici confutatione confixam atque obrutam: ut initium ducam ab Illuſtriſſimo Fagnano, qui ex profeſſo, ut ajunt, & data opera, arrepta occaſione à commentariis, quos in Decretales ſcripſit, *cap. ne inmaris*, prolixa digreſſione facta, juſtum tractatum de Opinione Probabili compoſuit, in quo, non malo erga nos animo, ut mihi omninò perſuaſum eſt, ſed bono & Chriſtiano zelo ductus, ex aliorum relatione, quos cenſuit de ſe, noſtris auctoribus, iiſq; facilè principibus, quales ſunt Suarez, Vaſquez, Molina, Valentia, Leſſius, aliiq; ejuſdem generis & primæ claſſis, fœditates illas morales impoſuit, quæ ab eorum ſcriptis longiſſimè abſunt; necnon vitioſo ratiocinio, ea contra nos deduxit, quæ à noſtris minimè admittuntur: Illud autem opuſculum ſemel edidiſſe non ſatis fuit, cum ſecundam editionem ſolicitus procurarit; utramque in media Roma, ad majorem auctoritatem conciliandam. Nonnulli alii, captandæ forſitan illius gratiæ cauſa, eandem adornarunt ſpartam, tum in Gallia, tum in Italia, ut PP. Ant. Marinarius, Auguſtinus de Angelis. Vincentius Baro, quibus adde tum Anonymum quendam in Hiſpania, tum in Germania, Valerianum Magnum cum Theophilo illius defenſore, & Heterodoxo illo Teutone, qui ex Hypotheſi Valeriani, dira & abſurda contra Eccleſiam Romanam, & Societatem noſtram deduxit. Quare operæpretium eſſe duxi plenam & abſolutam illorum tractatuum edere confutationem; quibus accedent quædam alia; nimirùm Patris de Moya in Collegio Madritenſi ſuperioribus ſcholis Præfecti opuſculum, in quo Vincentium Baronem accuratiſſimè ac ſolidiſſimè refellit, & D: Thomam ab illius impoſturis & falſitatibus vindicavit: item aliud Lucii Sanmarci, pro doctrina Patris Tamburini adverſùs eundem Baronem P. Maximiliani le Dent, adverſùs PP. Farvacques & Lupum; & reſponſionem P. Martini de Eſparſa ad Sinnichium & alios. Ex his, mi Lector, Apologeticus noſter conſtat; omiſi tamen alia multa. ut Regiis mandatis parerem.

II. Ut autem paulò altiùs præſentem controverſiam repetam, cùm recentiores quidam Morales Theologi, qui tamen non ſunt ex noſtris, paulò liberiùs, & ut vulgò ajunt, laxioribus fortè habenis, in vaſtiſſimo illo rei Moralis campo diſcurrerent, nonnul-

nonnulli, gravioris indolis ac severioris genii, qui tantam, ut ipsi vocabant, licentiam vel audaciam ferre non poterant, in eorum quippe genium minimè quadrabat, exerto stylo, morales illos Theologos, seu Casuistas ut ajunt, fortiter aggressi sunt, & acriter impugnare tentarunt; præ cæteris Comitolus & Candidus Philaletus, uterque ex nostris; quibus Merenda, Mercorus, Fagnanus, Marinarius, Augustinus de Angelis, Vincentius Baro, quidam Anonymus, & pauci alii, à quibus, ut dixi, ut Regiis nutibus morem geram, omninò abstineo, accesserunt. Ante 25. circiter annos, controversia fervere cœpit, maximâ utriusque partis contentione agitata; tunc autem florebant in scholis & pulpitis, doctissima multum ex nostris nomina, seu monumenta, Suarez, Vasquez, Valentia, Molina, Sanchez, Lessius, Castro-Palao, aliique; primæ classis Auctores, eâ pollebant auctoritate & doctrinæ moralis fama, ut à doctissimis Professoribus in scholis; gravissimis Scriptoribus, in libris; sanctissimis Episcopis, Cardinalibus, nec non Romanis Pontificibus, in consiliis & vitæ Christianæ usu, eo loco haberentur, quem sana & solida illorum doctrina, summa prudentia, & probatissima morum & vitæ castimonia postulabant. Casu autem nescio quo accidit, ut dum nimiam recentiorum Casuistarum licentiam zelotes illi (sic enim vocare mihi liceat) puta Joannis Sanchez, Dianæ, Pasqualigi, Caramuelis, aliorumque hujusmodi, modico sanè numero, castigandam & coërcendam suscepissent, longè profectò susceptum consilium excesserint, ac plurimùm in partem extremam oppositam deflexerint. Cùm enim paucas aliquot opiniones ab iis assertas, ut improbabiles refutare ac rejicere debuissent, quod summæ laudi & gloriæ iis vertebatur, omnes opiniones probabiles aggressi sunt, atque adeò vel ipsam probabilitatem è medio tollendam, & à Christianæ vitæ reique Moralis usu proscribendam esse putarunt. Cum laxiores aliquot auctores paulò antè appellatos impugnare jure ac meritò potuissent, uti res ipsa, & susceptum consilium postulabat, omnes prorsus Theologos, etiam præcipuos ex nostris, quos appellavi suprà, in scenam vocarunt, & non sine multa infamiæ nota, quasi doctrinæ Moralis corruptores essent, traduxerunt. Ut verò pauci sunt ex innumeris, qui doctissima illorum auctorum monumenta lustrare possint, aut velint, ut fucum aliis facerent, majorem dictis facerent fidem, & susceptæ causæ justitiam comprobarent, innumeras propemodum calumnias & impostura iis affinxerunt, easque imposuerunt morales sententias, à quibus semper ipsi longissimè abfuerunt, uti clarissimè in hoc Apologetico demonstramus.

III. Silebant interea nostri, ut superioribus morem gererent, quibus significatum fuerat à viris maximâ auctoritatae præditis, expedire omninò, ut nostri silerent, ne aliis nova rescribendi occasio, seu materia præberetur: hisce tamen consiliis spefatus minimè succesit eventus; cùm adversarii nova indies & longè quàm ante acerbiora scripserint, & non modò aliquot ex nostris, sed ipsam, eamque universam Societatem traduxerint, quasi communi consilio & nisu Christianos mores abolendos, usuram, simoniam, furtum, homicidium, calumniam, fraudem, injustitiam, mendacium, aliaque hujusmodi flagitiorum & sacrilegiorum monstra, & omnia scelerum genera in Ecclesiam & communem Christianorum usum inducenda susceperet. Rescripserunt nonnulli ex nostris, ad aliqua; puta ad litteras Montaltii, Anonymus; ad Notas Wendrockii, Stubrockius; Mendo ad multa, P. Dechamps accuratissimè, brevissimè licèt demonstravit, doctrinam moralem à nostris Auctoribus non modò non laxatam & mollitam, sed plurimùm restrictam & coërcitam fuisse. Guimenius ad ea capita, quæ Anonymus opposuerat, multa reposuit, & ex aliis Auctoribus allegavit ac recitavit, ut evinceret, nostrorum non esse; facta priùs denun-

denunciatione, in proœmio libri, & ab ejusdem libri censore denuò inculcata, allegatis opinionibus se minimè subscribere, nec eas suo calculo donare; quia tamen in eo Superiores desiderarunt, ut eas ipse non recitasset modò, verùm etiam rejecisset atque damnasset, uti postea in tertia libri editione abundè præstitit; propterea liber ab iis in prohibitorum album relatus est: hæc pauca, inquam, nonnulli ex nostris solidè refutarunt; cum tamen restarent multa ab auctoribus supra nominatis, Fagnano, scilicet, Marinario, Barone, de Angelis, Valeriano & Anonymo quodam nobis opposita, facere non potui, pro eo, quo sum in Societatem, Parentem dulcissimam amore, pro innumeris, iisque singularibus beneficiis, quibus illa me sibi obstrinxit, pro indissolubili charitatis & paternæ necessitudinis vinculo, quo Præposito nostro Generali arctissimè devinctus sum, quin ea, privato nomine refutanda susciperem; ea tamen styli temperantia & verborum moderatione, quam & religiosi instituti ratio, & Christianæ humanitatis leges à castigatissimo scriptore, & temperatissimo Apologista postulare videntur. Rationes quidem, easque opinor, gravissimas & solidissimas, Adversariorum rationibus opponam, si tamen unquam ratione valent, nempe, saltem ut plurimùm, verbis pugnant, impostoris & convitiis; quod revera pessimum pugnæ genus est; & si quando ratiocinio uti videntur, in fallaces paralogismos stylum impingunt; aut certè multiplici & affectata laborant ambiguitate; totam rem istam probabilitatum mirabiliter implicant, non explicant; tenebras obducunt, non afferunt lucem; & ut verbo dicam, eò venere, ut ne distinguere quidem voluerint, aut valuerint, opinionem probabilem ab improbabili, judicium practicum à speculativo, cathegoricum à modali, veritatem probabilitatis à veritate opinionis probabilis, certam probabilitatem ab incerta & dubia, aliaque hujusmodi quàm plurima; rationes igitur opponam rationibus, non verba verbis, non convitia convitiis, non aculeos aculeis; nos talem consuetudinem non habemus; nempe cum Adversariis Catholicis disceptamus; si quando enim cum Heterodoxis agendum est, paulò certè liberiùs & acriùs sanctorum Patrum exemplo, agere non dubitamus.

IV. Et verò expostulare saltem mihi liceat de Adversariis nostris, qui densâ convitiorum & calumniarum grandine auctores nostros impetere non dubitarunt, atque adeò, ut jam dixi, universam Societatem nostram traducere, quasi usuras induceret, simonias doceret, homicidia consuleret, fraudes, furta, injustitias, calumnias, mendacia, sacrilegia, omnia fere crimina & flagitiorum monstra permitteret. Deus immortalis, usuras inducimus; quo animo, & fine? quo fructu & emolumento? omnia nostra Collegia, omnes Domus ære alieno laborant; imprudentissimè igitur (secundùm hominem loquor) rem nostram gereremus, & rebus nostris pessimè à nobis consuleretur, si usuram & fœneratitiam artem sustinendam ac defendendam susciperemus; pecunias ab aliis fœnori accipimus, non sine maximo rei domesticæ detrimento, nostras aliis fœnori non damus, imò etiam si vellemus, dare non possumus, quia non suppetunt; quonam pacto superfluas daremus fœnori, qui necessarias non habemus? nisi otio tuo abuti vererer dulcissime lector, longum Collegiorum censum instituerem, computatisque & collatis singulorum rationibus, & nominibus, clarissimè demonstrarem, non jam superfluas, captandisque usuris destinatas pecunias affluere, sed vix proventus illos suppetere, qui satis sint, tum ad nostros homines alendos & sustentandos, tum ad usuras ex ære alieno à nobis contracto solvendas. Quomodò verò furta permittimus, qui homines, à quibus consulimur, ad restituendas res furto ablatas, vel injustè usurpatas adstringimus? aliena profectò non appetimus, qui reliquimus omnia nostra;

ſtra; de aliis adeò ſolliciti eſſe non poſſumus, qui rerum noſtrarum adeò incurii ſumus; trita eſt amicorum noſtrorum querela; nos ſcilicet rei œconomicæ tam imperitos eſſe, quàm rei literariæ & aſceticæ peritos, atque adeò in juribus noſtris retinendis, rebúſque ſervandis negligentiſſimos: Alexander VII. fœlicis memoriæ, hoc ipſum dictitare ſolebat, & noſtris idemtidem occinere, nimirum in Societate multos eſſe, eóſque eximios divini verbi præcones, Scriptores doctiſſimos, Magiſtros & Profeſſores ſcientiſſimos, Homines literaturæ omnis generis peritiſſimos; imò & quod ipſe ultro fatebatur, Chriſtianis virtutibus & religioſæ vitæ ſanctimoniâ præſtantiſſimos, vix tamen unum in tanto numero vel tolerabilem œconomum, ſive, ut ipſi vocamus, Procuratorem eſſe; ex quibus, nemo eſt, qui non intelligat, fieri non poſſe, ut ii uſuræ partes ſuſtineant, ſuiſque donent ſuffragiis, qui terreſtribus bonis ſervandis & amplificandis tam negligentem, & cum tanta rerum hujuſmodi imperitia conjunctam operam navant.

V. De ſimoniæ labe, nihil eſt, quod dicam, cum ab ea inſtituti noſtri homines adeò ſint alieni, ut ne ſtipendia quidem pro ſacris miniſteriis rependi ſolita, vel petere, vel accipere valeant; quod tamen aliis vitio non vertimus, nec illos ea de cauſa ſimoniæ turpitudine infectos vel inquinatos eſſe dicimus; ut tamen ab omni avaritiæ, vel ſimoniæ, non crimine quidem, ſed aliquantulâ umbra, vel mera ſuſpicione liberiores eſſe videamur, prædicta ſtipendia, juxta inſtituti noſtri leges minimè admittimus. Quomodò igitur aliis auctores ſumus, ut ſimoniæ crimen ipſi admittant, à cujus etiam umbra omnino abhorremus? Quomodo ſimoniæ partes ſuſtineremus, qui juſta & ſolita ſacrorum miniſteriorum ſtipendia rejicimus? nec eſt, quod aliquis ſibi perſuadeat, rem iſtam minimi lucri eſſe, ac proinde à nobis, qui ad majora tendimus, facilè negligi, quaſi magno, non parvo lucro inhiemus; quiſquis hæc aliaque ſimilia de nobis ſpargit, toto cœlo errat, nec enim adeò modicum lucrum cenſendum eſt, quod ad quadringenta circiter aureorum millia, quotannis aſcenderet; quare viderint ii, qui nos ut ſimoniæ patronos & defenſores traducunt, utrùm hujuſmodi accuſatio in nos jure quadret; viderint, utrùm in illos longè potiùs, qui pinguioribus Sacerdotiis incredibiliter inhiant, & proventus Eccleſiaſticos indefeſſi accumulare non ceſſant; quos tamen intelligere velim, illa Dei bona ita non eſſe accipienda, ut liberæ ac liberali eorum voluntati & diſpoſitioni ſubjiciantur: quidquid enim ad victum, veſtitum, aliaque ad propriæ vitæ ſuſtentationem pertinentia ſupereſt, totum id, vel in egenos erogandum, vel ad opera pia, ut vocant, applicandum; rem ita ſtatuit Moralis noſtra Theologia, quam tamen Adverſarii noſtri corruptiſſimam eſſe contendunt: Benedictus Deus; ſi enim hæc corrupta eſt, licèt ab hujuſmodi corruptione abhorreat, quam tum libris in lucem editis, tum in publicis Templorum, vel Scholarum pulpitis ungue & roſtro configimus; an quæſo illa à majore corruptione libera eſt, quæ cum ſimoniacis pactis nunquam non fere conjuncta eſt, adeò ſordidam auri famem & avaritiam præ ſe fert, ut populis offenſioni ſit, & ſanctiſſimis hominibus horrori; ac demum liberum bonorum Dei, ſeu proventuum Eccleſiaſticorum ſacris Myſtis uſum in quæcumque & quælibet relinquit: hæc profectò eſt Moralis Phariſaïca, quæ cum leviſſima quædam acerrimè carpat, multa ſanè, eaque graviſſima humanis affectibus indulget; honeſtam delectationem, neceſſariam mentis reſtrictionem, imò vel ipſum Dei timorem ferre non poteſt, dum iræ, contumeliæ, odio, calumniæ, libellis famoſis, atrocibus convitiis, mortalibus aculeis, & acerbiſſimis ſatyris laxiores habenas laxat.

VI. Ad homicidia deſcendo, quæ à nobis admitti atque probari abſolutè pronunciant;

ciant;itane verò humano cruore sitim nostram extinguimus ? hæc risum potiùs, quàm stomachum movent;hominum vitæ struimus insidias, ferrum & tela porrigimus hominibus?hæc sanè plusquàm ridicula & absurda;nos vitam hominibus eripimus,qui propriam vitam & sanguinem pro illorum salute profundimus?nos diro mucrone Christianos petimus ad mortem,qui pectora nostra mucronibus Infidelium obicimus,ad vitam animæ iis procurandam?quàm multa numeramus,non jam centena,sed millena ex nostris,qui amicis,parentibus,sociis,& ut verbo dicam, Europæ renunciarunt,& valedixerunt orbi nostro, ut in Africam, Asiam, Americam,& Barbaras gentes toto orbe divisas conferrent sese, rejectisque totius vitæ commodis,nullis periculis,& discriminibus vitæ parcerent,ad conversionem Infidelium procurandam:nemo certè fideliter & accuratè recenseat, quàm multi ex iis diram & crudelem mortem subierint,quàm atrocia tormenta,quàm diversa mortis genera ubique fere gentium passi fuerint; videant cordati viri, & judicent, utrùm hujusmodi homines;cædium & homicidiorum auctores ac defensores esse unquà, aut dici queant;nullis laboribus & sumptibus parcimus, industriæ nulli, imò nec propriæ vitæ & sanguini,& quotidie morimur, ut populorum salutem & vitam æternam procuremus,quomodò igitur iisdem adeò iniqui sumus,ut mucronem, venena,aliaque hujusmodi mortis,& scelerum instrumenta in vitam illorum instruamus,& pro iis mori parati,mortem iis inferamus?nisi hæc sint repugnantia, nusquam profectò invenies, optime lector,non desunt tamen,qui dicant, scribant & pargant; non desunt, qui hujusmodi assertionibus fidem habeant,aut certè, quod longè verisimilius,fidem à se haberi dissimulent.

VII. Omitto alia,quæ nobis affingunt flagitiorum monstra,à quibus, per Dei gratiam,immunes & liberi sumus,impugnamus & persequimur acriter hominum scelera,non fovemus,non docemus,non defendimus ; ad virtutem & vitæ sanctimoniam homines instituimus,atque hortamur,non inducimus, nec trahimus ad nequitia;imò sermones & verba,quibus virtutem,pietatem, Christianos mores possimus inspiramus,optimis religiosæ vitæ exemplis condire impensè studemus. Scio, nonnullos fuisse,qui secus egerint;quid mirum?inter tot, vix unquam eveniet ; ut omnes probi sint,ne dum optimi;id tamen Societati nostræ proprium est & singulare,ut si qui tales sint;in ea permanere non valeant, aut saltem ex ea vel inviti eiiciantur:malum à nostris omnibus arcere non possumus; malos tamen, eos præsertim,quos publicæ offensioni esse constat, à nobis arcemus:ea profectò mens est;ita mihi optimi Patris nostri Generalis,qui Societatem hoc tempore regit, ut ingeniosos & doctos etiam homines nec amet,nec promoveat, nec ullo habeat loco, nisi eos propria virtus & religiosæ vitæ castimonia eidem reddat acceptos. Quidquid ergo nobis imponant Adversarii calumniæ,stat Dei gratia,stabitque in posterum Societas nostra;& quantumvis nobis affingant horrenda crimina & flagitia per notoriam calumniam, à primævo tamen vitæ ac ministerii genere non abstinebimus;in votis esset Cacodæmoni,per emissarios suos,affictis calumniis, nostros homines à sanctissimo illo proposito removere;sed frustra;longè impensiùs illud prosequemur,& novos in dies fructus,uti speramus, juvante Deo, in vinea Domini, ringente ac frendente licèt Erebo,referemus.

VIII. His breviter præmissis,unum restat;cujus te certiorem esse velim, optime lector,nimirum,unde orta sit occasio,hunc Apologeticum componendi, atque in lucem edendi,rem totam breviter accipe.Per multos menses Romæ cum molestissima febri,sæpe ac sæpius recidiva, & reciprocante colluctatus, cum in sola auræ

ac cœli mutatione priſtinæ valetudinis reficiendæ ſpem periti rerum illarum collocarent, ab optimo Patre noſtro Generali, cui quantum debeam, verbis explicare non poſſum, reſtituendæ ſanitatis gratia, Autumno proximè elapſo, Lugdunum Galliæ miſſus ſum, Romam rediturus proximo Vere; vix appuli Maſſiliam, cum me ab omnibus fere longiſſimi morbi reliquiis prorſus liberum eſſe ſenſi; reſtabat in cruribus, nonnihil incommodi, ſed illico evanuit, ubi Lugdunum perveni; cùm igitur curanda ultra valetudo non eſſet, nempe jam optimo & priſtino loco erat, nec in otio, per indolem meam, vivere queam; caſu neſcio quo, mecum detuleram multa ex prædictis opuſculis, adversùm doctrinam Moralem noſtrorum Auctorũ publicatis, à me adnotata; unde occaſionem nactus eadem opuſcula refutandi; calcaria jam ultro currenti admovenda non fuere; crevit opus, pro ea, qua ſum facilitate, non quidem optimè, ſed utcumque ſcribendi, & aliqua rerum Moralium peritia, mihi per tot annos, Pœnitentiarii Apoſtolici munere defungenti comparata; atque adeò poſt aliquot menſes rem totam abſolvi, cito quidem, & diligenter, utinam efficaciter & bene; quod certè tenuitatis meæ conſcius adſtruere vix auſim: tuum etit, ferre judicium, erudite lector, illud ſaltem aſſequutus ſum, ut ſpecimen aliquod ederem, tum grati animi, quem in me ſentio, erga Societatem noſtram, tũ maximæ & ſingularis opinionis meæ de clariſſimis illis ac præſtantiſſimis auctoribus à me ſupra nominatis, quibus res literaria tantum debet, & quos vel eo nomine, ab innumeris calumniis & impoſturis vindicandos ſuſcepi. Hanc igitur ſpartam adornavi, & provinciam aggreſſus ſum, ne viverem otioſus; nihil enim aliud erat, quod agerem; alia ſcripta, eaque ſatis copioſa & multa, nec uno contenta volumine, Lugduno aliàs ante multos annos diſcedens, ibidem reliqueram; nec enim mihi perſuadere potuiſſem, fore, ut tamdiu abeſſem à Provincia, ac proinde ne chartulam quidem inde aſportandam eſſe duxeram; inter ea, reperi primos Phyſicæ tractatus, aliàs à me conſcriptos; dico primos (nam ultimos Romæ compoſui, & in publicam edidi lucem) & quædam alia Theologica, Moralia, Geometrica, &c. Multa etiam ex his, de amicorum conſilio, Typographo edenda commiſi. Hæc ſunt, lector benevole, quorum te monitum eſſe volui, ut inſtituti mei ratio tibi omnino comperta & perſpecta ſit; quæ ſi arrideat, mihi gratulor; ſin minus, doleo, ſed æqui bonique conſules.

IX. Hunc autem ordinem mihi ſervandum propoſui, ut aliquot Dialogos primo loco ſtatuerem, quorum primus ante decem annos editus fuit Romæ, hoc titulo, *Pithanophilus*, ſeu *Dialogus de Opinione Probabili*, &c. in quo, cum proxima morum regula, conſcientia ſcilicet, ſtatuatur, & reducatur ad ſua principia, operæpretium fore, putavi, ſi ego illum quaſi ſolidum & unicum, de hoc argumento, Theologiæ Moralis fundamentum jacerem, ac præmitterem: In ſecundo idem argumentum proſequor, tum ad ea roboranda, quæ in primo tractatu fuerunt; tum ad ea corollaria, ex jactis principiis deducenda, quæ ex iis neceſſaria conſequutione conſequuntur; tum demum ad ea, pauca licèt, explananda, quæ nonnullis in priore vel tantulùm negotii faceſſerant. In tertio & quarto R. P. Auguſtini de Angelis quæſtionem unicam de recto uſu opinionis probabilis confutavi. In quinto & ſexto nonnulla ex Theologia Morali R. P. Vincentii Baronis contra me, & Stubrockium, Suarem, Theophilum, Bellarminum, atque adeò univerſum noſtrorum Auctorum, non prorſus contemnendum manipulum liberiùs ab eo jactata; non ſine maxima vi convitiorum, falſitatum & calumniarum, diſcuſſi & excuſſi; dico, nonnulla, quis enim totam ſentinam exhauriret? In ſeptimo, R. P. Antonii Marinarii opuſcu-

opusculum de eodem argumento recognovi, & ab eo nobis opposita dilui; in reliquis denique, Illustrissimi & Reverendissimi D. Prosperi Fagnani commentarium de opinione probabili, cujus gratia præmissi tractatus postea editi sunt, refutandum suscepi. Addidi præterea opellam paulò amœniorem, cui titulus *Carâmuel, seu Dialogus*, in quo ut nimius opinionum Moralium rigor, ita mollior earundem laxitas temperatur; severioribus illis, reficiendi lectoris gratia, subjunxi. Cætera vide in Elencho & Synopsi.

X. Cum autem Rex Christianissimus decreto suo vetuerit suis subditis, ne inter se, de præteritis controversiis, excitatis in Ecclesia, occasione damnationis libri *Iansenii*, cui titulus *Augustinus*, contendant; nec sibi invicem Hæreticorum, Jansenistarum, Semipelagianorum, vel quodlibet aliud factionis nomen tribuant; nec libellos contentiosos de iisdem controversiis scribant, edantque in publicam lucem; nec demum quempiam, qui Episcopi sui jussu, formulam fidei subscripserit, convitiis proscindant; in hoc Apologetico, dictis decretis religiosissimè & sanctissimè steti; nec enim dictas controversias, vel uspiam attigi, sed morales dumtaxat, de quibus profectò in libro Jansenii nihil; alia enim est & toto cœlo distincta controversia; unum porrò ex subditis Regi Christianissimo Baronem confutavi, quamquam de alia controversia, Morali scilicet, quæ ad Jansenium nihil attinet; (cæteri quippe Galli non sunt) licèt eum minime provocaverim, sed provocantem jure meo rejecerim ac refutaverim; in diverso tamen prorsus, ut dixi, disputationis argumento: Supposui quidem Jansenii doctrinam ab Ecclesia damnatam fuisse; hoc quippe omnes Catholici supponunt, nimirum quinque propositiones confixas; non tamen de iis, vel minimùm disputavi, nec quempiam verbis injuriosis, illarum occasione, lacessivi, ex subditis Regi Christianissimo, qui scilicet dictæ formulæ subscripserit: Quare decretis ac nutibus Regiis me paruisse, constanter asserо, & sanctè juro; iis nempe vetitum non est, de alio argumento scribere, alios errores confutare, errantésque in alia materia, etiam pugnacriùs, servatâ tamen Christianâ moderatione, castigare, doctrinam fidei profiteri, Hæreticam oppositam damnare. Cæterùm, ut supra innui, hic Apologeticus, non communi totius Societatis, sed privato meo nomine compositus & editus à me fuit. Quare, si quid fortè in eo, cuipiam displiceat, illud quæso mihi totum, non verò aliis imputet; refutet amabò, fugillet & carpat: nam (& id sanctè juro) vel in ejus sententiam ultro descendam, si meliorem esse demonstrarit, nec erubescam palinodiam, ut ajunt, recantare; aut certè, si secus accidat, & temerè impugnet; me ac mea, more meo, strenuè defendere non dubitabo.

XI. Ne quid autem, vel minimæ occasionis, malè sentiendi cuipiam à me præbeatur, nonnulla obiter indico ab amicis in hanc rem adnotata, *fol. 71. col. 2.* dico, Patrem & Filium non esse idem *cum essentia divina, ut sic loquar, distributa, seu adæquate sumpta*, id est, cum essentia sumpta, tam secundùm prædicata absoluta & essentialia, quàm secundùm relativa & notionalia. Dico ibidem, *præterita & futura non esse adæquate præsentia æternitati*? sed tantùm inadæquatè, id est, toti quidem, sed non totaliter, ut Scholastici loquuntur. *Pag. 96. col. 1.* dico, eandem esse gratiam efficacem *Prædeterminantium, Iansenii, & Calvini*, id est, efficacem intrinsecè, & à se præcise; quis hoc negat? *Pag. 187. col. 1.* dico, Illustrissimum Fagnanum, *Summum quidem Canonistam, non tamen Theologum esse*, id est, Canonistam agere, non Theologum, hoc ipsum ultro de se fatetur. Dum hæc scribo *pag. 231. col. 2. Nemo sal-*

tem opiniones probabiliores reputet, non intendo, propterea, esse probabiles; sed est modus loquendi figuratus, quo maximè res elevatur; & verò non modò probabiles non reputo, sed omnino improbabiles. Quod dixi *pag. 401. col. 2.* de eleemosyna, ita profectò intelligendum est, *ut extra necessitatem extremam, nulli quis determinato eleemosynam facere teneatur*, id est, huic potiùs, quàm illi, modò scilicet huic, vel illi faciat, disjunctivè, ut ajunt, non determinatè; quis enim omnibus? unde sanè, in pari necessitate, eroganti datur optio. Dixi *pag. 402. & 403.* dari posse, citra simoniam, aliquod temporale pro spirituali jam accepto, verb. gr. ex gratitudine, modò nullum pactum prævium, seu formale, seu tacitum præcesserit; quis hoc unquam negare vel damnare ausit, modò rem capiat mente. *Pag. 422. col. 1.* dixi, pauperes non furari, in extremam scilicet necessitatem redactos, si alius modus non suppetit, quando aliquid accipiunt, ad sustentandam vitam necessarium; hoc enim iis à Deo & natura conceditur; neque hæc est opinio; at certa scientia: quod dixi *pag. 423. cap. 32.* nullam patitur meo judicio difficultatem, in foro conscientiæ; qui enim accipit aliquid ab eo, qui est Dominus rei; non est causa voluntatis donandi, si nec directè, nec indirectè donationem illam procuravit; igitur non concurrit ad peccatum illud, quod dando admittitur. Ibidem *cap. 30.* licet dicam, rationem illam ineptam non esse; non tamen propterea in eam sententiam descendo. Quod dixi *pag. 426. cap. 37.* de gula, cum iis adjunctis, quæ ibidem habes, modò termini capiantur, nihil prorsus facessit negotii; cum secus dici non possit. Idem prorsus dico de iis, quæ à me dicta sunt, *pag. 430. cap. 43.* de pecuniis ab uxore marito surreptis, sub iis scilicet adjunctis, quæ diserte ibidem exposui. Exciderat denique, quod habes, *pag. 190. col. 2.* sub finem, homines æquè non obligari præcepto veritatis, nimirum scienda, vel cognoscenda, ac præcepto charitatis; quod nisi fallor perspicuum est, multiplicem enim veritatem sanctissimi homines ignorarunt, sed modò termini capiantur, nulla hîc restat difficultas. Denique unum, vel alterum paulò acriùs perstrinxi, Wendrockium scilicet, & Sinnichium; sed illum Germanum Salisburgensem, istum verò Hibernum, ac proinde neutrum Regi Christianissimo subditum, cùm tamen per decretum Regium, id dumtaxat vetitum sit; ne subditi Regi Christianissimo, inter se contendant, & ne quis alium verbis injuriosis lacessat, super iis controversiis, quæ ex libro Jansenii ortum duxerunt; unum quidem Gallum, Baronem scilicet, confutavi, sed in alio prorsus, ut jam dixi, argumento, quod ad librum Jansenii minimè pertinet.

TYPOGRAPHVS COLONIENSIS
LECTORI BENEVOLO.

CUm pauca hujus Apologetici Exemplaria in Germaniam missa fuerint, ex quo Lugduni primùm editus est; illiusque multi ex Nostratibus desiderio tenerentur, denuo edendum esse putavi: & ut res non acceptior modò, verùm etiam utilior cunctis accideret, amicorum opera procuravi diligentissimè, ut aliæ quædam tum ejusdem auctoris, tum aliorum lucubrationes, sive nunquam, sive jam alias editæ, ad argumentum, quo de hîc agitur, maximè pertinentes, quas videsis in sequenti Elencho, in meas manus venerint, quarum scilicet accessione liber altero se auctior evasit.

COPIA

COPIA PRIVILEGII SOCIETATIS JESU.

Cum ex mandato sacræ Cæsareæ Majestatis, Omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus serio firmiterque inhibeatur, ne quis quam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos aut imposterum edendos, intra Sacri Romani Imperii Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili aliove charactere, aut forma, sive in toto, sive in parte excudere, recudere, vel alibi vendendos aut recudendos mittere, vendere, distrahere, clam seu palam citra supradictorum Patrum consensum, authoritatem audeat, vel præsumat.

Ego VVinandus VVeidenfelt Societatis IESV per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis concedo Viduæ JOANNIS BUSÆI, *facultatem recudendi librum P. Honorati Fabri Societatis Iesu Theologi, cui titulus, Apologeticus Doctrinæ Moralis ejusdem Societatis, censum & approbatum a diversis Theologis. In quorum fidem hoc ei testimonium manu propria subscriptum & consueto sigillo munitum dare voluit. Coloniæ 31. Decemb. Anno 1671.*

WINANDUS WEIDENFELT mp.

L. S.

APPROBATIO.

NOs infrascripti Societatis Jesu Theologi, legimus librum, cui titulus, *Apologeticus Doctrinæ Moralis Societatis*, auctore Honorato Fabri ejusdem Societatis, & omnia in eo reperimus, cum sana doctrina, Christianis moribus, & Theologorum tacitis consentientia, ac proinde dignum censemus, qui publicam in lucem edatur.

JOSEPHUS GIBALIN.
CAROLUS DULIEU.
LAURENTIUS GRANON.
FRANCISC. DE S. RIGAUD.
JOANNES GAUTEROT.
FRANCISC. DE LA CHAISE.
PETRUS VIOLET.
JACOBUS TIRAM.
BERTRAMUS LE BRAS,
Rector Collegii.

IDem, quod Theologi Lugdunenses, Nos etiam de iterata & multò auctiori editione hujus Apologetici censemus, dignissimumque hunc & luce publica, plurimorumque lectione.

VVoltherus Henriquez à Strevverdorf SS. Theol. Doctor, Colonienſis Universitatis Senior Iubilearius, ex Ordine S. Augustini anno 1634. factus Episcopus Ascalonitanus, ac Suffraganeus Moguntinus, & nunc ibidem Facultatis Theologicæ Decanus cum cæteris ejusdem Facultatis Doctoribus, Moguntiæ 22. Augusti, 1671.

ELEN=

ELENCHUS

Tractatum Primæ Partis hujus Apologetici.

I. AVctoris Epistola præliminaris ad P. N. N. in qua summatim Doctrina Opioninis probabilis explicatur.

II. De Opinione probabili, Dialogi duo, auctore P. Honorato Fabri Societatis JESU.

III. Confutatio Quæstionis de usu Opinionis probabilis, Augustini de Angelis, eodem Auctore, duobus Dialogis.

IV. Confutatio Vincentii Baronis, eodem Auctore, duobus Dialogis & gemina appendice.

V. Confutatio Antonii Marinarii, de Opinione probabili eodem Auctore Dialogo uno.

VI. Confutatio Tractatûs de Opinione probabili, ab Illustrissimo Prospero Fagano editi, eodem Auctore, quatuor Dialogis.

VII. Dialogi sex novi morales de Vsura, Cambio, Censu, Simonia, Homicidio, Sacramento Pœnitentiæ, eodem Auctore:

VIII. Confutatio Anonymi ab Anonymo Opusculum ejusdem argumenti.

IX. Confutatio Christiani Kortholtii, & larvati cujusdam Theophili, Auctore Christiano Fabro Sebusiano, Opuscula duo.

X. Bernardi Stubrokii Notæ in Notas VVilh. VVendrokii, Secunda Editio.

XI. Confutatio Epistolarum Provincialium Ludovici Montaltii, item tertii & quarti Præloquii ejusdem Operis, geminæ etiam Appendicis, Conringianæ Epistolæ, Racheliani Opusculi, & novi Indicis Vvendrokiani &c. per eundem Bern. Stubrokium.

XII. Epistola P. Honorati Fabri ad Vincentium Baronem Lugduno scripta.

SYNOPSIS

SYNOPSIS

Eorum, quæ in singulis hujus Partis primæ Tractatibus continentur.

AUTHORIS Epistola præliminaris ad P. N.N. continet summam Doctrinæ Societatis de vera Opinionum probabilitate, quæ sub finem etiam specialiter confirmatur litteris Admod. Rev. Patris Ioannis Pauli Olivæ, Præpositi Generalis eiusdem Societatis.

DIALOG. I. De Opinione probabili. pag. 1

II. Nonnulla capita prioris opusculi repoliuntur & conflictaria generalia deducuntur. 26

III. Aliquot Recentiorum assertionum circa opinionem probabilem refelluntur, ac præsertim Augustini de Angelis. 48

IV. Eadem materia discutitur, & idem auctor refellitur. 69

V. Ea religiose ac modestè refelluntur, quæ Pater Vincentius Baro, Patri Fabri, in sua Theologia Morali, & quibusdam aliis imposuit. 86

VI. Reliqua hujus auctoris in præmisso dialogo proposita, eadem sinceritate refutantur. 109

Synopsis alphabetica convitiorum, quibus F. Baro Theologum prosequitur. 120

In votum cujusdam de prima parte Theologiæ Moralis à Vincentio Barone editæ, Animadversio Epistolaris. 124

Brevis Summa errorum, convitiorum, & calumniarum, quæ in Apologia Vincentii Baronis continentur. 135

VII. Nonnulla ex opusculo R.P. M. Ant. Marinarii, de Opinione probabili, refutantur. 146

VIII. Ea breviter refutantur, quæ Illustrissimus D. Prosper Fagnanus contra auctores Societatis adduxit in suo tractatu, de Opinione probabili. 162

IX. Alia quæ sequuntur ejusdem tractatus, eodem modo refutantur. 181

X. Reliqua ejusdem opusculo expenduntur. 199

XI. Caramuel, seu Dialogus de Opinione Probabili, in quo ut nimius Opinionum Moralium rigor, ita mollior earundem laxitas temperatur. 220

XII. Universam doctrinam de Usuris, ex certis principiis, nova methodo perspicuè & breviter traditur. 239

XIII. Cambia, præsertim Recursæ quod vocant, & Plateale, itemque Sponsio Salmanticensis discutiuntur. 259

XIV. Tres contractus, & census utrimque redimibilis examinantur. 290

XV. Aliquot de Simonia controversiæ discutiuntur. 317

XVI. Nonnulla Controversiæ de justæ defensionis & Compensationis jure discutiuntur. 340

XVII. Aliquæ Controversiæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinentes discutiuntur. 361

Anonymus adversus Anonymum, Opusculum, in quo quinquaginta & tria oppositorum capita, contra Theologiam Moralem Iesuitarum exponuntur & refutantur. 386

CAPUT I. De doctrina opinionis probabilis. 387

II. De Opinione Probabili. 388

III. De occasione peccandi. 390

IV. De cooperatione alienis peccatis. 392

V. Theologia Moralis Iesuitarum Paganismum olet. 393

VI. Iesuitæ nec Sacros Codices legunt, nec consulunt consilia. 394

VII. De lectione Sanctorum Patrum. 395

VIII. De Ignorantia. 396

IX. De eadem ignorantia. 398

X. De quæstionibus inutilibus. 399

XI. De Iejunio. ibid.

XII. De Eleemosyna. 400

XIII. De Simonia. 402

XIV. De interpretationibus legum. 405

XV. De legibus Ecclesiasticis. 406

XVI. De Religiosis ejectis. 407

XVII. De justa compensatione. ibid.

XVIII. De directione intentionis. 408

XIX. De desiderio mortis proximi. 409

XX. De Homicidio. ibid.

XXI. De Iudicibus, & opinione minus probabili. 412

XXII. De Iudicibus, & munerum acceptione. ibid.

XXIII. De eodem argumento. 413

XXIV. De Usura. ibid.

§. I. Doctrina D. Baillii, de usura & justo lucro. 414

II. Quædam ex præmissa doctrina deducuntur. 415

III. Mens auctoris de lucro ex pecunia. 416

IV. Gallica statuta de usura explicantur. 419

V. De Contractu Mohatra. 421

XXV. De restitutione. ibid.

XXVI. Item de restitutione. 422

XXVII. De furto. ibid.

XXVIII. De restitutione mercedis ex actione turpi. ibid.

XXIX. De restitutione accepti à debitore in fraudem creditorum. 423

XXX. De restitutione accepti à Iudice pro sententia injusta. ibid.

XXXI. De nimia scriptorum illorum multitudine. ibid.

XXXII. De Calumnia. 424

XXXIII. De pietate adversus Virginem. 425

XXXIV. De vera pietate. ibid.

XXXV. De Invidia. ibid.

XXXVI. De Acedia. ibid.

XXXVII. De Gula. 426

XXXVIII. De æquivocis. ibid.

XXXIX. De promissione. 427

XL. De stupro. ibid.

XLI. De obscœnis quæstionibus Casuistarum. 428

XLII. De ornatu mulierum. ibid.

XLIII. De pecuniis ab uxore marito surreptis. 430

XLIV. De Missæ auditione. ibid.

XLV. De Sacramento Pœnitentiæ. ibid.

XLVI. De interrogando pœnitente. 431

XLVII. De circumstantiis quæ speciem non mutant. ibid.

XLVIII. De satisfactione Sacramentali. ibid.

XLIX. De dispositione pœnitentis. 432

L. De eodem argumento. ibid.

Synopsis Capitum.

LI. De Contritione. ibid.
LII. De amore Dei. 433
LIII. De opinionum laxitate. ibid.
Christiani Kortholti Germani Rostochiensis, Valerianus Confessor in examen vocatus atque rejectus, & ejusdem demonstratio paralogismi convicta. Item scandali Ecclesiæ Romano Catholicæ affecti à larvato quodam Theophilo, vanitas demonstrata, id est, utriusque Opusculi brevis confutatio, in duas partes distincta. 435
PARS PRIMA. Christianus Faber Sebusianus, ad Christianum Kortholtum, Rostochiens. 436
Breves in præfixum titulum notæ. ibid.
In præliminarem Epistolam, Commentariolus. 437
Appendix ad primam partem. 452
Audiatur & altera pars, seu copia literarum Serenissimi Principis, ac Domini, D. ERNESTI Hassiæ Landgravii, ad R. P. Valerianum Magni, Ord S. Francisci Capucinum, de sic dicta eius Apologia, contra imaginatas sibi impostoras Iesuitarum. ibid.
PARS SECUNDA. Christianus Faber, idem, qui Germanus Theophilus ad larvatum Theophilum. 468
CAPUT I. Frons libelli examinatur, Epistola ad lectorem discutitur. ibid.
II. Factum Oenipontanum discutitur, propositiones ex eo deductæ refelluntur, & contextæ ex his argumentationes dissolvuntur. 471
III. Caramuelis causa exponitur, propositiones item & argumentationes ex ea deductæ refelluntur. 473
IV. Dominicanorum querelæ cum propositionibus & argumentationibus inde deductis discutiuntur. 474
V. S. Ignatius ab hujus auctoris calumniis vindicatur. 476.
VI. Doctrinæ Iesuiticæ injustâ censurâ notatæ specimina examinantur. 478
VII. Controversiæ circa Valerianum propositæ dissolvuntur. 481
VIII. Brevis expostulatio de nonnullis Catholicis. 483
Notæ in Notas Wilhelmi Wendrokii ad Ludovici Montaltii literas Provinciales, & in Disquisitiones Pauli Irenæi, inustæ à Bernardo Stubrokio. 487
Decretum Alexandri Papæ VII. de literis Montaltii &c. 490.
Præloquium libri & Admonitio ad Lectorem. 492
In primam Epistolam Notæ quatuor. 494
In secundam Epistolam Notæ tres. 495
In tertiam Epistolam Nota unica. 496
In quartam Epistolam Notæ duæ. 497
Notæ sex præambulæ in sequentes Epistolas. 499
In quintam Epistolam Nota I. seu Dissertatio Theologica de Probabilitate. SECT. I. Status Controversiæ exponitur. 502
SECT. II. De I. Probabilistarum Axiomate, Probabilem omnem opinionem etiam falsam & legi divinæ contrariam, à peccato coram Deo excusare. 503
SECT. III. Idem Probabilitatis commentum quibusdam eius Consectariis evertitur. 505
SECT. IV. Opinionem minùs probabilem & minùs tutam amplecti licet. 508
SECT. V. De duobus erroneis Consectariis. 511
SECT. VI. De Casuistarum auctoritate. 512
SECT. VII. Dissolvuntur Iesuitarum Criminationes, ubi de Villiucii, Baunii Ioannis Sancii opinionibus nonnullis, & quomodo Iesuitæ SS. Patres revereantur. 513. & seqq.
In sextam Epistolam Notæ duæ, & Dissertatio Theologica de perpetuitate Canonum. 517
In septimam Epistolam de directione Intentionis. 522
In octavam, De pecunia à judice ob injustam sententiam accepta. 523
Nota 2. de quæstu honestarum fœminarum. 526
Nota 3. De Contractu Mohatra, & usura. 527
In octavam Epist. Not. I. De cultu Deiparæ. 528
Nota II. De Stupro ex sententia Baunii. 529
Nota III. De voluptatibus licitis. 530
In nonam Epist Not. I. De absolutione differenda. ibid.
Not. II. De Attritione. 532
Not. III. De præcepto amandi Deum. 533
In Epist. undecimam. Not. I De locis Montaltii. 534
Not. II. De Rosario & Gratia sufficiente. 535
In XII. Epist Not. I. Ignoti scriptoris Epistola. 536
Not. II. De reditibus Ecclesiasticis 3. de Simonia. 538
In XIII. Epist. Nota unica, De Homicidio. 540
In Epist. XIV. Notæ, sive Dissertatio Theol. de Homicidio.
SECT. I. Destruuntur principia ad hanc Tractationem necessaria. 542
SECT. II. Iesuitarum de cæde doctrina refellitur. 546
SECT. III. Dissolvuntur argumenta Iesuitarum. 547
In Epist. XIV. Nota I. De Calumnia. 549
Nota II. & III. Exempla calumniæ Iesuiticæ. 552
In Epist. XVI. Nota I. Calumnia Iesuitica de Eucharistia. 553
Nota II. Precatiuncula de SS. Sacramento.
Nota III. De miraculis in Porturegii Monasterio editis. 555
In Epist. XVIII. Dialogus Wendrokii. 556
Pauli Irenæi Disquisitiones de hæresi Ianseniana contra P. Annatum præcipuè. 559. & seqq.
Theologorum Romanorum in causa V. Propositionum suffragia, ex quibus verus Constitutionis sensus innotescit. 565
LUDOVICI MONTALTII Epistolares libelli ad Provincialem, refutati à Bernardo Stubrokio. à p. 562. usque ad p. 663.
PRÆLOQUII tertii Confutatio. 664
QUARTI Præloquii Confutatio. 667
APPENDIX ad præmissas Confutationes. 673
SAMUELIS RACHELII Additamenta ad literas Montaltii, & Notas Wendrokii editas denuo Helmstadii, tanq. calumniis referta, confutantur. 675
HERMANNI CONRINGII Epist. ad Sam. Rachelium refellitur. 677
BERN. STUBROKIUS Lectori de novo Indice Wendrokiano. 680
Epistola Honorati Fabri ad Vincentium Baronem Lugdunensem scripta. 683

EPISTO-

EPISTOLA PRÆLIMINARIS P. HONORATI FABRI, LVGDVNO SCRIPTA AD P. N. N. IN QUA DOCTINA OPINIONIS PROBABILIS SUMMATIM EXPLICATUR.

R. IN CHRISTO PATER.

GRatissimum omninò accidit, R. P. ex tuis literis, mihi occasionem præberi, tritum illud argumentum de opinione probabili, quasi summatim retractandi, & totam illam doctrinam in Dialogis à me paulò fusiùs explicatam, breviore quasi tabella contractam, sub unum aspectum adducendi: ut autem tota res magis perspicua evadat, illam, pro more meo, in certos numeros distinctam esse volui.

I. Hujus meæ doctrinæ, vel sententiæ præcipuum & quasi unicum, vel singulare fundamentum est, quod certam conscientiam actio moralis honesta desideret; id est, judicium practicum certum, quo ipse agens certò judicet, nihil inesse mali; certum, inquam, saltem creditum, per invincibilem, ut ajunt, ignorantiam, vel conscientiam erroneam, sed innocuam; nec enim objectum voluntatem afficit, vel movet, ut re ipsa extat, sed ut cognitum est: & verò si judicium illud practicum, seu dictamen rationis, quod proxima est actionum moralium regula, esset tantùm probabile, cum aliqua dubitatione conjunctum esset; ac proinde operans jure timeret, ne actioni malum inesset; peccaret igitur, juxta doctrinam à Doctore Angelico traditam; quia proximo peccandi periculo exponeret sese; si enim dubitans, ne malum insit, pecco; longè potiori jure, peccare censeor, si malum inesse, probabiliter judico. Illud igitur firmum, fixum ratumque apud me est, conscientiam certam esse debere; & in hoc cum Adversariis convenio; ubi hoc dumtaxat iis dederim, nihil habent ultra, quod opponant; quid enim? cum omne peccandi periculum, omne dubium, omne incertum, omnem aleam, certa conscientia omnino arceat; igitur vel hoc uno statuto, & veluti clypeo nostris adversariis oppositio, omnia illorum argumenta, seu tela statim retunduntur; & nihil præter voces, declamationes, mera verba, ac simplicium terricula iis superest, ut patet. Atnisi conscientia certa statuatur, D. Thomam, antiquos, immo & recentiores omnes nobis adversantes habebimus, si unum, vel alterum excipiam; & nullum unquam argumentum Fagnani, Mercori, Goneti, Comitoli, Philaleti, aliorumq;, nisi ad speciem, solvemus; immo si conscientia probabilis tantùm satis est; cum hæc ex minima etiam & qualibet probabilitate consequatur, qui reverà omnimodæ laxitatis & corruptelæ morum fons est; ex quo absit, ut parum salubres aquas hauriamus; tuta esset quælibet opinio probabilis, quod tamen vel dictu nefas est.

II. Judicium autem illud practicum directum est, non reflexum; licèt enim aliud reflexum esse possit, hoc tamen primum illud, ut prævium, supponit; cum ex illo deducatur, ut patet ex hoc syllogismo; *quisquis agit cum certa conscientia, honestè agit; sed ago cum certa conscientia, igitur honestè ago*; hæc consequutio, ut vides, certam conscientiam præsupponit in minore; illam igitur non constituit; major est universalis propositio per se nota & perspicua; minor experimento statuitur; quisquis enim aliquid certò cognoscit, seu judicat, absque alio actu reflexo, experitur se cognoscere ac judicare certò, nimirum absque formidine; illudunum tamen restat, unde judicium illud practicum certum sit, & certitudinem suam accipiat; quod breviter explano, si priùs illius objectum statuerim, quod nihil aliud est nisi usus & praxis talis, vel talis objecti, nobis repræsentati per judicium aliquod prævium speculativum, sive certum; v. g. judico certò talem contractum esse usurarium; en judicium speculativum certum, ex quo facilè certum judicium practicum sequitur, quo scilicet certò judico, usum illius objecti malum esse; sive probabile, v. g. judico probabiliter, pactum trium contractuum non esse usurarium; en speculativum probabile; sed cum deinde certò judicem, in usu & praxi dicti objecti, dicti judicii speculativi, vel illius opinionis probabilis, nihil inesse mali, & cum hoc judicium practicum per se notum non sit, nec ex judicio speculativo probabili deduciqueat; aliud quidpiam investigandum est, illudque certum, unde scilicet deducatur.

IV. In hoc cardine, meo judicio, hæc controversia vertitur; quod autem aliqui dicunt, opinionis probabilis electionem prudentem esse; an hoc certum sit, dubito, nisi aliud addatur; prudenter certè quispiam opinioni probabili assentitur, sed tam prudens est ille assensus, quàm probabilis ipsa opinio; & tam probabilis opinio, quàm grave & rationabile est

illius motivum; non potest enim meliùs opinio probabilis definiri, quàm si dicamus, illam esse, quæ gravi & rationabili motivo nititur, citra certitudinem, ac proinde quod satis sit, ad prudentem assensum; illud autem motivum grave & rationabile non est, quod à quopiam alio, non dico, superatur, sed prorsus tollitur, puta argumento indissolubili, quod vel à decreto expresso auctoritatem habentis, vel à communi omnium refragantium auctoritate, vel ab evidente absurdo deducitur. Itaque cum tam sit prudens usus & praxis opinionis probabilis, quàm prudens est illius electio; & tam prudens electio, quàm prudens assensus, vel ipsa opinio; & tam hæc prudens, quàm hæc probabilis; inde manifestè concludo, ex incerta & dubia probabilitate, incertam & dubiam sequi prudentiam assensus, electionis, & usus ejusdem opinionis, uti ex certa probabilitate, certa prudentia, assensus, electionis, & usus; igitur ex certo judicio, quo judico, aliquam opinionem esse probabilem, sequitur certum judicium practicum, quo judico, usum illius esse prudentem; ex hac enim *prudenter eligo*, sequitur hæc, *prudenter assentior*; si enim judico prudenter, me prudenter eligere, quod certe judicium prudenti electioni præluceat, oportet, cum electio sit actus voluntatis, judico etiam prudenter, opinionem illam, quam eligo, esse prudentem, seu prudentem assensum; igitur ex prudenti electione sequitur prudens assensus; nempe prudens electio est prudentis objecti, sicut mala electio est mali; bona, boni; objectum autem illius electionis est ipsa opinio, scilicet objectiva; si autem objectiva est prudens, formalis haud dubie prudens est, nimirum ipse assensus; igitur ex hac *prudenter eligo*, sequitur hæc, *prudenter assentior*.

V. Pari modo ex hac *prudenter assentior*, sequitur hæc *prudenter eligo*; nempe cum idem sit objectum utriusque, id est, tum assensus, tum electionis, id est, opinio probabilis objectiva, haud dubiè prudentia illa objectiva æquè refundit formalem in electionem, ac in assensum, & vicissim; est enim eadem, cui assentior, & eadem, quam eligo; mutua igitur est illatio, & tam ex prudenti assensu, sequitur prudens electio, quàm ex prudenti electione, prudens assensus. Itaque illam dumtaxat opinionem probabilem ad praxim admitto, quam certò constat, esse probabilem; quia ex certa probabilitate sequitur judicium practicum certum; ex incerta, incertum; cum in eam dicti judicii ultimi fiat resolutio; illam porro certò probabilem reputo, de qua inter omnes fere auctores classicos convenit, quod scilicet sit probabilis; licèt enim multi oppositam sequantur, illam tamen non negant, esse probabilem; nempe disputant & contendunt inter se de veritate opinionis, non tamen de illius probabilitate; sunt, qui unam, sunt, qui alteram, veram esse, dicunt, omnes tamen dant ultro, utramque probabilem esse; sic Thomistæ cum Scotistis, & tam hi, quam illi cum Nominalibus; Suarez cum Vasquez, aliique cum aliis disputant, de opinionum veritate, non tamen de probabilitate. Hinc dubia & incerta probabilitas ad prudentem usum & honestam praxim reduci non potest, certò, inquam, prudentem, certò honestam; hinc ei dumtaxat locum in pura speculatione concedimus, à praxi autem & usu excludimus: hinc, satis appositè dubiam & incertam probabilitatem, speculativam appellamus; certam verò practicam. En tibi doctrinæ nostræ de hoc argumento fundamentum.

VI. Quisquis autem rerum istarum peritus est, statim observat, inconsultis etiam auctoribus, an quævis opinio sit certò probabilis; si enim nullum inde absurdum sequitur, nullum adversatur Ecclesiæ decretum, nullum indissolubile argumentum, pro adversa parte; pro qua tamen motiva gravia esse, videt, falli moraliter non potest, si asserat, certò probabilem esse, cum enim pro utraque parte adsint motiva gravia, fieri moraliter non potest, ut omnes auctores alteri dumtaxat partium adhæreant; quamvis autem unus, vel alter fortè probabilem esse neget, reliquis scilicet omnibus refragantibus, inde manifestè colligitur, grave motivum non esse, quo scilicet is ductus probabilem esse, neget; si enim grave esset, moraliter fieri non posset, quin aliqui saltem eo ducti, probabilem esse, negarent. Certam igitur moraliter probabilitatem constituo, ex qua certam moraliter conscientiam, vel judicium practicum moraliter certum deduco, illudque directum, ut dixi; quo statuto, reflexum deinde, ut dixi, metaphysicè certum, quod necessarium esse non duco, deducitur; hoc tamen conscientiam certam, seu judicium practicum certum, ut supra dixi, supponit.

VII. His statutis; reliqua omnia nullo negotio expediuntur; nempe sive opinio illa certò probabilis, sit magis, vel minùs probabilis, quàm opposita, vel æquè probabilis; perinde est;

est; cum scilicet certum judicium practicum, seu certa conscientia, ex qualibet certa probabilitate, sive majore, sive minore, sive æquali necessario consequatur; quia si est certa probabilitas, est certa prudentia, ut patet ex dictis; & cum utraque semper æquis passibus incedat; si est major probabilitas in partium altera, erit major prudentia; & hæc minor, vel æqualis, si minor, vel æqualis illa; cum autem homo non teneatur ad perfectius, ad melius, ad prudentius, qua enim lege, semoto scilicet voto? nempe consilia à præceptis Doctores Catholici probè distinguunt; inde fit, non teneri ad probabilius; sed tantum ad certò probabile. Et verò, modò tuta sit conscientia, nihil aliud desideratur; sed tuta est, si certa est; tutum autem formaliter in indivisibili positum est, ut patet, nimirum in exclusione peccati, vel periculi proximi peccandi; ad tutius verò materialiter, id est, ad perfectius, & ad exclusionem periculi remoti, citra votum, nemo tenetur. Hinc omnia prorsus Adversariorum tela hoc clypeo retunduntur; cum scilicet petantur à periculo peccandi, à conscientia dubia, quam aliqui ab opinione probabili distinguere noluerunt, vel nescierunt, & ex multis locis, quibus jubemur, vel movemur, dimittere incertum, tenere certum, tutius amplecti, non comparativè, sed adversativè, quando scilicet pars opposita tuta non est; in dubiis, tutius sequendum, aliaque hujusmodi, quæ contra doctrinam supra statutam nihil prorsus faciunt; cum non simus in dubio; nec in proximo peccandi periculo; nec in incerto, quotiescumque certa & tuta est conscientia, qualem statuimus, in certa scilicet probabilitate fundatam.

VIII. Nec est, quod aliqui dicant, intellectum à probabiliore determinari, quod falsissimum esse, constat; hic enim ab objecto dumtaxat evidente rapitur; ab obscurè proposito non rapitur, sed eidem liberum assensum præbet; ut patet in actu fidei, qui alioquin meritorius non esset; si autem liberè assentitur; igitur ex imperio & determinatione voluntatis; nec enim per se intellectus liber est; voluntas igitur, pro diverso motivo, quo duci potest, intellectum determinat liberè ad assentiendum alterutri parti probabilium oppositarum, idque, pro arbitrio, sive magis, sive minùs, sive demum æquè probabili; immo ii non modicam labem inferunt hominis libertati, qui volunt, Intellectum ab objecto tantùm obscurè proposito necessariò determinari; voluntas tamen non potest determinare intellectum ad assensum, nisi adsit motivum aliquod assensus; intellectus quippe sine motivo, id est, sine objecto formali assensus, assentiri nequit; quod si leve esse constat, est assensus, vel opinio improbabilis; si grave, probabilis; si certò levè, certò improbabilis; si certò gravè, certò probabilis; si neutrum, sed probabiliter tantum, seu gravè, seu leve, probabiliter tantùm probabilis. Ex his oppositiones propositionum, vel opinionum facilè habentur; sint enim A, B, oppositæ; si A est certò probabilis, erit B certò probabilis; si A certa, B incerta; si A probabiliter tantùm probabilis ac perinde probabiliter etiam improbabilis, erit B probabiliter certa; unde probabilis opponitur improbabili, in genere, & adversativè, non in specie; v. gr. *Hoc pactum est usurarium, non est usurarium*, opponuntur, si utraque est certò probabilis, comparative; si altera certa & alia improbabilis; item si altera probabiliter improbabilis, & alia probabiliter certa, adversativè; comparativè autem, ut dixi, duæ contradictoriæ certò probabilis, ita ut, vel sint æquè probabiles, vel altera probabilior.

IX. Unde fieri non potest, ut A sit certò probabilis, quin etiam B certò probabilis sit; & quin utraque sit tuta, cum utraque conscientiam certam & tutam relinquat; Hinc licet alterutram sequi, sive æquè, sive minùs probabilis sit, ex communi illo principio; sive certò constet, oppositam esse probabiliorem, sive id probabiliter dumtaxat noscatur; nec enim sequitur judicium practicum certum ex certo judicio majoris probabilitatis, aut minoris, sed ex judicio probabilitatis; sive enim certò, sive probabiliter judicem, alteram esse probabiliorem, aut minùs probabilem, hoc non facit, quin certò judicem, esse probabilem; ac proinde illius usum certum, prudentem, ac tutum esse. Nec obstat, me uti non posse opinione probabili, nisi eidem assentiar; quod tamen aliqui negabunt, satis enim esse putabunt, assentiri primùm illius probabilitati, ac deinde honesto illius usui per judicium practicum; & nihil vetat hoc judicium elici, *certus sum, usum illius opinionis prudentem esse, cui prudenter assentiri possum*; & verò, ut certò judicare possum, usum opinionis A minus probabilis, quam B, prudentem quidem esse, etsi minùs prudentem, quam usum opinionis B, quem prudentiorem esse judico; ita prudenter utor opinione A, quamvis prudentius esset, uti opinione B; non tenemur enim ad prudentius seu perfectius: exemplum Confessarii huc quadrat, qui opinioni certò probabili Pœnitentis adhærere potest, quo ad usum, licet oppositam teneat. Sed dato etiam, & non concesso, quod nequeam uti aliqua opinione, objectiva scilicet, nisi eidem præbeam assensum, non video, cur assentiri non possim opinioni minùs probabili, licèt mihi certò constet, esse minùs probabilem.

X. Auctor quidam doctrina & fama valde conspicuus docet, deesse nobis libertatem

& potestatem physicam assentiendi opinioni minùs probabili, quàm minùs probabilem esse, certò scimus, seu potiùs, inquit, verisimilem; quam probabilitatis ratio à ratione verisimilitudinis petenda non sit; cum aliquid verisimile esse queat, etiamsi non sit probabile; ut videre est in omnibus fere paralogismis; probat autem doctus auctor, deesse nobis illam potestatem; quia, inquit, impossibile est, ut id videatur falsum cuipiam, quod eidem videtur similius verò, seu probabilius. Hîc ni fallor petitur principium; illud enim *videtur*, idem est, ac *judicatur*; possum enim dissentire cuipiam opinioni, & simul assentiri ejusdem probabilitati; sive major hæc sit, sive minor, sive æqualis; non possum quidem simul assentiri probabilitati, & dissentire opinioni probabili; unus quippe actus non excludit alium. Sed, inquit, non potest quispiam judicare similius albo, id, quod judicat esse nigrum, quâ id, quod judicat, esse album; ita est; quia ita judico, esse album, ut judicem nigrum esse non posse; & vicissim; ac proinde simile albo, ne dum similius, judicare illud non possum: at verò, quando judico, aliquam opinionem probabilem esse veram, non est absolutus assensus, cum formidine conjunctus, ita ut per eundem actum, cognoscam evidenter falsam esse posse, & oppositam, veram. Stant igitur illa duo motiva, alterum scilicet, quo judico, esse falsam, sed cum formidine, ac dubitanter, non firmiter & absolutè; alterum verò, quo certò judico non modò esse probabilem, verùm etiam probabiliorem, quo ad hoc ultimum, intellectus non determinatur à voluntate, ut patet; est enim evidens tum probabilitas, tum major probabilitas; secus verò ad primum; cum enim opposita supponatur verè ac certò probabilis, ac proinde gaudere gravi & rationabili motivo, ut ei præbeam assensum, & dissensum oppositæ; non determinat quidem intellectum illud objectum, quamvis alioquin sufficiens sit, ad assensum, voluntas tamen ad dictum assensum determinare potest intellectum, juxta communem regulam; quod voluntas determinare possit intellectum ad dissensum, vel ad assensum, proposito scilicet objecto & motivo sufficienti, seu vero, seu credito, non tamen ad assensum simul & dissensum ejusdem objecti.

XI. Hæc regula à suare traditur 1. 2. tract. 2. disp. 10. sect. 1. n. 5. *quando intellectus*, inquit, *non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri à voluntate ad assentiendum & dissentiendum, & est S. Thom.* quamvis sub finem ejusdem numeri hæc addat, *mihi probabile est, non posse moveri*, intellectum scilicet à voluntate, *nisi in illud, quod vero similius & probabilius apparet:* Ultimum hunc Suaris textum aliqui tanti faciendum esse, non putant; tum quia nullam prorsus illius dicti, contra morem, rationem affert; fortè quia, dubitando potiùs, quàm adstruendo, hoc dixit, *probabile est*, inquit; tum quia hunc tomum Suarez non congessit, seu digessit, sed alius quidam, compilatis variis ejusdem scriptis, per Hispaniam, non uno loco, & Romæ, auditoribus traditis, ut in præfatione ipsemet compilator disertè testatur; ex hoc tamen loco, dicti Auctoris sententia non potiùs confirmatur, quàm Probabilioristarum (sic enim vocantur) qui nihil aliud volunt, quàm voluntatem non posse determinare intellectum ad assentiendum opinioni quæ minùs probabilis appareat; illud enim *appareat* evidentiam propriè non sonat: standum igitur in ipsa assertione, quæ in primo textu continetur, & est expressa S. Th. 1. 2. q. 17. a. 6. in corp. & rem adeo claram & perspicuam esse putavit Cajet. ut nullo commentario crediderit, opus esse. Itaque, cum nulla ratio faciat pro sententia hujus auctoris, & gratis omnino dicat, intellectum non posse assentiri opinioni minùs probabili cognitæ, quod tum experientiæ manifestæ, tum rationi supra explanatæ, tum maximè libertati & voluntatis perfectioni adversetur, & graves inde consequutiones maximi momenti deduci facilè possint, dictam sententiam nullo modo à me probatam esse, velim, uti nec aliam Tamburini, qui probabilem etiam, atque adeo creperam & incertam probabilitatem, ad actionem moralem honestam satis esse, putat; ab extremis igitur oris mihi fugiendum esse, ratus, nec ad probabiliorem, etiam cognitam, quemquam adigo; hortor tamen; quia nullo jure, ad melius, prudentius, probabilius teneor; nec probabiliter tantum probabilem indulgeo; quia certam conscientiam non constituit, quam tamen recta operatio postulat; & licèt utraque sententia in secunda parte Apologetici contineatur, neutram tamen à me probatam velim; unde recito quidem, sed non probo; mediâ viâ initâ, certam probabilitatem, unde certa conscientia sequitur admitto; sive illa major, sive minor, sive æqualis sit.

XII. Sed jam venio ad aliqua, vel opposita, vel facilè opponenda; si quis rudis & imperitus, inquies, te consulat (fingamus enim saltem me rerum istarum peritum esse) & quærat, an pacto trium contractuum tuta & certa conscientia uti possit; & Respondeas, tutò uti posse; hoc tantùm probabile, ad summum, illi erit; igitur probabilis tantùm conscientia; Respondeo à rudi & imperito hæc minimè intelligi; unde vel utetur illo pacto cum aliquo dubio, ne malum insit, & tunc peccabit; vel absque ullo

dubio,

dubio, ut revera facere potest; quia responsio viri docti apud imperitum cujusdam demonstrationis loco est; sed, inquis, si ille sit non quidem peritissimus, at saltem alicujus tinctura, & quærat, an hæc, aut illa opinio probabilis sit; & respondeas, probabilem esse, & quærat ultra, an certum sit, probabilem esse, & reponas, hoc certum esse; hoc erit illi tantùm probabile; cum auctoritas Respondentis altiùs non assurgat; ille tamen laudatam opinionem ad usum & praxim tutò reducere poterit.

Resp. Is dubitet de probabilitate, ac proinde honesto usu opinionis, illa certè uti non potest; at si non dubitet de probabilitate, ut revera prudenter dubitare non debet; nempe quemadmodum certus sum, esse Constantinopolim; quia tum multi à se visam esse asserunt, & nemo esse negat; ita certus sum, moraliter scilicet, illam opinionem esse probabilem, quia nemo negat, probabilem esse, licèt aliqui eam non sequantur; ubi ergo respondero consulenti, certò probabilem esse; quia omnes auctores classici, alicujus saltem nominis, eam probabilem esse, fatentur; adest profectò sufficiens motivum, ut certò moraliter credat, probabilem esse; si tamen de hoc dubitaret, illa certè uti non posset.

XIII. Opponunt aliqui absurdum dictu videri, duas opiniones contradictorias simul esse probabiles; quia inde sequeretur, aliquem non obligari ad restituendum, licèt casuista quispiam ab eo consultus, eum teneri responderit; cum scilicet casuistæ responsio, ad summum, sit probabilis; unde illius contradictoriam probabilem quoque esse, necesse est; ac proinde consulens eam tutò sequi possit. hæc difficultas nullius momenti est; quia cum lex dubia non liget, uti nec notum dubium, nullus casuista illum ad restitutionem obliget, qui certò non obligetur; si autem certa sit obligatio, jam non versamur in opinione probabili; unde si consulens non credat consulenti, dubitabit tamen, an certa sit obligatio; ac proinde inquirere ultra tenetur, unde si alter consulens doctus etiam & pius idem responderit, consulens non nisi temerè refragatur; immo inde concludere debet, se saltem probabiliter obligari, ac teneri; at si probabiliter tenetur, certò tenetur, ut in primis Dialogis, Archimedeo more, demonstravi; nempe si probabiliter teneor, non restituendo, non sum certus, an debito meo faciam satis; certa igitur conscientia nõ est; igitur peccõ non restituendo; igitur si obligatio probabilis est, certa est. His ergo regulis standum esse puto, 1. utraque contradictoriarum certò probabilium tuta est in praxi. 2. nulla obligatio imponenda nisi certa sit, nimirum aliquid restituendi, præstandi, faciendi. 3. si lex certa sit & titulus obligationis certus, & dubitetur, an illa impleta, & hæc expuncta fuerint, restat obligatio; quia ut solutionem certam titulus incertus non postulat, ita nec debitum certum per incertam solutionem extinguitur.

XIV. Tria mihi opposuit vir mei, mihique amantissimus, qui mei Pithanophili se tutrem esse dicit; quæ hìc locum sibi postulare videntur. Primum est, opinionem certò probabilem eam esse, quam plerique sapientes verè probabilem esse non negant, quæ scilicet, citra evidentiam, rationabili motivo nititur, nec contra se habet aliquam Ecclesiæ declarationem, aut rationem convincentem: sed Tamburinus l. 1. in Dec. cap. 3. §. 3. n. 8. docet, opinionis probabiliter tantùm probabilis usum licitum ac tutum esse, & in hunc rem, citat Meroll. Sal. Vasq. Sanch. Pasqualig. ergo hæc opinio est certò probabilis; certum igitur, prudentem assensum illi præberi; item prudentem electionem, & prudentem usum illius esse; quo fit, ut nec ratio convincens afferri possit, quod hæc opinio certò probabilis non sit, ac proinde illicitum non sit, sequi, etiam in praxi, opinionem probabiliter tantùm probabilem: nisi fortè illi, cui ratio illa convincens esse videtur. Resp. 1. Ex his auctoribus citatis vindicatum à me fuisse Patrem Sanchez, Dialog. 2. nimir. lib. 1. in decalog. c. 9. n. 18, item Salas 1. 2. tract. 8. sect. 4. nu. 41. quod pertinet ad Meroll. potiùs nobis favet; quamquam oppositionem contradictoriarum partium, vel opinionum male omnino explicat, Vasq etiam satis vindicavi; quamquam quæstionem illam in disertis terminis non habet; de Tamburino & Pasqualig. fateor ultro, sed quid inde? 2. Ratio à Tamburino allata nullius momenti est, seu potius nulla est; ita enim probat: *per hanc firmatur certa moraliter illa veritas*, nimirum hoc judicium practicum, quod me dirigit, *prudenter operor, dum probabiliter puto, hoc esse probabile & hoc judicium prudenter in praxi sequor*: nunquid hoc non est petere principium? hoc ipsum est, quod negatur; nimirum sufficere, ad judicium practicum certum, probabilem tantùm probabilitatem: *nec enim quod opposita*, inquit, *sit evidenter probabilis, deducit hanc à sua probabilitate*; quasi verò, utraque evidenter probabilis esse non possit? quasi verò, stante una probabiliter tantum probabili, ac proinde probabiliter etiam improbabili, opposita sit tantum evidenter probabilis; cum revera sit probabiliter certa; unde non est, quod auctoritas Tamburini omni ratione destituta nos multum moveat, præsertim cum tribus tantùm verbis, aut lineis, tanti momenti

quæstionem definierit. 3. Quamvis tres, vel potiùs duo illi auctores, illam opinionem, nimirum, quod sit licitus usus opinionis probabiliter tantùm probabilis, adstruant, ut probabilem, omnes tamen alii, ut improbabilem reiiciunt; igitur certò probabilis jure dici non potest, ut constat ex jactis principiis. 4. dum solvatur mea ratio, eam pro convincente habiturus sum; nempe si est incertum, esse probabilem; incertum est, assensum esse prudentem; item incertum, electionem prudentem, & usum honestum esse. 5. distinguenda est certitudo physica à morali; aliqui enim ut Vasq. Sancti. Salas, & alii, qui negare videntur conscientiam & probabilitatem certam esse, de certitudine physica, non verò de morali intelligendi sunt. 6. denique habebit doctissimus opponens in 2. Dialog. multa, quibus hæc mea doctrina plurimum confirmatur.

XV. Secundo opponit contra illud, quod adstruo pag. 13. Apologetici, vel 58. primi opusculi, nimirum ideo me sequi non posse, quod probabile est, hæreticum esse; quia imprudens omnino errandi periculo me ultro exponerem; quod sanè non licet; non posse item in usu & praxi sequi opinionem, quam improbabilem esse probabile est, ne scilicet peccandi me periculo exponam: igitur opponit vir doctissimus, non posse sequi, quod certò probabile est, esse illicitum, propter eamdem rationem: igitur nec illud, quod certò probabile est, esse licitum; cum idem sit utrumque, & hæc, per mea principia, sed hic malè applicata; primò enim, id discriminis intercedit, inter opinionem probabilem & hæreticam, quod usus, seu praxis istius ab ipso assensu non differat; ac proinde si probabile est, esse hæreticam, probabile est, assensum esse hæreticum; at verò praxis illius ab ipso assensu omnino distinguitur: unde licèt eo ipso hæreticam sequamur, quo illi assensum præbemus; non tamen eo ipso sequimur opinionem probabilem in usu & praxi, quo illi assentimur; nam licet assentiri opinioni probabiliter probabili; non tamen licet eam sequi in usu & praxi; unde perspicuum fit, quam malè rem istam Merolla distinxerit t. 1. d. 3. c. 4. dub. 1. corol. 3. ubi dicit, *si opposita solum est probabiliter probabilis, satis esse, alteram esse probabiliter probabilem*, quod repugnat in terminis; si enim altera tantùm est probabiliter probabilis, opposita non modò est evidenter probabilis, verum etiam probabiliter certa. 2. non repugnat, ut simul probabile sit, idem esse licitum & illicitum in usu & praxi; id est, ut judicium practicum de usu opinionis probabilis sit tantum probabile; tum enim, ut judico probabiliter, honestum esse; ita possum judicare probabiliter, esse turpem & inhonestum; non tamen simul; licèt simul judicem utrumque judicium esse probabile; & hoc accidit, in usu opinionis probabiliter probabilis; quia cum certum sit, esse probabiliter probabilem: ita certum est, usum esse probabiliter prudentem; id est, certum, quod probabile sit, usum esse honestum; item probabile, turpem esse. 3. at in opinione certò probabili secus accidit; cujus usum certò judico, honestum & licitum esse; Dices ergo, cum opposita sit etiam certò probabilis, ex hac sequitur, eumdem usum illicitum esse; nempe hoc minimè sequitur; implicat enim, idem cerò judicari licitum & illicitum; sed tantùm sequitur, usum utriusque licitum esse; v. g. certò probabile est, pactum trium contractum non esse usurarium; item non esse usurarium; sequitur ex prima, ergo certum est, usum illius, id est inire pactum illud, esse licitum; ex secunda verò sequitur, ergo certum est usum illius, id est, abstinere à contractu, licitum esse; ut enim probabilitas unius non destruit probabilitatem alterius, ita nec honestus usus unius, destruit honestum usum alterius: sed de his satis fusè in duobus primis dialogis.

XVI. Observandum tamen est, prædicata hujusmodi *licitum & illicitum* pertinere propriè loquendo ad judicium practicum, non ad speculativum, cui tamen à quibusdam, impropriè scilicet, accommodantur, nempe in usum & praxim propriè cadunt; ac proinde si opinio certò probabilis est, non potest dici, propriè loquendo, quod probabile sit, esse licitam, nimirum ad usum reduci posse; quia hoc certum est; nec etiam dici potest, propriè loquendo, quod probabile sit, oppositam esse illicitum; cum certum sit, licitum esse; id est, ut dixi, ad usum reduci posse. v. g. sit opinio certò probabilis, *pactum trium contractuum non est usurarium*, & opposita etiam certò probabilis, *pactum illud est usurarium*, sequitur ex probabilitate certa utriusque certum judicium de honesto, seu licito usu utriusque; id est, quod uti dicto pacto licitum sit, & quod abstinere ab illo licitū sit; non verò quod illicitum sit, sive illo uti, sive abstinere. Nec dicas, esse usurarium probabiliter; igitur illicitum probabiliter, negatur enim consequentia in proprio sensu; nam perinde est, atque si dicerem, ergo usus opinionis oppositæ est probabiliter illicitus; quod falsum est; cum certum sit, licitum esse; propriè igitur ex illo antecedente sequitur, ergo ab eo abstinere bonum est, licitum est; igitur, quemadmodum ex prima opinione, qua pactum illud

illud negatur, esse usurarium, non sequitur, illicitum esse usum oppositæ; ita nec ex hac opposita, qua usurarium esse dicitur, sequitur, primæ usum esse illicitum; & hæc in sensu proprio, ut dixi, in quo prædicatum *liciti & illiciti* cadit tantùm in judicium practicum: at verò in sensu improprio, traducitur ad judicium speculativum, atque ita ex hac, *pactum illud est probabiliter usurarium*, sequitur hæc, *ergo est probabiliter illicitum*, & ex hac, *probabiliter non est usurarium*, sequitur hæc, *probabiliter est licitum*; unde speculativè, id est, quatenus impropriè prædicata *liciti & illiciti* ad judicium speculativum transferuntur, probabile est, illud pactum esse licitum & illicitum; unde meo judicio complanata manet proposita difficultas.

XVII. Tertiò denique opponit vir Doctus, quod cum per me, opinio tuta non sit propriè, quæ tum formale, tum materiale peccatum non excludit; unde erronea tuta propriè non dicitur; quia solum peccatum formale excludit, non materiale, idem de qualibet opinione dici debet; quia demus, aliquam, v. g. de pacto trium contractuum, improbabilem fieri; puta per declarationem Ecclesiæ; inde sequitur, nunc etiam non esse propriè tutam; quia peccatum materiale non excludit.

Respondeo, magnam esse inter opinionem probabilem & errorem, differentiam; hic enim nullo motivo rationabili vero nititur, sed falso, & ad speciem tantùm rationabili, secus tamen opinio certò probabilis; unde is, qui assentitur opinioni verè probabili, nõ dicitur errare, aut ille, qui errori assentitur; & verò error est opinio certò falsa & improbabilis: at opinio verè probabilis, falsa quidẽ probabiliter dici potest, nõ tamen improbabilis; unde usus opinionis verè probabilis, est tutus formaliter quidẽ, ut patet, uti etiã usus erroris invincibilis; est etiã probabile, tutum esse materialiter; cum tamen usus erroris tutus materialiter nullo modo dici possit: unde illa opinio verè ac simpliciter tuta dicitur, quæ peccatum excludit tum formaliter certò, tum materialiter, probabiliter; qualis est certò probabilis; illa tamen simpliciter tuta dici nequit, nisi formaliter certò, & nullo modo materialiter; Hinc erranti, exprobrari palam potest, quod erret, & is falsitatis convinci; secus vero probabiliter opinanti; quia id quod adstruit, negari quidem potest quod certò verum sit, non tamen quod probabiliter verum sit: & hæc meo saltem judicio, iis, quæ à viro doctissimo ex meis principiis opponebantur, faciunt satis.

XVIII. Putat etiam vir alius perdoctus Mercorum, Comitolum, Gonetum, Fagnanum, aliosque Probabilioristas voluisse, ut teneremur non tantùm ad certò probabilius, sed etiam ad probabiliter probabilius; sed hoc dare non possum; quia probabiliter probabilius, est etiam probabiliter, æquè vel minùs probabile, ut patet; sed nemo dixit hactenus, nos, præcisè ratione probabilitatis, teneri ad æquè, vel minùs probabile; dixi ratione probabilitatis; quia nonnulli docent, teneri nos ad tutiorem etiam minùs probabilem; accedit, quod illorum aliqui, ut Fagnanus, Mercorus, Augustinus de Angelis & alii, volunt, probabiliorem esse moraliter certam, quod reverà de probabiliter minùs, vel æquè probabili dici nequit; item intellectum non posse assentiri minùs, vel æquè probabili; cum tamen probabiliori assentiantur, idque necessariò juxta illos, saltem majori exparte: volunt igitur memorati auctores, nos teneri ad probabilius, non qualecumque illud, sed omnino certò probabilius. Sed, inquit, unicuique id est evidenter illicitum, quod hic & nunc putat visum iri illicitum, si daretur rei evidentia; sed ita putandum est de omni objecto, quod certò probabilius est, non licere; ergo est evidenter illicitum; hic syllogismus laborat multa æquivocatione, nam 1. satis est, adillicitum, ut probabiliter judicem, nimirum per judicium practicum, illicitum esse, ut dixi. 2. illa major ita intelligitur propriè, ut illud *visum iri illicitum*, ad judicium practicum pertineat, & in has resolvitur, *illud est illicitum, quod evidenter judicatur illicitum, & illud quod judicatur evidenter malum, judicatur evidenter illicitum*; at verò, si impropriè illud prædicatum *illiciti* usurpetur in judicio speculativo, ut jam supra monui, data majore, & non concessa, negatur minor dicti syllogismi; & ut res pateat in exemplo, eumdem syllogismum certæ materiæ sic applico; unicuique illud pactum est evidenter usurarium, quod putat, visum iri usurarium, si daretur rei evidentia, sed ita putandum est de pacto, quod certò probabilius est, usurarium esse, id est, si daretur rei evidentia, illud, quod certò probabilius est, esse usurarium, censeretur usurarium; data & non concessa majore, negatur minor; quia reverà non constat mihi, illud quod probabilius est, data rei evidentia, visum iri evidenter verum, potius quàm falsum; & tam probabilius, falsum esse potest, quàm minùs probabile; dixi data & non concessa majore; nam illud *putat*, vel certò, vel probabiliter, intelligitur; idem dico de illo *visum iri*; si enim certò utrumque, vera est major; si probabiliter utrumque, vel alterum, falsa est.

Illud

Illud igitur argumentum parum nos urget; & ſi certò, minus licèt, probabile ſit, pactum illud non eſſe uſurarium, ac proinde certò probabile, uſurarium eſſe, etiam ſi certò conſtet, de minore & majore probabilitate; certò infero, uſum utriuſque opinionis licitum eſſe; non tamen ex una, rectè infertur alterius uſum eſſe illicitum; ut jam ſuprà, de quo etiam ſatis fuſè in 2. Dialog.

XIX. Nec eſt, quod aliquis putet, cum certo probabiliore, ſtare non poſſe certam probabilitatem alterius partis, quæ quidem ſit certò minùs probabilis, non tamen certâ probabilitate, ſed incertâ, & tantum probabili, hoc enim falſiſſimum eſt; tàm enim certi ſunt duo gradus probabilitatis opinionis, certò quidem, at minùs probabilis, quàm certi ſunt quatuor gradus probabilitatis, opinionis probabilioris; nam opinioni probabiliter probabili opponitur probabiliter certa, ac proinde pluſquam certò probabilis; neque hæ duæ opponuntur comparativè, id eſt, ratione gradus, ſed adverſativè, ut conſtat; nimirum, ut probabile & improbabile: itaque ex hac ſententia, quæ ad certò probabiliorem obligat, omnino ſequitur, aut certam probabilitatem partis minùs probabilis, etiam cognitæ, non ſatis eſſe, quod omninò deſtruit doctrinam in Dialogis demonſtratam; quod nullus citra probationem admiſerit; aut partis minùs probabilis certam non reſtare probabilitatem, ſed ad ſummum, probabilem; quòd tamen falſiſſimum eſſe, conſtat, cum certi gradus majoris probabilitatis, certos gradus minoris minimè deſtruant. Itaque modò utrinque ſit certa probabilitas, ſive major, ſive minor, ſive certi utriuſque gradus, ſive incerti, ad certam conſcientiam ſatis eſt, quæ non ſequitur ex gradu, ſed ex ipſa re; nec ideo certò judico, prudentem eſſe uſum opinionis probabilis, quia certò judico, eſſe probabilem, ut ſex, vel duo, ſed quia certò judico, eſſe probabilem; & iterum dico, nihil aliud voluiſſe Probabilioriſtas, niſi teneri nos, ad probabiliorem, ut talem cognitam; unde non crediderim, ſententiam illius auctoris novam eſſe, ſed eamdem prorſus cum ſententia Probabilioriſtarum; quamquam diverſis utramque principiis nixam; ut patet ex dictis.

XX. Hic demùm omittere non poſſum dictum P. N. Mutii Vitelleſchi, in Ep. ad Superiores ſcripta 4. Jauarii 1617. à quodam Apoſtata noſtro nobis exprobratum, à P. Martinez de Prado, ac demum à P. Goneto recitatum, non tamen ſine ſuo Epiphonemate; nimirum, *nonnullorum ex Societate ſententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum eſt, ne ipſam evertant, ſed etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferant detrimenta*: addit autem, *qui docent & ſcribunt, minimè hac regulâ & normâ in delectu ſententiarum utantur; tueri quis poteſt, probabilis eſt, auctore non caret*; ac demum concludit, *verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majoriſque nominis auctorum &c.* Sed quid quæſo hæc, & quid inde? quaſi verò tantus eſſe queat docentium & ſcribentiũ numerus, quantum eſſe, conſtat in Societate, quin unus, vel alter de tanto numero, aliquid paulò laxius, vel prælegat in ſcholis, vel proponat in Theſibus, vel etiamedat in libris, per negligentiam eorum, quibus hujuſmodi regnoſcere incumbit; ſed an propterea toti Societati laxius illud imputandum, cum alii, iique præcipui ejuſdem Societatis auctores contrarium tradiderint? Optimè igitur Prudentiſſimus Generalis Superiores monet, ut hæc impediant, nec doceri, edique ſinant illas ſententias, non Societati modò, ſed univerſæ perniciоſas Eccleſiæ; & quod *nonnulli*, iique pauci, & nulli ferè, ſi cum magno aliorum numero conferantur, fortè peccarant, aliis minimè indulgeant: prudenter etiam vetat, noſtros hac regula uti, *hanc ſententiam tueri poſſum, nec auctore caret, & probabilis eſt*; quaſi verò abſurda & abſona interdum aliqui non tueantur? & quælibet fœditas, ut ajebat ille, non habeat ſuos patronos; quaſi verò quælibet probabilitas ad tutam & certam conſcientiam ſit ſatis? jubet denique, ut noſtri in ſententiarum delectu, ad eas accedant, quæ tutiores ſunt; adverſativè ſcilicet; nec enim ad tutius formaliter, quod non datur, neque ad tutius materialiter, obligat; quiſquis porro Suar. Vaſq. Molin. Leſſ. Valent. Lug. Tolet. Sanch. Gibalin. Caſtr. Pal. alioſque bene multos ex noſtris ſequitur, dubitare non poteſt, quin graviores magnique nominis auctores ſequi dicendus ſit.

XXI. Alii quoque Præpoſiti Generales Societatis, idem ſuis impensè commendarunt, ut Picolomineus, Goſvvinus, immo aſſerere non dubito, eamdem mentem eſſe optimi P. N. Joan. Paul. Olivæ, qui modò præeſt; cujus rei pleniſſimam faciunt fidem illius literæ, ad me Roma, hoc anno, Lugdunum ſcriptæ, quas hic ſubnectendas eſſe putavi; ut omnes intelligant animum & mentem univerſæ Societatis de hoc argumento: unde non erat, quod P. Gonetus hoc Epiphonema præmiſſo Mutii dicto ſubiiceret, *utinam* (inquit in opuſc. de probabilit.) *hujus ſapientiſſimi Generalis conſilia & decreta ad amuſſim ſervarentur; brevi reformaretur mundus, qui ex licentia opinandi in præceps ruit*: noſti deeſt, credat mihi, optimus ille, a-
muſſitata præd. conſilii obſervatio; & noſtri præſertim, velint, nolint adverſarii, hujuſmodi no-

dinovitatibus in Scholasticis & moralibus oppoſuerunt ſeſe, idque ſane fructu minimè pœnitendo; aliqui ſumma cum laude, juxta atque maxima fidelitate, iique ex Noſtris, clariſſimè demonſtrarunt, ex quibus illæ fontibus eruperint; vano igitur obtentu, Gonetus, Baro & alii, auctores Societatis, hoc nomine, ſugillarunt, quod laxiorum opinionum vel auctores ſint, vel defenſores; nullus auctor fuit, ut conſtat, & ni fallor, ego & alii non ſemel demonſtravimus; quod verò unus, vel alter, alterius auctoritate fretus, aliquid fortè liberius dixerit, quod v. g. Tamburinus incertam probabilitatem, uno ferè verbo, Merollæ, Salas, Sanchez & Vaſq. auctoritate nixus à Baronio male relata, ut conſtat ex dictis ſuprà, ad rectè operandum, ſatis eſſe, ſcripſerit; vel Eſcobar, aut alius aliquid retulerit ex noſtris primariis auctoribus, fortè malè perceptis, quod ab antiquo & debito rigore deficiat; an rationi & juſtitiæ conſentaneum putas, toti Societati vitio & noxæ vertere? illud certè *utinam* &c. ut ſupra, omitti potuit & debuit, ſed non miror ab eodici, qui Wendrockium & Montaltium propria ſubſcriptione abſolvit, quem tamen librum non tantùm regia decreta flammis ultricibus addixerunt, nimirum ante confixum ab Illuſtriſſimo Epiſcoporum, non qualiumcumque, ſed facile Principum totius Galliæ, & Doctorum Sorbonicorum manipulo, & Alexander VII. damnavit: adderem facile aliud *utinam*, ſed parco. Utut ſit, non ſtetit, nec ſtabit unquam per Noſtros, quin mundus reformetur, nec ipſi mundum in præceps agunt; eſt qui videt, & judicet Deus; quem etiam atque etiam rogo, ut nos ab hujuſmodi reformatoribus liberet, quorum præcipuum reformationis caput eſt, Jeſuitis bellum movere, eoſque mille calumniis & convitiis proſcindere.

XXII. Epiſtola P. Joan. Paul. Olivæ Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis, ad P. Horat. Fabri ejuſdem Societatis.

REVERENDE IN CHRISTO PATER,

EX literis Lugdunenſibus accepi, R.am V.am nonnihil de rebus moralibus meditari, & in publicam edere lucem; ſat opinor, illi perſpectum eſt, quanto in eam amore huc uſque fuerim, & quæ mihi de illa ſit opinio; quare licèt neceſſe non judicem, eidem ſignificare, quantum mihi cordi & curæ ſit, nequid in hoc genere, à nobis edatur, quod aliquam offenſionem cuiquam afferre poſſit; pro eo tamen, quo deinger, officio, nihil omnino prætermiſſum eſſe velim, quo majorem etiam R. V. ad hunc finem, diligentiam adhibeat. Rem igitur gratiſſimam facturam ſe mihi ſibi perſuadeat, ſi paulo ſeveriorem in hac parte ſe gerat, nec quidpiam in Chriſtianis moribus ſtatuat, quo vel Eccleſiaſtica diſciplina remittatur, vel humanis cupiditatibus habenæ laxentur, vel Chriſtianæ vitæ ratio à ſancto illo antiquorum rigore deflectat. Sanctiſſimus Patriarcha noſter Ignatius, divino certè inſtinctu & conſilio, Societatem inſtituit, non ſolùm ut infideles, Hæreticos, Schiſmaticos ad fidem & religionem Catholicam converteret, verùm etiam ut corruptos Catholicorum mores, quà docendo atque dicendo, quà libris in lucem editis, quà virtutum omnium exemplis reſtitueret; unde & contra Societatis & Sancti Patris Ignatii mentem, & contra diſerta Præpoſitorum Generalium decreta iret, qui Theologiæ moralis placita, benignarum Opinionum obtentu, plus æquo molliret: extremæ igitur oræ, ut periculoſæ, nobis utrimque fugiendæ ſunt, ut nec onus illud hominibus imponamus, quod Deus ipſe non impoſuit, ſequendi ſemper in omnibus probabiliorem partem; nec quamlibet iis probabilitatem, quantumvis dubiam & creperam permittamus, quaſi eam tutò ac liberè ſequi poſſint; nempe ut opiniones illas certò ac verè probabiles non damnamus, ex quibus certa ſequitur & ſtatuitur conſcientia; ita illas minimè indulgemus, de quibus jure dubitamus, an probabiles ſint, ac proinde illæ ad certam conſcientiam ſatis eſſe non poſſunt: Ex his R. V. mentem

meam

meam satis assequuta, impensè curabit, ne vel latum unguem ab ea deflectat: Hæc autem sciri ab omnibus velim, ac præsertim à nostris; immo si R.V. ita expedire censuerit, has Literas evulgandi, plenam illi facio potestatem: SS. R. V. sacrific. me commendo. Romæ 3. Februarii anno 1669.

R. V.

Servus in Christo

Jo. Paulus Oliva.

XXIII. Sed prolixiori Epistolæ hic finem impono: si aliud quidpiam, super his denuo proposueris, rescribam illico & pro mea tenuitate facere satis conabor; interim vivat mei memor, præsertim ad aras, & mihi à Deo Opt. Max. suis precibus obtineat selecta illa adjutoria, quibus totum me, per fidem & charitatem, Deo ac divino cultui, ad meam aliorumque salutem, omnino addicam; Vale. Lugduni, Idibus Aug. anno 1669.

HONO-



HONORATI FABRI SOCIETATIS JESU, PITANOPHILUS.

DIALOGUS I.

De opinione probabili.

1. ANTIMUS. Sed quid tandem novi in iis transalpinis regionibus auditur? Nam ex quo fœlicem tibi reditum gratulatus sum, per tempus & otium tecum agere non licuit.

2. PITHANOPHILUS. Vix aliquid in hoc genere ineptè dici posse arbitror, quod longè velocior, & præcurrens fama non sparserit; equidem non rarò accidit, ut falsi rumores cum veris quasi fœdus, & societatem ineant; quò fiat, ut nihil ferè unquam veri scribatur, quod cum aliquo falso conjunctum non sit: res sine humanæ id ferunt, ut homines diversis factionum studiis acti, ea, quasi vera essent, scribere non cubirent, quæ licèt reipsa vera non sint, ipsi tamen vera esse, & pro veris haberi summopere percupiant.

3. ANTIM. Ita est, ut dicis, amantes sibi somnia fingunt; quidquid amamus, placet, quidquid aversamur, ingratum est, quamvis alioqui hoc placere, illud displicere potiùs deberet; prælucet quidem intelligendi facultas voluntati, quæ cùm reverà cœca sit, alterius oculis & lumine utitur; at cœcus herus etiam quò jubet, ductorem famulum agit, & cœca voluntas imperio & nutu eò animum inclinat, quò ipsa ultrò propendet. Sed dic amabo, Pithanophile, quid rumoris fervet apud Transalpinos?

4. PITANOPH. Quid & quantum rumoris geminum bellum, quo illæ provinciæ flagrant, ab aliquot annis pepererit, tibi cogitandum relinquo; geminum dixi; armorum scilicet & literarum, neque hoc fortè minùs sudoris, & atramenti, quàm illud sanguinis huc usque fudit: de armis & ferro nihil dicam; hoc enim literati homines, qualem te ipse reputo, minimè delectantur; de literariis illis dissentionibus nihil est etiam, quod dicam, quas nunquam tibi arrisisse, non certus modò, at certissimus sum: illæ autem præcæteris factiones ingratissimæ tibi accidunt, quæ ad religionem attinent; nec ab re opinor, cùm res periculi plena sit; eosque cieat animorum motus, & rixarum ignes accendat, quos nulla deinde authoritas pacare, nulla vis extinguere valeat.

5. ANTIM. Ita res profectò se habet: dissertationes illas clamosas etiam & inconditas utcunque tolerandas esse putarim, modò tamen rebus sacris & religioni parcatur; sed ne quid dissimulem, illas ego ferre non possum, quæ doctrinam morum, & fidei in grave discrimen adducunt: quis enim ferat hoc hominum genus, qui de rebus sacris profanè, de Christianis virtutibus scurriliter, de certissimis divinæ fidei dogmatis vix probabiliter disputant? Nec mirum, quid enim ab iis probabilia expectes, qui ex Catholicorum scholis receptissimam probabilitatis doctrinam, tanquam multiplicis erroris originem, proscribere conantur?

6. PITANOPH. Pergratum accidit, quòd hujus controversiæ mentionem feceris, cùm satis mirari non possim, cur homines aliqua ratione præditi, probabilitatis doctrinam ut nefandam ac erroneam rejiciant, sine qua ipsi nec agere, nec vivere possunt; quàm enim pauca esse putas, quæ certa & indubitata notione vel intelligentia homines complectantur? nullum sanè scholarum pulpitum docentium ac disputantium vocibus personaret, si doctrina probabilis proscriberetur; Porum, Senatus, rostra silerent, si oratores probabilibus argumentis agere non possent; & si mercatores certum duntaxat lucrum sperarent, & agricolæ certos fructus, certumque rei eventum homines, in omni negotiorum genere, totius mercaturæ, & agriculturæ & societatis publicæ ratio everteretur; si enim geometricas aliquot demonstrationes, & res divinæ fidei excipias, nihil profectò restat, quod probabilitatis limites transcendat.

7. ANTIM. Contraherem sanè quos liberaliùs concedis, præfatæ probabilitatis fines; multa enim esse crediderim, quæ citra fidei dogmata, & geometricas demonstrationes, certa notitione capiamus; de his tamen non disputo, quæ mihi facilè concederes, si res aut quæstio postularet: his tamen omissis, in tuam sententiam descendo; nec ab eo, qui rem intelligat, in dubium revocari potest, quin homines, probabili ratione freti, prudenter sentiant & prudenter agant: quasi verò humana fides, quamvis errori obnoxia, & probabili duntaxat nixa fundamento, abroganda sit, & antiqua historiarum monumenta voracibus flammis tradenda sint, quod sola scriptoris, qui & falli, & fallere queat, authoritate nitantur.

8. PITHANOPH. Non erunt, opinor, qui velint, probabiles omnes sententias abrogandas esse: quis hoc dicat, qui homo sit rationis compos? Id unum præsertim, quantum memoria teneo, refutare conantur, eam tantummodò sententiam probabilem in doctrina morum admittendam esse, quæ cum veritate consentiat.

9. ANTIM. Nulla igitur opinio falsa, probabilis censenda est; quid monstri? cùm enim id, quod probabile est, certum non sit, quis neget, tam falsum esse posse, quàm verum? probabilis igitur opinio falsæ opinioni minimè opponitur, cum falsa esse queat, sed improbabili; si ergo sententia probabilis in doctrina morum jure admittenda est, quidni etiam falsa, quæ revera probabilis sit, admittatur, cujus tamen falsitas ignoratur.

10. PITHANOPH. Nugantur haud dubiè, nec facilè videas, quid sibi velint, qui omnem opinionem falsam, quamvis alioqui probabilis sit, à doctrina morum excludunt; vel enim omnem probabilem omnino reprobant, vel aliquam admittunt: primum sine stultitia dici nequit; si autem aliquam probabilem ipsi approbant, quænam porrò illa erit? Vera inquies, non falsa: Sed quonam pacto veram à falsa certò distinguas? Elige unam, quam voles, datur optio, sed quæ tantùm probabilis sit, illa haud dubiè falsa esse potest, nec enim de illius veritate certò constat; sit falsa, cùm falsa esse possit; falsam igitur opinionem admittis, quæ probabilis est: patet igitur, omnem moralem opinionem certò ac verè probabilem admittendam esse, sive illam veram, sive falsam esse contingat: hæc, ni fallor, ita perspicua sunt, ut nemo, nisi perperam, negare audit: negare tamen non possum, nonnulla fortè à recentioribus adstrui ut probabilia, quæ fortè probabilia censenda non sunt, de quibus paulò pòst te consulam.

11. ANTIM. Rem acu tangis, Pithanophile: quidquid in doctrina morum, est verè probabile, prudentis hominis calculo donandum est; & quisquis agit juxta id, quod verè probabiliter sentit, prudenter agere censetur; at rectè mones, nonnulla quibusdam hominibus probabilia videri, quæ probabilia non sunt; nempe aliud est, revera esse probabile, & nonnullis videri probabile; sic multa vera esse videntur, quæ vera non sunt; multa certa, quæ deinde dubia esse comperimus; quis neget, hominem tam multis erroribus obnoxium, falli posse? In hoc igitur falli, quòd ipse aliquid probabile reputet, quod reipsa probabile non est; nonnulla igitur sunt & videntur probabilia; nonnulla sunt & videntur improbabilia; aliqua videntur probabilia, quæ tamen improbabilia sunt; alia demùm sunt probabilia, quæ à nonnullis improbabilia judicantur: Unde facilè concludas, primùm duntaxat ex his conscientiæ, ut vocant, sufftagari; ita ut ille prudenter ac rectè agere censendus sit, qui ex opinione verè ac certò probabili, morali scilicet, agit: imprudenter autem & malè, qui vel ex verè probabili, quam improbabilem putat, vel ex improbabili, sive probabilis, sive improbabilis illi videatur, nisi eum inculpata, vel invincibilis, ut vocant, ignorantia à peccato liberet.

12. PITHANOPH. Hinc facilè deduxerim, recentiorem illum hallucinari, de quo mihi tecum nudius tertius multus sermo fuit, qui vult, hæreticorum errores ideo illis esse probabiles, quia probabiles esse iis videntur.

13. ANTIM. Rectè profectò deducis; nullus enim error probabilis est; non negarim tamen, esse aliqua nondum ab Ecclesia definita, quorum certa veritas non constat, ac proinde Doctorum disputationibus & controversiis relinquantur; ita ut utramq; partem liberè amplecti, & sequi possimus, ab exemplis abstineo, quæ facilè tibi occurrent.

14. PITHANOPH. Ita est; duo statim mihi venerunt in mentem: primum peto à celeberrima illa controversia de auxiliis, cujus utraque pars à suis authoribus probabiliter defenditur, donec Ecclesia litem decidat; alterum ab illa quorumdam opinione, de confessione per literas, quam Clemens VIII. confixit atque damnavit; nempe illam ante Pontificium decretum, multi probabilem reputarunt: illa tamen sua probabilitate excidit, ex quo ab Ecclesia proscripta est: dandum est igitur, esse aliquas opiniones, quæ licèt probabiles aliquando fuerint, improbabiles tamen evadunt, idque definientis Ecclesiæ judicio.

15. ANTIM. Aliud exemplum expectabam à perfecta contritione petitum, quam ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariam esse, ante Concilium Tridentinum, probabiliter aliqui tenuerunt; hæc tamen opinio post Concilium improbabilis, aut saltem minùs probabilis restat, à quo definitum fuit, attritionem cum Sacramento ad purgandum animum sufficere: dicam ampliùs, esse aliquas opiniones, quæ citra Ecclesiæ judicium, improbabiles evadunt, cùm tamen ante probabiles essent, ut illa, qua nonnulli ex antiquioribus censuêre, eum, qui mortalis noxæ labem contraxit, illico teneri ad expiandum exhomologesi peccatum admissum, quæ tamen improbabilis censenda est; item nulla, qua nonnulli voluêre, lethaliter eum delinquere, qui rem sacram fecerit, matutinis precibus nondum ritè persolutis; quis modò hanc ex probabilium albo non expungat? sensim igitur opiniones quædam obsolescunt; ita enim res discutitur, ut tandem novis argumentis, quæ solvi non possunt, præfatæ opiniones quasi obruantur; & quidquid probabilitatis affulserat, penitùs obscuretur.

16. PITHANOPH. Haud dissimili fortè ratione, aliquæ sententiæ, quæ vix præteritis sæculis probabiles haberi poterant, multiplicis deinde luminis & rationum magni ponderis accessione, in probabilium classem & numerum tandem admissæ fuerunt; exempla non suggero, quæ passim occurrunt; quis enim neget, doctrinam morum & fidei sensim sine sensu adolescere? sic multa temporis beneficio maturantur, & ingeniorum cote probata, & multiplici Doctorum examine discussa, ad optatum probabilitatis gradum perveniunt, quem præteritis temporibus obtinere non potuerunt.

17. ANTIM. Nihil unquam verius dixisti, inde autem certa regula statuenda est, scilicet, opinionum probabilitatem ex præsentium temporum usu censendam esse, idque in omni doctrinæ probabilis genere; ita ut illæ opiniones probabiles habendæ sint, quæ communi usu & calculo donantur; usu inquam præsentium temporum, quem sapientes non improbant, nec Ecclesia reprobat, sed fidelibus liberè concedit; nec enim præteritorum temporum ratio habenda est, si præsentium usus iisdem non suffragatur. Et verò, quis nescit, inter antiquiores non defuisse, qui aliquam opinionem in doctrina morum adstruxerint; quæ licèt eo tempore probabilis esse videretur, sua tamen probabilitate deinceps excidit; aut si fortè improbabilis nonnullis visa est, novo deinde lucis appulsu, probabilis evasit; standum igitur communi præsentium temporum usu ab Ecclesia probato, sive is cum antiquo reverà consen-

sentiat, sive ab eo in nonnullis diversus sit.

18. PITHANOPH. Id sanè facilè mihi persuasero; unde nonnullorum simplicitatem ridere soleo, qui solam duntaxat antiquitatem crepant, insignes temporis acti laudatores, quod tamen suis nævis non carent, præsentis otiores & contemptores, æqui, an iniqui, nihil est, quod dicam; quid enim amabo tanquam haberem in doctrina morum & fidei, quod modò desideretur? Vis autoritatem Ecclesiæ? eadem est, quæ olim fuit Ecclesiæ authoritas; Vis authoritatem Conciliorum? præter antiqua Concilia, Tridentinum recens habemus, quod longè plura definivit & statuit, in doctrina morum & fidei, quàm reliqua simul omnia; quod enim spectat ad ritus Ecclesiasticos & disciplinam, novis decretis & institutis parendum est: Vis Constitutiones Apostolicas & Pontificia jura? ut antiqua non spernimus, ita nova præferimus, quibus supremi Legislatoris voluntas filiis innotescit: nemo enim Catholicus neget, quin Romanus Pontifex antiqua decreta, quæ ad disciplinam & ritus pertinent, abrogare, mutare, temperare possit: Vis sanctos Patres? quasi verò illa illorum doctrina nostris temporibus communis non sit: Vis Theologos, Scholasticos, Moralistas, positivos ut vocant? antiquis, recentiorum ea multitudo accessit, qui hoc genus doctrinæ non parum illustrant; haud abs re igitur iis succensas, qui hujus duntaxat sæculi errores & fæces deplorant.

19. ANTIM. Rem istam sapientissimè distinguere videris, & ea quæ dicis, summoperè placent: antiquum usum in doctrina morum & fidei, quem ab antiquis fideli traditione accepimus, etiamnum tenet Ecclesia, multis licèt definitionibus & declarationibus auctum, quidquid enim aliquando Ecclesia, vel ut divinæ fidei dogma, vel ut rectum atque honestum suis fidelibus proposuit, omnes Catholici etiamnum tenent: at si quid liberum cuique reliquit, ut vel hoc, vel illud sequatur in controversiis Theologicis & moralibus, nemini sanè vitio vertitur, si alterutram partem ad libitum amplectatur. Quod demum ad ritus & disciplinam attinet, posteriora decreta prioribus anteponenda sunt, propter rationem à te allatam. Itaque ut eò unde digressa fuit, redeat oratio, modò aliqua opinio *in doctrina morum*; ac proinde opinio moralis verè probabilis sit, eam quivis sequi liberè, & assensum reducere potest; dixi, modò verè ac certò probabilis sit; si enim verè probabilis non est, licèt fortè uni, vel alteri probabilis videatur, neminî reverà author sim, ut eam sequatur.

20. PITHANOPH. Eò tandem res adducta est Antime, ut à te paulò fusiùs explananda esse videatur; dubius & anceps, ne quid dissimulem, circa istam probabilitatis doctrinam mihi animus fuit; nec leve hîc negotium hactenus mihi facessit: est igitur, quod me multa edoceas de opinione probabili, quæ ut à nullo, qui ratione prædictus sit, negari potest; ita suis nodis & difficultatibus non caret: si nodos solveris & difficultates, ut spero, superaveris, insigni beneficio me tibi obstringes.

21. ANTIM. Morem tibi geram; (quid enim humanitati tuæ recusarem?) non tam ut doceam, quàm ut familiari & mutua collocutione rem haud difficilem explanemus: & ut qua soleo, methodo utar, ab ipsa rei definitione initium duco. *Opinio probabilis illa est, quæ ex rationabili motivo procedit, citra certitudinem*: rationabile autem motivum, vel fundamentum est, citra certitudinem, quod licèt intellectum non rapiat, & vi quadam objectiva assensum extorqueat, ad assensum tamen prudentem movet: prudens verò assensus est, quem si quis dederit, eum prudenter fecisse, sapientes homines judicant.

22. PITHANOPH. Hoc jam tenebam; nempe alius assensus certus est, hoc est, tam firmus, ut omnem omnino erroris formidinem excludat; & hic duplex: obscurus scilicet, qualis est divinæ fidei actus, & evidens, qui ab objecto evidenter proposito procedit; alius verò incertus, & hic duplex: nam vel ex rationabili, legitimo, debito, gravi fundamento est, & hæc est opinio verè probabilis; vel ex levi, & est improbabilis.

23. ANTIM. Dicam ampliùs, aliam opinionem probabilem esse, de qua certò constat, quòd sit probabilis; ita ut hæc modalis propositio sit vera, *certum est, illam opinionem esse probabilem*; hinc quòd tale prædicatum subjecto insit, contingens est, & probabile; quod verò probabile sit, reverà inesse, id est, quòd illa opinio sit probabilis, omnino certum est: addo tamen, aliam opinionem ita probabilem esse, ut probabilitas certa non sit, sed incerta, & probabilis; hinc modalis ista vera est, *probabile est, hanc opinionem esse probabilem*: hæc verò falsa, *certum est, hanc opinionem esse probabilem*: duplex igitur est propositionum probabilium genus; aliud certò probabilium, aliud probabiliter probabilium.

24. PITHANOPH. Rem hanc, ni fallor, capio; nempe aliquæ propositiones ita sunt probabiles, ut nullum dubium esse queat, quin eæ tales sint, hinc plerique sapientes omnes pro verè probabilibus eas admittunt; aliæ verò ita sunt probabiles, ut multi tamen rationabiliter id negent, licèt alii multi rationabiliter illud adstruant; dubium igitur est, an verè probabiles sint, & hoc dubium plerique omnes sapientes agnoscunt: idem prorsus de aliis propositionum generibus statuendum est; sic aliqua ita certa est, ut nemo rationabiliter dubitare queat, quin ea certa sit; ita verò alia, ut de illius certitudine multi rationabiliter dubitent: sic aliquæ propositiones, de fide certò sunt, aliæ tantùm probabiliter; mirum igitur non est, aliquas certò esse probabiles, aliàs tantummodo probabiliter: hæc probè intelligo. Sed quæso te, quid rationabilis, legitimi, debiti, motivi, seu fundamenti nomine intelligis?

25. ANTIM. Rationabile fundamentum illud est, quod vel à ratione saltem probabili, vel ab ea authoritate ducitur, cui refragari quispiam jure non possit; illa autem ratio probabilis censetur, quæ intelligendi facultatem ad rationabilem, seu prudentem assensum, modò cætera adsint, sufficienter movet; licèt enim eam non rapiat, quod evidenter propositis duntaxat competit, ejus tamen momenti est, quòd sufficiat, ad hoc ut prudenter assentiatur: subnexui rationi authoritatem, gravem scilicet, & omni, ut ajunt, exceptione majorem, quamvis alioqui humana, non divina sit; ac proinde errori obnoxia, quam quis amplecti etiam in praxi, ut ajunt, prudenter possit.

26. PITHANOPH. Cum iis ergo sentis, Antime, qui ex sola authoritate gravis alicujus Doctoris probabilitatem opinioni conciliant; ac proinde aliqua opinio probabilis est, quæ nulla quidem ratione, sed una duntaxat authoritate nititur.

27. ANTIM. Nolim hoc à me unquam dictum esse, putes, quamvis enim aliquis, rudis scilicet atque ignarus, in rebus dubiis, probati cujuspiam Doctoris

opinionem, nulla ratione fretus, jure ac merito sequi valeat; fac enim adesse Doctorem Angelicum, quem de casu dubio aliquis consulat, an negabis illius responso interrogantem stare posse, non tamen propterea dixi, opinionem probabilem sola authoritate constare, nunquam enim Doctor gravissimus temerè loqui censendus est; ita opinatur, quia tali ratione ducitur, quæ probabilis illi esse videatur; sola igitur authoritas non est: & verò, si quispiam sine ratione aliquid obtrudat, in rebus dubiis & controversis, quæ ad divinam fidem non pertinent; illud sanè probabile à viro docto minimè censendum est, quamvis rudis & ignarus, ut probabile amplecti possit.

28. Pithanoph. Authoritas igitur probabilem opinionem non facit, sed ratio, cui sanè doctrinæ multi Doctores refragantur; cùm fides humana, quæ opinio quædam est, solo historicorum testimonio nitatur.

29. Antim. Solo dicentis testimonio humana fides, prudens scilicet, & doctorum hominum, minimè nititur, sed ejus vetacitate, quæ aliunde iis probabiliter perspecta est; hinc qui citò credit, levis est corde, imprudens scilicet; hinc multa sunt priùs examinanda, ex quibus motiva credibilitatis, ut vocant, eliciantur; nunquam igitur rationes desunt ad prudentem humanæ fidei assensum; dixi doctorum hominum; nam rudes, & ii, qui rationis usu parum valent, nullo prævio rationum examine, sola dicentis authoritate ducuntur: dico igitur, ut ad propositum redeam, inutilem & chimæricam esse quæstionem, cùm graves Authores nullam unquam opinionem adstruant, quam aliqua ratione non probent; nulla igitur sine ratione authoritas.

30. Pithanoph. Frustra igitur authoritas est, frustra ad opiniones confirmandas Authores congeruntur: quod tamen recentioribus præsertim Scriptoribus satis solemne est, qui totas paginas citationibus implent.

31. Antim. Ne quæso frustra id fieri dicas, nempe tot gravium Doctorum suffragia evincunt, rationem illam, qua opinio quæpiam fulcitur, probabilem esse, sufficientem scilicet, quæ viros prudentes ad prudentem assensum moveat: id enim prudenter fieri censetur, quod multi prudentes faciunt, & verò prudenter existimandum est, multos viros doctos prudenter de re aliqua dubia sentire, qui reipsa maturè ac ex professo discussa, in aliquo sensu conveniunt: unde reverà colligitur, rationem illam, qua ducuntur, probabilem esse; hinc opinor; vides, quanti authoritas facienda sit: accedit, quòd multi Authores, qui alicui opinioni suffragantur, rationes, saltem ut plurimùm, multiplicant; multæ autem rationes plus movent, quàm una, ut perspicuum est.

32. Pithanoph. Rem capio, & uno verbo expedio: Doctoris gravis authoritas ratione, ut ipsi videtur, probabili freta, probabilem opinionem facit.

33. Antim. Non ita rem expedis, ut putas: si enim reliqui omnes refragentur, re scilicet ex professo ac sedulo discussa, vel inde firmum argumentum duco, rationem illam probabilem non esse, id est, ad prudentem assensum non sufficere; alioquin prudentes ac periti homines indicarent, sufficere, etiamsi contrariæ parti adhærerent; nempe satis est, ut judicent, talem esse, quæ ad id sufficiat, quantumvis ab ea moveri se non sinant: si ergo rationem illam probabilem censeant, illorum calculo & authoritate gaudère censetur: at si præter unum, reliqui reputent improbabilem, ut hi prudenter sentire censendi sunt, sanè imprudenter feceris, si tu ipse illi adhæreas; prudentia enim multorum, peritorum scilicet & prudentum, non unius judicio censenda est.

34. Pithanoph. Ex his, ni fallor, rectè deduco, nullam esse opinionem probabilem, quam multi non teneant, aut saltem probabilem reputent, multos autem illos, non ex populari turba accersis, sed ex prudentum & doctorum hominum classe: Sed quæro ex te, utrùm eos tantùm intelligas, qui doctrinæ suæ monumenta typis mandarunt.

35. Antim. Equidem, quisquis lucubrationes suas in publicam lucem edidit, publicæ omnium censuræ & examini eas subjecit: si ergo doctrina ab eo publicata à multis probatur, rerum scilicet, quas ipse tractat peritis, & materiam, seu controversiam illam, qua de agitur, maturè discussit, nullum est dubium, quin ejus authoritas, cæteris paribus, majoris ponderis sit, quàm alterius, qui nunquam res suas publico judicio credidit: dixi, *cæteris paribus*, cùm is aliquando, qui sua in lucem edidit, tam levis armaturæ sit, alius verò, qui suppressit, tantæ prudentiæ, literaturæ, pietatis, ut facilè illum authoritatis pondere superet. Multa autem in eo, cujus in controversiis moralibus, inter doctos, judicio standum sit desidero. 1. ut materiam illam diligenter discusserit, idq; ex professo, sive libros de illa scripserit & publicarit, sive illam in scholis publicè & cum laude docuerit ac propugnarit, sive privato studio sedulò ad eam animum applicuerit, nihilque omiserit, quod ad prudentem ac diligentem rei discussionem, necessarium esse videretur, consultis etiam viris doctis, & aliorum libris diligenter evolutis. 2. pietatem in eodem esse velim, cùm sæpè accidat, ut intellectus voluntatis propensioni & affectuum ponderi succumbat; quanti enim illius judicium in moralibus facias, ut actiones tuas ad rectam rationem, honestatem, Christianos mores componas, qui suos tam incompositos habet? quid responsi ab avaro expectes, quem de usura & eleemosyna consulas? à carnali, de castitate? ab epulone voraci, de jejunio? ab amantissimo sui commodi, de pœnitentia? quid amabo responsi ab hujusmodi hominibus expectes? qui vel ad extremum rigorem sua responsa component, ut vel hoc sua scelera involucro tegant; sic fures, ut plurimùm, adversùs fures declamant, vel exemplo suo, petita à suis moribus regula, humanis cupiditatibus plus æquo indulgebunt. 3. denique prudentiam in morali Theologo desidero, illa autem experientia & usu nititur: dicere profectò ausim, si hæc pars deficiat, cætera omnia frustra esse; nempe actiones humanæ, quæ ex cordis nostri penetralibus adytis, & in accesso mentis sacrario procedunt, iis duntaxat notæ sunt, quibus illas aperimus; nec enim agitur de generalibus illis pronunciatis, quæ ad mores pertinent, & quæ prudentia supponit, sed de singularibus casibus & eventibus, circa quos prudentia versatur, & dictat, quid agendum, vel non agendum sit, hìc & nunc, in his præcisè, non in aliis circumstantiis, quod sanè multam rerum experientiam postulat.

36. Pithanoph. Hinc profectò est, quòd rideam aliquorum hominum agendi modum, qui cùm nulla rerum moralium experientia valeant, controversias morales expeditè solvunt, quasi ex tripode pronunciant, alios Authores, eorumq; sententias ipso usu probatas temerè damnant; nesciunt profectò, quàm varius sit actionum humanarum vultus, quàm variæ circumstantiæ, quàm varii cordis mæandri, quàm multa actionis malitiam vel augeant, vel imminuant; quàm multa scenam interioris animi, &, ut vocant, conscien-

conſcientiæ murent; quid bona aut mala fides, intentio, ignorantia, error, ſcrupuli, habitus, aliaque id genus præſtent. Itaque ut paucis contraham, illum, qui de controverſiis moralibus rectè judicet, vis eſſe literatum, piùm, prudentem: prudentia rerum moralium uſum & multam experientiam poſtulat, pietas vitam chriſtianis moribus inſtitutam, ac proinde pravos animi affectus, avaritiæ, invidiæ & factionis excludit; ſed quid tandem literatura? quid hac de re ſentias, ſcire opto.

37. ANTIM. Dicam liberè, quod ſentio, nec enim iſtum, qui diſſimulem. Is qui reſponſa moralia reddit, multa ſcire debet: 1. eam Theologiæ Scholaſticæ partem probè calleat, oportet, quæ eſt de actionibus humanis, de virtutibus, & peccatis, de Sacramentis in genere, & in ſpecie, de legibus & cenſuris. 2. ea tenet Philoſophiæ naturalis capita, quæ ſunt de homine, de potentiis, de appetitu, de motibus & paſſionibus. 3. moralem Philoſophiam apprimè ſciat. 4. in ſactis Canonibus, eruditione & Hiſtoria ſacra, œcumenicis Conciliis, præſertim Tridentino verſatus ſit. 5. non ſit peregrinus in jure Pontificio antiquo & novo, nec in ſanctis Patribus. 6. denique Theologiæ moralis peritiſſimus ſit, & principium ſaltem Authorum, quæ illa ſcripſerunt: & verò cum ejus reponſa ea eſſe debeant, quibus conſulentes prudenter ſtare poſſint, ſi quid ex iis, quæ præſcripſimus ignoret, inde facilè error irrepere poteſt.

38. PITHANOPH. Eſt ſanè, quod rideam recentiorum quorundam imprudentiam, qui reſponſa moralia, & hujuſmodi controverſiarum analyſim ad forum, ſeu colum mulierculorum referenda eſſe arbitrantur, & moralem Theologum, vulgò Caſuiſtam, nullum & contemnendum animal eſſe putant: eum mentis, partibus & diſciplinis inſtructum eſſe vis, nè doctiſſimum hominem conſtituant? Caſuiſtam dico, cujus reſponſis, in controverſiis moralibus, prudenter ſtandum ſit, etiam inter doctos, non verò ſimplicem ac merum Confeſſarium, qui privatim tantùm ſolet ſubditos regere, docere, ac dirigere poteſt, licèt tot partibus inſtructus non ſit. Sed per probationem probabilem eam eſſe dicis, quæ intellectui quidem facultati aſſenſum, vi quadam objectivi, ut ajunt, non extorquet, ſufficit tamen, ut eandem ab prudentem aſſenſum moveat. Sed non modica mihi difficultas occurrit: ſi enim illa opinio, cui ratio probabilis ſuffragatur, ſenſui communi, vel divinæ fidei, vel traditioni, vel ſanctis Patribus, vel torrenti Doctorum repugnet, aut certè ſi ea, quæ contra illam opponuntur, ſolvi non poſſunt; an putas, tunc prudentem aſſenſum fore?

39. ANTIM. Minimè gentium; hinc ſupra hæc tria verba prudens inſerui, *modò cætera adſint*; nulla enim ratio probabilis eſt, aut ad prudentem aſſenſum movet, ſi ea, quæ recenſuiſti fortè intercedant, imò vel unum ex iis: quis enim amabo prudenter iis aſſentiatur, quæ vel ſenſui communi & lumini naturali repugnant, vel iis, quæ ſupra enumerata ſi, ſive conjunctim, ſive ſeorſim; vel iis laborant difficultatibus, quæ ſuperari, vel expediri non poſſunt? illud igitur eſt legitimum & rationabile fundamentum ad probabilem opinionem conſtituendam, quod, & quæ recenſuiſti, excludit incommoda, & rationem probabilem includit, cum aliqua authoritate conjunctam, ſires qua de agitur à Doctoribus diſcuſſa eſt; ſi enim nova eſt, & nunquam hactenus in examen vocata, modò ratio probabilis ſuffragetur, nullumque ex ſupradictis abſurdis, vel incommodis obſtet, opinionem verè probabilem facit, nempe ad prudentem aſſenſum ſufficienter movet.

40. PITHANOPH. Sed ne hoc excidat, ſcire à te velim, quos Authores præferendos eſſe cenſeas; an novos antiquis, an verò antiquos novis? nec enim Doctores in hoc generatim conveniunt.

41. ANTIM. De hoc argumento multa multi: antiquorum authoritatem, Theologorum ſcilicet, tum Scholaſticorum, tum moralium magni revera facio, in iis præſertim opinionibus, quas poſteri ut exoletas non rejecerunt; omnium tamen authoritas ejuſdem ponderis non eſt: Doctor Angelicus reliquos omnes longo intervallo poſt ſe relinquit; nec ullum eſt mihi dubium, quin ejus authoritas maximi momenti ſit, ad conciliandam opinionibus moralibus probabilitatem: non negarim tamen, nonnullos ex antiquioribus eſſe, quorum opiniones à poſteris minùs probata ſunt, quod ſcilicet levioribus fundamentis niterentur: ut enim liberè dicam, quod ſentio, ſolum antiquitatis nomen, ſi & rationis momenta, & poſterorum approbatio deſiderentur, ad inducendam opinionem probabilem non ſufficit; errores enim & aniles fabulæ jure antiquitatis etiam gaudent: Quod attinet ad recentiores: (hoc nomine illos, qui à centum circiter annis ſcripſerunt, complectimur:) æqualis revera omnium authoritas non eſt; multa ſunt in Authore aliquo conſideranda; pietas ſcilicet, ingenium, doctrina, peritia, uſus, ſtudium, prudentia, lucubrationes, judicium, &c. & tandem ad Prudentum forum hæc cauſa reducitur: Si enim aliquis Author nulla ratione fretus, aliquam opinionem publicet, cui ſtatim reliqui omnes refragentur, quis amabo cenſeat, probabilem eſſe? ſi aliqui accedant, ſed levioris armaturæ, reliquis omnibus Doctoribus refragantibus, nec inde probabilis evadet, quia ratio levis eſſe ſupponitur, & authoritas minoris momenti: ſi verò Doctor aliquis omni exceptione major, graviſſima ratione fretus, aliquam opinionem proponat, cui licèt plures diſſentiant, quàm aſſentiantur, modò rem illam ex profeſſo diſcuſſerit, nec ſit illa opinio contra uſum Eccleſiæ, aut communem ſenſum fidelium, ſeu lumen naturale, nec inſolubili aliqua ratione oppugnetur, nec demum quidpiam abſurdi ex illa ſequatur, non video ſanè, cur probabilis dici non poſſit.

42. PITHANOPH. Vitanda hoc loco ambiguitas; cum fieri poſſit, ut pauci opinionem illam ſequantur, multi tamen probabilem reputent, quod revera ſi fiat non video, cur probabilis cenſenda non ſit, igitur illud præſertim Doctorum judicium ponderandum eſt, non quo alicui opinioni aſſentiantur, ſed quo illam probabilem reputant.

43. ANTIM. Rectè hoc ipſum ſubnectere parabam, ſed prævertiſti; at ſi pars probabilem, pars improbabilem reputet, quid inde cenſeres?

44. PITHANOPH. Cenſerem haud dubiè probabilem, nam aſtruenti parti prudenter accedere poſſum, ut & neganti.

45. ANTIM. At cenſebiſne certò probabilem? Vix enim mihi perſuadeam, te certum eſſe, omniſque dubitationis & formidinis expertem.

46. PITHANOPH. Fieri non poteſt, ut certum putem opinionem illam probabilem eſſe, quam multi, iique graves Authores improbabilem eſſe contendunt: certũ igitur nõ eſt, ſed dubiũ; probabile tamẽ, probabilem eſſe; igitur prohabiliter duntaxat probabilis eſt.

47. ANTIM. Sed num etiam probabiliter improbabilis, ſi Authorum pars, gravium ſcilicet, improbabilem cenſeat?

48. PITHANOPH. Ita est omnino; hinc fieri potest, ut aliquando probabilius sit, probabilem esse, quàm improbabilem, & vicissim; si enim plures & graviores Doctores probabilem judicent, haud dubiè probabilius est, esse probabilem, quàm improbabilem; & vicissim, ut dixi.

49. ANTIM. Optimè sanè, sed cave, Authores numero censeas, qui potiùs doctrina, ingenio, authoritate censendi sunt; nempe unius Doctoris gravissimi authoritas, longè majoris momenti est, quàm multorum, ut dixi, levioris literaturæ, & peritiæ: hinc non mediocris prudentiæ res est justam comparationem instituere: Homines, ut nummi fortè censendi sunt; aurei argenteis, & hi æreis præferuntur; imò aurei auro defæcatiore, & majoris ponderis aliis præstant: inter graves Doctores ille præferendus est, qui præter scientiam, usum rerum moralium sibi comparavit; hinc prudenter cuncta ponderanda sunt, æstimanda, comparanda; doctrina, ingenium, usus, experientia, prudentia, judicium, aliaque id genus, ac præsertim nonnullorum indoles ad res morales explicandas à natura quasi comparata, quæ ut Doctorem Angelicum omittam, in Cajetano, Vasquez, aliisque mirabis est. Sed non est, quod censum Doctorum qui de re morali, rectè scripserunt, instituam: habes summas S. Raymundi, S. Antonini, Astensem, Pisanam, Pacificam, Armillam, Rosellam, Tabienam; item Angeli, Sylvestri, Cajetani, Navarri: duo primi sanctitate, antiquitate, doctrina conspicui, tres ultimi rerum moralium peritia illustres: adde sis ex recentioribus, utrumque Sotum, Bagnes, Victoriam, Toletum. Vasquez, Suarez, Lessium, Sanchez, Delugo, Basilium Poncium facilè principes; accedunt innumeri ferè alii, quorum census non dialogum sed nomenclatorem postularet.

50. PITHANOPH. Quid si gravis Author sine ratione aliquid dicat, an id satis erit ad constituendam opinionem probabilem?

51. ANTIM. Nullo modo, nec enim vir doctus prudentem assensum præbeat, si nulla ratione ducatur; hinc si aliquis Doctor gravior, & doctior quampiam opinionem proposuerit, sed levi nixam ratione; alius verò minùs gravis & doctus secus adstruat, firmiore ratione fretus; fieri potest, ut par, imò major hujus authoritas sit: est ergo quod à viro prudente omnia ponderentur, & varia utrimque momenta comparentur; nempe ad forum prudentum hæc causa, ut dixi, omnino reducitur.

52. PITHANOPH. Rem probè capio, quæ ita se habet: Doctoris unius authoritas ea ratione firmata, cui reliqui omnes, qui rem etiam ex professo discusserunt, apertè contradicunt, probabilem opinionem non facit; si aliquot alii accedant, rationibus non contemnendis instructi, refragante tamen majore, ac meliore parte, & firmioribus argumentis contra prædictam opinionem militantibus, inde quidem probabile sit, illam esse utcumque probabilem, licèt probabilius sit, esse improbabilem: si Authores utrimque pares, & rationes æquals momenti utrimque militent, scilicet circa probabilitatem prædictæ opinionis, æquè probabile est, esse probabilem, ac improbabilem: Si major, ac melior Doctorum pars, & majora rationum momenta probabilitati, quàm improbabilitati suffragentur, licèt improbabilitati sui etiam graves Authores, & non contemnenda rationum capita non desint, tunc probabilius est, esse probabilem, quàm improbabilem; si demùm omnes ferè probabilem esse censeant, fortissimis rationibus acti, licèt alioquin pauci quidam minoris notæ refragentur, & levibus ducti conjecturis improbabilem esse censeant, tunc certum est, esse probabilem, nec nisi temerè ac imprudenter hoc quisquam neget. Hinc unus Aurhor, modò gravis, prudens, doctus & pius sit, & rem ex professo discusserit, nec temerè quidquam, sed probabili ratione fretus adstruat, opinionem probabilem facit; idque probabiliter, si aliquot ex gravioribus probabilem esse negent; certò verò, si omnes ferè probabilem esse contendant. Hinc si res eo loco sit, ut prudenter dubitari possit de probabilitate, & improbabilitate alicujus opinionis, prudenter inquam, secundùm rectam prudentum, & sapientum existimationem, ut probabile est, probabilem simul, & improbabilem esse, ita una pars altera probabilior esse potest.

53. ANTIM. Non poteras meliùs mentem meam assequi; res ista ad forum prudentiæ pertinet, nec mirum; dictat enim prudentia, quid prudenter agendum, aut fugiendum sit: ubi autem quis prudenter agit, benè agit; si quis igitur ex tali opinione prudenter agat, bene agit, eaque opinione licitè utitur, id est, illam ad praxim, & usum redigit; ex illa autem morali opinione prudenter agit, quisquis certus est, esse probabilem; & hoc, meo judicio, nemo erit, qui neget; si enim certum est, esse probabilem, certum est, eandem tutam esse, id est, usum illius tutum, & licitam praxim.

54. PITHANOPH. Si quis hoc pertinaciter negaret, esset ne unde ipse convinci posset?

55. ANTIM. Esset haud dubiè, si enim certum est, esse probabilem, certum est eo fundamento niti, quod sufficiens sit, ad prudentem assensum præbendum: si autem alicui morali opinioni prudenter adhærere, vel assentiri possum, id est, eandem reputare veram, & ut veram sequi atque amplecti, ea certè prudenter uti possum; quidquid enim prudenter existimo, licitum esse, possum licitè facere, cum intellectus voluntati præluceat; si ergo certus sum, me prudenter agere, cum hanc, vel illam opinionem moralem veram reputo, id est, verum reputo, hoc, vel illud licitum esse, certus sum etiam, me prudenter agere, cùm illam ad praxim reduco.

56. PITHANOPH. Nondum eò nostra dissertatio processit: nempe antequam mente complectar hujus consequentiæ vim, *certum est, hanc opinionem moralem esse probabilem; igitur certum est, esse tutam*; præmittendum est, ni fallor, quid sit opinio tuta: item hujus; *possum prudenter assentiri huic opinioni*, id est, illam veram reputare; *igitur possum illam prudenter ad usum & praxim reducere*, id est, illa uti, eamque eligere. Supponendum etiam quid sit assensus, itemque usus & electio: nempe hucusque definitionem duntaxat opinionis probabilis præmisisti, eamque esse dixisti, quæ debito fundamento nititur, ad prudentem assensum sufficienti: exposuisti præterea duo singularia capita, quibus hoc fundamentum comprehenditur, quæ sunt ratio, & authoritas, de authoritate abundè dictum, itemque de ratione; si tamen eos fontes indicaveris, ex quibus ratio eruitur; denique rectè distinxisti propositionem categoricam, ac de inesse, ut vocant à modali, verbi gratia, hanc, *triplex contractus*, ut vulgò vocant, *non est usurarius*, quæ est categorica, & *de inesse*, ab hac, *certum est, illam opinionem, vel propositionem esse probabilem*, quæ est modalis; nempe quod ille contractus

præstatus non sit usurarius, probabiliter teneo, nō certò; quod autem hoc sit probabile, non probabiliter modò, verùm etiam certò scio. Vellem igitur, antequam ad prædictas consequentias descenderes, ut quasdam alia præmitteres, quæ non parum conducunt, ad earum vim demonstrandam, & primò quidem indica fontes, ex quibus rationes probabiles eruuntur.

17. Antim. Habes locos, tum à Philosophis, tum à Rhetoribus descriptos, tu consule, & ut rem breviter perstringam in materia morali, nonnulla consulenda sunt v.g. lex, ejusdem explicatio, vel declaratio, consuetudo, quæ ad legem reducitur, exempla piorum, & doctorum hominum, usus, possessio, necessitas, effectus, absurda, quæ ex opposito sequerentur, animorum quies, sedandis scrupulis aptum remedium, communis sensus, rei natura, finis, proprietas, &c.

18. Pithanoph. Adde glossam legis & Doctorum explicationes, vel commentationes: item Scholarum morem, & usum apud Catholicos: item definitionem rei, & ejusdem causas, aliaque id genus quæ sanè omittere poteras hæc mihi quæstio incauto excidit, cum res vulgaris sit, & omnibus nota: jam melius & magis appositè interrogo de variis propositionum generibus, seu classibus, quarum supra, ni fallor, obiter meministi.

19. Antim. Quidni morem tibi geram? præsertim cum huic nostræ dissertationi non parum inde lucis effulgeat; sit ergo 1. illa propositio, quam certam esse certò constat; sit 2. illa, quam certam esse, probabile est. 3. illa, quam probabilem esse, certum est; 4. illa, quam probabile est, probabilem esse; 5. illa, quam improbabilem esse certum est: omitto illam, quam improbabilem esse, probabile est; quia scilicet ad quartam classem reducitur; nempe ut est probabile, esse probilem, ita est probabile, esse improbabilem, aliqui certum esset, probabilem esse; quinque igitur classibus totam, ut vides, divisionem complector.

20. Pitanoph. Imò ni fallor paucioribus; nam illa propositio, quàm certò, vis probabilem esse, est probabiliter certa.

21. Antim. Minimè verò; nam de illa, quam certum est, esse probabilem, nego, quod certa sit; de illa autem, quæ probabiliter certa est, assero, certam esse, sed idem simul negare & asserere non possum, igitur non est eadem utriusque classis: præterea idem constat ex oppositis; nam ut certò certæ opponitur certò improbabilis, ita probabiliter certæ opponitur probabiliter improbabilis; illa autem quæ certò probabili opponitur, id est, quæ oppositum adstruit, non est probabiliter improbabilis, sed certò probabilis; nempe utramque Authores probabilem censent, licèt fortè altera probabilior sit, quàm enim multæ sunt hujusmodi opiniones, quas utrimque probabiles esse, omnes censent.

22. Pithanoph. Unum est, quod mihi aliquam dubitationem injicit, Antime; quomodò scilicet fieri possit, ut aliqua propositio sit certò probabilis, quod enim certò probabile est, semper probabile est; at nemo nescit, propositionem aliquam probabilem, improbabilem fieri posse; igitur nulla probabilis certò probabilis est.

23. Antim. Quod propositio probabilis dicatur, est prædicatum omnino contingens; quod scilicet abesse, vel adesse potest, quodque ex meris propositionibus annexis derivatur, scilicet ex fundamento legitimo, ac debito; hoc autem, præter rationes probabiles, suffragantes Authores, & objectorum solutionem, aliaque id genus, quibus constituitur, de quibus supra abundè dictum est, supponit, nullam esse Ecclesiæ definitionem, qua contrarium definiatur: igitur quamdiu fundamentum illud legitimum manet, & certò constat, tamdiu probabilis est; dixi, *certò constat*, quia si reverà nulla sit declaratio Ecclesiæ, qua ut dixi, contrarium definiatur, & sint rationes probabiles, solvantur objecta, omnes ferè Authores alicujus nominis in prædicta probabilitate adstruenda consentiant; ex his fundamentum illud certò constat; at si certò constat, fundamentum esse legitimum, certò etiam constat propositionem illam probabilem esse: sic certum est, illum, qui habet literas patentes à Rege eatque non revocatas, quibus judex constituitur, habere jurisdictionem & potestatem judicandi; at si revocentur literæ, tunc cessat fundamentum illud prædictæ potestatis, nec in hoc, meo judicio, est ulla difficultas; nam certitudo probabilitatis supponit legitimum fundamentum, & hoc illa omnia, quæ supra descripsi; hæc autem, vel ipso sensu certò constant; nec enim aliter percipimus, aut scimus, nullam esse declarationem Ecclesiæ contrariam, suffragari Authores, & rationes, solvi sufficienter objecta; nempe hæc ad forum prudentum pertinent, cujus fori decreta, sensui ipso nobis innotescunt.

24. Pitanoph Sed quam amabò certitudinem intelligis? an Metaphysicam, seu Geometricam, ut vocant, qua major excogitari nequit? an Physicam, quam ex sensu rectè admoto, & minimè vitiato ducimus? an moralem, quæ licet physicè loquendo, fallere possit, nunquam tamen accidit, ut fallat? verbi gratia, omnes Historici testantur, Julium Cæsarem victoriam de Pompejo reportasse; si physice illorum fidem consideremus, haud dubiè fallere possunt, cum sint erroribus obnoxii; nunquam tamen accidit, ut omnes fallant.

25. Antim. Sufficit mihi, physicè, aut etiam moraliter certam esse probabilitatem, cum hæc sufficienter formidinem excludat; nempe illa propositio certa est, scilicet objectivè, quæ si rectè percipiatur, ad firmum assensum movet, quo firmiter intellectus objecto proposito assentitur; firmiter autem assentiri, est sine formidine assentiri: Dixi *objectivè certa*, ut scilicet prædicta firmitas assensus à veritate objecti, non à voluntatis pertinacia derivetur; quis enim nescit, multos suis erroribus pertinaciter & firmiter adhærere? non quod objectum sufficiens sit ad firmum assensum extorquendum, sed quod pertinaci voluntatis efficacia incertam objecti naturam suppleant.

26. Pithanoph. Inde rectè colligerem, unum alio certius esse posse.

27. Antim. De diverso genere certitudinis, nemo inficiabitur; sic Metaphysica certitudo reliquis duabus longo præstat intervallo: item Physica morali; an verò sub eodem genere una propositio sit certior alia, v.gr. moralis morali, quæstio merè Logica est, ad præsens institutum minimè pertinens, pro quo sufficit, ut tale sit objectum, quod omnem formidinem arceat ab assensu, sive hic firmior, sive minùs firmus sit, modò saltem sit ea firmitas, ab objecto, non à pertinacia petita, quæ omnem formidinem & dubium moraliter excludat; dubium tamen non inducit, quod una propositio alia probabilior sit; illa enim probabilior est, quæ probabiliore & meliore fundamento

nititur, aptiore scilicet, quod intellectum ad prudentem assensum moveat; sive illa major energia à rationū momentis, sive ab authoritatis pondere derivetur.

68. PITHANOPH. Quonam pacto objectum probabile moveat intellectum, aliqui non capiunt; nec etiam qui fieri possit, ut intellectus alteri æquè probabilium adhæreat.

69. ANTIM. Quid in his difficile sit: non video: nam ut intellectus ab objecto evidenter proposito rapitur & determinatur ad assensum, ita ab alio obscuro & probabili non rapitur, nec determinatur, nec seipsum determinare potest, sed à voluntate determinatur, cujus scilicet imperio subjacet quocumque tandem motivo, vel fine voluntas agatur: determinatur inquam ad præbendum assensum alteri parti probabilium, etiam minus probabili, ut patet, pro quo incentiva non desunt, quibus voluntas ad hanc, vel illam electionem moveatur, imò voluntas, una relicta, cui priùs assensum ab intellectu præberi jusserat, alteram eligit, eique jubet intellectum assentiri, licèt enim simul utrique assentiri non possit intellectus, ne propositionibus contradictoriis veritatem simul adstruat, seorsim tamen id fieri potest: item potest voluntas alterutram eligere, ad usum & praxim: ut dixi; in his, meo judicio, nulla est difficultas.

70. PITHANOPH. Electionis nomine, nihil aliud opinor, intelligis, nisi usum & praxim alicujus opinionis, vel potius actum liberum voluntatis, quo, aliquam opinionem eligo ad usum; ut autem hic usus licitus sit, atque honestus, illam opinionem probabilem saltem esse, oportet.

71. ANTIM. Hæc probè distinguenda sunt, ne quid anceps remaneat. Duo sunt opinionum moralium genera: primum earum est, quibus negatur, aliquid fieri, aut poni posse sine peccato; talis opinio eorum est, qui negant, v.g. pactum trium contractuum, ut vocant, licitum esse quod asserunt esse usurarium; alii contra sentiunt, usurarium non esse, & minimè illicitum: alterum earum est, quibus asseritur, aliquid omitti non posse sine peccato: sic aliqui tenent, in confessione circumstantias aggravantes, ut vocant, licitè omitti non posse, licèt alii secus sentiant: sic olim nonnulli senserunt, ad Sacramentum Pœnitentiæ; attritionem non sufficere, sed contritionem necessariam esse. His positis, in primo genere, negantem illam opinionem, quamvis illa minùs probabilis sit, ad usum reducere possum, id est, possum illa uti, illam eligere & sequi licitè in praxi, etiamsi non modò minùs probabilis, sed omnino improbabilis sit: v. g licèt sit longè probabilius, pactum illud trium contractuum esse legitimum, ac minimè usurarium: possum tamen opinionem oppositam eligere, id est, abstinere ab illo contractu; nec enim abstinere, malum est: item licèt non sit probabilis illorum opinio, qui negant, ad defensionem propriæ vitæ, vim vi licitè repelli posse, etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, possum tamen licitè illam sequi, cum abstinere per se malum non sit: igitur in hoc genere possum negantem opinionem licitè sequi, licèt sit minùs probabilis, vel omnino improbabilis: in altero genere, adstruentem, vel assertivam opinionem possum licitè sequi, quamvis illa sit minùs probabilis, verbi gratia minùs probabile est, quempiam teneri, statim confiteri, ubi primùm lethalem noxam admisit; quis autem neget, eum statim licitè confiteri? parimodo improbabile est, attritionem cum Sacramento non sufficere; quis neget, licitè ab aliquo etiam contritionem adhiberi: in hoc igitur genere, opinionem assertivam eligere licet, quamvis alioqui sit minùs probabilis, vel etiam improbabilis; assertivam tamen in primo genere, & negativam in altero, licitè sequi non licet, nisi certum sit, esse probabilem; sic nec prædictum contractum licitè inire possum, nec confessionem post admissam lethalem noxam, aliquantulum differre, nisi certum sit, probabilem esse illam opinionem, quæ contractum illum ab omni usuræ labe vendicat: item illam, quæ negat, teneri lapsum hominem sacra illico exhomologeli, admissa crimina eluere.

72. PITHANOPH. Jam intelligo, quàm malè rem istam nonnulli tradiderint, qui tutiorem opinionem cum probabiliore confundunt; cum aliquando illa tutior sit, quæ est minùs probabilis, imò improbabilis, v.g. tutius est, confessionis remedium statim adhibere, quamvis illa opinio S. ni fallor, Bonaventuræ, minùs probabilis sit: item tutius est, contritionem accersere, licèt improbabile, imò erroneum dictu sit, post Trident. eam necessario requiri; sic tutius est, omittere propriam defensionem ad servandam vitam, licèt improbabile sit, hominem ad hoc teneri.

73. ANTIM. Rectè; nescio tamen, an probè intelligas, quid sit opinio tuta, & utrùm una tuta tutior altera esse queat.

74. PITHANOPH. Tuta opinio illa est, cujus usus, vel electio, ut vocas, omnem culpam excludit.

75. ANTIM. Primo intuitu ita esse videtur; aliqua tamen opinio tuta non est, licèt peccatum excludat: Sit enim error aliquis, quo quis, per inculpatam ignorantiam, teneatur, eumque ad usum & praxim deducat: v.g. credit aliquis, peccatum lethale altro & sponte omitti posse in confessione, idque omittit per errorem, scilicet invincibilem, revera non peccat: nemo enim Catholicus dicat, ignorantiam invincibilem culpæ non eximere; igitur illa opinio erronea, ut vides, peccatum excludit, licèt tuta dici non possit.

76. PITHANOPH. Excludit peccatum formale, ut vocant, non materiale; ita ut actio illa, quæ secluso ignorantia peccatum esset, peccato & culpæ non vertatur: igitur illa opinio tuta esset, formaliter scilicet, in hoc casu, non tamen materialiter.

77. ANTIM. Tam crudè loqui profectò nolim, ut opinionem erroneam tutam esse dicam; nec enim per se peccatum excludit, sed ipsa ignorantia invincibilis; qua fit, ut culpæ non vertatur, quod revera in se peccatum est: Illa igitur opinio verè tuta est, quæ secluso etiam ignorantia, peccatum excludit; nec enim opinio verè probabilis erronea dici potest; unde opinio illa tuta est, quæ sine peccato secluso etiam errore, ad praxim & usum reducitur; hinc, & formaliter & materialiter tuta est; formaliter tuta dicitur, quæ peccatum formale excludit; materialiter verò tuta, etiam materiale, nunquam autem est formaliter tuta, non verò materialiter; nisi quando aliquid licitum per ignorantiam invincibilem creditur & admittitur, quod tamen secluso ignorantia, illicitum est; igitur nunquam est tuta formaliter, non materialiter, nisi ubi error invincibilis intervenit; sed opinio verè probabilis, error dici non potest, ut patet ex terminis; hic enim fundamento legitimo ac debito caret, quo tamen illa nititur; igitur si opinio probabilis est formaliter tuta, dubium esse nequit, quin etiam materialiter tuta sit.

78. PITHANOPH. Inde, ni fallor, rectè deduco, duas opiniones oppositas verè ac certò probabiles æquè tutas esse, tum formaliter, tum materialiter.

79. ANTIM. Nihil evidentius deduci potest, nempe tutum esse, est peccatū excludere, tum formaliter, tum materialiter: Sed peccatum excludi magis vel minùs non potest; nam hoc quidpiam individuum est, vel ut

vocant,

vocant, in indivisibili positum; nisi enim totum peccatum excludat, totum esse non supponitur.

80. PITHANOPH. Duo tamen obstare videntur: primum est, quod formaliter simul & materialiter tutum sit tutius alio, quod formaliter duntaxat non materialiter tutum est; alterum verò, quod hic modus loquendi, apud Doctores communis sit; nihil enim frequentius apud illos auditur, quàm hæc divisio opinionis magis & minùs tutæ.

80. ANTIM. Est sanè, quod facilè ad hæc reponam; ad primum quidem, illud propriè, ac per se tutum non esse, quod peccatum materiale non excludit; quia scilicet formale excluditur tantùm per accidens, id est, ratione ignorantiæ invincibilis annexæ; igitur illa opinio, quæ materiale non excludit etiam formale per se non excludit; sed vel cum eo conjuncta est, aut reverà si abest, hoc ipsum non opinionis, sed ignorantiæ invincibili opinantis tribuendum. Unde manifesta patet responsio. Ad secundum verò dico, Authores sæpè ac sæpiùs meminisse opinionis magis, & minùs tutæ; quod sanè ita intelligendum est, an vel minùs tutam eam esse velint, quæ reverà tuta non est; vel 2. eam, quæ à peccati periculo minùs arcet; vel 3. eam, quæ ad salutis viam minùs conducit; vel 4. eam, quæ imperfectior est: si primum modum admittas, cùm reverà tuta non sit, eam sequi non potes, & tutæ simpliciter opponitur, non verò cum tutiore comparatur; hinc malè dicitur, minùs tuta, cum potiùs non tuta dicenda sit. Si verò secundum, vel periculum proximum est, vel remotum, proximum nullo modo est tuta, cum peccatum non excludat: nam velle periculum peccandi proximum, per se videlicet, peccatum est, igitur primum modum hic reducitur; si verò remotum, reverà tuta est, nec quis peccat, qui remoto peccandi periculo sese exponit; tunc autem ad tertium modum res reducitur, juxta quem una via ad salutem tutior est, quàm alia, vel ad quartum in quo illud tutius dicitur, quod perfectius; sed hi duo modi non sunt præcepti, sed consilii, ut patet; nec tutum, juxta utrumque modum, sequi tenemur: igitur, uno verbo concludam, ex duabus opinionibus verè ac vere probabilibus, moralibus scilicet, quas probabiles esse, certum est, altera propriè loquendo tutior dici nequit, quasi peccatum ab illa actione, vel opinionis usu magis excludat; nec enim peccatum excluditur, nisi ubi est: tamen lato modo, tutior dicenda est, quatenus à remoto peccandi periculo magis arcet; vel ad salutem tutiùs conducit, vel actio perfectior est.

81. PITHANOPH. Quid porrò sibi vult illa regula, quam Authores vulgò præscribunt: *in dubiis tutior pars tenenda est.*

81. ANTIM. Sunt qui consilii, non verò præcepti hanc regulam esse voluerint, res mihi difficilis esse non videtur: Vel enim agitur de duabus partibus, quarum una certa est & tuta, altera verò dubia: in hoc casu, certam sequi, dubiam relinquere tenemur, nunquam enim agere licet cum conscientia dubia, de qua infra, si per te mihi liceat, plura dicturus sum, & licin hoc casu, in dubiis, tutior pars tenenda est: ex. gr. certum est, & tutum abstinere ab eo contractus genere, quem Moatra vocant, dubium verò, illiciti; hinc tutior pars tenenda est, vel potius tuta & certa, relicta dubia: idem dicendum est de illis omnibus opinionibus, quæ licèt sint speculativè, utcunque probabiles, ad usum tamen, & praxin reduci non debent, de quibus etiam, si è re tua sit, paulò post disseremus: si verò utraque pars est tuta, & certa, non est præcepti, sed consilii, tutiorem, id est, perfectiorem amplecti, ut patet ex dictis: si demùm utraque dubia per errorem credatur, neutra tenenda, cum nullum peccatum, quantumvis minimum admittendum sit; si quis tamen per errorem, se ad alteram teneri crederet, altera omittenda esset: si ad utramque æqualiter, & sit error invincibilis, quidquid faciat non peccat; quia necessaria libertas deest, de quo infrà, si de conscientia erronea interroges.

84. PITHANOPH. Conscientia, quantum meminisse possum, nihil est aliud, nisi judicium practicum, quo hîc & nunc judico, aliquid, vel factum, vel faciendum, honestùm, vel turpe esse, id est, judico, me peccasse, vel non peccasse, peccatum, vel non peccatum iri, in aliqua actione, vel omissione præterita vel futura; erronea porro dicitur, quæ ex errore procedit: sic dum quis sine fundamento judicat, aliquid esse, prohibitum v. g. comedere sanguinem, vel non lotis manibus manducare, ita judicat per errorem: error autem duplex est, invincibilis scilicet, cui nulla causa datur, & hic à peccato liberat; & culpabilis, qui vitio & culpæ vertitur; quia vel illum affecto, vel data opera inquirere negligo, licèt ad inquirendum & majorem diligentiam adhibendam, teneri me sciam. Conscientia dubia illa esse dicitur, quæ cum dubio de turpitudine objecti conjuncta est; probabilis, quæ ex opinione probabili; certa quæ ex certis & indubitatis deducitur; scrupulosa, quæ levi dubio laborat. Hæc sunt, quæ vulgò ab Authoribus dicuntur; non leve tamen negotium mihi facessunt; nec enim satis distinguo conscientiam dubiam ab opinativa, vel probabili: nam si est dubium strictè sumptum; quo scilicet intellectus neutri parti assentitur, sed anceps manet, nulla est conscientia, quia nullum judicium: Si verò est judicium positivum, quo scilicet alteri quidem parti assentior, sed cum notabili formidine, vel dubio latè sumpto, propter rationes, quibus ad assensum alteri parti præbendum moveor; hæc eadem conscientiæ probabili competunt, quæ cum formidine conjuncta est, alioquin certa esset: scrupulosa item aliqua dubitatione, & perplexitate laborat: igitur longè facilius dividi posset conscientia in certam, dubiam, erroneam, vel potiùs in veram, falsam, dubiam.

85. ANTIM. Si res ita se haberet, ut dicis, nunquam ex opinione probabili agere liceret: qua certè lege si homines tenerentur, pessimè iis consultum esset: res igitur aliter explicanda est, sic eam breviter expedio. Conscientia, ut rectè dixisti, est judicium illud practicum, id est, in ordine ad operandum, formatum, quo hîc & nunc in particulari judico, aliquid turpe, vel honestum factum esse, sive præteritum sit, sive præsens, sive futurum: illud autem judicium certum esse debet, aut saltem pro certo haberi; nec enim cum dubio, vel formidine rationabili agere possum; quia me peccandi periculo proximo exponerem, quòd licitè fieri nequit; nempe, quisquis amat periculum, peribit in eo: dixi certum, vel pro certo habitum: primum quidem, quod de re certa est, v.g. judico hîc & nunc, turpe esse adulterium, ac proinde fugiendum: judicium illud est verè certum; alterum verò, quod de re falsa, aut incerta, quam tamen certam esse judico, v.g. judico hîc & nunc, ut quempiam ab aliqua pœna liberem, mentiendum esse; judicium illud est falsum, ac proinde non verè certum, sed pro certò duntaxat, habitum, quia omnem formidinem, temerè licèt, exclu-

excludit: hinc primum dici potest certum formaliter & objectivè, alterum verò certum formaliter non objectivè, id est ratione modi, quo intellectus tendit in objectum, non verò ratione objecti; hoc autem conscientiam erroneam constituit, quæ, ut rectè monuisti, à peccato libera est, si error invincibilis est, nempe hic excludit omne voluntarium; igitur & liberum; igitur & peccatum; si enim ignorem, malum esse, idque nulla mea culpa, vel negligentia, non est mihi liberum, illud tanquam malum fugere, ut constat ex terminis: malum autem duntaxat fugere teneor, scilicet cognitum; alioquin tenerer ad impossibile. Sed in his frustra hæreo, quæ omnes Catholici ultro concedunt.

86. Pithanoph. Hinc recta divisio conscientiæ esset in certam, & dubiam; certæ autem, in veram, & falsam, vel erroneam, dubiæ in probabilem, & scrupulosam.

87. Antim. Expecta parumper, de certa jam dixi; nec abnuerim, si hæc dividatur in veram, & falsam, vel in verè certam, & erroneam: de dubia & probabili mox dicam, si priùs unum statuero, ad vitandam ambiguitatem; scilicet illam, ut plurimùm conscientiam probabilem dici, quæ opinione verè ac certò probabili nititur; quo tamen non facit, quin omnino certa sit, id est, quin certò judicem, me hîc & nunc minimè peccare, vel peccatum iri, circa tale, vel tale objectum, v. g. in usu trium contractuum; licèt enim probabilis opinio sit, pactum illud ex tribus contractibus constans, non esse usurarium, nec illicitum, est tamen certum, hanc opinionem esse verè probabilem; certum igitur, me prudenter hîc & nunc illi præbere assensum, id est, judicare, hîc & nunc pactum illud non esse illicitum; sed hoc judicium est conscientia, & certum est, me prudenter judicare; nam opinio probabilis ad prudentem assensum movet; igitur certum est, hoc judicium prudens ac rectum esse; ea tibi conscientiam certam, & tutam; certam quidem, quia certus sum, me prudenter judicare: tutam verò, quia prudens judicium prudentem actionem dirigit; igitur bonam; igitur ab omni peccato & culpa immunem. Vides igitur, conscientiam illam, quæ ex opinione verè ac certò probabili deducitur, esse omnino certam, licèt per denominationem quandam probabilis dicatur. Dubiam autem illam dicerem, quæ cum dubio, ceu strictè, seu latè sumpto conjuncta est: dubium autem latè sumptum ipsa formido est, qua timeo ex rationabili fundamento, ne id, quod faciendum vel omittendum proponitur, peccatum sit: sed dum rem intelligas, loquere ut voles.

88. Pithanoph. Hæc mihi summoperè placent, sed ne quid dissimulem, illa breviùs à te dicta sunt, quàm ut facilè à me, vel ab aliis intelligantur; per te igitur mihi liceat, ea tibi proponere, quæ mihi hac in re difficilia videntur; & primo quidem loco illud, quod capere animo vix possum; dicis enim judicium illud conscientiæ certum esse, quo scilicet contractus licitus judicatur; cum tamen assensus ille sit merè probabilis: Si ergo actus ille intellectus merè probabilis est, quomodò certus est?

89. Antim. Inficias non eo, quin primus actus ille, quo judico, contractum illum usurarium non esse, ac proinde minimè illicitum, merè probabilis sit; est enim mera opinio, licèt verè probabilis: Sed cum certum sit, probabilem esse, certum est etiam, me prudenter assentiri, non temerè, ac proinde assensum illum à prudentia dictari, id est, esse operationem verè prudentem; si autem certum est, me prudenter assentiri simpliciter, certum est, etiam me prudenter hîc & nunc assentiri; id est, me prudenter judicare hîc & nunc, contractum illum illicitum non esse; igitur me prudenter illam opinionem hîc, & nunc amplecti, eligere, sequi; igitur illius usum prudentem esse; igitur licitum. Primus ille assensus, quo prudenter judico, contractum illum usurarium non esse, est duntaxat probabilis; aliud judicium quasi modale, quo certò judico, primum illum actum verè probabilem, & prudentem esse, non est tantum probabile, sed certum; item illud, quo judico, me prudenter hîc, & nunc assentiri practicè, id est, hanc opinionem eligere, sequi, amplecti, ad usum & praxim reducere; ac proinde cum mihi certum sit, usum illum prudentem esse, certum quoque mihi est, non esse illicitum; assensus primus est probabilis non certus; reliqua judicia sunt certa; opinio est probabilis; usus verò illius licitus, & utrumque certum est, scilicet & illam probabilem esse, & hunc licitum; igitur cùm judicium illud, quo judico hîc & nunc, licitum esse, certum sit, conscientia ipsa certa est, quæ scilicet illo judicio continetur. Vides, ni fallor, quò tandem res reducatur; si opinio illa moralis verè probabilis est; quia ad prudentem assensum movet, ut patet ex ipsa definitione, quam suprà explicui; si autem prudens est; igitur & prudens illius usus, ut patet; si enim prudenter judicem, aliquid licitum esse; prudenter judico, à me licitè fieri posse hîc, & nunc, & ad praxim reduci; & si certum est, prudentem opinionem esse, moralem scilicet, certum est etiam, usum illius prudentem, ac proinde licitum esse.

90. Pithanoph. Rem capere mihi videor: primum judicium est merè speculativum *ac de ineſſe*, ut vocant; v. g. sit hoc, *contractus ille non est usurarius*: ita judico ac sentio probabiliter: secundum judicium est morale, & initium consultationis practicæ, v. g. *certum est, opinionem illam probabilem ac prudentem esse*, ita sentio & judico certò: tertium est verè practicum, & sic se habet: *Certum est, me hic & nunc prudenter sequi, amplecti, eligere prædictam opinionem, eaque uti, ac proinde usum illius prudentem esse ac licitum*; & hoc est, ni fallor, judicare practicè, contractum illum illicitum non esse, quod revera judicium conscientiam constituit: primum judicium est directum, *de ineſſe*, ut vocant, speculativum, verè probabile & prudens; secundum est reflexum, modale, practicum suo modo, certum & prudens, tertium est suo modo reflexum, omnino practicum, quasi modale, certum & prudens; cuncta hæc nisi rectè distinguantur, tota res ista ambiguitate laborabit.

91. Antim. Mentem meam omnino assecutus es, optimè autem subdidisti; judicium illud practicum, quod conscientiam constituit, quo judico hîc & nunc, contractum illum licitum, non esse omnino directum, ac *de ineſſe*, sed æquivalere huic, quo certò judico, me prudenter hîc, & nunc hanc opinionem sequi, amplecti, eligere, eaque uti; id est, illius usum prudentem ac licitum esse; sit enim differt judicium practicum à speculativo, cum speculativum in sola veritate sistat, practicum verò ad praxim tendat, & opus dirigat; id est, speculativum, nudum objectum attingat, connexionem scilicet prædicati cum subjecto; practicum verò, usum & modum cum eodem objecto componat, cum tantula reflexione, verbi gratia, judico simpliciter contractum non esse usurarium; judico deinde, me hîc & nunc prudenter ita sentire, ac proinde usum hujus opinionis

pruden-

prudentem & licitum esse, vides reflexionem aliquam, & prudentem usum objecto annexum; hoc autem ultimum, judicium practicum, illud speculativum voco.

92. PITHANOPH. Hinc perspicuum est, ab iis minus aptè rem istam explicari, qui dicunt, judicium speculativum illud esse, quod circa nudum objectum nullis circumstantiis vestitum, versatur, practicum verò tum circa rem ipsam, tum circa circumstantias; quasi verò judicium speculativum versari non possit circa objectum talibus, vel talibus circumstantiis vestitum, v. g. possum considerare pactum illud, quod usum contractuum vocant, quatenus subest talibus circumstantiis, & judicare, an usurarium sit; imò si judicem in genere sub talibus circumstantiis usurarium non esse, non video, cur sub iisdem, hic & nunc judicare non possim, usurarium etiam non esse; nec est, quod dicant, rationem periculi habendam esse; cum hæc pactum illud reddat illicitum: nam hæc quoque periculi circumstantia per primum judicium attingi potest, ac proinde pactum ipsum rationeillius, illicitum judicari: longè igitur melius, judicium speculativum à practico distinxisti; quod scilicet illud nudum objectum, seu nudam propositionem veritatem, connexionem scilicet prædicati cum subjecto; hoc verò etiam illius usum attingat, quem scilicet prudentem & licitum esse, certò judico: In hoc mihi factum satis: sed quæso te, putasne, esse aliquas opiniones speculativè quidem, non tamen practicè probabiles.

93. ANTIM. Apud Auctores hæc opinionum distinctio passim habetur, quamvis nonnulli ex recentioribus refragentur, qui putant, fieri non posse, ut alia opinio sit probabilis speculativè, nisi etiam practicè sit probabilis; cùm idem utrimque motivum intellectum moveat; si enim diversum esset, haud dubiè eadem propositio, vel opinio non esset: nec est, quod aliqui opponant, propter periculum, ad praxim & usum reducendas non esse: nam vel est periculum proximum, peccandi scilicet, vel remotum; si remotum, cum vitare illud nemo teneatur, prædicta opinio, quæ huic periculo exponit, non propterea damnanda est, nec ejus usus interdicendus; si verò proximum; igitur illa opinio, quæ proximum peccandi periculum inducit, non est etiam speculativè probabilis: nec est, quod aliqui dicant, propter circumstantias, quæ cum ipso objecto conjunctæ sunt, eandem usum licitum non esse: nam vel easdem circumstantias intellectus attingit per actum speculativum, vel non attingit; si primum; igitur inde opinio illa speculativè improbabilis est; si vero alterum, igitur eadem opinio non est, sed diversa, ut patet.

94. PITHANOPH. Censes igitur, nullam esse opinionem probabilem speculativè, quæ non sit probabilis practicè.

95. ANTIM. Censeo, eandem opinionem moralem, quæ est probabilis speculativè, id est, præscindendo ab usu & praxi, esse probabilem etiam practicè, id est, in ordine ad usum, eodem scilicet probabilitatis genere, ita ut illæ sint certò probabiles practicè, quæ sunt certò probabiles speculativè, & probabiliter probabiles practicè, quæ sunt probabiliter probabiles speculativè.

96. PITHANOPH. Nulla est igitur probabilis speculativè, quæ non sit probabilis practicè.

ANTIM. Tolle amabo ambiguitatem verborum, & omnia rectè compones; quid enim quæso, te intelligunt morales Theologi, dum ipsi dicunt, aliquas propositiones esse probabiles speculativè, quæ non sunt probabiles practicè? Nihil aliud opinor, nisi quod aliquæ propositiones sint probabiles, quæ ad usum licitè reduci non possunt; quid aliud dicunt? Hoc ipsum etiam dico nimirum, esse aliquas propositiones probabiles, non quidem certò, sed incertò & probabiliter, quarum usus illicitus jure censetur: nulla tamen est certò probabilis, scilicet moralis, quæ ad usum, & praxim licitè reduci non possit: hoc ni fallor ex jactis principiis demonstrari potest; nempe illa opinio moralis, quam probabilem esse, certum est, ad usum licitè reducitur: cùm enim certum sit, probabilem esse, ac proinde assensum, quem ei præbet intellectus prudentem, etiam certum est, illius usum prudentem esse & licitum; igitur cum illa opinione optimè stat conscientia certa, secluso scilicet errore invincibili: certam autem esse oportet: nam operari cum conscientia dubia, non licet; nemo quippe se sine peccato exponat periculo proximo peccandi: si autem certum non sit, opinionem aliquam probabilem esse, sed tantummodò probabile, non est etiam certum, sed incertum, & dubium, me prudenter illam opinionem eligere, aut sequi, aut illa uti, aut prudentem, aut licitum esse illius usum, sed hoc judicium conscientiam constituit, igitur conscientia est incerta, & dubia; sed cum dubia, etiam lato modo, licitè agere non possum; igitur illa opinio, quæ est probabilis tantùm probabiliter, non certò, licitè ad praxim reduci non potest.

98. PITHANOPH. Eò sanè dudum animus inclinabat, ut existimarem, nullam opinionem probabilem licitam esse in praxi, nisi quæ certò probabilis esset, & mirabiliter placet facilis ille modus, quo aliquæ opiniones sunt probabiles speculativè; quæ tamen practicè probabiles non sunt, id est, quæ ad usum licitè reduci nequeunt; tales autem illas omnes esse vis, quas probabiles esse probabile duntaxat, non verò certum est.

99. ANTIM. Adde quæso, *secluſa ignorantia invincibili*, hæc enim usum non modò probabilium opinionum, quamvis illæ alioquin probabiliter tantùm probabiles sint, verùm etiam improbabilium, atque adeò errorum à peccato liberat; secluſa igitur ignorantia invincibili loquor. Et verò si censum institutas illarum opinionum, quæ licèt speculativè probabiles esse dicantur, ad usum tamen licitè reduci non possunt, illas haud dubiè tales esse comperies, ut probabile tantummodo sit, non verò certum, illas probabiles esse.

100. PITHANOPH. Quanquam hæc mihi doctrina summoperè placet, utpote, quæ ex simplicissimis, & clarissimis principiis cuncta definiat atque decidat; non desunt tamen, quæ opponantur, quæque ut omnino explanes, etiam te atque etiam rogo; & primò quidem illud occurrit, neque id sanè contemnendum & leve; nempe probabili opinione prudens operatio nititur; imò ex illa tua definitione, probabilis opinio ad prudentem assensum movet; si autem prudenter assentior opinioni probabili, prudenter illam sequor, atque illa fitor, quis autem neget, prudentem usum licitum esse?

101. ANTIM. Cuncta hæc in moralem opinionem, quam certò constat esse probabilē, optimè quadrant; imò hæc est præmissæ ratiocinationis summa; non tamen in illam, quam probabile duntaxat, ac proinde dubium & incertū est, esse probabilē, cui revera prudenter assentiri non possum, nec eam prudenter sequi, nec ad usum & praxim reducere; quia conscientia certa

certa esse debet; id est certus esse debeo, usum illius opinionis licitum esse, igitur & certus, esse prudentem: atqui non sum certus, esse prudentem, cum id mihi tantùm probabile videatur; nempe certus non sum, prudentem esse illum assensum, quia non sum certus probabilem esse opinionem, scilicet objectivam, id est, sufficientem, ad prudentem assensum; cùm igitur judicium illud practicum, quod ipsam conscientiam constituit, omne dubium, & formidinem omnem excludere debeat, ac proinde certum esse, aliud judicium certum supponit, quo scilicet certò judico, illum assensum prudentem, & opinionem probabilem esse.

102. Petanoph. Quonam pacto fieri potest, ut prudens operatio ex opinione probabiliter probabili non sequatur, quæ sequitur etiam ex improbabili & erronea, quæ per errorem invincibilem, certò probabilis, vel etiam omnino certa creditur.

103. Antim. Quonam pacto, inquis, quasi aliter fieri possit; honesti ratione ita ducimur atque movemur, Pithanophile, ut eam cognoscere debeamus: Voluntas enim fertur in bonum, sed in bonum cognitum; & ideò à bono movetur, & sollicitatur, in quantum bonum cognoscitur, eidemque ab intellectu proponitur; igitur si quod turpe est, ab intellectu voluntati repræsentetur sub honesti specie, idque per invincibilem errorem, & ita esse intellectus certò judicet, excludatq; omnem formidinem, & dubitationem, perinde se habet objectum illud apud voluntatem, atque si honestum esset, igitur prudens & licita erit operatio circa illud objectum: pari modo, si objectum honestum sit & cognoscatur ut turpe, vitiat actionem: imò si de illius honestate intellectus dubitet, inde quoque actio vitiatur; quia cum ad malam actionem sufficiat, quod intellectus probabiliter judicet, usum illum turpem & illicitum esse, certè, cum probabiliter tantùm judicat, prudentem ac licitum, etiam probabiliter judicat imprudentem ac illicitum esse: sic, ut ajunt, bonum ex integra causa, malum verò ex minimo defectu. Ut benè agam, certus esse debeo, de bonitate objecti; ut verò malè agam, sufficit, ut mihi duntaxat objecti malitia probabiliter repræsentetur: facis aliquid quod probabiliter putas bonum esse, ac dubitas & times, ne malum sit, peccas: facis aliquid, quod probabiliter putas esse malum, ac dubitas, ne malum sit, adhuc peccas, nempe ut pecces sufficit probabilis cognitio objecti boni, quia scilicet hæc semper conjuncta est cum probabili cognitione objecti mali: igitur certam boni cognitionem esse, necesse est, quia bonum ex integra causa: si quis defectus sit, non amplius bonum est, sed malum; & verò cùm dubitem, vel jure timeam, ne aliquid malum sit, expono me periculo peccandi, si faciam illud: sed quisquis peccandi periculo sese exponit, haud dubiè peccat, vides, quò tandem tota res ista reducatur.

104. Pithanoph. Quid si ex iisdem tuis principiis idem prorsus contra id, quod astruis, deducam, nempe cum opinio, quæ certò probabili opponitur, sit etiam certò probabilis, supponamus oppositam illi, quæ negat, aliquem contractum usurarium esse: igitur certum est, prudentem assensum huic opinioni à me præberi; igitur certum est, me prudenter indicare, usum illius contractus esse illicitum, ac proinde sine peccato adhiberi non posse: judico igitur, duo contradictoria, certa esse, scilicet, prædictum usum esse licitum, & illicitum; igitur certum est, prædicti contractus usum licitum, & illicitum esse; sed hoc repugnat: supponamus enim oppositas opiniones, quarum tua sit, contractum usurarium non esse: mea verò, usurarium esse; tuam esse probabilem certum est itemque meam: igitur ut certò concludis, prudentem, & honestum esse illius usum, ita certò concludo, turpem & illicitum esse: igitur duo contradictoria certò adstruuntur, quod fieri posse haud dubiè non admittes.

105. Antim. Præclaro ludis paralogismo, quem ut exponam, tua relego vestigia judico certò, probabilem esse meam opinionem, quæ usuram ab hoc contractu ablegat: tu vicissim judicas, tuam certò probabilem esse, quæ usuræ labem contractui affingit: rectè; tum certò judicas, assensum illum, quem præbes, prudentem esse, ego de meo idem certò judico; quid deinde certò judicas? Te prudenter illam opinionem sequi, amplecti, ad usum reducere eumque prudentem & licitum esse; idem de mea certò judico. Sed quis porro est usus tuæ opinionis? In hoc duntaxat positus est, quod ab illo contractu abstineas: quod sanè honestum & licitum esse, nemo negat; usus verò meæ est, quod illum contractum adhibeam, quod etiam honestum & licitum est: Utrumq; potrò judicare, repugnantia non involvit: nam honestum est, illo contractu uti, honestum, ab eodem abstinere.

106. Pithanoph. Sed judico, usum illius contractus illicitum esse, imò hoc certò judico; item judicas, certò, licitum; igitur utrumque certum est.

107 Antim. In hoc egregiè hallucinaris: judicas, usum illius contractus, vel, quod idem est, contractum ipsum usurarium esse: ego verò judico, non esse usurarium; & hic est primus assensus, primum judicium, non quidem certum, sed probabile: est enim ipsa opinio, vel propositio *deinesse*: certò deinde uterque judicamus, probabilem opinionem quisque suam: item certò judicamus, usum opinionis quisque suæ prudentem esse ac licitum: quis porro est meæ opinionis usus? contractum adhibere, quis verò tuæ? à contractu abstinere: nunquid utrumque certum non est? Sed ut ex mea non concludo, usum tuæ esse illicitum, ita etiam concludere non debes, usum meæ illicitum esse: & si quis hoc ipsum, per errorem judicaret, opinionem meam pro certò probabili non haberet; in hoc igitur hallucinaris, quod usum contractus pro usu opinionis accipias. Unum ab alio differt, nam usum contractus non damnas, dum usum tuæ opinionis approbas.

108. Pithanoph. Paralogismum video, judicamus uterque contractum; ego illicitum, tu licitum, idque probabiliter; tum certò judicas, usum tuæ opinionis licitum esse; at usus opinionis tuæ ad usum contractus terminatur; nempe in tantum illam opinionem ad usum & praxim reducis, inquantum eodem contractu uteris; ego verò certò judico, usum meæ licitum etiam esse ac honestum; sed usus meæ opinionis usum contractus non complectitur, at potius illius omissionem: & sicut hunc usum meæ opinionis non damnas, licèt tuum adstruas, ita usum tuæ damnare non debeo, licet meum adstruam: Soluta igitur manet difficultas. Itaque jam aliud oppono, scilicet, aliquod dubium seu justam formidinem semper subesse, cum tota res ad illud primum judicium reducatur, quo probabiliter duntaxat judicas, illum contractum nec usurarium, nec illicitum esse.

109. Antim. Jam bis atq; iterum dixi, primum illud judicium speculativum, esse tantùm probabile: & si nullum aliud intercederet, licitè contractum illum adhibere non possem; at certò judico, opinionem hanc esse probabilem, & assensum illum prudentem; ac proinde certò judico, licitum esse usum prædictæ

opinio-

opinionis: cum igitur certum hac de re judicium intercedat, dubitationem omnem formalem expungit, licèt objectivam supponat: Et verò, hæc mera est S. Thomæ doctrina, qui expressè monet, posse aliquem sequi alteram earum opinionum, quæ controvertuntur, modo nulla illi dubitatio, formalis scilicet remaneat, hoc ipsum est conscientiæ judicium, quod certum esse, debet atque omnem formidinem excludere; sine quo operari cum dubia conscientia non licet: dubia autem est, si certa non est, dubia inquam eo sensu, quem supra exposui, & ne toties repetam, eumdem semper suppono.

111. Pithanoph. Sed cur quæso prudenter non ego, si opinionem illam, quæ est saltem probabiliter probabilis, amplector & sequor in usu & praxi; an vero sola probabilitas speculativa nō sufficit? sed practica requiritur, quæ semper certa est, ut quidam recentior judicavit.

112. Antim. De nomine vix unquam adduci possum, ut disputam; non video tamen, cur probabilitas speculativa certa esse non possit: quod ex iis quæ huc usque diximus, manifestum est; si enim sit aliqua opinio, quam omnes quidem non sequantur, licèt omnibus, saltem alicujus nominis, probabilem putent, illa haud dubiè, quantumvis speculativè sumatur vera probabilis est; igitur probabilitas speculativa etiam certa: immò illa, quæ est certa practicè, est etiam certa speculativè, ut illa dubia & probabilis tantum practicè, quæ est probabilis tantùm & dubia speculativè: igitur verum quidem est ut ille autumavit, non licere sequi opinionem probabilem, in conscientiæ & praxi, nisi constet de ejus probabilitate: at non modò practicè, ut ille volebat, verùm etiam speculativè, cum unum sine alio esse nequeat prudenter autem agere non possum, quandiu de honestate actionis dubius sum, quia me alioquin periculo proximo imprudens exponerem. Ad id porrò, quod dicis, & vulgo dicunt, *prudenter ago ex opinione probabili*, jam supra respondi, ex opinione probabili tantùm, quam mihi certò constat, probabilem esse, ne mihi certò constet, assensum illum prudentem electionem prudentem & usum licitum; ex eo, inquam, opinione prudenter ago: at si dubius sim de probabilitate, etiam dubius sum de prudenti actu; item de prudenti electione ac de usu licito: quare ne periculo proximo me exponam, ex illa dubia vel incerta probabilitate agere non possum.

113. Pithanoph. Eò reducitur tota hæc doctrina, quod nemo prudenter agat, qui periculo proximo se exponat, sed qui cum formidine, vel dubio agit, periculo proximo sese exponit; hoc igitur tam naturali quàm Dei lege vetitum, ne quis agat, cum dubia & formidante conscientia, quam certam esse, oportet, ut ipsa actio prudens censeatur: immo Doctor Angelicus; quem *suprà citasti quodlibet.* 8. *art.* 13. ad idem principium rem istam reducit, quando enim aliquis, inquit ex contrarietate opinionum, in quantam dubitationem inducitur, si maneat de tali dubitatione operatur, periculo se exponit, & sic procul dubio peccat, si verò ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, non committit se discrimini, ac proinde non peccat; igitur D. Thom. ad idem principium rem istam reducit: Vis autem, & quidem rectè, meo judicio semper dubitationem esse, saltem latè sumptam, quotiescumque de probabilitate opinionis certò non constat, saltem per invincibilem errorem, nunquam enim omnis dubitatio excluditur, nisi per ipsam certitudinem, cujus ratio in hoc posita est, quod dubitationem & formidinem excludat; igitur si omnis dubitatio abest, adest certitudo, saltem erronea invincibiliter, quæ sanè sufficit.

113. Antim. Ita est omnino, si abest dubium, adest certum; nunquam tamen illorum sententiam approbare, immò ne intelligere quidem potui, qui dicunt, deponendum esse omne dubium, & abigendam formidinem, quasi verò id fieri possit, quamdiu nihil certi nobis affulgeat; quasi verò judicium probabile in certum mutari possit, nisi aliquid certitudinis objectivæ accedat; nempe intellectus certò duntaxat assentiri potest, veritati evidenter propositæ, vel articulo fidei; nec voluntas intellectui certum assensum imperare potest, objecto obscurè proposito præbendum, nisi per piam illam motionem supernaturalem, quam divina fides postulat; in reliquis probabilem tantùm imperat; igitur cum formidine & dubitatione latè sumpta semper conjunctum, quæ sanè dubitatio deponi nequit, ut dixi, manente eodem objecto obscurè proposito: quomodò verò in dubiis & scrupulis agendum sit, si fortè interroges, facilè dicam; necesse est igitur, ut judicium conscientiæ aliquid certitudinis objectivæ, saltem per errorem semper supponat; alioquin nunquam certum erit, nec unquam poterit dubium deponi, si porro in objecto probabili duntaxat probabilitas appareat, nihil certi profectò inest, nullum igitur judicium certum inde sequitur.

114. Pithanoph. Alia ratio mihi venit in mentem quam ex iisdem principiis deduco; nempe opinio probabiliter tantùm probabilis, est etiam probabiliter improbabilis, ut constat ex definitione à te superiùs tradita; igitur opponitur propositioni probabiliter certæ; sed non possumus sequi oppositam propositioni certæ, igitur probabiliter improbabilem sequi non possumus.

115. Antim. Nescio utrùm hæc ex præfatis principiis rectè sequantur: nam quemadmodum non teneor divina fide credere aliquam propositionem, licèt probabile sit, eam esse de fide, sic non teneor, sequi illam sententiam, licèt probabile sit, certam esse.

116. Pithanoph. Esto non teneat ad actum illum fidei, non tamen possum sequi oppositum, quod probabile mihi est, esse hæreticum: igitur non possum sequi in usu & praxi opinionem, quam probabile est, esse improbabilem.

117. Antim. Res, ut video, ad idem principium reducitur: nam ideò non possum illud tenere ac sequi, quod probabile est, hæreticum esse, quia imprudens omnino errandi periculo me ultrò exponerem, quod sanè non licet; non possum item in usu & praxi sequi opinionem, quam improbabilem esse probabile est; ne scilicet peccandi me periculo exponam; standum igitur in eo principio, quod est D. Thomæ, & à jure naturali divinoque petitur: sed perge amabò, si quid aliud habes, quod huic doctrinæ opponas.

118. Pithanoph. Quantum ad eam partem attinet, in qua dicis, opinionem moralem probabiliter duntaxat probabilem ad praxim & usum licitè reduci non posse, ac proinde non esse practicè tutam, tutum enim practicè certum est, nihil profectò restat, quod opponam: & ea vis est adductarum à te rationum, quæ rem penitus evincat: quod attinet ad aliam partem, in qua generaliter hanc regulam statuis, omnem opinionem, quàm verè probabilem esse, certò constet practicè tutam esse, id est, ad praxim & usum licitè reduci posse, multa, quæ jure opponam, mihi veniunt in mentem, quæ si omnino solveris, in tuam sententiam ultro descendam, quæ jam mihi

ſummoperè placet, & partes ferè omnes mirabiliter conciliat. Primò igitur videris prudentem actionem in jure probabilitatis fundare, quæ tamen in principiis certis practicis fundatur, & ex iis deducitur; igitur falſum eſt, eum prudenter agere, qui probabiliter agit: nam actus prudentiæ habet certitudinem, quam ex probabilitate non elicit, cum aliquando accidat, ut electio opinionis certò probabilis imprudens ſit, ut patet in electione medicinæ probabilis, omiſſa certa; igitur certitudo prudentiæ ex probabilitate, etiam certa, non rectè eruitur, igitur, nec certitudo conſcientiæ.

119. ANTIM. Multa congeris, ego ſingula ſeorſim accipio. Quod primò loco ſignificas, prudentem actionem in jure probabilitatis non rectè fundari, ita explico, ut aliquando prudens actio ſit, licèt nulla probabilitas intercedat; ſic quando objectum certum eſt, nec opinione, at certa notione illud complectimur, v. g. certum eſt, adulterium eſſe illicitum igitur prudens actio, qua ſcilicet adulterium fugio, & mori potiùs, quàm fœdari eligo, non fundatur in probabilitate, ſed in certitudine objecti. Deinde per errorem invincibilem, quando aliquid certum credo, quod certum revera non eſt, v. g. per invincibilem errorem certum puto, ad ſalvandam alterius vitam, me licitè mentiri poſſe, actio illa prudens eſt, qua mendacium eligo, nec tamen fundatur in probabilitate, ſed in errore invincibili, vel in certitudine erronea; igitur falſum eſt, omnem prudentem actionem in probabilitate fundari; at quotieſcumque aliqua opinio moralis eſt certò probabilis, dico, prudentem actionem ex ea deduci, & in ea fundari, non tamen proximè, quod te hoc dubiè in errorem induxit; nam prudens actio proximè & immediatè fundatur in judicio illo practico, quo certò judico, hîc & nunc talem contractum, v. gr. illicitum non eſſe, id eſt, nullo præcepto, ſeu poſitivo, ſeu negativo, prohibitum; id eſt, hîc & nunc uſum illius opinionis prudentem eſſe, & hoc judicium deducitur ex alio, quo certò judico, prudentem aſſenſum prædictæ opinioni à me præberi, & hoc ex alio, quo certò judico, opinionem illam eſſe probabilem. Vis ſeriem conſequentiarum? certum eſt, opinionem illam, quæ uſuram ab illo contractu ablegat, eſſe probabilem; igitur certum eſt, prudentem aſſenſum ei præberi; igitur certum eſt, illam opinionem prudenter hîc & nunc eligi; igitur certum eſt, prudentem, eſſe illius uſum; igitur certum eſt, actionem illam, qua talem uſum exequor, id eſt, qua talem contractum in eo, prudentem eſſe; igitur hæc prudens actio fundatur in probabilitate illius opinionis, vel potiùs in certitudine illius probabilitatis, non quidem proximè & immediatè, ſed mediatè, ac remotè, pariterque remotè ex illa certa probabilitate deducitur; proximè verò, ut dixi, ex ultimo illo judicio practico, quod conſcientiam conſtituit; verum igitur eſt, non falſum, eum prudenter agere, non quidem qui probabiliter agit, ſed qui agit juxta opinionem moralem probabilem, vel ex opinione morali probabili, eaque non utcunque, at certò probabili; unde nunquam agit probabiliter, ſed certò; cum certus ſit, actionem illam prudentem eſſe, alioqui ſi hoc tantummodò probabiliter judicaret, prudens actio non eſſet, quia cum dubitatione ageret, ac ſe imprudens exponeret periculo peccandi.

120. PITHANOPH. Diſtrahor in partes: nam ea, quæ dicis, rem ita eſſe, mihi omnino perſuadent, ſed quid ad propoſitum exemplum medicinæ probabilis.

121. ANTIM. Per hoc ſanè regulæ generali ſuprapoſitæ derogatur, quod ut melius intelligas, ſuppono quædam eſſe publica, vel privata munera, quibus homines certis legibus, à jure, vel naturali & divino, vel poſitivo, ut vocant, petitis, defungi tenentur; ad aliquot claſſes, hæc officia reduco, ſunt enim vel Sacramentorum adminiſtri, vel medici, vel Judices à Principe, vel Rep. inſtituti, &c. quod pertinet ad Sacramentorum adminiſtrum, tenetur jure divino, facere quantum in ſe eſt, ut Sacramentum validum ſit; tenetur igitur adhibere materiam certam, ſi ſuppetat: item formam certam, ſi fieri poteſt; igitur ſi probabilem duntaxat adhibeat, peccat: tenetur enim adhibere certam, quia ſcilicet, ratione officii, tenetur facere Sacramentum validum, quantum in ſe eſt, quod nemo negat.

122. PITHANOPH. Ratione charitatis, non religionis tenetur, ne ſcilicet exponat animas periculo carendi fructu Sacramenti, ſi fortè Sacramentum invalidum reſtet; exponitur autem Sacramentum huic periculo, ſi materia duntaxat probabilis adhibeatur; poteſt enim accidere, ut vera materia non ſit.

123. ANTIM. Scio, aliquos ita ſentire, ſed qua lege charitas obliget ad melius, perfectius & probabilius, non explicant, nec video, cur dici non poſſit, teneri ad hoc Sacramenti adminiſtrum, tum ratione officii proprii, quod ex natura ſua inſtitutum eſt, ad hoc, ut validum Sacramentum fiat, tum propter reverentiam, quæ Sacramento debetur; tum maximè, quia ex uſu Eccleſiæ habemus, adminiſtrum teneri ad ponendam certam materiam & formam, ſi fieri poſſit; ſi verò certa materia non adſit, in caſu ſcilicet neceſſitatis, probabilis materia licitè adhiberi poteſt: hinc ſi quis miniſter deprehenderetur, probabilem duntaxat materiam, vel formam adhibere, dum certa ſuppetit, non eſt dubium, quin ab Eccleſia caſtigandus eſſet. Quidquid ſit, licèt probabilis ſit talis materia, non eſt tamen probabilis opinio, dum certa ſupperit materia, hac omiſſa, probabilem licitè adhiberi poſſe; igitur uſus talis opinionis licitus non eſt.

124. PITHANOPH. Mihi profectò ſuggeris rationem contemnendam; agitur enim de opinione morali, ut toties monuiſti hæc autem verſatur circa aliquam actionem moralem, id eſt: quæ bene, vel malè fieri poſſit: ſed quod talis materia dicatur probabilis, actio moralis non eſt; igitur aliud eſt, opinionem probabilem, aliud materiam probabilem eſſe; hanc licitè adhibere non poſſum, ſi certa ſuppetat: illam verò licitè amplecti poſſum, eaque uti, modò certò conſtet probabilem eſſe: igitur quod materiam probabilem adhibere licitè non poſſim, non facit, quin opinionem certò probabilem licitè ſequi valeam: accedit, quod nulla lege prohibitum eſt, opinionem certò ac verè probabilem ſequi, id eſt, actionem illam ponere, quam vitioſam non eſſe, certò probabile ſit: at multiplici lege vetitum eſt, ne quis materiam probabilem tantùm adhibeat, dum certa ſuppetit, divina ſcilicet & Eccleſiaſtica, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum ob charitatem erga me ipſum & proximum, tum ratione proprii officii, quod ad Sacramentum validum ponendum, inſtitutum eſt, tum demùm, quia ex uſu Eccleſiæ manifeſtum eſt, Eccleſiam miniſtris ſuis hanc legem impoſuiſſe, ut Sacramentis conſulerent, & materiam certam, dum illius copia fit, adhiberent; idem de probabili forma dictum ſit.

125. ANTIM. Nihil eſt, quòd à me addatur: Unum duntaxat moneo, ſi certum non eſſet, attritionem ſolam cum Sacramento ſufficere ad juſtificationem, ſed

sed probabile, perfectam contritionem requiri, pœnitens emiti deberet, quantum in se esset, perfectam contritionem elicere; & si cognosceret, se attritionem duntaxat habere, nullo modo recipere deberet absolutionis sacramentalis beneficium: sed, præsertim post Tridentinum, certum est, attritionem solam cum Sacramento sufficere, ac proinde in tantis angustiis non sumus. Cæterùm, non est omittendum, tunc materiam probabilem adhiberi posse, in gratiam salutis animæ, propter quam Sacramenta instituta sunt, quando certa deest, hoc enim salus proximi à ministro Sacramenti postulat, ut vel ipsum Sacramentum pro illa exponat; satius enim est, Sacramentum, quàm animam periclitari, cùm Sacramentum sit propter animam, non anima propter Sacramentum.

125. Pithanoph. De medico, quid dicturus sis, audio, quæ dixisti, facilè conjicio, cui non licet, probabile medicamentum applicare, quando certum suppetit, aliud enim est probabile medicamentum, aliud probabilis opinio moralis; hæc autem opinio prodit medicus, cui certum suppetit medicamentum, incertum & probabile adhibere licitè valeat, nullo modo est probabilis, ac proinde illam medicus prudenter ac licitè sequi non potest: cur autem probabilem medicinam adhibere, medico non liceat, ex pluribus capitibus rationes ducuntur, quæ ad præsentem disputationem non pertinent, sive illæ à charitate, sive à justitia, sive à natura propriis officii ducantur, proinde est: & verò pactum saltem tacitum, inter medicum & ægrum intercedit, quo ille astringitur, quantum in se est, ægrum curare, ea scilicet applicando remedia, quæ ad restituendam sanitatem meliùs conducunt; nemo autem neget, certa meliùs conducere quàm incerta & dubia: si verò certum medicamentum desit, & probabile duntaxat suppetat, non dubium, quin aliquando licitè adhiberi possit. Sed hoc infra interrogabo, utrum scilicet probabilius adhibere medicus teneatur: sed quid de Judice & Advocato censes?

127. Antim. Quid me interrogas? cùm enim apprimè & accuratè quæstionem solveris, eodem jure à Judice & Advocato solvere potuisti; quanquam, ne saltem judicio, in his locum non habet, cum enim eadem causa, quæ inter partes vertitur; agamus; jus certum alteri partium competit, alteri jus probabile non relinquitur: igitur nunquam accidit, ut Judex jure certo relicto, probabile etiamsi velit, sequi possit; ac proinde, si quando alteri partium jus certum competit, & judex alteri causam adjudicat, nullo jure probabili ducitur: idem dico de Advocato, qui causam illam defendendam suscipere non debet, cui jus certum alterius partis adversatur: utrùm verò probabiliora jura sequi Judex teneatur, dicam infra, si fortè interroges: nihil igitur obstat quin dicamus, nos semper licitè sequi, & amplecti posse opinionem moralem, quam certò probabilem esse constat; dico opinionem probabilem, non formam, aut materiam Sacramenti, non medicinam probabilem, non jus probabile, sed opinionem probabilem moralem, quæ scilicet circa actionem moralem versetur, ut supra rectè monuisti: Si quid habes, quod opponas quæso exprome.

128. Pithanoph. Duo restant, quæ mihi hac in re negotium facessunt, primum est, quod aliquando minùs tutam opinionem, quamvis alioqui certò constet, esse probabilem, sequi non licèt.

129. Antim. In hoc, ni fallor hallucinaris, si enim est certò probabilis, certò est tuta; si tuta est, cur sequi non licèt?

130. Pithanoph. Nunquid amabò certò probabilis esse nequit, licèt tuta non sit?

131. Antim. Hoc ipsum est, quod meo judicio repugnat, si enim certum est, esse probabilem, certum est, prudentem fore assensum, ac proinde prudentem usum si autem certum est, prudentem usum esse, certum est, tutam esse, scilicet à peccato immunem; nulla enim actio prudens culpæ obnoxia est.

132. Pithanoph. Esto tuta sit, est tamen minùs tuta, quàm alia, igitur postponenda.

133. Antim. Antecedens propositio facilè à me negari posset, ut patet ex dictis; cum verè tuta, magis, aut minùs tuta esse non valeat, quia in individuo posita est; tuta inquam formaliter, quod ad excludendam culpam sufficit; immò, & materialiter seclusa ignorantia invincibili; sed dato, ut ajunt, & non concesso antecedente, nulla est consequentia; nec enim tutius, aut perfectius sequi, præcepti est, sed consilii, ut patet etiam ex dictis, nec repetere vacat.

134. Pithanoph. Quid reponam ad hæc, non habeo; sed quid tu ad exempla? Nam medicus minùs tutam medicinam ægro suo porrigere licitè non potest; nec Sacramenti administer minùs tutam materiam adhibere, relicta tutiore: idem de Judice dictum sit, qui tutiores opiniones in ferendis sententiis amplecti debet.

135. Antim. Mirum mihi accidit, minùs tutam medicinam, vel Sacramenti materiam, cum opinione morali minùs tuta à te confundi; de medicina certa, & tuta, comparata cum probabili, jam supra dictum est, hîc verò probabilis cum probabili comparanda: ita ut altera sit tutior, id est, minùs dubia, quàm altera: in hac materia, multa discutienda sunt 1. talis medicina esse potest, quæ certò effectum suum non consequatur, nullum tamen damnum alioquin allatura sit. 2. ita dubia esse potest, ut licèt probabile sit, utilem ægro fore, periculum tamen sit, ne damnum afferat. 3. in eo statu æger esse potest, in quo jam desperatus sit, nisi alioqui remedio extraordinario curetur. 4. fieri potest, ut nullum remedium præter illud supersit. 5. is ægri status esse potest, in quo nullum sit periculum, si naturæ ille relinquatur curandus. Itaque juxta diversas circumstantias, medicus se geret; his tamen regulis generalibus dirigendus est. 1. nunquam creperum remedium adhibeat, de quo scilicet dubitet, ne saluti ægri noxium sit, nisi res eo loco sint, ut æger omnino desperatus, & nihil spei, nisi in illo duntaxat remedio residuum sit; nec enim habet jus medicus vitam alterius proximo periculo exponendi; sed quantum in se est, illam ab omni periculo removere tenetur: si tamen sit alioquin certum periculum, dubio potius periculo exponat, oportet, quàm in certo relinquat; quia ex duobus malis, minùs eligendum. 2. si medicina certò per se noxia non sit, incerta verò, & tantùm probabilis, quantum ad sanitatis effectum, præferenda est alteri, quæ certò quidem per se noxia non est, minùs tamen probabilis, quantum ad sanitatis effectum; ut enim medicus prudenter agat, debet procurare quantum potest, ægri sanitatem, eaque media, vel remedia applicare, quæ aptiora, & magis idonea ad hunc finem obtinendum esse putantur. Vitanda hîc maximè verborum ambiguitas; nec enim idem est, tutam medicinam esse, quatenus ad ægri vitam spectat, cui per se ipsa noxia non est, ac tutum esse illius usum, quatenus ad conscientiam medici refertur; tuta ægro medicina esse potest, licèt tutus illius usus medico non sit; igitur non est opinio probabilis, quòd talem usum adhibere licitè queat. Idem de ma-

teria aut forma probabili Sacramenti dicendum est, quæ ab opinione probabili probè distinguitur; nec est opinio probabilis, probabilem & incertam materiam adhiberi posse, dum certa suppetit; aut etiam rejecta probabiliore, minùs probabilem; quia cum administer, quantum in se est, validum Sacramentum procurare possit, imprudenter ageret, si materiam illam adhiberet, quæ ad validum minùs confert, dum scilicet alia suppetit, quæ ad idem plus confert: Sed hæc vix probè intelligi aut accuratè explicari possunt, nisi famosam illam controversiam discutiamus: Utrùm scilicet probabiliorem opinionem in praxi, & rerum usu sequi teneamur.

136. Pithanoph. Hoc alterum caput est, quod doctrinæ, quam supra tradidisti omnino adversatur; nempe si tenemur probabiliorem sequi; cùm minùs probabilis, etiam probabilis sit; idque certò constet, aliqua certè opinio probabilis in praxi tuta non est, nec ad usum licitè reduci potest: Unde ruit illud tuum generale pronunciatum, in quo asseris, omnem opinionem certò probabilem ad usum licitè reduci posse.

137. Antim. Huc volo te, Pithanophile, & gratissimum mihi accidit, quod istam quæstionem moveris, ut illa ad sua principia reducatur, quod certè ni fiat, nullis terminis unquam circumscripta, disputata semper & agitata, nunquam tamen decisa manebit: Supponо igitur, si ex duabus opinionibus probabilibus, altera sit probabiliter certa, altera verò probabiliter tantummodò probabilis, hanc posteriorem licitè eligi non posse, nec ad prudentem usum reduci, & in hoc sensu, quisque tenetur primam sequi, quæ reverà probabilior est; juxta hunc sensum quæstio non procedit, ac proinde secundùm alium instituenda est, pro quo, suppono, fieri posse, ut ex duabus opinionibus moralibus oppositis certò probabilibus, altera probabilior sit; hoc est probabiliore fundamento nitatur, quod scilicet ad prudentem assensum fortiùs moveat: Suppono deinde distinguendum esse tutius ab eo, quod est probabilius; fieri enim potest, ut aliqua opinio sit tutior, quæ tamen minùs probabilis est; sic tutius est, admissa culpa, statim confiteri; est tamen probabilius, hominem, ad id non teneri: Suppono denique hîc duntaxat quæstionem esse de opinione morali, quæ circa actionem moralem versatur: his positis, dico, sequi opinionem moralem minùs probabilem, modò hæc certò probabilis sit, licitum esse.

138. Pithanoph. Conjeceram, te in hanc sententiam facilè descensurum, pro qua reverà stant, quotquot à centum circiter annis scripserunt, si paucos excipias; censum authorum quæso omitte, nec enim ille mihi ignotus est; id unum duntaxat à te velim, ut rationem aliquam afferas, qua hæc opinio efficaciter probetur; nam, ne quid tibi dissimulem, rationes illæ, quæ vulgò in hanc rem adducuntur, non difficilè solvi possunt.

139. Antim. Juvat periculum facere. Sic 1. aliqui probant: Ex eo probabilis opinio dicitur, quia tuta est in praxi; fieri igitur non potest, ut practicè probabilis sit, nisi etiam in praxi tuta sit.

140. Pithanoph. Facilè repono ideo probabiliorem dici, quia probabili duntaxat fundamento nititur; negatur autem ideo tutam esse, quia est probabilis; alioquin probabiliter probabilis tua esset.

141. Antim. In speculativis, potest quispiam defendere minùs probabilem igitur, & in practicis.

142. Pithanoph. Dato & non concesso antecedente, negatur consequentia, quia in practicis, conscientiæ fieri satis debet, non verò in speculativis; immò hoc nimis probaret, quis enim neget, multas esse opiniones probabiles speculativè, quæ practicè probabiles non sunt?

143. Antim. Opinionem consonam rectæ rationi sequi, possumus in praxi, sed omnis opinio probabilis est consona rectæ rationi.

144. Pithanoph. Hoc argumentum nimis probat: nam etiam illa, quæ est tantùm speculativè probabilis, est consona rectæ rationi: dicerem igitur, non esse consonum rectæ rationi, ut rejecta probabiliore, minùs probabilem sequar, quæ reverà, quatenus cum probabiliore comparatur, consona rectæ rationi desinit esse.

145. Antim. Possum judicare, opinionem etiam minùs probabilem sufficientem esse ad rectum, & prudens judicium conscientiæ.

146. Pithanoph. Ita possum judicare per errorem, qui si fortè inculpatus sit, à peccato liberat, secus verò si culpabilis.

147. Antim. Non tenemur ad id, quod melius & perfectius est, igitur, nec ad id, quod probabilius est.

148. Pithanoph. Facilè negatur consequentia; nec enim agitur de duabus partibus oppositis, quarum utraque bona sit, & à peccato immunis, sic se habent cælibatus & matrimonium. Utrumque licitum & bonum est, primum tamen melius & perfectius; at quando agitur de opinionibus oppositis, quarum una est probabilior, utraque culpam & peccatum non excludit; nec enim minùs probabilis cum probabiliore comparata, bona est.

149. Antim. Qui sequitur opinionem minùs probabilem non facit contra Synderesim, id est, contra habitum principiorum practicorum universalium.

150. Pithanoph. Sed hoc etiam negatur; quia principia practica quieti conscientiæ consulere debent, consulitur autem, si probabilior minùs probabili præfertur.

151. Antim. Hæc opinio est humanior, & suavior, immò eam sequuntur probi, docti, & religiosæ conscientiæ homines.

152. Pithan. Nimia suavitas in nimiam indulgentiam facilè degenerat; præterea etiam docti & religiosi viri falli possunt: accedit, quod docti etiam & religiosi oppositæ sententiæ patrocinantur, ut S. Antoninus, Adrianus & summarum moralium antiqui autores.

153. Antim Illa opinio probabilior est, per quam sequi licet minùs probabilem; igitur dum minùs probabilem sequor in actu exercito, probabiliorem sequor in actu signato, ut vocant.

154. Pithanoph. Hoc argumentum nullius ponderis esse videtur, quia primò, negari facilè potest, esse probabiliorem: licèt enim recentiores in eam facilè descendant, non tamen omnes, neq; hi tam multis antiquis præferendi esse videntur: præterea non sequor probabiliorem, quia minùs probabilis supponitur.

Antim. Ex contraria opinione sequerentur gravia incommoda.

Pithanoph. Recense quæso?

155. Antim. Non posset quis petere dispensationem à Rom. Pontifice in ea re, quam probabilius est, indispensabilem esse.

156. Pithanoph. Nemo nisi temerè dicat, illam opinionem esse probabiliorem, quæ usui Ecclesiæ contraria sit? immo eo ipso, quod Papa reipsa dispensat, indè certò colligo, eum dispensare posse.

157. Antim. Quisquis judicat, aliquid probabilius esse, non posset superioribus obedire, si contrarium juberent.

158. Pitha-

158. Pithanoph. Deberet obedire, quia iis obedire tenetur, quotiescunque evidenter non constat, id quod jubetur, peccatum esse, voto enim adigitur.

159. Antim. Quando quispiam judicat, aliquam opinionem esse probabiliorem, non posset oppositam sequi, quæ tamen sit sapientissimorum hominum, v. g. Doctoris Angelici.

160. Pithanoph. Si certò probabilior illi esse videatur, adhibita sufficienti diligentia, etiamsi reipsa probabilior non sit, per conscientiam erroneam eam debet sequi.

161. Antim. Quanta inde perplexitas futura sit, quis amabo dicat? Vix enim unquam accidat, ut sciamus, quænam ex duabus probabilior sit, cùm tamen eam sequi teneamur.

162. Pithanoph. Equidem aliqua diligentia adhibenda est, ut prudenter agamus, ac probabiliorem eligamus, sed eam sequi minimè tenemur, nisi certò constet, probabiliorem esse; nec eam sequi tenemur, quam probabiliorem esse probabile duntaxat, non verò certum sit, quod licèt admittas, non video, quæ inde perplexitas proveniat.

163. Antim. Esset onus intolerabile, obligare homines ad probabiliorem, quam sæpè ignorant, in tanta præsertim opinionum varietate.

164. Pithanoph. Non est onus intolerabile, obligare homines ad agendum prudenter, igitur ad consultandum, & inquirendum de probabiliore, adhibita autem morali diligentia, quantum temporis angustiæ & agendi necessitas patiuntur, si aliqua videatur certo probabilior, eam sequi tenetur, si de nulla certò constat, quòd probabilior sit, quamlibet eligere possunt; modò certò probabilis sit.

165. Antim. Si deinde opposita videatur probabilior, ut facilè videri poterit, quantum inde scrupuli & interioris perturbationis?

166. Pithanoph. Vix, aut saltem rarò accidet, ut idem, cui aliqua opinio certò visa est probabilior, opposita deinde certò probabilior videatur; hoc quidem timendum illi esset, qui existimaret, teneri se ad eam eligendam, quæ probabiliter ei probabilior videretur, non tamen ei, quem certò duntaxat probabiliorem sequi teneri dicerem.

167. Antim. Judex in eadem causa sæpè sententiam mutare teneretur, si ei opposita opinio probabilior videretur. Idè dico de Advocato, & Confessario.

168. Pithanoph. Idem prorsus respondeo, hæc non urgere, si de certo probabiliore quæstio sit; cùm vix accidere possit, ut duæ oppositæ certo probabiliores eidem esse videantur.

169. Antim. At si Judex communi oppositam certò probabiliorem reputet, communem sequi non posset.

170. Pithan. Fieri non potest, ut illa, quæ communi opponitur, certò sit probabilior; probabiliter quidè, quantum voles, at certò, nemo fieri posse, crediderit; si autem Judex id sibi certò persuadeat, tenebitur quidem eam sequi, sed per conscientiam erroneam.

171. Antim. Rectè profectò senseras Pithanophile, nullum argumentum adduci contra illorum sententiam, qui dicunt, hominem teneri ad sequendum opinionem illam, quam probabiliorem certò esse constat, quod facilè non diluatur, ex iis tamen principiis, quæ supra jacta sunt, existimo deduci aliquid posse, contra eandem sententiam, quod non ita facile solvatur; saltem ego ita sentio.

172. Pithan. Hoc reverà si feceris, me singulari beneficio tibi obstringes, licèt enim probè sciam, opinionem illam, quam defendis, probabiliorem quidem esse, non tamen ita certam, quin opposita etiam probabilis censenda sit; ac proinde rationes illas, quamvis alioqui probabiliores, quibus innititur, etiam probabiliter solvi posse: quia tamen, ut dicam, quod res est, rationes illæ, quibus eam hactenus autores probare conati sunt, vel paulò infirmiores esse videntur, vel nimis probant, ut ajunt, cùm pro omni opinione probabiliore æquè militent, quamvis non constet, certò probabiliorem esse; si quid in hac re paulò nervosiùs habes, & distinctiùs, enixè à te postulo, ut proferas.

173. Antim. Faciam ut voles, si quid tamen in argumentis à me adducendis, vel minùs capias, vel à veritate, ac legitimæ consequentiæ regulis deflectat, oppone, quæso; sic enim mutua colloquutione, nostra dissertatio melius perficietur. Initium ducam ab illo argumenti genere, quod negativum vocare soleo: quisquis aliquid positivum adstruit, argumento illud positivo probare tenetur; accusas aliquem furti, nisi hoc positivo argumento probaveris, accusatio illa nullo modo admittenda est; asseris esse quinque, aut sex rerum principia, vel elementa, hoc sanè commentum prudentissimè omnes Philosophi rejicient, nisi aliqua saltem probabili ratione eviceris: dicis, hanc figuram circulo æqualem esse, sed ubi demonstratio? Dicis, me teneri ad probabiliorem, licèt minùs probabilis; certò probabilis sit, hoc tibi positivè probandum incumbit, qua lege? quo præceptor naturali, divino, humano? tutius eligendum, inquies, sed minùs probabilis, aliquando tutior est, ut jam supra ostendi: deinde modò aliqua opinio tuta sit, ut tutiorem sequar, consilium quidem est, non tamen præceptum: denique jam ostendi, si utraque tuta sit, utramque æquè tutam esse, id est, æquè peccatum excludere: donec igitur positivo argumento probaveris, me teneri, nullo modo teneri me, prudenter censebo. Scio, aliquot argumenta vulgò adduci, sed meo judicio, tam levia, ut vix oppositæ opinioni probabilitatem concilient, quam haud dubiè probabilem esse, non censerem, nisi me doctorum, qui ei suffragantur, authoritas moveret.

174. Pithanoph. Ubi rationes omnes exposueris, quæ pro tuta sententia militant, opponam argumenta illa, quibus contraria probatur, ut eas solvas; tecum igitur sentio, à te prudenter censeri, te minimè teneri ad probabiliorem, nisi aliquod argumentum positivum sit, quod evincat hanc obligationem certò probabilem esse, sed quæso, perge; nec enim alia desunt argumenta.

175. Antim. Negari non potest, quin opinio mea sit probabilis, quia scilicet dico, me non teneri, ad probabiliorem; nemo inquam id, nisi temerè neget, cùm & rationes probabiles, & torrens autorum, qui eam sequuntur, id omnino persuadeant: præterea cùm rationes, quibus opposita innititur, sint ad summum probabiles, eam tantùm probabilem faciunt, igitur non expungunt probabilitatem alterius: nam propositioni improbabili certa opponitur, igitur saltem probabile est, me non teneri ad probabiliorem, certò inquam probabile; at certum est, quòd prudenter ago, ac proinde non pecco, quando eligo opinionem certò probabilem: immò non modò probabile, sed certum puto, me non teneri; sit enim hæc propositio, *non teneor*, tantummodo probabilis; igitur potest esse falsa, igitur contraria, scilicet, *teneor*, potest esse vera, sit autem vera, igitur reverà teneor, igitur nisi sequar probabiliorem, pecco: sed non pecco, dum sequor opinionem, quæ certò quidem, minùs tamen probabilis est; igitur hæc propositio *teneor*, vera

esse non potest; igitur opposita *non teneor*, est certò vera; igitur certum est, me non teneri.

176. PITHANOPH. Vis ergo, quempiam amplecti quidem posse opinionem illam, quæ ad probabiliorem obligat, id est, ita sequi posse probabiliorem, ut tamen certus non sit, ad id se teneri.

177. ANTIM. Ita est, non est certus teneri se, nisi fortè per errorem, sed hoc ei tantùm probabile videtur; immò ne certò quidem probabile, sed tantùm probabiliter probabile: quia cùm certum sit, eum non teneri, certum esse nequit, eum teneri: nec etiam certò probabile, sed probabiliter duntaxat probabile, ac proinde probabiliter improbabile, quod probabiliter certo opponitur, ut supra dictum est.

178. PITHANOPH. Opinio igitur minùs probabilis est probabiliter certa, quod sine absurdo dici nequit.

179. ANTIM. Propterea id non dico, dico tamen, illam opinionem, in qua asseritur, me licitè sequi posse minùs probabilem, modò certò probabilis sit, non modò probabiliorem esse, sed probabiliter certam, nam alioquin esset improbabilis, ut supra demõstravi, ac proinde oppositã probabiliter tantùm probabilẽ.

PITHANOPH. Revera non capio, quonam pacto illud demonstres.

180. ANTIM. Accuratissimè, sit enim, si fieri potest, tantùm probabile, *me non teneri*, falsum igitur esse potest; quis hoc neget? si falsum esse possit; demus, esse falsum; certè si falsum est, *me non teneri*. Haud dubiè verum est, *me teneri*; si autem verum est, *me teneri*, revera teneor, & si id non facio, ad quod teneor, pecco, igitur pecco, nisi sequar probabiliorem? sed non pecco, ut supra ostensum est; etiamsi non certum, sed tantùm probabile sit, *me non teneri*? igitur non teneor; igitur verum esse nequit, *me teneri*, igitur falsum esse nequit, me non teneri; igitur non est tantùm probabile, *me non teneri*, igitur certum.

181. PITHANOPH. Longa hæc consequentiarum series mihi summoperè placet: eam mihi dabis in scriptis, ut diligentiùs singulas maturè discutiam: perge interim, & alias rationes expone.

182. ANTIM. Geminas sepositi, quæ mihi firmissimæ videntur, alteram per assensum, ut Dialectici vocant, qua reduco ad impossibile: alteram ostensivam, & per descensum: prima ita se habet. Non est licitum, sequi opinionem minùs probabilem inquis, moralem scilicet, igitur non est certum, me prudenter agere, cùm illam sequor; igitur non est certum, me prudenter illam eligere, igitur non est certum, prudentem illi assensum præberi; igitur non est certum, probabilem esse, at supponitur certò probabilis; igitur non est certò probabilis, & est certò probabilis.

183. PITHANOPH. Optimè sanè, si enim est illicitum, sequi minùs probabilem, non judico certò, licitam esse; unde non judico certò, me prudenter agere; igitur non judico certò, prudentem assensum esse: igitur non judico certò, opinionem probabilem esse, sed facilè hanc demonstrationem in ostensivam illam tuam, ni fallor, converto per descensum; cùm enim certò judicem, opinionem illam esse probabilem, licèt minùs probabilis sit, certò judico, assensum illum prudentem esse; igitur certò judico, prudentem esse electionem illius, item prudentem illius usum, igitur certò judico, me prudenter agere, cùm ea utor, sed illud licitè fit, quod secundùm rectum conscientiæ judicium fit, id est, quod certò judico, prudenter, & licitè fieri.

184. ANTIM. Ita est, hæc est mea demonstratio ostensiva, quam tibi pollicitus fueram; ab onere illam exponendi me liberasti: & verò in hac hypothesi, quid aliud dici possit, non video, in qua scilicet illas tantùm opiniones morales probabiles admitto, quas certò probabiles esse constat: quid autem ad hanc controversiam decidendam, magis appositum esse valet? quisquis enim illam opinionem defendit, quæ ad probabiliorem obligat, hanc vel certam, vel certò probabilem esse dicat, necesse est; si enim minùs probabilis, non est certò probabilis, sed tantùm probabiliter: igitur etiam probabiliter improbabilis est: igitur opposita non modò probabilior, verùm etiam certa est; si verò minùs probabilis, est certò probabilis, potiore jure opposita probabilior, certò probabilis erit: igitur quisquis illam sententiam tenet, quæ obligat ad probabiliorem; illam quoque meam hypothesim amplectamur, necesse est, in qua supra statui, nullam opinionem moralem in praxi tutam esse, nisi certò probabilis sit.

185. PITHANOPH. Immò etiam iis, qui oppositam sententiam, quæ scilicet ad probabiliorem non obligat, defendunt, eadem hypothesis competit: nam vel opiniones oppositæ sunt æquè probabiles, vel altera probabilior; si primum, igitur utraque est certò probabilis: sit enim altera probabiliter tantùm probabilis, igitur est etiam probabiliter improbabilis, igitur opposita probabiliter certa, igitur longè probabilior, igitur non æquè probabiles, contra suppositionem; quòd si altera est probabilior, vel ea, quæ est minùs probabilis, est certò probabilis, vel tantùm probabiliter; si certò probabilis, habeo intentum: si probabiliter probabilis, igitur opposita est probabiliter certa, igitur eam sequi teneor, imprudens enim dubium certo præferrem.

186. ANTIM. Hinc fortè vides, quàm necessarius sit Dialecticę usus in hujusmodi controversiis discutiendis, ut scilicet probè distinguatur hujusmodi propositionum oppositio & æquipollentia, ut vocant; cùm enim improbabilis, & certa sint oppositæ, & cum certò probabiles oppositæ sint, ac demum certa improbabili præferenda sit, nullam certè opinionem, seclusa ignorantia, licitè sequi possum, nisi certa sit, aut certò probabilis.

187. PITHANOPH. Tua sententia mirabiliter mihi arridet, præsertim cùm ex tuis principiis tota controversia facilè decidatur, quod sanè perspicuum fiet, si rationes solveris, quæ ab iis afferuntur, qui ad probabiliorem teneri nos volunt; breviter propono, tu facilè solves: sic ergo incipio. Opinio minùs probabilis, comparata cum probabiliore, non manet probabilis, sicut minùs bonum comparatum cum majore bono, non manet bonum.

188. ANTIM. Non tollitur probabilitas alicujus opinionis, nisi per certitudinem oppositæ: nam improbabilis certæ duntaxat opponitur, igitur non obstante altera probabiliore, oppositæ sua probabilitate non excidit, nec etiam minùs bonum cum majore comparatum, bonum esse definit: Sic video meliora, proboque, deteriora sequor.

189. PITHANOPH. Homo, quantum potest, tenetur sequi veritatem practicam, ut conscientiæ consulat, igitur probabiliorem sequi tenetur: hæc enim ad veritatem propiùs accedit.

190. ANTIM. Quis dicat, teneri hominem ad summum potentiæ? ut vulgò ajunt? tenetur quidem moralem, & prudentem diligentiam adhibere, juxta communem prudentum existimationem; sed hoc non probat, eum teneri ad probabiliorem; quia cùm hæc sit in genere probabilium, homo non tenetur ad melius sub eodem genere, ut patet.

191. Pi-

190. Pithanoph. Non est dubium, quin homo judicet, probabiliorem veram esse, si de illa & oppositam minùs probabili judicium ferendum sit; si autem probabiliorem veram esse judicat, minùs probabilem falsam esse necessariò judicabit; sed opinionem licitè sequi non potest, quam falsam esse judicat.

191. Antim. Judicet probabiliorem veram esse probabiliter, esto; sed hoc revera non facit, quin hac relicta, si velit, oppositam, quæ minùs probabilis est, eodem jure, probabiliter veram esse judicet, nec eam assensu probabili, quem alteri parti præbeo, sequi: nec necessariò judicium de falsitate alterius, ut patet ex dictis: nempe ita utrique assentior, scilicet seorsim, ut etiam judicem, utramque falsam esse posse; ita quia veritas probabilis unius, non obest veritati probabili alterius.

192. Pithanoph. Dictat cuilibet conscientia, probabiliorem esse veram & eligendam, ne peccato, vel peccandi periculo sese exponat.

193. Antim. Dictamen conscientiæ certum judicium est, quo judico, usum minùs probabilis propositionis licitum esse, itemque usum probabilioris; non tamen certò dictat conscientia, hanc necessariò sequendam, illam verò rejiciendam, ut prudenter asseruit, imò peritur principium, & quod probandum erat, pro medio probationis assumitur.

194. Pithanoph. Minùs probabilis opinio aliquid semper dubii, saltem latè sumpti secum affert; sed cum dubia conscientia licitè agere non possumus.

195. Antim. Si id dubii, vel justi timoris concipit, ratione probabilitatis, quæ cum formidine semper conjuncta est, hoc argumentum nimis probat, eo enim sequeretur, ne probabiliorem quidem ab omni dubio, & formidine immunem esse; cum probabilitatis limites non transcendat: dico igitur conscientiam certam non verò dubiam sequi ex omni opinione morali, certò probabili; si enim certum est, & verè probabilem, certum est, assensum prudentem esse: item electionem prudentem, & prudentem; ac licitum usum.

197. Pithanoph. Nisi ad probabiliorem homo moveatur, multa incommoda sequi necesse est.

Antim. Enumera quæso, nullum enim mihi in mentem venit, quod levissimum non sit.

198. Pithanoph. Omnia cujusque arbitrio relinquerentur, cum res humanæ opinione potiùs, quàm certa scientia comprehendantur; nulla esset firma, & certa regula in rebus agendis; sed unusquisque pro sua opinione operaretur; quod sine maxima morum perturbatione, imò, & scandalo fieri nequit.

199. Antim. Imò certissimam regulam suggessimus, scilicet, nullam opinionem moralem in praxi veram esse, nisi certò constet, eam probabilem esse; hoc autem à cujuslibet arbitrio non pendet, sed à prudenti sapientum existimatione; licèt enim alicui hæc, vel illa opinio probabilis esse videatur, non tamen propterea probabilis censenda est; & quamvis sit probabiliter probabilis, non tamen est certò probabilis, nisi in hoc Doctores ferè omnes classici, ut vocant, conveniant, quod probabilis sit, aut saltem maxima & potissima illorum pars.

200. Pithanoph. Humanis studiis hæc probabilitatis doctrina plus æquo laxat habenas.

201. Antim. Hæc fuit, sat scio, nonnullorum querela, sed argumentis, non querelis diluendis operam navo; hoc autem eadem facilitate rejicitur, qua asseritur: doctrina enim à me tradita eò rem totam adducit, quò adducenda est, scilicet ad principia certa, ex quibus ultimum judicium practicum certum deducitur; nempe modò certum mihi sit, me hîc, & nunc prudenter, & licitè operari; quid quæso aliud est, quod desiderem? Utra porro peccata multiplicet, & plura inducat, austera, scilicet severitas, an moderat; benignitas, vel indulgentia, tibi considerandum relinquo; certè ubi aliquid facio, vel omitto, quod licitum esse prudenter mihi & certò persuadeo, nullo modo pecco: si tamen juxta severiora placita, dubitem saltem, ne illicitum sit, haud dubiè pecco; non est igitur dubium quin immoderata severitas peccata multiplicet, ac proinde vel hoc nomine fugienda. Vellem ut severi illi per 10. aut 15. annos in Basilica Principis Apostolorum, confessionibus excipiendis sedulam operam navassent; certus sum, fore, ut mentem mutarent, ac de illo suo rigore plurimùm remitterent.

202. Pithanop. Prælatus non potest eligere minùs dignum, omisso digniore; igitur nec homo eligere minùs probabilem opinionem, omissa probabiliore.

203. Antim. Dato antecedente negatur consequentia, quia Prælatus vel faceret injuriam digniori, contra proprium dispensatoris officium peccaret quod ea lege accepisse supponitur, ut digniores minùs dignis præferat; alioquin extra concursum, minùs dignum eligere posset.

204. Pithanoph. Damnatum errorem sequi possemus, qui ante decretum Ecclesiæ insignes suffragatores habuit, & probabiles rationes, non suggero exempla quæ obvia sunt.

205. Antim. Miror, à te hæc dici; quasi verò error, opinio probabilis dici possit: equidem ante decretum Ecclesiæ, opinio probabilis esse potuit, secus tamen post decretum; facit enim authoritas Ecclesiæ, ne ampliùs sit legitimum fundamentum, quo duntaxat opinio verè probabilis ac necessariò nititur.

205 Pithanoph. Medicus ex duabus probabilibus, probabiliorem sequi debet: item Sacramenti administer; quidni etiam alii omnes probabiliorem sequi teneantur?.

207. Antim. Hæc fortè omittere debueras, cum ex dictis perspicua sint; nego enim medicum ad probabiliorem opinionem teneri; equidem probabilius medicamentum, si suppetat, adhibere debet: sed nego opinionè certò probabilem esse, quod minus probabile medicamentum adhiberi ab eo possit; ac proinde dici non debet, quod medicus ex duabus opinionibus moralibus certò probabilibus probabiliorè sequi teneatur: quod autem obligetur ad usum probabilioris medicamenti, modò sit etiam tutum, eædem rationes probant, quibus suprà probatum est, eum non posse, omisso certo, dubium adhibere; tenetur enim quantum in se est procurare sanitatem ægri sibi commissi, cujus obligationis capita jam suprà perstrinximus: idem de Sacramenti administro dictum sit. Et verò, ut jam supra monui, sunt quædam opiniones morales, quæ circa actiones liberas hominum versantur: de his autem hæc doctrina intelligenda est, quod scilicet omissa probabiliore, minus probabilem, modò certò constet, esse probabilem, licitè sequi possimus; quædam verò sunt speculativæ potius, quàm practicæ, quæ circa res ipsas versantur, v.g. an talis materia, vel forma Sacramenti sit vera, an tale pharmacum sit salubre, an ista domus sit Petri, vel Pauli, &c. quæstio proposita in hujusmodi opiniones non cadit. Si autem quæratur, utrum rem illam

licitè adhibere quis possit, v. g. materiam illam Sacramenti, dum suppetit alia probabilior, si hoc inquam, quæratur, & res ad moralem quæstionem reducatur, respondebo illico, non esse opinionem certò probabilem: item si quæratur, utrum possit medicus adhibere medicamentum minùs probabile, dum suppetit probabilius, illico respondebo, non esse opinionem probabilem: si tamen non supperat hinc remedium probabilius, illinc materia probabilior, & æger indigeat medicamento, anima Sacramento, tunc utraque opinio erit certò probabilis; cur verò non sint probabiles, dum suppetit materia probabilior, & medicamentū probabilius, perspicuum est ex dictis.

208 Pithanoph. Rem ni fallor, probè intelligo; nemo enim id licitè facere possit, quod rationi proprii officii repugnat; quod proximi salutem corpoream, vel incorpoream, in discrimen adducit; quod irreverentiam Sacramento conciliat, quod legi, vel conventioni repugnat, &c.

209. Antim. Tam crudè loqui profectò nolim, quod enim salutem proximi per se in discrimen adducit, nunquam licitum est; sed aliquando licet, minùs probabilem materiam adhibere, cum probabilior non suppetit, & proximi necessitas id postulat: idem dico de medicamento minùs probabili, quia satius est, probabili saltem remedio, tum animum, tum corpus curari, quam nullo. Igitur inde regula statuenda est, in iis officiis, quibus adversus proximum defungimur, ea duntaxat adhibenda sunt, quæ ponderatis præsentibus circumstantiis, proximo magis expediunt: sic proximo expedit, certum medicamentum applicari potiùs, quàm dubium; probabilius potiùs, quàm minùs probabile, minùs probabile potiùs, quàm nullum: idem dico de materia Sacramenti, eo modo quo supra dictum est.

210. Pithanoph. Expedit proximo, ut illi restituam rem illam, quam probabiliter judico, illius esse; licèt etiam probabiliter judicem, meam esse, sed rem illam restituere non teneor; igitur illa regula certa esse non videtur.

211. Antim. Certa est haud dubiè regula, quando res illa, iis duntaxat officiis inservit, quibus adversùs proximum defungimur, ut patet in exemplis suprà adductis; quisquis enim tenetur, quantum in se est, sive ex justitia, sive ex charitate, sive ex lege, sive ex conventione tacita, vel expressa, quisquis inquam tenetur eniti, ad ponendum aliquem finem; illud haud dubiè ponat, oportet, modò suppetat, quod ad eundem finem magis expedit, seu conducit: hinc non est opinio probabilis, quod possit licitè illud omittere; at quando res illa talis est, ut vel omitti, vel poni licitè possit, utraque opinio est certò probabilis; sic mihi certò probabile est, rem meam esse, ac proinde licitè à me retineri: item est mihi certò probabile, esse alterius, alterutram opinionem eligere possum, juxta regulam communem suprà traditam: idem de voto dictum sit, quod certus non sum emissum à me non fuisse; sed tantum est mihi probabile; idem de officio recitato, aliisque hujusmodi: cæterùm quando de proximi periculo agitur, licèt etiam probabilius mihi sit, abesse periculum, si tamen probabile sit, adesse, illud licitè facere non possum ex quo periculum illud sequeretur; sic licèt putem probabiliùs, esse feram; si tamen probabiliter putem, esse hominem, sagittam emittere licitè non possum, & in hujusmodi casibus, tutius, quam vis minùs probabile eligendum est, tutius inquam, in ordine ad excludendum peccatum, quia tutius, in ordine ad proximi damnum, vel periculum vitandum.

212. Pithanoph. Rem capio, in iis, in quibus aliquod periculum proximo creatur, vel expressa, aut tacita lege, aut conventione statuitur, ut tali modo fiant: sic Tabellio debitas clausulas in instrumentis omittere non debet, nec Medicus remedium certum, aut probabilius, nec administer Sacramenti materiam certam, si suppetat; in his inquam, quod tutius est, sequendum est; tutius inquam, in ordine ad valorem instrumenti, vel Sacramenti, & ad arcendum proximi periculum; in aliis verò rebus, quæ ad opinantem immediatè referuntur, utrumque licitè facere possum: sic v. g. judico probabiliter, rem hanc meam esse, nondum esse mediam noctem, non esse jejunii diem, hæc & alia hujusmodi judicia probabilia circa res ipsas versantur, in ordine ad opinantem: nempe inde judico, an rem illam restituere tenear, an jejunare, an comedere carnes; cum autem probabiliter judicem, me non teneri, quia probabiliter judico, meam esse, &c. certum est, judicium illud, quo judico, me non teneri esse probabile; igitur certum est, esse prudens, igitur certum est, prudentem esse, & licitum illius usum: hæc igitur ad communem etiam regulam supra constitutam reducuntur. Hinc licèt probabilius judicem, rem meam non esse, modò sit mihi certo probabile, meam esse, certò judico, me prudenter facturum, si rem illam retineam; pari modo si mihi probabile sit, tale testamentū, vel legatum, ut ajunt, factum esse, possum licitè petere in judicio quod meum esse probabiliter judico; sed quæso te, quid de Judice?

213. Antim. Antequam de Judice dicam, unum observo, circa id quod modò dicebas tutius sequendum esse, quando alioquin aliquod inde proximo damnum crearetur, quod sanè de damno injusto intelligendum est: nam alioqui, quando repeto illud à proximo, quod probabiliter judico, meum esse, inde profectò damnū proximo creatur, sed injustum non est: nam justè repeto, quod meum esse probabiliter judico; at non possum licitè sagittā emittere, licèt probabilius judicē, esse feram, & minùs probabiliter tantùm esse hominem, quia nullum jus habeo ne probabile quidem in vitam hominis: illam igitur in discrimen probabile adducere non possum; at in rem illam, quam meam esse probabiliter judico, jus saltem probabile habeo: itaq; ut paucis dicta complectar, sive opinio probabilis sit de rebus, sive de actionibus, modò nullum inde periculū injusti damni proximo creetur, & nulla lege, vel conventione, sive tacita, sive expressa ad contrarium teneamur, ratione scilicet officii, vel publici, vel privati, generali regula standum est, quam supra statuimus, scilicet, quamlibet opinionem certò probabilem ad usum & praxim licitam esse. Jam de Judice dicam, de quo jam supra dictum fuit, quod stante altera parte certa, pro illa sententiam ferre tenetur. Si verò non sit certa, sed probabilior duntaxat, aut saltem æquè probabilis, quæstio satis lubrica est, & singularem longioremque tractationem desideras; ne tamen illam omittam, distinguenda est causa criminalis à civili, quod ad primam attinet, ut reus damnetur, satis profectò non est, ut factum, id est, patratum à reo crimen probabile sit, id est, ut probationes adductæ ab actore Judici persuadeant, tantùm probabile esse, crimen à reo patratum fuisse; nisi enim hoc certò constet, scilicet moraliter, reum Judex damnare non debet: igitur in hujusmodi causis criminalibus, ut vocant, ad sententiam contra reum ferendam, certa probatio requiritur, quia cum certa pœna sit, certum reatum, ut vocant, supponit.

214. Pithan. Sed si probabilius sit factum, id est, si

si actoris probatio sit probabilior, quàm rei, cur Judex sequi non poterit probabiliorem? In hoc ni fallor, doctrinæ communi refragari videris.

215. ANTIM. Rectè distinguenda est probabilitas facti à probabilitate opinionis; nec enim est probabilis opinio, reum à Judice damnari posse, si probatio facti sit dubia, sed quamdiu probabile manet, reum esse innocentem, licèt minùs probabile sit, & oppositum probabilius, probatio facti dubia manet, nam in dubiis stare debet sententia pro reo: jura enim promptiora sunt ad absolvendum, quàm ad condemnandum, & in obscuris reo favendum est, ex reg. juris, ni fallor, sed quamdiu probatio probabilis duntaxat esse supponitur, obscura manet, nempe obscuri nisi per evidentiam tantummodò expungitur; quod autem probabile tantùm est, evidens censeri non debet.

216. PITHNOPH. Nunquam ferè igitur Iudex reum damnaret, quia nunquam ferè accidit, ut probatio certa sit.

217. ANTIM. Certitudinem tantùm moralem intelligo, ut quando reus debito modo fatetur crimen, vel plures testes de visu omni exceptione majores id asseruerunt; dixi *debito modo*, id est, vel sponte, ac ultro, vel per torturam justè adhibitam, & sequitur ratio: nisi ergo facti probatio clara sit, sed dubium relinquat, non est opinio probabilis, reum damnari posse, sed ad causas civiles venio, pro quibus adhuc distinguendum est: Sunt enim primò quædam in jure probabiles causæ, ut libertatis, matrimonij, testamenti, dotis, in quibus si æquales utrimque sint probationes, pro illis stare debet sententia, v. g. pro validitate matrimonij & testamenti: item pro libertate &c. quia nimium damnum esset, ac proinde quamdiu manet probabile, validum esse matrimonium, vel testamentum, Judex ferre sententiam non debet, qua nullum declaretur, jura enim favent hujusmodi actibus; hinc licèt oppositum sit probabilius, modò tamen prædictæ causæ verè probabiles maneant, pro his stare debet sententia. Item extra causas privilegiatas, utrimque sint æquè probabiles rationes, reus ex sua possessione exturbandus non est; cum enim possessio nata sit, & cum utrimque æquales sint rationes, in pari melior est conditio possidentis ex reg. juris, & possessioni jura favent: accedit, quod æqualis ratio oppositam æqualem destruit, hinc perinde se res habet, ac si de novo nulla probatio esset, igitur possessor nullâ possessione reo nquendus; & quamdiu probabilis ratio est justæ possessionis, non nisi injustè ex illa deturbari potest: tantus igitur debet esse rationis oppositæ excessus, ad eum deturbandum, ut nullum dubium superstet de jure actoris, ac proinde reo probabile jus non maneat: hinc tum in criminalibus, tum favorabilibus, tum etiam in iis, quibus justæ possessionis jus probabile favet, tutior pars eligenda est, tutior inquam in ordine ad damnandum innocentem, validum matrimonium dissolvendum, reum ex justa possessione exturbandum.

218. PITHNOPH. Sed cùm actor etiam habeat jus probabile, injustum est, nulla illius ratione habita eum eadere causa.

219. ANTIM. Nulla illi fit injuria, cui cùm justa possessio non competat, eidem adjudicari non potest; nam reus justa, qua gaudet possessione privetur, at nemo justa possessione jure privatur, nec eo ipso quod privatur, injusta esse declaratur; igitur reum in eadem manutenere, injustum non est, sed eo ipso quod reus in possessione manutenetur, actor causa cadit. Jam restat, ut dicam de iis causis civilibus, quibus nec justa possessio nec jura favent: primò igitur, statuo, si alterius partis jus certum est, eidem causam à Judice adjudicandam: nempe cum jure certo alterius partis, jus alterius probabile stare nequit, ut patet; si verò rationes utrimque æquales sint, neutri causam licitè adjudicabit; nulla enim est ratio, cur unum potiùs quàm alium jure suo probabili privet, neque hoc sine personarum acceptione fieri potest, nempe nihil aliud Judicem movere debet, nisi jus partium.

220. PITHANOPH. Nullam igitur sententiam Iudex feret, igitur proprio munere non defungetur, & lis indecisa manebit.

221. ANTIM. Nonnulli volunt, ut Judex rem ipsam de qua lis est, ex æquo utrique dividat, aut si dividi non potest, compensationem, ut vocant, adhibeat; meliùs, ni fallor, judicabit, si jubeat, ut concordent partes, nempe hic usus viget in tribunalibus.

222. PITHANOPH. At si opinionum diversitas de facto non sit, sed de lege, secundùm quam lis decidenda est, ita ut legem illam Doctores variè interpretentur; an poterit Judex, quam volet interpretationem in ferenda sententia sequi?

223. ANTIM. Scio, multos Authores hanc Judici potestatem concedere, quia interpretatio juris non se tenet ex parte causæ, sed ex parte Judicis, vel potiùs regulæ dirigentis; lex enim Judicem dirigit, ad ferendam sententiam; hinc nonnulli hujusmodi causas, quæ dubio legis subsunt, pro amico vocant; quia Judex in iis decidendis, pro arbitrio, favere amico licitè potest. His tamen non obstantibus, cum probabilis sit opposita illorum sententia, qui hanc Judici potestatem non concedunt, neutri Iudex injuriam facit, si jubeat in hoc casu, ut partes concordent, seu componant; & hoc certum est, & nulli periculo se exponit, injustè scilicet judicandi: at si alteri secundùm unam legis interpretationem, causam adjudicet, est fortè quod alius conqueratur, cui æquale jus competit juxta alteram interpretationem; tutius igitur erit, & ministerio publico accommodatius, si Iudex jubeat, ut partes componant, ne sit ulla personarum acceptio, quam Iudex summoperè vitare debet.

224. PITHANOPH. Si verò jus unius ex parte facti sit probabilius, non dubito, quin statim decernas, teneri Iudicem eidem causam adjudicare; hac enim lege hoc ministerium publicum gerit; ut secundùm probabiliora judicet: idem etiam dicendum videtur, si factum certum & clarum sit, & sit tantùm diversitas interpretationum legis, ita ut tamen altera interpretatio probabilior sit. Sed quid si id aliis probabilius videatur, quod ipse Iudex minùs probabile reputat, poteritne judicare juxta probabiliorem aliorum sententiam?

225. ANTIM. Non defuerunt, qui hoc dixerint; & verò si Iudex illos, qui oppositum probabilius esse sentiunt, doctiores se meritò reputet, item prudentes & pios: item rationes illorum probabiles, vix crediderim, facturum imprudenter, si secundùm illorum sententiam litem decidat, aut saltem quasi essent æqualia jura, jubeat, ut partes concordent, quod reverà tutius esset, tunc enim non erit, quòd aliquis de injustitia conqueratur: & verò, in hoc casu, non est certum jus alterius probabilius esse, igitur non est certum, Iudicem prudenter facturum, si probabilius judicet; igitur non est certum, prudenter facturum, si secundùm hoc judicium sententiam ferat: at certum est, quod prudenter agat, si jubeat, ut concordent partes, quia certum est, jus utrique esse probabile.

PITHANOPH.

PITHANOPH. Reſtat, ut de Advocato, Conſiliario, & Confeſſario, dicas: Utrùm ſcilicet agere poſſint ſecundùm opinionem minùs probabilem.

226. ANTIM. Niſi conſtet apud omnes, aliquam cauſam eſſe minùs probabilem, ac proinde ſemper Judices contrarium decidere, in qualibet alia probabili, Advocatus patrocinari licitè poteſt, quia litem proſequitur cum ſpe juſtæ victoriæ, etiam ſi ipſi Advocato cauſa illa, quam ipſe defendit, minùs probabilis videatur, modò ſciat, aliis etiam peritis probabiliorem, vel æquè probabilem videri; potiori jure illam defendere poterit, quæ illi probabilior eſt, licèt alij minùs probabilem putent; imò ſufficit, ut illam æquè probabilem putet; debet tamen monere clientem ſuum de jure cauſæ probabili & dubio; alioqui, ſi cliens damnetur, tenetur Advocatus refundere damna, quæ inde cliens patitur; nec in his, meo judicio, eſt magna difficultas, nempe illas cauſas licitè Advocatus defendere poteſt, quas clienti licet proſequi, & pro quibus juſtam litem movere hic poteſt; diſpar autem eſt conditio Judicis, cujus eſt, litem decidere, & ſententiam ferre ſecundùm jura; cum' tamen advocati ſit, veritatem inveſtigare, & rationes illas proponere, quæ cauſæ, quam agit, juſtitiam perſuadent, modò nihil falſum, aut commentitium afferat, quod minùs peritum Judicem in errorem inducat; ſed ea duntaxat afferre debet, quæ cauſæ ſuffragantur, & ſolvere, aut reticere contraria.

227. PITHANOPH. Poteſtne Advocatus aliquid reticere, quod reverà ſi ſciretur à Judice, certam victoriam adverſarius inde reportaret.

228. ANTIM. Si certam victoriam illud efficit, haud dubiè jus adverſarij certum eſt, unde Advocatus cauſam illam ſuſcipere non debet, cujus oppoſita certa ſit, eſſet enim improbabilis, unde ceſſat quæſtio; nam ſi certo Adverſarii jure reticito, pergit Advocatus cauſam illam defendere, haud dubiè peccat, ac deinde damnum inde adverſario proveniens reſarcire tenetur. Quod verò ſpectat ad Conſiliarium, primò illud conſilium alteri dare poteſt, quod ipſi amplecti licet in praxi, ut nemo negat; nam illud conſilium eſt prudens, quod ad prudentem actionem terminatur. Secundò, ſi conſiliarius putat, aliquam opinionem improbabilem, quam tamen alij probabilem putant; ſi hæc reverà ſit certò probabilis, poteſt illam conſulenti indicare: Verum enim dicet, eam certo probabilem eſſe; ſi tamen ei tantùm videatur probabiliter probabilis, nullo modo conſulenti Author erit, ut eam ſequatur in praxi; poterit tamen conſulentem ad alios Doctores remittere, modò conſtet, eſſe viros doctos, & pios, niſi forte illam opinionem certò improbabilem, ſuamque oppoſitam certò, ac omnino certam eſſe ſciret; hoc enim conſulenti palam ſignificare debet, quem in errorem alioquin induceret, ſi ad illum Doctorem, qui prædictam opinionem probabilem reputat, conſulentem remitteret.

229. PITHANOPH. Si conſulens per ſe, omiſſo Conſiliario, prædictum Doctorem adire, & conſulere poteſt, cur ad eundem licitè remitti nequit?

230. ANTIM. Ideo per ſe Doctorem illum conſulit, quia neſcit, ejus opinionem errorem eſſe, id eſt, certò improbabilem, quod cum à Conſiliario ſciatur, quid mirum, ſi hic ad illum remittere conſulentem non debeat. Venio tandem ad Confeſſarium, qui primò in adminiſtratione Sacramenti iis legibus adſtringitur, quas ſupra indicavi. Secundò, in uſu opinionum probabilium, magis, vel minùs probabilibus licitè ſtare poteſt, modo certò probabiles eſſe conſtet, nec pœnitentem adſtingere debet, cui certò probabile ſit, ſe minimè adſtrictum eſſe; hoc enim jure pœnitens privari non debet, quo ſinguli liberè gaudent, equidem ſi opinio Confeſſarii ſit probabiliter certa, ac proinde oppoſita cui pœnitens adhæret, ab aliis doceatur, ut probabiliter tantùm, nō verò certò probabilis, tunc reverà Confeſſarius pœnitentis opinione ſtare non debet; hoc tamen non facit, quin Confeſſarius, qui pœnitentem invincibili errore, modò ad fidem non pertineat, laborare comperit, ſi prævideat, ex illius manifeſtatione, maximum aliquod fore ſcandalum, eundem pœnitentem in errore ſuo licitè relinquere poſſit.

231. PITHANOPH. Ita eſt, multa exempla ſuppetunt, præſertim circa impedimenta dirimentia matrimonij, in quibus nulla eſt difficultas, ſed circa ea quæ ante dixiſti, ſcire velim, utrùm Confeſſarius adhærere poſſit opinioni pœnitentis, quam ipſe improbabilem putat, licèt ipſe ſciat, communiter à Doctoribus claſſicis probabilem reputari, ac proinde certò probabilem eſſe.

232. ANTIM. Nullum mihi dubium eſt, quin Confeſſarius pœnitenti tunc adhærere debeat, qui certè eo jure, quod ipſi competit, privari non debet, eligendi ſcilicet opinionem, quæ certò probabilis eſt.

233. PITHANOPH. Quid ſi Confeſſarius dubitet de diſpoſitione pœnitentis.

234. ANTIM. Si rationabiliter dubitet, illum haud dubiè abſolvere non debet, niſi tunc in magnum diſcrimen ſalutis redactus ſit; ſi verò leviter dubitet, & ſine legitimo fundamento, merus ſcrupulus eſt, ac proinde deponendus; modò enim Confeſſarius ex propria confeſſione & atteſtatione pœnitentis ſciat, illum eſſe probè contritum; quantumvis imperfecta contritione, quam attritionem vocant, & habere propoſitum non peccandi, nec ullum legitimum fundamentum habeat, dubitandi de contrario, injuriam illi facit, ſi abſoluere recuſet; imò licèt probabile fundamentum utrimque ſit, modò ſit certò probabile, rectè diſpoſitum eſſe pœnitentem, & hic petat abſolvi, abſolvi debet, ne jure ſuo invitus privetur, quod reverà injuſtum eſſet: dicam ampliùs, licèt probabilius ſit, non eſſe rectè diſpoſitum, dum oppoſitum, licèt minùs probabile; certò tamen probabile ſit, non video, cur abſolvi non poſſit, propter eandem rationem.

235. PITHANOPH. Adminiſter Sacramentorum probabilem materiam adhibere non debet, omiſſa probabiliore, ſi hæc ſuppetat.

236. ANTIM. Sacramenti pœnitentiæ materia remota eſt peccatum actuale, proxima verò actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſſio, ſatisfactio; de duabus poſtremis hîc non agitur: de ſola igitur contritione cum propoſito non peccandi, ſive, ut vocant, virtuali, quod contritione continetur, ſive formali & expreſſo; at contritio per ſigna tantùm Confeſſario innoteſcit; ſuppono autem illa ſigna adeſſe, & nihil eſſe, quod certò contrarium perſuadeat. Sed cur hæc quæſo agitamus, qua ad quæſtionem præſentem non attinent? Interim certa ſit regula, pœnitentem ritè confeſſum, & contritum abſolvi petentem abſolvi poſſe, niſi Confeſſarius moraliter certus ſit, diſpoſitionem illam ſpuriam, & fictitiam eſſe, v. g. ſi certum ſit, aliquem ultro manere in occaſione peccandi proxima, quam relinquere nolit, aut neget, ſe velle reſtituere, id, quod furatus eſt, licèt reſtituere poſſit; inde Confeſſarius certò colligit, pœnitentem non habere propoſitum, ſeu voluntatem ampliùs non peccādi, ac proinde diſpoſitione debita omnino carere: non nego tamen,

tamen, aliquando salutare remedium esse, post multos lapsus absolutionem differre, ut scilicet emendationi pœnitens diligentiorem operam navet; præsertim si hoc facilè acquiescat, & in anterioribus confessionibus de hoc consilio monitus fuerit.

237. Pithanoph. Quid tandem de Tabellione, seu Notario, & Procuratore dicendum sit, ex iis facilè colligitur, quæ de Judice, & Advocato à te dicta sunt: nempe Tabellio instrumenta sua facere tenetur, eo modo quem leges illi præscribunt, ut & reliqui publicorum munerum administri: de Procuratore autem idem dicendum est, quod de Advocato supra dixi, quare his peractis, quæ non nemini majorem difficultatem præferre viderentur, ad alias objectiones, quamvis fortè sint minoris momenti, transeo, & quasi eandem perstringo; sic ergo nonnulli obiciunt. Nulla opinio probabilis tuta est, nisi vera sit, sed probabilior opinio potius vera, quàm minùs probabilis.

238. Antim. Sat scio, unde hîc furfur potiùs, quàm farina prodeat: nego igitur, quod adstruitur; omnis enim opinio, quantumvis probabilior, falsa esse potest: igitur nec etiam probabilior tuta esset, præterquam quod idem non est, esse probabiliorem, & esse tutiorem, ut sæpe ac sæpius dixi.

239. Pithanoph. Ex altera parte tantùm, est periculum peccandi, verbi gratia, dubitatur, utrum liceat inire pactum trium contractuum; at non dubitatur, utrum liceat non inire; igitur hæc pars certa est, sed ubi altera pars certa est, opposita tuta non est.

240. Antim. Hoc argumentum multa laborat ambiguitate, nec enim dubitatur, in ultimo judicio practico, quo certò judico, me licitè hoc contractum inire, sit judicium certum; illud autem primum judicium speculativum, quo judico, illum contractum non esse usurarium, est tantùm probabile, ac proinde cum formidine conjunctum: Sed cum certò probabile, & certò prudens, ac proinde certo prudentibus opinionis practica electio, certò concludit, in ultimo judicio, prudentem esse illius opinionis usum, ac proinde licitum contractum; igitur certissimo utimque est, tam enim certò judico, me licitè inire illo contractu, quàm certò judico, me licitè non inire.

241. Pithanoph. Contra conscientiam operatur, qui minùs probabilem opinionem sequitur.

242. Antim. Imò, secundùm conscientiam, id est, secundùm judicium certum, quo certò judicat, se non peccare, sed prudenter agere, cum minùs probabilem sententiam sequitur, modò certò constet esse probabilem.

243. Pithanoph. Turpis causa, scilicet cupiditas eligendam minùs probabilem movet.

244. Antim. Ille turpiter non agit, qui prudenter agit, & suæ conscientiæ consulit in rerum humanarum usu.

245. Pithnoph. Qui minùs probabilem eligit, exponit se periculo peccandi.

246. Antim. Hoc jam centies negatum; quisquis enim secundùm conscientiam, id est, certum judicium practicum agit, nullo peccandi periculo sese exponit.

247. Pithanoph. Quisquis doctrinæ, vel opinioni probabili adhæret, nunquam certus est, se rectè operari, quia conclusio non habet majorem certitudinem, quàm præmissæ; deducitur autem judicium practicum ex præmissis tantùm probabilibus, nunquid hæc vera demonstratio non est?

248. Antim. Facilè tenes, quam sim demonstrationum avidus, ijsque assuetus; nego igitur hanc esse demonstrationem; imò ne quidem argumentum probabile, ut ex ijs, quæ hucusque diximus manifestum est: facilè igitur respondeo 1. hoc argumentum nimis probare, cum petat omnem doctrinam probabilem, sive probabilior, sive minùs, sive æquè probabilis sit, removendam autem doctrinam omnem pobabilem moralem, nemo, opinor, prudenter censeat, quàm pauca enim sunt etiam moraliter certa, nec facilè habetur certitudo moralis, nisi ex communi usu & omnium ferè Doctorum consensu; omitto tamen Ecclesiæ definitiones, quæ longè majorem certitudinem afferunt. Sed quàm multa sunt in rebus humanis, de quibus mixtus quidam usus, & Doctorum consensus est; ita ut aliqui unam partem, alij alteram defendant: præterea dico, eum certum esse moraliter, se rectè ac prudenter operari, qui doctrinæ morali probabili inhæret, id est, qui opinionem moralem probabilem eligit, modò certò probabilis sit; & hoc judicium practicum certum ex alijs judiciis certis deducitur, in quibus certò judicat, se prudenter eligere illam opinionem, se prudentem assensum illi præbere, ac demùm certò judicat, esse probabilem; hoc autem judicium habetur non ex alio, sed ex legitimis, & sufficientibus motivis, tum intrinsecis, tum extrinsecis; falsum igitur est, quod assumis, scilicet, ultimum illud judicium practicum ex certis præmissis non deduci.

249. Pithanoph. An negari posset illud, quod assumis? Scilicet legitimum & debitum fundamentum opinionis probabilis illud esse, quod ad prudentem assensum movet.

250. Antim. Ab eo, qui terminos intelligit, negari non potest, quia si ad prudentem assensum, extra res fidei, de quibus hîc non agimus, sed de moralibus, non sufficit fundamentum probabile, requiritur certum & evidens; igitur non est prudens assensus, quia necessarius, & liberæ electioni non subest, cum intellectus ab objecto evidente rapiatur; igitur assensus ille sua laude caret, quia liber non est; igitur prudens non est; si enim prudens est, laude dignus est; nec obstat, assensum fidei certum, & prudentem esse, quia licèt certus sit, obscurus tamen est, & liberæ electioni subjectus. Vides quò tandem hæc spectent, scilicet ad totius humanæ prudentiæ destructionem.

251. Pithanoph. Objectum prudentiæ debet esse certum, sed assensus probabilis non est certus, igitur non est prudens.

252. Antim. Ludis, ut video, Pithanophile, distinguo tuam illam minorem; non est certus formaliter, concedo, id est, per illum, intellectus certò non assentitur, est tamen certus objectivè; nam certum est, esse probabilem: igitur voluntas prudenter imperat assensum illum, imò Syllogismus peccat in forma, quę talis esse debet; objectum prudentiæ est objectum certum, assensus probabilis non est objectum certum; igitur assensus probabilis non est objectum prudentiæ, hac autem forma suppositâ, nego minorem.

253. Pithanoph. Prudentia non est opinio.

Antim. Non est etiam scientia; versatur tamen circa opinionem, in quantum prudentia dictat, hanc opinionem eligi posse hîc & nunc, sic enim formo syllogismum: illa opinio moralis prudenter eligi potest, cui prudens præbetur assensus; at opinioni morali certò probabili prudens præbetur assensus; igitur opinio moralis probabilis prudenter eligi potest: sic autem subsumo, certum est, opinionem trium contractuum esse probabilem; igitur certum est, hanc

opinio-

opinionem trium contractuum prudenter hîc, & nunc â me eligi posse; igitur & certum, me prudenter hîc & nunc illa uti. Hinc vides, quò reducatur dictum illud commune, toties decantatum, totiesque negatum; certum scilicet esse, illum prudenter ac honestè agere, qui probabiliter, id est, ex opinione probabili agit; si enim non constet certò, esse probabilem, dictum illud falsum est, nempe opinionem probabiliter improbabilem nemo prudenter eligat; & licèt certum sit, esse probabiliter probabilem, quia tamen certum est, etiam esse probabiliter improbabilem, illius usus in hoc duntaxat certus est, quod certum mihi sit, esse, tum probabiliter probabilem, tum probabiliter improbabilem.

254. Pithanoph. Prudentia est virtus, opinio non est virtus, igitur opinio non est prudentia.

255. Antim. Concedo omnia: Sed hoc non facit, quin prudentia circa opinionem versetur, & ipse usus opinionis prudens sit: item electio prudens: item assensus ille prudens, quo probabili opinioni assentio; quis neget, fidem humanam esse aliquando prudentem? Hæc tamen certa non est, sed probabilis.

250. Pithanoph. Opinio probabilis non potest esse regula rectæ conscientiæ.

257. Antim. Jam sæpius dixi, judicium practicum non deduci ex judicio probabili, sed ex judicio certo, quo certò judico, opinionem moralem esse probabilem; ac proinde prudentem assensum illi præberi posse, ac demùm prudentem fore illius usum: est autem conscientia regula rectæ operationis, at conscientia est judicium certum, igitur opinio probabilis non est regula.

258. Pithanoph. Nullus potest sequi conscientiam dubiam, sed hæc dubia est, cum intellectus est dubius, & hic est verè dubius, cum utrimque sunt motiva, quasi æqualia, ex D. Thom. ni fallor.

259. Antim. Demus ultro, conscientiam dubiam, dubio etiam latè sumpto, & hanc esse dubiam, quamdiu intellectus dubius est, id est, timet, aut dubitat, utrùm sit peccatum, nec ne; & hunc dubium esse, quando motiva quasi æqualia, dicam ampliùs, motiva tantùm probabilia utrimque proponuntur: cuncta hæc tibi ultro demus, quid tũ? Igitur inquis, opinionem probabilem sequi non possum; nego consequentiam, quia judicium illud practicum, quo judico, illius usum prudentem & licitum esse, est certum; igitur habet motivum certum intellectus, qui judicat, igitur non tantùm probabile, igitur non est dubius, igitur nec conscientia dubia; hoc centies jam dixi, sed repetere cogis.

260. Pithanoph. Scio, sed ea obiicio, quæ ab Authoribus contrariæ sententiæ opponuntur; pergo igitur: Si ex vi probabilitatis possemus operari, etiam cum dubia conscientia operari possemus, hæc enim aliquam probabilitatem supponit.

261. Antim. Nunquam licitè operamur ex vi probabilitatis, sed ex vi certitudinis, judicij scilicet certi, ut patet ex dictis, quod sufficienter deducitur ex judicio certò probabilitatis, quo scilicet certò judicamus, opinionem verè probabilem esse, ac prudentem assensum, & prudentem illius opinionis usum; an dubium restat, ubi tam multa certa?

262. Pithanoph. Non potest intellectus opinari de opinione minùs probabili, concurrente probabiliore oppositâ; si enim non potest concurrente æquè probabili, multò minùs potest, concurrente probabiliore.

263. Antim. Somnias, opinor, Pithanophile, quid enim vetat, quo minus intellectus, voluntatis imperio, alteri æquè probabilium, relicta altera, inhæreat? Quis amabò id neget, si rem intelligit? Quis tum in se, tum in aliis non probet?

274. Pithanoph. Nullo modo somnio, non enim defuit, qui id dixerit, quia inquit, dum intellectus utramque partem æquè probabilem judicat, dubius manet, & assensum sustinet, ut expresse habet D. Thom. sed dubius ab opinante diversus est, ut patet.

265. Antim. Nihil aliud habet D. Thom. de verit. ni fallor, quæst. 14. art. 1. nisi, intellectum *quandoque* propter apparentiam eorum, quæ movent ad utramque partem, non inclinari magis ad unum, quam ad aliud, & tunc fluctuare inter duas partes contradictionis, & hanc esse dubitantis dispositionem: andin, Pithanophile, *quandoque*, quis hoc neget? Et quis D. Thomæ affingat? Quasi diceret, intellectum à voluntate determinari non posse ad unum, quando opiniones oppositæ sunt æquè probabiles: deinde, quis nescit, duobus modis dubium dici? Primus est strictus, cum assensus omnino suspenditur, alter verò latus, cum assensus ita præbetur uni, ut dubium, seu formido restet de veritate oppositi.

266. Pithanoph. Intellectus non potest se determinare nec expedire, est enim quasi ligatus & adstrictus vinculis dubij.

267. Antim. Quis nescit, intellectum non esse potentiam per se liberam, nec determinari à se, sed vel ab objecto, si est evidens, vel à voluntate, si non est evidens? Neque hoc ab ullo vel Philosopho, vel Theologo negatur, qui rem intelligat: quasi verò necessariò credamus hoc potius, quàm illud, sive divina, sive humana fide, & hanc opinionem necessariò sequamur potius, quàm illam, quis amabò hujusmodi voces in scholis unquam audivit?

268. Pithanoph. Num Vasquez sentit, si objectum ita proponatur voluntati, ut omnino æqualis boni ratio utrinq; appareat, voluntatem seipsam determinare non posse, ut unum potiùs quàm aliud eligat? Idem prorsus dicendum si duæ opiniones oppositæ sint æquè probabiles.

269. Antim. Vasquesij sententia nunquam mihi placere potuit, quia tunc maximè voluntas est libera, cum ipsa est indifferens, & ipsi objectum indifferenter repræsentatur; nempe tunc maximè seipsam determinat, cum ab objecto minimè determinatur, immò nunquam esset libera in electione objecti melioris, libertate, ut vocant, contrarietatis, nec ulla laude digna esset, dum quod est melius ipsa eligit; deinde si æquè bonum ipsi videatur, actum aliquem ponere, ac omittere, ipsum omitteret, igitur æquè bonum eligeret: sed data, non concessa Vasquesij sententia, non sequitur ex ea, intellectum voluntatis imperio alteri parti æquè probabilium assentiri non posse: quia licèt æqualis ratio *veri* utrimque appareat, nihil vetat, alia esse motiva, quibus voluntas ducatur, ad partem unam alteri præferendam, & imperandum assensum cum formidine conjunctum, vel cum dubio positivo, quod perinde est. Licèt enim intellectus judicet, utramque partem æquè probabilem, id est, æquè probabili fundamento nixam, sufficienti ad prudentem assensum, hoc tamen non obstat, quo minùs voluntas alteram eligere possit, altera omissa.

270. Pithanoph. Judex non debet judicare in favorem alterius, si jura sint æqualia, & probationes æquales; igitur nec voluntas alteram æquè probabilium eligere.

271. Antim. Non desunt, qui negent antecedens illud, tamen ultro concedo, quia Judex hoc facere nõ

debet

debet, ne fine certa ratione, jure probabili alterum limitum privet; quid quæso simile in voluntate? quæ licet partem alteram eligat, alteri injuriam non facit.

277. Pithanoph. Nemo prudenter alterum ex duobus similibus oculis eligat, in quorum altero venenum mixtum sit: nec alteram ex duabus viis, quarum altera latronibus infesta, si nesciat utra sit, nec alterum ex duobus navigiis, quod naufragium passurum sit, pari modo nemo eligat alteram ex oppositis æquè probabilibus, quarū altera falsam esse judicat.

278. Antim. Quid quæso hæc probant? Facilè negatur consequentia, quia opinio probabilis tuta est, licèt opinans errandi periculo se exponat, non tamen temerè sed prudenter: Sed inquis falli potest: quid tum? Quasi verò humanæ fragilitatis id sors non ferat, & satius non sit, opinari cùm aliqua formidine, quàm suspensum, stupitis ad instar, manere, denique hic falli, in genere moris, malum seu turpe non est.

279. Pithanoph. Quisquis uni parti assentitur æquè probabili ū, cum formidine tamen, ne ipse fallatur, si est, ne opposita vera sit, judicat, oppositam esse falsam, ne simul veram utramque judicet, igitur si assentitur minùs probabili, censet, probabiliorem esse falsam. Sed hæc magis apparet vera, igitur existimat veram, quæ sibi magis falsa, & falsam quæ sibi magis vera videtur, quid absurdius?

280. Antim. Ambiguitate hic paralogismus latitat, nec enim affirmo absolutè, cum assentior minùs, vel magis probabili, esse veram, aut falsam, sed judico, ita esse veram, ut falsa esse possit, & hæc est illa formido, quæ cum assensu probabili conjuncta est, licèt autem assentiar uni, non tamen propterea assentior alteri, cum fortè hoc ipsum repugnet, ut supra dictum est, igitur utrique simul non assentio, licet utramque probabilem judicem, & alteram probabiliorem, igitur non existimo, nec judico probabiliorem magis veram, dum assentior minùs probabili, nam judicare veram esse, idem est, ac ipsi assentiri, sed minùs assentior illi, igitur non judico magis veram, sed magis probabilem, quod longè diversum est, nam simul utramque veram judico probabilem, non tamen utramque veram: deo porrò judico probabilem, quia judico illam sufficienti fundamento niti, quod ad prudentem assensum movere queat, & & si probabilior est magis sufficienti, non tamen propterea rapitur intellectus, cum objectum non sit evidens, sed ut utrumlibet à voluntate determinatur, quæ aliis motivis ducta, ad minùs probabilem, intellectum determinat: in hoc igitur jucundè parallogizas, quod pro eodem accipis, judicare verum, & judicare probabile, unum tamen ab alio differt, nam opinio potest esse certò probabilis, licèt non sit certò vera.

281. Pithanoph. Intellectus, quantum potest, adhæret veritati, igitur probabiliori.

282. Antim. Eodem errore teneris, nec enim intellectus ullo modo obscuræ veritati per se adhæret, sed à voluntate agitur & determinatus; hæc autem, ut dixi, cum certò constet, utramque partem esse probabilem, ac prudentem utrique assensum præberi posse, minùs probabilem prudenter eligit, honestis, ut dixi, motivis ducta; hæc porro electio prudens est, aliquando magis aliquando minùs, etiam cum omittitur probabilior; nam sæpe accidit, ut minùs probabilis sit, tutior, ut supra dictū est, quidquid sit, modo prudens sit electio, voluntas ad prudentiorem non tenetur.

283. Pithanoph. Num quæso voluntas pro arbitrio intellectum flectere potest?

284. Antim. Modo adsit objectum sufficiens, nullum dubium est, quin flectere possit intellectum; immò licèt sufficiens reipsa non sit, per contumaciam, intellectum in errores sæpe inducit, eique persuadet, sufficiens esse, propter aliquam apparentiam, variis motivis, & incentivis acta.

285. Pithanoph. Voluntas semper melius eligit; illud scilicet quod videtur melius.

286. Antim. Crede mihi Pithanoph. sæpe probasti contrarium; sæpe video meliora, proboque, ut jam dixi, & deteriora sequor; dum utrumque bonum sit, nihil sanè voluntatem ad melius, seu perfectius obligat; sed usus opinionis certò probabilis est prudens, bonus, honestus; ité usus probabilioris; & licèt hic aliquando sit perfectior, nihil obligat voluntatem ad illius electionem, cum ad perfectius non teneatur: sed inquies, si opinionem minùs probabilem falsam esse contingat: sed si etiam probabiliorem falsam esse contingat; hæc sanè falsitas in ordine ad mores, nullum malum, nullum incommodum secum afferet; nam humano modo agimus; nec ea est hominis perspicacitas, ut omnia certò cognoscat; ut autem sub ratione, & genere boni, non obligatur ad melius, ita sub genere probabilis, non obligatur ad probabilius; accedit, quod voluntas his solùm motivis à probabilitate petitis non ducitur, sed aliis, iisque honestis, ut intellectum ad minùs probabilem determinet, cuncta hæc certa mihi videntur; vide igitur Pithanophile, ne dum intellectui plus æquo consulis, voluntati nimis detrahas; & dum negas, illum ad magis, vel minùs, vel æquè probabilem à voluntate determinari posse; aliquam humanæ libertati labem inferas: novatores saltem, eò maximè, ac potissimum spectant. Sed perge si quid restat.

287. Pithanoph. Reliqua quæ opponuntur facilè solvam; cursim perstringo; si fortè à recto tramite deflectam, statim me reduces. 1. Igitur opponunt, probabilitatē humanæ operationis regulā non esse, quia hæc certa esse debet: facilè repono, probabilitatē non esse regulam, sed rectā rationem, id est, judicium illud practicum, quod certum est, & ex certis deducitur, ut jam ferè ad nauseam ostensum est, 2. Sicut ex altera probabilium talis actio apparet honesta, ita ex altera probabiliore magis apparet non honesta; igitur ex eodem principio, potiùs omittenda est. Respondeo, ut jam supra, nunquam certò judicari, actionē illam turpem esse, alioquin duo contraria certa essēt; nempe certò judico, esse honestā, igitur non possum certò judicare esse turpem; sed ut certò judico actionem illam honestè poni, ita certò judico, honestè omitti, ut jam dictum est. 3. Adducunt illam regulam, *in dubiis tutior pars est eligenda*; sed jam illam explicuisti, nec sumus in dubiis, sed in certis, cum utrumque certum, ac tutum sit, scilicet, & poni, & omitti licitè: præterea si utraque tuta sit, tutior, id est, perfectior non obligat; denique sæpe accidit, ut probabilior sit minùs tuta; sed hæc supra fusè. 4. Ex lege amicitiæ adversùs Deum, tenemur sequi probabiliorem; sed hoc eadem facilitate negatur, cum enim minùs probabilis tuta sit, & à peccato immunis, lex amicitiæ ad perfectius non obligat, ut perspicuum est. 5. Adducuntur multa loca scripturæ contra opinionem minùs probabilem; sed oleum, & operam perderem in iis discutiendis, quod quilibet, qui vel latinè sciat, facilè præstabit, nihil enim aliud in iis conculcatur, nisi, ut mandata Dei fideliter, diligenter, sollicitè curatè exequamur, à malo, & à specie mali abstineamus, nihil agamus, de quo dubitemus, malum esse: quis hoc negat? quasi verò judicium practicum omne dubium non excludat. Idem

ad quædam loca Patrum, quæ opponi possent, respondendum est. Quod pertinet ad sanctum Thomam, ille haud dubiè excludit dumtaxat à conscientia, & in judicio practico dubietatem, etiam latè sumptam, quod ultrò damus, quæ si intercedit, peccatum non excluditur; cùm igitur judicium illud practicum certum sit, omnem dubietatem excludit; igitur, & omne peccatum; locum ni fallor, jam supra citasti: quis demùm crediderit, Doctoris Angelici mentem intellectam non fuisse à nobilissimo Thomistarum manipulo? quales sunt, Dominic. Bannes, Bartholomæus Medina, Dominicus Soto, Alvarez, Victoria, Candidus, Ledesma, Lopez, Serra, Martines, Vigneriius, Fumus, Zumel, omnes demùm recentiores, si unum, vel alterum excipiam.

283. ANTIM. Ut hæc breviter, ita luculenter, unum subnecto; Antiquiores aliquot, qui pro oppositа sententia citantur, id unum duntaxat voluisse, ut scilicet tutiorem sequi debeamus, cùm illi opposita non est tuta, sed cum aliquo dubio, vel justa formidine conjuncta; vel contra legem, aut conventionem taciram, vel expressam, aut communem usum Ecclesiæ; vel in damnum injustum proximi; id duntaxat voluêre autores, qui pro contraria sententia citantur: quid enim quæso aliud desideres? modò habeas judicium practicum certum, non per errorem invincibilem, sed per legitimam consequentiam, ex principiis certis deductum, quæ tantummodò supponunt opinionem certò probabilem, id est, legitimo, ac debito fundamento nixam, quam ferè omnes, scilicet prima capita, aut potissima illorum pars, non quidem sequantur, sed probabilem esse judicent. Et hæc, ni fallor, de hac dissertatione satis esse mihi videntur; longiùs enim producta disputatio tædium colloquentibus conciliaret.

284. PITHANOPH. Sed antequam illam terminemus, cùm duo sint hujus doctrinæ principia, quorum primum est, judicium illud practicum, quod conscientiam constituit, certum esse; alterum illam duntaxat opinionem moralem probabilem tutam esse, id est, ad praxim licitè reduci posse, quam certò constat, esse probabilem, utrumque scilicet, seclusa ignorantia invincibili, rem mihi gratissimam feceris, si per otium, in schedula, autorum elenchum mihi describas, qui utrumque principium tenent.

285. ANTIM. Descripsi nudius tertius in chirographo aliquorum nomina; en tibi. Judicium illud practicum, quod conscientiam constituit, certum esse debere, ut quis rectè operetur, certum inquam, formaliter, morali saltè certitudine, omnes ferè censent, tum antiqui, tum recentiores; Summistæ omnes, verbo *Opinio*, vel *dubium*. D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 13. Gerson *tract.* 36. Joan. Major *in* 4. *quæst.* 1. Henricus *quodlib.* 4. Navarrus *cap. si quis autem*, *n.* 63. *d.* 7. *de pœnit.* Suarez *de censur. disp.* 40. *sect.* 5. *n.* 14. *& sect.* 6. *num.* 6. Item *de act. hum. disp.* 12. *s.* 4. Benedict. Justinian. *in paraphras. cap.* 13. *ad Rom.* Lessius *lib.* 1. *c.* 1. *dub.* 1. Merend. *de consc.* Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *c.* 5. §. 1. De Lugo *de fid. disput.* 5. *sect.* 1. *num.* 16. *& seq.* Caren. *part.* 2. *tit.* 5. §. 4. Arriaga *tom.* 3. *disputat.* 23. *sect.* 2. *subsect.* 2. Salas 1. 2. *tract.* 8. *sect.* 43. Mercor. 1. *part. art.* 10. *&* 11. Cajet. 2. 2. *quæst* 47. *art.* 3. Azor. 1. *p. lib.* 3. *c.* 25. *quæst.* 2. Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *&* 6. Alensis *in sum. p* 1 *quæst.* 16. Sanchez *in summ. lib.* 6. *cap* 3. *& lib.* 1. *cap.* 6. Sayr. *in clavi Reg. lib.* 1. *c* 13. *num.* 13. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 4. Lao *de conscient. disp.* 1. *dub.* 6. Ferrerius *lib. de probabilit. cap.* 7. *pag.* 57. Mastrius *in* 2. *sent. disputat.* 5. *quæst.* 2. *art.* 1. *num.* 40. *& art.* 4. *num.* 82. Ovied. *tract.* 5. *controv.* 1. *p.* 2. *num.* 18. Bard. *disput* 4. *cap.* 10. §. 1. & licèt Vazquez *disputat.* 62. *cap.* 5. *num.* 22. & Sanchez *in summ. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 12. secus sentire videantur, ne tamen sibi contradicant, vix crediderim, ab iis negari, judicium illud ultimum practicum conscientiæ certum esse, de quo aliàs.

286. Quod attinet ad secundum hujus doctrinæ principium, de certitudine, scilicet morali probabilitatis, omnes ferè illud supponunt, pauci expresè hanc quæstionem tractant, dum plures occurrant, accipe aliquos; Baldell. *lib.* 4. *disput.* 10. *num.* 5. Medin. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Bresserum *de conscient. lib.* 3. *cap.* 5. Merulam *disput.* 3. *cap.* 4. Mercorum 2. *part. art.* 1. *ad* 1. Lugo *de fid. disput* 10. *sect.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 8. *sect.* 4. *num.* 41. Lao *de conscient. disputat.* 3. *lib.* 2. Mastrium *in* 2. *disput.* 5. *quæst.* 2. *art.* 6. *n.* 116. *&* 126. Sanchez *lib.* 1. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 18. Fagnan. *opusc. de probabil. num.* 130. Castr. Pal. *de consc. disputat.* 2. *punct.* 2. *num* 4. adde Spinulam, & omnes ferè alios. Ovied. & Bardium supra citatos, adde Spinolam passim *in tract. de hoc argumento*. Baldell. autem citatus vult hanc esse S. Thom. & Cajetani mentem: alios, si quos nactus fuero, tibi postea suggeram. Cæterùm unum tantùm, vel alterum invenio, qui hoc expresè neget. Sed, tandem huic nostræ collocutioni finis imponendus; aliàs, si per otium liceat, ea consectaria, quæ ex hac doctrina sequuntur, simul unà deducemus.

287. PITHANOPH. Sponsionem accepto, ut stes promissis, brevi te sollicitabo; interim dabo operam, ut ea, quæ disputavimus, ne fortè excidant, scripto committam, & nisi aliud jubeas, maximo illi tuo legenda tradam.

ANTIM. De his, ut voles, Pithanophile, te plurimùm valere jubeo.

PITHANOPH. Salve Antime, ac me semper ama.

DIALOGUS II.

De opinione probabili.

In quo nonnulla capita prioris opusculi repoliuntur, & consectaria generalia deducuntur.

1. PITHAN. ERit profectò Antime, quòd negligentiæ, vel incuriæ me insimules; sponsionem tuam gnavus impulsor extorseram, sed tardus exequutor oppignoratam fidem repeto.

2. ANTIM. Mirabar haud dubiè tarditatem tuam, præsertim cùm te adeo importunum sollicitatorem præbuisses: quid rei, ajebam apud me; Pithanophilus tamdiu silet, an mutavit consilium? monere saltem debuerat, ne me suspensum aut suspicacem haberet; an fortè illa, quæ à me disputata sunt atque asserta de opinione probabili minùs arrisere? ea tamen approbare videbatur; hæc, aliaque hujusmodi non semel in mentem venerunt.

2. PITHAN. Arriserunt sanè quamplurimùm & etiamnum arrident, nec semel legisse contentus, iterum ac tertiò lustravi, immo & alios, ex amicis præsertim & familiaribus meis, participes esse volui, iisque

ligue tuæ dissertationis copiam feci; exploravi illorum sensa & mentem de qua, ut certior fierem authoris nomine reticito; deinde rogavi, quid ipsi sentirent; & ne quid dissimulem, ut nonnulla esse mihi videntur digna, quæ tu ipse paulò accuratiùs ponderes, aut distinctiùs explanes, ita inficias non eo, quin alia novam disquisitionem postulent.

4. Antim. Non erat quod aliud expectarem; nosco meas vires, & scio, quid possim, conscius tenuitatis meæ; quod omnibus placeat, nihil excogitare valeo; quod multis displiceat, multa; nonnisi forte, quod paucis tui similibus gratum accidat; id tamen inde comodi nascitur, quod vel ea, quæ opponuntur diluo, vel muto perperam dicta, ubi ratio mutare cogit; hoc enim sæpius inter loquendum discere soleo, mutare in melius, sapientis esse; sed dic amabò, quid sapientes & docti homines in priore dissertatione castigandum censuerint; doctos appellas sapientes, cum indoctis & insipientibus non impleum; uti nec Heterodoxis, quos alibi fortè, hic verò minimè compello.

5. Pithanoph. Nihil mihi antiquius fuit eum ut tibi morem gererem; sed per te amabò mihi liceat, ea, quæ postulas breviter indicare, cum alia sint longè majoris momenti, quæ à te in hocce congressu explanari velim; sponsionis tuæ, ni fallor, meminens ex iactis principiis, ut promissa corollaria deduceas velim; multa enim, ut spero, deduces, quæ huic disputationi non modicam lucem allatura sint.

6. Antim. Faciam ut voles; & dum tibi molestum non sit, longam opinionum, moralium scilicet controversarum anacrisim aliquot dierum congressibus instituemus; ut vel inde constet, iacta principia vana esse, quæ tum analysi, tum anacrisi firmantur: ab hodierno congressu generalia dumtaxat consectaria deducam; ubi tame primùm ea significaveris, quæ à viris doctis in prima dissertatione desiderantur.

7. Pithanoph. Plura exhibes, quàm vel exigeporuissem; quid porrò jucundius præstare possis, non video, quàm si paucis aliquot dierum dissertationibus, variarum opinionum hujus temporis, moralium scilicet, doctum examen instituas, docearis, non quid verum sit, aut falsum, sed quid probabile, vel improbabile. Vereor tamen, ut hoc munere, pro dignitate defungi queas; nam ut tutè scis, uni non potest, ut tantam summarum moralium molem, & librorum vim paucis diebus discutias; multa volumina scribenda essent, ne longè plura omittas, quàm discutias; quod nec hujus instituti ratio, nec temporis angustiæ patiuntur: subrides Antime, quasi aliquid à me dictum sit, quod risu excipiendum esse putes?

8. Antim. Rideo; quia mentem meam & propositi consilii rationem minimè assequutus, id me cepisse consilii, arbitraris, ut omnes Theologorum moralium libros in examen vocatos commentariis & glossematis illustrem; illud sanè operæ pretium non esset, neque id à me unquam expectes velim; nempe id unum dumtaxat enitar, ut ex iactis principiis deducam, hanc, vel illam opinionem moralem, probabilem, vel improbabilem esse, idque vel certò probabilem, ac proinde tutam in praxi; vel probabiliter dumtaxat probabilem, ac proinde illius usum non esse licitum; vel certò improbabilem ac proinde sua nota aut censura dignam: verbi gratia pactum trium contractuum usurarium non esse certò probabile est, quia licèt multi authores negent, esse legitimum, omnes tamen ultro fatentur, opinionem oppositam quæ legitimum adstruit, probabilem esse; inde, ni fallor, deduco, certò probabilem esse; igitur certò in praxi tutam.

9. Pithanoph. Sed nunquid rationes non expones; quibus illa, vel alia quævis opinio probabilis adstruitur. Si quis enim neget, probabilem esse, quid amabò repones, si nulla ratione hoc ipsum evincas? an fortè responsa tua moralia pro oraculis haberi cupis? utpote qui ea, nec ratione demonstres, nec confirmes authoritate.

10. Antim. Consilium meum non capis, ignosce quæso Pithanophile, si hoc iterum tibi exprobro; rationes exponendæ essent, ac ponderandæ; immò ea, quæ ab iis, qui secus sentiunt, opponuntur, confutanda, si rei veritas indagaretur, longè alia quæstio est; & ut in adducto à me exemplo sistamus, non discutiam, scilicet ex professo, illa rationum momenta, quibus probatur, pactum illud trium contractuum licitum ac legitimum esse, & nulla usuræ labe infectum; non solvam argumenta ab adversariis congesta; authores omnes, qui contractum illum approbant, minimè adducam; hoc enim esset jam actum agere; & ad summum id efficerem, ut per rationes probabiles, & solutiones argumentorum etiam probabiles constaret, contractum illum licitum ac legitimum probabiliter esse; alius mihi scopus est, ut nimirum evincam, opinionem illam, quæ contractum illum adstruit, certò probabilem, ac proinde certò tutam esse; quod ut ostendam, nullo modo disputandum est de rei veritate, sed de probabilitate veritatis; quod, ut præstem, illud unum ostendam, scilicet graves autores pro hac opinione stetisse, & etiamnum stare; nullum esse ex adversariis, saltem alicujus nominis (nec enim triviales aliquos, & trioboli homines miror) qui sentiat, improbabilem; opposita ab adversa parte rectè dilui; nullam esse legem, saltem receptam, cui prædicta sententia adversetur; nihil absurdi, vel incommodi ex ea sequi; communi usui & lumini naturali probè consentire; hæc si breviter præstitero, ex his breviter & liquidò deducam; certò probabilem esse, ac proinde certò tutum illius usum; sic enim certò probabilem illam opinionem esse diximus in primo congressu, quam omnes fere authores classici, ut vocant, probabilem reputant.

11. Pithanoph. Sed ni fallor una authoritas probabilitatem opinionibus non conciliat; nisi ratio etiam accedat; hoc sæpe ac sæpius à te audivisse memini, ut igitur probabilem esse, ostendas aliquam opinionem, & ratione illam demonstres, & authoritate confirmes, oportet, ratione igitur tibi agendum est.

12. Antim. Non agitur de probabilitate concilianda, sed de conciliata: illa conciliatur cum rationibus probabilibus & adductis autoribus rei veritas illustratur; nempe inde aliqua opinio probabilis evadit, & quod & ratione probabili, & authoritate omni exceptione majore nitatur: ut verò constet de conciliata, nec rationes exponendæ, nec autores adducendi esse videntur; id unum dumtaxat præstandum est, ut perspicum sit, pro ipsa opinione graves authores stare, & à nullo, saltem alicujus nominis improbabilem reputari.

13. Pithanop. Rem capio, Antime; ignosce homini,

mini, qui cum ingenio paulo habetiore sit, adeò celeres animi motus non habet, ut ea quæ paucis versibus & cursim indicas potiùs quàm explanas, temporis fere momento, clara notione complectatur? hoc tibi vitio à nonnullis vertitur, quod brevitatem affectes, in rebus etiam difficillimis explicandis? crede mihi, longo verborum & ratiocinii circuitu opus est, ut res alioquin novæ ac difficiles inculcentur, pauci sunt, quos æquus amavit Jupiter, pauci, qui primo obtutu illas penitùs inspiciant, quare mediocribus etiam ingeniis consulendum, quibus nimia brevitas obscuritatem & tenebras aspergit.

14. Antim. Odi superflua, ut tute scis, quamquam, ne quid dissimulem, multa identidem repetii atque versavi in præfata dissertatione, ut doctrina illa altiùs legentium animis inculcaretur: quid porro ad propositum finem pertinens omiserim, divinare non possum: unum est, ni fallor, quod fortè cum aliis quibusdam desiderasses, ut scilicet scholasticam methodum adhibuissem; quod revetà facilè factu fuit; nempe duo vel tria, notandorum nomine, præmittere, in quibus multa ut plurimùm sine probatione supponuntur, quæ cum veritate minùs consentiunt; tum assertiorem subnectere, tribus, aut quatuor rationculis utcumque probabilibus innixam; mox objectiones ita solvere, ut cum solutiones duntaxat probabiles sunt, innumeris instantiis, ut vocant, & tricis scholasticis dent locum; testium denique, vel autorum nubem agglomerare; quamquam varii vario sensu loquuntur; en tibi scholasticam methodum, quam ut non improbo, quis enim censorem, aut judicem me constituit, ita multum à recta semita deflectere non existimo, si antiquum præstantissimorum hominum morem amplectar & familiarem Dialogi formam adhibeam, in qua tamen & principia tradendæ doctrinæ jaciuntur, & assertiones multiplici ratiocinio firmartur, & refutantur opposita, & autorum testimonia, si quando opus est, proferuntur; quid in hac methodo desiderares? cæterùm non adeò brevis fui, ut non nemo existimaret; paradoxum tibi videbitur, quod dicturus sum; scilicet, me omnino præ cæteris prolixè de hoc argumento scripsisse.

18. Pithanoph. Ita est, Antime, paradoxum esse putarem; cum multi ex professo de hac materia longè prolixiùs scripsisse videantur, ut Bardius, Lao, Bossius, Bresserus, Mercorus, & nonnulli fortè alii; vix tamen ausim tibi refragari, cùm hæc temerè à te dici, vix ac ne vix quidem crediderim.

16 Antim. Meis dictis facilè subscribes Pithanophile, ubi tecum ipse perpenderis, unam duntaxat propositionem, vel assertionem, ut vocant, à me fuisse pertractatam; scilicet opinionē moralem certò probabilem, in praxi, certo tutam esse; quidquid præterea dictum à me fuit, vel ad jacienda principia, ex quibus assertio deduceretur, vel ad rationum momenta, quibus illa demonstraretur, vel ad solvendas objectiones, quibus impugnabatur, pertinuit: quæstio facti est; appello quæso, si quæpiam alia propositio à me pertractata esse videatur.

17. Pithanoph. Non meministi opinor, demonstratum à te fuisse, minùs probabilem opinionem, in concursu probabilioris tutam esse in praxi.

18. Antim. Mera objectatio fuit; cum enim contenderem, opinionem omnem moralem, certò probabilem, tutò ac licitè ad praxim reduci posse, inter alia, illud præsertim opponi poterat, minùs probabilis opinio est certò probabilis; sed hæc in concursu probabilioris licita non est, omnis igitur opinio moralis etsi certò probabilis, tuta non est: ut igitur sarta tecta maneret assertio, demonstrandum fuit, minùs probabilem tutam esse: itaque, non erat, quod nimiam brevitatem mihi exprobrares, cum prædicta dissertatio unicam duntaxat assertionem contineat, & Authores Scholastici, singulis quibusque pagellis, singulas, saltem ut plurimùm, assertiones præferant.

19. Pithanoph. Non sine aliquo rubore tibi assentior, cum multis aliis fuerim in ea sententia, tanti est, præoccupatum animum genere, at mihi res tam clara videtur, ut vix intelligam quonam pacto tam ineptè cæcutierim, sed de his plusquam satis, quod autem ad Dialogi formam attinet, scio, à nonnullis minùs probari, sed illorum gustui serviendum esse non puto, res mihi & aliis quàm plurimis summoperè placet, & maximè apta, nec non oppositæ esse videtur, ad tradendas humanas disciplinas, unum tamen tibi cogitandum relinquo, utrùm Dialogus brevior, & contractior majorem afferat voluptatem, quando enim longior est, tensus, & applicatus diu animus tandem satisfacit, qui tamen alacrior esset, si brevior teusio, vel applicatio præcessisset.

20. Antim. Tibi moram geram, sed tu ipse fidelis monitor esto, adhibe si vis clepsydram arenariam, & quando voles, congressui finem ac modum impone, tanti res profectò non fuit, si dialogus longior esse videtur, dividi unum in duos: ipsam porro Dialogi formam multis, præsertim severioribus Scholasticis minùs probari, sat scio, non tamen propterea omittendam esse duxi, multis aliis acutissimi ingenii, & omnigenæ literaturæ hominibus satis arrisit, nemini sanè obtrudo, quisquis hoc cibi genus fastidit, abstineat, invitis minimè appono, sed ut eum non damno, ita quæso, ipse alios non damnet, quibus hæc scribendi ratio grata accidit, cui Plato & Cicero aliique ferè innumeri suffragantur, sed age, cur in his minutiis me detines. Profer alia majoris momenti, quæ aliqua castigatione tibi, vel aliis indigere videntur, ut vel agnoscam errorem, vel perperam oppositā refellam.

21. Pithanoph. Unum exciderat, quod enixè à te flagito, ut scilicet illas opiniones, quæ hoc tempore tot lites excitant, paulò nervosiùs & accuratiùs discutias, Authorum loca afferas & conferas, rationes paulò fusiùs exponas, objectiones solvas, hæc ab humanitate tua expecto.

22. Antim. Nullam unquam à me repulsam feres; scio, quid velis, dabo operam, ut tibi faciam satis, quæstiones illas controversas intelligis de simonia, de pacto trium contractuum, de censu utrimque redimibili ad tempus, de contractu Moatra, ut vocant, de occasione peccandi, de homicidio, & calumnia, de contritione, & amore Dei; de recta intentione, de voluptatibus licitis, de sacrificio Missæ, de attritione naturali, aliisque hujusmodi, si quid excidat, revocabis in memoriam, sed ad rem, mi homo, quid tandem castigandum?

23. Pithan. Liberè significabo, non quidem animo critico & censorio, à quo revera procul absum, sed eo dumtaxat fine, ut doctrinam primo congressu traditam novæ lucis accessione illustres: occurrit igitur primo loco illud principium, quod supponis; scilicet, judicium practicum, quod conscientiam constituit, certum esse debere, quod plerique sanè cum

Vasquez

Vasquez, Sanchez, Diana, minimè admittunt, sed volunt, satis esse probabile ; nihil enim obstat, inquiunt, rectè agere, cum aliqua formidine ; hoc igitur principii loco assumere non debueras, cum per se notum non sit, nisi prius firmissimis rationibus demonstratis.

24. Antim. Non meministi, opinor, eorum, quæ à me dicta sunt, aut certè illa minùs fideliter adnotasti; equidem hoc unum est ex principiis, quibus assero nostra institutur; immo unicum principium, ut prius post dicam ; alterum enim ex hoc deducitur ; quod verò dicis, citra ullam probationem, à me assumptum fuisse, hallucinari videris ; nempe ideò certum illud judicium esse volo, saltem moraliter, ne aliquin formido moralis intercedat, qua fiat, ut dubitem & verear, ne usus talis opinionis imprudens sit illicitus, ac proinde me peccandi periculo volens & ultrò exponam, quod nullo modo licet.

25. Pithanoph. Quisquis judicat probabiliter, aliquid licitum esse, proximo peccandi periculo sese minimè exponit.

26. Antim. Quæro, an certum sit, abesse proximum peccandi periculum : si enim certum est, abesse, igitur certò judicat, se non peccare ; igitur judicium illud, quod conscientiam constituit, est certum; sed verò probabile tantùm est, abesse ; igitur & adesse probabile ; igitur probabili periculo peccandi sese exponit ; at si quis peccat, cum dubitat, ne peccatum sit, multò magis peccare dicendus est, qui probabiliter tenet, peccatum inesse : & verò non modò de certo periculo peccandi illa verba intelligi debent, *qui amat periculum, peribit in eo*, sed etiam de probabili. Item bonum ex integra causa, ita malum ex minimo defectu ; igitur velle probabile peccatum, id est, facere id, quod probabiliter judico, peccatum esse, haud dubiè peccatum est : hinc fortè mitiùs paulò antè loqui visus sum ; nempe dum id ago, quod mihi probabiliter, peccatum esse, non modò in periculum peccandi, sed in ipsum peccatum mea vota ferantur, cum me peccare certum sit : itaque si verè, sufficit judicium practicum probabile de bono, ut bene agam, potiori jure, sufficit probabile judicium practicum de malo, ut malè agam ; dixi potiori jure, nam plus requiritur ad bonam, quàm ad malam operationem ; bonum enim ex integra causa, malum ex minimo defectu, ut jam semel atque iterum monui.

27. Pithanop. Non ita accipiunt, ut dicis ; nec enim simul judicant, peccatum inesse, & non inesse ; sive per eundem actum, sive per duos, cum nec idem, nec duo simul in contradictoria, seu repugnantia fieri possint, sed suppositâ opinione probabili, quod aliquid, v. g. ut in eodem exemplo sistamus, pactum illud rum contractuum illicitum non sit, judicant deinde probabiliter, se non peccare hîc & nunc, cum prædictum contractum ineunt.

28. Antim. Probabiliter, inquis, id est, cum aliqua formidine, ne scilicet peccatum insit ; id est, cum cognitione probabili, quod peccatum inesse queat ; licèt enim simul assererem non possim, peccatum inesse, ac non inesse, in quo verâ tecum sentio, possum tamen judicare, utrumque simul probabile esse ; at si judico probabile, inesse peccatum, verâ pecco : immò ut ingenuè dicam, quod sentio, omnis assensus probabilis cum assensu probabilitatis alterius partis conjunctus est ; in quo, ni fallor, aliqui hallucinantur ; nam probè distinguendum est judicium de veritate objecti, à judicio de probabilitate ; sunt qui negant, nos assentiri posse, probabili scilicet assensu, veritati unius partis, nisi etiam assentiamur probabili veritati alterius ; sed, ut dixi, hallucinantur, cum voluntas ad unum determinare possit, non verò, ad alium ; immò, ut sæpius dictum est, duo illi assensus contradictorii simul esse non possunt : illa autem erroris causa est, quod judicium de veritate objecti non distinguant à judicio de probabilitate ; inde porro formido illa, quæ cum assensu probabili semper conjuncta est, ortum ducit ; licèt enim assentiar huic parti, simul tamen judico, oppositam probabilem esse, ac proinde talem, cui prudenter assentiri possim, si velim : igitur quando judico probabiliter practicè hîc & nunc, me non peccare, dum prædictum contractum ineo, simul judico, probabile esse, inesse peccatum : primum judicium est de inesse, alterum est modale ; primum excludit absolutè peccatum à tali actione, alterum adstruit eidem probabilitatem peccandi, ac proinde possum prudenter hoc judicium absolutum elicere, *peccatum inest* ; possum enim prudenter assentiri opinioni probabili ; quis autem dicat, me non peccare, licèt re ipsa judicem, probabile esse, quod peccatum insit ; ac proinde cognoscam, me prudenter judicare posse, quod verâ pecco ; anxius hæres & dubitas, ne peccatum insit, & peccas, quod nemo negat ; hoc enim est conscientia dubia, quam omnes damnant ; judicas, probabile esse, quod peccatum insit, ac vides, te prudenter facturum, si judices verâ inesse, & peccatum excusas : crede mihi, Pithanophile, nisi hoc evidens sit, quid sit evidens, prorsus ignoro.

29. Pithanoph. Si hæc ita se habent mirari satis non possum, quî fieri possit ut doctissimi viri Gabriel Vasquez, & Thomas Sanchez moralis Theologiæ coryphæi secus sentiant, quibus etiam multi alii, licèt inferioris notæ, accedunt.

30. Antim. Desine mirari ; nobiscum illi sentiunt, ne sibi contradicant ; admittunt enim, moralem certitudinem ; ac pro certo habent, hominem non peccare, qui probabili opinione utitur ; si autem certò judicant, non peccare alium, ita quoque se non peccare, certò judicant, dum opinionem probabilem ad praxim reducunt ; en tibi judicium certum conscientiæ : præterea non satis distinguere visi sunt judicium speculativum à practico ; illud fertur ad nudam veritatem objecti, hoc verò ad illius electionem, usum, & praxim ; præterea non satis distinxerunt judicium de inesse à judicio modali, nec directum à reflexo ; sed de his satis fusè in primo dialogo disputavimus ; admittit autem Sanchez prædictam certitudinem moralem ; dicit enim expressè *in Summ. lib. 6. cap. 3. num. 6. Ex probabilibus rationibus formari judicium prudens & practicè certum ad operandum* ; igitur licèt *lib. 1. cap.* non 6, in quo typographus erravit *num.* 18. videatur agnoscere tantùm judicium practicum probabile, ac proinde negare certum, loquitur de certo, quod excludat *omnem formidinem*, moralem scilicet, physicam & metaphysicam ; ad judicium moraliter certum excludit dumtaxat moralem ; igitur non negat hic auctor judicium moraliter certum, immo laudat Cajetanum, eo quod certitudinem moralem adstruat ; igitur ne sibi contradicat vir doctissimus, ita prorsus explicandus est ; & ne hoc omittam, hic auctor ibidem asserit, non posse quempiam tuta conscientia illam opinionem sequi, qui dubitat, an sit probabilis ; unde colligo, ut tuta conscientia illam sequatur, certam, non dubiam, vel incertam probabilitatê

desiderari: quod eo animo suggessi, ut hunc etiam autorem aliis à me citatis adjungas; adjungere etiam poteris Georgium Gobat in clyp. præfacione, item Suarem *in* 1. 2. *disput.* 12. *sect.* 2. *num* 7. item Mitinam & Salas citatos à Scanchez *d. n.* 18. Martinon *de act. human. disp.* 14. *sect* 2. *n.* 14.

31. PITHANOPH. Dum nudiustertius summam Dianæ lustrarem, verb. *conscientia*, *num.* 1. hunc versum adnotavi, *quamvis ad rectè operandum*, inquit, *requiratur judicium practicum moraliter certum, non tamen ita certum esse, oportet, ut omnem oppositi formidinem excludat, unde sufficit assensus rationis, probabiliter dictans, hoc, vel illud honestè agi, ita Vasq contra Layman*: video ut judicium moraliter certum adstruat; at sibi contradicere videtur, cum deinde admittit assensum tantummodò probabilem, vultque oppositi formidinem non excludi.

32. ANTIM. Nullo modo sibi contradicit, est enim judicium illud practicum certum moraliter, ut ipse ait, sed probabile tantùm physicè ac methaphysicè, quod Lectori suo cogitandum reliquit; non excludit formidinem oppositi, physicâ scilicet ac methaphysicam, sed tantùm moralem, & cum pro sua sententia citet Vasq vel inde deducerem P. Vasq non negare judicium practicum moraliter certum, sed quod ipse addit de P. Layman, haud dubiè fallitur: nam ibidem Layman expressè loquitur de judicio practico moraliter certo, & P. Vasq. expressè contra Cajet. judicium moraliter certum rejicit.

33. PITHANOPH. Cur ergo dixisti, P. Vasquez, ne sibi contradicat, minimè negare, judicium illud ultimum practicum conscientiæ moraliter certum esse.

34. ANTIM. Dixi, me vix credere, hoc ab ipso negari; quia si quæram à P. Vasq. num sit moraliter certus, se non peccare, quando aliquid agit, ex opinione vere probabili; inficias profectò non ibit, cur ergo assensum dumtaxat probabilem requirit, qui judicium merè speculativum, non verò practicum considerat, quod reverà non ad veritatem ipsius objecti, sed ad usum & praxim terminatur, ut patet, nempe postquam egregiè confutasset distinctionem Navarri, qua scilicet speculativum à practico distinguitur, vult enim Navarrus, speculativum esse universale, practicum verò particulare, rectè autem Vasquez observat, intelligi non posse, quomodò intellectus assensum probabilem præbeat propositioni universali, certum verò particulari, sub ea contentæ, sed non æquè bene instat contra Cajet. eandem esse rationem speculativam & practicam, & utramque versari circa idem objectum, cum reverà diversum sit: nam judicium speculativum attingit veritatem objecti, practicũ verò illius electionem, praxim & usum, ac proinde idem non est utriusque objectum nec eadem utraque ratio, unde ultro concedo, si maneat idem subjectum, utriusque judicii, utrumque judicium ejusdem rationis esse, scilicet, vel utrumque probabile, vel utrumq; certũ at si ultimum judicium feratur in usum, & praxim primi judicii probabilis, nemo neget, quin verè certum sit: Hinc autem rationes quas affert Pater Vasquez nullo negotio solvuntur. 1. inquit, ad rectè operandum non est necessarius assensus evidens, sed sufficit probabilis, facilè respondeo, sufficit assensus probabilis, speculativus, concedo, practicus, nego. 2. nemo tenetur ad tutiorem: Resp. teneri quemlibet ad tutam; sed hæc supponit judicium practicum certum, 3. qui habet formidinem circa propositionem universalem habet etiam circa particularem, Resp. quid tum, quia præter judicium speculativum, sive universale, sive particulare, quod reverà cum formidine conjunctum est, requiritur judicium practicum certum moraliter, quod moralem formidinem excludit: ex his ni fallor facilè intelligis, probabilissimum esse Patrem Vasquez attendisse tantummodò ad judicium illud, quod fertur in nudam veritatem objecti, tum universale, tum particulare, quod ultro fateor, non esse certum, ac proinde ultimum illud judicium practicum; seu dictamen rationis, quod in usum & praxim prioris judicii, vel opinionis fertur, ab eo fuisse omissum.

35. PITHANOPH. Quantum me tibi obstrinxeris verbis & oratione satis complecti non possum; nempe ab incredibili perplexitate me liberasti; hærebat cordi lethalis arundo, tanti nominis autorem, tibi adversari credideram, & vix doctore illo refragante tuum illud principium pro certo & indubitato habere poteram: jam verò quid rei sit, probè intelligo, illorum explicandi modum, qui per rationem universalem & particularem, assensum speculativum à practico distingunt, optimè refutavit, evicitque, utrumque simul esse probabilem; at non propterea negavit, aliud judicium quasi modale, quod circa usum & praxim opinionis verè probabilis versatur, esse moraliter certum, cum enim certum sit, usum opinionis probabilis esse prudentem, ac proinde licitum; illud judicium, quo judico prædictum usum licitum esse, omnino certum est: quid addi vel opponi possit non video: jam ad alterum principium venio, in quo asseris, nullam opinionem probabilem tutam esse in praxi, quam certò non constet, esse probabilem; quàm multi hoc ejiciunt, quàm pauci admittunt: & verò illud citra probationem admittere durum, mihi videtur.

36. ANTIM. Hanc litem facilè componam; nolim habeas pro principio, per me licèt, modò primum illud, quod certam conscientiam facit admittas, nempe ex illo judicio practico, quod certò judico, licitum & prudentem esse usum talis opinionis necessariæ consequutionis vi, certum esse deduco, talem opinionem esse probabilem; quod certè miror, adeo facilè tibi excidisse. Supponamus enim, exempli gratia, opinionem trium contractuum, cum in exemplis non requiratur veritas; unde facile rideas bonum illum, qui cum in priore dissertatione idem exemplum trium contractuum vidisset, graviter questus est, quod damnatam illam opinionem adstruxissem; damnaram, mi homo? cujus censura? quo decreto? qua auctoritate? continetur, inquies, in libro apologiæ prohibito; esto, quid tum? undemihi constat, propter hanc opinionem libellum fuisse prohibitum? quis hoc significavit, aut declaravit? Sorbona, inquies, pactum illud damnavit; sed major & multi Sorbonici non damnant; sed mihi non placet, inquies; ain? Sed multis aliis doctrina, sanctimonia & fama illustribus viris placuit; profer, quæso, si quid habes difficile, quod opponas, & quidquid nervorum habere exere; impugna sodes novis argumentis; antiqua enim jam sæpe solvimus, rationibus sage, non censuris, quæ doctum hominem minùs decent, præsertim quando agitur de configenda opinione, quam innumeri fere authores Catholici defendunt. Ignosce, Pithanophile modicam excursionem, jam ad rem venio: suppositâ igitur, e. g. opinione trium contractuum, supposito item hoc judicio practico, *certum est usum hujus opinionis trium contractuum prudentem & honestum esse*; ex hoc, per assensum, sic ratiocinari valeo, igitur certum est, electionem hujus opinionis esse honestam;

dum, certum igitur, assensum, quem huic opinioni, præbeo, esse prudentem, certum igitur hanc opinionem esse probabilem ; igitur si ultimum judicium practicum certum est ; contrà verò, si primum modale incertum est, ultimum practicum incertum esse, necesse est ; Demus enim incertum esse, sic procedo : incertum est, opinionem hanc esse probabilem , igitur incertum, assensum, quem illi præbeo, esse prudentem ; igitur incertum, electionem esse honestam ; incertum igitur, usum illius esse licitum : igitur supposito ultimo illo judicio practico moraliter certo, primum modale, moraliter certum esse, necesse est.

36. Pithanoph. Ne quid dissimulem, vir doctus ante aliquot dies, dum unà, de hoc argumento, colloquerer, duo mihi reposuit, contra tuam illam, de probabilitate, sententiam ; primum est, tuum illud principium usquequaque firmum non esse, quo tibi demonstrare videris, ex certa probabilitate, sequi certò prudentem assensum, & ex hoc, certò prudentem electionem, & judicium practicum certum de prudenti & ruto illius usu ; primam enim consequentiam admittit ; alteram verò negat,

37. Antim. Sustine quæso, ponamus rem in exemplo ; sit exempli gratia, quælibet opinio certò probabilis, puta quod pactum trium contractuum non sit usurarium, nec injustum, hoc posito, sic rectè ratiocinari, mihi videor : prudenter assentior huic opinioni, ergo prudenter illam eligo ad usum ; nego, inquis, consequentiam : exhac tamen, *prudenter eligo*, sequitur hæc, *ergo prudenter assentior*, id est, prudenter judico, non esse pactum usurarium, nisi enim hoc judicium prudens esset, reverà judicare non possem, me prudenter eligere ; quod certè judicium prudenti electioni præluceat, oportet ; ergo si prudens est electio, prudenter judico, me prudenter eligere ; ergo prudenter judico, opinionem illam, quam eligo, esse prudentem ; id est, prudentem assensum, quo judico, pactum illud injustum non esse, igitur ex prudenti electione, rectè sequitur prudens assensus ; nisi hoc perspicuum sit, quid perspicuum sit, reverà, non video. Nempe prudens electio est prudentis objecti ; nimirum objectivè, ut aiunt sicuti bona electio, est boni, mala mali, &c. Objectum autem dictæ electionis est ipsa opinio , scilicet objectiva ; sed autem opinio objectiva prudens sit, formalis haud dubiè est prudens, nimirum ipse assensus.

38. Pithanop. Vix crediderim, hæc ab ullo negari posse ; unde opinor , facilè vir ille doctus juris atque tui amantissimus concedet hanc consequentiam, *prudenter eligo, ergo prudenter assentior*, non tamen hanc vicissim, *prudenter assentior, ergo prudenter eligo*.

39. Antim. Mutua, ni fallor, illatio est ; nempe cum idem sit objectum utriusque ; quid enim, amabo, eligo, nisi opinionem illam objectivam ? & cui assentior, nisi eidem opinioni objectivæ ? si ergo prudenter illam eligo ; quia ipsa prudens est objectivè, quæ certè prudentia objectiva refundit formalem in ipsam electionem ; & cum æquè prudens sit objectivè, in ordine ad assensum , est enim eadem, hinc electionem, inde assensum terminans ; eadem certè ratione, qua refundit prudentiam formalem in electionem, refundit in ipsum assensum, & vicissim ; igitur æque ex prudenti assensu, sequitur prudens electio, atque ex prudenti electione sequitur prudens assensus.

40. Pithanoph. Hæc mihi germana demonstratio esse videtur, non moralis modò, sed geometrica, nempe si prudenter assentior opinioni, haud dubiè judico, esse prudentem opinionem ; ergo judico prudentem esse opinionem, quam eligo ; atque adeò prudentem electionem, prudentis nimirùm objecti ; hæc sunt, meo judicio, ita perspicua, ut ab ab eo, qui vel ipsos terminos capiat, negari non possint.

Antim. Primum igitur peractum est ; descende quæso ad secundum.

41. Pithan. Illud fortè difficilius ; negabat quippe vir ille, necessarium esse, ut certa sit probabilitas, cum probabilis satis esse videatur.

42. Antim. Commentum meum non fuit, ut tutè scis ; memineris, quàm selectum Auctorum manipulum in hanc rem addensarim ; imò ex iis, qui sua typis mandarunt, vix unum, aut alterum invenias, qui secus sentiant, ut suprà observatum est ; accedit, quod ex iis, qui tum in hoc, tum in primo congressu dicta sunt, manifestum sit, certam probabilitatem statuendam esse : demus enim, aliquam opinionem esse tantùm probabiliter probabilem, non certò, ac proinde incertam creperam & dubiam probabilitatem ; inde necessariò sequitur, eandem simul esse probabiliter improbabilem ; certa enim dumtaxat probabilitas, omnem excludit improbilitatem ; & hoc negari non potest ab eo, qui rem istam intelligat : jam verò , opinio probabiliter improbabilis, opponitur probabiliter certæ, juxta certam & germanam regulam oppositionum.

43. Pithanoph. Expecta quæso, parumper, ut dictam regulam in memoriam revocem ; sint duæ opiniones contradictoriæ, A & B, v.g. votum dubium obligat, votum dubium non obligat ; sit A improbabilis, erit B certa ; & eo modo certa, quo A est improbabilis ; nimirum si A certò, B certò, si A probabiliter, B probabiliter ; si A certò probabilis , & nullo modo certa, B quoque certò probabilis, & nullo modo, nec certa, nec improbabilis ; si enim B esset aliquo modo certa, A esset aliquo modo improbabilis ; ergo non esset certò probabilis qualis statuitur : si autem B esset aliquo modo improbabilis, A esset aliquo modo certa ; sed A statuta est nullo modo certa : igitur si A est certò probabilis & nullo modo certa , B. quoque certò probabilem, & nullo modo certam esse necesse est : rectè igitur dixisti, opinionem probabiliter improbabilem opponi probabiliter certæ sed quæso perge.

44. Antim. Sic pergo : quotiescumque duarum oppositarum altera est certa, & improbabilis altera : tenere debemus certum, & dimittere incertum, scilicet improbabile, nec puto eò laxitatis quempiam veniisse, ut improbabilem, in concursu certæ oppositæ, eligi, & ad praxim redigi posse, docuerit.

45. Pithan. Annuet haud dubiè, si opinio illa certò improbabilis esset, & opposita certò indubitata : sed versamur tantùm in certitudine & improbabilitate probabili : cur ergo probabiliter improbabilis, quæ est etiam probabiliter probabilis, licita dici non potest ?

46. Antim. Sit A opinio probabiliter certa, quia B est probabiliter improbabilis : haud dubiè probabiliter, id est, ex rationabili & gravi motivo , ac proinde prudenter, judico, me certum esse, de veritate opinionis A, igitur & certum esse, de falsitate opinionis B, non possum igitur prudenter judicare de veritate ipsius B, alioquin judicarem imprudenter, me certum esse, de falsitate ejusdem B.

47. Pithan. Si utraque sit verè ac certò probabilis

babilis, prudenter judico de veritate & falsitate utriusque.

48. ANTIM. Ita est: nam si A est probabilis, prudenter judico, esse veram; igitur & B falsam, & cum B sit etiam probabilis; prudenter judico B. veram esse; igitur & A falsam, quia utrimque sunt motiva gravia; at verò, si prudenter judico, me certum esse, de veritate A, ac proinde de falsitate B, reverà certitudo falsitatis B, excludit omnem veritatem, etiam probabilem ipsius B, igitur non possum prudenter judicare, aut dicere, quod B sit vera, si prudenter judico, me certum esse, quod sit falsa, id est, quod non sit vera. Unde concludo; nisi fallor, evidenter, dubiam & incertam probabilitatem opinionis non satis satis esse, at certam omnino desiderari, ad prudentem assensum, electionem & usum; quia scilicet, ut dixi, opinio probabiliter tantùm probabilis, est etiam probabiliter improbabilis, ac proinde opposita probabiliter certa; igitur cum prudenter judicem me certum esse de illius falsitate, non possum prudenter judicare quod sit vera, ut dixi; ergo prudenter assentiri non possum; ergo nec illam opinionem prudenter eligere; igitur nec ea prudenter uti.

49. PITHANOP. Hæc paulò subtilioris & difficilioris speculationis, ut ajunt, quare tuum fortè illud primum ratiocinium, si non efficacius, saltem facilius est; nempe, aiebas, si est tantùm probabile ac dubium, opinionem esse probabilem; dubium etiam est, assensum esse prudentem; dubium igitur, electionem esse prudentem, ac demum dubium, usum prudentem & honestum esse; quod tamen certum esse debet. Et verò prudentia probabilis objectiva refundit tantùm prudentiam probabilem formalem, tum in assensum, tum in electionem, ut patet ex iis, quæ paulò antè dixisti; unde judicium practicum certum ex probabili dumtaxat probabilitate sequi non potest. Cuncta hæc mihi certa videntur; scrupulus tamen hæret animo; nempe paulò ante dixisti, assensum illum prudentem non esse, quo quis opinioni tantùm probabiliter probabili assentitur; cum tamen eo modo prudens sit, quo est probabilis; cum ergo sit probabiliter probabilis, erit haud dubiè probabiliter prudens.

50. ANTIM. Ita est, speculativè, prudentia quadam speculativa, si dari posset, uti datur assensus merè speculativus; cum autem nulla sit prudentia, quæ practica non sit, nulla est etiam prudentia, quæ non sit certa; ac proinde prudentia tantùm probabilis, non est propriè prudentia; dum rem intelligas, loquere ut voles: imò ex hoc, multa facilè diluuntur, quæ ab adversariis opponi solent, nimirum quod prudentia certa esse debeat, &c. unc perperam deducunt, nullum assensum merè opinativum prudentem esse: sed profectò hallucinantur; nam assensus opinativus, ex motivo verè, ac certo rationabili & gravi, est certò prudens, id est, certa prudentia illi inest; id est, certum est, esse prudentem; & hæc est certa prudentia, quam Philosophi morales statuunt, certam nimirum & indubitatam; unde assensus probabiliter probabilis non est verè prudens; quia probabiliter prudens; nec electio probabiliter prudens, est verè prudens; nec usus probabiliter prudens, est verè prudens, nec tutus, quia dubius & incertus. Maneat igitur, ad prudentem & honestum usum opinionis probabilis, judicium practicum certum esse debere, ac certam probabilitatem; ac proinde certam assensus opinativi prudentiam, ac demùm ex certa prudentia dicti assensus, certam electionis prudentiam sequi, & vicissim.

51. PITHAN. Ita profectò res se habet; nam & ex certitudine judicii ultimi practici, certitudo judicii primi modalis deducitur, & vicissim; & ex meta probabilitate primi modalis cum formidine conjuncta, mera probabilitas ultimi practici cum formidine conjuncta consequitur; utrumque igitur, vel neutrum dandum est: atqui ultimum practicum dandum esse, constat; nec ullus, quod sciam scilicet in eo sensu, quem exposuisti, refragatur; primum igitur modale pariter admitteudum: porrò jam intelligo, quàm rectè ac verè dixeris, unicum dumtaxat à te supponi principium, scilicet ultimum illud judicium practicum certum; ex hoc enim primum illud modale certum deducitur; igitur principii loco non assumis, sed necessaria consequutione ex ultimo illo deducis: quæ cum ita sint, mirari satis non possum, quî fieri possit, ut nonnulli viri doctissimi, & rerum istarum peritissimi quantumvis conscientiam certam supponant, & ultimum judicium practicum certum esse, velint, nolint tamen, primum illud modale certum esse, ac dicant, satis reverà esse, modò probabile sit, opinionem illam esse probabilem; ex quo tamen sequitur, ultimum illud judicium certum non esse.

52. ANTIM. Illud certè vix mirum mihi accidit, cum fieri possit, ut licèt alioquin doctissimi ac peritissimi, singularem tamen hanc quæstionem ex professo non discusserint: & verò si unum Bossium excipiam, vix alium invenio, qui expressè asserat, satis esse, si modale illud probabile sit; imò ipse Sanchez, quem supra citavi, cum inter ratiocinandum, quæstio illa inopinatè occurrisset, decidit illicò, quantumvis obiter, non posse quempiam illam opinionem sequi, de qua dubitat, an sit probabilis; dubitat, inquam lato modo, id est, timet, ne sit improbabilis; Baldell. Mastrius, Lao, Spinula, rem expressè definiunt; nullus igitur dubito, quin, si animum seriò advertant, ita esse ultrò fateantur.

53. PITANOPH. Illorum alter aliquando significavit, certum esse, quod probabile sit, opinionem esse probabilem; quod est judicium reflexum modale; atque ita salvare putabat consequentiæ, id est, judicii ultimi practici certitudinem.

54. ANTIM. Probasodes, an id pro votis succedere queat; si enim certum est, probabiliter, id est, incertò, & cum aliqua dubitatione, seu formidine probabilem esse, igitur certum est, assensum esse tantùm probabiliter & incertò prudentem; igitur certum, electionem incertò ac dubiè honestam; igitur certum usum illius incertò ac dubiè prudentem, seu licitum; certum igitur dubiam conscientiam manere; dubium, inquam, id est, incertam, dubietate & formidine laborantem; viden, quò tandem modale illud reflexum resolvatur, sed averem scire, cur doctissimi illi homines primum illud modale certum tantoperè aversentur.

55. PITHANOPH. Præter communem illam ac plurimis familiarem contradicendi prurigine, qua tamen doctissimos illos homines, de quibus loquimur laborare vix crediderim, illa potissimùm ratio à tua sententia eos removet, quod paulò strictior esse videatur; ac proinde quisquis illam sequitur, interdici videatur usu multarum opinionum moralium, quas alioquin probabiles hactenus censuerunt, ut igitur nimia laxitas, ita nimia restrictio iis displicet; ut hanc arceant, judicium ultimum practicum certum esse, volunt; ut illam removeant, primum modale probabile dumtaxat esse patiuntur.

56. ANTIM. Alios terminos mihi præfixi, ut extremitates illas fugerem; primum illud modale certum

esse,

ssi, volo; ut scilicet ultimum practicum reverà, nec verò nomine tenus certum sit; alioquin si primum modale tantùm probabile sufficit, non video, quomodus propositio speculativè probabilis ad praxim illicitè reduci non possit, ut consideranti patebit: quæ primum illud modale certum nimiæ laxitati expono, nimiæ verò restrixioni, alia multa sunt quæ opponam, illud præ cæteris, quamlibet opinionem esse minùs probabilem, in praxi tutam esse, quod ex illa generali regula sequitur; nimirum, quamlibet opinionem moralem in praxi tutam esse, quam probabilem esse, certum est, & cujus usus prudens ac licitus certò judicatur: Ad id porro, quod timent, ne tale opinionum probabilium numerus contrahatur, nullus reverà timor non est, ut ex sequentibus constabit manifestum erit; nempe ex his nostris principiis, illæ omnes opiniones admittendæ sunt, quas sapientes viri admittendas esse, hucusque censuerunt, & nulla prorsus ex censu probabilium expungitur, cujus usus à sapientibus hactenus approbatus fuerit; vel unam quæso appellabis tuo commodo, quæ aliquid detrimenti ex hac doctrina patiatur: cæterùm ut ii, quos appellasti, nimiam in nullâ restrictionem timent, ita alii nimiam laxitatem accusare non cessant; illis opinor jam factum satis: his verò, quomodo fieri satis queat, non video: nunc seriò loqui, sed quasi per jocum agere videntur: etsi enim in laxiorem morum doctrinam, laxiores, ut vocant, opiniones invehuntur, non tamen propterea arctioris vitæ genus amplexi sunt; quibè habitant, lautè comedunt, lautiùs bibunt, molliter cubant, molliùs vestiuntur; nihil sanè in iis, splendorem domus, ad musæi pretium, ad mensæ delicias, ad sensum voluptates desiderares, affluunt divitiis, diffluunt deliciis, numeroso stipati famulitio, cibos illorum juxta atque fœces argentum spuit, nec multo parcitur auro, vel holoserico; & contra morales Theologos & miseros Casuistas acerbissimè declamant, & in laxiores opiniones debacchantur: at filii hominum, recta judicia judicate: laxiores mores accusatis, vestrorum, opinor, immunes, quos nullus Casuista quantumvis laxioris disciplinæ & largarum opinionum defensor excusetur, minimat culpæ; mores, ni fallor, ad vitam pertinent; quodnam, amabo vos, ducitis vitæ genus? strictum, an laxum? adeò profectò laxum, ut nulla eorum doctrina, nulla moralis Theologia, quantumvis laxa & larga aliud capiat; sed quo, & cujus emolumento vivitis? Ecclesiæ & Christi: sic igitur Christi & Ecclesiæ impenditis? fideles haud dubiè dispensatores; superflua dumtaxat erogare tenemur; sed quid splendidum illud vitæ genus superfluî relinqueret? diurnum horarum pensum persolvimus in hoc, fidem vestram; cum Deo agitis perinde atque si Deum minimè esse, vel adesse, credueretis: hæc sunt, quæ palpones vestri tolerent, aut dissimulent, quamvis nulla opinione probabili nitantur. Hæc diu concoxi in animo, Pithanophile, volenti an incauti exciderint, perinde est.

57. Pithanop. Haud ingratum accidit, adeò vultum expostulationem audire; & verò si fortè Stylites aliquis, vel austerus Eremi cultor adversùs laxiores opiniones declamaret, utique tolerandus esset; at quod liberioris & laxioris vitæ homines in Casuistas invehantur, quamvis alioquin temperatissimæ & castigatissimæ vitæ, plus quàm Pharisaicum esse videtur: rectè autem monuisti, Ecclesiasticorum bonorum usum, qui modò viget, & horarum persolvendarum modum, quem vulgò adhibent, vix, ac ne vix quidem inter opiniones probabiles, quantumvis largas locum habere; sed de his, ut spero, alias, in tua anacrisi; interim pergamus; plenè mihi factum est satis, tum in ultimo judicio practico, tum in primo modali; nec video, quonam pacto negari queat, quin utrumque moraliter certum sit, vindicasti etiam pro dignitate, tum adhibitam dialogi formam, tum impositam tibi nimiam brevitatem; quædam alia restant; longè minoris momenti, quæ obiter indico: nonnulli desiderassent, ut aliquot Authores citasses, quorum authoritate ea confirmarentur, quæ adstruxisti, v.g. de Judice, Medico, Advocato, opinione minùs probabili, quàm in concursu probabilioris, tutam esse vis; hæc aliaque hujusmodi à te asserta doctorum testimoniis muniri voluissent; imò, sunt qui arrogantiæ id tribuant, quasi per contemptum illos citare omiseris; alii verò ignorantiæ, quod eorum libros non legeris; scio, utrumque à veritate alienum esse; sed loquendi, vel obloquendi occasio præberi non debuit.

58. Antim. Hæc accusatio in me non quadrat; quid enim aliud adstruxi, in priore opusculo, quàm judicium practicum certum; nunquid fortè Authores huic sententiæ, quam certissimam esse reputo, suffragantes non adduxi? quamvis autem judicium practicum certum, primum modale certum necessariò supponat, ac proinde firmato semel primo illo principio, hoc alterum ex eo necessariæ consequutionis vi, deducatur; non omisi tamen Authores adducere, pro hujus confirmatione; quid porro aliud egi in tota illa dissertatione? rationes congessi, quibus illæ duæ quasi fundamentales assertiones confirmarentur; nonnulla explicui, explanavi, distinxi, ad eumdem finem pertinentia; ea verò, quæ à me dicta sunt de opinione minus probabili, de Judice, Medico, Advocato, Sacramentorum Administro, aliisque hujusmodi, non ex professo, ac per se, ut ajunt, sed per accidens, atque obiter, ad solvendas objectiones expositas fuere; cur igitur Authores citassem? expecta parumper; nullam enim assertionem novam sine suis Authoribus proferam, nec est, quod mihi arrogantiæ vertatur; tu me nosti alios Authores maximi facio; quod ut meliùs à te intelligatur, dabo deinceps operam: ad aliud caput, quod est de ignorantia, mihi est, quod reponam; honori semper duxi ab aliis doceri; nec opinor maximæ laudis, vel exquisitæ operæ fuit, Theologos morales lustrasse, in hoc præsertim officio, quo jam à 22. annis, utcumqe defungor; sed de his satis, pergo ad alia.

59. Pithan. Non nemo significavit, ea facilè solvi posse, quæ artuliti, ut demonstrares, opinionem minùs probabilem, in concursu probabilioris, esse tutam; nempe, inquit, in eo concursu, non censetur probabilis; unde ruit tuum illud ratiocinium; sic enim ratiocinaris: omnis opinio certò probabilis est tuta in praxi; sed in concursu probabilioris, minùs probabilis est certò probabilis; igitur est tuta: negat minorem; nempe in illo concursu, minùs probabilis definit esse probabilis.

60. Antim. Repugnantia loqueris; negas enim, opinionem probabilem esse probabilem, quod ridiculum est; quærò ex te, an fortè probabilitas in individuis, ut ajunt, posita sit; quis hoc dicat? quasi verò unum alio probabilius esse non possit? una ratio firmior? unum momentum gravius? igitur minùs probabilis non definit esse probabilis, ut bonus ille nugatur; alioquin fieret improbabilis; & probabilior, certa evaderet, quod nemo dicat, saltem

saltem qui rem intelligat: quæstio igitur, si capis terminos, sic instituitur; utrum in concursu duarum opinionum probabilium oppositarum, quarum altera est probabilior, & altera minùs probabilis, quis enim nescit, probabilitatem suscipere magis & minus, ut ajunt, homines teneantur probabiliorem amplecti; quis igitur hac instituta quæstione, nisi stultè respondeat, minùs probabilem non esse probabilem.

61. Pithan. Sed cur dici nequit, eam solam esse probabilem, pro qua motivum gravius, id est ratio gravior militat?

62. Antim. Quia hoc repugnantia involvit, nam quid est hoc, ratio gravior, nisi ratio probabilior? igitur pro opposita militat minùs gravis, seu minùs probabilis; igitur hæc etiam probabilis est, quantumvis minùs probabilis: præterea, si non est probabilis, restat ut sit improbabilis; sed quis opinionem illam improbabilem dicat, quam tum graves rationes firmant, tum graves Authores confirmant? denique, si hæc est improbabilis, igitur opposita est certa; sed quis certam illam opinionem esse dicat, quæ probabilibus dumtaxat rationibus innititur? apage igitur ista commenta, doctorum auribus prorsus indigna.

63. Pithanoph. Rectè sanè, quamquam non sine stomacho; nec me pœnitet, tibi tantulum bilem movisse, cum id non parum nervi & gratiæ dissertationi conciliet. Duo restant, de quibus te interrogem; primum est, de illa ratione, quam tibi suggessi, ut probares, opinionem probabiliter tantùm probabilem tutam in praxi non esse; quia scilicet, est etiam probabiliter improbabilis; igitur opposita probabiliter certa est; sed oppositam certæ sequi non possumus.

64. Antim. Siste parumper: incautus ad ea consectaria descendis, quæ generatim ex priore dissertatione, in hoc congressu, deducenda suscepi; sed priusquam operi manum admoveam, profer quæso aliud, quod proponere statueras.

65. Pithan. Vereor, ut illud etiam ad consectaria pertineat quæro enim ex te, utrùm illa opinio, quæ ad probabiliorem adigit, sit probabilis; cum enim certum sit, non teneri hominem, illam sequi, illa opinio, quæ negat, teneri, est certa; igitur opposita improbabilis.

66. Antim. Probè conjeceras, hoc etiam ad consectaria pertinet, ad quæ tandem pervenimus; & ut tui rationem à me haberi perspicias, ab his duobus à te propositis, initium duco. Primò igitur ex iis, quæ in priore dissertatione disputata sunt atque firmata, sequitur, non esse probabile, quod opinio probabiliter tantùm probabilis reduci possit ad usum; seu, quod idem est, tuta sit in praxi.

Pithan. Si per te mihi liceat, hoc facilè demonstrarem, ut saltem hoc labore te levem.

Antim. Per me licet, demonstra, quandoquidem jam cœperas; tibi hanc laudem eripi nolim.

67. Pithan. Utres melius succedat; sit aliqua ex illis opinionibus, quas non constat, certò esse probabiles, sed tantummodò probabiliter; v. g. contractus Mohatra; cum sit tantùm probabile, opinionem illam, quæ præfatum contractum ut licitum adstruit, esse probabilem, est etiam probabile, eandem esse improbabilem; igitur juxta legem oppositarum, probabile est, oppositam, quæ contractum illum illicitum asserit, certum esse; sed in concursu duarum opinionum, quarum altera certa est, oppositam certæ sequi non licet; nam tene certum, & fuge dubium; igitur opinionem probabiliter tantùm probabilem non esse tutam in praxi, perspicuum est, nec ad usum licitè reduci potest.

68. Antim. Cum tota vis tui ratiocinii ex eo principio petatur, quod scilicet in concursu duarum opinionum, quarum altera est probabiliter certa, altera probabiliter improbabilis, &c. vellem, ut paulò accuratiùs illud explanares; licèt enim mihi certum videatur, non deerunt fortè, qui de illo saltem dubitent.

69. Pithanop. Per se notum mihi quoque videtur; sed quandoquidem ita jubes, paulò accuratiùs illud explicabo; bonum inter & malum morale, id discriminis intercedit, quod cum malum per modum privativi sese habeat, & bonum positivi, si vel aliquid deest, privatio est, malum est; inde vulgare illud effatum prodiit, bonum ex integra causa; malum verò ex minimo defectu; igitur ut bonum fiat, constare debet certò, quod nihil mali insit; at si probabile est, malum inesse, reverà non constat certò, nihil mali inesse, certum enim excludit probabilitatem oppositi; igitur cum sit probabile opinionem illam, quæ prædictum contractum adstruit esse improbabilem, ac proinde assensum imprudenter illi præberi, inhonestam item illius electionem, & turpem ac illicitum usum, probabile est, quod malum ineat; igitur malum est, eam sequi, non bonum; cum certò non constet, nihil mali inesse: ex hac doctrina, ni fallor, conficitur, quod in concursu duarum opinionum moralium, quarum altera est probabiliter certa, altera verò probabiliter improbabilis, oppositam certæ sequi non licet: hinc non modò, ut dicebas, quisquis hanc sequitur, se exponit periculo peccandi, verùm etiam reipsa peccat, ac se se peccato potiùs, quàm periculo peccandi exponit; licèt enim proximum periculum peccandi peccatum importet; nempe, qui amat periculum peribit in eo, id est, qui amat periculum peccandi, peccabit, & re ipsa peccat, quia tamen proximum peccandi periculum, si gravissima necessitas urget, à nonnullis culpa eximitur, dicerem illum, qui probabiliter improbabilem opinionem sequitur, velle peccatum potiùs quàm periculum peccandi; quia reverà nulla, quamvis extrema necessitas illum à culpa liberat, ut fortè liberaret, si periculum peccandi dumtaxat esset: ex hac doctrina facilè deducuntur tua illa, quæ in priore dissertatione jacta sunt, fundamenta; scilicet ultimum judicium practicum, quod circa usum opinionis versatur, certum esse debere, ac proinde conscientiam certam; item primum judicium modale, quod versatur circa probabilitatem opinionis, etiam certum; item omnem dubitationem & formidinem à conscientia excludi; item nullam opinionem probabiliter dumtaxat probabilem ad praxim licitè reduci: Hæc mera est Doctoris Angelici mens, qui reverà merum dumtaxat dubium negativum à conscientia non excludit, sed dubitationem omnem etiam latè sumptam; ac proinde formidinem; dubium scilicet, vel incertum, quod opponitur certò; hinc illud, *tene certum, dimitte incertum, c. fin. quis autem, d. 7. de pœnit.* ni fallor.

70. Antim. Vehementer fallor, aut data opera, præmissam quæstionem movisti, ut rationem illam, quam suggesseras, vindicares; ego sanè illam non rejeceram, sed ad principium Doctoris Angelici reduxeram, qui scilicet dubitationem omnem excludit, ne in periculum peccandi incurratur; tu verò ab illo principio abstractam ita defendis, ut mihi summoperè placeat, & tibi gratuler rationem potentissimam

rationem & demonstrativam à te feliciter excogitatam, qua certitudo primi judicii modali de probabilitate penitùs evincatur: hinc porro multa quasi pullulant consectaria; 1. ex duabus opinionibus, quarum altera est probabiliter certa, & opposita probabiliter improbabilis hanc tutam in praxi non esse: 2. quamlibet opinionem probabiliter dumtaxat probabilem ad praxim licitè reduci posse. 3. opinionem certò probabilem speculativè fieri ac esse certam practicè. 4. opinionem probabiliter improbabilem speculativè fieri certam practicè.

71. PITHANOPH. Siste tantulum; duo prima consectaria ultrò à me dantur, postrema duo, si quid video, repugnantia involvunt; imò iis, quæ à te dicta sunt priore dissertatione, manifestè adversantur; nempe dixisse, ni fallor, meministi, eandem esse propositionem speculativè consideratam & practicè; cum eadem objectum iisdem circumstantiis vestitum tum speculativè, tum practicè terminetur; ac proindè esse certò probabilem practicè, si est certò probabilis speculativè, ut probabiliter practicè, si probabiliter speculativè; cur ergo certam practicè vocas, quæ vel est certò probabilis speculativè, vel probabiliter improbabilis; nisi hæc sint repugnantia, fateor illico, me nescire, quid repugnans sit; quare facilè credideris, hæc duo tibi excidisse.

72. ANTIM. Censuram & notam sustinere poterat, nec ita se res habet, ut dicis; faciamq; ut probè intelligas; dictorum memini, nec mihi refrices memoriam necesse est; dixi, sat scio, opinionem practicè & speculativè sumptam eandem esse, ac eodem probabilitatis, vel certitudinis jure gaudere; sed tunc agebam cum iis, qui volunt opinionem speculativè sumptam eam esse, quæ in abstracto & generatim, practicè verò, quæ hic & nunc sigillatim consideratur; juxta hunc explicandi modum, contra illos quibus, ad hominem, ut vulgò ajunt; nempe ea propositio, sive generatim, sive sigillatim sumatur, eadem probabilitatis, vel certitudinis laude valet; si enim probabile est, pactum trium contrahentium in genere usurarium non esse; est etiam probabile, hîc & nunc, non esse usurarium; ut Vasquez, & post illum multi alii prudentissimè observarunt; ne igitur de nomine disputarem, ut ibidem monui, alium sensum adhibere jure non potui, nisi quem illi agnoscebant, contra quos agebam: at verò, cum juxta meum, imò naturalem explicandi modum opinio speculativa illa sit, quæ ad nudam veritatem objecti terminatur, practica verò, ad usum illius, vel potiùs ad veritatem honesti usus; quis non videt, hanc certam cum illa probabili, sine absurdo stare posse; quod ut familiari exemplo luculentius fiat; sit vulgaris illa opinio his terminis concepta, *pactum trium contractuum non est usurarium*; hoc judicium est merè probabile & speculativum, terminatum ad veritatem probabilem objectivam, id est, ad connexionem prædicati & subjecti; sit aliud: *probabile est, illud pactum non esse usurarium*; hoc judicium modale est certum, & speculativum, terminatum, ad probabilitatem prædictæ opinionis, seu connexionem modi & dicti; sit aliud, *usus illius opinionis, seu contractus est honestus*, hoc judicium est practicum & certum, terminatum ad praxim & usum prædictæ opinionis; primum respicit veritatem probabilem objecti; secundum, certam veritatem probabilitatis; tertium, certam veritatem honestatis, vel honesti usus: & hoc ultimum judicium est ipsa opinio practica, seu practicè sumpta, id est, judicium ad usum & praxim opinionis probabilis terminatum, quod cum certum esse constet, quid mirum, si opinio certò probabilis speculativè, certa practicè dicatur. Pari modo, sit hæc; *contractus Mohatra non est usurarius*; hoc judicium est improbabile, non certò, sed probabiliter, & merè speculativum; sit aliud, *usus illius opinionis, seu contractus non est honestus*; hoc judicium est practicum & certum, estque ipsa opinio practicè sumpta; igitur opinio probabiliter improbabilis speculativè, practicè sumpta certa est; id est, illius praxis certò illicita & inhonesta. Ubi jam amabò te, repugnantia invenies? in hoc, ni fallor, hallucinabaris, quod existimares, eandem opinionem esse tum speculativè, tum practicè consideratam; cum tamen una differat ab alia; nam speculativè sumpta respicit tantùm connexionem prædicati cum subjecto; practicè verò connexionem objecti cum praxi vel usu; hinc casu garem illud, quod dicebas; probabiliter dumtaxat malum inesse; quia revera certò inest; cum certum sit, usum illius opinionis esse malum & illicitum; licèt speculativè loquendo, probabile sit, esse probabilem, simul & improbabilem opinionem, ac proinde oppositam, scilicet hanc, *ille contractus est usurarius*, probabiliter certam.

73. PITHANOPH. Vastissimum campum aperis, Antime, & jam prospicere mihi videor, quàm facilè tuam anacrisim opinionum moralium instituere valeas; nec erit tam immensum opus, ut mihi, per errorem persuaseram; Judicem ferè describes, nullo ferè ratiocinio adhibito, quod utrum assequar, probare percupio in duobus exemplis à te adductis. Pactum trium contractuum minimè usurarium esse tenent Doctores, quorum censum statim describes; usurarium autem esse, docent hi, quorum etiam nomina subnectes; omnes tamen ferè, saltem alicujus nominis concedunt, opinionem illam esse probabilem, quæ negat esse usurarium; igitur certum est moraliter, hanc opinionem esse probabilem; igitur certum est, esse tutam in praxi; en tibi examen hujus opinionis peractum, idque breviter juxta atque facilè.

74. ANTIM. Unum omittis; subnectam enim, non quidem rationum catalogum, sed rationem fundamentalem; nempe non authoritas modò, verùm etiam ratio probabilitate conciliat; & si quid gravioris momenti opponatur, vel opponi possit, etiam diluam; hoc enim ad probabilitatem non parum confert, ut constat ex dictis in priore congressu.

75. PITHANOPH. Hoc ipsum à te postulare decreveram, sed postulationem prævertisti; crede mihi, operæ pretium erit; licèt enim hanc provinciam non susceperis, ad probandam veritatem opinionum, sed tantummodò probabilitatem; vix tamen dici potest, quantum conferat ad probandam probabilitatem, grave rationis momentum, quæ alioquin adducitur, ad probandam opinionis veritatem.

76. ANTIM. Ita est, omninò; licèt enim probabilitas ab ipsa rei veritate distincta sit; unde accidere potest, ut opinio aliqua sit probabilis, quæ tamen falsa sit, scilicet, speculativè; ita tamen cum veritate probabilitas consentit, cum veritate inquam probabili & obscura, ut iisdem rationibus utraque innitatur; nempe unde veritas probabilis adstruitur, inde probabilitas persuadetur.

77. PITHANOPH. Rectè, ni fallor, distinguis probabilem speculativam à practica; quia licet opinio certò probabilis, speculativè sumpta, possit esse falsa, ac proinde errare dicatur, quisquis eam adstruit; si tamen practicè sumatur, certa est; & quisquis illa utitur,

utitur, & reducit ad praxim, nec errare, nec peccare dicendus est, etiam materialiter; non errare quidem, quia opinio illa practicè sumpta certa est, non peccare verò, quia ille non peccat, qui conscientiam rectam, & rectum rationis dictamen sequitur: dixi *etiam materialiter*: quia nusquam est error materialis, & peccatum materiale sine formali; nisi quando ignorantia inculpabilis intercedit, unde ni fallor, periculum peccandi omnino arcetur.

78. ANTIM. Hæc quasi obiter projicis, nec fortè animum advertis, esse totidem confectaria: sic ea breviter adnoto, & in numeros distinguo. 1. quisquis sequitur opinionem certò probabilem speculativè errare potest. 2. practicè errare non potest. 3. peccare nequit. 4 nulli omnino periculo peccandi, etiam materialiter, sese exponit. 5. opinio certò probabilis est certò tuta in praxi, tum formaliter, tum materialiter. 6. ex duabus opinionibus certò probabilibus oppositis, quamvis altera sit probabilior, non tamen est tutior in praxi; tutior inquam, juxta proprium sensum, quo tuta opinio dicitur: quia scilicet excludit peccatum & periculum proximum peccandi, ut diximus in superiore dissertatione.

79. PITHANOP. Optimum sanè factu, quod meis vestigiis insistis: cum tibi copiosum spicilegium relinquam: sed ad aliud exemplum transeo. Contractum Mohatra non esse usurarium, dicunt hi, quos illicò appellas; illi verò usurarium, quos etiam recenses: sunt aliqui Authores, hîc etiam nominandi, qui tenent, opinionem illam, quæ negat esse usurarium, improbabilem esse; igitur est tantùm probabile, non verò certum, esse probabilem; igitur etiam probabile, esse improbabilem: igitur certum est, non esse tutam in praxi: hinc reverà dici potest hæc opinio probabilis speculativè, non verò practicè: subnectes deinde utrimque primarias rationes, quibus utraque pars innititur, id est, tum probabilem, tum improbabilem esse probatur; nec omittes præcipuas difficultates, quæ plus negotii faciunt, atque ita breviter rem expedies.

80. ANTIM. Inde aliquid, quod tibi fortè mirum videbitur, colligo; scilicet, fieri posse, ut opinio illa probabiliter tantùm probabilis sit vera; ac proinde, quisquis eam speculativè sequitur, non erret, at verò fieri non potest, quin practicè, quatenus scilicet ea utitur, tum errare, tum peccare dicendus sit, errare quidem materialiter, non formaliter, peccare verò formaliter, non materialiter; has voces opinor satis intelligis, alioquin breviter saltem illas explicarem.

81. PITHANOPH. Intelligere mihi videor: sit enim judicium illud practicum, de quo agitur, *usus illius opinionis, vel contractus est illicitus*; posito quod verum sit primum judicium speculativum, scilicet *Contractus Mohatra non est usurarius*: si verum est, non esse usurarium, verum est, illius usum non esse illicitum; igitur judicium illud practicum, quo ille usus illicitus adstruitur, est falsum; igitur quisquis illud habet, errat materialiter, ratione scilicet objecti, vel materiæ, non tamen errat formaliter; quia cum primum judicium speculativum sit tantùm probabiliter probabile, ultimum practicum rectè damnat usum illius opinionis; igitur quisquis illud habet non errat formaliter, scilicet ratione cognitionis, seu modi, quo tale objectum ipsi repræsentatur; sic dum assero aliquid falsum, quod tamen credo, esse verum, mentior materialiter, non formaliter; pari modo quisquis adhibet usum prædictæ opinionis, contra propriam conscientiam, peccat formaliter, non peccat materialiter; quia init contractum, quem illicitum certò judicat, qui tamen re ipsa usurarius non est.

82. ANTIM. Rectè; sed adnota corollaria. 1. Quisquis sequitur opinionem probabiliter probabilem speculativè potest non errare. 2. Potest etiam errare 3. Practicè verò potest non errare, tum formaliter, tum materialiter. 4. Potest errare materialiter, non formaliter si sit bona. 5. Item errare formaliter, non materialiter, si sit vera, & judicet practicè, usum illius licitum per errorem culpabilem. 6. Potest errare materialiter & formaliter, si sit falsa, & adsit idem judicium practicum erroneum. 7. Potest peccare utroque modo. 8. Potest non peccare materialiter, non formaliter, sed transeamus ad alia; interrogaveras de altero capite, ferè animo excidit; quæso, te voca in memoriam.

83. PITANOPH Quæsivi à te, utrum illa opinio, quæ asserit, hominem in concursu duarum opinionum moralium teneri ad probabiliorem, sit probabilis, nempe opposita, quæ negat, hominem teneri, est certa.

84. ANTIM. Satis est, memini; audax reverà quæstio, pessimè ab iis accipienda, qui tanta contentione, opiniones minùs probabiles explodunt, perinde atque moralis Theologiæ & doctrinæ Christianæ pestes & corruptelas; nempe illos videris per jocum ac lepidè illudere, dum quæris ex me, utrùm id probabile sit, quod ipsi ut certum, imò ut potissimum doctrinæ moralis principium ac fundamentum esse statuunt; nihil ergo ab iis vapulare times, qui te haud dubiè ad instar hæretici ac monstri in suis Satyris traducent.

85. PITHANOPH. Rem certè cum iis hominibus mihi esse nolim, quos nec ratione, nec authoritate commovere possis; non ratione; quam ipsi humanum commentum ac divinæ fidei hostem esse volunt, non authoritate; nam ipsi mille Casuistas floccifaciunt, & simplicis mulierculæ potiùs, vel ignorantissimi cujuspiam Curionis, quàm Doctorum nostrorum judicio standum esse dicunt; sed hos quæso sinamus, & perinde atque si non essent, cœptam dissertationem prosequamur; responsum igitur à te expecto.

86. ANTIM. Hac arte perplexitatem meam tegere cogitaram, quid enim respondeam, profectò non liquet, nam ex una parte, necessariæ consequentiæ vis me cogit ad dicendum, improbabilem esse opinionem illam, quæ adstruit, me teneri ad probabiliorem; cum enim certum sit, me non teneri, quod, ni fallor, Archimedeo modo in priore dissertatione demonstratum fuit; haud dubiè improbabile est, me teneri; igitur opinio illorum, qui asserunt, me teneri, improbabilis censenda est: ex altera verò parte, gravissimorum Doctorum authoritas opinionem illam probabilem facere videtur; si quis enim appellet ex Antiquioribus Caietan. Gabrielem, Majorem, Conradum, Angelum, Fumum, Sylvestrum, Cordubam, ex recentioribus verò Comitolum, Philalethum, utrumque ex Societate, Antonium Perez, Merendam, Mercorum, Fagnanum, &c. quis neget, eam esse istorum authoritatem, quæ probabilitatem opinioni conciliet: quamquam Antiqui illi, saltem majori ex parte, aut agunt de tutiore, non verò de probabiliore, aut dubitationem dumtaxat excludunt cum Doctore Angelico, ut expressè Sylvester *in Summa, verb. opinio*, qui ut hoc obiter observem, agnoscit judicium practicum certum moraliter, de quo fusè actum est: nam *in moralibus*, inquit, *sufficit*

fficit certitudo ex probabilibus, scilicet certò probabilibus, quare hunc etiam accenseiis, quos citavi in priore opusculo; aut volunt tantùm teneri nos ad probabiliorem in Sacramentis, judiciis, re medica, quæque hujusmodi: quod pertinet ad recentiores aptatos, non omnes eundem sibi finem proponunt, Merenda sanè in multis errat, propter quæ satis valdè à Raphaële de Turri; Mercorus altiùs collimat; vult enim, ne probabiliorem quidem, quam-dam probabilitatis fines minimè transcendit, licitam esse quod sanè quæstionem propositam transcendit; Philelethus sub nomine ficto; nō sine aliqua contentionis privatæ specie, malam causam contra adversarium defendit: Comitolus, cum à recentioribus animum plus æquo alienum gereret, & Antiquioribus addictior esset, modico factionis studio actus, eamdem opinionem amplexus est; Fagnanus merus Canonista, ut Theologis iniquior, ita rerum Theologicarum minùs peritus, quod ipse ultro fatetur; sed his omnibus facilè itidem dirimo, ac me ab his angustiis expedio illa opinio, quæ adstruit teneri nos ad probabiliorem, est (speculativè probabilis, non practicè, id est, ut meo modo loquar, est probabiliter tantùm probabilis; igitur simul & improbabilis; igitur opposita est probabiliter certa; quod scilicet homines ad probabiliorem non teneantur, ac proinde minùs probabilem tutò sequi possint; hanc Bossius *in append. ad n. 1. n. 277. & intit. 1. n. 131. & 137.* moraliter certam vocat; item Bresserus *lib. 3. de conscient. c. 6. n. 75.* cum multos citat.

89. Pithanoph. Plus justo huic sententiæ minoribus, cum eam moraliter certam esse concluseris omnibus rationum, quibus illam probavi, in prima dissertatione, quæ certè demonstrationum loco habentur: descripsi nuper longum Authorum censum, quam defendunt, quos P. Stephanus Dechans in hac quæstione facti ex variis congessit, quem breviter hic, omissis locis ab eo citatis; Præter Jesuitas, scilicet: Albert. Magn. Paludan. Panorm. Didac. Alvarez, Angles, Barthol. Ledesin. Zerola, Malder. Barbosa, Bonacin. Caramuël, Habel, Gamach. Dubaldus, Wiambert, Bail, Antonin. Sylvest. Joan. Viguer. Ioh. Medin. Lud. Lopez. Victor. Mercado, Nazar. Gomez, Caberud. Greg. Martinez, Petr. Ledesm. Cānus, Joan. Ildephons. de Blanchis, Hacquetus, Joan. Adsi, qui citat Bernar. Claromont. & Joan. de Erdē. Berg. Salon. Arragon. Beja, Basil. Poncius, Cornejo, Sotan, Urban. ab Ascensione, Petr. Lorca, Petr. à S. Joseph. Mallet, Sayr. Pebbartus, Villalob. Portel, Joan. Poncius, Marchantius, Hauzeur, Basseul, Coriolan. Caspensis, Gesualdus, Raggius, Leand. à S. Sacramento, Hieronym. de la Rua, Nicol. Garcias, Aversa, Diana, Pasqualig. M. Vidal, Läfranc. Bossius, Homobonus, Steph. Spinola, Petro. Morinus, Merolla, Sanzinus, Joseph. de Januario, Mart. Navar. Petr. Navarra, Joan Medina, Monresinus, Joan. Sanchez, Nicol. Garcias, Hieron. de la Rua, Ochagavia, Trullench, Rocaful, Guttier. Joan. de Solorzan. Machad. Sotantius, Carbo, Læl. Zechus, Joan. Vuigers, Mercer. David à Mauden, Siluius, Gaugeric. Hispanus, Illius; Adde Lao, Mastrium, Marc. Serra, Orellana, Verricelli, Molfes. Joan. Garciam, Jason. Jesuitæ sunt de Tolet. Delugo, Suar. Vasq. Valentia, Tanner. Granado, Lessius, Becanus, Turrian. Salas, Coninc. Oviedo, Arriaga, Palavicin. Henriq. Sanch. Azor, Laym. Filliuc. Reginald. Gordonus, Castro Pal. Baldel. Grefferus; Adde Gobat, Dechans, Busenbaum, Pardi, Ferrer. Lalover, Martinon, Geor. de Rhodes, quis adeo numeroso & nobili Autorum manipulo non cedat, imò quis non credat.

88. Antim. Adnota interim corollaria. 1. Opinio, quæ docet in moralibus, opinionem minùs probabilem tutam esse, certa est, saltem probabiliter. 2. Opinio, quæ docet, hominem teneri ad probabiliorem, est improbabilis, saltem probabiliter. 3. Sequi tamen probabiliorem nihil vetat. 4. Est consilij, non præcepti. 5. Ubi tamen aliquod speciale præceptum est, probabiliorem sequi tenemur. 6. Opinio minùs probabilis modò certò probabilis sit, nō est propterea minùs tuta propriè loquendo. 7. Hinc nunquam minùs tutam, secluſa ignorantia invincibili, sequi licet, tuta inquam materialiter. 8. Possumus assensum præbere opinioni minùs probabili, etiamsi talem esse, sciamus.

89. Pithanoph. Nonnulla ex his aliquid negotij mihi facessunt: primo id, quod dicis, opinionem illam esse probabiliter improbabilem, eam tamen esse, quam sequi possimus; sed probabiliter improbabilis in praxi, tuta esse non videtur.

90. Antim. Miror hæc à te dici; nempe illas opiniones etiam improbabiles ad usum licite reducimus, si hic consistat, vel in fugiendo malo, vel in faciendo bono; licèt improbabile sit, contritionem cum Sacramento necessariam esse, nemo tamen neget, licitè illam adhiberi posse; item licet sit improbabile, teneri nos propriam vitam contra injustam vim illatam non defendere; quis neget nos licitè abstinere posse ab injusta vi repellenda, & propriæ vitæ defensione. Hæc jam aliàs significavi, meminisse debueras.

91. Pithanoph. Ita est, memini; quando agitur de malo fugiendo, & de bono faciendo, utrumque licitè semper fit, sive probabile, sive improbabile sit, ad id nos teneri: jam pergo ad alia, secundo loco recire velim, cur dicas, esse consilii, sequi probabiliorem, cum tutior non sit.

92. Antim. Revoca quæso in memoriam, quot modis aliquid tutum dicatur; duos ultimos modos huc accerse; nam aliquando illud tutius dicitur, quod à periculo remoto peccandi magis removet, vel quod ad majorem perfectionem conducit; cum itaque probabilior opinio juxta utrumque modum explicandi sit tutior, id est, opus perfectius proponat, & ad tutiorem viam conducat, negari non potest, quin sub consilium cadere possit.

93. Pithanoph. Rectè; sed dic quæso, quodnam sit illud speciale præceptum, quo probabiliorem sequi tenemur?

94. Antim. In Sacramentorum administratione, tenemur sequi opinionem probabilem, item in ferendis judiciis, in medicamentis præscribendis; hæc ad nauseam inculcavimus in superiore opusculo, id est, tenemur, adhibere illam materiam & formam, quæ probabilior est in administratione Sacramentorum; quia saltem ex ipso usu constat, legem Ecclesiasticam talem esse; item jus probabilius alterius partis tueri; nempe ea lege, vel Princeps, vel Resp. vel ipsi populi jurisdictionem ac judicandi munus judicibus commiserunt, ut jura probabiliora tuerentur; item Medicum inter & ægrum id tacitæ saltem conventionis est, ut cæteris paribus, probabiliora meliora & tutiora medicamenta præscribat: Sed hæc fusè jam supra disputavimus; nec enim discurere vacat rationes illas, quibus varij Authores prædictam exceptionem probare conantur; quidquid sit, constat, nos ad id teneri, quacumque tandem lege teneamur.

Pithanoph. Tactæ rationes mihi sufficere videntur; sed vellem autores.

95. ANTIM. Multos congessit P. Steph. Dechamps jam supra laudatus, in sua quæstione facti; sunt autem hi Suarez, Vasquez, Sanchez, Granado, Salas, Becanus, Filliucius, Layman, Reginaldus, Gordonus, Oviedo, Amicus, Arriaga, Palavicinus, Bressers, Mascarenhas, Castro Palao, Busembaum, & Valentia, Tannerus, Coninck, Baldellus, Fragosus, Martinus Perez; quorum loca citata leges apud eundem autorem; his accedunt Azor, Petrus Soto, Sayrus, Dominicus Sotus, Salon, Bannez, Manuel, Ledesm, quos citat Sanchez *lib.* 1. *Summ. c.* 9. his adde Sylvestr. & Navar. quos citat Layman *lib.* 1. *tract.* 1 *cap.* 5. §. 3. plures alios citare possem, sed hi sufficiant.

96. PITHANOPH. Tibi fortè paradoxum videbitur, si ex his deducam, opinionem illorum, qui docuere, etiam in his, nos sequi posse minùs probabilem sententiam, non esse tutam in praxi; quia negari non potest, quin saltem probabile sit, me teneri ad probabiliorem, scilicet in his materiis; si autem est probabile, me teneri, dubio procul, non est certum, me non teneri; alioquin improbabile esset, me teneri; si verò probabile tantùm est, me non teneri, igitur potest esse falsum, me non teneri; igitur verum, me teneri, igitur peccare possum, si omittam id, ad quod teneor; igitur dum in his sequor opinionem minùs probabilem, non sum certus, me non peccare; igitur incertus & dubius; sed cum incerta conscientia agere non possum; igitur prædicta opinio non est tuta in praxi; igitur opposita est probabiliter certa: sint ergo hæc consectaria; 1. in Sacramentis, judiciis, medicamentis, opinio minùs probabilis de materia scilicet, vel forma Sacramenti, de jure partium, de medicamento, non est certò probabilis, sed tantùm probabiliter. 2. non est tuta in praxi. 3. opposita, scilicet probabilior, est moraliter certa. 4. certum est, nos teneri in his ad probabiliorem.

97. ANTIM. Cuncta hæc ultro admitto; sed ne ab isto argumento discedamus; idem prorsus dicendum esse existimo, de judice qui non modo secundùm jura probabiliora, verùm etiam secundum interpretationes probabiliores judicare debet; item in gratiam Rei & legitimè possidentis, & causarum illarum, quas in jure favorabiles & privilegiatas vocant; uno verbo eo modo se gerat, oportet, quem in priore dissertatione præscripsimus, ita ut nunquam sententiam ferat, nisi secundùm jura probabiliora; nunquam reum damnet, nisi plenè convictum, ne certa pœna in crimen incertum cadat; nunquam ullum legitima possessione exturbet, nisi constet de probabiliore jure alterius partis; quando jura sunt utrimque æqualia; jubeat componere partes, nisi in causis privilegiatis. Ita Sylvest. verb. *opinio quæst.* 2. Sotus *lib.* 3. *de Iust. quæst.* 6. *art.* 5. *ad* 4. Vasq. *in* 1. 2. *disp.* 64. *c.* 2. Bann. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *dub.* 1. Layman. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 3. *à num.* 16. Granado *in* 2. 2. *tractat.* 12. *disp.* 4. *num.* 39. omitto alios cum hi sufficere videantur, nec ratio deest; quia scilicet ea lege hoc judicandi munus à Rep. accepit, ut justè judicet; id est, tum secundùm leges, quibus ipse subditus sit, tum secundùm rectam rationem, quæ ex intimis causæ ac juris visceribus ducitur; porro huc etiam demonstrationem tuam accerse; nam pro his juxta atque pro aliis militat; cùm enim nemo sit, qui saltem probabile non censeat, ad prædictas judiciorum leges judicem, teneri; si eum teneri, probabile est; igitur eum non teneri minimè certum est; igitur certus non est, se non peccare, cum prædictis regulis non stat; sed cum incerta & dubia conscientia stare non potest: idem de regulis Advocato præscriptis dicendum, qui reverà tenetur monere suum clientem illorum omnium, quæ jus illius minus probabile reddunt, & si minus probabile esse, omnino certum sit, illam causam licitè defendere nequit, ita S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *& quæst.* 71. *art.* 3. Less. *l.* 2. *c.* 31. *dub.* 8. Major *in* 4. *d.* 15. *quæst.* 28. Gabr. *quæst.* 6. *art.* 2. Cajet. *in sum. verb. Advocat.* Sylvest. *verb. Advoc.* & alii Summistæ Navarr. *cap.* 25. *num.* 28. Sotus *lib.* 5. *de just. quæst.* 8. *art.* 3. Vasq. *disp.* 64. *cap.* 1. Sanch. *cit.* Layman *n.* 17. & licèt prædicti autores concedere videantur Advocato facultatem defendendi causam minùs probabilem, ita tamen intelligunt, ut certum non sit, esse minùs probabilem; si enim hoc certò constet, etiam certò constat, causam adversæ partis esse probabiliorem, ac proinde certum fore, ut judex pro ista sententiam ferat; igitur nullum dubium restat, nec illa causa dubia dici potest; igitur hinc certò justa, illinc certò iniqua; si tamen hoc non ita certò constet, licèt aliqui probabiliorem dicant, haud dubiè Advocatus illam causam defendendam suscipere potest, ut laudati authores testantur, & ratio in primo congressu exposita demonstrat.

98. PITHANOPH. Unum est, quod scire averem; utrùm Medicus dubium medicamentum ægro præscribere licitè queat: nam de hac re, ni fallor, non levis Doctores inter controversia est.

99. ANTIM. Extra casum extremæ necessitatis, & desperatæ salutis, certum est, creperum, seu dubium medicamentum porrigi ægro non posse; si tamen ægrum in extremas vitæ angustias redactum esse supponamus, Medicus illud Medicamentum adhibere potest, cum probabili spe recuperandæ sanitatis, licèt periculo mortis accelerandæ non careat. Ita Adrian. *de Sacram. confess. quæst. de correct. frat.* Cordub. *lib.* 3. *quæst.* 5. *prop.* 2. *reg.* 2. Sanchez *cit. num.* 39. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 10. *part.* 2. Vasq. *cit. disp.* 64. *cap.* 4. *num.* 22. Layman. *cit. num.* 15. ratio est; quia dubium periculum esse, satius est, quàm certum; ac melius, aliquo saltem, crepero licèt, remedio ad salutem jam desperatam restituendam uti, quàm nullo, ac certò interire; adde receptum & approbatum usum apud Christianos; nam vel crura cæduntur, vel canalis urinæ secatur, ad calculum educendum, aliaque id genus fiunt, quæ ut semper cum aliqua spe salutis, ita nunquam sine probabili periculo fieri possunt; igitur, certum est, in prædictis angustiis, creperum remedium à medico adhiberi posse, ea tamen lege, ut æger consentiat; nec enim Medico jus est accelerandi mortem alterius inviti; ut autem quilibet, se se à certo interitu liberaturus probabile remedium, quantumvis creperum jure petere potest, ita idem illi medicus non invito, scilicet, sed consentienti præscribere potest: sed cur in his hæreo quibus nulla difficultas inest.

100. PITHANOPH. Rectè mones; præsertim cum distinguenda sit opinio moralis probabilis, à materia Sacramentorum probabili, item à jure probabili, vel medicamento probabili, vel interpretatione probabili, ut jam aliàs monuisti; nulla igitur in his superesse videtur difficultas; præterea probè intelligo, sextum corollarium, in quo dixisti, opinionem minùs probabilem, modò sit certò probabilis, non esse propriè loquendo minùs tutam, ac proinde, ut habes in septimo, nunquam minùs tutam, seclusa ignorantia invincibili, licitam esse; cum enim certum sit, usum cujuslibet opinionis moralis certò

quòd probabilis, licèt minus probabilis sit, licitum probabiliorem, & honestum esse, hæc sanè minus tuta propriè loquendo dici non potest; ut patet ex iis, quæ in priore dissertatione fusiùs explanasti; pro his igitur non facessam tibi negotium; immo ex his, quæ dixi, omnes fere lites componi, illam præsertim, quæ potissima est, utrùm scilicet minùs tutam sequi liceat. Circa octavum consectarium non nihil controversiæ potiori jure moveri posset: Dicis enim nos assensum minùs probabili præbere posse, licèt minus probabilem esse sciamus; P. Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 5. ni fallor, apertè refellitur; vult quippe, ex hypothesi, quod alteri oppositarum assentiri velis, te necessariò probabiliorem assentiri, modò illam probabiliorem esse tenent; potes quidem, inquit, assensum omnem sustinere, nec enim cogitur, seu rapitur à probabilitate intellectus; si tamen assensum exeris, minùs probabili assentiri nequis; nempe si huic assentiaris, illam veram judicas; igitur oppositam falsam æstimas; quod fieri non potest, dum tibi probabilior, seu verisimilior videtur; quia cum intellectus non omnino sit liber, à rationibus & motivis propositi objecti determinatur.

101. Antim. non semel, ut ingenuè dicam, miratus sum, quomodo hæc exciderint viro alioqui doctissimo, & de Theologia morali meritissimo; cum enim ipse admittat quempiam sequi & amplecti posse opinionem minùs probabilem, certè non video, quonam pacto sequi possit opinionem illam, nisi assentiri non possit; præterea cum supponatur esse probabilis, sequitur, ei prudentem assensum præberi posse, per definitionem præmissam; denique si potest voluntas imperare intellectui, ut omnem assensum sustineat; quamvis alteram oppositarum probabiliorem esse judicet; non video, cur non possit imperare, ut minùs probabili assentiatur; non sufficiens fundamentum sit, ad præbendum assensum; nam si vetare potest assensum conjunctim ratio magis seorsim, ad rationem vero allatam respondetur; cum assensu probabili, quem præbuerit partium, dissensum formalem alterius partium esse necessariò conjunctum; sic enim prædicti assensus procedit; judico, hoc verum esse, sed ex formidine oppositi; id est, ita ut timeam ne illum sit, & oppositum verum; unde oppositum non reputo absolutè falsum, sed judico, utrum, dum esse posse, eligo tamen primum illud, quia volo id est sufficiens fundamentum ad præbendum assensum: nec est, quod dicas, esse magis sufficiens, ad præbendum assensum probabiliori parti quia licèt sit magis sufficiens, id est, gravioris momenti, cum tamen probabilitatis fines non excedat, non rapit, nec determinat intellectum, sed liberam potestatem voluntati relinquit, vel alteram assentiendi, vel assensum omnem sustinendi; sic dici potest intellectus liber, nec ullius opinionis, vel electionis capax, nec à rationibus probabilibus determinari; cum à voluntate tantùm determinetur nisi objectum evidens sit; nec desunt voluntati sua motiva & incentiva, quibus moveatur ad imperandum assensum opinioni minùs probabili præbendum, etiam si cognoscat intellectus, minùs probabilem esse; nam sæpe video melioria, proboque, deteriora sequor, illa autem motiva non tam ratione veri, quàm utilis & commodi voluntas metitur: stet igitur prædictum consectarium, in quo dixi, nos posse assentiri opinioni minùs probabili, etiam si re ipsa cognoscamus, eam minùs probabilem esse. hæc obiter perstringo quia perspicua esse existimo.

102. Pithanoph. Res adeo perspicua mihi esse videtur, ut nullus supersit dubitandi locus; & vix crediderim, celebrem illum autorem negare voluisse omnem assensum, sed absolutum dumtaxat & conjunctum cum formali & absoluto dissensu alterius partis, quod reverà nulli assensui merè probabili competit; nec enim is, qui opinatur, absolutè asserit, rem ita esse, sed cum ea formidine, qua timet, ne res, secus se habeat, & potiùs oppositum verum sit, quid porro frustra in his hæremus; transeamus quæso ad alia consectaria, sed prius, ne jam statuta memoria excidant, in brevem synopsim, vel potiùs ea redigo, conscientia debet esse certa; hoc quasi principij loco à te assumptum, quamquam etiam satis accuratè demonstrasti ex hoc deducis. 1. quamlibet opinionem moralem certò probabilem, tutam esse in praxi. 2. nullam tutam esse in praxi, quæ non sit saltem certò probabilis, aut per errorem talis habita. 3. nullam opinionem probabiliter tantum probabilem tutam esse in praxi. 4. opinionem probabiliter tantùm probabilem esse etiam probabiliter improbabilem. 5. opionem oppositam probabiliter improbabili esse probabiliter certam. 6. quasdam esse opiniones probabiles speculativè, non practicè. 7. probabiliter tantùm probabilem speculativè esse certò improbabilem practicè. 8. certò probabilem speculativè esse certam practicè. 9. nullam opinionem certò probabilem esse minus tutam propriè. 10. unam per se tutam non esse propriè loquendo tutiorem alia per se tuta. 11. certò probabilem esse posse minùs probabilem. 12. minus probabilem modò certò probabilis sit, esse tutam in praxi. 13. minùs probabilem non propterea esse minùs tutam propriè loquendo. 14. impropriè loquendo, minùs tutam esse posse, vel minus, vel æquè, vel magis probabilem. 15. opinionem, quæ negat, teneri nos ad probabiliorem esse probabiliter certam. 16. opinionem, quæ asserit, nos teneri, esse probabilem & improbabilem. 17. hominem assentiri posse minùs probabili, etiam cognitæ. 18. nullam minus tutam, citra ignorantiam invincibilem, reverà tutam esse. 19. opinionem minus probabilem de materia & forma sacramentorum, de jure partium, de medicamento, non esse tutam in praxi, ac proinde non esse certò probabilem, & oppositam esse probabiliter certam, & nos ad illam teneri. 20. opinionem, quæ asserit opinionem minùs, certo tamen probabilem, moralem scilicet, tutam esse in praxi probabiliter certam haberi. 21. oppositam verò, probabiliter probabilem & improbabilem esse; exciderunt penè totidem alia, sed ut spero mihi dabis in scriptis.

103. Antim. Nonnulla omisisti sed tibi morem geram & tradam omnia in scriptis: jam ad conscientiam dubiam perplexam, scrupulosam, erroneam, orationem converto; præsertim cum ex jactis principiis facilè statui possit, quidquid in his tenendum est, ab erronea initium duco, quæ nihil est aliud, quàm dictamen, seu judicium practicum, falsum, quo scilicet judico, hîc & nunc aliquid bonum esse, quod malum est; & vicissim; illud porro judicium, licet re ipsa certum non sit, per errorem tamen certum putatur hinc duplex error, scilicet in objecto & in modo, quo intellectus tendit in objectum; nempe adstruitur objectum, ut verum, quod fal-

sum est; ecce tibi primum errorem; & videtur sibi intellectus certò in illud tendere, en tibi alterum.

104. PITHANOPH. Malè igitur dicitur conscientia quia conscientia dicit judicium certum.

105. ANTIM. Bene dicitur conscientia erronea; quia dicit judicium, quod per errorem, pro vero ac certo habetur, cum tamen neque verum, neque certum sit.

106. PITHANOPH. Nunquam igitur sequi licet conscientiam erroneam; quia rectam dumtaxat sequi possumus; sed erronea recta non est.

107. ANTIM. Facili & trita distinctione opus est; nempe vel hic error est inculpatus & invincibilis, ut vocant, vel culpabilis & vincibis; si primum, errantem conscientiam sequi licet; quia in ordine ad mores, perinde se habet objectum illud, atque si bonum & honestum esset, ut jam aliàs dixi; nempe voluntas fertur in objectum; non quatenus tale est, sed quatenus tale repræsentatur; si autem error inculpatus est, nullo modo imputatur, quia nihil voluntarij, nec liberi inest; igitur non sufficit ad demeritum; at objectivè, ut sic loquar, bonum est; quia scilicet ut bonum proponitur; igitur in actum voluntatis honestatem sufficienter refundit; sufficit enim honestas seu bonitas objectiva in objecto, quamvis realis, ut sic loquar, vel entitativa desideretur, ad hoc, ut inde actus voluntatis, refusa bonitate formali, ut vocant, honestetur; movet enim objectum voluntatem, sub ratione objecti, non sub ratione entis.

108. PITHANOPH. Hæc probe intelligo, quamvis alioqui scholasticam ut ajunt, potiùs quàm moralem Theologiam præseferant; Hinc non facilè capio, quid Boni illi nostri sibi velint, qui culpæ non eximunt ea, quæ fiunt per inculpatum errorem, vel per invincibilem ignorantiam, licèt juri naturali vel divino repugnent: enim verò, si nullo modo cognoscam, aliquid malum esse, idque nulla mea culpa, non possum illud fugere ut malum, quis enim voluntate id fugiat, vel averietur, quod prorsus ignorat; an forte voluntas ferri potest in incognitum, igitur si pecco in eo, quod non fugio, ac proinda quod fugere nequeo, quia non cognosco, haud dubiè necessario pecco, sed nemo necessariò peccat quod ab Ecclesia per Romanos Pontifices definitum esse non ignorat. Quid igitur sibi velint Boni illi non satis intelligo.

109. ANTIM. Quid sibi velint, non difficulter tibi explicarem, si res postularet; volunt enim ignorantiam illam ab homine, sua culpa, originali, scilicet, contractam fuisse, igitur, inquiunt, illa ignorantia inculpata dici nequit; ac proinde non eximit culpæ.

110. PITHANOPH. Itane vero ludunt in verbis, & verborum ludo, seu ludibrio errorem suum regere conantur? equidem ignorantia juris naturalis peccati originalis effectus est, hoc tamen facit, quin ignorantia illa inculpata esse queat, id est, sine culpa propria, id est, nullo modo voluntaria, vel affectata, vel crassa ut ajunt, nam quantumvis à culpa originali derivetur, necessitatem inducit, nec enim possum illud præceptum implere, quod penitus ignoro, nempe nisi obediam, præceptum non servo, nisi velim obedire, non obedio, sed velle non possum, quod ignoro, igitur inducit hæc ignorantia necessitatem non obediendi, sed necessariò non peccatur, ut definitum est.

111. ANTIM. Rectè, cum res ad fidem pertineat, autores frustra citarem cogita, aut finge animo Doctorum omnium Catholicorum nomina & hucaccersita, seu traducta puta, ne tempus teram, & incassum paginas occupem. Inde concludo 1. conscientiam erroneam inculpatè, rectam esse formaliter, ut ajunt, secus verò materialiter; 2. ad sequendum illam hominem teneri. 3. ad peccatum materiale nos aliquando teneri; 4. conscientiam inculpatè erroneam esse tutam formaliter, non materialiter; 5. errorem ipsum non esse tutum per se, nec formaliter, nec materialiter; errantem tamen conscientiam esse formaliter tutam propter ignorantiam invincibilem: At si error inculpatus non est, sed affectatus, crassus, & voluntaris, ut cum quis non vult scire, scire tenetur, & scit, se teneri, nec doceri curat, aut fatagit, cum tamen doceri possit, tunc haud dubiè, quisquis hoc modo, per conscientiam erroneam agit, omnino peccat, nec eum excusat ignorantia, quæ voluntaria censetur; ac proinde illam vult, atque adeo peccatum, quod ex ea sequitur; nam qui vult causam, vult effectum: sed velle indirectè malum, malum est; immo malum ipsum directè velle nequimus, cum voluntas per se in bonum feratur, & verò liberè peeco, quando possum non peccare, sed possum non peccare, quia possum ab errore illo liberari, qui me ad peccandum inducit, sed hæc sunt omnino Catholica, & nemo Catholicus refragatur, quare nullum cito.

112. PITHANOPH. Nonnulla omisisti, quæ adnoto. 1. ex ignorantia invincibili opus moraliter bonum fieri posse, quia revera bonitas objectiva tantùm, etiam sine reali, refundit in actum bonitatem formalem, moralem scilicet, cum illam refundat in ratione objecti, non verò entis, ut rectè monuisti. 2. ex Ignorantia invincibili prudenter quempiam operari, idque prudentia formali, non materiali, Illud enim prudenter fit, quod recta ratio hîc & nunc faciendum dictat, at, recta ratio faciendum dictat, quòd per ignorantiam invincibilem, faciendum esse putamus. 3. mereri nos posse, dum per ignorantiam invincibilem aliquid facimus, nam operi bono & honestæ operationi meritum competit. 4. opus illud, quod fit per ignorantiam invincibilem, esse posse opus virtutis, scilicet formaliter, non verò materialiter. 5. idem prorsus dicendum esse de incogitantia, vel inadvertentia inculpata, quæ revera operationem à culpa eximit.

113. ANTIM. Hic statim novator nescio quis altos cachinnos sustolleret, & sua illa ignorantiæ peccata exaggerans, integros illos, perfectos, plenos, & inveteratos peccatores in medium adduceret, qui nunquam tamen de peccato cogitant, hîc suam illam ignorantiam facti ab ignorantia juris distingueret, peccata ignorantiæ, quæ Augustinus aliique patres agnovere, adstrueret, quid plura, ipsum philosophum in suas traheret partes, & communem illam doctrinam quæ sd, quod fit per ignorantiam invincibilem à peccato, formali scilicet, liberat, ut erroneam, & Catholicis dogmatis contrariam traduceret: sed contra hunc errorem frustra pugnarem, quem jam Doctissimi viri, Annatus, Dechamps, Marandeus, aliique fœliciter refutarunt: & verò, ut libertati hominum consulatur, hæc vana commenta Lutheri, & Calvini, quæ à Neotericis & Hæterodoxis sub aspectum reducta fuere, rejicienda sunt, nempe in eo minimè peccatur, quod vitari non potest, nec voluntas fertur in incognitum,

rum; si ergo Divinum præceptum inculpabiliter ignoro; quomodo illud servare possum? ut enim servem illud, necesse profectò est, servare velim; & ut velim servare præceptum, præceptum esse, sciam, oportet.

114. PITHANOPH. Nonnulla, quæ ad rem hanc faciunt, habes, nisi fallor, in tua illa synopsi Doctrinæ Augustinianæ, de divina gratia, in qua mentem Augustini ex illius verbis exploras; licèt enim sanctus Augustinus docere aliquando videatur, ignorantiam à peccato non eximere, eum tamen loqui constat, vel de ignorantia culpabili, vel de peccato materiali dumtaxat; sic, inquit, *lib. de natur. & grat. cap. 67.* non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; sic Deum oramus, ut ignorantias nostras, culpabiles scilicet, non meminerit; sic omnis peccatum ignorans dicitur, utpotè qui aliqua cogitatione careat, quam si haberet, revera non peccaret; De peccato tantùm materiali, alibi loquitur, ut *retract. cap. 15.* qui nesciens peccavit, inquit, quia voluit, fecit; etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit, ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit, hoc enim factum est, quod fieri non debuit: quod autem de peccato materiali sanctissimus Doctor intelligendus sit, manifestum est; nempe eo modo peccamus, quo peccatum, seu peccare volumus; sed quisquis ignorant inculpabiliter, aliquid peccatum esse, si fortè fabricare velit, vult tantùm peccatum materialiter; id est, vult illud, quo reverà per se objectum malum est, & si tale, quale est, cognosceretur, haud dubiè peccaret; atqui vult illud, sub ratione facti, non sub ratione peccati; igitur vult illud tantùm materialiter; ut peccatum est; igitur peccat tantùm materialiter; quod autem Augustinus aliquando illud peccatum appellet, quod propriè peccatum non sit, ex multis illius locis demonstrare possem; unum tantùm indico *lib. 3. de liber. arbitrio*; non solùm, inquit, peccatum illud dicimus, quod propriè dicatur peccatum, & à libera voluntate, & ab sciente committitur, &c. Vides aliud ab eo peccatum dici, quod propriè peccatum non est; & illud propriè peccatum ab eo haberi, quod & à libera voluntate, & ab sciente committitur, igitur ubi est inculpabilis ignorantia, peccatum non est, quia nec libera voluntas, nec peccati notitia interest.

115. ANTIM. Hoc argumentum diu versare non juvat; tum quia à doctissimis scriptoribus penitùs eliminatum est; tum quia ita planum est, ut mirari satis non possim, viros, alioquin acerrimi ingenii, in eo adeò cæcutire; quis enim nescit, non dico, Philosophus, vel eruditus, sed homo sensu communi pollens, id culpæ non verti, quod vel fit, vel omittitur, per inculpatam ignorantiam? Distinctio porro illa juris & facti, quam novatores huc accersunt, inutilis est; si enim ignorantia facti excusat, quia nescio id, quod facio; eodem jure, ignorantia juris excusare debet, quia nescio legem, quam violo; nec valet alia distinctio, ab iisdem adinventa, juris naturalis, vel divini & humani; quia eadem ratio pro utraque militat: nempe ideo lex humana inculpabiliter ignorata excusat, quia lex, quæ ignoratur observari nequit; nec voluntas nostra in id ferri potest, quod ignorat; sed eadem ratio militat pro lege naturali & divina: nec obstat, quod ignorantia illa à culpa originali derivetur, quia necessitatem & impotentiam secum affert, quam nullo modo amovere possum; ut si quis, parentum culpa, claudus esset, vel pedibus careret, in ejus revera potestate non esset, rectè ambulare, neque hoc ipsi culpæ verteretur; sed hæc plenè ab aliis discussa sunt: quæ tamen indicasse oportuit, ut conscientiæ inculpabiliter erroneæ rationem indagarem.

116. PITHANOPH. Cadunt igitur in culpabilem, seu vincibilem ignorantiam, illa omnia argumenta, à bonis illis nostris toties inculcata; si enim divina fide constat, esse quædam peccata ignorantiæ, & pro iis Deum ab hominibus exorari; si ignorantia & oblivio subjacent peccato; si Pontifex pro sui & populi ignorantia sacrificia offert; si Propheta Deum deprecatur, ne ignorantias suas meminerit; si Saulus peccavit, Ecclesiam Dei persequutus, licèt ignorans hoc fecerit, si Apostolorum interfectores graviter peccarunt, licèt putarent, obsequium se præstare Deo; si crucifixores Christi peccarunt gravissime, quamvis nescirent quid facerent; cuncta hæc de culpabili ignorantia intelligenda esse, nemo Catholicus nescit, quæ scilicet voluntaria censetur, cum ab ea homo, si velit, liberari possit, implorato saltem Divino adjutorio; quod autem opponitur, ex concilio Diospolitano, ignorantiam non voluntatis, sed necessitatis esse, optimè refutatum est ab Annato & aliis; nam ignorantia necessaria est, tum ratione peccati originalis ex quo ita sequitur, ut ab hominum voluntate non pendeat; tum etiam ratione naturæ virium, quibus Divinæ gratiæ subsidio destitutis, fieri non potest, ut ignorantiam illam excutiant; accedit, quod, ut rectè observat Baronius, & post illum Binius illud Concilium ab Innocentio primo, tum Pontifice approbatum non fuit, ut expresse ipse testatur. Adde sis, illam necessitatem ignorantiæ, quam Concilium prædictum damnavit in Pelagio, fuisse tantum ex naturæ corruptæ vitio, nulla habita ratione gratiæ; unde profectò illa, quæ spectatis naturæ viribus ignoramus culpæ nobis, & vitio vertuntur, quia scilicet nobis jure imputatur, quod ea nesciamus, quæ per Dei gratiam, quam si petimus, obtinemus, scire valemus.

117. ANTIM. Rectè dixisti, ignorantiam illam culpabilem, seu vincibilem voluntariam censendam esse; pro quo, necesse est, ut credamus, nos ab ea liberari posse, implorato saltem Divino auxilio; quod ut faciamus, Divina gratia non deest; nam si deesset, vel inde ignorantia invincibilis jure diceretur; voluntaria igitur est, quia ab ea liberari, si velimus, Divinæ gratiæ beneficio possumus; hinc crassa etiam dicitur & affectata; quia quisquis prætexit ignorantiam, quominùs aliquid faciat vel omittat, crassissimè errat, eamque affectat excusationem, quæ reverà legitima non est. Est autem, quod observes, quando aliquis culpabiliter aliquid ignorat, v. g. furtum esse peccatum gemina obligatione tenetur; prima est, sciendi, furtum esse peccatum, quod facile scire potest, si velit; suppono enim ignorantiam vincibilem; altera est, non furandi, hinc ignorantia ipsa vincibilis reverà peccatum est; quia teneor, non ignorare, & possum, si velim, non ignorare; igitur si voluntariè ignoro, voluntariè non satisfacio obligationi, qua astringor; igitur pecco; igitur ignorantia ipsa proprium peccatum est; & sic ab Augustino sæpissimè vocatur; cum tamen ignorantia invincibilis propriè peccatum dici non possit, sed impropriè, ut suprà dictum est.

118. PITHANOPH. Igitur quisquis furatur, ignorans culpabiliter, furtum peccatum esse, duplex delictum admittit; quia duplicem obligationem contemnit; scilicet non ignorandi, furtum peccatum esse, & non furandi, sed quomodo peccat furando, cum nesciat, esse peccatum? immò si sciret, peccatum esse, non furaretur; nulla hîc voluntas fertur in peccatum quod penitus ignoratur.

119. ANTIM. Voluntas in malum, seu peccatum directè ferri non potest, sed tantùm indirectè, quatenus in illud fertur, quod cum peccato scit, aut timet, esse conjunctum; vult enim illam ignorantiam, quatenus ab ea liberari non vult, cum tamen liberari posset, si vellet; hinc fieri non potest, quin saltem dubitet, subesse peccatum, ac proinde quin adsit conscientia dubia, cum qua licitè operari non potest; & verò cum absit judicium practicum certum, quo certò judicet, furtum hîc & nunc non esse peccatum, hoc enim certò judicare non potest, cum sciat, se ignorare, & doceri posse, si velit, hoc verè sufficit, ut peccet, si furetur, & indirectè velit peccatum, cum velit culpabilem illam ignorantiam, cum qua conjunctum est.

120. PITHANOPH. Idem opponi posset, contra ignorantiam invincibilem, quisquis enim invincibiliter ignorat, furtum esse peccatum, non propterea certò judicat, furtum peccatum non esse; ac proinde dubitare saltem potest, an peccatum sit, igitur furatur cum conscientia dubia, & sine judicio practico certo.

121. ANTIM. Si hujusmodi cogitatio, vel dubitatio, in mentem incidat, ac dubitet, an furtum peccatum sit, vel an certum sit, peccatum non esse, illa ignorantia vincibilis est, ac tenetur inquirere & divinum adjutorium accersere; igitur mutatur suppositio; nempe si supponas, invincibilem esse, ne minimum quidem dubium est, nec ulla cogitatio de prædicta ignorantia in mentem venit; & licèt judicium illud practicum certum non sit objectivè, est tamen certum formaliter, quod satis esse, constat, ex dictis.

122. PITHANOPH. Rem, ni fallor, breviùs sic expedirem; cum ignorantia illa sit causa furti; si enim abesset ignorantia, furtum non fieret; igitur si causa est voluntaria, effectus voluntarius censendus est; sed ignorantia illa est voluntaria; igitur & furtum; quod ex illa sequitur, voluntarium dicendum est.

123. ANTIM. Nemo negat furtum illud esse voluntarium, voluntate facti, non voluntate peccati, ut Augustinianis vocabulis utar.

124. PITHANOP. Si ignorantia est invincibilis, equidem furtum illud est voluntarium voluntate facti, non peccati; ac proinde est tantùm peccatum materiale, quia ignorantia illa non est voluntaria; at si ignorantia est culpabilis, furtum non modò est voluntarium voluntate facti; verum etiam voluntate peccati; nam cum ignorantia illa sit voluntaria, etiam voluntate peccati; quia scio, me obligari, ad non ignorandum; inde furtum, quod ex ea sequitur; & quod in causa indirectè volo, etiam voluntarium evadi voluntate peccati; hinc causa infecta effectum inficit. At si sit erronea conscientia de duobus oppositis; v.g. non nemo credit, teneri se ad audiendum sacrum die festo, quo tempore necessitas urget, assistendi ægroto; quidquid faciat, credit, se peccare; si enim ægro assistit, sacro non interest, unde peccare se putat, si verò missæ interest, ægrum, cui ministrare tenetur, destituit, unde etiam peccare se credit; igitur quidquid faciat, peccat; igitur eum peccare necesse est, cum utrumque conscientia dictet; pecco enim si aliquid facio, vel omitto, quod peccatum esse, judico. Non nemo cui morales inter Theologos ultimum aliqui locum non dant, ultro fatetur, in his angustiis, hominem constitutum, necessariò peccare; sed quis hoc capiat? nemo enim necessariò peccat, ut declaravit Innocentius X.

125. ANTIM. Magnam in casu proposito difficultatem non sentio: nam erronea conscientia est, ut patet, error autem vel invincibilis, vel vincibilis est; si vincibilis, ille quidem peccat; necessariò tamen non peccat; quia ab errore illo liberari potest, si velit; cognoscitque, teneri se, ad errorem illum excutiendum; igitur si non excutiat, peccat; quia id omittit, quod non omittere tenetur; si verò error ille est invincibilis, revera non peccat, quidquid faciat, defectu scilicet libertatis; nempe ignorantia invincibilis ea cognitione illum privat, quæ ad libertatem moralem necessaria esset: nemo enim peccat, qui ea libertate non polleat, qua possit non peccare, si velit; sed in eo statu, ille non peccare non potest; igitur libertate sufficiente instructus non est; nempe judicare sibi videtur, se teneri ad assistendum ægro, itemque se teneri ad audiendum sacrum; sed hæc duo simul fieri non possunt: igitur judicat se teneri ad impossibile: at quisquis hoc judicat, se teneri ad impossibile, ita rationis compos non est, ut ad merendum, vel demerendum liber maneat, nec puto juxta principia Philosophica, & Theologica aliter statui posse; si enim homo delirat in aliis argumentis, mirum certè non est, quod in re conscientiæ etiam delirare possit; si tamen credat, aut certò sciat, alterum ex duobus majus peccatum esse, putetque, ad minus malum se teneri, ad oppositum tenetur, idque certò; quod si omittat, peccat, cum non faciat id, ad quod tenetur; si verò faciat, revera non peccat, propter rationem allatam; at si utrumque malum æquale putat, quidquid faciat, non peccat, ut dictum est.

126. PITHANOPH. Ita est, omnino, nec video, quid secus dici queat; hæc illa est conscientia perplexa, ut Theologi morales vocant, de qua eodem modo ratiocinandum est, quo de ipso errore ratiocinamur; illa enim vel est, invincibilis, ita ut homo, fatiscente scilicet cerebro, ab ea se liberare nequeat, & sic est inculpata; & licèt contra conscientiam perplexus agere sibi videatur, ac proinde peccare, quia tamen ad id teneri se putat, etiam juxta rectam conscientiam agere credit; hinc perplexitas, sed inculpata, quia defectu sufficientis luminis, ac integræ libertatis formaliter non peccat; vel est vincibilis, ita ut homo ab ea se expedire valeat, & ad hoc revera tenetur; quod nisi faciat, peccat, ut diximus supra de ignorantia culpabili; hinc perplexitas culpabilis pariter est voluntaria, ac proinde voluntarium censendum est, quidquid ex ea sequitur; igitur quisquis cum perplexa conscientia, culpabili scilicet, agit, peccat, huc revoca casum illum cujus meminit Baldellus, Virginis scilicet, quæ in omnibus suis operationibus, odisse Deum, eumque diris devovere sibi videbatur, ita enim affecta erat, ut in hoc sufficienti libertate careret, nempe in ejus potestate non erat, ab illo pravæ affectionis vitio liberari.

127. ANTIM. Ex his, ni fallor, colligo, perplexitatem illam invincibilem, & prædictam affectionem ad ignorantiam invincibilem reducendam non esse, sed

libidalium defectum libertatis; sic amens propriè loquendo, dici non debet laborare ignorantia invincibili, sed amentia, id est, prava cerebri dispositione, quæ libertati morali opponitur, ita prorsus se habet perplexitas invincibilis, vel alia similis affectio, quæ cerebrum afficitur, ut perfectæ libertati serviat non possit; vis Authores, pro his, quæ diximus de perplexitate; D. Bonaventur. *in 2. d. 39. a. 1. q. 3.* Richard. *ibidem, a. 1. q. 3.* Gabriel *q. unic. a. 3. dub. 2.* S. Antonin. *p. 1. tit. 3 c. 10.* Gerson *de conscient. q 3.* Henriq. *lib. 12. c. 6. n. 7.* Becan. *q. 8. concl. 4.* Layman *de conscient. cap. 4.*

128. Pithanoph. Si perplexitas circa duo mala versetur, quorum unum minus malum esse videatur, dicas tu velim, utrùm obligetur voluntas ad minus malum eligendum.

129. Antim. Sunt qui existiment, in hoc casu, teneri ad minus eligendum juxta tritum illud, ex duobus malis, minus eligendum; ita Abbas *in cap. non magnum, num. ult. de immun. Eccles.* quem citat Laym. *ubi supra*. nolim tamen adeò facilè asserere, hominem ad id teneri, nisi per errorem ad id teneri se putaret; hoc supposito, nulla esset perplexitas, ut patet, sed tantum error conscientiæ; supposita autem perplexitate invincibili licèt alterum minus malum esse videatur, non tamen ad illud eligendum, hominem obligari, arbitror; cum enim obligari non possit ad malum simpliciter, certe ad hoc, vel illud quamvis eorum minus obligari non potest; ad tritum illud *de duobus malis*, facilè respondeo, vel intelligendum esse de malis pœnæ, ut vocant, non vero culpæ, aut certè, quod potiori jure dicendum puto, hic agitur de voluntate permissiva, ut vocant, sic ex duobus malis, quibus leges occurrere non possunt, minus malum, id est, permittendum esse, recta ratio præscribit. Hic attexo nonnulla corollaria. 1. Perplexitas invincibilis libertatem tollit, ac proinde culpam eximit. 2. Perplexitas vincibilis est voluntaria, proinde à peccato non eximit. 3. Non est connexa cum necessitate peccandi, ut aliqui perperam docuerunt; nullum enim peccatum est, ubi necessitas est. 4. Perplexitas invincibilis ab ignorantia invincibili distinguitur, licèt semper cum ea conjuncta sit. 5. Ignorantia invincibilis est impedimentum libertatis merè negativum, seu privativum; deest enim aliqua cognitio, quæ haberi nequit, necessaria ratione, ad hoc, ut liberè agatur. 6. Perplexitas invincibilis addit impedimentum positivum, scilicet malam cerebri affectionem, quæ vetat, ne plena & moralis libertas adsit. 7. Perplexitas vincibilis cum duplici peccato conjuncta est; est enim duplex obligatio; scilicet deponendi perplexitatem, & non agendi contra conscientiam; hinc perplexus vincibiliter neutri satisfacit; igitur duplici peccato se obstringit. 8. Perplexus invincibiliter non tenetur ad minus malum; quia cum libertate integra non polleat, nullo modo peccat: sed si teneretur ad aliquid, si id omitteret, peccaret.

130. Pithanoph. Hæc'ni falsor, de perplexa suffragere videntur; restat, ut de dubia & scrupulosa aliquid dicas; fateor enim nunquam hæc tria distinctè à me percepta fuisse; nempe qui perplexus est, valde dubius est, & scrupulosus etiam maximè dubitat; hinc nonnulli hæc tria omnino confundere mihi videntur: dices etiam aliquid de stricta conscientia, quam vulgo timoratam vocant, & de larga, seu laxiore, quæ illi opponitur.

131. Antim. Dubiæ conscientiæ ratio adeò clarè ac perspicuè describi & explicari potest, ut nullus dubio locus relinquatur; quod ut fiat, dubium duplex est, primum, quo mens anceps ita hæret, ut neutri parti oppositarum assensum præbeat; & hoc est dubium propriè dictum, quod scilicet omne judicium arcet, sive illud merè negativum sit, cum scilicet nulla utrimque ratio, vel probabilitas affulget; sic dubius sum de numero pari, vel impari stellarum, & non modo assensum omnem sustineo, verùm etiam nihil prorsus est, quod ad alterutrum me moveat; sive hinc inde rationes & probabilia motiva appareant, quibus sufficienter moveri possem ad assensum, non tamen ab iis moveri me sino; alterum dubii genus est, quod impropriè dicitur, à vulgari tamen loquendi modo minimè discrepat; cum scilicet intellectus quidem adhæret alteri oppositarum, dubitat tamen, ne fallatur, cum res falsa esse possit.

132. Pithanoph. Sunt qui dubium appellare nolint, sed meram formidinem; nam quisquis dubitat, anceps manet, & omnem assensum sustinet; igitur judicium illud opinativum, cum dubio conjunctum esse nolunt; sed cum formidine, quæ à dubitatione omnino distinguitur.

133. Antim. Scio, nonnullos esse, qui prædictum illum loquendi modum adhibent, distinguuntque formidinem à dubio; sed de dubio propriè sumpto reverà loquuntur; quod ultro fateor, illud esse, quo mens in ancipiti posita omnem assensum sustinet; at dubium lato modo sumptum ad formidinem etiam traducitur; vulgò enim dicimus, eum, qui est incertus, timere, ac dubitare, ne peccatum insit; hic loquendi modus satis familiaris est: supponamus, ne de nomine lis agitetur, dubium lato modo sumptum, tale esse; his autem præmissis, conscientia dubia, sive sit dubium propriè & strictè, sive impropriè & latè sumptum, nunquam tuta est; nunquam sine peccato; si ad praxim & usum convertitur; nunquam licitè cum illa operamur; de dubio propriè sumpto, hoc ita certum est, ut nemo refragetur, ac proinde Authores non cito, quia omnes in hoc conveniunt, post sanctum Thomam. *quod l. 8. a. 13.*

134. Pithanoph. Hîc multi distinguunt dubium juris à dubio facti; dubium speculativum à practico.

135. Antim. Hæc sunt trita vocabula, quæ vel ipsi Tyrones norunt; dubium facti est, quo dubitatur, utrùm aliquid factum sit, necne; v. g. utrùm emissum votum; utrùm horæ persolutæ; utrùm peccatum admissum, aut in Sacramentali confessione expositum, &c. dubium juris est omne aliud, sive sit de honestate actionis, sive de valore actus, ut professionis, sacramenti, testamenti; sive de lege, v. g. an tali modo interpretanda, an aliquid sit prohibitum, an sit talis, vel talis censura, sive de obligatione alicujus, v. g. utrùm tenear, hoc, vel illud restituere; sive de jure alicujus, v. g. utrùm domus sit Petri, vel Pauli, sive de re quapiam alia; porro ex dubio facti oritur aliquando dubium juris v. g. dubito, utrùm Horas Canonicas persolverim, est dubium facti: tum dubito, an tenear stante hoc dubio, iterùm persolvere; en dubium juris: dubium merè speculativum est, quo dubitatur de veritate objecti, v. g. utrùm hoc matrimonium sit validum, contractus usurarius, Baptismus in nomine Christi legitimus, &c. dubium practicum est, de licito vel illicito usu seu praxi, v. g. an licitè hîc & nunc inire possim talem contractum; an equum, de quo dubito an meus sit, retinere debeam, an Baptismus de cujus valore dubito, repeti debeat, &c.

136. PITHANOPH. Sunt qui dubium ſpeculativum facile admittant, non verò practicum, ita ut agere, vel omittere aliquid cum dubio practico, peccatum ſit; vellem ſcire, cur ſpeculativum ſine peccato eſſe queat, non verò practicum.

137. ANTIM. Miror, à te hoc neſciri: Quidquid enim diximus de probabilitate in ſuperiore Dialogo. De dubio dictum puta; ſed tui gratia breviter repeto, & à dubio facti initium duco: v.g. dubito, utrùm votum emiſerim, etiam dubio propriè ſumpto, ita ut anceps omnino hæream; ex hoc probabilem opinionem ſic formo: votum dubium non obligat, & hæc eſt probabilis, quam tenent Sotus, *lib. 7. de juſt. q. 3. a. 2.* Lopez. *p. 1. inſtruct. c. 45.* Suar. *lib. 4. de vot. c. 5. & de cenſ. diſp. 40. l. 5. num. 15. & ſ. 6. num. 5.* Sanch. *lib. 1. de matr. diſp. 9. num. 11. & lib. 1. mor. c. 10. num. 36.* Barth. Modin. *in inſtruct. confeſſ. lib. 1. c. 14. §. 7.* Sà, *v. votum. num. 2.* Layman. *cap. 5. num. 31.* Buſenbaum *l. 1. t. 1. c. 2.* & innumeri ferè alii; licèt autem nonnulli ſecus ſentiant, ut Azor. *tom. 2. lib 2. c. 19. q. 10.* non tamen negant, hanc opinionem eſſe probabilem; unde concludo, eſſe certò probabilem, ac proinde certò tutam in praxi; ac demum cum hujuſmodi dubio facti conſcientiam certam optime ſtare; ratio porro hujus opinionis petitur à diverſis regulis juris. 1. Quod melior ſit conditio poſſidentis; hic autem poſſeſſio ſtat pro libertate. 2. Quod nemo ſolvere teneatur, antequam monſtretur, eſſe debitor. 3. Quod factum, in dubio non præſumatur, ſed demonſtrari debeat. 4. Quod obligatio adſtruenda non ſit, niſi liquidò cognoſcatur, *arg. l. quidquid, ff. de verb. oblig.* res tota ad illud principium reducenda eſt, quod effectus certus à cauſa certa eſſe debeat, ac proinde ſolutio certa ab obligatione certa, & jure certo procedere; ſed votum dubium non parit jus certum, nec obligationem certam; igitur ſolutionem certam non poſtulat: eadem ratio & præfatæ regulæ faciunt pro juramento dubio, promiſſione dubia, &c.

138. PITHANOPH. Crediderim hoc effatum multas exceptiones pati: nam ſi quis dubitat, an votum certò emiſſum impleverit, an Horas Canonicas perſolverit, an debitum certum extinxerit, &c. haud dubiè tenetur, votum implere, Horas recitare, debitum ſolvere, ut docent, ni fallor, Sanch. *lib. 1. c. 10. num. 12.* Vaſq. *1. 2. diſp. 66. c. 7.* Layman, Buſenbaum, citati, & alii communiter, ut teſtatur Sanchez.

139. ANTIM. Nullo modo præmiſſa regula fallit; nam cum ſupponatur votum certum, ac debitum certum, & nulla ſolutio certa, ideò certam ſolutionem faciendam eſſe, prædicti Authores aſſerunt; neque fallit regula, ut dicis; nam ſolvere debitum, eſt aliquid facti; quod in dubio non præſumitur; nec poſſeſſio favet; quia hæc non ſtat pro libertate, ſed pro voto, ſeu debito, ſeu præcepto; id eſt, certum eſt, obligationem extitiſſe, incertum & dubium, an extincta ſit.

140. PITHANOPH. Dicerem etiam omiſſionem ipſam horarum, vel ſolutionis debiti, aliquid facti eſſe, quod in dubio præſumi non debet; nec præſumendus aliquis horas omiſiſſe, qui ſemper illas perſolvere ſoleat; etſi dubitet, an illas omiſerit.

141. ANTIM. Acutè ſanè invertis argumentum, & meo mucrone me petis, fateor, dubium eſſe, de ipſa omiſſione; ſed cum omiſſio non ſit ipſum factum, ſed potius omiſſio facti, non eſt propriè loquendo dubium facti, ſed dubium omiſſionis facti; quamquam ad dubium facti facilè reducitur; nec enim eſt dubium juris; ſed ideo dubito, an omiſerim, quia eodem prorſus dubio dubito, an perſolverim, ſeu non omiſerim; nam ipſum non omittere, eſt perſolvere; & dubium inter duo oppoſita ſemper eſt, dubito enim de oppoſitis; & perinde eſt, ſive dubitem, an perſolverim, vel non perſolverim; ſive dubitem an omiſerim, vel non omiſerim; igitur præmiſſa regula optimè ſtat, & allata ratio conſiſtit.

142. PITHANOPH. Quid ſi mihi probabile videatur, imò probabilius, horas à me recitatas fuiſſe, aut debitum ſolutum, aut votum impletum, cur huic opinioni probabili adhærere non poſſum?

143. ANTIM. Sed eſt etiam mihi probabile, omiſſas eſſe horas, & debitum ſolutum non fuiſſe; alioquin ſi hæc pars probabilis non eſt, oppoſita non modò probabilis; verùm etiam moraliter certa eſt; unde jam non ſumus in dubio, nec propriè nec latè ſumpto; ſi enim probabili ratione fretus, teneo, me horas perſolviſſe, & nulla ratio pro adſtruenda omiſſione occurrat, non eſt probabile, me omiſiſſe, igitur certum moraliter, me recitaſſe: Itaque ſi oriatur dubium de ſolutione alicujus debiti certi, teneor, primo loco diligentiam adhibere, ut dubium diſcutiam, qua ſemel adhibita, vel dubium reſtat, & anceps maneo, ſive quia nulla utrimque ratio affulget; ſive quia rationes æquè probabiles, in hoc caſu, teneor perſolvere debitum; ita præter citatos ſupra, Medin, *c. de orat. p. de hor.* Ledeſm. *2. p. 4. q. 16. a. 6. in 2. par. dub. 3.* Navar. *cap. ſi quis autem de pœnitent. d. 7. num. 76. v. 17.* Rebell. *de oblig. juſt. p. 1. l. 2. p. 14. ſ. 2. num. 9.* Caſtro Pal. *tract. 1. op. mor. diſp. 3. punct. 7. num. 7.* ſi verò anceps non maneo, ſed alteri probabilium expoſitarum adhæreo, adhuc teneor perſolvere propter rationem allatam; quia debitum certum non extinguitur, niſi per ſolutionem certam, ſi demum diſcutione præmiſſa, nulla occurrit ratio, qua fiat, ut credam, me omiſiſſe; licèt aliæ occurrant quæ perſuadent, me perſolviſſe, ſive quia ſolitus ſum perſolvere, ſive quia ita ſemper fui affectus; ſive quia nulla fuit omiſſionis cauſa; tum ſanè, cum nulla ſit ratio dubitandi, certum eſt moraliter, me perſolviſſe, id eſt, perinde me habeo, in ordine ad prudentum exiſtimationem, atque ſi certò perſolviſſem; alioquin cum vix actuum noſtrorum, interiorum præſertim, & jam à multo tempore præteritorum certi ſimus, tum ob memoriæ lapſum, tum ob attentionis defectum, eſſet onus intolerabile, ſi homines in hoc caſu tenerentur.

144. PITHANOPH. Hoc eſt, ni fallor, dubium deponere, ut loquuntur morales Theologi, ac proinde quæſtio ceſſat, cum nullum dubium ſuperſit, ſed, ni fallor, non contemnenda ratio ex iis, quæ dixiſti, erutа venit in mentem; cum enim certum debitum ſupponatur, certa eſt obligatio; certò igitur teneor; igitur probabile non eſt, me non teneri, ſed ad ſummum, ex ſolutione probabili, ſequitur, me probabiliter non teneri, ad ſolutionem; at ſi tantùm eſt probabile, me non teneri, eſt etiam probabile, me teneri, at certum ſupponitur, quia debitum eſt certum; præterea ſi probabile eſt, me teneri, igitur poteſt eſſe verum; ſupponamus ita eſſe; igitur verum eſt, me teneri; igitur reverà teneor; & reverà pecco, niſi perſolvam; quia id non facio, ad quod teneor; nec eſt, quod aliquis dicat, me probabiliter tantùm peccare; quia ſi probabiliter pecco, certò pecco, ut patet ex dictis; hinc aliquot conſectaria meo judicio non contemnenda. 1. Niſi certum ſit præceptum, certa lex, certum jus, certum debitum, non eſt certa obligatio. 2. Niſi certa ſit obligatio, certam

ſolutio

ſitionem non poſtulat. 3. Certa lex, certum jus, certum præceptum, certam obligationem parit. 4. Certa obligatio certam ſolutionem exigit. 5. Incerta obligatio certum debitum nunquam extinguit. 6. Si probabilis eſt obligatio ad ſolvendum, certa eſt. 7. Sicuti probabile eſt, me teneri, certum eſt, me teneri. 8. Si probabile eſt, me teneri; improbabile eſt me non teneri. 9. Non teneor, ad ſolutionem certam, ſi debitum incertum eſt; ad cauſas particulares facile deſcendens; dubito, an votum emiſerim, alicui promiſerim, an præceptum ſit, an lex ſit, an alicui debitum, &c. adhibita morali diligentia, ad diſcutiendum dubium: ad nihil teneor: pari modo, dubius an votum impleverim, Horas Canonicas perierim, debitum extinxerim, &c. teneor, ad perſolvendum, &c. cuncta hæc, ni fallor, optimè quadrant; hæc illæ regulæ mihi peremptoriæ videntur, quod ſatis jus incertum certam obligationem non pariat, nec incerta obligatio certam poſtulet ſolutionem, & quod incerta ſolutio certum debitum non extinguat: remanent tamen reſtant, quæ doceri velim, & primo eodem loco, ſi dubius ſum de legitima ætate, vel ad ſacrum, vel ad ſacram ordinationem, ad quid teneor?

15. Antim. Exiiſdem regulis, quæſtionem facio tripedes, nempe, certum eſt te non teneri, ante annum ætatis vigeſimum primum completum; non es certus de hac ætate, poſt accuratam inquiſitionem; igitur certo præcepto non teneris; igitur non eſt certa obligatio; igitur non teneris jejunare; ita Sanchez, *in decal. matr. diſp. 41. n. 38.* Laym. *citat cap. 5. num. 33.* Joan. Palao *cit. punct. 8. num. 7.* & alii communiter, imo negat, eſſe probabile; igitur tuta in praxi ſententia: at ſi dubius ſis, de legitima ætate ad ſacram ordinationem requiſita, non potes licitè ordinari, quia certum eſt præceptum, quo teneris, non ordinari ante legitimam ætatem; ſi autem ordinaris cum hac dubia, præceptum certò non impletur; atqui certum debitum, & certa obligatio, quam certum præceptum affert, ſolutionem certam poſtulat, quid ergo? ita Sanchez, *cit num. 41.* Layman, *num. 34.* Joan Palao citatus, & alii communiter: ex eodem principio alias quæſtiones expedio, quæ pro conſequenti adnoto. 1. Parentes poſſunt irritare votum liberis dubii; quia certa eſt poteſtas, ac certum quod per incertum quid non tollitur. 2. Quiſquis dubitat, de anno ætatis decimoſexto completo, jejunare non debet; quia certa eſt lex, quæ id vetat. 3. Si quis dubitat die jejunii an ſit hora meridiana, carnes comedere licitè non poteſt, quia de jejunii præcepto tenetur. 4. Qui dubitat, utrum dies jejunii cœpta ſit, nondum tenetur abſtinere, quia obligatio incerta, certam ſolutionem non poſtulat. 5. Si quis dubitet, an poſt mediam noctem comederit, vel biberit, ſanctiſſimum Chriſti corpus ſumere non debet; quia certum eſt præceptum, igitur certa obligatio: ita Sanch. *num. 40.* Caſtr. Palao, *num. 9.* qui citat Salas, & Villalobos; alii communiter ſuffragantur. 6. Dubius an reneatur Officium, ſive ratione levioris morbi, ſive tenuis beneficii, recitare tenetur; quia certum præceptum eſt, & cauſa exemptionis incerta; ita Sanch. *l. 1. d. 65. n. 3. 9.* Caſtr. Pal. *num. 11.* qui rectè obſervat, certam legem per dubiam excuſationem non tolli, ut teſtantur Covar. Tiraquell. Gonzalez, Everard. quos citat. 7. Dubius in voto, juramento, promiſſione, an animus, vel intentio adfuerit, ſi verba concepta adfuerint, & nulla ratio propter quam animus abſit, intercedat, tenetur voto, vel juramento; licèt enim animus, vel intentio ad validitatem voti pertineat, ſi reliqua ad ſubſtantiam voti pertinentia ponantur, inde præſumitur intentio adfuiſſe; ſi alioquin abfuiſſe certò non conſtet; certus enim effectus certam cauſam ſupponit, & hinc ex illa præſumitur, niſi ſecus certò conſtet; accedit, quod peccatum eſſet, vovere, aut jurare, ſine intentione; ſed in dubio delictum non præſumitur niſi probetur; ita Suar. *de juram. l. 2. c. 33. num. 4. & l. 4. de voto, q. 6. num. 4.* Caſtr. Pal. *punct. 10. num. 4.* qui citat Sanch. Navarr. Cordub. Sylveſt. & alios. Si tamen vel prolata verba ſunt dubia, vel dubius ſit de illorum ambiguitate, vel reſtrictione mentis, non tenetur; quia tunc dubius eſt, de juramento, ſeu voto; igitur votum non eſt certum. Suar. *num. 6.* & alii communiter. 8. In dubio de deliberatione idem prorſus dicendum eſt; ſi enim aliqua ratione verè probabili ducaris, ut prudenter dubites, votum vel juramentum factum fuiſſe per ſomnum, ebrietatem, phreneſim, votum non tenet; quia votum ipſum dubium eſt, ad cujus ſubſtantiam deliberatio pertinet. Ita Suarez, *l. 4. de voto, c. 6. num 9.* Caſtr. Pal. *p. 11. num. 8.* & alii. 9. Dubius de uſu rationis in voto, & promiſſione, non tenetur, ſive ratione ætatis, ſive maximæ perturbationis animi, prædictus uſus abſit; quamquam in foro externo, præſumptio voti, aut juramento faveat. Supponitur autem verè dubius eſſe; Suar. *num. 10.* Caſtr. Pal. *n. 10.* Sanch. *l. 1. de ſponſ. diſp 8 num. 8.* & alii. 10. Dubius de materia voti, aut juramenti an ſit licita, poſt accuratam diligentiam inceſſum adhibitam non tenetur. Suar. *num. 13.* Caſtr. Pal. *p. 12. num. 2.* ubi citat, Sanch. eadem pro iſtis omnibus ratio militat; quia ſcilicet dubium votum non obligat. 11. Dubius utrùm peccatum mortale certò admiſſum clavibus ſubjecerit, tenetur ſubjicere, quia peccatum certum eſt; igitur remedium certum eſſe debet; item præceptum ſubjiciendi peccata clavibus eſt certum, & obligatio certa; igitur ſolutionem certam poſtulat; ita ferè omnes communiter. Navarr. Suar. Layman. *cap. 5. num. 37.* qui prædictos Authores citat. 12. Dubius, an peccatum mortale admiſerit, confiteri tenetur, ſub dubio. Ita docent communiter Alenſ. Bonavent. S. Thom. Adrian. Sylveſter, Navarr. Suar. Sanch. à Layman citati, adde Lugo, *diſp. 16 num. 63.* Bonacin. *diſp. 3. q. 5. ſect. 2 punct. 2. diff. 4.* Buſenbaum *l. 6. tract. 4. c 1. dub. 3.* ubi citat Dianam, & alii communiter contra Coninch, quia cum ſit præceptum certum pro omni mortali; & dubitem, an peccatum dubium comprehendat, teneor, exequi; eſt enim dubium, an ſatisfaciam præcepto, ſi reticeam illud peccatum; ſed obligatio certa non dubiam, ſed certam poſtulat ſatisfactionem: nec dicas cum Ægidio Coninch, in dubio, delictum non præſumi, quod in foro externo locum habet, & in odioſis, non verò in interno, nec in favorabilibus, & ſalutaribus animæ; nec obſtat Trident. *ſeſſ. 14. cap. 15.* ni fallor, loqui tantùm de peccatis mortalibus, quorum habemus conſcientiam; nam ſuppoſito illo rationabili dubio, peccati dubij etiam conſcientia eſt, id eſt, cognoſco ſtatum illum tutum non eſſe, in quo prudenter dubito, ne lethalem noxam admiſerim. 13. Dubius an homo quem percuſſit, ſit Clericus, ſi deinde non conſtet, excommunicatum ſe reputare non tenetur, quia certa pœna certum delictum ſupponit: item dubius de legitima ætate, Ordinibus temerè ſuſceptis, ſi deinde dubius permaneat, dubio ſcilicet facti, cenſuras non contrahit, propter eandem rationem; idem de aliis cenſuris dictum ſit. Ita

Layman,

Layman, *num* 38. & alii communiter. Thesaurus, *in praxi, part.* 1. *cap.* 16. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 45. 55. 62. tenet Rota Burat. *decis.* 182. Alba *cons.* 91. *num.* 41 Honded. *cons.* 58. *num.* 43. *lib.* 1. Bonacin. *de excommunic. quæst.* 2. *punct.* 6. §. 2. *num.* 49. & 51. Baldel. *tract. de leg. lib.* 4. *d.* 9. *n.* 12.

146. PITHANOPH. Habeo nonnulla, quæ opponam, & primò quidem, in dubio homicidii, dubitans, irregularis censeri debet, ex *cap. ad audientiam, cap. significasti, cap. penult. de homicidio*; cur etiam in aliis delictis dubiis, idem dici non posset; præterea nonnulli censent, in dubio facti, semper irregularem esse censendum; denique in dubio facti de censura incursa pro foro conscientiæ, eligenda est pars tutior, ac petenda absolutio, saltem sub conditione, ut rectè movet Suar. *de censur. disp.* 4. *sect.* 3 *num.* 8. & Barb. *in cap. petitio, de homic. & cap. illud, de cleric. excomm.*

147. ANTIM. Scio, varios Authores varias super hoc habere sententias: Respondeo tamen, ad primum, in dubio homicidii admissi, irregularem censendum esse, quia ita per jura statuitur; sed in dubio homicidio standum est, eoque injusto, quia jura illud excipiunt expressè, nec enim statuenda est irregularitas, nisi in casibus à jure expressis, *cap. is qui, de sentent. excommun in* 6. sed quod in dubio facti aliquis censendus sit, de solo casu homicidii voluntarii injusti expressum est. Ita Henriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *n.* 4. Sanch. *lib.* 1. *mor. cap.* 10. *num.* 49. & 50. Suar. *cit. disput.* 40. *sect.* 6. *num.* 10. Rebell. *p.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 2. *sect.* 2. Igitur ad alios casus extendi non debet: quod verò subnectis, in dubio facti de censura incursa, id est, quo quis prudenter dubitat, se in censuram incurrisse, verissimum puto; sed quæstionem muras, nempe agitur de dubio facti, ex quo censura sequitur; tu verò loqueris de dubio ipsius censuræ, in quo, dubitans tenetur procurare absolutionem, saltem sub conditione, ut suprà diximus, de peccato dubio. Sed jam ad alia corollaria, quæ per eamdem regulam deciduntur redeo. 14. Dubius de præterito consensu in matrimonio contracto, modò prudenter dubitet, consensum revocare tenetur; nam possessio & præsumptio consorti favent, quæ per dubium expungi non possunt; nec aliud est, quod agat; nam dubius consensus matrimonium dubium facit; & hoc jus dubium in corpus consortis; jus denique dubium solutionem certam non postulat: si conjuges simul dubitent idem dicendum esse videtur; cum enim jura matrimonio faveant in foro externo, interno consulendum est, quoad ejus fieri possit: si vero sit dubius de aliquo impedimento, ad nihil tenetur, quia incertum impedimentum certam obligationem non parit. 15. Quisquis dubitat, an fuerit absolutus à censura certò contracta? tenetur procurare absolutionem; quia certa censura, certam absolutionem exigit. 16. Quisquis prudenter dubitat de Baptismo, Confirmatione, Ordinatione, repetere debet sub conditione, quia certi effectus quos virtute prædictorum Sacramentorum hominis ponunt, à cassis dubiis esse non possunt; Ita omnes communiter, Sà, *verb. dubium, num* 16. 17. Dubius an sit illegitimus pro legitimo se gerat, Castro Pal. *p.* 5. ubi multos citat, scilicet Vasq. Salas, Lopez, Sayr. Villalob. Fernand. Menoch. Mantic. Matscard. Lancelot. nisi diffamatus sit pro illegitimo; tunc enim illi probare incumbit, ratio hujus corollarii ex eadem regula deducitur; nam peccatum dubium pœnam certam non habet: vides, ni fallor, quàm bene quadret in corollaria adnotata moralis illa regula, quam supra statui; pro qua, illud præsertim observandum est, hîc dubium propriè dictum intelligi, quo scilicet animus anceps assensum omnem sustinet; si enim de opinione probabili, quæ formidini & dubio lato modo sumpto locum affert, jam constat ex prima dissertatione, quid tenendum sit.

148. PITHANOPH. De dubio juris tibi dicendum restat, cum ea, quæ ad dubium facti pertinent, probè intelligam.

149. ANTIM. Longè faciliùs rem hanc expediam, quàm superiùs traditam, eam tamen ut distinctior evadat ad aliquot capita reduco. 1. Lex humana dubia, seu jus dubium non obligat; quia obligatio certa à jure incerto & dubio esse nequit, nec solutionem certam incerta obligatio postulat. 2. Si dubitem, utrùm res, quam possideo, sit mea, adhibita prius diligentia, eandem retinere possum; quia restitutio certa supponit obligationem certam; & hæc jus certum alterius; ita Castr. Pal. *part.* 2. *num.* 4. qui citat Covarr. Molin. Villalob. Sanch. Salas, Vasq. Azor. Coninc. hîc autem melior est conditio possidentis, scilicet bona fide; si enim mala fides intercedat, secus dicendum est. 3. Si dubitem, an ex mea actione damnum proximo illatum fuerit, non teneor resarcire; quia incerta injuria certam reparationem non postulat. 4. Subditus, qui prudenter dubitat, an liceat, quod illi superior præcipit; si facto diligenti examine, coram Deo, & consultis viris doctis, remaneat dubius de honestate rei præceptæ, non tenetur obedire; ita Adrian. Man. Rodrig. Vasquez, Salas, citati à Castr. Pal. *part.* 13. *num.* 1. quibus subscribit, *num.* 7. & 8. adde Suar. *tom.* 3. *de rel. lib.* 10. *cap.* 3. ratio est, quia tunc reverà ageret contra conscientiam, aut saltem cum conscientia dubia; nec est, quod jubeas, deponi dubium; si enim prudenter dubitat, tenetur quidem inquirere, at cum præceptum superioris non reddat honestum, quod re ipsa turpe est, si deinde adhuc prudenter dubitet, certum est, quod non tenetur omittere id, quod prudenter facit, igitur nec omittere dubium, si prudenter dubitat; unde colligo; Authores illos, qui secus sentire videntur, ac volunt dubium deponendum esse, supponere consequenter dubium imprudens esse. 5. Certus de lege, at dubitans an eximatur, tenetur parere; quia certa lex est; igitur certam obedientiam exigit; sed incerta exemptio à certo debito non liberat, ita Castr. Pal. *part.* 7. *num.* 6. qui citat Medin. utrumque, Sanch. Alciat. Decium, Surdum, est communis; idem dicendum, si dubites, an lex sit abrogata; quia certum est, fuisse legem, dubium verò abrogatam esse; si tamen dubites, an usu fuerit recepta, non teneris; quia tunc reverà dubitas de lege, an sit; sed lex dubia non obligat; ita Castr. Pal. *num.* 4. citans Azor. Salas, Felin. Navar. Rebell. Decium 6. Quisquis prudenter dubitat de bello injusto, etiam post accuratum examen militare non potest; ut autem prudenter dubitet, debet adesse gravis aliqua ratio dubitandi; reducitur ad corol. quartum. 7. In dubio, an puer, qui petit Baptismum refragantibus parentibus, baptizandus sit; quia dubium est, an usum rationis attigerit, baptizari potest, si commodè expectari non possit, ita Laym. *cap.* 5. *num.* 41. citans Sot. Suar. Vasq. imò si sit periculum in mora, omnino baptizandus est; tum quia nihil dubium est ad valorem Sacramenti pertinens, tum ne salus illius animæ in discrimen adducatur: si verò eodem dubio stante refragantem puerum parentes offerant, & sit periculum in mora, etiam baptizandus est, quia in casu necessitatis, etiam forma, vel materia dubia adhiben-

ubi certam illam regulam statuisti pœnitentem ritè confessum & contritum absolvi petentem, absolvi posse, nisi Confessarius moraliter certus sit, dispositionem illius spuriam & fictitiam esse.

151. ANTIM. Ita est, memini; sed de his erit agendi locus, idque, ut ajunt ex professo; hoc loco dumtaxat generatim delibamus, quatenus ad conscientiam dubiam, de qua sermonem instituimus pertinent.

152. PITHANOPH. Crediderat, fore, ut aliquid de ipsa possessione & præsumptione diceres; multi enim ad hoc caput omnia reducunt.

153. ANTIM. Scio; aliam tamen viam tutius ineundam esse, putavi, cum multi, iique gravissimi Authores, extra materiam justitiæ, nec præsumptionis, nec possessionis rationem habendam esse censeant, ut Vasq. Azor. Ant. Perez, Sayr. Salas; tum quia vix discerni potest, in multis casibus, pro qua parte stet possessio; tum quia extra rem justitiæ, nulla est propria possessio, sed tantùm analogica; tum demum, quia titulus possessionis fundatur in regulis juris, quæ ad materiam justitiæ pertinent; idem dico de præsumptione juris, quæ sæpè favet possessioni, licet eidem aliquando adversetur; sæpe est dubia & sub opinione tantùm; tunc autem perinde se habet, atque si nulla esset, quod etiam de possessione dictum sit; sæpè ad forum dumtaxat externum pertinet; sæpè longissimum esset, indagare, pro quibus sit certa juris præsumptio: his ergo omissis, aliam viam faciliorem ac tutiorem, juxta principia jacta inivi.

154. PITHANOPH. De conscientia scrupulosa nihil est, quod quæram; quamdiu enim scrupulus intra fines suos se continet, cum nec errorem, nec dubium dicat, sed levem suspicionem, seu formidinem, vel existimationem ex levibus rationibus ortam, qua quis inducitur ad credendum, aliquid peccatum esse, quod revera peccatum non est, contra scrupulum operari etiam laudabile est, quia licet scrupulus non tollit judicium certum de honestate actus: si enim judicium illud tolleret, esset conscientia dubia; cum qua non licet agere; quod autem laudabile sit contra scrupulum agere, certo certius est; quis enim neget, frivolas illas rationes, vel suspiciones prudenter explodi, & elidi; imò aliquando agere contra scrupulum tenemur; quando alioquin grave aliquod ex eo damnum imminet; teneor enim imminens animæ periculum vitare; ita Valent. Sayr. Montesin, Sanch. Salas, citati à Castr. Pal. *disc.* 4. *p.* 1. Hinc colligo, non esse necessarium, deponere scrupulum, ut recta sit operatio, adest enim cum scrupulo judicium practicum certum; nempe scrupulus non tollit assensum alterius partis, sistit enim in prima apprehensione; nec formaliter dubium constituit, alioquin assensus deesset; ita Navar. Vasq uterque Sanch. Valent. & alii à Castro ibidem citati, unum tamen observa scrupulum ab errore distinguendum esse; nam si in errorem inducat, jam merus scrupulus non est; inducit autem, ut dixi, scrupulus vel in errorem, vel in dubium; in errorem quidem si præbeatur assensus; in dubium verò si assensus oppositæ partis expungatur. De remediis contra scrupulos frustra hic agerem, de quibus à multis actum est, præsertim cum hæc ad institutum non pertineant.

155. ANTIM. Ut hæc breviter, ita & dilucidè; unum est, quod addendum esse putarem; dicis enim scrupulum esse formidinem quamdam, igitur & dubium latè sumptum; sed hoc cum judicio practico certo stare non potest; scio, nonnullos ita loquutos fuisse;

quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quia judicio practico merè probabili contenti de formidine parum solliciti esse videntur; ut tamen consequenter loquamur, cum formidinem à judicio practico arceamus, dicere non possumus, scrupulum esse formidinem; sat scio, reponi posse, esse formidinem voluntatis potiùs, quàm mentis; nam illa formido quæ cum opinione probabili conjuncta est, nihil est aliud quam judicium explicitum, vel implicitum, quo partem oppositam probabilem esse judicamus, ut & falsam esse possit illam, quam adstruimus; at formido illa, quæ scrupulum constituit, est mera apprehensio, cum quadam voluntatis perturbatione, inducens vel ad dubitandum, vel ad judicandum, aliquid peccatum esse, quod reverà peccatum non est: licet igitur sic explicari possit; ut tamen omnis ambiguitas fugiatur, suspicionem potiùs, quàm formidinem esse dicerem; hinc scrupulosus non errat, ad errandum tamen inducitur; non dubitat, ad dubium tamen vergit; judicat certò, actionem honestam esse, levi tamen ratione urgetur, ne ita judicet, & firmitas mentis cum aliqua voluntatis infirmitate conjungitur.

156. Pithanoph. Rem intelligo, atque ultrò fateor, ne detur errori locus, ab eâ voce abstinendum esse; sed quid de laxa & arcta conscientia dices?

157. Antim. Utraque suo vitio laborat; arcta enim nonnulla illicita judicat, quæ licita sunt; laxior verò ea pro licitis adstruit, quæ illicita sunt; error utrimque est; laxior cupiditatibus favet, arctior in violentas angustias hominem adigit; nec minus periculum est, innoxia pro noxiis, quam hæc pro illis traducere; si judicas malum, id, quod bonum est, & illud facis, peccas? & peccata multiplicas, cum bonam alioquin actionem in malam convertas; si verò judicas bonum, id quod malum est, dum id facis, peccas, si errore vincibili judices; si invincibili, non peccas: sed hæc, quæ difficultate carent, omittenda esse videntur.

158. Pithanoph. Excidit unum ex iis, quæ nonnulli minùs probarunt, in tuo illo opusculo, illud scilicet, quòd habes, de contritione; vocas enim opinionem illam erroneam, quæ contritionem perfectam, cum Sacramento necessariam esse adstruit; nonnullos hæc censura ita perculit, ut vix rostro & unguibus pepercerint.

159. Antim. Hoc facilè mihi persuadeo, scripseram opinionem minùs probabilem; graviorem censuram is edixit, qui libris recognoscendis præest; scribere volui opinionem improbabilem, quæ ad errorem accederet, sed his non contentus, hæreticam dici volebat, tandem erroneam dici passus est; sed de contritione singularem dissertationem aliàs instituemus, ad rem hanc ex professo discutiendam, interim huic finem impono: alteri manum admovebo cum redieris, vale Pithanophile, & quamprimùm redi.

Pithanoph. Ne dubites, maturè adero; sed illa interim adnotabo, quæ disseruisti; vale Antime, ac me tui amantem ama.

* * *

DIALOGUS III.

De Opinione probabili.

In quo aliquot recentiorum Assertiones circa opinionem probabilem refelluntur, ac præsertim Augustini de Angelis.

1. Pithanoph. INtegrum ferè octiduum effluxit, mi Antime, ex quo, ultimum illum congressum habuimus de opinione probabili; diuturni silentii causam mihi facilè divinare videor: nam gravissimæ tempestates adversùs Theologos morales dudum excitatæ te dubio procul omni terruerunt; magnos enim Patronos & grande patrocinium Adversarii tui nacti sunt, qui cum multa valerent gratia, mirum esse non debet, quod iis aliqui accesserint, ut vel inde, si non rationis novo pondere, numerosiore saltem calculo, suam illam opinionem confirmarent, & miseros probabilistas, ut vocant, si non argumentis convincerent, auctoritate saltem & mendicatis suffragiis vexarent, ac perturbarent.

2. Antim. Malè me nosti, Pithanophile, qui me his territum fuisse putas, quid enim ab iis, quos adversarios meos vocas, timerem? nam aut vera scribunt, aut falsa; si vera, libens admitto; si falsa, respuo; vera certè huc usque ab iis exposita, & in publicam lucem edita non legi; lustravi tamen eorum commentarios de hoc argumento, & nihil sanè in iis occurrit, quod me terreat, & quod dilui facilè non possit; nihil enim uspiam debilius; & misericordiam potiùs quàm timorem movent; cum autem minimè dubitem, quin eorum opuscula in tuas manus venerint, & illa, pro eo, quo es in rem literariam universam studio, sed præsertim ac potissimùm in præsentem controversiam, cujus occasione, tam multa hucusque disputavimus, non sine aliquo fructu, ut tu ipse, nisi fortè mihi assentari & illudere volueris, multiplicata testificatione significasti, illa, inquam, sollicitè juxta atque diligenter lustraris & evolueris; si tibi commodum fuerit, aliquot pro more congressibus, ad tempus saltem fallendum, hujus rei periculum faciemus.

3. Pithanoph. Nihil mihi jucundius accidere poterat; quamquam enim jactis à te principiis insistens, illa omnia facili negotio mihi solvere posse videor, gratissimum tamen erit, una tecum, solito more nostro, quasi confabulando, rem istam agere, nam & fortè nova rationum momenta mihi suggeres, quamvis opus esse non putem; ita enim tua sententia firmata est, ut novis adminiculis minimè indigeat; & colloquendo versandoque materiam & argumentum, novi igniculi, seu nova lumina inde affulgebunt, quibus literati homines maximoperè delectantur.

4. Antim. Jam facilè mihi persuaseram, te ad hæc paratissimum fore; sed quæso te, præscribe mihi ordinem, qui à nobis ineundus sit, quævis enim perturbatio mihi displicet, tum animi, tum vitæ, tum Reipublicæ, tum etiam disputationis & scriptionis; odi certè morem illorum, qui cum factioni, non veritati serviant, vel alio minùs honesto & ingenuo

dubio ducantur, ita res & argumenta confundunt atque perturbant, data scilicet opera, ne suus vegetatis, justitiæ & candori sit locus; & ut sub his tenebris melius lateant; nam qui malè agit, odit lucem.

1. PITHANOPH. Satis intelligo, quid tibi velis; putas enim de hoc argumento scripsere, non quid ipsimet sentirent, sed quid alius, cujus gratiam captare, ac præcipuè auctoritatis officia plusquam Curtia impensè ambire studebant; hi tamen modi non numero, nec ii profectò, qui tibi creare possint metuenda pericula; primos illos prætereo, puta Merendam, Mercorum, Philaletum, Heterodoxos item cum aliis ejusdem doctrinæ fœdere conjunctis, qui commentarios suos, seu veriùs sua figmenta in publicam lucem ediderant, antequam lucubratiuncula tua in lucem prodiret; cum jam satis superque tum à te, tum etiam ab aliis confutarentur; qui deinde scripserunt contra opinionem probabilem, pauci quidem sunt, diversi tamen instituti; Illustrissimus Fagnanus primum locum tenet, ut prior tempore, ita potior dignitate; huic deinde succenturiati sunt Vincentius, Baro, & Joan. Baptist. Gonet Dominicani, Ant. Marianarius Carmelita, Augustinus de Angelis, Congregationis Sommaschæ, & Anonymus quidam; nonnulli quoque minimè accesserunt, qui si non ex professo, ut isti, saltem per accessionem quamdam, præsentem controversiam ita discussérunt, ut in partem veriorem inclinare videantur: Hunc porro confutationis ordinem, non jam tibi præscribendum (quis enim ego sum) sed proponendum esse putarem, reliquum, qui ultimo loco scripsit, refellendum suscipiam, nimirum Augustinum de Angelis, cum enim aliorum opuscula legerit, & in suum ex iis transierit (quod summæ gloriæ dicit) quidquid ad hanc causam, quam agendam suscepit, aliquid roboris conferre putavit; hoc plenè confutato, alii etiam confutati restant.

4. ANTIM. Consilium tuum nemo prudens non probaverit: ea tamen lege, ut si quid in aliis rejiciendum supersit, idque alicujus momenti, nec ea non levia quæpiam & parerga in seriam & accuratam disseretionem quadrant, id seorsim etiam tentemus, idque more nostro, presse & accurate; si quæ autem occurrant in appellatis auctoris convitiorum salebræ, ultro ignoscam, nec ipsi referam; quod tamen facilè factu esset; sed hæc vix abjectis & humilibus mulierculis conabamus; quare non reddam malum pro malo, aquo certè oppignero fidem meam, nec maledictum pro maledicto, sola correctione fraterna, quam Christus imperat, contentus, quæ maximè hoc quadrat; si quid tamen aliquando aspersæ notæ colluviei in eos resilierit, cum quidam illorum, ac præcæteris Vincentius Baro convitiorum plausibus invexerint, sibi quæso imputent, sic Basiliscus, ut ferunt, objecto venenatis aspectibus lævi speculo, interit.

Atque repercussis confligitur ille sagittis.

Non omittam item liberiùs adnotare, manifestam dicti Baronis conspirationem & fœdus initum cum Adversariis nostris; hæc enim reticeri, non possunt, nisi fides & Religio prodantur: nec etiam omittam crassos aliquot errores ejusdem auctoris fideliter adnotare, quos ab iis, quibus Baronis liber recognoscendus datus est, minimè, notatos fuisse, satis mirari non possum; sed illustrissimæ commendationi, non jam censuras, sed elogia homines multæ spei reddiderunt; innumera tamen silebo, quæ in hanc rem in adversariis adnotavi; uberem sanè sylvam & materiam, ad secretiorem Historiam, doctrinam hujus temporis, suo tempore, & loco à me scribendam & publicandam: agamus igitur Pithanophile; profer appellatum librum Augustini de Angelis, & surgere, quidquid ab eo contra nostram sententiam opponitur, nec enim alia refutanda esse crediderim; quamvis alioquin solidè refutari possent; quia defensorem, non actorem ago.

7. PITHANOPH. Libelli titulum legisti, *de recto usu opinionis probabilis, quæst. unic.* &c. Titulus profectò cum re ipsa non convenit, cum hic auctor rectum usum opinionis probabilis non doceat sed penitus destruat, & abolendum esse defendat; quia vult, nullam opinionem merè probabilem tutam esse; ac proinde quemlibet teneri, ad probabiliorem, quam certam esse dicit.

8. ANTIM. Minus dicis, quam res ipsa postulet; nam non modo destruit usum opinionis probabilis, moralis scilicet, de hac enim haud dubie loquitur, verùm etiam omnem opinionem merè probabilem è medio tollit, nempe probabiliorem certam esse, dicit; igitur sine formidine, cujus certus assensus certus non est; unde sequitur, opinionem probabiliorem merè probabilem non esse, cum opinio probabilis sit formidolosus & incertus assensus; ut disertè docet, tota lectione prima; igitur probabilior non est opinio probabilis; minùs etiam probabilis non est probabilis; quia probabilior destruit probabilem, atque adeò reddit illam improbabilem, immo & falsam, ut expressè habet *lect. 3. pag.* 178. & passim alibi, neutra igitur est opinio probabilis, idem etiam de æquè probabilibus, juxta doctrinam hujus actionis, dicendum est, nam tota quæstione secunda probare conatur, propositis duabus opinionibus æquè probabilibus, intellectum, seu per se, seu per imperium voluntatis neutri assentiri posse, assensus igitur neutra patiens est: neutra igitur est opinio probabilis, quia opinio probabilis, secundum istum auctorem, est assensus formidolosus, &c. ut jam dixi, omnem igitur opinionem probabilem è medio tollit.

9. PITHANOPH. Qualem usum Deus immortalis, & quam expeditum remedium rem istam opinionis probabilis satis laboranten vidit ille vir optimus, inde laxiores quidam omnem omnino opinionem probabilem tuam esse volunt, eamque satis probabilem, si vel unius doctorculi calculo nitatur: alii verò severiores, non jam, ut iste, omnem opinionem probabilem sed omnem opinionis usum è medio tollunt, nam tene certum, inquiunt & dimitte incertum, ingens adhuc restabat controversia inter partes, durum enim videbatur, opinionem verè probabilem agnoscere, omnémque illius usum proscribere quare ut Alexandri exemplo, uno ictu, nodum scinderet & solveret, omnem opinionem è medio sustulit, ut omnem disceptationi materiam subduceret, & ne ultra pugiles certarent, campum subduxit.

10. ANTIM. Ita est, sed longè majorem aperuit, in quo non jam de usu opinionis probabilis, sed de ipsa, & pro ipsa probabilitate longè acriùs pugnabitur, nec est, quod Adversarius eorum partibus

bus accedat, qui probabilioris dumtaxat usum permittunt, quamvis illam, non quidem certam, sed tantùm probabilem esse fateantur, alteri tamen, minùs probabili, quoad usum, semper præferendam; isti enim, ut Philaletus, Comitolus, Anton. Perez, Gonetus nunquam dixerunt, opinionem probabiliorem certam esse; & minùs probabilem censendam improbabilem; quare vel inde rarior erit eorum, qui cum auctore sentiunt, manipulus, vel semidecuria quinque virûm qui sunt Merenda, Mercorus, Fagnanus, Baro, & Augustinus de Angelis, cui legionem aliorum facilè opponimus; tum ex Societate, puta, Tolet. Lugo, Palaucin. Suar. Vasq. Valent. Granad, Less. Sanch. Tanner. Becan. Turian. Continch, Salas, Henriq. Arriag. Ovied Layman. Filliuc. Azor, Reginald. Gordon. Castro Palao, Badell. Bresser. quorum loca distinctis numeris signavit Steph Dechamps in libello de quæstione facti, his adde Busembaun, in Medull. Ferrarium, Ferrerium, Laloveram, Bardium, singularibus de hoc argumento tractatibus; item Gobat in Clypeo, & quosdam alios, quos ultro prætermitto; ex aliis verò longam seriem contexuit prædictus Dechamps, adnotatis etiam fideliter eorum locis, quos ni fallor in secundo congressu recensuimus; quinque appellates quantuscumque illorum quilibet, etiam ab amicissimis censeatur, nihil enim de sua laude cuiquam detrahi velim, quinque, inquam, illos conferat æquus Judex, vel cum nostris auctoribus commemoratis, vel cum aliis, qui nostri non sunt, vel cum his simul & illis, quorum doctissima monumenta vastissima Bibliotheca vix capere posset: huc dumtaxat comparatio, circa quamlibet defensionem, satis esset, non dicam ad refellendos quinque viros, quod vel unus ex supra laudatis facilè præstaret, sed ad confundendos penitus & obruendos; sed, quæso te, Pithanophile in ipso limine diutiùs quàm par sit, hæremus.

11. Pithanoph. Hæc tamen vel in limine, vel intra limen, saltem obiter indicanda erant, quare non pigeat, quasi cursim delibasse; nempe vel uno levi obtutu, de jure partium prudentes Homines facilè judicabunt, ubi & numerum & nomen illorum auctorum inspexerint, qui tum à nostris, tum ab adversariorum partibus stant; isti quidem, ut modico numero, ita non adeò grandi nomine; nec enim opinor in Barone, quem honoris, & exempli gratia, unum appello, solidam Suaris doctrinam, mirabilem & nusquam superfluam copiam; eruditam Vasquis perspicaciam, & acutissimi vim ingenii reperies; aliquid fortè verbositatis, ac tersæ coactæ licèt, vel affectatæ Latinitatis, in illo auctore invenies; sed nihil ferè vel in dogmatis tutum, vel in argumentis nervosum, vel in doctrina conspicuum; multa in unum congessit absque ordine, sed vel non sua, vel ita obscura & perturbata; ut nihil luculentum in eo præter convitia, calumnias & contumelias, quotquot illius opuscula lustrarunt, à seiventum fusse, testentur.

12. Antim. Sine quæso Baronem illum; geminam illius confutationem penes me habeo, alteram meam, in qua hominem in iis refutavi, quæ tum adversùm me, tum adversùs Bernardum Stubrocium familiarem meum scripsit; Alteram à Guimenio Madrito ad me missam; utriusque copiam tibi facturus sum, ut eas hisce nostris dissertationibus conjungas, aliàs ejusdem auctori confutationes expecto, quas Tamburinus, scilicet, Stephanus Dechamps, & fortè quidam alii, quique pro se scripserunt; nihil dico de Illustrissimo Caramuele, qui citrà injuriam ab alio defendi non potest; cum enim sit singulari ingenio, acri stylo, & omnigena litteratura probè instructus, is certè non est, qui Baronem, sed quem Baro magnoperè timeat; si commemorata opuscula in meas manus tempori veniant, illa etiam cum duobus aliis ad te mittam; sed tandem videamus, quid libelli isti contra doctrinam nostram opponat.

13. Pithanoph. Ante omnia, prima lectione, tuam illam definitionem opinionis probabilis rejicit, in qua dicis, opinionem probabilem esse illam, quæ ex rationabili motivo procedit, citra certitudinem; rationabile autem motivum, citra certitudinem, quod licèt intellectum non rapiat, & ab eo, vi quadam objectiva, assensum extorqueat, ad assensum tamen prudentem movet, accedente imperio voluntatis; nullus autem iis prudenter assentiatur, quæ vel sensui communi, & lumini naturali, vel divinæ fidei, aut traditioni, vel SS. Patribus, aut torrenti Doctorum repugnant; aut si ea quæ contra opponuntur solvi non possunt; id est, si laborant iis difficultatibus, quæ saltem probabiliter solui & expediri nequeant; hæc est illa tua definitio; ex qua ille auctor *pag.* 4. in hunc modum concludit, ergo *non est assensus formidolosus & incertus.*

14. Antim. Risum vix contineo, Pithanophile; dixi enim opinionem probabilem, objectivam scilicet, movere ad assentum prudentem, citra certitudinem, igitur ad assensum incertum, ac proinde formidolosum alioquin non esset assensus citra certitudinem; quomodo igitur ex definitione mea inferri potest, opinionem probabilem nimium formalem non esse assensum formidolosum atque incertum? nam si incertus non est, certum esse, oportet; atqui si certus est, citra certitudinem non est; nisi hæc sint repugnantia, fateor, mihi compertum non esse, quid sit repugnans.

15. Pithanoph. Pagina deinde 13. dicit, definitionem illam ita explicari à suis auctoribus, nimirum à te, ut suppressa formidine, doceant, opinionem, verè probabilem rationabili fundamento, niti, quod scilicet moveat, aut movere possit ad prudentem assensum; sed hoc est, inquit, petere principium, & assumere tanquam probatum, id, quod est probandum; nam si quæstio est, an opinio verè probabilis movere possit ad prudentem assensum.

16. Antim. Non intelligo, quomodò, dicat, in hac, definitione opinionis probabilis à nobis supprimi formidinem, cum præmissæ definitioni hanc clausulam dixerit adjunxerimus, *citra certitudinem*, id est, cum formidine; nempe assensus ille talis est, ut simul cognoscam, me falli, & falsum subesse posse; quod dicat, à me peti principium, ignoscat mihi optimus auctor, in definitione nominis nunquam petitur principium; cum is, qui rem ita definit, se tantum obstringat, ad usurpandum deinceps nomen illud, in tali significatione, per definitionem explicata, sive detur res definita, sive non detur; unde præmissa definitione illa, nullam deinde opinionem, ut verè probabilem adstruere debeo, quæ non habeat rationabile, id est, sufficiens motivum, ad prudentem assensum; & si quæ sit opinio, cujus motivum ad prudentem assensum

movere

movere nequeat, illam certè pro verè probabili habebo; non peto igitur principium, ut patet examinis; sicuti Euclides non petit principium, quando definit circulum, figuram, cujus omnes circumferentiæ partes ab eodem centro æquè distant, licèt fortè nulla re ipsa detur hujusmodi figura.

17. Pithanoph. Sed ad quæstionem propositam veniendum est; nimirum an opinio probabilis moveat ad prudentem assensum; quamquam illa fulta, & prudenti homine indigna esse videtur; quis enim neget, eum prudenter assentiri objecto proposito, licèt evidenter non proponatur, cui aliquod motivum affulgeat, illúdque grave, non leve, quod verum esse persuadeat; nihil unquam prudenter credi posset, fide humana, cujus objecta ferè semper incertum; immo in agibilibus, nulla est, ut plurimùm, evidentia; ferit agricolam, sub spe tantùm probabili messis; mercator negotiatur, sub spe probabilis lucri; Rex bellum suscipit, sub spe probabilis victoriæ; in re litteraria, citra divinam fidem & veritatem Geometricam, probabilibus dumtaxat argumentis disputamus, & quisque tuas tenet, docet, defendit opiniones, idque sanè citra certitudinem, cum de rebus certis minimè disputetur; nempe de iis dumtaxat disputatur, quæ in controversiam cadunt; frustrà de politicis, & œconomicis consultatur, nisi in ea, quæ sunt evidentia, consultatio, seu deliberatio non cadat; frustrà sapientes viri consulantur, cum prudenter quispiam eorum consilium dare non possit, nisi sit evidens, sed in evidentibus frustrà consilium peteretur; quid plura, si meâ fide dogmata in rebus agibilibus excipias, nihil fere est, quod certò à nobis adstrui possit.

18. Antim. Contra negantem principia disputandum esse, rectè monet Philosophus; quia tamen sapientibus & insipientibus debitores sumus, quatio à te proposita pressiùs discutienda est; negatur, opinionem verè probabilem ad prudentem assensum movere; ego verò assero; ego idem, cum omnibus etiam tuarum partium hominibus, nullus enim de Bato, vel Fagnano, vel Marcorus id negat, in re literaria, & speculativa, immo neque in agibilibus, in quibus de fide, aut de peccato non agatur; tu verò nullum habes, qui tecum, refragetur, & nulla prorsus ratione fretus, sed solo contradicendi studio; refragaris. omnes igitur ultro concedunt, illum assentiri prudentem esse, qui ex gravi motivo procedit, etiam citra certitudinem, saltem in rebus speculativis & agibilibus, extra morales actiones; in quibus etiam ultro id concedunt, quando motivum gravius est motivo partis oppositæ, etiam infinitesimè probabilitatis; & citra certitudinem; tu verò solus id negas, idque in re prudentiæ; quis non videat, imprudenter illum facturum, qui tibi, prudenter verò qui mihi, aliisque omnibus in hoc adhæserit, in Senatu nonaginta novem Senatores sentiunt, bellum esse gerendum, & gravibus quisque rationibus hanc sententiam probat, & illa omnia rejicit, quæ opponi possent, cuncta hæc tamen citra certitudinem prosperi eventus belli, uti etiam in omnibus consultationibus accidit, centesimus aliter sentit, nullam tamen pro hac sententia etiam minimam rationem profert, sed uno ducus contradicendi studio, secus atque alii sentit, quis non videt imprudenter facturam Reimpublic. si hujus sententiam, illorum sententiæ anteponeret: sumus in eodem casu, omnes dicunt assensum prudentem ex gravi motivo procedere posse, in moralibus etiam, modò sit gravius, motivo partis oppositæ, idque citra certitudinem, tu verè unus inter tot hoc ipsum negas, Pithanophile, is ergo imprudentissimus esset, qui tibi potiùs in hoc, quàm cæteris omnibus, iisque gravissimis, sapientissimis, pissimis Hominibus adhæreat, cum id sanè prudenter geratur, quod multi Sapientes & Prudentes Viri prudenter geri posse sentiunt, res enim prudentiæ ad forum prudentem pertinet, uti res doctrinæ ad forum Doctorum, rei Medicæ, ad forum Medicorum, quod revera pronuntiatum in prudentiam potissimum quadrat; quia scilicet multorum Prudentum judicio nititur; parum igitur abest, quin te majestatis reum, in prudentium esse dicam, qui maximam illi bonorum suorum partem subducis, & de prudentia parum certè prudenter, immò, ut mitissimè loquar, imprudentissimè agis.

19. Pithanoph. Quid rei Antimè, me petis, perinde atque si hujus opinionis auctor essem, quam tamen non modò improbabilem, verùm etiam falsissimam & judicio Scholastico indignam esse censeo; immò vel inde auctor ipse argumento ad hominem, ut ajunt, penitùs confutari posset; cum enim hæc illius opinio, quæ est etiam de moralium numero, nam ponamus, aliquem scisciari, utrùm ipse ex gravi motivo assentiri possit prudenter, objecto cupiam citra certitudinem proposito, responsum haud dubiè morale censetur, sive affirmanti parti, sive neganti adhæreat; cum igitur, inquam, hujus auctoris opinio, probabilis non sit, nedum certa, seu probabilior, utpote, quæ nullo rationis, vel gravis auctoris momento nititur, nullo modo tenenda est, nec illius usus probandus; cum juxta auctorem istum, nulla opinio ad praxim reduci queat, nisi sit probabilior quàm opposita. Præterea eum loquendi modum sequi debemus, quem vulgus usurpat; vulgo porro dicimus, unum motivum alio gravius esse, ac proinde unam opinionem alia probabiliorem; à graviore autem gravenon tollitur; igitur nec à probabiliore probabile; at grave motivum ad prudentem assensum movet; prudenter enim assensum præbeo, si minimè leviter assentior; at si ex motivo gravi, nullo modo leviter.

20. Antim. Eò disputationem deducis, quò certè fuerat deducenda; quod enim hic auctor dicit, opinionem probabiliorem certam esse, & minùs probabilem, improbabilem, adeo ridiculum est, ut vix in re literaria quidpiam magsi ridiculum mihi nunquam occurrerit, quasi verò minùs probabilis non sit probabilis, & probabilior non sit etiam probabilis; sicuti doctior est revera doctus, & minùs doctus, est etiam doctus; idem de cæteris omnibus dictum sit, quæ, ut Scholastici vocant, suscipiunt magis & minus; igitur si probabiliori opinio ad prudentem assensum movet, ad prudentem etiam minus probabilis movebit, modò sit verè probabilis; nempe ideo illa ad prudentem assensum movet, quia gravi motivo nititur; hæc igitur pariter, quia etiam gravi, licèt minùs gravi; non peto igitur principium, quando adstruo, gravius & minus grave; quando assero, opinionem probabiliorem & minùs probabilem, in re ipsa probabilitatis, convenire, in gradu verò differre, uti differunt majus & minus, calidum & calidius, candidum &

candidius, &c. immo repugnat, concipi probabilius, nisi concipiatur probabile; comparativum scilicet, sine positivo.

2. PITHANOPH. Hoc tamen auctor negat, aitque, nonnulla esse comparativa, quæ carent positivo, ut *ocyor* & *potior*; & in hanc rem citat Emmanuelem Alvarem; rides Antime, lege sis, nihil affingo.

22. ANTIM. Scio, nihil à te affingi; sed quis ad hæc risum teneat? hæc igitur quæstio ad forum Grammaticorum defertur; quid faceres quibusdam hominibus, qui, falsa potiùs, quàm nihil reponere malunt; *ocyor & potior* positivo carent; Grammaticè, concedo; Physicè, ac re ipsa nego; id est, Latina lingua talem dictionem non habet, quamquam potis & pote, positivum sit hujus comparativi *potior*; retamen ipsa, quo ad significationem, utrumque comparativum positivum habet: quàsi vero, si Horatius dicat cervis ocyor, vel ocyor Euro, neque cervis, neque vento velocitas insit; & si Virgilius dicat, fulminis ocyor alis, vel inde fulmini velocitas neganda sit; & potis, potior, potissimus idem non sit, ac bonus, melior, optimus, vel quasi potens, potentior, potentissimus: ad id verò, quod subnectit, tum Pauli, *melius est, nubere, quàm uri*, vel Susannæ, *melius est, incidere in manus vestras, quàm peccare*; respondeo cum Lyrano, non esse veram comparationem, sed abusivam, & hunc esse modum loquendi, qui hunc sensum re ipsa præfert, *magis eligibile est*; sunt Lyrani verba; item cum Ambrosio, *non ideo dixit melius, nubere, quàm uri, quasi bonum sit uri; sed consuetudinem sequutus est*, nimirum loquendi; solemus enim dicere, melius est, lucrum facere, quàm damnum; sed cur in his nugis hæreo? pari modo opinio tutior dicitur, licèt propriè loquendo una formaliter alia tutior non sit, si enim utraque certo probabilis est, utraque tuta est; sed tutum, ut suo loco diximus, in individuo situm est; unde altera tutior formaliter & propriè dici nequit, sed tantùm vel materialiter, vel remotè, vel secundùm loquendi modum aliquorum; at verò, esse probabilem opinionem, in individuo positum non est, sicuti nec esse prudentem assensum, prudentia enim uti & reliqui habitus recipiunt magis & minus, ut Scholastici loquuntur; igitur ut prudens assensus procedit ex motivo gravi, etiam citra certitudinem, ita prudentior ex graviore procedit; unde ut illum probabilem, ita hunc probabiliorem meritò dicimus.

23. PITHANOPH. Immo ex hoc ipso capite confutatur hujus auctoris assertio; nempe cum in electione, vel optione prudentia maximè posita sit, citra res fidei, objectum certum esse nequit, nisi etiam perspicuum sit, vel evidens, ut ajunt; sed ab evidenti objecto rapitur intellectus, Physicè quidem, ab evidente Physicè, moraliter verò, ab evidente moraliter; quare nullus superesset consultationi locus; igitur nec optioni, nec electioni, nec laudi; Unde, licèt judicium de objecto universali, item practicum, quod est conscientia, sit certum, non tamen propterea omnem prudentem assensum, id est, à prudentia imperatum, atque præscriptum, certum esse, necesse est; nempe cum materia prudentiæ sint singularia contingentia, non potest certitudo prudentiæ tanta esse, ut omnino solicitudo tollatur, id est, formido, seu dubitatio, ex parte scilicet objecti, ut ait Div. Thom. 22. *quæst.* 47. *artic.* 9. *ad* 2. cum autem circa contingentia versetur, non potest dirigi per ea quæ sunt necessariò vera, sed ex iis, quæ in pluribus accidunt, ut idem testatur 2.2. *quæst.* 49 *artic.* 1. *in corp.* idem habet *quæst.* 49. *artic.* 5. Unde ut prudentia imperet assensum prudentem, considerare tantùm debet, utrùm adsit motivum grave assentiendi, non quidem, quod rapiat intellectum, sed quod sufficienter moveat, accedente scilicet voluntatis imperio, cui prudentia, per hoc judicium universale prælucet; prudenter assentitur intellectus, quotiescumque motivum graveassensus ipsi proponitur, quod certè citra evidentiam intelligendum est, alioquin nec eo principio Prudentiæ, nec imperio voluntatis opus esset, judicat etiam prudentia de motivo gravi, objecti propositi, idque certò; si enim dubium insit, de gravi motivo, ac proinde de ipsa probabilitate, dubia etiam erit prudentia talis assensus; quid porro in his difficile sit, reverà non video, ut diserte in primo dialogo, *pag.* 104. & 105. quæ hîc non repeto; sed ne tantùm in defensione sistamus, scire vellem, Antime, an definitionem opinionis probabilis ab auctore illo assertam approbandam esse censeas, quæ sic habet: *opinio probabilis est assensus formidolosus & incertus, ex insufficientia motivi.*

24. ANTIM. Nullo modo; licèt enim opinioni formido insit, id est, non sit actus certus, quod in nostra definitione per clausulam istam, *citra certitudinem* satis expressimus, per quam à scientia, fide divina, aliisque actibus intellectus, qui certi sunt, distinguitur, ex hac tamen definitione manifestè sequitur eandem esse opinionem probabilem & improbabilem; cum hæc sit etiam actus formidolosus & incertus ex insufficientia motivi; igitur per istum auctorem, opinio probabilis & improbabilis idem sunt; quid enim quæso hæc habet, quod illa non habeat; nam reverà utraque est actus formidolosus, utraque etiam cum motivo, nulla enim est opinio sine aliquo motivo; sed utraque cum insufficienti; nullum profectò discrimen inter utramque video; & tamen probabilis opponitur contrariè improbabili, ut probabilior minùs probabili comparativè, sive relativè; per quid porro contrariè opponitur & adversatur? per id tantùm, quod probabilis ex sufficienti seu gravi motivo procedat, improbabilis verò ex insufficienti & levi; unde qui sic opinatur, temerè opinatur & imprudenter, cum motivum leve ad prudentem actum minimè sufficiat, ad quem tamen grave sufficiens censeatur, ab iis omnibus, qui rem istam intelligunt; spuria igitur illa est definitio, cum per eam opinio probabilis ab improbabili minimè distinguatur, immo cum omnino improbabili, & nullo modo probabili conveniat; ita ut vix ulla definitio vitiosior excogitari possit; perinde atque si Hominis definitio adstrueretur, quæ in animal irrationale, non verò in rationale quadraret.

25. PITHANOPH. Unica ratio quam dictus Autor adducit, ex eo communi principio petitur, quod scilicet per illam definitionem, opinio probabilis ab omni alio actu distinguatur: sed hoc falsum est; quia per hanc non distinguitur ab opinione improbabili, ut rectè observasti; ea verò quæ profert ex D. Thom. & Aristotele, non faciunt ad rem; quia hi tantùm agunt, citatis locis, de opinione in genere, non verò de opinione probabili præcisè; Canonistæ item & Philosophi; est enim opinio, ut sic, genus quoddam, quod dividitur in opinionem probabilem

bilem, & improbabilem; probabilis verò in probabiliorem & minus probabilem, non tanquam in duas species, cum sint ejusdem speciei, quo ad rem, sed tanquam in duas differentias substantiam, sed tanquam in duas differentias accidentales, quo ad gradum; sicuti album dividitur in magis & minùs album; opinio etiam improbabilis dividitur in magis & minùs improbabilem, ut enim probabilis habere potest motivum magis, vel minùs grave, ita improbabilis habere potest motivum magis, vel minùs leve, unde lucuter errat prædictus auctor *pag.* 7. & alibi. ubi dicit, probabiliorem opponi opinioni probabili, sine oppositione contrariorum; quia primò nulla est oppositio inter probabilem & probabiliorem, cum ipsa probabilior sit etiam probabilis, ut patet manifestis, sed inter probabiliorem & minùs probabilem; secundo quia inter probabiliorem & minùs probabilem oppositio relatorum, non contrariorum intercedit, ut constat: itaque opinio probabilis quatenus non excludit formidinem, oppositæ certæ, quæ formidinem excludit, quatenus procedit ex sufficiente motivo, ad prudentem assensum, antecedente scilicet imperio voluntatis, opponitur improbabili, idque oppositione contrariorum, probabilior denique opponitur minùs probabili oppositione relatorum, cuncta hæc nota sunt, compertaque manifesta ex ipsis terminis, nec de his huc usque Philosophis, vel Theologis, vel minimùm dubitatum fuit, unde sanè est, quod miremur, tres aut quatuor recentiores, eósque doctrina, auctoritate, pietate, ingenio, aliis minimè anteponendos, immò saltem æquandos, vel comparandos, imposuisse novis nomina rebus, novásque & hactenus inauditas definitiones excogitasse, nulla ratione, nulla auctoritate fretos, sed mero ductos contradicendi studio, aut alio fortè minùs ingenuo & laudabili.

18. Antim. Ita prorsus, nempe iste auctor, opinionem probabili, eam definitionem attribuit, quæ eidem opinioni ut sic competit, sed tantùm probabili *pag.* 3. eámque opinioni probabiliori, quæ certæ atque adeò evidenti, extra res divinæ fidei notioni convenit, *pag.* 7. quo quid absurdius dici possit, non video, sic enim habet: opinio probabilior est assensus firmus & certus moraliter ex prudentia motivi probabilioris, at adeo potens cogere intellectum ad se, *pag.* 7. quanta vis est opinionis probabilioris, quæ non modò sibi oppositum, nimirum minus probabilem, verùm etiam veram destruit, nempe eo ipso quod probabilior & certa evadit, & opposita, minùs probabilis, improbabilis, utraque igitur desinit esse probabilis, sed longè major vis est hominis intellectus, quæ chimæras interdum fingit, ita parit monstra, subjectiva, ut ajunt, & terminos, ut Logici vocant repugnantes in unum colligit, quos nequiret Deus infinita pollens potentia re ipsa simul conjungeret, nunquid enim hi termini repugnantes, non sunt, probabilior & non probabilis, probabilis & certa, minùs probabilis & improbabilis, provoco, non ad Lycæum, vel Areopagum, sed ad infima subsellia Tyronum in Dialectica.

17. Pithanoph. Si hæc ita se habent, non est profectò, quod adeò solicitè & impensè auctores illi laborent, ut homines deterreant ab opinione minus probabili, cum probabilior certa sit atque evidens, extra res divinæ fidei, ac proinde rapiat intellectum, illumque ad se trahat, extra ullum voluntatis imperium, moraliter scilicet, quod revera satis est; tam enim necessitatur, ut sic loquar, ad sequendum probabiliorem, quàm necessitatur voluntas, ad vetandum, ne exponte in flumen me præcipitem agam, quando nullum adest hujusmodi saltus motivum, frustra igitur nos hortantur ad probabiliorem, quam non sequi non possumus, & non jam temerariimodò, tot ac tanti Doctores extiterunt, quorum censum aliàs descripsisti, Antime, qui opinionem minùs probabilem tutam in praxi esse docuerunt, ac proinde teneri posse, relicta probabiliore, verùm etiam stulti & mente capti, cum opinionem probabiliorem ad libitum relinqui posse dixerint, quæ tamen rapit & trahit ad se intellectum, ac proinde id, quod est moraliter impossibile, mundo persuadere voluerint.

28. Antim. Addit autem prædictus auctor opinionem probabiliorem ratione hujus certitudinis reduci ad habitum prudentiæ, quæ certa est, non opinionis, quæ incerta; rem prorsus ridiculam, opinionem probabiliorem, non esse opinionem; seu quod idem est, non reduci ad habitum opinionis; perinde atque si aliquis diceret, hominem non reduci ad genus animalis, seu non esse animal; itaque opinio probabilior, pertinet ad prudentiam; quia imperatur à prudentia; quivis enim objecto sub motivo gravi, seu rationabili proposito honestè ac prudenter assentiri potest, quod est dictamen generale, vel unum ex principiis prudentiæ, illudque certum atque evidens; unde assensus, qui tali objecto præbetur, prudens denominatur; quamvis alioquin sit tantùm probabilis; si autem motivum sit gravius, inde probabilior assensus; igitur & prudentior; prudentia enim sucipit magis & minùs, hinc etiam assensus minùs probabilis est etiam prudens, sed minùs.

29. Pithanoph. Quantò faciliùs, Antime, rem istam expedis; nam vel objectam certum proponitur, vel incertum, si certum, vel simul evidens, vel inevidens; si evidens, rapitur intellectus; neque ullus est electioni, consultationi & prudentiæ locus; si verò inevidens, non rapitur quidem intellectus, sed à voluntate per piam motionem inducitur intellectus, à lumine fidei prius instructus, ad assensum certum, divinæ scilicet fidei; si verò incertum objectum proponitur, vel sub gravi sufficienti & rationabili motivo, voluntas imperare potest intellectui prudentum assensum; & si quidem, motivum gravius sit, prudentiorem, quæ est opinio probabilior; si minùs grave, minùs prudentem; si autem certum est, motivum illud esse grave sive gravius sit, sive minus grave, id est, esse opinionem vere probabilem, certum est etiam, assensum esse prudentem; ex quo certò deducitur prudens electio, & prudens usus talis opinionis.

20. Antim. Crediderim facilè prædictum auctorem in hoc hallucinatum fuisse, quod existimarit, motivũ minùs grave, quod est opinionis minùs probabilis, à graviore, quod est probabilioris, omnino destrui; quemadmodùm lux solis stellarum lucem & stellas ipsas expungit, quod si quando fiat, hæc profecto non est probabilis, nec probabilior dum taxat, sed omnino certa, nec illa est tantùm minùs probabilis, sed omnino improbabilis, hoc autem accidit, quando motivum utriusque ab eodem loco, seu fonte petitur, v. g. probant aliqui ex dubio Tridentini loco attritionem non sufficere adjustificationem in Sacramento Pœnitentiæ, sed requiri ad hunc effectum, dilectionem Dei, contraria tamen opinio

habet diſcrimen locum ejuſdem Tridentini, & minimè dubium motivum illud ab iſto deſtrui dicitur ; unde illa opinio , niſi fortè aliud motivum habeat, ex hoc probabilis dicenda non eſt ; pari modo, illa opinio, quæ pactum trium contractuum rejicit , ut uſurarium, hoc motivo nititur, quod pecuniæ collatæ in ſortem transferatur dominium in mercatorem ; unde is, qui contulit, refert fructum ex re , ſeu pecunia non ſua ; in quo vitium lucri ex mutuo fundatur ; alia verò opinio , hocalio motivo nititur, quod dominium ſortis collatæ remaneat penes eum, qui contulit, ac proinde ſi hæc fructum affert, Domino ſuo non alteri afferat, neceſſe eſt ; quod ſanè motivum primum illud omnino deſtruit, ac proinde prima illa opinio ex hoc motivo probabilis minimè cenſetur. At verò , ſi motiva ſint diverſi objecti, unum profectò aliud non deſtruit , ut patet ; unde nihil obſtat, quin utrumque grave cenſendum ſit; id eſt, vel æquè grave , quo fiat, ut utraque opinio ſit æque probabilis; vel unum alio gravius, quo caſu, altera eſt probabilior, altera minùs probabilis, quamvis utraque, intra fines opinionis mere probabilis reſtet; exempla non ſuggero , quia innumera ferre tibi occurrent.

31. Pithanoph. Ita eſt; cum probabilium opinionum campus longe lateque pateat ; mera igitur; ut rectè obſervas, illius Auctoris Hallucinatio fuit; qui cum argumenta noſtrarum partium ſolvere non poſſet; in eas anguſtias ſeſe conjecit , ut opinionem probabiliorem, certam, & minùs probabilem, improbabilem eſſe dixerit; & dum rectum uſum opinionis probabilis docere vellet, omnem opinionem probabilem, ut jam diximus, è medio ſuſtulerit ; eos profectò Medicos imitatus, qui ut ægrum hominem ſanent, eumdem occidunt.

32. Antim. Quid faceres; parum abeſt, quin etiam hoc loco tritum illud occinam, nulla fœditas ſine amatore, nulla fatuitas ſine patrono ; nam fuit etiam, qui dixerit, nullam opinionem in ſe probabilem eſſe, id eſt, ex principiis ſuis intrinſecis, ſed tantùm per fictionem intellectus, quaſi verò motivum grave ipſi objecto ineſſe non poſſit, ſi enim motivum movens ad certum aſſenſum ipſi objecto ineſt , cur non movens ad incertum, probabilem tamen & prudentem aſſenſum ? non movet quidem neceſſariò, id eſt, non trahit, aut rapit intellectum , movet tamen ſufficienter, ita ut accedente voluntatis imperio, intellectus prudenter aſſentiri valeat : quod dicam, trium contractuum pactum non eſſe uſurarium, inde moveor , quod tres illi contractus ſeorſim non ſint uſurarii , ac proinde nec conjunctim , cum unus alteri ſit omnino extrinſecus, & illius naturam & ſubſtantiam nullo modo mutet , vel afficiat , nunquid hoc motivum objecto intrinſecum non eſt ? quod dicam, votum dubium, id eſt, de quo dubito , an illud emiſerim , non obligare, inde moveor , quod cum ſit cauſa incerta, certum effectum, id eſt, certam obligationem producere non poſſit , nunquid hoc motivum objecto non eſt intrinſecum ? ſed cur hæreo in re notoria , ſeu per ſe nota ? equidem opinio probabilis dicit habitudinem eſſentialem, ut vocant, ad intellectum , uti & quilibet alius aſſenſus , hoc tamen non facit , quin etiam ad objectum & motivum habitudinem eſſentialem dicat ; & ſtultum dictu eſt, probabilitatem ab ipſo tantùm intellectu pendere , cum intellectus id probabile facere nequeat, quod re ipſa improbabile eſt , judicat quidem de probabilitate; id eſt, de gravi motivo, quod proponitur, an ſcilicet tale ſit , in quo , fateor, illum errare poſſe; ſicuti aliquando errat, dum judicat certum , aut verum, quod tamen neque certum , neque verum eſt; quando tamen verè judicat de gravi motivo , & hoc revera tale eſt, quale proponitur, ſeu repræſentatur, tunc judicium illud verum eſt atque ſincerum, ſed in hoc nulla eſt prorſus difficultas ; ac proinde dictus auctor nodum in ſcirpo quæſiiſſe videtur.

33. Pithanoph. Hinc ſanè prudentiſſimè aliàs opinionem vere probabilem à veriſimilitudine diſtinxiſſe viſus es, cum aliud ſit, eſſe re ipſa probabile, & videri probabile, ut enim aliquid probabile cenſeatur, non ſatis eſt, cuipiam videri probabile , & ut multi falluntur, dum putant, aliquid verum eſſe, quod tamen falſum eſt, ita pariter aliqui errant, dum putant, aliquid eſſe probabile, quod tamen non eſt probabile, alioquin quælibet hæreſis probabilis cenſeretur, cum multis probabilis eſſe videatur, nimirum ipſis Hæreticis, quemadmodùm igitur, æs deauratum, licèt auro ſimile ſit, aurum tamen dici nequit, propter illam ſimilitudinem, ita id, quod eſt tantùm veriſimile, id eſt, apparenter tantùm probabile, verè probabile dici non poteſt , imò ipſa ſimilitudo interdiverſa eſt, ut patet; igitur non ex ipſa veriſimilitudine, ſed ex rationabili, ſeu gravi motivo probabilitas adſtruitur: hinc Poetæ & Heroïcarum Fabularum auctores veriſimilia , non vera ; contra verò Hiſtorici vera, non veriſimilia ſcribunt , & hi quidem probabiliter, illi verò improbabiliter, quamvis alioquin veriſimiliter, hinc omnis opinio probabilis eſt veriſimilis, non tamen omnis opinio veriſimilis eſt probabilis; unde opinionem probabilem per veriſimilitudinem definiendam eſſe non puto.

34. Antim. Hic etiam omittere non poſſum alterius cujuſdam hallucinationem qui negat, intellectum aſſentiri veritati opinionis probabilis, ſed tantùm probabilitati: ita ut aſſerat tantùm , eſſe probabilem, non tamen veram , quod etiam repugnat in terminis, nam intellectus aſſentiri tantùm poteſt veritati, & quælibet propoſitio reducitur in modalem, cujus modus ſit, *verum eſt* , v.g hæc propoſitio, *Petrus eſt doctus* , reſolvitur in hanc, *verum eſt* , *Petrum eſſe doctum*; imò omnis propoſitio de ſe ipſa quaſi dicit, *vera ſum*. Ut enim voluntas in nullum objectum fertur, niſi ſub ratione boni, ita nec intellectus , niſi ſub ratione veri, igitur intellectus aſſentiri nequit probabilitati, niſi ſub ratione veri , id eſt, veritati probabilitatis , vel igitur certa eſt probabilitas , & ſic aſſenſus ille eſt certus, non probabilis, nec opinativus, vel eſt incerta & tantùm probabilis , ſic cum intellectum non rapiat illud objectum , ille determinari debet à voluntate , igitur voluntas determinare poteſt intellectum ad aſſenſum objecti probabiliter tantùm propoſiti, ſi autem ad unum, cur non ad aliud, modo adſit ſufficiens motivum , igitur vel nullus datur aſſenſus opinativus, & nulla opinio, ac proinde nulla opinio probabilis, quòd revera hujus commenti auctor minimè admittat , vel tam aſſentiri poteſt objecto opinionis probabilis, quàm hujus probabilitati, imò ſi prudens ſit aſſenſus, intellectus certò aſſentitur probabilitati opinionis, & probabiliter tantùm opinioni.

35. Pithanoph. Hæc jam toties & adeo accurate declaraſti, ſeu potiùs demonſtraſti, ut mirer, inter doctos eſſe, qui refragetur ; ſed huic Hallucinationi illud, opinor, occaſionem dedit, quod aſſenſus opinionis probabilis cum formidine conjunctus ſit , id eſt, ita huic aſſentior, ut oppoſitam probabilem eſſe, ſciam, ac proinde ſentiam , me falli poſſe, ſed hæc fere ad nauſeam aliàs, pergamus quæſo ad aliam

quæſtio

sitionem, in qua pag. 22. noster auctor absolutè negat, datis duabus opinionibus æquè probabilibus, intellectum ex imperio voluntatis uni potiùs quàm alteri, adhærere posse; & suam assertionem ita probat, ut jure aliquis dubitare queat, an seriò vel ioculoquatur.

36. Antim. Ita est, nihil unquam debilius; primò enim sic probat; est bonum intellectus, non adhærere uni potius, quàm alteri; sed voluntas suo imperio non potest determinare intellectum, nec alias potentias, nisi ad bonum illarum; ergo, nervosum hoc argumentum, cujus major & minor falsæ sunt, neque perspicuè; nam agere est bonum potentiæ; si autem intellectus uni adhæreat, agit, operatur; maius igitur suspensum, malum est; igitur dum ad unam partem à voluntate determinatur, ad bonum trahitur; igitur major illa falsa est; minorem etiam falsam esse, constat; nam ad malum usum voluntas potentias subditas sæpè determinat; alioquin nunquam peccaret; quod per se notum est; exempla quæ subnexa sunt ridicula; terra quiescit, inquit, quia non est potior ratio, cur in unam potiùs partem, quàm in aliam, cum sit æquè librata; demus hoc, quia non refert: quid inde? ergo intellectus in æquilibrio positus inter duas opiniones, à voluntate ad unam determinari non potest; quis vel puer concedat, quæ absurda est, non neget; idem dico de Asino Burdani, uti refertur, inquit, pag. 24. à D. Augustino, qui tamen eò statim currit quò Asinus: ista illum impellit: pari modo voluntas non hæc, sed imperio, intellectum agit. Quod verò addit auctor, de famelico, cui licèt cibus æquali intercapedine distantia admoveatur, alterum tamen eligere nequeat; idem de duobus malis, cuipiam paria proposititis, refert Barthol. Medina; anile commentum centies & millies secus probatum est, proinde auctor; & si adeò securus est, ponat centum duplicationes æquali hinc inde distantia, ab aliquo, qui det optionem, hos, vel illos accipiendi, ac sibi vendi; certus sum, fore, ut auctor sententiam suam mutet, quàm istam conditionem acceptet; aliorsum *quidam Homo*, quem sibi notum fuisse Menestratus, vel joco fingebat, vel in hoc, mente non erat.

37. Pithanoph. Secunda ratio, quam affert meam conditionis non est, quæ ita se habet; actus intellectus præcedit actum voluntatis: ergò intellectus non potest determinari à voluntate; itane ratiocinatur Homines docti, distinguo Antecedens, actus intellectus, quo intellectus certò judicat, utramque rationem esse probabilem, id est, ex gravi, eoque utrinque æquali motivo procedere, præcedit actum illum voluntatis, quo hæc determinat intellectum adhærendum uni parti, potiùs quàm alteri, concedo antecedens; quod tamen nego, de actu illo, quo intellectus dictæ parti assentitur; atque ita nego consequentiam; quia ubi proponitur voluntati utriusque probabilitas, & motivum utrimque grave, utrimque æquale, alia cognitione non indiget, ut ad alteram intellectum determinet: alia porro est motivi ratio, qua intellectus voluntatem movet, ab ea, qua voluntas intellectum movet, seu determinat; nempe intellectus voluntatem movet objectivè, cognoscendo scilicet tale objectum; voluntas verò intellectum formaliter & activè; id est, anima quæ suus intellectus est, atque voluntas, ubi cognoscit aliquod objectum per intellectum, id est, ut intelligens, se ipsam determinat, per voluntatem, id est, ut volens, & eligens, ad aliam operationem, sive per intellectum, sive per eamdem voluntatem, sed pudet hîc disputare, ubi nullus est disputationi locus: quod autem alius dixit utramque partem ab eodem intellectu probabilem judicari non posse, plusquam falsum est; repugnat enim tum experientiæ; quoties enim dicimus, duas illas, contrarias scilicet, opiniones esse probabiles, nimirum probabilitate intrinseca; id est, adesse motiva utrimque gravia, ad assensum prudentem sufficientia; tum etiam rationi, cum unam probabilem reputare non possim, nisi utramque probabilem reputem; si enim alteram improbabilem; igitur alteram certam; neutram igitur probabilem, quod stultum dictu est.

38. Antim. Idem de tertia ratione dicendum mihi est; voluntas, inquit, non potest determinare potiùs ad unam partem, quàm ad aliam, sine aliquo motivo, igitur cum idem sit utrimque motivum, voluntas ad unam partem intellectum determinare non potest, antecedens dandum est, sed neganda consequentia, quia licèt idem & æquale sit motivum, quo ad intellectum, non tamen quoad voluntatem, diversum enim est motivum unius à motivo alterius, nempe motivum intellectus proponitur sub ratione veri, voluntatis verò sub ratione boni: unde licèt æquale sit utrimque motivum intellectus, non tamen voluntatis, nam v. g. ideo voluntas determinat ad unum potiùs, quàm ad aliud, quia majoris perfectionis, aut certè, quia commodius est, facilius, & instituto conveniens, quamquam, quidquid dicat Vasquez, licèt utrimque eadem ratio boni appareat, voluntas unum potiùs quàm aliud eligere potest, idque ad libitum, cum sit domina suorum actuum, & si quæras, cur hoc potius, quàm aliud, respondeti potest, quia vult, sit pro ratione voluntas, imò grande bonum est voluntati, etiam posita illa perfecta indifferentia objectiva, ut vocant, pro innata sibi libertate, alterum eligere, & dicere ausim, tunc perfectissimam esse libertatem & indifferentiam activam, nec est, quod ille auctor opponat ex Aristotele, inde sequi, quemlibet assensum à voluntate imperare intellectui, quia semper supponitur adesse motivum sufficiens, non tamen necessitatem imponens, sine quo, nec intellectus, nec voluntas suas operationes elicere possunt.

39. Pithanoph. Viden, quàm impensè procurent recentiores isti, ut libertas hominis, vel omninò destruatur, ut docuere Calvinus, Lutherus, &c. vel cum necessitate societur, ablegata dumtaxat coactione, ut recentior ille auctor, ejusque sequaces; vel saltem plus æquo contrahatur, ut isti, nec jam mihi mirum est, cur his nostri Adversarii tam impensè accedant, imò & Calvinistæ, ut Molineus & alii, qui adversùs morales Theologos non ita pridem scripserunt; isti profectò mores parum curant, & merus obtentus est; arcem petunt, & nobiliorem hominis partem, nimirum liberam voluntatem, quam tot machinis & telis, amici & inimici, à centum circiter annis impugnarunt.

40. Antim. Rectè mones, & tantùm addo, fidem etiam ab iis peti, nam inde sequitur, intellectum à voluntate ad actum fidei obscurum scilicet, determinari non posse, objecto scilicet obscurè proposito; nullum igitur fidei meritum, quæ tamen principium totius meriti à Theologis esse dicitur; nec obstat, præmitti judicium evidens credibilitatis, quia etiam in nostro casu præcedit judicium evidens probabilitatis, & prudentis assensus; igitur si voluntas potest determinare intellectum ad præbendum assensum objecto obscurè proposito, quando præces-

sit judicium evidens credibilitatis, idem profectò poterit, quando præcessit judicium evidens probabilitatis, & prudentis assensus, hoc tantùm discrimine, quod naturæ viribus ad assensum tantùm probabilem, & cum formidine conjunctum, determinare potest, accedente autem lumine supernaturali, vel habitu fidei ad actum omninò certum.

41. PITHANOP. Subnectit etiam multa, quæ veritati consentanea non sunt: 1. quod voluntas cum sit libera, potest se determinare, intellectus verò est potentia necessaria, & natura sua determinata ad unum, intellectus non determinat sese, at determinatur, vel ab objecto, si est evidens, vel à voluntate, si est obscurum, quæ scilicet determinat potentias sibi subditas, non ad exercitium modò, verùm etiam ad speciem, modò adsit sufficiens objectum, circa quod agere possint, exemplum luculentissimum habemus in potentia motrice, quæ cum sit indifferens ad varios motus, à voluntate ad hunc potiùs quàm ad illum determinatur, item in intellectu, qui ab evidente tantùm objecto rapitur & determinatur, secùs verò ab obscuro, unde cum sese determinare non possit, nec etiam ab objecto determinari, quod licèt sufficiat, ut ab intellectu attingatur, non tamen intellectum trahit, à voluntate dumtaxat determinari potest. 2. Inquit, intellectus est determinatus ad verum, id est, attingit objectum sub ratione veri, quamvis alioquin sæpe fallatur sicuti voluntas sub ratione boni; unde verum evidenter propositum rapit intellectum: item bonum sub ratione tantùm boni, ita ut nulla mali ratio admixta sit, rapit voluntatem, ut bonum infinitum evidenter cognitum; at verùm obscurè propositum non rapit intellectum; unde cum intellectus se ipsum determinare nequeat, à voluntate determinari necesse est, alioquin ferè semper feriaretur. 3. Denique si sint duæ istæ propositiones, *astra sunt paria, astra non sunt paria*; intellectus neutri assentiri potest, rectè; quia nullus assensus motivum proponitur, sed est merè dubium negativum, ut voant; at verò duæ opiniones, ut verè, ita æquè probabiles à dubio negativo toto cœlo discrepant; cum utraque gravi motivo nitatur, quod ad prudentem assensum sufficiat, unde valde miror, ab auctore illo hæc adstrui, quæ nullius penitùs sunt roboris.

42. ANTIM. Ab onere importuno hæc lævia refutandi oportunè sanè me liberasti; stet igitur, intellectum determinari posse à voluntate ad alterutram æquè probabilium, quod & voluntati competit, pro innatæ libertatis indole, ut mille nostris experimentis indies comprobamus; imò nisi voluntas determinaret intellectum, ratiocinari minimè possemus; & in homine libertas & ratiocinium semper conjuncta sunt, ut in tractatu de Homine, lib. 7. satis superque demonstravimus: deinde voluntas intellectum applicare potest; cur enim ratiocinamur, commentamur, literis operam damus? reverà quia volumus, id est, quia voluntas applicat intellectum, objecto scilicet sufficienter proposito; nihil porrò aliud est, intellectum à voluntate determinari; præterea, si voluntas determinare potest intellectum, ad opinionem minus probabilem, potiori jure poterit ad æquè probabilem; minùs enim æquale motivum distrahit, quàm gravius & probabilius; quod autem opinioni minùs probabili adhærere possit intellectus, Adversarii nostri fatentur, cùm vel hoc nomine in nos acriter invehantur, quod minus probabilem opinionem teneri posse, dicamus; si teneri, igitur & ipsi præbere assensum. Denique jure possessionis, quasi gaudemus, fundato in manifestis experimentis, in doctorum omnium suffragiis, in ipsa liberæ voluntatis indole, aliisque hujusmodi quàm plurimis, quo tenerà jure nemo nos exturbet, nisi demonstrativis argumentis, non verò, ut iste, argumentorum quisquiliis instructus accesserit, sed ad aliam quæstionem descendamus.

43. PITHANOPH. Sed quæso te, quid de alterius auctoris sententia judicas, qui ex duabus æquè probabilibus non modò alteri assensum præberi non posse asserit, verum etiam neutram probabilem esse dicit; quia, inquit, per motiva opposita sese mutuò destruunt, quasi verò duo exercitus æqualium virium esse non possunt, ac proinde neuter alterum profligare queat.

44. ANTIM. Hic longè potiori jure hallucinatur, quia utriusque motivum subsistere potest; tum quia diversi generis esse possunt; nimirum unum intrinsecum, extrinsecum alterum, licèt alioquin æqualia prudenter censeantur: item utrumque vel intrinsecum, vel extrinsecum, ex diversis locis petita; imò licèt unum alteri oppositum sit, non sequitur unum vicissim ab altero destrui; nec enim se habent ut duæ qualitates contrariæ in eodem subjecto, sed ut duo objecta, quæ licet contraria, ab eodem tamen intellectu repræsentari posse, nihil vetat, iisque illum æquè moveri, & judicare æqualis momenti esse; quemadmodum enim judicare potest intellectus, duos pugiles æqualium virium esse, duos homines æqualis doctrinæ, duos equos æqualis pretii, ita duo motiva æqualis ponderis, duas rationes duo argumenta æqualium virium; non tamen alterum alteri præferre potest, sed voluntas, pro libertate, qua pollet, illud ad unum determinat, maximè quia voluntas aliis motivis ducitur, ut jam suprà dictum est, quæ licèt æqualia essent, voluntas tamen, pro sua libertate, ut dixi, unum præ alio eligere posset; tunc enim esset maximè indifferens, & maximè libera, & liberam determinationem nihil prorsus impediret. Et verò si motivum, pro una dumtaxat parte repræsentatur, voluntas aliam eligere nequit; quia sine motivo non eligit, neque in hoc, libera est, si sit pro utraque, majus tamen pro una, quàm pro altera, voluntas libera est, & partem illam, pro sua libertate, potest eligere, ad quam minus motivum impellit: nam video meliora, proboque, deteriora sequor; si demum motiva utrimque sint æqualia, tunc maximè libera est, & alterutram partem liberè amplecti potest; & hæc non modò ratio exposita à libertatis indole petita evincit, & omnium Scholasticorum auctoritas confirmat, verùm etiam quotidiana experientia persuadet, cum autem motiva, quæ repræsentantur, sint tantùm in statu objectivo, nihil mirum, si simul subsistere valeant, quia in dicto statu non duo contraria modò, verùm etiam duo contradictoria, ut vocant, simul esse possint, id est, simul repræsentari, nihil igitur negotii recentior ille nobis facessit, cujus assertionem, vel unica voce dissyllaba *nego* difflare possumus.

45. PITHANOPH. Hæc mihi revocat in mentem aliam alterius recentioris sententiam, qui docet, non posse hominem, qui alicui opinioni probabili adhæsit, alteri deinde adhærere, cum illam ut probabilem considerare non possit; sed hic etiam hallucinatur, quia licèt utrique simul quoad veritatem objectivè adhærere non possit; attamen quoad veritatem subjectivè adhærere non possit; aliquin de oppositis simul diceret, *verum est*, ac pro re de eodem diceret, *verum est, falsum est*, potest tamen successivè ex voluntatis imperio, unam relin-

bingquere, ut alteri adhæreat'; quia licèt utramque rum simul adstruere nequeat, utramque tamen si- mul asserere potest, probabilem esse; sed ad quam- amque probabilem intellectus à voluntate deter- minari potest; nec rationes ab auctore illo in hunc em adductæ, alicujus momenti esse videntur; imò eas gravissima sequerentur absurda, & incommo- da, de quibus fortè aliàs disceptabimus.

46. Antim. Ita est, in alium congressum remit- enda sunt, ne à suscepta nostri auctoris discussione discedamus; pergo igitur, & profer aliam, quæ se- quatur quæstionem.

47. Pithanop. Tertia quæstio est, an ex dua- bus opinionibus de honestate objecti actionis huma- næ, quarum una sit probabilior, altera minùs proba- bilis, & hæc pro libertate & commodo stet, illa verò pro lege & præcepto; minùs probabilis à viro pru- dente & circumspecto eligi possit; negantem par- tem auctor sequitur, eamque multis argumentis probare conatur.

48. Antim. Quæstionis expositio in multis vi- tiosa mihi videtur: primò enim opinio non est de ho- nestate, seu de honesto usu; quia non jam opinio- ne, sed judicio practico certo de illo judicamus; in hoc autem Adversarii nostri semper hallucinan- tur: quæstio igitur procedere debet, de duabus o- pinionibus moralibus, id est, quæ habeant pro ob- jecto aliquam actionem humanam, verbi gratia, sint istæ duæ, *Votum dubium obligat*, *Votum dubium non obligat*; ponamus, secundam esse minùs probabi- lem, licèt revera longè probabilior sit; quæritur, num in praxi, eam sequi possimus: pari modo sint istæ duæ, *Pactum trium contractuum est usura- rium*, *pactum trium contractuum non est usurarium*; de- hanc esse minùs probabilem, licèt probabilior sit, quæritur, utrùm absque culpa eam sequi possi- mus; secundò illud etiam vitium est, quod minùs probabilis stare dicatur pro libertate; quasi verò probabilior etiam pro libertate non stet, cum volun- tas quæ unam atque aliam eligere possit. Ter- tiò addit etiam illud, *pro commodo*, quod certè eam nihil facit, cum ratio proprii commodi ho- nestet actionis humanæ nullatenus obstet; quàm e- nim multæ actiones humanæ honestæ sunt, quæ ta- men proprium commodum spectant? Quartò il- lud quoque vitiosum est, quod dicit, probabiliorem esse pro lege divina & præcepto; cur non etiam pro humana, quæ ut plurimùm pariter obligat? certè neutra, quia, ut fusè dicemus infra, nulla o- pinio verè probabilis est contra legem; & repugnat, esse contra legem, & esse verè probabilem, ut patet ex terminis: & in hoc Adversarii nostri perpetuò hallucinantur; legem enim non facit litera, sed ve- ra literæ sensus. Quintò denique illud, quod ad- dit, *vir prudens & circumspectus*, non placet; quia si sequi opinionem illam eligere potest, quam minùs probabilem esse, cognoscit, non video, cur alius quilibet eam sequi non possit; frustra igitur illa ulti- ma clausula subnectitur. Viden, quot vitia in sola questionis propositione; unde facilè conjicies quot emenda sint, in solutione quæstionis, ejusque pro- bationibus.

49. Pithanoph. Intelligit sanè auctor quæstio- nem propositam in eo sensu, in quo illam explicasti, eamque cæteri auctores proponunt, ut constat ex probationibus ab eo adductis; præmissas clausulas mittere voluit, ut aliquod temperamentum afferre videretur, uti se obstrinxerat in ipsa libri fronte; il- lud tamen minimè assequitur; cum nihil novi dicat, quod jam alii non dixerint: sed quæso expendamus illius argumenta; quamquam, ut verum fatear, to- ties dissipata fuerunt, ut refutare iterum ac tertiò quasi pudeat.

50. Antim. Ita est, cursim tamen refellere operæ pretium erit, ne quis fortè sibi persuadeat, refelli non potuisse: propone igitur rationes hujus auctoris, eo, quo jacent ordine; ut eodem, breviter quidem, ef- ficaciter tamen refutentur.

51. Pithan. Priùs tamen delibanda esse viden- tur nonnulla, quæ hic auctor præmittit; statuit au- tem ante omnia tres casus: primus est, si utraque opi- nio moralis stat pro lege, v. g. an Judex damnare possit illum, quem ex privata scientia innocentem esse cognoscit, nocentem verò ex allegatis & proba- tis: secundus, si probabilior stat pro lege, v. g. an de- betur parvitas materiæ in re venerea. Tertius est, si u- traque sit æquè probabilis, v. g. an homo, statim at- que pervenit ad usum rationis, teneatur, sub mortali scilicet, elicere actum amoris Dei super omnia; in pri- mo casu auctor potestatem facit sequendi quamlibet, ad libitum, sive minùs sive magis probabilem; in quo sensu, inquit, antiquiores probabilistæ (sic parum ap- positè nos vocat, facilè reponerem, sed parco) Suа- rez, Vasquez, Salas, asserunt opinionem minùs pro- babilem licitam esse; secus tamen in secundo, & ter- tio casu; vult autem in secundo casu, opinionem pro- babiliorem esse moraliter certam,

52. Antim. Siste parumper; isti homines, una dumtaxat ambiguitate freti, inanes suas spargunt doctrinas; auctor explicare debuerat, quid sit illud stare pro lege, quod reverà si fecisset, causa illico cecidisset; sistamus in exemplo proposito in primo casu: Judex damnare non potest illum, quem ex pri- vata scientia, innocentem esse cognoscit, nocentem verò ex allegatis & probatis; quia lex prohibet, dam- nari quempiam injustè, injustè autem innocens damnatur; ita Scotus, oppositum verò docet Doctor Angelicus, nimirum reum damnandum esse, quem Judex ex allegatis & probatis reum esse cognoscit, atque hoc per leges statutum; dicit auctor, utram- que stare pro lege, sed de hoc disputatur; Doctor Angelicus docet, legem esse pro secunda parte, Sco- tus negat, & affirmat, legem esse pro prima, quod tamen Doctor Angelicus negat; disputatur igitur, an sit, vel non sit lex, hoc enim semel statuto, le- gem esse, nemo dixerit, opinionem illam tenendam esse, quæ est contra legem; sed breviter adnota hu- jus auctoris fidem, nempe ubi proposuisset hoc exemplum pag. 49. deinde pag. 185. dicit, docere D. Thom. 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. non esse contra legem, non condemnare talem reum, igitur contra legem; condemnare, sed D. Thom. citato loco, disertis ver- bis contrarium sentit, cum Cajetano, & reliquis fe- rè Thomistis; secus verò tenent Scotus, Angelus; Petrus Navarra, Adrianus, &c. apud Lessium, *lib. cap.* 29. *num.* 78. itaque ut eò redeat, unde deflexe- rat oratio, neutra ex illis duabus est contra legem, modo utraque sit verè probabilis. Assumit igitur auctor, minùs probabilem esse contra legem; quod tamen priùs probandam fuisset, hoc enim semel da- to, cessat quæstio; frustra igitur proponitur & sol- vitur; primò igitur decidenda priùs fuisset illa quæ- stio, utrum lex, quæ non est, obliget; quod nemo ra- tionis compos dixerit. Secundò utrùm lex obliget il- lam partem, quæ legem non esse, certò asserit; de quo tamen altera pars dubitat; v. g. certum est, cuipiam usum illius opinionis, quæ trium contractuum pa- ctum approbat, & ab omni usura vendicat, licitum, hone-

honestum, prudentem esse; igitur certum illi est, nulla lege, pactum illud vetitum esse; igitur nullam super hoc legem esse; alia verò pars probabiliter tenet, esse usurarium; ex quo tamen malè deducit, esse illicitum, & contra legem.

53. PITHANOPH. Sustine quæso: nam malè ratiocinari videris; si enim hoc syllogismo contra te agam, omne pactum usutarium est contra legem; sed pactum trium contractuum est usurarium: ergo contra legem, sic enim aliqui argumentantur.

54. ANTIM. Hoc argumentum jam aliàs solutum fuit; & mera, ut dixi supra, laborat ambiguitate: sic autem distinguenda est major, omne pactum certò usurarium est contra legem, concedo majorem; omne pactum probabiliter tantùm usurarium est contra legem, nego majorem: minor etiam ita distinguenda: Pactum trium contractuum est probabiliter usurarium, transeat minor; est certò usurarium, nego minorem; ergo est contra legem, nego consequentiam.

55. PITHANOPH. Sed instant; eodem modo est contra legem, quo est usurarium; sed est probabiliter usurarium, igitur probabiliter contra legem.

56. ANTIM. Nego majorem; quia nulla lex probabilis tantùm & dubia obligat; igitur non est lex, quia de ratione legis, est obligare; imò si vel dubitarem de lege, lex illa certò me obligaret, igitur vera & certa lex esset; unde, ut vides, implicat, legem tantùm dubiam esse; quia dato, quod dubia esset, certò obligaret; igitur certa lex esset: igitur non dubia; igitur dubia & non dubia; sed hæc jam sæpè aliàs, quæ si paulò attentiùs Adversarii perpendissent, tot ac tantas adversùs gravissimos & doctissimos homines tempestates non excitassent, & tandem intellexissent, nullam esse legem dubiam; si enim dubia esset, certa esset; unde inanis est illa quæstio, quam agitare & versare non cessant; nimirum, an lex dubia obliget, cum sit à subjecto supposititio; perinde atque si aliquis hanc quæstionem proponeret, utrum homo pictus sit homo; cum ex eo, quod homo pictus sit, homo non sit, ita ex eo, quod lex dubia sit, non est lex, & quemadmodum repugnat, hominem pictum hominem esse; ita repugnat, legem dubiam legem esse, nisi æquivocè. unde vides, quam vitiosè imperiti Logici ratiocinentur; lex dubia est, ergo obligat, id est, ergo lex vera est; perinde atque si dicerem, est homo pictus, igitur rationalis, igitur verus homo.

57. PITHANOPH. Ex iactis principiis hæc facilè intelligere potuissem; si enim certum mihi est, opinionem illam esse verè probabilem, ac proinde certum, prudentem assensum esse, certum denique, illius usum esse prudentem, honestum, licitum; certum etiam est, non esse illicitum, & contra legem; certum igitur, legem non esse; non est igitur probabile, legem esse; quia dato, quod esset probabile, legem esse, certè legem non esse, minimè certum esset; optimè igitur negasti, esse probabiliter contra legem, pactum illud, quod est probabiliter usurarium: sed ut difficultas penitùs exhauriatur, sic tandem insto, est probabiliter usurarium, igitur probabiliter malum.

58. ANTIM. Tu quoque fili, ambiguitate laboras, seu potius ludis, negatur enim consequentia: si enim malum probabile est, certum malum est, igitur certum, & non certum, & verò eadem responsione hanc instantiam refellere poteras, si enim certum est, illicitum non esse, haud dubiè certum est malum non esse, igitur malum esse probabile non est: Videbis, opinor, quàm bene hæc inter se cohæreant.

59. PITHANOPH. At si est casus dubius legis, lex servanda est, ut docent D. Thom. Cajetan. Soto, uterque Medina citati à Suaresio, *libro 6. de legibus, cap. 8. num.* 10. ubi dicit hanc sententiam evidentem esse.

60. ANTIM. Optimè sanè; loquuntur enim de perfecto dubio, id est, ut ubi disertè Suarez, in quo nulla ratio probabilis affulget, quod lex non sit, in alio casu sumus, nimirum, opinionis certò ac verè probabilis, ex qua rectè deducimus, legem non esse, id est, non obligare, pro illo casu.

61. PITANOPH. Votum tamen dubium non obligat, licèt perfectè dubium sit, id est, citra probabilem utrimque rationem: cur igitur pariter non dicemus, in perfecto dubio, legem non obligare.

62. ANTIM. Quia non jam dubium est, at certum nullam esse legem, quæ ad dubium votum implendum obliget, deinde si de tota lege dubitetur, an sit lata, necne, sicut de voto dubitatur, an sit emissum, necne, tunc certè lex illa non obligat, ut rectè monet ibidem Suar. *num.* 13 quia, inquit, lex nondum possidet, seu fortè melius, juxta ea, quæ in secundo Dialog. fusè disputavimus, quia certus effectus, id est, certa obligatio ab incerta causa, id est, à lege dubia produci non potest: sed quandoquidem Suarem appellasti, falsum est illud, quod dicit auctor, nimirum Suarem docere, licitum tantùm esse, sequi opinionem minùs probabilem, in primo casu, id est, quando utraque stat pro lege, cum disertis verbis quantum memini *in* 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12 *sect.* 6 *n.* 8. asserat, quando opiniones versantur circa jus ipsum, scilicet, an hoc sit prohibitum, aut præceptum, id est, an sit lex, necne, eligi turò posse opinionem probabilem, relicta probabiliore, unde id falsum esse constat, quod ab auctore illo adstrui dixeras: cujus fidem hic etiam desidero, idem potiori jure, de Vasquesio & Salas dicendum est: consulatur ille *in* 1. 2 *disp.* 62. *cap.* 4. *num.* 14. hic verò *in* 1. 2. *tract.* 8 *disp. unica sect.* 6. Unde etiam contradictionis auctorem arguas, qui cum fateatur, licitam esse quamlibet ex duabus, quando utraque stat pro lege *pag.* 50 non tamen propterea inter Probabilistas recenseri vult, cur ergo *pag.* 12. Vasquesium & Salas inter Probabilistas recenset, qui tamen, ut ipse fatetur, idem cum ipso sentiunt in hac controversia, observabis etiam, si lubet, exempla ab auctore proposita pro secundo & tertio casu, in rem minimè quadrare, v. g. in secundo quod detur parvitas materiæ in re venerea, quæ tamen opinio non est verè probabilis, præsertim post declarationem Clementis VIII. in tertio verò, quod primùm adulti teneantur elicere actum amoris Dei super omnia, quis amabò dicat, hanc æquè probabilem esse ac oppositam, ac proinde, cum ster pro lege, quemlibet ad eam adstringi, nec enim æquè probabilem, quæ non stat pro lege, sequi licèt, inde quid de auctoris mente conijcere debeam, satis liquet.

63. PITHAN. Hæc reverà, quæ satis obvia sunt, observavi, item illud, quod Probabilistis affingat, ab iis doceri, quemlibet sequi posse opinionem utcumque probabilem, quis hoc dicat, imò dicimus, nullam in praxi tutam, ac proinde eligendam esse, nisi sit certò probabilis, verè probabilis, unde non satis est, esse utcumque probabilem, nisi enim talis sit, illam in praxi damnamus, hinc multi ex nostris dicere soliti sunt, multas esse opiniones specula-

tivè

...t probabiles, non tamen practicè, ad cujus dicti ...plicationem, varii, varia; hinc inde, tum pro con...rmatione, tum pro confutatione; modum, quo il...m explicuisti, jam ab octo annis & ultra, nullus ...quid sciam, hucusque refutavit: quia, cum rem ad ...rum & evidens principium reduxerit, certè refu...ri non potest. Interea, ex hoc etiam capite hujus ...ucharis fidem observo; Adversariis nostris id solem...nem, ut nostris auctoribus affingant, etiam in no...rum, quasi cæco modo: scio, non neminem adno...sse in opusculo illius Illustrissimi, quem nosti, supra ...ntata Auctorum loca ab eo falsata, quorum Elen...dum pro sua humanitate mihi obtulit, acceptare de...eram; hucenim plurimùm faceret, sed non dubi...m, quin eum publici juris faciat; uti etiam non du...m, quin pariter multa hujusmodi falsimonia in Ba...nis libro adnotaris.

2. Antim. Cum hic & alii ejusdem factionis ho...mines Novatoribus, saltem in hoc adhæreant; quid ...rum, si morem illorum imitatores seduli ample...ntur; hoc enim Novatoribus ita solemne est, fal...dendi licet, & falsare, ut jam fides illorum in paræ...ma abierit; sed quæso te, ad rationes hujus auctó...m revertamus.

3. Pithan. Unum restat priùs obiter discu...endum, quod habet *pag.* 56. & 57. nimirum, ubi ...lectus omnia utrimque ponderavit, pro utraque ...mone, sibi stabilit certitudinem, inquit, unius ...rejecta formidine partis oppositæ, qui est actus ...ctus à prudentia imperatus; nempe scire ave...m, inde intellectus certitudinem illam sibi acter...um enim nulla prius fuerit certitudo, nimirum ...ctum illum practicum à prudentia, ut ait impe...m: ac proinde nullus actus certus, & nullum mo...m certum, id est, sufficiens ad actum certum, no...profectò esse oportet, illudque certum, ut patet, ...nam porrò illud est, juxta illorum principia? di...unt illorum principia: nam secundùm nostra, ...nam ea facilitate explicamus, qua nescio, an ma...nagitari possit: nempe ex hac prima certa, *hæc o...nio probabilis*, sequuntur hæ certæ, *assensus est pru...ntia bonestus*.

4. Antim. Mirum quantum hæc difficultas ...probabilioristas hucusque torserit; sic enim eodem ...rebus appellare mihi liceat, quo nos illi Probabi...liorantes vocant, barbarè licèt utrique; nonnulli, ut dis...rimen fugerent, illam magis auxerunt; sic Illu...strissimus ille, qui vult ex multis rationibus probabi...lem certum motivum tandem resultare; uti judici, ...multis probationibus probabilibus, resultat cer...titudo ; quod mihi revocat in mentem eo...rum simplicitatem, qui putant ex multis peccatis ...venialibus, fieri unum mortale, omnes certè periti ...rum, duas, aut tres rationes merè probabiles, nun...quam in certam coalescere; imò fieri potest, ut pro ...una parte minùs probabili sint etiam multæ rationes; ...quapiam jure dicerem, inde illi certitudinem conci...pi, quod dictu absurdum est; quod habet de mul...titudine probationibus, ex quibus nascitur certa præsum...ptio, quid quæso ad rem conscientiæ, quæ præsum...ptionibus non nititur? & verò certa præsumptio ...nititur, quin res secus esse possit; insons aliquando ...præsumitur, & vicissim, qui reus est, insons, licèt ...nulla, justa, certa sit præsumptio, id est, in certo jure ...fundata; sed mihi profectò hæc ad rem conscien...tiæ.

5. Pithanoph. Vincentius Baro, ut hunc ...opinionem fugeret, aliam absurditatem admisit; ...nisi enim, nullam opinionem eligi posse, nisi illam, de qua nullus dubitat, quam vocat certam v. g. ex his duabus, *votum dubium obligat, votum dubium non obligat*; prima tantùm eligi potest, quamvis se...cunda probabilior sit: item ex his, *teneor jejunare, non teneor jejunare*, ; primam dumtaxat eligere pos...sum, ex his, *pactum trium contractuum usurarium est, idem usurarium non est*, primam tantùm eligi pos...se, vult; hic novus Alexander cum nodum solvere non posset, omninò scidit; sed omnes omninò Pro...babilioristæ refragantur; præsertim cum illius ope...ribus, potiùs quàm verbis credendum sit: sint enim duæ opiniones, *modesto & miti stylo scribere, acerbo & immiti stylo scribere*; demus enim, hanc esse proba...bilem, quamvis alioquin certum sit improbabi...lem, imò & parùm christianam esse, primam tan...tùm juxta sua principia eligere potest; cur ergo se...cundam eligit? hæc sententia est absurdissima, quia primò semper hominem perplexum relinqueret; si enim illam dumtaxat opinionem eligere pos...sum, quæ omne dubium speculativum excludit, ne fortè malum insit; dubitare possum, an remanens domi peccaturus sim; an domo pedem effe...rens, in peccati occasionem incidere debeam, utrimque, ut vides peccatum occurrit: item du...bitare possum, an si navem operam literis, inde superbiæ ansa mihi præbenda sit; an verò si ab eo studio abstineam, ignorantia mihi nocere de...beat; nunquid hæc animum perplexum non red...dunt?

6. Antim. Reponet fortè Vincentius Baro, hæc esse pericula tantùm remota, quæ nemo fugere teneatur; quasi verò sit periculum proximum in e...lectione opinionis, verè, minùs licèt probabilis; in hoc enim perpetuo adversarii nostri hallucinantur, quod utramque verè probabilium tutam esse non putent; aut certè alteram formaliter tutiorem, quod dici non posse, à nobis non probatum simpliciter, sed plenè demonstratum est. Deinde frustra esset omnis consultatio & rationum collatio, ac proinde frustra omnis prudentia; nempe statim atque propo...nitur aliquid faciendum, de quo vel minimum dubi...tari queat, an sit contra legem, omittendum illico, nullus ergo unquam contractus iniri poterit, imò ni...hil fieri, si paucas dumtaxat actiones per præscri...ptas excipiamus; retorqueri etiam potest argumen...tum ad hominem; ponamus enim, virum doctum consuli à quopiam, v. g. an talem contactum inire li...citè possit, ex quo aliquid lucri speratur; quid quæ...so faciet optimus consultor, cum iniri non possit: tu...tius enim est, juxta illorum principia, non iniri; res...pondere nequit, iniri posse, nec etiam iniri non posse, quia cum sit valde probabile, esse licitum, indebi...tum onus imponeret consulenti, ad quod non tenetur; quod dubium saltem est, an peccatum sit; i...dem dico de omnibus aliis casibus, ut si quærat æger Sacerdos, an recitare Horas Canonicas teneatur: i...tem alius, an restituere teneatur, quod dubitat à se non deberi, an votum dubium implere, &c. Quis enim religioni non duceret, gravem alteri obligatio...nem, ad quam probabiliter, imò certò non tenetur, imponere?

7. Pithanop. Imò ex hoc capite, præcipuum auctoris nostri principium omninò destruitur; cum enim neutra opinio ex probabilibus stet pro com...modo consultoris, & consultus prudenter respon...dere teneatur, utraque stat pro lege, utramlibet eligere poterit; consulens igitur utramlibet amplecti; alio...quin prudentis viri consilium sequi non liceret, quod vel ipse adversarius non admitteret, *in lect.* 5.

Antim.

70. ANTIM. Quid amabò dicis, *utramlibet*? consultor rotundè significare debet consulenti, eum teneri, si reverà tenetur, vel non teneri, si non tenetur; si enim primum omittit, quo jure illum eximit ab illa obligatione? si secundum, quo jure illam imponit? sed quæso, his præmissis, veniamus ad rem; nam crede mihi rationes non desunt, quibus adversariorum commenta refellamus.

71. PITHANOP. Primò probat suam sententiam ex duobus Scripturæ locis, altero scilicet Matth. 1. *Arcta est via quæ ducit ad vitam*: altero Ecclesiast. 3. *Cor ingrediens duas vias habet successus*; hæc autem concionatoriè potiùs, quàm scholasticè, citatque decretum S. Inquisitionis datum 24. Septembr. anno 1655. (voluit dicere 65. tum *pag.* 59. tum *pag.* 111.) in quo primus locus contra opiniones probabiles adducitur; nempe illæ viam laxam, inquit, & spatiosam faciunt; ac proinde alteram viam, cum tamen uno itinere, ut rectè monet D. Gregor. in 1. Reg. cap. 6. *Electos gradi Dominus insinuet, & oculum simplicem esse, & unum cor, non duplex*; & cum Christus sit ipsa via, & sit unus, unam viam esse, oportet, sicuti est unus Deus, una fides, unum Baptisma, una veritas; hæc habet & alia hujusmodi, quæ justam concionem facilè implerent.

72. ANTIM. Quid quæso hæc ad opinionem verè probabilem? quid enim est arcta illa via, nisi lex Dei, quæ cupiditates nostras arctat & constringit? item obedientia, continentia, mortificatio, crux quotidiana, quam lex Dei portare jubet? quid autem via lata & spatiosa, quæ ducit ad perditionem? nihil aliud, nisi concupiscentia oculorum, & carnis, superbia, libido, gula, nimia licentia; ita sancti Patres à Cornelio citati in hunc locum, Augustinus, Ambrosius, Clemens Alexandrinus, Basilius: multos alios recensere possem; sed profectò longè arctior hisce nostris temporibus, novis enim legibus indies coarctatur, eadem porrò facilitate negatur, qua adstruitur, novam iniri viam per opinionem minùs probabilem? negamus, hanc esse contra legem: honestum, & prudentem illius usum esse defendimus, imò demonstramus: unde eadem via est, sicut duæ opiniones, quæ stant pro lege, diversam viam non faciunt, ut fatetur auctor, arcta est via, tot præsertim legibus arctata, sed cur tu arctiorem facis, quàm fecerit Christus? cur novas fossas, novos aggeres, nova impedimenta opponis? cur imponis nova onera, quæ fortè vel extremo digito movere nolis? Et ne ab eodem Matthæi capite discedam: *Festucam vides in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides.* Omitto reliqua, tu legeris, nam fortè optimè quadrant: unam igitur tantùm viam agnoscimus, quæ ducit ad cœlum: unam, inquam, ratione termini & substantiæ, terminus cœlum est, substantia verò lex Dei est & Christus, vel Christi merita, diversus tamen in hac via gradiendi modus, pro diversis hominum statibus; sunt enim qui perfectiore modò & expeditè in hac via ambulant, alii minùs expediti: sed inquis S. Inquisit. definivit, hunc locum intelligendum esse de opinione probabili. Habeo multa, quæ reponam: 1. Decreta Congregationum, quamvis alioquin sint maximæ auctoritatis & fideles obligent, non tamen pro definitionibus fidei ab universa Ecclesia habentur. 2. Decretum illud non definit id, quod dicis, nimirum opinionem verè ac certò probabilem etiam si opposita sit probabilior, ut illicitam damnandam esse; innuit quidem, esse aliquas opiniones justo laxiores, quarum aliquas prohibuit, sed negamus, illas esse verè ac certò probabiles, ac proinde tutas in praxi. 3. Dato etiam & non concesso esse definitionem fidei, non propterea declarat in eo sensu locum illum Matthæi secundùm fidem intelligendum esse: nam sæpe accidit; ut in Constitutionibus Apostolicis, Scripturæ loca in aliquo sensu accipiantur, quamvis alioquin Ecclesia minimè declaret, ut legitimum sensum habendum esse: cujus rei multa exempla nobis suppetunt, v. g. in constitutione Bonifacii VIII. quæ incipit, *Vnam sanctam*, locus ille Lucæ 22. *Ecce duo gladii hic*, ad potestatem Romani Pontificis in spiritualia & temporalia significandam applicatur, quis autem dixerit esse proprium illorum verborum sensum cum tantum per allegoriam quandam, ita applicari possit? omitto alia multa similia.

73. PITHANOPH. Sed tolerandum esse non puto, quod dicit, ideo laxam viam à nobis iniri, quia rejectis probabilioribus opinionibus, quæ certæ sunt, oppositas utcumque probabiles amplectimur; nullam enim utcumque probabilem, sed tantùm verè ac certò probabilem tutam esse dicimus; unde illud *utcumque* meram calumniam esse contendo, nonnulli hoc dixerunt, appellare debueras; præterea demus, unum errasse, an cæteri omnes, vel hoc nomine damnandi, qui tamen non errarunt? an quia minimus digitus pedis aliquid sordium contraxit, totum corpus lixivio indiget? demus, Dianam aliquem, vel Joannem Sancium, aut alium quempiam paulò laxiorem fuisse, & aliquas opiniones adstruxisse, quæ tutæ non sunt, quia non sunt certò probabiles, an propterea alii Theologi, qui verè ac certò probabiles dumtaxat approbant, damnandi esse videntur? filii hominum recta judicia judicate: falsum est, etiam, à nobis rejici opiniones certas, quia negamus, & omnes Theologi & Philosophi, excepto dumtaxat Augustino de Angelis, negant, opinionem probabilem certam esse, omnis enim probabilior probabilis est; & implicat in adjecto, non esse probabilem, atque ideò incertam, id est, cum formidine conjunctam.

74. ANTIM. Illud autem præ cæteris displicet, quod adeò temerè nos cum Nestorianis conjungit, utpotè qui duas vias, & duos Christos inducamus, ad hæc jam supra responsum est, reponere possem cum fœnore; illud tamen unum minimè omittam, Hæreticos ferè omnes sub specioso reformationis, ut ita loquar, obtentu, & laxioris disciplinæ restringendæ, errores suos sparsisse; nihil familiarius fuit Novatianis, Donatistis, Luciferianis, quàm ut in laxiores Catholicorum mores inveherentur; sed lingua fallit, manus tamen non fallit; sustineo, ne quid acriùs dicam, perge porrò Pithanophile.

75. PITHANOPH. Probat secundò auctoritate Conciliorum generalium; pro quo, supponit illam opinionem esse probabiliorem, quæ est communis, id est, quam major pars sequitur, nisi oppositæ validioribus rationibus probetur, demus hoc; neque opus erat, ut Basilium, Augustinum, Dalmatium, Concilium Ephesinum in hanc rem laudaret, quia non faciunt ad rem; cum ipsi non agant de opinione, sed de fide; in re autem fidei, sive plures, sive pauciores Catholicè sentiant; perinde est, quia res fidei hominum calculis mutari nequit, damus igitur, illam esse probabiliorem, quæ vel graviore motivo nititur, vel saltem æquè gravi, modò communior sit, nisi pauciores illi, qui oppositæ suffragantur, doctrina, pietate, auctoritate, ac prudentia, seu,

gerorum illarum peritia, plures illos superent; certè unus Doctoris Angelici, vel Suarezii auctoritas centum Baronum, aliorumque hujusmodi suffragiis anteponenda esse videtur.

76. Antim. Nullibi majori opus est prudentia, cautela, diligentia, ut scilicet statuatur, utra ex duabus opinionibus probabilior sit; & verò vix aliquot inter eas, de quibus certò constet, utra ex illis probabilior censenda sit, & si numerentur vota, de omnibus ferè disputatur, utra sit communior; nec juvat, hinc, vel illum auctorem testari de aliqua quod sit communior; quia quæstio facti est, ad cujus decisionem illius auctoritas nihil facit; cum numeratis tantùm calculis decidatur; citat auctores, quos legerit; sed fortè non legit omnes; & si fortè suos aliis referat, non deerit, qui fortè hos illis eodem jure, imò & fortè rectè conjicio, auctor in suis calculationibus errat, nam pro uno qui cum illo sentiat, centum proferre possumus, qui secus sentiunt, imò fortè minimi faciet, cum suo Illustrissimo, cum Wendrokio, Montaltio, Barone, aliisque hujusmodi; sed nos potiori jure non quidem flocci facimus auctoritatis partis Patronos, sed liberè tantùm dicimus auctores, ut numero, ita auctoritate, longè anteponendos esse; sed demus hoc, licèt reverà pro nobis faciat.

77. Pithanoph. Hoc posito, sic argumentatur in conciliis œcumenicis, illud statuitur, pro quo stat vota majoris partis; sed illud est probabilius, quod semper communius; igitur concilia œcumenica sequantur sententiam probabiliorem; majorem probat inductione Conciliorum, Nicæni, Chalcedonensis, Lateranensis III. Viennensis, Tridentini, &c. Hinc autem ratio militat pro moribus; subrides amice.

78. Antim. Quis amabo risum teneat; dum singulorum Conciliorum nomina, ad pompam dumtaxat vulgi personant; distinguendum erat votum decisivum à consultativo, ut vocant; vota decisiva numero solo vincunt; secus consultiva, in electionibus trecenta vota à decem votis superantur; licèt fieri possit, ut novem illa sint potiorum, illius conventus; in quibus discutiuntur primum quæstiones à Theologis; cùm sint vota consultiva, non decisiva, nullibi habent Patres numeri rationem, sed ponderis argumenti; vota Patrum deinde numerantur in quibusdam, nimirum decisiva; nec Patres attendunt probabilitatem, etiam potiorem, quia hoc satis esset, ut res tanquam de fide definiretur; minor enim pars in conciliis majori cedere, & adhærere tenetur cum res alio modo fieri nequeat, nisi fortè more Bohemico procedat, qui tamen in conciliis minimè admittetur; cum fieri non possit, ut omnes omnino sententiant: aliud porro judicium est, vel alia discussio opinionis probabilis; hæc enim non solo auctorum numero censetur, sed ratione potissimùm; unde quamvis, pro qua minor stat auctorum numerus, potiore motivo nitatur, nemo neget, probabiliorem esse eandam esse, electiones mutis calculis peraguntur, conciliorum definitiones, rationes quidem præmittuntur, dum res ipsa discutitur, dum verò definitur, votis numerantur, rationes non ponderantur; miror igitur auctorem istum adeo creperum argumentum, à conciliis ducere voluisse, in quo nihil prorsus concludatur; cum sit à voto decisivo, ad consultivum; quod sanè, vel minimus tyro in Logica facilè observasset; unde non modò demonstrativum hoc argumentum censendum non est; sed ne quidem probabile, cum sit merus & constans paralopismus; descendatur igitur ad aliud.

79. Pithanoph. Tertio probat auctoritate sacrorum Canonum, citatque in hanc rem *reg. jur. 45. in 6. c. si testes 42. c. nullum. c. Iudicantem 30. q. 5.* sed hæc facilè diluuntur; quia ibi tantum sermo est de judiciis & sententiis à Judice ferendis; Judex autem tantùm præsumptionibus agit, quæ in re conscientiæ, nequidquam juvant, ut patet, nec opinioni morali, vel minimam conciliant probabilitatem, quod vero dicit, conscientiam eum locum tenere in foro interno, quem Judex in externo tenet; est mera analogia, & nullo modo conscientia procedit in interno ex præsumptionibus, ex quibus Judex in externo procedit, *c. qui, de pœnitent. d. 6.* in quo Pœnitenti melior Sacerdos, cui confiteatur, eligendus præscribitur, est tantùm consilii non præcepti; tenetur enim pœnitens ad bonum & idoneum, non tamen ad meliorem, vel optimum, ut docent omnes hujus Canonis interpretes; hinc etiam ille, qui videt meliora, probatque, & deteriora sequitur, non semper peccat, ut asserit hic Auctor *pag.* 71. quia non tenemur ad optimum, vel melius; sed tantùm ad bonum; idem prorsus dicendum est de jure civili, quod de jure canonico, & regulæ illæ, quod sententia aptior eligatur. Item in obscuris, quod verisimilius est, ad judicia pertinent fori externi, in quibus ultro fatemur, sententiam probabiliorem eligendam esse, imò minùs probabilem non esse tutam in praxi, ut dictum est alibi, & adhuc infra erit dicendi locus, nihil igitur sacri canones probant adversum nos.

80. Antim. Aliqui perpetuò clamant *templum Domini, templum Domini*, sacros canones, sacros canones, ô, si per charitatem loqui liceret! & ea scribere, quæ jam apud plerosque trita sunt; quam vanus sit sacrorum canonum obtentus, perspicuum fieret! ò utinam hujusmodi homines ad sacrorum canonum ac perfectæ legis Dei observationem adigerentur; in his enim nullum maledicentiæ, calumniæ, odiis, invidiæ, factionibus, ambitioni, assentationibus locum esse viderent; at sustineo, & unum dumtaxat quæro, an sit probabilius, liberam electionum formam turbare, indignos intrudere, insontem persequi atrociter, ab iis pecunias corrogare, quibus pecuniam habere non licet, alium jure quæsito privare, innumeras doctissimis, & piissimis auctoribus affingere calumnias, & eorum loca falsare, dignitates ambire, contra opiniones probabiles scribere, ut ad laxiorem, lautiorem, licentiorem vitam gradus fiat; hæc fortè probabiliora censenda sunt; utinam vel minimùm probabilia; sed ut dixi sustineo; quare pergamus.

81. Pithanoph. Probat quartò auctoritate Patrum; nimirum Chrysostomi *homil. 24. in Matth.* Bernard. *lib. de præcepto, cap. 14.* Ambros. *in Psalm. 1.* August. *lib. de Baptism. cap. 3.* & passim alibi; sed profectò hi Patres non agunt de duabus opinionibus verè ac certò probabilibus; sed vel de veritate religionis & doctrina fidei, vel de opinione periculosa & minimè tuta, vel de duabus partibus, quarum una certa est, altera incerta, crepera, & dubia, vel de libris canonicis; in his omnibus ultro fatemur, partem certam alteri omnino anteponendam esse; nec enim satis est, vel doctrinam fidei esse probabilem, vel conscientiam esse probabilem, non vero tutam, vel talem librum probabiliter esse canonicum, aut ab his, vel illis pro canonico haberi, nisi ab Ecclesia pro tali habeatur & proponatur, non erat tamen quod hujusmodi Patrum locos à Wendrokio Hæretico notorio, Auctor Catholicus exscriberet, in quo saltem ejus prudentiam.

82. Antim. Wendrochius eosdem protulit, & ad

longum exscripsit, immò iis eodem prorsus modo, & ad eundem finem cum auctore isto usus est; quod reverà hujusmodi auctoribus solemne est, qui puros latices non consuluerunt, sed ex impuris novatorum lacunis, omnia fere Patrum & Scripturæ loca hauserunt, qua fide, norunt ii, qui contulerunt, & supra ducentas falsitates adnotarunt; ut ut sit, dicta loca Bernardus Bustrochius jam explicuit in eo libro, quem ita inscripsit, *notæ in notas Guillel. Wendrochii*, & multi alii, tu ipse duobus verbis, rem confecisti; loquuntur enim laudati Patres de fide ac religione, de libris canonicis, de periculo, cui se se illi exponunt, qui sacro fonte tingi diu differunt, item de conscientia dubia, aut de illa opinione, cujus opposita certa est, non tantùm quò ad praxim & usum, verùm etiam quò ad veritatem, illa enim est improbabilis, quæ certæ opponitur; & contestatò iis denuntio, fidem meam tabulis etiam publicis paratus obstringere, nunquam fore ut vel unum alicujus, non dico Patris, sed auctoris Antiqui locum producant, in quo diserte asserat, ex duabus opinionibus moralibus verè ac certò probabilibus, minùs probabilem illicitam esse, nec absque noxa ad praxim reduci posse; dicam amplius, nullum auctorem ex antiquis, vel recentioribus alicujus nominis appellari posse, qui neget, judicium practicum certum esse debere, id est, non judicium illud, quod versatur circa veritatem objecti, quæ reverà est tantùm probabilis, ac proinde tantùm probabile judicium illud, sive speculativum sit, sive practicum, juxta modum explicandi Navarri & multorum aliorum, qui volunt speculativum versari circa veritatem abstractam in genere, practicum verò circa hanc, & hanc veritatem, sub ea scilicet contentam, unde rectè Vasquez illos auctores impugnat, & perspicuè probat; si est tantùm probabile, talem contractum in genere non esse usurarium, esse tantùm probabile, non certum, hunc numero contractum non esse usurarium, sed judicium illud, quod versatur circa usum & praxim opinionis verè ac certò probabilis, quod reverà judicium est illud dictamen rationis, vel ipsamet conscientia; dicam demum nullum esse auctorem, præter unum Bossium, & fortè nescio quem alium, qui neget, opinionem illam probabilem, quæ tuta sit in praxi, certò probabilem esse debere; viderit ergo auctor, qua fide imponat omnibus Probabilistis, iis satis esse quamlibet probabilitatem, quod reverà falsissimum est; ipsi enim volunt, ut opinio probabilis tuta dicatur esse in praxi, illam non tantùm probabilem esse ad speciem, seu tantùm verisimilem, seu verè probabilem, seu probabiliter tantùm, sed omnino certò probabilem; utraque autem sæpe numero sive minùs, sive magis probabilis, certò probabilis est; sed perge ad alia.

83. Pithanoph. Probat quintò auctoritate Scholasticorum, ac præsertim SS. Thomæ & Bonaventuræ, & Joannis Scoti; primus quidem multis locis, sed præ cæteris, celebris & clarissimus locus est excerptus ex *quodlib.* 8. *artic.* 13. secundus *in opuscul. de process. relig. cap.* 3. tertius denique *quæst.* 2. *prolog. sent. in* 4. *d.* 3. *quæst.* 2. *distin.* 17. *quæst.* 1. illum Doctoris Angelici locum multi sanè ita explicuerunt, ut opinioni probabili plurimùm favere videatur, nam *modò ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem quis adducatur, nec se discrimini committit, nec peccat*; hæc postrema est conclusio Sancti Aquinatis; ubi certè non loquitur de dubitatione, seu formidine opinionis, alioquin sibi contradiceret, quod dicinequit; loquitur enim de contrariis opinionibus, iisque circa legem, nimirum, an liceat habere plures præbendas, si autem opinio est, formido est, dubitatio est, idque maximè, si sunt opiniones contrariæ; sed loquitur de dubitatione electionis, usûs, seu judicii practici, quo judico, usum opinionis probabilis licitum esse; quod reverà cum certum sit, si opinio est verè ac certò probabilis, in nullam, is qui agit, dubitationem adducitur, igitur non peccat.

84. Antim. Hunc etiam Doctoris Angelici locum suggessit Wendrochius, qui habet illum *pag.* 76. editionis anni 1658. vel alius fortè, qui ex Wendrochio excerpserat; hunc enim auctorem præcipuè, quamvis alioquin parum æquum, Adversarii nostri compilarunt; tuam porro dicti loci expositionem luculentissimam esse constat; cum diserte concludat D. Thomas, non peccari, quando ex contrariis opinionibus, moralibus scilicet, in nullam dubitationem, ne scilicet peccatum insit, is, qui agit, adducitur, sed reverà certo judicat, peccatum non inesse, in usu scilicet talis opinionis; unde, ut jam prudenter observavit Bernardus Stubrochius, in notis editionis anni 1659. textus magis expressus, ad confutandos adversarios, adduci non potuit; unde mirum accidit, ita illos cæcutire, ut eodem contra nos utantur, & nihil eo planius, nihil evidentius cum suo Wendrochio esse dicant; nec ibi, ut ait Baro, S. Doctor agit de re facti; quia diserte quærit, an liceat habere plures Præbendas, ut jam alii contra Baronem observarunt, hoc enim dumtaxat exemplum in hoc articulo allegat; quod autem dicit, illum peccare, nec excusari, qui facit contra legem & opinionem veram, licèt sit secundùm conscientiam, ita intelligendum est, ut ignorantia sit crassa, vel affectata; nam si laboret invincibili, excusatur, nec quis peccat in eo, quod per ignorantiam inculpatam ignorat; alioquin necessariò peccaret, quod damnatum est ab Ecclesia, in tertia propositione; deinde hæc S. Thom. verba non debent intelligi, nisi de iis, quæ manifestè patet, ex Scriptura vel Ecclesiæ determinatione, esse contra legem Dei, non verò de iis, de quibus certò non constat; ita enim Thomistæ celeberrimi, Fumus, Joan. Martinez, uterque Ledesm. Joan. Tuder, S. Antonin. Sylvester, &c. ut jam ab aliis sapientissimè, observatum atque responsum est, quorum judicium hallucinationi, ne quid acrius dicam, Vincentii Baronis anteponendum esse, constat; itaque quotiescumque sunt duæ opiniones contrariæ, & nulla dubitatio remanet, ne peccatum insit, imò certum judicatur, peccatum non inesse, per judicium practicum, ex S. Doctoris mente, non peccatur; nimirum si nec certam fidem habeamus, nec aliquam dubitationem de contrario illius, quod fit; statuta autem semel opinione verè ac certò probabili, dictum judicium certum ex eo necessariò sequitur, ut fusè ac sæpius à nobis demonstratum est.

85. Pithanoph. Locus Bonaventuræ nihil etiam probat; ibi, enim agit S. Doctor de dubia legis interpretatione, quæ sit periculosa; sed profectò certum judicium, quod nullum peccatum insit, omne periculum arcet, ut patet ex dictis. Loquitur autem S. Doctor de eo, qui se periculo committit, ut dixi, ac proinde ad rem nostram, seu quæstionem propositam non facit; imò exemplum illud, quod affert, interpretationis dubiæ, divini præcepti, de ligno vetito, quam callidus serpens suggessit Evæ, omnino persuadet, eum loqui de illa opinione periculosa, quæ nullo rationabili funda-

fundamento nitatur, & de illa dubitatione, scilicet speculativa, quæ nullum grave motivum dubitandi apponit; ac proinde judicium certum de prudenti dictæ opinionis ferre non potest; vocat etiam hujusmodi dubitatum diverticula, suspectas latrocinandi semitas; unde patet, quàm parum hæc in propriam quæstionem quadrent.

86. Antim. Non memini, ullum esse S. Bonaventuræ opusculum de process. Religiosorum; sed de perfectu Religiosorum, in duos libros divisum, sed quæ auctor exscripsit non lego *cap.* 3. seu primo, quæ secundi libri; ut ut sit, S. Hujus Doctoris verba recte ostendisti, nihil prorsus contra nos facere; verba Scoti in *prolog. q.* 2. diversa sunt ab iis, quæ hic auctor laudavit, ibi enim Scotus tantùm dicit eum peccare, qui peccati periculo exponit sese, & in commentario docti Lycheti *n.* 9. hæc lego, *aut etiam magis probabile esset, quod sit peccatum, modò probabile non sit, quod non esset peccatum, recta ratio suadet, posse quidlibet facere sine peccato: unde,* inquit, *sententia doctorum communis est, licere quandoque sequi opinionem minùs probabilem*; dicit *quandoque*, quia excipit quasdam materias puta Sacramentorum; hanc autem doctrinam vocat *conformiorem communibus principiis & praxi*; quæ nunc etiam, qui ante 170. annos vivebat inter Franciscanos, qui nostram sententiam, immo longè feriorem tenent, & quos P. Dechamps in sua quæstione ritatis recensuit, numerandus est; *in* 4. verò *d.* 3. *quæst.* 1. liberè loquitur de materia, & forma Sacramenti, ubi quæ, dicit, viam tutissimam tenendam esse, si possibilitas adest; quod certè nullus Theologus negat; *in* 4. verò 17. *quæst.* 1. loquitur de necessitate confessionis, & dicit, illam esse viam faciliorem, nimirum tritam, & ab Ecclesia propositam, quam certè nullus omittere debet, ut aliam difficiliorem ineat, continentem scilicet; præsertim cum hac etiam posita, nullas alterius integra maneat: immo, si quis exinde nollet adhibere confessionis remedium, nec contritionem, nec etiam attritionem elicere posset, ut testatur est apud omnes Theologos; ex his constat, quàm multa fides hujus auctoris allegationibus adhibenda sit, utpote qui ea retineat, quæ ad rei substantiam pertinent. Sed pergamus.

87. Pithanoph. Sextò, vel ut ipse ait, septimo rationes descendit, quarum hæc prima est; actiones humanæ, inquit, morales, habent pro objecto bonum vel malum, quod est conforme divinæ voluntati, & divinæ legi manifestatæ nobis per scripturam, vel per practicum dictamen conscientiæ, quod est secunda regula actionum moralium; sed hoc non potest non dictare, probabiliorem præferendam esse; quia dirigitur à prudentia, quæ non dictat, non potest, probabiliorem alteri præferendam esse; semper enim optima expetit, & inclinat intellectum ad verum; igitur ad verisimilius & probabilius.

Antim. Ite auctor illud S. Theresiæ votum emissum videtur, quod obligat ad optimum; quis porro dicat, prudentiam ferri semper ad optimum; hæc profectò habet positivum, & comparativum, uti & reliquæ virtutes, & nihil vetat, unum actum, unum hominem alio prudentiorem esse, quod dictet, prudentia probabilioris opinionis usum esse licitum, bonum, immo usu opposito meliorem dant omnes; quod verò imperet, atque ita dictet, ut oppositus usus licitus non restet, negant omnes, quia notorium est, & plusquam perspicuum, hominem ad optimum & melius non teneri, præsertim cum hoc loco non agatur de assensu opinioni præbendo, sed de usu opinionis, quem licitum, honestum & prudentem esse certò judicamus; sive minùs, sive magis probabilis sit opinio; modò certum sit, esse probabilem; unde auctor principium manifestè petit; nam sive dicas, illicitum esse usum opinionis minùs probabilis, sive prudentiam obligare ad usum probabilioris, perinde est; immo non deerunt, qui cum actus indifferentes admittant, negent etiam majorem; id est, illum actum malum esse, qui à virtute prudentiæ non imperatur; sed sistamus in prima responsione, quæ nullum dubium post se relinquit.

Pithanoph. Sed quid ad loca Aristotelis pro sua sententia adducta.

88. Antim. Quamvis ea vera sint, nihil prorsus contra nos; nam quod prudentia sit semper cum ratione conjuncta, nobis etiam suffragatur; quia nullam opinionem probabilem esse dicimus, quæ gravi rationis momento non nitatur, ac proinde sufficienti ad prudentem assensum; quod prudentiæ sit optima appetere, non invenio *loco cit.* nimirum 1. *magn. moral. c.* 33. sed demus, ita esse, an propterea negat Philosophus, prudentiæ quoque esse appetere bona, licèt minùs bona; quod prudentia inclinet ad verum, non invenio *in loco cit.* nimirum 5. *Eth.* sed 6. *Eth. cap.* 5. invenio quidem, prudentiam inclinare ad verum, non certum, quod est scientiæ, sed probabile; quod autem ad probabilius obliget, ut ait auctor, ne verbum quidem; unde per petuò principium auctor petit, ac proinde nihil probat, & parum fideliter citat.

89. Pithanoph. Exempla subnectit, sed meo judicio parum idonea, v. g. legislatorem illum prudentem non fore, qui conderet legem, qua opinionem minùs probabilem sequi juberet; ita est, sicille imprudens & nequam esset, qui assereret, quempiam teneri ad minùs probabilem; nemo negat, hominem posse uti probabiliore, si voluerit, immo ad illam ipsum hortamur; non tamen dicimus, ad illam teneri; quia minùs probabilem tutus sequi potest; modò certò constet, esse verè probabilem; religioni ducimus, hoc onus imponere, quod nulla auctoritas huc usque imposuit, immo nec humana quæpiam, in omni actionum genere, imponere potest: Dux etiam exercitus imprudens esset, qui post habita certa spe victoriæ, incertam eligeret; non tamen is, qui licèt probabiliorem spem esse videat, obtinendæ victoriæ, sed cum alio incommodo conjunctam, puta multæ carnificinæ, minùs quidem probabilem, licèt verè probabilem anteponit; item is imprudens qui cùm sciat A esse melius, quàm B. eligit B, si nulla alia ratione moveatur; at si adsit aliud motivum, quod persuadeat, eligendum B, quod quidem bonum sit, sed minùs bonum, quis non videt, B prudenter eligi posse; denique vult, naturam tendere semper ad melius, citatque Philosophum; quasi verò is, qui eligit usum opinionis minùs probabilis, eum usum sibi magis conducere non putet; sed hæc adeò sunt levia, ut refellere quasi tædeat.

90. Antim. Confundit auctor opinionem probabilem, cum spe victoriæ probabili, uti alii cum jure probabili, materia, aut forma probabili, medicamento probabili; & verò non est opinio certò probabilis, quod Dux exercitus, data opera sciens & volens, certam spem victoriæ, incertæ postponere valeat, nisi tot & tanta incommoda, cum ea spe certa conjuncta sint, eamque ita temperent, ut prudentes homines, prudenter omitti & probabili dumtaxat postponi posse judicent; confundit etiam hæc duo, *melius & probabilius*, quæ tamen toto cœlo differunt; nempe melius est & perfectius, contritionem perfectam

cum Sacramento pœnitentiæ conjungere, non tamen necessariò conjungendam esse, probabilius est; Unde, qui adhibet usum opinionis verè ac certò probabilis, hoc revera in iis circumstantiis sibi melius esse putat; alioquin fortè non adhiberet, nec voluntas ratione veri, sed boni ducitur. Quod autem natura tendat ad melius, id est, ad perfectum finem, nihil facit ad rem; loquitur enim Philosophus de appetitu innato, vel de fine, ad quem à natura, nimirum à Deo res creatæ destinantur, non tamen de appetitu elicito, ut ajunt; licèt enim homo ad finem optimum destinatus sit, non tamen omnium optimis ac perfectissimis mediis hunc finem prosequi tenetur; alioquin tenerentur omnes consilia evangelica amplecti; nulla virgo nubere posset, nullus homo uxorem ducere, tractare pecuniam, paulò lautiùs vivere, aut mollius cubare; hæc enim præ aliis minùs bona sunt: satis est igitur, ut homo finem suum prosequatur iis mediis, quæ sint bona, quamvis alioquin non optima, quæ sunt quidem consilii, non tamen præcepti; sed perge.

91. Pithanoph. Ratio demum fundamentalis est, inquit quia qui sequitur in usu, opinionem minùs probabilem, operatur cum conscientia dubia & formidolosa; sed hoc negatur, sic probat; est semper conjuncta cum formidine actuali practica; idem per idem, negatur, sic probat; motiva, quæ relucent in intellectu, hujusmodi formidinem inducunt; negatur, sic probat; valentiora motiva alterius partis movent intellectum; non tamen rapiunt, nec determinant, nec faciunt, ut intellectus se se determinet; quia non potest, sed cum determinetur à voluntate, valentiora illa motiva faciunt quidem, ut voluntas ad illam partem intellectum determinare possit, si velit, non tamen faciunt, quin voluntas ad aliam partem, pro qua etiam proponuntur sufficientia motiva, intellectum determinare valeat; illud autem quod dicit, intellectum non posse non moveri, si per illud *moveri* intelligat determinari, falsum est, immo erroneum; si intelligat tantùm proponi, cognoscique ab intellectu, esse sufficientia ad prudentem assensum, verissimum est; immo hoc judicium intellectus certum est, nec indiget intellectus ad hoc judicium, determinatione voluntatis; cum enim certa probabilitas supponatur, ubi proponitur; necessariò ab intellectu cognoscitur.

92. Antim. Hic etiam confundit multa; nimirum judicium speculativum cum practico; dubium negativum, ut vocant, cum positivo, seu formidine, ut vocant, &c. judicium speculativum, id est, ipsa opinio probabilis, sive magis, sive minùs, cum certa non sit, includit formidinem, non quidem ab ipso judicio distinctam, cum sit ipsemet actus, quatenus non ita firmiter adhæret objecto proposito, quin agnoscat intellectus, errare se posse, tum in probabili, tum in probabiliore, ut ex dictis, perspicuum manet; immo auctor ipse fatetur, formidinem radicalem, seu speculativam, ut vocat, cum ipsa opinione probabiliore esse connexam; quæ nihil est aliud, nisi judicium ipsum speculativum, de veritate objecti obscurè propositi, quod cum certum non sit, eo ipso cum formidine est conjunctum, id est, cognoscit per eumdem actum intellectus, se falli posse; & hæc est formido etiam actualis, quia actu est, cum actu sit judicium illud opinativum, quod intrinsecè, ex natura sua formidinem dicit, id est, incertum est; id est, per illud intellectus firmiter minimè adhæret; at vero judicium practicum circa usum opinionis probabilis, sive magis, sive minùs; cum certum sit, excludit omnem formidinem; quia hoc est de ratione, natura & essentia actus certi; cum autem hoc judicium practicum sit conscientia, falsum est conscientiam esse dubiam, vel formidolosam, quando quis sequitur opinionem verè quidem & certò, at minùs probabilem; nec motivum gravius, quod parti probabiliori competit, destruit minùs grave, minùs probabilis, ut jam dictum est; nec formido, ut ait, est accidens respectu opinionis, sive probabilioris, sive minùs, sive æque probabilis, sed talis est illius natura & essentia; & miror; hunc auctorem ita evertere prima hujus rei principia, ut certum vocet, quod probabile est, & improbabile, quod probabile: Philosophus *lib. 9. de mor. ad Nicomach. cap. 8.* discutit quæstionem illam, nimirum an quis plus seipsum, quàm amicum diligere debeat; duas proponit opiniones, utramque probabilem tantum, ac proinde cum dubitatione conjunctam, eamque appositâ distinctione solvit; igitur opinio cum dubitatione, seu formidine semper conjuncta est; quis hoc negat? sed hoc non facit, quin judicium practicum certum sit, ut dixi; non obstat, sæpe errari ex nimio affectu ad nostra; quia non negamus, quin rationum momenta utrimque ponderanda sit, ponderamus certè, ac Deum timemus, & quod ad nos spectat, non tantùm præcepta, sed consilia sequimur; nec modò ab illicitis, verum etiam à licitis abstinemus; nec curamus assentationibus crescere, aut certè iis optimates prensare, ut jugo religionis excusso, ad sacras insulas illorum ope promoveamur; uno verbo, non malum modò, verum etiam mali umbram, & minimam speciem horremus; at verò quod aliis jugum intolerabile imponamus, quod nulla certa lege constet, jure adduci non possumus, sed ducimus illud religioni: itaque dubitamus de veritate & falsitate opinionis, id est, neutra nobis perspecta est, cum tamen non dubitemus de probabilitate ejusdem opinionis, quam certam supponimus, alioquin usum proscribimus, ejusdem etiam electionem, usum & praxim in dubium non revocamus; unde conscientiam certam esse constat, non dubiam & cum formidine conjunctam; & si vel minimum dubium restet, in conscientia, circa talem usum, nunquam permittimus; ut igitur prudenter assentior opinioni probabiliori, citra certitudinem tamen, quia gravi momento nititur, ac sufficienti ad prudentem assensum, ita minùs probabili prudenter assentior, gravi etiam motivo fretus, licèt minùs gravi, sufficiente tamen ad prudentem assensum, licèt minùs prudentem; prudentia enim suscipit magis & minùs, id est, potest esse major & minor, nemo porro tenetur ad majorem, ut constat; nec est, quod dicat auctor, motivum minùs grave, extingui à graviore, hoc enim jam supra rejectum est, licèt enim momentum majus superet minus, in libra, vecte, aliisque potentiis mechanicis, minus tamen retinet suam vim, & pro rata contra nititur, & affectum majoris retundit ac minuit; cum autem neutrum intellectum vincat, aut rapiat, voluntas aliis motivis ducta quæ ad bonum, non ad verum pertinent, huic, aut illi ad libitum, intellectum applicat.

93. Pithanoph. Octavò probat à pari; non licet; inquit, ministro sacramentorum, medico, Judici, uti opinione probabili, ergo nec universaliter uti licet; nam alias hoc argumentum solutum fuit; frustra igitur denuo solveretur.

94. Antim. Ita est, Antecedens, uti jacet falsissimum est; quamvis enim non liceat, adhibere materiam

dum tantùm probabilem in sacramento, quando
dem certa, nec medicamentum probabile, quando
dem certum, neque ferre sententiam super jure tan-
um probabili; non tamen inde sequitur, quod non
ceat sequi opinionem verè ac certò probabilem,
go quia tantùm pugnamus, etiam ministro sacra-
enti, medico & judici; quia reverà non est opinio
ere ac certò probabilis, quod materia probabili
n liceat in Sacramento, nec medicamento proba-
li, &c. quando scilicet & certa materia, & cer-
um adest medicamentum; distinguitur enim opi-
em probabilis à medicamento probabili; nec est,
quod auctor in hunc modum instet, non licet uti me-
camento probabili, ergo nec opinione probabili;
negatur enim consequentia; cum sint in diverso ge-
nere; nam certum est, quod consequor finem à ra-
tione præscriptum, nimirum honestam & prudem-
em operationem, quando utor opinione certò pro-
babili; cum tamen utens probabili medicamento
certum non sim de effectu dicti medicamenti; unde
illa opinionis est objectum judicii certi, quo cer-
to judico, talem usum licitum, prudentem, honestum
esse; cum tamen usus medicamenti probabilis judi-
cium certum non terminet, sed tantùm probabile;
unde si fortè aliqui dixerunt, esse opinionem proba-
bilem, quod medicus uti possit medicamento pro-
babili, quam tamen minimè admittimus, est tan-
tùm speculativè probabilis, non practicè; id est, non
de certò probabilis, ac proinde in praxi & usu mini-
me sit, juxta illum modum, quo rem hanc aliàs ex-
ponimus.

96. Pithanoph. Inde præcisam duco respon-
sionem; cum enim medicamentum sit tantùm pro-
babile, judico tantùm probabiliter, effectum tuum
futurum, nempe sanitatem ægroti; igitur usum
illum bonum esse probabiliter tantùm judico; usus
autem bonus medicamenti est, quo medicus finem
illum consequitur; unde licitum, honestum pruden-
tem usum illius medicamenti certò non judico, sed
tantùm probabiliter; unde absolutè dico, non licere
uti medicamento probabili; sicuti pariter dico non
licere uti opinione probabili, quando judico tantùm
probabiliter, usum illius licitum & honestum esse, sed
tantùmtaxat, usum approbo, quem licitum, hone-
stum & bonum esse certò judicamus.

96. Antim. Rectè omnino; illud igitur antece-
dens falsum est, cùm reverà in omni materia liceat,
opinione verè ac certò probabili, non tamen pro-
babiliter tantùm, seu speculativè, tantùm probabili;
ubi nulla datur opinio probabilis, quod medicamen-
tum probabili uti medico liceat, aut certè si aliqua da-
tur, non est certò probabilis; ac proinde in praxi non
licet. Præterea consequentia etiam falsa est; nam
circa materia, lege, saltem ex usu & pacto tacito,
certum est, ne quis minister materia tantùm proba-
bili utatur, nec medicus remedio tantùm probabili,
nec Judex jure tantùm probabili; hanc enim pote-
statem Ecclesia suis ministris hac lege confert, &
Respublica id muneris medico & Judici; & si secus
faciant, multantur à republica, multantur ab Eccle-
sia. Hujus autem legis singularis ratio est, nam Sa-
cramentum error non supplet, nec bona fides mini-
stri, secus tamen in actione morali; unde ut saluti
hominum per Sacramentorum vim & energiam ob-
tinendæ Ecclesia consulat, Sacramentum in discri-
men adduci non patitur, vetatque probabilem ma-
teriam, aut formam adhiberi, quæ cum dubia sit, du-
bium Sacramentum relinquit; idem de medicamen-
to dictum sit, quo ad salutem corporum; falsa igitur
est illa consequentia; hinc vides, quanti sit argu-
mentum, cujus antecedens & consequentia multi-
plici nomine falsa esse constat; sed pergamus.

97. Pithanoph. Nonò probat argumentis ad
hominem, ut ajunt, seu ex his, quæ Adversarii ultro
concedunt.

98. Antim. Nimirum ex principiis communi-
bus, quæ ultro ab iis omnibus admittuntur, qui cen-
sent, opinionis probabilis usum licitum esse.

99. Pithanoph. Non ita accipit, sed ex hac, vel
illa assertione scripta, vel edita ab aliquo exiis, quos
Probabilistas vocat, v.g. à Caramuele, Joanne San-
cio, Francisc. Verde, Ant. Diana, Pasqualigo, &c.

100. Antim. Ridiculum est, omnibus impone-
re, quidquid uni, vel alteri imputandum; quasi verò
Vincent. Baro sustinendum suscipiat, quidquid sin-
guli Thomistæ adstruxerunt, immò vel ipse auctor
noster, quidquid Vincent. Baro adstruxit; probemus
tamen.

101. Pithanoph. Doctrina de usu opinionis est
nova, ut Adversarii admittunt, cum Caramuele, in-
quit, ergo non est Apostolica.

102. Antim. Nego antecedens; ipse Caramuel
in Apologia etiam negat; admiserat, inquit, in fun-
damentali; demus hoc, quid tum, quis nostrum se se
obstrinxit Caramueli; in hoc, uti etiam in multis
aliis, à Caramuelis partibus non stamus, cum illi nul-
lo Sacramento simus obstricti; sed profectò ita intel-
ligi debet citato loco, ut velit, controversiam istam
novam esse, antiqui enim hoc tanquam certum sup-
ponebant, & nullum unquam tempus fuit, quo usus
opinionum probabilium non viguerit, modò verè
ac certò probabiles fuerint; sed ab aliquot duntaxat
annis, & hoc fere currenti sæculo, partes inter hæc
controversia paulò acriùs agitari cœpit; nihil aliud
Illustriss. Caramuel dicere voluit; quod autem hanc
doctrinam à centum duntaxat annis ortam fuisse,
dixit, falsissimum est; Lychetus supra laudatus, ante
170. annos vixit, ut supra diximus, hic tamen do-
ctrinam illam disertè docuit, ut & Antiquissimi Al-
bert. Magn. Paludan. S. Antonin. Panormit. Sylvester,
Viguer. Angel. Victoria, Salon. Arragon. immo &
Doctor Angelicus, aliique ferè innumeri quorum
diserta loca tu vide fis apud auctores, ac præsertim
Steph. Dechamps, in quæstione facti: hinc sanè ali-
quis nostræ sententiæ assertores novatores perperam
appellavit, potiori jure, novitatis insimulandus ipse
cum suis, qui vix ante triginta, aut quadraginta an-
nos scripserunt, idque, contradicendi potiùs, quàm
veritatis studio ducti; & verò quatuor aut quinque
illos Philaletum, Merendam, Baronem, Mercorum,
Marinarium, August. de Angelis (alios non appello)
tot ac tantis iisque nobilissimis auctoribus anteponi,
aut certè conferri, dictu & cogitatu perridiculum
est.

103. Pithanoph. Dissidia Probabilistarum red-
dunt sententiam illam de usu opinionis incertam, dif-
formem, & parum sibi constantem; cum tamen op-
posita, sit certa, constans & uniformis, & mira con-
sensione, illius Assertores uno ore glorificent Deum
& Patrem.

104. Antim. Siste parumper, nam vix risum re-
neo, dum miram illam consensionem audio, cum
reverà vix duo ex Adversariis idem dicant; sunt e-
nim, qui probabiliorem certam esse dicant, ut noster
auctor, Mercorus, Fagnanus; alii omnes, ut Baro,
Philaletus, Merenda, Comitolus, probabilem ma-
nere; sunt, qui certam esse tantùm per locum
extrinsecum, ut Mercorus, alii per intrinsecum,

eo quod illius motivum, destruat omnino motivum minùs probabilis ; sunt qui probabiliorem minùs tutam licitam esse dicant, ut hic auctor, & alii ; Baro tamen tutiorem tantùm, etiam minus probabilem licitam esse defendit ; sunt qui probabiliorem etiam falsam licitam esse velint, ut Comitolus, Philaletus; Alii negant, ut hic auctor, cum Wendrochio, qui veram tantùm licitam esse docent : adde quod non sibi constant, nequidem in ipsa definitione opinionis probabilis ; unde in ipsa quæstionis substantia dissident; ut patet ; atque ita uti Saul inter Prophetas, Deum & Patrem glorificant, sed nesciunt quid sibi velint ; præ cæteris Vincentius Baro, qui ea obscuritate ac rerum confusione scripsit ; ut vix intelligi possit, & præter convitia & contumelias omnis generis, nihil prorsus luculentum habeat; jam verò his præmissis recense Probabilistarum dissidia.

105. Pithanoph. Aliqui sine restrictione, in omni materia usum opinionis probabilis admittunt, alii cum restrictione multiplici ; excipiunt enim ministrum Sacramenti, Medicum, Judicem, Bellum, &c.

106. Antim. A nostris haud dubiè hoc præsertim sæculo hujusmodi limitationes additæ fuerunt, unde manifestè constat, ut jam Stephanus Dechamps, prudenter observavit, nostros laxioris Theologiæ auctores non fuisse ; sed potiùs nimiæ laxitatis moderatores, ut ut sit, tenent nostri opiniones illas vel non esse probabiles in dictis materiis, aut saltem, ut dixi, speculativè tantùm probabiles, eo modo, quo supra explicui ; quod autem in qualibet quæstione, sive morali, sive Theologica, auctores inter se dissideant, mirum profectò esse non debet; quamvis alioqui res gravissima sit, ut de Trinitate, de prædestinatione, de divina gratia, &c. cum enim probabilibus dumtaxat argumentis res hujusmodi discutiantur, quid mirum si hinc inde auctores dissideant.

107. Pithanoph. Sunt qui opinionem illam certò probabilem esse velint, ut Spinula; alii probabiliter tantum probabilem ; te fortè magis appositè citasset auctor, utpote qui ex professo qnæstionem illam discusseris.

108. Antim. Quid mea, citavi auctores, & multo plures appellare potui, immo si unum vel alterum, Bossium v. g. & Pasqualigum excipiam, nullum invenio, qui hoc expressè neget, unde nostra sententia, quam fortè à me demonstratam, esse dicerem, si Adversarii demonstrationibus, non tricis & vitiliginibus scholasticis delectarentur, nostra, inquam, sententia communissima est ; licèt unus & alter, iique, præ cæteris, haud dubiè non primarii, dissentiant.

109. Pithanoph. Sunt qui conscientiam certam, seu judicium practicum certum esse velint, alii probabile dumtaxat.

110. Antim. Illa prima est communissima & neminem, alicujus saltem nominis esse putarem, qui secus sentiat ; auctorum turbam congessi in primo congressu ; auxi vero in altero, Vasquez item & Sanchez vindicavi, & nostris partibus adjunxi; pauci fortè qui secus sentirent, negotium mihi non facessunt.

Pithanoph. Sunt qui moribundum excipiant.

111. Antim. Laudanda pietas; sed non adstruenda necessitas ; & ita communiter ; communem autem sententiam defendimus, eamque dumtaxat auctor impugnare debuerat, non verò certas quasdam appendiculas, vel motas à nonnullis quæstiunculas insectari, quæ ad caput rei nihil faciunt ; iis enim, qui hujusmodi restrictiones adhibent, peculiaris aliqua ratio esse videtur, quæ in alio casu non militat. Aliqui etiam ad bellum indicendum restrictionem illam extendunt, pro quo singularis ratio facit, ut sibi persuadent; sed vel est quæstio de nomine vel ita intelligendi sunt, ut de opinione certo probabili, quæ judicium practicum certum pariat, non loquantur; uti reverà certò probabile non est, Bellum à Principe jure tantùm minùs probabili freto, justè indici posse; unde in his nulla est penitus difficultas.

112. Pithanoph. Dissentiunt etiam in eo, quod adstruunt, unius auctoris pii & docti sententiam sufficere, ad adstruendam probabilitatem.

113. Antim. In hoc etiam disputant de nomine; nam. 1. De quocumque auctore gregario, aut triobola uullus dicat, tanti esse illius auctoritatem, ut probabilem faciat opinionem alioquin improbabilem. 2. Si absque ratione aliquid adstruat, dignus profectò non est, ut ejus dictis fides adhibeatur. 3. Si rationem aliquam affert, sed ab omnibus rejectam ac reprobatam, aut certè à majore parte, sufficiens motivum non est, ad conciliandam probabilitatem. 4. Si aliqua ratione fretus, cui reliqui non refragentur, sed gravem esse concedant, inde illi probabilem opinionem esse fatentur, ac proinde unius dumtaxat Doctoris opinio non est; sed hæc adeò sunt facilia, ut mirari satis non possim, cur in his viri alioquin Docti hæreant.

114. Pithanoph. Dissentiunt in multis aliis; 1. Aliqui concedunt, omnem opinionem probabilem tutam esse in praxi, alii negant. 2. Sunt qui velint, quod confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis, etiam minùs probabilem alii dicunt, eum non teneri. 3. Secundùm aliquos subditus tenetur obedire superiori, at secundùm alios non tenetur, licèt habeat pro se opinionem probabilem.

115. Antim. Ad primum cum omnes communiter ultro concedant, præter unum, vel alterum, opinionem probabilem tutam in praxi certo probabilem esse debere ; inde omnes pariter concedent, probabiliter tantùm probabilem tutam in praxi non esse; hoc est, sic enim vocant, practicè probabilem, sed tantum speculativè. Ad 2. si confessarius censeat opinionem Pœnitentis certò probabilem esse, eam sequi tenetur, quoad absolutionem, nec ullus probabilista contradicere ausit ; quo autem peccati genere confessarius delinquat, si pœnitentem absolvere propterea nolit, disputant auctores, at fortè de nomine ; si enim sacramentum cœptum jam sit, & confestarius opinionem pœnitentis certò probabilem reputet, cum simus in re gravissima, tenetur confessarius, etiam non ordinarius, nisi bona fides culpæ illum eximat, idque sub gravi, pœnitentem absolvere; sed quid ad rem nostram, cum sit alia quæstio. Ad 3. denique facilè respondeo, probabilem sententiam illam non videri, quæ liberat subditum ad obedientia, quando id, quod jubetur, perspicuè malum non est ; quia cum certum sit, in omnibus aliis obediendum esse non est probabile, non esse obediendum, in aliquo ex his. Sed perge.

116. Pithanoph. Probabilistæ, inquit, impugnant probabilioritatem argumentis inferioris ordinis, quæ solvuntur evidenter, negatis eorum præmissis à DD. Merenda, Fagnano, Barone, Mercoro, Matinario, aliique

...ssione & quidem rectè, quia probabiliter, cum vel ...auctor sufficiat, ad conciliandam probabilitatem ...juxta eorum principia.

...7. Antim. Si ad strenuam defensionem, negatio ...ris est, ignorantissimus mortalium strenuus ar... ...minor esse poterit, non satis est, quod aliquid ne... ...sse, sed videndum, quàm rectè quàm prudenter ...egetur; negat Vincentius Baro definitionem opinionis probabilis, quæ tamen omnium est, ac præ ...ertim, opinionem probabilem ab aliis actibus in... ...ibilius rectè distinguit; quid quæso demonstrares ...ho hominis, qui definitionem nominis negat? quis ...el Archimedes, vel Apollonius quidpiam illi de... ...nstret, qui neget definitionem Coni, Sphæræ, ...culi, &c. In hujusmodi homines tritum illud ...rinè quadrat, contra negantem principia non est ...gnandum; sed viderint docti Lectores, quomodo ...dicta argumenta solvantur, quæ in superioribus ...ongressibus, tum à me, tum etiam à te exposita fue...

...8. Pithanoph. Ita est, ac præsertim memini, ...ostrillius ratiocinii, quo evidenter concluximus, ...mmunem illam, quæ negat licitum esse usum minus ...obabilis, ne quidem probabilem censendam esse; ...ide cum pro ea stent adversarii, de hoc enim ...nter & illos pugnatur; vide quæso, quo ...e Probabilistæ dici velint, qui longè meliùs ...probabilistæ dicerentur, cum hypothesim, vel ...mmunem improbabilem defendant; sed demon... ...tio illa repetenda non est, quam suo loco satis ...denter exposuimus. Sed pergo, cum paucas ad... ...dum inquit opiniones Probabilistæ restrinxerint, ...ubitarint fere innumeras, simpliciter & absolutè ...ssi sint laxasse conscientias, quod reverà ut ...le malum fugiendum est.

...9. Antim. Nullum est dubium, quin auctores ...in omni fere materia, nonnulla restrinxerint, ...antiqui paulò liberaliùs, aut certè simpliciùs ...uerant; supra ducentas opiniones facilè ap... ...item, tum in Sacramentorum usu, tum in re ...ali, tum circa leges humanas, ex Canonistarum, Summistarum, & antiquorum Theologorum libris excerptas, quas nostri auctores temperamento restrinxerunt; cum iis justo laxiores esse videantur: itaque nec plus justo laxanda est conscientia, atque hoc probamus; sed nimiam aliquorum eorum & licentiam ut Christiani instituti pestem damnamus; nec etiam plus æquo stringenda, ne peccata multiplicentur; turpe certè lucrum, & detestabilis fructum.

...0. Pithanoph. Illa sententia, quæ stat contra ...is probabilem clariùs & probabiliùs aperit viam ...ilitatem, igitur tenenda est.

...1. Antim. Quid est hoc, *probabiliùs aperit viam?* ...qui unquam talia? voluit dicere auctor, expediorem & securiorem viam facit; demus hoc, quid ...de? an fortè ad tutiorem viam omnes obstrictos ...cit? omnes igitur religiosum institutum amplectentur, illudque ex variis, quod perfectius est; ...e negabis, satis cio; illud quippe est consilii, non ...ceptis; pari ergo jure tuam consequentiam nego, ...tu meam negas; ad hoc autem satis est, ut peccatum mortale fugiam; illudque faciam, quod certo ...dico licitum & honestum esse; nec est, quod dicas, ...enius esse, uti probabiliore, quàm minùs probabili: ...um certum, quatenus excludit formidinem, in in... ...bili positum est; igitur certius unum quàm alium non judico.

...2. Pithanoph. Quicumque sequitur, inquit, opinionem minùs probabilem potest errare, in iis scilicet, quæ sunt necessaria ad salutem; igitur amplecti tenetur probabiliorem.

123. Antim. Ille item, qui sequitur probabiliorem potest errare, cum hæc falsa esse queat; sed hic error nihil ad salutem; errat enim intellectus, non voluntas, quæ certè, modò noxam non contrahat, non deflectit à via salutis, ut patet; nec video, quænam sit Dialectica hujus auctoris, qua fiat, ut idem ex illius sententia sequatur, quod ex nostra ipse vult sequi: nam vel neutra tenenda est, quia utraque falsa esse potest; vel utraque licita est, cum neutra voluntatem peccandi periculo exponat, licèt intellectum errori obnoxium relinquat.

124. Pithanoph. Deinde ludit in verbis; ut enim, ait, illa opinio tuta est practicè, quæ tuta est speculativè, ita illa probabilis est practicè, quæ probabilis est speculativè; unde sequitur, etiam judicium speculativum certum esse, si practicum certum esse dicatur.

125. Antim. Scio, nonnullis hujusmodi loquutiones familiares fuisse; sed illud practicè & speculativè diversimodè explicant, ut in primo congressu abundè dictum est; tuta enim aliqua opinio dicitur quo ad usum & praxim; nimirum, si ab usu peccatum, ac peccati periculum removeat; malè igitur tuta speculativè dicitur; malè item, si propriè loquamur, dicitur probabilis speculativè & practicè, si eadem intelligatur? nempe esse probabilem, est grave motivum habere, id est, sufficiens, ad prudentem assensum; atqui si eadem est, sive referatur ad praxim, sive non referatur, idem motivum habet; nec ideo grave motivum habet, quod referatur, vel non referatur ad praxim: malè igitur & impropriè dicitur speculativè probabilis, aut practice; item judicium practicum est certum, si fortè idem sit cum speculativo certò, & viciſſim, & probabile alterum, si alterùm est probabile; hic tamen loquendi modus valde improprius est, &, ut ajunt, abusivus; nam speculativum judicium illud vocamus quod fertur in veritatem objecti, vel in ejus probabilitatem, v. g. *Pactum trium contractuum non est usurarium*, vel, *probabile est non esse usurarium*, sunt judicio speculativa; at verò practicum fertur in usum, praxim & electionem, v. g. licitè, ac sine peccato tali contractu, vel tali opinione, objectiva scilicet utor, sive, usus ille honestus est: unde diversum est utriusque objectum, ut centies diximus. Hinc vides tria judicia diversa, quia sunt diversa objecta: primum est categoricum, & probabile, hoc pactum non est usuratium: secundum modale & certum, probabile est non esse usurarum: tertium categoricum & certum, usus illius honestus est, seu peccatum excludit; duo prima sunt speculativa, quia sistunt in veritate objecti; tertium verò practicum, quia scilicet usum & praxim habet pro objecto; quid mirum ergo, si judicium practicum certum sit, & speculativum tantùm probabile, cum sint diversi objecti; & per abusionem vocis dicamus, opinionem aliquam esse probabilem speculativè, non practicè; nimirum illam, quæ judicium certum practicum habere non potest; quænam autem illa sit, jam sæpe dictum est, nempe illam, quæ non est certò probabilis: si hæc adversarii nostri intelligerent, rem istam haud dubiè ad sua principia reductam esse viderent; nec eadem, uti faciunt, ad nauseam toties regerent.

126. Pithanoph. Addit Auctor, ideo Medicum non posse uti probabili medicamento, omisso probabiliore, quia æger habet certum jus, ut ei omni

meliore modo succurratur ; sed quilibet , inquit, habet certum jus , ut suæ animæ succurrat , omni meliore modo; igitur minus probabili uti non potest.

127. Antim. Hic denuo confundit probabile medicamentum, cum probabili opinione; deinde cum jus sit ad alterum , nemo adversùs se ipsum jus habet ; præterea tenetur quilibet suam salutem procurare, non tamen meliore, seu perfectiore modo; alioquin quivis teneretur amplecti statum religiosum; igitur ut salutem quisque suam procurare tenetur, ita nihil facere, nihil omittere debet, quod eum à dicto fine obtinendo arceat, id est , à peccato abstinere; uti reverà abstinet , dum opinione verè ac certò probabili utitur; cum certò judicet, peccatum non inesse ; abs re igitur dictus auctor hujusmodi argumentis ad hominem, ut vocat, nostram sententiam impugnat ; nec enim omnia illa defendenda suscipimus, quæ vel Joannes Sancius , vel Antoninus Diana, vel Franciscus Verde , vel alius quispiam laxioris Theologiæ assertor, aut simul illi omnes adstruxisse dicuntur : præterquam quod, ut ex præmissa enumeratione perspicuum fit, consequentia facilè negatur.

128. Pithanoph. Ultimò tandem suam sententiam probat, ex absurdis, quæ ex nostra tanquam ex infecta radice pullulant; omissis autem illis , inquit, quæ D. Fagnanus in suis eruditissimis Commentariis, & Joan. Gonet, in sua dissertatione egregiè intulerunt, noster auctor, ut illustrium virorum Societate inclarescat , (sunt ejus verba) illud unum maximum & palmare, infert; quod liceret quamlibet opinionem, quantumvis laxam , in praxim reducere , si liceat opinionem minùs probabilem sequi ; nulla enim assignabilis est , quæ non sit aliquo modo probabilis ; quia scilicet ab aliquo auctore asserta , & aliqua ratione instructa; v. g. possemus sequi omnes propositiones ab Alexandro VII. damnatas, aut saltem aliquot ex illis, cum singulæ ab aliquo saltem auctore assertæ sint ; eas tamen Alexander ut falsas & improbabiles reprobavit, hîc demùm subnectit illarum propositionum Elenchum.

129. Antim. Ut aliquid justo S. Inquisitionis decreto detrahere non leve piaculum est ; ita quidpiam addere ; injustum , dixi fere temerarium; illas certè propositiones damnat , & prohibet , tanquam scandalosas ; non tamen tanquam falsas , & improbabiles ; cum hæc in decreto non legantur; falsas quidem, & multo magis improbabiles reputo, & nullo modo, etiam semoto isto decreto, ad praxim reducendas , ferri tamen non potest, quod hic auctor imponat iis , qui prædictum decretum non viderunt, & diserte dicat, eas à S. Congregatione tanquam falsas & improbabiles damnatas fuisse, cum tamen in decreto, tamquam falsæ & improbabiles minimè damnentur, sed tantum tamquam scandalosæ, vix scio, utrùm opinio probabilior id permittat, certè minùs probabilis non permitteret.

130. Pithanoph. Inepti aliqui Parisiis & Lovanii, ubi prodiit hoc decretum , in vulgus illico sparserunt, Doctrinam moralem Jesuitarum Romæ fuisse confixam , uti etiam idem ab iis sparsum fuerat, quando Guimenii liber confixus est, & paucis ante annis Apologia Theologorum moralium Roma prohibita, sed quod ad illas spectat quæ in prædicto decreto continentur , auctores societatis D. Dubois Doctor Lovaniensis ab hac calumnia vindicavit, quamquam , ut verum fatear , aliquas nostris auctoribus, indulgentior sanè, concessit, quamvis ab iis immunes esse constet, ut singulari opusculo jam ostensum est, quod verò ad illas attinet, quas Guimenius congessit, quisquis vel legere novit auctorum nomina, & diserta loca, nostras non esse, statim comperiet : Denique ne unam quidem ex his quadraginta quinque confixis , in Apologiæ libro reperiet, sed de his, in decade historiæ Theologiæ moralis, in qua describitur , & narratur quidquid ab anno 1656. huc usque in hoc genere gestum est, unius & alterius hujus decadis libri mihi copia facta est, consilium summoperè placuit, & sanè multum , interest Reipublicæ Christianæ & literariæ, ut posteri nostri sciant , quid & quomodò res tanti momenti successerit.

131. Antim. Omnia tempus habent & locum, & cum sit fortissima veritas, eam tandem diffatis falsitatum & calumniarum tenebris, suum locum habere, nec non triumphare par est, sed ad id , quod auctor opponit , breviter & facilè respondeo, falsissimum esse ex nostra sententia illud absurdum sequi, quod ipse nobis perperam imponit, nulla prorsus, nulla ex confixis propositionibus , semoto etiam decreto, juxta nostræ sententiæ rigorem, ad praxim reduci posset , quia nulla certò probabilis à nobis reputabatur , notoria igitur calumnia nobis imposita , innumeras enim opiniones reiicimus, atque damnamus , igitur falsum est nullam esse assignabilem, quæ à nobis probabilis non reputetur, nempe nobis satis non est , ab aliquo auctore quidpiam assertum esse, etiam cum aliqua ratione, nisi hæc adeo gravis sit & tanti momenti , ut ad prudentem assensum sufficiat; in auctoribus autem doctrinam, pietatem, prudentiam, peritiam longo usu comparatam, sincerum veritatis, non factionis studium, aliaque id genus , quæ in primo congressu describimus, ac præsertim maximam in allegationibus fidelitatem desideramus ; quam enim fidem Baroni cuipiam, vel alteri ejusdem farinæ, qui mille impostoras aliis auctoribus affingit, falsatis eorum locis, habere possumus? & quidnam de iis hominibus sentire, qui eadem opera, eodemque stylo, in probabiles opiniones, per fas , & nefas invehuntur, & ea scribere ac fingere non dubitant, quæ nullus etiam laxissimus Probabilista unquam admittat, ut ut sit , prædictum absurdum ex nostra sententia nullo modo sequitur, nec quidpiam aliud, quod cum recta ratione, fide, religione ac disciplina Ecclesiæ probè non consentiat; cum nullam opinionem admittamus ad praxim, quæ non sit certò probabilis, & nullum judicium practicum , quod non sit certum.

132. Pithanoph. Timeo, ne fortè hic congressus in longum plus æquo protrahatur; si reliqua ejusdem auctoris in eo velimus discutere; quare in alium congressum remittenda esse putarem.

133. Antim. Bene mones; præsertim cum aliqua explicanda esse videantur ad sacros canones pertinentia, quæ novam fortè diligentiam postulent, serotinis horis lustrabo denuo textus illos, quibus adversarii nostri nituntur, & ni fallor evincam; nobis potiùs favere; crastina igitur die, pomeridianis horis, si huc adveneris, reliquam hujus libelli partem, eadem, opinor, facilitate refellemus, qua priorem hodie refellimus; vale igitur Pithanophile & diligenter adnota, quæ in hoc congressu digessimus, ut amicis nostris illorum copiam facere valeas.

134. Pithanoph. Ne quæso dubita; nihil omitti; id

idem penſi à te impoſiti libenti animo ſuſcipio; vale Antim.

DIALOGUS IV.

De Opinione probabili.

In quo eadem materia diſcutitur, & idem auctor refellitur.

1. ANTIM. TEMPORI adfuiſti; Pithanophile; te unum præſtolabar; ſed quæſo te ne quis te interpellet, ſecedamus in proximum hortum, & in umbra conſedeamus.

2. PITHANOPH. Quotidiano prudens occurris incommodo; mirum enim quàm multi, ſingulis pene horis interpellent, & multas horas tibi ac tuis Muſis eripient, quod certè, ut ingenuè fatear, interdum minùs patienter fero.

3. ANTIM. Quid faceres, debitores omnium ſuorum, id quoque inſtituti à me ſuſcepti, & muneris hujus creditii ratio exigit; indoles etiam mea eò inclinat, & ita à natura comparatum me ſentio, ut Muſis otioſis tempus ultro ſubtraham, quando vel mutua neceſſitas, vel ſpontanea etiam charitas id poſtulat; ſed accipe librum, & diſcuſſionem ſuſceptam inſequamur.

4. PITHANOPH. Argumenta illa jam plenè diluimus, nec hic auctor addenſarat, ut ſententiam ſuam tueatur; & quia prædictis argumentis ſubnectit reſponſiones illas, quibus noſtrarum partium argumenta diluere conatur, erit fortè operepretium, hujuſmodi reſponſiones in examen vocare, ſi tamen per te licet.

5. ANTIM. Per me liſet omnino inde quippe illius meæ auxilio ſaltem adminiculo carebit; incipe igitur, & exprome illas, eo, quo jacent ordine, ne quid incautis excidat.

6. PITHANOPH. Prima ratio pro noſtra ſententia adducebatur, quod Chriſti jugum ſit ſuave & onus leve, & mandata ejus gravia non ſint; quod præterea humanæ in benigniorem partem ſemper ſolent; quod cum ſit quaſi moraliter impoſſibile diſcernere ſemper probabiliorem, Deus moraliter impoſſibilia non jubeat: ad hæc reſpondet deſinitum fuiſſe à Chriſto, ſalutis viam arctam eſſe ac difficilem, idque abſolutè ac ſimpliciter, juxta decretum Inquiſitionis, de quo ſupra; jugum verò illud eſſe grave ac ſuave, non abſolutè, ac ſimpliciter; ne Scripturis contradicat, ſuave, inquam, amanti, nam charitas omnia ſuperat.

7. ANTIM. In dicto S. Inquiſitionis decreto, quod certum non eſt deciſio fidei, ne unum quidem verbum reperio, quo ſignificetur, definitum eſſe à Chriſto ſimpliciter & abſolutè, arctam eſſe viam, ſecundùm quid verò, & cum limitatione, ſuave jugum eſſe: imaginantur quæſo Interpretes ſacri, nullam illi repugnantiam inveniunt; ſed bene intelligunt, arctam eſſe viam, & ſuave jugum; arcta quidem, ut jam dixi, ſi cum ſumma illa facilitate comparetur, qua mortales in viam perditionis abeunt; arcta etiam, quia deſideria carnis reprimere, tentationes Diaboli ſuperare, & frequentiſſimas peccandi occaſiones quatè fugere debemus, ut ſaluti noſtræ conſulamus. Jugum verò ſuave dicitur, quatenus cum alio jugo legis antiquæ tantum non intolerabili comparatur, vel quatenus uberiore divinæ gratiæ appulſu delinitum, quaſi à facie olei computreſcit; igitur & arcta eſt via, & ſuave jugum, per comparationem quandam, quatenus ſcilicet hoc quidem cum graviore ac duriore, illa verò cum laxiore, ſeu patentiore comparatur; quamquam utrumque facilè amanti, & nihil difficile mitibus, nihil aſperum humilibus; unum certè ab altero temperatur; jugum quidem eſt, ſed cum ſuavitate conjunctum, ſuavitas eſt, ſed nunquam ſine jugo, quo ſubjectionem ſignificat, ac proinde à ſervandis Dei & Eccleſiæ præceptis neminem eximit, cæterùm reliqua ſuavia & facilia; pari modo arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, via ſcilicet mandatorum Dei; arcta, inquam, eſt via, id eſt, multi obices ſuperandi; quàm multa enim ſaluti noſtræ opponunt ſeſe, & arduum, vel arctum reddunt virtutis iter; Chriſti tamen gratia in viàs planas aſpera reduxit, & totum iter complanavit.

8. PITHANOPH. Illud porro de legibus humanis, quæ in benigniorem partem inclinant, *l. benignus, ff. de leg.* & *c. final. de tranſacto*; ita cum Mercoro explicat, ut de infligendis pœnis intelligendum ſit; at ſi quò ad pœnas, in benigniorem partem leges inclinant, potiori jure, quò ad obligationem culpæ; lex enim quæ eſt juſtitiæ regula, pœnam culpæ adæquat; ſi ergo inclinat in mitiorem partem, quò ad pœnam, inclinat etiam quò ad culpam, vel obligationem culpæ; qui vult enim effectum, vult cauſam; nec aliam explicationem Doctores admittunt.

9. ANTIM. Ita eſt; cum enim lex omnis liget, ut ajunt, ſi nimium ſtringat, non ligat tantùm, ſed torquet; unde juxta ſanctum naturæ inſtitutum, & commune pronunciatum, in ſummo ſtrictiſſimæ ſignificationis rigore non ſunt accipiendæ, ſed mitiùs & benigniùs; ligant ſanè atque obligant; non tamen ita laxo, vel arcto nodo, ut vel inde minimè ligare, vel inde torquere potiùs, quàm ligare cenſeantur; eſt modus in rebus, & medium tenuere beati; itaque nec ſummus ille rigor tenendus opinionis probabilioris, qui reverà quantus ſit, vix ac ne vix quidem dici poteſt; paucas enim, & fere nullas opiniones verè ac certò probabiles habemus, de quibus conſtet, utra probabilior cenſenda ſit, v. g. utrùm liceat ſequi opinionem minùs probabilem, dico, illam eſſe probabiliorem partem, quæ aſſerit; Adverſarii verò illam, quæ negat, utrùm dubium votum teneat; dico, eſſe illam, quæ negat, illam verò illi, quæ aſſerit; utrùm lex dubia obliget; Auctor dicit, eam partem probabiliorem eſſe, quæ aſſerit; ego verò, illam, quæ negat; utrùm pactum trium contractuum ſit uſurarium; Adverſarii probabilius tenent, uſurarium eſſe, ego minùs probabile, idem prorſus in aliis; quid ergo faciet anceps animus? ſi enim teneor ad probabiliorem, quamvis hæc probabilior à me reputetur, mihi tamen reſtat aliquod dubium, cum oppoſitam alii probabiliorem eſſe dicant; quid faciam miſer in his anguſtiis? in quibus hinc & inde peccandi neceſſitas quædam imminet.

10. PITHANOPH Auctor argumentum retorquet; dicit enim difficilioris eſſe operæ, probabilem ab improbabili diſcernere, ut vel ipſe Caramuël fatetur à Barone relatus.

11. ANTIM. Noli quæſo citare Baronem, cujus fides adeo mihi ſuſpecta eſt, cum eam centies & millies proſtituerit: quod verò ad Illuſtriſſimum Caramuëlem ſpectat, hominem vereor, ſed omnes illius aſſertiones defendendas non ſuſcepi, quod ad rem ſpectat,

ſpectat, ſumus in alia navi; nec enim de probabilitate dubitare poſſumus, qui ce tam dumtaxat probabilitatem in praxi admittimus, & tantùm probabilem reiicimus; unde profectò non ſumus in ancipiti, nec dubitare poſſumus, an ſit probabilis, uti adverſarii jure dubitare poſſunt, an ſit probabilior; & non difficilis eſt operæ, homini docto, certò probabilem ab improbabili, vel probabiliter tantùm probabili diſtinguere; ſi enim auctores omnes alicujus nominis probabilem eſſe fateantur, licèt illorum aliqui, etiam multi oppoſitum ſequantur, quia fortè probabiliorem eſſe putant, certum eſt moraliter, probabilem eſſe; dixi auctores alicujus nominis, ut omittam quiſquilias; ſunt enim aliqui, eorum præſertim, qui ſolo factionis ſtudio ducti ſcripſerunt, quorum nulla auctoritas cenſenda eſt in foro Prudentum.

12. Pithanoph. Omnes igitur auctores priùs legendi ſunt; quod certè graviſſimum onus reputatur; nempe, ut quis ſciat, ab omnibus auctoribus aliquam opinionem probabilem cenſeri.

13. Antim. Non quidem omnes, ſed præcipui, ab his enim reliqui laudantur, his præſertim temporibus, quibus pro more, paginæ allegationibus implentur: Præterea, nequidem auctores omnes præcipui legendi ſunt; ſtatim enim vir doctus, ponderatis rationum momentis, quibus aliqua opinio innititur, judicat eſſe gravia, aut levia; imò ſi dubitat, an ſint gravia, dubitat, an dicta opinio ſit probabilis; itaque licèt ea motiva ea non ſint, quæ ſufficiant ad certum aſſenſum dictæ opinioni objectivæ præbendum, & ad rapiendum intellectum, v. g. ad cognoſcendum evidenter, pactum trium contractuum uſurarium non eſſe, intellectus tamen certò cognoſcit, dicta motiva eſſe gravia, ac proinde ſufficientia, ad prudentem aſſenſum, ex quo, ut vides, ceſſat difficultas: accedit, quod vir doctus ſtatim explorat, an ſit aliquod motivum grave, quo adſtrui poſſit, dictam opinionem eſſe improbabilem, ſi enim nullum eſt, certum eſt, probabilem eſſe, cum jam adſit motivum grave ſufficiens ad prudentem aſſenſum, ut autem eò redeat, unde paulò ante deflexit oratio, prudens quædam mediocritas, ut in cæteris humanæ vitæ officiis, ita etiam in hoc adhibenda eſt, unde nec ſummus ille rigor, qui ad probabiliorem ſemper obliget, admittendus, nec ſumma illa relaxatio toleranda, quæ omnes & ſingulas opiniones utcumque, nimirum probabiliter tantùm probabiles, ad praxim admittit, utraque extremitas diſplicet, illa quidem, quia ipſi repugnat conſcientiæ, quæ certò judicat, abeſſe peccatum ab uſu opinionis, minùs quidem, at certò probabilis, cum tamen ille rigor inculcet conſcientiæ peccatum in dicto uſu ineſſe, hæc verò, quia relinquit dubiam conſcientiam, id eſt, cum formidine, ne peccatum inſit, nos media quadam & tutiſſima via incedimus, nam & nimiam illam laxitatem caſtigamus, quia nullam opinionem, niſi certò probabilem in praxi admittimus, ac proinde conſcientiam certam habemus, & nimium illum rigorem temperamus, quia minùs probabilem licitam eſſe dicimus, quotieſcumque certò probabilis eſt.

14. Pithanoph. Rideres, Antime, ſi auctoris verba tibi recitarem, vult enim opinionem probabilem eſſe probabiliorem, reſpectu improbabilis, & opinionem probabilem eſſe mediam, inter probabiliorem, & improbabilem, vix enim percipio, quid ſibi velit: nam probabilis & probabilior dicuntur reſpectu ejuſdem objecti, & partium contradictoriarum, v. g. votum dubium non obligat, votum dubium obligat, en tibi duas tantùm propoſitiones, vel utraque probabilis, vel utraque improbabilis, vel altera certa, & altera improbabilis, ſi utraque probabilis, vel æque, vel altera probabilior, quo revera caſu probabilis cum improbabili conferri non poteſt, ſed tantùm cum æquè probabili, ſi utraque æquè probabilis, vel cum probabiliore, ſi altera probabilior, ſi utraque improbabilis, nulla comparatio cum probabili, vel probabiliore inſtitui poteſt; ſi altera certa, nulla etiam cum probabiliore, vel minùs probabili; unde non video, quid ſibi velit.

15. Antim. Quid amabò ſibi vellet, cum repugnantia loquatur; nunquid enim non repugnat, probabilem eſſe probabiliorem reſpectu improbabilis? ſi enim altera contradictoriarum eſt improbabilis, alteram probabilem eſſe repugnat: nam vel eſt certa, vel fortè improbabilis; deinde repugnat, probabilem eſſe probabiliorem non probabili; viden, quò tandem falſitas.

16. Pithanoph. Non bene intelligo id, quod dicis; ſi altera eſt improbabilis, alteram probabilem eſſe repugnat: nam vel certa, inquis, vel improbabilis, quod certa ſit, intelligo; v. g. ſi hæc, *votum dubium non obligat*, certa eſt, altera nimirum hæc, *votum dubium obligat*, eſt improbabilis, & viciſſim; non video igitur, quomodò dixeris, illud vel improbabilis.

17. Antim. Itane verò tibi excidit, quod paulò ante dixeras; nimirum, utramque partem improbabilem ſtatui poſſe.

18. Pithanoph. Memini, in dubio ſcilicet perfectè negativo, v. g. ſint hæ duæ, *aſtra ſunt paria*, *aſtra non ſunt paria*; neutra eſt probabilis, utraque igitur improbabilis, ſed cur illud *fortè* addidiſti.

19. Antim. Haud abs re, meo quidem judicio; quia propriè loquendo, non ſunt opiniones, opinio enim opinandi actum dicit; hîc verò opinari non poſſumus, quia nullum prorſus motivum affulget; opinari autem ſine motivò, nequimus; unde dixi *fortè*; quare ſi utraque pars eſt verè & propriè opinio, potiùs dicerem, ſtante altera improbabili, alteram certam eſſe, ſed perge.

20. Pithanoph. Reliqua reſponſionis omitto, quæ potiùs ad piam meditationem & concionem quam diſſertationem Scholaſticam reducenda ſunt; dicit enim, prudentem virum difficultate terreri non debere; præſertim cum aliæ multæ ſint difficultates, v. g. in diſcutienda conſcientia, in eliciendo contritionis actu, &c. quibus opera noſtra meritoria & pretioſa evadunt; ad quid porrò hæc? quaſi verò multas difficultates eſſe, negemus, in vita Chriſtiana inſtituenda, in temperandis affectibus, frænandis cupiditatibus, caſtigando corpuſculo, aliiſque hujuſmodi; ſed hæc quid ad rem? admittimus, amplectimur, oſculamur, pro Chriſti amore, difficultates illas, quas divina fide docemur, admittendas eſſe; ſed cùm nimium illum rigorem, ſeu veriùs lanienam & carnificinam conſcientiæ, pauci aliquot Neoterici, noti omnes, ad maximam animorum perturbationem, quo fine, Deus ſcit, inducere voluerint, quæ nec divina fides, nec gravis ratio, nec Doctorum hominum conſenſus perſuadent, jure ac meritò repugnamus, pro antiquo uſu retinendo. Sed his omiſſis, ad ſecundum argumentum ductum à trito illo axiomate, qui ſequitur opinionem probabilem, prudenter operatur, ita reſpondet, in primis, axiomata negari poſſe; quia non ſunt articuli fidei, citatque in hanc rem *dici de omni*, *dici de nullo*, & *quæ ſunt*

eadem

dum ait tertio, &c. Secundò illud tantùm ea casu admittit, quo probabili illud stet pro lege.

25. Antim. Ab hoc ultimo incipio, quod serium videtur, quia prima illa per jocum dici, putarem, cum aliquæ ridicula sint; & liberè dico, distinctionem illam ab Adversariis nostris toties decantatam, qua dicunt opinionem verè ac certò probabilem stare posse, vel contra legem, inanem, futilem & chimæricam esse, ac fieri non posse, ut opinio sit verè & certò probabilis, & contra legem, unum enim per se & intrinsecè aliud excludit; nempe si lex aliquid certat, nullum esse potest rationabile motivum, quod certum esse persuadeat; si enim lex est, eo ipso certum est, & nullum motivum facere potest, ut sit certum.

26. Pithanoph. At si lex dubia sit, id est, dubitari possit an lex sit; in hoc quippe casu adversarii nostri loquuntur.

27. Antim. Lex dubia non obligat, ut centies dictum, & est communis sententia, ut docent Henriquez, *lib. 8. de Eucharist. cap. 45 num. 3. in comment.* & P. Suarez, *tom. 3. p. disp. 40 sect. 5. num. 15.* Tom. 2. *disp. 12. sect. 5. num. 7.* ubi dicit, generalem regulam, legem dubiam non obligare; Sanch. *lib. in Decalog. cap. 10. num. 32.* Villalobos *tom. 1. Summ. tract. 1. diff. 21. num. 4.* Eman. Sà *verb. dubium*, Tom. Salas *tract. 8. disp. unic. sect. 25. num. 258.* Gabriel Palao *tract. 1. disp. 3. punct. 7. num. 1. & 2.* Tom. *lib. 1. tract. 4 c. 20. num. 4.* & multi alij; ratio autem dixi aliàs, quia causa incerta, certum effectum, id est, certam obligationem non parit; neque certum officium.

28. Pithanoph. Semper miratus sum, Patrem esse, aliquin tam sæquum, & à probabilibus opinionibus non valde alienum, in hoc tamen requirit, cum differè sentiat, legem dubiam obligare.

29. Antim. Alij etiam non pauci mirantur; ego non miror, quia Vasquez considerat hominem capiti positum, atque suspensum, absque ullo alio, cum hoc præcisè dubio, an lex sit, aut non sit; quod idem est, an peccatum insit, aut non insit; de hoc enim dubio Vasquez intelligit, ut patet; qui profectò rectè sentit, quia posito dumtaxat dubio, negativo scilicet, absque alio judicio directo, si faciam illud, quod per legem dubiam vetor, aut de quo dubito, utrùm eò lex extendatur, operor cum conscientia verè dubia, dubio scilicet negativo, ut dixi, quod est propriè dubium; & ait Vasquez, inhærendo suis principiis, quod scilicet voluntas ex duobus æqualiter propositis, unum sequi non valeat; quæ certè principia cum falsa sint, mirum esse non debet, si doctissimum illum autorem induxerint, ad falsum ex falsis deducendum; cæterum ita rem se habere mihi persuadeam, illud est præ cæteris, quod habet; *disp. 63. cap. 3. num. 8. in fine*, nullum ex scriptoribus Scholasticis à se inventum, qui oppositum asserat; imò expresè dicit idem, quando dubitatur, utrùm sit lex aliqua, an non, & solùm agitur de periculo peccandi; igitur in conscientia dubia tantùm loquitur; dubia, inquam, dubio illo negativo; nulla scilicet affulgente probabilitatis luce, qua dubium illud abigatur; aliquin nunquam dixisset, nullum esse, qui sentiat, legem dubiam non obligare; cum revera negari non possit, quin hæc sit opinio valde probabilis, imò longè probabilior opposita & communior, sive rationum momenta, sive Doctorum, qui stant pro illa, autoritatem ponderemus; Suarez, Sanchez, Henriquez, Castro Palao, Layman, &c. aliis profectò post ponendi non essent; si ergo constet, esse opinionem probabilem, Vasquez negare non poterit, juxta sua principia, quæ habet *disp. 62. cap. 4.* ubi asserit, posse quem sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, id est, supposito falso illo fundamento, quod quis probabili, saltem creditæ, adhærere queat; unde juxta hunc autorem, potest quis, dum probabiliori adhæret, sequi in praxi, aliorum minùs probabilem, sed de his satis.

30. Pithanoph. Pergratum certè mihi accidit, rescire ex te, quomodo utraq; Vasquis sententia conciliari possit; illud certè principium, circa libertatis usum, hominem illum, alioquin doctissimum, ad eas conclusiones eliciendas obstrinxit; quæ à cæteris reprobantur, uti & principium, ex quo sequuntur; & verò libera voluntas eligere potest majus, minus, & æquale bonum. quandiu de finito bono agitur, & intellectum determinare potest, ad præbendum assensum probabiliori, æquè ac minùs probabili; itaque cum proponatur voluntati hæc opinio, ut probabilis, *lex dubia non obligat*, voluntas ad præbendum assensum, intellectum determinat, qui etiam certò judicat, illius usum, licitum, honestum & prudentem esse; unde hic non agitur de periculo peccandi; Vasquez igitur de hoc casu non loquitur, sed quæso, dilue primam responsionis partem.

31. Antim. Nesciebam profectò, axiomata ideo negari posse, quia non sunt articuli fidei; miseri Geometræ quid tandem vos, si à quopiam axiomata vestra negentur; adducit autem in hanc rem tria axiomata, *dictum de omni*, *dictum de nullo*, & *quæ sunt eadem, &c.* & sic opponit contra primum, quidquid affirmatur, inquit, de universali distributo, v. g. de homine, non affirmatur de singulis, v. g. de Petro, Paulo, &c. nam de homine affirmatur, quod sit species, quod tamen de Petro, vel Paulo dici nequit; fallit igitur hoc axioma; sed quæso, te illud subjectum *Homo*, de quo prædicatur species, estne universale distributum? an fortè dici potest omnis homo est species? pari modo contra *dictum de nullo* opponit, negatur de homine, inquit, universaliter distributo, quod sit individuum, quod tamen negari non potest de Petro, Paulo, &c. itane verò? hæc propositio universalis, nullus homo est individuum, vera esse, aut dici non potest? sed per jocum ab eo dicta esse, mihi facilè persuadeo: opponit deinde contra illud tertium, *quæ sunt eadem, &c.* quod primum omnium esse dicit, & duo illa prima in eo fundari: Pater, inquit, & Filius sunt idem cum divina essentia, non tam inter se; addit alia exempla, præsentia & futura sunt præsentia æternitati, non inter se; duo sunt socij, vel amici uni tertio, non tamen inter se; falsum est primò, illud axioma omnium primum esse; cum ne Aristoteles quidem illius meminerit in analyticis, ubi duo illa dumtaxat præmisit, quasi duo certissima principia, quibus artem analyticem, quam geometricè demonstravit, inædificaret; de illo tertio in topicis tantum meminit; unde facilè crederem, ad illud tantùm reduci syllogismum expositorium; Petrus est homo, Petrus est albus, ergo aliquis homo est albus: nam aliquis homo, & aliquis albus sunt idem cum Petro, ergo sunt idem inter se; ad illud verò à Trinitate petitum, respondeo, Patrem & Filium non esse idem cum essentia, ut sic loquar, distributa, id est, adæquatè sumpta; ad illud de æternitate, nec præterita, nec futura sunt adæquatè præsentia æternitati; deinde princi-

principium ad aliud genus, nempe ad tempus, locum, traduci non debet: nam Petrus est præsens Deo, item Paulus, licèt hic absit à Petro, ad quantitatem optimè traducitur; nam quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se, quod est Geometricum; sed frustra in his, transi ad alia.

28. PITHANOPH. Tertium argumentum ex eo petitum, quod Sedes Apostolica in concedendis dispensationibus sequatur aliquando opiniones minùs probabiles, ita soluitur. Negando, quia Clemens V. in Concilio Viennensi testatus est in decreto fidei, se amplecti probabiliorem. 2. Quia jus Canonicum seu Pontificium probabiliora tenenda esse, præscribit. 3. Quia in dict. S. Inquisitionis decreto declarat, sibi displicere modum illum opinandi aliquorum, ex quo via salutis redditur laxior, quia ex eo fit, quamlibet opinionem reddi probabilem.

29. ANTIM. Argumentum hoc odiosum est, & ad invidiam; quare ab illo abstineo; quamvis multi auctores non desint, qui dicant, esse minùs probabile, quod Papa dispensare possit, v. g. super matrimonio rato, non consummato, super primo gradu affinitatis, ex copula licita, in linea directa, & alia hujusmodi: sed omitto, præsertim cum argumentum istud nihil probet; nemo enim negat, quin Papa peccare possit in usu suæ potestatis, etiam spiritualis; illud quod habet de Clemente V. non facit ad rem; quia eo loco non agitur de opinione morali, sed de fidei dogmate, quod non jam probabilius, sed omnino certum esse, necesse est; illa porro vox *probabile* apud antiquos idem significat, quod rationabile, receptum, authenticum, ut multis exemplis confirmare possem, si res postularet; falsum est etiam jure canonico prohiberi minùs probabilia; sed tantùm certum incerto præferendum, & tutum non tuto; opinio enim verè ac certò probabilis tuta est, & certam conscientiam relinquit; illud demum quod subnectit, hunc modum opinandi displicuisse Alexandro VII. ex quo via salutis laxa redditur; addere debuit, & animarum pernicies infertur, & disciplina Christiana relaxatur, seu pervertitur, & ab Evangelica simplicitate alienus est, & morum corruptela inducitur; quisnam porrò ille modus est? ille, inquit, ex quo fit, *quamlibet opinionem, etiam improbabilem*, probabilem fieri; jure profectò hic modus Alexandro displicuit, & mihi summoperè displicet; ille non est bonus, non est noster, quia nullam opinionem admittimus, nisi quam certò constet, esse probabilem, id est, gravi & rationabili motivo fretam, usui, sensui Ecclesiæ minimè contrariam, & iis argumentis non impugnatam, quæ facilè solvi ac dilui non possint; abhuitur sanè sanctissimi Pontificis auctoritate, quisquis eam ita prostituit, atque traducit; ita prorsus aliqui auctoritate Augustini, & Hæretici auctoritate Scripturæ? jam ante dixi, nunquam Ecclesia damnavit usum opinionis verè ac certò probabilis, nec etiam, ut mihi facilè persuadeo, unquam damnabit; reponere possem, non sine fœnore; non decretum S. Congregationis, sed Constitutionem Apostolicam, in qua non damnantur, qui regulam morum à vera & certa probabilitate petitam configere non dubitarunt, sed perge.

30. PITHANOPH. Quartum argumentum ex eo petitur, quod actio certò licita esse possit, licèt objectum illius sit tantùm probabile; hoc autem negat, & vult, esse moraliter certum; nempe, ut ait, opinio probabilior est moraliter certa, sed jam supra hoc refutasti.

31. ANTIM. Ita est, qui sic loquitur, nescit quid dicat; involvit enim repugnantia; & verò nonnunquam accidit, ut opinio probabilior, mutatis circumstantiis fiat æquè & minùs probabilis, ut ipse auctor fatetur, *pag.* 130. igitur opinio probabilior non est moraliter certa; quia illud est moraliter certum, quod licet absolutè loquendo, aliter esse possit, nunquam tamen accidit, ut aliter sit; itaque non video, cur opinionis verè ac certò probabilis, cujus assensus est certò prudens, & electio certò prudens, ex ipsa definitione, usus etiam certò prudens & licitus esse non possit, imò non sit; sed hæc à nobis accuratissimè demonstrata fuerunt.

32. PITHANOPH. Quintò venit ad Achillem nostrum, inquit, nempe jam est communissima sententia, conscientiam certam esse debere, id est, judicium illud practicum certum, quo scilicet judicamus, peccatum non inesse, & quod sequitur ex illo judicio speculativo, quo judico, aliquam opinionem certò probabilem esse: sed negat, sequi auctor, & statim ait, hoc esse miserum effugium; meo judicio, unum te petit Adversarius; quare hæc paulò accuratius discutienda; sustinebo igitur personam, tu verò tuam; nego igitur ab intellectu cognoscente motiva utriusque sententiæ, formari posse illud judicium practicum, quod usus minùs probabilis non sit peccaminosus.

33. ANTIM. Bene est; nihil quæso intactum relinquamus, quandoquidem de me agitur; nam si erro, cupio dedoceri: in primis igitur dare non possum, effugium illud esse, & multo minùs miserum effugium; sed meram reputo demonstrationem; si enim certum est opinionem esse probabilem, certum est gravi & rationabili motivo niti, nimirum sufficiente ad prudentem assensum; igitur certum est, esse prudentem assensum, & prudentem electionem, & prudentem usum, ut demonstravimus in primo & secundo congressu; ac proinde nullo modo peccaminosum: demonstratio igitur est, non effugium; igitur negari non potest, formari posse judicium illud practicum, quo certò judico, usum illius opinionis peccaminosum non esse, etiam si intellectus cognoscat motiva utriusque sententiæ; probabilioris quidem gravius, & minùs grave, minùs probabilis; unde rectè judico, usum utriusque prudentem; primæ tamen prudentiorem, & secundæ minùs prudentem; nihil autem ad prudentiorem me obligat; sicuti nec ad melius: in hoc autem opinor, hallucinaris, quod credas, minùs grave destrui à graviore, quod falsissimum esse, jam dixi; superat quidem, at non destruit; uti majus pondus superat, vel attollit minus in libra, non destruit: ponamus exempli gratia motivum probabilioris esse grave ut 5. & minus probabilis, grave ut 4. motivum hujus se habet ad motivum illius, ut 4. ad 5. ergo ut hoc restat grave ut 5. ita illud grave ut 4. sed grave ut 4. est sufficiens ad assensum prudentem ut 4. & grave ut 5. ad assensum prudentem ut 5. ut enim gravitas motivi suscipit magis & minus, id est, major est, vel minor, ita prudentia assensus, vel electionis, vel usus, major, vel minor est, sed hæc sunt perspicua.

34. PITHANOPH. Rationes moventes intellectum ad formandum tale judicium, sunt merè probabiles; non possunt igitur generare judicium certum, ad quod, uti præmissæ, ad conclusionem, comparantur.

35. ANTIM. Erras, Pithanophile, erras; motivum illud grave, ut jam sæpe dixi, ad judicium speculativum,

...tum, probabile tantùm movet; unde opinio pro-
...dicitur; in hoc conveniunt omnes, sive opi-
...probabilior, sive æquè, aut minùs proba-
...ar judicium illud, quo judico illam opi-
...nem esse probabilem, seu motivum illud gra-
...est certum: itemque illud, quo judico ele-
...dum, vel usum talis opinionis esse prudentem;
...certum sequitur ex certo; si enim certum
...esse opinionem probabilem, certum est usum
...esse prudentem: est sanè quod mirer, hæc
...jam olim diserte explicata minùs intellecta
...esse.

40. Pithanoph. Rationes firmiores partis op-
...trahunt intellectum ad se; illum igitur retra-
...minùs probabili; igitur impediunt judicium
...rum.

41. Atim. Nego antecedens, & utramque con-
...nam; nempe intellectus ab objecto obscurè
...positio non trahitur, non rapitur, non determina-
...se ipsum determinat, sed à voluntate deter-
...minatur, sive ad probabiliorem, sive ad minùs pro-
...bilem; modo enim sit motivum sufficiens ad pru-
...dentem assensum, sive magis, sive minus grave,
...rum, pro sua libertate, aliis motivis ducta, tam
...terminare potest intellectum ad minùs, quàm
...magis probabilem; nec unum motivum impedit,
...quin trahat aliud; deinde cum æquè certum sit unam
...probabilem atque aliam, tam certum est usum
...esse prudentem, quàm alterius, id est, tam ex-
...formidinem & periculum peccati in electione
...ius, quàm in electione alterius: unde momen-
...illud gravius facit quidem, ut assensus sit pru-
...electio prudentior, usus prudentior: non
...facit, quin momentum alterius partis sit gra-
...licet minùs grave, & assensus prudens, licet mi-
...prudens; usus demum prudens, quamvis minùs
...tis.

42. Pithanoph. Supponis, intellectum in illo
...non suspendere attentionem & advertentiam ad
...ores fortiores partis oppositæ, quod dici non po-
...aliòquin mutaretur quæstio; immo intellectus
...mutando circumspectus non esset.

43. Atim. Hoc certè non suppono; sed vo-
...que partis motiva intellectui affulgere; qui
...non rapitur, nec se ipsum determinare po-
...jam dixi; sed libertæ voluntatis est, pro nutu,
...partem eligere, & intellectum ad illam
...flare.

44. Pithanoph. Sed quantæ molis & difficul-
...it, mi Probabilista (utor enim illius verbis)
...judicia certa formare, immo tria, eaque
...va; nam est judicium certum de probabili-
...item aliud certum, quod usus opinionis
...probabilis sit prudens, honestus & licitus,
...que speculativum; tertium denique certum
...dum, quod usus hujus opinionis sit pru-
...& tota ista certitudinum machina in sola pro-
...tate rationum, quibus tua ista hæc sententia
...tur, superimposita fundatur, & stat; nunquid
...non est, illud onus intolerabile, quod adver-
...objecis? cum tamen maxima difficultas sit, &
...Herculeus labor, hujuscemodi actus reflexos,
...& triplicata judicia dignoscere, distinguere
...judicare; hoccine est illud jugum suave & onus
...hæccine est illa facilitas & suavitas, quam tuæ
...mentæ adstruis: ut enim unam rejicias moralem
...certitudinem probabilioris, de honestate objecti,
...ipsam commiscueris, eamque per actus reflexos;

At profectò, me judice, antiquiores Probabilistæ, qui in hujusmodi certitudinem angustias minimè conjiciunt sese, & intrepidè ac magistraliter sustinent opinionem probabilem de honestate objecti satis esse, ad operandum licitè, longè majore claritate & soliditate procedunt, licèt ex alio capite coarguantur.

45. Atim. Sustinui patienter, subrisi dumtaxat; quis enim risum ad hæc teneret? Sed ad rem, mi homo; ante omnia nego à me tria judicia certa statui, cum duo sint satis; nempè judicium de probabilitate & judicium illud practicum; utrumque hoc enthymemate, certum est esse probabilem, igitur certum est usum illius esse prudentem; illud enim universale, omnis opinionis certò probabilis usus est prudens & licitus supponitur, eoque semel statuto in universum in talibus singularibus accersendum ultra non est. Sed demus, hæc tria judicia intervenire; nunquid etiam in tua totidem interveniunt; quamquam duo falsa, & alterum dumtaxat probabile; primum est hoc, *omnis opinio probabilior est certa moraliter*, quòd falsum est; nisi enim hoc statuas, unicum tuæ sententiæ fundamentum prorsus; dixi autem esse falsum, idque notoria falsitate; implicat enim eandem opinionem esse probabilem & certam; secundum est, *hæc opinio est probabilior*, quod est tantùm probabile, saltem ut plurimum, cum alii affirment, alii negent; deinde fieri potest, ut novâ lux novæ rationis, declarationis, &c. adversæ parti accedat, qua fiat, ut illa probabilior esse desinat; igitur ad summum, secundum illud judicium est tantùm probabile: tertium est conclusio, *ergo hæc opinio est certa*, quod falsum est; quia conclusio sequitur debiliorem partem; immo dato etiam, & non concesso, secundum judicium certum esse, tertium adhuc falsum est; unde vides, quam bellè ratiocineris.

46. Pithanoph. Sed omittis judicium illud tuum probabile, quod est ipsa opinio probabilis.

47. Atim. Non omitto, quia licèt intervenire possit, non est tamen necessarium, cum sit satis judicium certum de probabilitate; in tua etiam sententia, intervenire potest, illud enim, ut vides, non recensui; imò in tua necessariò requiritur judicium practicum, seu dictamen rationis, sine quo nunquam operamur, hoc nimirum, *usus talis, vel talis opinionis honestus est, & non peccaminosus*, quod supponit aliud universale, nempe hoc *omnis opinio probabilior, vel certa habet usum honestum*; unde quinque judicia tibi necessaria sunt, & quia minor præmissa hujus secundi argumenti, vel est falsa, vel tantùm probabilis, judicium tuum practicum, vel falsum est, vel tantùm probabile, cum tamen conscientia certa esse debeat; sic enim procedit argumentum, *omnis opinio probabilior & certa habet honestum usum, sed hæc est probabilior & certa, ergo habet honestum usum*, minor est falsa, quatenus certa esse dicitur, & probabilis, quatenus probabilior, vides, quò tandem tua illa certitudo moralis. Prætereà, falsum est, hæc duo mea judicia esse actus reflexos, quis hoc unquam somniavit? falsum est, quod fundentur in sola probabilitate rationum, nam licèt opinio probabilis fundetur tantùm in sola probabilitate rationum, quò ad veritatem objecti, seu opinionis objectivæ, non tamen quò ad probabilitatem, nempe certa esse potest probabilitas, licèt incerta veritas, & hæc propositio categorica, *pactum trium contractuum non est usurarium*, potest esse tantùm probabilis, ac proinde incertæ veritatis, quamvis

hæc, quæ modalis est, *probabile est pactum trium contractuum non esse usurarium*, sit certa; & absurdum dictu est, hanc certitudinem fundari in sola rationum probabilitate: quare Pithanophile revocare debueras in memoriam tuarum modalium leges; nempe hæc *paries est albus*, est propositio contingens, hæc verò est necessaria *contingens est parietem esse album*, quod verò ad maximam illam difficultatem & laborem Herculeum spectat, monstra & chimæras haud dubiè tibi fingis; statuto enim semel illo judicio universali, quod scilicet omnis opinio certò probabilis habeat prudentem usum, quod per se notum est, nam illam dumtaxat probabilitatem agnosco, quæ fundatur in gravi motivo, & illud tantum motivum gravè esse, dico, quod sufficit ad prudentem assensum, ac proinde ad prudentem electionem & prudentem usum, quamquam unus assensus alio prudentior esse possit; quemadmodum unum motivum gravius alio esse potest: unde si certum est, esse grave motivum, certum est, esse prudentem assensum, & prudentem usum, statuto igitur semel judicio illo, quod adeò facilè statuitur, cum sit evidens, illud ultra repetere, vel accersere, necesse non est, igitur ubi mihi constat, certò hanc opinionem esse probabilem, sive magis sive minùs, quod facile habetur à viro docto, ut supradictum est, constat etiam certò, illius usum prudentem & honestum esse, quænam amabò hic difficultas, quæ augustiæ? solvere igitur debueras meas rationes, quod certè difficilioris operæ fuisset, non verò declamationes ingerere, quod dicis de antiquioribus probabilistis, mihi non adversatur, sustinens illi, opinionem probabilem de honestate objecti satis esse, quis hoc negat? idem dico: addo tantùm præter opinionem, requiri judicium practicum certum, non certè de objecto illius opinionis, sed de usu illius: quod omnes probabilistæ, si non expressè, saltem tacitè tenent, ut de Sanchez & Vasquez, in secundo congressu ostensum est; item judicium certum de probabilitate, quod etiam omnes admittunt, præter unum & alterum: laudavi auctores pro utroque in primo congressu, adjunxi aliquos in secundo, quid quæso in hoc tam graviter peccatum est? Sed pergamus.

44. Pithanoph. Sextum argumentum ex eo ducitur, quod is, qui sequitur minùs probabilem, sed tutiorem, non agit imprudenter: Respondet 1. auctor utramque stare pro lege, ac proinde mutari statum quæstionis. 2. Respondet, agere imprudenter per excessum, non per defectum, sita est enim prudentia, uti & aliæ morales, inter duo vitia, unde hic non esset temerarius, inquit, sed scrupulosus, & quodammodò ridiculus.

45. Antim. Ridiculus igitur Vincentius Baro, qui vult, tutiorem, licèt minùs probabilem, probabiliori anteponendam esse, idque ut dogma certum & inconcussum apud Dominicanos adstruit, ridiculus Cajetanus, qui hoc etiam dicit, licet aliqui aliter illum explicent; item ridiculi multi alii, qui tenent, tutiorem etiam minùs probabilem anteponendam esse, nemn igitur ridiculus, aut scrupulosior dicendus est, qui tutiorem sequatur, modò illa sit verè ac certò probabilis, quia revera prudenter agere censetur, ut constat ex dictis, unde rectè concludit argumentum, si prudenter ago, quando sequor opinionem minùs probabilem, sed tutiorem, non quidem qua tutorem formaliter, cum opposita sit formaliter tuta, immo æque tuta, sed qua probabilem, revera non teneor ad probabiliorem; prima responsio nullius momenti est, tum quia neutra est contra legem, sed utraque est certò probabilis, tum quia si tutior & minùs probabilis & stat pro lege, opposita stat pro libertate & contra legem, juxta hujus auctoris principia, ut perspicuum est, ponamus enim duas istas, *votum dubium obligat, votum dubium non obligat*; sit prima tutior & minùs probabilis, illa haud dubiè stat pro voto, hæc, contra votum, malè igitur respondet, utramque stare pro lege.

46. Pithanoph. Septimum argumentum ita procedit; possum opinari, id est, assentiri opinioni, etiam minùs probabili, igitur ea possum uti; antecedens patet; quia minùs probabilis motivum grave semper remanet, nec enim destruitur à graviore, quod probabiliori competit; alioquin hæc esset absque ulla formidine, igitur evidens, sed auctor negat antecedens, vultque, motivum illud destrui, & ultro concedit, probabiliorem inde certam & evidentem evadere.

47. Antim. Hæc jam supra ut repugnantia rejecimus, restare autem illud motivum, nihil est aliud, quàm cognosci, ac verè cognosci tale, quale est, grave igitur, si reverà grave est; item aliud gravius, etiam ut gravius, quasi verò paries non resteret albus, licèt sit alius magis albus, & homo doctus, licèt sit alius doctior, superat quidem gravius, nimirum in gravitate, sicut magis albus, in albedine, & doctior in doctrina, non tamen intensior qualitas destruit remissiorem, sed hæc sunt trita & notoria, vel ipso usu, & de iis jam supra plusquam abundè, hoc tamen argumento uti nollem; tum quia non desunt etiam à nostris partibus, qui sentiant, assensum ab intellectu minùs probabili præberi non posse, quod tamen falsum esse, supra diximus; tum quia citra culpam, intellectus assentiri potest probabiliter tantùm probabili, cujus tamen usum illicitum esse, tenemus, & hæc quoad hoc sufficiant.

48. Pithanoph. Octavum argumentum tale est; opinio probabilis tollit omne dubium de honestate actionis, quæ non pendet ab honestate, seu veritate objecti, sed à probabilitate, multa sanè respondet auctor, quæ nescio, an tuo calculo donaturus sis; 1. Judicium illud practicum certum non distinguit à dubio, seu judicio speculativo de honestate objecti. 2. Judicium certum de probabilitate haberi non posse. 3. Etiam si habeatur, non prodesse. 4. Immo potiùs obesse, quia eo ipso, quod certam reddit probabilitatem, certam reddit formidinem, & periculum peccati, unde infert, admittendam potiùs esse certitudinem honestatis objecti, quàm probabilitatis. 5. Addit idem in hac controversia evenisse, quod accidit olim in controversia gratiæ, Catholicos inter & Pelagianos; negabant initio isti divinam gratiam, sed deinde argumentis constricti, admiserunt aliquam gratiam, nimirum donum legis, Prophetarum, &c. at non erat controversia de hac gratia, sed de gratia Christi, pari modo, negarunt initio Probabilistæ certitudinem de honestate objecti, ad operationem licitam, necessariam esse, sed nonnulli nuperrimè (ite unum intelligit) validissimis argumentis constricti, fassi sunt, certitudinem aliquam requiri, non quidem de honestate objecti, sed de probabilitate dictæ honestatis; quid nos, ad hæc, inquit, instamus, urgemus, non istam certitudinem, de probabilitate honestatis objecti, sed de ipsa honestate desideramus.

49. Antim.

49. Antim. Cuncta hæc nullo negotio refello; primum quidem falsissimum est; idque perspicuè, ex natura, nam judicium ipsum speculativum de honestate objecti est ipsamet opinio probabilis; judicium verò practicum ab ea distinguitur; quia pro objecto non habet dictam honestatem objecti, sed ipsam ipsius opinionis; distinguuntur autem illi actus, quia habent diversa objecta; huc semper impingit Navarrus, cum suis fœderatis; secundum etiam illum est, ut constat ex dictis; & miror à viro, alioquin doctorum illud adstrui; immo ad hominem; si vult dari probabiliorem certam esse, quo ad objecti veritatem, potiori jure, certa erit, quoad probabilitatem, cum scilicet multi negent, dictam veritatem, quorum illi omnes, qui oppositæ adhærent, cum quibus nullus neget probabilitatem; sed pudet, hæc diutius versare, tertium etiam falsum est; quidquid enim ad habendum judicium practicum certum, ut jam dixi; nempe si certum est, esse probabilem opinionem, certum est, illius usum esse licitum: quartum falsissimum est; quia certum quidem reddit formidinem, cum assensu prorsus conjunctam, in judicio scilicet speculativo; nullam tamen inducit formidinem in judicium practicum, quod scilicet est de alio objecto; nempe de opinionis probabilis: quod ad quintum attinet, vellem, ipse omisisset, nihil enim nobis est cum Pelagianis; reponere possem; sed sustineo, licet tamen esset; Interiorem gratiam Pelagiani non negarunt; eam semper Augustinus & doctores Catholici adstruxerunt, quod autem dicit, à nonnullis negatam fuisse certitudinem de veritate objecti, lepidum est, quasi verò illam etiamnum non negarent; immo & adversarii, præter unum vel alterum; licet enim probabiliorem minùs probabili antecedam esse statuant, illam tamen certam esse non audent, ne repugnantia loquantur, ut jam semel, iterumque, ac tertiò dixi; nec tandem fassi sumus aliam certitudinem requiri, cum semper illam necessariam esse duxerimus, nimirum judicium practicum, unde quod necessariò sequitur, non modò ex certitudine veritatis objecti, quando hæc adest, & non de opinio probabilis, sed actus certus est, verùm etiam ex certitudine probabilitatis, eo modo, quo dixi. Quod autem urget, atque instat, ut cedamus certitudinem veritatis objecti, non verò certitudinem probabilitatis, cum bona venia, repulsam à nonnullis ferret, cum in nostra potestate non sit, ut opinio probabilis sit certa! ô utinam hoc privilegio gauderemus, & ad liberalitatis cumulum, multa alia etiam à nobis postulata concedere possem.

50. Pithanoph. Nonum simul cum undecimo, quia eidem genus pertinent, discutiemus; quare de eorum præmittamus, quod ducitur ab auctoritate quorumdam Doctorum, puta Alberto magno, qui citatur à D. Antonino 1. p. c. 10. Respondet, nuperam & novissimam sententiam esse, cum tamen oppositæ usus ad traditionem Apostolicam, ut ipse eorum ostendit, referatur: addit, Albertum quod de simplici fratre, aut pia muliercula, denique citat pro sua sententia Doctorem Angelicum, D. Bonaventuram, Scotum, D. Antoninum, I. Majorem, Gersonem, Hadrianum, Navarr. Dominic. Soum, Sylvestrum, Cajetan. Philaletum, Comitolum, Merendam, Fagnanum, de quo concludit, quod vix, inquit, opinionum probabilium laxitates satis gravantes, orbi Christiano perniciem ingentem allaturas, egregiis in jus canonicum editis commentariis, invictè coërcuit.

51. Antim. Quod nostra sententia novitia non sit, jam supra ostensum est; cœva mundo est; quia rationi; nec alius usus esse potuit; opposita verò satis nova; Cajetanus, cujus forte mentem aliqui non intellexerunt primus fere illius auctor extitit, liberior alioquin, si quis alius in opinando, & in multis paulo laxior; dixi, quem aliqui non intellexerunt, nam cum ipse dumtaxat proximum peccandi periculum arcere velit, atque adeò ipsum dubium, seu formidinem, ne peccatum insit, conscientia certa, quam unam permittimus, omne dubium, omne periculum arcet; idem de S. Thoma jam supra dictum est; qui actionem minimè reprobat, modò omnis dubitatio absit; D. Bonaventura de opinione morali non loquitur, sed de laxiore ac liberiore regularium vita; Scotus agit de materia & forma sacramenti, D. Antoninus stat omnino à nostris partibus, nimirum *p. 1. tit. c. 10. §. 10.* qui enim agit secundùm opinionem probabilem, inquit, non operatur in dubio peccati mortalis; Major non vult aliud in via morum, nisi certitudinem, quæ in judicio speculativo de honestate objecti haberi nequit, secus in practico; unde hic nobis consentit; Gerson nihil aliud præscribit, nisi ut periculum peccandi removeatur, & conscientia certa sit; immo nobis aperte favet *tract de miss. consid. 3. Alph. 37. lit. S.* idem dico de Hadriano, & Navarro, qui nostræ sententiæ disertè patrocinatur de pœnit. *dist. 5. n. 38.* & in Manual. *c 27. n. 288.* & nihil aliud exigit, nisi ut opinio sit tuta, id est, ut peccatum excludat; Sotus disertè loquitur de Judice & medico; item Sylvester, qui nostræ sententiæ expresse adhæret. *v. opinio n. 1.* item *v. scrupulus*, item *v. confessio n. 3.* reliquos nihil moror, nec enim ii sunt, ut tot ac tantis, iisque doctissimis hominibus præferendi sint; quod autem isti, ut ait, invictè coërcuerint opinionum probabilium laxitates, dare profectò non possum; quia scilicet laxitates ipsi minimè impugnant; quod revera si facerent, dextras illico jungeremus; cum idem nobis sit consilium, sed omnem opinionem certò probabilem, quod certè coërcendum non fuit; quamquam, ut dicam quod res est, tritum illud huc bene quadraret, Clodius accusat Mœchos, &c. vano quippe obtentu laxitates coërcendi, quod jam abundè Doctissimi ex nostris præstiterant, non sine spe rato eventu adversùs eosdem stylum apertè strinxerunt, non sine incredibili fidelium offensa; nulli enim pepercerunt; nullus eorum convitia, satyras & calumnias evasit; nam cum in hoc alios fœderatos haberent, non modò inurbanum illorum scribendi modum, citra tamen styli nitorem, sequuti sunt, verum etiam falsas illorum allegationes, bona an mala fide Deus scit, amplexi fuerunt quod revera coërcendum fuit; sed pergamus.

52. Pithanoph. Nonum & undecimum ex Pontificio jure, ac præcipuis illius interpretibus dicitur, *c. damnamus de summ. Trinit & ubi* Gloss. item conc. Vien. & Gloss. *in c. capellanus*, Joann. Andr. Abb. *in c. tua nos de usur.* Joann. Andr. & Abb. *in c. ne invitaris*, Innocent & Abb. item *in c. sicut quædam dist. 24.* & Gloss. expresse *ibidem.* Ex quibus habemus, etiam in materia fidei, eos non peccare, ante definitionem Ecclesiæ, qui oppositam partem defendunt, quam nimirum probabilem putant; & in obscuris & dubiis, id quemlibet sequi posse, quod nec Scripturæ, nec sensui Ecclesiæ, nec SS. Patrem dictis adversetur: ad hæc respondet, Abbatem Joachim

chim non peccasse quidem peccato hæresis, sed nihil ibi de alio peccato ; nihil item *in Clement. capellanus potiùs obesse, c. sicut quædam de præceptis Ecclesiæ*, non de divinis sermonem esse, de quibus procedit nostra conclusio, *c. ne innitaris*, & *c. tua nos* ; non dicitur eligi posse, quamvis partem ex probabilibus, nec *c. tua nos*, posse nos agere contra communem opinionem, quando hæc non probatur, aut jure, aut ratione, cui non potest responderi ; immo hoc dato, idem de probabiliore, quæ à communiore non differt, dici non posset.

53. ANTIM. Abbas Joachim alio peccato, quoad hoc, peccare non potuit, nisi hæreseos, scandali, temeritatis, quibus reverà nominibus damnandus fuisset, cum igitur damnatus non fuerit, quoad hoc non peccavit ; idem de illis dicendum est, qui ante definitionem Viennens. docebant, parvulis per baptismum gratiam habitualem & virtutes non conferri, nec enim à concilio illi damnantur, sicuti alii, qui temerè asserebant, animam rationalem corporis humani veram formam non esse nec unum dumtaxat baptisma esse ; gloss. porro ad *c. capellanus*, ita interpretatur Joann. Andr. relatus ab Abbate *eod. c. n.* 5. neque, ut dicit auctor illud *c. capellanus* nostræ sententiæ obest ; quia in eo Papa Clemens non statuit, ut quis subtiliori & meliori rationi adhærere debeat ; ut gloss. sed hoc est consilii, ut Sylvest. verb. *opinio, in fine, q.* 1. sed tantùm significat, posteriorem illam sententiam subtiliore & meliore ratione niti, igitur si non prodest, hoc cap. reverà non obest ; licèt nobis faveat interpretatio Joann. Andr. & *Abb. in d. c.* & Canonistæ nostræ in hoc suffragantur quibus adde Jason *in l. Di. num.* 34. *tit. de offic. assess.* & Joann. Garciam *de nobil. n.* 12. qui volunt, legem etiam divinam non violari, quando habet, diversos sensus : falsum denique est, hæc verba esse formalia textus, *diversa tenere in his*, & c. ut refert auctor, cum nullo modo legantur in textu, sed in gloss. illa autem obscura & dubia de quibus *in d. c. sicut quædam*, ad rem moralem etiam pertinent, ut patet, deinde non negabit auctor, leges, Ecclesiasticas obligare, ac proinde neminem etiam in hoc operari, cum conscientia dubia & pecandi periculo non dicimus etiam, *in c. ne innitaris* de constitut. & *c. tua nos* de usuris laudata verba contineri, sed Innocentii & Abbatis esse, *in d. c ne innitaris* ; ejusdem Abbat. & Joann. Andr. *in d. c. tua nos* deinde communior opinio, ut plurimùm saltem, est probabilior ; eadem demum pro utraque ratio militat ut patet : unde manifestum sit, dictas hujus auctoris responsiones non stare.

54. PITHANOPH. Omitto 12. argumentum, quia facilè paritas negatur ; nec enim omissio confitiorum inducit proximè in peccatum, sicuti conscientia formidolosa ; omitto etiam 13. argumentum, quod certè contra illos valeret, qui docent, nos teneri ad tutiorem, non tamen contra illos, qui ad probabiliorem obligant ; cum reverà sæpe accidat, ut strictior non sit probabilior, qualis est illa de contritione, & homologesi, statim post peccatum lethale admissum, de circumstantiis aggravantibus, ut ajunt, explicandis ; omitto etiam illud, quod difficile sit, probabiliorem à minus probabili distinguere ; dicet enim auctor, suæ sententiæ locum tantùm esse, cum quis ultro agnoscit, hanc, vel illam opinionem esse probabiliorem, item illud, quod tam exiguum probabilitatis discrimen sufficiens non sit ad variam speciem inducendam ; quia eadem difficultas est, in parva materia statuenda, quæ non sufficit ad peccatum mortale : nec opus erat, ut auctor ad hunc effectum, tam multa ex libro Theophili, cui nomen *sacra minutalia*, huc congereret ; cum semiplena deliberatio à plena minimum differat, & tamen hæc ad peccatum mortale sit satis, secus verò illa : longè meliùs sub finem argumenti, quod scilicet probabilitas in indivisibili posita non sit, sed magis & minus suscipiat, sed hoc jam supra abundè discussum & statutum est, nec non hujus auctoris responsiones super hoc omnino dissectæ ; omitto item 14. & 15. quia non faciunt ad rem, aut saltem non convincunt ; item 16. quia auctoris super hoc responsio jam supra rejecta est, cum implicet, esse actum opinionis, qui non sit citra certitudinem, ac sine formidine, quo scilicet intellectus cognoscat, falsum inesse posse, sed quia hæc jam ad nauseam, omitto ; itaque unum restat 17. quod à fide humana petitur, quæ prudens dici potest, licèt iis, qui credit probè noscat, se falli posse, quod certè auctor malè solvit, licet facilè solvi possit ; quia credens, peccandi periculo non exponit se, sicuti ille, qui opinione minùs probabili utitur, juxta auctoris falsam hypothesim ; his ergo omissis, ludit tandem auctor sub finem hujus tertiæ lectionis, quæ mediam libelli partem longè superat ; cùm enim ab eo quæratur, cujus judicio standum sit, ut sciatur in concursu duarum, utra sit probabilior, retorquet argumentum, & quærit, cujus judicio standum sit, ut sciatur, an sit aliqua probabilis, vix enim reperies sententiam probabilem, secundum omnes ; ad id verò quod, aliqui dicunt, illam esse probabilem, quæ non est contra legem, respondet, & simul quærit, cujus etiam judicio standum sit, ut sciamus ? non esse contra legem, & hic D. Thom. cum Raimondo Scoto, & S. Bonaventura ; & Suarem, & Vasquem in diversis casibus committit, & tamdem concludit, ex eo cognosci probabiliorem, quod sit moraliter certa ; certitudo verò habetur ex alterius auctoritate, ex propria eruditione, ac demum ex circumstantiarum circumspectione.

55. ANTIM. Multa prudenter omittis, quæ jam supra discussimus ; addo pauca ; nimirum, illam sententiam probabilem à nobis dumtaxat admitti, quæ est certò probabilis, unde citra res fidei, si certum est, esse probabilem, est etiam evidens, unde vel sola terminorum expositione, & motivi gravis explicatione, probabilis esse cognoscitur ; illud porro quod dicit, nullam esse opinionem, quam omnes habeant ut probabilem, futile est, nam idem dici potest de quolibet articulo fidei, licèt hic certus sit ; & vero nemo appellet aliquam opinionem certò probabilem, quam in hoc rerum statu, aliquis auctor classicus (nihili enim moror aliquot trioboli homines) improbabilem duxerit, statim appellabis illorum sententiam, qui cum Sacramento contritionem necessariam esse dicunt, quam aliàs improbabilem esse dixi ; sto in decretis ; scilicet post Tridentinum, cujus decreta rerum statum mutarunt ; item eorum, qui docent, quempiam admisso peccato mortali, statim teneri, habita copia confessarii, expiare confessione peccatum, sed illud tantulum probabilitatis, quod olim habuit, etiamnum retinet, unde si non omnino improbabilis, longè tamen minùs probabilis, quàm opposita, censenda est ; idem de multis aliis dictum sit : sed de his abundè supra : unum tamen his advertas, velim, nimirum parum accuratam auctoris fidem, in citando Angelico auctore, ut jam supra satis indicavi. Antonini etiam mentem

jam

...ta indicavimus quod liceat sequi opinionem ...bilem, ubi magis sapientes non sentiunt in con... ...tam; scire averem, Pithanophile, ut ludum ludo ...stem, an quatuor, aut quinque illi, quos supra ...appellavit, quibus & se ipse conjungit, ut ejus... ...gloriæ fit particeps, *pag.* 109. tam multis itaque ...ssimis, nobilissimis, doctissimis, & peritissimis ...ibus doctiores & sapientiores censendi sint, ...rito facilè solvitur; quare ad aliam lectionem ...tionem convertamus.

35. Pithanoph. Rem hanc facile ac citò ex... ...ites, saltem ut auguror; quærit enim auctor, utrùm ...ubio tutior pars sit eligenda; quod sanè ita uni... ...vis accipi non debet, saltem meo judicio; sed ...dubio adhibenda, cum aliquando dubium ob... ...t, aliquando non obliget; deinde ut dubium ...ltos modis accipitur, nimirum propriè pro an... ...ntellectus, ita ut neutri parti adhæreat, ...rè adhærere non possit, quando scilicet nul... ...sensus motivum affulget, uni, vel alteri ex ...bus partibus præbendi; secundo impropriè, pro ...opinione, quæ cum formidine, seu dubitatio... ...scilicet saltim insit, conjuncta est; unde pro ...dubii ratione, quæstio diversimodè solven...

36. Antim. Rectè observas; atque ita in secun... ...gressu, diversas quæstiones de hoc argumen... ...verier quidem, accuratè tamen solvimus, quare ...ispectis facilè remitto; rem tamen omnem ad ...nunciata, seu placita, reducendam esse, puta...

37. Cum dubia conscientia nunquam licet opera... ...de dubio stricte sumpto, quod negativum vo... ...ve de formidine positiva intelligatur, quia ...entiam certam esse, oportet; huc quadrant tri... ...qui amat periculum peribit in eo, quisquis ex... ...de periculo peccandi proximo, peccat.

...Dubia lex non obligat; & hanc generalem regulâ ...Suarez supra laudatus asserit; ac proinde ne... ...queverit, esse probabile, immo longè probabi... ...supra dictum est; ac proinde juxta nostra, ea... ...communia principia, per judicium practicum ...dicat, si non peccare, licet dubiam legem ...ovet, huc revoca casum legis dubiæ; item vo... ...dubium, debitum dubium, ætatem dubiam ad ...dum, corpus delicti dubium, &c.

...is incertum certam obligationem non parit; ...incerta obligatio certam solutionem postulat; ...ndemum solutio certum debitum non extin...

...Malum præsens dubium, certum remedium exi... ...peccatum dubium, censura dubia absolu... ...postulat; alioquin, si forte malum sit, & ...adhibeatur remedium, effectum suum conse...

...Hinc maximum discrimen est inter dubium pec... ...& dubiam legem, hæc enim non obligat, secus ...illud, quia lex dubia, dato etiam quod verè lata ...dubium damnum afferat, etiam illi, à quo non serva... ...quia certò probabile est, legem dubiam non ob... ...ac proinde non peccare illum, à quo non serva... ...tamen peccatum dubium, dato quod revera ...damnum afferat.

...his ut fallor illa omnia facilè solvere possumus, ...circa hoc argumentum proponuntur, sed quia in ...undo congressu, hæc fusè discussimus, ne bis in id... ...libenter abstineo.

38. Pithanoph. Ex his etiam facilè solvi possunt ...quncula illa, quæ auctor pro sua sententia congessit; vult enim tutiorem partem semper eligendam in dubio; nimirum, in foro conscientiæ & coram Deo; illa autem, si quid probant, illud dumtaxat est, conscientiam certam esse debere, id est, periculum peccandi proximum fugiendum; nihil enim aliud D. Thom. *quodlib.* 8. *artic.* 15. *quod l.* 9. *artic.* 15. *quodlib.* 3. *artic.* 9. item Scotus 2. *q. Prolog. sentent.* item S. Antonin. 1. *part tit.* 3. *cap.* 10. idem prorsus de aliis auctoribus ab Auctore nostro laudatis dicendum est, nempe nullus illiorum negare ausit, stante judicio practico certo, proximum peccandi periculum abesse; hinc qui agit, cum dubio non agit; itaque, laudati auctores nihil aliud volunt, nisi judicium practicum certum, quod omne dubium, ac proinde omne periculum peccandi arceat; aliqui tamen ex iis, ut Sylvester, id tantùm volunt, ut in Sacramentis, judiciis, remediis, dubium relinquatur, certum teneatur, uti etiam in doctrina fidei.

39. Antim. Hoc ipsum in primo congressu indicavimus, & clarè ostendimus, omnia illius recentioris argumenta à nobis diluta, id tantùm evincere; nimirum, conscientiam certam esse debere, quod ultro fatemur.

60. Pithanoph. Primo loco sic probat suam sententiam; *omne quod non est ex fide*, id est, ex conscientia certa, seu judicio certo *peccatum est*, Rom. 14. hinc qui operatur in dubio, peccat; item *qui amat periculum, peribit in eo*, Eccl. 3. id totum concedimus: nam conscientiam certam esse volumus, quæ totum periculum arcet; sed inde non sequitur, legem dubiam, votum dubium, debitum dubium, possessionem dubiam obligare; nam cum hæc sit opinio certò probabilis, imò longè probabilior, *lex dubia non obligat*; certo judico, illius usum peccatum non esse: unum tamen ex te scire averem, cur hæc sit opinio certò probabilis, *lex dubia non obligat*, hæc autem probabilis non sit, *materia dubia sacramenti adhiberi potest*.

61. Antim. Discrimen in promptu est; quia usus opinionis certò probabilis semper habet effectum bonum; quisquis enim certò judicat, se non peccare, dum aliquid agit, revera non peccat; at verò cum certò judicare non possim fieri à me sacramentum, dum materiam dubiam adhibeo, usus illius opinionis, sine suo effectu erit; si fortè vera materia non sit, sed hæc aliàs ex professo; quare pergamus.

62. Pithanoph. Secundò sic probat, bonum publicum privato præferendum est, ergo in dubio, an bonum privatum libertatis prævaleat bono certæ observationis legum, hoc illi præferri debet, sed hoc argumentum nihil probat, nam utrumque privatum est; nimirum libertate mea uti, aut legem dubiam à me impleri, ut enim libertas, quoad omnes, bonum publicum est, item legis observatio, quoad omnes; ita libertas quoad me tantum, & legis observatio, quoad me tantùm, bonum privatum censetur; unde bonum privatum in hoc dubio, cum bono privato comparatur.

63. Antim. Immo citra ullam comparationem, dico esse opinionem probabilem, & quasi regulam communem, ut supra ex P. Suarez, quod lex dubia non obligat, tum quia sufficienter promulgata non censetur, tum quia incerta causa certum obligationis effectum producere nequit, juxta illa principia, quæ in secundo congressu jecimus, licitè igitur illa opinione uti possum, quia certò judico, certum esse.

64. Pithanoph. Tertiò probat per sactos Canones *cap. ad audientiam, de Homicidio. cap. significasti,*

vod.t it cap. Iuvenis, de sponsalibus, cap. si quis, de pœnitent. cap. illud, de cleric. excommun. in quibus tutiorem partem in dubio eligendam esse, declaratur; pro explicandis hujusmodi textibus, tua opera indigeo Antime.

65. Antim. Rem profectò difficilem non postulas, *cap. ad audientiam*, dicit Pontifex, quòd *in dubiis semitam tutiorem eligere debeamus. cap.* verò *significasti*, dicit, *tutius esse in hoc cessare, quam temere celebrare* Suarez autem prudentissimè observat, in his textibus, quæstionem non esse de dubio culpæ, sed de dubio Homicidii; ac proinde licèt una pars dicatur securior, seu tutior, & in altera, esse aliquid periculi, non est sermo de periculo culpæ, seu peccati, quia de hoc ipso non quærebatur, & nemo dubitabat, quin operari cum periculo culpæ, esset peccatum, sed de alio periculo, ne Homicida celebraret, vel ordinaretur; quod reverà esset contra decentiam ipsius rei, & Ecclesiæ intentionem; ita Suarez, qui rem hanc fusè, doctè & solidè, more suo, prosequitur *tom. de Censuris, disput. 40 sect. 6.* Unde prædicta jura non obligant, nisi in casibus, in illis expressis, ut diserte Navarr. *in dict. cap si quis, n.* 41. dicens, in dubiis tutiorem esse eligendam, vi præcepti, in casibus à jure expressis, igitur extra illos casus, non obligat, nec est præcepti, sed consilii, ut habet *num.* 34. citat etiam in hanc rem Suarez, Sylvestrum, Soto, &c. *cap.* item *Iuvenis*, agitur de dubio *matrimonii*, & dicit Pontifex, *quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*, ex quo separandos esse, decernit in tali dubio; difficilis quidem est hujus textus explicatio, & Interpretes diversas illius explicationes afferunt, ut observat Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap.* 10. *num.* 15. qui juxta Præpositi *in dict. cap.* interpretationem, sponsalia, quæ præcesserant, sufficientem habuisse certitudinem, ad inducendum impedimentum dirimens subsequentis matrimonii, unde non dicit Pontifex, tutius esse tenendum, *sed certius, cap si quis*, ex Navarri mente jam constat, ibi esse consilium, non præceptum, præter quem, Sanchez *num.* 9. citat Navarram, Sylvestr. D. Antonin. Angles, Floribus, Henriq. Suarez, &c. *ad cap. illud*, dicit Pontifex, *viam tutiorem in dubiis eligendam esse*; ibi autem agitur de dubio excommunicationis: Respondet autem Sanchez *dict. num.* 15. non præmissa diligentia, Episcopum illum temerè celebrasse, sed respondeo, in dubio, mali præsentis, v. g. excommunicationis, aut peccati, tutius tenendum esse, unde hic casus nobis favet, non adversatiis, ut patet ex regulis traditis supra; sed de his satis, ex quibus constat dictum illud *in dubiis tutius eligendum esse*; universè accipiendum non esse, sed tantum, quò ad casus expressos in jure, quo quibus singularis ratio militat; item quò ad illos, in quibus altera pars tuta non est, quam tamen tutam esse, oportet; Unde locum non habet, quotiescumque utraque pars tuta est, & certa, & nulla lex singularis ad tutius obligat.

66. Pithanoph. Quartò probat auctor, suam sententiam longa inductione, per varios casus, in quibus tutior pars est eligenda; primò in dubio, quò ad ea quæ sunt fidei, sed hæc frustra, quis enim nescit, fidem certam esse debere, ac teneri omnes, in dubiis fidei, Ecclesiæ sensui & judicio adhærere? secundò in dubio, circa materiam, aut formam Sacramentorum, sed jam supra dictum est, non esse tutum, nec probabile, saltem in praxi, adhibere materiam probabilem, citra casum necessitatis, unde cessat difficultas.

67. Antim. Cessat quidem difficultas, quò ad materiam remotam Sacramentorum, item, quò ad formam, non tamen æquè facilè cessat, circa materiam proximam, nec etiam circa jurisdictionem ministri, si enim minister de jurisdictione dubitet, an fortè crederes, eum licitè posse conficere Sacramentum, id est, absolvere pœnitentem, extra casum alicujus necessitatis?

Pithanoph. Noster auctor absolutè hoc negat & citat in hanc rem P. Suarez *tom. 4. 3. part. disp. 26. sect. 6.*

68. Antim. Ita est, debuisset tamen auctor distinguere dubium positivum, id est, opinionem probabilem cum formidine conjunctam, à dubio negativo, quo anceps animus assensum omnem sustinet; nempe stante dubio illo negativo, P. Suarez negati hoc licitum esse, secus tamen, si sit tantùm opinio probabilis, arduum enim, & præter consuetudinem timoratorum virorum esse videtur, omnes ad id obligare, hæc diserta sunt Suaris verba, unde fallitur, & imponit, dum dicit, negare Suarem, quod opinio probabilis de jurisdictione sufficiat, quod tamen non negat Suarez, sed proponit difficultatem initio, quam deinde ibidem solvit, & tandem concludit, opinionem probabilem de jurisdictione sufficere, ut dictum est, & infra iterum.

69. Pithanoph. Idem tamen urget argumentum, quia minister exponit se periculo nullum Sacramentum conficiendi, ut revera nullum fiet, si jurisdictione careat, qua certè carere potest, cùm sit tantùm probabile, illam adesse.

70. Antim. Respondet Suarez, Ecclesiam supplere, juxta *l. Barbarius*, & in omni casu, in quo minister, aut saltem pœnitens probabiliter credit, adesse jurisdictionem, & hic, aut ille, aut simul utergue bona fide agit, Ecclesia jurisdictionem conferre censetur, esset enim prorsus intolerabile, si certa jurisdictionis notitia requireretur, cum vix unquam hæc haberi possit.

71. Pithanoph. Restat tamen eadem difficultas, quia cum minimè certum sit Ecclesiam conferre jurisdictionem, in eo casu, sed tantùm probabile, ad hæc remanet dubia confectio Sacramenti, unde aliqui recurrunt ad absolutionem directam venialium, & indirectam mortalium; immo mortis casum excipiunt, ne pœnitens periculo damnationis exponatur.

72. Antim. Stante usu non dubitarem dicere certum esse, quod in dicto casu Ecclesia jurisdictionem conferat; certum, inquam, moraliter, alioquin maximus defectus sequeretur, & humanis legibus, melius consultum esset, quàm divinis, hæc autem dicta esse velim, de jurisdictione dubia, non verò de potestate ordinis dubia, quia scilicet Ecclesia supplere istam nequit, secus verò illam; item de cognitione vere ac certò probabili; si enim dubitarem de probabilitate jurisdictionis, dubitarem etiam de mente Ecclesiæ, quò ad jurisdictionem, in hoc casu conferendam.

73. Pithanop. At si confessarius dubitet, de dispositione pœnitentis; v. g. de illius contritione, esset in hoc casu materia proxima dubia, nec in eo quidquam Ecclesia supplere posset.

74. Antim. Confessarius non potest venire in cognitionem contritionis pœnitentis, nisi ex actibus, seu signis externis, ut patet, igitur posita confessione externa, solito ritu facta, quæ ab interiore contritione nata esse præsumitur, modò aliunde ex verbis pœnitentis, non comperiat, vel occasionem peccandi

tali proximam interesse, vel abesse firmum non peccandi propositum, sufficientem inde habet internæ emendationis notitiam.

76. Pithan. Transit deinde ad dubium de validitate matrimonii, pro quo libenter illi concedam, meritè dubium & ancipitem conjugem non posse petere, nec etiam reddere debitum, si alter conjugum id etiam dubius; si tamen sit tantùm formido aliqua de validitate, quamvis alioquin certò probabile sit, esse validum, uterque & petere, & reddere poterit; cum vix aliquis certus esse potest de interiore consensu alterius; igitur de hoc tantùm opinio est, magis, vel minùs probabilis; dixi vix, quia si nulla sit penitus ratio dubitandi, vel suspicandi de mala fide alterius, erit certus moraliter; & hæc præscindendo à jure positivo: nam satis scio Ecclesiam posse super hac re varia statuere, ac proinde illi parendum; sic *c. inquisitioni, de sent. excom.* reddere dubium conjugem jubet, ac petere vetat.

77. Antim. Hæc materia abundè ac fusè discutitur à P. Thom. Sanch. *lib. 2 de matrim. disp. 41.* ubi diversas opiniones exponit, & auctorum nubem, quos more addensat; quod ad me spectat, existimarem, salvo meliore judicio, si tale dubium sit, quod post adhibitam diligentiam, semper restet, dubitantem vel posse reddere simul & petere, aut certè si petere non possit, nec etiam reddere poterit; primam partem tenet Sanchez citatus, & probabiliorem reputat, & inde probat, quod durissimum alioquin esset, utrumque si bona fide contraxit, suborto deinde utrique dubio, quod deponi nequeat, celibem per totam vitam manere; altera verò pars sic probari potest, quia si reddit, æquè se exponit periculo fornicationis, atque si petat; si enim non habet jus petendi dicto dubio, vel utendi matrimonio, ne se exponat periculo fornicationis; certè non habet obligationem reddendi; cum in hoc usu æquè se exponat periculo fornicationis; nec dicas, nisi reddit, periculo injustitiæ sese exponit; ita respondet Autor, & excerpsit ex Thom. Sanch. sed facilè negatur, esse injustitiæ peccatum, ubi non est jus petendi, illudque certum; sed in hoc casu non est tale jus, nisi dubium; ac proinde non est obligatio certa, sed dubia; sed dubia obligatio, uti dubia lex non obligat; itaque si titulo obligationis dubiæ quæ respondet juri dubio alterius, teneor reddere, igitur titulo juris dubii, cui respondet obligatio dubia alterius, possum petere, exempli gratia, habes jus dubium repetendi à me 100. nummos, & ego obligationem dubiam restituendi; & vicissim habeo jus dubium repetendi à te 100. nummos, & tu obligationem dubiam restituendi; ego solus scio, utrumque titulum dubium esse, tu utrumque certum esse tenes; certè si obligatio dubia, qua teneor, me obstringit ad solvendum 100. jus etiam dubium, quod habeo, te obstringit ad solvendum centum, est eadem par utrimque ratio, si autem per obligationem dubiam teneris solvere, possum ego, jure meo, quod dubiæ obligationi respondet, repetere, igitur vel utrumque, vel neutrum, idque præscindendo à jure positivo, puta *c. inquisitioni*; hoc enim posito, certo judicare non potest dubius, quod licitè possit petere, non propter periculum fornicationis, sed propter legem Ecclesiæ. Sed hoc loco quæstionem istam pro dignitate discutere non possumus, nec debemus; quia dato etiam & non concesso, quod in dubio matrimonii tutior pars tenenda sit, non tamen inde sequitur, in aliis omnibus tenendam esse; est autem manifestum discrimen, quia in multis aliis, v. g. lege dubia, voto dubio, dominio dubio, certus sum, me non peccare: cum tamen in dubio matrimonii, non certus sim, me non fornicari; sed pergamus.

77. Pithan. Descendit ad dubium rei possessæ, quo stante, vult possidentem teneri ad restitutionem, etiam facta inquisitione; alioquin, inquit, exponit se periculo peccandi; nisi restituat; sed hoc facilè negatur; & est contra torrentem Doctorum; quos habes apud Sanch. citatum, item in Decalog. *lib. 2. cap 10. num. 9.* quia scilicet, in dubio melior est conditio possidentis; deinde daretur processus in infinitum: nam si Petrus dubitet de re aliqua, quam possidet, an sit sua, vel Pauli, & facta diligentia dubium deponere non potuerit, & teneatur illam restituere Paulo, hic potiori jure dubitabit, an sit sua, vel Petri, ac proinde Petro rem illam restituere tenebitur, atque ita in infinitum.

78. Antim. Rectè omninò; unde hujus auctoris sententiam, si non improbabilem, minus certè probabilem esse, necesse est, ac proinde juxta illius principia, alteri probabiliori postponendam; dixi improbabilem, quia id justitia postulat, alioquin injustum lex ipsa præscriberet, qua, stante dubio, possidentis melior conditio declaratur; unde miror, ab auctore isto tam improbabiles, aut certè tam parum probabiles opiniones adstrui, ut opiniones verè probabiles impugnet; sed quod mirabilius est, adstruit repugnantia: nam *pag. 218.* vult in dubio rei possessæ, possidentem teneri ad restituendum, ac proinde non valere communem illam regulam, melior est conditio possidentis, quam tamen admittit *pag. 229.* in dubio juris regni, vult enim sic dubitantem, ad restitutionem non teneri.

79. Pithanoph. Imò parùm consequenter statim loquitur, agens de dubio natalium, dicit enim, pro legitimo habere se posse: sed quæso te, ubi est pars tutior, ad quam nos teneri, toties pronunciasti; eodem enim argumento utor, quo paulò ante usus es; in dubio rei possessæ habendo se pro illegitimo, non peccat, contra verò, si se pro tali non habeat, exponit se periculo, ne vel ordinetur, cum defectu natalium, id est, cum irregularitate? aut beneficium obtineat sine titulo, vel hæreditatem alienam sine jure: sed inquis, in dubio, nemo condemnatur, & cum jura obscura sunt, Reo potiùs, quàm actori favendum est, ac demum apud DD. in dubio, id quod est honestius, præsumi debet, ita est, at quis nescit, cuncta hæc dici pro foro externo, cum tamen de foro conscientiæ hoc loco agatur: nec enim quæstio est, qualis ab aliis judicandus & reputandus sit, sed qualem se ipse reputare debeat, ut sit tutus, imò ut tutiorem partem sequatur.

80. Antim. Rectè ad hominem, nec etiam possidens in dubio à Judice spoliandus est, & multandus, unde si regula illa valet pro uno, etiam valet pro alio, consequenter igitur, ut optimè observasti, auctor non loquitur, nos verò juxta regulam certiorem nostram rectè dicimus, in dubio natalium, neminem censeri illegitimum, quia causa incerta certum effectum habere non potest, nec est, quod aliqui opponant irregularitatem certam ex homicidio incerto, quia lex certa est, *c. ad audientiam*, & *c. significasti*, quæ hanc irregularitatem homicidio dubio imponit, dubio, inquam, quoad personam cooperantem, vel ejus cooperationem, non verò quoad corpus delicti, quod certum esse debet, quando enim non constat, de ipsa homicidii substantia, nulla lex irregularitatem imponit; ac proinde homi-

cidium dubium in hoc sensu non parit irregularitatem.

81. PITHANOP. Ita prorsus, cùm enim hæc irregularitas in jure expressa non sit, nullo modo ponenda est, per *c. is qui, de sentent. excom. in 6.* sed redeo ad auctorem nostrum; in dubio, inquit, an subditus debeat obedire, tutior pars eligenda est, id est, obediendum, quod facilè admitto; quia certa est obligatio obediendi, in omnibus, in quibus peccatum esse non constat; at si tantùm dubium est, non constat; cum igitur causa non obediendi, sit tantùm peccatum dubium, & causa obediendi, præceptum certum; nemo neget, hoc ipsum anteponendum esse; imò in constitutionibus vestris, ni fallor, à sancta sede approbatis, hoc continetur, nimirum obediendum, in omnibus, quibus peccatum inesse, certò non cognoscitur.

82. ANTIM. In constitutionibus nostris *p. 3. cap. 1. §. 23.* & *in summario, n. 31.* in omnibus obediendum esse statuitur, in quibus *peccatum non cerneretur*, cerni autem est clarè & perspicuè videri, aut cognosci; quod etiam *p. 6 cap. 1. §. 1. lit. B.* in declaratione, ita explicatur, *in quibus nullum manifestum peccatum est.* Unde non crederem, opinionem probabilem esse, saltem in praxi tutam, in dicto dubio, posse quempiam detrectare superiorum imperia; nisi quis fortè per conscientiam erroneam, eamque inculpatam, certum putaret, id fieri posse; sed tunc perfectum dubium non esset, cum aliud judicium practicum præluceret. Hinc rejicies duos illos recentiores, quorum alter suà typis mandavit, qui docere videntur, subditum non posse absque peccato obedire, si probabiliter judicet, obediendum non esse; cum hæc sententia citra conscientiam erroneam repugnantia involvat; si enim tantùm dubium est, certum est, obediendum esse; ergo non est probabile, minimè obtemperandum, si verò per errorem, certum quis putat, peccatum inesse, tunc certum est, non verò probabile non esse obediendum; sed descende ad alia.

83. PITHAN. Transit ad dubium de observando præcepto Ecclesiæ, v. g. jejunii, & ad dubium voti, ac dicit, in his etiam tutiorem partem tenendam esse, id est, jejunandum, & votum implendum; & quod mireris, omnes auctores ita sentire, asserit post Comitolum; sed profectò Sanch. Layman, Castro, Palao, Soto, Suarez, Lopez, Bartholom. Medina, Busembaum, quos citasti in secundo congressu, ad hunc finem, quibus addit Sanch. Henriq. Graffis, Rebell. Gloss. Capua, Manuël, & alii communiter ita profectò non sentiunt; & verò juxta tuam regulam, causa incerta certum effectum non postulat; nec in his ulla est prorsus difficultas; negari enim non potest, quin sit saltem opinio probabilis, quod præceptum jejunii non obliget, ante annum 21. certum; sed dictus annus non certus, sed dubius supponitur; igitur præceptum illud non obligat, in dicto dubio.

84. ANTIM. Saltem non potest negari præceptum, quoad hoc, certum non esse; igitur dubium, sed lex dubia non obligat, ut jam sæpè diximus; si tamen sit certum votum, & dubium solùm restet, an impletum fuerit, in hoc casu, obligat votum; sed jam de his in secundo congressu: si demum præceptum sit, v. g. jejunii, recitationis divini Officii, audiendi Missam, &c. sed dubitetur, an quis teneatur in talibus aut talibus circumstantiis morbi, laboris, incommodi gravis, in hoc, usui standum est, vel consulendi periti, v. g. Medicus si de morbo, prudens & doctus Confessarius, si de labore sufficienti ad exemptionem dubitetur; imò si is, qui dubitat, sit prudens, peritus, doctus, dubium facilè solvet, discussisque utrimque rationibus, iisque ponderatis, quid statuendum sit, facilè definiet.

85. PITHANOPH. Transit ad causam dubiam ab Advocato defendendam, item à Judice judicandam; sed de his abundè in primo congressu actum est: nempe si Advocatus certum jus partis oppositæ agnoscat, vel certò probabilius, ita ut de majore probabilitate nullum sit dubium, causam defendere non debet, sed monere clientem suum, ut lite desistat; pro quo, hæc esto regula, nulla causa ab Advocato licitè defendi potest, qua certò sciat, fore, ut cliens prædictus cadat; unde si vel probabiliter credat, fieri posse, propter varia jura, variasque legum interpretationes, ut Judex causam illam dicto clienti justè adjudicet, haud dubiè licitè defendendam suscipere poterit, quod verò ad Judicem spectat, iis placitis standum esse puto, quæ in primo & secundo congressu firmasti.

86. ANTIM. Nihil ferè habeo, quod jam decretis addam; in criminalibus, ut vocant, debet constare de corpore delicti: item de Reo, ita ut de illo nullum rationabile dubium restet, ad hoc ut Judex licitè Reum damnet; si enim probabile est, insontem esse, nullo modo is damnari potest; in civilibus, si jura sint paria, adjudicet causam possidenti, & potiori jure, si possidens potiore jure gaudet; si nullus possidet, & jura sunt æqualia, suam utrique partem, integram verò causam alteri parti, si jure probabiliore pollet; si verò una pars possidet, & pro alia jus probabilius facit, nisi alicujus momenti sit hic juris excessus, facilè compensatur à jure possessionis; quare in hoc casu, perinde res se habet, atque si jura æqualia essent, citra ullam possessionem; quare illi dumtaxat parti causam Judex adjudicet, quæ vel jus æquale cum possessione conjungit, vel citra possessionem, jure notabiliter, ut ajunt, probabiliore pollet, his stantibus, tutam & justam sententiam Judex feret; vix autem crederem opinionem probabilem, esse tutam in praxi, quod alio modo, ad nutum judicare possit; sed descendamus ad alia, quia in his, auctore isto quasi strictiores ac severiores sumus; & maximè in votis esset Theologiam moralem in hac parte restaurari, quod revera caput maximi est momenti; quàm multi enim sunt inter judices, qui sibi arrogant potestatem, qua tamen eos non valere, certissimum est, de omnibus ad nutum judicandi, gratificandi amicis, ac de inimicis vindictam sumendi; sed hæc mitto, quæ si à me, ut par esset, exaggerarentur, in vastum volumen abirent, dicam iterum, si quid aliud in Christiana rep. emendationem ac restaurationem postulat, id sanè maximè, quod ad judicia pertinet; & verò si privata injustitia grave peccatum est, longè gravius publica censenda est; at sustineo, ne quid forte acriùs excidat: filii hominum recta judicia judicate, Deo & Justitiæ, non verò humanis cupiditatibus servite; supremum timete Judicem, cujus in terris vicem geritis, & quæso dedisce pernicioſam & diabolicam illam legem, si fortè illam unquam didicistis, ac vobis persuasistis, mortalium bona, honorem, famam, vitam, à nutu & arbitrio vestro pendere; sed indica, amabo te, quid sequatur, ut me contineam.

87. PITHANOPH. Oportunè satis, dubium belli sequitur, in quo etiam te satis severum ac rigidum præbes: nam vel agitur de inferendo bello, vel de repellendo si primum, cum supremus Princeps superiorem judicem in temporalibus non agnoscat, ipse

probibitestis, judex & actor est; unde cum Judicis
ntiam sustineat, quemadmodum Judex, causam
alterius possessione destitutæ adjudicare non de-
et, nisi jure notabiliter probabiliore gaudeat; ita
inceps alteri bellum movere non debet, ad ali-
jus ditionem recuperandam, nisi jus, quod habet
ilem, sit longè probabilius, & quasi moraliter
rtum; imò cum bellum tantam vim malorum
ndo afferat, quo fiat, ut inter flagella Dei, cum
ilem & fame recenseatur, antequam bellum Prin-
ps moveat, rationes suas, jura sua, primò quidem
versæ parti, tum deinde toti orbi Christiano ex-
onet; ut vel inde constet, si hæc nihil juvent, ad
ellum, tanquam ad extremum & necessarium re-
rsum ventum esse; deinde procurare tenetur
ncipes, ut bellum sit, non latrocinium, & virtu-
rum omnium carnificina; contineantur milites in
ficio, & nihil stragis, direptionis, & incendii mis-
ceatur, nisi quod ad finem illum justum obtinen-
um necessarium sit; non dubito, quin auctor cun-
a hæc admittat.

88. Antim. Admittet haud dubiè; nescio tamen
mnibus, quæ mox dicam, æquè facilè admissu-
us; nimirum, si de bello repellendo agatur: nem-
pe is, qui bellum repellit, æquali jure valeat, &
ssideat, cedere non tenetur, sed justè bellum re-
llere; si tamen alterius partis jura longè probabi-
iora esse, comperiat, aut si rem ipse non capit, à piis
ibus, peritis, & neutrius partis hominibus intelli-
at, bellum licitè repellere non potest; si autem tan-
m probabiliora, non tenetur quidem totum cede-
e, quia cuncta sunt paria, partem tamen cedere re-
ne uno verbo, illud ipsum præstare debet, quod
ditor Judex, si revera esset; unde licèt aliquod
ium remaneat, aut rationi difficile cedat, tene-
ur tamen cedere, quod negare videtur auctor:
unquam meo judicio hæc certissima est regula;
d bellum utrimquè justum materialiter esse ne-
o, ut patet; item vix etiam formaliter; nempe si
um inferentis jura longè probabiliora esse de-
at bellum justum sit, ex parte illius: item cum
nte quam bellum inferatur, exponenda sint, &
manda, fieri moraliter non potest, quin ab alio
mpe intelligantur, si, uti par est, causam doctis,
peritis acriminè præoccupatis hominibus dis-
endam committat: sed quid tandem de medico
adhibio medicamento.

89. Pithanoph. Neque in hoc ab eo dissenti-
, nam revera Medicus probabile medicamen-
m adhibere non potest, quando certum & indubi-
um suppetit; & si nullum certum suppetat, proba-
e apponere poterit; quia satius est, probabile,
am nullum adhibere; quamdiu ægri desperata sa-
tio est, creperum & dubium medicamentum li-
et non adhibetur, si nullum aliud adhiberi potest,
si dubium sit, an mortem accelerare debeat, ægri
ntensus desideratus; sic aliqui secantur, ad calcu-
m extractionem; quibusdam crus aut brachium scin-
itur, ne gangrena ulterius serpat: itaque Medicus
rsus semper eligat, ad quod revera tenetur, si non
mpritia, saltem ex charitate.

90. Antim. Ex his porrò intentum auctor non
ndicat; nimirum tutius semper tenendum esse; nem-
pe ex particulari malè concluditur; & præmissa in-
ducto in multis fefellit, sit porro hæc regula, tutius
tenendum est, quotiescumque oppositum non est tu-
tum, unde in medico, Advocato, Judice, bello, mi-
nistro Sacramentorum, tutior pars eligenda est, quia
oppositum non est tutum, id est, non est certò probabi-
lius; at verò in aliis, cum sit certò probabilis, est tuta,
ac proinde semper tutum eligitur, nec tutius obligat,
ut satis abundè dictum est.

91. Pithan. Ideò in dubio, an quis solverit debi-
tum, Horas recitarit, jejunus sit, ætatem legitimam
ad sacros Ordines attigerit, absolutus sit à peccato,
vel censura, &c. debet solvere debitum, Horas,
recitare, abstinere à celebranda Missa, & ab Or-
dinibus suscipiendis, procurare absolutionem;
quia tutior pars eligenda est; sed si hæc ratio facit,
pro his casibus, cur non præ cæteris omnibus?

92. Antim. Quia certum debitum per dubiam
solutionem non extinguitur; nec certum præcep-
tum servatur, per id quod dubiam præcepti obser-
vationem remittit; præceptum certum est, ut Missam
tantùm jejunus celebret dubito, an sim jejunus, cele-
bro Missam, dubito igitur, an præceptum servem;
pari modo, præceptum certum est, ne quis ante
25. annum cœptum ad Presbyteratus ordinem pro-
moveatur; dubito, an attigerim, ad dictum ordinem
promoveor; dubito igitur, an præceptum servem;
dubia igitur præcepti observatio, quæ tamen certa
esse debet; item certus sum de peccato admisso, &
de censura contracta; dubito, an fuerim absolu-
tus, certam igitur absolutionem procurare debeo;
non tamen ut dicis, quia tutior pars eligenda est,
quia hæc ratio non valet; quando opposita tuta est,
ad illam enim nemo tenetur, sed quia revera in his
casibus, opposita tuta non est, nempe dubia solu-
tio vel observatio, vel absolutio, certam obligatio-
nem non tollit, juxta regulas supra traditas. Non e-
rat igitur, quod auctor axioma illud à possessione pe-
titum, adeo sollicitè impugnaret; licèt enim aliqui
eo utantur in præmissis casibus, idque optimè, suo
modo, quia tamen citra figuratam illam loquutio-
nem, & impropriam, qua lex, votum, excommunica-
tio, possidere, aut non possidere dicitur; per regulas
supra memoratas, citra ullam figuratam loquutio-
nem, in proprio verborum sensu, cuncta hæc com-
modè & facilè à nobis explicantur, frustra in hoc
laboravit auctor; ut enim solidè aliqua sententia
impugnetur, profecto non satis est, si unus tantùm
modus utcumque refellatur, quo illam pauci aliqui
defendunt, sed ita impugnanda est, ut nullo modo
defendi possit: item non satis est, ut doctrinam pro-
babilitatis impugnet: si vel unum dictum, quod Ca-
ramuëli, vel Dianæ, vel cuipiam alteri excidit, refel-
lat, aut aliquam opinionem, quæ certò probabilis non
sit, sed ad caput rei & controversiæ veniendum est,
& directè probandum, opinionis certò probabilis u-
sum certum, licitum, tutum non esse, uti omnes Pro-
babilistæ, saltem alicujus nominis, constantissimè
asserunt, & suo loco, ni fallor, demonstravimus, ubi
etiam demonstravi, doctrinam nostram probabilita-
tis, non modò probabiliorem esse opposita, verùm
etiam probabiliter certam, idem dico de doctrina
præmissa, circa dubium facti & juris; nullus enim
Vasquez, & Azor, vel Salas inficias eat, quin licita
sit operatio, quæ ex certa regula, nimirum certa con-
scientia procedit; cum autem hujusmodi opiniones
circa dubium sint ad minùs certò probabiles, v. g. lex
dubia non obligat, nec votum dubium, nec debitum
dubium, &c. certum judicium practicum de lici-
to illorum usu ex iis sequitur; ac proinde nunquam
cum dubio iis utimur; nullus inquam Vasquez id
neget, unde modò una pars tuta sit, ad tutiorem ne-
mo tenetur; corruit igitur unicum Adversarii fun-
damentum; sed vide, quæso, quid refellendum re-
stet hujus auctoris.

93. Pi-

93. PITHANOP. Addit multa satis ambigua, circa libertatem & possessionem ex Comitolo, quæ tamen etiam repugnantia involvere mihi videntur; dicit, hoc axioma, in dubio melior est conditio possidentis, non valere etiam in materia justitiæ commutativæ, nisi quando quis possidet bona fide; quia, inquit, bona fides omnem dubitationem tollit: nam ubi est dubitatio, ne fides quidem esse potest, ne dum bona; igitur neque etiam valet hoc axioma, in hoc casu, in quo scilicet nullum est dubium; deinde qui possidetur à Deo, liber est, inquit à peccato, qui possidet seipsum liber est à Justitia; ambiguam profectò loquutionem, Jansenistis maximè familiarem; sed revera de illa libertate hoc loco non agitur, sed dicimus, homini hoc, vel illud esse liberum, si lege non prohibeatur; lex enim hominem ligat, vel obligat; ita ut actionem illam licitè admittere non possit, quæ lege vetita est; cum autem certum sit, homini liberum esse quidpiam lege non vetitum, & hoc est, quod aliqui vocant, possessionem stare pro libertate, certè per legem dubiam, homo certa libertatis possessione non excidit, id est, ut propriè loquar, dubia lex, dubia causa, certam obligationem, certum effectum minimè producit; nisi fortè auctor ad ridiculam illam opinionem recurrat de rana vaga, qua certus effectus causæ vagæ attribuitur; auctor demum minimè tolerandus esse videtur, in eo, quod dicit *pag.* 243. judicium speculativum non differre à practico, nisi quatenus practicum ordinatur ad opus, quod certè in hac materia falsissimum est; cum unum differat ab alio ratione objecti, ut dicere potuit auctor ex iis quæ in primo congressu disputavimus; sed in hunc scopulum, cùm aliis ferè omnibus suarum partium impingere voluit; objectum judicii speculativi est opinio ipsa objectiva, vel ejus probabilitas; objectum verò judicii practici est usus dictæ opinionis; sed hæc jam supra, quasi ad nauseam; iterum adducit *c. Iuvenis*, de quo supra, sed tu illud obiter quidem, solidè tamen ex doctrina à Sanchez tradita evplanasti: denique breviter indicat discrimen inter Matrimonium & alia Sacramenta, cur scilicet, v. g. in dubio, Ecclesia ordinatum, aut baptizatum non præsumat, secus in matrimonio, quia, inquit, alia Sacramenta sine periculo iterantur; secus verò matrimonium, sed quid tu de his?

94. ANTIM. Hanc doctrinam accepit ex Gloss. *in c. Presbyteris, d.* 68. quæ mihi certè usquequaque non placet; quia etiam matrimonium iterari potest, v. g. renovari consensus; vel si sit dubium, de impedimento, Ecclesia facilè dispensare potest: nec dicas novum consensum necessarium esse, quem fortè conjugum alter præbere nollet, quasi verò in nova ordinatione, novus ordinati consensus etiam non desideretur; & ut Ecclesia in dubio, conjuges illos liberos dimittere nequit, cùm certè ad alias nuptias convolare non possint; ita etiam ordinatum in dubio, liberum non relinquit, ut possit v. g. uxorem ducere; imò in foro conscientiæ, in dubio matrimonii, conjuges fortè nec petere, nec reddere possunt, dico fortè propter varias opiniones super hac quæstione ab auctoribus traditas: dicerem itaque, disparem esse rationem, quia Ecclesia supplere potest defectum in matrimonio, modo consensus renovetur, vel ut aliqui volunt, idem, qui prius positus est, virtute & habitu permaneat, nimirum revalidando; cum tamen in aliis Sacramentis defectum supplere nequeat. Unde falsum est, quod habet auctor, doctrinam illam traditam, *c. ad audientiam, c. significasti, &c.* quod scilicet in dubio homicidii censendus sit irregularis, ad alios casus diversos ab homicidio, per jus Canonicum traduci; nullus enim alius Canon proferri potest, quo in alio dubio irregularis censendus sit, *c. Iuvenis*, non est in casu dubio, sed cum certo impedimento derimente, *c. Presbyteri*, est circa Sacramentum, quod revera certum esse debet, non dubium, ut nemo negat, cuncta hæc ultrò concedimus, sed nihil inde contra nostram doctrinam; tenemus enim tutum & certum, incertum & dubium dimittimus; dubium, inquam, & incertum, non veritatis objecti, quæ incerta est, sed rectitudinis operationis, quæ certa: denique ut fatetur auctor, partem probabiliorem esse tutam, ac proinde oppositam tutiorem esse consilii, non præcepti; ita prorsus cum opinio certò probabilis sit tuta, oppositam tutiorem, non præcepti, sed consilii esse, necesse est.

95. PITHANOPH. Omnem porrò falsitatem superat, quod habet *pag.* 246. stante scilicet lege dubia, si altera pars tutior est, inde legem sufficienter promulgatam, & propositam censeri; quasi verò non sit tutius, saltem materialiter, quamlibet legem dubiam observare, quàm non observare; inde igitur non sequitur, sufficienter promulgatam esse, quod altera pars sit tutior, quia hoc omni legi dubiæ competit: quod autem dubium manet, an sit, sufficienter promulgatum, aut propositum dici nequit; si enim dubium est, an sit, potiori jure dubium erit, an propositum sit, nec obstat, quod lex, de qua dubitatur, an justa sit, obliget, quia de lege illa certum est, quod sit; igitur certum, quod obliget; quia quod justa sit, certum esse non debet, sed tantùm probabile; ac proinde dubium restare potest de injustitia: cum Princeps legum suarum justitiam subditis suis demonstrare non teneatur: constat etiam, futile esse, dubium, an sit lex, ad dubium facti revocandum; est enim mera quæstio de nomine, non faciens ad rem; quia sive sit dubium facti, sive juris, lex dubia non obligat; quamquam ut ignorantia legis, ignorantia juris rectè appellatur; ita dubium legis, dubium juris, non verò facti rectè dicitur: quod demum dicit, transgressionem legis dubiæ esse malum privatum transgredientis; quia cum peccandi periculo conjuncta est; & malum publicum Reip. eadem facilitate negatur, qua asseritur; imò auctor petit principium; de hoc enim quæritur, an lex dubia obliget, id est, an legis dubiæ transgressio peccandi periculum secum afferat; ille asserit, nos verò negamus; unde thesis pro ratione adduci non debuit. Scire autem velim, quid sentias de illo D. Antonini loco, *summ. 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10.* eligere tutiorem consilii esse, non præcepti, quod certè auctor intelligendum esse, dicit de certis, ac tutis, v. g. de religioso & sæculari statu, non verò de opinionibus probabilibus; aliquid porrò simile, ni valde fallor in Wendrockio legisse memini.

96. ANTIM. Legisti haud dubiè *pag.* 107. hinc vel hoc nomine à P. Stephano Dechamps castigatus est, qui sancti Archiepiscopi fideliter hæc verba exscripsit: *Cum ergo in aliqua materia morali, sunt variæ & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, cum posset illa opinio esse falsa*; hæc est auctoris & Wendrochii sententia: *Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat, esse mortale, permanente dubitatione*, stricte nimirum, & propriè sumpta, *quatenus non declinat potius ad unam partem, quàm ad aliam, mortaliter peccat, sed*

...ibiliter quis leviter, sicut dubitat, seu formidat, ha-...nionem de aliquo, quia tuta inharet ipsi sententiæ, ...tamen formidet de opposito, sic agendo contra tale ...non peccat; quia tales non operatur in dubio mor-...sed secundùm opinionem probabilem. Fallitur igi-...auctor, cum Wendrockro, qui sanctum ...nium de opinionibus moralibus contrariis ...negarunt, de quibus tamen disertè loquitur, ...allius verbis perspicuum sit; & hîc fidem utriusque desideraſſem; quid porro de hoc argumento ...?

97. Pitanoph. Unum restat, quod non possum ...coquere; vulenim prædictus auctor quod cum ...error communis etiam cum titulo colorato, v. ...Presbyter irregularis, sed occultus, obtineat ...chiam, vel ad Confessiones excipiendas ap-...retur, & exponatur ab Ordinario, Ecclesia non ...ceat illi jurisdictionem, nec valeat *lex Barbarius, ...Prætoris*, nec absolutiones ab illo Sacerdo-...æ sint ullius momenti; quamvis confessiones ...entium validæ sint & non iterandæ, quam-...manentin bona fide; nunquid hæc repugnan-...non sunt? & quomodo absolutio irrita, si confes-...valida? & vicissim.

98. Antim. Miror sanè, ab auctore isto doceri, *Barbarius*, ad jurisdictionem Ecclesiasticam tradu-...dam non esse, cum innumeri ferè auctores, Ca-...nistæ, Summistæ, ac Theologi, imò ferè omnes ne-...em alicujus nominis excipio, quorum censum ...e longum habes apud Sanch. *de matrimonio lib.* 3. ...22. ubi d. *Barbarius*, fusè per totas 27. paginas, ...4 columnas, & doctè more suo, discutit, & ca-...m absolutionis expressum habet; stante sci-...communi errore, cum titulo colorato, qui si ab-...communis error non suffragatur, licèt pauci se-...entiant, nec oppositum Sanchez probabile esse ..., *num.* 49. legem illam ab Ecclesia admitti, & ...casu jurisdictionem Sacerdoti conferri; di-...amplius, *d. legem Barbarius*, vel ad ipsam ele-...em Romani Pontificis applicari à Cardinali ...mono, *lib.* 3. *de fide, num.* 143. itaut, etiam si ele-...aliquo modo defectu occulto laborarit, tota ...ia illum suppleat, & disertè asserit, *leg. Barba-...* esse considerandam, tanquam constitutio-...arbitrariam, sed tanquam interpretationem ...naturalis, quo etiam ratiocinio usus sum in ...sione mea Coyngiana: Denique, præter ...orum nubem, quos addensavit P. Sanchez, re-...mmes recentiores, classicos intelligo, & ali-...nomins, in eandem sententiam iverunt, qua-...ere non dubitem, auctoris sententiam in hoc ...bilem non esse: rectè autem monuisti, ab eo ...gnantia involvi; si enim absolutio valida non ..., igitur nec confessio; & si moriatur pœnitens ...tatu, necalterius Confessarii sit copia, nec ante ...rem actum contritionis eliciat, quem difficilli-...m esse, Sanchez testatur in terminis, *lib.* 1. *in De-...cap.* 9. *num.* 34. haud dubiè damnabitur; illius ...confessio valida non fuit; nec est quod auctor ...rpidè asserat, inde sequi damnum privatum & ...blicum, nimirum peccatum, & laxius vitæ genus, ...od vergit in damnum Reip. Christianæ; quia ut ...entes dictum est, semper auctor petit princi-...um, & thesim adducit pro ratione; negamus e-...m peccatum esse, aut peccandi periculum proxi-...um, in usu opinionis certò probabilis. Negamus ...de, plus æquo laxari conscientiam; imò dicimus, ...non modico Christianæ Reip. damno, ne dicam ...andalo esse hujusmodi reformatores, qui Chri-

stianorum animas & conscientias exaggerationibus suis imprudentissimè, ut mitissimè loquar, perturbarunt: si enim aliquid in hoc genere restaurandum esse videtur, dicant Ecclesiæ; si aliqua opinio probabilis esse non videtur, & tuta in praxi, impugnent illam Christiano more, oppositis argumentis, non convitiis, rationibus, non calumniis; vel potiùs deferant ad tribunal illud, in quo de doctrina fidei & morum judicatur; hortentur omnes ad perfectius, ad melius, ad tutius; sed ne imponant quæso aliis jugum importabile, quod fortè ipsi digito movere nolint, sed pergamus.

99. Pithan. Restat ultima lectio, in qua auctor nobis consensit: nimirum, quod homo illiteratus sequi possit licitè, in materia morum, vel conscientiæ alicujus Magistri, seu Doctoris sententiam; modò scilicet ea sit hominis opinio, saltem apud vulgus, qualem docti, periti, pliique homines habere solent.

100. Antim. In hoc etiam sibi contradicit; ponamus enim aliquem illiteratum, dubium, utrum vigesimum primum ætatis annum attigerit, ex aliquo Doctore satis magnæ opinionis, sed Probabilista, ut cum auctore loquar, quærere, an jejunii lege teneatur, qui statim respondeat, non teneri; quia scilicet lex dubia non obligat, ex quocumque tandem principio id deducat, sive nostro, sive alio communi, in titulo possessionis fundato; ponamus etiam ex eodem ultra quærere, an sit certum, præceptum dubium non obligare, neutiquam certum esse dicet, sed tantum probabile; his positis, nemo neget, illiteratum illum, quamvis alioquin literarum expertem clarissimè perspicere, tutius esse jejunare, quam non jejunare, id est, servare legem, quàm non servare; igitur quo jure Doctor ille tenetur sequi tutius, in probabilibus, eodem hic tenetur; imò longè potiori jure, quia vim certæ probabilitatis & conscientiæ certæ, quæ ex ea sequitur, longè minùs perspicit.

101. Pithanop. Adderem ergò, illiteratum illum verbis sui Doctoris non jam divinam, sed humanam prorsus fidem habere, ut constat; igitur si ab aliquo interrogetur, utrùm certus sit, respondebit illico, se minimè certum esse: & si rursum ex eo quæratur, utrùm certius sit ex duobus, nimirum jejunare, aut stare dictis illius Doctoris, respondebit haud dubiè, tutius esse, jejunare; si ergo Doctor ipse tenetur tutius sequi, ex principiis hujus auctoris, quia videt, tutius esse, oppositum verò dubium & incertum, pari jure, tenetur illiteratus, qui etiam tutius esse cognoscit; sed his omissis, veniamus ad alia, quæ sunt majoris momenti, à *pag.* 263. *ad* 267. habet aliqua quæ falsissima esse reputantur: 1. nullam inculpatam ignorantiam, etiam invincibilem, agnoscere videtur, nisi in dubiis, quia, inquit, in aliis non excusatur à peccato, etiamsi laboret ignorantia invincibili, stetque dictis Magistri, Confessarii, Doctoris; nec eum inquit, propria simplicitas & ruditas tutum reddit.

102. Antim. Haud dubiè resista majoris momenti est, de qua jam actum est in secundo congressu; quia non jam probabilem sententiam, sed ad minus conclusionem Theologicam esse duco, quod quævis ignorantia invincibilis, sive in dubiis, sive in certis, sive in facto, sive in jure, peccato eximat, modo sit verè invincibilis, non crassa, non affectata, non voluntaria, non cum pravo ad malum affectu conjuncta: nam de fide est, neminem peccare, qui à necessitate liber non sit, ut definivit Ecclesia in tertiæ propo-

propositionis Jansenii censura & damnatione; sed ignorantia invincibilis cum necessitate conjuncta est, igitur ignorantia invincibilis peccato eximit; hæc ultra non prosequor, quæ hujus instituti non sunt; unum addo, hoc certè unum esse ex præcipuis Calvinistarum & Novatorum dogmatis; viderint ii, qui Hæreticis illis in hoc saltem suffragantur; nec adstipulatur Adrianus, quando dicit, per ignorantiam juris neminem excusari; quia non loquitur de ignorantia invincibili, ut constat ex iis, quæ sequuntur; vult enim per ignorantiam invincibilem excusari simpliciores, si ea nesciant, quæ ex Decalogo deducuntur: Decalogi autem ignorantiam invincibilem, cum multis aliis esse non putat, de quo in præsenti non est quæstio; imò ex hoc eodem Adriani loco, ab auctore citato convinci posset, nempe dicit Adrianus, illiteratum illum, qui consilium pro parte periculosa sequitur, ac sese vero periculo exponit, non tamen in eo peccare, quod sese periculo exponat, sed in eo, quod legem violat, quia, inquit, ignorantia juris neminem excusat; sic autem insto, vel sese exponit periculo, quod ignorat ignorantia invincibili, vel non invincibili; si hoc secundum dicas, igitur in eo peccat, quod sese exponit, quia intrinsecè malum est, si verò primum, igitur datur ignorantia invincibilis eorum, quæ sunt juris divini ac Decalogi, eaque peccato eximit; quid reponi possit, non video, nisi nobiscum dicant Adversarii, omnem ignorantiam invincibilem esse inculpatam.

103. Pithan. Hoc argumentum integram tractationem desideraret, sed hoc munere jam alii pro dignitate defuncti fuerunt; unum tantùm addo, cujus occasionem mihi porrigit, si enim illiteratus ideo ignorantia invincibili laborat, in dubiis, quia nescit discernere probabilitates opinionum; eadem etiam vir doctus laborabit, quia nescit discernere veritatem opinionum, in dubiis enim & tantùm probabilibus veritas discerni non potest; igitur, quo ad hoc, laborat ignorantia invincibili, quæ pariter illum eximit culpæ, si fortè opinionem falsam sequatur; sicuti eximit illiteratum, si fortè opinionem improbabilem à malo Doctore illi suggestam, sequatur: est enim par utrimque ratio, unde fortè aliqui ultimum opinionis probabilis fundamentum in ipsa ignorantia invincibili statuerunt.

104. Antim. Appositè, haud dubiè adnotas; aliud tamen illudque nobilius principium, seu fundamentum statuimus, certam scilicet probabilitatem, ex qua deinde certus illius usus, ac certum circa illum judicium practicum necessariò consequitur; malè igitur auctor asseruit, eum qui laborat ignorantia invincibili, præterquam in dubiis, culpæ non eximi, quam sententiam aliqua nota dignam reputamus, sed perge.

150. Pithanop. Absre meo judicio Busembaum fugillat & carpit, eo quod Bonacinam adducat, in gratiam illorum, qui non unum modò, verùm etiam plures Doctores consulunt; quia, inquit, Bonacina docet, eos à peccato excusari, dummodò rectam habeant intentionem id faciendi, quod licitè fieri possit: quasi verò Busembaum secus sentiat, aut Navarrus, quem auctor adduxit, in alio sensu loquatur; nunquid amabò hoc non est nodum quærere in scirpo, sed mirare, quod habet *pag. 266.* Doctorem scilicet illum, quem in re morali, illiterati, aliique minùs periti consulere debent, non quemlibet esse debere, etiam doctum, sed Doctorem Theologiæ institutum, & deputatum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis ad hoc munus. Doctor igitur Angelicus in re morali consuli non posset, nec Doctor subtilis, multò minùs recentiores, Suarez, Vasquez, Molina, Lugo, Bellarminus, Toletus, &c. quia deputati non erant in Cathedralibus, vel Collegiatis; nec etiam Navarrus, aut quispiam alius Sacrorum Canonum peritus, qui non sit Doctor Theologiæ, tu ipse, Antime, quem miselli saltem aliqui de rebus moralibus patienter audiunt, consuli ultra non poteris, rem fortè tibi gratam, quia te à multa molestia eximet.

106. Antim. Hæc quidem per jocum, imò illa per jocum dicta esse, mihi facilè persuadeo; nec Dionysii & Doctoris Angelici loca, id quod adstruit auctor, probare videntur, sed tantùm minùs doctos à doctioribus doceri & erudiri; quod pertinet ad res fidei ac certa morum placita, ab Ecclesia, id est, à Romano Pontifice, qui totius Ecclesiæ caput est omnibus Christi fidelibus proponuntur, in provinciis, per Episcopos & horum jussu, per Parochos, seu divini verbi Præcones; quod verò attinet ad alia, doctos, peritos, pios, prudentes homines minùs docti consulunt, licèt ii non sint in Cathedralibus deputati; qualis esse debeat probus consultor, in primo congressu, abundè dixi, neque hic repetere vacat, illud præsertim cæteris inculcare non cesso, maximum delectum in hoc habendum, & suspectos homines fugiendos, quorum numerum hac tempestate maximum esse, constat, ac præsertim reformatores quosdam de præsenti Ecclesiæ usu malè sentientes, nec non incredibili factionis studio agitatos, quid enim ab eo boni consilii haberes, qui rejectis melioribus consiliis pessima amplexus est? sed expectamus breviter rem istam.

167. Pithanoph. Primò sic probat: Homo illiteratus tenetur credere suo Parocho, etiam falsam doctrinam proponenti, pro quo citat cum aliis Tolet. *lib. 4. cap. 3.* ergo tenetur sequi opinionem Magistri vel Doctoris, quod deinde confirmat ex *c. per tuos. 2. de simon.*

108. Antim. Non dicit Tolet. teneri rusticum credere Parocho, sed Episcopo, quod certè aliqua observatione dignum est: hoc enim, saltem ut plurimum, & in multis locis, Parochorum captum superat, ut scilicet dogmata fidei & novas decisiones populo proponant, exponant, &c. Non nego, aliquos esse, qui eo munere pro dignitate defungi possint, præsertim in celebrioribus civitatibus; quod tamen multi sint ad id muneris inepti, in pagis præsertim, & villis, perspicuum esse constat. Sylvester etiam quem citat, *in sum. v. fides*, illud non habet in eo majorem fidem desideratem; dato verò antecedenti, negari potest consequentia, nec *c. per tuos*, citatum dicit, teneri, sed tantùm non peccare illum, qui sequitur consilium falsum alicujus gravis auctoris, quod certè verissimum est ex nostris principiis, non tamen sequitur ex dicto antecedente; ut patet ex ipsis terminis.

109. Pithanoph. Hoc vitium nonnullis auctoribus satis familiare est, ut paginas falsis, aut certè parum appositis allegationibus impleant, Jurisconsultos illos imitati, qui pro utraq; parte, eosdem textus, eadem auctorum loca citant, imitari potiùs deberent P. Thomam Sanchez, qui præ cæteris Scriptoribus, allegationes multiplicavit, ea tamen fide, quæ omnem ferè superat fidem; sed his omissis, ad secundam auctoris rationem venio, quæ mihi efficacior esse non videtur: multa, inquit, docuerunt SS. Patres, quæ deinde ab Ecclesia damnata fuere, & hic

Cypria-

Cyprianum appellat, Augustinum, Hieronymum, Theodoretum, &c. idque licitè ac sine peccato; quæ & ii à culpa liberi fuissent, qui ea renuissent, cùm scilicet iisdem SS. Patribus; sed quid nam etiam iis non consultis, minimè peccarent; sienim illi; cur non isti? cùm nondum res esset definita Ecclesia definitæ fuissent; illud etiam antecedens mihi summoperè non placet; quid enim prohibet SS. illis Patribus, errores affingere; & verò, si unum ex his Cyprianum excipias, tres alii benignè explicari possunt, ac præsertim Hieronymus, qui eum nunquam dixisse, reperies, mendacium licitum esse; inter disputandum quidem Augustinus hoc ipsum illi opponit; nunquam tamen ille consequens majore igitur cum honore de SS. Patribus loqui debemus.

100. Antim. Nonnullis id solenne est, ut ex alicujus præsertim nominis, depressione, sibi nomen; ex alio porro capite prædicta ratio videnda esse videtur; nempe dato antecedente illo, concessa consequentia, assertionem suam non probari; quia res divinæ fidei ante sufficientem & expressam Ecclesiæ propositionem, non obligant; secundum jus naturale; immo sic facilè instarem; vacare illum, qui opinionem alicujus Doctoris sequitur, quandiu falsa non apparuerit certò non constiterit, falsam esse; unde colligam non peccare, qui sequitur opinionem probabilem, quia si probabilis est, certò non constat, falsam esse, sed pergamus.

101. Pithanoph. Omitto tertiam rationem ex dignitate, quodis, qui scrupulis angitur, aliis finem habere debeat; sed quid ad rem; non agitur hoc loco de scrupulis; sed veris & rationalibus dubiis, ac de opinionibus moralibus; immo quartam ultimam, ex eo dictam, quod in Concil. Lateranens. IV. Tridentin. Moguntino IV. Colonien. statuatur, ut in qualibet Cathedrali, deputetur Theologus; quem verò finem hoc statutum habeat, declaravit Honorius III. ut scilicet erudiantur Clerici; hoc tamen assertionem non probat, in moralibus dubiis, in quibus auctor, tutius tenendum esse asserit, nec etiam facit ad rem, quod multa remanentur arbitrio boni viri; v.g. quanto pretio, tantum in alio genere illatum reparciendum sit; quæ quantitas in furto ad peccatum mortale sufficiat, nec enim in his agitur de tutiore.

102. Antim. Omittis lepidum antichronismum, dicit enim auctor declaratum fuisse ab Honorio III. qui vixit ann. 1216. quem finem haberet prædictum statutum à commemoratis supra conciliis constitutum, nimirum à Lateranens. IV. habito ann. 1518. à Moguntiaco IV. habito ann. 1549. cap. 65. non item Colonien. III. habito ann. 1549. sed mittamus jocos, longè melius igitur assertionem illam ex eo probasset, quod illiteratus non teneatur ad tutius, quando sequitur tutum, tutum autem bona fides reddat, bona demum fide doctoris consulti sententiam, etiam falsam sequatur, modò tamen aliunde dubia illi non sit Doctoris fides, sed quæsote, expediamus rem istam, quæ jam mihi tædio est, quid tandem restat.

103. Pithanoph. Unum dumtaxat, quod mihi mirum accidit, inde enim colligit & concipit, improbabilem esse illorum sententiam, qui docent, confessarium sequi debere opinionem pœnitentis, & ad id teneri, quod est inquit, contra rerum ordinem, pro quo Aristotelem citat 8. Physicor. docentem, necesse esse, ut mundus inferior contiguus sit supernis lationibus, &c. nec enim Judex, inquit, Rei sententiam sequi debet, sed Reus Judicis, alioquin Judex subditus esset, ac proinde Judex non esset, deinde posset pœnitens non acceptare pœnitentiam impositam sibi, præterea deberet credere pœnitenti, dicenti se ab altero absolutum fuisse, imò confessarius deberet sequi opinionem pœnitentis, etiamsi crederet, illam esse falsam, idque docere non verentur, inquit, Valentia & Sanchez, sed hoc est operari contra conscientiam, denique confessarius deberet pœnitentem absolvere, quem sciret alioquin habere peccatum mortale, quod religioni non ducit: hæc ille, quæ tamen meo judicio facilè refelluntur.

104. Antim. Nihil unquam sanè facilius primò enim id male colligit ex priori assertione, licèt enim illiteratus possit sequi opinionem magistri, seu confessarii, non tamen sequitur, improbabilem esse illam sententiam, quam inde deducit, nam fieri potest, ut pœnitens confessario sit longè doctior, unde licèt confessarius erudire & instituere teneatur pœnitentes illiteratos, non tamen literatos & doctos; quod ridiculum esset; modò rectè sentiant; rectè autem sentiunt in re morali, quando utuntur opinione certò probabili; neque hoc est contra rerum ordinem, ut pœnitens utatur jure suo; nec confessarius eidem potest imponere jugum dubium, seu dubiam obligationem; quod reverà si faceret, non jam confessarium & medicum, sed legislatorem ageret; est Judex inquis; nemo id negat; judex novas leges condere nequit; sed debet judicare, secundùm leges conditas, nimirum certas; nam lex dubia non obligat, immo & certa pœnitentis jura, quæ absque culpa violare nequit; nec propterea judex esse definit; alioquin quotiescumque Judex judicat secundùm jura, quæ favent Reo, ut reverà judicare per leges tenetur, Judex esse desineret; nec propterea fit subditus Reo; sed legi & rationi; unde ruit futile illud argumentum tanto apparatu oppositum, quasi Deus ex totius universi machina.

105. Inde autem non sequitur, posse pœnitentem impositam pœnitentiam non acceptare; quia non est certò probabile; si est rationabilis pœnitentia, post Tridentinum; nec enim confessarius tenetur sequi quamlibet opinionem pœnitentis, sed tantùm illam, quam probabilem esse, certò constat; nec pœnitens hanc legem confessario imponit, ut eam sequatur, sed utitur jure suo, quo certè à confessario privari nequit, immo in hoc confessario subditus non est, cui tantum subjicitur, ratione materiæ clavibus subjectæ; id est, peccatorum; sed in usu opinionis certò probabilis nullum peccatum est; Ad ea verò, quæ dicit, inde sequi, quod teneatur confessarius credere pœnitenti, asserenti se absolutum fuisse à vinculo excommunicationis, ad forum judiciale deductæ, facilè respondeo, non esse opinionem probabilem, immo esse improbabilem valde probabile est, igitur confessarius

eam sequi non tenetur, nec potest, cum non sit tuta in praxi; si tamen aliqua opinio pœnitenti suffragetur, quæ sit tuta, quia certo probabilis, tenetur haud dubiè; etiam si oppositam veram esse, putaret; v.g. dubitat pœnitens, an attigerit annum 21. & credit, juxta opinionem certè probabilem, in hoc dubio, se non teneri lege jejunii; confessarius tenet oppositam; hic non potest, hoc nomine, absolutionem eidem negare: cur enim? operaretur, inquis, contra suam conscientiam; ex errore igitur; nam si judicet opinionem pœnitentis certò probabilem esse, licèt oppositam veram potiùs judicet, certò judicat esse tutam in praxi; ac proinde pœnitentem tutò & absque peccato illa uti; falsum est igitur, quod absoluendo, operetur contra suam conscientiam; nam certum judicium practicum non fundatur, ut jam dixi, in veritate incerta sed, in certa probabilitate opinionis: unde cum ipse confessarius non sit certus de opposito, juxta Paludanum, Sylvestrum, aliosque ferè omnes antiquiores, & recentiores, judicio pœnitentis, immo & suo, ut dixi, stare debet; Comitolus autem luculenter hallucinatur, dum vult, idem esse, facere contra suam opinionem, & contra suam conscientiam; quantum unum differat ab alio, vel ipsis Tyronibus notum est; cum opinio sit tantùm probabilis, conscientia verò certa; adid denique, quod dicit, inde sequi, à confessario eum posse absolvi, quem sciret, peccati mortalis, formalis scilicet, Reum esse, cujus tamen eum non pœnitet, eadem facilitate negatur, qua asseritur; nulla enim est opinio probabilis, quæ id astruat, & qua fretus pœnitens confessarium ad illam adstringat, vides, quàm hæc levia sint.

116. Pithanoph. Jam video, uti ante jam prævideram, sed quod inverecundiæ Valentiam & Senchez, quales viros, Deus immortalis, insimulet, eò quod dicant, Confessarium ad id teneri, quando scilicet pœnitentis opinio est verè ac certo probabilis, nullus enim alio modo rem istam intelligit, & omnes ultro concedunt, confessarium non teneri, si partis oppositæ certus sit, aut saltem ex conscientia erronea certus sibi esse videatur, abstinere potuit ab eo scommate, sed grandia istorum auctorum opera auctores suos laudant abundè atque defendunt, parum abest, quin saltem indicem apologum, sed parco, cæterùm, quoad hanc sententiam, Sanchez noster *lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 28.* innumeros citat, puta Victoriam, Sot. Navarr. Ledesm. Henriq. Azor, Suar. Vasquez, Polanc. Manuel, Jason, Salas, Valent. Sayr. adde alios recentiores, Lugo, Martinon Castro Balao, Laym. &c. hoc autem de Valentia, & Sanchez dictum, mihi revocat in memoriam illud cucullati, cujus nomini parco, dictum, qui cum in collatione morali publica Suarem ab uno ex iis citatum fuisse audiisset, exanduit illico, ecquis est ille Suarez, inquis? quis ille Suarez? cujus non sum dignus, fere dixi, dignus non es, solvere corrigiam calceamenti, cui, ut dicam quod res est, una dumtaxat antiquitas deest, ut ex primariis Theologiæ Principibus censeatur: quod verò subnectit de Doctorum & opinionum delectu, ad rem nihil facit, modo certò constet, opinionem esse probabilem, nihil prorsus de periculo metuendum, Doctorem autem, seu senem, seu juniorem, eum esse oportet, qui doctrinam, peritiam, judicium, pietatem cum multo usu conjunxerit: longus usus, ut plurimùm saltem, senum est, cum verò senem dico, decrepitum non intelligo, sed quinquagenario majorem, vidimus aliquando pueros senes, & senes pueros; Doctorem Angelicum etiam juniorem potius consulerem, quam multos septuagenarios: quod multæ antiquorum opiniones jam antiquatæ sint & obsoletæ, non erat quod auctor inficias iret; ducentas hujusmodi, si à me aliquis exigat, facile recensebo; nec etiam, quod quadraginta quinque propositiones postremo decreto, ut falsas damnatas fuisse, iterum diceret; cum ex sola decreti inspectione, falsissimum esse constet, easque dumtaxat juniorum esse; cum reverà omnes ferè antiquæ sint, præter eas, quas argumenti novitas antiquas esse non patitur; quod reverà probandum suscipio, si aliquis fidem in hoc mihi detrectet: excerptæ ex Guimenio illius non sunt, sed antiquorum: quod ut probetur, oculis dumtaxat opus; nam auctorum loca fideliter refert; antiquorum item, quæ à Goneto, & alio, quem auctor appellat, recensentur, & aliquot recentioribus ab hoc ultimo injustè affictæ; & verò recumsentio, multas antiquorum opiniones paulò laxiores à vestris auctoribus castigatas & temperatas fuisse: quod demum aliqua opinio inde suam vim, & licitum, vel illicitum usum ducat, quod ad proprium commodum spectet; falsissimum esse, jam diximus; nihil enim facit proprium commodum, ad probabilitatem opinionis: Unde, vel certò est probabilis, vel non, præciso proprio commodo, si primum, tuta est; si alterum, tuta non est, si de servanda lege agatur; nam si non agatur de servanda lege; quælibet opinio tuta est.

117. Antim. Nihil ergo restat, ut video, nec àte dictis quidquam addendum esse putarim; uno tenore & tractu, omnia retulisti simul & refutasti; quare huic congressui finem tandem imponamus; alium si per te licet, post alterum diem, instituemus, ac discutiemus alium libellum cujus copiam mihi fecisti.

Pithanoph. Per me licet; oportunè adero, & libellum feram: vale Antime, cui sanè multum à me deberi profiteor.

Antim. Tu etiam vale, Pithanophile, ac tibi persuade, te à me plurimum diligi.

DIALOGUS V.

De Opinione probabili.

In quo ea religiosè ac modestè refelluntur, quæ Pater Vincentius Baro, Patri Fabri in sua Theologia morali, & quibusdam aliis imposuit.

1. Cum hæc etiam ad Probabilitatum argumentum pertineant, sub hac Dialogi forma, eadem comprehendere, non dubitavi; & quia difficilè est, istum Hominem, à quo dira omnia, non modò adversùs auctores nostros, eosque primæ classis & magni nominis, sed adversùs Societatem universam congesta sunt, ea, qua par est, tum animi tum maximè styli moderatione confutare, dabo singulare operam, & in id præsertim enitar, ne quid cõvitii, aut recriminationis, immò ne quid durius, vel asperius mihi excidat, quo vel minimùm castigatoris etiam oculi pudor perstringatur; eo dumtaxat nomine illum

illum appellabo, quo seipse in suo libro appellat, *P. Vincent. Baron*, quod latinè reddam, *Reverend. Patrem Vincentium Baronem*, non Baronium; qui ne amabo Baro ad Baronium? omnes porro illas assertiones refutandas non suscipio; alioquin nulla volumina cudenda essent; nec etiam reiiciam omnes ejusdem calumnias, impostoras, falsitates; omnia & singula convitia retundam; hæc enim condonasse satius erit quàm retorsisse; & verò ex diluere aliquot assertionum, dubio procul omni superata & ex aliquot calumniarum & falsitatum manifesta coërcitione, quid de aliis & de reliquo boni viri prudentes atque cordati sentire debeant non constabit: non omittam tamen Vincenti (ut tel. atino more, omissis titulis, compellam) quæ tuos fideliter adnotare, quos scilicet huic Theologiæ morali liberaliter aspersisti; subnectam eam idemtidem breves expostulationes; insontem invicti clypeum adversùs convitiorum plaustra, quæ tantanto impetu invexisti; addam aliquando fraternas monitiones, uti præcepto Evangelico me obstrictum sentio; illud etiam unum interdum perstabo, utrum quispiam etiam inter Humanitates Hæreticos; illum agendi modum, quo nulli invenio, calumniæ, impostoræ, & falsitati nulli norum, quo summi & Doctissimi auctores fœdissimè inducuntur, Societas universa acerrimè perstrinpes, cælites ipsi nostri, ac præcæteris, S. Patriarcha ter Ignatius irridentur, omnis styli, non atramentò fellè tincti acerbitas accersitur, sparguntur mnes commatain vivos & mortuos, in quo deniomnia spinis horrent & aculeis (ad tuos oculos ndo, Christiane lector, vix paginam puram & gnam invenies; cuncta enim dira colluvies fœ- & præ hominesto, Erasmus, Calvinus, Petrus nius, Vvendrockius Salisburgensis Theolo- aianus ipse, castigatissimi & temperatissimi dentur) percunctabor, inquam, utrum quis- etiam Probabilistarum audacissimus talem di & scribendi modum inter opiniones probareponere non dubitet: quod ad me attinet, nis miseros inter Probabilistas ab Adversariis ueris, ne minùs quidem probabilem dicere aunato minùs, tutam, aut tutiorem, nullus pro- Diana, aut Caramuel, hoc dabit: est igitur, ntu Baro, quod stylum, aut sententiam mutes; enim strictissimè ac parcissimè; scribis verò lissimè & effusissimè; at scribe, quæso, ut sen- aut senti, ut scribis, nulla enim usquam senten- ilo dissimilior; nullus unquam stylus à scriben- mente magis alienus; ita scribis, ut stylum tuum dicio, judicio, gehennæ, & gravi noxæ nullus ubitò eximat; ita sentis, ut nulla opinionis firnisi probabilitatis & conscientiæ, quantumcerta & constans veritas, ad rectè agendum suffi- at, hoc reverà plusquàm monstrosum est, nimirum ream scribendi licentiam & plusquam effusam liitatem cum tam stricta sentiendi, vel potius opiudilege, tantam styli laxitatem, ut sic loquar, cum sententiæ rigore copulare; vocem igitur, aut sententiam muta; ne forte in te illud probè quadrare ramus, *loquela tua manifestum te facit*; ne quis persuadeat, te serio non scribere, cum scribas ac sentias; vel potius, te ad speciem dumtaxat sentire, cum à stylo sententia mirum in modum receperit: illorum mores induisti, quibus, fœdere ictus es, quo certè animatus communi factionis odio, adversùs miseros Jesuitas, incredibili atrocitate & plusquam furenti stylo debaccharis; vano scilicet obtentu, Christianam disciplinam restituendi, restaurandi Theologiam moralem, & nimiam opinionum laxitatem, vel opinandi libidinem coërcendi; utrùm id fueris assequutus, sapientibus judicandum relinquo; ore tuo, stylo tuo, te judico; illo quippe tuo scribendi genere, non Christianam modò disciplinam non restaurasti, sed ita proculcasti, fœdasti ac prostituisti, ut nihil prorsus intractum reliqueris, quod ad styli acerbitatem, convitiorum copiam, calumniarum vim, vindictæ, odii ac furoris studium pertineat: libellis famosis rarum & luculentum exemplum præbuisti; & ut jam olim dixisse memini, ac denuo *infrà* purum putum maledicentiæ omnis generis, onomasticum in tuis codicibus compilare voluisti; quæ omnia eo plenissimè refutantur, quo tantùm lectorum oculis subiiciuntur.

2. Cæterùm nullo vindictæ, aut contradicendi studio ductus, sed, uno dumtaxat defensionis jure fretus ad scribendum accedo; primus, ut tute scis, bellum movisti; de te ac tuis, ne verbulum quidem mihi exciderat; scripseram Romæ, de Superiorum licentia, ac præsertim Reverendissimi Magistri sacri Palatii, qui tunc erat, rui profectò amantissimi; *Dialogum* vel opusculum *de opinione probabili* in lucem edideram; libellum obtuli Alexandro, ac sententiæ meæ quantulumcumque rigorem non parum probare visus est, utpote qui certum judicium practicum, ac certam, non dubiam probabilitatem esse velim: quod fortè non ita omnes æquè probarunt; Reverendissimus P. Commissarius, qui tunc erat, institutum meum non semel laudavit, ac publicè significavit, doctrinam illam tutam & solidam esse, *Camina per buonissima strada*, ajebat ille; non erat igitur, quod adeo vehementer excandesceres, ac me præsertim singulari nomine in eorum classem referres & numerum, qui Sanctianis pejores & deteriores, Catholicos simpliciores, injecto errorum suorum veneno, ab Evangelica salutis via, in orcum præcipites agunt; qui Decalogum, & Evangelium in Alcoramum mutarunt, & Theologiam moralem universam ita depravarunt, ut non jam virtutum & optimorum morum schola, sed omnium vitiorum & flagitiorum sentina potiùs, quàm schola esse videatur: immerentem sanè his hominibus, si tamen, præter te, ac tuos aliqui sunt, me annumeras; dico tuos, non ratione instituti, stant enim à partibus nostris, ita me Deus amet, omnes fere saltem præcipui, Thomisticæ scholæ Doctores, ut jam ad evidentiam, te frustra reclamante, demonstratum est; sed tuos voco, quibus factionis studio, adversùs Jesuitas, & jurato fœdere conjunctus es, de quibus apertè in *Decade* nostra.

3. Sed, inquis, tu ipse prior nobis insultasti, cum hæc scribere veritus non fueris, *pag. 15. disput. 1. sect. 2. art. Dissertationes illas clamosas, etiam & inconditas, utcumque tolerandas esse putarim, modò tamen rebus sacris & Religioni parcatur; sed ne quid dissimulem, illas ego ferre non possum, quæ doctrinam morum & fidei in grave discrimen adducunt*, &c. *Nec mirum, quid enim ab iis probabilia expectes, qui ex Catholicorum scholis receptissimam probabilitatis doctrinam tanquam multiplicis erroris originem proscribere conantur*; & hæc, inquis, Pat. Fabri, *tot malorum originem aperturus subiungit*; tum miraris, hæc à gravi Theologo dicta, *quid enim aliud, inquis, aut quid atrocius scripsisset*, in apertos fidei, & humani generis Hostes? si fortè unus

de illis es, contra quos hæc scripsi fateor *ulterò*, te prior aggressus sum : at si ea sinceritate & fide, qua par esset, mea verba retulisses, Lector ex iis illico perspexisset hæc adversùs Novatores, Theologum Salisburgensem Wendrockium, &c. imò & Petrum Molineum, à me scripta fuisse; statim enim post hæc, *in grave discrimen adducunt*, subdo ea, quæ sequuntur, *quis enim ferat hoc hominum genus, qui de rebus sacris profanè, de Christianis virtutibus scurriliter, de certissimis divinæ fidei dogmatis vix probabiliter disputant*; cum ea subnecto, quæ ita subjunxisti antecedentibus, ut eodem & minimè interrupto tenore, iis cohærere videantur; qua fidei integritate, judicet lector & videat; hæc scilicet, *nec mirum quid enim*, &c. est autem, quod de fide tua expostulem, qui ea reticuisti, quæ antecedentia consequentibus, ita connectunt, ut rationabilem sensum præferre videantur; cum tamen nullum sensum nisi ridiculum faciant, ea forma, qua exscripsisti; quorsum enim hæc? *quid enim ab iis probabilia expectes*; si ad ea dumtaxat attendam, quæ per laxiorem syncopen exscripsisti; nihil enim eò usque de probabilitate, ne à me quidem appellata; sed si hæc, quæ proximè antecedunt; descripsisses, ut bona & ingenua fides postulabat, *de certissimis divinæ fidei dogmatis vix probabiliter disputant*, statuisse haud dubiè, quorsum illa subnecterem, *quid enim ab iis probabilia expectes*, item quorsum illud, *ab iis*: quod referri manifestum ast, *ad illud hominum genus*, qui de rebus sacris profanè de Christianis virtutibus scurrilitèr; unde meridiana luce clarius redditur, me, dum hæc scriberem, nec de te, quem in rerum natura nesciebam esse, nec de quopiam alio auctore Catholico cogitasse, sed de Petro Molineò, VVendrochio, &c. qui tum Theologiam moralem Catholicorum, scurrilibus suis commentariis, tum etiam divinæ fidei dogmata, suis erroribus & cavillis impugnarunt; immo cum hæc ad ea quæ Pithanophilus proximè dixerat, reposuerim, sub nomine *Antimi*, quod meum proprium est, Idiomate Græco, quid quæso ille? nihil prorsus; nisi gemino bello provincias illas, Galliæ scilicet, flagrare; armorum & literarum, ac de literariis dissentionibus, & factionibus ingratissimis, ad religionem attinentibus, de re periculi plena, de motibus animorum & rixarum ignibus; hæc igitur scripseram in prædictum hominum genus, in apertos fidei & religionis hostes; quibus reverà si accesseris, doleo profectò; de te quidem, non de me; id tamen constat, adversus auctores Catholicos, quicumque tandem illi sint, etiam opinionis probabilioris, aut tutioris patronos, nihil eorum à me scriptum fuisse, quæ à te, mala fide, ad conciliandam invidiam ex opusculo meo excerpta fuerunt.

4. Quod certè vel ex re ipsa manifestè demonstro; scripsi enim supra commemorata contra illos, *qui ex Catholicorum Scholis receptissimam probabilitatis doctrinam tanquam multiplicis erroris originem proscribere conantur*; agnoscis, opinor, mea verba, quæ tu etiam exscripsisti; sed tu ipse qui tutiorem tantum permittis, sive probabilior, sive æquè, sive minùs probabilis censeatur, haud dubiè probabilitatem admittis, etiam minorem, si cum tutiore conjuncta sit; alii verò, qui probabiliori semper adhærendum esse pronunciant, dubio procul omni probabilitatem admittunt, nec illam proscribere conantur; quia probabilior, est etiam probabilis, commentum enim Augustini de Angelis super hoc jam supra diffiatum est; igitur contra illos non scripsi; quia scilicet probabilitatem illam omnem admittunt, modo cum tutiore parte conjuncta sit, vel etiam cum minùs tuta, modò major sit probabilitas : illa ergo, inquam, contra hujusmodi auctores Catholicos, non scripsi; sed contra dict. Salisburgensem, aliosque hujus furfuris ac inspectæ fidei homines, qui nullam rationem probabilitatis, sed unius dumtaxat veritatis haberi volunt : hinc ex illorum sententia, quamvis aliqua opinio sit probabilior, si tamen falsa sit, culpæ non eximit, ut fusè VVendrockius *nor. 1. in Epist. 5.* idque passim, ac præsertim *sect. 4. §. 2. Nec probabilis opinio, nec probabilior secura dici potest, nisi vera sit*; si autem secura non est, admittenda non est, saltem ad usum & praxim recepta : igitur probabilitatis doctrinam reiciunt ii, qui opinionem etiam probabiliorem non admittunt; eo casu tamen usui esse volunt, quando hi de una, illi de altera parte sentiunt, quod illicita sit; ut si aliqui teneant, quidpiam omitti non posse, absque peccato, alii verò fieri non posse absque peccato doceant, eo casu, inquam, probabiliorem tenendam esse asserunt, apud VVendrochium, *dicta sect. 4. §. 1.* Sed si hanc partem falsam esse contingat, uti reverà falsa esse potest, an fortè illum ignorantia eximet culpæ; minimè verò, juxta illorum principia, quia nulla ignorantia, etiam invincibilis juris naturalis peccato eximit; hoc enim mordicus tenent, igitur neque in hoc major probabilitas usui esse potest : sed, inquies, ignorantia invincibilis juris positivi à culpa liberat; at si hæc, cur non pariter illa? eam enim tenemus, hæc scire, quàm illa; deinde etiam in hoc casu, cum dubio operatur, cum sciat, se falli posse, sed cum dubio operari, maximè juxta illos, peccatum est; quod si dicant, certum esse; illum non peccare, qui opinionem probabiliorem in simili casu sequitur; eodem jure dicam, certum esse, illum non peccare, qui opinionem verè ac certò probabilem ad usum reducit, quamvis æquè, aut minùs probabilem; quo enim jure ad melius, vel ad probabilius teneor? sed de his fusè aliàs contra Augustinum de Angelis; constat igitur, omnem probabilitatem ab iis in re morali è medio tolli, ac proinde contra illos, ea me scripsisse, quæ advertsùm te & tuos scripta fuisse commemores; qui tamen, ut ais, probabilitates omnes ita non profligant, quin etiam dubia ad usum revocanda esse doceant; *videlicet, cum duo disparia mala imminent*, scilicet culpæ; *nec gravius amoveri potest, nisi dubiæ ac minùs probabili adhæreas sententiæ, quæ tunc fit certissima* : agnoscis tua verba, excerpta ex *disputat. 1. sect. 2. artic. 2. §. 1.* at si certissima; igitur nec dubia, nec minùs probabilis; vide quæso, an hæc sint repugnantia; nec est, quod ad judicium practicum certum referas, quod certè aliud est, à sententia probabili, cum hæc sit tantùm probabilis; illud verò certum; deinde si certum est, opinioni minùs probabili adhærendum esse, ut gravius malum fugiatur, & minùs grave admittatur; cur certum non erit, eidem adhærere, si per illius usum, nullum malum, aut peccatum, seu grave, seu leve committitur : quod autem de judicio illo practico minimè loquaris, ex tuis verbis manifestum est, *dubiæ*, inquis, *& minùs probabili sententiæ, quæ tunc fit certissima*, illud relativum *quæ*, ad *sententiam dubiam*, tanquam ad suum correlativum refertur, eadem igitur dubia & certissima; quæ est manifesta repugnantia; nec est, quod dicas ex dubia fieri certam, imò certissimam, eamdem

dere sufficer; absque novo motivo; si enim novum motivum est, eadem sententia non est; quia motivum actus ad illius substantiam pertinet, etiam eadem materiali, ut vocant; eadem igitur non eadem; sed quæso te, rem in exemplo comprobemus; sit æger aliquis tertiana laborans, aut quartana, sitque exempli gratia (in exemplo enim non requiritur veritas) sit, inquam, dubium non requiritur veritas) sit, inquam, dubium an opinio eidem proposita, circa divinum Officium recitandum; prima sit hæc, *teneor recitare divinum Officium*, die à febre libero, lege Ecclesiastica; altera verò hæc, *teneor non recitare*, die libero, ob periculum morbi, lege propriæ charitatis, dubio hæc minùs probabilis; hanc per te sequi teneor, ad fugiendum gravius malum, nimirum peccatum contra jus divinum, quod certè gravius est, peccatum contra jus Ecclesiasticum, jam verò, est, quod videas, quomodò hæc, *teneor non recitare*, sit minùs probabilis, quàm illa *teneor recitare*, & tamen tuta, imò certissima; ac proinde hæc *teneor recitare*, non jam probabilior, sed omnino improbabilis, falsissima evadat. falsissima enim certissimæ oppositum est, quod miter, hæc repugnantia à te palam illum, & non videri; exclamas tamen, *Hæc ne dicam, Honoratus Fabri, & Stubrochius doctissimi Theologi rustice quidem & plebe rustici ignorare possunt*: laudem istorum doctissimi Theologi mihi non arrogo; nunquam enim Theologiam ex professo, ut ajunt, docui, nec dici forte & satius esse crediderim, bene dixisse quàm malè docuisse: Augustinus, opinor, Dacianz. Nazianz. Hieron. Bernard. & alii quàm plurimi nunquam in Scholis Theologiam docuerunt; omittò igitur laudem illam, tibi servo, & magistris, me tamen & Stubrockium quopiam è rustico stupidiores reputas, Deo gratias, ignoscat hæc ignorem, ut ais, non tamen ignoro, te repugnantia loqui, si enim doctissimi Theologi sunt, quomodo hæc non rusticalia, sed Theologica vocamus, eaque adeo trita & facilia, ut rusticorum quam minimè superent?

3. Quod verò subnectis ibidem de Theologis, quos disputandi artibus gravissimam Theologiæ non invidiam, eamque jam diu invisam malis, bonorum suspectam faciunt, non mihi parum suspectum, non suggero illorum nomina, quos in hoc casu, quid Lutherus, Calvinus, Novatores omnes veros disceptatricem illa Theologiam, quam scholasticam vocant, dixerint & scripserint, non tibi suspicor, idque pro domo sua, nempe odio Theologorum, quibus dogmata fidei sustinent, refutantur errores, hæreses profligantur, utique facilè errantes & hæretici, igitur, quod invisa sit Theologia, mirum esse non debet, malis quidem bonorum invisum est, alioquin mali non essent, non tamen, imò pessimè bonis suspectam esse assevera, ea quæso perperam dictum, alioquin erit, qui dicat, tibi non placere, quia tibi ac tuis doctrinis non placet, tibi exosam esse, quia fortè ab ea damnari timeat. de his paulò post, at ut sit dictum illud mihi non placet, nec cupiam, opinor, qui rem intelligat, is primus Theologiæ suspectus est, cui Theologia suspecta sit, vel per quis ibidem.

4. *Probabilitates*, inquis, *tum nobis tantùm displicent, cum illis inest periculum, ne nos in peccatum impellant, do manus, idem prorsus & nos*, nullam enim probabilitatem admittimus, cui periculum insit, quia verò dumtaxat probabilem ad usum licitum esse, tenemus, imò potiùs damnamus, sed, inquis, periculum inest, si minùs tuta, quamvis alioqui probabilior eligatur; satis profectò est, modò tuta eligatur; nec opinor, inficias ibis; tuta enim peccati periculum arcet; at tuta est opinio, id est, securus illius usus, si certum est, esse probabilem, ut apodictice demonstravimus; sed inquies, quæ favet libertati postponi debet alteri, quæ stat pro lege; hæc jam discussimus, contra August. de Angelis; nulla enim opinio verè ac certò probabilis, stat, contra legem; sed æquè stat pro lege, atque, opposita; hoc autem eadem facilitate negatur, qua sine ulla probatione adstruitur: dicis, verbi causa, hunc contractum esse usurarium, ego verò nego, usurarium esse, habes tuas rationes; ego quoque meas, easque utrimque graves; unde constat, utramque opinionem verè ac certò probabilem esse; certum est igitur, utrumque sua prudenter uti posse; igitur absque ullo peccandi periculo, ego mea, tu verò tua; per legem, contractum illum prohiberi opinaris, idque verè probabiliter, & gravi fretus motivo; ego quoque verè probabiliter opinor, gravi, scilicet motivo ductus contractum illum lege non comprehendi; cur ergo æquè mihi non liceat, opinione mea uti? at si verè hic contractus lege comprehenditur legem violas; in hoc luculenter hallucinaris; nulla enim lex dubia obligat, nulla incerta causa certum effectum postulat; fieri igitur non potest, ut lex contractum illum certò comprehendat, imò si certò comprehenderet, illa sententia non jam probabilis, at certa esset, quæ contractum illum lege comprehendit, & illa improbabilis, quæ non comprehendit: igitur eo ipso, quod probabiliter tantùm legem esse dicis, & ego probabiliter non esse, dico, nimirum ad hunc casum, ad hunc effectum extensam, lex dubia est; ac proinde certò obligare non potest, at si certò non obligat, non obligat, nimirum ad certum officium, quod ab incerta causa pendere nequit: mea sententia, inquis, vera esse potest, certò vera, nego, sed tantùm probabiliter: at si Ecclesia declaret, ad hunc contractum legem extendi, tunc certa lex erit, quæ ante dubia erat: mutata igitur hujus declarationis quasi appendicis accessione, quod verò dicis, hanc, vel illam opinionem favere libertati, frivolum est, & ambiguum: cum tam liber sim, ad unam, quàm ad aliam: unde ut tollatur ambignitas, dicendum potiùs est, alteram opinionem esse, quod lex sit, nimirum quod ad talem casum extendatur, alteram verò, quod non sit, seu quod non extendatur: cui porro nostrum probare incumbit, an tibi, quod sit, an mihi, quod non sit, tibi haud dubiè, qui novum onus mihi imponis, quidquid positivè, ut ajunt, adstruitur, ab eo, qui adstruit, probari debet: partes enim actoris agis, ego Rei, actori porro probanda sunt ea, quæ reo imponit.

7. Usum denique omnium probabilitatum concedis, quæ in certitudinem moralem desinunt, quo, inquis, duplici via itur, altera juxta Merendam, ad majus malum ex duobus impendentibus avertendum tunc enim dubia certa sunt & indubitata, altera verò juxta D. Fagnanum, qua scilicet plura seorsim probabilia, in certum quid conjunctim coalescunt, sed profectò neutrum ad rem facit, non primum quod jam *suprà* explosimus, & de quo in secundo congressu, à nobis, quantum satis, actum est, si quis enim ad majus malum in dicto casu fugiendum teneri se putat, aut etiam dubitat, haud dubiè tenetur ad oppositum, sive hoc sit probabile, sive improbabile, sive dubium; & hoc non jam opinione tenendum, at certum prorsus & indubitatum; quid ergo ad opinionem probabilem? secundum verò, quò ad forum conscientiæ dare non possum; nam rectè quidem Judex ex multis adminiculis, conjunctim considera-

tis, certam moraliter præsumptionem ducit, quam ex singulis seorsim non duceret; & licèt ex iis conjunctim etiam acceptis, nunquam deduci possit, tem ita certò se habere, ex iis tamen rectè deducitur, quò ad forum judiciale, quod ex præsumptionibus res dumtaxat judicat, certò præsumi, seu præsumendum esse, ita se habere; & ut rem hanc paulo enucleatiùs, breviter tamen exponam, suo illam loco fusiùs declaraturus, haud dubiè non vis, ex multis opinionibus probabilibus certam quampiam sententiam conflari, quod ineptum dictu est; sed ex multis rationibus probabilibus, quarum singulæ seorsim probabilitatem opinioni conciliarent, eidem moralem certitudinem conciliari; hoc posito, demus, utramque partem verè ac certò probabilem esse; alteram tamen probabiliorem, quinque aut sex rationibus, ac totidem auctoribus munitam; alteram verò minùs probabilem, tribus, aut quatuor rationibus, iisque gravibus, & totidem auctoribus instructam; haud dubiè, vel utraque certa est, quod dici nequit, cum duæ oppositæ certæ simul esse non possint, alioquin simul essent veræ, quod omnino repugnat; vel altera certa, & altera probabilis; quod dici nequit: quia si probabilis est, vera esse potest: altera igitur falsa esse potest: at si certa supponitur, falsa esse nequit; vel altera certa, & altera improbabilis, quod repugnat hypothesi, quia utraque probabilis supponitur; nimirum probabilior, & minùs probabilis, quod enim minùs probabilis cum probabiliore comparata fiat improbabilis, futile & plusquam anile commentum est, quod in superioribus congressibus efficaciter diluimus; deinde cum illa, quæ statuitur minùs probabilis gravi rationum momento nitatur, probabilem esse, necesse est, per quamcumque definitionem opinionis probabilis; igitur utramque probabilem esse, necesse quoque est; alteram quidem, ut quinque, aut sex, alteram verò ut tria, aut quatuor; probabilitas enim suscipit majus & minus? quemadmodum album ut quatuor comparatum cum albo ut quinque, non desinit esse album; quamvis minùs album sit; idem dico de calido, lucido, gravi, docto, prudente, & reliquis omnibus, quæ magis & minùs recipiunt, ita prorsus probabile, ut quatuor, comparatum cum probabili, ut quinque non desinit esse probabile; statuamus enim æqualem utrimque probabilitatis gradum, v.g. ut quatuor, accedat unus gradus alteri, & ita sit probabilis ut quinque, remanet certè probabilis; quia probabilitatis gradus additus alteri facit tantùm magis probabilem, nec mutatur actus substantia, sed gradus; hinc licèt certa præsumptio fundetur in multis probabilibus argumentis, nunquam tamen certa veritas; & hoc, ni fallor, hujus commenti auctorem, cui tu etiam quo fine, Deus scit, adhæsisti, in errorem induxit: neque in hoc ulla prorsus difficultas restat: nec tu ipse inficias ibis, si rerum istarum, dicam amplius, si terminorum, ut vocant, peritus sis, qualem haud dubiè te reputo; non erat igitur, quod quasi triumphali complexione nobis insultares; *Desinant ergo*, inquis, p. 17. *Rhetoricari Fabri, Stubroch, & alii, & nos quasi generis humani & religionis, id est, probabilitatum, hostes traducere*: quis unquam talia de te? nisi fortè novatoribus ante appellatis accesseris; quod tamen non dico tu ipse videris, & viderint alii, ad quos spectat; locus ex meo Dialogo excerptus, nihil habet hujusmodi; cur igitur auxisti per calumniam? profer quæso alium locum, in quo dixerim probabilitatum hostes, religionis ac generis humani hostes etiam censendos; eadem porro fide in omnibus; quòd certè nullus probabilista, laxior etiam Caramuele deglutiat; sed ut amicè tecum agam, si dictis hominibus accesseris, illa omnia mihi rata & fixa, & pro dictis à me habentur, nempe illos Religionis ac generis humani hostes, imò & pestes, & aliquid ultra appellare non dubito: Religionis certè, quam suis erroribus, cavillis, mille modis & factionibus depravare ac perturbare non cessant; totius item generis hominum, quorum maximam partem communis redemptionis beneficio privatam fuisse asserunt, nolunt enim Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, quod tamen ut blasphemum, impium & hæreticum Ecclesia damnavit: cæterùm illud *Rhetoricari*, verbum sanè castigatæ Latinitatis, in me non quadrat; tracto interdum Theologica, Philosophica, Moralia, Geometrica, Polemica, & alia id genus gravioris operæ ac disciplinæ argumenta; Flores Rhetoricos & nitorem styli, nec colligo, nec colo; tu fortè Spartam illam adornas, saltem emissarii tui, vel hoc nomine dictionem tuam summis laudibus efferunt, gratulor, quamquam multa obscuritas, & non modica barbaries, aliquid nævi orationi tuæ passum offundit.

8. Probabilitates denique admittis, sed probabilitatum abusum aversaris; rectè, nos quoque penitus aversamur, non faciat tamen abusus, ut veræ ac certæ probabilitatis usus unquam tollatur, alioquin cum etiam in Sacramentorum usu, aliqui sint abusus, imò & in administratione Reip. Sacramenta ipsa & totius Reip. administratio eodem jure tollenda essent, quod ne vel Morio quidem dixerit; quisnam porro ille abusus est, quem ex animo aversaris? cum vel minùs, vel æquè, aut etiam magis probabilis, inquis, anteponitur tutæ; de hoc tecum infra: Præcipuus enim est nostræ hujus dissertationis finis; si enim opinio certò & verè probabilis est, qualem dumtaxat admitto; non sanè abusus, sed prudens usus est, ut à me luculenter demonstratum fuit, & infra iterum inculcabo; sic enim dubiam certæ ac tutæ non anteponimus, sed omnino certam & tutam, imò formaliter æquè tutam, cum tutior formaliter alia tuta esse non possit; tutum enim in individuo, vel indivisibili situm est, ut constat ex dictis; tutam autem illam intelligis, quæ favet officio, quod quisque implere debet, quale est Medici, Judicis, &c. itane verò? & hanc partem minùs probabilem esse, dicis; quod scilicet, v.g. Medicus creperum medicamentum adhibere non possit, quando certum suppetit, nec Judex juri minùs probabili favere; nec minister Sacramenti materia dubia uti, quando certam habet, &c. itane, inquam, laxissimis Probabilistis adstipulatis, qui vixeò laxitates tuas promoverunt; quod ad me spectat, hujusmodi opiniones, nimirum his faventes officiis, ut vocas, non modò probabiles, verùm etiam certas esse, contendo; oppositas verò, quasi probabiliores esse dicis, improbabiles reputo; unde non est, quod hujusmodi abusum à nobis timeas; & verò apertam & opportunam laxitatibus ansam præbes; cum enim tutam esse dicas, Medicum à dubio medicamine abstinere, cum certum suppetit, quamvis oppositam probabiliorem esse concedas, tui certè, ut Gonetus, Augustinus de Angelis, & alii, quidocent, tuto quemlibet sequi posse probabiliorem, imò & D. Fagnanus & Mercorus, qui probabiliorem certam esse volunt, vel ex hoc, juxta sua principia, quamvis alioquin falsa, rectè concludent, creperum medicamentum à Medico adhiberi posse, cum ex te, hæc opinio sit probabilior.

Sed

9. Sed contrà ho vela: si enim omnia, quæ perpetuò à te scripta sunt, & in hunc non sanè magnæ modulum à te scripta, refellenda susciperem, præsertim cum quod jam actum agerem, integra fere Bibliotheca mihi scribenda esset; non mentior, & citra jactantiam dico, ita me Deus amet, multa justæ molis volumina de te uno scribere possem, nimirum si omnia tua refellenda susciperem; sed ut quid perdimus hæc? pauca dumtaxat seligam; omitto enim illa omnia, quæ in Caramuelem scripsisti; qua moderatio, & temperantia? in Episcopum, & Christum Domini? quia defensore non indiget vir alioquin doctissimus & ingeniosissimus, cui reverâ si te, ut Vincenti Baro; næ sanè Pygmæum ad Herculem. Omitto etiam, quæ adversùs Guimenium, Tamburinum, Ferrerium, ac Stephanum Dechamps; impar inter congressus Achilli, nec non præstantissimis illis Scriptoribus: sed cur istos? causam reticeo; postremò hæresim Jansenii penitus profligavit, eumque ipso suo palmari argumento manifesti plagii convictum, toti orbi Christiano ridendum exposuit; Ferrarius item suas egit partes in hoc genere, idque abundè; da gloriam Deo Vincenti, illud concoquere non potuisti? quamobrem verò? Deus scit, sed dicam in *decade* apertiùs. Guimenius justæ defensionis jure adversùs unum ex tuis pauca illa congessit, quamquâ nihil ex propria sententia, ut ipse diserè testatur. Tamburinum hoc certè nomine aggressus, ut inde fugillandi Theophilum ansam & occasionem caperes; omitto igitur, quæ adversùs quatuor istos intemperantiùs scripsisti, opera nostrâ non indigent, quin ac suas à tuis insultibus strenuè vindicarunt; illorum autem aliquot lucubrationes, hisce nostris, cum sint in eadem causa, attexui; omitto item ea pauca, quæ in anonymum scripsisti, nimirum in Wendrockium, aut alium Wendrockianissimum; eumque inter suos facilè Principem, cujus certè defensionem non suscipio; quamvis defendere facilè possem, & à tua impugnatione vindicare; adeò miserè & ignavo marte hostem impugnas; fuit, qui umbratilem, non seriam impugnationem esse crediderit; præsertim cum illum hominem impensè laudes, acerrimum, & acutissimum voces, cujus, inquis, *pag.* 103. cum Theophilo Rainaudo, de ingenio & eruditione, comparari nequeat; & qui cum Theophilo, si duellum ineundum esset, minimè detractaret, etiamsi ipsorum genere & numero res esset metienda: tantùm tua verba, in quibus veritatem & judicium non, illam quidem cum Wendrockius unum, vel ternum *in octavo*, ut ajunt, codicem ediderit, eumque, majori ex parte tum ex Monraltio, tum ex aliis descripserit; Theophilus verò unde viginti justæ molis *in folio*, ut vocamus, volumina omni profectò erudition referentissima: Fuit enim Theophilus, vel nobis, hoc sæculo, eruditorum facilè Princeps, ea doctrina & pietate, quæ illum omnibus ferè hujus temporis Mæcenatibus & viris eruditissimis, gratum, amabilem, dixi quasi, admirabilem reddidit: eum tamen Wendrockio æquiparare non dubitas, Doctorem scilicet Religiosum, Catholicum, Scriptorum gloria, & copia celeberrimum, tenebrioni cuipiam, qui tantulum certè coactæ latinitatis & sutilis stylî; nonnihil eruditionis sacræ, sed passim deformatæ & adulteratæ; nihil tamen solidæ Theologiæ, aut sanæ disciplinæ præfert; longè potiore jure, tu ipse satis appositè Wendrockio æquiparari posses; idem fere utrique stylus, quanquam meo quidem judicio Wendrockianus paulo limatior esse videatur; idem scribendi modus, eadem causa, idem finis, idem in Jesuitas animus, idem fere de Pontificiis decretis hujus temporis judicium: Itaque, ut tandem te compellere desinam, defensionem dumtaxat meam & Stubrockii suscipio, cum utrumque fere semper unà simul impugnes: non omittam tamen, præcipua tuæ doctrinæ capita impugnare & expugnare: iis præsertim quæ ad hominem vocant argumentis, de Suare, Bellarmino, & nonnullis fortè aliis, quos parum humaniter, ut mitissimè loquar, excipisti, nonnihil addam; pro Theophilo nihil, quem tot & tanta volumina recens edita laudant abundè, atque defendunt; ingenuum pudeat hominem, leoni mortuo insultare, cujus vel umbram, si adhuc viveret, atque vigeret, fortè timeres; aliquid fortè acrius contra vos scripserat; demus hoc, ut enim acerbum illum scribendi modum non probo, hac de re, tecum disceptandum esse non puto; sed an propterea omnis humanitatis species deponenda fuit? uti reverà illam exuisse visus es; nõ jam in his duobus opusculis, sed in quatuor aliis codicibus, quorum primum, fraude ac dolo priùs editum atque damnatum, in tres alios congessisti: nihil aliud in gratiam Theophili, facturus sum, nisi quod ex omnibus convitiis, quæ stylo parum religioso, huic viro aspersisti, novum onomasticon maledicentiæ compilabo, illudque lectorum oculis ac censuræ subjiciam; hæc enim exposuisse, confutasse est; tuos etiam errores, qui passim occurrent fideliter, ut jam dixi, adnotabo; notabo etiam paralogismos, præfationem tuam ante omnia excutio: Et qui auctorem apologiæ Theologorum moralium abs re omnino in altera parte sugillasti, & impugnare conatus es, novum opusculum in hanc rem tibi opponam, & reliquis apologeticis adjungam, responsionem scilicet ad anonymum, qui eadem fere nostris auctoribus affinxerat; sed hæc fusiùs fortè præfatus, ad te venio, Pithanophile.

10. Antim. Legisti, opinor, carum mihi caput, Theologiam moralem Vincentii Baronis, hostis nimirum Probabilitatum, ac præsertim nostræ sententiæ infensissimi; sed dic age, quod rei caput est, quo amabò fructu?

11. Pithanoph. Non mediocri sanè: nam inde ille sententiam tuam magnoperè confirmare mihi visus est, unde illam præcipuè infirmare & labefactare moliebatur; en tibi librum, partem scilicet primam Theologiæ moralis, quid quæso de hoc titulo? *Theologiæ moralis*, inquit, certè in reliquum operis & libri corpus minimè quadrat, & hîc habemus dumtaxat titulum, sine re; ubi enim primùm in primam frontem oculos conjeci, ac legi, *Theologiæ moralis*, nihil aliud in mentem mihi cadere potuit, nisi quod omnes & singulas amplissimæ hujus disciplinæ partes, multiplicatis voluminibus, molis ad usum commodioris, more Gallico, hic auctor complecteretur; hîc ergo varios illos tractatus, *de conscientia & legibus. de Decalogo, de Sacramentis, & Censuris, de Religione, de Peccatis, de Virtutibus & Vitiis, de Contractibus*, aliaque hujusmodi, quæ apud alios auctores multa volumina, eaque grandia occupant, me nactum esse putabam; quid enim aliud sub eo titulo *Theologia moralis*?

12. Antim. Nunquid ex eodem videre poteras, D. Fagnani defensionem ab eo susceptam fuisse; ac proinde polemicum potiùs, quàm didascalicum, vel apodicticum Opus censendum.

13. Pithanoph. Facilè credideram, defensionẽ seu causam illam ab eo fuisse susceptam, sed accessio-

nis instar, vel appendicis; nec enim mera D. Fagnani defensio Theologia moralis jure dicitur; quamvis alioquin res illæ, seu controversiæ, in quibus defenditur, ad moralem Theologiam pertineant; illud porro primam illam cogitationem mihi magis inculcavit, quod in eodem titulo, veram Doctoris Angelici mentem, *de qualibet re morali explicatam, & defensam*, nimirum in duobus illis tomulis disertè politicetur: quantum verò, mihi crede, obstupuerim, ubi librum volui atque revolvi, tibi cogitandum relinquo; vix meis credebam oculis; huc illuc raptim, & solicitus volitantes chartas, non sine strepitu agebam, ut Theologiam illam in aliquo saltem angulo invenirem, sed quid tandem? erubui, ut dicam, quod res est, & pudor ab eo prostitutus mihi accessit; nihil enim aliud nisi satyras & convitia, falsitates & calumnias, in Carmuelem, quem iis omnibus dicteriis & probris honestavit, quæ in Hæreticum, vel Atheum fortè quadrarent; in Suarem, quem ex eo famæ, honoris, & celebritatis gradu dejicere, frustra licèt, conatus est, in quo illum mirabilis doctrinæ vis & copia cum singulari religiosæ vitæ sanctimonia conjuncta, applaudente orbe literario universo, merito collocavit. In Theophilum, in quem tot convitiorum plaustra, illum quippe tanquam Monstrum horrendum, ingens, traducere voluit; in miserum Tamburinum, quam divinæ & humanæ, sacræ & profanæ majestatis Reum facit, quasi Decalogum, per inauditum sacrilegium, è medio sustulerit, & falsas Inquisitorum Italiæ tabulas sacrilegiè fictas, ad commendationem operis sui appposuerit; quid non in Guimenium? tibi etiam Antime, & Stubrockio familiari tuo, & multis aliis non pepercit; unum Wendrockium famosum satis hominem, quamvis exterum, & Salisburgensem Theologum, quo vix petulantior alter, non sine multæ commendationis elogio, refutare visus est; visus est, inquam nam revera non refutavit, sed in ejus sententiam de ignorantia invincibili prorsus inclinare videtur. Sed ne in fronte tantùm hæreamus, inspiciamus, qui intus latent, & ante omnia prolixam illam præfationem discutiamus, in qua, ut ex te audisse memini, multa castigando occurrunt.

14. Antim. Tam multa sanè, ut vix omnia discutere vacet, præcipua seligo: 1. & 2. *pagina* dicit, doctrinæ quam Christus Ecclesiæ reliquit puritatem corrumpi, ab ipsis Ecclesiæ domesticis, (Theologos intelligit) qui venenum, per errorem licèt, generi humano, quasi salutis remedium propinant, dum opiniones, aut apertè falsas, aut saltem incertas, quasi divinæ fidei dogmata proponunt; illos autem, *pag.* 3. à fraude cujus conscii non sunt, non tamen à culpa liberat, *nihil ausim statuere*, inquit, *penès Deum sit judicium.*

15. Pithanoph. Batavum illum audire mihi videor, qui præcipuum illud errorum suorum fundamentum jecit, errores contra fidem ab Ecclesia hujus temporis, in præcipuis suis membris & Doctoribus, majoris mali vitandi gratia, tolerari.

16. Antim. Error est minimè tolerandus, quem ii profectò notare debuerant, quibus hic liber datus fuerat recognoscendus; subnectam prolixam Epistolam ad unum ex illis à me scriptam, in qua, rem totam ob oculos ponam: præterquam quod, illud non parum iis injurium est, qui rem divinæ fidei fidelibus populis administrant; quasi eo munere à Christo sibi credito, tanta oscitantia defungantur, ut publicos errores in suis Doctoribus, & falsa dogmata publicata, eorum licèt conscii, tamdiu tolerent; hoc certè Lemanum olet: & verò fidelibus atque adeò toti Ecclesiæ malè consultum esset, si publici errores in ea, & ab ea, tolerarentur: addit, illos nullius fraudis esse conscios, non tamen à culpa esse immunes à se statui posse, primum illud per apertam ironiam, ut ex iis, quæ passim habet, manifestum est; si enim animo bono, & nulla mediata fraude gesserunt sese, cur amabò tot convitiis, & probris, & tam multiplici exprobratione illos passim prosequitur; alterum verò prorsus evincit; illum in id propendere, ut ignorantia invincilis culpæ non eximat, de quo statim *eadem pag. & proxime seq.* subdit; multos ex antiquis Theologis, imò & Sanctorum Patrum esse, qui sentiant, ignorantiam invincibilem juris naturalis in peccatum imputari; quod certè si verum sit, uti reverà magis certum, quàm dubium sibi esse fatetur, de Probabilistarum salute, inquit, omnino actum est; huic aliæ & in certo eventui sese committere dubitat; quid enim prodest, &c.

17. Pithanoph. Non tantùm hoc loco nullam ignorantiam invincibilem juris naturalis peccato eximere asserit, quod certè præcipuum est recentis erroris fundamentum; sed passim alibi toto libro, ac præsertim *disp. 2. sect. 1. art. & 1. 4. §. 2.* item *sect. 5. a. 3. 1. 2. 3.* & alibi, imò hanc sententiam Werdrockii, & Anonymi, qui tamen idem est cum Wendrockio, Mercoro affingit licèt aliam Mercorus inter disputandum, ut ex communibus principiis agat cum adversariis, adhibuerit, non tamen ut suam: accedit, quod Stubrockio & tibi, nec non Caramueli graviter exprobrat, quod hanc sententiam ut erroneam traducant; & satiùs fore, disertè asserit, si Wendrockii & Jansenii argumenta solverent: illam denique liberat ab omni nota, & notoribus liberam permittit, & ab omni scilicet nota immunem; & hæc passim, quamquam ex industria, sub iis verborum involucris, ut referre pedem semper in promptu sit: quo spectet, satis perspicio; sed profectò jam tergiversari non licèt; necessitas eximit culpæ; nullus enim peccat in eo, quod vitare non potest, & hoc ad fidem expressam pertinet, post damnatam ab Ecclesia tertiam propositionem; nec agitur hoc loco, utrùm in hoc, vel illo casu, juris nuturalis detur ignorantia invincibilis, quod partium disputationi relinquitur; sed rato, quod sit, sive earò, sive plerumque accidat; quæritur, an eximat culpæ; novatores negant, cum multis Patribus, inquiunt, Baro adstipulatur; nos verò SS. Patres ab illa calumnia vindicamus, ac dicimus, de ignorantia vincibili locutus illos fuisse, quæ culpæ non eximit; aut de invincibili spectatis dumtaxat naturæ viribus, quæ imputatur ad culpam: hoc enim SS. Patribus debemus, ut non admittamus, ac demus ultro quidquid ab Heterodoxis hominibus perperam iis assingitur; sed explicemus potiùs illorum mentem & dicta in bono sensu ac lumine collocemus: hæ sunt scriptoris Catholici ac prudentis partes, quas in Barone desideramus.

18. Antim. Abs re profectò Stubrockium carpit, quod illam sententiam de ignorantia invincibili, ut erroneam notarit, & argumenta, quibus illam Wendrockius adstruxerat, non diluerit, Stubrockius sanè grandes controversiarum Tomos, in quibus illius objectiones, in hac materia refelleret, scribendos non susceperat, nec scilicet jam actum ageret, cùm multi alii hoc munere peregregiè defuncti essent, Annatus scilicet, Martinonus, Stephanus Dechamps, & alii; sed illum Scriptorem, qui contra homines

bonum & auctores verè Catholicos, acerrima & ... quæque scripserat, confutandum, seu potius ... definitionis jure retundendum. A uctores ... reliquis Catholicis, quamlibet ... ntiam invincibilem eximere culpæ; Wendrock ... sectus sentiens, varia in hanc rem testimonia ... quid ageret Stubrockius? an fortè loco ... canda erant, & prolixa tractatio de hoc ar... instituenda? idem sanè, & eodem jure, de ... alio argumento faciendum fuisset; & mul... que grandia volumina multiplicanda, idque ... cum illud argumentum à Doctoribus Ca... exhaustum fuisset: satis ergo ... penitus exhaustum fuisse: satis ergo ... Stubrockio ad Wendrockium retundendum, si ... nr reverà dixit, sententiam illius erroneam ... & ab Ecclesia damnatam, ac proinde opposi... verè Catholicam, ab eo perperam impugna... Catholicis Scriptoribus exprobrari; sed hæc ... inquit Baro; modò satis, plura frustra es...

3. Pithanoph. Quid rei sit, sat vides; non con... Baro, erroneam esse; multò minus Wendroc... sed veram, sanctam & Catholicam, uti & quin... propositiones, quantumvis ab Ecclesia damna... sensu, orthodoxas esse clamare non ... enim Catholicis agimus, qui tertiæ proposi... damnationem admittunt; apud quos hæc pro... *Necessitas peccato non eximit*, damnata cense... ubi ignorantia invincibilis est, necessitas est, ... posset; ergo hæc propositio, *Ignorantia ... peccato non eximit*, erronea est, quia in pro... universali damnata continetur: utrùm ve... est opinio probabilis, ignorantia invincibilis ... jam ubi dictum est; nec unquam hoc de... suscepisti; licèt enim ignoretur invin... videns & certa veritas, non tamen ignoran... bilis laboratur, quod malum insit, cum ... certò & verè probabili, certum sit, ... minimè inesse; si autem certum est, ignoran... bilis non est, nedum ulla de hac re ignoran... pergamus.

4. Antim. Hæc inquit, probabilitatum licentiamque tolerari potest in quæstionibus Theologicis, in quibus nonnulli pio & ardenti in res divinas affectu, paulò liberiùs excurrunt, & probabiliter ... illata, pro necessariis habent atque indurant; ex quo nullum salutis & æquitati periculum ... tamen in iis, quæ ad mores compositos pertinent, & hæc *pag.* 5. & 6. video satis, quò ... affectus; nihil enim aliud intelligit, ... de immaculata conceptione sententiam; ... aliud? eamque non jam tacitè, sed clarè, ... significat, quasi, *rationcinia & testimonia humana verbo ... significante*: hæ sanè intemperantiùs in constitutione ... Apostolicas; ut sit, nullum salutis periculum ... opinionum verè accertò probabilium usu time... quia nullum in eo peccatum inesse, certò tene... & mirum est, hujusmodi homines, quos pro... ignorantiæ insimulare non ausim, quamquam ... malum esse tadeò obstipo capite esse, ac dura ... obstinata cervice, ut rem perspicuam capere no... nimirum judicium practicum certum, atque ... omnis dubitationis & formidinis expers, quo ... opinione alioquin probabili utitur, modò ve... ac certò probabilis sit, nullam enim ad usum ... mittimus, certò cognoscit, nullum peccatum ... esse.

5. Pithanoph. Addo unam, quod alicujus momenti esse videtur; vult enim, liberiorem illam opinandi licentiam in Theoricis indulgendam esse iis, qui *pio ardenti affectu in res divinas abripiuntur*; sed quid si prius ille affectus desit? an fortè licentiam illam esse dicet? an verò etiam tolerandam? si primum, haud dubie prius ille affectus malum non sanat; quia cum aliqua dubitatione semper conjunctus est: nempe si res illa certa sit, frustra indulgentiam accersit; si verò alterum, ad quid pium illum affectum commemorat? unde constat, quàm solidè Baro ratiocinetur.

22. Antim. Quid solidum in Barone quæris? in quo mera verba tantùm, & nonnihil Latinitatis, quamvis alioquin maxima & incredibili convitiorum vi fœdatæ; sed longè peiora sequuntur à *pag.* 6. *ad* 11. Theologos hujus temporis, Soncinianis omnium Hæreticorum pessimis, non modò romparat, veram etiam longè iis deteriores esse definit, imò perditos illos Lutheri nepotes, & Calvini filios, ut vocat, Doctoribus Catholicis ad mirandum proponere non dubitat, quò ad mores; sed obiter crassum Baronis errorem adnoto, dignum certe graviore nota, & virga censoria: dicit enim *pag.* 8. hæreticos illos, alioquin periculissimos, in hoc improbandos non esse, *quod illis antiquior sit vitæ innocentia, quàm veritatis indagatio & arctius voluntatem censeant præceptis, quàm mentem mysteriorum fidei obsequio alligandam*; quasi verò, fides non sit basis & fundamentum totius religionis & Christianæ vitæ, & sperandarum substantia rerum? hæc, ut mitissimè loquar, in quolibet auctore suspecta essent; sed in hoc homine, multiplicis alioquin fœderis suspecto, plusquam suspecta; accedit, quod plausibile satis Soncinatium argumentum non sine plausu, ac electis verbis eleganter exponit; ad illud tamen diluendum, ne verbum quidem.

23. Pithanoph. Sinebile legere non potui, ab auctore isto, Catholicos ad Soncinianorum scholam amandari, ut ab iis discant, qua reverentia illam Evangelii partem, quæ præcepta continet, prosequi debeant; & ut Theologorum benevolentiam captet, nostros Theologos appellare non dubitat: *Arbitrarios divinæ legis interpretes & peremptores.* O præclaros morum Magistros Soncinianos, si huic Baroni credimus; qui cum aliquo morum Magistro indigeat, à quo saltem discat urbanitatem, ut urbanissimè loquar, uti debet eo consilio, quod nobis suggerit, qui non indigemus; nempe ille loquitur & scribit pro arbitrio, nulla moderationis, nulla veritatis habita ratione; cum tamen nos divinam legem pro arbitrio minimè interpretemur.

24. Antim. Habemus, Dei gratia, non prorsus ignobilem divinæ legis interpretum manipulum, puta Salmeronem, Maldonatum, Lorinum, Cornelium, Sanctium, Pinedam, Pererium, Serrarium, Bellarminum, Justinianum, Tirinum, Menochium, Salazarium, Mendozam, Joannem Columbi, & aliquo alios, qui certè, non pro arbitrio & opinandi libidine, quod Cajetano nonnulli vitio verterunt, sed juxta mentem Patrum doctos & grandes Commentarios in Sacrum Textum, non sine aliquo fructu & plausu, velit, nolit bonus iste Baro, in lucem ediderunt. Ferri demum non potest, quod dicit *pag.* 10. *ejusdem præfationis*, defensionem à bono animo & studio religionis, & animarum salutis promovendæ, repetitam Soncinianis non defuturam; & hic fusè agit illorum causam re ipsa, quæ, inquit à veri specie magis abhorrere non videtur, quàm illa, qua se Casuistæ recentiores tutantur. Quid porro hi dicunt, non jam recentiores, sed omnes prorsus, exceptis

exceptis quatuor, aut quinque recentioribus? jugum illud fidelibus imponendum non esse, de quo non constat, à Deo, vel ab Ecclesia fuisse impositum; quis enim justus Judex in reum aliter sententiam ferat? hinc, ut jam sæpe diximus, lex dubia non obligat, ut rectè Suarez, *in superioribus Dialogis*, quo ad hoc laudatus; & dum hanc sententiam sequor, vel illa utor, quispiam sequitur, vel utitur, certum est, nec me, nec illum peccare, nisi fortè in hoc, per errorem, peccatum inesse dubitem: nempe, ut toties dixi, judicium illud practicum certum est; quis amabò rationis campos, causam & rationem istam rationabilem esse inficietur; alioquin multiplicantur peccata, salutis via difficilior redditur, fideles deterrentur, &c. quis neget, hæc ex iis sequi; quænam vero est Socinianorum causa? si cuique pro arbitrio fides permittatur, & supprimantur ea, quæ de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, aliaque hujusmodi Catholicis, quantumvis incredibilia credenda traduntur, facilis erit Mahumetanorum, Ethnicorum, aliorumque sectarum reductio; quasi verò certum non sit, ad ea credenda quemlibet teneri, neque hoc Baro negare ausit; at nullus Theologus Catholicus negat, illud jugum, quo ad mores, fidelibus imponendum esse, quod certum est, à Deo, vel Ecclesia fuisse impositum; unde, ut vides, eadem causa non est; imò si aliquid proponas, quod credendum esse, certum non sit, id est, jugum fidei, quo ad illud certò non constet, fuisse impositum, concedo ultro, fideles ad illud credendum minimè teneri.

25. Pithanoph. Inde quoque argumentum ducitur non contemnendum, quod nescio, an Baro solvendo sit; si enim non teneor, illud credere, quod certò non constat, revelatum à Deo fuisse, & ab Ecclesia propositum: non teneor etiam, illam legem servare, quam non constat à Deo, vel Ecclesia latam fuisse; & ut certò judico, me non peccare, quando illud primum non credo; ita certò judico, me non peccare, quando secundum istud non facio; solvat hoc Baro, & erit mihi magnus Apollo, & magnus Baronius: nescit porro, quid dicat, dum nostras opiniones falsas, periculosas, vel ad minùs incertas appellat; cuncta hæc eadem facilitate respuuntur, qua opponuntur; nulla propositio certo probabilis periculosa est; falsa esse potest, non tamen falsam esse, certum est; incerta est, & dubia, id est, cum formidine conjuncta; illius tamen usus certus, tutus & periculi expers, nec ullus unquam Theologus opinionem, etiam certò probabilem, pro indubitata & certa habuit, ex nostris scilicet; nam ex adversariis nonnulli, quibus Baro non refragatur, probabiliorem, certam esse dicunt; quod supra, ut commentum repugnans, difflavimus; nullus tamen, uno vel altero dempto, quos inter classicos non numero, negat, judicium practicum de licito usu opinionis certò probabilis, certum & indubitatum esse: nullus demum opiniones probabiles inter articulos fidei reposuit; ita ut ad illas Romani Pontifices, ut ad certam regulam, decreta & sanctiones exigant, quod per calumniam Baro, more suo, nobis affingit; nec saltem ut puto, illos qui contra reclamant, hæresis suspectos, seu compertos pronuntiamus; quid tibi videtur super hoc Antime?

26. Antim. Scio, quò spectet Vincentius Baro; Novatores cum multis aliis, publico vel occulto fœdere sibi sociatis, incredibilem scriptorum & librorum vim contra miseros Casuistas scripserunt & publicarunt; scienti loquor, quapropter libros non censeo; unus sit instar omnium Wendrockius; unde non mirum est, si erroris illum Stubrockius insimulet, cum reverà multis erroribus scateat: præterea cum prædictus auctor obstinatè defendat, ignorantiam juris naturalis invincibilem culpæ non eximere, & cum hoc præcipuum sit dicti erroris fundamentum, in tertia propositione damnatum; quid mirum, si fortè ille, qui hunc errorem defendit, errare dicatur: deinde, cum idem dicat, opinionem verè probabilem, si falsam esse contingat, culpæ non eximere; & cum circa veritatem, aut falsitatem illius ignorantia invincibili laboremus; nequimus enim certò scire, an vera, an verò falsa sit; illum etiam eodem jure errare dicimus, nusquam tamen illos, qui commemoratis erroribus minimè adhærentes, nobis in hoc contradicunt, quod sentiant, teneri, nos sequi probabiliorem, aut certè tutiorem; nusquam Bardus, meo judicio, Philaletum, aut Raphaël Turrianus Merendam, aut alius Mercorum prædicti erroris compertos pronunciavit. Accidit, quod judicium practicum certum, est ultima regula morum, vel actionis honestæ; unde, si quis hoc judicio minimè contentus, quidpiam aliud exigeret, aut illud damnaret, vel probabilitatem omnem rejiceret, quamvis in usu Ecclesiæ frequentem, illum erroris insimulare non dubitarem, cum Ecclesia illos damnarit, qui prædictam regulam & universalis Ecclesiæ usum damnare præsumpserunt: uno verbo, Baronem istum Adversariis nostris fœdere junctum esse, satis constat, aut saltem, vel inde suspectum, quod Wendrokium & Sonicinianos multis laudibus, Doctores verò Catholicos Caramuëlem, Suarem, Vasquem, Molinam, & alios selectis convitiis cumularit.

27. Pithanoph. A *pag.* 12. ubi hoc argumentum sibi opposuisset, nimirum illud certa fide tenendum esse, quod per totam Ecclesiam, communi usu receptum est, & Pontificis ex cathedra definientis decreto confirmatum, licèt de eo nullum in Scriptura aut traditione verbum extet; ridiculus essem, inquit, si hoc argumento commoverer, ex quo certè concludi nihil potest contra hæreticos; cum in eam tantùm doctrinam Ecclesiæ decreta cadere possint, quæ ab Apostolis, ad nos usque traducta est, verbo Dei scripto, aut tradito contenta; hinc ius non assentitur, qui nupera inventa, quantumlibet pia, ab aliquot sæculis cusa, in dogmata fidei, paria antiquis, sanciri posse asserunt; quod longè magis à vero alienum censet, quam si quis putaret, lustralem aquam, Ecclesiæ auctoritate, in octavum Sacramentum, transferri posse: cum Ecclesia non habeat auctoritatem, nova præcepta, vel dogmata condendi, sed interpretandi, & antiqua è tenebris eruendi: in his certè, nisi me tua Theologia fallit, multa occurrit erroris species.

28. Antim. Quasi verò species? fœda inest erroris labes; video, quò spectet; definitiones præsentis Ecclesiæ vellet eludere; suis rebus timet; hoc veluti clypeo ictum falli posse putat; nupera illa inventa pia, nihil aliud sonant, nisi scientiam mediam & immaculatam Deiparæ Conceptionem, ut manifestum est cuilibet rerum istarum perito; sed toto cœlo errat, cum utrumque definire possit Ecclesia; & ubi essent definita, antiquis haud dubiè fidei dogmatis paria à Catholicis omnibus censerentur; hæc trita est Hæreticorum cantilena, qui novos fidei articulos & non dogmata Catholicis exprobrant, quos etiam trita & familiari distinctione refutamus, nempe nihil hoc tempore credimus, quod majores

nostri

nolint crediderint, nimirum explicitè, vel implicitè, ut Scholasticis terminis utar; unde novæ definitiones Ecclesiæ, novos fidei articulos non facio, sed tantùm de implicitis, explicitos; ac proinde tantum illud, quod nobis Ecclesia credendum proponit, in verbo scripto, vel tradito, implicitè saltem continetur: Sat scio, negari ab Heterodoxis multos implicitè contineri, vel in Scriptura, vel in traditione, quæ tamen Ecclesia definivit, & divina fide credenda proposuit; sicuti fortè negaret Vincentius Baro, de scientia media & Conceptione; sed publico Ecclesiæ, quæ falli non potest, nec fallere, omnibus verè Catholicis standum est; & ubi Ecclesia definit, aliquid divina fide tenendum esse, eo ipso, judicat & declarat, illud in verbo scripto vel tradito, saltem implicitè contineri; nisi enim hoc esset, nihil unquam Ecclesia definiret, quia nunquam deessent, qui hoc implicitè in Scriptura, vel traditione continerì, negarent: demus enim, v. g. immaculatam Conceptionem definitam fuisse ab Ecclesia, fortè hoc negaret, definiri potuisse, quia novum inventum in verbo Dei scripto & tradito, ne implicitè quidem contentum; ego verò cum Ecclesia contineri illum; cum sit antiquus Ecclesiæ sensus, multa Scripturæ loca Deiparæ Virgini rectè attribui, quæ tot sententiæ, vel Ecclesiæ in alio sensu conveniunt; quin profectò immaculatam Conceptionem implicitè contineri, cum Ecclesia, jure dicerem, si hæc eximendo mysterium illud definiret; si autem cum Ecclesia sentiam, securus sum, errare non valeo; at quisquis Ecclesiam non audit, est mihi sicut Ethnicus & Publicanus: credit Baro, prædeterminationem physicam in sacro textu, implicitè saltem contineri, ultro annuerem, si unquam Ecclesia credendum fidelibus proponeret; sic enim captivarem intellectum in obsequium fidei, illud tamen nunquam futurum esse, mihi plusquam verisimile est; non contineri pernegare non dubito; scientiam verò mediam clarissimè contineri, omni asseverationè firmate.

29. Pithanoph. Rem acu dubio procul omni explicitè; unde posita semel definitione Ecclesiæ, ille minùs quam suspectus est, qui disputat, utrùm illud, quod Ecclesia definivit, in Scriptura, vel traditione implicitè contineatur: ut ille plusquam temerarius quem Extravagantes Sixti IV. de immaculata Conceptione ita pupugerant, ut eo ipso, illum Cathedrali dignitate, coram Deo, excidisse, scribere non dubitarit; optimè igitur, meo judicio, dixisti, hanc tritam esse Hæreticorum cantilenam, & vanissimam prorsus excusationem; nihil enim fere aliud Hæreticorum contra Ecclesiam crepant; imò etiam si omnia explicitè & apertè in Scriptura contineantur, v. g. quod, venerabili Sacramento realiter insit Corpus Christi obstinatè negant Calvinistæ, quamvis alioquin diserta sint Scripturæ verba: *Hoc est Corpus meum.* Rectè igitur contra Hæreticos contendit ex consensu præsentis Ecclesiæ, aut decreto eorum, de aliquare fide credenda; nempe utrum quod Baro diserte copulavit; hoc tamen negat; sed profectò negare illud, error est: error est etiam nobis communis, præsentem Ecclesiam ab antiquis distinguere; eadem quippe est Ecclesia, eadem unica fides, & authoritas; ita omnes Catholici credunt; hanc doctrinam à Patribus nostris accepimus, hanc vivam fidei nostræ regulam tenemus, quisquis eam non sequitur, errat in fide, calvinizat, & Anthologium sibi occini, frustra & immeritò conquestus.

30. Antim. Legisti, ni fallor, aureum illud Annati nostri opusculum, de præsenti Ecclesia hujus temporis, in quo hoc argumentum ea doctrinæ copia & argumentorum vis discurrit, ut nihil unquam nervosius, quo ad hoc scilicet, oculis lustrarim; hoc vanum fuerat illorum effugium, quod tamen ita hic auctor præclusit, ut de illo aliquando illos cogitasse puduerit: standum est igitur dictis Ecclesiæ quando hæc aliquid omnibus Christi fidelibus proponis, quando scilicet totius religionis & Ecclesiæ interest, de quo alibi: at non propterea dicimus, ut Baro perperam asserit, definitum esse ab Ecclesia, tutum esse opinionis probabilis usum, licèt negemus, oppositum definitum unquam fuisse, & facilè crediderim, nunquam definitum iri, cum certum sit, usum illum licitum esse; ubi scilicet agitur de opinione verè ac certò probabili; de fide tamen esse dicimus, ut supra innui, quamlibet ignorantiam invincibilem peccato eximere, cujus oppositum, simul cum tertia propositione ab Ecclesia damnatum est.

31. Pithanoph. Omittis, opinor alium Baronis errorem, dicit enim ibidem, Ecclesiam non accepisse facultatem à Christo nova præcepta condendi, quod est erroneum dictu.

32. Antim. Obscurè & ambiguè loquitur; benignè tamen illum ita explico & intelligo, ut de præceptis divinis loquatur: nam nova Ecclesiæ præcepta divina non sunt, sed positiva, & Ecclesiastica, ut vocant, potuisset tamen paulò clariùs mentem suam aperire; præsertim cum in eo sensu, in quo benigniùs illius verba intelligo, ne minimæ quidem difficultatis umbra esse videatur. Quis enim nescit, divina præcepta diversa esse à præceptis Ecclesiæ, hoc sciunt pueri, quibus prima fidei rudimenta traduntur; unde mihi mirum non accidit, quod illius verba, in alio sensu intellexeris, quem prima fronte præferre videntur, & in quo manifestus error est, omnibus fere hæreticis communis, qui Ecclesiæ præcepta non admittunt.

33 Pithanoph. Ægrè admitto excusationem; sed demus hoc, ut tibi morem geram; hoc tamen non vetat, quin multi errores, qui nullam admittunt excusationem restent, v. g. quod dicat, argumentum contra hæreticos duci non posse ex generali consensu præsentis Ecclesiæ, & recentibus Ecclesiæ decretis, de re fide credenda, quæ in Scriptura & traditione non contineatur, clarè scilicet, & expressè; cum tamen repugnet in adjecto, ut ajunt, generalem consensum Ecclesiæ, nec non decretum esse de re aliqua, quæ in Scriptura, vel traditione implicitè saltem non contineatur; quod neget, nupera illa inventa definiri posse ab Ecclesia; nimirum immunitatem Deiparæ ab originis noxa, quam definiri posse, certum est; alioquin frustra Pontifices dixissent, nondum esse definitam; quod nolit, fidei dogmata recèns definita antiquis paria esse, quod velit, non esse licitum, novis argumentis hæreticorum errores impugnare; cuncta hæc, ut mitissimè loquar, intra paucas paginas errores multiplicant.

34. Antim. Hoc ultimum contra auctores Societatis & scientiam mediam, nominatim autem appellat Molinam & Petavium, aliosque plures in genere, qui ut diserte asserit, cum Pelagianis & Semipelagianis ita consentiunt, ut istorum argumenta pro Augustini solutionibus habeant, nec non præ se ferant, cogitatam nuper à se pugnandi methodum & sententiam, ad victoriam ex hæreticis reportandam, necessariam esse; scientiam mediam intelligit, qua utimur,

utimur, ad conciliandam cum gratia efficaci libertatem? reponere facile possem, idque non sine fœnore, nisi per decreta Pontificia hoc vetitum esset; quibus iste Baro non pepercit; ac proinde cum in graves censuras incurrerit, auctor ipsi essem, ut absolutionem procuraret, ne in censuris insordescere dicatur: ut ut sit, falsum est, imò falsissimum, auctores Societatis Pelagianis, aut Semipelagianis consentire; hanc notam Suarez, Annatus, aliique magno numero luculentissimè diluerunt; falsum est, scientiam mediam nuperum inventum esse, & Semipelagianorum argumentum contra Augustinum; sed hoc, inquit, à nullo negari potest, nisi rudis & ignarus sit controversiarum de gratia & libero arbitrio; Deo gratias, retorquere facilè possem; quisquis Suarem, Molinam, Annatum & alios hujus controversiæ rudes & ignaros esse dixerit, næ ille plus quam rudis, ne rudentem dicam, censendus est; intelligimus hujus controversiæ statum, & in quo dissentiunt partes, & facilè excurrerem, si per decreta Pontificia liceret; sed cum non liceat, sustineo, dixisse contentus, nostram sententiam doctrinæ Augustini & Doctoris Angelici probè consentire, ac proinde nuperum inventum non esse antiquis ignotum; non negamus quidem, occasionem tulisse, ut res ista longè fusiùs & accuratiùs à recentioribus discuteretur; nec enim opinor, invenies apud antiquos Theologos, quicumque tandem sint, quinque justa volumina, de hoc argumento, quæ unus Suarez de suo in causam communem contulit; negamus tamen, nostram sententiam, quæ Calvinianæ opponitur, ex diametro, vel Doctoris Angelici placitis vel dictis Augustini, vel Pontificiis decretis adversari; neque hoc, ut temerè judicat Baro, tacita conscientia agnoscimus: quod autem ii, qui sperant, doctrinam oppositam, de gratia per se intrinsecè ac præcisè efficaci, nimirum prædeterminante, decreto tandem Pontificio eversum iri, pessime fidei causæ consulant, & male de Ecclesiæ perennitate sentiant; constanter assero, falsissimum esse & à notoria veritate alienum; nunquam enim Ecclesia nostram doctrinam damnavit, sed delatam à sociis Baronis, immunem ab omni nota absolvit; imò præmissa Jansenii damnatione, quantum inde nostræ sententiæ accesserit, nemo non videt, nisi rudis & ignarus hujus controversiæ; falsum est etiam illam Augustini doctrinam, quam tot Pontifices approbarunt, nostræ oppositam esse, vel eandem, cum sententia prædeterminantium: hæc quidem vera sunt. 1. Eandem esse gratiam efficacem prædeterminantium, Jansenii, & Calvini; nimirum gratiam per se intrinsecè ac præcisè efficacem, quod P. Sebile in suo Thomistico interprete ultro fatetur. 2. Jansenium ex hoc principio, suas illas propositiones ab Ecclesia damnatas deduxisse, & Calvinum suos errores de merito & libertate. 3. Thomistas negare prudentissimè prædicta sequi ex illo principio, ac proinde si hæc fortè illis opponantur, illico negant consequentiam. 4. Illos omnes unanimi consensu asserere, dictum principium esse Augustini, imò & eadem sancti hujus Doctoris loca in hunc finem ab iis adduci. 5. Semipelagianos scientiam mediam agnovisse; sed agnovit etiam Augustinus, agnovit David, agnovit Christus, nimirum quo ad rem ipsam. 6. Semipelagianos malè usos esse scientia media, nimirum ad inducenda merita conditionatè tantùm futura; quæ cum Augustino & Ecclesia Jesuitæ omnes rejiciunt, qui tamen hac scientia utuntur, ad dirigendum Dei decretum de gratia efficaci secundùm propositum, sine quo libertatem salvari posse non putant; cuncta hæc vera esse, constat, citra omnem disputationem.

35. Pithanoph. Hæc profectò urgeri possent, ac retorqueri argumentum, sed cum minimè liceat, cautè abstinuisti, ad alia igitur orationem convertamus, *pag.* 18. ejusdem præfationis dicit, per decreta Pontificia, opinionem probabilem confixam & eversam fuisse; statura scilicet hac regula, de tutiore parte tenenda in dubiis; quia, inquit, idem est in dubiis, & in probabilibus, tum Atheismum in Probabilistas regerit; imò quidquid ab Ecclesia nascente Hæreseon Infernus evomuit, atque adeò omne vitiorum, & errorum genus; modestè omnino ac religiosè; ut Pelagianos hucusque, immeritò licèt, vestros auctores alii traduxerat; hoc parum erat; ad ultimam metam hoc convitiorum argumentum Baro strenuè promovit: quid ad hæc responderes Antime? non ita regulam illam auctores vestri; ac præcæteris, doctissimus Suarez, ut fusè dictum est in superioribus congressibus: negamus etiam, nos in dubiis versari, quando opinione certò probabili utimur; cum judicium practicum certum nobis præluceat, quod sequitur ex certo modali speculativo; sed hæc ad nauseam supra, & fortè adhuc infra; denique falsissimum est, per decreta Pontificia opinionem probabilem confixam fuisse; huic Homini perindeatque iis, quibus fœdere conjunxit sese, id solemne est, ut etiam in nororiis, mille jactent falsitates & vobis imponant.

36. Antim. Fruſtra certè in his diutiùs, & hæc de præfatione sint satis; omitto enim, quæ sub finem ejusdem præfationis habet de laudibus D. Fagnani, ubi dicit, nulli unquam mentem omnium Romanorum Pontificum, qui à S. Petro ad nostram usque ætatem in ejus Cathedra sederunt, certiùs compertam fuisse; nihil eum latere; vim legis habere illius judicium; certò futurum fuisse Papam, & superaturum annos Petri, nisi cœcitas obstitisset; sed hoc ad scientiam mediam revocatur: & *in Epist. ad Caramuelem, pag.* 7. nullum mortalium reverentiùs habendum esse, nullum excipit, nihil ad hæc; quid enim? sapientum judicio reliquenda; Eloquentiæ specimen Baro edere voluit; ut in satyra, ita in panegyrico.

37. Pithanoph. Vis, omittamus Epistolam ad Caramuëlem; in ea tamen non pauca notanda essent, & censoriam virgam postularent; quàm enim multa spargit mordacia, *pag.* 5. *de Epistola*, luditillum, captata nominis allusione famosi illius Angliæ protectoris seu Tyranni *Cromve*; sed quantum discrepet nomen quadrisyllabum *Caramuel* à dissyllabo aut trissyllabo *Cromvel*, nemo non videt, & hæc est potiùs puerilis illusio, quàm ingeniosa & prudens allusio, *pag.* 12. Alexandrum VIII. bonæ memoriæ convitiorum Caramuëli aspersorum auctorem facere videtur; quæ certè glossa in verba, aut mentem Romani Pontificis minimè quadrat, & sacrilegii speciem præfert, *pag.* 8. vult, Jesuitas auctores fuisse Caramuëli, ut adversùs D. Fagnanum scriberet: falsum est, mi homo, & tetra calumnia; profert tabulas, alioquin merus impostor audies: imò etsi verum esset, an fortè moralis Theologia ab his hominibus restaurata tertiæ linguæ vitium permittit? *pag.* 15. *& seq.* contra Theologos multa spargit, & eos, quos damnavit Ecclesia defendere videtur, quasi absoluti fuerint, confixa nimirum apologia Theologorum moralium; quasi verò supremi hujus censoris arbitrio Ecclesia reliquerit, suorum decretorum causas interpretari, vel potiùs divinare; confixa est apologia, fateor

tum nitro, qua vero de causa, quis amabò illi persuaserit, utut sit Wendrockio & Sociis hoc loco opus favet, Theologis verò non res solidas, sed meras subtilitates attribuit: quod autem ibidem dicat omnes Theologiæ scriptores, in SS. Patrum assertione, ut primo loco habet, à D. Fagnano deceptum fuisse, non cujuscumque, sed *gravioris*, ut debebat, administrationis: Gravissimo igitur scelere Urb. VIII. obstrinxit se, qui eumdem etiam à longiore Correctoris S. Pœnit. officio abdicavit; sed hæc sunt plusquam putidæ assentationis monstra. dominis scilicet prensantis potentem dexteram & quæ patrocinium, de quibus *in Decade*. Sed de his satis, quibus vix scrupulus boni succi inest; ad ea, quæ tibi, & Stubrockio, Vincentius Baro, perperam, opinor, opposuit; & collegendo discutiamus, quàm gravis & firmi sit ratiocinii.

2. ANTIM. Optimè dixisti, mihi & Stubrockio; cum utrumque ut plurimùm conjungat, nullum enim, nisi, quem mihi sortes paginarum offeret, ordinem, sequar, *disp. 1. sect. 2. a. 1. pag. 13 & 14. 1. edit. Paris.* eumdem impugnat Baro Stubrockium in hunc modum: *Nec alicujus momenti est, quod urget Stubrochius, cum Wendrochium; probabilitas*, inquit, *ignorantiæ valeat ad amolienda peccata; si hæc apud te ratio, quæ umbram opinionis & securitatis fundamentum, valeat; hos ego, nimirum medicos, judices, ministros Sacramentorum, eximis à probabiliore sequenda*; quamobrem *non possunt evidentem rerum notitiam sibi comparare.* Hæc ille, quo loco, non dicit; divinandum datur de industria; ne lector suis oculis falsitatem calumniam statim deprehendat, si locus apertus; aut videat, auctorem à Barone male impugnari. Illud autem huic homini solemne est; quod jam sæpenumerò castigarunt: ne tamen hoc etiam inultum relinquam, legamus Stubroc. *not. 1. in notas epist. 5. sect. 1.* ubi postquam retulit duo dogmata Wendroc. quæ catholica, si superis placet, quorum primum est, *probabilis falsa in jure naturali, à peccato non liberat*; Wendroch. insurgit: *præterea pro indubitato firmatæ primum illud habes*; nimirum illud quod *pugnavi; Lutheranæ quidem, & Ianseniane, sed non falsa, deliras, opinor, aut certè somnias Wendrockii tui te ad insaniam redigunt, opinio probabilis falsa*, etiam ut talis minimè cognita, *peccato non eximit* tamen, *inculpatus scilicet, & ignorantia invincibilis* non, quod nemo neget nisi Hæreticus, aut Ianseniauus, *potiore jure opinio probabilis, quantumvis falsa; tu verò* contrapositum adstruis, *ignorantiam tuam non invincibilem sed credibilem palam facis, quis enim nescit, multa esse, quæ ignorantia nos excusent, & quibus utrumque probabiliter tantum dubitemus, utrum sint naturali jure vetita? igitur quisquis eorum fecerit, fide quantumvis bona, te judice, peccabit, nempe reus delicti, cujus peccatum fubit. sed vide fis, ne quis alterum injuste judicas, te ipsum justè condemnes: quid verò respondebis, si in controversiis juris naturalis, frequentissime facienda, dubius quispiam, adhibita scilicet mediocri studio, diligentia, te consulat, si neges debere restituere, aut certe retinendi rem alteri forte debitam: si verò neges, geminam culpam contrahes, quia consulenti onus imponis, id est, indebitum forte imponis, quod digito nolles tangere, & alter quod sibi forte non competit injustè reciperet, scilicet auctore: Undique igitur angustiæ*: hæc ille, quæ nullius momenti esse, Baro uno verbo asserit, viderint æqui rerum æstimatores; nempe si bona fides errantem & ignorantem peccato eximit, potiore jure, opinantem, qui certus sit, uti reverà est, in usu opinionis probabilis, peccatum non inesse, nullam enim aliâ Stubrockius nobiscum sentiens probabilem opinionem admittit, nisi quam certum sit, esse probabilem, ac proinde certum, illius usum illicitum non esse; si excusat, inquam, bona fides facientem per errorem inculpatum, id, quod certò malum & peccatum est, ac proinde peccantem materialiter, certò potiori jure excusat utentem opinione certò probabili, qua & malum objectum non esse, probabiliter cognoscit, & cujus usum illicitum non esse, certo judicat, unde nullo modo peccare materialiter dicendus est, ut ille, si hæc ratio nullius momenti est, ut censet Vincentius Baro, ille locus argumentandi, quem vocant à minori ad majus, ex Topicis expungendus est, & quo Christus Dominus tam appositè interdum usus est; ut illud, *si hæc in viridi, quid in arido*; præsertim cum ita exponi possit, ut ad geometricam etiam certitudinem promoveatur, verbi gratia, ut in momentis sistamus; si momentum ut duo superat momentum ut unum, potiori jure, momentum ut tria momentum, ut unum superabit, ita prorsus, si bona fides id excusat, quod certum est, peccatum esse, potiori jure, illud excusat, quod certò probabile est, peccatum non esse.

39. PITHANOPH. Præterea hoc loco Stubrockius loquitur etiam de opinione probabiliore, cum æquè falsa esse possit; nempe dogma illud Wendrochiarum, in quamlibet opinionem falsam cadit & quadrat, igitur & in probabiliorem, quæ falsa esse potest, quis autem neget, probabiliorem culpæ eximere; ut omnes ferè probabilioristæ constanter asserunt, excepto Baronе isto, cum uno dumtaxat, vel altero, qui reverà, si cum omnibus aliis tum probabilistis, tum probabilioristis comparentur, pro nihilo habendi sunt: sane miror in hoc Baronem à suo Fagnano discedere, qui disertè asserit, *cap. ne innitaris, de constit. num.* 110. licitum esse, opinionem probabiliorem sequi; item *num.* 225. 228. & 345. etiam si opposita, nimirum minùs probabilis, tutior sit; quamquam perperam censeat, probabiliorem esse moraliter certam, quod jam in Augustino de Angelis efficaciter, meo judicio, refutavimus: nemo igitur, saltem qui rem intelligat, hanc consequentiam neget: bona fides errori conjuncta peccato eximit, igitur potiore jure, bona fides opinioni, seu judicio verè ac certò probabili speculativo, & judicio certo practico conjuncta peccato eximit, nihil aliud Stubrockius: unde corruit Baronis argumentum; hæc enim ratio medicum, verbi gratia, à probabiliori sequenda non liberat, quia bona fide minùs probabile medicamentum adhibere non potest, neque est certò probabile, quod possit, hæc centies dicta & inculcata fuere, sed quid faceres, abacta musca semper redit: accedit, quod falsum est etiam illud, quod addit, nimirum hoc unicum esse nostræ sententiæ fundamentum; nempe hoc tantùm è re nata Wendrockio repositum, perversum illud dogma opponenti; nimirum nullam opinionem probabilem falsam peccato eximere, idque præscindendo à nostra sententia, de minùs probabili licita, cum scilicet, vel ipsa probabilior falsa esse possit, alioquin certa omnino esset, certam autem esse repugnat in adjecto, ut supra demonstratum est: sunt igitur alia nostræ sententiæ fundamenta, de quibus suo loco fusè ac solidè actum

est; illud præsertim, quod ex certo judicio de probabilitate, gravi & sufficiente motivo, prudenti assensu, prudenti electione, certum judicium practicum, de licito usu ejusdem opinionis probabilis, necessario sequatur.

40. ANTIM. *Sed, inquies*, pergit Baro Stubrockium alloquens, *qui opinionem minùs probabilem sequuntur, nihil damni inferunt proximo, neque sibi ullum asciscunt periculum, neque Deum alla injuria afficiunt, neque à lege sibi nota aberrant, vel à ratione & prudentia*; judicares statim, à Stubrockio hoc dici; sed ne verbum quidem apud illum; & verò si hæc pro responsione adduceret, ridiculus esset, quia licèt ea verissima sint, peteret tamen principium; cum adversarii teneant, periculum peccati inesse, ac Deum offendi; quo dumtaxat vitio dicta responsio laboraret, non multis aliis, ut Baro *ibid.* quod autem, ut dicit, afficta, seu fictitia illa responsione, nostræ sententiæ vis tota contineatur, ridiculum est, falsum item, quod nullo verisimilis argumenti genere probetur, nisi fortè auctoritate recentiorum Theologorum, qui à 30. annis scripserunt: qua fide hæc omnia scribat, perspicuum est; quot enim verba, tot falsitates, ex iis omnibus, quos in aliis congressibus, in hanc rem adduxi, pauci sunt, qui ante 30. annos non scripserint, solvat autem Baro si potis est argumenta à nobis proposita, & erit mihi, ut jam ibi, magnus, non jam Baro, sed Baronius, sed quid solvi ab eo argumenta postularem, qui vel ipsam definitionem opinionis probabilis non intelligit, de qua paulò post, iis ergo argumentis nostræ sententiæ vis continetur, non responsione illa fictitia, quam per manifestam fraudem, Stubrockio assuxisse, ingenuum, ac præsertim religiosum auctorem non decuit: satis fuit huic auctori Wendrockium in hoc imitanti, iis scripsisse, atque adeò quamplurimis, in quorum manus Stubrockii liber nunquam veniet; hoc enim satis magnum lucrum esse putavit, quamvis fraude, dolo & malis artibus comparatum.

41. PITHANOPH. Sed nostra sententia testimoniis SS. Patrum destituta jacet, ut Baro exprobrat, & nostri Barone teste, profitentur; nullus, inquit, ab iis, vel scripturæ, vel Patrum locus affertur, quod satis esset, ad illius vanitatem ostendendam: Respondet, inquit, *pag.* 93. & passim alibi Stubrockius SS. Patres hanc doctrinam supposuisse, non probasse, sed hoc est, inquit, causam probabilitatum prodere, non defendere, & Hæreticorum calumnias in Theologiam confirmare; quas deinde calumnias approbat & donat suo calculo, uti paulo ante objectationem Wendrockii: nunquam enim Patres illam prætermisissent, veritatem, inquit, quæ totius Theologiæ moralis puppis & prora est, tum deinde sub finem paragraphi, te & Stubrockium appellat, & ea brevi expensurum se dicit, quæ animarum saluti, & Theologiæ dignitati parum consulentes de laxiore illo probabilitatum usu, cavillis & distinctionibus metaphysicis statuistis.

42. ANTIM. Quis dicat, Scripturæ & Patrum locis prudentem rerum humanarum usum destitutum esse? quoties in Scripturis prudentia, & à SS. Patribus commendatur? quid quæso aliud Patres, nisi ut peccatum & peccandi periculum homines fugiant? utrumque fugimus, quotiescumque certi sumus, à tali usu peccatum abesse; frustra igitur Patres, quæstionem illam movissent, an scilicet ii peccent, qui certi sunt, se non peccare: ego & Stubrockius, nihil aliud dicimus, & diserte negamus, quamlibet probabilitatem ad hoc satis esse; volumus enim conscientiæ certam, certam item probabilitatem, non dubiam, quid igitur eorum, quæ certa sunt, confirmationem quæris, vel in scriptura, vel in Patribus? an fortè D. Thom. non satis est, qui diserte docet, eum non peccare, *qui ex contrariis opinionibus, in nullam dubitationem inducitur, quodlib.* 8. *art.* 3. de quo *infrà*; nunquid Leo *epist.* 92. à S. Antonino adductus 1. *p. tit.* 3. *c.* 10. §. 10. qui etiam docet, in obscuris & dubiis, id sequendum, *quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inventur adversum*: Nunquid August. *hom.* 40. cujus illud dictum est, *tene certum, dimitte incertum*, & alia multa; nunquid hæc in nostram sententiam quadrant? quæ & omnem dubitationem abigit, cum in conscientiam certam resolvatur, & nihil admittit, quod præceptis Evangelicis, vel decretis SS. Patrum adversum sit; & nullam opinionem approbat, cujus usus certus & tutus non sit: imò vix unum ex iis locis, quæ pro se adversarii allegare non cessant, esse video, qui nobis æquè, aut etiam magis non faveat; ut consideranti patebit; videatur Stubrockius *sect.* 2. §. 2. Deinde reprehendit Stubrock. quod responderit Wendrock. *sect.* 3. §. 3. SS. Patres supposuisse, humanas actionibus certam & evidentem cognitionem sæpe non prælucere; certum esse, v. g. Christianum lege Ecclesiastica ad jejunium teneri; certum item, infirmum, eumque, qui propter laborem, plus cibi postulat, non teneri; an verò teneatur, qui aliqua, sed non ita gravi infirmitate laborat, incertum est, & utrimq; adductis rationibus probabilibus disputatur, nec dubium, quin Patres hanc doctrinam, vel ipso naturæ lumine notam semper supposuerint; quasi verò, Doctorum auctoritas in rebus certis desideretur, & illum ridiculum concionatorem imitari debeamus, qui ut solem splendere probaret, Plin. citavit; aut illum I. C. qui Bald. aut Bartol. aut alium semper citabat, in rebus etiam per se notis: optima igitur Stubrockii fuit responsio; nec propterea causam perdidit, aut prodidit, aut Hæreticorum in Catholicos calumnias confirmavit; imò apposita fuit illa responsio: accedit, quod multa Patrum, aut Scripturæ loca Stubrockius adducere poterat, etiam plusquam centena, nimirum illa omnia, quibus certam conscientiam esse debere probarunt Comitolus, Mercorus, Merenda, Fagnanus, & quidam alii; nihil enim aliud ex iis locis evincitur; quamvis ii perperam ex iis colligere voluerint, minùs probabilem illicitam esse; sed quid inde sperari potuisset? ea quippe loca, suo modo, adversarii, intelligi & explicari voluissent.

43. PITHANOPH. Retorquere potuisset argumentum Stubrockius; ut enim apud Patres in terminis hæc propositio non extat, *opinio minus probabilis illicita est*, ita neque illa, *opinio minus probabilis illicita est*; & verò nihil habent loca illa, quæ citat Wendrockius *sect.* 2. §. 2. Baro tamen *disp.* 2. *sect.* 2. *art.* 3. §. *ult.* Patres nobis adversari dicit, item *sect.* 5. *art.* 3. §. 1. Sed ne unum quidem ibi locum ex SS. Patribus appellat: *art.* 2. §. 1. citat Paul. ad Rom. *cap.* 1. ubi Gentilium Philosophos impietatis & injustitiæ insimulat, quod cùm Deum cognovissent, non tamen glorificassent; sed idola & creaturas coluissent; & miratur Baro, hunc locum à Wendroc. Mercor. Merend. aliisque omissum fuisse; sed quis inde concludat in hunc modum, *ergo non licet uti opinione vere ac certò probabili*; quid quæso aliud hoc loco Apostolus, nisi quod gentiles illos ignorantia peccato non exemerit, cum invincibilis non fuerit, sed satis ipsi luminis à Deo accepissent, ut Deum cognoscerent, & à visibilibus ad invisibilia cogitatione pervenirent; sed

quid

hæc ad noſtram ſententiam ? quaſi verò ſit opinio probabilis, Deum non exiſtere, vel Idolum eſſe? probabilis, Deum non exiſtere, vel Idolum eſſe? videndum; apage iſtas nugas & blaſphemias; ſed vide quidò; quomodò ratiocinetur hic auctor; vel Paulus, quia, eos damnat, qui probabilem Dei cognitionem habuerunt, vel eos, qui evidentem; ſi primum, falſum habuerunt, vel eos, qui evidentem; ſi primum, cum etiam probabiliter cognoverint, Deum non eſſe, probabilitas illos peccato non exemit; ergo nec hæreticos; nec ullum alium; ſi alterum, ergo cum ii omnes fuerint, durum dictu eſt, in eos dumtaxat iram Dei & damnationem Pauli cecidiſſe, non verò in Epicurum, Democritum, alioſque magis impios: Hæc egregia eſt Baroniani ratiocinii ratio, tot fere labo-rantis vitiis, quot verbis conſtat; Primò disjunctivam propoſitionis, quæ omnia membra non continet; nam reſolvi poſſet, ut per errorem, probabile eſſe credi-derint, quod tamen probabile nec eſſe nec dici poſſit, nimirum, eſſe plures Deos: 2. cum ſatis non ſit, probabiliter tenere, ſeu credere, unum Deum eſſe, cum omnes ad ſalutem certa fide credere tenentur; aliquid dubiè ex primis illis notionibus, de Deo ultra tenere tenebantur; donec tandem, affulgente divinæ gratiæ lumine, certa fide in illum crederent; quod cum facere omiſerint, graviter deliquerunt, ut ait Paulus: quid porro hæc ad opinionem probabilem? conficiant, non video, nec viderunt tam multi, tam olim Pauli Interpretes; unus Baro videt; quamvis in eodem illum tum Merendæ, tum Mercori diligentiam elogiis videſ Antime, quàm inania hic auctor, ſed verum dico nullum mihi ſcripturæ, nullum SS. Patrum, nullum Conciliorum, nullum Romanorum Pontificum diſertum locum, nec Baro, nec quivis alius compellabit unquam, ex quo directè ac certò, directa, probabiliter, concludatur, opinionis verè ac ſolidè probabilis uſum illicitum eſſe; immo quamplurimis occaſione, cum de facto agatur, certare paratus eſt Annat Baro, ſed alia quæſo loca expromat, quæ non quæ à Merenda, Mercoro, Fagnano, adducta fuere; omitto Wendrockium, Hæreticum ſcilicet hominem, quem in ſocietatem Catholicorum auctoritate admitterenolim, unde eſt, quod mirentur omnes, tam impudenter ſe geſſiſſe, ut hunc idem tidem laudet, amplectatur atque defendat; Stubrockium verò Catholicum hominem, qui Wendrockium egregie refellit, perpetuò fugillandũ, immeritò ſanè ſuſcipiat.

5. ANTIM. Illud præ cæteris, quod innuiſti obiter, impenſiùs inculcandum eſſe putarem; nimirum Baronis & adverſariorum ſententiam eodem recidere, immo longè majore quàm noſtra vitio laborare; dicunt enim, teneri nos ad probabiliorem; quidquid enim de tutiore dictitant, futile eſt, cum nullam amplectamur, quæ tuta non ſit, tutior autem una quàm alia non ſimul ter & propriè dici non poteſt, quia eſſe tutum in individuo poſitum eſt, illa enim actio, vel omiſſio tuta eſſe dicitur, quæ peccatum & proximum peccandi periculum certò excludit, ex quo tota Baronis & adſectatorũ penitus corruit, itaque, dicunt, nos teneri ad probabiliorem, cedo quæſo diſertum ſcripturæ locum, aut ſanctorum Patrum; diſertum, inquam, quis unquam admittat loca illa Wendrockii, quibus aliud non quàm probatur, ut clariſſimè demonſtrat Stubrockius ſect. 2. §. 2. fruſtra ringente, ſeu reclamante Baronio; quis item illa, in hanc rem, à Merenda, Fagnano, Mercoro adducta, quibus certa dumtaxat concluſio evincitur, quam ultro admittimus; proferant tandem aliquem locum, quo diſertè dicatur, teneri ad probabiliorem, in omni ſcilicet materia, nec ullum illud exigant, cum enim illi hoc onus imponant, actorum perſonam ſuſtinent, nos verò reorum; actoris autem eſt ea probare, quæ adſtruit: Rei verò dumtaxat negare; rationes à Wendrockio allatas, Stubrockius ſect. 2. §. 3. luculenter difflavit; unde tamen modicam laudem, cùm vix rationum umbram, ſeu ſpeciem præferant; vis tandem, dicam, quod ſentio, ſi à me ultra tanta ſolicitudine aliquem locum exigant ex Evangelio, contra illorum ſententiam, præter illum, fidelis & prudentis ſervi, illum ipſum minùs licèt expectatum iis opponam; quem & ipſe Chriſtus Phariſæis oppoſuit, *imponunt onera gravia & importabilia, digito autem ſuo nolunt removere.*

45. PITHANOPH. Sed ne diſcedamus ab hoc loco, eadem repetit Baro *diſp. 2. ſect. 5. art. 3. §. 1.* ubi habet verba Stubrockii *ſect. 3. §. 3.* nimirum non eſſe dubium, quin SS. Patres hanc doctrinam ſuppoſuerint, &c. ut *ſupra*; quibus annuit, cùm ſtatim ſubnectat illud ſuum *ita eſt*; ſed concluſio, quam ex iis deducit, inquit, ignota eſt Patribus, qui ſemper clamant, in dubiis tutum ſequendum eſſe; quænam porrò ſit concluſio, ex præmiſſis à Stubrockio deducta, non video, non invenio, in toto illo §. nec alibi; qua enim concluſione opus erat Stubrockio? data enim illa reſponſione, quam Baro admittit, cum illo ſuo *ita eſt*; res confecta erat; quid enim juvaret, loca Patrum, in eam rem, addenſare, quam ipſi vel ipſo naturæ lumine notam ſtatuerunt; at ſibi contradicit Baro, cùm ſtatim poſt tres, aut quatuor lineas ſubnectat, quolibet articulo fidei dictam reſponſionem creditu difficiliorem eſſe; quibus repugnat illud *ita eſt*, de quo ſupra. Addit ibidem, ex ſcripto Stubrockii loco, ex ultima nota *in 5. epiſt.* in quo habet, certas morum regulas, quæ in libris Patrum habentur, à Theologis ſtatui, non verò de illis diſputari, ſed de ſingularibus quæſtionibus, quarum ſolutio ut plurimùm ab aliquo textu, aut canone, &c. petenda eſt: fruſtra igitur apud SS. Patres, qui ante hujuſmodi leges ſcripſerunt, ſolutio illa inveſtigaretur; quid ad hæc Baro? putat, inquit, Stubrockius, ſe reſpondere, ſi non taceat, & argumenti diſſimulet difficultatem; ſed agedum quæſo, videamus; oppoſuerat Wendrockius, loco citato, nimirum *not. 5. in epiſt. 5. pag. mihi* 114. Filiucium, Reginaldum, &c. vix aut nunquam appellare venerandæ Auguſtini, Chryſoſtomi nomina, cùm tamen ſinguli penè verſus recentiorum nominibus locisque perſtrepant; ad hæc reſpondet Stubrockius Wendrockio, uti & Annatus antè reſponderat, morales Theologos de iis argumentis & quæſtionibus ut plurimùm diſputare, v. g. de ſimonia, cenſuris, irregularitate, Sacramentis, contractibus, aliiſque hujuſmodi, quæ apud SS. Patres nullus inveniat; hoccine eſt diſſimulare difficultatem? hic tuam fidem, Vincenti Baro; provoco ad cujuslibet lectoris etiam præoccupati judicium; nec enim Wendrockius eo loco de probabilitate, vel minimum verbum fecit; miror hominis confidentiam, vel potiùs audaciã; crediderat fortè, nunquam ejus librum in noſtras manus venturum, auctorem certè minùs fidelem ac religioſum nunquam reperi; & ne hoc omittam, ſub hujus finem §. poſtquam Wendrockium & Janſenium defendiſſet, quantumvis diſſimulet, de ignorantia invincibili peccato non eximente, & decretum fuiſſe, cum iis, dixiſſet, à Concilio Dioſpolitano, in quo hic Pelagii error damnatus eſt, *ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm neceſſitatem*, Pelagius enim admittebat, teſte Aug. ignorantiam vincibilem peccato imputari; ita concludit: ſatiùs fuiſſet, inquit, reſpondiſſe ſemel Stubrockium his auctoribus, nimirum Janſenio, & Wendrockio,

quàm singulis paginis, eos accusasse hæreseos, nulla probatione allata, nulla solutione adhibita eorum argumentis, quæ faciliùs putavit contemni posse, quàm infringi; quis unquam inter Catholicos liberiùs hæreticos defendit? auctorem catholicum ita scribere, mirari satis non possum; sed tolerari, approbari, laudari, obstupesco; hæc tamen abs re, omnino; Stubrockius nunquam Jansenio, eo saltem opusculo, refellendum suscepit, sed unum dumtaxat Wendrockium, qui tamen eo loco de ignorantia invincibili, aut de Concilio Diospolitano nihil prorsus; sed tantùm *not.* 1. *in quartam epist. pag. mihi* 47. ubi habet, definitum esse contra Pelagium, dari aliqua peccata ignorantiæ; sed hæc refutarat Stubrockius *not.* 1. *in* 4. *epist.* Nimirum hæc dici de ignorantia vincibili, quæ certè peccato non eximit; nam invincibilem peccato eximere, certa fide tenendum est; damnata scilicet tertia propositione, qua Jansenius peccari ex necessitate adstruxerat: nec refert, Pelagium admisisse vincibilem culpæ imputari, quia de hoc capite, ne verbum quidem extat in d. Concilio apud Binium; apud Augustinum verò *de gest. Pelag. cap.* 18. legimus, hunc errorem Pelagio ab Episcopis in dicto Concilio congregatis, oppositum fuisse, *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem*; quem locum perperam Baro, Jansenio in hoc adhærens, intelligit; cùm ita intelligendus non sit, à Patribus damnari eos, qui facta ex ignorantia invincibili peccato eximunt, quia scilicet fiunt ex necessitate, non verò ex voluntate; sed damnant eos, qui dicerent, ignorantiam nunquam subjacere peccato; quia semper necessaria est, & nunquam voluntaria, qui verus est dictorum verborum sensus; unde is profectò erraret, qui semper ignorantiam peccato eximeret, quia semper necessariam esse putaret, & nunquam voluntariam; item ille, qui nunquam eximeret, quia semper voluntariam; primo modo errabat Cælestius, secundo Jansenius, Wendrockius & fortè Baro; ii verò, qui rectè sentiunt, dicunt, aliquando ignorantiam peccato eximere, quia est necessaria, quam invincibilem vocant; aliquando non eximere, quia voluntaria est, saltem indirectè; & hæc est crassa, affectata, &c. Ne igitur Baro doleat, Wendrockium à Stubrochio hæresis insimulari; nimirum quo ad hæc, & alia hujusmodi, quæ apud Catholicos hæretica esse, constet; alioquin non deerunt, qui dicant, illum pro suspecto habendum esse; alio modo, eoq; optimo, locum illum auctores nostri explicant, ac præ cæteris doctissimè Annatus, *in suo August. à Bajanis vindicato, lib. 6. cap.* 8. ostenditque, ignorantiam illam necessitatis illam tantum esse Pelagio, quæ naturæ dumtaxat viribus excuti, seu vinci non potest: sed jam ad tua progrediamur.

46. Antim. Ad *disp.* 1. redeo, *sect.* 2. *art.* 2. §. 2. ubi meam definitionem opinionis probabilis à me adductam impugnat; dixi enim, opinionem verè probabilem illam esse, quæ ex rationabili motivo procedit, citra certitudinem; illud autem rationabile, seu grave motivum appello, quod licèt vi objectiva assensum non extorqueat, ad assensum tamen prudentem movet: hîc statim Baro insurgit; conveniebat, inquit, hoc fundamentum paulò solidius esse, ne eadem facilitate negetur, quâ asseritur; verbum enim huic definitioni inseritur, quod summa est totius, quæ fervet, controversiæ; si velis, inquit, me compellans, synonyma esse, *prudentem & probabilem* opinionem, quamvis minùs probabilis prudenti ac rationabili argumento nitatur, tenebras, non lucem disputationi offundis, & tuo tantùm privato sensu definitionem, ad tuum commodum, fabricas: sustine parumper, admodum Reverende, & videamus, an possit esse alia definitio opinionis verè probabilis; nec enim fictam, fictitiam, & spuriam probabilitatem hîc definimus, sed veram atq; germanam, immò vera & spuria eadem definitione non gaudent; uti nec homo verus, & fictus, seu pictus; videamus igitur, an nostra definitio legitima sit & solida; ex eo ni fallor potissimum probatur, definitionem legitimam esse, quæ & omni, & soli definito ita convenit, ut per illam explicentur ea, quibus definitum constituitur, & ab omni alio distinguitur; de his, ni fallor, convenies mecum: primò dicit actum opinativum, id est, formidolosum, quod à me expressum est, per illud *citra certitudinem*; per id autem distinguitur ab omni actu intellectus, seu certo tantùm, qualis est actus divinæ fidei, & conclusionis Theologicæ, seu certo simul & evidente; per illud etiam, *actum opinativum*, distinguitur à puro dubio, quod negativum vocant; de his quoque non dubitas, sed non satis est, ab iis tantum distingui, opinionem verè probabilem; sed etiam ab improbabili distinguenda est, ut nemo ignorat: per quid porrò? per motivum, haud dubiè, sine quo actus opinativus esse non potest; igitur vel motivum est grave & rationabile, vel leve, ac proinde non rationabile; nemo neget, ita rem se habere; si primum; est opinio probabilis; si alterum, est improbabilis; ut autem hæc est opinio probabilis formalis, ut vocant, quæ est actus intellectus, ita est etiam objectiva, quæ per talem actum attingitur; neque in hoc est difficultas: at si motivum grave sit & rationabile, haud dubiè ad prudentem assensum satis est; nec etiam huc usque loquor de usu: demus enim non satis esse, nullus ergo prudenter assentitur, citra certitudinem, quod ridiculum est; deinde si rationabile motivum est, ad prudentiam pertinet, quæ cum recta ratione conjuncta est; & verò, cùm paucissima certa sint, intellectus ferè semper feriaretur, si certis dumtaxat assensum prudenter præbere posset. Præterea negas, prudentem assensum esse, qui ex gravi & rationabili motivo procedit, quod grave esse & rationabile certo constat, negas, inquam, cum uno, vel altero; modò enim ad certam conscientiam, ac certam & indubitatam probabilitatem, eamque veram, non spuriam & apparentem, rem istam restringamus, non dubito, quin Comitolus, Philaletus, & alii ferè omnes admittant assensum illum prudentem esse, qui ex gravi motivo procedit, citra certitudinem, itaque cum prudentia ad forum prudentum & sapientum pertineat, tam multi, tam docti, tam pii, & rerum istarum periti dicunt, scribunt, ac defendunt mordicus, talem assensum prudentem esse; negant verò tam pauci, immo fere nulli, juxta nostrum explicandi modum; certò igitur concludo, prudenter illos asserere, imprudenter verò istos negare.

47. Pithanoph. Fatentur quidem, motivum illud, ex quo procedit assensus probabilior ad prudentem assensum sufficere, sed negant, tale illud esse, ex quo procedit minùs probabilis.

48. Antim. Prævenisti, si enim motivum illud, quod grave est & rationabile, satis est ad prudentem assensum, quod est grave, inquam, ut sex, verbi gratia, negari non potest, quin grave ut quatuor, sit satis ad assensum minus prudentem; in hoc enim semper hallucinantur adversarii, quòd prudentiam in indivisibili constituant, quo nihil absurdius excogitari potest; suscipit enim prudentia magis & minus, intra suam latitudinem, ut vocant, & modò sit

de illud motivi pondus, atque momentum, quod sufficiat ad prudenter assentiendum, opinio probabilis est.

49. Pithanoph. Imò ex hoc manifestum fit, minùs probabile & probabilius, uti minùs grave & grauius, sub eodem genere contineri, nimirum probabile, & gravis; unde probabile præcisè sumptum, quale hoc loco definitur, nec probabilius, nec minùs probabile dicit, ut patet, igitur per quid differt illud probabile præcisè, ab improbabili? per id certè, quod procedit, ut diximus ex gravi & rationabili motivo; sic enim intellectus rationabiliter assensum præbet; si rationabiliter, ergo prudenter; ut perspicuum est; & valde miror, homines id, qui hæc non intelligant, sed malint vitiosis suis definitionibus, quibus implicantur contradictoria, obstinatius adhærere, quàm veram & facilem à nobis porrectam acceptare: vidimus in superioribus congressibus aliquot illarum vitia & repugnantias, quibus etiam duæ definitiones à Barone traditæ non subjacere videntur; *Probabile*, inquit, *dicimus illud, cujus cum de veritate, aut falsitate, præ nostra ignorantia & rei inevidentia, nihil certò nobis constet, aliquam veritatis similitudinem habet, cui assensum damus formidolosum, ne forte falsum subsit, & orichalcum potius sit, quàm aurum dicamus.* Sed rides, Antime.

50. Antim. Quis amabò risum sustineret? mihi hoc exprobrat, quod privato meo sensu, novam definitionem fabricarim, cùm tamen communis sit omnibus rectè sentientibus; per hoc enim opinio à probabilis ab improbabili discrepat, quod firmo illi est, gravi, & rationabili motivo, seu fundamento nitatur; ipse verò ita novam & peregrinam habet, ut quavis sponsione certare velim, apud nullum alium extare; quæ scilicet de tam multis rebus mentionem faciat; nimirum de veritate, falsitate, similitudine, certitudine, verisimilitudine, ignorantia, evidentia, assensu, orichalco, auro obryzo; nihil denique, tantam terminorum farraginem hæc definitio complectitur, ut non tam definitio, quàm homiliæ videatur, unde semoto etiam hoc primo vitio, alia potes, enumera.

51. Pithanoph. Ea dicam, quæ mihi veniunt in mentem; in primis per hanc definitionem opinio probabilis non distinguitur ab improbabili, in quam omnia probè quadrant, etiam verisimilitudo, nisi aliqua verisimilitudo inesset, nullus esset assensus, qui tantùm vero, aut verisimili adhæret: unde quòd ex Barone semper quæramus, quonam modo, & per quid, opinio probabilis ab improbabili distinguatur. Secundò, hæc verisimilitudo, in cujus falsam etiam quadrat; sic orichalcum probè deauratum, auro simile esse dicitur, licèt certus sim, aurum non esse: tertiò, sic omnis opinio esset probabilis, quia omnis assensus opinativus est formidolosus, & fertur in aliquam verisimilitudinem, ut jam dixi; ex his, alia quàm plurima deduci facilè possunt, sed hæc satis esse videntur, ad definitionem illam ut inpuriam & vitiosam omnino rejiciendam, cum tua, quæ communis est, prædictis vitiis careat, & nullo alio laboret: Inde est, quòd de hujusmodi reformatoribus exposturlem, qui hostem sibi faciunt, & fingunt, quem impugnent; nempe ut in laxiores opiniones probabiles invehantur, rationem probabilitatis in eo sitam esse dicunt, in quo revera sitam esse, non concedimus, nempe in mera verisimilitudine, quod falsissimum esse, constat: licèt enim omne probabile sit verisimile, non tamen omne verisimile est probabile: cùm etiam multa improbabilia verisimilitudinem præferant; ratio igitur petenda est, cùm Suare, à firmo & gravi motivo, seu fundamento, citra certitudinem; illud autem ut firmum sit, quod prudenter in opusculo tuo monuisti, repugnare non debet, evidenti rationi, nec veritatibus Ecclesiæ receptis, &c.

52. Antim. Aliam definitionem ibidem adducit, his verbis: *Probabile est, cui verum, aut falsum inesse potest, propius tamen videtur à vero, quàm à falso abesse, & variis argumentis, magis in hanc partem inclinamus*; hæc etiam vitiosa est; primò enim in opinionem minùs probabilem non cadit, cùm hæc propiùs à vero quàm à falso non absit; nec magis in hanc inclinemus: deinde utrique æquè probabili minimè conveniret; immò nulli prorsus opinioni probabili; non minùs, vel æquè ut modò dictum est; nec etiam probabiliori, quam hic auctor cum Fagnano, certam moraliter esse contendit; præclaram certè definitionem, quæ nulli definito convenit; accedit, quod etiam improbabili competit, in quam nonnulli, variis argumentis, interdum inclinant; sed his omissis, quæ adeo levia sunt, ut gravi refutatione indigna reputentur; videndum restat, quid nostræ definitioni opponat. Apud nos, inquit, maximè controversum est, an quæcumque probabilitatis, quæ libertati favet, par, aut inferior illi, quæ stat pro salute, electio & consensus prudens esse possit; falsum est, id apud nos controversum esse; & nemo nostrûm concedit, quamlibet probabilitatis electionem prudentem esse; v. g. medicamenti probabilis, formæ, aut materiæ probabilis in Sacramentis, juris probabilis, &c. deinde probabilitatis tantùm, quæ certa est, electionem prudentem esse admittimus, & ab usu & electione quamlibet aliam, quæ scilicet, tantùm probabilis est, proscribimus: denique nunquam diximus, unam ex certò probabilibus, potius quàm aliam stare pro salute aut libertate; cùm utrâque liberè uti æquè possimus, & neutra saluti nostræ, aut legi repugnet; quodnam porro verbum asseruerimus definitioni, quod totius discordiæ seminarium sit, non video; nam verbum illud, *prudentem assensum*, in definitione nostra minimè continetur; sed tantùm, *ex rationabili motivo citra certitudinem*; equidem in reliqua explicatione, ut doceremus, quid per motivum rationabile, seu grave intelligendum esset, diximus, illud esse, quod sufficit ad prudentem assensum; & hoc necessariò dicendum est; neque est seminarium discordiæ, ut ait, cùm usum cujuslibet opinionis probabilis, ac proindè cum assensu quomodolibet prudenti conjunctæ, minimè approbemus; v. g. si sit tantùm probabiliter prudens, eam in usu non admittimus; quia usum moralem certò prudentem esse, necesse est; item in iis, quæ versantur circa aliqua facta, ab actione morali distincta; v. g. confectionem Sacramenti, curationem ægri, bellum inferendum, ferendam sententiam, &c. nec enim est opinio probabilis, quemlibet usum hujusmodi probabilitatum prudentem & licitum esse; unde verbum illud assutum, seminarium discordiæ non est: si velis, inquit, synonyma esse verba, *prudentem & probabilem assensum*, quamvis minùs probabilis prudenti ac rationabili argumento nitatur, tenebras non lucem disputationi offundis, quid sibi velit, vix capio, nisi quod fortè ille rem sic non capiat; quis unquam somniavit, *prudentem & probabilem assensum*, esse synonyma; quis nescit, prudentem latiùs patere; cùm assensus tum fidei, qui certus est, tum scientiæ, aut principiorû, qui evidens, etiam prudens sit; igitur omnis quidem probabilis

est prudens; sed omnis prudens non est probabilis; igitur per synonyma non procedit hæc nostra definitio; deinde habemus fatentem reum, cùm fateatur, minùs probabilem rationabili & prudenti argumento niti, quantumvis impropriè loquendo, quia motivum, vel argumentum, prudens propriè non dicitur, sed ipsemet assensus, ipsa electio, ipsa actio, &c. nullas demum tenebras hîc offundo, ubi profectò nihil est, non clarum & apertum, non perspicuum & limpidum; quis enim amabò hanc definitionem statim non intelligat? opinio probabilis illa est, quæ *ex rationabili, seu gravi motivo procedit, citra certitudinem.*

53. Pithanoph. Condono facilè alios errores levioris momenti, etiam in orthographia; quamvis hujusmodi Aristarchiis nihil sanè condonandum esset; idque intra paucas lineas; scribit enim *auricalcum*, pro *orichalco*; *obrisum* pro *obryzo*, geminum mendum in singulis dictionibus; item *synenima*, pro *synonyma*; hæc levia sunt, non admittenda tamen ab eo, qui vult audiri Magister in Israël, illud autem paulò gravius, quod habet in sua illa prima definitione, ubi dicit; *aliquam verisimilitudinem habet, cui assensum damus formidolosum*; nec enim illud, *cui* aliò refertur, ut solœcismi fœditatem fugiamus; at non damus assensum formidolosum verisimilitudini, sed omnino certum, quia certum est, esse verisimile, seu probabile, juxta illum; incertum licèt, & tantùm probabile, esse verum.

54. Antim. Hæc omittere poteras, quia levia, sed pergit adversùm me; an putas, inquit, me alloquens, prudenter acturum Parochum, non Parochum, ut scribit: qui prætermissa recepta & solemni Baptismi forma, istam adhiberet: *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & ab utroque procedentis*, quæ est tantùm probabilis ad summum; non crederem, haud dubiè, prudenter acturum; aliud enim est, uti opinione verè probabili, in quapiam actione morali; aliud uti forma, vel materia tantùm probabili in confectione Sacramenti; & nunquam dixi, imò semper negavi, usum illum esse prudentem, aut licitum; unde miror, hunc hominem obstinatè nobis hæc opponere, qui videre potuit in opusculo nostro, eadem à nobis centies rejecta fuisse: idem dico ad ea, quæ opponit de Medico & Judice; ad id, quod subdit de venatore, religionis candidato, & attrito in articulo mortis, paulo post dicam: *Possem*, inquit, *sexcentis exemplis convincere, aliam prorsus esse probabilis, aliam prudentis opinionis & usus rationem*; non modò id non convincit, sed neleviter quidem probat; exemplum attulit, quo maximè id evinceret, non tamen evicit; nec evincet unquam, aliam esse prudentis; aliam verè probabilis opinionis rationem: nempe omnis opinio verè probabilis, est verè prudens; cum sit ex motivo gravi & rationabili; & eodem modo prudens, quo probabilis; nimirum certò prudens, si certò probabilis, & probabiliter tantùm prudens, si probabiliter tantùm probabilis; dixi verè probabilem, quia quælibet verisimilitudo, probabilitatem veram non constituit: si enim absit grave & rationabile motivum, quæcumque tandem verisimilitudo affulgeat, probabilem opinionem esse, negamus: illud porro, quod addit, de usu opinionis probabilis clarissimè ostendit, rem hanc ab eo vel dissimulari, vel non intelligi; quasi verò idem esset usus & assensus opinionis; differunt toto cælo, & sæpè accidit, ut licitus sit & prudens assensus; illicitus verò & imprudens usus, nempe ad hoc, ut assensus prudens dicatur, satis est, si probabilis sit; cum tamen usum certò licitum ac tutum esse, necesse sit, ut prudens censeatur, quia assensus cum aliqua formidine conjunctus, modò ex gravi & rationabili motivo procedat, non est vitiosus, sed prudens, præsertim si certò probabilis sit; cum tamen usus, quia formidini peccandi, seu dubitationi, ne malum insit, conjunctus est, imprudens sit atque illicitus. Præterea, quotiescumque actio propriè moralis non est, sed ad aliquod factum certum terminatur, quod is, qui agit, ponere, aut non ponere tenetur, quodque bona etiam operantis fides supplere nequit; ex assensu prudenti non sequitur, usum prudentem esse, v. g. opinio, quod talis forma Baptismi, de qua supra valida sit, est tantùm probabilis, atque adeò assensus prudens; illius tamen opinionis usus est illicitus, quia minister Sacramenti, quantum in se est, certum Sacramentum conficere tenetur; igitur & præferre certam formam, ac certam materiam probabili, imò & probabiliorem minùs probabili, ob eandem rationem.

55. Pithahnop. Cuncta hæc in opusculo, breviter sanè, accuratè tamen perstrinxeras, ac probè distinxeras, judicium speculativum à practico, ut primum illud prudens sit, satis est esse probabile: alterum verò, nisi certum sit, prudens esse nequit; primum circa veritatem objectivam versatur, alterum circa usum illius & praxim: unde facilè diluo illud, quod habet de venatore, judicat probabiliter esse feram, en judicium speculativum, illudque prudens; at certò judicare non potest, emitti posse sagittam absque periculo hominem occidendi, de quo certus non est; prudenter igitur emitti posse non judicat, quia tenetur homo certò non occidere hominem, igitur nihil horum ponere, ex quibus dubitare potest, an sequuturum sit homicidium; unde non est opinio probabilis, quòd possit in hoc casu venator emittere sagittam, vel minister Sacramenti talem formam, aut materiam ponere, &c. & miror, à Barone hæc minimè observata fuisse, quamvis proximè accesserit, & quasi videre cœperit, ut patet ex his verbis, §. 3. *Nisi distinguere placet duos prudentiæ gradus*, inquit, *unum ad assensum speculativum, alterum ad opus, atque ad officium*; dicere debuerat, ad judicium practicum; dat etiam, opinionem illam venatoris probabilem esse, ac proinde cum formidine conjunctam, sed ad emittendam sagittam imprudentissimam esse; quis hoc neget? in ordine tamen ad assensum, id est, ad judicium speculativum, quis neget esse probabile, id est, gravi motivo niti, ac proinde non temerè, sed prudenter & rationabiliter formatum, cùm tamen judicium practicum de sagitta in feram probabiliter dumtaxat creditam emittenda, imprudentissimum sit: sed quæso te, Antime, cùm hoc tuum sit ratiocinium, certum est, hanc opinionem esse probabilem; certum igitur, prudentem assensum esse, ac proinde certum, illius electionem & usum etiam prudentem censendum; si hoc ratiocinium valet in quibusdam, cur non in omnibus, nec enim admittis in omnibus, ut fortè aliqui.

56. Antim. Ex his, quæ alibi diximus, hoc facilè solvere potuisses, in hunc modum; quando tenemur ad aliquid certum faciendum, non satis est, opinio probabilis, v. g. minister Sacramenti tenetur conficere Sacramentum certum, quantum potest; judicat hanc esse materiam probabilem, ac proinde Sacramentum probabile tantùm ex ea fieri, non certum; alia materia certa suppetit, ex qua judicat, certum

tem fieri Sacramentum, haud dubiè judicare non possit, rutum & integrum sibi esse, primam illam ad-hibere; imò judicat, illius usum illicitum esse, quia nunc officio non satisfaceret; id est, non faceret id, quod faceretenetur, nimirum certum, quantum po-test, conficere Sacramentum; idem dico de Medi-co, qui tenetur, quantum potest, procurare sanitatem agro: de Judice, qui tenetur jus certum dicere ac reddere, quantùm etiam potest: item venator, homi-nem non occidere: item candidatus religionis cer-tum fidem & religionem amplecti; unde, nullus i-storum ex opinione probabili, seu materiæ Sacra-menti, seu medicamenti, seu juris alterius partis, seu vitæ, seu religionis, prudentem illius usum deducere potest, quia in hujusmodi usus ad certum quid, v. g. ad certum Sacramentum, certam curationem, cer-tum jus, certam fidem, certam fidem, terminari de-bet, quod semper dubium restat, an per opinionem illam probabilem obtineatur. At verò in aliis actio-nibus purè moralibus, quæ ad aliquod opus certum non terminantur, secus accidit, v. g. judico certò quod sit probabile, pactum trium contractuum non esse usurarium, nec injustum; ac proinde, quod pru-denter hinc veritati assentiar; nec teneor per usum hujus contractus, aliud certum quid ponere; rectè omninò judico, usum illius esse prudentem; judico, inquam, certò, usum scilicet ex assensu; si nihil aliud obstet, id est, si nulla sit alia obligatio non utendi illa opinione verè ac certò probabili, sed nulla est; unde non tenear ad vitandum, inquies, periculum peccandi; etsi certò judico, usum illum esse prudentem, abest omne periculum peccandi.

57. Pithanoph. Hæc quæ dicis, meo judicio, minimè confirmari possunt, quod cessante ob-ligatione illa ponendi certum quid, etiam in mini-stro Sacramenti, aliisque appellatis suprà, potest quis prudenter materia probabili, v. g. ministro non habente materia certa, sed tantùm habet probabilem, prudenter illa utitur, quando Sacramentum mini-strandum est; est tamen eadem, quæ suprà, & qua pru-denter uti non poterat; idque, propter obligationem utendi certum Sacramentum, & adhibendi ma-teriam certam, quæ suppetebat; quæ obligatio cessat, non existente materia non suppetit; nemo enim te-netur ad impossibile; ergò non mirum est, si proba-bilem hoc casu prudenter ac licitè utatur: idem di-co de medicamento probabili, deficiente certo; igi-tur cessante obligatione ponendi certum quid, opi-nio certò probabilis usum prudentem esse con-stat. Ad judicem alia ratio est, quia inter partes, vel jus æquale est, vel inæquale, præscindendo à possessione; si æquale, rem dividi utrique, judicet, si inæquale, totum illi adjudicet, qui jure potiori pollet; vena-tori nunquam licèt sagittam emittere, quamdiu ali-quid dubium subest, an sit homo; & quamdiu de hac religione dubitat, tenetur candidatus ultrà in-quirere.

58. Antim. Appositè omninò; addo tantùm, ut nodus hic tandem solvatur, obligationem non uten-di opinione probabili procedere ex obligatione aliud ejusdem ponendi, v. g. certum Sacramentum, aut non ponendi v. g. homicidium; tu dicis, esse obliga-tionem non utendi hac opinione, v. g. pacto trium contractuum, nego illam obligationem; nam ex qua illi ex obligatione non peccandi, inquies, seu, quod idem est, exponendi se periculo peccandi, seu fa-ciendi contra legem: nam si fortè pactum illud in-justum sit, repugnat legi, quæ usuram & injustitiam vetat; sed si ita esset, prudenter judicare non possem, ut re ipsa judico, per assensum speculativum, pa-ctum illud non esse usurarium; quod reverà uti cer-tum est, esse probabile, ita prudens esse, certum est; ac proinde certò judico, per judicium practicum, usum illius judicii, vel opinionis non esse illicitum, sed potiùs prudentem & licitum; ex quo patet ma-nifesta differentia hujusmodi opinionum & alia-rum, de quibus suprà: nempe illæ, ut etiam rectè ob-servat Suarez, *tract. 3. in* 1.2. *sect. 6. num.* 8. 2. versan-tur circa actiones ipsas morales, prudenter judican-do, v. g. talem contractum non esse usurarium, injus-tum, illicitum, &c. ex quo judicio certò prudenti, sequitur usus certò prudens: igitur ut certò judico assensum illum esse prudentem; ita certò judico, u-sum esse prudentem; secus verò aliæ opiniones, quæ non habent ipsam actionem moralem pro objecto, illiusque prædicatum morale, quo prudenter judice-tur bona, vel mala, sed aliquid aliud, ab ipsa actione distinctum, v. g. hanc, vel illam materiam Sacra-menti esse probabilem, item medicamentum proba-bile, &c. nam licèt prudenter judicem, esse probabi-lem talem materiam: non tamen indè sequitur, u-sum illius esse prudentem, ut patet; si enim dicerem, illa materia est probabilis, ergò licitè adhibenda, ne-gares illicò consequentiam, si tamen ita dicerem, illa actio non est illicita, igitur licitè ponenda, hæc con-sequentia negari non posset: ex quo, ni fallor, hic nodus solvitur, & gravis hæc controversia ex-planatur.

59. Pithanoph. Ex his constat, contra quam sentiat Baro §. 2. idem esse certò probabilem opi-nionem & certò prudentem assensum; diversa ta-men prudentem assensum, & prudentem usum; quod autem ibidem habet, de attritione, quæ instante mor-tis periculo, cum Sacramento nonnullis satis esse non videtur; licèt non modò sit oppositа opinio proba-bilior, verùm etiam certa, nihil ad nos; qui tamen auctores illos ita explicamus, ut velint, morti proxi-mum excitandum esse ad veram contritionem, & per-fectum charitatis actum; non quod credant attritio-nem cum Sacramento, ad justificationem non satis esse, sed quod supplendum esse putent, quemlibet a-lium Sacramenti defectum, si quis fortè inesset, *nemo enim scit, &c.* vel quod hominem in eo articulo maxi-mè teneri putent, ex præcepto divino, ad actum amo-ris; varii enim varia super hoc censuerunt: quare hæc nihil prorsus Baronem juvant; qui etiam sem-per hallucinatur, unà cum aliis Probabilioristis, in hoc maximè quod dicant, opinionem probabilem stare contra honestum, & legem; cum tamen hoc repugnet in terminis, ut ajunt, sed in superioribus congressibus hoc commentum explosimus: item il-lud, opinionem, quæ stat pro commodo, vel utilitate non esse tutam; nihil enim ad tutum, vel probabile, commodum proprium facit; quasi verò, modò id absque proximi injuria, & violatione legis fiat, pro-prio commodo consuli non possit: deindè is, qui consulitur ab alio, nulla proprii commodi ratione ductus, quæstionem moralem sibi propositam deci-dit; attendenda est igitur rei veritas, motivi gravi-tas, Doctorum auctoritas, & quidquid aliqui ho-mines obganniant, Ecclesiæ usus, & communis Do-ctorum vox; & nulla ratio habenda est, vel Hete-rodoxorum, aut saltem suspectorum hominum re-clamantium, vel paucorum ex Catholicis, qui cum iis, contra Theologos morales, ac Jesuitas præsertim, per manifestam conspirationem, fœdus inierunt, de quo fusè in Decade.

60. Antim. Ex his ergò non constat, ut ait Baro,

§. 3. definitionem Fabrianam ambiguam, aut malam omninò, & his quæstionibus dirimendis, inutilem esse; viderit prudens Lector, utrùm ex mea definitione modus præsentis controversiæ non solvatur; & an rectè per illam distinguatur opinio verè probabilis à cognitione certa, & ab opinione improbabili, sub qua erroneam, certò falsam, temerariam, scandalosam complector; quod certè adversarii non præstant, tum per suum assensum formidolosum, tum per suam illam verisimilitudinem; ac demùm utrùm illam Baro, ut sibi arrogat, atque adeò totum opusculum illi à me adstructum dissecerit; certè, ut dicam, quod res est, vix eam aspexit, nedum attigit; utpote, qui eam minimè intellexerit, aut dissimularit, à se intelligi, cum illam doctrinam nostram, seu potiùs communem, de opinione probabili, quoliber articulo fidei sibi obscuriorem & creditu longè difficilorem videri, dicat, *disput. 2. sect. 5. art. 3. §. 1.*

61. Pithanoph. Postquàm definitionem tuam discussit, eo profectò eventu, quem uterque suprà explanavimus, duo tantùm ibidem indicat, quæ ex illa tua definitione arripuisti: primò, inquit, non videtur seriò agere, aut bona fide (de te loquitur) cùm dicit, *Nos haud dubiè nugari, qui omnem opinionem falsam, quamvis alioqui probabilis sit, à doctrina morum excludimus; & subinde contra nos arguit*, quasi vel omnem opinionem probabilem reprobemus, quod *sine stultitia*, inquit, dici nequit, vel aliquam admittamus: *quænam porrò illa?* quam responsionem falsam suis à te affingi, dolet, ac dicit, eam tantùm probabilitatem sibi displicere, quæ commodo favet, contra salutem; & tandem miratur, omnes opiniones probabiles, sive stent pro lege, sive pro libertate & commodo, æquè tutas tibi visas esse.

62. Antim. Tu ipse nugari illos, dixeras, in primo Dialogo, *pag.* 4. qui eam dumtaxat opinionem probabilem admittendam esse, ducunt, quæ cum veritate consentiat; ut & omnem opinionem, sine stultitia reprobari non posse dixeras, & jure quidem utrumque: primum illud adstruxerat Wendrockius, *not. 1. sect. 2. §. 1. & seq.* unde facilè Baro id conjicere poterat, illud *nugantur* in eos cadere; in quo, ut mitissimè loquar, bona fide agere non videtur, quod tamen perperam mihi exprobrat: illud etiam *stultitia* in eos dumtaxat quadrat, qui omnem opinionem probabilem omninò reprobant, quod à nemine sanæ mentis vel in dubium revocari potest; unde nullo negotio videre potuit, hæc in eos non cadere, qui probabiliorem tantùm, aut certè tutiorem in praxi & usu admittunt: audi verba Stubrockii, *in 5. epist not. 1. sect. 4. §. 1. Si sit hocunum dumtaxat probares* (Wendrockium alloquitur) *teneri scilicet quempiam, ad probbabilius, nihil reverà esset, quod scilicet quempiam, ad probbabilius, nihil reverà esset, quod jure in te castigarem; nonnullis enim hæc sententia probabilis videtur*; Illa igitur in eos dumtaxat cadunt, qui nullam opinionem probabilem admittunt, nisi vera sit, quod ridiculum & stultum dictu est, cum illa veritas certa esse non possit; alioquin illa opinio certa esset, non probabilis; cum autem dubia veritas restet, si vera tantùm licita esset, novo dubitationis genere conscientia laboraret, ut patet: errat etiam Baro, in eo, quod opinionis robur & pondus ex operantis commodo, vel incommodo ducit & metitur; quod, quam sit ab omni ratione alienum, manifestum est; quasi verò illicitum sit, proprio commodo honestè ac moderatè studere, aut proximè periculosum: deinde proprium commodum ad animum etiam pertinet; quid enim commodius & utilius, quàm cœlestem gloriam sibi comparare, nec non cœlestibus donis, etiam in terris pollere, interna pace gaudere, sedatis animi motibus, prospera etiam frui valetudine: dicam amplius, opibus affluere, modò cor immoderato in eas studio minimè feratur; nihil profectò istorum malum est, nec proximo peccandi periculo obnoxium: deinde, si quis de opinione me consulat, nec mihi scritur, nec metitur, & nulla duci possum proprii commodi ratione, cum mihi perinde sit, sive is, qui me consulit, hanc vel oppositam opinionem adhibeat; non negarim tamen, aliquos esse, qui non alio, quàm propriæ utilitatis studio scribunt; iis certè parum curæ est, utrùm vel probabilior tantùm, vel etiam minùs probabilis licita sit, aliò spectant, ego non judico quemquam; aliorum esto judicium, & publicæ famæ, de stylo vænali, placendi studio, assentationis officio, & aperta suspicione ambiendi.

63. Pithanoph. Sed quæso te, quomodo ex tua definitione, hæc arripiamus, non video: nam primò hæc leguntur in Dialog. *pag.* 4. ut vel ipse fatetur, cum tamen *pag.* tantùm 11. definitionem illam tradideris; arripuimus igitur ex illa definitione, quæ nondum fuerat proposita: deinde nihil ad illam definitionm dogma illud Wendrockianum, quo illa dumtaxat opinio probabilis admittenda est, quam veram esse, constat, nec enim, ut docet, falsa eximit culpæ; nihil ergò in his ex dicta definitione à nobis arripitur. Ibidem etiam tibi affingit, quasi opinionem illam probabilem ut tutam approbes, quæ voluptati favet, contra salutem; nullam certè probabilem ducis, quæ saluti, officio, legi repugnet: Hostem sibi fingit Baro, quem impugnet; hæc profectò chimæra est, quod de sua hæresi falsò ac temerè Wendrockius jactare non cessat, cum nullam omninò approbemus opinionem, quæ sit contra legem, vel quæ periculo proximo violandæ legis hominem exponat: dubia lex non obligat, ut centies diximus, cum Suare; nulla igitur est, ut fusè alibi: unde hoc probandum esset adversariis, quod nobis temerè affingunt; illud unum dico, opinionis probabilis, non cujuscumque, sed tantùm certò probabilis, idque in re purè morali, ut suprà explicatum est, usum certò licitum ac tutum esse, imò in omnibus hujusmodi æquè tutum formaliter, id est, æquè peccato eximens, ac proinde proximo peccandi periculo, nam remotum nihil facit ad culpam: unde nunquam salutem in discrimen adducimus, quando hujusmodi opinionibus utimur; neque hæc Baro absque ulla probatione jactare debuisset, aut saltem argumenti adducti solida refutatione, sed prudenter sanè; quid enim solidum saltem opponere potuisset, contra notoriam definitionem; nihil aliud sonat nisi *periculum, periculum, lex, lex, libertas, commodum, &c.* Sed quid hæc ad nos, qui conscientiam certam esse volumus, ut patet ex Dialogo: ac proinde proximum periculum arcemus, legem non violamus, libertati plus æquo non indulgemus; ô utinam omnes Adversarii secundùm opinionem certò quidem, ac minùs probabilem scriberent, de omnibus non dico, de nonnullis taceo quidem, quia stylus & loquela illos manifestos facit.

64. Antim. Vides, quàm præclarè hunc paragraphum terminet: *Sed*, inquit, *doctissimo Theologo placet*, de me loquitur, per ironiam fortè, *juxta constitutam probabilitatis definitionem omnia æquè in tuto posita, quamcumque eligas opinionem.* Nisi hæc calumnia sit, eaque notoria, nuspiam profectò calum-

calumnia est; titulum illum doctissimi Theologi non arrogo; ab omnibus discere semper paratus; à Barone etiam, si meliora doceret; sed quæso te, Vincenti Baro, ubinam hoc mihi placere ante dictum fuit? nimirum *omnia æquè in tuto posita, quamcumque eligas opinionem*; appella locum, librum, paginam, lineam, &c. juxta constitutam, inquis, definitionem; nunquid ex illa rejeci, primò omnes illas opiniones, quæ verè quidem, non tamen certò sunt probabiles: igitur non approbo, ut tutam quamcumque eligas opinionem: secundò omnes illas etiam respui, quæ nihil habent nisi verisimilitudinem quamdam, in qua veram probabilitatem perperam constituis; aliud enim est, ut sæpè dicere solitus sum esse verè, aliud esse ad speculum tantùm, seu verisimiliter probabile: tertiò, rejicio omnes opiniones improbabiles, inter quas illas omnes recenseo, quibus nonnulli fortè asserunt adhiberi posse materiam, aut formam probabilem Sacramenti, probabile medicamentum, aliaque hujusmodi circa judicem, bellum, religionem, &c. hoccine est omnia æquè in tuto ponere? quamcumque eligas opinionem? hîc fidem tuam, admodum reverende: item illorum, qui bonum tuum imparibus adornarunt elogiis, & quam ego causam suo calculo commendarunt, sed de his infrà in appendice.

65. PITHANOP. Te appellat etiam *sequenti* §. 4. atque dicta definitione tuam illam regulam meliorem non videri; qua vis, inquit, exigi, nimirum rem istam, ad præsentem potiùs rerum statum, & recentiorum Theologorum sensum, quàm ad antiquos Ecclesiæ mores, aut ad Sanctorum Patrum mentem & scripta; & hic plusquam Rhetoricè declamat; quis enim dissentiret, inquit, ista in contemptum præteritorum seculorum aliquando dictum iri; & cum de improbabilitatum disputamus antiquos Patres excutere, & solos Doctores nuperos audiri, atque adeò Catholicæ traditionis auctoritatem in apertum discrimen vocari? nec enim credibile est, Apostolos præscripsisse modum, quo divina præcepta observanda sint, nec positum, ut sciamus, quænam ex opinionibus probabilibus, tutò & prudenter sit eligenda; subdunt autem prudentissimè; *hæc potiùs explicuimus, quàm probavimus*: quod dat accipimus, hæc mera verba, argumenta pollicemur in 4. classes distincta, sed illic etiam mera verba.

66. ANTIM. Falsum est, mendacium est, impostura est; relege mea verba, *pag.* 8. ut calumnia patet, quæ ita se habent, *inde autem certa regula statuendi*, non ex definitione mea, ut perperam arguit, quam tradidi, *pag.* 11. unde vides, quænam sit hujus dictionis fides; ig tur non ex mea definitione, sed ex iis, quæ proximè disputaveras; scilicet opinionum probabilitatem ex præsentium temporum usu censendam esse, idque in omni doctrinæ probabilis genere; ita ut *illæ opiniones probabiles habendæ sint, quæ communi usu & calculo donantur; usu inquam præsentium temporum, quem sapientes non improbant, nec Ecclesia reprobat, sed fidelibus liberè concedit: nec enim præteritorum temporum ratio habenda est, si præsentium usus iisdem non suffragatur; & verò quis nescit, inter antiquiores non defuisse; qui aliquam opinionem in doctrina morum adsciverint, qualicet eo tempore probabilis esse videretur, tantamen probabilitate deinceps excidit: aut si fortè improbabilis nonnullis visa est, novo deinde lucis appulsu probabilis evasit, standum igitur communi præsentium temporum usui ab Ecclesia probato, sive is cum antiquo reverà consentiat, sive ab eo in nonnullis diversus sit.* Hæc ibi, quid quæso in his contra antiquos Ecclesiæ mores, contra traditionem Apostolicam, contra mentem & scripta Sanctorum Patrum? quid de recentioribus Theologis? quid de præsenti rerum statu? de his, ne verbum quidem; mirare Baronianam fidem: nunquid dissertè de opinione probabili? ecquis neget eam probabilem, quæ *communi usu ab Ecclesia probato donatur*; iidem sunt semper Ecclesiæ mores, eadem fides, eadem traditio Apostolica, Ecclesia æquè hoc tempore Sanctorum Patrum mentem & scripta atque olim maximi facit; de statis, certis, fixisque non agimus, sed de probabilibus, quæ fidelibus Ecclesia liberè concedit: hic certè communis locus est hæreticorum, ut præsentem Ecclesiæ statum, usum, fidem & mores damnent, unam crepent antiquitatem; in recentes præsertim Theologos, seu Scholasticos acriter invehantur, quod suis disputationibus sanam Ecclesiæ doctrinam corruperint; his se conjunxit Baro, alio tamen fine; multa sunt in præsenti usu quæ illi minùs arridere videntur; nec enim multis locis dissimulare potuit; quorum nonnulla cum Wendrockio, quem passim laudat, vel excusat, illi sunt communia; nollet, nollet, tertiam illam propositionem Jansenii damnatam fuisse; nec etiam quartam, quæ Semipelagianorum notam à Molinistis, ut vocant, amoliuntur: cum alias verò alia, nollet rem immaculatæ Conceptionis eò veniisse, quò jam per varias constitutiones Apostolicas perducta est; nollet tantam vim doctissimorum voluminum à recentioribus Theologis editorum, sub quorum pondere gemunt amplissimæ Bibliothecæ; quod ægrè ferre videtur, quasi Doctoris Angelici gloriam obscurent, cùm tamen veriùs illustrent, scriptis doctissimis in ejus summam commentariis, nollet alia hujusmodi; sed mihi credat, vel inde suspectus, nisi constaret, quo fine, hæc scripserit, habendus esset; cæterùm, *pag.* 19. rectè à nobis dictum est, rationem illam ad prudentem assensum non sufficere, nec tutam esse opinionem, quæ sensui communi, vel divinæ fidei, vel traditioni, vel SS. Patribus, vel torrenti Doctorum repugnat; aut certè si ea, quæ opponuntur, solvi non possint: unde manifestum fit, quàm injustè & calumniosè Baro nobis imposuerit: esset reverà, quod argumentum retorquerem; quisquis enim præsentem Ecclesiæ statum & usum ab ea probatum reprobat, à graviore censura immunis esse non debet, quam ne recriminatione uti videar, doctis & piis hominibus appellandam relinquo.

67. PITHANOPH. Posset haud dubiè paulò duriùs excipi; sed cum Catholicis & Religiosis hominibus stylus ita temperandus esse videtur, ut nihil acerbius excidat; errores tamen, si qui sunt, fideliter adnotandi, quod certè in hac disputatione minimè prætermittimus; sed ab auctore isto libenter audirem, qui tandem ex SS. Patribus prædictam quæstionem discusserint, de usu scilicet opinionis verè quidem ac certò, sed tamen minùs probabilis: nempe in locis ab auctore isto, aliisque ejusdem factionis adductis, aliud quidpiam invenio: lego quidem apud SS. Patres, periculum proximum fugiendum esse, certum tenendum, & dubium dimittendum, prudenter, non temerè agendum in via Domini; sed quid hæc ad propositam quæstionem? quisquis enim opinione certò probabili utitur juxta illum modum, quem toties exposuisti, à periculo proximo immunis est, prudenter, non temerè agit, certum tenet, incertum dimittit; nihil ergò contra SS. Patrum mentem ac sensum; cùm autem hæc notoria sint, nullum

dubium

dubium est, quin ab iis suppositа fuerint, ut ajunt, cur enim de notoriis disputarent? Primus ferè Doctor Angelicus toties suprà laudatus quæstionem movit, quid agendum sit in conflictu duarum opinionum contrariarum, & tandem concludit, *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non peccat, quod l. 8. art. 13.* Sed ubi certa est conscientia, nulla dubitatio restat: unde nunquam dubitavi, quin Sanctus Aquinas nostræ sententiæ suffragaretur: idem prorsus dicendum est de Alberto Magno, Paludano, S Antonino, Sylvestro, Soto, aliisque præcipuis Thomisticæ Scholæ luminibus, quorum loca P. Dechamps, & multi alii adnotarunt.

68. Antim. Ultimo tandem §. hujus articuli, sic argumentatur: nam hucusque ab argumentis egregius sanè disputator abstinuit; totius controversiæ arcem, inquit, placet unica argumentatione invadere; si ergò hæc unica machina disiciatur, arcem intactam servamus: vel ub que, inquit, nulla excepta materia, das opinionis optionem, æquè aut minùs probabilis, vel aliquam materiam excipis; atqui utrumque improbabile est, hæc summa est unicæ illius argumentationis: sed nego minorem, an fortè probat? minimè gentium, sed meris verbis ludit, & exponit fusè, quid nonnulli ex Probabilistis sentiant, & dicant; in quibus tamen illius fidem; nullum enim pro more locum citat, & tandem ita concludit: *Hos omnes auctores communibus argumentis impugnabimus operosiùs infrà, ut diversimodè sentiant*, at nec infrà, nec suprà impugnavit, & frustrà illud suum *operosius* ingeminavit; & verò quævis opinio verè ac certò probabilis de actione morali, tuta & æquè tuta est, atque opposita, ut sæpè diximus; quod autem pertinet ad Sacramentorum materiam & formam probabilem, &c. dico non esse opinionem probabilem, quod materia probabilis adhiberi possit, quando certa suppetit: idem dico de medicamento probabili, jure probabili, fera probabili, bello probabili, &c. licèt enim hæc opinio, v. g. sit probabilis, *antimonium est utile medicamentum*, non tamen est opinio probabilis, quod adhiberi possit à Medico, si aliud, vel certum, vel probabilius medicamentum suppetat, sed de his jam suprà fusè ad nauseam; igitur opiniones illæ probabiles de forma probabili, medicamento probabili, &c. non versantur immediatè circa actionem moralem; sed circa aliud ab actione distinctum, ut patet: unde argumentum ab iis ductum nihil nobis negotii facessit; & ut res distinctiùs intelligatur, proponamus quamlibet ex iis opinionibus, quæ circa humanam aliquam, seu moralem actionem versantur, & quam certò probabilem esse constet, v. g. *pactum trium contractuum non est usurarium*, vel *votum dubium non obligat*; si enim hanc tutam esse, in praxi esse constat, de qualibet alia ejusdem classis & generis idem constabit; hac igitur unica responsione omnia ferè adversæ partis argumenta dissipantur, quæ ducuntur ab aliis opinionibus probabilibus, quæ sunt non hujus generis, nec circa humanam & moralem actionem immediatè versantur, sed circa quidpiam aliud, ut materiam probabilem, medicamentum probabile, &c. cujus tamen usum licitum esse probabile non est.

69. Pithanoph. Quantum à vero deflectat hic auctor, vix crederem, nisi fides oculis meis habenda esset; idque ferè in omnibus, v. g quod unum genus opinionum verè ac certè probabilium contra legem, honestum, officium, salutem stare dicat, quod certè repugnat in terminis; nulla enim opinio, quæ stat contra legem & salutem certò probabilis est; quod opinionis probabilis vim & robur à commodo ducat, licet ad probabilitatem nihil prorsus conferat; quod semper confundat opiniones probabiles speculativas, de alio objecto, quod non est humana actio, cum opinionibus probabilibus de actione morali; quod circa fidem juxta atque mores opinionem probabilem esse dicat, quod absurdum dictu est; fides enim certum assensum desiderat, non probabilem tantùm, nec mea fides mihi probabilis est, sed omninò certa; nec dici potest, quod hæretico error, quo laborat, probabilis sit; huc semper Baro cespitat; videtur quidem illi probabilis, imò & certa, sed fallitur; nulla enim hæresis probabilis est; illum tamen, quo ad hoc, eximit culpæ, si error invincibilis est, de certitudine; nec enim propter hoc damnabitur, sed propter alia, quibus caret, ad salutem necessaria; dixi de certitudine; si enim error culpam probabilis tantùm videretur, is certè non eximeretur culpæ, quia fides certa esse debet: unde cùm jure dubitaret de veritate, vel inde videret, hanc fidem non satis esse: id demum, quod dicit, *in consectario 3.* aliquam opinionem esse posse contrariam probabiliorem speculativè, quæ tamen practicè fit improbabilis, quod nisi à protervis negari posse, affirmat; illud autem statim probat, ex materia probabili Sacramentorum, & hic perpetuò hallucinatur; hæc enim opinio, *talis materia Sacramenti est probabilis*, tantùm est speculativa, sicut hæc, *probabile est, hunc lapidem esse marmor*; alia porrò est opinio circa confectionem Sacramenti ex illa materia: nec est opinio probabilis, talem confectionem licitam esse: unde pro eadem opinione Baro perperam accipit, speculativè scilicet & practicè consideratam; sed errat: sunt enim duæ diversæ opiniones, quarum una est speculativa, altera practica; prima est probabilis, secùs verò altera: unde stat semper unum illud ac præcipuum nostræ sententiæ pronunciatum; quotiescumque est opinio, vel assensus certò probabilis, quod aliqua actio, vel omissio non sit mala certò concludo, me prudenter sentire; ac proinde certum, tutum, securum, & à proximo peccati periculo immunem usum illius actionis censendum esse, & me non peccare, quando illa utor.

70. Antim. Quid faceres huic Homini, qui semper hallucinatur, & judicium practicum de usu honesto ac licito, quod certum est, à judicio speculativo probabili de veritate objecti nunquam distinguit; huic certè formido ineat, quod falsum sit, secùs verò illi: unde dubitatur de veritate objecti, non dubitatur de honestate actus; sint enim hæ duæ certò probabiles, *hoc pactum est usurarum, hoc pactum non est usurarium*; formidatur utrimque de veritate objecti, cum utraque opinio sit tantùm probabilis, & hunc assensum speculativum appello; quia sistit in mera cognitione veritatis objectivæ; at verò cuique suum judicium practicum respondet in hunc modum: *licitum est uti hoc pacto, licitum item non uti*; utrumque certum est, ut sæpius diximus, nulla igitur formido ineat: unde corruit evidens illud Baronis argumentum § 1. contra Caramuëlem: *tutiùs est, imò prorsus necessarium*, inquit, *illam opinionem ex duabus probabilibus eligere, quæ nullum habeat dubitandi locum, &c.* si de judicio speculativo loquitur; ut loqui videtur, implicat in adjecto, ut vocant; repugnat enim, esse opinionem probabilem, sine dubitatione, seu formidine,

ne quod falsum ineſſe poſſit; ſi verò de judicio ſeu modo utraque ſit verè ac certò probabilis, ſeu modo utraque ſit verè ac certò probabilis, ſeu dubitationem, ſeu formidinem relinquit, ſeu dubitationem, ſeu formidinem relinquit, non circa honeſtatem actus; quamvis enim non circa honeſtatem actus; quamvis enim illud honeſtum eſſe, probabile ſit; illud honeſtum eſſe, probabile ſit; a- tamen, vel uſum illius objecti, honeſtum eſſe tamen, vel uſum illius objecti, honeſtum eſſe non eſt, nec propterea certitudinem formalem, non eſt, nec propterea certitudinem formalem, quæ objectiva admittimus: nam judicii practici ob- quæ objectiva admittimus: nam judicii practici ob- jectum certum eſt, nimirum uſus honeſtus opinionis jectum certum eſt, nimirum uſus honeſtus opinionis non probabilis; faceſſat igitur hæc Baronis, non non probabilis; faceſſat igitur hæc Baronis, non demonſtratio, ſed hallucinatio, & merus para- demonſtratio, ſed hallucinatio, & merus para- logiſmus, ineptis & iniquis convitiis conditus. Sin- logiſmus, ineptis & iniquis convitiis conditus. Sin- gulas auctoris non refello, alioquin ſingulæ ferè gulas auctoris non refello, alioquin ſingulæ ferè pagina tractatum integrum deſiderarent: omitto pagina tractatum integrum deſiderarent: omitto meos in eo convitia, quos ut Atheos, & Epicuro meos in eo convitia, quos ut Atheos, & Epicuro ſectatores ad lectionem restraducit, ſed hic tritum ſectatores ad lectionem restraducit, ſed hic tritum illi *Diodori* cauſæ indico tantum illud, quod ha- illi *Diodori* cauſæ indico tantum illud, quod ha- betur *pag.* 28. nimirum falſum omnino eſſe, *Doctoris cla-* betur *pag.* 28. nimirum falſum omnino eſſe, *Doctoris cla-* rum, cumque ſit integritatis, *famæ, & eruditionis, poſſe* rum, cumque ſit integritatis, *famæ, & eruditionis, poſſe* ingenio & judicio, *opinioni olim improbabili cer-* ingenio & judicio, *opinioni olim improbabili cer-* tam probabilitatem conciliari: igitur ne Divi Thomæ tam probabilitatem conciliari: igitur ne Divi Thomæ doctrinam, cujus haud dubiè auctoritate, cum gravi ra- doctrinam, cujus haud dubiè auctoritate, cum gravi ra- tione eo excogitaræ momento conjuncta, aliquæ tione eo excogitaræ momento conjuncta, aliquæ ejus ſententiæ improbabiles, id eſt, nullo gravi mo- ejus ſententiæ improbabiles, id eſt, nullo gravi mo- tivo, probabiles evaſerunt: at ſi ſunt plures tivo, probabiles evaſerunt: at ſi ſunt plures Doctores pro illa opinione, negare audebis eſſe pro- Doctores pro illa opinione, negare audebis eſſe pro- babilem modò ſcilicet nec Scripturæ, nec SS. Pa- babilem modò ſcilicet nec Scripturæ, nec SS. Pa- trum, nec ulli Eccleſiæ adverſetur, nec indiſſo- trum, nec ulli Eccleſiæ adverſetur, nec indiſſo- lubili argumento laboret atque impugnetur: ſi ne- lubili argumento laboret atque impugnetur: ſi ne- gare videris, intolerabilem injuriam Do- gare videris, intolerabilem injuriam Do- ctrinæ & noſtro infers; video, quò ſpectes: pub- ctrinæ & noſtro infers; video, quò ſpectes: pub- lici Scholarum & Doctorum plauſus de non- lici Scholarum & Doctorum plauſus de non- intelligentiis, quæ tibi non placent, te perculit; intelligentiis, quæ tibi non placent, te perculit; verum animus, quis neget, unum Doctorem tantæ verum animus, quis neget, unum Doctorem tantæ auctoritatis eſſe poſſe, puta D. Angelicum, aut a- auctoritatis eſſe poſſe, puta D. Angelicum, aut a- lium, vel proximè accedentem, ut multos a- lium, vel proximè accedentem, ut multos a- lios Doctores, non modò adæquet, verùm etiam ſu- lios Doctores, non modò adæquet, verùm etiam ſu- peret? ſed quæſo, videamus, quid toto reliquo opuſ- peret? ſed quæſo, videamus, quid toto reliquo opuſ- culo mihi opponit, & quaſi aliud agens; pa- culo mihi opponit, & quaſi aliud agens; pa- tiar non, admotaſti, ne tempus, indagando, fal- tiar non, admotaſti, ne tempus, indagando, fal- lam.

73. Pithanoph. Deſcende ad *pag.* 195. in qua televiter ſugillat: vult enim, perinde eſſe opinionis probabilioris delectum, & materiæ probabilioris uſum: *Licet*, inquit, P. *Fabri diſtinguat*, *pag.* 9. malè citat, niſi numerus fefellit: nam hæc diſtinguis, *pag.* 63. ita falſitatibus aſſuetus, ut in his etiam minutioribus à veritate deflectat, conſuetudo venenum etiam in ci- bum vertit.

74. Antim. Rectè, ni fallor, diſtinxi opinio- nem probabilem à materia probabili; & opinionem, quæ verſatur circa materiam probabilem, ab ea, quæ verſatur circa humanam & moralem actionem; & niſi hæc diſtinguantur, ut ſuprà, omnia ferè confun- dentur: poſita autem hac diſtinctione, omnia pro- bè & facilè explicantur; imò non tantùm eſt proba- bile, verùm etiam certum, materiam probabilem eſ- ſe; non tamen certum, illius uſum eſſe licitum: un- de ut res ad quæſtionem moralem reducatur, ita pro- ponitur, an uſus materiæ probabilis, dum certa ſup- petit, ſit licitus; ſeu, an confectio Sacramenti ex ma- teria probabili ſit licita: ad hanc autem reſpondeo, non eſſe opinionem certò probabilem, ſed de his jam ſuprà fuſè.

75. Pithanop. Ita eſt: quare ne fortè iterum regreſſus, venio ad *pag.* 202. *diſp.* 2. *ſect.* 3. *art.* 2. §. 2. in qua ex profeſſo tuum illud principium, ſeu præci- puum pronunciatum impugnat, quo ſcilicet diſtin- guis opinionem certò probabilem, à probabiliter tantùm probabili, & hanc dicis ad praxim tutam non eſſe, ſecus verò illam: & hæc diſtinctio, inquit, prio- re definitione melior eſſe non videtur, quod tali ar- gumento demonſtrat: certò probabile, inquit, non magis ingenerare poteſt aſſenſum de re facienda pru- dentem, & ab omni culpa immunem, quam evidens probabile; quia certitudo minor eſt evidentia; at- qui evidenter probabile non poteſt facere judicium deagendis certum: ergò, &c. probat minorem; probabile, inquit, nihil eſt aliud, quàm veriſimile; ſeu, quod ita ad verum accedit, ut non cenſeatur, omninò non poſſe non eſſe falſum.

76. Antim. Suſtine quæſo: vix intelligo quid di- cat auctor, aut fortè neſcit ipſe, quid ſibi velit: 1. e- nim neſcire videtur, idem ſemper eſſe certum & evi- dens, extra res divinæ fidei. 2. certò, vel quod idem eſt, in hoc caſu, evidenter probabile non ingenerat aſ- ſenſum prudentem, ſed terminat; licèt ex uno certo, aliud certum deducatur; ex aſſenſu, ſcilicet, aſſen- ſus, ut fit in quolibet ratiocinio ſcientiæ. 3. Dicit, aſſenſum de re facienda, id eſt, opinionem circa actionem moralem; ſed ipſamet opinio eſt certò probabilis, opinio igitur ſe ipſam ingeneraret. 4. Dicit, aſſenſum ab omni culpa immunem; quaſi verò aſſenſui, id eſt, actui intellectus, non verò actui vo- luntatis culpa inſit. 5. Dicit, probabile nihil aliud eſſe, quam veriſimile, quod jam ſuprà rejectum eſt: licèt enim omne probabile ſit veriſimile, non tamen viciſſim,

1. Pithanoph. Ita eſt, pauca reſtant: & pri- mum *pag.* 136. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *art.* 3. poſtquam dixiſſet: *Caramuel etiam, aut non capit, aut diſſimu-* dixiſſet: *Caramuel etiam, aut non capit, aut diſſimu-* lat D. *Fagnan., atque ex ea ignorantia, ubique pa-* lat D. *Fagnan., atque ex ea ignorantia, ubique pa-* tet, quibus hæc addit: *Non longè abſunt ab eodem* tet, quibus hæc addit: *Non longè abſunt ab eodem* correctores & *Fabri*. Deo gratias, itane verò, eo- correctores & *Fabri*. Deo gratias, itane verò, eo- dem? Fallitur haud dubiè Vincentius Baro, dem? Fallitur haud dubiè Vincentius Baro, me ſcripſit ante D. Fagnanum, hic nempe an- me ſcripſit ante D. Fagnanum, hic nempe an- te opuſculum edidit, ut conſtat ex prima libri te opuſculum edidit, ut conſtat ex prima libri veſtrem ex Diplomate Alexandri, tuum verò An- veſtrem ex Diplomate Alexandri, tuum verò An- te opuſculum editum eſt Romæ anno 1661. & te opuſculum editum eſt Romæ anno 1661. & Brockii liber Coloniæ eodem anno; accedit, Brockii liber Coloniæ eodem anno; accedit, ut D. Fagnanus *in d. cap. ne innitaris num.* 72. te ut D. Fagnanus *in d. cap. ne innitaris num.* 72. te rentem & tuum opuſculum citat; dici ergo non rentem & tuum opuſculum citat; dici ergo non poſſit, quod eodem vitio cum Caramuële uterque laboret, id eſt, quod non capiat, aut diſſimulet men- laboret, id eſt, quod non capiat, aut diſſimulet men- tem D. Fagnani, atque ex hac ignorantia, ubique pa- tem D. Fagnani, atque ex hac ignorantia, ubique pa- tere.

2. Antim. Utrùm D. Fagnani mentem attige- ris, nos, quæ in aliis congreſſibus dicturi ſumus, manifeſtum fiet; in ſenſus reconditos operoſiùs non quæram, at Baroniana voce utar, verborum dumta- xat jacent, vulgarem & proprium ſenſum ponde- rant, nec quorumdam more, columnas diverſorum colorum emigam, ne fortè illorum exemplo, cavilla- tor audiar: diſſimulatio porro nunquam mihi placuit; quid enim diſſimulatem? cum unus dumtaxat ve- ritatis & religionis ſtudio ductus, hæc ſcripſerim, non auræ captandæ cauſa, vel magnatum gra- tiæ, per aſſentationem; non adſpiro ad infulas, aut dignitates, nec vænali calamo utor: quod de- mum paralogiſmi me inſimulat, nequeid uno dum- taxat loco, ſed ubique; eſt certè quod de illius cha- ritate aut dexteritate, leviùs ſaltem expoſtulem, quod me tam multos errores dedocere, aut noluerit, aut neſcierit; innatus tamen mihi eſt demonſtrationis a- mor, quem in Mathematicis, Logicis, Metaphyſicis, imò & Phyſicis, quantum hæc materia patiens fuit, ſæpè probavi: ſed hoc etiam huic homini condo- nandum, utpote qui multa quoque alia falſa protu- lerit; ſed pergamus.

vicissim, omne verisimile est probabile; quia possum cognoscere certò, unam partem esse veram, quamvis aliam verisimilem esse cognoscam; uti reverà judico, orichalcum deauratum, esse auro simile, quamvis certò sciam, non esse aurum. 6. Demum hæc addit, seu quod ita ad verum accedit, *ut non censeatur omnino non posse non esse falsum*; seu quod idem est, ut non censeatur posse esse falsum: gemina enim negatio affirmationem facit, igitur quod est probabile non censetur posse esse falsum; viden, quàm benè hic homo rem istam intelligat, qui toties peccat in paucis lineis: crede mihi, in reliquis eodem modo se gerit; unde constat, dictum à me verissimè, ut omnia & singula Baronis menda castigarentur, seu refelle-rentur, grandi volumine, imò multis voluminibus opus fore, sed perge.

77. Pithanoph. Probabilitas, inquit, posita est in nota virationum, quæ possint flectere intellectum, citra tamen certitudinem, sed cognita illa probabilitas non habet assensum de recertum; & quo illa certior est, nimirum utriusque partis, eo magis dubius & suspensus manet animus; ergo falsum est, quod supponit P. Fabri, quasi unicum sui tractatus fundamentum, certò probabile facere certum prudentiæ judicium.

78. Antim. Hìc quoque multa peccat auctor; probabilitas quidem posita est in ea virationum, seu robore, aut gravitate, quæ sufficiat, ad prudentem, non temerarium assensum, non tamen in nota: nam de objectiva in se considerata hoc loco agimus; quemadmodum enim propositio objectiva certa est, evidens est, nimirum in se, citra intellectus operationem, & ut vulgò ajunt, nullo prorsus de illa cogitante, ita pariter est probabilis: ut tamen motivum illud grave moveat intellectum, debet cognosci; sed in hoc difficultas non est, illud verò quod addit, cognitam probabilitatem non habere assensum de re certum, ambiguum est: nam est judicium certum de probabilitare, & probabile tantùm de veritate objecti: malè autem dicitur suspensus manere intellectus, quo certior est probabilitas utriusque partis: nam 1. repugnat, certiorem simul esse utriusque; quo enim certior est unius, minùs certa est alterius; quo una major, minor altera; quo una probabilior, altera minùs probabilis. 2. non manet suspensus intellectus, cum necessariò assentiatur probabilitati, & licèt grave motivum utrinque proponatur, non tamen simul utrique parti assentitur, sed determinatus à voluntate, alteri tantùm pro voluntatis imperio; illam demum ultimam consequentiam, *ergo falsum est, certò probabile facere certum prudentiæ judicium*, omnino falsam esse, non jam probabile, sed omninò manifestum est: nam si certum est, opinionem hanc esse probabilem, certum est per nostram definitionem, quam suprà vindicavimus, assensum illum esse prudentem, & certò judico, me prudenter assentiri: igitur licèt assensus ille sit probabilis, est tamen prudens; & ut judico certò probabilem, ita judico certò prudentem: unde certò probabile non facit certum assensum veritatis objecti, concedo; hic enim assensus est probabilis, non facit certum assensum prudentiæ, nego; cum tam certum sit, esse prudentem, quàm certum est, esse probabilem.

79. Pithanoph. Improbat etiam illud quod habes, de speculativè probabili, in hunc modum: *Nec verius est*, inquit, *quod addit, quidquid speculativè probabile est, esse tantùm probabiliter probabile, si in usum nequeat tutò usurpari.*

80. Antim. Ille Homo non cessabit unquam imponere; nunquam enim dixi, quidquid est speculativè probabile, esse tantùm probabiliter Probabile? sed ut modum illum loquendi à nonnullis usurpatum explicarem, ac retinerem, qui dicunt, aliqua esse tantùm speculativè probabilia, non practicè dixi, id esse tantùm vel dici speculativè probabile, non practicè, quod est tantùm probabiliter probabile; nec ideo in usum usurpari tutò non posse, quia est speculativè probabile, quis hoc dicat? sed quia est tantùm probabiliter probabile: ac proinde tantùm speculativè probabile, non practicè; hæc sanè Baro, vel non intellexit, vel dissimulavit.

81. Pithanoph. Ex his reliqua facilè rejicio; vult enim aliam esse causam probabilis, & tutæ opinionis, tutæ scilicet abesse à periculo peccandi; probabilis verò, vim, robur, gravitatem rationum, seu motivi, qualia sunt argumenta impiorum, contra mysteria fidei, quæ sunt tantum *speculativè probabiliora*, ea scilicet probabilitate, *quæ certò & evidenter nota est.*

82. Antim. Horreo ad ista, error est; dissimulare non possum; cum repugnet veritati Catholicæ, quæ certa est; oppositum autem nec est, nec dici potest certò probabile, nec tantùm certò probabile, sed ne probabiliter quidem, quamvis per errorem id sibi persuadeant impii; sed error probabilitatem, vel opinionem probabilem non facit: aliud enim est, ut sæpè dixi, sed Baro plusquam temerè respuit, esse verè probabile, & videri culpiam probabile; sicuti aliud est, esse aurum, & videri aurum, esse certum, & videri certum: unde vel ex hoc, rejicienda est Baronis & sociorum definitio probabilitatis, quam perperam constituunt, in quavis, falsa licèt, & apparente, ut vocant, verisimilitudine, denique licèt ratio formalis opinionis probabilis in gravitate motivi sufficientis ad prudentem assensum posita sit, & opinionis tutæ, in certa exclusione peccati, hoc tamen non facit, quin certum judicium de prudente assensu & prudente usu sequatur ex certo judicio de probabilitate: nam reverà, si certum est, opinionem esse verè probabilem, certum est assensum de bona actione esse prudentem, ac proinde certum, usum ejusdem etiam prudentem esse; & verò res ista patet ex terminis; judico certò me prudenter sentire, ac dicere, actionem illam esse licitam; igitur certò judico, me non peccare, cum eandem actionem pono; certò judico, prudentem assensum; igitur judico prudentem usum; sit enim usus imprudens, v. g. igitur prudenter non sentio, vel assentior, esse bonam actionem; usus enim dumtaxat actionis illicitæ imprudens est: igitur supposita mea definitione, quæ ut suprà dictum à me fuit, negari non potest, rectè demonstratum mihi videtur, judicium practicum certum esse; ac proinde opinionem certò probabilem tutam esse in praxi; ubi autem tuta semel statuta est, frustra tutior quæritur; cùm teneamur tantùm ad tutam, imò propriè loquendo, una tutior non est, quàm alia, sed prosequamur alia.

83. Pithanop. *Pag.* 237. nimirum *disp. 2. sect. 4. art. 1. §. 1.* ubi imponit, quod Atheorum argumenta, de quibus supra contra providentiam & religionem, &c. ducas, esse probabiliter probabilia, & speculativè, non certò & prudenter; verè, opinor, dixi, *tibi imponit*; ubi enim hæc dixeris, non invenio; ut autem impostura Baro meliùs tegeret, locum, seu paginam minimè appellavit.

84. Antim. Hac arte pessima utitur: attribuit variis auctoribus, ut Suarez, Sanchez, Molinæ, Vasquez, Valentiæ aliisque omnia, pro arbitrio, ad nutum,

nummista Sanchà inquit, ita Vasq. nullo prorsus *loco* erunde ut illi convincatur, tot & tanta volumina ibuenda sunt; sed quis unquam finis; imò lustratis rotae tantis voluminibus, nihil aliud dicere possu- mus, nisi hæc, quæ Baro affinxit, inventa in iis non fu- isse; ipse eadem fronte reponet, oculos effugisse; si ipse Wendrockius fœderatus neget, quinque pro- ositiones damnatas in libro Jansenii contineri; quamvis centies, appellatis locis secus, demonstra- tum fuerit, eadem arte asserere poterit, aliqua conti- nere in appellatis auctoribus, quamvis à legentibus non reperiantur; ut ut sit, falsum est, à me dictum un- quam fuisse, impiorum argumenta esse probabilia, etiam probabiliter; quia certum opponitur improba- bili, & *pag.* 85. diserte assero, nunquam errorem, opi- nionem probabilem dici posse; absit, ut illud admit- tam, quod summo vitio Baroni verto; immo sibi con- tradicit hoc loco, ubi habet prædicta argumenta im- probabilia reputari à Caramuele; cui tamen *sect.* 4. *art.* 2. *pag.* 214. hanc sententiam attribuit, quod sufficiat opinio probabilis in rebus divinæ fidei; Doctissimum illum Præsulem defendendum minimè suscepi; ipse sibi satis est; nec alienis indiget armis, dico tamen, nimis meritò illi à Barone, per meram calumniam, affi- ctum fuisse, de quibus nunquam cogitavit; sed quid ab eo expectares, qui Reverendissimum Ecclesiæ Epis- copum *pag.* 234. *sect.* 4. *initio*, sycophantam appellare non dubitavit; itaque, est, quod Baroni denuntiem, omnia & singula absurda, improbabilia, ridicu- la, nepta, insulsa, impia, blasphema aliaque hujusmo- di vanie, quæ auctoribus illis quos probabilitas vo- cat attribuit, sine teste, ac probatione, ac nullo citato loco impostoris, calumniis, fictionibus & menda- ciis habenda esse; cum etiam multa ex iis, quæ citatis locis attribuit, afficta & fictitia esse manifestum sit, meritò non faciunt fidem, ea quæ à nobis hucusque dicta fuerunt.

6. Pithanoph. *Pag.* verò 315. *disput.* 2. *sect.* 5. *num.* 2. §. 3. dicit, à te malè definiri opinionem pro- babilem, per assensum prudentem; id est, à te poni definitionem, quæcumque sunt controversa & pro- bata, & quæcumque negantur à Theologis & SS. Patribus, & hanc à se argumentis eversam fuisse glo- riatur; non gratulabor profectò; voluit evertere; sed non evertit; ostendimus enim, aliam definitionem es- se posse, qua opinio verè probabilis ab assensu prudenti & opinione improbabili distinguatur, & huc- usque nullum inveni, qui negarit, quando grave & rationabile motivum est, prudentem assensum esse; ratione usum, à quo probabilem opinionem distin- gimus; immo præscindimus rem istam à materia morali, à peccato & usu, & dicimus, à nullo, qui rem satis intelligat, negari posse, quempiam assentiri pru- denter objecto proposito, si grave assensus & ratio- abile motivum proponatur; quod reverà grave dici negatur, si vel oppositum certum sit, vel urgeat indis- solubile argumeum, *pag.* verò 473 *sect.* 10. *art.* 1. §. 2. dicit, nullam à te admitti opinionem probabilem nisi sit certò & evidenter probabilis; rectè, om- nino hæc ultro admittimus: ultimo tandem te appel- lat *art.* 2. §. 2. *pag.* 591. & tuam definitionem vellicat, in quod, secundùm illam æquè pateant probabilitas & securitas; quod tamen falsum esse, constat; primò enim probabilitas, quæ non est certa, sed tantùm pro- babilis, nullam affert securitatem; 2. opinio purè spe- culativa, quæ objectum habet ab actione morali di- versum, affert quidem securitatem assensus non ta- men usus; 3. securitas non tantùm ex opinione certò probabili, quæ actionem moralem habet pro obje- cto, ducitur; verùm etiam ex cognitione certa, sive sit fidei, sive scientiæ, sive principiorum; per te igitur probabilitas & securitas æquè latè non patent; qua fide igitur, Baro hoc tibi affingit? ex quibus manife- stum fit, quanti faciendus sit hic Hostis, Plautinum alioquin Thrasonem agens, qui non modò Adver- sarium non lædit, quamvis illum ictu multiplici petat; sed in ejus arma, seu mucronem cœco impetu cor- ruit; qui dum sanam doctrinam perperam impugna- re conatur, parum sanam, immo erroneam spargit; errores illos admittit, quos in te, frustra licèt, cal- tigandos susceperat, & ut probabilitatis communem, communique usu receptam sententiam profliget, mille absurda, obscura, & improbabilia scribere & publicare non dubitat.

86. Antim. Timeo, ne hic congressus longior evadat; in eum, qui proximè succedet, reliqua, quæ sunt hujus auctoris remittamus, ea scilicet, quæ refel- lenda suscepimus.

Pithanoph. Bene mones; singula interea adnota- bo, ut eorum amicis & literatis hominibus copiam faciam; salve mi Antime, quàm primùm adero.

Antim. Tu quoque salve Pithanophile; te citò re- diturum præstolabor.

DIALOGUS V.

De Opinione probabili.

In quo reliqua hujus auctoris in præmisso dialogo proposita eadem sinceritate refutantur.

1. Pithanoph. CENTIES, & millies librum istum clausi & aperui, Anti- me; clausi sanè, quia tam copiosam discussionis, vel potius refutationis sylvam in eo reperio, ut vix liber multiplici etiam congressu pro dignitate refutari pos- sit; aperui verò, quia nullus unquam liber, in meas manus incidit, in quem refutatio magis appositè qua- draret; quod ad primum spectat, nulla pagina, nullus penè versus sine mendo & vitio; nam vel auctor peccat in doctrina, id sanè idemtidem; vel in ratio- cinio; vix enim probat unquam, quod probandum susceperat, idque passim, vel in adjunctis convitiis, mendaciis, calumniis, ubique ferè ac semper; una igi- tur litura dumtaxat posset: quod verò ad secundum; cœptum opus omittendum esse, non putarem; nec susceptam provinciam renunciandam; tam multa porro adnotavi, ut pauca dumtaxat ex iis in hoc con- gressu discuti valeant; quare ut saltem ex ungue leo- nem, nonnulla seligenda esse mihi videntur, ex qui- bus reliqua omnia censeantur.

2. Antim. Prætermittemus omnia, quæ in D. Ca- ramuel. Tamburin. Steph. Dechamps, Ferrer. Gui- men. librum Apologiæ scripsit; jam discussimus ea, quæ contra me, & Stubrock. nam uterq; in eadem na- vi navigamus; nihil ad hæc, quæ contra Wendrock. Anonym. nihil etiam ad ea, quæ contra Theoph. quid enim ad tam horrenda convitia? satis erit, novum ma- ledicentiæ onomasticum ex iis compilatum, lectorũ oculis subiicere; quod fortè omni apologia efficacius futurũ est, apud eos saltè, qui de rebꝰ hujusmodi rectè

judicant, ad ea vero, quæ habet contra auctorem Apologiæ novum opusculum, apologiæ loco, huc accersam, quo anonymo cuidam qui eadem fere opposuerat, respondetur; pauca igitur discutienda restant; nimirum, quæ adversùs Suarem, Bellarminum, alioſque auctores nostros, immo contra librum exercitiorum Sancti Ignatii, constitutiones Societatis, atque adeò contra ipsam Societatem universam: ut enim reliqua omittere possumus, quæ vel ignorantiæ, vel errori tribui possunt, aut saltem factionis & contradicendi studio; ita illa prætermittere nequimus, quæ nescio quo aversi affectus studio, quod aliis æstimandum & appellandum relinquo adversùs Suarem & Societatem nostram scribere non dubitavit; quamquam eadem jam plenissimè à variis refutata fuerint atque diluta; eadem fere est illorum Hominum cantilena, eadem calumniarum capita Societati nostræ afflictarum ab 80. vel 90. annis res ista cœpta est; & quamvis aliquando tantulum remittere visa sit, non defuere tamen singulis ferè luctris, quidam Homines à Deo certè minimè susciati, qui partes suas in hac scena egerint; Vincentius Baro desideratam occasionem nactus, quam Petrus primum Molinæus, tum deinde alii præbuerant, scribendi scilicet contra Jesuitas, illam omittendam esse non putavit; inde grande lucrum ac rei bene gerendæ magnam spem affulgere ratus; quo tamen eventu, Periti & Sapientes viri judicabunt qui non tam accusationum, quam probationum momenta ponderant.

3. Pithanoph. Illud porro fidem superat, quod dicit, demandatam sibi fuisse hanc Provinciam, ab iis, quorum interest, restaurandi scilicet ac restituendi doctrinam morum, quæ à recentioribus Theologis maximam eladem acceperat: opus erat Ecclesiæ hujus Hominis dexteritate, pietate, industria, scientia, eloquentia, ad optatam in moribus totius orbis Christiani restaurationem; rem prorsus ridiculam, si quæ unquam alia; sed ne tempus fallamus librum accipio, in quo, hæc adnotavi; *pag. ult. epist.* ad Caramuelem disertè asserit duorum Pontificum causam à se defendi, *quos Theophilus Raynaudus, in Suaris gratiam, lacessiverat.* Mittamus Theophilum, quem defendendum non suscepimus, quamquam in hoc facilis esset Theophili defensio, falsum enim est, duos Pontifices ab eo lacessitos fuisse; quin potius vix alium auctorem in hoc sæculo invenies, qui plura pro Romano Pontifice scripserit, neque hoc probatione indiget, sed apertis, dumtaxat oculis; Decimus ejus tomus, in grandi folio, ut vocant, sex integra & varia opuscula de hoc argumento continet, quibus addo septimum, qui desideratur ac seorsim editus est, inscriptum *Αυτόσφα*; in quo fusè, doctè, ac solidè agit de auctoritate summi Pontificis circa res fidei: quid tandem Baro in hoc genere? qui decreta Pontificum hujus temporis antiquorum decretis postponenda esse, asserit; idque per intolerabilem errorem, nec non ea summopere laudat atque approbat, quæ à Sancta Sede notata fuerant atque damnata; censuram Ecclesiasticam nihili faciens, cui hujusmodi approbatores subiiciuntur, nec ab ullo nisi à Romano Pontifice absolvi possunt: quidille alius, qui Sixtum IV. coram Deo, Pontificia dignitate abdicatum fuisse scriptum reliquit, eò quod duas illas extravagantes in gratiam immaculatæ Conceptionis edidisset? Quid nonnulli alii qui odio in Iesuitas flagrantes docuerunt, Sedem Apostolicam in confirmatione instituti Societatis erasse, ne dictum institutum approbare tenerentur, aut Clementem VIII. etiam erasse, ut privatum Doctorem, quando declaravit, Bellarmino & Armacano testibus, suæ mentis non fuisse, suo decreto de confessione per literas casum S. Leonis & Ritualis Romani complecti, nam in Rituali Romano antiquo etiam continebatur; aut denique Paulum V. item erasse, per incogitantiam, cum Rituale Romanum, in quo ille casus continetur, approbavit & toti Ecclesiæ servandum proposuit? itane verò Sancta Sedes à Barone defenditur, dum illos præsertim oppugnat, qui sanctam Sedem strenuè ubique defendunt? Siccine Ecclesiam defendit, qui doctissimos, & pissimos Ecclesiasticos mille convitiis, calumniis, imposturis, & contumeliis obruere, frustrà licèt conatur? Sed quid tandem, inquam, Baro pro S. Sede? Wendrockio, Richerio, aliisque infestissimis sanctæ Sedi hominibus, hucusque semper adhæsit; restauravit fortè doctrinam moralem? erroribus, satyris, aculeis, calumniis & perpetuis falsitatibus doctrina Ecclesiæ depravatur, non restauratur: Itaque Romanos Pontifices Theophilus non lacessivit, sed miris laudibus & excerptis ex antiquitate universa titulis & elogiis mirificè decoravit, illorum auctoritatem defendit, antiquis & novis argumentis confirmavit, nimirum contra Hæreticos, Schismaticos, & Richeristas; quæ cum ita sint, falsum est, mendacium est, Romanos Pontifices ab eo fuisse lacessitos.

4. Antim. Sed quid tandem Theophilo à Barone opponitur? An fortè confessionem absenti factam, absolutionem absenti datam ab eo defendi, vel approbari? nihil minùs; damnat utrumque, ut damnare tenetur per decretum Ecclesiæ; neutra quippe Sacramentum constituit; quid ergo? nihil aliud, nisi casum moribundi absolvendi, *qui per se, vel per alios, confitendi desiderium ostenderit*, ut fertur, jubetur, & præscribitur in Rituali Romano *tit. de Sacrament. Pœnit. §. ordo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, vers. quod si inter nihil aliud*, quo ad hoc, Theophilus peccavit in Romanos Pontifices, nisi quod docuit, illud non esse illicitum, quod per Rituale Romanum, à Paulo V. approbatum, faciendum esse statuitur; sed de hac re paulò post, cum singularem dissertationem postulet: immo expressè Theophilus *cap. 9.* suæ dissertationis, de casu S. Leonis, nempe de subito obmutescente, præmissa expressione voluntatis confitendi, *quod unum*, inquit, (diserta sunt illius verba) *nunc usque versavimus.* Hoccine est, duos Romanos Pontifices ita lacessere, ut Baronis defensione indigeant? immo potiùs dicendum esset, Romanum Pontificem, nimirum magnum illum S. Leonem Gloriam & Lumen Pontificum à Theophilo defensum fuisse, non certè à Decretis Clementis & Pauli, cum Clemens disertè declararit, se nullo modo casum illum Sancti Leonis in suo Decreto comprehendisse, & Paulus eumdem prorsus casum in Rituali approbarit; sed à spuriis nonnullorum interpretationibus, quibus tum Leonini Decreti toti Ecclesiæ propositi, tum etiam sacrorum Canonum vim & robur infringere, ac verum sensum eludere conabantur.

5. Pithanoph. At finamus Theophilum quem laudant in portis & palam opera ejus: Quid quæso in Suaris gratiam contra Pontifices fieri potuit aut debuit? quasi verò Suarez aliquid, sui causa, & gratia, fieri, aut scribi postulavit, quo duo Pontifices lacessentur? absit, ut de pissimo & doctissimo scriptore id dicamus, qui non modò pro Ecclesia & Romano Pontifice rarum illud opus cedro dignissimum

num, scripsit, in quo ea solidè confutavit, quæ à Sanctissimo Jacobo Rege Britanniæ opposita fuerant, verùm etiam in Lusitania, pro defendenda Sanctæ Sedis Auctoritate, ita laboravit, ut morbo ex nimia laboris contentione contracto, cum jam senex esset, ac proinde tantis laboribus impar, in Domino obierit; aliquot laudes, quas in prima dissertationis suæ fronte, Suari Theophilus obiter, ac veluti manu, non quidem à se primùm excogitatas, sed à Romanis Pontificibus, aliisque magnis nominis Præsulibus mutuatas, asperserat, quas Vincentius Baro nescio quo pravi stomachi vitio laborans, concoquere non potuit, *pag.*7. dixerat Theophilus, illum à Paulo V. *Doctorem eximium, & divinæ gratiæ plurimum in Ecclesia eminentem* vocari; sed nullo, inquit Baro, *citato loco*; nunquid extat Breve Pauli V. præfixum tomo de Angelis ejusdem Suarez, datum die 15. Augusti, anni 1617. nunquid eodem vita *ibidem*, quam haud dubiè Adversarius legerat, de illa enim loquitur *pag.*8. mentione facta elogiorum, quæ Collegium Connimbricense, *plenis manibus in illum congesserit*; *parcis* potiùs *manibus*, dicere debuerat, cum summa profecto moderatione dictum sit, & exscriptis dumtaxat maximorum & doctissimorum hominum testimoniis, ea tamen *hinc condonat* elogia, nescilicet, inquit, *admodum conmodæ*; condonat, inquit, quasi fortè in hoc peccatum fuisset? ita enim condonantur injuriæ, perperam dicta aut facta; ea tamen omnia ut falsitatis suspecta, ante respuerat, hæc *refert Theophilus*, inquit, *nullo citato loco.*

6. Antim. Velit, nolit, Magister Baro, Suarem totius iis laudibus dignissimum esse constat; immo summæ laudis cumulum, illud unum dum dixisse, satis est, viginti & duorum grandium voluminum auctorem & Parentem esse, in quibusque paginæ, dixi fere, quot lineæ, tot justa tantæ elogia; cui, ut dixi aliàs, una deest antiquitas antiquis Theologis, multis sanè anteponendus, aliquis saltem æquandus jure censeatur; ridere hoc aliquot scioli, qui Suari, quem nunquam fortè, saltem ut par est legerunt, & vix norunt librorum illius numerum, aut saltem seriem, obloqui non cessant; sed canes lunam, & coaxans rana aquam generosum; haud aliter aliqui, vel Aristotelem Philosophia, Archimedem in Geometria, Virgilium in Poëtica, in oratoria Tullium, & Doctorem Angelicum in Theologia, ineptè fastidire videntur; hoc unum de me, & multis aliis, alterius etiam instituti affirmare possum, nullum me nosse, ex Scholasticis, quem Suari anteponendum esse judicem, sive doctorum copia & tot ac tantorum voluminum molis, sive doctrina solida & sana, sive accurata, docta & plena rerum discussione; frustra illum quispiam, ad spicilegium, sequeretur; ita enim suscepturn quodlibet argumentum exhaurit, ut frustra foras apud alios quæras, si alicujus momenti sit, quæ apud illum non inveneris: sed, inquies, nescio quas subtilitates quibusdam recentioribus familiares Suarez non habet; vanas quidem, temerarias & pueriles, quæ nihil solidæ doctrinæ, sed merum mentis infantis idolum & ludibrium præferunt, do ultro, subtilitates hujusmodi apud Suarem non esse; absit, ut tam gravis auctor, tam levia scripserit, solida tamen & subtilia, docta & sana, certis principiis & ratione firmata, apud Suarem, si uspiam alibi, affatim invenies.

7. Pithanoph. Hinc videre est, quàm injustè Vincentius Baro *pagina* 9. ex quodam anonymo, quem laudat, & non ignobilem auctorem vocat, ea contra Suarem exscripserit, quæ vix contra Theologum trioboli quispiam scripsisset; paucas apud eum lineas esse, dicit, in quibus errata, hallucinationes ridiculæ, & leves, immo & majoris momenti, quæ insigniter vapulare mereantur, nihil magnum, illum habere præter voluminum molem, ex variis priorum Scholasticorum scriptis collectam farraginem, nullis propemodùm Theologicis fundamentis exstructam, sed errabundæ sine duce humanæ rationis excursibus compilatam, hæc Baro fatetur, *iniquius dicta*; cur ergo dicit & repetit, nullo auctore citato? hæc profectò exposuisse, refutasse est; vel unum erratum, signare debuerat, ut lectores judicarent, unam item hallucinationem; nam hæc eadem cuivis etiam Doctorum Principi dici possent, modò accusatio citra ullam probationem instituatur; in qua tamen verba sine legitimis probationibus vana sunt & inutilia; sed Baro hîc & alibi verbis dumtaxat, non rationibus agit; hinc, meram in hoc libro verbositatem, nullam doctrinam solidam, nullam tot accusationum probationem, nullam demum ingenui & Christiani scriptoris speciem invenias; nullum alibi, dumetum densius, vepretum spinosius, spinetum horribilius; omnes pungit & carpit, præter Heterodoxos, D. Fagnanum, & aliquot ex suis; Suarez, Vasquez, Sanchez, homines sunt si huic homini credimus, illiterati, & Scholasticæ farraginis compilatores, errantes & errabundi sine duce, passim hallucinantes; Molina, & Petavius, Pelagianorum fautores atque Patroni, quorum argumentis Augustinum impugnare non cessant: filii hominum recta judicia judicate; si fortè ita sentit, ut scribit; doleo sanè pessimam illius vicem; nam inde facilè deduco, illum modica literatura instructum esse; haud secus ac illæ rei gemmariæ parum peritus censeretur, qui uniones & adamantes inter viles silices & sordidos tophos referret; quis enim Doctorum hominum de Suare, Vasque, aliisque suprà nominatis, bene, immò optimè non sentiat; itaque non jam apud Suarem, hallucinationum, & priorum scriptorum farraginem, habemus, sed Theologiam numeris omnibus absolutam, quæ nulli alteri cedat, saltem ex iis, quæ à recentioribus editæ fuerunt; utinam integram de fide, spe, & charitate, justitia & jure aliisque virtutibus, citra religionem, tractationem haberemus, aliamque in primam secundæ plenius, pro more, non verò compendiario scriptam: cæterum de Divina gratia quinq; majora volumina, de religione, quatuor, de incarnatione duo, de Sacramentis totidem, unum de censuris, de legibus alterum; de Deo, Angelis, & opere sex dierum, singula ultimum denique pro defensione rei Catholicæ adversùs Jacobum Britanniæ Regem, nobis reliquit præter Philosophica; & duo consiliorum moralium nondum edita, quæ avidè literati omnes expectant: cuncta hæc nihili, si huic Baroni credimus; non credemus tamen, sed totum illi orbem literarium opponemus; nec sanè, in hoc, Baro facit opinionem probabilem, tum quia, tanti nominis non est, quamquam Theologiæ restaurator audire velit; tum quia ineluctabili omnium Doctorum, & totius orbis Catholici Academiarum torrenti, cui se se opponit, cedat, oportet: ex te autem Antime rescire velim, cur Baro tam ardenter in Suarem, Vasquem, Molinam, &c.

8. ANTIM. De Suare ratio in promptu est; manet alta mente repostum ; nemo doctiorem & potentiorem in eam sententiam , quam Baro acriter defendit, stylum strinxit ; quinque illa volumina , quæ Suarez de divina gratia ita scripsit , ut argumentum illud penitùs exhauserit , Baronis oculos feriunt; omitto alia de quibus *in Decade* ; & cum nihil aliud ad manum sit, quod opponant , illud de confessione absenti facta , perpetuò versant ; jam centies responsum est, Suarem illius sententiæ auctorem non fuisse ; imò diserte oppositam docuisse ac defendisse, pro illa autem Thomistarum facilè Principes , qui ante scripserant, adducit, & multos alios, quos videris apud illum, item apud Theophilum singulari dissertatione, De Lugo *de Pœnitentia*, Coninch, &c. huic igitur opinioni minimè adhæsisse, constat, sed ut improbabilem damnare noluisse , ante decretum Clementis VIII. Unde enim, quæso, improbabilem? cum pro ea gravissimi auctores starent , & non leves rationes militarent ; posito tamen novo Clementis Decreto, probabilis esse desiit, cum nulla opinio probabilis censenda sit, quæ Pontificio Decreto adversetur: sed quid in his quæso , quod certum non sit ? quemadmodùm enim nova demonstratione accedente, sententia , quæ ante probabilis tantùm censebatur, definit esse probabilis , cum fit certa ; ita probabilis esse desinit, & fit improbabilis , cum pars opposita certa evadit, sive per novam demonstrationem , sive per definitionem Ecclesiæ , vel Pontificium Decretum ; sed, inquiunt, reprobavit Sacra Congregatio interpretationem , quam Suarez dicto Clementis Decreto addiderat; do ultro, modum loquendi justis de causis non approbavit , quo Decreti vim ad sensum copulativum dumtaxat damnatæ propositionis adstringere videbatur, cum tamen ad sensum distributivum & disjunctivum , ut plurimùm saltem, extendenda esset , nimirum extra casum Sancti Leonis & Ritualis , de quo supra ; unde illa Suaris interpretatio rejecta est, idque jure ac meritò , cum legislator adhuc vivens , mentem suam & sensum suum, expositurus ; quo posito , Suaris interpretatio nullo modo subsistit ; sicuti Suaris assertio ; qua probabilem illam sententiam ante dixerat, post Decretum Clementis , ultra non subsistit ; illius tamen doctrina, & nostrorum omnium Clementis Decreto nullo modo adversatur, cum id unum tantùm velit, ut in casu Sancti Leonis , moribundo absolutio prabeatur ut præscriptum est in Rituali Romano ; sed pergamus.

9. PITHANOPH. Addit fictam historiam; quod cum Vlyssipone in Ecclesia domus professæ, Suaris sepulchrum à Patre gravissimo Societatis quæsivisset , quo esset loco, miratus fuerit ab eo ignoratum; fictam historiam dixi, quia id norunt omnes ; patet sepulchrum & inscriptio, & rem notoriam esse, instrumento publico , si Baro annuat , firmare facilè possem : appellare debuerat bonus ille gravissimum illum & nobilissimum Patrem ; sed huic homini solemne est, imponere, fingere, calumniari, & falsa quam plurima intermiscere passim, etiam in notoriis, ut etiam in hoc Wendrockium & socios imitaretur, & hæc tantùm eo fine retulit , ut fidem iis faceret, quæ subdit, nempe alios Societatis scriptores , nominat autem Vasquem , Oviedum, Arriagam, Ripaldam, Suari esse infensos, ejusque libros tum Philosophicos, tum Theologicos è manibus Lectorum excussisse, qui tamen priùs diu noctuque legerentur: Hominem sanè misericordem , & de Suaris gloria multum solicitum, quem postquam descripsisset, atque depressisset, ut suprà vidimus, jam per fictionem apertam , defendendum ac vindicandum suscipit, ut alios, quos Suari fingit, infensos, vel hoc nomine deprimat : sed, ut dicam quod res est, toto cœlo errat ; leguntur etiamnum Suaris libri , tum à Lectoribus, tum ab aliis , & ab omnibus maximi fiunt, ut par est ; nec mirum, si omnes in ejus verba non jurent ; sed aliqui, ut Vasquez præsertim, non quidem in omnibus , sed in nonnullis dumtaxat , iisque non ita præcipuis, ab eo dissentiant , quasi vero Scotus, Durandus , Ochamus, singularium sectarum Principes, immo & Cajetanus , Catharinus , & multi alii à Doctore Angelico plurimùm non dissideant ; sed quid hæc ad Suarem ? quem certè pro scriptore Canonico non habemus, nec quemlibet alium, inter Scholasticos ; nempe in quæstionibus ab Ecclesia non definitis , vel unanimi omnium Sanctorum Patrum consensu non firmatis, cuipiam injuriæ non vertimus , quod ab ejus sententia, vel opinione aliqui discedant. Hinc omnes Suaris sententias pro inconcussis dogmatis non habemus ; alios etiam auctores legimus, quilibet enim abundat in suo sensu ; unum tantùm Doctorem Angelicum non consulimus , verùm etiam alios, puta Scotum, Okamum, Gabrielem, Gregorium ; nec tantùm recentiores Thomistas, verùm etiamantiquos ; & semper acidit , ut aliquid boni succi ex singulis hauriamus ; in eo sententiarum conflictu, lux veritatis interdum emicat. Quod autem Baro scriptores appellatos , puta Vasquem , Oviedum, Ripaldam , Arriagam eadem *pag.* 9. ut nullius judicii, nullius item solidæ doctrinæ viros traducat; qui doceant, solida quæque in dubium potius revocare, quàm aut rectè vivere, aut credere, calumnia est, mendacium est atrocissimum , ingenio scriptore indignum ; *solida quæque*, inquit, igitur & mysteria nostræ fidei ; hinc non docent , inquit, *rectè credere*. Quid ad calumniæ cumulum addi possit , revera non video ; sed verbo dicam , ut hominem à gravissima culpa liberem, incogitantiæ, vel ignorantiæ id totum facilè tribuerim , cum hic, vel appellatos auctores non legerit, aut si legit (ignoscat mihi, si dicam , ut eum eximam culpæ) præ nimia subtilitate, non intellexit.

10. ANTIM. Nihil est , quod super his à me addatur ; unum tantùm de Suare referam , ut fictæ historiæ quam Baro nobis opposuit , veram historiam reponam, quam à Patribus nostris Hispanis omni exceptione majoribus accepi ; cum aliquando Magnus Suarez Salamancam veniret, tota Academia, quanta quanta est, illi obviam ivit, quem vix alteri honorem delatum fuisse, facile crediderim ; & ipse Episcopus , Homini facienti ministrare voluit ; sed summa Suaris inde maximè confusi modestia, seu verecundia, intercedente præsertim Collegii Rectore , qui tum erat vir maximæ auctoritatis Pater Padilla tanto illum honori, seu potiùs, ut ipse vocabat, tantæ confusioni subduxit ; si hæc Baro in dubium revocet, attestatione publica curabo facilè comprobari. Facessat igitur turpis lingua maledicentiæ , & doctissimo juxta atque piissimo & modestissimo scriptori obtrectare cesset, huic Soli maculas, seu tenebras offundere, & eximio Doctori, quem inoffenso pede decurrere licet, errores affingere. Doluit Baro, quod eum aliqui, non certè nostri, sed extranei, quam vis alioquin præstantissimi & Illustriss. ut videre est in ejus vita, doluit, inquam, quod eum communè hujus temporis magistrum,

magistrum, alterum Augustinum, vel Aquinatem appellant, sed in primis, vellem, Baro alium appellasset, Suarez æqualem tempore, qui potiori jure communis magister dicendus fuerit; appellet, expecto; Bonem forte, Alvarem, Davilam, aliosque hujusmodi: nihil dico, nec quidquam, velim ex iis desiderari velim; res per se ipsa loquitur: deinde ex eo quod dictus sit alter illius temporis Augustinus, vel Thomas, pessimè deducit Augustino illum, vel Thomæ omnino, & in omnibus æquari, quæ certè integra esset hujus loquutionis interpretatio; trita est & trivialis formula, qua id dumtaxat innuitur, Suarem tempore, doctrina, Scriptorum gloria & copia cæteris scriptoribus præstitisse, uti Augustino cæteros tempore, & Sanctus Aquinas suo synchronis Scriptoribus præstiterant; nihil sanè, nihil, mihi credatur Baro, Doctori Angelico inde detrahitur, quod Suarez prædictum elogium jure tribuatur, & non corruptione dignum est, quod vir, alioquin nullius fere hominis, Illustrissimos Præsules eosque doctissimos vixe aberrasse, dicat, quod iis laudibus Suarem effecerint indum esse duxerint. Sed quid tandem in Suare Baro?

11. Pithanoph. Nihil prorsus, nisi Summæ virtutis & doctrinæ famam & gloriam? tria tamen fingis, in quibus genuinos exerceat, Suari à Theophilo sacta fuisse; primum est, satis habere Suaris eum nomen auctoritatis, ut possit probabilem & certam, reliquis auctoribus tacentibus, aut recentioribus, opinionem qualibet de re constituere.

12. Antim. Sustine parumper, Pithanophile, corda-tere: Theophilus, quàm ut similem unquam assertionem adstruxerit, in qua multa errata, eaque primæ notæ, ut ajunt, primo adspectu observo: primo eam probabilem, & certam opinionem dicit; hui, quid nostri? Si probabilis est, certa non est; nec probabilis, si certa; vides, quàm congruè hic homo ratiocinabatur, & quàm idoneus sit ad Theologiam tractandam, ut sibi parùm verecundè arrogat restaudum. Secundò dicit opinionem de qualibet re, quæ erronea, hæretica, blasphema, impia; vox *de quolibet*, cuncta hæc etiam complectitur. Tertiò dicit, reliquis, omnibus scilicet, reclamantibus; Theophilus nunquam hoc dixit; appella locum & paginam; hæc tantùm dixerat Theophilus ipse in sua dissertatione: *Et quia metrum doctrinæ probabilis, juxta ipsummet Aristotelem, est, quod doctrina rationi nequaquam destituta à gravi quopiam auctore tradatur, receptum passim video inter recentiores Theologos, quæ à Suare traditas eo ipso, quod illum habent auctorem, videri posse probabiles; quia auctoris sunt valde accurati præceptis, sed maturi ac solidi; nec desideratur quam idonea ratio, qua sententiam, cui adhæserit, commodè stabiliat atque communiat*; hæc ipsissima sunt Theophili verba, & nihil aliud; vides, quantum distractis & impositis à Barone isto differant; ubi enim ibi opinio *probabilis & certa*? ubi, *reliquis reclamantibus*? ubi, *de re quolibet*? deinde loquitur Theophilus de opinione, *ratione idonea communita & stabilita*: *de sententiis à Suare traditis*, nimirum in libris editis, non de quibuslibet aliis possibilibus; non negamus enim Suarem, uti & reliquos Scriptores Scholasticos, errori obnoxios fuisse, quicumque tandem illi fuerint, exceptis dumtaxat Scriptoribus Canonicis, quis hoc neget? & nullus illorum tantæ auctoritatis est, ut quamlibet opinionem probabilem faciat; demus enim, in aliquo errare, quandoquidem errori obnoxius est, quis amabò dicat, errorem fieri posse probabilem? itaque hoc unum dumtaxat de Suare Theophilus asseruit, sententias ab eo traditas, in libris editis, cum & aliorum Scriptorum auctoritate, & ratione semper idonea ab eo stabilitæ sint, nihil enim unquam modestissimus auctor, reliquis omnibus reclamantibus adstruxit, inter recentiores Theologos, passim receptum, videri posse probabiles: vides, quàm strictè, atque modestè in hoc Theophilus; alius fortè paulò liberiùs. Nihil addo, judicet Lector, ut ut sit, primum illud accusationis caput palmarem calumniam & impostura continet; nec miratur, quia sine his nunquam hic auctor; jam descende ad secundum.

13. Pithanoph. Illud profectò non melioris conditionis est; nempe id effecisse, de integro Pœnitentiæ Sacramento, id est, de confessione & absolutione, scripto datis, ante Clementis decretum, id est, asseruisse Theophilum, hanc opinionem auctoritate Suaris factam fuisse probabilem; nunquam hoc asseruit Theophilus; nec enim hujus opinionis Suarez auctor fuit; multi ante illum, ut dixi, quos ipse, & Delugo & Theophilus appellarunt, opinionem illam docuerant, itque antiquorum Thomistarum facilè Principes, velit, nolit Baro, quorum auctoritate ductus Suarez probabilem esse, negare noluit, licèt oppositam sequutus fuerit, & hæc ante Clementis decretum; manifesta igitur est calumnia, Suarez illam opinionem eo tempore, quo nullo Ecclesiæ decreto damnata fuerat, probabilem supposuit, non fecit; nimirum tam multa, varia & grandi auctoritate munitam: delirasset igitur, vel somniasset Theophilus, si de hujusmodi assertione, quam illi Baro affingit, vel cogitasset: quod autem jure censuerit, probabilem eo tempore, nemo inficias eat; cum pro illa starent viginti duo auctores, quorum 17. appellat Cardinalis Delugo, *de Pœnit. disp* 11. *sect.* 6. *num*, 147. alios verò 5. Theophilus, *in dicta dissert. cap.* 2. nunquam tamen negavit Suarez, imò nullus Catholicus negare potest, quin post decretum Clementis, probabilis esse desierit; nemo enim opinioni ab Ecclesia damnatæ prudenter assentiatur; unde illa opinio, juxta nostra & communia principia probabilis dici nequit; sed jam ad tertium venio, quod tibi expendendum relinquam, cum mihi paulò difficilius videatur; nimirum juxta assertionem Theophili, probabilitatem tutam conciliasse eundem auctorem, Suarem videlicet, Clementis decreti interpretationi, qua ait, prohiberi à Pontifice confessionem & absolutionem inter absentes copulativè, non disjunctivè.

14. Antim. Miror, hoc tibi difficilius videri; nunquâ enim hoc dixit Theophilus, sed tantùm Suaris mentem ita explicuit, ut eam ad casum moribundi, qui est sancti Leonis & Conciliorum aliquot, itemque Ritualis Romani, reduxerit; quo semel admisso, illa sententia in praxi tuta est, qua dicti moribundi absolutio, non valida modò, verùm etiam licita adstruitur.

15. Pithanoph. Parum dicis, cum tantùm in praxi tutam & licitam appellas; cum reverà ea sit, quæ absque gravi noxa liberè, & ultro à quopiam omitti non possit; nempe à Rituali Romano, quod in Sacramentorum usu & administratione vim legis habet, saltem in substantialibus, ut vocant, casum porro istum absolutionis moribundi ad substantialia refertur, cum ad salutem animæ pertineat, hoc ipsum faciendum esse mandatur & statuitur; illa igi-

tur praxis non modò tuta est, & pro arbitrio usurpanda, verùm etiam de præcepto ; ita ut Sacerdos præsens, sub gravi culpa teneatur, dictum illum moribundum absolvere.

16. & 17. ANTIM. Cuncta hæc libens admitto, sed ad rem ; cum statuisset Theophilus, Suaris mentem ad dictum casum dumtaxat, vel alium prorsus & omnino similem referendam, restringendam esse, illius sententiam verè probabilem & tutam esse pronunciavit ; non sola Suaris auctoritate fretus, sed numerosi auctorum Antiquorum & Recentiorum manipuli ; Diana supra 32. allegat ; addit alios Theophilus, nonnullos ab iis reticitos, si res postularet, adjungere possem, sed abstineo : quia de hac controversia non est hìc disputandi locus ; mihi satis est, ostendisse, Baronem hoc loco Theophilo & Suari calumniam affinxisse.

18. PITHANOPH. Cur ergo posterioribus Decretis declaratum est, Suaris interpretationem *non subsistere*.

19. ANTIM. Varias causas Doctores afferunt, Lugo Vasquez, Tannerus, Aversa, Fernand. de Moure, Kellison, Zambranus, Ludovicus Caspensis, quos videsis apud Theophilum ; ego liberè dicam ; quod sentio, illum modum loquendi à Suare usurpatum, non placuisse, merito quidem & jure ; cum enim Suares Clementis decretum intelligendum esse dixisset, in sensu copulativo, non distributivo, seu divisivo, ex hoc multi ansam arripere potuissent, credendi ac dicendi, utrumque licitum, esse divisivè, id est, modò cum altero conjunctum non esset ; idque in omni casu ; quod tamen tolerari non potest ; quia in nullo casu absolutio sacramentalis absenti data valida est, nec confessio absenti facta in omni casu admittenda ; sed tantùm in casu extremæ necessitatis, juxta Rituale, sacros canones, & S. Leonis rescriptum ; ut ita sentiam, duo mihi persuadent, primum est, quia certum est, licèt rejecta fuerit Suaris interpretatio, non ideo rejectam esse dictam praxim, absolvendi moribundum, sed denuo præscriptam atque præceptam in rituali, quod dejnde multis annis post dicta decreta à Paulo V. promulgatum, approbatum, & toti Ecclesiæ propositum est ; igitur quoad illam praxim, Suaris responsione, vel interpretatione contentam, hæc interpretatio per illa decreta rejecta non fuit ; sed tantum, quia periculum erat, ne quis illam ad alios casus dissimiles extenderet, ut dixi, quod certè facile fuisset, si ad nuda verba, quibus expressa est, attendatur ; nimirum Clementis decretum *divisivè* non *collectivè* accipiendum esse : secundum est, quia dictis decretis inter cætera, ut vel ipse Petrus de Fay refert in supplementum 3. *p. q.* 9. *art.* 3. *disp.* 3. hæc jubentur expungi ex *tom.* 4. Suaris in 3. *part. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 12. ab illis verbis *atque ex hac resolutione*, usque ad hæc inclusivè, *in absentia confessionis*, quia in his dictæ interpretationis fit mentio, reliqua tamen, quæ iis continuò subnectuntur, integra & intacta relicta sunt ; hæc nimirum, *si postea confessor adveniens, nihil aliud à pœnitente intelligere possit, quia verbi gratia jam nihil sentit, si de signis exhibitis, & petitione confessionis habeat sufficiens testimonium, potest, immo practicè debet illum absolvere*, infirmum scilicet, qui petiit confessionem, & signa contritionis exhibuit, ut dicitur supra ; sed hic merus putus casus est Rituals Romani ; cum igitur exceptio firmet legem, quoad hoc, Suaris interpretatio rejecta non fuit, sed tantùm, ut dixi, quoad modum loquendi & nuda verba, quibus dicta interpretatio expressa fuerat, quæ ut dixi, non nihil ansæ præbere videbantur sacramento malè utendi.

20. PITHANOPH. Hoc tamen non facit, quin Suaris sententia, quatenus ad illum dumtaxat casum S. Leonis & Ritualis restringitur, uti revera illam Theophilus restrinxit, non modò sit probabilissima, verum etiam certissima, cum illius usum & praxim Ecclesia præscripserit ; quod certè, meo saltem judicio, in dubium revocari non potest ; imponit tamen Baro *disp.* 1. *sect.* 4. *art.* 1. §. 3. tum Suari, tum Theophilo, quasi doceant, confessionem illam esse materiam certam sacramenti in eo scilicet casu S. Leonis ; idque per insignem calumniam ; non Suari modò ac Theophilo, sed aliis etiam auctoribus Societatis affictam : citare loca debuerat, in quibus certam illam esse reputent ; oppositum sanè plusquam notorium est ; & verò ipsemet Suarez, *loco* suprà *cit.* diserte ait, hanc conditionem tacitam subintelligendam esse, *si materia est sufficiens*, & *num.* 15. addit, nullum esse in hac praxi periculum, ne injuria sacramento inferatur ; *quia*, inquit, *per adjunctam conditionem omnino tollitur, sicut in aliis casibus dubiis, fieri solet* : igitur de illo casu loquitur, tanquam de casu dubio, id est, tanquam de confessione, seu materia dubia, seu probabili ; igitur nullo modo certa : Theophilus, idem cum Suare sentit ; nimirum in casu tantùm extremæ necessitatis, in quo, non tantùm certa juxta communem regulam, sed etiam probabilis materia, quando certa non suppetit, adhibenda est ; immo extra illum casum Theoph. c. 4. non modò illicitam, verùm etiam invalidam absolutionem illam esse diserte pronunciat ; sed in his frustra, quæ notoria sunt.

21. ANTIM. Ex his quæso apud te reputa cujus fidei sit homo iste, & qua fide in multis aliis, quæ nostris auctoribus, atque adeo toti Societati affingit dignus sit, vult enim, sententiam illam de absolvendo absente, à Patribus nostris excogitatam fuisse ; numerosus tamen aliorum manipulus, qui ante nostros de hoc argumento scripserunt, & dictam sententiam docuerunt, à Suare, Theophilo, Facundes, aliisque congestus est ; extant extabuntque illorum libri, ad quos latinè scientes & minime cœcos provocamus : eodem recidit, quod *sect.* III. *art.* 2. et Petro du Fay refert, quem unum, inquit, recentiorum Thomistarum, legere licuit, nimirum plures ex nostris in Hispania, illam sententiam defendisse, & ut fama erat minimè dubia, eadem in praxi usos fuisse : hæc ut falsissima pernegamus, & ut mendacii monstrum horremus ; citentur tabulæ, appellentur nomina, producantur testes ; fama erat, id est, æmulorum, & declaratorum hostium inimica vox ; aliàs dixerunt aliqui, ut modo dicit Vincentius Baro ; nullo tamen veritatis, sed mero maledicendi studio ducti ; itane vero, authentica struitur accusatio, sine teste, sine die & consule, reticitis auctorum nominibus ? neque id, verbo tenus, quod tamen virulentæ calumniæ esset, sed scripto edito & publicato ? aliqui reverà ex tuis Vincenti Baro, non Ludovicus Granatensis, aut Mantius, non Bartholomæus de Martyribus, non Ludovicus Bertrandus, non Petrus Soto, non Penna non Matthæus Oris, non Thomas Badia, non B. Mico, sed pauci Canini, & Bannesiani, nimirum Alfonsus à Fonte, Peredus, Avendanus, & nonnulli ejusdem farinæ homines, impostura illam, cum multis aliis plusquam nilibus fabulis, per summum scelus, contra insontes sparserunt, à quibus haud dubiè tuus ille

Petrus

Petrus Fay accepit; sed commenta illa, affulgente illico veritatis luce, & juridica impostorum damnatione, discussa & dissipata fuerunt: nostro Henrico etiam imponis, quasi sententiam de absolutione absentis docuerit; haud dubiè non legisti, cum lib. 2. de Pœnitentiæ sacramento *cap. 2. num. 7. litt. T, in textu*, ubi hæc leges; *si confessio per nuntium facta sit absenti Sacerdoti, quando scilicet pœnitens illum adire non potest, nec accersere, non liber per confessarium in absentia, absolvi* equidem in gloss., multos auctores addensat, etiam ex iis, quos minimè nolles pro illa sententia; quæ absolutionem absentis adstruit; citas in hanc rem Possevinum, sed nihil tale apud eum invenio; unde perinde mendacii & impostura tribuo; tibi imputa, cui locum debueras; sed ex industria, ut legentes melius fallas & fatiges, omisisti; quod autem manifestum sit mendacium, vel ex eo constat, quod liber Possevini compositus fuit longè antequam decreto Clementis illa sententia damnaretur, ut constat ex diplomate Clementis dato 3. Junii ann. 1602. & licentia generalis data 16. Aprilis, quibus opus illud impositum esse asseritur, cum tamen decretum de quo agitur die 20. Junii datum fuerit; igitur posteriori est: Emmanuel Sà dictam sententiam ex aliis sumit, non per se & ex professo docuit. Quod verò ad Suarem spectat, quem lacerandum tota fere illa disputatione suscepisti, ex literis die 9. Octobris anno 1610. ab eo Conimbricæ datis, quarum apographum apud Tannerum *disp. 6. de Pœnitentia, q. 9. dub. num. 16.* legere potuisti, moribundum illum, cum agitur, absolvi posse ac debere, manifestum & *ubi certò constat*, inquit, *hanc fuisse mentem utriusque Pontificis, tum ex ore utriusque, tum ex sententia multorum Cardinalium; tum quia hoc nunquam in dubium revocatum est.* Aliud testimonium Cardinalis Bellarmini & Petri Lombardi Archiepiscopi Armacani proferre possem, qui vero 4. Aprilis anno 1608. scripto publico Romæ testati sunt, quod PP. Florentius, & Lessius in Belgio docuerunt, hocipsum à Clemente fuisse responsum, & à seipsis auditum: imò idem Armacanus, de eo postea consultus à quibusdam Doctoribus Lovaniensibus, iteratum ea de re ad ipsos testimonium misit; ita nimirum fixus in ea opinione, ut quam diceret, se puniturum Parochum sibi subjectum, quem sciret, tali ægroto absolutionem negasse. Idem testatus est dictus Armacanus in Epistola data ad P. Coninch, die 6. Junii ann. 1624. cujus verum tenorem legere poteris apud Delugo, *lib. 7. de Sacramento Pœnit. sect. 4. num. 77. & 78.* Quid igitur, quod dicas, doctrinam Suaris ab Ecclesia fuisse damnatam: nam nec ipse tenuit, Sacramentum Pœnitentiæ perfici posse inter absentes, ut nullus extuis, ante Clementis decretum, nec decretum Clementis accipiendum esse divisivè pro ullo casu, quo ad absolutionem; nec pro omni, quo ad confessionem, sed tantùm pro casu S. Leonis, & Rituale Romani, in quo negari non potest, quin per nuntium, vel internuntium absenti Sacerdoti ægri stanti verba & signa aliaque ad desiderium, & votum confessionis pertinentia, significentur; licèt deinde absentem ægrum, vivum quidem, sed mentis impotem inveniat, atque absolvat: nihil aliud Suarez, in hunc casum dumtaxat, vel alium prorsus similem Clementis decreto comprehensum fuisse negabis; cur ergo dicis, damnatam fuisse illius doctrinam? cur falsò asseris, à Lugo dici meritò ac jure damnatam esse? cum nihil tale apud Lugo legatur; cur jurare audes, *eodem artic. 2. sect. 5.* ita sentire Theophilum? nimirum absentem validè absolvi posse; cum Theophilus differtè doceat, *cap. 2. suæ dissertationis*, post Clementis decretum *possibilem & tolerandam*, non esse, quis ergo te perjurii non insimulet? sed docet, inquies, ante Clementis decretum probabilem fuisse: sed an fortè decreto illo statuitur, ante probabilem non fuisse? saltem per locum extrinsecum, cùm scilicet pro ea starent DD. eximii, inter quos, Petr. de Tarentasia & Adrianus, qui deinde ad sacram Petri sedem evecti fuere; cur Suarii piissimo & sincerissimo Doctori fraudem & dolum ibidem affingis? atque adeo omnibus Jesuistis, quasi cuniculis actis, receptam in Ecclesia doctrinam subruere conati fuerint, atque adeò errorem in Ecclesiam, si fieri posset inducere? reponere possem cum fœnore; nunquid doctrina illa in Ecclesia recepta est, quæ multis Conciliorum decretis, & Sancti Leonis Decretali adstruitur, & in Rituali Romano à Paulo V. toti Ecclesiæ proponitur, & quo ad usum Sacramenti Pœnitentiæ præscribitur? quis amabò neget, doctrinam illam, nimirum de absolutione moribundi, in Ecclesiam receptam esse? eam tamen subruere conaris, cum paucis tui similibus, qui dicere non dubitarunt, Rituale Romanum tantæ non esse auctoritatis, diploma Pauli V. annexum, quo non modò approbatur, verùm etiam toti Ecclesiæ proponitur, subreptitium fuisse; item Rituale adulteratum, expuncta scilicet particula *non*; esse opus Doctoris privati, cui diploma Pontificium nihil ponderis addidit; ac deinde non præcelluisse serium & sufficiens Theologorum examen: ita Coquetius & Petrus Fay, quem tamen unum, inter tot, à te lectum esse, fateris pro hac controversia: ex hoc autem satis videre poteras, qua fide dignus sit, & quàm temerè in verbo illius, tot fabulosas calumnias Jesuitis adstruas. Cuncta hæc tamen publico decreto rejecta fuerunt, 2. Decembr. 1621. & statutum, servandum esse Rituale incontaminatum, in casu illo moribundi, addita declaratione, quæ ferebat, verum non esse, quod Rituale in hoc Clementis decreto adversetur. Ex quibus manifestum fit, quinam ii sint, qui per fraudes & cuniculos receptam in Ecclesia doctrinam subruere conantur. Facessat igitur virulenta illa calumniarum colluvies, quam Suari & Jesuitis *sect. 4.* aspergis, dum dicis, quod Suarez absolvi non possit, nisi duo Pontifices damnentur; absolutus tamen fuit, ac fecit satis Pontifici, qui mentem illius ac sensum probavit, expunctis dumtaxat paucis paginis, ne aliqui ex iis malè perceptis, quo ad loquendi modum, auctoris mentem aliò deflecterent, ut supra dictum est; quod Jesuitæ, conspiratione quadam, cujus fortè Suarez particeps erat, meditarentur, inducere in Ecclesiam frequentem usum Pœnitentiæ inter absentes; conspirarunt igitur Jesuitæ, atque adeo ipse Suarez in Ecclesiam; nisi proferas tabulas, calumniator audies, Petrus Fay attestatur, egregium sanè testem, nimirum anilium fabularum & impostarum architectum; ne dubites, hæc in nostra Historia suum locum jam habent, & ex authenticis actis & testimoniis, manifestæ falsitatis convincuntur. Rem sanè lepidam, nullus ex nostris sententiam illam defendit, Suarez & Henriquez oppositam docuerunt, illam quidem probabilem esse, nimirum ante Clementis decretum, primus ille negare ausus non est, per locum scilicet extrinsecum, ab auctoritate petitum, pro qua tà multi & illustres auctores steterant, Emmanuël Sà retulit potiùs, quàm adstruxit; nullus igitur ex nostris

illam ex professo defendit ; ex tuis tamen quàmplurimi ut Paludanus, Petrus de Tarentasia, Rainerius, S. Antoninus, auctor Margaritæ Confessorum, Turrecremata, Sylvester, Fumus, Tabiena , Petrus Soto, M. Penna apud Henriquez , quos citarunt distinctissimè, Henriquez, Suarez, Lugo, Tannerus, &c. cur ergo nobis illam attribuis, cur tuis subducis: Hic certè tritum illud satis quadrat, *Clodius accusat Mœchos, &c.* Subrides, Pithanophile , quia fortè longiùs excurro; ignosce quæso; non jam tecum, sed cum Barone isto mihi videbar agere , sed quæso colloquium nostrum repetamus.

22. PITHANOPH. Rem sanè acu tetigisti; sed meo judicio præstat , turpissimam illam fabularum & calumniarum colluviem omittere , præsertim cum diu versari non possit, nisi fœteat, nec ulla spongia exugi valeat; quare discutiamus tantulum mirabile Baronis ratiocinium. In primis, inquit, *sect.* 4. *art.* 1. §. 3. observabant summi Pontifices interpretationem Suaris, & confessionem Epistolarem esse partem illius integr: Sacramenti, quod Doctores Societatis scriptis privatis & publicis, & ipso etiam usu, quamvis occulto, defendebant ut validum & licitum; ergo pars illa confessionis epistolaris quam certam volebat Suarez, inter tutas & licitas reponebat, hoc verò apertè damnant Pontifices , materiam nimirum controversam, & ad summum speculativè probabilem; loco certæ, & practicè tutæ reponi: quid ad ista responsurus esset Theophilus, si viveret, nescio. Mirari profectò satis non possum, qui fieri possit , ut vir iste, qui Theologiæ restaurator audire vult, ita ratiocinetur , ut non modò antecedens & consequens manifesta falsitate laborent, sed absurda quæpiam & absona intermisceantur. Primò absurdum est, ut mitissimè loquar, quod dicit, interpretationem Suaris esse partem Sacramenti, quo, quid absurdius dici possit, non video; falsissimum verò est , Sacramentum illud à vestris inter absentes administratum, ut validum & licitum ipso usu defensum fuisse ; palmaris calumnia est Barone digna: falsum etiam ; hoc observatum fuisse à Pontificibus: egregium sanè antecedens, quod tribus membris constat , quorum primum absurdum est, & alia duo falsissima. Venio ad consequens: ergo , inquit, pars illa integri Sacramenti, nimirum inter ablentes , quam certam volebat Suarez, reponebat inter tutas & licitas; quæ amabò consequentia? observabant Pontifices esse partem integri Sacramenti, ergo pars illa reponebat Suarez inter tutas & licitas; Petrus ambulat, ergo Joannes currit; quid amabo ineptius? deinde quæ constructio Grammatica, *Suarez pars illa reponebat* : deinde quid tandem illud, inter tutas & licitas? quid amabo subaudiri potest? falsum denique est , confessionem illam, moribundi scilicet, nam in hoc tantùm casu loquitur à Suarez, certam adstrui, sed tantùm probabilem & dubiam, idem imponit Suari pagina proximè antecedenti & pasim alibi. Nihil affingo, Antime, en librum, en locum, lege.

23. ANTIM. Jurare possum, nihil unquam absurdius à me oculis lustratum fuisse; nescit omnino, quid dicat, & sibi velit; ardentissimum illud , quo flagrat in Suarem nostrum & Jesuitas omnes odium , ita in eo rationis lumen extinxit , ut cum maximè ratiocinari se credi, & Theophilo insultat, jactatque argumentum illud indissolubile, miserè meptiat. Pergit tamen, ut video, miserabiliùs, cum tamen evidens argumentum appellet ; vult enim à Thomistis confessionem illam moribundi, id est, pateefactum illud confitendi votum, cum signis dolorum Confessario absenti, per internuntium, vel serius advenienti significatum, quæ reverà, si Confessarius adfuisset, absque ulla controversia, materia sufficiens haberetur, vult unquam confessionem illam , in casu sancti Leonis & Ritualis Romani comprehensam atque descriptam , à Thomistis reponi sub quarto genere materiæ nullius, aut certè dubiæ : nam ipse distinxerat prius §. 1. quatuor genera materiæ Sacramenti, certæ nimirum & licitæ; certæ & illicitæ; dubiæ, seu probabilis; nullius denique , seu prohibitæ. Hic homo rem hanc non capit, malim quippe hoc ignorantiæ & insciticæ , quàm malitiæ tribuere ; nam primò confundit materiam nullam cum prohibita; nempe dubia & probabilis , est etiam prohibita extra casum necessitatis. Secundò non est duplex materiæ certæ genus, sed unum , cujus tamen usus potest esse licitus, vel illicitus , pro diversis circumstantiis. Tertiò reponit hoc loco, sub quarto genere, dictam confessionem moribundi, & sibi contradicit: nam primùm dixerat, quartum genus esse materiæ nullius; hìc verò sub quarto genere , materiam nullam, aut dubiam collocat. Quartò denique ineptè assignat genus materiæ nullius, quod plusquam ridiculum est; monstrosum profectò genus materiæ, quod nullam materiam complectitur; uti genus viventis, quod vivens non sit: apage istas nugas, facilè poterat tritis aliorum vestigiis insistere, ac duplex genus materiæ in re Sacramentaria distinguere , certæ nimirum & probabilis: hæc adhiberi non debet extra casum necessitatis; sed latere voluit sub iis verborum ambagibus, ut argumentum à Rituali Romano petitum eluderet. Quæro enim, an concedat, in eo casu moribundum absolvendum esse ; si concedit, dat manus , & nobiscum sentit , atque adeò dictam confessionem materiam probabilem esse, fatetur ; nemo enim absolvendus est unquam, nisi saltem materia probabilis intercedat: si verò negat, uti reverà cum suo Petro Fay aliisque negare videtur, Rituale Romanum non admittit, ac proinde ab errore immunis non est, atque adeò ipse, non vero Theophilus Pontificibus sese opponit: sed jam ad argumentum illud veniamus , quo tota controversia , inquit, dirimitur. Sacramentum Pœnitentiæ nullum est, cui desit aliqua pars essentialis ; in hoc autem casu nimirum sancti Leonis & Ritualis deest confessio , quæ est pars essentialis: nam voluntas confessionis non est confessio , nec contritionis voluntas est contritio. Et hoc argumentum validum vocat? quasi verò non adsit ea confessio , quæ sit materia probabilis & dubia, ac proinde in casu necessitatis adhibenda; quasi verò sit tantùm voluntas confessionis & contritionis; cum signa exteriora dictæ voluntatis & contritionis adsint, quæ si adesset Confessarius , quando eduntur à moribundo, certam omnino facerent materiam; unde patet, quàm strenuè causam suam bonus iste agat, dum probat , moribundum absolvi non posse à præsente Confessario , qui dicta moribundi verba & signa præsens excepit , quod certè in controversiam nunquam cecidit , neque huc pertinet, ut perspicuum est, sed illud dumtaxat, utrùm signa illa, absente Sacerdote, ab ægro edita , acdeinde eidem Sacerdoti renunciata, sint materia probabilis , seu confessio sufficiens , ut deinde Confessarius advenens moribundum illum , viventem adhuc, sed mentis impotem absolvere possit ac debeat. Hic demum exclamat, timendum esse, ne hujusmodi distinctionibus falsum & illicitum Sacramentum administretur: sed profectò licitum est, & probabiliter verum, quod juxta sacros ritus in Rituali

tuali Romano præscriptos administratur, nec aliud Viennenses nostri docuerunt; imò in hoc casu illud committere, illicitum & inhumanum, atque adeò pa-rem catholicum, sacris legibus, in ritu Sacramen-torum, per inveteratam pervicaciam obsistere. Cæ-terum Suarez, Theophilus, aliique ex nostris, nihil aliud volunt, nisi sancti Leonis Decretalem & Ri-tuale Romanum, quo ad absolutionem moribundi accuratè servari, quod nemo non suspectus facien-dum esse negaverit; & signa illa, quibus tum volun-tas consitendi, tum interna contritio expromun-tur, quæ sufficerent ad legitimam absolutionem, si præsens Confessarius illa excepisset, sufficere proba-biliter, absenti Confessario renunciata, ut deinde præsens moribundum absolvat; nihil aliud, quo ad hanc controversiam diximus, aut dicemus, unquam, quidquam Baro cum Petro Fay, Coquetio, & pau-cis aliis negat; utra pars melius sentiat, æqui & Ca-tholici censores judicent. Non dicimus tamen, di-ctum moribundi confessionem certam materiam esse divini Sacramenti, sed probabilem tantùm, ac proin-de extra casum necessitatis, minimè adhibendam; se-cus verò urgente necessitate, ut diximus; quod cer-te non facit, quin certo tutus sit illius usus in eo ca-su, attamen lege, ut æger pristino statui restitutus, peccata sua directè clavibus subiiciat. In hoc autem Baro semper hallucinatur, quod usum materiæ pro-babilis ab eadem minimè distinguat, illum nempe, in dicto casu, certò tutum esse constat, hanc verò nun-quam certam, sed probabilem; at verò extra casum necessitatis, usum illum nec tutum, nec probabi-lem esse: ex quibus omnia Baronis, quamvis alio-quin ratiocinia ratiocinia corrumpunt; nec rem istam bonus ille Theologiæ Reformator capere videtur; licet enim sit materia probabilis tantùm; non tamen propterea illorum, ut ait, Ecclesia Theologis relin-quit disputare, an sit adhibenda; cum in casu ne-cessitatis, negari non possit, adhibendam esse, nec illos, adhibendam extra casum necessitatis; nec eum, an sit materia probabilis, nec enim Ecclesia tuncve posset, ut in casu necessitatis adhibeatur; ante omnes concedere debent esse probabilem; quod cum Baro cum suis neget, nimirum, ægrum illum absolvendum esse, quamvis alioquin cum taci-ta conditione, & ea lege, ut si æger convalescat, pec-cata directe clavibus subiiciat, viderit Baro, quam rationem suorumque causam defendat. Nihil aliud Theophili dissertatio, nihil aliud Suarez, nihil alii omnino; hic verò cum suis, Petro Fay, Coque-tio, Nugno, & quibusdam aliis, apertè negat; quam-vis quin variis verborum involucris suam illam mentem & decreto Ecclesiæ contrariam senten-tiam involvat; reliqua autem quæ sunt ejusdem ge-neris, nimirum falsa, ridicula & absurda, frustra re-fellam, ne scilicet libelli refutatio in tomum vastæ molis excrescat: dico sèriò, nullam esse paginam, imò nullam fere lineam à justa censura immunem: tantus, quæ tumultuosè subnectit, *art.* 2. mani-festè colligitur, ita illum sentire, ut velit cum Soto, Cano & aliis, moribundum illum absolvendum non esse, cum desideretur confessio, quæ pars essentia-lis est, nulla enim necessitas postulat, Sacramentum sine materia perfici. Hinc canones & decreta-lem Leonis de absolutione à censuris intelligit, non vero de Sacramentali, nec de judiciaria, sed de de-precatione, & hic falsat impune locum D. Thom. 3. part. 84. *art.* 3. *ad* 2. qui cum sibi objecisset Leo-nis verba, *ex Epist.* 91. *ad Theodorum* (illa est in qua casum moribundi definit) *indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri*, ita respondet, ut solemnem formam, *ego te absolvo*, de-sendat, *verbum Leonis intelligendum est, quantum ad deprecationem, quæ præmittitur absolutioni, non autem removet, seu renuit, quin Sacerdotes ab-solvant*: Sic autem hunc textum Doctoris Angè-lici, charactere italico exscribit, *Leonis verba intel-ligenda sunt de deprecatione, quæ præmittitur absolutioni, sive sit Sacramentalis à peccato, sive Eccle-siastica à censuris; non autem renuit Leo Papa, quin Sacerdos absolvat, id est, quin habeat potestatem ab-solvendi judicio Sacramentali, vel Ecclesiastico.* Detrectas mihi fidem Pithanophile, aperi quæso li-brum & lege.

24. PITHANOPH. Totus quantus est hic Homo ex commentis, calumniis, fabulis & auctorum de-pravationibus compactus est; at si Doctori Ange-lico non parcit, quomodò aliis parcet? certè in fla-granti, si aliàs quispiam: quasi verò S. Doctor hoc loco non agat de absolutione Sacramentali, aut alte-rius à censuris meminerit. Sed pergit egregiè Ba-ro; retulit Theophilus ex eadem Leonis Epistola, eum, qui absque absolutione obiit, post mortem absolvi non posse; negat Baro hæc à S. Leone dicta fuisse: *Totam*, inquit, *Leonis Epistolam decurri, nec legi, quod ex eo refert.* Disertè tamen ibidem hæc habet Leo his verbis: *Si autem aliquis eorum, &c. quocumque interceptus obstaculo, à tempore indulgentiæ præsentis exciderit, & prisquam ad constituta re-media perveniat, temporalem vitam humanæ condi-tione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.* Hæc tamen non legit Baro, ô fidem Baronianam: voluisset item, ut verba illorum canonum Theophilus recitasset, in quibus declaratur, absolutionem à censura post mortem ab Ecclesia obtineri posse; citaverat, *c. a nobis 2. & c. sacris, de sententia excommunicationis*; in illo enim Innocentius III. disertè respondet, excom-municato defuncto absolutionis beneficium impen-dendum esse, modò ante mortem pœnitentiæ signa edidisset; idem prorsus *c. sacris*, constituit, hæc faci-lè, vel aperto decretalium codice legere potuit; cum autem, ut ibidem fatetur, inde totum victoriæ mo-mentum pendeat, jam profectò negare non potest, quin Leo de absolutione Sacramentali intelligendus sit, non de absolutione à censuris; nimirum si de hac, post mortem concedi posset, quod tamen de sua Leo disertè negavit. Sed mittamus quæso, tot ac tanta repugnantia, quæ à Barone adstruuntur; vult enim, & non vult, absolvendum esse moribundum illum, & sibi centies in hoc contradicit; si enim vult, cur oppositum defendit? quod à Coquetio, Petro Fay, Nugno, &c. adstruitur; si non vult, cur dicit suam mentem esse, ut absolvatur; accusat de-nique §. 2. Theophilum impostura, P. Cosmæ Mo-relles ab eo afflictæ, quem Theophilus, licentia plus-quam Poëtica, dicit, corrupisse Divi Thomæ locum, *in 1. d. 44. quæst. unic art. 3. ad 3.* legi, inquit Baro, totam illam distinctionem, & nihil tale invenio, equidem typi mendum fuit, nam Theophilus haud dubiè scripserat, *in 1. d. 44.* sed per errorem typi fe-runt 42. Baro tamen, qui legit, *dist.* 42. dissimulat tantùm non proximè sequentem; in qua, *citato loco*, hæc lego, *talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ pec-cato originali & actuali immunis fuit.* Idque juxta editionem Romanam, jussu Pii V. factam; quem deinde textum in editione Antverpiensi, ann. 1613. dictus P. Morelles ita falsavit, ut negatione inserta, dixerit, *non fuisse immunem*: impostor igitur, ut ait

Baro,

Baro, Theophilus non est; locum petiit, *cedo locum*, inquit, *D. Thomæ*; protuli, ni fallor; unde hîc etiam mendax & impostor Baro, dum veracem alium impostura insimulat. Quid faceres Homini à veritate ita alieno & mendaciis innutrito, ut vix ab illa nota lineam unam, seu versum unum immunem invenias.

25. ANTIM. Mitte quæso, si enim singula persequi volueris, nunquam feceris finem; Doctori Angelico textum illum affingit, quem tamen apud eum non legimus; jurat Gravinæ à Theophilo affictum fuisse, quod tamen apud Gravinam legimus: Gravinam & Morelles æquè insontes appellat, rectè habemus fatentem Reum, igitur & æquè sontes; Pozam contumacem appellat, palmare profectò mendacium, concilio, judicio, & gehennæ dignum, & hic Theologiæ moralis restaurator est, corruptorem potiùs sanè dixerim; sed quid tamdiu versamus has fœces? vix enim fœculentiorem scriptorem invenies; illud tamen unum minimè omittam, quod Pozam rebellem & contumacem Apostatam vocat, quem vult esse illum, quem Gravina tacito nomine perstrinxit, & Marc. Antonium de Dominis, Jesuitam Apostatam esse dicit; ab hoc ultimo incipio: nunquam fuit Marcus-Antonius Societatis professus, sed dimissus ab ea, solutusque votis simplicibus fuerat, longè antequam, non modò Apostata esset, verùm etiam ad sacras infulas Spalatrensis Ecclesiæ assumeretur; Apostata igitur Jesuita non fuit, ut ait Baro, reponere possem, ut soleo dicere, cum fœnore, sed abstineo; quod Joan. Baptist. Pozam Gravina perstringat, vix crediderim, quia Poza librum suum anno tantùm 1627. typis mandavit, & sequentibus duntaxat confixus est, cum tamen Gravina ante opus suum de præscriptionibus ediderit; quod verò Baro Pozam rebellem & contumacem Apostatam appellet, refutatione non indiget; habuit Baro quem imitaretur, Xantem scilicet Marialem: Pozam certè à censuris contra ejus libros latis vindicandum non suscipio; sat scio, qua veneratione S. Congregationum decreta, ab omnibus quidem Catholicis, sed à me præsertim habenda sint; dico tamen, his duobus standum fuisse decretis editis; dicant, quantumlibet, libros à Poza editos confixos fuisse, in hoc ultro dabimus manus; at quod Marialez Diabolum & alterum Luciferum, Baro verò rebellem & contumacem Apostatam; convitia profecto sunt auctoribus Christianis indigna, quæ ubi referuntur, abundè sanè refutantur. Mentitur autem Baro, cum dicit, hæc à Theophilo Gravinæ afficta fuisse; hæc apud Gravinam leguntur loco citato; negat Baro, & jurat, sed jurabis, scio, te fallere posse Deos; at si Theophilo fidem detrectet, & Joanni-Antonio Sauræ, sanctæ Inquisitionis Toletanæ Commissario, qui eadem refert, oculis nostris minimè imponet, qui hæc apud Gravinam legerunt, qui revera de Congregationibus Romanis in genere loquitur, ac proinde de omnibus; at dici nullam omnino Congregationem Romanam, in quibuslibet decretis, falli posse; & certa illa infallibilitate pollere, non ridiculum modò, verùm etiam erroneum dictu est. Sed bonus sum, qui hæc seriò dicta esse ab hujusmodi hominibus, qui Curios simulant, ut jam *suprà* vidimus, quam malè sentiat hic homo de novis constitutionibus ac definitionibus Apostolicis. Ut ut sit, si fortè Novatores excipiam, nullum auctorem unquam legi, qui tam aperta fronte adstruat falsa, & vera inficietur, & quod magis mirere, in rebus notoriis.

26. PITHANOPH. Hæc omnino perspicua sunt ex iis, quæ tum à te, tum etiam à me supra commemorata fuere; sed his omissis, quid tibi videtur de iis, quæ adstruit de Catechismo Romano & Rituali, *sect. 4. art. ult.* multa enim, ni fallor, valde Heterochita defendit.

27. ANTIM. Hic homo sui semper similis est; vix paginam habet ab errore immunem, & vix lineam, seu versum ab aliquo nævo; imò sibi manifestè contradicit, adeò rerum istarum peritus est, aut saltem à se dictorum memor; Catechismum Romanum, ut vocant, non modò à Concilio Tridentino approbatum & confirmatum, verùm etiam à Sede Apostolica toti Ecclesiæ propositum fuisse dicit; ac proinde libris canonicis æquandum; fateor, decretum fuisse à Tridentino, ut componeretur Catechismus, qui Parochis usui esset; sed quod hic, vel alius à Concilio perfectus, approbatus & confirmatus fuerit, nullibi lego; sed hæc tantummodò cura Papæ relicta, fateor, aliquos deputatos fuisse ad id muneris exequendum à Pio IV. & inter cæteros Franciscum Forerium, Ordinis Prædicatorum, Lusitanum, quem Tridentino interfuisse, legimus in Historia Cardinalis Palavicini, imò & aliquando ejus votum de institutione Sacerdotum, novi Testamenti, à reliquis pessimè acceptum; volebat enim ex sola scriptura non haberi, ut referr idem Palavicinus, *lib. hist. 18. cap. 1. num. 3. 4. & 5.* Scio quoque, hanc curam æquè commissam fuisse à Pio IV. Leonardo Marino, Archiepiscopo Lancinensi, & Ægidio Foscarario, Episcopo Mutinensi, & omnia judicio Cardinalis Sirleti deinde commissa; ac tandem librum jussu & cum approbatione Pii V. promulgatum; sed quod inter libros Canonicos repositus fuerit, & omnia in eo contenta certa fide tenenda sint, nullibi lego, habeo quidem diploma Pontificium Pii V. datum, anno 1566. id est, 1. Pii quod incipit, *Pastoralis officio*, & libro in prima editione, eodem anno facta præmissum, sed in hoc Brevi, nihil prorsus habemus, quo libet adeò extollatur, & quod simplicem aliorum librorum approbationem superet; cum tantùm in gratiam Pauli Manutij, qui Latinè illum reddiderat, ejus impressioni, suis sumptibus fidelem & diligentem operam navaturus, omnibus aliis Pius prohibeat, neintra proximum quinquennium imprimere, aut alibi impressum vendere possint; nihil aliud, quo ad hos invenio: scio demum, in libro illo fidei nostræ dogmata contineri; quis hoc neget? sed cum præter illa, alia multa contineantur, nemo sanè dixerit, certa fide tenenda esse, & ab Ecclesia omnibus Christi fidelibus ut certa, tradita & proposita; de quo profectò nemo cordatus dubitet; summis Cardinalis Sirleti laudibus nihil sanè detractum velim; sed quod ipse omnia & singula in eo libro contenta, ut omnino certa approbat, nullibi lego; quamquam etiam si legerem, homo tamen fuit errori obnoxius, ut patet: non erat igitur, quod Baro prædeterminationi suæ Physicæ, ex dicto libro novum pondus addi posse, sibi persuadeat, primò enim dictæ prædeterminationis auctor libri non meminit; nimirum, *cap. 2. de primo articulo, num. 22.* sed tantùm hæc habet, *ea quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat.* Secundò prævenit certè, imò præmovet atque excitat causas liberas, nemo enim gratiæ prævenientis & excitantis necessitatem negat,

quo

quo ad actiones supernaturales ; quo ad alias verò adjimus ultro concursum Dei paratum in actu primo & omnipotentiam per decretum applicatam; instrumentum liberum voluntatem minimè prædeterminet; hæc est autem occultissima vis ad singula penetrans & intima virtus: aliæ responsiones non deducuntur, hæc una sufficiat, nimirum nunquam ab Ecclesia Catechismum Romanum ita approbatum fuisse, ut prædeterminatio Physica ex eo statuatur.

28. PITHANOPH. Omittis unum, quod in mentem nunc mihi venit, nempe constitutionem Urbani VIII. anno 1633. die 22. mens. Februar. datam, quæ hic incipit, *Ex debito Pastoralis*, §. 6. in qua mandat Pontifex, ut Catholicæ religionis mysteria & planta ad doctrinæ unitatem & conformitatem reducantur, Infidelibus ad fidem conversis, nostri, tum Catechismum Romanum, tum doctrinam Christianam majorem & minorem Cardinalis Bellarmini, proponerent, utroque scilicet libro in vulgarium idiomata converso; unde constat, non admodum inæqualis utrumque conditionis visum fuisse. Et quam veritati consonum, quod ibidem Pontifex subjicit non dubitat, librum illum summam esse doctrinæ Apostolica traditione receptæ, & totius Scripturæ compendium, ac divinum opus, in quo scitu omnia credenda, agenda & speranda continentur. Sed jam ad Rituale Romanum veniamus, de quo Baro parum honorificè, dum illa omnia approbat, quæ Petrus Fay, Coquetius & alii de illo imponunt; nimirum, illam Bullam Pauli V. præfixam, qua scilicet librum approbat, & toti Ecclesiæ quoad ritus, ac præsertim Sacramentorum unum servandum proponit, per subreptionem extortam fuisse; librum, à peritis Theologis recognitum fuisse; irrepsisse mendum in articulo moribundi, nempe omissam particulam, *non*; abrogatum totum fuisse per decreta Pauli, contra interpretationem Suaris. Addit Baro, res dumtaxat facti in illo contineri, quæ scilicet minorem exigant certitudinem; unde in hoc, errorem obrepere posse, fatetur concedet: nescio, an Catholicus quispiam autem unquam scribendi licentiam sibi arrogarit, eodem prorsus jure, alias constitutiones, imò definitiones Conciliorum generalium reiicere quimquanè valeret; dicitur filius consubstantialem à Nicæno, Arianus quispiam dicet, omissam consubstantialem, *non*; statuit Ephesinum, unam esse in Christo personam, contra Nestorium, & duas naturas, Chalcedonense contra Eutychetem; eodem prorsus jure dicerent, eandem particulam additam fuisse, quod autem opus illud à doctis Theologis reprobatum non fuerit, & Pontifici per subreptionem hoc totum illud extortum, falsitatis manifestæ convictum: frustra autem Cardinales Sirletum, & Bellarminum inter se committit; quid enim ad rem? eandem auctoritatem Rituale à Sede Apostolica, postea à Cardinali Sanctorio acceperit: sed his omnibus, quæ Rituali à dictis Scriptoribus opponuntur, nullo cordato viro probandis; crassissimum Baronis errorem, inter cæteros, quos plena manu in hoc spargit, dissimulare non possum; dicit enim, in Rituali res dumtaxat facti describi atque prescribi, quod longè minorem certitudinem postulet: Quæ vero? Ecclesia in Rituali proponit omnibus Christi fidelibus formam & materiam Sacramentorum, ut in hoc casu moribundi, de quo agitur hic controversia, definit Ecclesia, dicta signa ab eo Sacramentum Pœnitentiæ petente edita, sufficientem esse materiam Sacramenti, probabilem scilicet, ac proinde à Sacerdote vocato absolvendum esse; hoc, inquit Baro, est tantùm probabile, atque adeò errare in hoc potuit Ecclesia; itane inquam in declaratione materiæ probabilis Sacramenti? anceps profectò hæreo, utrùm ignorantiæ, an verò malitiæ, an vero utrique hoc tribuendum sit; & sanè miror, hoc Baronem ignorasse, aut saltem, quod alius piè crederet, dissimulasse; nemo unquam dixit, ab Ecclesia definitum fuisse in Rituali, qualemcumque illam moribundi confessionem certam materiam esse; nemo etiam dixit, certa fide tenendum esse, quod sit materia certa; sed cum Ecclesia mandet, illum absolvi, inde necessariò consequitur, cum absolutio Sacramentalis sine aliqua confessione stare non possit, declarari ab Ecclesia aliqualem confessionem intercedere, id est, aliquam materiam, in quam cadat forma, vel absolutio; non certam, ut jam dictum est, alioquin in quolibet alio casu valeret, igitur probabilem. Neque hæc probabiliter dumtaxat à me dici velim, sed ita prorsus adstrui, ut à nullo Catholico in dubium revocari possint; errasse igitur in hoc Ecclesiam, citra crassum errorem, dici non potest, viderint ii, ad quos attinet.

29. ANTIM. Hinc etiam quæso videas, quam bellè hic homo ratiocinetur, fatetur enim, mandari ab Ecclesia in dicto casu moribundum absolvi, quod tamen, inquit, neutri parti Theologorum super hoc inter se dissertantium obest; nec mens fuit Pontificis, præjudicare privatis sententiis Scholasticorum, puta Coquetii, Petri Fay, Baronis, &c. Hic homo, ut video nos habet pro cucurbitis, aut saltem ipse cucurbita est; quodnam est controversiæ caput? illud sanè quod nos dicamus, moribundum illum in dicto casu absolvendum esse, ac proinde qualemcumque illam confessionem esse materiam probabilem Sacramenti; nunquam enim, ut Baro nobis temerè imponit, certam esse diximus; illi verò absolvendum esse, negent, ac proinde confessionem illam nolint esse materiam probabilem. Hoc merum est hujus controversiæ caput, & verò nunquam Coquetius concesit, absolvendum esse; alioquin non erat, quod tantoperè de Rituali Romano laboraret, in quo nihil aliud habetur, nisi quod dictus moribundus absolvendus sit; si hoc ipsum Coquetius ultro daret, nihil erat, quod Rituale notaret, deprimeret, ac reiiceret: sed Baro, inquies, absolvendum esse, concedit; in hoc etiam sibi manifestè contradicit: si enim hoc dicit, ut revera dicit, nobiscum & cum ipso Theophilo, Suare & nostris omnibus sentit; suos igitur deserit, quos Theophilus ideo impugnavit, quod ii secus sentirent; at suos contra Theophilum defendit; manifestè igitur sibi contradicit; non certè hoc tantùm loco, sed toto passim opere, & vix paginam invenias, contradictione vacuam, illa tamen omnia convitiis, calumniis, invectionibus in Theophilum, & coacta simul & obscura quadam latinitate ita involvit, ut simplicioribus & imperitis facilè imponat: quod ad me spectat, nullum unquam auctorem legisse, memini, in quo plus audaciæ & minùs solidæ doctrinæ, docti ratiocinii, & bonæ fidei repererim. Ex dictis demum quivis facilè colliget, nihil à Barone contra Theophilum adductum fuisse, præter convitiorum & calumniarum plaustra, latinitate, seu potius insulsa quadam verbositate condita, multò minùs adversùs Suar. quamvis alioquin utrumque in Sedem Apostolicam armatum & injurium inducat, sed quæso pergamus.

30. PITHANOPH.

30. PITHANOPH. Significasti initio, penès te esse illorum convitiorum syllabum, vel indiculum, quæ Baro tum in hoc, tum in aliis suis libris adversus Theophilum evomuit; & si rectè memini sentiebas, refutari meliùs non posse, quàm si legentium oculis exponerentur.

31. ANTIM. Ita est, en tibi, non tamen tibi persuadeas, velim, cuncta in hoc indiculo, quem ut vides, *Onomasticon maledicentiæ* appello, contineri; hæc tantùm leviore manu & currentibus oculis delibavi optimè ratus, sentinam illam ab ullo exhauriri nō posse.

SYNOPSIS ALPHABETICA Convitiorum,

Quibus F. Baro Theophilum prosequitur:

Seu veriùs,

ONOMASTICON Maledicentiæ.

A.

Abominabilis.
Abominandus.
Absurdus.
Acerbus.
Actus cœco impetu.
Adversarius vilissimus.
Amarulentus.
Ambiguus de fide.
Amens.
Appetens vindictæ.
Arrogantissimus.
Asinus.
Atheus.
Atheo pejor.
Atrocissimus.
Audacissimus.
Auctor ridiculus.

B

Bajulus.
Bardus.
Bellua.
Bestia.
Blasphemus.

C

Caiphas malitiæ.
Callidus.
Calvino pejor.
Calumniator.
Canis latrans.
Canus ætate, judicio infans.
Cœcus.
Cœcutiens.
Comicus.
Comitiali cerebri morbo laborans.
Cornicerus.
Corvus.
Conspurcans Ecclesiam.
Contumax in Ecclesiam.
Contumeliosus.
Convitiator.
Corruptissimus affectu.
Corruptissimi judicii Homo.
Corruptor SS. Patrum.
Criticus.
Crudelis.

D

Dæmoniacus.
Datus in reprobum sensum.
Delirum caput.
Delirus senex.
Demens.
Dementatus.
Depontanus senex.
Deterrimus.
Diabolicus.
Dignus damnari ad bestias.
Dignus igne.
Dormitans.
Dux cœcorum.

E

Efferatus.
Effrænis.
Effrons.
Enormissimus.
Erasmi discipulus.
Erroneus.
Ethnico similis.
Excœcatus rabie.
Excrementum generis humani.
Execrandus.
Execrabilis.
Exlex.
Expers sensus communis.

F

Fabulosus.
Fœculentus.
Fœdus.
Fœtidus.
Falsarius.
Famosus.
Fatuus.
Ferocissimus.
Flagrans odio, invidia.
Fœcundus ineptiis & absurdis.
Fossoris filius.
Fraude plenus.
Fanaticus.
Fraudulentus.
Frontis perfrictæ.
Fur.
Furens.
Furibundus.
Furiosus.
Futilis.

G

Garriens.
Garrulus.
Genimen viperæ.
Gracculus.
Grassator.
Gratuito malus.

H.

Hæreticus.
Hærericorum imitator.
Helluo.
Histrio.
Homo animalis.
Homo cupediarum.
Homo nequam.
Homulus.
Homuncio.
Homunculus.
Horribilis.
Horridus.
Hostis bonorum omniū.
Hostis traditionis Ecclesiæ.

I

Ignarus.
Ignarissimus.
Ignorantissimus.
Imperitus.
Impiissimus.
Impius.
Implacabilis animo.
Impœnitens.
Impostor.
Impostorum maximus.
Impostorum pessimus.
Improbus.
Imprudens.
Impudentissimus Hæreticorum.
Incapax Theologiæ.
Indocilis.
Ineptissimus.
Ineptus.
Infamis.
Infrunitus.
Ingratus.
Inimicus Dei.
Iniquissimus.
Injuriosus.
Iracundus.
Insanus.
Insolens.
Insulsus.
Intolerabilis.
Invidus.
Inurbanus.
Irreverentissimus.
Judicii corruptissimi.
Judicii præposteri.

L

Latro.
Lividus.
Livore tabescens.
Locans dorsum.
Luciani discipulus.
Lupus.
Lusor.
Lutheri imitator.
Lutulentus.

M

Maledicentissimus.
Malevolus.
Malignus.
Malitia par Petro Suavi.
Malitiosus.
Malus.
Martyr vindictæ.
Mastix SS. Patrum.
Medea.
Memor injuriarum.
Mendax.
Mendacissimus.
Mentitor effrontissimus.
Mimus.
Miscens sacra profanis.
Momus.
Mordax.
Morio.
Morosus.
Mugiens.
Musca.
Mutilator SS. Patrum.

N

Nabuzardan.
Nefarius.
Nequam.
Nequissimus.
Novitatum profanarum auctor.
Noctua.
Nugator.

O

Obloquutor.
Obtrectator.
Osor veritatis.
Os impudentissimum.
Os lutulentum.
Os spurcissimum.
Otiosissimus hominum.

P

Parasitus.
Parricida.
Pecuina vir stoliditate.
Pecus maledicentissimum.
Petulans.
Pervicax.
Pertinax.
Pessimus.
Petulantissimus.
Pharisæus.
Phreneticus.
Plagiarius,

Præceps.
Præpropter.
Præpostrous.
Præpostrous.

R

Rabidus.
Rancore inveterato.
Rebellis.
Remotus à sensu communi.
Reprobus.
Reus.
Ridiculus.
Rudens.
Rudis.
Rusticus.
Rusticitate insuperabili.

S

Sacramentarius.
Sacrilegus.
Servus.
Sexagenarius.
Scandalosus.
Scandalous.
Sodalitius.
Scorpius.
Scriba.
Scurra.
Semipelagianus.
Seminator discordiarum

Servus nequam.
Sophista.
Sordidus.
Stolidum caput.
Stultus.
Stupidus.
Suspectus de hæresi.
Sycophanta.

T

Taurus mugiens.
Temerarius.
Tenebrosus.
Tigris.
Turbo.
Turpis.
Truncans loca SS. Patrum.
Truculentus.

V

Vecors.
Veneno turgens.
Vermiculus.
Vilissimus in re literaria.
Vindictæ tenacissimus.
Virulentus.
Ursos inter natus.

PITHANOPH. O egregios Baronianæ eloquentiæ & facundiæ fructus! quid certè ad maledicentiam addi possit, non video; sed nuda istorum confutio, plena refutatio est; hæc enim à veritate tam esse, tam notorium est, quàm splendere Solem in meridie, & apud cordatos viros nulli obsunt, nisi auctor suo, quem vivis & nativis coloribus depingit, tam fœda colluvies in chartam per stylum effluculento argumento est, quàm purus & limpidus fons ille sit, ex quo ille scaturit atque erupit: Missa ergo, reliqua hujus auctoris, quæ scilicet dilucidanda & refutanda colloquendo suscepimus, brevitatis prosequamur, *sect. 5. art. 1.* in juniores Theologos invehitur, quibus hanc opinionem attribuit, quod scilicet quæcumque probabilitas in qualibet materia fidei & morum, ab uno auctore conciliata pro certo extimat: sed, more suo, nullo citato loco, ac proinde per meram calumniam; quasi verò in materia fidei, quæ certitudinem, eamque summam poscat, sit satis, quælibet etiam minima probabilitas, deinde dixit, probabilitatem, sufficientem scilicet ab uno, id est, quolibet auctore conciliari; nisi forte gravis, doctus, prudens & pius, neque id sanè nisi ob gravationis momentum, aut si reliqui omnes refragantur, nullus verè Theologus illud admittat, unde innumera absurda, imò & blasphema consequuntur; communis est omnibus ferè adversariis istius hallucinatio, qui volunt, illud censendum probabile, quod alicui probabile esse videtur. Sed hæc mittamus, quæ in prioribus congressibus abunde opinor, discussimus: unum occurrit hoc loco, quod à te scisciton, nimirum, utrum hic locus ex Thophilo verè exscriptus sit, de quo valde dubito, quidem cùm Baronis fides mihi suspecta sit.

3. ANTIM. Ludimus operam, Pithanophile, si omnes hujus auctoris falsitates recensere velimus. Alter profectò Elenchus describendus esset, qui priorem illum non modò adæquaret, verùm etiam superaret; vix unum locum invenias ab hoc homine fideliter citatum, quod certè ex iis, quæ hucusque discussimus, tibi perspectum esse deberet; sed probemus etiam in isto. Attribuit Theophilo hæc verba Italicis descripta characteribus, & excerpta ex refutatione Gibeuffi, *part. 2. cap. 4. num. 7.* quem tamen omisit. *Scholastici posteriores super senes intellexerunt, & pleraque omnia rejicienda esse agnoverunt, quæ anteriores probaverant; primordia sanè incultiora esse tradit Tertullianus, & scite Ægidius in eandem rem, posteriores supra humeros priorum longiùs vident, sicut nanus, si supra humeros gigantis attollatur; itaque posteriores Theologi, ut facile est anteriorum inventis addere, perspexerunt, quæ prioribus istis probabantur, esse verè improbabilia:* cuncta quasi uno tenore à Theophilo tradita fuissent Baro descripsisse visus est; ex quibus si reverà res ita se haberet, quivis facilè deduceret D. Thomam, D. Bonaventuram, Alensem, Scotum, imò Ambrosium, Augustinum, & alios SS. Patres cuilibet recentiori, ex iis scilicet, qui scripserunt, verbi gratia, Pasqualigo, Sylvio, Amico, Serræ, &c. à Theophilo postpositos fuisse: res tamen aliter se habet: refutat eo loco Theophilus Durandi errorem à Ludovico de Dola recentiore denuò in lucem revocatum, quo immediatus Dei concursus ad actiones causæ secundæ negatur; cum autem ad quod ex antiquis Theologis, qui dictum errorem docere visi sunt, appellasset, nimirum Aureolum, Durandum, Scotellum, Pelbartum, Majorem, Benetum, Armacanum, Præpositivum, Altisiodorensem, Gregorium Ariminensem, &c. hæc subdit: *De priscis autem illis, quos scilicet appellavi, dicendum est, quod ex S. Bonaventura superiùs attigi,* per multam discussionem, dubitabilia reducuntur ad manifestationem, *affulgente posteris uberiore luce, deprehensam illius placiti falsitatem;* scitè Ægidius *in 2. d. 37. q. 1. art. 3. postquam retulisset quosdam antiquos Theologos, sustulisse influxum Dei, in actum positivum, malitiæ substratum subdit;* verùm posteriores (hæc sunt verba Ægidii, non Theophili,) existentes super humeros priorum, longiùs vident, quàm priores; nam si Nanus esset super humerum Gigantis, longiùs videret quàm Gigas: *Itaque,* pergit Theophilus, *posteriores Theologi, ut facile est inventis addere, &c.* ut suprà; tum insignem hunc locum Lirinensis describit, *etiam cælestis Philosophiæ dogmata, processu temporis, excurantur, limantur, poliuntur, lucemque, evidentiam & distinctionem accipiunt.* Item istum ex Gregorio: *Ecclesia super senes intellexit, & quantò mundus ad extremum ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur.* Ex quibus ad diluendum argumentum ab auctoritate priscorum illorum Theologorum petitum, in hunc modum concludit Theophilus: *Ita Scholastici posteriores super senes intellexerunt;* priscos nimirum illos, alludendo ad Gregorii dictum, *& pleraque omnino,* non *omnia*, ut fallat Baro, *rejicienda esse agnoverunt, quæ anteriores vel probarant, vel non improbabilia existimarant; primordia sanè semper incultiora esse,* tradit Tertullianus, *lib. de veland. virgin. cap. 1.* Quid quæso in hanc rem dici potuit prudentius, doctius, efficacius, & magis appositè? vides tamen, quomodo locum istum Theophili Baro detorqueat, mutet, falset, invertat, ex variis consuat, & Theophilo tribuat, quæ sunt Ægidii, & ad invidiam, omnibus antiquis applicet, quæ Theophilus de priscis tantùm illis scripserat: crede mihi, nullum ferè locum à

Barone citatum invenio, quem adulteratum, & in aliquo saltem falsatum esse non constet; & hæc Baro, saltem ut fatetur, ex Sinnichio; dignum certè patella operculum, à Pilato ad Herodem nos remittit; sed hic etiam à doctissimo illo, quem tu te scis, meisque amantissimo tandem refutabitur; interim mihi satis erit, Sinnichium illum in eamdem, cum Wendrockio, Barone, aliisque ejusdem furfuris hominibus, classem referre, quos certè vel appellasse, confutasse est.

34. Pithanoph. Ægerrimè ferunt, Wendrockius, Sinnichius, &c. hic Hibernus, ille Salisburgensis, Jansenistas appellari; quamquam per meram, ut arbitror, dissimulationem, cum apertè Jansenium colant, ejusque doctrinam sequantur, de Wendrockio notorium est, de Sinnichio etiam compertum, immo alter illorum fuit, quos Bajani, seu Jansenistæ Belgæ Romam miserunt, ut de Urbani Bulla certiores fierent; uti reverà certiores factos esse, constat, oblato iis judice Bullæ autographo; ipsi tamen, post reditum rem dissimularunt, & multa finxerunt, ut vel ipsorum Historicus refert; quotquot hominem noverunt, jurare possunt, Sinnichium Jansenianæ factionis hominem fuisse: Sed aliud est etiam expostulationis caput, quam Baro passim exaggerat contra Stubrockium, nimirum ab eo Wendrockium Hæreticum appellari, cum potiùs illius argumenta refutare debuisset.

35. Antim. Nihil sanè omisit Stubrockius in hoc genere, quod faciendum suscepisset, quidquid Baro blateret; nempe contra Wendrockium ita egit, ut vel illius argumenta disjecerit, aut saltem errores aperuerit; quòd autem errores illos non impugnarit, perperam & immeritò à Barone accusatur, illud enim satis est ad refutandum hominem, qui vivit in Ecclesia Catholica, & reliquis illius membris, exteriore quadam unione & communione conjunctus est; demus enim aliquem modò inter Catholicos dicere, aut scribere, Deiparam non esse Virginem; inde certè illum plenissimè confutares, si diceres, hanc hæresim esse, ac proinde Hæreticum censendum: sic enim contra errantes Catholicos, aut rectos Hæreticos scriptores Catholici semper egerunt; satis enim est, si vel indicentur, ut segregentur ab Ecclesia; secus verò contra apertos Hæreticos agendum est, quorum scilicet errores plenè confutandi: voluisset Baro, ut Stubrockius tractatus integros de Wendrockii erroribus; nimirum multa, eaque spissa volumina scripsisset; sed ut quid perditio hæc? cùm errores illi jam plenè refutati fuissent, nec Wendrochius novis argumentis pugnarit, istis enim hominibus solemne est, eandem semper molam versare, & crabem apponere; Wendrockius disputationem ad res morales diverterat, erroresque suos interseruit; errores adnotat Stubrockius, ut prodat hominem, damnatorum scilicet errorum defensorem; reliqua omnia, quæ ad errores non pertinent, breviter quidem, sed efficaciter refellit: quid quæso aliud in eo desiderares? nihil aliud optimi quique; Baro cum suis Wendrockium familiarem suum ab eo vapulare indoluit: ita suæ quisque factioni studet; nobis certè perhonorificum est, nullum à centum & viginti annis bellum Ecclesiæ indixisse, qui Societati nostræ simul una non intulerit; communes ferè sunt nobis & Ecclesiæ hostes, saltem nullus Ecclesiæ hostis, qui noster etiam hostis non sit.

36. Pithanoph. Sed reliqua cursim, juxta formam suscepti consilii, refellamus. Carpit Stubrockium passim, quod dixerit, aliud esse probabile, aliud videri probabile, eumque per ignorantiam invincibilem eximi culpæ, qui per errorem probabile, aut certum reputat, quod neque certum, neque probabile est.

37. Antim. Hæc suprà jam discussimus, cùm eadem mihi opponeret; nullus autem neget fieri posse, ut aliquis per ignorantiam invincibilem id probabile reputet, quod tamen re ipsa probabile non est; & expresse Aristoteles *lib.* 1. *Topic. cap.* 1. aliquid videri nonnullis probabile, quod tamen probabile non est. Præterea certum est, quamcumque ignorantiam invincibilem peccato eximere, quidquid per culpabilem & damnatum errorem, Wendrockius & socii garriant; sed quæso te, cum jam ea majori saltem ex parte discusserimus, quæ contra me, & Stubrockium scripsit, ex iis facilè habetur, quid de reliquis censendum sit; si enim omnia discutienda essent, nunquam reverà finis esset; quis enim hanc sentinam penitus exhauriat? imò mittere possumus illa, quæ contra Bellarmin. habet, quem alias jam fugillarat; vult enim auctorem illum celeberrimum debilioribus responsionibus, hæreticorum argumenta confirmasse, potiùs quàm infirmasse, & more suo, cùm unus ipse hoc dicat, alium tamen dicentem inducit: parum abest, quin facilè mihi persuadeam, ita Baronem sentire; cùm homines affectu potiùs, quàm sincera mente de rebus judicent: jam contra Bellarminum, Davila, Gravina, Santes Mariales, aliique pauci præluserant; eadem Baro denuò referre voluit, sed spernenda potiùs, & ignorantiæ, aut cæco affectui tribuenda, quàm refellenda; res ipsa per se loquitur, ut ajunt; debiliores sunt Bellarmini responsiones, inquit; sensérunt Hæretici, & inter Catholicos, doctissimi quique secus judicarunt; debuerat vel unam saltem indicare, sed abstinuit, ne statim manifesta falsitas appareret; quamquam vel ipsum Bellarmini nomen hujusmodi lemures fugat, & obstruit os loquentium iniqua.

38. Pithanoph. Revera ita est, ipsa calumnia Bellarmino afficta, germana est sui refutatio, & calumniatoris pœna, & ut Sol ipse suis radiis affusas nubes, seu nebulas dissipat, ita prorsus Bellarminus, Baronius, Perronius, seu Ecclesiæ Catholicæ Soles, scriptorum suorum gloria aspersas maledicentiæ tenebras ita penitus difflarunt hactenus, ut alio vindice stylo, & aliorum defensione iis opus non sit. Is profectò est Bellarminus, quidquid homines supra appellati garriant, is Baronius, quidquid Combefisius, aut alius quispiam fremat, etiam is, qui recentem Conciliorum summam edidit, *in 6. Synod.* cum de Honorio; is Perronius, quidquid Molinæus, & recentiores quidam sycophantæ obganniant, ut ab eorum maledicentia nihil prorsus timere possint, & quorum immortalis gloria, seu celeberrimum nomen nihil unquam pati valeat: facessat igitur Vincent. Baro, & finat maximum Bellarminum, magnum Suarem, doctum Delugo, eruditissimum Theophilum, Vasquem, Molinam, Lessium, & alios quàm plurimos ex vestris literatissimos auctores, quos certè vix eminus & procul salutare potest, ne dum ingenio & doctrinæ copia assequi; vereri deberet ut Magistros, si tamen ab iis discendo esset; sed quod hujusmodi hominibus satis solemne est, verbositate quadam & rancida latinitate obtineri à se putavit, saltem apud imperitos, ut vel inde aliquid illorum gloriæ detraheretur.

Antim

39. ANTIM. Non modò Societatis auctores, sed ipsamet Societatem universam; immò & S. Ignatium Patriarcham nostrum, ejusque Constitutiones, & libellum exercitiorum suggillat; sed hæc sæpiùs detestata; immò & Constitutionibus Apostolicis damnata, de quibus *paulo pòst, in 2. parte*, ad quam nobis remittendum est, ut eam saltem delibemus; cùm sic de prima dixisse satis esse videatur; quid enim juvat ad singula convitiorum, calumniarum, & falsitatum plaustra hærere? Baro ubique sui similis; totum igitur refutari non potest, nisi totus destruatur; verum uleus est, quod si prematur, pus tantum reddit; sed præter hæc, larga etiam manu errores spargit, nonnullos supra indicavimus, & breviter tetigimus; nulla pagina inoffenso pede decurri, nec ne spina quidpiam in auctore illo attrectari possit.

PITHANOPH. Librum tamen illum, paucis expunctis, emendari posse aliqui crediderunt, quod nescio, an tibi probetur.

40. ANTIM. Mihi certè probari non potest; si enim omnia menda expungantur, quid quæso reliqui? omnes hoc, etadantur convitia; restant calumniæ, imposturæ, falsimonia, mendacia, corrupta & adulterata auctorum loca, sed hæc quoque deleantur, litem maximam libri partem adæquent; restabunt errores sparsi passim liberali manu, & multa temerè, scandalosè, ac perperam dicta, suspecta item, & male sonantia, præsumptuosa etiam, ut ita loquar? quid enim magis præsumptuosum, quàm, istum hominem, hominem scilicet, qua doctrina instructum, qua prudentia & charitate pollentem, quo zelo, quo fine ductum, qua moderatione animi & styli temperatum, scribere, id consilii suscepisse, eamque gravissimam provinciam, cui vix centum viri, omni literatura instructi & exacti pares essent, ut Theologiam Moralem universam restauraret; Theologiam, inquam, tam à mille Theologis, Canonistis, Summistis compilatam, tot quæstionibus implicatam, tanta librorum vi auctam, integram certè multorum voluminum Bibliothecam, idque non perfunctoriè tantùm, sed ita, ut *quamlibet rem moralem explicaret*, ut eam habet in titulo, & quod mirêre magis, non grandi voluminum strue, sed duobus tomulis nudivo, ut vocant, iisque molis exiguæ; quid unquam magis præsumptuosum, vel audiri, vel excogitarique potuit? sed demus, hæc etiam expuncta fuisse, multum erronea, temeraria, scandalosa, præsumptuosa, restant pauca illius ratiocinia, sed omnia vitiosa: peccant enim vel in antecedente, vel in consequentia, vel ut plurimùm in utroque; cujus rei nonnulla specimina supra edidimus; his autem expunctis, quid quæso restat, merum nihil; unde haud abs re *suprà* diximus, refutari, vel emendari totum non posse, nisi totus destruatur.

41. PITHANOPH. Perperam igitur nonnulli crediderunt, librum illum paucis expunctis, emendari posse? semper una tantum litura emendandum: accedit, quod si pauca tantùm, ut ii volebant, expungantur, cum legem exceptio firmet, reliqua omnia, quæ vitiata manebunt, inde illibata & approbata restaturi; quod tamen verà injustum esset. Et verò mirari satis non possum, qui fieri potuerit, ut hic auctor multos laudatores nactus fuerit & defensores, qui tamen quantus quantus est, à capite ad calcem vitiis & tenebris scatet.

42. ANTIM. Hoc certè mirum mihi non accidit, Pithanophile; cogita quæso, & apud te reputa, contra quos libellus iste scriptus fuerit; inde quippe apud multos non parum commendationis nactus est; qui cùm ea, quæ ad mores pertinent, parum fortè, aut nihil curent, de Theologis tamen moralibus adeo soliciti esse videntur: quid multi post Petrum Molineum, in hac parte præstiterint, notorium esse, constat, quorum tamen parum interest, quid de moribus quisque sentiat.

43. PITHANOPH. Audivi Baronem istum grandi patrocinio fretum, hæc ausum esse; nullum enim dubium est, quin ab iis defensus & sustentatus fuerit, qui miseros Casuistas, seu probabilistas obtuere meditabantur.

44. ANTIM. Scio, scio, quid tibi velis, intelligenti pauca; si rem ille, ut par est, præstitisset, ac semotis convitiis & calumniis, erroribus & falsitatibus, nostras sententias refutasset, tolerandus utique mihi videretur; utinam omnes prophetent; sed quòd ita se gesserit, ut sola verbositate fretus, tot convitiis & impostoris condita, tum multis erroribus & auctorum corruptionibus fœdata, nullo ratiocinio firmo instructa, sed meris ludente paralogismis, Moralem Theologiam restaurare & doctissimos auctores, uti Atheos, Hæreticos & Soncinianis deteriores traducere voluerit, non modò non ferendus fuit, verùm etiam graviter & efficaciter, idque omni jure, refellendus.

PITHANOPH. Sed cur hucusque dilatum à te fuit? serior enim nonnemini fortè refutatio videbitur.

45. ANTIM. Sat profectò citò, si sat bene; desiderabam, ut alius quispiam hoc munere defungeretur; diu expectavi; cùm tempus suppeteret, & altum silentium esse viderem, hoc tandem consilium cœpi; accedit, quòd in meas manus venerunt libelli adversus Baronem editi à PP. Tamburino & Guimenio, in quibus se & sua quisque tuetur, & ab impostoris Baronis strenuè vindicat; alia quædam ejusdem ferè rationis penes me habebam; speravi demum, ac spero etiamnum, fore, ut PP. Ferrier, & Dechamps ad me sua contra Baronem mittant; à quo scilicet impugnati & lacessiti fuerunt; cuncta hæc, ne quid dissimulem, moverunt me, ut manum huic operi admoverem; accedit, quod ad tempus fallendum, cùm jam pristinæ vires restauratæ essent, ne otiosus Lugduni viverem, & cum unà mecum quædam adnotata, casu detulissem, ac tu ipse me invitasses, hunc Apologeticum componendum suscepi; cùm autem nonnulli Baronis librum satis commendarent, & unus præsertim elegantem sanè scriptionem, non evulgasset quidem, sed tantùm multis illius fecisset copiam; illam deinde cum in meas manus venisset, paulò prolixiore epistolâ refutandam suscepi; reticito tamen auctoris nomine; cùm autem hæc ad rem præsentem non parum faciat, eam tibi legendam esse duxi, accipe igitur, & lege sis.

* * *

IN VOTUM CUJUSDAM, DE prima parte Theologiæ Moralis, à Vincentio Barone editæ,

ANIMADVERSIO EPISTOLARIS

AD EVNDEM.

46. QUandoquidem pro Justitia & Veritate scribere, laudabile est, Vir Clarissime, quidquid ad utriusque defensionem, circa tuam scriptionem, seu Votum de Theologia Morali Vincentii Baronis, mihi scribendum occurret, pro tua humanitate, & amore utriusque, quo teneri te, nullus dubito, hîc obiter à me adnotari, per modum Christianæ animadversionis, æqui bonique consules: omissô inutili proœmio, statim initio, hujus authoris propositum esse statuis, *doctrinam Prosperi Fagnani defendere, quæ negat, probabilitatem, idoneam in moralibus humanarum actionum regulam esse, ab oppugnationibus Ioannis Caramuelis.* Hoc certè cum veritate minimè consentit; auctor enim, nimirum Vincent. Baro, quidlibet aliud agit, & vix unum & alterum Caramuelis assertum refellit; vix unum & alterum Fagnani argumentum confirmat: longè alium finem sibi proposuit, quem deinde gnavus & sedulus exequitur; nimirum auctores Societatis, eosque præcipuos, atque adeo universam Societatem in crimen vocare relaxatæ morum disciplinæ; quare Fagnani doctrinam merum obtentum puta. Deinde, quis unquam dixit, probabilitatem humanarum actionum, regulam esse? regula humanarum actionum ipsa lex est naturalis, divina, humana; ac proinde aliquid certum & fixum, non creperum & dubium, aliam profectò regulam non agnoscimus, sc. objectivam; præter formalem, quæ est recta ratio, seu rationis dictamen, quo hîc & nunc judicamus, ab actione nostra malum & turpitudinem abesse: Sed pergis.

47. *Tractatum*, inquis, *hujus materia ab ipsis principiis orditur, quæ sit natura probabilitatis; & quis ejus usus, copiosè exequitur; suscepto de industria certamine contra Theophilum, aliosque sententiæ laxioris auctores, duas opiniones exagitat; alteram Francisci Suaris de confessione & absolutione per literas; alteram de æquivocationibus*, &c. Utramque *luculenter & validè; tum suæ causæ cavet ab invidia, quam illi conciliare nituntur Adversarii, quod omnem probabilitatem ab usu actionis humanæ submoveat.* Quid quæso hæc ad propositum? quid tam luculenter exequitur? impugnat opiniones probabiles; sed quis jam mortalium illam probabilem esse dicit, quæ est de confessione per literas, dudum ab Ecclesia damnata; cur item ultro illi concedis, hanc esse opinionem Francisci Suaris? cùm tamen, ante illum, viginti saltem auctores, iique classici, ut vocant, majori ex parte Dominicani, eam docuerint, & Suares tantùm dicat, probabilem videri; nec enim ante judicium Ecclesiæ tam multos auctores, qui eam defenderant, damnare ausus est: sed longè aliud tuus Baro exequitur; cùm enim aliqui ex suis usum illum Ecclesiæ in Rituali Romano à Paulo V. per singulare diploma confirmato, de absolutione moribundi præscriptum impugnassent, & hic ferre non potuerit, à Jesuitis ea de causa impugnatos fuisse, novas tragœdias hîc excitat, mille falsitates jactat, & impostoras, præter convitiorum colluviem, Suari, aliisque, atque adeo toti Societati aspersam; & sic, ut ais, propositum suum *luculenter & validè exequitur*; immo prorsus oppositum; quis enim neget, opinionem illam longè probabiliorem & rutiorem esse, quæ Rituali Romano suffragatur, & docet, moribundum in eo casu absolvendum esse? quis neget, in Sacramentorum usu, formulis ac ritibus ab Ecclesia præscriptis, standum esse? hanc autem sententiam Baro cum paucis illis impugnat, & Rituale Romanum elevat, non defendit: igitur probabiliorem doctrinam, immo ne probabilem quidem; illius igitur propositum non esse assequutus. Quod verò pertinet ad æquivocationes, & mentis restrictiones, non jam probabile, sed omnino certum est, illas adhiberi posse, cum iis scilicet adjunctis, quæ à nostris auctoribus apponuntur; en tibi casum; ad Confessarium, apud quem peccata deponis, gravia, levia, perinde est, nonnemo procaciter accedit, & ab eo scisitatur, an hoc, vel illud peccatum ex te audierit; quid quæso prudentem Confessarium facturum putas? aperiet fortè? absit tam horrendum sacrilegium; silebit omnino? at qui tacet, consentire videtur; reponet, se teneri sigillo? ex hoc statim ille procax colliget, rem ita esse; quid igitur restat, nisi ut rotundè neget, tale peccatum à se auditum, cum hac mentis restrictione, ut aperiat: ita Franciscus Assisias piè respondit lictoribus ex eo quærentibus, utrum reus illac transisset, immissa manicæ manu, hac minimè transisse; quæ mera æquivocatio fuit in voce *hac*: itaque quotiescumque interrogati rem aliquam aperire non possunt, sine offensa, scandalo, periculo, recta ratio jubet, ut æquivocatione, vel restrictione mentis utantur.

48. Quomodo verò *suæ causæ* Baro *caveat*, non video; cùm ne quidem adstruat probabilia; quare non est, quod timeat, ne quis ab eo certa exigat; nec *aptè*, ut dicis, *explicat naturam probabilitatis*, quam ita confundit, ut juxta illum, idem sit probabile, quod improbabile, & verisimile; ac proinde æs inauratum, aurum esse, probabile sit, & hæresis, quæ petulanti hæretico verisimilis est, verè probabilis censeatur: sed quisquis naturam probabilitatis sic explicat, à vera probabilitatis notione longè aberrat, quæ præter veri similitudinem illam, grave rationis momentum postulat, ad persuadendum, quod si vel leve est, vel nullum, restat quidem verisimile, non tamen probabile. Unde non erat, quòd definitiones probabilitatis faciles atque receptas hic auctor rejiceret, quas vel non intellexit, vel à se non intelligi dissimulavit: omnes Theologi Morales & Scholastici hujusmodi probabilitatem aversantur, uti Baro illam definivit, quia in hoc sensu, quælibet hæresis, quamvis horrenda & impia, alicui verè probabilis esset, quia verisimilis: itaque non tam *strenuè* Baro se gessit, ut prædicas, nisi fortè illa convitiorum & calumniarum sanies, quibus chartas suas fœdavit, pro certis novæ hujus Theologiæ pronunciatis habeatur.

49. Deinde ad *summam illius doctrinæ* descendis, aisque, *ab eo res bifariam dividi nimirum in eas, quæ speculativæ sunt, sistuntque in veri cognitione, nullo inde ad mores ordinandos respectu*; & in his liberam, inquis, opinionum, etiam minùs probabilium potestatem relinquit; *& in eas, quæ pertinent ad mores, & incidit quæstio de servanda lege*, in quibus, illam dumtaxat, quæ stat pro lege, ac

ac proinde tutior est, permittit, modo opposita non sit longè probabilior ; nimirum *excessu notabili*, tum in re Sacramentorum, quæ sunt de necessitate medii, tum etiam in aliis, quæ sunt de necessitate præcepti, in quibus *ignorantia ad impuritatem* sufficiens est. Rem istam non eo, quo par erat, modo Baro explanavit; quare nimirum cuiquam non videatur, si tibi forte imposuit; primò inepta est illa eorum divisio, *in speculativas*, & eas, *quæ pertinent ad mores*; cùm multæ sint practicæ, quæ ad mores non pertinent, ut omnium artium objecta; & multæ speculativæ, quæ ad mores spectant, ut definitio & divisio virtutis, immo & demonstratio, qua virtutis aliqua proprietas demonstratur; ista, quia fere scholastica : illam porro de hac omitto, quia *stat pro lege*, nullam quæ sit contra legem opinionem admittit ; hæc nisi monstra sint, quid sit monstrum, non video; nemo enim, nisi amens sit, opinionem ullam probabilem reputat, quæ sit contra legem; immo ideo actio mala est, quia contra legem; falleris igitur cum Barone tuo, quòd à Probabilistis, ut vocas, actiones contra legem permitti asserant, nimirum probabili opinione fultas; toto cælo erras, vir clarissime, negamus enim, esse legem, pro illa actionibus, pro quibus stat verè probabilis opinio: exempli gratia; en tibi legem, *non occides*, si id fiat sui defensionem, alium quispiam occidat, contra legem esse non dicimus ; lex enim illa sic intelligitur, *non occides injustè*; alioquin lex ipsa esset injusta; quisquis autem vel auctoritate publica, legitima, vel privata ad sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, alium occidit, injustè non occidit: si porro dubium sit, an justa, vel injusta sit occisio, tanti profectò est, occidere hominem, ut gravissimum rationis momentum esse oporteat, quæ me persuadeat, actionem injustam non esse, longè gravius, quod persuadet oppositum; nullus prorsus Theologus secus sentiat; unde tota ruit Baronis, qui rem hanc non capit, sed prorsus confundit, tua, ratiocinatio; dixi, longe gravius oppositio, in quibus licet actionibus, quæ proximum privant re suæ magni momenti; secus verò in iis, quæ nullatenus damno fieri possunt; in quibus, modò gravissimarationis momentum suppetat, non leve quidem, sed grave, quod me ad prudentem assensum trahat, licet gravius sit ad oppositum, utor jure meo, nec teneor colligo, legem non esse; verbi gratia, ita fatear esse aliquis die jejunii, etiam culpa sua, & eo quod de industria peccavit ; certè dum sciens, & volens in eas angustias se conjecit ; non tamen præceptum jejunii, hominem in eo statu positum obligat; igitur in eo casu jejunare, non stat pro lege, ergo pro eo casu lex non est; si verò dubium sit, modò prudenter judicem, ex gravi scilicet motivo, puta ne futurum incommodum, si in eo statu jejunet, quamvis gravius sit in oppositum, ut prudenter dicere ac pronunciare possum, grave fore illud incommodum, ita prudenter dicere, pro eo casu, jejunium non esse: nec dicas, oppositum tutius esse; quia teneorà stante illo judicio prudenti, tutius est, eum illud alteri non imponere; nec enim teneor imponere obligationem alteri aliquid solvendi, nisi certus sim, illud ab eo deberi.

50. Quod verò addis de ignorantia, quam dicis *non omnem sufficere* in iis, quæ sunt de necessitate præcepti, secus verò in iis, quæ sunt de necessitate medii: rem, alioquin clarissimam? confundis, nempe intelligis ignorantiam illam, quam invincibilem vocant, quæ certè non modò eximit pœnæ, sed culpæ ; non modò in iis, quæ sunt de necessitate præcepti, verùm etiam in iis, quæ sunt de necessitate medii; quisquis enim ignorantia invincibili laborat, culpæ eximitur, sive in susceptione Sacramenti, sive in quolibet alio; equidem si quid desit ad substantiam Sacramenti pertinens, ignorantia Sacramenti non supplet effectum; illud tamen non imputatur ad culpam, si dicta ignorantia invincibilis est. Hæc igitur ad rem probabilitatis nihil facit, nec ullus Theologus dixerit unquam, opinionem probabilem esse, ut materia, vel forma probabilis Sacramenti ab eo adhiberi queat, cui certa suppetat; Sed bonus iste Baro, cum multis aliis, qui rem hanc non capiunt, materiam, aut formam probabilem Sacramenti, medicamentum probabile, jus probabile alterius partis, ab opinione probabili non distinguunt: illud etiam, quod dicis, de minùs tuta, non facit ad rem, quia quisquis cum recto dictamine rationis operatur, tutò operatur ; quod reverà dictamen, seu judicium practicum, certum ex opinione merè probabili sequitur ; quid autem magè tutum esse queat, quam si certò peccatum excludatur?

51. In eo, quod Suar. & Theophilum inter laxiorum opinionum auctores numerat, suffragari non debueras; centenas, imò millenas in re morali sententias facilè appellare possem, in quibus Suares nimiam antiquorum, Summistarum præsertim, laxitatem castigavit: quod ad Theophilum spectat, quam sit austerus & severus, te minimè latere potuit; utpote qui aliquot illius libros evolveris; quantum Ecclesiasticorum, erga res terrenas, affectum, in eo libro, cui titulus, *mala de bonis Ecclesiæ malè captatis*, &c. Quantùm Regularium ignaviam, avaritiam, ambitionem, invidiam, aliaque hujusmodi exagitet, in variis opusculis, non est profectò quod dicam, cùm res per seipsa pateat: quod demum illam esse dicis, cum Barone tuo tutiorem sententiam, quæ *stat pro lege*, ac proinde necessariò tenendam, tibi dare non possum ; immo hanc Baronis, & tuam assertionem periculosam, ac proinde parum tutam esse demonstro; demus enim, tenendam esse, & quemlibet, etiam si gravissimis rationibus ductus, judicet, in hoc, vel illo casu, legem non obligare, non tamen absque aliqua, levi saltem formidine, cùm res omnino certa non sit, demus, inquam, teneri vestra illa sententia; quid faciet miser in hac perplexitate? in qua proprio judicio, quamvis alioqui gravissimis rationibus fulto repugnare cogitur; centies profectò & millies, hoc errore ductus, sic enim appellare liceat, ille peccabit; fieri enim non potest, ut secum ipse, & cum sua ratione pugnet semper, & vitam degat in tanto rigore: violentum enim diu non durat ; ex quo certè copiosa noxarum seges pullulabit; igitur de sua salute parum tutus est. Præterea, si res attentè consideretur, sæpe accidet, ut duæ leges sibi invicem opponantur; fit enim lex jejunii, qua fortè aliquem, etiam cum gravi sanitatis detrimento teneri, dices; quia licet eum non teneri, gravissima rationum momenta persuadeant, pro lege tamen, cùm res certa non sit, omnino standum est ; sed quid, si huic aliam, naturæ scilicet legem opponat, qua homo teneatur propriæ saluti & vitæ consulere ; quid tandem miserum illum inter illas duas leges colluctantem facturum esse putabis? mille hujusmodi exempla suggerere possem, ex quibus perspicuum sit, quàm multos in manifestum salutis discrimen illa Baronis opinio conjiciat; unde liquidò constat, minùs, seu parum tutam esse: ac proinde etiam juxta Baronis mentem ablegandam, præ-

terquam quòd illa opinio nõ minùs probabilis modò, verùm etiam improbabilis est, cùm illi opposita certa sit, ut jam aliqui demonstrarunt, quorum demonstrationes Baro tuus, vel non percepit, vel percipere noluit : inde verò rigidos ac severos Theologos à mollioribus distinguimus; nec enim ideo illi severi dicuntur, quòd illam Baronis sententiam teneant; absit, ut hoc iis imputemus; sed quòd aliquas opiniones, ut verè probabiles non admittant, easque ab usu & praxi removeant, quas alii paulò molliores suo calculo probant. Poterat quidem Baro ita se gerere, exemplo Comitoli, & aliorum, argumentis pugnare, non convitiis, ac referre fideliter illorum auctorum sententias, quas refutandas suscepit, non verò affingere, & imponere auctoribus, per intolerabilem calumniam : at regulam illam suam universè adstruere non debuit, quæ secum ipsa pugnat, & probabilis non est; frustra autem verba & phrases multiplicat; nam semper diximus, æternumque dicemus, opinionem verè probabilem legi minimè opponi, eamque tutissimam esse, cùm ne minimum quidem peccandi periculum relinquat: si hæc Baro ponderasset, & tu ipse percepisses, non adeò facilè contra Probabilistas pronunciasses; frustrà enim disputatur, utrùm opinio verè probabilis sit tuta & secura; quod non jam probabile, at certum esse demonstramus; quamquam prudenter disputari possit, utrùm hæc aut illa opinio, verè probabilis censenda sit.

52. Addis præterea, dixisse aliquos, ex tanto rigore, *Dei præcepta impossibilia reddi, quæ est Calvinistarum hæresis; sed hanc invidiam*, inquis, *à se auctor, & à Fagnano operosè conatur amoliri, & longè fœdiorem in adversam partem transfert*, nimiam scilicet peccandi licentiam, liberius in Dei legem arbitrium, disciplinam omnem solutam, & stratam ad Atheismum viam; quamquam, inquis, *non malam Caramuelis voluntatem, sed mentis errorem reprehendit* : quòd Baronis sententia legem interdum impossibilem reddat, ex dictis hucusque manifestum est; cùm fieri moraliter non possit, ut in prædicto legum oppositarum conflictu homines, quibus gravissimis rationum momentis persuasum est, non teneri se, aliquid facere, vel omittere, ob speculativum dubium levioris momenti, quo teneri se, non judicant quidem, sed formidant, in eam partem semper inclinent : demus enim, aliquando id fieri, vi quadam imperii voluntatis, violentum tamen, ut dixi, diu non durat; unde sequitur moralis quædam peccandi necessitas; ac proinde divina præcepta interdum fieri moraliter impossibilia; quod licèt doceant Novatores, etiam de physica impotentia, aliud tamen erroris sui principium habent, nimirum interioris gratiæ defectum, quæ ad præceptum implendum necessaria esset : in hoc tamen, istorum reformatorum aliqui cum iis conveniunt, & Baro tuus eò satis inclinat, quòd ignorantiam divinæ legis invincibilem, nullum à culpa immunem reddere velint; quod unum est ex præcipuis Novatorum Axiomatis, ex quo sequitur, necessitatis peccatum, in tertia propositione ab Ecclesia damnatum : quomodo verò hanc invidiam, seu potiùs notam ille auctor, cujus conatum laudas & exornas, à se amoliatur, ostendere debueras; sed prudenter omisisti, cùm reverà ostendi non possit; nempe illa Baronis regula in moralem peccandi necessitatem degenerat, ut luculenter ostensum est; quod autem non sine approbatione tacita, ut verba tua sonant, & præ se fert oratio, fœdiorem notam ab eo nobis inustam fuisse dicis, toto cælo erras; nos libertati consulimus, & hominis arbitrio, auxiliis necessariis instructo, quod tamen aliqui nodis & vinculis ferreis tam arctè stringunt, ut magis timendum sit, ne in Alcoranum illi, vel Calvinismum potiùs inclinent, quam in Atheismum nostri; crede mihi, nulla iis timenda peccandi licentia, qui intra fines veræ ac germanæ probabilitatis se se continent; ut enim virtuti virtus contraria non est, ita nemo, qui prudenter agat, peccare censendus; ille autem prudenter agit, qui assensum iis præbet opinionibus, quas gravissima rationum momenta persuadent; nullam enim aliam probabilitatem admittimus, nisi quæ gravi, & ad prudentem assensum sufficienti motivo polleat, ac proinde nec legi, nec rectæ rationi adversetur; atque adeo omnia, quæ opponuntur, argumenta probabiliter solvantur: ita omnes sentiunt, Barone licèt tuo frustra refragante; nec enim hæc duo, ut nugatur ille, sunt synonyma, nimirum, *probabilis & prudens assensus*; cùm reverà fieri possit, ut prudens sit, & probabilis non sit; qualis est actus certus & obscurus, seu divinæ fidei, seu conclusionis Theologicæ, vel ab eo factus, qui per errorem, grave momentum esse putat, quamvis alioquin grave motivum desideretur : hæc igitur synonyma non sunt; nam licèt omnis assensus verè probabilis, & talis reputatus prudens sit, non tamen omnis prudens probabilis censetur; quare nemo neget, qui rem hanc capiat, illam opinionem esse verè probabilem, quæ gravi motivo nititur, ad prudentem assensum sufficiente, idque citra controversiam : Hic autem distinguere noluit, aut nescit, judicium speculativum à practico : opinionem verè probabilem, ab ea, quæ per errorem cuipiam probabilis videtur; certam probabilitatem, à dubia; opinionem ipsam, ab usu, vel electione opinionis, aliaque hujusmodi, quæ ab eo fuerant distinguenda? O utinam hujusmodi probabilitatis legibus homines starent, iisque juxta probabiles opiniones viverent, qui adeo vehementer in probabilistas invehuntur, & ne à præsenti argumento discedam, dic mihi, sodes, (& hic tuam fidem) an probabiliorem & tutiorem reputas istum Baronis agendi modum, qui religiosissimis hominibus, literatura & vitæ sanctimonia longè illum superantibus tam immanem convitiorum omnis generis colluviem aspergit, & Suarem, Bellarminum, Vasquium, Salmeronem, omnes de re literaria, & de Ecclesia optimè meritos, ut Christianæ disciplinæ, & morum corruptores, ut corruptelæ, & peccandi licentiæ patronos traducit; Episcopum, ingenio & doctrina pollentem; quis enim hanc laudem Illustrissimo Caramueli detrectet? ut hominem nullius fidei, intellectus perditi, si non voluntatis, & inclinantem in Lutheranismum & Atheismum; qui dixerit fratri suo, *Racha vel fatue*, reus erit concilii, judicii, gehennæ; quid verò de illo, qui longe pejora & acerbiora, non fratri suo, sed patri? Sunt enim Episcopi in Ecclesia Patres, illum non reum modò, non dices, sed meritis laudibus & elogiis cumulabis; miserum Theophilum, ut monstrum horrendum, ingens traducere, & tot convitiis proscindere, quot onomasticon maledicentiæ vix contineat, Baronem enim utriusque libri auctorem esse constat; an id fortè pro lege stat? peccarit Theophilus, demus hoc, nimirum actiore stylo scripsisse, & nonnulla in adversarios ludicra & paulò acerbiora illi excidisse; refelli poterat atque retundi, etiam acriter

res, & cum aliqua bile; at convitiorum plaustra in-
gesta in caput hominis jam vita functi, inani
forsan obtentu, quod libri Guimenii auctor es-
set, cum tamen oppositum notorium sit; an for-
mulâ laude digna, & juxta strictioris & restaura-
tæ, ut jactatis, Theologiæ leges à Barone tuo ge-
nio dicta, scripta esse judicabis? Dii meliora, nul-
lum sanè sapientem hominem hucusque reperi, qui
hoc Baronis scribendi modum gravioris culpæ non
damnaret: ut ut sit, doctissimi illi viri, Suarez, Bel-
larminus, Vasquius, Salmeron, & alii, quidquid
posteros obgannias, in præclaris illis suis doctri-
næ monumentis, æternùm vivent apud posteros; u-
num Bellarmini articulum, aut Suaris disputatio-
nem, quàm centum Barones, cum tua bona venia,
dignissimi quique pluris faciunt: quod verò ad
Eminentissimum Theophilum attinet, is certè pro convitio-
rum, contumeliarum, calumniarum & dirarum
plaustris, nihil nisi librorum plaustra reddere potest,
quæ plaustra ringente Barone, maximo semper erunt
ornamentis & instructioribus Bibliothecis ornamen-
to, Leoni mortuo insultant, cujus, si viveret, um-
bram mererent.

52. Pergis deinde in panegyri potiùs, quàm cen-
sura: *Multa*, inquis, *argumenta ex scripturis, SS.
Patribus, ratione naturali, in causæ suæ præsidium, ad-
movit, quibus graviter & strenuè susceptum cum indulgen-
tio Philosophia bellum gerit*: *graviter*, inquis, & *strenuè*, sed quæso te, num saltem unum ex iis argu-
mentis, ad rei specimen, vel leviter indicare debue-
ras? ego verò omni asseverationè affirmo, & san-
ctè spero, nullum prorsus ab eo proferri argumen-
tum, quod probet, quod probandum susceperat; re-
gulam scilicet illam, tenendam esse, quam suprà co-
gnovimus. Illa enim Scripturarum & Patrum
traditionis naturalis decreta, id unum dumtaxat
docent, nimirum, peccandi periculum fugiendum
esse, sanguini, & humano affectui plus æquo
minimè indulgendum, certam, non dubiam con-
scientiam esse debere; nihil aliud, ita me Deus amet,
quæ contra illa evincunt: hæc autè quid ad nos? quid
enim probabilitatem, quæ omne peccandi peri-
culum, omne à dictamine conscientiæ dubium, om-
nemque à judicio illo practico formidinem arcet?
Etenim quæpiam opinio certam possit reddere
conscientiam, verè probabilis non est ut jam multi
demonstrarunt. Sed Baro tuus, vel non intellexit,
vel more dissimulavit; hic tamen *graviter*, in-
quis, *strenuè bellum gerit*, quamvis quod probandum
susceperat non probet, & nihil prorsus conficiat, sed
more Andabatarum more, & id tandem cum illo
quem defendendum susceperit, evincat, (si tamen
evincit) conscientiam certam esse debere, quod ul-
timum admittimus. Alio demum vocabulo, quàm *vitio
magnæ Philosophiæ*, partem illam, quam Baro im-
pugnat, honestare debueras, si enim ex te quærerem,
quinam vitiis ab iis hominibus didiceris, qui te
docuerint omnemque virtutem formare conati
fuerint non ità facilè responderes.

53. *Vel*, inquis, *ostendit Baro, sententiam Proba-
bilitatem recens natam esse, antiquis Patribus, & antiquæ
Ecclesiæ incompertam*; eodem jure, dicerem, rectam
rationem & prudentiam antiquis incognitam fuisse;
neque enim homines fuerunt, uti nos sumus, eadem
mentis ac legis divinæ principia & præcepta, ea-
dem quæ facimus, ab iis gesta sunt; meliora inter-
dum, alias pejora; nemo in his mihi non suffragetur,
aliquis Historia peregrinus non sit: & verò singe
hominem, seu præteritorum, seu præsentium tempo-
rum, in eo statu, & sic affectum, ut certò hîc & nunc
judicet, se non peccare; nemò illum peccare dixerit,
vel proximo peccandi periculo committere se, ne-
mo, inquam, nisi vel ignarus, terminos non capiat,
vel malignus, malis artibus adversariis imponat:
coæva igitur mundo est illa doctrina; ab exemplis
abstineo, quæ passim occurrent, in singulis historiæ
sacræ & profanæ articulis.

55. Invehitur autem, inquis, in quosdam liberio-
ris hujus sententiæ Patronos, *qui ita probabilitatibus in-
dulgent, ut ad illas omnem Christiani nominis actionem exi-
gi posse censeant*; si dixisses, aliquam, darem ultrò, mo-
dò enim vera sit probabilitas, prudens est illius usus
& electio; si prudens, igitur homine & nomine Chri-
stiano digna; nemo tamen unquam dixit, omnem
actionem ad eam exigi, quàm multa enim facimus,
in quibus divina fides nobis prælucet; fides autem
certa est, igitur extra opinionem. Crede mihi, facilè
pronunciare, hominis usquequaque docti non est;
nec valde prudentis, ita universè pronunciare, *omnem
actionem*: in quos verò Baro invehitur? in Jesuitas,
Suarem, Bellarminum, Vasquium, Baëzam, Salmero-
nem, &c. sed quid peccarunt hi, aut parentes eorum?
Jesuitæ sunt, & hoc Baroni satis; sed utinam bonus
iste illas vivendi & scribendi regulas sequeretur, quas
præstantissimi homines, ut doctè & solidè, & piè &
religiosè illi statuerunt.

56. *Unde*, inquis, *si quidpiam probabilitatis affulgeat,
etiam tenuissimæ, & ab unius Doctoris auctoritate profectæ,
eam sententiam sequi liceat, quamvis communi & magis
probabili contrariam*. Nullus unquam ex iis, in quos
Baro invectus est, ita crudè pronunciavit, nec enim
quilibet Doctor satis est. Sed quid si auctor ille sit
magni nominis, & eximiæ literaturæ, rem illam ex
professo & pro dignitate discusserit, gravissimis ar-
gumentis probarit, opposita omnia probè diluerit,
nec illa doctrina legi, vel majorum institutis sit con-
traria? cogita, si vis, Doctorem Angelicum, D. Bo-
naventuram, Albertum Magnum, imò Hieronymum, vel Augustinum; nunquid fortè illi tum au-
ctoritate sua, tum argumentis opinioni probabili-
tatem non conciliant? absit autem, ut statim subnec-
tis, doctrinam hanc, *à sancta Inquisitione reprobatam
fuisse*: erras toto cœlo, en tibi propositionem à san-
cta Inquisitione *mensibus præteritis* damnatam, *si liber
sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri proba-
bilis, dummodò non constet, esse rejectam à Sede Apostoli-
ca tanquam improbabilem*. Vides, quantum à vero
deflexeris; quis enim Caramuël, aut Diana, aut il-
lorum quispiam, quos laxiores vocant, id adstruat?
& verò, dictis cujuslibet junioris indiscriminatim
stare nolim, ne quidem Baronis tui; quamquam is
strictioris disciplinæ videri velit, sed Curios simulant,
&c.

57. Addis ad cumulum ea quæ sequuntur, *sum-
mum in hoc scriptore elucet studium pietatis & honestatis*;
si tamen pium est, convitiari, calumniari, impu-
nè mentiri; & si honestum est, Religiosos homi-
nes, Illustrissimos Episcopos, Scriptores eximios ut
Christianæ disciplinæ corruptores, morum destru-
ctores, & Atheismi Patronos traducere; quàm ma-
lè hujusmodi laudes in hunc hominem quadrant; si
castigare noluisti, quod tamen tui muneris erat, tam
impensè tamen laudare non debueras; in hoc certè
probabiliori parti non adhæsisti, eaque in te ultrò
admittis, quæ reprehendis in cæteris. Sed pergis,
multa eruditio, solida & profunda doctrina, sana & pura

quæ à nemine in suspicionem erroris ulla ex parte vocetur. Cum magnam vim eruditionis, sacræ præsertim, ut par erat, in hoc opere non inveniam; fingis haud dubiè: quid enim illud tandem? à Wendrockio, aliisque ejusdem furfuris hominibus nonnulla excerpsit, quia scilicet eandem cum eis molam versat, & eandem causam agit contra Jesuitas; nihil tamen ex Conciliis reconditum, ex Patribus purum & limpidum, hîc reperio. Quid enim purum ex illa Wendrockii colluvie profluere potuit? *Solidam & profundam appellas*, quæ nihil nisi verba præ se fert; in his parùm, ut video, versatus es, qui pro solida & profunda eruditione, inanem, futilem & leviſſimam hujus hominis garrulitatem, quæ nihil boni & docti succi continet, accepisti; sed laudare voluisti, etiam immerentem; crede mihi, levioris armaturæ hominem illum reputant, quotquot rerum illarum periti habentur: *Sanam*, demum, *& puram doctrinam vocas, à nemine in suspicionem erroris vocandam*; itane insigne illud maledicentiæ specimen, quo vix in hoc genere nobilius invenies? attentè dubio procul omni librum non legisti; alioquin multos in illo errores observasses, si tamen versatus es in dogmaticis; aliquot tibi suggero; vide utrùm illos stomachus viri Catholici concoquere possit. I. Probabiliores sunt Hæreticis sui errores, veris fidei articulis. II. Argumenta contra fidei articulos probabiliora sunt ipsis articulis. III. Simplex libri, qui tractat res Theologicas, approbatio, majoris roboris est, quam illa, qua Rituale Romanum, singulari diplomate, Paulus V. munivit. IV. Censuras Ecclesiasticas res minutiores vocat. V. Multa spargit contra Theologos, & Soncinianos, & Wendrockium defendere videtur, quasi hic absolutus fuerit, per confixionem Apologiæ Theologorum moralium. VI. Theologos morales omnium Hæreticorum pessimis deteriores esse scribit. VII. Disertè negat ex generali consensu Ecclesiæ & recentibus Pontificum decretis, de re aliqua divina fide credenda, quæ in Scriptura, vel traditione explicitè non contineatur, argumentum contra Hæreticos duci posse. VIII. Negat, fidei dogmata recens declarata antiquis paria esse. IX. Vult, licitum non esse, novo argumento uti contra Hæreticos. Illud etiam addere possem, quod habet, *pag.* 73. Curatos scilicet Parisienses, potestatis amplitudine in subditos, inferiores non esse inquisitoribus Italiæ, nimirum eminentissimis Cardinalibus, Reverendissimis Commissariis, &c.

58. Quò in his omnibus spectet, satis perspectum est; timet enim causæ suæ, in quibusdam controversiis communibus; & certus sum, eum non stare pro auctoritate Papæ in definiendis fidei controversiis: nisi porrò hæc, quæ obiter adnotavi, erronea sint, quid si erroneum non video: *puram* tamen illius *doctrinam*, & ab omni errore immunem esse declaras; sed hæc homini, qui in palæstra Theologica diu non sudavit, facilè condonanda esse putarem, nisi ea impensè & affectatè laudares, quæ toti Societati probro vertuntur; & verò si fortè, præ nimio in illum affectu, quem dissimulare non potes, perperam ab eo scripta notare recusas, non erat profectò, quod ea tuo calculo probares: frica, scabe quantumlibet, Baronem tuum; sed quæso, parce aliis, quos immanibus convitiis & dicteriis laceravit. Pergis deinde.

59. *Versatur ille*, inquis, *in argumento, ordinatè, distinctè, perspicuè*; tanti est, immoderato duci studio, & affectu laborare, nullibi enim major confusio, perturbatior tractatio, obscurior lucubratio, nullus hic ordo, nulla rerum & argumentorum distinctio, nulla connexionis series consequentium cum antecedentibus, at sempiternus horror inhabitat; omnia tamen ordinata, distincta, perspicua tibi videntur. Ita olim Nero Urbis incendio, & maxima illa rerum omnium perturbatione, tanquam amœnissimo spectaculo recreabatur. At si præ nimio & cæco affectu, crassissimos errores, quos in hoc opusculo lugemus, potiùs quàm legimus, non vides, quid mirum, si virtutes illas, quas nullus in eo videt, per amicum somnium videre tibi videaris; tenebras non vides, quibus obscuratur, & lucem adspicis, qua minimè illustratur: sed quæso te, perge porrò.

60. *Et quod*, inquis, *non ita facilè reperias in aliis Theologis nostri temporis, elegans & politus in primis est; adhibet autem ornamenta dicendi, quæ orationi suæ, non venustatem, aut leporem, sed dignitatem & majestatem conciliant; detinetque suavitate sua lectorem, ne à summa argumentorum austeritate & tristitia offendatur, &c.* De hac fortè laude rectè judicare poteras; nec tritum illud hîc locum haberet, *ne sutor ultrà crepidam*, non tamen optimè judicasti; affectat quidem stylum tersum & politum hic auctor; non tamen assequitur, nulla in eo dictionis amœnitas, claritudo, limpiditas, cuncta violenta, & vi quadam dispositа, ex quo summa quædam obscuritas, quæ non dignitatem & majestatem, sed molestiam atque horrorem legentibus conciliat; ad peritos omnes provoco, nec enim crede mihi, desunt, qui rerum istiusmodi peritia tibi non cedant; unde nec eloquentiæ, sed maledicentiæ cum amœnitate quadam verbositate conjunctæ, qua plurimi, ut tutè scis, præsertim adversùs Jesuitas, non certè divino instinctu delectantur, egregium specimen edidit, in quo non suavitas illa, quam prædicas, sed perpetua satyra, non orationis lumina, sed convitiorum spicula, non figuræ & ornamenta dicendi, sed calumniarum colluvies, sarcasmi & scommata, aliaque hujusmodi spurcissima ferocientis animi, stylique furentis retrimenta congeruntur. Multi Theologi, sat scio, hunc scribendi modum, aut certè parum Latinum adhibuerunt; ita res tulit, nec enim Doctor Angelicus, D. Bonaventura, Albertus Magnus, Scotus, aliique Scholarum Principes, Ciceroniani fuerunt; non desunt tamen, crede mihi, qui quantum rerum illarum sublimitas & obscuritas patiuntur, de Theologia Latinè & eleganter scripserunt; centenos appellare possem, à quibus fortè discendo esses, si res postularet: accedit, quod Calvinus etiam, Melanctон, Erasmus aliique latinissimè scripserunt, qui tamen hoc nomine à gravissima nota immunes non sunt.

61. *Una*, inquis, *desiderari videtur alicubi modestiæ laus & in insectandis adversariis continentia; nam interdum à nimio partium studio ita abripitur, ut in scommata & convitia prorumpat, Christiano & religioso scriptori non usquequaque convenientia, quamvis alioquin multo sale urbanitatis illa condiat.* Hic tandem scribis, ut decet; tuas partes agis & imples; accediſque ad veritatem, sed tibi contradicis; paulò enim antè dicebas, *summum in auctore isto elucet pietatis studium & honestatis*; an fortè pietas & honestas in convitia & scommata prorumpunt? an nimio partium studio abripiuntur? hæc tamen, quæ verè dixeras, mox studiosè imminuis, *alicubi*, inquis, quasi verò non ubique passim; illud in me suscipere non dubito, ut hujusmodi fœces ad quamlibet

libri

ubi jugerturam in oculos incurrant; & sanctè juro, nullum esse hujus libri folium, in quo aliquid, vel convitii, vel impostura, vel falsitatis affectatæ, vel aliquid calumniæ non reperiatur; hoc inquam in me fictæ calumniæ non reperiatur; hoc inquam in me fictæ calumniæ non reperiatur; hoc inquam in me fictæ

movere; ita Wendrockius, ita Molinæus, imò ita ipse Calvinus se gessere; isti adversùs Catholicos, ille adversùs Jesuitas; hanc esse lanienam conscientiæ, animarum carnificinam, & plusquam Turcicam peccandi necessitatem: si quis, inquam, ex Adversariis, hoc argumenti genere Baronem tuum peteret; diceres fortè, hæc ab illo sine causæ suæ proditione omitti non potuisse? imò vel inde causam suam Baro prodidit, atque perdidit, quod tam falsa, tam absona, tam horrenda, contra viros omni literatura & pietate præditos, quæ omnem omninò fidem superant, effutire non dubitarit. Pergis porro.

65. *In cæteris autem dictis, quæ excusari non possunt, sublevat plurimum hunc auctorem, susceptæ causæ bonitas, quæ nullum hactenus graviorem ab Ecclesia censuram passa est, cum contra adversam magna ex parte à proximis S. Inquisitionis decretis fractam & debilitatam videamus, quo sine dubio justior sit scribentium adversùs eam indignatio.* Vix poteras meliùs, in tui Baronis gratiam, aut elegantiùs perorare, sed ante omnia vellem, ut ea convitia, quæ non possunt excusari, ab iis, quæ, ut ais, excusari possunt, mihi distingueres; nullum enim mihi, ut dicam quod sentio, discrimen intercedere videtur: & si unum ex his excusetur, cur aliud ex aliis excusandum non sit, nec video, nec capio: illa, inquis, *in doctrinam*, hæc verò *in doctrinæ auctorem* cadunt: bellè. quasi verò gravissimum convitium non sit, doctrinam hæreticam auctori cuipiam religioso per calumniam affingere; Baro negat à se affingi, quia talem reputat; pari modo, adulterium, furtum, aut sacrilegium cuilibet affingere possum: & statim atque dixero, me ita credere, ab omni culpa immunis evado: sed profectò ita esse Baro non credidit, nec enim adeò rerum imperitum illum reputamus; sed ut dicam quod res est, viro gravi per fas & nefas placere voluit; quo etiam ipse teneris studio, ut illius auctoritate fretus, qua certè valet quamplurimum, adversùs Jesuitas, in quos plusquàm immortali odio flagrat, quælibet infanda, impunè in lucem edere posset; cujus certè rei libri ab eo editi plenissimam faciunt fidem: hujus tamen causæ bonitatem altè prædicas, bonam causam vocas, an fortè per antiphrasim, vel ironiam? quia contra bonos & optimos viros suscepta est: at si bona est, mundus universus dedocendus est, qui tenuit hactenus, & credidit, prudenter agere, licitum esse; ille quippe prudenter agit, qui secundùm opinionem verè probabilem agit; tot sancti viri, quos æterna in cœlis beatitate frui piè credimus, agendi præcipites, & in orcum detrudendi, qui doctrinam illam tenuerunt, docuerunt, publicarunt.

66. Sed illa, inquis, Baronis sententia nulla graviore censura ab Ecclesia notata fuit; noli, quæso, tuba canere ante te, nec triumphum adornes, ante victoriam; sat citò, si oportunè, in Molinæo, aliisque censuris jam prælusum est; non est vestrum, neque nostrum, nosse temporum momenta, quæ Pater seu mater Ecclesia in sua potestate posuit. Quod autem dicis, doctrinam illam nostram, quam Baro impugnat, *proximis S. Inquisitionis decretis confixam fuisse*; falsissimum est, & luculenter hallucinaris, numerum appellare debueras; nullibi sanè damnatam lego, hanc propositionem, *opinio verè probabilis tuta est, ac prorsus licita*: damnavit quidem S. Congregatio nonnullas opiniones singulares, sive quia verè probabiles non sunt, sive quia illarum usus perniciosus, aut periculosus esse videtur; sic enim aliquas propositiones damnare, seu prohibere solet Ecclesia; quo reverà cessant esse probabiles; si fortè anteà probabiles censebantur; decretum enim Ecclesiæ opinionem reddit improbabilem; at verò propositionem illam *suprà* enunciatam, in genere scilicet, aliquando ab Ecclesia damnandam esse, ut dicam, quod sentio, non crediderim; ut ut sit, doctrina illa, quam Baro impugnat, nunquam, saltem huc usque, damnata fuit; nec *proximis*, ut ais, *Sanctæ Inquisitionis decretis fracta & debilitata*, *unde justior reddatur scribentium adversùs illam indignatio*; cæterùm unum te monitum velim, ex quadraginta quinque illis propositionibus, à Sacra Congregatione confixis, vix geminas, uni ac alteri Jesuitæ excidisse, reliquas omnes aliorum esse, cujus observationis, quam si jubeas demonstrandam suscipio, Baronem tuum certiorem facere poteris, eique *proxima illa decreta* gratulaberis; ut autem acerbum Baronis stylum defendas, aliquot exempla congeris, Pauli scilicet, qui Petro in faciem obstitit, quia reprehensibilis erat; SS. Patrum adversùs Originem, *adversam famam meritum*, inquis, *aliena culpa*, Hieronymi adversùs Ruffinum, à Gelasio Papa deinde laudatum; Nazianzeni adversùs Maximum; Bernardi adversùs Petrum Abailardum, SS. Thomæ & Bonaventuræ adversùs Doctores Parisienses; cuncta hæc bonus Theophilus citato loco, tibi suggessit; sed quid quæso hæc ad Baronem? de conflictu illo Petri & Pauli, varii, varia; Hieronymus & Augustinus quæstionem hanc egregiè discussêrunt; sunt qui uni, sunt qui alteri, pro diverso genio adhærent; sed hæc nihil ad rem; præterquam quod juxta textum Græcum, & Hieronymum, *in epist. ad Galatas*, cap. 2. non legitur *reprehensibilis* sed *reprehensus* κατεγνωσμένος, contra Originem, Maximum, Ruffinum, acriùs Patres memorati scripserunt, ut scilicet à pravis eorum dogmatis Catholici deterrerentur; omittere poteras id, quod dicis, Origenem aliena culpa infamatum fuisse: ab Anastasio Papa Origenis errores damnati sunt, & à Concilio quinto generali, quod minimè ignorare potuisti: damnari autem à Papa, & à Concilio œcumenico illum hominem, qui aliena culpa reus sit, durum profectò dictu est: Gelasius quidem Ruffinum religiosum appellavit, nimirum Religiosi instituti hominem, Hieronymi tamen sententiæ contra Rufin. latæ standum esse pronunciavit. Bernard. Abailardum infectatus est, ut periculosæ novitatis & peregrinarum vocum in Theologia inventorem; SS. Thomas & Bonaventura Guilielmum à S. Amore, ut notorium nebulonem, & Evangelicæ regulæ impugnatorem, acriter, ut par erat, refutarunt; isti quidem nondum ab Ecclesia Hæretici declarati fuerant, eorum tamen Hæreses sanctissimis illis scriptoribus perspectæ & crassi errores compertî jam erant; cujusrei recens exemplum in tuo Sciopio tibi suggerere possem; quid porrò simile Baro in Jesuitis habere potuit? nisi fortè cum quibusdam, illos hæreticos esse dixerit; at summæ gloriæ ducunt, atque honori, ab iis Hominibus haberi hæreticos, quorum Hæreses & blasphemias Ecclesia damnavit, quique propria sua, non aliena culpa, famæ jacturam passi sunt, quod tamen de se prædicare non cessant, æquè ac tu de Origine, cujus defensio cuidam recentiori magno stetit, cujus liber in hunc finem editus à S. Congregatione nigro Theta notatus est: cæterùm Jesuitas tibi sanè plurimum obstrinxisti, quos in Hæreticorum classem retulisti, quod certè risu potius & sibilis, quàm alio refutationis genere refellendum esse duco. Sed in Caramuelem,

modum, inquies, Baro invectus est; at crebrò etiam in locum, nimirum in singulis ferè paginis; præterquam quod Baro ineptè asserit, Jesuitas Caramuëli adhibere fuisse, ut in Fagnanum stylum exercerent, quod eodem candore & impunè mentiendi studio reliqua omnia bonus ille adstruxit. Sic deinde pergis.

6. *Hoc à natura*, inquis, *comparatum est, ut adversùs fidei ac disciplinæ doctrinas existat in mentibus hominum quidam zeli, cui moderari facilè non queas, nè in verba paulò acerbiora prorumpat.* Sed ajebas, nè in verba paulò acerbiora prorumpat. Sed quis te constituit judicem in re præsertim tam gravi & publico voto? Deinde dato & nonconcesso, ut ajunt, librum esse Theophili, nemo dixerit, contra Dominicanum Ordinem scriptum fuisse: nam de Ordine illo, ut par est, altè, piè & optimè loqui & sentire videtur; sed contra privatos aliquot, (quod tamen non probo) discussis nonnullis singularibus factis; quis autem dicat, vel hoc nomine, contra universum Ordinem scripsisse. Præterea nunquid Christiani non sumus; apud quos lex illa maximè vigeat, ut non malum pro malo, quod vindictæ esset, nec maledictum pro maledicto, sed bonum dumtaxat reddatur: denique quis neget, modum in rebus esse? nemo enim, qui sit ingenuus, tam horrendam feritatem, & immanitatem probabit; occasionem præbuit Theophilus; demus hoc, sed quam multi extiis occasionem Theophilo præbuerant; dicat ipse, ætatem habet? ut ut sit, Baronis liber, aliique hujusmodi (nam leonem illum mortuum plures apes aut vespæ obsederunt) non facient, quin posteri nostri Theophilum Ramaudum, hominem sui temporis eruditissimum esse fateantur, uti hodie cordatissimi quique fatentur.

70. Quod ad Caramuëlem spectat, demus ab eo Fagnanum asperiùs acceptum fuisse; nunquid Fagnanus illum ante duriùs non exceperat? eumque Novatorem, & moralis disciplinæ corruptorem appellarat? si ergò inde Baro tuus *excusatior* est, cur eodem jure Caramuël gaudere non debeat? si hæc omnia paulò maturiùs ponderasses, dubio procul omni, paulò moderatiùs scripsisses; præsertim cùm Baro is non sit, qui cum Theophilo, vel Caramuële conferri queat; sive ingenii, sive literaturæ omnis generis ratio habeatur; styli nonnihil coacti & violenti, latinitatis obscuræ & affectatæ, nec non tumentis cujusdam verbositatis, aliaque istiusmodi Baroni ultrò concedimus, sed quod ad rem pertinet, etiam à mediocriter doctis parvi æstimatur.

71. Ad postremam rationem accedis, quam à persona & meritis Fagnani ducendam esse putasti: *Accedit*, inquis, *respectus optimi & doctissimi viri, qui hoc opere defenditur, & insignia ejus in Ecclesiam merita, quibus cumulandis nunc maximè graviter intendit, &c. Cujus existimationi & incenso erga hanc causam studio, pro summa S. Congregationis prudentia, consulendum videtur.* Laudes illas libens audio & accipio; quamquam à Barone longè majores, accipere potuisti: dicit enim, nec invideo, hominem illum nihil prorsùs latere, nesciebam esse Mathematicum, Medicum, Chymicum, &c. Nulli hominum, mentem Romanorum Pontificum à principe Apostolorum hucusque, magis perspectam fuisse; nullum modò in terris vivere, majore veneratione dignum, eumque, nisi cœcitas obstitisset, futurum *haud dubiè*, non modò purpuratum Patrem, sed Pontificem, qui annos Petri superasset. Ut autem illius laudes libenter audio, ita illum ægrè laturum existimo, quod illius existimationem à Baronianæ

causæ

causæ eventu pendere dixeris, quasi verò tali defensore indigeat, qui alios ultrò defendit : Præterea non est, quod seà Jesuitis Fagnanus defendat, qui adversùs illum, ne apicem quidem unquam scripserunt : cur ergò Baro, ut Fagnanum defendat, Jesuitarum Coriphæos, atque adeò universam Societatem fœdissimè proscindit ? ita de Fagnano sentio, ut hunc Baronis modum suo calculo non probet ; & ipsi graviter succensere debeat, quod ejus doctrinam, non argumentis, sed calumniis, impostu ris, convitiis & falsitatibus defenderit : æquior est Fagnanus, quàm ut aliorum detrimenta in sua lucra convertat, & sanam doctrinam, quam profiteri se putat, vanis Baronis tui declamationibus fulciendam esse puter ; cum bona causa, mala & iniqua defensione corrumpatur potiùs, quàm defendatur : quod dicis *de incenso illius in hanc causam studio*, vix crederem, nisi apud me is esses, cui fides à me habenda sit ; nempe ut secundùm hominem loquar, è re potiùs Fagnani esset, ut Baronis liber configeretur ; sic enim causa unius ab alterius causa diremta esset ; cùm alioquin timendum sit, ne hujus libri refutatio, quam nostri desiderari nunquam passuri sunt, in Fagnanum aliquo modo redundatur : præterquam quod, de viro juris peritissimo, nihil nisi quod justum sit statuere debemus ; & quamvis incenso in causam studio sit, non tamen injustam sententiam extorquere sibi proposuit ; quid porrò decernant jura, & regulæ Judicis, contra libellos famosos, & libros selle potiùs, quàm atramento exaratos, nesciri à te non puto ; quare magnoperè miratus sum, hæc quæ sequuntur à te subnecti.

72. *Nec verò*, inquis, *agitur de parcendo suspectæ de fide, aut moribus doctrinæ, ut salvo officio, severitas censuræ omitti non posit ; sed de materia prorsùs arbitraria, quæ gratiæ, & ut ita dicam, acceptionis personarum, ex justa & rationabili causa capax est.* Nescio, utrùm hæc doctrina inter minùs probabiles locum aliquando inventura sit ; ego certè, quamvis laxioris doctrinæ insimulatus, probabilem non reputo ; hunc librum famosum esse constat, aut nullum uspiam famosum extitisse contendo : agitur de damno tertii, nimirum Societatis, quæ nunquam Fagnano, nunquam Baroni, vel tantulum injuriæ intulit, aut certè mali officii ; innumeros ferè libros S. Congregatio, qui vix millesimam Baronianæ asperitatis partem præ se ferebant, hucusque confixit ; quis ergò dicat, ab ejus arbitrio pendere, ut librum hunc, vel configat vel absolvat, etiamsi censura dignus censeatur ? itane verò mortalium arbitrio subjecti sumus ? magnum reverà tum sacrarum, tum humanarum legum dedecus esset, si his frustrà reclamantibus, damnentur insontes, Rei absolvantur. Prudentis certè Causidici personam non sustines, nec partes imples, aut munus, cujus quidem est, causam suam apud Judicem fortissimis tueri argumentis, non tamen iis artibus agere, quibus eum, ad iniquam sententiam extorquendam sibi demereatur.

73. Ita demum sententiam tuam concludis : *Ne tamen, aut hic auctor, aut eius exemplo cæteri facilitate S. Congregationis abutantur, adjacienda effrænatè in literatos adversarios convicia, notandos hic putarem locos censuræ obnoxios, monendumque auctorem, ut illos occasione alterius editionis, aut quapiam alia, amoveat ; quain re illum doctissimum esse audi, & auctoritati S. Congregationis obsequentissimum.* Ab hoc ultimo initium duco, quod sanè vix mihi persuaserim ; jam dederat pœnas, confixo illius priore libro, quem Apologiam S. Congregationis inscripserat ; censuram illam in altera parte impensè laudavit, & commendavit, etiamsi contra Sedis Apostolicæ auctoritatem multa, eaque gravia contineat ; in hac etiam parte, ut suprà ostensum est, multos eosque crassissimos errores admisit ; quare non ita facilè definire debueras, *non agi hoc loco, de parcendo suspectæ de fide, aut moribus doctrinæ* ; scimus insuper, quanta illi necessitudine devinctus sit, qui toties in jura Sedis Apostolicæ, tum verbo, tum scripto invectus est ; omitto alia, ex his autem, non adeò docilem fore mihi jure persuadeo. Præterea demus, pauca illa, quæ à te, alinsque tui similibus adnotata fuerunt, in altera editione ab ipso expuncta fuisse ; cætera, quæ restant, vel inde quasi approbata censentur, exceptio enim firmat legem, quod sanè incredibilem, tum illi, tum ejus libro auctoritatem conciliaret. Sed cur ea dumtaxat, quæ tu ipse adnotasti, expungenda sunt, non verò alia, iis, fortè pejora ? cùm reverà hic liber una tantùm litura emendari possit. Longè igitur satius esse duxerim, ut vel totus liber configatur, aut saltem relinquatur intactus, ut deinde per justam & moderatam refutationem castigetur : frustrà autem id persuadere videris, ne alii hujus exemplo facilitate S. Congregationis abutantur ; cum potiùs pessimi res exempli futura sit, si paucis dumtaxat expunctis liber denuò edatur, quis enim hac lege, seu conditione, libellos famosos non scriberet ?

74. Iam verò hoc unum restat, vir clarissime, ut æqui bonique consulas, & animadversionem meam, eo, quo à me scripta est, animo accipias amico scilicet & Christiano : & cum sæpè in posterum, pro munere tibi credito, libros recognosce debeas ; procures omninò, ut Deum semper, non homines præ oculis habeas, in iis præsertim libris, qui convitiis & aculeis scatent : & ut in hac Baroniana lucubratione sistamus, debueras, in primis, omnes errores (aliquos suprà indicavi) adnotare, tum convitia, si per numerum liceret, aut certè sincerè significare, in genere, librum aculeis, & convitiis horridum esse, tum deinde impostu ras ; item illas, quas de Jesuitis interserit ludicras historiolas, nullo teste, ac proinde à se fictas : impostu ras autem per collationem reperisses ; cum nulla ferè sit pagina, quam aliqua impostura non fœdarit ; addere præterea falsitates, quàm multa enim falsa, ficta, mutata, aucta, imminuta, adulterata, pro veris & indubitatis hic auctor venditat ? quàm multa invenisses ab eo Scriptoribus per calumniam impositа, in his sanè diligentiam tuam desidero. Cæterùm ubi præmisisses, in tuo voto, librum illum convitiis, calumniis & falsitatibus plenum esse, non sine crassis aliquot erroribus, optimè deinde judicasses, & collegisses, librum configendum videri. Et verò, ut jam *suprà* dixi, spondere ausim, ad quamlibet illius libri aperturam, aliquid censura & nota dignum statim occurrere ; quòd si fortè in dubium revoces, ultrò suscipio demonstrandum, vale.

75. Pithanoph. Nihil sanè magis appositè in hanc rem, à te adduci poterat ; & illa dumtaxat Epistola justæ defensionis, seu refutationis loco esse poterat : sed quæso, contrahamus in pauca, ea quæ restant, in altera parte refutanda.

76. Antim. Hoc certè nullo negotio fieri posse videtur, cùm omnia ferè scripta sint, vel contra P. Stephani Dechamps quæstionem facti, quem *disp. 1. sect. 1. art. 2. à §. 3.* ad ultimum Baro impugnat, vel contra Guimenium toto ferè libro, vel contra Wendrockium,

dorum; vel contra auctorem Apologiæ Theologorum moralium; Guimenii tractatum quo seipsum à Bonis impositoris & falsimoniis defendit, in hoc prodigenco suum locum habet: expecto in dies redivivum P. Steph. Dechamps, nec enim is est, qui defensione indigeat, uti nec P. Ferrerius; opusculum etiam addidi satis oportunum, ad defensionem Apologiæ; De Wendrockio parum soliciti sumus; reliqua omnia vix crediderim, esse refutanda, nec volumina multiplicemus, nonnulla tantùm quasi ad specimen refellemus; præmissa tamen denuncianda, nullam in toto libro paginam esse ab erroribus, vel calumniis, vel aliis mendis immunem, quod ipsum in me pro prima parte, ad libri aperturam, demonstrandum suscepi.

78. Pithanoph. Ante omnia in Rom. Pontificem non modò parum propensius esse videtur, sed per summum & indubitatum errorem *disp. 1. sect. 1. art. 2. §. 4.* negat, Pontificem & Ecclesiam, nimirum in Concilio Lateranensi, definire potuisse controversias, quæ ad jus morale, id est, quæ ad mores pertinent, quod certè non tantùm erroneum, verùm etiam hæreticum est. Subdit autem Baro palàm falsitatem in fine *dicti* §. ubi hæc habet, *Bellarminus etiam lib. 2. de Concil. cap. 13. ait, dubium esse, an ultimum Lateranense Concilium, verè sit Oecumenicum.* Bellarm. *citat. cap.* nihil prorsus habet de hac re; sed *cap.* 17. ubi cum sibi opposuisset, dictum Concilium non esse generale, illico subdit hæc verba, *Sed non fuisse generale vix dici non potest; nam ex fuerunt Episcopi paucissimi, nam ad centum non pervenerunt; tamen Concilium omnibus patebat, omnes vocati fuerant, & in eo Summus Pontifex præsidebat*; hoccine est dubium videri Bellarmino, an Concilium illud Oecumenicum fuerit: accedit, quod idem Bellarminus *lib. 2. cap. 5.* inter Concilia Generalia approbata, inter quæ Lateranense V. recensetur: hic homo ita falsitatibus assuefactus, in referendis præsertim actibus, ut vix unquam illorum loca & mentem recte referat; grande profectò in Scriptore, si quid aliud, vitium; cuncta porro hæc, ut Soti etiam salvaret, quæ Leonis & Concilii decreta rectè opponitur; tanti est, Sotum non erasse, quem tamen, quamvis alioquin magnum & insignem Theologum errori minimè obnoxium, nullus suæ mentis compos dixerit; ut & Romani Pontifices dicendi sint potiùs, & Concilia œcumenica procul neganda: viderint quæso ii, ad quos pertinet; idem, quoniam licèt, Baro indicare videtur, *disp. 1. sect. 1. a. 2.* Nulla porro Baronis argumentatio inepta est; res enim temporariæ infidelium Ecclesiasticæ potestati subesse non sunt; igitur nec causæ, seu controversiæ quæ spectant ad mores; nulla profectò est hæc cõsequentia; cum enim duo præsertim ad salutem notitiæ sint necessariæ, nimirum rectè credere, & rectè agere, non minùs ab Ecclesia nobis proponi debet, quid agendũ, quid fugiendum, quàm quid credendum, vel non credendum; & ut errare non potest, in iis quæ nobis proponit credenda; ita errare nõ potest in iis quæ nobis proponit agenda; id est, ut errare nequit, declarando nobis, quid verum sit, quo ad fidẽ; ita errare nequit, declarando nobis, quid bonum sit quo ad mores. Sibi canit & suis musis Vincent. Baro; timet, ne quidpiam declaret Ecclesia, quod illi grave minimè accideret; præoccupare vellet, si posset; ac frustra omnino: ut ut sit, Reus declinat à Judicis fori, illius auctoritatem deprimit, & imminuit ex industria; quod certè Hæreticis satis familiare est, sed velit, nolit, ad Ecclesiam pertinet, controversias morum decidere, in quo errori obnoxiam dicere, liberè dicam, non erroneum modò, sed hæreticum est.

79. Antim. Audaciam hujus Hominis satis laudare non possum; palam enim denuntiat in præfatione, se hanc provinciam suscepisse diserto Ponti ficis jussu, nimirum libellum famosum, si usquam aliàs edendi, errores passim spargendi, infringendi auctoritatem Ecclesiæ, unius Soti opinionem Romani Pontificis & Concilii œcumenici decisioni anteponendi, affingendi calumnias & impostoras plusquam millies, auctorũ loca depravandi, historias fingendi pro arbitrio, ab omni ratione soluto & libero; atque alia hujusmodi; cuncta hæc Romani Pontificis jussu & mandato, à se acta, dicta & publicata, per intolerabilem audaciam, jactat: sed absit, ut Romanus Põtifex talia unquam mandarit; jussit quidem, Theologiam moralem restaurari, juxta genuinam Doctoris Angelici doctrinam; rectè omninò, & sanctè; nostri omnes aliam, quo ad hoc, doctrinam non habent; sed absit, ut doctrinam S. Aquinatis illam esse dicamus, quæ duobus hisce Baronis libris traditur; absit, inquam, ut eximium illum Ecclesiæ Doctorem, cui sacræ literæ & Theologicæ disciplinæ tantũ debent tot calumniarum, falsitatum, corruptionum, errorum auctorem esse dicamus, sed quæso, pergamus.

80. Pithanoph. Non est omittendum illud, quod paulò intemperantiùs *ead. disp. & sect. 1. art. 3. §. 1.* scribit de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis; nullum unquam fuisse legitimum D. Thom. discipulum, qui vel ex principiis ejusdem Doctoris, vel ex SS. Patribus, sententiam illam de Conceptione immaculata, eruere unquam potuerit; & rem illam indigno sarcasmo concludit, atque, recens inventum fuisse; cum tamen in Bulla Alexandrina diserte legamus, veterem hanc esse Christi fidelium erga ejus B Matrem Virginem Mariam Pietatem sentientium, &c. quare nullus dubito, quin iste auctor in censuras incurrerit latas in hac Bulla, & aliis ante promulgatis; sed hic homo censuras illas non timet, cum totus sit in laudandis, commendandis ac defendendis illis censuris alterius generis; quod tamen sub pœna excomunicationis latæ sententiæ, vetitum est.

81. Antim. Aliud quoque majoris fortè ponderis caput oppono, nempe *d. 2 s. 2. a. 2. §. 2.* asserere non dubitat, Ecclesiam errori obnoxiam esse in controversiis, quæ ad mores spectant decidendis, institutis Ordinum Religiosorum approbandis & confirmandis, & quibusdam solenni ritu in sanctorum Album referendis, ac demum in quolibet facto declarando; quam bellè Calvinizat homo iste, nihil aliud Hæretici crepant, jam à multis annis: cuncta hæc, si non hæretica, quod definire non ausim, temeraria tamen, scandalosa, erronea, & in scriptore Catholico minimè toleranda; calumniam autem Molinæ ab eo affictam, licèt alias prætermittam, cum vix omnes exhauriri queant, omittendam esse, non duxi: dicit enim, negari à Molina nullas definitiones Ecclesiæ, ad ordinem articulorum fidei evehi posse, quod manifestam calumniam continet; cum ipse Molina loco à Barone semicitato, nimirum *in 1. part. disp. 1. qu. 1. art 2.* diserte doceat, Ecclesiam Catholicam habere potestatem declarandi ea, quæ ad fidem mediatè, vel immediatè pertinent, & in suis definitionibus errare non posse; licet facultatem non habeat condendi novam scripturam Canonicam, vel efficiendi aliquid esse de fide, quod ante tale non esset implicitè, scilicet, vel explicitè; nihil habet aliud Molina, quæ reverà cõmunis est Theologorum doctrina; cur igitur Baro

Molinæ affingit, plus illum auctoritati Ecclesiæ detraxisse, quàm Canum, cui Baro suffragatur, & cum eo sentit, Ecclesiam errori obnoxiam esse in definitionibus quæ ad mores, approbationem & confirmationem religiosorum Ordinum, canonizationem Sanctorum, ut vocant aliàque facta omnis generis pertinent: quod multa certè temeritate non caret, ut mitissimè loquar de quo alibi.

82. PITHANOPH. Quid quod *disput. 4. sect. 1. art. 4. §. ult.* Thomam Anglum, impensè commendat, & laudat profundissimam illius doctrinam & eruditionem; quamvis damnatum auctorem esse constet, & omnia illius opera singulari nota confixa; sed quid faceres; quidquid anomalon est, Baroni summoperè placet; quare non mirum est, si de Iansenio semper honorificè, de Sinnichonunquam sine elogio, & licèt Wendrockium refutandum in nonnullis susceperit; non seriò id factum esse, facilè crederes, cum laudes potiùs & elogia eidem attexat; satis illi est, si cum Jesuitis vestris acriùs agat, in quos, ut jam dixi, convitiorum & impostrarum plaustra intemperantissimè, abjecto certè omni pudore, ingerere non dubitat.

83. ANTIM. Nec pepercit Sanctissimo Patriarchæ nostro Ignatio, cujus constitutiones carpere & plusquam canino dente mordere ausus est; præiverant Canus, Sanctes Matiales, & quidam alii, sed Gregorianis & Paulinis constitutionibus, in hoc standum esse nemo Catholicus inficiabitur; imò exercitiorum libellum ab Ignatio exscriptum fuisse, per manifestum plagium, ex libro Joannis de Cineros & eadem exercitia toties mutata & aucta fuisse, constanter asserit, & multa alia contra Societatem toto illo §. 2. *art. 2. sect. 1. disp. 5.* nescio, qua fronte blaterat, admixtis quibusdam historiolis, haud dubiè fictis, pro more nullo veritatis fundamento nixis, nisi quod à se auribus exceptas fuisse, testatur; sed calumnias calumniis, mendacia mendaciis hic auctor passim confirmat; hæc porro fabula de exercitiis ab aliis jam efficaciter dissipata est; quod autem mutata & aucta fuerint exercitia, palmare mendacium est, habui præ manibus dictum exercitiorum libellum typis mandatum anno 1548. mense Augusto, paucis nimirum diebus, post approbationem libelli, datam scilicet eodem anno, die ultima Julii, & sanctè juro, ne jota quidem unum ex aliis editionibus, vel additum, vel detractum fuisse; cujus cum feciſsem copiam Eminentissimo Principi, ita obstupuit, ut vix oculis suis fidem haberet, & frontem illam, vel effrontem mentiendi licentiam in homine præsertim Religioso, satis incusare non posset: in risum tamen effusum prorupit; ubi legit, centum & mille locis, Guimenii librum, Theophilo ab eo affingi; quis bardus, inquiebat Eminentissimus, id sibi persuadeat; quasi verò discrimen styli utriusque discrimen manifestum non sit, & differendi ratio in Guimenio, ab ea, quam Theophilus tenet, & nunquam dissimulare potuit, prorsus aliena sit; in re notoria falli, & hallucinari, non levi probro vertitur, nimirum malitiæ, vel ignorantiæ. Eodem recidit alia plusquam supina Baronis hallucinatio; cum enim ferre non possit, approbationem à Provinciali Ministro Capucinorum Provinciæ sanguinis Christi Guimenii libro ultro concessam, præter convitia in eum atque adeò in Ordinem universum ubertim jacta, negat, ullam esse Provinciam Sanguinis Christi; cum tamen illam Provinciam inter alias Hispaniæ numerari, notorium sit: risit ad hæc Eminentissimus, inhorruit tamen ad primum libri versum, *absolveram, inquit, D. Fagnani aut verius* LEGIS DIVINÆ VINDICIAS. Quasi vero, D. Fagnani commentaria legis divinæ loco, ac proinde pro canonicis libris haberi unquam possint. Cæterum nunquam dixit Guimenius, libellum exercitiorum S. Ignatii esse canonicum, & pertinere ad fidem, id tantùm dixisse contentus, omnia & singula in eo contenta, à Paulo III. per specialem bullam, post accuratissimum examen, approbata, collaudata & apostolica auctoritate communita; unde Guimenio in hoc imponit; sed quid dico in hoc, cum mille aliis locis eidem imponat; nec illi modo; sed Bellarmino, Salmeroni, Lessio, Thomæ Sanchez, aliisque scriptoribus nostris, in quos nullus, seu Wendrockius, seu, quivis de Lutheri, aut Calvini grege, acerbiùs unquam & majori furore invectus est.

84. PITHANOPH. In hoc Catholici aliqui, nomine saltem, Hæreticos facilè superarunt; & sub Catholico habitu hoc munere pro dignitate defuncti fuere; hoc aliquando, serio potius, quàm per jocum, dicere soleo de Societate vestra, verè dici signum esse, cui contradicetur; & verò vix in paginam, aut versum hujus scriptoris satyrici, & plusquam inverecundioculos conicio, ubi non videam clarissimos & doctissimos miserè proscindi, lacerari, mille calumniis & impostoris fœdari; omnes certè dilui non possunt, ne frustra multa volumina occupentut, multas hucusque diluimus; Guimenius, & Tamburinus refutarit sibi affictas, idem ni fallor eximii scriptores, PP. Ferrier & Dechamps præstituri sunt, ab Illustrissimo Caramuele idem mundus expectat; Theophilus ex parte jam vindicatus est, reliquum inane reputandum; traducit illum Baro, ut ignorantissimum, sed risum hoc potiùs quàm stomachum movet, & contra istum leviorem certè ictum, undeviginti justæ molis volumina, omnigena eruditione ad stuporem & quasi miraculum referta, clypei loco facilè opponi possunt, quantumlibet ranæ coaxent, aut canes latrent? Theophili verò religiosam vitam & piissimos mores in breviario illius vitæ brevi, ut accepi, edendo, melioribus fortè oculis Baro lustrabit.

85. ANTIM. Lacerat etiam auctorem Apologiæ, Theologorum moralium; librum prohibitum fuisse, sat scio, licèt nullius doctrinæ damnatæ in decreto mentionem fieri, certum sit; hoc tamen non facit, quin Baro *disp. 4. sect. 1. art 5. §. 2.* meras dumtaxat impostoras contra illum adducat; quia ne per umbram quidem eorum meminit, quæ Baro illi affingit, & loco à Barone appellato, tantùm dicit, aliquem sequi posse, pro actione purè morali, ut rem Sacramentariam excipiat, opinionem etiam minus probabilem, modò vere probabilis sit; & disertè addit, tutum non esse, sequi opinionem cujuslibet auctoris, contra communem & plerisque reclamantibus: addo ego, nullam à nobis opinionem in praxi tutam pronunciari, nisi sit verè ac certè probabilis; ideſt, nulla Ecclesiæ lege prohibitam, & gravi rationis momento ad prudentem assensum sufficiente suffultam: sed in singulari opusculo hîc annexo, idem auctor, à Baronis aliorumque hominum ejusdem farinæ calumniis probè vindicatur.

86. PITHANOPH. Sed his tandem finem ponamus, nec enim cum homine isto agendo, tam argumenta & rationes, juxta institutum nostrum, quàm calumnias & impostoras diluimus; crimine ab uno discet omnes; unum addam, quod de industria lusit in verbo *d. III. §. 1. a. 2. §. ult.* ut enim omnes Societatis religiosos designaret, candidatos & professos appellavit; quasi

quidam Soto sentiat, Professos dumtaxat veros & proprios religiosos esse; cum tamen per Bullam Gregorii XIII. secus sentiendum sit. Sed librum abijcio, lege alia luce dignissimum. Unum restat, quod volo, scilicet probè scio, penes te esse indiculum, seu catalogum illarum calumniarum, quas liberiore stylo manu in prima illa sua Apologia, ab Alexandro VII. jure damnata, Vincentius Baro vobis & Societati veritæ attinxit; & gratissimum mihi accidet copiam illius mihi feceris; præsertim cum alia occasione, ut mihi, ita optimis quibuscumque opus non sit; quia, ut jam supra diximus tam dira eo ipso refutantur, quò exponuntur.

Art. XVIII. Cum de homine isto in hoc congressu agendum esset, ternionem, cum fortè ad manum esset, mecum detuli, en tibi, adscriptis paginarum numeris illius primi Voluminis, quod deinde, mutatione, in quinque tomulos, adjunctis quibusdam aliis, distributum est; tu legesis.

BREVIS SUMMA ERRORUM, CONVITIORUM & calumniarum, quæ in Apologia continentur.

Pag. 1. Imponit Theophilo, quod in Cardinales & Dominicanos, grassetur; quasi verò pauci Dominicani refelli non possint, nisi Eminentiss. Principes lædantur.

Pag. 2. Quod nec Summo Pontifici, nec Ecclesiæ parcat; scripsit tamen pro Pontifice justum volumen inscriptum Pontificalia, ex multis opusculis collectis.

Pag. 6. Quod enitatur, Dominicanam familiam tollere. Hoc gratis dicitur; & totam vitam in dissensionibus transegerit, quæ jurgia, scandala, schisma Ecclesiæ risum & cachinnos pepererunt: illum scandalum, activum scilicet, præbuit: Hominem auctor profectò non noverat.

Pag. 8. Quod nihil Sanctum, nihil sacrum, in ejus animo & ingenio fuerit, & in caput Principis arma intorserit: Nane verò bonus senex literis tantùm & Bovicanis?

Pag. 9. Falsat hic auctor & ridet constitutiones Innocentii; dicit enim non esse jus Societati repetendi palegata, in quo, malè citat dictas constitutiones addit que, per sarcasmum, scrupulum à Suarez mihi injectum à Cardinali de Lugo facilè dirimendum fuisse.

Ibid. Multas calumnias ab Æmulis & manifestissimis hostibus contra Societatem sparsas ex industria congerit. Verbi gratia, quod in ea Xaverii zelus penè sit extinctus sit; quod Jesuitæ Missionarii lucro dumtaxat inhiant, & uniones potiùs in Indias, quàm animas, spectatum eant, &c. Nihil ad hæc, quia falsa est supposita.

Pag. 10. Imponit Theophilo, quod Dominicanos tueatur ut Pontificium, Ecclesiæ, bonorum omnium & generis humani Hostes; & morti ac divini judicii timorem, Ecclesiam Hæreticis ridendam præbeat: Videre, cura te ipsum.

Pag. 11. Idem esse ait Dominicanos Theophilo, quod sunt Calvinistæ Becano. Nihil usquam tale.

Pagina 6. ad 12. Multa eàque gravissima Theophilo affingit, quo jure, viderint æqui judices.

Pag. 14. Horribile, ut vocat, scandalum illi affinxit sedmerum Baronis somnium fuit.

Pag. 15. Fingit 130. articulos contra Decalogum & ex variis auctoribus Societatis exceptos fuisse, asserit, mera calumnia; additque, Theophilum cum hæreticis impietate, cum sycophantis, calumniis certare. Immeritum elogium.

Pag. 19. Dicit, doctrinam D. Thom. Theologicam scilicet, Philosophicam, moralem, &c. ab omni prorsus errore etiam materiali immunem esse: omnes igitur illius Tomi libris canonicis accersendi.

Pag. 20. Dominicanorum ordinem à Luca Wadingo & Alephonso de Castro depressum queritur; & quotquot à Thomistarum doctrina recesserunt, in errores lapsos fuisse dicit: omnes igitur, præter Thomistas: væ Scoto, D. Bonaventuræ, &c.

Pag. 21. In Societatem gravissimè debachatur, & Iesuitis verba illa Augustini applicat, *sunt quidam inflati utres, spiritu elationis pleni, superbiæ morbo tumentes*, tum hæc addit, philacteria dilatant, omnia sua laudant, nihil inter sua, non sanctum, non rectum esse, volunt, & in nullo suos deficere unquam ex iis nullos errare, omnes Sanctos esse, Doctos, Martyres, Athletas, Heroas, ac demum tribuit cuilibet, ex suis, etiam gregario, quod magnam librorum vim ediderit, idque, citra vel minimum lapsum: Quis quæso hæc unquam, ubi, quando.

Pag. 22. Dicit Marc. Antonium de Dominis, cum defecit à fide, Iesuitam fuisse; quis nescit, Archiepiscopum Spalatrensem tunc extitisse? nec unquam professionem emisisse in Societate.

Pag. 23. Societati aliquot dimissos, vel ejectos exprobrat; satius est, malos & ineptos esse, quàm retineri.

Pag. 24. Ludit Pium virum Alfonsum Rodriguez; *risum*, inquit, teneatis amici; vix Erasmus, aut Buchananus tam impiè Theophilum reprobum vocat; judicia sua, Baronis voto Deus non metitur; addit, D. Thomam esse regulam fidei: sed aliam non agnoscimus, quàm verbum Dei seu scriptum seu traditum, & Ecclesiam.

Pag. 28. Ægidium Romanum, auctorem celeberrimum D. Thomæ corruptorem, non defensorem vocat, Nulli certè plus debet D. Thomæ doctrina,

Pag. 29. Dicit Theophilum posuisse in cœlum os sunum. Quia Canum, Bannem, Soto, & paucos alios Thomistas perstrinxit; Thomistæ igitur sunt cœlum Ecclesiæ.

Pag. 35. Magistri S. Palatii munus Jesuitis exosum esse dicit: immo gratissimum, modo benè, ut fit, administretur.

Pag. 36. Excusat Combefisium, quod in quæstione de duplici capite Ecclesiæ, Arnaldo adhæserit; addit, quæstionem esse difficilem, & utrumque de illa bono animo scripsisse: bonum animum errantis ab Ecclesia damnati nemo prudenter laudavit.

Pag. 37. De quæstione Conceptionis Deiparæ ita loquitur, ut suam opinionem, quæ maculatam adstruit, potiorem esse satis clarè significet; addit Theophilum suæ causæ diffisum, quæ nimirum Conceptionem Immaculatam sustinet. Vocat nomen & fictum loquendi ex cathedra & definiendi credenda judicium: uno verbo plus dicit, quàm si nudè & disertè suam opinionem exponeret, & solitis argumentis firmaret censuras per constitutiones Apostolicas latas non veretur.

Pag. 38. 39. 40. Idem argumentum prosequitur; negat definitum, piam illam sententiam esse, quæ immaculatam conceptionem tenet; vult æque definitum, suam esse probabilem; & per decreta Pon-

tificia utriusque partis probabilitatem iisdem verbis æquè constitui, excusat etiam Combefisium in iis, quæ scripsit contra festum conceptionis; an fortè liberiùs poterat, si nullæ Bullæ extarent?

Pag. 44. Dicit omnes Theologos, præter Thomistas, non sequi verbum Dei, nec SS. Patrum vestigia, sed una dumtaxat niti ratione naturali. Non sunt igitur Theologi; quia ex locis Theologicis non ratiocinantur.

Pag. 46. Et dicit, Theophilum jus vitæ ac necis in Dominicanos omnes sibi arrogare, ille igitur se Deum facit. Item vocat illum irreverentissimum, impiissimum, impudentissimum, lividum, temerarium. Egregia certè laudum Epitheta.

Pag. 48. & 49. Officia Magistri S. Palatii, S. Inquisitionis, Librorum censuræ aliaque hujusmodi vult auctor, haberi & possideri à Dominicanis, hæreditario jure, & esse ordinis Patrimonium. Viderit Rom. Pontif. cujus est ad nutum de illis disponere: hoc item jus ait; antiquissimum esse; quod sine destructione totius Ordinis violari non possit. Erit profectò, qui valdè dubitet.

Pag. 50. Imponit Theophilo, quod universum Prædicatorum ordinem delere meditetur.

Apag. 51. *ad* 55. Laudes in suos accumulat, easque selectissimas. Plurimùm gratulor.

Pag. 52. Dicit, fidem & auctoritatem Rom. Pontificis à Theophilo everti; nemo tamen forte ad illam adstruendam, melius & liberiùs, quam ille, scripsit.

Pag. 54. & 55. Defendit Canum & Sotum, in eo, quod post Bullam Leonis X. & Concil. Lateran. Montes Pietatis damnarunt Caietanum item in eo, quod dicit, aliquot Pontificum Bullas, malè & sine clausulis, quæ prius inerant impressas fuisse. Heu! si quidpiam tale Jesuitæ scripsissent.

Pag. 58. Dictum privatum & incertum Pii V. constitutionibus aliorum Pontificum editis & publicatis æquiparat. Quod certè nullus Catholicus admittat.

Pag. 56. & 57. Dicit, non posse definiri ab Ecclesia, absolutionem moribundi, prout in Rituali Romano præscribitur, esse probabiliter validam; sic enim intelligitur; nec à Leone X. definiri potuisse, Montes Pietatis non esse usurarios: quasi verò Definitio Ecclesiæ ad mores etiam non extendatur.

Pag. 59. Idem prosequitur, & asserit, certitudinem fidei esse non posse in iis, quæ ad usum & mores pertinent; ac proinde, inquit, in iis, non obstantibus declarationibus Apostolicis, cuique suum super hoc arbitrium relinquitur, nisi Ecclesia declarare possit materiam & formam Sacramentorum, quid quæso illi relinquitur?

Pag. 60. & 61. Ludit Rituale Romanum à Paulo V. approbatum, & toti Ecclesiæ propositum; vult autem, per illud, nullam obligationem imponi administrandi Sacramenta sub tali materia & forma; nec absolvendi moribundum, ut in Rituali præscribitur; sed esse meram hortationem. Cuncta hæc sensum Catholicum parum olent.

Pag. 62. Dicit, sententias disputabiles ab Ecclesia definiri non posse; quò spectet, manifestum est; inde quippe utrique sententiæ suæ indemnitati consultum esse vult; nimirum de Conceptione, & de auxiliis.

Pag. 67. Ecclesiam contra ullum S. Thomæ dictum definire nihil posse, asserit. Est igitur Canonicus scriptor.

Pag. 72. Vult, impositionem manuum per Apostolos professionem religiosam esse; temerè profectò dictum, si quod aliud addit ibidem, Jesuitas, illos enim satis indicat, ex puro livore, insidiari doctrinæ S. Thomæ, quam tamen docent, defendunt, & doctissimis illustrant commentariis.

A Pag. 73 *ad* 80. Nimius est in deprimenda, & extenuanda auctoritate Ecclesiæ, dispensandi super votis & professione, quia scilicet in hoc puncto, ipse cum suis adversatur, cæteris omnibus reclamantibus.

Pag. 83. Vult, Religiosos Societatis, ante professionem solemnem, non esse perfectè Religiosos: Gregorius tamen XIII. singulari Bulla oppositum declaravit.

Pag. 85. & 87. Canum plus æquo extollit, eumque defendit, in eo, quod scripsit Ecclesiam errare posse in approbatione, & confirmatione instituti religionis. Parum æquus in Societatem animus illum eò adduxit.

Pag. 88. & 89. Societatem sugillat, adductis iis locis, quæ jam olim politici & Hæretici contra illam sparserunt, & spargunt etiamnum; verbi gratia, quod superbum nomen assumpserit, quod excitarit disputationem de auxiliis, ut sanctæ Inquisitionis Officium Dominicanis eriperet, quod personas quantumlibet facinorosas & infames admittat, quod lites, dissidia & schismata inducat; hæc ipse libens recitat & recantat: sed cuncta hæc ridicula, falsa, & meræ calumniæ.

Apag. 90. *ad* 99. Lites illas denuo suscitat, quæ Dominicanos & Franciscanos olim fervebant; sugillatque varios ordinis Seraphici Historicos. Bzovius non ita pridem præluserat.

Pag. 105. Legendas, ut vocant, omnino fabulosas Claudii à Rota, & Jacobi de Voragine Annalibus Baronii æquiparat: addit, Canum noluisse emaculare Baronii Annales: Canus tamen obierat, antequam ii prodiissent; subnectit, doctissimum quemque Jesuitarum à Combefisio eloquentia & eruditione infinitis partibus superari; doctissimum, inquit, sive hujus, sive Superioris sæculi; & tot esse dotes Combefisii, ut si quis putet Jesuitam quempiam eas assequuturum, cæcus & stultus censendus sit: æquiparat demum Baronium, in lapsu, cum Surio. Tritum illud, omnis comparatio odiosa hîc maximè locum habet: ut ut sit, constat, Baronem, & Combefisium in hoc potissimùm convenire, quod uterque de Magno Baronio parum honorificè scripserit. Constat etiam, Combefisii librum jure ac meritò confixum fuisse.

Pag. 107. 108. 109. Dicit, Theophilum excæcatum esse rabie & execrabilem, ad summum temeritatis & impudentiæ venisse, pudorem ejurasse & conscientiam; en selectos Baronis eloquentiæ flores. Sed mirum est, quod addit fœlicem eventum causæ Jansenianæ Thomistis unicè deberi. Credite posteri.

Pag. 110. Hinc liberat Nolanum, Reginaldum, & de Furno, ab inusta iis nota.

Pag. 114. Affingit Theophilo literas, quas ille nunquam scripsit, nimirum sine die, consule, titulo.

Pag. 114. Asserit, Rosarium esse manuale Evangelicum & Evangelii complementum, quo Ecclesiam erroribus Dominicanus Ordo purgavit. Pertinet igitur ad fidem, si est complementum Evangelii; deinde an fortè nunquam Ecclesia erroribus purgata est, antequam piissimus ille S. Rosarii usus institueretur.

Pag. 117.

Pag.117. Ita loquitur de Conceptione Deiparæ, ut non audeat, opinionem suam potiorem videri, & longè superiorem futurum, si disputandi & scribendi potestas fieret; additque, septem viros, quos Deipara præteritis sæculis charissimos, præ cæteris, habuit, & qui sunt quasi septem spiritus illius throni assistantes, opinionem Dominicanorum defendisse quod amabò istud est, nisi maximè dictam opinionem adstruere?

Pag.118.119.120. Plusquam anilem fabulam narrat de Lermensi Duce, & Card. Toleto; quasi hic ambiguus fuerit, utri opinioni adhæreret; illo verò hortante, Thomistarum Primates, ut piam sententiam amplecterentur, renuisse istos morem Duci gerere quod si revera fecissent, statuisse, Jesuitas, stare, non D. Thoma, & in eorum locum succedere. Mirabile dictu, ait Samoiedis hic auctor scribere, se putat.

Pag.123. Camerarium, hominem suspectum, qui contra Ubrigium, Jansenio præluserit, adducit in scenam, & longum illius locum contra Societatem exscribit: ficedabus ollam.

Pag.124. Dicit, Theophilum livida ferri æmulatione in Combefisium; sed quæ, inquit, comparatio doctissimum inter Combefisium, & ineptissimum Raynaudum; Alrementur illa Epitheta, & aptè quadrabunt.

Pag.125.126.127. Errorem Origenis statuere videtur, ut Combefilii errorem defendat, de infidelitate Deiparæ; falsum autem est, Virginem ab aliis Patribus infidelem dici: nunquid hoc non est Combefisium plurisfacere, quàm Virginem Deiparam?

Pag.128. Dicit, doctrinam Thomisticam è cœlo delapsam, à Paulo in Dionysium, Augustinum & Thomam; ab hoc in reliquos defluxisse. Ad hæc S. Doctor erubesceret, qui fictis laudibus non indiget.

Pag.128.129.130. Canum eximit culpæ, in eo, quod Lumb. errorem imposuit: Baronis error Cani error esse est.

Pag.132. Asserit, vix ullum ex SS. Patribus ab erroris omnem fuisse, unum Doctorem Angelicum nunquam errasse. Temerarium dictum, ut mitissimè loquar.

Pag.133. Ludit laudes S. Ignatii, non esse affictis fabulis; etiamne in cœlites; Baroni non placet Ignatius, quia est Jesuitarum Parens.

Pag.133.134.135. Defendit Combefisium in eo, quod S. Chrysostomo irreverenter scripsit; aitque, non licuisse Combefilio in SS. Chrysostomum & Thomam, quod Paulo in Petrum licuerat. Etiam Combefilii peccata Baro commendat.

Pag.137. In nullo Theologorum, inquit, tanta fuit eloquentia & sapientia, quanta in Cano: itane verò? ne etiam in Doctore Angelico? additque, Jesuitas mendacibus scatere & corruptissime scribere: ut vitia pro virtutibus, ita virtutes pro vitiis hic auctor tradit, cujus Latinitas à multis Jesuitis etiam ferulâ castigari potest.

Pag.139.140. Canum ita laudat, ut nullus unquam Jesuita æquè benè scripserit: rem ad examen revocatissimum, ut ajunt, reduci, Jesuitæ facilè patiuntur.

Pag.141. Exprobrat Jesuitis, quod à Spiritu Xaverii deciverint, & eorum culpa, Japonensis Ecclesia corruerit, Hæc culpa Hæreticorum fuit, & quorundam Catholicorum, qui Jesuitæ non sunt: virtutem Xaverii etiamnum Jesuitæ mirantur, eumque, si non assequi, longo tamen intervallo, sequi tentantur.

Pag.147. Invehitur in Jesuitas, quorum Philautiam, jactantiam, ostentationem, fastum, superbiam exaggerat, & vocat gloriæ mancipia. Parciùs ista viris.

Pag.148. Dicit, Scotum scripsisse tantùm de Theologia super quartum sententiarum; multum sanè versatus in Scoto; sed typorum fortè mendum est, quarum pro quatuor.

Pag.149. Catechismus Romanus, inquit, Jesuitis displicet, propter prædeterminationem Physicam, cui liber favet, & splendorem eloquentiæ, quo nitet, iisque jactantiam aufert: ex illorum, inquit, officina, nihil prodit par. Nec displicet liber, nec prædeterminationi favet. Libro stylum Paulus Manutius commodavit; cæterùm, ut jam dixi, comparationes sunt odiosæ: de libri auctoritate? jam dictum aliàs.

Pag.149.150.151. Notat aliquot propositiones quas ex auctoribus Societatis excerptas esse, dicit; sed mera calumnia est; unde nec libros, nec loca citat.

Pag.152. Damnat Molinam, eumque dicit, contra Augustinum & Thomam irreverenter scripsisse; eo quod aliqua ex prædeterminatione physica deduxerit, quæ absurda esse videntur. Nihil contra SS. Augustinum & Thomam scripsit, ne dum irreverenter; quo verò ad ea, quæ deduxit, coram examinetur consequentia.

A pag.153. ad pag.165. damnat aliquos Societatis auctores, nimirum Vasquem, Caussinum, Marianam, Raynaudum, Sirmondum, Petavium, Adamum, Martinonum, eo quod, inquit, S. August. molliant, ejusque sententiam de prædestinatione ante prævisa merita non sequantur; licet opposita hoc tempore sit communior. Illorum autem loca multiplici parenthesi dehonestat, & in alium sensum detorquet: ipse potiùs damnandus, qui tam celebres auctores damnare non timet.

Pag.180. Sine opinione, inquit Thomistica, quæ distinguit essentiam ab existentia, mysteria fidei explicari vix possunt, rem magnam narras, Vincenti Baro, sed falsam & ridiculam.

Pag.181. Vult, augmentum gratiæ non fieri, eo instanti, quo producitur actus meritorius, sed post multos etiam annos. Erroris notam huic dicto inurere non dubitem.

Pag.196. Homines illi (sic loquitur de Jesuitis) nunquam volunt admittere, suos in quopiam errasse, ab omni errore se immunes jactant, hæreses suas volunt esse bene dicta. Detulerunt tamen P. Thom. Bonartem; iisdem etiam affingit hanc propositionem, *alius Deus est possibilis*. Auctorem appellare debuisset.

Pag.197. Non debuit, inquit, ab his homuncionibus, ita Canus tractari; *Homuncionibus*, inquit, Deo gratias.

Pag.198. Defendit Cani sententiam, quod matrimonium, nutibus factum validum non sit: væ mutis, & quod Sacerdos illius Sacramenti sit minister; duabus lineis, duos errores.

Pag.199. Hanc etiam plausibilem esse, dicit, quod scilicet Christus tempore passionis, gaudio beatifico caruerit. Eandem huic notam inurendam puto.

Pag 201. Item istam Soti, quod scilicet ordo ille religionis nomen non mereatur, qui Chorum non habet. Sed ad Bullam Gregorianam provoco.

Pag.202.204.205. Valentiam insipienter loquutum esse, dicit: insipiens revera dictum. Imponit Patri Vasquez, quasi dixerit, hominem mereri vitam æternam, per actus merè naturales. Nunquam

hoc dixit Vasquez. Item Patri Salmeron, quasi scripserit, præceptum de correctione fraterna perniciosum esse, depravat illius propositionem, mutat hypotheticam in absolutam; mera igitur calumnia est; nullibi fere Salmeron solidius, imponit etiam Sirmondo; & citat in hanc rem prima Novatorum capita: Hinc sanè non mirum, si Novatoribus in omnibus favet.

Pag. 207. 211. Dicit, Amicum malè sustinere personam Catholici, eique affingit quandam opinionem singularem; cum tamen ille communi se adhærere diserte fateatur. Amicus certè Catholicus & doctus scriptor est.

Pag. 214. Dicit, à Ripalda duobus Tomis de ente supernaturali, ens supernaturale funditus destrui; novum igitur ens supernaturale Baro sibi fingit.

Pag. 215. Dicit, Gravinam contra Bellarminum antiquarum Religionum honorem defendisse, eidemque Bellarmino exprobrat, ampullosam, ut ipse appellat, Societatis laudationem, cum aliorum ordinum depressione conjunctam. Utinam deceptus fuisset Bellarminus, cum scripsit antiquos ordines à primo fervore ac spiritu defecisse.

Pag. 216. Summopere laudat Gravinam hujus facti; cum tamen ferre non possit modestas laudes à Rectore Conimbricensi Suari aspersas, & ampullosam laudationem iterum vocet; proh quam jactabûdi, inquit, quam ampulloſi sunt isti Homines, quos etiam audaciæ insimulat: Quid rei sit, satis video; prima illa capita Societatis nostræ ferre non potest: ubi doleat, omnes sat vident.

Pag. 218. Pauca Baëzæ dicta absurdissima & falsissima esse, dicit, & multa eidem imponit: Isti homines, inquit Baro denostris, nunquam volunt videri errasse, & hoc illorum cordibus insidet, sua scripta à Spiritu Sancto dictata fuisse: nunquam reverà diximus, penès nos esse regulam fidei, ut quidam alii, quos Baro novit, & scimus, nos esse homines errori obnoxios.

Pag. 219. Approbat Gravinæ dictum, ut Catholicum, quod scilicet omnes Congregationes ab omni errore immunes sint: temerarium sanè dictum, ne quid acerbiùs dicam.

Pag. 230. Lovaniensem Academiam plus æquo extollit, quasi verò in ea non fuerint Bajus, Jansonius, Jansenius, Calenus, Fromondus, Sinnichius, Pontanus, &c.

Pag. 235. Sugillat Jesuitas, atque illorum Ecclesias versas esse in solitudinem, ac proinde, præ invidia, Theophilum scripsisse opusculum de Communione pro mortuis: primum illud falsum est ubique, ut plurimum hoc fortè in votis Baroni esset; alterum verò temerè pronuntiatum & judicatum. Unus Deus cor hominis scruratur.

Pag. 236. Docet, unum pro alio vivente lucrari posse indulgentiam: nihil certè magis contra usum Ecclesiæ; addit, omnia Sacramenta delere aliquid pœnæ temporalis, ex opere scilicet operato; hoc etiam valdè novum est: nempe hoc loco agitur de satisfactione alteri applicanda.

Pag. 238. Ex eo, quod Eucharistia cibus sit sumenti, vult prodesse alteri ex opere operato. Singulare profectò dictum.

Pag. 293. Dicit, Theophilum æternam damnationem vitare non posse, saltem si Evangelio fides habenda sit: igitur de fide est, nimirum ex Evangelio, Theophilum damnatum esse; quia jam obiit; Quis novus Radamantus animos detrudit in orcum?

Pag. 245. Si S. Congregatio, inquit, Opusculum Theophili de Communione pro mortuis non prohibuisset; Theophilus brevi cultum imaginum & suffragia pro mortuis tanquam errores populares traduxisset. Temerè judicatum, & dictum malignè.

Pag. 249. & 250. Libertatem explicat modo plusquam Platonico; vultque, illius fundamentum esse unionem cum summo bono, & naturam creatam omnium perfectionum esse capacem: amorigitur beatificus liber est, quia dictæ unioni conjunctus est. Igitur homo omnipotentiæ, & infinitæ sapientiæ patiens est, &c. quæ sunt erronea.

Pag. 255. Reipsa libertatem describit, ut Hæretici, & verbis tantùm nihil significantibus ab iis differt.

Pag. 258. Excepto Deo, inquit, revelata facie viso, humana voluntas omnis necessitatis est expers, & posita judicii indifferentia, si voluntas agat, fieri non potest, etiam per absolutam Dei potentiam, quin liberè agat. Calvinus & Novatores re ipsa nihil aliud volunt, aut dicunt.

Pag. 259. Salva, inquit, judicii indifferentia, actionis dominium nunquam perit. Eodem recidit.

Pag. 262. Imponit Molinæ, quòd gratiam tantùm sufficientem admittat. Impostura notoria est.

Pag. 70. & 71. Recentiores Theologos carpit, quod scilicet nihil solidi habeant, & nihil boni ab iis speretur: utique admitti posset de ipsomet, qui recentior est.

Pag. 273. Dicit. doctrinam Vasquis rebus fidei dispendium attulisse, & scientiam mediam à Vasquio explicatam omnino chimæricam esse: nullæ in scientia media sunt chimeræ, nisi quas ipse affingit, & ut doctrina Vasquis sana est, ita & sincera fides.

Pag. 274. Doctrina Thomistica, inquit, impugnari non potest, nisi principia fidei incerta reddantur. Væ Scotistis & omnibus, qui piam sententiam de Conceptione profitentur; væ Molinistis, qui prædeterminationem Bannesianam hucusque impugnarunt. Nullus, inquit, præter D. Thomam probavit immortalitatem animæ, & reliqua omnia, quibus tota Religionis vis constat; alii quippe nulla habent principia à priori, & cuncta jejunè ac debilibus tractant argumentis. Modestam sanè & temperatam orationem; & hìc Jesuitis ampullosam jactantiam opponit.

Pag. 275. Germanos Theologiæ alumnos solos Thomistas esse, asserit; ut his fides habeatur, conducat Baro, qui credant.

Pag. 290. Ex Jesuitis unum dumtaxat Osorium Sacrum Concionum scriptorem laudandum pronuntiat. Nemo sanè doctus hujus Baronis judicio stet.

Pag. 294. Panegyricum in Collegio Germanico recitatum, etiamnum obtrudit, & negat à P. Candido recognitum fuisse. Aberrat à vero, ad fidem publicam provoco; extat enim licentia ab eo subscripta.

Pag. 296. Multa in eo exaggerat, quæ optimum habent sensum; illius auctorem insulsum Rhetorem vocat; gustum Baro depravatum habet; & nullum illi sal nisi infatuatum sapit: addit P. Alcazarem ea scripsisse, quorum Jesuitas pudet; non pudet, ita me Deus amet, puderet tamen, si Baronis more scripsisset.

Pag. 297. Fatetur, ut unum ex suis defendat, Deiparam Virginem meritò recitare potuisse Salutationem Angelicam atque Rosarium, atque adeò seipsam colere. Hæc sanè ridicula.

Pag. 300.

Pag. 300. Dicit, historiam Concilii Tridentini Pennæ avis, à Marco-Antonio de Dominis compositam fuisse, sed mendacium notorium est: compositam F. Paulus Servita, & Marcus-Antonius edidit. Quid faciet Baro in obscuris, qui adeò libere mentitur in notoriis?

Pag. 302. Describit corpus Theophili, quasi monstrosum haberetur. Fallitur, nihil monstrosum habuit, nisi dicamus, prodigiosæ virum eruditionis extitisse.

Pag. 303. Refert, quemdam Jesuitam in Hispania mortuum esse sine cruce, sine luce, sine Credo in Deum: repentina morte potuit extingui; quid tum? nunquid multi viri sancti, eandem sortem nacti sunt? addit, alteri Jesuitæ Madriti exequias persolutas esse, cum tamen alibi, ejurata fide viveret; maligna calumnia est, qua pœna digna, æqui judices videant: appellet hominem, & publicis tabulis falsitatem evincemus.

Pag. 309. Opiniones Thomisticas, Ecclesiæ traditiones appellat: hic etiam carpit Suarem ut invereundum; igitur opinio de conceptu maculato Deiparæ: item alia de prædeterminatione Physica, aliæque hujusmodi Ecclesiæ traditiones erunt. Quando porrò Suarem Baro appellat, hæc verba jure usurpare posset, *non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.*

Pag. 310. & 311. Fingit, opus Molinæ primæ editionis suppressum à Jesuitis fuisse, & aliud emendatius substitutum. In hoc etiam mentiri voluit, licet debilis publicis convinci facilè possit. Ibidem Tolnack ut suspectissimum traducit; quia, inquit, Jesuitarum erroribus campum aperit. Imprudens quæ Ecclesia, imprudens S. Congregatio, quæ operibus Auctoris suspectissimi prostare liberè finit. Laudat denique acta Pennæ, nulla scilicet decreta Pontificiorum quibus id vetatur, habita ratione.

Pag. 313. Dicit, nihil scribi à Jesuitis in quæstione de auxiliis, nisi Semipelagianorum objectiones: hoc etiam dici per Pontificia decreta, vetitum esse; alioquin Calvinistas & Novatores Semipelagianos facilè quispiam opponeret.

Pag. 314. Fide publica rerum gestarum, spectantium Europa, Historiam Pennæ dicit, abundè constare: oppositum certè fide publica constat. Molinæ liber absque inusta nota legitur, absolutus igitur non fuit.

Pag. 316. Imponit Theophilo, quod Sotum vetustum appellet. Falsum est, citari locus non potest: dicit verò, Toletum commentaria in Aristotelem scripsisse Sotii manuscripto furatum fuisse. Toletum eum furatum calumniarum participem Baro esse vult. Sed hæc sibilis explodenda.

Pag. 317. Imponit P. N. Generali, cujus scilicet jussu, inquit, Theophilus in carcerem conjectus est. Vocat refert & somnia; quis unquam hoc dixit, vidit?

Pag. 318. Religio Dominicana, inquit, est Ordo sanctus; ita est, summoperè gratulor, nulla tamen generalis regula absque aliqua exceptione; Vincentium Baronium hujus quidem Ordinis, non tamen hujus dignum esse.

Pag. 319. 320. Jesuitas falsiloquos vocat: nobis tale nomen imponere vellet, retineat sibi; nullus enim nuspiam magis falsidicus, aut falsiloquus, imò blasphemus. Alios etiam Ordines deprimit, ut suum tollat.

Pag. 323. Fingit nescio quem Jesuitam, in Indias ante missum, reducem, in templum visum ingredi, eo prorsus tempore, quo ejus martyrium concionator summis laudibus prosequebatur: sed plusquam anilis fabula, Theophilum perperam Baro paulò ante, *pag.* scilicet 317. unam dumtaxat maledicendi artem callere dicebat; sed Baro præter hanc, fingendi artem optimè callet.

Pag. 325. Ripaldam carpit, in gratiam illorum, contra quos ille optimè scripsit; non verò, ut ait, contra Academiam Lovaniensem.

Pag. 328. Jesuitæ solent, inquit, suos quamvis inferioris conditionis, tollere in astra; submissè, ut plurimum, de suis Jesuitæ loquuntur, sed Baro illos suis convitiis longè altius evehit.

Pag. 329. 330. Savonarolam ex professo defendit, habetque pro sancto, certo & indubitato; Delrium verò & Petavium, imò & Jesuitas hoc loco perstringit, in gratiam sui Savonarolæ, quem à Jesuitis hostili animo impetitum fuisse dicit: Romani Pontifices non verò Jesuitæ hominem illum damnarunt, & devoverunt flammis, antequam Societas nasceretur.

Pag. 335. P. Eusebium Nieremberg, aliosque Jesuitas, falsorum miraculorum fictores esse dicit: eodem jure, nempe gratis, citra omnem probationem dicere posset, Jesuitas esse reos læsæ majestatis, aliorumque atrocissimorum flagitiorum.

Pag. 346. Cirat acta Congregationum de auxiliis, & vult, per decreta Apostolica, illud unum cautum esse, ne quis asseveranter affirmet, quæstionem illam fuisse formiter definitam. Nihil certè à commemoratis decretis magis alienum; nec est, quod ibidem Ripaldam & Hennao violatæ legis insimulet, nempe hi scripserant antequam decreta illa ederentur. Carpit etiam Jesuitas, quod D. Pennam tanquam hostem traduxerint, postquam acta illa, seu Chronologiam, ut vocat, publicasset, cum tamen ante pro hoste illum minimè haberent. Huic auctori solemne est, in notoriis mentiri & calumniari ad majorem calumniæ pompam.

Pag. 349. Imponit Theophilo, quod librum illum de immunitate Cyriacorum à Batavis recudi procurarit; cum tamen oppositum notorium sit, liber enim nunquam recusus est.

Pag. 357. Asserit, personam Pozæ damnatam fuisse; & imponit Jesuitis, quod dicant, ejusdem auctoris opera injustè fuisse damnata. Nunquam audivimus personam damnatam esse; opera quidem pro damnatis habemus, quod vero injustè damnata fuerint, nemo unquam dixit, appellare quempiam debuerat; sed, more suo, de veritate parum sollicitus, cuncta impunè in chartam projicit.

Pag. 354. Jesuitis acerbè insultat, omnem fidem iis abrogat, etiam dum scribunt de rebus spiritualibus, & in iis desiderat prudentiam; atque, ab iis negari res evidentissimas Sole clariores, laborare illos studio partium, & summam injuriam Cardinalibus irrogare: vos, inquit, Jesuitas alloquens, nullum ex vestris errasse constanter asseritis. Rem sanè lepidam, credit Baro calumnias, quas ipse Jesuitis affinxit, sine summa Cardinalium injuria, refelli non posse, nec expostulari de iis, quæ interdum à nonnullis, qui eodem quo Baro spiritu ducuntur, per manifestam injustitiam, Jesuitæ patiuntur.

Pag. 355. 358. Imponit Jesuitis, quasi dicant, nullum ex antiquis sensisse pro Conceptione immaculatæ; imò contrarium semper dixerunt, scripserunt, publicarunt, & tandem Alexander singulari constitutione, hunc esse veterem Ecclesiæ sensum

disertè confirmavit. Ibidem Labatam perstringit, ac Jesuitis audaciam exprobrat & mendacia, vellet sui similes Jesuitas esse; nullum enim auctorem invenies, qui majorem audaciam præ se ferat, & tantam mendaciorum vim profundat.

Pag. 375. Invidia & livor, inquit, altas radices egerunt in cordibus Jesuitarum. Credat mihi, invidia passiva potiùs quàm activa Jesuitæ laborant: atque hæc deinde subnectit, in Paulum & Augustinum truculentas linguas injecerunt, & Thomæ non pepercerunt. Quorsum hæc? quia iis erroribus subscribere noluerunt quos Augustino, & Paulo temerè aliqui affingunt, nec prædeterminationem Physicam admittere, quam Baro & recentiores aliqui Doctori Angelico attribuunt, hæc sunt Jesuitarum delicta.

Pag. 382. Dicit, ea, quæ in Breviarii lectionibus continentur, certa esse & indubitata: nonnulla tamen identidem expungi jubentur, ut commentum illud de S. Catharina Senensi, quam aliquis, per assentationem, in Burghesianam familiam ascriverat, aliaque hujusmodi.

Pag. 383. Multi, inquit, aliqui, eaque non contemnenda argumenta proferunt, quibus ostendunt, S. Franc. Xaverium ex Societate JESU non fuisse: sed hic homo ad P. Bartolum remittendus, ut pro meritis, cum hujusmodi impostoribus excipiatur: parum abest, quin dicat, S. Ignatium ex Societate non fuisse: & vero, satis insinuat, *pag.* 387. ubi dicit, Constantinum Cajetanum, qui S. Ignatium conversum Benedictinum extitisse somniaverat, non aliter, quàm injuriis & contumeliis à P. Joanne Rho refutatum fuisse; hic etiam, ut P. Rho incredibiliter deprimit, ita Constantinum summis laudibus extollit; & hæc Baro studio veritatis, Moralis Theologiæ restaurator.

Pag. 392. Omnes Societatis Scriptores, inquit, in Bzovium hostili animo feruntur, ob prophetiam Sanctæ Hildegardis, ab eo, in annalibus, Jesuitis applicatam: hostilis abest animus, sed manifesta menda, quis ferat in publico historico? quis autem illum constituit Prophetarum, & Prophetiarum Judicem? Canus in eodem argumento præluserat; Bzovius exscribere voluit, ne fideles deessent Cano successores.

Pag. 393. & 396. Combefisium defendit, & impensè laudat illius librum, de historia Monothelitarum: sed hic liber notatus, confixus & damnatus fuit: hoc quidem Baro fatetur, non tamen, inquit, propter aliquem errorem; quamobrem verò, libenter ex Barone intelligerem. Addit autem, in exponendis Patribus Græcis, omnium aliorum fidem suspectam esse; at in uno Combefisio nihil prorsus desiderari, nec diligentiam, nec eruditionem, nec fidem; hæc maximè desideratur, præter Christianam modestiam, & alia multa.

Pag. 397. Mentionem facit Theatri Jesuitici, & eorum, quæ in eo continentur, seu vera sint, inquit, seu falsa: librum appellat incredibili calumniarum, fabularum, & falsitatum colluvie scatentem.

Pag. 398. Jesuitas vocat delatores & testes falsi criminis, adversùs Dominicanos: expostularunt dumtaxat Jesuitæ de calumniis sibi afflictis à paucis Dominicanis. Quod autem addit, *pag.* 406. Jesuitas bellum ubique in Thomistas movisse, & librum de immunitate Cyriacorum maxima illorum omnium alacritate sparsum fuisse; est potiùs, quod de paucis Thomistis queramur; quis enim nescit, bellum ab iis motum; vix pauca reponere nobis licuit: librum de immunitate nunquam pro suo Societas agnovit; non nego, paulò acerbiorem esse, & aliqua omitti debuisse; hoc tamen non probat, omnia & singula in eo contenta esse vitiosa; nec candor lilii obtinuit unquam, inultis scilicet notis obductus, vel aspersus, ut notæ illæ expunctæ manerent.

Pag. 407. Nihil à Jesuitis omissum est, inquit, ut in D. Thomam aliquid ex cathedra statueretur. Nihil unquam tale à Jesuitis admissum, Doctorem Angelicum non venerantur modo, verùm etiam doctissimis commentariis illustrarunt: horrent quidem Novatorum hæresim, Deiparam absque macula conceptam prædicant, & nullo modo probant, sed omnino rejiciunt prædeterminationem Physicam. Ibidem etiam librum Episcopi Placentini pro defensibilitate immaculatæ Conceptionis scriptum, perperam notat.

Pag. 408. Dicit, nullum esse Jesuitam, qui servet præceptum Apostolicum, quo cavetur, ne quis scribat in materia de auxiliis; quam appositè trirumilud huc quadrat, *Clodius accusat Mœchos, &c.* ab eo tempore scripserunt multa volumina pro sua sententia Adversarii, ea profectò libertate, quâ major excogitari non potest; nostri fere nihil de hoc argumento; unum, vel alterum Suaris volumen manuscriptum, Bibliopola Lugdunensis, nostris minimè conscius, in Hispania, numerata pecunia, emptum ab hæredibus Bastidæ, Lugduni edidit: imò sæpius nostris negotium aliqui facessere visi sunt, decreto illo extenso ad scientiam mediam; & non defuit anno præterito Mediolani, qui mera verba Tridentini in Thesibus, typis mandari vetuerit; vera retero, ita me Deus amet.

Pag. 409. Thomistæ habent, inquit, insuperabilia argumenta contra scientiam mediam; nullum hactenus nisi satis debile sensimus; sæpe amantes sibi somnia fingunt; risum certè continere non possum, cum in mentem venit rancidum quoddam argumentum, à nonnemine pro indissolubili habitum, cui tamen vix in topicis locum darem.

Pag. 410. Argumentum illud, inquit, redegit ad angustias & agoniam Cardinalem Delugo, cujus subtilitas desinit in aristam quæ & futilis & absurda est, & specie impietatis non caret: itanè P. Vincentius eminentissimum & doctissimum scriptorem futilem, absurdum, & impium vocat: credat mihi Baro, argumenta illa contra scientiam mediam ad commiserationem potiùs vel risum, quam ad agoniam vel stomachum movent.

Pag. 411. Bellarminus, inquit, præmotionem Thomistarum in prima suorum librorum editione defendit, sed deinde illam, Superiorum jussu, in posterioribus rejecit. Oppositum moriens denunciavit, ut testatur, qui præsens aderat, Pater Eudæmon Joannes: & verò notorium est, Bellarminum prædeterminationi Physicæ contrarium semper extitisse; & dicta illa, quæ circumferuntur ad Clementem, notoria.

Pag. 412. Dicit, Pelagium agnovisse gratiam intrinsecam supernaturalem; sine teste, nihil volo tales; sed condonandum homini, qui Pelagianos à Semipelagianis distinguere nescivit.

Pag. 413. Dicit, Calvinistas, & alios non falli, cum Jesuitas Pelagianos appellant: facile esset, reponere, sed abstineo; ergo illos Sedes Apostolica, post diuturnam multorum annorum disquisitionem, ab errore immunes pronunciavit, licèt Pelagiani essent? addit ibidem 5. Propositiones in sensu Catholico,

tholico, admitti posse; sensum igitur Catholicum habent, eumque Jansenii; nec enim alium intelligendi in hoc sensu damnatæ fuerunt.

Pag. 414. Jesuitæ, inquit, Hæreticos extra Ecclesiam esse, quàm intra Thomistis accedere; absit, ut Hæretici cum Thomistis conjungantur; inde certe Christo suo non modicam infert injuriam.

Pag. 415. Mirificè celebrat acta Congregationum de auxiliis, haud parum injuriosus in decreta Apostolica.

Pag. 417. Approbat & laudat illa omnia, quæ Mariales contra Baëzam scripsit, dignum certè patella operculum.

Pag. 418. Societatis scriptores, inquit, dicunt, à Bellarmino taxat Hæreticos debellatos fuisse: nullus unquam hoc dixit, in hoc tamen Jesuitæ partes suas debeberi non patiuntur, nec ut spero unquam patentur.

Pag. 419. Approbat item illud à Mariales dictum; nimirum licere, per constitutiones Societatis, sigillum confessionis solvere, luculentum, seu lutulentum mendacium est.

Pag. 420. Carpit Ludovicum Carterium, quod duo Canis loca depravarit, cum tamen ipsissima Canis verba is adduxerit; eaque Italico charactere descripta, ad majorem distinctionem.

Pag. 421. Physicam prædeterminationem, aliasque Thomistarum opiniones nunquam casuras, certumve esse constanter asserit, cum Alexander VII. B. M. inconcussa SS. Augustini & Thomæ dogmata pronunciarit. Certum, inquit, quamvis alioquin multum dubium restet: nam 1. dubium est, an multæ Thomistarum opiniones inter ea dogmata SS. Augustini & Thomæ recenseantur, ita prorsus Jansenii errores suos Augustino affingere non cessant, quos prædeterminatio Physica Doctoris Angelici non sit, omnes præter Thomistas docent. 2. dubium est, quidnam per illa dogmata intellexerit Alexander, qui nunquam Breve illud privatum vidit, ut non semel Patri Francisco Wanderveken (cujus suo significavit, & nihil aliud intelligendum esse subjunxit, nisi sententias dogmaticas, ad fidem scilicet pertinentes ab Ecclesia approbatas; hanc ejus mentem à dicto P. Francisco me accepisse, sincerissimo, & sanctè juro; & verò nemo vel semidoctus dixerit, his duobus verbis insertis literis principis Papam voluisse, ut indubitata declarasse illa omnia quæ in 10. grandioribus tomis Augustini, & Thomæ continentur.

Pag. 436. Jesuitæ, inquit, volunt conscendere in loca Dominicanorum iis non debitum: malunt contemnere Christi consilium, recumbere in novissimo: dignitates ex singulari voto, directè vel indirectè ambire non possunt: addit autem, Laynez, Salmeronem in Concilio Tridentino honoratiorem locum ambiisse: palmarem calumniam ex Fra Paolo Sfavis damnata historia maluit excerpere, quam sinceram ex historia Palavicini accipere veritatem: duos certè, ut piissimos, ita doctissimos Patres, eosque Pontificios Theologos hic Canista vetus Scriptor Thomista, allatrare non debuerat. Superbiam tamen Jesuitas omnes hoc loco insimulat: sed frustra, Medice, cura te ipsum; nec enim tam superba tibi unquam dictavit, aut suggessit Christus humilitas.

Pag. 438. Multa Jesuitis imponit atrocia: nimirum, quod eorum Missionarii inhiantes avaritiæ, in Mercatores & Tyrannos evaserint, populos vexarint, Episcopos conculcarint, & navibus impositi in Europam ex India remissi fuerint. Mercatores animarum & Evangelii nos esse fatemur, & grandem profectò thesaurum apud Barbaras gentes invenimus; nimirum crucem Christi, supplicia, martyria, & animas, quas Christo lucramur; populos non vexamus, sed populi ab æmulis excitati sæpe nos vexant; non conculcamus Episcopos, sed ab iis interdum, nulla nostra culpa, conculcamur; exempla omitto quæ sunt notoria; dicere porro debuerat, quam ob causam, nostri ex Brasilia semel à Prorege remissi fuerint, & quomodò jussu Regis, qui Prorogis factum damnavit, eò nostri cum maximo honore redierint: non censemus Patrimonii Societatis nostræ loco, dignitates, honores, honorifica munia, sed cruces, opprobria, persequutiones, aliaque hujusmodi, in quibus præsertim gloriamur.

Pag. 443. Jesuitæ, inquit, his triginta annis, multos viros sanctitate, ingenio & eruditione illustres vexarunt; scio, quos intelligat Scioppium, Abbatem Sancigiranum, aliosque hujus furfuris homines.

Pag. 450. 451. Valdensem, insignem profectò Scriptorem, Thomæ de Albiis æquiparat, infra quem Theophilum longè deprimit; hujus tamen Thomæ opera omnia singulari nota à Sede Apostolica confixa fuerunt.

Pag. 452. In S. Bernardinum valde injurius est, quem innuit, S. JESU nomen populis adorandum proposuisse, pari cultu cum Eucharistia; quasi verò S. Bernardinus cultum absolutum à respectivo minimè distinxerit.

Pag. 458. Repetit, quæ jam aliàs dixerat, nimirum, S. Ignatium librum exercitiorum Garciæ Cisnerio furatum esse; ita sæpè redit importuna musca.

Pag. 459. 460. 461. Lessium atrociter carpit, novitatis insimulat, atque, illum à tramite Patrum recedere, ad rationem humanam res fidei reducere, & de arcanis fidei mysteriis minùs reverenter loqui: in virum vitæ sanctimonia & singulari doctrina præditum, hæc minimè quadrant: sententiam illam de prædestinatione ad gloriam, post prævisa merita, Lessius docuit, quam S. Franciscus de Sales per literas, quarum apographum authenticum, penès me est, ipsi gratulatur, additque illam semper sibi placuisse, ac verissimam visam fuisse; propterea Baronium acriter in eum invehitur, eumque lapidat de opere bono.

Pag. 463. Exprobrat scenicas Jesuitis jactationes, quasi Molinam Banneso anteponant, longè tamen illi postponendum; sed omnis comparatio odiosa; erit, cui unus, erit, cui alter magis placeat; falsissimum porro est, quod ibidem subnectit, Molinam domesticam emendationem passum fuisse; prostant hodienum, primæ editionis exemplaria, quibus Baronium manifesti mendacii convincitur. Quod autem ut habet *pag.* 464. Jesuitas auctoritate, qua valent, Molinam censuræ subduxisse, ridiculum est; cum sciant omnes, cui parti Clemens VIII. Cardinalis Aldobrandinus, Orator Regis Catholici, aliique optimates faverent; cujus rei Eminentissimi Perronii literæ plenam faciunt fidem.

Pag. 465. 466. Confirmat ea, quæ à Mariales contra Bellarminum scripta fuerunt; utpotè, inquit, ab opinione communi non aliena: addit Bellarminum in Hispania prohibitum fuisse, eumque validissimis Hæreticorum argumentis debiliores solutiones opposuisse, cujus rei testes appellat Perronium, Bentivoglium, Chiamerium, (hic erat celebris

Minister

Minister Calvinistarum) sic lunam canes allatrant, & Baro splendidum Ecclesiæ sydus, sed quid tandem his convitiis & calumniis Baro? nihil certè, nisi quod Bellarmino nihil prorsus gloriæ detrahit, dum ipse mortalium maledicentissimus censetur.

Pag. 467. Probabile est, inquit, Delrii librum malum docere, non arcere; an quæso probabilius? auctorem istum Baro & pauci ex sociis nunquam ferre potuerunt, causa in promptu est: sed omitto, illud unum dico, Delrium doctissimum esse scriptorem, qui malum non docet, sed arcet: oculi livore perfusi nihil sincerum aspiciunt.

Pag. 468. 471. 472. Sugillat & carpit Suarem, quem ob censuram sui libri præcipitem actum esse in sepulchrum asserit; quot verba, tot mendacia: Suaris liber confixus non fuit, vocatus auctor, Pontifici fecit satis; jussus tandem duas sectiones grandis voluminis, ne quis inde imprudens errandi occasionem caperet, supprimere ex parte: decreta porro illa, quibus confixus Suaris liber dicitur, edita fuere anno 1605. & ipse Romam ante vocatus anno 1602. obiit autem anno 1617. longo igitur 15. annorum morbo, si superis placet, ex memoratis decretis contracto diu vexatus, tandem obiit, quod certè à veritate alienum esse notorium est; cum reverà ad annum usque 1617. prospera satis valetudine fuerit, & indefessus grandia illa, quæ restabant, volumina perfecerit, quo tandem, cum satis superque pro vindicando Ecclesiæ jure, quà virtute, quà ingenio laborasset, in maxima illa & turbulenta controversia, inter legatum Pontificium & Regios Senatores Olyssipone orta, hisce novis laboribus fractus, mortalem hanc vitam cum æterna commutavit; prout in ejus vita, & alibi.

Pag. 473 Casum moribundi absolvendi, uti præscribitur in Rituali Romano, perperam suo modo explicat; defendit ibidem Mariales, eo quod acta Congregationum citarit, quod tamen per decreta Pontificia vetitum est, & ut Marialem superet, addit, acta illa publica traditione contineri: viderit S. Congregatio, quæ citari ea vetuit, licèt publica traditione contineantur, saltem si huic Baroni credamus.

Pag. 474. Recantat cum suo Mariales plusquam anilem illam fabulam de Valentia, ad Clementis pedes corruente, ac paulò post ex mœrore moriente; quæ tamen toties fallitatis convicta est; sed nihil refert, fabulam repetere juvat: addit ibidem, duos Pontifices à sententia Molinæ alienos fuisse; cur igitur illam minimè notarunt? denique ferre non potest modicas laudes ab Auctoribus Patri Vasquez aspersas, & illas per sarcasmum ampullosas vocat.

Pag. 475. Patrem Vasquez diversimodè ludit, & valde deprimit, ac dicit, debilem esse, in suis opinionibus confirmandis, & ab eo gravissimas Theologiæ quæstiones ad entia rationis reduci; jurarem doctissimum & acutissimum istum auctorem à Barone nunquam lectum fuisse, aut certe non intellectum; quid porro Pygmæus ad Herculem? Ibidem Suarem aliosque Societatis Scriptores sugillat, prædicitque, nullum unquam fore in cujus verba quæpiam Universitas juret: absit, ut juremus unquam in verba cujuspiam hominis errori obnoxii.

Pag. 477. Petavius, inquit, permissus non fuit de gratia scribere, ne doctrinam Societatis à doctrina Augustini diversam esse profiteretur. Hæc Baro scribit, perinde atque si hujus consilii auctor, vel particeps extitisset; non scripsit de gratia Petavius, ut decretis Apostolicis obsequeretur, quæ tamen Baro impunè violat.

Pag. 479. Valerianum magnum summoperè laudat, eumque cum omnibus viris doctis & sanctis, multa injusta & gravissima à Jesuitis passum esse, dicit; nihil sanè ille à Jesuitis, sed multa Jesuitæ ab illo, ut videre est in adjuncto opusculo. Quinam porro sint viri illi docti & sancti, Baro nobis indicare debuerat; ii fortè sunt, Jansenius, Baius, Aurelius, Synnichus, Scioppius, aut certè Canus, Bannez, Peredus, aliique jurati & aperti Societatis hostes. Quod verò addit, Ruinum, Incofer, & Azor malè habitos esse à Societate, eo quod doctrinæ Thomisticæ addicti essent, vanum commentum est: Ruin. & Azor nihil unquam à Societate passi fuerunt, ut videre est in Bibliotheca scriptorum nostrorum apud Alegamben; Incofer nonnihil sub finem, sed alia longè de de causa, ut notorium est.

Pag. 480. P. Balthasarum Alvarez, hominem sanctum, Martyrem domesticum vocat; & hæc homo religiosus scribere non dubitat de piissimo viro, quem Societas universa benignè semper complexa, imò & venerata est. Addit ibidem, Jesuitas alienas domos, reditus, Abbatias, ea, qua pollent, apud Reges auctoritate, sibi arrogasse, & hæc ex Valeriano: palmaris autem calumnia est & crassissimum mendacium, Jesuitas involasse unquam in alienas domos, quomodo raperent aliena, qui vix sua servare didicerunt, quod certè nobis Alexander VII. vitio vertere solebat?

Pag. 481. Flebiliter expostulat, viros doctos & pios, nimirum Jansenistas, inauditos, indefensos, in varias regiones relegari, hoc solùm nomine, quod Jesuitis non placeant; & ex partium studio, ac livore fieri, asserit, ut contra omnem juris rationem & usum, inauditi, qui legibus publicis parent, amoneantur: loquitur de quibusdam, Regio jussu relegatis; unde patet quantum iis faveat auctor; quasi verò constitutiones Ecclesiæ in materia præsertim fidei leges publicæ non sint; iis tamen illi non parebant. Miror sanè, qua audacia, hic auctor Romanos Pontifices, Regem Christianissimum, & Reginam injustitiæ accuset.

Pag. 483. & 488. Sancti Ignatii vita ab Eusebio Nierembergo scripta, inquit, quædam continet, quæ in processu canonizationis falsi convicta fuerunt; multas autem ineptias, & nihil prorsus, quod spongia non indigeat; illud præsertim celebre actutum, *ego vobis propitius ero*, quod S. Congregatio Rituum, non modò non approbavit, sed omnino rejecit ut falsum: hæc non solùm in sanctum injuria, verùm etiam in S. Congregationem, quæ licèt dictum illud non approbarit, non tamen, ut ait Baro, ut falsum rejecit, aut falsi convicit: nullus profectò Hæreticus in S. Cœlites inverecundiùs grassatur. P. Joannem Rho ibidem carpit, ejusque librorum censuram summum in Societate beneficium fuisse, asserit; ex quo satis insinuat, plurimùm Jesuitis timendum fuisse à Constantino & Castaldo: provoco ad Doctorum oculos & judicium, nonnihil fortè acrioris styli in libris P. Joannis Rho deprehensum & castigarum, quod enim ad susceptum argumentum & S. Ignatii defensionem pertinet, nihil prorsus in iis desideres, cum rem omnino confecerit. Subnectit demum, Jesuitarum aures falsis & absurdis assuevisse; ita est Baro, cum tua scilicet commenta auribus excipimus.

Pag. 484. 385. 487. In libro Ludovici Syderei, sub cujus nomine, P. Vincentium Caraffam, Præpositum Generalem Societatis agnoscit, multa erro-

nea

nea continerì dicit, eumque tot erroribus, falsis & abhinc retro dicit, ut Jesuitis indecorum fuerit, veterum auctorem manifestare? ejusdem etiam Patris sanctorati apertè obloquitur, & Bartolum nostrum increpat, quod in illius vita à se scripta eum plus æquo laudarit. Laudes hominibus Societatis asperendè accipit, atque si aliorum convitia essent: sed dic mihi quæso, Vincenti Baro, vel Jesuitæ novellas vel non noverant, si primum, cur eos probant absurdos illos & falsos errores (sic enim appellas) in opusculo illo viro passi sunt? si verò alterum, igitur alia de causa nomen auctoris suppressetum, quam à piissimo illo viro passi sunt? si verò alterum, igitur alia de causa nomen auctoris suppressetum, igitur alia de causa nomen auctoris suppressetum, igitur alia de causa nomen auctoris suppresset

Pag. 539. Nunquam, inquit, decora Ordinis Dominicani Societas adæquabit; hæc flores dumtaxat & folia, ille fructus uberrimos tulit: Societatem nostram pro minima semper habebimus cum S. Patriarcha nostro Ignatio, nec unquam illam aliis Ordinibus æquiparandam esse ducemus, ne dum sanctissimo Prædicatorum Ordini; quod autem illa flores tantùm & folia, nullos tamen fructus hucusque tulerit, dare non possumus, quia constitutiones Apostolicæ apertè refragantur. Paulus III. in Bulla quæ incipit, *Cū inter cunctas*, hæc habet, *attendentes ad fructus uberes, quos in domo Domini hactenus produxistis.* Idem in Bulla, quæ incipit, *Licèt debitum*, hæc dicit de Societate, *velut ager fertilis in Domino multiplices atque uberes fructus animarum ad summi Regis laudem & fidei incrementum attulit.* Julius III. in Bulla, quæ incipit, *Exposuit debitum*, testatur, *spiritualem animarum fructum ex Societate crescere.* Paulus IV. in Bulla, quæ incipit, *Etsi ex debito*, ita loquitur, *attendentes quantum in Ecclesia Dei hactenus fructum Societas attulerit.* Pius V. ita Bullam unam incipit, *Innumerabiles fructus, quos benedicente Domino Christiano orbi Societas Iesu, &c. hactenus attulit*; Alteram verò in hunc modum, *Dum indefessa considerationis intuitu perscrutamur, quantam Reip. Christianæ utilitatem attulerint dilecti filii Societatis Iesu.* Omitto alias Romanorum Pontificum amplissimas testificationes, ut Gregorii XIII. qui Jesuitas *fructiferos palmites* in vinea Domini vocat, *qui uberrimum fructum attulerunt. Fructuosam* item *illorum operam*; item *mirificos in agro Domini fructus* ab ea religione *tantopere utili productos.* Item Gregorii XIV. qui in Bulla, quæ incipit, *Ecclesiæ Catholicæ*, hæc habet *illius*, de Societate loquitur, *vel turbationem ad commune Ecclesiæ damnum, vel pacem & integritatem ad ejusdem utilitatem maximè pertinere putamus.* Addi potest hæc insignis commendatio, qua singularem Bullam Paulus V. in hunc modum incipit, *Quantum Religio Societatis Iesu in Ecclesia, ad fidei pietatis & religionis augmentum, profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Resp. novit universa.* Omitto innumera ferè diplomata Apostolica in quibus Romani Pontifices idem testantur, etiam hodienum, ut videre est in recentibus literis Apostolicis ab Alexandro VII. ad Serenissimam Remp. Venetam, pro restitutione Jesuitarum scriptis. Unus tamen Baro & novatores secus sentiunt, & flores tantùm non fructus, Societatem tulisse omni asseveratione affirmant, sed nullius aut dubiæ fidei hominibus nulla debetur fides.

Pag. 545. Theophilus, inquit, Doctorum & Academiarum suffragia dolo captavit, & contra Rom. Ecclesiam sollicitavit; vellem, diceres, quo dolo; eadem suffragia postea edidit, nemine ex iis refragante: deinde quid quæso in his contra Remp. Romanam? denique nunquid liber priori censuræ ac notæ subductus, per decretum sanctæ Congregationis; postquam scilicet Theophilus denunciasset, illud martyrium per pestem pro certo martyrio à se non adstrui, sed tantùm probabili, quod nullo modo satis est ad publicum cultum indicendum.

Pag. 546. Addit, ejus librum, seu verius libellum de Communione pro mortuis, Arianorum & Lutheranorum hæresim sapere; restitutus tamen fuit à S. Congregatione paucis detractis, idque singulari decreto, an fortè illud in gratiam Arianorum & Lutheranorum?

Pag. 555. Nihil Calvinus, inquit, atrociùs scribere potuit, quàm Theophilus, qui Romanos Pontifices & Ecclesiam conspurcavit: dictum profectò gravissima nota dignum, vix ipsi Calvino condonandum.

A pag. 544. *usque ad finem*, refert ea, quæ Thomas Hurtado contra Theophilum scripserat in libro à S. Congregatione confixo; undè temerè addit, *pag.* 568. doctrinam Hurtado *in dicto libro* contentam à S. Congregatione non modò approbatam, sed pro sua receptam; cur ergo illam damnavit?

Pag. 576. Carpit P. Joan. Ant. Velasq. eo quod paucis laudibus Theophilum obiter ornaverit: Baronis stomachus nihil mite, vel humanum concoquere potest.

Pag. 577. Theophili doctrina, inquit, de Martyrio per pestem, eo fine ab eo inventa, & publicata fuit, ut Societatis suæ Martyres multiplicaret. Quid temerè judicas fratrem tuum Vincenti Baro? quasi verò Societati desint iique magno numero, qui pro fide & religione sanguinem fuderint, ut ipse Pius V. testatur his verbis, ex Bulla, quæ incipit, *Cum indefessa*, excerptis, *ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprii sanguinis prodigi martyrio voluntario se supposuerint.* Sed in re notoria, diutius hærendum non est: imò vel ex hac Baronis, falsa licèt conjectura, manifestè sequitur, multos ex nostris eò charitatis ardore flagrare, ut pestifera lue correptis ultro adsint; quare laudare potiùs charitatem nostrorum, quàm falsò putatam eorumdem ambitionem carpere debuerat, parum abest, quin aliquid saltem innuam quod ad res majoris Britanniæ pertinet, sed abstineo, charitatis ergo. Alia quàmplurima his similia à me omissa sunt, cum eadem hic auctor pluries repetat; unum tantùm subnecto à me observatum, Baronem scilicet in multis capitibus, cum novatoribus convenire, quæ breviter indico.

1. In stylo, qui licèt inæqualis sit, ædemtidem tamen floridè & eleganter, non ulto quidem, sed vi quadam fluere videtur, & hæc omnium ferè Hæreticorum singularis laus est. Quid enim Calvino elegantius, Melanchtone latinius? &c.

2. Quinque propositionibus ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnatis sensum Catholicum attribuit.

3. Præ se ac suis reliquos omnes nihili ducit.

4. SS. Augustinum & Thomam semper habet in ore, sæpe attestatus, doctrinam suam damnari non posse, nisi Augustinus damnetur, hic autem damnari nequit, cum doctrina Augustini Ecclesiæ doctrina sit.

5. Omnia gesta negat, si Jesuitis favent, quantumlibet vera & si favent suis, adstruit omnia ficta & falsa.

6. Depravat auctorum loca, & falsa iis affingit.

7. Declamat, plenis buccis, contra miseros Casuistas, ridetque passim Escobar, cum suis 4. Animalibus, & 24. Senioribus.

8. Jesuitas convitiis & probris cumulat, multas attexit fabulas, quibus eos ridiculos, seu ridendos præbeat, affingit crimina, exaggerat illorum opiniones, insimulat Pelagianismi, congerit denique, quidquid Hæretici, vel Politici, vel Æmuli contra illos ante scripserunt.

9. Defendit Nolanum, Reginaldum, alioque suspectos, & Combefisium, & quosdam alios ejusdem generis miris laudibus prosequitur.

10. Extenuat auctoritatem Sedis Apostolicæ & Ecclesiæ, atque, non posse ab ea definiri quæstiones disputatas,

diligentias, neces, quæ ad factum, & materiam Sacramentorum pertinent, & nihil aliud, nisi quod verbo Dei continetur.

10. Graviter expostulat de Principibus, qui à Jesuitis inducti, viros pios, doctos, & legibus communitos obtemperantes ab officio removent, & in vacuas ablegant Provincias, ut fecit Rex Christianissimus, eò duntaxat nomine, quòd ii doctrinæ Jesuiticæ adhærere nolint.

11. Libertatis naturam ita explicat, ut velit, posito judicio indifferenti, actum voluntatis liberum necessariò sequi.

12. In Jesuitas invehitur passim, eò quòd D. Aug. doctrinam, inquit, rejiciant, atque pessundent, & S. Doctorem irreverenter excipiant.

13. Nimiam Jesuitarū potentiam & auctoritatem deplorat, fugillat etiam Regū & Principum Confessarios, eò quòd ad regulas Evangelii non attendant.

14. Illis verborum colluvies, convitiorum scil. omnis generis, & calumniarum; mira quidlibet audendi fingendi & scribendi licentia, nec non parum Christiana verbositas laxatis & aculeis distincta, hæc inquam Baronii familiaria & quasi nativa. Sed ut tandem concludamus, sex aut septè considerata capita de hoc argumento, quæ fortè tibi grata accident, prioribus jam alibi à me adjuncta, hîc etiam subnecto.

I. Nunquam probatum fuit, Theophilum auctorem fuisse illius libri, de quo agitur; aut esse blasphemum, impium, calumniatorem, aut falsa esse illa omnia, quæ ibi adducta fuêre, cùm multa vel notoria, vel publicis typis mandata essent. Nec opponi potest, quòd S. Thom. blasphemus exiterit, quia de illo semper honorificentissimè loquutus est; hoc unum ferre non potest, nimirum S. Thom. esse regulam fidei, quod haud dubiè hæreticum est; cùm reverà S. Doctor non-nullam ipse à veritate aliena, v.g. de dispensatione Sacramentorum, de intentione ministri Sacramentorum, de irregularitate ex homicidio, cum moderamine inculpatæ tutelæ patrato; sed illud præsertim ex 1. tom. 2. in corp. art. excerptum: *Dicendum est*, inquit, *ad eamdem fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines præter solum Christum ex Adam derivatum originale contrahunt.*

2. Doleo quidem, & fateor ultro, Theophilum, cujus libri auctor est, justo acerbiorem & mordaciorem fuisse; ab eo agendum fuisse verecundiùs cum hominibus, quos ipse honore & cultu prosequi debuerat, ac præsertim cum R. P. Generali, & R. P. M. Vasquez, item ab eo nonnulla singularia, facta, aut dicta novarum discordiarum semina omittenda; ne propterea tot immania convitia, tot calumnias & contumelias in eum retorquere licuit; nonne in hujusmodi moderamen inculpatæ tutelæ servandum est? Quisquil hoc non est maledictum reddere pro maledicto, idque cum multiplici fœnore? an propterea potuit Baro tam multa & gravia illi affingere, et in debuit homo eruditissimus, tot ac tantorum librorum auctor pro ignorantissima pecude; piissimæ religiosæ disciplinæ retinentissimus, pro impudente & sycophanta, immo pro damnato reo, pro Atheos; ingenuus scriptor, pro plagiario & fur; egregius denique sanctæ Sedis, & Catholicorum dogmatum defensor, pro acerrimo ejusdem Sedis & Ecclesiæ hoste traduci debuit?

II. Compertæ sunt deinde ac notoriæ falsitates istius, Theophilo affictæ. 1. Quòd P. N. Vicarius Generalis, librum illum à Jesuitis legi, nimirum ante decretum S. Congregationis, vetuit enim tantùm Jesuitis, non verò aliis. 2. Quòd Theophilus ob hanc causam in carcerem missus fuerit. 3. Quòd P. N. Vicar. sententiam in Theophilum tulerit, eamque super mensam, præsente Theophilo, legi mandarit. 4. Quòd Theophilus bajulus fuerit. 5. Quòd sit fossoris filius. 6. Quòd sit monstroso corpore. 7. Quòd manuscripta ex bibliotheca PP. Prædicatorum Camberii per furtum subtraxerit. Cuncta hæc, aliaque hujusmodi falsissima esse, constat; unde Advocatus, qui hæc narrat, cautè identidem hanc clausulam interserit, *ut audio.*

IV. Dato etiam & non concesso, cuncta hæc in Theophilum verè quadrare, cur tot ac tantæ calumniæ universæ Societati affictæ? cur celeberrimi illius auctores Bellarmin. Tolet. Lugo, Salmeron, Laines, Suar. Vasq. Lessius, aliique fœdati & conspurcati? cur calumniæ contra Societatem jam olim ab Hæreticis, Politicis, Æmulis, excogitatæ, iterum publicatæ, & à Barone in suos libros congestæ? cur S. Ignatius & Xaverius malè habiti, quasi hic ex Societate unus non fuerit, ille verò Conversus Cassinensis extiterit, & libellum Exercitiorum cuidam de Cisneros furatus sit? cur P. Vincent. Caraffa bonæ memoriæ, tam acriter ab illo exceptus? quid quæso hæc, & alia ejusdem generis ad Theoph. seu Petr. de Valle clausa?

V. Nec juvat in hanc rem Sanctorum exempla proferre, ut Nazianz. Hieron. Basil. Chrysost. Thom. Bonavent. &c. Nazianz. enim acriter sanè in Maximum invectus est, tum *orat.* 28. tum *in carm. de vita sua, à n.* 51. Sed hic maximus erat Hæreticus Apollinarista, & venenum illud ab eo tectum vir Dei statim exploravit atque prospexit: quare ut lupum à Pastoris ministerio arceret, quid mirum, si paulò vehementiùs in illum inclamarit.

VI. S. Hieron. apertum stylum exeruit; ita est; sed adversus Hæreticos Vigilant. Helvid. Jovinian. Pelagium, Luciferian. Origenist. Ruffin. Presbyterum præcipuum Origenis defensorem erroris notatum à Gelasio *cap. Sancta Romana, dist.* 15. idemque asserit Bellarminus *de scriptoribus Eccles.* accedit, quòd duas satyras in Hieronymum prior scripserat. Denique Hieronymus paulò acrior fuit adversus discolos Monachos & Clericos; sed non tam homines, quàm hominum vitia perstrinxit.

VII. S. Basilius contra Hæreticos tantùm acrem stylum habuit; Bernardus contra Petrum Abailardum, laborantem erroribus; Hilarius contra Constantium Imperatorem Arianum; Lucifer Calaritanus contra Julianum Apostatam; item Nazianzenus & Basilius, Bernardus, Petrus Blesensis, Salvianus, Alvarus Pelagius, contra mores & vitia suorum temporum, SS. Thomas & Bonaventura contra Guillelmum è S. Amore, ejusque socios, publicos Religionis & SS. Ordinum hostes, quorum libri à Sede Apostolica damnati fuerant, ac proinde si non prorsus Hæreticos, in fide tamen valde suspectos. Gelasius errores potiùs, quàm errantes confixit, Gretserus, Serrarius, Scribanus Hæreticos apertos agitarunt: sed hanc materiam ipse Theophilus lib. de malis ac bonis libris *partit.* 1. *erotem.* 9. *à n.* 133. *ad n.* 173. accuratissimè pertractavit.

Antim. Hæc brevis summa illorum est, quæ in hanc rem à me olim congesta fuerunt; vel obiter indicasse, iis fortè satis erit, qui temporis & otii penuria laborant, & vix unquam à se obtinent, ut grandes apologias lustrandas oculis suscipiant: non deerit tamen, crede mihi, justum vindiciarum volumen; & verò sat citò, si sat bene.

Pithanoph. Justum aliud volumen mihi superfluum esse videtur, cùm Baronis dicteria eo ipso

satis refellantur, quo exponuntur; accedit, quòd pauca illa, quæ idemtidem iis subnectis, inclinatam jam per se Baronis causam omnino proruunt. Sed finem ponamus huic congressui, qui jam longiùs, quàm par esset, excurrit.

Antim. Proximum citiùs expediemus, in quo illud opusculum discutiemus, quod à R. P. M. Ant. Marinario de opinione probabili ante duos annos, non sine singulari eruditionis & urbanitatis elogio, compositum, & in lucem editum est; neque illud totum & integrum, cùm in multis nobis consentiat; sed pauca dumtaxat, quæ pro scholarum licentia doctissimus auctor æqui bonique consulet, à nobis discuti & refutari: interea libellum legere poteris, ut deinde paratior advenias.

Pithanoph. Faciam, ut jubes; vale Antime, quàm primùm adero: cùm ab aliis curis hoc tempore liber sim.

Antim. Tu quoque vale Pithanophile; illud præ cæteris invideo tibi, quòd ab aliis curis sis liber. Vale carum caput.

DIALOGUS VII.

De Opinione Probabili.

In quo nonnulla ex Opusculo R. P. M. Ant. Marinarii de Opinione probabili refutantur.

1. Pithanoph. PArum certè abfuit, *Antime*, quin centies libellum istum de opinione probabili à R. P. M. Marinario scriptum & publicatum abjecerim; ita enim mihi obscurus visus est, & metaphysicis tritis, seu spinis horridus, ut mihi non semel caput fatigarit: & verò nihil in eo perspicuum & limpidum invenio, præter luculentas D. Fagnani laudes, liberali manu, & stylo passim aspersas.

Antim. Fuit alius, qui tecum idem sentiret, ut mihi aliquando significavit; cui reponere nihil potui, eo scilicet tempore, quo libellum minimè legeram; at modo legi, & nisi fallor, satis attento animo; illas tamen tenebras in eo non invenio, quæ tibi creatunt molestiam; est quidem ratiocinii modus omnino metaphysicus, seu scholasticus, ut vocant; hoc tamen non fecit, quin à me probè intelligeretur, & auctoris mentem assequutus fuerim; immo universa doctrina hoc libello contenta, ad pauca facilè reduci potest, licèt mihi nullo modo probentur. Et ut à primo capite initum ducam, unum statuit, quod tamen manifestè falsum esse, constat; vult enim, proposito aliquo objecto probabili, cum motivis sufficientibus ad assensum probabilem, nimirum citra certitudinem, intellectum moveri ab iisdem, ac determinari, non verò à voluntate; quod reverà falsissimum est; nam rapitur tantùm, id est, determinatur intellectus ab objecto evidenti & certo; secus ab obscuro, seu proposito citra evidentiam; unde ab alio determinari, necesse est, quia potentia libera non est; sed non ab alio, quàm à voluntate.

Pithanoph. Voluntas non fertur in incognitum; priùs igitur intellectus attingit objectum, quàm voluntas.

2. Antim. Priùs, per meram, ut vocant apprehensionem, seu nudam repræsentationem, concedo; priùs per assensum & judicium de illius veritate, nego.

3. Pithanoph. Ut prudenter intellectus assentiatur, motivum sufficiens repræsentari debet, ac proinde judicari sufficiens, nimirum grave & rationabile, ab eodem intellectu: igitur hoc saltem judicium præit & præcedit actum voluntatis; sed inde sufficienter intellectus ad assensum determinatur.

4. Antim. Si est evidens ac certum, motivum illud esse sufficiens ad prudentem assensum, quantumvis probabilem, uti nos in nostra sententia exigimus, certam enim dumtaxat ad praxim probabilitatem admittimus, intellectus citra determinationem voluntatis determinatur, ad judicandum dictum motivum esse grave, rationabile, & sufficiens ad prudentem assensum; remanet tamen adhuc indeterminatus, quo ad judicium de veritate objecti, licèt determinatus sit ad judicium de probabilitate; igitur ad judicium illud de veritate objecti ab alio quàm ab objecto determinari debet; igitur à voluntate sola, quæ tamen nullo modo fertur in incognitum, ut patet; si verò est tantùm obscura & incerta probabilitas, ac proinde intellectus ad primum illud judicium de probabilitate non determinetur à motivo, in hoc casu, etiam à voluntate determinatur ad judicium probabile de ipsa probabilitate; semper tamen ad primum aliquod judicium veniendum est, ad quod ab aliquo objecto intellectus determinetur; nam in hoc casu, certum erit, judicium illud de probabilitate esse probabile; præmisso autem primo illo judicio certo, voluntas potest, si velit, determinare intellectum ad judicium illud probabile de ipsa probabilitate, ac deinde ad judicium probabile de veritate objecti; in his, ne minima quidem difficultatis mica est.

5. Pithanoph. Ut voluntas sine aliquo motivo agere non potest, quod reverà differt à motivo intellectus, ita hîc sine motivo agere nequit: igitur nec determinari à voluntate, si absit omne motivum, saltem apparens, ut accidit in judiciis erroneis; igitur si motivum adest, cur alia determinatione voluntatis opus est.

6. Antim. Rectè dicis, intellectum agere non posse absque aliquo motivo, saltem apparenti, sed si non obstante motivo, ipsum objectum obscurum manet, motivum propositum intellectum non rapit, nec determinat; sicuti objectum propositum voluntati sub ratione boni finiti, non determinat voluntatem; hoc autem inter utramque potentiam discrimen intercedit, quòd voluntas proposito objecto non replente, seu necessario, sed tantùm sufficiente seipsam determinare potest, ut illi adhæreat; quia est potentia libera; secùs tamen intellectus, qui non est potentia libera; ac proinde proposito licèt motivo illo sufficiente, ut vocare soleo, non tamen necessario, seu rapiente potentiam, à seipso determinari non potest, nec ullo modo assentiri, nisi à voluntate determinetur.

Pithanoph. At si motivum est, movet; si movet, determinat; cùm idem sit movere, ac determinare.

7. Ant. Toto cælo erras; alioquin voluntas à motivo determinaretur, nec seipsam determinaret, ac proinde libera non esset, quod hæreticum dictu est. Motivum igitur ideo movere dicitur, quia tale repræsentatur, aut judicatur, ut voluntas circa objectum tali motivo vestitum tanquam circa bonum agere possit; aut intellectus, tanquam circa verum; ita tamen, ut bonum illud sub ratione boni finiti repræsentetur, id est, non sub ratione puri boni, sed cum aliqua ratione mali conjunctum; & per hoc judicium, ut vocant, indiffe-

indifferens; verum item illud repræsentetur, non sub ratione puri veri, sed talis, ut falsum subesse possit, id est, sub ratione veri obscuri & dubii, non evidentis & certi. Sed hæc trita sunt, quamvis à nonnullis ignorari videantur.

5. PITHANOPH. Ex his constat, libelli auctorem falli, qui vult, ad assensum opinabilem, intellectum non determinari à voluntate, sed à motivo, quod falsissimum est; alioquin proposito objecto suis motivis probabilibus vestito, æquè ad assensum opinativum intellectus ab iis determinaretur, ac determinatur à motivis evidentibus ad assensum scientificum, aut principiorum: deinde falsum est, quòd dicit intellectum determinari quidem ad actum fidei à voluntate, non tamen ad actum opinativum; sed in hoc, meo judicio, hallucinatur; quod enim dicit, nullum relucere motivum prorè credenda, movens scilicet ad actum credendi, veritati consentaneum non est; relucet enim auctoritas dicentis, quam intellectus indicat, sufficientem esse, ad rem illam prudenter credendam, id est, ad assensum fidei; & fieri non potest, ut voluntas determinet intellectum ad assentiendum objecto proposito, nisi adsit motivum assensus, apparenter saltem verum, seu probabile; nec in hoc differt ab opinione, immo in hoc utraque convenit, quòd scilicet motivum propositum ad assentiendum intellectum rapere, seu determinare non possit, sed rantùm à voluntate liberè determinetur; nam perinde est, quo ad dictam determinationem, sive motivum à loco intrinseco, sive ab extrinseco petatur; unde primum illud caput necessariò corruit, quod tamen totius doctrinæ in libello contentæ fundamentum est. Verùm ut proposito fidei motivo intellectus judicat, illud esse sufficiens ad prudentem assensum fidei, ita pariter proposito probabilis opinionis motivo, intellectus judicat, illud esse sufficiens ad prudentè assensum opinionis, & ut, non obstante hoc judicio, intellectus indiget determinatione voluntatis, ad eliciendum assensum fidei; ut fatetur hic auctor, ita eadem determinatione indiget, ad assensum opinionis; unde quòd in hoc errare, certum est; nempe quo ad determinationem, fides cum opinione convenit, & hæc ab illa discrepat, ad cujus actū intellectus non determinatur à voluntate, sed rapitur ab objecto; discrepat autē opinio à fide, humana quidē, quia hujus actus non habet aliud motivū, nisi ex loco extrinseco, scilicet ab auctoritate dicentis petitū, secus opinio, cujus motivum à loco maximè intrinseco ducitur, nimirum à natura objecti, & rationibus ab ea petitis. Dixi etiam, quod dubium positivum ab opinione probabili distinguit; quando nimirum, stantibus utriusque motivis æqualibus, intellectus ad alteram partem determinatur à voluntate: nempe hic actus, de assensus est verè opinativus, ac proinde opinio probabilis; antequam verò intellectus determinetur, dantur etiam duæ opiniones æquè probabiles, sed objectivè, ut vocant, in quo, meo judicio, nulla est difficultas, quod demum ad fidē divinam pertinet, ex alio capite differt ab opinione, nimirum quatenus certa est; neque voluntas ad certū assensum objecto obscuro proposito præbendum, intellectum determinare potest, propriis naturæ viribus, sed habitu vel adjutorio supernaturali, ad hunc effectum indiget.

6. ANTIM. Rem istam obscuram tibi videri dicebas; eam tamen ita prorsus enucleasti, ut nihil addendum esse, ducam; unum tamen dissimulare non possum, hanc hujus auctoris opinionem mihi nec probabilem videri, nec gratam accidere; cùm voluntati hominis, ac proinde libertati nostræ plurimùm detrahat; si enim voluntas non determinat intellectum, ad dictum assensum, vitio profectò verti non potest, etiam si erroneus, immo & hæreticus sit, nec enim satis est applicari à voluntate intellectum, ad tale objectum, seu motivum; quia reverà citra assensum de illo cogitare, aut circa illud rationari malum non est, ut patet; assensus porrò à voluntate non pendet, si à motivo proposito intellectus determinetur, non verò à voluntate; unde profectò liber non est, saltem non magis liber, quàm assensus scientiæ, aut principiorum, unde illa opinio probabilis censenda non est, ex qua hujusmodi absurdum omnino sequitur, nec est, quod dicas, esse actum imperatum à voluntate; quia non est magis imperatus, quàm actus auditionis, aut visionis, qui certè ideo vitio vertitur, quia voluntas imperare potest talem motum, quo vel oculus clauditur, vel obstruuntur aures, atque adeò impeditur, ne objectum applicetur potentiæ; at secus accidit in intellectu, cui proponi objectum potest, licèt necessariò non assentiatur; si enim necessariò assentitur, ut fit in objectis evidentibus; haud dubiè vitio illi non vertitur assensus; nec dicas, pendere à voluntate, ut objectum intellectui applicetur, quemadmodum ab ea pendet, ut applicetur oculo, vel auri; etenim hoc falsissimum est, quia sæpè proponitur intellectui, invita etiam voluntate, excitatis scilicet, vel casu, vel ab extrinseco phantasmatis; nec ullum motum voluntas imperare potest, quo faciat, ne objectum illud intellectui maneat applicatum; fit enim hæc applicatio per simplicem apprehensionem, ut vocant, quæ voluntatis despotico imperio minimè subjacet: sed facta hujusmodi applicatione, intellectus determinatur ab ipso objecto, non ab ipsa voluntate, nimirum ad assensum, qui certè cùm à voluntate minimè pendeat, liber dici non potest, ac proinde vitio non vertitur, equidem ad speciē assensus, determinat objectū, non verò voluntas, quæ, v. g. ad assensum evidentē determinare non potest, si objectū obscurè propositum sit; nec ad assensum certò probabilem, si objectum non sit certò probabile; unde posito, quòd voluntas determinet intellectum ad assensum objecti propositi, intellectus non potest ponere assensum, nisi talis speciei, quæ in actum ab objecto refunditur; ab objecto quidē non secundùm id, quod reverà est, sed secundùm id, quod apparet, etiam per errorem, sive culpabilē, sive inculpabilē; unde objectum determinat ad speciem actus, voluntas verò citra objectum fidei divinæ, & objectū evidens, ad exercitiū.

10. PITHANOP. Nec longus ille D. Thom. textus excerptus ex *quæst.* 14. de Veritate, *art.* 1. & ab eo exscriptus quidquam obest; in eo quippe non legitur, intellectum non determinari à voluntate ad assensum probabilem, sed illud unum dumtaxat, nimirum non determinari totaliter, id est, absque formidine partis oppositæ; nos certè nihil aliud volumus, aut dicimus, illud autem, quod dicit, propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partē, induci dubitantis dispositionem in intellectum, qui fluctuat inter duas partes contradictionis, intelligendū est de prævio statu intellectus ad determinationem voluntatis; nullum enim dubium est, quin voluntas etiam stante utrimque motivorum apparentiū æqualitate, ad unum, vel alterum intellectū determinare possit, ut in superioribus congressibus demonstravimus: nec est, quòd dicat aliquis, intellectū à voluntate determinari non posse ad præbendū assensū objecto, quòd illius patiens non est; quia hoc reverà non dicimus, sed illud tantùm, nimirum, proposito objecto sub motivo probabili, id est, gravi & rationabili, citra evi-

dentiam, ac proinde sufficiente ad prudentem assensum, intellectum à voluntate determinari posse ad illum assensum: non deest autem motivum, sub quo voluntas intellectum determinet, ad alteram partem contradictionis, sive motivum æquale appareat in altera parte, sive majus, sive minus. Ex his autem præcipuum hujus auctoris corruit fundamentum.

10. ANTIM. *Cap.* deinde 3. doctrinam suam auctor statuere incipit, vultque, ex motivis probabilibus sequi assensum moraliter certum, relatè scilicet, inquit, consideratis ad partem oppositam, nec tantùm seorsim, verùm etiam conjunctim; alioquin si absolutè accipiantur, atque seorsim, sequetur tantùm ex iis assensus opinativus; & nunquam aliàs ad usum & praxim ullam opinionem reducendam esse, nisi motiva illa conjunctim & relatè considerata determinent intellectum ad certum moraliter assensum, non negamus, aliquem assensum moraliter certum esse posse; negamus tamen, hunc sequi ex motivis probabilibus tantùm, sed ex moraliter certis, saltem apparentibus, nimirum objectivè, sive seorsim, sive conjunctim acceptis, sive absolutè, sive relatè; imò repugnat, rem aliter esse; nempe cùm motiva proponi debeant, judicat intellectus illa sufficere ad assensum certum, vel ad assensum probabilem tantùm seu verè, seu per errorem; si primum, inde satis determinatur intellectus ad assensum certum, circa veritatem objecti, citra ullam aliam voluntatis determinationem; si verò secundum, intellectus non rapitur nec determinatur ab iis motivis, sed à voluntate dumtaxat determinari potest: deinde illa motiva semper considerantur relatè ad intellectum, & ad partem oppositam; alioquin temerè, leviter & imprudenter intellectus assentiretur; nec illa motiva sufficerent, ad opinionem verè ac certò probabilem, quam tamen talem esse, oportet, ut ad praxim sufficiat; nempe ut constet, esse certò probabilem, debet constare, motiva proposita esse sufficientia ad assensum prudentem, quod ut fiat, partis oppositæ motiva etiam consideranda sunt, pro qua, vel nullum stat motivum sufficiens, id est, grave ac rationabile; & tunc judicat intellectus, motiva illa prioris partis esse sufficientia ad assensum moraliter certum; vel pro illa opposita parte stat motivum moraliter certum, fundatum, v. g. in declaratione, vel decreto Ecclesiæ, & tunc judicat intellectus priorem illam partem non esse certò probabilem; nam si certa est una, opposita improbabilis est moraliter, nimirum quo ad usum & praxim; vel demum stat motivum grave & rationabile sufficiens ad prudentem assensum, quantumvis probabilem, & tunc intellectus judicat primam illam esse verè ac certò probabilem; unde nunquam accidit, alteram partem esse moraliter certam, nisi opposita sit moraliter improbabilis, eo modo, quo dixi: ita prorsus se habent exempla illa ab auctore adducta; v. g. certũ est moraliter, me baptizatum esse; quia nullum prorsus motivum occurrit, quod partem oppositam mihi probabilem efficiat; item Romam, aut Constantinopolim existere, vel hostiam à Sacerdote consecratam, verè consecratam esse, quia nullum motivum pro contraria parte militat: unde concedimus ultro, cuncta hæc & alia hujusmodi moraliter certa esse, negamus tamen, ex motivis probabilibus ea sequi, quia revera moraliter certa sunt: illud enim, vel maximè aliquod motivum moraliter certũ reddit, quod nullum pro altera parte grave motivum appareat: negamus etiam, omnem opinionem probabilem licitam, & tutam ad praxim talem esse debere; immo repugnat, talem esse quamdiu opposita est verè ac certò probabilis, id est, habet motivum grave & rationabile ad prudentem assensum sufficiens, exigimus quidem, ad rectè operandum in moralibus, certitudinem probabilitatis, ex qua sequitur necessariò certitudo judicii practici, seu conscientiæ, ut sæpè diximus; non tamen certitudo opinionis, vel assensus circa veritatem objecti, quæ, stante hypothesi, omnino repugnat, falsum est etiam, quod dicit auctor *n.* 8. ex parte objecti obscurè scilicet propositi applicari motivum determinans intellectum ad assensum certum unius partis; quia nullum motivum, quod certum non sit, determinat intellectum, ut jam diximus; ac proinde cùm sit probabile, licèt grave & rationabile, specificat assensum tantùm probabilem, quamvis alioquin prudentem. Nec obstat, complexum illud motivorum; quia vel in parte opposita apparet aliud complexũ motivorum, vel non; si primum, complexum illud facit tantùm motivum probabile; si secundum, complexum illud est certum, non probabile; unde ut ex illo probabili sequitur assensus probabilis, ita ex hoc certo sequitur assensus certus.

11. PITHANOPH. Sed inquit *n.* 11. motiva seorsim & absolutè, non relatè considerata, eodem modo non movent, quo eadem conjunctim & relatè sumpta.

12. ANTIM. Ita est, non movent eodem modo: nempe illa movent ad assensum temerè & imprudentem ponendum, hæc verò ad prudentem; unde concedimus ultro, esse diversum movendi modum; diversus igitur assensus, ad quem moventi sed malè semper auctor supponit, intellectum determinari ad certum assensum à motivis illis probabilibus, quod falsum esse, constat; quotiescumq; motiva pro utraque parte probabilia militant, de quo revera casu tantũ disputatur.

13. PITHANOPH. Suam sententiam auctor probare conatur *cap.* 4. ex eo, quòd dictamen rationis, seu judicium illud practicum, quod vulgò conscientia dicitur, certum esse debeat; quod ultro fatemur; sed, inquit, certum esse nequit, nisi procedat, seu sequatur ex assensu speculativo certo; conclusio enim certa esse non potest, nisi præmissæ certæ sint. In hoc etiam planè hallucinatur; nam non sequitur judicium illud practicũ ex judicio speculativo, qui opinionem probabilem formalem constituit, id est, ex judicio de veritate objecti, sed ex judicio morali de probabilitate certa illius judicii, vel opinionis; ex hac enim, ut izpè diximus, *certum est, talem opinionem esse probabilem*, sequitur hæc, *certum est igitur, usum illius esse prudentem*; ac proinde licitam, tutam, &c. sed hæc jam sæpiùs suprà; unde meo judicio hoc illius auctoris argumentum corruit: immo jam aliàs significavimus, idque non semel.

14. ANTIM. Nihil addendum esse putarem; nempe ut breviter ita prorsus accuratè argumentum penitus diluisti; nempe ex prudenti assensu, sequitur necessariò prudens usus; & mirum sanè mihi accidit, antiprobabilistas nunquam hoc intellexisse, vel potius dissimulasse; nec enim utriusque judicii idem objectum est; judico probabiliter verum esse objectum; judico certò prudentem esse assensum, judico etiam certò prudentem & rectum esse usum; unde ex certa probabilitate, certa prudentia, tum probabilis assensus, tum recti usus consequitur, vel potiùs judicii practici, quo judico, rectum esse usum; sed hæc jam toties inculcavimus, ut mirari satis non possim, ab iis capta non fuisse, aut saltem omnino dissimulata; nempe assensus ille circa objectum, seu veritatem objecti, eo modo est prudens, quo est probabilis; at certum est esse probabilem; certum igitur, esse prudentem; at si certum est, esse assen-

sum

tem prudentem, certum est, electionem illius operationis quæ circa tale objectum, tanquam circa materiam versatur, esse prudentem, atque adeò usum rectum, qui ex dicta electione sequitur, etiam prudentem. Hæc jam supra quasi ad nauseam. Sed pergamus, & omittamus *cap. 5.* in quo refutat auctor doctum illustrissimi Savonensis Stephani Spinulæ, quem certè alterius ope non indiget, quamquam omnia ejus argumenta, retunduntur, admissa tantum auctoris argumenta, retunduntur, admissa tantum certa probabilitate judicii speculativi, vel ipsius opinionis, quam dictus Illustrissimus omnino admittit, sic enim certum ex certo deducitur: unde auctor recte, sic enim certum ex certo deducitur: unde auctor rectè posse concludit, ex certo judicio practico recti prudentis electionis, certum judicium speculativi, vel prudentis electionis, certum judicium speculativum veritatis objecti: cum ex illo tantùm per se sequatur concludatur, esse certò probabile, eo modo, quo diximus, & nisi hoc statuatur, neutra pars alteri certa esse: quod enim auctor contendit, judicium speculativum, id est, veritatis objecti esse moraliter certum, non subsistit: quandiu enim pars opposita est verè ac certo probabilis, vel æquè, vel minus, illam partem certam esse, repugnat, ut vel ex ipsius terminis notorium est non subsistit etiam, quod sanè à nonnullis probabilistis dicitur, nimirum, satis esse, quod judicium illud speculativum sit probabiliter probabilius certum non est, esse probabile, incertum est & dubium, esse prudens: ergo judicium practicum de electione, vel usu certum esse nequit, quia nullum certum est, unde sequatur.

16. PITHANOPH. Circa sextum caput non est, quod eramus tempus, in quo scilicet auctor docet judicium illud prævium, nimirum veritatis objecti, quod speculativum, cum aliis, appellamus, in aliquo vero casu esse practicum: est enim mera quæstio de nomine, quam parum nobis curandum est: nemo enim negat, quin per utrumque judicium attingatur veritas ipsius objecti: nemo etiam negat, quin diversum sit utrique objectum: nam objectum illius primi, id est veritas opinativi, vel ipsius opinionis, nihil est aliud, quam veritas objectiva, sed probabilis tantùm, videlicet, quod tale prædicatum insit tali subjecto, v.g. quod actum trium contractuum sit justum, ac legitimus. objectum verò alterius judicii certi, quod quidam vocamus est alia veritas objectiva, & certa nimirum quod tale prædicatum, rectitudo scilicet seu prudentia insit tali objecto, usui scilicet, vel actui, v.g. quod prudens & rectus sit usus talis: quidam res ipsa intelligatur, quisque loquatur, quomodo fixum illud & ratum maneat, judicium practicum, idem esse cum ipsa conscientia, seu cum dictamine rationis: prævium verò idem esse cum ipsa opinione, seu cum assensu non firmo probabili: unde constat, id falsum esse, quod astruit auctor, *num* 2. idem agibile esse objectum utriusque judicii: cum vel ipse diversa objecta utrumque agnoscat, eodem scilicet *num.* nam objectum practici est ipsa praxis, vel usus, de quo recta seu prudentia prædicatur: speculativi verò veritas dicti usus, vel dictæ electionis, unde practicum attingit objectum speculativi, sed in obliquo, illud idem in recto: sed in re facili & trita, frustra laboramus.

17. ANTIM. Sequenti *capite* 7. docet auctor, à veritam opinionem probabilem illam dici, quæ moraliter certa & exempli loco eam appellat, quæ ad eam recurlæ, ut vocant licitum adstruit, quia pars opposita improbabilis est. Quis unquam adhuc hoc dixit: nimirum partem illam contrariis probabilem censeri, cujus opposita est improbabilis; nempe probabilis & improbabilis de eodem objecto, esse, aut dici non possunt, id est, de duabus partibus ejusdem contradictionis, quia si altera est improbabilis, altera certa est, & utraque probabilis, aut neutra: unde licet non negemus, aliquot morales sententias certas esse, non tamen propterea probabiles illas esse dicimus: longe tamen plures, ut probabiles admittimus, quarum oppositæ sunt etiam verè probabiles, quas tamen certas dici, & sub formalitate moralis certitudinis concipi, absurdum esse putamus; cum revera illa formalitas absit, & nullum sit illius fundamentum, nisi merè fictitium & chimæricum, ut patet ex dictis: ut enim sententia quæpiam verè ac certò probabilis statuatur, non tantùm ponderanda sunt ea motiva, quibus nititur, sed videndum etiam, utrùm illa omnia probabiliter solvi possint, quæ stant pro parte oppositæ: si enim solvi nequeant, nullo modo verè probabilis censenda est: si vero nullum grave motivum pro dicta parte opposita stat, ut hæc improbabilis, ita illa non jam probabilis, sed omnino certa censenda est: unde ni fallor caput illud septimum discussum abundè ac refutatum manet.

17. PITHANOPH. Iam ergo ad sequens *cap.* octavum scilicet pervenimus, in quo hic auctor relicta probabiliori, non licere ad praxim minùs probabilem sequi, ostendere conatur, his rationibus 1. inquit, illa opinio est licita operanti, quæ est deducibilis ad praxim, seu, quod idem est, quæ est vera, certa & firma: sed minùs probabilis non est hujusmodi: igitur non est licita: hoc argumentum nihil concludit, in primis enim alterum extremum *licita* non distribuitur in majore, & distribuitur in conclusione: unde ut concludat argumentum debet addi particula *tantùm* in hunc modum, *illa opinio est tantùm licita, &c.* sed tunc major illa est falsa, nam opinio probabilis non est certa & firma, nec certò vera etiam si probabilior sit, quæ non est certò vera, sed tantùm probabiliter: & in minore æquè dici posset, *sed opinio probabilior &c.* unde hæc ratio principium manifestè petit. Probat 2. si operans, nimirum opinionem minùs probabilem reducens ad praxim haberet conscientiam dubiam, cum qua operari non licet: sed hoc facilè negatur: nam cum hæc opinio minùs probabilis verè ac certò probabilis statuatur, illa utens habet conscientiam certam, id est, certò judicat, illius usum prudentem & rectum esse. Nec est, quod dicat, intellectum restare dubium, quando motiva utrimque sunt æqualia: igitur multo magis, si debiliore motivo nitatur: nam illud est dubium positivum, in quo versatur intellectus, antequam ad alteram partem à voluntate determinetur, fluctuat enim inter utrumque: sed posita determinatione voluntatis, cujus est determinare intellectum, quotiescumque objectum propositum non est evidens: non manet amplius dubius, id est, non fluctuat inter utrumque, sed uni parti adhæret, non quidem firmiter, sed cum aliqua formidine, quæ satis propriè dubitatio dici potest, ut supra diximus: neque in hoc vel minima superest difficultas: locus porro ille Antonini *tit. 1 cap 10. de conscientia* truncatus est & propositionem difficultatis, seu objectionis ut vocant, conclusionis loco adducit: *cum in aliqua materia morali, inquit, sunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, cum posit illa opinio esse falsa, & contraria vera: hic locum Antonini truncat auctor, & terminat: & exclamat, nihil potuit clariùs dici ad intentum.* Sequitur tamen hæc Antonini Responsio,

Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter sumendo strictè ac propriè dubitationem, &c. Sed si dubitat, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito, sic agendo contra tale dubium, non peccat: cujus suæ responsionis rationem hanc profert, *quod talis*, inquit, *non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem*; quid quæso ad intentum nostrum clariùs dici poterat? Unde miror, ab auctore isto, alioquin valde ingenuo & sapientissimo locum istum S. Antonini adductum fuisse.

18. ANTIM. Hoc certè dolo malo, ut ajunt, ab eo, factum non esse, tibi persuadeas velim: sed nonnullorum scriptis fidem habuit, quibus tamen solemne est, auctorum loca, vel fingere, vel adulterare. Sed pergamus. Negat deinde auctor, posse intellectum ex voluntatis imperio, suspendere judicium de probabiliore parte, pensatis scilicet utriusque partis motivis conjunctim, & inter se comparatis, quia vult, intellectum determinari ab objecto, seu motivo potentiore, quod jam supra rejectum est, ut falsissimum, & manifestæ experientiæ contrarium, nullum enim objectum non evidens intellectum rapit, aut determinat, cum autem unius partis major probabilitas evidentiam non conciliet, etiam si major sit notabiliter, stante scilicet altera parte verè ac certò probabili, fieri non potest, ut determinet intellectum, qui adhuc manet cum formidine: igitur imperio voluntatis indiget, ut ad probabiliorem determinetur: sed æquè ad oppositam voluatas, quamvis minùs probabilem, intellectum determinare potest, si enim minùs bonum eligere potest, cur non minùs probabile? quamquam fieri potest, ut magis probabile, minus bonum illi videatur. Quod autem addit auctor, dictame conscientiæ non fore rationabile in eo casu: quia scilicet voluntarium, motivis tantùm probabilibus innixum, id est, effornatum ex opinione tantùm probabili: suprà etiam à nobis rejectum est: nam dictamen illud certum est, ut dixi: quia ex certo deductum: nimirum ex certa probabilitate, & certa prudentia illius ptimi assensus, seu quod idem est, ex opinionis vera ac certa probabilitate: & miror, ab adversariis nunquam hoc ponderatum fuisse, at temper dissimulatum: falsum est etiam, ideo aliquid non esse rationabile, quia est voluntarium: quasi verò judicium illud, quo intellectus probabiliori assentitur, non sit voluntarium, aut illud quo aliquem articulum divinæ fidei credit: nemo tamen neget, utrumque esse rationabile: igitur pari modo, judicium illud, quo intellectus parti minùs probabili assentitur, modò sit vere ac certò probabilis, id est, motiva gravia & ad prudentem assensum sufficientia esse, constet, est rationabile, id est prudens, licèt sit voluntarium: neque in hoc puncto, vel minima difficultas restat: stante scilicet illo principio, quod dum in opinione probabili versamur, seu magis, seu minùs, motiva, seu conjunctim & relatè, seu seorsim & absolutè considerata, nunquam ad certitudinem & evidentiam etiam moralem perveniunt, ac proinde nunquam ab iis determinatur, sed rapitur intellectus, sed tantùm à voluntate, idque prudenter & rationabiliter, quandoquidem motiva illa, quibus illa opinio nititur, gravia & rationabilia censentur, id est, ad prudentem assensum sufficientia. Itaque in multis fallitur auctor, 1. quia primum illud judicium speculativum, de quo supra, vult, esse moraliter certum; cum tamen sit tantùm opinativum. 2. quia ex illo, vult, sequi judicium ultimum practicum, seu dictamen conscientiæ, quod tamen ex illo propriè non sequitur, sed ex certa illius probabilitate, ut supra ostensum est. 3. quia vult, judicium voluntarium, non esse rationabile, quamvis certò & verè probabile sit, ac proinde verè, ac certò prudens. 4. Quia vult, à motivis tantùm probabilibus, intellectum ad unam partem determinari, qui tamen à voluntate determinatur. 5. quia dicit, motiva partis minùs probabilis evacuari, id est, destrui à motivis probabilioris, quod tamen falsissimum est, cum utraque simul judicetur verè probabilis, ac proinde utriusque motiva simul stent, & intellectui repræsententur; alioquin non posset altera probabilior, altera verò minùs probabilis judicari, ut patet ex terminis.

19. PITHANOPH. Sed quæso te, quid sibi vult auctor, cum dicit, teneri quemlibet, probabiliorem sequi, si tamen notabiliter probabilior est, nam alioquin obligat ad tutiorem; nempe, inquit, illa quæ non est notabiliter probabilior, proæquè probabili habenda est, parum enim pro nihilo reputatur.

20. ANTIM. Illa haud dubiè notabiliter probabilior est, quæ multis partibus, seu gradibus probabilior est: quemadmodum illa linea est notabiliter alia major, quæ multis partibus, id est, notabili quantitate major est, Quot vero partibus, opus sit, ut notabiliter major sit, à prudenti judicio pendet.

21. PITHANOPH. Statuamus unam partium, ut tria probabilem esse: sic enim cum scholasticis loqui per te mihi licèt: alteram verò, ut duo: an dices, illam notabiliter probabiliorem non esse cum uno tantum gradu aliam superet in probabilitate: at statim opponam, sit prima probabilis ut 12. altera vero ut 8. eadem servatur proportio inæqualitatis, licet prima secundum superet totis quatuor gradibus: idem argumentum militat, si prima statuatur probabilis ut 5. altera ut 1. seu quod idem est, prima ut 100. secunda ut 20. unde ni fallor, nihil certi super hoc definiri potest, quamdiu prima probabilior erit altera, vel minimo gradu determinato: itaque me doceas velim, unde illud prudens judicium in præsenti materia ducendum sit.

22. ANTIM. Rem ni fallor, acu tetigisti, si enim inæqualitas illa statuatur, quæ ab omnibus, doctis scilicet, & rerum hujusmodi peritis, facilè cognoscatur, admittatur & inspiciatur, proæquè probabilibus haberi non possunt: si verò dicta inæqualitas non ita facilè obvia sit, seu perspicua, quin aliqui saltem de illa dubitare possint: in hoc casu æque probabiles censeri facilè possunt: ut ut sit, negari saltem non potest, quin opinio probabilis maneat, quamvis alioquin notabiliter probabilior sit: modo scilicet altera pars sit verè, licèt minùs probabilis: nempe ut jam dixi, quandiu pars una probabilis restat, altera certa esse, aut dici non potest: in hoc etiam prædictus auctor luculenter hallucinatur.

23. PITHANOPH. Claudicat autem petita à lumine similitudo: licèt enim lumen communiter dicatur illud, per quod aliquid cognoscitur, quemadmodùm per lumen visibilia percipiuntur: unde vulgò lumen rationis, lumen ingenii, imò notiones ipsas, per metaphoram, lumina dicimus: non tamen una notio magis perspicua, minùs perspicuam expungit, quemadmodum lumen majus, eidem illapsum corpori, lumen minus extinguit, id est, efficit, ut minimè ab oculo percipiatur: quia scilicet ab objecto illuminato illustrior species profecta & oculo illapsa, illustrius objectum repræsentat: at vero in nostro casu, secus

accidit

fecellat: nam utraque pars contradictionis eidem intellectui cum suis motivis simul & una repræsentatur, teste ipse auctor fatetur: & idem intellectus, conversus gravibus & rationalibus motivis, quæ pro utraque militant, utramque verè probabilem necessariò judicat: quia judicium illud de probabilitate certum & quasi evidens: sed profectò utramque partem probabiliter judicare non posset, si motiva probabilioris, motiva minùs probabilis expungerent, quemadmodum minus lumen à majori expungitur: claudicat igitur similitudo: atque adeò vanum & vanæ est dicta similitudo: atque adeò vanum & frustraneum argumentum, quod ab ea ducitur.

24. ANTIM. Rectè omnino modicam illam similitudinis fuculam exufflasti; & falsum est, quod ab hac similitudine adstruitur, *num.* 17. intellectum à motivis partis minùs probabilis, in concursu alterius probabilioris, non illuminari: nam intellectum ab iis illuminari nihil aliud est, nisi ea cognosci ab intellectu: quod autem ab intellectu cognoscantur, nemo negabit, qui rem intelligat: inde autem errandi ansam accepit dicta auctor, quod perperam crediderit, intellectum capi & determinari à probabiliore, quod tamen, ut jamsæpe diximus, falsissimum esse, constat. Unde tertio corollarium, *cap* 9. ab eo breviter propositum: nimirum non valere intellectum, opinanti de parte minùs probabili; quod certè repugnat in terminis: iterùm judicat intellectus esse minùs probabilem, judicat haud dubiè probabilem esse, id est, gaudere motivo gravi & rationabili, ac sufficiente ad prudentem assensum: quibus certe positis, nihil vetat, actum voluntatis à voluntate imperari, id est, intellectum ad illum assensum prudentem determinari: Sed jam hæc tenus, ad *cap.* 10. veniamus, in quo docet auctor hanc utraque parte æquè probabili, intellectum ultimo inter utramque restare & in hoc dubio, quemcumque sequi tutiorem.

25. PHANOPH. Imò dicit, hoc ipsum à nobis dictum nimirum in eo casu, intellectum dubium quietare, sed eximperio voluntatis dubium ita eum abeo posse, ut alteri parti adhæreat, quod unico novo motivo fiat, inquit, hujusmodi determinatio est omnino voluntaria, igitur minimè rationabilis, ac proinde incerta conscientia: cuncta enim talis principiis, tam enim dicta determinatio voluntaria, altera parte statuta minùs probabili, quàm utraque stante æque probabili, quatenus dictis; & tam in uno casu, primum dubium speculativum, ut vocamus, est tantum probabile, quàm in alio; & cum utrimque gravia motiva statuantur, voluntas ad alteratram partem prudenter intellectum semper determinat, sive illa sit æquè probabilis, sive minùs, sive magis: si comparati minùs probabili, pro qua stant gravia motiva, intellectus prudenter assentitur, nimirum ab illis determinatus, æque probabili, pro qua stantium gravia motiva, potiori jure prudenter eum assentiri potest. Fatemur autem, utrumque assensum probabilem esse, non certum, quod tamen non obstat, quominus judicium practicum certum sit, cujus reverà diversum objectum est, nimirum ista opinionis vere probabilis, quetti licitum, rationabile, & prudentem esse, intellectus certò judicat, atque diximus: quod reverà judicium certum ex principio probabili non deducitur directè & immediatè, cum certum non sequatur ex probabili, sed ex modali certo, quo judicat opinionem esse vere probabilem, & prudentem assensum, quæ reverà si ipse auctor ponderasset, non adeò facilè pronunciasset, dictamen conscientiæ nobis certum non esse, sed dubium, ac proinde rationem non esse regulam directivam humanæ operationis, sed voluntatem; nempe & dictamen illud apud nos certum est, & operationem humanam proximè dirigit, ac regulat; nec aliæ sunt in hoc voluntatis partes, nisi quatenus intellectum applicat, eùmque determinat ad primum illum assensum speculativum, unde totum corruit adversarii ratiocinium.

26. ANTIM. Illud etiam, quod deinde toto reliquo capite urget, nimirum in dubio tutiorem partem eligendam esse, idque esse de præcepto, non de consilio, etiam corruit; cum in dubio non simus, sed habeamus certum judicium practicum, ac proinde certam & proximam regulam operationis moralis; illa porro loca ex jure adducta, *cap. ad audientiam. 12. de homicid. cap. significasti ibidem, cap inquisitione 44. de sentent. excomm cap petitio 24. de homicid. &c.* in aliis congressibus explicata fuerunt, & infra iterum contra D. Fagnanum; sed ad ejus rationes venio, probatur 1. inquit, quia nulla est ratio convincens, qua probetur, esse consilium, non præceptum. Resp. 1. nullam etiam esse rationem convincentem, qua probetur esse præceptum, non consilium. Resp. 2. adesse rationem pro nobis convincentem, quia non sumus in casu dubii, sed extra dubium, cum simus certi; unde quo ad hoc dicti auctoris regula est à subjecto supposititio. Probat 2. quia in propositionibus oppositis, datur una tuta & altera non tuta; sed tutam sequi, de præcepto est. Resp. in propositionibus oppositis verè ac certò probabilibus, utramque verè ac certò tutam esse, nec unam tutiorem altera formaliter, ut sæpe diximus, sed tantùm materialiter: ad tutius autem materialiter nemo tenetur: ex quo dicta auctoris ratio penitùs corruit.

27. PHANOPH. Illa autem glossa, quam refellere conatur, *num* 9. intacta remanet: nimirum quod doctrina probabilis sit satis, ad honestè & sine peccato operandum, ac proinde quemlibet sequi posse, in æquilibrio probabilitatis, etiam in praxi, quam maluerit partem, ita est prorsus, modò utraque verè ac certò probabilis statuatur, ut toties demonstratum est; cum ex certa probabilitate sequatur judicium certum de recto illius usu: neque idem est, ut dicit auctor, suspendere judicium de una parte, & eximperio voluntatis alteri assentiri probabiliter, & sic facere se ipsum practicè certum; nam reverà fieri non potest, ut utrique simul assentiatur: licèt utramque simul intellectus probabilem certò judicet: igitur nullum suspendit judicium, vel assensum, sed ex eo, quod ipse homo determinet ad assensum unius, eo ipso rejicit assensum alterius: imò eo ipso, quod unam affirmat ut veram, licèt judicet falsam esse posse, aliam ut falsam negat, licèt judicet veram esse posse, nec ex hoc assensu probabili est practicè certus, sed ex ultimo judicio practico certo, quod ex alio judicio certo, de prudentia & de probabilitate deducitur: ac proinde tutus semper erit, quamcumque tandem partem eligat, quia utraque tuta est: & ipse certus, quod utraque tuta sit: unde constat, sequi tutiorem materialiter, non esse de præcepto, sed de consilio: cum tantùm de præcepto sit, tutam eligere, sed utraque tuta est: itaque in hoc convenimus, præceptum esse, ut in dubiis tutam partem amplectamur, & nihil aliud per Sacros Canones statui: unde si altera pars tuta sit, & certa, altera dubia, hæc profectò relinquenda, & illa tenenda, juxta illud Augustini, *tene certum, relinque incertum*: uti reverà

fieri debet in iis omnibus casibus, in quibus jura statuunt, in dubiis tutiorem, id est, tutam partem eligendam esse: at si utramque partem tutam esse constat, id est, talem, ut certo peccatum excludat, quod tutior exiis, materialiter scilicet, non formaliter, nimirum ratione periculi remoti, eligenda sit, consilii est, non præcepti: non tenemur enim ad melius, seu tutius, quatenus cum alio tuto comparatur; nec rem istam ad possessionem libertatis reducimus, sed ad certissimam conscientiæ regulam, qua certò judicamus, usum illius opinionis rectum & prudentem esse, quam certò judicamus, esse verè probabilem, id est, iis gravibus motivis niti, quæ ad prudentem assensum, quantumvis probabilem, sint satis: si hæc seriò auctor ponderasset, non tam citò pronunciasset, probabilitatem ad honestè & sine peccato operandum, non sufficere, sed moralem certitudinem accersendam; nam nec morali certitudine caremus in judicio recti usus, probabilitatis, & prudentis assensus, & probabilitatem cum dicta certitudine clarissimè conciliamus, nempe stante utraque parte æquè probabili, intellectus à voluntate determinatus alteri assensum præbere potest, etsi non citra formidinem: ac deinde certò judicare, prudentem esse illius partis electionem, prudentem usum & tutam praxim: quod verò pertinet ad Sylvestrum, quem auctor sibi potiùs vult favere, quàm nobis: illius verba adeo perspicua sunt, ut de illorum sensu dubium esse non possit: *Non obstat*, inquit, *in summ v. opinio, numero* 1. *quod in dubiis tutior pars est eligenda: quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem: nec incertum dimittendum est, &c. quia tenet iste certum, &c.* Addit deinde, *v. scrupulus, hoc esse consilium, non præceptum, &c.* nec ille est in periculo, *qui probabiliter credit, &c.* Equidem, *v. dubium, q.* 2. *n.* 4. si periculum imminet peccati mortalis, ex electione unius partis, cum hæc tuta non sit, alteram eligendam esse docet, in quo cum illo convenimus: hoc enim accidit, cum illa pars est tantùm probabiliter probabilis: nempe si certò probabilis est, nullum periculum illius electio inducit.

28. ANTIM. Locus Cajetani, quem ibidem. *num.* 11. satis prolixum auctor exscribit, parum, aut nihil nos monet: scimus enim, Cajetanum pro ea sententia stare, quæ partem illam tenendam esse adstruit, quam *ratione sufficienti ad moralem certitudinem sultam* esse, constat, relicta, oppositа, opinativa scilicet & ambigua, nec non cum formidine conjuncta, cui certè operatio committi non debet: alioquin regulæ ambiguæ & periculo peccandi committeretur, quod constat esse illicitum. Bartholomæus Medina, istam Cajetani sententiam refellit, illiusque firmamenta accuratissimè delecit, *in* 1. 2. *quæst.* 15. *art.* 6. Fallitur enim Cajetanus: 1. quia partem unam moraliter certam esse putat, stante altera probabili & opinativa 2. confundit certam cum tuta, id est, immuni à periculo peccandi, quam tamen non modò non certam, verùm etiam minùs probabilem esse constat, ut sæpè diximus 3. quia vult, licèt diversi auctores contraria sentiant, id est, aliqui hanc, illam alii partem contradictionis teneant, atque defendant, vult, inquam, stante hujusmodi contrarietate, unam partem certam esse, sed quomodò certa, si opposita probabilis. 4. non videtur rectè distinguere judicium speculativum probabile de veritate objecti, à practico certo de usu illius: quod autem multi, ut ait, nesciant distinguere certitudinem moralem à Mathematica, nihil ad nos, qui profectò illam ab ista, imò & à Physica probè distinximus, de quo alibi, nullam tamen certitudinem stare dicimus unius partis, cum probabilitate alterius 5. denique fallitur Cajetanus, dum regulam, scilicet proximam, humanæ operationis à nobis statui docet, ipsam opinionem, sive hæc sit probabilior, sive minùs probabilis, ac proinde ambiguam; fallitur, inquam, quia non agnoscimus aliam regulam proximam, nisi dictamen rationis, seu judicium practicum certum, de quo supra, illudque verè deductum ex alio certo, de vera probabilitate, & prudenti assensu; unde rejicies ea, quæ auctor congerit, *num.* 12. ubi vult, judicium illud speculativum, vel ipsam opinionem probabilem esse regulam; quia ex illo practicum efformatur & sequitur; utrumque ex dictis falsum esse, constat; nempè regula propriè sumpta quadrat in usum, praxim, actionem; cum tamen opinio in veritatem objectivam probabilem cadat.

29. PITHANOPH. c. 11. ex Cajetani doctrina auctor argumentatur, utens opinione, qua opinio est, exponit se periculo peccandi; sed antequam ultra procedat argumentum, hoc nego, & contrarium supra demonstravimus; quod autem concludit, *num.* 6. certitudinem moralem, ad agendum sine peccato, necessariam esse, fateor ultrò, nimirum judicii practici de usu opinionis, & speculativi de probabilitate illius; non verò ipsius opinionis, vel assensus speculativi de veritate objecti. Fateor etiam, operantem certum esse debere de honestate sui actus, nimirum per judicium illud practicum certum de usu honesto & prudenti opinionis; unde utens opinione verè ac certò probabili omino certus est, non ambignus, ut dicit auctor. Certus, inquam, non tantùm de honestate formali sui actus, verùm etiam de honestate illius objectiva; nempe judicio illo practico judico, usum illius opinionis esse honestum; igitur certus sum de honestate usus, qui duo importat nimirum operationem, & illius objectum; igitur ratione utriusque honestus est; repugnat enim, certò judicari usum esse honestum, id est, talem actionem, circa tale objectum versantem, nisi prædictum judicium honestatem utriusq; conjunctim attingat, unde ruit subtilior argumentatio auctoris, qui vult honestatem objecti esse ambiguam; in quo errat, nempe honestas usus certa est, non ambigua; illa autem, utramque, nimirum formalem & objectivam, complectitur.

30. ANTIM. Mirum est, eum alioquin non adeò difficilem ab istis hominibus non videri; assero, v.g. pactum trium contractuum non esse usurarium; judico, hanc assertionem esse verè ac certò probabilem; igitur certò prudentem, igitur tam formalem, quam objectivam; cum repugnet unam esse sine alia; unde judico, illius usum certò prudentem & honestum esse, idque tum formalem, tum objectivum: licèt enim probabile tantùm sit verum esse, est tamen certum, quod sit probabile, seu probabiliter verum: unde probabilis est veritas, at certa probabilitas illius objecti: igitur certa prudentia, igitur certa honestas.

31. PITHANOPH. Si hæc propositio, vel assertio, vel opinio, *tale pactum non est usurarium*, est tantùm probabilis, etiam hæc. *tale pactum non est illicitum seu peccaminosum*, erit tantùm probabilis: igitur probabiliter tantùm est abesse peccatum, igitur non certum: judicium igitur illud practicum, quo judico, me non peccare, si utar tali pacto, non est certum: nempe eodem modo judico abesse peccatum, quo judico abesse usuram: sed judico tantùm probabiliter,

habiliter abesse usuram; judico igitur probabiliter abesse peccatum: hæc mihi satis difficilia esse videntur.

32. Antim. Tu quoque, Pithanophile, confundis judicium speculativum cum practico; cum tamen judicium speculativum differat; nempe objectum speculativum ab alio differat; nempe objectum speculativum est veritas objectiva; nimirum, quod huic pacto usura non insit; practici verò est honestas usus talis pacti; nimirum, quod usus talis pacti sit prudens, ac proinde honestus, ac proinde à culpa immunis; vides, ni fallor, quantum unum ab alio differat; unde non mirum est, si judicium speculativum sit tantùm probabile, practicum verò certum; ac proinde si probabile tantùm sit, abesse usuram à pacto speculativè considerato, in suis puris terminis, ac proinde præscindendo ab electione, usu & praxi: certum verò, abesse peccatum ab illius usu & praxi: unde fatium est illud quod dicebas, *eodem modo judicandum esse peccatum à tali pacto, quo judico ab eo abesse usuram*: nam diversa sunt judicia, primum enim cadit in usum talis pacti, & est practicum certum; per quod scilicet judico, usum illum esse prudentem, ac proinde ab eo peccatum abesse; & vero cum peccatum ab usu præscindi non possit, judicium illud quò judico abesse peccatum, fertur necessariò in usum & praxim talis pacti; aliud verò judicium, quo præscindendo ab usu, judico, abesse usuram à tali pacto, speculativum scilicet, cadit in nudum pactum, in puris suis terminis consideratum, quibus non ineſſe usuram, probabiliter, ac proinde prudenter assero & credo: unde non mirum, quod judicium istud speculativum sit tantùm probabile, illud verò practicum certum, quod scilicet ex alio speculativo, sed modali & relativo certò necessariò sequitur, nimirum ex eo, quod judico illam opinionem esse verè probabilem & prudentem, unde sequitur, electionem illius prudentem, item usum prudentem esse; hæc sæpè ac sæpius mihi inculcata fuerunt, quare ne mihi quæso vim inferas, his negotium facessas, & in futili ludas æquo.

33. Pithanoph. Rem prorsus intelligo; unde falsum auctor, quando negat, stante opinione tantùm probabili, honestatem operationis certam esse non posse, quia certum est, usum illum esse prudentem, unde honestum, id est, pactum illud, à quo usum abesse, probabiliter judico, esse honestum, licitum, peccato immune, nimirum ad praxim deductum, unde in illo usu, praxi, operatione, certa honestas desideratur, tum formalis, tum objectiva, tantum una sive alia esse potest, eaque terminat judicium practicum; igitur probabile tantùm est, abesse usuram à tali pacto nudè & in puris terminis sumpto; certum verò est, ab eo ad usum reducto abesse peccatum. Unde est honestum objectum, ac proinde licitus usus & honesta operatio: sed ad caput 12. tendimus, in quo auctor eadem, quæ suprà repetit; nempe opinionem notabiliter probabilem esse moraliter certam, quatenus non habet ab alia parte minùs probabili aliquid, sibi moraliter contradicens, seu secum pugnans in terminis, cum enim illa pars, quæ minùs probabilis dicitur, sit etiam probabilis, ac proinde gravi motivo freta, hoc certè probabiliorem contradicit, ut perspicuum est; eodem enim modo, quo unam partem veram, & oppositam falsam admittit; igitur una alteri semper contradicit; non tamen semper aliquid convincens; ac proinde quod probabiliter refelli non possit; unde vel utraque probabilis est, vel neutra, sed altera certa, opposita verùm probabilis. Illud porrò quod addit, *num.* 2. certitudinem illam haberi posse in omni agibili, petitam scilicet à mediis extrinsecis, qualia sunt DD. auctoritas, usus, consuetudo, præscriptio, præsumptio, possessio, tolerantia, exemplum, &c. falsissimum esse constat; cum hæc eadem media utrique parti sæpè ac sæpius conveniant; utramque autem certam nemo dixerit; cum vel unius partis certitudo, alterius non modò certitudinem, verùm etiam probabilitatem expugnat. Ex his autem patet manifesta prædicti ratiocinii ruina; licèt enim nonnullæ sint in moralibus certæ moraliter sententiæ, quæ scilicet non probabilibus tantùm motivis, sed certis & convincentibus, ut ajunt, nituntur, quo fiat, ut iis oppositæ probabiles non sint, innumeræ tamen restant opiniones utrimque certò ac verè probabiles, plus æquè, minùs, quarum certitudo, à doctis hominibus obtineri nequit; quid igitur facient docti homines in hujusmodi angustiis? probabilitas satis non est ad rectè operandum, certitudo nequit obtineri; quid quæso in hoc casu agendum? nec dicat auctor, facilè haberi posse certitudinem, quam Deus promisit eam inquirentibus; sancti enim juxta atque docti homines diversa, in moralibus, ut plurimùm sentiunt, ii tamen sapientiam inquirunt: crede mihi, Antime, interdum accidit, quosdam homines humanis studiis actos, in eas angustias conjicere sese, à quibus cum expedire se non possint, multa absurda deglutire coguntur, quæ non modicum Christianæ Reip. afferunt detrimentum.

34. Antim. Intelligo, quid tibi velis; facilè auctor essem iis hominibus, ut immites in seipsos ac severissimi essent, nec desunt Sanctorum exempla, quæ imitentur, at verò quod in alios severiores sint, quàm oporteat, probare profectò non possum, cum & charitati & sæpenumero justitiæ rigida illa agendi ratio plurimùm adversetur. Profero exempla: vidua quæpiam pauperula, etsi multa prole dives, præsentes habet suæ dotis pecunias, & nihil aliud, unde familiam suam alat; super hoc, me consulit, atque, nihil aliud sibi occurrere, nisi ut mercatori cuidam det suas pecunias, inito cum illo pacto trium contractuum; rogat, an licitè pactum illud inire valeat; quid tandem respondebo? an dicam, licitum esse? sed est mihi tantùm opinio probabilis, & si huic auctori credimus, citra certitudinem judicii speculativi, agere non licet; an verò dicam, illicitum esse? itane verò, pauperculam illam privabo jure saltem probabili, utendi hujusmodi pacto, quo ipsa gaudet? nullus enim negat, quin probabile sit, ne dicam, ut dixi aliàs, moraliter certum, opinione verè probabili ad praxim uti; an fortè, ut meis commentis & factioni studeam, tam iniquum aliis esse oportet? dii meliora.

35. Pithanoph. Religioni ducerem, ita me gerere; sed observasti, opinor, auctorem istum graviter de illis expostulare, qui pro novatoribus eos traducunt, qui opiniones probabiles exagitarunt; nemini certè cuipiam, vel detractum, vel afflictum velim; hoc tamen dissimulare non possum, illos contrà morales Theologos malo fine acerbissimè scripsisse, Petrum Molineum in hoc, uti etiam in aliis sequutos; item nonnullos ex iis, qui eodem stylo scripserunt, arcani fœderis societate, cum iis conjunctos fuisse; nominibus auctorum parco, quia notoria sunt. Item eos, qui peccatorum Elenchum multiplicant, in id cum iis eniti, ut multos à salute arceant; quid quod si fortè fœdus cum iis immediatè ut ajunt, non ineare, cum iis tamen factione saltem conjuncti sunt, qui novatoribus per se adhærent; uno verbo, in hoc saltem

saltem adversarii nostri cum illis consentiunt, quod scilicet opinionem probabilem è medio tollant; quamvis alioquin ad agendum necessariam; cum in multis ac ferè innumeris certitudo etiam moralis obtineri non possit, illi verò gratiam sufficientem etiam necessariam, si enim hæc desit, præcepta Dei sæpè ac sæpiùs sunt impossibilia: sed hæc mittamus, quæ ad rem nostram parùm faciunt; unum attestari contentus dictum illud Augustini ab iis non semel usurpatum, *crimina sua, infamatis aliis, tegere cupiebant*, &c. quod de Donatistis scriptum reliquit, *epist.* 102. contra Donatistas, in nos minimè quadrare: quis enim Theologorum moralium, vel mutiebat eo tempore, quo primùm Wendrockius, ac deinde Baro, aliique, quorum nominibus parco, tàm acerbè miseros Casuistas exceperunt, ut ab Heterodoxis nunquam acerbiùs excepti fuerint.

36. ANTIM. Sed pergamus Cap. XIII. ad quæstionem grammaticalem refertur; vult enim auctor, certum moraliter etiam probabile dici posse; sed cum bona illius venia, hæc duo sunt repugnantia: certum enim excludit formidinem, probabile includit formidinem; hæc amabò conciliet, si potest, & simul copulet contradictoria; eodem recidit illud, quod subnectit, nimirum, hæc tria, fidem humanam, opinionem probabilem, & moralem certitudinem generari ex probabilibus; quod falsissimum esse constat: nam ex probabili sequitur & gignitur tantùm probabile, & certum ex certo: in hoc quidem conveniunt fides humana & opinio probabilis, quod utraque dicat formidinem; differunt verò eo quod hæc motivis etiam intrinsecis, illa verò extrinsecis nimirum auctoritate dicentis nitatur; cum tamen certitudo ab utraque differat in eo, quod formidinem excludat: sed hæc adeò sunt facilia, ut Tyronum captum non excedant.

37. PITHANOPH. Quæso, per te mihi liceat sequens Caput XIV. obiter excutere, ubi dicit auctor, id quod certum est moraliter, probabile appellari. Aristoteles, inquit, 1. *Eth. cap.* 1. loquens de scientia morali & modo, quo in ea proceditur, hæc habet: *Oportet, veritatem figuraliter ostendere*, id est, ut interpretatur D. Thom. *verisimiliter & probabiliter, quia probabile est, quod est simile vero*: Sed, inquit, scientia moralis procedit ex certis: textum illum depravat auctor, cum S. Doctor illas voces non habeat, *probabiliter probabile*; cur ergo illas addidit? deinde, ut non nego, aliqua in morali scientia esse moraliter certa, & fortè pauca, ita pro certo habeo, plurima esse probabilia tantùm, cum de omnibus ferè disputetur. Alter locus excerptus ex Aristot. *lib.* 1. *Topic. cap.* 1. *& opusc.* 39. *S. Thom. de fallac. cap.* 2. ab auctore etiam falsatus est; sic enim auctor, *probabilia dici, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel præcipuis, vel maximè notis*. Ita autem Philosophus, *probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his, vel omnibus, vel plerisque, vel maximè claris & notis*. Sic etiam D. Thom. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus vel pluribus, vel sapientibus, aut omnibus, vel præcipuis & maximè notis. Sapientibus*, inquit, uterque, iisque, nimirum sapientibus, vel *omnibus*, vel *notis & claris*, nimirum doctis, quales sunt Auctores Classici, ut vocant, cur hæc omisit? deinde illud *videntur*, Græcè δοκοῦντα à δοκέω, quod significat, *videor, appareo, opinor*, observandum erat, quod scilicet formidinem non excludit; sed, inquit auctor, hæc sunt moraliter certa; distinguendum sanè est, si asseveranter ab omnibus statuantur, adstruantur, & ab eorum plurimis certò, & absque dubitatione, v. g. quod sit Constantinopolis, aut Pechinum apud Sinas, concedo, esse moraliter certa, secùs verò, si omnes cum dubio loquantur, quamquam fieri vix potest, ut res aliqua dubia sit, & ab omnibus adstruatur: profectò ante 200. aut 300. annos multa communiter jactabantur, in Philosophicis, Theologicis, Astronomicis, Opticis, quæ jam ab omnibus, si non falsa, saltem minùs probabilia reputantur: tertius locus est D. Thom. 1. *poster. in proœm. Sit fides*, inquit, *vel opinio, vel probabilitas, in quibus ratio inclinat in unam partem, cum formidine alterius*: Sed fides, inquit, certitudinem moralem aliquando facit; esto, igitur & opinio, negò consequentiam: deinde fallavit etiam hunc S. Thomæ locum, omisit enim illud, *propter probabilitatem propositionum, ex quibus proceditur*: imò ex hoc loco destruitur omninò doctrina ab auctore suprà tradita, quod scilicet, nulla restet formido, quando intellectus totaliter declinat in unam partem contradictionis, quamvis S. Doctor dissertè addat, *licèt cum formidine alterius*; alioquin si non totaliter, *non est opinio*, inquit D. Thomas, *sed suspicio*. Quartus est Sylvestri, *verb. probabile*, ubi postquam diversos modos expositset, quibus aliquid dicitur probabile, addit, secundùm Cancellarium, *probabile dici, moraliter certum, quia certitudo moralis contingit ex conjecturis probabilibus, grossis & figuralibus*. Dubitari non potest quin certum tantùm moraliter, sit probabile Physicum, & potiori jure Metaphysicum; nempe is, qui moraliter certus est, probè advertit, fieri non posse moraliter, ut fallatur, quod ad prudens judicium practicum reverà satis est; sic autem Sylvest. & Cancellarium explicandum, esse, ducimus, sed hæc nihil ad nos; si enim una pars est certa moraliter, altera probabilis moraliter dici nequit; stante igitur ista verè probabili, etiam minùs, fieri non potest, ut illa moraliter certa sit. Quintus locus est Thom. Sanchez, *in summ. lib.* 6. *cap.* 3. ubi dicit, nos tantùm *obligari ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur*: ita est prorsus; nam si est opinio verè probabilis, judicium practicum certum est, saltem moraliter, ut suprà sæpè docuimus; dixi saltem moraliter, quia non rarò est certitudo Physica, aut Metaphysica, ut quando judicium practicum est certum, vel ex assensu divinæ fidei, vel ex principiis evidentibus.

38. ANTIM. Antequam ad aliud Cap. gradum faciamus, observo in eo textu Aristotelis excerpto ex *lib.* 1. *Topic. cap.* 1. expressè legi, ea nonullis videri probabilia, quæ tamen probabilia re ipsa non sunt, quod aliàs dixisse memini, nonnullis licèt refragantibus, qui esse & videri probabile, idem esse putant: observo item, hanc vocem *probabile* apud nonnullos antiquiores ab octingentis circiter annis, idem sonare ac *probatum, legitimum, authenticum*, sic dicuntur scripturæ probabiles, loca Patrum probabilia, &c. observo demique, judicium illud practicum circa usum opinionis verè probabilis esse quidem certum moraliter, quia sequitur ex alio moraliter certo de probabilitate opinionis, assensu prudenti, electione prudenti, &c. posse tamen novum judicium quasi reflexum inde formari, quo, certò judico, stante illo primo judicio practico, seu proxima regula operationis humanæ, fieri non posse, utpecem, dum illam actionem elicio, circa quam primum illud judicium practicum, seu dictamen rationis versatur; fieri non posse, inquam, non tantùm moraliter, sed etiam physicè & metaphysicè; licèt autem

autem hoc secundum ac reflexum judicium elici quat, non est tamen necessarium ad rectè agendum; imò est potiùs speculativum, quàm practicum, continetum scilicet in illo principio universali ac certo metaphysicè, quisquis cum recto ac certo moraliter dictamine rationis operatur, non peccat. Itaque mera quæstio erit de nomine, si id, quod est tantum probabile, certum moraliter auctor appellari velit; imò mera esse videtur abusio vocis; nemo tamen negat, quin grave & gravius, probabile & probabilius dari queat; & verò ut intellectus assentiatur minùs probabili, cum formidine, ne fallatur, ita & probabiliorem eum eadem formidine, quæ potest esse major & minor: unde, si omnis formido absit, assensus certus est, moraliter quidem, si formido moderate tantùm absit, id est, ita intellectus moraliter efficax esse videatur, ut formidare, seu dubitare non videatur; physicè verò, si formido physicè absit. Ergo, Caput etiam XV. refutatum manet; licèt enim actus specie distincti circa eandem materiam versari possint; quis hoc neget? si tamen motivum actui tantum probabile, vel tale reputatur, fieri nequeat, quidquid auctor dicat, assensum alium à probabili esse: sed, inquit, eadem motiva diverso modo applicata diversos actus specificant; quid quæso est, *diverso modo applicari*, eadem scilicet? relata, inquit, ad partem oppositam, & absolutè; sed hoc jam suprà refutatum est, & dictum, manere semper intra vim intra fines probabilitatis, sive majoris, sive minoris, sive æqualis, stante scilicet vera & certa probabilitate partis oppositæ; ac proindè actum probabilem non certum ab iis specificari, nisi quis per errorem contra illa certa reputet; de quo casu non est quæstio, nempe de probabilitate & certitudine objectivè agimus.

39. Pithanoph. Repetit auctor *cap. 16.* quidquid suprà dixerat, & in summam redigit, & quidem asserit, minus probabilem in concursu probabilioris notabiliter non sufficere, ad hoc agendum; & vult, hanc esse mentem S. Thomæ à Mercoro explicatam; sed jam ostensum est supra, non uno loco, S. Thomam à nobis stare juxta explicationem S. Antonini, Sylvestri, & aliorum discipulorum Thomistarum; hæc etiam impugnat Stephanus Spinulæ explicationem, qui sanè nostra defensione non indiget; sed quæso, mirare totam auctoris assertionem, quæ mihi videtur continere repugnantia: *Opinio probabilis, qua probabilis, affirmativa licita, hic & nunc, in concursu notabiliter probabiliori oppositæ, hac relicta, & consequenter in æquilibrio, & quasi æquilibrio probabilitatis, quæ placuerit, sit in praxi, non est sufficiens operanti bene dispositio, ad rectè operandum.* Oedipo certè mihi opus est; si enim agibile licitum, licitum est igitur, operari circa illud; illa igitur opinio est sufficiens ad licitè ac sine peccato agendum, deinde si altera opposita est notabiliter probabilior, non restat æquilibrium probabilitatis, id est, æqualis utrimque probabilitas; prætera si probabilior relicta dicitur, minùs probabilis electa dicenda est; unde cessat æquilibrium assensus; constructio denique totius contextus difficilis mihi videtur.

40. Antim. Mittamus hæc, si enim in his hæreamus, nunquam finem huic argumento ponemus, vix enim paginam legeris, in qua hujusmodi verborum & totius contextus summam obscuritatem non invenias, v.g. quæ habet *pag.* 139. & sequentibus, *de honestate materiæ, per modum objecti; de distinctione materiæ ab objecto specificativo actionis honestæ, in esse honesto, seu quod idem est, materiæ in esse materiæ, & in esse objecti, seu per modum objecti specificativi actus, &c.* Rides Pithanophile.

41. Pithanop. Quis amabò ad hæc risum contineret? quæ in re alioquin facili, densissimas tenebras præferunt; quis enim nescit, omnem assensum duo dicere: primum est, objectum ipsum materiale, id est, ipsa propositio, enunciatio, assertio, conclusio, v.g. hæc, *pactum trium contractuum non est usurarium*; quæ semper constat ex subjecto & prædicato; illud quidem per modum materiæ, hoc verò per modum formæ: alterum est motivum, vel objectum formale, ex quo hanc conclusionem deduco; seu, vi cujus, assentior huic propositioni objectivæ; quod si certum sit & indubitatum, assensus certus est; si verò probabile tantùm, id est, grave, rationabile & sufficiens ad prudenter assentiendum, assensus est tantùm probabilis; unde assensus specificatur ab objecto formali, seu à motivo, eoque totali & adæquato, quod illa omnia comprehendit, quibus non perpensis & consideratis, prudenter assentiri non possum, sed temerè, ut jam suprà dictum est; quare, si motivum adæquatum non rapit intellectum, non est evidens & certum; quale profectò non est, quamdiu partis adversæ motivum grave est, & rationabile; haud dubiè restat intra fines meræ probabilitatis, & assensum tantùm probabilem specificat, sed ut par referam pari: alteram ejusdem auctoris assertionem, quæ legitur, *pag.* 145. tibi repono, quam si mihi explanaris, mihi eris magnus Oedipus, imò magnus Apollo. Sic autem habet: *Doctrina, quæ assumitur ad honestè operandum, sufficit, si sit moraliter certa, seu, quod idem est, probabilis impropriè, probabilis formaliter, ut ad praxim; & ita ut de agibili hic & nunc, opinio probabilis in concursu cum altera improbabili, sit licita minùs probabilis affirmativa, in concursu cum altera negativa, notabiliter probabiliori, illicita in æquilibrio, & quasi æquilibrio probabilitatis, respectu ejusdem operantis, tutior pars sit eligenda.* Quam multa quæso repugnantia; si est probabilis formaliter, cur dicitur certa? cur probabilis impropriè? si est opinio probabilis in concursu cum altera, nimirum oppolita, cur hæc dicitur improbabilis? deinde quomodò dicitur minùs probabilis affirmativa licita in concursu, cum altera negativa notabiliter probabiliori illicita? omitto æquilibrium illud probabilitatis, quod jam ponderasti: voluit tantùm dicere auctor, probabiliorem notabiliter esse tenendam, quia certa est; stante verò æquilibrio, id est, neutra stante notabiliter probabiliore, tutiorem esse eligendam.

42. Antim. Sed pergamus: vult enim auctor, *num.* 12. argumenta, quibus hæc doctrina probatur, esse omni ex parte convincentia; vel unum convin-

convincens libenter acciperem. Remittit nos ad D. Fagnanum, sed hunc brevi conveniemus; rejicit autem, quod nostri dicunt, iis dumtaxat argumentis convinci, dictamen rationis certum esse debere, non verò judicium prævium, nimirum assensum speculativum ipsius opinionis; vult enim, hoc judicium prævium, etiam certum esse; quia in syllogismo dictaminis continetur, id est, quia ex illo dictamen sequitur; unde certum esse concludit, cum certum ex certo tantùm sequatur: sed in hoc fallitur, ut jam suprà ostensum est; si enim sic procedat ratiocinium, pactum trium contractuum non est usurarium, igitur non est illicitum; probabile tantùm sequitur ex probabili; unde ex vi illius antecedentis, consequens erit tantùm probabile, igitur quatenus certum est, ex illo assensu probabili non sequitur, sed ex alio judicio certo, nempè ex certò prudenti assensu, sequitur certò prudens usus; sed prævius ille assensus est certò prudens, quia est certò probabilis; igitur ex eo sequitur certò prudens usus; igitur indè certò judico, usum esse prudentem, ac proinde honestum, id est, me non peccare hic & nunc; & hoc est dictamen, quod est proximum directivum operationis humanæ; at verò dictaminis directivum non est prævium illud judicium probabile, de quo suprà, sed aliud certum, ut dixi, quod miror ab Adversariis hucusque dissimulatum fuisse; ex quibus probè intellectis, illa omnia corruunt, quæ reliquo capite auctor disputat.

43. Pithanoph. Sed illud præ cæteris mirum videtur, quod dicit, *num.* 18. dictamen illud formaliter sumptum & immediatè directivum humanæ operationis esse *infallibiliter* certum, id est, non physicè modò, verùm etiam metaphysicè; at verò moraliter tantùm, quatenus sequitur ex prævio judicio moraliter certo; dixi hoc mirum esse, quia quatenus est certum infallibiliter, vel est per se notum, & hoc non, ut patet; vel ex alio sequitur, & hoc non, quia sequitur tantùm ex moraliter certo; dicit, hoc habere ex modo tendendi in suum objectum, quod est verum ut verum; hoc certè mirabilius est, quia intellectus tendit in quodlibet objectum sub ratione veri, id est, in verum, ut verum; igitur in hoc actu, diversus non est ab aliis tendendi modus; deinde vel ille tendendi modus pendet ab arbitrio, & hoc non; quia quantumlibet conetur voluntas, non potest naturaliter determinare intellectum ad talem tendendi modum, quo eliciat actum certum circa objectum, sub probabilibus dumtaxat motivis propositum; vel non pendet ab arbitrio, sed à motivo, quod cum ab auctore statuatur tantùm moraliter certum, ex eo talis tendendi modus non sequitur, quo intellectus actum eliciat infallibiliter certum. Equidem, ut supra dicebas, per actum reflexum, hoc judicium physicè certum elicere possum, quod is, qui secundùm dictamen conscientiæ moraliter certum agit, non peccat, quia in moralibus Deus ab hominibus nihil aliud exigit; ac proinde me non peccare, dum hîc & nunc illum contractum ineo, cujus usum honestum esse judico, per dictamen moraliter certum: nonnulla deinde habet de prudentia, sed hæc nihil ad rem, aut præsentem quæstionem; licèt enim prævium judicium sit probabile, hoc tamen non obstat, quin verè prudens dicatur; nempe cùm certò constet adesse motiva gravia, & rationabilia, ac proinde sufficientia ad prudentem assensum, illud judicium quo judico hîc & nunc, dictum assensum eliciendum esse, est actus prudentiæ, & dictus assensus probabilis, objectum prudentiæ, unde prudens denominatur pari modo cùm certò constet, usum talis opinionis esse tutum, & à peccato immunem, & ex aliis circumstantiis, habeam, ad finem propositum, honestum scilicet, obtinendum conducere, judico, tali opinione hic & nunc utendum esse; quod judicium est actus prudentiæ, isque certus; usus verò illius objectum, unde prudens appellatur, sed frustra in his quæ clara sunt.

44. Antim. Quod tandem ultimo loco addit, nimirum *n.* 23. & 24. gratis imò perperam dictum videtur; vult enim dictamen formaliter sumptum, non habere suam certitudinem à judicio illo prævio, secùs verò materialiter sumptum; sed quæso, unde habet certitudinem suam, quatenus formaliter sumitur? nos certè rem hanc facilè omninò explicuimus suprà, nec solis verbis contenti, rem ipsam præoculis posuimus; sed quid mirum, si ex judicio prævio, nimirum ex assensu illo speculativo, judicium practicum certum infallibiliter, ut vocat, deduci non potest, cùm ex eo, utpotè tantùm probabili, judicium practicum certum moraliter sequi non possit; sed ad caput XVII. descendamus, quod reverà auctor omittere jure poterat, in quo scilicet ex Theologis moralibus per intolerabilem calumniam imponit, quæ D. Augustinus Academicis exprobrat.

45. Pithanoph. Hæc eadem contra Jesuitas Wendrockius exscripserat, *not. in Epist. 5. sect. 3. §. 6.* eumque Stubrockius breviter quidem, efficaciter tamen refutarat: nam Academici 1. merum verisimile probabile esse, volebant; quod reverà nobis satis non est; licèt enim omne probabile sit verisimile, non tamen vicissim omne verisimile probabile est. 2. id tantùm curabant, non quod reverà & indubitanter probabile esset, sed quod probabile cuique videretur, ut constat ex ipsismet Augustini verbis; aliud autem est esse verè probabile, aliud videri cuipiam probabile, ut suprà ex Aristotele innuimus, exprompto diserto illius loco. 3. in quacumque materia, religionis, fidei, morum, & legum, volebant, quemlibet id totum adstruere posse, aut negare, quod ipsi, aut cuilibet alteri videretur, quo certè, quid magis alienum à Catholicorum sensu esse queat, reverà non video. 4. nullum unquam assensum præbebant Academici, nescilicet errarent; licèt ea facerent, quibus minimè assentiri vellent; nos verò prudentem assensum præbemus; quando scilicet motivis gravibus & rationabilibus opinio constat; cùm tamen illi quælibet motiva etiam levia æquè admitterent, & omnia illi probabilia, & nihil certum esse docebant, idque in qualibet materia; nos verò illa omnia, quæ ad religionem & fidem pertinent, certa esse tenemus; item in moralibus nunquam sine judicio practico certo, delicita actione, agendum esse dicimus; quod etiam stare non potest, sine judicio certo, probabilitatis, prudentis assensus, electionis, &c. præter innumerabiles demonstrationes Geometricas; quibus addo omnia Physica experimenta, à sensu non vitiato, aut impedito, sed rectè atque, ut par est, applicato comprobata, quæ certa physicè esse constat; nihil igitur nobis cum Academicis, quibus, quid quisque teneret, atque probaret, quid cuique probabile videretur, vel improbabile, perinde fuit; ac proinde illi omnia indiscriminatim approbabant simul, & improbabant.

46. Antim. De Wendrockio, mirum forte esse non debet, quid enim mirum, si Jesuitas & Doctores Catholicos suis infamet & laceret calumniis, eosque pro Academicis, Scepticis, imò Atheis diserè

traducat,

trahat, cum fidem ipse ac religionis sacrarium impune non vereatur, & illius calculus de regula morum nullius momenti censendus sit; ut pote qui eam tribuat, dicat, & faciat, quæ apertè constat male, immo pessima, à nullo unquam Catuista, etiam laxissimo non dicam approbanda, sed ne eadem toleranda; nempe infinitam pene libellorum famosorum vim edere, ac solicitè, multiplicatis etiam editionibus, spargere, mille calumniis, impostu-ris, convitiis & falsimoniis scatentium, errores ab Ecclesia damnatos defendere pertinaciter, omnia miscere factionibus, nullum, non movere lapidem, contra Ecclesiam Apostolicam, eidem præfractè obsistere, ac rebellare, refragari, ac bellum movere, alios ab observantia in eam, malis artibus, amovere, omnia denique agere, per summam audaciam, qua fiat, ut nec Episcopis, nec Principibus, nec Regibus, nec Summis Pontificibus eorum furor pepercerit: At quod Catholicus auctor piissimis & doctissimis scriptoribus, quos haud dubiè suspicere ac vereri deberat, Academicorum sensa & mores imponat, minimum omnium flagitiorum auctores illos faciat, ut sincere dicam, quod sentio, nunquam in mentem alias mihi cecidisset, aliquando id factum iri.

47. PITHANOPH. Locus S. Thom. quem subnectit, *num. 8. in quæst. 14. de veritate art. 1.* excerptus, jam à nobis supra discussus & explanatus est; nemo enim negat, dari assensum opinativum, id est, cum formidine oppositi conjunctum, unde quando S. Doctor *loco citato*, negare videtur opinantis assensum, intelligi debet de assensu certo; constat autem, opinativum certum non esse; quod autem intellectus non feratur per assensum opinativum in objectum, sub ratione veri, repugnat in terminis; nam intellectus in suum objectum sub tali ratione fertur idque duobus modis, primo fertur firmè ac certò, id est, absque formidine, quod falsum esse queat; secundò probabiliter, ut sic loquar, id est, cum tali formidine: hoc tamen non facit, ut hic assensus sit indifferens, ad verum & falsum; sit verus, vel falsus sit per se necessariò, licèt quo ad nos disjunctivè, nec fieri potest, ut si verus est; falsus esse possit, & vicissim, quod autem ut concludatur, doctrina nostra cum doctrina Academicorum conveniat, tam falsum est, quam quod maximè falsum; nam præter quinque aperta discrimina prænumerata; eaque, ut vocant substantialia, multa etiam alia recenseri possent, nam præterquam quod Academici certam probabilitatem nullam agnoscebant; ac proinde nullam certam prudentiam, ac certò prudentem electionem, nec dictamen certum rationis; quamlibet ipsi probabilitatem, etiam dubiam, & levissimis fultam motivis ad agendum adhibebant; immo nihil certo improbabile admittebant; omnia igitur dubia humana, divina, sacrosancta, bona & mala, unde nulli prorsus rei agendæ prudenter præberi posse dicebant, nos autem quam multis certum assensum præbemus; quam multis assensum cum formidine, opinativum? quem certe quisquis negaverit, lucem non videt de meridie; imo fidem omnem humanam è medio tollit, libertati hominis, quæ ad hunc assensum intellectum determinat, non modicum vulnus infligit; cui forte hujusmodi hominum præcipuus finis est, non certè scopus, novatorum saltem, Sinnichii, Vinnii, Baronii, &c. nec est, quod assensum opinativum à Doctore Angelico negari, auctor dictat; quæ illa sancti Doctoris verba supra recitavimus, ex quibus contrarium constat; nempe illud unum dumtaxat negat, opinionis assensum certum esse; idque appositè omnino; quia reverà semper est cum formidine conjunctus; imò cessante formidine, cessat opinio.

48. ANTIM. Libenter ex auctore isto quærerem, utrùm omnia, quæ ab ipso tradita, scripta & explicata fuerunt, in libris, pulpitis, cathedris, certa & indubitata esse putet, vel tantùm probabilia, majori saltem ex parte; si primum, vel ipse hallucinatur, qui probabilia & multa fortè improbabilia pro certis venditat; vel omnes ferè alii, qui contraria sentiunt, turpiter errant: vix autem sibi quispiam persuaserit, hunc unum sapere, reliquos omnes æquè doctos, & plerosque fortè doctiores hallucinari: si verò probabilia tantùm reputet, vix scio, quomodò is eximatur culpæ, qui tam multa verbo & scripto adstruit, quibus tamen minimè assentitur: si quis diceret exteriùs, *credo in Deum*, interius tamen diceret, se non posse credere; quo amabò epitheto illum honestandum esse, putares Pithanophile? nunquid hoc non est contra mentem loqui? dico *credo*, & non credo; dico, *verum* est, & sentio, indifferens esse ad verum & falsum. Quod autem Academicis auctor attribuat, sub finem *numer. 10.* judicium certum de honestate suæ operationis, illorum principiis penitus adversatur, ex quibus, nihil certum esse dicebant: fabulosum igitur & fictitium discursum iis affingit. subnectit demum, ad invidiam, opinor, tritum illud, quod scilicet, quis sequi possit in praxi opinionem illi oppositam, quam ipse tenet; nec enim hoc dicimus, nisi utramque opinionem verè probabilem esse, certò constet; cum tamen Academici de re quapiam ab alio quamvis temerè adstructa, hoc ipsum dicerent; unde si, ut nobis immeritò sanè imponit auctor, Academicorum doctrinam in hoc sequeremur, stare possemus dictis cujuslibet Hæretici, Calvini, Lutheri, Mahometis, Arrii, &c. facilè retorqueretur argumentum, nisi me Christiana charitas retineret; quid enim ex dicta libertatis humanæ violatione absurdi, turpis & impii deduci, & per necessarias consequentias inferri non posset? Sed abstineo, illud unum minimè dixisse contentus, ab ipso dissimulatum, vel minimè intellectum fuisse, id, quod dicimus, nimirùm judicium practicum certum non sequi directè & immediatè ex judicio prævio speculativo, tantùm probabili, quod est de veritate probabili objecti, verbi gratia, quod pactum toties appellatum non sit usurarium; sed ex certo modali de probabilitate, & prudentia dicti judicii speculativi; quo semel intellecto, nulla prorsus super hoc restat difficultas.

49. PITHANOPH. Observa quæso, quid nobis affingat, *num. 16.* nimirum, doceri à nobis, operantem licitè operari, quamvis improbabile judicet, materiam operationis licitam; quis unquam talia? si enim judicet oppositam suæ opinionem improbabilem, ergo suam non jam probabilem, sed omnino certam reputat; quis autem eum licitè operari dicat, cum conscientia certa de oppositò? sed videamus, quomodo arguat contra nos ex August. *n. 17. qui nihil approbat, nihil agit.* esto; quàm multa approbamus, id est, quam multis assentimur, probabiliter quidem, opinando; is est assensus probabilis, seu judicium speculativum, quod sine absurdo negari non potest, certò verò, probabilitati, prudentiæ assensus, electionis, usus dict. opinionis, imò & sufficientiæ, ut sic loquar, motivorum ad assensum prudentem; adde judicium

reflexum, metaphysicè certum, quod is non peccet, qui ex dictamine rationis certò agit: *Sed quomodò*, inquit Aug *lib. 3. contra Academic. c. 15. potest istud probabile ac verisimile actus nostros ab errore defendere*? adhibet auctor punctum interrogationis, quod mutat sensum, sic enim loquitur August. *cum otiosus diu cogitassem, quonam modo possit istud probabile ac verisimile actus nostros ab errore defendere; primò visum est mihi, &c.* Academicis enim initio adhæsit, at deinde contrarium amplexus sic concludit, *non enim solùm puto eum errare, qui falsam vitam sequitur, sed etiam eum qui veram non sequitur*; longè melius scripsisset *viam*, quàm *vitam*, ut constat ex iis, quæ statim sequuntur, *faciamus*, inquit, *duos viatores*, &c. quid quæso hæc contra nos? quasi vero dicamus, nulli rei assensum esse præbendum, uti Academici; quid hæc ad quæstionem nostram? quid ad verè ac certò probabilia moralia; quasi verò dixerit unquam August. omnia certò vera esse, & multa probabilia esse, negarit; quasi verò vera via non sit, quam certum rationis dictamen signat, & certa prudentia monstrat, in quo nec intellectus errare, nec voluntas peccare potest, etiam si fortè intellectus in judicio speculativo erraret, quo scilicet prudenter assentitur, quamvis cum aliqua errandi formidine; unde patet nos, Academicorum partes non sequi, qui omnem assensum prohibebant opinativum, cum tamen minimè negarent, præberi posse; unde auctor Academicos longè in hoc superat, qui assensum omnem opinativum è medio tollit, quod meo judicio dictu absurdum est: nec obstat, intellectum, ut dixi, falli posse in assensu illo probabili, *nec enim fortasse*, ut ait ibidem Augustinus, *omnis qui errat peccat*, nimirum voluntate; quis enim dicat, prudentem assensum peccatum esse? uno verbo, quisquis libros illos August. attentè legerit, quos ante baptismum ipse scripserat, nihil prorsus contra opinionis verè ac certò probabilis usum, in iis contineri reperiet, sed novatores, Baro, immo Lutherani, & Calvinistæ, falsatis, truncatis, aut male explicatis Augustini locis, errores suos confirmare nituntur, non sine maxima Sanctissimi Doctoris injuria.

50. ANTIM. Adverte autem, nunquam ab August. dictum esse, peccare illum, qui facit illud, quod est verè probabile; id est, gravibus & rationabilibus motivis fultum; sed tantùm illud quod videtur probabile; atqui ex dictis constat, quod aliud sit esse verè, & videri tantùm probabile, ut diserte testatur *ibid. cap. 16.* per totum; immo hujus capitis titulus sic habet, *facere quod videtur probabile, citra assensum, nefarium est*; & re ipsa juvenem illum ibi appellat, cui videtur probabile, adulterium malum non esse, quod certè verè probabile dici non potest; sed, inquit, *n. 22. & sequentibus*, in iis saltem casibus, in quibus est locus disputandi, valet Augustini argumentum, quibus, ut aliqui probabilitatem adstruant, ita non desunt, qui eamdem penitùs abrogent, cum bona hujus auctoris venia, unum dicam, ab eo scilicet dissimulari, verum & unicum hujus difficultatis cardinem; licet enim de quopiam contractu, v. g. diversi auctores diversa sentiant, & hi usurarium, illi verò non usurarium adstruant; hoc tamen non facit, quin tam hi, quàm illi utramque partem probabilem reputent; in quo hic auctor ferè semper hallucinatur: unde tum hi, tum illi certò & rectè judicare possunt, usum utriusque partis licitum & tutum esse; igitur à peccato immunem, si enim certò judicarent, peccatum inesse, inde judicarent, non esse verè 25 certò probabilem, cum tamen certò probabilem utramque statuant; unde non omne probabile liberat à peccato, sed verè ac certò probabile. Deinde idem argumentum contra probabiliorem partem retorqueri potest; nulla est enim ferè probabilior, quæ à nonnullis aut æquè, aut minùs probabilis non reputetur; igitur nec ipsa etiam probabilior eximit peccato, si opposita tutior est; quo argumento Baro censet, etiam in concursu probabilioris, minùs probabilem tutiorem eligendam esse: quod autem dicit Cornejus ab auctore citatus, nullum ferè contractum civilem esse, in quo non sit opinio damnans eum ut illicitum; ita est, non tamen damnat illum ut improbabilem; imò nec absolutè ut illicitum in praxi, sed tantùm speculativè & conditionatè, nimirum si est usurarius, est illicitus: nec enim ex hoc antecedente *contractus est probabiliter usurarius*, sequitur absolutè, *ergo est probabiliter illicitus*: nempe ut jam monui suprà, illicitum & peccatum includit praxim: ergo si praxis, vel usus est probabiliter illicitus, certò licitus adstrui non potest; cum tamen ex eo, quod certò probabile sit, non esse usurarium, certum sit illius usum licitum esse; unde sallitur auctor *num.* 25. ubi dicit à nobis concedi eundem contractum, quo ad praxim licitum & illicitum esse probabiliter: quis hoc dicat? nisi enim certò licitus sit, certò illicitus est, uti ex principiis suprà traditis explicuimus; falsum est etiam, quod dicit, à nobis concedi; nimirum in omnibus casibus reperiri semper probabile sufficiens ad honestè operandum, quod falsissimum est: nempe certò tantùm ac verè probabile ad hoc sufficit, & nullum aliud, nimirum incertum & dubium, certò autem probabile, ibi non est ubi utraque pars certò probabilis non est; unde fugimus illud absurdum, quod nobis immeritò imponit: nam reverà ut definiamus, utramque partem certò probabilem esse, multa prius disquirenda sunt & discutienda; dictamen autem conscientiæ à libero voluntatis arbitrio non pendet, cum nullum esse queat in materia probabili, nisi certo probabilem esse, constet, stante autem utraque certò probabili, necessariò ac certò judico, usum utriusque licitum & tutum esse; igitur licèt voluntas hujus, vel illius usum eligere possit, prout sibi placuerit, non tamen hoc vel illud dictamen imperat, sed hæc ut mitissimè loquar auctor dissimulavit, in gratiam Mecœnatis. Quod autem August. verum & certam probabilitatem, ex qua dictamen certum necessario sequitur, refutaverit, iis argumentis, quibus contra Academicos disputavit, absque manifesto errore dici non potest; cum enim Academici nihil certum esse, dicerent, certam probabilitatem minimè adstruebant; igitur certam probabilitatem August. adversùs Academicos refutandam minimè suscepit, ne dum re ipsa refutavit; sed tantùm incertam, creperam, & dubiam illam, qua probabile censebatur quidquid alicui probabile videbatur. Facessant igitur illi qui nobis Academicorum insaniam, & impietatem affingunt; nos iis potiore jure longè majora non quidem affingere, sed meritò exprobrare possemus; sed parcimus, ne recriminari videamur.

51. PITHANOPH. Addi fortè posset, August. ea scripsisse, antequam sacro fonte tinctus fuisset; decebat enim eo tempore Rhetoricam, nedum sacris & divinis literis instructus erat; unde non ideò difficile foret, Augustini argumentum solvere, quia non est dubium, quin Academici nonnulla admitterent rata & fixa; verbi gratia, illud, nulli rei esse assentiendum; hoc enim ipsi profitebantur; item illud, modo quis sustineret assensum, iis tamen officiis defungi

dolorigi debere, quibus vita civilis continetur; deinde varios probabilitatis gradus haud dubiè admittendos, atque adeò unum alio probabilius; non negabitur etiam, fuum esse prudentiæ locum, in eo, ab aliquibus, quod id, citra tamen assensum fieret, quod probabilius censeretur: hoc manifestè patet in exemplo illo ab August. *ibid. cap.* 15. adducto, duorum scilicet viatorum, qui suscepto ad eumdem locum itinere, in bivio, viæ ignari hærebant; alter autem erat Academicus, qui rustico viam monstranti cum eodem tam cito adhibere noluisset, uti socius, qui illum via illa inita ad destinatum locum pervenit, diabolo magis ingenuo, ut putabat, scitscitaretur, utra via ad dictum locum duceret, hic homini, non accepit; aliam viam monstrans, quam cum esset Academicus, à vera via deflectens destinatum locum minimè attigit; his præmissis, ex quibus totum argumentum tuum composuit, dubitabo, an non potest, quin prudentiùs egerit Academicus; quem neger, nobili & ingenuo viro, ut videbatur, ex dicto loco venienti, majorem fidem habendam esse, quam vili rustico, qui forte nunquam locum illum viderat; sed Academicus erravit à scopo, ut probavit eventus; ab eventu prudentia non pendet, ut notorium est; probabilius prudenter eligitur; licèt deinde fallat eventus; ad id porrò quod dicit, *non solum* illum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam illum, qui veram non sequitur, libenter quereren, utrum alia via sit, quæ sit nec vera nec falsa? nam ex eo quod vera non sit, necessariò non sequitur, fulsam esse; potest quis revera nescire, utrum bivio, utra vera sit; unde inquirere debet, ac deinde illam inire, quæ probabilior esse videtur; quo posito, prudenter egit; licèt alioquin viam fallam iniisset, atque error tantummodò materialis reputaretur, non formalis; & vicissim formalis, non materialis, si casu absque diligentia admota, veram viam iniisset: in moralibus tamen distinctio, in quibus judicium practicum certitudinem dirigit & regulat; tunc enim, quamvis quoque judicium speculativum prævium falsum esse, attamen semper & honesti finem operans pergens, non tamen viator ad destinatum locum; ratio hujus minimè est, quia honestas actionis ab objecto non dependet, sed ab ipso prudenti dictamine; si enim prudenter agit, inde actio honesta est; sed de hac alias Theologi. Unde patet, Adversarios potius cum Academicis convenire, qui prudentiæ regulam ad probabilius reducunt, quod licèt ipsorum aliqui probabiliter certum appellent, non est tamen moraliter certum, stante scilicet parte oppositâ verè probabili. Veram regulam non sanè creperam, qualis illa esset tuta & certa; nimirum certum judicium prudentiæ deductum ex certa probabilitate, & certa prudentia, tum assensus speculativi, tum electionis.

2. ANTIM. Fateor, hæc dici potuisse; sed meo quidem, præsertim Augustini argumenta explicare & defendere in bono lumine, quàm eadem refellere. Sed audi sequenti *cap.* 18. in quo eadem breviter auctor repetit per modum clausulæ, inquit, totius disputationis, quæ in præcedentibus fusiùs tradiderat, ut videlicet eadem bis refellerentur. Illud tantùm animadvertendum est, quod habet *num.* 8. totam quæstionem esse, nimirum an regula illa, *in dubiis tutior pars eligenda est*, sit consilii, vel præcepti; nempe stante utrâque parte verè probabili, vel æquè, vel magis, vel minùs probabilius utriusque certò tutus est; igitur non versamur in dubio; ad hæc igitur illa regula non pertinet; unde videas, quàm rectè disputent Adversarii, qui totius quæstionis statum non intelligunt; melius fortè aliquis diceret stante utraque parte verè ac certò probabili, frustra quæri utram partem eligere teneamur, cum scilicet utraque tuta sit, & per judicium practicum de tuto utriusque usu omnino certi simus, unde cessat quæstio; & in aliis congressibus dixisse, memini, sententiam nostram, quæ negat, nos ad probabiliorem teneri, esse moraliter certam, oppositam verò, quæ adversariorum est, moraliter improbabilem; pauci enim auctores, ut numero ita & auctoritate reliquis adeo impares, certam probabilitatem opinioni suæ conciliare non potuerunt; quid enim Baroni, Goneto, Mercoro, cum S. Antonino, Sylvestro, Paludano, Lopes, Soto utroque, Ledesma, Medina, Victoria, Baguez aliisque fere innumeris Doctissimis Thomisticæ Scholæ luminibus? quid D. Fagnano cum Navarro, Navarra, Medina, Panormit. Montesino, Garcia, Maldero, Bonacina, Palavic. Delug. Bellarm. aliisque piissimis & literatissimis auctoribus? quid Marinario cum Pet. Cornejo, Joanne Lezana, aliisque Carmelitani Ordinis scriptoribus? quid August. de Angel. cum Stephano Spinola? quid demum Comitolo & Candido Philaletho, cum Suarez, Valquez, Lessio, Molina, Sanchez, & innumeris propemodùm aliis, ex Societate nostra; unde constat, adversariorum sententiam vix esse probabiliter probabilem, cum tamen nostra moraliter certa sit: sed quæso, pergamus.

53. PITHANOPH. *Cap.* 19. proponit cujusdam eruditissimi Theologi objectionem sibi per literas factam, circa hunc syllogismum dictaminis ab auctore adstructum. *Possum facere quidquid est licitum; sed cambium recursæ est licitum: ergo possum illud facere*, & fatetur, conclusionem esse tantùm probabilem; quia minor tantùm probabilis est; quare substituit alium syllogismum in hunc modum; *licitum est mihi cambium illud facere, quod probabiliter licitum est; sed cambium recursæ est probabiliter licitum: ergo licitum est mihi illud facere*, utraque præmissa hujus syllogismi, inquiebat ille, certa est; quid mirum ergo si certa est conclusio, quæ dictamen constituit. Hæc refutat auctor suo modo; sed nihil ad me: illud unum dumtaxat observo, majorem propositionem sub duplici sensu accipi posse, vel enim hunc sensum facit, *illud mihi certo licitum est, quod probabiliter est licitum*: & sic falsa est, & implicat in terminis idem esse probabiliter simul & certò licitum; hoc enim formidinem excludit, illud verò includit, vel hunc sensum facere intelligitur, *illud est mihi probabiliter licitum, quod est probabiliter licitum*, in quo sensu propositio est identica & nugatoria: quod verò spectat ad primum syllogismum, suis virus etiam laborat, non tamen iis, quibus eum dictus Theologus notat: nempe secunda illa præmissa *cambium recursæ est licitum*, non est tantùm probabilis, sed omnino certa, ut jam supra indicasti in alio exemplo, *pactum trium contractuum est licitum*.

54. ANTIM. In exemplis non requiritur sanè veritas; quia tamen utraque propositio ejusdem conditionis esse non videtur; hæc enim, *pactum trium contractuum est licitum*, revera certa est; illa verò *cambium recursæ est licitum*, probabilis tantùm; hæc enim propositio, seu opinio, *pactum trium contractuum non est usurarium, vel injustum*, est verè ac certò probabilis; illa verò *cambium recursæ non est usurarium, vel injustum* certò ac verè probabilis non est reputanda, sed tan-

tùm probabiliter, seu speculativè, uti appellare soleo; cum vel ipsi auctores, qui eam damnare non audent, ad praxim reduci posse negent, sine multo periculo; sed ut dixi, in exemplis non requiritur veritas; unde dato, quod hæc opinio, *cambium recursæ non est usurarium*, sit verè ac certò probabilis, prædicta propositio *cambium recursæ est licitum*, omnino certa non verò probabilis tantùm dicenda est, ut jam indicavi supra; nempe illud prædicatum *licitum*, involuit usum & praxim; quasi dicerem illud, quod absque peccato ad praxim & usum reduci potest, unde ad judicium practicum pertinet, non speculativum prævium; quare ex alio capite castigandus est memoratus syllogismus, nimirum, quia secunda præmissa, ista videlicet, *cambium recursæ est licitum*, debet esse ipsamet conclusio syllogismi judicii practici, seu dictaminis, cum sit ipsummet dictamen, seu judicium practicum, quo certò judico, abesse peccatum ab usu dicti cambii; immo conclusio illa, *ergo possum illud cambium facere*, in minorem illam resolvitur; nam subintelligitur semper *licitè facere*; ac proinde duæ istæ propositiones *possum licite facere hoc cambium*, vel *possum absque peccato uti hoc cambio*, vel *cambium illud ad usum absque peccato reduci potest*, & ista *illud cambium est licitum*, vel ad *usum absque peccato reduci potest*, sunt prorsus eædem, & idem sonant; prima verò præmissa est identica, nempe hæc, *possum facere, quidquid licitum est*; quæ resolvitur in hanc, *licitum est, quidquid licitum est*; vel in hanc, *absque peccato fieri potest, quidquid absque peccato fieri potest*; unde constat, esse identicam.

55. Pithanoph. Nos verò hujusmodi vitiis minimè laboramus; nempe ex certa probabilitate sequitur certa prudentia tum assensus opinionis, tum electionis, tum usus; sic autem formarem syllogismum; *usus opinionis certo probabilis est prudens; sed hæc opinio de cambio recursæ est certò probabilis, igitur usus opinionis de cambio recursæ est prudens*; si prudens, igitur absque peccato, licitus, & honestus. Prima præmissa est certa; si enim illius assensus prudens est, electionem illius prudentem, usum quoque illius prudentem esse, necesse est; ut non semel à nobis demonstratum est per intrinseca principia opinionis probabilis, quæ gravibus & rationalibus motivis nititur; id est, sufficientibus, ad prudentem assensum; minor etiam certa est; quia nullam opinionem probabilem, ad praxim nimirum, admittimus, quam certò probabilem esse, non constet; ex duabus denique certis præmissis, certa sequitur conclusio; hæc verissima est totius hujus controversiæ analysis, quam si auctor vel intellexisset, aut saltem non dissimulasset, de tota illa quæstione longè melius sensisset, nec multa hoc loco scripsisset, quæ cum veritate parum consentiunt, immo quæ vix à quoquam intelligi possunt; construe quæso & interpretare pauca hæc, quæ habet *num. 2. pag. 193. electio, seu factio Cambii, secundum se, præscindit à licito, vel illicito; à cambio licito ponitur in specie liciti, vel illiciti*, nec in ipsa electione, vel usu, ejusque specificatione, ad quam auctor toties recurrit, ullatenus laboramus, electio enim actus voluntatis est, cui prælucere intellectum, necesse est, quid porro eligitur? ipsamet opinio; quæ tandem? certò probabilis, ac certò prudens, qualis reverà ab intellectu repræsentatur; ex eo, quod judicet opinionem illam verbi gratia de cambio recursæ, certò probabilem esse, & assensum, quem illius objecto præbet, esse prudentem; unde non mirum, si prædicta electio prudens dicatur, id est, in specie prudentis electionis constituatur; idem dico de usu, seu praxi; utor enim opinione illa, seu reduco illam ad praxim; qui usus etiam specificatur ab iisdem; nempe praxis externa & electio interna sunt de eodem objecto; quid enim illud est, eligere talem opinionem nimirum objectivam? nam formalis eligi nequit, nec reduci ad usum, vel praxim, cum sit ipsemet actus intellectus opinativus; nihil certè aliud, nisi velle illa uti, vel illam reducere ad praxim; quid verò illud, uti opinione, seu reducere opinionem ad praxim? nihil certè, nisi actionem illam externam ponere, qua opinio illa objectiva cambio recursæ practicari, ut ita loquar, vel celebrari, aut exerceri dicitur; cum autem per judicium practicum certò judicem, electionem illam prudentem esse, usum item prudentem, ac proinde à peccato immunem, quod judicium, seu dictamen ex certis deduci, supra docuimus, inde specificatur illa electio, & ponitur in specie electionis honestæ; item usus, in specie usus honesti, idque certò, non quidem totaliter & adæquatè ab objecto remoto electionis, vel proximo opinionis, nimirum ab eo quod est, *cambium non esse usurarium*, quod est tantum probabile; sed ab eodem, prout certa probabilitate & certa prudentia vestitur, ac per judicium practicum, ex certis deductum, voluntati, ad electionem & usum, applicatur, unde his positis, non potest electio & praxis non esse prudens.

56. Antim. Rectè omnino; inde autem errandi occasionem captasse auctorem, manifestum est; quod statuat, à nobis tantum admitti honestatem probabilem objecti probabilis, & quod prædicatum conclusionis, seu dictaminis, ad prædicatum opinionis, seu judicii speculativi prævii, seu, quod idem est, assensus opinativi traducat; in primo quippe luculenter fallitur; nempe honestatem certam esse, dicimus, objecti certò probabilis, verbigratia, sit objectum illud, opinio scilicet objectiva certò probabilis, *cambium recursæ non est usurarium*; dico honestatem illius certam esse, eodem prorsus jure, quo dico illius probabilitatem & prudentiam certam; licet enim ita judicem, non esse usurarium, ut tim eam usurarium esse, non tamen propterea judico ita honestum esse, ut formidem ne honestum non sit; unde illi mihi non probantur, qui dicunt, judicium speculativum de honestate objecti esse probabile, certum verò judicium practicum de eadem; quod meo judicio satis efficaciter P. Vasquez refutavit; scio, circa idem objectum materiale, judicium certum posse versari, & aliud tantùm probabile, unum enim judicium ab alio distinguitur ratione objecti formalis, seu motivi; nempe motivum certum ad judicium certum movet; & motivum probabile ad judicium probabile; an vero utrumque ad actum quasi mixtum, disputandum Theologis relinquimus, cum ad præsentem quæstionem non faciat: dato igitur, quod sit idem motivum utriusque judicii, vel utrumque certum, vel utrumque probabile est; nec est quod aliquis dicat, probabile opponi tantùm improbabili, non certo; nam reverà respectu ejusdem opinionis adæquatè sumptæ, id est, tam secundum objectum, quam motivum, utrique opponitur, id est, sunt termini repugnantes; ita ut ex assertione unius, sequatur negatio aliorum; ex hoc enim quod judicium sit probabile, sequitur idem certum non esse, nec etiam improbabile; respectu ve-

rō

esse, necesse est; si una est certa, altera est improbabilis. Itaque ut ad quæstionem redeam, his obiectionibus, quæ quia nonnulli vel ignorant, vel dissimulant, quæ quia nonnulli vel ignorant, vel recusabaris, quæ quia nonnulli vel ignorant, vel fessi animo sibi fingunt, non mirum est, si ad errandum proclives sint; judicium de honestate objecti cum opinionis verè ac certò probabilis certum est, non probabile; est enim judicium illud practicum, quo judico, usum opinionis esse prudentem, honestum, absque peccato; usum, inquam, id est, praxim, vel actionem ipsam; id est, ipsam contractus, seu cambii celebrationem, &c. id est cambium ipsum, quod in tali praxi, contractu, actione humana consistit: quo pari modo, sit hæc opinio, certò probabilis, votum dubium non tenet, licèt hoc judicium sit tantùm probabile, est tamen certò prudens; ex quo certò judico, me non peccare, dum eligo hanc opinionem; id est, dum votum illud dubium non impleo; alterum verò, in quo errat hic auctor, cum multis aliis, aut certè inde errandi occasionem captavit, illud est, quod scilicet, prædicatum judicii practici ad prædicatum prævii speculativi traducat; nempe esse honestum contractum, seu honestam actionem illam humanam, id est, à peccato immunem, est objectum judicii practici; sic enim certò judico, me non peccare, dum illum contractum ineo; id est, contractum illum à peccato immunem esse, vel quod idem est, honestum; igitur est prædicatum judicii practici; objectum verò speculativi probabilis, est, quod non sit contractus usurarius, vel injustus, vel cambium siccum, aut palliatum; quod tamen prudenter judico, quantumvis probabiliter; ita tamen, ut certum sit, tum probabile, tum prudens &c.

57. Pithanoph. Quod tandem subdit auctor, certitudinem illam probabilitatis ad rem non pertinere, falsissimum est; nempe ex certa probabilitate opinionis sequitur certa prudentia assensus, electionis & usus; nec illa certitudo refertur tantùm ad materiam probabilem, verbi gratia ad cambium nostrum, ut dicit auctor, nec ad formalis assensus entitatem, quo, quis experitur, se assentiri, sed ad ipsam opinionem objectivam; in qua tale prædicatum tali subjecto inest; verbi gratia quod cambium recursoriæ non sit usurarium, ita ut usuram ab hoc cambio abesse, probabiliter, id est, ex gravibus rationalibus motivis dici ac censeri possit; unde hujusmodi talis propositio, *probabile est, cambium recursoriæ usurarium*, certa est, & hæc *cambium recursoriæ non est usurarium*, est certò probabilis, id est, gravibus & rationabilibus certò nititur, igitur assensus certò prudens; electio certè prudens, usus certò prudens.

58. Antim. Sed, inquit, si certum est, esse probabilem, certum est esse cum formidine conjunctum, ac proinde incertum; id est, citra certitudinem esse, igitur incertum, cambium illud esse licitum, quod quàm absurdum est, inquit, nemo non videt.

59. Pithanoph. Si dixisset, ergo; incertum, cambium non esse usurarium, recta esset conclusio; tum quælibet opinio citra certitudinem est; unde non certo constet, esse probabilem, cum tamen opinio adhuc restet, illa profectò incerta est, non certa; id est, citra certitudinem; quod tamen non facit, ne sit prudens sit assensus, ac proinde certò prudens actio, certò prudens usus; igitur certò licitus; igitur non sequitur absurdum, ut ait auctor, quod nemo non videt; quia malè intulit ex eo, quod probabile ac proinde incertum sit, cambium non esse usurarium, etiam incertum esse, quod sit licitum; id est, quod nemo licitè, seu absque peccato illo uti possit, quod ex iis, quæ supra diximus manifestum sit: igitur illa certitudo non est inutilis, nec impertinens, ut ait, ad istam controversiam, in qua scilicet quærimus, utrùm, opinione verè ac certò probabili tantùm, non verò certa, quod implicat in adjecto, ut ajunt, certitudinem scilicet cum assensu opinativo esse conjunctam, de eodem objecto, & ex eodem motivo; quando igitur opinionem probabilem appellamus, licèt verè ac certò probabilem, semper excludimus certitudinem; quærimus igitur, utrum opinione vere ac certò probabili licitè, id est, absque peccato uti possimus; ita ut certò judicemus, à dicto usu peccatum abesse; & respondemus, nos uti posse; & nos certò judicare, à dicto usu peccatum abesse; quia ex certa probabilitate, sequitur prudens assensus, prudens electio, prudens usus; an verò hæc absurda, inutilia, impertinentia sint, docti & prudentes viri judicabunt.

60. Antim. Negabit fortè, assensum probabilem esse prudentem; quia nemo prudenter id asserit, in quo certò scit, se falli posse.

61. Pithanoph. Motiva certò gravia & rationabilia, ad prudentem assensum intellectum movent, quamvis probabilem, & cum formidine; imprudenter quidem certum assensum elicere conaretur, cum materia & motiva id minimè patiantur, prudenter tamen probabilem elicit, à voluntate scilicet, determinatus: in rebus humanis, contingentibus scilicet, aliter fieri non potest; Dux exercitus prudenter pugnam committit licèt incertus sit victoriæ, si adsint motiva gravia & rationabilia, quibus pugnandum esse, persuadeatur; mercator item incertus lucri talem negotiationem instituit, quam suadent graves & rationabiles causæ, & licet hic lucro careat, ille victoria, non tamen imprudenter egisse censentur, cum ab eventu prudentia non pendeat. Sed potiori jure quispiam assentitur opinioni verè ac certò probabili, id est, ex gravibus & rationabilibus motivis, cum nullus sinister eventus timendus sit; quamvis enim alioquin falleretur in judicio illo speculativo; non tamen in practico, quod certum est, ac proinde tuta semper erit conscientia, nec unquam sinister eventus est.

62. Antim. Sed finem imponamus huic congressui; nihil enim refutandum restat; quia *in cap.* 20. quod sequitur, quorundam argumenta confutat, non verò nostra; in altera verò parte, impugnat Illustrissimum Caramuelem, quem sine injuria defendere non possumus; cum vir doctissimus, juxta atque ingeniosissimus alieno patrocinio minimè indigeat.

63. Pithanoph. Ita prorsus reliquum est, ut in sequentibus congressibus Illustrissimi Prosperi Fagnani opusculum refellamus.

64. Antim. Hoc unum nobis restat; quod ubi præstiterimus, unum quidpiam aliud suggeram; sed omnia suo tempore & loco. Vale Pithanophile, lustra diligenter dictum opusculum, ex quo reliqua prodierunt, ut paratior advenias.

65. Pithanoph. Faciam ut jubes, vale Antime; quamprimùm adero.

* *
*

DIALOGUS VIII.

De Opinione probabili.

In quo ea breviter refutantur, quæ Illustriss. D. Prosper Fagnanus contra auctores Societatis adduxit in suo tractatu, de opinione Probabili.

1 PITHANOPH. REm sanè grandem aggressus es, Antime, & arduam revera provinciam suscepisti; qualem virum, Deus immortalis, impugnandum tibi proponis; cum sine aliqua offensione, vix unquam hujusmodi Magnates impugnari possint; honoris & observantiæ à nobis exigunt officia, quibus colantur pro dignitate, non vero argumenta, quibus impugnentur; si pugnare libet, te committe pari; quare plurimùm vereor, ut tibi res prosperè cedat & bene vertat; tritum illud huc fortè quadrat,

Sus dederat pœnas; exemplo territus hujus,
Palmite debueras abstinuisse caper.

Optimè tenes quanti steterit doctissimo Præsuli, qui auctorem istum refellere voluit; nos verò, si cum illo, quid amabò sumus? nescio, an seriò hæc apud te reputaris.

2. ANTIM. Ludis, Pithanophile, alioquin non leviter mihi stomachum moveres; quasi verò Illustrissimus auctor ægrè unquam ferre queat innocentissimam dissertationem, cum incredibili observantia & singulari modestia conjunctam; exponam dumtaxat meas rationes, absque ullis verborum aculeis & styli acrimonia; quod utinam ii fecissent, qui contra nos scripserunt; si rem illæ atque intentum conficiant, ingratum auctori, veritatis amantissimo minimè accidet; cui enim viro ingenuo veritas non placet? inde igitur in ejus offensionem minimè incurram: immò summæ apud eum gratiæ futurum, mihi facilè persuadeo; si verò illæ à scopo deflectant; ægrè laturum non puto, cum vel inde illius doctrina maximè confirmetur, unde novis argumentis impetita, integra remaneat atque illibata: Christianos inter, versamur, apud quos suus semper fuit insonti & justæ defensioni locus; si enim ferro ferrum, modò id cum moderamine fiat inculpatæ tutelæ, ut vocant licitè repellitur, cur non jure pari stylus retundetur stylo? accedit, quod illud præsertim nostram defensionem summoperè commendabit, quod sanctissimos & doctissimos viros defendimus, qui cum ex hac vita decesserint, se ac sua non valent ultra defendere; id certe vita functis pii ac necessarii subsidii, absque injustitia, recusari nequit; & si pupillis tutores leges assignant, quorum est, pupillorum rem administrare, eosque ab illatis vindicare injuriis; cur de auctorum libris, seu liberis, idem non dicamus? pupilli sunt; tutoribus indigent, qui eorum causam tueantur. Absit ergo, ut justam istam defensionem ingratam cuiquam fore, arbitrer; & si vel minima hujus rei suspicio mihi incideret, gravissimam auctori Illustrissimo injuriam à me inferri putarem; vel inde certè pessimi delicti reus. Quod demum spectat ad doctissimum illũ Scriptorem, cui plurimo stetit hujusmodi refutatio, illud potissimùm in eo castigandum esse putarunt ii, quibus libri recognoscendi traduntur, quod paulò acriùs & acerbiùs in optimum senem scripserit: ita ego temperabo stylum, ut nihil nisi mite & humanum & singulari conditum modestia ex eo profluat; solvam, seu retorquebo argumenta, citra convitia & contumelias; falsata loca restituam; diluam impostoras nostris affictas auctoribus, at citra recriminationem; pessimum certè defensionis genus, quæ bonam alioquin causam malam efficit, & insontem defensionem novi accessione delicti conspurcat: nihil igitur inde mihi timendum est, unde una timoris causa præcluditur.

3. PITHANOPH. Animos fecisti, Antime; mirum, quantum justi timoris mihi res illa incusserat; sed vanos pavores abegisti; unde tibi plurimum obstrictus sum; agamus igitur, pro more: legi attentè illud opusculum, quod nobis prostat, & multa in eo refutatione digna mihi visa sunt; sed qua tandem methodo suscepto munere defungemur? an fortè omnia discutienda esse putares? sed quis unquam finis? an loca omnia ab eo laudata in examen vocanda? & cum proprio textu componenda? sed vix grande volumen huic provinciæ satis esset: quid ergo in his consilii?

4. ANTIM. Jam indicaveram; nostros & nostra dumtaxat defendo; exteri quippe defensione nostra non indigent, si quid paulò solidius afferri à sealiquando existimet, sive ad nostram, eamque communem sententiam infirmandam; sive ad suam, quæ est opposita, confirmandam, refellere non omittam; immo si quid ex Patribus, & antiquis Scholasticis, D. Thoma, S. Bonaventura, & Scoto, in eundem finem protulerit, illud obiter discutiam, & pro more loca illa in bono lumine collocabo. Majoris porro distinctionis ergo, numeros ab Illustrissimo auctore margini appositos, eorumque seriem accuratè sequar; & ut vocum multiplicitatem, ingratam multis, saltem ut plurimùm, fugiam; Illustrissimi dumtaxat nomine auctorem illum appellabo. Agamus igitur, nam in præludiis nimii sumus.

5. PITHANOPH. *num.* 1. Docet, *constitutiones decretorum singularibus opinionibus esse præferendas*, nimirum oppositas? sed hoc nihil ad opinionem verè probabilem; illa enim opinio, quæ dictis constitutionibus, vel regulis Patrum opponitur, probabilis non censetur: *num.* 2. damnat proprium sensum, qui juri repugnat; rectè, tunc enim proprius sensus opinionem probabilem non facit *à num.* 3. *ad* 13. rectè omnia; nimirum Hominis sapientiam, aut stultitiam ex dictis quidem, sed præsertim ex factis censendam esse; item dictis SS. Patrum standum esse, nisi vel Ecclesiæ decreto aliter statutum fuerit, vel alii Patres secus sentiant; jure item Abbatem castigari, qui dictum unius privati auctoris, in pertinentibus ad fidem dicto Papæ perperam anteponit; item judicem debere judicare secundùm decreta Patrum & leges, non secundùm proprium sensum, legibus scilicet contrarium; cuncta hæc facilè admittimus.

6. ANTIM. Neque ipse abnuo, aliquæ citationes non ita fortè probatæ, ut illa Augustini *lib. de vera innocent. cap.* 311. hunc librum apud Augustinum non invenio, nec in Elencho Possidii, nec in Indiculo Bellarmini, sed in iis minimè nobis hærendum, cum ad præsentem disputationem non faciant, *num.* 13. ad rem propiùs Illustrissimus accedit; ubi quærit, utrùm in omni materia, liceat sequi opinionem quamcumque probabilem, *num.* 14. in summam ea redigit, quæ in reliquo tractatu discutienda sunt,

sum, assis singulis quæstionibus suis numeris, à *num.* 10. ad 19. à suscepta controversia illa resicit, quæ ad fidem & mores non pertinent; à *num.* 19. ad 23. illa etiam excipit, quæ ad fidem & mores pertinent, & à lege determinata sunt, aut publicè tenentur, & à lege determinata sunt, aut publicè tenentur, secundùm Ecclesiæ auctoritatem; in his autem, secundùm Ecclesiæ auctoritatem; in his autem, ab Illustrissimo admitti *opiniones*; quasi verò de articulis certa fide firmatis & ab Ecclesia determinatis opinio esse queat; quisquis tenet desinitos articulos, opinione non ducitur; quisquis verò tenet oppositum, probabiliter opinari minimè censendus est in hoc sanè Adversarii nostri communiter erant, quod non distinguant opinionem probabilem ab improbabili, item certò probabilem à probabiliter tantùm probabili; eam demum, quæ re ipsa est verè probabilis, ab ea quæ tantùm videtur probabilis sicèt talis non sit.

7. PITHANOPH. His exceptis, remotisque à præsenti controversia, ad punctum difficultatis tandem venit, *num.* 27. nimirum ad casum, in quo de articulis quinec sunt *lege determinati*, nec secundùm Ecclesiæ auctoritatem publicè tenentur, quamvis alioquin sint in materia morum; quæritur, an sequi liceat quamcumque opinionem probabilem: subdit autem, doctrinam de libera electione opinionis probabilis nostris temporibus introductam esse, & nullum pro illa auctorem laudari, qui ante 100. annos scripserit, unde vel ex hoc capite, doctrinam illam valde suspectam, novam, & à consuetudine Ecclesiæ exorbitantem esse dicit. Statum quæstionis mutavit Illustrissimus, nec enim hoc asserimus de quacumq; probabili, nec probabiliter tantùm probabilem, nec eam, quæ videtur tantùm aliquibus probabilis, licèt probabilis revera non sit, satis esse putamus ad rectè operandum, certò ac verè probabiles dumtaxat admittimus; hoc impugnandum fuerat Adversariis, qui fabricarunt hostem, quem impugnarent: negamus autem, doctrinam nostram, nostram, inquam, modum nobis affictam, vel suspectam esse; imò verissimum potius est, omnes hujus sæculi Theologos paucos, aut quinque demptis, quorum auctoritas nullius fere momenti est, si cum auctoritate eorum aliorum doctrina, eruditione, prudentia & pietate longè potiorum conferatur; suspectum, imò potius est, omnes illos Theologos, qui Lutheranos, Calvinistas, aliosque Novatores strenuè impugnant, ut suspectos traducere: negamus item, novam esse, & à centum annis dumtaxat ortam, quam S. Leo, Albertus Magnus, Doctor Angelicus, Bonacina, S. Antoninus, Panormitanus, Sylvester, Prierias, Lychetus, Pacificus, Angelus, Tabiena, Prierias, Joan. Nider, aliique pro hac sententia præmissis congressibus non semel laudati centum annos non scripserint; novam igitur dicimus, imò potius oppositam, eo modo saltem, quo à suis defensoribus traditur dictæ novitatis vitio laborare contendimus. Id profectò non erat, quod Adversarii hoc argumentum à novitatis nota petitum contra nos torquerent, quod jam ab aliquot annis Petrus Molinæus contra Ecclesiam Romanam, eamdem materiam versans contorserat; illud saltem constat, opinionem nostræ sententiam ab omnibus Novatoribus, nimirum Lutheranis, Calvinistis, aliisque defensam fuisse; viderint igitur æqui Judices, utri notæ inurenda sit: in materia de auxiliis, aliquid fortè simile esse videmus.

8. ANTIM. Ita est, nos enim novitatem Adversariis nobis vicissim opponunt; negamus deinque, nostram sententiam à consuetudine Ecclesiæ exorbitantem esse, quasi verò, consuetudinem Ecclesiæ tam multi, iique peritissimi, & doctissimi Theologi, iique omnis Ordinis & Classis, Abbates, Episcopi, Cardinales, Pontifices, Doctores, iique milleni perspectam non habeant? eamque melius norint; quatuor, aut quinque longè disparis nominis & auctoritatis; sed ut sapientissimè monuit Illustrissimus, *num.* 3. istorum factis potiùs, quàm dictis standum esse putamus; id porro, quamvis alioquin gravissimè, imò & acerrime contra nostros auctores dictum, Illustrissimo facilè condonamus, cui reverà per summum nefas impositum fuit, negari à nobis, ad rectitudinem operationis moralis, requiri judicium practicum, seu dictamen certum de honestate actionis; sed satis esse probabile, ut habet, *num.* 24. quod tamen nullo modo negamus; & si fortè unus, aut alter, inter tot, qui dictamen illud certum esse volunt, saltem moraliter, quos in superioribus congressibus appellavimus, secus sentiat, numeroso aliorum manipulo contenti, cum eo minimè sentimus; Thomam Sanchez, & Gabrielem Vasquez ab ea nota jam vindicavimus; imò illius verba diserte recitavimus, quibus ipse tum judicium illud practicum certum, tum etiam certam probabilitatem adstruit; & si quando dicti auctores judicium probabile dicere videantur, de speculativo intelligi debent, nimirum singulari, aut si de practico, physicam tantummodò certitudinem, non verò moralem inficiantur; nihil enim vetat, judicium aliquod esse tantùm probabile physicè, cum tamen moraliter certum sit. Quod autem dicit, *num.* 23. certitudinem moralem haberi non posse in opinione probabili, nimirum in illius usu & praxi, ex sæpe demonstratis falsissimum esse constat; uti & illud opinionem probabilem à nobis assumi pro regula actionum moralium, cum reverè judicium practicum, seu dictamen rationis immediatam, & proximam regulam esse, dicamus operationum moralium: quod demum spectat ad Candidum Philalethum; notorium est, nostræ illum sententiæ minimè suffragari, sed oppositæ; quamvis id nobis parum, aut nihil cordi sit; illum quippe auctorem tanti non facimus, ut nostræ inde sententiæ aliquid momenti accedere posse credamus, aut etiam detrahi.

9. PITHANOPH. *num.* deinde 25. tres gradus probabilitatis distinguit: Primus est, quo aliqua opinio probabilis adstruitur, nulla tamen comparatione facta cum oppositа, an scilicet ista sit æquè, aut magis probabilis. Secundus, quo pars utraque æqualis probabilitatis statuitur. Tertius, quo altera, nimirum opposita probabilior & tutior. Deplorat autem Illustrissimus nostri temporis corruptelam, quæ ita fere omnes Theologos infecit, ut dicant, quemlibet tuta conscientia illam opinionem probabilem sequi posse, nimirum in praxi, quæ *affirmat*, inquit, *actum esse licitum*, *& subest peccati periculo*, in quocumque tandem probabilitatis gradu, ex tribus scilicet appellatis collocetur; rem sanè novam, anteactis sæculis inauditam, gravissimis periculis involutam: at si *tutam conscientiam* esse volunt, hujusmodi laxitatum, uti vocat, & novitatum auctores; igitur non dubiam, nec incertam; tuta enim certa est, ut patet ex terminis; conscientia porro nihil est aliud nisi dictamen rationis, seu judicium practicum proximum & ultimum, quo, usus talis, aut talis opinionis, prudens, licitus, honestus, judicatur; exigunt igitur certitudinem, saltem moralem ipsius conscientiæ; cur ergo illis oppositum imponitur? nunquid

etiam in hoc Illustrissimus sibi contradicit, dum asserit, ab appellatis auctoribus certam & incertam seu probabilem conscientiam statui; deinde non jam per opinionem, vel actum opinativum, actionem esse licitam, dicimus, sed per judicium practicum, quod certum est, non opinativum, ut in superiore congressu contra R. Marinarium firmatum est. Deinde nunquam diximus, nec dicemus unquam, opinionis verè & certò probabilis usum peccati periculo subesse; & multo minùs, per oppositam probabiliorem actionem illicitam adstrui; repugnat enim, eandem actionem licitam & illicitam certò judicari.

10. ANTIM. Sed ad auctores citatos, *num.* 26. veniamus, appellat Sanch. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. ubi, inquit, 17. auctores pro sua sententia laudat, qua scilicet opinionem minùs probabilem & minùs tutam quemlibet sequi posse, affirmat; id quidem non, *num.* 4. sed 14. & illud *minùs tutam* non accipit adversativè, quasi tuta non sit, sed comparativè; ita ut opposita tutior sit, non certè formaliter; tutum enim, uti sæpe diximus, in individuo positum est, sed tantùm formaliter: & ibidem disertè asserit, id fieri *absque peccandi periculo*, nosque operari *cum morali certitudine, qualis in opinione probabili*, nimirum in illius usu & praxi *reperitur*; hæc diserta sunt Thomæ Sanchez verba: unde constat, hæc ipsi ab Illustrissimo imponi, quod nullam certitudinem in hoc admittat, & cum periculo peccandi quemque licitè operari posse: quod ad Suarem pertinet, in aliis congressibus evicimus, ab eo certam statui conscientiam. Imponit etiam eidem Sanchez, *num.* 27. quasi ad omnem materiam, doctrinam illam extendat; cum tamen Sanch. *num.* 22. nimirum eo loco, quo ab Illustrissimo citatur, discrimen latum agnoscat, inter Judicem fori externi & interni; nempe *ille inter partes*, inquit, *à Rep. ita constituitur, ut secundùm id, quod magis æquum est*, id est, secundùm jura probabiliora, sententiam ferat; illud porro, quod dicit, *in omni materia procedere*, intelligitur de consilio alteri dando; ita ut consiliarius secundùm quamlibet opinionem verè ac certò probabilem, licèt ipse oppositam sequatur, vel probabiliorem reputet, consilium dare possit, idque in omni materia. Quod autem Sanchez opinionem dumtaxat certò probabilem admittat, patet ex iis, quæ scribit sub finem, *num.* 18. *qui tamen dubitaret*, inquit, *an aliqua opinio esset probabilis, nequit tuta conscientia illam sequi*, *num.* item 28. & 29. eidem Sanchez affingitur, quod dicat, à Magistris in scholis doceri posse licitè opiniones minùs probabiles; hoc tamen Sanchez non dicit, imò contrarium asserit, eos peccare, saltem venialiter, *quia*, inquit, *nonnullam discipulis iniuriam irrogant*, *num.* 26. modò tamen opiniones illas verè probabiles reputent; si autem inde gravis injuria auditoribus inferretur, ex principiis Patris Sanchez gravis Magistri culpa esset.

11. PITHANOPH. Imponit ibidem *num.* 27. Gabrieli Vasquez, quasi doctrinam illam opinionis minùs tutæ ad omnem materiam extendat, *d. quæst.* 19. *art.* 6. *d.* 63. *num.* 3. quod certè ibi non dicit, sed tantùm à quibusdam recentioribus doceri asserit; imò contrarium tradit, v. g. cum agitur de administratione Sacramentorum, in qua varietas opinionum non versatur circa quæstionem purè moralem, qua scilicet quæritur an hoc, vel illud agere liceat; sed circa Sacramenti opus, utrùm scilicet hoc, vel illo modo, integrè fiat; tunc enim *cap.* 2. *num.* 4. disertè statuit, servandum esse morem & consuetudinem Ecclesiæ, quæ reverà talis [illegible] certa duntaxat materia, aut forma, citra casum necessitatis, in confectione Sacramenti adhibeatur; idem etiam statuit *cap.* 3. *per totum*, ex obligatione charitatis erga proximum, perperam igitur Vasquio imponitur, quod in omni casu, liceat sequi opinionem minùs tutam, in administratione Sacramentorum. Quod pertinet ad Advocatum, nihil habet Vasquez, *disp.* 64. *cap.* 1. in quo auctores omnes non consentiant; nimirum proponi posse ab Advocato Judici omnia clientis jura verè ac certò probabilia, licèt oppositæ partis caulam probabiliorem judicet; semper enim anceps & dubia causa remanet; & fieri potest, ait Vasquez, ut causam illam probabiliorem judex reputet, quam Advocatus minùs probabilem esse censuit; imò Sanchez addit hanc limitationem *num.* 54. *nisi pars clientis sit parum probabilis, & in quam, aut nunquam, aut rarò Iudices inclinent*; Sanchez igitur vult, eam probabilitatem adesse, quæ faciat, ut judices in causam non rarò inclinent, ad hoc ut Advocatus eam defendendam suscipiat. Idem Salas sentit *dict. disp. sect.* 11. *num.* 104. cur ergo Illustrissimus utrique imponit, quasi docerent, quamcumque causam minùs probabilem ab Advocato licitè defendi posse? accedit, quod in eo casu Sanch. *num.* 53. Advocatum & clientem obligat ad erogandam eleemosynam, adversæ parti, casu quo in gravem inopiam incideret.

12. ANTIM. Transit Illustrissimus ad *num.* 30. ubi vitio vertit Gabrieli Vasquez, Sanchez & Salas, quod dicant consiliarium, modò juxta unam, modò juxta oppositam partem consilium dare posse, etiam si hanc minùs probabilem & minùs tutam reputet. Sanchez *loco citato*, nimirum *num.* 20. nihil habet de minùs tuta, sed tantùm de minùs probabili; nihil autem est consulere, nisi docere petentem consilii, hanc opinionem esse verè probabilem, ac proinde licitam & tutam, qualem hic auctor semper reputat; & si consultori licet eam sequi, cur non alteri qui ab ipso consilium petit? multas autem limitationes addit Sanchez, quas Illustrissimus dissimulavit: 1. quod melius sit, juxta eandem semper opinionem consilium dare. 2. quod ipse consultor declarare debeat, oppositam esse, aut saltem sibi videri probabiliorem. 3. limitationem addit Vasquez *d. disp.* 63. *n.* 14. quod non possit consultor minùs probabilem consulere, sed tantùm probabiliorem, quando agitur de imponenda consilium petenti aliqua obligatione, v. g. restituendi. Idem Salas *sect.* 9. *num.* 85. quia durum est, hominem ad id obligare, nisi probabilius sit, illum teneri: addit tamen Sanchez, *num.* 21. non videri à se, cur ipse consultor indicare etiam non possit consilium petenti oppositam opinionem, quæ dictæ obligationi eximit, verè quidem licèt minùs probabilem esse, ac proinde tutam: sed apponamus verba Illustrissimi, *imò Sanchez*, inquit, *dict. cap.* 9. *num.* 20. *dicit, posse consultores animarum modò juxta unam, modò juxta aliam opinionem consulere, & quandoque prudenter facere, minus probabilem & minus tutam opinionem consulendo, quando judicant, probabiliorem, difficilem fore pœnitenti, vel consilium petenti.* Sanchez tamen *d. n.* 20. hæc tantùm scribit, *quare poterunt hi*, nimirum viri docti, *modò juxta unam, modò juxta contrariam opinionem consulere, quamvis melius sit, semper juxta eandem & maximè in scriptis, ne varii deprehendantur.* Quid dissimilius? copulavit autem Illustrissimus primam clausulam, *modò juxta unam, &c.* *num.* 20. cum alia, *& quandoque prudenter, &c.* quæ

est

ctum 19. in quo tantùm auctor asserit, posse consimiliter judicari à viris doctis juxta probabilem aliorum opinionem: si diversas clausulas in unam copulare libuisset; nullus error cuipiam tribui non posset. Egregium sanè Multivi operis specimen & argumentum: quod itidem ibidem Patrem Sanchez traducit, quasi dicat, tutum illum esse in conscientia, qui propositum habet, varios auctores consulendi, donec aliquem, juxta desiderium suum respondentem inveniat. Audacidum hæc audis, Pithanophile, statim hominem tibi proponis, qui malâ fide, nulloque veritatis indagandæ studio ductus, sed tantùm Doctoris ad libitum respondentis inveniendi, hoc agit: quidlibet aliud P. Sanchez: audi quæso eximium auctorem, *num.* 29. uti malè allegatur, pro more, sed *num.* 24. *Adrianus & Navarrus dicunt, hunc in malo statu esse*, qui scilicet habet propositum varios DD. consulendi, donec aliquem ad libitum respondentem inveniat; *idhoc intelligo, quando hic non recta veritatis indagandæ intentione, sed inveniendi Doctoris ad libitum respondentis studium, &c. & hunc potius, quam alius fidem habet, nulla peculiaris majoris hujus peritiæ ratione ductus, nec amplius investigat, an ea opinio probabilis sit.* Alium, opinor, et his vultum agnoscis, ab eo quem Illustrissimus fingere voluit; addit demum Sanchez, id fieri posse tantùm ab eo, *qui recta investigandi intentione desistit, an illa opinio sit revera probabilis, animo firmo nihil mali efficiendi, sed id solum, quod sibi licere noverit; cum jus sit unicuique, ius suum protegi, &c.* quid quæso in his non rectum, non sincerum, & doctissimo atque pissimo auctore non dignum?

14. Pithanoph. *num.* 31. & 32. longè gravius impugnat Thomæ Sanchez, quasi doceat, *num.* 45. posse Judicem, omissa probabiliore, secundùm minùs probabilem licitè judicare; nihil tale Sanchez, *num.* 45. in quo non agitur de probabiliore, sed de majore parte æquè probabili, non ita quidem, ut aequè tacti probationes æquales sint, quia tunc non partes dividendæ res est, sed tantùm, quando diversitas opinionum ex parte Judicis se tenet: postquam autem *num.* 46. alium casum proposuisset, an scilicet stante probabilitatis inæqualitate, Judex secundùm minùs probabilem, sententiam ferre possit, cum multos id asserentes, ac proinde negare non audeat esse probabile, *num.* tamen 47. probabilius judicem Vasque, *tenet Iudicem ferre sententiam juxta opinionem probabiliorem*: unde constat, ad defensionem sanctis, oculis dumtaxat, non ratiocinii argumentis opus esse.

15. Bastim. Transit ad Medicum, *num.* 33. Illustrissimus, ubi primò notat Valentiam & Sanchez, quod cum, nullo supperente remedio certo, & ægri salute desperata, posse Medicum, creperum & dubium remedium præscribere; licèt hæc sententia longè probabilior sit oppositâ; quando scilicet probabile, profuturum, licèt probabilius sit, noxium esse, ubi casum, hoc tantum medicamentum suppeditet porrigatur; probabilis spes salutis ægri; sin minùs, certa mors; crudelem profectò sententiam, & humanæ vitæ infensam, qua negaret quispiam, in hoc casu, dictum remedium licitè adhiberi posse; nostri verò sancti nostri reformatores, non modo animarum, verùm etiam corporum saluti adversantem ponit autem Azor, ibidem & Salas Illustrissim. manifestissimè; quod scilicet, inquit, docent, dubium medicamentum, non tantùm si aliud certum non adsit, verum etiam si præsto sit aliud certum, à medico adhiberi posse; *quos refert*, inquit, *licèt non sequatur Sanchez num.* 41. quot certè verba, tot falsimonia: nam 1. de his ne verbum quidem Sanch. *dict. num.* 41. 2. *num.* 39. refert illos Sanchez cum Vasque, pro ea sententia, quæ negat, medicamentum dubium adhiberi posse, etiam si aliud certius non suppetat, & ægri salus desperata sit; unde est, quod rideas, Pithanophile; negant Azor & Salas dubium medicamentum adhiberi posse, etiam in eo casu, in quo aliud certius non suppetit, & docent, ut vult Illustrissimus adhiberi posse, etiam si aliud certum præsto sit: nisi hæc sint repugnantia, quid unquam repugnet, non video: equidem ubi non agitur de medicamento, licèt nullum certum suppetat, ut fere semper, nec ægri salus desperata est, sed tantum de opinionibus probabilibus, quæ inter Medicos disputantur utrimque, Azor & Salas cum multis aliis docent, posse Medicum ea uti, quam verè probabilem quidem, licèt minus probabilem credit, eosque in hanc rem citat Sanchez *num.* 40. sed longè alia quæstio est, ab ea, quam Illustrissimus proposuit.

15. Pithanoph. *num.* 35. & 36. accusat Sanch. Vasq. & Salas, quod liceat, in administratione Sacramentorum, adhibere materiam incertam, etiam si certa suppetat, ea tamen lege, ut non sit contra Ecclesiæ consuetudinem & obligationem charitatis erga proximum; demus, id non esse, contra Ecclesiæ consuetudinem; inde opinor, sequitur juxta Ecclesiæ consuetudinem esse, nempe inter duo contradictoria medium non datur; quis autem neget, Ecclesiæ consuetudinem & usum pro certa lege haberi; quisquis igitur juxta consuetudinem & usum id ageret, non modò non peccaret, sed rectè defungi officio censeretur. At Sanchez, Vasquez, Salas, aliique nunquam negarunt, uti materia incerta, quando certa suppetit, esse contra Ecclesiæ consuetudinem & usum, item contra obligationem, seu præceptum charitatis erga proximum; optimè igitur doctissimi auctores scripserunt, semota Ecclesiæ consuetudine contraria, vel usu, seu præcepto saltem tacito, præciso item præcepto charitatis erga proximum, quæ duo semper interveniunt, nullum aliud caput esse, ex quo efficaciter probetur incertam illam materiam adhiberi non posse; illa enim ratio, quæ à reverentia erga Sacramentum petitur, ut optimè prædicti auctores observant, in omni alia materia militat, in qua semper aliqua reverentiæ ratio habetur erga Deum, superiores, res sacras, &c. Sed quid hic hæreo? cum P. Stephanus Dechamps in sua quæstione facti cui locum in hoc apologetico jure ac meritò esse voluisti, Antime, *cap.* 8. luculenter evincat, auctores Societatis, communi sententiæ, de tenenda opinione minus probabili, quam in scholis communiter receptam, vel, ut ait, *dominantem* repererunt, pluribus adhibitis temperamentis molliisse: primò enim, in materia Sacramentorum falsam esse pronunciarunt Suarez, Vasquez, Sanchez, Granado, Salas, Becanus, Filliucius, Layman, Gordonus, Oviedo, Amicus, Arriaga, Palavicinus, Bresserus, Mascarenhas, Busembaum, præter alios multos, quos reticuit; 2. in eo quod Judices spectat, iidem fere, quibus addit Valent. Tanner. Coninck, Castro-Palao, Baldell. Fragos. Mart. Perez. 3. respectu Medicorum, iidem qui pro materia Sacramentorum. 4. qua parte Magistros spectat, pro qua eosdem etiam citat, appellatis fideliter auctorũ locis; non erat igitur, Antime, quod Illustrissimus vestris in hac parte litem moveret, quos potiùs vel hoc nomine laudare debuisset, quod in hoc, unanimi

fere

fere conspiratione, eidem præluſiſſent, ad reſtringendam nimiam nonnullorum Theologorum laxitatem, aut licentiam.

16. ANTIM. *num.* 37. & 38. Patrem Sanchez notat quod dixerit *dict. cap.* 9. *à num.* 27. *ad* 32. pœnitentem, qui verè probabilem opinionem ſequitur, modò cætera adſint, eſſe diſpoſitum ad beneficium abſolutionis à Confeſſario recipiendum, licèt hic oppoſitam opinionem ſequatur: ſupponit autem Sanchez, dictum pœnitentem virum doctum eſſe ac peritum; quis autem neget, illum uti jure ſuo, & nullo jure Confeſſarium poſſe illum ab opinione verè probabili dimovere, aut negare abſolutionem, niſi ſententiam mutet; citat in hanc rem Sanchez, dictis locis, pluſquam viginti auctores magni nominis, nec ullum dubium eſt, quin hæc longe probabilior ſit, quàm oppoſita; parum abeſt, quin certam dicam, præſertim cum de docto pœnitente agamus, quem ſæpenumero, longè Confeſſario doctiorem eſſe contingit; tum deinde eundem Sanchez carpit, eo quod dixerit, *dict. cap.* 9. *num.* 35. Sacerdotem juriſdictione probabili utentem non peccare, licèt minùs probabile ſit, eum tali juriſdictione pollere; tam multos auctores addenſavit Sanchez, *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 22. *in fine*, pro hac ſententia, ut reverà prudenter negari non poſſit, eam verè probabilem eſſe; accedit, quod nemo rerum ſuarum & juris probabilis uſu interdicendus eſt, ſi poſſeſſio faveat, ut in hoc caſu, præſertim cum defectum juris, ſeu juriſdictionis ſupplere poſſit Eccleſia, ac proinde nullum inſit irriti periculum Sacramenti, *per l. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*; & longè diſpar eſt ratio materiæ, aut formæ tantùm probabilis, diſpoſitionis pœnitentis, poteſtatis. Ordinis miniſtri, quarum defectum ſupplere nequit Eccleſia, uti ſupplere poteſt defectum juriſdictionis. Miror igitur maximoperè, quod Illuſtriſſimus ſuper hoc tam multis inſignibus auctoribus litem moveat, non ſine multa bile.

17. PITHANOPH. Profert Illuſtriſſimus, *num.* 43. duo exempla, ut probet, ineptiſſima & periculoſiſſima illa remedia eſſe, quæ ab uſu probabilitatum accerſuntur: Primum exemplum eſt, quod cum is, qui tenetur reſtituere centum aureos, non poſſit abſolvi, niſi totum & ſtatim integrè reſtituat, id eſt, ſi cum poſſit reſtituere, ſine juſta cauſa reſtitutionem differat; contrarium tamen doceat Molina, *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 153 *num.* 1. aliud exemplum eſt, quod cum ſit probabilius, famulum non poſſe ducere concubinam in domum Heri: Azor tamen, *part.* 2. *lib.* 12. *cap. ult. quæſt.* 8. famulis hoc ipſum permittat; ſalutaria profectò remedia, quæ afferunt hominibus, inquit Illuſtriſſimus maximam conſcientiæ ſerenitatem; tum deinde *ſub finem hujus num.* 43. ſperare ſe dicit, Dei fretus clementia, qui veritatem diu latere non ſinit, illam ex tenebris eruere, & doctrinam illam prurientem auribus ac fere omnium mentibus infixam, quam Novatores à ſemita veritatis recedentes in mundum induxerunt, omnino convellere.

18. ANTIM. Quod Novatores viri eximii, de quibus *ſupra*, ab Illuſtriſſimo dicantur, doleo certè, ſed magis miror; tot igitur ac tanti Pontifices, Cardinales, Præſules, Doctores omnis generis, inſtituti & gentis, Novatores cenſendi ſunt? abſit; non retorquebo tamen, & mera convitiorum expoſitione contentus, ea ſatis vel inde refelli, mihi facilè perſuadeo. Pro ſecundo exemplo nullum ex noſtris appellat; gratulor, quod certè non omiſiſſet, ſi forte aliquis occurriſſet; unum Molinam pro primo nominat, *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 153. *num.* 1. nihil Molina tale hoc loco, ſed tantum *diſp.* 753. *num.* 1. ſed debuiſſet addere Illuſtriſſimus Molinam hîc loqui de reſtitutione latè ſumpta, hoc eſt, quæ ortum non habet ex injuſta acceptione, nec ex parte rei acceptæ, ſed ex contractu, idque in eo caſu, in quo debitor habeat verum animum ſolvendi, & certò futura ſit ſolutio, nec ex dilatione detrimentum ullum ſequatur creditori, nec lucrum ceſſet, & mora parva ſit, quam creditor gravatè non ferat, & debitor ægrè tunc & difficilè ſolvere poſſit, in hoc caſu, inquit Molina, debitor non eſt facilè damnandus culpæ lethalis; & licèt Confeſſarius urgere illum debeat, ut ſolvat, non tamen facilè condemnare debet culpæ lethalis, aut abſolutionem denegare, ſi reliquæ diſpoſitiones adſint. Addit autem Molina, *num.* 2. quando agitur de injuſta rei acceptione, vel detentione, reſtitutionem ſtatim faciendam eſſe, idque ſub lethalis culpæ reatu; quantum hic Molina ei ſit diſſimilis, quem Illuſtriſſimus proponit, nemo non videt, & verò fuiſſet in votis, ut per ſe ipſum Illuſtriſſimus auctorum monumenta conſulere & recognoſcere potuiſſet, non per alios, qui dubio procul omni optimo & doctiſſimo ſeni impoſuerunt.

19. PITHANOPH. *num.* 44. ad rem propiùs accedit, & quærit, an in moralibus, ſequi liceat opinionem probabilem, præciſa omni probabilitate partis oppoſitæ, id eſt, an opinio probabilis per ſe ſit regula morum, ſeu an in morali materia, licitum ſit opinari: ut verum fatear, mirabilem iſtam quæſtionem non capio; miſerum me, qua enim ſpe ad decidendam quæſtionem accedere valeam, cum vel ipſam quæſtionem minimè intelligam, ſi enim omnis partis oppoſitæ probabilitas à me præſcinditur; pars certè oppoſita probabilis dici à me non poteſt; igitur neque illa probabilis ſtatui; ſi enim pro parte oppoſita, ſit certa lex, jam non opinio, at certa ſententia eſt; igitur illa mea de qua quæris, an liceat ea uti, improbabilis eſt, nempe ut jam toties diximus; ſi una pars certa eſt, altera probabilis dici nequit, igitur improbabilis eſt; contra verò, ſi pars oppoſita nullo gravi, aut rationabili motivo gaudet, improbabilis cenſetur; ac proinde illa certa, de qua inſtitutur quæſtio; male igitur quæritur, imò peſſimè, an præciſa partis oppoſitæ probabilitate, opinionem probabilem ſequi liceat. Illa porro explicatio quæ adducitur in quæſtionem ipſam non quadrat, cum ab ea diverſa ſit; nihil enim verat, licitum eſſe opinionem probabilem ſequi, vel ea uti, licèt opinio probabilis regula morum non ſit; nempe regula morum, formalis ſcilicet, eſt ipſum judicium practicum certum, ut jam toties diximus, ſeu dictamen rationis. Altera etiam explicatio minùs apposita eſt; quamvis enim daremus Illuſtriſſimo, netas eſſe, opinionem ſequi in praxi, non tamen inde ſequeretur, illicitum eſſe, in materia morali opinari, id eſt, elicere judicium ſpeculativum circa objectum morale, ſeu quod idem eſt, ad mores pertinens; unde vix credi derim, quæſtionem illam ab Illuſtriſſimo rectè decidi poſſe, quæ ab eo ita proponitur, ut ſit à ſubjecto ſuppoſititio, ut vocat.

20. ANTIM. Fatetur deinde, *num.* 45. unam eſſe omnium fere recentiorum Theologorum, & Jurisperitorum ſententiam, non peccare illum, qui opinione probabili utitur, vel eam reducit ad praxim: ita eſt; modò ſcilicet verè ac certò ſit probabilis; fatetur, inquam, eſſe fere omnium, imò illud, pro reticeri potuit; unus enim vel alter, inter tot, pro nullo

nullo reputandus est; audet tamen Illustrissimus hoc torrenti opponere sese, audent quatuor, aut quinque illius gratiam captantes succenturiari; licèt profectò non sint, ut pietate, doctrina, prudentia, ingenio, tot & tantos nostrarum partium auctores adæquent, ne dum superent; pluribus adhærere, præsertim si viri sint omni exceptione majores, prudentum consilium est; ut ut sit, hæc prima quæstio ab eo proposita ad nos non pertinet, ut potè qui nullam opinionem ut tutam in praxi admittimus, nisi quam certò ac verè probabilem esse, constiterit; quod verè à constare non potest, nisi constet, nullam certam legem extare pro parte oppositâ, ejusmodi motiva, quamvis alioquin gravia & rationabilia, ea non esse, quæ certum assensum ab intellectu exigant, & quæ probabili refutatione dilui non possint; itaque ad statuendam certam probabilitatem alicujus opinionis, motiva utriusque partis discutienda sunt, ponderanda, conferenda, &c. nunquam igitur probabilitatem partis oppositæ præcidimus; hæc igitur prima quæstio ad nos minimè attinet.

21. Pithanoph. Frustra ergo in ea tempus teritur, à *num.* 46. *ad num.* 59. illorum fundamenta exponit, qui censent, ad rectè operandum opinionem probabilem satis esse; hæc etiam nihil ad nos, nisi quod multa pro nostris adstruit, quæ negamus; multa omittit, quæ adstruimus; ad firmandam communem illam sententiam de opinione probabili, omnia demum leviore manu, ita ut seriò agere nullo modo velitur, sed nihil ad nos, ut dixi, qui certa & solida hujus sententiæ fundamenta in præmissis conquisita statuimus: *num.* porro 59. sibi adhærentem dicit contrariæ sententiæ, quæ licèt, inquit, auctoribus modernis destituta sit, antiquorum tamen sapientiæ innititur: & fulcitur solidissimis fundamentis. Probat illam primò, *à num.* 60. *ad* 65. ex Scriptura, *Eccles.* 32. *ante omnia opera verbum verum rogita te; & ante omnem actum, consilium præcede*; igitur ad rectè agendum, requiritur veritas & rectorum firmitas; utrumque deest opinioni probabili; prima certè, quæ est indubitata rei certitudo, deest etiam, quia opinio est variabilis & fallibilis: ubi enim est opinio, ibi est vacillatio; citatque ad hoc rem S. Bernardi locum *cap.* 38. *in Regul. S. Benedicti*, excerptum ex Wendrockio, *in epist.* 5. *ad Fab.* 2. §. 2. utraque citatio falsa est, nempe Bernardi locus, *ex cap.* 37. excerptus est, & Bernardus, *ex cap.* 14. *num.* 38. mirum est, quam infideles sibi sint, quorum opera Illustrissimus in adnotandorum locis usus est: ille autem Eccles. locus nihil prorsus probat, contra doctrinam probabilitatum: in textu Græco legitur tantùm *verbum*, λόγος, non verax, λόγος autem hoc loco rationem, seu rationcinium significat. 2. auctores diversimodè hæc verba explicant; nullus tamen contra doctrinam probabilitatis: Cornelius à Lapide proximè omnium accedit; interpretatur judicium illud practicum, quod est proxima regula operationis honestæ, ut homo nihil agat, nisi certò judicet, omne peccatum abesse operatione abesse, ac de consilio viri docti, sapientis, prudentis; sed quid quæso hæc ad opinionem probabilem? alii de fidelitate in servandis promissis, alii de veritate hunc textum explicant. Sed demus, ita esse, ut vult Illustrissimus; quid inde? an fortè omnes morales sententiæ, quas in Ecclesiastico legimus, sunt præcepti, non verò tantùm consilii? deinde aliud aliud, ex hoc loco, teneri possumus, nisi ad investigandam in omnibus veritatem, nimirum quantum possumus? at si in his, certa veritas inveniri non potest, sed tantùm probabilis? nihil enim aliud est veritas, nisi conformitas cognitionis cum objecto, ut communiter definitur in Scholis, non verò indubitata rei certitudo, ut minus appositè gloss. illa porro conformitas, vel certa est, quia certitudo est modus quidem veritatis; vel probabilis, id est, cum aliqua formidine conjuncta; ac proinde quis quis opinioni, quam verè probabilem esse certò cognoscit, prudentem assensum præbet, in veritatem objecti fertur, quamvis aliquantulum formidet de oppositio, & si opinione illa utatur, certò judicat, honestam esse, & abesse peccatum, firmis ac solidis motivis, rationibus & consiliis ducitur ad operandum; nec utitur propterea opinione probabili pro regula morum, sed statuta opinione verè ac certò probabili, habet regulam certam in judicio practico certo, quod circa usum dictæ opinionis elicit, antequam operetur; quod verò spectat ad locum Bernardi, jam illum Stubrockius explicuit, & in bono lumine collocavit: & verò electio opinionis certò probabilis est electio veritatis, ut constat ex dictis; licet enim opinio ipsa falsa esse possit, quod tamen assensus ille prudens sit, & usus illius honestus, falsum esse non potest. Sed hæc jam toties enucleata, inculcata, & firmata fuerunt, ut denuo regerere quasi pudeat.

22. Antim. Probat 2. *num.* 66. ex Aristotel. *lib.* 6. *de morib. cap.* 5. ubi vult, prudentiam esse cum vera ratione conjunctam; unde cum opinio non fundetur in ratione vera, à prudentia distinctam esse, necesse est: quis amabò negavit unquam, opinionem distingui à prudentia? hoc tamen non facit; quin usus opinionis verè probabilis, sit prudens, & judicium practicum, quo talem usum prudentem & honestum judicamus, in vera ratione fundetur; cum certum esse, constet: deinde opinio ipsa formalis verè probabilis, est prudens, id est, à prudentia imperatur; cum scilicet ex ratione vera, id est, ex gravibus & rationabilibus motivis procedat: adducit alium locum S. Bernardi ex *lib.* 5. *de consid. cap.* 3. non 2. ut per errorem fortè Typographi scripsit; quid porro hic mellifluus auctor; quomodò superna, Deus scilicet & Angeli, à nobis investiganda sint, intellectu nimirum, fide, & opinione, ita tamen ut nec fides hæsitet, loquitur enim de fide divina, nec opinio certò asserat: sed quid quæso hæc ad opinionem probabilem in moribus? tertio probat *n.* 68. ex Arist. *lib.* 3. *de anima non* 2. ut dicit, *cap.* 3. ubi docet, intellectum rectum dirigi à prudentia, scientia, & *opinione vera*, unde, inquit, excludit opinionem probabilem, cum hæc falsa esse queat, sed profectò hic locus nostræ potius sententiæ favet; nam cognitionem certam ab incerta distinguit; incerta dicitur opinio eaque vera, id est, vere ac certo probabilis, seu in motivis gravibus & rationabilibus fundata, nam opinionem probabilem ab improbabili Philosophus optime distinxit, quod tamen adversarii nostri nunquam facere voluerunt, probabilis dicitur vera opinio, id est, cum ratione conjuncta; & verò si à Scholis opiniones probabiles explodendæ essent, quid amabo Theologi, Philosophi, Jurisperiti, Medici docerent? locus ille Lactantii ex *lib.* 3. *inst. cap.* 27. non 25. ut scribit, *stultissimi est hominis*, inquit, *præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera sint, an falsa, dubitatur*, ad rem etiam non facit: agit hoc loco Lactantius de doctrina cœlesti, quam cum placitis gentilium Philosophorum comparat; aitque, stultissimi hominis esse, doctrinæ illorum, quæ

incerta

incerta est, adhærere, & Christi doctrinam, quæ certissima est, postponere; quid porro hæc ad propositam quæstionem? 4. probat ex eo, quod prudentia, quæ tendit ad verum, uti non possit opinione probabili: non utitur opinione probabili, ut proxima operationis honestæ regula, sed judicio practico certo, ut sæpe diximus.

23. PITHANOPH. Eodem recidit quintum argumentum, *num.* 69. ubi dicit, judicium probabile non esse virtutem, ita est; sed negari non potest, quin sit actus à virtute imperatus; est enim assensus prudens, modò certò constet, opinionem esse verè probabilem: deinde judicium practicum certum omnia supplet, quæ à prudentia desiderantur; quo nimirum operans certus est, se prudenter & honestè operari; est enim proxima moralis prudentiæ regula; unde argumentum à Picolomineo petitum corruit, quod certe valeret, si nullum esset judicium practicum certum. 6. argumentum extat *num.* 70. & 71. in quo dicit, ad rectè operandum, requiri certitudinem saltem moralem de rectitudine operationis: rectè prorsus, idem & nos dicimus; unde habemus judicium practicum certum, circa dictam rectitudinem versans, de quo jam sæpius; unde falsum esse constat, illud quod subdit, eum qui utitur opinione verè probabili, hanc certitudinem non habere; quare malè infert, *opinio est incerta, judicium igitur practicum est incertum*; falsa est consequentia, nam dictamen illud non est opinativum, sed omnino certum, ut jam sæpe supra: eodem modo sententiam probat Illustrissimus, *n.* 72. repugnat, inquit, idem judicium esse incertum ac certum, esto, sunt omnino duo judicia, eaque diversa, etiam ex objecto; alterum speculativum probabile tantùm, ac proinde incertum, alterum verò practicum omnino certum; & frustra quo ad hoc allegationes multiplicat. Octava probatio, quæ habetur, *num.* 72. potioris conditionis non est; non potest, inquit, idem actus esse probabiliter tantùm licitus & certò licitus, in hoc etiam fallitur, nam per judicium practicum ille actus humanæ operationis certò licitus cognoscitur; si certò, nulli ergo discrimini operans se committit. *Num.* 74. sequitur nona ratio, petita à similitudine administratoris, Medici, & nautæ, imperitorum, ac sæpe fallentium, quorum opera nemo prudenter uti potest: igitur nec opinione probabili, ut regula conscientiæ Christianus prudenter uti potest, cum æquè fallat; sed hic paralogismus eodem vitio laborat, nec enim opinio regula est conscientiæ, sed ipsum judicium practicum, quod nunquam fallit. *A num* 75 *ad* 77. decimum ex eo deducit argumentum, quod auctoritas unius gravis auctoris opinionem probabilem faciat; & tamen in jure, quædam opinio Perpiniani dubitatio appellatur; unde concludit, opinionem probabilem certitudine carere; quis hoc negat? sed quid inde? cum judicium practicum semper certum sit: ex his autem observa, cum opinione dubitationem seu formidinem semper esse conjunctam; non tamen eam quæ omnem assensum sustineat, quæ est dubitatio propria, qua intellectus anceps remaneat, sed impropria & latè sumpta, quæ nihil nisi formidinem sonat. Undecimò demum ibidem sic ratiocinatur; omnis opinio probabilis est eligibilis, nimirum verè ac certò probabilis; sed omnis controversia est probabilis, certò nimirum & verè, quod falsum est; si enim sit controversia de probabilitate, non est certò probabilis, ac proinde minimè eligibilis; si de veritate objecti, & pars utraque motivis gravibus & rationalibus fulciatur, citra certitudinem alterius, fatemur cum his restrictionibus licitum esse illa uti; unde nullum sequitur absurdum, nullum salutis periculum, ut dixi; imò hoc argumentum nimis probat, cum in controversiis oppositis, verè ac certò probabilibus, nesciri possit, utra sit falsa; eliges tutiorem; sed hæc potest esse falsa, sive sit probabilior, sive minùs probabilis, falsam igitur eliges, ubi ergo erit illud *verbum verax*? Ubi veritas in intellectu? ubi prudentia, quæ semper in verum fertur? ubi opinio vera & verus intellectus? ubi certitudo moralis si fallitur est? ubi prudentia Domini, ægri, navigantis, qui administratore, medico & nauta mendacibus utuntur? itaque licet uti opinione verè ac certò probabili, quia operationem judicium practicum certum semper dirigit, seu regulat.

24. ANTIM. Præcæteris *num.* 78. Ubi duodecimum argumentum affert, paralogizat: si liceret, inquit, sequi opinionem probabilem, inde liceret, quicumque opinionem sequi: quia idem est opinabile & probabile, nec unquam intellectus assentitur uni extremo, nisi ex probabilibus rationibus, nec est liberum est, opinari, sed movetur ab objecto: Unde sequitur, omnem opinionem esse probabilem: certè non mirum est, quod Illustrissimus tam acriter in probabilistas invehatur, ex quorum sententia, tam horrenda & impia sequi, per luculentum errorem, existimat: sciat igitur, primo loco hanc nostram sententiam esse, ut ne quidem liceat sequi quemcumque opinionem probabilem, sed tantùm illam, quæ verè ac certò probabilis est. 2. à nobis distingui opinionem probabilem ab improbabili, hæc enim est ex levibus dumtaxat motivis, seu rationibus, & sic ab omnibus bene sentientibus distinguitur. 3. aliam esse opinionem re ipsa & verè probabilem, aliam apparenter dumtaxat; aliud est enim talem esse, aliud talem cuipiam videri, ut toties diximus & dissertum Aristotelis textum adduximus: 4. nunquam intellectui liberum esse operari, sed vel rapi ab objecto, si est evidens, vel à voluntate determinari, non verò ab objecto, si non est evidens; vides quam multa in paucis lineis menda & falsa, quasi vera essent, ab Illustrissimo statuantur. Ducit *ibidem* rationem 13. ab absurdis, quæ ex nostra sententia sequerentur, pro quibus nos remittit ad *num.* 293. deinde *num.* 79. & 80. ex Alensi, & D. Thom. 14. & 15. rationem ducit, qui docent, rectum intellectum in objectum ferri, prout in se est; unde infert, intellectum judicantem secundùm opinionem probabilem non esse rectum, quia non attingit rem, prout in se est, sed secundùm apparentiam; hìc etiam paralogizat, quia negari non potest, quin rectus sit intellectus, qui ex gravibus & rationalibus motivis assentitur objecto probabili; idque citra certitudinem, cum aliter rectè assentiri non possit; si enim certò assentiretur, haud dubiè rectus non esset; quia in objectum probabile certus assensus non quadrat: atque ita prædicti auctores intelligendi sunt, ut de objecto quopiam judicetur, prout tale est, nimirum probabiliter, non certò, si probabile est; certò verò, non probabiliter, si certum, in quo nulla est difficultas. Argumenta 16. 17. 18. *à num.* 81. *ad* 85. ducit ex D. Bonaventura & Scoto, ex quibus ostendit, judicium de rectitudine operationis, rectum non esse; quia certum non est; sed hoc facilè negamus, qui judicium illud practicum de rectitudine, certum esse dicimus; nec] diffitetur Illustrissimus, *num.* 79. hanc esse communem Theologorum sententiam pro qua etiam nostros citat Suar. Sal. Less. cur ergo

semper

sempèhæc impingit? *à num* item 85. *ad* 90. ostendit PP. Salmaticens. & Cajetano judicium practicum præcedens immediatè imperium prudentiæ certum esse debere, non verò fluctuans, & hoc ultrò damno, & semper dedimus; sed hoc non facit, ne opinione verè probabili uti liceat; inde autem Illustrissimus fallitur, quòd judicium speculativum à practico nunquam distinguat; unde etiam corruunt argumenta 19. & 20. item 21. quod *num.* 90. ducit ex dicto Cajetano, & cum eo concludit, judicium practicum certum esse debere: annuimus quoque; in hoc autem Cajetanum non sequimur, quòd semper ad tutiorem obliget; cùm tamen hanc minùs probabilem sæpe numero esse contingat; sed hunc alibi jam refutavimus. Pro 22. & 23. citat Valentiam & Lessium; sed illud unum dumtaxat volunt, notitiam honesti certam esse, id est, judicium practicum certum; quis hoc negat? constat autem, præfatos Auctores Illustrissimo penitus adversari; quia diserè docent, primus quidem 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *punct.* 4. alter verò *lib.* 2. *d. cap.* 29. *num.* 68. licitum esse, uti opinione minus probabili: malè igitur nostros contra nostros citat.

25. Pithanoph. Sed jam ad Achillem suum Illustrissimus descendit, illudque inevitabile argumentum, ut vocat, quod *à n.* 91. *ad n.* 97. prosequitur. Opinio, inquit, ex natura sua annexam formidinem habet: ita est; nemo nostrûm id negat; neque id negare potuit Illustrissimus sententiæ nostræ assertores in eo convenire, quod omnis opinio, quantumvis probabilis, citra certitudinem sit; id est, ita illi assentiatur intellectus, ut cognoscat etiam partem oppositam esse probabilem, & veram esse posse: immo te Illustrissimus *num.* 72. in hanc rem citavit, frustra igitur multiplicatis allegationibus id probat; sed quid inde? ergo, inquit, quisquis utitur opinione probabili, agit cum formidine, & habet conscientiam dubiam, cum qua operari, peccatum est. Negamus consequentiam; quia præcedit judicium practicum certum de honestate operandi: igitur omnem formidinem & dubitationem conscientiæ excludit, vel explodit, ut loquuntur: posito demum judicio practico certo, tota ratio inevitabilis argumenti corruit: omitto alia multa, quæ refelli possent, verbi gratia, id, quod dicit intellectum, qui formidat, ad neutram partem se determinare; quia revera nunquam se intellectus determinat; sed vel ab objecto evidenter proposito, vel voluntate, si obscurè proponatur: & verò per assensum probabilem verè intellectus ad unam partem determinatur, non tamen absolutè, id est, cum formidine, sed cum aliqua formidine partis oppositæ, ut centies diximus.

26. Antim. S. Thom. locum ex *quodlib.* 8. *artic.* 13. explicat, & ex eo ducit argumentum 25. *n.* 97. ibi autem S. Doctor docet, eum peccare, qui cum aliqua dubitatione habet plures præbendas. Hunc locum jam alibi discussimus, nec quidquam ex eo contra nostram sententiam; nam dato, quòd sit opinio illa probabilis; per judicium practicum certum, omnis dubitatio excluditur; hoc igitur prætermisso, venio tandem ad 26. & ultimum argumentum, quod non prosequitur, *à num.* 98. *ad num.* 109. ibi autem non agnoscit, doceri à defensoribus probabilitatem, quod requiritur ad rectè operandum certitudinem moralis, de honestate operationis, quæ sumitur ex probabilibus, nunquam reverà diximus, ex mere probabilibus deduci conclusionem certam, quod negari esset; sed illud dumtaxat, stante opinione verè ac certò probabili, formari posse judicium practicum certum de honesto usu talis opinionis: in hoc autem observat Illustrissimus magnam latere fallaciam; aliud enim est sufficere certitudinem ex probabilibus; aliud sufficere certitudinem probabilem; primum denotat causam certitudinis, alterum verò denotat effectum.

27. Pithanoph. Sustine tantulum; juraremne, hæc ab eo dicta fuisse, propter ea, quæ in tuo opusculo dixeras de certa probabilitate, quæ cùm minùs ab adversariis intellecta fuerint, oggerit Illustrissimus hoc loco certitudinem illam probabilem, pro certa probabilitate; cùm tamen duo sint distinctissima; neque tu admisisti unquam, sufficere in moralibus, judicium practicum tantùm probabiliter certum, cùm certum omnino desideres; fallitur tamen, cùm dicit, hæc duo stare non posse, nimirum certitudinem & probabilitatem; quemadmodum enim nihil obstat, quin aliquid dicatur probabiliter verum, probabiliter de fide, &c. ita & probabiliter certum: & verò ipsa probabilitas certa est, vel incerta; si certa est probabilitas unius partis, etiam partis oppositæ certam esse oportet; si verò incerta & tantùm probabilis, igitur probabilis quoque est ejusdem improbabilitas; igitur partis oppositæ probabilis certitudo: hæc duo igitur non repugnant, ut asserit Illustrissimus; & tales sunt omnes illæ, quæ probabiliter tantùm probabilibus opponuntur; sed ad controversiam hæc non pertinent, cùm scilicet judicium practicum certum habeamus, & in hoc perpetuò fallitur auctor, quòd judicium speculativum tantùm probabile à practico certo minimè distinguat: ad id verò quod dicit, se habere certitudinem moralem ex probabilibus, nimirum ex omnibus motivis collectivè consideratis, quæ tamen singula seorsim ad certitudinem non sufficerent, jam supra refutavimus contra Marinarium & August. de Angelis; quandiu enim motiva partis oppositæ sufficiunt ad probabilem assensum, id est, quandiu pars opposita verè probabilis est, de illa prima dici nequit, quòd certa sit; quantumvis illius motiva collectivè considerentur; falsamus igitur extra chorum, præsens enim controversia est circa unam partem tantùm probabilem, non verò certam; nemo enim mortalium dicit, stante altera parte certa, oppositam ad rectè operandum sufficere, utpote improbabilem, quæ scilicet opponitur certæ; ex quo reliqua omnia, quæ habet Illustrissimus, penitus corruunt, & verò ut aliqua propositio, vel assertio in ea classe reponatur, in qua revera esse debet non tantùm unum, vel alterum motivum ponderandum est, sed omnia prorsus, & maximè comparanda cum motivis alterius partis; si enim hæc, aut certam legem, aut aliud, quod certitudinem inducat, contineant, non modò primam illam partem certam non reddunt, sed ne probabilem quidem; si verò non sufficiant etiam collectivè sumpta ad probabilitatem conciliandam; prima illa pars certa est, non quidem propter motiva collectivè accepta, sed propter aliud quidpiam, quod improbabilem partem oppositam reddit, & verò sit opinio A, & opposita B, & nulla sit certa lex pro alterutra, sintque 4. motiva pro A, & 2. pro B, quorum singula sufficiant ad probabilitatem conciliandam; igitur opinio B, probabilis erit ex motivis tum seorsim, tum conjunctim consideratis; at si B probabilis est, A certa esse, aut dici non potest, ut patet; nec enim opposita certæ probabilis est.

28. Antim. Considerant utramque, ut lancem utramque libræ, quarum alteri pondus insit, ut 4:

alteri ut 2. quo posito, illa istam vincit, attollit, superat; ita prorsus opinio A probabilis, ut 4. superat opinionem B probabilem ut 2. sed quid tum ? an propterea facit pondus ut 4. ne aliud pondus sit ut 2. nullo modo, sed tantùm hoc vincitur ab illo : sed utrumque manet tale, quale est unum, ut 4. aliud, ut 2. ita prorsus opinio A probabilis , ut 4. vincit & superat opinionem B probabilem ut 2. quid est hoc, superat? nimirum probabilitate; unde probabiliot rectè dicitur; non tamen facit, quin alia minùs probabilis remaneat, id est, probabilis ut duo; igitur probabilitas major unius partis superat quidem probabilitatem alterius , non tamen illam extinguit, aut destruit, sicut pondus ut 4. non destruit pondus ut 2. qui clarius?

29. PITHANOPH. Non admittes etiam, opinor, aliam doctrinæ partem ; quòd scilicet ex probabilibus certum deducatur; vult enim, ut vides, Illustrissimus motiva illa collectivè sumpta unius partis tanti ponderis esse atque momenti , ut intellectum rapiant & determinent , citra vel minimum voluntatis imperium, ad certum assensum : sed in hoc casu nemo negat, quamvis alioquin laxissimus probabilista, nemo, inquam, negat, certæ parti standum esse, & tutam non esse oppositam, utpote improbabilem: at, nisi fallor, non sumus in hoc casu ; nempe ad firmanda unius partis motiva, ut toties diximus, motiva partis oppositæ ponderanda sunt, si fortè ad probabilem assensum sufficiant, id est , gravia sint & rationabilia , si enim talia esse constet, nulla reverà certitudo parti oppositæ competit; plura quidem, immo & potiora motiva unius partis eamdem probabiliorem faciunt ; at semper sub genere probabilitatis ; sicut plures gradus doctrinæ hominem doctiorem, plures gradus caloris, aut lucis, calidius, aut lucidius subjectum; semper enim dictum illud ut ineptum explosimus, quòd scilicet opinio minùs probabilis; in concursu probabilioris, improbabilis evadat, quod ridiculum est; nam perinde à me dici posset, doctum alioquin hominem in concursu doctioris, ignarum prorsus censeri. Vellem, ut Illustrissimus vel unam ex hujusmodi opinionibus appellasset, quæ ex motivis seorsim sumptis sint probabiles, licèt ex iisdem conjunctim acceptis, certæ omnino evaserint; nulla enim talis mihi occurrit ; nisi fortè illas intelligat, quæ certum aliquod motivum habent, ac proinde pars opposita improbabilis reputetur ; de hoc tamen casu quæstio non procedit, ut jam dictum est.

30. ANTIM. Præcipuum argumento robur Illustrissimus à judiciorum formis accersit, juxta quas, inquit, duæ semiplenæ probationes plenam constituunt probationem; igitur duo motiva imperfecta & tantùm probabilia motivum perfectum constituunt. Sed hujus consequentiæ falsitas manifesta est ; in iis scilicet , quæ sunt diversi generis; & sicuti album additum albo facit tantùm album , & linea lineæ tantùm lineam , ita probabile additum probabili, facit tantùm probabile, & nunquam certum ; at verò semiplenum additum semipleno facit plenum , uti selibra addita selibræ facit libram : itaque in judiciis, ex rei veritate præcisè non judicatur, sed tantùm ex præsumptionibus ; quia homo in interiorem animum non penetrat , nec in abditas rerum causas : Unde sæpè accidit, ut justè damnetur insons, ex allegatis scilicet & probatis , quamvis alioquin falsis; justum igitur erit judicium, non tamen verum, unde Judex, qui secundùm jura & leges judicat, rectè judicat, & certus est, se rectè ac justè judicare, non tamen certus omnino , rem ita esse, quamvis certus sit, rectè præsumi, ita esse, & ex hoc rectè judicari : in foro conscientiæ ex præsumptionibus non proceditur, sed ex gravibus & rationabilibus motivis, quæ reverà si tantùm probabilia sint, nunquam movent ad certum assensum, sive conjunctim, sive seorsim considerentur, & stante parte opposita verè probabili, fieri non potest; ut prima illa certa censeatur ; unde corruit propositum argumentum, & miror, adversarios in eo tam grave momentum posuisse.

31. PITHANOPH. Illud etiam præsertim doctos alioquin homines in errorem induxit, quòd vel nescierint , aut saltem dissimularint veras oppositionum regulas ; si enim utraque pars probabilis statuatur, fieri non potest, ut altera certa evadat, multiplicatis licèt probabilibus motivis, sed tantùm probabilior, quæ certè minus probabilem non destruit, sed omnino supponit, ut jam sæpè demonstravimus; ex illo igitur capite certa conscientia statuenda non est, stante utraque parte verè probabili, sed ex alio, nimirum, ex judicio practico certo, ex certis præmissis deducto, de quibus supra; & in hunc modum, antiqui auctores explicandi sunt, cùm dixerunt, certitudinem moralem ex probabilibus nasci ; non quòd ex probabili sequatur certum , sed quòd ex certò probabili sequatur certò prudens, certò licitum, certò honestum. Non distinxit etiam Illustrissimus judicium speculativum à practico, uti reverà distinguendum fuit; immo certitudinem illam moralem judicio speculativo perperam adstruere voluit; quod certè difficultatem illam non solvit, sed auget. Ut ut sit, tam multa argumenta, quæ in hanc rem congessit, si quid probant , illud nonnisi dumtaxat evincunt, nimirum conscientiam certam esse debere , id est , judicium practicum certum, quod omninò admittendum esse, ultrò fatemur. Unde illa omnia, quæ nobis opponit Illustrissimus, pari facilitate negantur, qua adstruuntur; nempe usum opinionis verè probabilis licitum esse , certò judicamus, ac proinde prudenter operamur, periculum cavemus, verum eligimus & stabile, certum tenemus, incertum dimittimus, cum virtute agimus; immo assensus ipse speculativus, quamvis alioquin probabilis tantùm sit, est tamen prudens, quia ex motivis gravibus & rationabilibus prudenter assentimur; si enim nullus assensus opinativus prudens esset, malè profectò consultum esset Magistris Theologiæ, Philosophiæ, Medicinæ, immo & Juris utriusque, quorum saltem ut plurimum, assertiones sunt tantùm probabiles. Fallitur autem *num.* 100. ubi nobis exprobat, quod nostris argumentis probamus, aliquid esse probabile , non tamen verum : quod quantum absit à vero , perspicuum est ; nam esse probabile, certum est ; non opus est igitur motivis probabilibus, ut hoc probemus; quare ex motivis illis probabilibus, gravibus tamen & rationabilibus, non probamus, opinionem esse probabilem, sed veram, non quidem certò, sed probabiliter; unde intellectus, per assensum probabilem, adhæret vero, quamvis non firmiter, sed cum aliqua formidine, ut sæpè diximus, immo omnis propositio resolvitur in modum, *verum est*, & quasi dicit de se ipsa, *vera sum*.

32. ANTIM. *A num.* 111. *ad num.* 119. argumenta, quæ pro nostra sententia præmiserat, solvere conatur, obtruditque, seu potiùs jam dicta, & toties inculcata regerit; nimirum, judicium probabile moralem

tem certitudinem non habere; quis hoc dixit unquam, vel somniavit præter adversarios? qui probabiliorem partem certam esse volunt; item imprudenter ac temerè illum agere, qui judicio probabili, ut regula suarum actionum, utitur; hoc etiam non dicimus; utimur enim judicio practico certo; iterum occurrit ad suum verbum *verax*, & *consilium stabile*, sed jam supra hic locus discussus est; non obstat etiam Cypriani locus ab eo adductus *num.* 112. num revera, & quod agendum est, scimus, & quod scimus, agere possumus; quis hoc negat? & miror, hunc locum contra nos adduci, qui adversarios singulat; nihil enim magis appositè dici potuit, adversus illos, qui negant ignorantiam invincibilem existere culpæ: redit deinde ad periculum, quod ex dubio metuitur; sed non sumus in dubio, cum judicium practicum certum actioni nostræ præluceat. Addit denique, veritatem in omnibus quærendam; ita est, sed eo modo, quo inveniri potest, prout scilicet objectum patiens est; cum autem multa sint, quorum certa & indubitata veritas sciri nequit, in iis probabilis tantùm veritas quærenda est, non certa; in hoc verò possimùm errant adversarii, quòd velint, assensum veræ probabilem in veritatem non ferri, nec per illum, intellectum ad unam partem determinari; sed exorandum Deum, ut nobis veritatem aperiat; optimè sanè, idque in omnibus eo tamen modo, ut jam dixi; cujus quævis materia patiens est, & salutis nostræ ratio postulat; quòd enim Deus omnem veritatem petentibus revelet, absurdum dictu est. Quod autem ad rem præsentem attinet, ubi certò judicamus, ab aliqua operatione peccatum abesse, nihil aliud, quo ad hoc, salutis nostræ ratio postulat. sed profectò verba illa, quæ habet Illustrissimus num. 115. sub finem, *confundantur ergo & eruantur figmenta probabilitatem*, omittere debuerat: quis verò, centeni & milleni auctores doctissimi, prudentissimi, & sapientissimi ad conspectum Merendæ, Monti, Baronis, Marinarii, Augustini de Angelis, Antonini Pagnani erubescere debeant atque confundi. Novatores prætermitto, quid enim nobis cum illis? Deinde appositè sanè argumentū retorqueretur: illudem omittere debuerat, quod habet *n.* 119. nimirum doctrinam nostram de probabilitate novam esse Ecclesiæ, & antiquæ consuetudini Ecclesiæ contrariam; ita prorsus Pet. Molin. aliique Calvinistæ morum de Papatu, ut vocant, doctrinam invehuntur. quid quæso ad hæc reponerem: multa sanè possem, sed abstinet, ut recriminatione tam bonam causam fœdam; illud unum, vel obiter indicabo, nimirum antiquam Ecclesiæ consuetudinem haberi ex usu, seu præsenti usu; ut enim eadem semper Ecclesia, ita eadem Ecclesiæ consuetudo, idemque ejus in doctrina morum & fidei; urgeri posset ista responsio, sed obiter indicata sufficiat.

36. Pithanoph. Sed jam ad secundam quæstionem deveniamus, quam proponit *n.* 121. utrùm scilicet duabus æquè probabilibus, liceat alterutram sequi & amplecti, & primo quidem loco, postquam retulit opinionem Patris Vasq. *1. 2. q. 19. a. 6. disp. 6. c. 3.* qui tenet, utramque partem ab eodem intellectu probabilem judicari non posse per principia intrinseca, Patr. Sanchez opinionem refert, qui docet, intellectum utrique parti, etiam ex principiis intrinsecis, simul assentiri posse; in quo vult, Patrem Vasquez à Patre Sanchez refutari, quod certè ita non speculit, Antime, ut tibi auctor sim, à suscepta provincia recedas; quid enim hoc ad sententiam Patris Vasquez, qui vult utramque partem probabilem censeri non posse ab eodem intellectu, ex principiis intrinsecis, quem ut refutaret P. Sanchez, satis erat, ut diceret, utramque partem probabilem censeri posse, cùm revera longè alia sit quæstio, utrùm idem intellectus utrique parti simul assentiri possit, quod à Patre Sanchez doceri Illustrissimus asserit *num.* 122. 136. & *alibi*. Contendo, meram impostruram esse; nempe Sanchez *lib. 1. cap. 9. n. 12.* (ita illum citat adversarius) id tantùm docet, nihil repugnare, duas opiniones contrarias, ab eodem intellectu probabiles judicari: nec enim video, inquit, cur ex ipsa rei natura nequeat intellectus utramque opinionem æquè probabilem judicare; neque, id est, duobus contradictoriis simul assentiri, cùm intellectus non affirmet, utramque partem esse certam, seu veram, sed utramque esse probabilem, id est, neutram ita certam esse, quin utraque probabiliter sustineri valeat; ita Sanchez *dicto loco*, & nihil aliud; cur ergo illi adeo luculenter imponitur, quasi dicat *dicto num.* 12. intellectum utrique parti simul contradictoriarum probabilium assentiri posse. Concludit autem *num.* 123. ex duabus æquè probabilibus oppositis, licitum non esse alterutram sequi, & multò minùs utramque simul; damus ultro, utramque simul; quia utrique simul assentiri non possumus, dixi utramque simul, nam modò hanc, modò illam teneri posse, ultro fatemur, nec adversarius inficias eat; demus enim, illam modò eligi, quæ tenet, licitum esse, quidni deinde illam eligam, quæ tenet, esse illicitum, & quam tutiorem adversarii reputant? Sed ad rem propiùs accedamus: primo igitur loco asserit, *num.* 125. illum, qui judicat duas opiniones oppositas æquè probabiles, non esse moraliter certum de illarum veritate, sed dubium; certus quidem est, de probabilitate, ac proinde de prudenti electione & honesto usu; non tamen de illarum veritate, ut fatemur ultro: quod autem sit dubius propriè loquendo, & anceps, & assensum omnem debeat sustinere, ita ut neutri assentiri queat, ut videtur innuere Illustrissimus, dare profectò non possumus; si quis enim judicat, esse probabilem, judicat etiam se prudenter assentiri posse.

34. Antim. In hoc præsertim falluntur adversarii, quòd putent, intellectum ab objecto determinari; ac proinde cùm sint æqualia utriusque partis motiva, & æquè hinc inde moveatur, & utrique simul assentiri nequeat, suspensum, ancipitem & dubium necessariò manere. Sed falluntur; nam citra objecti evidentiam, intellectus ab eo non rapitur, seu determinatur; propositis tamen rationabilibus, & sufficientibus utriusque partis motivis, voluntas intellectum ad hanc, vel illam partem determinare potest, quo semel admisso, ut reverà debet admitti, nulla ultra in hoc puncto difficultas restat. Suam tamen assertionem latè probat primò, quidem *à num.* 126. *ad num.* 138. quia fieri non potest, ut idem intellectus utrique parti probabilium simul assentiatur, ut latè probat, contra Vasquez, Azor, & Sanchez, sed immeritò, nunquam enim prædicti auctores dixerunt, intellectum utrique simul assentiri posse, sed tantùm utramque probabilem censeri, Vasquez quidem & Azor per principia in[illegible] unam, & alteram per extrinseca; Sanchez [illegible]o per intrinseca utramque. Damus igitur, fieri non posse, ut intellectus simul utrique assentiatur; sed, quid inde concludere possit, contra nostram sententiam non video; nec quomodo inde inferat, stante utraque æquè probabili, intellectum [illegible] esse moraliter cer-

tum de veritate utriusque ; consequens verum esse admittimus, sed profectò consequentiam negamus; imò dato, quòd simul utrique intellectus assentiri posset, inde non sequitur, certum esse de veritate utriusque vel alterutrius; nempe haud aliter utriq; simul assentiretur, quàm utrique seorsim assentitur, nimirum probabiliter; si verò probabiliter; igitur certus non est de veritate objecti; mihi demum gratulor, quòd Illustriss. *n.* 130. nobiscum agnoscat judicium illud, quo judicamus opinionem aliquam probabilem esse, non esse opinativum, sed evidens & certum, ac proinde semper à nobis hoc judiciũ distingui ab ipsa opinione, neque in hoc æquivocarunt Vasq. Azor, Sanchez, ut perperam imponit *n.* 135. nec unquam pro eodem acceperunt judiciũ de probabilitate certum, & judicium opinativum de veritate objecti, utì constat ex verbis Tho. Sanch. ex *d. n.* 12. excerptis. Candidum Philalethum, cujus doctrinam commendat *ibid.* Illustriss. nihil moror; nec enim profectò is est, qui cum aliis conferatur, *n.* verò 136. citat & exscribit prolixum locum nostri Castropal. *disp.* 2. de conscientia *punct.* 2. non 4. §. 2. *n.* 4. cujus tamen ne centesimam quidem partem legimus in citato auctore; nimirum, & Th. Sanch. æquivocasse, dum fecit transitum à probabili objecto, ad probabile judicium, &c. & quod manifestum sit, nondũ invenisse Sanch. quomodo utramque possit quis opinari & sequi in praxi. Hæc ille, inquit Illustriss. de Castropal. sermonem faciens, cùm tamen ne verbum quidem; hîc fidem illorum, qui doctiss. & illustriss. viro imponere non dubitarunt. Equidem ibi erravit ipse Castropal. dum existimavit, Patr. Sanch. quem doctissimum vocat, absolutè affirmasse *num.* 12. & 15. duos illos assensus probabiles simul esse posse, in eodem scil. intellectu; cùm tamen Sanch. *d. n.* 12. hæc tantùm habeat, *nihil repugnat, ut duas opiniones è diametro sibi contradicentes idem intellectus probabiles judicet, aut æquè, aut alteram probabiliorem.* & *n.* 15. dicit, licere cuique in foro conscientiæ operari, juxta opinionem aliorum verè probabilem, retenta etiam probabiliore propria, contra aliquos, tenentes, necesse esse, deponere propriam; *ne duo assensus contradictorii in eodem dentur*, hoc tamen fieri posse, nullo modo asserit; cùm enim judicet, utramque probabilem, etiam si probabilior magis placeat, non est certè mirum à voluntate intellectum determinari ad electionem illius, quam judicat probabilem, licet minùs & intellectum certò judicare illius usum honestum & licitum esse, sive retineat actualem assensum propriæ, sive illum suspendat, speculativum scilicet, quia reverà illum existere, necesse non est, quando intellectus ponit judicium practicum certum de honesto usu oppositæ, quod rectè infert ex alio certo speculativo, quod certò judicat, utramque opinionem verè probabilem esse; non fuit igitur Sanchez dictorum immemor, ut ait *ibidem* Castropalao, quando dixit *num.* 42. non posse Medicum consulere medicamentum adversus propriæ conscientiæ dictamen; posse tamen deposito illo dictamine; confudit Castropalao dictamen conscientiæ & propriam opinionem, nec distinxit judicium speculativum à practico, id est, illud ab ista; unde non erat, quod adeo facile Patrem Sanchez, quem alioquin doctissimum vocat, & *punct.* 1. *num.* 4. doctrinæ moralis lumen, diceret, immemorem, paulò ante à se dictorum; nimirum vix interjectis tribus aut quatuor paginis; sed hæc ad præsentem quæstionem nihil prorsus; & facilè omittere poterat Illustrissimus, qui certè judicium speculativum à practico malè distinxit, ut patet ex dictis; quia unum ab alio non tantùm fine differt, verùm etiam objecto, ut diximus; primum est ipsa opinio, versans circa veritatem objecti, v.g. quòd tale pactum non sit usurarium; alterum verò circa usum dictæ opinionis, qui licitus & honestus esse judicatur; fatetur denique *num.* 138. intellectum posse successivè modò huic parti, modò alteri oppositæ assentiri; nihil aliud dicimus, nec dicemus unquam; nullus tamen, etiam bardus unquam dixit, eumdem intellectum simul & semel utramque partem sequi posse in praxi; praxis enim opinionis nihil est aliud, nisi usus illius, id est, operatio, quam judico licitam & honestam; repugnat autem illam eamdem actionem poni simul & non poni; judico quidem usum utriusque licitum esse; id est, licere, tum ponere, tum non ponere prædictam operationem; in hoc enim æquivocarunt aliqui, ut Illustrissimi verbo utar, quòd putarint, eandem actionem judicari certò licitam & illicitam; quod certè fieri non potest, ut satis fusè in superioribus congressibus; sint enim duæ opiniones prima, pactum est usurarium, secunda, pactum non est usurarium, utraque verè probabilis, judicium practicum, quod est circa usum primæ est certum; non tamen per illud judico, pactum illud esse illicitum, sed tantùm licitum esse hujus opinionis usum; quisnam porro est usus illius opinionis? nihil certè aliud, nisi abstinere à tali pacto; at verò judicium practicum, quod est circa usum primæ, est etiam certum, & per illud judico, usum illius opinionis licitum esse, quisnam porro est usus illius opinionis? certè nihil aliud, nisi tale pactum inire: postquam demum dixisset Illustrissimus *dict. num.* intellectum posse successivè modò uni, modò alteri parti assentiri, cur amabò deinde dicit, stante æquali probabilitate oppositorum, intellectum necessariò manere in pendenti, suspensum & dubium? sed dum adhæret uni, manetne suspensus? nisi hæc sint repugnantia, nullibi certè repugnantia reperies.

35. Pithanoph. *A num.* 139. *ad* 142. Probat 2. eamdem assertionem, nimirum illum, qui judicat utramque oppositarum æquè probabilem, non esse certum de illarum veritate; quia, inquit, intellectus debet moveri & determinari ab objecto; cùm autem rationes utrimque sint æqualis ponderis, æquè movent; neutra igitur prævalet; ut videmus in statera habente utrimque pondera æqualia; alioquin fingeret intellectus, non opinaretur; quia opinando, verum, aut falsum dicimus; igitur intellectus suspensus manet; demus hoc, quid inde? igitur, inquies, intellectus non est certus de veritate; concedo consequens, sed nego consequentiam; nam etiam si uni parti intellectus adhæreat per assensum probabilem, ac proinde suspensus & anceps non maneat, non tamen propterea certus est de veritate illius: itaque falsa est consequentia; licèt verum sit consequens; antecedens etiam falsum est; quia quando intellectus assentitur uni parti ex motivis gravibus & rationabilibus, verè opinatur, non fingit; asserit, hoc verum esse, sed citra certitudinem; non est quidem ipsi liberum, opinari, si absint motiva; at si hæc adsint, eaque gravia & sufficientia ex voluntatis imperio, seu determinatione opinari potest, idque prudenter, ut constat ex terminis; si verò levia, temerè & imprudenter. In hoc adversarii nostri perperàm hallucinantur. Illam porrò similitudinem à statera petitam jam suprà discussimus.

36. Antim. Tertiæ probationis loco adducit *n.* 142. text. Arist. 1. *Topic.* c. 9. ubi dicit, dubitationem problema-

blematis inesse, utrùm sic se habeant, an non, eò quòd dextrorsùm sunt rationes suasibiles; ex quo concludit, semper dubium manere, quando sunt utrimque opiniones æquè probabiles. Eodem vitio hoc argumentum laborat; nam etiam si cum aliqua formidine, seu dubitatione latè sumpta, ut supra diximus, intellectum uni vel alteri oppositarum, vel modò uni, modò alteri successivè adhæreat, ac proinde suspensus de anceps non maneat; non tamen inde sequitur, de veritate intellectum certum esse. Quòd autem ait, esse impossibile, ut intellectus alteri partium adhæreat, quando rationes utrimque sunt pares, & hoc in prioribus duobus argumentis evidenter à se demonstratum fuisse; de hoc, ne verbum quidem in primo argumento, in quo tantùm ostendere conatus est, eundem intellectum utrique simul assentiri non posse, in secundo, hoc quidem asseruit; sed ne probabiliter quidem ostendit, multò minùs evidenter demonstravit; sed, inquit *num.* 143. propter æquilibrium rationum opinio est dubia; id est, incerta, ac proinde talis, cui certò intellectus assentiri non possit; concedo ultro; est dubia, id est, talis, cui non possit intellectus probabiliter assentiri, vel dissentire; quales sunt illæ omnes assertiones objectivæ, quæ nulla prorsus ratione, & nullo motivo, sive ad assensum, *sive* ad dissensum nituntur, v. g. hæc duæ, *astra sunt paria*, *astra sunt imparia*, quæ dici non possunt probabiles, nec etiam improbabiles, sed propriè dubiæ, quatenus ita fundant dubium negativum, ut neutri possit intellectus assentiri, nec voluntas assensum opinativum imperare valeat; quia deest omne motivum opinandi; unde necesse est, in hoc casu, ut intellectus anceps, & propriè dubius sistat; at verò si adsint æqualia utrimque rationum momenta, eaque gravia & rationabilia, licèt æqualiter moveant intellectum, id est, utraque pars æquè probabilis judicetur, hoc tamen non vetat, quin voluntas, pro libertate, qua pollet, possit ex aliis motivis sibi propriis determinare intellectum ad præbendum assensum huic, vel illi parti, opinativum dictat; nisi enim voluntas id exequi posset, nullus unquam esset assensus opinativus, immò nullus error in intellectu, nulla hæresis culpæ, aut vitio verteretur: vides, quò tandem isti libertatis humanæ hostes ac destructores: itaque dictus Aristotelis locus nihil aliud probat, nisi problema esse quæstionem utramque partem agitatam, ita ut neutra præponderatio inducat, ac proinde omnem dubitationem, seu formidinem excludat: nihil prorsùs ad hoc loco; fateor certè, intellectum manere suspensum, ante illud imperium voluntatis, quo ratione cujuslibet assensus opinativi, ad quem intellectus ab objecto non determinatur, sive is sit æquè, sive magis, sive minùs probabilis, quia nullum objectum obscurè propositum, intellectum rapit; & in hoc sensu, Sylvester, aliique dixerunt, hominem dubitare, quando habet rationes æqualiter ad utramque partem moventes; tunc enim ab objecto non magis ad unam, quàm ad aliam inclinatur; nunquam tamen negarunt, accedente voluntatis imperio, intellectus ad alteram determinari, quod etiam Illustrissimus ultro fatetur.

37. Pithanoph. *Num.* deinde 148. ducit 4. argumentum ex *cap. nervi, d.* 13. sed perperam omnino; ibi enim *cap.* agitur de conscientia perplexa, qua quis dubitat, se peccare, sive aliquid faciat, sive omittat. *num.* 4. item 5. ex *cap. fraternitatis de frigid. & malefic.* Sextum *ex cap. illud de præsumpt.* in quibus dubium, & probabile pro eodem accipiuntur; sicuti *cap. literas, de restit. spoliat.* in quo Papa materiam reputat dubiam, in qua videt opiniones Doctorum probabiles: sed hæc nihil ad rem, quia in his locis dubium accipitur latè, nimirum pro incerto. Item *cap. illud de cler. excommun. cap. per venerabilem, qui filii sint legit. cap. veniens de Presbyt. non baptizat. cap. inquisitioni de sentent. excom.* à se discutienda 2. 3. 4. & 5. fundamento, ex quibus 7. 8. & 9. ducit argumentum *à num.* 149. *ad num.* 150. ad quæ idem respondetur. Deinde in iis locis non agitur de actione morali, quam judicium practicum regulat in opinione verè probabili licèt, alioquin falsa esset opinio, sed de matrimonio, de baptismo, &c. licèt enim pro matrimonii validitate faciant rationes probabiles, & aliæ probabiles pro nullitate, si falsum est matrimonium, nullum judicium practicum facere potest, ut validum sit; idem de baptismo, & de materia, aut forma probabili aliorum Sacramentorum; unde in hujusmodi casibus, restante dubia, id est, incerta, opinio probabilis illi minimè suffragatur *num.* 150. profert 10. 11. & 12. argumenta, quòd scilicet sit dubitatio, quando utrimque rationes sunt æquè probabiles, inter quas remanet suspensus intellectus, cùm non habeat sufficientia motiva, & est ligatus; multò minùs habere potest certitudinem moralem sive de utraque, sive de altera; hæc jam suprà rejecta fuêre: fatemur ultrò, esse dubitationem latè sumptam in omni assensu opinativo, nimirum incertitudinem & formidinem; intellectum item manere suspensum, quamdiu à voluntate non determinatur ad unam partem, cùm pro utraque adsint motiva sufficientia; quia utraque est verè probabilis; si demum sit ligatus, à voluntate solvuntur ea vincula, quando ab ea determinatur; ubi enim solvi non possent, tunc esset dubium propriè sumptum, quod vulgò negativum vocant, cùm scilicet nulla utrimque ratio probabilis affulget: denique fatemur, neutram partem certam esse, sed tantùm probabilem, quod tamen non facit, quin judicium practicum sequatur de rectitudine operationis, ut jam toties diximus: *à num.* 153. *ad* 169. eandem centies repetit, quòd scilicet intellectus non possit utrique parti simul assentiri; quid tum? an propterea non potest alteri, determinatus scilicet à voluntate? quod in paritate motuum contrariorum quiescat suspensus; sed quid ni ab alio movente, seu determinante, nimirum à voluntate moveatur & determinetur: & Asinus Buridani ab Agazone agi stimulo non possit? & verò intellectus ab objecto obscurè proposito non rapitur, nec determinatur, sed à voluntate, modò adsit motivum sufficiens; tam enim determinat intellectum, quàm appetitum, verbi gratia, & quemadmodum istum inter duo objecta æquè appetibilia positum, ad unum potiùs, quàm ad aliud inclinat, ita & intellectum inter utramque partem æquè probabilem; in quo nulla prorsus difficultas esse mihi videtur; sicuti videbitur reliquis omnibus, rem istam capientibus. Quòd certitudo sit determinatio ad unum, sed firmiter absque formidine, quando intellectus rapitur ab objecto; hoc tamen non vetat, quin à voluntate intellectui ad alteram partem æquè probabilium determinetur; at citra certitudinem: nec valet ista consequentia, intellectus non est certus, igitur dubius & anceps, quia potest esse opinans; opinio verò dubium propriè sumptum excludit. Quòd æquè intellectus utramque partem veram judicet, & falsam; sed hoc falsum est, alioquin utrique simul assentiretur, &

dissentiret; sed utramque judicat æquè probabilem, ad unam tamen à voluntate determinari potest, & tunc ex motivis, quæ stant pro illa, eidem assentitur opinando, id est, cum formidine; id est, veram judicat, & oppositam falsam; sed cum formidine, ne hæc vera sit, & illa falsa, quæ sanè formido non est actus distinctus, sed modus talis assensus. Quòd denique una pars ab alia destruatur, seu confundatur, sicuti probationes certæ per oppositas similes conquassantur, cujus rei multa producit exempla; sed negamus consequentiam & paritatem; nempe in judiciis, ut sæpè dictum est, res non procedit ut in actione morali; si enim æquales sunt probationes utrimque, Judex suis regulis adstringitur, nec per suam sententiam efficere potest, ut reus sit immunis à culpa, vel insons, licèt ex ratione probabili sententia processerit; sicuti per judicium practicum certum intellectus dirigit & regulat operationem honestam, vel usum opinionis tantùm probabilis, itaque, ut jam dixi, stante opinione æquè probabili, stant etiam utrimque rationes æquè probabiles, sicuti lances æqualium ponderum in statera; non tamen propterea rationes unius destruunt rationes alterius; alioquin destruerentur invicem, nec manerent ampliùs opiniones æquè probabiles; igitur improbabiles; quod ridiculum esset; quemadmodum autem stante ponderum æquilibrio, manus alteram lancem inclinare potest, ita & voluntas intellectum in hanc, vel illam partem æquè probabilium; in hoc autem claudicat similitudo, quod altera lancium paulò gravior reddita, oppositam statim elevat, & tollitur æquilibrium, cùm tamen, licèt altera pars sit probabilior, non tamen propterea rapiat intellectum, nisi voluntatis imperium accesserit, quod æquè accedere posset parti minùs probabili. Concludit demum *num.* 17. verissimam esse primam assertionem, quòd scilicet, stante utraque æquè probabili, intellectus certus non sit, nimirum de illa veritate; quod fatemur ultrò; igitur dubius, inquit; dubio latè sumpto, concedo, id est incertus; dubio propriè sumpto, nego consequentiam.

38. Antim. Paulò longiùs excurristi, libens sustinui, donec ad secundam assertionem venires; unum tamen à te omissum fuisse, miratus sum, nimirum ab Illustrissimo illud Felini dictum laudari, *num.* 166. per contrarias scilicet interpretantium sententias totum pene jus conturbatum esse turbidum, incertum & dubium; unde mirum cuipiam fortè accidet, qui fieri possit, ut ex principiis conturbatis, turbidis, incertis & dubiis, ut ipsemet fatetur, universam Theologiam moralem restaurandam, seu reformandam susceperit; longè fortè meliùs, si tamen aliqua restauratione opus esset, ex principiis Theologicis & moralibus, quæ certè si nesciantur, uti revera, saltem ut plurimùm, nesciunt Canonistæ, vix dici potest, quàm multos, eosque crassissimos errores hæc ignorantia huc usque peperisse rit; quòd enim aliqui cum Mantica dixerint, Theologorum dicta in *fis*, quæ spectant ad moralem Philosophiam, attendenda non esse, eadem facilitate negatur, qua adstruitur, ille porrò Tridentini locus *ex session.* 18. ab Illustrissimo exscriptus, *num.* 169. ubi dicitur, *illud præcipuè cogitat*, nimirum sancta Synodus, *ut Catholicæ fidei doctrinam multorum inter se dissentientium opinionibus pluribus locis inquinatam & obscuratam in suam puritatem restituant*, &c. ad opiniones probabiles minimè pertinent; nulla enim opinio probabilis est, quæ Catholicæ fidei adversetur; in hoc autem adversarii semper hallucinantur, quòd opinionem verè probabilem ab improbabili nunquam distinguere voluerint; sed jam ad secundam Illustrissimi assertionem veniamus, quam ita lego, *num.* 171. *Qui dubius est in morali materia, in qua versatur salutis periculum, tenetur, ex præcepto sequi partem tutiorem, & hoc est apud sacros Canones sacrum quoddam axioma.* Vereor, uti par est, sacros Canones; ad eos tamen, quo ad hoc axioma, confugiendum esse non puto; cùm certissimum sit, & indubitatum apud omnes Theologos principium, dubium, an peccatum insit cuipiam operationi, si eam ponat, peccare; hoc enim est operari cum conscientia dubia, quod nunquam licet; at verò in hac controversia de hoc non agitur, quia nullus id docet; dicimus enim, & centies inculcavimus, judicium practicum certum esse, ac proinde conscientiam certam; in usu scilicet opinionis verè probabilis, sive magis, sive minùs, sive æquè, in materia morali, si autem conscientia certa est, dubia dici nequit; ergo non sumus in dubio, hæc igitur conclusio ad controversiam non pertinet, cùm in ea conveniamus; quod autem utraque parte tuta, tutiorem materialiter sequi teneamur ex præcepto, adversarii opinor dicturi non sunt; unde illud, *tutior tenenda est*, in hoc casu, stante scilicet utraque tuta, est tantùm consilii, non præcepti; & in hoc sensu, Suarez & alii, quo certè nihil verius dici potuit; quamquam super hoc ab Illustrissimo impugnantur. Equidem opinio probabilis certa non est, sed dubia, dubio latè sumpto, & si nullum aliud judicium accederet, aut si practicum certum non esset, fateor ultrò, stante illo dubio conscientiæ, seu, quod idem est, judicii practici, dubio, inquam, etiam latè sumpto, teneri nos ad tutiorem, seu potiùs ad partem oppositam tutam & certam; at non sumus in hoc casu, cùm judicium illud practicum certum esse debere statuamus.

39. Pithanoph. Delibemus quæso textus, quos in hanc rem Illustrissimus adducit, *cap. ad audientiam de homicid.* in quo cùm dubitaretur, an quidam ex occasione vulneris decessisset, statuitur, ut is Presbyter, qui vulnus inflixerat, non ministret in sacris Ordinibus, cùm *in dubiis semita tutior eligenda sit*, item *cap. significasti 2. eod. tit.* in quo dubium erat, ex cujus ictu percussus interiisset; Sacerdos qui percusserat à Sacerdotali officio cessare debet, cùm in hoc casu cessare, *sit tutius*, quàm temerè celebrare. Item *cap. petitio, eod. tit.* ubi mandatur, quatenus contorem conscientia remorderet, de cujuspiam interfectione in illo conflictu, ille ministerio altaris reverenter abstineret, cùm sit consultiùs, *in hujusmodi dubio*, abstinere, quàm temerè celebrare; item *cap. Iuvenis, de sponsal.* in quo cùm esset dubium de legitimo matrimonio, in his quæ dubia sunt, *quod certius est*, inquit Eugenius, tenere debemus; mandata scilicet divisione, *cap. si quis distinct. 7. de pœnit. vis à dubio liberari, vis quod incertum est, eadere, age pœnitentiam? dum sanus es*; hæc Augustinus contra differentes pœnitentiam. Item hæc *cap. si quis autem eod. dist. tene certum*, id est, age pœnitentiam, dum sanus es, *dimitte incertum*, id est, noli expectare ad ultimum. Hæc sunt illa capita juris, quibus adversarii nostri probare conantur, probabilitatum usum licitum non esse, quia scilicet dubius est atque incertus: sed quid hæc amabo ad præsentem controversiam, de quo enim dubio loquuntur hi textus? duo primi de homicidio dubio, non quidem utrùm peccatum sit, sed utrùm irregularem eum

cem fiat, qui dubitat an illius auctor sit: Respondet Sanchez, non illicitum esse, sed illum irregularem reddi; illa scilicet ratione ductus, quod semita tutior eligenda sit, & tutius sit, abstinere ministerio; & non decet, videri à populo ministrantem, de quo populus jure dubitat, an sit homicida; nempe illicitus publicè erant; nec obest in occultis etiam, hoc modum dubium irregularem censeri; hoc enim cuilibet irregularitati competit: idem de tertio textu dicendum est, in quo rationabilis erat dubitandi ratio. In 4. textu agitur de dubio matrimonio, duo ultimi non faciunt ad rem, sed hæc jam discussa sunt in primis congressibus: vellem, ut Illustrissimus adeò versatus in jure, vel unum textum nobis apposuisset, in quo usus opinionis verè ac certò probabilis prohiberetur, ut dubius scilicet atque incertus; quamvis enim opinio incerta sit & dubia, dubio latè sumpto, illius tamen usus certus & tutus est; unde quisquis illa utitur, certus est, tutus est; igitur tenet certum, dimittit incertum; unde stante utraque parte tuta & certa, illam regulam, quæ præscribit tutiorem materialiter: nam formaliter utraque æquè tutior non esse præcepti, nisi in casibus illis expressis cum sit satis eligere tutam; pro quo citat Navar. Sylvest. & alios; additautem, *num.* 8. non esse sermonem in textibus allatis de conscientia dubia, cum certissimum sit, existente tali dubio, illud eligendum esse, in quo nullum timetur peccatum; sed tantùm de dubio speculativo, seu facti, ut in dictis casibus, v.g. an Petrus obierit ex vulnere inflicto à Paulo, an verum matrimonium, seu vera copula interceserit inter Titium & Bertam, &c. seu juris, an tale pactum sit usurarium, &c. Ex quo rectè infert Suarez, quando in illis textibus dicitur una pars secura, & in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, ut rectè ibi demonstrat, sicuti enim hoc quæreretur, seu dubitaretur, cum nemo unquam dubitarit quin operari cum periculo culpæ sit malum, sed tantum de periculo specialis incentivi, ut dixi suprà, si fortè verus homicida celebret; itaque Suarez, Sanchez & alii, quos appellat *num.* 172. *ad num.* 181. dicunt, tantùm esse confusum præcepti, ut in dubio speculativo, seu facti, scilicet, citra casus in jure expressos, aliosque omnino similes, tutiorem partem sequamur; ii tamen omnes negant, quempiam cum dubia conscientia operari posse quod iis perperam Illustrissimus imponat. 182. multi autem ex iis illud fundamentum fingunt, quod melior sit conditio possidentis, idque per analogiam quandam, quia tamen nonnulli, ut similis temonuisse memini, fundamentum illud non admittunt extra materiam Justitiæ, quamquam eam aliis virtutibus rectè applicari possit, saltem, ut dixi, per analogiam quandam, ab illo abstinendum esse consilii, & aliud longè facilius & communius addubitii; quod scilicet effectus certus à causa tantùm certa esse possit, v.g. pœna certa à certa culpa, obligatio certa à jure certo; & verò in textibus adductis effectus à causa certa, id est irregularitas à jure non producitur.

40. ANTIM. Seligit deinde *à num.* 174. *ad n.* 181. aliquot periculosas quæstiones, quas facilè Sanchez, Suarez, Layman, aliique ex nostris decidunt, v.g. si dubius est, an inciderit in excommunicationem, non debet se gerere pro excommunicato, nec tenetur petere absolutionem; ita sentiunt Sanchez, *cap.* 10. *num.* 56. & Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. (non 5. ut ait) *cap.* 1. §. 4. *num.* 38. idque præcisè ac per se, nimirum ex facto, vel jure dubio, ex quo nunquam certa, sed dubia dumtaxat excommunicatio sequi potest; utrùm verò excommunicatio dubia effectus illos certos producat, qui excommunicationi certæ vulgò tribuuntur, quis amabò dicat: item utrùm is qui de hac re dubius manet, post adhibitam diligentem operam & diligentiam debeat se gerere pro certò excommunicato; ne ipse quidem Illustrissimus ausit asserere, sed tantùm pro dubio, qualis reverà est; in hoc, nisi fallor, omnes conveniunt, an verò in hoc statu excommunicationis dubiæ, citra necessitatem celebrare possit, ubi scilicet copia Confessarii suppetit, negat P. Suarez, *disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 9. nam sine causa exponit se periculo, inquit, & hoc usus Ecclesiæ confirmat, quæ absolutiones ad cautelam, ut vocant, sæpissimè impertitur; adderem duas rationes, quæ mihi satis efficaces videntur: 1. est, quia quisquis celebrat, certus esse debet moraliter status gratiæ & immunitatis à peccato mortali & excommunicatione, aut saltem valde probabiliter illud credere; sed qui dubius est de excommunicatione, neque certus est dicti status, nec illum probabiliter credit; igitur celebrare non potest sine prævia absolutione. 2. est, quia cum excommunicatio stare non possit sine culpa lethali, dato quod quis sit de excommunicatione dubius, est etiam dubius de lethali noxa; sed dubius de peccato tenetur petere absolutionem, ut præter unum aut alterum, nostri auctores tenent; Sanchez *à num.* 64. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 22. *sect.* 9. & innumeri ferè alii à Sanchez appellati *num.* 66. item qui dubius est an lex aliqua sit usu recepta *num.* 175. non tenetur legem servare, ut docet Azor *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 12. quid amabo in hac doctrina periculosum; loquimur enim de lege humana; quis in hoc casu legem dubiam non agnoscat? at lex dubia non obligat, lex enim ut per non usum abrogatur, ita potiori jure, nunquam usu recepta nulla censetur; item qui dubius est, an casus sit reservatus, potest ab eo absolvere, *num.* 176. citatque Suarem *de censur. disp.* 40. *sect.* 6 *num.* 4. qui tamen de casu reservato nihil habet *num.* 4. sed *num.* 5. ubi dicit, quod si aliquis casus sit reservatus, verbi gratia, homicidii voluntarii, & quis dubitet de homicidio, tale homicidium dubium casus reservatus non est; quare non dubitat, an habet casum reservatum, sed an homicidium dubium sit casus reservatus, id est comprehendatur in reservatione homicidii simpliciter. Item qui dubitat an peccatum mortale patrarit, non tenetur illud confiteri, *num.* 177. & citat in hanc rem Præpositum; potuit etiam citare Coninck; at cæteri omnes refragantur, ut jam dixi; cur igitur omnibus decisiones hujusmodi periculosas exprobrat. Item qui die Jovis dubitat an media nox transacta fuerit, potest comedere carnes, secùs verò die Sabbathi, *num.* 180. & citat Layman, & Sanchez, nec ridicula est diversitatis ratio, ut Illustrissimus dicit: nam reverà obligatio abstinendi à carnibus dies Jovis incerta est, quia incertum, an die Jovis expirarit, in quam præceptum non cadit; secùs verò die Sabbathi, in quam cum præceptum cadat, & dubitem an dies Dominica cœperit, certus sum de præcepto, incertus de exemptione; præcepto igitur standum, juxta regulam illam communem, ad quam omnino illa reducitur per analogiam, quæ est de possessione: sed frustra in his

diutiùs hæremus, quæ in secundo congressu breviter quidem, accuratè tamen discussimus; quod autem in his omne periculum absit, ex eo constat, quod inde conscientia dubia non restet, sed omninò certa, ut suprà non semel diximus; unde corruunt illa omnia, quæ *à num.* 182. *ad num.* 191. Illustrissimus tradit, ut probet, de præcepto esse, tutiorem sequi, quod ultrò fatemur, quando usus oppositæ partis tutus, aut certus non est; at si tutus est, si opinio est verè ac certò probabilis, nemo dicat, esse præcepti partem tutiorem sequi, quando altera opposita tuta est.

41. PITHANOPH. Illa omnia jura, quæ Illustrissimus adduxit, ab auctoribus jam probè discussa fuerant & enucleata; non supradicta modò, verùm etiam alia multa, ut c. *Illud de cler. excomm.* in quo Illustriss. magnam vim facit, nempe fama publica, dictæ excommunicationis interceſſerat, & hæc per famam illam plenè probata dici poterat, ut vult Abb. *in dict. cap. illud, num.* 4 aut saltem quasi certa ex tali fama, ut fatentur omnes; ac proinde constat Episcopum illum graviter deliquisse, quod nulla diligentia adhibita, ad vincendum dubium, celebrarit, ut jam diximus in superioribus congressibus. Quod autem parvuli, de quibus nescitur an baptizati fuerint, sint baptizandi; item alii de quibus etiam rationabiliter dubitatur, nimirum sub conditione, & Sacerdotes ab ignotis Episcopis ordinati iterum ordinandi secundum jura, ad præsentem controversiam non pertinet, cùm nulla sit opinio probabilis, quæ tum illos baptizandos tum istos ordinandos non esse adstruat. His autem peractis, *à num* 191. *ad num.* 212. impugnat acriter illam regulam, quod in pari causa, melior sit conditio possidentis, quam in foro judiciali dumtaxat & in materia justitiæ probat, non in foro conscientiæ, nec in materia aliarum virtutum; facilè esset, utrumque defendere cum Suarez, Sanchez, aliisque bene multis, sed quia, ni fallor, quo ad hoc faciliorem methodum sequuti sumus, ad quam etiam illa reducitur, hoc loco diutiùs hærendum esse, non putarem, *cap. illud. de cleric. excom.* jam suprà explicuimus, & ostendimus, non fuisse opinionem probabilem, quod non obstante fama publica, & nulla adhibita diligentia, ad dubium vincendum, Episcopus ille celebrare potuerit, *ad cap. Dominus, de secund. nupt. respond.* certum esse prius conjugium, incertam tamen primi conjugis mortem; ac proinde incertum secundum conjugium; debitum igitur fœmina petere non potuit: simili modo *cap. Inquisitioni, de sentent. excomm.* non est certum matrimonium, quia dubitatur probabiliter de impedimento dirimente, mulier igitur petere debitum non potest, ad *cap. significasti 2. de Homicid.* Resp. non agi de dubio culpæ, sed de dubio homicidii; quo dubio stante, satius duxit Pontifex, ut à ministerio altaris abstineret ob decentiam & finem Ecclesiæ; unde in casibus expressis certum est jus, cui reverà standum est; scio, Vasquem non admittere prædictam regulam, nisi in materia justitiæ & in foro fori, ac propterea illam à te ultrò omissam esse, ad fugiendas lites; sed non propterea concedimus, stante utraque parte tuta, nos teneri ad tutiorem. Judex, inquit, in dubio non debet judicare quemquam irregularem, secus tamen quilibet seipsum, sed quo jure? tutius est eligendum, inquit, stante utraque parte tuta, nego; causa incerta effectum certum habere non potest, ut sæpè diximus Admittimus autem illud generale principium, quod scilicet ubi vertitur periculum animæ, seu peccati, nunquam cum illo dubio, vel operari, vel aliquid omittere licitè possimus, id est, nunquam cum dubia, vel incerta conscientia, quam reverà is non habet, qui opinionem verè probabilem ad praxim reducit, quia certò judicat, omne peccatum abesse, citra ullam formidinem, seu dubitationem. Quod verò *num.* 202. prædictos textus, *cap. ad audientiam, & cap. significasti,* de homicidio ad forum dumtaxat conscientiæ restringit Illustrissimus, tolerari non potest, cum ad forum fori maximè pertineant, ut patet. Cæterùm, veremur opera nostra, coram Deo libenter culpas nostras agnoscimus, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens; sed absit, ut cum dubia conscientia, id est, absque certo judicio practico de rectitudine actionis, unquam operemur; ac proinde in foro interno tutam semper eligimus partem, sive hæc materialiter sit tutior, sive minus tuta, quare frustra omninò in rem hanc tam multa allegat, quæ ad nos non spectant, quasi cum Deo lis nobis esset, in qua Deus sit actor, Homo Reus; sed quis judex, inquit? hæc nunquam nobis in mentem venerunt, Deum ut auctorem, Patrem, benefactorem, Judicem veremur; nos in multis reos esse fatemur, & ad Dei misericordiam confugimus, freti præsertim infinitis Jesu Christi Servatoris nostri meritis; sed Deo & nobis inferremus injuriam, si lege dubia, voto dubio, jure dubio adstringi hominem diceremus æquè sanè veritati adversatur, qui asserit, ibi peccatum inesse, ubi non est, ac qui dicit, non inesse, ubi est; longè profectò satius, ut ab omni errore liberi simus, illa regula uti, qua statuimus, nihil unquam agendum, vel omittendum, nisi certò sciamus, & judicemus, peccatum non inesse; & quisquis operatur, dum probabiliter tantùm judicat, peccatum abesse, reverà peccat; hinc ut aliàs dicebas, ad bene agendum, certò sciri oportet, malum abesse; licèt ad malè agendum, sit satis judicare probabiliter adesse malum. Denique inde corruunt reliquæ Illustrissimi declamationes, ex eo quod censeamus, atque juremus, neminem posse proximo peccati periculo exponere se, vel agere cum dubia conscientia; non tamen propterea dicimus, legem dubiam, votum dubium, jura dubia obligare, quia titulus incertus certam obligationem non parit, ut toties diximus; neque hoc vertitur in perniciem animarum, ut ait; cum certò sciamus & judicemus, hujusmodi opiniones esse verè probabiles; ac proinde illarum usum certum, tutum, atque honestum, ex quo sanè nulla absurditas, nulla ineptia, nulla impietas sequitur, ut nobis sæpè Illustrissimus exprobrat; & ne omittam illud quod habet de voto dubio, *num.* 211. dicit, dubium votum obligare, ex Scriptura, *Redde Altissimo tua, vovete & reddite*, quia fortè vovisti, inquit, sed pariter fortè non vovi; si vovisti, imple quod vovisti; at si non vovi, cur me obligas ad solvendum quod non debeo? itaque causa incerta, nimirum votum dubium & incertum certum effectum, nimirum certam obligationem non producit; nec opinor, negabit, hanc opinionem esse verè probabilem, imò & probabiliorem; unde certò constat, illius usum certum ac tutum esse, pro qua stat multorum & doctissimorum auctorum manipulus, quorum aliquos appellavi in secundo congressu.

42. ANTIM. *A num.* 212. *ad num.* 218. impugnat communem illam sententiam, quod in vero dubio juris, post adhibitam scilicet diligentiam, non obligemur; & in hanc rem citat, *cap. illud, de cler. excomm.* ubi in dubio juris, inquit, an sententia excommunicationis lata à delegato, non præmissa monitione, &

ante

ante illuminationem liget, deciditur ligare; in hoc textu duæ sunt partes, 1. pertinet ad dubium facti, an scilicet in dictum Episcopum à Magdeburgen. fuisset excommunicationis sententia, quæ si lata fuisset excommunicationis sententia, quæ cum sit fama publica constaret, vel plenè probatur, vel moraliter certa censebatur; ac proindè tanquam notam regulam, nempe incerta causa certum effectum non producit; igitur nec incerta excepta, certam excommunicationem destruit, ut jam plenè statuimus in 2. congressu: cur ergò *dict. cap. Apud*, contra P. Sanchez Illustrissimus adducit? ut autem probet, in dubio juris, tutiorem partem universè tenendam esse, quod nos ultrò fatemur, quamlibetcumque altera pars non est tuta, adducit 4. textus, *num.* 215. primus est *in Clem. Exivi, §. item præterea, de verb. signif.* ubi cum dubitaretur, an Fratres Minores teneantur sub præcepto peccati mortalis, ad ea observanda, quæ in regula imperantur, Pontifex respondet in Concil. Viennens. securiorem partem tenendam esse. Sed facilè responderi potest, 1. depravati texrum, cum ne verbum quidem ibidem hàr de peccato mortali, nec enim omne præceptum sub mortali obligat. 2. Pontifex diserè dicit, *quòd licèt Fratres non ad omnium, quæ sub regula imperantur modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum observantiam teneantur, &c. expedit tamen ipsis, quòd ea teneantur, quæ* hìc inferiùs annotantur, nimirum *ex verbis*, vel *ratione materiæ, &c.* sed ex vi verbi æquè in omnibus oritur dubitatio; cur ergò in omnibus Pontifex eandem regulam de tutiore non sequitur? 3. dubium juris hoc loco potissimùm oritur ex dubio facti; est enim dubium facti, an Sanctissimus Patriarcha Franciscus habuerit animum obligandi suos sub mortali in iis casibus; unde cum dubium juris, an verba illa, quibus usus est, inducant præceptum sub mortali. Secundus textus *in cap. veniens, de Presbytero non baptizato*, an dicatur ordinatus ante Baptismum, &c. sed facilè patet, non esse opinionem probabilem, quod ordinatus ante Baptismum, iterum ordinandus non sit; rationesautem dubitandi Innocentius III. ex se non habet, quia ut rectè in notis ad marginem *in Cod.* Bulariis legitur: *cumque super ordinibus* CORAM *venisset aliquandò disputatum*; unde manifestum est, ab Innocentio de re tam certa non fuisse dubitatum, aut dubitatum, cum sit extra omnem controversiam, Ordines ante Baptismum collatos & cassos fuisse. Deinde in textu nulla fit mentio characteris, idque haud abs re, quia non censent, non imprimi characterem in collatione Minorum Ordinum, quod etiam aliqui ad Subdiaconatum, imò & Diaconatum extendunt; cur ergò Illustrissimus in hoc textum mutavit? Tertius textus est, *in cap. cum desideres, de sentent. excom.* in quo statuit Pontifex cum eo communicandum non esse, quem fama vulgarat, Clericum percussisse; sed facilè respondeo, cum Sanch. *num.* 5. non decidi à Pontifice hoc loco, quempiam in casu excommunicatum reputandum esse, sed solum excommunicationis notitiam ex fama satis esse, in quis vitandus sit; quia scilicet attento jure tunc, fama satis erat ad probandam excommunicationem, quo ad hunc effectum, ut tradit Abb. *num.* 6. quartus est, *in cap. fin.* 14. *distinct.* sed nullo modo ex hoc textu Illustrissimus probat, imò potiùs contrarium, accipe illius verba ex Epist. S. Leonis ad Rusticum: *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione ætatum, oportet temperari; illa consideratio semper servata, ut iniis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis Sanctorum Patrum inveniatur adversum.* Cum ergò opinionis verè probabilis usus, nec his, nec illis adversetur, alioquin reverà probabilis non esset, ex hoc loco nostra sententia mirificè confirmatur; quod jam olim præstitit Cornejo, ut observat Dechamps, *in quæst. facti, cap* 3. quod spectat ad gloss. fin. *in cap. consulti, de regul.* disertè ibi agitur de dubio & præsumpto excommunicato, in quo nulla restat difficultas, sed jam suprà discussa est: item illud S. Thomæ, *an liceat habere plures Præbendas*, non semel enucleatum; si enim *ex contrariis*, super hac re, *opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, non peccat, sed quisquis certò judicat, non inesse peccatum, in usu talis opinionis, in nullam dubitationem adducitur; illeigitur Doctoris Ang. locus nobis potiùs quàm adversariis favet, & nihil aliud ex eo concluditur, nisi conscientiam certam esse debere: in eo demum Scoti loco, quem *à num.* 215. *ad* 218. ostentat, de materia & forma Sacramentorum agitur; certum autem esse, dicimus, non dubium, illicitum esse, uti materia dubia, vel minùs probabili, si certa, aut probabilior suppetat; quod autem Illustrissimus addit, illa verba Scoti *& universaliter in omnibus dubiis*, esse ponderanda, ad dubium juris extendi, & non restringi ad materiam & formam, &c. disertis Scoti verbis repugnat; *& universaliter*, inquit, *in omnibus dubiis, quantum ad materiam & formam, nimirum Sacramenti in 4. dist. 3. quæst.* 2. cur ergò Illustrissimus Scoto assingit repugnantia? nimirum ad materiam & formam Sacramenti hæc, quæ dicit, adstringi, & non adstringi: fateor quidem, non restringi tantùm ad materiam & formam baptismi, eadem quippe ratio etiam militat pro aliis Sacramentis, & hoc solùm modò voluit Tartaretus; sed quod ad quamlibet opinionem æquè, aut minùs probabilem extendatur, nullo modo probavit, & numquam probabit Illustrissimus.

43. PITHANOP. Redit *num.* 218. & 219. ad cantilenam sæpenumerò recantatatam de dubio speculativo & practico; sed unum cum alio ita confundit, ut rem à se non intelligi, vel ostendat, vel dissimulet, & Patri Suarez perperam imponit, quod doceat, *d. disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 8. licitum esse, aliud sentire, aliud opinari: sed P. Suarez loco citato, ut jam ostensum est, docet tantùm, dubium illud, de quo agitur in juribus ibi appellatis, esse tantùm speculativum, id est, non culpæ, sed homicidii: & verò Suarez & Sanchez disertè docent, ut non semel diximus, nunquam eximi culpæ conscientiam dubiam, si quis cum ea operetur; unde, licèt esse queat dubium speculativum, dubium, inquam, latè sumptum, id est, opinio probabilis, semper tamen interveniat oportet judicium practicum certum, omnem dubitationem excludens, de honesto, & licito usu ejusdem opinionis: unum porrò judicium ab alio discrepat non tantùm formaliter, sed etiam materialiter, id est, non tantùm ratione objecti formalis, verùm etiam ratione objecti materialis, immò & ratione modi; tendendi, quod certè auctores nostri satis insinuarunt; quamvis omnes non eodem modo; sed de his jam suprà plusquam satis.

ANTIM. Repetitiones, ut utè scis, summoperè odi;

odi; sed cum Adversarii eadem semper obtrudant, eadem etiam retrudere sæpè cogimur; ut videre est *à num.* 220. *ad num.* 225. cum enim Suarez citatus prædictam regulam de tutiore restrinxerit ad casus tantùm expressos in jure, alioscque omninò & in omnibus similes, Illustrissimus reponit, Canones præcipere, ut dicta regula eligatur in omni materia, ubi vertitur salutis periculum; & in hanc rem denuo citat eosdem ferè textus; sed ut jam dixi, nemo negat, ubi agitur de salutis periculo, tutiorem partem tenendam esse, quia scilicet opposita tuta non est; uti reverà tutum non est, dubium de Baptismo non rebaptizare; per dubiam exceptionem, vel exemptionem, certam excommunicationem tolli; Presbyterum non baptizatum iterum non ordinari; subsistere secundum matrimonium, cum impedimento certo publicæ honestatis, differre pœnitentiam & reconciliationem ad extremam usque agoniam; idem dico de omnibus aliis casibus, in quibus certum jus, certa lex, certa obligatio intercedit, à qua dubia interpretatio vel exemptio, vel solutio nunquam eximit; ac proinde cum una pars certa & tuta non sit, quid mirum, si oppositam tutam, seu tutiorem adversativè, ut vocant, non comparativè sequi teneamur? ita respondeo ad illud decretum S. Congregationis Concilii de promoto ad Ordinem Subdiaconatus, de quo dubitatum est, an furiosus esset, nimirum certam esse ordinationem, incertam verò exceptionem, ac perinde per istam, illam non tolli. Reprobat etiam, *num.* 221. interpretationem illorum text. *cap. ad audientiam*, *cap. significasti*, quod scilicet in iis agatur de dubio homicidio, non verò peccati, eo quod Pontifex judicarit, tutiùs esse abstinere, quia scilicet abstinendo nullum malum sequebatur, at verò abstinendo, illud, quod fortè Homicida celebraret; cujus rei vel sola dubitatio, populo scandalo esse poterat, ob summam indecentiam; vult autem Illustrissimus in ea ratione dictos Canones minimè fundari, sed in illa universali, quod ubi vertitur salutis periculum & animæ securitas, pars tutior eligenda est. Fatemur ultrò in dubiis, in quibus agitur de salute animæ & materia peccati, tutiorem, seu potius tutam partem eligendam esse; & quotiescumque judicium practicum certum non est, & omnis dubitationis, seu formidinis expers ut accidit, in dubiis, circa materiam, formam, validitatem Sacramentorum, &c. item circa medicamenta, partium jura, bellum justum aliaque hujusmodi, de quibus opiniones verè ac certò probabiles non sunt: item circa excommunicationem dubiam, eo modo quem suprà satis facilè exposuimus; in his inquam dictam regulam ultrò admittimus, sed quod *in dd. cap. ad audientiam*, & *cap significasti*, 2. salutis periculi animæ, & peccati mentio fiat, ut Illustrissimus statuit, negandum est; licèt enim Pontifex dicat, magnum periculum timeri, si Presbyter ille celebraret, intelligi debet de periculo scandali, & indecentiæ, si fortè Homicidam Populus celebrantem spectaret; falsum est igitur quod dicit Illustrissimus, *num.* 224. rationem illam de tutiori parte eligenda, ad evitandum periculum peccati, expressam esse in Canone, nimirum, *cap. ad audientiam*, & *cap significasti*, legere scimus, Dei gratia, in dicto Canone ea non legimus, quæ in eo Illustrissimus expressa esse constantissimè asserit.

44. Pithanoph. *A num.* 225. *ad num.* 229. refellere conatur tritum illud, efficax licèt, argumentum; quod nimirum opinioni probabiliori formido etiam inest, neque illam sequi liceret, quotiescumque opposita tutior est; vim hujus argumenti Baro senserat, unde hoc concedere non dubitavit; sed Illustrissimus aliam responsionem opponit, nempe probabiliorem certam esse moraliter; quod cum alibi jam explosum fuerit, frustra iterum ac tertiò diluere tur, Sylvester & Navarrus, quos pro sua sententia citat à nostris partibus stare, jam non semel ostensum est, & tutiorem tantùm eligendam esse dicunt, quando vel jura sunt expressa, vel *ex electione alterum imminet periculum peccati mortalis*; sic enim disertis verbis Sylvester, *v. Dubium, quæst.* 2 *num.* 2. Quæstionem porrò illam, quam exempli loco adducit *num.* 226. an scilicet circumstantiæ notabiliter aggravantes necessariò in confessione exprimendæ sint, ultrò admitto, damusque illam, quæ negat, esse probabiliorem; nullus tamen negare ausit, oppositam esse probabilem; quis enim dicat improbabilem cum & gravissima rationum momenta, & doctissimi auctores pro illa militent; igitur cum probabilis sit, altera probabilior quidem, non tamen certa est; quia certa opponitur improbabili, ut sæpè dictum est: idem de alia probabiliore dicendum est, quam etiam exempli loco adducit, *num.* 227. quod scilicet is, qui peccati mortalis sibi conscius est, non tenetur statim confiteri: manet igitur indissolubile argumentum, nec est quod timeat Illustrissimus, ne fortè certa non sit opinio probabilior, maneat conscientia opinionis oppositæ, quia is, qui sequitur opinionem probabilem, sive aquè, sive minùs, sive magis, habet conscientiam certam, id est, judicium practicum certum de honesto illius usu, unde habere non potest conscientiam de opposito ut patet; fallitur ergo Illustrissimus, qui conscientiam tantùm probabilem à nobis adstrui, sibi perperam persuadit; quod verò pertinet ad locum D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 13. nobis haud dubiè favet, qui omnem omninò dubitationem à conscientia excludimus; nec aliter exponi potest S. Doctor nisi vis maxima ejus verbis inferatur; de quo satis accuratè actum est in superioribus congressibus.

45. Antim. Ad tertiam tandem conclusionem descendit Illustrissimus, nimirum quando sunt opiniones utrimque probabiles, nec apparet quænam sit probabilior, aut tutior, non est liberum, alteram eligere, sed servandæ sunt regulæ à jure in dubiis præscriptæ, v.g. in dubio, pro validitate actus judicandum, præferendum quod fieri solet, id est, juxta probatam consuetudinem, meliorem esse condicionem possidentis; pro reo potiùs judicandum, quàm pro actore, nisi sit causa favorabilis, puta matrimonii, libertatis, & dotis; præferendum, quod bengnius est, quod verisimilius, quod plerumque fieri solet: sed inquit, hujusmodi regulæ funditus everterentur, si alterutram partem ad libitum sequi liceret: cuncta hæc ad forum judiciale pertinent, in quo, Judex per leges, secundùm dictas regulas judicare jubetur, ut perspicuum est, nec Illustrissimus inficias ibit. Et verò fatemur ultrò, bonum Judicem nihil ex arbitrio suo facere, sed juxta leges & jura pronunciare; imò si res prorsus ambigua sit, abstinendum illi esse à judicio, & partes ad concordiam & transactionem reducendas; unde perperam nostri Theologis exprobrat, *num.* 237. quasi doceant, Judicem pro arbitrio judicare posse secundùm quamlibet opinionem, etiam minùs probabilem; cum tamen omnes ferè nostri refragentur ut Sanch. *cap.* 9. *num.* 47. ubi citat Sot. Valent. Bannez, Manuel. Ledesm. Vasq. Azor. item Lugo, *disp.* 37. *sect.* 10. ubi citat præter allegatos, Laym. Villalob. Malder.

Filliu-

Filliucium, Becan. Tanner. Castro-Palao, *de conscient. disp. punct. 10. num. 2.* ubi citat Suar. Coninck, &c. immò ego, stantibus juribus & probationibus æquabilibus, auctor est Judici, ut rem dividat, uti faciendum docuerunt Suarez, Sayrus, Coninck, & alii, quos approbat Castro-Palao, alios addensare possem, sed frustra; videat igitur Illustrissimus, an Theologi docerat, Judicem pro arbitrio judicare posse secundum quamcumque opinionem probabilem.

46. Pithanoph. *Num.* 241. adducit text. *in cap. monitioni, de sent. excommunic.* ex quo firmari contendit Illustrissimus suam doctrinam, sed parum opportune, meo judicio; si enim alter conjugum certus sit intercedere impedimentum, nec petere debet, nec reddere; si verò probabiliter tantùm credit, potest quidem reddere, non tamen petere, ait Innocentius III. ne vel contra conjugii legem, vel contra judicium conscientiæ agat; si demum credulitate duntaxat levi ducitur, reddere simul & petere potest: ex hoc textu, non modò sententia nostra non impugnatur, sed mirabiliter confirmatur; nam si alter conjugum certus est impedimenti, improbabile est, validum esse matrimonium, ac proinde nec petere, nec reddere potest, quia certa esset fornicatio; si est tantùm levis credulitas de impedimento, quæ minimè sufficit ad veram probabilitatem, improbabile est intercedere impedimentum, certum igitur verum esse matrimonium; petere igitur & reddere potest, ideoque probabile est intercedere impedimentum, ac proinde probabile tantùm validum esse matrimonium, est etiam probabile sive reddat, sive petat, actum esse fornicarium, probabile item non esse fornicarium, igitur tum reddendo, tum petendo habet conscientiam dubiam; practicè igitur, ut ajunt, dubitat, reddendo igitur peccat, nec dicas ex duobus malis, minus eligi; minus enim malum est, reddere debitum, juxta conjugii legem, licèt contra judicium conscientiæ, quàm non reddere, quia hoc auctor, quin revera malum sit, quamvis minus; propterea igitur est conscientia perplexa, sed illud tantum errore, alioquin necessitate peccandi tenemur: ab errore autem liberari non potest, juxta sententiam Adversariorum, in qua judicium conscientiæ non perierit cum formidine conjunctum, stante opinione probabili; at verò juxta nostrum, cum sit verè probabile non intercedere impedimentum, sed esse validum matrimonium, certum judicium practicum dicere potest de honesto usu dictæ opinionis probabilis; unde non redditur cum formidine, nec agitur contra judicium conscientiæ, reddendo. Sed hæc omnia probat, cum pariter æquè concludi possit licitum esse, petere in eo casu, cum certò judicium dictæ opinionis probabilis, quæ scilicet matrimonium validum adstruit, honestum & licitum sit.

47. Antim. Nisi lege cautum esset, ne in eo casu petat, dicere profectò non dubitarem, in hoc casu, eum petere licitum esse, modò contra judicium conscientiæ id non fiat, id est, modò judicium practicum certum præcedat de honesto usu dictæ opinionis; sed quia jura vetant, ne petat, probabile tantùm est, quod petere licitè possit; non deest autem ratio, propter quam Ecclesia in hoc casu id prohibuit, aliud permisit, quia cum usus dictæ opinionis probabilis de validitate matrimonii duplex sit, nempe petendo & reddendo; & cum, petere reddendi supponat; reddere verò obligationem petendi jus certum petendi non est, quod fundatum in matrimonio certo; quemadmodum igitur Judex actoris petitionem rejicit, nisi jus certum habeat; ita & Pontifex illum actu petendi excludit, qui jus certum petendi non habuit; at verò quia conjugum alter nescius impedimenti jus certum, præsumptum scilicet, habet; jus certum unius certam alterius obligationem supponit; reddere igitur debet, quia certa obligatione tenetur.

48. Pithanoph. Igitur non jam est opinio probabilis, quod reddere debeat, cum enim certa sit obligatio, certum est, quod reddere tenetur; ergò non tantùm probabile.

49. Antim. Ita est, sed cum Judex ex jure certo præsumpto unius partis, alteri certam obligationem imponere valeat, non mirum est igitur, si Pontifex, qui sacrorum est supremus Judex, reddendi certam obligationem imposuerit, conscio impedimenti, cui tamen petendi potestatem non facit; fundatus scilicet, tum in certo jure præsumpto alterius, tum in jure tantùm probabili & incerto istius. At verò præscindendo ab Ecclesiæ lege; cum alter conjugum, conscius scilicet impedimenti, certò judicare possit, usum illius opinionis probabilis de validitate matrimonii honestum & licitum esse, haud dubiè & reddere, & petere jure valeret, non tamen reddere teneretur, cum jus petendi alterius non certum, sed probabile tantùm esse censeret; nec enim sive petendo, sive reddendo, contra judicium conscientiæ ageret: idem prorsus de *c. Dominus, de secundis nuptiis*, dicendum est.

50. Pithanoph. Redit Illustrissimus *num.* 242. *ad cap. illud, de cleric. excomm.* quod jam toties citavit, & *num.* 243. vult ex eo probari, credulitatem, seu opinionem probabilem non eximere peccato mortali eum, qui tutiorem partem non eligit. Ad *dictum c. illud*, non semel responsum est, non esse opinionem probabilem, quod talis exceptio eximere potuerit illum hominem ab incurrenda excommunicatione; & malè putat Illustrissimus, quamlibet credulitatem esse opinionem probabilem; unde non miror, sententiam nostram abominabilem ipsi videri, qualis revera esset, si de qualibet, quantumvis levi & temeraria credulitate id à nobis diceretur, quod de opinione verè ac certò probabili adstruimus.

51. Antim. Non satis erat, textus auctorum & SS. Canonum ab Illustrissimo mutari, imminui, amplificari, nisi etiam textum sacrum mutilaret; cujus rei luculentam fidem facit, *num.* 244. ubi refert in hunc modum locum Deuter. *cap.* 17. *v.* 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, &c. & facies quæcumque dixerint, sequerisque eorum sententiam*: quàm multa hîc vitia, vix crederem, nisi meis oculis fides habenda esset: 1. enim post verbum *perspexeris*, hæc subduxit, *inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram*: 2. post verbum *variari*, hæc etiam subduxit: *Surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.* 3. post verbum *venias*, omisit conjunxionem copulativam, *que*: 4. post vocem Sacerdotes, omisit has duas, *Levitici generis.* 5. post verbum *dixerint*, suppressit hanc clausulam, *qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, juxta legem ejus.* 6. vocem *quæcumque*, posuit, pro *quodcumque*; 7. denique versum 8. composuit ex 8. 9. 10. 11. sed cur hæc? ut traduceret ad opinionum moralium veritatem, de qua tamen hoc loco non agitur, sed de causis legalibus, tum sacris, tum judicialibus, in ordine ad judices, in singulis civitatibus,

tatibus, juxta legem, constitutos, ut constat ex iis, quæ data opera suppressa fuere; ita prorsus Cornelius à Lapide in hunc locum & alii; nec Doctor Angelicus hoc loco utitur contra nostram sententiam, sed potiùs contra sententiam Adversariorum, nimirum ante definitionem & sententiam judicum, non statim in severiorem partem eundam esse, sed in *mitiorem*; tu legesis; unde vides, quàm bene probet Illustrissimus suam sententiam repetit etiam *num.* 245 *cap. veniens* de presbytero non baptizato; sed nemo unquam dixit, opinionem verè probabilem, ordinatum ante baptismum denuò ordinandum non esse; præsertim post decretalem illam Innocentii III. unde viderit Illustrissimus qui constanter asserit, verè probabilem esse; quod certè miror, ab eo dici, uti & sustineri, Sacramentum matrimonii à non baptizatis iniri; quod Florentino penitus repugnat, à quo baptismus janua Sacramentorum appellatur: Quod autem dicit de Eucharistia, non baptizandis porrigenda, parum Theologicum est; sed jam suprà cautè observatum est, dubitationes, seu rationes illas *in dict. c. veniens*, circa hoc expositas, non esse Pontificis, sed eorum, qui de illo casu coram Ferrariensi disputarant, unde juxta notas margini prudenter appositas, illud *coram vobis* deest in textu: non est igitur opinio verè ac certò probabilis, non baptizatum ordinari posse; sed hoc Canonistæ, seu potius decretistæ condonandum, nempe hujusmodi auctoribus id satis solēne est, ut non rarò hallucinentur in Theologicis, si fortè aliquando suam falcem mittunt in Theologorum messem.

52. Pithanoph. Memini, multa in hoc genere à te olim observata fuisse, & ex iis nonnulla mihi communicata; illud Abb. lepidissimum mihi visum est, *in cap. significasti, de elect. num.* 4. ubi satis multa contra auctoritatem Romani Pontificis cum dixisset, quorum causa, tum ab Illustrissimo nostro, cum à Sylvestro, *v. opinio, num.* 2. jure correptus est, quia *in dict. cap. veniens*, fit mentio Apocrisiarii; hi erant nuntii, vel legati Romani Pontificis ad Imperatores, seu populos Orientis; dicitur, inquit, Apocrisiarius ab *apos*, quod est nuntius, & *Chrysis*, quod est aurum, quasi nuntii deaurati; dicunt tamen, quod nuntii Papæ non sunt tales, sed plumbati; sed dic, quia nihilominus dici possunt deaurati, quia dant plumbum & reportant aurum: ridiculam certè Etymologiam, & tanto indignam auctore; ab apos, inquit, quid est illud apos? maudierat fortè aliquid de voce Græca ἀποστέλλω, id est, mitto, & cum totam adhibere ad intentum non posset, mediam adhibuit; in alia voce Chrysis geminum vitium est: nam Apocrisiarius non scribitur per χ, sed per κ, nec per υ, sed per ι. Sed ut plumbeum illud scomma Romanæ Curiæ impingeret, etiam contra Grammaticam peccare non recusavit, id est, minùs peccare, ut gravius peccaret; sed quæso te pergamus.

53. Antim. Hæc quidem per jocum aliquando, nonnulla memini adnotasse in Euphyandro meo; cæterùm magnos illos SS. Canonum interpretes magnificiendos semper esse putavi; nec etiam desunt nostros inter Theologos, quibus nonnulla inepta & absurda exciderint; crede mihi, quodlibet hominum genus, suis vitiis non caret, sed pergamus, ut vis. *Num.* 246. ultimò & efficaciter, inquit, suam sententiam probat, quia qui judicat probabiliter, aliquid esse licitum, cum habet scrupulum de opposito, agit contra dictamen conscientiæ, & peccat nisi deponat scrupulum & conscientiam erroneam; ergo multò magis peccat, si de oppositio non solùm habeat scrupulum, sed etiam opinionem æquè probabilem: ita Illustrissimus ad verbum; vix ausim dubitare, quin hæc sint ascititia, nec enim mihi facilè persuaserim, hæc Illustrissimo etiam per incogitantiam excidisse, cum reverà sint Hominis, qui vel somniet, vel non capiat terminos, vel ratiocinari non sciat; sed ut hoc, non apud doctos utcumque, illi enim primo intuitu perspiciunt, sed apud rudiores & Tyrones constet, quomodo fieri potest ut is peccet, qui judicat probabiliter aliquid esse licitum; qua enim lege hoc vetitum est? fateor ultrò, non posse turò operari, nisi certò judicet, licitam esse operationem, sed Illustrissimus non loquitur de operatione, sed de judicio probabili, quod nemo unquam dixit, peccatum esse; aliud enim est judicare probabiliter aliquid esse licitum, aliud illud ipsum agere: deinde judicium probabile non est tantùm conjunctum cum scrupulo, sed cum formidine de opposito, quod ipsemet Illustrissimus paucis post versibus ultrò fatetur: *plus est*, inquit, *habere opinionem, probabilem scilicet, quàm scrupulum*; denique non est, quod deponat conscientiam erroneam, tum quia hîc non agitur de conscientia, sed tantùm de judicio speculativo probabili, tum quia judicium probabile error dici nequit; accedit, quod hæc nihil prorsus ad usum opinionis probabilis, quem nunquam adhiberi posse, dicimus, absque judicio practico certo, quod proxima est operationis humanæ regula; unde corruunt omnes Adversariorum machinæ, quia reverà præmisso dicto judicio practico, sine ulla formidine & dubitatione, imò sine ullo scrupulo & temeraria credulitate operamur. Citat deinde in hanc rem, *num.* 249. *cap. per tuas*, 1. *de simon.* in quo bis errat: primò quidem, quia citat, *cap. per tuas* 2. cum tamen sit, *cap. per tuas* 1. Secundò, quia dicit, ibi agi de Monacho ordinato ab Episcopo, quem credidit simoniacum, ac proinde formidabat, ab eodem ad superiores Ordines promoveri; quod tamen falsum est: nam ille Monachus, ut diserte legitur in textu, à Diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus, sed postmodùm dicit, ex relatione quorumdam, quod Episcopus multoties commiserat vitium simoniæ; propterea idem Monachus in susceptio formidat ordine ministrare, nolens ab eodem Episcopo ad superiores Ordines promoveri; ita textus: Respondet Pontifex, ut in susceptio Ordine securè ministret; rectè quidem, quia eo tempore, quo fuit ordinatus, non credidit Episcopum ordinantem simoniacum esse, ut Illustrissimus innuere videtur, sed *postmodùm* tantùm; non posse tamen durante hujusmodi scrupulo seu credulitate, superiores Ordines ab eodem susicipere, nisi credulitatem illam temerè admissam deponat; sed hæc nihil ad nos, qui nunquam diximus, contra conscientiam, quempiam licitè operari posse; at requiri semper judicium practicum, quod omnem prorsus dubitationem explodit

54. Pithanop. Regerit denuò, *num.* 251. textum Aristotelis dicentis, non esse nobis liberum opinari, quem suprà jam discussimus, uti & Doctoris Angelici locum, *ex quodlib. 8. art.* 13. toties ventilatum, ex quo illud unum dumtaxat probatur, conscientiæ judicium certum esse debere, & omnis formidinis expers; quod autem ibi loquatur S. Thomas de conscientia, certo certius est; cum enim de illo casu agat, qui in contrarietate opinionum versatur; fieri non potest esse contrarietatem opinionum, nisi interveniat judicium speculativum probabile; igitur cum aliqua formidine conjunctum. Imponit autem

Illustriss-

Illustrissimus Sancto Aquinati, quasi eo loco dixerit, vtramque partem æquè probabili, non posse intellectum eligere alterutram; quod falsissimum esse, tum ostensum est; modo enim ex contrariis opinionibus nullam dubitationem adducatur, uti reverà non adducitur, ubi semel elicit judicium practicum certum, non committit se discrimini, ac proinde non peccat. Unde in usu opinionis verè ac certò probabilis, non manet æquilibris conscientia, ut nobis asserit Illustrissimus; nam etiam sentimus, illicitum esse operari cum dubia, vel incerta conscientia; sed judicium practicum certum à speculativo probabili Illustrissimus distinguere noluit: Sylvestrum etiam deinde adducit & illius textum ita confundit atque depravat, ut quasi quoddam musivum opus esse videatur, quædam enim postponit, quæ anteponenda erant, quædam intersecat, & dividit quæ conjunctim accipienda sunt, & vicissim; sed Doctrinam Sylvestri jam supra enucleavimus, & luculenter ostendimus, nostræ illam favere sententiæ. Toletus etiam, quem citat *lib.* 7. *cap.* 20. nobis non refragatur; libenter enim cum eo dicimus, nullum in dubiis peccandi periculo se licitè exponere; & in legibus humanis pœnalibus, tutiorem, seu tutam partem esse tenendam, supposita enim gravi materia & gravi culpa, *in* legislatore intentio graviter obligandi esse videtur, ut ibidem Toletus observat: repetit denique *num.* 252. nostrum illud, ut ipse appellat, fundamentum, quod duæ opiniones simul probabiles esse ac dici possint; quod magnam, inquit, æquivocationem continet; aliud enim est utramque probabilem judicare: aliud utrique simul assentiri; ita ut idem unquam dixit, intellectum utrique simul assentiri, utrique certè disiunctivè assentiri potest, voluntate scilicet determinatus, quod Adversarii tantum hucusque intelligere, aut capere voluerunt, nunc non levem obloquendi suisque erroribus aliud patrocinii accersendi occasionem nacti, in contrariam sententiam descenderunt, quæ libertati humanæ minùs favet. Sed velint, nolint, voluntas indubiam determinat in iis, quæ non sunt evidentia, quod actum certum, obscurum licet, qualis est actus fidei, sive ad assensum probabilem atque prudentem, quando proponuntur intellectui motiva grata, & rationabilia, ut diximus; sed hæc, quæ jam supra, repetere non vacat. Similitudinem à statera supra declaravimus; quare cum nihil ultra sit, quod ad secundam quæstionem pertineat; ad eam veniamus, nisi fortè hic congressus terminandus esse videatur.

15. Antim. Bene mones; tertiam quæstionem attingeron vacat: ne hodiernus congressus longiùs extendatur in crastinum quæso referamus, ut paratiores simus: interim omnia præsentis refutationis capita diligenter ac fideliter adnotabis, ut saltem hoc labore leves.

16. Pithanoph. Faciam, ut jubes; tibi tamen, antequam cæteri participes fiant, omnia tradam accurata recognoscenda.

17. Antim. Ut voles; interim vale Pithanophile, cum bona condicta, opinor, aderis.

18. Pithanoph. Adero, ne dubites; vale mi Antime.

* *
*

DIALOGUS IX.

De opinione Probabili.

In quo alia quæ sequuntur ejusdem tractatus eodem modo refutantur.

1. Antim. HOcipso temporis momento, de te cogitabam, Pithanophile, & cupiebam ex te rescire, utrùm hoc unico congressu, provinciam istam à nobis susceptam terminari & absolvi posse putes; ego sanè, vix crediderim; maxima enim rerum Sylva restat & grandis messis terenda; modum tamen ubertati materiæ ponemus; cum ea dumtaxat à nobis discutienda sint, quæ nostris imponit; cum exteri defensione nostra minimè indigeant. Præsertim cum iis non desint, qui hoc munere probè defungi valeant.

2. Pithanoph. Prævertisti; idem enim sentio; spero tamen, fore ut hoc & altero congressu totam rem istam perficiamus; faxit Deus: & ut dicere incipiam, *num.* 253. proponit quæstionem illam, ut vocat, principalem, in quam vix primum adspectum conjeci, cum à cœpto consilio nobis abstinendum esse duxi, sic enim quæstionem, ut vides, proponit, *cum in aliqua controversia morali* duæ sunt opiniones oppositæ, quarum una probabilis & minùs tuta; quia affirmat actum esse licitum, *& ideo subest peccati periculo*; opposita verò probabilior & tutior, *an liberum sit; hac relicta, illam amplecti*; nullam in hoc controversiam agnoscimus; quia fatemur ultro, liberum non esse, illam amplecti, quæ peccati periculo subest; cessat igitur omnis difficultas, & nullus restat disputandi locus.

3. Antim. Ita est; partes in hoc conveniunt; aliquos enim nihil moror, qui judicio practico probabili contenti cum dubia, seu formidolosa conscientia, ac proinde cum proximo peccati periculo rectam operationem stare posse, dixerunt; istos, inquam, nihil moror, quorum sententiam periculosam esse, credimus; sed ii pauci sunt, & majori saltem ex parte Gregarii; ab hac nota doctissimos viros Sanchez & Vasquez in secundo congressu fœliciter vindicavimus; quod si rectè memini, tibi gratissimum accidit; dolebas enim, duos illos à nostris partibus non stare: itaque, ut jam sæpenumero diximus, judicium illud practicum certum esse volumus, & conscientiam tutam, ac proinde ab omni peccati periculo immunem & liberam; quare hæc quæstio in hunc modum proponitur, utrùm in re morali, ex duabus opinionibus verè probabilibus, liceat minùs probabilem & minùs tutam sequi ad praxim; & si forte intra istos fines Illustrissimus continuisset sese, sustinere utique potuissemus; cum illa opinio saltem sit probabiliter probabilis; nimirum per locum extrinsecum. Hac igitur denunciatione præmissa, *à num.* 254. *ad num.* 256. illam sententiam proponit, per quam illius auctores asserunt, licitum esse, minùs probabilem & minùs tutam sequi; & fatetur ultro, Lorca & Ludovico à Cruce citatis,

communem esse, ut omnium ferè Scholasticorum hujus temporis; ego verò dicere non dubitarem, omnium fere Theologorum, tum antiquiorum, tum etiam recentiorum, nimirum juxta illum modum explicatam, quem in superioribus congressibus exposuimus: cum enim conscientiam certam nostri omnes postulent, ac proinde certam etiam probabilitatem, inde sequitur, illud *minùs tutam* non aversativè, sed comparativè, intelligendum esse, ac proinde illam, quæ minùs tuta dicitur, esse verè tutam; immo æquè tutam formaliter, exponit deinde rationes quibus nostram sententiam defendimus, sed adeo debiles, ut vel inde satis constet, impositum illi fuisse, eaque rationum momenta reticita & suppressa, ex quibus satis facilè intelligere potuisset, quàm longè absimus ab iis absurditatum & blasphemiarū monstris, quæ nobis passim, nec sine stomacho, exprobrat, primò enim vult, dici à nobis, sufficere pro regula morum, proxima scilicet, ut homo licitè agat, quod sibi probabiliter apparet honestum; cum tamen pro illa regula certum judicium practicum de honestate operationis statuamus. Secundò moralem certitudinem non differre à probabilitate, etiam minore, quia certitudo nihil est aliud, nisi determinatio ad unum; sed per assensum opinativum, intellectus ad unum determinatur; quis unquam talia? repugnat interminis, assensum opinativum certum dici; equidem certitudo est determinatio intellectus ad unum; sed firma & omnis formidinis expers. Tertio in moralibus, sufficere certitudinem ex probabilibus; non ita crudè; sed illud tantùm certum judicium practicum de usu opinionis verè certò probabilis haberi posse; quartò in speculativis licitè quempiam sequi posse minùs probabilem, igitur & in moralibus; sed hanc consequentiam absque multa limitatione non admittimus. Quintò esse quidem perfectius, sequi probabiliorem, sed nemo tenetur ad perfectius & tutius, modò illud, quod sequitur; sit tutum, non abnuimus; sed negant Adversarii, tutum esse. Sextò fore jugum intolerabile, si in omni materia teneremur opiniones probabiliores indagare; sed hoc etiam negant Adversarii. Septimò agere cum formidine, rectæ conscientiæ non adversari; sed nos, qui conscientiæ judicium certum esse volumus, hoc argumento alter utimur, in hunc scilicet modum; tota ratio Adversariorum ad hoc principium reducitur, quod scilicet formido inesse non possit judicio conscientiæ; sed hoc contra minùs probabilis usum nihil facit; alioquin æquè faceret contra usum probabilioris; quod enim pauci illi ex Adversariis dicunt, probabiliorem certam moraliter esse, tanquam absurdum & repugnans supra explosimus: deinde judicio practico de usu minus probabilis nulla formido inest; unde corruit præcipua illa Adversariorum machina: tandem *num.* 256. asserit, minimè licere, minùs probabilem & minùs tutam sequi; quam assertionem dicit evinci ex 26. argumentis, seu fundamentis, ut vocat, quæ fusè recensuit *à num.* 59. *ad num.* 109. item ex iis, quæ habet *à num.* 123. *ad n.* 252. si enim sequi non licet æquè probabilem & minùs tutam, potiori jure, sequi non licet minùs probabilem & minùs tutam; sed quia hæc jam supra discussimus & excussimus, frustra omninò jam actum ageremus: quare his omissis, nova fundamenta concutienda sunt ab Illustrissimo in hanc rem jacta, eaque longè plura cum ea ad 42. perduxerit, quamquam eadem, more suo, centies repetit.

4. Pithanoph. Hujus rei fidem facit primum fundamentum, quod habet *num.* 257. ab Aristotele petitum ex *lib.* 2. *de anima text.* 153. quem jam adduxerat *num.* 140. 139. 129. & alibi; ubi docet Philosophus, opinari in nobis non esse; necesse est enim, aut verum, aut falsum dicere; unde infert Illustrissimus intellectum cogi ad probabiliorem à motivis gravioribus; sicuti stateræ lanx à majore pondere deprimitur. Nunquam Philosophus hanc consequentiam deduxit; quia falsissima est, nec dixit unquam, intellectum cogi, seu rapi ab objecto non evidenter proposito; sed illud unum dumtaxat, opinionem ab imaginatione in eo præsertim, distingui, quod imaginari, sit, cum libet, & quodlibet, & res omnes fingere, secus tamen opinari; nempe opinari, est asserere, aut negare hoc, vel illud, ut verum, aut falsum; quod sine motivo fieri non potest: unde liberum non est opinari; hoc tamen non facit, ut intellectus, proposito sibi objecto, citra evidentiam, ab eo determinetur ad assensum, aut seipsum determinare valeat; sed tantùm à voluntate; supposito tamen objecto; motiva autem voluntatis varia sunt, & à motivis intellectus distincta, ut jam aliàs dictum est: unde stante utraque parte probabili, licèt altera sit probabilior, voluntas ex aliis motivis, determinare potest intellectum ad minùs probabilem, proquastat etiam motivum intellectum movens, sed non determinans; nec inde sequitur, intellectum habere libertatem, sed subiici libero voluntatis imperio, nec ad fingendum, vel quodlibet opinandum, à voluntate determinari posse; quia quo ad hoc, requiritur semper, ut motivum adsit ad assensum sufficiens, seu grave, seu leve; si enim nullum adsit, intellectus opinari non potest; si leve, ad opinandum determinari potest, sed imprudenter; prudenter tamen, si verè ac certò grave; ex his, hoc primum fundamentum corruit.

6. Antim. Hæc sanè, ut dicam quod res est, ex paragraphis, glossematis, & rubricis definienda non sunt, sed ex puris principiis Theologicis & Philosophicis, ex quibus, actionum humanarum ratio, causa, vis & tota analysis statuuntur: quod non est adeò facilè, & quibuslibet obvium, ut quispiam sibi persuaderet: Hominis intellectus, uti & oculus, alia quidem multa cognoscit, & videt, quamvis seipsum ignoret, quem non nisi per actus reflexos, ut vocant, attingere potest: Itaque hoc fundamentum ruinosum est; alterum verò simile huic; vult enim, ne probabile quidem judicium practicum, quod actus sit licitus, ab eo formari posse, qui sequitur partem minùs probabilem; cum motiva pro illicito, fortiora sint, & rapiant intellectum: Eodem vitio laborat hæc ratiocinatio, ut patet; immò, ut sæpe diximus, judicium illud practicum de usu minùs probabilis certum esse volumus, nec probabile nobis esse videtur: quod autem certum esse queat, jam sæpius ostensum est; si enim certum est esse opinionem probabilem, certum est, assensum esse prudentem, electionem licitam, usum honestum. Tertium fundamentum eodem recidit; putat enim, stante utraque parte probabili, intellectum violenter flecti in eam partem, pro qua stant validiora motiva; & si hæc sint æqualia, uni adhærere non posse, nisi alteri adhæreat; fieri autem non potest, utramque simul veram probabiliter judicari; hoc ultimum verissimum est; sed falsum illud, non posse intellectum à voluntate determinatum uni parti adhærere, nisi

mâsteri adhæreat, quod tum rationi, tum experientiæ manifestè adversatur: falsissimum item, intellectum ab ea parte rapi, pro qua sunt validiora motiva, quæ ipsa ostensum est, itaque opinatur intellectus jam ipsa judicat veram probabiliter, illam partem, quæ minùs probabilis, ex imperio scilicet voluntatis, ultimum honestum certò judicat: igitur non contingit, at per eram asserit, judicare illam partem veram, quæ meliorib⁹ rationibus fulcitur: nec tantum est, quæ meliorib⁹ rationibus fulcitur: nec tantum judicamus, illam opinionem esse probabilem, sed judicamus probabiliter, esse veram, id est, citra certitudinem hoc quidem probabiliter, illud verò certò, nec propterea duas contradictorias veras simul esse, fallimur, sive per eumdem actum, sive per duos qui simul existant: nec demum inde sequitur, liberum nodum esse, opinetur enim hoc Aristoteli, vel Doctori Angelico adversamur, sed utriusque verba in eò sensu accipimus & explicamus, in quo cum veritate & ratione conveniant.

PITHANOPH. Debilia profectò fundamenta quæ tanta facilitate concutiuntur & excutiuntur. Quantum etiam, quod habes *num* 259. ejusdem conclusionis est, vult enim Illustrissimus contra dictamen rationis illum agere, qui opinionem minùs probabilem sequitur, quia inquit, nihil est aliud dictamen rationis, quàm inclinatio potentiæ rationabilis ad assensum, & ratio est Dux intellectus: qui autem sequitur minùs probabilem, non sequitur rationis inclinationem, quasi verò dari possit opinio probabilis, quæ ratione probabili, id est, motivo gravi & rationabili non nitatur: sed hic quoque in errorem inducit Adversarium, eo quod existimet, à gravioribus motivis partis oppositæ, probabilioris scilicet, intellectum violenter rapi, & cogi ab intelligibili obscuro oppositorum: pro quo citat Doct. Ang. *in 1. sent. dist. 43. art. 1.* & Arist. 3. *de anima text.* 3. apud quos tamen de hoc puncto, ne verbulum quidem invenio: & si locus fidem meam est autem, quàm asseverant hoc ipsum affirmet Illustrissimus, cum intra duas, aut tres paginas, vigesies saltem illud repetat, cogi scilicet intellectum à parte probabiliori, trahi violenter, determinari, necessitari, inclinari, &c. cum tamen nihil horum sit, rapi tantùm ab objecto evidenter proposito, quod nunquam ab eo, quod obscurè proponitur, dedicit illum est, illum contra dictamen rationis agere, sequitur opinionem minùs probabilem; cum rejudicium practicum certum, id est, dictamen conditioni præluceat, quo certò judicatur, usum oppositionis honestum esse: Quintum fundamentum quod tradit *num.* 260. & 261. majoris roboris esse vult enim Adversarius, illum, qui opinionem minùs probabilem sequitur, habere conscientiam, erroneam illa stillicita: sed fallitur: nec enim, stante utraque parte probabili, quamvis altera probabilior, unquam judicamus, aut etiam, nisi fortè per accidens, judicare possumus, oppositæ usum illicitum, probabiliter recte judicasti: sed potius judicamus utriusque partis usum honestum & licitum esse: licèt enim judicem, licitum & honestum esse, omittere tamen propterea judico, eundem ponere illicitum; in quo Adversarii luculenter hallucinatur, repugnat enim, idem certò judicari licitum & illicitum, ut pateat inde quatuor illi gradus, quos ex Illustrissimus recenset, nihil obsunt: cum is, qui sequitur opinionem verè probabilem, omnem dubitationem excludat: multò minùs credit, peccatum committere agit cum conscientia probabili de oppositum quod peccatum insit, ut per manifestum errorem dicit adversarius, provenientem ex eo, quod judicium speculativum à practico, opinionem ipsam ab ejusdem usu & electione, rationem veri à ratione liciti minimè distinguat.

ANTIM. Sed, inquit, *n.* 262. is qui minùs probabilem sequitur, non adhibet moralem diligentiam ad cognoscendum, an peccatum insit: igitur peccat: & hoc est sextum fundamentum.

PITHANOPH. Quis amabò majorem diligentiam in eo desideret, qui certus est, peccatum non inesse; quisquis autem judicat certò, usum opinionis minùs probabilis honestum esse, certus est peccatum non inesse; ad hanc autem veritatem practicam certò cognoscendam, adhibenda est diligentia: & si quis eam nactus non fuerit, licitè agere non potest; erit fortè major difficultas, in veritate ipsius opinionis indaganda.

ANTIM. Stante utraque opinione verè probabili, & cognita, ridiculum dictu est, majorem diligentiam ad cognoscendam certò veritatem utriusque, adhibendam esse: repugnat enim, veritatem, quæ tantum est probabilis, certam esse: & frustra quæpiam diligentia adhibetur ad certitudinem illam inveniendam, quæ inveniri non potest; falsum est etiam, quod subnectit Illustr. probabiliorem partem magis veram videri, cum enim veritas in individuo posita sit, una pars non est verior alia: nec etiam probabilior accedit propiùs ad veram: cum falsa esse queat, & minùs probabilis, vera: falsum autem ad verum minimè accedit à quo infinitè distat: dicere debuerat Illustriss. unam partem esse probabiliorem: quia scil. gravioribus motivis nititur: quod ultro admittimus: unde qui sequitur probabiliorem, prudentiùs agit, ut jam aliàs dixi: quod tamen non facit, ut is, qui minus probabilem sequitur imprudenter agat, sed tantùm minùs prudenter; prudentia enim susci pit magis & minùs, ut ajunt.

PITHANOPH. Statuit pro 7. fundamento, in quolibet alio gravi negotio, in quo agitur de proprio cujusque commodo, nullum sequi minùs probabilem partem; unde concludit, potiori jure, in re propriæ salutis, & in qua de offensa Dei agitur, nullum sequi debere opinionem minùs probabilem, in quæstione scil. morali; alioquin peccati periculo sese committit, ac proinde culpæ imputatur. Falsum antecedens, & falsa consequentia: illum quidem, quia sæpe accidit, ut in bello, negotiatione, aliisque hujusmodi negotiis, prudenter quis minùs probabilem partem amplectatur; quia v.g. faciliot, expeditior, commodior, &c. hæc verò: quia licèt in iis actionibus, quæ ad aliquod opus faciendum tendunt: v.g. in administratione Sacramentorum, applicatione remedii, decisione causæ, committenda pugna, negotiatione instituenda, aliisque hujusmodi, via probabilior tenenda sit, non tamen inde sequeretur, tenendam esse in pura actione morali: quia stante utraque parte verè probabili tutus est, ac certo honestus illius usus: igitur non agitur de offensa: abest omne peccati periculum, nec ulli quamcumque tandem partem teneat, culpæ imputatur. Redit tamen, instar opportunæ muscæ, non semel injectus scrupulus: demus enim, utramque partem verè probabilem de tali pacto, quod probabile sit, esse usurarium, probabile item, non esse usurarium: hoc posito, sic argumentor, probabile est, esse usurarium, igitur probabile, esse illicitum: igitur certum esse non potest, quod sit illicitum, id est, quod non sit illicitum, igitur judicium illud practicum certum esse nequit.

ANTIM. Ex hac quidem, pactum est usurarium, sequitur hæc, ergo est illicitum: sed nego antece-

dens: & rectè quidem : quia in eò dicitur absolutè, quod sit verè ac certò usurarium : ex illa verò, probabile est, esse usurarium, non sequitur hæc, ergo probabile est, esse illicitum : si enim probabile est, illicitum esse, certum est, illicitum esse: ut jam aliàs diximus : quia si formides, an licitum sit, quod agis, certò peccas.

13. PITHANOPH. Ut ex certo sequitur certum, ita ex probabili sequitur probabile : igitur si probabile est, esse usurarium, probabile est esse illicitum: nempe ex usurario sequitur illicitum: igitur eo modo illicitum, quo usurarium, nimirum ex usurario certo, certum illicitum, ex usurario probabili, illicitum probabile.

14. ANTIM. Ex probabili tantùm sequitur probabile tantum, sed nunquam certum, ut patet; sed quidquid probabiliter illicum est, certò est illicitum, ut dixi: igitur ex usurario tantùm certo sequitur : unde cum consequentia dicat necessariam connexionem antecedentis cum consequente, vi cujus, unum ex alio sequitur, & cum inter illicitum certum & usurarium probabile nulla sit connexio, quæ tamen est, inter illicitum probabile, & illicitum certum, male infertur ex usurario probabili, illicitum probabile, ac proinde illicitum certum : unde, ut jam monui aliàs: ex hac certa, probabile est esse usurarium, sequitur hæc, igitur honestum est ab eo abstinere; uti ex hac certa, probabile est non esse usurarium, sequitur hæc, igitur honestum est, illo uti, vel illud inire: immo si tuum illud valeret ratiocinium, sequi non liceret probabiliorem minùs tutam : stante utraque parte verè probabili; ponamus enim partem illam, quæ pactum adstruit usurarium, esse minùs probabilem; ita semper argumentari liceret : probabile est, esse usurarium, licet minùs probabile: probabile igitur, esse illicitum, ac verè quidem, minùs licet probabile: unde nunquam formido abesset, sic peccatum insit: hinc fortè Baro in eam ridiculam sententiam ivit, quod non liceat sequi probabiliorem minùs tutam; sed cuncta hæc, ex illo paralogismo profluxerunt: unde videas, levioris operæ rem istam non esse, quæ non modo utriusque Theologiæ, immo & Philosophiæ, verùm etiam Logicæ non mediocrem notitiam postulat: & miror, aliquos fuisse, qui cum subtiliores illas disciplinas à primo limine vix salutarint, sibi tamen jus & potestatem arrogant controversiam istam definiendi, non mirum est igitur, si tot paralogismis illam potiùs miserè fœdarint, quàm rectè, ut par erat, definierint.

15. PITHANOPH. Data opera & ex industria, denuo argumentum illud opposui: quia cum in errorem multos, incautos, scilicet, induxerit, operæ pretium esse putavi, sæpe ac sæpius illud dissolvi : sed ad *num.* 263. venio, in quo jacet octavum fundamentum, ex eo petitum, quod frequentius eveniat, ut opinio minùs probabilis sit falsa, & probabilior, vera : sed in materia morali : verum, vel falsum sufficienter ostenditur ex iis, quæ plerumque eveniunt, ut rectè. Philosoph. 1 *Eth. cap.* 1. non 3. ut dicit : igitur qui sequitur opinionem minùs probabilem, sequitur id, quod ostenditur esse falsum: male concludit auctor, *à secundum quid*, ut ajut, *ad simpliciter*, illud enim verum, vel falsum, quod ostenditur, non est certò falsum; aut verum, at *grosso modo*, & *figuraliter*, ut ibi Philosophus, id est, probabiliter, verisimiliter, unde minùs probabilis est minus probabiliter vera: hoc ultro fatemur : ex quo tamen non sequitur, inde ostendi, esse absolutè falsam : immo nec plerumque evenit, imò nunquam evenit, absolutè falsam esse; & parùm appositè in hanc rem textus Philosophi adducitur, in quo vult tantùm, ea in scientia morali statuenda esse, ut vera, quæ ut plurimùm eveniunt, v. g. cum ut plurimùm eveniat, ut Parens diligat liberos, illud tanquam verùm in hac disciplina assumitur; sed quid quæso hæc, ad utramque partem verè probabilem actionis cujuspiam moralis : cum nunquam accidat, alteram absolutè falsam, aut veram esse, sed tantùm probabiliter vera, aut falsa dici possit, vel æquè utraque, vel una magis, altera minùs; quæ dicta esse velim, iisdem motivis stantibus, si enim aliquod Ecclesiæ decretum accedat, probabilis desinit esse. Sed idem, quo ad hoc, de probabiliore dicendum est, quæ cum falsa esse possit, etiam ab Ecclesia damnari potest.

16. ANTIM. Ludit Illustrissimus *num.* 264. ubi statuit novum fundamentum, atque, quæstionem illam periculosè determinari, in qua de peccato mortali quæritur, nisi veritas expressa habeatur; sed qui consulit opinionem minùs probabilem, non habet veritatem expressam, ergo quæstionem periculosè determinat, & consequenter mortaliter peccat; & hic ex D. Thom *quodlib.* 9. *art.* 15. hic locus nobis porrò favet, quia S. Doctor quæstionem illam, an liceat habere plures præbendas, ibidem determinat argumento sed contra, & in corp. nimirum in debitis circumstantiis, hoc licitum esse; sed inquies, habuit expressam veritatem, an fortè certam? minimè gentium; igitur probabilem tantùm, ex gravibus scilicet & rationabilibus motivis : igitur quisquis habet expressam veritatem, probabilem nimirum, & rationabilibus motivis fretam, periculosè non terminat : sed qui consulit, aut sequitur verè ac certò probabilem opinionem, licèt minus probabilem, habet expressam veritatem probabilem : nisi enim hæc sufficiat dicendum est, S. Doctorem periculosè determinasse, quod absit, ut aliquis dicat : quisque ergo sequitur opinionem verè quidem, sed minùs probabilem, non committit se discrimini salutis, vel periculo peccandi, cum certus sit, ab usu illius opinionis peccatum abesse.

17. PITHANOPH. Scotus à quo 10. fundamentum accepit in 4. *d.* 17. *q unic.* non loquitur de opinione utrimque probabili & tuta, sed de Sacramenti Confessionis præcepto divino: nam quisquis divinam gratiam amisit, tenetur eam recuperare: & cum possit eam recuperare vel per Sacramentum, vel per contritionem, via tamen Sacramenti certior, & facilior tenetur, hac via illam recuperare : ita Scot. *num.* 12. saltem, inquit sub finem *ad minus inde habeo, quia rationabiliter fuisset datum præceptum generaliter de confessione faciendâ* : sed quis hoc negat : quando agitur, vel de peccati periculo proximo fugiendo, vel de amissa gratia recuperanda: quis neget, inquam, tenendum certum, & dimittendum incertum? sed in tuto sumus, stante utraque parte verè probabili, ergo proinde stante judicio practico certo, de honestate utriusque. Deinde Scot. *ibid.* certiorem viam illam esse docet, quæ facilior est : quia cum facilior sit confessio, quam contritio, perfecta scilicet, quæ tamen attritionem vocat, inde concludit, esse certiorem, cum sit magis in potestate hominis : atqui usus opinionis minùs probabilis facilior est : quis hoc negat? ergo vel inde Scotus nostræ sententiæ favet. Miror autem ab Illustrissimo dici, esse viam facilioriem, sequi opinionem magis probabilem, quam minùs probabilem, refragante scilicet toto genere hominum : si enim hæc doctrina de probabilitate retineatur, innumeræ propemodùm actiones humanæ

bonæ omittendæ sunt, quia scilicet eas omitti, tutius est; tutius inquam materialiter, uti diximus, quam parte probabilem opposita tutiorem esse. Unde profectò homines in maximas vitæ angustias cóiicientur; hanc tamen viam faciliorem Illustrissimi appellat, & invehitur in plerosque Theologos, quod Christianæ vitæ officia plus æquo laxarint, ardam illam cœli viam dilatarint, ac demum quod in gratiam humani commodi plura indulserint contra leges & conscientiam hoc uno dumtaxat nomine, permisse ab iis opinionis minùs probabilis: sed bonam, qui de notoriis ac per se notis disputo & obstinam, lucidum esse, demonstro.

18. Antim. Tria sequentia fundamenta sunt ejusdem conditionis, undecimum tale est, stante utraque parte æquè probabili, tenemur sequi tutiorem; ergo multo magis, stante altera minùs probabili, ilud antecedens jam supra rejectum est, & stateræ similitudo explicata; explosum etiam ut falsum, intellectum à parte probabiliore rapi, trahi, determinari; hic autem sibi contradicit manifestè, nam ex eo quod stante utraque parte æquè probabili, vacillans, fluctuans, & indeterminatus, inquit, intellectus necessariò maneat, quod tamen falsum esse, ostendimus, concludit, plus restare vacillationis, fluctuationis, & indeterminationis, stante altera minùs probabili; si enim intellectus à probabiliore rapitur & determinatur, non vacillat ultra, neque fluctuat. Denique non opinatur intellectus minùs probabiliter actum illicitum esse, sed judicat certò, esse licitum. Duodecimum ex eo Scripturæ loco deducit, *qui amat periculum, peribit in eo*: Fatemur ultro; sed quid ad nos, qui extra periculi, proximi, scilicet, aleam versamur, dum opinionem certo quidem, & verè, minùs tamen probabilem, ad usum & praxim reducimus? cum per judicium practicum certò constet, usum illum honestum esse, sub omni peccati periculo immunem; nequelocum illum Theologi citant, contra nostram sententiam, sed contra illam, quæ ad rectè operandum, judicium practicum probabile tantùm adstruit; si enim dubitem, seu formidem, ne peccatum insit, in eo casu, tutum, periculum video, & amo, ac proinde peccatum in nostra sententia, nihil tale, quæ & certum damtaxat probabilitatem admittit, & nullum judicium practicum ad honestè operandum, satis stabilitum, nisi certum sit. Quod autem probabiliter, alteram veram esse, nimirum probabiliorem; proinde minus probabile sit, minùs probabilem esse veram; cum tamen fieri possit, ut hæc sit falsa, & illa falsa, ut patet ex terminis, cum adsit motivum sufficiens ad præbendum huic assensum, non video, cur voluntas intellectum ad dictum assensum determinare non possit ex singularibus scilicet honestis motivis, quæ ad voluntatem, non ad intellectum pertinent; sed falli possum, inquies, cum assentior minùs probabili; ita est, sed falli etiam possum, dum probabiliori assentior; unde utrinque periculum est, ne fallar; neque in hoc fallo, peccatum est; seu vertitur culpæ; alioquin peccamus in eo, quod vitare, non possumus; sed instas, majus periculum est, ne fallar, dum minùs probabili adhæreo; majus est re ipsa, nego; quia sic possum, adhærendo magis probabili; majus videtur, seu majus apparet, concedo; unde prudentius & melius factum iri, fateor, si probabiliorem partem amplectar; sed qua lege ad perfectiorem obligor, ad prudentius, ad tutius; modò revera ita & prudenter agam. Sed hæc quæso, to-

ties inculcata, mittamus. Denique 13. fundamentum *num.* 265. petit ex hoc text. *lib. 3. Reg c. 12. Respondit Rex populo dura, derelicto consilio seniorum, & locutus est eis, secundùm consilium Iuvenum*; Unde, inquit, Illustriss. opinionem minùs probabilem sequi non licet, sed quis unquam consilium illud Adolescentum, qui cum Roboam nutriti fuerant, verè ac certò probabile, id est, gravibus & rationabilibus motivis, seu rationum momentis firmatum censeat? stultum potiùs, & stolidum consilium fuit; ac proindeimprudentissimum, ut rectè observant Interpretes in hunc locum, ac præsertim Cornelius noster, qui multa ex sacris & prophanis auctoribus, in hanc rem congerit; unde ut ex hoc loco Illustriss. legitimum duceret argumentum, ita ratiocinari debuerat, Roboam egit impudentissimè, dum stultum & stolidum Juvenum consilium amplexus est, relicto prudente ac certo Seniorum consilio, ergo pariter imprudenter agit & peccat, qui relicta certa sententia, partem oppositam minimè probabilem sequitur, sed jam lumus extra casum. Fateor etiam, Seniorum consilium & judicium, Iuvenum consilio, ut plurimum saltem, anteponendum esse; quia illi rerum experientia valent ac proinde prudentia; dixi ut plurimùm saltem, quia nonnunquam secus accidit, & interdum delirant senes, & Adolescentis Danielis judicium, duorum senum, quos dierum malorum inveteratos sacer textus appellat, judicio nemo certè non anteponat. Præterea, quid quæso ad rem institutam, senes inter & Iuniores comparatio? quasi verò senes & sapientes à nostris partibus non stent, & opinionem, minùs licèt probabilem, modo certò & verè sit probabilis, tutam quo ad usum non reputent; sed puder, in his hærere.

19. Pithanoph. Aristotelem ad decimum quartum fundamentum iterum ac tertiò reducit; nimirum 2. *de anima, text.* 152. ubi habet, rectè ab intellectu res percipi *prudentia, scientia, atque opinione vera*, sed quid inde? de qua enim opinione Philosophus loquitur? *de vera* inquies? an certò vera, an probabiliter tantùm? non primum, alioquin jam opinio non esset, sed scientia; secundum igitur; id est, de opinione verè probabili, seu vera probabiliter, qua scilicet intellectus, de rebus obscuris atque incertis prudenter & rectè judicat, non rectè verò, per judicia iis opposita, puta opinionis improbabilis; ita prorsus omnes interpretes in hunc locum: Præsertim D. Thom. est enim opinio, inquit, ad utrumque, vel ad unum cum formidine alterius; denique, fieri potest; ut minùs probabilis sit vera, & probabilior, falsa; nec est, quod dicat Illustrissimus, minùs probabilem plerumque falsam esse; nam unde hoc habet? Vel unam proferre debuerat, quæ reverà certò probabilis sit, de cujus falsitate constet: lumen intellectus, inquit, nihil est aliud, quàm manifestatio veritatis; rectè, sed quantum res quælibet patiens est; igitur veritatis aut certæ, aut probabilis, & malè citat S. Thom. 1. 2. *quæst.* 67. *art.* 1. Ubi ne verbum quidem de hoc habet. 13. fundamentum ducit ex *cap. in canonicis, distinct.* 19. seu ex S. August. *lib. 2. de doctrin. Christian. cap.* 8. Ubi ait, in canonicis scripturis, eas esse admittendas, quæ à pluribus & gravioribus Ecclesiis admittuntur; ac præsertim à Sede Apostolica; ergo, inquit, idem de opinionibus; nulla sanè consequentia; quia vel scripturæ sunt canonicæ, vel non canonicæ, si primum, tenentur omnes illas admittere, ut patet, ut autem sint canonicæ, pro talibus ab Ecclesia declarandæ sunt, & proponendæ; si vero

secundum, nulla lege ad illas teneor, ut patet, deinde quid quæso hic Augustinus; optima sanè tradit præcepta sacrarum Scripturarum studiosis; inter quæ, illud est, ut in admittendis scripturis canonicis graviorum & plurium Ecclesiarum Catholicarum auctoritate potiùs, quàm alia ratione ducantur: quod certè præceptum, seu documentum rationabile nemo non censeat; unde idem facile de probabiliore parte senserim, & facilè auctor omnibus essem, ut semper illam sequantur, uti & consilia Evangelica, & quidquid perfectius à Christo & Apostolis nobis suggestum: sed quod teneantur, & gravi noxa se inquinent, si minùs quidem, certò tamen & verè probabilem amplectantur, absit, ut hoc onus imponam, quod Deus nobis non imposuit; satis enim est, bene, prudenter & tutò agere, nec ad melius, prudentius & tutius materialiter adstringimur; accedit, quod inter scripturas, & opiniones morales latissimum discrimen est, ut dixi; cum utraque pars tuta sit opinionis scilicet magis & minùs probabilis; secus tamen in scripturis, ut patet.

20. ANTIM. Decimum sextum fundamentum duxit ex auctore operis imperfecti, *in Matth. cap. 23. homil. 44. si vestimenta empturus, inquit, gyras unum negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; quomodo non oportet populum circuire omnes doctores & inquirere ubi sincera veritas Christi venundatur, & ubi corrupta; & omnium confessiones cognoscere, & veriorem eligere, plus quàm vestimentum*: omisit Illustrissimus & *omnium confessiones cognoscere*; illud enim, *veriorem eligere*, ad confessionem refertur, nimirum fidei; nempe hic agitur de *veritate*, id est, de vero sensu, *Scripturæ*, ut patet ex versu proximè antecedente, sed quid quæso hæc ad opinionem probabilem? sed, inquies, veriorem partem debemus eligere, id est; verum Scripturæ sensum; veritas enim magis & minùs non suscipit, ut jam diximus, itaque in rebus fidei, certam veritatem habere debemus, eamque ab Ecclesia accipere, non à privatis, non à damnatis Doctoribus; in moralibus verò, quæ ad fidem non pertinent, cum variis & contrariis opinionibus subiiciantur, probabilem dumtaxat veritatem, speculativam scilicet, gravibus tamen & rationabilibus motivis fultam obtinere possumus, qua semel posita, judicium practicum certum de honesto, electæ opinionis usu elicimus: ex hoc autem loco Illustrissimus Modernos auctores frustra & perperam redarguit, eo quod dicant, cuique licere varios auctores consulere, de moralibus; cùm potiùs ex hoc eodem loco contrarium consequatur, si enim pro veritate certa scripturæ, omnes Doctores circuire debemus, cur non pro veritate certo ac verè probabili, in moralibus idem non liceat? non tamen facilè annuerim, nisi Doctores tantùm orthodoxi, pii, periti consulantur, nullum certè in parte, seu factione opposita esse video, cui centeni & milleni nostrarum partium non sint meritò anteponendi: sed cavendum est à quibusdam *impostoribus sanctitatis*, ut idem auctor sapienter monet, initio statim hujus homiliæ, qui circa mulieres facilè sese constringunt, viduas præsertim, quæ & facilè decipiuntur, & de facultatibus suis, Magistris suis multa largiuntur, cum nullius potestati subjectæ sint: quò hæc spectent, nemo non videt: sed demus, aliquem cogitasse de ineundo aliquo pacto, modò justè fieri posit: consulit Doctores, puta Suarem, Sanchez Vasq. Valent. Less. Tolet. Lugo, aut certè, Malder. Gamaschi. Hambert. du Vallium, Bonacin. Navarr. aut si vis, Corneium, Salon. Aragon. Zerol. Bailium, &c. à quibus accipiat, partem affirmantem esse verè ac certò probabilem, licet opposita sit probabilior, at citra certitudinem, ad hæc porro instet idem consulens, an teneatur sequi probabiliorem omnesque communi consensu respondeant, eum non teneri, probè tamen & prudentiùs facturum si eam sequatur, tum hic ad alios convertit sese, puta Philalet. Merend. Mercor. Fagnan. Baron. Sinich. &c. qui omnes fulminante ore respondent illum teneri; qui faciet miser in hujusmodi angustiis? nullius profectò est deliberandi locus, si vel tantulum apud se reputarit, obscurum istorum manipulum, à clarissima illorum legione, ut numero, ita auctoritate, doctrina, pietate, peritia multis sanè parasangis superari, & negari non posse, longè probabiliorem esse illorum sententiam, ac proinde, etiam juxta paucorum istorum principia, oppositæ præferendam & juxta mentem Augustini. supra laudati, & ipsiusmet Illustrissimi verba, nimirum illam partem alteri saltem præferri posse, quam plures & graviores Auctores sequuntur; quod autem plures & graviores doceant, ad probabiliorem partem nos non teneri, dum constat oppositam verè ac certò probabilem esse, notorium est, & fatentur ultro adversarii, sed in his diutiùs quàm par sit hæreo.

21. PITHANOPH. 17, fundamentum ex Tullio *lib. de senect.* petitum omittendum esse videtur; cum nec ad rem faciat, nec ex placitis Tullii hæc controversia definienda sit.

22. ANTIM. Quid faceres, nullum lapidem non movet, & ex omni ligno sagittas, ita prorsus, tertia post pagina, Proculi sententiam prævaluisse refert, cum eam Homericis versibus confirmasset.

23. PITHANOPH. Ibi autem Tullius asserit, magnæ fœlicitatis esse, veras *opiniones* in senectute saltem assequi: quid est hoc, *veras opiniones*? nihil certè, nisi verè probabiles, seu veras probabiliter; repugnat enim, opiniones certò veras esse, aut dici, quasi verò, certò probabiles non sint veræ probabiliter, seu verè probabiles; nec est, quod dicat, plerumque falsas esse; cum ne unam quidem appellare possit vere ac certò probabilem, quam certò falsam esse constat; sed ita prorsus de re ista Adversarii, ac si eam minimè intelligerent.

24. ANTIM. 18. fundamentum ex Doctore Angelico sumpsit, *num. 269. & 270.* nimirum ex *quodlib. 3. art. 10.* ubi docet, in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, nullum excusari, si sequatur opinionem eroneam alicujus Magistri; quia in dubiis, non est de facili præstandus assensus; item ex *quodlib. 8. art. 13.* ubi docet in contrariis opinionibus, nullum excusari à peccato, si in aliquam dubitationem adducatur. Sed non agitur hoc loco de opinione erronea, quæ sit *contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem*, sunt ipsissima S. Doctoris verba, sed de opinione verè ac certò probabili, nec in hujusmodi dubiis debet quis facile assensum præbere, sed debet consuli regula fidei, quam quisque percepit de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate, in iis, quæ ad fidem, item que in iis, quæ ad mores, si vel in scriptura contineantur, vel ab Ecclesia declarata fuerint, in aliis verò, quæ certò non constant ex gravi tantùm & rationabili motivo assensus præbendus est: sed quid quæso hæc ad nos qui erroneas opiniones Novatorum reiicimus; nec ab iis, qui errant in fide, & mandatis Ecclesiæ obstinatè parere recusant, Theologiam nostram moralem

restau-

reliquam posse, clamamus; ut ut sit, hic Doctoris Angelici articulus in eos mirificè quadrat; quod verificetur *ad quodlib.* 8. jam alibi non semel dissensisset, & manifestè ostensum, S. Doctorem nobis minimè favere, qui dictum articulum ita concludat, *aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non peccat.* Ne autem in doctrina S. Doctoris inveniamus repugnantia, quod alibi, ut vel cogitemus: distinguenda est duplex dubitatio, seu formido, speculativa scilicet, & practica; speculativam nunquam S. Doctor excluſit, cum enim de opinionibus oppositis loquatur, nulla opinio concipi potest absque dubitatione, seu formidine; enim opinio est, certa non est, quamvis probabilis, aut etiam probabilior sit; practicam autem excludit conscientia, quam in hoc articulo decies infra paucos versus appellat, id est, à judicio practico eo, quod ad rectè agendum, certum esse debet: item legem certam, seu certò veram à dubia distinguere debemus; quod autem lex certa esset, ne quis plures haberet Præbendas, ex eodem S. Doctore supra laudato habemus; sed dubium erat inter Doctores, an usu contrario abrogata esset; loquitur ergo S. Doctor de lege certa. His positis, nihil habet S. Doctor, quod nostræ sententiæ non faveat, quæ & omnem dubitationem à judicio practico excludit, & *docet*, legem certam, non obstante abrogatione dubia, per nonnullum obligare. Nescio an severiùs Doctor Angelicus rem istam definierit; imponit autem Illustrissimus Doctori Angelico, quasi dicat, nullum amplecti posse unam partem in contrarietate opinionum, nisi opposita omnino improbabilis illi videretur; nunquam hoc dixit S. Doctor, qui tantum bonum desiderat, ut omnis dubitatio practica auferatur, id est, ut conscientia certa sit; sed profectò adversarii dissimulant, hæc à se intelligi, nec demum fortè aliqui ex severioribus Scholasticis, qui hanc refutationem mihi vitio vertant; ut quid enim tot debilia argumenta diluuntur? ut quid difflantur inanes Bullæ? ut quid Theologus cum eo congreditur, quem summum quidem Canonistam, non tamen Theologum quispiam dixerit? hæc scio; sed Pauli responsione mihi quoque uti liceat, de rebus omnium sumus.

2. Pithanoph. 19. fundamentum ex eo petit, quod Concil. Viennense, *Clement. unic. de summ. Trin.* dicat, eligendam esse opinionem probabiliorem de gratia & virtutibus, quæ in Baptismo infunduntur; quasi verò in controversia fidei, Ecclesia probabiliorem partem definire non possit: sed post definitionem Ecclesiæ, jam definit esse opinio, & quæ opposita erronea evadit, vel hæretica; quid quæso hæc ad præsentem controversiam? sed hoc loco Vincentium Baronem libenter in hunc modum compellarim: eo tempore, quo Sixtus IV. duas illas constitutiones edidit, in gratiam Conceptionis immaculatæ, demus partem oppositam probabiliorem extitisse, nec opinor inficiabis; sed eo tempore, non definire poterat Sixtus; quis hoc neget; uti ad definitionem proximè accessit, ponamus definiisse, licet revera non definierit; partem igitur minùs probabilem elegit, ac definivit; idem quo ad consuetudinem de auxiliis, dictum esto: Ecclesia igitur nostris humanis in suis definitionibus parum juvatur, sed antiquo usu, Patrum dictis, & communi Theologorum consensu. Idem prorsus esse dicimus, quo ad *cap. Capellanus*, *de feriis* in quo Clemens VIII. aut Cœlestinus, declarat posteriorem sententiam, nimirum de nuptiis celebrandis, *meliori & subtiliori ratione niti*, quod scilicet tum sacris Canonibus, tum consuetudini Romanæ Ecclesiæ consentiret; ac proinde, ut rectè monet gloss. servandam esse, sed quid hæc ad controversiam nostram? quid etiam illa sententia Proculi? quid quæso hæc ad opinionem verè ac certò probabilem? producere debuerat Illustrissimus aliquem textum, vel aliquem SS. Patrum locum, aut S. Thomæ, vel alterius cujuspiam Doctoris antiqui, in quo disertè opinio verè ac certò, licèt minùs probabilis, in contrarietate opinionum moralium damnetur, explodatur, & ad usum, seu praxim reduci prohibeatur; hoc præstare debuerat, ut causam suam firmaret, sed reverà non præstitit, quia præstare non potuit; imò palam denunciare non dubito, Merendis omnibus, Mercoris & Baronibus, eosque quavis sponsione provoco ad idem præstandum; rejecta scilicet inutili locorum farragine, qua suos codices, frustra licèt, cumularunt.

26. Antim. Refert deinde, *num.* 271. statuitque, pro 20. fundamento, varias loquendi formulas suorum Doctorum, Jurisperitorum scilicet, à quibus apertè negatur, si quando unam partem sequantur, oppositam probabilem censeri; sed potiùs illam reprobent ut improbabilem; & licèt, inquit *num.* 273. sæpè affirment aliquid esse probabilius, non tamen propterea sentiunt oppositum esse probabile; quod probat *ex Clement. unic. de sum. Trinit.* ubi probabilior eligitur, unde opposita rejecta censetur. Ab hoc ultimo incipio, ac dico, ante definitionem Ecclesiæ, probabiliorem dumtaxat fuisse, ac proinde oppositam minùs probabilem, quamvis non verè, neque certò probabilem, cum & SS. Patres, & Moderni Theologi refragarentur; & verò quod Illustrissimus observare debuerat, post definitionem Ecclesiæ, non jam probabilior, sed omnino certa prima illa sententia dicenda est, quod autem suis Jurisperitis affingit, damnari scilicet ab iis, ut improbabiles sententias iis oppositas, quas ipsi defendunt, confutatione non indiget; nempe in ea præsertim materia, accerrimæ fervent disputationes, & vix duos invenias ejusdem planè sensus: agunt certè inter se paulò acerbiùs, quàm nostri Theologi, qui scilicet in aliis impugnandis, modum servant humaniorem, nec ita barbarè, ut sic loquar, Christianos adversarios impetunt; quod tamen omnes Adversariorum sententias, quas ipsi non tenent, respuant ut improbabiles, puta Hostiensis, vel Guido Papa, Innocentius IV. Dinus, & Hostiensis, Guidonis; Joan. Andreas, Dini, Joan. Andr. vel Calderini ejus filii adoptivi, Albericus, Alberici, Baldus, Baldi, Ancharanus, vel Antonius de Butrio, utriusque, Zabarella, Joannes de Imola, Archidiaconus, illorum omnium Panormitanus, Turrecremata, Alexander; istorum etiam Felinus, Covarruvias, Navarrus, &c. dici reverà non potest, absque nota, gravissimis illis scriptoribus inusta; imò vix Barbosam, seu Thomam Sanchez, seu quemlibet alium ex iis recentioribus, qui allegationibus paginas implent aperias, nisi pro sententiis oppositis densi auctorum cunei, in oculos statim incurrant; ac proinde citra declarationem Ecclesiæ, utramque partem probabilem esse, constat: quod autem se legisse non meminerit, relinqui nobis à Patribus libertatem eligendi opinionem, quam maluerimus; quia nunquam etiam legit, eripi ab iis dictam libertatem, quando scilicet utramque partem verè ac certò probabilem esse constat; imò & eam concedi, ex citatis alibi Leonis magni verbis, *Epist.* 92. ad Rusticum, nimirum *in iis quæ dubia fuerint, vel*

obscura, id novimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, non dicit consiliis, *contrarium, nec decretis SS. Patrum invenitur adversum.* Equidem in foro externo, & in practicis quæ aliena jura respiciunt, nefas est judici, infirmiorem opinionem sectari; ut rectè Soto, *lib. 3. q. 6. art. 5.* post Abbat. qui docet, in externo quidem & contentioso foro, *sequendam esse opinionem illam, quæ meliori & subtiliori ratione nititur*; secus verò in foro conscientiæ, *& ad effectum non peccandi,* ut rectè Navarr. *in manual. cap. 27. num. 288.* & prudenter observat P. Dechamps, *cap. 2. quæstionis*: porrò malè citat Augustinum, *lib. 7. cap. 35. de unico Baptismo,* quia hoc opusculum uno tantùm libro, & 18. capitibus comprehenditur; voluit dicere de Baptismo contra Donatistas, *lib. 7. c. 53. n. 35.* cum enim quæreret, utrùm approbandus esset Baptismus datus & acceptus à mimicè & jocularitèr, ubi nulla esset societas, vel Ecclesia ita credentium: in eo casu, inquit, *divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione & impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem; ita sanè, ut post me dicturos sententias, ne quid jam exploratum & cognitum afferent, humiliter expectarem*; quid quæso hæc ad præsentem controversiam? cur locum Illustrissimus fideliter non citavit? cur casum, de quo agebatur, dissimulavit & reticuit ex industria?

27. Pithanoph. Ex dictis etiam corruunt duo sequentia fundamenta, 21. scilicet, & 22. quæ jacit à *num. 275. ad num* 281. vult enim communem sententiam relinquendam esse, quando contraria probabilior est; ergo, inquit, potiori jure minùs probabilem; sed 1. in hoc casu communis est etiam minùs probabilis; quandoquidem opposita probabilior est. 2. hoc tantùm locum habet in foro contentioso, ut disertè Hostiensis, & Joannes Andreas observant, citati ab Illustrissimo, *num. 276. 3.* ad hoc iidem docent, necessarium esse, ut communis *notoriè* malè dicat, vel *convincitur*, falsitatis scilicet. Omitto historiam illam Paphnutii ex Socrate, *lib. 1. cap. 11.* excerptam, seu verius à Socrate homine Novatiano, ac proinde cœlibatus hoste, Concilio Nicæno, & S. Paphnutio affictam, quam profectò leviùs & citra necessarium examen Gratianus retulit, *c. Nicæna 31. dist.* illam enim ita explosit Eminentissimus Perronius, *observat. 3.* replicæ, seu confirmationis, *cap. 20.* & quinque argumentis demonstravit manifestæ falsitatis convicit, ut mera fabula censenda sit; & pro tali habendam. Irculenter ostendunt Baron. ann. Christi 58. & 325. à *num. 149.* Bellarm. *lib. 1. de Cleric. cap. 20.* Binius *tom. 1. Concil. not. in 3. can. Nicæn.* Francisc. Turrian. *not. in 4. can. &c.* Unde ab Illustrissimi zelo expectandum potiùs fuisset, ut notam illam à duobus Historicis hæreticis celeberrimo Concilio inustam abstergeret, potius quam confirmaret, præstantissimorum & doctissimorum hominum exemplo, Bellarmini, Baronii, Perronii, &c. Decretum vero illud Theodosii quo sancitur ut potior numerus vincat auctorum in diversis sententiis, & in æquali numero ea pars cui adhæret Papinianus; regula est Judicibus præscripta quo ad forum externum ut notorium est, unde fundamentum illud 22. futile restat.

28. Antim. Ejusdem farinæ est 23. quod prosequitur à *num. 281. ad* 285. quo scilicet probatio plenior absorbet oppositam minùs plenam, igitur & probabilior minùs probabilem, quid est hoc, *absorbet*? id est, superat, vincit, gravioribus motivis nititur, ac proinde in foro contentioso Judices eam sequi debent, idque ex officio; at verò in foro conscientiæ non obligat, ut sæpè diximus; cum enim pars minùs probabilis etiam tuta sit, ad tutiorem materialiter non tenemur ex præcepto, sed invitamur ex consilio. Quod autem addit ex Anchar. Doctores numero plures prævalere paucioribus; non semper est verum, nec enim numero, sed auctoritate & rationum momento res censentur; sed demus ita esse; non negabit haud dubiè Illustrissimus, longè plures auctores, eòsque graviores à nostris partibus stare; nempe ipse tres, aut quatuor ad summum, nullius ferè nominis, pro sua sententia laudat; nos verò centenos & millenos appellare possumus pro nostra; nec est, quod potiora rationum momenta sibi arroget, quæ certè quam levia & futilia sint, vix dici, aut credi potest, cum tamen nos demonstrativa proferamus.

29. Pithanoph. 24. fundamentum deducit, *num. 235.* ex consuetudine Civitatum, Regnorum, imò & Tribunalium; qua fit, ut suffragiorum numero res definiantur, electiones peragantur, reliqua omnia statuantur; ergo, inquit, opinionem minùs probabilem sequi non licet; anomalam profectò consequentiam; illa quippe certa lege, vel conventione fiunt, cum aliter vix fieri queant; utinam semper bene, cum sæpe accidat, ut & minùs digni eligantur, & minùs justæ ferantur sententiæ; at qua lege ad probabiliorem teneor? dum constat, oppositam verè ac certò probabilem esse. Miror Illustrissimum hoc probandum suscepisse, nullum tamen Canonem, aut SS. Patrum locum, aut Scripturæ textum, aut decretum Ecclesiæ ab eo prolatum fuisse, quo disertè cautum sit, ut in conflictu opinionum probabiliorem amplecti quisque teneatur? multa quidem congesit, sed aliena, ex quibus nihil concluditur; quale illud est, quod 25. fundamenti loco ab eo adducitur, *num. 286.* peritum scilicet ex decretis Capitulorum generalium, seu constitutionum Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant & redemptionis Captivorum: nam 1. iis decretis, hoc unum dumtaxat statuitur, ut Superiorum disciplinarum professores, opiniones probabiliores doceant atque defendant; quod jam fortè citra omne decretum facere tenebantur. 2. cum religiosi homines, non præceptis modò, verùm etiam consiliis Evangelicis adstringantur, quid mirum, si propria constitutionibus ad perfectius, melius, & tutius materialiter adstringi queant. 3. nego tamen, ullam esse constitutionem, vel ullum decretum dictorum Ordinum quo statuatur, ut opinio verè quidem ac certò, minus tamen probabilis damnetur ut periculosa, pernicioſa, & ut improbabilis reprobetur; imò contendo, nullum à Capitulis generalibus hujusmodi decretum condi potuisse, aut posse; quod autem in hoc Illustrissimus Merendæ majorem fidem habendam esse, quam vel Dianæ, vel Pasqualigo peritissimis constitutionum suarum hominibus asserit, dare profectò non possum; cum Merenda extraneus sit, imò quo ad istam controversiam, plusquam suspectus; & multi mirantur, auctorem illum, alioquin damnatum, ab Illustrissimo toties citari atque laudari.

30. Antim. Minùs tamen ferendum est, quod *num. 287. 26.* fundamentum in Synodalibus institutionibus Illustrissimi Episcopi Vincensis Antonii Godeau statuerit, in quibus usus minùs probabilis opinionis damnatur. Sed 1. hujusmodi Synodales institutiones sunt absque die & consule, ac proinde vel hoc nomine suspectæ. is quidem est Illustrissi-

mus

mus Episcopus, cujus tam cœnum ingenium & cultum vernaculi styli elegantiam prosa & versu extollamus, quod tamen ad superiores disciplinas pertinet & prudentiam eruditionem, est certè, quod Perronio, Malello, Abulensi, & multis aliis ejusdem ordinis ceu quare singularis illius opinio legem, aut canonem Ecclesiasticum non facit. 3. cum Illustrissimo Fagnano literarum consuetudine, seu commercio conjunctus est: sciens loquar, & illius literas ad D. Fagnanum non vidi modò hisce oculis, dedi manibus habui, idque non semel: ex quo probabilis illius suffragium in hac causa nullius prorsus roboris est. 4. denique in dictis institutionibus nonnulla leguntur, quæ ferri non possunt, v. g. quod ad peccatum venialis, hoc tempore, recta intentio sit satis: cum venialia, ut ajunt, luxus, superfluæ deliciæ, à salute quotidiè abire, ultra quas homines non arcant: quod cœlum tantummodò sit promptum ingeniosis hominibus & proceribus: quod magistri ex parte directores animarum ad commodum pœnitentium, propriam existimationem, hominum judicium respiciant, non verò ad Dei gloriam, regulas Evangelii Sanctorum exempla, proximi detrimentum: quod demum aperta hac via, vix ullam actionem pravam repetias, quæ licita non sit: hæc sanè injuriosa & contumeliosa in Ecclesiam hujus temporis, atque quæ talia errorum monstra dudum ferat & toleret: eadem prorsus Hæretici, Calvinus, Petrus Molinæus aliique Novatores Ecclesiæ hujus temporis probrabant: ubi, ut piissimus Episcopus ita se ipse in hujusmodi conjungat: fateor ultro aliquot abusus esse in moralibus, & sacris, & magnatibus, tum laicis, tum etiam Ecclesiasticis: nonnullos Palpones plus justo indulgere, sed huic sæculo singulare non est, quod omnibus ferè sæculis viguit, ac præsertim ante Tridentinum, quod tamen in Gallia receptum non fuit, *quod autem nuperrimè scriptor ad Episcopos Galliæ, superbè simul nimisque, quasi Episcopalem dignitatem dictum Ordinem dixerit, quam tamen incredibiliter auxit commendavit.* Ut ut nullus tritissimus Episcopus nullo modo sententiam nostram de opinionis veræ quidem certæ, minus tamen probabilis usu ita perstringere possit, quin semper integra, intacta & non probabilioradò, ut diximus, verùm etiam moraliter certa permaneat.

4. PITHANOPH. Ejusdem farinæ est 27. Illustrissimi fundamentum quod habet *num.* 289. petitum ex scriptis aliquot Parochorum famosæ præfecturæ illius Ogdoadis: sed hæc jure ac meritò rejicienda, quæ mille falsitatibus, convitiis & scurrilitatibus scatent, ut errores & schismaticos dicta omittam: vix oculis meis fidem habeo, cum ea lego, & semper miratus sum, cur famosi illi scripta vestrum aliquis non confutarit, præsertim cum tam facilis & amplus pateat plenissimæ confutationis campus.

5. ANTIM. Plenissimè confutata fuerunt, sed confutatio multis de causis, nondum in lucem edita: efferetur tamen aliquando, horribili procellæ nonnihil tedendum fuit; cuncta hæc tibi legenda tradam non commodo, cum integra & fideli narratione rerum in hac causa gestarum, quam in Decade nostra reperies, ut ut sit, unus idemque fuit scriptorum illorum & censurarum auctor, exceptis dumtaxat Sorbonicis stylus etiam simulatus, peritos latere non potest: ego vel ex unico versu statim agnosco: præterea quod habemus in hoc fatentem Reum: sed de hoc loco, fat citò, si fat bene: tempori serviendum fuit; malus Dæmon nescio quis rem istam optimè dispositam, & ad optimum finem pro Dei gloria, Ecclesiæ dignitate, insontium injustè oppressorum levamine, & omnium honorum consolatione tantum non perductam, ita perturbavit, ut & Rei debitæ pœnæ subducti fuerint, & insontes potiùs malè, imò pessime habiti, de quibus fusè in Decade. Ut ut sit Illustrissimus ab iis scriptis ex tali officina profectis, & in Sedem Apostolicam injuriosis, suæ causæ patrocinium accersere non debuerat; quod tamen ab eo mala fide factum fuisse non puto; sed viderint ii, qui optimo & doctissimo seni per se ipsum scripta illa lustrare non valenti fœdissimè, ne dicam malitiosè imposuerunt.

33. PITHANOPH. Addo unum, quod apud Wendrockium legi, *nor. 1. in 5. epist. sect. 1. §. 1.* nimirum geminam actionum humanarum normam à dictis Parochis, hoc duplici dogmate Catholico restitutam fuisse, quorum primum est, *opinionem probabilem falsam in jure naturali à peccato non liberare*: alterum verò, *in conflictu opinionum probabilium, tutiorem & probabiliorem partem eligendam.* Erroneum porro dictu est, primum illud dogma Catholicum esse, cum potius dogma erroneum sit, cum enim laboremus ignorantia invincibili certæ veritatis, aut falsitatis, in probabilibus; erroneum dictu est, ignorantiam invincibilem à peccato non liberare, errorem istum in auctore multi castigarunt; quod autem illa sit ignorantia invincibilis, negari non potest, cum adhibita quavis diligentia, certa veritas in iis haberi nequeat; quod verò ad secundum pertinet, dogma Catholicum temerè dicitur, cum sit mera opinio, eâque vix probabilis, ut suo loco abunde ostensum est; sed quæso pergamus.

34. ANTIM. Sic autem statuit 28. fundamentum, *num. 290. & 292. imprudenter agit, qui pro regulâ suarum operationum utitur judicio probabili*: nos certo utimur, nimirum judicio practico; nec unquam speculativum illud tantùm probabile regulam esse diximus; sed pergit, *sequiturque opinionem, quam solam putat esse probabilem, non reflectens ad motiva partis oppositæ*: negamus statui posse unam partem verè ac certò probabilem, nisi motiva partis oppositæ ponderentur: & frustra futilia illa fundamenta, quæ nihil penitus probant, allegantur. *Agit autem imprudentius, qui ex duabus æquè probabilibus sequitur minus tutam*: hoc etiam supra rejectum est, quia semper tutam sequitur, modò utraque pars verè ac certò probabilis sit: sic autem concludit, *ergo agit imprudentissimè, qui minùs probabilem & minùs tutam*: nego consequentiam: nam prudenter agit, minùs prudenter licet, nullus autem ad perfectius, ad prudentius tenetur: quod minùs probabilis habeat speciem mali, in concursu probabilioris, ut ait, falsissimum reputa: & hoc est, petere principium: confundit malum Illustriss. cum minore bono: falsum est etiam, probabiliorem esse magis veram: imò & magis apparere certò veram: repugnat enim, certò veram esse, quandiu est tantùm probabiliter vera: unde ut probabilior reputatur probabiliùs vera, quamvis falsam esse posse, certò constet, ita minùs probabilis minùs probabiliter vera censetur: quod autem ad probabilius, perfectius, prudentius teneamur, nunquam hucusque Adversarii probarunt, nec probabunt in posterum. Locum illum Augustini, *lib. 1. de Baptismo, cap. 3. graviter peccaret in rebus ad salutem pertinentibus, vel eo solo, quod certa incertis præponeret*: hunc locum dumtaxat urgent, in hanc rem Adversarii apud Wendrockium

ckium, *not.1. in epist. 5 sect.4.§.1.* unde mitor Illustrissimo suggestum fuisse: sed quid ad rem ? nam judicium speculativum utriusque partis, utrumque incertum, neutrum certum : practicum utrumque certum est: neque hic agitur de præferenda parte certa improbabili atque incertæ, sed de præferenda magis probabili, minùs probabili: nec igitur hoc loco de periculo, quod per judicium practicum certum omnino arcetur : hinc adductæ ab eo similitudines putei, fluminis, duelli, aliaque periculorum exempla in hanc controversiam non quadrant, ut rerum istarum periti nobiscum facilè judicabunt : unde nec imprudens, nec temerarius, nec fatuus censendus est, qui nobiscum sentit : parcius ista viris sapientissimis, doctissimis & piissimis, reponere posset cum fœnore: nec eæ, quæ sequuntur allegationes S. Thom. Scot. Sylvestr. *cap. significasti 2. & c. petitio de Homicid.* toties appellatæ & supra rejectæ quidquam probant, ut toties ad nauseam fere ostensum est.

PITHANOPH. 29. deducit *num.* 292. ex multis absurdis, quæ ex nostra doctrina sequuntur, ut ait, & illius autores inter se diviserunt, quorum aliqui limitationes adjunxerunt, ut gravia illa absurda fugerent : alii vero liberrè illa deglutiunt, quasi absurda non essent. Nostri auctores aliique fere omnes, sed de nostris potissimùm loquor, quo ad substantiam hujus controversiæ omnes conveniunt : 1. judicium practicum certum desiderant, 2. veram, certam & indubitatam probabilitatem : 3. hinc opiniones probabiliter tantùm probabiles in usu & praxi non admittunt : 4. probabilem opinionem ab improbabili probè discernunt : idem porro dicimus omnes, quamvis in modo loquendi nonnulli ab aliis discrepare videantur : cum tamen Adversarii in varias & contrarias partes eant, ut se ab iis difficultatibus expediant, quas alioquin fugere non possent. Wendrockius, Parochi, aliique fœderati volunt, illam dumtaxat opinionem probabilem licitam esse, quæ vera est : sed neutra certò vera est & utra vera sit, scire non valeo : unde quo ad hoc, ignorantia invincibili laboramus : nihil refert : si fallam sequeris, erras, peccas, etiam in eo, quod vitari non potest : en purum, purum, &c. Comitolus, Philaletus, Cajetanus, docent, probabiliorem tenendam esse : sed hæc æquè falsa esse potest, ac minùs probabilis : deinde, si major probabilitas certa firmat judicium practicum certum, quidni etiam minor, dum æquè certa sit, denique, minùs probabilis interdum tutior est : cur ergo eam sequi non licet ? Merenda & Vincentius Baro eò venerunt, ut dixerint, tutiorem semper tenendam esse, sive minùs probabilis sit, sed cum gravius, & ab omni ratione alienum esse videretur, probabiliorem illicitam esse, si quando minùs probabilis tutior sit, Illustrissimus Fagnanus, præeunte Mercoro, quos deinde Augustinus de Angelis, Marinàtius, &c. sequuti sunt : Illustrissimus inquam, ablegata omni probabilitate, partem probabiliorem certam esse voluit, ac proinde omnem difficultatem, quam præmissæ sententiæ patiuntur, penitus cessare : sed pace illius dixerim, crescit ex eo difficultas, non cessat : quia repugnat, probabiliorem dumtaxat partem certam esse, ut sæpe ac sæpius supra dictum fuit. Ex quo satis videre est, utrius partis defensores magis inter se dissentiant : octo ad summum inter illos auctores quatuor diversas sententias docent, atque defendunt.

ANTIM. 29. fundamentum deducit ex primo absurdo, quod est de Medico, *à num. 293. ad num. 298.* quia, inquit, liceret Medico, minùs probabile medicamentum ægro porrigere ; negant tamen omnes fere nostri, Suar, Vasq. Sanch. Granado, Salas, Lay, Filliuc. Reginald, Becan, Gordon. Bresser, Busenbaum & alii, quos fideliter & accuratè citat P. Dechamps *in quæst. cap. 8.* idque sive ratione proprii officii, sive charitatis erga proximum, sive pacti tacitè intercedentis, sive usorum omnium conjunctim, quod probabilius reputo, ut malè citat Azor Illustrissimus, *tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 11.* quod doceat, porrigi posse à Medico medicamentum minùs probabile : nihil tale ibi Azor, quin potius diserte ibi tradit contrarium : nimirum *manifestum esse jure, non posse Medicum remedium ægroto porrigere, quando dubitat, an sit ei profuturum, an nociturum* : unde quando sub finem quæstionis docet, ubi sunt contrariæ Medicorum opiniones, licere Medico juxta aliorum sententiam, sive probabilior & tutior, sive nec tutior, nec probabilior, ac proinde æquè probabilis & æquè tuta (nec enim dicit minùs probabilem, nec minùs tutam) ægrorum curare, ita intelligi debet ex præcedentibus, ut nullo modo dubiter, an medicamentum profuturum sit, an nociturum ; per peram item citat Salas Illustrissimus, 1.2 *quæst. 21. tract. 8. disp. sect. 19. à num. 156.* nihil prorsùs habet Sal. *disp. sect. 15. de Medico* ; nec in tota illa sect. adnotat. *num. 156.* sed totus *num. 137.* Salas igitur *sect. 11.* ubi de verbo ad verbum retulit, *num. 134.* sententiam P. Vasquez, *num. 135.* quatuor assertiones habet ; prima est, licere Medico, adhibere medicamentum probabile, quando certius non suppetit, & alioquin certum est, ægrum nullo adhibito medicamento morituram : secunda est, non licere Medico probabile remedium adhibere, quando certum suppetit, nec etiam quando dubium est, an sit nocitum, an profuturum. 3. est, quando æquale, aut fere æquale est periculum mortis, sive adhibeatur, sive non adhibeatur medicamentum, adhibere non licet, 4. quando longè probabilius est, ægrum adhibito medicamento evaluturum, quàm non adhibito moriturum, licet adhibere : tum demum, *numero 136.* addit juxta hæc, nimirum juxta has conclusiones, debere illa judicari, quæ habet Azor supra citatus, quæ ad finem usque sectionis de verbo ad verbum more suo exscribit : unde manifestò liquet, imponi huic auctori, & apertam affingi calumniam ab illustrissimo Fagnano, quod utrum fieri possit, nullus sanè probabilista docuerit. Cæterùm, ut jam alias monui, Adversarii minime distingunt probabile medicamentum à probabili opinione : & tota res reducenda est, in quo nostri omnes conveniunt, non esse opinionem verè ac certò probabilem, quod Medicus possit adhibere minùs probabile medicamentum, quod scilicet constat esse minus probabile, quotiescumque vel certum, vel probabilius suppetit.

PITHANOPH. Sed instat Illustrissimus, si ex charitatis amore erga proximum, tenetur Medicus ad probabilius medicamentum, cur non ex amore veri & recti tenemur ad probabiliorem partem ? & a Medicus corporum tenetur ad probabilius, cur non pariter Medicus animarum, ne scilicet porrecto minùs probabilis & minus tutæ opinionis pernicioso consilio, animam occidat, & hæc pluisquam flebilitas. *num 297.*

ANTIM. Quam sint hæc levia, vix dici potest : præceptum charitatis obligat, diliges proximum tuum, non tamen amor veritatis, quid si enim ad omnem veritatem homines adstringerentur ? ut nobis,

nobis, væ Illustrissimo alioquin doctissimo, quia malum Philosophicis, Theologicis, Mathematicis, divinis & humanis literis haud dubiè ignorat; deinde certa veritas in probabilibus haberi nequit, ad eamque non obligamur; alioquin ad impossibile tenemur quod blasphemum est Calvinistarum contentorum; ad veritatem saltem probabilem, inquies, sed minùs probabilis etiam vera est probabilior, cur ergo ad probabilius, perfectius me adstringit? denique non est opinio verè ac certò probabilis, quod medicamentum minus probabile adhiberi possit, dum probabilius suppetit; cum tamen sit opinio non probabilior modò, sed moraliter certa, quod opinionem verè ac certò, minùs licèt, probabilem licet sequi possumus; amor recti obligat, inquies, omne rectum non obligat, nimirum rectius & perfectius satis est nobis certò constare, operationes nostras rectas & honestas esse, uti constat per judicium practicum certum.

39. Pithanoph. 30. fundamentum sumit Illustrissimus ex 1. absurdo, quod est de Judice, idque à num. 298. ad num. 303. quia, inquit, liceret Judici secundùm minus probabilem judicare; hoc ipsum nostri omnes negant, Suar. Vasq. Valent. Sanchez, Tanner. Becan. Coninck, Granado, Salaz, Filliucius, Laym. Reginald. Gordon. Castr. Pal. Amicus, Bresser. Fagel. Martin. Perez. Palavicin. quos accuratè collegit P. Dechamps, *loco citato*, quibus multi alii addi possent, ut Lugo, *de just. disp. 37. sect. 10. num. 116.* ubi præter aliquos ex suprà dictis, citat Azor; cum autem Illustrissimus inficias ire non possit, impugnat rationes, quibus nostri hanc doctrinam firmare conantur, quamquam meo judicio valde frustra: primò enim Judex tenetur cuique reddere jus suum, secundùm merita causæ. 2. quia Resp. constituit illum judicem cum hoc onere. 3. quia alioquin esset accepersonarum jure ipso prohibita: agnoscit Illustrissimus istas rationes esse veras; vult tamen æquè militare contra illum, qui opinionem minùs probabilem sequitur in moralibus: 1. quidem, quia offensa Dei pluris æstimanda est, quàm læsio juris proximi; sed fallitur, quia nulla esse potest offensa Dei in usu minùs probabilis opinionis, sicuti esse potest, inferenda sententia juxta minùs probabilem secundùm verò, quia si Respub. exigit à Judice, ut judicet secundùm magis probabilem in causis non temporalium, potiori jure Deus à nobis exigit, ut rem salutis probabiliorem sequamur; sed hoc non facilitate reiicitur, qua gratis adstruitur; quia usus in usu minùs probabilis nullum est salutis, imò peccati periculum; nec ille Scripturæ textus apponi potest, in quo Deus jubeat, ut probabiliorem sequamur: tertiam denique, quia quotiescumque aliquis sequitur in praxi minùs probabilem, habet respectionem personæ hominis, contra Deum & legem, sed cum opinio minùs probabilis, nimirum quæ ac certò non sit contra Deum, nec contra legem, ut sæpe diximus, ridiculum dictu est, in hoc intervenire acceptionem personæ hominis contra Deum & legem; miror autem, non quidem quod Illustrissimus hæc dicat, utpote qui Dialecticis & Scholasticis dissertationibus assuefactus non sit, nec hæc consequentiæ regulæ eidem satis familiares sint, miror tamen, à quopiam Theologastro hæc eaque ineptissima fuisse. Quid si autem jura utrimque probabilia, an Judex alteram pro arbitrio sequi possit?

40. Antim. Jam mentem meam super hoc alias dixi, enim in capitalibus Reum nunquam damnare licet, nisi vel confessum, ut vocant, vel convictum, nec certa pœna pro incerto & dubio delicto imponi potest. 2. in civilibus, stante jure utrimque æquè probabili, possessioni favendum est, juxta communem regulam. 3. præscindendo à possessione, & stante jure æquè probabili, certum est Rempublicam posse ita de re illa disponere, ut vel utrique parti æquè dividat, vel alteri tantùm adjudicet. 4. certum est Rempublicam hanc facultatem Judici concedere posse, utrùm verò concesserit, tenent multi probabiliter, ut Sot. Valent. Manuël Ledesm. Vasq. Sanchez, Azor, Layman. Malder. Villalob. Filliucius, Tanner. Becan quos citat Delugo, *num.* 114. & sequitur, *num.* 115. contra Bannez & Granado; quod autem Judex rem dividere possit æqualiter; nemo negat, nisi fortè Delugo, *num.* 118. ubi ait, certius fore periculum in divisione, qua posita, certum est verum Dominum privari re sua, quo ad dimidiam partem; sed hoc facilè solvi potest, quia jus ita disponendi, quo ad incerta, est penès Rempublicam, ac proinde penès Judicem; nullam igitur injuriam partibus facit; quod ad me spectat, hortarer partes ad divisionem & concordiam; & tutius putarem, etiam iis dissentientibus, divisionem statui. Sed pergamus ad alia.

41. Pithanoph. *Num.* 303. ducit 31. fundamentum ex 3. absurdo, quod est de administratione Sacramentorum, sequendo opinionem minùs probabilem, vel adhibendo materiam, aut formam minus probabilem; nostri omnes docent, si suppetat materia, aut forma certa, probabilem adhiberi non posse, aut si probabilior suppetit, minùs probabilem poni non posse; & præter citatos supra, addit ibidem P. Dechamps, Oviedo, Arriagam, Mascarenhas; addi possent multi alii, atque adeo recentiores omnes; quare mirari satis non possum, quonam pacto Illustrissimus adeo vehementer in duos præstantissimos & in hoc genere nulli secundos auctores vestri Ordinis Gabrielem Vasquez, & Thomam Sanchez invectus fuerit, quasi ipsi docuerint absurdum non esse, adhibere materiam, aut formam minùs probabilem in confectione Sacramenti; quod tamen absolutè non asserunt, sed tantùm quatenus hoc non esset contra communem Ecclesiæ usum, & charitatem proximo debitam ex officio Ministri talis Sacramenti; nec enim putant rationem ab irreverentia petitam evidenter concludere, cum etiam militet in qualibet alia re sacra, atque adeò in ipso divino præcepto: atqui nemo negat, quin is sit communis Ecclesiæ usus, ut minùs probabilis materia non adhibeatur, dum probabilior suppetit, nec etiam probabilior, dum suppetit certa; nemo etiam negat, quin praxis opposita opponatur charitati erga proximum in re gravissima & sæpe necessaria ad salutem; unde Sanchez, *lib. 1. in Decalog. cap. 9. num.* 34. absolutè dicit, peccare Ministrum contra charitatem, qui sequitur in hoc opinionem minùs tutam; idque potiori jure, si faciat contra communem Ecclesiæ usum, qui quo ad hoc strictissimæ legis vim habet: idem prorsus Vasq. 1. 2. *quæst. 19. art. 6. disp. 63. cap. 3. num.* 10. *& seq.* Quid ergo peccarunt duo illi præstantissimi auctores, qui docent, peccare hunc Ministrum, cum reliquis omnibus Societatis vestræ Doctoribus, idque ex duplici gravissimo capite, cum tamen vel una ratio ad probandam illam sententiam sufficeret; existimarunt quidem, cum multis aliis, rationem illam ab irreverentia petitam, non satis evidenter concludere; debuisset, quo ad hoc, illos impugnare & convincere Illustrissimus, sed nihil minùs; distinguit ab re duas quæstiones, prima est, an

an liceat; secunda, an fiat; sed non advertit Illustrissimus, unam tantùm quo ad hanc controversiam, quæstionem proponi; nec enim quæritur, an fiat Sacramentum, quia cum statuatur materia probabilis tantùm, statuitur etiam quod certò non fiat, sed tantùm probabiliter; unde illud non quæritur, an fiat, sed an licitè, cum dicto periculo, Sacramentum ministrari queat; nec aliud quærit Suarez, cujus sensum Illustrissimo pessimè suggesserunt; in hoc autem omnes vestri conveniunt, quod Sacramentum ita ministrari non debeat, nec absurdum illud admittunt, cujus hoc loco meminit Illustrissimus.

42. ANTIM. Imò ex hoc capite Illustrissimus solidè impugnari potest, argumento, ut vocant, ad hominem; si enim opinio probabilior certa est moraliter, in qualibet materia, etiam Sacramentorum, hæc doctrina locum haberet; igitur quisquis adhibet materiam probabiliorem, certam adhibere censetur, tutam igitur; igitur ad tutiorem, aut certiorem non tenetur, cum tamen certum sit, probabiliorem adhiberi non posse, dum suppetit certa. Sed eadem regula nostra, de qua supra, hic locum habet; non est enim opinio verè ac certo probabilis, quod materia minùs probabilis adhiberi queat, dum suppetit probabilior, nec probabilior, cum certa suppetit; quod autem Suarez quem Illustrissimus citat contra duos prædictos, nimirum *tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 6. num. 5.* dicat quidem, in re Sacramentorum, certam viam probabili, & probabiliorem minùs probabili esse præferendam, quod duo illi fatentur ultro ac disertè docent; non tamen ut fingit Illustrissimus nos ad id teneri ex reverentia, quæ debetur Sacramento, de quo ne verbum quidem ibidem Suarez habet; unde patet, qua fide contra Vasq. citatus fuerit; sed pro more, nunquam fere fideliter auctores in hoc opusculo allegantur.

43. PITHANOPH. Sed quæso te, quid de attritione, si est tantùm materia probabilis Sacramenti Pœnitentiæ; nempe ut audio prodiit decretum sacræ Congregationis & sub Alexandro VII. missum in Belgium, quo utraque sententia probabilis declaratur, quamquam nostra illa communior, qua scilicet attritionem cum Sacramento satis esse, adstruitur; si communior, igitur & probabilior, cum certè firmioribus rationibus pars adversa non probetur.

44. ANTIM. Ex hoc decreto primùm facile contra Illustrissimum ejusque sequaces evincerem, opinionem probabiliorem certam non esse, quia scilicet nostra de attritione sententia probabilior est, ut nemo negat; quamvis alioquin certa non sit, quia si certa esset, pars opposita improbabilis censeretur, ut constat ex regula oppositionum alibi stabilita; sed probabilis censenda est ex dicto decreto; igitur inde rectè concluditur contra Illustrissimum, partem probabiliorem ideo certam non esse, quod jam supra ex communibus principiis demonstravimus; sed ad rem venio, & constantissimè assero, Attritionem, materiam probabilem Sacramenti nunquam à nobis dictam fuisse; nempe certam esse, dicimus, idque non probabiliter modò, sed probabiliùs dicimus: quisquis igitur certam materiam esse credit, absque ulla dubitatione illam adhibere potest; alia enim quæstio est, utrùm materia illa, quam probabilem tantùm esse constat, adhiberi possit; hanc autem non probabilem, sed omnino certam esse reputamus: & si quis fortè probabilem dumtaxat reputet, is profectò ad contritionem perfectam tenetur, quia non est opinio verè ac certò probabilis, quod materia probabilis Sacramenti adhiberi possit, dum certa suppetit; cum tamen sit opinio verè ac certò probabilis, quod illa materia, quæ certa reputatur, adhiberi queat. Deinde ex hoc eodem decreto, idem probatur, quia per illud declaratur utraque sententia probabilis quidem, sed quo ad usum; cum enim ad sedandas dissensiones ortas in Belgio super hac quæstione, editum fuerit, nulla porro inter partes dissensio fuit, utrùm sententia nostra speculativè esset probabilis, cum reverà sit communior & probabilior, sed tantùm quo ad usum; utramque igitur S. Congregatio probabilem, quo ad usum esse declaravit, relicta partibus libertate, opinione sua utendi; hanc autem sanctæ Congregationis mentem fuisse, mihi sæpe significavit Eminentissimus Cardinalis Albicius, voluitque ut in Belgium rotundè scriberem, ut reverà deinde scripsi. Præterea nemo negat; aliquam opinionem probabilem, etiam in re Sacramentorum locum habere, si talis sit Ecclesiæ usus; atqui communis ubique usus invaluit in Ecclesia, ut attritio adhibeatur in Sacramento, & non minus vere attriti, quàm contriti absolvantur: accedit, quod est opinio probabilior, cujus usum illicitum dici, gravissimum esset; maxime, si alia materia certa, contritio scilicet perfecta, difficilè haberi possit, præsertim ab insigni peccatore; quidquid dicat recentior quidam, reliquis omnibus refragantibus, quibus in hoc major fides habenda est: sed hic omitto, quia illius argumenta seu verius paralogismos accuratè diluam in appendice ad Dialogos de contritione.

45. PITHANOPH. Mihi super hoc abunde factum satis; transeo ad 32. fundamentum petitum, *n. 304. & 305.* ex 4. absurdo, quod reverà esset, si Confessarius stare deberet judicio pœnitentis, quantumvis probabili, v.g. Pœnitens tenet probabiliter, talem negotiationem esse licitam, quam Confessarius illicitam putat, ac proinde pœnitentem recusat absolvere, nisi eam dimittat; & quia omnes fere tum antiquiores, tum recentiores dicunt, Confessarium adstringi in hoc casu ad absolvendum pœnitentem, modò alioquin sit rectè dispositus, aut saltem posse absolvere; nullum invenio alicujus notæ Theologum, qui hanc sententiam non defendat, longum auctorum seriem vide apud Sanch. *lib. 1. in Decalog cap 9. num. 28.* item apud Lugo, qui rem istam accuratissimè discussit de Sacramento Pœnit. *disp. 12 §. 2. per totum*; supponunt tamen, opinionem pœnitentis esse verè probabilem, licèt Confessarius eam falsam reputet, & oppositam sequatur; si enim certum esset, errare pœnitentem, deberet à Confessario dedoceri; & si recusaret, dimitti, nisi in iis casibus, in quibus majus scandalum certò timetur, & pœnitens est in bona fide; deinde pœnitens supponitur vel doctus, aut saltem controversiæ illius peritus, ac de illa probè institutus; & verò pœnitens jus habet utendi opinione verè ac certò probabili, quæ certè à Confessario privari non debet; qua enim auctoritate? nulla prorsus, cum facultas judicandi in hæc non cadat: Confessarius potest pœnitentem interrogare, ut certior fiat peccatorum admissorum, tam secundùm numerum, quàm secundùm speciem; ac deinde ubi de reliquo eum ritè dispositum videt, imposita pœnitentia salutari, eundem absolvere; at quod possit doctum & contrariæ doctrinæ pœnitentem in suas partes trahere, & nisi accedat, dimittere, injustum, impium, imò & ridiculum est: Scotista accedit ad Thomistam, hic illum absolvere recusat, nisi universam Scoti doctrinam ejuret; Catholicus

ad

ad Nostrorem, hic negat absolutionem, nisi ille omnes Theologorum moralium & Catholicorum, sententias devoveat; aut si jam subscripsit formulæ hanc subscriptionem revocet; aut si dubitat de Majorum & Avorum usuris, præscriptam summam depositam, sed in manibus Confessarii, piis scilicet usibus destinatam; pios usus vocat quos universi sanctissimos norunt: quid quæso absurdius & iniquius excogitari potest? nec admittenda est distinctio proprii & delegati Confessarii, quam pauci aliquot absque ulla ratione commenti sunt: nam perinde est; quia confessione facta, pœnitenti rectè dispositio absolutio jure debetur, tum à delegato, tum à proprio, nec est, quod dicat Illustrissimus Confessarium operari non posse contra propriam conscientiam; nam si opinio pœnitentis verè probabilis est, & talis à doctissimis viris reputatur, Confessarius vel ex hoc, certò judicare potest, se non peccare, si ea utatur; si autem illam, per errorem, improbabilem, confessarius putet; quid faceres in hoc casu Pithanophile.

46. Pithanop. Mihi sanè esse videtur casus perplexæ, ut vocant, conscientiæ; nam inde judicare potest, immò judicat, Pœnitentem jure suo, uti posse opinione illa, quam Doctissimi homines probabilem reputant, ac proinde esse absolvendum; aliunde verò judicat, se uti non posse, idque præsertim in sacro illo ministerio, opinione certò falsa & improbabili; en tibi perplexam conscientiam; illud ergò facere debet, quod minus malum judicat, juxta communem regulam, de qua suprà; minus autem malum est absolvi pœnitentem, quam non absolvi, ut perspicuum est; si tamen verè esset improbabilis, pœnitens deducendus esset juxta regulam suprà traditam; & si per voluntariam contumaciam dedocere nollet, omninò dimittendus, quia videtur hoc constaret, ritè dispositum non esse: dedit igitur Illustrissimus sententiam illam, quam temeritate certam reputo, ut absurdam & iniquam taceam; desinat Divum Thomam, & Divum Bonaventuram, & Scotum in hanc rem citare, qui ne verbum quidem de hac quæstione habent locis citatis, desinat asserere, confessarium contra conscientiam propriam agere; quia is contra conscientiam non agit, qui opinione probabili utitur; desinat omnes mirari & exclamare, quod Judex judicium dubium cogatur in foro animæ; quia reverà forum hoc auctoritatem Judici dare non potest, ut pœnitentem sine iniquè, & non nisi per summam indiscretionem à confessario privetur. Optandum revera esset, ut nullus de hoc Sacramento scriberet, nisi qui multa alioquin doctrina instructus, per multos annos, ut dixisse te memini in primo nostro colloquio, hoc Sancto Ministerio functus fuisset, & audiendis confessionibus in Vaticana Basilica diu operam navasset.

47. Antim. Trigesimum tertium fundamentum dicit ex quinto absurdo quod est de bello; nam auctores, inquit, probabilitatem contendunt, licere, invicem bellare, si utrimque sint opiniones probabiles, quod Bellum sit justum; unum autem Vasquem excipit *num.* 307. quasi reliqui omnes ex nobis idem sentirent, cum Joanne Sancio, qui nobiscum non est, & cujus opiniones, cum liber illustrissimus damnatus fuerit, magni reverà non facimus; nec enim vel cum Vasq. & Molin. quibus adhæret Thomas Sanchez *dicto cap. 9. num.* 36. doceant bellum à supremo Principe alteri non posse inferri, ad recuperandam aliquam ditionem, nisi jus illius certum sit; vel cum aliis, nisi saltem probabilius esse constet; ita ut in simili casu Judex sententiam in ejus favorem, certò ac justè pronunciaturus esset; nullus sanè ex nostris, stante jurium, vel opinionum probabilium æqualitate, docuit, bellum justè inferri posse, aut bellum utrimque justum esse posse, nisi fortè per accidens propter ignorantiam invincibilem alterius partis; nostri ergò in hac materia, rigidissimè ac severissimè pronunciarunt præ cæteris omnibus Theologis, immò & Canonistis; citari possunt præter appellatos Suarez Lugo, Tanner. &c. cur igitur Illustrissimus unum Vasquem excepit; quis unquam hunc agendi modum verè probabilem esse dixerit; immò quis non improbabilem, charitati & Justitiæ contrarium? accusare poterat Joannem Sancium, Covarruviam, Dianam, Sancii laudatorem *part.* 2. *tract. de opin. probabil resolut.* 8. qui fortè paulò liberiùs de hoc argumento scripserunt, nostros tamen, qui secùs sentiunt in communionem criminis, excepto uno duntaxat Vasque trahere jure non poterat. Et verò tanti est ad repetendum aut indemnes servandum jus suum, tam inhumanum medium adhibere, ut Christiana humanitas illud abhorreat.

48. Pithanoph. *A num.* 311. *ad num.* 314. ducit trigesimum quartum fundamentum ex sexto absurdo quod scilicet juxta hanc doctrinam, Judex in judicando sequi possit opiniones oppositas probabiles, modò unam, modò alteram, excepto scandalo, & quo ad auctores, remittit nos *ad num.* 31. ubi unum tantùm ex nostris citat, nimirum Thomam Sanchez, quem jam suprà *ad dictum num.* 31. & 32. satis luculenter ab hac calumnia vindicavi: immò nostri omnes, ut suprà dictum est, cum de Judice, docent, teneri illum ad judicandum secundùm probabiliorem; stante autem utraque æquè probabili, & præscindendo à possessione, ita ut ex parte facti probationes sint æquales, rem dividendam esse docet *dicto capite* 9. *num.* 45. Si verò ex parte Judicis tantùm stet illa opinionum, vel jurium æqualitas, licèt aliqui censeant, rem esse dividendam quibus adhæreo; longè tamen plures tenent, Judicem posse alterutri, pro auctoritate, quam à Republ. accepit, causam adjudicare; igitur secluso scandalo, modò huic, modò illi: hoc absurdum reputat Illustrissimus quod in hunc modum ostendit, unam ex partibus veram, & alteram falsam esse oportet; ita est; nec in hanc rem quæ est per se nota, citari debuit S. Thom. nisi fortè, juxta ridiculum illum concionatorem, qui solem lucere, dixit, juxta Plinium: sed, quid inde? quando unam eligit, fieri potest, ut falsa sit; rectè; fieri quoque potest, ut sit vera; quod ultrò fatetur; sed eodem jure, quo ad hoc, altera pollet; nec enim certa veritas haberi potest; facto igitur æquo libramine, eligat probabiliorem; saltat extra chorum & casum; nam quæstio procedit stante utraque parte æquè probabili; si enim altera sit probabilior, concedit ultrò Sanchez; concedunt omnes nostri judicem teneri ad probabiliorem; sed, inquit, qui judicat secundùm utramque; id est, non simul, sed modò secundùm unam, modò secundùm aliam, necessariò sequitur falsum; quia altera est necessariò falsa disiunctivè; nimirum vel hæc, vel illa; sed necessariò etiam sequitur verum; cùm altera necessariò vera sit; nunquàm

tamen judicat secundùm unam nisi reputet illam veram probabiliter; itemque secundùm alteram successivè, nec aliter ab eo qui rem intelligat, definiri potest; si enim sunt æquè probabiles A & B, immò, ut ferè semper accidit in judiciis, & juribus æqualibus, æquè tutæ; Judex hodie sequitur A, poterat tamen, eodem jure, sequi B, in judicando; crastina die potest æquè sequi A & B, quid ni ergò sequatur B. neque ullum venenum inest, si sequatur opinionem verè ac certò probabilem, licèt alioquin falsa sit, uti & probabilior falsa esse potest; nec sequitur ut falsam, sed ut probabiliter veram; quod autem dicit, probabilitatem illius non habere fundamentum in re, sed tantùm in tenebris intellectus, falsum est illius commentum; qui probabilis opinionis naturam minimè intelligit; aliud enim esse reverà & videri probabile, ut cum Philosopho aliàs diximus; falsum est etiam, hanc doctrinam novam esse, quæ docet, sequi falsum; quia hæc doctrina docet, sequi verum probabiliter, licèt falsum esse possit; unde nunquam licet sequi falsum cognitum, secùs tamen verum probabile, quod falsum esse queat; neque hæc doctrina nova est, sed ipsi mundo coæva, cum res secus esse non possit; quòd autem dicit, ex Deo non esse, sed ex Diabolo, qui est Pater mendacii; pace illius dixerim; nempe quisquis negat cum Adversariis, non eximi culpæ illum, qui sequitur opinionem verè probabilem, si fortè falsa sit luculenter errat, cum homines ad necessitatem peccandi inducat; quod damnatum est *in 3. propos.* sed omnis error in fide, ex Diabolo est.

49. ANTIM. Ad 35. fundamentum accedit *à num.* 314. *ad* 319. ductum ex 7. absurdo, quod scilicet hæc doctrina sine scandalo ad praxim reduci non possit, verbi gratia, fas erit marito, modò adhærere uxori, modò illam dimittere; vel unam ex nostris citare debuerat; Thomas Sanchez, quem omnes alii in hoc sequuntur, *lib. 2. de matrimon* quæstiones ferè omnes, quæ ad probabile, vel dubium matrimonium pertinent *à disp. 41. ad finem*, usque libri matutè, solidè ac eruditè, suo more, discutit; sed nihil tale definit; immò *disp. 45. num. 13.* disertè asserit, juxta Manuelem, ut absque Judicis auctoritate, priori matrimonio spreto, ad secundas nuptias non convoletur, in eo etiam casu, in quo conjugum alter ficti consensus certus sit; item *disputat. 44. num. 2.* si alter conjugum probabiliter teneat, matrimonium esse invalidum, eum non posse petere docet, licèt reddere debeat, nisi alter idem probabiliter teneat; si tamen etiam probabiliter judicet, validum esse matrimonium, potest petere ac reddere, ut docet *num. 4.* non tamen docet, propria alterius auctoritate, matrimonium dissolvi posse, vel eum ad alias nuptias convolare; idem tenent omnes alii ex nostris; cur enim nobis imponit; quasi verò ea, quæ docet Sanchez, non sint consentanea *c. inquisitioni, de sentent. excommun.* nimirum alterum conjugem, qui certus est impedimenti, non posse petere, nec reddere; qui verò id tantùm credit ratione probabili fretus, posse reddere, non petere; *c. verò litteras de restitut spol.* tres opiniones approbat, quas fortè Illustrissimus in nostris reprehenderet Theologis, si eas citra juris auctoritatem docuissent; uti & ea, quæ habent jura de triennali cohabitatione frigidorum & maleficiatorum. Quod de Advocato opponit jam suprà solutum est; in hoc Canonicis potius timendum, quàm Theologis; ulcus ultrà non premo; certum est, Advocatum simul utriusque partis causam defendere non posse; at in causa simili & stantibus juribus æqualibus, non video, cur, modò unam, modò aliam partem tueri non possit, modò scilicet scandalum abiit: de Judice jam suprà dictum est; excepto scilicet scandalo, unde nihil timendum, cum ad praxim reduci posse negemus, si scandalum adsit. Quod denique subnectit de bello, suprà dilutum est; negant enim nostri omnes, bellum à Rege inferri posse, nisi vel jus certum ad rem illam quam bello repetit, habeat, aut saltem probabilius; non possunt autem consiliari licitè bellum illud consulere, quod ipse illicitè tantùm susciperet: ubi sunt igitur sexcenta illa, quæ ut Illustrissimus ait, nemo sani capitis inficiabitur, absurda esse & scandalosa? nullum sanè hujusmodi est, in usu opinionis verè ac certò probabilis, ut constat ex dictis; quin absurdum & scandalosum est, duos aut tres auctores, nullius huc usque nominis, per meram factionem, vel illusionem eò venisse audaciæ, ut doctissimos alios & piissimos, eosque ferè innumeros, quorum nomina in scholis, pulpitis, templis & libris toties celebrantur, impiè damnare, usum præsentis Ecclesiæ notare, communem sententiam, quam tot Pontifices, Cardinales, Episcopi, & gravissimi Doctores tradiderunt congere, ac proinde totam ferè Ecclesiam perturbare non dubitent; nisi hæc scandalosa sint, quid profectò scandalosum sit, non video; cum præsertim illorum aliqui sanctissimo Pontifici Alexandro VII. & S. Congregationi suam illam sententiam affingere non vereantur; sed falsum esse, contendo; nullum enim decretum editum fuit, in quo hæc propositio damnata fuerit, *licet sequi opinionem verè ac certò, minus sit probabilem.*

50. PITHANOP. *num.* 319. petit trigesimum sextum fundamentum ex octavo absurdo; quod scilicet hæc doctrina lædat in dies libertatem & immunitatem Ecclesiasticam; quia Theologi zelatores laicalis jurisdictionis, prurientes auribus, quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, & parum curantes, quid S. Scriptura, Sancti Canones & probata Concilia ea de re statuant, ea suggerunt Principibus sæcularibus consilia, freti scilicet aliqua opinione probabili, quæ nunquam deest, quæ libertati & immunitati Ecclesiæ penitùs adversantur; unde concludit, hanc doctrinam probabilitatem à Deo non esse; vel unum ex Theologis vestris appellare debuerat, ad faciendam accusationis suæ fidem; notorium est, quot & quantas ubique ferè gentium vestri persequutiones passi fuerint, vel hoc dumtaxat nomine, quod ad dignitatem & libertatem Ecclesiæ tuendam propensiores esse credantur; ab exemplis abstineo; Quid Suarez, quid Bellarminus, quid alii, pro hac causa in suis libris passi fuerint, satis perspectum est; sed cùm neminem appellet, nemimem defendo sectarium, dico tamen, nihil scriptum fuisse in hoc genere à vestris Theologis, quod dignitatem & auctoritatem Ecclesiæ infirmet, aut lædat; non quidem ut nonnulli ex Canonistis, qui per intolerabilem adulationem, Papam Deum esse in terris dixerunt, eumque omnia posse, etiam mutata quadrata rotundis; immò Illustrissimus omnem creaturam illi esse subjectam, ac præsertim infideles, eosque præceptis canonicis & Ecclesiasticis adstrictos esse diserè docuit; nescio utrùm Angelos excipiat, qui tamen in hoc subjecto universali,

omnia

omnia natura continentur; non dubitavit etiam Illustrissimus asserere, Principes à Papa deponi & eorum subditos à jurata fidelitate eximi posse, propter peccatum Ecclesiasticum, propter quamlibet injustitiam, non etiam, si justè à Papa bellum infidelibus inferatur; vestri sanè Theologi nunquam tam impie docuerunt; vestri sanè Theologi nunquam tam impie docuerunt; vestri sanè Theologi nunquam tam impie docuerunt etiam Canonistæ, seu legistæ, Independentes à Principibus contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam plus æquo faverint; quid Villadiego, Babatilla, Zippæus, Hævia, Carolus Molinæus, Abbas, Salgado, Carolus de Grassalis, Borrelteli, Pereira, Cevallos, Azevedus, Cenedo, Humada, Gutierrez, Jacobus de Graff & multi alii, quibus ultro addi posse fateor, Joannem Sanctum, auctorē nostrum, qui multa contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam suis quæstionibus inserunt, item Gambicinum multum in hoc excessisse, ac proinde à relinquisse rebatum & jure confixum, aliique de hoc argumento scripserint, omitto dicere, quia notorium est; ecclesiasticum, ut fallor, hoc fundamentum penitùs corruit, quæ ad 37. gradum faciamus, quod habet *n.* 320. & 321.

51. Antim. Nonnulla ex iis, quæ attulisti omittere debuerus, ne fortè quispiam opponat, te recriminationem fuisse.

52. Pithanoph. Hæc pauca delibavi, retorquens argumentum in Adversarios si opus esset, & res postularet, longè plura manibus plenis profundere possem.

53. Antim. Satis est; pergamus: dictum fundamentum ex novo absurdo deducit, quia, inquit, hæc doctrina reddit homines ignavos, eosque ab omni studio contemplandæ veritatis abducit; ubi quæso intelligit, extare opiniones probabiles de aliqua controversia, & liberum sibi esse, eam sequi, quam maluerit, quod nunquam ferè desideratur; nam, ut monet etiam Mercorus, libri, qui tractant de moralimateria, & tota scientia morali, contemnuntur, hinc fit, ut hoc sæculo, pauci profundæ doctrinæ inveniantur; non miror, hæc dici ab Illustrissimo qui videre non potuit, quanta vis librorum hoc sæculo edita in lucem fuerit; sed à Mercomo æstimari, qui libros lustrare potuit, aut saltem librorum titulos recognoscere, mihi sanè mirum accidit; sed an fortè ignari fuerunt, nullius fidei, aut litteraturæ, Suarez, Vasquez, Valentia, Theophil. Raynaud. Molina, Petavius, Lessius, Sanchez, Gibalinus, Henriquez, Reginaldus, Filliucius, Castro-Palao, Bellarminus, Toletus, Lugo, Platerius, Martinon. Fagundez, Rebellus, Sayrus, Meratius, Annatus, Salmeron, Cornelius à Lapide, Maldonatus, Menochius, Justinianus, Lorinus, Tirinus, Sanctius, Pineda, Mendoza, Becanus, Comack, Raderus, Bollandus, Pontanus, Cerda, Salazar, Hurtado, Oviedo, Ariaga, Dicastillus, Wiggers, De Rhodes, aliique, quorum mediam partem Alegambe *in sua Bibliotheca*, vix recenset; nemo certè, nisi rerum imperitus, vel iniquus judex. Doctissimos illos homines pro ignaris & illiteratis habiturus est. In hunc sensum, sed absurdè Novatores & Vincentius Baro, iisdem aliisque celeberrimis auctoribus ignorantiam, aut saltem mediocrem scientiæ Laudem exprobrarunt; filii hominum rectà judicia judicate, ut ut sit, pessimè, ignorantur Adversarii, quasi probabilitas opinionum facilè statui possit, & à nobis admittatur, quidquid inepto cuipiam scriptori per imprudentiam excidit; errant toto cœlo, ad statuendam eorum & veram probabilitatem, volumus gravia rationum momenta, quæ nunquam à nobis talia reputantur, nisi partis oppositæ rationes prius ponderatæ fuerint, & certò compertum, opinionem illam non repugnare communi Doctorum sensui, vel decreto Ecclesiæ, & nullo impeti argumento, quod probabiliter solvi non possit; quantum hæc studii & diligentiæ postulent, quantum prudentiæ, peritiæ & litteraturæ, imperiti dumtaxat ignorare possunt, & vix erit inter prudentes, qui fidem habeat Illustrissimo dum dicit, paucos hoc sæculo profundæ scientiæ homines inveniri; ex ipso libenter quærerem, an Eminentissimi Cardinales Toletus, Baronius, Bellarminus, Lugo, Palavicinus, Perronius, Richelius, hoc etiam sæculo non vixerint? præter alios multos, qui hodienum vivunt & florent, quos tamen doctissimos esse, nemo, vel mediocriter doctus negarit; immò ipsemet Illustrissimus est hujus sæculi auctor, quo tamen nullum SS. canonum & juris Pontificii peritiorem unquam extitisse, Vincentius Baro jurare non dubitat, ut supra diximus; sed ferè pudet, hæc refutare.

54. Pithanoph. 38. fundamentum *à num.* 322. *ad num.* 340. prosequitur, ductum scilicet ex 2. absurdo, quod est de relaxatione conscientiæ, quæ ex doctrina probabilitatum sequuta est; nam ex ea & frangitur nervus disciplinæ, & Jejunii lex relaxatur, & occasiones peccandi proximæ retinentur, & horæ canonicæ absque attentione recitantur, & regulares reformari nolunt, nec vota implentur, nec usuræ restituuntur, nec damna illata refarciuntur, & Theologi, relicta probabiliore, quam tenent, respondent secundùm minùs probabilem, & confessarius ad opinionem Pœnitentis adstringitur, & varii doctores consuluntur, dum quis intentum obtineat, & lata via initur, quæ ducit ad mortem; invehitur denique in miseros probabilistas tanquam in magistros auribus prurientes ab Apostolo descriptos; immò confessarius sequi non potest opinionem minùs probabilem, quando illa est strictior, secus verò, quando laxior est, pro quo citat Vasquez, Sanchez, Salas, & pro horis canonicis Coninck, Layman, Henriquez; est sanè, quod mirentur omnes, tantam morum laxitatem & corruptelam huic sæculo, Ecclesiasticis præsertim hominibus exprobrari; hic maximè communis fuit Hæreticorum locus, & tritus perditos scilicet Ecclesiæ, & Catholicorum mores, perstringere, necnon exaggerare quamplurimum; si hæc Samoiedis, aut Lapponibus narrarentur, aliquam utique fidem sperare valerent; sed hæc dici, scribi, spargi, in media Roma, id est, in ipso Religionis meditullio, non miror modò, sed obstupeo; quis enim nescit, seu potiùs quis non videt & palpat, quanta in moribus à Concilio Tridentino mutatio facta fuerit, quanta sit ab eo tempore, id est, hoc ultimo sæculo morum restauratio, in clero, regularibus, immò & laicis hominibus, quàm nitidus sit templorum & totius rei sacræ cultus, quàm frequens Sacramentorum, exercitiorum spiritualium, orationis mentalis, & castigatioris vitæ usus, unde mutatam fuisse ab eo, exteriorem saltem totius Ecclesiæ faciem celeberrimus Historiæ Trident. scriptor ultrò fatetur; quàm multi religiosi Ordines ad pristinum immò & majorem vitæ rigorem inde reducti, monachorum scilicet, canonicorum regularium, & mendicantium, ac potissimum monialium; in Gallia, Cluniacenses & ii, qui Congrega-

tionem sancti Mauri componunt, præter alias duas Lotharingiæ scilicet & Burgundiæ; integra congregatio Fullienſium, ut vocant, alia item Ciſtercienſium, quantum ſplendorem Ordini monaſtico concilient, omnes mirari & prædicare non ceſſant; Canonici Regulares in hac reformationis laude ſuas partes deſiderari non patiuntur, quot enim & quantæ Abbatiæ ſub uno eodemque Generali Abbate primævum religioſæ obſervantiæ vigorem & florem receperunt; quod ad Mendicantes ſpectat; ſacer Prædicatorum quantus, quantus eſt Ordo, nunquam ut puto, reformatione indiguit; abſit ut hoc dicam, non deſunt tamen in Gallia multi conventus ſtrictioris diſciplinæ, hoc ultimo ſæculo feliciter inductæ; in Ordine Seraphico multæ ubique paſſim reformationes inſtitutæ fuerunt, Recollectorum, Pœnitentium, ſeu Tertii Ordinis, & multorum aliorum, Carmelitarum Ordo præter reformationem ſingularem Provinciæ Turoniæ & Longobardiæ, integrum, eumque ut vaſtiſſimum, ita florentiſſimum Diſcalceatorum, ut vocant, in rarum reformationis exemplum orbi Chriſtiano peperit. Eremitæ Auguſtiniani, ſuo quoque munere probè defuncti ſunt in hoc reformationis negotio; nam præter Provinciam S. Guillel. ſeu Congregation. Bituricenſ. alias etiam duas Diſcalceatorum Congregationes, alteram in Gallia, alteram in Italia, non ſine incredibili propagatione fœliciter tulit; omitto Camaldulenſes, Trinitarios, vel eos, quos redemptionis Captivorum vocant, itemque Hoſpitalarios S. Antonii Viennenſis, & multos alios, in quibus rara reformationis exempla videmus: adde novos aliquot Ordines piè inſtitutos, qui primum inſtituti ſui vigorem huc uſque retinuerunt. De Monialibus nihil eſt, quod dicam, cùm res ipſa per ſe loquatur; nam præter novos aliquot Ordines Monialium ſanctè inſtitutos poſt Concilium Tridentinum, quantum antiqui hoc ſæculo reſtaurati fuerint, & ad meliorem formam reducti, nemo non videt, & res notoria eſt; deplorat tamen Illuſtriſſimus hujus ſæculi turpitudinem, & laxiorem religioſæ vitæ rationem; & de Regularibus, ut de perditis & ſceleratis hominibus ſcribit & loquitur; multa legi ſuper hoc, in tua decade, quæ facilè opponi, ſeu reponi poſſent; ſed porro, unum tantùm indico; quod quæris, utrùm ſit opinio verè probabilis, ut privatus quiſpiam turbet libertatem electionum, officia & dignitates Ordinis, nonnullorum ambitioni, per Brevia conferri procuret, ſubditos diſcolos ſuperiorum obedientiæ ſubducat, eoſque perſequatur acerrimè, qui non ita prompti abſolutis hujuſmodi imperiis obſequuntur; hæc & alia fusè ibidem.

55. Antim. Omitte quæſo; cuncta hæc vitio tantùm verto iis Regularibus, qui, ut ſuæ ambitioni, aliiſque cupiditatibus ſerviant, hujuſmodi patrociniis utuntur, iiſque artibus, quas dicere non vacat, cùm ſatis pateant; hoc ſaltem ſummæ pœnæ loco, iis eſſe putarim; quamquam vix eam ſentire videntur, quòd noti ſint; res enim latere non poteſt, & eos optimi quique abhorreant, & abominentur; ſed ad rem venio, & primo quidem loco, quod ad jejunium ſpectat, aliam regulam ſequi non poſſumus, niſi quam præſentis Eccleſiæ uſus nobis ſtatuit; ab uſu enim publico & approbato, quem ſcilicet ii ſequuntur, quorum eſt, legum Eccleſiaſticarum indemnitati conſulere, aliique viri probi ac timentes Deum; ex quo manifeſtè conſequitur, mentem Eccleſiæ non eſſe, ad alium jejunii modum adſtringere. Longè major fuit, ſat ſcio, Eccleſiaſtici jejunii rigor: ſed quid tum? ex eodem fonte, ex quo ſummus ille rigor profluxerat, mitior deinde indulgentia profluxit; nimirum ab auctoritate Eccleſiæ; quamquam varius etiam fuit antiquis temporibus, quo ad jejunii formam & modum, in variis provinciis uſus; uti etiam hodienum diverſus eſt; nempe in diviſione Pontificia iis diebus, quibus jejunium indictum eſt, extra Quadrageſimam, à lacticiniis ſe ovis abſtinetur; ſecus alibi, etiam intra fines Italiæ; diverſus in Germania uſus eſt ab eo, quem paulò ſeveriores in Gallia obſervamus, huic autem uſui ſtandum eſſe, nemo prudens negaverit; quid porrò à noſtris in hac parte relaxatum fuerit, revera non video; unus Fagundez, cæteris omnibus refragantibus, ſuſtinuit, lacticiniorum uſum nulla lege canonibus, ſed ex ſola conſuetudine petita, vetitum eſſe; ſed nihil hæc ad relaxationem jejunii; cæterùm neſcio, an Canoniſtæ auſteriores ſint in hoc genere, quàm Theologi; cœnulam ſerotinam fruſtulo panis trium unciarum & paucis nucibus vel amygdalis, quæ vix unciam adæquant, abſolvimus; neſcio an ii, qui nobis relaxatas jejuniorum leges exprobrare non ceſſant, tam paucis contenti futuri ſint; lepida hiſtoriola, quæ huc appoſitè quadrat, mihi venit in mentem. Eminent. Cardinalis de Lugo, ipſo die, quo ſolemni ritu Pontifex, initio Quadrageſimæ, facies Cineres Cardinalium cervicibus aſpergit, paulò maturiùs in capellam, ut vocant, Palatii Quirinalis ad eum finem contulerat ſeſe, & dum ſimul cum aliis Eminent. Patribus, donec accederet Pontifex, colloqueretur, unus ex iis, ejuſdem cum eo nationis, cujus tamen nomini parco, de Theologis noſtris graviter expoſtulare cœpit, eò quòd ſuis opinionibus, ſacras jejuniorum leges adeò relaxaſſent, & relaxarent indies; Eminent. de Lugo, ut comis & facetus erat, in hunc modum doctiſſimum aggreſſorem, quem ſummum Canoniſtam eſſe, ferebant, refutandum eſſe, duxit; videamus, uter noſtrum, ſanctius jejunium ſervet, inde quippe opinor, conſtabit, quinam in hac parte laxiores ſint, nimirum Theologi, an Canoniſtæ; tum cœpit breviter ea recenſere, quæ ſibi in cœnula, per jejunium apponebantur, quæ vix quinque aridioris cibi uncias æquabant; hîc ſubriſit & tantulum erubuit adverſarius, & ſubriſere omnes, qui ſciebant, illum prandere ac cœnare longè liberaliùs.

56. Pithanoph. Apodoſis facilis eſt; quare illam omitto, ut repellam calumniam, quam veſtris affingit *num.* 325. Coninch ſcilicet, Layman & Henriquez, quaſi abſolutè doceant, impleri præceptum audiendi Miſſam, & recitandi horas Canonicas, abſque ulla interna devotione, & cum diſtractione voluntaria; ab hoc ultimo incipio, qui *lib. 9. cap. 25. num. 5. lit. O*, diſertè docet, ab eo non impleri præceptum, qui ſponte diſtrahitur, audiendo vana, vel aſpiciendo fœminas, aut ludos, vel ſcribens, aut pingens aut excludens omnem attentionem, etiam eam, quæ eſt ad ſola verba: hæc eadem recenſentur *in cap. dolentes de celebrat. Miſſ.* ratò tamen inquit, beneficiarius cogendus eſt reſtituere fructus, ex eo, quòd ſine attentione recitarit; quia, inquit, *in gloſſ. litera t*, graves auctores negant, ſola mentis evagatione frangi humanum præceptum Eccleſiæ, quæ *in dict. cap. dolentes*, tantùm jubet, ut externa corporis modeſtia & religione oret attentè; *Clementin. 1. de celebrat. Miſſ.* citatque in hanc rem Cajetanum, Sylveſtr. Medinam, Angelum, Piſanum, Roſellam, Tabien, Aſtenſ. Antonin. Gabrielem, Durand. Palu-

dan.

dan. quehictandem fatetur, hanc opinionem esse probabilem; quod si alii magni nominis auctores addantur, ut Delugo *de sacram. Euchar. disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 17. ubi citat Joann. Valer. Coninck. Gasp. Hurtad. Less. Victorell. *in summ.* Tolet. Layman, cuiquè Turrianum & Fagundez, eo quòd sententiam istam improbabilem esse, dixerint; hunc verò, qui cum noviores appellasset hujus opinionis defensores nimirum Paludan. Durand. Gabriel. Antonin. &c. hæc lepidè addit, si noviores, inquit, hi appellantur, non scio, qui venirent nomine antiquiorum, nisi forte Plato, Pythagoras, Zeno, &c. illum verò, quia jam monui, inquit, hunc auctorem in hujusmodi censuris excedere, imò, ut rectè monet Eminen. *n.* 37. ipse Suarez *lib.* 4. *de hor. canon. cap.* 26: *n.* 23. dixit ex *cap. dolentes*, non posse desumi efficax argumentum, contra istam opinionem; quia potest probabiliter explicari de devotione & attentione externa: adde alios à Diana citatos, tum *p.* 7. *tract.* 9. *res.* 3. nimirum Cassens, Bassæum, Valerium, Comitol. Tiberium, Joseph. de August. adde Leandr. *de Sacramento. q.* 3. *tract.* 2. *quæst.* 66. qui hanc quoque probabilem reputat, licèt oppositam probabiliorem; Dicastil. *tract.* 5. *de Sacram. disp.* 5. *dub.* 8: *num.* 95. & 10. ubi citat D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *a.* 9. Hurtad. *de Sacr. Miss. disp.* 5. *diff.* 2. eundem Leand. *p.* 2. *tract.* 6. *disp.* 13. *quæst.* 13. ubi præter jam appellatos citat Hostiens. Umbert. Archidiacon. Machado, Joann. Medin. item *p.* 6. *tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 2. *&c.* quod autem sola attentio ad verba sufficiat idem Leand. docet *quæst.* 11. ubi præter nominatos, citat Greg. Bonacin. Filliuc. Suar. Tolet. Castr. Pal. Trullenc; nemo igitur hanc sententiam improbabilem jure dixerit, pro qua stant tam multi auctores, quibus merè talis censor conferri, seu comparari non possit, ne dum anteferri; accedunt rationes potentissimæ, quas Lugo congessit; quæ ab Adversariis solo potius debuissent, idque revera longè satius fuisset, quam opinionem istam à multis, iisque gravissimis auctoribus traditam, tot fultam rationibus, improbabilem traducere; dicere poterant cum veritate, esse minùs probabilem, quod utique tolerandum fuisset; quamquam Doctor Angelicus à Joh. Coninch. & Dicastillo, citatus ab hoc quidem *loco* ab illo verò *de Sacram. quæst.* 83. *art.* 6. *dubio*, diserte docet, ad illum actum internum Eucharistiam minimè obligare, cum scilicet punire neque omittentem. Quod demum Illustrissimus asserit, se latissimè ostensum in *cap. dolentes*, opinionem istam esse improbabilem; illius pace dixerim, ostensum non fuit, ibi enim semper petit principium, nimirum per quamlibet distractionem internam deesse substantiam orationis, quod falsissimum esse, ostendit Lugo citatus, immò ne unam quidem ex iis rationibus Illustrissimus diluit, quas Doctissimus juxta atque jubilissimus Cardinalis proposuerat, & ante illum Coninch. citatus.

57. Antim. Unum *ibid. num.* ni fallor 41. Eminentissimus prudenter observat, quod jam ante observarat V. Ægid. Coninch, nimirum esse fortè quæstionem de nomine; nam revera fieri non potest, ut in omnes linguæ scilicet, otis, &c. adeò compositi, recitandi horarum famulantes exerantur sine actu internæ voluntatis, non tantùm initio eliciti, sed deinceps, ut sic loquar continuati, quamvis confusè & quasi sensim, sine sensu; quemadmodum ille, qui cygneam exarte pultat, licèt incogitans pulsare videatur, cogitat tamen & pulsat ex arte, id est, cum recitatione, licèt absque actu reflexo, ut vocant; ita prorsus qui canit, aut recitat horas cononicas; nullus autem, opinor, ad hujusmodi actus reflexos illum obliget, qua enim lege, quo jure? nec obstat aliò enim Phantasiam deflectere, quod revera si spontè fiat, non negarim, peccatum esse, quod tamen non facit, modò eadem attentio, vel idem actus internus perseveret, quo dicta recitatio imperatur, dirigitur, componitur, eaque omnia adsint, quæ ad devotionem, attentionem, religionem externam ab Ecclesia desiderantur: Unde si distractio sit talis, ut & exteriora illa decora obscuret, vel actionem illam interiorem, ex qua sequitur exterior recitationis motus, interturbet, nemo neget, quin novam recitandi horas obligationem inducat; si tamen talis non sit, ut neutrum impediat, nemo non dicat, opinionem illam esse probabilem, qua per hunc recitandi modum, huic præcepto satisfieri adstruitur; ut ut sit, auctores nostri melioris notæ Suar. Vasquez, Sanchez, Lessius, Valent. Salas, Sà, citati à Leandro. *dict. tract.* 6. *disp.* 13. *q.* 13. oppositam sententiam tenent.

58. Pithanoph. Excandescit demùm & invehitur in Theologos, qui docent, non posse confessarium uti ergà pœnitentem invitum opinione minùs probabili, quando hæc strictior est; id est, quando imponit aliquam obligationem, puta restituendi, secùs verò, quando non imponit; imò quod hactenus, inquit, auditum non fuit, teneri confessarium interroganti Pœnitenti declarare, quod sit opinio, verè quidem, licèt minùs probabilis, & minùs tuta materialiter; ac denique tutum esse illum, qui varios consulit, ut sciat, an hoc, vel illud probabile sit: & hæc à *num.* 327. *ad num.* 330. Illustriss. prosequitur, ubi concludit, in Theologos hujus temporis illud Pauli rectè quadrare 2. *ad Timoth.* 4. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, &c.* sed hæc frustrà & in cassum quod enim confessarius obligationem restituendi licitè imponere non possit pœnitenti, quando est minùs probabile debitum, non jam opinio probabilior est, sed omninò certa sententia; unde mirari cesset Illustriss. quod Theologi doceant, confessarium contra certam sententiam ire non posse; certum est etiam, stante utraque parte, æquè probabili; quo enim jure, me coget ad solvendum confessarius? si æquè probabile sit, me non debere, alioquin jure creditor restituere teneretur acceptam pecuniam; addo ego, si non certum, saltem longè probabilius esse, non posse confessarium cogere pœnitentem ad restituendum, quamdiu verè ac certò probabile est, licèt minùs probabile, illum non debere; quia nullus re quam possidet & probabiliter, seu prudenter existimat, suam esse, citrà pœnam spoliandus est; nec enim ut tua regula utar, certam solutionem incerta obligatio postulat. Accedit, quod fieri potest, ut non debeat, quandoquidem verè probabile est, non debere; demus, quod re ipsa non debeat, injustè igitur Confessarius pœnitentem spoliat re sua; sed demus, quod revera debeat, non propterea Confessarius, licèt non imponat obligationem restituendi, injustè agit in creditorem; nec enim re sua illum spoliat, quia illam creditor non possidet, nec etiam suo jure, quod integrum intactumque relinquit, ut eo fretus, in judicio, contra debitorem agere valeat; nullam igitur injustitiam in eum admittit; unde manifesta disparitas patet: quod autem pœnitens jure suo opinione verè ac certò probabili uti possit, nec eum Confessarius impedire jure queat; & quod idem etiam bona fide varios Doctores, consulere valeat, pro veritate, jam

suprà statutum est, imò & demonstratum, vel certum omninò, vel saltem probabilius esse.

59. ANTIM. Cuncta hæc, uti & ea, quæ sequuntur, Illustrissimo ab illis nostris, per emissarios suos, quos habent in urbe, suggesta fuisse, mihi facilè persuadeo; nec est, quod mireris, illos adeò solicitos esse, in procurandis hujusmodi restitutionibus, opera dumtaxat & manu sua faciendis, sic enim grandes pecuniæ summas à Pœnitentibus extorquent, aut saltem ab iis, qui eorum curæ crediderunt se se, quibus tandem usibus, Deus scit, nec multi etiam ignorant: extat etiamnum recens memoria pretiosi scrinii, non auro, sed gemmis gravis, quæ multa centena auri millia facilè adæquabant: cæterùm dictum locum Pauli, *coacervabunt, sibi Magistros prurientes auribus*, in hæreticos quadrare, omnes ad unum interpretes docent; ego verò in eos præsertim ac singulari nomine quadrare putarem, qui eloquentiæ, seu potiùs verbositatis suæ lenocinio incautos & imperitos homines aurium pruritu laborantes, in errorem facilè inducunt: unde Hieron. *in Ezechiel. c. 33. v. 32.* eos ad nativi oris speciem expressit, qui scripta illorum laudare & prædicare non cessant: *tales sunt*, inquit, *hodie multi in Ecclesia, qui aiunt, venite audiamus illum & illum, mira eloquentia prædicationis suæ verba volventem*, adde *scriptionis, plausuque commovent & vociferantur & jactant manus.* Idem Chrysost. hom. 38. ad popul. Sed jam ad alia properemus *ànum* 330. *ad num.* 335. Fundamentum 39. statuit petitum ex 11. absurdo, nimirum ex effrænata multitudine opinionum probabilium, nulla ferè est, inquit, veritas moralis, quæ ratione aliqua plausibili, seu probabili oppugnari non possit, & nullus est articulus in moralibus, in quo non sit contrarietas opinionum, nimirum probabilium; unus Diana suprà ter mille quæstiones habet, cum partibus utrimque probabilibus; unde omnis regula morum evertitur; imò ipsa probabilitas non tantùm ex rationibus, sed ex auctoritate auctoris pii & docti ducitur, ut Valentia, Sanchez, Sà, Filliucius, & alii docent; quod tamen de glossarum opinionibus vix dici posset; undè jam sequi liceret omnes opiniones erroneas, quia nulla est, quæ auctoritate alicujus auctoris non nitatur; imò Thom. Sanchez *lib. 1. cap. 9. num. 9.* confidenter affirmat, magis deferendum esse tali, vel tali Theologo ex Neotericis, quàm antiquis, quorum opiniones possunt esse antiquatæ; addit, hanc doctrinam probabilitatum maximè indigere dextera Dei, & Romani Pontificis provisione: cum etiam modernus auctor, id est Illustrissimus Caramuel, dicere non erubuerit per opinionem probabilem fieri, ut modò peccatum non sit, quod ante peccatum erat; unde illam esse concludit super legem Dei & naturæ; usum denique probabilitatum commentum Diaboli vocat ex Merenda, & remittit nos ad Epist. Archiepiscopi Meclinienſis *infrà* referendam, item ad Epist. Fr. Vincentii Baronis, in qua scribit, tædere Alexand. VII. tot novarum opinionum, hoc sæculo in Theologiam moralem inductarum, ac proinde à tuta Doctoris Angelici doctrina, ejus præcepto, vel consilio, remedium parandum: hæc summa eorum est, quæ in hoc fundamentum congessit.

60. PITHANOP. Affinxit optimo Patri Thomæ Sanchez suo more, nec enim absolutè & confidenter affirmat, ut ait, magis deferendum esse cuilibet neoterico, quam antiquis; sed 1. ut opinio censeatur probabilis oportere, ut communiter reputetur, non continere errorem, 2. fieri posse, ut ex antiquis aliquis non attenderit legem aliquam, vel decretum, contra illius opinionem stare; quo fiat, ut neoterici dissentiant, & illa opinio probabilis minimè censenda sit, nimirum in praxi, secùs tamen, si objectionem à tali decreto, vel lege petitam neoterici facilè dissolvant; pro quo, citat Vasq. & Sayr. censet denique, insuper attendendum, ne pars opposita ita in praxi recepta sit, ut recentiores Theologi eam certam esse pronuncient; hæc ibi Sanchez, & nihil aliud; ex quo certè manifesta patet calumnia. Quod ad Mecliniensem attinet, justam profectò exceptionem patitur; is fuit in Belgio oppositarum partium Coriphæus, aut saltem singularis Patronus, à quibus censuris Ecclesiasticis, vix abstrahi potuit, quamquam mandatis Apostolicis, saltem ad speciem, tandem paruit; affixam valvis Basilicæ Principis Apostolorum schedulam legimus, in qua ejus nomen ea de causa nigro theta notabatur; quo ad hoc igitur, illius auctoritas contra vestros auctores nullius momenti censenda est; suos in hoc etiam imitari studuit, qui ut censuram errorum suorum in Theologia scholastica eluderent, dissertationis impetum & vim ad moralem traduxerunt, consilio certè non pœnitendo; sed finem expectemus; nec enim pessimas hujusmodi hominum artes dudum Ecclesia tolerabit: De Vincent. Baron. nihil est, quod dicam; cujus & quantæ fidei reputandus sit, insignis ille tot mendaciorum & calumniarum Architectus per se satis superque notum est; nunquam auctores vestros Alexander appellavit, nimiam quorundam licentiam improbare visus est quinam porrò illi sint, Baro ipse viderit, iisque Patribus, qui ad pedum oscula admissi fuerant, auctor fuit, ut doctrinam morum juxtà mentem S. Aquinatis Præceptoris sui traderent atque docerent; hoc ipsum vestri flagitare & clamare non cessant; nempe ut toties inculcatum est, *quisquis ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur*, nimirum conscientiæ, *non committit se discrimini, nec peccat*, ut disertè S. Thom. *quodlib. 8. art. 13.* nihil aliud dicimus, aut volumus, sed de hoc jam suprà: Dianam etiam Illustrissimus immeritò sugillat; ratò hic auctor minùs probabilem amplectitur, sed aliquoties duntaxat; cur ergò improbabilium opinionum plaustra optimo seni adeò severè imponit? nulla ferè summa est, etiam ex antiquis, ut Fumi, & Sylvestri quæ longè plures quæstiones non contineat; cur ergò illi probro vertitur, quasi novatori, quod antiquis, non mediocri laudi fuit. Non defuere, qui dixerint, Illustrissimum Caramuelem, Episcopum, scilicet Ecclesiæ Principem ab Illustrissimo Prælato inferioris certè ordinis non parùm urbanè modò, verùm etiam irreverenter & inverecundè, habitum & exceptum fuisse, in re præsertim trita & obvia; quis enim nescit, ex antiquioribus, aliquos existimasse, per errorem, aliquid neri non posse, absque lethali noxa, puta sacrum facere ante matutinum recitatum; ac proinde re ipsa peccasse illud faciendo; in quo tamen cum nullam mortalem culpam recentiores agnoscant, & si id faciant, nullum peccatum mortale committunt; non erat igitur, quod innocentissimum Reverend. Caramuelis dictum, quasi blasphemum & impium adeò vehementer exagitaret.

61. ANTIM. Sed quæso te, hæc levia omitte, ut errores, quos plena & liberali manu hîc sparsit, colligamus in manipulos; nam primo loco erroneum dictu est, nullam ferè esse veritatem moralem, quæ plausibili, seu probabili aliqua ratione non oppugnetur, cum multæ sint veritates morales certæ, nimirum

mum vel ex principiis evidentibus naturalibus, vel ex principiis fidei certa consequutione deductæ; at contrariati nulla pars opposita probabilis opponitur quippe opponitur improbabili: secundò enuem est, quod dicit, nullum fere esse articulum in moralibus, qui ex contrariis opinionibus probabilibus non constet; multi sunt articuli certi, itque certa fide tenendi, qui nullam involuunt contrarietatem opinionum probabilium; jam sæpe monui, adversarios in hoc præsertim hallucinari, quod reverà & germanè opinionis probabilis definitionem, opinionem probabilem ab improbabili hucusque minquam distinxerint: tertiò, error est, regulam moverit per doctrinam opinionis probabilis, cum ponis mirificè statuatur; nimirum ipsa conscientia, vel judicium practicum certum, quod ex certa probabilitate consequitur, ut toties iis, surdis licèt, cecinimus. Quartò, error est, probabilitatem ab auctoritate quoque non duci, per locum extrinsecum, ut vocant, quis neget auctoritatem S. Thomæ, S. Bonaventuræ, vel utad recentiores veniam, Suaris, Valquis, Dominici Soti, Bellarmini, Lugo à sapientibus maximi fieri, & magni momenti censeri, ad faciendamiis fidem, quæ ipsi docuerunt. Addimus tamen semper quatuor limitationes: 1. est, ut rem illam serio & ex professo discusserint. 2. ut nec communis Ecclesiæ usus, nec decretum ullum adversetur. 3. ut difficultate insolubili opinio illa non laboret. 4. ut reliqui omnes Doctores non refragentur; horum sic legibus Valentia, Sanchez & alii docuerunt, auctoritatem pii, prudentis, periti & docti auctoris probabilitatem opinioni conciliare; ne quæso dubitet Illustrissimus, nec enim admittimus, quoslibet auctores tales esse, ut opinionem probabilem faciant; cum innumeræ fere pateant exceptiones, domus pro eo, quod dicit omnes glossarum opiniones inde probabiles non reputari; & cum bona illarum venia, ejus glossas & commentaria melioris conditionis esse non putamus; Baronis, Merendæ, Philalethi, aliorumque hujusmodi auctoritas nullius momenti apud nos est, ad conciliandam opinionibus probabilitatem; nec etiam omnes Caramuel, Dianæ, Filliutii, Joannis Sancii, atque adeo ipsius Escobar, aut Gambacuritæ opiniones, pro certò ac veris probabilibus agnoscimus; cur ergo Suaris; inquies, facilis quæstio, facilem solutionem habet; cur D. Thomæ, aut Bonavent. non Pulli, non Arborei, non Kami Scriptores sunt in Ecclesia, ut Stellæ in cœlo, quarum diversa est magnitudo & diversa lux, multi sunt velut inter ignes Luna minores; hæc pauca pro responsione sint satis; ne quid fortè deum, quod nonnullis sui amantioribus displiceat. Illud porrò nullam responsionem postulat, quod Illustrissimus addit, nimirum per doctrinam nostram, opinionem probabilem, statui à nobis supra legem Dei & naturæ, quod certè ridiculum dictu est; licet enim per opinionem verè probabilem habeamus, aliquid non esse contra legem Dei, non tamen propterea dicimus, illam esse supra legem Dei; quispus hoc Illustrissimo suggessit, dubio procul somniabat. Quintò demum erroneum dictu est, nullam esse opinionem erroneam, quæ auctoritatem cujus auctoris, ac proinde probabili non niti; erat toto cœlo, quisquis hoc asserit; nullus error verè probabilis est, nullus auctor, quisquis tandem ille sit, errorem probabilem facit; hæc tabilis dumtaxat dicuntur, qui opinionem veprobabilem ab improbabili, seu re ipsa probabilem, à falsò putata probabili non distingunt: quod autem commentum diaboli usum opinionis probabilis vocat ex Merenda, nihili facimus; quàm facilè reponere possem, si vellem, sed sunt mera verba vento credita: Merenda auctor damnatus parum nos movet: postremò tandem concludit, rem istam Dei dextera, & Romani Pontificis provisione indigere; fateor ultro, nec enim diu factionem, seu conspirationem illam contra Theologos, cui Calvinus, Lutherus, Petrus Molinæus initium dederunt, non modicum alii Novatores incrementum; quibus accessit aliquot Parochorum manipulus, cum Illustrissimo, Merenda & Mercoro; omitto enim Comitolum & Philalethum, quos non ut hostes refellimus, sed ut errantes corrigimus. Omitto etiam Baronem, & duos socios, qui eo dumtaxat fine scripserunt, ut Illustrissimi gratiam captarent, factionem, inquam, illam Ecclesia, utì speramus, diu non tolerabit. Sed hic congressus paulò longiùs excurrit; in tertium, reliquum operis remittamus.

62. Pithanoph. Rectè mones, præsertim cùm ad fundamentum 40. pervenerimus, in quo cùm multas opiniones falsas, temerarias & scandalosas, ut vocat, vestris auctoribus affingat, ut librorum copia suppetat, ad enucleandam calumniam; & proferenda auctorum verba, in Bibliothecam selectam secedamus, oportet; utinam in eam, quam Romæ tuus ille collega, tanta librorum vi instruxit, unde incredibilem sibi laudem comparavit, & gratissimam à posteris tanti beneficii commendationem.

63. Antim. Facilè tibi morem geram, te quàm primùm expecto; interim plurimùm vale, mi Pithanophile.

64. Pithanoph. Tu quoque vale, mi Antime; ne dubites, intra paucos dies adero.

DIALOGUS X.

De Opinione Probabili.

In quo reliqua ejusdem opusculi expenduntur.

1. Antim. EN tibi amplissimum nostræ dissertationis præludium; congessi enim libros & codices, dum venires, signavi loca & numeros, ut tempori deinde ac tædio lustrandi paginas parceremus. 40. igitur fundamentum, *à num.* 335. *ad num.* 337. prosequitur, & multas opiniones, ut falsas, temerarias, & scandalosas nostris auctoribus affingit, quarum hæc prima est, *ut leges etiam Pontificiæ obligent, requiritur consensus & acceptatio populi, qui propterea non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 1. Nihil horum Azor, sed tantùm hoc, *communis est canonici & civilis juris interpretum opinio, legem usu non receptam vi carere*; neque hoc dicit à semetipso, sed ut testantur, inquit, Abbas & Felinus, *in cap.* 1. *de treug. & pace*, quibus addit Gratian. Archidiacon. Dominic. Præposit. Turrecremat. Innocent. Hostiens. Joan. Andr. Calderin. Immol. Anton. Butrium, Navarrum; quæstio facti est, producit testes, multos tamen omisit, qui ante illum scripserant, nimirum Gloss. *cap.* 1. *de treug. & pace, v. frangere.* Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *à n.* 6. Major. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 4. Driedo *lib.* 1. *de libert.*

Christ cap 9. docum.10. Armil. *v. Lex, num.11.* Angel. *num 4.* Henricum, *tract. de Synod. potest. 3. part. art. 2. num 62.* quibus addi possunt Bonacin. *disp. 1. quæst. 1.* Salas, *de leg disp. 13. sect. 1. & 5.* Reginald. *lib. 13. num. 160.* & alii apud Dianam, *part. 1. tract. 10. resol. 10.* ut Tannerus, Cochier, Valentia, Filliucius, Less. Becan. Homobon. Sà, Miranda, Villalobos, Sanctarel. Suarez, licèt contrarium sentiat, fatetur tamen esse communem Juristarum, *l. 3. de leg. c. 19. num. 1.* ubi præter aliquos ex appellatis *suprà*, citat Jason. Sylvestr. Gerson, item *lib. 4. cap. 16. num. 1.* citat Panormitan. Decium, &c. item Carbonem, Cusanum, & alios citatos à Tannero, *tom. 1 disp. 5. quæst. 5. dub. 4. num. 122.* quod tamen non facit, quin doceant prædicti Auctores, præter paucos, nimirum Gersonem, Majorem, Almainum & Cusanum, posse absolutè à summo Pontifice ferri leges obligantes independenter à dicto non usu, imo & re ipsa multas hoc modo latas esse, docet idem Tannerus, *n. 131.* ubi citat Medin. utrumque, Angel. Sylvestr. Navarr. Carbon. Vasq. Panor. Felin. Azor. Archid. Dominic. Joan. Turrec. Hug. Zabarel. Joan. Andr. Calderin. Imol. Butr. Lup. Brugens. &c. Præterea plerique omnes docent, non usum illum, sed desuetudinem, per decennium continuari debere, ut lex vigore suo careat; addunt, Principem interea pœnas à delinquentibus exigere posse, per totum illud decennium, ac demum de legibus merè humanis rem hanc intelligunt; ultrò enim fatentur constitutiones in doctrina fidei & morum, item in re Sacramentorum, qua, vel irrita, vel valida reddantur, imò & in præcipuo aliquo ritu sacro, ut Paschatis, qui ab Apostolis emanarit; fatentur, inquam, hujusmodi leges suam vim semper habere, nullo non usu, nulla desuetudine obstante.

2. Pithanoph. Quid in his temerarium, aut scandalosum Illustrissimus videat, divinare non possum; præsertim cùm dicti auctores non negent, Pontificem ea facultate pollere, qua si velit, ita legem condere possit, ut à non usu, vel acceptatione minimè pendeat; sed id tantùm velint, præsumendum non esse, in legislatore absolutam illam & rigidam voluntatem, nisi per aliquam clausulam insertam illam exprimat, qua scilicet disertè significet, velle se, subditos lata lege adstringi, non obstante quavis desuetudine; longè melius fecisset Illustrissimus, si textus ab iis appellatos, tum civiles, tum canonicos, quibus hæc opinio satis clarè confirmatur, explicasset, & argumentum illud ex eo petitum, quòd si lex usu recepta, per consuetudinem contrariam abrogatur, potiori jure nunquam usu recepta, per longam decennii desuetudinem omnem vim amittat; satius, inquam, fuisset id solvere, quàm in censuras contumelioſas prorumpere; deinde cur ex 43. auctoribus tum antiquis, tum recentibus appellatis, supra unum Azor, qui præ cæteris modestissimè loquutus est, utpote, qui absoluta assertione usus non fuit, sed id unum duntaxat testatus est, cum Abbate, Felino, Suar. Valent. communem esse Juristarum sententiam.

3. Antim. Adde, quòd nullibi apud Azor hæc verba invenies; lege sis, en codicem apertum, *ut leges Pontificiæ obligent, requiritur consensus populi*; & multò minùs hæc, *qui propterea non peccat, etiamsi absque ulla causa, legem à Principe promulgatam non recipiat*; cur igitur hæc verba, quæ pessimè sonant, Patri Azor, Doctori celeberrimo, quem Clemens VIII. fœlic. record. tanti faciebat, non malitiosè quidem, sed per aliorum suggestionem affinxit? mera certè calumnia, mera impostura; cur inquam illa verba addidit, quorum nec Azor, nec alii auctores meminerunt, qui semper supponunt, aliquam semper honestam causam esse dictæ desuetudinis, alioquin est propositio damnata, *num. 28.* in decreto S. Inquisitionis, condito die 24. Septembr. ann. 1665.

4. Pithanoph. Basil. Poncium, & Sotum secundo loco perstringit; hi vestri non sunt, nec defensione nostra indigent; sed illicò transit ad Emanuel. Sà, *in sum. v. falsarius, num. 2.* cui hanc propositionem attribuit, *qui perdidit aliquam authenticam scripturam, potest similem aliam efficere*; hic hominis fidem: Sà enim expurgatus, apertè dicit, hoc non licere, ut vides, & attestatur Layman, *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 4. num. 3.* à quo & ipse Diana *part. 5. tract. 6. resol. 5.* accepit, uti & rationem dicti Layman, licèt enim contra justitiam falsans ille non peccet, nec teneatur quidpiam restituere, peccat tamen contra veritatis virtutem, cum Reip. pernicie; libenter tamen acciperem à Diana, quomodo fit peccatum mortale peccare contra veritatis virtutem, quando id fit absque juramento, interrogatione judica, & damno tertii; fortè diceret, illud provenire ex eo, quòd dicta falsatio sit pernicioſa Reip. sed in quo? cùm per eam nulla proximo injuria inferatur, nullum etiam præbeatur scandalum, cùm res occulta sit, imò suum cuique jus indemne servetur, unde esto sit mendacium, cùm revera ficta scriptura pro vera & germana substituatur, quia tamen substituta nihil nisi verum continet, nulli fit injuria; imò jus integrum & indemne servatur; ac proinde non ita facilè Diana diceret, unde ratio peccati mortalis in dicto mendacio derivetur; quare Layman dixisse contentus, id non licere, præscindendo à peccato mortali, & non mortali paulò moderatiùs scripsisse visus est. Ut ut sit, Sà expurgatus, quo jam dudum utimur, etiam disertè dicit, hoc non licere; immeritò igitur illi super hoc Illustrissimus litem intentat, imò in prima editione Sà vix in hoc differt abexpurgata, in hac enim sic loquitur: *Non licet amissa scripturæ de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem facere, etiam si nulli fiat injuria*; in prima verò sic: *Falsare non est, nec peccatum mortale, amissa scriptura de hæreditate, aut nobilitate, aliam similem efficere, nulli enim fit injuria*; non enim asserit, id licere: nam revera non licet, etiam si sit tantùm peccatum veniale; unde manifestam illi calumniam affingit Illustrissimus, quia nunquam dixit Sà, *potest aliam similem efficere*; præiverant Navar. *in sum. lat. cap. 17. num. 168.* & Cajetan. *in sum. v. falsarius*, qui in dicta fabricatione literarum agnoscit tantùm peccatum veniale, quando inde sequitur minimum nocumentum; igitur potiori jure, quando nullum, & nulli fit injuria, ut in nostro casu.

5. Antim. Sed jam ad aliud caput veniamus, in quo Fagundez fugillatur, eò quòd dixerit, *de præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 1. cap. 4. num. 5.* per confessionem voluntariè nullam, præcepto Ecclesiæ satisfieri; Fagundez, *dict. num. 5.* disertè asserit, illam sententiam, quæ negat satisfieri, esse veriorem & communiorem, eamque defendit, & ratione multiplici efficaciter probat, & pro ea præter Navar. Adrian. Bartholom. Medin. Sotum utrumque, citat Suarium, Comitolum, quibus addantur citati à Diana, Coninck, Filliucius, Layman, Emanuel Sà expurgatus, unde pro parte oppositа malè citatur à Fagundez, uti etiam hic ibidem pessimè pro eadem à Diana, *part 3. tract. 4. resol. 120.* adde Vasq. *quæst. 92. art. 3. dub. 5.* Lugo *disp. 15.*

disp. sect. 6. num. 136. Reginaldus, *lib. 6. num.* 53. cum Granado, Henriq. Azor, Castr. Palao quos sciuis sequitur Leander, *part. 1. tract. 5. disp. 3. q. 5.* Gisor Hurtad. *de Sacram. disp. 7. difficult.* 14. Georg. Rhodes, *disp. 2. de pœnit. quæst. 4. sect. 4. §. 3.* Arriaga, *tract. de Sacrament. Pœnit. disp. 52. sect. 3. num.* 20. Martin. Perez, *de pœnitent. disp.* 24 *sect* 13 *n.* 6. Bonacina, *in 3 part. quæst. 3. de Sacrament. Pœnitent. disp. 7. num.* 38. Meratius, *tract. de Pœnitent. disp.* 25. *sect. 1. num.* 1. Omitto alios ex nostris, qui hanc sententiam defendunt, quam etiam Fagundez, ut communem & probabiliorem defendit; cur ergò, quid oppositam doceret, ab Illustrissimo perstringere causa in promptu est: imposuit illi Diana, ut dixi, uti & quibusdam aliis, qui auctore inconsulto, Dianæ fidem habuerunt; sed inquiunt, probabilem oppositam illam esse dixit; indicavit potiùs, duobus verbulis, *num.* 4. non 5. improbabilem dicere, veritus est opinionem illam, pro qua nobilissimi & ex classicis primarii auctores stabant, nimirum Angelus, Gabriel, Paludanus, Victoria, Sylvester, Cajetanus, Ledesm. imò Dicastillo, *tract. 8. de Sacrament. Pœnitent. disp. 7. dub. 12. num.* 201. pro eadem citat S. Thom. *in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc.* 4. sed immeritò, quis ibi nihil tale habet. Modò quidem, post decretum S. Inquisitionis, datum die 24. Septembris ann. 1665. in quo hæc opinio, *num.* 14. *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, improbabilis reputanda est; illam autem ut talem auctores nostri semper reputarunt, nec pro nostra unquam agnovimus; viderint ii, à quibus eorum duxit. Transit deinde Illustrissimus ad Castro-Palao, cui hanc propositionem attribuit: *famulus, qui submissis humeris, scienter adjuvat herum ascendentem per fenestram, ad stuprandam virginem, & eidem inservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter.* Castro-Palao apud Dian. *part. 5. tract. 7. resol.* 28. num. 3. Castro-Palao ne verbum quidem facit hoc modo *stupro* aut *virgine*; nimirum *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 11. num.* 5. nec illud *scienter*, ita crudè accipit, nec illud *cooperando*, apud eum lego; nemo enim negat, quin cooperari peccato, peccatum sit; ex qua manifesta impostura patet, ex tam multis affirmo, quod ad plenam refutationem satis esset; sed omissis & reticitis, longè plenior est refutatio: Dianam vult hic auctor, opus illud esse indifferens ex natura sua, licèt Herus ex libera & mala sua voluntate, ad malum finem & peccatum eo utatur. 2. vult famulum Heri peccato nullo modo consentire, imò illud quantùm in se est, detestari, sed opus illud ad bonum finem referre, nimirum ad se indemnem servandum, ab incommodo valde gravi, quale esset mercede sua privari, expelli ab Hero, & ire cogi ad mendicitatem, idque fortè cum tota familia. 3. vult, hujusmodi opera, quamvis alioquin indifferentia ex natura sua, sed proximiora peccato ob malam Heri voluntatem, à famulo præstari non posse, solo nomine, aut titulo famulatus, qui revera satis non esset, sed requiri certum gravis damni timorem, quod immineat, nisi id obsequii præstet. 4. retinuit Illustrissimus cuncta hæc dictum auctorem, ut ipse Diana *dicto loco* testatur, à Doctore Navarro accepisse, *lib. 5. cons. in 2. edit. cons. 5. de pœnit.* qui quis ab usurario pecuniam mutuò petit, in hominavi prorsus navigat; si enim pecunia indigeat, & aliter habere non possit, quam ab usurario, nemo negat, ab isto illum accipere posse, non tamen propterea illius peccati participem fore; justa satis naturæ lex esse videtur, ut quis indifferens opus obire queat, quo alter ad peccatum ex mera malitia utitur, si absque gravi damno illud omittere non possit; hic enim nullo modo concurrit ad peccatum; quia illud quod ponit, peccatum non est ex natura sua, sed quid indifferens, nec illud ad malum finem ullatenus refert, nimirum ad peccatum Heri, quod abhorret ex animo, sed ad servandum se indemnem; demus Herum, stricto gladio in famulum involare, certam mortem intentans, nisi scalam admoveat, vel submissis illum humeris sustineat, an fortè dictus famulus mori potiùs cogendus est, quàm ferendum, ut colla & humeros Hero supponat, modo scilicet omnis pravus affectus absit, & eo dumtaxat fine supponat, ut à gravi damno imminente sese liberet. Sumus quidem in lubrica materia, fateor ultrò; unde maximo sanè beneficio sibi nos Illustrissimus obstrinxisset, si facilem aliquem ac certum modum pro summa illa, qua pollet sapientia, nobis suggessisset, quo miseri Confessarii ab hoc difficili nodo expedire sese valerent; jam à 22. annis defungor hoc munere Pœnitentiarii Apostolici in Basilica Vaticana, & & licèt vix de millibus unum compererim, in quo nihil eorum deesset, quæ Castro-Palao, aliiq; Theologi desiderant, ut dictum famulum eximant culpæ, nonnullos tamen reperi, in quibus nihil eorum deerat: nam & ministerium indifferens erat ex sua natura, licèt Herus eo malè usurus esset, & nullo erga peccatum affectu ducebantur, imò peccatum Heri abhorrebant, & gravissimum damnum, nisi parerent, imminebat, imò certa mors; quid facerem in iis angustiis; an famulus absolvendus & declarandus immunis à culpa; sed hoc temerarium & scandalosum esse, clamat Illustrissimus, an rejiciendus ac repellendus; at subjicit sese, Confessarii dictis parere paratus; an monendus ut Herum mutet, alium non invenit; an differenda absolutio, dum Herus consilium & mores mutet; sed quid si nulla spes hujus mutationis affulgeat; an obligandus, ut Herum dimittat, & vivat absque Hero; at Herus mortem minatur, præterquam quod miser famulus ad mendicitatem inde reducitur, imò & tota illius familia, uxor, liberi, & interdum aliquot puellæ nubiles satis venustæ; quot amabò pericula, corpori & animæ imminentia; vera narro, hujusmodi casus non semel mihi contigerunt: quid igitur facerem? Navarrus aliique gravissimi auctores absolvendum esse statuunt; gravissimæ rationes id persuadent, quod scilicet aliquid indifferens ex natura sua, ab eo fieri possit, ob bonum & honestum finem, quod sine damno gravi omittere non potest, quamvis alius ex propria malitia ad peccandum eo utatur; cujus rei luculentum exemplum habemus in eo, qui ab usurario pecuniam mutuò petit & accipit: unde fit verè probabile esse, dictum famulum absolvi posse; igitur tantùm probabile quod absolvi non possit; itaq; religioni ducerem, & graviter peccare timerem, si dictum famulum, non obstante probabilitate hujus sententiæ, in extremas illas angustias conjicerem, ad mendicitatem reducerem, summo periculo illius familiam exponerem, &c. hæc sanè religionem injicere deberent, non verò usus opinionis verè ac certò probabilis; hac enim prudenter certo ac tuto uti possum; illa verò sine manifesta injustitia fieri non possunt; prudentes sanè doctos & fortè paulò severiores Confessarios esse velim, non tamen injustos & laniones potiùs animarum, quàm medicos; scio, aliquos ex sacro ordine, usum præsentis Ecclesiæ, quo ad ritum Sacramenti Pœnitentiæ reprobare, eique

eique alium anteferre, quem ex novo Rituali hauserunt; sed nihil est, quod morer notata illa capita, & damnatos libros; & hæc, quoad hoc, plusquam satis.

6. PITHANOPH. Imponit etiam Illustrissimus vestro Reginaldo & Molinæ, quibus hanc opinionem assingit: *Clericus, si res sibi subreptæ excedant valorem trium, quatuor, aut quinque ducatorum, potest sine peccato & incursu irregularitatis occidere furem, cum dictis rebus fugientem, catapulta in eum explosa.* Reginald. *lib. 21. cap. 5. num. 64. & seq.* & præcipuè 68. post Molin. quem citat, *tract. 2. disp. 16.* ut ab hoc ultimo incipiam, non citat Molin. *tract. 2.* sed 3. deinde non citat illum pro sententia, quod Clericus pro defensione sui ac rerum suarum aggressorem possit occidere, sed quod modicum valorem ex Soto determinet 3. 4. aut 5. ducatorum; præterea idem Reginald. *à num. 64. ad num. 68.* de Clerico ne verbum quidem facit, sed tantùm *dict. num. 68.* hæc habet, hæc doctrina etiam ad Clericos pertinet, pro quo citat Petr. Navarr. nam per glossam, inquit, ad principium, *q. caus. 23. verb propulsandum,* Clerici quoque possunt ad defensionem rerum suarum occidere aggressorem, atque carentes culpa, irregularitatem non incurrunt, ea de causa. Omittit autem Illustriss. multas limitationes, & conditiones, quæ à Reginaldo & à Molina, qui rem hanc doctè ac solidè more suo discutit, & ex quo ille totum illud caput accepit, dictæ doctrinæ apponuntur, v. g. quod res illa recuperari aliter non possit, sive per sententiam Judicis, sive amicorum opera, neque per vim furi eripi, neque hic inflicto citra mortem vulnere sisti: item quod moderamen inculpatæ tutelæ servetur; quod voce priùs aufugiens latro moneatur, fore ut catapulta explodatur, nisi rem furto ablatam dimittat; quod res illa attentis circumstantiis sit non modici valoris; nempe quinque aurei, quo ad pauperculum, tanti æstimantur, quantum centum & mille quo ad opulentum; deinde quod Molina, *num. 6.* disertè moneat, oppositam sententiam consulendam esse, & tantùm hanc se minimè ausum damnare; denique quod res fiat ex continenti, non ex intervallo, id est, dum cœpta invasio continuatur; cuncta hæc omisit Illustrissimus, & rem ita crudè assinxit, quasi absolutè, & absque ulla limitatione Molina docuisset, furem sex aut septem aureos asportantem ac fugientem, à Clerico, explosa catapulta occidi posse; hæc profectò ad invidiam, nec non per meram impostura; nec enim talis est Molinæ sententia, ut patet: quod autem Clericus non tantùm se ac res suas tueri possit, & si aliter nequeat, cum moderamine inculpatæ tutelæ furem occidere, etiam fugientem, cum iis scilicet conditionibus, & restrictionibus, de quibus suprà, est communis sententia; si enim Gersonem, August. de Ancona, Abulensem, Panormitan. quos citat Molina, *num. 1.* Rosellam & Tabien. *v. Homicidium*; item Covarruviam, quo ad fugientem excipias, reliqui omnes hoc licitum esse docuerunt, ut Molina, *num. 1.* ubi citat D. Thom. Cajet. Sot. Navar. Jul. Clar. Covar. citrà fugientem: item *cap. olim 1. de rest. spol.* & multas leges, Tannerus, *tom. 3. disp. 4. quæst. 8. dub. 8. num. 81.* ubi citat Sylvestr. Petrum Navarr. Valent. Aragon. Bannez, Lessium; Diana, *part. 5. tract. 4. resol. 17.* ubi citat Turrianum, Marchant. Baldell. Layman, Binsfeld. Azor, Filliucium, Reginald. Sylvium, Becan. Malder. Henric. Stroversdorf. Valer. Reginald. citatus, ubi citat Navarrum, D. Antonin. *cap. dilecto, de sentent. excom. in 6. Clement. unic. de Homicid. & gloss. 1. q. caus. 23.* Amicus, *tom. 5. disp. 36. num. 126.* ubi citat Sylvium, *cap. interfecisti, de Homicid.* Medin. Vasq. Leander, *part 5. tract. 2. disp. 13. quæst. 7.* ubi citat Lugo, Fagund. Dicastillo; uno verbo, appella fere omnes, præter paucos illos supra exceptos: displicuit tamen Diana, citatus, in duobus, primò, quia videtur approbare hanc sententiam, semotis etiam restrictionibus, de quibus supra, cum suo Henric. Stroversdorf. Secundò, quia imponit Molinæ, *resol. 18.* quasi dicat absolutè, furem occidi posse pro re valoris unius aurei, quod falsum est: nam Molin. *num. 6.* diserè dicit, non posse occidi, quando res non excedit valorem 5. aureorum, idque ex Soto, quod autem dicit de valore unius aurei, *num. 7.* malè intellexit Diana, in eo quippe casu loquitur, in quo fur non tantùm rem ipsam asportaret, sed personam, cujus est, aggrederetur, ac per vim tentaret rem ipsi suam eripere; qui certè diversus est casus, ut patet, in quo tamen Molina expresè monet, servandum esse moderamen inculpatæ tutelæ. Quod pertinet ad irregularitatem, alia quæstio est; putant aliqui d. Clericum non manere irregularem, ut Leand. *loco citato*, & multi apud Barbosam, *in cap. suscepimus, de homicid. num. 2.* contraria tamen est communior, eamque sequuntur ex nostris, Molina, *disp. 72. num. 3.* Thesaur. *in praxi, p. 2. vers. homicid. cap. 2.* ubi citat Navar. Farinac. Avil. Villadieg. Henriq. Suar. sed malè: nam Suar. *disp. 46. sect. 2. num. 12.* oppositam communiorem esse fatetur; videatur Dian. *part. 4. tract. 2. resol. 4.* ubi multos pro utraque parte citat, at minimè distinguit laicum à Clerico; videatur item Gibal. *de irregularit. cap. 4. q. 3. consect. 3. diffic. 4. n. 14.* qui è contra illam sententiam pro nullitate irregularitatis, communem vocat inter recentiores, & pro illa citat Suar. Coninck. Præposit. Gordon. Tannet. Turrian. Hurtad. Sot. sed profectò multos reticuit: ex his patet clarissima impostura Reginaldo & Molinæ ab Illustrissimo afficta: vide quæso, an quæ proximè succedit propositio, ejusdem conditionis sit.

7. ANTIM. Parum abest; Regulares, inquit, in foro conscientiæ possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expresè revocata per Concilium Tridentinum, Henriq. *in sum. de Pœnit. Sacram. cap. 6. num. 6.* sed ubi ibi liber 5. is est 6. totius operis, & 3. *de Pœnit. Sacram.* in textu nihil habet; sed in gloss. *lit. R.* hæc tantum habet seu recitat: Pius V. anno 1566. vivæ vocis oraculo, cujus authenticum extat Romæ in Monasterio Aræ Cæli, concessit Minoritis, frui pristinis privilegiis, pro foro conscientiæ, non obstante derogatione Tridentini. Res facti est, quam ipse recitat, uti & ea quæ sequuntur, nimirum Gregorium XIII. anno 1572. proprio motu, ad jus commune revocasse concessa per Pium V. in literis & Constitutionibus contra Tridentinum; addit in dicto proprio motu Gregorii, nullam mentionem fieri oraculorum vivæ vocis, sed tantùm literarum & Constitutionum Pii, ac demum Navarrum referre, *c. 27. fin.* editionis ann. 1584. dictam Bullam Gregorii non fuisse promulgatam; quod autem eadem *litera R.* paulò ante Henriquez dicit, Regularis approbationem absolutam scilicet, & absque omni limitatione temporis, datam ab Episcopo, sine causa revocari non posse; expresè asserit, in adjuncta parenthesi, non esse contra Tridentinum. Cur igitur præmissam opinionem doctissimo huic auctori Illustrissimus affinxit? de qua ne cogitavit quidem: 1. enim non fuit illius assertio, sed mera recitatio, seu relatio dicti oraculi, Bullæ Gregorianæ, ac verborum

Navarri.

Navarr. 2. ibi non docet, nec habet, quid juris, sed quid facti, ac rem gestam narrat, locum, testes, aliaque ad faciendam illius facti fidem. 3. de solis Mendicantibus loquitur, neque ad omnes Regulares extendit. 4. nullam mentionem revocationis expressæ habuit, quia expressa revocatio privilegii expressius mentionem postulat, absit igitur, ut propositionem adeo crudam P. Henriquez defenderit, postquam damnatam à Congregatione S. Inquisitionis, die 20 Martii, ann. 1666. sub hac forma, *num.* 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ non sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.* Est recè jure damnata est, cùm jam luculenter confecta, literas & Constitutiones Pii V. quibus in gratiam Regularium decretis Tridentini derogatum fuerat, revocatas fuisse, imò & vivæ vocis oraculo concessa, tum à Pio, tum ab aliis privilegia prorsus abrogata; illas quidem per Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit, *In tanta rerum*, data Kalend. Mart. ann. 1573. ac verè publicata & promulgata die 23. ejusdem mensis & anni per Joann. de Soya, & Marcum-Antonium Brutum Curs. in quo Navarrus deceptus est, hæc verò per Constitutionem Gregorii XV. anno 1622. & aliam Urbani VIII. an. 1631. sed Henriquez, quid futurum esset, post 30 annos divinare non potuit, ne Prophetam ageret. Eadem prorsus refert *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 8. *lit.* I, K, L. Unde est, quod de Diana graviter expostulem, qui *part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 59. sententiam illam Patri Henriquez absolutè tribuit, licèt ipse merum factum narret, quod scilicet pertinet ad citatum Pii, Constitutionem Gregorii, testimonium Navarri pro qua tamen, præter Bejam, Vegam, &c. quos citare poterat Manuel. Veracruz, quem falsavit pro parte oppositâ; imponit ibidem Patri Sà, quod dicat, *V. Religio, num.* 56. stante hac opinione, Regulares ordinari posse in foro conscientiæ ante legitimam ætatem, sed Sà expurgatus hoc non habet; hunc tamen citat Diana, appellato scilicet num. 16. equidem Sà juxta priorem editionem, suppositâ declaratione Cardinalium Congregationis Concil. Tridentini, in qua dicitur Gregorius restituisse Mendicantibus eadem privilegia, pro foro conscientiæ, cujus etiam meminit Vasquez, *in* 3. *p. disp.* 246. *cap.* 4. *num.* 44. illam opinionem adstruxit, ut hoc tantùm ex illa hypothesi dixisse, censendus esset, Diana candidè Sà expurgatum citare debuit, aut certè si priorem editionem, dictæ declarationis mentionem facere; unde colliges, fidem debere leviter adhibendam citationibus hujus auctoris; sic etiam falsò citat Patrem Sanch. *lib.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 16. quasi opinionem illam damnare docuerit; ibi enim nihil prorsus de suo, nec de Regularibus in genere, sed de Monialibus PP. Fundatorum, an scilicet completo anno ætatis 16. non tamen integro Novitiatus anno, in articulo mortis profiteri possint, & super hoc refert motum proprium Pii V. & *c. ut suprà*; sed hæc tantùm proponit referendo, non tamen ipsa adstruit, uti P. Henriquez, *lib.* 13. *de excomm. cap.* 40. *num.* 2. *in comment. lit.* R.

8. PITHANOPH. Redit Illustrissimus ad Thom. Sanch. qui docet, inquit, *in sum. lib.* 4. *c.* 40. *num.* 39. Episcopum cum subditis, qui ob paupertatem ad urbem accedere non valent, dispensare posse in casibus Apostolicæ reservatis. In his, tot falsitates, tot verba: 1. enim Sanch. de hoc nihil habet, sed *num.* 34. ubi approbat regulam, *num.* 32. quam. 2. non loquitur de casibus in genere, ac proinde de omnibus casibus, sed tantùm de votis Castitatis & Religionis. 3. non dicit, quia non possunt ad urbem accedere, sed quando magnum imminet periculum incontinentiæ, vel gravissimi scandali, nec est facilis, nimirum necessarius, ad Pontificem aditus, sive præ paupertate, sive ex alia causa; poteratne luculentior falsatio excogitari; neque hoc Sanch. dicit competere Episcopo ex ratione proprii officii, sed nomine, & ex commissione Papæ, in casu gravissimæ necessitatis, id est, ex præsumpta & interpretativa illius voluntate; & citat in hanc rem, *num.* 34. Less. Petr. Ledesm. Suar. & *lib.* 8. *de matrim. disp.* 9. *num* 22. Abb. Card. Felin. Greg. Lop. Sylvest. Navar. Palacios, Henriq. Sà, Valent. Ludovic. Lopez, Aragon. Anton. Gom. & *num.* 24. Speculat. Alex. de Nevo, Præposit. Angel. Armill. Gambar. Palud. Azor, Host. Joan. Andr. Antonin. Anchar. Gutier. &c. longè severiùs loquitur Salas, *de leg disp.* 20. *sect.* 3. *num.* 25. quem Illustrissimus citat, *num.* 27. illud enim, quod *num* 27. legimus, refertur ad *num.* 25. ubi dicit, Episcopum hac potestate pollere, in casu magnæ necessitatis, & quando periculum maximum est in mora, & res super qua dispensatur, occulta est; pro quo citat, præter appellatos, Vasq. Bald. Joan. de Lignado, Roman. Lambertin. Rebuff. Duen. Staphil. Cuc. Gratian. Tabien. Barth. Ledesm. Capua. Vivald. Veg. Sot. & communem esse inter Theologos testatur; quibus adde Less. Castr. Pal. Petr. Ledesm. Suar. Navar. Henriq. Basil. Ponc. Trullenc. Dian. Fagund. Basseum, Tamburin. quos citat Leand. *tract.* 1. *de jurament. disp.* 17. *quæst.* 117. qui hanc sententiam non veriorem modò, verùm etiam certissimam putat.

9. ANTIM. *Licet jurare falsum, etiam in judicio, si jurans gerat aliquid in mente, quod efficiat sensum verum.* Filliuc. *tract.* 25. *cap.* 1. *num.* 236. Sanch. *in sum. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 31. & 32. Less. *lib.* 2. *cap.* 31. *dub.* 3. *num.* 14. Ita Illustrissimus non sine impostura, eaque multiplici; quo ad Filliuc. 1. nihil de hac re, *dict. cap.* 1. sed 11. nec *num.* 236. sed 326. 2. nunquam dixit Filliucius, licitum esse, jurare falsum, quod certè repugnat in terminis, sed tantùm uti amphibologia, sola mente intellectâ. 3. addit expressè, id tantùm fieri posse, honesta, rationabili, & justa de causa, imò & amphibologiam proportionatam materiæ esse debere, atque adeo necessariam, ad vitandam, aut mortem, aut aliud grave damnum, vel proprium, vel alterius; & pro hac sententia citat Sylvestr. Angel. Navar. Lop. Suar. Quod spectat ad Thom. Sanch. & Less. addunt alias conditiones, puta 1. quòd is, qui amphibologia utitur, juridicè non interrogetur. 2. quòd non teneatur rem, de qua interrogatur, manifestare. 3. quòd non possit illam manifestare sine damno proprio, vel alterius, &c. 4. quòd nunquam illa utatur, sine necussitate ad salutem animæ & corporis, honorem, res familiares, quemlibet actum virtutis, &c. ut disertè Sanchez, *num.* 19. qui citat in hanc rem *num.* 15. præter appellatos, Valent. Sà, Salon. Tolet. Manuel. Philiarc. Vasq. D. Thom. & *num.* 14. Bañez, Azor, Sayr. *n.* 28. Metin. Petr. Navar. Henriq. Mantium, Can. Petr. Ledesma, *num.* verò 30. Sot. & *num.* 32. Covar. Alciat. Cæpol. Palud. Gutierrez, Perez, *num.* 35. Sylvest. *num.* 38. Angel. Sylvest. Valent. *num.* 39. Tolet. *n.* 40. Navar. Philiarc. Azor, *num.* 41. Aragon. Sayr. Sot. *num.* 42. Salon. *num.* 43. Manuel, &c. Lessius denique, *num.* 1. citat D. Thom. & *num.* 8. *cap. qualiter & quando, cap. cùm oporteat, cap. inquisitionis, de accusation.* item Henricum, Sylvestr. Angelum, & dicit esse communem DD. *num.* 1. Cajet. Sot. Adrian. his

adde

adde Leandr. *tract.* 1. *de juram. disp.* 45. *quæst.* 3. ubi citat S. Augustin. S. Thom. Bonacinam, præter appellatos: item, *quæst.* 10. quod uti quis possit absque mendacio restrictione mentali, ubi citat innumeros, & præter appellatos Rodrig. Reginald. Filliuc. Pesant. Steph. Emonerium, Bonacin. Acac. De Valasco, Candid. Laym. Mallett. item, *quæst.* 13. Villalob. *quæst* 15. D. Antonin. *quæst.* 34. Sanctarel.

Breviter rem hanc expedio, paucis assertionibus: 1. uti verbis ambiguis etiam ad fallendum interrogantem, non est mendacium, alioquin, ut rectè monet Sanchez, *num.* 15. post Suarem, Valent. & alios in nullo unquam casu liceret uti verbis ambiguis; quia in nullo unquam casu licèt mentiri; sed in aliquo casu licet uti verbis ambiguis, ut fatentur omnes.

2. Uti verbis ambiguis ad fallendum interrogantem, sine justa causa, illicitum est; quia ut iidem auctores prudenter observant, sunt duo circa rem hanc præcepta, primum est negativum, non mentiendi; præceptum autem negativum semper, & in omni casu obligat, unde nulla causa unquam ab eo eximere potest: alterum est positivum, manifestandæ veritatis, de qua quis ab alio interrogatur; hoc enim postulat boni communis, & humanæ Societatis ratio; sed multæ, ac justæ causæ à tali præcepto positivo homines eximunt; imò si in omni casu ad id tenerentur, maxima scandala & incommoda sequerentur; at sine causa veritatem illam verborum involucris & ambiguitate occultare, illicitum est, quia publicæ societati contrarium.

3. Uti verbis ambiguis ad fallendum interrogantem ex justa causa licitum est; patet ex dictis, quia justa causa à præcepto positivo eximere potest.

4. Uti verbis ambiguis, vel quidpiam aliud facere ad occultandam veritatem interroganti, in multis casibus homo tenetur, puta Confessarius interrogatus, an tale peccatum audierit à tali pœnitente; tenetur enim absolutè negare, etiam cum grandi & alto *Non*; si enim tergiversetur utaturque verborum involucris, inde significat probè intelligenti, rem esse; negare igitur debet absolutè, *non*, id est, non accepi notitiam communicativam: nec est, quod dicat Illustrissimus Confessarium loqui ut Deum, quia neque Deus mentiri debet, imò neque potest; pari modo quispiam interrogatus de re sibi secreto naturali credita, debet respondere absolutè, *non*, alioquin peccaret: idem dico de pœnitente interrogato de tali complice à Confessario; tenetur absolutè negare; cuncta hæc non probabilia modò, sed omninò certa sunt.

5. Si superior juramentum exigat à subdito pro manifestatione rei, quam non tenetur manifestare, potest subditus licitè jurare absque perjurio; quia cum possit absque mendacio illud negare, si juramento negationem confirmet, illud non est falsò jurare, igitur nec perjurium; jurat autem pro veritate intenta; suppono enim, adesse justam & necessariam, ut negandi, ita & jurandi causam; juramentum autem licitum est, ubi adsunt hæc tria, veritas, justitia, necessitas, ea scilicet de qua suprà.

6. Illud *non*, ab interrogato repositum interroganti aliquid reticitum in mente necessariò supponit; cùm dictio æquivoca non sit; reticetur verò, *ut dicam*, *ut communicem*; interrogans autem hoc facilè saltem suspicari potest; cum enim sciat, aut saltem scire possit, me non teneri ad illud manifestandum, quod vel secretò accepi, aut feci, aut manifestare non possum, sine gravi damno, periculo, scandalo, & sæpiùs sine peccato sacrilegii, injustitiæ, infidelitatis, accipere potest illud *non*, quasi nihil significet.

7. Inde necessariò colligo, non esse mendacium uti verbis, cum restrictione mentali; cum enim hac uti, licitum sit aliquando, ut patet ex dictis, nunquam tamen mendacio liceat uti, illam mendacium non esse, necesse est.

8. De illa dicendum est, quidquid suprà de verbis ambiguis assertum fuit, nimirum illicitum esse, illa uti, sine justa causa; cum justa verò causa eam licitam esse; causa porrò illa gravior esse debet, ut Sanchez sapientissimè observat, quam sit causa utendi verbis ambiguis; uti etiam longè gravior, si juramentum acceedat.

10. Pithanoph. Eminentissimus Cardinalis Delug, *disp.* 4. *de fide sect.* 5. *num.* 64. subtilem modum suggerit, quo absque ulla hujusmodi restrictione, prædictis incommodis, quæ ex manifestatione alicujus veritatis provenirent, facilè occurritur; cùm enim verba illa Christi, Marc. 13. *de die autem illo nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius*; quod verum esse non poterat, nisi cum hac restrictione mentali, *nescit, ut dicat*. Respondet, hanc non esse restrictionem mentalem, sed verum sensum, quem illæ voces habent: nam qui interrogatur dete aliqua, solùm rogatur de notitia, quam communicare possit, non verò de ea, quam communicare non potest, eò quod secretò illam acceperit, uti Christus quatenùs homo secretò notitiam illam acceperat; et hac doctrina cuncta facilè componi posse, mihi videntur; nam etiam notitia illa communicati non potest, nec debet, ex cujus manifestatione damnum grave, vel scandalum sequeretur; excipio semper juridicam interrogationem, id est, quæ fit ordine juris servato; igitur interrogatus, licitè negare poterit, *non feci, non scripsi non vidi*, scilicet, *ut dicam*; nihil aliud volunt auctores appellati, Sanchez, Suar. Valent. &c. Unde fortè dictus Cardinalis addit, esse posse quæstionem de nomine, & ante illum Coninck; sed optimè hoc negat Sanch. *n.* 16. aitque, esse quæstionem de re valde necessaria.

11. Antim. Illud ipsum, quod ex Eminentissimo Delugo, appositè observasti, idem prorsus est, cum eo quod Sanchez *num.* 15. ex Suaresio, *lib.* 3. *de relig. cap.* 10. *num.* 4. & Vasq. 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 4. *disp.* 82. *cap.* 4. *num.* 29. multo antè dixerat; nimirum restrictionem conceptam, ita verbis prolatis proportionatam esse debere, ut cum illis congruum sensum faciat, quo apta & ad rem faciens responsio resultet, id est, juxtà mentem interrogantis; unde cùm interrogans de illa tantùm notitia interrogare censetur, quam possum ac debeo illi communicare, ac de nulla alia prætendere jure valeat, rectè & ad justam illius mentem, respondeo, me id non *fecisse, vidisse, audiisse, &c.* nimirùm ut illi dicam, quæ illi manifestare non debeo, nec possum, sine gravi damno, neque tunc mentior, etiam in sententia Cardinalis Delugo, licet restrictionem mentalem, sine mendacio esse non posse sentiat; mentiri enim est contra mentem loqui; sed tunc juxta, non contra mentem loquor; hoc enim tantùm habeo in mente, *non feci, ut dicam*: primam partem *non feci*, expromo voce; alteram, *ut dicam*, reticeo, & exprimo in mente, nec intendo alium partis expromptæ sensum, nisi quem cum altera facit; in cujus notitiam interrogans facilè venire potest, si reputet secum, notitiam illam manifestari à me non posse, absque violatione secreti; vel

volumno, vel scandalo, &c. immo longè faciliùs, quam sensum intentum ab eo, qui verbis ambiguis usus erat à S. Francisco, cum ita respondit, *non transibit*, intelligendo de manica, quem certe nemo dixit in hoc mentitum fuisse, ut rectè observant Azor, Angel. Navarr. Suar. Salon, quos citat & sequitur Sanchez *num.* 42. contra Sotum, his adde Dicastill. *tract. de juram. disputat.* 2. *dub.* 12. §. 1. *à num.* 302. *ad num.* 304. qui tem hanc fusè, ac solidè discutit, & clarissimè ostendit, quod etiam Doctores oppositæ sententiæ, velint, nolint, admittere debeant aliquem ex justa causa restrictione mentali licitè uti posse; ac proinde in illa mendacium non involvi *ibid.* n. 290. distinguit præceptum negativum non mentiendi à positivo veritatis manifestandæ, uti *suprà* & *num.* 310. contra eos, qui hanc controversiam de nomine tantùm esse volebant, constanter asserit, esse rem valde necessariam & gravissimam. Quod verò pertinet ad auctores oppositæ sententiæ, qui vel inviti latenter concedunt, quod apertè negant, citat Ludovic. Lopez, & Sot. qui fatentur, testem, qui aliter evadere non potest, ab astuto judice interrogatum, respondere posse *nescio*; subintelligendo *ut tibi dicam*, item Cajet. & Bannez, quibus addo Coninch de fid. *disp.* 10. *dub.* 3. n. 51. immo *num.* 56. fatetur, interrogatum uti bene restrictione mentali, idque toties accidere, quoties interrogatus non tenetur veritatem aperire; addo etiam Delugo *d. num.* 64. nos certè nihil aliud volumus, nec dicimus; sed id tantùm, restrictionem mentalem mendacium non esse, quamvis licita sit, si quis absque justa causa illa utatur. Apud auctores citatos rationes hujus doctrinæ invenies, uti & solutiones argumentorum; ubi enim negatur in ea involvi mendacium, per eam adstrui falsum, ex ea sequi humanæ fidei & societatis destructionem, aliaque hujusmodi leviora, nihil aliud illis defensores opponere possunt; cum tamen ipsi rationis nostris satisfacere non valeant, & inviti fateantur, restrictionem mentalem in quibusdam casibus licitam esse; unum addo, nimirum multam Scripturæ in nostra sententia longè faciliùs exitum, quorum veritas, ut salvetur, aliquid necessariò tacitum subintelligendum est, ut rectè monet Dicastillus *num.* 309. sed de his satis, cum impostura facilimè perque diluta restet.

12. PITHANOPH. Thomam Sanchez, proximè sequentibus capitibus insectatur, eumque primo loco arguit, quod probabile esse dixerit, *lib.* 8. *de matrim. disputat.* 25. *num.* 12. dispensationem illam subreptitiam non esse, inter consanguineos, vel affines ex reticita copula inter eos, ante, vel post matrimonium habita; data, opinor, opera, Illustrissimus hæc scripsit, ut probet, an legere, aut saltem lustrare libros, Sanchez, seu potius, an intelligamus terminos. 1. esto nam illo 12. Sanchez non dicit, illam opinionem esse probabilem; sed ex illius hypothesi, quid decretum sit. 2. *num.* 8. adhæret oppositæ opinioni tanquam veriori, seu probabiliori, nimirum subrepticiam esse dictam dispensationem, reticita copula; licet *num.* 6. contrarium, quo ad forum conscientiæ, probabile esse, dixerit, stante scilicet copula occulta, nimirum, inquit, propter tot auctorum testimonia, qui sunt Navar. Ovand. Henriq. Sà, Zavall. Tolet. Manuel, Vega; 3. sed quis unquam somniavit de copula ante, vel post initum matrimonium habita, quasi verò consummatio matrimonii copula non sit, eaque prænarranda, ne literæ subreptitiæ censeantur; an quæso nos habet Illustrissimus pro pecudibus, qui ne Latinam quidem linguam calleamus, præsertim satis incultam, qua ipse utitur; voluit haud dubiè dicere, ante, vel post literarum expeditionem, & exequutionem, de quo, disputant Theologi; Sanch. ibid *n.* 8. vitiari dispensationem docet, etiam si copula, post literarum expeditionem quidem, sed ante illarum exequutionem habita fuerit; seu verius, à Diana in errorem inductus est, qui *part.* 1. *tract.* 10. *resolut.* 44. sententiam illam, quæ inde vitiari, negat, dispensationem, dicit, esse probabilissimam, ante & post contractum matrimonium; pro qua, citat Basil. Poncium *lib.* 8. *c.* 17. §. 6. *n.* 32. Villalob. & pro opposita, præter Sanch. & eos, quos Sanch. *dict num.* 8. citavit, Laym. Rebell. Sanctarell. Rice. Garciam: hanc etiam probabilissimam censet Dicastill. de Sacram. *tract.* 10 *disp.* 8. *dubit.* 7. *n.* 129. illam item sequitur Tannerus *de matrimonio*, *disp.* 8. *quæst.* 4. *dub.* 9. *num.* 160. Amicus *de matrimonio disp.* 25. *sect.* 3. *num.* 92. Coninch. *disp.* 33. *num.* 83. & Castro Pal. de Sponsal. *disp.* 4. *punct. ult.* §. 3. *num.* 4. ubi citat ex vestris, præter jam citatos, Coninch, Reginald. Comitol. quibus addit Zerol. Quarant. March. Anton. Genuens. Barbos. qui aliquot declarationes, inquit, pro hac re adducit, his autem addit Barbos. *in concil. sess.* 24. *cap.* 5 *de reform. matrimon. n.* 5. Saimiento, Gasp. Hurtado, Galet, Gutierez, quem Diana falsò citat pro contraria sententia, pro qua tamen citat idem Barbos. Petr. Ledesm. & Læli. Zechium, quibus adde Martin. Perez *de matrimonio*, *disputat.* 46. *sect.* 6. *num.* 4. Joann. Martinon *de matrimonio*, *disput.* 67. *sect.* 4. *num.* 35. rationes utriusque partis apud dictos auctores videri possunt.

13. ANTIM. Est quod diligentiam laudem tuam, in addensandis auctoribus; sed ut dicam, quod res est, in hac causa, cujus aliquam fortè peritiam nactus sum, in hoc munere, quod jam à 22. annis obire cœpi; si copula publica est, non est dubium, quin narretur, cum nihil inde timeatur infamiæ; & alioquin, si nulla illius mentio fiat, in literis Apostolicis, periculum fore, ut Episcopus rei conscius, eas exequutioni mandare recuset; accedit, quod omnes fere auctores supra nominati de copula occulta loqui videntur. Stante igitur occulta copula, non modò stylo curiæ fertur, ea reticita, literas dispensationis non suffragari, etiam quo ad forum conscientiæ; verùm etiam ex praxi, & facultatibus Pœnitentiariæ omnino constat, Sedem Apostolicam huic incommodo piè ac prudenter occurrisse, dum potestatem fecit eidem Pœnitentiariæ dictas literas revalidandi; sic enim vocant; ex quo, sincera mens Pontificis habetur; nimirum illius voluntatis non esse, ut dictæ literæ, reticita copula, suffragentur, alioquin frustra esset revalidatio & revalidandi ab ipso concessa facultas: his tamen non obstantibus: Dico primò, neminem teneri occultam copulam manifestare in libello supplici, qua enim lege, citra Sacramentalem confessionem obligari potest, ad hujusmodi manifestationem; in hoc ni fallor omnes conveniunt. 2. literas obtentas inde surreptitias dici non posse, cum nihil reticitum fuerit, quod oratores exprimere tenerentur. 3. esse tamen suspensas, id est, illarum effectum impediri; hoc enim jure statuere potuit Ecclesia, tum quia præcedens incestus est impedimentum, non dirimens quidem, sed impediens; tum quia quando præcessit incestus, sub alia forma literæ conceduntur. Quarto Sacram Pœnitentiariam habere facultatem tollendi prædictum

impedimentum, quo sublato, dictæ literæ suum effectum consequi possunt, statim atque exequutioni mandantur, nempe revalidando hujusmodi literas, Sacra Pœnitentiaria non dispensat super impedimento consanguinitatis, verbi gratia, in secundo gradu publico, nec enim hujusmodi facultate pollet, non tollit igitur impedimentum illud dirimens, sed tollit tantum impedimentum ex copula reticita proveniens, quo fiebat, ut literæ Apostolicæ effectum suum consequi non possent, id est, tollere impedimentum illud consanguinitatis; & sic rem istam explicare solebant viri doctissimi & sanè rerum istarum peritissimi Valentinus Magionus & Thomas Cortneus; ille quidem Sacræ Pœnitentiariæ Theologus, hic verò Pœnitentiarius. Unde vides verè dici posse, dispensationem illam non esse subreptitiam, suspensam tamen & impeditam, seu ligatam, donec à Sacra Pœnitentiaria, cui reticita copula occulta, reticito tamen oratorum nomine, exponitur, dictum impedimentum sublatum sit, quæ simul etiam pro ea facultate, qua pollet, Super impedimento occulto incestus, non dirimente quidem, sed tantùm impediente, cum iisdem dispensat; hæc breviter saltem indicasse sufficiat.

14. PITHANOPH. Eumdem secundo loco fugillat Illustrissimus, nimirum Thomam Sanchez, quia docet, inquit, *lib. 2. de matrimon. disputat. 40. num. 7.* Episcopos ex magna necessitate dispensare posse, ante matrimonium contractum, in dirimentibus impedimentis: locum, seu textum hujus doctissimi auctoris in multis falsat, 1. enim non dixit Sanchez in magna, sed in urgentissima necessitate: 2. loquitur Sanchez de impedimento occulto, *cujus scilicet detectio magnam infamiam produceret*; sunt illius verba: 3. addit, *si nulla sit alia evadendi via*: 4. vult, tractatum initum fuisse, bona fide, & bonam fidem durasse usque ad nuptiarum diem, quo fœmina de impedimento monita fuit à confessario, inscio penitùs sponso; hoc enim exemplum adducit Sanchez, fœmina accedit mane ad Sacramentalem Confessionem, initura vespere matrimonium, & reperitur à confessario habere impedimentum dirimens occultum, verbi gratia, affinitatis in secundo gradu ex copula fornicaria, quod detegi non potest, absque notabili infamia; omnia parata sunt ad nuptias vespere celebrandas, & tentatis omnibus viis, nulla est alia evadendi via, nisi ut Episcopus dispenset; en merum casum Thomæ Sanchez, cui quàm sit dissimilis propositio ab Illustrissimo eidem hoc loco afficta, nemo non videt.

15. ANTIM. Impostura perspicua est; sed est, quod de Basilio Poncio illustri alioquin scriptore expostulem; qui, cum Thom. Sanch. *d. num. 7.* dixisset, hæc à se adstrui, licèt nullius auctoris patrocinio fretus esset, *lib. 8. disputat. 3. num. 6.* multa eidem Thomæ Sanchez imponit; 1. citat illum, quasi *dicto num. 7.* docuisset, posse dispensare Episcopum, non tantùm in occultis, verùm etiam in publicis; nec enim Basilius distinguit; cum tamen Sanchez de occultis tantùm loquatur 2. vult; doceri à Sanchez Episcopum dispensare posse, si quis morti proximus est, ad legitimandam prolem, &c. cum tamen hujus exempli ne meminerit quidem; quia, saltem ut plurimùm, impedimentum hujusmodi publicum est. 3. fugillat Patrem Sanchez ex eo quod PP. Gabriel Vasquez, & Salas, ille quidem *in 1. 2. disputat. 178. cap. 2. num. 16.* hic vero *de legibus, disputat. 20. sect. 3. num. 25.* idem docuerint; cum tamen Sanchez nullum à se lectum esse, dicat, qui hanc opinionem defendat; Sed P. Sanchez hunc tomum P. Vasquis videre non potuit, antequam opus suum de matrimonio componeret, aut etiam ederet; quia hic 2. tomus Vasquis ante ann. 1600. typis mandari non potuit, ut constat ex facultate ad edendum præmissi, data die 8. Novemb. ann. 1599. sed facultas pro editione operis Patris Sanchez, data est die 29. Januarii ann. 1599. accedit, quod pars illa commentarii Vasquez *in 1. 2.* ut testatur Alegambe, quæ 20. *quæstione* terminatur, ante illius mortem edita quidem fuit, sed reliqua, post ejus mortem: quæ contigit die 23. Sept. ann. 1604. sed, *dict. disp. 178.* ad quæstionem 98. pertinet, cum tamen opus P. Sanch. primùm prodierit Genuæ, ann. 1602. ex quibus manifestum fit, Gabrielem Vasq. à Patre Sanch. hoc loco citari, aut videri non potuisse; cur ergo hanc inscitiam exprobrat Basilius? 4. loquitur expresse in Vasq *de mat. contracto*; cum tamen hoc loco agat de contrahendo; cur ergo Basilius pro hac sententia P. Vasq. citat? 5. quod pertinet ad Salas, eum Sanch. citare, aut videre non potuit, cum ipse loco appellato, Thomam Sanch. citet, & ibidem illud tantùm doceat, quod citatus Vasq. jam docuerat; addit que non tantùm de contracto matrimonio, hoc intelligendum esse, verùm etiam de occulto impedimento, cum tamen Basilius nec contrahendum matrimonium, nec publicum impedimentum excipiat; quia multa in Poncio intra paucos versus castiganda occurrunt; alienior, quem palam præsefert, à Thoma Sanch. animus, huic hallucinationi aliquam fortè occasionem præbuit; multa autem hujusmodi in hoc auctore castiganda essent; immo justum volumen hujusmodi animadversionum facile cudi posset; utinam per tempus liceat aliquando.

16. PITHANOPH. Gratissimum accidit, quod de Poncio subjunxisti, qui sanè multis displicuit, quod adeò exacerbatum in Thomam Sanch. animum gesserit, sed pergamus; Sanch. inquit Illustriss. docet, Principes etiam fideles, ex genere & natura suæ potestatis, posse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, fidelibus sibi subditis, *lib. 7 disp. 4. num. 1.* disputationem 4. pro 3. posuit; ut in citationibus pro more constanter erraret; deinde mala fide retulit dictam exceptionem, quam subdit *num. 3.* nimirum Ecclesiam posse iis hujus potestatis usum interdicere, & revera interdixisse; unde *num. 4.* hæc statuit, *non est integrum hodie Principi sæculari fideli disponere aliquid circa matrimonia fidelium impedienda, aut dissolvenda*, quid clarius? secluso autem hujusmodi exceptione, hanc potestatem Principibus negare nonest ausus, cum pro hac sententia stent D. Th. Gloss. Taper, Victoria, uterque Soto, uterque Ledesma, Angles, Bellarm. Henriq. & multi alii: unius Doctoris Angelici locum exscribere non pigeat *in 4. d. 34. q. unic. a. 1. ad 4.* ubi hæc habet, *matrimonium in quantum est Sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est officium communitatis, statuitur lege civili, & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima.*

17. ANTIM. Addit demum, *Bulla Sixti V. contra astrologos non obligat in foro conscientiæ, sed in foro externo tantùm*; probabilem opinionem esse, dicunt Suar. Valent. Delrio, apud Sanchez *in Decal. lib. 2. cap. 38. n. 34.* Quisquis hæc legit, facilè sibi persuaserit, exsistorum sententia, non incurrere in excommunicationem illos, qui per summam & intolerabilem superstitionem, eventus contingentes fur-

tos

tas libertate pendentes prænunciant: adeò absolutè hæsitum nostris auctoribus Illustrissimus attribuit: tres mos aliter se habet: distinguit Sanch. tres motus prænunciandi ex astris prædictos eventus: 1. si quid absolutè prænuncietur ex astris, ut certò futurum, 2. simpliciter certum, sed tanquam probabile quod possit fieri: Utrumque superstitiosum esse docet Sanchez *num.* 32. & 33. & veritum omni jure, ac novissimè Pontificio proprio Sixti V. ac proinde hujus delicti Reos incurrere in excommunicationem ipso facto, quo ad forum: ita docent universi, ait Sanch. cum D. Thom. & expressè in hanc rem citat Suar. Valent. Delrio, Leil Sal. &c. tertius modus, si non tanquam certum, aut verè probabile, ed ex sola tenuissima conjectura, quæ ad probabilitatem non sufficiat, & in hoc casu, quæ ad probabilitatem non sufficiat, & in hoc casu involvi superstitionem, docet Sanchez *num.* 34. quo citat Suar. Valent. Delrio, & *n.* 32. D. Thom. Abb. Sayr. Manuel. Cajet. Tolet. fatetur autem Sanchez *num.* 34. in hac prædictione, non deesse gravem culpam, saltem ratione scandali. Verùm verò hic tertius modus comprehendatur in dicto motu Sixti V. etiam quo ad forum internum, tenet Sanchez *dicto num.* 34. ubi citat Salas, addit Laçab. de Grallis lib. 2. *decis. cap.* 5. *num.* 19. cum Farinac. quia diligenter videtur *de hæres. quæst.* 181. *num.* 59. qua, inquiunt, indicto motu quæcumque prædictio venatur, quoad eventus ex libertate pendentes. Alii tamen secus sentiunt, quo ad forum internum damnant: non negant enim præsumi reos & excommunicatos in foro judiciali, & gravem culpam admittere, ac proinde ab eodem foro puniendos: ita Castro Palao *tract.* 17. *disp.* 1. *punct.* 4. *num.* 8. ubi citat dictos Suarez, Valent. Delrio: quia, inquit, in dicto motu id tantùm prohibetur, quod jure divino & Canonico prohibitum erat, ut constat ex proemio motus, nimirum, perniciosa divinatio, quæ Diabolo suffragante hominibus fieri solet: quæ tantùm à Pontifice prohibetur, teste Cajetano 22. *quæst.* 95. *art.* 5. talis divinatio superstitiosa pernicios a est & auctore Diabolo inducta: illa autem quæ ex levissima conjectura non modò non certa, sed etiam non probabili fit superstitiosa non est, immo in dicto proprio motu, hæc sola inseritur, *etiam si se id non certo affirmare sciant*, quia etiam superstitio est affirmare probabiliter credit, quod hæc non est prædictio absolutè, sed levissima tantùm conjectura, quæ est potius puncto contingentiæ, quàm effectus: sed quid quæstionis tam falsum, scandalosum, & temerarium, ut tam improbrat Illustrissimus.

EPITHANOPH. Hæc tantùm, & nihil aliud nostris auctoribus affingit: nam in his, quæ addit num. 346. non loquitur à semetipso, sed ea refert ex scriptis Parochorum Parisiens. & Rothomagens. quæ certe valde paucos dixerim, si cum magno eorum numero comparentur: cum ferè omnes famosilla Ogdoade contineatur: illorum autem scripta singulari refutatione jam alibi discussa, ab Adversariis nostris, ut jam alii observarunt, fabricata, guttæ guttæ non est similior, sed in te notorio domus hærere pigeret: nec enim à Doctis & piis hactenus tanta convitiorum, contumeliarum colluvies prodire potuit: sed tantùm ex communibus & trivialibus Calvinistarum & Novatorum locis. Accedit, quod omnia fere illa, quæ ex dictis Parochorum scriptis Illustrissimus huc accersendum esse duxit, vel in congressibus superioribus, vel in singulo opusculo, velà Stubrockio contra Vendrockium, quamquam centies repetita & opposita, refutata fuerunt, quid D. Th. sentiat *quodlib.* 3. *a.* 10. & *quodlib.* 8. *a.* 13. non semel ostensum ac demonstratum, traditæ à vobis doctrinæ, de opinione probabili, nihil penitus obesse; item illud, quod dicitis, de adstruenda opinionibus probabilitate ex auctoritate alicujus Scriptoris; nulla enim opinio à vobis admittitur, quæ repugnet decretis, usui, sensui Ecclesiæ, vel quod ab omnibus aliis auctoribus explodatur, & gravi, seu rationabili motivo careat? illud etiam summoperè placuit, quod innuisti non semel, nunquam fore ut quidquid Vendrockius, Montaltius, Baro, Merenda, scripserint, à vobis probabile censeatur; addere visus es Marinarium, Augustinum De Angelis, Mercorum, immo & ipsum Illustrissimum; idem dici posse crediderim, de multis inter Neotericos; nec enim probabile dicere ausim, quidquid Caramuel & Ioann. Sancius, Diana & Pasqualigus, Escobar & Baunius de re morali scripserunt, nec etiam antiquos aliquot excipio; puta Gersonem, Almainum, Majorem, &c. quam malè autem dogma illud Catholicum, sic enim vocat Vendrockius, dicti Poroch. statuerint, nimirum *nullam opinionem probabilem falsam in jure naturali peccato eximere*, ac proinde nec ignorantiam invincibilem, jam supra innuisti & breviter innuerat Stubrockius in notis *ad* 5. *Epistol sect.* 1. §. 1. item illud difflatum, quod deinde opponunt, opiniones probabiles efficere, ut jam peccatum non sit, quod olim peccatum fuit; quod quomodò intelligendum sit, supra clarissimè ostendisti: quod demum vobis opponunt Sacrorum Canonum enervationem; ridiculum dictu est; videamus, quæso, an vita illorum vestra austerior & castigatior sit: sed quos canones intelligunt: Africanos, inquiet aliquis, aut Trullanos: sed quomodo antiquos servarent, qui recentes & novos Concilii Tridentini à se minimè admitti prædicare passim & scribere non dubitant? an fortè illud Prophetæ rectè in eos quadraret: *templum Domini, templum Domini*, &c. aliquot SS. Canonum centena facilè proferam, si per eos mihi licear, quos nunquam profectò servarunt, nunquam servabunt.

19. ANTIM. Delibemus saltem singula capita: *Posse quempiam*, inquiunt: *occidi, ut alapa, aut percussio fustis impediatur*, docent Azor, *Institut moral. artic.* 3. *lib.* 2 *pag.* 105. Becanus *summ part.* 3. *tom.* 2. *cap.* 69. *quæst.* 8. insignes profectò reformatores, qui ne citare quidem auctores classicos didicerunt: ita dicendum fuerat, Azor *Instit. part* 3. *lib.* 2 *cap* 1. *quæst* 16. Becanus *summ part.* 2 *in quæst.* 64. D. Thom. *de Homicid quæst.* 8. *num* 2. Sed his omissis, hæc opinio affingitur utrique: quia multa reticentur, quæ ad rei substantiam pertinent: loquuntur enim de homine honorato, alicujus notæ, vel honoris, ita ut ignominiosum illi sit, immo valde dedecorosum, nec alio modo honorem suum defendere queat, neque hanc ignominiam vitare: citat autem Azor, pro hac sententia, quam probabilem tantùm esse, dicit, Sot. Couar. Nauar. Becanus verò Sylvestr. Lop. Gomez, Iul. Clar. addi possent Vasq. *de rest. c.* 2. §. 1. *dub.* 9. Tolet. *l.* 5 *c.* 6. §. 2. *casus*, Sà *v Homicid. n* 5. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *q.* 8. *de homicid punct.* 4 Rebel. *lib.* 3. *de oblig & delict. q.* 12. Petr Navar. *lib.* 2 *cap.* 3 *num.* 369. adde Lessium, & Filliuc. ab adversariis citatos: adde Lugo *disput.* 10. *sect.* 10. *num.* 187. ubi communem Doctorum esse, testatur: Molin. *disp.* 17. *in principio.* Fagund. *in præcept. Decal. lib.* 5. *capite* 3. *num.* 20. ubi præter appellatos citat

Farinac. Salomon. Boerium, Ananiam, Bartol. Angel. Dicastil. *de just. t. 2. tract. 1. disp. 10. num. 66.* ubi præter appellatos, citat Bonacin. Laym. Tiraquell. Abb. Arragon. idem docet *tract. 2. disp. 12. n.* 407. &c. quid quæso est in hac doctrina tam scandalosum, cum de viro sæculari, ut vocant, non religioso, vel Ecclesiastico, in ea expresè agatur.

20 PITHANOPH. Transeunt illico ad religiosum, aut Ecclesiasticum, ut docet Amicus, partum honorem tueri potest, occidendo adversarium, qui contumeliis illum impeteret, sed eur citant Amicum qui hæc assertivè non defendit, sed noluit à se dicta, ut communi sententiæ adversentur, sed tantùm disputandi gratia, deinde jam hæc pauca fuerant ex libro Amici expuncta, nimirum *tom. 5. disp. 36. sect. 7.* sacræ congregationis Indicis decreto & jussu, jure quidem, cum deinde hæc propositio *num.* 18. per decretum Sanct. Officii die 24. Septembris ann. 1665. editum damnata fuerit & æterno silentio devota, quare de illa silendum, cum nullus opinor ex scriptoribus vestris eam tenuerit.

21. ANTIM. Nullus sanè, & dicunt omnes, religioso viro, qui consilia Christi sequi debet, non verti dedecori, contumelias pati & fugere ab invasore, quamquam alii à nostris non desunt, quos tamen hic non moror: quare ad aliud caput accusationis venio: *Licitum est*, inquiunt, *juxta aliquos speculativè, juxta alios practicè interficere aufugientem, postquam alapam impegit*, Less. *lib. 2. cap. 9. num. 79. &c.* Lessius hujus sententiæ praxim omnino prohibet & damnat, quam tamen omnino improbabilem pronunciare non audet, cum pro illa tam multi auctores stare videantur, quos ipse citat, nimirum Navarr. Henriquez. Jason. Cordub. Mantius, Pen. Clar. Cajetan. Antonin. Mercat. Victor. His addi possunt multi alii nimirum Fernand. *in examen. moral. part. 1. cap. 9. §. 1. num.* 16. Diana *part. 2. tract. 15. resolut. 15. item parte 5. tract. 4. resol. 11. part. 9. tract. 4. resol 15.* ubi multos citat, nimirum Megal. Lop Henriq. Stroverdorff. Caraff. de Duell. *tract. 3. sect. 2. quæst. 6. num. 25.* Bonacin. *de restit. disputat 2 quæst ult. sect. 1. puncto 10.* Marc. Serr. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Philippus Faber *de restit. in 4. distinct. 15. quæst. 3. disputat. 52. cap. 1. num. 29.* Villalob. *in summ. tom 2. tract. 12. difficult. 12. num. 3.* Marchantius *in summ. ad Decalog cap. 5. quæst. 1. cas. 3.* alii videri possunt apud Dian. *citatum*; oppositam tamen sententiam omnes ferè nostri sequuntur, ut de Lugo *de justit. disputat. 10. sect. 10. num. 190.* ubi citat Bannez Sot. Carrer. Rodrig. Salon, Malder. Molin. Turrian, Vasquem, qui liberè pronunciat, primam sententiam gentilitatem sapere, & à Christiana lege alienam; & ipse Lugo testatur de communi, quibus addantur Amicus *tom. 5. disputat. 36. sect. 7. num. 114.* ubi citat Gloss. *in cap. si perfodiens, de homicid. verb. Legibus*, & *in cap. significasti 2. eodem tit. verb. Moderamine*, & multi alii, omnes saltem, ut Laiman, Filliucius, Reginaldus ab adversariis citati, dictam opinionem damnant in praxi, cum Lessio *supra citato*; immo Reginaldus ita concludit, quidquid sit de probabilitate speculativa, praxis damnanda est; ex quo manifestum fit, ne ab eo quidem probabilem speculativè adstrui; idem Dicastill. idem prorsus ipse Escobar; quamquam de isto, & de Baunio nostro me parum sollicitum esse fateor, quos inter primarios auctores nostros recensere profectò non possum; nec pro doctrina Societatis admitto, si quid fortè, aliis, qui longè doctiores sunt, dissentientibus, de suo proferre tentarunt. Denique accusatores casum mutarunt, nempe Lessius, & alii non concedunt, id cuilibet licitum esse, ut dicitur in accusatione, sed vix uni ex centum millibus, Tribuno, v.g. in acie exercitus, à gregario milite fuste percusso, ea tantùm lege, ut omni prorsus honoris gradu excidat, nisi fugientem militem insequatur & percutiat; hæc tamen pro sua humanitate omiserunt Adversarii, & casum mutarunt; immo ausim dicere vix auctores in hoc, quo ad rem interse discrepare; nam illi quidem loquuntur ex hypothesi dicta ille non potest aliter grandem honori suo notam inustam eluere, nisi militem insequatur; alii verò qui ex hoc honorem restitui posse non existimant, absolutè negant licitum esse insequi, aut repercutere: ut ut sit, itemperatissimè nostri de re loquuti sunt, & non sine maximo rigore; præsertim cùm vix casus unquam iis conditionibus instructus quas prædicti auctores desiderant, accidere queat; quis enim non videt, semperadesse aliam viam, qua læsus Tribuni honos repara possit; nempe gregarius ille miles capi facilè potest, ac deinde auctoritate publica meritas dare pœnas.

22. PITHANOPH. Hæc igitur accusationem aut quatuor impostura continet; ejusdem fatua est, quod sequitur, *falsum accusatorem testes audacem occidi posse, quando aliter oppressio innocens vitari nequit*, docent Tanner. *tom. 3. disp. 4. quæst. d. 4. num. 83.* Sanch. *in Decal. lib. 2. cap. 39. num. 7.* Hæc propositio uti jacet falsa est, & ut talis damnata per decretum Sanctæ Inquisitionis editum die 24. Septembris ann. 1665. atque *num.* 18. nec ab ullo ex vestris, saltem quod sciam, sub iis terminis defenditur; nempe Sanchez, *loc. cit. in testibus & judice* non loquitur; necetiam de accusatore, utcumque interimendo; sed tantùm de Duello, cujus tantùm opera à certa morte innocens liberari possit, pro quo citat Cajetan. addo Fagund. *in Decalog. lib. 5. cap. 8, num* 41. ubi præter Sanch. citat. Bannez, Manuel. Petr. Navarr. Cajetan. Valent. Navar. Azor, &c. hoc enim propriè non est Duellum, sed justa & necessaria defensio; supponunt enim prædicti Auctores, non esse aliud medium servandæ vitæ, ab iniqua Judicis sententia, & minus malum est, dubiæ & incertæ morti in duello se exponere, quàm certam citra Duellum injustè subire, nec is spontaneè antecedenter provocat, vel acceptat, sed provocatus & involuntariè. Quod pertinet ad Tannerum, duobus verbis expeditè se; Emmanueli Sà imponit, nec sententiam suam illo modo explicat; unde standum est sententiæ communi, quam tradit Lessius *lib. 2. cap. 31. num. 29.* nimirum Reum etiam injustè damnatum non posse per vim se defendere, contra Judicem, aut ministros, ne sententiam latam exequantur; ita ferè omnes, cum S. Thom. & Soto, quos citat, rejectis paucis jurisperitis, quos appellat Covarr. *lib. 2. var. c. 2. n. 13.* qui pro mera defensione secus sentiunt; in quam opinionem Victoria dicitur inclinasse, excipit tamen Lugo *disp. 10. sect. 7. n. 164.* casum illum, quo satellites, seu Ministri Judicis licèt innocentiam Rei cognoscerent, vellent adhuc capitalem pœnam & sententiam Judicis in Reum, exequi, posset enim Reus illis resistere etiam occidendo, ut cumcommuni Doctorum docet Molina *tract. 3. disp. 15. n. 3.* ubi citat Sot. Sylvestr. Covatruv. Si enim dicti Ministri injustè aliquem interficere aggrediantur, au

compe-

comprehendere, ut injustè interficiatur, & constet de simili eorum dem injustitia, quia constat eos prudenter, scientes se injustè agere, nec is mortem injustam evadere queat, nisi dictos Ministros perimat, hoc ipsum licitè præstare poterit, cum illi sua jura abutantur; si verò ii bona fide procedant, ut interfici non possunt; si hæc autem licent, ante illam potiore parte à Judice sententiam ante illam potiore poterunt; nihil aliud Tannerus dicere voluit: Videant autem quantum hæc opinio, quam de Lugo communem DD. esse fatetur, ab ea quam Parochi doctrinæ vestris affingunt, diversa sit. Sed perge ad alia dicta.

2. Antim. *Iure posse occidi, qui dicit mentiris, aut similia.* Ita Reginald. *lib.* 24. *num.* 172. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 3. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 16. *tract.* 1. *exemp.* 7. *cap.* 3. Reginaldum *tom.* 2. *lib.* 21. *cap.* 5. *num.* 60. Lessius *cap.* 9. *num.* 78. Diana *p.* 1. *tract.* 4. *resol.* 21. *cap.* 5. *num.* 60. Lessium *cap.* 9. *num.* 78. hoc expresè negat, hæc sententia inquit non est probanda, satis enim est injurias verbales verbis reprimere; addeHurtad Mendoz. Filliuc. Azor. &c. Reginaldo imponunt quia loco citato & toto illo capite nihil habet tale; & miror, qua fronte hujusmodi homines impostoras piis & doctis hominibus tam facilè affingant; sed non est, quod miser: cum enim scripta illa ut jam supra monui ex penu Adversariorum nostrorum prodierint, nihil mirum, quod iis, singularis dictæ officinæ character minimè dederetur, impostura videlicet, falsitas, & commentum. Escobar porro malè citatur *exam.* 7. *quæst. exempl.* 7. neque id semel, sed intra tres paginas novies; ex quo patet, quam versati fuerint Adversarii in lectione hujus libri; deinde *cap.* 3. nihil prorsus hac de re, sed 2. ubi contrarium docet; ubi istam quæstionem *num.* 59. *licetne pro defensione bonorum tantùm impugnati, aggressorem occidere* resolvit *minimè*: licet tamen, si factis impugnetur. Quis amabo ad hanc frontem non obstupescat; quod sequitur de occisione latronis aufugientis, jam dictum est supra & abundè diluta calumnia; falsum regeritin dictum Escobar *tract.* 1. *exam.* 7. *quæstionum cap.* 3. de hoc nihil habet, sed 2. ubi hæc habet *fugit aggressor, occidere non licet*; Lessius item *de just. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 66. & 72. de fugiente nihil, immo manifestè dicit, saltem esse contra charitatem, furem occidere, si res ablata fugiat; sed de hac controversia supra fusè.

3. Pithanoph. Acceptationem Duelli in quibusdam casibus, licitam esse, docent Escobar *d. c.* 3. Diana *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 3. *cap.* 3. *num.* 2. & 3. & Hurtado Mendoza citatus à Dian. *p.* 5. *tract.* 19. *resol.* 3. imponunt semper misero Escobar, qui cum ea non adduxisset, ob quas duellum suscipitur; 1. ad reparationem, 2. ad ostentationem virium 3. ad terminationem litis, 4. ad evitandam ignominiam, 5. ad defensionem propriæ vitæ, 6. ad majus malum evitandum, hæc addit assertivè, *profecto ad purgationem & ostentationem virium, ad litis terminationem, ad honoris defensionem, ad vitandum majus malum, illicitas omnino affirmo*; unde restat, ut tantum ad defensionem propriæ vitæ suscipi possit; quid clarius? quod spectat ad Laymann *num.* 3. adhæret communi sententiæ, quæ negat, duellum acceptari posse, nisi forte in *rarissimo* casu, quo vir nobilis, de equestris in aula regia officio, dignitate & Principis favore privandus sit, ob ignaviæ, injustam licèt ignominiam excidere debeat, nisi idem tidem protestetur se istat; non auderem, inquit, illum damnare, qui meræ defensionis gratia paruerit, juxta sententiam Navarri, hæc ibi Layman, Hurtad. Mendoz. non vult acceptari posse duellum à provocato, sed hunc tantùm posse ubique ambulare in urbe, in agro, &c. ne alioquin gravia damna ex opinione timiditatis certò patiatur; non certè cum animo pugnandi; sed tantùm inculpatè tuendi sese armis, si alia ratione commodè non possit, quotiescumque ab alio injustè petetur; hæc ibi Mendoza, nimirum *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 170. *sect.* 13. §. 106. & tandem testatur in fine, hanc sententiam in praxi esse valde difficilem, ac proinde minimè tenendam; hinc illam nostri non tenent; Less. *dub.* 8. *n.* 49. ubi ad vitæ dumtaxat defensionem duellum permittit, Vasq. *de rest. c.* 2. §. 1. *dub.* 8. Fagund. *in decalog. lib.* 5. *c.* 8. *n.* 46. 47 *&c.* ubi citat Valent. Sanch. Delr. Dicast. *de just. l.* 2. *tract.* 1. *d.* 10. *n.* 218. ubi post Laym. ultro fatetur, vix occurrere casum in quo in praxi duellum licitum sit ob defensionem honoris, famæ, fortunarum; Molin. *tr.* 3. *disp.* 17. *n.* 2. Amic. *tom.* 5 *disp.* 36 *sect.* 5. *n.* 79. nunquam nisi ad defensionem vitæ duellum permittit, idque si nullum aliud medium mortis evadendæ suppetat; Lugo *de justit. disp.* 10. *sect* 9 *n.* 172. omitto alios nimirum, Reginald. Castro-Pal. Filliuc, &c.

25. Antim. Si vel unam accusationem sinceram haberemus; res utique toleranda esset; sed ne unam quidem invenio; *accipere*, inquiunt, *aut dare temporale pro spirituali, ut motivum, non ut pretium, simoniam non esse*, docet Escob. *tract.* 6. *exam.* 2. *c.* 6. *n.* 48. item Valent. *disp.* 6. *q.* 16. *punct.* 3. *pag.* 2039. Escobar *loc. cit.* nihil tale habet, imò terminat examen de simon. *num.* 25. ubi dicit à Vasq. reputari probabile non esse simoniam, dare pretium pro intercessione remota; id est, quod Paulus dat Petro, ut hic apud Joannem intercedat, & hic apud Antonium beneficii collatorem; item à Suar. aliquid dare pro labore; & concludit ipse cum Valentia licitum esse, de illo pretio pacisci; nimirum pro labore, vel intercessione remota, dicit enim, *hujusmodi pretio*, quod licet dare & accipere sine simonia; ex quo manifestè patet impostura. Quod pertinet ad Valentiam; certum est, aliquid temporale posse dari pro spirituali citra pactum, & prohibitionem Ecclesiæ; pura titulo gratitudinis, ut docet Gibalin *de simon. q.* 18. *consect.* 3. ubi citat Navar. Cajet. Covarr. Ugolin. Sot. Valent. Suar. Filliuc. Castr. Pal. Laym. Bonac. Less. Sanch. addo reliquos omnes, qui ut doctè, solidè, ac fusè demonstravit Gibalin. *q.* 2. docent omnem simoniam dicere pactum, formale scil. aut tacitum, & pretium; igitur quando beneficium illud temporale, quo Petr. Paul. sibi obstrinxit, dictum Paul. deinde movet, nullo scil. pacto prævio, ut Petro aliquod beneficium spirituale conferat, nimirum ex gratitudine: nullam inesse simoniam docent, quotquot rem istam intelligunt, scil. apud Deum & præscindendo à præcepto Ecclesiæ: Utrum verò quis pacisci queat, de antidoro, id est, de re illa, quæ titulo gratitudinis rependitur, negant omnes communiter, ut testatur Gibalin. *n.* 5. asserunt tamen Covarr. Valent. Cajetan. qui tamē ultro fatentur, hoc in praxi esse difficile, ac proinde nunquam consulendum; Gibalin. ingeniosè illos ita excusat, ut per pactum illud, nullam novam obligationem induci velint, sed solam illam naturalem, in beneficentia fundatam; sed profectò omnino frustra est pactum illud, si novum jus, seu novam obligationem non affert; præterquam quod omne pactum in materia beneficiali Ecclesiastica lege vetitum est: ut ut sit illorum sententia, uti à Gibalino cum optimo fundamento explicatur tum *loco cit.* tum *q.* 2. §. 9. nullam censuræ notam mereri videtur; quamquam ut inutilis, & alioquin periculosa, ab omni praxi & usu arcenda est; & quo ad forum exter-

num, simonia semper huic pacto inesse præsumetur; sed de simon. fusè in singulari congress.

26. PITHANOPH. Hæc tamen accusatio, quæ sequitur sincera est, nimirum non esse veram simoniam temporale promittere pro spirituali, & vicissim, sine animo standi promissis, & hoc docerí à Lessio *lib.* 2. *c.*53. *num.*11. & Escobar *tract.*6. *exam.*2. *cap.*2. *num.* non 19. ut dicunt sed 20. *non est*, inquit, *verè simonia*; *sicut fictum aurum non est aurum*; Lessius autem *loco citato*, *dub.*1. non 7. ut ajunt ne aliqua falsitas saltem in citationibus desideretur; ubi citat Cajet. Sot. Tolet. Gibal. *quæst.*1 *n* 7. ubi citat præter appellatos, Pet. Navarr. Valent. Suar. Manuel. Arragon. Laym. Bonacin. Filliuc. Castr. Pal. Villalob. contra Navarr. nimirum in foro interno, sicut matrimonium sine consensu initum nullum est, item votum, &c. in foro tamen externo præsumitur validum, quia ex signo externo præsumitur animus internus: hæc igitur opinio longe probabilior est opposita; unde non erat, quod eam vestris auctoribus adversarii quasi scandalosam & temerariam exprobrarent: qui ad pauca respiciunt, facilè pronunciant, non negamus tamen, esse gravissimum peccatum, simonia ipsa fortè gravius, quod in foro externo, iisdem, quibus simonia pœnis obnoxium est; cum simonia præsumatur. Hoc punctum in sacra Pœnitentiaria non semel agitatum, & discussum fuisse inaudii, & omnes in hanc sententiam, excepto dumtaxat Illustrissimo iviſſe.

27. ANTIM. Ita est, & nonnihil à me de hoc argumento scriptum fuisse, memini; sed pergamus; veniunt ad Lessium, qui docuit, inquiunt, *l.*2. *c.*19. *n.*52. *neminem teneri jure naturæ, aut legum, restituere acceptum pro ferenda sententia injusta, aut assassinatu, aut adulterio, sed licitè illud retinere.* nihil habet Less. *d. c.*19. *sed c.*14. *num.*52. *&* 56. ubi citat pro hac sententia D. Th. Cajet. Covarr. D. Antonin. Angel. Sylvestr. Navarr. &c. his adde Card. De Lugo *d.*37. *de just sect.*11. *n* 127. ubi dicit, in hoc plerosque consentire; nam licèt inquit, illa acceptio sit culpabilis; opere tamen sequuto, non est obligatio restituendi, & si illud sit munus, non pretium (vox enim illa *acceptum* etiam pro munere accipitur) idem Cardinalis, *n.*134. docet, licet Judex per leges obligetur, ad non accipienda munera, eum per easdem non obligari ad accepta restituenda, & in hanc rem citat Molin. Henriquez, Angles, Perez, Petr. Navarr. Vasquez, Rebell. Sal. contra Sotum, qui cum docuerit 4. *de Just. q.* 7. *à.* 1. *ad* 2. eum non teneri ad restitutionem, qui accepit à Petro, aliquid, pro pretio, ne occideret Joannem, quem volebat occidere; quæ sententia, ut monet Lugo, *n.*126. aperit ostium furtis, usuris, est sanè, quod miremur, Judicem teneri ad restituenda munera, ante declarationem juridicam criminis: adde pro sententia Lessii multos alios citatos ab eodem Lugo, *disp.*18. *num.* 4. præter jam appellatos, Turrian. Arragon. Azor. Sylvium, Salon. Dian. Sot. Sayr. Tanner. Alens. Richard. Gabr. Villalob. & communem hanc sententiam idem Lugo, esse testatur *n.* 54. contra nonnullos Juristas. adde Dicastill. *l.*2. *de Just. tract.*2. *disp.*6. *dub.*1. Bonacin. *in* 8. *præceptum q* 2. *punct.* 8. Laym. *l.*3. *tr.*4. *c.*4. *n.*9. *&*10. Tambur. *l.*7. *c.*5. §. III. *& c.*20. ubi testatur de communi, Busembaum, *l.*4. *c.*2. *dub.*1. adde præter appellatos, Filliuc. Sanch. Reginald. &c. non tamen negat Lessius, quin judex gravissimè delinquat, tum judicando contra justitiam, tum accipiendo pro injusta sententia ferenda, ac teneri omnino resarcire omnia damna, quæ parti ab eo læsæ obveniunt: quid porro in hac re adeo scandalosum sit, reverà non video.

28. PITHANOPH. Omisisti unum accusationis caput, adversus Tom. Sanch. *in summ. l.*2. *c.*38. *num.* 46. nimirum *divinatorem teneri ad restitutionem accepti pro divinatione, si solum consuluit astra, secus tamen si Dæmonem*: apud Sanch. *dict. num.*64. non invenio, sed *n.*94. 95. 96. ubi verissimè docet, pretium acceptum pro divinatione, seu prædictione rerum illarum, quæ utcumque probabiliter prædici possunt ex Astrologia, qualia sunt ea quæ ad tempora, & agriculturam pertinent, non esse restituendum, licèt non eveniant; sicut medicus pretium acceptum pro curatione restituere non tenetur, licèt æger curatus non fuerit; at vero acceptum pro divinatione illarum, quæ prædici nequeunt, sine manifesta fallacia, & fraude, quia nulla probabilitate nituntur, restituendum est; quo enim jure retinendum: at si divinator utatur opera dæmonis prædicendo, ac præsertim si res eveniat, peccat sanè gravissimè divinando, & accipiendo, non tamen tenetur acceptum pretium restituere, pro quo citat dictos Sanch. Navarr. Manuel. Sal.

29. ANTIM. Consulto prætermisi: idem enim est, cum eo, quod statim subditur de pretio, ob factum turpe accepto non restituendo; unde addi possunt tribus illis auctoribus à Th. Sanch. adductis, omnes alli, quos appellavimus supra; mirum quantum isti homines de restitutionibus faciendis soliciti sint, non forte quod multum ad eos de egenis pertinent, sed ob alias causas, quas reticeo, quia sunt notoriæ, his ergo jam supra discussis, ad Bannium nostrum transeamus, quem ex multis capitibus impugnat, ictam januam furtis domesticis per Bannium *summ. peccat. pag. non par.* 213. *&* 219. *edit.* 6. ex librum 6. *edit.* consule paginas *in p.* 213. nihil prorsus hac de re, sed de pœnis usurarii. *pag.* verò 219. de pacto tium contractuum agit, illudque licitum esse concludit appositis iis conditionibus, quas appellat, citatque in hanc rem, sex aut septem auctores, Major. Navarr. Couvarr. Valent. Bonacina, Palatium, Molin. octoginta ferè alias classicos adjunximus, in singulari congressu, ad quem re remitto; ridiculum autem est hæc ad furta domestica traduci; si capita citassent, vel locum & annum editionis, ac typographi nomen, illorum fidem minimè desiderarem; paginas dumtaxat appellant, editionis sextæ; præmanibus habes editionem sextam, ut legis in præfatione ad Lectorem, Lugduni factam ann. 1645. typis Simonis Rigaudi; loquuntur fortè de famulis domesticis, de quibus ipse *cap.*13. *quæst.* 3. quibus justam compensationem permittit his conditionibus, ut salarium certò debitum sit, ut alio modo repeti non possit, ut res clam fiat, & absque ullo scandalo; quid rigidius; tunc enim non accipiunt alienum, sed suum. Pro quo citat Joan. Medin. Navarr. quibus innumeri addi possent; sed omitto, quia de hoc controversia fusè alibi.

30. PITHANOPH. *Restituenda non esse damna, quæ nobis auctoribus, quispiam intulit alteri, p.*307. ibi nihil legimus tale; sed *cap.*13. *quæst.*2. quærit, utrùm is qui alteri, v. g. furtum consulit teneatur restituere? respondet affirmativè, si verè auctor fuit, & ejus consilium ad furtum aliquid contulit; at si nihil profusus, eò quod fur jam ex se omnino paratus esset; in hoc casu negat, quia illud consilium nihil influxit; quid in hoc responso adeo scandalosum sit, videre non possum. Idem dicendum esse duxerim, de arti-

culo

culo sequenti; nimirum, *non teneri furem sub mortali restituere summam totalem, per minutiora furta ablatam*, pag. 220. de quo nihil prorsus *loco citato*, nec tantum *cap.* 12. ubi disertè docet, eum peccare mortaliter, qui cum valeat, non vult restituere dictam summam; etiam si diversis personis tantumquid furatus sit, modo scilicet summa ea sit, quæ sufficiat peccatum mortale sufficiat, si quis totam illam simul restituere; quo quid severius in hac quæstione dici possit, non video, redeunt ad pactum trium contrarium, dicunt esse usuram palliatam, ac negant, illud probari à Majore, sed profecto nihil affingitur Majori; consulatur *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 48. & 49. ubi vere fuit in ea sententia, ut testatur etiam Gibalin. *lib.* 6. *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 4. qui certè rem hanc, in dicto libro ita discussit, ut nihil addi posse videatur.

11. Antim. *Invidiam non esse peccatum mortale ob proximi bonum temporale conceptam*, docet Baunius, p. 113. nihil ibi tale; agit autem de invidia *cap.* 39. ubi docet 1. invidiam ex natura sua esse peccatum mortale *concl.* 15. 2. esse peccatum mortale ratione tristitiæ, qua quis laborat, ob bonum spirituale, vel temporale proximi; quod si leve sit, non esse mortale Cajet. docet *in sum. v. Invidia*; & ita intelligendus est Baun. *cap.* 7. *concl.* 5. ubi citat Cajet. 2. 2. *quæst.* 35. *art.* 2. *Verùm* tamen nunquam negavit Baunius, invidiam illam esse peccatum mortale, qua Heterodoxi, aliique quidem, sinon religionis, saltem factionis hominem agentes ferunt, quidquid doctissimi & piissimi viri Apostolico studio ducti pro Dei gloria, proximorum salute, Ecclesiæ defensione, errorum confutatione, qualibris, qua scriptis, qua viva voce ejecerint.

12. Pithanoph. Appositè omnino argumentaris isti, sed pergamus: redeunt ad Escobar *tract. exam.* 11. *cap.* 9. Ubi dicit, *Sacerdotem accepta pecunia pro celebranda Missa, aliam recipere posse pro tenuissima parte ad ipsum spectante.* Citat *cap.* 9. cum nemine hoc *exam.* 4. dumtaxat capitibus comprehenditur. *Cap.* autem 4 *num.* 96. non asserit, hoc fieri posse, sed refert ita sentire Filliucium, en tibi ejus verba, *posse sentit Filliucius*, modò non accipiat tantum pro integro sacrificio, sed pro parte; quod autem id non doceat, manifestè patet *ex cap.* 1. *num.* 92. ubi proponit hanc quæstionem, *Privati offerentes possunt offerre satisfactionum suarum partem*; sic respondet: *non, quia personalis est; attamen probabiliter cum Filliucio, & aliis ex charitate posse, pro aliis propriis satisfactiones*; unde patet impostorem.

13. Antim. *Ibidem* addit, *cap.* 9. *p.* 146. editionis Lugd. 1644. *Missam audiri, dum quatuor Missæ parari, in diversis Altaribus, eodem tempore celebrari, simul audiuntur*; pro quo citat Sanch. hoc autem fuit tot declamationum argumentum, in quibus miserus Escobar ab Adversariis ad instar monstri traductus est; citant etiam Baun. p. 2. *misc.* 6. sed malè citant utrumque: nam Escobar hoc habet, *cap.* 4. Baun. verò *cap.* 17. *concl.* 15. ubi pro hac sententia citat Molfes. Hurtad. Azor, Dian. fatebuntur tamen hanc opinionem tenendam non esse, quia præsertim repugnat usui. Et verò non omnes, aut certè ferè omnes oppositam defendunt, ut Reginald. *lib.* 19. *cap.* 2. *quæst.* 3. *num.* 26. Coninck. *de Sacram. in* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. *num.* 288. Bonacina, quos cit. Diana, tum *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 107. tum *p.* 2. *tract.* 17. *resol.* 18. Adde Fagund. *præcept. Ecclesiæ, lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 12, ubi citat Azor, Tolet. Suar. idque de duabus partibus Missæ, successivè auditis, ac proinde potiori jure, de duabus simul auditis, quo nihil absurdius dici posset. Sanch. ab Escobar citatus hanc quæstionem non tractat, sed aliam longè diversam, nimirum eum, qui duplicem Missam audire tenetur, posse utramque simul audire, dum in duplici Altari celebrantur, *lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 12. ubi citat Majorem, Petrum de Ledesma, &c. quæ reverà, ut vides, quæstio est longè diversa. Cardinalis Delugo eandem sententiam tenet de Sacram. Eucharist. *disp.* 22 *sect.* 1. *num.* 10. aitque oppositam illam Molfesii & Escobar absurdam à Suare meritò reputari; imò idem Lugo, *num.* 8. docet, non satisfieri præcepto, ab eo, qui audiret mediam Missam unius & mediam alterius; ibidem autem pro sententia opposita, Azor & Toletum perperam citari, prudentissimè observat, reclamante licèt Leandro, qui stat pro parte oppositа, *part.* 3. *tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 56. ubi pro nostra sententia, ex nostris, præter appellatos, citat Castr. Pal. Martinon. Layman, & frustra tentat argumenta Cardinalis Lugo refutare; Tersites Achillem, Pygmæus Herculem. Quod ad me spectat, Escobar & Leandri sententiam probare non possum, quia usus Ecclesiæ contrarius est, quod certè validissimi argumenti loco à me reputatur; nec est, quod Leander neget, per hanc doctrinam relaxari disciplinam Ecclesiasticam & cultum Dei, quasi casus moraliter accidere non possit; hoc enim falsissimum esse constat in majoribus præsertim Basilicis, in quibus non rarò accidit, ut tres aut quatuor Sacerdotes in vicinis Altaribus sacrum ita faciant, ut eodem tempore, ut unus incipiat, alter Evangelium dicat, tertius consecret, quartus sacram Eucharistiam sumat. Nostri ergo auctores hujus opinionis praxim, si unum Escobar, cum altero excipias, tutam esse non credunt; unde quo ad hoc, non erat quod Adversarii, vel hoc dumtaxat nomine, omnes Jesuitas fœdissimè lacerarent, propter duos aut tres versus Patris Escobar, qui nec opinionem illam probare conatus est, nec mentem suam super hoc aperuit, & Thom. Sanchez pro hac opinione perperam citavit.

34. Pihanoph. Nimius esse videris in hoc argumento, quod sequitur statim expedio; dicunt enim, *obligationes jejunandi ab Escobar relaxari, tract.* 1. *exam.* 13. *cap.* 3. sed hic Auctor toto illo capite trita dumtaxat & communia tradit ab aliis accepta; longè plura invenio & singularia apud Pasqualigum & Leandrum in iis tractatibus, quos de jejunio ex professo scripserunt; ô si illi vestri essent, quàm dire, ab Adversariis vestris vapulassent; quamvis enim Leander sit paulo strictior Pasqualigo; cum tamen adeo asseveranter sua sensa pronunciet, additis identidem suis illis formulis. *certum est, certissimum mihi est, quidquid alii dicant*, non desunt qui plus in eo moderationis desiderent; præsertim cum in his rebus moralibus pauca certa sint, utinam optimi illi reformatores ad jejunii legem observandam adigerentur, aut saltem id consilii susciperent, juxta illam formam, juxta quam auctores vestri aliique instituti vestri homines illam observant. Sed his omissis, de quibus jam *suprà*, ad sequentem articulum veniamus, in quo magnum Suarem aggreditur, nimirum *Confessarium debere credere pœnitenti, si ab eo interrogatus, utrùm doleat de peccatis, & proponat ea in posterum non patrare, id verbulo affirmet.* Suar. *in* 3. *p. tract.* 4. *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 7. *n.* 358. *& curam Confessarii huc demum reduci.* Suarez hoc loco nihil prorsus dicit, quod ab omnibus auctoribus

Catholicis non dicatur, ut ipse testatur sub fin. hujus *num.* 2. his verbis: *ita docent omnes auctores*; nempe casum illum statuit, in quo ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam peccandi, sed tantùm communis & generalis obligatio non peccandi de cætero, ac proinde præmissa integra confessione, dispositio pœnitentis ex duobus consurgit, scilicet displicentia peccatorum & proposito non peccandi; si autem signa sufficientia utriusque Confessario non apparent, hic debet interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum, & verè statuat, in posterum non peccare; cui affirmanti credere tenetur. quid quæso in his mordendum, seu carpendum? an fortè fides pœnitenti detrectanda, in hoc scilicet casu, in quo nihil est, quod detrectandum esse persuadeat. Hæc sanè non jam minus probabilia, sed omninò certa, saltem apud auctores verè Catholicos; nonnulli fortè alium ritum inducere satagunt; sat scio, sed ritus Catholicos ex Rituali Romano non vero ex alio ab iisdem composito, & cum gravissimis notis damnato accipimus. Filliucius cum Suare Magistro suo, pro more consentit: addo unum, hîc etiam impostùram minimè desiderari, cum rem ipsi universaliter & absolutè statuant, quam tamen Suarez ad singularem casum restringit, in quo est tantùm communis & generalis obligatio non peccandi de cætero.

35. Antim. Redit ad Baunium, cui hanc opinionem attribuit, *Theol. mor. p. 1. tract. 4. q. 15. pag.* 137. *Pœnitens à Confessario interrogatus, non tenetur dicere peccatum, cujus se accusat consuetudinis esse*; ita est: sed prudenter addit ibidem Baunius, *dub.* 12. nisi Confessarius gravem causam habeat interrogandi scilicet pœnitentem, de consuetudine peccandi, ex levi enim causa, hoc jure non pollere Confessarium putat; alioquin, inquit, teneretur Pœnitens repetere peccata legitimè jam confessa; nec habet jus afficiendi pœnitentem hoc dedecore, quem potiùs debet absolvere; si hic habet verum dolorem de præteritis, cum proposito non peccandi. Suar. *de pœnit. disp. 22. sect. 4. num.* 15. cum Cano, contra Sylvestr. docet, non esse necessarium hanc circumstantiam consuetudinis fateri per se loquendo: nam ut optimè observat, si talis consuetudo constituit pœnitentem in periculo, facilitate, occasione proxima peccandi, illam haud dubiè rescire debet Confessarius, ut de dispositione & obligatione pœnitentis certus reddatur; & in hoc casu pœnitentem interrogare debet, & hic rem aperire tenetur; & hæc est illa gravis causa, quam Baunius excepit. Leander 1. *part. tract. 5. disp.* 8. *quæst.* 21. mordicus defendit dictam Baunii opinionem, pro qua unum citat Joan. Sancium, & *quæst.* 26 Navar. Hurtad. & Baunium; sed profectò Navar. *cap.* 6. *num* 7. contrarium asserit. Utut sit, communis est nostrorum auctorum sententia pœnitentem de consuetudine interrogatum teneri ad respondendum; & opposita sententia, inquit Delugo, *disp.* 14. *de pœnit sect.* 10. *num.* 172. *Est contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, contra finem hujus Sacramenti; nec ullus unquam timoratæ conscientiæ eam sequetur*, quare hanc sententiam Baunii & Leandri nullo modo probamus, nec in hoc Baunium defendendum suscepimus. Eundem Baunium deinde perstringit, eo quod doceat *part.* 1. *tract.* 9. *quæst.* 9. *rationem boni temporalis facere, ut is absolvi possit qui est in occasione proxima peccandi.* Male citat *tract.* 9. pro 4. & *quæst.* 19. pro 14. deinde Baunius tres tantùm assertiones in hac quæst. habet: 1. est, regulariter absolvendum non esse, qui est in occasione proxima; regulariter, inquit, quia ex multorum sententia licèt exponere sese periculo peccandi, cum agitur de aliena salute procuranda; pro quo citat Basilium Poncium, Castr. Pal. D. Thom. Salas, Sá, Armill. Navar. Graff. Henriq. Cajet. contra Suar. & alios. 2. est de occasione remota, neque hinc facit, 3. est, eum posse absolvi, qui est in occasione proxima, si dolorem de peccatis habeat, & firmum propositum non peccandi, & justam causam non deserendi prædictam occasionem, & citat in hanc rem Sá Philiarc. Ludovic. Cordub. Ludovic. Beja, Layman, Candid. Dian. Navar. cum iis scilicet conditionibus, quas dicti auctores præscribunt, v. g. ut sit verus dolor, verum propositum, justa & notabilis causa non deserendi illam occasionem, quæ non sit per se mala, sed indifferens uni scilicet ad bonum, alteri ad malum, ac demum non sit assiduitas peccandi, sed bis, aut semel in mense. Nullam porro mentionem facit boni temporalis, sed tantùm justæ, honestæ & rationabilis causæ: eadem habet *in summ. cap.* 46. *concl.* 1. in qua negat, pœnitentem absolvi posse, qui occasionem proximam recusat deserere, quæ tamen talis non est, inquit, si appellatæ conditiones adfuerint, citatque præter appellatos, Laym. Manuel. Reginald. Suar. Vivald. quid porro in his tam horrendum & acatholicum, non video; præsertim cum illa *quæst.* 5. in qua hæc habet, non quid sentiat ipse, sed quid auctores citati sentiant, & doceant, tantùm referat.

36. Pithanoph. Addunt alia duo capita, quæ Baunio exprobrant, nimirum, *Iuniores absolvendos esse, qui in eadem peccata sæpe recidunt, etiam si ab iis abstinere non conentur*; Baun. *tract.* 4. *quæst.* 15. imponunt Baunio Adversarii ultimam illam clausulam, cujus ne meminit quidem; imò *dub.* 2. diserte dicit, rem committendam esse discreto Confessario, qui de re universa statuat, prout ad Dei gloriam, ac Pœnitentis bonum expedire judicaverit; & quidem si aliquid operæ studiique ad correctionem vitæ præteritæ adolescens attulit, veroque dolore de peccatis tangitur, hunc absolvendum esse censet. Hæc Baunius *pag.* 46. *col.* 1. *lit.* 5. unde constat, dictam clausulam impositam illi fuisse; illa igitur quæ habet *q.* 22. *pag* 109. non 104. ut imponunt Adversarii, in eodem sensu accipienda sunt, & hoc erat alterum caput; in quo, ne quid diffiteat, multa sunt maturè ac sedulò consideranda, illudque præsertim ponderandum, ne dum nimio rigori studetur, non charitati modò, verùm etiam Justitiæ parum consulatur; nullum enim dubium est, quin gravissima injuria pœnitenti inferatur, si eidem rectè disposito absolutio negetur, aut invito illo, differatur; meminisse debet Confessarius, se ministrum esse, non dominum sanguinis & meritorum Christi, nec non divinæ reconciliationis; de his ad libitum ac proarbitrio disponere non potest; sed fideliter ministerium suum implere: judicat, operæ pretium fore, si absolutio differatur, & pœnitentis probetur propositi constantia; si certò judicat, do manus, inculcet pœnitenti; at certum judicium ea de re habere vix potest, posita præsertim confessione integra, cum sincera contritione & firmo proposito non peccandi; igitur probabiliter tantùm id judicat, idque ad summum, saltem ut plurimùm, probabile igitur est oppositum, nimirum pœnitentem absolvendum esse, utri amabò judicium probabile favere debet; Confessario, an Pœnitenti? huic, ni fallor, cujus res agitur; unde in hoc casu, invitus reisci non debet; sed

sed tantùm res ipsi proponenda, & si consentiat, absolutio differenda.

37. ANTIM. Redeunt iterum ad Escobar, *p.* 11. *tract. exam. 9 num.* 91. *Dolor*, inquit, *de peccato mortali conceptus ratione mali temporalis incursi, ob quod conceptus ratione mali temporalis incursi, ob judicem sanitatis, aut pecuniæ, sufficit cum Sacramento, modò à Deo immissum fuisse credatur.* Aperta mendacij calumnia est, & ferè tot menda, quot verba. Primò enim Escobar in libro *Theol. Moralis* apertè, non habet partes, malè igitur citatur pluries, non habet partes, malè igitur citatur *part.* 11. malè etiam citat *Examen* 9. 4. citare debuerat 3. *Caput.* 4. citare omisit, 4. malè citat *num.* 91. qui 26. citare debuit; 5. quod ad rem spectat, dicit contritionem perfectam esse detestationem peccati, quatenus offensa Dei est, & propter Deum summè dilectum; attritionem verò, detestationem ex quolibet alio motivo, sive temporali, sive æterno; ubi tamen dicat attritionem quamlibet sufficere, cum Sacramento, non invenio; imò si hoc diceret, sibi manifestè contradiceret: nam eadem pagina, post duos versus, dicit, illam sufficere cum Sacramento, modo supernaturalis sit, *& ex motivo æternæ, ut pœnæ inferni, privationis gloriæ, offensæ Dei, sed non summè dilecti*, concepta sunt illius verba, manifesta igitur impostura, quod pertinet ad Amicum, quem citant, *tom.* 8. *disp.* 3. *num.* 13. certum est, attritionem illam tantum ex eodem Amico sufficere, quæ ester motivo supernaturali, ut diserte docet *num.* 12. Unde cum pœnæ à Deo infligendæ etiam temporales, motivum supernaturale esse valeat, v. g. pœnæ Purgatorii, vel corporis ægritudo, si illæ eam à Deo revelaretur, nihil mirum, si ex illorum motivo, contritio eliciatur, quæ cum sit conversio ad Deum, sufficientem, cum Sacramento, dispositionem esse, pareat; nihil certèin hac doctrina esse video, quod cum Tridentin o in omnibus non consentiat; & verò ex Adversariis rescire velim, num attritio, qua quis peccata venialia detestatur, sic ex motivo pœnæ æternæ; ut ut sit, Amicum hoc carpere non deberent, cum iis plus æquo favet, utpote qui attritionem illam cum Sacramento sufficientem eam esse velit, quæ aliqualem Dei amorem super omnia complectatur, quod tamen nostrates auctores falsum esse, docuerunt: & verò in hac clementia nostra de attritione, quod scilicet cum Sacramento, sufficiat, Amicus, præreliquis omnibus, strictè, ut ajunt, ac rigidè sentit; unde protectione erat, quod Adversarii in hoc argumento illi non competerent, sed potius laudarent.

38. PITHANOPH. Ad ultimum caput devenimus, in quo Adversarii Antonium Sirmondum fugillant, eo quod scripserit, homines ad amorem Dei, ex præcepti charitatis, non obligari, nec ad aliud præceptum ex motivo ejusdem amoris; vestri omnes, quorum memini, oppositam sententiam tenent, nec Sirmondus negavit unquam, homines interdum ad alia præcepta teneri & obligari ex motivo charitatis, ex divini amoris, ponamus enim hominem in periculo vitæ constitutum, non habere Confessarii copiam, haud dubiè ad præceptum pœnitentiæ tenetur, id est, ad detestationem peccatorum, non quamcumque, sed perfectam, nimirum ut plerique autores, ex motivo divini amoris. Nunquam hoc Sirmondus, nunquam ullus ex vestris negavit. Sirmondum quidem, ut impium traduxit Wendrockius, impius ipse, pessimus & iniquus divinæ charitatis defensor, quam mortali stylo seu mucrone, sinistris verbibus jugulat, qui multa & fere omnia falsa illi imposuit, nempe hic auctor nihil aliud sensisse mihi videtur, nisi quod præceptum divini amoris etiam impleatur, quando divina mandata servantur, licèt enim bonum opus ex bona intentione & recto affectu ortum ducere debeat, nec enim effectum honestæ operationis, sine affectu honestæ intentionis esse potest, sed illud unum dumtaxat dixit, impleri præceptum Dei effectu, non quidem sine ullo bono affectu, ut dixi, sed tantùm sine affectu puri & perfecti amoris: alioquin Dei præceptum toties violaretur, quoties ex alio motivo & affectu quàm puri & perfecti amoris procederet, quod nemo dixerit: illud ipsum est, quod Sirmondus asserit, nimirum à Deo præcipi effectum, nimirum mandati, idque, sub æternæ damnationis pœna, non tamen affectum interiorem puri & perfecti amoris, sub eadem pœna conjungi mandavit, id est, in quolibet præcepto duo præcepta non agnovit, juxta doctrinam S. Thom. S. Bernardi & aliorum; utrùm verò seorsim, præter illa præcepta Decalogi, sit aliud divini amoris, quod non obliget ad ullum alium effectum, vel actum, nisi tantùm ad interiorem illum affectum puri & perfecti amoris, vix definivit Sirmondus, saltem, quo tempore præceptum illud obligaret, cum nihil certi super hoc ab auctoribus tradatur: unde facilè mihi persuadeo, Sirmondum sensisse, præceptum illud puri & perfecti amoris in iis tantùm casibus obligasse, in quibus homo præcepto Pœnitentiæ tenetur, nec fit copia Confessarii, ita ut in dictis casibus duplici præcepto teneatur, altero scilicet Pœnitentiæ, altero perfectæ charitatis, nec unum sine alio implere possit; & verò fieri non potest, ut verè pœniteat, nisi ex motivo charitatis, nec actum puri amoris eliceat, nisi pœniteat, eum peccasse, in eo scilicet casu.

39. ANTIM. Ita est, rem acu tetigisse videris, nihil aliud Sirmondus sibi proposuerat, quam ut Novatorum errorem confutaret, qui volunt omnem hominis actum peccatum esse, qui ex divini amoris fonte ortum non ducat; legere poteris Stubrockium, *in 3. not. ad* 10. *Epist. Montaltii*, in qua breviter, accuratè tamen Wendrockio notas confutavit de hoc argumento. Ex his autem manifestum fit, quam fidem hujusmodi hominibus habere debuisset: sed pergamus. Jam ventum est ad 41. fundamentum, quod *à num.* 337. *ad num.* 341. petiit ab Epistola Archiepiscopi Mekclinien sis ad S. Congregationem Concil. data die 17. Julii 1654. quibus 17. Propositiones à facultate Lovanien si damnatas die 30. Martii 1653. attexuit: item ex alia Epistola Episcopi Gandaven sis ad dictos Lovanienses, data die 9. Aprilis 1657. quibus 26. Propositiones, in quibus aliæ priores fere omnes, continentur subjunxit ab eadem facultate, censura notandas, uti revera notavit 4. Maii eodem anno: item ex decreto sancti Officii dato 30. Januarii ann. 1659. in quo sex Propositiones damnantur. Sed hæc nihil ad nos, cum nec ullus ex nostris auctoribus appelletur; imò nec libri, ex quibus expromptæ sunt, designentur, ac proinde nulla opus sit defensione, ubi nulla adstruitur accusatio: jam verò quod ad Mechlinien sem attinet, amplissimus patet justæ recusationi campus: 1. suspectum hominem fuisse, notoriumste. 2. publicum & juratum nostræ Societatis hostem. 3. notatum à sancta Sede ut refractarium & justa interdicti censura percussum 4. Coryphæum adversarum partium in Belgio. 5. illorum opera usus semper fuit, ut ipse testatur, qui ut Adversariis semper adhæserunt, ita Jesuitis semper adversati fuerunt, ut Fromondus, Calenus, Sinnichius, Pontanus, &c. hæc & alia ultro prætermissa,

illius

illius de nobis opinionem, & iniquum judicium infirmant & prorsus elevant ; idem de Gandavensi dictum esto velim; Lovaniensis demum facultas à tempore Baij, se nobis parum æquam præbuit : ex ea prodiit Lansenius, & primi ac præcipui illius doctrinæ defensores, assertores, approbatores, ut Calenus, Fromondus, Pontanus, Sinnichius, &c. nostros hodienum variis obtentibus vexare non cessat; unde ut prædictam illius censuram non rejicimus, ita non admittimus, seu potiùs parùm curamus: notatæ Propositiones non ita crudæ jacent in libris auctorum, ex quibus excerptæ fuerunt, sed suis limitationibus, restrictionibus, & conditionibus appositis instructas legimus: quales sunt illæ, in quibus agitur de occasione proxima, de repellēda contumelia & accusatione injusta, de opinione probabili, de furto, de famulis domesticis & justa compensatione, de illo, qui cessit foro, de munere à Iudice accepto, de damno illato ab alio tertio, resarciendo, de usura, & contractu moatra, de simonia, de Missa audiēda ex præcepto, de crimine occulto, de superfluo, de potu immoderato, de jejunio, de plena ad agendum deliberatione & libertate, de absolvendo sæpius relapso, de formali adulterio, de restrictione mentali, de homicidio, de mendacio & juramento, de duello, & nonnullæ aliæ ejusdem generis, quæ si absolutè & absque ullis restrictionibus & conditionibus appositis enuncientur, horrorem illico incutiunt: ita prorsus nonnulli vociferari non cessant morum corruptelam à Iesuitis induci, cum homicidium, calumniam, usuram, simoniam, furtum, aliàque hujusmodi licita esse, pronuncient : quod quàm falsum sit notorium est : nunquam enim privata auctoritate occidere licèt, nisi ad moderatam & necessariam sui, rerùmque suarum defensionem, nullam simoniam admittimus, nullam usuram : illud dumtaxat, nullam simoniam esse nisi pactum insit, saltem tacitum : & nullam usuram, si perceptum lucrum legitimo titulo nitatur : nullam etiam calumniam probamus, nisi quando injustum accusatorem mendacem & impostorem appellamus : nullum etiam furtum, cum reverà furtum non sit, justa compensatione uti, iis scilicet conditionibus appositis, de quibus jam supra.

40. PITHANOPH. Inseruerunt tamen aliquas propositiones improbabiles, imò erroneas, quas nulla conditio apposita, nulla restrictio probabiles reddere valeat, v.g. quod absolvere liceat dimidiatè tantùm confessos in magno concursu : quod liceat Clerico calumniatorem occidere : quod præceptum servandi Festa non obliget sub mortali : quod liceat procurare abortum, nondum animato fœtu : quod possit peti maleficium à parato maleficium solvere : quod peccata in confessione omissa, non debeant ultra clavibus subiici, quod fœtus quandiu est in utero, careat anima rationali : quod urgens metus causa justa sit dissimulandi Sacramentorum administrationem : quod jejunare non teneatur, qui dormire nequit, nisi vespere sumpta cœna : quod homo non teneatur unquam elicere actum amoris Dei ; nihil ex his apud auctores Catholicos, præsertim apud vestros invenies : imponuntur tamen à bonis illis, qua fide, qua conscientia, non alia sanè quam mala.

41. ANTIM. Inter Lovanienses multi sunt, hodienum nostris contrarii : manet alta mente repostum Iudicium Baii & Iocii Iunioris : hic sanè illum, auctore Iansonio, vindicare voluit, sed longè turpius erravit, constitutiones Apostolicas admiserunt : aliqui tamen verbo tenus ; cum damnatam doctrinam propositis Thesibus obstinatè defendant ; de aliis non judico, quæ intrinsecùs latent, multas habeo in manibus hujusmodi positiones, quæ certè inter inconcussa SS. Augustini & Thomæ dogmata recenseri non possunt.

42. PITHANOPH. Scio, ad quid alludas ; nempe illaudantur ab Alexandro VII. eo quod prædicta dogmata docenda & defendenda suscepissent, ex quo tamen perperam aliqui dixerunt, nihil esse in grandibus illis voluminibus SS. Augustini & Thomæ, quod dogma fidei censendum non sit ; longe alia mens fuit Alexandri, quis enim sui compos sibi persuadeat, tam multa illum & grandia volumina inter libros canonicos referre voluisse : accepi ex ipsius ore, uti ante me V. Vander-Beken acceperat, nunquam literas illas ad se visas fuisse, quæ ad Lovanienses illius nomine scriptæ fuerunt : ut ut sit, privatæ literæ fuerunt, præterquam quod in bono sensu verba illa intelligi possint de doctrina Ecclesiæ & fidei, quam duo illi sanctissimi Doctores scriptis suis mirabiliter illustrarunt ac promoverunt. Quod tandem spectat ad decretum S. Congregationis & propositiones in eo damnatas, nihil profectò ad nos, qui dictas propositiones non modò non tenemus, sed execramus : meminerint tamen qui hanc censuram adeò jactarunt, per illam immunes à censura declarari 4. & 5. nimirum, quod nullum in foro conscientiæ Parochialem Missam audire teneatur, nec in Parochia confiteri, ut annuæ confessionis præcepto fiat satis, nec talem legem in hac materia ipsi Episcopi, nec etiam concilia Provincialia, aut rationalia sancite, nec delinquentes, quo ad hoc, censuris, aut pœnis multare possint suppositis scilicet, à prædictis omnibus privilegiis Apostolicis. Quæ mirum esse non debet, si quidam libelli in quibus hæc audaciùs adstruebantur notati & damnati Romæ fuerint, v.g. liber Anonymi, qui tamen Parocho S. Pauli Parisiensi vulgò tribuitur : item illius defensio Parocho S. Rochi edita, recèns denique libellus inscriptus *Missa Parochialis* à Parocho sanctæ Opportunæ Pictavienſi editus : sed de hoc decreto alias in Decade : in cujus tenorem hanc clausulam, *ad quam dumtaxat*, nimirum ad Sedem Apostolicam, *fidei controversias & morum universalis Ecclesiæ pertinet definire*, insertam fuisse, nonnulli mirati sunt, quia non tantùm hoc pertinet ad sedem Apostolicam, sed etiam ad Concilium Oecumenicum : sed immeritò, primò, quia illa particula non tantùm, significat apud Latinos *tantùm solùm*, sed etiam *saltem*, ut videre est apud Calepinum, Robertum Stephanum, apparatum Ciceronis, &c. Secundò, quia nec etiam ad Concilium nisi quatenus auctoritate Sedis Apostolicæ approbatum & confirmatum est, pertinet : sed hæc obiter, saltem indicasse, sit satis. Huc tamen rectè quadrabant : quamvis autem longè plura reticueris, quàm dixeris, in quo tamen tuam prudentiam summoperè laudo, omnia dissimulare ac reticere pudebat, omnia referre ac revelare parum juvabat. unde satius esse duxisti, pauca saltem indicare, quæ intelligenti sint satis. Sed tandem ad 42. illudque ultimum fundamentum ventum est, *num.* 340. quod sumpsit Illustrissimus ex auctoritate gravissimorum Patrum & Magistrorum primæ classis, Aristotelis scilicet citati in primo fundamento S. Augustini citati in 15. S. Chrysostomi in 16. S. Thomæ citati in 18. sed jam supra ostensum est, Aristotelem, ne cogitasse quidem de hac controversia ; SS. Augustini & Chrysostomi loca, ad

adem non pertinere, & Doctorem Angelicum in illorum recantato, *quodlib. 8. art. 13.* nostræ sententiæ non patrocinari; sed hoc repetere non juvat, neque id admittendum, quod in Adversariis evincimus. Citat deinde Scotum *in 4. d. 11. quæst. 6.* num. 11. in hunc modum: *Cum multis probabilior sit pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubiæ, sequendo scilicet affirmativam minùs probabilem;* hæc verba, sensum & mentem Scoti depravant; cum enim Scotus dixisset, certum esse, quod farina non purgata sit materia conveniens, nimirum ad consecrationem, & dubium esse an Amidum sit hujusmodi materia; statim subdit: *Et cum pars negativa multum sit probabilior, non sine peccato aliquis exponit se tali dubio, maxime ille, qui præparat Hostias consecrandas.* Unde manifestum fit verba Scoti non esse curanda. Unde manifestum fit verba Scoti & mentem & sensum nihil huc conferre. Sequitur Henricus n. 341. qui diversis verbis concludit *eum peccare qui agit contra dictamen conscientiæ*; id fatemur ultro, sed nihil ad rem; statuit enim Henricus, partem illam periculosam, & bene concludit, eam ad praxim reduci non posse; at si opinio verè ac certò probabilis est, periculosa dici nequit, ut constat ex dictis. Joan. Majorem deinde citat, Gabrielem, Gersonem *num.* 14. sed ut jam dixi, Major non vult aliud in via morum, nisi certam conscientiam; Gerson & Gabriel nihil nisi dimittendum incertum, ac certum tenendum, idem quoque volumus; nam si altera pars certa est, opposita probabilis non est: Conradum mitto, errantem scilicet in eo quod dicit, intellectum non posse non credere id, quod ipsi ostenditur magis credibile. Joan. Nider. stare à nostris partibus certum est, ut jam observavit P. Steph. Dechamps *in quæst. in appendice*; dein ex verbis eorum ab Illustrissimo citatis, Nider nihil aliud postulat, nisi ut opinio non sit contra auctoritatem S. Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ, & is, qui ea utitur, bonam & certam conscientiam sibi fingit; cui revera decisioni subscribimus; S. Antoninus & Navarrus nostræ sententiæ certò adhærent; idem de Sylvestro, semel atque iterum ostensum est. Sudere loquitur de Judice, reliquos nihil moror; nec Gravinam, Ant. Perez, Philalet. Comitol. Mercurium, Fraxinell. Mercorum, &c. nec enim ii sunt, qui cum innumeris ferè aliis, ut numero, ita doctrinâ prudentia longè superioribus conferantur. Quod autem *num.* 354. ubi modernis Theologis aliunde nos opponit, inter modernos Henricum Gudvens. scilicet, reponit, crassus error est in Chronologia; hic enim ante 400 annos vivebat. Accedit deinde Theologis *à num.* 343. *ad n.* 348. suos Canonistas & Jurisperitos, sed præterquam quod loquuntur de Judice & foro contentioso, si eorum loca discuteremus, non ita forte adversariis nostris verè conferentur; sed hæc à nobis provincia excepta non fuit; imò tot falsitatibus exhauriendis impares nos esse, fatemur. Accedit, quod Illustrissimus pro more, pessimè allegat Auctores, eos forte Jurisperitos imitatus in curia, qui pro utraque parte eosdem auctores citare consueverunt.

43. Antim. Mirare quæso, quàm asseveranter dicat Illustrissimus *num.* 348. suam sententiam magis communem esse, sive gravitatem, sive numerum Doctorum consideremus; vix unum ex Antiquis, ut pro se protulit, si Cajetanum excipiam, quo alias; recentiores autem ab eo nominati vix nisi de nomine, ut Perez, Fraxinellus, Philalethus, Cortolus, Corduba, Gravina, Conradus, Coëllin, sequid hi inter tantos: *à num.* demum 349. *ad num.* 354. multa congerit in laudem Antiquorum, cuncta hæc ultro damus; sed quid ad nos, cum ne unum quidem antiquum allegarit, qui dicat in terminis, opinionem verè ac certò, minùs licèt, probabilem, teneri non posse absque peccato.

44. Pithanoph. *A num.* 355. *ad num.* 381. eadem repetit, quæ jam supra semel iterumque attulerat, & plene discussa fuerunt: nimirum de consiliario animarum, de Judice, de Medico, de Rege bellum inferente, de Sacramentorum administris, de probabili Sacerdotis jurisdictione, de his jam suprà ad nauseam; tæderet ac puderet repetere, præsertim cum vestri à calumniis ea de re afflictis plenè vindicati fuerint: unde concludit, paucos esse, qui generaliter & indistinctè affirment opinionem minùs probabilem licitam esse, cum plurimi sentiant oppositum in Judice, Medico, &c. Tu verò, ni fallor, generaliter statuisti, licitam esse, modo verè & certò probabilis sit; nec enim certo probabilem reputas opinionem illam, qua, v. g. Sacramenti minister judicaret, sibi licitum esse, adhibere materiam probabilem, dum certa suppetit: item Medico, creperum & dubium medicamentum, si aut certum, aut minùs dubium habeat ad manum, &c.

45. Antim. Mentem meam omnino assequutus es, neque id probabile reputo, nimirum verè ac certò probabile, utral às diximus, sed ad summum probabiliter probabile; & probè distinguenda est opinio probabilis à materia, seu forma probabili, medicamento probabili, &c. ac demum ex P. Stephano Dechamps jam ostendimus, à nostris præsertim auctoribus, hoc argumentum probabilitatum valdè restrictum & limitatum fuisse, seu potius eo redactum, ut multa nostri, ea nempe, quæ de Judice, Medico, Sacramentorum ministro, &c. diximus, probabilia in praxi saltem & usu esse non duxerint, quæ antiqui, vel antecessores probabilia reputaverant.

46. Pithanoph. Exprobrat demum nostræ sententiæ auctoribus, *num.* 381. quod sint inter se varii & non parum dissideant, sed hoc jam supra rejectum est, imò argumentum in Adversarios retorsimus: nam 1. in his omnes conveniunt, quod minùs probabilis & minùs tuta sit licita. 2. quod opinio ut licita sit in usu verè ac certò probabilis esse debeat, si unum dumtaxat, vel alterum excipias. 3. quod conscientia certa esse debeat, excepto etiam uno, vel altero; sed quid unus, vel alter inter tot & tantos; cum igitur in his tribus, quæ ad substantiam pertinèt, consentiant omnes, parum refert, quod in aliis quæ mera adjuncta sunt dissideant. Exponit etiam Advocati partes *à num.* 381. *ad num.* 392. sed cum ad præsentem controversiam non pertineat, præterquam quod nihil aliud de hoc argumento scripsit, nisi quod alii communiter; poterat tamen illa omittere, quæ tradit ex Hostiens. nimirum *Advocatos meliorem vitam facere, quam Fratres Prædicatores, vel alios Religiosos*, faceret Deus immortalis, ut dictum hoc veritati consentaneum esset, non modò de Advocatis verùm etiam de Judicibus; mihi credat Illustrissimus partem hanc non minùs remedio indigere, quàm Theologiam moralem, causarum æternitas, tricarum forensium dumetum, opum furiosa cupido, vænalium officiorum ratio, quæ ad compensationem conducit, aliaque fere innumera prorsus evincunt, longè satius fore rem forensem tantulum restaurari, quam Theologiam moralem.

47. Antim. Non ita res se habet, ut dicis; licet Illustrissimus communem sententiam sequatur, casu quo

quo pars utraque causæ æque probabilis sit, tunc enim Advocatus alteutram, inquit, defendendam suscipere potest; si tamen altera probabilior est, Illustrissimus docet, ab Advocato minùs probabilem defendi non posse; quod certè doctrinæ communi repugnat, quam tenent Toletus, Less. Sylvest. Graff. Sà, Sotus, Sanchez, Burgos, Bannez, Salon. Manuël. Aragon, Petr. Ledesma, Mercado, Vasquez, Salas, Azor, Sayr. Valentia, & multi fere alii. Et verò si hæc Illustrissimi doctrina vera esset, nullam unquam Judex causam definiret, nec ferret sententiam: nam vel utraque pars est æquè probabilis, vel altera probabilior; si primum, Judex causam alteri ad libitum adjudicare non debet, juxta principia Illustrissimi, si verò secundum, cum nullus Advocatus minùs probabilem defendere licitè possit, nulla lis esse poterit de hac causa; si autem nulla lis, nulla profectò sententia.

48. Pithanoph. Legistam hujus ratiocinii vix patientem esse, mihi facilè persuadeo; quod tamen, si quid video, rem demonstrat. Sed his omissis à *num.* 392. *ad num.* 402. Solvit argumenta, quæ faciunt pro nostra sententia; sed vel ex suis principiis falsis, vel ex aliis etiam falsis, quæ vobis affingit. Statuit enim probabiliorem opinionem esse moraliter certam; intellectum ab objecto probabiliore rapi ac determinari, intellectum à voluntate determinari non posse; esse verè probabile, & videri probabile, pro eodem accipi; nullum assensum prudentem esse, nisi certus sit. Vobis verò imponit, quod certam conscientiam ablegetis, quod contra rectam rationem licitè agi posse dicatis, ac proinde cum dubia conscientia, & periculo peccandi, &c. quid mirum igitur, si ex falsis præmissis falsa deducat & malè ratiocinetur: præterea multiplicare argumenta non juvat; nunquam tuum illud diluit, nunquam solvit, in quo scilicet, demonstras, ex certa probabilitate necessariò sequi certò prudentem assensum, certò prudentem electionem, certò prudentem usum; huc tandem tota res ista reducitur: illud porro pulchrum, ut vocat, exemplum Mercori de 7. Senioribus à Rege Duci exercitus datis, ut eorum consilio rem agat, idque, ut ajunt, & statuit Illustrissimus, secundùm plura vota; si enim tres illorum senserint, prælium committendum esse, secus alii quatuor, & Dux prælium committat, quidquid inde successerit, Dux ille à Rege plectendus est; ita prorsus, cum Deus nobis dederit rationem, ut ejus dictamina sequamur, nisi eam partem sequamur, pro qua plura stant vota, seu suffragia, delinquimus; exemplum inquam illud ad rem non facit & claudicat illa comparatio; nempe Dux ille contra Regis præceptum se gessit, qui jusserat, ut eam partem sequeretur, pro qua plura starent vota; at nullibi Deus jussit hominibus, ut probabiliorem partem sequantur; mandavit certè, ut rectè agant, id est, juxta rectam rationem, periculum fugiant, prudenter se gerant, ita est; sed quisquis opinionem verè ac certò, licet minùs probabilem sequitur, rectè, prudenter, tutò agit, ut toties ostensum est. Sed in his refutandis, tempus frustra terimus, præsertim cum eadem Illustrissimus centies repetat; illud quod de jugo Christi *num.* 401. jam aliàs discussum est; nemo enim negat, ad ferendum Christi jugum divina gratia eaque uberè opus esse; dicimus tantùm, suave esse, & onus leve, ac proinde novis difficultatibus minimè asperandum, de quo jam aliàs; nempe Pharisaicum est, imponere hominibus onera importabilia, quæ vel extremo digito nolis movere; arcta quidem est via, quæ ducit ad vitam, hæc tamen est via mandatorum Dei, ut patet; at inter mandata Dei nullum invenio, quod homines obstringat ad probabiliusd: perfectius; alia quidem via est, non præcepti; sed consilii; unde constat, duas esse vias, quidquid Adversarii dicant; alteram scilicet mandatorum, alteram consiliorum & perfectionis Evangelicæ; hæc est de consilio, illa de præcepto; abs re igitur Balsæum corripit Illustrissimus, quod duas vias agnoverit, quibus itur ad astra, utramque reverà tutam; de altera Paulus appositè, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, de altera Christus, *si vis ad vitam ingredi serva mandata*; sed mirari satis non possum, quod viri, qui vestiuntur, si non purpura, saltem Bysso, & cum iis omnibus commodis vivunt, nimirum licitis, quorum hominum vita patiens est, nimiam laxitatem scriptori Capucino exprobrent, cui comites ejusdem doctrinæ & instituti accedunt Franciscus Longus à Coriolano, Ludovicus Casnensis & alii.

49. Antim. Omittere igitur poterat Illustrissimus acerbiora multa, quæ hîc congerit, v. g. nimirum doctrinam nostram de opinione probabili, non esse viam Evangelicam, & ducere ad interitum; esse viam latam, quam Christus nunquam docuit, quæ ex divino oraculo ducit ad Inferna; quod confirmat ex scripto prolixiore loco Dominici Gravinæ, esse manifestam illusionem, minimè tutam, hebetare & obtundere conscientias, vel ut vulgarius loquitur, grossas & largas efficere; ædificare ad gehennam, reluctante licèt conscientia; hæc gratis omnino, sed bona fide & ex recta intentione, ut piè credo, Illustrissimus; quare eadem facilitate destruuntur, qua adstruuntur, & facilè mihi persuadeo, nunquam nostram sententiam ab Illustrissimo aut bene perceptam, aut saltem maturè ponderatam fuisse; cum enim peccatum certò arceat, ut demonstravimus, non ducit ad interitum, nec ad Inferna, nec doctrinæ Christi adversatur, qui hoc unum præsertim omnibus commendavit, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; nec ita hebetat conscientias, ut asserit Illustrissimus, si hebetes vocat, tam multos, imò fere omnes Doctores, qui nostram sententiâ defendunt, quorum censum supra dedimus, & unum Gravinam cum paucis aliis, nullius fere nominis, subtilem & perspicacem reputat; hæc illius sententia non modò minùs probabilis est, sed omnino improbabilis censenda; sed hæc mittamus, nec enim ad contumelias, seu convitia, sed ad argumenta respondemus. Denique *num.* 402. in summarium colligit Illustrissimus quidquid hucusque dixerat; nempe, ut melius res suas inculcaret, centies eadem repetere voluit, & tandem hoc epiphonemate concludit, *hæc sequere, & in perpetuum non errabis*. Sed absit, ut manifestos errores amplectamur; sequi enim errores, errare est, & potiùs, quod D. Thom. alioque Doctores alicujus nominis, eorumque doctrinam de opinione probabili sequamur; sed his omissis quæ ad Paræneim potiùs, quàm ad Scholasticam dissertationem pertinent, restat ut reliqua discutiamus.

50. Pithanoph. Nihil prorsus restare arbitror nam ultima quæstio, utrùm auctoritas unius Doctoris, ad conciliandam probabilitatem opinioni, sufficiatis, quod Illustrissimus negat, & hoc etiam negamus de multis, nec enim Baro, aut Mercorus, aut Philalethus, nec etiam pauci alii, quibus reliqui omnes refragantur, opinionem illam suam probabilem facere videntur, nec etiam ipse Illustrissimus ut jam dictum est; sed quæro exipso, an D. Thom.

opinionem

opinionem probabilem faciat, an Bonaventura, an Scotus, si neget, bene est; viderint Thomistæ, Scotistæ, &c. si alleret, quæro de Bellarmino, Toleto, Delugo, Cajetano, immo de Dominico Soto, Martino Navarro, Bannez, Victoria, Alvarez, si admittantur, cur jure meo, multos ex vestris non accersam? Suarez, Vasquez, Valent. Molin. Less &c.

11. ANTIM. Rectè omnino; fatemur enim, quemlibet ex modernis tantæ auctoritatis censendum esse, ut opinioni probabilitatem conciliet, nempe decreto S. Congregationis supra sæpius appellato, hæc propositio *num.* 27. jure damnata est, *si liber sit alterius junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis*; quamvis alioquin sit ut cumque doctus & quibus; in hoc cum Illustrissimo convenimus, quo hoc ipsum habet *num.* 406. in prima conclusione, unde omittenda sunt omnia illa, quæ in hanc rem congerit argumenta, à *num.* 407. *ad num.* 413. petita ex Aristotele, Augustino jure civili & canonico, S. Thoma, Parochis Parisiensibus & Rothomagensibus, Academiæ Lovaniensis censura; sed nos ultro fatemur; quare argumentis opus non est; nunquam enim Bato, aut Mercorus, nunquam Philalethus, aut Comitolus, nunquam Diana, aut Pasqualigus, nunquam Fagnanus, aut Merenda singularem opinionem, probabilem nobis facient; unum tantùm observo, quod habet Illustrissimus *num.* 413. ubi citat hæc verba Cardinalis Delugo *disp.* 22. *de pœnit. num.* 43. *Ergo non est satis, quod Pœnitenti sit probabilis opinio, sed requiritur, quod verè sit talis, propter auctoritatem & rationes, quas pro se habet, vel communiter existimetur probabilis*, ex quibus concludit Illustrissimus, ergo secundùm eum sola auctoritas unius doctoris, *sine ratione*, ad hoc non sufficit. Tria peccat Illustrissimus in prædicta allegatione: 1. non citat assertionem Cardinalis Delugo, sed potiùs objectionem ab eo sibi propositam, assertionem enim habet tantum *num.* 46. 2. falsitatem, nec enim dicit hic auctor, *auctoritatem omnimodam, sed propter auctoritatem, aut rationes*: 3. inde nec concludit Illustrissimus: ergo secundùm eum sola auctoritas unius auctoris sine ratione non sufficeret, potiùs ex dictis verbis, oppositum concludi posset, ut per se patet; vide quæso, qua fide, ab illustrissimo auctores citentur, immo Delugo non disputat hoc loco utrùm unus auctor faciat opinionem probabilem, sed utrùm Confessarius sequi debeat opinionem probabilem Pœnitentis; & *num.* 39. non debere omni asseverationè affirmat.

12. PITHANOPH. Illud *sine ratione* ambiguum est, dum opinio nullo gravi rationis momento niti creditur, nullo modo probabilis censenda est, ne quidem auctori, qui eam defendit; qui certè nullâ ratione fretus, probabile quidpiam adstruere nequit; ergo illud *sine ratione*, hoc modo intelligatur, verissimum est, *sine ratione* nullam opinionem esse vere probabilem; at si ita intelligatur, ut auctor omnino non præsumatur hoc adstruere, sine gravi rationamento, sed ab eo reticito; in hoc versatur quæstio, an opinio illa inde præcisè probabilis censenda sit; nimirum ex auctoritate expressa & formali gravis, docti, pii, aliisque conditionibus adornati, quas auctores ad hunc finem desiderant, & pro ratione præsumpta.

13. PITHANOPH. Optime observasti illius clausulæ ambiguitatem, & ad rem omnino; præsertim cum ejusmodi artifacti armis contra nos pugnent; sed fallimur; limitat Illustrissimus 1. conclusionem suam *num.* 417. *ad num.* 419. *nisi auctoritas*, inquit, *talis doctoris nitatur gravi fundamento, & in contrarium nulla occurrat oratio, vel auctoritas movens.* Sed cum bona illius venia, hæc non est limitatio, tunc enim præcisa etiam auctoritate, non jam opinio probabilis, sed omnino certa sententia est, cum opposita sit improbabilis, limitat 2. à *num.* 420. *ad* 424. ut non procedat *in auctoritate alicujus sapientis, qui sit clarissimus, & maximè notus ac princeps in ea facultate*; sed hic opus, hic labor est; erunt enim, qui aliquem talem reputent, secus vero alii: si enim Illustrissimum & paucos illius asseclas consulamus, nullus, Theologus sapiens, aut maximè notus erit, in tanto scilicet eorum numero qui probabilis opinionis assertores fuerunt, non Bellarminus, Lugo, Suarez, Vasq. Molin. Valentia Sanch. Lessius, &c. Duo tantùm ex nostra Societate, nimirum Philaletus & Comitolus clarissimi & sapientes censendi, ex Thomistis verò, non D. Thom. Albertus Magnus, Paludan. S. Antoninus, Didacus Alvares, Bartholom. Ledesma, Sylvest. Angel. Viguerius, Bartholom. Medina, Victoria, Lopez, Mercado, Nazarius, Bannez, Nugnus, Martinez, P. Ledesma, Cand. d. Ildephons. sed Baro, Gonetus, Mercorus: ex Clericis, aut Presbyteris regularibus, non Jesuitæ omnes, præter duos, non Aversa, Bossius, Spinula, Diana, &c. inter tot unus Augustinus de Angelis clarissimus reputatur: ex Carmelitanis, non Petrus Corneio, Lezana, & alii, unus tantùm Marinarius sapiens; denique inter alios doctores Theologos, aut Canonistas, non Navar. Bonac. Navar. Guttier, Sylvius, Gamach. Du Vallius, Ysambertus, sed Duo tantùm Merenda scilicet & Fagnanus sapientes, clarissimi, maximè noti & Principes erunt. Unde statuendum est, cujus dicto & judicio standum sit, ut aliquis sapiens & maximè notus censeatur: quis porro in hac controversia judex? non certè alius, quàm communis & publica doctorum Hominum vox, quæ certè consulenda est; an autem inde habeatur, Suar. Vasq. Molin. Valent. Sanchez, aut Victoriam, Bannez, utrumque Soto; aut Navarrum, Bonacinam, Medinam, Poncium, aliosque bene multos omnium fere Ordinum tales esse, ut nihil adstruere nisi gravi rationis motivo freti, in re morali, aut Scholastica censeantur, æqui rerum æstimatores judicent.

14. PITHAN. Secundò concludit *num.* 425. opinionem unius Doctoris, quantalibet sanctitate & Doctrina præditi, teneri, & ad praxim deduci non posse tuta conscientia, si ab Ecclesia reprobata est: nemo sane Catholicus id neget, v. g. opinio de confessione per literas, & aliæ hujusmodi ab Ecclesia reprobatæ non sunt probabiles; in hoc nostri omnes Illustrissimo consentiunt, vel iis potius Illustrissimus consentit; unde à *num.* 425. *ad num.* 433. frustra probationes & argumenta congerit, quibus revera res certa non indiget: monendus tantùm est Illustrissimus qui ex S. Thom. *quodlib.* 3. *a.* 10. dicit, in iis, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullum ex ignorantia à peccato excusari, Doctorem Angelicum loqui de ignorantia culpabili, crassa, scilicet, vel affectata, cum certum sit, ignorantiam invincibilem eximere culpæ: immeritò demum Patrem Sanchez corripit *num.* 432. cujus opinio, inquit, defendi non potest, quam habet *lib.* 1. *in decalog. c.* 9. *num.* 7. cui scilicet non placet limitatio Adriani & Cordub. qui hanc Doctrinam ad ea restringunt, quæ sunt juris humani, non divini; quia, inquit, tam in iis, quæ sunt juris divini, quàm in iis, quæ sunt juris humani, viri gravis & pii auctoritas magni ponderis est; quod autem addit Illustrissim. 5 contra Tho-

mam Sanchez inde sequi, errores Arii & Nestorii antequam condemnarentur, cum ii viri graves & docti à multis reputarentur, fuisse opiniones probabiles; hoc certè non sequitur; quia etiam antequam damnarentur prædicti errores, erant contra manifestum Scripturæ testimonium, & contra id, quod publicè tenebatur secundum Ecclesiæ auctoritatem; quod certè nullus Catholicus negaverit. Et vero S. Doctor *d. art.* loquitur de opinione Arii, & Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum, quatenus erat contra manifestum Scripturæ testimonium, &c. alioquin malè concluderet, in hunc modum, qui ergo assentit opinioni alicujus magistri, contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur, secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari: pessimè igitur contra Patrem Sanch. Illustrissimus concludit, ex illius sententia, sequi, opiniones Arii fuisse probabiles. Omitto ea, quæ subnectit de prophetiis, & revelationibus Abbatis Joachimi, quem inter Prophetas ab Ecclesia nondum relatum esse intelligo, & miror, Illustriss. propter auctoritatem Joan. Andr. Prophetias, auctori, cujus doctrinam Ecclesia damnavit, indubitanter attribuere; nolle tamen, propter auctoritatem gravissimi & piissimi Doctoris, in quæstione controversa, opinionem aliquam probabilem reputare.

55. ANTIM. Laborat etiam ambiguitate prædicta Illustrissimi ratiocinatio; nempe certum est, opinionem probabilem esse posse, etiam de iis, quæ deinde ab Ecclesia reprobantur, dum scilicet dubia manent, & de iis disputatur inter catholicos Doctores, v.g. faciamus Ecclesiam eò venisse, ut opinionem Thomistarum de conceptione Deiparæ, seu aliam, de prædeterminatione physica damnarit, aut vicissim sententias oppositas, hoc certè non faceret, quin ante probabiles essent: itaque, ut tollatur ambiguitas in iis controversiis, quæ Doctores Catholicos ita partiuntur, ut pars utraque suos habeat defensores, annuente, seu permittente Ecclesia, & gravia rationum momenta utraque habeat, dubium non est, quin ante definitionem Ecclesiæ, utraque probabilis jure haberetur, ut patet in exemplis à me adductis; si verò utraque pars ab Ecclesia, non permittitur, sed altera tantùm, licèt ultima definitio nondum prodierit, ea profectò pars, quam Ecclesia non tolerat, probabilis dici non potest, etiam ante ultimam definitionem, cujus rei exempla in omnibus fere Hæresiarchis habemus: unde ante Concilium Nycænum, error Arii probabilis non fuit; nec ante Ephesinum, error Nestorii; nec ante Chalcedonense, error Eutychetis, nec ante sextum generale, error Monothelitarum; nec ante septimum, error Iconomachorum; nec Lutheri, aut Calvini errores, ante Tridentinum, nec denique, ut hoc etiam addam, ante Innocentium X. errores duplicis capitis, & quinque propositionum: sed his omissis, duo sunt, in quibus Sanch. vindicandus restat, 1. dicitur ab Illustrissimo sibi contrarius, *n.* 11. ubi hæc habet, *ut opinio censeatur probabilis, oportere, ut communiter reputetur non continere errorem*: at profectò sibi non est contrarius, quia *num.* 7. oppositum non docet: immo idem supponit, nempe illa omnia, quæ dicit *n.* 8. 9. 10. 11. pertinent ad explicationem illius sententiæ, quam tradidit *num.* 7. secundò *num.* 404. arguit Illustrissimus eumdem auctorem, eo quod dixerit, *num.* 7. S. Thomam *quodlib.* 3. *a.* 10. favere suæ sententiæ; cum tamen, ut testatur Illustrissimus D. Thomas oppositum dicat. Sed quæro, cum bona illius venia, quid S. Doctor ibi dicat, *qui assentit*, inquit, *opinioni alicujus Magistri, contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur, secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest excusari ab erroris vitio*, exceptio ni fallor firmat legem; ac proinde ex his Sanch. rectè deducere potuit, igitur qui assentit opinioni alicujus Magistri, quæ non est contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur, secundùm Ecclesiæ auctoritatem, ab erroris vitio excusatur; immeritò igitur correptus Sanchez, cujus fidelitatem in allegationibus, utinam adversarii imitarentur.

56. PIHANOPH. Descendit ad 3. conclusionem, eamque prosequitur, *à n.* 432. *ad num.* 438. Sola auctoritas, inquit, unius Doctoris, non reddit opinionem probabilem, cui sit opposita communis, nempe illa, quam reliqui omnes tenent: hoc facile damus; si enim reliqui omnes refragantur, non præsumitur singularis opinionis auctor, gravi quopiam rationis momento niti; quo semel admisso, illius opinio probabilis censenda non est: hoc tamen limitat *n.* 438. *ad n.* 442. si rationes opinionis singularis & communis æquales sint; *tunc enim exploratijuris est*, inquit, *singularem illam opinionem improbabilem esse*. Habet tamen rationem æqualis momenti, igitur gravis, igitur per definitionem, probabilis est opinio, immò æquè probabilis per locum intrinsecum, & minùs probabilis, per extrinsecum; hæc consequentia necessaria est. Fatetur tamen, singularem illam opinionem probabilem esse, si rationes gravioris momenti, pro ea militarent, in quo sanè, bene sentit, quia nobiscum sentit. Cæterùm nullius auctor in eo, cui cæteri omnes refragentur, opinionem probabilem facit, sive antiquus sit, sive recentior, nullum excipio, verbi gratia, Cajetanus suam illam opinionem de jejunio probabilem nonfecit, qua volebant, non obligare illius legem sub mortali; nec etiam suam illam Soto, de Purgatorii decenio; nec Canus suam de ministro Sacramenti matrimonii; ratio est, quia ubi reliqui omnes refragantur, non præsumitur illius auctor, grave rationis momentum habere. Quarta conclusio eadem fere est, quare illam omittendam esse duxerim, cum ejusdem ambiguitatis vitio laboret.

57. ANTIM. Quinta, quam habet *n.* 444. est falsissima; vult enim, opinionem illam probabilem non esse, si pro opposita stent totidem Doctores, & rationes utrimque pares; immò neutra ex illis, inquit, ab intellectu eligi potest. Hoc commentum jam supra efficaciter rejectum est. Sexta conclusio, quam tradit *num.* 445. 446. ad hanc rem non pertinet; vult enim Doctores numero plures adæquari posse à paucioribus numero, si graviores sunt; hoc etiam ultro damus, sed negamus id, quod subnectit, nimirum, posita hujusmodi adæquatione, non esse facultatem alterutrum eligendi; pro quo adducit exemplum stateræ, sed hæc jam supra explosimus. Septima etiam falsa est, tradita *num.* 447. in qua ult. opinionem illam non esse probabilem, si stant pro opposita rationes quidem æquales, sed Doctores licèt numero æquales, graviores tamen; quod certe repugnat in adjecto, ut ajunt; si enim rationes graves sint, immò gravissimæ utrimque, non est dubium, quin utraque sit probabilis; quamvis altera probabilior per locum extrinsecum. Octava denique verissima est, quam habet *num.* 344. quod scilicet opinio illa sit probabilis, si oppositæ æquales rationes, sed nullum Doctorem pro se habeat, in quo nulla est difficultas.

58. PITHANOPH.

58 PITHANOPH Procoronide *num.* 449. sex conditiones apponit. Prima est ut Doctor ille sit peritus & non admittimus ultro. Secunda, ut gravi ratione momento nitatur; hoc ipsum statuimus. Tertia, ut opinio illa non contineat errorem, contra legem, errorem scilicet manifestum, vel ab Ecclesiæ, errorem scilicet manifestum, vel ab Ecclesiæ dictamen naturæ. Quarta, ut non sit contra communem, id est, ut cæteri omnes non refragentur. Quinta, ut opposita non sit æquè probabilis; sed hanc, ut communiorem rejecimus, & ex falsis principiis deductam, repugnat enim opinionem æquè probabilem, non esse probabilem. Sexta denique & ultima, ut opposita non sit probabilior; sed hoc etiam ex *eod. cap.* repugnat; ubi enim probabilius, ibi est necessariò minùs probabile; quisquis enim sequitur opinionem minùs docti, putat peritiæ auctoris, qui rem ex professo tractavit, & quæ sit auctoritate apud plerósque, idque juxta publicam Doctorum vocem, ut gravissimus momento fretus illam adstruere præsumatur, modò non sit contra Ecclesiæ mentem, usum, decretum, ac demùm reliqui omnes minimè refragentur, nec opposita pars certa demonstratione firmetur, opinionem verè probabilem sequi censendus est. Et hic tandem suscepta disputationis finis esto.

59 ANTIM. Multa haud dubiè discutienda restarent, ut enim decima pars à nobis discussa est; immo si omnes & singulos textus, & aliorum qui nostri non sunt, allegationes & loca in examen vocare vellemus, nullum unquam finem faceremus, sed nostros dum tuamur ab iniquitatis à calumniis & falsitatibus afflictis vindicandos suscepimus, eoque munere, ut breviter, nisi nè satis accuratè perfuncti, huic tandem contentioni, & molestæ seu spinosæ dissertationi finem imponamus.

60 PITHANOPH. Amœniora fortè aliàs tractabimus; nunquam enim si me audietis, hujusmodi controversias repetemus; res ista probabilitatis, si quid video, ad certa & indubitata principia reducta est, ex quibus certa veritas deducitur, communis est rerum humanarum conditio, ut ab imperfectioribus ad perfectiora promoveantur, nonnulli ne quid dissimulem, paulò obscurùs de hac controversia egerant, & multa non satis distinxerant, puta judicium speculativum à practico, certam probabilitatem à probabili veritate objecti propositi, atque alia ejusmodi, quæ cùm Adversarii minùs sanè intellexissent, inde occasionem errandi captarunt, dum ipsi nobis errores affingerent. Jam tuum erit Antime, illa omnia in unum colligere, quæ in hisce congressibus ab utroque disputata fuerunt, ut ea publici juris facias, cum rei literatiæ, immo religionis & conscientiæ plurimùm sanè intersit, tot actantis rumoribus occurrere, quos adversarii, communi consilio, in Theologos morales excitarunt; difficile futurum, non puto, ubi enim lux veritatis emicat, vanæ falsitatum umbræ, seu tenebræ dissipantur.

61 ANTIM. Tibi morem geram: Pithanophile, Illustrissimus uti spero, æqui bonique consulet: nam semper cum illo ita egimus, ut nec officii, nec venerationis rationem in nobis quispiam desiderare potuerit: nonnihil interdum stomachi emicuit: non certe in illum, sed in eos, qui optimo alioquin sensi, malis artibus, imposuerunt: vale igitur Pithanophile.

62 PITHANOPH. Tu quoque vale mi Antime, dum mutato mihi nomine, de aliis argumentis tecum agere liceat.

63 ANTIM. non deerunt, credè mihi argumenta: vale iterum charissimum caput.

CARAMUEL

DIALOGUS UNDECIMUS

DE OPINIONE PROBABILI.

In quo ut nimius opinionum moralium rigor, ita mollior eorundem laxitas temperatur.

LECTORI.

CUM ad manum esset hic Dialogus, paulò certè amœnior, erudite Lector, rem tibi gratam me facturum esse, putavi, si animi reficiendi gratia, quem gravioris argumenti, satis prolixa tractatio valde fatigavit, oculis illum tuis subjicerem; personæ in scenam inductæ satis aptæ & idoneæ esse videntur, ad sustinendas pro dignitate sibi creditas partes; immo cujusque indolem, genium, stylum, quantum fieri potuit, opusculi auctor expressit; easque inter se commisit, seu conjunxit, prout cujusque ratio postulabat. Illustrissimum Caramuelem opinionum probabilium assertorem celeberrimum, commisit Illustrissimo Fagnano, quem Probabilistarum, ut vocant, & probabilitatum hostem acerrimum esse, compertum est; Caramueli Diana socius accessit, qui ferè est in eadem navi; Fagnano verò Mercorus, ejusdem genii & sensus notorius auctor. Et quia utraque pars vergit ad extrema; altera, scilicet Caramuelis, ad nimiam morum & opinionum laxitatem; altera verò, Fagnani, ad nimium rigorem, ad temperandam utramque, Abbas Hilarion Rancatus appositè omnino accessus, qui prudentem & doctam mediocritatem statueret, & partes hinc à nimia laxitate, inde à nimio rigore abstraheret. Ita porro Illustrissimus Caramuel loquitur hoc loco, ut scribit; nativus & proprius sensus, non alienus ipsi tribuitur; Illustrissimus item Fagnanus, loquitur ut sentit; uterque theses suas sustinet, & impugnat alienas; vincit uterque, & vincitur, Diana Caramueli suffragatur ubique, Fagnano Mercorus; Rancatus denique, qua par erat prudentia simul & modestia, cum Prælatis enim reverentiùs agendum est, interposito suo judicio, causam ut plurimùm definit, quamvis alioquin partes illius judicio ægre stare velint; ut ut sit, hæc paulò amœniùs, eo dumtaxat animo, mi Lector, ut te jam fessum paululum recrearem: vale.

OCCASIO

OCCASIO SCRIBENDI.

RECTÆ rationi consentaneum, & publicæ hominum societati consultum fore, semper arbitratus sum, si eorum bonorum, quibus aliquis fruitur, quando id commodè ac sine detrimento fieri potest, alii omnes participes fiant; qua ego ratione ductus, in publicam lucem edere constitui celeberrimum doctissimorum hominum congressum, cui bona mea sorte, ante aliquot menses interfui; quomodò res ista gesta sit, obtenebricam: Admodum Reverendus Paret Mercorus novissimis ille opinionum probabilium impugnator & strenuus hostis, Autumno proximè elapso, in Urbem reverterat, eo potissimùm fine, ut cum Illustrissimo Fagnano de abolendis extirpandisque Theologorum Moralium libris cominùs ageret, eodem quippe zelo ac studio ducuntur: cum autem de quibusdam, de illo communi consilio, ad optatum finem perducendo, seriò tractarent, in ædibus viventis illustrissimi Fagnani, in supremo Montis Pincii vertice sitis, a famulo, ex abrupto nunciatur, Illustrissimum Caramuelem, unà cum Patre Diana ad fores adesse, & aliquid velle: admissi fuerunt illico, & prodeclare, præmissis salutationibus, jam sedes collocatæ & compositæ fuerant, cum ecce Reverendissimus Abbas Hilarion Rancatus, nihil tale cogitans Illustrissimum Hospitem invisurus, accessit: Consedere omnes, & post solita urbanitatis officia, conticuere, primus omnium Caramuel in hunc modum dissertationi dedit.

CARAM. EST sanè, quod mihi dudum optatissimam diem gratuler, & sortem meam, quæ tandem me votorum compotem fecit; nihil enim mihi jucundius fore, putavi, quàm si aliquando consuetudine tua frui licerit, illustrissime Fagnane; ita est omnino; jam olim vehementissimè ambieram & magnoperè desideraram hujusmodi congressum, quem mihi hodierna die, casu potiùs quam arte, vel industria incogitanti ferè contigisse autumo. Quamobrem fœlicitati meæ non secùs ac tibi gratulor; tua quidem urbanitas minimè peripecta erat; sed cum negotiorum mole semper obruaris & nunquam ab iis feriari detur, vix tempus putabam, ut per temporis angustias aliquantum confabulari & paulò liberiorem copiam tui facere liceret.

FAGNANUS. In eadem navi uterque fumus, Caramuel doctissime, ego etiam tecum agere maxime optabam: quo fis ingenio, qua doctrina & literatura, plerique omnes intelligunt; quod ad me attinet, persuadeas, velim, me semper tui amantissimum extitisse, ex quo egregia ingenii tui monumenta publicis typis, & literis à te consignata, summa maximâ animi mei voluptate, lustrare licuit; non tamen, ne quid dissimulem, in te dilexi, quòd eò totam, qua maximè vales, ingenii vim incureris, idque potissimum enitaris, ut non plus æquo laxas opiniones defendas, aut jam à Doctorum hominum calculo damnatas & relegatas postliminio restitutas, in scholarum scenam revoces, non sine maximo moralis disciplinæ detrimento: Illud sanè lugere ac deplorare non cessso; quod maximam inde morum corruptelam nasci videam, quæ cum in dies magis ac magis serpat, iis semper autor fui, qui suprema auctoritate pollent, ut tandem aliquem ponerent modum; stylum etiam utcumque strinxi, strinxit etiam Mercorus iste familiaris meus, adversùs pessimos illos, morum corruptores, & ni fallor, impensa opera, obtinuimus, ut saltem aliqua ex parte, laxiores illæ opiniones supprimerentur, quæ jam ab aliquot annis per ora hominum impune volabant.

3. CARAM. Divino, dubio procul omni, consilio factum esse, puto, ut in hunc consessum conveniremus, quotquot hîc adsumus; & mirari satis non possum, quo instinctu, vel potiùs, quo genio duce, hic quinque hominum delectus factus fuerit, qui ad præsentem controversiam discutiendam & definiendam maximè omnium conducere videtur: tu enim, optime Fagnane, opinionum minùs probabilium apertus hostis, illas stylo plus quàm ferreo insectaris; ego singularis illarum Patronus, atque defensor audio; tu Mercore nobilis assessor Fagnano accedis; huic enim omnia fere argumenta suggesseras, quibus opiniones minùs probabiles, meâ sum licet, confutare conatus est; Tu vero amœnissime Diana, mecum sentis, ac proinde, ut ego Fagnano strenue me opponam, ita Mercoro acriter obsistas, velim. tu demum Rancate neutri parti addictus, utrique tamen amicus, quid hinc & inde sentias, si res ita postulet, liberè pronunciabis. Sed ne tempus in præludiis teramus, initium disputationi demus.

4. RANCATUS. Hic congressus improvisus & inopinatus vix apud posteros inveniet fidem, cum fidem omnem, omnemque expectationem superare mihi videatur: Quis enim unquam animo, seu cogitatione finxisset, aliquando fore, ut quatuor isti selectissimi pugiles, congressuri in arenam descenderent, & de opinione probabili Caramuel cum Fagnano, Diana cum Mercoro disputaret? longè alia cum Fagnano acturus adveneram, sed iis omissis disputantes libentissimè audiam, ac vestro jussu, aliquid de meo ideali idem accedet; cæterum liberè & ingenuè protestor, me nullo teneri factionis, aut privatæ contentionis studio, unius veritatis amore duci; cui statim assentiar, sive Caramuel, sive Fagnanus illam exponat.

5. DIANA. De isto congressu optimè sperandum esse, duco, in quo fere paribus armis pugnatur; quam vis enim Caramuel in scholasticis, ut vocant, disciplinis, Fagnano sit longè superior, & hic in jure Canonico ac decretis Congregationum magis versatus sit, Mercorus tamen facilè suppetet de suo, eaque suggeret de Theologicis, quæ in Fagnano desiderantur; ego certè imparem operam tibi navabo, Doctissime Caramuel, si quando vel sacri Canones citandi, vel adducenda Ecclesiastica decreta? unum fortè melius præstare possem, ut enim Theologorum moralium libros diligenter lustravi, ita si opus esset aliquando, illorum cuneos facilè addensarem, sed forte opus non erit.

6. MERCOR. De me pauca mihi vobisque polliceri possum, utpote qui ex longissimo & gravissimo morbo, vix bene convalui; audiam libenter alios, identidem fortè aliquid suggeram; quamquam illa, quæ jàm in lucem edidi, meo judicio, sufficiant, ad præsentem controversiam terminandam, & verò, si per vos ita loqui mihi liceat, jam male ominor laxioribus opinionibus, à Diana, præ cæteris in lucem editis, contra quas Sacri Canones, Theologica Dogmata & SS. PP. oracula conjunctim militant, cum enim pernicioſum illud probabilium opinionum principium, quod saltem ego tantulum concusseram, Illustrissimus Fagnanus singulari dissertatione omno disjecerit, reliquam molem superiniectam nullo negotio disjici posse putarem.

7. CARAM. De quo amabo principio loqueris? nullum certè hujusmodi in mentem venit, quod à Fagnano dictum fuerit, ut amantes, ne dicam amentes sib omnia fingunt, ita fortè nonnulli de fictis victoriis sibi gratulantur.

8. FAGN. Illud est, ni fallor, quod ultimum fere Theologiæ morali excidium attulit, quemlibet scilicet tutò sequi posse opinionem minùs probabilem & minùs tutam; quo reverà semel admisso, cuncta licent, & quodlibet scelus eximitur culpæ: proh! nefas, hoc mihi nunquam sine stomacho & bile in mentem venit.

9. CARAM. Dic mihi sodes, optime Fagnane, tibine videris, demonstrasse, & luculentis comprobasse argumentis, nostrum illud, ut vocas, principium à justitia & veritate alienum esse?

10. FAGNAN. Ita prorsus accuratissimè demonstravi, auctoritate scilicet & ratione, innumera haud dubiè rationum & fundamentorum capita legeris, quæ in illud meum opusculum congessi, quibus ita multis persuasum fuit, illud principium falsum esse, ut dicere non dubitarint, non nisi temerè à Theologis, in posterum sustineri posse.

11. CARAM. Crede mihi, vir optimè, aliqui forte, qui tua opera & auctoritate, qua maximè vales apud Principem indigent, per meram assentationem, hoc tibi cantant; cum reverà illud, non modò à te demonstratum non fuerit, sed ne quidem probabiliter ostensum; immo ne intentum quidem probasti; sed aliud longè diversum; cum rationes à te adductæ eò dumtaxat spectent, ut conscientia certa statuatur; quod plerique dabunt; ego fortè non item; sed hoc dato, non tamen concesso, ut ajunt, non video, quomodo ex hoc deducas, errare illos, qui docent, quemlibet tutò sequi posse opinionem minùs probabilem; nempe hi quoque tenent & docent, plerique saltem, usum opinionis minùs probabilis certò tutum esse, & judicium illud practicum, quo quis judicat, se hic & nunc minimè peccare, quando aliquam opinionem minùs probabilem ad praxim reducit, certum esse, & ab omni formidine liberum; igitur omne periculum peccandi excludit; unde tuit tuum principium, non nostrum: ex hoc enim periculo peccandi, tanquam ex communi loco & fonte omnes illas rationes deduxisti, quas fusè ad pompam, ac simplicium terrorem, exposuisti.

12. FAGNA. Capere animo non possum, quonam pacto, viri alioquin docti & pii, usque adeò cæcutiant, & sint Logicæ adeò imperiti, ut sibi persuadeant, judicium illud, quod tantùm circa objectum probabile versatur, certum esse, ac dici posse; si enim hæc repugnantia non sint, quid uspiam repugnet, non video.

13. DIAN. Quod Illustrissimus Caramuel, qui mirifica ingenii perspicacia valet, cæcutiat; quod alii, iique plurimi Doctores oculatissimi cæcutiant, nulli hominum persuadebis, optime Fagnane; haud ægrè ferrem, hoc de me dici, qui ea non sum fælicitate ingenii; sed de aliis doctissimis hominibus, hoc ipsum dici posse, nunquam in animum inducam, ut credam: alioqui lucem in tenebras, & tenebras in lucem conversas esse dicerem.

14. FAGNAN. Quidvis dicam; mihi perspicuum est ex probabili, non sequi nisi probabile; cum igitur judicium illud speculativum sit tantùm probabile, judicium practicum, quod circa idem objectum versatur, probabile tantùm erit; igitur non certum: quisquis autem id non videt, quod perspicuum est, illum profectò cæcutire oportet.

15. CARAM. Quid si perspicuum illi esse videatur, quod nullo modo perspicuum est? nempe sive id, quod perspicuum est, non videas, sive id, ut perspicuum videas, quod perspicuum non est, æquesne est hallucinari: & verò, quod mihi Fagnanus cæcutientis vitium exprobret, nulli non lepidum accidet. Sed tuis armis te peto, Fagnane, in hunc modum: judicium speculativum de opinione magis probabili, est tantùm probabile; judicium igitur practicum, quod ex illo sequitur, est tantùm probabile; quia ex probabili probabile tantùm sequitur.

16. FAGNAN. Illa haud dubiè tibi excidêrunt, quæ in opella mea legisti; nempe ex illa majore probabilitate, sequitur judicium practicum moraliter certum; sicut ex diversis probationibus, certum jus alterius partis, aut certum Rei delictum.

17. CARAM. Hæc omittere poteras, ex quibus perspicuum fit, quantum in hac parte à vero aberres; quis enim nescit, forum externum, saltem ut plurimùm procedere ex meris putis præsumptionibus? equidem judex, qui ex legitimis præsumptionibus causam judicat, justè agit, ac certè tenet, se rectè agere: hoc tamen non facit, ut præsumptiones illæ probabilitatem transcendant: at verò res conscientiæ præsumptionibus non nititur, sed moralibus principiis, ac regulis, honesti & recti; nunquam tamen dici potest, quod certum consequens sequatur ex antecedente tantùm probabili, sive hoc minùs probabile, sive probabilius esse dicatur: hinc vides, Fagnane, quam malè tibi consulas, qui nequidem conscientiam certam habeas, hoc est, judicium practicum certum, in quo, ni fallor, ii te superant, quos moralis disciplinæ corruptores vocas utpote qui, licèt alioqui opinionem minùs probabilem, tutam esse velint, illud tamen judicium practicum, certum esse, volunt; hinc iis faciè foret, contrate, ut ajunt, retorquere argumentum.

18. FAGNAN. Mira narras, mi Caramuel; si enim ex Judicio speculativo minùs probabili, judicium practicum certum, ut dicis sequitur; potiori profectò jure, ex judicio speculativo probabiliore practicum certum consequitur, cur igitur hoc negas?

19. CARAM. Non nego, ex probabiliore speculativo, practicum certum sequi; sed dico, eadem ratione evinci, ex hoc, non sequi, qua tu ipse, ex minùs probabili non sequi, probas: ita enim ratiocinaris, ex probabili, tantùm sequitur probabile; igitur ex judicio speculativo minùs probabili, sequitur judicium practicum tantùm probabile: sed pari modo infero; igitur ex judicio probabiliore speculativo, sequitur judicium practicum tantùm probabile,

babilissimum ratiocinium valet in uno, etiam valet in alio, sed liberè dicam, in neutro valet.

2. Mer. cor. Hæc ratio mihi persuasit, nullam opinionem nisi probabilem tutam esse in praxi; sed illam tantum taxat, quæ moraliter certa est; imò nisi ocularem hodiè omnem detrectem, hodiè à te doctissime, Illustrissime Fagnane, idque passim, omnino negas, opinionem probabilem ad securam conscientiæ sufficere.

21. Dian. Homines profectò ad otiosam vitam nati, Mercore, si earum dumtaxat sententiarum tuarum permittas, quæ moraliter certæ sint; crede mihi admodum Reverende, omnes fere actiones humanæ probabilibus tantùm opinionibus nituntur; quarum enim paucarum rebus humanis certa sunt & indubitata?

22. Mer. cor. Mihi jam compertum erat, Dianam omnium probabilium singularem patronum esse, & laxatis illius disciplinæ defensorem, cujus in natura corrupta homines semper amantissimi fuerunt; unde factum non nemo per jocum quidem, non tamen absurdè, illum effedixit, agnum Dei, qui tollit peccata mundi.

23. Caram. Hæc non semel inaudii; sed nunquam verè, sine homacho; cum hic auctor non adeò laxus sit, ut aliqui sibi persuadent; si enim per tempus liceret, & hujus congressus ratio postularet, aliquot opinionum centena, quas hic defendit, facilè recenserem, quæ non modò laxiores, verum etiam dulciores, & ut ajunt, severiores à sapientibus esse dicentur; illud saltem unum egregiè Diana præstitit, quod non minùs laxiorum, quàm duriorum opinionum auctores diligentissimè recenseat, non sine operæ pretio; juvat enim quàm plurimùm, apud divinum opinionum auctores, ea rationum momenta quæ ponderare, quibus illæ nituntur: doceri, meæ optimum esse duxi; & mihi semper parum tutum, sola authoritate duci; sed iis præsertim rationum momentis, quibus auctores ipsi opiniones confirmant.

24. Fagnan. Non levem mihi stuporem injicis, audite Caramuel, dum mihi persuadere conaris, circa hunc nostrum in opinionum delectu, severiorem, quàm mitem esse; non invenies facile, qui plus à te fidem habeant, cum fama publica, eam tuentibus, iis sese opponat; imò crediderim, hanc potissimum causam fuisse, quod illius libri, non sine multo bibliopolarum lucro, multiplicatis etiam omnibus & compendiis, mirabiliter distrahantur; omnes enim, ut dixi, laxiorum opinionum amantes; ac proinde illa sibi comparant, accersuntque commenta, quibus mollioris vitæ rationem à se defendant, atque eximant culpæ; sed odi hanc meam moralis disciplinæ.

25. Caram. Pestem vocas nostrarum pestium quidnum antidotum; nisi enim prudentes ac pios auctores, viri alioquin pii & docti, sinceros naturæ fontes mortalibus aperirent, plerique in errore ducti, in omnibus fere delinquerent; in omnibus, malum & culpam, per errorem non timerent. At recentiorum caritas & pietas (sic enim vocare liceat) vanos illos terrores fugat, & per eos ea lux hominum mentibus affulget, cujus ope, bonum à malo distinguere cœpere; sic cum aliis agerem, innumera hujusce rei exempla proferrem; sed ut ad Dianam nostrum redeas, haud dubiè, Fagnane; nec enim mollioris vitæ studium, quo mortales ducuntur, iis gravissimi auctoris lucubrationes reddidit, cum incredibili earundem distractione; sed rerum, quas ille tractat, varietas & amœnitas; idque potissimùm, quod jam supra indicavi; apud illum haberi fidelem auctorum elenchum, qui de rebus moralibus egerunt; cur ergo moralis disciplinæ pestem appellas? dicam liberè, quod sentio; severos illos tuos animarum laniones potiori jure vocarem, utpotè qui conscientiam ipsam (sic enim Scholastico more vocare liceat) tam arctè stringunt, ut omnem fere anhelitum intercludant. Crede mihi, Fagnane, si confessiones aliquandiu excepisses, non ita crudè, non ita durè scripsisses. Pharisaïcum morem sapit, onera importabilia, quæ ipse digito movere nolis, aliis portanda imponere, onusque illud gravissimum reddere ne dicam intolerabile, non sine maxima Clementissimi Salvatoris injuria, quod suave ac leve esse, ipsemet attestatur.

An fortè pro nihilo ducis, tot præceptis obstringi, naturalibus, ut ajunt, divinis, humanis, positivis, negativis, civilibus, Ecclesiasticis? tot censuris, & pœnis, ab homine à jure? tot legibus, decretis & declarationibus, quæ jam præ multitudine, in vasta volumina crescunt? pro nihilo ducis, inquam, his omnibus homines teneri, nisi etiam juxtatuas decisiones implicatissimis arctioris conscientiæ laqueis & vinculis torqueantur?

26. Rancat. Quæso vos, sine bile, mediam quandam viam ineundam esse, arbitror; nec ullus, dubito, quin mecum omnes sentiatis; enim verò nec severior ille modus arridet, nec placet alter indulgentior. Is porro tenendus, qui ab extremitatibus æquè declinet: hinc fortè illud, *medium tenuere beati, & in medio virtus collocatur.* Quod ad te spectat, Diana, nullus opinor, te in omnibus laxiorem esse dicat; cum in multis justo severior & durior esse videaris; nempe nisi mea me opinio fallit, in iis, quæ sunt juris naturalis, atque Divini, fortè paulò laxiores & mitior; durior verò & severior, in iis, quæ humano jure præcipiuntur: nemo tamen propterea dicat, te magis timuisse homines, quàm Deum; sed potiùs ea ratione ductum fuisse, quod leges humanæ, scilicet Ecclesiasticæ, censurarum vi plurimùm indemnitati suæ & observationi majore cura invigilant; qua in re, tecum ex parte saltem sentio: Deus quippe pro infinita sua clementia & indulgentia, delinquentes, & Divinam legem violantes patienter expectat & tolerat; cum tamen homines, qui ea benignitate non pollent, suis legibus atque decretis illico morem geri velint, & pœnas à delinquentibus statim repetant: hinc fortè in iis, quæ sunt juris humani, severiorem; in aliis verò paulo mitiorem te gessisti.

27. Dian. Itane verò, reus agor in hoc congressu? in quo tamen alias partes agere institueram: dicam liberè, quod res est; ut molliorem illam indulgentiam nulla ratione, nullo fundamento nixam nunquam probavi, quam nullus, opinor, unquam Doctor Catholicus probavit; ita immoderatum illum opinionum rigorem ferre non possum, quem nonnulli reformatores, ut vocant, nobis obtrudere, per fas & nefas conantur, qui omnes & omnia damnant præter seipsos, erroresque suos; iis omnis culpa lethalis est; omnis contractus, usurarius; omne pactum, simoniacum; omnis compensatio, furtum; omnis occasio, proxima; omnis conditio, turpis; illi more Pharisaïco, lautè vivunt, splendidè habitant, molliter cubant, & vestiuntur, & proventu Ecclesiastico bene instructi, nullum mortalis vitæ incommodum patiuntur: hi porro in laxiorem ho-

minum vitam & Theologorum opiniones acerrimè invecti, moralis disciplinæ corruptelam deplorant, quam doctissimis hujus sæculi Doctoribus affingunt: utinam omnes arctiorem viam ineant, & non modò præcepta, verùm etiam exempla Christi, & consilia sequantur: utinam omnes religiosum institutum, hoc est arctioris vitæ genus amplectantur, hoc certè in votis esset; unde liquidò constat, illum arctioris vitæ modum religiosis Scriptoribus non displicere; sed quod ipsi doceant, ibi esse præceptum, ubi dumtaxat est consilium; quod damnent illum contractum, quem nec à ratione, nec à communi sensu, nec ab usu Ecclesiæ alienum esse videant; quod aliquem adstringant ad pecuniam alteri restituendam, in quam hic certum jus non habet; quod eam jejunii aliorumque præceptorum Ecclesiæ formam inducant, atque præscribant, quæ usui ejusdem Ecclesiæ minimè consentit; in hoc certe non modò illorum prudentiam, verùm etiam charitatem & justitiam desidero.

28. Fagnan. Stylum tuum agnosco, Diana, loquela tua manifestum te facit: ergone, mi Pater, etiamnum defendis ac revocas in exosam lucem impias & abominandas illas recentiorum opiniones, quibus ad omne flagitii genus habenæ laxantur? cum & homicidium licitum, furtum honestum, usuram & simoniam nomine tenus prohibitas, esse dicant; imò non desint, qui doceant, non teneri pœnitentem in Sacramentali confessione peccata contra naturam alio modo aperire, quam sub nomine spontanei spermatis effluvii; pudet sanè, aperire illa, ut castigentur, quæ Theologos vestros explicare ac docere non pudet, ut reducantur ad praxim.

29. Dian. Tibi ex animo compatior, Illustrissime Fagnane, cui tam fœdè impositum fuit; non tamen iis succensere non possum, qui optimo seni fœdissime imposuerunt; detrectare fidem debueras tuis illis valde suspectis hominibus, qui pro more, mille calumnias Theologis nostris affinxerunt: nullus Theologus unquam docuit, homicidium absolutè esse licitum; dixerunt tantùm, vim vi repelli posse, & si aliter fieri nequeat, ad juitam sui, rerumque suarum magni momenti defensionem, homicidium culpæ non verti; nullus etiam furtum approbat; si quis tamen rem suam ab alio aliter habere non possit, modo scandalum absit, justum est, ut illam per sese accipiat, usuram nemo approbat; secus tamen contractus legitimos, census, cambii, societatis, assecurationis, ut vocant, aliosque hujusmodi, qui & publico usu & ratione, cum multiplici auctoritate conjuncta nituntur; de simonia nihil est, quod dicam; modò enim omne pactum absit expressum, aut tacitum, nemo sanæ mentis simoniam inesse, dicat; quod demum de illis peccatis horrendis subnectis, futile est; omnes Theologi docent, teneri quempiam, speciem & numerum peccatorum aperire; si quæ porro insit circunstantia, quæ nec speciem mutet, nec numerum, in hac præsertim materia, cum multis aliis, dico, in Sacramentali confessione, necessariò, explicandam non esse.

30. Fagnan. Eò venisti audaciæ, Diana, ut defendere hæc non erubescas? veniet aliquando illa dies, quæ gementem Ecclesiam ab intolerabili Theologorum licentia vindicabit; eò jam ventum est, ut tolerari ultra non possit, iisque, ad quos hujus causæ judicium pertinet jam compertum ac persuasum sit, in doctrina morum & fidei opinionem merè probabilem ad securitatem non sufficere, manum, ut spero, brevi apposituris, ad pestem illam, quæ Christianorum moribus ultimum alioquin excidium afferret, è medio tollendam.

31. Caram. Hæc illa tua est solemnis, & generalis assertio, quam vix aliqua nota aliquis eximat, immo gravius erras; dum hoc iis, ad quos pertinet, Ecclesiæ scilicet, persuasum esse dicis; nemo enim jure dixerit, errorem Ecclesiæ persuasum fuisse, viden Fagnane, quò tandem te illud, quo adversùs recentiores Theologos odium flagras, abripuerit.

32. Fagnan. Errorem vocas sanctissimum, antiquæ Theologiæ pronunciatum; res enim opinionum probabilium novitium quid est, à vestris Novatoribus inventum inductumque in Ecclesiam: sed tandem hæc, quæ moderatum abusum ferre ac dissimulare poterat, intolerabilem excessum ferre ultra non potest.

33. Caram. Wendroch. illum, vel quempiam unum ex illa celebri ogdoade, quæ tantos tumultus atque fragores contra miseros Theologos, annis proximè elapsis, excitavit, audire mihi videor, id dumtaxat discriminis intercedit, quod hi per apertam malitiam illa spargerent, tu verò per incogitantiam hæc adstruas, ita est, Fagnane, ita est, & hæc sanè me moverent, nisi te in rebus Theologicis parum versatum esse intelligerem; ut ex iis, quæ paulò libentiore calamo scripsisti, perspicuum esse videtur; vix enim scholasticos terminos capere videris; multa confundis, quæ distinguere debueras, probabile scilicet à certo, honestatem objecti, ab honestate actus, necessitatem medii à necessitate præcepti; propositionem categoricam, ut ajunt, à modali, absolutam abhypothetica; aliaque hujusmodi, fere innumera, quæ Theologi facilè distingunt. Quis autem nisi Theologus hanc rei moralis controversiam discutere, ac definire valeat; hoc ultro fateris, circa initium, ubi dicis, Canonistas hac de re disputare non posse; at ore tuo, te judico, tu enim, ni fallor, Canonista, non Theologus audis, utpote qui Theologiæ nunquam operam dedisti; & verò quomodò ea scires, quæ nullo unquam tempore didicisti? quod igitur in Theologicis hallucineris, facilè tibi condono; secus tamen, quod ea, quæ nunquam didicisti, tractanda susceperis, in quo prudentiam tuam, potiùs quam fidem desidero.

34. Fagnan. Catholicam antiquorum doctrinam accerso, ut vestrorum Novatorum errores refellam.

35. Caram. Ultra dissimulandum esse non puto, adhibita saltem, de Christi mandato, correptione fraterna; æqui bonique consules, ut spero; nec enim malo animo id faciam, sed amico & paterno, uti Episcopum decet, cui munus illud ex officio, singulari nomine competit, & ut ab iis, quæ ultimo loco dixisti, incipiam, Doctores Catholicos, omnes & omnis generis, puta Rom. Pontifices, Eminentissimos Cardinales, Illustrissimos Prælules, alios Theologos, religiosos & pios, nec non de Ecclesia bene meritos, maxima injuria afficis, dum eos Novatores appellas; quod reverà nomen in Lutheranos, Calvinianos, aliosque hujus furfuris homines apprimè quadrat, non tamen in Catholicos Doctores, quos hic sugillas, alteri cupiam haud absimiles, qui præstantissimos Scriptores incredibili convitiorum eluvie fœdavit; traductòque ab Hæreticis nomine, Novatores appellavit; hæc tamen malo animo à te dicta esse non puto; sed quia in his auctoribus, qui contra Hæreticos scripserunt, parum versatus es, ideo novarum opinionum auctores Novatorum nomine significare voluisti.

Fagnan.

35 FAGNAN. Ita est prorsus: cùm tamen illos debeam non eximam, in eos quoque Novatorum nomen apprimè quadrat.

36 CARAM. Parciùs ista viris, Fagnane, nece-
minus est probabilium opinionum usus: nec et-
iam novus esset, à recta ratione alienus censeretur:
quorum jure hanc consequutionem deducis? nova
sunt, malè igitur, aut saltem suspecta: multa enim no-
vis superioribus disciplinis ac literis humanioribus
ingeniosis hominibus in dies excogitantur: mul-
tas emendationes novæ, tum in Geometria, alias
quamplures partibus, tum in Philosophia. quæ
antiquæ illa squalida & horrida, aliquid ve-
nustas, & ingenuæ mentis præ se ferat: de re medica
nihil dico, quæ ab antiquis tra nobis tradita est, ut vix
eorum germanumque humani corporis usum nos
doceret: de Theologia, doctissimè Rancate, dicere,
ad rem est, utpote cum Theologicarum scientissi-
mum: quam enim rugosus strigosúsque, anti-
quæ Theologiæ vultus fuerit, quam varius & amœ-
nus recentioris appareat, nemo Theologus non
videt.

38 RANCAT. In tuam sententiam ire non pos-
sum, doctissime Amilles, quis enim pluris non faciat
aureas illa Doctoris Angelici monumenta, quàm mul-
ta recentiorum volumina? idem de Scoto, Bona-
ventura, Alberto Magno, Alensi, aliisque antiquiori-
bus dicendum esse, arbitror.

39 MERCOR. maxima certè injuria, D. Thom. is
afficeret, qui vel unum, quamvis alioquin inter re-
centiores nominatissimum, illi conferre, nedum præ-
ferre ausit.

40 DIANA. Tibi assentior, Mercore, is est Do-
ctor Angelicus, qui nec primum habuit, nec secun-
dum unquam habiturus sit: morales potiùs, quàm
Scholasticos lustravi: & in hac quæstione calculum
meum tetigi momenti fore non dubito: huicusque
tenui sapientissimis hominibus, præsertim ordinis
mei, accepi, D. Thomam Scholarum Magistrum,
Theologiæ Solem, & Theologorum facile princi-
pem.

41 FAGNAN. Gratissimum sanè accidit, quod
mihi adversum te, bone Caramuel meas partes
fuisse: nec dubito, quin etiam mecum sentiant,
hanc Theologiæ partem, quam moralem vocant, à
nonnullis opinionum probabilium assertoribus
nimiam aut depravatam fuisse.

42 MERCOR. Super hoc meum suffragium feres,
Fagnanisime, illud autem longè tolerabilius
esset, si res in mera Theoretice contineretur, sed
animum & usum reducitur, in certissimum animo-
rum detrimentum, & manifestam morum corru-
ptionem.

43 DIANA. Tibi sufficiat, Mercore nullum ex
nostris esse, cui vestrum Aquinatem non præ-
ferant: non tamen ea propter, inde sequitur, re-
centiores Theologiæ moralis corruptores censeri:
quod ne sine fœdissima nota gravissimis Scriptori-
bus dici non posset.

44 RANCAT. Optimè sanè Diana, cui libens
assentior: quamvis enim Doctorem Angelicum nun-
quam, ac pro meritis laudari posse, arbitrer: non
tamen propterea dicendum putarim, reliquos auc-
tores, quamvis inferioris notæ, ea scripsisse, quæ
censura configenda sint.

45 CARAM. Bene est, non ita Fagnane, ab his
differor, ut putas: fateor, Doctorem Angelicum,
quammaximè colo, teste Christo, ut pia fert
fama, benè imò optimè, scripsisse, inficias pro-
fectò non eo; sed D. Thomas aliquando recentior
fuit, ejúsque Summa Neoterica; iis temporibus ita
scripsisse, grande aliquid reputo; sed præter Angeli-
cum, multi alii iique doctissimi, tum ex Thomistis,
tum ex aliis extiterunt, ut Cajetan. Sotus, Capreolus,
Suarez, &c. quis neget, doctissimis commentariis,
Angelicam Summam ab iis fuisse illustratam; multa
haud dubiè apud illos legimus, quæ in Sancto A-
quinate desiderantur, eáque præclara, subtilia, in-
geniosa, multas difficultates discussas, nova rationum
momenta, intricatissimos modos solutos, aliáque hu-
jusmodi propemodùm innumera; sic autem ratiocí-
nari, tecum mihi liceat, Fagnane, si recentiores nihil
habent, quod legi dignum sit, cur illorum libros
volvimus; cur terimus & fatigamus volumina? cur
D. Thomas non sufficit? verbo dicam, Viri doctis-
simi, parum admodùm scriremus, si antiquis Theo-
logorum monumentis contenti, recentiorum lucu-
brationes rejiceremus; quisquis enim omnes & sin-
gulas Theologiæ partes attentis oculis & applicato
animo perlustrarit, observabit haud dubiè, quanta
illæ omnes, rationum, argumentorum, quæstionum,
tractatuum accessione à recentioribus auctæ fuerint,
& accumulatæ; unum de gratia argumentum vo-
bis considerandum propono; illud enim præ cæteris,
in mentem venit; quam pauca & fere nihil, apud Do-
ctorem Angelicum, & apud antiquiores Scholasti-
cos, de hoc argumento legimus, eáque obscurissi-
ma, & innumeris difficultatibus obsita; cùm tamen
plura de hoc volumina recentiores scripserint, unus
Franciscus Suarez, quem virum libens appello,
quemque antiquis illis æquiparandum esse, non du-
bito, unus, inquam, Suarez quinque justæ molis vo-
lumina de Divina gratia ita scripsit, ut argumentum
illud, quantumvis arduum & difficile, exhaustisse pe-
nitus videatur: multos alios hujusmodi adduce-
re possum: sed trita res est, ac proinde perstrin-
genda potiùs vel omittenda, quam uberiùs expli-
canda.

46 FAGNAN. Jam probe sciebam, te cum Je-
suitis fœdus iniisse, utpote qui præ cæteris laxiores
opiniones defendunt, quæ tibi tantoperè arridents.

47 CARAM. Malim cum Jesuitis, quam cum
Novatoribus, illorumque fautoribus fœdus iniisse?
verum enim verò, imponis, Fagnane, doctissimis
Scriptoribus, de omnigena literatura optimè meritis,
dum eos traducis, ut laxiorum opinionum propu-
gnatores: esset potiùs quod nimiæ severitatis nimiique
rigoris illos insimulares; quod certè nullo negotio e-
vincerem, si per tempus mihi liceret: idque in omni
ferè argumenti genere: quam enim laxè antiquiores
Theologi senserint de jejunio, de horis Canonicis,
de mendacio, de usura, de simonia, de omnibus
præceptis Ecclesiasticis, data opera prætermitto, ne
tibi Fagnane, cui hæc nova prorsus acciderent, cum
illos auctores non legeris, offensionis & scandali oc-
casionem, invitus licèt, præbeam ita est: omnino
vir optimè, recentiores Theolooi sunt longè seve-
riores in doctrina morum: hinc fortè ut plurimùm
saltem accidit, ut ii, qui primùm in Scholis Theolo-
giæ operam navare incipiunt, innumeris, ut ajunt,
scrupulis, & conscientiæ stimulis agitentur, & nun-
quam ritè animi noxas per Sacramentalem ex homo-
logesim expiasse, sibi videantur: sed multa in ape-
riendis peccatis, prætermisisse, quæ reticeri posse pu-
tabant.

48. DIAN. Ante Concilium Tridentinum, quàm
oscitanter, ut ita dicam, Christiani ferè omnes hoc
sacro munere defungerentur, quanta esset Eccleia-
sticorum

corum vitæ licentia, quàm publicus usuræ & fi-
nioniæ usus, auctoritate publica tantùm non confir-
matus, quàm multæ occasiones peccandi, per con-
suetudinem inductæ, omnia historiarum monumen-
ta abundè nos docent : nunc verò longè diversa est
Christianorum morum ratio, : quam enim severi sunt
nunc austeri Confessarii : quàm terribiles Divini
verbi præcones, quàm arcti, & stricti juris, mo-
rales Theologi, qui propter res etiam minimas, æter-
nos cruciatus comminantur, & nullam, ut plurimum, parvæ materiæ, ut vocant, aut perturbati, vel inconsiderati animi, aut ignorantiæ, rationem in foro conscientiæ habendam esse, definiunt : sed illud semper horribili voce intonant, aut stridentibus calamis ingeminant : *arcta est via, quæ ducit ad vitam, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

49 MERCOR. Somnias, optime Diana, dum melliorem nostrorum temporum usum cum antiqua severiorum Canonum observatione conferre non dubitas: florebat iis temporibus, pœnitentiæ publicæ usus, & pœnitentes ad Communionem sacramque synaxim non admittebantur, nisi priùs injunctam sibi per sacros Canones pœnitentiam, ut vocant, exequutioni mandassent ; hæc autem per multos annos sæpe durabat, easque carnis macerationes, corporis & animi abjectiones, gemitus, lachrimas & cilicium & cinerem, aliáque hujusmodi postulabat, quæ sine horrore, vel lustrare oculis, vel auribus excipere non possumus ; nunc verò quam facilè palmares & flagitiosi nebulones in Sacramento Pœnitentiæ, à suis delictis absolvantur, omnes vident, & optimi quique dolent.

50. RANCAT. De re uterque certa & indubitata contenditis, optimi Patres ; nec enim, opinor, Mercore, negas, multa, imò plurima in doctrina morum & usu, quæ priùs laxiora erant, à recentioribus castigata fuisse, exemplis te obruere possem, quibus parco, cum res nota sit & perspicua : tu verò Diana, optimè tenes, pœnitentiæ usum antiquitùs longè duriorem fuisse : quanquam non levis controversia est, utrùm austera illa & penè horrida exomologesis, Sacramentalis pœnitentia esset : multi enim inficiabuntur, ac volunt, Ecclesiasticam, non Sacramentalem expiationem fuisse : quod vel ex usu præsentium temporum, confirmant : is enim dum taxat quibusdam erroribus ac publicis flagitiis, puta Presbytericidio servit : Reus quippe genu nixus, & semi-nudus, ad sacrarum ædium fores flagellis cæditur antequam à censuris absolvatur : quæ certè absolutio Sacramentalis non est, sed Canonica, ut ajunt, & Ecclesiastica.

51 DIAN. Ita prorsus se res habet : nec quisquam Sacrorum Canonum, & Historiæ Ecclesiasticæ peritus neget, quin doctrina morum iis temporibus laxior fuerit : nec enim pœnitentia illa publica, pro delictis occultis erat : & multò minùs pro internis, quæ in mente latent, instituta fuerat : iis porrò temporibus, quibus pœnitentialium Canonum usus maximè florebat, si antiquis Historiarum monumentis fidem habemus, homines continentioris vitæ non erant : cujus sanè rei perspicuum exemplum habemus in actis Concilii Rhemensis, cui Leo IX. sanctissimus Pontifex præfuit, quo tempore pœnitentiæ publicæ usus maximè vigebat.

52 RANCAT. ridere soleo levissimam quorundam hominum opinionem, qui toti sunt in laudatione temporis acti, & in vitiis nostrorum temporum exaggerandis: una eadémque hominum ratio semper fuit : quodlibet sæculum, ut suis luminibus, ita suis tenebris : & nævis non caruit : & ut nostri temporis homines antiquis anteponere non debemus, ita nihil cogit adeò postponere in doctrina, scilicet, virtute, prudentia, ingenio : quid antiqui Doctores scriverint, ex illorum monumentis habemus : quid verò egerint, quam piè ac strenuè se gesserint, apud Historicos legimus, quid nostri sciant, nostris oculis videmus.

53 CARAM. Hæc quæso mittite, quæ ad rem propositam non pertinent, ad quam redeo. Duo sunt, Fagnane, in tuo illo Enthymemate, antecedens scilicet, & consequens : sic enim ratiocinaris : usus opinionum probabilium novus est, ergo is igitur & fugiendus : falsum antecedens, falsa consequentia, cum prædictus usus novus non sit : & etiam si novum esse daremus, male tamen ex eo deducis, noxium esse. Quod autem novus non sit, vel ex eo patet, quod jam olim à Patriarchis & Apostolis adhibitus fuerit : an fortè sanctissimo Patriarchæ Isaac, certò compertum ac persuasum erat, illum esse Esaü, cui benedictionem impertivit ? minimè verò : sed id tantummodò ex pilosis manibus & villoso collo probabiliter conjecit : etsi vox Jacob non parum illi dubitationis injiceret. Ante fortè Paulus certus erat, Petrum correptione dignum esse, dum illi restitit in faciem, quia, inquit, reprehensibilis erat ; minimè verò, sed Paulus ita probabiliter judicabat & pariter Petro probabilis ratio non deerat, qua ductus, nonnihil Judæis popularibus suis indulgendum esse putabat : addo aliud longè liquidius : Petrus, dum adhuc viveret, Clementem sibi successorem designavit, non quidem quod certus esset, se hac portestate posse re, cùm etiam ei dubium sit, & minùs probabile : sed quod probabiliter teneret, illam à Christo sibi factam fuisse : video quam sit antiquus & tactus opinionum probabilium usus, in rebus tantimomenti, à maximis & sanctissimis hominibus adhibitus : imò quod velim observes, Fagnane, opinionum minùs probabilium.

54 FAGNAN. Hæc sunt mysteria, de quibus singularis Dei providentia singulari modo disponit : cum tamen in re morali nostra quæstio verteretur.

55 CARAM. Belle, quasi verò ad mores non pertineat, hæredem instituere : unum alteri anteponere, Christi vicarium corripere, eidem primum successorem designare : nonnihil Judæis Gentium æmulis indulgere : quasi verò res istæ gravissimi momenti non sint, ac de iis hoc loco non agatur : puta, de parentibus Christi designandis, populo Dei eligendo, abroganda lege Mosaïca, Christi vicario corripiendo, eidémque primo successore deputando : an fortè res hujusmodi nihili facis, & nihili ducis, in iis errare ? in iis tamen rectè agendis, opinione probabilis usus sufficiebat. cur igitur temerè affers, usum illum novum esse, & à recentioribus inductum ? sed demus, novum esse, non propterea inde rectè deducis, esse noxium : multa enim in dies nova excogitantur, in omni propemodùm disciplinæ genere, quæ à nullo rerum illarum perito rejici possunt, nedum damnari : antiqui suas etiam non probabiles opiniones modò, verùm etiam fabulas habuerunt : sic nec terram incoli sub Zona torrida, aut frigida, nec revera esse Antipodas, sibi persuaserant : Columbus igitur, qui majorem Americæ partem à se inventam esse, Europæ nunciavit, ut novator, pertæ, Fagnane, plecti debuit, non verò ut peritissimus Nauclerus præmio donari : accedit, quod antiquæ illæ opiniones novæ aliquando fuerunt, igitur noxiæ

si

simore ratiocinemur ; sed ut hæc mea consequentia non est legitima, ita neque tuta ; & verò ut nova demonstratio ab omnibus admittitur, quia vetustæ perspicuæ cedit intellectus ; ita nova opinio vera probabilis, gravi scilicet rationis momento nixa sufficienter, non quidem ad extorquendum, sed ad inducendum prudentem assensum, merito damnequit.

58. Rancat. Cuncta hæc veritati & rationi consentanea, mihi esse videntur: unum tamen addere vel damnandas esse antiquas opiniones probabiles, vel novas eximendas esse censuræ ; cum eorum neutrumque gaudeant, meræ probabilitatis : rerum formido, quæ cum opinione probabili semper conjuncta est, illarum usum periculosum reddit, æque illa inest antiquis ac novis, cum æquale omnique insit meræ probabilitatis momentum. Quod enim Fagnanus dicere visus est, ex antecedente probabili, certum consequens deduci ; nullus certè Logicæ artis peritus, vel rationis compos admittat; quis enim nescit, conclusionem deteriorem partem sequi, & causam ab effectu superari non posse; quanquam formido illa chimærica est, cum opinio verè probabilis nullum peccandi periculum afferat: nempe judicium illud practicum certum est, non verò probabile tantùm , quo hîc & nunc judico, istam opinionis verè probabilis licitum & legitimum esse; longè enim aliud est , objectum judicii practici, ab objecto judicii speculativi ; in quo Fagnanus, cum multis aliis deceptus est : judicium speculativum habet pro objecto veritatem objectivam, vel ipsammet opinionem objectivam ; practicum verò, electionem, usum & praxim talis opinionis probabilis, v. g. en vobis judicium speculativum , tantùm probabile , *votum dubium non obligat*: en vobis practicum , *quisquis in voto dubio, se teneri non putat , rectè agit , & minimè peccat*: judico enim probabiliter , votum dubium non obligare ; at certò judico non peccare illum , qui hoc judicium probabile, seu quod idem est, qui opinionem probabilem illam sequitur , vel reducit ad praxim.

59. Caramuel. Ita est omnino ; multi tamen non accipiunt, ac volunt, illud esse judicium speculativum, quod à casu singulari præscinditur ; practicum verò quod hîc & nunc in subjecta materia ventilatur , v. g. ut eodem exemplo rem explicem, hoc judicium speculativum , *nullum votum dubium obligat* : practicum erit , *tale votum dubium*, de quo scilicet, hîc & nunc dubito , *non obligat*: quæ fere omnes accipiunt , post Navatrum , si animadvertant, ac proinde, hoc posito, illi rectè minime ratiocinari videntur, qui docent, quamlibet opinionem speculativè probabilem , esse quoque probabilem practicè ; si enim propositio universalis probabilis, particularis, aut singularis, sub ea contenta etiam probabilis erit , quod reverà nemo negaverit ; at verò tuus ille modus explicandi, mihi minoperè placet : certum enim est non esse idem objectum utriusque judicii , practici videlicet, & speculativi ; ac proinde mirum esse non debet, si judicium speculativum sit tantùm probabile, practicum verò certum , ut patet in exemplo exposito.

60. Rancat. Non video , ut dicam quod res ipsa est propositio particularis, vel singularis non sit objectum speculativa ac universalis , cum utraque sistat veritatem sui objecti sub una probabilitatis luce proposita ; cum tamen judicium practicum non ad nudam veritatem objecti, sed ad usum illius spectet : hinc fieri potest, ut aliquæ propositiones probabiles, in praxi & usu non sint tutæ ; quia cum certum non sit, esse probabiles, non est certum , tutum ac licitum esse illarum usum.

61. Dian. Hunc explicandi modum legi aliàs in Dialogo, qui Pithanophilus inscribitur , seu de opinione probabili : sed quia doctrinam illam paulò severiorem esse comperi, ab antiquo tramite discedendum esse non putavi ; præsertim cum illius opusculi auctor velit, conscientiam certam esse debere, id est, judicium illud practicum, certum, quod licèt gravissimorum Scriptorum auctoritate comprobetur, & nervosis confirmetur argumentis ; quia tamen etiam auctores gravissimi non desunt, qui secus sentiant, ut Vasquez & Sanchez, qui duo ad instar omnium mihi erunt ; probabile esse puto, judicium illud practicum certum, ad rectè agendum, necessariò non requiri.

62. Mercor. Auctorum nubem , contra id, quod dicis, addensare facilè possem ; etiam ex illis, qui laxioribus opinionibus addicti sunt ; & vero capere animo non possum, quonam pacto conscientia dubia ad rectè agendum sufficiat.

63. Dian. Fateor ultro, (neque hoc quisquam neget) conscientiam dubiam, dubio negativo, ut ajunt, ad rectè agendum non sufficere, qua is scilicet laborat, qui nulla in utram vis partem ratione fretus, ad agendum sese accingit : non desunt tamen, qui negent, illicitum esse, operari cum dubio positivo, affulgentibus scilicet , hinc inde rationibus tantùm probabilibus ; tunc enim voluntas utramlibet partem licitè amplecti potest.

64. Fagnan. In dubio, ut sacri Canones monent ; tutior pars amplectenda est ; quis autem sacros Canones rejiciat, nisi fortè quispiam infrunitus Theologus ;

65. Caram. Hoc dictum , quod perpetuò jactas ; multiplicis explicationis patiens est , ut tute scis : 1. enim de dubio negativo intelligi potest. 2. ita rescriptum fuit à Pontifice , in casu irregularitatis, ob dubium homicidium, sed ad casus dissimiles extendi non debet. 3. alii volunt , non esse præceptum, sed consilium : 4. denique non agitur eo loco de conscientia dubia, id est, de dubio , ne malum insit , sed de dubio facti ; an scilicet homicidium à tali admissum fuerit ; & de dubio juris , an scilicet aliquo jure irregularitatis pœna simili facto imponatur : parum igitur negotii capitulum illud nobis facessit ; cum reverà cuilibet ex prædictis explicationibus stare possimus: sed, dic age, Fagnane ; si judicium speculativum probabile ad rectè agendum sufficit, cur judicium practicum probabile non sufficiet? affer mihi quæso aliquam, ut in Scholis vocant, disparitatem, & eris mihi magnus Apollo.

66. Fagnan. Jam sæpe ac sæpius de te aliisque Theologis conquestus sum, eo quod vestris paralogismis, argutiis & sophismatis omnia prorsus involvatis, nec non sacra Christianorum morum dogmata corrumpatis ; sed ne fortè credas , argumentum tuum à me solvi non posse, solvam illud, non quidem Scholastico more, quem odi, sed Canonico mihi familiari, negando scilicet, ab uno casu, ad alium, in jure, rationem extendi posse.

67. Caram. Rectè prænonuisti , argumentum illud à te non solvi Scholasticorum more, apud quos argumentum illud à pari , ut vocant , gravissimum est, quotiescumque disparitas afferri nequit.

Rancat.

66. RANCAT. Ita est, ut dicis, acutissime Caramuel, illud tamen Illustrissimo Fagnano, qui nunquam disciplinis Scholasticis operam navavit, facilè condonarem; per te igitur, illumque mihi liceat, propositum ita solvere argumentum: Judicium speculativum probabile sufficit, quia veritati probabili prudenter assentiri possumus, cum sufficiens motivum adsit, grave scilicet rationis momentum; imò assensus probabilis ad objectum dumtaxat probabile terminatur; objectum igitur probabile ad prudentem assensum, seu quod idem est, ad prudenter assentiendum, sufficit; & licèt assensus probabilis cum aliqua erroris formidine conjunctus sit, hoc tamen non obstat, quin prudens censeatur; nec enim tenemur, ad fugiendum quodlibet erroris periculum; alioquin ad impossibile teneremur, quod nemo dixerit, nisi forte quispiam de Calvini schola, seu Grege; at verò tenemur, rectè agere, igitur non peccare; igitur fugere periculum peccandi, proximum, scilicet; igitur judicium practicum tantùm probabile non sufficit, quo judico tantùm probabiliter, usum talis, vel talis opinionis probabilis licitum esse, atque honestum, cum æquè judicem probabile, illicitum esse, igitur simul & judico probabiliter, peccati periculum, atque adeò peccatum inesse.

67. CARAM. Hoc ipsum est, quod non capio; judico probabiliter, talem contractum, v.g. non esse usurarium, ergo judico probabiliter, esse licitum; sed perinde est judicare esse licitum, & non esse usurarium; utrumque igitur, judicium est tantùm probabile.

68. RANCAT. Pace tua, dixerim, doctissime Caramuel; judicium, quod fertur in veritatem illam objectivam, id est, in connexionem talis prædicati; cum tali subjecto, id est, quod talis contractus non sit usurarius, non sit malus, non sit illicitus, fateor, esse tantùm probabile; sed ex eo, quod sit probabile, sequitur, usum illius, in quem, judicium practicum fertur, esse licitum, idque non probabiliter, sed omnino certò; si enim certum est, prius judicium speculativum esse probabile; certum est, esse prudentem assensum, ac proinde certum usum talis contractus, vel potiùs usum talis opinionis licitum esse; certus enim sum (neque hoc negabis, opinor) me non peccare, quando utor opinione certò ac verè probabili, id est, quando illam reduco ad praxim; in hanc autem praxim judicium illud practicum fertur. Unde vides, esse duo objecta omnino diversa: nam per primum judicium speculativum, judico probabiliter, talem contractum non esse iniquum; per secundum verò practicum, judico certò, reduci ad praxim sine peccato; non tamen ex judicio illo speculativo, sequitur practicum, propriè loquendo, nisi valde remotè; & sic ex probabili non sequitur certum, ut Illustrissimus Fagnanus dicere visus est, sed ex judicio modali certo; quo certò judico, talem opinionem esse probabilem, sequitur judicium certum de prudenti assensu, & practicum certum de licito usu, ejusdem opinionis; ex hac enim *certum est, esse opinionem probabilem*, sequitur hæc, *certum est, esse prudentem assensum*, ex qua sequitur hæc, *certum est, quod licet illa uti, eamque reducere ad praxim.*

69. FAGNAN. Deliratis omnino miseri Theologi; quod fortè parum esset, nisi etiam ductu vestro exemplo, & consilio alios ad delirandum provocaretis; quis enim hæc deliria, & repugnantia non videat? cum eandem propositionem certam simul, & probabilem esse, dicatis; seu, quod idem est, certò probabilem.

70. CARAM. Hæc objectare non deberes, Fagnane; cum rem istam, ut tecum mitissime agam, non intelligas; nemo Theologus dixit unquam, eandem propositionem certam simul & probabilem esse; duas propositiones agnoscunt, alteram categoricam, sit hæc, *talis contractus non est usurarius*, & hæc probabilis tantùm est; alteram modalem, sit hæc, *probabile est, talem contractum non esse usurarium*, & hæc est certa; quis enim nescit, propositionem modalem ita constare ex dicto & modo, ut certus modus, & dictum probabile esse queat.

71. DIAN. Hæc doctrina *in citato supra Dialogo*, clarissimè traditur, & ex illa concludit auctor, opiniones illas, quæ non sunt certò probabiles, non esse tutas in praxi, id est, tuta conscientia ad praxim reduci non posse; ac proinde mediam quandam viam ita iniri, ut nec omnis opinio probabilis tuta sit, nec quælibet, non tuta, sed illa dumtaxat tutò ad praxim reduci queat, quam certò constat, probabilem esse, secus verò illa, de cujus probabilitate meritò dubitatur, & hanc dictus auctor, aliasque hujusmodi speculativè tantùm probabiles vocat: sed cum hæc doctrina nova mihi semper visa fuerit, illam statim meo calculo donare, ausus non sum, quanquam nihil in ea invenio, quod rectæ rationi non consentiat.

72. RANCAT. Novam doctrinam appellas, quæ nova profectò non est, cum iis omnibus communis sit, qui conscientiam certam esse volunt, à quibus licèt fortè, non ita clarè & distinctè explicetur, illatumen ex eorum assertionibus necessaria consequatione deducitur; imò ad componendam illam controversiam, quæ tot & tantos rumores in hoc lustro excitavit, tuumque Illustrissime Fagnane toxicosum imbuit, adversùs miseros Theologos, aptissima esse & plurimum sanè conferre videtur; cum per eam & nimia opinionum laxitas castigetur, necnon restringatur illa generalis assertio, quam nonnulli paulo intemperantiùs jactare solent, *omnis opinio cumque probabilis, tuta est in praxi*; & nimia severitas leniatur, necnon molliatur illa universalis negativa, quam Illustrissimus Fagnanus toties inculcat, *nulla opinio merè probabilis tuta est in praxi*: Imò & hæc, *nulla opinio probabilis tuta est*: nempe ultro darem, aliquam opinionem probabilem non esse tutam in praxi, illam scilicet, de qua jure dubitatur, an sit probabilis: audacter tamen & confidenter assero, quamlibet opinionem verè ac certò probabilem, quamvis alioquin sit minùs probabilis, tutam esse in praxi; assero item, ita esse tutam, ut nullum debium, nullam formidinem conscientiæ relinquat: addo etiam, ita per eam excludi peccatum, & peccandi periculum (quod reverà est, esse tutam) ut una æque ac alia excludat; ac proinde unam formaliter, ut ajunt, tutiorem alia non esse, sed omnes ac singulas æquè tutas: de tutiore materialiter non loquor, quæ variè à variis explicatur, & ad rem præsentem nihil facit.

73. CARAM. Huic tuæ doctrinæ subscribere non possum, Rancate, cum semper hucusque tenuerim, quamlibet probabilem, tutam esse, ac eo modo tutam, quo est probabilis.

74. RANCAT. Eo modo est tuta, quo est probabilis, unde quotiescumq; certò non constat, talem opinionem esse probabilem, certò etiam non constat, eam esse tutam, id est, per eam, peccatum excludi; igitur si eam reduco ad praxim, operor cum conscientia dubia,

dubito quippe, ne peccatum insit; sed cum hac conscientia operari non possum absque peccato.

70. Caram. Quidni sufficiat judicium illud practicum, quo probabiliter judico, peccatum abesse, cum censear operari prudenter, quando operor probabiliter.

71. Rancat. Non sufficit judicium illud practicum probabile, quia licet per illud judicem tantum probabiliter peccatum abesse, judico tamen etiam probabiliter, peccatum inesse; quamvis enim per judicium probabile utraque pars non adstruatur; absit licet & inesse peccatum; adstruitur tamen probabilitas utriusque, cum utraque sit probabilis; quis, quæso, autem ita operatur, ut dubitet, ne peccatum insit, sive dubio positivo, sive negativo, haud dubiè peccat; hæc quippe est illa conscientia dubia, ab omnibus Theologis damnata; neque is operatur prudenter, ut ais, qui operatur probabiliter, id est, cum judicio practico probabili; secus verò is, qui cum judicio practico certo, quod tamen supponit judicium speculativum probabile.

72. Mercor. Negari non potest, quin conscientia certa requiratur, ad non peccandum; & si probabilis tantum sufficiat, quidlibet audendi cunctis erit æqua potestas, quod dictu reverà blasphemum est.

73. Fagnan. Ita est omnino; & hæc illa est blasphemia, quam recentiores quidam, juxta doctrinæque pravitatem, magnoque fervore spiritus ducti, tibi Caramuel, illisque tuis, ad pestem illam abigendam, non semel exprobrarunt; & verò sine incredibili mentis horrore illa audire non potui, quæ in hoc genere à te scripta fuerunt; cum eò veneris, ut dixeris, Lutherano cuipiam errorem suum probabilem esse.

74. Caram. Si olim Judæi Christum D. Salvatorem nostrum, & sanctissimum Protomartyrem Stephanum blasphemiæ insimulabant; quàm verè, omnes Catholici sciunt. Si Theologicis & Philosophicis disciplinis operam navasses, Fagnane, non inscitiæ me notares; sed homines proculcare contentus, cum iis ita urbanè agere, ac de iis moderatè loqui didicisti: Crede mihi, blasphemum dictu non est quamlibet opinionem probabilem, gravibus scientiarum momentis nixam, tutam in praxi censendam esse; licèt forsè nonnulli de illa dubitent, an putarent, an sit probabilis; quia fortè rationum momenta, quibus fulcitur, non discusserunt; seu quod verius putem, non perceperunt, alioqui nulla foret opinio probabilis tuta esset, aut dici posset; cum nullatenus sit, de qua non nemo non disputet, an sit probabilis. Ad id verò, quod mihi opponis de Lutherani cujuspiam errore, qui à me probabilis reputetur; toto cœlo erras, cum tuo Wendrockio, à quo hæc accepisti; nunquam enim dixi, errorem illum esse absolutè probabilem, sed illi tantùm probabilem videri.

75. Fagnan. Per te igitur Lutheranus, cui suus error probabilis est, non peccat; cum opinio probabilis sufficienter peccatum excludat, sed tantum blasphemiam Christiani hominis intellectus horret.

76. Caram. Per merum errorem & ignorantiam probabile illi esse videtur, quod reverà probabile non est: illa autem, qua is laborat, ignorantia, dicitur invincibilis, ut ajunt, seu inculpata, aut vincibilis, & culpæ obnoxia; si primum, is reverà non peccat, quia ignorantia invincibilis peccato eximit, quod certe non negabis, Fagnane; si verò alterum, dico, illum peccare, ut patet ex terminis. Sed ad rem, & ad te redeo, Rancate, nimiumque rigorem, in iis, quæ dixisti, agnosco; si enim, ut jam indicavi, nulla opinio, nisi certò probabilis, tuta est, cum nulla ferè sit, de qua inter doctos, non disputetur, an sit probabilis, nulla erit certò probabilis.

82. Rancat. Non ita profectò res ista se habet, ut dicis, vir ingeniosissime, nempe illæ opiniones, paucissimæ sunt, de quarum probabilitate certò non constet; disputant quidem Theologi acerrimè de opinionibus probabilibus, & rationes hinc inde adducunt, non sanè, ut ostendant esse probabiles, sed ut probent esse veras; & licèt aliqui censuræ plus æquo addicti, & nonnunquam leviori armaturæ, nonnullas propositiones notent & improbabiles esse, dicant, nulla prorsus eorum ratio habetur, quando major & potior aliorum pars probabiles illas reputat, quia hoc totum prudentum judicio nititur, à quo certe propositionis veritas non pendet, sed veritas probabilitatis; nempe licèt, propositio vera non sit, illius tamen probabilitas vera esse potest: itaque, cum probabilitas nitatur gravi rationis momento, & hoc à prudentum judicio petendum, ac censendum sit, ubi multi sapientes & docti viri judicant, aliquâ opinionem esse probabilem, id est, illud rationis momentum, quo nititur, esse grave, certum est, illam esse probabilem; certum, inquam, moraliter, nec enim majorem certitudinem in hac causa desidero. Hinc, ut jam dixi, nonnullas quidem; sed admodùm paucas, opiniones probabiliter tantùm probabiles invenias, quæ in praxi tutæ non sint; illas scilicet, quarum probabilitas prudentum judicio dubia restat.

83. Caram. In tuam sententiam facilè descenderem, nisi ex ea, nova & fortè difficilior controversia nasceretur: licèt enim de ingenio multi cum aliis non contendant, de judicio tamen, nemo alteri facilè cedit; sed quisque sibi primas arrogat, quivis igitur probabilitatem opinionum definiet, cum & se prudentem reputet, & prudenter judicare putet: quid si verò alii prudentes secus judicent? hinc, ut vides, litem & controversiam auges, dum illam componere tibi videris.

84. Rancat. Res ista humano modo accipienda est; licèt enim quisque prudentem se reputet, non tamen singulari unius, vel alterius, sed communi omnium fere prudentum judicio standum est: prudens enim judicium multorum, censetur; ac proinde quamvis unus vel alter aliquam opinionem probabilem esse statuat, quam tamen alii fere omnes improbabilem, aut saltem dubiam esse definiant, dubium non est, quin istorum, non verò illius judicio standum sit; quo semel admisso, cessat omnis difficultas, atque ita, ut nonnullorum temeritas coërcetur, qui contra torrentem Doctorum eunt, & nimia scribendi libidine ducti, ea nonnunquam effutiunt, edunt que in lucem, quæ vel ipsi non capiunt, vel ab omnibus aliis, ut temerè assertum reiicitur; ita nimius aliquorum rigor, temperatur, qui omnes opiniones minùs probabiles damnant; cum tamen omnis opinio verè quidem, licèt alioquin minùs probabilis, quam probabilem esse, certò constat, in praxi tuta sit; fac enim non neminem (ut fortè non defuit) ultro asserere, nullam legem humanam sub lethali noxa, obstringere, quia, inquit, noxa lethalis, adeo gravis res est, & pœna æterna

quæ illam excipit, tanti res momenti, ut hominum potestatem omnino superet; alioquin Judex quolibet tormenti genere Reum torquere posset, quod nemo dixerit; & assertionem hoc gravi, ut ait, rationis momento nixam esse dicat, nemo ad eam pœnam per legem latam subditum adstringere valet, quam ipse irrogare non potest; sed nullus hominum æternam pœnam irrogare alteri potest, nemo igitur per legem latam, ad pœnam æternam subditum adstringere valet, nulla igitur lex humana sub lethali culpa obligat; viden, quò tandem privata quorundam temeritas feratur, qui tamen cum à communi Doctorum judicio deflectant, non modò illorum judicium prudens censendum non est, sed temerarium reputandum, quale illud est quod exempli loco adduxi.

85. Ranan. Luculentum hujus effrænis licentiæ exemplum Caramuel tibi suggeret, qui etiam Lutheranorum opiniones probabiles esse dixit; quod certè ab iis, quorum interest, tolerari, aut dissimulari nunquam deberet; quare non miror, Rancate, quod in his à te dissentiat.

86. Caram. Refricas cicatricem Fagnane, quod certè nescio, an bene tibi vertere debeat, & gratum futurum sit. Rancati sententiam non damno, sed veram reputo, cum negari non possit, judicium de gravi alicujus rationis momento ad forum prudentum pertinere; ea tantùm opposui, quæ ad majorem & accuratiorem hujus rei discussionem facere videbantur; cum ex disputationis conflictu, non rarò lux veritatis eliciatur: illud verò quod mihi imponis, in te potissimùm quadrat, utpotè qui velis, nullam opinionem minùs probabilem, imò nullam merè probabilem tutam esse; quod certè doctrinæ à Rancato nostro supra traditæ omnino repugnat; & non modò à communi omnium sensu, verùm etiam à communi omnium nationum usu, imò & expressa Ecclesiæ definitione desciscit. Ut autem ab hoc ultimo initium ducam; legisti, ni fallor, vel ut verius dicam, legentem audivisti novissimam Alexandri VII. constitutionem, pro immaculata Deiparæ Conceptione conditam; in qua, opinio, quæ maculam eidem adstruit, probabilis declaratur, vetaturque, ne quis illum, qui eam sequitur, peccati arguat: igitur non peccat, qui opinionem etiam minùs probabilem sequitur, qualem revera istam esse, non dubitas.

87. Rancat. Pace tua, dixerim, Illustrissime Caramuel, in dicta constitutione non lego, sententiam illam probabilem declarari; imò illam (quod cum bona tua venia dictum esse velim, admodùm Reverende Mercore) improbabilem esse reputo, ex quo manifestum Ecclesiæ sensum, usum, traditionem, antiquum etiam cultum, per dictam constitutonem habuimus: nam cuncta hæc dictæ sententiæ opponuntur, eamque improbabilem reddunt.

88. Mercor. Utraque sententia suis defensoribus permissa est, & neutra definita; cur ergo nostram improbabilem esse dicis?

89. Rancat. Multa sanè ab Ecclesia permittuntur, quæ probabilia non sunt, permittuntur, in-inquam in interiori scilicet mentis penu recondita, modò in lucem non prodeant; gravissimum enim esset, neutra parte definita, alteram etiam intra cordis penetralia, & adyta configere. Itaque Ecclesia in dicta constitutione non declaravit, licere cuipiam, illam tenere; sed cum verbo, aut scripto, eam ab ullo exprimi vetuerit, eandem mente & animo tenere, expressis verbis, non prohibuit.

90. Caram. Declaravit tamen, non peccare illum; qui eam tenet; unde probabilem esse, manifestè deduco.

91. Rancat. Non declaravit, eum non peccare, sed hoc unum dumtaxat vetuit, ne quis illum, qui eam tenet, eapropter peccare dicat; unde licèt quis peccare illum, in animo sentiat, modò hoc non dicat, constitutionem non violat; & verò cum Summus Pontifex non jubeat, teneri ab omnibus, quod ille non peccet, & multò minùs hoc dici, non teneor credere, quod non peccet, sed tantùm non asserere, quod peccet.

92. Caram. Rem capio, duo enim sunt longè diversa, dicere ac mente tenere, quare licèt credere non jubear, jubeor tamen non dicere. Viden, Fagnane, quam sim docilis, & à sententia facilè dimoveri me finam, qando ratio id mihi persuadet. Omisso igitur illo argumento, non desunt alia, nempe communis est, in praxi Ecclesiastica, opinionis probabilis usus; puta in dispensationibus, ut ajunt;, super quibusdam impedimentis matrimonii; ut in matrimonio rato, in votis & professione solemni, aliisque hujusmodi, quæ sunt juris naturalis, vel Divini; nihil dico, de distributione Beneficiorum, & sacrorum Officiorum venalitate, aliisque ferè innumeris, quæ neminem latent, quorum usus in mera probabilitate fundatur; de his enim à Theologis utrimque disputatur; accedit, quod omnia Tribunalia ex rationibus probabilibus tantùm causas definiunt, & jura dicunt: nimirum ex solis præsumptionibus, quæ rem certam minimè supponunt, sed tantùm probabilem; imò si opinionis probabis usus illicitus esset, nullum bellum inferri posset, nullum prælium committi, nullus Medicus attè profiteri suam, nullus Prælatus quipiam mandare subditis; omitto alia ferè innumera, quæ sunt in usu, licet mera probabilitate nitantur.

93. Fagnan. Abusum potiùs, quàm usum vocare, deberes; ita enim vestri Theologi, recentiores præsertim, homines suis artibus fatcinarum, ut hi à recta Christianorum morum semita declinarint; cur ergo pravum illum usum, tanquam jactas?

94. Caram. Accusa te ipsum, mi Fagnane, inactis Theologis; quid enim aliud illæ tuæ, quas in unum congessisti sententiæ, quàm meram probabilitatem præ se ferunt? quando illa statuis, quæ fides explicita necessariò credenda sunt, ad salutem obtinendam, quando ex præscriptione, nullam legem nasci contendis, quando irregularitatem ad forum potiùs internum, quàm externum referendam esse, dicis; quando asseris, nullam ignorantiam juris non eximere culpæ; an fortè putas, hæc à te adstrui, ut certa? utinam probabilia, illustrissime; ut autem reliqua ferè innumera omittam, quæ à te non cerò, sed minùs probabiliter adstruuntur, unum præ cæteris expono, quod proximo tua, peroraſti; res ita se habet. Urbanus VIII. cum jam oculis captus esses, te privavit Correctoris, ut vocant, sanctæ Pœnitentiariæ officio, illudq; per diploma Pontificium D. Annibali Albano contulit, quia scilicet Pius V. in sua Bulla decrevit, ut Corrector sanctæ Pœnitentiariæ, per se ipsum literas corrigat; tu verò post mortem Urbani, cum tibi faveret, Innocentius X pro tua causa scripsisti, seu verius

fam longam scriptionem dictasti, hisce tuis commentariis insertam, in qua nobis persuadere conaris, eum, qui per alium corrigit, per seipsum corrigere censendum esse: quis hoc amabò, posita prædicta Bulla, non dico certum, sed magis, aut æquè probabile censeat? prolixum etiam voluisti patrui tui contra Henricum IV. Galliarum Regem in tuis commentariis locum habere voluisti, in quo, asserere, ac defendere non dubitasti, maximum illum & Christianissimum Regem non potuisse, aut saltem non debuisse, ab Ecclesia absolvi; eumque ad Regiam dignitatem nunquam fuisse, ut ajunt, rehabilitatum; & hæc valde mirantè, cum ibi distinguere debuisses absolutionem Sacramentalem, ut vocant, à Canonica. Omitto etiam aliud, quod adstruis, Christianos Principes ab Ecclesia exautorari posse, propter quamlibet injustitiam & iniquitatem, seu propter quodlibet peccatum Ecclesiasticum; in his certè non scientiam modò, verùm etiam prudentiam desideratem, nemo saltem opiniones probabiliores reputet.

95. Dian. Nihil profectò juvat, hæc scribere, quæ maximam rerum perturbationem, cum incredibili Ecclesiæ detrimento conjunctam excitare possunt; & verò multæ sunt opiniones in toto illo, alioquin doctissimo commentario, quæ vix probabiles à Theologis, ne dum minùs probabiles censentur; sed legi aliquas, quarum tibi copiam seorsim faciam, Illustrissim. Caramuel.

96. Caram. Sustine, quæso, mi Pater, cum jam mihi quam plurimæ cursim opus illud evolventi, occurrerint, v.g. quod dicit, moribundum ab excommunicato Sacerdote absolvi non posse, omnesque S. Thomæ sententias, responsiones item, & rationes eius esse, errorique minimè obnoxias: prima est minùs probabilis, eique Theologi ferè omnes adversantur; altera verò ridicula; quis enim Doctori Angelico attribuat, quod Concilio generali attribui non potest, cujus decreta in re morum & fidei licèt definitè certa sint; rationes tamen incertas, de fide certe esse, nemo dixerit: adde his quæ jam supra inter indicavi, de irregularitate; ignorantia juris, præscriptione, aliaque ferè hujusmodi innumera, quæ libenter omitto, ne ab eo dicta exscribere potiùs quam discutere videar.

97. Mercor. Strictiorem partem sequitur doctissimus Commentator, utpotè tutiorem; quod illi potiùs laudi, quàm vitio vertendum est.

98. Dian. An fortè tutiorem partem esse putas, remedium Reverende, Annibalem Albanum jure quæsito, privare? necnon ita explicare, clausulam Bullæ Pii V. ut is, qui per alium facit, per se ipsum facere censeatur, quando scilicet singularis illius desideratur industria, cui tale munus ab Ecclesia commissum est, quod per se obire jubeatur.

99. Fagnan. Eminentissimi Cardinales, mihi eam adjudicarunt, de quorum æquitate dubitare, fas nefas.

100. Dian. Absit, ut sententiam illam, Eminentissimorum iniquam reputem; dico tantùm, multis visum esse minùs probabile, Annibalem Albanum, qui per Breve Apostolicum, munus illud Correctoris à Romano Pontifice immediatè acceperat, illudque per multos annos, cum multa laude obierit, ob expressam in Bulla Pii, D. Fagnani inhabilitatem, jure quæsito privari debuisse; quid enim is peccaverat, aut parentes ejus? & verò, si quæ fortè culpa intercessit, tota Urbani VIII. fuit, qui cum istum ad id munus inhabilem reputaret, Annibali Albano nihil tale cogitanti, per Breve speciale, illud contulit; in hac igitur causa, Illustrissimus Fagnanus minùs probabilem sententiam sequutus est, cur ergo alios eam sequi vetat?

101. Caram. Non est, quod multum curemus, quid nonnulli Judices interdum, in suis tribunalibus definiant; non ratò quippe accidit, ut per fas & nefas, non modò jurium indemnitati non consulant; sed etiam jus dicendo, omnia jura violent; si res postularet, & loqui fas esset, ea proferrem, optime Diana, quæ tibi aliisque horrorem incuterent; enimverò, non jam, quod justum est, sed quod gratum sibi & utile aliqui Judices statuunt, in maximum Christiani populi scandalum & detrimentum; & dum juridicundo navant operam, injustitiæ litant, si quid forte vel gratiæ, vel auræ politicæ & aulicæ, vel aurei momenti, vel odii, seu malè affecti animi, sic enim aliquos, alioquin innocentissimos homines mundus odit; quia fortè, ut ait Paulus, servi Christi sunt; vel ignorantiæ, quàm multi enim jus dicunt, & jura ignorant, aut certè venialis intercessionis accedit, illico Judex iniquus, vel injusto actori, vel comperto probatoque Reo favet: o tempora, ô mores, est Deus in cœlis, qui ultimam sententiam feret, obstruet os judicantium iniqua, æternumque de illis, justo judicio, supplicium sumet; sed ad te redeo, Fagnane, qui minùs probabiles sententias facilè amplexus es, si quando tibi utile & commodum fuit, quod mihi sanè in memoriam revocat quorundam hominum agendi modum, qui cum erga alios intolerabilem rigorem exerceant, sibi tamen cuncta condonant, aut licere putant; festucam in alienis oculis ferre non possunt, cum trabem gerant in suis; palmares generis humani censores & reformatores, Pharisaicum hominum genus, qui cum aliis omnia subducant, eadem sibi licita esse, pronunciant; nullum ignorantiæ locum esse ducant, si quando, vel de usura, vel de simonia, vel de pœnis Ecclesiasticis agitur; cum tamen ipsi scienter, ut ajunt, illa committant, quæ nullus Theologus, etiam ex iis, quos laxiores vocant, nullus Diana, nullus Escobar, nullus Caramuel peccato eximat.

102. Fagnan. Itane verò, Caramuël, præstantissimos homines traducis atque excipis, qui de religione Catholica bene meriti, corruptos Christianorum mores, bono zelo ducti, reformare nituntur, & disciplinam Ecclesiasticam, sacros Canones, antiquum usum in pristinum statum restituere? si ea rerum peritia valeres, qua illi ut plurimùm valent, qui Ecclesiasticorum, ac præ cæteris, Regularium negotia in Romanis congregationibus discutiunt, non ita facilè pios illos, tum meos, tum aliorum conatus, ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam, elevares: Crede mihi, nihil nisi Regularium sordes, rixas, & incredibilia flagitia audivimus; quibus incommodis, ut obviam iremus, nihil non tentavimus, novis statutis atque decretis; suppressis præsertim & abrogatis multis Monasteriis, in quibus debitus Regularium numerus desiderabatur; modico tamen fructu, quod sanè maximè dolendum est. Hoc autem ex prædicto laxiorum opinionum fonte profluxisse, constat, ad quas natura hominum ad malum propensa sese facilè accommodat.

103. Caram. Scio, quid intelligas; me prævertisti,

Fagnane; nec enim hæc omittere poteram : scio, quinam sint illi tui præstantissimi quos, si per te mihi liceret, facilè appellarem, illum præsertim Illustrissimum & Reverendissimum , cum quo literis identidem communicas; ii sunt consiliorum tuorum participes, quos tamen, si de Theologia morali multùm curare putes, luculenter hallucinaris; merus obstentus fuit, quod ii tot & tantas tragœdias & tempestates adversùs morales Theologos excitarint; & hanc rerum perturbationem procurarint; alium sibi finem proposuerunt ; & latet anguis in herba , cum enim apud omnes constet, opiniones illas, quibus tertam ipsi notam inusserunt , jam à multis lustris, Catholicis familiares fuisse , & communi usu receptas, ac proinde ab Ecclesiâ permissas, aut saltem, ut ipsi ajunt, toleratas ; inde fortè deducunt, interdum ab Ecclesia errores tolerari, majoris mali vitandi gratia, unde fortè illam errori obnoxiam esse, contenderent; ac proinde non mirum videri, si aliquando errarit: huc spectant dubio procul omni, tui illi præstantissimi , quos nunquam sine elogio appellas , & quos sæpe ac sæpius adducis, ad ea, quæ dicis , confirmanda ; hinc quidquid habet Wendrockius in suis notis, aliique in suis libellis & censuris tum Belgæ, tum alii , contra opinionem probabilem , & morales Theologos, cuncta hæc, cum è re tua sint , in tua commentaria traduxisti.

104. Fagnan. Absit, ut cum hæreticis sentiam, illi enim mei, ut vocas, sunt Catholici ; & hæreticis non nisi per calumniam accenseri possunt , viri sunt omni exceptione majores, quibus detrectare fidem sit nefas; immo iis majorem fidem habendam esse putarim , quàm suspectis quibusdam hominibus, contradicendi studio & aperto livore ductis , qui prædictis illis adversantur.

105. Caram. Bene est, nec jam cuiquam mirum esse debet , si cum iis hominibus maxima necessitudine conjunctus sis, de quibus tam altè sentis.

106. Fagnan. Vis detrectem fidem Sanctissimis & Doctissimis Episcopis , qui hoc mihi per literas sanctè jurarunt.

107. Caram. At si errant illi; de illis Belgis tuis quorum mentionem amplissimam in tua tractatione feci sti, plusquam manifestum est.

108. Fagnan. Si errant illi, errorem facilè declino; hoc tamen non facit, quin alia multa optime , in doctrina morum tradiderint , & contra opionum moralium laxitatem , in quo strenuè se gesserunt.

109. Caram. Illa omnia quæ ab iis homnibus traduntur, mihi plus quàm suspecta sunt; cum eum sibi dumtaxat finem proponant , dum hæc & alia similia scribunt , ut Ecclesiæ aliquid detrahant, eo modo quo dixi. Sed ut tibi demonstrem, quam male tibi cesserit hæc consuetudo , vel ex eo liquidò constat, quod multa ex illo fonte hauseris quæ tenenda non sunt; illud præsertim , ignorantiam juris invincibilem non eximere culpæ. Quisquis tangit picem, Fagnane , coinquinabitur ab ea; quisquis amat periculum , peribit in eo: ignosce, si hæc eadem tibi obiter occinam , quæ iis obtrudere non cessas, qui opiniones minùs probabiles defendunt: inde porro inferunt illi opinionem probabilem , in re morum , ad securitatem conscientiæ non sufficere , ac proinde peccare illum, qui probabili opinione nititur; multi enim , juxta illos, necessariò peccant , quia utrimque inter oppositas partes , nihil nisi probabile affulget : viden Fagnane , præcipuum illorum errorum fontem , ex quo reliqui ortum duxerunt.

110. Rancat. Huc omnino facile reducerem primum opinionis probabilis principium; cum enim ignorantia invincibilis eximat noxæ , ut statuo cum omnibus Catholicis & certa fide tenendum esse arbitror, saltem post Innocentii Constitutionem , quisquis opinionem probabilem sequitur, ignorantia tenetur invincibili ; illa enim est invincibilis , quam is , qui ea laborat, excutere nequit , cum igitur nulla opinio probabilis evidens esse possit, sed obscura semper maneat: nemo certò definire potest , utrùm vera sit, an falsa: ab ea igitur ignorantia sese liberare non potest; igitur est invincibilis ; igitur quisquis sequitur opinionem verè probabilem, certus est se non peccare.

111. Dian. Antecedens est de fide, igitur & consequens ; errant igitur quotquot secus sentiunt.

112. Mercor. Exantecedente de fide , consequens de fide sequi, necesse non est.

113. Rancat. Abstinere quæso ab illa quæstione, quæ hujus loci non est ; sufficit enim ut prædictum consequens sit de fide, vel ad instar conclusionis Theologicæ.

114. Dian. Quisquis ergo huic consequentiæ se opponit, errat; hinc mihi summoperè gratulor, eo præsertim nomine, quod cum me Illustrissimus Fagnus fœdissimè traduxerit , quasi primarium opinionum probabilium patronum , tandem constet, me doctrinam Catholicam defendisse , cujus opposita error est.

115. Caram. Ne dubites , candidissime Diana, tuti sumus , illi potius , ut perspicuè ostendi, à veritate deflectunt quod tamen iis condonandum esse crediderim; quia nesciunt , quid sibi velint , & verò ex vulgari & trita paræmia dicisse potuerant , ne sutor ultra crepidam. Sed quid faceres hujusmodi hominibus , qui per fas & nefas in messem alienam , suam falcem mittunt, & reputant sese rerum omnium peritissimos, si fortè tres aut quatuor textus, & totidem glossas, aut postillas male compactas , mente tenuerint , & aliquot paragraphos citare didicerint.

116. Fagnan. Longè modestius de nostris Canonistis loqui deberes, Caramuel; nam periculum est, ne ab iis aliquando immisericorditer vapules unà cum tuis Theologis, quos ut pestem odi, cum ipsi Theologiam moralem laxiorum opinionum peste infecerint.

117. Caram. Canonistas & peritos juris summa veneratione prosequor , quibus tamen nullam unquam causam committam : meis sumptibus didici , quam magno stet , hujusmodi hominum fidei sese committere , quidquid sit, Canonistas magni facio , Theologos verò maximi ; ut autem illos Theologos ferre non possum , qui præ suis metaphysicis tricis, reliqua omnia nihili ducunt, ita illos Canonistas minimè laudo, qui res Theologicas, quas vix ex limine salutarunt, tractandas & discutiendas suscipiunt; cum enim illas non capiant , Theses suas ludibrio exponunt, eaque incauti effutiunt ; quæ Tyronibus risum

rillum, & severioribus magistris stomachum moveat.

118 RANCAT. Unum à te rescire velim Illustrissime Fagnane, majori ne odio Theologos an Regulares prosequaris.

119 FAGNAN. Nullum odi, ne quid tamen dissimulem, Theologos vestros, qui nimiam sentiendi opinandique licentiam sibi arrogant, in ordinem redigi vellem; regulares verò summo amore complector; sciunt omnes, quid & quantum illorum caueligenm.

120 DIAN. Vereor, ut hoc nobis persuadeas; cùm semper illos exceperis, perinde atque si homines flagitiosissimi essent; in quo certè, si non justitiam, saltem civilitatem multi desiderarunt.

121 FAGNAN. Si Regularium causas quispiam adiret tractaret, nullus dubito, quin eos longè severiùs excuperet; illud enim omnem superat fidem, quantum scilicet omnigeni sceleris & flagitii id genus hominum tulit: hæc si profectò, iniquiùs de me sentiant, qui cùm ægrè immo ægerrimè ferant, sanctissimam illam Innocentii X. constitutionem, de parvis monasteriis abrogandis, an mihi maximo vitio vertant, quæ liberè in ea dixi, & typis mandavi; nec enim Evangelium erubesco; cur igitur ea taceam, quæ vel ipsi lapides clamant?

122 CARAMUEL. Egregiam verò laudem; erat propterea, quod regulares, cum iis vulpeculis, quæ demoliuntur vineas conferres, scilicet cum ipsis hæreticis, qui Ecclesiæ vineam devastant; quod certè Calvinitæ, & Lutherani plenis & rotundis bucis inflerunt: quasi verò regulares in Ecclesia hæreticorum loco habendi sint. Omitto gravissimas querelas, quæ insimponis, quæ ut omnem superabundem, ita si fortè vera essent, reticenda tamen fuisset.

123 RANCAT. Quid rei sit & causæ, clarissimè vobis demonstro. Illustrissimus Fagnanus per multannos in Congregatione Regularium, ut vocant, secretarium egit, item in Congregatione Concilii, & Correctorem in Sancta Pœnitentiaria: in his autem Congregationibus, lites dumtaxat, dissensiones, rixæ, accusationes, immo & flagitia regularium audiuntur: de virtutibus & rectè factis, altum ac perpetuum silentium: Quid mirum ergo, si hinc illustrissimus regulares omnes tales esse putarit, quales illi erant, quorum causas dictis Congregationibus proposuit: hæc mihi ratio potissima esse videtur, propter quam regulares apud quosdam maledicuntur: cùm tales singuli reputentur, quales aliquot nonulli discoli, qui ut infligendas sibi à superioribus pœnas fugiant, ad SS. Congregationes, tanquam asylum confugiunt: sed hæc quæso mittamus, quæ si pro dignitate tractentur, molesta forsan nonnullis accident, hoc dixisse obiter sufficiat, regulares majori ex parte ita se gerere in Ecclesia, ut non parum illi decoris, ornamenti, & subsidii adferant: nec enim est dubium, quin ii & hæreticos confutarint, & infideles ad fidem converterint, & fideles non modò in vera fide continuerint, verùm etiam Christianarum virtutum usu induxerint, quà verbis, quà Conciliis, quà libris in lucem editis, illorum animos mirabiliter excoluerint.

124 DIANA. Rem acu tetigisti, vir doctissime, germana concepti odii hæc causa fuit. Unum addam, in quo fortè cuipiam audaciùs loqui videar: videlicet longè satius fore, si, ut antiqui moris est, & antiqua jura præscribunt, religiosi instituti homines à suis superioribus regantur, & judicentur, quàm si per sæcularium, & Curialium tribunalia discutiant, in quibus aliquid semper detrimenti religiosa paupertas & modestia patiuntur.

125 FAGNAN. Reprimenda est ut plurimùm nimia superiorum licentia; quod reverà fieri non posset; nisi prædictarum Congregationum legibus ac timore continerentur.

126. CARAMUEL. Immò coërcenda est intolerabilis aliquando subditorum discolorum pervertitas, & aperta rebellio, qui per fas & nefas, quasi pertuli arietes in religionem ipsam, nimirum in matrem suam arietant, Sed hæc quæso mittamus, quibus, ni fallor, Fagnane occasionem dedisti, cùm ea de regularibus scripseris, quæ de facinorosis hominibus scribere dubitasses. Eò igitur redeat, unde digressa fuerat dissertatio: scilicet eò rem venisse, ut in odium opinionum probabilium ignorantiam invincibilem, juris scilicet naturalis non eximere culpæ docueris, ac proinde peccandi necessitatem, inconsitans licèt, induxeris. Longe melùs fecisses, Fagnane, si probabilia potiùs, quam talia sequutus fuisses; sed tuum te in Theologos odium abripuit in præceps: abstinebis, opinor in posterum, à rerum illarum discussione, quarum te non satis peritum esse, probè nosti: continebis te intra fines tuos, relinques Theologis Theologica: alioquin, si ultra pergis, aliquis fortè liberioris linguæ, tritum illud, quod tute scis, tibi Theologos docere volenti occinet.

127 FAGNAN. Etsi ultra fateor, ad sacros Canones, non verò ad Theologicas disputationes, animum à me applicatum fuisse; negare tamen non possum, quin Doctoris Angelici summam interdum legerim, ex quâ profectò lectione, mihi referre visus sum, quidquid alii Theologi suppeditare potuissent.

128 MERCOR. Ita sanè, nec tam mihi illa esse videtur Theologiæ, quàm omnium Theologorum summa: Quidquid enim apud illos boni & docti succi fuit, totum id, arte mirabili, & claritate incredibili Doctor Angelicus in unum congessit.

129 FAGNAN. Illud mihi præterea singulare visum est, quod is, qui Doctorem Angelicum sequitur, à recta semita nunquam deflectat: quod certè, in rerum præsertim, quarum faciendum sit, vix, ac nec vix quidem explicari potest.

130 MERCOR. Singulari Dei prærogativa, sanctissimo Doctori concessum fuit, ut nunquam erraret, quod certè non semel ab Ecclesia declaratum est: ac proinde illi, qui ejus doctrinam amplexi sunt, errare non possunt: ii verò, qui contrariam profitentur, suspecti semper inde fuerint.

131 CARAM. Doctoris Angelici doctrinam sanam & Catholicam esse, non negarim: immo facile admiserim, illum esse Theologorum scholasticorum Principem & Coryphæum, quod tamen, doctrina illa ab Ecclesia, ut ita dicam fuerit Canonizata, & ita approbata, ut ab omni prorsus nævo immunis credenda sit, huc usque, ne quid dissimulem, non credidi, nec in posterum credam: sed de hujusmodi approbationibus Ecclesiæ, quas nonnulli passim exaggerant, disputandi hic locus non est, nec scilicet actum agamus: res enim ab aliis abundè discussa est, in libris de hoc argumento conscriptis: ut ut

sit tibi gratulor Fagnane : quod D. Thomæ Summam legeris quod illius Doctrinam, in re morum præsertim, sequaris: hoc demus ultro : quid tum? quid inde? probabilem dumtaxat doctrinam sequeris : loquor enim de illis quæstionibus, quæ à Scholasticis hinc inde agitantur : Et verò de re morum Doctor Angelicus optimè scripsit : id est, probabilibus rationibus doctrinam suam firmavit: nec enim, opinor, demonstrationes habuit, quarum illa materia patiens non est : sed ut tibi gratulor, quod D. Thomæ doctrinam amplexus sis, quæ tantùm probabilis est, ita mihi, aliisque immeritò succenses, eò quod aliam doctrinam, quamvis illi fortè oppositam, probabilem tamen, sequamur : si ostendisses (quod certè facere debueras.) Nostram Doctrinam non esse probabilem : si rationes nostras, quibus illam probamus, diluisses, & evicisses, inter probabiles & graves non esse annumerandas, darem profectò tibi manus, sed quod nobis illicitum esse velis, quod tibi ipse arrogas, tolerari profectò non potest.

132 RANCAT. Quod omnes & singulæ Doctoris Angelici sententiæ probabiles sint, dare non possum, nonnullas enim facilè proferrem, quæ jam probabiles non sunt, qualis est illa, de Virgine Deipara, cum macula originali concepta : quam certa fide, ita tenendam esse, S. Doctor asserit, ut oppositum hæreticum censendum sit: sed hoc dicere erroneum est, ut Ecclesia declaravit, omitto alias, hoc quippe frustra urgerem.

133 CARAM. Negari tamen non potest, quin prædictæ sententiæ probabiles essent, dum S. Doctor scriberet, quod reverà mihi satis est, ut de iis bene scripsisse dicatur. Nec est, quod multum de iis sollicitus sis, Fagnane, qui doctrinam oppositam tenent, quasi Thomisticæ adversentur : quia cùm ii doctrinam suam defendant, ut probabilem, ut reverà probabilem esse, nemo jure inficiabitur; non propterea negant, Thomisticam probabilem esse; immo hoc ipsum ultro fatentur; igitur in judicio speculativo, omnes conveniunt, dum asserunt, utramque doctrinam esse probabilem : in usu tantùm & praxi dissentiunt, nempe Thomistæ suam, illi verò oppositam docent, ac profitentur: in quo tanè, quid adeo reprehendendum sit, non video.

134 FAGNAN. tutiorem partem Doctor Angelicus docet.

135 MERCOR. Immo probabiliorem semper tenet.

CARAM. Utrumque in dubium multi provocant, & adductis probant exemplis : utroque tamen dato, & non concesso, quis me ad tutiorem, quis ad probabiliorem adstringit ? præsertim cum una probabilis, alia verè probabili tutior, formaliter non sit : cùm certò constet, utramque formaliter æque tutam esse : etiam si altera sit minùs probabilis : nempe judicium illud practicum certum est, quod circa usum & electionem opinionis etiam minùs probabilis, modò verè probabilis sit, versatur. Sed hoc jam multi clarissimè demonstrarunt, ad quos scilicet vos remitto.

136 RANCAT. Optimum sanè consilium : quid enim de re certa, & jam demonstrata ultra dubitare juvat? cùm dubia tantùm in disputationem cadant.

137 CARAM. Ita est, demonstratum fuit, quamlibet opinionem verè, minùs licèt probabilem, in usu & praxi ita esse tutam, ut nullum dubitationi, nullum periculo peccandi locum, relinquat : non tamen propterea admisto, illas omnes, quæ ubicunque & speculativè tantùm, eo modo, quo supradictum est, à nonnullis probabiles reputantur, tutas esse in praxi, hoc enim jam ultro concedo, non quidem mi gratia Rancate, sed ne veritati competat videar adversari.

138 MERCOR. Sed antequam ultimum judicium à vobis proferatur, solvenda vobis essent formissima illa argumenta, quibus Illustrissimus Fagnanus opinionem probabilem impugnavit.

139 DIAN. Quid solvendum restat, quod jam viri doctissimi non solverint ? præsertim cum omnia partim à te, partim à Philalethe, partim à Merenda, partim demum ab aliis acceperit, tua solvit, brevitèr quidem, sed efficaciter, Antimus ille, in Pithanophilo; Philaletum, & Merendam multi refutarunt, item que alios tanta librorum copia, ut jam contra illos scribere, superfluum esse judicem.

140 CARAM. Res ita se habet, ut dicis, de Merenda puto Canonista parum curandum est; licèt enim multis erroribus scateat, & diris convitiis Theologos prosequatur, hoc ultro illi condonandum esse crediderim, cùm is nesciat, quid sibi velit, & nobis minùs, quid dicat; de Wendrockio aliisque hujusmodi, non laboro, ab iis enim, nihil nisi spectum prodiit; atque adeo illi valde suspecti de mihi videntur, qui iis adhærent, & cum iis magna necessitudine conjuncti sunt, adductisque illorum doctrinis, testimoniis & satyris, Doctorum Catholicorum sententias, mores, nomen & famam impugnant; de Mercoro parum etiam curandum : licèt enim vir alioquin doctus sit, & exilio ordine, quem summoperè colo, nullo tamen efficaci argumento intentum probat, quod dictus Antimus obtet, & quasi ludens non solverit; Philalethæ Basdio & Spinulæ meritas pœnas dedit; uno verbo, rem expedio, Fagnane, iis argumentis, quæ congessisti, id dumtaxat, unum evincis, conscientiam certam esse debere; hoc tibi Diana, hoc Rascatus, hoc Caramuel, hoc centum Escobar, hoc cæteri omnes opinionum probabilium defensores, ultò concedunt; hoc Antimus ille à se demonstratum fuisse, dicit: sed quæso te, quid inde contra nos? quid contra optimonem probabilem? reliqua prudens omittò.

141 FAGNAN. Fieri non potest, ut licitè ad praxim illa omnia reduci possint, quæ ex gravissimis oppositæ partis auctoribus excerpsi: puta ex Lessio, Sanchez, Layman, Suarezio : & tamen illa omnia spectantur ut probabilia : immo vel eo nomine probabile reputandum, quod unius auctoris calculo probatur.

142 DIAN. Si per te mihi licerei, Illustrissime, revelarem mysterium : ut vel inde honori tuo ac nomini consulatur. Non legisti auctores illos, quorum tas, sed eorum scripta à quibus citantur, tibi perfecta sunt, de quorum fide cum minimè dubitaverit, fideliter ab iis citatos fuisse, tibi persuasisti : ecus tamen res ita se habet; novi hominem qui summa diligentia, locos à te adductos recognovit, nihilque prolixum eorum Elenchum legendum præbuit, in quo supra ducentos perperam & falsò allegatos non sine summo stupore hisce oculis legi, imponi passim, vel potiùs imponunt illi, piissimis & Doctissimis auctoribus, è re tua esse facilè credem, hujus Elenchi opera, fallas allegationes castigare: his enim castigatis, mentem haud dubiè in melius mutabis.

FAGNAN

143 FAGNAN. vix ea crediderim, quæ à te dicuntur, eorum enim hominum industria & opera usus sum, quorum fides mihi comperta & dudum perspecta diligentia; igitur tibi ac mihi potiùs imposuit, scio quem intelligas, ab hoc hominum genere cuncta mihi suspecta sunt.

144 DIANA. Ab homine doctissimo & piissimo, ut opinor, audivi, Elenchum illum esse fidelissimum, quod ab ipso collatis locis summa diligentia probatum fuit.

145 FAGNAN. Æquè ille suspectus est, ejusdem scilicet instituti.

146 DIAN. Quid vis tibi dicam: ego etiam curiosum probavi, tuipse probare non potes; appella mihi aliquem, cujus fides tibi perspecta sit, cui dicti Elenchi copiam ultrò facturus sum.

147 CARAM. Id summæ gratiæ loco habendum esset, sed invito beneficium conferri pudet: mihi quæso candidissime Diana hujus Elenchi copiam facies, jurerit aliquando in publicam edere lucem, necalia opus erit Apologia gravissimis illis auctoribus, quorum nomen & famam Fagnanus tradent.

148 MERCOR. Nunquam certè in animum inducam, ut credam, doctissimum Fagnanum tanta incuria & negligentia scripsisse, ut tam multa auctorum loca fallatur; unum, vel alterum, in tanta copia facilè concesserim, vel potiùs typorum vitio tribuerim, sed tantus falsarum allegationum numerus, mihi valdè suspectus est, præsertim cum ab iis hominibus proficiscatur, qui cum ægerrimè tulerint Christianum optimi senis zelum, doctrina & auctoritate, contra Neoterica laxioris probabilitatis monstra instructum atque armatum, nullum non moverunt lapidem, ut præstantissimi & de Ecclesia bene meriti hominis fidem elevarent.

149 RANCAT. Resista in disputationem, seu controversiam cadere non potest; quæstio facti est, producantur loca, conferantur, causa finita est.

150 DIANA. Ita prorsus, imò quod mirere magis Mercore, Aquinas vester ab hujusmodi falsationibus immunis non fuit, quem Fagnanus non semel pejeram allegavit, imò S. Augustini librum appellat, quem ab Augustino nunquam scriptum fuisse, manifestum est.

151 CARAM. Aliorum fidei fidem habuit, conturbatem, qualis sit bona illa illorum hominum fides, quam aliquis fœlici penicillo ad vivum, ut ajunt, expressit, sed hæc, quæso, mittamus, procures tantummodo, ut Diana, ut commemoratus Elenchus meas veniat manus; utilitatis publicæ fore judico, eum publici juris facere, ut saltem simpliciorum pervulgo, & doctissimorum auctorum nomini consulatur.

152 FAGNAN. Hæc parum me movent, non deerit meorum partium homines officio suo, quorum aliqui Parisiis, Burdigalæ, Lovanii, Romæ egregiam & nunquam satis laudandam mihi operam navarunt.

153 CARAM. Scio, scio, quos intelligas, levioris notæ naturæ homines, qui rem hanc, quamvis aliquin clarissimam, vel non capiunt, vel quod facilè mihi persuaserim, dissimulant à se non capi.

154 MERCOR. Non capiunt, inquis, imò ita dissimulant, præsertim ille noster, ut de hoc argumento etiam juxta doctissimorum hominum mentem, omnium scripsisse videatur.

155 CARAM. Ille vester, ut alios ejusdem farinæ omittam, rem istam non capit: & si aliquid latinitatis affectatæ, eruditionis emendicatæ, & convitiorum omnis generis plaustra detrahas, reliqua omnia flocci facienda esse duxerim: quomodò verò de hoc argumento, non dicam optimè, sed benè, aut mediocriter scribere potuit, qui vel in ipsa probabilis opinionis definitione miserè cespitavit.

156 FAGNAN. Minimè verò, refellit ineptam nescio cujus definitionem, jure quidem ac meritò.

157 CARAM. Itanè verò ineptam, en tibi definitionem illam: *opinio probabilis illa est, quæ ex rationabili motivo procedit, citra certitudinem*, rationabile verò motivum, citra certitudinem, illud est, quod licèt intellectum non rapiat, & vi quadam objectiva assensum illi extorqueat, ad prudentem tamen assensum movet.

158 MERCOR. Minimè verò, prudentem, sed imprudentem: ille quippe imprudenter agere censendus est, qui relicta probabiliore, minùs probabili adhæret.

159 CARAM. Mira narras, Mercore, vis opinionem minùs probabilem eo motivo carere, quod ad prudentem assensum sufficiat; igitur non est probabilis; ac proinde adstruis repugnantia.

160 MERCOR. In se revera probabilis est, in concursu verò probabilioris probabilis, non reputatur: quis prudenter illum agere dicat, qui relicta probabiliore quæ ad veram propiùs accedit, minùs probabilem elegit, quæ à virtute longiùs distat.

161 CARAM. Quasi verò, minùs candidum in concursu candidioris, non sit candidum, & hæc magistri in Israël: confundis etiam minùs prudentem, cum imprudente: an nescis, prudentiam, uti & reliquas virtutes incrementi ac decrementi patientes esse? unde fateor ultro, illum prudentiùs acturum, qui probabiliori & tutiori parti adhæserit: sed hoc consilii est, non præcepti: proferamabò præceptum illud hominibus impositum, melius & perfectius eligendi: dum verò addis probabiliorem accedere propiùs ad veritatem, à vero aberras: cùm fieri possit, ut ea falsa sit, quæ probabilior est, & vera, quæ minùs probabilis: sed hæc ita confunditis, ut à vobis minùs intelligi videantur.

162 FAGNAN. Utrum hæc intellexerim, norunt ii, qui meis rationibus convicti, cesserunt tandem, & dederunt manus.

163 CARAM. Crede mihi, Fagnanè, voluntate, non intellectu cesserunt; cùm reverà nihil à te adductum fuerit, quod vel probabile à me reputetur.

164 MERCOR. Reputarunt tamen alii, & ut verbo dicam, nunquam argumentum illud solvistis, ex eo petitum, quod pro lege potiùs standum sit, quàm contra legem; quare in concursu duarum opinionum, quarum altera legem violari posse, asserit, altera verò negat, imprudenter illum facturum puto, qui primam elegerit.

165 DIAN. Quid monstri? quis unquam illam opinionem probabilem esse, dixit, per quam licet violare legem? nullus auctor etiam laxiorum amans id dicat.

166 MERCOR. Non dico legem violari formaliter, sed materialiter.

167 DIANA. Nullus etiam dicat, legem à sciente, & volente materialiter violari posse: nempe materialiter violari dicitur, quando aliquis per ignorantiam id facit, quod per legem vetitum esse ignorat: ut si quis die jejunii comedat carnes, nesciens esse diem jejunii.

168 MERCOR. Mentem meam non assequeris, Diana; ponamus, dubium esse in aliquo casu, utrùm lex obliget, v. g. utrùm sartores communi jejunii lege teneantur: dico in tali dubio, pro lege standum esse, id est, pro ea parte, quæ sartores teneri adstruit.

169 CARAM. Quidsi probabilius sit, non teneri?

170 FAGNAN. In hoc casu, opinio minùs probabilis tenenda est quia stat pro lege.

171 CARAM. Quasi verò lex sancta naturæ non ut hominem liberum, iis adstringendum non esse, quibus certa lege non adstringitur; sic dubium votum non obligat, lex incerta non ligat.

172 FAGNAN. Statuimus legem certam; nec dubitatur an lex sit, sed an lex obliget.

173 CARAM. Sed legem esse, & ligare, vel obligare, idem prorsus sonant: dubium igitur est utrùm lex jejunii sartores obliget, id est, utrùm pro sartoribus hæc sit lex; & in hoc casu dico, stante rationabili dubio, legem non obligare.

174 RANCAT. Cautè addidisti, stante rationabili dubio, ut si aliquis rationabili motivo inductus, judicet sartores hac lege minimè teneri; si enim nullum rationabile motivum occurreret; illos reverà teneri, omnino certum esset; ita prorsus in omnibus communis illa regula est, nullum lege teneri, qui ex rationabili motivo judicat, se non teneri: licèt alioquin ex rationabili motivo judicet se teneri: innumera exempla facilè occurrent: judicat quis, ex rationabili motivo, ac proinde prudenter, se non debere certam nummorum summam, licèt etiam ex alio motivo judicet se illam debere: is profectò solvere non tenetur, quia favet ipsi possessio: & nemo re sua quam possidet, privari debet, sine obligatione certa.

175 MERCOR. Fallacem profectò regulam statuis, idque ex sat multis capitibus: dubitat aliquis rationabiliter se peccasse, tenetur peccatum illud dubium clavibus subjicere: dubitat quis, an satisfecerit pensio diurno recitandi Officii, tenetur recitare: credit, se probabiliter solvisse debitum, dubium tamen restat, tenetur solvere: alia ferè innumera ejusdem generis occurrent, in quibus statuta regula fallit.

176 RANCAT. De peccatis dubiis tecum sentio, quia Christi lex est subjicendi clavibus omnia peccata etiam dubia: de lethalibus loquor, sic etiam lex Ecclesiastica tulit, ex homicidio etiam dubio contrahi irregularitatem, potuit etiam Ecclesia statuisse, ut quis recitare teneatur Officium, si vel aliquod dubium subsit, licèt probabiliter credat, recitatum à se fuisse. Sed neque is tenetur dictam summam solvere, qui probabiliter, id est, rationabiliter renet, solutam à se fuisse: nec is tenetur subjicere denuo peccatum illud, quod probabiliter & prudenter judicat subjectum à se fuisse: equidem in dubio negativo, & recitandum Officium, & peccatum subjiciendum, & solvenda summa, quia tunc nullum occurrit rationabile motivum, ex quo judicem, munus impletum fuisse: & hæc fortè ratio tibi occasionem præbuit, optimè Mercore, statutam à me regulam elevandi.

177 MERCOR. Tutius semper est, pro lege stare, quàm contra legem, præsertim cùm ipsa lex sit in possessione.

178 RANCAT. Melius profectò, perfectius, & prudentius, fateor ultro: sed modò quis prudenter, & tutò operetur, quis eum ad prudentiùs & tutiùs agendum, adstringat? prudentiùs rectè dixi, cum prudentia major, vel minor esse possit, tutiùs malè dixi: tutum enim, ut tute scis, consistit in indivisibili. Equidem certò tutum, probabiliter tuto præferendum est: & is, qui operatur, certò tutus esse debet à peccato, & hæc est conscientia certa, ut vocant: at una pars certò tuta alteri etiam certò tutæ, saltem ex præceptò, præferri non debet: non tenemur enim ad melius, ad perfectius, ad prudentius, alioquin Christi consilia essent præcepta: melius est, mutuam pecuniam dare absque lucro, quam lucrum inde referre, justo aliquo titulo, qui tantùm probabilis sit: rectè, sed etiam melius est illam pecuniam omnino pauperibus dare, remisso jure omni ultra sortem repetendi, *si vis perfectus esse, &c.* Constat igitur, legem non violari, etiam materialiter, quando aliquis ex rationabili motivo judicat, legem in aliquo casu non obligare, nisi lex casum illum expresè comprehendat: ac proinde legem non esse in possessione suæ libertatis, quotiescumque aliquis prudenter judicat, in dato casu, se non teneri.

179 CARAM. Hæc adeò clara mihi semper visa sunt, ut non jam probabilia, sed omnino certa esse videantur: quod uno verbo demonstrandum suscipio, nulla est opinio probabilis & tuta in praxi, quæ ex rationabili, gravi, & prudenti motivo non procedat: si quam aliam mihi obtrudas, eam opinionis probabilis loco non habeo: imò volo etiam constare, quod talis sit, nimirum, certò probabilem: ac proinde illius usum certò prudentem, igitur certò honestum; actus enim prudentiæ actus virtutis est: usum igitur cujuslibet opinionis verè probabilis, sive magis, sive minùs, sive æquè probabilis sit, tutum & honestum esse, certò constat: igitur & hæc propositio certa est, *opinio minus probabilis tuta est in praxi*: huic opposita, nimirum ista opinio minùs probabilis, non est in praxi tuta, est omnino improbabilis, cujus scilicet opposita certa est: videat, quo tandem, Fagnane, cum tuis, opinionem probabilem ita impugnasti, ut ne quidem probabilem de illa senserint: viderint ii, qui ut tibi gratificarentur, in probabilitatem vehementer, & in me præsertim invecti sunt.

180 RANCAT. In hac quæstione, nulla prorsùs mihi restat difficultas: modò enim statuamus hanc, vel illam opinionem esse verè probabilem, certum est, eam tutam esse: si verò rationabiliter dubitetur, an probabilis sit, in praxi tuta censenda non est.

181 FAGNAN. Quam multa vestri adstruunt, ut probabilia, quæ probabilia non sunt: ea certè referem puderet.

182 CARAM. Huc volo te, Fagnane, hanc provinciam suscipere debueras; discutiendi scilicet materias, quæ sparguntur in vulgus, opiniones; an scilicet verè probabiles sint; si huic sedulam operam navasses, ut vir quidem doctissimus, qui volumen edidisti, quod Trutinam inscribit, de hoc argumento diligentissimè scripsit, esset profectò, quod saltem ornatum laudarem.

183 RANCAT. Rectè monet doctissimus Parisul, sed justam Trutinam esse velim, & filios hominum recta judicia judicare; quidam enim aliis graves & severi, sibi mitiores & indulgentiores sunt: unum ex integra causa, & malum ex quolibet defectu illa opinio tuta est in praxi, quam docti ferè omnes probabilem esse fatentur, licet multi oppositam teneant: illa verò, quam aliqui viri docti, pii, post diligentem discussionem, probabilem esse negant, in praxi tuta non est: hinc non sufficit, esse probabilem, nisi certum sit, eam probabi-

probabilem; nec sufficit, ad hoc, ut sit probabilis, eorum talem videri, nisi fortè istum inculpata ignorantia eximat culpæ: De his, quid laxius, quid rectius, teneri valeat, non video; & neminem refragantem iri, crediderim, qui rem hanc probè intelligat. probabilitatem à veritate distinguat, item propositionem modalem à cathegorica, judicium speculativum, à practico, usum opinionis probabilis, ab ipsa opinione, certitudinem probabilitatis, à certitudine opinionis, aliaque hujusmodi, quæ quia nonnulli minimè intellexerunt, aut distinguere noluerunt, Theses suas ludibrio exponere nolunt. Theses suas ludibrio exponere nolunt, Theses suas ludibrio expo- nere vanum denique vellem, ut ii tantùm de hac materia disputarent, quos rerum istarum peritos esse constat; sed huic disputationi finem tandem imponamus.

184. Fagnan. Quandoquidem oleum & operam perdo, cessabo tandem; Deum tamen attestatus, non per me stetisse, quin Theologia moralis restauraretur; his omnibus vale dicam, & recepti canam, ut liber ab his disputationibus, eaque negotiorum mole, sub qua jam à multis annis gemo, ac dimissionem postulo, mihi tandem uni, cui mors proxima instat, vacare possim: hoc enim tutius esse, videtur; & cum cæteris inculcarim, ut tutiorem partem sequantur, hoc consilium; quamvis ab adversario suggestum, mihi quoque servire par est.

185. Rancat. Consilium tuum nullus non probet, Illustrissime Domine.

186. Dian. Imò summoperè nemo non laudet.

187. Mercor. Huc tandem veniendum est.

188. Caram. In hoc uno dumtaxat, opinioni tuæ libens & volens subscribo.

PITHANOPHILUS PROMOTUS;

ID EST

DIALOGI MORALES

IN QUIBUS

SELECTÆ QUÆDAM HUJVS TEMPORIS CONTROVERSIÆ DISCUTIUNTUR;

NIMIRVM

DE USURA, CAMBIO, SPONSIONE SALMANTICENSI, PACTO trium contractuum, censu utrimque redimibili, Simonia, justæ defensionis ac compensationis jure, & quibusdam aliis ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinentibus.

AVCTORE

HONORATO FABRI SOCIETATIS IESV.

AVCTOR LECTORI.

AMicis denegare quid possem? Lector erudite, quibusdam copiam feceram hujus lucubrationis, quam, prout res cumque tulerat, composueram; iidem impensè à me flagitarunt, ut eam in lucem ederem; annui, ea quippe sum indole, quæ amicis, immo & inimicis, si qui fortè sunt, morem non gerere nesciat: Habes igitur in hoc opusculo, aliquot exercitationes morales, quarum titulos ab ipso limine salutare potuisti; utere, si è re tua sunt; sin minus, omitte; nec enim cuiquam res meas obtrudo. Quod pertinet ad opinionum delectum, scias, velim, me austeriorem, nec molliorem velle videri; unius veritatis amore & conscientiæ studio ducor; eò inclinat animus, quo hæc inclinat, quo illa monstrat: ut ut sit, certam conscientiam semper esse jubeo, certam dumtaxat probabilitatem, in rebus moralibus, earumque usu & praxi admitto: Ab his duobus principiis, seu verius, ab hoc tuo principio (tuum enim & idem est) nunquam deflectam; itaque, ut nimiam mollitiem justo quodam rigore contineo, ita nimium rigorem aliqua tempero mollitie; ab omni utriusque partis factione liber, ita cum una me gero, laxiore scilicet, ut certam conscientiam & certam probabilitatem necessariò postulem; ita vero cum altera, nimirum severiore, ut opinionem etiam minùs probabilem meo calculo donem, & in praxi tutam esse demonstrem; Hinc, ut vides, ut à vitiosis extremitatibus declinem, in medio, ubi virtus est, subsisto. Vale.

DIALOGUS

DIALOGUS DUODECIMUS
DE VSVRA.

1. ANTIMUS SEriùs advenis, quàm credideram, haud dubiè, ut instructior ad congressum accederes.

2. PITANOPH. Parum instructus accedo; hanc eam tibi relinquendam esse putavi; majoris negotium fuit, quàm mihi persuaseram, illa omnia paulò distinctiùs digerere, ac describere, quæ in aliis cõgressibus docuisti, quæ ut mihi summoperè placent, quem scilicet ab innumeris difficultatibus & curis liberaverunt, ita fortè nonnullis magis arriderent, si alios etiam autores adduxisses; nempe eos dumtaxat citasse, salem ut plurimum vilius es, qui sunt è tua familia; quod nisi fallor, aliquid invidiæ conciliat, quam vetitis, præsertim hoc tempore fugere debent.

3. ANTIM. Haud ingratum accidit, quod pro tua humanitate fuggeris, indolem meam nosti; nullo pentis (ita me Deus amet) in tractanda re literaria, singulis erga hunc, vel illum autorem affectu ducor, omnes æquè vereor, modò æquè docti sint, & ut eam unquam laudem extraneis detraho, ita nullam vitiam in domesticis osculor: nunquam illi mihi teni sentire visi sunt, qui aliorum laudes ferre nequam, & suorum vitia putidè tuentur: is sum qui nunè ignorem, præstantissimos homines ex omni familia & classe de doctrina morum scripsisse; elenchus frustra describerem, cum eorum opera palam prodant, & omnium manibus terantur: nemo tamen inficias eat, quin minima nostra Societas suos eruditos habuerit & etiamnum habeat, non ultimo forsitan censendos; Quid Toletus, Suarez, Vasquez, Molina, Valentia, Sanchez, in re morali præstiterint; qui Azor, Lessius, Lugo, Reginaldus, Layman, Caramuel, Quid Tannerus, Coninx, Præpositus, Hamon, Amicus, Salas; Quid Oviedo, Arriaga, Cardenas, Fagundes, Henriquez, Baldellus Dicastillus, scalii de hoc argumẽto scripserint, nemo opinor rudis literaria versatus ignorat; scio, à nonnullis suspecta fidei hominibus laudatos autores flocci fieri, tanquam quasi doctrinæ moralis, non defensores, sed corruptores essent; sed hujusmodi nihil moror; nec cum factionis, sed veritatis & religionis congressum ineamus: Itaque tuis votis abundè morem geram, quandoquidem autores omnis generis desideras, audacem affatim; utinam tot ac tantis citationibus onerare, rem adeò facilè à me petiisti, ut nullo modo incommodo facturus sim tibi satis: quamquam, ut ingenuè dicam, quod sentio, vel non est genus, aliorum dicta exscribere, libros compilare, versiculis & numeris implere paginas; congerere eorum loca, centones consuere; jucundius semper duxi meas nugas seorsim exponere, & propriis armis pugnare, quàm alienis, sed ad rem, mi homo, nam in hoc temporis angustiis, tempus in cassum terere non

4. PITHANOPH. Juverit fortè aliquando hæc à te accepisse, & si per otium liceat, de hoc argumento pluribus aliàs; nunc verò his omissis, proposita materia tractanda est, quæ est de usura, de qua multi grandes tractatus scripserunt; nonnulli seorsim ex professo; alii conjunctim; cum scilicet alias materias simul discusserint; quid addi à te possit non video.

5. ANTIM. Novam saltem methodum inibo, & ex jactis principiis, cuncta definiam: ab his autem controversiis initium ducam, quæ ad usuram pertinent, quæ ut meliùs intelligantur: suppono vel statuo, usuram nihil aliud esse apud Theologos morales, nisi lucrum ex mero mutuo, vel actionem ipsam, qua prædictum lucrum percipitur, seu peccatum ipsum, quod prædictæ actioni inest; scio à latinis antiquioribus aliter accipi; sed de nomine non est disputandum; definionem nominis esse puta, in qua habes, quid hoc nomine intelligam, & tu ipse intelligere debeas, quotiescumque hoc vocabulum à me prolatum audies.

6. PITANOPH. Indeni fallor maximam disputationum partem rescinderent, quotquot de re literaria scribunt, si quæstiones & controversias de vocibus omitterent; nihil tamen inde laudis eruditis quibusdam scriptoribus detractum velim, qui literarias & anacriticas hujusmodi dissertationes, etiam fusè prosequuntur; perscrutantur antiquorum Autorum volumina, & multa congerunt ad eruditionem, idque non sine maxima laude, quam reverà illis ut dixi, detractam nolim, quamquam, si meam indolem consulas, res ipsas longè scire malim, quàm voces, & pluris facio Herum, quã mancipium; voces enim, ut tutescis, rebus serviunt; Indolem meam appello; laudi ne, an vitio vertas, perinde est; quisque suos patitur manes; ut suum cuique sensum relinquo liberum, ita meum probo, ac mihi liberum vendico.

7. ANTIM. Ut Ingenuè mentem tuam aperis, ita haud malè accipio; & quia novi genium tuum, ab iis quæstionibus abstinebo, quæ plurimum quidem eruditionis, minùs tamen solidæ & catholicæ veritatis præferunt; ne ab hoc argumento, quod discutiendum suscepi, vel minimùm discedam, nostras Salmasius exempli loco esse potest, qui multa de usura scripsit ad eruditionem, ut vocant, & nescio quam antiquioris literaturæ ostentationem, castigat vocabula, emendat sententias, sensus indagat, particulas mutat, at quod sanè doleo, in re ipsa, errat turpissimè, sed quid amabò ab Heterodoxo, nisi Heterodoxa expectares? quid Calvinista, nisi hæreses? Caroli Molinæi Simiam egit, cujus tamen librum de usura, nunquam se legisse profitetur. Contra Salmasium nonnulli egregie scripserunt; sed præ cæteris nunquã satis laudari poterit noster Gibalinus, qui hoc argumentum penitùs exhausit grandi volumine, quod de usuris & fœnore nuper edidit; opus sanè, meo saltem

saltem judicio, in quo ad rerum copiam, styli nitorem, erudionis pretium, doctrinæ laudem, Theologiæ majestatem, doctrinæ soliditatem, scriptoris diligentiam, nihil prorsus desideres.

8. PIHANOPH. Mihi gratulor; licèt enim magna illa volumina non ita mihi placeant, illud tamen summoperè mihi placuit; & ut liberè dicam, hunc fere unum legi, ut me ad hunc congressum, in quo de usura te acturum esse dixeras compararem; sed perge quæso; nec enim Catholici disputant, an usura peccatum sit, quod sacris literis traditum fuit, multorum conciliorum decretis & canonibus firmatum, & Pontificiis constitutionibus confirmatum; sed quæso vellem obiter saltem indicares aliquam demonstrationem, qua penitùs conficias, usuram peccatum esse.

9. ANTIM. Quid aliud tibi dicerem, nisi quod centies dictum & scriptum fuit; quisquis lucrum per usuram percipit, ex re non sua percipit; sed hoc injustum est; usuram igitur injustam esse constat: minor ni fallor est evidens; res enim quælibet ei dumtaxat fructificat, cujus est; Major patet ex ipsa definitione, in qua dicitur usura lucrum ex mutuo, id est ex pecunia mutuata, quæ facto mutuo, non est mutuantis; quia transfertur ejus dominium in mutuatarium; sic enim liceat appellare; nisi hæc sit demonstratio, nullam unquam demonstrationem novi.

10. PITHAN. Riden Antime? & hoc pro demonstratione venditas? quam haud dubiè multi negabunt, immo centies audivi negantes, divino mandato & ecclesiasticis decretis contentos.

11. ANTIM. Sed quæso, proba sis, an sit demonstratio; quid tamdem negas ex præmissis, an fortè illud quod secundo loco adductum est, injustum scilicet esse fructus & lucrum ex re non sua, sed aliena percipere; Quis amabò hoc neget, quasi verò ex fundo alieno fructus à Domino minimè concessos jure percipias.

12. PITHAN. Quid ni dicam, mutuatarium ultro illos fructus & lucrum concedere.

13. ANTIM. Ultro inquis; immo invitus; vellet enim ab onere hujusmodi & pacto immunis esse; & quis ferat, Dominum fundi pacto adigi ab alio, quo hic fundi fructus percipiat? quid amabò injustum, nisi hoc injustum est?

14. PITHAN. Do, ut Des, hoc beneficio te mihi obstringo, ut vel inde obstrictus aliquid rependas.

15. ANTIM. Das ut Dem, v. g. das centum, ut centum deinde reddam; cur enim plus redderem; quàm dederas? & quasi verò centum illa, quæ à te accepi pariant obligationem pluta reddendi; illud autem, quod subnectis, me tibi hoc beneficio manere obstrictum, vel ad gratitudinem, vel ad justitiam spectat; si primum; saltas extra chorum; si quid enim grati animi ergo tibi tependam, jam usura non est, quæ est lucrum ex mero mutuo, tanquam debitum ex pacto & justitia; si verò alterum, ex justitia, & vi mutui, in beneficium meum vertentis, teneor tantùm reddere centum.

16. PITHAN. Eximere mutuatarium urgenti necessitati & inopiæ, tibi fortè exiguum aliquid videtur, non verò pretio æstimabile?

17. ANTIM. Immo magnum quid mihi semper visum est; sed quæso te, per quid eximitur mutuatarius prædictis angustiis? per summam, inquies, mutuò acceptam; rectè; igitur illa summa mutuo data pretio æstimanda est, æquali scilicet alteri summæ, quæ deinde redditur; unde restat perfecta adæquatio, vel æqualitas, quam Justitia præscribit.

18. PITHAN. Duo sunt, quæ beneficii loco ponenda esse videntur primum est, quod dominium pecuniæ mutuatario conceditur; alterum verò, quod ejusdem usus; nempe duo sunt valde distincta.

19. ANTIM. Pecunia ipso usu consumitur, seu distrahitur, ac proinde liber, plenus & independens illius usus est actus, vel exercitium dominii; quod nemò in mutuo jure negaverit; quia revera transfertur dominium; nec res ab usu pretio distinguenda est; nec emitur res uno pretio, & illius usus altero; nisi enim mutuatarius pecunia uti posset, nullum inde beneficium percipit; igitur in eo beneficium positum est, quod mutuans non modò pecuniam tradat mutuatario, sed illius usum liberum eidem permittat; alioquin ratio mutui abest, & est merum depositum; cum igitur pro pecunia ad usum accepta, mutuatarius, tantumdem creditori deinde restituat, justa est & adæquata satisfactio; & si mutuatarius pecuniam cum usu libero accepit, eamdem prorsus cum usu libero refundit.

20. PITHAN. Sed privat se creditor dominio & usu suæ pecuniæ & se ad id obligat, quod revera pretio æstimabile est; quid ni ergo pro ea privatione & obligatione aliquid exigat?

21. ANTIM. Exigit haud dubiè, scilicet integram sortem; nec privatio illa melius compensari potest, quàm per totum id, cujus est privatio; accedit, quod illa privatio duobus modis considerari potest, primo quo ad dominium pecuniæ; secundo quoad usum; quod privetur creditor dominio suæ pecuniæ compensatur, vel adæquatur per obligationem, qua mutuatarius adstringitur, refundendi scilicet æqualem summam, ac proinde restituendi creditorem in pristinum dominium; secundo considerari tur illa privatio, quo ad usum pecuniæ, & hic, vel est ad lucrum, vel ad damnum emergens vitandum, vel ad meram distractionem pecuniæ; si est ad lucrum, intentum scilicet, ac solitum, vel ad damnum certum fugiendum; negare non ausim, quin aliquid pro rata, imprimis sortem accipi possit, non quidem ratione mutui sed ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, de quo infra, si fortè interroges; nempe hi duo tituli percipiendi lucrum legitimi vulgò censentur, quod futura pecuniæ ad meram pecuniæ distractionem futura erat, nihil sanè creditor ratione illius usus impedita referre debet; immo illa privatio fecit, ne pecunia distracta fuerit, quod sanè in commodum creditoris vertitur.

22. PITHAN. An forte negabis jucundum & gratum fore, possidere & apud se habere pecuniam, ad omnem eventum paratam, qua tamen creditor te privat?

23. ANTIM. Pecunia, quam citra usum possideas, bonum dici nequit; nec enim per se bona est; immo semper alicui periculo subjacet, ne tibi pereat; hinc multis solenne est, pecuniam alteri custodiendam committere; at ubi pecuniam mutuam dedisti, si forte pereat, non tibi perit, sed mutuatario, qui semper illam refundere tenetur ac restituere creditori; inde igitur creditor potiùs, quàm mutuatarius obstrictus manet.

24. PITHAN. Memini, legisse apud quemdam autorem (nomen excidit) peregrinam rationem, propter quâ creditor ob privationem mutuatæ pecuniæ nullum lucrum referre potest, quia, inquit, cum privatio illa

tio illi tantum temporis finiti, & lucrum, quod indesinenter sit in æternum, infiniti ad finitum nulla est proportio; igitur quantumvis parum lucri sit, justam compensationem superat.

25. Antim. hæc ratio, ni fallor, plus subtilitatis habet, quàm veritatis: & nimis probat, ut ajunt; nam communi locationem, venditionem ut vocant in vitam emptoris, & censum vitalium æquè militat, nempe, pro vita tuâ tuæ domus per annum, & lucrum ex locatione refers duratione indefinitum; sic vendis fundum in vitam emptoris, tempore finitam, & pretium interferis tempore interminatum; idem dico de censu vitalitio; igitur ubi aliquid est pretio æstimabile, sive diu, sive breviduret, suum illi justum pretium, licet ejus dominium diutiùs permanet, ut videre est in rebus omnibus ipso usu consumptibilibus justo pretio comparatis; standum igitur in ratione adducta.

26. Pithan. Per te mihi liceat, ad dictorum confirmationem, nonnulla saltem delibare ex iis, quæ in tua Summula Theologica nuper legebam, tract. 6. cap. 3. num. 7. & 8. pecunia, inquis, per se ipsa bona non est, sed tantummodò quatenus ad usum refertur, vel igitur creditor ea usus fuisset, vel servasset in arca inutilem: si servasset inutilem, malum reverà ipsi non fuit, illa per aliquod tempus caruisse; nullo enim bono privatus est; quia pecunia per usum dumtaxat bona redditur; igitur citra usum, bona dici, vel esse non potest: si vero creditor ea usurus erat, vel sine lucro, vel cum lucro; si primum, quod ea, per id tempus, privatus fuerit, beneficium potiùs fuit, quâ demum; nam si remansisset in manibus illius, sine lucro fuisset; si verò secundum, negari non potest, quin ratione lucri cessantis aliquid supra sortem à debitore accipi queat; immo si ea usurus erat, ad arcendum aliquod damnum; quis neget, damnum illud sola compensatione resarciri posse? fateris quidem non levi beneficio mutuatarium, creditori obstrictum, nempe uti pecunia per duos annos v. g. cum levi commodo bonum censendum est; ac proptereà mutuatarium ad gratum animum teneri, non quidem ex justitia, ut patet, sed titulo gratitudinis ob acceptum beneficii; non tamen creditor hujusmodi beneficium vendere potest; si enim venditur, non est amplius beneficium, nec gratia; hinc non potest nominare mutuatarium adstringere ad quidpiam amplius dictum abilla obligatione naturali, ex collato beneficio nata; alioquin gratia non esset, ac proindè nec titulus gratitudinis: præterea Homo ut socialis & pars ejusdem communitatis, debitum commune tenetur & Justitiæ legali subditus ad bonum illud publicum spectat; sed publici ratio id postulat, ut una pars damnum alteram afferat, omni scilicet proprio damno cessante? per hoc titulo, damnum alteri afferre possum per accidens, ut ajunt, ut damnum à me arceam; nec justus titulus repellendæ injuræ, etiam cũ damno alterius sed, ut dixi, per accidens, ac præter intentionem repellentis; sic ne careã necessariis, facere possum proximus careat; nec teneor, in hoc casu, carere, dum proximus careat: ubi tamen non careo ullo lucro, & proximo nullum mihi damnum affert, nõ teneor quin mutuare proximo, nisi graviore hic necessitate urgeam; si tamen mutuem, gratis omnino mutuare debeam per mutuum nullum mihi lucrum pereat, sive damnum accidat, & nullo bono caream; quia pecunia est tantùm bona ad usum & lucrum; nulli igitur mutuatario damnum afferre debeo, exigere aliquid supra sortem, quod nullo jure mihi debetur; iniquum igitur & injustum est, aliquid exigere ratione puri mutui, cum inter homines jure naturæ sociabiles ea charitas esse debeat, qua unus alteri benefaciens, non habeat jus exigendi quidpiam supra æquale; modò ex collato beneficio nullũ damnum eidem accidat, aut lucrum pereat: immo si æquale exigitur, beneficium omnino compensatur; si enim aliquid supra æquale, non adæquat, sed superat beneficium compensatio; quod sanè justitiæ repugnat, quæ consulit æqualitati: cum igitur actio mutuandi sit per se merum beneficium, nihil prorsus ex justitia, supra sortem exigi potest; sed grato mutuatarii animo cuncta relinquenda; nulla enim lege, coactiva scilicet, ingratus adstringitur; & verò si aliquid supra sortem mutuatarius exigit, beneficii & gratiæ ratio perit, quod mero mutuo repugnat; licèt enim aulicus pro gratia alteri obtinenda, temporali scilicet, ut vocant, & præscindendo ab omni lege positiva, qua id prohibeatur, pacisci valeat, & inde aliquid lucri referre, quia illa gratia, qua pollet apud Principem, est aliquid pretio æstimabile, & obtentam gratiam quasi mercedis loco habet, & est præmium illius obsequii, quod Principi defert; (in mutuo nihil simile habemus) sic pro labore & industria, præmium meritò exigitur, nempe hæc non est quid per se sterile, ut pecunia, sed fructiferum, & dignus est operarius mercede sua; in mero mutuo nihil tale videmus: tum descendis ad rationem Aristotelis, qui vult illas tantùm artes rem suam augendi ferendas esse in Rep. quæ saltem alicui prosunt, & nulli per se obsunt; sed ars usuraria, vel fæneratitia est ars acquirendi cum damno alterius, ac ditescendi ex aliorum paupertate, idque per se, cum per se pecunia nullum fructum ferat: nec est quod aliquis dicat, bonum esse in Rep. si pecunia præsens ad manum sit, licèt pro mutuo aliquid solvat; nam reverà non est bonum, sed minus malum, quod ad majus vitandum Resp. nonnunquam tolerat: hæc pauca ex tua Summula delibavi, quæ in hunc locum satis quadrare videntur; & verò, ut dicam quod res est, mihi probè factum satis ac perspicuum esse videtur, in mero mutuo, nihil supra sortem exigi posse, nisi propter lucrum cessans & dãnum emergens; ac proinde rationem collati beneficii, vel privationis pecuniæ, vel concessi illius usus, eam non esse, qua justus titulus aliquid supra mutuatam summam ex justitia exigendi nitatur: unum restat, non plenè discussum; utrùm scilicet ratione periculi, & suspectæ fidei mutuatarii, quibus creditor suam pecuniam committit, aliquid supra sortem exigere possit.

27. Antim. Non desunt viri doctissimi qui hoc licitè fieri posse asserant, Gibal. lib. 2. cap. 4. art. 1. multos citat, scilicet Joan. Medin. Cordub. Salon. Aragon. Valent Sa, Molinam, Less. Pet. Navarr. Salas, Castro Pal. Malderum, Roderic. Gabriel. Bonacin. Filiuc. Lugo, Turrian. Dian. Layman quibus accedit Major in 4. d. 15. q 31. cas. 15. quia subire in gratiam alterius periculum probabile ac notabile, quod scilicet vir prudens jure timere queat, est aliquid pretio æstimabile; quid ni ergo in pactum deduci possit, ut is, qui sortem suam periculo exponit, ratione prædicti periculi, aliquid lucri referat: pro parte opposita stat Nobilissimus Doctorum Manipulus, quos idem Gibalinus citat; scilicet Sotus, Conrad. Lopez, Tolet. Bannez, Rebell. Palacios, Garcia, Joan. de la Cruz, Guttierr. Reginald. Azor, Menoch. quibus accedunt Navarr. cap. 13. n. 81. Hartman Pistor d. q 2.

n.48.lib.2.Laurent.De Rudolp.p.3.de usur.Leotard. q.23.n.17. 27. ubi multos citat & hanc sententiam apud jurisperitos cõmuniter receptam esse testatur.

PITHANOP. Utramque probabilem esse dicerem, saltem per locum extrinsecum ; quis enim neget, tam multos Doctores & tanti ponderis, opinionem quampiam probabilem facere? accedit, quod utrimque militant rationes probabiles , saltem hoc mihi facile persuaserim.

ANTIM. Fateor, rem hanc adeo lubricam esse, ut vix definire audeam, quid tenendum sit; licèt enim negare non possim, quin prima illa sit probabilis, vix tamen assererem ausim , esse certò probabilem, tum quia nonnulli gravissimi authores , ut Ludovicus Lopez à Gibalino citatus , eam reiiciunt, ut improbabilem & periculosam ; tum quia iis rationibus confutatur, quibus non satis aptæ solutiones consentiunt.

28. PITHANOP. Secus evenit ac cogitaram; putabam enim, oppositam esse longè probabiliorem; tum quia illorum à quibus adstruitur major authoritas est; tum quia illa ratio , quam attulisti mihi maximè probabilis esse videtur; nempe quis non videt, exponere suam pecuniam periculo, esse aliquid pretio æstimabile? cur igitur justum lucrum inde referri non potest?

ANTIM. Hoc facilè dicitur, sed æquè facilè negatur; si hoc periculum cum ipso mutuo conjunctum sit; equidem non negarim, ratione periculi, augeri lucrum , quando aliquid est cum periculo conjunctum, cui justum lucrum competat, licèt minus; v.g. defendo vitam, vel res alicujus, huic actioni suã præmium competit, si hoc fiat cum meo periculo, haud dubiè, ratione periculi, majus præmium erit; sic vendo merces alteri, cum probabili periculo, ne unquam solvat, vel expensas facturus sim, in solutione procuranda, inde carius vendere possum; idem dicendum est de locatione domus, vel alterius rei; supponitur enim, secluso periculo, aliquod lucrum; quod majus erit, si periculum accedat: at verò in mutuo, nihil lucri percipi potest, igitur solum periculum lucrum faceret, quod meo judicio dici nõ debet; alioquin quisquis etiã sine ratione, maximo periculo sese exponeret, plurimum mereretur, quod vel dictu ridiculũ est.

PITHANOP. Fidejussor exigere potest aliquid propter periculum, cui se exponit, solvendi debitum; idque ratione periculi tantùm; idem de assecurante dictum sit, sic enim vocemus eum, qui præstat securitatem, igitur ratione solius periculi, lucrum jure percipi potest.

29. ANTIM. Nescis fortè, fidejussorem obligari vi pacti, ad debitum solvendum , si fortè mutuatarius solvendo non sit; quis autem neget, prædictam obligationem esse pretio æstimabilem, ac proinde pro illa aliquid exigi posse, pacto scilicet ita inito; equidem aliquod periculum supponit, & quò majus erit periculum, majus reverà lucrum exigi potest; non tamen ratio periculi tantũmodò habetur, sed obligationis, vel oneris, ad quod fidejussor se obligat, quod reverà suo præmio dignum est; scio, nonnullos esse repugnãtes quos citat Leotardus n.30. scilicet Molin. Covarru. Roderic. Franc. Francis. de Cald. Hering. Heigium, Menoch. quia inquiunt fidejussio ab amicitia nascitur, ut mutuum ab effectu amico ; ac proinde neutri merces debetur, longè tamen probabilius est, ac verius, à fidejussore aliquod præmium exigi posse; quia reverà illud onus, quod suscipit, suo præmio dignum est, ut fatetur ultro Leotardus, à quo multi citantur, ut Bart. Paul. de Castr. Decius Stracca, Mãric. Maur. Barbosa, Navarr. Caroc. Valasc. Lupus Scacc. Ugolin, accedunt Theologi fere omnes D. Thom. Cajetan. Soto Pet. Navarr. Less. Salas, Molfes. Bonacin. Molina, qui multos citat; adde recentiores omnes; verissimã igitur esse arbitor hãc sententiã, idè de assecurante dictũ esse velim, qui cum sit etiam fidejussor, quid mirum, si pro illo onere, ad quod se obligat, sortem integram, aut merces , vel earum pretium refundendi, si casu aliquo perire contingat, & pro illa obligatione, quam suscipit , justum lucrum exigere ac percipere potest: at verò in mutuo, eadem ratio non est, in quo, creditori nullum lucrum, supra sortem competit.

30. PITHANOPH. Nisi esset periculum, fidejussor nihil exigere posset; igitur exigit ratione periculi.

31. ANTIM. Fidejussor etiam si periculum nullum sit, præter illud commune , cui res omnes humanæ subjacent, potest, si velit, pacisci de aliquo lucro, pro illo onere, ad quod se obligat; cum enim ad id non teneatur, & sit aliquid molestum, non video, cur de aliqua mercede pacisci jure suo non possit : manet igitur, ratione solius periculi, lucrum exigi nõ posse.

32. PITHAN. Negare non poteris in ludo & sponsionibus, solius periculi ratione haberi; unde si quis incertus sit, de re, super qua fit sponsio, ut amittere non possit; id est, si omne absit periculũ, lucũ exigere non potest; saltem ita communi sententia traditur.

33. ANTIM. Titulus, quo lucrum adquiro in ludo, vel sponsione, est pactum, vi cujus, sub tali conditione, rem suam æmulus mihi cessit, ut & ego illi eadem lege meam æqualem cessi; unde ideo justum lucrũ fero, quia vici; quid hoc est? quia, vel arte, vel casu, illa conditio posita est, sub qua, illud mihi ultro donabat; intercedit enim mutua donatio, sub tali, aut tali conditione: equidem si certus sim conditionis illius ponendæ, qua posita, lucrum mihi competit, & hoc nesciat adversarius, facilè concesserim, lucrũ jure nõ adquiri; quia error & dolus contractui causã dederũt; hoc tamen non faci, tur ratione solius periculi lucrũ exigatur, sed vi cõtractus; id est, vi liberæ donationis, quæ ab incerta conditione dependeat; neq; in hoc ulla est difficultas; non desunt tamen, qui dicãt, si alter spondentium, qui certus est rei , super qua fit sponsio, dolo non agat, sed ingenuè moneat alium, sibi rem illam certò constare , tunc justum lucrum percipere posse.

34. PITHAN. Mirari satis non possum, quomodò neges, molestiam illam, dolorem animi, & mentis agitationem, propter probabile periculum, cui sortis suam creditor expositam esse cognoscit, esse aliquid pretio æstimabile, ac proinde quod in pactum deduci possit; sic alii labores & injuriæ compensari soleant, quamvis nullum aliud in bonis damnum afferant.

35. ANTIM. Mirari desines, ubi meas rationes audieris; sed primo loco, ad ea, quæ opponis, facilè reponno, molestiam illatam alicui compensari tantùm, vel ratione injuriæ; ut justitiæ consulatur, sic is, qui alium affecit injuria , jus læsum reparare debet ; vel ratione actionis, obsequii, industriæ; nam quæ majori labore, & difficilibus fiunt, pluris æstimantur; igitur simplex molestia , vel animi agitatio præmium, seu mercedem non meretur , nisi conjuncta sit cum alio, quod jam alioquin præmio ac mercede dignum est; sic pro alio molestiam pati, mercedem meretur; at in nostro casu, mutuatio nullum præmium supra sortem meretur, ut patet; igitur molestia illa & mentis agitatio cum mutuatione conjuncta nullam mercedem meretur.

36. PITHAN. Per mutuũ, proximus sæpe maximè juvatur, & extremis angustiis eximitur ; igitur actio

bona

benè: igitur si fiat cum periculo, dicitur mutuans exponere le periculo, ut juvet proximum; quis ergo exponet le periculo, ut juvet proximum; quis ergo negotiator eadem suam mercem?

37. Antim. Mutuum, quo proximus juvatur, beneficium esse non diffiteor, quod tamen in pactum deduci non possit, ut ex eo lucrum exigatur; scilicet debitor non possit, ut ex eo lucrum exigatur; scilicet quia, nempe meræ gratitudini relinquendum est; & licet adsit justus periculi metus, fateor, majus esse beneficium; ac proinde magis gratum esse debere mutuatarium, non tamen in pactum deduci debet; quia ista includitur in mutuo, ut si aliquod lucrū inde exigatur, ex mutuo, sed difficiliore exigi cēsendū sit, ut sit, ex mutuo cum majore periculo conjuncto; quod diligenter observes velim; sic ex fidejussione cum majore periculo conjuncto, majus lucrum exigetur, quia ipsa fidejussio est justus exigendi lucri titulus, cum ex obsequio, quod exhiberi difficilius est; item ex locatione cujuslibet rei, cum majus hæc incommodum & majorem molestiam affert: igitur nec nudo periculo, nec mero mutuo merces competit; igitur nec utrique simul ut patet.

38. Pithan. Sed quæso te expone mihi rationes illas, quæ tibi adeò validæ esse videntur, ut hanc sententiam contra eorum torrentem amplexus fueris.

39. Antim. Faciamus jubes, idq; breviter, ne in his diutius hæream. 1. Creditor, recepta deinde integra sorte, tempore condicto, absq; novis expēsis, nullum damnū, vel detrimentum patitur in rebus suis; igitur ad æqualitatē factū est ipsi satis; nihil igitur aliud exigere potest; & licèt prudenter timuerit de periculo eadem sortis, sortis receptio ac fruitio timorē abigit, imo gaudium secum affert, quod mœstitiā præteritam lenit & compensat; cum unus animi affectus alium compensari non possit, quam alio affectu; timuisse periculo, de salute impensiùs gaudes, & præterita mœstitia præsenti lætitiā omnino compensatur. 2. Ratione præteriti periculi aliquid supra sortē exigere jure exigere potest; igitur à mutuatario illud absque injustitia retineri nequit; cum igitur omnes rationes, creditorem recepta integra sorte, nihil amplius exigere posse, etiamsi justus periculi timor præcesserit, nisi pactus fuerit de lucro illo, ratione periculi prospiendo; restat, ut dicamus, pactum illud esse illicitum; cum absque illo, soluta integra sorte, pro natura compensatio; igitur nihil debetur ratione periculi, sed ratione pacti, quod reverà iniquum; pactū enim in alio jure fundatur; & in tantum illicitum esset, pacisci de lucro ex periculo, in quantum lucrum illud periculo jure competit; igitur ex vi pacti mutuatarius lucrum illud solvere cogitur, quod nemo dicat.

40. Pithan. Equidem periculum illud non affert creditori damnum, in bonis fortunæ, distinctū à sorte principali integra soluta, nullum creditori damnum compensatione restat; secus tamen dicendum est de alio damno animi scilicet, molestia, dolore, agitatione, cæteris hujusmodi, quæ sunt pretio æstimabilia.

41. Antim. Si ea, quæ jam à me dicta sunt, retinuisses, reverā non opponeres, nempe hæc sufficienter impugnantur, ubi cognoscimus, sortem in tuto esse, & ejus securitas illas animi procellas pacat, quas periculi status timor excitarat; immo eo majus gaudium est, quo major timor, seu dolor fuit; & sicut majus damnum timorem illum de periculo, ita tanti majus gaudium de salute; & si vis æstimare pecunia quidem præteritum, ita & ego præsens gaudium, & judicio utrumque satis ridiculum esset, & pecuniæ arti consonum, quæ suis lachrymis & debitum quæstum & lucrum exigebant; sed ad alias rationes venio. III. hoc pactum, meo saltem judicio, omnino colluſorium est, immo nulla ratione firmatum, sed mera fictione fucatum; nam reverā certò scis, ex duobus alterum necessariò futurum; scilicet vel te recepturum sortem, vel non recepturum; si primum supponas, scis, te nullum ex mutuo damnum passurum; cur igitur supra sortem aliam compensationem exigis; si verò secundum, scis etiam te minimè recepturum lucrum illud, de quo paciscēris, ratione periculi, igitur frustra paciscēris; nam certò, vel nihil perdes, ac proinde cavere jacturæ non debes; vel totum perdes, scilicet sortem, cum superaddito lucro, ac proinde frustra paciscēris.

42. Pithanoph. Creditor fidejussorem exigere potest à mutuatario, & fidejussor aliquid exigere ab eodem mutuatario pro fidejussione, cur ergo similiter creditor fidejussoris loco, aliquid exigere non poterit.

43. Antim. Equidem Creditor exigere potest fidejussorem, quia sicut exigit obligationem à mutuatario refundendi sortem, ita si mutuatario parum credat, potest exigere obligationem alterius, cui majorem fidem habeat; hoc enim fert ratio mutui, ut mutuator certam & firmam exigat obligationem refundendi, nempe ideo se spoliat dominio suæ pecuniæ, ut illius loco certa obligatio refundendi pecuniam, ponatur; est enim mutuum quædam cōmutatio, qua scilicet translatio dominii in jus repetendi, quod mutuator acquirit, & obligationem refundendi, qua mutuatarius adstringitur, vel alius ejus loco, commutatur: Quod autem fidejussor pro fidejussionis onere aliquid exigere possit, jam supra dictum est; unde si stante vero periculo, creditor eamdem obligationem suscipiat, haud invito mutuatario, idemque onus sibi pacto imponat, ita ut si sors deinde casu pereat, eidem pereat, non verò mutuatario, fateor ultro, creditorem aliquid pro illo onere, quod reverà pretio æstimabile est, accipere posse, non obstante cap. *navigandi de usuris* de quo post ea.

44. Pithanoph. Jam video, quam facilè fallatur & in errorem inducatur hominis intellectus; credideram enim præmissam objectionem, quam à doctissimo viro acceperam, fortissimam esse, cum tamen nullius momenti sit; sed quæso te, perge alias rationes exponere.

45. Antim. Faciam ultro, sit ergo IV. Si ratione periculi aliquod lucrum exigi potest; ratione periculi, hoc pactum fieri posset in omni mutuo.

46. Pithanop. Parce quæso; nec enim de communi illo periculo, intelligunt, cui res omnes humanæ subjacent, sed de singulari aliquo, quod justè ac prudenter timeri possit.

47. Antim. Parce tu ipse, & sustine parumper; nihil enim adduxi, quod facilè non demonstrem; vis ratione tantùm singularis periculi lucrum exigi posse, rectè; inter hoc periculum & commune, datur aliqua proportio; nec enim unum ab alio infinitè distat; v. g. in communi periculo, suppositis centum mutuationibus in una, dum taxat sors perit; in singulari verò, ex viginti, una fallit; dixi ex viginti, nam si ex decem, vel octo, nemo prudenter suam pecuniam committeret; igitur inter commune periculum & singulare intercedit illa proportio, quæ est 1. ad 5. igitur si ratio periculi ut 5. legitima est, ut possim exigere 5. ratio periculi ut 1. legitima erit, ut jure possim exigere 1. Igitur in omni mutuo aliquid exigi potest ratione periculi. Hinc ducitur ratio V. quæ est Cardinalis Toleti tract. de peccat. cap. 51. Sic enim aperiretur porta ad usuras,

& facilis modus esset; cum facile dictu sit, lucrum illud percipi ratione periculi, non mutui; vel clariùs, ratione mutui, sed cum periculo conjuncti. VI. adjuncti periculi ratio non eximit culpæ id, quod intrinsecè malum est; sic negare fidem, fornicari, mentiri, sunt mala intrinsecè; & licèt quis hæc admittat, propter periculum vitæ quod imminet, non tamen propterea excusatur, nec liberatur à culpa; cum igitur usura, id est, lucrum ex mutuo, sit malum intrinsecè, periculum quod accedit, nullo modo excusat: nec obstat, mutuantem non teneri ad mutuum, & hoc fieri ad instantiam mutuatarii, qui mutuum sumi beneficii loco habet, etiam cum illo onere; quia hoc nimis probat; nam idem dicerem, cum ab est periculum, & creditor erga suam pecuniam maximè afficitur, ita ut ægerrimè patiatur se illa privari; nemo tamen dicet, posse in hoc casu supra sortem aliquid exigi; & hæc est ratio VII. Si enim pro dolore animi, quem creditor concipit ex timore periculi, potest exigi aliqua compensatio; hæc eodem jure exigi posset pro æquali dolore animi, quem creditor concipit ex amore suæ pecuniæ, cum scilicet ea privatur; nempe si dolor animi ex timore pretio æstimabilis est, cur etiam dolor ex amore pretio æstimabilis non erit; igitur ut pro isto nulla compensatio exigi potest, ita pro illo nulla meritò exigitur. VIII. lucrum exigitur ratione periculi, vel quod revera est, sed non timetur; vel quod timetur, sed revera non est; sed neutrum justum esse videtur; non primum; quia timor periculi creat illam molestiam pretio æstimabilem, ut supra dictum est; igitur cum hæc absit, compensationis ratio abest; non secundum, quia vanus timor æstimari non debet; vanus autem timor est, si timetur periculum, quod non est.

48. PITHANOPH. Unum omittis; nam periculum quod est, jure timeri potest; & justam compensationem fundat.

49. ANTIM. Prævertisti; hoc enim minimè omisissem; fateor igitur, si ratione veri periculi, ac justi timoris aliqua compensatio exigi possit, hoc argumento, nondum rem confectam esse; & licèt duo prima capita ad lucrum exigendũ non sufficiant, ultimum sufficere videretur, si tantùm illud periculũ lucro favet, quod revera est, atq; timetur, contendo rem esse multis erroribus obnoxiam; cum enim affectus hominis ex cognitione procedant, timemus ut plurimum, non quod malum est, sed quod malũ esse putamus; ac proinde non video, cur is, qui periculũ esse credit, licèt revera non sit, jure non timeat, perinde atque si periculum esset, & timoris sui justam cõpensationem nõ exigat; igitur vel nulla compensatio jure competit timori periculi veri, aut si competit, etiam timori periculi putati, non veri, competat, necesse est; atqui nulla compẽsatio cõpetit periculo, quod revera non est, licèt timeatur; igitur nec periculo, quod est, & timetur: accedit quod non parũ difficile esset, discernere verũ periculum à non vero; ita ut ad cõmune rerum humanarũ periculum reduci videatur. IX. ex c. *Naviganti* de usuris, creditor, qui nõ vult mutuo dare, nisi suscipiat in se periculũ sortis, & pacisc atur de certo lucro, pro ista securitate, prædictum lucrum licitè percipere non potest; quia pactum illud est usurariũ, ut docent omnes canonistæ, & Gibalin. *art.* 2. qui *a.* 3. *n.* 23. citat Antonin. Cõrad. Major. Sylvestr. Cajet. Binsfeld. Jason. Lup. Calderin. Santern. Navarr. Covarr. qui testatur cõmunem esse Theologorum, Salas, qui multos dabit; videri possunt alii apud Leotard. *n.* 3. ubi citat 20. gravissimos autores. Si ergo creditor etiam suscipiens in se periculum sortis, quando revera est periculum, non potest licitè lucrum illud exigere supra sortem, cum scilicet ad hoc pactum cogit mutuatarium, ita ut citrà illud mutuo dare nolit, potiori jure dicendum est, creditorem ratione periculi, quod tamen in se non suscipit, sed mutuatario relinquit, nullum lucrum referre posse; si enim cum majoris detrimenti periculo non licet, potiori jure cum periculo minoris non licebit.

50. PITHAN. hoc cap. *Naviganti*, ut accepi à canonistis, difficillimum est, nec tam usurariis in exercendo fœnore, quam interpretibus pro expositione molestum est, ut ex Lupo observat Gibalin. apud quem varias expositiones legisse memini, de quibus quid censeas libenter audiam.

51. ANTIM. Per me licet, tu priùs expone, ut deinde judicem.

52. PITHAN. Juverit prius textum adducere, qui sic habet; *Naviganti, vel eunti ad nundinas, mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipiat in se periculũ, recepturo aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* 1. Aliqui volunt loqui Pontificem de periculo fictitio, & suppositio, non tamen vero, seu probabili. 2. Alii dicunt, damnari tantùm à Pontifice pretium injustum, & excedens, non justum & quadrans in æstimatione periculi. 3. Alii docent, eum damnari à Pontifice, qui cogit debitorem, illud secum pactum inire; alioquin mutuò non daturus. 4. Alii volunt, hanc legem fere tantùm pro foro externo, non pro interno. 5. Denique dicunt, mendum in textum irrepsisse, & sublatam fuisse negationem, ac proinde sic esse legendum, *non est censendus usurarius*, en tibi varias expositiones; quid de his censes.

53. ANTIM. Prima non placet, quam Molinæi esse testatur Gibalin. qui eam probat; quia, verba legi in proprio ac vero sensu accipienda sunt; igitur illa vox textus *periculum*, de vero periculo intelligẽda est; deinde agit de periculo navigationis, quod omnino verum est, non fictũ: secundã etiam non probo, quæ est Adriani, quia illa vox *aliquid* nihil excipit ultra sortẽ, nec intelligi potest, ut significet aliquid supra pretiũ periculi, ut vult nonnemo; cum expressè Pontifex dicat, aliquid ultra, id est, supra sortem; igitur omnia præter sortem excludit. Quartam admittendam esse non puto, quia vox illa *censendus*, etiam in foro internum quadrat; alioquin nulla fere lex ad forum internum pertineret; Quintam aliqui tenent, citati à Leotardo *n.* 24. scilicet Bernardus Gudelin. Layman, Barbosa, Fachin. Narbon. his accedunt Petr. Wadingus tract. de contract. disp. 6. dub. 7. tit. 5. Gabr. Pal, tract. 32. disp. 4. punct. 18. Gibal. cit. art. 3. n. 4. quia scilicet particula, quæ sequitur in textu, *ille quæque*, non est adversativa, sed copulativa, ut observat idem Wadingus, nec non Gibal. qui multos citat; cum igitur Pontifex casum, qui sequitur, ab usura liberet, etiam superiorem cum secundo connexum ab usura liberasse censendus est; sed ut optimè Leotardus monet, non nisi temerè hæc negatio inseri potest, quam nullum exemplar habet, nec ullus ex antiquioribus canonistis, ne per somnium quidem asperit; nec illa particula copulativa negotium multum facessit, nam unum casum copulat cum alio similitudine facti, vel argumenti, quod sufficit; hanc igitur expositionem, vel negationis additionem, probare non possum; est enim quæstio facti; standum tabulis & testibus.

His ergo rejectis, tertiam expositionem admitto, quam communem Theologorũ esse testatur Covarr. l. 3. Var. c. 2. n. 5. pro hac autem citantur à Gibal. n. 23. Antonin. Conrad. Major, Sylvest. Cajet. Navarr. licèt

Lib. liberè de sententiam mutarit, Santern. Lup. Caldas. de Villinsfeld. Salaz, adde Less. *lib. 2. c. 20. dub 13.* Molin. *d. 318. n. 2.* Petr. Navarr. *de rest. lib. 1. c. n. 343.* adde Azor. Villag. Bonacin. Fachin. quos citat Leotard. *n. 5.* hic tamen hanc opinionem non amplectitur, quia inquit *n. 9.* manifestè repugnat verbis constitutionis; cùm dicat Pontifex *eo quod suscipiat*, non verò *eo quod adigat debitor*, &c. Sed pace dixerim hujus viri, quem maximi fac. quidquid sit juxta illam, *cap. naviganti* faciendo, ac tanti præstantissimi Doctores & Interpretes hanc repugnantiam non vident, necego vi-

ANTIM. Non miror à te hæc dici, cùm hucusque definitum & declaratum non sit, quo modo titulo damni emergentis, aliquid supra sortem percipi possit; Less. *lib. 2. c. 20. dub. 10.* requirit tres conditiones; prima est, ut reverà mutuum sit causa damni; secunda ut mutuatarium illius damni admoneas; tertia ut de auctario supra sortem non pacisearis, si mutuatarius eligat potius & paratus sit omne damnum, quod mutuatori evenerit, resarcire, eúmque indemnem servare: ab exemplis abstineo, quæ trita sunt & obvia, v.g. cùm quis ratione mutui, quod alteri præstitit, cogitur pecuniam fœnori accipere; vel pensionem solvere propter debitum, quod extingueret, si pecuniam illam, quam mutuo dedit, haberet, vel res suas minoris vendere, aut alienas carius emere &c. esse autem justum titulum omnes Doctores præter Scotum consentiunt: modò scilicet pactum præcesserit, quod duobus modis fieri potest. 1. si debitor promittat, se omne damnum compensaturum, quod creditor, ratione mutui, patietur, 2. si quando prudenter timetur damnum, paciscatur de certa quapiam summa; utroque modo, in mutuo pacisci posse, omnino certum est. Covarr. *lib. 3. Var. c. 4. n. 5.* Rota *decis.* 331. apud Farin. Panorm. *c. 1.* de usuris Sylvest. v. *usura 1. n. 19.* Salas de usur. *dub. 18.* VVading. *tit. 1.* sed cur autores cito, cùm omnes penitus uno dumtaxat fortassis excepto Scoto, in *4. d. 15. q. 2. §. de tertio*, adstipulentur: ratio est, quia cùm mutuatarius sit causa damni, prævisi scilicet, & in pactum deducti, quisquis enim vult causam, effectum velle censetur, quid mirum si pacto, ad illud resarciendum, jure adstringi queat, & verò damnum illud est pretio æstimabile; igitur de illius compensatione pacisci possum.

61 PITHANOPH. Videtur hoc loco solius periculi pretium exigi, nam fieri potest, ut damnum re ipsa non eveniat; at si rectè memini, supra dicebas, ratione solius periculi, nihil exigi posse in mutuo.

62 ANTIM. Acutè prorsus: sed non advertis, Pithanophile, creditorem ita pacisci posse cum mutuatario, ut quidquid ex mutuo sibi damnum accider, id totum ipse mutuatarius resarciat: quod revera probabile tantum est, ac proinde incertum, quodque tantum aliquando esse accidat, ut sortem ipsam superet. Unde pretium incertum, quod vel majus, vel minùs esse potest, in pretium certum commutatur, & una obligatio in aliam: v.g. possum obligare mutuatarium ad compensandum totũ damnum, quod eveniet: illud esse potest vel 20. vel 10. vel nullum: quid ni ergo mutuatarius, si velit, redimat hanc obligationẽ incerti, alia obligatione certi quidẽ, sed moderati, v.g. solvendi scilicet 5. vel 6. quasi verò una obligatio aliã adæquare nõ possit; sic jactũ retis, vel aleæ incertũ,

modo fraus omnis abſit, certo pretio, ſine injuria emere poſſum, viden, quam hæc facilia & juſta ſint.

63 PITHANOPH. Sed ſortis jactum eſt maximum damnum; cur igitur de periculo jacturæ ſortis paciſci non poſſum, & ratione illius periculi, aliquid ſupra ſortem exigere? hoc ſupra à me oppoſitum non ſolviſti.

64 ANTIM. Ita eſt, ſed in re tam clara, ſolutione opus eſſe non duxi; quaſi vero mutuatarius nō ſe obliget ad refundendam ſortem; & hæc obligatio jacturæ ſortis non reſpondeat? ſi verò ſit periculum ne ille ſolvendo ſit, non poſſum quidem aliquid ultra ſortem exigere, ratione illius periculi, quia ſors adæquat ſortem, poſſum tamen ab illo exigere fide juſſorem, ut ſupra dictum eſt; at ſi præter jacturam ſortis alterius damni ſit probabile periculum, poſſum ita paciſci, ut mutuarius ſe obliget, ad reſarciendum illud damnum; aut ſi ipſe mavult, ad certum pretium pro incerto; igitur ut pro damno ſortis obligat ſe ad refundendam ſortem, ita pro alio à ſorte diſtincto, obligat ſe ad illud reſarciendum.

65 PITHANOPH. Creditor tenetur mutuò dare gratis, ac proinde damna, quæ ex mutuo ſequuntur, volens ſubit; igitur nihil ultra ſortem exigere debet pro illis.

66. ANTIM. Quaſi verò mercator volens merces non vendat, & illarum pretium jure non accipiat; dat quidem volens mutuò creditor, ea tamen lege, ut damnum, quod ex mutuo patietur, mutuatarius reſarciat: nec ille damnum vult gratis pati, immo vult illud reſarciri: ſed hæc ſunt levia, jam ad alium titulum venio, ſcilicet lucri ceſſantis, ratione cujus, in mutuo aliquid ſupra ſortem exigi poteſt, quod, ut juſtè fiat, Leſſius tres conditiones apponit, 1. ut mutuum reverà ſit cauſa lucri ceſſantis. 2. ut compenſatio juſta ſit & ſpem illam lucri adæquet. 3. ut non ſtatim exigatur dato mutuo, ſed convenienti intervallo: adderem alias conditiones appoſitas, pro damno emergente, ſcilicet 1. ut mutuatarius admoneatur, 2. ut hic eligat, utrùm malit ſcilicet, vel lucrum incertum refundere, vel de certo pretio paciſci: porro mutuum cauſa lucri ceſſantis cenſendū eſt, ſi vel pecunia negotiationi ſubtrahatur, ut detur mutuo, in gratiam ſcilicet mutuatarii, vel abſolutè negotiationi deſtinata ſit; deinde duobus modis paciſci poteſt creditor, 1. ut mutuatarius ſe obliget ad refundendum quidquid lucri revera ceſſaſſet; incertum eſt, cùm initur pactum, ſed deinde innoteſcit ex aliis negotiatoribus: 2. ut ad certum pretium, incerti loco, ſe obliget, ut dictum eſt ſupra de damno emergente: Quod demum creditor jure paciſci poſſit de lucro ceſſante, ſeu de ſpe illius probabili, Canoniſtæ & Theologi communiter cenſent, ſi paucos excipias D. Thomam ſcilicet, Durand. Sot. Innocent. 3. Joan Andre. citatos à Leſſ. *dub.* 11. adde Abulens. *citatum* à Gibal. *lib.* 2. *c.* 5, *a.* 6. *n.* 6. fruſtra autem illos citarem, qui hoc pactum approbant, multos videbis apud Leotard. *q.* 74. & Salas de uſur. *dub.* 19. ne paginas fruſtra occupem, abſtineo, cogita omnes alios; omitto etiam rationes, cùm eædem pro utroque titulo militent.

67 PITHANOPH. Non deſunt, qui nolint, creditorem paciſci poſſe de certa ſumma pro compenſatione lucri ceſſantis, atque adeò hoc pactum damnet, ut illicitum, quia fraudibus & uſuris viam aperit.

68 ANTIM. Scio, nonnullos eſſe, inter Canoniſtas præſertim qui ita cenſeant: oppoſitum tamen conſtat apud Theologos & Juriſperitos, quos dabunt Leotard. *q.* 72. *n.* 6. & 8. Binsfeld in cap. *conqueſtus* de uſuris. q. 1. concl. 4. Roderic. lib. 5. de reddit. q. 5. n. 50. Sal. dub. 20. n. 7. nec ratio deeſt, etiamque meo judicio demonſtrativa: cùm enim certum lucrum minùs adæquare poſſit incertum majus: nihil vetat, unum in aliud commutari, ſed pactum inter poteſt de hujuſmodi rebus: præterea ſpes illa lucri futuri ac probabilis vendi poteſt: igitur certo pretio addici ac cenſeri: quod ſanè tum in ſpem lucri probabilis, tum in juſtum periculum damni imminentis optimè quadrat.

69 PITHANOPH. Igitur etiam ſecluſo pacto, mutuatarius tenebitur ad compenſationem utriuſque.

70 ANTIM. Minimè verò: licèt enim, vel lucrum ceſſet, vel damnum emergat ex mutuo, non tamen præcisè ut ajunt, vi contractus mutui, tenetur debitor compenſare: quia vi mutui tenetur dumtaxat reſtituere ſortem: nec enim mutuum ad aliud obligat, ſi tamen debitoris culpa accidat, ut vel lucrum ceſſet mutuanti, vel damnum emergat, haud dubiè tenetur ad compenſationem, quia cenſetur cauſa damni; ſed qui eſt cauſa damni, tenetur illud reſarcire: ita docent communiter Theologi & Canoniſtæ, Gibal. *art.* 4. *n.* 4. multos citat, ſcilicet Covarr. Sylveſter Armil. Tabien. Gutier. Rebell. Salaz, Leſſ. Caſtr. Pal. Bonacin. Malder. Delugo Diana, Wading. dub. 7. Rota in noviſſ. à Beltrammin. collectis *dec.* 148 Joan Lopus *n.* 9. neque hic diſtinguo unum ab alio; namque cum ceſſans eſt reverà damnum: quia damnum patitur, qui perdit lucrum, ut loquitur Gloſſ. in l. *non amplius ff.* de leg. 1. cùm ejus conditio fiat deterior: quod ne fiat, prudenti pacto, ſuæ indemnitati creditor conſuli.

71 PITHANOPH. Secluſo pacto, ſi per debitoris moram accidat, ut vel lucrum ceſſet, vel damnum emergat creditori, debitor teneri videtur ad juſtam compenſationem.

72 ANTIM. Id quod dicis, diſtinguendum eſt: ſi enim per moram culpabilem, ut vocant, hoc damnum creditori eveniat, non eſt dubium, quin debitor teneatur ad compenſationem: quia eſt cauſa culpabilis damni illati: ſecus verò ſi mora eſt inculpabilis: quia tunc non eſt cauſa, niſi per accidens; ita autores citati, nempe debitor, qui culpa ſua non ſolvit, quod tenetur ſolvere, vult non ſolvere, ac proinde illud damnum, quod ex non ſolutione ſequitur, velle cenſetur: igitur eſt cauſa illius, ſecus verò ſi velit ſolvere, ſed non poſſit: ſuperioribus autoribus accedunt Soncin. Decius, Cagnol. Rubens, Almain. quos citat Gibal. *art.* 5. *n.* 4. item Ugolin. Lop. Binsfel. Menoch. quos citat *art.* 6. *n.* 3.

73 PITHANOPH. De lucro, quod ex mutuata pecunia proveniſſet, nullus dubito, quin hæc verè & præclarè dicta ſint: at ſi ex ipſa creditoris induſtria futurum erat; an putas in pactum deduci poſſe, vel compenſandum eſſe, ſi per moram culpabilem debitoris ceſſet.

74 ANTIM. Ita prorſus: & hæc eſt communiſſima ſententia, quam videſis apud Gibal. *n.* 6. à quo citantur Covarr. Barboſa, Ferdinandus, Vaſq. Roderic. Leſſ. Salon. Ugolin. quibus accedunt omnes recentiores: nam privatio illius lucri, quod feciſſet creditor, cùm illa pecunia, damnum quoddam eſt, quod injuſtè patitur: igitur mutuatarius, qui hujus damni eſt cauſa, tenetur ad compenſationem: & licèt aliquot leges hujuſmodi compenſationem damnare videantur, hæ tamen iniquæ ſunt, ut teſtantur Leſſ. Reginal. Antonin. Gabriel, Major, Roſell. Armill. Sylveſt. Macron. Petr. Navar. Lopes, citati à Gibal. *n.* 13. & communiter Theologi, tu videſis *art.* 5. Gibal. ubi hæc doctè, copioſè, ſolidè diſcutit.

75 PITHA

79 PITHANOPH. Exhis, ni fallor colligerem, eum, qui per vim & metum injustum, ac fraudem, ad mutuo dandum inducitur, etiam secluso pacto præmio, & nulla habita ratione moræ mutuatarii, exigere posse compensationem justam lucri cessantis, quod mihi emergentis; quia reverà mutuatarius est causa damni; hoc enim principio præsupposito nititur: ita Gibal. *art. 6.* à quo citantur, S. Thom. Navarr. Petr. à Navarr. Graff. Molina, Less, Silas, Chillan, Fern. Vasq. Mascard. Menoch. quibus accedunt omnes recentiores.

78 ANTIM. Sed si cogitur à Principe, ad succurrendum publicis necessitatibus, nulla fit ipsi injuria.

77 PITHANOPH. Equidem non fit ipsi injuria, licè cogatur; fieret tamen, si Princeps indemnem illum servare nollet, ut rectè monent Molin. Less. Navar. Salaz, citati à Gibal. *n.* 2. Præterea colligerem, solam moram, vel delationem solutionis, sequi damno creditoris, non esse justum titulum aliquid supra sortem exigendi; nec enim sola privatio pecuniæ creditori aliud jus acquirit, ut supra ostensum est; & si quæ leges aliud significare videntur, illas abrogatas esse constat.

78 ANTIM. Excipere debueras titulum pœnæ conventionalis; nempe ita pacisci posse creditor & mutuatarius, seclusa etiam omni lucro cessante, & damno emergente, ut si hic præscripto tempore non solvat, & sit in mora, vel sua culpa non possit, pœnæ pecuniariæ subjaceat, moderatæ tamen, v. g. quatuor in centum; ae tamè lege, ut fraus usuratum absit: nonnulli refragantur ut Bart. Laurent. de Rudolphi. Aragona, Tulchus citati à Wading. *tit.* 3 item Scot. Mont. Graff. citati à Gibal. *cap.* 7. *a.* 1. *n* 1. at pro hac sententia stant communiter tum Canonistæ tum Theologi; citantur à Gibalino Gloss. Panorm. Innocen. & plures quos Salaz & Leotardus dabunt, Navar. Iter. Navarr. Sotus, Molin. Less. Rebell. Laym. Felin. Ugolin. Binsfeld. Bonacin. Joan. Arbor. Molin. Lugo; adde Wading. citatum; atque ita alii communiter; Quidnienim pro executione hujus contractus, ut fit in aliis, pœnam contrahentes apponunt, quod ex jure naturali immo & civili habetur: Quinimoroso debitori, qui peccat contra justitiam, aliqua pœna imponatur ad quam ipse pacto consentit; debet autem hæc pœna esse proportionata, ut puta, si debitor impotens sit ad solvendum, modò culpa nò acciderit, à prædicta pœna excusatur; quia verum debitor obligare se possit ad pœnam istam, ante sententiam judicis, certissimum est; vide lib. 5. de leg. c. 6. n. 7. & c. 5. n 15. Vasq. 1. 2. disp. 66. Castr. Palao, Sal. Bonacin. citati à Gibal. *n.* 1. n. 1. Hinc debitor hanc pœnam solvere tenetur ante Judicis sententiam, non tamen ante creditoris petitionem; ita Suar. Sal. Sa Gutier. Bonacin. Menoch. Covarr. Lugo, citati à Gibal. *n.* 2. adde Wading. *tit.* 3. à quo citantur Felin. Decius, Molin. Rebell. ratio est, quia promissio facta obligat in conscientia ante sententiam Judicis; ut videre est in mutuatis, neque mens est sic contrahentium, ut recurrat ad Judicem recurrere, immo frustra recurreret; posset enim debitor facilè pactum & conventionem negare, ita ut vix ulla probatio esset: debet tamen creditor exigere illam pœnam, alioquin ultro remittere censetur: sed hæc sunt satis perspicua.

79 PITHANOPH. Longiùs sanè excursum est, quàm necessarium fuit: ut enim primum illud salvaretur mutuo scilicet, supra sortem nihil exigi posse, facilè obiret, prudens tamen delibasti, ex quibus mutui pacti, cum mutuo conjuncti aliquid supra sortem exigi potest: mirificè quoque placuit, quod paulò fusiùs probasti, ratione periculi, in mutuo nihil præcisè accipi posse: sed quæso te, repete tuam illam demonstrationem, quâ usuram illicitam esse probabas.

80 ANTIM. Lucrum ex re non sua est injustum: sed usura est lucrum ex re non sua: igitur usura est injusta, major est per se nota, probatur minor, usura est lucrum ex mutuo, sed mutuum non est suum scilicet creditoris, sed mutuatarii: igitur usura est lucrum ex re non sua. Pari modo injustum est accipere aliquid supra valorem rei traditæ & ejusdem rei duplex pretium petere: Atqui in usura hæc fiunt, nam usurarius accipit aliquid supra sortem, igitur supra valorē sortis: igitur duplum pretium, nec enim mutuario auget pretium rei mutuatæ: licèt sit bona actio, sufficienter compensatur per creditorem ejusdem sortis: sors igitur per sortem æqualem, & actio per actionem: Itaque juri naturali usura repugnat, item Divino, Canonico, civilit, u vide sis loca apud autores citatos hæc enim fusiùs prosequi, ad præsens institutum non pertinet.

81 PITHANOPH. Rem mihi gratissimam feceris si ex superiori doctrina nonnulla corollaria deducas, ea scilicet, quæ ad praxim & usum accommodatiora esse videntur.

82 ANTIM. Per me licèt, sed vitandæ confusionis ergo, distingo per numeros.

I. Pecunia mutuò data verè alienatur, ut vocant: quia reverà transfertur ejus damnum à mutuatore in mutuatarium: nec quisquam hoc nisi perperam neget: quia cùm mutuatarius plenam, & independentem ea utendi potestatem habeat, dominum illius habet: nec enim re aliena, invito, domino, jure uti possumus: re inquam, quæ ipso usu, vel consumitur, vel distrahitur: hic de usu juris & facti fusè disputatur: sed nihil ad nos, modò constet, plenum & independentem usum pecuniæ cum ejusdem domino semper esse conjunctum.

II. Illa tantùm propriè loquendo mutuo dari possunt, quæ usu ipso consumuntur, vel distrahuntur & accipiuntur secundùm quantitatem, in pondere, numero, mensura. v.g. pecunia, triticum, vinum, &c. dixi propriè loquendo: quia etiam alia, improprièlicèt, dicuntur mutuo dari, ut equus, domus, vas aureum, quæ tamen commendari potiùs, vel locari dicuntur, quàm mutuò dari.

III. Nulla lex humana usuram licitam reddit: quia est intrinsecè mala: secus divina, quæ rationem usuræ abstergit: Deus enim est supremus Dominus rerum, qui sine cujusquam injuria de iis disponit: sic accipere illud, *non fœnerabis fratri tuo, sed alieno.*

IV. Pupillarum pecunia à tutoribus ad usuras mutuò dari non potest: licèt nonnullæ leges & aliquarum Provinciarum consuetudines hoc ipsum statuant: nulla enim lex id unquam licitum reddit, quod intrinsecè malum est.

V. Pignus quidem à creditore accipi potest, si tamen sit fructiferum, fructus computari debent in partem sortis: necenim alio titulo percipi possunt, quàm vi mutui: sed ex mutuo aliquid supra sortem accipere usura est.

VI. Pro usu mutuatæ pecuniæ nihil exigi potest: quia hic est à Domino, & hoc gaudet mutuatarius: sed uti re sua cuique licet: igitur usus est etiam mutuatarii: sed pro usu rei meæ, nihil alteri debeo.

VII. Mutuans non potest statim pecuniam mutuatam repetere; alioqui mutuatario inutile esset: immo damnum potiùs afferret: obligatur autem mutua-

tor damnum resarcire, si quod infert: tenetur demum mutuator accipere debitum, quotiescumque illi à mutuatario offertur: cuncta hæc ex dictis perspicua sunt.

VIII. Si res mutuata pereat, mutuatario perit, quia perit domino: atqui mutuatarius illius dominus est: tenetur autem præfixo tempore, par in genere, quantitate, & bonitate restituere.

IX. Mutuatarius obligari non potest ad faciendam solutionem eo loco, quæ incommoda ipsi esset; quia esset novum onus, quod ratione mutui, nullo modo imponi potest: esset enim aliquid supra sortem.

X. Non tenetur creditor invitus partem debiti accipere; quia hoc esset maximè incommodum, nam minutiæ facilè pereunt.

XI. Si nullum pactum mutuo fuit adjectum, nec fuit attenta, aut prævisa pretii mutatio, citra mutuum pecuniæ, res mutuata in æquali quantitate restituenda est: v. g. decem modii tritici mutuo dati sunt, totidem tempore præfixo reddendi: ita Soto, Lugo, Lessius, Castr. Pal. Laym. Malder. Gomez. Panorm. Bald. Bart. Gibal. *lib. 1. c. 3. a. 3. n. 3.* qui prædictos citat *n. 1.* si enim res propter substantiam præcisè expetitur & postulatur, tantumdem substantiæ restituendum est, quantum acceptum fuit: adde usum communem communiter approbatum: si verò mutuator prævideat pretii crementum tempore solutionis, non tenetur mutuatarius solvere, nisi pro rata valoris & pretii: ita Lugo *disp. 25. n. 123.* Gibal. *n. 4.* Salaz *dub. 24. n. 3.* qui alios autores citat: quia non potuit creditor posita illa prævisione velle illud lucrum supra sortem; alioquin esset usura: si autem decrementum prævideat, & nihil apponat contractui, censetur liberaliter condonare: si verò apponat, haud dubiè potest obligare mutuatarium ad refundendum æqualitatem pretii: alioquin creditor damnum inde pateretur: observabis tamen, si reverà vendatur triticum tempore majoris valoris, licèt solutio differatur in tempus minoris valoris, creditorem meritò exigere, vel pretium juxta majorem valorem, vel majorem quantitatem tritici: aut si dat triticum tempore minoris valoris, quod tamen servaturus erat, ut illud venderet tempore majoris valoris, reverà plus tritici repetere potest, ac de eo pacisci, facta justa compensatione damni, quod alioquin pateretur: ita Medin. Sylvest. Navarr. Conrad. citati à Gibal. *n. 4.* pari modo, si mutentur mensuræ, datam quantitatem meritò repetere potest: alioquin damnum pateretur: ita Salaz *dub. 24. n. 4. & dub 25. n. 1.* Azor. *3. p. l. 7. c. 10. q. 6.* & alii. Potest autem mutuatarius, etiam ante præfixum solutioni tempus triticum restituere: alioquin esset onus ratione mutui impositum; non tamen ante præfixum tempus mutuator repetere potest: quia pacto justo stare debet: ita omnes cum Petr. Navarr. *l. 3. de restit. c. 2.* si tamen nullum tempus in contractu solutioni præfixum est, & creditor non præviderit crementum valoris, creditor potest repetere, quo tempore videt valorem crevisse, modo nulla vis, vel fraus intercesserit: ita Navarr. *c. 17. n. 225.* Rebell. *2. p. l. 8. q. 8 n. 7.* potest enim repetere quod ei debetur, si aliunde non teneatur expectare: sed in hoc casu, nullo prævio pacto tenetur: quamquam si creditor studio dumtaxat lucri ducatur, vix fieri potest, quin contra charitatem peccet, utrùm verò farina pro tritico restitui possit, censent aliqui ut Azor, & Ripa citati à Gibalino, qui tamen secus existimat, quod mihi probabilius videtur, si aliquod inde damnum consequatur: cuncta hæc in unum corollarium congerenda esse putavi, quæ iisdem principiis nituntur.

XII. Mutuatarius non tenetur solvere pecuniam mutuò acceptam, nisi juxta valorem pecuniæ, tempore mutuationis: v. g. accepit mutuò 100. dupliones valoris mille librarum, ut vocant, sive decies tempore præscripto 100. dupliones majoris, sive minoris sint valoris, tenetur tantùm restituere 1000. libras; ita Gibal. *n. 23.* qui citat pro hac sententia 24. autores: ratio est, quia in mutuo, non habetur ratio pecuniæ, nisi propter valorem, & præciso valore, ad instar calculorum est; igitur ille tantùm valor attenditur, qui tempore mutuationis erat: nempe obligatio quæ remanet in mutuatario refundendi, fundatur in mutuo, idque ratione ejusdem valoris: accedit quod transfertur pecuniæ dominum in mutuatarium, igitur illius commodum & incommodum ejusdem mutuatarii est: equidem creditor potest pacto mutuatario conditionem apponere, ut scilicet aurea, vel argentea currente solutio fiat, ad vitandum scilicet incommodum minutæ vel æreæ monetæ; ita Gibal. qui citat *n. 16.* multos autores scilicet Anton. Fabr. Martin. Bart. Bald. Hostiens. Navarr. Laym. Molinam Lopez. Mercado Graff. Veg. Sal. Rebell. quid ni enim creditor pacto sibi consulat, ut damnum arceat; immo propter eandem rationem obligari potest mutuatarius ad restituendam eandem speciem monetæ, nisi tamen urgens difficultas obstet, vel grave damnum debitoris, vel lex Principis, vel demum consuetudo: immo, ut hoc pactum justum sit, debet esse æqualis utrimque conjectura decrementi, vel incrementi, aut si probabile est, futurum brevi incrementum, creditor debet habere voluntatem servandi suam pecuniam usque ad illud tempus: quam tamen, ut mutuatario gratiam præstet, dat mutuo: neque ratio patitur ut hoc damnum invitus sentiat: hinc ut mutuatarius sciat, quantum debet, attendendus est valor pecuniæ mutuæ tempore contractus: ut sciat quantum restituat, attendendus est valor pecuniæ tempore solutionis: pari modo, si quis dat frumentum in pecunia restituendum, si est venditio debet restituere pecuniam juxta valorem frumenti tempore contractus: si verò est mutuum, juxta valorem tempore solutionis: si hæc fusè dicussa & explicata desideras, consule Gibalin. citatos.

XIII. Illi omnes qui liberam suorum bonorum administrationem habent, mutuò dare possunt: quia qui dat mutuò, transfert dominium in mutuatarium: illi autem omnes, qui dominii acquirendi & novæ obligationis suscipiendæ capaces sunt, etiam mutuò accipere possunt: unde facilè intelliges, quinam sint capaces, vel incapaces: tritum est quod de servo, pupillo, Filio familias procuratore Religioso, autores habent.

XIV. Levitas materiæ non tollit malitiam usuræ: quia est intrinsecè mala: Hinc nulla lex humana dispensare potest in usura, quod de vera & propriè dicta usura intelligendum est: nullus enim dubito, quin lege humana prohiberi possint justis de causis quidam contractus, perinde atque si usuram essent, licèt re ipsa usuræ labe careant: hinc reveri in judiciciis usurarii censentur: sed hæc est usura de jure humano, ut vocant: permitti tamen potest usura à supremo Principe, majoris mali vitandi causa: at nunquam licet usuras exigere ab hostibus ratione mutui. Dico, mali vitandi, non lucri faciendi: unde si aliquis Princeps Judæorum usuras toleraret, seu permitteret, propter commodum seu lucrum, quod inde reportat, haud dubiè peccaret: peccaret item, si alio modo licito illud malum vitare potest: item si cum minoribus usuris.

XV. Datur aliquod mutuum interpretativum, ex quo etiam nihil supra sortem exigi potest, v. g. Titius reliquit

vellet Cajo legatum mille nummùm, & donec Cajus ab Hærede legatum recipiat, exigit quinquaginta nummos inannum: si Cajus possit legatum exigere, sed nolit, malitque pensionem, haud dubiè usura est, id est lucrum ex mutuo interveniens, nisi hæres sit in mora, quæ Caji interfit, vel hæc pensio relicta sit Cajo, ad onus aliquod, aut stipendium, aut compensandum; vel legati dum prædicti mille nummi emendis bonis fructiferis impendendi, vel ex bonis hæreditariis præstandi, vel disjunctivè, ut ajunt, id est, mille nummi pro una vice, vel in singulos annos quinquaginta; vel haeres possit quidem solvere mille, sed non teneatur, si malit solvere pensionem ad instar census; cuncta hæc ni fallor ex dictis perspicua sunt.

XVI. Omnis conventio, per quam ratione mutui imponitur mutuatario obligatio æstimabilis, sub prædicta obligationem refundendi sortem, quasi titulo justitiæ, ad quam alioquin non tenebatur, est usura; nulla autem usura est, ubi nullum lucrum ex mutuo, aliàs scilicet indebitum; hinc modò non ex mutuo, et alias honestis & licitis causis & titulis, licet supra sortem aliquid accipere, v.g. titulo charitatis, gratitudinis, &c. Hinc usura est, obligare mutuatarium metuum ex justitia, ut aliquem curet vel ut desistat à justa lite, vel ut sit gratus, vel ut conferat officium, vel aliquod obsequium præstet, sive honestum, sive turpe, sive pium, sive quamlibet operam; nisi tamen aliunde sit paratus ad illam locandam; vel ut alium contractum ineat, etiam sine damno suo, vel incommodo; excepto tamen contrahente necessario ad cautionem, securitatem, fidejussionem, item ad occurrendum damno emergenti, vel lucro cessanti; vel ut non solvat debitum antecedens tempus; vel ut solvat tali dumtaxat loco, quod sine novis expensis facere non possit; vel ut creditorem eximat à justis vectigalibus: cunctæ hæc novam obligationem, novum onus mutuatario imponunt, ac proinde usuræ labe sordescunt.

XVII. Usura est, obligationem non repetendi mutuum per certum tempus, in pactum deducere, ac inde lucro supra sortem compensare; quia ratione prorogati mutui aliquid exigit, non potest supra sortem; & licèt illa obligatio carendi pecuniæ pretio æstimabilis, compensatur tamen per lucrum sortis, quæ tanti æstimatur hoc anno, quanti proximè elapso: licèt demum nonnulli probabile putent, aliquid per modum conditionis, aut premii exigere posse creditorem sine usura, v.g. nolo tibi dare mutuo triticum, nisi des mihi mutuo vinum; vel do tibi mutuo centum toto illo tempore, quo mihi certum præstabis officium; cum tamen omnes fere hanc mutuationem periculum esse judicent, tuta in praxi esse non potest.

XVIII. Fas est, ex aliqua justa causa, petere mutuum ab usurario; ita omnes, nam ille sibi imputet: est autem justa causa rationabilis necessitas; licèt enim mutuatarius suum peccatum indirectè velare possit, id est velle directè aliquid, cum quo peccatum conjunctum est, potest tamen, si necessitas urget, velle aliquid, cum quo peccatum proximi conjunctum est.

XIX. Qui bona fide & cum ignorantia inculpabili contractum usurarium, non peccat, quod mutuum est; & si adsit alius justus titulus lucri, quisquis ille sit; modò mutuans illum, vel expressè, vel confusè intenderit, etiam sub clausula illa generali, *omni meliore modo, quo fieri potest*, potest lucrum perceptum retinere, & deinceps exigere; ita Navarr. Lugo, Sa. Tanner. Valent. Less. Gibal. l. 2. c. 2. art. 2. qui prædictos citat; hæc enim contrahentibus intentio sufficit; alioquin multi contractus essent invalidi, quod certè maximam Reip. perturbationem afferret.

XX. Si contractus sit nullus, vel usurarius, id quod interest accipi non potest; quia est vera usura, sub ficto contractu tecta; Leotard. q. 80. n. 1. qui multos citat.

XXI. Si lucrum justè relatum cum reliqua sorte computatur, quod variis modis fieri potest, ac præsertim per novam conventionem, creditor ex eo aliud lucrum justum exigere potest, ratione scilicet, vel lucri cessantis, vel damni emergentis in mutuo; quod meo judicio, perspicuum est; est enim aucta sors, & tota illa summa ex priore & novo lucro conflata, est creditoris; quid ni ergo illi fructificet? & licèt antiquis legibus prohibitæ sint usuræ usurarum, in casu præsenti locum non habet, in quo novam sortem consideramus. Leotard. q. 87. num. 19. qui multos citat.

XXII. Qui habuit tantùm voluntatem conditionatam dandi suam pecuniam ad negotiationem, nisi mutuanda fuisset, spem lucri proximam & probabilem non habuit; ac proinde nihil exigere potest supra sortem; licèt enim aliqui apud Lessium, probabile putent, exigi posse; ipse tamen Less. dub. 11. num. 95. fatetur, hoc non esse tutum in praxi; quapropter ad summum, illa opinio esset tantùm probabiliter probabilis.

XXIII. Negotiator potest lucrum cessans ex sua pecunia mutuo data capere, licèt aliam habeat otiosam, quam sibi in subsidium, vel alium finem seposuit, qua scilicet carere nolit; ita Gibal. cap. 5. art. 9. numer. 22. qui citat Navarr. Less. Molin. Delugo, Bonacin. Salaz. à quibus multi alii citantur; quia reverà lucrum illud cessat ex mutuo, & gravissimum esset mutuanti nihil unquam ratione lucri cessantis, vel damni emergentis exigere posse, nisi totam suam pecuniam mutuò daret.

XXIV. Negotiator subtrahens suam pecuniam negotiationi, ut cuipiam det mutuo, qui revera illa indiget, lucrum cessans exigere potest; ita Malderus, Lugo, Lessius, citati à Gibal, num. 24. quia alioqui reverà pateretur damnum ex illo mutuo.

XXV. Creditor, qui propter moram debitoris, coactus est aliam pecuniam sub usuris accipere, ac proinde ex justa causa accepit, potest illud damnum repetere à debitore, qui supponitur esse in mora culpabili; ita fere omnes Theologi; si tamen ex malitia creditur id agere, peccaret saltem contra charitatem; potest etiam qui pecuniam sumpsit fœnore, eam dare alteri mutuo, cum pacto se indemnem servandi; quilibet enim damnum à se arcere potest; Salas dub. 13. n. 6. ubi multos citat.

XXVI. Ad hoc ut mutuans aliquid exigere possit, ratione illius, quod interest, non est opus, ut pecunia jam destinata sit negotiationi, sed destinanda sufficit, Sal. dub. 20. num. 12. nec opus est, ut solitus sit negotiari, modò tùm reverà lucrum probabile cesset, Sal. num. 2. etiam si malit mutuò dare quam negotiari, Sal. num. 4. qui multos citat.

XXVII.

XXVII. Si creditor repetit mutuum ante præfixum solutioni terminum, mutuatarius non censetur esse in mora, secus verò si nullum certum tempus præfixum est solutioni, modò interpelletur, Salaz. dub.19.n.10.& alii.

XXVIII. Licèt pro mutuata, vel commodata pecunia nihil exigi possit, potest tamen pro locata, ad pompam scilicet, vel ostentationem; ita communiter omnes, & Lupus comm.3.de usuris.§.6.n.1. testatur, hanc sententiam ab universa Theologorum, Canonistarum & Juristarum schola esse receptam; tunc enim fungitur vice mercis, vel corporis, & ejus usus est ipsa pompa & ostentatio.

XXIX. Non potest quispiam aliquid exigere ab exactore suorum redditum, seu vectigalium, eo quod usus ei permittatur exactæ pecuniæ, quia tum ratio veri mutui intercedit; sed ex mutuo nihil accipi potest; Navarr.lib.3.conſ 2.de depoſito Gibal.l.3. c.5.a.6.n.2.

XXX. Creditor accipiens pignus fructiferum, debet computare fructus in partem sortis; ita omnes Canonistæ, Juristæ & Theologi, quos dabit Salaz.dub.28. Hinc antichresis qua in compensationem usus pecuniæ mutuo datæ, ceduntur creditori fructus fundi oppignorati, usuraria est; Gibal.cap. 7.a.13.n.5. qui citat Frederic. Martin. Cujac, Hotman; Petr. Gregor. Annæum Robert; nempe cum pignus sit mutuatarii, illi haud dubiè fructificat, quæ ratio valet, etiam si antichresis sit perpetua, in qua, creditor non potest repetere mutuum, quamdiu debitor patitur illum percipere fructus pignoris; quia revera remanet ratio mutui; nec est quod aliqui ad censum referant; quia nec est certa annua pensio, quam census postulat, nec servatur æqualitas; si tamen ad contractum emptionis cum pacto retrovendendi ad arbitrium venditoris referatur, haud dubiè licitum erit pactum; Cajet. 2. 2. q.78. a.2. ad 6. Gibal.n.11.Sot.l.6.q.1.a.2. modò attendatur æqualitas pretii; tunc enim creditor ex re sua fructus percipit, nec amplius pignus est. Adde Laym. lib.3. tract.4. cap.16. n.17. ubi testatur de communi doctrina, sumpta ex l.2. C. de pact. inter emptorem & venditorem; supponitur autem rectus animus contrahentium, nulla fraude infectus.

XXXI. Contractus ille frequens in Italia, quo creditor dat suam pecuniam debitori, & hic illi suam rem fructiferam, ita ut utrique liberum sit reperere id, quod alteri dedit, si fiat in mutuo est usurarius; vulgò dicitur, *godere à godere*; licèt enim nonnulli sint, qui eum admittunt ut legitimum, ut Major, Gabr. Conrad. Medin. Covarr. citati à Gibal. c.7.n. 12. reprobatur tamen ab aliis, Soto scilicet, Navarr. Azor, Sylvest. Gibal. qui prædictos citat, quibus accedunt Sà. v. usur.n.9. Leotard.q.15 n.30. qui citat Duard. Caniſ. Gabriel. item Tamburin. l.8. tr.3.c.7. §.6.n.16. si tamen reducatur ad contractum venditionis, cum pacto retrovendendi & retroemendi, communi onere, haud dubiè est licitus; quia uterque re sua utitur, & illius fructus percipit; hinc utrumque capacem esse necesse est ad emendum & vendendum; tunc enim non est pignus; nam ut pecuniæ transfertur dominium in unum, ita rei transfertur in alium: quod autem prædictum pactum retrovenditionis licitum sit, docent communiter Doctores. Covarr. Medin. Conrad. Filliut. Bonacina Diana citati à Gibal.n.13.adde Tiraq. tract. de retract.condit. §.5. Glos. 2. & Juristas fere omnes; est enim contractus utrimque onerosus, & par onus.

XXXII. Fructus melioramentorum pignoris in sortem etiam computari possunt, detractis tamen expensis, quas creditor repetere debet; ita docent magno consensu Theologi & Juristæ, Navarr. Molina, Garciaz, Azor, Less. Filliut. Lopez, Salaz, Ugolin. Scaccia, Gibal.n.17. qui prædictos citat; vide Leotard. q.17. ratio est; quia fructus illi ad fundum pertinent; igitur sunt Domini fundi, scilicet mutuatarii.

XXXIII. Contractus, quo pignus, data pecunia mutuò, creditori traditur, ea lege, ut intra præfixum tempus, non fiat solutio, sit ipsius creditoris, potest esse justus, si pignus non superet debitum, præscindendo à lege prohibente; hæc est lex commissoria à Constantino abrogata lib.1.C.de pact. pign. idque tanquam certo jure constitutum supponit Innocent. III. in cap. *significante* 7. de pignorib.; præscindendo tamen à lege positiva, modò debitor coactus non fuerit à creditore; non est injustus, inquam, quia nihil supra sortem creditor accipit: immo si ob moram culpabilem debitoris, hoc ipsum in pœnam conventionalem apponitur; licet pignus superet debitum, modò pœna culpæ proportionata sit; aliàs pactum illud commissorium injustum est; quia supra sortem ex mero mutuo creditor aliquid exigeret. Delugo disp. 25 num.177. Pactum tamen, quod fit, ut non soluta pecuniâ, tempore præfixo, pignus vendatur, aut venditum sit creditori, vel alteri, justo pretio, tunc æstimando, multi passim, ut justum admittunt apud Gibalin. num. 26. qui citat Mantic. Lup. Guid. Pap. Molin. Reginald. Ugolin. Salaz, Bonacin. Delugo, qui alios citant; ea tamen lege ut debitor non cogatur, aut per modum pœnæ conventionalis apponatur; consule pro his Leotard. q. 70. & Gibal. art.13.

XXXIV. Venditor non potest locare fundum emptori, pro pensione certa, donec pretium solvatur; Ita Gibal. c.8. a.9.n.4. qui citat Petr. Navarr. Rosell. Sylvestr. Armill. Tabien. Astens. Angel. Major. Antonin. Bernardin. Gabr. Panorm. Azor; alios citat idem Gibal. l.2.c.5.a.5 concl.2. licèt tamen venditori retinere dominium fundi, donec pretium solvatur: ac proinde eumdem fundum emptori locare, quæ est venditio conditionalis, aut in contractu venditionis, reservare sibi fructus usque ad pretii solutionem: non potest pharmacopola locare sua vasa & mendicamenta pensione annua, ea lege ut medicamenta à conductore eadem æstimatione reddantur; est enim usura; Gibal. qui citat.n.9. Megal. Lugo. quia scilicet medicamenta quæ ipso usu consumuntur, locari non possunt; de locatione animalium vide Gibal.a.num.10. illa autem justa est, in qua onera quæ conductor subit, ad æqualitatem compensantur: si tamen ficta sit locatio, erit mutuum palliatum; Gibal. ibidem citat. Azor. Molin. Lug. Filliuc. Navarr. Tolet. Ugolin. Facund. adde Leotard. q.36. cuncta hæc tu ipse facilè deduxisses exjactis principiis; congessi tamen sine delectu, ut tibi morem gererem.

83. Pithanoph. Gratissimum mihi accidit, quod tam multa in pauca contraxeris, quæ ni fallor, ad duo ista capita referuntur, rem scilicet Domino suo fructum facere, ac proinde ex mutuata pecunia nullum justè lucrum exigi posse; illud enim, quod nonnulli Heterodoxi somniarunt, usum pecuniæ concedi posse, sine dominio, ideſt plenam, absolutam & independentem utendi facultatem, ac pro illo usu, cum

cum sit pretio æstimabilis, aliquid justi lucri percipiamus prorsus est ; nempe in rebus ipso usu consumptibilibus, usus juris à dominio non distinguitur, transitus tamen usus facti, ut vocant, qui dependens, sic Religiosi incapaces dominii, ex Superiorum licentia, pecunia aliquando utuntur ; cum ea tamen subjectione, ac dependentia, ut vocant, quæ religiosæ vitæ instituto competit ; unde non modò nullam bonorum dominium, sed nec ullam bonorum administrationem jure suo habent.

90. Antim. Non tibi latent antiquæ illæ contentiones, quæ tot ac tantos rumores atque tumultus pepererunt ; cum scilicet Joann. 22. ab Occamo facesitus contrariam sententiam in Extravag. *ad conditorem* de verbor. significat. pluribus asseruit, usum, scilicet, in rebus usu consumptibilibus, à dominio minimè distingui ; & quatenus distingueretur, dominium illud à se ac sede Apostolica repetit.

91. Pithanoph. Hæc probè sciebam ; nec mirum mihi accidit, Romanos Pontifices, in rebus, quæ nec ad fidem, nec ad bonos mores pertinent, aliquando inter se dissentire ; nempe Nicolaus III. Clemens V. Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius IX. contrariam sententiam tenuerant : quod tamen ibidem Joannes declarat, Christum quarumdam rerum temporalium, quibus utebatur, dominium habuisse, ad fidem pertinet, & ad verum Scripturæ intelligentiam ; nec contrarium alii Pontifices docuerunt ; quod demum spectat ad illam dominii abdicationem quam fecerat Joan. 22. dico, vel à successoribus Pontificibus dominium illud denuo admissum fuisse, vel apud fideles, qui res illas largiuntur, remanere ; sed hæc mittamus ; cum certum sit, usum facti distinguì à dominio in rebus ipso usu consumptibilibus.

92. Antim. Nollem diceres omnino certum, cum præter Joan. 22. multi, iisque graves autores oppidum adstruant, ut Major in 4. d. 38. q. 9. a. 1. Turrecrem. l. 2. summ. c. 112. D. Antonin. 4. p. tit. 12. c. 4. & Sylvest. verb. *dominium* 4. 2. Aragon. 2. 2. q 62. cum Sarmient. de reddit. Ecclesiast. 1. p. c. 1. n. 11. & alii possim ; dicere tamen poteras, si non certum, saltem longè probabilius, cum longè plures autores hanc sententiæ suffragentur ; Gibalinus lib. 1. cap. 2. sect. num. 4. & Sanch. in decalog. l. 7. c. 18. n. 5. multorum, Gloss. scilicet, Panorm. Sot. Navarr. Angel. Dannez, Azor, Molin. Valent. Bellarm. Less. Rebel. Suar. Lugo, Laym. Man. Roderic. Alvar. Pegnaster. Alcozer, Quesadam, &c.

93. Pithanoph. Dicamus ergo *probabilius*, ut jam mihi petinde est ; jam quæro ex te, utrùm usus facti quantumvis dependens & revocabilis pretio æstimabilis ; si enim pretio æstimabilis non video, cur aliquid pro eo accipi nequeat ; nemo enim uti non possit.

94. Antim. Hoc ipsum est quod Salmasius & alii Heterodoxi sibi aliisque persuadere conantur, videlicet ; cum ultro concedant, mutuatarium habere plenum jus utendi pecunia, ac liberam potestatem ; igitur usum juris, qui à dominio in pecunia minimè distinguitur ; igitur fructum ex re non sua percipere non debent.

95. Pithanoph. Mirari satis non possum, qua fronte Heterodoxi doctrinam morum corruptam Catholicis tanta contentione & vehementia exprobrent ; & præ cæteris quidem, famosus ille Dionysellus Molinæus, in libro, quem traditionem Romanam censum inscribit ; cum tamen ipsi usuram à peccato & culpa liberent ; Quis unquam moralis Theologus, quantumvis laxioris styli, eò laxitatis devenit ? hîc sanè tritum illud locum haberet, Clodius accusat Mœchos, Catilina Cetegos ; sed ad quæstionem propositam quid amabò respondes ?

96. Antim. Primo quidem loco respondere possem, tunc pecuniam mutuo non dari, cum in mutuo verum ejus dominium transferatur ; immo nullum contractus genus hîc reperio, sed meram licentiam ; nempe nulla inde obligatio sequitur, quam omnis contractus importat ; illa porro licentia est aliquid expetibile, & pretio æstimabile, & pro illa aliquid accipi posse non diffiteor ; sed parvum lucrum maximum damnum minimè compensat ; nam is, qui licentiam obtinuit, licitè uti re illa potest, quæ cum ipso usu pereat, domino perit ; nullum igitur periculum est, ne inde usuræ aditum sibi faciant ; nemo enim adeò insanus, qui pro modico lucro, sortem integram perdere velit.

97. Pithanoph. Sed si his, qui licentiam utendi accipit, obligetur pacto, ad restituendum integram sortem, etiam non accepto illius dominio, ut in deposito nonnunquam fieri solet, si sors pereat, Domino non perit.

98. Antim. Vel est verum mutuum, in quo transfertur dominium ; vel est depositum, vel est mera licentia utendi, id est, consumendi rem illam ; si primum, nullum lucrum supra sortem ex mutuo exigere potest ; si tertium, nulla est obligatio restituendi, cum fuerit legitima licentia consumendi ; sic religiosus, qui de prælati licentia, cibos consumit vel aliquid pecuniæ distrahit, non tenetur illam prælato restituere, & hic est merus usus facti ; si verò secundum dicatur, alia quæstio est, si jubes, discutiemus ; sed hæc priùs terminanda est, Lessius disp. 2. num. 46. habet aliam rationem, nempe, inquit, quando in mutuo, transfertur dominium pecuniæ, cum usu libero, ubi deinde sors integra restituitur, adæquatur obligatio, & nihil supereſt pretio æstimabile, quod mutuatarius non adæquarit, ex titulo scilicet justitiæ ; igitur pro libertate utendi, retento dominio ; nihil potest accipi supra integram sortem ; quia alioquin pluris æstimanda esset pecunia, cujus usus, retento dominio conceditur, quàm illa cujus usus simul cum dominio traditur, si retento dominio, sors integra cum aliquo lucro, pro ipso usu, concesso verò, etiam cum usu dominio, sors ipsa dumtaxat, sine auctario, restitui debet.

99. Pithanoph. Hæc ratio quamvis à nonnullis impugnata, mihi demonstrativa videtur ; quod enim dicunt, dominium illud retentum, concesso usu facti, id est facta potestate utendi, scilicet revocabili, tanti æstimandum esse, quanti reverà æstimaretur, si usus facti minimè concessus fuisset, facilè negabitur ; tum quia, per licentiam illam, maximo periculo pecunia exponitur, ne expendatur & consumatur, ac proinde Domino pereat, atque adeò ipsum dominium simul extinguatur ; licèt enim pecunia, si repetatur, restituenda sit, si tamen de licentia domini, consumpta est, restitui non debet ; cùm scilicet illius, qui eam impendit, culpa non perierit ; nulla enim culpa est, re aliena uti, si id fiat, de licentia domini : Quod si illa pecunia usus non est, pro usu nihil rependere tenetur ; quia nullus fuit usus ; nec dicas, fuisse licentiam utendi,

eam-

eamque pretio æstimabilem; nam cum sors integra tunc restituatur, illa licentia abundè compensatur, eo quod sors ipsa periculo subtrahatur, cui erat, de consensu domini exposita, ne scilicet ipsi periret; quis autem dicat, licentiam utendi cum ipso usu conjunctam quo ipsi domino perit pecunia, minoris æstimandam esse, quàm eamdem licentiam ad usum minimè redactam, si enim aliquid minus sorte pro ipsa licentia refundatur, ubi sors ipsa integra refunditur, quæ voluntati ac potestati utentis permissa & concessa fuerat, nemo neget, prædictam licentiam probè compensatam fuisse.

94. Antim. Hæc prorsus arridenț; si tamen audire libeat, unam, vel alteram rationem addam; quod eò sanè libentiùs faciam, quò prædictum argumentum Salmasii nonnullos in errorem induxit.

95. Pithanoph. Audiam libentissimè, & adnotabo, nam sum in hac opinione, nihil ferè superfluum de hæc controversia dici posse; immo rem mihi gratissimam feceris, si ea, quæ à Salmasio aliisque Heterodoxis in gratiam usuræ opponuntur, adducas, eaque solvendi rationem docueris.

96. Antim. Quisquis alteri permittit usum suæ pecuniæ, retento dominio, totam rem suam retinet, id est nulla re se privat; non dominio, quod retinet; non usu, quia illa potest uti, ut priùs; igitur nihil est, quo se privet; igitur nihil est, quod compensari possit; illa porro licentia utendi, quam alteri dedit, facit, ut pecuniâ privari possit minimè invitus; ac proinde sine peccato alterius; hoc tamen est singularis donationis, scilicet voluntatis, qua vult, alium uti, sine peccato pecuniâ suâ; ac proinde non obligari ad restitutionem; unde non est donatio propria, sed voluntas abstersiva peccati, & obligationis ad restituendum; & in ordine ad hunc effectum, perinde se habet, atque si donasset pecuniam; at verò in ordine ad se ipsum, perinde se habet, atque si nihil prorsus concessisset; cum de pecunia æquè disponere possit.

97. Pithanoph. Dominus pecuniæ dat alteri potestatem utendi, quæ haud dubiè videtur esse aliquid quo ille se privat.

98. Antim. Minimè verò; nempe alter habet potestatem physicam utendi; potest enim habere in manibus pecuniam Domini; illicitè tamen utetur, & tenebitur ad restitutionem, nisi accedat prædicta licentia, quæ id tantummodò præstat, ut is, cui datur, posito quod prædicta pecunia utatur, licitè utatur, nec ad restitutionem teneatur: Hinc Dominus nihil propriè donat; sed posito quod alter sua pecunia utatur, vult perinde esse, atque si donata fuisset.

99. Pithanoph. Rectè; hoc ipsum est, quod voco potestatem moralem utendi, ex qua sequitur licitus usus; ita tamen subjectam, ut domini potestati omnino subjiciatur; quod tamen non obstat, ne pretio æstimabilis censenda sit.

100. Antim. De vocibus tecum disertare nolim; voca ut voles; modò constet, nihil penitus domini, potestatis, usus ipsi domino per hujusmodi concessionem detrahi; ut autem ejusdem rei dominium perfectum in duobus esse non potest, ut morales Philosophi facilè demonstrant, ita in duobus potestas utendi eadem pecunia esse nequit; nam pro utroque eædem rationes militant; si ergo potestas est, imperfecta est, dependès est, & alteri potestati subjecta; unde vera potestas dici nequit; vocetur licentia, vel communi nomine facultas; maneat igitur, Dominum pecuniæ nulla re per hanc licentiam privari; ac proinde nullam exigere posse compensationem; scilicet ex justitia; quia profectò non negarim, quin is, cui prædicta licentia conceditur, gratus esse debeat; & quin gratiæ loco illa licentia habenda sit; unde gratis dumtaxat datur.

101. Pithanoph. Restat adhuc mihi scrupulus, sic enim per te mihi loqui liceat; nempe Domini pecuniæ habet jus, ne alter se invito sua pecunia utatur, & si utitur, habet jus illam repetendi; utroque jure se se privat, per hujusmodi concessionem; jus autem omne suo pretio non caret.

102. Antim. Acutè sanè, ita primo aspectu esse videtur; at si rem paulò attentiùs perpendas, haud dubiè invenies, Dominum pecuniæ nullo jure privari; nempe si velit, statim revocare potest licentiam; igitur jus habet, ne alter pecunia sua utatur; sic volenti, inquiunt, non fit injuria; non quod hic jure suo cedat, illudque abdicet, sed quod jure suo uti nolit; quid igitur vult ille, de quo dicitur, *volenti non fit injuria*; revera non vult actionem illam, per se injuriosam, sed vult jus suum in usum non prorumpere, sed suo effectu morali carere; vult jus suum impeditum esse, ne scilicet morales illi effectus ex eo resultent; v. g. ex jure, quod habeo, ne quis mihi colaphum impingat, si forte hic impingatur, resultat ex jure meo, in prædicto colapho, ratio injuriæ mihi illatæ; item reatus in percutiente, quo dignus pœna censetur; item obligatio reparandi illatam injuriam; item in me resultat jus novum actionis contra illum; &c. Vides quot effectus morales resultent ex illo meo jure, quod habeo, ne quis mihi colaphum impingat; quod verò sint tantùm effectus morales, ac proinde resultare dicantur, facilè intelligis. Itaque si ponam obicem, ne prædicti effectus resultent, scilicet per voluntatem, impeditur influxus ille moralis mei juris, nec ullo jure me privo, quo prius gauderem, sed tantùm facio, ne prædicti effectus sequantur; id est, ne sit injuria mihi illata, ne infligens sit reus, ne teneatur ad reparationem, (præscindendo tamen à lege, vel divina, vel humana) ne acquiram jus satisfactionem exigendi, &c.

103. Pithanoph. Ne verbum quidem addas velim; rem hanc clarissimè discussisti; licet novum explicationis modum adhibueris, novum inquam mihi; nunquam enim rem istam sic explicari audiveram; sed perge ad alias rationes.

104. Antim. Antequam id faciam, permitte quæso, ut exemplum explicationis ergò allatum ad nostrum, de quo agimus, argumentum applicem; ita prorsus, quando alteri usum meæ pecuniæ permitto, habeo voluntatem, per quam volo, non quidem ut pecunia mea utatur, sed posito quod utatur, volo, apponi obicem, ne ex jure ac dominio meo resultent morales effectus, qui necessariò alioqui sequerentur, nisi obex poneretur, v. g. actio illa esset, furti, & injusta; item resultaret obligatio in eo, restituendi pecuniam; item jus in me repetendi ab illo pecuniam meam; habeo, inquam, voluntatem impedientem, ne hujusmodi effectus morales resultent, nullo tamen jure, quod prius haberem, per hanc voluntatem me privo: sed ad aliam rationem venio. Licèt prædictus usus facti concessus, sit æstimabilis in ordine ad gratitudinem, non tamen in ordine ad justitiam; ita ut pactum pretio censeri possit; aliquin vendi posset; quid enim mere temporale est, & pretio æstimabile

bile, vendi potest : at nullo modo vendi potest ; quia in contractu venditionis, venditor totam rem suam integram non retinet, ut patet ; nempe aliquid vendit, quod à venditore transit in emptorem, quid porro illud sit, nescio ; cum ego retineam rem, quid porro illud sit, nescio ; cum ego retineam integrum dominium meæ pecuniæ, & liberum usum eiusdem, quid ergo mihi deest ? quid à me, qui sum venditor, in emptorem translatum est & à me abjectum ? præterea in omni contractu, est reciproca obligatio ; ab ea enim Labeo & cæteri jurisconsulti contractum definiunt ; atqui in præsenti casu, ad nihil prorsus me obligo ; nam eodem, quo priùs, jure gaudeo ; igitur nulla obligatio in me nova est ; igitur injusta esset venditio, in qua emptor quidem aliquid se obligat, non verò venditor : deinde si revocem usum illum, & retineo pretium, injustè ago, ut patet ; si verò pretium retinere jure non possum ; igitur licentiam utendi non potui vendere ; igitur non est aliquid pretio ex justitia æstimabile, sed tantum ex gratitudine.

Pithanoph. Hanc licentiam, quam mihi concedis, utendi pecunia tua, possum alteri vendere ; igitur est aliquid pretio æstimabile, etiam ex justitia :

105. Negari facile posset antecedens ; nempe cum illius pecuniæ Dominus non sis, ille in quem tuam utendi licentiam transtulisti, invito Domino, illa uteretur ; potes quidem illam eidem dare, cum data pecuniam, sit reverà ea uti ; sed concedamus illud antecedens ; nam reverà, ubi accepisti licentiam prædictam, nihil obstat, quin te obliges pacto ad non utendum ; esto igitur illam vendere possis ; non tamen inde sequitur, quod ego, qui sum illius Dominus, eam vendere possim, cum per illam concessionem ad nihil prorsus me obligem, & nullo jure privatus maneam ; restat igitur, ut dicam, usum illum pecuniæ, quem tibi concedo, esse quidem æstimabilem ex gratitudine, non tamen ex justitia ; nempe maximum sanè tibi confero beneficium, nullo tamen meo præsenti damno ; licet etiam, fieri posse, ut pecunia illa utaris, imo valde probabile esse ; cum tamen hoc posito, pecuniam mihi, non tibi perire velim ; & licèt damnata non fuerit, velim tamen, in ordine ad effectus illos morales, qui ex usu rei alienæ, invito Domino, resultant, ut perinde sit, atque si donasses, exclusis scilicet & impeditis hujusmodi effectibus, illud quidem gratis facere possum, non tamen quito pretio.

106. Pithanoph. Nunquid paciscì mecum possumus de gratitudine, ita ut illo pacto, ad gratitudinem, ex accepto beneficio, me distingueres & obligares ; sic vovere possum esse gratus, cum pulchra sit virtus.

107. Antim. Possum quidem paciscì de gratitudine ; sed posito quod ad gratitudinem re obligeris, ad præstandum aliquid ex gratitudine, non fit novum obligatio, sed eadem, quæ est juris naturalis ; novo pacto, non quidem aucta, vel firmata, quandam illud novam obligationem non induxit, sed mere tantùm expressa & significata ; alioquin pactum aliquam obligationem adderet, esset actio ex justitia ; igitur ex mera gratitudine obligatus non esses, quod, ut ajunt, repugnat in ipsis terminis ; idem dico de voto ; quod si novam obligationem induceret, ex religione esset ; igitur ex mera gratitudine id non præstare videres ni fallor similem repugnantiam ; nam hoc ipsum est, atque si diceres, voveo, id est, me obligo ad agendum ex sola gratitudinis obligatione ; igitur ad non agendum ex obligatione religionis ; igitur volo & nolo obligari ex voto ; igitur voveo & non voveo, viden repugnantia.

108. Pithanoph. Nunquam mihi persuaseram res istas morales ea subtilitate discuti posse, qua Theologicæ, aut Philosophicæ vulgò discutiuntur : mihi plenè factum est satis ; jam restat, ut mihi suggeras ea, quæ à Salmasio, Molinæo aliisque opponi solent, contra tam apertam & manifestam usuræ ac fœnoris turpitudinem.

109. Antim. Nullus dubito, quin ea facilè diluas : Primò dicunt, ex variis loquendi modis, à veteribus usurpatis, constare, mutuum non esse alienationem ; immo & ex ipsa alienationis definitione ; nempe alienatio est rei suæ jurisque sui in alium translatio ; atqui in mutuo, res quidem transfertur, jus tamen retinetur ; igitur in mutuo, non transfertur dominium ; igitur mutuans fructum pecuniæ suæ jure omnino repetere potest.

110. Pithanoph. Hæc ni fallor inania sunt ; cum & vox *alienationis* ab antiquis in mutuo usurpata sit, ut doctissimè ostendit Gibal. l. 1. c. 2 & in mutuo reverà dominium & jus mutuantis in mutuatarium transferatur ; licèt hic obligationem contrahat, tantumdem pecuniæ restituendi, & ille jus acquirat, tantumdem repetendi ; utrumque novum, quod certè in omni permutatione fieri videmus, in qua, jus prius destruitur, & novum acquiritur ; igitur & mutuans alienat pecuniam suam & jus tantumdem repetendi acquirit ; mutuatarius etiam dum solvit, alienat pecuniam suam, & obligationem tantumdem restituendi, quam contraxerat, extinguit ; sed quid aliud objiciunt.

111. Antim. Addunt, usura pecuniæ talem esse, ut pro eo aliquid mutuans meritò exigere possit ; item damnum esse mutuantis, carere sua pecunia.

112. Pithanoph. Quid levius ? jam dictum est ac demonstratum, nihil pro hoc mero usu distincto à dominio ex justitia exigi posse ; nec etiam pro damno, quod à pecuniæ carentia distinctum non est ; si verò aliud damnum sit, fateor ultro, ratione illius, aliquid percipi posse, ut scilicet resarciatur.

113. Antim. Pecunia, inquiunt, ex natura sua sterilis non est ; igitur illius fructus vendi possunt.

114. Pithanoph. Antecedens facilè negatur ; nec enim pecunia ex se aliquid parit, sed tantùm accedente hominum industria, cujus merum instrumentum est ; immo longè sterilior est quàm triticum, quod si terræ mandetur, aliud granum producit, licèt fructus non tribuantur tritico, sed colono & solo ; si quid ergo ex mutuata pecunia lucri accedit, id sanè mutuatarii industriæ tribuendum est, non verò pecuniæ, quæ prædictæ quidem industriæ servit, sed cum sit mutuatarii, suam illi operam instrumentariam locat, non mutuanti, cujus amplius non est, sed ante fuit.

115. Antim. Dicunt, usuram utilem esse reip. & mutuum, etiam cum usuris, esse contractum maximè naturalem, divinæ legi minimè repugnantem.

116. Pithanoph. Sed hæc, qua facilitate adstruuntur, eadem negantur ; jus divinum satis expressum habemus, cum præsertim sancti Patres illud vehementer exaggerent ; quàm sit, non inutilis modò, verùm etiam noxius reip. contractus usurarius,

vel inde patet, quod per artem fœneratitiam nemo ditescat, nisi alii ad egestatem reducantur: quantum porro juri naturali adversetur, abundè ostensum est.

117. ANTIM. Quisquis fœnus damnat, inquiunt, mercaturam damnare debet, cum pecunia æquè in mercatura aliam pecuniam pariat, ac in fœnore.

118. PITHANOPH. Quis vel Tyro, quamvis rerum moralium ignorantissimus hæc effutiat; mercator emit merces justo pretio; advehi curat, non sine sumptibus & periculo; eas deinde vendit etiam justo pretio; hoc quidem secundum pretium majus est, licèt sit ejusdem rei; quod mirum esse non debet; quasi verò piper in Germania non sit majoris pretii, quàm in India, & saccarum in Polonia, quàm in Brasilia; modò igitur mercator non minore justo emat, nec majore justo vendat, nulli facit injuriam; pretium autem non modò ab intrinsecarei substantia, sed etiam à variis circunstantiis petendum est; puta raritate mercium, longiore vectura, majore custodia, jacturæ periculo, industria, cura, labore mercatorum, ut curent merces advehi, componi, elaborari, colligi, servari, Principis demum decreto ac lege; ex his ni fallor satis constat, modò pretium justum sit, mercatorem, aut mercaturam damnari non posse: Immo si mercator injusto pretio vendat, injustitia quidem est, sed usura non est: & verò, modò res ad contractus venditionis reducatur, justo scilicet pretio, & juxta legum formam, vel spontaneæ, non verò coactæ donationis reducatur, usura timenda non est.

119. ANTIM. Rectè mones, sic enim multa excilcantur, quæ alioquin, si in mutuo sisterent, usurælabe inficerentur; non loquor de rebus fructiferis, quæ justè locari possunt, ut domus, vinea, fundus, animalia, in quibus nulla est difficultas, saltem quæ ad præsens institutum pertineat; sed de pecunia & rebus ipso usu consumptibilibus, quæ scilicet pondere, mensura, numero censeri solent; si enim hæc à mutuo removeantur, applicenturque ad contractus venditionis, modò bona fides intercedat, & justum pretium, & nullum onus impositum præcisè ex dilata solutione, esset enim implicitum mutuum, ab usuræ labe immunia erunt.

120. PITHANOPH. Ut nimiæ morum laxitati indulgendum esse non puto, ita nimium rigorem non probo; nec is sum, qui contractus illos hominibus interdictos esse velim, qui nec juri naturali, nec divino, nec humano adversantur; quod juri naturali repugnat, intrinsecè malum est; unde si dubium sit, aliquem contractum juri naturali adversari, id est intrinsecè malum esse, ita ut, certa saltem probabilitas non sit honestatis prædicti contractus; ad praxim & usum licitè reduci non potest; quod verò spectat ad legem humanam, immo & divinam, quatenus aliquid verat, quod tamen juri naturali non adversatur. si hæc dubia est non obligat; & certum est, hominem ea non teneri.

121. ANTIM. Scio, quid tibi velis; illorum sententiæ non subscribis, qui nimia certè facilitate, vel potiùs nimio rigore, quosdam contractus damnant, qui sunt meræ venditionis, & bona fide initi; vir enim probus bona fide agere censendus est, & omni meliore modo, quod agere potest, ac proinde propriæ conscientiæ testimonio censendus ac relinquendus.

122. PITHANOPH. Rem acu tetigisti; fuere quondam, qui montes pietatis, ut vocant, & census, & contractus assecurationis, societatis, fidejussionis cum aliquo lucro, item omne realis cambii genus damnarent; nunc vero cuncta hæc tum Apostolicis constitutionibus, tum conciliorum decretis, tum communi omnium Doctorum Catholicorum consensu, ita confirmata sunt, ut sine errore, aut stultitia, ampliùs damnari non possit; hinc rem mihi gratissimam fecisti, quod in præmissis cotolloriis, obiter licèt monuisti, nonnullos contractus alioquin usurarios, ab hujusmodi labe facilè liberari, si mutuo ad venditionis contractum traducantur; v.g. Antichresis facilè purgari potest; si enim creditor pignus fructiferum emat, ea tamen lege, ut à debitore quotiescumque volet, redimi queat, is legitimus contractus; item ille, qui vulgo dicitur *godere à godere* legitimus efficitur, si creditor rem illam fructiferam verè emat, ea tamen lege, ut utique ad libitum retrocedere queat; id est, & creditor revendere, & debitor redimere possit: item frumentaria, servare volo meum triticum ad kalendas usque Maii; vis illud modò emere, vendo; juxta valorem, qui erit prædicto tempore: habes pecunias, ex quibus lucrum referre percupio, dolas non fœnori, sed ad censum, id est, iis emo justa talem pensionem annuam, juxta leges censibus præscriptas; legitimum lucrum ex mea pecunia refero; vel ineo societatem cum mercatore; contractus enim societatis justum esse, nemo inter Catholicos negaverit, nam & meo & suo nomine mercator negotiatur, communi fortuna, lucri scilicet & jacturæ; fidejussor potest pacisci de præmio ac mercede illius obligationis, quam suscipit, refundendi sortem, si casu aliquo pereat; huc revoca assecurationem, qui est verus fidejussor; possum emere majus lucrum futurum probabile, sed incertum, certo minore; nam valor unius adæquare potest valorem alterius, cum neuter infinitè ab alio differ: sic jactus retis, vel aleæ, posito quod ludus sit licitus, emere aut vendere possum: item possum emere animalia & ea locare; ludus etiam & sponsio justi lucri titulum fundant; est enim contractus quidam, quo victori, tale lucrum communi consensu attribuitur, à victo; hinc uterque se obligat, si vincatur ad præscriptum lucrum victori solvendum; in quo nihil injustum, si fraus & dolus absint, & nulla sit lex prohibens; vides quot modis pecunia justum lucrum parere possit; & hæc, ni fallor, in controversiam cedere non possunt, nec ab iis, qui rem intelligunt, in dubium revocari: sed antequam longius excurram est ne aliud, quod Heterodoxi illi opponant.

123. ANTIM. Nihil prorsus, quod levissimum non sit; unde mirari satis non possum, quonam pacto fieri potuerit, ut viri alioqui eruditissimi & jurisperitissimi, ob tam levia ratiuncularum momenta, à communi & Catholica, quæ usuras damnat, sententia discesserint; Quàm enim eruditus sit ultimus ille, qui scripsit; tam multa ingenii monumenta erudition plena ab eo in lucem edita restantur abunde; in quibus sanè, si errores, (homo enim Calvinista fuit) expungas, multa erudita & recondita, et antiquorum literis eruta reperies; sed cur agitas caput; dixi fortè aliquid quod tibi non arrideat?

124. PITHANOPH. Nihil prorsus; nam eaque dicis, mirificè probo; sed ingenuè dicam; doctrinam fidei & morum à Theologis tractari & discuti velim, potiùs quàm ab eruditis, & jurisperitis. Theologum sanè velim, sacrorum canonum, traditionum Ecclesiæ, Sanctorum Patrum, historiæ Ecclesiasticæ non prorsus ignarum, ut rerum moralium &

actio-

Actionum humanarum natura, ratio, bonitas, aut malitia, omnes demum proprietates discutiantur; nam excideret quod in illo Theologo desiderari meum, Philosophiam scilicet, qua revera si careat, nihil, quod ab eo in prædicta rerum discussione, exigendum. hinc sanè nonnullos juris Pontificii aut Cæsarei peritos ridere soleo, qui rerum moralium & dogmaticarum arbitri esse volunt, ac de iis quasi ex tripode pronunciant, cum tamen vix apti sint ad eas cognoscendas, ne dum judicandas & definiendas, idem de quibusdam eruditis & literatis hominibus dictum sit, qui cum res istas minimè capiant, longè prudentius agerent, si iis finibus contenti, in messem alienam, Theologorum scilicet, falcem non mitterent.

115. ANTIM. Scio, ea, quæ dicis, verissima esse, atque dicere ausim, ne cui, vel minimæ offensionis occasio præbeatur; quod quàm ab ingenio meo alienum sit, cum turpe sit, non est profectò quod dicam; hoc tamen non obstat, quin revera dicam, Salmasium variæ quidem literaturæ hominem fuisse, non verò Theologum, nec Philosophum, sed eruditum hæreticum; ac proinde non mirum est, si in re fœnerativa fœdè ac turpiter omnino erraverit; porro mihi revocasti in memoriam dissidium illud, quod jamolim Theologos inter & Canonistas fuit; an scilicet in reliquis, in materia usuraria, attendendum sit: Ancharanus, Alexander, Decius, Tiraquell. Lupus citati à Gibalino lib. 1. cap. 7. art. 8 n. 44. pugnant pro domo sua, & Canonistas Theologis præferunt; quia, inquiunt, Theologi non descendunt ad singula, nec expendunt Ecclesiasticas sanctiones de usuris. S. Thom. in quodlib. citatus à Sylvestro, verb. usura n. 1. causam Theologis adjudicat, & eorum judicio standum esse contendit; licèt pro pœnis, contra usurarios latis, Juristas consulendos esse velit; porro reliquo, Theologos; ego ad Juris Pontificii interpretes etiam remitterem, pro illo usuræ genere, quod non quidem juri naturali, sed tantùm Ecclesiastico repugnat; quamquam eximius quispiam Theologus, qui hoc argumentum discutere velit, minimè omissurus est illa omnia, quæ in jure, de usura & pœnis usurariorum statuuntur, neque ad hunc finem ingentia illa volumina Juristarum illi revolvenda esse putarim, cum solus textus sufficere possit; cæterum Jurisperitus neque mentem ac vim Constitutionum Ecclesiasticarum, nec usuræ malitiam, gravitatem, nec casus singularis culpam satis assequetur, sed multa in suis definitionibus peccabit, nisi ea ad certa Philosophiæ moralis & Theologiæ principia expenderit; sed de his satis, ne mihi ac nostris Theologis aliquid invidiæ conciliem, quare desistamus pergamus.

116. PITHANOPH. Cum nihil tibi restet, quod opponas; dum præmissa corollaria recenseres, aliquot capita tacitus adnotavi, in quibus nonnihil difficultatis mihi negotium facessit, quæ tibi breviter explicanda proponam; primò igitur quæro ex te, quomodo Dominus qui à feudatario accepit feudum in pignus pecuniæ mutuatæ, possit licitè percipere fructus feudi, licèt illos in sortem non computet.

117. ANTIM. Non poterat quidquam à te proponi, quod mihi difficilius videretur; nam utrimque est difficultas; hinc responsa Pontificum, Innocent. III. in insinuatione de feudis, & Alexand. III. cap. 1. de usuris, expressis verbis respondent, fructus esse computandos in sortem, ea tamen lege, ut feudatarius à præstando obsequio pro feudo immunis sit toto illo tempore, quo fructus à Domino percipiuntur; ex alia vero parte, ratio usuræ, saltem ut apparet, manifesta est, nam ex mutuo præcisè lucrum illud proficisci videtur.

118. PITHANOPH. Manifestum discrimen esse constat; nam in mutuo, creditor usurarius percipit fructus rei alienæ, non suæ, v. g. pignoris traditi, cujus tamen dominium est penes mutuatarium; cum tamen in hoc casu, creditor percipiat fructus ex re sua, est enim dominus feudi.

119. ANTIM. Nodum profecto non solvis; quia dominium utile feudi, ut vocant, est fundatarii, ac proinde creditor percipit fructus rei, cujus dominium utile non habet; alioquin cessaret esse feudum, esset que vera illius Domini venditio, nec ullo modo pignus dici posset; & verò ratione dominii sui directi, creditor jus tantùm habet exigendi obsequia illa, vel officia, ad quorum præstationem feudatarius fuit adstrictus.

120. PITHANOPH. Sed quid ni fiat commutatio prædictorum obsequiorum in fructus feudi; hinc sapientissimè cavit Pontifex, ne hæc officia exigerentur, quo tempore perciperentur fructus prædii.

121. ANTIM. Rectè; at si fructus longè superent obsequia illa, si feudatarius etiamnum ea exhibere velit; si feudum illud non gratis accepit, sed justo pretio emit, an justam illam compensationem esse credideris?

122. PITHANOPH. Talis est natura & conditio feudi, ut quoties rediret ad Dominum in pignus, pro pecunia feudatario mutuata, toties ad illum pertineret dominium utile.

123. ANTIM. Bellè sanè; talis est, inquis natura feudi; eodem jure quis diceret, talem esse naturam mutui, vel pignoris; quasi verò afficta naturæ loco, turpis conditio, usuræ labem abstergat: prætereà si dominium utile redit ad Dominum, desinit esse pignus, cujus reverà dominium remanet penes mutuatarium; igitur mutatur quæstio.

124. PITHANOPH. Remanet habitu, seu potentia, ut aliqui vocant; quia soluto debito, denuo recipit feudum, teneturque creditor, alioquin illius Dominus illud restituere.

125. ANTIM. Igitur saltem est contractus cum obligatione retrovenditionis; de quo paulò ante actum est, nempe cum acquirat creditor dominium utile feudi, per illum contractum, & feudatarius dominium pecuniæ, quis non videt, veram venditionem esse; & cum addatur pactum, quo creditor adstringitur, transferre idem dominium utile in feudatarium, quoties hic debitum solvet, est verus contractus venditionis, cum obligatione retrovendendi; nec ullo modo pignus est, ut constat ex dictis; nec ratio feudi quidquam hîc facit; nam idem prorsus fieret, etiam si feudum non esset.

126. PITHANOPH. An fortè in favorem Ecclesiæ, hoc statutum fuit, cui jura in omnibus favere solent.

127. ANTIM. Nullum statutum in favorem cujuspiam usuram excusat; quasi verò, lex humana licitum illud facere valeat, quod reipsa & intrinsecè malum & illicitum est.

128. PITHANOPH. Cur feudum ita constitui non potuit, præsertim si gratis concessum est, ut hæc conditio apposita censeatur; scilicet, ut si quando ipsi Domino directo oppigneretur, hic fructus capiat, donec debitum solvatur.

129. ANTIM. Quasi verò usura pro conditione apponi possit: 1. idem de mutuo dicerem; nempe

aliquid alteri venderem, vea lege, ut si à me mutuum accipiat, usuram solvat.

140. PITHANOPH. Si gratis donat, sub hac conditione donare potest.

141 ANTIM. Jam restringis; igitur si feudum pretio comparatum est, vel justæ mercedis loco acceptum (vix autem alia invenies) hæc conditio apponi non poterit: deinde hac quidem lege donari potest à Domino, ut hic, cum volet, repetat, remittatque imposita obsequia; non tamen ut ratione mutui aliquid accipiatur, supra sortem: Quare standum esse arbitror eorum dictis, qui volunt, licitam esse hanc fructuum retentionem, quatenus obsequiis debitis à feudatario æquipollet; ac proinde, post institutam prudenti existimatione æqualitatem, quidquid fructuum supererit, in sortem computandum est; ita Adrian. in 4. tract. de usur. Glossa in c *conquestus* de usur. Covarr. lib. 3 Variar. c. 1. n. 4. Roderic. l. 3. de redditib. q. 7. n. 50. Ugolin. c. 11. de usur. §. 1. n. 2. Petr. Navarr. de rest. l. 3. c. 2. p. 2. n. 370. Salas de usur. dub. 31. num. 5. scio, hanc interpretationem ab aliis passim rejici; sed ut dicam quod res est, non invenio meliorem, nec urget quod contra illam opponitur; 1. dicunt, eam comparationem fructus inter & servitia instituì vix posse; sed hoc prudentum judicio relinquitur; immo si feudatarius nolit redimere hujusmodi obsequia, compensari non debent, ipso invito; nam quo jure? 2. dicunt, Pontifices absolutè loqui, nec habere aliquid, ex quo, prædicta compensatio deducatur. Immo Innocent. hoc expressè significat, vult enim feudatarium à prædictis obsequiis immunem esse, quamdiu Dominus fructus perceperit; unde manifestè colligo, fructus percipi in compensationem obsequiorum. 3. Pontifex, inquiunt, relinquit liberum Domino, recipere omnes fructus, modò prædictam immunitatem feudatario concedat: sed cum Pontifex justè agere censendus sit, haud dubiè supponit, feudatarium acquiescere justæ compensationi. 4. si hoc esset, inquiunt, nihil Pontifex in gratiam Domini statuisset: An fortè parum videtur, fructus pignoris percipere: standum igitur esse puto prædictæ interpretationi, & Dominum feudi vel hoc solum nomine fructus feudi oppignerati percipere, quod feudatarius cui dat pecuniam mutuo, consentiat pacto, ad prædictam compensationem, pecuniam alioqui mutuò non acceptarus; unde ratione mutui, nullo modo fructus illi percipiuntur, alioquin mera usura esset, sed quia pacto, unum onus in aliud permutatur.

142. PITHANOPH. Sed ratione mutui, ad nullum onus mutuatarius obligari potest, alioqui usura non vitatur.

143. ANTIM. In feudis singularis ratio est, quæ pro aliis pignoribus non æquè militat; nempè pignus traditur creditori ad securitatem sortis; ut scilicet, casu quo, mutuatarius non solvat, distrahi possit & vendi atque fieri satis creditori; at feudum est ipsius creditoris; igitur tanquam res mutuatarii vendi non potest; igitur nisi cedat ipsi dominium utile, in compensationem scilicet obsequiorum debitorum à feudatario, vix apparet, quomodò feudum eidem creditori oppignerati possit.

144. PITHA An fortè dici posset, feudatariũ habebere tantùm jus percipiendi illos fructus, quatenus debita obsequia exhibet Domino, ac proinde remissis illis obsequiis, cessare illud jus, ac redire ad Dominum feudi.

145. ANTIM. Hoc adeò crudè dici non potest; quia non tantùm ratione obsequiorum obtinuit dominium utile feudi, sed ratione liberæ donationis Domini, sed de his hæc pauca sufficere videntur; Porro idem prorsus de emphyteusi dicendum est, quod de feudo, nec ullum, quo ad hoc, discrimen esse videtur; sed perge, quid tibi restat interrogandum.

146. PITHANOPH. Quæro ex te, utrùm ex commodato aliquid percipi possit; cum dominium commodati penes commodantem remaneat, unde cessat ratio illa, quæ contra mutuum militat.

147. ANTIM. Miror à te hæc proponi; quis enim hoc nescit; cum in commodato res ad certum usum gratis concedatur; si gratis; igitur ubi lucrum exigitur, jam commodatum non est.

148. PITHANOPH. Hæc sciebam; sed quid obstat hoc pactum de certa mercede apponi; de nominibus non disputo, quæro tantùm utrum illud pactum, sive fit commodati, sive non sit, licitum dici queat.

149. ANTIM. Distinguendum est; nam vel res commodata est fructifera & utilis, ut domus, equus, fundus, vel ipso usu consumptibilis, ut triticum, pecunia, &c. Si primum, erit mera locatio, ac proinde licita; si verò secundum, erit merum mutuum, ac proinde illicitum; ut breviùs, ita clariùs, responderi posse non puto.

150. PITHAN. In mutuo datur dominium pecuniæ, hîc verò solus usus conceditur.

151. ANTIM. Eadem regeris, quæ jam supra discussa sunt; vel enim est usus juris, qui in hujusmodi rebus à dominio non distinguitur, vel usus facti, pro quo nihil percipi posse, jam supra demonstratum est.

152. PITHAN. Ita est, memini; sed de depositoquid; deponunt enim multi suam pecuniam ad mensam, seu bancum, ut vocant; permittuntque depositario illius usum; unde hic maximũ lucrum percipit, an fortè deponens illius lucri parte gaudere potest.

153. ANTIM. Minimè gentium; quia tunc non est merum depositum, sed reverà mutuum, ex quo aliquid percipere usura est, ut constat ex dictis.

154. PITHAN. At saltem depositarius ex deposita pecunia negotiari potest, v. g. quæstores & alii depositarii publici.

ANTIM. De depositario privato nullo modo abnuerim, cum eam pecuniam verè mutuo acceperit, idque periculo suo; ita Sylvester, Navarr. Rebell. Laym. Antonin. Molin. citati à Gibalin. lib. 3. c. 6. a. 6. cur enim eodem jure non gauderet, quo alii mutuatarii gaudent; quod spectat ad publicos, præscindendo à lege prohibente, & à damno publico, eadem ratio pro illis militat, & iidem autores favent; quia tamen, ut rectè monet Gibalin. citatus, hujusmodi negotiationes ex pecuniis publicis in aliorum damnum cedunt, & scandala pariunt; nam licèt depositarii illi publici suo periculo negotientur, cum vix solvendo sint, multos tamen in ruinam secum trahunt; via eas à peccato immunes esse, pronunciarem.

155. PITHAN. Cur ergo Princeps, vel communitas, ita suorum reddituum exactorem aut ærarii quæstorem constituit, ut non modò nullum ipsi assignet stipendium, sed ab eo aliquid per modum præstationis annuæ exigat.

156. ANTIM. Non dubito, quin hæc usura sit; ita Navarr. l. 3. cons. 2. de deposito, quia solum mutuum in hoc casu fingi potest; & si hic publicæ pecuniæ depositarius, ut post Navarr. observat Gibal. illud officium depositarii in aliquem mercatorem transferat, ea lege, ut in partem lucri veniat; mera usura est, quia scilicet lucrum ex mutuo; hinc qui deponit pecuniam suam apud mercatorem, cum pacto, ut sex aut quinque annua præstet in singula

singulæ centena, posito quod alius, quàm depositi contrahi non intercedat, usuræ labem contrahit, quia illud depositum transit in mutuum, per facultatem illam utendi: in his, meo judicio, nulla difficultas restat.

167 PITHANOPH. At si quis pecuniam dat mutuo percipi, & pro interesse stipulatur quatuor singulis centenis, nec alium titulum allegat, quàm interesse, crederes usuram esse; asserit Wadingus *disp. 6. dub. 8.* in Provinciis Austriacorum, hujusmodi contractus passim fiunt.

168 ANTIM. Si revera sit interesse, id est vel damnum emergens, vel lucrum cessans, negari non potest hic contractus.

169 PITHANOPH. Quisque ex sua pecunia lucrum velle facere; sed nescio, an illa generalis voluntas ad constituendum justum titulum lucri cessantis sufficiat.

170 ANTIM. Crede mihi, maximum & increbescit abusum esse; multi enim confundunt lucrum possibile, cum lucro probabili; quàm unum differat ab alio, nemo ignorat; item spem lucri remoti cum spe lucri proximi; item lucrum ex mutuo, cum lucro ex negotiatione: debet lucrum probabile proximè futurum ex negotiatione, vel alio justo titulo sperari; ac proinde pecunia tua debet jam esse applicata, vel ad negotiationem, vel ad aliud justum lucrum; aut saltem jam destinata per voluntatem absolutam: utrùm cuncta hæc prædictis contractibus insint, probabile esse non putat Wadingus supra citatus: immo Valent. 2.2. *q.* 20. *p.* 2. & Tanner. *disp.* 4. *q.* 3. *dub.* 1. hunc contrahendi modum dissuadendum esse, unde concludo, certò probabile non esse, quod revera sit usurarius in praxi; ac proinde ex jactis principiis damnandum.

171 PITHANOPH. Sed moraliter fieri non potest, ut spatio unius anni, quo pecunia mutuata cano, non se offerat occasio lucri.

172 ANTIM. Ut nonnullis facilè concesserim, ita omnibus indiscriminatim nemo jure concedat: nam licet, crede mihi, extra negotiationem, censum, locationem, trium contractuum usum, de quo infra prolixè disputandum est, raræ sunt, inquam, justi lucri capiendi occasiones: periculum est, ne aliqui sibi lucro adulentur, & ficto ac simulato lucri cessantis colore, æternam animarum suarum jacturam patiantur.

173 PITHANOPH. Nunquid amabò non sufficiet generalis illa voluntas, qua quis ita sit dispositus, ut justum dumtaxat lucrum velit atque intendat.

174 ANTIM. Ex mutuo certè intendere nequit: quia injustum est & usurarium; nec mihi satis esse videtur, ut generatim velit justum lucrum ex pecunia sua; quia ex illa generali voluntate lucrum proximè futurum non potest; debet ergo, ut dixi, pecunia illa habere aliquod genus justi lucri esse applicata, aut saltem jam destinata per voluntatem absolutam: v. g. aliqua vult emere censum, vel loca montium, vel domum, petitur ab eo pecunia mutuò; si det illam, haud dubiè cessat illi proximum & probabile lucrum, utpote cujus, à mutuatario, jure aliquid exiget, sine ullo periculo.

175 PITHANOPH. Mihi persuaseram initio, quòd severiorem & arctiorem esse; at quod aliud, quàm fieri non possit, jam mihi perspectum esse alias difficultates descendo: in re Cambii tandem laboratem; quo enim titulo, per cambium lucrum accedat, non satis video

176 ANTIM. Cambium diversi generis est: primum est, quod minutum, seu manuale vocant, & nihil aliud est, quàm permutatio pecuniarum diversi generis inter se: ratione cujus permutationis, Campsor aliquod lucrum jure accipit: tum ratione lucri cessantis, tum propter diversa onera, quæ hoc officium importat: tum ob puriorem materiam pecuniæ, & usum magis extensum, & majus commodum negotiandi inde proveniens: tum ob ejusdem pecuniæ tarditatem, antiquitatem, pulchritudinem &c. nam cuncta hæc sunt prætio æstimabilia, igitur aliquid lucri ex iis percipi potest: & hæc est communissima sententia: licèt enim pecunia in ratione monetæ sit ejusdem valoris legalis, qui augeri non potest: in ordine scilicet ad res venales & solutiones: in ratione tamen mercis, sic enim emitur quoddam pecuniæ genus, v.g. aurea pro ærea, non est dubium, quin propter varias causas, diversum pretium esse possit: sic Romæ cum literæ Apostolicæ solvendæ sint scutis aureis Ronanis, quodlibet scutum emitur 15. Juliis & quarta partè Julii, licèt valor scuti sit tantùm 15. Juliorum: Immo in emptionibus & solutionibus deduci potest in pactum, ut aurea pecunia fiant, quæ si forte ad manum non sit, ærea, vel argentea emi potest: licèt enim pecunia non possit expendi supra valorem legalem, ut pecunia tantùm est, potest tamen ut mercis loco est.

177 PITHANOPH. De hoc Cambii genere non valde laboro: sed de alio quod per litteras voco: scire tamen velim, an famuli, qui pecuniam Dominorum suorum servant, ex illa lucrum per id Cambii genus referre possint.

178 ANTIM. In hoc genere, liberalissimum me habes: modò enim Domino nullum inde lucrum cesset, nullum damnum emergat, nec id fiat contra expressam illius voluntatem, non video, cur lucrum servus aliquod inde facere non possit: ad illum tamen casum quem habet deLugo *disp.* 28. *n.* 27. Famuli scilicet Campsoris, qui cùm solveret literas bancarias ex commissione Domini, pro singulis scutis aureis, 14. Julios solvebat, qui tunc erat justus quidem, sed infimus valor, licèt à Campsore Domino suo pro singulis scutis aureis 14. Julios cum dimidio acciperet: nullo modo concedendum existimo id justè fieri potuisse: tum quia sine Domini damno fieri non potuit: cùm inde aliquid mali nominis, apud eos, quibus literæ bancariæ solvebantur contraheret, non sine gravi suæ mensæ nummulariæ detrimento, tum quia contra voluntatem Domini plusquam interpretativam faciebat: ac proinde invito illo, illius pecuniam tali modo administrabat: Quod verò pertinet ad Cambium per literas, seu locale, fateor, intricatissimam rem mihi videri, & innumeras fraudes excogitatas esse, ad tegendam, Cambii obtentu, sordidam hominum avaritiam & usuræ labem: paucis rem hanc expediri velles, paucis tamen expediri nequit.

179 PITHANOPH. Scio, intricatissimum esse argumentum, ac proinde difficillimum, tum ad retegendas usurariorum fraudes, tum ad conciliandas Auctorum sententias, quæ hic maximè variæ sunt: unum tantum scire à te averem, utrùm saltem aliquod Cambii genus esse putes, quod nullam usuram, nullam injustitiam contineat.

180 ANTIM. Haud dubiè, aliquod esse facilè crediderim, cùm enim Pontifices suis constitutionibus, nonnullis cambiis prohibitis, certas conditiones præscribant, quibus hoc contractus genus licitè fiat, cambium aliquod justum esse, necesse est.

171 PITHANOPH. Hoc revera ita esse conjeceram; & verò si nec usuram, nec injustitiam continet, nemo justum esse neget; atqui non continet usuram, quia mutuum non est; nec injustitiam, quia si quid supra sortem accipiatur, justo aliquo titulo accipitur.

172 ANTIM. Constat sanè aliquando mutuum non esse, aut saltem ex mutuo Campsorem lucrum non exigere; cùm scilicet primus ipse accipit pecuniam, ad quam in alio loco solvendam Campsario sese obligat: scis enim hunc esse Cambii usum; Titius Lugduni Campsor est, id est cambium exercet, Cajus ad illum accedit, offertque ipsi pecunias, ab eo sibi solvendas Romæ, ubi scilicet iis indiget; sibi, inquam, vel sempronio correspondenti suo (Cajus vocatur campsorius) Campsor annuit, accipit pecunias à Cajo, cui dat literas ad correspondentem suum Pontium; quibus acceptis, detracto lucro cambii, solvit pecuniam Cajo vel Sempronio: alio modo fieri potest, si Campsarius habeat pecuniam Romæ, quâ tamen Lugduni indiget, ubi est, & quam accipit Lugduni à Campsore, traditis ei literis ad Sempronium correspondentem Campsarii; quibus acceptis, solvit pecuniam Pontio correspondenti Campsoris Lugdunensis: Primus quidem Cambii modus non est mutuum, aut saltem lucrum ex mutuo non percipitur; quia Campsor Titius primus accipit pecuniam; igitur si mutuum est, mutuatarius est; sed ipse lucrum percipit, non solvit; cùm tamen in mutuo, mutuatarius mutuanti lucrum, vel usuram solvat: in altero Cambii modo major esset difficultas; nam Campsor, qui dat suas pecunias Cajo, videtur eas mutuo dare, quidquid sit, primus Cambii modus usuram non continet; quo verò justo titulo Campsor lucrum exigat supra sortem, Romæ, à correspondente suo Pontio solvendam Cajo, vel Sempronio, disputant auctores.

173 PITHANOPH. Quid ni dicemus esse contractum venditionis, quo pecunia præsens venditur pro absente; nempe hîc pecunia mercis loco est, ut jam supra dixisti.

174 ANTIM. Scio, à multis hunc titulum adduci, sed an justus sit, valde dubito; suppono enim pecuniam v. g. duplas Hispanicas esse utrobique ejusdem valoris: si enim diversus valor est, non est dubium, quin compensatio fieri possit, reducto ad æqualitatem valore, adhibita scilicet aliqua communi mensura, v. g. libra gallica; suppono etiam titulum lucri cessantis, vel damni emergentis cessare: hoc supposito, tanta valet pecunia Lugduni, quanti Romæ, tanti præsens, quanti absens, ut patet in mutuo; alioquin hæc inæqualitas etiam in mutuo locum haberet, & obtento vanæ venditionis titulo, omnis usura excusaretur: nempe mutuatarius emeret minorem summam pecuniæ præsentis, majore summa pecuniæ absentis & futuræ; hæc enim maximè absens est: equidem si Duplæ Hispanicæ, ut dixi sint tantùm Romæ 10. librarum Gallicarum & Lugduni 11. librarum, si Romæ Campsor det mihi 1000. libras, Lugduni suam pecuniam recepturus, per correspondentem suum, haud dubiè jure poterit exigere Lugduni 1100 libras id est 100 Duplas Hispanicas, quot ipse tradidit Romæ: igitur valoris inæqualitate sepositâ, titulus venditionis mihi sufficiens esse non videtur, ut aliquid supra sortem accipi possit.

175 PITHANOPH. Nonnulli recurrunt ad translationem pecuniæ, in qua ejusdem assecuratio includi videtur.

176 ANTIM. Modò Campsores sincerè procedant, ac sine dolo & fraude, hic titulus injustus esse non videtur: Cajus enim, qui indiget pecunia Lugduni, quam habet Romæ, saltem in credito, ut vocant, cùm accipiat eam Lugduni à Titio Campsore, contento eam deinde solvi Romæ correspondenti suo Pontio, vel ab ipso Cajo, vel à Sempronio correspondente Caji, perinde se habet, atque si suo periculo transferri curaret pecuniam Caji Roma Lugdunum; ac proinde hujusmodi translatio cum assecuratione conjuncta est pretio æstimabilis: igitur de justa mercede Campsor paciscì potest: nec obest translationem re ipsa non fieri; nam perinde est atque si fieret, estque virtualis quædam translatio, ut vocant, quod sanè industriæ & curæ Titii acceptum referri debet: pari modo, Cajus habet pecunias Lugduni, ubi est, quibus indiget Romæ: eas tradit Lugduni Titio, qui eas Cajo solvi curat Romæ: perinde res se habet atque si Titius pecuniam Caji Lugduni Romam suo periculo transferri curaret, video titulum justum prædictæ translationis cum assecuratione conjunctæ.

177 PITHANOPH. Unum dumtaxat titulum petieram, & duos dedisti, utrumque haud dubiè legitimum & ab omnibus fere autoribus approbatum, immo à Mercatoribus justis ac piis, adhibitum: ade verò prudenter subnectere mihi visus es, multi Campsores sincerè ac sine fraude agant: nam intelligo hîc multum fraudibus locum esse.

178 ANTIM. Quis hoc nescit, hinc tot cambia & recambia, ficca, palliata, simulata, siccum ubi nullæ aut fictæ mittuntur litteræ campsoriæ, nullæ solvuntur in alio loco pecuniæ, sed dotum plusquam scenicè fingitur: Campsor v. g. Lugduni dat pecunias Cajo, recipiendas Romæ ac solvendas Pontio correspondenti suo, sed Cajus nullas Romæ pecunias habet, nullum creditum: igitur meræ fictio est: tale est fortè cambium cum recursu, ut vocant, quod multi damnant, ut Soto, Navarr. Rebell. Comitol. Toletus, Laines, Adornus, Palmius, Pollevinus, Molin. Leotard. Lugo, Mercat. citati à Gibal. *lib. 5. c. 1. a. 9. n. 2.* Adde Justinian. Molin. Roderic. Palat. Lup. Cavat. Tanner. Romuald. Coll. quos citat Lugo *disp. 28. sect. 7. n. 77.*

179 PITHANOHP. Hoc argumentum fusiùs aliàs discutiendum est, ne longiùs hodierna disputatio producatur, hanc mihi provinciam dedisti, ut receptui canerem: in proximè sequenti, nisi locum judices, agemus de cambio, & si temporis angustia patiuntur, de alio argumento.

180 ANTIM. Bene est: cùm libuerit, congrediemur: vale.

181 PITHANOPH. tu item vale, Brevi adero.

* *
*

DIALOGUS XIII.

In quo

Cambium & Sponsio Salmanticensis discutiuntur.

1 PITHANOPH. Horam præverto, Antime, quid faceres; molestiæ ac tædii impatiens, interpellator importunus accedo: vix me & caput meum teneo; cùm enim ad intelligendam & explicandam Cambiorum rem animum applicuissem, vix dici potest, quàm fatigatus & malè affectus inde discesserim: aliquid haud dubiè ante suspicabar; sed nihil tale unquam in mentem venerat.

2 ANTIM. Sed quid tandem monstri? tyrannidæ illæ haud dubiè terruerunt te; his enim minimè cum sis assuetus, aliquid fortè necromantiæ inesse putas?

3 PITHANOPH. Joco accipis; at sériò loquor; literæ illæ non me terrent, sed incredibiles fraudis & doli formulæ, seu larvæ, quas usuraria indoles, vel immoderatus pecuniæ amor excogitavit; fœneratitiam veterum artem, ut tute scis, hactenus odi, sed hæc innocentissima mihi esse videtur, dum illam cum præfata Cambiorum arte comparo; quid igitur hæc non jamodium sed terrorem mihi concitet.

4 ANTIM. *Ars* fœneratitia manifestam usuram præfert, *lucrum* scilicet & fructum ex mutuo; at in Cambio nullum mutuum intercedit; igitur nulla usuræ labes.

5 PITHANOPH. Expunge vocem & mutui nomen; novam appellationem, ad instar involucri adhibe, utrùm hæc mutuum, & usuras usurarum salvare possint, tibi cogitandum relinquo.

6 ANTIM. Sed quid tandem adeò immane & horrendum in Cambio? de manuali, opinor, minimè intelligis; de locali, quid tam asperum & animum dici possit, non video: nempe translatio & allocatio pecuniæ aliquid pretio æstimabile esse censet; immo in rep. hanc artem atque operam utilem & necessariam esse compertum est.

7 PITHANOPH. Hæc mihi negotium minimè facessunt: manuale Cambium innocentissimum esse, sat video: item locale, quando Campsatii commodum id postulat: immo hoc præclarè inventum & institutum est: Romæ habito, Lugduni pecuniis indigeo, ad emendos libros, vel alias merces, vel ad pensionem quampiam solvendam: si pecunia Romæ Lugdunum mihi transferenda esset, quantum inde incommodi & periculi? Campsor, qui Romæ est, justo pretio, pecuniam Romæ acceptam, Lugdunum suo periculo transferri curat, quocumque modo id fiat, hoc enim perinde est, ac solvi correspondenti meo, qui Lugduni est; aut certè habeo Lugduni pecuniam, quâ Romæ, ubi sum, indigeo: fam idem Campsor Romam Lugduno transferri eam industria sua, justo pretio, & mihi Romæ illa copiam facit: hanc artem osculor & laudo, ullo præmio dignam esse, ultro fateor: at secus accidit, nullam habens Lugduni pecuniam, nullum creditum, ac proinde nullius pecuniæ translatione indigens, sed præsenti dumtaxat pecunia, quam à Campsore mutuò peto & accipio: ea tamen lege fictitia, ut tantundem Lugduni ejus correspondenti solvi curem: licèt revera sciat, nullam mihi esse pecuniam Lugduni, nullum creditum, nullum amicum, qui pro me solvat: quare exhibet ipse mihi suum, quem Lugduni habet correspondentem, ad quem meas trado illi literas, quibus ipsi mando, ut sibi ipsi, quatenus Campsoris Romani procurator est, prædictam summam solvat, nomine meo: ille acceptat literas, & perinde quasi mandata executus, rescribit literas ad me, quibus mandat ut summam illam Campsori meo solvam, cum duplici cambio seu lucro: nempe Campsor accipit cambium pro primis literis ad correspondentem suum: item alterum cambium, pro secundis ejusdem correspondentis ad me: ut enim Campsor dat cambio Romæ, literis Lugdunum, ita etiam dat, vel exigit cambio illius correspondens, literis Lugduni Romam datis: Quis fictionem meram non videt? Nullæ solvuntur Lugduni pecuniæ nomine meo, sed correspondens campsoris acceptat ejusdem creditum, illudq, deinde remittit: Quis unquam Roscius magis concinnam fabulam dedit? nec dum finis, Antime: nam meus Campsor iterum remittit alias literas Lugdunum, & instinc Romam aliæ redeunt repetitis toties cambiis, & prima summa mirum in modum excrescente, donec tandem tota res miserrimi debitoris absorbeatur: si hæc Antime usuræ, vel injustitiæ labi eximas, non jam mihi Diana qui mitior esse, vulgò creditur, sed magnus eris Apollo.

8 ANTIM. Paratus venisti ad congressum, non tamen sine stomacho: totus enim indignabundus in Campsores detonas: cave ne aliquando in manus illorum incidas, nam periculum est, ne fortè par pari referant: unum interea monebo, non ita facilè pronunciandum esse: censorius stylus in eos quandoque scopulos incurrit, à quibus probè retunditur: an fortè ignoras, Doctores eximios pro isto Cambii genere copiosissimè & doctissimè scripsisse? unus Raphael à Turri ad instar omnium erit, qui cambium illud cum recursu, ut vocant, acerrimè defendit, adductis potentissimis rationibus, per diplomata Pontificia & sacræ Congregationis responsa confirmatis, ac dilutis iis omnibus, quæ ab adversariis contra illud opposita hucusque fuerunt: ex quibus omnibus deducit, æquissimum & justissimum omnium contractuum esse in quo scilicet perfecta servatur æqualitas.

9 PITHANOPH. Bilem mihi moves, Antime: videris enim hoc iniqui contractus genus sériò approbare, quod tamen facturum te, vix unquam mihi persuasissem: præsertim cùm jactis à te principiis omnino repugnare videatur.

10 ANTIM. Exiis, quæ hucusque à me adducta sunt, vix, opinor, quispiam adeò facilè intelliget, quid de hac controversia sentiam: dixi hactenus, multa à multis, iisque præstantissimis auctoribus, egregia doctrinæ simul & ingenii monumenta in publicam lucem edita fuisse, in quibus ille Cambii recurrentis, sic enim vocare liceat, contractus adstruitur & defenditur: unum præ cæteris Raphaelem à Turri appellavi: quia hic præsertim hoc caput discussit: alios appellare potuissem, Less. scilicet, Sa. Bonacin. Nald. Navarr. Homob. Castr. Pal. Scortiam, Dianam, Scacciam, quos citat Gibal. *lib. 5. cap. 1, art. 9. n. 3.*

& iisdem ex parte subscribit *n.* 4. immo Card. de Lugo *disp.* 28. *n.* 80. *&c.* subdit, contractum illum æquissimum à Raphaële citato censeri, non tamen propterea sententiæ illius subscripsisse memini; præmiseram monitiunculam, in qua prudenter, ni fallor, suggessi, non ita facilè ac præcipitanter in censuras eundum, quod denuo inculcatum esse velim; non tamen est, quod ex à me dictis deducas, contractum illum à me probari; nondum probavi, quod sciam; reprobandum tamen esse non puto, nisi priùs rationes hinc inde discutiantur, quod reverà, si per te liceat, in hoc congressu præstabimus, ne in re gravissimi momenti temerè pronunciemus.

11. PITHANOPH. Nonnihil, opinor, nativæ indoli & gallico furori, ut vocant, condonabis: ita me, ne quid dissimulem, res illa perculit, ut vix tolerandam esse putarem: sed consiliis tuis acquiesco, & æquum reputo, rem priùs accuratè discuti, antequam sententia feratur: unum tamen præmittam, Doctores illos à te citatos, qui prædicto contractui suffragantur, optimè judicasse, hoc cambii genus periculosum esse, illudque jure ac meritò prohiberi posse tanquam illicitum & usurarium, ex vehementi scilicet præsumptione, ac proinde minimè consulendum esse: ita Gibal *n* 9. ubi citat Bonacin. Delug. Filliuc. immo Lessius & Salas ab eodem citati *n.* 3. prædictum cambium reprobant, si Campsarius nullas habeat pecunias actu, vel credito, in eo loco, ad quem datur illi ad cambium: Præterea Navarrum inter alios citasti, quasi recurrens illud cambium admitteret *lib.* 5 *cons.* 31. licet alium à Navarro esse constet, ut rectè observat Leotard. *q.* 26. qui tamen alios duos citat Suffragatores, Molfesium scilicet & Bernard. Justinian. sed amabo, ante omnia edisseras velim, qua ratione Raphael à Turri inductus sit, ad dicendum, contractum illum omnium æquissimum esse.

12 ANTIM. Jam pacatiùs procedemus: en tibi rationem illam: ad justum cambium sufficit ut Campsarius habeat pecuniam actu, aut virtute, seu creditò, in eo loco, ad quem datur cambium: sed hanc pecuniam ibidem habet, virtute scilicet, apud correspondentem Campsoris, ut patet: sustinet enim duas personas, alteram procuratoris Campsoris, alteram procuratoris Campsarii.

13 PITHANOPH. Antequam ultra progrediaris, hìc quæso siste: supponamus, Campsarium accipere pecuniam Romæ à Campsore in Cambium, pro Lugduno, ubi degit procurator, vel correspondens Campsoris, vocetur Paulus: hoc posito, nego Campsarium habere Lugduni pecunias apud Paulum, quas Paulus sibi ipsi solvat: nihil enim habet præter creditum, Campsoris literis contentum: quomodo igitur fieri potest, ut tibi solvat: quid est hoc, solvere: an fortè debitum illud Campsarii expungere, ita ut nihil amplìus debeat solvere Campsori Lugduni, atq; illud commutare in aliud debitum, eidem Campsori Romæ solvendum: sed quid ad hoc opus erat literis? poterat enim Campsor per se ipsum, debitum illud Lugdunense in debitum Romanum, de consensu ipsius Campsarii, commutare: in quo usura manifesta esset: sed perinde est atque si id faceret, dum ejus procurator id præstat, de illius mandato; nam qui per alium à se deputatum aliquid facit, per se ipsum facere censendus est.

14 ANTIM. Excitatabilis eos igniculos suppeditat, qui ad ratiocinium multum sanè conferunt: nemo neget, usuram, vel injustitiam fore, si Campsor, data pecunia, in creditum Lugdunense commutata, hoc deinde fine literis, in creditum Romanum commutet, accepto duplicis cambii lucro: esset enim cambiū siccum, quod ab omnibus ut illicitum damnatur: immo aliquid peius: quia in cambio sicco licèt mulæ, vel fictitiæ mittantur literæ, finguntur tamen: in hoc casu, ne finguntur quidem: nam sine literis Campsor suum creditum Lugdunense in creditum Romanum per se ipsum commutat: igitur si cambium siccum usurarium est, ut nemo negat, potiori jure hoc Campsoris factum usurarium censendum est: hoc posito & dato, sic ratiocinaris: Paulus id dummodo acceptis literis præstat, ut creditum Campsoris Lugdunense, vicem agens Campsarii, sibi vices Campsoris agenti solvat, illúdque novis literis, utriusque vices agens, Romam remittat: ideſt, ut paucis rem dixisti, ut creditum Lugdunense Campsoris in creditum Romanum commutet, idque de mandato Campsoris, cujus res agit: sed perinde est, inquis, sive Campsor per se ipsum, sive per suum ministrum id præstet: igitur si per se ipsum id licitè præstare non potest, per alium à se deputatum præstare non poterit: hoc ratiocinium mihi arridet: si tamen aliquis reponat, vel solvi Lugduni Campsori summam debitam à Campsario, scilicet à Paulo, quatenus personam Campsarii, eidem Paulo, quatenus personam Campsoris sustinet.

15 PITHANOPH. si solutio est, pecunia est; si enim nihil est, nihil solvitur: at, Paulus nullas habet pecunias nec Campsoris, nec Campsarii, sed merum creditum Campsoris ad se transmissum: igitur sibi nihil solvit: nempe creditum illud Campsoris, ut illius Procurator jam habet, fortè illud remittit ut vicem agens Campsoris, sibi vicem agenti Campsarii: igitur Campsarius nihil amplius habet; quia debitum ipsi remissum est; igitur nulla solutio facta est; nec est, quod dicant, remitti, ea lege, ut Campsarius Romæ solvat; sic enim sola credita Lugdunensis in creditum Romanum commutatio fieret, opera Pauli, & nulla vera ut dixi, solutio Lugduni fieret: sed, inquiunt, Paulus vicem agens Campsoris remittit illud creditum Campsoris sibi vicem agenti Campsarii, ea lege, ut idem creditum solvat & reddat vicem agens Campsarii, sibi ipsi vicem agenti Campsoris: unde constat, fieri solutionem, cùm illud creditum pecuniæ æquivaleat: hæc meo judicio, dici non possunt, nam illud creditum remanet semper apud Campsorem; quando enim Paulus sibi illud remittit vicem agenti Campsarii, fit revera creditor Campsarii, cui hoc creditum commodavit: alioq; quin non posset deinde repetere novis literis à Campsario: sed Paulus repræsentat Campsorem, igitur, semper remanet apud Campsorem creditum; quod enim præstat & habet Paulus quatenus vices Campsoris agit, præstare & habere ipse Campsor censetur: igitur ut paulò ante dicebam, eò tota res reducitur, ut Campsor creditum Lugdunense in Romanum commutet, cum duplicis cambii lucro, quod est illicitum.

16 ANTIM. Rem acu tetigisse, mihi videris; licèt enim Paulus vicem Campsarii gerens debitum illius Lugdunense extinguat, concesso illi credito Campsoris usu: quia tamen inde Campsarius remanet debitor Pauli, quatenus hic vicem gerit Campsoris, domini scilicet prædicti crediti, ejusdem Campsoris debitor manere censendus est, de cujus mandato, Paulus idem creditum Romanum remittit, cum novi cambii accessione: ac proinde, ut optimè dicebas, Campsarius semper manet debitor campsoris: primùm quidem Lugduni, tum deinde Romæ; & hæc mera est nominum traductio, non mercium, aut

rum pecuniarum, ad quarum traductionem, necesse est pecuniam vel re ipsa traduci, vel virtute, ut absente, alibi habita scilicet alterius pecuniæ opera, quæ sit in eo loco, ad quem datur cambium: at in hoc casu, est tantùm una pecunia, ea scilicet, quæ Romæ à Campsore Campsario traditur, & nullam Lugduni Campsarius pecuniam habet, quam Romam Campsorem traducere dicatur virtualiter; nec illud suum creditum hoc munere defungi potest; quia reverà cum semper creditor maneat, nihil illi solvitur; sed mutatur dumtaxat locum crediti, cujus sanè commutationis intuitu, vel obtentu, nihil supra sortem accipi potest, ut rectè monuisti: immo totum illud negotium est merè fictitium, & plusquam scenicum, ut bellè dixisti; quis enim capiat, aut sine risu audiat, creditum remitti debitori, cum obligatur debitor ad illud solvendum; hoc esset dari & non dari; remitti & non remitti; equidem Campsor suum creditum dare potest cuipiam qui exigat illud à debitore; non tamen ipsi debitori, si debitor manet, ut patet ex terminis; nec obstat, quod dicunt, campsarium liberari ab obligatione solvendi Lugduni, cum illud sit ad instar virtualis cujusdam solutionis; quia inde resultat obligatio solvendi Romæ; igitur nihil est aliud, quàm commutatio obligationum; vel quod idem est, creditorum; igitur Campsarius dum promittit solvere Lugduni, in hoc scilicet casu, perinde facit, ac si promitteret se consensurum prædictæ permutationi, cum duplici cambio, seu lucro; sed ad hunc finem, literæ quid juvant? igitur non est virtualis solutio, si est debiti, extinctio; sed mera commutatio, pro qua, nihil supra sortem accipi posse, apud omnes constat; quia nullam veram solutionem importat, sed novam tantùm obligationem à Campsario contrahendam, vel contractam, solvendi novum cambium;

17. Pithanoph. Gratulor, quod in hanc sententiam descenderis, & timor ille, quem initio de tua mente conceperam non modicum affert meo gaudio incrementum.

18. Antim. Nondum mentem meam aperui; id dumtaxat unum certum esse, duxi, nullam in hoc cambii genere, cum scilicet Campsarius nullas habet pecunias Lugduni, nec re ipsa, nec virtute, pecuniæ traductionem fieri, nec virtualem quidem: at non qui prædictæ traductionis titulum in cambio non faciant; reducunt enim cambium ad contractum venditionis; nempe pecunia mercis loco esse potest; Campsor igitur Campsario vendit præsentem Romæ pecuniam ad instar mercis, pretio scilicet absentis pecuniæ; cum autem in cambium detur, in aliis, in quibus pecunia minùs valet, vel propter majorem illius vim, vel propter eorum multitudinem, qui dant ad Cambium; quid mirum, si minoris summam pecuniæ majoris valoris, vendat pretio majoris summæ minoris valoris; æqualis tamen horum valor est; & minor summa Romanæ pecuniæ æquat valore majorem summam pecuniæ Lugdunensis; cum igitur maxima servetur æqualitas, quod vix unquam in aliis mercibus fieri potest, inquiunt, hic contractus omnium contractuum æquissimus censendus est.

19. Pithanoph. Si per te mihi liceat, etiam hoc tibi non concesso, quod in cambio, venditio pecuniæ ut mercis intercedat, rationem illam facilè dabo; nego enim veram venditionem in prædicto cambio intercedere; nempe in omni venditione, duo oportet, scilicet rem venditam, seu mercem, & pretium, ut patet ex terminis; at in hoc casu, campsor vendit pecuniam præsentem Romæ ipsi Campsario, pretio pecuniæ Lugduni solvendæ ab eodem; sed Campsarius nullam Lugduni pecuniam habet, nec re, nec virtute; ut constat ex dictis; nempe creditum Campsoris non potest solvi à Campsario ipsi Campsori, ut jam supra demonstratum est; nec enim utroque munere defungitur; sed manet semper creditum Campsoris; nisi aliâ pecuniâ expungatur; cum per se ipsum expungi nequeat, & fit mera crediti Lugdunensis in creditum Romanum commutatio: nec est, quod aliquis dicat, redimi à campsario obligationem, quam habebat, solvendi Lugduni, assumpta nova obligatione solvendi Romæ; quia semper in eo manet obligatio solvendi, sive Lugduni, sive Romæ, donec fiat aliqua solutio, & mutatur tantùm unus locus solutioni præscriptus, in alium: præterea nemo dicat, lucrum percipi posse, vel novum cambium, ex prædicta redemptione, vel permutatione obligationis solvendi Lugduni, in obligationem solvendi Romæ; alioquin etiam nullis literis missis, id fieri posset; quod nemo usuræ, vel injustitiæ eximat; ex his, ni fallor, tota illa venditionis fabula solvitur; quibus, ni fallor, facilè subscribes.

20. Antim. Libenter subscribo; sed si Paulus habeat alias Campsoris pecunias, quas nomine Campsarii sibi ipsi vicem Campsoris gerenti solvat; an putas, duplicatum illud cambium, scriptis rescriptisque literis, legitimum & justum fore.

21. Pithanop. Iniquum putarem; vix tamen ab argumentis adversariorum tueri me facilè possum; si enim Campsarius habeat suas pecunias Lugduni, iisque indigeat Romæ, certum est, cambium illud æquum esse; cum reverà illæ virtualiter traduci censeantur à Campsore, qui pecunias Romæ tradit campsario, & eas Lugduni ab eodem recipit; si autem eas in manu amici habeat; ita ut iis uti possit; certè perinde est atque si reverà haberet apud suum correspondentem; cum igitur campsor opera Pauli sui correspondentis eidem pecunias suppeditet, hac tamen lege, ut eas Romæ campsori solvat, cum onere novi cambii, perinde omnino se habere videtur, atque si pecunias Lugduni ab amico acciperet, quas Paulo vicem campsoris gerenti solveret; vix tamen à prima sententia discedere valeo, quæ pactum hoc iniquum reputat.

22. Antim. Non mirum accidit, quod his argumentis te urgeri dicas, quibus doctissimi viri cesserunt, ut Gibalin. num. 8. & Delugo n. 80. quare non facile fuerit, hunc nodum solvere, nisi tota res ista paulò fusiùs & accuratiùs discutiatur, quod ut faciam, jussisti: si quid porro inter loquendum, obscurum vel ambiguum à me dicatur, interpellabis illico; hoc enim literarii cujuslibet congressus ratio postulat. Primo igitur loco, nonnulla ut certa supponenda sunt, quæ nullum dubio locum relinquere videntur, ne in cassum tempus alter cando teramus; illud maximè præ cæteris, non teneri campsorem, dare pecuniam suam mutuò; quia scilicet illa indiget, ad artem illam cambiorum exercendam, quæ reverà multam pecuniam præsentem postulat; illud præterea certum est, pro traductione illa, seu reali, seu virtuali, ut vocant, aliquid exigi posse; est enim pretio æstimabilis; præsertim cum assecurationem complectatur, pro qua etiam aliquid accipi posse, in confesso est; item certum est, stipendia justa commissariis, vel procuratoribus, jure deberi; dignus est enim operarius mercede sua; dixi justa, nam alioquin, si æquo

majora

majora sint, injusta censentur. Deinde certum est, Antonium illum campsarii, qui pro illo solvit Lugduni summam debitam campsori, vel, quod idem est, Paulo ejus correspondenti, posse deinde illam ab eodem Paulo repetere, ad cambium, datis literis Romam, quibus illam Campsori solvere jubetur; nempe habet jus repetendi pecuniam illam à Campsario; ac proinde de illius consensu, accipere à Paulo prædictam summam in cambium Romæ solvendum.

23. PITHAN. Immo Procurator ille Campsarii aliquid accipere potest ultra sortem, pro suo stipendio; nempe gnavum & industrium esse oportet, in acceptanda tracta, ut vocant, id est in acceptandis literis Campsarii, quibus jubetur solvere Paulo remissam illam; item in dandis literis ad prædictum Campsarium, quibus hic jubetur summam illam solvere Campsori; quis enim neget, industriam & laborem esse, quibus sua merces competat.

24. ANTIM. Ultro hæc concedo, & addo, fieri interdum, ut amicus ille Campsarii non solvat Paulo correspondenti Campsoris re ipsa pecunias, ad ipsum Paulum remissas, sed tantùm ut fidejubeat, ac proinde suscipiat obligationem solvendi, si Campsarius aliunde non solverit; hæc autem fidejussio æquivalet solutioni factæ Lugduni, nec Paulus interim aliud exigit; potest autem pro illa fidejussione aliquid exigere à Campsario, ut constat ex dictis in superiore congressu; & cum Paulus acceptet illam obligationem, quam suscipit, vel contrahit amicus ille, perinde se habet Campsarius, atque si Lugduni Paulo solvisset, potest autem deinde amicus ille, qui perinde se habet, prædicta illa obligatione contracta, atque si creditum adversus campsarium haberet, cum enim pro illo se obligarit, & æquivalenter solverit, ab eodem meritò exigit, potest, inquam, tradere Paulo illud creditum, ut debitum suum extinguat, datis literis in cambium Romam ad Campsarium, ut summam illam cum cambio & stipendio, vel justo lucro fidejussionis, Campsori solvat: in his, meo judicio, nulla est difficultas; quia quidquid supra sortem accipitur, justo titulo accipi censetur, scilicet traductionis, fidejussionis, & æquo commissariorum stipendio.

25. PITHAN. Jam videndum restat, utrùm idem Paulus possit fungi utriusque procuratoris, vel correspondentis munere.

26. ANTIM. Omittis alia; sunt enim, qui dubitât, utrùm Campsor adstringere possit Campsarium, ad Cambium Lugdunense; supponamus enim campsarium indigere Romæ iis pecuniis, quas habet Antverpiæ, adit Campsorem Romæ, & ab ipso petit pecuniam in cambium solvendâ ipsi Antverpiæ; Respondet campsor, se nolle dare pecuniam in cambium solvendam Antverpiæ, sed Lugduni; campsarius, qui laborat pecuniæ penuria Romæ, cogitur ad acceptandam pecuniam illam Lugduni solvendam, ubi non habet pecuniam, sed tantùm amicum, pro ipso fidejubere, vel solvere paratum; quid censeres amabò Pithanophile de isto pacto

27. PITHANOP. Vix illud ab injustitia liberare possum; nempe illa obligatio, quæ imponitur Campsario solvendi Lugduni, ubi non habet pecunias proprias, est gravissimum onus, quod nescio revera quo jure imponatur invito.

28. ANTIM. Sed Si campsor nullum habet correspondentem, vel procuratorem Antverpiæ quo jure ab illo exiges, ut det pecunias in cambium solvendas Antverpiæ; ipse offert, quod habet; pecunias scilicet in cambium; nec enim mutuò dare tenetur; sed solvendas Lugduni, ubi habet correspondentem, qui pecunias illas recipiat, iisq; campsoris nomine ad novum cambium & lucrum utatur.

29. PITHANOP. Ubi res ita se habet, pactum illud illicitum dici nequit; nempe licèt campsarius pecunias Lugduni re ipsa non habeat, ibi tamen habet amicum, aut fidejussorem, qui pro illo solvat, ac proinde dicitur habere Lugduni pecunias virtute, quibus cum indigeat Romæ, campsoris opera virtualiter traducuntur Lugduno Romam; quid ni ergo pro illa traductione cum assecuratione conjuncta justum lucrum exigatur?

30. ANTIM. In hanc tuam sententiam ultro descendo, cum adducta ratio rem evincat; si enim alteri, qui habet actu pecunias Lugduni, quibus Romæ indiget, dare potest in cambium Lugduni solvendum, cur non etiam ei, qui habet Lugduni pecunias virtute, eo modo, quo dictum est.

31. PITHANOPH. At potestne campsor hanc conditionem, vel legem campsario imponere, ut ejus amicus, qui Lugduni, pro eo solvit, vel quod idem est, fidejussit, remittat debitum, vel creditum suum, literis novis datis ad campsarium, quibus hic jubetur solvere Romæ summam illam campsori, cum novo lucro, seu cambio.

32. ANTIM. Non potest absolutè imponi hoc onus, vel hæc obligatio campsario; quia vi pacti, tenetur tantummodò solvere pecunias illas Lugduni correspondenti Campsoris, idque per se, vel adhibita amici opera; sed hac solutione facta, perfectum est cambium, seu pactum cambii; nihil igitur restat, quod campsarius campsori præstare debeat; dixi absolutè; quia ita possunt convenire, ut nisi fidejussor Lugdunensis deinde solverit, possit hic novis literis ad campsarium datis jubere, ut Romæ campsori solvat, sub onere novi lucri, seu cambii; modò hæc sincerè fiant, non video, cur hoc pactum, cui prædicta conditio apponitur, damnandum sit; nempe demus, fidejussorem revera solvere Paulo, ac numerare pecuniam; non est dubium, quin deinde possit petere à Paulo summam æqualem, in cambium, scriptis literis ad primum campsarium, ut tantumdem campsori solvat, adjuncto cambio, vel lucro; igitur de hoc pacisci possunt campsarius & fidejussor Lugdunensis; igitur si fidejussor non solverit, sed tantùm fidejusserit, potest debitum suum, seu creditum remittere Romam, creditum quidem respectu campsarii, debitum verò respectu campsoris, solvendum scilicet à campsario ipsi campsori; igitur possunt de hoc pactum inire, sub ea tamen conditione, nisi solverit Lugduni, ubi, si velit, solvere semper licet; igitur ad recambium absolutè, ut dixi, non obligatur; si enim Lugduni solvat, nullum recambium erit; solvat inquam actu; nam fidejussio est solutio quædam virtualis; igitur sub ea tantùm conditione ad recambium obligatur.

33. PITHANOP. Nunquid usuris maximum campum non aperis? cum hæc omnia nullis etiam literis

terscriptis, fieri possint, modò campsor campsorem exerit, fac ut intra duos menses hanc pecuniam solvas Lugduni Paulo correspondenti meo, alioquin eam mihi solves hic Romæ cum novo cambio; nemo certè negaverit, pactum hoc, his terminis conceptum, usurarium esse, at etiam si mittantur literæ, perinde est; cum apponatur conditio obligans ad secundum cambium.

34. Antim. Si nullæ mittantur literæ, & nulla fiat solutio Lugduni, saltem virtualis, quæ resultat ex dejussione amici Lugdunensis, facilè & utro concesserim, esse pactum usurarium; quia nullo titulo justo cambii lucrum exigitur, cum nulla fiat traductio pecuniæ, nec re ipsa, nec virtualiter; at ubi mittuntur literæ, & amicus Lugdunensis fidejubet, non video, cur non possit apponi conditio, qua hic, si non solverit re ipsa, intra præscriptum tempus, teneatur literis ad campsarium scriptis jubere, ut summam campsori solvat, sub onere novi cambii; ut enim campsor acceptat amicum Lugdunensem in fidejussorem, pro pecunia Lugduni solvenda à campsario; ita si fidejussor Lugduni non satisfaciat, cum habeat adversus illum actionem, eum potest ad solvendum adigere; quod cum licet facere non possit, quàm per remissionem sui crediti, non video, cur de consensu campsarii id fieri non possit, scriptis scilicet literis Romam, quibus jubetur campsarius solvere summam campsori; nam perinde facit, atque si solveret Lugduni; quia ibi extinguit obligationem solvendi, qua tenebatur, & actionem quam Paulus adversus illum habebat; suppono autem hæc sincere ac bona fide fieri; si enim per meram simulationem, ad speciem dumtaxat fierent, esset haud dubiè usura palliata, ut vocant, & cambium siccum seu palliatum.

35. Pithan. Hæc, quæ hactenus à te dicta sunt, optimè capio; sed si campsor habeat Antverpiæ correspondentem, nolit tamen dare pecuniam cambio Antverpiæ solvendam, sed tantùm Lugduni, ubi Lugduni v. g. major est copia pecuniæ, ac proinde majus lucrum cambii referet, vel quavis alia de causa.

36. Antim. Nonnulli volunt, id fieri non posse, ne campsor contra charitatem delinquat, licèt forsan contra justitiam non peccet; sed profectò cum teneatur dare pecuniam in cambium solvendam Antverpiæ, non video, cur ad id adstringendus sit, etiam lege charitatis; suppono enim ex munere publico id non teneri; alioquin, si id negaret, suo muneri minimè fungeretur: cum autem absolutè loquendo, pecuniam suam cambio dare possit Lugduni solvendam, cur hic & nunc id facere non liceat, quis non valeo.

37. Pithanoph. At si campsor sciat, campsarium pecuniam nec habere, nec habiturum Lugduni.

38. Antim. Hoc supposito, campsor non potest dare cambium; quia nulla pecunia Lugduno Romam ducenda est; in qua reverà pecuniarum traductione virtuali, tota res legitimi cambii fundatur, ac proinde mera fictio esset sic dare ad cambium; ita Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 7. num. 38. ubi citat Navarr. Boninsign. adde Gibalin. l. 5. tract. n. 5. ubi citat præter jam citatos, Luc. Salaz, Sanch. Fabian. Gen. Rebell. Molin. Delugo, Leotard. Castropal. Filliuci, estque merum cambium siccum; quod tamen ita intelligas velim, ut nullas pecunias campsarius Lugduni habeat, scilicet nec actu, nec virtute, id est apud aliquem amicum, qui ejus nomine Lugduni solvat, aut fidejubeat; & licèt in cambio, ut aliqui volunt, nulla traductionis pecuniæ ratio haberetur, sed venditionis dumtaxat pecuniæ absentis, præsentis pretio, quod tamen non damus, & adhuc discutiendum restat, non propterea in hoc casu campsor ad cambium dare posset; quia non minùs hæc venditio, quàm traductio virtualis duo necessariò desiderat, scilicet pecuniam præsentem, & absentem; cum enim eadem pretium sui ipsius esse non possit, aliam esse necesse est, qua hæc ematur; sic campsor præsente ac numerata Romæ, emit absentem numerandam Lugduni.

39. Pithanop. At si campsor procuratoris sui Pauli opera, pecuniam campsario suppeditet; an fortè hoc satis esse putat, ad legitimum & justum cambium? hoc saltem ad praxim reducitur à nonnullis.

40. Antim. Si campsor nullas alias pecunias Lugduni habet, præter solum creditum solvendum à campsario, hoc munere fungi non potest, ut supra satis luculenter demonstratum est; si verò alias Lugduni pecunias habet, sunt, qui putent, tunc dari posse ad cambium, quia reverà est duplex pecunia, Romana scilicet & Lugdunensis; illam accipit solvendam Lugduni, hac verò Lugduni debitum extinguit, cum obligatione æqualem summam solvendi Romæ, non sine secundo Cambio, ita Gibalin. num. 8. & verò perinde esse videtur, sive campsarius accipiat pecuniam illam Lugduni ab amico, sive ab eodem campsore; quidni enim hic amici vicem gerat? hoc tamen non obstante, hunc cambii modum illicitum esse crediderim, quod sic probo. Nulla fit pecuniæ traductio virtualis, quæ in eo posita est, quod campsor det pecuniam Romæ campsario, illius scilicet loco, quem hic Lugduni habet, vel alius pro illo, sed diversus ab ipso campsore; nec enim campsor pecuniam suam traducit, seu emit, sed alterius; quis enim emat à se ipso; nec dicas, illam pecuniam, quam campsor habet Lugduni, fieri campsarii, ea lege, ut eam deinde Romæ restituat; sed hanc ipsam restituit Lugduni; & aliam Romæ, eidem campsori; igitur solvitur Lugduni, quod Lugduni accipitur; & Romæ, quod Romæ acceptum est; nulla igitur veri cambii ratio.

41. Pithan. Solutio Lugdunensis extinguit debitum Romæ factum, & solutio Romana extinguit debitum Lugduni contractum.

42. Antim. Egregiè omnino; sed mera nomina, prætereaque nihil; contraxit debitum Romæ campsarius 100. aureorum; iterum contrahit debitum Lugduni 100. aureorum. igitur 200. aureorum debitum contraxit eidem solvendorum; solvit 100. Lugduni, id est, restituit eosdem 100. Lugduni sibi datos; dicis, satisfacere pro debito Romano; sed cur non potius pro Lugdunensi; quia, inquiunt, hos 100. Lugduni accepit in cambium Romæ solvendos; sed si hæc fictio non est, ubinam quæso erit? campsor enim, sic ait campsario; accipe 100. aureos, solvendos mihi Lugduni cum cambio; & quia nullas habes pecunias Lugduni; mihimet nomine tuo dabo Lugduni 100. aureos, à te deinde Romæ acceptu-

cepturus; quasi verò idem de suo sibi solvere possit.

43. Pitanoph. Quatenus solvit, gerit vices alterius; quatenus dat, ac deinde solutionem accipit, vices suas agit; neque mirum, quod aliquis sibi ipsi solvat; quid ni enim procurator alicujus, de hujus consensu, sua stipendia sibi ipsi solvat; solvit enim vicem alterius agens; recipit verò solutionem vicem suam gerens.

44. Antim. Non nego, fieri posse, ut idem sibi ipsi solvat, non tamen de suo; quia nemo sibi debet, sua scilicet; equidem ut procurator alterius, debet sibi sua stipendia, quæ sibi solvit; non tamen de suo, sed de bonis illius, cujus procurator est.

45. Pithanoph. Non sibi solvit Lugduni de suo Campsor, adhibita scilicet opera Pauli sui correspondentis, sed de pecuniis campsarii, cui eas dari curat Romæ solvendas.

46. Antim. Nullas pecunias dat campsario Lugduni, sed fingit, & agit per fabulam procuratorem illius; item fingit, quod ipse vicem campsarii agens sit Dominus illius pecuniæ, ac deinde ipsemet partes suas agens, iterum ejusdem fiat Dominus, extincto, per acquisitionem illam dominii, debito, quod campsarius Lugduni contraxerat, ex quo tamen aliud resultat, quod idem contrahit Romæ: quot quæso ambages, quot labyrinthi? 1. scit campsor nullam esse pecuniam campsario Lugduni, nisi quam ipsi dari ibidem vult, & hæc omnia finguntur, ut campsarius solvat deinde Romæ cum cambio & recambio. 2. primo loco contrahitur debitum Romanum; quia finguntur pecuniæ Lugdunenses transire in dominium campsarii, sed solvendæ Romæ; deinde contrahitur aliud debitum Lugduni, quia ipsi traduntur pecuniæ Romanæ solvendæ Lugduni; igitur primo loco debitum Romanum extinguendum esset, cum tamen postremò extinguatur. 3. Si fieret Dominus pecuniarum Lugdunensium campsarius, posset ad libitum de eis disponere, sed non potest ad libitum de iis disponere, cum eas campsor sibi retineat. 4. re ipsa nihil aliud campsor præstat, nisi permutationem debitorum, Lugdunensis scilicet in Romanum, ut consideranti patebit; sed cum hæc sine literis æquè facilè fiant, ut dixi supra, usuram continent. 5. Sine literis eumdem contractum campsor inire potest in hunc modum; Do tibi 100. aureos solvendos mihi Lugduni; & quia Lugduni non habes pecunias, tibi cedo 100. aureos Lugduni, quos hic mihi solves; acceptas; ac deinde eosdem transfers in me; accepto, sed cum duplici cambio conjunctos: quid amabò ex præmissis omissum est, etiam sine literis? nemo tamen hoc pactum ab usura liberet, igitur nec si accedant literæ; nam idem fit cum literis & sine literis; nempe ut Paulus cedit tibi Lugduni centum nomine meo, ita ego ipse cedere censeor; & ut nomine tuo acceptat, ita acceptare censeris; igitur idem omnino pactum est; igitur si est usurarium sine literis, cum literis etiam usurarium erit: immo literæ nihil addunt nisi novam fictionem. 6. Idem prorsus damnum infertur campsario in hoc cambio, quod per merum mutuum usurarium inferretur; nec quidquam emit illo lucro, quod cedit campsori supra sortem, cum scilicet nullas pecunias habeat traducendas; nullum igitur habet campsor titulum, ratione cujus, aliquid supra sortem accipi queat. 7. Sic omnis usuræ species facile eludetur; nempe mutuans facilè dicet se habere alibi pecunias, scilicet virtute; ac proinde omne mutuum in cambium facilè converteret; præsertim cum res tota meris consensibus, nulla pecunia tradita, præter Romanam, perficiatur, id est verbalibus cessionibus & acceptationibus. 8. Præterea, ubi Campsarius contraxit debitum Lugdunense, non video, cur non possit commutari de utriusque consensu in debitum Romanum; si enim Campsarius dicat campsori, mihi longè & tibi commodius est, ut eam pecuniæ summam, quam Lugduni tibi solvere debeo, hic Romæ tibi solvam, per te quæso id mihi liceat; cur amabò campsor annuere nequeat? non apparet, unde hæc debitorum permutatio sit illicita; nulla autem hic intervenit pecuniæ traductio; igitur nullus titulus justi cambii.

47. Pithanoph. Supponamus Campsorem bona fide agere, & decipi à Campsario, qui dicat se habere pecunias Lugduni, quas tamen re ipsa non habet, an putas, campsorem suo lucro jure privari? quia scilicet nulla traductio pecuniarum intercessit.

48. Antim. Nullo modo privandum censeo; sicut nec assecuratorem, qui fictas pretes assecuraret; intercessit enim traductio sufficiens, & commutatio pecuniæ Romanæ præsentis in Lugdunensem absentem, fictam quidem, sed à Campsore creditam, & pro vera habitam; unde licèt materialiter loquendo [illegible] lum traductionis beneficium intercesserit, intercessit tamen, formaliter loquendo, ratione cujus justum lucrum exigi potest; at si revera hoc fiat campsor, nullum erit traductionis officium, nec materialiter, nec formaliter.

49. Pithan. Dato, quod Camsor bona fide procedat, quæro exte, utrùm duplex lucrum cambii exigere possit; videtur enim hoc justum esse: cum enim pactum ferat, pecunias illas Lugduni solvendas esse, hoc jure, si nolit, campsor privari non debet; immo inde justum ipsi lucrum cessaret; nempe si eas Lugduni habet, eas dare poterit cambio, Romæ, vel alibi solvendas.

50. Antim. Ut velinde perspicias, quàm facilè rationi cedam, id totum admitto; nempe Campsarius vi pacti Lugduni solvere tenetur, quod præstare nequit, nisi per cambium traducat curet Lugdunum pecunias, quas Romæ habet; rogat igitur Campsorem, ut hanc traductionem procuret, scilicet virtualiter, permutatis scilicet pecuniis; nempe eo ipso quod ipse accipit Romæ pecunias Campsarii, pecuniis, quas Lugduni habet Campsarius, uti censetur, istque Lugdunense extinguere debitum; & hoc perinde fit, atque si Campsarius non Campsori, sed alteri Lugduni pecunias illas deberet: hæc tamen ratio cessat, si Campsor sciat, nullas Campsarium Lugduni habere pecunias, tunc enim nulla fit traductio, nec materialiter, nec formaliter.

51. Pithan. Tota illa traductio in beneficium campsarii fieri censetur; nempe illa campsor minimè indiget; si ergo inutilis campsario fiat, cui inde campsor lucrum accipit?

52. Antim.

4. ANTIM. Quòd sit inutilis campsario, sibi delegatus; cùm eam campsor bona fide, uti ipsi utidelegatus; cùm eam campsor bona fide, uti ipsi utidelegatus; cùm eam campsor bona fide, uti ipsi utidel

igitur Wendrockius ille, quem ad familiarem suum Stubrockium remittendum esse crediderim; jam ad propositum nostrum redeo, & valde miror, contractum illum tam facilè damnari, quem, secluſa prohibitione Principis, modò absque prævio pacto, scandalo, dolo, injusto mercium pretio, sed bona fide fiat, tam multi autores approbant, ut Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 16. n. 130. Navarr. cap. 23. n. 91. Petrus Navarr. lib. 3. cap. 7. n. 170. Mercatus 1. de contract. cap. 26. Ludovic. Lopez de contract. lib. 1. cap. 24. Salas de contract. vendit. dub. 37. n. 2. & de usur. dub. 16. qui pro hac sententia citat Angel. Salon. Garciam, Guttier. Rodrig. Angles, Palac. Azebed. Graff. Sylvestr. adde Pennam, Rosell. citatos à Lopez, Cajetan. in Summ. v. emptio, Marc. Serram, 2. 2. q. 77. a. 1. dub. 3. Dian. 1. part. tr. 8. resol. 53. qui citat Bonacinam & Megalam, Caramuel in Theol. fundam. fund. 43. §. 8. n. 795. Bannez 2, 2. q. 78. de usur. a. 2. ad 2. Corrad. in resp. cas. par. 1. q. 157. Delugo disp. 28. n. 99. & disp. 26. l. 13. n. 205. Gibal. l. 3. c. 1. a. 9. n. 8.

64. ANTIM. Haud dubiè, data opera, exemplum illud adduxisse videris, cùm adeò longum autorum suffragantium elenchum descripseris; bene instructus venisti ad disserendum de hoc argumento: subnectere tamen debueras, multos ex prædictis autoribus, ea dumtaxat lege prædictum contractum approbare, ut scilicet nullum prævium pactum fuerit, de redimendis infimo pretio à mercatore mercibus, ut Sylvester, Lopez, Angelus, Penna, Molina, Rosell. immò Lessius n. 131. prudenter observat, hunc contrahendi modum vix unquam à mercatoris peccato eximi; tum quia christianæ charitati opponitur; cur enim cogis egentem emere merces illas, quibus non indiget? tum quia præbetur scandalum, cùm negari saltem non possit, quin luculentæ usuræ suspicio sub ea contractus specie lateat; tum demum, quia legibus Principum hic contractus prohibitus est, non ab re quidem, cùm inde filiifamilias, & multi solutioris vitæ homines captent occasionem corradendi pecunias, quæ suis voluptatibus serviant; item Delugo n. 208. & Salas n. 3. monent cautè in hoc procedendum esse, propter periculum usuræ implicitæ; tu vide sis Leotard. q. 24. n. 25. qui damnat illud commercii genus, quod execrabile vocat, & in hanc rem citat Sigismund. Lup. Covarruv. de Graff. Salsed. Manent. Ugolin. Grimald. Joan. Benedict. Mercat. Reginal. Lop. S. Carol. Borrom.

65. PITHANOPH. Concedis saltem, hunc contractum licitum esse, si scandalum absit, nullum pactum præcedat, mercator de redemptione mercium non cogitet, sed bona fide merces petenti credito, at justo pretio vendat; si enim, qui jam emit, deinde ex eo quærat, utrùm merces justo pretio redimere velit, numerata pecunia, illas alioquin alteri venditurus; non video, cur emere non possit; primus contractus justus est, quid enim amabò in illo desiderares; merces nullo modo vitiata, pretium justum, bona fides mercatoris; secundus etiam legitimus est; quid enim deesset? nempe is, qui emit merces, ita est illarum Dominus, ut possit illas vel retinere, vel distrahere & vendere, vel huic, vel illi, ad libitum; cur igitur mercatori illas emere, vel potiùs redimere non liceret?

66. ANTIM. Secluſa lege prohibente, tecum sentio; nec existimo, contrarium prudenter adstrui posse; nempe primus contractus nullo penitùs vitio laborat, scilicet ex parte mercatoris, qui merces suas bono animo, & bona fide, nec non justo pretio vendit; sunt enim, ut morales communiter docent, tria prætia justa, summum, medium, infimum; summo ut plurimum vendit mercator, & infimo emit; alioquin nihil ipsi lucri accederet; posito igitur primo contractu legitimo, quod certè à nullo negari queat, quis amabo mercatorem illum jure suo privet, e mendi scilicet merces, non prohibitas justo pretio Si reliqui merces illas justè emere possunt, cu non hic, qui æquè ac illi jure communi gaudet nec obstat, primum emptorem, non eodem animo esse, emit enim credito, ut deinde numerata pecunia vendat, qua scilicet indiget; cur ergo hic medio illam obtinendi interdicetur; cui amabò fecit injuriam? immò illa pecunia fortè indiget ad alquem finem pium; constat igitur, nullam usuram nullam injustitiæ labem intercedere, sed cunctlicita, excluſa tamen lege prohibente, ut jam monui: his autem ultrò à me datis, ad controversiam propositam nihil prorsus confert; supponimus enim, campsorem probè tenere, campsario nullan pecuniam Lugduni esse; si enim hoc ignoret, & bona fide det in cambium, ut dixi, justè cambium exigit. At si mercator sciat, emi merces à Titio eo animo, ut ipsi easdem illico vendat, immò simul agatur de utroque, ita ut eo animo vendat, ut statim redimat; vendat inquam credito, & redimat numerata pecunia, merum est umbræ involucrum, & sub inani venditionis & redemptionis specie, veri mutui ratio latet.

67. PITHANOPH. Sunt aliqui, ex iis, quos supra citavi, qui secus sentiunt, hac ratione freti, quòd singuli contractus seorsim per se sint licitis gitur & conjunctim; immò nihil vetat, quò minus seorsim fiant, unus scilicet post alium; nempe unus est alteri extrinsecus; unus igitur alium injustum non reddit; si enim per se vitio caret, fieri non potest, ut alteri vitium conciliet; quia nemo dat quod non habet.

68. ANTIM. Non dico, unum contractum ab alio taminari; potest tamen unus inficere respectum ad alium, quo scilicet ducitur mercator; nec enim opinor inficias ibis, quin siniſter animus & iniqua voluntas actum ipsum coinquinent; mercator igitur, qui non vendit, eo, quo deberet animo, & qui venditioni competit, scilicet crediti suis mercibus, & acquirendi justum illarum pretium; cùm tamen ipse carere mercibus nolit, sed gaudere dumtaxat suæ pecuniæ lucro; quis negat eum injustè agere? quis non videt, eum vendere ad speciem, sine animo vendendi, sed ob eum tantùm finem, ut mutui & usuræ vitium tegat; quæ ratio contra illud cambii genus à me supra damnati æquè militat; nam campsor dat in cambium campsario, quem scit, nullas habere Lugduni pecunias, nec re ipsa, nec virtute; dat inquam cambium speciem, sine animo cambiendi, id est, traducendi pecunias, sed ut mutuum & usuram, hoc prætexto vel obtentu operiat.

69. PITHAN. Interior animus Deo relinquendus esse videtur; quis enim mortalium eò penetret?

70. ANTIM. Ex operibus eorum cognoscetis eos. fac interſis huic fabulæ, quam Mercator & Titius agunt; Mercator altera manu dat suas merces Titio, a quo accipit schedulam obligatoriam, pro pretio, tum altera manu Mercator recipit easdem merces, pro quibus numerat pretium, sed minus, præsenti pecunia quid amabò de illa scena judicas? putasne seriò merces vendi? quis, etiam eximiæ homo simplicitatis

ad hoc persuadeat? nemo igitur non crediderit, alia quædam mysteria, vel arcanum sub hac fabula latere, & sub hac larva, nativum mutui & usuræ vultum.

71. PITHANOP. Nemo sapiens negaverit, plurimam saltem suspicionem inesse, & manifestum periculum, quod tamen non obstat, meo judicio, quin hic contractus, qua prædictus contractus adstruitur, suo probabilismo jure gaudeat, ac proinde à nonnullis privatis auctoribus temerè damnetur.

72. ANTIM. Jam ferè convenimus ambo; fateor ultrò aliqua probabilitate pollere, non tamen certa & inconcussa, sed incerta & tantummodo probabili; hinc ad praxim licitè reduci non debet, cùm sit tantum, in vulgari mordoloquar, speculativè probabilis, non practicè, eo modo, quem in primo Dialogo exposuimus; & hoc nostri ferè omnes expressè docent: mercatorem scilicet illum vix posse hunc contractum inire sine peccato, ut monet Lessius, & post eum reliqui ferè omnes; hæc igitur opinio sua probabilitate gaudet, licèt incerta & dubia; hoc tamen non facit, ut à privatis Doctoribus jure condigis & damnari queat, seu nigro theta notari; cùm hæc censura in propositiones erroneas, scandalosas, temerarias, ac certò improbabiles dumtaxat quatenus sed de opinionum censura, nisi secùs sentias, in hujusmodi congressu dissetemus: jam verò ad controversiæ hujus caput redeo; hoc igitur exemplo cambium illud, de quo disputamus, non confirmatur; nam negatur antecedens, in quo Mohatræ justitia arguitur, & dato, non concessu antecedente, negatur consequentia; quia mercator vendit merces creditis, & illum dominium Titius verè acquirit, tum deinde illas remittit mercator, & fiunt illius; pretium verò pecuniæ, quam pro iis solvit mercator, sit Titius, at in prædicto cambio, mera fit commutatio debiti Lugdunensis in Romanum, nulla sit pecuniarum traductio, quam tamen omne cambium desiderabile peragit, exprome alias rationes.

73. PITHAN. Jam ferè perspicio, quò spectes, & quamdam dissertatio vestra inclinet; afferam tamen rationes, ut jubes: ad cambium reale, sufficit, ut campsarius habeat pecunias Lugduni, actu, vel nomine, seu potestate, ut revera habet; nam pecunia Lugdunensis, quæ ipsius campsoris erat, fit capsarii, & ea debitum Lugdunense extinguit.

74. ANTIM. Dicitur esse campsarii, sed nomine tenus, ut sub nominis cortice, venenum delitescat; enervet illius non sit, alioquin de illa posset ad libitum disponere, qua potestate non pollet; nempe dicitur tantum illius dicitur esse, ut campsor illius nomine eam sibi ipsi solvere dicatur; hoc autem merum est vocum ludibrium, cùm campsarius non habeat pecuniam, nec Romæ, nec Lugduni: audi quæso pacti formulam à campsario prolatam; habeo, inquit, pecunias Lugduni, quibus indigeo Romæ, da mihi eas Romæ in cambium, ut accipias Lugduni, tum eodem momento subnectit, habeo pecunias Romæ, quibus indigeo Lugduni, da mihi Lugduni cambio, & accipies Romæ; nunquamne hæc non sunt repugnantia: habeo, & non habeo Lugduni, habeo & non habeo Romæ; cùm negare, sit non habere.

75. PITHAN. Sed literæ veræ mittuntur Româ Lugdunum, Lugduno Romam; nec illæ inanes sunt, sed verè suum effectum consequuntur, nam ubique fit solutio, quam fieri jubent.

76. ANTIM. Literæ mittuntur, sed ad speciem, cùm contractus sine literis fieri possit; nempe id dumtaxat literis procuratur, ut debitum Lugdunense in Romanum commutetur, cum accessione novi cambii, seu lucri; at quis non videt, hoc ipsum fieri posse sine literis, per merum campsoris & campsarii consensum, ut jam supra observatum est?

77. PITHAN. In quodam Brevi Pii V. ad Bononienses declaratum fuit, eumdem esse posse procuratorem debitoris & creditoris, &c.

78. ANTIM. Esto, modò sint aliæ pecuniæ, quàm creditoris, non dubito, quin idem duas personas sustinere queat, & ut est procurator debitoris, solvere sibi ipsi, ut est procurator creditoris, modò de pecuniis, quæ creditoris non sint, id fiat; alioquin, ut dixi, est mera debitorum commutatio.

79. PITHANOPH. Responsum fuit à Congregatione Romana, sub Gregorio XIII. interroganti Archiepiscopo Panormitano, hoc cambii genus licitum esse; licèt in eodem loco solutio fiat, virtute secundi cambii.

80. ANTIM. Sed quid amabò responsum? consule interrogatum; quæsierat Panormitanus, utrùm illud cambii genus licitum esset, in quo idem utriusque procurator est, v. g. Paulus, qui tamen quatenus campsarii est, solvit, ac debitum illius Lugdunense extinguit de suis, non campsoris pecuniis; nunquid jam supra hoc ultro à nobis admissum non est? Præterea supposuit semper S. Congregatio bonam fidem contrahentium; quis enim dicat, dolum, fraudem, palliationem approbasse? absit, ut tam sinistrè, immo impiè sentiamus.

81. PITHAN. Sed tandem negari non potest, quin S. Congregatio ab Urbano VIII. specialiter deputata ad quæsita Genuensia discutienda, in favorem hujus cambii responderit.

82. ANTIM. Varii casus propositi fuerunt; unum dumtaxat vel alterum utcumque approbatum, vel potiùs non damnatum invenio; illos habes apud Cardin. Delugo citatum, Raphaëlem à Turri, Leotardum & alios: In primo, campsarius accepta Massæ pecunia à campsore, dat ipsi literas Mediolanum, ad agentem campsoris, quibus ipsi mandat, ut sibi ipsi solvat prædictam summam, accepta in cambium pecunia; hic autem, cùm nullas pecunias agens habeat, nec fidem, utitur pecuniarum loco, ipso credito campsoris, & remittit eamdem summam cum novo lucro, ut eam campsarius campsori Massæ solvat; hoc genus cambii S. Congregatio damnavit die 3 Octob. an. 1626. In secundo casu, additur tantùm pactum de certo interesse in singula centenaria, & non mutatur substantia primi casus. In tertio casu, si verè fiat solutio in cambiis continuatis, ex pecuniis, quæ non sint creditoris, cui scilicet solvitur, & continuatio semper libera maneat, juxta Constitutionem Pii V. Sacra Congregatio id genus damnandum non esse respondit an. 1627. die 4 Junii. In quarto casu procurator campsoris Lugduni utitur credito, vel pecuniis campsoris ad extinguendum debitum Lugdunense, remittitque Romam idem debitum cum recambio; hoc pactum damnavit eadem Congregatio ann. 1629. Kalend. Septemb. unanimi consensu.

In quinto casu, Lugduni Antonius, persona distincta negotiatione & fide à campsore Romano, admittit literas campsarii, & debitum illius Lugdunense de suo extinguit, vel per veram solutionem, vel per fidejussionem; cùm autem tempore præscripto campsarius non satisfaciat, remittit Romam suũ debitum campsori à Petro solvendũ, cum lucro novi cambii;

adduntur aurem aliquot conditiones, 1. campsarius promittit, fore, ut Antonius Lugduni summam debitam solvat. 2. nisi hoc præstiterit, se se obligat ad servandum indemnem campsorem. 3. conveniunt de certo lucro moderato; S. Congregatio hoc genus cambii licitè fieri posse, indicavit, an. 1631. die 27 Septemb.

En tibi omnes casus à Romana Congregatione discussos; ex quibus facilè deduco, illam creditorum permutationem, cùm scilicet campsor & campsarius Lugduni carent pecunia, damnari; item illud cambii genus, in quo Lugduni solvitur quidem debitum, sed de pecuniis campsoris; item illum, qui nomine campsarii Lugduni solvit, esse personam distinctam, credito & fide, quod revera Paulo non competit, qui est merus campsoris Romani correspondens, & nihil de suo confert, sed tantùm administrat Lugduni credita & pecunias campsoris; denique intactam mansisse Pii V. Bullam de cambiis, quam prædicti cambii genus eludit, quod reverà si liceat, perinde se habet atque si non esset: Rescriptum ad Panormitanum nihil aliud approbat, nisi cambium juxta quantum, vel tertium casum; nihil autem aliud Pius in suo Brevi ad Bononienses, jam vide quid aliud opponas.

83. Pithanoph. Nonnulli hujusmodi declarationes obscuras esse dicunt, ac proinde Bullam Pontificiam desiderarent, quâ hæc controversia decideretur.

84 Antim. Non video, quid decidendum restet; damnatus est ille usus, quo per idem campsoris creditum, debitum Lugdunense extinguitur, vel potiùs in Romanum commutatur; ille item, quo de pecuniis creditoris, scilicet campsoris, ita extinguitur, ut Romæ deinde solvendæ sint, cum novo cambio; item executor literarum campsarii Lugdunum scriptarum debet esse persona distincta negotiatione & fide à campsore; item permittitur, ut quispiam amicus campsarii hoc munere defungatur, idque de suo; cui nisi campsarius satisfaciat, præscripto tempore, secundum cambium adhiberi poterit, remisso ad campsorem Romanum hoc debito; cuncta hæc, meo judicio, ita clara sunt, ut nulla luce indigere videantur.

85. Pithanoph. Quid si res ista ad contractum venditionis reducatur, ut quidam recentiores putant, qui trajectionem pecuniarum nihili faciunt.

86. Antim. Expectabam, ut hoc moveres; primò enim, dato, & non concesso, contractum venditionis intercedere, non propterea illud cambii genus, quod reprobamus, salvari poterit; quia omnis venditio, ut jam indicavi, duo distincta supponit, pretium scilicet, & merces dominii distincti; sed in hoc cambio, sola dumtaxat campsoris pecunia intercedit; emit inquis, præsenti pecunia Romana absentem pecuniam Lugdunensem; sed nulla, quam Lugduni emat, pecunia est, campsarii scilicet; nec enim, opinor, suam pecuniam emit; frustra igitur ad venditionem hoc cambium præfati recentiores revocant; immo in reali & legitimo cambio, cùm scilicet campsarius pecunias reverà habet, justum titulum percipiendi lucrum supra sortem, in venditione minimè fundari, in superiore congressu, luculenter sanè, licèt breviter demonstratum est; tum quia literis opus non esset; tum quia sæpissimè campsarius non campsor lucrum exigere deberet; tum quia pecunia propriè loquendo, non emitur, cùm sit pretium aliarum mercium; non datur autem pretium pretii; tum demum, quia etiam mutuum hoc titulo excusari posset; si enim emi potest absens pecunia ratione loci, cur non absens ratione temporis?

87. Pithanoph. Pecunia solvenda eodem loco, diverso licèt tempore, ejusdem semper valoris est; at verò in diversis locis, diversi valoris esse poterit, præterquam quod accedit trajectionis ratio, quam nemo neget, pretio æstimabilem esse.

88. Antim. Si tantùm haberetur ratio diversi valoris pecuniæ, qui à majore, vel minore pecuniæ copia pendet, facilè annuerem, etiam supra indicavi; sed non propterea ad venditionem recurrendum est, cùm enim præsens campsoris pecunia absentis loco substituatur, unius valor alterius valorem æquare debet; sed pecuniæ, ubi major copia est, minor valet; igitur minor summa præsentis adæquare potest valore majorem summam absentis, propter majorem hujus copiam; modò ita se res habeat; nec major copia syngrapharum, nominum creditorum, pro majore copia pecuniæ sumatur, quod reverà nugari esset; exemplum attuli supra in duplionibus; aliud longè facilius mihi occurrit; si quis Europæus campsor det mihi præsentes pecunias v. g. 1000 scuta aurea solvenda illi in Peruvia, haud dubiè 1000 scutorum valor in Europa æquabit valorem 1,00. in Peruvia; igitur perinde est, accipere 1500. in Peruvia, ac dare in Europa 1000, præter justum trajectionis lucrum; porrò hic nullam venditionem esse video, sed meram trajectionem virtualem, in qua scilicet, 1000. data mihi à campsore substituuntur in locum illorum, quæ habeo, & ipsi cedo in Peruvia, ejusdem scilicet valoris; nec enim tantùm pecunia pro pecunia, sed valor pro valore substituitur; 1000 in Europa adæquant 1500. in Peruvia; sed cùm hæc sint facilia, frustra hæreo.

89. Pithanoph. In mutuo hæc eadem locum habere videntur; potest enim quispiam dare pecuniam mutuò solvendam in eo loco, in quo futura est major pecuniæ copia; plus igitur pecuniæ exigi poterit, immo & aliquid pro trajectione.

90. Antim. Quidam Recentior magnam vim facit in hoc argumento, quod tamen parum negotii fecerit; nam primò non ita facile admitterem mutuatarium, vi mutui, obligari posse ad solvendum in alio loco, nisi fortè ipsi commodum esset; hoc autem posito, si aliquid accipiatur pro traductione pecuniæ virtuali, non jam mutuum, sed cambium erit; nempe in eo dumtaxat cambium à mutuo differt; alioquin si hoc incommodum esset mutuatario, hoc onus imponi sine usura non posset, ut patet ex dictis in superiore dissertatione: deinde si species pecuniæ majoris sunt valoris in eo loco, v.g. Lugduni duplones Hispanicæ undecim libris censentur, Romæ verò decem; mutuatarius, in cujus commodum cedit solvere Lugduni, potest obligari ad totidem duplones, quot Romæ mutuò accepit, vel eorum valorem, & vicissim; alioquin damnum inde pateretur mutuator; & si Lugduni accipiat mutuò centum libras solvendas Romæ, tunc libra censenda erit Romæ undecima pars duplionis Hispanici, qui undecim libris Lugduni censetur; denique vix aliter in mutuo major summa exigi potest, supra summam dictam, saltem in Europa; immò loci diversitas nihil facit; potest enim mutuator obligare mutuatarium ad solutionem faciendam tempore præfixo, in tali genere monetæ; modò tunc facilè haberi possit, aut saltem secundùm valorem currentem, ut vocant, modò fraus & dolus absint, ne scilicet inde aliquid damni patiatur; præsertim cum non minus decremento valoris, quàm incremento se se exponat. Dixi in Europa, nam reverà, si quis mutuò

mutuò accipiat pecuniam in Europa, solvendam in Peruvia, idque fiat sine incommodo mutuatarii, non auderem damnare, si plus in Peruvia exigatur, propter minorem valorem pecuniæ, nempe in Peruvia, cum sit maxima pecuniæ copia, minoris valoris sit, sed hæc ad præsentem controversiam vix pertinent: cùm in cambio prædicta valoris compensatio fiat, cùm in cambio prædicta valoris compensatio fiat, censeatur, modò, ut dixi, reverà sit major realis pecuniæ copia, ac proinde species aureæ & argenteæ sint diversæ mensuræ communis, quæ in diversis regionibus diversa est. v.g. in Gallia libras adhibent, alibi ducatos, alibi florenos, alibi scuta Marcharum, &c. diversas pecuniæ, non syngrapharum, vel nominum; sed transiad alias rationes, cùm in hac nihil superest difficultatis.

96. PITHANOPH. Nunquid acceptilatio veræ solutionis loco esse non potest? Cur igitur campsor debitum Lugdunense acceptum ferre non poterit? literæ campsarius nullas pecunias Lugduni habeat; ea tamen lege, ut Romæ solvat.

97. ANTIM. Hoc totum sine literis fieri potest; cùm nihil aliud sit, nisi debiti Lugdunensis in Romanum commutatio; quod quàm iniquum sit, si lucrum & cambium inde exigatur, jam dictum est supra; & verò solutio vera non est, cùm debitor ligatus adhuc maneat, sed hæc jam fusè ventilavimus.

98. PITHANOPH. Nunquid saltem pro campsoris labore, industria, periculo, justum lucrum exigi posse concedes?

99. ANTIM. Ubi revera fit trajectio pecuniæ, scilicet virtualis, nemo negat, quin campsor justum titulum habeat lucrum exigendi, cùm hîc labor & industria omnino intercedant; immo & periculum, cum hæc trajectio assecurationem etiam importet; at in hoc casu, non est major labor, nec major periculum, quàm si solutio in eodem loco facienda esset; & tota illa industria in palliatibus & figmentis excogitandis posita est; ac proinde pœna potiùs, quàm mercede digna.

100. PITHANOPH. Sed campsor est incertus lucri quæ sit, quanti pecuniæ valor in eo loco, ut quem cambitur, censendus sit; quid ni ergo tantæ illius incertitudinis aliquid accipiat?

101. ANTIM. Vix unquam accidit, ut campsor perdat; quia ea loca semper eligit, in quibus major pecuniæ copiam futuram certò moraliter novit, ac proinde certum illi lucrum semper est; quod reverà nisi esset, rem hanc campsores non tam urgerent; præterea in antichresi, in qua fructus æquales sunt, idem dici posset, illam tamen in tertio libro reprobavimus.

102. PITHAN. Inter mercatores, viros alioquin probos, hujus cambii familiaris est; quod reverà, si iniquum, minimè exercerent.

103. ANTIM. Verum cambium pii mercatores exercent, etiam illud, quod cum recursu vocant, modis omnibus conditiones servetur, quas supra retulimus: hoc enim ipsis utile est, ad pecuniæ copiam, quam diligenter, in variis locis; & licèt aliquando illis pecunias habeant in iis locis, ad quæ cambium, non deest alius titulus campsori, ad exigendum aliquod lucrum, scilicet lucri cessantis; propter enim illam pecuniam, quam mercatori dedit, ad justum lucrum applicuisset; scio, illud certi non posse de certo lucro cessante, propter quam Pius V. quæ id fieri, prohibet; ubi tamen tale lucrum deinde cessasse compertum est, illud exigere potest.

98. PITHANOPH. Nullam rationem lucri cessantis, vel traductionis pecuniarum campsores habent, sed meræ permutationis, seu venditionis pecuniæ, præscripto loco solvendæ, pro majore, vel minore illius copia futura; immò si habetur ratio cessantis lucri, cambium non est, sed fuisset; v.g. campsarius non solvit Lugduni pecuniam Romæ acceptam, ut promiserat; nullum est cambium, quia nulla traducitur pecunia; finxit enim campsarius se habere pecunias Lugduni, quas minimè habebat; campsor ipsum cogere potest ad solutionem Lugdunensem, cum lucro, quod alioquin fecisset, si cambium verum fuisset; & cùm non habeat Lugduni campsarius pecunias, sed Romæ, potest campsor per verum cambium suppeditare illi pecunias Lugduni, & ab eo accipere Romæ, quæ est traductio virtualis, & justum inde lucrum percipere.

99. ANTIM. Optimè mones; primum lucrum, quod campsor exigit in prædicto casu, illius lucri loco est, quod illi ex vero cambio provenisset; alterum est verum ac legitimum cambii lucrum; quod autem campsores hujusmodi titulos parvifaciant, qui tamen legitimi sunt, & alios spectent, quos, saltem ut plurimùm, fictitios esse, constat, in hoc non laudo: observandum tamen est, mercatores inter se convenire de pretio, vel lucro cambii, quod statuunt ex diversis capitibus; scilicet 1. ex majore copia pecuniæ, quæ facit, ut minoris æstimetur, quatenus ejus valor valori alterius æquandus est. 2. ex majore, vel minore distantia loci; nempe inde crescit, vel decrescit traductionis æstimabilitas. 3. ex majore, vel minore copia eorum, qui dant ad cambium; nempe inde cambium quasi æstimatur; sic major copia mercium easdem viliores facit. 4. ex majoribus periculis traducendi pecunias, ut tempore pestis, belli, grassatorum, &c. sed hæc sunt facilia.

100. PITHANOPH. Ita est, sed difficile illud mihi videtur; quomodo cambia licitè continuentur (sic enim vocant) si enim campsarius non solverit Lugduni, remittitur Romam, cum novo cambio, ad proximas nundinas; in quibus si debitor non solvat, cum tertio cambio reflectitur Genuam, & hinc ad proximas nundinas Antverpiam, atque ita, donec tota res campsarii exhauriatur, per multiplicata singulis ferè bimestribus, vel trimestribus cambia proceditur, adjunctis semper sorti omnibus præteritis lucris: an fortè putas, antiquorum artem fœneratitiam tantam hominibus, familiis, & Reip. stragem attulisse.

101. ANTIM. Ego quidem nunquam capere potui, quî fieri possit, ut homines Christiani, docti Theologi, Ecclesiastici, hujusmodi cambia continuata tanta contentione defendant, perinde atque si hominum salus ab iis penderet; non dubito, quin campsarius, qui Lugduni solvere tenetur, pecuniam Romæ acceptam, ubi deinde tempore præscripto non solvit, non dubito, inquam, quin cogi possit ad solvendum, licèt altero cambio illi opus sit; quo posito, vel solvit Romæ, vel non solvit; si primum, exactio perfecta est, & completum cambium; si verò alterum, habet quidem campsor actionem adversus illum, ut in mutuo; non video tamen, cur & quomodo possit eamdem summam duplici jam cambio auctam, remittere Lugdunum solvendam nomine campsarii; cùm sciat, ipsum carere pecuniis Lugduni, nec ei opus esse Lugduni pecunia; equidem si propter carentiam hujus summæ, aliquod verum lucrum campsori cesset, verum inquam,

non fictitium, repetere & exigere potest à campsario, modò nihil certi initio statuatur, propter Bullam Pii V. cogita pecuniam mutuò datam, præfixo tempore non solutam, cùm in hoc casu campsor plus juris non habeat, quàm mutuator. Hinc non potest fieri illa conventio, si summam præfixo tempore & loco non solvero, tibi concedo facultatem, ut accipias illam cambio à te ipso, eamque agites per cambia singulis nundinis, donec tibi satisfaciam. Leotard. q. 75. n. 38. ubi citat S. Th. Aragon. Ugolin. Salas, Less. Mercat. adde Gibalin. lib. 2. c. 5. a. 9. n. 27.

102. PITHANOPH. Cur verò campsor creditum illud suum ad conductum nundinis locum mittere non potest? nam creditum æquivalet pecuniæ.

103. ANTIM. Quia non potest mittere nisi solvendum; sed scit, campsarium nullas in eo loco habere pecunias, ut jam toties dixi; igitur ad eum locum non potest creditum suum remittere; præsertim cum illo incremento; sic Cardin. Delugo sæpè citatus, n. 78. docet, cambium esse usurarium, quando campsor Romæ dat pecuniam cambio solvendam Florentiæ, cum incremento, quando scit, campsarium ibidem pecuniis carere; quia tunc nulla revera fit permutatio; ita omnes, ut testatur Leotard. n. 46. qui citat Cajet. Sylvestr. Salas, Navarr. Valent. Salon. Malder. Justinian. Duardum, præter multos alios, quos citat quæst. 15. n. 73. scilicet Mercat. Lopez, Molin. Rebell. Gabr. Bec. Lup. Roder c. Mastrill. Narbon. alios dabunt Salaz dub. 14. n. 1. & Scortia. Theorem. 307. immò præter primum & secundum cambium, campsarium ad aliorum cambiorum & recambiorum lucra, seu damna minimè teneri, docent Gibalin. art. 12. n. 3. & Less. c. 23. dub. 9. n. 82. & licèt aliqui, ut Genuenses suas pecunias per continuata recambia exerceant, ac protestentur, sibi semper ad manum fuisse occasiones certas negotiandi, quo lucro ex mora debitoris caruerint, ac proinde illud ab ipsis repetant, non tamen repetunt, ut optimè advertit Gibalin. n. 5. titulo cambii, sed titulo lucri cessantis, quod ex cambio certò provenisset; de hoc autem idem prorsus dicendum est, quod dictum est aliàs de mutuo, cùm debitor est in mora culpabili.

104. PITHANOPH. Opponunt campsores eorumque Patroni Breve Pii V. ad Bononienses; literas S. Congregationis ad Archiepiscopum Panormitanum; literas Urbani VIII. ad Archiepiscopum Genuensem; responsa specialis Congregationis deputatæ, in tertio casu, de quo supra; quibus continuata illa cambia & recambia ut licita approbantur; cuncta hæc altè recitant, & acriter exaggerant.

105. ANTIM. Crede mihi, Decreta Pontificia fraudulentis cambiis nullo modo favent, immò nihil formidabilius campsoribus accidere unquam potuit; cuncta enim idemnitati Bullæ Pii V. consulunt; modò hæc observetur, & non eludatur, tuti erunt in conscientia; porro hujusmodi rescriptis justa dumtaxat cambia & recambia licita declarantur, in quibus traductio virtualis pecuniarum intercedit; ac proinde campsarius habet pecunias actu, aut virtute in eo loco, ad quem cambio accepit, scilicet Lugduni; si actu solvantur, completum est cambium; si virtute, opera amici, pecunia scilicet, quæ sit extra dominium campsoris; præfatus amicus remittit creditum suum ad campsarium, ut solvat campsori Romæ, cum novo lucro; si campsarius solvit, completum est recambium; at si non solvat tempore præfixo, quia ipse indiget pecunia, de novo debitum illud remittit Lugdunum, ut solvat illud cum novo cambio, atque ita deinceps; hæc aliaque hujusmodi in prædictis rescriptis, licita declarantur; quia semper fit vera solutio à persona, credito & fide à campsore distincta.

106. PITHANOPH. In tertio casu Didacus Madritensis, mittit literas Massam, ut deinde proximis nundinis reflectantur Romam, & hinc sequentibus remittantur Massam, hinc tria lucra; & hoc approbavit S. Congregatio.

107. ANTIM. Hunc tertium casum pro dubio habet Leotardus; quare in eo magnam vim facere non possumus; dico tamen, optimi sensus partiemur esse; cùm enim Didacus Madritensis iis pecuniis indigeret per plures menses, quibus scilicet diversis nundinas intercurrere debebant, ne lucrum campsoris ex singulis nundinis cessaret, consentit, ut recurrant tot cambia, quot futuræ sunt nundinæ toto illo tempore, quo iis pecuniis indiget: hîc autem, ut vides, campsor bona fide procedit.

108. PITHANOPH. Scire velim, utrùm is, ad quem mandatum mittitur, de accipiendis pecuniis cambio, ut promissa in eo loco solutio fiat, possitne accipere illas à seipso, ut habeat illud lucrum.

109. ANTIM. Omnino, modò non sint primi campsoris; nam perinde est, sive à seipso, sive ab alio accipiat; neque in hoc est difficultas, quæ alicujus momenti esse videatur.

110. PITHANOPH. Magnam vim aliqui faciunt, quòd traditio rei sit aliquid extrinsecum substantiæ venditionis, ex qua oritur actio ad rem, &c. igitur licèt campsor sciat, campsarium non habere pecunias in eo loco, ad quem dat illi cambio, non propterea contractus irritus, vel injustus censeri debet.

111. ANTIM. Miror, in his vim fieri, quæ mihi levissima esse videntur; nam primò negare possum, in cambio intercedere venditionem; secundò esto, interfit venditio, nam quantum ad hoc, perinde est, sive fit venditio, sive quælibet alia permutatio, concedo traditionem rei venditæ esse quid extrinsecum; sed in hoc cambio, quando scilicet campsor probè scit, nullas esse campsario pecunias Lugduni, non desideratur tantùm ipsa rei traditio, sed animus emendi, seu permutandi; nec enim possum habere animum serium illud emendi ab aliquo, quo revera scio ipsum carere; at animus emendi est aliquid intrinsecum emptioni & venditioni, ut nemo negat; item animus permutandi est aliquid intrinsecum permutationi; igitur in hoc cambio non fuit verus animus emendi pecuniam Lugdunensem, seu permutandi Romanam cum Lugdunensi, cùm hac sciret campsor campsarium carere; in hanc rem, Leotard. n. 48. citat Bald. Cæpoll. Gabriel. Ripam, Menoch. Manent. Sarmient. Thesaur. Cyriac. nec obstat, campsorem velle lucrum illud, cùm velit illud non titulo veri cambii, seu permutationis, aut traductionis pecuniarum, sed titulo mutui & fœnoris palliati? in quam rem, Leotard. n. 49. citat Cajet. Sot. Scortiam, Tolet. Garciam, Molin. Scacciâ; alios dabit Scort. adde Gibal. & Lugo supra citatos; alioquin societatem officii possem cum eo contrahere, quem scio, nullum habere officium, super quo societas iniri possit, quod nemo dicat; item frumentum ab eo emere tempore messis consignandum, quem scio nec esse agricolam, nec frumentum habiturum: nec est, quòd dicant, dari actionem emptori adversùs venditorem, si rem venditam non tradat; quia hoc tantùm verum est, cùm is bona fide emit; non tamen cùm scit, rem illam vendentis, aut vendenti non esse, ut rectè observat

Leotard.

Leotard. n. 50. ubi multos citat, Coſt. Juſtin. Thoph. Immò licèt campſor certus non ſit, cam-ptorem non habere, nec habiturum prædictam pe-niam, ſed tantùm probabiliter de eo dubitet, cambium in juſtum eſt, ut docet idem Leotard. n. 51. ubi citat. Salaz, Sylveſt. Fabian. Genuenſ. Zech. Bo-nain. Fauſt. Delugo, Duard. Si tamen campſor bona fide contraxit, ſecùs dicendum eſt, ut patet ex di-ctis ſuprà, proquo citat Leotard n. 52. Molin. Leſſ. Reginald. Malder. Fauſt. Delugo, Dian. Duard. adde Gibalin. citat. a. 6. n. 7. hæc autem fuſiùs pro-ſequitur Leotard. à num. 46. ad num. 70. quem videſis.

113. Pithanoph. An ſeriò putas, invalidam & irritam eſſe emptionem, ſeu venditionem, in qua venditor ſcit, emptorem præfixo tempore non ſo-lutum, vel emptor, venditorem rem venditam non traditurum? multos haud dubiè refragantes ha-bebis.

113. Antim. Non dico, in qua emptor ſcit, venditorem rem ipſam non traditurum, ſed in qua emptor ſcit, rem illam, quæ tradenda eſſet, non exi-ſtere, nec extituram tempore præfixo; aut in qua venditor ſcit, emptorem nullo modo poſſe ſolvere tempore & loco præfixis; & dico, fieri non poſſe, ut quis ſcio habeat animum emendi illud, quod ſcit nec eſſe, nec futurum; & miror, à te hæc non videri; poteſt quidem ſcire, emptorem non ſoluturum, quia non vult, licèt poſſet; & tunc non nego, quin ven-ditor vendere poſſit; cùm enim acquirat actionem adverſus emptorem, poteſt illum cogere ad ſolven-dum, id eſt, id præſtandum, quod poteſt præ-ſtare, alioquin poſſit, inanis eſſet actio adverſus illum à venditore acquiſita.

114. Pithanoph. Venditor commutat rem venditam in obligationem, quam contrahit emptor ſolvendi, unde ſufficit, quòd ejus animus, vel intentio ad prædictam obligationem terminetur.

115. Antim. Bellè, homini concedis majorem quàm Deo facultatem; cùm enim Deus ad impoſſi-bile creaturam rationalem obligare non poſſit, vis omnibus hominem obligari poſſe; dico igitur, vendito-rem nunquam animum habere non poſſe, obligandi ad impoſſibile; & licèt vellet, obligatio tamen nulla eſſet, & pactum illud non ſubſiſteret: unde mea fi-det, ſub nomine cambii.

116. Pithanoph. Vellem, ut aliquid, ſaltem ſuper, delibares de iis conditionibus, ſeu legibus, quibus V. in ſua Bulla cambio præſcribit.

116. Antim. Illam integram habes, tum in Bul-lario quam apud Navarr. cap. 17. n. 300. tum etiam a-pud Leotard. q. 25 n. 43. in hac autem damnat 1. om-nia cambia ficca, & ea, quibus literæ quidem mittun-tur, ſed manes reſtant; quia nemo eſt, qui pro camp-ſore ſolvat. 2. Damnat cambium, in quo camp-ſor dat pecuniam cambio ad certum locum, licèt ſuum deinde ſolvendam, ubi datur. 3. Damnat il-lud cambii genus, in quo campſor dilationem ſolu-tionis promittit, ſub pacto majoris lucri. 4. Pro-hibet pactum iniri de certo intereſſe, ratione lu-cri cambii. 5. Mandat, fieri tantùm cambia ad certas nundinas. 6. Item, ut in terminis habea-tur ratio longinquitatis locorum; hæc ſunt præcipua capita Bullæ Bullæ capita.

117. Pithanoph. Putas ne omnes illas condi-tiones eſſe de jure naturali?

117. Antim. Minimè gentium; 1. de jure natu-rali injuſtum enim eſt, fingere juſti lucri titu-lum, qui revera abſit. 2. Item, quia repugnat na-turæ hujus contractus permutare pecunias præſen-tes in abſentes, quæ nec ſunt, nec unquam erunt. 3. quoque, quia ſola dilatio ſolutionis, ſi alius titulus abſit, juſtum lucrum non affert. 4. de jure naturali non eſt; quia ſecluſa lege, nihil vetat, lucrum incer-tum probabile in certum minus commutare, ac de illa commutatione paciſci; ut patet ex dictis. 5. de jure etiam naturali non eſt, immò, ut optimè obſer-vat Delugo ſect. 8. ſi proximæ nundinæ inſtent, nec ſit ſatis temporis, ad hoc, ut literæ pervenire poſſint ad eum locum, ad quem datum eſt cambio, ad alias ſequentes cambio datum cenſetur; nempe datur ad eas nundinas, in quibus ſolutio fieri poteſt; citatque in hanc rem, Molin Filliucium, Salaz, adde Leotard. q. 25. n. 60. & Lopez l. 2. c. 13. obſervat etiam, ſi fieret cambium ad nundinas non proximas, cum majore lucro, propter lucrum ceſſans, vel damnum emergens, non teneretur campſor ad reſtitutionem, licèt peccaret contra Bullam; & citat Salas & Leſſ. quia tituli illi ſunt juſti ex natura ſua, ut conſtat ex dictis. Obſervat deinde, non vetari per bullam cam-bium ad ſecundas, vel tertias nundinas, modò pre-tium, ſeu lucrum cambii non ideo augeatur; citat-que Navarr. Molin. Leſſ. Salaz, Filliucium, adde Leotard. q. 25. n. 55. qui citat præter jam laudatos Bonacin. Scort. Narbon. Molfeſ. obſervat item pro ſexta, ideo habendam eſſe rationem longinquitatis locorum, in præfigendis terminis, non ad taxandum juſtum cambii pretium, ſed ad præſcribendum tem-pus ſolutionis; quod intelligendum eſt pro iis locis, in quibus nundinæ non habentur; immò in multis lo-cis uſus obtinuit, ut poſt acceptas literas, aliquot dies ad ſolutionem procuratori campſarii concedantur.

120. Pithan. Hæc probè intelligo, at ſcire ve-lim, utrùm hæc Bulla ſit ubique recepta.

121. Antim. Cardin. Delugo ſect 8. n. 107. dicit, paucis in locis eſſe receptam, in iis, quæ juris natu-ralis obligationi adduntur; citatque Leſſium dub. 11. n. 93. & Salaz dub. 23. n. 1. accedit Gibal. art. 15. n. 17. ſed hæc quæſtio ad præſens inſtitutum non per-tinet.

122. Pithan. Ita eſt. Jam rei ſubſtantiam teneo; reſtant aliquot appendices, quas paucis quæſtionibus tibi mox proponendis complector; quæro igitur ex te, unde juſtum legitimi & realis cambii pretium, ſeu lucrum cenſendum ſit.

123. Antim. Ut juſtum ſit cambium, lucrum, quod affert, juſto majus eſſe non debet, ut certum eſt, nemine prorſus refragante; conſtituitur autem lege, vel prudentum & proborum conſenſu, vel conſuetu-dine, modò non ſit enorme & exorbitans; creſcit au-tem, vel decreſcit, pro raritate, vel majore copia pe-cuniæ; pro majore, vel minore numero cambientium; item pro majore, vel minore diſtantia loco-rum.

124. Pithan. Cùm titulus juſti lucri, quod cam-bium parit, duci tantùm poſsit ex traductione & aſſe-curatione pecuniarum, ſive ſit major copia pecuniæ, ſive minor, non video, quomodo creſcere inde, vel minui lucrum cambii dicatur; idem dico de majore, vel minore numero cambientium; quod autem ſpe-ctat ad majorem diſtantiam locorum, non rarò acci-dit, ut pecunia faciliùs & commodiùs traduci poſsit in loca remotiora, quàm in propinqua.

125. Antim. Rectè mones, & miror, autores ſupra laudatos animum non advertiſſe, aut ſaltem non in-dicaſſe; nec enim major copia propriè loquendo, facit majus, vel minus lucrum; ſed valor utriuſque pecuniæ debet æquari, etiam ſecluſo omni lucro;

v. g. 100 libræ Romæ adæquant 110 libras Lugduni; igitur si campsor Romæ det tibi 100 libras, exigit à te Lugduni 110, secluso cambii lucro; igitur, ut rectè monuisti, major, vel minor copia pecuniæ considerandæ est, non ad statuendum lucrum, sed ad valorem utriusque pecuniæ æquandum; at major, vel minor numerus cambientium, multum facit ad statuendum lucrum; nam quemadmodum operarum multitudo mercedem minuit, ita major cambientium, id est, traducentium pecunias numerus mercedem & lucrum traductionis minuit: quod demum pertinet ad locorum distantiam, haud dubiè cæteris paribus, & per se loquendo, traductio in locum remotum difficilior est, & majori periculo exposita, quàm ad locum propinquum, licèt per accidens nonnunquam secus accidat; item ratione majoris, vel minoris periculi, majus, vel minus præmium assecuranti competit; qui autem traducit, assecurat: scio nonnullos, qui cambium meram venditionem esse volunt, ex majore copia pecuniæ, vilius pretium deducere, ac proinde minore summa majorem emi à campsore; sed venditionem à cambio jam supra exclusimus.

126. PITHAN. Ex his, mihi deducere videor, fieri posse, ut campsor minus pecuniæ recipiat, quàm reipsa dederit; supponamus, justum cambii lucrum, quod datur Romæ Lugdunum, vel Lugduni Romam, esse quinque in singula centenaria; supponamus, 100 libras Romæ æquari valore 110 libris Lugduni; supponamus, campsorem dare campsario 110 libras solvendas Romæ; si solvantur illi 100, adæquatur valor; accedunt pro lucro cambii 5. recipiet igitur campsor Romæ per procuratorem suum 105 libras; igitur minus accipit, quàm re ipsa dederit.

127. ANTIM. Minus accipit materialiter, non formaliter; id est, minorem librarum numerum, majus tamen pretium, immo majorem vim monetæ, in quo non est difficultas.

128. PITHAN. Sunt, qui confundunt lucrum cambii, cum ipso interesse, licèt unum ab alio distinguendum sit.

129. ANTIM. Quis neget, unum ab alio distinguendum esse; sic cambium nunquam est sine suo lucro, aut saltem jure ad illud, cùm tamen sine interesse, ut plurimum sit; ducitur enim interesse, vel à lucro cessante, vel à damno emergente; v. g. si propter moram culpabilem solutionis, campsor privatur justo lucro, quod fecisset, haud dubiè hoc lucrum, vel interesse repetere potest, hinc, ut vides, propter dilationem solutionis, non augetur cambii lucrum; secus verò lucrum, quòd quidem non ratione cambii, sed ratione lucri cessantis exigitur: & verò si in mutuo, hoc lucrum, vel interesse licitè exigitur, cur quæso in cambio non exigeretur, loco scilicet lucri cambii cessantis.

130. PITHAN. Si campsor, qui dat Romæ suas pecunias cambio, Lugduni solvendas, à campsario, vel ab ejus procuratore, indigeat Lugduni iis pecuniis, cùm id ejus commodo fiat, potest ne lucrum inde referre.

131. ANTIM. Haud dubiè; quia traducit virtualiter pecunias campsarii Lugduno Romam; hæc autem traductio est pretio æstimabilis; quòd autem utilis sit ipsi campsori, casu accidit; ita Gibalin. art. 15. n. 3. ubi citat Sot. Molin Less. Lugo, Luc. Scaccia, Salaz, qui alios habet, Cajet. Navarr. Azor; sed hoc jam supra indicavi.

132. PITHANOPH. Licet ne campsori pignus, vel fidejussorem exigere.

133. ANTIM. Omnino, ut in mutuo; nisi campsor exigat, quia scit, campsarium non soluturum in nundinis, tunc enim esset cambium palliatum, ut supra dictum est; quisquis enim obligationem alteri injustè imponit, si minùs securus hic putetur, ab eo majorem securitatem exigere potest; ita Gibal. n. 4. qui citat Azor, Sal. Less. Scaccia, Lugo, immo fidejussor, ut jam diximus, aliquod præmium exigere potest à campsario.

134. PITHAN. Potestne ita iniri pactum, ut campsarius, casu, quo præfixo tempore non solvat, teneatur ad accipiendam recambio eamdem summam ab eodem campsore.

135. ANTIM. Resp. hoc esse illicitum; quia vi pacti realis & veri cambii obligatur tantùm ad solvendum Lugduni, nec ob dilationem solutionis obligari potest ad recambium; cùm ex prædicta dilatione, nullum campsor pro se lucrum capere possit, tum propter Bullam Pii V. tum quia idem in mutuo fieri posset, quod dici nequit; equidem ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, potest campsor aliquid exigere, sed non plus; certum tamen lucrum initio in pactum deduci non debet, quia hoc Pius V. vetat in Bulla; sed tantundem deinde accipi, quantum cessavit; ita Gibal. n. 19. qui citat Less. Sal. Filliuc. Delugo, Scacci. Potest tamen statui cambium ad pretium currens fori indefinitè, estque communis sententia, Gibal. n. 20. qui citat Sot. Sal. Tolet. Filliuc Delug. Scacc. modò æquale sit periculum crementi, & incrementi; alioquin si fraude agatur, pactum injustum est, ut constat ex iis, quæ diximus de mutuo; propter eamdem rationem, non potest augeri lucrum cambii, propter commodum, quod inde campsarius [illegible], alioquin idem de mutuo dici posset.

136. PITHAN. Scire velim, an campsor, qui dedit pecunias Romæ Lugduni solvendas, possit illas deinde accipere Romæ.

137. ANTIM. Si egit bona fide, & campsarius roget, non video, cur non possit commutare debitum Lugdunense in debitum Romanum; immo licèt non possit cogere campsarium ad recambium, cùm habeat actionem adversus illum, potest ipsum cogere ad Lugdunensem solutionem, & ipso volente, cum Lugduni campsarius pecuniis careat, potest illi dare pecunias Lugduni, quibus extinguat illud debitum, deinde Romæ solvendas cum cambio, quod nemo negat; nam perinde est, sive ab ipso accipiat, sive ab alio, modò ad id non obligetur pacto.

138. PITHANOP. Si casu aliquo campsor indigeat Romæ sua pecunia, quam Lugduni solvere campsarius debet, nec dum tempus solutioni advenerit, poteritne accipere Romæ prædictam pecuniam à campsario.

139. ANTIM. Si campsario sit commodiùs solvere Romæ, quàm Lugduni, non video, cur de communi consensu non possit commutari debitum Lugdunense in Romanum; utrùm verò campsarius exigere possit, ut minuatur summa propter anticipatam solutionem, nonnulli concedunt, ego verò concedere non possum; cùm mutuum quoddam virtuale intercedat; ita Azor 3. p. l. 10. cap. 11. q. 3. sed cur non potest redimere illud debitum summa minore; hoc repugnat meo judicio, quòd quis dicatur emere debitum suum; alius quidem creditum campsoris potest emere minore pretio; id est, dare illi pecuniam ad cambium recipiendam Lugduni à primo campsario; at primus debitor non potest simpliciter emere debitum; nam eo ipso, quod dat pecunias pro debito, omnino solvit & debitum extinguit; potest tamen campsarius pac-

tes campſoris aſſumere, & campſor campſarii, ita ut hic accipiat pecunias Romæ, illi ſolvendas Lugduni, habeat pecunias, ſcilicet ſuum creditum; in hoc, negotio, non eſt difficultas.

146. Pithanoph. Unum ſupra indicaſti, pecuniam in cambiis conſiderari ad inſtar mercis; ex quo ſequitur, eſſe pactum venditionis, quod tamen negare viſus es; alioquin tam vendi poſſet in cambio, quàm in cambio, quod dici nequit.

147. Antim. Non venditur quidem pecunia in cambio, ad inſtar mercis, ſed ſimpliciter permutatur una in alium, etiam ut pecunia, per traductionem virtualem, ſubſtituta ſcilicet una in locum alterius; ut autem utrique valor æquetur, ad inſtar mercis aliquo modo conſideratur, ſic dixi ſupra v. g. 100 libras Romæ æquari 110 libris Lugduni.

148. Pithan. Quot amabo perſonæ requiruntur ad cambium? ſunt enim qui duas tantùm, ſunt, qui quatuor deſiderent.

149. Antim. Levis quæſtio; duæ ſaltem perſonæ deſiderantur diſtinctæ, campſor ſcilicet & campſarius: cùm enim datur pecunia, alicui detur neceſſe eſt; dare enim eſt ad alterum; & cùm detur præſens Romæ v. g. ſolvenda Lugduni, ſi uterque Lugdunum profecturus eſt, campſarius campſori pecuniam ſolvet cum cambio; ſi verò alter tantùm Lugdunum ſe conferat, alterius procuratorem Lugduni eſſe neceſſe eſt: ſi neuter Lugdunum petit, uterque ſuum procuratorem Lugduni habebit, vel eumdem, qui utroque manente defungatur: itaque, cùm procuratore teneatur perſonam, cujus procurator eſt, unam tantùm perſonam cum eo moraliter facit; igitur in omni cambio duæ tantùm perſonæ interveniunt, campſor ſcilicet & campſarius.

150. Pithan. Vellem, ut nonnullas dubitationes ſolveres, quæ mihi occurrunt circa illum amicum campſarii, qui Lugduni pro eo ſolvit. 1. Utrùm campſor illum campſarium procurare poſsit. 2. utrùm poſſit campſor apud eumdem fidejubere pro campſario. 3. utrùm campſarius poſsit ſe obligare, caſu quo amicus illorum ſolvat Lugduni. 4. utrùm campſor Romanus Lugdunum petat, ſibi poſsit ſolvere nomine campſarii, qui nullum alium amicum Lugduni habet. 5. utrùm Paulus procurator campſoris Lugduni poſſit de illius pecuniis ſolvere pro campſario. 6. utrùm iſdem ſolvere poſsit de pecuniis campſoris. 7. Utrùm iſdem ſolvere poſsit per ſolam remiſsionem crediti campſoris. 8. Utrùm per alia credita campſoris ſolvere poſsit. 9. Utrùm per credita, quæ campſor habet.

151. Antim. Reſp. ad 1. affirmativè; nam per ſe eſt, undecumque ille amicus procedat. Ad 2. item affirmativè, quia licèt campſor non poſsit fortè habere & aſſecurare pecunias datas campſario, propter *can. navigantes*, de quo ſupra, nihil tamen obſtat, quin fidejubere poſſit pro campſario, apud amicum Lugdunenſem. Ad 3. item affirmativè, ut ſcilicet maneat jus actionis campſori in campſarium; nempe ille omni meliore modo ſuam pecuniam aſſecuratus, ac ſe indemnem ſervare poſſet. Ad 4. Reſp. negativè, quia cambium iniquum eſt, quando campſor ignorat, nullas eſſe Lugduni campſario pecunias. Ad 5. reſp. affirmativè, ut conſtat ex dictis. Ad 6. negativè, item ad 7. ut ſupra dictum eſt, item ad 8. & 9. ut jam diximus.

152. Pithan. De recambiis nihil diſcutiendum eſt, quod ſaltem in mentem mihi veniat; cùm nec recambia campſarius ſeſe obligare poſſit, nec illius ſolvi valeat.

153. Antim. Totam rem iſtam ad duo capita revoco; primum eſt, poſito, quòd cambium bona fide peractum ſit; campſor cogere poteſt campſarium ad ſolutionem debiti Lugdunenſis; habet enim juſtam actionem in illum, & cùm Lugduni ſolvere nequeat, niſi accipiat pecunias cambio Romæ ſolvendas, eas ipſi petenti, campſor adhibita ſui correſpondentis opera, Pauli ſcilicet, dare poteſt. Secundum cùm ex dilatione, vel damnum aliquod reverà campſor patitur, vel lucrum illi ceſſat, utrumque meritò à campſario repetere poteſt; ſed tunc non accipit titulo cambii, ut conſtat; debet autem verum lucrum verè ceſſaſſe; nec quidquam ratione periculi ſolius jure accipi poteſt, ſed veri damni, vel ceſſantis lucri.

154. Pithanoph. De Proviſionibus, ut vocant, correſpondentium, & ſtipendiis eorum, quos bancarios vocant, quorum eſt pecunias aliorum exigere, colligere, ſervare, dare in cambium, ſolvere, &c. nihil eſt quod dicamus, cùm nulla inſit difficultas.

155. Antim. Bene dicis, nullam eſſe difficultatem, quam tamen aliqui faciunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua, modò juſta ſit; ſinguli autem ſuis procuratoribus mercedem ſolvunt ac ſtipendium; campſor ſcilicet ſuo, campſarius ſuo; hinc lucrum illud cambii, quod campſor accipit, proviſiones prædictas continet; pertinet enim ad traductionem virtualem, quod campſor habet Lugduni v. g. correſpondentem & pecunias; idem dico de campſario; igitur uterque ſuo miniſtro juſtum ſtipendium rependere debet; nec enim campſor campſarii miniſtro, nec campſarius campſoris procuratore utitur; igitur quiſque ſuo mercedem tribuit; uſus autem obtinuit, ut duo, vel tria in ſingula millenaria accipiant: idem dico de Bancariis, qui pecuniam aliorum ſuo periculo ſervant, illamque exercent juxta illorum mandata, quorum eſt; nemo enim neget, quin ratione laboris, induſtriæ, & periculi juſtum ſtipendium exigere poſſint; equidem illa utuntur, & magnum inde lucrum referunt, ne ſcilicet otioſa maneat, & hujus lucri participes illos faciunt, à quibus illam acceperunt; quod reverà fieri non poteſt, niſi vel eorum nomine negotientur, vel inita ſit ſocietas, vel locata ipſis fuerit pecunia, ita ut bancarius laborem & induſtriam, alter pecuniam conferat; ſed tunc, ut lucrum dividunt inter ſe, ita & jacturam dividant, neceſſe eſt; alioquin pactum iniquum eſt. Præterea procurator campſoris Paulus, ſi eo utitur campſarius, ab eo ſtipendium exigere poteſt, ſeu proviſiones, non quatenus campſoris eſt, ſed quatenus pro illo ſolvit; idem dico de ipſo campſore, ſi Lugdunum proficiſcatur; ſi tamen remittatur debitum Romam de mandato campſarii, duplex ſtipendium exigere non debet, quia duplex labor non eſt; ſed pro his tu vide ſis Gibalin. art. 13. per totum, Delugo diſp. 28. ſect. 5. Molin. tract. 2. diſp. 408. & 409. Scacc. de commerc. Leſſ. c. 23. dub. 8. & 9. &c.

156. Pithanoph. Quando ſumma pecuniæ maxima eſt, utrùm idem à correſpondente exigi poſſit, v. g. in ſingula millenaria, tria, valde dubitarem; tunc enim pro modico labore, ingens ſtipendium tribueretur.

157. Antim. Nullus meo judicio dubio locus eſt; ſic enim diſtribuuntur ſtipendia; nec enim commodior diviſio inſtitui potuit, quàm ea, quæ à copia pecuniarum petitur; atque ita fert communis uſus. Lugo diſp. 28. n. 74. Gibal. n. 10. Leſſ. n. 77. uno verbo, tota reſiſta definiri poteſt, ſi dicam, campſori

ejuſque

ejusque correspondenti justum lucrum deberi, traductione virtuali pecuniarum, ad quam totus labor referendus est; item procuratori campsarii; item Bancariis, quibus pecuniæ custodiendæ, solvendæ, distrahendæ traduntur, hujus porrò lucri, seu stipendii æquitas, & justa mensura ab ipso usu, quem viri sapientes, pii, & rerum hujusmodi periti approbant, ducenda est.

152. *PITHANOPH.* Ex his, quæ dixisti hactenus, probè intelligo, quid de tota re cambiorum tenendum sit; eò enim tota hujus controversiæ definitio reducitur, 1. cambium verum licitum esse, & Reip. utile; sive campsarius det Romæ campsori suas pecunias, ut eas Lugduni recipiat; sive accipiat Romæ à campsore, Lugduni easdem soluturus. 2. Justum lucrum à campsore percipi titulo traductionis virtualis pecuniæ, sive hæc campsori sit utilis, sive inutilis. 3. Justum cambium non esse, si campsarius nullas habeat pecunias Lugduni, nec actu, nec virtute, & hoc campsor sciat. 4. non posse fieri solutionem Lugduni, de pecuniis ejusdem campsoris, & multò minùs de illius credito. 5. si campsor bona fide processerit, & ignoraverit, campsarium carere pecuniis Lugduni, justum cambii lucrum ab eo percipi posse. 6. Campsarium non posse obligari pacto ad recambium. 7. Posse à campsore procurari hominem Lugduni campsario, qui ejus nomine solvat. 8. Posse hunc, vel actu solvere, vel fidejubere. 9. Campsorem posse fidejubere pro campsario, apud illum amicum Lugdunensem. 10. Non posse quidquam lucri ex dilatione solutionis percipi, nisi titulo lucri verè cessantis. 11. Recambium licitum esse, si campsarius coactus à campsore ad solvendum Lugduni, petat pecunias cambio, ad hunc finem, eas Romæ soluturus. 12. Continuationem cambiorum, quæ fit per singulas nundinas, invito debitore, iniquam esse, nisi titulus veri lucri cessantis accedat; hæc & alia hujusmodi à te adstructa, faciam, ne memoria excidant, nec mihi quidquam aliud de hoc argumento in mentem venit, quod ex iis, quæ disseruisti, explanare ac decidere facilè non possim; hîc ergo finem huic controversiæ statuamus; aliæ duæ restant de usuris; prima est de pacto trium contractuum ut vocant; secunda de censu utrimque redimibili; sed ne hic congressus inde longior evadat, in sequentem eas, si tamen ita judicas, illarum discussionem transferemus.

ANTIM. Per me licet; tibi enim ex officio incumbit modum ponere, ac tempus præscribere, in his omnibus, nihil mihi antiquiùs est, quàm ut tibi morem geram. Adjungere autem poteris iis, quæ de cambio disputavimus, hanc prolixam scriptionem de hoc argumento à me compositam.

Quæritur, utrùm cambium plateale, nimirum de platea ad plateam, absque limitatione continuatum, sit licitum?

REspondeo, prædictam continuationem cambiorum ac recambiorum nunquam per multos annos interruptam seriem, & continuatam ad libitum, privata auctoritate, sine ulla limitatione vel temporis, vel lucri, usurariâ & injustâ omnino videri; quod antequam probem, quædam supponenda sunt.

I. Rem istam cambiorum, tum nundinalium, tum platealium, (sic enim vocare mihi liceat cambia, quæ fiunt de platea ad plateam) esse intricatissimam, ut omnes fatentur, præsertim Scaccia de commerc. §. 1. q. 2. n. 11. cum novis quotidie negotiationibus, contractibus, pluribusque personarum & solutionum fictionibus ita implicetur, ut ad instar cujusdam labyrinthi esse videatur.

II. Autores, qui de cambiis scripserunt, inter se maximè dissentire, tum ratione principiorũ, quibus hujus contractus justitia nititur, tum ratione tituli, qui justum lucrũ supra sortẽ acquiritur; tum ratione objecti, quod sibi proponunt cõtrahentes; tum demum ratione substantiæ ipsius contractus; mirum quantum in his, ac proinde in omnibus ad cambium pertinentibus varient; nempe præter principia naturalia & immutabilia sunt Bullæ, Brevia, rescripta Pontificum, & declarationes deputatæ Cõgregationis, approbatæ SS. ex quibus diversi autores diversa omnino colligunt: nempe Bulla Pii V. rem istam valde restringit, ejusdem Breve ad Bononienses, & rescriptum Gregorii XIII. ad Panormit. Archiepiscopum aliquantulum relaxat; responsa demum ad casus enuenses facta à Congreg. specialiter deputata, & ab Urbano VIII. approbata, à partibus variè explicantur; quod certè movit Leotard. ad desiderandum, ut nova Constitutione Pontificis res ista decideretur, quæst. 26. num. 55.

III. Variant autores in titulo justi lucri, collybificet; nempe alii volunt, lucrum illud accipi titulo *interesse*, scilicet lucri cessantis, aut damni emergentis; alii titulo majoris copiæ pecuniæ, ac proinde minoris valoris ejusdem; alii titulo trajectionis pecuniæ, realis scilicet, aut virtualis; alii ratione assecurationis ejusdẽ pecuniæ; alii ratione emptionis pecuniæ absentis; objectũ etiam hujus contractus apud diversos diversum est, & substantia ipsius cõtractus diversa; quidam volunt esse meram permutationem pecuniæ trajiciendæ, realiter aut virtualiter; alii verò dicunt, esse venditionẽ, qua scilicet campsarius vendit, pecuniam absentem, pretio præsentis diversi generis.

IV. Suppono, à quibusdam damnari cambium recursæ, ut vocant, vel cum recursu; multos citat Giblin. cap. 1. art. 9. num. 2. multos Leotard. q. 26. Lugo disp. 28. sect. 7. num. 77. à quibusdam etiam non damnari, multos appellant prædicti autores, locis citatis; plerique tamen ex istis, rectè monent, ut Lugonũ. 98. consulendũ esse campsoribꝰ, ut ab hoc cambii genere abstineãt propter periculũ usuræ palliatæ, quod ineat.

V. Suppono, finem hujus contractus spectare ad utilitatem publicam; ad hoc scilicet, ut mercatoribus copiosa pecunia suppetat, quod sanè postulat mercaturæ præsertim majoris & nobilioris ratio, ut expressè habet Pius V. in sua Bulla; & reverà in hoc omnes Doctores conveniunt, nemine prorsus excepto.

VI. Cambium per literas, seu locale, ut vocant, duplicis generis esse, necesse est; primũ est cambiũ propriè dictum, quod antiquum vocari potest, pro traductione pecuniarũ reali scilicet, aut virtuali, necnon earundem assecuratione; sic aliquis dat Romæ campsori pecunias, ut eas per se aut per alium recipiat Genuæ, ubi iis pecuniis ipse indiget; vel Romæ à campsore pecunias accipit, ubi iis indiget, ut eas campsori, vel ejus correspondenti solvat Genuæ, per se, vel per alium suo nomine; hic autem titulus traductionis virtualis, aut realis pecuniæ, non assecurationis, fundat justitiã rationalis lucri, majoris scilicet, vel minoris, pro majore, vel minorẽ locorũ intercapedine. Aliud cambii genus est impropriũ & novum, quod nundinale vocant; vel plateale, quod juxta regulas nundinalis procedit, aut procedere à suis defensoribus præsumitur, in quo nulla prorsꝰ habetur ratio traductionis pecuniæ; nulla enim profectò traducitur pecunia, sed tantùm per accidẽs; sic aliquis indiget Romæ pecunia, eam accipit cambio à campsore, eandem soluturus Placentiæ v. g. in primis nundinis, cum lucro campsoris; ibi tamen campsarius nullas pecunias, nec actu, nec potentia, sed campsor mittit literas ad unum

& Ban-

debitoribus, qui statuto tempore, Placentiæ conveniunt, ut satisfaciat, solvatque nomine debitoris, & recipiat nomine illas pecunias, vel potiùs creditū, & tandem per cambio remittat, Romæ solvendas à debitore, primo campsori Romæ iterum instituto cambio, ad proximas nundinas eandem summā, cum triplicato lucro Placentiæ, vel alio ad Bancherium dirigit; atque ita deinceps, quousque interrupta cambiorū serie, donec tandem centesimam primam summam longè superet: Titulus justi lucri cambiorum gotto difficilè assignatur, nec enim fundatur in translatione pecuniæ, ut patet, & rectè monent hujus cambii propugnatores, ac præ cæteris illorū facilè princeps Rotarii à Turri, qui etiam titulum interesse, lucri cessantis, aut damni emergentis ob eo excludunt, solo titulo emptionis contenti: volunt enim à campsore, qui in Genuæ, v. g. tradita campsario pecunia, ut pretio, emisse marcharum proximis nundinis Placentiæ, juxta valorem pecuniæ publica autoritate ibi statuendum, deinde bancherio solvenda; ibi autem scuta marchanum inflat meres considerantur.

VI. Multi hanc venditionis speciem, nec probare, nec intelligere possunt; nam quisquis emit, indiget re, quam emit, vel ad usum, vel ad lucrū, quod certè non provenit, nisi vel ex fructibus partis ab ipsa re empta, sic multi emptores fructiferas, vel ex nova venditione, seu permutatione fiet mercatores emunt merces, ut iterum vendant cum lucro: id quid autem campsor emit scuta marcarum, quæ nec quid fictum, vel imaginariū; non certè ad usum, quia fictum non potest; non ad lucrum verum ex fructu, quia pecunia non est per se res fructifera; igitur merum nomen nonnullis videtur esse involucrum, ad tegendum monopolium, quo scilicet campsor dat minus pecuniæ in uno loco, ut recipiat plus in alio, adæquato tamen utriusque valore; quo fit, ut illud plus, non plus sit, quam illud minus; neque hoc mutuum improbatum, si valor ille omnino realis esset, cum reali datur fundamento, sic v. g. qui 100 dupliones dedit mutuo in Europa, ut debitum ipsi solvatur in Peruvia, potest sine usura, plures accipere in Peruvia; quia propter majorem copiam, 100 dupliones in Peruvia majoris sunt valoris, quam in Europa: at fortè, immò haud dubiè erit pluris pecuniæ Genuæ, quàm Placentiæ; igitur ad justam æquitatē, campsor plus pecuniæ Genuæ dare debet, minus repetere Placentiæ; cùm tamen secus fiat: dicunt, ideo fieri, quod semper campsor, sive literæ mittuntur Genua Placentiam, sive remittantur Placentia Genuam, de cambiali lucro gaudet; illa igitur major, vel minor copia pecuniæ hoc lucrum legitimum non reddit, quippe alius contractus supponatur, de quo infra.

VII. Et vero cùm pecunia ad aliquid aliud referatur, quam pecunia negotiatio esse non potest, ut optimè docuit Leonardus citatus, aliiq; omnes: licèt enim contractus ad instar mercis, etiam extra cambium minuatur, ejus valor statuatur à peritis, attenta majore, minore rei hujus copia, hoc tamen fit in ordine ad aliquid finem, scilicet ad statuendum justum lucrum, quod quis ex sua pecunia per legitimum titulum, seu contractum alienum, referre potest; collocatur porrò pecunia in re alterius generis, ut dicam paulò pòst.

VIII. Hoc autem perspicuum fit ex Bulla Pii V. qui contra nundinalia approbat, ut consulat utilitati publicæ, in ordine scilicet ad mercaturam: nempe mercatura, tanquam major & nobilior multam vim pecuniæ postulat, quam cùm mercatores de suo habere non possint, mutuo accipiant, necesse est, ea tamen lege, ut creditores illorum fiant participes faciant; alioquin frustra pecunia mutuata esset; & illa æstimatio in nundinis facta, eò tantum valeret, ut campsores plus reciperent, quàm priùs dederant, adæquato licèt utrinque utriusque pecuniæ valore, sed per meram fictionem, cùm tota illa æstimatio in pecunia sistat, in ordine ad merum lucrum campsoris, immo tota hæc actio in eodem loco, diverso tamen tempore, exhiberi posset: vel in suburbiis civitatis, in ordine ad civitatem; omitto innumera ferè alia, quæ apud Leonard. cit. & alios videri possunt.

IX. Hoc totum confirmatur ex eo, quod, ut rectè observat Raphael de Turri, disput. 1. quæst. 5. & post eum Gibal. cap. 1. art. 8. nundinæ illæ, seu feriæ, in quibus pro majore, vel minore pecuniæ copia constituitur, de communi mercatorum consensu, cambiorum justum pretium, ortum duxerunt à nundinis Lugdunensibus; in his enim prædictum pretium determinatur, non pro cambio proprie dicto, sed pro lucro, quod statuitur pro trimestri præterito, iis, qui suam pecuniam mercatoribus ad negotiandum dederunt; cùm enim pars lucri cedat mercatori pro assecuratione sortis, & pars pro permutatione lucri probabilis majoris in certum minus, pendendum creditoribus, in prædictis nundinis, statuunt pretium illud certum, in singula centenaria, attenta majore, vel minore copia pecuniæ, & majore vel minore illorum multitudine, qui pecunias suas mercatoribus tradunt.

X. Itaque cùm à nundinis Lugdunensibus hæc consuetudo statuendi cambiis pretium ortum duxerit, & ad alias civitates nundinæ illæ traductæ sint, inde colligo, propter eūmdem finem id factum fuisse; immo licèt in foro Lugdunensi, lucrum ex pecunia mercatoribus tradita in pacto trium contractuum, ut vocant, fundetur, ipsum tamen cambium vocant, & locus ipse fori, in quo mercatores conveniunt, ad stabiliendum prædictum lucrum, seu pretium, eodem cambii nomine vocatur: Item Londini eodem nomine locus ille vocatur, in quo conveniunt mercatores, ut pecuniæ pretium constituant; est igitur probabilissimum, in aliis civitatibus similes nundinas institutas fuisse, ut simile lucrum, simili titulo, ex credita mercatoribus pecunia proveniens statueretur, ascito tamen vel retento cambii nomine; hic verò titulus est omnino legitimus, licèt expressa illius ratio ab iis, qui dant pecunias, non habeatur; hinc optimè monet Gibal. cit. art. 4. n. 7. hoc lucrū sive auctarium accipi in cambio locali, non vi ipsius cambii, id est, vel traductionis pecuniarum, vel permutationis, seu emptionis, sed alicujus alterius contractus, & alterius justi tituli; & hanc communem esse Doctorū mentem testatur, nec non faciliorem & certiorem viam, in qua omnes difficultates solvantur.

XI. Inde autem ducitur responsio ad illud argumentum, quod afferunt propugnatores cambii nundinalis, præsertim D. Raphael de Turri, quod scilicet fieri non possit, ut cùm maxima pars totius negotiationis Italiæ in hoc cambii genere posita sit, hæc eadem negotiatio legitima non sit; ad hoc enim respondetur, illos, qui in hac negotiatione versantur, omni meliore modo, quo fieri potest, pecuniam suam velle collocare, & cùm prædictus titulus in ascito contractu fundatus, sit legitimus, illum sufficienter intendunt, præsertim cùm prædictæ nundinæ initio institutæ, eò duntaxat spectarent; & hoc maximè cum fine hujus negotiationis convenit; nempe ad utilitatem publicam pertinet, præparari & colligi pecunias mercatoribus ad mercaturam exercendam, ea tamen lege, ut ii, qui pecunias suppeditant, lucri participes fiant. Accedit, quòd illa congestio, vel collectio pecuniæ in nundinarum loco ad utilitatem publicam multum refert, nempe inde mercatoribus legitima occasio præbetur, tum utendi illa pecunia ad negotiationem, parciùs, vel liberaliùs pro minore vel majore illius copia; tum statuendi justum illius pretium, quatenus merces loco habetur, idque pro majore, vel minore copia; tum demum statuendi certum eorum lucrum, qui pecunias suas dederunt.

XII. Verum quidem est, rem hanc à sua prima institutione desciviſſe; nempe ad præfatum titulum requiritur, ut is, qui accipit pecuniam, ea utatur ad negotiandum, vel

ad

ad aliquem fructum ex ea referendum; quod certè fit, ut plurimùm; at non rarò accidit, ut nulla prædictæ negotiationis ratio habeatur; ac proinde illius legitimi tituli ratio nulla sit, sed merum mutuum, vel cambium palliatum; hinc is, qui pecuniam accipit, mercator esse debet, aut saltem pecuniam illam, in re fructifera, seu reali, seu virtuali collocare; vel is, qui pecuniam illam ad referendum fructum collocat, aut mercator, aut certè eo animo, ut reverâ fructum ex pecunia sua, justo aliquo titulo referre velit; alioquin nullus erit justus titulus lucri percipiendi. Campsor tamen facilè mercator dici potest vel eo nomine, quòd scuta marcarum sibi v. g. Placentiæ tradenda, emit præsenti pecunia Genuæ camplario data; nempe scutum marcarum est species pecuniæ, quæ reverâ non extat, sed supponitur loco alicujus fixi & immutabilis; ita ut tamen ad scutum marc. faciendum, aliquando plùs, aliquando minùs pecuniæ currentis requiratur; cùm enim merx sit, illius pretium statuitur; successit autem scutum marcarum, ut vel ipsum nomen sonat, auripondo, in quo aliàs in nundinis creditoribus nomina pendebantur; cùm enim ex diversa Principum taxa, species pecuniariæ in pretio variarent, sic dupliones Hispanici modò pluribus, modò paucioribus argenteis adæquantur, ipsi constituerunt auripondo habebant, ad quod, in solutionibus nundinalibus attendebant, sive plus, sive minus pecuniæ illud adæquaret; & verò marc est vox Gallica, quæ 8 uncias auri, vel argenti significat; igitur huic auripondo, quod erat certa mensura constituta, scutum marcarum, quod est quid purè imaginarium, successit; & ut olim mercatores illud auripondo emebant, ita nunc illud scutum marcarum emunt.

XIII. Enimverò si cambium nundinale merum cambium esset, non video, cur temporis intervalla sint necessaria; & cur quater tantùm in anno, non centies, cambia illa celebrentur; sic mercatores, qui emunt & vendunt, non adstringuntur ad talem vel tantum numerum venditionum: igitur si hîc de mera venditione, in cambiis scilicet nundinalibus agatur, non video, cur plures nundinæ quàm quatuor in anno institui non possint; v. g. quinque, decem, viginti, centum, &c. hoc enim venditioni nullo modo repugnat; nemo tamen concesserit, lucrum illud legitimum & justum esse, si nundinæ illæ ita multiplicentur, cum multiplicatione ejusdem lucri; unde, ni fallor, manifestè constat, justitiam hujus lucri in mera illa venditione non fundari, sed in altero contractu, saltem implicito, de quo supra, qui cùm supponat tantum lucri probabilis, quod mercator sperat, inde certum lucrum iis, qui pecunias mercatori crediderunt, minus licèt, attribuit, facta scilicet justa compensatione, vel adæquatione pretii incerti majoris & minoris certi, item pro assecuratione compensanda: adde, si vis, quòd cùm hæc omnia ad statuendum pecuniæ pretium, in ordine ad mercatores fiant; his sanè tempore opus est, ad mercaturam exercendam: ac proinde quater in anno tantùm v. g. prædictæ æstimationes instituuntur; quamquam, ut dixi, res ista ultimò resolvitur, ad statuendum certum iis lucrum, qui pecunias suas mercatoribus, per mercaturam exercendas crediderunt.

XIV. Quod de cambiis nundinalibus dixi, potiori jure de platealibus dici debet; loquor de impropriis, & quæ nundinalibus similia sunt, in quibus scilicet campsor pretio pecuniæ præsentis, quam dat, emit aliam pecuniam, vel aliud pecuniæ genus in alia platea, sibi solvendum; nempe si hæc est mera venditio, non video, cur unus campsor in eodem loco, non possit emere illud genus pecuniæ, quod emit in alia platea; ut igitur ex his cambiis platealibus justum lucrum referatur, debet in iis inesse saltem tacitè illud pactum trium contractuum, de quo supra, in quo titulus justi lucri fundetur: ac proinde justum lucrum debet statui in singulos annos, vel pro rata in singulos bimenses, aut trimenses, ut in censu; ponro judicium illud, quo taxatur valor pecuniæ, vel à communi consensu mercatorum illius loci regulari debet, vel meo judicio non est difficultas. His præmissis, ad casum propositum respondeo, & conclusionem assertam facilè probo, multis argumentis.

I. D. Raphael de Turri, cambiorum nundinalium acerrimus propugnator, qui sese torrenti aliorum Doctorum ad defendendũ hoc cambii genus opposuit, de quo alibi opus absolutissimum conscripsit, & in lucem edidit, damnat continuationem cambiorum platealiũ, in doctissima scriptione ab ipso de hoc argumento typis mandata: igitur cùm supremus cambiorum patronus hanc formam cambii damnet, nemo neget, meritò damnandam esse. Id verò in hoc negotio, hujus doctissimi viri authoritas maximi momenti esse debet; licèt enim, quatenus cambium aliquod adstruit, cautè legendus sit, ut monet Leotard. citat. quatenus tamen aliquod aliud reprobat & damnat certum est moraliter, illud defendi non posse; alioquin illud ipse defenderet, cùm huic contractus generi addictissimus sit.

II. Prædicta continuatio nullo legitimo titulo nititur non traductione pecuniæ, nec illius assecuratione, ut constat, non emptione, ut suprà dictũ est, & optimè demonstravit Leotard. cit. nec enim Titius verum animũ habet emendi Ducatos Venetos, quos nunquam acquirit, nec vult acquirere, quia iis non indiget; nec ad alium finẽ spectat, nisi ad lucrum ex multiplici cambiorum, seu literarum repetitione, quæ sanè literæ in se ac per se inanes sunt, in ordine ad veram solutionem, & merum dantur fucum, seu colorem cambii exteriùs obducunt. Nullus est igitur titulus veræ emptionis; hæc enim prorsus simulata est; nullus etiam ex interesse, quia ex hoc certum interum statui non potest, per Bullam Pii V. nullus demum ex negotiatione, vel ex tribus contractibus, de quibus supra; quia Sempronius non est mercator, nec ex pecuniis à Titio acceptis negotiatur; igitur prædicta continuatio nullo legitimo titulo nititur.

III. Præterea quis non rideat hoc emptionis genus, in quo una duntaxat Titii pecunia existit atque apparet, & nihil aliud, præter meras & inanes literas ultro citroque missas, ad speciem, & hæc omnia scenicè, nempe Titius probè novit, Sempronium nullas habere pecunias Veientis; & cùm ipse Cajus sit correspondens Titii, non tamen fit Bancherius, non adhibet propriam pecuniam, sibi solvendum; immò ut plurimum, non habet aliam pecuniam Titii, sed tantùm illud creditum Titii debitori Sempronio impositum; in quo facto nullum justi lucri titulum, vel ipsi autores agnoscunt, qui cambium nundinale approbant, ut Lugo, Lessius, Salas, Navarr. Salon. Fabian. Genu. Rebell. Molina, Filliuc. Castro Palao, alique, quos citat Gibal. cap. 1. art. 6. qui omnes communem doctrinam esse fatentur; & præcæteris Leotard. citat. quæst. 26. à n. 48. qui hoc argumentum fusè & doctè discussit; igitur, ut dixi, ridiculum est, & fictitium cambii & emptionis genus, damnatum per declarationem peculiarem Congregationis in responsione ad 1. 2. 3. casum.

IV. Licèt cambium nundinale subsistat, & justi lucri titulus eidem insit, ratione alterius contractus saltem occiti, qui accedit, ut supra dictum est, non tamen platea cum prædicta continuatione subsistere dicendũ est, nempe in nundinali, quater tantùm vel octies singulis annis taxatur lucrum, quòd scilicet pecunia negotiationi exposita facere potest, pro diverso illius valore; at in hoc casu proposito, plus quàm tricies singulis annis multiplicantur cambia, & lucrum crescit in immensum; ita ut in singula centena, illa pecunia 50. aut 60. pariat, quod est pretiũ enorme & exorbitans, ac proinde contractum vitiat, sive sit venditionis, sive simplicis permutationis,

V. Ex sibis in mense, per cambium & recambium exercetur illa pecunia, vel potiùs illud Titii credibrum; non video, cur ter, aut quater, quinquies, decies, vigesies, tricies, cambium repeti non possit, selectis duabus civitatibus vicinissimis: nemo autem dicat, hoc cambii genus legitimum esse, immo in arte fæneratitia antiquorum nihil adeo enorme habetur: & vero quod idem creditum Titii tantam vim lucri parere possit, est sanè inauditum; supponamus enim Titium nullas alias habere pecunias quam quo ad hoc, perinde est, sive alias habeat, sive non habeat, ex eo tamen, quod prædictum creditum Genua mittatur Venetias, & Venetiis Genuam remittatur, atque ita deinceps, ultro citraque per litem, non sequitur, quod justi lucri titulum afferat, nec illius opinor Theologus hoc dixerit.

VI. Sempronius debitor non tantùm non indiget hujusmodi fictorum cambiorum traductione, vel circuitione, seu continuatione, sed maximum hoc illi detrimentum affert; quod autem unus decerpat de bonis alterius, nulla hujus culpa, & sine ullo respectu ad utilitatem publicam & bonum commune, injustum omnino reputatur, & hac de causa ars fæneratitia ab Aristotele aliisque philosophis ac Theologis moralibus illicita judicatur; itaque cum hujusmodi cambium intra paucos annos propter perpetuam illam cambiorum, & recambiorum circuitionem extremum excidium, & ruinam familiis afferat, & inde bono communi ac reipublicæ minimè consulatur; legitimum certè dici nequit, sed eodem jure, quo ars fæneratitia, damnandum.

VII. Cum in hac continuatione, nulla haberatur *ratio negotiationis*, aut mercaturæ, nec *traductionis pecuniæ*, nec collectionis ejusdem, nullus alius titulus justi lucri inesse potest, ut patet ex dictis; quod enim dici posset de venditione pecuniæ, jam supra explosum est; cum nec sit animus emendi, nec merx à pretio distincta, nec pecunia à pecunia, nec personæ distinctæ negotiatione & fide, nec solutio fiat ex pecuniis, quæ non sint creditoris, scilicet Titii, sed sit mera ejusdem crediti circuitio, & reciprocus recursus, immo licèt intercederet vera venditio, propter exorbitans pretium, nullo modo contractus ille teneret, ut patet in aliis omnibus venditionibus; nullum cito; quia nemo hoc negat.

VIII. Si hoc cambii genus legitimum esset, omni usura, vel contractus usurarius facilè salvari, seu salvari posset; quis enim fingere non potest creditum illud, per diversos circuitus ultro citroque agitatum; immo lucrum ex mutuo, ac proinde usurarium longè minùs noxium esset, & minùs detrimenti debitoribus afferret; & vix Hebræi ullum fœnus exercent, quod mitius non sit hoc cambii genere: si autem illi authores, qui cambium nundinale & cum recursu, ut ajunt, approbant, ut Lugo, Lessius, alique apud Leotard. cap. num. 45. magnum in eo periculum agnoscunt, nempe scilicet usuræ & mutui palliati, potiori jure hoc ipsum, de quo agimus, damnaturi essent; non nullum Theologum esse arbitror, qui suo illud suffragio donet: modo rem ipsam intelligat, & non sistat in mero verborum cortice ut aliqui. Atque si hoc cambium tenet, frustra mutuum prohibetur, frustra census & montes instituuntur, cum modus lucri justi in promptu sit longè facilior & nulli periculo expositus, in quo aliquot duntaxat chartæ folia, quotannis consumuntur.

IX. Illa ratio non christianum modò animum, sed humanum vehementer movet, quod intra paucos annos, pauca nummorum, seu scutorum millia per prædictam cambiorum continuationem, in plura centena millia creverint; incredibili certe lucro, nulla tamen industria creditoris, nulla culpa debitoris, nulla vel aspirantis fortunæ, vel faventis mercaturæ bona sorte, nullo ex re fructifera fructu percepto, sed sola literarum ultro citroque missarum circuitione; quis autem sibi persuadeat, debitorem se se ad id obligare voluisse, quando creditori facultatem dedit, exercendi per cambia suum creditum; quando verò enormiter læditur alter contrahentium, omnes Doctores docent, inde contractum irritum & nullum censeri, aut saltem irritandum.

X. Cum potissimum adversariorum argumentum ex eo petatur, quod stante primo cambii æquitate & justitia, alia subsequentia omnino similia justa sint etiam, atque licita; ex illo ejusdem continuationis iniquitas colligitur; nempe eodem jure dicerem singulis diebus literas illas cambiales posse mitti, immo bis, ter, quater in die, atque adeò singulis horis; hinc lucrum duorum adæquaret capitale; nemo, ni fallor, qui ratione polleat, hoc monstrosum lucrum approbare potest; igitur inde ruit adversariorum argumentum; nec ex eo quod cambium per primas, secundas, tertias, aut quartas literas, singulis annis, licitum sit & justum; sequitur, justum esse per denas, vicenas, tricenas &c.

XI. Hinc certum esse evinco, determinandas esse vices, seu literas, ad certum numerum, in singulos annos; ita ut majore numero esse non possint, ut cambia justa censeantur; sic quater in anno dantur literæ ad nundinas & quater pro recursa, non plures; & verò cum campsores lucri & pecuniæ satis avidi esse credantur, si ad plures nundinas dari possent literæ cambiales, ad majus lucrū faciendum nemo est qui sibi facilè non persuadeat, campsores hanc occasionem majoris lucri omnino captaturos; si lucrum illud justum esset.

XII. Casu quo nundinæ unæ tantùm, non plures singulis annis essent, nemo neget, justè fieri posse, ut lucrum ex unis literis cambialibus perciperetur, æquale lucro, quod ex quaternis modo nundinis percipitur; pari modo, si multiplicarentur nundinæ, lucrum ex omnibus simul perceptum æquale priori adhuc esset; igitur singulis minus lucrum competeret; unde cum platealium cambiorum continuatio per continuationem nundinalium reguletur, saltem ut prætendunt adversarii, iniqua est illa continuatio, in qua sive plures sive pauciores literæ mittantur, idem singulis cambiis lucrum statuitur; igitur ut plateale cambium continuatum justum esset (nisi aliud obstaret, & reverà multa obstant) quatuor tantùm literæ quotannis mitti & totidem remitti deberent, ex quo etiam prædictæ platealium continuationis iniquitas deducitur.

XIII. Cambiorum nundinalium institutio, seclusis tribus contractibus, eò præsertim spectat, ut ad mercatorum usum eo congeratur pecunia; congeritur autem, quia omnibus debitoribus indicitur, ut ibidem tali tempore solvant; nimirum est utilitatis publicæ, ut ad mercatorum usum, magna vis pecuniæ colligatur, ut jam supra indicavi: at cambia

platealia alium finem habent ; nec enim illorum opera colligitur pecunia ; cum autem ad utilitatem publicam etiam pertineant, ad quam scilicet, à Pio V. omnia cambia referuntur , nullus alius finis excogitari potest , præter pecuniarum transportationem , ad usum scilicet illorum, qui campsoribus suas pecunias tradunt in uno loco , ut eas alibi recipiant ; vel ab iis recipiunt, ut alibi tradant; igitur si in cambio plateali prædicta transportatio pecuniæ fictitia est , cambium siccum est atque illicitum , ut in nostro casu præcipuè patet,quemadmodùm siccum esset nundinale , si pecuniarum collectio non fieret, sed fingeretur.

XIV. Nullum authorem invenio , qui platealium cambiorum continuationem disertè approbet , nullo scilicet mittendarum quotannis litterarum numero definitam; eo scilicet modo,quo dixi , nimirum cambium plateale continuatum & multiplicatum ad libitum , auctoritate privata; licèt enim aliqui recambia, suo calculo donent, nemo tamen multiplicem illam & ad libitum indefinitam continuationem probat; multos legi , qui de cambio agunt,puta Raphael.à Turri, Leotard. Gibalin.Scaccia,Fabian. Genuens.Hieronym de Luca. Molin.Lugo,Lessium,Castropalao, Justinian. Dicastill. Salonas. Garciam. Petrum de Ognate &c. nullum tamen ex his invenio, qui prædictam continuationem probet , statuto ab ipsis campsoribus ad libitum pretio,& nulla prorsus auctoritate publica interveniente,illam autem damnant & reprobant; expressè Dicastill. lib. 2. de justitia & jure tract. 12. disput. 1. dub. 3. numero. 93. quia , inquit , onus nimis grave esset , & Petrus de Ognate tom 3.tract.24.disput 88.sect. 9.numero.185. qui prædictam continuationem, feram & inhumanam vocat.

XV. Illi Authores , qui cambium cum recursu non damnant, sed illud à pacto usurario liberant, fatentur ultro , esse omnino dissuadendum , ut jam dixi supra , propter periculum maximum usuræ quod ipsi inest , ut Fabian. Genuens. tract. de camb. 1.p. num. 10. Less.lib. 2. cap. 23. dub. 7. num. 71. Molin. disp. 404. num.12. aliique fere omnes , in hoc autem binæ duntaxat literæ mittuntur , scilicet à campsore ad correspondentem , & ab isto ad illum ; non est igitur dubium, quin iidem damnaturi essent prædictam cambiorum platealium adeò multiplicatorum continuationem ; si enim vel binas litteras , id est duplicatum cambium , vix non damnant , vix tolerant ; quomodo tricenas , centenas tolerarent?

XVI. In hoc cambio plateali , quo platea longius distat, plus lucri ex singulis cambiis , seu literis jure percipitur,ut nemo negat ; igitur habetur ratio transportationis pecuniæ, non quidem realis, seu formalis,sed virtualis,quæ formali, in ordine ad usum & commodum privatum & publicum, æquivalet;nō ita in nundinalibus,in quibus nulla habetur ratio prædictæ transportationis,ut fusè probat Raphael à Turri.sed tantùm collectionis pecuniæ , ad usum mercatorū,&ad statuendū justum pretium pecuniæ;quatenus ad instar mercis consideratur; si ergo in platealibus abest ratio prædictæ transportationis,illicitam & usurariam esse necesse est;cum sub eo nomine usuram ex mutuo perceptam palliant.

XVII. Manifestum igitur nundinalium & platealium discrimen est, ut vel inde præcipuum adversæ partis fundamentum corruat ; nempe finis nundinalium diversus est à fine platealium;hic enim ad commodum transportationis pecuniæ spectat, ille ad commodum collectionis & statuendum pecuniæ pretium, authoritate publica; quare hic finis nundinalium postulat,ut per diversas nundinas illa continuentur;cum tamen finis platealium ab illa continuatione abhorreat; quod certè in hac causa diligenter ponderandum est.

XVIII. Concludo igitur,prædictam cambiorum platealium continuationem legitimum jure lucri titulum non afferre ; cum nec ibi sit vera cambii ratio , nulla enim traducitur pecunia ; nec venditio nisi fictitia ; aut si vera omnino ipsa , propter pretium exorbitans ; nec titulus lucri cessantis ; quia per bullam Pii V. nullum certum lucrum ex hoc titulo statui potest, deinde tantum lucrum Titio cessare non potest ut ad 50. aut 60. annua in singula centena ascendat ; cum etiam ibi fraus manifesta esse videntur, & negotium omni usuræ , & monopolio & arte fœnetitia crudelius,ad ruinas familiarum, nulla sua culpa, denique cum inde Bulla Pii V. & sacra Pontificum responsa eludantur : sed jam ad nonnulla,quæ obnici possunt,respondendum est.

1. Obiiciunt per Bullam Pii V. prædictam continuationem licitam indicari. Respond. prædictam Bullam huic cambiorum generi esse omnino contrariam ; nempe illa duntaxat cambia approbat , quæ ad utilitates publicas & mercaturam conferunt; hoc autem nulli prorsus est utile , nisi campsori; idem Resp. ad alia Pontificum rescripta.

2. Obiiciunt:Continuatio cambiorum nundinalium licita est ; igitur & platealium. Respond. transeat antecedens , nego consequentias; discrimina multa afferri possent , hoc tantùm indico, sub cambio nundinali latere alium contractum, de quo supra, quo statuitur pars lucri, ex negotiatione provenientis, illi , qui pecuniam mercatoribus suppeditavit , in hoc vero plateali , quæ de agitur, nihil tale est , ut constat ex dictis; accedit , quod nundinalia ad congerendas & colligendam mercatoribus pecuniam spectant, quod utilitatis publicæ ratio in ordine ad mercaturam omnino postulat : cambium plateale nihil tale habet : alia discrimina à diverso fine præterea petita,ex iis quæ supra diximus,constant.

3. Obiiciunt , Titium ex sua pecunia lucrum percipere posse , cum enim negotietur, lucrum haud dubiè ex ea faceret; fateor , titulo lucri cessantis aliquid accipi posse à Titio, modò nihil certum statuatur ; deinde ut jam indicavi supra , tantum lucrum cessare non potest igitur Titius dicere debet,quantum fructum illa pecunia ipsi peperisset.

4. Obiiciunt , si una vice Titius potuit illud creditum transmittere per cambium , cur non secunda , tertia &c. Respond. nequidem prima vice illud licere, nisi Titius bona fide putet, temporium habere pecunias Venetiis, quas Capitalonat, ad extinguendum suum debitum , & in hoc conveniunt omnes authores citati à Leotardo n. 45. & sequentibus ; deinde licèt pro prima vice liceret, non tamen pro diversis ; quia sic pretium exorbitat : præterea si una tantùm vice quater in anno fiat , longe facilius præsum bona fides , quam si tricies vel quadragies

ad quæ

ad quid enim & quò spectat multiplex illa cambiorum traductio? non certè ad pecuniæ traductionem, quam campsarius non postulat; non ad emptionem pecuniæ alterius speciei, ut patet cum semper eadem sit pecunia; non ad congendum, mercaturæ gratia, majorem vim pecuniæ, quod fortè in cambiis nundinalibus locum habet: illa igitur continuatio, nulla tituli honestratione honestari potest, nequidem præsumptivè in nundinalibus, & in plateali prima vice advertum habito.

5. Obicit Titius habuit mandatum, seu facultatem à Sempronio, traducendi per cambia suum creditum: Respond. Sempronium non dedisse facultatem traducendi creditum illud, per cambia illicita, quale est illud, quod fit de Platea ad Plateam, cum perpetua continuatione, unde si forte Titius traduxisset illud per cambia nundinalia, justum lucrum fecisset & teneret mandatum.

6. Usus invaluit, ut prædicta cambia plateana ab hominibus Piis ad praxim reducantur. Respond. nonnego, quin aliquis dare possit pecunias cambio, deplatea ad plateam, modò bona fide mercedat, & reverà campsor putat, campsorum habere pecunias actu, vel virtute, in eo loco ad quem pecunias cambio accipit, ut scilicet ibi reipsa illas solvat, & debitum extinguat; at in prædicta continuatione, bona fides non intercedit; sciebat enim Titius, nullas pecunias Sempronio velle esse.

7. Obic. Volenti & consentienti non fit injuria; consentit autem Sempronius. Respond. 1. assumptum falsum esse, sic is qui necessitate compulsus accipit pecuniam sub fœnore & usura, reverà consentit, licèt illi ab usurario fiat injuria. 2. Resp. Sempronium non consensisse cambiis illicitis sed licitis.

8. Obic. Titius Cajo correspondenti suo jure mercedem solvere debuit, scilicet provisionem, ut vocant. Respond. justas provisiones pro vero cambii jure exigi, secus pro fictis & falsis, quale reverà istud est; similiter dico, Titium ad hujusmodi cambia exercenda, non tenetur, ad habendas pecunias in iis locis, ad quæ cambia, cùm mera credita eò traducat quæ demùm remittuntur ad ipsum cum gemini cambii lucro.

Hæc sunt, quæ dicenda mihi occurerunt circa propositum casum, salvo semper meliore judicio &c.

ADDITAMENTUM.

1. Necesse omnino est ut campsarius habeat in eo loco ad quem pecuniam recipit, aliam pecuniam, actualem, aut virtute, id est aut alterius, qui eam illi commodet, idq; vere realiter, absque fictione, eamque fortè ut volunt aliqui sub alterius dominio quidem ipsius campsoris: hæc autem conditio debet habere cambio plateali, in quo tota res agitur sine pecunia, per simplices literas, saltem tota res æquè fieri potest; licet correspondens campsoris immo & nullam pecuniam habeat; undè non fit vera solutio; sed prorsus ficta & palliata.

2. Potest quidem unus & idem, diversas Personas representare, v. g. Legatus repræsentat Principem à quo missus est, & in aliis multis casibus, in quibus una Persona non excludit aliam, id est, illius munus judicare potest; At si una excludat aliam ut in nostro casu v. g. quod idem sibi solvat, sit creditor & debitor, velit recipere pecunias in alio loco, & nolit; immò det illas cum eo animo, ut eas alibi recipiat & non recipiat; in his & in aliis hujusmodi casibus, in quibus jus naturale personas realiter distinctas requirit, hoc non habet locum; immò hæc doctrina mille sceleribus campum aperit; præterquam quod à *secundum quid* ad *simpliciter*, non valet argumentum, ut vulgò dicitur.

3. Contractus venditionis justus supponitur; quia in eo servatur æqualitas; hujus vero cambii contractus, injustus est, propter oppositam rationem; nec verè campsor dat alium campsario, qui pro ipso, pecuniam in dicto loco solvat, sed omninò seipsum; nam correspondens ipsius campsoris est, & ipsius campsoris personam repræsentat; igitur campsor sibi ipsi solvit; licet fictè solvat; quia deest ut plurimùm pecunia; ex ficta vero solutione, fictum cambium resultat, nec obstat id quod dicunt, veram solutionem fieri; quia posito quod omnia fictè fierent, eodem prorsùs modo fierent, quo jam fiunt; inde autem manifestum argumentum ducitur contra hujusmodi cambium, cum scilicet recta ratio facere non possit, ut ille contractus sit licitus, qui sive benè, sivè malè fiat, eodem modo fit nimirum æquivalenter.

4. Hoc repugnat justitiæ, & juri; immo & ipsi rationi & naturæ, ut idem pecuniis suis sibi solvat debitum alienum, ex quo mera fictio intelligitur; in quibusdam casibus, per nos vel per alios, aliquid præstare possumus, non tamen in omnibus ut in judiciis, sacramentis, & in iis omnibus quæ sunt ad alterum; sic nemo sibi imperare vel obedire, aut subditus esse potest, quare male ut dixi arguitur à *secundum quid*, ut ajunt, ad *simpliciter*, sicuti malè supponitur quod campsarius sit merè consentiens; sicuti & is, qui accipit mutuo ab usurario; coactus enim uterque censendus est.

5. Fateor, campsarium à campsore physicè non cogi, nec per pactum civiliter obligari; non est tamen perfectè liber, moraliter; cum necessitetur moraliter, & coactè id facere censeatur, ut Doctores omnes docent de illo, qui pecunias mutuo accipit ab usurario, qui certè invitus censetur; alioquin non fieret ipsi injuria.

6. Primum cambium injustum est, cum 1. meram fictionem includat, nec habet alium finem, nisi lucrum campsoris; idem dico de secundo, tertio ac deindè ex instituto proprio & ex natura sua est iterabile, & continuationem secum trahit, cui scilicet dat initium ac proindè vel hoc nomine vitiosum. 3. Provisiones nullo titulo perciperentur, quia dantur pro labore numerandi pecuniam appendendi &c. Sed hoc loco pecunia non numeratur; neque ad hunc finem campsor factori suo mercedem solvit, sed ut ejus opera utatur, non ad inveniendas, solvendas, & numerandas pecunias, sed ad scribendas paucas lineas. 4. quod pertinet ad cambii prætium, si quid campsori accedit lucri in cambio, decedit in recambio; undè cambium cum recambio conjunctum nullum lucrum afferre deberet, ut rectè observavit Raphael à Turri. Ex his patet, malè supponi diversam pecuniam, & pecuniarum diversitatem, cum reverà fieri potuerit ut in tota continuatione dictorum cambiorum etiam diuturna nullæ aliæ pecuniæ fuerint præter illas à campsore primùm numeratas, id est primum creditum, ac proindè omnes illæ solutiones pecuniarum à factore, campsarii personam repræsentantes, sibi ipsi factæ, quatenus campso-

rem repræsentat, de ficta pecunia cāpsoris, meræ sint fictiones, illusiones, palliationes, ludibria, & malè dicitur quod Doctores Communiter dictum cambium justum esse doceant; nullum quippè invenio, qui hoc in terminis doceat, de cambio plateali ad libitum continuato & multiplicato, auctoritate privata: Immò nullus est, qui ad lucrum illud exorbitans non horrescat. Sed jam ad argumenta solvenda accedo.

7. Ad 1. Respondeo, malè argui à nundinali, ad plateale, cui desunt multa, quæ in nundinali reperiuntur utpotè necessaria ad injustitiam & usuram arcendam. 1. Nundinale fit quater in anno, plateale verò toties, quoties libuerit, ex quo in isto lucrū exorbitans sequitur. 2. Pretium seu valor pecuniæ auctoritate publica statuitur in nūdinali, in plateali vero privato judicio paucorum mercatorum, qui suo cōmodo serviunt; omitto alias differentias supra explicatas: implicat autē in adjecto, illa conditio, quam adversarii apponunt, nimirùm modo plateale fiat justo prætio, & cum aliis conditionibus requisitis ad rerum cambiū, nempè in plateali lucrum est exorbitās; igitur injustum pretium; & non est verum cambium sed figmentum & idolum cambii; nulla porro est trajectio pecuniæ de loco in locum, etiam virtualis, pro quo necesse est ut sit duplex pecuniæ summa; una in uno, & alia in alio loco; sed in nostro casu unica dumtaxat verè ac realiter est; alia vero fictè & per meram palliationem; quod autem in nundinali sit venditio, non trajectio pecuniæ, Raphael à Turri fusè docuit: non potest autem, ut dixi, hoc plateale adventitionem reduci, quia etiam venditio duplicem pecuniam postulat, alteram scilicet prætii, alteram mercis loco.

8. Ad 2. Respond. deesse, non conditiones modò necessarias, sed ipsammet veri ac legitimi cambii substantiam, sicut homini picto deest hominis substantia; nihil enim refert 1. quod sit in campsario libertas Physica, cum sit etiam in illo, qui usuram ex mutuo solvit, uterque tamen invitus à jure censetur; 2. Finguntur ibi diversæ pecuniæ & non sunt; & nulla hic intercedit veri cambii materia, sed mera fictio & palliatio & semper eodem modo scribuntur & rescribuntur litteræ, sive sint pecuniæ diversæ, sive non sint. 3. Negatur fieri solutionem veram, cum diversæ pecuniæ non sint, & idem fortè ut multi censent, sibi ipsi de suo solvere nequeat. 4. Diversæ personæ non sunt, nec idem repræsentans campsarium, sibi ipsi repræsentanti campsorem solvere potest nisi per fictionem.

9. Ad 3. Nego Passim hoc cambium à viris optimè conscientiæ exerceri, & falsum est in Gallia esse in usu, nam forum Lugdunense refragatur, in quo viget pactum trium contractuum; item falsum à Lessio & aliis Theologis Classicis approbatum; Lessius enim loquitur de nundinali, ut Placentino, Bisuntino, & si quis fortè recentior illud approbasse visus est, illud fortè tale esse, quale est, minimè intellexit, uti nec etiam quidam nundinale ut rectè observat Raphael à Turri; confundunt enim unum cum alio. Falsum est etiam, à Pio V. approbatum fuisse in Bulla, ut manifestum est; absit ut piissimo Pontifici hanc notam inuramus; nam concessit quidem plateale; sed nō continuatum; Item ratione lucri cessantis, campsorem aliquid lucri percipere posse & modum præscripsit, sed de tali lucro constare debet, & hoc arbitrio peritorum & proborum relinqui; de hoc plateali ad libitum continuato, ne verbum quidem.

10. Probant adversarii autem, dictam cambiorum continuationem justam esse, quia inquiunt, primum cambium justum est, ergo secundum, 3. Cum sint omnia vera & distincta. Resp. 1. negando antecedens, quia cum sit ex instituto suo & natura sua iterabile, seu continuabile, & eo tantùm animo & fine ponantur, iniquum esse censetur, ex eo quod vel fictum sit, quia non sunt in loco, aliæ pecuniæ &c. vel saltē proximam occasionem peccandi & fingendi contineat. Cum eodem modo res fiat, sive sit verum sive fictum, undè vel ex hoc, illicitum esse supra judicatum est. Respondeo 2. negando consequentiam, nempè abuno sensu ad alium non valet consequentia, ut patet in furtis parvis, in minimis partibus horarum, in parva materia jejunii, in pilis barbæ seorsim avulsis &c. Et verò ipsa collectio mala esse potest, licet singulæ partes seorsim malæ dici non possint, quod mihi per se notum videtur; nempè collectio, seu continuatio maximum & exorbitans lucrum affert, secùs verò primum aut secundum cambium; lucrum autem exorbitans campsoris, est damnum exorbitans campsarii, quamquam etiam primum iniquum est, quatenus ad continuationem refertur, alioquin justum esset.

11. Quod pertinet ad Bullam Pii V. in qua petunt videtur continuatio cambiorum, illam explicat Navarrus de nundinalibus aut iis cābiis, quæ certis terminis ut nundinalia 4. nundinis comprehenduntur, non vero continuatis extrà certos & auctorum publica præscriptos terminos ad libitum campsorum. Ad id porrò quod dicunt, debito à campsore non extincto, posse campsorē de consensu campsarii per repetita & continuata cambia suum creditum illuc traducere, Respondeo campsarium non rectè consentire in rem injustam, haud secus ac illius consensus, qui solvit usuram ex mutuo, non liberat usurarium ab injustitia, censetur enim uterq; coactè & invitus consentire. Deindè ex eo quod debitor in mora, non sequitur quod tam exorbitans lucrum creditor facere, & debitor damnum accipere debeat, sed tantùm juxtà omnes antiquos & recentiores cessantis, debitor creditori lucrum cessans dumtaxat compensare debet, saltem post sententiam.

Quod demùm subnectunt, reprobari non posse hujusmodi cambia, nisi omnia Europæ Tribunalia injustitiæ damnētur, & totus Orbis Christianus ea practicans subvertatur, non subsistit, nā ea tantùm cambia approbant, quæ sunt vera, realia, justa, & absq; alterius partis exorbitante damno, & ad summū statuunt contractum simile cambio nundinali; Cū tamē hoc cambii genus diversum sit ab illo; item statuunt lucri cessantis compensationē, non verò lucrum exorbitans vel contractū hujusmodi, qui nullum alium finē habet, præter lucrum illud exorbitans campsoris, & damnū exorbitans cāpsarii, & nullum cōmodum aut fructū publicum affert, & non tantum usurario fœnore, verùm etiā usuris Judæorum deterior est, nam habet igitur cambiū plateale continuatum totius orbis Christiani usum & praxim ut volunt adversarii.

12. In Respons. ad rationes nostras omnia falsa supponunt 1. damnari tantum à Theologis dicti cambia practicè non speculativè; sed hoc falsum est, loquuntur enim de nundinali v. g. Bisuntino, Placentino. &c. 2. Damnari tantùm ab iis cambia fiecus loca in quibus solutio pecuniæ fieri nequit; recte, nam in hoc casu solutio non fit quia non est pecunia, id est perindè litteræ rescribuntur, atque si pecunia non esset. 3. Eos tantùm loqui de contractu cōmutationem involvente ex natura sua, sed hic perinde ac atque si talis esset, cum semper illi accedat hic finis à campsore intentus; immò hoc habet ex instituto suo; igitur ex natura. 4. Credunt & dicunt literas mitti posse vicies aut tricies, cum tamen octies

mitti

mentantur, hoc falsum est in nostro casu, in quo nulla simulatio: Deinde cur octies potiùs quam decies &c. cùm auctoritas publica non intercedat. Respondent &c. cùm auctoritas publica non intercedat. 5. Dicant lucrum esse certum, quis hoc negare ausit, cum pateat ad evidentiam. 6 Denique non assignant differentiam cambii nundinalis ab isto, sed contrarium constat ex dictis suprà.

7. Ad illud denique quod subnectunt, mercatorum bonam fidem suponi debere; ubi agitur de interesse alterius, nemini creditur in propria causa, nisi authentice id probet, quod adstruit, & miror hæc dicat is qui certè ignorare non possunt quàm malis cambiis hoc tempore mundus scateat. Verum est debere bonam fidem suponi non debere nisi probentur, sed præsumi debet contractus ille saltem materialiter bonus Christianus, qui sive mala sive bona fide fiat, eodem modo fit, & eandem faciem habet in foro externo; quo nullum alium finem habet nisi lucrum, ut dixi propium, & damnum alterius utrumque exorbitans, in quo non modo fœnus Judaicum adæquat, verùm etiam longè superat, illud enim 12. in singula centena lucrum parit, hoc verò plùs quam triginta & quadraginta.

14. Sed inquies, Campsor habet suas pecunias expositas ad cambium; igitur si det eas alicui gratis, justo lucro privabitur, quod injustum est; non dico justo lucro privandum esse, immò lucrum cessans ei reponendum, de quo tamen propter Bullam Pii V. ante pactu non potest, illudque determinare; sed si revera dictum lucrum cessavit, & deinde hoc probet, justum est ut ei tantumdem refundatur, sed peritorum & proborum arbitrio relinquendum, qui haud dubiè illius lucri quantitatem definient ex quantitate certi lucri, quod ex aliis contractibus approbatis percipitur.

15. Ex his ni fallor, constat, allegata in favorem plurium continuatorum non subsistere. 1. Quod sint diversæ pecuniæ, cùm tantùm per se sint diversæ lineæ. 2. Quod duas personas faciant campsor & factor, cùm tamen eandem civilitet faciant. 3. Quod idem duas personas sustinere possit, & sibi ipsi solvere debeat, quod vel ridiculum, vel fictitium est. 4. Quod Theologi hoc cambii genus saltem speculativè approbent, cùm tamen de nundinali ut Bisuntino, Placentino, cambio recursæ, recambio, intelligendi sint. 5. Quod in communi usu sit ubique gentium; etiamsi sit tantùm in usu, vel cambium reale, quod semper cum traje&tione pecuniæ conjunctum est, nundinale, vel Lugdunense quod à pacto trium contractuum non differt. 6. Quod omnes contractus veri cambii contineat, cùm tamen nec ipsam veri cambii substantiam habeat, sed meram illius larvam & figmentum. 7. Quod non differat à nundinali, sed præter adducta differentiæ capita, multa alia possint adduci. 8. Quod dicat emptionem scuti aurei cum tamen in eo mentio non fit, reducitur quidem aurum ad suum pretium in duobus locis, sed non emitur, alioquin aurum emeretur auro, non autem scutis auri, in hac enim specie pecunia numerata esset, deinde non est duplex pecunia. 9. Quod dies tantùm recurrat per annum, cùm tamen menses recurrat, & tricies & quinquagesies æquè recurrerent, unde ni fallor insolubile argumentum contra illos; si enim quinquagesies recurrat, an fortè concedent Adversarii justum esse: si asserant, producam ad centies, millies &c. negare igitur debent: quibus assentient iisdem prorsùs argumentis contra ipsos quibus agunt contra nos, posito scilicet quod centesimum recurrat; sic enim argumentarer: primum cambium justum est & habet conditiones omnes veri cambii, ergo & secundum, tertium &c. quæ primo in omnibus sunt similia. Si fortè opponant lucrum exorbitans; cur mihi pariter idem opponere non liceat? ac proinde contractum illum damnare, qui ex natura sua dictam continuationem dicit, ex qua lucrum exorbitans per se, non ex accidenti sequitur. 10. Item falsum est, quod provisiones solvantur $\frac{1}{2}$. in singula centena à tempore immemorabili: cùm hoc cambii genus non sit à tempore immemorabili: solvuntur igitur dictæ provisiones à tempore immemorabili pro cambio reali: cùm ante 100. annos, illud de quo agimus, in cognitionem hominum nondum venisset,

16. Unum addam quod verissimum esse constat, nimirum imprudentissimos esse Mercatores, qui mercium sortem non destituunt, tot periculis & modico lucro conjunctam, ut adeò lucrosum cambii genus exerceant, in quo nullum periculum est, & nullus ferè labor, nisi in litteris ultrò citrò que scribendis. Item stultos esse Judæos, qui cùm citrà usuræ turpitudinem hoc cambium legitimum ut volunt Adversarii, exercere possint, illud hucusque neglexerunt, licèt plus lucri ex eo referre valerent, item amentes esse illos homines, qui suam pecuniam in censibus & Montium locis exiguo sanè lucro consumunt, licèt ex hoc cambii genere maximum lucrum recipere possent, vel tantùm inita cum aliquo campsore societate. Cuncta hæc necessario deduco ex Adversariorum sententia quâ hoc cambiū legitimū & justum admittitur.

17. Itaque censeo iterum, hoc cambii genus esse injustum, cùm ex lucro exorbitante quod campsori affert, damnum exorbitans campsario afferat. Item usuraium quia non tantùm est simplex mutuum, licèt cambium per meram palliationem vocetur, sed multiplicata quasi mutua dicit, nimirum totidem, quot ultrò citrò que litteræ cambiales recurrunt: ac proindè nullo modo mihi videri reducendum esse ad nundinale: quia vitiosus & usurarius contractus, qui sanari nequit ex sua natura, reduci ad alium justum non potest, sed penitùs damnandus est.

18. Quia delictum non præsumitur, campsorem indè nolim mulctari, quia quo ad hoc, bona illius fides præsumitur, quæ tamen facere non potest, ut contractus usurarius, aut simoniacus, non sit usurarius, aut simoniacus & justum titulum afferat, tum lucri, tū beneficii. Addo etiam compensandum videri lucrum cessans campsoris arbitrio peritorum, juxta regulam suprà traditam ac petitam, ex certo & justo lucro, quod data pecunia peperisset ex aliquo legitimo contractu, ex iis scilicet qui sunt in usu, quales est census &c. nec enim alia regula in hoc adhiberi potes, nec ad lucrum merè possibile attendi debet, sed ad lucrum moraliter ac certo futurum, quod statim periti determinabunt.

19. Sed quid de tam multis decisionibus S. Rotæ dicendum, quibus dictum cambium approbatur? illæ haud dubiè magni faciendæ sunt & suspiciendæ: sed 1. S. Rota non vetat, quin partibus causam suam agere & justum defendere liceat, præsertim cùm sæpe ac sæpius eadem causa discutiatur, quod certe inutile esset, nisi novis saltem argumentis jus suum tueri liceret: unde sequitur, hujus cambii justitiam prædictis decisionibus nondum ita firmatam fuisse, quin de illa dubitari possit, immo scribi, disputari &c. Hoc sanè vitio S. Rota minimè laborat, ut stet omninò fixa in decretis: quin potiùs dedoceri gaudet, si ex malè allegatis de causa quapiam malè judicavit. 2. Non invenio disertè in diversis decisionibus defi-

nirum, *cambium plateale continuatum & multiplicatum ad libitum auctoritate privata, quod eodem modo appareret, seu vera, seu ficta sit solutio, & tale est ex instituto, ut lucrum exorbitans campsori, & damnum etiam exorbitatans campsorio pariat, justum esse & legitimum*; nec facilè mihi persuaserim, ut S. Rota hoc cambii genus approbet. 3. Immo eadem sacra Rota cùm lucrum exorbitans ex hoc cambio proveniens agnovisset, illud minimè tulit; sed statim post primam decisionem illud cambium plateale ad nundinale reduxit: in 2. decisione quam approbavit in 3, & 7. unde manifestum fit, plateale continuatum ad libitum ab ea minùs probari; alioquin non levem injuriam adversæ parti fecisset, quam jure certo privasset ex continuatione cambii platealis parto.

20. Nullum allegas, inquiunt, pro tua sententia, & tam multos contra illam producimus: huc primo revocentur illi omnes, quos appellamus supra tum in Dialogo, tum in consultatione, qui vel cambium nundinale, vel cambium cum recursu, vel recambium reprobant; nempe illi omnes potiore jure plateale continuatum reprobaturi sunt: item 2. illi, qui hoc cambii genus diserte damnant, ut Leotard. cum multis aliis appellatis; sed præsertim ac potissimum Raphaël à Turri; item etiam 3. illi omnes, qui cambium siccum damnant, id est, in quo nulla nisi ficta solutio intercedit: Quod verò ad Doctores citatos contra nostram sententiam attinet, jam vel ipsa Rota ultrò agnovit, in 3. & 4. decisione, eos loquutos fuisse de cambio nundinali, immo prædictam auctorum allegationem in favorem platealium refutari melius non posse crediderim, quàm si dicam, nullum esse penitus, qui cambium illud approbet, nimirum juxta formam n. 19. descriptam; ad libros & diserta auctorum verba provocare non dubito Adversarios: saltem non invenio, producantur diserta verba, non quibus cambium plateale simplex & licitum approbetur, vel nundinale continuatum, vel etiam mixtum, id est, de nundinis ad plateam, vel de platea ad nundinas: vel etiam cambii cum recursu, aut etiam recambium, quod utroque, nimirum, itu redituque perficitur: sed quod cambium merè plateale continuatum & multiplicatum ad libitum, auctoritate privata, &c. ut supra, ab aliquo ex iis, quorum opera legi, nituntur ex citatis ab Adversariis, & pluribus aliis, diserte & expresse approbetur: nullum legi, nullum scio: afferri ergo deberent illorum verba, non verò ex iis malè concludere, hoc cambii genus justum & legitimum esse: negatur enim consequentia, & semper negabitur, donec diserta verba exscribantur, paucis saltem versibus: tunc enim me dedam ultro, id est, fatebor, oppositam sententiam quorumdam auctorum suffragio fulciri.

21. Unde rem istam ita firmatam & stabilitam esse non credo, ut infringi non possit: casum istum multis proposui, in Italia & Gallia, & ut alios omittam, unum Gibalinum appellasse, sit satis; & nemo fuit, qui statim non exhorresceret: hæc igitur orbis universi praxis non est; nec Trullenc. lib. 7. in Decalog. cap. 22. dub. 5. n. 5. hoc cambium probat, sed merum cambium locale, cum recursu, seu recursu, & ipsum recambium, de quo non agitur hoc loco, sed de plateali ad libitum continuato; ibi autem de pecunia data campsorio Valentiæ, solvenda Metinæ, ubi sunt nundinæ; immo dub. 4. n. 4. diserte docet, pretium cambii in primis nundinis taxandum; de continuatione verò ne verbum quidem: ipse autem Filliucius, quem Trullenc citat dub. 5. n. 3. expresse loquitur de cambio ad nundinas tract. 35. part. 2. cap. 8. quasi per totum; ipse quoque Bonacina de contract. disp. 3. quæst. 5. punct. unic. n. 11. meminit quidem continuationis cambiorum, cum Naldo, ad multos menses, & annos, sed loquitur diserte de cambio ad nundinas; quod tamen ipse Bonacina valde periculosum ibidem esse dicit, & n. 13. licèt illud cambium non damnet, quo quis tradit alteri pecuniam sibi solvendam in loco, in quo non sunt nundinæ; sed quatenus ad proximas nundinas, pro lucri & cambiorum numero referatur; Rocaful denique part. 3. praxis lib. 3. loquitur expresse de cambio ad nundinas, n. 396. ubi maxim cambii tertiæ speciei describit, item n. 410. &c. uno verbo nullum prorsus auctorem invenio, qui cambium plateale continuatum & multiplicatum ad libitum ut dixi approbet; nonnulli approbant continuationem, sed nundinalium; nonnulli plateale, sed primum; & ad summum cum recambio; aut certè, si continuatum, eâ tantùm lege, ut & in prima taxatione, & in cambiorum, seu tractatum numero, cum nundinali omnino consentiat.

22. Dicunt, à gravibus Theologis similem casum approbatum fuisse; sed nego, similem esse: cùm statuerint iidem Theologi, similem, vel potiùs eumdem cum illo esse, quem approbat Filliucius, cujus praxis viget in Italia, Gallia &c. Sed profectò in Gallia nullo modo viget, sed cambium fori Lugdunensis: deinde in dato casu limitatur numerus cambiorum & recambiorum, adhibetur compensatio, & campsor plusquam tertiam partem lucri campsorio remittit, denique in illo casu, supponitur vera pecuniarum permutatio & solutio, cùm tamen in nostro nulla sit, nisi fictitia, & perinde sit, atque si nullæ aliæ, præter creditum, pecuniæ supponantur; ac demum in illo pretium non est adeò exorbitans, cùm tamen in nostro plusquam exorbitans sit, & quando acciderit, ut quotannis singula centena lucri reddiderint: unum addo, P. Carolum Antonium Thesaurum, qui ex dictis Theologis unus fuit, à me aliquando interrogatum, quid de cambio plateali continuato ad libitum sentiret, respondisse, non jam cambium, sed latrocinium sibi videri: unde videas, fortè verum esse, quod supra attulit Raphael à Turri nonnullis auctoribus exprobrat, nimirum hujusmodi cambiorum naturam & rationem ab iis minùs intellectam fuisse; ac ut sit, casus ille Messanensis nobis oppositus, dissimilis huic nostro ex multis capitibus fuit; ac proinde nostræ sententiæ non nocet.

23. Sed, inquiunt, quomodo fieri potuit, ut in isto cambio tot fuerint Doctores inter controversiæ, tot Principum & Magistratuum edicta, tot Prudentum responsa à Leotardo relata, si adeò injustus est & abominandus; fallit semper hypothesis Adversarios; cùm illæ controversiæ fuerint de cambio nundinali, Placentino, Bisuntino, non verò de hoc nostro; nimirum de contractu, in cujus, lucrum adeò exorbitans percipitur, sine ullo titulo; nec enim verè permutatur, transfertur pecunia, sed fictè & ad speciem, cùm sine reali permutatione, totum id æquè facilè fieri possit, nullo non publico, sed privato dumtaxat campsoris, aconomi camplarii ruina, nullo mercaturæ intuitu, pretium demum exemplo, ut constat; nempe inde pleruque mutato dumtaxat mutui nomine, dant suas pecunias cambio, cum pacto tanti, vel tanti lucri, quod certè tolerabilius esse videtur, illimitatâ illa cambii platealis continuatione, quæ usuram ex mutuo ita multiplicat; cùm perinde sit, atque si pactum in hunc modum instituatur, do tibi mutuo hoc

pecu-

pecuniæ ad 15. dies, vel 10. vel 8. & dabis mihi 1. vel 2. in singula centena, & nisi ad dictum terminum restituas, debis mihi post alios 15. dies duo in singula centena, aucto etiam lucro, pro rata, ratione istius jam facti, atque ita deinceps: re ipsa, inquam, perinde est, atque si pactum dicto modo fieret, cùm literæ illæ ultro citroque missæ meram dumtaxat fucum faciant, & eædem prorsus nihil possint, sive campsor alias pecunias habeat, sive non habeat; neque hæc sunt tantùm verba, ut non exprobrant, nam certè multum & multa hæc significant; dicerem potiùs, in dicto contractu, meras literalitas esse & inanes apices: cambium sonare, nullum est cambium, permutationem petere, nulla est pecunia, &c. Videat quæso æquus lector, ubinam sint res, ubi verba.

14. Quærunter Adversarii, lucrum reductum fuisse à S. Rota ad formam cambii nundinalis, cum camsoris, cui ex juris rigore, lucrum integrum debitum erat, nec locus aderat reductioni: verùm, Judices injustitiæ insimulantur, cùm privarint campsorem jure quæsito, eóque certo, secundum jura, sed, inquies, nonnihil ex æquitate camsorio indulserunt: vix scio, an de jure certo partis, Judices disponere valeant; deinde si ex æquitate reduxerunt, erat profectò reductioni locus, alioquin iniqua fuisset reductio: sed non fuisse reductionis locum, Adversarii disertè pronunciant; dicerem veriùs S. Rotam agnovisse, statim initio post primam decisionem, universam illam Doctorum addictorum turbam in gratiam hujus contractus ab adversa parte allegatorum, intelligendam esse de cambio simplici plateali, vel de continuatione nundinalium, acproinde non subsistere justi lucriculum in platealibus; justum igitur esse, ut ad nundinalia reducerentur: hæc una ratio movit S. Rotam: unde profectò non est, quod adversarii de illa expostulent: illud camsorius potiùs, si expostulare liceret, à quo tamen abstinet; cùm enim nullus cambii platealis non subsistat in nostro catu, nullum inde lucrum percipi potest; ex titulo cambii nundinalis inquies: sed cambium nundinale non intercessit; nullus ergo ex eo titulus; nonenim quippe nulla proprietas est.

15. Non tamen campsor justo suæ pecuniæ lucro privandus; sed tota res ista ad titulum lucri cessantis & damni emergentis reducenda; pro quo peritorum arbitrio standum est, qui scilicet judicent, quantum campsor ex pecunia campsorio tradita, justo aliquo titulo, quotannis lucrari potuisset: hunc modum optimum censerem, ad diuturnam litem terminandam; addo tamen, perneccessum videri, si Sanctissimo placuerit, ut instituti Doctorum hominum quidam rem intelligant, Congregatione, præsens casus accuratè discutiatur; id consilii jam rum ceperat Alexander VII. ad quod Iterii Raphaëlis à Turri inductus fuerat, sed ab eodem animum aliqui averterunt, quo fine dubitatio: ut ut sit, iterum denuncio, illius contractus usum, nimirum cambii platealis ad libitum continuati, eo modo, quo supra dictum est, non modò non vigere in Gallia, sed prorsus ignotum ibi esse; consului multos super hoc argumento: quid rei esset ignorabant; ubi autem rem penitùs, fatercr dico, exhorruerunt.

16. PITHANOPH. Antequam hunc congressum solvamus, ex re unum mihi quærendum est, quod ad sponsiones pertinet: scio sponsionem esse contractum licitum, qui consensu ipso perficitur, fitque de veritate alicujus rei, sive præteritæ, sive præsentis, sive futuræ; ita ut præmium, de quo spondentes, seu committentes inter se conveniunt, illius sit, qui prædictam veritatem assequutus fuerit; idque sumptibus, vel expensis alterius.

154 ANTIM. Sponsio est quoddam certaminis genus; hinc committentes certare dicuntur; isque, qui veritatem controversam adeptus est, vicisse dicitur; rectè autem dixisti, licitum esse contractum ex natura sua, modò justis ac debitis legibus fiat; nam si fraus, vel dolus irrepat, inde contractus vitiatur; equidem nonnullæ alicubi sponsiones Principis edicto prohibentur, unde redduntur illicitæ, v. g. de morte Pontificum, de promotione Cardinalium, aliisque hujusmodi, ex quibus aliquod damnum vel scandalum timeri potest: vix enim credibile est, quàm malos affectus pariat immoderatum factionis studium: ut verò his periculis occurrant Principes, non rarò illas sponsiones vetant, quæ sunt de iis argumentis, ex quibus factiones, rixæ, dissidia, ut plurimum ortum ducunt.

156 PITHANOPH. Inter illas leges quæ in sponsionibus observandæ sunt, illæ duæ potissimum locum obtinent, primò, ut alter committentium non sit certus de victoria; id est, de rei controversæ veritate; secundò, ut æqualis & paris uterque sit conditionis, in jure scilicet lucrandi ac perdendi.

157 ANTIM. Optimè dixisti & duas appellasti, ex quibus nonnulli unicam dumtaxat faciunt, cùm secunda in prima includatur; nempe si alter committentium de lucro certus est, non est par utriusque conditio, in jure lucrandi: at potest abesse hujusmodi certitudo, licèt adhuc remaneat conditionis inæqualitas inter committentes; non me latet, fuisse aliquos, qui sponsionem prædictis legibus non subjiciunt, eamque legitimam esse volunt, & justum inde lucrum percipi, licèt is, qui vincit & præmium refert, certus sit de veritate disputata, acproinde de victoria & lucro; præsertim, si priùs moneat alium, & illi apertè ac seriò significet, sibi rem illam compertam esse; si enim hoc non obstante, alter pertinaciter obsistat, & committere velit, tunc sponsionem justam esse volunt, & lucrum justum: ita Sanchez lib. 1. consil. c. 8. dub. 13. n. 11. ubi citat Navarr. Lopez, Metin. quibus accedunt Villalobos in summ. tom. 2. tract. 28. difficult. 6. n. 2. Dian. tom. 3. tract. 4. Miscell. resol. 166. idque, inquiunt, quia tunc nulla fraus est, nulla injuria; & is qui perdit, suæ dumtaxat temeritati & pertinaciæ id tribuere debet: communis tamen sententia est, hoc lucrum injustum esse, pro qua stat Delugo disp. 41. n. 81. ubi citat Molin. Filliucium, Garziam, Alcofer, alios addere possem, sed expecto, quid velis.

158 PITHANOPH. Mox dicam, operæ tamen pretium erit, si priùs utramque legem paulò ante adductam, ad aliquod principium certum reducas.

159 ANTIM. Quidam recentior magni nominis reducit illas ad leges venditionis: vult enim, sponsionem esse quamdam speciem venditionis, qua alter ab altero emit jus ad lucrum, posito quod sit vera pars illa, quam defendit: v. g. Petrus dicit, futuram pluviam intrà octo dies; Paulus negat; committunt 10. scuta; quid hoc est, dat Petrus jus Paulo exigendi à se 10. scuta, si non pluat, & Paulus jus Petro exigendi à se, si pluat; hoc posito, si Petrus certus de pluvia futura per divinam revelationem, nullum dat jus Paulo ad lucrum; igitur

in justè emit ab illo jus exigendi 10. scuta, si pluat: cùm simile jus illi non tribuat; igitur acquirit & emit jus illud iniquo pretio: sic qui haberet gemmam falsam, non posset illam vendere pro vera, etiam volenti, cui ipse significasset, esse falsam, hæc haud dubiè ingeniosè & subtiliter dicta esse mihi videntur, sed si quis negaret, sponsionem esse speciem venditionis, nec enim jus illud emitur, sed de consensu utriusque, statuitur præmium victori solvendum ab altero; ex illo porro mutuo consensu resultat jus in utroque ad illud præmium, si verum dixerit: hæc enim conditio apponitur: si duo pro re aliqua pugnantes non dicuntur emere rem illam, seu jus ad illam, sed ita convenire, ut victori cedat: deinde venditio est permutatio rei in pretium, vel mercis, in mercem: in sponsione, quid quæso permutatur? jus in jus; sed vix potest hoc intelligi, quando enim permutatur triticum cum pecunia, unum cedit uni, alterum alteri: at verò jus ad lucrum utrique tantùm disjunctivè competit: cùm enim jus ad lucrum, seu præmium, sit conjunctum cum appositâ conditione, ut scilicet veritatem controversam assequutus sit, cùm alter tantùm committentium veritatem assequi possit, vel ille, vel ille disjunctivè: alter tantùm habet jus ad præmium, disjunctivè scilicet, vel ille, vel ille: at in venditione uterque jus simul acquirit, alter scilicet ad rem venditam, alter ad pretium pro illa datum: igitur sponsio ad venditionis contractum reduci non debet.

160 PITHANOPH. Pater Lessius *lib. 2. cap. 26. dub. 5. num. 30.* ad aliud principium rem istam reducit: vult enim, contractum illum irritum esse, aut saltem irritandum, cui error, vel dolus causam dedit: at quando alter spondentium certus est de victoria, vel dolus est, si alter hoc nescit; aut si is, qui certus est, liberè id fatetur, error est in altero, qui non credit illud: qui reverà si crederet, illum certum esse, minimè committeret: error igitur causam huic contractui dedit, sine quo, hic contractus non esset, igitur contractus vel irritus, vel iritandus.

161 ANTIM. Rectè omnino, si error sit invincibilis, ut ajunt: at in hoc casu, alter suæ opinione errat, & sibi ipsi imputare debet, cùm alteri asserenti & jurantiſe omnino certum esse de illa veritate, facilè immo prudenter credere potuisset: igitur verum quidem est, quod minimè committeret, si crederet, alterum certum esse: quia tamen credere potest, si velit, hic error voluntarius censendus est, ac proinde nec à peccato, nec à pœna liberat: unde illa ratio Lessii optima quidem est, quando is, qui certus est de veritate, illud recitet ac dissimulat, quia tunc alter inculpabiliter errat: minùs tamen efficax est, quando is, qui certus est de veritate, id liberè aperit, & alter per obstinationem adhuc obsistit.

162 PITHANOPH. Quam igitur rationem habes: anxius illam à te audire percupio.

163 ANTIM. Illam aliunde, quàm ex ipsa hujus contractus natura ducendam esse non existimo: nempe germana hujus contractus natura & ratio in eo posita est, quod sit quoddam certaminis genus, ut per se notum est: hinc qui lucratur, dicitur vincere, ut in ludo: iis ergo legibus subjacet, quæ ludo & aliis certaminibus ab ipsa natura & ratione inditæ sunt: Hinc Doctores ludum & sponsionem ad eadem principia reducunt: hoc supposito, primaria justi certaminis lex est, ut exæquò & paribus conditionibus certamen fiat, quod etiam in detestabili illa monomachia religiosissimè, licèt impiè observatur, in quâ, paribus armis, pari situ, aspectu, sole ac vento pugnatur: si enim aliquis vel loricatus accederet, vel cum ense & pugione, dum alius solo ense instructus est, hoc reverà iniquum esse omnes judicarent: hinc tamen no facit, quin sua quilibet peritia & arte ut possit, modò hæc tanta non sit, ut imperitiam alterius vinci necesse sit: tunc enim iniquum certamen esset & iniquus ludus: quia scilicet certaminis ratio id postulat, ut æquis utrimque conditionibus fiat: ita ut utrimque sit jus ad victoriam, ac proinde uterque vincere, uterque vinci queat: supponamus enim aliquem esse, in rerum natura hujusmodi contractum, cujus hæc sit ratio, & singularis proprietas: dico, hunc talem esse, & consequenter sponsionem: ratio est, quia uterque committentium, ludentium, certantium spe victoriæ ad certandum inducitur, spe inquam rationabili ut fundamento nixa: at si alterum eorum determinatè vinci, necesse sit, fieri non potest, ut hic vincat: quis autem rationabiliter sperer impossibile: ut autem spe victoriæ ducitur, ita periculi metu deterretur: hinc propter spem sese periculo exponit: habet enim præ oculis duo objecta, alterum est, ut se defendat ab adversarii armis, quibus vinci potest, ne periculum alterum est, ut adversarium vincat, & suis armis impetat, hinc timet adversarii arma, virtutem, dexteritatem, fortunam: inde sperat & confidit in suis armis, virtute, peritia: igitur spemque metumque inter: ut certus sit de victoria,, hæc omnia concidunt, & nisi certaminis ratio desideratur: & verò si alter sciret, se necessariò victum iri, nullo modo certaret, nisi forte in desperatione ageretur: igitur si alter sciat certò se victo em fore, non potest etiam certare, nisi alteri faciat injuriam nempe si alter nolit se defendere, alter haud dubiè inique illum imperet: sed perinde est, sive le defendat, sive non se defendat, posito quod necessariò vincendus sit: illa enim defensio inanis & inutilis est: igitur perinde se habet, atque si nulla esset: omnia hæc vel ipso naturæ lumine perspicua sunt nec multam Theologiam postulant, ut intelligantur: interroga, si vis, rusticum quemlibet hominem & illiteratum de hac re, & eadem respondentem audies: non loquor tamen de iis præliis, quæ inter hostes committuntur ad reparationē injuriæ illatæ, vel damni accepti, nam etiam dolo pugnatur, an dolus, an virtus, quis in hoste requirat: stet ergo, certum de victoria, certamen inire non posse, sive ludi, sive sponsionis: dico vere certum, non verò per errorem: cùm fieri possit, uterque certus esse putet, neuter tamen certus sit,

164 PITHANOPH. De prima illa lege, quæ celeritudinem excludit, mihi abundè fecisti satis: de altera verò quid dices?

165 ANTIM. Miror hoc quæri à te, cùm secunda ex prima necessariò consequatur. si enim neuter certus est, uterque spem & metum habet: id est, cognoscit ac videt, se vinci posse, ac vincere: ac proinde jus utrique inest ad lucrandum & ad perdendum: hæc erat ni fallor secunda lex, sed quid tamdiu me suspensum tenes? propone quæso illam tuam quæstionem, cui tanto apparatu præludendum esse credidisti.

166 PITHANOPH. Res nihili dubio procul omni tibi videbitur, quæ tamen sua difficultate non caret: vacabat cathedra cujusdam Academiæ, quatuor aderant Candidati, quorum unus eligendus erat, qui in cathedra illa doceret: Titius scilicet, Cajus, Marcus, Sempronius: ante electionem Vulpinus quidam affuit, qui licèt nesciret, quis eligendus esset, sciret tamen illorum quemlibet sibi multum arrogare, & multum spem in amicis, in doctrina, in gratia & benevolentia electorum habere, quatuor seorsim convenit, commisitque, seu spospondit cum quolibet, ipsum minimè eligendū fore; omnes sponsionem acceperunt, ac fi-

gnil

gulis eorum aureos deposuerunt: Vulpinus certus est de lucro trecentorum aureorum, certus item de damno 200. aureorum, quibus detractis ex lucro, supersunt ducenti aurei, quos ipsum lucrari, necesse est; ac proinde de illorum lucro est certus; quæro ex te, an contractum istum licitum esse censeas? non desunt enim, qui eum acerrimè defendant, habeantque pro innocentissimo, æquissimo, in quo scilicet debitum industriæ & ingenio præmium rependitur.

169. Antim. Ne quid temerè pronunciem, rationes hinc inde discutiendæ sunt & ponderandæ, ut meus deinde veritati sit locus; & primo quidem memini, quendam aliquot recentiores legisse aliquid simile; Sanch. cap. 8. dub. 16. paucis versibus, hanc controversiam proponit, non verò discutit; ubi enim statim initio dixit, hunc contractum à quodam satis docto Theologo damnari, ipse illum simpliciter approbat: Delugo disp. 31. sect. 6. n. 87. eumdem approbare videtur, Diana tom. 3. tract. 4. Miscellan. resol. 185. hanc opinionem probabilem dicit, contrariam tamen, quæ hunc contractum damnat, longe probabiliorem, Petr. Ledesm. in summ. tom. 1. tract. 22. cap. 2. Villalobos in summ. tom. 2. tract. 28. d. ff. 6. n. 3. Trullenc. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 6. prædictum contractum damnant; immo Ledesma liberè affirmat, ab omnibus meritò damnari; Trullenc. verò observat, eum habuisse Salmanticæ, inter illos Doctores & Bacalaureos, ac publico edicto fuisse prohibitum; eumdem contractum deinde approbavit casuum Bononiensium compilator.

168. Pithanoph. Jam sciebam, rem hanc inter Doctores controverti, ac proinde utramque partem suis patronis non carere; Sanchez revera & Delugo magni sunt patroni, quorum autoritati multum tribuendum sit, cum nihil temerè ab iis dici præsumatur.

169. Hoc ipsum reticuissem; sed quandoquidem me cogis, liberè dicam, quod sentio: nescire profectò non potes, quo loco apud me sit Thom. Sanchez, vir de universa morali doctrina benè meritus, qui omnes sagaciter indagat, discutit accuratè, ponderat sapienter, solidè & ut sic loquar more veterum, magistraliter decidit; sed facile mihi concedes, opus illud posthumum consiliorum ea diligentia elaboratum non esse, quam in duobus aliis ejusdem operibus admiramur, immo multi desiderassent, ut hæc opuscula aliqua saltem ex parte suppressa manserint, cum ipse illa nunquam in lucem edere cogitarit. In præsenti verò controversia, nullum prorsus eruditionis adhibet, non adducit aut discutit oppositæ partis rationes, non explicat suas, mera responsione, vel allusione contentus, suis rationum adminiculis prorsus destitutus.

170. Pithanoph. Molesto scrupulo me liberabis, vix enim ab autore illo, quem tanti facio, discedere animum potuissem, sed observatio tua mihi summoperè placet, nec mihi tantùm, sed tanti autoris animum, haud certè parum consulit; sed quid de altero dices.

171. Antim. Autorem Eminentissimum magni, immo maximi facio, quem aliquando in Theologia magistrum habuisse, non quidem per inanem ostentationem, sed grati animi ergo, soleo mihi gratulari; quare verba sæpe ac sæpius juravi; sed ut ingenuè fatear, in hac controversia disputare potiùs, quàm quid definire videtur: vix enim assertionem ibi reperio; versat tamen ibi quæstionem illam, sed subtilissimè, rationes autem quas ipse venatur paulò post exponam & discutiam; ut autem hæc dissertatio meliùs succedat, ab iis rationibus initium ducam, quibus prædicti contractus injustitia ostenditur; oppones autem, si quid tibi minùs probetur, tum oppositas rationes una discutiemus, ut tandem veritas elucescat.

172. Pithanoph. Optimum consilium; sed obiter quæso, ne hic congressus in longum, quod sanè tibi molestum esset, protrahatur.

173. Antim. Sic igitur probo 1. sponsionem illam esse iniquam ex assertione Ledesmæ, qui expressè asserit, ab omnibus Doctoribus hujusmodi contractum damnari; quod reverà dictum non levis ponderis esse videtur; si enim res secus esset, non tam impunè, tam publicè, tam gravis autor mentiri auderet; dato verò, quod ita sit, non leve momentum alicui opinioni communis autorum consensus conciliat: & verò nullum esse scio, ante Thomam Sanchez, qui prædictum contractum licitum esse, scriptis in lucem editis, publicarit. 2. prob. Diana, cujus mitior animus & benignior indoles mitioribus opinionibus favere studuit, quid enim aliud ab humanissimo Doctore expectares? censet, longè probabilius, contractum illum iniquum esse; si Diana ita censet, quid amabò severioris supercilii autores censebunt? si vir mitissimus reprobat, an fortè austerum quempiam approbaturum esse putabis? si hæc in viridi, quid quæso in arido? oppones, sat scio, alium Dianæ; sed abstine quæso à comparationibus quæ sunt odiosæ, & mecum observa, opinionem illam paulò strictiorem, quam Diana longè probabiliorem vocat, pro tali prudenter haberi posse. 3. Trullenc. ultro fatetur, contractum illum Salmanticæ publico edicto fuisse prohibitum; igitur vel quia ex se illicitus est, vel quia scandalum affert; at dato quod licitus & justus sit, quodnam quæso scandalum afferre potest; fortè ne temerè in sponsiones illas multi ruerent; sed quid inde mali, si fraus absit? nulla igitur ratio scandali, quæ contra quamlibet sponsionem non militet; igitur ideo prohibitus fuit ille contractus, quod vel illicitus esset, vel saltem minùs probabilis & minùs tuta opinio. 4. Aristoteles artem fœneratitiam damnat; quia Reip. inutilis est, & nemo per eam ditescat, nisi ex paupertate aliorum; eadem ratio contra prædictum contractum militat, nulla enim ex eo utilitas, & licèt alicui sit utilis, aliis tamen nocet; nec est par ratio aliarum sponsionum, in quibus neutra pars certum lucrum sperat, sed quasi bonam sortem expectat.

174. Pithanoph. Hæc mihi videntur satis extrinseca; ad rem quæso propiùs accede; velitare opinor voluisti, & quasi præludere his levioribus præmissis.

175. Antim. Non ita sanè; seriò loquor; neque hæc in morali quæstione adeo levia censenda existimo; sed quandoquidem ita jubes, ad rem propiùs accedo: igitur sic probo. Non est par Vulpini & aliorum spondentium, sive seorsim, sive conjunctim sumptorum conditio, in jure scilicet lucrandi ac perdendi; sed hæc est lex, cui contractus sponsionis, ut sit legitimus & justus, subjectus esse debet; vel ut formam syllogisticam inducam, sic formo minorem, sed ut sit sponsio legitima, debet esse par illa conditio; igitur sponsio Vulpini non est legitima, nec justa: minor constat ex dictis; major, in qua tota est difficultas, sic probatur; Vulpinus non potest perdere, & ipsum lucrari, necesse est; Sempronius potest perdere, nec necesse est ipsum lucrari; igitur non est par utriusque conditio, nec jus par lucrandi & perdendi.

176. Pitha-

176. PITHANOPH. Immo singuli ex quatuor Doctoribus appellatis possunt vincere Vulpinum; & vicissim, singuli vinci possunt à Vulpino; appelletur enim aliquis illorum, qui non possit vel vinci, vel vincere; igitur par omnino & æqualis est utrimque conditio; viden, quàm facilè argumentum illud in te retorqueatur.

177. ANTIM. Sustine tantulum; singuli possunt vincere Vulpinum distributivè, non collective; singuli possunt vinci à Vulpino distributivè, & detracto dumtaxat uno, etiam collective; igitur plus vincere, quàm vinci, plus lucrari, quàm perdere Vulpinus potest: sint autem quatuor literæ quibus quatuor Doctorum nomina designentur, T, C, M, S; unus ex quatuor vincet Vulpinum disjunctivè, scilicet vel T, vel C, vel M, vel S; unus tantùm ex quatuor necessariò vincet disjunctim, vel T, vel C, &c. nullus illorum necessariò distributive, nec T, nec C, &c. & si quaternarius ille T, C, M, S, dividatur in ternorum conjugationes, erunt quatuor conjugationes, scilicet TCM, TCS, TMS, CMS, una conjugatio vincetur disjunctim vel 1. vel 2. vel 3. vel 4. & una necessariò vincetur disjunctim, vel illa, vel illa; nulla etiam necessariò distributivè, nec illa, nec illa; unde vides, longe meliorem esse conditionem Vulpini, quàm Titii, vel Caji; quia licèt necesse sit, ipsum vinci ab uno, est tamen necesse tres ab eo vinci; nempe non posse perdere & necessario lucrari, potior est conditio, quàm posse perdere, vel lucrari.

178. PITHANOPH. Sed cur amabò has tricas Logicas; quæ dubio procul omni à Casuistis explodentur, utinam sine sibilis & cachynno.

179. ANTIM. Crede mihi, *Pithanophile*, cùm uno ratiocinio controversiæ quælibet, sive Theologicæ, sive morales discutiendæ sint, quàm necessarius sit Logicæ usus, vix satis exprimere tibi valeo; sensus propositionum diligenter & accuratè indagandus & explicandus, quod reverà ut fiat, varii sensus probè distinguendi sunt, ut paulò ante distinxi; non dubito, quin tu ipse optimè capias, alioquin breviter explicarem.

180. PITHANOPH. Saltem aliàs didici & excerpsi ex analytica tua; distributivus sensus est, quando prædicatum aliquod pluribus subjectis conjunctione *&*, vel *neque* copulatis, seorsim tamen, inesse dicitur, vel negatur; sic quatuor illi Doctores possunt vincere Vulpinum, Titius scilicet, & Cajus, & Sempronius, & Marcus; at seorsim, non conjunctim; nec omnes simul vincere possunt: sensus collectivus est, quando prædicatum conjunctim inesse dicitur, ut tres simul ex illis quatuor vinci possunt, & re ipsa vincentur à Vulpino; sensus disjunctivus est, quando prædicatum pluribus conjunctione vel copulatis ita inesse dicitur, ut de omnibus distributivè negari nō possit; ut, unus ex quatuor illis vincet Vulpinum vel T, vel C, vel M, vel S; nec enim dici potest nec T, vincet, nec C, nec M, nec S: sensus disjunctus est, quando pluribus conjunctione *vel* copulatis aliquod prædicatum ita inesse dicitur, ut tamen de singulis distributivè negari possit; ut, unus ex illis necessariò vincet Vulpinum, vel T, vel C, vel M, vel S. necessariò inquam disjunctim, nullus tamen necessariò distributivè, scilicet nec T, quia potest alius vincere; nec C, &c.

181. ANTIM. Vix ego tam clarè; sed jam applica; in sensu distributivo, æqualis est Vulpini & singulorū conditio; nam singulos ipse potest vincere, & vicissim à singulis vinci distributivè; at in sensu collectivo potest vincere tres, non potest vinci à tribus, immo re ipsa vincet tres, & ab uno tantùm vincetur; in sensu disjunctivo à singulis vincetur, & singulos vincet; in sensu disjuncto ab uno tantùm necessariò vincetur, & tres necessariò vincet; igitur in sensu distributivo est par conditio, in collectivo & disjuncto, Vulpini potior conditio est; in disjunctivo partim est æqualis, nam à singulis vincetur, & singulos vincet; disjunctivè partim est melior, nam ab uno tantùm vincetur disjunctivè, & unum ternarium vincet etiam disjunctivè; igitur in quocumquetandem sensu potior sit Vulpini conditio, satis esse videtur, ut à me adducta consequentia probetur; scilicet, imparem esse Vulpini & aliorum conditionem.

182. PITHANOPH. Hæc ratio, ne quid dissimulem, rem conficere videtur; nam negari non potest quin longè melior Vulpini sit conditio, in aliquo sensu, sive autem in hoc, sive in illo, perinde est; ita exemplo, ni fallor, res illustrari & confirmari potest. sint duo Petrus & Joannes; Petrus earum librarum, quibus quingentæ libræ ferendæ pares sint, Joannes verò centum tantùm libras ferre possit; sit quinque fasces singuli centum librarum, A, B, C, D, E, Joannes singulos ferre potest distributivè, non tamen collectivè; Petrus verò singulos distributivè & collectivè; quis amabo neget, vires Petri majores esse; pari modo singuli possunt vincere Vulpinum distributivè, non collectivè, Vulpinus singulos distributivè & collectivè, uno dumtaxat dempto; quis neget Vulpini potiorem conditionem esse. Itaque hæc ratio perspicua esse videtur, nec occurrit tibi vendi modus; aliquæ tamen instantiæ fieri possunt haud parum difficiles; sit enim idem Vulpinus, qui cum illis quatuor ludat, & deponant singuli unum aureum; Vulpinus lucrari potest quatuor, & perdere tantùm unum; igitur plus lucrari potest, quàm perdere; nemo tamen negabit, ludum illum licitum esse: præterea.

183. ANTIM. Siste parumper, solvenda est hæc instantia, antequàm ad aliam gradum facias; illam excerpsisti, ni fallor ex collectione casuum Bonnensium; res hæc, ut ingenuè dicam, facilis esse videtur; nam primò singularum ludentium par est conditio, nam singuli perdere tantùm possunt unum; & lucrari quatuor; igitur hic ludus prædictam legem non violat; si verò Vulpinus cum ipsis ludat, ut se habeant per modum unius, ipsi simul omnes unum aureum conjunctim deponunt, qui liber scilicet unam quartam partem aurei; at si singuli suum aureum deponunt, & conjunctim ludant, Vulpinus totidem aureos deponere debet: ad porro quod dicebas, Vulpinum plus lucrari posse quàm perdere, cum possit tantum perdere unum, & lucrari quatuor, hoc ipsum est, quod nego; sed quæso expecta; nam mirari videris; potentia illa lucrandi & perdendi non est posita in indivisibili, sed habet suos gradus, tum extensionis, tum intensionis, unde loquar; sic peritus alicujus artis potest illam exercere, item alius qui peritior est, utet que potest, sed ille magis potest; & si peritia primi sit ut unum, secundi vero ut duo, certè dicendum est, potentiam secundi esse ut duo, primi verò ut unum; applico; potentia quam habet Vulpinus, lucrandi quatuor, tantùm est; illa verò, quam habet perdendi, intensionis, nempe longè facilius est ipsi perdere, quàm lucrari; quia cum lucrum uni dumtaxat ex iis quinque competat, jactura vero quatuor, & distribuatur iis quinque jus ad lucrum, & ad jacturam, certè minùs com-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

singulis juris ad lucrum, quàm juris ad jacturam; idque in eadem proportione; cum enim quatuor perdere possint simul, & unus tantùm lucrari, ita se habent jura permutando, id est jus lucrandi quod singulis inest, erit ut unum, & jus, seu periculum perdendi erit ut quatuor; igitur est perfecta æqualitas juris utriusque, tum ad lucrum, tum ad jacturam, nam jus ut unum ad lucrum quatuor aureorum, est æquale juri ut quatuor ad jacturam unius aurei; vel quod idem, spes lucrandi est ad timorem perdendi, ut 1. ad 4. igitur spes ut 1. lucrandi quatuor, scilicet objectiva, ad æquat timorem ut 4. perdendi unum; sunt enim & ratione composita gradum intentionis & quantitatum.

184. Pithanoph. Mihi revocas in memoriam tuas illas motuum rationes; nempe effectus, seu nitus illas potentiæ motricis sunt in ratione composita motuum & ponderum; sit enim v. g. pondus quatuor librarum & motus ut 1. sitque aliud pondus unius librae & motus ut 4. ratio composita est æqualitatis; igitur utraque potentia æqualis est, vires æquales, nitus æquales; pari modo potentia, seu jus, seu spes lucrandi 4. sit ut 1. potentia, seu jus, seu timor perdendi 1. sit ut 4. componatur spes ut 1. lucrandi 4. cum timore ut 4. perdendi 1. ratio composita erit æqualitatis perfectæ: in hoc mihi factum est satis. Sed aliud occurrit longè difficilius; sint enim quatuor prædicti eligendi T, C, M, S; Vulpinus committat, vel spondeat cum T, fore, ut ipse T, non eligatur; hæc sponsio videtur injusta; quia Vulpinus excludit tantùm unum ab electione, scilicet ipsum T, qui tamen tres alios excludit; sed facilius est, ut unus tantùm exclusus non eligatur, quàm nullus utrum exclusus eligatur; igitur non est par utriusque conditio; quia facilius est Vulpino lucrari, quàm perdere; propter hanc rationem Eminent. Delugo, si fiat electio sorte, non liberis hominum suffragiis, sponsionem illam fore injustam credidit.

185. Antim. In sortibus, in eamdem sententiam decidendo, & judico, sponsionem illam injustam esse, cum sit melior conditio negantis; ut autem justa sit, adhiberi potest compensatio; v. g. Vulpinus excludit tantum unum, & Titius tres, si Vulpinus deponat plum alterius, erit justa compensatio; supponoenim electionem illam fieri per sortes; si enim alterutrum, nunquam Titius spondebit, fore, ut ipse eligatur, nisi optimam rationem habeat id sibi persuadendi; unde hac majore probabilitate fretus facile committit, nec majori se periculo perdendi expositum esse putat, licèt excludat tres, quàm Vulpinus, licèt excludat tantum unum: supponamus enim probabilitatem suæ spei esse ut tria, qua scilicet speret eligi, probabilitatem verò opinionis Vulpini, qui putat ipsum non electum iri, esse ut 1. inde video, esse justam compensationem; nam Vulpinus habet spem ut 1. electionis Titii non futuræ, timorem verò periculi ut 1. quia unum tantùm Titium ab electione excludit; Titius verò habet spem ut 3. suæ electionis, & timorem periculi ut 3. quia tres ab electione excludit: componantur rationes, & erit ratio æqualitatis perfectæ; vides, quàm hæc bellè cadant.

186. Pithanoph. Si Vulpinus spondeat tantùm cum Titio & Cajo, sed de contradictoriis; v. g. cum Titio, Sempronium eligendum; cum Cajo vero Sempronium non eligendum; videtur quod iniqua sit sponsio; quia Vulpinus nihil potest perdere, sive Sempronius eligatur, sive non eligatur; cum tamen Titius perdere possit; quia Titius potest eligi; itemque Cajus perdere potest, quia potest fieri, ut Sempronius non eligatur; igitur non est par spondentium conditio, cum Titius & Cajus perdere possint, Vulpinus verò perdere non possit; igitur iniqua sponsio; quod tamen meo judicio nemo dicat; igitur licèt alter spondentium perdere non possit, non propterea sponsio injusta censenda est.

187. Antim. Bellè ludere mihi videris; Vulpinus non potest quidquam perdere, ita est; sed non potest etiam quidquam lucrari; abest omne periculum & periculi timor; abest etiam omne lucrum, & lucri spes; igitur spes timori maximè æqualis est, eum non sit plus unius, quàm alterius; Titius verò, potest perdere, sed potest lucrari; item Cajus; igitur Vulpinus superat Titium, quod Titius perdere possit, ipse verò perdere non possit; at Titius superat Vulpinum, quod Vulpinus lucrari non possit, ipse verò lucrari possit; hinc perfecta compensatio & æquatio; igitur sponsio justa.

188. Pithanoph. At si Vulpinus spondeat cum Titio, quod ipse Titius non eligetur, & deinde cum Cajo, quod ipse Cajus non eligetur; quid amabò censeres?

189. Antim. Hoc quæsitum aliquid distinctionis postulat; vel enim alter illorum duorum necessariò eligendus est, vel alius ab iis distinctus, eligi potest, utroque excluso; si primum, idem est casus, quem paulò ante discussimus; nam Vulpinus non potest perdere, nec lucrari; si enim Titius eligitur perdit cum Titio, lucratur cũ Cajo; si verò Cajus, perdit cum Cajo, lucratur cum Titio; igitur non potest lucrari nec perdere videndo casum similem Superiori, qui novam responsionem non postulat; si verò secundum dicas, Vulpinus non potest quidquam perdere, potest tamen lucrari; si enim alter illorum eligitur, nihil perdit, nihil lucratur; vel potius, tantum perdit, quantum lucratur; si autem neuter eligitur, sed alius v. g. Sempronius, haud dubiè Vulpinus lucratur, & nihil perdit; igitur nihil potest perdere, & potest lucrari; en tibi casum, de quo disputamus, & probare pergimus, contractum injustum esse.

190. Pithanoph. Cum Titio primùm licitè committere ac spondere potest; quis hoc neget? cur non etiam deinde cum Cajo, etiam si fieri possit ut neuter illorum eligatur?

191. Antim. Ratio in promptu est; quia cum Titio licitè committit, quia tunc est par spondentium conditio, cum uterque ut lucrari, ita & perdere possit; at posita prima sponsione, si deinde cum Cajo spondeat, non est par spondentium conditio; quia certus est lucrari cum altero, vel cum utroque, idque necesse est disjunctim, eo modo, quo dixi; cum utroque distributivè lucrari potest, & perdere; cum utroque disjunctim perdere non potest, licèt possit lucrari, quis ergo non dicat, imparem conditionem?

192. Pithanoph. Est quid merè extrinsecum secundo contractui, quod jam cum Titio contraxerit; sed extrinseca contractum non vitiant, ut rectè observat laudatus supra Eminentissimus.

193. Antim. Primus contractus est quidem extrinsecus secundo contractui; ex eo tamen refunditur in Vulpinum prædicta securitas, seu certitudo, quæ est aliquid ipsi intrinsecum; nec enim opinor negabis, eum, qui certus est rei, de qua fit sponsio, non spondere licitè propter illam certitudinem quam habet, ut constat ex dictis; at fieri potest ut prædicta certitudo ab aliquo extrinseco accesserit; igitur licèt primus contractus sit extrinsecus secundo,

secundo, ac proinde per se ipsum secundum minimè vitiet, ex eo tamen aliquid refunditur in ipsum spondentem, Vulpinum scilicet, ratione cujus, cum potior sit illius conditio, quàm Caii, nullo modo ob imparitatem illam, cum illo spondere possit: & hinc sextam rationem duco; si enim duo illi contractus fieri possunt licitè, scilicet seorsim, haud dubiè unus alium non destruit, nec vitiat, quod nemo neget, atqui si unus alium non vitiat, neque destruit, simul fieri possunt; quæ enim ratio id vetat? secluſa scilicet lege positiva; nec enim me latet, justè aliquando prohiberi, ne duo simul fiant, ad vitandum aliquod periculum, vel scandalum, v. g. in eodem pacto non licet simul agere de pensione, & extinctione pensionis, propter umbram & suspicionem simoniæ; at secluſa lege positiva prohibente, negari non potest, de utroque simul tractari posse; igitur si prædictæ sponsiones fieri possunt licitè seorsim, simul unà fieri possunt; quid ni etiam unico actu, unica sponsione Vulpinus cum utroque spondeat? quæ repugnantia? quæ ratio in contrarium? posito quod per duos actus simul utraque fieri possit; igitur Vulpinus tunc tale pactum sponsionis init, quo lucrari quidem potest, perdere tamen nihil potest; utrumque autem per modum unius considerat, ita ut cum isto complexo, nihil perdere possit, quidquid eveniat, & lucrari possit: nemo autem hoc pactum excuset, & ab injustitia eximat; igitur licèt sponsiones seorsim fiant, cum Vulpinus perinde se habeat, sive seorsim, sive conjunctim fiant, illicitæ prorsus censendæ sunt.

194. PITHANOP. Maximum discrimen esse videtur; si enim seorsim sponsiones fiunt, negari non potest, quin illa, quæ primo loco fit, sit licita, sive altera fiat, sive non fiat, quæ tamen si conjunctim cum altera fieret, illicita esset.

195. ANTIM. Licita est, posito quod altera non fiat; si verò hæc fiat, eo ipso prima injusta censenda est; multa enim sunt, quæ subsequentibus suam malitiam ducunt; v. g. demus, furtum unius aurei esse peccatum mortale, & aliquis successivè pecuniam ejusdem surripiat, v. g. quartam partem aurei, tum aliam quartam, & c. donec tandem integrum aureum faciat, prima quarta pars aurei seorsim sumpta peccatum mortale non constituebat, quod tamen aliis accedentibus, conjunctim cū iis constituit; aliud exemplum suggero; sit herus quispiam, qui dicat famulo quidquid mihi surripueris tibi dono, modo singulis mensibus duos aureos non adæquet, alioquin nihil tibi à me donatur, & ad restituendum teneri te volo; si surripiat ille famulus prima septimana mensis dimidium aurei; tum altera, dimidium, atque ita deinceps, & vltimo die mensis, quod supereſt ad duos aureos etiam subtrahat; haud dubiè modica illa pecunia ultimo die surrepta facit, ut teneatur ad restitutionem totius summæ; igitur aliquid fieri potest, quod in antecedentia refundat obligationem; sed ut clarius respondeam, vel prima illa sponsio cum Titio fit sincero animo à Vulpino, vel parum sincero, id est, cum intentione spondendi cum Cajo; si hoc secundum dicatur, vitiosa est; quia spondet cum impari conditione, cum certus sit, vel lucri, vel nullius jacturæ; si verò primum dicatur, illa sponsio per se vitiosa non est; huic tamen tacita conditio subnexa censetur, ut scilicet nihil deinde ponatur, per quod vitietur; id est, per quod privatus censeatur Vulpinus primo illo jure retinendi lucrum, si Titius vincatur, seu perdat; cum autem posita secūda sponsione, fecerit contra illam tacitam conditionem, illa prima sponsio, quæ moraliter perseverabat, inde vitiatur, & jus illud ad lucrum ex ea referendum perit.

196. PITHANOPH. Si Titius deinde eligatur, ut re lucrum exiget à Vulpino; quidni ergo Vulpinus ab illo exigat, si ipse Titius non eligatur; alioquin Titii potior esset conditio; nam posset lucrari, & non posset perdere; unde sanè tuum argumentum in te retorquetur.

197. ANTIM. Acutè, haud dubiè; erit, qui dicat Vulpinum luere pœnas suæ malitiæ, ac fraudi; ludo aliquid simile habemus; si enim alter ludentium fraudem illicitam adhibeat, ac deinde lucrum illud, retinere non potest, si verò casu aliquo, alter vincat, lucrum haud dubiè retinere potuit; in aliis contractibus aliquid simile habes, in quibus vis aut dolus intercessit; nempe alter, qui vim aut dolum passus est, potest stare pactis, si velit, alterum, qui vim attulit ad id cogere etiam invitum; cum tamen hic cogere illum non possit, si contractum rescindi postulet; pari modo Vulpinus, si altero vincatur, solvere tenebitur; nihil tamen egere, si vel utrumque, vel alterum vincat; nec obsto inde pejorem esse illius conditionem; quia illius culpa hoc accidit; cum enim injustè meliorem facere velit, justè pejor evasit; hæc autem responsio objectionem quadrat; sic usurarius non modò restituere tenetur mercatori lucrum injustè perceptum mutui, sed etiam illius interesse; id est lucrum cessans, & damnum, quod inde mercator passus est.

198. PITHANOPH. Si alter illorum duorum eligendus esset, ita ut ad alios electio illa extendi nequiret, utraque Vulpini sponsio justa esset, quæ ni ergo justa erit, licèt ad alios electio extendi queat?

199. ANTIM. Discrimen manifestum est; nempe in prima suppositione, Vulpinus non potest quidem perdere, sed non potest etiam lucrari, utpote dictum est; æqua igitur & par est conditio; at verò in secunda suppositione, Vulpini melior est conditio, posita utraque sponsione; nam non potest quidquam perdere, licèt possit lucrari; manifestum igitur discrimen est; posset quidem cum Cajo spondere, quod Titius eligetur, quia tunc nihil poterit perdere, sed nihil poterit lucrari; unde par resultat conditio.

200. PITHANOPH. Prima sponsio cum Titio facta, bono animo, cum scilicet Vulpinus non cogitaret de aliis faciendis, omnino legitima est & justa, & nulli injuriosa; cur igitur deinde non subsistit? cur si Titius vincatur, Vulpinus suo lucro gaudere nequit?

201. ANTIM. Pari modò dicerem, cuilibet famulus, de quo supra, retinere non potest pecuniam illam, quam prima, secunda & tertia mensis Hebdomada surripuit, minimè cogitans de summa integra duorum aureorum complenda; nam licitè pecuniam illam accepit; quia tamen conditionem appositam violavit, inde obstrictus manet ad restitutionem; pari modo Vulpinus primam sponsionem licitè fecit, quia tamen conditionem sponsioni tacitè appositam violavit, quod scilicet nihil deinde faceret, ex quo melior & potior ejus conditio non modò esset, sponsione peracta, sed præmittisset, facit enim secunda sponsio, ut ratione primæ securus sit, & perinde se habeat atque si eo tempore, quo primam fecit, securus fuisset. & retrotrahatur, ajunt illa securitas & potior conditio; ideo obstrictus manet ad restituendum lucrum, si jam illud perce-

percepit, aut si non percepit, ad non exigendum.

202. Pithanoph. Neutri facit injuriam; quia cum invitis non spondet.

203. Titio quidem non fecit injuriam eo tempore, quo cum eo spopondit; Cajo tamen injuriam facit, quia potiore conditione munitus cum illo spondet; quia ita spondere injustum est; ubi verò deinde lucrum à Titio exigit, aut jam percepit non restituit, eidem facit injuriam, ut patet ex dictis; quod autem subnectis, neutrum invitum esse, ac proinde volenti non fieri injuriam, hoc nimis probat; nam is, qui certus est, cum invito non committit; & tamen lucrum jure exigere non potest: accedit, quod invitus censendus est, qui quis fraudem adversarii ignorat, quam reverà si sciret, non sponderet.

204. Pithanoph. Igitur si uterque sciat alterius sponsionem, neuter invitus censebitur, ac proinde Vulpinus licitè suo lucro gaudebit

205. Antim. Si uterque sciat, ut dicis, nihil obstat, quin utraque sponsio simul fiat, unico etiam contractu, quod nescio utrum admiseris; praeterea licèt neuter invitus sit ratione facti, ut sic loquar, invitus tamen ratione juris censendus est; nempe posito quod neuter eligatur, ac proinde Vulpinus utrumque vincat, si uterque sciret pactum illud iniquum esse, & Vulpinum nullum jus habere ad lucrum, lucrum haud dubiè neuter Vulpino solveret; ac proinde invitus uterque ratione juris censendus est; sic puer, qui dat alteri suam pecuniam, invitus dare censetur, ratione juris; sic qui spondet cum alio, quirei certum esse se dicit, invitus censetur, sic etiam qui cum usurario init contractum usurarium, quem usurarium esse nescit, censetur invitus; quia jura invitum faciunt, cum ille contractus sit contra jus; quia jura donationem illam irritam reddunt; equidem si hoc non obstante, sponte remittant Vulpino illam obligationem retinendi, ex mera liberalitate, licèt sciant, ipsum teneri ad restitutionem, tum reverà non tenebitur restituere, sicut nec fur, cui similis remissio fieret.

206. Pithanoph. Restat mihi non modica difficultas circa illam legem, quae totius tui ratiocinii fundamentum est; quod scilicet spondens non debeat esse certus de lucro; si enim Vulpinus committat cum Titio super illius electione, & sit sponsio 20. aureorum, sitque alius v. g. Cajus, qui eum pro decem aureis Vulpino assecuret, Vulpinus nihil perdere posset, sed posset lucrari 10. aureos; nemo tamen neget, contractus hujusmodi licitos esse.

207. Antim. Antequam respondeam, res expenda est, Titius asserit, se fore eligendum; negat Vulpinus; fit sponsio 20. aureorum, Cajus accedit Vulpinum, eique assecurat sponsionem 10. aureis, acceptat conditionem Vulpinus, traditque 10. aureos Vulpino. Jam verò vel Titius eligitur, vel non eligitur; si eligitur, solvit Vulpinus Titio 20. aureos, quos exigit à Cajo; unde Vulpinus perdit tantum 10. dedit enim 30. accepit 20. igitur perdidit 10. si verò Titius non eligitur, hic solvit 20. Cajo, qui cum dederit 10. Cajo, supereſt illi lucrum 10. aureorum; igitur tantum perdere potest quantum lucrari; an fortè magis æquam conditionem desideras? at si Cajus pro minore pretio, scilicet infra medietatem assecuret Vulpino sponsionem, v. g. pro 5. aureis, haud dubiè si eligatur Titius, Vulpinus perdit tantum 5. solvit enim 25. & exigit 20. si verò non eligatur, lucratur 15. igitur potest plus lucrari, quàm perdere; hoc modo ni fallor, tuam difficultatem proponere debebas; quam tamen non difficilè solvere posse mihi videor; nam assecuratio ad contractum venditionis reducitur; is enim, cujus sunt merces, retento illarum dominio, cum sit aliquod periculum, emit praesenti, vel promissa pecunia, obligationem, quam ultro contrahit assecurans, reparandi jacturam & resarciendi damnum illius, casu quo merces pereant. Hunc autem contractum justum esse, aliàs diximus; quia verò res, quae venduntur diversa pretia habent, etiam justa, haec obligatio resarciendi damnum, casu quo merces pereant, quae venditur, diverso pretio justo aestimari potest; unde aliquando accidet, ut primus assecurator, qui eam majori pretio vendidit, eamdem ab alio minore pretio redimat; modò scilicet justum sit, ac proinde necessariò lucretur primus assecurans, quidquid accidat; nec mirum; sic enim mercator, qui merces emit vili pretio, & eas deinde majore pretio vendit, necessariò lucratur; & verò in distractione rerum vendibilium, talis usus communis est: pari modo, cum Vulpinus sit in periculo perdendi, quod scilicet cum spe lucrandi conjunctum est, Cajus sprето illo periculo, obligationem resarciendi damnum illud, casu quo Vulpinus perdat, eidem vendit 5. aureis; supponitur autem esse justum pretium talis obligationis; si enim injustum sit, iniqua est venditio; quod autem plus lucrari possit, quàm perdere Vulpinus, ideo est; quia minoris emit obligationem Caji solvendi 20. nummos, casu quo Titius eligatur, quam eam ante vendiderit, vel potiùs aestimarit; quia sponsio non est venditio; in illa autem aestimatione, perfecta fuisse videtur aequatio; nempe obligatio, quam contrahit Titius solvendi 20. aureos Vulpino, si non eligatur, adaequat omnino obligationem quam contrahit Vulpinus solvendi 20. aureos Titio, casu quo eligatur; at quod Cajus assumat sibi & contrahat illam obligationem solvendi Titio 20. aureos, casu quo eligatur pro quinque tantùm aureis, vix crediderim, justum esse; nam perinde facit, atque si sponderet cum Titio, positis 15. contra 5. id est ea lege, ut Titio solvat 15. aureos, si eligatur, & ab illo accipiat tantùm 5. si non eligatur; quis amabò sponsionem hanc iniquam esse non videat, posita scilicet aequitate prioris sponsionis 20. aureorum contra 20. ut autem aequum sit pactum, Cajus poterit assecurare sponsionem Vulpino pro 10. aureis; quia tunc perinde se habebit, atque si spondeat 10. contra 10. nam ipse tantum 10. perdere & 10. tantùm lucrari potest; in hac instantia nihil prorsus difficultatis restat.

208. Pithanoph. Video; nec unquam credidissem, cuncta haec adeo facilè ac dilucidè dilui posse; nempe in mercibus Vulpinus potest assecurare mercium vectionem v. g. 20. aureis; id est, summo pretio, licèt justo & si 10. assecurasset, adhuc justum esset pretium, sed infimum praedictae assecurationis, vel obligationis, quam contrahit; attenta scilicet ratione periculi; quid ni ergo assecurationem istam, vel obligationem, transferat, seu redimat, 10. aureis, justo scilicet pretio; igitur 10. necessariò lucratur, quod ut plurimum accidit in venditionibus; attenditur autem ratio periculi, ut praedictae obligationis justum pretium taxetur: at in sponsione paulò aliter accidit; nam Vulpinus ut suae securi-

tati consulat, vel spondet cum Cajo pro electione Caji 20. aureis, ut sic re ipsa non plus lucretur, quàm perdat; vel quod eodem fere recidit, accersit Cajum assecurantem 10. aureis, dimidio scilicet pretio sponsionis, ut sic lucrari plus non possit, quàm perdere; est autem assecurantis par conditio, qui lucrari tantùm potest 10. & perdere tantùm 10. igitur in assecuratione sponsionum, stante scilicet æqualitate periculi & spei, pretium justum est dimidium pretii sponsionis, quod à te dumtaxat observatum fuisse memini.

209. ANTIM. Sed quæso, cùm allatæ rationes contra prædictam sponsionem Salmanticensem sufficere videantur, expecto ut oppositas rationes exponas, quibus prædictæ sponsionis justitia demonstretur.

210. PITHANOPH. Nihil restat amplius; nam rationes, quæ adduci possunt, ad jam discussa capita referuntur. 1. quod contractus ille cum singulis seorsim initus justus sit, expositus æquali lucro & damno; sed hoc rejectum est; nam initus tantùm cum Titio, bono & sincero animo justus est; ea tamen conditione tacitè appositâ, ut cum aliis deinde non fiat; unde si deinde cum Cajo fiat, primus contractus injustus evadit, id est non potest Vulpinus, illius vi, quidquam lucrari; reliqui verò contractus subsequentes absolutè injusti sunt. 2. Extrinseca circumstantia contractum non vitiat; unde cum unus contractus alteri sit extrinsecus, illum vitiare non potest; sed responsum, & ab illo extrinseco aliquid refundi in Vulpinum, scilicet certitudinem lucri, & potiorem conditionem; utraque justæ sponsioni repugnat. 3. Nulli ex 4. spondentibus fit injuria, volenti scilicet & minimè invito; Responsum est, fieri injuriam etiam non invito, contra jus, & censeri invitos in ratione juris, licèt fortè in ratione facti inviti non essent. 4. Cuilibet ex 4. spondentibus T, C, M, S, Vulpinus dicere potest, quod mihi prodest & tibi non nocet, non potes rationabiliter impedire; igitur non es rationabiliter & jure ipso invitus; Responsum, has sponsiones Vulpino necessariò prodesse, & tribus ex illis collectivè necessariò nocere, acceptis scilicet quatuor ternariis disjunctim. 5. Si Titius, v.g. eligatur, Vulpinus solvet ipsi 20. aureos v.g. & quia lucratus est 60. cum tribus aliis, non potest dici, à quo illorum trium, C, M, S. 20. exigere debeat; cur enim potiùs ab uno, quàm ab alio? Responsum est, Vulpinum illos 60. non posse exigere, nec etiam 20. quia iniqua fuit sponsio ex parte sua, posse tamen Titium ab illo exigere 20. si velit, propter rationem adductam; quia fructu contractus, ille juste gaudere non potest, qui fraudem induxit; licèt alius, qui fraudem passus est, illo gaudere possit; sic enim jura decernunt, ut legi, ni fallor, apud Less. lib. 2. cap. 17. dubit. 5. ubi multa jura cum multis autoribus adducit. 6. Denique adducitur assecuratio tertii; sed paulo ante responsum; nullum igitur restat argumentum pro justitia prædictarum sponsionum, quod elisum à te non fuerit; utrùm fortè aliud novum habeas, libenter audiam.

211. ANTIM. Quid quæso aliud occurreret? gratissimum mihi accidit, quod breviter illa omnia argumenta in unum breviter congesseris, subnexis etiam responsionibus; nec enim quod sciam, quidquam à te omissum est, addo tantùm unum responsioni quinti argumenti si cui fortè nimis grave videatur, Vulpinum teneri solvere 20. aureos Titio, cui quo hic eligatur, nec posse exigere à tribus aliis pretium sponsionis, ac proinde non modò lucrari non posse, sed necessariò perdere, propter rationem expositam; mitiùs responderi posset, contractum initum cum primo esse justum (suppono enim sincere animo contraxisse) & tres alios injustos; hoc autem posito, potest quidem perdere 20. aureos Vulpinus, sed potest etiam non perdere, unde sequitur lucri & jacturæ, spei & periculi minor inæqualitas; nam vel Titius eligitur, vel non eligitur; si eligitur, perdit Vulpinus 20. & nihil lucratur, cum à tribus aliis nihil exigere possit; si verò Titius non eligitur, ab ipso exigere potest 20. sed quia Sempronius eligitur, tenetur 20. solvere tenetur; Vulpinus igitur nihil lucratur, nihil perdit; illi ergo sufficiat, quod nullum lucrum ex sua fraude reportet, & quod fieri possit, ut nullum inde damnum patiatur; dixi ex sua fraude, vel astutia & dolo, nec enim industria dicenda est; cum te labore, nec ingenio, adid, opus sit; quis enim hoc nescit? quis artem, aut peritiam aliquam adhibere præstandum desideret?

212. PITHANOPH. Sed cur etiam contractus cum Cajo secundo loco initus justus non est? cum eadem sit illius & Titii ratio.

213. ANTIM. Quia Vulpini contractum sim incuntis potior est conditio; cum enim perdere non possit, lucrari potest; & Cajus est pejoris conditionis.

214. PITHANOPH. Sed quid tandem tu? non enim hucusque quid sentias, dixisti.

215. ANTIM. Facilè conjicis; revera contractum illum approbare non possum, quem totationibus refutatum esse video, & cui nulla ratio favet, quæ facilè non diluatur; de his igitur plusquam satis, videre velis, utrùm aliud habeas, quod proponas.

216. PITHANOPH. Recepti canendum est, nec longior congressus tibi gravis, aut molestus accidat, in proximè sequenti differemus de tribus contractibus & censu utrimque redimibili, ut vocant; si quid deinde ad hoc argumentum pertineat, & per temporis angustias liceat, discuti etiam poterit.

217. ANTIM. Bene est; utrumque argumentum mihi summoperè placet; sed paratus & beneficium actus accede; vale interim, & ubi commodum fuerit redi.

218. PITHANOPH. Vale Antime, mei memor amans, qui te cum multo fœnore, sine usura redamo.

DIALOGUS XIV.

IN QVO

Tres contractus, & census utrimque redimibilis discutiuntur.

1. PITHANOPH. Tempestivè accedo ad novum congressum, minimè procrastinandum erat, ut te participem facerem colloqui lepidissimi, quod mihi fuit cum Doctore magni nominis, mi, quod mihi fuit cum Doctore magni nominis, facie, ita & nomine tibi noto; vix enim à re divi-

serun

ferum, & libros aliquot, ut mea d hunc congressum pararem, leviore manu evolveram, cum fortè in meorum illum Doctorem incidi; & post solita urbanæ salutationis officia, cum ab ipso pro more, quæ vissem, quid ageret, & cui rei operam daret; proximè, inquit, elapsis diebus, animum applicui ad serium & accuratum examen controversiarum aliquot moralium, quæ mihi huc usque multum negotii facesserunt; sed tandem ab iis difficultatum spinis liberem magnam fecisse mihi videor; cui ego, rem magnam, inquam, jure vocas; maximam vocarem, si de me idem quoque dici posset, sed fortè molestum erit, aperire, quodnam sit controversiarum illarum argumentum: Argumenta illa vulgaria sunt, & satis nota, cum nemo fere hoc tempore, sive doctus, sive indoctus, qui de his argumentis, non disputet; de simonia scilicet, tribus contractibus, ut vocant, occasione peccandi, censu utrimque redimibili, homicidio, calumnia, contractu illo quem barbarè mohatram vocant; & si perotium liceat, sedeamus inquit, & ubi exponam rationes à me excogitatas, quibus controversias illas decido, & nodos omnes facilè solvo: Hoc sanè mihi gratissimum accidit Antime; consedimus igitur, & per quatuor integras horas, maxima contentione, omissis controversiis de contractu mohatra & de calumnia, disseruit, & uberem mihi materiam suppeditavit, quæ ad hunc congressum nostrum plurimùm conferet.

2. Antim. Gratulor plurimùm; at mihi dicas velim, utrum is tres illos contractus & censum utrumque redimilem approbarit.

3. Pithanoph. Minimè gentium; immo acerrimè in illam opinionem, quæ illos ut licitò admittit, & in illius autores invectus est, & mera usuræ involucra centies appellavit.

4. Antim. Bene est; id saltem commodi accidet, quod iisdem argumentis contra me pugnabit, quibus sanè, si par non fuero, nec illa solvere potuim, mutabo libenter sententiam meam, quæ pravitatis contractibus suffragatur; mutabo inquam maxima cum voluptate, nam mutare in melius non sapientis semper esse duxi; sed antequam hostilia tela retundam, meam sententiam priùs firmabo; si quid, quod vel obscurum, vel dubium sit, mihi excidat, monebis illico, & intercedes.

5. Pithanoph. Hic modus placet; sed quæso, contractuum, naturam & modum horum contractuum explicabis, cum à multis minimè intelligantur, etiam ex iis, qui acerrimè in illos invehuntur.

6. Antim. Inde, ni fallor, initium ducendum est. Sumo igitur, pactum trium contractuum ex tribus contractibus constare re ipsa, aut saltem virtualiter, ajunt; sive conjunctim fiant, sive seorsim; constare autem hujusmodi contractus, societatis, qui primo intuitu censetur, tum assecurationis, tum demum venditionis lucri majoris incerti, sed probabilis, pro lucro minore certo: rem in exemplo explano. Titius mercator ad negotiationē indigens pecuniæ, accipit illam à Cajo, non quidem mutuò, sed societatem negotiationis, cum spe viginti librarum lucri, incerti quidem, sed probabilis, in singula centenaria; Cajus dat mille aureos ad hunc finem, quem retinet dominium; ac proinde, si pereant, perierunt; siverò fructum faciant, eidem Dominicantur; Cum autem timeat, ne sors pereat, accipit assecurantem, scilicet ipsum Titium, cui pro assecuratione solvit v. g. 5. in singula centenaria; denique ut certum faciat lucrum, quemadmodum certam fecit sortem, vendit ipsi 15. lucri incerti probabilis in singula centenaria, residuis scilicet ex 20. quibus detracti sunt 5. solvendi assecuranti, vendit inquam, pro 6. aut 7. certi lucri; ecce tibi tres contractus, ex quibus constat hoc pactum & de quibus in hoc congressu disputabimus: quæ tamen ita dicta velim, ut Titius non modò acceptet hujusmodi pacta; nimirum 2. & 3. sed ipsemet pro iis instet apud Cajum; & vix alio modo sortem principalem ab ipso accipere velit.

7. Pithanoph. Rem probe intelligo; contractus primus est societatis, quæ nihil est aliud, nisi conventio duorum, vel plurium, ad conferendum aliquid in usum, vel quæstum communem, contracta: perficitur autem solo consensu exteriùs expresso, ut Doctores docent, cum Less. c. 25. dub. 1. n. 1. & Gomez tom. 2. cap. 5. num. 1.; porro ita contrahitur societas, ut alter pecuniam, vel animalia, alter operam & industriam, vel pecuniam cum opera conferat; hoc tantùm loco agimus de eo, qui confert pecunias; quatuor autem vulgò ad hunc contractum requiruntur 1. ut singuli socii aliquid in commune conferant; 2. ut quod à singulis confertur ita fiat commune, ut singuli fiant Domini totius sortis partialiter; 3. ut damnum & lucrum sint communia; 4. ut fiat divisio lucri juxta proportionem sortis à singulis collatæ; hæc adductis variis legibus probant autores, quas videsis apud Lessium & alios.

8. Antim. De secundo, dubium mihi esset; quid enim est habere dominium totius sortis partialiter, nisi habere dominium partiale; id est dominium partis collatæ?

9. Pithanoph. Unum satis distinguitur ab alio; sic totius hæreditatis indivisæ Hæredes dominium partiale habent; quod exemplo illo valde trito apud Scholasticos explicari potest; causæ scilicet & effectus; nam duæ causæ possunt esse totius effectus, sed partiales; non quod una partem unam effectus producat, & alteram altera, nam singulæ totum effectum producunt; unde totales dicuntur, totalitate effectus, (permitte mihi has voces) & partiales partialitate causæ; pari modo singuli sunt Domini totius sortis, totalitate sortis, sed partialitate dominii: quando tamen tota sors ex pecuniis singulorum constat, perinde est, sive dicantur singuli habere partiale dominium totius sortis, pro rata partis collatæ, sive totale hujus dumtaxat partis; usus autem omnibus sociis communis est; & licèt unus tantùm illorum, quando factorem, vel ministrum communem non adhibent, pecuniam administret, eaque utatur negotiando; hoc tamen omnium & singulorum nomine facere censetur; quamvis singulorum nomina schedulis rationum adscribi necesse non sit; sed tantùm agentis & procuratoris communis.

10. Antim. Optimè sanè; non est tamen propterea, quod aliquis credat, ex eo, quod mercator v. g. pecuniæ alterius socii usum habeat, socium dominium illius perdere; tum quia, si pereat, huic perit; tum quia administrare pecuniam, vel ea uti alterius nomine, non est habere illius dominium; quod sanè diligenter observandum est: equidè liber usus pecuniæ, ab ejusdè dominio minimè distinguitur; sic mutuator, qui dat mutuatario usum liberū, quem usum

juris vocant, dat etiam ejusdem dominium; quia scilicet mutuator suo nomine illa utitur; at si quis pecuniam acciperet, ut eam nomine illius administraret, eaque uteretur, non acquireret illius dominium, nec esset merum mutuum; hoc igitur diligenter observandum est in contractu societatis, dominium remanere penes singulos socios, sive partiale totius sortis, pro rata; sive totale partis collatæ, in quo nonnulli incautè hallucinantur.

11. PITHANOPH. Multa quidem disputantur à Doctoribus circa hunc contractum societatis, quæ ad præsentem disputationem non pertinent; v. g. circa varios modos, quibus fieri potest, de quibus hoc loco minimè agitur; suppono enim illum tantùm modum, quo aliquis dat mercatori suas pecunias ad societatem negationis, reservato suo capitali integro, quod tamen illi perit, si perit; & diviso deinde lucro, justa proportione; ita ut is etiam, qui operam & industriam confert, justum operæ suæ lucrum & præmium consequatur; hunc autem contractum justum & licitum esse omnia jura clamant; immo est de jure gentium; cum enim quilibet, modo ratione status id non sit veritum, negotiari jure valeat, atque ita vel lucrari, vel perdere possit; nempe, saltem ut plurimùm, negotiatio, ut cum magna spe lucri, ita cum aliquo damni periculo conjuncta est, certe sive id per se, sive per alium suo nomine faciat, perinde est; nemo igitur negat, contractum societatis justum esse, modò nulla iniqua conditio illi apponatur; v. g. si socius ea tantùm lege confert pecunias, ut nullum illarum subeat periculum, sed tantùm lucrum referat; quod revera naturæ & rationi hujus contractus repugnat; ita Leotard. q. 31. qui n. 2. citat l. *si non fuerit* in fin. ff. pro Soc. Gloss. in c. *plerique* 14. q. 3. Bald. Castrens. Roman. Dec. Gomez, Rimin. Plot. Gail. Felician. Francisc. Marc. Narbon. Lop. Rebell. Natt. Mantic. Ferrer. Hotman. Theodor. Balsam, item si de certa lucri quantitate conventū sit; pro quo citat Navar. Ugolin. Mantic. Cancer, Pistor. item si quis toti societati pecuniam credat, eo pacto, ut sorte salva, singulis annis certam pecuniæ quantitatem recipiat, quod in Catone Plutarchus reprehendit in ejus vita, & Cujacius ad African. tract. 7. ita Pistor citatus Leotard. n. 6. item si quis det suam pecuniam alteri, quem scit minimè negotiaturum, quod repugnat etiam naturæ hujus contractus, ut rectè omnes observant, Leotard. q. 31. n. 55. citat Navarr. Binsfeld. Avendan. Ugolin. Felic. Sigism. Scacc. Narbon. Justinian. Mantic. Itaque modò contractus societatis legitimo modo fiat, nec iniquæ illæ, quas obiter perstrinxi, conditiones apponantur, non est dubium, quin justus ac licitus sit.

12. ANTIM. Rectè monuisti, multa esse, quæ à Doctoribus disputantur, de circunstantiis potiùs, quàm de substantia hujus contractus, quas facilè omitto, cum ad institutum nostrum non pertineant, vix tamen omittere possum celebrem illam inter Doctores controversiam, utrùm scilicet finita societate, in qua unus pecuniam, alter industriam confert, sortem integram primus accipere debeat, lucro dumtaxat diviso.

13. PITHANOPH. Antequam ulteriùs pergas, unum obiter observa, scilicet, ut plurimùm illum, qui operam suam & industriam confert, certo stipendio assignato, suam illam operam locare, quod deinde meritò exigit, sive societas lucrum faciat, sive non faciat, modò per illius culpam, vel negligentiam non accidat.

14. ANTIM. Hoc sciebam; hinc socii ut plurimùm factoris potiùs, ut vocant, quàm alterius soci adhibent operam ad negotiationem & collatæ pecuniæ usum; quare loquor tantùm de illo, qui operam & industriam suam confert ad societatem, pecuniæ loco; Itaque communis Doctorum sententia est, finita societate, sortem integram à singulis conferentibus priùs detrahi, ac deinde lucrum dividi pro rata; hinc si sors pereat, nihil perit illi qui operam suam dumtaxat contulit, modò illius culpa non pereat: ita Leotard. q. 31. qui citat. n. 30. 31. Salicet Sichard. Fachin. Cravet. Gail. Donell. Felic. Costa. Gratian. Azor, qui multos citat. Binsfeld. Filliuc. Bald. Castrens. Navarr. Oinot. Corn. Scientia. Gibal. l. 5. c. 2. a. 6. n. 1. alios citat pro hac sententia, scilicet Cyn. Angel. Rosell. Pisarell. Tabien. Silvest. Cajet. & alios Summistas, tum etiam Theologos Bernardin. Castr. Palao, Bonacin. Sot. denique Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. isti omnes volunt, pecuniam in societatem collatam illius esse, qui eam contulit, ideoque ejus damno & periculo perire; rationes porro pro hac sententia, quam communem esse, certum est, non desunt. 1. non est de mente conferentis, ut suæ pecuniæ dominium in alium transeat, si aliter fieri possit, aliter autem fieri posse, tenet negat. 2. si dominium in alterum transiret, ipsi etiam periret; cum illi pereat, cujus est. 3. cum conferenti pereat, inde certò concluditur, illum retinuisse. 4. maxima inde absurda sequerentur; nam vel nullum fuit lucrum, vel aliquid lucri fuit, si primum, supponamus Titium contulisse 10000 aureorum, & Cajus suam tantùm operam; finita societate quilibet 5000. haberet; igitur Cajus lucratus 5000. & Titius 5000. perderet; quod sanè iniquum, quàm leoninum est; si verò secundum, sit lucrum 6000. tota summa ex sorte & lucro erit 16000. igitur cuilibet 8000. competunt, unde Titius ad hucque habuit 2000. & Cajus 8000. lucratur; quod quàm injustum sit, nemo non videt.

15. PITHANOPH. Hoc argumentum facilè retorqueri potest; supponamus enim nullum fuisse lucrum; si Titius repetat 10000. ab eo collata, nihil quidem lucratur, sed nihil etiam perdit; cum tamen Cajus totam suam operam perdat, quod certè iniquum esset; nempe, unus sociorum perdit, alter nihil perdit; conditio igitur inæqualis est, quam tamen æqualem esse in societate oportet. propter has rationes, multi autores, iique celeberrimi contrariam sententiam defendunt, contrariam inquam illi, quam supra exposuisti; Leotard. num. 29. citat Accurs. Alberic. Covarr. Gibal. citat Conrad. Less. Mol. Delugo; quamquam Molina Delugo & Gibal. rem istam componere videntur.

16. ANTIM. Ad prædictas rationes non difficilè responderem; si enim Cajus operam suam contulit, nihil ex illa prætendere potuit, nisi vel lucrum vel stipendium; stipendium jam rejecimus; cum locationem, non verò ad societatem pertineat; lucrum nihil nisi lucrum prætendere potuit; at nullum lucrum esse supponitur; igitur nihil est, quod prætendat; immo, hæc conditio tacita pacto finito reposita fuisse censetur; volo lucrum, si tamen lucrum erit; si enim non erit, nihil volo; si vero aliam conditionem apposuisset, quod certum lucro, tantum illi stipendium assignaretur, alia quæstio est, & de hujus conditionis æquitate aliqui fortè dubitarent; equidem licet suam operam locare potest stipendio, sed tum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

locatio, non societas; at quod ineat societatis contractum conditione appositâ, de stipendio, si fortè nullum lucrum sit, majus est dubium; nam fortè pari modo, qui pecuniam confert, eandem conditionem apponere potest, quod usuratium esset; quamquam maximum discrimen est; nam ille primus de certo stipendio pacisci potuit; non tamen hic de certo lucro, sed vi hujus contractus percipiendo; accedit, quod socius, qui solam operam confert in societatem, eo ipso videtur, quod nihil lucratur; perdit inquam operam, perdit, quod nihil lucratur; at is, qui cum lucrum, vel præmium suum non succedit; at is, qui pecuniam confert, potest nihil perdere, & simul nihil lucrari: igitur in hoc convenit uterque, quod uterque lucrum sibi sortiri sperat; alter scilicet pecuniæ suæ, alter operæ, differt tamen unus ab alio, quod is, qui pecuniam contulit, detrahat priùs sortem à se collatam, cum socio, qui operam contulit, dividit; hic autem hoc pacto contentus, nullum aliud lucrum sperat; & si nullum lucrum societati proveniat, eo ipso perdere operam dicitur, quod lucrum perdit; is etiam parimodo, qui pecuniam contulit, perdit speratum lucrum, non tamen sortem; non negarim tamen, habendam esse rationem pretii operæ collatæ; sed non est timendum, ne is, qui operam suam confert v. g. navigam injuriam patiatur; solet enim operam illam tanti æstimare, unde in ordine ad partem aliquam lucri perinde se habet, atque si tantam pecuniæ summam contulisset; in ordine inquam ad lucrum, non verò ad sortem; quia præter lucri partem, nullam partem in sorte, quia alterius est, habere debet.

17 PITHANOPH. Gibalin. varias regulas præscribit huic contractui. 1. Sortis & lucri ratio par esse debet: ita ut plus ille lucri percipiat, qui plus pecuniæ contulit, & minùs, qui minùs, juxta proportionem geometricam: v. g. duplum pecuniæ Titius contulit, igitur ut sors illius continet $\frac{2}{3}$. totius summæ, ita $\frac{2}{3}$. totius lucri illi debentur. 2. Sit par lucri & damni ratio. Proportio geometrica servanda est, tum in lucrum in damno, dicunt aliqui æqualitatem, sed male: etenim mera proportio, non æqualitas, nec proportionum, ut aliqui dicunt; sint enim Titius conferens 4000. Cajus 3000. sit lucrum 1400. in illum, quid competat singulis, sola regula proportionum adhibenda est; si 7000. scilicet tota summa dat 4000. quæ est sors Titii, 1400. scilicet totum lucrum, dabunt 800; hæc est pars lucri, quæ competit Titio; reliqua verò scilicet 600. competit Cajo: en tibi quatuor terminorum proportionem; ut enim se habent 4000. ad 3800. ita se habent 800. ad 600. & ut se habent 4000: ad 800. ita 3000. ad 600. & ut 7000. ad 4000. ita 1400. ad 800. accipe ut voles rationes compositas, divisas, alternat, &c. Sed hæc sunt facilia: quartâ regulâ omnes apponi possunt contractui, quæ nec juri divino, nec naturali repugnent.

18 ANTIM. Ex dictis prædictæ regulæ satis patere poterant: commodius fortè aliquot corollaria deducere poteras, hoc te labore levabo.

1. Pecunia perit socio, qui eam contulit; quia illius est. 2. Si pereat pars summæ, singulis, qui pecuniam contulerunt, perit pro rata, juxta proportionem prædictam. 3. Socius, qui operam conferre debet, si sors ante pereat, nihil ponere debet. 4. Si Titius conferat 1000. & Cajus suam operam æstimatam 50. sit lucrum 300; Titius primo detrahet 100. & ex reliquis 300. accipiet 200. Cajo 100. competent. 5. Socius non potest uti re communi in suum commodum. 6. Socius sortem suam debet æstimare juxta valorem pecuniæ, qui erat eo tempore, quo pecuniam contulit. 7. Si finita societate, nullum lucrum factum sit, nullum lucrum competit ei, qui solam operam contulit. 8. Damna, quæ socius patitur, v. g. ratione expensarum, toti societati ferenda sunt, modò illa sua culpa non subeat. 9. In societate animalium si uterque animalia conferat, uterque damno & lucro communi exponitur; si alter animalia, alter custodiam, curam, &c. Illa pacta licita sunt, quibus hic non plùs æquò gravatur, sed lucrum ut plurimum, judicio prudentum ac peritorum rusticorum, par est labori, etiam si animalium periculum custos in se recipiat.

19 PITHANOPH. Quandoquidem huc usque ventum est, vellem ut vel obiter aliquid de societate officiorum diceres.

20 ANTIM. Pauca dumtaxat delibo, ut statim ad rem nostram veniam; duobus modis hæc societas officiorum instituitur; 1. Si plures collatis conjunctim pecuniis, aliquod officium vacabile emant; v. g. protonotariatum, & pro rata sortis collatæ partem fructuum referant; unus autem illorum officium gerit, ejusque morte officium vacat, & sors integra perit; hic modus nullam difficultatem discutiendam habet. 2. Si is, qui habet officium, vel emit illud, accipiat pecuniam à socio hoc scilicet pacto, ut certam partem fructuum singulis semestribus illi solvat; deinde ut socio moriente, morte naturali, durante societate, officialis ab eo debito immunis fiat; præterea ut socio liceat substituere alium pro se, cujus capiti res stet; extra hunc casum, socius pecuniam datam repetere potest, sive ab officiali, sive ab ejus hæredibus: Aliquot Pontifices hanc societatem approbarunt, scilicet Leo X. Paulus IV. Pius IV. Paulus V. totidem Bullis, in quibus id dumtaxat statuitur, ut societates cum pactis licitis & honestis fiant, nec ultra valorem officii; ut officialis exprimat novam societatem initurus, alias societates super eodem officio jam factas; ut Notarius ad marginem instrumenti adnotet discessionem ut vocant, seu renunciationem factam, pro qua facienda, alius Notarius adhiberi non debet. His positis, nonnullæ conditiones nonnunquam his appositæ mihi videntur iniquæ. 1. Si certum illud lucrum excedat partem fructuum, quæ collatæ à socio pecuniæ pro rata competeret; omnibus computatis, solent dari 6. singulis semestribus in singula centena, quod justum pretium excedere videtur, ut notat Delugo disp. 30. sect. 5. n. 80. Tolet. lib 5. sum. cap. 40. Zaechias opusc. de societ. n. 350. Gibalin. lib. 5. cap. 2. art. 6. n. 45. nec est, quod excessum illum aliqui excusent periculo sortis amittendæ, quia officialis eidem periculo subjicitur; & cùm post 6. menses socius possit repetere sortem, minùs periculosum subit in hac societate, quàm in censu vitalitio, ex quo tamen adeò magnum lucrum non ducitur.

21 PITHANOPH Hæc sanè conditio mihi maximè injusta esse videtur ; quia certum lucrum in quod incertum commutatur, debet esse minùs ; ut scilicet unum aliud adæquet ; omnis enim permutatio æqualitatem quamdam moralem postulat.

22 ANTIM. II. conditio, quæ apponi solet, non minùs iniqua est ; officialis enim anticipatum lucrum solvit statim initio, singulis semestribus, quibus revocatur, seu confirmatur societas ; quod reverà iniquum est : nam percipit fructus officii, quod nondum fructificavit : nec est, quod aliqui dicant, hoc compensari per obligationem, quam socius contrahit non dissolvendi societatem per sex menses, vel propter periculum amittendi sortem : nam officialis eadem obligatione tenetur, & eidem periculo subjacet : igitur par est utriusque conditio, cur ergo anticipata solutio ? quam injustam esse, citati supra auctores censent.

23 PITHANOPH. Idem fortè de locatione dici posset, de censu, de cambio, & de aliis contractibus.

24 ANTIM. De censu haud dubiè idem tenendum esse, aliquis diceret : Dico tamen in omni contractu, in quo venditio aliqua intervenit, idem esse, sive ante solutio fiat, sive post : at census est species venditionis, ut dicemus infra : emo enim jus ad partem fructuum : item locatio, in qua emo usum rei v. g. domus, agri ; in cambio venditur non pecunia, sed traductio virtualis pecuniæ : at in societate nulla est venditio, cùm socius suæ sortis dominium retineat. III. Conditio item iniqua est, qua scilicet idem officialis finita societate, tenetur solvere singulis semestribus 6. in singula centena, donec solvat capitale, ut vocant : sed quo jure ? non societatis, quæ dissoluta est : quo ergo nisi mutui ? ac proinde lucrum usurarium est, ut sæpe judicavit Rota, decisiones citat Lugo n. 83. Zacch. n. 307. ita censent Lugo & Zacchias citati, Gibal. n. 46 qui citat Filliuc. & Azor : adde Leotard. quæst. 31. num. 55. ubi citat Manent. Sot. Navarr. Tolet. Farinac. Acorambon. Cyriac. Tiberium Castracan. Ugolin. Duard. si tamen debitor sit in mora culpabili, & lucrum cesset creditori, æquale lucro cessanti hic exigere potuerit, quod aliis creditis competit. IV. Conditio justa est, qua socius ita pacisci tur, ut si morte naturali moriatur, durante societate, sors ipsa sit officialis : nempe ut magnum lucrum inde percipit, tali huic periculo sese exponere potest : præsertim cùm intra terminum dierum præfixum possit alium substituere, cujus capiter stet. V. est etiam justa, qua præscribitur, ut si societatem extinguere socius velit, 15. ante diebus renunciet, coram eodem Notario : cuncta hæc justa sunt, ut scilicet officiali tempus detur, ad inveniendam pecuniam. VI. Etiam justa est, qua officialis tenetur fidejussorem sufficientem exhibere, quod in ipso mutuo licèt.

25 PITHANOPH. Ex dictis nonnulla corollaria facilè deducerem. I. Super officio commodato non potest institui societas : quia quisque super re suâ tantùm, vel fructibus rei suæ contrahere potest, quod reverà est evidens. II. Non potest fieri societas cum eo, qui habet tantùm titulum beneficii, non verò fructus : quia de fructibus tantùm pacisci tur : secus verò cum eo, qui habet fructus, non titulum. III. Non potest fieri societas cum eo, qui nullum habet officium, quod reverà naturæ hujus contractus expressè repugnat. IV. Non debet fieri societas supra officii valorem, juxta Bullas Pontificum : immo hoc repugnat naturæ ejus societatis : alioquin non esset societas super fructibus officii, qui diversi sunt pro diverso valore.

26 ANTIM. Pro utroque corollario habes Delugo num. 60. & 63. S. V. societ. num. 6. Leotard. quæst. 23. à num. 57. qui citat Felic. Gerard. Zacchiam Scottiam, Azor, Navarr. Scacciam, Bonacin. Duard. & multas decisiones rotæ : Adde Gibal. à num. 38. qui præter præfatos auctores alios etiam citat, scilicet Angel. Rosell. Armill. Sylvest. Bernardin. uno verbo, licèt nonnulli hos contractus damnare non audeant, consulendos tamen esse negant, & ultro fatentur, in foro externo illicitos & usurarios censeri : sic Azor, Bonacin. Filliuc. citati à Gibal. num. 40. sed in his præfatum latet.

27 PITHANOPH. Hæc tamen prælodia non parum conducunt ad condictam controversiam disputandam : supponimus ergo contractum societatis esse licitum, omnibus juribus consonum, absque ullo usuræ labe per se alienum, de jure gentium Rom. non parum utile, præsertim ad mercaturam : Præterea constat, contractum assecurationis licitum in se consideratum, aut fide jussionis, esse legitimum, juri naturæ & positivo consentientem, aliquando necessarium, etiam in mutuo, præsertim ad vectionem mercium & ad fidem publicam servandam : cuncta hæc constant ex dictis, ac proinde hic supponenda : denique venditio incertæ majoris & probabilis pro certo minoti esse etiam licita, modò pretium justum sit, & rationi, juri, & omnibus legibus per se consentanea ; sic jactura tis incertum, certo pretio emere quis potest ; immo jactum aleæ ; item fructus agri incerti, aut futuræ : porro in jure tres præfati contractus expressè approbantur, primus quidem l. 5. de just. & jur. secundus verò l. in *nave* ff. loc. l. 1. §. 1. cæpe ff. de pos. tertius verò l. nec emptio ff. de contr. emp. l. 11. ff. de hæred. vel act. vend. l. 23. ff. famil. herc. item l. *jactum retis* ff. de act. empt. l. 8. ff. de contra. mpt. lib. 17. C. de usur. aliisque locis innumeris : his ergo præmissis, quid sentias audire desidero.

28 ANTIM. Ex his quæ hucusque à me adducta sunt, facilè conjicere potuisti, quid de hac controversia sentirem : Dico igitur, pactum mutuo contractuum bona fide inirum, licitum & legitimum, nec non ab omni usuræ labe immune esse, sive tres illi contractus successivè, unus post alterum, sive simul & conjunctim, sive cum eodem, sive cum diversis fiant. : Cum tribus diversis successivè fieri posse nemo negavit ; cum eodem fieri posse etiam successivè aliqui negarunt, ut Panorm. Abbatus, Azor, Rebell. Parlador. Felic. quos citat Dian. tom. 1. tract. de contr. resolut. 30. & post eum Delugo num. 39. Leotard. quæst. 31. num. 2. citat. Raphaël. à Turri Gibal. cap. 2. art. 1. citat. Sanellam. Bald. Rosell. Butrio. Joan. à Capistr. Ugolin. Mantic. Cancer. Pist. sed quia hi loquuntur de contractu nudo societatis, subaudiendo illos, scilicet Arragon. Bannez, Ferdin. Pers. Antonin. Bernardin. Abluens. Accurs. Anchar. Calderin. Anton. Gomez. Palac. Rubium. Angel. de Perusio, Mercat. Cajetan. & Contradictores à Delugo cum eodem successivè fieri posse dicunt, simul negant denique qui rem penam periculi esse existimant, victoriam, Petrum. Binsfeld. Philiarc. Malder. simul verò cum eodem

Victenti, multi hactenus docuere ; en tibi longum illorum elenchum in hac scheda , eorum scientiam Lessio. Logo, Diana, Gibalino, Leotard. Sanè ergo isti Hostiens. in summ. tit. de usur. & malè autem cæsus Albericus ibi allegatus ab Hostiens. Joan. Andreas in cap. *per vestras* de donat. inter Virum & uxorem Angelus V. *societas* 1. §. 7. Sylvest. V. *societas* 1. quæst. 2. Armilla V. *societ.* num. 6. Tabiena V. *usur.* num. 3. Sa. V. *contract.* num. 21. Molin. to. 4. d. 15. quæst 49. Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 10. Medin. instruct. §. 27. Angelus Flos in quæst. desocier. Tolet. lib. 5. cap. 41. Lugo disp. 30. de just. num. 41. Molina tract. 2. de just. disp. 417. Valentia 3. p. disp. 5. quæst. 2. punct. 2. Less. de just. lib. 2. cap. 25. dub. 3. Gutier. 2. p. de contract. cap. 17. Ludovic Lopez de contract. cap. 65. Castro Palao de just. disput. 3. quæst. 3 punct. 11. num 2. Malderus 2. 2. tract. 5 cap. 2. dub. 9. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 20. num. 2. Bonacin. de contra. disp. 3. quæst. 3. punct. 2. num. 2. Homobo. 2. p. exam. Eccles. tract. 9. cap. 14. quæst. 14. Megala 2. 2. lib. 2. cap. 17. quæst. 2. num. 25. Reginald. lib. 25. prax. num. 391. Scotism constitut. Pontific. Theorem. 367. Filliuc. tract. 24. num. 107. & tract. 35. num. 435. & tract. 38. num. 53. Diana 1. part. tract. 8. resol. 30. Salon 2. 2. tract. de societ. art. 3. Bernard. Justinian. lib. de camb. quæst. 10. num. 9. Marc. Variat. lib. 2. cap. 133. num. 21. Ugolin. de usur. cap. 55. §. 1 num. 1. Bellon de Potest. &c. lib. 1. cap. 11. num. 5. & 6. Duard. de socier. lib. 2. cap. 4. quæst. 2. num. 9. & 21. Gibalin. lib. 6. cap. 5 art. 1. Comitol. de contra. p. 3. cap. 11. Graffius tom. 1. decis. lib. 2. cap. 119. Maillard. de Pœnitent. cap. 8. instinct. 14. Joann. Benedict. lib. 3. cap. 9 Petrus de Navarr. lib. 3. de restit. cap. 2. num. 442. Autor speculi Confess. d. 7. quæst. 18. Theop. Raynaud. in Epist. descripta à Gibal. cap. 6. confect 3. cui subscripserunt Lezana, Baldellus, Salemon, Diana, Leotard. quæst 31. num. 13. Navar. in Man. cap. 17. num. 154. & comment. citato. in cap. *si generaveris* Joan. Baptist. Lupus in cap. *naviganti* §. 1. num. 12. Petr. à Perusio tract. de usob. fratr. 4. p. quæst. 1. Purpuratus in lib. *defendo* Cod. de pactis. Panorm. in cap. *per vestras* Bonsign. tract. de Mont. cap. 8. num. 2. Cenan. dicept. Forens. tom. 2. cap. 360. num. 19. Bon. Sigism. Scaccia de commerc. §. 3. Gloss. 3. n. 36. Manica de tacit. & ambig. Convent. tract. 3. lib. 6. tit. 6. num. 12. Morla. in emporio juris p. m. 8. quæst. 25. num 30. Natta p. 2. cons. 403. num. 3. Sarmiento Select. lib. 7. cap. 1. num. 7. Rubentem. in cap. *per vestras* de donat. notab. 6. Jul. num 8. Binsfeld. in cap. *naviganti*. Palac. de contract. lib. 4. cap. 12. Narbon. ad l. Hispan. ff. soll. 2. num. 43. Molfes. tom. 3. quæst. 18. & de contract. quæst. 11. num. 41. Valentia citatus, Romanus Theologos in speciali Congregatione anno 1586 ad hanc controversiam discutiendam deputatos hunc contractum approbasse dicit. Joann. Echius, ut Molfes testatur, hanc sententiam Bononiæ defendit Academiæ : Lessius cit. num. 23. hanc passim doceri & ad praxim reduci asserit per Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam ; eamdem multæ orthodoxi Christiani Academiæ tenent ; aliquot vota subscripta & sigillo munita diversarum Academiarum penes me vidi, & apud me habeo, hîc facilè, si opus esset, describenda, immo & suffragia innumerabilium doctorum omnis generis, instituti, & rationis ; illa autem praxis quotidiana videntibus & probantibus viris peritis, & doctis & probis, ut Less. Navarr, Scaccia, Valentia testantur, non est parvi momenti : accedit, quod ex Adversariis præcipui Rebell. Cajet. Victoria Azor, non audent hanc sententiam damnare, immo Azor quasi suffragari videtur, ac proinde Leotard. eum pro illa citat.

29 PITHANOPH. Sustine quæso, tot citationibus me obruis, ad rationes veniendum est, ut mutua dissertatione veritas eluceseat.

30 ANTIM. Prudenter monuisti, nam superat adhuc non contemnendus recentiorum manipulus ; ut D. Bail. in tripl. examin. pag. 433. Busenbaum lib. 3. tract. 5. cap. 3. dub. 14. num. 3. Amicus tom. 5. curs. Theol. disp. 24. sect. 2. num. 25. Tannerus 2. 2. disp. 4. quæst. 7. dub. 8. num. 208. Gordon. Theol. moral. lib. 4. quæst. 9. cap. 5. §. 2. Basseus verb. *societas* num. 4. Villalob. 2. p. tract. 26. difficul. 3. num. 5. Covarruv. variar. lib. 3. cap. 2. num. 4. Trullenc. lib. 7. in decalog. cap. 24. dub. 2. num. 1. Marc. Serra 2. 2. quæst. 77. art. 4. dub. 2. Tamburin. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. n. 21.

31 PITHANOPH. Satis est, Antime, satis est, nihil restat ferè nisi ut cites Caramuel, Bauni, Escobar, aliaque hujusmodi nomina, hoc tempore adeò agitata & ventilata.

32 ANTIM. Quidni citari possint docti & eruditi autores, non video ; qui licèt fortè in nonnullis bono animo paulò mitiùs scripsisse videantur, hoc certè non facit, quin sua, eáque maxima laude digni sint, pro doctissimis illis lucubrationibus, quibus Theologiam moralem illustrarunt ; sed hîc nec Panegyristam, nec Apologistam ago ; unum dumtaxat non omittam, quod videsis apud Less. citatum, scilicet hanc controversiam à Lovanjensibus accuratè discussam fuisse, & hanc demum sententiam communibus omnium votis probabilem & tutam declaratam. Sed jam ad rationes venio. Sit Titius mercator, cui Cajus det 100. aureos in societatem, addita assecuratione sortis, ac permutatione lucri incerti probabilis in certum minùs ; suppono autem justo pretio tum assecurari sortem, tum lucrum incertum probabile, vel potiùs illius spem vendi ; hoc posito probatur 1. hujus triplicis contractus æquitas : Cajus potest alteri quàm Titio spem illam suam lucri majoris vendere, & ab altero etiam emere assecurationem, & hoc nemo negat ; non Sotus, non Bannez, non Rebellus, non Azor, uno verbo nemo est, qui hoc neget ; quia per se ipsum notum est ; igitur Cajus Titio spem illam vendere potest, & ab eodem emere assecurationem.

33 PITHANOPH. Cajetan. & Conrad. citati concedunt ultro consequentiam, modo successivè id fiat ; id est, per tres diversos contractus, quorum unus post alium fiat, Sotus tamen, Aragon & alii negant illam consequentiam.

34 ANTIM. Et hanc evidenter probo ; quotiescumque aliquis vendit suum, & emit de suo rem vendibilem, & nulla lege positiva id prohibetur, alter vendere, alter emere potest, & hoc naturæ lumine, naturæ notum est ; sed Cajus vendit quod suum est, scilicet spem

illam, lucrum illud suum, non aliorum, prorata sortis à se collatæ; & Titius emit de suo, non de alieno; & hoc nulli legi positivæ repugnat, ut docebo infrà in refellendis oppositis; igitur si Cajus vendere potest alteri, nihil obstat, quin Titio etiam vendat.

35 PITHANOPH. Dicunt, si eidem vendat, destrui societatem, & hanc transire in mutuum, cùm Dominum sortis collatæ à Cajo in Titium assecurantem transeat.

36 ANTIM. Sustine tantisper; scio hæc ab iis, perperam licèt opponi; perperam dico, cùm utrumque falsissimum sit; quod nisi meridiana luce clarius à me fiat, nullam unquam dictis meis fidem habeat velim. II. Ratio hæc erit, contractus qui per se ipsum justus est, & alium nullo modo destruit, eidem subnecti potest; sed contractus assecurationis sortis per se justus est, ut nemo negat, nec destruit contractum societatis: igitur contractui societatis subnecti potest; idem dico de contractu permutationis lucri majoris incerti in certum minùs: & loquor seclusa omni lege positiva, nulla autem hactenus fuit:

37 PITHANOPH. Majorem dabunt, sed illico negabunt minorem; immo inde palmare pro sententia oppositâ argumentum ducunt, quod repugnet uterque contractus societati, in qua, lucrum incertum, ita & periculum incertum esse debet; & socius non minùs damno, quàm lucro expositus est.

38 ANTIM. Probo igitur illam minorem; ille contractus societatem non destruit, qui illam necessariò supponit, quod est evidens; sed uterque contractus annexus supponit societatem, quod manifestum est: nam lucrum illud incertum, quod venditur, supponitur, incertum licèt: cùm sit objectum illius venditionis: nec enim venditio destruit suum objectum, sed transfert illius dominium in emptorem; at lucrum illud incertum quod Cajus vendit ut suum, oritur ex societate, vi cujus dominium illud, jus illud Cajus acquirit; igitur hic contractus supponit necessariò societatem: igitur non destruit illam, idem dico de alio contractu assecurationis; quia assecuratio sortis collatæ in aliquo periculo positæ propter negotiationem, cui addicitur, cujus dominium penes Cajum remnet, assecuratio inquam illa supponit necessariò sortem collatam à Cajo, ad negotiandum, remanente penes illum sortis dominio; igitur collatam ad societatem, igitur supponit societatem ipsam; quid quæso evidens est, nisi hoc evidens sit; nempe illi contractus non destruunt societatem, quicam necessariò supponunt.

39 PITHANOPH. In hoc præsertim, saltem nisi fallor, hallucinati sunt, quod crediderint: dominium sortis transire in assecurantem, item quod hæc assecuratio non per novum contractum à contractu societatis omnino distinctum, sed vi ejusdem contractus societatis, tanquam conditio apponeretur, ad quam Titius adstingeretur; item quod certum lucrum vi ejusdem contractus societatis Cajo promitteretur; cuncta hæc à veritate aliena sunt, ut rectè mones.

40. ANTIM. Satis patet, quàm aliena; sed infra eorum argumenta diluam: jam verò pergo, & probo III. virtute primi contractus societatis, manet periculum sortis, & lucrum tantùm incertum Cajus sperare potest, quid si ipse sua industria certus evadat, & sortis & lucri: an propterea ab illo contractu discedere dicendus est? supponamus, per revelationem à Deo hoc scire, sortem scilicet non tam fore & lucrum certum, v. g. 12. in singula centena: quis ob id destrui societatem dicat? immo ante contractum, Deus hoc potest revelare Cajo: & posita illa revelatione, adhuc justè contrahere posset & societatem inire: igitur certitudo per se tum lucri, tum sortis non repugnat contractui societatis: justa scilicet, id est, quæ sine alterius injuria & damno obtinetur: sed tantùm injusta, qualis esset, si Cajus sortem assecurari vellet à Titio, sine compensatione: & si exigeret lucrum certum, æquale saltem lucro incerto probabili.

41 PITHANOPH. Hæc à re accipere gravissimum accidit; & jam video, quid Adversarios errorem induxerit, cùm enim à contractu societatis certitudinem, tum lucri, tum sortis remotam eliminarent, non distinxerunt justam ab injustâ: injustum esset, Cajo utrumque certum esse, cum Titii damno; at si Cajus minùs lucrum certum expectat, dum Titius longè majus probabile sperat, nulla fit injuria Titio.

42 ANTIM. Prævertis IV. rationem; nempe Cajus comparata sibi, justo pretio, suæ sortis assecuratione, id est obligatione, quam subeat Titius, refundendi sortem Cajo, casu quo perdat, & vendita spe sua lucri majoris probabilis, justo etiam pretio, nullam infert Titio injuriam: licèt enim hic sortem assecuret, accipit tamen justum pretium assecurationis: & licèt certum lucrum promittat Cajo, inde tamen refert longè majus probabile. v. g. in suam quisque sortem conferat 100. & sit probabile lucrum cuique suum 30. Cajus offert 15. de suo lucro probabili Titio modò assecuret sua 100. acceptat Titius, inde Titius sperat tantum 15. & est certus sortis, at Titius sperat 45. deinde vendit Cajus Titio volenti & ultro acceptanti 15. quæ sperat probabiliter, pro 5. certis: conditio Caji est, ut sit certus sortis & lucri, & nihil aliud speret: Titii verò conditio est, ut bene speret de sorte, & probabiliter expectet 15. in singula centena: utra conditio tibi melior videtur? erunt, qui Caji, erunt qui Titii conditionem optent: nullla igitur Titio fit injuria per annexionem utriusque contractus, assecurat sortem Caji, sed inde refert 15. in singula centenaria: promittit 5. certa, sed inde refert alia 15. viden, quam justa sit compensatio? nullam igitur Cajus infert injuriam Titio: igitur prædicti contractus cum primo illo conjuncti iniqui non sunt: igitur liciti & honesti.

PITHANOPH. Modò scilicet unus post alterum fiat.

43 ANTIM. Jam descendis in sententiam Cajetan. expecta tantulum: jam jam illam etiam refutabo, sed priùs rationes, quibus hæc nostra demonstratur, exponendæ sunt. Sit ergo V. ratio, societas aliqua esse potest, in qua lucrum sit certum, immo constitutionibus Apostolicis roborata, sit enim quod officium in Romana curia, cui certi fructus competant, v. g. 10. in singula centenaria: potestne Cajus super illo officio dare summam pecuniæ, ea lege, in singula centenaria 10 habeat, immo fidejussorem exigere potest: nec obstat quod sors illi pereat, si durante societate, ipsum mori contingat: quia ca-

cabilis officii ratio id postulat; præterea alter socius eodem periculo exponitur; igitur certitudo lucri & sortis societati non repugnat; certitudo inquam juxta, quæ aliis sociis nullum damnum, nullum detrimentum affert. VI. ratio eodem recidit; nam, sive Cajus emat assecurationem à Titio, sive ab alio, certus est sortis; igitur illa certitudo non obest contractui societatis, nisi quatenus vi societatis exigitur, idque manifestum damnum tertii, cum quo non servatur æqualitas, ut patet; cum sit melior conditio illius, qui certus, quàm alterius, qui incertus est; nisi justa compensatio ponatur.

44. Pithanop. Multi dicent, tres illos contractus successivè, non simul fieri posse; nempe eodem actu conditiones oppositæ apponi nequeunt; de certo scilicet & incerto lucro.

45. Antim. Impatiens moræ idem retrudis; sub finem dixissem; verùm quandoquidem ita jubes, pervertam; sit autem ratio VII. successivè fieri possunt tres illi contractus, juste ac sine damno & injuria Titii; immo æquis omnino & justis conditionibus; ita ut conditio Caii inde melior non sit, quàm Titii; igitur simul fieri possunt; probatur consequentia, das enim cum Cajetano antecedens; non majus damnum, aut detrimentum Titius accipit, si fiant simul, quàm si fiant successivè ut patet; igitur cum justi sint successivè initi, justi etiam erunt simul initi, nisi aliquale id vetet; nullam autem esse, compertum est; & verò hi duo contractus, qui societati annectuntur, nullam injustitiam continent, ut constat ex dictis; nec pugnant inter se; habent enim rationes disparatas & diversa objecta, nec unum destruit aliud; nam licèt Cajus vendat spem lucri probabilis majoris, pro certo minore, nihil obstat, quin emat assecurationem sortis justo pretio; vides, quàm sint hæc disparata; igitur non pugnant inter se, nec etiam cum societate, quam supponunt, ut dixi, non destruunt, cui sunt omnino adjuncta extrinseca; ita ut possint adesse, vel abesse.

46. Pithanop. Negari non potest quin pactum illud unum contractuum differat à contractu societatis.

47. Antim. Complexum illud ex tribus, dubio procul ab uno ex illis distinguitur; sic totum à qualibet parte differt.

48. Pithanop. Complexum vocas; igitur tres contractus distinctos agnoscis, quorum unus fiat postalium; accedis igitur ad sententiam Cajetani; modò enim tres successivè fiant, id est unus alteri succedat, etiam immediatè, nihil aliud Cajetanus desiderat.

49. Antim. Tres volo, sed simul factos; id est, per unum actum, qui licèt unus sit realiter & physicè, ut vocant, est tamen triplex moraliter & æquivalenter; sic per unum actum possum emere aliquid & hoc ipsum alteri donare, aut vendere; dicitur autem actus æquivalenter & moraliter triplex, qui ad tria diversa objecta disparata tendit; sic donatio illa, per quam Titius Cajo donat conjunctim tria, v. g. domum, vineam, agrum, æquivalet tribus donationibus, quibus seorsim hæc eadem donarentur; pari modo contractus ille, quo Cajus confert pecuniam in societatem, & traditillam Titio, & Titius assecurat Cajo sortem collatam, & certum lucrum emit justo pretio, æquivalet tribus ratione objecti; nam eadem est, atque si tres contractus realiter fierent, cum sint tria objecta disparata & realiter distincta; Cajetanus autem vult tres successivè ex intervallo unos.

50. Pithan. Dixisti paulò ante, contractum societatis supponi ab aliis duobus, & rectè quidem; quia assecuratio sortis & lucri certi, supponit collatam sortem in societatem; igitur societatis contractus priùs initus censetur; igitur per eundem actum cum aliis duobus fieri non potest; pro his duobus, nulla est difficultas, quin simul fieri possint; immo sunt qui unum dumtaxat contractum assecurationis esse velint, sortis scilicet & lucri certi.

51. Antim. Contractus assecurationis non supponit contractum societatis distinctum realiter & physicè, sed distinctum moraliter, virtualiter, æquivalenter; ut autem hoc paulò accuratiùs discutiam, actus internus voluntatis distinguendus est ab externo; de interno non laboramus; nam perinde est, sive Caii voluntas per tres actus distinctos in tria illa objecta tendat, sive per unum; modò ratione objecti, hic ordo servetur, ut priùs in societatem, tum in assecurationem ferri censeatur; quemadmodum enim voluntas, si quando per eumdem actum fertur in finem simul & media, priùs in finem ferri censetur; nec enim ferretur in media, nisi in finem ferretur; ita prorsus in hoc casu accidit; si enim voluntas in societatem simul & assecurationem fertur, prius ferri censetur in societatem, quam assecuratio supponit, sicut media supponunt finem; de actu igitur interno non laboramus; quod verò ad externum spectat, vel fit verbo, vel scripto; utrumque successionem dicit; cur enim Cajus dicere non potest, trado tibi hanc pecuniam in societatem, & tu assecuras mihi sortem & lucum certum, justo pretio totius spei lucri majoris verisimilis, retentis dumtaxat 5. annuis in singula centenaria: Quid ni Titius reponat illico, accepto pactum; nihil vetat etiam hæc eadem scribi, & ab utroque scriptum firmari; in his, vides, societatem supponi semper ab assecuratione, tanquam primum illius fundamentum; dicitur ergo pactum hoc per unum actum externum fieri, sive scripto, & stipulatione, sive dicto, qui tamen multis partibus constet; id est, multis pactis partialibus; nihil ergo in his difficile.

52. Pitanoph. Saltem necesse est, ut cuncta expressè fiant; id est exprimantur, eo fere modo, quo supra, quod tamen in contractu Lugdunensis fori non fit.

53. Antim. Equidem Delugo num. 47. monet, magis expedire, ut hi contractus expresè fiant; fatetur tamen ibidem, sufficere, ut fiant implicitè & virtualiter; ita ut Cajus tradat solum suam pecuniam Titio juxta morem solitum; id est, eo modo, quo alii tradunt, & pactis solitis; nam perinde est, in ordine ad judicium prudentum, atque si omnia exprimerentur; pro quo citat Molin. Lessium; accedit Gibalin. cap. 6. consect. 2. & 3. igitur sive tres contractus revera fiant, vel simul, vel successivè, sive unus tantùm, qui tribus æquivaleat, sive expresè, sive implicitè, modò tradantur mercatori pecuniæ, juxta morem fori, justum dubio procul erit pactum, & sufficit ad intentionem rectam; adde si vis autoribus supra citatis Laym. lib. 3. tract. 4. c. 18. n. 13. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 25. dub. 3. alios fere omnes: nec obest Vulgaris syngraphæ Cajo à Titio traditæ formula; nec etiam, vox *præstare*, quàm vulgò adhibent, qui dant pecunias mercatori; quia hæc in eo tantùm sensu intelliguntur, qui tres prædictos contractus importat; Ita enim sapientes & probi viri intelligunt; & si quempiam ex iis, interroges, qui dant hujusmodi pecunias, aut easdem recipiunt, quid ipsi intendant; dubio procul omni respondebunt, se id dumtaxat intendere,

tendere, quod viri probi intendunt, & quod justè fieri potest; nec est, quod aliquis dicat, syngraphas nullam expressam mentionem trium contractuum facere, per fraudem & usuræ palliationem; quia sufficit, communem esse omnium mentem ac sensum, hoc pactum ex tribus illis contractibus constare; ac proinde ex communi sensu, syngraphæ illæ eosdem implicitè continere censentur.

54. PITHANOPH. Iam verò ea tibi obiiciam, quæ contra hoc pactum obiici vulgò solent, quæ quàm facilè is soluturus, ex iis quæ dixisti, conijcio.

55. ANTIM. Permitte, alias rationes priùs adducam. Sit ergo VIII ratio, lucrum, quod Cajus refert, reducitur ad justum titulum; igitur justum est; probo antecedens, nam consequentia certa est; reducitur ad titulum societatis & negotiationis; sed hic justus est ac de jure gentium.

56. PITHANOPH. Lucrum illud certum, quod Cajus percipit, reducitur ad titulum venditionis, qua lucrum incertum majus, in certum minus commutavit; igitur non reducitur ad titulum societatis.

57. ANTIM. Immo, nam ideo Cajus certum minus accipit, quia incertum majus cessit; hoc autem incertum majus solo titulo societatis nitebatur; igitur certum, quod incerti loco est, ad eumdem titulum societatis reduci potest; hinc ratio, IX. cum enim societas subsistat, certè per annexos contractus non destruitur; subsistit autem, alioquin nullum lucrum percipi posset; quod scilicet illius dumtaxat titulo percipitur; quod meo judicio plusquam evidens est: si verò societas subsistit, & annexi contractus per se iniqui non sunt, nec illiciti, nihil obstat, quominus cum ea conjungi possint; totum enim bonum est cujus singulæ partes bonæ sunt, nec alteram altera destruit: X. ratio sit hæc; contractus, qui passim apud catholicos initur, cum autoritate Principis, approbatione Doctorum, judiciis senatus, bonorum omnium consensu, damnari non debet, etiamsi aliquod fraudis periculum afferret, uti ostendunt Bartol. in l. *Quis sit fugitivus* §. *labeo* ff. de ædil. edict. Tiraquell. l. 2. de utroque retract. §. ultim. n. 127 Navarr. consil. 4. de usuris. Binsfeld citatus q. 10. concl. 3. quibus adde Sa verb. contract. n. 4. in terminis, & alii recentiores; sed pactum trium contractuum est hujusmodi, quod passim in celeberrimis Europæ Provinciis celebratur; immo Lugduni, in qua civitate, teste Navarro, ab ipsa patrum memoria, hæc praxis viget; Prætor regius, quem conservatorem vocant institutus est, qui prædicti contractus integritati, & sic contrahentium indemnitati invigilet. XI. Præcipua vis commercii ubique gentium ex hoc contractu dependet, sive quo vix fieri potest, ut mercatoribus ea pecuniæ summa suppetat, quam majoris præsertim mercaturæ ratio postulat, nisi eam aliunde à societatem ineuntibus accipiant; pauci autem cum iis mercatoribus societatem inirent, quorum fidem compertam non habent, nisi sors sarta tectaque servaretur, & aliquid lucri certi esset. XII. Lessius non contemnendis argumentis num. 32. persuadet, hanc contractus speciem, ad salutem animarum, viduarum, Pupillorum, ac totius Reip. utilitatem conferre; cum enim, his præsertim temporibus, rara sit occasio justè collocandæ pecuniæ, plerique sanè ad usuras se converterent, nisi hoc genus licitum esset; accedit, quod ipsis mercatoribus longè commodius est, utpote qui longe majus lucrum inde sperant, & pericula spernunt, quibus sunt assuefacti, ut optimè observat Leotard. cit. n. 15. immo assecuratio illa sortis magni fieri non solet; quia satis infida est, & parum tuta, ut fere quotidiana experientia comprobatur, & docent frequentissimæ prædictorum mercatorum defectiones: hæ sunt potissimæ rationes, omissis aliis, quibus hæc sententia, non jam probabilis, quod nemo nisi temerè negaverit, testè Gibal. cap. 6. art. 1. n. 5. verùm etiam certò probabilis, immo & probabiliter certa comprobatur; jam verò tutum erit, objectiones, ut vocant, proponere meum verò, solvere ac diluere.

58. PITHANOP. Omnia fere adversæ partis argumenta ex iis, quæ dicta sunt huc usque penitùs corruunt; proponam tamen, ne quid in hoc congressu dissimulasse videamur; ab hoc initium duco; contractus ille assecurationis & certi lucri destruit contractum societatis; hic enim periculum sortis cum spe probabili lucri conjungit; ille verò periculum arcet.

59. ANTIM. Immo supponit, ut dixi; igitur non destruit; sicut contractus venditionis alicujus rei destruit cõtractum emptionis ejusdẽ antecedentis.

60. PITHAN. Primaria societatis proprietas & singularis illius character est, ut socius æquè lucri damni sit particeps, igitur illa conditio apposita huic contractui, qua periculum removetur, & secundum lucri, tum sortis accedit, prædictam proprietatem destruit; igitur & ipsum contractum.

61. ANTIM. Reverà si hæc conditio societati apponeretur, ita ut vi societatis socius securus esset, & ab omni periculo liber, haud dubiè contractus societatis destrueretur, & mera fictio esset; at si id fiat, vi alterius contractus expressi, vel impliciti, qui societatem supponat, certè nullo modo destruitur societas, cui hoc secundum pactum extrinsecum est; sicut prior emptio non destruitur per succedentem venditionem; neque in hoc est ulla difficultas; accedit, quod illa tantùm securitas societati obest, quæ injusta est, ut suprà fusè probavi; hanc autem justam & æquissimam esse constat.

62. PITHANOPH. Illud argumentum, quod primo loco adduxi est fere omnium, qui pactum trium contractuum damnant; propono secundò, quod est Soti, in hoc pacto, dominium sortis transire in mercatorem assecurantem, quia de illa liberè disponere potest; igitur est verum mutuum; igitur lucrum, quod inde percipitur, usurarium.

63. ANTIM. Pernego, dominium sortis transire in mercatorem, sed tantùm illius usum, ad negotiandum, nomine socii & suo; & si pecuniam illam ad hos usus convertat, haud dubiè socio injuriam facit, in quo nonnulli luculenter hallucinati sunt.

64. PITHANOPH. Quam injuriam? cum socius nullum inde damnum patiatur, certus lucri & sortis.

ANTIM. Quid tum? quasi verò is mihi injurium non faciat, qui re mea utitur me invito, licèt nullum inde damnum patiar.

65. PITHANOP. Ita est; sed nunquid sub his contractibus non latent usuræ? saltem hoc modo, via usuris aperitur: immo si hic contractus usuram aperit, nulla usquam usura est; quis enim pecuniam suam non collocare non possit?

66. ANTIM. Immo via usuris intercluditur; nisi enim hic modus licitus esset, multi ad usuras se converterent; utrùm autem omnes usuras salvet, colligere potes ex dictis, & cõjicere ex dicendis; quàm multos enim hucusque contractus usurarios damnavimus; nonnullos etiam infra damnaturi; ad id porrò quod dicis, neminem fore, qui suam pecuniam non collig

collatae non possit, primò negandum est; multi enim non semper habent ad manum negotiatores; dare autem non potest nisi ad negotiandum; secundò dato, possit, multi sunt tamen, qui nolunt; cum enim alia negotiatio, non obstante assecuratione, multa periculis subjaceat, multi sibi timent; ac proinde nolunt pecuniam exponant, eam dant mutuo ad usuram.

67. Pithanop. Multa Gibal. c. 2. a. 4. congessit argumenta contra usum fori Lugdunensis. 1. Cajus, qui dat Titio suas pecunias, non intendit tres illos contractus intendit. 2. est modus impropriis loquendi, vulgaris tamen, quo nihil aliud intelligitur, nisi usus illius fori. 3. Ex communi usu, hoc accipiendum est, & syngraphæ illæ tres contractus, juxta usum fori implicant. 4. Lucrum in summa computatur, solvendum tamen præfixo tempore, quo debetur, acproinde debitum ex sorte & lucro constat. 5. Quidnam cum tota illa pecunia sit Caii, quid ni eam in novam sortem convertat. 6. Hoc totum judicio prudentum peritorum curius fori, utvocant, relinquitur; quid amabò æquius esse potest? 7. Elementio lucri implicita, nemo enim dubitat, quin lucrum fiat. 8. Falsum est, hoc intendi à Caio, & licèt voce *præstare* utatur, nihil aliud significat, nisi usum fori. 9. Jam solutum; quia justum lucrum à prudentibus & peritis taxatur. 10. Falsum est; nulla enim esset societas, nisi esset aliqua negotiatio. vides, quàm facile omnia hæc diluantur.

69. Pithanop. In contractu societatis jam æqualitas posita est; non debet igitur mercator socius noviter gravari; alioquin æqualitas tolleretur.

70. Antim. Hoc est potissimum Cajetani argumentum, quod tamen facilè solvi potest. 1. quia nimis probat; nam nullo modo æqualitas tollenda est, nedum reipsa ponitur, sive dum posita supponitur; igitur ne successivè quidem tres isti contractus fieri possent; at successivè fieri posse, idem Cajet. concedit; quamquam, ut dicam, quod sentio, minùs consequenter, quàm Sotus; quia ille contractus, qui creatur injustus, sive alteri accedat, sive simul cum eodem, injustus censendus est. 2. non tollitur æqualitas primus contractus; sed additur alia, addito scilicet secundo contractu justo, nec dici potest novum onus imponi mercatori, sed novus contractus cum eo iniri, in quo, justo pretio vendit illam obligationem assecurandi sortem & certum lucrum. 3. Quid est, contrahere societatem eo pacto, ut mercator teneatur assecurare sortem, aliud inita societate, contractum societatis inire; inita enim quam primùm tempore, vel natura, ut vocant, primum haud dubiè illius est, & naturam societatis destruit; alterum illius eamdem supponit. & hoc diligenter observandum est. Sunt autem doctores illi, qui pro opposita sententia citantur, ideo prædictum pactum damnant; quia supponunt, vi contractus societatis, obligari mercatorem ad prædictam assecurationem, vel transferi dominium sortis in assecurantem; utrumque falsum esse constat.

71. Pitanoph. Balsamon queritur in schol. ad canonem 17. concil. Nicæn. usuras prohibentis, falsa interpretatione in eo violatum fuisse, quod de certo lucro pactum fieret, & mercator sortem assecuraret; gloss. in c. *plerique* 14. q. 3. vult usuram in negotiatione committi, cum & pars lucri certi & assecurationem sortis socius exigit.

72. Antim. Balsamonis, hominis scilicet schismatici autoritas magni fieri non debet, nec vim canonis obtinet, qui usuras dumtaxat prohibet, quæ reverà ab hoc pacto absunt: præterea Balsamon non agit de societate, sed de mero mutuo, quo quis dat pecuniam suam alteri, cum certo lucro reddendo supra sortem; quis hoc non damnet? glossa autem non facit jus, ut rectè monet Gibalin. c. 5. a. 3. n. 4. hic autem loquitur de contractu mutui, & nullo modo meminit trium contractuum, de quibus agimus; jura igitur hujus sententiæ minimè adversantur, sed potiùs favent, ut c. *per vestras* 7. de donat. inter vir. & uxor. ubi statuit Innocentius III. dotem uxoris alicui mercatori committi, unde salva sorte, aliquid lucri percipi possit, nisi enim salvam sortem Pontifex supponeret, pessimum sanè remedium proposito incommodo præscripsisset; scio variè à variis hunc textum explanari, pro quo vide sis Gibal. c. 3. a. 2. vix tamen expositiones hujus textus subsistunt, nisi propositus finis subsistat, dotis scilicet assecuratio.

73. Pithanop. Unum est longe difficilius, quod opponi potest; constitutio scilicet Sixti V. quæ incipit *detestabilis*, edita anno 1586. die 25. Octobr. In qua Pontifex declarat usuras, & damnat omnes pactiones societatis, in quibus sors assecuratur, & certum lucrum statuitur.

74. Antim. Nonnullis non parum negotii hæc constitutio facessit; Lessius l. 2. c. 26. num. 33. vult non esse receptam in Belgio, immo nec vigere in Italia; idem testatur de Gallia Gibalinus, cap. 5. a. 3. num. 5. Alii dicunt, Pontificem declarasse, illa tantummodo pacta in prædicta constitutione damnari, quæ jam per se injusta & illicita essent; ita Filliucius tr. 38. c. 3. num. 59. cum post illam constitutionem passim hujusmodi pacta celebrentur, ut Lessius & Gibal. citati observant: hoc idem confirmat Comitolus l. 3. Resp. q. 12. num. 5. ex literis P. Tucci ad se datis, qui id acceperat ab iis, quibus cura condendæ hujus constitutionis demandata fuerat: Delugo demum disp. 30. n. 37. refert D. Coccinum Romanæ Rotæ decanum in una decis. Rom. *societatis* die 3. Jun. an 1602. concludere, hujusmodi bullam comprehendere solum casus ordinarios de jure communi, additis majoribus pœnis, quam decis. refert Cherub. in compend. Bull. ad bull. 45. Sixti V. hac postrema responsione prudenter stare possumus; quamquam ex verbis Bullæ, luculentus sensus exprimitur, prohiberi scilicet, ne quis societatis nomine, res, vel pecunias alteri ita tradat, ut sors ipsa salva sit, id est sub tali conditione huic contractui apposita; nempe contractum societatis hac lege iniri, iniquum est; addo Leotard. q. 31. n. 13. qui asserit in hanc Bullam hanc interpretationem & exceptionem omnino quadrare, pro quo citat Less. Azor, Ugolin. Malder. Scaccia, Maresc Bellon. Molfes. Narbon. Filliuc. Bonacin. Bernard. Justinian. Scort. Molin. Covarru. Lup. Duard.

75. Pithan.

75. PITHAN. Nescio, utrùm videris ea, quæ D. Raphael à Turri disp. 34. q. 10. a. n. 36. contra hujusmodi contractus habet, quos in societate dumtaxat cambiorum, ut legitimos admittit, & in aliis negotionibus reprobat.

76. ANTIM. Vidi, non sine aliquo stomacho; statimque occurrit tritum illud, *Clodius accusat mœchos*; cum enim hic autor in suis cambus & recambus ea defendat ut justa, & licita, quæ vix ullus stomachus concoquere valeat, & vix primoribus labris mutiunt nonnulli laxiorum opinionum autores; mirari satis non potui, cur contractus innocentissimus, usurarius illi videretur; variæ rationes in mentem mihi venerunt; sed prætermitto, ut ad rem ipsam veniam; quid enim tandem pro sua sententia, quam singularem vocat Gibal. c. 4. n. 4.

77. PITHANOP. Quid porro censes de rationibus ab eo excogitatis; an fortè alicujus roboris sunt?

78. ANTIM. Modici, haud dubiè, nihil enim fere assumit, quod falsum non sit. 1. asserit, in societate, per cambia nullum esse periculum sortis, quod ex natura sua muneris campsor subire non teneatur; sed qua facilitate hoc adstruitur, eadem negatur, & frequenti constat experientia, nō rarò campsores jacturam facere pecuniæ; nec obest, quod pecunias socii cum suis admixtas habeat; quasi verò aliis mercatoribus id etiam non competat; non obstat etiam, quod sublata pecunia, remaneat nomen & jus repetendi; quia si repeti amplius nō potest, jus illud inane prorsus est. 2. dicit, vix unquam perire sortem, nisi aliqua sit campsoris culpa; sed hac suppositā, campsor citra ullam assecurationem debet socio refundere; igitur per pactum assecurationis, campsor ad id dumtaxat obligatur, ad quod jam tenebatur; negatur etiam primum antecedens; sæpe enim sors perit, nulla morali culpa campsoris. 3. vult, esse potius fidejussionem quàm assecurationem; esto, pactum obligans ad assecurationem, non est iniquius illo, quod ad fidejussionem obligat; & si hoc non repugnat societati, nec illud etiam repugnabit. 4. Vult, pactum de certo lucro supponere mutuum; Hoc probasse debuerat; sed quod falsum est, verè probari non potest. 5. Negat, unico actu plures actus inter se discrepantes celebrari posse; contractum ex multis partibus constare posse, nemo nescit, & sunt totidem contractus æquipollentes moraliter, quot partes discrepantes. 6. Negat etiam, venditionem in hoc pacto intervenire; quia hæc sine pretio stare non potest; sed quis non videt pretium; vendo lucrum majus probabile, pro certo minore; en tibi pretium; vendit campsor assecurationem, vel fidejussionem, pro parte lucri probabilis; sed quæso opponealia, hæc enim nullam difficultatem patiuntur.

79. PITHANOPH. Huc tandē ventum est, ut dissertationem illam, quæ cum illo Doctore cujus supra memini, mihi fuit, discutiamus; finge quæso, me illius personam agere, dum pactum illud trium contractuum illius argumentis impugno; facilè dilues; sat scio; non tamen inutile prorsus fuerit, hanc discussionem instituere.

80. ANTIM. Expecto impatiens, quid tandem dicturus sis, cum vix cogitanti mihi aliquid occurrat, contra sententiam huc usque propugnatam, quod jam tactum & rejectum non fuerit; sed incipe.

81. PITHANOP. Nihil nisi solers inventum est ad palliandas usuras; fingitur enim societas, quæ non est; hujus porro fictionis autor fuit Doctor quidam Bononiensis, cujus impulsu, Sorbona ab Echio super his contractibus cōsulta est; quæ tamen non respondit, propter alia negotia, quibus distinebatur; unus Major Doctor Sorbonicus contractum illum approbavit, qui tamen nec approbari, nec defendi potest; tum quia est merum figmentum, tum quia unus contractus alium destruit.

82. ANTIM. Utrùm fingas, nescio; scio tamen, illos non fingere, qui prædictos contractus ineunt; est enim pactum reale, serium, non fictum & jocō initum; illæ autem usuræ, quæ non sunt, non palliantur; nempe nulla usura hoc pactum inficit: Quod nescio quis Doctor Bononiensis hujus contractus autor & suggestor exstiterit, nihil ad rem; Echius Sorbonam non modò consuluit, verùm etiam illius pacti justitiam Bononiæ defendit, & ejusdem sententiæ Major Doctor Sorbonicus subscripsit, cujus sanè autoritas non infimo loco habenda est; quod dicis, unum contractum ab alio destrui, jam tum non semel rejectum est.

83. PITHANOP. Dominium pecuniæ collatæ à societatem à Cajo non transit in Titium mercatorem; igitur si perit, Domino suo perit, scilicet Cajo.

84. ANTIM. Omninò, vi primi contractus, domino perit, si perit; si tamen secundus contractus cedat, quo Titius sortem Caii assecuret, idque illo pretio; tunc reverà si perit, Titio assecuranti perit, id est eidem incumbit, tantumdem refundere.

85. PITHANOPH. Per hunc secundum primus evertitur; cum diversis uterque voluntatibus constet; nam per primum, Cajus vult pecuniam suam exponere lucro & jacturæ; per secundum, vult illam salvam & tutam.

86. ANTIM. Cajus vult tantùm per primum contractum, tradere suam pecuniam Titio ad negotiandum; monetur autem spe lucri, & licet videat inesse periculum, non propterea deterretur, licèt quantum in se est, nolit jacturam sortis, quam tamen periculo expositam esse videt: ut occurrat huic incommodo, per alium contractum, justo pretio, illius assecurationem emit; vult autem in hoc secundo contractu sortis assecurationem; quæ voluntas nullo modo priorem contractum destruit, sed illi extrinsecùs accedit: præterea non video, cur non possim habere voluntates, non quidem oppositas, sed disparatas de eodem objecto; v. g. possum emere aliquid ab uno, & illud statim alteri vendere; quatenus emo, volo dominium rei à venditore in me transferri; quatenus vendo, volo idem dominium à me transferri in emptorem; secunda voluntas supponit priorem, tempore scilicet, vel natura; sic Cajus vult primò sortem negotiationi expositam cum periculo, & lucrum incertum ex ea futurum; tum vult assecurari à Titio id volente utrumque, sortem scilicet, & lucrum, idque justo pretio; quid in his quæso est, quod probè ab omnibus non intelligatur? quis enim neget, assecurationem illam esse pretio æstimabilem? item ipsam illam majoris lucri verisimilis? cur ergo utrumque justo pretio adæquari non potest? igitur per accessionem secundi contractus primus non destruitur, sed intactus manet, ac virtute illius, Cajus lucrum refert, quod reverà injustum esset, si hæc cietas destrueretur; nisi hæc luce meridiano clariora sint, quid clarum esse, aut videri possit, reverà nescio.

87. PITHAN.

87. Pithanoph. In societate duo saltem socii requiruntur; unus enim societatem non facit; sed quando Cajus cessit Titio, quod suum erat, non est amplius in societate; quam tamen Titius solus non facit; igitur destruitur societas, accedente secundo contractu.

88. Antim. Miror, hæc ab eo dici, qui rem hanc intelligat; nempe Cajus per contractum assecurationis non cedit dominiū sortis assecuranti, ut Sotus, & cum eo nonnulli alii perperam dixerunt, sed emit justo pretio assecurationem illam, id est illam obligationem, qua Titius se obligat, ad refundendam sortem, casu quo pereat; emit inquam justo pretio, notabili scilicet parte lucri verisimilis, quod Cajo competit, pari modo, reliquum lucri verisimilis permutatio lucrum certum minus; nisi retineret dominium sortis, hæc minimè fieri possent; in hoc igitur lucrum certum, sed minus, consistit, ut sortis Titium transferri, per contractū assecurationis.

89. Pithan. Supponamus sortem Caii non assecurari à Titio, sed à Sempronio; per hunc contractum Sempronius in societatem substituitur in locum Caii, igitur Cajus non est amplius in societate; sed idem dicendum est, si sortem ipsam Titius assecuret; igitur in hoc casu solus Titius esset; igitur societas non manet.

90. Antim. In hoc etiam erras, quod credas, Sempronium societatis participem fieri, per assecurationem, quod falsissimum est; nihil enim habet in societate, scilicet in sorte; sed pro ipsa assecuratione, justum pretium recipit; hinc reverà subsistit argumentum illud, quod vel inde infirmare voluisti; scilicet Cajum æquè pacisci posse pro assecuratione sortis, cum Titio socio, ac cum Sempronio: Itaque quemadmodum per duos actus, possum ab uno emere, & alteri vendere rem aliquam, ac proindè volo rem illam, meam esse, & non meam; meam sanè quatenus emo, non meam verò, quatenus vendo; sic secundus actus destruit primum, sed supponit; idem prorsus dicendum est de contractu societatis, qui prior est, saltem natura, & de contractu assecurationis posteriore; nempè Cajus per primum, vult societatem inire cum Titio, ac proinde pro rata in partem lucri & jacturæ venire; per secundum verò, vult cedere Titio partem lucri verisimilis in justum pretium assecurationis, id est, pro illa obligatione quam Titius spontè suscipit, resarciendi sortem, casu quo perierit; sic vult subire jacturæ periculum, cum spe majoris lucri; tum cedit spem majoris lucri, pro removendo jacturæ periculo; quid quæso dimitto?

91. Pithanoph. Vel Cajus scit, Titium esse solvendo, vel nescit; si primum, cur ab illo exigit fidejussorem? si alterum, cur fidejussorem remittit pro pecunia.

92. Antim. Somnias opinor Pithanophile; quasi vero Cajus possit obligare Titium ad dandum fidejussorem in contractu societatis; quasi verò certum fidejussor indemnem sortem non servet: igitur contractus societatis, sors exposita manet periculo negotiationis, & si perit, Titio perit; at oppositio contractu societatis, vel tempore, vel causa priore, convenire possunt Cajus & Titius ex prædicta fidejussione, vel assecuratione; nam hoc casu, perinde est; idque justo pretio, quod illi Titio competit; vides, quam procul à propositione declinaveris; equidem in mutuo mutuatarium fidejussorem exigere potest à mutuatario, ut supra diximus; & fidejussor, pro fidejussione & obligatione, quam contrahit, de aliquo præmio pacisci potest; sed quid hoc ad propositam controversiam?

93. Pithan. Licèt darem, tres illos contractus successivè ex intervallo, fieri posse, non tamen indè rectè deducitur, simul fieri posse; sic qui resignat beneficium sub pensione à Papa creanda, de ejusdem redemptione agere non potest, in eodem pacto, vel actu; licèt deinde de pensione creata extinguenda, pactum iniri possit; igitur duo pacta successivè fieri possunt, quæ simul fieri, illicitum est.

94. Antim. Jam suprà fusè probavi, tres illos contractus simul fieri posse, ad exemplum pensionis creatæ, Resp. lege positiva prohiberi, ne simul illa duo pacta fiant, quæ reverà, secluſa lege positiva, simul fieri possent; unde, si tres contractus simul fieri lex aliqua positiva prohiberet, par esset utrimque ratio; nec simul fieri possent, ratione prohibitionis; scis enim, opinor, aliqua esse illicita, quia prohibita, aliqua prohibita, quia illicita.

95. Pithan. Assecuratio quidem mercium vehendarum emi potest, modò adsit bona fides; non tamen assecuratio pecuniæ in societatem datæ.

96. Antim. Sed cur non? modò bona fides æquè intercedat; & si Cajus emere potest assecurationem, vel mercium, vel sortis cujuslibet collatæ in societatem, & periculo negotiationis expositæ, ab alio quopiam, v.g. à Sempronio; cur non à Titio? cum utrimque sit paritas & æqualitas; vide quæso, utrum alia quæpiam habeas opponenda; nam quæ hactenus opposuisti, nullius roboris esse videntur.

97. Pithanoph. Nihil sanè restat, præter illa jura & constitutionem Sixti V. sed de his jam suprà.

98. Antim. Crede mihi, jura huic sententiæ minimè adversantur; sed potiùs eidem favent; præsertim famosum illud cap. *Per vestras*. Nemens sancti Pontificis inanis inde reddatur; quidquid sit, si non favet, saltem non obest; hâc igitur controversiâ terminatâ, ad aliam veniendum est.

99. Pithanoph. Scilicet ad censum utrimque redimibilem, ut vocant, qui sanè non parùm negotii nobis facesset, cum expressæ constitutioni Pii V. omninò repugnet.

100. Antim. Crede mihi; res adeò difficilis non est, ut arbitraris, fateor nonnihil nodi inesse; non tamen Gordii, sed qui brevi ratiocinio solvi queat; ne autem in incertum feramur, natura census priùs statuenda est; hac enim semel constituta, cætera facilè definientur.

101. Pithan. Res trita est; census enim vel sumitur pro jure pensionem aliquam percipiendi, vel pro ipsa pensione, vel pro contractu quo pensio illa comparatur: est autem alius reservativus, quo quis reservat sibi pensionem annuam ex re, cujus dominium & usum alteri tradit; alius consignativus, quo quis ex re alterius pensionem percipit; & hic triplex est, realis scilicet, qui super aliqua re constituitur, & perit, ipsa pereunte; personalis, super persona; mixtus super utroque: illa verò pensio, vel in pecunia, vel in alia re consistit, v. g. in fructibus; idque vel in perpetuum, vel ad certum tempus, pro diverso denique pacto; ita ut vel redimi ab altero, vel ab utroque, vel à neutro possit.

102. Antim. Obiter attigisti omnes censuū species: cum sumitur pro jure prædicto est census formalis; materialis verò, cùm pro pensione; effectivus demum

cum pro ipso contractu; pecuniarius, cum pensio solvitur in pecunia, Vitalitius cum vita illius qui pensionem percipit, terminatur: de censu reservativo, nihil est quod dicam, cum ad præsentem controversiam non pertineat; igitur de consignativo dumtaxat hoc loco disputamus; & primò quidem, secluſa omni lege positiva; ut videamus, quid liceat, quid non liceat; attento jure naturali; tum deinde conditiones per legem positivam appositas discutiemus: itaque census consignativus est jus percipiendi certum reditum annuum, super re, aut persona alterius, legitimè constitutum.

103. Pithanoph. Sed an fortè dici posset magis appositè causa illius juris, scilicet contractus ipse, quo jus illud creatur.

104. Antim. Nonnulli fusè disputant de hoc argumento; sed frustrà, meo judicio; quid enim refert, sive contractum ipsum definias, sive jus illud, quod ex tali contractu nascitur: differt autem à Feudo, & Emphyteusi; quia in his, dominium directum manet penes illum, qui pensionem annuam percipit; idem dico de locatione; item ab usufructu, quia usufructuarius rem naturaliter possidet, secùs censuista; illum sic voco, qui pensionem percipit; præterquam quod hic certum reditum habet, ille incertum; differt etiam à pignore; quia fructus pignoris computantur in sortem, non verò in censu; item à venditione fructuum, qui sunt incerti; item à mutuo, in quo nihil supra sortem exigi potest.

105. Pithanoph. Nonnulli addunt unum, quod omisisti, dicunt enim, *jus percipiendi ex re frugifera*.

106. Antim. Hæc vox *frugifera* potest apponi; at licèt omittatur, nullum propterea vitium definitio inde contrahit, ut rectè observat Gibal. post Leotard. q. 42. n. 8. si enim ex illa re reditus percipitur, hic haud dubiè ex illa provenit; igitur frugiferam esse oportet.

107. Pithanop. Quid si ex persona, non ex re? an propterea census non erit?

108. Antim. secluſa lege positiva, qua id prohibeatur, non video, cur ex persona percipi non possit, modò illa sit fructifera, id est, sua opera & industria id lucri faciat, cujus pars in pensionem debitam eat; nam multi sunt qui longè plus ex sua industria, arte, opera referunt, quàm ex fundo, vel domo; quidni ergò census super re adeò fructifera constituatur? si tamen res illa omninò sterilis evadat, seu pereat, item persona inutilis ad lucrum, census haud dubiè perit; quia nihil est, undè præditus reditus percipiatur; nihil, in quo census fundetur; sed de censu personali, nisi secus jubeas, paulò post agemus.

109. Pithanoph. Justitia hujus contractus in dubium revocari non potest; præsertim cum Apostolicis constitutionibus innitatur, scilicet Martini V. Calixti III. Nicolai V. Pii V. Gregorii XIII. adde communem Christianorum usum: cùm enim jus illud sit pretio æstimabile, non video, cur justo pretio emi non possit.

110. Antim. In censu non est pura & absoluta venditio: quod enim verè & absolutè venditur, redimi deindè non potest, nisi primus emptor ultrò consentiat; at in censu, censuarius, sic eum voco, qui pensionem solvit, potest redimere jus illud, quod censuista sibi comparavit: restituta scilicet eadem sorte.

111. Pithanop. Quid quæso necesse est, ut sit aliqua res fructifera ex qua prædictus reditus percipiatur; cum res illa, vel ille reditus non ematur, sed jus ad reditum undecumque proveniat.

112. Antim. Cùm jus ad reditum Censuista hoc contractu sibi comparet, illum reditum esse redimibilem cessare est; alioquin nullum jus emeret; igitur vel ex industria, labore, arte Censuarii, vel ex aliqua re fructifera nasci debet; si enim nihil est, nec persona industria, nec res ejusdem frugifera; undè quæso pensio illa solvetur?

113. Pithanoph. Sic egregiè omnis usura habes abstergi posset; nam qui dat pecuniam, dicet se mutuò non dare, sed ad censum; v. g. dat mille nummos alteri, is dicet à se jus emi ad pensionem annuam 50. nummûm.

114. Antim. Quisquis hoc reverà fecerit, mutuare primò non dicitur; quia mutuator postea deinde repetere sortem; cum tamen in hoc casu Censuista repeti non possit à Censuista; præterea, quisquis lege pecuniam suam alteri tradit, amens profectò est, nisi sciat hunc solvendo esse; vel quia ex bonis proventus percipit; vel quia sua industria & arte id facilè obtinere potest; igitur non video, cur hoc pactum fieri non possit, secluſa scilicet lege positiva probibente.

115. Pithanoph. Sed posito, quod census utrimque redimilis sit licitus, secluſa scilicet lege positiva, certum mihi videtur, omne mutuum in censum facilè converti posse; dicet enim Titius Censuista qui dat 100. hoc pretio emi à se 106. post annum solvenda.

116. Antim. A nonnullis hujus pacti æquitas ultrò conceditur: eò tandem ventum est, Pithanophile; sed vides, esse merum ludibrium, & meram, ut ajunt, palliationem mutui; nam quisquis dat mutuò 100. præfixo anni termino, transfert dominium hujus pecuniæ in mutuatarium; jus tamen acquirit repetendi 100. post annum; hoc pactum haud absimili ratione venditionem vocare possem, cum Titius acquirat jus illud, idque pretio traditæ pecuniæ; videndum igitur restat, quo jure emat id post annum percipienda, præsenti pretio 100. traditorum; an fortè 100. anno 1660. adæquant valorem 106. anno 1661. suppono enim nullum subesse periculum, nullas expensas faciendas, & nihil laboris & operæ desiderari ad exigendum post annum 106. novum sanè venditionis genus, in quo, præter pretium traditæ pecuniæ, nihil apparet; quid enim amabò Titius emit illis 100. traditis? jus forte, requies, ad repetendum 106. post annum; jus revera injustũ; quasi verò 100. adæquare possint 106. præterea supponamus, esse merum mutuum; nunquid jus illud acquirit, repetendi scilicet 100. igitur mutuum est emptio; quid monstri? quasi verò, non pecunia emam meam pecuniam; nec enim potest mi jus ad rem, nisi simul ipsa res ematur; igitur dum 100. traditis, emo jus ad centum restituenda, emo pecuniam pecunia, eamdem scilicet eadem; apagè igitur hæc monstra, aut saltem nugas; nempe vera venditio supponit duo distincta; scilicet pretium & rem venditam à pretio distinctam; hic verò est solæ pecuniæ & illius creditum, quod reverà eadem pecunia emptum dici non potest.

117. Pithanoph. Tenes igitur, censum utrimque redimibilem iniquum esse, secluſa etiam lege positiva; sed reverà multi refragantur; si enim contractus cum pacto de retrovendendo ad libitum utriusque licitus est, cur non census utrinque redimibilis?

118. An-

118. Antim. Expecta parumper; paulò post meam meam aperiam; nihil adhuc cogit; ut autem hic nodus solvatur, doctrinam Eminentissimi Delingæ ad qui accersendam esse putarent; vult enim, censualem contractum quasi ex duobus componi; primus est, quo censuista emit partem fructuum fructiferæ, cujus dominium est penes censuarium; partem inquam aliquotam, v. g. tertiam partem fructuum talis prædii: sed quia hi fructus incerti sunt, certo pretio & justo censentur; atque ita incertum lucrum in certum commutatur; videsne, nisi fallor, duplicem contractum; in primo emitur pars fructuum aliquota, sed incerta v. g. tertia pars fructuum alicujus fundi, sed incerta; in secundo vero, in aliam certam commutatur: hoc autem fieri non potest, si nulla sit res frugifera; id est, si nulli sint fructus, qui certè ex aliqua causa proveniant, scilicet ex re frugifera.

119. Pithanoph. Hæc doctrina mihi non displicet; quidquid aliqui dicant; sed nondum nodus plane solutus; nempè indè sequitur, nullum esse censum legitimum, nisi realem, qui scilicet in re frugifera constituitur, ac proinde personalem rejiciendum esse.

Antim. De personali fictitio & palliato, qui nullo omninò fructum supponit, ultrò concedi potest, cum enim verè non possit id, quod non est, necunquam; at si censuarius ea pollet industria & arte, qua singulis annis non parùm lucri faciat; quidni pars illius lucri à censuista justo pretio emi possit, non video; eo prorsùs modo, quo fructus alicujus prædii emuntur; quia tam hi, quam illi incerti sunt; quidnihoc incertum justo pretio certo compenseur? sed de personali censu paulò post agam.

120. Pithanoph. Mutuum palliatum esse videtur, & eadem, quæ prius, difficultate laboras; eumdem esse constet, sive aliquis emat jus ad certum reditum, provenientem ex industria & arte mercatus, sive partem lucri ab eodem facti; nempè ut rectè monuisti suprà, non potest emi jus ad rem, nisi res ipsa ematur.

121. Antim. Non ita res se habet, ut dicis; nam hujusmodi fictitiam & simulatam esse emptionem illam, qua pro 100. datis, 106. post annum repræsentantur; at si 100. scutis aliquis emat partem lucri artificis justo pretio, v. g. 6. scuta singulis annis, illi haud dubiè sortem suam repetendi potestas non est: immò per alium contractum, qui fortè census non erit, potest aliquis præstare 100. scutorum traditorum emere jus ad 4. aut 5. v. g. singulis annis exigenda, per modum pensionis perpetuæ, quamdiu censuarius illam non redimit.

122. Pithanoph. Igitur census personalis ultrò citrò redimibilis esse non potest; igitur nec realis, cum eadem ratio pro utroque æquè militet.

123. Antim. De personali ultrò id concedere, qui ex natura sua non est perpetuus; cum enim constitutus sit super arte, vel industria censuarii, hic tandem moritur; igitur quisquis ejusmodi censum, haud dubiè videt, morte censuarii terminandum esse, ac proinde non posse cogere censuarium ad illum redimendum, nisi velit; unde magnum revera discrimen inter censum realem & personalem intercedit; nam hic pereunte censuatii perit, quia scilicet perit industria, in qua constitutus fuerat; ille verò ad hæredes traducitur; igitur, si censuarius à censuista obligari posset ad censum illum redimendum, privaretur illa certa spe, quod scilicet census ejus morte extinguendus sit.

124. Pithanoph. Est igitur ad instar census cujusdam vitalitii.

125. Antim. Ejus naturam imitatur, in eo, quod morte extinguitur; ab eo tamen differt, quod census vitalitius morte censuistæ; personalis verò, morte censuarii terminatur.

126. Pithanoph. At ni fallor, suprà dicebas, quempiam data pecunia emere jus ad certam pensionem annuam, eâ lege, ut sortem repetere non possit ab eo, qui solvit pensionem, quam tamen hic, si velit redimere potest; cur ergò dicis terminari censum illum personalem morte censuistæ.

127. Antim. Utrumque dixi; nec unum cum alio pugnat; quia cum census in re frugifera, vel industria personæ constituatur; ubi, vel res frugifera, vel industriosa persona desinit, reverà censum desinere oportet; alter verò contractus fortè census non est, sed alius innominatus, partim ex censu, partim ex venditione constans, licèt ab utroque differat; convenit cum censu, in eo, quod pecuniâ traditâ, jus ad pensionem annuam acquiratur; differt autem à censu, in eo, quod census in re frugifera, vel industria personæ constituatur, quod alteri non competit; convenit cum venditione, in eo, quod jus illud ematur; differt ab ea, quia contractui venditionis apponi potest pactum de retrovendendo, quod huic contractui apponi nequit.

128. Pithan. Capio, sed an fortè contractum illum licitum esse putas, cùm reditus intra aliquot annos sortem ipsam superent.

129. Antim. Licitum puto per se, secluſa scilicet omni lege positiva; nec obstat, sortem ipsam à reditu superari; quia hoc omni venditioni competit; nam post aliquot annos, fructus superant pretium rei venditæ; idem de censu dictum sit.

130. Pithanoph. Sed cur pactum apponi non potest de retrovendendo, ut in aliis venditionibus.

131. Antim. Quia tunc esset merum mutuum usurarium; id est pactum, quo mutuator acquirit jus repetendi sortem cum lucro; nec enim aliter mutuum usurarium definiri potest; nisi dicas, esse contractum, quò unus alteri pecuniam cum dominio ad tempus præfixum tradit, & acquirit jus repetendi elapso tempore sortem integram cum statuto lucro; hinc dixi suprà, non esse meram venditionem; quia meræ venditioni pactũde retrovendendo apponi potest; hinc prædictus contractus à mutuo distinguitur; quo scilicet acquiritur jus repetendi sortem; cum tamen vi hujus contractus, repeti non possit; sed tantummodò lucrum; itaque hic contractus convenit cum mutuo, venditione, censu, quod pecunia tradatur, ejusque dominium verè transferatur; convenit cum censu personali, quod is, qui solvit pensionem, cogi non possit ad redimendum; cum reali verò, quod sit perpetuus, nisi is, qui solvit, redimere velit; cum utroque quod acquiratur jus ad lucrum annuum; differt autem à mutuo, quod is, qui dedit pecuniam, lucrum annuum exigat à censu personali, quod sit perpetuus; à reali, quod ad redimendum cogi non possit; ab utroque, quod res frugifera non supponatur; à venditione, quod venditor redimere possit, si velit, sine pacto de retrovendendo.

132. Pithan. Restat mihi unica difficultas; nihil enim vetat, pecuniam mutuo dari, ut pars illius

præfixis terminis restituatur; v.g. Titius dat mutuò centum numos Caio, eâ lege, ut singulis annis solvat 10. nemo neget, esse verum mutuum; ac proindè nihil posse percipi suprà sortem; igitur prædictus contractus verum mutuum est, in quo mutuatarius singulis annis partem sortis solvit; igitur ubi sors adæquata est, si quid ultrà exigatur, usura est.

133. ANTIM. Acutè omninò, hoc tamen argumentum contra omnem censum æquè militat; fateor, mutuum hac lege fieri posse, quæ sanè mutuatario maximè faveat & mutuatori incommoda sit; præsertim si quinq; tantùm ex 100. singulis annis hic repetere possit; sic enim intrà viginti dumtaxat annos 100. solverentur, quis amabò hac lege mutuò daret? non nego tamen, hoc fieri posse, & in hoc casu, suprà sortem, nihil exigi debere; at hoc idem materiale sub diverso formali esse potest, ut sic loquar; sic dum Titius dat mutuò pecuniam Cajo, à quo recipit pignus frugiferum, vel tradit eamdem pecuniam, emitque ab illo idem pignus, utrimque est idem materiale, sed diversum formale, id est diversa intentio, diversum motivum, diversus contractus; quis enim neget, diversas esse voluntates, in utroque casu; in primo Titius vult transferre pecuniam suam cum dominio in Cajum, & acquirere jus repetendi, accepto pignore, cujus fructus in sortem computare intendit; in secundo verò Titius vult tradere pecuniam & nunquam illam repetere, sed illius loco rem illam acquirere; quis neget voluntatem mutuandi differre omninò à voluntate emendi? itaque si Titius velit dare mutuò 100. hac lege, ut Cajus singulis annis solvat tantùm 5. in sortem computandos, erit contractus mutui; si verò traditæ pecuniæ pretio vult emere jus exigendi 5 singlis annis, abdicato omni jure repetendi sortem; id est, si vult commutare prædictam sortem, in prædictum jus; reverà non est contractus mutui, ut constat; differt enim una voluntas ab alia; igitur & unus contractus ab alio differt: accedit, quod cum mutui contractus tali modo non fiat; licèt enim per partes nonnunquam sors exigatur, ex pacto, non tamen per vigesimas tantùm partes, seu vigesimas quintas; at in hoc contractu vix 100. datis emitur jus ad 4. annua; suppono enim justum pretium dari: & verò cum jus illud exigendi pensionem annuam sit pretio æstimabile, quod nemo negat, quæro, quanti sit jus percipiendi 4. annua; demus adæquari à 120. igitur traditis 120. in pretium æquale & justum, justè emo jus illud percipiendi 4. annua.

134 PITHANOPH. Haud dubiè rem evicisti; sed fortè propter periculum palliati mutui, hic contractus illicitus censendus est.

135. ANTIM. maximè discrepat à vulgari mutuo, in quo remanet jus repetendi sortem; cum tamen vi hujus contractus, repeti non possit; quemadmodũ ille, qui vineam emit, pecuniam pro illa traditam repetere non potest; nulla igitur mutui palliatio timenda est; hæc enim omnimodam ferè similitudinem supponit, qualis reverà esset, si cogi posset Cajus ad redimendum; tunc enim esset mutuum palliatum; secluſa igitur lege positiva, certum mihi videtur, prædictum contractum legitimum esse.

236. PITHANOPH. Rectè mones; & prudenter legem positivam secludis; puto enim per constitutionem Pii V. de qua infrà, hoc contractus genus prohiberi; sed antequam ad alia disputationem convertamus; quæro ex te, utrum pensio, quæ ex censu personali percipitur, illâ major sit, quæ per hunc contractum innominatum statuitur.

137. ANTIM. Quis non videt, majorem esse v.g. Titius dat 100. nummos Cajo in censum personalem, morte Caii terminandum; pro diversa Caii ætate & valetudine, pensio major, vel minor statuitur; ut in vitalitio; supponamus pensionem 8. annuorum esse justam; certè in alio contractu, pensio justa adæquari debet pensioni justæ statutæ in censu reali, empto 100. nummis, quem eidem Cajus redimere possit, si velit, non tamen cogi ad redimendum; ac proindè hæc justa pensio erit 4. annuorum; in nostro contractu idem dicendum est, cum in utroque bona Caii hypothecata esse possint.

138. PITHAN. Scire aveo, utrum hoc pactum predicto contractui apponi possit; ut scilicet illa pensio nunquam redimi queat.

139. ANTIM. Quis hoc vetat? seclusâ scilicet lege positiva; tunc enim erit mera & absoluta venditio; in qua, neuter retrocedere valet; idemque censu dictum esse puta; quid enim obstat? nihil prorsus, nihil saltem obstare video; nempè ut tradito justo pretio, hac lege prædium alterius emo, ut redimi deindè, si nolim, non possit, ita hac lege jus ad partem fructuum ejusdem prædii, vel ad pensionem annuam æquivalentem, tradito justo pretio, emo, ut venditor deindè si nolim, redimere nequeat; quid enim amabò justiùs? quid æquius contractu venditionis absolutæ? unum tamen observes velim; si pactum hoc contractui, vel censui apponatur, cariùs vendi jus illud, ad pensionem annuam; nempè obligatio illa qua venditor se obligat, ad nunquam redimendum, est pretio æstimabilis; igitur si jus ad pensionem annuam redimibilem 4. nummorum vænit centum nummis; jus ad eandem irredimibilem 120. v.g. justè venderetur; idem de contractu nostro dicendum est: sic in censu personali, jus ad eandem pensionem annuam 4. nummorum justè venderetur 50.

140. PITHANOPH. Cuncta hæc probè inter se conveniunt; unum addo, si per te mihi liceat, datio scilicet, & non concesso, censum realem utrimque redimibilem, legitimum & justum esse, jus ad eandem pensionem annuam 4. nummum carius emendum esse, ut justum sit pretium, v.g. 120. eodem scilicet pretio, quo census realis irredimibilis justè emeretur; nam Titius præter jus ad prædictam pensionem, emit obligationem Caii, qua scilicet obligatur ad nunquam redimendum, si velit idem Titius, in censu utrimque redimibili; utraque obligatio æquali pretio æstimabilis est.

141. ANTIM. Egregiè, tanti est, cogi ad redimendum, quanti cogi ad non redimendum; utrumque æquè molestum est; igitur æquè æstimabile.

142. PITHANOPH. Jam ad alia venio; attamen priùs monuero, contractum illum, ut voces, innominatum, quo emitur jus ad pensionem annuam in perpetuum, quamdiu scilicet venditor non redimit, ab aliis omnibus censum personalem educi; scio, cur censum non voces, ut scilicet adductæ definitioni consulas, in qua, census dicitur constitui super re frugifera, at in hoc contractu, nulla res frugifera supponitur, & sola vendi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

alterius fide nititur; præterea cum Eminentissimo Deigo videre videris, emi reverà partem fructuum, vel horum facti, & peralium contractum, incerta hæc pensionem commutari; quod licèt aliqui putent, non sentiant; quia, inquiunt, esset ususfructus, fallunt tamen; quia ususfructus extinguitur morte usuarii, non tamen; quia ususfructus emi possunt, usufructuarii; igitur ubi nulli fructus emi possunt, ibi censum esse non putas; ut tamen cum multis loquamur, vocemus hunc contractum censum personalem perpetuum, quo scilicet emitur jus ad certam pensionem annuam, nullo alio addito; alium verò, quem personalem vocasti, vitalitium dicemus.

143 ANTIM. Per me licèt: nec enim de vocibus disputandum mihi esse puto; modò deinde variæ censuum species distinguantur: hic autem divisit censum in realem & personalem: uterque in perpetuum & redimibilem: uterque perpetuus in redimibilem & irredimibilem, scilicet à venditore; realis porro redimibilis, vel est utrinque redimibilis, vel tantùm à venditore, vitalitius denique duplex est: alter, qui vita emptoris, alius, qui venditoris vita terminatur: hoc posito, generalis quædam definitio ita formari potest, census in genere est jus ad pensionem annuam justè comparatum: jam singulæ species definientur, addita differentia v. g. realis sic definietur, jus ad pensionem annuam certe alterius percipendam; personalis verò ut prius, perpetuus in perpetuum: vitalitius, durante vita, vel venditoris, vel emptoris; redimibilis pari modo adjuncta particula sua definietur: deinde dividi potest eodem prorsus diverso modo, quo constituitur; nam constituitur, vel testamento, vel donatione, vel transactione, vel permutatione, vel sententia judicis, vel emptione, vel demum præscriptione; uno verbo, tot modis acquiri potest census, quot modis alterius rei dominium acquiritur.

144 PITHANOPH. Non desunt tamen difficultates pro hi modis; sed profectò singularem vim non facunt in censu; & sola illa responsio omnia opposita diluit, quod justus census iis omnibus modis constare possit, quibus dominium quodlibet justè acquiritur: de his modis fusè & accuratè Leotard. q. 43. per totam, & post illum Gibalinus cap. 6. an. sæque his diutiùs hærendum puto: statuimus enim regulam illa generali; quia verò de titulo empt. Theologi & Canonistæ potissimùm disputant, ideo de illo tantùm hoc loco disputamus; & primo quidem de censu reali, qui in re frugifera constituitur. Quæ autem, quænam esse possint res illæ, super quarum reali census perpetuus constituatur.

145 ANTIM. Quis hoc nescit? Primò sunt immobilia, quæ continent res soli; v. g. vineæ, prædia, villæ cohærentes, ut domus. Secundò quasi immobilia, ut jura quædam perpetua, & stabilia, nec non fructifera. Tertiò furni, molæ & molendina, item ædificia ipsa fluminum constructa, aut vento agitata, quæ navibus imponuntur, Doctores disputant: quia tanti non est, vide Leotard. q. 45. a. n. 2. & Gibal a. 12. consect. 3. & alios. Quartò, fodinæ, latomiæ. Quintò lacus piscatorii, piscinæ piscatoriæ & flumina, modò vel ex fodinis, vel aquarum derivatione proventus accidant. Sextò portus & portaria, quando aliquis habet jus percipiendi vectigal à navibus appellentibus, & ab ipsa fluminum constructione fluminum. Septimò columbaria. Octavò gabellæ, tributa, aliaque id genus. Nonò officia vendibilia, vel quæ sunt in patrimonio. Decimò beneficia non vocabilia. Undecimò jurisdictio, quæ non sacræ. Duodecimò census ipse; an verò in gregibus ovium, armentis, municipiis, navibus, fructibus pendentibus, nominibus & actionibus census constitui possit, disputant autores; sed hæc facilè definiri possunt tribus regulis: prima est, ut census perpetuus in iis rebus quæ per se perpetuæ non sunt, constitui non possit: secunda, ut census non perpetuus secluſa lege positiva, constitui possit in re qualibet fructifera, etiam mobili: cùm enim hæc locari possit pretio, aliqua pensio in ea constitui potest, ac proinde jus ad illam vendi; hic autem census re pereunte perit. Tertia per constitutionem Pii V. census realis constitui tantùm potest in rebus immobilibus, fructiferis, certis actuis limitibus definitis; ex his tribus regulis illa omnia facilè definiri possunt, quæ ad res suas pertinent, in quibus justus census constitui potest. Pro his videri potest Gibal. a. 12. in consectariis: item Leotard. q. 45. 46. 47.

146 PITHANOPH. Dixisti, censum realem perire, pereunte re frugifera super qua constitutus est, rectè quidem; sed si censuarius omnia sua bona censui prædicto subjecerit: an fortè pereunte bonorum parte, censum perire necesse sit?

147 ANTIM. Secluſa lege positiva non video, cur omnia sua bona indeterminatè censuario subjicere non possit, & cur census non permaneat bonorum parte pereunte, modò proventus residui sufficiant ad solvendam pensionem; ita enim omnia bona subjiciuntur censui, ut singulæ partes tum coniunctim, tum seorsim subjectæ sint; ita communiter Doctores vide Gibal c. 6. a. 9. n. 16. qui citat Conrad. Medin. Salon. Tolet. Sot. Salaz, Philiarc. Maldet. Reginald. Molfes. Lugo, Castro pal. Covarruv. Gaill. Roderic. Felician. Sarmient. Scort. Duard. Leotard. q. 58. n. 39. qui prædictos citat. Azor. Grav. Petr. de Gregor. Decian. Valasc. Burtat. Frideric. Martin. Merend. licèt etiam censuistæ fidejussorem exigere à censuario, & pacisci de pignore, vel hypotheca; ita ut reliqua bona censuarii obligentur, casu quo pensio non solvatur, & hoc ultimum nullo modo prohibitum est, per constitutionem Pii, immo per constitutionem Nicolai V. expresè licitum: vide Leotard. q. 66. à n. 23. qui citat Navarr. Guttierr. Molin. Leo. Thesaur. Felician. Salaz, Cencium, Scort. Lugo, Roderic. Ugolin. Duard. Binsfeld. Frideric. Martin. accedit Gibalin. c. 6. a. 9. n. 14. qui citat Filliucium. Item idem Martin. accedit Leotard. a. 58. n. 46. ubi præter descriptos, citat Garciaz, Petr. de Salaz, Lop. Quod autem re pereunte, super quâ census constitutus est, pareat census, certum est, & nemo negat; sublato enim fundamento, totum ædificium corruit; nempe nisi subsistat res, ex qua fructus percipiuntur, non subsistit jus percipiendi eosdem fructus.

148 PITHANOPH. Sed his levioribus omissis, quæ facilè quisque intelligit; Quæro exte, utrum secluſa lege positiva, ac præsertim constitutione Pii V. census utrimque redimibilis iniquus sit ex natura rei v. g. Titius dat mille Cajo, quibus emit jus ad pensionem annuam 50. super tali prædio, ea lege, ut Cajus redimere censum illum possit, si velit, & ad redimendum cogi possit etiam invitus; videtur enim par utrimque conditio; cùm uterque cogere alterum, & ab altero vicissim cogi possit.

149 ANTIM. Prudenter secludis legem positivam, nam hoc pactum per constitutionem Pii V. expresè prohibitum est: spectata igitur rei natura & perpensis dumtaxat rationibus moralibus & Theologicis, rem hanc definiri postulas: magnum est, quod petis, in quo Doctores non conveniunt: multi asse-

runt, esse pactum usurarium & hoc pacto addito, censum in mutuo converti. Leotard. q. 68. n. citat multos, Sot. Covarruv. Navarr. Cencium, Virgin. De Boccat. Lop. Felician. Rodetic. Binsfeld, Mastrill. Horman, Duard. Justinian. Ugolin. Mantic. Petr. de Gregor. Rot. apud Seraph. decis. 1006. Gaill. Mainard, qui vult hoc exploratum esse. Adde Wadingum tract. de contract. disp. 6. dub. 8. §. 3. non deerunt alii ex recentioribus, qui hujusmodi pactum illicitum putent, secluso etiam lege positiva.

150 PITHANOPH. Multi sunt, ne quid dissimulem, qui pactum illud iniquum esse dicunt; nullum tamen legi, qui oppositam sententiam, attento dumtaxat jure naturæ, temerariam, damnandam, improbabilem esse dicat; unde perspicuè deducitur, opinionem illam, quæ hujusmodi pacta damnat, certam non esse, sed tantùm probabilem.

151 ANTIM. Rectè dixisti, opinionem illam, quæ censum illum realem utrimque redimibilem ab omni usuræ & injustitiæ labe liberat, secluso scilicet omni lege positiva, nullo modo damnandam esse, sed esse verè probabilem: cùm & præstantissimorum Doctorum autoritate niratur, & firmissimis rationibus demonstretur; & ea, quæ contra opponuntur & opponi possunt, nullo negotio diluantur; dixi censum realem; nam de personali seeus sentio: dixi, secluso lege positiva; scio enim, hujusmodi pacta per constitutionem Pii V. prohibita esse; & ut ab autoribus incipiam, en tibi satis longum illorum Elenchum, qui hujusmodi censum approbant. Major in 4. dist. 15. q. 43. & 44. Gerson de contract. prop. 19. Gabriel in 4. q 12. a. 2. concl. 4. Conrad. de contract. q. 84. Malderus 2. 2. d. 230. tract. 5. c. 5. dub. 11. Tanner. 2. 2. d. 4. q. 7. dub. 4. Less. lib. 2. cap. 22. dub. 10. Salas de cens. dub. 25. Joan. Medin. quæst. ult. de cens. seu q. 15. de usur. dub. 2. & 5. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 22. punct. 6. & quæst. 25. punct. 2. Molin tract. 2. disp. 377. Laym. lib. 3. tract. 4 cap. 18. num. 5. Lugo. disp. 27. n. 122. & disp. 26. num. 102. Castro Palao. disp 6. punct. 24. §. 4. num. 2. Gibalin. l. 6. c. 6. a. 27. consect. 3. Frideric. Martin, de jure cens. c. 6. n. 248. Diana part. 3. tract. 5. resol. 75. Leotard. quæst. 68. n. 4. pro hac eadem sententia citari possunt illi omnes, qui præter jam citatos, approbant contractum cum pacto retrovendendi, ut Covarruvias l. 3. variar. c. 9. qui citat Alexandr. Immol. ut paria sint, inquit, contrahentium jura; item Tiraquell. tract. de retract. convent. gloss. 2. n. 70. 71. &c. Azor p. 3. l. 8. c. 12. Joann. Baptist. Lup. citatus à Leotard. n. 5. Cajetan. in sum. V. *venditio* Toletus in sum. l. 5. c. 45. qui citat Sotum Butenbaum l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 9. Rebell. de oblig. p. 2. l. 10. q. 8. licèt q. 7. negare videatur; Sylvest. V. *usur.* 2. qu. 19. Bauni lib. 1. de contract. q. 20. Gordon. Theol. moral. lib. 4. q. 7. dub. 3. Amicus tom. 5. disp. 32. sect. 5. n. 75. Trul. tom. 2. lib. 7. cap. 20. dub. 24. Bonacina disp. 3. quæst. 2. punct. 7. §. 1. n. 4. Tannerus citatus n. 128: citat Aragon. q. 78. a. 4. Ancharanus. consil. 30. Bann. 2. 2. tom. 2. q. 78. a. 4. dub. 2. vult, pactum hoc esse licitum, modò pretium justum sit, & non obligetur persona venditoris, sed tantùm res, super quâ census est constitutus; quod certè minus favet venditori; idem ex Orellan. & communi Thomistarum docet Petr. Ledesm. in summ. p. 2. tract. 8. c. 24. concl. 4. Hinc Valentia, Salas, & alii castigant Covarruviam, quod admittat hoc pactum in emptionibus aliarum rerum, damnet verò in emptione census; sunt enim repugnantia Emmanuel Sa non audet hoc asserere, scilicet propter Bullam Pii V. Gregorius de Valent. supra citatus asserit, hanc sententiam, quæ censum utrinque redimibilem adstruit, secluso scilcet Bulla Pii V. à multis Theologis Romæ an. 1581. in constitutione cui ipse interfuit, ut probabilem approbatam fuisse, nonnulli ex supra citatis ut Lessius & Leotardus veriorem esse dixerunt; habetur etiam ex l *quod si nolit* q. 22. ff. de ædilit. edict. & ex c. *ille vos* de pignorib. & Panorm. ibi.

152 PITHANOPH. Justum pretium haud dubiè suppono; ut autem justum sit, non credis, opinor, censum ad nutum dumtaxat emptoris, & censum utrimque redimibilem æquali pretio emi posse, nempe majus pretium census utrimque redimibilis postulat.

153 ANTIM. Haud dubiè; nempe illa obligatio, quæ venditori Cajo imponitur, ad redimendum censum, ubi primùm Titius emptor voluerit, est pretio æstimabilis; sunt autem quatuor pacta diversa; primum est quo neuter, altero invito redimere possit; secundum, quo Cajus venditor, vel census ratus redimere possit, etiam invito Titio emptore; tertium, quo Titius invito Cajo, quartum, quo uterque invito altero; secundum pactum maximè favet Cajo venditori, tertium emptori, primum & quartum æquè utrique favent: igitur si secundum pactum erat, pretium minimum erit, si tertium, maximum; primum & quartum, medium, idem igitur pretium census est, sive utrimque redimibilis sit, sive utrimque irredimibilis, ut citati autores prudenter observarunt.

154 PITHANOPH. Ubi verò Cajus redimere cogitur censum utrimque redimibilem, vel ab emptore tantùm redimibilem, quo amabò pretio redimet?

155 ANTIM. Nonnemo putat, minore pretio redimendum esse, quam vendiderit, v. g. si jus annuum in censu utrimque redimibili, vel utrimque irredimibili emit 25. vel 30. illud jus redimet tantùm 20. id est eodem pretio, quo vendidisset in censu venditore tantùm redimibili; ego tamen existimo, eodem pretio redimendum, quo venditum fuit, vel potiùs quo tunc venderetur; quia cùm illud pluris æstimetur propter obligationem à venditore contractam, ut cariùs emitur, ita cariùs redimitur; nam idem manet; igitur si emitur 25. quia sic æstimatur, etiam 25. redimendus est, neque in hoc ulla est difficultas.

156 PITHANOPH. Sed quæso, expone rationes quibus æquitas hujus contractus, secluso scilicet omni lege positiva persuadetur; nec enim credere debeo hæc temerè à te adstrui.

157 ANTIM. Crede mihi, iis rationibus hujus pacti justitia demonstratur, quæ rem omninò confecerunt. 1. illud pactum, quo census utrimque redimibilis statuitur, non tollit rationem census, nec illum naturam destruit, nec etiam cum illa ullo modo pugnat; census enim est jus ad pensionem annuam in re aliena fructifera constitutum; illud autem jus, de quo agimus, emptione ac justo pretio acquiritur; igitur sive accedat pactum de redimendo, sive non accedat, cùm sit aliquid meræ extrinsecum, idem jus manet, justo pretio comparatum; igitur pactum illud prædictum jus non destruit, nec illius emptioni repugnat.

158 PITHANOPH. Per id census destruitur, quod in mutuum convertitur, sed in mutuum non convertitur per accessionem hujus pacti; igitur per illud pactum census destruitur.

159 ANTIM. Concessa majore propositione, nego minorem: emptio quippe differt à mutuo:

sua emptionem dicit; nec sortem repetit Titius emptus, sed vi pacti retrovendit Cajo jus illud ad pensionem annuam, quod prius ab ipso emerat, seu lucrum illud certum, in quod fructus immanet, seu lucrum illud certum, in quod fructus immanet rei censualis commutarat: præterea in mutuo, nunquam perit jus mutuatoris repetendi sortem, ab hoc censu, perunte re censuali, censuistæ alteri, & jus illud ad pensionem annuam amittit; deinde, si res censualis à Cajo censuario alteri venditur, ab obligatione solvendi pensionem immunis fit: cum tamen in mutuo nunquam liberetur ab obligatione reddendi sortem: census igitur, realis scilicet, differt, licèt utrimque redimibilis, à mutuo differt.

166 PITHANOPH. Mihi factum satis: ad alias quæstiones tuam orationem converte.

167 ANTIM. Sit ergo ratio 2. Census irredimibilis, attento jure naturæ, & secluſa omni lege positiva, iniquus non est: igitur nec census utrimque redimibilis: negabis utramque, sat scio: antecedens scilicet & consequentiam: probo utrumque: primum quidem, quia omnis venditio absoluta talis est, ut nec emptor, nec venditor inviti retro cedere possint: cùm igitur census irredimibilis & perpetuus sit vera venditio absoluta, cur iniquus esset? cui enim ambabò fit injuria? non venditori, qui pretium justum accipit; non emptori, qui jus ad annuam pensionem acquirit, dato pretio adæquatum: igitur neutro fit injuria: accedit, quod hæc communis est autorum sententia, Contrad. quæst. 82. de contract. Gibal. c. 6. a. 9. Castropal. disp. 6. punct. 14. §. 1. Leonard. quæst. 67. num. 8. ubi multos citat. Delugo num. 3. ubi citat. Medin. Sot. Molin. Lessi. Palac. Aragon. Salaz. Jam verò probo consequentiam, quia æqua est utrimque conditio, tum in censu irredimibili, tum in redimibili utrimque: etenim alter tantùm alterum cogere possit, vel ad redimendum, vel ad rettrovendendum, potior est illius conditio: si verò uterque cogi potest, æqualis utrimque lotest, sineuter, etiam æqualis: igitur cùm census utrimque irredimibilis justus sit, utrimque redimibilem justum esse necesse est: suppositâ enim prima æqualitate, sinde par obligatio accedat, remanet profectò æqualitas: secludo autem legem omnem positivam, ut dixi.

168 PITHANOPH. Hæc ratio non evincit: datum antecedente illo, quod nemo negat, cùm sit venditio absoluta, posito censu irredimibili, etæqualitas utrimque: ad nihil enim Titius obligatus, ad quod Cajus etiam non obligetur, nempe neutrum invitum cogere potest, vel ad redimendum vel ad rettrovendendū: jam verò si pactum accedat, quo & Titius à Cajo cogi possit ad rettrovendendum, & Cajus à Titio ad redimendum, utrimque par est obligatio: igitur manet æqualitas, nam si æqualibus addantur æqualia, remanent æqualia.

169 ANTIM. Hic enim geometrizas Pithanophile: gaudeo, hanc rationem tibi arrisisse: sit autem 3. ratio. Census redimibilis à Cajo venditore redimitur: igitur utrimque redimibilis justus esse potest, secluſa scilicet lege positiva.

170 PITHANOPH. Valdè times leges positivas, hoc enim clypeo frequentissimè te munis, sed proba consequentiam, cùm antecedens perspicuum sit.

171 ANTIM. Probo consequentiam: utrimque redimibilis, supra redimibilem tantùm ad nutum Cajus venditoris, dicit solam obligationem, quam Cajus emerabit, redimendi censum, etiam invitus, si Titius emor id voluerit: nihil enim aliud dicit, quia prius obligationem utrique imponit: secundus verò alteri tantùm: atqui hæc obligatio Cajo imposita, est pretio æstimabilis: quis hoc neget? non tamen infinito pretio, ut patet: igitur pretio adæquari potest, ac proinde vendi; igitur & justè vendi, igitur census utrimque redimibilis justus esse potest.

172 PITHANOPH. At vel inde deduco, justum esse non posse, nisi majore pretio ematur; sit enim census quilibet ad nutum tantùm Caji redimibilis, quo scilicet Titius unum annuum emat 20. si accedat obligatio Cajo imposita, ut etiam invitus ad nutum Titii redimere teneatur, haud dubiè aliquo pretio compensanda est, ne pactum sit iniquum; supponamus illam, ut 5. vel 10. à prudentibus censeri; haud dubiè, ut fiat census utrimque redimibilis, Titius unum annuum 25. aut 30. emere debet

173 ANTIM. Hoc ultro concedo; & meo judicio, autores illi, qui oppositæ sententiæ suffragantur, aliud velle non possunt. Sit ergo ratio 4. Si Cajus venditor redimat censum, eodem scilicet pretio, quo vendidit, Titius sortem integram, seu pretium integrum, cum accessione lucri, justè recipit; igitur usura non est, quia scilicet lucrum illud percipit alio titulo, quàm mutui: igitur licèt ad contractum illum, ex quo hic titulus resultat, pacto obligetur, cùm idem contractus maneat, ac proinde idem titulus, lucrum illud, quod ex eo sequitur, usurarium censendum non est; porro ad ad hoc pactum obligatur Cajus, non quidem invitus, sed volens & ultro; & hæc est 5. ratio: nempe ad id non vi quadam obligatur, sed ultro obligationem illam redimendi in se suscipit, & pro illa justum, ut suppono, pretium accipit; ad id autem potest se obligare, quod justè potest facere: justè autem potest redimere censum illum, soluto eodem pretio, & lucro pensionum minimè computato; igitur ad id faciendum, se obligare potest.

174 PITHA. Nescio an tibi hoc omnes concessuri sint, cùm in multis fallat; suggero exempla. Possum licitè redimere pensionem, non tamen ad id me obligare; potest qui accepit mutuo aliquid rependere mutuatori, gratitudinis ergo; non tamen ad id potest se obligare: Religiosus potest aliquid facere, non tamen ad id se obligare.

175 ANTIM. Si lege positiva prohibeatur aliquod pactum obligationem inducens, id naturæ rei tribuendum non est: jura autem prohibent, ut jam dixi supra, ni fallor, pactum illud redimendæ pensionis, si cum illo, quo pensio constituitur fiat: ad secundum exemplum, nonnulli concedunt, quempiam obligare posse pacto ad gratitudinem, quod tamen aliàs à me rejectum est; quia si est alia obligatio, gratitudo ampliùs non est, ut patet: ad tertium respondeo, Religiosum sui juris non esse, ac proinde pacto minimè obligari posse: nempe inde suo jure religio orbata maneret: stet igitur, aliquem, qui sui juris sit, pacto ad aliquid obligari posse, volentem scilicet ac minimè invitum, modò pactum illud lege prohibitum non sit: nec destruat rationem illius rei, ad quam obligat: cur igitur Cajus venditor licitè redimere possit censum, non video, cur ad redimendum, pacto se obligare non possit.

176 PITHA. Nodum hunc facilè solvisti, nec quidquam restat difficultatis, quid enim restat, quominus aliquis ad id se obliget, quod licitè facere potest? modò sit sui juris, & pactum illud lege positiva vetitum non fuerit, nec destruat rationem illius, quod faciendum est; sed perge quæso, expone alias rationes.

177 ANTIM. 6. Ratio hæc erit: licet emere res alias justo pretio, cum pacto retrovenditionis: igitur & censū, secluſa scilicet lege positivâ: antecedēs constat

ex dictis ; quidni enim justo pretio emi possit illa obligatio, quæ pretio æstimabilis est ; vel potiùs mutuum & par onus sibi invicem pacto imponere ? Consequentia per se nota mihi videtur ; quid ni enim census licitè vendi possit, iis legibus, quibus res aliæ venduntur.

172 PITHANOPH. Propter usuræ periculum; sed, inquies, in aliis venditionibus, quæ hoc pacto fiunt, haud minùs periculi esse videtur.

173 ANTIM. Rectè opponis simul & reponis ; accedit, quod periculum illud proximum non est, ut patet ; nec est, quod aliqui usuram palliatam esse præsumant; nam non ita facilè præsumendum est. Sit 7 ratio. Si facultas redimendi, quam venditor retinet, non pugnat cum isto censu, nec ipsi repugnat, eidem sane censui non repugnat facultas retrovendendi si emptor illam retinuerit. 8. Layman citatus lib. 3. tract. 4 c. 18. asserit, in Germania passim à viris probis & doctis institui censum utrimque redimibilem; quis autem dicat, tot viros probos in errorem inductos fuisse, in re præsertim morali, pro qua, seclusa definitione Ecclesiæ, usus & praxis prudentum & proborum hominum multum facit ? 9. Cur amabò in re merè temporali, non possum paciscì de meo jure, & ita convenire cum alio, ut ruat illud, retenta utrimque facultate; ego redimendi, ille retrovendendi; seclusa scilicet lege positiva; si juris mei sum Dominus, cur de illo ita disponere non possum ? 10 Potest Titius censuista imponere alteri tertio obligationem redimendi censum, modò obligationem illam impositam justo pretio compenset ; igitur eamdem Cajo censuario imponere poterit; nec disparatio afferri potest. His rationibus facilè inducor in eam sententiam, ut omnino existimem, seclusa omni lege positiva, censum utrimque redimibilem licitum esse.

174 PITHANOPH. Nonnulla objiciuntur, quæ facilè uti spero, à te diluentur; & primo quidem aliqui dicunt, censum utrimque redimibilem ad mutuum accedere.

175 ANTIM. Non repetam, quæ supra dicta sunt; jam enim ostensum est, quantum discriminis censum inter & mutuum intercedat, illud tamen prætermiseram, quod habet Valentia noster; scilicet, in mutuo, obligationem refundendi sortem oriri tantùm ex eo, quod illam priùs mutuatarius acceperit ; at verò in censu, obligatio reddendi pretium, non oritur ex eo quod acceptum fuerit, sed quia redimitur jus, quod venditum ante fuerat, ac proinde illius pretium dandum est : immo in hac redemptione census, non redditur sors, vel capitale, propriè loquendo, sed illius pretium.

176 PITHANOPH. Sic facilè palliantur usuræ, & hoc vehementer urgent oppositæ sententiæ autores.

177 ANTIM. Ubi est vera emptio & venditio, nullam est mutuum; quod autem census sit venditio, ex ipsa definitione constat ; & quid censum inter & mutuū discriminis intercedat, abundè à me ostensum fuit, vera autem ac germana venditio pallium usuræ, vel mutui esse nequit ; quia palliario, ut vocant, dicit fraudem & fictionem ; sic cambium siccum, est cambium fictum, seu palliatum, quia fingitur translatio virtualis pecuniæ, & solutio alibi facienda, licèt in eodem loco cum usura fiat : non diffiteor quidem, fraudem & malam fidem irrepere posse ; sed hoc etiam aliis contractibus justis ac legitimis commune, v.g. testamentis, donationibus &c. Quid porro hæc ad moralem Theologiam ? qui dat sua responsa in foro conscientiæ, in quo bona interrogantis fides semper supponitur ; cum illius verbis & confessione standum sit ; census igitur utrimque redimibilis hoc nomine damnandus non est, quod eo aliqui male uti possint, cùm etiam nonnulli Sacramentis malè utantur.

178 PITHANOPH. Si pactum istud licitum est, omnis usura facilè salvari posset, nec ullus amplius esset contractus usurarius ; quod revera facit Canonibus omnino repugnat.

179. ANTIM. Crede mihi Pithanophile, innumeræ adhuc fraudes & artes corradendi iniquè pecunias supersunt ; innumeri modi & casus illicitus, quos Theologi morales discutiunt & damnant, nulli igitur est consequentia : hæc duo pactatium contractuum & census utrimque redimibilis sunt licita, seclusa, scilicet omni lege positiva ; igitur nullæ usuræ ; falsa est, inquam, hæc consequentia, cùm numeri ferè tituli iniqui adhuc restent ; hinc fortè peræ pretium est, licitos ab illicitis distinguere, homines ab errore abducere, & docere modum, quem si adhibeant, justè agant ; laudabile est, inquam, honestum & justum verum usum homines docere, ne iis abutantur ; nec minus fortè periculum est, ne id faciant, quod illicitum esse putant, licèt bonum sit, quàm ne id agant, quod revera malum est, imò si malum esse putant, id quod bonum est, id faciant, revera peccant ; non tamen peccent, quando id faciunt, quod licèt malum sit, bonum esse putant, modo scilicet per ignorantiam invincibilem, malum esse nesciant.

180. PITHANOPH. Unum paulò difficilius opponō ; census personalis utrimque redimibilis continet mutuum palliatum ; igitur & census realis utrimque redimibilis ; das ultro antecedens ; consequentia probatur ; quia eadem est ratio unius, quæ alterius.

181 ANTIM. Nego eandem esse rationem, sed manifestum discrimen est. 1. Juxta illum modum explicandi Eminentissimi Delugo, in personali nulli sunt fructus, quorum pars emi possit. 2. In reali, res ipsa, super qua census constituta est, perire potest ; si autem perit, census etiam Titio perit ; nec Cajus ad quidquam tenetur. 3. Res illa potest distrahi, subhastari, &c. tunc autem ab onere solvendi censum Cajus immunis redit : at verò hic census personalis nihil tale habet ; immo nihil habet ex parte objecti, per quod à mutuo palliato distinguatur ; loquor enim de utrimque redimibili.

182 PITHANOPH. Negari non potest, quin Titius in censu reali utrimque redimibili, mutuum palliatum intendere possit ; & hoc in casu, nemo negat, pactum usurarium esse ; sed quidquid intendat, idem est pactum ; igitur semper usurarium.

183 ANTIM. Quasi verò, bonum objectum prava intentio vitiare non possit ; actus nostri objectivam, seu materialem bonitatem, vel malitiam ab objecto ducunt ; formalem verò à motivo, à fine ab intentione ; quid ergo mirum, si pactum ex natura sua honestum, mala intentio vitiare possit ac proinde si quis pactum illud nostrum extrinsecùs adhibeat, ut intentioni mutui, quam intrinsecùs habet, serviat, haud dubiè peccat, & iniqua illa intentio usurariam notam in pactum illud refundit.

184 PITHANOHP. Hoc ipsum est, quod passim vobis objiciunt, solam scilicet intentionem sufficere, ut quis à peccato liber sit, sic enim censum personalem utrimque redimibilem licitè adhibere possem, quia

quibibere possum intentionem rectam, emendi scientem, non mutuandi; cur igitur recta hæc intentio fieri non mutuandi; cur igitur recta hæc intentio peccatum illud non honestat?

187. *ANTIM.* Bonus es, ut video; bona intentio numquam malam electionem rectam facit, nisi excusetur saltem ignorantia; bonum enim est ex integra causa, ut sæpè dixi, nisi objectum bonum sit, bona intentio non sufficit, nec bonum objectum, si mala intentio; hinc dare pecuniam virgini ex bona charitate, bona est actio; quia & objectum bonum est, & bona intentio, vel rectus finis; dare autem ex carnalitate, mala est actio; quia objectum bonum mala intentio deformat; sic Judex reum damnare potest ex motivo justitiæ, vel ex motivo odii; hoc iniquum est, illud vera justitia; sic aliquis potest exigere lucrum, vel ex mutuo, vel ex censu justo; hoc justum est, illud injustum; hinc si quis ineat pactum census per se justi, cum bona intentione, id est, ut revera emat jus illud annuam pensionem annuam, vel ut hoc titulo justo prædictam pensionem exigat, justè agit; si verò animo iniquo, intendat solum mutuum, & ex mutuo lucrum velle velit, injustè agit; quia finistra intentio justum alioqui pactum inficit: denique si pactum per se malum est, qualis est census personalis utrimque redimibilis, nulla intentio, quantumvis recta, à peccato & usura liberat; quia non potest quis nisi finè velle lucrum ex titulo justo, si revera titulus justus non est, nec excludere rationem mutui, si sit merum mutuum; nisi tamen ignorantia invincibilis excuset: si hæc ponderarentur ab iis, qui hanc directionem intentionis adeò jactant, & nobis improbant, haberent haud dubiè, unde illis fieret latio.

186. *PITHANOPH.* Quid super hac re mutiam, nihil restat. Sed quid respondes ad Bullam Pii V. editam an. 1569. in qua novam formam censibus indixit, & census utrimque redimibilem omnino prohibuit.

187. *ANTIM.* Cur hanc Constitutionem mihi opponis, qui rem hanc secluſa lege omni positiva dicimus? quis enim nescit, certas conditiones concessibus a Principe apponi posse? Scio aliter ab aliis responsum fuisse; Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 13. expresè asserit, hujus Constitutionis usum non vigere in Germania, Gallia, Belgio; ac refert, ibi non fuisse promulgatam, nec ipso etiam moribus omnium receptam esse; nec interesse, aut curare superiores, ut executioni mandetur, ac demum non esse probabile, velle Pontifices, ut hæc Bulla, quæ tot novas, & jure naturali minime requisitas conditiones censui merè civili apponit, ante sufficientem promulgationem, in omnibus Provinciis vim habeat; ex quo revera, inquit, gravissima incommoda sequerentur. Gibalin. l. 4. tr. 2. q. 10. n. 9. & art. 5. idem asserit, & hunc communem esse Doctorum sensum. Guttier. pract. lib. 2. cap. 13. refert, Philippum II. in Comitiis Matritensibus an. 1587. respondisse, Bullam illam apud Hispanos receptam non esse. Navarr. l. 3. consil. de regul. docet, hujusmodi decreta, si per tempus recepta non sint, non obligare; idem tenent innumeri ferè autores, Navarr. l. 1. cons. 1. de constit. & in manual. c. 23. n. 41. Covarr. 2. var. c. 16. n. 6. idem alii colligunt ex doctrina Bald. Angel. Alexand. apud Nattam, in cons. 120. Sot. de just. l. 1. q. 1. a. 4. Vasq. cons. illustr. c. 44. n. 19. Gudelinus de jur. novissim. l. 5. c. 40. item l. 3. c. 3. n. 50. Frideric. Martin. de cens. c. 4. n. 74. Cancer var. resol. p. 2. c. 1. n. 275. Thesaur. in decis. 154. Gratian. discept. c. 587. n. 13. & 14. Felician. l. 1. c. 9. n. 2. Azor p. 3. l. 10. c. 19. n. 3. Reginald. l. 25. c. 31. n. 444. Canisius de usur. c. 10. n. 8. Binsfeld. in c. *in civitate*, concl. 3. Bugnon de leg. abrog. l. 6. c. 69. Carol. Loys de redit. l. 1. c. 9. n. 2. Malder. tract. 5. c. 5. dub. 6. Zerola in prax. Episc. v. *contract. cens.* Bernard. Grevæ ad Gaill. l. 2. concl. 7. consid. 1. n. 1. Emman. Roderic. in explicat. dict. constit. Bonacin. de contract. disp. 3. q. 4. punct. 10. n. 4. Fontanell. de pact. nupt. claus. 4. gloss. 16. par. 1. n. 3. & 5. Leotard. fusè q. 44. per totam. ubi citat Salaz, Surd, Philiarch. Honded. Molin. Lælium Zecch. & alios, quibus addi possunt Castropalao disp. 6. punct. 15. n. 6. Delugo disp. 27. sect. 4. n. 61. ubi citat Serarium, Sa. Mirand. Medin. Conrad. Dian. adde Laym. l. 3. tr. 4. c. 18. Busenbaum l. 3. tr. 5. c. 3. dub. 9. n. 7. ac demum omnes ferè autores, exceptis aliquot Italis, qui tamen inter se non conveniunt: sic autores prædicti ad objectionem à te adductam; ego tamen non ita respondeo; sed cùm hîc tantùm naturam hujus contractus, secluſa lege omni positiva, discutiam, hæc Bulla ad rem præsentem nihil facit.

188. *PITHANOPH.* Bene est; quid porro de hac re sentias, non quæro, cùm hæc controversia hujus loci non sit, pertinet enim ad tract. de legibus; non modica tamen mihi restat difficultas; nempe censum utrimque redimibilem Pius V. in prædicta Constitutione usurarium esse declaravit: quis autem huic declarationi se opponat?

189. *ANTIM.* Facilè mihi persuaseram, eò te venturum esse; sed prædicti autores hunc nodum facilè solvunt; dicunt enim, præsumi usurarium, cùm lex positiva usurarium facere non possit, quod revera usurarium non est; quis autem dicat, censum utrimque irredimibilem usurarium esse? nam usura mutuum supponit; mutuum autem non est, ubi nulla sors repetenda manet; atqui in prædicta Constitutione non minus pactum census utrimque irredimibilis usurariũ declaratur, quàm pactũ census utrimque redimibilis, igitur est mera præsumptio, id est, cùm Pontifex statuat formam censibus, in qua prohibet hujusmodi pacta, census utrimque irredimibilis, & census utrimque redimibilis; vult, transgressores hujus legis pro usurariis haberi, usurarios præsumi, & in pœnam usurariorum incurrere; hinc facilè observas duplicem usuram esse; alteram de jure divino & naturali, alteram de jure positivo, vel Ecclesiastico; indicavit Summus Pontifex hujusmodi pactis aliquid periculi inesse, iisque usuram & mutuum palliatum facilè prætexi; ac proinde hujusmodi pacta prohibuit; hinc si quis illa ineat, in iis scilicet locis, in quibus vigent prædictæ leges, usurarium pactum inire censetur, usura scilicet de jure Ecclesiastico, & pactum illud usurarium præsumitur; ita citati autores, immò & alii Constitutionem Pii explicant; nec in hoc, meo judicio, ulla restat difficultas; nam cùm illud prohibeat Pius V. ob periculum usuræ, ubi quis pactum illud init, in iis scilicet locis, in quibus Bulla obligat, censetur velle illud periculum; atque adeò usuram ipsam & mutuum palliatum velle præsumitur; sed quid amabò ille tuus Doctor contra censum realem utrimque redimibilem opponebat?

190. *PITHANOPH.* Hoc dumtaxat faciendum restat; sed quantum conjectura possum assequi, cuncta facilè ac planè dilues: sic ergo cœpit; hoc sanè est præcipuum disputationis caput; quis enim ferat, ex pecu-

nia

nia mutuata sub schedula obligatoria, census obtentu, lucrum referri? quasi verò manifestum discrimen non intercedat; nempe in censu pecunia ad censum data non est amplius dantis, cùm tamen in præsenti casu, in quo datur sub schedula obligatoria, secus accidat.

191. ANTIM. Miror hæc ab eo dici, qui rem hanc intelligat; nam census, de quo hîc agimus, mutuum excludit, à quo tamen non differt, quod in censu, dans pecuniam, illius dominium transferat in accipientem, secus in mutuo; quod quàm falsum sit, illi omnes sciunt, qui rem intelligunt: unum igitur pro responsione adæquata & plana suggero; scilicet mutuum supponi à Domino Doctore, quod tamen à censu abest.

192. PITHAN. Hæc una responsio reliqua omnia ab eodem opposita diluit; quia scilicet supponit semper, mutuatam pecuniam, non censum venditum, & exigi partem lucri, quod mutuatarius fecit, ex eadem pecunia; hic autem Doctorem Angelicum, D. Hieronymum, & caput *naviganti* citat; sed quorsum hæc? cuncta hæc in mutuum cadunt, quod nullum jus lucro ex pecunia mutuata facto tribuit: deinde casum proponit: Do, inquit, Titio mille nummos mutuò, ad emendum triticum, quod deinde vendit duobus millibus, aucto annonæ pretio; quærit, an possit partem lucri exigere: sed facilè respondetur, non posse; quia pecunia mutua nullum fructum producit; tum dubitare videtur, utrùm ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aliquid accipi possit, supra sortem; sed in hoc nulla est difficultas; & quisquis hoc negat, seriò loqui non videtur. Hæc sunt, quæ contra censum utrimque redimibilem D. Doctor opposuit; vides, quàm facilè solvantur.

193. *ANTIM.* Nonnulli Heterodoxi, ut Salmasius, Hotmanus, aliique contra censum scripserunt, quasi quid usurarium esset; hîc sanè trito proverbio locus esset; Clodius accusat Mœchos, ipsi usuram licitam esse volunt, quod est hæreticum, & censum damnant, Apostolicis Constitutionibus firmatum; sed rationibus adeò debilibus pugnant, ut eas refutare Gibalinum puduerit; Leotardus q. 43. hoc munere defunctus est.

194. *PITHAN.* In his tempus diutiùs terere operæ pretium non est, antequam huic congressui finem imponamus, nonnulla ex te quærere decrevi; primum est, utrùm census personalis sit licitus?

195. *ANTIM.* Personalem jam supra in varias species distinxi; nam vel est merè personalis, vel in personæ industria & arte constitutus, & hîc vita, ut plurimùm, censuarii terminatur; quamquam illud pactum apponi queat, ut à venditore redimi possit; sed esset, quòd quis in eo prudentiam desideraret, si hujusmodi censum redimeret, intra aliquot annos terminandum; emptor verò venditorem cogere non potest, ad redimendum, quod injustum esset; ut videre est in censu vitalitio; sed de hoc censu jam suprà egimus, & illius æquitatem ostendimus; immò hunc dumtaxat verè personalem agnovimus, in re scilicet fructifera constitutum; alius est perpetuus, nisi à venditore redimatur, quod sanè in ejus potestate positum est, nisi pactum apponatur, quo sit omnino irredimibilis; hunc autem, ut justum jam approbavi, modò justum sit pretium; quid ni enim jus ad pensionem annuam justo pretio adæquari possit? nec enim infiniti aut disparati valoris est; à mutuo verò toto cælo differt, nam mutuator jus repetendi sortem semper retinet, secus verò censuista: vis Autores, qui census personalis æquitatem agnoscunt & probant, ecce tibi: Conrad. de contract. q. 79. & 74. Sotus l. 6, q. 2. a. 1. Covarr. l. 3. var. c. 7. n. 5. Binsfeld. q. 10. concl. 1. in cap. *in civitate*, de usuris. Less. c. 22. dub. 4. Valent. 2, 2. d. 5. q. 22. par. 2. Bannez 2, 2. q. 78. tr. de cens. dub. 1. concl. 1. Reginald. l. 25. n. 43. Bonacin. disp. 3. de restit. q. 4. n. 3. Roderic. l. 1. de credit. q. 4. n. 37. Graff. t. 1. p. l. 2. c. 18. n. 16. Aragon. 2, 2. q. 78. Filliuc. tract. 35. n. 129. Malder. tr. 5. c. 5. dub. 8. Molfes. de contr. c. 6. n. 62. Canisius de usur. c. 11. n. 8. Secacia de commerc. q. 1. n. 204. Felician. l. 1. de cens. c. 8. n. 4. Duard. q. ult. proëm. n. 108. & 9. 1. q. 2. n. 29. Laym. l. 3. c. 18. tr. 3. Joan. Medin. c. de restit. q. 2. de cens. Ant. Gail. l. 2. observat. pract. observ. 7. n. 13. Castr. Pal. disp. 6. de just. p. 11. Gerson tom. 2. opusc. de contr. in 3. p. Major in 4. d. 15. q. 12. Gabriel ibidem q. 12. a. 1. concl. 1. Gibal. c. 6. a. 7. Leotard. q. 48. n. 9. Salas dub. 3. n. 2. ubi 20. allegat. Gibal. & Leotard. prædictos dedêre: adde Sa v. verb. *Census*, n. 10. Busembaum dub. 9. n. 2. Gibalinus asserit, hunc censum approbatum fuisse à Doctoribus Concilii Constant. Scio plures Doctores refragari, puta Navarr. Host. Innocent. Joan. Andr. Ancharan. Butri. Zabarell. Panorm. Censuum, Tusch. Pachin. Lopez, Rebell. Molin. Lugo; sed ut dicam, quod res est, antiqui illi personalem illum damnarunt, vi cujus censuarius non solvens, in servitutem redigi potest ac vendi, &c. sed de illo non agimus; si enim nihil habeat, unde solvat, liberum esse volumus. Et verò personales obligationes jam olim usitatæ fuerunt; & si aliquis hujusmodi obligationem sponte susciperet, potest, cur non eam accepto pretio vendere.

196. *PITHANOPH.* Nonnulli dicunt, obligationem illam esse effectum formalem hujus contractus, ac proinde per illum emi non posse.

197. *ANTIM.* Emitur jus exigendi pensionem, ex quo resultat obligatio in censuario; ac proinde dici potest, quòd etiam obligatio ematur; nec in hoc contractu, singularis est difficultas; nempe ex omni contractu venditionis, oritur obligatio in vendente tradendi rem, &c. nec obstat, obligationem ex contractu sequi, & per contractum emi, tanquam illius effectum, non quidem formalem, sed moralem effectivum; sic acquiro dominium alicujus rei, per contractum donationis, seu venditionis; oritur enim, vel transfertur in me, per illum contractum; sed hîc hærere diutiùs, tricari est.

198. *PITHAN.* Sed si persona non sit frugifera, id est, & bonis careat, & arte, an poterit constituere censum.

199. *ANTIM.* Si supponatur nihil prorsus habere, vel habere posse, quo censum solvat, frustra certè ad illa & stultè censum emis.

200. *PITHAN.* Quid verò emitur in hoc censu; in hoc enim Doctores minimè conveniunt.

201. ANTIM. Suppono, contractum illum, quem supra innominatum dixi, quem tamen censum personalem dici à me voluisti; in quo tum ab arte, tum à bonis censuarii præscinditur; in hoc non emitur ipsa pensio propriè loquendo, nec enim pecunia emitur, sed ipsum jus ad pensionem; nec obstat, fieri posse, ut summa pensionum sit major pretio dato, quod certè omni venditioni competit.

202. PITHANOP. Pecunia per se sterilis est, quomodò ergo fructum facit?

203. ANTIM. Utilis est ad emendum, quis hoc neget? hîc autem est vera emptio; scilicet, juris ad pensionem: itaque non est dubium, quin census personalis, sive perpetuus, sive à venditore dumtaxat redimibilis, sive ejusdem venditoris, vel emptoris morte ter-

minan-

minutus, justus ac licitus sit, seclusa tamen lege positiva; nam per Bullam Pii V. cujus supra mentio facta est, prohibitus fuit.

204. PITHAN. At quid censes de personali utrimque redimibili, seclusa scilicet lege positivâ.

205. ANTIM. Censeo, usurarium esse, ut jam à me supra demonstratum est; nempe est verum mutuum, census nomine tectum; quia, ut dixi, mutuator accipit jus repetendi sortem, præfixo tempore, cum fructus; idem sit in censu personali, utrimque redimibili: nihil enim aliud census ista retinet.

206. PITHANOPH. Per te mihi liceat, aliqua breviter proponere, quæ mihi negotium facessunt; & primo quidem, de monte pietatis, quem haud dubiè violentabo, in solamen pauperum, licèt aliquid accipiatur pro alimentis & stipendiis ministrorum, & aliis expensis; unum tamen circa hoc, scire velim; depositentur aliquis mille scuta in illo monte; ubi deinde repetit, ipsi solvuntur in auro, ita tamen, ut omnia simul numismata appendantur, & quod ad justum pondus in tota summa desideratur, deinde suppleatur; inde autem accidit, ut creditor, qui accipit pecunias, non modicam jacturam patiatur; nempe quidquid singulis numismatis excessus justi ponderis est, inutile est creditori; quidquid verò justi ponderis deest, ipsi suppletum erigitur ministri, qui solvunt, supplent quidem defectum ponderis aliquorum numismatum, sed excessibus eorum gaudenti; creditor verò, cui solvitur, excessu non gaudet, & defectum sentit; dicam quidlibet, modum istum nunquam probavi.

207. ANTIM. Idem prorsus tecum sentio; mera est injustitia sine ullo justitiæ colore: nec credo, eos, qui præsunt, non animadvertisse; alioquin viri sapientissimi & æquissimi id minimè ferrent; nec hujus facti iniquitas ullo modo excusari potest; supponamus enim, Titum 1000 numismata deposuisse in monte; quorum 900 deficiant mille granis, singula scilicet duobus, & 100 excedant justum pondus, 1000 granis, singula scilicet 2. haud dubiè minister montis exiget à Titio pretium mille granorum, scilicet 25 scuta, ut de apochirographum 1000 numismatum depositorum; ubi verò Titus deinde repetit depositam pecuniam, supponamus eamdem omnino pecuniam à ministro reddi; totam hic summam simul appendet, & justum pondus inveniet; excessus enim quingentorum præponderantium compensat defectum quingentorum deficientium; sic autem minister 25 scuta lucratur; quo amabò titulo? nullo sanè, ac proinde injustè, & contra leges depositi; nec enim pro mercede stipendio illud accipit, cùm aliunde stipendium accipiat; immò cùm simul appendit totam summam, à solito labore se liberat, singula numismata singula appendendi: nemo igitur, meo judicio, facilem illud ab injustitia liberet.

208. PITHANOPH. Aliud est, quod fieri solet, in montibus erectis à Principe, qui sunt veri census assignati in reditibus, seu vectigalibus publicis, vel gabellis ejusdem Principis; ac proinde iisdem legibus regulantur, quibus alii census; hoc autem fieri solet; Princeps indicit censui itis extractionem, vel redemptionem censuum à se faciendam; & quia initio singula loca montium sunt 100 scutorum, quibus erogantur ad 5. aut 4 annua, eodem pretio se redimere licet actu pecuniam non solvat; est enim mera ficta quo facto, seu potiùs ficto, fingit, novam erectionem, seu constitutionem montis, vel census, vendendi singula loca 115. vel 110. unde à singulis montium recipit 15. vel 10. ubi tamen deinde redimet, redditum 100.

209. ANTIM. Miror hæc à te proponi, quasi aliquis sit dubio locus; aperta est iniquitas, quæ vel ex eo constat, quòd desit pecunia ad redemptionem indictam, & hoc nemo nescit; immò hoc fit, ut nova pecunia corradatur; si enim singulis pecunia solvatur, ac deinde censuarius dicat, se novum censum instituere, in quo vendit jus ad quatuor annua 110. vel 115. tantundem redditurus, ubi census illium redimet; nullus esset in hoc casu fraudi, dolo, vel furto locus; sed ut nemo nescit, alio modo se res habet, nec sæpiùs census redimere volunt, sed fictè, ut scilicet hoc facto nomine, novum lucrum acquirant, in maximum censuistarum detrimentum; neque res parvi momenti est, cùm aliquando acciderit, ut censuarius, hac arte, intra paucas horas, 50 nummorum millia lucratus sit; qua conscientia, videritipse, & is, qui ipsi est auctor, ut hoc faciat: accedit, quòd cùm maxima pars locorum, ut vocant, sit obstricta vinculo, hæc non potest extrahi, sed necessariò ibidem cum jactura decimæ partis collocanda est. Quantum inde locis piis detrimenti proveniat, facilè intelligit, quisquis rem istam capiet.

210. PITHANOPH. Antequam huic congressui finem imponamus, nonnulla de promissione gratuita, simplici, non jurata, nec stipulata, nec instrumento publico firmata, ex te quæram; & primò quidem, quid sit ipsa promissio; nempe aliqui actum intellectus esse dicunt, alii voluntatis, alii utriusque; alii sola exteriori expressione contenti, nihil aliud ad constituendam promissionis naturam desiderant; hæc sunt merè speculativa, & ad rem moralem parum conducunt, sed curiositati meæ aliquid facilè indulgebis.

211. ANTIM. Primo intuitu, ita res se habere videtur; at credi vix potest, quantum ad doctrinam morum, & decidendas quæstiones morales, resista conferat; sic ex definitione usuræ, vel simoniæ, recte colligimus, pactum hoc, vel illud, usurarium esse, vel simoniacum; immò nisi hujusmodi actuum definitiones supponamus, nos semper in incertum ferri, necesse est; itaque, licèt illa tua quæstio merè speculativa esse videatur, ad praxim tamen valde pertinet; sed de qua promissione quæris?

212. PITHAN. De illa præsertim, quæ fit homini, nempe illa, quæ Deo fit, singularem obligationem importat.

213. ANTIM. Distinguendum est propositum à promissione; illud est præsens voluntas alicujus rei imposterum, sive faciendæ, sive omittendæ; unde propriè loquendo propositum non est ad alterum; sic propono abstinere à tali vitio, vel talis virtutis actum ponere; equidem objectum ipsum propositi potest esse ad alterum; sic propono dare eleemosynam pauperi; hoc tamen ad rationem propositi nullo modo pertinet; at promissio secus se habet, est enim actus ad alterum, cùm intelligi non possit, ipsum *promittere*, nisi sit respectu alicujus, cui promittitur; si enim promittis, alteri promittis.

214. PITHANOPH. Quid porrò est illud *promittere*? an fortè est alteri dicere, *faciam hoc, vel illud*?

215. ANTIM. Minimè verò; quia cùm propositum ipsum non sit promissio, ita nec expressio exterior ipsius propositi, promissio censenda est; equidem expressio ipsa, v. g. loquutio est ad alterum; si enim loqueris, alteri loqueris. & si aliquid dicis, alteri dicis; v. g. facto interiore proposito dandi eleemosynam, dicere potes alteri, faciam cras v. g. eleemosynam.

216. PITHANOPH. At si hoc dicam illi, cui propono

pono dare eleemosynam, sub hac v. g. formula, *dabo tibi eleemosynam*.

217. *ANTIM.* Non propterea promissio est, sed mera manifestatio voluntatis dandi eleemosynam, sive illi fiat, cui volo dare eleemosynam, sive alteri; non diffiteor tamen, pro diversa mente, vel intentione loquentis, eadem formulâ diversum actum significari; v. g. prædicta illa potest esse merè enunciativa, & expressiva simplicis voluntatis, quam habeo, faciendi eleemosynam; ita ut hæc propositio, *dabo tibi eleemosynam*, æquipollet huic, *significo tibi, me habere propositum, seu voluntatem dandi tibi eleemosynam*; potest etiam esse promissiva, & suo modo obligatoria, ita ut æquipolleat huic, *promitto tibi, quòd dabo tibi eleemosynam*; illud autem *promitto*, æquipollet huic, aut aliis similibus, obligo tibi fidem meam, do tibi fidem meam, oppignoro tibi fidem meam; nempe omnis promissio importat fidem promittentis oppignoratam illi, cui rem promittit; hinc si ille promissis non stet, fidem suam violasse dicitur; hinc promissio saltem ad fidelitatem obligat, & is, qui fidem datam non servat, infidelis jure dicitur.

218. PITHANOPH. Cum Vasque igitur convenis, qui vult, promissionem nihil aliud esse, quàm enunciationem, vel affirmationem alicujus rei in futurum faciendæ, alteri factâ, in cujus gratiâ res facienda est.

219. *ANTIM.* Immò maximè ab illa opinione alienus sum; sic enim promissio nullo modo differret ab expressione propositi facti; sic votum emitteremus, quotiescumque in oratione Deo dicimus, bone Deus, volo abstinere in posterum ab omni peccato; sic D. Petrus votum emisisset, cùm Christo dixit, non te negabo; denique, perspicuum est, expressionē propositi omnino differre à promissione; immò cùm Pater Vasquez & illius sequax Turrianus velint, in promissione fidē promittentis dari alteri, cui promittitur, ac proinde prædictam affirmationē non esse promissionem, nisi insinuetur eidem, in cujus gratiam res facienda est; non est idem simpliciter affirmare aliquid alteri, & fidem dare, vel oppignorare; nempe fides data obligationem importat rem ipsam faciendi; obligationem, inquam, saltem fidelitatis; ita ut promittens illam omittere non possit, nisi infidelis censeatur; at simplex affirmatio nullo modo obligat, nisi ad veracitatem; ille autem verax est, qui præter mentem non loquitur: v. g. proposui dare eleemosynam, facio hanc propositionem, dabo tibi eleemosynam, verax sum, si eo tempore, quo facio illam propositionem, revera animum habeo faciendi eleemosynam; & licèt deinde mutem, propter justam causam, hoc sanè veracitati loquentis, & veritati formali propositionis nequidquam obest.

220. *PITHANOPH.* Si ergo, dum dico alteri, *dabo tibi eleemosynam*, abest animus me obligandi, abest etiam animus promittendi; igitur est mera expressio propositi, non promissio, contra mentem Vasquis; hinc promittere alteri, est fidem suam alteri dare & oppignorare, ac sese illi obligare, saltem ex fidelitate; sed velim scire, quis actus ille sit, intellectus scilicet, an voluntatis, an utriusque, an verò insinuatio & expressio illa, de qua supra, nec sanè parum negotii hæc mihi facessunt.

221. ANTIM. Promissio primo loco dicit voluntatem se obligandi, saltem ex fidelitate; utrùm verò dicat voluntatem id faciendi, ad quod faciendum, promittens se obligat, nonnulli sibi persuaserunt, sed omnino perperam; nempe fieri potest, ut quis velit se obligare ad id faciendum, licèt non habeat voluntatem id faciendi; unde mentimur quidem, cùm dicit, hoc faciam; quia præter animum faciendi, hoc dicit; promittit tamen, quia se obligat: promissio igitur primo loco dicit voluntatem se obligandi, sive adsit alia voluntas id ipsum faciendi, sive absit; nec propriè dixisti, eumdem esse animum promittendi, cum animo se obligandi; quia voluntas promittendi dicit quidem voluntatem se obligandi, sine qua non potest esse promissio, non est tamen ipsa voluntas se obligandi, quam dicit in objecto; nempe promissio includit ipsam voluntatem se obligandi, & voluntas promittendi habet ipsam promissionem pro objecto: igitur & voluntatem se obligandi, quæ in ipsa promissione includitur; igitur voluntas se obligandi distinguitur à voluntate promittendi.

222. *PITHAN.* Quid porrò aliud dicit promissio? si enim Deo fit, expressione externa non indiget, sed solo actu voluntatis.

223. *ANTIM.* Aliud est actu se obligare, aliud velle obligare se; sic aliud est actu ligari, & velle ligari; promissio igitur præter voluntatem se obligandi, dicit actum illum promittentis, *obligo me*; id est, impono mihi hoc onus, hanc obligationem; quis porrò sit ille actus voluntatis, an intellectus, non ita facilè quis discernat; & verò non videtur esse actus intellectus; licèt enim promittens, qui se obligat, id cognoscat, hæc cognitio non potest dici actus ille, quo promittens se obligat; & quamvis dicat, me obligo, & hoc enunciet, per id tamen se non obligat, sed hoc alteri significat, cui se obligat; ille igitur actus non est intellectus; non videtur etiam esse voluntatis, quia aliud est velle se obligare, & reipsa obligare se; dico tamen esse voluntatis; voluntas enim dum agit, non semper dicitur velle, aut nolle, sed amare, odisse, sperare, gaudere, &c. ille est igitur actus voluntatis, quo hæc dirigit prædictam obligationem, quam vult, ad alterum, cui se obligat; ut enim per amorem, volo bonum amico; ita per hunc actum, volo talem obligationem, eamque mihi impono, in ordine ad alterum, cui voluntas sese obligat; illa autem directio, voluntatis est, non intellectus, qui ut exprimat actum voluntatis, sic dicit, me tibi obligo ad hoc, vel illud, pro te faciendum; sed hæc intellectus expressio supponit objectum illud, quod exprimit, actum scilicet illum, quo promittens se obligat.

224. PITHAN. Hæc expressio etiam à nobis adhibetur, cum Deo aliquid promittimus; vix enim, ac ne vix quidem res aliter fieri potest; immò nisi hujusmodi expressio adsit; nescimus, talem actum voluntatis existere; conare quæso pro viribus Deo aliquid promittere, seu vovere, & statim probabis in re hujusmodi expressiones, *voveo Deo*, *promitto Deo* hoc vel illud; Angeli fortè alium modum adhibent, at mortalis homo ita se habet.

225. *ANTIM.* Rectè omnino, alterius instituti res esset; neque id discutere vacat: quidquid sit, actus ille internus, quo me obligo Deo, sive cum ipsa intellectus expressione, vel enunciatione conjunctus sit, sive non conjunctus, veram promissionem constituit.

PITHANOPH. At si promittas homini, potestne fieri, ut promissio per solum actum internum constituatur; & verò si sufficit actus internus, ut promittas Deo, cur amabò non sufficiet, ut homini promittas?

226. *ANTIM.* Per merum actum internum, nemo alteri sese obligat, igitur neque promittit, ut censent communiter Doctores, Molin. tom. 2. d. 266. Sanch. l. 1 de Matr. d. 3. Vasq. d. 4. de Matr. c. 4. n. 38. Less. c. 18. dub. 3. Turrian. d. 64. dub. 2. Delugo disp. 23.

Allensis c.2. idque de jure naturæ, pro quo idem Delugo d.9. citat S. Th. Abulens. Turrecrem. Tabiena, Cordub. Mercad. Aragon. Angles, Garcia. Ludov. Lud. Lopez, Manuel. Basil. Pont. Tanner. Filliuc. dest; quia cum vera promissio saltem obligat ad fidelitate, & hæc sit ad alterum, postulet ut fidelitate, & hæc fit ad alterum, postulet ut facta promissis, seu dictis congruant, & conformia sint, per merum actum internum hoc quidem fieri non potest, ut patet; infidelis enim ac perfidus eum, cui promissio facta est, debet ac decipit; igitur aliqua signa externa esse necesse est, quibus alteri promittens fidem suam obligat, ac actus ille internus, ut dixi, dirigendus sit ad illum, cui promittitur; hoc autem fieri non potest, respectu hominis, nisi per enunciationem significationem externam, sive hæc exterior enunciatio fit ultimum complementum promissionis, sive conditio sine qua non, & quasi quædam obligatio quid sit, ut non obligat sine actu interno, nec sine externo, obligare promissio, ac proinde nec esse censetur; idem dicendum est de obligatione ex justitia inter homines; nec enim jus in promissario esse censetur, id est qualitas moralis, nisi prudentes homines judicent, sufficiens esse fundamentum, ex quo jus illud resultet; accedit, quod nunc etiam fidelitas promissorem obligat, ac proinde nisi stet promissis, promissarius delusus dicitur simul & injuriam passus; Hinc licet possit aliquid dari nescio, & donationis ignorato, non tamen promitti, quia delusus dici non posset.

227. Pithanop. Quid porro de acceptatione censes, an putas, hanc illa obligationem subsistere, saltem de jure naturæ?

228. Antim. Aliqua haud dubiè acceptatio requiritur; ut scilicet promissio pariat obligationem, ita communiter Doctores; Molin. Justit. de primog. cap. 2. num. 62. Sot. l. 3. q. 5. a. 3. Sanch. d. 6. num. 10. Vasq. citatus c. 4. n. 42. Turrian. Bon. Less. c. 18. dub. 6. num. 39. Lugo disp. 23. s. 3. Rebus stantibus; licèt nonnulli refragentur; ratio est, quia ut non potest lædi jus ab alio acquisitum, nisi fiat contra illius voluntatem, saltem presumptam, aut saltem illorum, qui illius curam gerunt; ita non potest acquirere jus illud, nisi verisimile, nempe qualitas illa moralis inesse voluntati censetur; id est, voluntate pendere; ita ut illud abdicare possit, si velit, saltem per se; etsi quibusdam casibus, leges hoc vetant; invitatus enim nemo jus plenum acquirit; cum ergo promissarius per promissionem jus aliquod acquirat, illum acquirere non potest; igitur aliqua acceptatione opus est.

229. Pithan. Nonnemo hoc facilè concedit promissionibus illis, quæ pariunt obligationem justitiæ, non tamen de illis, quæ obligationem afferunt ex fidelitate; quia fidelitas obligat tantùm conformanda facta cum dictis, sicut veracitas conformanda verba cum mente; affert autem jus illum, quo quis alteri per Epistolam quidem promittat; nempe promittens perpetuò promissa revocat, si revocatio tardiùs probatis immatur, quàm Epistola in ejus manus venit; & nisi stet promissis, infidelis jure dicitur.

230. Antim. Etiamsi promissor obligetur tantùm ex fidelitate, non verò ex justitia, hoc certè sequitur, quin promissarius aliquod jus acquirat; ne habeat, ne decipiatur, vel ei promissor infidelis sit ac perfidus; igitur prædicta doctrina in promissionem quadrat, sive pariat obligationem ex justitia, sive ex fidelitate; ad casum propositum, supponamus promissorem sese obligare per epistolam ex justitia; quidquid respondeas de hoc meo casu, respondebo de tuo; nec est, quod dicas, fidelitatem postulare ut dicta factis consentiant, id enim præstare debet promissor, nisi promissa ante acceptationem revocarit; nec in illo casu, promissarius se fuisse delusum, conqueri potest, si deinde resciat, revocationem esse factam, antequam epistolam ipse accepisset: nec demum fidelitas id tantùm postulat, ut dicta factis consentiant; si enim absit animus se obligandi, nulla est obligatio, ac proinde nulla promissio, nec contra fidelitatem peccabit promissor, quæ supponit veram promissionem, sed contra veracitatem peccavit; tum quia dicit, se facturum, quod non vult facere, & fingit se promittere, cum tamen non promittat, suppono enim verba illa quæ protulit, esse propria, non æquivoca, v.g. *promitto tibi hoc, vel illud.*

231. Pithanoph. Si acceptatio jure naturæ requiritur, nullo modo à lege suppleri posset; supplebitur autem in quibusdam casibus, v.g. quando promissio est ad causam piam, item quando fit infanti, vel civitati.

232. Antim. Nonnulli respondent, prohiberi tunc revocationem; sed fortè melius respondent alii, intervenire in prædictis casibus acceptationem publicam, casu quo, illi quibus facta est promissio, deinde acceptare velint, si enim promissioni renuncient, promissor ab omni obligatione liber est.

233. Pithan. Quid verò ad acceptandum à promissario fieri oportet? si præsenti fiat promissio & taceat, nunquid acceptare non censetur?

234. Antim. Si verbo, vel signo aliquo sufficienti, consensum suam exprimat, verbo v. g. scripto, nutu, gratulatione, acceptatio sufficiens erit; immo aliqui volunt, sufficere merè internam, etiamsi promissarius taceat, nam qui tacet, consentire videtur, ut Sanch d. 6. num. 11. ubi citat Sylvestr. Covarr. utrumque Molin. alii tamen negant, ut Tiraquell. Angl. Rodriguez, quos ibidem citat Sanch. ego existimo, aliquod signum sensibile ad hoc requiri; ut enim promissio dirigitur ad promissarium per signum aliquod externum, sine quo ad illum dirigi non posset, ita & acceptatio ad promittentem; igitur opus est aliquo signo externo, ad prædictam utriusque consensus connexionem; sed hæc sunt facilia.

235. Pithanop. His præmissis, scirè à te velim, qualis & quanta sit promissionis obligatio; Loquor de nuda & merè gratuita promissione.

236. ANTIM. Nonnulli volunt, tantùm esse fidelitatis; ita Cajet. 2. 2. q. 113. a. 1. dub. 4. Meratius tom. 2. tr. de just. d. 19. s. 6. Diana p. 3. tr. 4. Miscell. res. 122 hanc sententiam probabilem putat, & pro ea multos adducit; pro qua Sanch. l. 1. d. 5. multos etiam citat v.g. Armill. Sot. Petr. Ledesm. Henriquez &c. Alii oppositam sententiam tenent, scilicet hanc obligationem esse justitiæ; ita Suar. Less. Navarr. Malder. Filliuc. Salon. quos citat Lugo s. 6. n. 89. Quod ad me spectat, existimo cum Cardin. Delugo, id totum pendere ab intentione promittentis; quis enim nescit, quemliber obligari posse ex justitia? quasi verò quispiam non possit alteri cedere jus, cui nisi cedens satisfaciat, injustè agere censeatur? non est igitur dubium, quin totum hoc ex intentione promittentis pendeat.

237. PITHANOP. Hoc ipsum est quod quæro, quam præcisè intentionem obligandi se solita verba importent, *hoc tibi promitto*.

238. ANTIM. Si absit omne juramentum, & insit umentum, probabilissimum mihi videtur, his verbis, intentionē dumtaxat obligandi se, ex fidelitate importari; immo Sa correctus *v. promissio* n. 1. vult, deesse ut plurimùm animum se obligandi; quod revera dare non possum, alioquin non esset promissio; non negarim tamen, deesse animum se obligandi absolutè, licèt non desit animus se obligandi conditionatè; ita ut promittens subintelligat, nisi propter justam aliquam rationem mutetur; v. g. promisi Paulo, aliquid ejus gratia me facturum esse; justa causa me deinde distrahit, ne faciam id, quod promiseram, totum id subintellectum fuisse censetur; hoc autem, ut credo, Pater Sa dicere voluit: immo si fortè quemlibet promittentem interroges, utrùm hanc intentionem habeat, haud aliter respondebit.

239. PITANOP. At si adsit juramentum, vel instrumentum promissionis.

240. ANTIM. Tunc reverà signum est, adesse animum gravioris & strictioris obligationis, nec enim levis obligatio juramento, aut instrumento, nisi stultè firmetur; sic nisi gravis ratio, aut necessitas urgeat, ea quæ dicimus, juramento confirmare non debemus.

241. PITHANOPH. Putasne, graviorem illam & strictiorem obligationem esse Justitiæ?

242. ANTIM. Ut plurimùm, justitiæ est; nam stricta obligatio unius supponit strictum jus alterius, quod reverà justitiæ est; dixi *ut plurimùm*, quia non video, cur aliquis ex justitia obligari nolit, sed tantū ex fidelitate, licèt juramento gravem obligationem inducat; ut enim veracitatis gratia sæpe juramus, cur pro fidelitatis jure tuendo jurare non possumus?

243. PITHAN. Implicat in adjecto, ut ajunt, cum enim omnis stricta obligatio sit justitiæ, eo ipso quod promittens se graviter obligat, ex justitia se obligare censendus est.

244. ANTIM. Quisquis se obligat graviter & strictè vi promissionis, se obligat ex justitia; secus verò, quisquis se obligat graviter vi juramenti; unde in casu proposito, se obligat quidem graviter, non tamen vi promissionis; quia supponitur, quod promittens habeat tantùm animum se obligandi ex fidelitate, sed vi juramenti additi, sine quo levis dumtaxat obligatio restaret; sic qui aliquid asserit, habet tantùm obligationem levem conformandi verba cum mente; ad id enim loquentem obligat veracitas, tum ad convictum humanum, in quo scilicet homines sibi invicem fidem habent, tum etiam ex natura rei, cum verba instituta sint ad significandos interiores mentis conceptus; secluso igitur damno proximi, veracitas obligationem levem importat; idem prorsus de obligatione illa dicendum est, quam fidelitas importat; nempe societas humana id postulat, ut fides data servetur, idque ex natura rei, ut scilicet dicta factis sint conformia; ut autem accedere potest juramentum obligationi levi ex veracitate, ita & accidere potest obligationi levi ex fidelitate, & tunc in utroque casu, gravis obligatio resultat, sed vi juramenti.

245. PITHAN. Igitur promissio ex genere suo præcisè, secluso juramento, & instrumento non obligat sub mortali; quia scilicet gravem obligationem non affert; levis enim obligatio non est sub mortali.

246. ANTIM. Unum addere debueras, nam si promittens velit se obligare graviter, ac proinde ex justitia, tunc reverà obligatur sub mortali; hoc autem ex illius animo & intentione petendum est.

247. PITHANOP. Sed quonam pacto cognosci poterit, utrùm illum animum habeat?

248. ANTIM. En tria signa; primum est, si juramentum adhibeat, tunc enim censetur habere animum se graviter obligandi; licet enim hæc obligatio gravis ab ipso dumtaxat juramento procedere possit, præsumitur tamen in foro externo adfuisse animus se obligandi graviter; unde juramentum signum est obligationis gravis.

249. PITHANOPH. At si habeat tantùm animum obligandi se ex fidelitate, licèt deinde juret.

250. ANTIM. Imprudenter dubio procul segrit; quia tunc in foro externo, præsumetur obligatio gravis ex justitia juramento firmata; licèt in foro interno non obligetur ex justitia, ac proinde restituere non teneatur, cum promissarius jus ad rem promissam non acquirat nisi præsumptum; cum autem sciant homines, præsumi obligationem gravem ex justitia, quando firmatur promissio juramento, ideo juramentum non adhibent, nisi quando habent animum obligandi se ex justitia.

251. PITHANOP. Libenter audiam alia duo signa, de hoc enim jam satis constat.

252. ANTIM. Secundum signum est, si publicum instrumentum adhibeatur; cum enim vi hujus promissarius jus strictum acquirat, in promittente obligatio gravis esse censetur; unde quisquis ita obligat, ut publico instrumento obligationem illam firmari velit, graviter se obligare intendit.

253. PITHANOPH. Idem, opinor, de stipulatione dicendum esse putas, quia secundum jura, hæc tribuit actionem promissario adversùs promittentem, ad rem promissam exigendam.

254. ANTIM. Non ita, ut putas, facilè concesserim, est enim stipulatio, id est formula illa, qua promissarius sic interrogat, *promittis?* & alter respondet, *promitto*, est inquam formula illa signum satis equivocum; quia cum illa animus se obligandi saepissime conjunctus non est, ac proinde formula illa ad obligationem gravem non sufficit; & licèt tribuat actionem in foro externo, non tamen ex illa tantùm judex pronunciat, sed ex aliis præsumptionibus; immo ex natura rei omnis promissio dat jus promissario exigendi promissum etiam in judicio; sed leges actionem illam non admittunt, nisi promissioni stipulatio accesserit; quamquam ut dixi, hæc sola non sufficit, ad hoc ut judex causam promissario adjudicet, sed aliis ducitur rationibus, ex quibus, promittens habuisse animum graviter se obligandi præsumitur.

255. PITHAN. Quodnam erit tandem certum signum obligationis gravis, nec enim aliud in mentem venit.

256. ANTIM. Si Promittens exprimat gravem illam obligationem, hac vel alia formula, hoc tibi promitto, ac me graviter obligo, seu me obligo ex justitia, vel sub peccato mortali; tunc haud dubiè contrahit gravem illam obligationem; cum enim hæc verba strictam illam & gravem obligationem significent, propriè & sine ambiguitate, quotiescumque ponuntur, ab animo graviter se obligandi profecta esse censentur.

257. Pi-

gandi reverâ non habeat.

264. ANTIM. Dico tantùm hæc signa esse gravis obligationis, quia semper præsumitur fuisse animum graviter se obligandi, quando adsunt hujusmodi signa: ac proinde in foro externo causa promissario semper adjudicatur; ubi autem promissio est merè gratuita, sine juramento, instrumento & graviore formula, ac secluso damno proximo, non affert gravem obligationem; quia ex fidelitate tantùm obligat; sed obligatio fidelitatis gravis non est, nec sub mortali; si enim obligatio veracitatis, confirmandi scilicet verba cum mente, ex genere suo, confirmandi scilicet verba cum mente, ex genere suo, pro ut levis censetur, idem prorsus dicendum est, de obligatione fidelitatis, conformandi scilicet dicta cũ mente: & verò talis est obligatio, qualem promittens videtur imponere; quis autem amabò in promissione meræ gratuitæ, nullo instrumento, nullo juramento firmatæ, nulla graviore formula expressa, sibi gravem obligationem imponere intendat? id est, sub peccato mortali multos hactenus incertos gravi superhac re; nullum invenit, qui gravem obligationem in hujusmodi promissionibus subire intendat; immo qui conditionem tacitam non subintelligat, de recedẽdo à promissione, si aliqua justa causa, seu ratio ad id moveat.

265. PITHANOPH. Facilem solutionem video; ad aliam objectionem transeo; promissio acceptata transit saltem in pactum nudum; sed hoc obligat sub mortali, nisi levitas materiæ excuset.

266. ANTIM. Nullum est propriè pactum, nisi promittens intendat se graviter obligare, scilicet ex justitia; quod sanè non intendit, nisi hoc expressè dicat, vel juramento, aut instrumento promissionem firmet: & verò, cum promissio sit ad instar legis privatæ, qua promittens se obligat, vel ligat, verba, quibus concipitur in mitissimo sensu accipienda sunt, juxta communem regulam; & quisquis se obligat, minimum se obligare censetur ac præsumitur; quantum scilicet verba, quibus concepta est promissio, ferre possunt; igitur, cum dicit, *hoc faciam*, præsumendum est propositum, non promissio; quia hæc verba propositum æquè significant ac promissionem; si dicit, *hoc tibi promitto*; præsumitur promissio, sed conditionata, eo modo, quo dixi, non absoluta; si dicit, *hoc absolute promitto*, præsumitur animus obligandi se ex fidelitate, non verò ex justitia; si demum dicat, promitto ac me obligo graviter, scilicet ex justitia, tunc accipienda est promissio, ut verba sonant, cum mitioris sensus capacia non sint.

267. PITHAN. Sed quisquis promissis non stat, violat obligationem rei gravis, saltem aliquando; & hoc si ne culpa gravi fieri non potest.

268. ANTIM. Aliud est violare obligationem gravem, aliud violare obligationem rei gravis; obligatio gravis violari non potest, sine peccato gravi; sed rei gravis obligatio levis esse potest, & reverà levis est ex promissione gratuita, de qua hic agitur, at violare obligationem levem, levis culpa est.

269. PITHANOP. Promissio cum formula stipulationis tribuit actionem promissario in foro externo; igitur affert obligationem gravem.

270. ANTIM. Negatur consequentia; ad antecedens, dico, præsumi, in foro externo, quãdo intervenit stipulatio, promissorem habuisse animum sese obligandi ex justitia; licèt illum animum non habuerit, ac proinde in foro interno non obligetur, obligatione gravi.

271. PITHANOPH. Promissio onerosa graviter obligat; igitur & gratuita.

272. ANTIM. Concesso antecedente, nego consequentiam; quia onerosa transit in pactum, quod obligat ex justitia; sed gratuita ex justitia nõ obligat.

273. PITHANOPH Jus ex promissione ortum, transit ad hæredes promissarii, & obligatio ad hæredes promissoris; igitur est verum jus.

274. ANTIM. Jus ex promissione cum animo obligandi se ex justitia transit quidem ad hæredes, quia est verum jus *ad rem*, ut vocant; secus tamen jus ex promissione, quæ fit cum animo obligandi se ex fidelitate; immo non est proprium jus, sed tantùm fiducia quædam; nec obstat, obligationem voti transire ad hæredes voventis: quia voti obligatio est gravis; & licet non sit ex justitia, non minùs tamen obligat; at obligatio promissionis ex fidelitate levis est; dispar igitur ratio; nec ulla vis rationis persuadet, transire levem illam obligationem ad hæredes; immo inter homines illa consuetudo viget, ut ab hærede promissoris promissarius nihil postulet, nisi sit obligatio ex justitia; neque in hoc, quidquid aliqui dicant, ullam difficultatem esse video.

275. PITHAN. Fidelitas addit aliquid supra veracitatem.

276. ANTIM. Esto; sed utrumque leve est, nec

inde gravis obligatio resultat.

277. PITHANOP. Si autem absit animus exequendi promissa.

278. ANTIM. Modò adsit animus se obligandi, erit valida promissio, sed cum mendacio conjuncta, ut jam supra dictum est; dixi, modò adsit animus se obligandi; si enim hic deest, nulla est promissio, ut constat ex dictis; nec enim repetere vacat.

279. PITHANOPH. At si dubitet promissor de promissione.

280. ANTIM. De hac controversia jam actum est in secunda dissertatione, quare paucis illam decido, propositis scilicet diversis statibus quæstionis. 1. si promissor revera dubitat de ipsa promissione, an revera illam fecerit, tunc non obligat promissio; quia promissio dubia obligationem tantùm dubiam parit, sed hæc solutionem certam minimè postulat; hoc enim principium certũ est, quod certus affectus certam causam supponat. 2. Si dubitat de animo se obligandi ex justitia, licet de promissione exteriùs facta certus sit, vel prudèter dubitat, vel imprudenter; prudenter dubitat, si habeat aliquam justam causam & rationem dubitandi.

281. PITHANOP. Quænam esse possunt justæ rationes dubitandi, nam eas quisque ad libitum fingere poterit.

282. ANTIM. Non desunt hujusmodi rationes 1. Si promissor ut plurimùm in hujusmodi promissionibus gratuitis, sive instrumento & juramento solitus sit non habere animum se obligandi graviter; 2. si recordetur, se ita fuisse affectum eo tempore, quo promisit, ut hæc affectio animum se obligandi graviter, ut plurimùm excludat; 3. si modò judicet, se in hujusmodi circunstantiis minimè habiturum animum se obligandi; 4. si verba illa quibus promissionem expressit, mitiorem sensum habere possint, ita ut animum se obligandi non importent necessariò; 5. Si rogatus de juramento, vel instrumento publico, id recusavit; vides quam multæ sunt rationes, quibus promissor inductus prudenter dubitare potest.

283. PITHAN. Sed quid inde? demus primò, quod prudenter dubitet, deinde quod imprudenter.

284. ANTIM. Si prudenter dubitat de animo se obligandi, prudenter dubitat de validitate promissionis; igitur de obligatione; igitur obligatio dubia est & talis prudenter judicatur; igitur certum est, dubiam esse; sed dubia obligatio certam solutionem non postulat; si verò imprudenter dubitat, certum est, quod nullam rationem habet dubitandi, igitur non est dubium probabile, id est nulla ratio probabilis dubio suffragatur; igitur oppositum certum est: & verò cum promissio illa externa signum sit & effectus intentionis internæ & animi se obligandi, v. g. cum quis dicit, *obligo me quantum possum me obligare*, nisi probabiliter judicem, aliam fuisse intentionem, ex qua promissio illa exterior prodierit, certum est moraliter, animum se obligandi non defuisse, ex quo scilicet promissio illa ortum duxerit; sic quando promissor se obligat cum juramento, vel instrumento, nec ullam rationẽ habet dubitandi, an prædictus animus ad fuerit, certò judicare debet, adfuisse; ita enim homines se gerũt in omnibus aliis actibus externis, qui supponunt internos, etiam in rebus maximi momenti, v. g. in administratione sacramentorum.

285. PITHANOPH. Hæc ratio mihi satis arridet; sed si dubitat de perfecta deliberatione, vel libertate, aut certè de acceptatione promissarii.

286. ANTIM. Attigisti tertium & quartum statũ quæstionis; pro quibus eodem modo respondeo, quod si revera prudenter dubitat, id est, si dubium illud prudenti ratione nititur, promissio non obligat; secus verò, si imprudenter; rationes autem dubitandi pro tertio statu multæ sunt 1. si vino madidus erat; 2. Si vehementi passione perturbatus; 3. Si aliquid à promissario ardenter expetebat; 4. Si levioris & inconstantioris sit indolis; 5. Si fortè idemtidem non est sui compos; multæ item pro quarto statu; 1. Si promissarius signo aliquo significavit, se id minimè curare; 2. Si præsens omnino siluit; 3. Si expressè rejecit, saltem ad urbanitatem; &c.

287. PITHANOP. Multi sunt qui præsumptionibus fori externi adhæreant; ita ut velint, obligationem esse in foro interno, in iis omnibus casibus, in quibus forum externum obligaret.

288. ANTIM. Varias præsumptiones forum externum adhibet in hujusmodi promissionibus, tum in favorem promissarii, tum in favorem promittentis: 1. cum verba sint naturaliter signa intentionis, nullus præsumitur dicere, quod in animo non habet; 2. cum de promissione constat, præsumptio est pro obligatione, nisi expressè apponatur negativa; 3. qualitas quæ à natura inest, semper inesse præsumitur; igitur actio exterior præsumitur habere intentionẽ illam internã, ex qua naturaliter ortum ducit; 4. nemo præsumitur fictè agere, si actio extrior est seria; 5. Esset delictum, quod non præsumitur, nisi probetur. In favorem Promissoris forum externum habet etiam præsumptiones. 1. Si verba in alio quo sensu ita accipi possint, ut non significent gravem obligationem, non præsumitur gravis obligatio; 2. Qui sponte se obligat, præsumitur minimum se obligare; 3. Qui multa promittit, & sæpe promissis non stat, præsumitur non habere animum se obligandi graviter; 4. pro libertate totum id præsumitur, quod præsumi potest, & minimum, pro obligatione; 5. ut censeatur valida promissio in foro externo, præter stipulationem & acceptationem requiritur, ut exprimatur causa, propter quam promittitur; alioqui præsumitur promissio errore, vel joco, vel saltem sine gravi obligatione facta, ita Busembaum num. 2. Trullench. l. 7. c. 16. d. 6. qui citat Covarr. & Villalob. omnes alias.

289. PITHAN. An forte credis, in foro interno, juxta hujusmodi præsumptiones procedendum esse.

290. ANTIM. Minimè sanè; nam etiam si certus sit promissor de animo ficto, præsumitur tamen fervens promisisse; præsumptiones igitur maximè serviunt foro externo, at vix forum internum iisdem uti potest 11. quia variæ sunt & invicem contrariæ, idem dico de decisionibus Rotæ, aliisque hujusmodi pro humanis decretis. 2. quia multa sunt alia, quæ considerari debent; v. g. an promissio sit prodiga, an propter malum finem, an inducens ad peccatum, &c. 3. quia in foro conscientiæ illa regula quam supra præscripsi sufficere videtur, ex qua hoc universale corollarium deduco; si quis ita dubius est, ut prudenter dubitet, non tenetur; secus verò si imprudenter; prudenter autem dubitat, si dubium probabili ratione nitatur; est verò probabilis dubii ratio, cum ratio est pro utraque parte dubii, vel pro neutra; at si pro altera tantùm, imprudens est, hæc porro ex dictis facilè intelliguntur.

291. Pi-

192. PITHANOP. Excidit tibi opinor alia regula, quam Doctores, præsertim neoterici sæpe adhibent, scilicet à possessione petitam; nempe melior est conditio possidentis, unde si in dubio, possessio est pro libertate, seu dubitante, non obligatur; si verò est pro voto, vel promissione, obligatur.

193. ANTIM. Profectò non exciderat, sed nondum hanc regulam, quæ licèt in re justitiæ, optima sit, quando agitur de jure litigantium, is enim, qui rem possidet, aliunde jus probabile habet, præferendus est; in alia tamen materia, istam regulam non admittunt, quia illius antiqui non meminerunt; tum quia improprius est loquendi modus, si dicamus, possessionem esse penes votum, vel promissionem; quis verò votum possidere possit aliquid; liberum alias loquendi modum relinquo, improprium cur de me cogis?

194. PITANOP. Satis est; finem tandem huic confabulationi faciamus, in proximè sequenti, nisi aliter placeat, agemus de simonia, v. g. utrum simoniacum pactum ratione pretii essentialiter, ut ajunt includat; item utrum simonia illa, quæ est tantum juris humani, pœnis subjaceat, & de regularibus officiis, utrum illorum permutatio simoniaca censenda, ac de aliis hujusmodi; sed rem hanc uno congressu terminari desidero.

195. ANTIM. Permelicet; interim, si me audis, ut paratior accedas, legere poteris Suarem, Lessium, Gibalinum de simonia;

196. PITHANOPH. Gratias habeo, quod fontes indicas; inde forte instructior adero; vale, mi Antime, Deusque divinè tuum servet.

197. ANTIM. Te quoque sospitet, bene vale.

DIALOGUS XV.

IN QVO

Aliquot de simonia controversiæ discutiuntur.

1. PITHANOPH. Parcè abfuit, Antime, quin detimatum huic congressui argumentum renuncirem, veniremq; ad te, ut aliud quidpiam asseres; netamen tibi molestus essem, sustinui, ægrè quidem, ut in nuè loquar.

2. ANTIM. Quam obrem vero? an fortè materiæ penuriam timuisti? ego certè copiam timui, quam vinus congressus complecti possit.

3. PITHANOPH. Id causæ non fuit; sciebam enim, habere materiam esse; sed ubi primum legi eruditam tractationem, quam Gibalinus vester de simonia conscripsit & in lucem dedit, res ita clara & explicata mihi visa est, ut nullus nodus amplius dirimendus, nulla controversia discutienda restare videatur.

4. ANTIM. Itane verò? beasti me, charissimum quippe, ne quid dissimulem, illa eadem tractatio licet eam summoperè laudem, nondum omnibus tenebras excussit: tibi hoc incumbit, ut me istas, quandoquidem rem hanc perspicuam & indubiam cognitione complexus es.

5. PITHANOPH. Ludis, Antime; Discipulus Magistrum non docet; miror tamen, quidnam adeò difficile, obscurum & implicatum in re simoniæ tibi occurrat; constat enim de natura & essentia simoniæ, quæ una definitione explicatur; est autem vulgata definitio, quam Summistæ omnes, Theologi & Juris canonici Doctores unanimi consensu admittunt, glossa. 1. q. 1. & alibi illam his verbis tradit; simonia est studiosa voluntas, vel cupiditas emendi vel vendendi aliquid spirituale; dicitur studiosa voluntas, id est deliberata; emendi, vel vendendi, venditione scilicet latè sumpta, pro omni permutatione, seu contractu quolibet non gratuito; addunt communiter Doctores *pretio temporali*, majoris explicationis gratia, quod prudenter factum esse, crediderim, ne permutatio illa, qua datur spirituale pro spiritali, simonia dicatur.

6. ANTIM. Prudenter omnino ab iis additum crediderim, si enim gloss. citatam sequutus, non addas clausulam illam *pretio temporali*, inde sequeretur, omnem permutationem, pactione onerosa, non gratuita factam, qua spirituale datur, sive pro temporali, sive pro spirituali, esse simoniacam, quod tamen plerique omnes non concedent; loquor enim de simonia contra jus divinum; nam si spirituale detur pro spirituali, non est simonia; ita Victoria relect. de simon. num. 17. Innoc. in cap. quæsitum D. Thom. in 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 8. Sot. lib. 9. quæst. 5. a. 2. Durand. d. 25. q. 5. num. 9. Suar. lib. de simon. cap. 30. num. 5. ubi citat præter adductos Covarr. Argentin. Less. l. 2. c. 35. dub. 3. num. 22. Gibalin. de Simon. quæst. 13. n. 2. Sa verb. *Simonia* n. 2. Busenbaum l. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 2. n. 5. ubi citat Layman; addere possem quotquot ego legi, præter Ricardum, Paludan. Adrian. citatos à Lessio & Gibalino; nec multa ratio deest; nam 1. dari potest aliqua proportio inter res ejusdem generis; 2. quia hæc permutatio nullam irreverentiam continet; 3. communis usus accedit; sic enim rosaria pro rosariis, missæ pro missis, & mutuæ in sacris functionibus operæ commutantur; 4. nemo negta de licentia Romani Pontificis, beneficium cum beneficio permutari posse; idque multiplici jure constat; immo & auctoritate Episcopi; igitur hæc permutatio jure divino, vel naturali prohibita non est.

7. PITHANOPH. Ex hoc capite, ea quæ dicis, maximè impugnari mihi videntur; nemo enim nescit, permutationem beneficiorum simoniacam esse, ut expressè declaratur in cap. *quæsitum* de rerum permutatione, ubi omnis pactio circa spiritualia, aut spiritualibus annexa, declaratur simoniaca, item cap. *majoribus* de præbend. & alibi passim;

8. ANTIM. Aut meus codex mendum continet, aut certè textus citatus non ita se habet, sic enim lego, *teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ*; tu verò legis cum Gibalin. num. 5. *omnis pactio*. & verò permutatio beneficiorum de jure illicita est, nisi de licentia superiorum fiat, d. cap. *quæsitum* & cap. *cum olim*, eodem tit. Unde deduco, esse tantùm simoniam contra jus ecclesiasticum, non verò contra jus divinum; dixi autem expressè supra, hic agi de simonia contra jus divinum.

9. PITHANOP. Multa sane occurrunt, quæ repo-

nam; 1. in cap. *pactiones* de pactis dicitur, quod in spiritualibus *omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare.* 2. Gloss. in cap. *quæsitum* omnem pactionem illicitam esse dicit; idem passim alibi jura adstruunt; 3. Saltem illa pactio circa beneficia est simoniaca contra jus divinum; quia talis esse declaratur in dict. caput quæsitum.

10. ANTIM. Ad primum cum omnibus Doctoribus Respondeo, pactiones illas esse pecuniarias, ac proinde simoniacas contra jus divinum; dabit multos Garcias p. 11. de benefic. ca. 4. n. 57. ad secundum idem respondeo; nempe si de qualibet pactione non pecuniaria intelligas, illa propositio universalis falsa esset; quis enim nescit, circa spiritualia, modò spirituale detur pro spirituali, pactionem licitam iniri posse; sic possum cum alio ita convenire, ut ille pro me tot rosaria recitet; ego pro illo tot sacra faciam; vel ut sacram pixidem det mihi, calicem à me accepturus; igitur ut illa propositio universalis, *omnis pactio in spiritualibus est illicita, vel simoniaca*, vera censeatur, de pactionibus pecuniariis, vel æquivalentibus, in quibus spirituale datur pro temporali, intelligenda est, ad tertium Resp. 1. illam pactionem esse simoniacam contra jus ecclesiasticum, quia scilicet ipso jure prohibetur; duo porro sunt ipso jure prohibita, permutatio scilicet beneficiorum, & prævia pactio de tali permutatione; ac proinde in d. cap. *quæsitum* hoc ipsum insinuatur; cum in eo hujusmodi permutationes prohibeantur, etiam si sine prævia pactione fiant; potiori tamen jure, si pactio, vel conventio præmittatur; ita Gibal. num. 5. ex Suar. de simon. cap. 31. num. 3. & 9. Resp 2. cum quibusdam aliis. Resp. 2. pactionem illam, aliquid temporale includere, ad compensationem & adæquationem unius beneficii, cum alioquin illa clausula superflua esset; cum permutatio fieri non possit sine mutuo consensu explicato, & significato permutantium; igitur nec sine pactione; & miror, aliquos autores permutationem admittere sine ulla pactione; hinc satis prudenter Suarez, dum hoc insinuat, addit particulam *fortasse*; at si pactio illa aliquid temporale importet, haud dubiè est contra jus divinum; utramvis ex his responsionibus accipe; nam perinde est; cum utraque faciat satis; aut certe si mavis, utramque.

11. PITHANOPH. Rectè omninò; sed habeo alia, quæ oponam; 1. qui permutat rem spiritualem cum spirituali, non dat illam gratis, contra præceptum, Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date*; 2. Quisquis permutat, habere dominium rei permutatæ sibi videtur; igitur erga illam irreverenter se agit; 3. ex illo pacto oritur obligatio, quæ est quid temporale & naturale; igitur datur semper spirituale pro temporali; 4. sic posset, seclusa lege positiva, dari calix pro beneficio.

12. ANTIM. Hæc solvuntur facilè; 1. quidem; quia nihil obstat, dari gratiam pro gratia; unde illud *gratis date*, idem est, ac sive pretio pecuniæ, saltem æquivalenter; nam pecuniæ pretium totum id importat, quod pretio temporali æstimatur: 2. verò, quia nihil obstat, dominium rei spiritualis esse penes aliquem; v. g. dominium calicis; reliquiarum; immo, idque potissimum, actionum supernaturalium; deinde, esto, non habeat dominium Homo rei spiritualis, cum possit illam dare, sine irreverentia, cur eam sine irreverentia, cum alia æquè spirituali permutare non poterit? 3. etiam, quia licèt ex pactione oriatur obligatio, non tamen res spiritualis datur pro illa obligatione, sed pro alia re spirituali, ad quam est obligatio. 4. est paulò difficilius, pro quo aliqui distinguunt spiritualia, quæ habent temporalia annexa in tres classes; prima est eorum, quæ habent annexum aliquid temporale antecedenter; secunda, concomitanter, tertia, consequenter; frustra hæc tibi explicarem, qui doctus es in Israel, præsertim cùm valde trita sint.

13. PITHAN. Ita prorsus, omnino trita sunt; temporale antecedenter annexum dicitur, cum præsupponitur quasi causa, vel subjectum, vel materia, cui forma illa spiritualis advenit; sic calix quasi recipit consecrationem; cera, aqua, vestes, benedictionem; numismata, rosaria indulgentiam; quamquam in his, spirituale annexum potiùs temporali dicendum est, quàm temporale spirituali; annexum verò concomitanter est, quo cum aliquo sacro ministerio ita conjungitur, ut illius quasi comes sit proprietas; sic labor, quem in obeundo aliquo ministerio sacro, minister sentit, item incommodum, damnum, &c. est quid temporale spirituali concomitanter annexum; annexum denique consequenter, illud esse dicimus, quod ut effectus ex causa, ex spirituali consequitur; ut præbenda ex officio ecclesiastico, vel titulo.

14. ANTIM. Hæc optimè distinxisti; jam verò responsionem ad quartam objectionem subnecto, ac dico, non posse commutari spirituale in quidpiam vendibile; sed calix est vendibilis, non verò beneficium; igitur vendibile in vendibile commutari potest; item beneficium in beneficium; quia utrique annexum est temporale consequenter; non tamen ex spirituale in beneficium; quia cum beneficium dicat aliquid temporale, hoc in merè spirituale commutari non potest.

15. PITHANOP. Intelligo; sed dubito an tibi omnes concessuri sint, spiritualia, quibus aliquid temporale annexum est, vendi posse; cum præsertim.

16. ANTIM. Vulgò addatur præmissæ definitioni hæc clausula, *vel spirituali annexum*; igitur nec spirituale, nec spirituali annexum vendi potest sine simonia.

17. ANTIM. Non omittam, crede mihi, hujus clausulæ examen & discussionem; sed quæso absolvamus priùs examen jam inchoatum alterius clausulæ, quam inferendam esse significavi, scilicet *pro temporali*; ut igitur institutæ dissertatio rectè procedat, absit ab nobis illam ab alia quæstione, utrum scilicet illud annexum spirituali vendi possit, & quamea responsio huic instantiæ occasionem dedit, suppone si vis, aliam, scilicet merè spirituale commutari posse in aliud merè spirituale; non tamen illud, cui temporale annexum est; v. g. Missa in talicem consecratum commutari nequit; ne scilicet temporale detur pro spirituali; secus tamen spirituale, cui temporale annexum est, in aliud spirituale, cui temporale ejusdem generis est annexum; v. g. beneficium in beneficium; Calix in pixidem, vel reliquiarum thecam; numisma benedictum, in rosarium benedictum, modò nulla compensatio fieri videatur spiritualis per temporale, non tamen in spiritale, cui temporale diversi generis annexum est, v. g. calix in beneficium, quia saltem maxima esset suspicio, ne temporale pro spirituali daretur, nempe in calice aliisque similibus, spirituale annexum est tem-

et temporali ; quod præsupponitur ; ac proinde quando calix venditur, aut permutatur, temporale pretium vendi, aut permutari censetur ; cum tamen in beneficio, temporale spirituali annexum sit ; accedit etiam prabenda sacro officio, & titulo ; igitur quando beneficium permutatur, spirituale permutari censetur ; igitur si permutaretur calix in beneficium, temporale in spirituale permutari censeretur ; ma-gis igitur spirituale pro spirituali, secluſa lege positiva, percipi conditionibus dari posse ; sine simonia ; ac proinde hujusmodi permutationes non erunt ; ac proinde hujusmodi permutationes non efficimur acas contra jus divinum.

18. Pithanoph. Sed quid tandem ex his ? & quorsum hæc ?

19. Antim. Quorsum hæc ? ut constet, clausulam illam *pretio temporali* ; præmissæ definitioni addendam esse ; alioquin hujusmodi permutationes essent simoniacæ, quod tamen nemo concedat.

20. Pithanoph. Nonnulli facilè reponerent ; frivolum esse illam clausulam illam ; quia nulla est venditio sine pretio ; nullum pretium, nisi temporale ; cum ergo simonia dicat venditionem, saltem lato modo, dicit etiam pretium ; igitur aliquid temporale dicam pro spirituali.

21. Antim. Scio, multos putare nihil spirituale pretium esse, aut dici posse ; ut Gibalinus q. 13. n. 1. & q. 21. item Suar. c. 30. n. 4. ubi testatur, communem esse Doctorum ; alioquin committeretur simonia, inquiunt, quando spirituale pro spirituali datur ; hoc tamen constanter nego ; neque sic ratiocinandum esse putarem ; in permutatione spiritualis, pro spirituali, non committitur simonia ; secluſa scilicet lege positiva ; igitur res spiritualis pretium esse nequit ; nempe negatur consequentia ; igitur aliter ratiocinandum scilicet in hunc modum ; non committitur simonia ; in permutatione spiritualis pro spirituali ; igitur nunquam est simonia, nisi aliquid temporale intercedat ; quod pretii loco sit ; pretium autem lato modo intelligo ; ut enim simonia dicit venditionem lato modo acceptam, pro contractu quopiam non gratuito ; ita pretium lato modo dicitur omne, quod ex obligatione, vi pacti solvenda, pro qualibet alio accepto redditur ; obligatio autem ex pacto, justitiæ censetur. Itaque optime indicasti, clausulam illam præmissæ definitioni addendam ; est ergo simonia studiosa voluntas vendendi, aut emendi aliquid spirituale, *pretio temporali*, vel quod idem est, *pro temporali*.

22. Pithanoph. Nonnulli aliam clausulam intexunt, *vel temporale spirituali annexum* ; quid autem tibi censeas, ex te scire percupio.

23. Antim. Hæc clausula addenda esse non videtur ; alioquin multas tricas, & controversias pariet, nempe nemo negat, multa vendi posse temporalia spiritualibus annexa ; de annexis antecedenter, secluſa lege positiva, nulli fere dubium est, ut Gibalinus tenetur q. 11. & 12. ubi citat Ugolin. Laym. Sot. Cajetan. Durand. Paludan. Antonin. Sylvestr. Armil. quos fere omnes citat & sequitur Suar. cap. 2. dub. 2. num. 8. & in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. atque ita communiores sententiores ; nec enim calix v. g. suo valore prius per consecrationem ; nec etiam templum, aut vestes, aut numismata, aut sacræ vestes ; nec ex eo quod vendantur, sequitur, vendi spirituale, ut patet ; quod non plus vendantur, quam revera venderentur, si abesset consecratio : adde communem usum omnibus receptum, qui solus gravis, immo gravissimæ rationis loco est : igitur hæc clausula vel hoc nomine apponi non debet, quod aliquid temporale annexum spirituali sine simonia vendi possit.

24. Pithanoph. At sunt alia temporalia spiritualibus annexa, quæ sine simonia vendi non possunt ; annexa, inquam, tum concomitanter ; tum consequenter ; igitur hæc quoque præmissa definitione complecti debes ; igitur clausula inserenda.

25. Antim. Haud dubiè, secluſa etiam prædicta clausula, complector ; nempe temporale illud concomitanter annexum ; vel est de intrinseca ratione rei spiritualis, & proximè constituit rem ipsam spiritualem, quatenus elevatur ad esse illud supernaturale, ut ablutio in baptismo, prolatio verborum, motus corporis, vel alicujus membri necessarius ad ponendam formam, vel materiam Sacramenti ; item labor ad hunc finem necessarius ; ac proinde vendi non potest, nisi spirituale vendi dicatur ; immo in tantum baptismus v. g. venditur, in quantum venditur totum illud morale, conflatum ex materia proxima & forma, id est ex ablutione & verbis ; igitur eo ipso quod venditur ablutio, venditur pars Sacramenti, elevata scilicet ad esse Sacramenti, quod est supernaturale ; igitur quando dico, non posse vendi spirituale, intelligo etiam de baptismo, deque baptismi partibus ; item de labore, qui cum actione sacra & spirituali intrinsecè & ex natura sua conjunctus est ; v. g. in sacrificando, baptisando, excipiendis confessionibus, recitandis horis ; nempe hic labor est ipsamet actio, vel influxus, seu nisus potentiæ in actionem illam externam ; igitur aliquid sacrum esse censetur ; ita Gibalin. q. 10. n. 2. ubi citat Durand. Palud. Altisiodoren. Panorm. Innoc. Hostiens. D. Th. Aragon. Sot. Cajet. Sylvestr. Victor. Guttierr. Rodrig. Valent. Sanch. Laym. Less. Villalob. Castr. Pal. Lugo, Filliuc. Reginald. Navarr. Bonacin. Binsfeld. Suar. c. 21. qui præter horum partem, citat Gabriel. Abulens. Ancharan. Abbat. Zabarell. Joan. Andr. adde alios recentiores. Ratio tamen satis difficilis est ; quam quam opinor facilem esse putas.

26. Pithanoph. Facilis est haud dubiè ; quia quisquis vendit unum, quod sine altero haberi nequit, hoc ipsum necessariò vendit ; atqui materiale, quod est annexum concomitanter spirituali ; sine hoc haberi non potest ; igitur nec vendi.

27. Antim. Idem prorsus de agno cereo, nisi forte, immo & calice, quamdiu integer manet ; quis enim calicem accipiat, nisi etiam consecrationem, vel consecratum calicem obtineat ; ut autem ablutio & verba per rationem Sacramenti advenientem elevantur ad esse Sacramenti ; ita & calix per consecrationem advenientem, ad esse vasis sacri ; & cereus, rei sacræ ; atque ita de reliquis ; quod autem ratio illa, seu forma moralis adveniat subjecto jam ante præexistenti, vel tunc primùm producto ; nihil facit ad rem ; igitur illa fortè ratio tanti roboris non est, quanti esse putabas.

28. Pithanoph. Non video, quænam alia ratio afferri possit, ac proinde valde inclinarem in sententiam illorum canonistarum, qui volebant, temporalia antecedenter etiam spiritualibus annexa vendi non posse ; aut certè in sententiam antiquorum Theologorum, qui dixerunt, annexa etiam concomitanter vendi posse ; ratione laboris & operæ.

29. Antim. Neutrum sanè dicendum est ; non primùm, propter communem usum ; non secundum, propter rationem afferendam ; quia scilicet nullius prorsus valoris est temporale illud spirituali concomitanter annexum, nisi ratione spiritualis, cui annectitur ;

ctitur; v.g. ablutio in baptismo, talis vel talis verborum formula, in absolutione, benedictione, labor ipsius sacri ministerii, cum ipso scilicet intime conjunctus; cuncta hæc nihili fierent, nisi cum re spirituali conjuncta essent; atqui nihil venditur, quod alicujus valoris non sit ac pretio æstimabile; igitur cum annexum concomitanter spirituali non æstimetur, nisi ratione spiritualis, cui annectitur, & totum suum valorem ab eo ducat, non venditur, nisi ratione ejusdem; id est, ut clariùs dicam, solum spirituale venditur, & ratione illius, temporale annexum.

30. PITHANOPH. An fortè negabis, laborem quemdam extrinsecum & per accidens annexum sacro ministerio vendi posse; v.g. si quis, ut tibi morem gereret, sese obligaret ad longum iter faciendum, ut faceret rem sacram in sacello remoto; vel ad expectandum per aliquot horas; item si quis sine maximo incommodo rem sacram facere non posset, &c.

31. ANTIM. Labor ille est omnino extrinsecus, ac proinde cum ad sacram ipsam actionem intrinsecè non pertineat, est quid merè temporale; igitur vendi potest, ita Gibal. n. 3. pro quo citat autores supra laudatos; nec enim ullam hic labor spiritualitatem accipit ex illa connexione; cum sit aliquid remotum, cujus æstimabilitas ab æstimabilitate sacri ministerii omnino distinguitur; secus tamen dicendum esse puto, quoties ex prava dispositione ministri, major labor & major difficultas sacri ministerii sequitur; ita Suar. c. 21. n. 11. Filliuc. tract. 4. c. 4. n. 45. contra Bonacin. & alios; quia hic labor est omnino intrinsecus & proximè connexus cum sacro ministerio; & hoc est contra usum Ecclesiæ; quis enim unquam vidit, vel audivit, laborem illum intrinsecum emi aut vendi? De cantu & musica dubitari posset; sed cum sit merum ornamentum, quod divinis officiis inducitur, est quid omnino extrinsecum & accidentarium, ac proinde vendi potest; ita Gibal. q. 10. n. 1. ubi citat Suar. Less. Valent. Sanch Bonacin.

32. PITHANOPH. Sed quid censes de cantu Gregoriano; nempe illi etiam cantores, qui hunc cantum adhibent, accipiunt mercedem sui cantus.

33. ANTIM. Non est dubium, quin actio illa sit sacra; sunt enim etiam sacri cantus; igitur vendi non possunt; dicendum est igitur, solitum Capellanorum stipendium censendum esse; ut enim Sacerdotes pro missa, ita pro recitandis & cantandis horis stipendium accipiunt; sed non titulo pretii, de quo aliàs.

34. PITHANOPH. Eadem est aliorum cantorum ratio, nec ulla est disparitas.

35. ANTIM. Si cantus omnino sacer est, sic cantatur missa, divinum officium, non video, quomodò hæc vendi possint, nec etiam video, quid absurdi sit, si dicamus, iisdem quoque stipendium solvi, ut aliis sacris cantoribus, qui cantum Gregorianum adhibent; constat igitur, prædictam clausulam, de qua disputamus, præmissæ definitioni inserendam non esse, propter temporale spirituali concomitanter annexum.

36. PITHANOPH. Hæc libenter concesserim, secus tamen si de temporali consequenter annexo agatur; cur enim jus illud percipiendi reditum temporalem beneficii vendi non potest sine simonia, nisi simonia sit, vendere hoc temporale spirituali annexum? quomodò verò simonia erit, nisi ex definitione simoniæ constet? hoc autem non constat, nisi hæc clausula inseratur, ac proinde à multis prudenter apponitur.

37. ANTIM. In beneficio duo sunt, alterum spirituale, temporale alterum; temporale est præbenda ipsa, & jus percipiendi reditū annuum; spirituale in beneficio simplici est obligatio hominis sacri ad divinum officium, & hic est titulus, unde ortumducit jus illud percipiendi temporalia; in aliis beneficiis, præter prædictam obligationem ad divinum officium, est etiam obligatio ad alias functiones sacri ministerii, ac proinde est jus, seu potestas illas exercendi, v.g. pascendi gregem, administrandi Sacramenta, &c. jus porro illud percipiendi temporalia ita spirituali titulo innititur, & ab eo ita dependet, ut sine illo nullo modo esse possit, quamdiu scilicet hæc temporalia à beneficio non abstrahuntur ab autoritatem habente.

38. PITHANOPH. Rectè; sed cur non possum vendere temporale beneficii & dare spirituale, sicut vendo materiale agni cerei, & de gratuitò benedictionem, quæ in est; idem de calice, de templo, de sacris vestibus dictum sit.

39. ANTIM. Suggero rationem meo judicio non contemnendam; si enim das spirituale beneficiale proinde titulum, das consequenter jus ad temporale, quod prædicto titulo innititur; sic qui dat primogeniturам, dat jus quod illa importat; qui dat fundum, dat jus ad ea, quæ in fundo sunt; qui vendit solum, vendit arbores soli; qui dat arborem, dat fructum arboris; igitur si das titulum, das præbendam; igitur præbendam vendere non potes; aut certè si vendis, titulum non das, sed vendis, quod simoniæ est.

40. PITHANOPH. Satis est, capio; possum vendere calicem v.g. quia temporalitas, ut sic loquar, calicis non fundatur in ipso spirituali, nec ex eo resultat; igitur possum illum vendere, præscindendo à lege prohibente; nec propterea spirituale annexum, id est, ipsa consecratio vendi dicitur; suppono enim, inde pretium non crescere, quod calix consecratus sit: at in beneficio, secus accidit; quia temporale illius, id est jus percipiendi reditus, fundatur in ipso titulo; igitur hic non potest ultro dari, nisi etiam illud gratis detur; igitur daretur, & non daretur; daretur quidem, quia dato titulo, datur illud, quod ex ipso necessariò sequitur tanquam proprietas ex essentia; non daretur verò, quia venditur.

41. ANTIM Adde (is, aliam partem; nec enim vendi potest jus ad temporale, scilicet præbenda, nisi titulus ipse, per quem constituitur, vendatur, nempe jus illud prædicto titulo innititur, quamdiu manet præbenda beneficii; quemadmodùm igitur, qui dat jus absolutum, liberum, plenum & minimè ligatum, censetur dare omnes titulos, quibus jus illud constituitur, & sine quibus stare non potest; ita qui vendit jus illud, prædictos titulos vendere censendus est; ut enim se habet *dare*, ad *dare*; ita *vendere*, ad *vendere*; divinare non possum, utrùm hæc ratio tibi arrideat; mihi sanè rem conficere penitus videtur; quid sentias, liber audiam.

42. PITHANOPH. Anceps hæreo; hinc tua ratio, rem ita esse, mihi persuadet; quid enim opponam, non habeo; quisquis enim dat constitutivum, illud etiam dare censetur, quod per illud constituitur; & quisquis hoc vendit, illud etiam vendere censendus est; inde verò quædam exempla me movent, quorum usum Ecclesia permittit aliquando, atque concedit; nam opinor, ultro concedes, de licentia sedis Apostolicæ, temporale illud beneficii, præbendam illam, jus illud, de quo supra, vendi posse.

43. ANTIM. Ut res ista planior fiat, suppono, beneficium esse jus perpetuum ministrandi in Eccle-

sia,

...pro ministerio recipiendi fructus annuos ex ...Ecclesiasticis; distinguntur autem beneficia ...ecclesiastica, & administrationem habentia; hæc ve... ...multiplicis sunt generis; quædam habent jurisdictionem in foro etiam contentioso, alia tantùm in ...foro interno; alia nullam habent propriam jurisdictionem, sed administrationem aliquam rerum Ecclesiasticarum; alia denique ad serviendum dumtaxat divinis officiis instituta sunt; de his passim ...in jure, ut cap. *omnes* 22. cap. *nullus* 9. ...& toto titulo de præbend. constat autem, titulum beneficii esse merè spiritualem, & præcipuum illum constitutivum, ac proinde non nisi clerico conferendum; præbenda autem in se spectata est temporalis; quatenus verò est præbenda beneficii, & ...privilegio innititur, dicit aliquam spiritualitatē, ...quam observat Suar. cap. 24. n. 3. hinc vocatur ...spirituale, ut notat Panormit. in cap. *dilecto* de ...præbend. & Innocent. in cap. majoribus ibidem; his ...præmissis, certum est, primò, beneficia vendi non ...posse quoad ipsum, seu jus spirituale, sine simonia ...juri divino opposita; ac proinde esse intrinsecè ma... ...tenent omnes autores. certum est deinde, ...posse totum temporale, vel illius partem à ...spirituali; nemo enim negat, hanc potestatem Ecclesiæ esse; sic aliquando alienantur, ob justam ...causam de licentia Romani Pontificis, qui est supremus ...gubernator bonorum Ecclesiæ, eadem bona Ecclesiis, immo laicis donantur, si recta ratio id ...fieri postulet; & hoc teste Suar. num. 23. nemo negat.

44. Pithanoph. Cuncta hæc mihi comperta sunt; sed ad propositam controversiam non pertinent; nempe diximus, utrùm pars temporalis beneficii vendi possit, & simul alia spiritualis donari, cum scilicet utraque constet.

45. Antim. Si tantulum sustinuisses, hoc sanè minimè omisissem: jam tenes, ni fallor, duas esse celebriores super hac re opiniones; prima negat, hoc ...posse fieri, quia simonia juri divino opposita, ita ...docent Durand. Paludan. Richard. Major, S. Bonavent. Magist. S. Antonin. Sylvest. Cajetan. Sot. Vi... ...Covarr. Panorm. Innocent. quos citat Suar. c. ...num. 7. Less. cap. 35. n. 17. fatetur, esse communem Theologorum; secunda vult hanc venditionem non ...esse contra jus divinum, vel naturale, & est communis Canonistarum, ut testatur Suar. n. 12. ubi citat ...Dec. Anan. Cardin. Jul. Clar. Navarr. non nullos. ...Tenet secundæ sententiæ pro beneficiis solum ...simplicibus; sed cum omne beneficium dicat titulum ...spiritualem, eadem ratio pro omnibus militat, vel pro nullo. Suar. n. 25. & seq. utramque opinionem conciliare conatur, item Less. n. 18. & seq. & ...Gibal. q. 19. n. 2. qui pro prima sententia, ...quos appellatos supra, citat Arragon. Valent. & communiter Theologos, pro 2. verò præter jam ...citat. Gloss. Tusch. Garciam.

46. Pithanoph. Sed quid tandem tu? an fortè ...temperamentum illud admittes, quod ibidem Gi... ...explicat, & pro quo adducit Suar. Less. Laym. ...Coninck. Valent.

47. Antim. Facile crediderim, frustra esse illud temperamentum; nam prima sententia in rigore ...Logicæ verissima est, nec temperamento indiget. ...quæritur enim, utrùm beneficium vendibile sit ...ne præbendæ temporalis, ex qua constat; prima ...sententia negat absolutè; & hoc absolutè verum est; ...quæstio non procedit de jure illo ad proventus temporales separatos à titulo beneficii; quis enim negat, separati posse ab Ecclesia, atque ita separatum vendi; cum sit merè temporale; sed procedit de jure illo cum titulo spirituali connexo, & in eo fundato, atque ex illo suam vim ducente; & in hoc sensu dico, vendi non posse; alioquin simul venderetur titulus spiritualis, qui est vera proxima & adæquata illius causa, à qua totum illius esse dependet, tum in produci, tum in conservari; consule si vis rationem à nobis supra allatam: jam verò quod Gibalinus & prædicti Doctores ab eo laudati existiment, autores pro secunda sententia citatos nihil aliud voluisse, nisi jus ad temporales proventus separatum à titulo, vendi posse, idem etiam existimo.

48. Pithanoph. Hæc separatio dupliciter fieri potest. 1. realiter & actu, cum scilicet sine titulo beneficii, temporale donatur, alienatur, venditur, vel totum, vel pars, ut in pensionibus fieri solet, relicta administratione ipsi beneficiario, qui reverà est merus administrator illius partis bonorum, seu proventuum beneficii, qui pensionario competunt. 2. implicitè ac virtualiter, cum scilicet per eumdem actum confertur titulus alicui, separatur à titulo, temporale, & eidem vel donatur, vel venditur; quid amabò censes de utroque separationis modo?

49. Antim. De primo nulla est difficultas, nempe præter rationes, quæ vulgò afferuntur, quarum præcipuam istam esse, crediderim, quod scilicet Ecclesia plena facultate dispensandi bona Ecclesiastica pollent; & cum ipsa possit admittere, &, ut ita dicam, creare beneficium, quid mirum si destruere valeat; itaque præter rationes illas, quas passim autores congerunt, magnam vim facerem in ipso Ecclesiæ usu; sic Ecclesia, justus de causis, alienationem bonorum Ecclesiasticorum permittit, decimas Principibus concedit, annatas exigit, in quibus Duarenus lib. 6. de Sacr. myster. Ecclesiast. simoniam perperam agnoscit; sic demum beneficiario pensionem imponit, vel perpetuam, vel ad vitam pensionarii; nulla est igitur pro isto primo modo difficultas; pro secundo tamen maxima est, & diversi casus distinguendi esse videntur, ut tota res meliùs explanetur. 1. si totum temporale separatur à titulo in beneficiis simplicibus, destruitur beneficium, ac proinde dici non potest, quod vendatur. 2. in aliis beneficiis, quæ præter proventus temporales, multam jurisdictionem important, & multa privilegia, nominationum, collationum, &c. haud dubiè stante & manente titulo, vel jure ad prædicta spiritualia, sejungi potest temporale, id est, jus ad proventus, ac sejunctum vendi, sive eidem, cui confertur beneficium, sive alteri; si enim alteri, cur non eidem; sed in hoc casu, post venditionem, licèt illa duo jura eidem personæ insint, non tamen, ut ante, conjuncta sunt; nec temporale fundatur in spirituali, sed in contractu venditionis; hoc enim titulo legitimè obtinetur.

50. Pithanoph. Nunquid amabò dici non posset, ideo vendi, ne separetur à spirituali, vel ut separatum denuo uniatur; ac proinde pretium illud dari, ad hunc finem, ut scilicet Ecclesia ab ea separatione abstineat, vel jam facta separatione, unionem restituat.

51. Antim. Fuerunt haud dubiè, qui hæc dixerint, perperam tamen, meo judicio; quia tunc venderet Ecclesia usum supremæ illius & spiritualis potestatis, à qua habet, ut hujusmodi bona temporalia separare, unire, & variis modis dispensare possit; ita prudenter respondet Gibalin. q. 20. consect. 2. post

Suar.

Suar. num. 33. præterea, debet constare illam separationem factam fuisse; alioquin magnum scandalum inde sequeretur; quis enim non crederet, beneficium venditum fuisse; hoc ipsum etiam accideret, si facta expressa separatione per unum actum, per alium, jus illud ad temporales proventus venderetur eidem, cui confertur beneficium, ac denuo titulo spirituali uniretur, quis enim non diceret esse merum tegumentum, vel ut ajunt meram palliationem simoniæ, & hujusmodi actus ad speciem dumtaxat distingui, ac referri ad pretium ex beneficio referendum, quod sanè puritas Ecclesiæ non patitur, & ut ex Thom. Campegio Episcopo Feltrensi observat Gibalinus; facere beneficia Ecclesiastica vendibilia, inquit, est denigrare universalem statum Ecclesiæ: ex his autem infero, separationem illam virtualem & implicitam sufficientem causam non esse, ad hoc ut licitè jus illud temporale vendi possit; ac proinde realem & actualem requiri, cum scilicet agitur de separatione totius temporalis.

52. Pithanoph. Sed quid repones ad usum Ecclesiæ Romanæ, quæ vendit multa officia, cum jurisdictione spirituali conjuncta; v. g. Auditoris & Clerici Cameræ, Thesaurarii, Prothonotarii, &c. an fortè hæc venditio salvari potest, nisi ad prædictam separationem virtualem & implicitam recurratur?

53. Antim. Scio, nonnullis hanc instantiam difficilem visam fuisse; immo Suar. à num. 27. ad 31. ultro fatetur, hoc exemplo, cogi se, ad prædictam separationem virtualem admittendam; ut tamen ingenuè dicam quid sentio, hæc instantia facilè solvi potest; nam hæc officia tria complectuntur omnino disparata, quorum unum in alio non fundatur, est aliqua jurisdictio spiritualis, in foro scilicet contentioso; 2. jurisdictio temporalis; 3. jus percipiendi tales proventus: hoc posito, dico primò, hæc officia non esse beneficia, ut vel ipse Suar. fatetur num. 28. ac proinde etiam ab ipsis officialibus aliquando vendi: secundò quando venduntur à Principe, nullo modo venditur jurisdictio illa spiritualis, quam habent; alioquin esset mera simonia; Tertiò vendi posset jurisdictio illa temporalis, qua pollent, quæ nullo modo fundatur in spirituali, nec est aliquid ex eo consequens, sed vel merè disparatum, vel antecedens. Quartò potest vendi jus illud percipiendi tales proventus, sive fundetur in titulo illo jurisdictionis temporalis, quod tamen non crediderim, sive, quod verius puto, in censu quodam vitalitio implicito, cum tali officio conjuncto; ad quem verò finem, discutere non vacat, cum ad rem simoniæ non pertineat; porro in eo censu, emit à Principe officialis jus percipiendi, quamdiu vivet, tales proventus, quod non potest vendere, nisi de consensu Principis: frustra igitur ad separationem illam virtualem, in hoc casu, recurritur.

54. Pithanoph. Nihil clarius dici poterat; & facilè quivis Suarem excuset, cui, non constabat, ut ipse fatetur n. 29 utrùm illa officia jurisdictionem temporalem adjunctam haberent; sed quæso perge, ac recense alios casus.

55. Antim. Aliquando non totum temporale, sed pars dumtaxat separatur; v. g. pensio; in hoc casu, separatio illa implicita & virtualis locum habere videtur, si pensio illa alteri attribuatur, qui beneficio non gaudent; v. g. vacat beneficium quodliber, puta Canonicatus mille nummûm, Roman. Pontifex confert hoc beneficium Cajo, separatis tamen trecentis nummis annuis, solvendis Titio, dùm viver; simul autè permittere potest Cajo, ut redimat præsenti pecunia hanc obligationem, ac proinde integris reditibus suis gaudeat; nempe Titius jus acquirit ad illa trecenta scuta; quid ni ergo illud vendat Cajo, licèt enim hoc sit in ipso jure prohibitum; cum omnis pactio in re beneficiaria vetita sit, nullum tamen dubium est, quin Rom. Pontifex hanc licentiam concedere possit: itaque uno & eodem actu confertur beneficium, separatur pensio, & redimitur; & hæc est separatio virtualis, quam reverà nemo Catholicus improbet, factam scilicet auctoritate Papæ.

56. Pithanoph. At potestne separare illa trecenta scuta, sibi retinere, ac vendere jus illud, utis denuo, per eumdem actum beneficio iis 300 scutis.

57. Antim. Suarez citatus num. 25. probabiliter putat, posse Pontificem æstimare valorem pensionis, & eum simul accipere; nec enim est vendere beneficium, sed meram impositionem oneris temporalis simul cum illius redemptione conjunctam; nemo enim negat, Pontificem imponere posse pensionem beneficio; igitur & eam sibi reservare & applicare; præterea redimi pensionem impositam posse, velut communis Ecclesiæ docet, quem reverà nemo reperam damnet; quod autem per eumdem actum, virtute multiplicem imponatur & redimatur, legi tantùm humanæ repugnat, non divinæ; ac proinde ab illa summus Pontifex liberare potest: nec obstat, quod Pontifex nolit dare beneficium, nisi volenti statim redimere pensionem; quia non propterea venditur beneficium, sed gratis confertur, imposita tamen & redempta pensione; nec enim valet dare beneficium, nisi volenti acceptare impositionem pensionis, & redemptionem illius; sic possum nolo mutuare tibi triticum, nisi mihi mutues vinum, sine usura; quæ est concomitantia duorum actuum, quorum unus non est pretium alterius, juxta doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 78. a 2. ad 4.

58. Pithanoph. Mera collusio esse videtur; vel ut more vulgi loquar, mera palliatio simoniæ; nempe ne vendi beneficium dicatur, fingitur illa separatio pensionis.

59. Antim. Propterea Pontifex, ne aliquam occasionem scandali præbeat, hunc agendi modum hactenus minimè adhibuit; cum scilicet extra præcisiones mentis, à beneficii venditione, saltem palam & in opinione hominum vix differat; equidem pensionem beneficio imponere & sibimet applicare potest; immo, si beneficiarius ultro velit, illam redimere, nihil vetat, quin redimi possit; at cogere beneficiarium, ad redimendum, aliqua haud dubiè suspicio esse videtur; licèt enim, ut dixi supra, non sit pretium collati beneficii, quod datur gratis, sub onere pensionis, cum tamen dare non teneatur vult tantùm dare hac lege, ut unum onus in aliud commutetur; id est, onus solvendi pensionem, in onus redimendi; unde speculativè loquendo, inest aliqua probabilitatis; nollem tamen reduci ad praxim, propter scandalum & periculum simoniæ; ut enim Ecclesia vetuit, ne in resignatione beneficii sub pensione simul agatur de illa redimenda, licèt ultro petentes consentiant, propter simoniæ periculum, negat certè non potest, longè majus inesse periculum, si non modò agatur de illa pensione, in ipso collationis actu, sed etiam ad illam extinguendam beneficiarius obligetur.

60. Pithanoph. Unum occurrit, quod in hac difficul-

dissolleriderur; nam vel pensio est aliquid spirituale, vel aliquid temporale; si primum dixeris, emi non potest, igitur nec redimi; si verò est aliquid temporale, cur in ipso resignationis actu, sub onere pensionis, de illa extinguenda, paciscinon licet?

63. Antim. De hac re paciscì, prohibitum est lege positiva; quâ seclusâ, haud dubiè de pensione extinguenda agere liceret; nempe onus illud, quod beneficiario imponitur, solvendi pensionem, est mere temporale; cur ergo redimere non liceret? si verò liceret redimere, haud dubie licet agere, seu tractare de illo redimendo; igitur quod non liceat, in ipso scilicet actu resignationis, non ipsi rei, sed legi prohibenti tribuendum est; ratio porro hujus legis optima est; periculum scilicet, ne obtentu illo, simonia irrepat; igitur sive pensio sit aliquid spirituale, sive aliquid temporale, onus illud beneficiario impositum, temporale est, ac proinde pretio redimibile; licet aliquas pensiones esse merè temporales, alias verò spirituales; hæ certe vendi non possunt, cum dicti titulum spiritualem; tum ratione subjecti, quia clericis dantur, tum ratione officii Virginis Deiparæ, ad quod recitandum pensionarius tenetur; unde quando redimitur pensio à beneficiario, illam reverà non vendit pensionarius, nec emit beneficiarius, sed illam extinguit, ac sese liberat ab onere illo, eo modo, quo dixi in his, meo judicio, non est difficultas.

64. Pithanoph. Manifestum certè discrimen est; nempe is tantummodò, qui usuram accipit, peccat; non verò is, qui solvit; cum tamen in simonia secus accidat; in qua, uterque peccat, tum is, qui pretium solvit, tum is, qui rem spiritualem tradit: sed cur in his tamdiu? supponamus quæso definitionem; cur enim de nomine disputamus; nempe ut sæpe ac sæpius à te audivisse memini, definitiones tantùm nominis admittis.

65. Antim. Ita est; sed in re morali, illæ tantùm definitiones admittendæ sunt, quæ à sapientibus & prudentibus approbantur; quid autem simoniæ nomine prudentes intelligant, ex eorum responsis habemus; sive ergo dicamus, simoniam esse studiosam voluntatem vendendi, vel emendi rem spiritualem, pretio temporali, sive clausulam ultimam rescindamus; sive illud *emendi* omittatur, cum omnis venditio emptionem supponat; sive longè brevius dicamus esse venditionem rei sacræ; perinde est; cum enim rem ipsam intelligamus, de nominibus parum curandum est.

66. Pithanoph. Hæc definitio omnes simoniæ species non complectitur, illam scilicet quæ juri quidem Ecclesiastico, non tamen divino repugnat.

67. Antim. Simonia quæ juri dumtaxat Ecclesiastico adversatur, non est vera simonia; quia vera & propriè dicta simonia juri divino & naturali repugnat; sed est tantùm præsumpta; cum enim quædam sint, quæ ad simoniam facilè conducunt; ut omnis mali suspicio & omne periculum amoveatur, ab Ecclesia prohibentur, perinde atque si veram simoniam continerent; immo aliquando Ecclesia sub iisdem pœnis ea prohibet, quibus simoniaci subjiciuntur: cum igitur simonia juris tantummodò Ecclesiastici vera simonia non sit, parum mihi curandum fuit, ut definitio veræ simoniæ, illi etiam conveniret; nempe ut tute scis, ea tantùm eadem definitionis ratione complectimur, quorum eadem est ratio, in qua scilicet univocè, ut ajunt, convenire dicuntur; quis enim amabò analoga & æquivoca unica definitione comprehendat: hinc trita illa simoniæ distinctio in eam, quæ simonia est, quia prohibita; & eam, quæ prohibita, quia simonia; nulla autem prohibitio facere potest, ut aliquid sit illud, quod non est; si ergo aliquid ante prohibitionem simonia non est, reverà post prohibitionem, simonia non erit; nec enim Principum edicta & leges rerum naturas mutant, ut perspicuum est.

68. Pithanoph. Ita esse, mihi semper hucusque persuasum fuit, nec potui unquam satis intelligere, quid sibi vellent aliqui autores, magni alioquin nominis, qui simoniam, jure dumtaxat Ecclesiastico inductam, veram simoniam esse dixere; quamquam alii scriptores etiam doctissimi secus sentire videantur, nec illam habeant pro vera simonia.

69. Antim. Crede mihi, Pithanophile, hanc controversiam de mero nomine esse, ut bene observat Valentia, tom. 3. disp. 6. quæst. 15. p. 5. & post illum, Castropal. tract. 17. disp. 3. p. 2. n. 2. & Gibalin. q. 4. sect. 4. nihil enim aliud volunt autores illi, qui veram simoniam esse dicunt, nisi contractus ejusmodi contra prohibitionem Ecclesiæ factos, sacrilegos esse & irreligiosos, cum scilicet propter religionem, ad arcendum simoniæ periculum, prohibeantur; & hoc unum probant illorum argumenta

contra

contra Durandum, qui vult, esse tantùm peccatum inobedientiæ, in quo ni failor, Durandus hallucinatur; cum certum sit, actum, alioquin indifferentem, per legem prohibitum, ex motivo alicujus virtutis aut vitii, in ejusdem specie constitui; cum igitur Ecclesia nonnullos actus prohibeat, ad vitandam simoniæ labem, ex motivo religionis & reverentiæ erga res sacras, quid mirum, si cum simonia aliquam similitudinem habeant, scilicet in ratione sacrilegii & irreligiositatis; nihil autem aliud evincunt illorum rationes, qui veram simoniam esse dixerunt, ut Suarez cap. 7. ubi citat Gloss. & Victoriam, his adde Sanch. lib. 3. consil. cap. 3. dub. 2. Gordon. lib. 8. q. 7 c. 2. n. 4. Lessium lib. 2. c. 35. dub. 4. n. 25. Bonacin. de Sim. q. 2. n. 7. Villalob. tom. 2. tract. 37. difficult. 2. sed profectò vera simonia non est, ut docent Man. Rodrig. tom. 2. sum. cap. 58. num. 2. & 3. Soto de Just. l. 9. q. 5. a. 2. & 3. Valent. cit. q. 16. p. 5. Beinsfeld. in rubr. de Sim. notab. 12. con. 3. & 5. Laym. lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 6. num. 66. Gibalin. q. 4. consect. 4. n. 3. Petrus Navarr. l. 2. c. 2. n. 436. Aragon. 2. 2. q. 100. a. 1. nec refragatur Lessius num. 29. immo, ut dixi, quæstio de nomine esse videtur; cum enim propriæ simoniæ ratio in venditione rei sacræ posita sit, ubi non est ejusmodi venditio, vera & propria simonia non est; nec quidquam vetat, aliquem actum religioni adversari, licet ad veræ simoniæ speciem non reducatur.

70. Pithanoph. Sacri canones simoniam vocant omnem pactionem circa beneficia, sive de iis permutandis, sive de vendendo temporali annexo; item venditionem quorumdam officiorum, v. g. œconomi, sacristæ, &c. de quibus c. *Salvator* 1. q. 3.

71. Ita est; simoniam vocant, non tamen veram & propriam; quamquam venditionem beneficiorum, veram simoniam esse, omnino existimo, ut jam supra ostensum est; idem de aliis officiis dicendum est, quæ spiritualem functionem habent, & in laicum cadere non possunt; fundantur enim in titulo spirituali, ut beneficia; ac proinde eadem ratio pro utrisque militat: quod verò spectat ad illa, quæ functionem merè temporalem habent, & à laico exerceri possunt, licèt ea vendere jura prohibeant, eorumque venditionem simoniacam vocent, non tamen est propria simonia, ut docent Innocent. in cap 1. *ne prælat. vices suas* Archidiac. in cap. 1. q. 3. Turrecrem. in cap *Salvator* num. 11. Sylvest. verb. *Simon.* q. 13. Ugolin. tabul. 1. cap. 48. §. 7. num. 3. Sotus lib. 9 q. 5. a. 2. nec est, quod citetur Cajet. verb. *Simonia* reg. 3. pro adversa parte, ubi tantùm dicit, jure parendum esse: permutatio demum beneficiorum ipso jure prohibetur, à quo si rem abstrahas, illicita non est; hinc de licentia Roman. Pontificis, vel Episcopi beneficia permutantur; illa igitur permutatio veram simoniam non continet; in hac enim temporale pro spirituali datur; in illa vero spirituale pro spirituali.

72. Pithanoph. P. Suarez cap. 3. n. 11. ni fallor, iis quæ à te asserta sunt, adversatur, vult enim simoniam nihil esse aliud, nisi quamdam irreligiositatem circa res sacras, vel sacrilegium commissum, per iniquam negotiationem circa illas, at suppositâ prohibitione Ecclesiæ cap. *cum olim* & cap. *quæsitum* de rerum permutat. prædicta permutatio est quædam irreligiositas, & sacrilegium per iniquam negotiationem commissum.

73. Antim.. Concedo ultro, esse quamdam irreligiositatem, ut rectè ostendit Suarez cap. 8. non tamen inde rectè concluditur, esse veram simoniam, in qua scilicet ratio pretii temporalis intercedit.

74. Pithanoph. In permutatione beneficiorum pretium temporale non deest, nullum enim est beneficium sine suo temporali; immo, saltem ut plurimùm, ratione temporalis fit permutatio, ac proinde hæc prohibetur, quia temporale illud est sufficiens pretium ad simoniam constituendam; & hoc est, ni fallor, potissimum Suaris argumentum.

75. Antim. Cuncta hæc à doctissimo viro asserta, suo modo concedi possunt, ita ut & sit aliqua species pretii temporalis, ac proinde simoniæ, non tamen veræ & propriæ; nempe permutantur vera & propriè beneficia, id est tituli, ex quibus jus præbendam consequitur; igitur permutatur aliquid spirituale; & sicut vendi aliquid spirituale dicitur, quando venditur beneficium, ita & permutari aliquid spirituale, quando permutatur; præterea esto dicamus permutari etiam temporale; quid tum; permutatur enim spirituale unius beneficii cum spirituali alterius, & temporale cum temporali; vera igitur simonia non est; ad id, quod dicebas, omnem iniquam negotiationem circa res sacras, esse veram simoniam, pauci erunt, qui tibi concedent; nempe illa tantùm negotiatio circa res sacras vera simoniæ labem continet, quæ venditionem & pretium temporale importat.

76. Pithanoph. Hæc præcipua & quasi palmaris est hujus materiæ difficultas, utrum scilicet vera simoniæ rationem pretii temporalis dicat, quod revera paulò diligentiùs discutiendum relinquo; illud autem pretium est, quod pecunia æstimari potest; scio Gibalinum hoc munere jam probè defunctum esse, quæst. 2. immo in id potissimùm incubuisse, quasi is primarius esset scribendi de hoc argumento honis; jucundum tamen accidet, illius vestigia relegere, & modico saltem spicilegio copiosam illam colligere messem.

77. Antim. Per me licet; nam res forte per se satis implicata, familiari colloquio mitescens, prior & explicatior evadet: tres sunt, inquit Gibalinus, super hac controversia, sententiæ; prima negat, quidquam dari posse pro re sacra, quotcumque fiue, vel motivo id fiat, sine simoniæ nota; altoquin, si aliqua motivi ratio à simoniæ labe liberat, non difficile erit, omnem abigere simoniam; quis enim, nisi bardus & stolidus, motivum illud, quod simoniæ immune est, sibi proponere non posset? secunda statuit, admitti dumtaxat simoniam, quando vel temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali tanquam propter finem principalem datur; sic multa simoniæ labi eximunt, licèt aliquid temporale detur pro spirituali, ut stipendium pro missa, distributio pro canonicis horis, &c. quæ non dantur propter finem principalem: tertia denique veram simoniæ rationem collocat in venditione spiritualis pro temporali, ea ut temporale illud detur ut pretium, sive explicitè, sive implicitè id fiat; in hoc enim venditio absoluta permutationibus discrepat, quod pretium semper importet.

78. Pithanoph. Prima sententia sustineri non potest, cum & communi omnium Theologorum menti, & recepto Ecclesiæ usui omnino repugnet; nemo enim nescit, stipendia à Sacerdotibus, distributiones à Canonicis, aliaque hujusmodi pro rebus sacris & spiritualibus vulgò & licitè accipi, sine ullo simoniæ vitio; igitur sub aliquo motivo, quod simo-

niam

nem eundit, accipi poteſt aliquid temporale pro ſpirituali; igitur prima illa ſententia ſuſtineri neutiquam poteſt, cùm nihil obſtet ratio allata niſi ad ſpeciem; quaſi quæ nec obſtat

sub peccato mortali obligat; secus tamen obligatio justitiæ, nisi materiæ levitas obstet. Itaque res illa, quatenùs gratuitò & ex mera liberalitate donatur, fundat talem respectum, ex quo resultat in Cajo larga illa obligatio grati animi: at verò si res eadem non donetur gratuitò, sed vendatur, fundat talem respectum, ex quo resultat stricta obligatio refundendi pretium rem ipsam adæquans; igitur res illa, prout subest prædicto respectui adæquabilitatis, parit strictam illam obligationem justitiæ; prout verò subest respectui meri & gratuiti beneficii, parit aliam minùs strictam gratitudinis; huic autem, vel illi respectui subest, pro diversa voluntate illius, qui rem illam donat, vel tradit: hæc ni fallor, satis perspicua sunt.

86. PITHAN. Hæc voluntas, ni fallor, ut illum effectum moralem consequatur, aliquo externo signo exprimenda est & aperienda; alioquin perinde se habet, atque si non esset, in ordine ad prudentum judicium, quod tamen in moralibus maximi momenti est; nam illo quasi obstetricante, entia moralia resultant.

87. ANTIM. Ita prorsus est, ens morale resultare dicitur, sicut relatio; est enim quædam æquivalentia, quoddam, ut sic loquar, perinde valere; quia in ordine ad rectam prudentum existimationem, perinde se habet, atque si esset verum ens physicum; ut autem relatio supponit fundamentum & terminum, quibus positis, illico resultat; ita ens morale supponit fundamentum in re; v.g. tale pactum, id est, mutuus consensus utrimque manifestatus & acceptatus, quo alter emit, alter vendit, est fundamentum sufficiens, in ordine ad prudentum existimationem, ex quo resultet jus in emente, & obligatio refundendi pretium, quod rem venditam adæquet; hinc etiam ex tali voluntate, seu pacto, resultat respectus ille adæquabilitatis, cui res vendita subest, & quo pretium adæquans respicit; hic autem respectus est aliquid morale, ut patet: si verò adesset voluntas donandi rem ipsam gratuitò, resultaret alter respectus meri ac liberi beneficii, ad obligationem gratitudinis in accipiente; sed hæc sunt perspicua: maneat igitur, gratuitam donationem simoniæ vitio non laborare, cùm rationem pretii omnino excludat; ut constat ex c. *Sicut Episcopum*, 1. q. 2. & ex Canonistis, qui in d. c. scripserunt; simoniæ, inquam, juri divino repugnantis; cùm alioquin fieri possit, ut lege Principis, ob honestum finem lata prohibeatur.

88. PITHAN. Si donatio antidoralis vel gratuita ex mero gratitudinis motivo facta, simoniæ labem non timet, cur quæso de illa pactum inire non possumus; nempe illa, quæ rectè & honestè fieri possunt, in pactum licitè & honestè deducuntur; quid ni enim ad id me adstringam & obligem, quod licitè facere valeo?

ANTIM. Erit fortè, qui dicat, omne pactum in materia beneficiali, lege positiva vetitum esse, cap. *Tua nos*, de simonia; c. *præterea*, de transactionibus; cap. *cùm olim*, de rerum permutat. cap. *quæsitum*, &c. videre poteris Barbos. in c. *sicut Episcopum*, 1. q. 2. ubi multos in hanc rem citat; sed hæc responsio tuo postulato non facit satis, præscindis enim legem omnem positivam, & quæris ex me, utrùm pacisci quis possit, de gratuita donatione temporali, pro spirituali accipienda; nonnulli autores, ut Covarr. Valent. Cajetan. ejusmodi pactum admittunt, illudque ab omni simoniæ labe liberant; cùm nulla insit venditio spiritualis pro temporali; cur enim, inquiunt, non liceat pacisci, de implenda illa obligatione, ad quam quis naturaliter tenetur? præsertim cùm hujus obligationis impletio, ut pretium non exigatur; nulla autem sine pretio venditio, nec simonia: hæc tamen opinio ab aliis communiter rejicitur, nec desunt ii, qui graviore nota eam configant, ex qua scilicet mira inquiunt, rerum confusio sequeretur; quis enim non dicat, se pacisci de antidoro, non de pretio? quid facilius, quàm vel unicum mutare nomen, re semper eadem retentâ? & verò, si hæc opinio aliquem locum haberet, non ab re casuistis Recentiores quidam opponerent, ab iis omnem simoniam è medio sublatam fuisse, aut saltem stolidis dumtaxat relictam; nemo enim nisi stultus dicere nequeat, cede mihi tuum beneficium, & promitto tibi mille nummos pro antidoro.

89. PITHANOPH. Undique angustiæ mihi ostendi videntur; nempe inde naturæ lumine notum esse videtur, de eo pactum iniri posse, quod honestum & licitum est; cùm igitur grati animi testificatio licita sit, & virtutis actus, cur in pactum deduci nequeat, difficile dictu est; inde verò merum simoniæ involucrum esse video; quid enim facilius, quàm mutare nomen pretii in nomen antidori? quo mutato, omnis simoniæ suspicio evanescit.

90. *ANTIM.* Gibalin. quæst. 18. consectar. 3. n. 5. hoc diffidium componere sibi videtur; agnoscit enim duplicem obligationem, alteram meræ gratitudinis, de qua supra, & quam beneficio effectus contrahit, natam scilicet, vel resultantem ex ipsa beneficii gratuiti natura; alteram verò justitiæ ab eo, qui confert beneficium, impositam scilicet, inito pacto; si ergo in pacto exprimatur, nullam aliam obligationem adjici, præter eam, quæ ad meram gratitudinem obligat, tuncait, licitè pactum iniri; secus tamen, si novus obligationis titulus ex illo pacto resultet; ratio est, inquit, quia hæc naturalis obligatio, secluso pacto, nullam simoniam nec admittit; sed pactum nullam aliam affert obligationem, nullam igitur simoniam, quia pactum materiam actuum non mutat.

91. *PITHAN.* Hæc sanè non modò hanc difficultatem non expediunt, sed novam adjiciunt; nam vel pactum aliquid operatur, vel nihil; hoc secundum dici non potest; quia in terminis repugnat, alioquin pactum non esset; primum igitur dicendum est, nihil porrò pactum producit, nisi novum titulum obligationis; quisquis ergo pacisci tur de antidoro novum titulum obligationi naturali adjicit; proinde si deinde illam non impleat, erit quare is, qui beneficium contulit, de illo duplici nomine conqueratur; primò scilicet, de ingratitudine; secundò verò de infidelitate, immo de injustitia, cùm pacto non steterit; clarissimam analogiam habemus in eo, qui voto se obstringit ad aliquid, ad quod jam aliunde tenetur; v. g. ad servandam castitatem, donec uxorem ducat; hic enim si deindè delinquat, duplicis noxæ reus est, scilicet contra castitatem, & votum.

92. *ANTIM.* Sed inquiunt, in eo pacto, omnem aliam obligationem excludit, idque expressè; pactum igitur novam minimè adjicit.

93. PITHAN. Omnem aliam ex parte objecti facilè concesserim, non tamen ex parte pacti, quod ex natura sua & essentia obligationem affert; quisquis enim pacisci tur & promittit, se obligat; & dum dicit, promitto,

promitto, perinde est, atque si diceret, me *obligo*; si ego opponat conditionem obligationis exclusivam, perinde est, atque si diceret, me obligo, & non me obligo; viden repugnantiam?

ANTIM. Optimè sanè, sed remota promissione, adhuc propositum damnabis, quod nullam obligationem importat; ut si quis dicat, volo esse gratus, & mihi conferas tale beneficium, non tamen ad eundem me obligo.

96. PITHANOPH. Casum & quæstionem mutas, nec enim pactum, de quo potissimùm agebatur, ex quo ea sequebatur obligatio; non tamen propterea quidquid inerat scrupuli, aufers; illa enim intentionis voluntatis expressio & significatio aliquo modo hominem obligat, saltem judicio prudentum, ad id, quod facere proposuerat; nisi enim verba dicta fictio conficiant, inde mendax reputatur, & vitio vertitur, proposito temerè, & sine ratione non stare.

ANTIM. Quæ à me dicta sunt hactenus, eò spectabant, ut mentem tuam explorarem, cùm alioquin omne pactum ad aridotum, sive expressum, sive tacitum, simoniam inducat, quia novam obligationem semper inducit, vel ex justitia, vel ex fidelitate, vel saltem naturalem illam, qua is, qui aliquid proposuit, & aliis propositum suum significavit, tenetur manere, aut saltem levioris ingenii vitium fugere; accedit, quod ex prædicto illo pacto, vel proposito significato, quod est ad instar pacti cujusdam tacitι, vel ut vocant, paliati, is, qui confert beneficium, novum incentivum temporalis spei acquirit; immò ac in accipiente, resultare censetur nova obligatio reflandendi, ita conferente, nova ratio, novus titulus exigendi; igitur collatio non est merè gratuita, *sed cum pacto*, vel quasi pacto oneroso, refundendi scilicet antedorum temporale; igitur cum simonia, vel saltem cum simoniæ suspicione conjuncta: itaque ut non est per se malum, conferre beneficium spirituale ex gratitudine, pro temporali priùs accepto, aut vicissim, modò nullum pactum, vel expressum, vel tacitum, vel formale, vel virtuale, seu implicitum intercedat; nam leges Ecclesiæ quodlibet pactum genus prohibent in re beneficiali, c. *præterea*, de constitutionibus, cap. *cum olim*, de rerum permutat. cap. *fin.* tum, uno verbo tituli de simon. de rer. permutat. de concess. præbend. nihil aliud magis inculcant: hoc etiam fusè Barbosa, in c. *sicut Episcopum*, [illegible] ubi multos citat; nil hoc in pactum deducere, [illegible] quam conditionem apponere, simoniæ saltem suspicionem conciliat; ita malim cum Suarez, & iis, quos citat cap. 45. sentire, quàm cum aliis, qui rem variis diverbis explicationibus mollire ac lenire conantur.

96. PITHANOPH. Gratissimum mihi accidit, quòd te tutum; timebam enim, ne in hac controversia ab antiquo rigore deflecteres, quem ad arcendam à materia beneficiali simoniam, necessarium esse judicarem, præsertim cùm initio eò te inclinare viderem.

ANTIM. Rigorem, meo saltem judicio, malè positum; nec enim rigidam sententiam esse puto; cùm enim ipsi autores, qui pactum illud, vel propositum mere liberalis donationis non damnent, fateantur tamen, maximum inesse hujusmodi pactionibus simoniæ periculum, & vix unquam esse absque prævaricatione justitiæ, vel fidelitatis, vel alterius virtutis, cum sint potiùs reciprocæ permutationes, quàm meræ donationes, quàm gratuitæ; ac proinde sententiam nunquam esse ad praxim reducendam; ego, quæso, ne putes, si dixero, prævias [illegible] quocumque tamdem nomine vocentur, simoniæ saltem suspicione non carere; quæ revera si carerent, tutò ad praxim reduci possent; licèt autem aliquid probabilitatis insit, illa tamen certa non est, sed valde crepera & dubia, quæ sanè ad conscientiam in tuto collocandam non sufficiat; hæc, ut dixi, hujus opinionis assertores ultrò fatentur, ut Gibalin. citatus num. 10.

97. PITHANOPH. Rectè mones, rigorem perperam vocavi, quamquam, ne quid tibi dissimulem, ad rigorem potiùs in hac materia propenderem, ut tandem aliquis modus ponatur, & simoniacorum licentia coërceatur, qui hoc præsertim tempore, mille artes excogitarunt, ad simoniam excusandam & palliandam; hanc vocem mihi dabis, quæ apud autores, qui de hoc argumento scripserunt, valde trita est.

98. ANTIM. Crede mihi, Pithanophile, nullus rigor ad hunc finem, quem tibi proponis, necessarius est, sed vera & germana rerum distinctio; quisquis à veritate deflectit, seu versùs rigorem, seu versùs molliorem sensum, seu versus utramque extremitatem, mihi placere non potest; nolim esse mollis, nec rigidus, sed verè & recti amans; ut nimiâ indulgentiâ frangendi non sunt fidelium animi, ita nec rigore terrendi; unum tamen observes, velim, quod risum potiùs, quàm stomachum tibi movebit; in quibusdam scilicet hominibus, qui cùm insolentem rigorem præseferre videantur, simoniam tamen apertam, eamque fœdissimam admittunt; si quis enim dixerit, illum simoniacum non esse, qui ita dispositus sit, ut nullo modo velit æquare spirituale temporali, nec credere, quidpiam temporale, pretium spiritualis esse posse, & rem spiritualem dederit, meræ gratitudinis causa, pro temporali accepta; aut vicissim, nullo tamen prævio pacto, ac præscindendo à legibus humanis; in eum illicò invehuntur, quasi blasphemiam aliquam, vel hæresim protulisset; cùm tamen ne minima quidem simoniæ umbra insit, ut docent omnes Theologi, post D. Thom. apud Suar. supra citatum.

99. PITHANOPH. Quisquis simoniæ factum illud innocentissimum damnat, virtutis actum, in vitium & crimen convertit; nec est, quòd dicat, ejusmodi compensationes temporales pro beneficiis jure canonico prohiberi; nam primò legem positivam prudenter excludis; secundò jura illa tantummodò compensationes prohibent, quæ pactione inter partes firmantur, non verò merè gratuitas, de quibus pacto conventum non fuit; v. g. Episcopus alicui opportunè sacros Ordines contulit, hic, grati animi ergo, equum Episcopo vult dono dare, Episcopus sine simonia, accipere poterit, cap. *Ersi quæstionis*, de simon. c. *Sicut Episcopum*, 1. q. 2. quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit; Innocent. Archidiacon. Hostiensis. Turrecremat. Hugo, Navarr. idem sentiunt, apud quos, & alios autores, multos alios casus invenio, in quibus spirituale pro temporali licitè datur, & vicissim, suppositâ scilicet compensatione merè gratuita, & nullo pacto prævio intercedente; exempli causa, si quis Advocatus gratuitam operam Episcopo præstitit, huic gratiam rependere poterit, collato beneficio ejusdem filio; modò recta utrimque sit intentio, & nullum pactum expressum, vel tacitum interveniat; ne autem unum, quod venit in mentem, excidat, ex te scire velim, utrùm Ecclesia prohibere possit, ne quid etiam gratuitò detur, pro re spirituali.

100. ANTIM. Sed quæso te, cur quæstionè à nostro argumento penitùs alienam interponis; scio, quid tibi velis; nonnemo tibi aurè vellicavit, quasi actu virtutis Ecclesia prohibere non possit; altioris indaginis

res est; certum tamen, ad arcendum alicujus mali periculum, multa prohiberi ab Ecclesia, quæ alioquin per se bona & sancta essent; sic prohibet laicis Communionem sub utraque; item, ne quis bis in die, vel non jejunus celebret, aut communicet; cur ergo ad removendum simoniæ periculum, quæ aliquando sub illa gratuitæ compensationis specie latet, pariter vetare non poterit, ne quid etiam gratuitum pro re spiritali detur? præsertim verò in materia beneficiali, quæ majorem suspicionem præbere videtur; hinc fortè si quis accepto beneficio, aliquid deinde temporale donet, in foro externo simonia censetur; præsumitur enim pactum prævium, saltem tacitum, idque faciliùs in hac materia beneficiali, quàm in qualibet alia spirituali: sed quid ad rem; ego enim legem positivam sepono, ac dico, per compensationem merè gratuitam, nullo prævio pacto, etiam tacito, simoniæ labem minimè induci, illius scilicet, quæ juri divino repugnat.

101. *PITHAN.* Ex his, quæ à te dicta sunt, duo colligere mihi videor, 1. damnandum esse omne pactum prævium in materia beneficiali, in quo detur temporale pro spirituali, etiamsi puræ gratitudinis obtentus intercedat; pactum, inquam, sive sit expressum, sive tacitum; 2. damnandam etiam esse compensationem temporalem, sine prævio facto, si fiat sub ratione pretii: at si is, qui accipit beneficium, nihil prorsus cogitet de ratione pretii, admittetne simoniam, si quid temporale rependat?

102. *ANTIM.* Suppono, actum illum externæ donationis humano modo fieri, ac proinde ab aliqua intentione interna prodire; hæc autem est vel expressa, & formalis, ut vocant, vel confusa & virtualis; ac proinde, licèt is, qui aliquid temporale rependit, accepto beneficio, nihil sibi cogitare videatur de motivo ejusmodi compensationis, cogitat tamen, sed minimè animum advertit, ac proinde si nihil prorsus de gratitudine cogitat, solo intuitu traditionis beneficii, rependere censendus est; sic qui emit aliquid, dat pretium, licèt expresè non cogitet de formalitate pretii; nempe ad simoniam omnino sufficit, ex Theologorum sententia, quod absque ullo respectu ad alium titulum, qui fundare possit justam pecuniæ acceptionem, detur aliquid temporale pretio æstimabile, solo intuitu, ut dixi, traditionis rei spiritualis, licèt ad formalitatem pretii non attendatur; nempe ex illo motivo agere homo censetur, quando nullum aliud motivum expressum est, ex quo, ut plurimùm, agit; sed ut plurimùm, in rerum permutatione, altera pretii loco est; igitur, si pro re accepta dat pecuniam, nec cogitat de gratitudine, vel alio quolibet motivo, seu titulo, ut pretium dare censetur, licèt de pretio expresè non cogitet.

103. PITHANOPH. Hoc sanè potissimùm locum habet in re beneficiali, nempe in aliis, res per se ipsa rationem pretii satis excludit, v. g. in re Missarum, quisquis pro Missa dat pecuniam, probè novit, non dari ut pretium Missæ; cùm enim ex Missa nullum commodum temporale reportet, illud temporale, quod ipse confert, ad aliud temporale non refertur, ac proinde non datur ut pretium; nam temporale temporali ut plurimùm homines metiuntur; at in materia beneficiali, is, qui dat pecuniam pro beneficio, non tantùm spirituale, verùm etiam temporale acquirit; sed temporale pro temporali datum, ut plurimùm, pretii loco est; igitur in hac materia, nisi aliud motivum expressum sit, quando pecunia, vel aliud temporale datur ab eo, qui beneficium Ecclesiasticum accepit, in ratione pretii dari censetur: sed quæso pergamus; vix aliquem esse puto, qui tibi non concedat, 1. in materia beneficiali pactum iniri non posse de compensatione temporali, etiam ex gratitudine, vel alio quolibet titulo. 2. accepto beneficio, nullo prævio pacto etiam tacito, secluſa lege positiva, aliquid temporale dari posse, ex motivo meræ gratitudinis, & viciſſim. 3. ubi aliud motivum expressum abest, & datur temporale, accepto beneficio, etiam sine pacto prævio, adesse rationem pretii, saltem reciti. 4. in re beneficiaria, admitti faciliùs simoniam, quàm in aliis rebus sacris, quando scilicet datur temporale pro spirituali, sive cum pacto prævio, sive sine illo; quia in illa, nullum aliud motivum, nullus alius titulus honestus esse videtur. 5. simoniam admitti, quoties cumque pro spirituali datur temporale, ut pretium, saltem tacitum, & hoc nemo negat, nisi scire vellem, an simonia admitti possit, etsi temporale illud detur sub alio titulo, quàm pretii.

104. ANTIM. Hæc est præcipua, ni fallor, hujus controversiæ difficultas, cujus gratiâ, ne quid tibi dissimulem, hanc dissertationem suscepi; illam autem Gibalinus egregiè discussit, allatis, collatisque autorum locis, quorum elenchum ex illo describam, non tamen sine copioso spicilegio: Petrus Lombardus in 4. d. 25. S. Thom. passim, ut in 4. d. 25. q. 3. item quodlib. 8. item 2, 2. q. 100. D. Bonavent. in 4. d. 25. dub. 6. Albertus Magnus ibidem a. 2. & 3. Richardus à Media Villa ibidem a. 2. q. 1. Alensis in summ. p. 2. q. 167. Petrus Tartaretus in 4. d. 25. Henricus à Gandavo quodlib. 1. q. 34. Durand. in 4. d. 25. q. 3. Paludanus ibidem q. 4. Joan. Bacon. ibidem q. 5. 2. Dionys. Carthus. in tract. de simon. l. 1. c. 1. & 2. Aureol. in 4. d. 25. q. unica, a. 2. Thom. de Argentina ibidem q. 1. Joann. Major ibidem; Gerson de simon. suppositi. 5. & alibi passim; Armacan. in qq. Armenor. l. 10. à cap. 13. ad 26. Gabriel Biel in 4. d. 25. Cajetan. in Summ. V. *Simon.* & 2, 2. q. 100. Victoria relect. de Simon. Dominicus Soto l. 5. de just. q. 6. a. 1. Arragon. in 2, 2. q. 100. a. 2. Petrus Navarra, l. 2. de restit. c. 2. n. 384. Adrian. quodlib. 9. in 2. quæsito; Malderus tr. 9. c. 3. dub. 1. Pelantius disp. 1. & 3. de simon. Felisius in 7. præcept. c. 7. Brulefer q. de simon. Barbosa passim, præsertim ad cap. *Etsi quæstiones*, de simon. ubi refert multos, & ad cap. *Nemo*, 14. n. 4. Navarrus in man. c. 23. n. 100. Covarruv. l. 1. var. c. 20, n. 2, 3. & S. Raimund. Tabiena, Angel°, Sylvester, Armilla, Rotella, Pisanella, V. *Simonia*, S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. § 3. Astensis 2. q. lib. 6. tit. 55. a. 5. Joan. Valerus in diferent. utriusque juris, V. *Simonia*. Villalobos tr. 15. diffic. 1. n. 7. Guttier. l. 2. qq. can. c. 23. n. 80. Jacob. de Graffiis dec. l. 2. c. 96. n. 19. Valent. tom. 3. d. 6. q. 16. p. 3. Suar. lib. de Simon. c. 4. n. 8. Filliucius tr. 45. c. 10. q. 4. Bonacina disp. de simon. q. 2. n. 9. Laym. l. 4. tr. 10. c. 18. § 2. n. 11. Sanch. l. 2. in Decal. c. 43. n. 22. Lessius de Simon. dub. 1. n. 9. Tolet. lib. 5. c. 90. 94 V. *Simonia*, n. 1. Busembaum l. 3. tr. 1. c. 2. dub. 3. Tanner. tom. 3. disp. 5. q. 8. n. 21. & 23. Gordon. Theol. moral. l. 8. q. 7. c. 1. & 4. Oviedo tract. 6. controv. 3. punct. 4. n. 46. Reginald. l. 23. c. 11. q. 1. n. 100. Azor part. 3. l. 12. c. 1. Castr. Pal. part. 3. disp. 3. punct. 1. n. 2.

num. Vasq. tract. de benef. c. 2. § 3. dub. 24. num. 16. Sotus in 4. q. 100. D. Th. de justit. q. 1. Baldell. lib. 4. disp. 18. num. 4. Lezana in summ. V. *simonia* num. 1. & 2. Joann. Beets in 7. præcept. decal. expos. n. cap. 6. & 9. Michaël de Bononia in 4. d. 24. q. 3. Henr. Henriquez Comitol. l. 5. quæst. 14. n. 4. & l. 4. q. 6. Navarr. cum aliis citare possem præsertim ex recentioribus Dian. Joann. Pontium, Marc. Vidal, Pasqualigum, Marc. Serram, Cœlestin. Francisc. Gallelt. Gibalin. Ledesm. Orellana.. &c. adde Basseum V. *simonia* n. 1. Sylvium in 2. 2. q. 100. a. 1. Cronsers ad 2. 2. num. sect. 7. Theophilum Raynaudum de bonis ecclesiasticis l. 2. sect. 1. c. 1. passim, Gibalin. de simon. sect. 2. fusè.

107 PITHANOPH. Sustine quæso, autorum satis, licèt forè hi non sufficiunt, næ ille nimis avarus est, inest tamen mihi scrupulus; cùm multi alii, quos modò laudasti, nullam in simonia rationem habere videantur, sed finis tantùm modò principalis; dicunt enim, tunc admittendam simoniam, cùm datur spirituale propter temporale, tanquam propter finem principalem, ita Hosted. Felin. Panormit. Turrecrem. Archidiac. Navar. Covarr. Gigas, Sylvest. Ugolin. S. Thom. Angel. Major, Gabriel. Durand. Moreta, Valentia cum Gibalino quæst. 2. §. 2.

108 ANTIM. Scio, multos esse qui ita sentiunt, fateorde mihi, voce tenus ab aliis dumtaxat discrepant, quirationem pretii in omni simonia agnoscunt: licèt enim aliqui dicere videantur, illum finem principalem esse, sine quo res non fieret, revera tamen illico perperam dicta, ut Covarr. & Navar. à Gibalino citati; alioquin Canonici, qui non interessent choro, nisi distributio fieret, & Sacerdotes, qui sacrum non facerent, nisi daretur eleemosyna, essent simoniaci; quia intenderent temporale illud, ut finem principalem, quod sanè nemo dixerit: Illum autem finem principalem intelligunt, qui est causa totalis & proxima effectus, ita ut propter temporale dumtaxat, detur spirituale, illudque unum intendatur, remoto etiam quolibet alio motivo; ac proinde quisquis hoc modo dat spirituale propter temporale, hunc fini totali & principali omnia alia motiva subordinat, & necessariò intendit, commutare spirituale cum temporali, quia illud spirituale non dat gratuitò, sed intendit illud illum, cui dat, ad se fundendum temporale; quo contractum non gratuitum, in illa intentione primaria & sine principali, obtinendi temporalia per spiritualia, præfati autores omnino agnoscunt: fatentur, non dare gratis spirituale, igitur pretii ratio saltem implicita saltem & tacita: & est contractus quidam nominatus, *do ut des*, qui tamen reducitur ad venditionem; quisquis emit ejusmodi contractum, intendit illum finem, obtinendi scilicet temporale per spirituale, tanquam per unicum & necessarium medium, igitur hæc intentio fertur saltem implicitè in rationem pretii.

109 PITHANOPH. Rem mihi hanc capere videor: cùm enim datur spirituale cum temporali, illud non dicit aliquam relationem temporalis ad spirituale, quæ per se ipsis terminis; diversa autem relatio stipendii, sustentationis, oblationis, &c. quæ sub his titulis spirituale refertur ad temporale; ergo nulla est hujusmodi relatio, & tamen spirituale pro temporali, illud *pro* solam pretii relationem importat, & tunc dicitur dari spirituale pro temporali tanquam pro fine principali, vel pro temporali, ut pretium est; quæ ratio pretii fundatur in ea vi adæquativa, qua pecunia, vel aliud temporale æquivalens pollet, quatenus ad aliud, quod est mercis loco, referri potest; at si detur spirituale pro temporali, non est pretium, sed ut oblatio est, vel stipendium, vel aliud simile, non datur pro temporali, tanquam pro fine principali, sed pro ipsa oblatione, vel stipendio; quæ ratio, vel relatio, licèt extrinseca ipsi rei temporali, excludit tamen relationem pretii, id est, impedit, ne resultet ex prædicta illa vi adæquativa, quæ pecuniæ inest, uno verbo, quotiescumque datur spirituale pro temporali aliquo titulo honesto, v. g. gratitudinis, oblationis, stipendii, &c. Non resultat illa relatio pretii, vel quod idem est, non datur pro temporali, tanquam pro fine principali; si verò omnis alius titulus absit, haud dubiè resultat prædicta pretii relatio; vel quod idem est, in ipso temporali finis principalis & intentio sistit.

110 ANTIM. Acutè sane, & juxta hunc modum explicandi, intelligi debet Valentia noster, dum distinguit finem operis à fine operantis, intrinsecum scilicet ab extrinseco: ubi enim temporale illud per voluntatem dantis, aut accipientis, honesto cuilibet & extrinseco titulo subjicitur, v. g. titulo stipendii, vel oblationis, dicitur finis operantis, vel extrinsecus; accedit enim extrinsecus prædicti tituli ratio, & nisi ab operante intenderetur, nullo modo accederet, nec ex ipso opere resultaret, ac si per voluntatem, temporale illud nulli extrinseco titulo subjicitur, sed illud simpliciter intenditur, dicitur finis operis & intrinsecus: tunc enim ex ipso temporali resultat relatio pretii, fundata scilicet in ipsa vi adæquativa, qua pollet, quæque ipsi intrinsecè inest; resultat autem, quia non impeditur ab alia relatione extrinsecùs accedente, nempe morales istæ causalitates, vel resultantiæ habent etiam sua impedimenta, suas applicationes, suas conditiones, &c. Igitur haud ineptè dixit Valentia, simoniam esse, si detur spirituale propter temporale, tanquam propter finem operis, vel operationis, vel ut dixi, intrinsecum: secus verò, si detur propter finem operantis, vel extrinsecum.

111 PITHANOPH. Ita prorsus explicandi sunt autores illi qui docent intentionem principalem obtinendi spirituale per temporale, & vicissim, esse simoniacam; alioqui, ut jam indicavi, nunquam temporale pro spirituali dari posset, quod tamen communi Ecclesiæ usui repugnat: hæc porro explicatio longè planior & accommodatior est quàm sit illa, à nonnullis excogitata, & à P. Suarez cap. 44. num. 13. rejecta, juxta quam, distinguunt causam finalem ab impulsiva, licèt hanc motivam esse concedant, nempe causa impulsiva respectu voluntatis esse nequit, nisi per modum finis: igitur hæc distinctio hìc locum non habet, constat igitur, temporale dari non posse ut pretium: id est, in commutationem, vel compensationem: id est cum intentione principali excludente scilicet omnem alium titulum, ac proinde terminata ad temporale, quatenus prædicta vi adæquativa pollet, ex qua præfata relatio pretii resultat: necesse, quod aliqui vocem hanc æquationis vel adæquationis ægrè ferant, qua tamen Theologi ut plurimùm utuntur, D. Th. in 4. d. 25. quæst. 3. ad 1. Gerson de simon. prop. 20. idem porro est æquare pretio, ac emere: nec est, quod aliquis putet, adæquare idem esse, ac existimare, rem spiritualem non pluris valere, quàm temporalem, quod à Theologorum mente alienissimum est; cùm ad simoniam sufficiat, ex illorum sen-

tentia, si absque ullo respectu ad alium titulum, qui fundare possit justam & honestam pecuniæ acceptionem, detur aliquid temporale pretio æstimabile, solo intuitu traditionis rei spiritualis, licèt is, qui dat, vel accipit, nihil cogitet de ratione pretii: hoc autem verbum *æquare* Theologi à Juristis acceperunt, qui hanc pretii definitionem habent: *pretium*, inquiunt *est, cùm æqua æstimatione factâ, pecunia pro rebus solvitur*; hinc pretium ex Varrone est quasi peritium; quippe quod statui debet ex opinione communi eorum, qui rerum ejusmodi periti sunt: His autem statutis, quæro ex te, quibus signis discerni possit intentio simoniaca.

110 ANTIM. De intentione sola loqueris, ac proinde de foro interno, in quo propria cujusque conscientia judex est; si ergo detur spirituale pro temporali, sub illo respectu, de quo supra, ita ut nullus adsit alius titulus, nisi meræ commutationis & compensationis, licèt expressè non cogites de formalitate, vel ratione pretii, illa intentio est simoniaca; resultat enim moralis relatio, vel habitudo, de qua supra; cùm non impediatur hæc resultantia, per accessionem alterius tituli honesti; utrùm verò adsit alius titulus, scilicet vel gratitudinis, vel oblationis, vel stipendii, vel communis usus & consuetudinis, cujus satis perspectum est; si autè nulla expressio fiat hujusmodi intentionis, sed hæc in mente lateat, erit simonia mentalis; si fiat verbo, scripto, vel alio signo, sed pactum executioni ab altera saltem parte non mandetur, erit conventionalis; realis denique, si utrimque impleatur.

111 PITHANOPH. Uno verbo res ita definiri potest; si enim temporale detur solo intuitu obtinendi spirituale, vel spirituale, solo intuitu recipiendi temporale; licèt de pretio nullo modo cogitetur, illa intentio ad simoniam omnino sufficit: in beneficiis Ecclesiasticis longè majus est periculum, quàm in alia qualibet simoniæ materia; in iis enim omne pactum lege Ecclesiastica prohibitum est, & si pactum sit de compensatione temporali, etiamsi lege vetitum non esset, vix unquam simoniacæ labis immune esset; citra pactum verò, si pecunia detur, vel aliud quidpiam pecunia æstimabile, vix hæc donatio à simoniæ nota liberari potest, nisi in quibusdam, iisque rarissimis casibus; v. g. non nemo Episcopum sibi obstrinxit, officio, liberalitate, honesta opera, ductus scilicet bono fine, & animo, Episcopus deinde beneficium Ecclesiasticum illi, vel ejus filio, alioquin idoneo confert, gratitudinis ergo, sine prævio pacto, & obligatione, nulla est in hoc simonia; nulla quoque vicissim, si quis accepto ab Episcopo beneficio, grati dumtaxat animi ergo, sedulam operam eidem præstat, ubi sese offert occasio; at si postquam dedero tibi quingentos aureos, resignas mihi tuum beneficium, vel accepto tuo beneficio, do tibi quingentos nummos, mera simonia est, aut saltem præsumitur in foro externo; cùm enim alia donandi causa minimè adsit, gratuita donatio non præsumitur; in beneficiis autem exceptis casibus supra indicatis, aliisque similibus, vix unquam gratuita donatio intercedit.

112 ANTIM. Tecum reverà sentio; nempe in re beneficiaria, omne pactum de temporali, illicitum est: citra pactum verò nullus adest, ut plurimum saltem, gratuitæ donationis titulus; si enim das pecuniam, antequam beneficium accipias, quo quæso motivo id agis? an fortè ex mera liberalitate, nullo beneficii intuitu? si beneficium ambias, & hoc dicas, etiam jurato fidem qui habeat, haud invenies; dixi ut plurimùm, nempe fieri potest, ut quis beneficiarium in maximas angustias redactum, opera suâ & pecuniâ ex mera charitate juvet, nec ullo modo cogitet de beneficio, quod tamen deinde beneficiarius, grati animi ergo, eidem, vel ejus filio resignet; in hoc nemo simoniam jure agnoscat; sed casus ejusmodi rarissimi sunt: cæterum in re beneficiaria, ubi pecunia intercedit, etiam sine prævio pacto, res periculi plena est, cùm vix hujusmodi donatio titulo quopiam legitimo honestari possit.

113 PITHANOPH. Quid porro pretii, temporalis scilicet, nomine intelligas, ex te scire averem.

114 ANTIM. Miror hæc à te postulari, qui probè teneas, pretium temporale esse tum pecuniam, tum quodlibet aliud pecunia æstimabile: æstimari autem pecunia solet illud omne, quod inter & pecuniam, ratione scilicet valoris, aliqua proportio intercedit; dixi ratione valoris, namque genere entis, ejusmodi proportio non requiritur; sic inter hominem & pecuniam nulla est proportio, in genere entis; at supposito tali & tanto commodo, quod ex mancipii opera refertur, in ordine ad rectam prudentum æstimationem, in ratione valoris, mancipium tanti æstimatur & venditur, ac proinde inter mancipium & pecuniam, & ratione valoris, aliqua proportio esse censetur.

115 PITHANOPH. Sed quid tandem per munus à manu, à lingua, ab obsequio, quæ est vulgaris simoniaci pretii divisio, intelligunt.

116 ANTIM. Hæc antiqua est divisio, quam S. Thom. aliique Doctores ex S. Gregorio sumpserunt, quæ facilè complectitur omnia bona temporalia pecunia æstimabilia, quæ scilicet in communicationem & commutationem venire possunt; quidquid autem homines in terra possident, quod non constat in obsequio, vel officio linguæ, dicitur munus à manu, talia sunt bona, mobilia, & immobilia, & jus; munus ab obsequio est quælibet actio hominis, ordinata ad commoda corporis, vel animæ, naturalia scilicet, ut manuale servitium, comitatus, subjectio aliunde indebita, custodia, instructio, disciplina &c. munus à lingua continet preces, supplicationes, intercessiones, laudes, adulationes, aliaque hujusmodi verba, in alterius gratiam præstita; unde ut rectè monet Gibalin. quæst. 15. num. 3. munus à lingua est etiam obsequium quoddam, quod tamen non exhibetur per modum ministerii, ut patet; itaque ne aliquam litem super hac divisione mihi fortè intendas, pretium simoniacum illud omne esse potest, quod pecunia æstimabile censetur, & in pactum deduci potest, sive manu, sive lingua, vel scripto, sive alio quopiam obsequii, vel officii genere exhibeatur.

117 PITHANOHP. Fateor, aliquid esse in eo munere à lingua dicto, quod mihi valdè difficile videtur; cùm enim preces munus à lingua dicantur, non video, quonam pacto fieri possit, ut preces illæ, quibus aliquis beneficium obtinet, simoniaci pomi labem contrahant: preces, quas ad Deum fundimus, & divinam gratiam, quæ maximè spiritualis est petimus & obtinemus, sunt sanctæ & piæ, quid ni quæso idem de iis precibus dicamus, quibus vel sacros Ordines, vel beneficium Ecclesiasticum impetramus?

118 ANTIM. Hallucinaris vel maximè; quis unquam dixit, ejusmodi preces simoniacas esse? quasi verò beneficium petere non liceat? is fortè simili errore laborabat, qui cùm jus haberet con-

præsertim ecclesiastica beneficia, nunquam petentibus conferre solebat.

119 PITHANOPH. Scio, quid tibi velis; preces illæ, quibus à collatore beneficium impetro, non facile, quibus à collatore beneficium impetro, non facile, quibus à collatore beneficium impetro, non facile

prætiũ esse non potest, saltem quod ad simoniã sufficiat.

136 ANTIM. Sustinere debueras, neque hoc enim prætermisissem; illud obsequium spirituale stipendium postulat ex natura sua; v. g. celebravi multas Missas pro aliquo; hic stipendium mihi debet, quod reverà aliquid temporale est; igitur si stipendii loco mihi conferat beneficium, pro temporali beneficium datur, idque ex pacto, & tanquam pretium; quis ergo neget, simoniam esse? si verò obsequium illud spirituale nullum exigit temporale stipendium, peccatur quidem contra præceptum Ecclesiæ, quæ omne pactum in collatione beneficii damnat, scilicet permutationis, autoritate privata factæ, ac proinde est simonia contra jus Ecclesiasticum; an verò sit simonia juri naturali repugnans, aliqui fortè negarent; ego sanè non negare ausim; quia licèt obsequium illud sit merè spirituale, beneficium tamen ex spirituali & temporali constat, ac proinde pro spirituali datur aliquid temporale; igitur hæc simonia juris divini est.

137 PITHANOPH. Quid si verò nullum peccatum præcedat?

138 ANTIM. Hoc erat alterum membrum: quod iterum subdivido: nam vel ex obsequio illo præstito, remanet obligatio ex justitia ad compensandum, vel non remanet: si non remanet, modò collator deinde liberè conferat beneficium ex gratitudine, vel aliquo alio honesto motivo, nulla simonia in hoc casu admittitur, ut patet ex dictis; quia nulla intervenit ratio pretii: si verò remanet prædicta obligatio, adhuc distinguendum est; vel enim per collationem beneficii extinguitur, vel non extinguitur; si non extinguitur, nulla est simonia; quia beneficium non confertur pro pretio, secus verò si extinguitur; quia perinde est, sive des beneficium pro numerata, aut numeranda pecunia, sive pro debita, & intuitu beneficii remissa: ita passim autores, & ex jactis supra principiis necessariæ consequutionis vi contequitur.

139 PITHANOPH. Non rarò accidit, ut quis collatori famuletur, & obsequium exhibeat, spe obtinendi alicujus beneficii Ecclesiastici.

140 ANTIM. Ita est; non tamen propterea simoniæ damnandus, nisi aliquod pactum, vel expressum, vel tacitum præcesserit; quia libera & gratuita manet collatio, si tamen aliquod præcessit, vel de beneficio conferendo, vel de mercede temporali, cujus loco, beneficium confertur, & debitum extinguitur, dubium certè non est, quin vera simonia insit; dixi autem pactum expressum, vel tacitum: de expresso nullum dubium restat, de tacito major fortè difficultas est, ut discernatur, hoc mihi certum judicium est, si obsequium illud necessarium est collatori, & ab alio exhibeatur, quasi ex officio, haud dubiè resultat inde obligatio justæ mercedis & compensationis; immo is, qui obsequium præstitit, habet jus actionis adversùs collatorem, ut scilicet ab eo justum stipendium recipiat: hujusmodi obsequia fundant pactum tacitum, atque ita semper in foro externo præsumitur, ita Suarez c. 39. n. 7 Bonacin. q. 1. §. 12. Gibal. q. 16. consect. 12.

141 PITHANOPH. Nihil brevius nec planiùs dici à te potuit: sed quid jam de obsequio præstando?

142 ANTIM. Ex iis, quæ dixi, facilè intelligis: si enim prævio pacto collator conferat beneficium, ea conditione, ut deinde hoc, vel illud obsequium illi præstes, haud dubiè collatio est simoniaca; sive obsequium temporale sit, sive spirituale, cùm detur aliquid temporale pro spirituali, aut viciſſim: dixi obsequium ipsi collatori præstandum, nam pacisci potest collator de obsequio ipsi benficio annexo, & ipsimet Ecclesiæ præstando, sive temporale sit, sive spirituale: [illegible] potest aliquod novum obsequium ipsi beneficio annecti ab eo qui habet potestatem, licèt illud temporale sit, ita omnes in tit. *de Magistris* c. 1. & concil. Trident. sess. 5. c. 1. de reformat. necest, quod simoniam timens licèt reditus Ecclesiastici convertantur in stipendia pro spiritualibus & temporalibus muneribus obeundis, ad utilitatem Ecclesiæ: modò scilicet reditus prædicti beneficii ad utrumque stipendium sufficiant, & hæc munia statui clericali non repugnent: & sic munus docendi præbendæ Theologali & præceptoriali annexum, sic quædam beneficia collegiis annexa sunt cum onere docendi, hæc enim dantur in mera stipendia, & honestus titulus est, qui simoniam excludit; in hoc meo, judicio, nulla est difficultas; nam hoc onus non est pretium beneficii, sed est opus cum alio spirituali ministerio connexum, pro quo ab Ecclesia datur stipendium: nempe reditus Ecclesiastici ad omnia ministeria Ecclesiastica destinantur, quæ ad Ecclesiæ commodum spectant; in his autem aliqua sunt spiritualia, aliqua temporalia.

143 PITHA. Si verò nullum pactum intercedat, nec expressum, nec tacitum; non est dubium, quin qui accipit à collatore beneficium, gratum animum obsequiis rependere possit, ut ex dictis: modò, ut dixi, omne pactum absit: si enim collator dicat famulus ministra mihi gratis, dum tibi de beneficio provideo; vel cum minore salario, quàm par sit, vel cum justo salario, sed ministraturus deinde gratis, obtento beneficio; vel confero tibi beneficium, vel licentiam excipiendi Confessiones cum onere, ut mihi deinde inservias, vel tale obsequium exhibeas, immo fierigam obsequia spiritualia pro beneficio, idque pacto inito, est simonia, non tantùm, ut vult Gibal. contra jus Ecclesiasticũ, verùm etiam contra jus divinum, ut supra, breviter quidẽ, sed planè à te ostensum est: cũcta hæc ita intelligo, jam verò testar, ut nõnihil subnectas de manere à manu: suppositis scilicet iis, quæ jàm à te dicta sũt.

144 ANTIM. Regulam universalem tradit Gibal. q. 16. consect. 9. quamliber impositionem oneris beneficio non annexi, etiam pii, continere simoniam, saltem contra jus Ecclesiasticum: nempe onus impositum facit, ne collatio sit omnino libera: ac proinde hæc aliquod pactum involvit: at sine ullo pacto collatio esse debet, ad vitandam Simoniam: & hicentet multos, scilicet Felin. Staphil. Rebuff. Flamin. Cellam, Tusch. Garciam, Castr. Pal. Gloss. &c. vult autem in ut beneficiaria, quoties cumque onus impositum est spirituale, vel non continet aliquid temporale, quod debetur ex pacto pro spirituali, esse tantùm simoniam contra jus Ecclesiasticum, non verò contra jus divinum.

145 PITHA. Ego sanè, excepto meræ permutationis beneficiorum pacto, quod juri dumtaxat Ecclesiastico repugnat, ut jam supra dictum est, ex iis, quæ dixisti, deduco, omne aliud pactum novum onus inducens, beneficio minimè annexum, simoniacum esse contra jus divinum, in re scilicet beneficiaria; quia hoc est illud, quod pro beneficio retunditur, sit merè spirituale, ipsum tamen beneficium suo temporali constat, ac proinde datur spirituale pro temporali ex pacto; igitur simonia est contra jus divinum.

146 ANTIM. Rectè jam ad casus singulares Gibal. descendit. 1. Quisquis offert suum beneficium Petro, ut ab eo ad aliud promoveatur, pacto scilicet intercedente, admittit simoniam saltem contra jus Ecclesiasticum, est enim quædam species permutationis. 2. Pactum, quo resignans exigit fructus ante resignationem debitos, non est simoniacum, quia jam ipsi debentur, nec etiam pactum de reparanda Ecclesia, quia [illegible]

hoc non est annexum beneficio, ita Flamin. Decianus, Garcias, citati à Gibal. consect. 10.

2. Collatio beneficii sub hac conditione, ut alteri deinde resignetur, est simoniaca; quia novum onus imponit; item sub hac conditione, ut is, qui accipit beneficium, illud deindè sub pensione non retineat.

3. Resignatio in favorem tertii non est simoniaca, quia aliquin communi usu non probaretur; eadem per Bullam Pii V. quæ incipit *quanta Ecclesiæ*, prohiberur, nehujusmodi resignationes in favorem fiant, nisi in manibus solius Pontificis; si tamen Episcopus rejicit expresse conditionem appositam, tunc nemo illo, qui resignat, resignatio libera censetur, & cuilibet dimissum beneficium conferre potest, etiamsi illi, quem resignans priùs nominabat, ita Soto, Garc. Suar. Covarr. citati à Gibalin. Si tamen resignans non annuat, Episcopus conferre alteri non potest; quia beneficium non vacat, nisi sub tali conditione, quæ cum minimè acceptetur, illud vacare minimè censendum est.

4. Resignatio facta purè & liberè, licèt cum spe promotionis, ut certæ personæ beneficium conferatur, non est illicita, nec prædictæ bullæ repugnat; hanc sententiam pluribus autoribus, & variis decisionibus rotæ fusè confirmat Garciaz. 11. part. c. 9. num. 161. Licet enim Bulla omnem intentionem, deliberationem, verbum, nutum prohibeat, his tamen pactio expressa, vel tacita significatur; atqui resignatio tam nominem pactionem excludit.

5. Cessio beneficii in manus Episcopi, ut certo loco, vel Ecclesiæ uniatur, licita est; quia prohibetur tantùm resignatio in favorem certæ personæ.

7. Qui merè consentit, ut beneficium, quod resignat, certæ personæ conferatur, nihil agit illicitum, ut patet; quia ille nudus consensus nullam omninò pactionem includit.

8. Cessio juris litis in favorem collitigantis facta communiter, prædictæ bullæ repugnat, ut patet; secus verò si nuda & mera cessio.

9. Qui resignat, reservata pensione, cum spe & intentione, ut illa statim redimatur, non admittit simoniam, modò scilicèt omne pactum absit; ita Garc. & Gigas citati à Gibal. n. 18. reciprocæ tamen renunciationes in quibus v. g. resigno beneficium meum in favorem tui nepotis, tuque tuum in favorem mei, sunt simoniacæ; ita Flamin Less. Suar. Cast. Pal. Reginald. Bonacin. citati à Gibalin. n. 19. imò in re beneficiaria, pactum collationem non; hæc tamen simonia est tantùm contra jus Ecclesiasticum; quia ad permutationem aliquo modo accedit; item renunciatio triangularis est simoniaca, v.g. Titius resignat beneficium, in favorem Caii; & hic suum, in favorem Sempronii; hic denique suum, in favorem Titii, propter rationem dictam; ita præter adductos suprà, Navarr. Garc. Gomal. Kochler. Molfes. citati à Gibal. n. 20. quia tam hujusmodi pactiones sunt juris humani, à Rom. Pontifice permitti possunt.

10. Renunciatio ex causa permutationis cum eo, quem habet beneficium, invalida est & illicita; ita Less. Azor. Cosm. Garc. Suar. Cast. Pal. à Gib. n. 21. quia non est permutatio, sed mera resignatio in favorem, si resignans sit conscius, vel si conscius non sit, error est substantialis, qui contractum irritat.

11. Resignatio absoluta cum reservatione pensionis non est simoniaca, & potest ab eo admitti, qui pensionem imponere potest; patet; si tamen auctoritate privata resignans obliget resignatarium ad hypothecam, aut fidejussorem, vel ad anticipatam solutionem, vel ad redemptionem, vel ad solvendas expensas, bullarum, vel litis, vel factas in reparandis bonis, vel fundis beneficii, & ex ejusdem beneficii reditibus, non est dubium, per hæc simoniam induci, non tantùm jure Ecclesiastico, quod omne pactum in re beneficiaria vetat, sed etiam divino, cùm prædicta sint merè temporalia, pro resignato beneficio promissa, vel data; si tamen post resignatum beneficium, & constitutam pensionem, ejusmodi pacta ob malam fidem resignatarii ineantur, ad faciliorem solutionem, omnis simoniæ suspicio cessat: multos in hanc rem citat Gibal. à num. 22. ad 30. uno verbo, omne pactum cum renunciatione conjunctum, per quod onus minimè annexum imponitur resignatario, illicitum est; ex quo, reliqui casus facilè solventur.

147. Pithanoph. Exiis, quæ hactenus disseruisti, solum contractum onerosum, dandi aliquid temporale, in commutationem & pretium spirituali, constat, esse simoniacum; in beneficiis autem, omne pactum prohiberi, etiam permutationis beneficiorum, de qua paulò post nonnulla ex te quæram; priùs tamen scire à te velim, quid sentias de injusta vexatione.

148. Antim. Doctores multa definiunt super hac re; 1. non esse simoniam, conferre, resignare, relinquere beneficium metu impendentis mali; ita Victor. Sot. Valent. Arragon. Binsfeld. Suar. Laym. Angel. Reginald. Filliuc. Bonacin. citati à Gibal. consect. 2. n. 1. nihil enim datur, vel recipitur pro spirituali, & nullum jus refragatur. 2. Collatio beneficii; ad hoc, ut aliquis ab injuria, vel injusta quapiam actione desistat, non est simoniaca, propter rationem prædictam; ita Laym. Suar. Filliuc. Bonacin. adducti à Gibal. n. 3. nisi fortè pactum utrimque obligans interveniat, quod scilicet afferret novam obligationem præstandi securitatem; igitur aliquid temporale pro spirituali. 3. non est etiam simoniaca, si fiat, ad vitandam indignationem offensionemque alicujus; item damnum emergens & lucrum cessans; item ad promerendam alicujus benevolentiam, &c. modò scilicèt omne pactum absit; patet ex dictis. 4. Nunquam licèt emere rem spiritualem, ad impediendam injustam vexationem; non sunt enim facienda mala ut eveniant bona; simonia autem est malum intrinsecè; sic non licet mentiri, fornicari, &c. ad vitandum aliquod malum injustè illatum. 5. Possum licitè redimere injustam vexationem, quam patior in consecutione, retentione, possessione alicujus rei spiritualis mihi debitæ, aut necessariæ; in hoc ferè omnes conveniunt; sic qui me injustè vexat, & impedit pacificam possessionem beneficii jam acquisiti, in quod nullum ipse jus habet, potest pecunia ab illa vexatione removeri; item qui impedit, ne ad examen & concursum accedam pro obtinendo beneficio; quique aditus omnes injustè mihi intercludit, potest licitè pecunia molliri; qui mihi negat sacramentum in gravi necessitate, pecunia, si aliter obtineri nequit, induci potest ad ministrandum sacramentum; ratio est, quia pecunia non datur pro re spirituali, sed pro tollenda injusta vexatione & removendo obice injusto.

149. Pithanoph. Prædictus obex in mera negatione, ut plurimùm saltem, positus est; igitur tollere obicem, idem est, ac tollere negationem; tollitur autem negatio, per positionem rei, cujus est nega-

negatio; igitur tollere pecuniâ negationem illam idem est, ac emere positionem rei, cujus est negatio, id est positionem rei spiritualis, v.g. administrationis sacramenti; sed emere sacramenti administrationem, simonia est.

150. ANTIM. Respondet aliquis, non tolli pecuniâ negationem ipsam, sed causam illius, aversum scilicèt animum, ex quo prædicta negatio procedit; hæc tamen responsio non satisfacit; quia sæpissimè negatio illa ex aceibo, vel averso animo non procedit, sed ex mera pecuniæ cupiditate; igitur per illam pecuniam intendo directè satiare & pascere cupiditatem illam, undè cessat in illo voluntas negandi administrationem sacramenti, quam licèt ille vendere intendat, ego tamen illam non emo, sed offam porigo cani famelico, neme vexet injustè.

151. PITHANOP. Ne vexet injustè, id est ne sacramentum, quod jure tuo exigis, recuset; id est, ut sacramentum administret; sed hoc est emere sacramentum.

152. ANTIM. Licèt ideò me injustè vexet, quia injustè mihi sacramentum negat, quatenus tamen injuria est, pecunia vindico injuriam; ac proindè licèt indè sequatur administratio sacramenti, directè tamen intendo, per pecuniam illam, vindicare injuriam; analogiam habes in aliis titulis honestis, quibus datur pecunia pro re spirituali v. g. do pecuniam sacerdoti, ut pro me faciat sacrum, non tamen ut pretium Missæ, sed ut stipendium ministri; ita prorsùs injustè recusanti sacramentum per avaritiam, in gravi necessitate, do pecuniam, non ut pretium sacramenti, sed ad removendam injuriam; sic qui cum moderamine inculpatæ tutelæ hostem impetit, licèt petitione occidat, non tamen impetit, ut occidat, sed ut se defendat.

153. PITHANOPH. Hæc ratio, ni fallor, nimis probat, nam simili ratiocinio uti possem pro beneficio obtinendo ab avaro collatore, qui non nisi pecuniæ pretio illud mihi conferre vult; possem enim dare illam pecuniam, non quidem animo emendi beneficium, sed satiandæ collatoris avaritiæ.

154. ANTIM. Dispar omninò ratio est; nullum enim habes jus ad beneficium illud, ac proinde quod illud tibi sine pecunia conferre nolit, injusta vexatio dici nequit; si enim est injusta, jus tuum lædit; nullum autem jus ad beneficium habes; igitur quod tibi neget beneficium, injuriam tibi non facit; quod demum illud pecuniæ pretio addicat, graviter quidem peccat, nullam tamen tibi injuriam infert; igitur non das illam pecuniam ad redimendam injustam vexationem: Et verò jus illud redimendæ injustæ vexationis, immò ut universaliùs loquar, actionem illam ponendi, quâ utitur alter ad peccandum, fundatur in alio jure, cujus idemnitati consulere licet; v. g. possum ostendere meas pecunias latroni, ne me occidat, licèt furtum ex illa manifestatione consequatur; possum ab usurario petere pecunias mutuas mihi necessarias, licèt usurarius inde arripiat occasionem peccandi; possum injustè impedientem pacificam possessionem beneficii acquisiti, pecuniâ, ab illa injusta vexatione removere, item pecuniâ illius avaritiam compescere, qui sacramentum mihi conferre non vult, in gravi necessitate; quia mihi facit injuriam, negando mihi sacramentum sine pretio; at si nullum jus habeo ad aliquid spirituale, non possum dare pecuniam ad obtinendum illud; quia sine necessitate non possum illud ponere, quo utitur alter ad peccandum.

155. PITHANOPH. At si quis injustè vexet, & impediat, ne acquiram jus ad beneficium; nunquid potero injustam vexationem pecuniâ redimere; videtur enim militare eadem ratio.

156. ANTIM. Si is, qui te injustè impedit, non sit patronus, nec electror, nec collator, haud dubiè pecuniâ injustam illam vexationem redimere poteris; si verò vel Patronus, vel collator, vel electot est, & te injustè vexet, per aliquid extrinsecum, quo sublato, potest adhuc conferre, vel non conferre, v. g. si nolit te admittere ad concursum, & examen, ad quod alioquin jure tuo accedere potes; non video, cur pecuniâ injustam illam vexationem redimere non possis; at si à collatore ideò vexari putas, quia alieno in te animo cum sit, non vult tibi dare beneficium; in hoc casu pecunia dari non potest sine simonia, saltem præsumpta; nempè illâ pecuniâ moves illius voluntatem, ad hoc ut tibi conferat beneficium, quod est simonia; ita Suar. cap. 50. num. Less. cap. 35. n. 108. & alii communiter Theologi; ratio est, quia odium illud non justitiæ, sed charitati repugnat; igitur injusta vexatio dici non potest.

157. PITHANOPH. Si sciam, competitorem pecuniâ collatorem, vel electorem prensare, nunquid ego pariter non potero, pecuniam adhibere.

158. ANTIM. Illicitum puto; alioquin exemplo alterius peccare posses, quod reverà dici nequit.

159. PITHAN. At si competitorem indignum esse certò sciam.

160. ANTIM. Quid tum? poteris quidem illius indignitatem collatori significare, non tamen propterea pecuniam offerre potes; nisi fortè in uno casu; si enim alius non sit, nec esse possit, cui beneficium conferatur præter te, & alterum certò indignum, cum huic dari non possit, nisi fiat tibi injuria, non video, cur pecuniâ injuriam illam removere non possis, id est procurare, ne illi conferatur, sed tibi; nempe in hoc casu, habes jus ad collationem; & hæc est generalis regula, omne impedimentum injustum, omnem actionem injustam pecunia licitè auferre potes; sic electoribus indignum eligere volentibus dari potest pecunia, ne illum eligant, in quo nulla mihi videtur esse difficultas, nec enim emitur electio, sed impeditur ne indignus eligatur.

161. PITHAN. Ex illa tua universali regula, alii casus facilè resolvuntur; v. g. quod sanctissimum Christi corpus, vel sacras reliquias ab infideli vel hæretico pecunia redimere possim; item dare pecuniam alteri, ne mihi circa beneficium injustam lram intendat; immò & testi, qui aliter veritatem aperire non vult, atque ita me impedit ab assecutione alicujus boni spiritualis; item subornanti electores, collatorem, testes adversum me, in materia beneficiali, ut subornare desinat; item infamanti me apud Episcopum, ac me per fraudem detinenti, ne concurram; item hæretico, qui per vim beneficium sibi arrogat; item Episcopo ad hoc ut ministros necessarios mittat, quos alioqui mittere recusat; non tamen electori, ut æquè dignum non eligat; nec justo competitori, ut non concurrat; nec justè collitiganti, ut à lite recedat; nec illi, qui justè vexat, ut desinat vexare; nec vendenti sacramentum ac petenti pecuniam, in pretium sacramenti, quando in contemptum religionis fieri accidit; quia ad contemptum illum concurrere non licèt; si tamen scandalum absit, possum dare petitam pecuniam, sed alia intentione, pro sacramento necessario; ita communiter Doctores Less. Suar. Valent. Filliuc. Bonacin. citati à Gibalin. n. 9. Duo restant quæ scire velim; primum est, utrum redimi possit injusta vexatio, dato

aliqua

aliquo spirituali, secundum utrum, lege humana prohibitum sit, ne redimatur injusta vexatio, quando agitur de aliquo spirituali.

165. Antim. Neutrum fieri posse, assero; non primum; quia cùm vexatio sit aliquid temporale, non potest redimi per spirituale; non secundum; quia spiritualis lex humana cedere debet; licèt enim aliquando propter bonum finem nonnulla prohibere possit, quæ per se alioquin bona sunt, non tamen prohibere potest, ne injustam vexationem removeam, liberè potest, ne injustam vexationem removeam, liberè pecuniâ, si aliter fieri nequit; hac porrò difficultate planatâ, ad aliud quæso transeamus.

165. Pithan. De stipendio nihil occurrit, quod planum non sit; certum enim est, dari & accipi posse stipendium pro administratione spiritualium, ut docent omnes Canonistæ & Theologi cum S. Thoma, idque jure naturali & evangelico; immò & in patto deduci posse, ut docent omnes recentiores, post Navarr. & Cajet. quia pactum, ut ait Caietan. in Summ. v. *Simonia* non mutat materiam actus; igitur cum stipendium non sit pretium rei spiritualis, accedente pacto, pretium non fit; immò ut rectè observat Suarez, stipendium ex natura sua pactum, saltem tacitum importat; item justum stipendium lege aut consuetudine definiri posse, ut nemo negat; æqualitas autem stipendii non est commensuranda cum ministerio spiritualibus, ut patet, cùm non detur in pretium ministerii, sed cum honesta sustentatione unitur, quæ diversa esse debet, pro diversa illius dignitate; certum est denique, à ministris Ecclesiæ stipendia exigi posse, etiam in foro externo: de missarum stipendiis innumeræ ferè quæstiones proponi possunt, sed cum ex Gibalin. consect. 7. juxta breviter atque accurate post Card. Delugo disp. 21. de Eucharist. dicemur, eadem retractare, operæ pretium non esset.

164. Antim. Prudentissimè judicas; hoc unum optandum tantùm esset, ut modus aliquis poneretur, tam intolerabili nonnullorum avaritiæ, qui exactionem quasi Judaicam, prædicta stipendia prosequuntur, tam abominabili aliquorum irreverentiæ, qui omnia sacra temporale dumtaxat lucrum intendunt, sacra ministeria adeò irreverenter obeunt, ut mihi ruborem simul & pudorem concilient; aris & templis assistunt, ut ab ingenuis hominibus, in foro locando, majorem fortè modestiam desideres; nonnulli pharisaicam hypocrisim, quam nonnulli adhuc induunt ac mentiuntur religiosam tam, & quam res sacra postulat decoram compositionem, pariterque sacra obeundi modum desiderarè.

165. Pithan. Hæc ad mores potiùs, quàm ad materiam pertinent; quæ sanè deflere, non tamen componere valemus; multa quoq; essent in eodem, vel simili argumento deploranda, circa beneficiorum distributionē, quæstum commercium, multiplicationem, commendas; circà pensiones, circa temporum, divinorum officiorum & sacri cultus incuriam, consequentem censurarum Ecclesiasticarum abusum, corruptos multorum clericorum mores: omitto, v. g. quæ accipiuntur pro ingressu religionis, ubi opulentum sit monasterium; pro collatione ordinis, pro litteris patentibus ad regularia officia, aliaque hujusmodi; quod verò pertinet ad dispensationem generis, pro quibus pecunia etiam interdum exigitur, vide Gibalin. consect. 11. & 12. Suar. &c. his ergò omissis, pauca restant de beneficiis officiis Ecclesiasticis; constat enim esse materiam simoniæ, ut & capellanias, præstimonia, communias clericales, coadjutorias, hospitalia, quæ spiritualem administrationem includunt, jus patronatus, pensiones clericales saltem assignatas ad ministerium aliquod spirituale, immò omnes clericales, ubi bulla Pii V. viget; utrum verò pensio clericalis propriâ autoritate redimi possit, Doctores disputant, sed vetitum puto.

166. Antim. Pensio clericalis, quam vulgò mixtam appellant, quia datur clerico, non tamen ad ullum ministerium spirituale, secluso stylo curiæ contrarium faciente, propriâ autoritate redimi potest, ut asserunt Cajet. Tolet. Laym. Less. Cast. Pal. Valent. Binsfeld. citati à Gibal. q. 20. consect. 11. n. 5. quia non emitur aliquid spirituale, sed tantùm immunitas ab illo onere; & licèt indè cesset obligatio Pensionarii, recitandi officium B. V. nihil planè obstat, ut consideranti patebit, cùm pensio titulum permanentem non constituat; dixi suprà, secluso stylo curiæ, per quem reverà non licet, privatâ autoritate, extinguere pensiones; hæc pactum inire de iis redimendis, quia ejusmodi pactis onus temporale imponitur; cuncta hæc ne fiant, lege cautum est.

167. Pithanoph. Quid porrò de transactionibus in re beneficiali sentis?

168. Antim. Transactio nihil est aliud, nisi pactio onerosa de re controversa, ac proindè omnis transactio, in qua dimittitur spirituale pro temporali, est simoniaca, ut tenent omnes Theologi & canonistæ; si tamen datur spirituale pro spirituali extra rem beneficialem, nulla simonia admittitur, secus tamen in materia beneficiali, nisi accedat superioris consensus; hoc enim prohibet Ecclesia in c. *constitutus* de transact. potest autem transactio fieri in eadem materia, per Episcopum, vel arbitros, modò ex natura sua simoniaca non sit; ac proindè ita litem dirimere possunt, ut uni beneficium litigiosum adjudicetur, cum onere solvendi aliquid temporale, non quidem in pretium, sed ob alias causas; ita omnes.

169. Pithanoph. Paucis versibus contraxisti, quæ legisti apud Gibal consect. 15. Suar. c. 51. & alios. Quid autem de simonia confidentiali?

170. Antim. Rem tritam petis; quis enim nescit, esse renuntiationem, vel provisionem quamlibet beneficii, retento jure regressus vel ingressus, vel accessus, vel fructuum, aut pensionis in favorē ipsius renunciantis, vel alterius tertii, idque pacto expresso, vel tacito; jus regressus est facultas recuperandi beneficium, casu quo provisus moriatur naturaliter aut civiliter, aut fiat Episcopus, aut pensionē non solvat; ingressus verò est, cum beneficium alteri resigno, ante initam illius possessionē, retento jure, illam ineundi, casu quo resignatarius moriatur &c. Accessus est, cum ita confertur alteri beneficium, retento jure illud postea obtinendi, sublato impedimento; porrò illud jus in favorem alterius etiam reservatur; quod autem suprà dictum est de pensione, vel fructuum reservatione, ita intelligi debet, ut privatâ dumtaxat autoritate exigatur; alioquin ab autoritate habente pensio licitè imponitur, ad instantiam resignantis beneficium, ut constat ex communi usu Ecclesiæ; porrò simonia confidentialis admitti potest in resignatione, collatione, institutione, electione, nominatione, confirmatione, præsentatione, provisione, procuratione, non tamen in permutationibus, quarum mentio non fit in Bulla, Pii IV. & V. quæ cùm adeò pœnales sint, potiùs restrigendæ sunt, quàm extendendæ, ita Gibal. q. 21. diffic. 5. ubi citat Navarr. Suar. Castr. Pal. Laym. idque in omni beneficii genere, sæcularis, regularis, perpetui & manualis, non tamen in translatione pensionum, quarum præd ctæ bullæ

bullæ non meminerunt; ita Gibl n. 8. ubi citat Nav. Suar. Rot. Flamin. &c. propter eamdem rationem.

171. PITHAN. Hæc simonia confidentialis, majori saltem ex parte, est juris ecclesiastici, quo scilicet omne pactum in materia beneficiaria damnatur, seclusâ enim lege positiva, non video, cur talis conditio, regressus v.g. vel ingressus, sine simonia apponi non possit; nulla enim proprie venditio, nulla pretii ratio intercedit; igitur etiam jure antiquo ejusmodi pacta prohibentur; recentes Bullæ Piorum, pœnas auxerunt; dixi suprà, majori ex parte, nam resignatio, vel collatio beneficii sub pensione, seu reservatione partis fructuum, privatâ autoritate, veram simoniam contra jus divinum continet; nempe illa pensio est quid merè temporale, nisi legitimâ Pontificis autoritate justificetur; rectè porrò monuisti, in simonia confidentiali, pactum aliquod semper intercedere, saltem tacitum; licèt enim Bullæ internæ intentionis mentionem faciant, illa tamen intentio intelligitur, quæ aliquo signo externo exprimitur, & alteri parti significatur: Per te autem mihi liceat, unum vel alterum ex te quærere, quod pertinet ad hoc argumentum; primum est, quando resignans ad favorem petit sibi reservari certam pensionem, cujus tamen beneficiū de stylo curiæ patiens non est, ac proinde resignatarius amicum rogat, ut permittat pensionem hanc à Papa imponi illius beneficio, quæro ex te, utrùm hoc licitum sit.

172. ANTIM. Si gratis omninò & liberaliter amicus ille consentiat, hoc verà licitum est, & frequenter hujusmodi resignationes admittuntur; Nav. consil. 60. de simon. n. 5. Paris. de resignat. l. 6. q. 2. n. 20. si post gratuitū illum consensum, resignatarius deinde fidem indemnitatis amico præstet, etiam licitum est; Navarr. cit. Rot. decis. 301. n. 5. & 6. in coll. Farinac. de contr. & crim. Paris de resign. l. 14. q. 7. n. 53. idq; etiam si præcessissent verba generalia grati animi, Seraph. decis. 1029. n. 9. & 10. si tamen ante præstitum ab amico consensum, resignatarius eidem promitteret prædictam indemnitatem, hoc pactum verà illicitum esset; Navarr. cons. 60. de sim. Garciaz. p. 1. c. 5. n. 61. cùm Paris. Veg. & aliis, quos citat, hoc enim est emere pensionem, tanquam medium, ad beneficium obtinendum, & tale pactum Urban. VIII. rejici mandavit, ut simoniacum.

173. PITHAN. Rem prudentissimè definire mihi videris; ad alteram quæstionem transeo; utrùm scilicet reduci possit pensio ad minorem summam, sine beneplacito sedis Apostolicæ.

174. ANTIM. Pactum de pensione extinguenda certo pretio, sine licentia Papæ antecedens resignationem, tanquam medium ad consequutionem beneficii, est omninò simoniacum, saltem simonia juris ecclesiastici; si verò fiat post resignationem ex intervallo, etiam est prohibitum, ut tenent communiter autores, est enim res ecclesiastici fori, ac proinde legibus ecclesiasticis subjacens: nulla tamen lege prohibetur reducere pensionem gratis & liberè ad minorem quantitatē, cum pacto de non petendo ultra quantitatem reductam; si enim tota pensio gratis remitti potest, cur non pars illius? at si hæc reductio fiat sub hac conditione opposita, ut nulla censeatur reductio, si pensionarius intra præfixum tempus residuum pensionis non solverit, hujusmodi conventio totum pactum vitiat; nec enim pensio ex pacto privatorum, revivisceret potest. Rot. p. 1. divers. decis. Buratti 469. n. 2. si tamen ex intervallo, prædicta conditio adjiceretur, reductio minimè vitiaretur, licèt adjecta conditio irrita omninò esset, ut rota ibi.

175. PITHANOPH. Quandoquidem in hac materia versamur, quæro ex te, utrùm beneficium cum pensione permutari possit.

176. ANTIM. Permutatio beneficiorum jure ecclesiastico prohibita est, ut jam suprà diximus; immò per se ipsa irrita est, secluso etiam jure ecclesiastico; quia nemo acquirit titulum beneficii nisi ipsi à superiore conferatur: item permutatio electionum, vel præsentationum, illicita est, v.g. eligam te in canonicum, si me in Prælatum elegeris; præsentabo Cajum, si Titium præsentes; ita communiter Doctores, Suar. Laym. citati à Gibal. q. 14. consect. 5. c. ult. de pactis cap. *de hoc*. Item permutatio beneficii cum jure ad aliud, vel jurium inter se, Gibal. consect. 6. & 7. multos citat Joan. Andr. Suar. Sylvestr. Garc. Flam. Navarr. superioris tamen autoritate, ejusmodi permutationes licitè fiunt, ut patet ex praxi & usu Ecclesiæ hic autem superior est Episcopus, vel habens jurisdictionem Episcopalem; ita omnes, Gibal. consect. citat Tusch. Garc. Zerol. Ugolin. Azor. Quarant. Rebuff. Less. Suar. si tamen beneficia sint reservata Papæ, ad illum recurrendum est, ut patet; his præmissis, ad tuam quæstionem respondeo, beneficium cum pensione clericali, vel pensionem cum pensione permutari non posse, sine beneplacito Sedis Apostolicæ, ut habetur ex stylo curiæ; fortè propter istam rationem, quod scilicet Episcopus pensionem imponere non possit, nisi in quibusdam casibus; ita Azor. Ugolin. Garc. Suar. Castr. Pal. citati à Gibal. consect. 10. non obstat etiam quin beneficia permutari possint, licèt sint inæqualia, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, non tamen illa inæqualitas pecuniæ potest compensari sine simonia, Gibal. consect. 11. citat in hanc rem. Cajet. Angel. Sylvestr. Tabien. Valent. Antonin. Zabarell. Ancharan. Covarr. Adrian. Less. Suar. Bonacin. Filliuc. potest tamen Rom. Pontifex partem proventuum Ecclesiasticorum à jure & titulo spirituali separare, & compensationem permittere in temporalibus; hinc minimè probandum esse censeo pactum illud, vulgò Andegavense dictum, quo quis cedit alteri suum beneficium, ea conditione, ut resignatarius quotannis præscriptam pecuniæ summam solvat resignanti, donec ipse procurarit beneficium æqualis poventus, quod nullo modo sustineri potest, nisi Sedis Apostolicæ autoritas accedat; & miratus satis non possum hoc à quopiam, qui rem intelligat, sustineri.

177. PITHAN. Cum simonia admissa in permutatione beneficiorum, vera & propria simonia non sit, putasne in eam cadere pœnas contra simoniacos latas.

178. ANTIM. Non defuerunt, qui dixerint, nullam simoniam jure dumtaxat Ecclesiastico inductā ejusmodi pœnis subjectam esse, ut Arragon 2. 2. q. 100. a. 6. Petr. Navarr. l. 2. c. 2. n. 430. Rodriq. tom. 2. sum. c. 58. n. 6. at meo judicio falluntur, cum expressè jura usurpent simoniæ nomen, etiam jure ecclesiastico inductæ, quando pœnas recensent & adjiciunt; Suar. cap. 55. multa loca dabit, atque ita sentiunt communiter autores, nec oppositam sententiam tutam esse arbitror: verum quidem est, nullam pœnam incurri ipso jure à simoniacis, nisi circa beneficia, sacros ordines & ingressum religionis; ita Sylvest Navarr. Ugolin. Less, quos Gibal. citat q. 24. n. 1. item Angel. Cajet Redoan. Tabien. Graffis. Armill. Felin. citati à Suar. n. 5. qui testatur, esse veram & securam sententiam contra Sot. Garc. Raph. à Turri; longum esset explicare extravagant. Paul. 2. tu vide sis apud Suar. & Gibal. citatos: ex his autem facilè

...ubi...is, simoniam admissam in permutatione ...ecorum subjici pœnis; non tamen improbo re... ...nitur adversarii, quod scilicet crimen ...ex aliquam pœnam imponit, in propria & ...ficatione accipiendum sit; sed hoc loco ...ficatur; nempe illa simonia intelligenda ...ipsa jura appellant in iis locis, in quibus ...simoniæ adjiciunt; sed jura, ut dixi, simoniam ...lico prohibitam expresè appellant, ut ...ctionibus, permutationibus, resignatio... ...cum confidentia.

...Pithanoph. Sed dic quæso, liberatne ig... ...ab hujusmodi pœnis.

...Antim. Si ignorantia invincibilis est, haud ...communicatione liberat; quia nulla est ...communicatio sine culpa; sed ignorantia invinci... ...nullam culpam admittit; loquor autem de ig... ...qualibet, juris scilicet & facti, & pro foro ...tiæ tam in foro externo, ignorantia juris ra... ...tur, quia ratò præsumitur: præter hanc ...tum tam alia, v.g. irritatio & annullatio provi... ...ponatur ignorantia invincibilis, hæc ...proprie pœna privativa, sed mera nullitas ...sententiæ scilicet Ecclesia, quæ vult, nullum ...simoniacum validum esse, & expresse con... ...sum recusat, ad legitimam collationem ne... ...unde provisus de beneficio simoniacè, ...ignorantiam invincibilem facti aut juris, ...provisus est, nec ullum titulum acquirit, de... ...legitimæ collationis, cùm Ecclesia de... ...conferre beneficium, quotiescumq; ...simoniacum intervenit; & hoc certum puta; ...dum aut duobus casibus, primus est, cùm ...cooperante, procuratur alicui beneficium, non ...tamen simoniæ, sed contradicenti, licèt ...ipso facto simonia admittatur; tunc enim ...acquirit beneficium ex cap. *sicut tuis* de sim. ...n.149. Suar. c.57.n.29. alter casus est, si ali... ...procuretur beneficium simoniacè ab ...provisio penitus provisio, per cap. *ex nobis* & cap. *si*... ...hoc ex sua fraude præmium reportet; ...provisio nulla est.

...Pithanoph. Non miror, nullum titulum ...provisionem simoniacam, etiam igno... ...invincibiliter, qui provisus est; quia Eccle... ...vult acquiri, ac declarat suum consensum ...fuisse; favet tamen regula triennii in hoc casu, ...docent Gomez, Rebuff. Ugolin. Garc. citati à Gi... ...consect. 5.

...Antim. Certum est, hanc regulam Ignoran... ...in foro externo, ita ut acto in illum ampliùs ...tenere, an verò inde veram præscriptionem ac... ...& titulirevalidationem, probabile quidem ...tamen certum, ut testatur Suar. c.57.n.39. im... ...visio curiæ revalidatur titulus à sacra Pœni... ...quod verò pertinet ad fructus perceptos, non ...restituere jam consumptos, qui per ignoran... ...bonam fidem beneficium obtinuit, si locu... ...inde minimè factus est.

...Pithanoph. Remanet etiam inhabilis ad ...sententiam deinceps obtinendum, nec ab illa ...ignorantia, vel bona fides eum liberat.

...Antim. Fateor, communem esse Docto... ...sententiam; Suar. c.57. n.37. Thesaur. in prax. v. ...n.2.n.6. Sanch. l.2.c.3.dub.120.n.21. & 22. Gi... ...n.5. hoc autem colligitur ex cap. penult. de ..., ubi dicitur Episcopum cum electo per si... ...idque ignorante, illa vice dispensare non posse; vix tamen adduci possum, ut huic sententiæ subscribam; 1. quia textus in quo fundatur, expressus non est; deinde de simonia publica ac publicè reprobata ibi agitur; præterea ipsi electores illa vice privati sunt jure eligendi, & Gregorius IV. vult devolvi ad sedem Apostolicam provisionem prælaturæ; item *illud dispensare cum eo super prælatione*, idem est, quod conferre illi beneficium. 2. quia regula triennii convalidat quidem titulos, non tamen tollit inhabilitatem; atqui plurimi tenent in hoc casu, convalidari titulum, ut Thesaur. num.2. ubi citat Gomez, Sanch. Castr. Pal.3. quia licet electores privari possint jure eligendi in pœnâ, non tamè is, qui prorsus insons est, privatur jure, ad hoc ut vel à sede Apostolica, si prælatura est, vel ab Episcopo, si est simplex beneficium, assumatur. 4. cum inhabilitas illa sit maxima pœna, cur insons eâ plectitur.

185. Pithanoph. Ecclesia sine culpa sæpe apponit hujusmodi impedimenta, ut in matrimoniis; immo irregularitates & inhabilitates, quales sunt illæ, quæ ex defectu dicuntur.

186. Antim. Sat scio; at hujusmodi, vel impedimenta, vel irregularitates non sunt pœnæ; cum tamen hæc inhabilitas pœna sit, sed omnis pœna supponit culpam; quidquid sit, difficile mihi videtur, præsertim quando casus occultus est, ex prædicto capite deducere prædictam inhabilitatis pœnam; dixi quando casus occultus est; quia in publicis, propter scandalum, vel scandali & suspicionis saltem periculum, longè faciliùs concederem.

187. Pithanoph. Quisquis concedit pro publicis, pro occultis admittere debet; nempe Paulus 2. in suis extravag. omnes pœnas in simoniam publicam antea latas, ad occultam extendit.

188. Antim. Nullam simoniam Paulus multavit, nisi formalem & malitiosam; loquitur enim de pœnis contra *simoniacos* latis, tam manifestos, quàm *occultos*; sed ignorans invincibiliter simoniacus dici non potest, ut patet; sed quæso hæc accipias velim, ut disputata potiùs quàm asserta; satis enim scio, ad sacram pœnitentiariam pro ejusmodi inhabilitatibus recurri, quod tamen non evincit inhabilitatem ejusmodi, suppositâ scilicet ignorantia inculpata facti, quia etiam ad S. Pœnitentiariam recurritur pro rehabilitatione ad alia beneficia, licèt probabilissimum sit, in hanc inhabilitatem non incurri, scilicet ante sententiam, ut docet Gibal. q.25. num.6. ubi citat Navarr. Petrum Navarr. Aragon. Suar. Less. Laym. Castr. Pal. adde Thesaur. num.7. ubi præter adductos, citat Sanch. Sa Tanner. Paris. & hanc opinionem Suar. c.58.n.11. asserit esse in praxi tutam.

189. Pithanoph. Cum tres illæ simoniæ species vulgò assignentur, realis scilicet, mentalis, conventionalis, facilè crediderim realem dumtaxat prædictis pœnis subjici.

190. Antim. De mentali est communis sententia quod non subjaceat pœnis, pro quo plures allegat Garc. p.8. cap.1. num.45. ex cap. *mandato* de *simon.* item communis de conventionali pura, ut testatur Suar. cap.55.n.12. Guttierr. l.1 pq. can. c. 9. num. 8. Gibalinus q.24. num.2. communis item de reali ex parte, tradito tantùm pretio, ut tenent idem autores; si verò tradita sit res spiritualis, non tamen datum pretium, sed tantùm promissum, multi negant, subjici pœnis, quos ibidem citat Gibalin. ut Navarr. passim, Covarr.

Laym. Binsfeld. & alii multi, quos citat Garc. num. 19. Suar. cap. 56. addit Ugolin. Salzedo Bernard. Gomez, Cassador. Gloss. in cap. *emendari*, & in consequutione beneficiorum ipse Suares hanc opinionem approbat cap. 57. n. 51. & probat ex stylo curiæ; Thesaur. num. 10. huic etiam subscribit, & præter citatos, citat Less. Azor; immo Salzedo ad Diaz in prax. cap. 94. lit. D, item Paris. de confident. q. 1, num. 142. Castr. Palao tom. 3. tract. ult. de simon. punct. 21. n. 4. & ubique Rota, quare negare non ausim, esse valde probabilem; quomodò verò soluto pretio, incurratur excommunicatio, dictu sanè difficile non est; vix etiam difficilius, quomodò collatio nulla inde reddatur; natura causarum moralium mirabilis est: sed quid aliud dicendum occurrit?

191. Pithanoph. Hoc unum superest, quod ex te quæram, utrùm scilicet duo Religiosi mendicantes hoc pactum sine simonia inire possint, in hunc fere modum; eligeme in Provincialem, ego eligam te in Priorem; & utrùm hoc pactum pœnis contra simoniacos latis subjaceat.

192. Antim. Quid quæso jam fere obductam cicatricem refricas; parum abest, quin responsum negem; ne tamen hoc officium à me desideres, paucis explicabo, quid sentiam; liberum tibi erit, in quamcumque voles sententiam descendere; rumores odi, ut tute scis, nec contentionis studio ductus oblatam quæstionem discutiam, sed unius veritatis amore, quam in hujusmodi controversiis semper hactenus mihi proposui: ante omnia suppono 1. multos esse autores, qui docent, pœnis contra simoniacos ipso jure latis subjacere dumtaxat simoniam admissam in collatione & receptione ordinum, in religionis ingressu & in beneficiis Ecclesiasticis, ita Suarez cap. 55. num. 5. qui testatur de communi, Angelus v. *simonia* 16. num 9. Sylvest. q. 19. Cajetã. v. *excommunicatio* c. 72. Tabien. c. 72. Redoan. 4. p. cap. 9. n. 19. ubi transcribit verba Angeli; Navarr. cap. 23. num. 111. Ugolin. tab. 1. de simon. cap. 12. & tab. 4. cap. 3. Less. lib. 2. cap. 35. dub. 23. Graffis in decis. l. 2. cap. 97. n. 3. Armill. v. *excommunicatio* num. 59. & 69. Felin. in cap. de simon. Gibal. quæst. 24. Rosella v. *simon.* num. 13. & alii passim.

Suppono 2. Extra beneficiorum materiam, permutare spirituale pro spirituali, non esse specialiter prohibitum jure positivo; ita Suarez cap. 31. num. 20. ubi citat Præpos. Innocent. Panormit. Turrecrem. Abbat. Gloss. Cardin. Barbos. in c. 1. q. 2. Arragon 2. 2. q. 100. a. 1. Manuel. tom. 2. sum. c. 64. n. 2. Beja cas. 37 Sot. l. 9. q. 5. a. 2. ad 3. Victoria relect. de simon. n. 17. Lopez 1. p. instruct. c. 305. Gibalin. q. 17. n. 6. & alii communiter.

Suppono 3. Doceri à multis 1. prædicta officia Provincialatus & Prioratus apud mendicantes non esse beneficia; ita Sanch. l. 2. consil. c. 3. dub. 44. Bonacin. de cens. disp. 2. q. 3. punct. 24. n. 4. Henriq. l. 13. c. 37. §. 3. Less. dub. 25. Azor tom. 3. l. 12. c. 21. n. 16. Portell. tom. 2. resp. cas. 39. Filliuc. tract. 45. c. 17. n. 23. ubi revocat ea, quæ dixerat pro contraria sententia tract. 15. c. 4. n. 87.

193. Pithanoph. Ex præmissis facilè propositam quæstionem decidere possum; si enim prædicta officia beneficia non sunt, illud pactum non subjacet pœnis contra simoniacos in jure latis.

194. Antim. Nihil verius dici à te potuit; nam ex hypothesi loqueris, cum tamen absolutè aliqui pronuncient, ut Navarr. cap. 23. num. 111. Azor cap. 21. q. 6. Bonacin. citatus, Barbos. in extravag. *detestabile* num. 9. Filliucius citatus, Gibalin. q. 17. consect. 7. & alii bene multi; tu verò cautius loqueris, scilicet ex hypothesi, quod non sint beneficia; in hac autem hypothetica Doctores facilè convenient.

195. Pithanoph. Cur ergo Suarez cap. 57. n. 47. dicit, certissimum esse, prædicta officia comprehendi sub d. extravagante;

196. Antim. Ut nonnulla, quæ ibi Suarez habet, facilè concesserim, ita quædam alia non difficulter negarim; quod velit comprehendi, ex eo quod sint beneficia, rectè concludit; si enim beneficia sunt, haud dubiè comprehenduntur; quia re verà quælibet beneficia expresè appellat; ex hypothesi autem quod beneficia non sint, illa conclusio minimè sequitur, quam ut deduceret P. Suarez, beneficia esse voluit; sed multi sunt, qui refragantur, nonnullos supra recensui; quod verò quælibet officia in d. extravag. prædictus autor comprehendat, scilicet spiritualia, multi non probant, & ut ego probare possum; cum illa tantum officia comprehendantur, quæ sunt beneficia; non valet autem paritas rationis, qua ipse utitur; hæc sunt, inquit, propriissimè officia Ecclesiastica; rectè; igitur maximè spiritualia; igitur sine simonia vendi non possunt; optimè; quis hoc negare ausit? & ecce rum venditione, non minora detrimenta Ecclesiæ sequuntur; hæc concedo ultro; igitur iisdem pœnis illa venditio subjicitur; hanc consequentiam non admitto, quia vendere sacrificium missæ non est minor simonia, quàm vendere beneficium quodlibet simplex, vel ingressum religionis, licèt iisdem pœnis non subjiciatur; non nego iisdem pœnis ab Ecclesia subjici potuisse; nego tamen, Ecclesiam subjecisse.

197. Pithanop. Illa verba extravagantis *electiones, postulationes, provisiones, &c. in Ecclesiis, monasteriis, &c.* manifestè comprehendere videntur officia regularia, ut Cajetan. v. *excommunic.* c. 72. & Armilla c. 59. testantur.

198. Antim. Plerique autores secus sentiunt & intelligunt prædictas electiones & provisiones de beneficiis, & nulla officia comprehendunt in d. extravag. nisi illa, quæ sunt beneficia; illa etiam monasteria intelligunt, quorum officia vel prælaturæ sunt beneficia; hinc P. Henriquez lib. 13. cap. 37. §. 3. prudenter observat, illa officia monasteriorum, quorum mentio fit in d. extravag. esse vera beneficia in ordine S. Benedicti, secus in ordine mendicantium; nemo enim dicat, in ordine S. Francisci officium, esse beneficium propriè loquendo; quia beneficium dat jus ad reditus, & titulum perpetuum; atqui in odiosis & pœnalibus verba in rigore & propria significatione accipienda sunt; igitur cum illa tantùm officia in d. extravag. comprehendantur, quæ sunt beneficia propriè loquendo, non est, quod alia, quæ impropriè tantum beneficia sunt, comprehendantur.

199. Pithanop. Unum omittis quod ad rem plurimùm facit, scilicet, multos esse, inter Theologos & Canonistas, qui d. extravagantem interpretantur de pactis solùm pecuniariis; ita Vega Cat. cas. 12. & Bonacina supra laudatus, qui multos citant.

200. Antim. Hoc reverà me minimè latuit;

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ted cum oppositam sententiam veriorem esse putem, simoniam admissam in permutatione beneficiorum, privata autoritate facta, in dicta extravag. comprehendi existimem, ab ea ratione abstinendum mihi fuit; in altera igitur sistendum; nempe hâc extravag. de beneficiis tantùm agitur, nisi quæ propriè dictis; quia ut prudenter observat Barbos. supra laudatus, in odiosis juxta communem regulam, verba accipienda sunt in stricta & propriâ significatione, pro quo citat Less. & Azor, quibus adde Bonacin. & Henriq. supra citatos.

200. PITHAN. Nunquid non sunt alia jura, per quæ Adversarii oppositam sententiam probant.

201. ANTIM. Adducunt certè alios textus, v.g. cap. *quamplures*, qu. 2. cap. *cum pridem* & ult. de rer. cap. *quæsitum* de rerum permut. in quo permutatio præbendarum prohibetur, præsertim pacto præmissâ, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ; sed antiquiores Canonistæ prædicta jura de pactis pecuniariis, vel beneficiariis interpretantur, ita Abb. in cap. *quæsitum* Innocent. Hostiens. Archidiac. item Barbos. in cap. *quæsitum*, ubi multos recentiores citat.

203. PITHAN. Antequam hunc congressum terminemus, pertè mihi liceat aliqua opponere ex iis, quæ mihi D. Doctor, de quo jam supra, nuper proposuit.

204. ANTIM. Per me licet, sed quæso breviter, nam facilè crediderim, vix esse aliquid, quod saltem non deliberarim.

205. PITHAN. Vult, non posse dari aliquid *temporale pro spirituali*, sine simonia; quia actus peccaminosus simoniæ habet ordinem intrinsecum ad prædictam donationem; igitur nullâ mentis operatione ab illo disjungi potest.

206. ANTIM. Hoc facilè solvitur; nec enim quilibet donatio terminat prædictum ordinem, sed tantùm illa, quæ supponit rationem pretii, sine qua nulla est omnino simonia juri naturali repugnans, ut rectè probatum est; nulla ergo disjunctione opus est, nemo enim negat, qui rem intelligat, gratuitam donationem toto cælo differre à venditione & simonia.

207. PITHAN. Temporale inquit ita est connexum cum spirituali in beneficio, ut præscindi non possit unum ab alio; quemadmodùm is, qui rem habet cum fœmina conjugatâ, præscindere non potest rationem conjugatæ à ratione fœminæ, esset enim adulterium; quia sufficit ad peccatum, ut voluntas in illud tendat, cui deformitas, seu malitia conjuncta est; licèt hæc formaliter non intendatur.

208. ANTIM. Hæc nihil prorsus contra me, ut propriè opinionem illam rejeci, qua nonnulli volunt, absolutâ Ecclesiæ præcepto, posse vendi temporale beneficii, & donari ultrò spirituale; illa tamen ab adulterio petita facilè refelli potest; nempe actio illa adulterii est usus fœminæ alienæ; supponitur illa uti nequit, nisi alienetur; cum eadem sit actio adulteri circa fœminam, circa alienam; at in alio casu, duæ actiones requirerentur; per alteram venditur temporale beneficii, per aliam spirituale ultrò donatur: manifesta quidpiam est; ego sanè id fieri non posse, existimo, & supra luculenter, ni fallor, probavi; non hâc ratione ductus, quæ id liquidò non persuadet, sed quia jus ad temporale beneficii, nisi Ecclesia illud separet à spirituali, in titulo spirituali fundatur; igitur jus illud vendi non potest, nisi consequenter titulus ipse vendatur.

209. PITHANOPH. Nisi gratuita donatio, inquit, simoniaca censeatur, nullum amplius erit simoniæ crimen ab Ecclesia punibile; quis enim non dicat, se gratuitò donare, se non intendere æquationem temporalis cum spirituali?

210. ANTIM. Multiplex adhuc simoniæ materia restat; quot enim pacta quotidie simoniaca fiunt; nemperarò accidit, ut unus alteri fidem habeat, secluso omni pacto explicito, vel implicito; nec enim pacta rependendi aliquid ex gratitudine, fieri possunt: & verò, secluso omni pacto, nemo unquam dixerit, modò rem intelligat, gratuitam & puram donationem simoniacam esse; equidem prohiberi potest ab Ecclesia, ad arcendum simoniæ periculum, cum facilè præsumatur in foro exteriore, ex aliquo pacto profectam esse; sed quod importat simoniam juri divino repugnantem, nulla firma ratione probari potest.

211. PITHANOPH. D. Thomas inquit ita exhorruit simoniæ labem, ut maluerit, aliquem absque baptismo decedere, quàm tingi à simoniaco.

212. ANTIM. Hæc sanè nihil ad rem; exhorruit quidem Sanctissimus Doctor simoniæ crimen, utinam omnes exhorrescant; utrùm verò pecunia dari possit Sacerdoti, qui baptismum conferre non vult, nisi pretio, suprà cum communi Doctorum definitum est; injusta enim vexatio pretio redimi potest; in quo non est magna difficultas, sed hoc nihil ad rem, nihil ad gratuitam donationem.

213. PITHANOPH. Beneficiati, inquit, propter distributiones choro intersunt, non peccant tamen, quia publica autoritate iis assignantur.

214. ANTIM. Quasi verò publica autoritas simoniæ labem abstergat, hæc ratio nulla est; sed ideo simoniam non admittunt, quia non recipiunt illas distributiones titulo pretii, sed titulo stipendii, vel eleemosynæ; sed hæc etiam nihil ad rem.

215. PITHANOPH. Descendit deinde ad illud pactum initum inter Provincialem & Priorem, de quo supra, vultque, illud damnari per cap. *quæsitum*, item per extravag. cum detestabile; sed quia hæc jam supra diluta sunt, frustra repeteres; addit autem, omnem pactionem circa spiritualia prohibitam esse; si enim permutatio præbendarum, cur non quorumlibet officiorum, si spiritualia sint; præterea in prædicta *extravag.* fit mentio electionum indiscriminatim; denique per labem simoniacam, non tantùm intelligitur pactio pecuniaria, sed omnis alia, in qua fraus, dolus, & turpis negotiatio intercedunt.

216. ANTIM. Ab hoc ultimo incipio, quod falsissimum esse constat; alioquin quando quis dolo calicem furatur, simoniam admitteret; deinde sit quidem mentio electionum indiscriminatim, sed eas expresè Bulla restringit ad quælibet beneficia; præterea argumentum illud à pari non concludit in jure; quod autem omnis pactio circa spiritualia Ecclesiastica lege prohibita sit, ex dictis, falsum esse, constat; nihil ergo probant istæ rationes, sed petunt principium: stet igitur, prædictum pactum non subjici pœnis contra simoniam latis, si præfata officia beneficia non sunt; immo nullo modo esse simoniacum, etiam simoniâ jure Ecclesiastico inducta; quia solam beneficiorum permutationem Ecclesia ut

simoniacam prohibuit : non tamen nego, quin prædictum pactum iniquum sit, infami subornationis & ambitus vitio labrans, ac proinde gravissimâ pœnâ multandum ; sed nihil obstat, gravissimum crimen esse, licèt omni simoniæ labe careat : immo in quibusdam religiosis ordinibus excommunicationis pœnæ subjacet ; non nego etiam, oppositam sententiam, quæ gravium & multorum autorum est, valde probabilem esse ; hoc unum dumtaxat astruo, opinionem illam, quæ prædictum pactum simoniacorum pœnis eximit, nulla censuræ nota dignam esse, & multo minùs illam, quam supra exposui, scilicet ex suppositione, quod illa officia non sint beneficia, pactum illud non comprehendi in d. extravagante, nec in aliis juribus, quibus contra simoniacos pœnæ latæ sunt.

217. Pithanop. Nihil prorsus restat de proposito argumento discutiendum ; unum tamen excidit, quod raptim saltem indicari à te desidero ; scio, communem esse Doctorum sententiam, in simonia, parvitatem materiæ gravi peccato non eximere, ut in alio criminum genere ; vix tamen ab ullo audivi rationem, quæ faciat satis ; quæso, si quam habes singularem, indica.

218. Antim. Ita est, censent communiter autores, in simonia non dari parvitatem materiæ, quæ scilicet ut in aliis, à peccato mortali excuset, ita Navarr. consil. 52. num. 3. de simon. Reginald. lib 23. num. 166. Sanch. in Decalog. lib. 1. cap. 4. num. 1. & lib. 7. cap. 28. num. 8. & opusc. lib. 2. cap. 7. dub. 110. Laym. lib. 4. tract. de sim. cap. 8. §. 1. num. 4. Tanner. tom. 3. disp. 5. q. 8. num. 26. Thesaur. in prax. v. simon. cap. 1. Gibal. q. 18 consect. 8. num. 3. Suar. cap. 3. n. 4. rationes porro, quæ vulgò afferuntur, non sunt contemnendæ, v. g. quia 1. malitia simoniæ consistit in contemptu rei spiritualis formaliter sumptæ, non materialiter ; forma autem est indivisibilis. 2. quia nulla entitas spiritualis, re temporali ulla æstimari potest ; unde etiam in parva materia, res magna contemnitur à simoniaco, & magna est injuria. 3. non modò parvitas pretii non excusat, sed aggravat culpam & injuriam. 4. nullum donum gratiæ quantumvis parvum videatur, sine gravi irreverentia vendibile est ; quia vendi non potest sine contemptu, nec contemni sine gravi peccato.

219. Pithanoph. Jam mihi videtur formari posse demonstratio ; omnis contemptus Dei, vel rei divinæ est peccatum grave ; omnis simonia est contemptus Dei, ergo est peccatum mortale ; de majore nemo dubitat ; hinc res minimæ, si contemptus adsit, peccatum mortale faciunt ; minor est etiam evidens ; quia æstimare rem spiritualem pretio, non modò infimo, sed tali, quod nullam habeat proportionem, est revera illam contemnere, v. g. gemmam pretiosam obolo vendere.

220. Antim. Rem tangis acu, nam si quis emat rem 20. aureis æstimatam, 16. aureis, infimo scilicet pretio, non peccabit ; si verò 10. haud dubiè peccabit contra justitiam ; si 8. vel 5. adhuc gravius peccabit ; hinc crescit gravitas peccati, ex decremento pretii ; ita prorsus, quidquid temporale detur pro spirituali, minus datur ; igitur non minuitur delictum, quamvis minuatur pretium ; igitur non eximit culpæ gravi parvitas materiæ.

221. Pithanoph. Sed in aliis sacrilegiis parvitas materiæ excusat.

222. Antim. Ita est ; quia sacrilegium, vel est merum adjunctum, ut cum quis furatur in Ecclesia ; vel est de se res levis ; at simonia cum sit venditio rei sacræ, quamdam quasi blasphemiam importat ; quisquis enim vendit spirituale donum, facto vel in actu exercito profitetur, esse rem pretio æstimabilem, quæ est blasphemia.

223. Pithanoph. De his ni fallor satis ; congressui finem imponere possumus.

224. Antim. Per me licet, jam enim rem hanc tractare diutiùs pudet.

225. Pithanoph. Utinam proscribere liceret, & in orcum detrudere cum Simone parente, monstrum illud simoniæ.

226. Antim. Optandum illud potiùs quàm sperandum ; præsertim cum legibus omnes continere non possint.

227. Pithanoph. Mali fontem & originem digito indicas ; licèt enim feriant altos fulmina montes, nonnulli tamen ejusmodi fulminibus sublimiores sunt ; sed quæso parce ; nihil enim dicià te potest de hoc argumento, quod publicum non sit.

228. Antim. Rectè mones ; sed quod miremagis, illi præsertim contra simoniacos, illosque autores, qui de simonia scripserunt declamare necessant ; illud satis solemne est, ut adulter adulterum & latro latronem accuset ; hinc illud *Clodium accusat mœchos, Catilina Cethegos*, de quo jam alias.

229. Pithanoph. Intelligenti pauca ; sed præscribamus futuro congressui argumentum ; nisi secus sentias, vellem ageremus de justæ defensionis jure ; hæc materia haud dubiè multa discutienda præbebit.

230. Multa sanè sed quædam leviore manu ; ita hoc congressu factum à me fuit, in quo unum, vel alterum pressiùs & fusiùs discussi, de quo præsertim controversia instituta fuerat ; reliquis vel omnino prætermissis, vel tantùm obiter indicatis, valeigitur mi Pithanophile ; & si quæ argumentorum reliquiæ, ab illo tuo Doctore tibi suggestæ restant, has eas in memoriam revoces.

231. Pithanoph. Faciam ut mones ; & brevi adero, vale Antime.

DIALOGUS XVI.

IN QVO

Nonnullæ controversiæ de justæ defensionis & compensationis jure discutiuntur.

1. Pithan. VErsamur in lubrico Antime ; & valde dubito, utrùm expediat designatum aggredi & prosequi argumentum ; plena res est periculi & aleæ ; & quacumque inclines, undique angustiæ.

2. Antim. Quis tamdem pavor te pulsat, charissimum caput ? quid quæso aleæ ? quid periculi ? quid angustiarum ? quid tibi velis, conjicere animo non possum.

3. Pithanoph. Fortè nescis, quantam rumorum vim hæc controversia pepererit, quæ tempe-

tempestates atque procellas adversus miseros Casuistas concitarit, perinde quasi essent homicidiorum, latronum, & calumniatorum Patroni ac defensores; vereor ut cicatricem jam fere obductam refricem, & novam suggeras materiam turbarum.

4. ANTIM. Nihil hæc omninò, aut certè parum me movent; rem hanc discutio, perinde atque nemo unquam de illa scripsisset disputassetque; remoresque & turbas, ut tu ipse apprimè nosti; unus me trahit veritatis amor; quare operam meam tuique partium gratam futuram facilè mihi persuadeam; ut enim laxiores quasdam de hoc argumento quopiam recentiore Casuista vel excogitatas, vel ex tenebris in lucem reductas opiniones non probo, sed impugno acriter, & ab usu & praxi prorsus abscribo, ita communes & tritas à doctissimis & piissimis hominibus traditas, defendo ut tutas, & ab omni censuræ nota vindico.

4. PITHANOPH. Zelum & studium tuum nemo laudare non potest; vix tamen adduci possum, ut credam, iis gratum fore, qui doctrinam Casuistarum hujus temporis adeò infectantur, ut eam non modò à veritate, verùm à recta fide desciscere velint.

6. ANTIM. Altercantibus non sine contentionis studio condonandum est, si quid acre aliquando, si quid acerbum & perperam dictum iis excidat inter disputandum; mens enim disputationis æstu labefactatur, & per inconsiderantiam ea sæpe dicuntur & abiis defenduntur, quæ nunquam alias, remisso calore, propugnare voluissent; extremitates odi, ut tute scis; & ut recentiorum quorumdam doctrinam non probo, qui tollunt peccata mundi, quod lepidè iis exprobratur, ita nec aliorum rationem meo calculo donare possum, qui peccata plus æquo multiplicant & nimium exaggerant leviorum quorumdam gravitatem; apud ipsos nulla culpa venialis est; attrito nulla sufficit; nullus prodest actus à pura charitate non profectus; nullus injustæ defensionis, quamvis alioquin justæ suffragetur; nulla defensio justa; nulla compensatio licita; nulla donatio non simoniaca; nullus contractus non usurarius; nulla fere confessio valida: quis tantum inde rigorem, inde lentorem approbet; hos certè non abs similes iis dixeris, qui per convexam crystallum, quam lentem vocant, objectum aliquod spectant, quod incredibiliter inde augetur; illos veteris, qui ad hunc finem vitro cavo utuntur, quod idem objectum valde imminuit.

7. PITHANOPH. Nondum planè animus acquiescit, cum adhuc ingens difficultas in hoc argumento esse videatur; in quo non agitur de qualibet defensione, sed de illa, quæ justa est, & quam justam esse, certò constet; justitia autem medium rei, ut vocant, non rationis exigit, quod sanè inventu difficillimum est, cum in individuo positum sit; ut oppositam ab injusta defensione discernas, res profectò est difficilioris operæ, nec adeò proclive, veritatem obtineas; multa enim, & fere innumera sunt in examen vocanda & maturè ponderanda sunt.

8. ANTIM. Rem difficilem esse ultro admitto, non tamen hic ullam difficultatem insuperabilem videre deprehendisti; & ne diutiùs in limine hæreamus, negabis, opinor, aliquam defensionem justam esse, cum enim aliqua sit offensio injusta, per quam alteri lædatur, indemne jus suum servare, cuique licebit; nempe vim injustè illatam justè repelli posse, dum id debito modo fiat, lex omnis, omnis ratio, omnium gentium linguæ prædicant; hæc notio, non studio & arte comparata est, sed à natura nobis initio indita, quâ duce, & cujus instinctu, vim vi repellere didicimus, modò hæc injustè illata sit; nam justè illata toleranda est, non vi repellenda.

9. PITHAN. Privato igitur cuilibet vindictam repetere liceret, & illatam injuriam vindicare, quod nemo tibi concesserit; cum Deus vindictam omnem sibi reservarit, & justitiæ vindicativæ potestatem & usum publicis magistratibus & administris tradiderit.

10. ANTIM.. Absit, ut hoc à medici existimes, quod sanctis naturæ legibus juxta atque religionis Christianæ instituto adeò adversatur; sed ut mentem meam capias, jus illud omne, quod in me est, & ab alio violari ac lædi non potest, nisi mihi fiat injuria, idem enim est, injuriam alteri facere, & jus illius lædere, aut violare; jus, inquam, omne meum aliquod objectum, ut vocant, supponit, quod mei juris sit; illud autem est, vel intrinsecum quid, ut vita corporis & animæ bona, liber & honestus saltem naturalium facultatum usus, libertas, pudicitia, corporis integritas, vel extrinsecum, ut bona fortunæ, honor, dignitas, fama, officium, Parentes, amici, uno verbo illa omnia, quæ ad vitam honestè ducendam mihi necessaria sunt, quorum jus & dominium, aut saltem liber usus mihi sit: quisquis ergo vitam, aut libertatem, aut pudicitiam mihi per vim eripere tentat, vim mihi inferre dicitur, quam, si aliter evadere, ac mei juris indemnitati consulere non valeo, vi quoque repellere possum; neque hoc est vindictam sumere; hæc enim & illatam injuriam supponit, & per se tendit ad illius pœnam, qui jam injuriam intulit; sed justæ defensionis jure uti, ad vim injustè illatam repellendam; & ut hoc confirmem clarissimo exemplo, si quis per vim attentat mihi brachium abscindere, pudicitiam violare, possum hanc vim repellere, id est impedire, ne mihi brachium abscindatur, vel pudicitia violetur, idque justæ defensionis jure; alioquin jus illarum rerum mihi non est, cujus indemnitati consulere nefas sit; illum autem justæ defensionis finem mihi propono, in quem directa fertur intentio.

11. PITHANOPH. Sed si aliquod malum inde alteri creatur, nunquid non erit vindicta? negari enim non potest, quin hæc vis illata injusta sit, ac proinde tibi fiat injuria, & jus tuum lædatur; nempe jus habes, ne lædatur jus tuum; igitur alteri malum creare, vindicta est.

12. ANTIM. Non vindico primam illam injuriam, vel injuriæ principium, quam is mihi facit, qui me aggreditur, ut majorem inferat injuriam, v. g. ut abscindat mihi brachium; sed impedio, repellendo vim vi, ne majorem illam injuriam inferat; & licèt inde aliquod injustè aggredienti malum contingat, non tamen illud directè intendo, sed justam duntaxat mei defensionem ac juris mei indemnitatem, ex qua indirectè & peraccidens malum aggressoris consequitur.

13. PITHANOPH. Illa intentio nonnullis valde suspecta est; imò bilem & stomachum movet; cum scilicet rectæ intentionis obtentu pessima quæque, injusta, impia & illicita homines admittant; si enim quæras à Judice, qui damnat insontem; à magistratu, qui justitiam vendit; à Principe qui subditos injustè vexat atque opprimit; à publicis administris, qui rem-

rempublicam expilant; hoc clypeo rectæ intentionis illico se tegent; Judex enim directè intendit justam sententiam ferre; Magistratus ex gratitudine aliquid accipere; Princeps suo jure uti; publici administri Principis jura tueri; atque ita per accidens, insontem damnari, justitiam vendi, populum opprimi & expilari remp. sic aliquis pro beneficio collato pecuniam accipit non quidem pro spirituali, sed pro temporali; alius lucrum ex mutuo, non quidem vi mutui, sed propter molestiam, quam privatio pecuniæ affert; hic jejunium Ecclesiasticum non servat, ut consulat sanitati; ille aliena surripit, quia fingit sibi deberi; alter hostem è medio tollit, quia timet ab illo è medio tolli; vides quot mala pariat illa tua recta intentio.

14. Antim. Cur hæc iterum oggeras mirari satis non possum; nulla enim recta intentio turpem & malam actionem honestat, nisi per inculpatum errorem & ignorantiam invincibilem, ut vocant; non ignoro, multos esse, qui excusationes in peccatis quærunt, & rectæ intentionis nomine, iniquam fraudem prætexunt, ut in exemplis à te allatis manifestum est: at nullum est dubium, quin eadem actio ex se bona, vel indifferens, à diversa intentione ac diverso fine diversum vultum ac diversam bonitatis, vel malitiæ speciem induat; Judex reum punit ex privati odii fine, justa ex se actio est, sed eam sinistra intentio dehonestat; nonnemo Virgini eleemosynam porrigit, pravo animo voluptatis; optima est actio, sed malus finis eamdem inficit; sic accipio lucrum ex pecunia, sed justo & legitimo titulo, nemo jure dicat usuram esse; idem prorsus dico de simonia, ut constat ex iis, quæ de utroque argumento fusè disputavimus: & ut ad rem nostram, intendo meum jus indemne servare, ab alio per vim injustè attentatum; quid ni amabò possim me meaque servare, illudque directè intendere, licèt per accidens, malum attentantis consequatur; nec enim me defendo ut illum offendam, alioquin directa esset offensionis intentio; sed illum offendo, ut me defendam, quæ est directa intentio defensionis; neque velim, putes, hoc à me gratis excogitatum fuisse; hæc expressè habes apud Cajetanum in summ. verbo *Homicidium* illi enim, inquit, homicidii rei sunt, qui seipsos defendendo alios occidunt; id est, ideo se defendunt, ut occidant, vel non sunt defensione contenti, nisi occidant; cùm solummodò in foro conscientiæ liceat eis occidere per accidens, hoc est ideo occidere, quia se defendunt, & quia non possunt aliter se defendere nisi occidant; addit autem idem Cajetan. occisionem homihis per accidens ex duplici capite illicitam esse posse, scilicet ex immoderata defensionis actione, & ex negligentia; nempe, ut vulgò ajunt, moderamen inculpatæ tutelæ esse debet; non solùm autem se ipsum, sed & proximum & res suas defendere licet; licet enim ex Ambrosio tuendo occidere injuriam irrogantem, tuendo, inquit, membrorum libertatem & integritatem, & similiter necessaria ad vitam & virtutem; item res suas & suorum; & notabis, inquit, verba Ambrosii, quæ universaliter de injuria loquuntur: hucusque quasi ad verbum Cajetanus; ex quo vides, directam illam intentionem in propriam eamque moderatam & necessariam defensionem ferri, ex qua per accidens offensio injusti aggressoris consequitur: & verò nusquam verius, aut clarius Cajetanus scripsisse mihi visus est; & miror, hæc à te, aliisque, quos appellasti, non capi, cum jam non modò probabile, & longè probabilius, verùm etiam omnino certum esse mihi videatur.

15. Pithanoph. Summoperè placent ea, quæ ex Cajetano recitasti, quem in rebus moralibus magnifacere soleo; at si authoritas publica interponi potest, ad repellendam vim injustè illatam, pravatam, opinor, adhibere non licet; nemo enim in propria causa Judex est, in iis præsertim regionibus, in quibus Reges, Magistratus, & leges societatis publicæ jura moderantur.

16. Antim. Nemo negat, autoritatem publicam institutam esse ad justitiam administrandam; hæc autem singulorum indemnitati consulit, & privatorum jura salva tectaque servat; aut si jam injuria cuipiam irrogata fuit, eidem fieri satis, jubet, ea, qua par est, compensatione; immo criminum vindex est, & meritis pœnis reos afficit, quarum terrore, cæteros continet in officio; fateor igitur, nunquam vindictam sumi posse privata autoritate, quod sanè divinæ legi repugnat, in iis præsertim regionibus, in quibus aliqua politiæ & legum ratio viget; nunquam etiam compensatio privata autoritate facienda est, quæ scilicet publica fieri possit, vel quam ultro debitor offerat; si demum ejusdem autoritatis publicæ opera, vis, quæ injustè infertur, repelli potest, à privata etiam defensione abstinendum, quæ nunquam à privato adhibenda est, nisi ad repellendam vim injustè illatam, necessaria sit; non est autem necessaria, si publica hujus incommodo facilè & maturè occurrere possit: cæterùm si publica autoritas adhiberi non potest, ut me defendam, & mea, privata haud dubiè accersenda est; v. g. si quis infenso telo me aggrediatur, ut mihi vitam eripiat, aut brachium abscindat, aut vulnus quodlibet infligat, nullum jus vetat moderatam defensionem; moderata autem est, si necessaria est, & aliter injuria vitari nequit.

17. Pithanoph. Sed cur autoritati publicæ id muneris non relinquitur, ut pro illata injuria justam compensationem, vel ut vocant, satisfactionem, seu reparationem parti læsæ adjudicet.

18. Antim. Jura confundis Pithanophile; nempe ubi illata est mihi injuria, habeo jus repetendi justam reparationem; & ut hoc jus indemne servetur, autoritas publica adhibenda est, si tamen id fieri possit; at ubi nondum illata est injuria, quamtamen injustus aggressor inferre parat, atque attentat, habeo jus, ne hæc injuria mihi inferatur, & cum hic autoritati publicæ non sit locus, privatâ haud dubiè illatam vim repellere possum, & impedire, ne injuria mihi inferatur; & licèt ad arcendam & repellendam vim, vel injuriam impediendam, aliquod inde malum injusto aggressori creare à me contingat, hoc sanè, ut dixi, per accidens fit; neque illud intendo ut finem directè, sed ut medium, ad justam & moderatam defensionem necessarium.

19. Pithanoph. Optimè video, autoritatem publicam accersi non posse, saltem ut plurimum, ad injustam vim repellendam, & in hoc, mihi factum est satis; unum est, quod satis capere non possum; & ut melius exponam, id quod mihi difficile videtur, in exemplo rem pono; suppone, aliquem esse injustum aggressorem, qui tibi vitam eripere attentet; ut autem illatam vim repellas, hominem occidis; do enim ultro, hoc necessarium fuisse ipsi defensionis medium; his suppositis, non video, quid compenset vita hosti erepta; cùm enim tu ipse vitam non amiseris, quid quæso compensat vita illi erepta? equidem si te occidisset, autoritate publica occidi potuisset, ut morte sua, tuam compensaret; immo quod tibi vitam eripere

eripere injustè attentarit, autoritate publica plecti possit, non tamen privata; nemo enim judex in propria causa esse potest.

20. ANTIM. Non ad compensationem ullam, injustus aggressor occiditur, sed ad meram defensionem: alioquin is, qui occidit, directè intendere posset mortem alterius; cum justa compensatio intendi nequeat. Pura igitur defensio intenditur, ex qua indirectè, ac per accidens, mors aggressoris consequitur; porrò distinguas velim jam illatam injuriam ab aggressione, quis enim neget injuriam illi inferri, quem impunè aggredi tur? distinguas, inquam, velim, hanc injuriam jam illatam ab inferenda; hoc est, ab ea, quam injustus aggressor inferre attentat; quod ad primam attinet, privata autoritate compensationem exigere nequit, ut patet, & jam supra dictum est, & ad illatæ injuriæ sese amplius tueri non potest, nec obtinere ut jam illata non sit; jus ergo defensionis eò non spectat, nec ut ajunt, illatam injuriam respicit, sed inferendam, quam ne quis accipiat, jus habet; ac proinde ideò se defendit, ne prædicta injuria inferatur: si justa & inculpatæ defensionis ratio postulat, ut aggressor occidatur, per accidens occiditur, ut se non nisi sic defendit, ut occidat; sed occidit, ut se defendat.

21. PITHANOPH. Licita est justa defensio, fat scio; sed valde dubito, utrùm justa sit, quando cum aggressoris morte conjungitur.

22. ANTIM. Si per se conjungitur, tecum sentio; si verò per accidens, non video, quis tibi non refragetur, vel enim teneris vim vi non repellere, nec te defendere contra injustum aggressorem, qui vitam tibi eripere attentat; vel non teneris; si primum dicas, ille igitur nullam injuriam tibi facit; cum teneatis illam minimè arcere; sed hoc dictu ridiculum est: si verò secundum, jure igitur impedire potes, ne tibi vitam eripiat, hoc est totum id præstare, quod necessarium est, ne ab injusto aggressore occidaris; at nisi illum occidas, te occidet; suppono enim, ejusmodi casum esse, ut alterum è duobus futurum sit; justa est igitur defensio, licèt cum morte alterius per accidens conjungatur.

23. PITHANOPH. Dubitarem sanè, utrùm ad arcendam quamlibet injuriam, defensio justa sit; quandoquidem cum aggressoris morte, aut damno gravi conjuncta est.

24. ANTIM. Arcere quamcumque injuriam licet, non tamen quamlibet cum aggressoris morte; hæc enim res sit gravissimi momenti; haud dubiè arctissimum illud medium, ad levem finem obtinendum, id est, mortem aggressoris ad levem injuriam arcendam, adhiberi posse, non crederem; nempe christiana charitas vetat, adeo grave malum pro quovis leviori, ad leve damnum removendum: justum quidem est, ut damnum illud ab aggressore non patiaris propter injuriam esse non nego; eumque meum affecto, ad illatum tibi damnum resarciendum: dico tamen, inhumanum esse, pro levissimo damno fugiendo, aggressorem injustum licèt, illud interim attentantem interficere; si autem inhumanum sit, multo magis christianæ charitati adversatur.

25. PITHANOPH. Mentem meam illico assecutus, charitati, quam proponere meditabar, occurristi; occurristi inquam, non tamen illam opinor expedivisti es, immo potius auxisse; nempe illud grave & deterrens spectum, ut ajunt, vel comparationem quandam dicitur; ac proinde omnis fere injuria, quam injustus licèt aggressor inferre parat, si cum morte aggressoris comparetur, levissimum quid esse videtur; nunquam igitur, vel rarò admodùm, justæ defensionis jure, injustum aggressorem occidere licebit.

26. ANTIM. Hoc, ni fallor, ex assertis à me non sequitur; scilicet, nunquam ferè injustum aggressorem occidi posse; illud unum tantummodò sequitur, occidi non posse, ad levem injuriam arcendam; quis autem dicat, omnem ferè injuriam levem esse.

27. PITHANOP. Non dico, levem esse absolutè; sed si cum morte alterius comparetur.

28. ANTIM. Neque hoc tibi facilè concesserim; alioqui vix unquam autoritate publica capitis pœna rei plecti possent; cùm enim pœna justam cum delicto, seu culpa proportionem habere debeat, si homicidii crimen excipias, nulla fere alia injuria illatæ inferentis morte puniri posset, si ea, quæ dicis, tibi concedantur; cum igitur aliæ injuriæ, ut furtum, atrox calumnia, & contumelia, mutilatio, aliaque id genus plurima capitali supplicio expientur, multæ haud dubiè graves injuriæ censendæ sunt, citra homicidium.

29. PITHANOP. Non dubito, quin leves etiam injuriæ ratione boni publici gravioribus pœnis à magistratibus plecti queant; v.g. furtum, etiam parvum; nisi enim vel milites, vel fures hujusmodi pœnarum metu deterrerentur, humanæ societati pessimè consultum esset: sic magistratus prohibet aliquando sub capitis pœna, ne certa quædam armorum genera gestantur, quæ alioquin impunè ferri possent; sed ratio boni publici facit, ut gravia censenda sint, quæ per se ipsa levia essent.

30. ANTIM. Confundis Pithanophile mi varias delictorum species; nempe fieri potest, ut idem scelus, tum justitiæ, tum obedientiæ adversetur, & leve sit, ratione unius, grave autem ratione alterius; v.g. Dux exercitus edicto publico prohibuit sub pœna capitis, ne quis militum vel minimum quid furetur; furatur quis gallinam; hic crimen admisit contra justitiam leve, contra obedientiam grave; nempe gravis obligatio oritur vel ex mente graviter obligantis, vel ex gravitate materiæ; mens autem graviter obligantis innotescit, vel ex formula præcepti, vel ex gravi pœna, cui delinquens subjicitur; lex autem omnis ad bonum publicum spectat; sed huc etiam pertinet jus illud propriæ defensionis, ad arcendam injustam vim; nisi enim hoc liceret; quis amabò tutus à sicariis & prædonibus esse posset.

31. PITHAN. Rem ni fallor intelligo; quisquis enim justæ defensionis jure injustè illatam vim repellit, autoritate publica id facere censetur; cum leges hoc ipsum permittant, eumque quasi publicum administrum esse velint.

32. ANTIM. Non ita est, ut dicis; nisi etiam nomine legis naturalem illam intelligas; nempe hoc jus à natura nobis inditum est, ut vim injustè illatam repellere possimus, etiam cum aliquo injusti aggressoris damno, minimè tamen directè intento, & juxta illum modum, quem supra exposuimus: quemadmodùm enim magistratus publica autoritate instituti, possunt in pœnam delicti reos ad mortem damnare: nempe homo sociabile animal est; natura autem societatis publicæ id postulat, ut pœnarum metu, improbi à flagitiis deterreantur; ita prorsus ratio privati & publici boni postulat, præcisâ, ut ajunt, omni lege humana, ut quilibet privatus, etiam

privatâ autoritate, si publicâ fieri nequit, injustè illatam vim repellere licitè valeat; idque sine ullo injusti aggressoris damno, si fieri queat; secus verò, si aliter, in justè illatam vim arcere non potest: suppono autem, rem totam eâ moderatione fieri, quæ id tantùm damni injusto aggressori creari permittat, quod ad vim repellendam omnino necesse sit, idque non per se, sed merè per accidens.

33. PITHANOP. In hanc sententiam facilè descendo, quod scilicet jus illud justæ & moderatæ defensionis à natura nobis comparatum sit, & per leges positivas ut ajunt, expressum deinde, ac meliùs declaratum; neque in hoc, meo saltem judicio, ulla difficultas restat; illud tamen difficilioris est operæ, ut sciamus, quo usque gravioris injuriæ ratio ac mensura extendatur, ad quam scilicet fugiendam atque arcendam, injustus aggressor mutilari, vel occidi possit, si aliter vis illata arceri nequeat; cum enim, ut supra prudentissimè monuisti, ob levem injuriam arcendam, injustus aggressor occidi non possit, quod & Christianæ charitati, & humanæ societati adversatur; nempe debet esse aliqua proportio inter utrumque damnum, illud scilicet, à quo justus defensor se liberat, & illud, quod injusto aggressori justæ defensionis jure infertur, ne ultrà noceat; difficile mihi videtur, justam illam gravis injuriæ mensuram definire.

34. ANTIM. Difficile sanè; & vix ausim privato calculo rem decidere; quia hoc argumentum, si quod aliud, maximè lubricum est; cum enim homines iræ & odii impetu ad propriam defensionem, saltem ut plurimùm, abripiantur, fræno potiùs severioris sententiæ retinendi sunt, quàm mollioris calcaribus stimulandi: in hoc igitur argumento, certis dumtaxat & probabilioribus sententiis, scilicet in praxi, standum esse puto; nempe maximi momenti res est, si quæ alia; illud autem æquè dictum esse velim pro iis, qui autoritate publica ultimo supplicio reos multari jubent, ac pro iis, qui ad arcendam vim injustè illatam, justæ defensionis jure, injusto aggressori vitam eripiunt; nempe cum quilibet sit in possessione suæ vitæ, nullus judex eum prædicto jure deturbare debet, nisi justitia vindicativa certum jus mortis concedat, plenâ omnino probatione firmatum; taque & factum certum esse debet, ne pœna certa incertum delictum excipiat; quod revera injustum esset; item crimen illud extremo supplicio dignum, & lex illa evidenter justa, qua prædicta pœna decernitur; nec enim publici magistratus in corpora & vitam hominum pro sua libidine sævire possunt, nec torquere aut macerare ad libitum; tanti est, alium hominem fratrem nostrum, non dicam è medio tollere, aut mutilare, sed vel leviore convicio excipere, ut illud gehennæ pœnâ, judice Christo, dignum censendum sit; dico igitur, certis dumtaxat & probabilioribus sententiis, in praxi standum esse, quando agitur de homine interficiendo, vel mutilando, quacumque tamdem autoritate id fiat.

35. PITHANOPH. Jam recedis ab illa tua regula generalissima, quam in primo nostro congressu impensè firmasti, scilicet quamlibet opinionem, etiam minùs probabilem in praxi tutam esse; si autem in praxi tuta est, cur probabiliori dumtaxat in hac materia standum esse definis?

36. ANTIM. Mentem meam minimè assecutus es videris; nempe illam tantummodò probabilem in praxi tutam esse dixi, quam certò constat, probabilem esse; si quæ sunt aliæ probabiliter dumtaxat probabiles, illas speculativè non practicè probabiles esse ostendi; hic enim modus explicandi opiniones speculativè tantùm probabiles, cæteris præferendas esse videtur: quod autem judex in plectendis hominibus & capite multandis, opinionem minùs probabilem sequi possit, opinio certò probabilis non est, ac proinde speculativè tantum probabilis; igitur in praxi minimè tuta: idem dico, quando agitur de vita proximo eripienda justæ defensionis jure, juxta minus probabilem opinionem, quam tamen multi ex primariis autoribus probabilem esse, inficias eunt; hæc enim certò probabilis non est; igitur speculativè tantùm probabilis igitur in praxi non tuta: Viden quò tandem illa reducatur; nempe in hoc argumento, minùs probabilis opinio, quæ scilicet homicidio favet, certò probabilis censenda non est; & verò propter reipublicæ utilitatem, Doctores ita sentiunt, ut probabilioribus standum esse definiant.

37. PITHANOP. Vix crediderim, nullam esse opinionem minùs probabilem in hac materia, quæ certò probabilis sit; alioquin eodem jure id adstruent in quolibet alio argumento, quotquot asserunt, teneri nos ad probabiliorem; vix scio, quomodo nodum istum solvere possis.

38. ANTIM. Crede mihi, si nodus est, Gordius non est; nempe, ut paulò post evincam, ad arcendam gravem injuriam, per injustam vim inferendam, jamque attentatam, vim illam repelli posse, justa defensionis animo & jure, cum debito scilicet moderamine, longè probabilior est opinio; ac proinde opposita minùs probabilis est; hæc autem homicidio non favet: si quæ porro favet homicidio, & minùs probabilis est, certò probabilem non esse, infra ostendam; ac proinde speculativè tantum probabilem.

39. PITHANOP. Intelligo, quid tibi velis, scilicet, nullam esse opinionem certò probabilem, quæ homicidio faveat.

40. ANTIM. Mentem meam non assequeris; nunquam enim dixi, nullam esse opinionem certò probabilem, quæ homicidio faveat; fuit enim aliquæ certò probabiles, quæ homicidio favent; quis enim neget, ad defensionem vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, hominem occidi posse? hoc unum dico, nullam exhis esse, quæ sit minùs probabilis; nempe luculenter ostendam infra, ad arcendam gravem injuriam, hominem occidi posse, si aliter arceri non possit, scilicet privatum & injustum aggressorem, idque juxta opinionem longè probabiliorem; sed ubi singillatim rem hanc discutiemus, quid mihi velim, melius intelliges.

41. PITHAN. Longa discussione opus non est; vis enim primo loco, ad defensionem propriæ vitæ hominem occidi posse, idque esse probabilius.

42. ANTIM. Nemo certè neget, probabilius esse; immo certum esse, facilè crediderim; in hoc omnes Doctores conveniunt, si forte unum nescio quem Augustinum de Ancona excipiam, qui docet, non esse licitum, injustum invasorem occidere, sed solum permissum; reclamant tamen omnes alii, & leges omnes juraque omnia clamant, injustam vim licitè repelli posse; de legibus Cæsareis nihil dico, quæ forte in hoc habenas plus æquo laxant, Canonicæ

biæ omnino sufficiunt, ut cap. *si verò*, de sententia excommunicat. cap. *significasti*, de homicidio, & aliæ passim D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 4. hoc expressè docent, cumque reliqui omnes sequuntur, tum antiquiores, tum recentiores; si enim vis ulla unquam injustè illata, repelli à nobis potest, illa profectò est, quæ vitam nostram attentat; scio, nonnulla opponi; v. g. illud Matth. 26. ubi Christus Petro ad defensionem gladio se accingenti hæc verba dixit, *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*; quæ si ad literam intelligenda essent, nullum unquam bellum justum esset, nulla ferri tractatio justa; hanc igitur formulam, Christus Petrum monere voluit, ut nec aliique discipuli à ferro abstinerent contra milites & satellites tunc in eum irrumpentes; illud item Pauli ad Rom. 12. *non vos defendentes*, facilem admittit explicationem, nempe illud *defendere* pro *ulcisci* accipitur, ut patet ex Græco *ἀμυνόμενοι*; parumodo solvitur quidquid ex sanctis Patribus opponitur; nam hi loquuntur vel de vindicta, ut Cyprianus & Cyrillus Alex. vel de defensione non necessaria, ut Ambros. vel de aggressione & periculo excessus odii, itæ ac debitæ moderationis, ut Augustinus.

43. PITHAN. An fortè certam putas hanc sententiam, quà dicis, pro defensione vitæ, hominem interimi posse; an verò tantummodò probabilem, quamvis aliquin probabiliorem.

44. ANTIM. Certam moraliter puto; quia omnes leges, omnia jura hoc clamant; omnes scholæ, Doctores omnes hoc docent; ratio demùm perspicua hoc demonstrat; si enim jus alterius injustus aggressor violat, in re tanti momenti, idque per vim injustè illatam, hanc certè, si omnino necesse sit, *ad jus indemne* servandum, licitè repellere potest; alioquin jus cuique suum indemne servare non liceret; quo certè nihil iniquius pronunciari potest; suppono autem hominem in eas angustias redactum esse, ut nisi se defendat, vitam amittere cogatur.

45. PITHANOP. Nonnulli tamen ex Patribus contrarium sentiunt, ut Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. ubi legem quidem non reprehendit, quæ tales jubet interfici, non tamen invenit, quomodò illos, qui interficiunt, defendat.

46. ANTIM. Malim explicare Augustin. cum Tolet. in cap. 5. Matth. q. 109. itemque alios Patres, quàm ut contradicentes refellere; noluit Augustinum inculpatum esse coram Deo, qui animo directo injustum aggressorem occidit; nec enim is cui vis injusta infertur, aliud intendere potest, quàm propriæ vitæ defensionem, & vis injustæ repulsam, si quod inde injusto aggressori damnum infertur, hoc certè per accidens est, & præter intentionem directam, quæ ad propriam dumtaxat defensionem spectat.

47. PITHANOPH. Sunt etiam nonnulla argumenta, quæ fortè nonnihil probabilitatis oppositæ sententiæ conciliant; nisi secùs jusseris, illa breviter exponam.

48. ANTIM. Permelicet; at nisi fallor, nihil proferet, quod jam centies discussum & refutatum non sit, adduci posse putarim.

49. PITHAN. Christi charitas postulat, ut salutem animæ proximi, corporali vitæ nostræ præferamus, quæ Augustino teste aliquid vile & contemptibile est. At injustum aggressorem interficere possum, nisi ejus anima, æternis cruciatibus addicenda ad orcum detrudatur; is enim moritur in statu peccati mortalis, ut ajunt.

50. ANTIM. At si injustus aggressor non sit mentis compos, sed phreneticus & insano furore actus, dum mihi vim infert, non peccat: deinde si me, quod absit, lethlis noxæ conscium ac reum sentiam, nunquid propriam animæ salutem, saluti alienæ præferre non possum: præterea non intendo damnationem injusti aggressoris, sed propriam dumtaxat defensionem, ex qua licèt per accidens illa sequatur, ille sibi imputet, non mihi; potuit enim desistere ab injusta illa violentia; sic qui ob bonum finem condit legem, illorum criminum causa dici non potest, quæ contra legem patrantur, quia illa non intendit, immo contrarium intendit; scilicet, ne patrarentur; quamvis fortè patranda prævideri; ita prorsus, dum vim repello, cum debito moderamine, non intendo mortem aggressoris; quin potius intendo, ut cesset atque desistat & vivat; & quod ipse nond esistat, hoc maximè mihi displicet, & intentioni meæ repugnat; sed nulla in hoc difficultas: quòd dicebas, vitam nostram aliquid vile esse, ut facilè concesserim, si eam cum æterna animæ vita compares; ita falsissimum reputarim, si cum aliis temporalibus conferas; quid enim ereptâ vitâ præter animæ salutem restat, saltem quòd præ illa habendum sit; crede mihi, maximum Dei beneficium est, quod te diu incolumem servet; si quis amissam oculorum lucem, per singulare miraculum tibi restitueret, quid si vitam? quanto ille beneficio te sibi obstrictum haberet! si verò aliquis per injustam vim oculos tibi erueret, quantam amabò illatæ iniuriæ gravitatem apud te reputares; quid si vitam eriperet? denique si res adeo vilis est, cur tam atrocibus pœnis justæ leges illos plectunt, qui prædictas iniurias inferre non dubitant; nempe illorum crimen ab iniuriæ gravitate censendum est; & pœnæ gravitas criminis gravitati congruit; itaque hæc ratio declamatoris potiùs, qui rem exaggerat, quàm solidi Theologi, qui rectæ rationis & veritatis momenta ritè ponderat, esse videtur.

51. PITHANOPH. Ut quis se defendat, adulterium committere non potest; igitur nec homicidium, cum utrumque naturæ legibus æquè repugnet: hoc argumentum est Augustini de Ancona, & verò in Decalogo æquè absolutè legimus, illud *non occides*, atque illud, *non mœchaberis*.

52. ANTIM. Hoc argumentum nullius momenti est, cum sit disparratio; nam occidere hominem aliquando licet, publica saltem autoritate; adulterari verò nunquam licet; unde liquidò constat, non quamlibet occisionem in decalogo prohiberi, sed illam dumtaxat, quæ injusta est; injusta autem illa esse non potest, quæ ex iusta & moderata propriæ vitæ defensione per accidens consequitur.

53. PITHANOPH. Pro defensione honoris, qui vita carior est, non licet hominem interficere; igitur nec pro defensione ipsius vitæ licebit; hoc pio argumento aliqui recentiores utuntur; invertunt enim crudele illud, ut vocant; pro servanda vita licet, igitur & pro servando honore, quem multi vitæ præferendum esse ducunt.

54. ANTIM. Hoc etiam eiusdem furfuris est, nec magnopere timendum; cum & falso antecedente constet, & falsâ consequentiâ; nempe, ut paulò post dicam, etiam pro defensione veri honoris, ad arcendam scilicet gravem contume-

liam,

liam, illud idem fieri potest, quod pro defensione vitæ facere licet; falsum igitur antecedens assumitur, quod eadem facilitate negatur, qua asseritur: dato verò, & non concesso antecedente, laborat adhuc consequentia; diceret enim aliquis, verum honorem non defendi, licèt is, qui gravem contumeliam infert, occidatur; sed tantum aliquid falsi & mundani, ut vocant honoris ex sumpta vindicta enasci.

55. PITHANOPH. Frustra haud dubiè de re certa & indubitata disputamus; de fortunis, opinor, statuere difficilius erit; cum tanti momenti non sint: quid ergo de iis censes?

56. ANTIM. Probabilius esse censeo, eam vim etiam repellere, cum prædicto scilicet moderamine, licere; his tamen legibus, ut res magni momenti sit, habita ratione personæ, cui per vim aufertur; item is, qui aufert, vel auferre attentat, etiam monitus dimittere nolit; denique ut alio modo obtineri deinde non possit; volo autem, rem esse magni momenti, alioquin gravis injuria non esset, quæ certè nisi gravis sit, cum tanto proximi damno repelli non debet: præterea volo, ut nullo modo raptoris mors intendatur directè, sed una dumtaxat rerum suarum defensio, eaque moderata & necessaria; & verò cum gravis injuria ab eo, qui res meas, per injustam vim rapit, mihi inferatur, quid ni amabò illam repulsâ vi injustè illatâ, impedire non possum, si aliter impediri nequit? nunquid jus ipse non habeo jus meum indemne servandi? & cum vis illa injusta sit, quid ni justum & æquum sit, illam repellere, licèt per accidens aliquod proxmi damnum ex justa illa defensione consequatur? hæc sententia communior est opposita, ac proinde probabilior; eamque, si paucos excipias, reliqui fere omnes sequuntur; D. Antonin. 3.p.tit.4. cap.3. §.2. Cajetan. quæst.67.art.7. Sylvest. V. *homicidium* 1. num.5. Joan. Medin. de restit. quæst. 45. num. 5. Sotus lib.5.quæst.1.art.8. Covarruvias in Clementin. *si furiosus* p.3. §. unic num. 6. cum multis jurisperitis Less.l.2.cap.9.dub 11. Navarr.c.15. Ludovic. Lopez cap.62. Anton. Gomez tom.3.c.3. num.23. Jul. Clarus V. *homicidium* num.26. Dicastill.l.2.de just tract. 1.disp.10.dub.5.num.50. ubi citat Layman, Valent. Molin. Bonacin. tom.2 disp.2.q. ult. sect.1. punct. 10. num.1. Vasq. tract. de restitut. cap.2. Salon. 2.2.q. 64.art.7.contr.2.concl.1. Toler.lib. 1. cap. 18. & l.3. cap.6. Diana p.8.tract. 7.resol. 48. ubi multos citat; Bannez 2.2. quæst.64.art.7. ubi dicit, hunc esse consensum omnium fere Theologorum; Lugo disp.10. sect. 9. & 10. Rebell. l.3. quæst.12. Valentia 2.2. disp. 5. quæst. 8. locus Cajetani ex summa V. *homicidium* excerptus & supra adductus pro hac sententia expressus est; Sebastian. Medices de fortuitis casibus quæst.8. Brunell. repet. 17.c.1. de homicid. num. 75. Bartolus in l. *ut vim* ff. de just. Barbosa adducit alios in cap. 2. de homicid. scilicet Tiraquell. de nobilit. cap.20. num.63. Clarum §. *Homicid.* Bobadill. in politic. l.2.cap.14.num.44. Menoch. illustr. cap. 11.num.10. & cap.18.num.17. Hippolyt. in l.1. num. 45. & 47. ff. de Siccariis. Farinac. quæst. 125. Brunell. in l. *Iulianus* Sayrum in clavi cap. 7. num. 10. Comitol. Azor, &c. Petrus Navarr. de rest. l.2. cap. 3. num.398. Major in 4. d. 15. quæst. 17. §. 6. Sylvius 2.2. quæst.64. num. 7. Duvallius de charit. quæst. 17. art. 1. Caraffa tract. 3. sect. 2. quæstio. 16. Zanard. 12. direct. de homicid. cap.2. §. *octavo dico*. M. Serra 2.2. quæstio. 64. dub. 1. Diana punct. 5. tract. 4. resol. 9. citat Arragon. & resol. 4. Villalob. Marchant. Fabrum, Stroverdoff, Molfesium. resol. 16. Malderum; Cajetan. citatus testatur esse D. Thom. sententiam; Raymundus in summula tract. 8. Angelus in summa verb. *defensio* ubi citat Innocentium, Panormitan. sed quid autores congero, cum omnes Theologi & Canonistæ, quatuor dumtaxat, aut quinque exceptis, huic sententiæ subscribant, cui omnia jura consentiunt, divinum scilicet Exodi 22. ubi dicitur non fore reum sanguinis, qui nocturnum furem interfecerit; item canonicum cap. *interfecisti* de homicidio, cap. *dilecti* de sententia excommunicationis cap. olim 1. de restitutione cap. *significasti* de homicidio; civile denique l. *furem* ff. ad legem Corneliam de Siccariis item l. 4. ff. ad l. aquileiam & alibi passim illud autem quod legitur in d. cap. *interfecisti*, *ut tuaque liberando*, id est defendendo, non collectivè, ut perperam Abbas, sed distributivè intelligendum esse reliqui autores docent, quos videsis apud Barbosam in d. cap. adde sis Panormitan. additiones in cap.2. ejusdem tituli, & ibidem Barbosam, item cap. *significasti* de homicidio, ubi hæc verba leges, *vim vi repellere*, *omnia jura legesque permittunt*; *non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam.* Et verò cum bona fortunæ ad vitæ sustentationem necessaria sint, eodem jure illa, quo vitam ipsam defendere licitè possum; si enim jus meum est, cur illud indemne servare non licet, etiam cum injusti aggressoris damno? quod cum nullo modo intendam, illius causa, saltem moralis, jure dici non possum; ille sibi imputet, per quem unum stat, ne ab eo damno immunis sit; cur enim non cessat ab inferenda vi, re aliena relicta?

57. PITHANOPH. Durum haud dubiè nonnullis videbitur, pro re adeò vili homini vitam eripere, cum inter illam & vitam hominis nulla proportio esse videatur; aliqua autem proportio esse debet inter medium & finem, finis est rem suam servare; mediam verò vitam alteri eripere.

58. ANTIM. Illud medium videtur esse proportionatum, quo dumtaxat adhibito, finis obtinetur, modò scilicet aliam improportionem non habeat, seu deformitatem repugnantiæ, adrectam rationem, quam justitia & Christiana charitas exigunt; atqui dum rem meam defendo, jure meo utor; quid æquius, vel justius? & licèt præter intentionem per accidens, damnum injusti aggressoris sequatur, sibi imputet, illud non intendo; immo quantum est ex me, intendo contrarium, scilicet, ut desistat ab injusta vi, ut reverà desistere debet & potest; ex quo etiam constat, charitatem erga proximum non lædi; nempe ordinata charitas est, quæ nullum obligat ad injustam vim, à privato scilicet illatam, non repellendam.

59. PITHANOPH. Tenetur quilibet charitatis lege, in extrema proximi necessitate, superfluis se privare, ut illi succurrat, id est, ne ille pereat fame, id est mortem illius impediat; igitur multò magis tenetur, ne illum occidat, rem

rem ab eo per vim raptam ultro cedere ; si e- tiam teneatur dare illis ne moriatur , multo magis non repetere, ne occidatur; vel ut meliùs dicam, non occidere, ut repetatur.

60. ANTIM. Acutè sanè; at si ea, quæ fur mihi per vim tollit, ad vitam sunt mihi necessaria, illa dare non teneor extremam necessitatem patiendo, ita, nec ea cedere furi ; præterea fur non ponitur ad extremam necessitatem redactus, cujus voluntate minimè pendent; sed illa nec- essaria occidendi, nisi desistat, est ipsi omninò vo- luntaria; an desi quis in eas angustias esse reda- ctus, à quibus tamen, cum vellet, liber esse pos- sim, & nemo dicat, me teneri lege charitatis , dare illi, quæ sunt mihi superflua.

61. PITHANOPH. At si fugiat , surreptis bonis, potestne interfici?

62. ANTIM. Nullo modo, si alius sit modus, re- cuperandi bona surrepta; at si nec monitus relin- quere velit, nec sit alius modus recuperandi , ii- dem autores supra citati asserunt , armis eum impeti posse, id est totum id fieri posse , quod omnino necessarium est , ad bonorum tempera- tionem; procurandum tamen est , ne fur occida- tur, si talis simplici vulnere inflicto , vel alio quo- vis modo adigi possit , ad relinquenda illa, quæ per vim abstulit , idque omni diligentiâ adhi- bita.

63. PITHANOPH. Igitur, pari modo, debitorem, qui debita solvere non vult, nec cogi potest autori- tate publica à creditore, interfici posset; quod nemo dicat.

64. ANTIM. Nemo sanè hoc dicat ; mani- festum autem discrimen est ; nec enim debitor infert vim ; igitur creditor hoc jure repellen- di vim minimè fretus, illum interficere non po- test ; præterea non propterea creditor rem suam obtineret, ad hunc finem dumtaxat sibi proponere potest.

65. PITHANOP. Supponamus , debitorem il- lum manibus habere debitam summam, ac prop- terea eum esse creditorem rei suæ obtinendæ, si debitor vim attulerit.

66. ANTIM. Neque propterea creditor au- ctoritate privata inferre vim potest , sed pu- blicas accersenda , ut jura & leges præscri- bunt ; quanta enim rerum perturbatio esset , si cuilibet res sibi debitas autoritatate privata raperet.

67. PITHANOPH. At si nullum instrumen- tum sit, nullus titulus , autoritas publica ac- cedi non potest ; igitur privata dumtaxat re- stat.

68. ANTIM. Neque in hoc casu , creditori li- cet debitori vim afferre ; sibi enim imputet, quod nullo authentico careat ; cur enim , cum pecuniam suam dedit , datæ fidei chirographum non accepit? vel testes, ut fieri solet , non adhibuit, quorum testificatione mutuatæ pecuniæ veritas & ejus probatio perspecta esset?

69. PITHANOPH. Occurrit mihi unus casus, in quo tua responsio non quadrat ; si enim fur re tua, ita aufugerit , ut eum assequi non possis ; si deinde post aliquot menses vel annos incidas , sciasque , rem tuam , vel ali- quidem pretii penes illum esse, an putas tibi licere illum adoriri, vimque illi afferre ut rem tuam obtineas?

70. ANTIM. In hoc casu , licitè à fure rem meam repetere possem; immo si omne scandalum absit, per vim illi auferre ; tamen citra muti- lationem , & vulnus ; nempe hoc minimè esset, vim vi repellere ; vis enim dudum illata cessa- vit ; cum tamen , ubi raptâ per vim re meâ, fur statim aufugit , si fortè illum insequor , vis illata durare adhuc censetur , ut optimè obser- vant autores supra citati ; at post aliquam tem- poris moram , vis illa cessare censetur ; cessat igitur jus illud vim vi repellendi, quo dumtaxat fretus furem insequutus, vim etiam eidem infero, ut rem meam obtineam , nisi tamen illam ultro dimittat : & verò si liceret , postquam vis ces- savit , vim furi afferre, mille inde mala in socie- tatem publicam inveherentur ; quilibet enim fingere posset , surreptam sibi ab alio pecuni- am ; hæc responsio ex eo præsertim confir- matur , quod si is , cui fur pecuniam surri- puit , ac deinde interjecta tem poris mora , in eum incidit , eidemque pro repetenda pecunia vim affert , in eo facto deprehendatur , justè haud dubiè à Judice plecti poterit . quantum- vis dicat , rem suam repetitam fuisse ; at in alio facto , si testes adsint , vim afferre non licet furi , sed eum adductis , seu productis testibus , vocare in jus ; si verò testes non videat , & vim furi afferat , non propte- rea plectetur , si testes dicant , eum rem suam per vim ablatam repetisse , & furem restituere nolentem ab illo mutilatum , vel occisum fu- isse.

71. PITHANOPH. Re tua igitur necessariò ca- rebis, nec eam obtinere unquam poteris , quamvis probè scias, ubinam sit.

72. ANTIM. Hoc mihi patienter ferendum est, ut & alia, quæ permittente Deo , mihi eveniunt; quam multa justitiæ Dei vindicativæ relinqui- mus ; & hæc quotidiana est Christianæ patientiæ palæstra: sed vide, utrum aliud, quod opponas, tibi suppetat.

73. PITHANOPH Suppetit sane, illudque præ- sertim , quod plerique ex sanctis Patribus exisi- mant , pro bonis fortunæ, hominem mutilari, vel oc- cidi non posse.

74. ANTIM. Ut non negarim , aliquos ex Sanctis Patribus esse , quibus hæc opinio non pro- batur , ita facilè crediderim , plerosque intelligen- dos esse & explicandos de immoderatæ defensionis usu , nimioque illo studio erga divitias , quo ut plurimùm homines duci videntur , item de odio & iræ motu , quo de illata potius injuria vin- dictam sumunt , quam illatam vim modera- tè repellant ; accedit , quod nonnulli ex iis sa- tis clarè loquuntur , ut Ambrosius apud Cajetan. supra citatum , item Hieronymus in cap. 1. So- phon. *si quis*, inquit , *fortitudinem latronis & pira- tæ & furis enervat , infirmosque eos reddat , prodest illis sua infirmitas* ; quid autem est enervare , nisi mutilare , eoique in eum statum redigere , in quo nocere non possint ; nemo asserit , furem ad eum statum redactum occidi posse ; cum autem enervari non possit , nisi vel occidatur,

vel

vel in maximum periculum mortis adducatur, saltem ut plurimum, nec enim Chirurgi manum expectat; nunquam fere mutilare, aut enervare licet, nisi etiam liceat occidere.

75. PITHANOPH. Sacri canones etiam homicidium vetant.

76. ANTIM. Injustum scilicet, illud præsertim ex can. 16. Aurelian. 4. quo quis *innocentem* occidere non veretur.

77. PITHANOPH. Sed quæso, quanti rem ablatam censendam esse putas, utis, cui aufertur, jus cædendi furem habeat.

78. ANTIM. In hoc paulò rigidiorem esse me puta; tanti esse statuo, ut necessaria sit illi cui aufertur, ita ut sine gravi incommodo illa carere non possit; item ut furto illi, leges capitis pœnam decernant; denique illud præsertim observandum, furem non tantùm bona, sed caput etiam impetere; præsertim cum mihi eripere attentat aliquid, quod penes me habeo; tunc autem gemina vis infertur, rei scilicet atque personæ; aut saltem si non personæ, saltem honori per insignem contumeliam; ut si quis è lixarum turba ensem tribuno per vim eripere conaretur, res ipsa tanti non esset, gravissima tamen esset contumelia, quam non ulcisci quidem, sed repellere jure valeret.

79. PITHANOP. Ad tertium caput, opportunè descendis, huc enim te accersere cogitabam; pro defensione membrorum, libertatis, pudicitiæ illatam vim repelli posse, etiam cum morte injusti aggressoris, modò cum solito moderamine inculpatæ tutelæ id fiat, apud omnes fere autores constat; item pro defensione fortunarum, longe probabilius esse rectè statuisti; licèt enim aliqui refragentur, ut Tostatus expressè in 5. cap. Matth. quæstio. 110. paucis tamen exceptis, reliqui omnes huic opinioni suffragantur; jam restat, ut de honore aliquid dicas; non quidem de vano illo honore, quem mundanum vocant, qui plus commercii habet cum vitiis, quam cum virtute; sed de vero illo honore, quo vir in honesto vitæ statu collocatus dignus est; cogita quæso virum nobilem, virtute, sapientia, publicis muneribus auctum, hunc certe eum esse puto, cui honor ad vitam honestè ducendam necessarius sit, id est contumeliis affici non possit, sine gravi injuria; ut si quis ei colaphum infligeret, vel fustem impingeret, nemo certè neget, gravissimam & atrocem injuriam fore: peto igitur à te, utrùm vim vi repellere liceat, ad arcendam gravem contumeliam, etiam cæso injusto aggressore, quando aliter cessare non vult, modò debitum inculpatæ tutelæ moderamen servetur.

80. ANTIM. Contumeliæ gravitas non tam à re ipsa, quàm à personæ, cui infertur, statu ducitur; hinc vel colaphum infligere, vel barbam vellere vilissimo cuipiam homini, levis fortè contumelia est, gravissima tamen, si nobilissimo cuipiam hæc eadem contumelia inferatur; his suppositis, dico, gravem contumeliam attentatam repelli posse, cæso etiam injusto aggressore, si aliter arceri non possit; dico attentatam, non illatam; ut si quis fustem impingere attentet, aut jam fuste primùm impacto, iterum impingere conetur; hæc sententia iisdem rationibus probatur, quibus supra probatum est, vim vi repelli posse pro defensione vitæ & bonorum; idemque fere autores illi suffragantur, si unum, vel alium excipias, Covarruvia scilicet, Sylvium, Tannerum; &c. & verò honor verus maximum bonum est, in cujus violatione, gravissima injuria inferri potest; si gravissima, habeo profecto jus, me indemnem ab ea servandi, *tutabis* inquit Cajetan. in summ. V. *homicidium*, *verba Ambrosii, quæ universaliter de injuria loquuntur*; & verò, si pro defensione pudicitiæ, illa tam vim arcere licet, cur non pro defensione veri honoris? honor enim honestæ fœminæ in pudicitia positus est; igitur si hæc honorem suum jure defendit, cur vir nobilis suum quoque honorem defendere non potest; nunquid honor inter humanæ vitæ bona nonnullis vita ipsa charior non est?

81. PITHAN. Sed quid tandem est ille honor, quem tanti facere videris.

82. ANTIM. Jus illud est, vel titulus ille, quo quis dignus censetur, ut eum alii, singulari cultu & observantia prosequantur aut saltem ne verbis, aut factis per contemptum, & contumeliam ab iis traducatur; miror autem hæc à te peti, quasi hæc ignores, quæ nemo nescit.

83. PITHANOPH. Data opera hæc à te quæsivi, quia nonnulli ex iis recentioribus, (sunt nosti quos intelligam) inculcare non cessant honorem, licèt vita ipsa chariorem, meram umbram esse, & merum ludibrium, ac proinde pro illius defensione illatam vim repelli non posse, saltem cum cæde injusti aggressoris; imo hanc opinionem barbaram, cruentam, diabolicam vocant, quæ sine blasphemia defendi non possit.

84. ANTIM. Hujusmodi homines nihil moror; nam per factionem in his congressibus non agimus; nec multa doctrina opus est, ad discendum id, quod opponis, vel potius ipsi opponunt; communis tantum mortalium sensus consulendus; quis enim neget, nobilem & illustrem virum, quem aliquis, vel fustibus in platea publica excipiat, vel sputo petat, vel avulsa barba, aut alapa inflicta illudat, quis inquam neget, maximam injuria affectum fuisse? præsertim si aggressoris conditio vilis sit; si autem gravissima injuria esse non video, cur impediri & arceri jure non possit; nec est, quod exaggeres vanum illum honorem, quem ambitio prosequitur, & quo perscitur superbia; scio, fumum & umbram esse, & merum tumentis animi idolum; de vero honore loquor, id est de jure illo, seu titulo, cujus, aliquis, ut dixi, observantia & cultu dignus censetur, & prorsus indignus, qui contumelioſè tractetur; quis hunc honorem necessarium esse neget, ad vitam honestè ducendam? quo certe si quis excidat, ineptus vel inde redditur ad publica munera obeunda, sive ad politicam, sive ad salutem animarum pertinentia.

85. PITHAN.

87. Pithanoph. Sed Christus maxillam dextram porrigenti, sinistram porrigi; & pallium auferenti, tunicam etiam dimitti jubet.

Ant. S. Augustinus ad interiorem præceptorum animi hæc dicta refert; ita ut, si res postulet, id facere parati simus; quamquam ut litteralibus insistam, in prædictis verbis agnosco consilium, non præceptum; sic enim Christus discipulos ad vitam perfectam instituebat; unde illud, *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus*; item *Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; quis neget, hæc & alia similia esse consilii non præcepti; ac proinde omnes indiscriminatim non teneri ad ea facienda, sed illos duntaxat, qui obstricti voto, post Christum eunt, & ejus consilia sequuntur. Itaque si vir primitus acceptâ alapâ vel graviori injuriâ percussori gratias agit, aut percussa dextra, sinistram porrigit, impensè laudo virtutem heroicam, quem utinam omnes imitentur, & injurias pariter ferant, exemplo Christi; fateor, longè melius & laudabilius esse, quam si eas repellendo, ac nolim eos sub pœna peccati obstringere ad virtutem illam heroicam, & contemptum cujuslibet injuriæ, nec eos justæ defensionis jure privare, quod ab ipsa natura inditum est, modò cum debito moderamine & necessitate, & sine odii vel iræ morositate; quis autem religioni non ducat hominem jure illo privare, quod ab ipsa natura accepit? si per vim alius te cogeret, ad cedendum alteri fortunas, liberos, libertatem, nunquid non de illo merito expostulares? at justæ defensionis jure me privas; cur ergo justè conqueri non possum de illata injuria? tanti profectò non est hanc vel illam tueri sententiam, quæ cum alterius damno conjuncta non est; at quod me obstringas ad hanc opinionem sub pœna peccati, quæ jure quæsito, natura ipsa comparato me privat, gravis profectò injuria, vel injustitia censenda est; in gradum charitatis, saltem ad speciem, justitiam concives, ut sicarii, grassatores, petulantissimi homines impunè ferant, justam defensionem vetas, quam mihi natura concessit; sic haud abre, licèt pro eum, non nemini exprobatum est, quod sicarium patronum ageret, dum vim vi injustumque aggressorem repellipossè negabat; hortare quantumlibet ad christianam patientiam & constantiæ tolerantiam, in hoc quàm maximè laudo; sed quod obliges sub pœna peccati & damnationis æternæ, minimè approbo, Christus non præcipit, ut præcipis; natura non obligat, tu obligas; Quis enim te constituit Judicem? SS. Patres, inquies, ubi magis inculcant; sacri Canones satis expressi hoc: templum Domini, templum Domini; quæso te, desine ab obtentu illo; Sancti Patres & sacri Canones illud dumtaxat homicidium damnant, quod vel in re, vel in modo injustum est; in re quidem, cum innocens occiditur, vel nocens, quem tamen tendere ad te non spectat; in modo verò, cum ipse quidem defensionis jure occiditur, non tamen sine odio & aliquo vindictæ studio, vel sine debitomoderatæ tutelæ moderamine; sed cur rides, Pithanophile.

Pith. Rideo, quia mecum quasi velut congredi videris, qui tamen hostis non es. Sed hæc omitto, negare tamen non possum, quin oratio gratissima mihi acciderit; nec inde mirarmirit quod paulò ardentior extiterit, & modica bile condita; quid porrò ultrà opponam, non habeo.

88. Antim. Illetuus Doctor nihil tibi suggessit de hac controversia; adduci non possum ut credam, de illa penitùs siluisse.

89. Pithanoph. Mihi revocas in memoriam; jam enim exciderat: nonnulla quidem ille, sed quæ nullo ferè negotio refellantur; primò enim sic argumentatur; nemo ut suæ famæ vel honori consulat, se ipsum occidere potest, igitur nec proximum.

90. Antim. Idem argumentum retorqueo; nemo ut suis fortunis consulat, vel pudicitiæ, vel libertati, vel membrorum integritati, vel ad vitandos atrocissimos cruciatus, se ipsum occidere potest, igitur nec proximum, injustum scilicet aggressorem; negabis meam consequentiam, sat scio; & ego tuam, eodem prorsus jure; sed perge; hoc primum argumentum aliam responsionem non postulat.

91. Pithanoph. Secundò instat in hunc ferè modum; nulla est proportio inter bonum famæ, vel honoris & vitam proximi; igitur pro defensione honoris, non licet occidere injustum aggressorem.

92. Antim. Retorqueo pariter argumentum; nulla est proportio inter fortunas, vel pudicitiam, vel libertatem, vel integritatem corporis & vitam; igitur pro defensione illorum, non licet hanc injusto aggressori eripere; negabis meam consequentiam, & ego tuam; de ista proportione jam suprà dictum est, quapropter plura dicere omitto.

93. Pithanoph. Tertiò sic urget; vita est bonum solius Dei; igitur soli Deo licet occidere;

94. Antim. Hoc argumentum nimis probat, ut ajunt; hinc enim fieret, ut ne quidem pro defensione vitæ, pudicitiæ, libertatis, occidere unquam liceret: nihil ergò probat argumentum; quia scilicèt, quisquis injustum aggressorem occidit, ut se defendat, directè tantùm intendit, jus suum indemne servare; & licèt per accidens sequatur injusti aggressoris occisio, hoc ille tibi imputet; nempè ideò me defendo, quia ille me aggreditur; volo autem quantum in me est, ut ille desistat ab inferenda vi; non vult ipse desistere, sed vult directè aggredi; undè sequitur justa defensio, illiusque occisio; igitur ille propriè loquendo est causa occisionis; quia est causa per se absolutè & directè vis illatæ, ex qua sequitur occisio.

95. Pithanoph. Quartò sic arguit, juri naturali & rectæ rationi repugnat, ut quis Judex sit in propria causa.

96. Antim. Rectè; undè non licet ab alio pœnas repetere pro injuriis ab eo acceptis; id muneris justitiæ vindicativæ incumbit; vindictam enim privatâ autoritate nemo sumere potest; at quod vim injustè illatam cum debito moderamine repellam, judicialis muneris non est, nec justitiæ vindicativæ, quæ fertur in acceptam injuriam; non vindico acceptam, sed impedio ac repello accipiendam & injustè attentatam; quod minimè pertinet ad dominium jurisdictionis, sed ad dominium proprietatis; neque ad Judicem, sed ad hominem; præterea hoc argumentum æquè probaret, pro defensione vitæ, pudicitiæ, fortunarum, libertatis, membrorum integritatis, injustum aggressorem occidi non posse; sed profer alia, si quæ tibi restant opponenda.

97. PITHANOPH. Nihil prorsus restat; non desunt tamen alia, quæ ex te rescire velim; & primò quidem, utrùm liceat percutientem repercutere, ad reparandum scilicet honorem contumeliâ fœdatum.

98. ANTIM. Distinguendum esse putarem; si enim aggressor injustus denuò percutere attentat, non est dubium, quin repercuti possit; non ad vindicandam primam percussionem, sed ad repellendam arcendamque perseverantem audaciam, cum hoc reverà sit vim vi repellere; si verò vis illa cesset, & injustus aggressor ab inferenda contumelia desistat, hic profectò repercuti non potest; cessat enim repercutiendi ratio, fundata scilicèt in illo jure, quod quisque habet, vim vi repellendi; & verò solus vindictæ titulus restat, qui est illicitus, quatenus scilicet cum privata autoritate conjungitur, ut nemo nescit inter Christianos.

99. PITHANOPH. At si semoto vindictæ titulo, alius affulget reparandi scilicet perditum honorem; quis enim neget, eum, cui alapa per insignem contumeliam inflicta est, honori suo consulere, si repercutiat injustum aggressorem.

100. ANTIM. In hoc severissimum habebis me; qui hoc tibi dare non possum; nam is, cui alapa inflicta est, vel honorem suum perdidit, sic enim loqui liceat, vel non perdidit; si primum, acta res est, & frustrà pro illius defensione laboratur; si verò secundum, illum quidem potest à novo insultu defendere, si aggressor inferre vim pergat; at si hic desistat, nulla defensio restat,

101. PITHANOPH. Perditus honor reparatur, quando injustus aggressor repercutitur.

102. ANTIM. Quid hoc est, amabò *reparatur*; vix enim te capio?

103 PITHANOP. Restamen perspicua est; offensus in pristinum gradum restituitur; in quo scilicet, honore, cultu, observantia dignus reputatur.

104. ANTIM. Quamobrem verò, unde hoc jus & novus titulus?

105. PITHAN. Ex eo, quod repercusserit; est enim fortitudinis actus.

106. ANTIM. Huc volo te; primum honorem perdidit, fundatum in virtute, nobilitate, rebus præclarè gestis; alium verò sibi comparat, fundatum in vindicta & vana fortitudine, quæ inferiori passioni obsequitur; sed hic honor licitè acquiri non potest; nam causa vitiata effectum vitiat; igitur in locum primi honoris, qui à virtute ortum duxerat substituitur alter vitioso parente natus; sic coram hominibus, qui mundanis rationibus cuncta metiuntur, magnam sibi nonnulli gloriæ & honoris famam comparant ex singulari monomachiæ peritia, vel inimicorum cæde, aliisque hujusmodi.

107. PITHANOPH. Hæc tua opininio paulò severior nonnullis fortè videbitur, qui non modò percussorem injustum repercuti posse dicunt, verùm etiam, si is fugiat, inflictâ alapâ, offensum jure posse illum insequi ac percutere, immò & occidere, si ad reparandum perditum honorem necessum sit.

108. ANTIM. Scio aliquos esse, qui hoc dicunt, his tamen conditionibus. 1. Ut is cui alapa inflicta est, vir honestus sit; 2. Ut honor perditus hac dumtaxat viâ reparari possit; 3. ut re ipsâ reparetur; 4. Ut vir læsus sine prædicto honore dignitatem suam coram hominibus sustinere non possit; hanc opinionem sub hujusmodi restrictionibus, multi sequuntur, ut Navarr. in manual. c. 23. n. 3. Petr. Navarra l. 3. de rest. c. 13. n. 383. Victoria de jure belli q. 2. n. 6. Henriquez l. 14. c. 10. 3. in comment. lit. T. ubi citat Mantium, Cordubam, Pennam, Fernand. in exam. morali p. c. 9. §. 1. n. 16. Dian. p. 2. tr. 15. resol. 10. Bonacin. de restit. propter homicid. disp. 2. quæst. Gregor. Caraffa de duell pag. 192. n. 25. Ludovic Lopes instruct. 1. p. c. 62. Marchantius in summ. resol. pastoral. ad decalog. c. 5. q. 3. cas. 3. Mercatus apud Petr. Navarram l. 2. c. 3. Marc. Serra 2. q. 64. a. 7. Philip. Faber apud Dianam citatum Villalob. in sum. tom. 2. tr. 12. diff. 2. n. 3. isti alios dicunt, longum esset omnes recensere; habent autem textus expressos; censetur enim, inquiunt, adhuc durare congressio, dum alter fugit, alter insequitur, & hoc est verè defendere honorem, quod licitum est, si enim furem insequi & occidere possum, ut bona rapta recuperem, cur non eum, qui contumeliâ illatâ honorem meum abstulit, si reverà honorem ita recupero; ita ipsi.

109. PITHANOPH. Quis amabò non dicat, opinionem illam esse probabilem, quæ tot adeoque illustrium Doctorum autoritate fulcitur, & satis probabili ratione confirmatur.

110. ANTIM. Non negarim aliquid probabilitatis inesse, speculativæ scilicèt, non tamen practicæ, juxtà illum modum, quem in præmissis congressibus explicuimus; quapropter ut illam damnare non ausim, ità oppositæ sententiæ adhæreo, quam authores communiter docent: & verò ubi contumelia jam illata est, & honor læsus, licèt is, qui fugientem insequitur, eumque occidit, honorem amissum reparare videatur; hic tamen, qui restituitur, verus honor censeri non debet, ex virtute scilicet & dignitate personæ ortus, sed verè mundanus & spurius ex sumpta vindicta resultans; accedit, quod is, qui fugit, inflicta alapa, læsum honorem, saltem ex parte, percusso restituit, quod eum reverà timeat ac propterea fugiat; si testes adsint, Judex reliquam reparationem facilè procurabit; si verò occulta est injuria, honor certè parum, aut nihil læditur: Doctores autem, ut dixi, hanc sententiam communiter tenent, ut Barbosa in cap. 10. de homicid. Ubi citat Tolet. Salon. Emanuel Malderum: Card. Delugo disp. 10. sect. 10. Ubi citat Sot. Carret. Molin. Vasq. Rodrig. Turrian. Bann. & prædictos Salon. & Malder. Bossenbaum lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 3. num. 7. Ubi præter adductos citat Laym. Filliut. Less. qui oppositam opinionem utcumque speculativè probabilem esse dicit, licèt in praxi minimè tutam; hinc sanè vides, si unum excipias, scilicet Henriquez, nullum ex nostris autoribus esse, qui tamen illam opinionem teneat.

111. PITHANOPH. Ingratum sanè non accidit, quod in his te paulò severiorem exhibeas; nec enim vindictæ jam per sese præcipiti habenæ laxandæ sunt; potiori jure censebis, propter mera verborum convitia, immò & affictam calumniam, hominem occidi non posse.

112. ANTIM. ita prorsus; quia hæc justo defensionis juri ad arcendam scilicet injuriam non suffragantur; demus enim, tibi affictam fuisse calumniam, licet

dè calumniatorem fustibus excipias, immò & occidas, non tamen propterea obtinuisti, ne cæde, homine nota insita maneat; nec homines credent, hoc factum à te fuisse ad justam defensionem, sed ad vindictam; & verò illud vindictæ dumtaxat servit, nec homines aliter sentiunt: & licèt defensionem nulli autores, hac in parte laxiores & indulgentiores se præbuerint, non tamen in hoc laudo, nec illorum opinionem in praxi tutam esse puto.

115. Pithanoph. Atrocem calumniam affingere, amor etiam crimen esse constat, quod à judice gravissimis pœnis plectitur; gravem igitur injuriam & injustiam in eo contineri, necesse est; cur ergò illam arcere non licèt.

116. Antim. Quis amabò negat, arceri posse? sed jam illata est injuria, arceri ampliùs non potest: & quidquid in calumniatorem retorquetur, mera vindicta est, quæ privatæ autoritati non permittitur, sed publicæ; quare ad Judicem calumniator deferri potest, & jus cuique suum in foro exequi licet, modò sine odio & vindictæ appetitu fiat, sed pro justitia agatur.

117. Pithanoph. Quid si calumnia nondum affricta est, an fortè illam arceri vetas, etiam cum mortalitas, qui eam affingere parat, si aliter arcere nequit?

118. Antim. Scio, non deesse autores, qui doceant hoc fieri posse ex communi scilicèt principio, quod injustam vim repellere, & injuriam arcere licet, etiam cum cæde injusti aggressoris, si fortè injuria gravissima sit, & aliter arceri nequit: sed aliquis distinctione opus est; nam vel is publicam infamiam & calumniam eamque gravissimam intentat, quam alias alio modo vitare non possit, vel tantum occulta detractio est; supposito primo casu, nonnulli etiam cum cæde defensioni famæ suffragantur; nempe inquiunt, nomen bonum & bona fama honorati viri ipsi vitæ jure comparatur; imo ens enim est nomen bonum, quam divitiæ multæ: in secundo casu, nonnulli etiam cædem excusant, nullus tamen ex nostris autoribus; citantur autem pro hac sententia Petr. Navarra l. 2. de restit. cap. 3. n. 17. & seq. Sayrus lib. 6. de cens. cap. 17. n. 23. Sanchez in select. disp. 46. num. 8. Henric. Strozzi. l. 2. q. 64. art. 5. concl. 5. Zanard. 12. disput. de homicid. c. 2. §. *Ita vò dico.* Marcus Serra tract. dub. 1. Ubi citat Sot. Bann. ibid. a. 7. §. *dubit.* 4. tap. 2. instruct. c. 65. ubi citat Armill. alii quos adducit possent pro hac opinione; ego sanè in neutro casu iis accedere possum, qui pro defensione famæ cædem permittunt; licèt enim gravem, imò gravissimam injuriam esse concedam, non tamen videtur, extrà casum chimæricum, omnem alium modum occurrendi infamiæ ita deficere, ut cædis sola infamantis supersit; ille ad judicem te vocare constituit, prævenit illum; si fortè hic judex te non audierit, ad superiorem adi; fieri non potest, quin aliquis justitiæ amans tibi opem ferat; hostis fortè subornavit testes, ut falso testimonio te obruant; eleva illorum fidem, & quia subornationis civisti, alioquin extra casum essemus, mone judicem, & prædictæ subornationis aut falsi appella, vel profer judicia: si fortè malitiosus judex accedat, ad superius tribunal appella. Uno verbo, longè satius est, injustum quid pati, quàm cædem permittere in hujusmodi casu.

117. Pithanoph. Fama honori æquiparanda est; igitur si pro defensione honoris occidere licet, cur non pro defensione famæ licebit?

118. Antim. Fater ultrò, famam honori minimè postponendam esse, ac proindè famam æquè ac honorem defendi posse; modò scilicet justæ dumtaxat & meræ defensionis titulus intercedat; hic autem ut dicam, quod res est, nunquam intercedere potest; nempè vel injustus obtrectator jam meam famam obtrivit, vel nondum id præstitit; si primum, jam acta res est; illam ultrà defendere non possum; & sanè frustrà id tentarem; licèt enim obtrectatorem occidam, non propterea fama læsa & fœdata non restat; igitur famam non defendo, dum illum occido, sed vindictæ servio & lito; immò licèt indè aliquid nominis apud eos qui res omnes mundanis rationibus metiuntur, mihi comparem, non tamen vera fama est, vera gloria, verum nomen, sed merus fumus & vanitas, seu vana malè sentientium opinio: præterea si diffamatio publica est, ad judicem pro justitia confugere possum, nemini enim in propria causa judicem esse licet; si verò occulta, vel nescio quisnam sit obtrectator, & hoc supposito, illum repellere non possum; vel scio nomen obtrectatoris, & hunc etiam ad judicem deferre valeo, ut saltem ex indiciis contra illum agat; sed ad defendendam famam, occultus obtrectator occidendus non est; nam occiso illo, infamatus adhuc maneo; & cum vix ulli obtrectator notus sit, quis amabò sibi persuadeat, illum à me occisum fuisse, ad justam famæ defensionem; igitur si jam obtrita fama est, sive clam, sive palam, occidere obtrectatorem non licet: at si nondum is meam famam læsit, multò minùs illum occidere possum; vult, inquies, lædere, & jam hoc statuit; sed qui hoc scire valeas, non video; hoc dixit, inquies, & mihi fideliter relatum fuit; at fortè finxit, aut certè consilium mutavit, illud saltem mutare potest; hinc manifestum discrimen est inter defensionem famæ, & honoris, vel vitæ, vel bonorum fortunæ; nam injustum aggressorem repello, dum ipse attentat inferre mihi gravem injuriam; dum scilicet est actu, ut sic loquar, vel re ipsa attentans; ut quando in bona involat, vel brachium vibrat, vel fustem impingit, vel telo impetit; at cum obloquutione tantummodò fama lædatur, nulla prorsus attentatio præmittitur, id est, nulla vis infertur ad obloquendum: & antequam aliquis obloquatur, nulla profectò vis est; si verò jam obloquutum esse supponas, jam fama læsa est; in neutro casu cædes licita est.

119. Pithanoph. An fortè licere non putas, arcere infamiam, & affictam calumniam diluere?

120. Antim. Ultrò fateor hoc ipsum licere; sed cum per cædem infamantis non arceatur, ut jam ostensum est; ad arcendam infamiam, cædes non licet.

121. Pithanoph. Jam probè intelligo, affictâ semel calumniâ ad illam diluendam & bonum nomen servandum, cædem calumniantis inutilem esse; ac proindè ad diluendam calumniam alia media adhibenda esse; immò si opus est, calumniam passus coram Judice innocentiam suam juridicè probare poterit; at si nondum afficta sit calumnia, certus sim tamen, paratum esse,

ad affingendam ; cur quæso prævenire non possum, etiam, si opus sit, per cædem illius ? quis enim neget, sic probè infamiam arceri ac prohiberi ?

122. Antim. Non nego, sic arceri calumniam & infamiam ; cæsus enim ultrà calumniari non potest ; sic probè, id est, licitè arceri ; quia licet tantummodò vim injustè illatam repellere ; hic autem nulla vis infertur ; nempè vis illa, est ipsamet injuria inchoata, ut sic loquar, quæ nisi repellatur, necessariò infertur ? sic dum quis telo me petit, nisi me defendam fugâ, vel armis, mihi vulnus infligit ; illam igitur vim injustè illatam, per quam aliquis, vel me occidere, vel contumeliam inferre attentat, vi quoque licitè repellimus ; Ubi autem nulla vis est, nulla certè repelli potest ; Ubi nullus me aggreditur, me certè defendere non possum ; at is, qui parat mihi calumniam affingere, nondum me aggreditur ; nullum igitur justæ defensionis jus mihi competit.

123. Pithanoph. Si aliquis statuerit te interficere, nunquid certior hujus consilii factus, prævenire non potes ? facilè crediderim, non deesse, qui huic opinioni suffragentur : pari ergò modo, dum certus es, fore, ut quis calumniam tibi affingere paret, prævenire poteris.

124. Antim. Ego certè opinionem illam tutam esse non existimo ; quia vis illata præbet dumtaxat justæ defensioni locum ; sublato enim hoc principio, cætera omnia corruunt ; præveniam quidem, omissa tamen cæde ; & si calumniam timeo, contra illam memet instruam, delato etiam illius consilio, qui calumniam meditatur ; immò quantum licitè fieri poterit, illius autoritatem & fidem infringam, dixi quantum licitè fieri poterit, nec enim per culpam calumnia repellenda est.

125. Pithanoph. Appositè omninò ad ea, quæ à te scisciтar parabam ; quæro enim ex te, utrùm ad infringendam fidem calumniatoris, licitè ipsi calumniam affingere valeam ; præsertim cum ad prædictum finem obtinendum nihil efficaciùs conferri posse videatur.

126. Antim. Scio, esse aliquos, qui hoc quidem non licere dicant, sed esse dumtaxat peccatum mendacii, non verò injustitiæ ; his tamen conditionibus, opinionem istam adstringunt. 1. Ut sit injusta accusatio adversùs famam, vitam, rem nostram ; sive quia hostis affingit calumniam ; sive quia crimen occultum aperit, quod in judicio probari nequit. 2. Ut de re magni momenti agatur. 3. Ut honori, aut famæ aliter consuli non possit, quam eversa fide adversarii, nec fides illius alio modo infringi. 4 ut reverà hoc modo honoris & famæ indemnitati consulatur ; ita Diana p. 6. tract. 6. resol. 16 Dicastillus lib. 2. de just. tract. 2. disput. 12. p. 4. dub. 2. à quibus citantur Bartol. Felin. Farinac. Peregrin. Sayrus. Sot. lib. 5. quæst. 9. art. 3. Hurtad. de Mendoza 2. 2. disp. 170. sect. 14. & apud illum Petr. Aleiat. Pasqualig. decis. moral. 47. qui præter cæteros, citat Petigian. Sa v. *infamare* Bannez. 2. 2. quæst. 70. a. 3. dub. 2. Joan. De la Crux. 1. p. direct. 8. part. a. 3. dub. 17. Major in 4. dist. 15. quæst. 6. Bonacin. de rest. disp. 2. quæst. 4. punct. ult. D. Thom. 2. 2. quæst. 70. a. 4. Ledesm. de just. c. 25. concl. 21. dub. 3. Orellan. 2. 2. quæst. 72. ut testatur Vega in summ. Salon. 2. 2. q. 62. a. 2. contr. 23. concl. 2. Arrag. ibid. dub. 9. Navarr. l. 2. c. 24. n. 349. Malder. tract. 6. c. 3. dub. 20. Sylvest. v. *restituio* 3 q. 3.

127. Pithanoph. Sustine quæso ; quid plures accumulas ? cum hi sufficiant, ad probabilitatem huic sententiæ conciliandam.

128. Antim. Tu potiùs sustine, ut priùs exponam, quo sensu prædicti autores loquuti sint ; nec enim facilè crediderim, ab iis doceri, semper, & in omni casu licere, calumniam injustè accusatori affingere, nec quamlibet etiam calumniam ; quod non modò iniquum esset, sed præsus inutile, ad fidem calumniatoris infringendam ; dico igitur licitum esse, negare affictam calumniam, vel crimen occultum ab eo publicatum ; cùm enim nec crimen occultum fateri, nec affictum agnoscere debeam, quid ni amabò decam, falsam & iniquam esse accusationem, ac proindè illum, qui accusat, calumniatorem esse ? nemo profectò neget, hoc licitè fieri posse ; immò si accusator jam alias mihi, vel alteri calumniam affinxit & hoc constiterit, possum etiam hoc argumento, fidem illius infringere ; immò & alius ejusmodi ad eumdem finem : v. g. si dicam, ipsum mentiri solitum esse ; item hic ab ipso fieri ex odio adversum me, vel ex invidia, vel ipsum id eniti, ut ex aliquo honoris gradu me deturbet, quò faciliùs eum ipse obtineat ; hæc & alia ejusmodi, quæ ad fidem illius infringendam, per se ac directè conducunt, licitè adhiberi posse, non negarim ; præsertim cùm in judiciis vulgò adhibeantur, judice minimè reclamante, qui certè alioquin crimen crimine defendi minimè pateretur ; & in hoc sensu, adductos autores intelligendos esse, crediderim ; at quod accusatori quodlibet aliud crimen affingi possit, nullus, opinor, universè concedet ; præsertim cum ad fidem illius infringendam, inutile sit, aut saltem per se proximè ac directè non conducat ; v. g. aliquis me accusat furti ; cur quæso illi adulterii crimen affingerem ? quid hoc ad refellendam accusationem juvat ? utique fides habebitur ; ego furis notam & infamiam contraham, ille adulterii ; an fortè vulnus illi inflictum meum curat ? hoc quidem remotè ad imminuendam illius fidem aliquid faceret, si quispiam alius illum hujus flagitii accusaret ; quisquis enim unum crimen admittit, aliud quoque facilè admittere, censendus est ; ex præsumptione scilicèt, qua vir malus malè, & vir frugi benè agere præsumuntur ; hominis flagitiosi testimonium vulgò rejicitur, cùm is indignus reputetur, cui fides habenda sit ; at quod ego per recriminationem, falsum crimen illi affingam, eumdem imminutæ fidei effectum apud homines sanæ judicii nunquam sortitur ; quis enim statim non judicet eo dumtaxat fine, crimen à me retorqueri, ut illius accusationem elevem ? accedit, quod cum jam mihi tetra illa nota ab illo inusta sit, pauci erunt, qui me dignum reputent, cui fides habeatur ; aut certè vulgus, admissa utriusque accusatione, me pro fure, illum verò pro adultero habebit ; ita enim à natura comparati sumus, ut potiùs mala, quam bona credamus ; Hinc certè inutilis erit recriminatio, ad justam defensionem ; Undè tantem quarta conditio deest, quam nonnulli ex citatis

exemia autoribus adstruunt, ut illa licitè fiat; cùm honoris & famæ indemnitas minimè servetur; tertiam conditionem nunquam adesse contendam, cum semper alius modus suppetat, quo famæ honori consulatur.

129. Pithanoph. Spem meam fefellisti, Antime, ubi enim selectum autorum manipulum pro illustratione adduci à te viderem, in eam te discessurum esse, omninò mihi persuaseram, immò illum communem & probabiliorem esse apud me reputabam; & verò saltem probabilem esse, non negabis; quis enim hoc tantæ autoritatis pondere non concedat?

130. Antim. Plurimi ex adductis autoribus generatim non concedunt, quamlibet calumniam iniquo accusatori affingi posse; sed tantùm illam, qua illi fides proximè, directè & immediatè detrahitur; v. g. si dicam, illum mentiri solitum esse, hoc crimen ab illo imponi; accusatum insontem esse, & accusatorem iniquum, eoque adeò purum putum calumniatorem; illum etiam odio, vel invidia, vel alio studio minùs honesto duci; hæc & alia similia, quæ reverà ad infligendam illius fidem directè conducunt adhiberi possunt; nempè injustè accusato crimen impositum refutare licèt; id est, à se removere: id est, negare, à se unquam fuisse admissum, ac proindè mentiri accusatorem & calumniari; & hæc malum illius animum arguunt, licèt verum crimen deferat; quia cum occultum sit, nec in judicio probari queat, accusato pernegare licèt, ac sese defendere afficta illa injusto accusatori, materiali calumniâ; si qui autem ex prædictis autoribus secus sentiant, & aliam calumniam affingi posse, justæ defensionis jure doceant, illud certè sub iis restrictionibus dictum ab iis fuisse putarim, quæ cum ipso usu conjunctæ esse non possunt; aut certè si aliud velint, in hoc non laudo, nec probo.

131. Pithanoph. Nullam ex præmissis conditionibus impossibilem esse reputo; de duabus primis, opinor, ultrò concedes; tertia nonnunquam adesse videtur; cùm interdum accidat, accusatum in eas adduci angustias, propter iniqui accusatoris potentiam, falsorum testium dolum, & Judicis mollitiem, vel aversum ab eo animum, ut aliter honori suo consulere nequeat; quarta item impossibilis non est, licèt adesse queat.

132. Antim. Jam omissa quæstione juris, quotiescunque facti instituis, de qua tecum frustrà contenderem; quis enim litem istam dirimeret? tu asseris, aliquando adesse, ego verò id pernego; frustrà in his tempus & otium poneremus; sed do ultrò, metaphysicè, vel etiam physicè, ut ajunt, possibiles esse; cum tamen nullo modo adesse, fatearis, moraliter impossibiles censendæ sunt; ac proindè nemo jure eam supponat, illas adesse, cum abesse, moraliter certum sit; cùm hoc dubio nemo licitè agat, præterquam quod semper esset mendacium, quod nunquam licet.

133. Pithanoph. Huc volo te; nihil enim isti adducti autores volunt; fatentur ultrò, mendacium esse, ac proindè esse illicitum; nec tamen cum injustitia conjungi; undè reor, opinor, inferunt; non esse peccatum grave; præterea quando crimen verum, sed occultum ab iniquo accusatore imponitur, eumque mentiri & calumniari jutas, tu ipse potiùs mentiris; sed mentiri, ut ais, illicitum est.

134. Antim. Ab hoc ultimo initium duco; negare factum, quod fateri non teneor, immò & admittere non possum, mentiri non est saltem formaliter, ut ajunt; sed veritatem tacere ac tegere, quæ reverà aliquando tegenda est: accusat me furti occulti; nego me furatum esse; non mentior, sed crimen occultum reticeo, quod certè licèt, & calumniam falsi accusatoris jure tibi affingo; licèt enim falsus non sis, iniquus tamen accusator es; & hæc est materialis calumnia, ut suprà vocavi, quam licitam esse nemo negat: at si te adulterii accusem, formale mendacium erit & formalis calumnia: ad id porrò, quod primo loco dicebas, merum mendacium esse cum injustitia minimè conjunctum, ac proindè peccatum leve, licèt fortè aliqui adstruant, cum præmissis restrictionibus, seu conditionibus appositis, nostri tamen omnes, uno dempto, vel altero, jure refragantur; dico ergò, mendacium esse cum injustitia conjunctum, id est cum injuria proximi; cùm enim, ut dixi, justæ defensionis ratio in hoc casu non suffragetur, damnum proximo sine formali injuria inferri non potest.

135. Pithanoph. Saltem licebit, verum crimen in accusatorem iniquum retorquere; tunc enim nec mendacium erit, nec calumnia; igitur nec injustitia.

136. Antim. Quod ultimo loco infers, eadem facilitate negatur, qua adstruitur; nempe injustum est, alium accusare occulti criminis, quod in judicio probari nequit; igitur licèt mendacium non sit, nec calumnia, est tamen injustitia, & qua ratione iniquus accusator est, qui occulti criminis me accusat, quod debitis probationibus caret, eadem ego iniqui recriminatoris partes agam, si occulti criminis me illum accusem, quod juridicè probari non possit.

137. Pithanoph. At si legitimis probationibus instructus sis, nunquid non poteris iniqui accusatoris crimen occultum ad Judicem deferre.

138. Antim. In hoc tibi assentior; quisquis enim delictum admittit, de quo in judicio legitimis probationibus convinci potest, jure suo excidit; nec is, qui eum defert, iniquus accusator censendus est; quare hoc medio contra iniquum accusatorem licitè uti possum, modò ex odio aut vindicta non fiat.

139. Pithanoph. Sed hoc leve profectò ad servandam famæ indemnitatem subsidium est, pro cujus defensione, nec occidere licet, nec percutere, nec calumniam retorquere, extra ipsum accusationis argumentum, cùm tamen fama maximum bonum sit; D. Thom. 2. 2. q. 73. a 2. dicit, inter res temporales, famam esse pretiosiorem, a. 3. famam præeminere divitiis; 1. 2. quæst. 2. a. 2. homines ultrò pati jacturam in omnibus aliis rebus, ne patiantur aliquod detrimentum in honore; juxtà illud proverbiorum 22. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*; addit Tostat. tom. 5. in Mat. c. 18. q. 97. famam esse præcipuum inter omnia bona ex-

na exteriora, & tom. 1. exod. c. 20. q. 25. læsionem famæ propinquam esse morti personæ, apud eos, qui verè existimant. Scot. in 4. d. 21. q. 2. subnectit, amissâ famâ, hominem privatum esse habilitate ad actus vitæ civilis; his accedunt Major ibid. q. 16. Lyranus tom. 3. in c. 19. Job. Angelus v. *honor*. S. Antonin. in summ. p. 2. tit. 8. c. 4. §. 2. Cajet. in summ. v. *fama*. Sylvester v. *detractio* & v. *bellum*; adde Sis Gersonem & cæteros Theologos; cum igitur famæ bonum adeò pretiosum sit, etiam mille thesaurîs anteponendum, Eccles. 41. Mirum certè mihi accidit, quonam pacto fieri possit, ut tam pauca & levia ad illius defensionem subsidia permittas.

140. Antim. Crimen certè repelli crimine nolim, ne crimina multiplicentur; abstine à crimine, & fac quod voles; per me licet; non nego enim, famæ bonum maximum esse, iis præsertim necessarium, qui vel in republicâ administranda, vel in juvandis proximis suam operam impendunt, qui sanè ut iidem, quos jamjam laudasti, autores docent, eniti maximè debent, ut famam indemnem servent; nec deest multiplex modus, quo id tandem obtineant; nempè ad publicum justitiæ administratorem confugere possunt, & coram eo causam suam agere, afflictam calumniam refellere, innocentiam suam juridicè probare; & si legitimæ probationes adsint, ea contrà calumniatorem adstruere, quæ illius fidem infringant; delictis etiam occultis ad hunc finem publicatis.

141. Pithanoph. At si judex iniquus, si testes corrupti, si omnes viæ præclusæ ad probandam innocentiam, ac diluendam calumniam, quid opus facto?

142. Antim. Rarus profectò casus; si enim hic Judex iniquus est, ad alium æquiorem confugere poteris; & alios testes, qui non sint corrupti, fortè invenies; si tamen omnis aditus justæ defensioni intercluſus; æquanimiter ferendum; beati, qui persequutionem patiuntur propter justitiam, pro qua mori, satius est, quàm crimen crimine refellere.

143. Pithanoph. At si scripturas ut vocant authenticas sacco inclusas, quibus innocentia mea omninò probatur, quispiam per vim mihi eripere attentet, nunquid non possum me defendere, etiam cum cæde injusti aggressoris, si aliter fieri non possit?

144. Antim. In hoc, ultrò tibi assentior; tunc enim vim injustè mihi illatam repello, cum justo moderamine; neque in hoc ulla est difficultas; nam perinde est, sive is tibi vitam eripere attentet, sive aliud quidpiam, quod tibi vita carius est, & ad vitam honestè ducendam necessarium.

145. Pithanoph. Rectè; capio mentem tuam; quotiescumque vis injustè infertur ab eo, qui gravem injuriam inferre attentat, vis illa repelli potest, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum cæde injusti aggressoris, si alio modo repelli nequit: unum restat, quod ex te quæram; utrum is, qui gravem ab alio calumniam, & grave famæ detrimentum passus est, possit deindè, nactus occasionem, ac remoto omni scandalo, justâ & occultâ compensatione uti, in alio bonorum genere, v. g. in pecunia; ratio dubitandi est; quia cum calumniator teneatur damnum illatum proximo resarcire; cur si ille nolit, læsus, qui jus habet prædictam reparationem, ut ajunt, exigendi, & si hoc juridicè fieri non possit, cur, inquam, occultâ compensatione uti non poterit? frustrà enim jus illud esset, si nunquam rem illam ad quam jus habet, obtinere valeret; ut autem Judex, quando legitimæ probationes adsunt, damnat calumniatorem ad mulctam pecuniariam, in gratiam læsi; haud dubiè judicat, justam in pecunia compensationem fieri posse; cur ergò illâ, si aliter haberi nequeat, & scandalum absit, læsus clam uti non potest?

146. Antim. Scio, nonnullos esse, qui ita sentiunt, quibus tamen suffragari non possum; tum ne à communi sententia recedam, tum quia damnum famæ pecuniâ reparari non potest; & is, qui damnum illud intulit, ratione illius præcisè, ut ajunt, quidquam in pecunia restituere non debet; dico ratione illius præcisè; si enim passus damnum in fama, ex hoc aliud in bonis patitur, qui primum intulit, secundum etiam resarcire tenetur, utrumque tamen diverso satisfactionis genere; pro hac sententia, militat selectus Doctorum manipulus, scilicet Thom. Sanch. l. 1. cons. c. 4. n. 7. ubi præter alios, citat Alberic. Azor. Panormitan. Gomez, Navarrum, Petr. Navarr. Angles, Vasq. de restit. c. 2. §. 3. dub. 6. n. 17. ubi citat Bannez & Victoriam, Turrian. disp. 28 dub. 1. ubi citat Ostiens. & Covarruv. Less. c. 9. dub. 23. quibus favet Magister in 4. d. 15. Lugo disp. 11. sect. 1. n. 5. faciunt autem multæ rationes, ut in hanc sententiam descendam; prima est, quia si damnum famæ pecuniâ compensari posset, etiamsi calumniator pœnâ corporeâ multaretur, non cessaret obligatio refundendi pecuniam; sicuti non cessat, licèt fur simili pœnâ corporeâ plectatur; hoc argumentum nonnulli efficacissimum esse judicant.

147. Pithanoph. Ignosce quæso hebetiori ingenio, argumenti hujus vim non sentio cum enim sit faciendum satis duplici justitiæ, vindicativæ scilicèt, & commutativæ, pœnâ corporeâ à Judice impositâ primæ fit satis; obligatio restituendi ad commutativam spectat; in furto, res perspicua est.

148. Antim. In furto sanè, perspicuum est; nemo enim negat, rem illi restituendam esse, cui fur illam surripuit; etiamsi propter crimen admissum, pœnâ corporeâ plectatur; at præter unum Arragonium, nemo dicit, infamatorem, postquam pœnam dedit, teneri adhuc ad aliam quampiam pecuniæ restitutionem; & ut aliam rationem ex hoc eodem fonte ducam, si hoc esset, mortuo calumniatore, etiam propter admissum crimen, illius hæredes pecuniam illam pio debita restitutione, refundere tenerentur, ut in furto; quod nemò sanæ mentis dixerit; stat igitur illa ratio, quam ut jam dixi, multi autores efficacissimam reputant; & verò quacumque pœnâ calumniator plectatur, infamatus cum eodem famæ detrimento manet; igitur pœna illa ad vindictivam, non ad commutativam justitiam pertinet; vindicativa autem publicam autoritatem supponit.

149. Pithanoph. Judex non rarò calumniatorem obligat, ad resarciendam pecunia aspersam infamiam; igitur damnum famæ pecunia compensari potest.

150. Antim. Hæc est mulcta pecuniaria, quæ imponitur, non quidem ad damni compensationem, sed

delinquam pœnâ, ut sæpè fit; quòd autem illam pecuniariam passo Judex attribuat, eò sanè minimè spectat, ut damnum famæ compensetur, idem enim manet, pecuniâ, adhuc manet; sed ut miser aliquid habeat, quod à compensatione fallax lolarii inde habeat, quod à compensatione remotio discrepat: inde autem tertia ratio eruitur, cum enim bonum nomen honorato viro etiam vita utilius sit, nulla sanè est proportio inter bonam famam, & pecuniam, ut supra dictum est; nulla igitur compensatio fieri potest, qua scilicet damnum famæ, pecuniâ pecuniâ, resarciatur.

150. *PITHANOPH.* Esto, nulla sit proportio, nihil tamen obstat, quin læsus cum eo, qui læsit, conveniat, de tanta, vel tanta summa.

151. *ANTIM.* Quid inde infers; læsus remittit & condonat acceptam injuriam; id est, jus illud actionis contra eum, qui læsit, petendi scilicet justam vindictam à Judice; læsus autem à tali actione sæpè desistit, accepta ab eo, qui læsit, pecuniâ; nulla tamen hîc compensatio intercedit, sed pœnæ condonatio, & judicialis actionis remissio; sed ad quartam rationem gradum facio, quam sic expono; si pecuniâ damnum famæ compensari posset, igitur pecuniæ summa determinata; quis autem illam determinet? immò determinari non potest; cùm enim fama sit ipsâ vitâ carior, & vita omni pecuniâ pretiosior, quidquid tandem solvatur, seu refundatur pecuniæ, nulla tamen inde censenda est adæquata solutio.

152. *PITHANOPH.* Saltem erit satisfactio inadæquata, quæ locum adæquatæ habebit, cùm hæc fieri non possit.

153. *ANTIM.* Sed cùm inadæquata satisfactio multiplex sit, eurunam potiùs, quàm alienam assignas? cur mille nummos exigis potiùs, quàm bis mille? deinde si debitores, qualibet appellata minorem exhibebis; si creditor, qualibet appellata majorem exiges; igitur, utrectè monet citatus suprà Delugo n.8. obligatio ad solvendum aliquid indeterminatum, vel impossibilis, vel inutilis est: præsertim cum (ut hæc est ultima ratio) justitia commutativa postulet æqualitatem; ubi ergo æqualitas poni non potest, justitiæ commutativæ ratio locum non habet; igitur quisquis damnum famæ alterius intulit per calumniam, ad resarciendum illud damnum justitia commutativa illum obligat, revocatis perperam dictis, & omni meliore modo, quo fieri potest, quod reverâ si fieri ab eo non possit, ad aliam compensationem justitia commutativa eum non obligat, dico commutativam, nam vindicativa admissi delicti pœnas exigit: & hæc dicta sint pro mero famæ damno; si enim aliud bonorum damnum ex eo sequatur, non est dubium, quin refusâ pecuniâ, damnum hoc compensandum sit: itaque, ut redeam ad tuam instantiam, compensatio inadæquata facienda est, quando adæquata fieri nequit, modò per inadæquatam aliquid illati damni resarciatur; sic ille, qui debet restituere quingentos nummos, cùm plures quàm ducentos restituere non possit, tenetur duntaxat restituere; quia saltem debitum imminuit, & aliquam partem extinguit; at si alteri brachium amputaverit, quidquid pecuniæ refundas, non tamen vel minimum brachii partem restituis.

154. *PITHANOPH.* Paulò indulgentior adversus calumniatorem esse videris, quem ab omni restitutionis obligatione immunem facis; quod mihi certè non accidit; si enim fur tum pœna corporea plectitur ad restituendum id, quod abstulit, obligatur; quidni calumniator utrique pœnæ subjaceat? cùm reverâ majus crimen admiserit; fama enim divitiis longè pretiosior est.

156. *ANTIM.* Non libero calumniatorem ab obligatione restituendi famam, si id fieri possit; immo assero, teneri eum, revocare perperam dicta, atque eniti pro viribus, noram alterius famæ inustam abstergere; at si id obtineri ab eo non possit, vis dicam, eum teneri ad impossibile? id porrò, quod de fure subnectis, nullius momenti est; nam ideo furem obligo ad restitutionem ablati, quia suppetit illi, unde restituat; nempe si nihil prorsus habet, ac proinde restituere nequit, nullo modo ad restitutionem illum obligo, quia nemo tenetur ad impossibile; paritatem igitur omnimodam agnosco; unus famam tuam læsit per calumniam, alter bona furatus est; uterque crimen corporea pœna dignum admisit, juxta leges justitiæ vindicativæ; uterque damnum illatum resarcire tenetur, quocumque tandem modo resarciri queat; si tamen alter resarcire nequit, sive fur, sive calumniator, illum reverâ ad restitutionem non obligo; ne tamen hoc dissimulem, sæpè accidit, ut fur, si non totam pecuniam, quam abstulit, illius saltem partem restituere possit, ac proinde teneatur; cùm tamen calumniator læsam famam reparare non possit; addo etiam, si quando accidat, ut partem famæ reparare valeat, illum ad id prorsus teneri; uno verbo, quidquid ad resarciendum damnum famæ illatum conducit, sive totum, sive illius tantùm pars restituatur, totum id ponere, calumniator tenetur.

157. *PITHANOPH.* Si fur gemmam alteri abstulit, ac deinde perdidit, pecuniâ compensare tenetur; cur igitur idem de læsa fama non dicam?

158. *ANTIM.* Manifestum discrimen est; nam gemmea illa pecunia æstimari, vendi & emi potest; cùm tamen fama pecunia nec æstimari, nec emi possit; digitum quispiam tibi abscidit, an fortè pecunia alium digitum tibi comparare potes? at gemmam pecunia emere poteris.

159. *PITHANOPH.* An putas, nullo modo unum ab alio adæquari posse? erunt multi, qui secus sentiant, malintque perdere digitum, quàm centum nummorum millia; idem dico de aliqua nota famæ inusta.

160. *ANTIM.* Mentem meam non assequeris; scio enim, unum ab alio infinitè non superari, nisi de vita & fama agatur; nempe is, cui vitam eripueris, nihil deinde pro vita sibi erepta à te accipere potest; at si digitum tantùm abscideris, multa vis auri charior illi accidet, quàm digiti restitutio; non tamen propterea illa vis auri jacturam digiti compensabit, ut dixi, cùm alium digitum afferre non possit; unde non teneris, prædictam auri vim refundere; & is à te immeritò illam exigeret, licèt eam pluris faciat, quàm digitum; quia id tantùm refundere teneris, quod damnum illatum, digiti scilicet jacturam compensat; pecunia autem ut dixi compensari nequit; quia pecuniâ alium digitum habere non potest: equidem si ratione amissi digiti aliud damnum passus sit; nemo neget, eum, qui abscidit, ad illud resarciendum teneri; idem de fama dictum sit, & in hoc sensu, intelligendos esse crediderim, maximam illorum autorum partem, qui hujusmodi compensabilitatem, ut ita loquar, adstruunt, ut Sotus, Sylvest. Mercat. Cajet. Armilla, citati à Vasq. n. 15. Arrag. Cordub. Lud. Lop. adducti à Sanch. n. 6. quibus favere videtur S. Th. q. 62. a. 1. ad 1. sed vel loquuntur de damnis, quæ ex læsa

fama consequuntur; vel de spontanea conventione inter partes habita; vel de obligatione Judicis, qui per sententiam, ad solatium injuriam passi, summam pecuniæ adjudicare debet, ab injusto calumniatore refundendam; vel de compensatione impropriè sumpta, qua scilicet unum pro alio merè substituitur: maneat igitur, famam læsam pecuniâ propriè compensari non posse; ac proinde calumniam passum, prædictâ compensatione illicitè uti.

161. PITHANOPH. Hanc sententiam tibi gratulor, & cùm illa inde sit laxior, inde strictior, indulgentiorem supra, seu molliorem, perperam te vocavi; strictior est, si rationem habeas injuriam passi, cui scilicet prædictam compensationem non permittit; laxior verò, si ad calumniatorem referatur, quem ad refundendam pecuniam pro illata injuria non obligat, ante sententiam Judicis, vel privatam conventionem; sed frustra de his disputamus, licèt enim hanc opinionem defendas, non negabis tamen, oppositam esse probabilem, ac proinde illius usum licitum esse.

162. ANTIM. Tantulum hallucinaris mi Pithanophile, non distinguis enim unum probabile ab alio; duo sunt objecta, unum supponis; duæ opiniones, unam dumtaxat appellas; fateor, utcumque probabilem esse illorum opinionem, qui docent, damnum famæ pecunia compensari posse; dixi utcumque probabilem; si enim sistamus in propria verborum significatione, illud est tantùm pecunia compensabile, quod pecunia comparari potest; sed demus ultro, famam esse pecunia compensabilem; illudque censeri probabile, saltem per locum extrinsecum, propter autoritatem multorum, qui hoc docent; non tamen inde sequitur, quòd probabile sit, injuriam passum in fama, occulta compensatione pecuniaria licitè uti posse; nempe duo sunt longè inter se diversa; quòd pecunia damnum famæ compensabile censeatur, sit, quantum voles, probabile; quòd hac compensatione licitè uti possim, reverà probabile non est; si quando enim licet compensatione uti, certum esse debet, unum altero verè compensari; ut si quis mihi debet centum nummos, certum est, compensari posse aliis centum nummis; idem dico de qualibet alia re, quæ pretio pecuniæ comparari possit; itaque ut in illa opinione, quæ occultam compensationem permittit, is, qui ea utitur, certus esse debet, quod res illa, quam ille accipit in compensationem, illi debetur; ita si agitur de famæ damno, injuriam passus debet esse certus, illud sibi deberi, quod accipit in compensationem; igitur & certus, damnum illud hoc modo compensari, acceptâ scilicet pecuniâ; hæc autem compensabilitas certa non est, sed tantùm probabilis; igitur non sufficit ad licitam compensationem probabilis compensabilitas, sed requiritur certa; & licèt certa compensabilitas supponatur, ut in bonis fortunæ, non tamen ex ea sequitur, compensationem certò licitam esse, sed tantùm probabiliter; sed ex incerta compensabilitate, minùs sequitur, quàm ex certa; ex hac sequitur compensatio probabiliter licita, igitur ex illa, minùs quàm probabiliter.

163. PITHAN. Multi sunt, ni fallor, qui probabile censent, hujusmodi compensationem licitam esse, ut Less. cap. 11. dub. 25. n. 136. Molin. tom. 5. d. 49. n. 5. Ledesm. 2. p. 4. q. 18. art. 2. Joann. de la Cruz in Direct. p. 1. præc. 7. a. 2. dub. 6. concl. 2. Tanner. in præsenti d. 4. q. 6. dub. 6. n. 150. Aragonius & alii, quos citat & sequitur Diana tom. 2. tract. 5. miscell. resol. 30.

164. ANTIM. In hac materia, ne quid dissimulem, prædicti autores ita variant, ut vix eorum mentem capere possis; hinc, ut rectè monet Delugo, disp. 16, sect. 3. n. 106. licèt in quibusdam casibus particularibus, prædictam compensationem admittere videantur, dum tamen in propriis terminis quæstionem tractant, id communiter negare videntur; hinc prædictus Delugo loco citato, abstinet ab ultimo judicio, circa hoc punctum de compensatione; additque, in praxi non esse facilè admittendam; quare, licèt citati autores aliquam probabilitatem in hanc opinionem inducant, illa quidem fortè sufficiet, ut sit speculativè probabilis, non tamen practicè; quod vel ex ipso usu probatur; quis enim amabò Confessarius vel hoc permittat, vel autor sit, ut fiat? saltem ut nostris principiis insistam, non est certum, opinionem illam esse probabilem; igitur non est certum, esse tutam; illam igitur ad praxim reducere non licet; neque prædicti autores refragantur; modò scilicet consequenter loquantur; nempe cùm ipse calumniator pecuniam refundere non teneatur, licèt alio modo famæ damnum à se illatum resarcire non possit; nec etiam illius hæredes post ejus mortem; certè injuriam passus pecuniam illius accipere, vel retinere non potest in compensationem; unum ita connectitur cum alio, ut posito uno, alterum poni, necesse sit.

165. PITHANOPH. At si calumniator damnum quidem resarcire possit, nolit tamen obstinatè; nunquid non licebit injuriam passo, pecuniam illius sibi retinere; saltem eo fine, ut eum ad justam reparationem obliget.

166. ANTIM. Id totum frustra esset, si per modum occultæ compensationis fieret; cùm inde calumniator moveri nequeat ad satisfaciendum; ignorant enim, quidpiam è rebus suis ab alio retineri; si autem id sciat, nec ampliùs repetat, ex quæsi quædam tacita conventio, vi cujus, injuriam passus pecuniam retinere potest, renunciata tamen quolibet alio jure exigendi aliam satisfactionem: si verò calumniator pecuniam illam repetat, non est dubium, quin eidem restituenda sit; ratio est, quia justæ defensionis, vel compensationis jure retineri nequit; non primum, quia jam illata est injuria; immo licèt eadem injuria quasi continuetur, eò quòd injustus calumniator satisfacere recuset, licèt satisfacere possit, non tamen arcetur, licèt pecuniam retineas; non secundum, quia nulla fit propriè sumpta compensatio, cùm idem maneat afflictæ famæ detrimentum.

167. PITHAN. Si jura utrimque sint paria, peresque injuriæ acceptæ ejusdem generis, scilicet in fama; si mihi satisfacere recuses, nunquid non potero pariter satisfactionem sustinere, donec satisfacere velis.

168. ANTIM. Multi sunt, qui docent, hoc licitum esse; ut Lessius c. 11. dub. 25. n. 134. ubi citat Adrian. Sot. Angel. Tolet. Dian. tom. 1. tract. 3. miscell. resol. 30. ubi citat Sylvium, Malder. &c. Molina disp. 49. Rebell. p. 1. de justit. l. 4. q. 13. n. 4. & 5. hoc tamen rejicit Lugo d. 15. sect. 3. n. 44. ubi citat Cajet.

Cajet. Navarr. Petr. Navarr. Turrian. Tanner. Vasquez. hanc sententiæ omnino subscribo, propter rationes jam expositas; nec enim per infamiam tuam infamiæ tuæ consulis, ut perspicuum est; tu enim non potes licitè infamare illum, qui te præinfamavit, quæ esset mera vindicta, cùm indebitè bonum non referas; ita non potes eam-dem infamiam alteri à te illatam quasi conservare, & augere, continuare, quod ejusdem malitiæ est, cum prima infamatione; nempe hoc famam tuam non juvat, nec labem illi aspersam abstergit; mera igitur vindicta est, in debitis pecuniariis secus accidit; nam si tibi alter debeat 100 nummos, & tandem illi debeas, haud dubiè si retineas, perfecta est compensatio & æqualitas, & damnum in bonis nullum pateris.

169. PITHAN. In hoc paulò severior mihi esse videris; non deerunt, qui dicant, rigorem à te præferri, ut tempori servias; multi enim hoc tempore contra laxiores opiniones declamant.

170. ANTIM. Malè me nôsti; dico, quod sentio; nec quidquam illorum gratia facio, qui vel factionibus, vel præoccupationibus, vel præsumptionibus ducuntur; declamant contra morales Theologos, quos nunquam legerunt; haud ita prilogos, quos nunquam legerunt; haud ita prilogos, quos nunquam legerunt; haud ita prilog

periculum spirituale & corporale debitoris. 2. ut inde non sequatur grave damnum alicui; 3. ut res illa non sit data creditori in depositum; 4. ut id, quod accipis, non sit alienum, sed vel tuum, vel debitoris. 5. ut debitum non possis aliter recuperare, saltem sine magna difficultate, molestia, litibus, expensis, jactura gratiæ & amicitiæ necessariæ. 6. ut compensatio fiat in re ejusdem speciei, quoad fieri poterit. 7. ut id, pro quo fit compensatio, jam actu debeatur. 8. ut debitum sit certum & liquidum, adde nonam, ut compensatio debitum non excedat.

175. PITHANOPH. Istas ego ad tres reducerem; 1. est, ut compensatio sit justa, id est, non excedat debitum certum, fiat cum minimo debitoris damno, & in iis bonis, quæ non sint cujuspiam tertii. 2. ut sit necessaria; id est, ut res illa alio modo, saltem sine magna difficultate, obtineri non possit, ex quocumque tandem capite proveniat; 3. ut sit cauta, id est, absque omni periculo, scandalo, damno, &c.

176. ANTIM. Rectè omninò; multa paucis complexus es; si enim compensatio justitiam particularem & communem non lædit, nec etiam charitatem, nihil reverà præfert, quod illicitum sit; si autem justa est, eo quo dixisti modo, justitiam particularem non lædit; nulli enim facio injuriam, dum meum accipio; si verò necessaria est, justitiæ communis leges & juris ordinem non transgreditur; quia juris ordo ad reddendum cuique suum, & pacem communem ordinatur, ut rectè monet Cajetan. citatus; & verò juris ordo non prohibet, ne quisque id quod suum est, obtineat, omni meliore modo; si demum cauta est, & omne periculum & scandalum arcet, haud dubiè charitatem non lædit; rectè autem prætermisisti tertiam ex octo supra recensitis; quia quòd rem illam habeas in deposito, te minimè privat jure illam tibi vendicandi; cùm enim per sententiam Judicis eam tradere alteri creditori tenearis, eam sanè pari jure tibi vendicare potes, modò scilicet aliæ conditiones adsint.

177. PITHAN. Cùm depositum illud fidei meæ creditum sit, nunquid fidem non violo, si fortè illud mihi vendicem, in compensationem rei mihi debitæ; hinc multi compensationem fieri vetant in hoc casu, ut Medin. c. de rest. q. 3. Sylvius hîc q 62. a.8.q.1. concl.7. Covarruv. in cap. *Quamvis pactum*, 1.p.§.4.n.9. Comitol.resp.moral.l.3. q.39 & alii, qui hoc colligunt ex cap. *bona fides*, de depositio, & ex leg. ult. cod. *de compensat.*

178. ANTIM. Alii tamen longè probabiliùs docent, illa jura procedere dumtaxat in foro externo, in quo præsumitur, potuisse alia via recuperari debitum, & servari depositi fidem; ita Lugo citatus n.89. Less.cit.dub.10.n.60. Petr.Navarr.l.3. de restit.c.2. n.389. Tanner.2,2.disp.4.q.6.dub.14. n.411. Dian.1.p.tract 2.miscell.resol.48. Turrian. hîc disp.33. dub.3. n.23. quibus adde omnes à me supra citatos, qui hanc conditionem non admittunt: ad id porrò, quod de fidelitate opponebas, facilè respondeo, tacitam conditionem semper subesse, scilicet, ut is, qui apud me rem suam deposuit, rem meam mihi restituat; sed in hoc, nulla est difficultas.

179. PITHAN. Octava conditio nonnullis aliquid negotii facessit, qui volunt, non requiri ad justæ compensationis usum, ut debitum certum sit, modò sit probabile; & verò opinionem probabilem licitè sequimur.

180. ANTIM. Scio, nonnullos esse, qui debita probabili contenti, certitudinem minimè requirunt; absit tamen, ut iis assentiar; quis enim alium, qui rem possidet, mera probabilitate nixus re ipsa privet? quasi verò melioris conditionis censendus non sit, juxta communem regulam.

181. PITHAN. Si possum per sententiam Judicis, rem illam mihi vendicare, jure dumtaxat probabili nixus, cur eamdem, per occultam compensationem, clam accipere non possum? cùm ab iniquo, vel corrupto Judice sententiam obtinere non licet.

182. ANTIM. Judex iniquè alium privaret re, quam possidet, nisi jus tuum probabilius sit; nempe cum possessio faveat, nemo ab ea deturbandus est, nisi actoris jus probabilius & liquidius esse constet.

183. PITHAN. Igitur, quando debitum probabilius est, quamvis certum non sit, occulta compensatione uti possum, modò cæteræ conditiones adsint; cùm enim Judex teneatur, ubi constat de jure meo probabiliore, peractis probationibus meis, rem illam mihi adjudicare; si quid verat, ne illam obtinem autoritate publica, cur amabò privatam adhibere non licet?

184. ANTIM. Non deerunt, qui hoc tibi concedant, ego tamen dare non possum; ducor autem rationibus maximi momenti, 1. quia in rebus propriis homines, saltem ut plurimùm, errant; nimius amor sui multa iis persuadet, ostentatque ut probabiliora, quæ vix æquè probabilia censenda sunt; multi ergo errore illo ducti, rem alienam injustè sibi vendicarent, quia suam, vel sibi debitam esse probabiliùs putarent. 2. Judicis sententiâ opus est, ut is supposito jure tuo probabiliore, rem tibi adjudicet, & adversam partem possessione sua deturbet; sed nemo Judex in propria causa esse potest; illam igitur privato judicio & propria autoritate tibi arrogare non potes. 3. Si rem illam licitè accipere potes, quia probabiliùs judicas tibi esse debitam, eamdem possessor tibi restituere tenetur, si probabiliùs tibi debitam esse judicet; sed nisi certus sit, tibi debitam esse, possessor bonæ fidei eam tibi restituere non tenetur, ut docent Medin. cod. de rest. q.10 Sylvest. V. *Restitutio*, 3. q.7. Less. c.14. dub. 4. qui citat Gabriel, Covarr. & alios; quia in dubio, melior est conditio possidentis. adde Lugo disp. 17. sect. 4. n. 94. ubi citat Vasq. Salaz, Bonacin Arragon Sanch. Castra pal. 4. Cùm difficilè judicetur, utrùm ex duobus oppositis probabilius sit, & quisque sibi adulatur, utraque pars jus suum probabilius judicaret; immò raro accidit inter litigantes, ut alter jus adversarii probabilius, aut æquè probabile reputet; hinc sanè fieret, ut sæpè ac sæpiùs rem illam ut tibi debitam acciperes, quam tibi minimè deberi probabiliùs esse. his & aliis rationibus moveor, ut putem, occultam compensationem nunquam licitam esse, nisi certo constet, morali saltem certitudine, rem illam tibi debitam esse.

185. PITHANOPH. Nunquid ex opinione probabili agere non licet? igitur potiori jure, ex probabiliore; cùm ergo probabiliùs sit, rem illam mihi deberi, cur quæso illam, servatis justæ compensationis legibus, accipere non possum?

186. ANTIM. Quia deest præcipua, seu primaria justæ compensationis lex & conditio; cùm certum non sit, rem illam tuam esse; ad id porrò, quod dicis, licitum esse, agere ex opinione proba-

probabili, facilè respondeo, distinguendam esse generalem probabilitatem; primam scilicet, qua probabile, immò probabilius, rem illam tibi deberi; alteram verò, qua probabile sit, illam à te licitè accipere, justæ compensationis titulo; primam probabilitatem agnosco, admittoque; alteram ex quibus equi non video; scio, à nonnullis primam vocari probabilitatem facti, vel remotam, alteram juris, vel proximam; de nominibus minimè disputo, hoc tantùm dico, unam ex alia non sequi; sic probabile, immò probabilius est, hanc esse veram Baptismi formam: *Te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, sed non est probabile, licitè adhiberi posse; idem dico de materia probabili; in primo congressu distinxi, ni fallor, opinionem moralem à non morali; moralem vocabam illam, quæ circa actionem licitè, vel illicitè faciendam versabatur; sic opinio moralis est, v. g. quòd triplex contractus non sit usurarius; quòd æger horarium jejunium persolvere non teneatur hîc & nunc; quòd justa compensatione uti licitum sit, servatis scilicet servandis, &c. non moralis verò est, quæ non habet actionem humanam pro objecto; v. g. illud pharmacum est probabiliter salutiferum; illa materia Sacramenti probabilis; illa res probabiliter mea, aut mihi debita, &c. itaque cùm dicimus, licitum esse opinionis probabilis usum, intelligimus de opinione morali, non de alia, quæ moralis non est; equidem, ex eo, quod probabiliter, vel probabiliùs judicem, rem illam mihi deberi, possum debitorem interpellare, & adhibita autoritate Judicis, eum cogere ad rem illam mihi cedendam; & hæc est opinio moralis probabilis, quod quispiam jure probabili fretus, litem alteri licitè intentet; sed non est opinio probabilis, quod idem autoritate privata, per occultam compensationem, remillam sibi arroget; est quidem opinio moralis, sed non est verè probabilis.

187. *PITHANOPH.* Immò viri magni probabilem putant, ut Joannes Sancius, Delugo, Sanch. Salas.

188. *ANTIM.* De Sancio nihil dico; de aliis certus sum, ab insupponi probabilitatem juris, non facti, ut compensatio licitè fiat; ut expresè asserit Lugo d. 16. n. 99. immò Suarez l. 5. de legibus, c. 18. n. 10. & Sanch. in Decal. l. 6. c. 3. n. 7. nitidè docent, nullum posse privata auctoritate, scilicet per occultam compensationem, accipere sibi rem, quam sibi debitam possidet; quamvis probabilius judicet, rem sibi debitam esse, vel sibi deberi; posse tamen illam accipere, quando est opinio Doctorum probabilis, possessorem jure spoliari posse; & ipse Lugo n. 106. hæc addit, ut jam supra indicavi; *de hoc tamen*, inquit, *nihil volo asserere, & libenter abstineo ab ultimo puncto, circa hoc totum punctum, de compensatione licita occulta, cum opinione solùm probabili*, scilicet facta, & remota. Denique, licèt fortè aliquid in esse probabilitatis speculativæ, juxta nostrum explicandi modum, abesset tamen probabilitas practica; quia omnes ferè autores hanc conditionem occultæ compensationi apponunt, ut scilicet certo constet, rem illam actori, vel creditori debitam esse, ut fatetur Lugo, n. 94. & ne unum, quod mihi venit in mentem, incauto fortè excidat, memini, ipse apud eumdem, eadem ni fallor disp. & sect. dixisse, ut actio aliqua licitè fiat, sufficere judicium, quo quis judicat probabiliter, illicitum, seu turpem non esse; v. g. triplicem contractum non esse usurarium; sed cave, putes, ipsum loqui de judicio ultimo practico, seu dictamine illo, seu conscientia, de quo in primo congressu à nobis actum est; quia hoc non versatur circa objectum opinionis, sed circa illius usum; & hoc judicium certum esse debere, demonstravimus; loquitur autem de ipsa opinione morali, quæ in judicio tantùm probabili posita est; v. g. quòd occulta compensatio, servatis servandis, iniqua, vel injusta non sit; de hoc te obiter monitum esse volui, ne fortè putares, doctissimum autorem probabili dumtaxat conscientiæ judicio, seu dictamine contentum, fundamentali nostræ sententiæ adversari.

189. PITHAN. Hæc mihi faciunt satis; tantillum scrupuli restat; ut enim dicis, quemlibet sibi adulari, & facilè id probabilius reputare, quod sibi utile putat; idem incommodum erit pro certitudine, quod pro majore probabilitate, nempe sibi certò persuadebit, rem illam sibi deberi, licèt reverà certum non sit; quod sæpè inter litigantes accidit, dum uterque jus suum certum reputat.

190. *ANTIM.* Fateor, hoc incommodum nonnunquam irrepere; sed non ita facilè certum quisque reputat, quod incertum esse constat, ut videre est in rebus speculativis; licèt enim quisque suam opinionem probabiliorem oppositâ reputet, in quo sæpè fallitur, pauci tamen sunt, & valde inepti, qui certum id reputent, quod ab aliis omnibus pro incerto habetur; & verò cùm major illa probabilitas per comparationem quamdam adstruatur, cuique facilè est, in ea collatione, seu comparatione, rationum utrimque oppositarum momenta ita collocare, ut in hanc potiùs, quàm in illam partem inclinent.

191. *PITHANOPH.* Ex dictis infero, septimam conditionem, de qua supra, admittendam esse; cùm enim debitum certum esse, necesse sit; si res nondum debetur, debitum certum non est; immò valde incertum; cùm accidere possit, ut nunquam contrahatur; sed his præmissis, expone quæso rationes illas, quibus probatur, compensationem occultam, servatis servandis, licitè fieri posse, in debitis scilicet pecuniariis, vel pecunia æstimabilibus?

192. ANTIM. Prima & potissima ratio ex eo capite petenda est, quòd is, qui occulta compensatione supradicto modo utitur, rem alienam non accipit, sed suam, aut saltem, quod idem est, sibi certò debitam, & ad quam certum & indubitatum jus habet. 2. Justæ defensionis jus occultæ compensationi suffragatur; cùm enim is, qui rem meam injustè detinet, me continuè vexare censeatur; si rem illam accipio, ab injusta illa vexatione, quod certè licitum est, me libero. 3. per occultam compensationem, nullam infero injuriam, iniquè rem meam detinenti; immò me justè defendo, ac repello injuriam, quam mihi infert. 4. Occulta compensatio furtum non est, alioquin rem acceptam restituere teneretur, quod expresè D. Th. citatus negat; igitur si furtum non est, injustitia non est; igitur nec illicita, cùm de jure naturali sit, cui lex omnis positiva cedit. 5. Quisquis jus habet ad aliquid, hoc ipsum aliquo modo tandem aliquando obtinere potest; nemo enim ad impossibile jus habet, quod meo judicio perspicuum est; si ergo alio modo is, qui certum jus habet ad rem, ab alio iniquè detentam, eam obtinere nequit, nisi occulta compensatione utatur,

utatur, servatis scilicet servandis supra præscriptis, ea jure uti poterit; alioquin haberet jus illud, & non haberet; suppono jus certum, absolutum, & minimè ligatum; hæc ratio, meo judicio, rem conficit.

193. PITHANOPH. Ita est, tecum sentio; nonnulla tamen paulò difficiliora opponuntur, quæ dilui à te velim, antequam huic congressui finem imponamus.

194. ANTIM. Per me licet; tu ipse oppone singula singillatim, ego continuò refellam.

195. PITHAN. Juris ordo sic invertitur, quo scilicet statuitur, ne quis Judex sit in propria causa, alioquin maxima in Republica perturbatio oriretur; hinc rectè S. Thom. à te citatus, licet eum, qui occulta compensatione usus est, ad restitutionem non obliget, eum tamen peccare asserit; igitur ex S. Thom. occulta compensatio illicita est.

196. ANTIM. Nemo tenetur illum juris ordinem servare, qui servari nequit; supponimus enim, eum, qui justa compensatione utitur, ad rem sibi debitam obtinendam, eam alio quovis modo, etiam autoritate Judicis accersita, obtinere non posse; igitur statutum impossibile non obligat, nec juris ordo impossibilis; neque hoc Reip. ullam perturbationem, ullum detrimentum affert, ut optimè observat Cajetan. suprà citatus; immò recta Reip. administratio & bonum commune id postulat, ut singulorum indemnitati consulatur, omni meliore modo; cùm igitur aliter certi juris indemnitati consuli non possit, quàm per occultam compensationem, ex qua servatis supra præscriptis, nullum scandalum, nullum detrimentum publicum, vel privatum nascitur, & cùm perfecta inducatur per eam æqualitas, quam justitiæ ratio postulat, fieri non potest, ut recto juris ordini, aut rectæ Reip. administrationi repugnet: id quod subnectis de Angelico Doctore, diluitur à Cajetan. supponit enim S. Doctor, præfatum juris ordinem servari tunc potuisse; at si servari non potest, ut supponitur, contra illum is minimè peccabit, qui occulta compensatione utitur; & hæc est Doctoris Angelici germana mens; si enim is, qui rem suam accipit per occultam compensationem, servato juris ordine, vel alio quovis modo eam obtinere potest, haud dubiè peccat, quia contra juris ordinem agit; non tamen eam restituere tenetur, quia sua est; at si juris ordo servari nequeat, certè non peccat, eò quòd illum non servet, cùm nemo ad impossibile teneatur.

197. PITHANOPH. Quid si aliquis neget, D. Thom. ita intelligendum esse;

198. ANTIM. Cajetanum, Sylvestrum, & torrentem Doctorum consulat; hi enim, opinor, S. Doctoris mentem perceperunt.

199. PITHANOPH. His tamen non obstantibus, si is, qui occulta compensatione usus est, re patefactâ, ad Judicem deferatur, pœnas dabit, quas furto leges imponunt.

200. ANTIM. Forum externum, ut tutè scis, ex meris præsumptionibus judicat, nec aliter fieri potest; præsumet autem in hoc casu, rem ab illo, servato juris ordine, obtineri potuisse; si autem res aliter, quàm per occultam compensationem obtineri potuit, hæc haud dubiè iniqua & illicita censenda est; quid ni ergo is plectatur, qui iniqua compensatione usus est; iniquâ inquam ex præsumptione.

201. PITHANOPH. Fateris, illum justè plectipeccavit igitur; nemo enim, qui non deliquerit, justè multatur.

202. ANTIM. Justè plectitur, licèt non peccarit, quia justa præsumptio est, secundùm quam forum externum, qui cordis arcana non penetrat, justè judicat, & justè plectit; innumera exempla suppetunt, accipe illud; aliquis putat per ignorantiam inculpatam, se in feram sclopum explodere, hostem occidit, hic reverà non peccavit; nam inculpata ignorantia à peccato liberat; justè tamen plectitur à foro externo, quia voluntas occidendi hostem justè præsumitur; sed cur in his, quæ facilia sunt, diutiùs hæreo.

203. PITHAN. Multi tamen hoc maximè urgent, & dicunt, forum internum cum externo ita componendum esse, ut unum alteri consentiat; ac proindè illud in foro interno damnandum esse, quod in externo damnatur, & vicissim.

ANTIM. Hæc regula fallax est, immo falsa; libros hac de re ex professo conscriptos consule; forum externum ex præsumptionibus judicat; apud internum nullus est præsumptionis locus, debebas 100 nummos Titio, solvisti, sed apocham accensationis amisisti; Titius eamdem summam iniquè repetit; acceptam ab eo clamas, ille negat; ita movetur, ille tuum chirographum producit; nihil ipse, quod producas, habes, ad solvendum iterum teneri te, Judex justè pronunciat; justa enim præsumptio est; jam forum internum cum externo compone.

204. PITHAN. Occultam compensationem leges vetant; iniqua igitur est; nisi enim illam leges vetarent, illum, qui ea utitur, forum externum, qui legum observationi invigilat, minimè plecteret.

205. ANTIM. Adducere debuisses leges illas, quibus occulta compensatio, præscriptis conditionibus munita, prohibetur; nec eam forum externum damnat, quod legibus adversetur, sed quia furtum esse præsumitur, ut furtum ergo damnatur.

206. PITHAN. Hæc opinio famulis domesticis occasionem furandi præbere videtur, eo scilicet subtentu, quòd iis justa stipendia non solvantur, nec alio modo habere possint; accedit, quòd famulorum fidelitas id saltem exigit, ne de bonis suæ fidei creditis, quovis titulo, quidquam sibi arrogent, inconsulto scilicet hero.

207. ANTIM. Trita querela est adversùs morales Theologos, quasi ipsi famulis furta permittant, compensationis occultæ falsò obtentu; licèt forte hac in parte nonnemo laxior fuerit, ego à communi sententia non discedam; nec quidquam famulis licitum esse, velim, nisi quod reliquis omnibus licet; mercedem aliquis suam nulla ratione habere potest, nec contumacem heri avaritiam frangere; si occulta compensatione utatur, servatis supra præscriptis, cùm D. Thom. eum ad restituendum non obligem, ego illum obligare non ausim, modò certum debitum sit.

208. PITHANOPH. At si stipendium minus justo reputet, nunquid aliquid amplius per occultam compensationem accipere non potest, modò justam mensuram non excedat?

209. ANTIM. Minimè gentium; cùm enim de mercede conventum sit, cur majorem sibi arrogat? justa inquies, minorem reputat; exigat ab hero majorem, hic recusat; herum mutet; non invenit, qui det majorem; inde rectè ducis

Bon. justam esse; illa enim merces justa censen-
dus. de qua communiter convenitur : igitur
Sanctio standum non est, sed vel pacto, si
Bonacina est, vel communi praxi; uno verbo,
Conclusio certa evidensque sit injuria & in-
justa, quam aliter famulus arcere non possit,
Resp. reliquæ conditiones adsint, nunquam illi
Antim. compensationem condonarem; ad id,
quod de famuli fide supra opponebas, ut non
Pith. famulum fidelem esse debere, ita herum
Pithan. esse nolim; & verò famulum fidelem
Antim. obligat, quod justâ, necessariâ, & cau-
sa compensationis utatur; nempe ut fidelitas cir-
ca res boni Heri versatur, ita justa compen-
satio circa res famuli; illud enim per occultam
Pithan. compensationem accipitur, quod ad
famulum pertinet, non verò ad Herum; & hoc
Antim. indubitatum supponitur; igitur justa
compensatio cum fide famuli optimè consen-
tit. Itaque ut perfidiam famuli, ita injustitiam
Pithan. non probo; solvat hic, quod debet; nec
Antim. quidquam accipiat; unum autem obiter mo-
neo, nonnullorum avaritiæ inde parum con-
sultum esse; cum enim justa stipendia famulis
debentur, illi occulta compensatione usi, debi-
tam summam sibi vendicant, quam Herus tandem
ad infimis conscientiæ solvere cogitur; hinc bis
Antim. quandoque tempori solveret.

210. Pithanoph. Hæc doctrina mihi per-
placet; nunquam enim famulus occulta com-
pensatione uti potest, nisi certus sit, rem illam
sibi deberi, & reliquæ conditiones adsint; at si
antiquiores & priores sint creditores; an fortè si
quis posterior sit, occulta compensatione uti po-
terit, servatis scilicet supra præscriptis; hoc enim
fieret cum detrimento priorum creditorum, qui
posterioribus præferendi sunt.

211. Antim. Dicam liberè, quod sentio; mo-
lestabor dominium rerum suarum retineat, nec
pertinentiam judicis prioribus creditoribus ad-
judicare sint, nec jam prioribus creditoribus
hypothecæ, ut ajunt, non video, cur poste-
rior melior, sualiterrem sibi debitam obtinere
queat, servatis servandis, per occultam com-
pensationem eam sibi vendicare non possit; ita
Gonzalez lib. 3. resp. Moral. quæst. 39. Diana p.
quæst. 5. Miscell. resol. 10. item p. 5. tract. 13. re-
sol. 3. item part. 7. tract. 10. resol. 18. qui ci-
tantur. Homobon. Fernand. Marchant. & ali-
Castillone. in Decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 4. num.
Machado tom. 1. lib. 2. punc. 3. tract. 23. do-
cum. 5. num. 9. Lublinus V. pecunia num. 17.
Sanchez 2. 2. quæst. 62. art. 8. Joann. Dela Cruz
Sanctor. p. 1. præcept. 7. art. 8. dub. 2. concl. 3.
Hæc sententiæ favet; omitto alios, isti enim suffici-
unt probatur autem hæc sententia; quia non mi-
nus debitor creditor habet jus ad rem sibi debi-
tam, quam prior: sed hæc longiorem discussionem
requirit, quam videris apud Doctores; præser-
tim apud Card. Delugo, qui rem hanc ad præla-
tionem debitorum, vel creditorum pertinentem
multâ, solidè, tota fere disput. 20. prosequi-
tur. Interim hæc esto regula; quotiescumque debi-
tor alicui creditori debitum solvere potest, sine in-
juria aliorum creditorum, toties occulta compen-
satio justa est; si enim debitor tibi dare non possit,
quia anterioribus jam obstrictus est, occulta
compensatione tunc uti non licet: utrum verò an-
teriores creditores posterioribus præferendi sint,
longioris, ut dixi, discussionis est, quæ ad præsentem
disputationem non spectat; si quid aliud habes, ex-
pone.

211. Pithanoph. Nihil restat, ut puto, quod ad
propositum argumentum pertineat; ad aliud ora-
tionem convertere tempus non permittit; jam enim
hic congressus, nobis licèt incogitantibus, longior
evasit; de alio quamprimùm instituendo, cogitan-
dum est; sed quod tandem argumentum assignas no-
vo congressui?

213. Antim. Quodcumque tibi videbitur, per-
inde mihi est; sed vide, quæso, quid magis è re tua
sit.

214. Pithanoph. Multa sunt quæ veniunt
mihi in mentem, sed vix singula sufficiens singulis
congressibus præbent argumentum; eidem porro di-
versam materiam assignare nolim.

215. Antim. Quidni quæso commune aliquod
caput constituas, ad quod diversa referre va-
leas.

216. Pithanop. Bene mones; indica quæso, si
quod opportunum tibi occurrit.

217. Antim. Tam multa Sacramentum pœ-
nitentiæ moralia complectitur, ut cuncta fere eò re-
duci queant.

218. Pithanop. Ita est prorsus; nam & pecca-
ta tanquam materiam remotam; & contritionem,
confessionem & satisfactionem, ut proximam com-
plectitur; de his nobis disputandum est, & de non-
nullis aliis, quæ ad hæc referuntur, ut de occasione
peccandi, de scandalo, de dispositionibus pœniten-
tis, de obligatione confessarii, &c.

219. Antim. In proximo igitur congressu de Sa-
cramento pœnitentiæ differemus.

220. Pithanoph. Vix crediderim, unico con-
gressu tam vastum argumentum exhauriri posse.

221. Antim. Scio modum, quo facilè contra-
hi possit; nempe aliàs quatuor Dialogos conscripsi
de hac materia, eos tibi legendos tradam, atque ita
maximè contrahetur disputatio;

222. Pithanop. Saltem quæso titulos ap-
pella.

223. Antim. Primus est de contritione, se-
cundus item; tertius de lethali noxa; quartus
de Christiana corporis afflictatione, vel de pœ-
nis satisfactoriis, ut vocant; alia quæ restant
discutienda, ut res ista unico congressu termine-
tur.

124. Pithan. Vale mi Antime, cito redi-
turus abeo.

DIALOGUS XVII.

IN QVO

Nonnullæ controversiæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinentes discutiuntur.

1. Pithanoph. Lustravi & legi Antime cum
summa voluptate Dialogos, quorum copiam mihi feceras; eos tamen non
retuli; curabo enim, si tamen per te mihi

liceat prædicta opuscula nitidè describi, eaque vel cum iis connectam, quæ in hisce congressibus discussimus, vel seorsim prout jusseris, eorum copiam amicis faciam.

2. Antim. Mihi gratulor, quod tibi nugæ nostræ gratæ acciderint; cogitavi nonnulla opuscula Theologica in similem Dialogi formam inducere, ut res paulò amœnior esset; sed vix sum mei temporis arbiter; res geometrica me distrahit, moralis deinde & Theologica non parum me occupant, apologetica & polemica suis partibus non carent; officii ratio multas & bonas horas sibi jure arrogat; quotidiana fere responsa & varia Christianæ charitatis officia suas etiam sibi vendicant; accedunt amicorum literæ & literariæ dissertationes, præter solitum religionis pensum; quid mirum igitur, si res pro votis nondum successit; si tamen tempus aliquando suppetat & liberiùs agendi occasio, susceptum consilium prosequar, & nonnulla argumenta Theologica huic novæ Dialogi formæ subiiciam.

3. Pithanoph. Importunus, opportunus aderò sollicitator; sed ad rem nostram veniamus, quam vix uno eodemque congressu terminabimus, nisi paulò longiùs illum protrahamus; ne quæso hoc tibi molestum accidat, mi Antime, per aliquot menses absens & à te sejunctus esse debeo, nec ante discessum iterum congredi valeo; vellem igitur controversias nostras morales in hoc congressu terminari.

4. Antim. Ne dubites; idem mihi animus est; & ut verum fatear, non quidem ingrata hæc materia mihi accidit, minùs tamen grata, quàm Philosophica, vel geometrica, vel Theologica, quæ maximam mihi voluptatem semper attulere; sed ne tempus ultra in his præludiis teramus, exprome quæ parasti.

5. Pithanoph. De contritione primo loco nonnulla ex te quæram; illudque primùm, quid reverà sentias de illa opinione, qua nonnulli docent, solam attritionem in Sacramento Pœnitentiæ non sufficere ad justificationem.

6. Antim. Nonnihil distinctionis adhibendum est, ne unam opinionem cum alia confundam; sunt enim duæ satis distinctæ; prima est, qua vera contritio in Sacramento requiritur; altera verò præter attritionem, amorem Dei requirit. Prima bimembris est, juxta duplicem explicandi modum; nam aliqui, ut Sylvius, Molanus, Estius & nonnulli alii Baii Discipuli volunt, contritionem extra Sacramentum non sufficere ad justificationem; alii volunt, omnino sufficere, non tamen in sacramento peccatorem justificari, nisi contritio accedat.

7. Pithanoph. Unam opinionem ab alia minimè distinxisti; prima enim, inquis, requirit in Sacramento veram & perfectam contritionem; altera verò amorem Dei; sed nunquid contritio ex parte motivi amorem Dei non dicit?

8. Antim. Perfecta contritio, ut tute scis, perfectum amorem continet; est enim charitate formata, ut loquitur Tridentinum; ac proinde sufficit ad justificationem, Bajanis licet reclamantibus; at verò ille amor Dei, quem secunda opinio requirit, imperfectus est, nec sufficit ad justificationem extra sacramentum, nec à vera charitate ortum ducit.

9. Pithanoph. Rectè; tres istas opiniones probe distingo; tres enim distinguendæ sunt; prima est Sylvii, qui negat, contritionem perfectam extra Sacramentum sufficere ad peccatorum remissionem; secunda illorum, qui licèt concedant sufficere, negant tamen Sacramentum sufficere, sine perfecta contritione, & hanc secundam partem Sylvius tenet; tertia illorum, qui præter attritionem, amorem Dei licèt imperfectum, nec sufficientem per se ad justificationem, in Sacramento requirunt; à te jam expecto, quid de singulis censeas; appellasti secundam in primo congressu; tertiam rejecisti in Dialogo de contritione; de prima nihil hactenus.

10. Antim. Primam quidem Cardin. Delugo tract. de pœnit. disp. 5. sect. 8. fusè, docte & ex professo, ut ajunt, refutavit; & cum accedit ad doctrinam Baii à Pio V. & Gregorio XIII. damnatam, ab omnibus Theologis communiter rejicitur; nempe is semper fuit totius Ecclesiæ sensus & omnium Theologorum consensus, et sacris scripturis & SS. Patribus eductus, & Tridentino pro firmo habitus & suppositus, verum contritionem charitate formatam ad remissionem peccatorum sufficere; quare ut optimè observat Lugo, graviore censura opinionem illam Sylvii & Bajanorum Theologi notant; Conincx etroneam vocat; Vasques sententiæ Catholicæ repugnantem; Curiel parum tutam in fide; alii temerariam & scandalosam; vix aliquam ex prædictis notis effugere poterit; cum enim Deus amantes se redamet, & contritio ante adventum Christi & Sacramenti Pœnitentiæ institutionem, ad justificationem proximè disponeret, & Tridentinum supponat, per contritionem perfectam, id est charitate formatam, extra sacramentum, peccatum remitti, & SS. Patres uno ore hoc prædicent, Theologi communi consensu doceant, communis demum sit fidelium & totius Ecclesiæ sensus, temeritate profectò non caret, quod privatus quispiam Doctor Bajanæ & damnatæ doctrinæ suspectus contrarium docet; dixi temeritate non caret, ut mitissimè loquar; non deerunt enim, qui hanc opinionem graviore censura configant; si plura de hoc argumento desideras, Eminentissimum autorem supra laudatum consule.

11. Pithanoph. Plura non postulo, graviorem censuram expectabam; nempe, ut dicam, quod sentio, illa opinio erronea mihi videtur, id est conclusioni Theologicæ opposita; cum enim sit de fide, juxta definitionem Tridentini, sess. 14. cap. 4. per contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliari, sic enim loquitur S. Synodus; *docet præterea, esse contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse consueverunt, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, inde sequitur, contritionem illam perfectam, esse ultimam & proximam dispositionem ad justificationem; igitur nunquam ponit à peccatore, nisi sequatur justificatio illius, & remissio peccati; hæc est conclusio Theologica ex illa definitione Synodali certò deducta; sed huic conclusioni opinio Bajana Sylvii opponitur; vult enim ex contritione extra Sacramentum

...non sequi justificationem, scilicet infalli-
...igitur hæc est erronea.

16. Antim. Cur non dicis esse hæreticam, oppo-
...scilicet definitioni fidei; nempe concilium do-
...contritionem perfectam reconciliare Deo; Syl-
...dicere, non reconciliare Deo, scilicet extra sa-
...contra igitur opinio Sylvii, opponitur defini-
...fidei: igitur est hærerica, an forte tam gravem
...opinionem probas?

17. Pithanoph. Parum certè abest; res enim
...videtur; quia tamen S. Synodus ex-
...asserit, contritionem perfectam nun-
...reconciliare Deo; aut quia illud *charita-*
...de charitate habituali intelligi potest;
...sensus verborum is esse potest, ut il-
...*aliquando contingat*, in utrumque cadat, scili-
...aliquando contritionem cha-
...contingat perfectam esse, & etiam aliquando con-
...contritionem reconciliare Deo, quod Sy-
...non negat; inde fortè nonnulli censeo-
...definitionem satis expressam non esse, ut
...oppositum hæreticum censendum sit.

18. Antim. Si prædicta definitio satis expressa
...esset, ut oppositum hæreticum censendum sit,
...esset satis expressa est, ut opposita con-
...clusio ex ea deducta pro erronea habenda sit;
...explicationes illæ, quæ Sylvii opinio-
...suffragari videntur, à recta ratione & à men-
...te Concilii sunt alienæ, nec de charitate habitua-
...li intelligi potest illud *charitate perfectam*; alio-
...quin sequeretur, charitatem habitualem inesse
...peccatori sine gratia, quod dici non potest,
...scilicet tanquam dispositionem ad justificatio-
...nem; aut certè concilium absurdè nugari; qua-
...si diceret, aliquando contingere, contritio-
...nem esse charitate perfectam, id est justificare
...peccatorem, eumque Deo reconciliare, vel,
...quod idem est, justificare, ac proinde justifi-
...care, quia justificat, quod stultum dictu est;
...dicta quoque explicatio non dissimili vitio la-
...borat; nam verba concilii plana sunt; do-
...cet enim, aliquando contingere, contritio-
...nem perfectam esse, hominemque Deo recon-
...ciliare; ideo scilicet, quia perfecta est; nempe
...illa copula *hominemque* connectit duo verba, scili-
...*perfectam esse*, & *reconciliare*; igitur quotiesc-
...que perfecta est, reconciliat; & hic sen-
...sus genuinus est, ab omnibus Theologis appro-
...batus, unde fateor quidem, nonnullos sufficien-
...tem fundamentum habuisse, ut opinionem Sylvii
...hæreticam, vel erroneam esse dicerent; dico
...tamen, adeò certum & indubitatum fundamen-
...tum non esse, ut hæc censura ab omni-
...bus citra omnem controversiam admitten-
...da sit.

19. Pithanoph. Quid tibi velis, intelligo;
...sed quæso ad illa Christi verba repones,
...*remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mul-*
...*tum*, ex quibus manifestè constat, ideo pecca-
...ta remitti, quia dilectio ponitur, causalis enim
...particula est; ex his autem pariter hæc conclusio
...Theologica deducitur; dilectionem, vel amorem
...super omnia esse dispositionem proximam &
...veram ad infallibilem peccatorum remissio-
...nem: negat igitur Sylvius, dum oppositum docet.

20. Antim. Tecum revera sentio; sed licèt
...Christus huic peccatrici amanti, intuitu amoris ejus,
...peccata condonarit, non tamen expressum est in
...eo loco, alios omnes peccatores simili eodemque
...beneficio donari; præterea nonnemo diceret, illius amoris vim adeò vehementem fuisse, ut facilè ex æquè vehementi, peccatoris justificationem sequi posse Sylvius ipse daturus sit; itaque sufficiat dixisse, opinionem illam Sylvii communi Ecclesiæ, SS. Patrum & Theologorum sensui adversari, ac proinde suspectam saltem, temerariam & scandalosam esse.

17. Pithanoph. De prima opinione satis est, rem probè intelligo; de secunda vero quid?

18. Antim. In primo congressu erroneam appellavi; & cum in secundo nonnullorum expostulationem attulisses, quibus hæc censura justo gravior visa est, ingenue respondi, præter mentem meam & consilium meum, prædictam censuram irrepsisse; cum enim opinionem illam, cum Cardinali. de Lugo satis esse ducerem, si omnino improbabilis diceretur, is, qui librorum editioni & recognitioni præest, expressè indixit, ut eam hac censura notarem; equidem ab indole mea haud parum alienum est, gravioribus notis Catholicorum Doctorum opiniones configere; ut enim hæreticis parcendum esse non crediderim, ita cum Catholicis mitiùs & liberaliùs agendum esse, semper existimavi.

19. Pithanoph. Tenes igitur, censuram illam justo graviorem esse; quod reverà si ultro dederis, nonnullis gratissimum accidet, qui opinionem illam mordicus defendunt.

20. Antim. Ita justo graviorem esse teneo, quia justo leviores pro indole probare soleo; hoc tamen non facit, ut quamlibet gravem justo graviorem esse putem; & ne à pro posito argumento discedamus, dico, censuram illam primam fortè graviorem esse, ac proinde satis videri, si hæc sententia improbabilis dicatur; quod autem talis sit, facilè ostenditur, justo graviorem non esse; nempe ex citato Tridentini cap. liquidò constat, tum per contritionem perfectam, peccatorem extra Sacramentum Deo reconciliari, tum *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & communiter concipitur ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, modò voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniæ conjuncta sit, esse donum Dei & spiritus sancti impulsum, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat; & quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*; scilicet proximè; nec enim de dispositione remota disputant hæretici, contra quos S. Synodus hæc adstruit; nec quidquam aliud ad exerendam sacramenti vim postulat, seu præscribit; quid enim illud esset? contritionem perfectam, inquies; sed hoc dici non potest; alioquin nugaretur concilium, dum docet, contritionem perfectam reconciliare peccatorem Deo extra sacramentum, imperfectam verò disponere in eodem sacramento ad eamdem reconciliationem; si enim ad hanc in sacramento requiritur contrito perfecta, hæc sufficienter disponit sine imperfecta; deinde nunquam in sacramento, sed priusquam sit sacramentum, prædicta reconciliatio poneretur: scio quidem per decretū recens vetari, ne quis damnet illam sententiam quæ *aliqualem Dei dilectionem*, sic enim loquitur decretum, cum Sacra-

mento requirit; sed hæc longe diversa est ab illa, quæ perfectam contritionem, eam scilicet quæ per se justificat, necessariam esse docet; hanc autem alias damnavi, & iterum damno, cum id nullo decreto vetitum fuerit.

21. PITHANOPH. Fortè diceret aliquis, imperfectam ad perfectam disponere; unde præit imperfecta; hinc vulgo dicitur ex attrito fieri contritus.

22. ANTIM. Bellè sanè Pithanophile, arma nostris adversariis suppeditas, quibus ipsi deinde nos petant; sed, hæc per jocum dicta quæso accipe; nempe in hoc maximè te laudo, quod difficultatem non dissimules; licèt enim nova argumenta nostris adversariis suggeras, quod nonnulli Bellarmino nostro perperam vitio verterunt; cum tamen illa deinde optimè solvantur, inde nostra doctrina firmior evadit, & oppositæ opiniones magis attritæ; dico igitur, ultro à me admitti, contritioni imperfectæ sive attritioni perfectam aliquando succedere; immo fieri posse, ut imperfecta suo modo ad perfectam disponat; sed in hoc casu nego, attritionem disponere peccatorem ad Dei gratiam impetrandam, in Sacramento pœnitentiæ, id est, vi, seu virtute sacramenti, quod idem est; cum per contritionem perfectam homo justificetur, seu reconcilietur cum Deo, priusquam sacramentum ponatur; igitur quod docet S. Synodus, per contritionem imperfectam, seu attritionem, hominem disponi ad gratiam Dei in Sacramento, ita intelligi non debet, ut dicatur disponi ad contritionem perfectam, sed ad gratiam immediatè & proximè, in sacramento, id est, virtute sacramenti, cujus ipsa attritio pars est, obtinendam; id porro quod vulgò dicitur, ex attrito fieri contritum, licèt nonnullos ex Antiquioribus, ac præ cæteris Cajetanum valde torserit, facilè tamen post Tridentinum explicatur; nam attritio in sacramento æquivalet contritioni perfectæ extra sacramentum, scilicet in ordine ad eumdem reconciliationis, vel justificationis effectum; nec quidquam aliud vulgare illud dictum significat.

23. PITHANOPH. Negari non potest, locum illum Tridentini expressum esse; nec video, quomodò ab adversariis salvari possit, nisi fortè dicant, definitiones fidei ex Canonibus Concilii, non verò ex capitibus desumendas esse; nec fortè deerunt autores Catholici, qui hoc dicant; Quid verò tu antimè, vultum mutas; quid novi tibi accidit? an fortè aliquid à me dictum est, quod tibi minùs gratum acciderit?

24. ANTIM. Parum abfuit, ne quid dissimulem, quin mihi stomachum moveris; scio esse aliquos, qui hoc docere videntur, sed temerè omnino, ut mitissimè loquar, quasi verò in multis Conciliis, res fidei in capitibus, vel decretis definitæ non fuerint; in hoc eodem Concilio, in 3. sess. decretum de symbolo fidei; in 4. decretum de libris Canonicis; in 5. decretum de peccato originali, aliaque hujusmodi habentur, licèt nulli Canones subnexi fuerint; hæc autem decreta ad fidem, opinor, pertinent; immo sess. 6. sub finem decreti de justificatione, hæc leges; *post hanc Catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit; placuit S. Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed etiam quid vitare & fugere debeant.* Audin Pithanophile? primò Catholicam doctrinam vocat eam, quæ in capitibus ante canones tradita est; igitur ad definitiones fidei pertinet; secundò dicit, neminem justificari, aut salvari posse, nisi qui eamdem firmiter receperit, *firmiter* id est firmâ fide crediderit, igitur divinâ; denique subnectit, canones subnexos esse capitibus, ut omnes sciant, non solum, quid tenere & sequi debeant, quod scilicet in præmissis capitibus traditum est, sed etiam quid vitare & fugere; nempe cum duo sint in re dogmatica; primum quid tenere debemus & pro articulo fidei habere; alterum quid fugere ac reprobare; in capitibus, traditur doctrina, quam tenere & amplecti debemus; in canonibus, traduntur errores, quos reprobare tenemur; igitur, non modò canones, verùm etiam decreta præmissa in capitibus, ad definitiones fidei pertinent; hæc autem confirmantur ex primio & decreto de sacramentis, sess. 7. in quo, ut *errores eliminandos & extirpandas hæreses*, circa Sacramenta, canones dumtaxat statuit, nullâ ibi doctrinâ præmissâ; quia S. Synodus ibi tantùm intendit errores à nobis fugiendos tradere; item sess. 13. in decreto, S. Synodus *omnibus Christi fidelibus interdixit, ne post hac de Sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut prædicare audeant, quàm ut est hoc præsenti decreto explicatum atque definitum*; igitur doctrina hujus decreti sequentibus capitibus tradita Catholica est; sub finem verò cap. 8. hæc subnectit, *quoniam autem non est satis, veritatem dicere, nisi detegantur & refellantur errores, placuit, hos canones subjungere, ut omnes agnitâ Catholicâ doctrinâ intelligant, quæ ab illis hæreses maximè vitare atque debeant*; igitur jam in præmissis capitibus, credendam *veritatem* docuerat, & jam eosdem, *Catholicam Doctrinam* fideles agnoverant; item sess. 14. sub finem capitum, hæc habet ante canones, *hæc sunt, quæ S. Synodus docet atque ab omnibus Christi fidelibus credenda proponit*; igitur ante & extra canones doctrina catholica & definitiones fidei traduntur; item sess. 22. cap. 9. *quia*, inquit, *adversùs hanc &c. fidem* in præmissis capitibus ante canones traditam; ex his, aliisque certissimè constat, doctrinam catholicam pœnitentiæ Sacramento in præmissis capitibus contineri; doctrinam, inquam, ab omnibus Christi fidelibus tenendam; in subnexis verò Canonibus errores, circa idem sacramentum fugiendos.

25. PITHANOPH. Gratissimum accidit, quod paulò, fusiùs à me oppositâ dilueris; inde quoque colligitur id, quod nonnulli de attritione, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiat, tradiderunt, excandescunt V. sess. 14. ad eam scilicet requiri, *ut pareatur per dolorem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem æternæ beatitudinis, æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ*; unde concludunt, attritionem ex motivo pœnæ temporalis, sufficientem non esse; hoc inquam ex eo diluitur, quod in hoc canone, non tradatur doctrina de sufficiente attritione tenenda, sed singularis error hæreticorum reprobetur, qui docebant, nihil horùm prodesse ad gratiâ reconciliationis

sed

fidat hominem hypocritam; traditur autem doctrina tenenda de attritione, quæ peccatorem disponit Sacramento ad gratiam, cap. 4. ubi dicitur illam attritio, vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ & pœnarum metu communiter, vel ex gehennæ & pœnarum metu communi, etiam disjunctivam, *vel*; deinde illud *pœnarum* etiam disjunctivam, *vel*; deinde illud *pœnarum* non significat necessariò pœnam æternam, quod exemplo Ninivitarum confirmatur, qui ex motivo, veritatis pœnæ temporalis à Deo per Jonam intentatæ pœnitentiam egerunt; præterea illud *communiter* dicitur posse aliquando alia motiva; fateor, nec esse, ut spes veniæ adsit, & voluntas peccandi excludatur. Denique illa una eademque est attritio, de qua hoc cap. 4. & in canon. 5. agitur, ut patet; sed can. 4. ponuntur motiva illa disjunctivè, non coniunctivè; igitur attritio illa cum Sacramento sufficit, sive ex uno illorum motivorum concipitur.

26 ANTIM. Optimè sanè instantiam illam refellis; hoc unum, quod maximè ad rem facit, addi possit, scilicet Canones esse ad instar præceptorum negativi, quod in multa cadit, sive distributivè, sive copulativè sumpta; sic prohibitum est mœchari, & mentiri, & furari, & occidere, & perjurare &c. sic anathematizatur quisquis dixerit, illum non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, quæ datur ex discussione, detestatione, ponderatione, fœditatis, multitudinis, gravitatis peccatorum, amissionis vitæ æternæ, & æternæ damnationis; quisquis, inquam, hæc dixerit, sive collectivè, sive distributivè, anathema sit: at verò cap. 4. docetur, quænam contritio sufficiat ad conciliationem & justificationem in Sacramento; illam scilicet, quæ concipitur vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, vel aliarum pœnarum, modò voluntas peccati excludatur, & spes veniæ adsit; in Canone prohibetur hoc dicere, & hoc, & hoc; in capite, ad sufficientem attritionem habendam, præcipitur hoc potens, vel hoc, vel hoc. &c.

27 PITHAN. Egregiè; sed ne unum excidat, multis in mentem venit; quæro ex te, quid sibi velit S. Synodus eodem cap. 4. ubi dicit, prædictam justificationem, vel reconciliationem contritioni perfectæ sine Sacramenti voto, quod illa concluditur, non esse adscribendam; nunquid enim contritio perfecta ex se hoc non habet, esse ultimam dispositionem ad justificationem, etiam præscindendo à Sacramento? nempe in Christi adventu sine ulla Sacramenti susceptione, per veram contritionem peccatores justificantur.

28 ANTIM. Ut modus antiquus loquendi retineatur, ab antiquis Theologis usurpatus, prædictam addam S. Synodo insertam fuisse crediderim; ideo vim voti Sacramenti in contritione includi dicit, quia contritio includit voluntatem, saltem implicitè, credendi omnia præcepta; Christus enim reliquit nobis præceptum Sacramenti pœnitentiæ; sed hæc à me breviter, ita, ni fallor, accuratè alibi explicantur, ut iterum in dialogis Theologicis.

29 PITHA. Scio, sed aliud quæro, cur scilicet S. Synodus loco citato justificationem ipsam, non contritionem virtuti, sed voto Sacramenti adscribat; cùm contritio alioquin, votum Sacramenti sine contritione non sufficere ad prædictam reconciliationem.

30 ANTIM. Hunc locum malè intelligis; nec enim ipsi voto tribuitur prædictus effectus, sed ipsi contritioni, in qua tamen prædictum votum includitur, ut maneat obligatio subjiciendi clavibus postea jam remissa, propter præceptum Christi; unde ipsa contritio producat hunc effectum, intactâ dictâ obligatione, singularem relationem dicit ad confessionis præceptum, nec S. Synodus aliud intendit.

31 PITHA. Bene est; duo loca restant, quæ non nihil mihi negotii facessunt; primus locus sess. 6. legitur, cap. 6. ubi S. Synodus docet, ita disponi ac præparari hominem ad justificationem, ut divinæ justitiæ timore concutiatur utiliter, ad considerandam Dei misericordiam, se convertendo, in spem erigatur, fidens, Deum propter Christum sibi propitium fore, illumque tanquam justitiæ fontem, diligere incipit; ac propterea monetur adversùs peccata, per odium & detestationem; viden, inter dispositiones prævias ad justificationem, amorem & dilectionem Dei recenseri; alter locus;

32 AN. Sustine quæso; nõ legisti opinor dialog. de contritione, in quibus hæc objectio ex professo refellitur.

33 PITHA. Memini me legisse, sed quia geminam hujus loci explicationem attulisti, scire averem, utram magis probes, huic enim mihi standum putarē.

34 ANTIM. Quandoquidem hoc petis, tuis votis morem geram; dico igitur, hoc loco sermonem esse de amore imperfecto, scilicet ut vocant, concupiscentiæ, non verò de perfecta charitate; hanc autem explicationem ex ipso textu deduco; nempe S. Synodus, cùm totum illum justificationis apparatum præmisisset in c. 6. dixisset que, hæc agenda esse ante Baptismum, statim initio c. 7. hæc habet, *hanc præparationem, seu dispositionem justificatio ipsa consequitur*, cujus *Baptismus causa instrumentalis est*; loquitur ergo S. Synodus de justificatione, quæ per Sacramentum Baptismi obtinetur; sed nemo dicat, ante Baptismum, actum perfecti amoris, seu perfectæ charitatis tanquam necessariam dispositionem prærequiri; alioquin ante ipsum Baptismum justificatio obtineretur: igitur illa dilectio, de qua hoc loco S. Synodus loquitur, non est perfecti amoris, sed imperfecti, scilicet concupiscentiæ, quo Deum quidem amamus, ut summum bonum, sed nobis; necesse est, quod dicas, amorem concupiscentiæ in spe ipsa contineri, & præter spem, Concilium prædictam dilectionem inter dispositiones ad justificationē necessarias recensere; non est, inquam, quod quispiam hoc dicat; nam primò, idem diversis synonimis sæpius exprimitur; sic odium & detestationem peccati appellat c. 6. licèt hoc loco idem significent; item fiduciam & spem, licèt idem sonent, ibidem habet; quid ergo mirum, si amorē concupiscentiæ quamvis alioquin in spe contentum expressè appellet; deinde per spem, propriè loquendo, non amamus bonum illud, quod speramus, sed per illam erigimur, non obstante arduitate objecti, ut monet Concilium, spes enim est nisus quidam potentiæ, quo illa supra arduitatem sese attollit, ex motivo inclinantis objecti; igitur ab amore concupiscentiæ aliquo modo distinguitur; quid ergo mirum, si Concilium utrumque recenseat; sed quæso, indica alium locum, cùm nulla restet in hoc difficultas.

35 PITHAN. Suppono inter dispositiones, quæ ad suscipiendum Baptismum in adulto peccatore requiruntur, perfectam contritionem non requiri necessariò, sed attritionem ipsam sufficere; at in Sacramento pœnitentiæ, qui laboriosus quidam Baptismus est, *sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia*, remissionem peccatorum obtinere nequaquam possumus; illa igitur cõritio, quæ sufficit ad Baptismum adulti, non sufficit ad Sacramentum pœnitentiæ; igitur Sacramentum pœnitentiæ perfectiorem contritionem postulat; hæc autem exsess. 14. cap. 2. excerpta sunt.

36 ANT. Hæc parum admodum difficultatis præferre videntur; nec enim differt attritio sufficiens ad Baptismum, ab attritione sufficiente ad Sacramentum

pœnitentiæ, in ipsa, ut sic loquar, substantia, sed in modo; nempe necesse non est, ut attritio, quæ susceptioni Baptismi præmittitur, sensibilis fiat; quia non est pars hujus Sacramenti; cùm tamen attritio, quæ Sacramenti pœnitentiæ pars est, sensibilis reddenda sit; sensibilis autem redditur per suos effectus; v.g. per fletus, lacrymas, humilem confessionem, talem corporis, capitis, manuum, oculorum situm, motum, aliaque hujusmodi indicia; quid mirum ergo, si hæc cum fletu esse debeat, secus verò illa: præterea illi fletus & labores ad satisfactionem pertinent, cùm scilicet à divina justitia exigantur, cui per satisfactionē, labores, fletus, & pœnas fit satis; & verò nemini mirum accidat, à relapsis plùs exigi, quàm ab iis, qui nunquam in gratiam admissi fuerunt; hinc tota iis pœna non remittitur, sed aliquid residuum manet, quo divinæ justitiæ fiat satis; in Baptismo secus accidit, in quo, sola misericordia suas partes agit, & divina interim justitia Christi sanguine contenta restat.

37 PITHAN. Nonnulla restant ab Adversariis opposita, quæ facilè refelluntur; cuncta hæc eodem tenore, prout in mentem venient, breviter exponam, atque diluam, si per te mihi liceat: Primò igitur, inquiunt Adversarii, detestatio peccati sine amore Dei esse non potest; sed hoc eadem facilitate rejicitur, qua adstruitur, si quæstio sit de amore Dei super omnia, & perfecta charitate. Secundò nullus actus ex solo timore pœnæ profectus, ad justificationem sufficit, quia servilis est, ac proinde quatenus servilis, malus: hoc etiam facilè solvitur, quia licèt timor serviliter servilis, ut ajunt, sit malus, cùm scilicet quispiam mera servilitate ductus, ita affectus est erga peccatum, ut illud omninò admittere vellet, nisi pœna subeunda foret; at timor servilis simpliciter, quo quis propter pœnam, culpam fugit, licèt alioquin nullum erga culpam affectum retineat, bonus est, & donum spiritus Sancti, disponitque ad sapientiam, ut expressè docet S. Thom. 2. 2. q. 19. art. 7. & alibi; nempe ita homo timet pœnam, ut amet justitiam, id est excludat voluntatem peccandi, & includat propositum bene agendi, id est justitiæ & rectæ vitæ amorem, licèt perfecta charitas absit. Tertiò sic arguunt; nulla est sufficiens contritio etiam in Sacramento, nisi illa, qua homo ad Deum convertitur; sed ad Deum converti nequit, nisi illum amet; vult enim Deus, ut peccator convertat se ex toto corde. Respondeo illum ad Deum verè converti, qui ad mandata Dei servanda, & honestam vitam se convertit, admissa prius peccata detestatus; sed non video, cur hæc fieri non possint ex timore pœnæ, absque motivo perfectæ charitatis. Quartò objiciunt, quisquis fugit peccatum propter pœnam, pluris facit pœnam, cujus timore ducitur, quàm Dei bonitatem offensam. Respondeo, non pluris facere quidem illam, quàm offensam, cùm minimè comparationem instituat, sed motivo pœnæ duci, quod, ut sic loquar, & magis sensibile est, & magis ad manum; non alio, perfectæ scilicet charitatis, quod magis arduum est, & longè difficilius; sic aliquis vitam mediocris perfectionis non pluris facit, quàm summè perfectam, licèt hanc propter arduitatem suscipere non ausit, & illam, quæ facilior est, suscipiat. Quintò opponunt, quisquis non diligit Deum, Deum ipsum colere non potest; sed nemo verè convertitur, nisi Deum colere velit; igitur & diligere. Respondeo, Quisquis amore imperfecto, scilicet concupiscentiæ diligit, sufficienter instructus est ad Deum colendum; sic David Deum etiam colebat propter retributionem. Sextò instant, esse præceptum diligendi Deum, etiam super omnia & perfecta charitate; esto, de hoc non disputo; in eo proposito non peccandi, quod attritus habet, includitur voluntas servandi omnia Dei mandata; neque in hoc ulla est difficultas. Septimò dicunt, illud potissimum discrimen esse inter legem scriptam & novam, quod hæc sit lex amoris, illa timoris; Ita est; Deus enim ubertiore gratia nos ad se trahit, nec tam gravi jugo nos subjicit; sed hoc non probat, attritionem non sufficere in Sacramento ad remissionem peccati; immo in lege veteri, peccati remissio sine illa perfecta contritione obtineri non poterat. Octavò denique Augustinum opponunt, qui damnat timorem servilem, sed illum dumtaxat damnat, quo quis à peccato externo abstinet, *in opere*, cui tamen adhæret *affectu in voluntate*; hinc reus est inquit *in ipsa voluntate, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest*: Augustinus igitur damnat timorem serviliter servilem, eo prorsus modo, quo suprà posui: vides Antime, quàm facilè opposita ab adversariis argumenta juxta atque breviter diluam. Quæ tamen tuis potius armis, quàm meis; quid velim, satis intelligis.

S. Fuga pœ ANTIM. Vix scio, quid tibi velis: prius quidem tuas responsiones, jam meum esse duco, tibi quot rationes exponere, quibus communis de attritione sententia confirmatur, quam Concilii Tridentini loca suprà adducta omnino demonstrant. Nonnullas quæ mihi venerunt in mentem, breviter subnecto. 1. Si contritio perfecta in Sacramento esset necessaria, longè pejoris conditionis essemus, quàm Judæi ante Christi adventum; nempe illa contritio sufficiebat ad justificationem, nec ulla ut peccatorum confessio facienda erat, quæ satis magnum onus est; immo Ethnici modò, vi solius contritionis, justificantur, cum baptismi voto, ut ajunt; nec obligantur ad confessionem; quis autem credat, fidelibus, post Christi adventum, qui jugum Christi suave ferunt, majorem imponi obligationem, ad remissionem peccatorum obtinendam, quam Judæis, aut paganis; quis dicat, servos meos & liberaliùs excipi, quàm filios? 2. Amor Christi & sanguinis ab eo fusi vis eò potissimum spectavit, ut facilia nostris morbis & malis remedia adhiberet, & applicaret: quis credat, difficiliora & rigidiora, quod certè ab ejus amore quasi abhorret, instituta fuisse? si enim voluit contritionem perfectam, & amorem perfectum, bene est; pares erimus conditionis cum Patribus nostris, sed cur novum onus confessionis annexit? aut certè, si hoc imponere voluit, cur primum illud non imminuit? 3. Tridentinum verat, ne quis peccati mortalis reus accedat ad sacram Synaxim, aut celebret missam, etiam si contritionem perfectam se habere putet, nisi prius confessione Sacramentali culpam eluerit: hoc posito, sic ratiocinari possumus; si contritio perfecta est necessaria, cum Sacramento, non est certior Sacerdos admissam culpam abstersam esse per ipsum Sacramenti usum, quàm per solam contritionem, cùm utrimque constare requiratur: & verò cùm Tridentini Patres probè scirent, contritionem valde incertam & difficilem esse, ut certior dispositio ministro hujus Sacramenti, esset, statuerunt, ut non sola contritione, crepera scilicet & dubia contentus, certius & facilius remedium, Sacramentalis pœnitentiæ adhiberet; in quo reverà, si perfectam contritionem includas, non jam certius & facilius, sed æquè incertum, & difficilius esse constabit. 4. Si perfecta contritio esset necessaria, nunquam absolutio Sacramentalis justificatio-

nem

non peccati remissionem assereret, utpote quæ per contritionem jam ante inducta esset; scio, interdum contritionem jam ante inductam esse posse: at quod semper eveniat, & quod absolutio Sacramentalis cum finem spectet, quem absque illo nunquam obtineat, durum profectò dictu videri nonnullis potest. 5. Usus Ecclesiæ maximi omninò ponderis est, cui tanti momenti errorem continet; hoc autem tam certum fidelibus persuasum est, solam attritionem non Sacramento sufficere. 6. Si contritio est necessaria, igitur attritio est materia solum probabilis effecta, igitur attritio est materia solum probabilis Sacramenti; quis autem dicat, ab Ecclesia totam materiæ dumtaxat probabilis usum in Sacramento, absque necessitate, quem revera in aliis Sacramentis minimè tolerat?

39 PITHAN. Cuncta hæc summoperè placent, & sufficere videntur, ad plenam nostræ hujus sententiæ probationem: unum est, quod planè non facit contritionem, quod scilicet dicis, certiorem esse illum, qui attritionem cum Sacramento, quàm qui contritionem cum Sacramento adhibet; an fortè certus sim de attritione ipsa, quæ est actus supernaturalis?

40 ANTIM. Cùm attritio sit longè facilior quàm contritio, quilquis enititur alterutram elicere, facilius accidet, ut attritionem, quàm contritionem assequatur, igitur licèt de neutra certus sit omninò, minus tamen de attritione, quàm de contritione dubium rebibit, superpicuum est; accedit, quod sum quasi moraliter certus de attritione; cùm enim reverà sentiam, me peccasse peccati, & timorem illum etiam percipiam, pœnarum scilicet, quas Deus peccantibus comminatus est; quid quæso aliud, quod scilicet à nisu voluntatis dependat, ad attritionem requiritur; timere enim pœnas satis proclive est; modò igitur per fidem motiva illa objiciantur, iisque ad ponendum actum moveat, facilè crediderim, actum illum supernaturalem esse; ac proinde certus sum de illo moraliter; licèt hæc supernaturalitas, ut sic loquar, multum negotii nostris Scholasticis faceſſat, ad usum Moralem difficultas traducenda non est; modò enim motivum illud gehennæ v. g. ad detestandum peccatum moveat, per fidem scilicet compositum ac repurgatum, de reliquo parum mihi curandum est; enim reali motivo elicere actum detestationis, vel debitè de peccato admisso; quid amabò aliud facessit facilè; igitur credidérim, supernaturalem esse.

41 PITHANOPH. Non desunt, qui dicant, attritionem naturalem ad Sacramentum sufficere.

42 ANTIM. Scio, nullum tamen ex nostris invenias, qui hoc asserat; & verò cùm Tridentinum docet, timorem illum esse donum spiritus Sancti, nemine dixerit, naturalem esse.

43 PITHANOPH. An fortè naturæ vires superent, detestari admissa peccata, præ timore pœnarum istimi?

44 ANTIM. Superat equidem detestari peccata quidem omnia, cum peccato scilicet conjuncta, quæ revera mali, obscurè dumtaxat proposita; natura enim præsentibus & sensibilibus ducitur, à quibus nequit abstrahat, nisi divinæ gratiæ subsidio adjutus: cum igitur attritio à peccatis rebusque sensibilibus, quæ maximè afficiunt, & cum peccatis conjunctæ est, abstrahat, idque timore pœnæ, quæ nec sensibus afficit, nec intellectui clarè perspecta est, sed tantùm cognoscitur; quid mirum, si ad illum supernaturali adjutorio indigeam; accedit ille actus, qui sine divina fide produci nequit, naturæ vires superat; sed de his viderint Theologi, quibus sensus institutum non pertineant, pro quo, dixisse est, attritionem esse supernaturalem, eam scilicet, quæ ad Sacramentum necessaria est.

45 PITHANOPH. Ex his te scire velim, quænam motiva ad hunc finem sufficiant: hactenus gehennæ dumtaxat meministi.

46 ANTIM. Nescio quid aliud indicavi, pœnam scilicet temporalem, quatenus hæc per divinam fidem nobis repræsentatur, & comminantem Deum timemus; immo Tridentinum ut efficacem hujus timoris virtutem ostendat, pœnitentiam Ninivitarum luculenti exempli loco adducit; hæc autem ex timore pœnæ temporalis profecta est, ut constat ex sacro textu; deinde fortiùs aliquando sensibiles pœnæ nos afficiunt, quàm æternæ illæ, cujus obscuras dumtaxat species & imagines habemus: igitur modò illas ut à Deo nobis intentatas divina fide credamus, cur sanctus illarum timor non sit donum spiritus Sancti, ac proinde illo timore ducti, peccata, quorum causa prædictas pœnas intentat, detestemur; ita ut hæc detestatio cum voluntate non peccandi in posterum conjuncta, ad constituendum Sacramentum sufficiat; & verò hoc ipsum indicare videtur concilium supra citatum, quod metum gehennæ & pœnarum expressè appellat, gehenna autem pœna æterna est; alia igitur dictio temporales pœnas significat, huic sententiæ omnes ferè autores subscribunt, ut Lugo disp. 5. sect. 9. n. 137. Suar. disp. 20. sect. 2. n. 15. & cum his alii. Nec deest ratio, eaque potissimùm pro peccato veniali, quod reverà detestamur ex timore pœnarum purgatorii; cùm enim illi æterna pœna minimè competat, hujus metu duci non possum ad illius detestationem; igitur attritio ex timore temporalis pœnæ, quatenus hanc Deus intentat, sufficit ad Sacramentum constituendum.

47 PITHANOPH. Rectè addis, quatenus hanc Deus intentat; debet enim esse aliquis ad Deum respectus, ex quo fortè supernaturalitas actus dependet; nempe per fidem divinam pœnam illam nobis proponimus; fides autem divina, divinæ veritatis, aut veracitatis autoritate nititur: idem prorsus dicendum est de ipsa fœditate ac turpitudine peccati, quæ ut sit motivum sufficiens ad Sacramentalem attritionem, similem ad Deum respectum includit, quatenus scilicet illa fœditas per divinam attestationem nobis innotescit, vel divinæ & æternæ legi adversatur; & verò, sine illo respectu, nihil supernaturale in prædicto actu esse videretur.

48 ANTIM. Rectè mones; interim aliud attritionis motivum delibasti, scilicet fœditatem & turpitudinem peccati: ad hæc duo reliqua facilè reduci possunt; ad primum quidem omnes pœnæ, tum damni, ut vocant, tum sensus, tum positivæ, ut ajunt, tum privativæ; quanta enim sunt, quibus peccatum nos privat? divina scilicet gloria, gratia, amicitia, speciali protectione, filiationis & hæreditatis jure, multis etiam per peccatum obnoxii sumus; pœnæ scilicet æternæ, tyrannidi cacodæmonis, infinito Dei odio & iræ &c. igitur ad primum caput revocabis omnia mala, quæ peccatum secum affert, & omnia bona quibus nos privat, tum in hac vita, tum in futura: ad aliud verò caput, scilicet ad naturam, fœditatem & turpitudinem peccati, reduci queunt reliquæ peccati proprietates; cogita esse infinitum malum suo modo, cui nihil boni inest, in quo reverà opponitur supremo enti & bono, cui nihil mali inest: monstrum certè horrendum, ingens, quod divina justitia condignâ pœnâ plectere non potest; hæc enim semper finita est: relinquo alia piis & solidis meditationibus, in quibus dira hæc pestis & tanti mali vis præcipuè ponderatur. De motivis contritionis nihil

dico; illa enim Deum ita respiciunt, ut nullâ in iis partem proprii commodi vel incommodi homo habeat: hinc cùm peccatum consideretur ut malum Dei, ejusdem amori, bonitati, sapientiæ, voluntati repugnans, ac propterea illud detestemur, quia displicet Deo, in isto actu divina charitas semper suas partes agit.

49 PITHANOPH. Ex his facilè conciliarim diversas aliquorum opiniones circa perfectæ contritionis motivum, quod reverâ ad bonum Dei semper refertur; hoc enim maximè amare est, velle bonum amici, ac detestari illius malum, & de illo maximè dolere, quatenus malum illius est: igitur vera & perfecta est contritio, si detester super omnia peccatum, quatenus displicet Deo, ipsique adversatur, necnon immensæ illius charitati, bonitati, voluntati, amori, ac cæteris illius attributis, nulla mei commodi, vel incommodi habita ratione, & quatenus Dei offensa est, & jus divinum lædit, quod maximum Dei bonum est, cujus reparationem perfectus ille pœnitentiæ actus intendit, quatenus bonum illius est, & Deus de sui juris indemnitate gaudet: uno verbo, dolere de peccato, ut malum Dei est, perfecta contritio censeri debet; cuicumque tandem divino attributo hoc malum affligatur, v.g. Bonitati, Justitiæ, Sapientiæ, &c. sed in his nolim diutiùs hæreamus; restat ut veniasad tertiam opinionem, cujus supra meministi, illorum scilicet, qui attritionem, sine actu amoris ad Sacramentum non sufficere putant.

50 ANTIM. Hanc opinionem in appellatis dialogis jam refutavi; nam vel hic amor est perfectæ charitatis, & super omnia, atque ita hæc opinio eadem est cum secunda; vel non est perfectæ charitatis, & super omnia, atque ita ad amorem concupiscentiæ, ut vocant, reducitur, quem cum attritione Sacramentali semper esse conjunctum, ultro admitto; nempe ut vera attritio nunquam est sine spe & fide, ita nec sine amore concupiscentiæ; quis enim illud bonum speret, quod sib non velit & ameti præterea si timor pœnæ est, privationis scilicet summi boni, reverâ illius amor esse supponitur; nec enim privari timemus eo bono, quod non amamus.

51 PITHANOPH. Legi refutationem in iis Dialogis, quos mihi pro tua humanitate legendos, tradidisti; sed autores hujus opinionis non acquiescunt; quare vellem, aliquid adderes, ad pleniorem refutationem; crede mihi, operæ pretium erit: nempe ut verum fatear, hæc opinio in secundâ facilè degenerat.

52 ANTIM. Quid addi possit, non video, nisi tu ipse suggeras illa fundamenta, quibus hæc illorum opinio nititur.

53 PITHANOPH. Tria sunt, ni fallor, primum est scripturæ & Conciliorum autoritas; alterum quædam loca Patrum; tertium denique ratio moralis vel Theologica; scriptura enim sæpissimè inculcat, ut convertamur ad Deum ex toto corde, ut scindamus corda nostra, scilicet vi amoris: expressè quoque significat remitti ei peccata multa, qui diligit multum; locus etiam Tridentini, in quo inter cæteras justificationis dispositiones, amor recensetur, huic opinioni suffragari videtur, Patres, & præcæteris Augustinus, hoc ipsum inculcare non cessant; ut scilicet lachrymis, igne amoris expressis peccata nostra eluamus; ratio demum in promptu est, quia vera conversio ad Deum supponit amoris motum; vix enim fieri potest, ut ad illud bonum me convertam, nisi illud amem; vix, inquam, fieri potest, ut seriò doleam de illius offensa, quem non diligo.

54 ANTIM. Nihil horum intentum probat; textus enim scripturæ, vel de perfecta contritione intelligendus est extra Sacramentum, vel de perfecta conversione, quæ detestationem peccati, firmumque propositum non peccandi in posterum, & voluntatem serviendi Deo complectitur; quid enim aliud innat scissio cordis, quàm gravem dolorem, nempe convertitur homo ad Deũ, quando relictis viis malis, quæ ducunt ad mortem, ingreditur viam justitiæ & semitas rectas, id est, viam mandatorum Dei: fateor quidem, remitti peccata ei, qui diligit; sed hoc non probat, peccata remitti dumtaxat perfectè diligenti. Locus Tridentini jam supra discussus est: Patres eodem sensu loquuti sunt, vel fortè de perfecto illo more intelligi non debent, sed imperfecto, quo diligimus Deum, ut bonum nostrum, ad lachrymas lugentur Patres, sed non sola perfecti amoris virtute mendas: ad rationem denique allatam facilè respondeo, intercedere quidem in conversione ad Deum amoris motum, cùm reverâ fieri non possit, (& hic rectè monuisti) ut ad illud bonum me convertam, nisi amem illud, & ut seriò doleam de illius offensa, quin eum diligam; ita est; sed quo tandem amore perfectum ad hunc finem requiri, nemo jure dixerit, vel unquam probet.

55 PITHANOPH. Hujus opinionis autores volunt, amorem quemdam imperfectum, non tamen concupiscentiæ.

56 ANTIM. Hoc ipsum est, quod pro hebetudine ingenio capere non possum; nec enim amoris illius imperfectio à remissione, ut vocant, duci potest; cum actus veri amoris, quamvis remissus, peccatum remittat; unde igitur petitur illa imperfectio? non à gradu actus; igitur ab ipsa actus substantia.

57 PITHANOPH. Fatentur, non esse amorem Dei super omnia.

58 ANTIM. Igitur merus amor est concupiscentiæ, quo Deum amant, sed sibi, & suo commodo; alioquin, si nulla sui ratione ducuntur, purus amor est, & perfecta charitas.

59 PITHANOPH. Quid amabò vetat, eundem actum ferri simul in bonum Dei & meum; ac proinde me dolere de peccato, quatenus est offensa Dei, & displicet Deo, & quatenus me privat tot bonis, & tot mala secum affert.

60 ANTIM. Si nihil aliud intelligant, non est ingens difficultas; nam vel per duos actus hæc duo motiva attinguntur, vel per unum tantùm; si per duos, ille, quo detestor peccatum quatenus displicet Deo, est veræ contritionis; igitur extra Sacramentum justificat; si verò per unum, erunt forte, qui negent, id fieri posse, nisi unum motivum alteri subordinetur; quo posito, vel primum subordinatur secundo, vel secundum primo; si secundum primo, ille actus erit veræ contritionis; quia idem doleo privari tot bonis, & incurrere in tot mala, quia hoc ipsum displicet Deo; ad hoc enim motivum, quidquid actui inest, reducitur; si verò primum secundo, erit actus meræ attritionis; nempe illud *displicere Deo* mihi displicet, quia maximum malum meum est; & verò cùm detestor peccatum per veram attritionem, detestor illud sub ratione peccati Theologici, ut vocant, id est offensæ Dei, ac proinde quæ displiceat Deo; illud tamen ad proprium commodum refero, quia doleo de peccato, de offensa Dei, quia multa bona me privat, & multa mala secum affert.

61 PITHANOPH. Quid ni utrumque motivum idem actus respiciat, licèt unum alteri non subordinetur?

62 ANTIM. Propter duos fines totales, saltem naturaliter loquendo, idem actus, internus scilicet, non fit; dico internum, nam de externo, nollem me

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

debeam; esto tamen fieret; non video, cur hic actus non æquivalet duobus aliis, quo ad effectum; nempe ille actus justificaret; nempe si essent duo actus distincti, alter justificaret; sed hic æquivalet duobus; igitur justificat.

66. Pithanoph. Nolo esse motivâ totalia, sed motiva, partialitate causæ, ut ajunt, ita ut neutrum eorum sumptum sufficienter moveat.

66. Antim. Hoc posito, non potest dici actus amoris, quia motivum amoris non movet sufficienter, nec etiam timoris, quia hoc etiam sufficienter non movet; sed esset species quædam mixta, quam non necessariam esse, dixerit; præsertim cum pro actibus internis non desint, qui dicant, naturaliter idem, fieri non posse; quidquid sit, non existimo, adversarios eò spectare, ut speciem hujusmodi admittam cum attritione & Sacramento necessariò requirant; volunt ipsi actum amoris, imperfecti quidem, [illegible] quinullum aliud motivum respiciat, nimirum: verò tot actus interni videntur esse ponendi, q motiva, v.g. volo servare præceptum quoniam mihi irascatur, & excidam illius gratia, vel quia hoc ipsum illi gratum accidit; idem actus internus ponitur, scilicet executio præcepti paterni, sint tamen duo interni, alter, quo volo exequi præceptum, quia placet patri; alter, quo volo idem præstare, ne patris gratia excidam; fieri tamen potest, ut neuter seorsim sit sufficienter efficax ad præceptiexecutionem, secus tamen conjunctim: porro detestatio actus internus est voluntatis; hi ergo sunt duo motiva, non subordinata erit duplex detestatio; altera scilicet ex motivo amoris, altera ex motivo timoris; prima autem quantumvis remissa, sufficit ad justificationem; sed quæso te, cum hæc ad Theologiam scholasticam pertineant, cur ad morales controversias traducis?

67. Pithanoph. Eadem apud me reputabam; sed ignosce; nec enim mihi persuaseram, tot subtilitatibus hic locum esse posse; jam ad alia orationem converto, ac scire velim, utrùm is, qui est verè contritus & firmum propositum non peccandi habet, possibile sit, ut relictâ priùs occasione peccandi, peccet; suppono enim illam ab eo relinqui non posse, vel sine gravissimo scandalo, vel sine maximo damno.

68. Antim. Occasionem proximam, opinor, dicitur; nec enim remotam quisquam relinquere tenetur; proximam voco illam, quæ proximo periculo peccandi exponit; id est, in qua, ut plurimum labimur; dicitur proxima, quia inter illam & peccatum, nihil medium est; cum in peccatum immediatè, & facillimè quasi manuducat; remota verò est, quæ in peccatum immediatè non ducit; sed aliud quidpiam indifferens, quod ad peccandum inclinat; neque hæc in indivisibili posita esse putem, & inter proximas, nonnullæ sunt, quæ majori periculo exponunt; & inter remotas, aliquæ remotiores, aliæ minùs remotæ; præterea facilè credam, eamdem occasionem respectu unius, proximam esse, quæ respectu alterius remota dumtaxat sit; sic nonnulli v.g. ita sunt à natura comparati, ut feminis versari non possint illibati; aliis vero accidit; his occasio remota erit, illis verò proxima.

69. Pithanoph. De occasione remota convenio esse non posse; alioquin, si eam sub peccato teneremur, vix inter creaturas vivere possemus; cùm nulla fere sit creatura, & ars fere nulla, quæ occasionem aliquam peccandi non præbeat; de proxima igitur quæstio est.

68. Antim. Rectè dixisti, non teneri homines ad remotas occasiones relinquendas; item artes fere omnes aliquam occasionem peccandi præbere; plus aliquas alias minùs; v.g. nautæ, caupones, milites aliique hujusmodi artem exercent, quæ quidem occasionem proximam non præbet, ut optimè observat Lugo de pœnitent. disp. 14. sect. 10. n. 149. valde tamen ad peccandum inclinant, & sine peccato difficillimè exercentur; itaque nemo tenetur occasionem remotam fugere, quamdiu remota manet; nempe fieri potest, ut eadem, quæ priùs remota erat, fiat tandem proxima; sic fieri potest, ut quis famula utatur, quæ initio proximam occasionem non præbeat; aucta tamen consuetudine, occasio tandem proxima evadat; idem de aliis occasionibus remotis dicendum est; v.g. Titius exercet aliquam artem; in qua certus est moraliter, fore, ut sæpissime delinquat, & manifesto æternæ damnationis periculo expositus vivat; tunc occasio proxima est, ac proindè eam relinquere tenetur.

69. Pithanoph. Cum occasionem, quamdiu remota est, nunquam homo fugere teneatur; id maximè videndum est, quæ proxima, quæ remota occasio dicenda sit; & cum hac de re ipsi autores disputent, ante omnia, ni fallor, hoc punctum definiendum est: scio, à nonnullis proximam dici illam, inter quam & peccatum nihil mediat, & hoc supra dicebas, occasionem scilicet proximam esse illam, quæ immediatè ad peccandum inducit; sed pace tua dixerim, occasioni remotæ hoc idem competit, v.g. aliquis ludit, & inter ludendum, rarò licèt, in blasphemias erumpit, non dixeris, opinor, ludum huic occasionem proximam esse, & tamen inter ludum & blasphemiam nihil mediat; igitur illud *nihil mediat*, etiam remotæ competit.

70. Antim. Bonos illos imitaris, qui opiniones illius nostri ita excerpserunt, ut mutilas omnes exhibuerint; dixi occasionem proximam esse illam, quæ in peccatum immediatè adducit; omisisti aliam particulam, *facillimè*; utramque conjunxi; nec absre, meo judicio, cum una sine altera ad constituendam occasionem proximam non sufficiat; si enim immediatè quidem ad peccandum inducit, rarò tamen, nec ea facilitate, quæ libertatem hominis valde imminuat; certè proxima occasio non est, ut patet in exemplo à te adducto; nec etiam, licèt facilè, sed non immediatè, cum aliæ actiones medient, inter occasionem & peccatum, quæ in nostra potestate positæ sunt; v.g. ars militiæ, aut mercatoria, aut sanè, si quis fœminam efflictim amet, & cum ea peccet aliquando; si hæc in eadem domo cum illo vivat, occasio proxima est: remota verò, si in diversis domibus habitent; quia mediant multæ actiones, nempe ille antequam peccet, multa facere debet, quæ in ejus plena potestate posita sunt, nec illius libertatem imminunt, suppono enim non æquè facile illi esse cum illa peccare, si in diversa domo habitent, ac si in eadem: dico igitur, occasionem proximam esse illam, quæ immediatè & facillimè ad peccandum inducit; immediatè quidem, ita ut nihil mediet inter illam & peccatum, quod omitti facilè possit; facillimè verò, ut vix unquam peccatum in ea vitetur, ab eo saltem, cui occasio proxima est.

71. Pithanoph. Jam probè rem intelligo, non tamen acquiesco penitus; nempe parum mihi referre

ferre videtur, sive aliqua occasio immediatè, sive mediatè ad peccandum inducat, is, cui præbetur, moraliter certus sit, fore, ut ipse labatur: præterea si aliquis cum alio versari non potest, nisi peccet, hic illi proxima est peccandi occasio; mediant autem multa inter hanc occasionem & peccatum; consilium scilicet egrediendi domo, accessus ad illum, mutua colloquia, aliaque hujusmodi.

72. Antim. Si proxima occasio est, & moraliter certus sis, fore, ut in ea pecces, illa haud dubiè ad peccandum immediatè inducit; hæreo in exemplo à te adducto, personæ scilicet, cum qua tamen non habitas, quæ tibi est proxima peccandi occasio; accipis consilium illam adeundi, accedisque ad illam, aliaque hujusmodi præstas, & ad hæc prædicta occasio te movet; dum hæc agis, haud dubiè peccas; ac proinde ad peccandum te immediatè inducit; tibi est igitur occasio proxima, quæ ad peccandum immediatè & facilè te inducit; si enim facile tibi est à congressu illo abstinere, ac proinde facilè à te obtinere possis, ut personam illam non convenias, non diceris esse in occasione proxima peccandi, quæ tantùm in ipso congressu posita est, quem inire nequis, sine peccato; sed ut tibi rem istam in clarissimo exemplo exponam, Titius Caji socius, cum eo nunquam ludit, nisi in blasphemias erumpat; Cajus est occasio remota Titio, quia hic versari potest cum Cajo, licèt cum eo non ludat; at verò ludus ipse est occasio proxima; quia hic immediatè & facillimè ad peccandum Titium inducit; itaque voca, ut voles; ego proximam occasionem peccandi id omne appello, quod semper, aut saltem, ut plurimùm, cum peccato conjungitur.

73 Pithanoph. Tenes igitur, neminem unquam sine peccato in occasione proxima manere posse; ac proinde absolvendum non esse illum, qui eam relinquere non vult.

74. Antim. Hæc sanè non ita crudè accipienda sunt, sed multam distinctionem postulant; dico igitur primò, occasionem proximam talem esse posse, ut quis ab ea facilè avelli possit, sine scandalo & gravi detrimento; quo rever à supposito, nemo neget, saltem qui rectè sentiat, teneri illum ad recedendum à prædicta occasione; tenetur autem, quia tenetur procurare suam salutem, & non peccare; igitur & illa tollere, quæ salutem illius in manifestum discrimen adducunt, & imminenti peccandi periculo exponunt; quisquis enim vult & amat periculum proximum, id est quisquis se illi ultro exponit, peribit in eo; & ratio ipsa naturalis dictat, stultum esse, in re tanti momenti, sponte & ultro aleam periculi proximi plenam subire; & verò, si absque evidenti necessitate, mortalem corporis vitam proximo mortis periculo exponere non licet, nec remedium creperum & cum periculo proximo conjunctum adhibere, multò minùs quando agitur de vita æterna, periculum proximum illa excidendi inire licebit.

75. Pithanoph. Sed quando accidit, occasionem proximam talem esse, ut moraliter relinqui non possit; aut certè sine gravissimo detrimento, v. g. jactura vitæ, honoris, bonorum; quid amabò faciendum putas?

76. Antim. Universè ac generatim pronunciare ac rem definire non possum; & verò in omnibus disciplinis ac præsertim in re morali universè pronunciare periculosum est, nec non errori obnoxium; distinguendum igitur censeo; vel enim occasio proxima talis est, ut relinqui non possit, & hæc duplicis adhuc generis, interna scilicet, vel externa; prima est, cum aliquis à natura, vel pravo usu & consuetudine ita comparatus est, ut maximus illi sit ad aliquod peccatum propensio & inclinatio, quæ licèt nunquam talis sit, ut necessitatem moralem peccandi secum afferat, semper enim libertatem moralem in admittente lethalem noxam agnosco, præsertim ab eo tempore, quo Innocentii XI. constituto contra 5. propositiones Jansenii edita est; itaque licet prædicta inclinatio ad peccandum necessitatem moralem peccandi non conciliet, ab ea tamen is, cui inest, se liberare non potest, non modò moraliter, verùm etiam physicè, saltem non cito, etiam si enixè velit; cum igitur ad impossibile non teneatur, licèt procurare debeat illum pravum habitum à se arcere, eaque adhibere media, quæ ad illum primò temperandum, ac deinde prorsus destruendum conducunt, non tamen tenetur eo relicto eadem statim occasionem illam proximam, quod fieri ab illo non potest.

77. Pithanoph. Interea debetne absolvi, posito quod sit verè contritus, & firmum propositum habeat non peccandi.

78. Antim. Hoc certè prudentiæ Confessarii relinquerem, qui si videat, à pœnitente suo prædictam diligentiam adhibitam fuisse, eumque præscriptis rem ediis usum ad morbum animi curandum, nemo neget, prudenter illum absolvi posse, modò aliæ dispositiones adsint; nemo etiam neget, si Confessarius rationabiliter dubitet de illius negligentia, prudenter differri posse absolutionem, nisi majus inde malum timeatur; in his duobus punctis, autores omnes Catholici facilè conveniunt; quare ab iis citandis abstineo, ne frustra paginas occupem; at ut nemo prudenter dicat, semper esse absolvendum, quamvis sæpe ac sæpius relabatur, & castigando pravo illo, qui inest habitu, negligentissimus sit, ita nemo prudentex dixerit, quæcumque tandem diligentia ab illo adhibeatur, nunquam esse absolvendum, donec occasionem illam proximam, quæ intimis fibris insita est, evulserit; atque extremitas displicet; prima quidem, quæ frequentes lapsus pœnitentis & supina illa negligentia in abigendo pravo habitu arguunt, abesse propositum non peccandi, ac proinde occasionem illam esse voluntariam, saltem probabilissimam Confessario præbent occasionem hoc sibi persuadendi; si ergo Confessarius prudenter credit, præfatum abesse propositum, prudenter quoque absolutionem differet; accedit, quod hoc Sancto rigore pœnitens deterrendus est, ut necessariam ad reformandam morum diligentiam adhibeat; immo prudentes & sancti viri ita se gesserunt in administratione hujus Sacramenti; adde sis innumeros autores, qui hoc ipsum docent.

79. Pithanoph. At si pœnitens alias dispositiones habeat, certè ratione illius occasionis proximæ, & illius dumtaxat, absolutio differtur; igitur quamdiu illa manet, absolvendus non est; in alteram igitur extremitatem recidis.

80. Antim. Non dico, differendam esse absolutionem ratione occasionis præcisè; sed quia Confessarius prudenter & rationabiliter dubitat de sufficienti proposito; rationem autem dubitandi, frequentes lapsus & supina negligentia pœnitentis suppeditant.

81. Pithan.

84. PITHANOPH. Quid si Confessarius nullo modo credat de prædicta dispositione pœnitentis, quin habeat summam contritionem pœnitentis; an pro illa summam contritionem prudenter differri possit?

84. ANTIM. Tanta est aliquando pœnitentis cæcitas, ut nulla ratio postulet absolutionem differri, ut vix sperari possit major illius dispositio; quemadmodum vix speravere illustrissimi viri suo exemplo cæteris Confessariis illuxerunt, qui homines omni flagitiorum genere fœdatos summa contritionis vi actos statim absolverunt, levi etiam pœnitentia imposita; si tamen contritionis tanta vis non est, licèt probabiliter & prudenter Confessarius credat, rectè dispositum esse pœnitentem, modò scandalum & majoris inde periculum absit, ad castigandam illius negligentiam, per modum salutaris remedii, vel pœnitentiæ medicinalis, quæ aliquando absolutioni præire potest, justa scilicet de causa, non damnarem in nullo rigoris, si absolutionem differat, præsertim pœnitente minimè invito: cæterùm in hoc casu Confessarium minimè damnò, licèt pœnitentem absolvat; si, ut dixi, prudenter credat, rectè dispositum esse; prudenter, inquam, etiam si tantummodo probabiliter, cum vix unquam interior pœnitentis dispositio Confessario certò perspecta esse queat.

85. PITHANOPH. Valde probo ea, quæ dicis; verum absolvi pœnitentem, si magna vi contritionis compungitur; hæc autem foras erumpit? at si rationabiliter Confessarius dubitet de proposito & dispositione pœnitentis, attentâ illius negligentiâ & emendationis incuriâ, vis prudenter absolutionem differri, si frequentes lapsus accedant; si demum prudenter credat, rectè dispositum esse, ut non damnet Confessarium, qui absolutionem differat, ad detinendum pœnitentem, ad castigandam illius incuriam, in medicinam demum, modo scandalum absit, pœnitente non invito; ita non damnas illum, si statim absolvat; quid autem de altera extremitate? si enim longiùs excurras, aliquot membra multiplicis difficultatis tibi excident.

85. ANTIM. Nedubites; altera igitur extremitatem, nunquam pœnitentem absolvendum esse, quamdiu illi occasio proxima manet, quod nullo modo dubitarunt viri probati; nempe aliquando tantisper utique vitæ absolutio differenda esset; immemorem quidem absolvendus esset, habitu scilicet vitiato, & diuturniore usu confirmato; & obligas illum, ad excutiendum statim pravum habitum à natura comparatum, vel usu contractum, sed hoc fieri non potest; cur ergo ad impossibilia obligas? obligo, inquies, ad deponendum habitum, non quidem statim, at sensim sine sensu, ut tamen ut diligentiam ad hunc finem adhibeat, sed naturæ vires infirmæ sunt, & potentiori Dei adjutorio ad hunc effectum opus est, inquis; sed volenti & facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam; magna vis morbi magnam gratiam postulat, quam Deus potiori jure justificato, quàm hosti & peccatori elargitur, si rectè dispositus est, & pravus ille habitus cedat, & jam procurarit ab eo se liberare, divinæ beneficio donetur, acquirit gratiam eadem, sit amicus Dei singulari patrocinio dignus, demum in eo statu ponitur, in quo majorem divinæ gratiæ cœlestisque auxilii recipit, quo major est; ac proinde pius virium suppetit ad vincendas tentationes & frangendam vim pravi habitus contracti; nemo igitur Confessarium damnet, quia dum pœnitentē absolvit, non tantùm illius actualia vulnera, peccata scilicet curat, verùm etiam habituales morbos, quantum in se est, adhibitis scilicet iis remediis, quæ apta esse judicat, & posito pœnitente in eo statu, in quo & vegetior est contra vim morbi, & remediorum capacior & dignior, cujus Deus supremus medicus curam gerat. Ratio autem à priori est, quia ipsa occasio proxima non est peccatum, nec ipse habitus peccatum est, nisi quatenus placet, & voluntarius est; sed involuntarium esse supponimus, & pœnitenti prorsus invito inesse; igitur dispositionem necessariam ad beneficium sacramentalis absolutionis recipiendum non tollit.

86. PITHANOPH. Bene est, rem omnino capio; jam ad aliud distinctionis membrum veniendum est; dixisti enim occasionem proximam, quæ moraliter removeri non potest, duplicis generis esse, alteram scilicet internam, alteram externam; de interna hucusque dixisti, de externa tibi dicendum restat; & primò quidem, non video, quomodo externa removeri non possit.

86. ANTIM. Non desunt exempla, Pithanophile, & non ratò sanè occurrunt, utinam rariùs; unum suggero; supponamus uxorem fratris à levito ad peccandum induci, & illos sub eodem tecto vivere; quid faciet misera; à marito recedere non potest, nec eidem marito turpitudinem suam & fratris aperire; quantum enim inde scandalum foret? igitur moraliter loquendo, prædictam occasionem proximam removere nequit, estque ipsi externa, quamvis fere semper præsens; en tibi occasionem externam, quæ moraliter tolli non potest.

87. PITHANOPH. Sed quid tandem tu? si hæc fœmina ad Confessarium adeat, quid cum illa agendum esse putas?

88. ANTIM. Ex iis, quæ supra diximus, manifesta responsio patet; si enim fœmina illa verè contrita est, & firmum propositum habet in posterum non peccandi, ac proinde parata sit, quantum in se est, prædictam occasionem fugere; & ad hunc finem, eam, quam potest, diligentiam adhibeat, quis amabò neget, absolvendam esse? at si hæc occasio illi placeat, nec faciat quod in se est, ut ab ea se liberet, aut contrà illam muniat sese, adhibitis remediis à Confessario eidem præscriptis, tunc absolutionem differri posse, omnino crederem; quia non leve argumentum esset, rite dispositam non esse, nec firmum adesse propositum; de quo si revera Confessarius prudenter dubitet, absolutionem prudenter differret; si autem probabiliter crederet, satis dispositam esse, ut non damnabo, si absolvat; ita nec damnabo, si differat absolutionem, ad castigandam aliquam negligentiam, & in pœnam medicinalem: cæterum vix aliter statuendum est de occasione externa ac de interna; quare ne bis eadem obtrudam, suppone de utraque eadem dicta esse: autores non cito, quia nullum esse crediderim, qui dictis hucusque non suffragetur.

89. PITHANOPH. Ita est, sed præcipua difficultas restat, scilicet quid sentiendum sit, quando illa occasio proxima tolli quidem potest, non tamen sine magna difficultate, aut jactura vitæ, bonorum, honoris, &c.

90. ANTIM. Suppono quatuor illas conditiones, quarum Navarrus meminit in Manual. cap. 3. n. 15. scilicet quod is, qui est in occasione proxima, verè contritus sit, habeat propositum non peccandi, speret semeuiante divina gratia non peccaturum, subsis

sit demum rationabilis causa, propter quam occasionem illam minimè relinquit; his autem suppositis, multi autores censent, absolvendum illum esse, qui est in occasione proxima, quam sine gravissimo damno relinquere non possit; ita Navarrus loco citato item in cap. *satisfactio* distinct. 3. Beja tom. 1. cas. 39. Corduba in summ q. 4. Vivaldus in Candelabr. tit. de absolut. Joan. Sancius disp. 10. D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 9. Bonacina tract. de matrim. q. 4. p. 14. n. 17. Zerola. c. 25. de pœn. Finellius cap. 11. n. 12. Philiarc. p. 2. l. 2. c. 32. Suar. disp. 32. Lugo de pœnit. disp. 14. sect. 10. Emman. Sa correctus verbo *absolutio* n. 12. S. Basilius lib. de constit. monast. cap. 3. S. Ambros. l. 3. offic. c. 13. Ludovic. Lopez p. 1. c. 20. & 22. post victoriam Cajetan. in summ. v. *periculum*. Armilla v. *periculum*. Henriquez lib. de matrim. cap. 25. n. 3. Alphonsus à Castro l. 1. de justa hæretic. punit. cap. 17. Layman lib. 5. tract. 6. c. 4. num. 9. Sanchez tom. 1. moral. lib. 1. c. 8. num. 4. plures alios dabit Diana p. 2. tract. 16. resol. 5. & part. 4. tr. 4. resol. 165. addo Basil. Poncium in append. cap. 6. Petr. Navarr. l. 4. cap. 4. num. 77. Baillium in tripl. examine à pag. 620. ad 626. Medin. l. 10. summ. cap. 14 §. 2. Ledesm. tom. 2. sum. tract. 1. c. 9. Manuel. tom. 1. sum. c. 34. num. 5. Azor tom. 1. l. 11. c. 3. q. 3. Graffium lib. 1. cap. 28. num. 21. Serrarium in c. 12 Jud. vers. 7. omitto alios Guilin. scilicet, Turrian. Castr. Palao, Tamburin. aliosq; fere innumeros.

91. Pithanoph. Non deerunt qui dicant, D. Thomam, Ambrosium & Basilium perperam citari.

92. Antim. Illi sanè refelli melius non possunt, quàm citatis illorum verbis; en tibi, & primò quidem, S. Thom. ex 2. 2. q. 10. a. 9. *si autem*, inquit, *sunt simplices & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent*; viden *absque necessitate*. D. Basilii textus expressus est, cum enim supponat, hominem, cui consuetudo cum mulieribus occasionem peccandi præbeat, concludit tandem, hujusmodi congressiones colloquutionesque fugiendas esse, *neque ad eas*, inquit, *unquam accedendum, nisi cum gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellit, & aliter facere non possumus*. S. Ambrosius loco citato excusat actionem Judit à peccato contra castitatem, eo quod in casu magnæ necessitatis periculum adierit; nempe inquit *honestatis fuit, pro omnibus periclitari, ut omnes periculo eximeret*, periclitari scilicet in castitate, ut omnes eximeret periculo vitæ. Vide ibi plura apud Basil. Poncium supra citatum, qui multos eosque gravissimos autores pro hac sententia citat.

93. Pithanoph. Autoritatis pondus sentio, illudque sanè gravissimum; ratio tamen refragari videtur, cum enim occasio cum peccato conjuncta sit, eadem lege teneor fugere illud, quod cum peccato conjunctum est, qua teneor, fugere ipsum peccatum, sed ab hac lege nihil est, quod eximat.

94. Antim. Fontem aperis, ex quo manifesta ratio, pro hac sententia expromitur; sed ut melius illam intelligas, causa peccati ab occasione, quæ ad peccatum inducit, probè distinguenda est; causa enim peccati ab ipso peccato, scilicet effectu suo, malitiam & fœditatem contrahit; hinc quisquis vult causam peccati, peccatum velle censetur, scilicet propter connexionem, quam per se habet causa cum effectu; at verò occasio ipsa non influit in peccatum, nec ab illo ullam malitiam contrahit, nec cum illo per se connectitur, sed per accidens; unde licèt illi, ut plurimùm saltem, peccatum accedat, non ipsi occasioni, sed imbecillitati peccantis tribuendum est; præterea suppono, voluntatem directè in peccatum ferri non posse, sed in illud, quod cum peccato per se connexum est; atque ita in ipsum peccatum non directè; his positis, non possum velle directè, vel indirectè peccatum, nec causam peccati, necessario illud, quod cum peccato per se conjunctum est, quia alioquin cum turpitudo & malitia peccati ho objecto insit, illam actus ipse contraheret, & nihil prorsus est, quod me ab hac lege eximat; atverò occasio per se mala non est, nec ullam turpitudinem contrahit; illam igitur velle possum, indirectè scilicet, non directè; id est, quando gravis alia ratio id postulat; v. g. si quis exeat domo, manifesto periculo vitam exponit, domi verò est in qua occasione proxima; vult ipse directè tueri vitam, ac proinde indirectè vult manere domi; ipse tur indirectè manere in occasione, quæ cum per mala non sit, in actum illum malitiam non refundit.

95. Pithanoph. Hæc ratio si quid video non probat; nam etiam directè occasionem proximam velle possemus, cum enim per se mala non sit, malitiam in actum non refundit.

96. Antim. Tenemur fugere periculum proximum peccati; igitur non possum directè velle quod teneor fugere, ac proinde directè nolle; licet gravis ratio, modò conditiones supradictæ intercedant, ab illa lege me eximit, qua scilicet teneor periculum illud fugere; sic teneor consulere meæ vitæ, ac proinde illam manifesto periculo non exponere; teneor item integritatem membrorum servare intactam, nec possum mihi brachium abscindere; sitamen aqua ratio eaque gravissima postulat, possum vitam discrimen adducere, & brachium chirurgo secundum porrigere, pari modo teneor periculum illud peccàdi fugere; si tamen vel necessitas cogit, vel gravissima ratio, non teneor, quia multa sunt, quæ immediatè velle possumus, quæ tamen directè velle non licet; immo aliquando, ut Herus famuli probet fidelitatem, aliquam ipsi occasionem offert, furandi v. g. vel aliud contra fidē, qua obstrictus est, agendi; suppono tamen illum, qui est in prædicta occasione, quantum in se est, eam detestari, ac velle, quam primùm poterit, eam removere, unde illi prorsus involuntaria sit.

97. Pithanoph. Tunes igitur, nunquam illum remittendum esse, nisi absolutum, modo quatuor illæ conditiones à Navarro præscriptæ intercedant.

98. Antim. Nullo modo id dixerim; quin imm eorum consilium valde probo, qui volunt, absolutionem eidem tidem differri, ne nimiâ indulgentia prædictus pœnitens abutatur; idq;, cum vel summa peccandi facilitatem, vel negligentiam in præfinitis remediis adhibendis subesse, Confessarius prudenter suspicatur; & verò hac in re, opus est magna Confessarii prudentia, ne pœnitentem aut nimia veritate, aut nimia indulgentia seducat; quam damno illorum praxim, qui nunquam sine pœnitentem absolvi volunt, dum in illa occasione manentem ita valde probo illorum prudentiam, qui aliquando absolutionem differri jubent; sic enim deperditioni pœnitentis occurritur, & illius negligentia castigatur; sed de his ni fallor, hæc plusquam satis.

99. Pithanoph. Quid addi possit non video, illud quod superfluum non sit; immo incognitum quod solutionem mihi suggessisti cujusdam dubii, quod mihi non ita pridem propositum fuit; quæsivit ex me nescio quis, utrùm is, qui liberiore & obli

loquio

loquutione aliis scandalo est, licèt scandalum minime intendat, ita reus censendus sit, ut peccata illa, quæ deinde admittunt, hac occasione inducti, speciem malitiam in loquutionem illam scandalo- tam intendant, quæ in confessione exprimenda sit; hactenus; nam hinc inde contrariæ rationes pugnabantur; primò enim nimis grave videbatur, quod ex his, qui audierunt ad grande & præsens peccatum ex illis verbis inductus est, speciem illam & malitiam pessimi criminis in prædictam loquutionem refundi; ex alia parte, cùm ad illud crimen verbis illa inductus sit, specialis malitia refundi videbatur: tu verò hujusmodi solutionem suggessisti; cum tamen occasio à causa probè distinguenda est; si quam peccandi, consilio v. g. auxilio, vel alio quocumque modo ponerem, haud dubiè effectus inde sequutus, peccatum scilicet, malitiam in actum meum refunderet; & reverà essem causa peccati, ejus illius peccati reus; at occasio non influit in peccatum, nec illius causa est; igitur peccatum in illam malitiam non refundit; quia illa occasio nullam habet per se connexionem cum illo peccato, licèt peccans cum illa peccatum sponte sua connectat; igitur si nulla est connexio, nulla est radix, vel ratio formalis prædictæ refusionis; immò si occasio illa peccatum non esset, sed quid indifferens, rationabili de causa à me poni posset; licèt alius ea utatur ad peccandum, modò illius peccatum directè non intendam; ac proinde dixi supra, *licèt scandalum minimè intendat*, si enim peccatum aliquis intenderet, jam ille actus turpe objectum haberet, ex quo turpitudo & malitia in ipsum actum refunderentur, ac proinde in confessione exprimenda esset.

200. Antim. Rectè prædictam doctrinam applicas; non tamen negas, opinor, prædictam circumstantiam scandali exponendam esse in confessione, licèt indirectè tantùm intendatur; quia cùm reverà peccatum sit, ut directè intendatur, minimè necesse est; ideo verò peccatum est, quia repugnat charitati, cujus legibus teneor, non inducere proximum ad peccandum, etiam indirectè, oblata scilicet occasione.

201. Pithanoph. Hoc certè non negarim, cùm ratio illa, præter malitiam propriam, aliam diversam speciè habeat, scilicet scandali, id est, contra charitatem; sed dico, non contrahere malitiam specifice diversam peccatis, ad quæ audientes inducuntur; quam rem observat & docet Lugo disp. 16. à num. 159. ad 169. ubi citat Navarr. Suar. Salas, Coninch. ac proinde pœnitens obligationi suæ satisfacturus, explicando malitiam scandali, licèt non exponat speciem peccati, ad quod proximus inductus fuit, ratio, ni fallor, ex eo petitur, quòd cùm occasio non sit causa peccati, ex rationabili causa induci poni possit, v. g. fœmina tenetur interesse festo die festo, scit tamen, nescio quem illius amore ingentem eò accessurum, & ex illius conspectu forte, ut verisimiliter ille pecces; modò fœmina animum illius, vel amentis peccatum directè non intendat, non video, cur exire non possit, ad satisfaciendum ecclesiastico præcepto: & verò si ex rationabili causa manere possum in occasione, modò illam directè non intendam, non video, cur eam deserere non possim, modò adsit rationabilis causa; nec enim magis teneor impedire peccatum alienum, quàm proprium: at si peccatum, quod ex occasione sequitur, suam malitiam in occasionem refunderet, nunquam liceret etiam indirectè occasionem illam velle.

202. Antim. Si peccatum, quod ex occasione sequitur, in eam malitiam non refundit, voluntas igitur in eam directè ferri posset; cur enim potiùs refundit, si directè, quàm si indirectè illam velis.

203. Pithanoph. Manifestum discrimen est; nam charitas vetat, directè velle proximi malum; non tamen vetat, semper indirectè illud velle; innumera ferè exempla suppetunt, sic ut defendam vitam meam, injustè illatam vim repellere possum, etiam cum damno proximi, quod ex illa intentione per accidens sequitur.

204. Antim. Et huc tandem tota res ista reducitur; cùm enim scandalum illud directè intendis, etiam proximi damnum intendis directè, ac per se; igitur illius causa es, causa enim est principium per se influens esse in aliud: quid ergo mirum, si malitiam effectus in causam refundit; at si tantùm indirectè intendas, quia scilicet aliud intendis, & causa rationabili, cum quo illud conjunctum est, illius causa non es; perperam igitur effectus tibi imputaretur; si autem rationabilis causa absit, charitas etiam vetat intendere indirectè proximi malum, ut patet; & sic tandem soluta manet illa tua difficultas.

205. Pithan. Ita est; at si Confessarius secùs judicet, aliquot Doctorum autoritate fretus, quid faciendum pœnitenti; idem exte quæram paulò pòst de circumstantiis aggravantibus, quæ speciem non mutant; si enim Confessarius illam opinionem sequitur, quæ statuit illas aperiendas esse in confessione; an fortè pœnitens morem gerere tenetur.

206. Antim. Ut ab hoc ultimo incipiam, jam illa communissima est sententia, quæ pœnitentem non obligat ad circumstantias aggravantes, quæ speciem non mutant, in confessione aperiendas; autores hujus sententiæ non cito, ne paginas frustra impleam, Durand. Gabriel. Paludan. Scot. Almain. S. Bonavent. Albert. Antonin. Adrian. Navarr. post S. Th. in 4. d. 16. q. 3. a. 2. gloss 5. & plures alios dabunt Vasq. q. 91. a. 1. dub. 2. Reginald. in prax. tom. 1. l. 6. c. 5. n. 135. Valent. hâc disp. 7. q. 11. p. 1. Less. l. 4. c. 3. dub. 12. n. 8. Diana p. tr. 7. resol. 1. Lugo disp. 16. s. 3. probatur autem communiter hæc sententia ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ubi nihil aliud exigitur à pœnitente, nisi ut confiteatur peccata cum circumstantiis, *quæ speciem mutant*, quod certè frustra additum esset, si aliàs, quæ speciem non mutant, exponere teneretur; & verò illa formula toties inserta videtur tacitè excludere obligationem aperiendi alias circumstantias, ut Lugo n. 108. prudenter observat, apud quem videre poteris alias rationes, quæ certè hujus loci non sunt; itaque suppositâ illâ sententia communi, quam teneat pœnitens; supponamus, Confessarium sequi oppositam; dico, nullo modo pœnitentem ab eo obligari posse, ad mutandam sententiam communem & probabiliorem; quo enim jure, qua lege, pœnitens privabitur jure illo, quod omnibus competit, sequendi opinionem probabiliorem, aut saltem verè ac certò probabilem? non negarim tamen, teneri pœnitentem respondere, si Confessarius interroget de aliqua circumstantia, cujus notitia conferat ad ferendam sententiam, vel medicinalem pœnitentiam injungendam; neque

hoc negant hujus sententiæ autores, & præ cæteris Lugo n. 123. Cùm autem ad circumstantias aggravantes prior casus non pertineat, respondeo breviter, non teneri pœnitentem, mutare sententiam, sed Confessarium debere sequi opinionem pœnitentis, ut docet Lugo disp. 22. s. 2. n. 39. ubi de communi testatur, citatque Suar. Vasq. Sal. Victoria, Sot. Navarr. Ledesm. Henriquez, Azor, Rodriguez, Salon. Valent. Sanch. Dian. p. 1. tr. de opin. probab. resol. 11. qui alios dabit; ratio est, quia pœnitens est rectè dispositus, quando sequitur opinionem certò & verè probabilem, & juxta eam operatur; Confessarius igitur non potest illi negare absolutionem; scio, nonnulla opponi posse, sed quæ facilè solvantur; nempe Confessarius pœnitentem debet absolvere, quem cognoscit, esse verè contritum, & habere propositum servandi omnia Dei mandata, id est, non peccandi in posterum; sed ad non peccandum, ut sæpè diximus, sufficit operari ex opinione certò & verè probabili.

207. Pithanoph. Si tamen Confessarius judicet, illam opinionem improbabilem, illi adhærere non potest, in gratiam pœnitentis; quid igitur opus facto?

208 *Antim.* Si reverà est improbabilis, & ab aliis communiter pro tali habetur, licèt habeat aliquid probabilitatis speculativæ, debet omnino Confessarius docere pœnitentem, eumque seriò monere, ut doceri se sinat, & consulat etiam alios viros doctos; & verò cùm in hoc casu vix accidere possit, ut sit ignorantia inculpata, Confessarius eam tollere debet, quæ tamen si esset invincibilis, Confessarius prudenter se geret circa pœnitentem, & si majus malum timeatur, eum non docebit, nisi in quibusdam casibus, in quibus vel prædicta ignorantia ipsi pœnitenti est noxia, vel bono publico adversatur, vel ad Sacramentorum valorem servandum ableganda est.

209. Pithan. Capio; si opinio illa sit improbabilis, aut saltem probabilis tantùm speculativè, adsitque ignorantia culpabilis pœnitentis, eam Confessarius tolerare non debet; si verò ignorantia pœnitentis invincibilis est, etiam à Confessario moneri debet ac dedoceri, nisi in eo casu, in quo longè majus damnum & scandalum, sive privatum, sive publicum timeretur; hîc autem, si quando aliàs Confessarii prudentiam desidero, ut scilicet & pœnitentis conscientiæ, cujus est Judex, Medicus & Doctor, & Sacramenti reverentiæ & integritati, & charitati erga proximos probè consulat: hinc, ni fallor, si dubitet Confessarius, quid tunc magis expediat, in eam partem ultrò propendeat, in quam charitas impellit, nisi fortè eæ non sint temporis angustiæ, quibus ad deliberandum, peritiores ac doctiores consulere non patiantur; cuncta hæc longiore discussione non indigent, modò is ordo Confessarium inter & pœnitentem servetur, ut hic multum humilitatis, obedientiæ, reverentiæ, ille verò non minus charitatis, prudentiæ & patientiæ præferat; unum fortè supereſt, quod plus negotii faceſſeret, ſcilicet circa pœnitentiam impoſitam; ſi enim Confeſſarius & pœnitens in hoc non conveniunt, uter alteri cedere debet?

210. *Antim.* Quædam certa in hac materia ſupponenda ſunt: 1. teneri Confeſſarium imponere pœnitentiam ex Trident. ſeſſ. 14. c. 8. quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentis facultate, ſalutarem & convenientem ſatisfactionem injungendo, ne fortè peccatis conniveat, & indulgentius cum pœnitentibus agat, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum particeps fiat. 2. Certum eſt, teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam, ſi velit abſolvi, & deinde implere, niſi ipſi ab autoritatem habente aliam commutetur. 3. Certum eſt, in nonnullis caſibus, nec Confeſſarium, nec pœnitentem ac prædicta teneri, v. g. dum hic æger decumbit, ve privatur facultate. 4. Certum eſt, uſum Eccleſiæ certam regulam eſſe utriuſque obligationis nempe Eccleſia in adminiſtratione Sacramenti quod præſertim adeo neceſſarium & frequens eſt, pravum uſum in ſuis miniſtris univerſè tolerare non poteſt. His præmiſſis, ad quæſtionem à propoſitam facilè reſpondeo: teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam, ſi velit abſolvi; quia Confeſſarius Judex eſt, cujus ſententiæ parendum; Judex enim vim coërcitivam habet, ut vocant, & obligativam; ſcio, Cajetan. cum quibusdam aliis ſecus ſentire; ſed ante Tridentinum ſcripſit, ex cujus decreto non modò Confeſſarius tenetur pœnitentiam qualemcumque imponere, ſed convenientem, eamque gravem, pro criminum qualitate; alioquin alieni peccati particeps; ſi autem Confeſſarius tenetur injungere, tenetur etiam pœnitens acceptare & implere; ita communiter Theologi, immò oppoſitam ſententiam, quæ ab iſta obligatione pœnitentem liberat, nonnulli contra fidem eſſe dicunt, ut Vaſq hîc, q. 94 a. 1. dub. 6. n. 5. Victoria in Sum. n. 209 alii temerariam, ut Suar. diſp. 38. ſect. n. 2. alii periculoſam, ut Henriq. l. 5. c. 10. § 4. aliis denique improbabilem, ut Lugo d. 23. ſect. 5.

211. Pithanoph An fortè non licet pœnitenti, ubi graviorem juſto pœnitentiam ſibi à Confeſſario imponi non videt, quem ad leviorem imponendam movere non poſſit, an non licet, inquam, non expectata abſolutione recedere, & alium adire Confeſſarium, quem mitiorem ſibi ſperet.

212. Antim. Licet haud dubiè, nec obſtet Sacramentum non perfici; habet enim jus pœnitens, ſi velit, dilationem petendi, ob varios fines, & hoc ſæpè accidit, præſertim ſi dubitetur de aliqua diſpoſitione neceſſaria, quod meo judicio nemo ſapiens negarit, præſertim cùm communi praxi & uſu firmetur: ſi autem pœnitens non habeat voluntatem acceptandi pœnitentiam, deſit illi diſpoſitio neceſſaria; & verò non modò pœnitens poteſt recedere, antequam recipiat abſolutionem, ſi aliquam diſpoſitionem neceſſariam ſibi deeſſe cognoſcit, verùm etiam debet; nec video, cur Confeſſarius pœnitentem non abſolutum dimittere licitè non poſſit, quem ſcilicet minùs diſpoſitum eſſe credit, & ipſe pœnitens, qui ſe minùs diſpoſitum eſſe cognoſcit, ante abſolutionem, & perfectionem Sacramenti recedere nequeat: in hoc, meo judicio, non eſt difficultas.

213. Pithanoph. Nunquid non poteſt pœnitens acceptare quidem pœnitentiam injunctam, eo tamen animo, ut hæc ab alio Confeſſario mitiore in minùs gravem deinde commutetur.

214. Ab-

218. ANTIM. Modò ex immoderato sui amore hoc mysterio non procedat, illam profectò damnare non audeam; quis enim neget, illum rationabili causa posse, ab alio Confessario hoc petere posse; possum etiam modò intendere, quod deinde possum proponere: pœnitens graviori pœnitentiæ injunctæ simulans se esse cùm putet, ab eo Confessario imparem se esse cùm putet, ab eo leviorem petit; & repulsam passus, statuit, ab eodem ipso eamdem commutationem petere; quid amabò in his malis? non acceptat inquies, immò acceptat, & sibi mitiorem Confessarium nanciscatur, eam vult implere; nunquam autem aliam acceptandi, simplicitate voluntatem necessariam esse, vel natura rei, vel Sacramenti ratio postulat, vel lex ulla dei-

219. PITHANOPH. Fortè satiùs esset, si Confessarius imponeret quidem pœnitentiam, ac citra omnem obligationem, ita ut piæ voluntati pœnitentis tota res permittatur; sic nonnulli pro pœnitentia nonnunquam injungunt, quidquid vel boni fecerit pœnitens, vel mali passus fuerit, intra datum tempus spatium; quid amabò de ista praxi judicas?

216. ANTIM. P. Suarez disp. 38. sect. 4. n. 2. quem Fagundez, Filliucius, Diana citati à Delugo n. 53. sequuntur, docet, à Confessario injungi posse pœnitentiam citra obligationem; ego tamen oppositam sententiam longè veriorem esse crediderim, quam tradit Lugo n. 54. ubi citat Vasq. Coninch, Turrian, quia cum imponat pœnitentiam per potestatem ligandi, ut innuit Trident. cit. certè si ligat, obligat; & si non obligat, non ligat; præterea si citra obligationem imponi potest pœnitentia, per modum tantùm consilii, hoc modo Confessarius injungere pœnitentiam semper deberet, nempe sufficeret; igitur ab obligatione illa pœnitentem eximere deberet, quæ ipsi aliquando peccandi occasio est: quod pertinet ad praxim propositam, aliam penitus contrariam oppono; nempe quando per modum consilii Confessarius aliquid pœnitenti suggerit, subnectere illicò solet, hoc à te pro pœnitentia non injungi; quare praxim illam, quam indicasti, minimè probo; scio, nonnullos esse, qui eam adhibeant, sed in hoc non laudo; & verò Judex sententiam dicit, per modum præcepti & legis obligantis, non verò per modum consilii: hinc verba illa, quæ post formam absolutionis à Confessario proferuntur, *quidquid boni feceris*, &c. non pertinent ad rationem Sacramenti, sed sunt merè deprecatoria; nec audiunt, ut volunt aliqui, Confessarios, qui leves pœnitentias pro gravissimis peccatis injungunt, ut satis observat Lugo. 57.

217. PITHAN. Accepi ab homine fide digno, Cardinalem Bellarminum hoc petere solitum fuisse à Confessario, ut scilicet pro pœnitentia injungeret, quidquid ipse boni facturus esset, aut mali sponte passurus.

218. ANTIM. Aliquid simile inaudii; sed vix credidi, ea saltem modo, quo dicis; potuit quidem Confessarius hæc, & hæc opera, quæ ipse facere solitus erat, pro pœnitentia injungere, ut illa tali modo elevarentur ad virtutem Sacramenti; ad hoc posito, non fuit ipsi deinde liberum illa operare; quis autem similem obligationem ultrò susciperet, & accersat, præsertim si nulla ratio id po-

219. PITHANOPH. At si Confessarius hoc, vel illud disjunctim pro pœnitentia imponat; numquid pœnitenti liberum non erit, alterutrum eligere; igitur pœnitens non semper ligatur.

220. ANTIM. Fateor, hoc ipsi liberum esse; sed adhuc reverà ligatur, id est, obligatur ad alterutrum, in quo non est difficultas.

221. PITHANOPH. Sed quid quæso vocas pœnitentiam gravem?

222. ANTIM. Gravem illam voco, quæ in usu communi vulgò talis dicitur: potest autem dici gravis, vel quia aliquid per se grave injungitur, ut verberatio, jejunium, larga eleemosyna, longa oratio, vel peregrinatio; vel quia licèt per se res gravis non sit, à diuturnitate tamen gravitatem ducit, cùm grave sit, diu obligari ad aliquid faciendum: grave autem est, quod gravat: potrò graves pœnitentiæ ex usu, qui nunc viget in Ecclesia, censendæ sunt; multa enim sunt, quæ si cum canonicis pœnis comparentur, levia, immò levissima censenda sunt, licèt hæc eadem pro gravibus habeantur: crede mihi, quisquis usum Ecclesiæ sequitur, errare non potest; juxta præsentem usum multæ pœnitentiæ graves dicendæ sunt, quæ cum antiquis illis comparatæ, leves censentur: & verò differentia notabilis esse debet inter pœnitentiam illam, quæ injungitur pro peccatis venialibus, & illam, quæ injungitur pro mortalibus. Præterea, debet haberi ratio facultatis, dispositionis, contritionis pœnitentium; & ne hoc Sacramentum nimis grave & difficile iis videatur, procurandum est; inter peccata mortalia, cùm singula per se æternam pœnam inducant, si occulta sint, præscindendo à pœnis medicinalibus, vix auderem tam notabile injungendis pœnitentiis discrimen præscribere; accedit, quod fieri potest, ut peccatum unius gravius sit peccato alterius ex objecto; sit tamen levius ex infirmitate, libertatis imminutione, minore malitia, &c. dixi, si occulta sint, nam si publica essent, & res pateretur, aliquid satisfactioni Ecclesiæ dari posset; unde, ut vides, pœnitentia pertinere potest atque referri ad tria capita, scilicet ad vindictam, ad medicinam, ad satisfactionem Ecclesiæ; de primo capite tantummodò loquor; tertium in occultis locum non habet; secundum pro diversis peccatorum morbis, habitualibus præsertim, & diversa dispositione pœnitentis, diversum est; & verò ut aliquem cures & liberes à superbia, & alium à luxuria, diversa remedia adhibenda sunt.

223. PITHAN. Hæc, quæ dicis, mihi valde placent; sed ne quæso quæstionem illam pœnitentiæ publicæ, quam multi alii jam discusserunt, attingas; hæc novatoribus ultro relinquo, præsenti Ecclesiæ usu satis contentus; unum autem à te postulo, ut aliquot regulas, quasi per summa capita delibes, ad hoc injungendæ pœnitentiæ ministerium pertinentes; tu jam à multis annis huic sacro ministerio navas operam; nonnulla fortè observasti, proprio experimento edoctus, quæ mihi & aliis utilia fore mihi persuadeo.

224. ANTIM. Quandoquidem me cogis, nonnulla suggero per summa capita, ac præmitto 10 documenta clypeis, quæ ad hanc rem faciunt. 1. habeat usum Confessarius contrariarum opinionum tutarum. 2. Pœnitenti ad rigorem inclinato obsecundet. 3. Mitiget pœnitentias, quando hoc expedit, ad bonum spiritale pœnitentis. 4. præsumat priorem Confessarium probè functum officio. 5. cir-

ca numerum peccatorum priorum confessionum, relinquat pœnitentem in bona fide. 6. non tenetur Confessarius pœnitentem interrogare, quando hic diligens examen præmisit. 7. ne sit nimium scrupulosus in interrogando. 8. Rustici non sunt facilè cogendi ad repetendas confessiones. 9. dum magna est frequentia, expedit citiùs expedire. 10. Ignorantia Confessarii non reddit semper confessionem invalidam : alia multa subnectit idem autor, quæ vide sis; sunt enim prudenter observata; v. g. quòd de rebus inhonestis Confessarius parcè interroget; quòd in re sigilli severior sit; quòd non obliget ad restituendum in dubio; quòd nunquam nisi prudenter ad confessiones iterandas inducat; quòd se facilè accommodet opinioni probabili pœnitentis, &c. his præmissis, sint hæ regulæ. 1. Diuturnæ aliquot annorum pœnitentiæ vix unquam implentur. 2. Idem dico de gravissimis quibusdam, quæ laxioris vitæ hominibus injunguntur. 3. Opificibus & agricolis jejunia, pauperibus eleemosynæ imprudenter imponuntur. 4. Quando Confessarius injungit eleemosynam, etiam pro Missa, eamque sibi dari vult, aut aliud quidpiam simile, mali odoris apud pœnitentem res est. 5. Quando magnus restat injunctarum pœnitentiarum cumulus ex prioribus confessionibus, expedit, in certum quid, quod facilius fieri possit, commutare. 6. ubi pœnitens renuit, & injunctam pœnitentiam invitus acceptat, si res gravis est, expedit imminuere, si verò levis, signum est, pœnitentem parum dispositum esse; tunc autem Confessarius viderit, quid sibi faciendum sit. 7. Juverit fortè nullam unquam pœnitentiam injungere, nisi quam pœnitens ultrò & volens acceptet. 8. si fortè propter illius infirmitatem levior est, quàm peccatorum gravitas postularet, moneat illum Confessarius, ut quamprimùm certam aliquam indulgentiam lucrari procuret. 9. Hinc juxta Bonifacii VIII. mentem, anno, vel die Jubilæi, leviores pœnitentiæ imponi possunt. 10. Confessarius sit autor pœnitenti, ut quamprimùm fieri poterit, pœnitentiam impleat. 11. satius est, excedere in indulgentia & mansuetudine, quàm in severitate & rigore. 12. Juverit interdum, differre absolutionem, & remittere, non invitum præsertim, si contritionis signa valde dubia sunt, ad quartam, vel dimidiam horæ partem, ut à Deo spiritum compunctionis enixè petat. 13. Illi, quem acriore objurgatione castigaris, levior pœnitentia injungenda est, quia increpatio illa pœnitentiæ pars est. 14. ubi magna vis contritionis in pœnitente perspicitur, leviore pœnitentiâ multandus est. 15. opera, quæ jam aliunde facere tenetur pœnitens, imponi possunt; nihil enim vetat, quempiam obligari duplici titulo. 16. ægris, quibus gravis pœnitentia imponi nequit, injungi potest, ut morbi dolores & molestias acceptent, & offerant Deo pro satisfactione suorum peccatorum. 17. Procuret Confessarius, ut nullus pœnitens exacerbatus discedat; si quid asperiùs dixit objurgando, deinde molliendum; prudentia, charitas & religio ita suas partes agant in hac sacra scena, ut nihil uni in gratiam alterius detrahatur. 18. Insolita pudoris & verecundiæ vis, quæ nonnullos ita percellit, dum sua scelera exponunt, attenuandæ pœnitentiæ ratio sufficiens esse potest; si enim doloris vis, quæ sentitur propter Deum, cur non pudoris, qui propter Deum superatur, ratio habenda est?

225. PITHANOPH. Cuncta hæc mirifice probo; aliquid dubii restat circa id, quod attulisti de commutatione pœnitentiæ; præsertim cùm nonnulli in hoc difficillimos se præbeant.

226. ANTIM. Negari non potest, quin communissima sit sententia, communi usu firmata; & hanc docent Sylvester, Angelus, Navarrus, & alii plures, quos refert & sequitur Suarez disp. 38. sect. 10. n. 4. aliique recentiores communiter, ut testatur Lugo disp. 25. sect. 6. n. 101. loquor enim de pœnitentia satisfactoria, non medicinali; cùm enim facultas unius Sacerdotis facultati alterius non sit subordinata, unus alium non ligat; ac proinde unus absolvere potest pœnitentem, quem alius ligaverat; uno verbo, nullo jure divino, vel humano hoc prohibetur; nec propterea Sacramentum manet sine integritate; nam una pars integrans, levior scilicet, succedit alteri graviori; immo non desunt, qui dicant, ad hunc effectum necesse non esse, ut secundus Confessarius audiat priora peccata, propter quæ pœnitentia illa imposita fuit; ita sentiunt Navarr. Tolet. Emm. Sa, Rodrigues, Vivaldus, & alii plures, quos citat & sequitur Diana p. 2. tract. 4. resol. 54. oppositum tamen tenent Suar. Vasq. Coninch. Reginald. Fagund. Molfes. quos citat Lugo n. 108. quia, inquiunt, Confessarius secundus commutat priorem pœnitentiam ut Judex; igitur cognitione causæ carere non debet: ego certè crederim, utramque opinionem posse conciliari, si dicam, non esse quidem necesse, ut pœnitens peccata prioris confessionis tam accuratè in posteriore explicet; nempe licèt exponi debeant peccata, ut congrua pœnitentia injungatur, is tamen finis secundarius est; primarius enim ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ pertinet; & verò remissio pœnæ temporalis longè minoris momenti est; licèt igitur tam accurata illorum peccatorum confessio necessaria non sit, negari tamen non potest, quin aliqua eorumdem commemoratio facienda sit, generatim saltem, v. g. si dicat pœnitens, eadem ferè esse peccata cum iis, quæ ab ultima confessione admisit, plùs, minùs; vel eadem peccata ut plurimùm à te idemtidem admitti, ac proinde satis erit, si Confessarius sciat, quantum temporis inter præsentem & priorem confessionem, & inter hanc & immediatè antecedentem interfluxerit: & verò Confessarius aliquid saltem scire debet, unde intelligat, pœnitentiam illam proportionatam fuisse peccatis in priore confessione expositis : non dubito, quin utrumque mihi concessuri sint utriusque partis autores, & hic usus satis communis est, ut Confessarius, saltem in genere, prædicta peccata cognoscat; eam tamen de illis inquisitionem non faciat, quam facere teneretur, si numquam confessa fuissent: prudenter autem monet Lugo supra citatus, extra ipsam Sacramenti administrationem hanc commutationem fieri non posse; nempe illam facit Confessarius autoritate Judicis, qua pollet; sed in ipso hujus Sacramenti usu Judicem tantùm agit: his præmissis, secundus Confessarius nec morosior, nec indulgentior sit quàm par sit; commutet priorem pœnitentiam, si hæc commutatio pœnitenti salutaris esse credatur; si verò inutilis judicatur, haud dubiè nulla commutationis ratio est, ac proinde commutatio illa fieri non debet; in hoc prudentiam & charitatem Confessarii desidero.

227. Pi-

229 PITHANOPH. Hunc modum etiam in præsentiarum non dubitatem ; sed ex te scire velim, utrum Sacramenti pars sit prædicta permutatio, an potius confessionis, an posterioris.

230 ANTIM. Tu magister es, & hæc ignoras; hæc commutatio nihil est aliud, nisi nova pœnitentiæ impositio, tum pro peccatis ab ultima confessione admissis, quæ distinctiùs & diligentiùs exponenda sunt, tum pro peccatis in priore confessione expositis, quæ tam accuratam & distinctam explicationem non postulant ; ac proinde illa impositio pœnitentiæ ad secundam confessionem pertinet ; nec enim illius prioris secundas Confessarius minister est, sed quid in his hæremus, quibus nulla prorsus difficultas inest.

231 PITHANOPH. Vellem scire, quid magis expediat injungere in pœnitentiam satisfactoriam.

232 ANTIM. Hoc totum prudentiæ confessarii relinquendum, qui pœnitentis dispositionem consulat; sunt quibus jejunia & aliæ corporis afflictiones, sunt quibus Eleemosinæ, vel alia charitatis erga proximum opera ; sunt quibus orationes & alia religionis & pietatis cultus exercitia imponenda sunt : immo pro pœnitentia juberi potest pœnitens frequentius accedere ad Sacramenta confessionis & Eucharistiæ ; immo, quidquid dicat Joann. Sanchez, talis dispositio pœnitentis esse potest, ut in pœnitentiam jubeari possit abstinere illo die à Communione, modò sine scandalo id fieri possit ; quamquam in longum tempus sacra communio differri non debet, neque hunc usum ullo modo probo, utpote usui, qui vigeat in Ecclesia, contrarium ; sed de hoc argumento tam multi hucusque disputarunt, ut nova discussio inutilis esse videatur.

233 PITHANOPH. Hæc pœnitentia medicinalis esse videtur, cùm opus satisfactorium non sit, abstinere à sacra communione ; de medicinalibus autem non est, quod disputemus, ne fortè plus æquo Confessariorum pericula exaggeremus ; pium est, ut veram habeat, ministerium, & magna cum charitate compungatur ; sed fortè si quod aliud, ruinis & periculis onerium ; taceo peccatorum materiam, quæ animum mille monstrorum simulacris occupat, nihil dico de horrendis illis atque nefandis, quæ pias & christianas aures & mentes percellunt ; omitto falsidicas criminationes, quibus muti subjacent ; immaculati quidem ab omni hominum genere, tamen tueri sese ac defendere possint ; prætereo molestias, tædia, aliasque capitis & animi vexationes, quibus eos aliquando pœnitentes incidant, qui nec bene instituti sunt, nec probè instituti possunt per temporis angustias, & hebetis ingenii tarditatem ; cuncta hæc omitto, ut vel appellem & indicam veram illam huic ministerio sollicitudinem, de pœnitentium salute ; nempe Confessarius non modò pœnitentis judex est, verùm etiam Medicus & Doctor : si quid pœnitens impendens omittat, si quid figuret, si quid ejus nomine & autoritate fiat, quod minimè advertentis, quod ad illius officium & salutem pertineat, doceri debet à Confessario ; utinam hic aliquando Evangelium & veritatem Evangelii non erubescat, & humanis rationibus minimè doctus, officio suo defungatur. Sed hæc chorda, ne gravem non edit sonum, diutius pulsanda non est. His autem omissis, geminæ quæstiones restant pertractandæ, æquè maximi momenti, quarum altera de peccatis dubia spectat, altera ad peccata, ut vocant, mortalia ; de prima primùm agamus ; de qua scire velim, quid sentias ; an scilicet cum iis, qui negant peccata dubia esse materiam necessariam confessionis, an verò cum aliis, qui hoc tenent.

234 ANTIM. Crede mihi, Pithanophile, maximi momenti quæstionem moves, de qua hoc præsertim tempore acerrimè inter Theologos, tum morales, tum scholasticos, disputatur ; & cùm res practica sit, non autem merè speculativa, inde majoris periculi res est ; sunt autem varii casus, quos si distinxero, totius quæstionis & controversiæ tenor planior erit. Quæritur igitur, si quis reverà dubitet, dubio scilicet negativo, ut vocant, ita ut nulla dissensus, nec assensus appareat ratio, an tale peccatum mortale admiserit, quæritur inquam, utrùm teneatur illud clavibus subjicere & in confessione aperire.

235 PITHANOPH. Antequam alias quæstiones proponas, hæc primo loco tibi solvenda est, in qua fortè aliarum solutiones fundantur.

236 ANTIM. Ita est ; vix enim ulla difficultas pro aliis restat hac semel discussa ; ut igitur propositam quæstionem dissolvam, suppono nullum peccatum mortale, quod post Baptismum admissum sit, remitti, nisi vel contritionis vi, cum Sacramenti voto, ut ajunt, eo modo, quo supra explicavi, vel virtute Sacramenti pœnitentiæ : suppono præterea, esse præceptum pœnitentiæ in lege gratiæ, diversum ab eo, quod fuit in lege naturæ, & in lege scripta ; nempe in lege gratiæ non satisfit huic præcepto per meram contritionem, sed remanet obligatio subjiciendi peccata clavibus ; rationem attuli & exposui in superioribus congressibus, cujus tu facilè memineris, ac proinde hîc non repeto : suppono etiam, peccatum aliquando directè, aliquando indirectè per commutantiam remitti ; v. g. peccatum, quod in confessione exponitur, de quo doleo, cum proposito illud vitandi in posterum, directè remittitur ; indirectè verò illud, cujus inculpabiliter non memini, vel quod sciens ob rationabilem causam reticeo : suppono denique, si peccatum reticenti inculpabiliter remittatur, remanere obligationem illud deinde clavibus subjiciendi, cessante scilicet ratione illa, propter quam reticitum fuit ; his præmissis, non adeò fortè erit difficile, propositam quæstionem solvere.

237 PITHANOPH. Quomodò rem intelligas & definias, divinare non possum ; unum scio, incertam mihi videri ; nulla enim mihi ratio affulget, quæ alterutram partem suadeat ; inde propriæ salutis cura ad strictiorem sententiam me impellit ; inde communis illa ratio, quæ mihi hactenus persuasit, Sacramentalis Confessionis usum, quod ad ejus fieri potest, esse facilitandum, in contrariam opinionem me trahit ; & verò, ne quid dissimulem, dubius & anxius hæreo hac in parte.

238 ANTIM. Dic sodes, Pithanophile, si jam tibi è mortali vita discedendum esset, & discussâ, ut par est, conscientiâ, duo peccata mortalia (quod absit) à te admissa fuisse scires, sed ita ut de uno certus esses, de altero dubius, an fortè hoc ultimum reticere non dubitares, fretus scilicet opinione illa ; aut si amicum haberes, in eas extremas angustias redactum, an forte illi autor esses, ut opinionem illam ad praxim reduceret ?

239 PITHANOPH. Minimè gentium, nec enim salutem æternam meam in discrimen adduci vellem, in eo sanè puncto, semotis dubiis opinionibus, certis dumaxat & tutis locum esse permitterem.

238 ANTIM. At si opinio probabilis est, tuta est, ut in superioribus congressibus non semel à nobis demõstratum est; cur ergo illam opinionem, quam probabilẽ judicas, ac proinde tutam, ad praxim non reduceres?

239 PITHANOPH. Vix negare ausim, opinionem illam esse probabilem, cùm & gravissimi autores illam teneant, & non contemnendis rationibus confirmetur.

240 ANTIM. Age verò, ut res ista meliùs discutiatur, appella quæso illos autores; expone rationes, ut singula ponderemus.

241 PITHAN. Autores sanè habet suffragantes, eosque magni nominis, quorum agmen ducit P. Ægidius Coninch disp. 7. de integrit. confess. dub. 8. n. 69. huic succedit Layman lib. 2. tr 1. c. 5. §. 4. tum Præpositus in præsenti q. 5. dub. 3. adde Caramuel lib. 3. Theol. mor. disp. 4. sect. 1. Martin. de S. Joseph. tom. 1. l. 1. de pœnit. tr. 6. n. 1. Ferrantinus disp. 1. q. 77. ubi citat Joseph. de Januario resol. moral. tom. 1. resol. 2. Joann. Martinon.

242 ANTIM. Vix alios invenies, sed hi profectò non sunt, qui torrentem aliorum sustinere queant; puta S. Thom. Suar. Sanch. Lugo &c. qui supponunt, oppositam sententiam esse omninò certam, proinde hanc esse improbabilem; necenim duæ oppositæ certæ esse possunt, nec simul una certa, & alia probabilis; accedit, quod ex citatis autoribus, nonnulli satis limitant; Coninch vult quidem, non teneri fideles ad confessionem peccati dubii, si tamen de actione peccaminosa certi sint, & dubii tantùm, an sit mortalis offensa Dei, an venialis, vult, teneri ad confessionem, in quo haud dubiè parum consequenter loquitur, ut bene observat Lugo disp. 16. sect 2. §. 3. n. 61. cùm eadem ratio utrimque militet, ut paulò post ostendam; Præpositus dicit, illam opinionem speculativè esse probabilem, non practicè, & insinuat, eandem fuisse Lessii mentem; Layman concludit, se nihil in hoc puncto velle decernere; Ferrantinus ex professo illam opinionem adstruit, quo eventu, paulò post dicam; Martinon eidem subscribit, eam tamen positivis rationibus non probat, aliquot argumenta opposita diluit e contentus; alios nihil moror, ut ut sit, sepositis authoribus, quis enim neget, innumeros ferè oppositæ sententiæ suffragari, quorum ponderi & autoritati, debiliorem illum aliquot recentiorum manipulum cedere, necesse est; sepositâ igitur autoritate, ad rationes veniamus, & primo quidem, ventilemus illas, quæ pro novitia illa opinione militant.

243 PITHANOPH. Ferrantinus ni fallor, omnes congessit ex variis autoribus excerptas; illas ego suggeram, tu discuties; prima petitur ex Tridentino sess. 14. c. 7. quod tantùm obligat ea peccata, mortalia scilicet, confiteri, quorum pœnitens meminit & conscius est; atqui peccati dubii, dubio scilicet negativo, de hoc enim quæstio est, conscius & memor dici non potest; igitur peccatum dubium confiteri non tenemur; hanc rationem non unus dumtaxat Layman, verùm etiam alii pro hac opinione adducunt.

244 ANTIM. Fateor quidem, ex Tridentino citato, haberi obligationem confitendi omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habemus post dilidiligentem discussionem, & quibus Deum offendisse meminimus, ut habetur in cap. 5. & can. 7. sed nego, peccatorum dubiorum conscientiam non esse, ac suo modo memoriam; quis enim neget, sæpe, immo semper accidere, ut is, qui dubitat de mortali peccato admisso, remorsum conscientiæ habeat; quod revera sufficit, ut is absolutè dicere non possit, *nihil mihi conscius sum*, quod prudenter observat Lugo n. 71. igitur, qui sic dubi at, non judicat absolutè se peccasse, sed dubitat, an peccarit; id est, judicat tesicxè, forte peccatum à se fuisse admissum; & verò Tridentinum ibidem cap. 5. excipit dumtaxat peccata oblita, quæ vult in eadem confessione inclusa esse; reliqua, inquit, *peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, &c.* sed dubia cogitanti occurrunt, nec oblita dici queunt; hanc rationem pro sententia oppositâ infra paulò distinctiùs & fusiùs exponam; jam verò mihi satis est, Tridentinum prædictæ opinioni minimè suffragari; quia scilicet peccati dubii conscientia & memoria esse potest.

245 PITHANOPH. Hæc sanè mihi jam venerant in mentem; nolui tamen rationem istam omittere, quam nonnulli magnoperè, ut sic loquar, exaggerant; secunda fortè non est majoris momenti; ut autem se habet; in dubio delicti, nemo sententiam aut pœnam subire cogitur; ergo nemo tenetur pro peccato dubio ad Confessarium, id est, ad Judicem adire; pari modo si dubius sum de læsione proximi, non teneor ad ullam satisfactionem; nempe satisfactio certa supponit jus certum; igitur non tenetur pariter pro offensa dubia Deo, per pœnitentiam satisfacere; igitur nec confiteri peccatum dubium.

246 ANTIM. Cardinalis Delugo n. 68. respondet ad hæc, præceptum satisfaciendi proximo licet esse præceptum negativum, cùm sit idem præceptum, non lædendi proximum; ut enim proximo injuria, quando læditur, ita & cum eidem, pro illa injuria, non fit satisfactio quæ enim jus habet, ne lædatur, ac ne satisfactio eidem pro injuria denegetur, at verò præceptum pœnitentiæ est affirmativum; sed profectò, tum videtur affirmativum præceptum illud, quo tenetur proximo injuriâ jubeor eidem satisfacere, quàm illud, quo divinæ justitiæ jubeor facere satis pro admissa in illam peccato; aliunde igitur discrimen petendum est, ex eo scilicet capite, quod ad proximum sit ratiõtùm respectus justitiæ quo ad hoc; ac proinde quamdiu justitiæ ratio non me obligat ad satisfaciendum pro injuria, liber sum ab illa obligatione; eadem ratio militat, pro offensa Dei, itaque præcisè in respectu justitiæ; sed cùm præter justitiæ respectum, multa sint alia, quæ Deo me obstringunt, illudque præsertim, quod me obligat ad procurandam meam salutem, ad finem meum obtinendum, ad servandam Dei amicitiam, sine qua, salvus esse non possum, &c. Certè cùm peccatum dubium iisdem obesse queat, ab eo quoque timere aliquid possum, ut dicam paulò paulò; est ergo manifestum discrimen inter injuriam dubiam proximi, & offensam dubiam Dei. Sed hæc prosequar infra paulò fusius.

247 PITHAN. Hæc responsio mihi sum mopere placet; possem aliquid opponere, sed opponam mihi, ne promissarum rationum series interrumpatur, sit ergo tertia ratio, cùm melior sit conditio possidentis in dubio negativo, possessio est penes libertatem; igitur huic obligatio imponi non debet; igitur si peccatum dubium est, non tenemur illud confiteri.

248 ANTIM. possessio in hoc casu satis improprièusurpatur; nempe, ut in aliis congressibus nuper nuri, in re in judiciaria, quæ præsumptionibus, aut immùm saltem nititur, propriè loquendo, tantummodò locum habet; nemo enim ex possessione per sententiam Judicis exturbatur, si jus partis adversæ dubium est; præterea dato etiam, quod in hoc casu possessio locum habeat, illla est haud dubiè penes legem divinam & naturalem, qua jubemur proxi-

mi

...ceptam salutem, & ea removere, quæ illi ob-...

...PITHANOPH. Dubius voti non tenetur ...; igitur in dubio peccati, non tenemur ... ideo dico de dubio censuræ incursæ, ... &c. & hæc est quarta ratio.

...ANTIM. De his, jam dictum est abundè ... congressu; neque hic repetendum esse du... hoc ergo supositis, respondent aliqui, non esse ... dubium præceptum, sed certum; hanc re... non probo, quia reverà si præceptum ... peccatum dubium, certum esset, nemo ne... peccatum dubium clavibus subjiciendum esse, ... præceptum confitendi peccata certa, est cer... confitendi dubia, est dubium: aliter igitur ... dubio voti v.g. non teneri hominem ad ... implendum; quia cùm hæc obligatio à voven... ducat, nemo est mortalium opinor, qui ve... obligationem sibi imponere, nisi per promissionem ... certum: hinc si dubium est, non est ... fundamentum obligationis, saltem juxta ... voventis, aut promittentis, quæ resul... obligationi obstetricatur; pari modò lex dubia, ... dubium non obligat; quia si ignorantia ... modò inculpata sit, à peccato eximit, multò ma... dubium excusat, & hoc ultro datur, nec quidquam ... inde consequitur; nam vel votum reverà emis... fuit, vel non fuit: si primum, non tamen peccat ... non impleat, in dubio scilicet; & multo mi... illa non est: at de peccato dubio, non ita ... habet, siquidem reverà commissum fuit, ni... reparatur, æternæ damnationi hominem addicit; ... dubium igitur discrimen est; nec enim præceptum ... est, ut votum dubium homo impleat; cùm ... præceptum naturale sit, ut peccatum dubium ... averset.

251 PITHANOPH. Lex pœnalis opinor, mitiùs ... est, & in strictiore significatione; cùm ... præceptum subjiciendi clavibus peccata mor... pœnalis sit, certè juxta regulam communem, ... esse videtur; est enim odiosum quid; o... restringenda sunt, igitur ad peccata dubia ... non debet.

252 ANTIM. Miror, dicis à te, nos esse in odio... maximè in favorabilibus, ut ita dicam, nos ... confer: nempe summus favor fuit, & singularis ... Christi servatoris nostri, hujus Sacramenti ... institutio, quod cùm peccata omnis generis expun... quid mirabò ad dubia etiam illum extenda... pœnam igitur perperam vocas, quod sum... grave loco habendum est: hinc cadit quinta ...

253 PITHANOPH. Delictum dubium nullum ... patitur in foro externo, igitur nec in foro in...

254 ANTIM. Nulla est consequentia; cùm in ... foro interno præsumptio locum non habeat; & ... tamen Judex interius animi fundum minimè pe... nemo, præsumptiones tantùm adhibet; v.g. Ti... occidit hominem, Judex præsumit animum & ... voluntatem occidendi adfuisse, nisi ipse contrarium ... legitimè probet; at verò in foro poli, ut vocant, & ... apud Deum, nullus est præsumptionibus locus, cùm ... mens corda & renes scrutetur, nec quidquam eum ...

255 PITHANOPH. Occurrit mihi alia ra... quam Lugo suggerit, à casibus reservatis, pe... nis si enim dubium est an aliquod peccatum re... servatum sit, etiam remitti potest, ab eo, qui facultatem non habet absolvendi à reservatis; sed apud eumdem lego solutionem hujus argumenti; dato enim & non concesso antecedente, quod scilicet pœnitens non teneatur adire superiorem, pro casu reservato dubio, negatur consequentia, ad peccatum dubium traducta; quia reservatio casuum lex pœnalis est; strictè igitur accipienda; igitur ad reservata dubia extendi non debet; cùm tamen facultas absolvendi sit favorabilis; igitur ad dubia etiam extendi potest, vides manifestam disparitatem.

256 ANTIM. Quis eam non videret; accedit quod Ecclesia censetur concedere facultatem absolvendi à reservatis dubiis etiam iis, qui superiores non sunt; hoc enim ab ejus voluntate & metu omnino pendet; igitur non censetur imponere obligationem accedendi ad superiorem, nisi reservatum certum sit,

257 PITHANOPH. Rationes quæ vulgo pro illa opinione adducuntur, meo judicio luculenter refellisti; jam probemus, utrùm par pari referre valeam; quare mihi rem gratissimam feceris, si argumenta illa exponas, quæ pro sententia opposita militant; ego verò conabor diluere, aut si rem evincant, ultro cedam.

258 ANTIM. Fateor, nonnulla pro hac sententia vulgò afferri, quæ fortè non convincunt; v.g. quod in dubiis tutior pars eligenda sit; Respondet Card. Delugo, hoc principium pari multas exceptiones, ut in dubio voti; hoc tamen non obstante, juxta principia jacta in superioribus congressibus, putarem peccatum alterius classis, vel ordinis esse, quàm dubium votum; hoc enim salutem hominis in discrimen non adducit, secus verò illud; at in dubio & periculo salutis, nemo neget, tutius eligendum esse; si tamen eligi possit sine gravi incommodo vel scandalo, ut supra dictum est de occasione proxima; sic autem ratiocinari possumus; ideo occasionem proximam fugere tenemur, quia salutem nostram in discrimen adducit; sed peccatum dubium salutem nostram in discrimen adducit, igitur illud fugere, tollere, & expungere debemus, id est, illud clavibus subjicere.

259 PITHANOPH. Non est periculum proximum, igitur nemo illud tenetur fugere, nec ad tutiorem partem, in materia salutis, tenemur; alioquin sæculares homines religiosam vitam, quæ reverà tutior est, amplecti deberent, quod nemo dicat.

260 ANTIM. Non tenemur quidem periculum remotum peccandi fugere, hoc ipsum do ultro, nec tutiorem partem in materia salutis amplecti, quando agitur de re futura, v.g. de peccato futuro; sed quando aliquid re ipsa præsens est, quod saluti per se immediatè obstat, ut peccatum, nemo neget, teneri nos tollere illud, quia saluti per se immediatè opponitur, atque obstat; tenemur inquam certò, si peccaatum illud certò admissum est; si verò dubium est, adhuc obstat, quia si est, tollendum est; dubito an sit; igitur nisi tollam illud, committo periculo salutem, non ratione peccati futuri, sed præteriti: Et verò ex jactis principiis habemus, ad tutiorem partem nos minimè teneri, quando utraque tuta est; si autem altera tuta sit, & altera dubia, quis neget, teneri nos ad tutam eligendam; hic autem casus noster est.

261 PITHANOPH. Hoc argumentum nimis probat; nempe inde sequeretur, etiam in dubio positivo, teneri nos peccatum dubium clavibus subjicere; nempe subjicere tutum est, reticere dubium.

262 ANTIM. Si ex motivo probabili judicem me peccasse; & ex nullo motivo probabili judicare possum, me non peccasse, teneor haud dubiè confiteri peccatum illud; si autem viciſſim judico ex motivo probabili me non peccasse, licèt judicare non possim ex ullo motivo probabili me peccasse, non teneor, ut patet; cùm enim prudenter judicem, me non peccasse, haud dubiè non memini peccasse; igitur licèt peccaverim, illud peccatum inter illa recensendum est, quæ nec conscientiam stimulant, nec memoriæ subjiciuntur, ac proinde illud clavibus subjicere non teneor; si demum pro utraque parte ratio probabilis militat, ex qua judicem probabiliter me peccasse, item me non peccasse, Card. Delugo num. 69. expressè asserit, in mortis articulo, me teneri ad remedium pœnitentiæ, ne me exponam periculo damnationis, si fortè peccavi; at si teneor in mortis articulo pro illo peccato dubio ad remedium pœnitentiæ recurrere, haud dubiè peccatum illud non remittitur, nisi clavibus subjiciatur; igitur eodem jure teneor illud clavibus subjicere; itaque non verebor dicere, in hac hypotheſi, teneri me procurare remissionem illius peccati dubii; igitur ad illius confessionem.

263 PITHANOPH. Tuæ sententiæ, ut video renuncias; si enim probabiliter judicas te non peccasse, haud dubiè huic opinioni prudenter assentiri poteris, eamque sequi tutò in praxi.

264 ANTIM. Quotiescumque agitur de peccato futuro, haud dubiè ignorantia invincibilis, opinio probabilis, & bona fides ab eo liberant: secus sentiendum est de peccato præterito, à quo ignorantia invincibilis, opinio, bona fides, aliaque id genus minimè liberant; unde is, qui de illo dubitat, ne salutem suam discrimini committat, tenetur procurare remedium, quo se ab illo, ad cautelam scilicet, eximat; sed jam ad alias rationes gradum facio.

265 PITHANOPH. Siste parumper; si quis in confessione peccatum dubium exponat, & nullum aliud, quommodò absolvi potest; demus enim, non fuisse commissum, nulla erit materia hujus Sacramenti; at sine materia Sacramentum non subsistit.

266 ANTIM. Licèt quis solum peccatum dubium confiteatur, vix tamen fieri potest, quin alia quoque, saltem venialia supperant; unde monendus est pœnitens, ut aliud quodpiam clavibus subjiciat; quod si fortè in promptu non sit, non propterea deerit materia, quam peccata oblita sufficienter suppeditant; ab his enim pœnitens absolvitur; denique nullum absurdum esse judicarem, absolvere sub conditione materiæ; quemadmodum enim Baptizamus sub conditione, quid ni etiam sub conditione absolvamus.

267 PITHANOPH. Hæc responsio mihi facit satis; perge porro; nam crede mihi, operæ pretium, erit hanc controversiam plenius discutere.

268 ANTIM. Per me licet; sed ut eò redeat, unde deflexerat oratio; dixeram, aliquot rationes pro hac sententia, quam modò demonstrandam suscepi, à nonnullis afferri, quæ tanti ponderis non esse videntur; v. g. sic ratiocinantur, ideo votum dubium, vel debitum dubium non obligat, quia alioquin obligaret ad certam solutionem; igitur ad aliquid ultra limites dubii; at verò in nostro casu, non obligatur pœnitens ultra limites dubii; nempe obligatur tantum ad confitendum peccata dubia; sed optimè respondet Delugo num. 64. obligari pœnitentem ad aliquid certum, scilicet ad confessionem certi peccati dubii: aliud argumentum sic formant; potest pœnitens subjicere clavibus peccatum dubium, igitur judicium sacerdotale ad peccatum dubium extenditur; rectè quidem; sed cùm idem de venialibus dici possit, hoc non probat, esse materiam necessariam, sed sufficientem; hoc argumentum infra urgebo: Card. Delugo hoc uno argumento hanc sententiam probat; homo ad Dei tribunal pro peccatis dubiis recurreret, sed tribunal pœnitentiæ est tribunal Dei; igitur ad illud pro peccatis dubiis recurrere debemus.

269 PITHANOPH. Permitte quæso ut bivam hoc argumentum, quod ni fallor duplici vitio laborat; primum est, quia etiam pro peccatis venialibus possum recurrere ad tribunal Dei, non tamen teneor pro illis accedere ad tribunal Sacramenti pœnitentiæ: Deinde multi negabunt, teneri hominem recurrere ad tribunal Dei pro peccatis dubiis, modò pro certis recurrat; proferam, si quid habes nervosius.

270 ANTIM. Locus Tridentini meo judicio huic sententiæ mirabiliter favet; statuit enim Sacra Synodus, omnia peccata mortalia, quorum conscii & memores sumus, in confessione expremenda esse; sed peccati dubii memores sumus, ut conscii; nam & conscientiam stimulat, & memoriæ inest; distinguimus enim illius speciem, ut cum quis dubitat, utrùm in aspectu talis fœminæ cogitationem morosam habuerit; sed quia etiam adversarii contendunt, locum illum de peccatis certis intelligendum, quamvis reverà nobis favet, appellat enim Sacra Synodus *omnia peccata mortalia*, ne cum illis contendamus, ad aliam rationem orationem converto, ab usu Ecclesiæ petitam; quis enim neget, usum Ecclesiæ in re Sacramentorum, omnium ferè controversiarum arbitrum esse: Atqui ex prædicto usu habemus, peccata dubia mortalia ita subjici clavibus à fidelibus, ut credant ad hoc se teneri; multos hucusque in hac materia interrogavi, & neminem adhuc inveni, qui non crederet, se ad id teneri; hoc revoca communem omnium antiquorum sensum, vix enim ullum ante Patrem Coninch invenio, qui opinioni oppositæ subscribat; hoc certè à apud te reputes, maximi momenti esse competies.

271 PITHANOPH. Haud dubiè & hoc in memoriam mihi revocat cujusdam recentioris opinionem de materia & forma Sacramentorum, præsertim Ordinis, & Confirmationis; parum abest, quin ea evertat, quæ hactenus ab omnibus scholis, apud omnes nationes Catholici orbis super hoc traditur; crederem igitur, antiquorum opinionem mutari quidem posse in novam ab aliquo recentiore, sed modò ea sit rationis ab eo inventæ vis, illudque robur, ut alii ferè omnes eam statim amplectantur; hoc autem rationis robur in hoc casu deest.

272 ANTIM. Prudenter suggeris; & nullus opinor iis, quæ à te dicta sunt, refragetur; sed jam ad alias rationes gradum facio. Nullum est peccatum

peccatum mortale, quod suo remedio careat; peccatum igitur dubium suo remedio non caret; & hoc nego; illud autem remedium vel à contritione, vel à virtute Sacramenti peti dumtaxat potest, si à virtute Sacramenti, teneor igitur ad tribunal Sacramenti illud deferre; si à contritione, hæc non auferat peccatum, nisi in voto Sacramenti, id est, relictâ obligatione illud idem continet, eodem recidit; immo virtute contritionis illud peccatum remitti non potest, si mortale est, quod nolo expressè confiteri; cùm vera contritio, ad actualem confessionem, vel illius voluntatem & propositum supponat.

273. PITHANOPH. Sustine parumper, quid ni enim dicam, remitti indirectè virtute Sacramenti; sicut remittuntur peccata oblita; ad hoc autem requiritur saltem attritio, quæ in peccata omnia mortalia cadat.

274. ANTIM. Sustine tu ipse; nam rationem suggeris, ni fallor, optimam; vis enim attritionem in peccatum dubium cadere, & hoc meritò; quia alioquin virtute Sacramenti non deleretur; sed non potest esse attritio de illo peccato, quod licèt forsan, ut sciri potest, illud tamen confiteri nolo; quia attritio cadit in peccata, in ordine ad confessionem; igitur si peccati dubii recordor in confessione, illud confiteri teneor, ut patet.

275. PITHANOPH. Sentio vim hujus argumentis superesse tamen unum, quod reponam; scilicet, attritionem cadere in peccata oblita, licèt fortè illa deinde confitenon teneamur; multi enim hac tempestate in hanc sententiam inclinant.

276. ANTIM. Abstine quæso ab opinione illa de peccatis oblitis, cui nec autoritas sufficiens suffragatur, nec rationis robur, ut tuta in praxi esse censeatur, de quo paulò pòst; sed dato, & non concesso, pœnitentem non teneri ad confitendum peccata oblita, quid amabò inde infers; igitur inquies, non tenetur ad confitendum peccata dubia præmissa confessione oblita; rectè, non tamen inde sequi putes, non teneri ad confitendum peccata dubia, quorum pœnitens in ipsa confessione optimè meminit, & verò manifestum discrimen est; nam peccata oblita indirectè remissa fuisse supponuntur, cùm tamen peccata dubia, quando adesse dicitur obligatio illa confitendi, nondum fuit remissa.

277. PITHAN. Discrimen video manifestum: rem autem mihi gratissimam feceris, si breviter illum quæstionem illam de peccatis oblitis, hac occasione, discutias; sed perge quæso ad alias rationes.

278. ANTIM. Crede mihi, abundè suppetunt; unum hæc tibi arrideat; quisquis est confessarii dubii, si copia Confessarii non fiat, de illo periculo mortis, tenetur elicere contritionem de illo; nullus, opinor, hoc neget; alioquin quod illicitum est; sed facta copia Confessarii, tenetur confiteri illa omnia peccata, si fieri potest, quorumque meminerit, de quibus, si Confessarii copia non sit, tenetur conteri; nempe Christus hanc contritionis in remedium Sacramenti sententiæ commutavit; igitur peccata mortalia illa confiteri tenetur.

279. PITHAN. Illa propositio, quæ adæquat obligationem contritionis, extra copiam Confessarii, cum obligatione confessionis, factâ Confessarii copiâ, aliquam exceptionem patitur; nempe de peccatis occultis, quæ in mentem non veniunt, etiam conteri tenemur; cùm tamen illa confiteri non teneamur; igitur obligatio contritionis latiùs patet, quàm obligatio confessionis; igitur potest quis teneri ad contritionem de dubiis, licèt ad confessionem eorumdem non teneatur.

280. ANTIM. Si omnia, quæ adjunxi, patienter consideraſſes, ab ista instantia haud dubiè abstinuisses; adjunxi enim hanc clausulam supra, *si fieri potest, illorumque meminerit*; quis enim nescit, neminem teneri ad impossibile; igitur præmissâ regulâ, vel propositio subsistit, ita ut teneamur illa confiteri, quando possumus, de quibus tenemur conteri, quando Confessarii copia non fit; sed permitte ut pressiùs urgeam argumentum supra indicatum, in hunc modum; possum subjicere clavibus peccatum mortale dubium, igitur teneor illud subjicere; das, ni fallor, antecedens; probo consequentiam; si possum subjicere, est materia Sacramenti; sed si est materia Sacramenti, est necessaria, quæ à sufficiente distinguitur; quia peccatum, quod est materia sufficiens, licèt virtute clavium remitti possit, alio tamen modo remitti potest, ut peccatum veniale.

281. PITHANOPH. Igitur nulla est materia necessaria, quia nullum est peccatum, quod per contritionem extra Sacramentum remitti non possit.

282. ANTIM. Non advertis, contritionis vim ad virtutem clavium reduci; quia scilicet contritio votum Sacramenti continet, eo modo, quo supra dictum est; maneat igitur, peccatum mortale dubium esse materiam necessariam, ac proinde teneri nos ad illud clavibus subjiciendum, etiam in eo casu, quo nullum aliud peccatum occurreret, quidquid dicat Præpositus; sed tunc absolutio danda est sub conditione.

283. PITHAN. Istæ rationes mihi satis arrident; quamquam non dubito, quin aliæ tibi suppetant.

284. ANTIM. Suppetunt quidem, quamvis à me adductæ omnino sufficerent; ne tamen illas à me desideres, breviter exponam: nemo licitè potest animam suam in discrimen æternæ damnationis adducere; adduceret autem, si peccatum dubium ultrò reticeret in confessione, quia non remittitur, si reticetur; quod probo, quia vel virtute contritionis, vel virtute Sacramenti; non primum, quia illam suppono abesse; præterquam quòd contritio relinquit obligationem subjiciendi clavibus; non secundum, quia non cadit in illud attritio; alioquin, ut dixi, cùm illius pœnitens probè recordetur, illud confiteri teneretur; nec enim verè possum atteri de peccato, cujus mihi conscius sum, & memor in actu confessionis, quod tamen sine rationabili causa reticeo. Præterea præceptum Christi subjiciendi peccata clavibus, in illa omnia cadit, quæ privant animam divina gratia, & æternæ damnationis ream faciunt, ut patet; atqui peccatum mortale dubium hoc facit, si enim revera illud admisi, & moriar in illo statu, æternis cruciatibus addicar; nemo igitur prudenter neget, præceptum Christi in illud cadere. Deinde si periculum peccandi & occasionem proximam sine peccato velle non possum, an fortè magis teneor fugere periculum peccandi, quàm periculum inferni, & æternæ damnationis; at peccatum dubium in tali periculo me constituit. Denique nemo neget, quemplam in articulo mortis

mortis constitutum imprudentissimè facturum, si peccatum mortale dubium, cujus sibi conscius est, volens & ultrò reticeat.

285. PITHANOPH. Satis est, Antime, me rationibus obruere statuisti; ex his autem quæ à te dicta sunt, nonulla deduco. 1. Si quis sit certus de peccato admisso, & dubius sit utrùm sit mortale aut veniale, tenetur illud confiteri. 2. Si certus sit de peccato mortali è se admisso, & solùm dubitet, utrùm clavibus subjecerit, illud quoque confiteri tenetur. 3. Si tenetur peccatum mortale dubium confiteri in articulo mortis, tenetur etiam extrà illum articulum, quando ad sacramentum pœnitentiæ accedit; hæc tria, ni fallor, ex iis quæ dixisti sequuntur, probanturque iisdem omninò rationibus, ut consideranti patebit, & alias quæstiones exhauriunt.

286. ANTIM. Res ita se habet; sed non est, quod in his diutiùs hæreamus, cùm satis videas, quò tandem tota quæstio reducatur; hoc tamen non omittam, fieri posse, ut quis per ignorantiam inculpatam, prædictæ opinioni adhæreat, eamque in praxi sequutus, peccatum dubium bonâ fide reticeat, ac proindè modò in illud, saltem confusè, attritio feratur, indirectè cùm aliis remittatur; hoc tamen non facit, opinionem illam tutam esse in praxi vel, ut ajunt, esse practicè probabilem; licèt fortè aliquid probabilitatis speculativæ, à loco saltem extrinseco petitæ habeat; sed de his satis; estne aliud, quod ex me quæras?

287. PITHANOPH. Vellem, ut saltem obiter & paucis, controversiam illam de peccatis oblitis, ut vocant, discuteres, quam recentiores aliqui ab oblivione vindicatam sub aspectum mortalium reduxerunt; quæstionem in hunc modum propono: Titius adhibitâ necessariâ diligentiâ ad confessionem faciendam, omittit per inculpatam oblivionem unum peccatum mortale, hoc tamen non impedit, modò verè contritus sit, ac rectè dispositus, quin sacramentalis absolutionis beneficio donetur, ac proindè illud ipsum peccatum, quod inculpabiliter per oblivionem omisit, remittatur: Quæritur autem, utrùm peccatum illud, cujus deindè meminit, subjicere clavibus teneatur; novi doctum & profundum Theologum, qui pro negante sententia, quasi pro aris & focis pugnabat, nullique pepercerat diligentiæ, ut suffragantes autores adensaret, rationibus antiquis & novis à se inventis illam confirmaret, & opposita refelleret argumenta.

288. In hoc laude dignissimum reputo; utinam hujusmodi homines aliquam ex celebrioribus quæstionibus ex professo discutiendam susciperent; res aliis commoda cederet, utpotè qui ab improbo labore, alieno scilicet utentes, liberi essent; sed ad rem venio, ac dico, communem immò communissimam doctorum sententiam adstruere obligationem subjiciendi clavibus peccatum oblitum, à qua haud dubiè recedere non debemus; nec ulli unquam auctor ero, ut ab ea recedat in praxi; Dico ergò, teneri Titium subjicere clavibus peccatum oblitum, in ea, quæ proximè sequitur, confessione; quod multis rationibus probatur. 1. Quia in hoc omnes ferè autores conveniunt; in re autem tanti momenti, à communi Doctorum ferè omnium sensu recedere, periculosum esse videtur; scio, aliquos autores in oppositam opinionem inclinare, pro qua doctus ille recentior tam solicitè & gnaviter laborat; undè non deerit fortè, qui aliquid probabilitatis indè accersat; sed profectò, esto sit aliqua probabilitas speculativa, de quo non disputo, nulla est practica; nequehæc opinio in praxi tuta censetur. 2. Usus communis Ecclesiæ huic nostræ sententiæ omninò suffragatur; quis enim Confessarius ex suo Pœnitente non scisciteretur, si utrùm aliquod peccatum in ultima confessione incauto exciderit; ego sanè jam à multis annis huic sacro muneri addictus sum, & quotidianam operam navo, & alium usum esse non comperi. 3. accedit etiam communis fidelium usus; omnes enim, si quid fortè per oblivionem, in priore confessione omisere, in proximè sequenti statim initio exponunt; alium usum nunquam observavi in tanto fidelium concursu.

289. PITHANOPH. Non negarim, communem illum usum maximi momenti esse; & verò ab eo discedere nollem, nec quisquam prudenter ab eo discedat; vellem tamen, ut alias rationes, quæ haud dubiè tibi suppetunt, pro confirmanda illa communi sententia, cui communis Ecclesiæ usus suffragatur, suggereres.

290. ANTIM. Pergebam, sed non sustinuisti, ut ergò 4. ratio. Præceptum divinum est ab Ecclesia semper observatum, & à Tridentino expressè declaratum & explicatum, ut omnia peccata mortalia quorum memores sumus, clavibus subjiciamus; & verò illa omnia peccata clavibus subjicienda sunt, quæ constituunt materiam necessariam sacramenti pœnitentiæ.

291. PITHANOPH. Reponere facilè possent oppositæ sententiæ oppugnatores, præceptum illud cadere in peccata nondum remissa; at peccata inculpabiliter oblita jam remissa esse supponuntur; quid ergò illa iterum clavibus subjicere necesse est?

292. ANTIM. Eodem argumento probatur, peccata per contritionem perfectam, extrà sacramentum remissa, non esse ampliùs clavibus subjicienda; quod certè nemo Catholicus dixerit; igitur præceptum illud cadit in peccata omnia mortalia, nondum clavibus subjecta, sive illa remissa, sive non remissa supponantur; & hoc ita certum puto, ut controversiam vocari non possit; subsistit igitur illa ratio, à divino præcepto petita, quo jubemur, omnia peccata mortalia clavibus subjicere.

293. PITHANOPH. Equidem instantiam tibi à me factam optimè refutasti, nondum tamen hæc difficultas ita exhausta est, quin aliquis superfit respondendi locus; dicent adversarii, prædictum præceptum cadere in peccata mortalia, quæ nunquam fuêre subjecta clavibus, etiam si illa jam remissa fuerint extra sacramentum per contritionem perfectam; peccata autem duobus modis clavibus subjiciuntur. 1. Directè, quando scilicet illa confitemur; 2. Indirectè & implicitè, quando cum aliis directè subjectis, subjici censentur; de primo modo nullum est dubium; nec enim tenemur, peccatum clavibus subjectum, in confessione validè, iterum subjicere; hæc tu opinor inficias ibis; de altero modo aliquod fortè dubium esse posset; quære si quis diceret, prædictum præceptum non cadere in peccatum quod jam fuit indirectè & implicitè clavibus subjectum, an fortè illum sufficientibus argumentis convincerere posses?

294. Existimarem, præceptum illud ita accipiendum esse, ut omnia peccata mortalia, si fieri possit, directè & explicitè clavibus subjiciantur, & eò ni fallor, resista reducitur, & sit tibi quinta ratio; nempè sacræ formulæ non sunt detorquendæ à pro-

à propria verborum significatione, & à communi Ecclesiæ sensu; sacrum Tridentinum suprà citatum minimè asserit, teneri pœnitentem subjicere clavibus confessionem sacramentalem omnia peccata mortalia, quorum meminit; igitur de directa subjectione loquitur, alioquin non distingueret ea quorum meminit, ab aliis, quorum non meminit, quæ directè implicitè clavibus subjiciuntur & indirectè. igitur præceptum illud ad directam subjectionem nos obligat; igitur peccatum inculpabiliter per oblivionem omissum, si deinde recurrat in memoriam, directè subjici debet in sequenti confessione. 2. Si quis aliquod peccatum reticeat inculpabiliter, propter rationabilem causam, licèt illius probè recorderur, an fortè illum ab obligatione deinde subtrahendi, cessante causâ, liberabis? non facilè credidi, atqui peccatum illud jam fuit implicitè & indirectè clavibus subjectum, atque remissum; igitur tenemur peccata omissa, quamvis alioqui remissa, & indirectè clavibus subjecta, in sequenti confessione directè clavibus subjicere; nempe eadem ratio militat pro reticito propter justam causam, & pro oblito inculpabiliter. 7. Si quis statim post absolutionem acceptam, & pœnitentiam sibi impositam, recolebat peccati, quod prius per inculpabilem oblivionem mente exciderat, quis amabò Confessarius eum liberet ab obligatione illud supponendi; suppono enim, illum à sacro tribunali nondum recessisse, & interim ex Confessario quæreret, utrùm peccatum illa confessione oblitum confiteri teneatur, qua unquam Confessarius respondeat, illum ad hoc non teneri, ut de me dicam, qui jam à multis annis huic muneri operam navo, induci unquam non possem ad tam creperam, ne quid acrius dicam, responsionem. 8. Si quis in eas urgentis morbi angustias redactus esset, ut signis quidem, non tamen verbis confiteretur, & absolutus, post aliquod tempus convaleceret, credisne eum non teneri confiteri peccata, jam alioquin remissa, & indirectè clavibus subjecta? exhis, ni fallor, clarissimè deduco, omnia peccata mortalia directè clavibus subjicienda esse, quandoquidem nulla est rationabilis causa, propter quam clavibus non subjiciantur.

299. Pithanoph. Nescio, utrùm oppositæ sententiæ defensores cuncta hæc glutire possint; mihi haud ea vis stomachi non est, qua illa concoquere valeam; & nunquam à me quisquam obtineat, ut libenter illum, postquam convaluerit, ab onere subjiciendi peccata sua clavibus, licèt jam remissa fuerint, excludam illum, qui statim absoluta confessione, obliti peccati recordatur; nec illum, qui volens & ultrò propter rationabilem causam peccatum mortale reticuit; eadem autem ratio pro oblitis inculpabiliter omissis ignoscet, si argumentorum tuorum seriem insuper pergè quæso.

300. Antim. Quid? adducta à me argumenta non sufficiunt?

301. Pithan. Sufficiunt quidem, sed adhuc alia desiderare arbitror.

302. Antim. Quandoquidem ita vis, sit 9. ratio. Difficile est, clarè cognoscere, utrùm illa oblivio sit inculpabilis; ac proinde aliquid dubii semper restat; quod quærieri saltem conscientiæ consulas, oblitum peccatum clavibus subjiciendum est; immò, idque sine asseverationè affirmo, nunquam quietam & tranquillam conscientiam habiturus es, si peccatum illum, cujus deinde memineris, in posterioribus confessionibus ultrò reticeas; semper aderunt conscientiæ stimuli, quos nunquam retundes, quamdiu peccatum illud ultrò celaveris. 10. Præceptorum à Christo relictorum explicatio ab usu communi Ecclesiæ accipienda est; sed communis Ecclesiæ usus talis est, ut omnia peccata mortalia, si fieri possit, clavibus subjicienda sint; quemadmodum igitur ab Ecclesiæ usu & sensu verborum Scripturæ explicationem accipimus, ita & præceptorum Christi. 11. Ideo peccatum oblitum remittitur virtute Sacramenti, in quantum attritio in illud cadit; sed attritio includit voluntatem confitendi peccatum, saltem implicitè, ut contritio, quod certè frustra esset, nisi obligatio confitendi peccatum remaneret; huic autem obligationi satisfacit, cùm primùm ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, & peccati meminit, illudque clavibus subjicit. 12. Opposita sententia damnata fuit ab Alexandro VII. in decreto dato die 24 Septemb. ann. 1666. estque num. 11. 13. Denique nulla prorsus ratione opposita sententia nititur, quæ facilè solvi non possit; dicunt enim 1. molliendam esse hujus Sacramenti difficultatem; ita est, modò aliquid necessarium non tollatur. 2. præceptum confessionis est pœnale; igitur restringendum, juxta communem regulam de odiosis; negari facilè potest, esse pœnale, cùm sit maximum beneficium; sed hoc dato, & non concesso, illa restrictio fieri non debet, qua tollatur aliquid necessarium. 3. ex Trident. illa tantùm peccata subjicienda clavibus, quæ post moralem diligentiam adhibitam, in mentem venerint; oblita autem in mentem non veniunt; ita est, quamdiu in mentem non veniunt, non est obligatio illa confitendi; at verò, si quando illorum recordemur, ea subjicere tenemur. 4. cùm jam peccatum oblitum remissum sit, frustra clavibus subjiceretur; hæc ratio nimis probat, cùm inde sequatur, nulla peccata jam remissa esse materiam confessionis, quod absurdum, immo erroneum est. Viden, quàm facilè hæc solvantur.

299. Pithanoph. Ita est, unum restat, quod omisisti; pro quo suppono obligationem subjiciendi clavibus omnia mortalia, antequam aliquis ad sacram synaxim accedat; hoc autem præceptum semper fuisse in Ecclesia, expressè declaravit Tridentinum. Supponamus autem aliquem ritè, adhibitis omnibus requisitis, confessum fuisse, & sacramentali absolutione donatum, paulò pòst accedere ad sacram mensam; tunc autem recordari peccati mortalis oblìti, si non possit recedere sine scandalo, nemo negat, quin sacram Eucharistiam recipere possit; si verò sine scandalo recedere potest, dicunt aliqui, non teneri illum recedere, ut adeat Confessarium. Ferrantinus disp. 1. q. 80. per totam, ex professo hanc opinionem defendit; quia, inquit, ideo præmitti debet confessio, ut homo divinam gratiam consequatur; sed jam illam habet. 2. quia per confessionem, in qua justa de causa unum mortale reticuit, satisfacit præcepto confessionis annuæ, pro quo citat Fagund. Suar. Navarr. Victor. igitur pariter per confessionem validam præmissam, in qua per inculpabilem oblivionem omissum fuit peccatum, satisfit præcepto præmittendi confessionem ante Eucharistiam. 3. denique citat pro hac sententia Henriquez & Petrum Cornejo; si ergo satisfecit præcepto præmittendi confessionem, si hæc sit valida, licèt peccatum oblitum sit; cur pariter dici non posset, satisfieri præcepto confitendi omnia mortalia per confessionem validam, in qua aliquod mortale oblitum fuit.

300. Antim. Immo, ex iis, quæ dicis, contrarium sequitur; nempe si peccata oblita non essent clavibus necessariò subjicienda; facilè dici posset,

non

non teneri illum, qui ad sacram mensam accessit, ut sacro pane pascatur, recedere, & Confessarium adire, ut subjiciat clavibus peccatum oblitum; cum etiam, præscindendo à perceptione Eucharistiæ, ad subjiciendum illud minimè teneatur; vides, quàm facilè ab hac quæstione expedire se poterant; at cum ne vel unus quidem hujus rationis meminerit, immò omnes supponant, illum teneri peccatum illud oblitum clavibus subjicere; inde potiùs ut dixi, contrarium argumentum educitur; & verò illi omnes, qui suffragantur huic sententiæ, quæ scilicet non obligat, factâ validâ confessione, ad peccatum in illa inculpabiliter oblitum ante perceptionem sacramenti clavibus subjiciendum, duo præcepta agnoscunt; primum est subjiciendi clavibus omnia peccata mortalia, etiam oblita; alterum est purgandi animum per sacramentalem pœnitentiam, ante sumptionem Eucharistiæ; conveniunt de utroque præcepto; sed volunt secundum sufficienter impleri per confessionem validam, in qua peccatum mortale oblitum fuit, ac proindè pœnitentem non teneri propter illud recedere à sacra mensa, sed eum teneri, ubi primùm confitebitur, illud clavibus subjicere.

301. Pithanoph. Hoc sanè mihi semper visum est probabile; quid enim aliud requiritur ad necessariam sumptionis Eucharisticæ sumptionem, nisi status gratiæ; neque ob alium finem præmitti debet confessio, ut patet; hinc qui nullius peccati mortalis sibi conscius est, non tenetur præmittere confessionem; igitur cum per confessionem illam validam, in qua peccatum sine culpa oblitum est, status gratiæ acquiratur, adest haud dubiè necessaria dispositio; scio, contrariam sententiam, quæ pœnitentem obligat, ad recedendum à sacra mensa, ut confessarium adeat, esse communiorem; negare tamen non ausim, quin opposita sit probabilis, licèt minùs probabilis, maximè si autorum suffragantium utrique, ratio & comparatio habeatur.

302. Antim. Ita est, longè communiorem esse reputo, immò & veram, nec ulli auctor unquam essem, ut oppositam reducat ad praxim; sed quidquid sit, nec enim discutere nunc vacat illam controversiam; saltem constat, nihil ex illa deduci posse, quod adstructam suprà sententiam infirmet; hoc unum obiter judico, rationem quamlibet justam sufficere, ad hoc ut à sacra mensa is non recedat, qui peccati obliti recordatur; illa autem ratio ex multis capitibus petitur; puta à notabili incommodo accedendi confessarium à scandalo, à scrupulis, à temporis angustiis &c. Et verò ut laxior videri nolim, ita nec severior esse velim; Hinc ut hoc unum de peccatis dubiis addam; quando quis peccatum, ut dubium, clavibus subjecit, licèt deindè recordetur certò admissum fuisse, probabile est eum non teneri subjicere iterum clavibus ut certum; quia subjicere ut dubium, idem est, ac subjicere conditionatè; in hunc ferè modum: dubito, an tale peccatum admiserim & si admisi, de illo doleo, & illius me accuso; atqui actus conditionatus transit in absolutum, posita conditione; ut si quis dicat, si Titius moriatur, Cajum hæredem instituo; ubi Titius moritur, illa donatio transit in absolutam, nec alio actu opus est, ad hoc ut Cajus fit hæres; sic posito, quod reverà tale peccatum admiserim, illa confessio transit in absolutam, nec aliâ opus esse videtur; præterea juxta communem sententiam, qui confessus est numerum peccatorum dubium & confusum, non tenetur posteà, licèt numeri certi recordetur, illum confiteri, pro hac sententia Lugo disp. 16. n. 78. citat Suar. Vasq. Coninck, Vega, Petr. Ledesm. Villalob. Sot, sed eadem ratio militat pro peccato dubio, ut rectè observat idem Lugo; nonnulli igitur hanc sententiam probabilem esse docent, ut Lugo citatus, Ferrantinus disp. 1. q. 78. Ubi pro illa citat Anton. Perez, Mercerum, Leandr. Marc. Vidal. Martin. de S Joseph. Caramuel. Tamburinum, adde alios quos videris apud Dian. part. 10. tract. 16. resol. 79. & verò si peccatum directè subjectum fuerit clavibus, & omninò remissum probabile esse videtur, nullum esse aliud præceptum, nullam obligationem, iterum subjiciendi clavibus; nonnulla ab autoribus objiciuntur, quæ à Card. Lugo facilè solvuntur; tu videris.

303. Pithanoph. Nemini tamen autor essem, ut hanc opinionem reducat ad praxim, nempè longè tutius est, iterum subjicere.

304. Antim. Reverà nemini autor sim unquam, ut hac opinione utatur; nollem tamen illum, ut reum læsæ majestatis traducere, qui ea uteretur; hortarer quidem ut sequeretur tutius; non tamen cogerem doctissimorum hominũ autoritate & probabili ratione fretum; unde ut verbo dicam, probabilem opinionem esse arbitror, licèt minùs probabilem oppositâ, quam tamen nec sequar unquam in praxi, nec ulli unquam autor futurus sim ut eam sequatur; hæc liberè dico, ne cuiquam vel mollior æquo, vel severior esse videar.

305. Satis est; video, quid sentias; opinionem illam de peccatis dubiis, item illam de peccatis oblitis, omninò rejicis; istam verò, ut in praxi non probas, ita nec damnas; idem sentire videris de illa, quæ hominem eximit ab obligatione subjiciendi peccatum inculpabiliter oblitum ante sumptionem Eucharistiæ: Quid porrò de duabus aliis opinionibus ejusdem ferè argumenti censeas, scire averem; 1. An per confessionem sacrilegam, præcepto confessionis annuæ fiat satis; 2. An qui sacrilegè confessus est, eadem peccata iterum confiteri debeat.

306. Antim. Jam tempus est, ut congressui finem imponamus; quare opiniones illus discutere non vacat; dico tantùm obiter, citra disputationem, per confessionem sacrilegam, non satisfieri præcepto nec Christi, nec Ecclesiæ; Christus enim præcipit veram pœnitentiam; sed confessio sacrilega non est vera pœnitentia; Ecclesia idem præcipit, quod Christus; contrariam opinionem tutam in praxi esse non puto; immò nec ullo modo probabilem, postquam ab Alexandro VII. per d. decretum damnata est num. 14. tutam etiam illam esse nego, quæ liberat sacrilegè confessum ab iteranda peccatorum confessione; absit, ut quisquam hujusmodi opinionibus utatur, quæ licèt aliquid probabilitatis speculativæ habeant, quod tamen non dimus, probabiles vel tutæ in praxi censendæ non sunt; vide Lugo disp. 15. à num. 135. & Ferrantum q. 79.

307. Pithanoph. Sed quid tandem de horum usu, qui dimidiant, ut sic loquar, confessiones; ut si quis ab ordinario absolvatur à non reservatis, ac deinde à superiore à solis reservatis, aliis reticetis, aut vice versa, primum à superiore, ac deinde ab ordinario.

308. Antim. Nunquam simile usum adhibui, & quotquot huic sacro muneri operam navamus, ut

illum afferemus, cùm sanè principiis Theologicis vix congruat, quòd facilè ostenderem, si per temporis angustias liceret; is enim solus peccata remittit, qui omnium peccatorum excipit; equidem superior absolvit à reservatis tantùm, ut absolutio sacramentalis non sit, sed mera exemptio, qua illum solvat ab hoc reservationis vinculo; unde superiorem esse oportet, qui delegare possit suam jurisdictionem ordinario inferiori, qui deinde confessionem omnium peccatorum excipiens, ab omnibus peccatorum absolvit; sed hæc mittamus, quæ longiorem discussionem desiderant, quam tamen temporis angustiæ non patiuntur. Vale Pithanophile, & omnia quæ in his congressibus disputavimus, digesta componi, digeri, describi, & si ita judicas, cum doctis amicis communibus, etiam publicari.

309. PITHANOPH. Ab his congressibus te libenter, ab iis me distraheret; repetemus aliquando nostra colloquia; cæterùm curam ultrò suscepto cuncta disponendi; immò in certa capita & numeros distinguendi, ut nonnullis fiat satis, qui prolixa Dialogi formâ & serie defatigantur.

310. ANTIM. Quamvis apud Ciceronem, Platonem, aliosque Dialogorum autores, hujusmodi capitum & numerorum distinctionem minimè habeamus; hoc tamen demus ultrò iis, qui longiore & minimè interrupta colloquutione non delectantur; debitores omnium sumus; de re, quæ parvi tanè momenti est, minimè altercandum; interim vale, Pithanophile; & si quid incauto excidit, quod castigandum esse judices; quæso expunge.

311. PITHANOPH. Vale Anime, post aliquot menses reducem expecta; & ut te magnoperè diligo, ita me redames velim.

ANONYMUS ADVERSUS ANONYMUM OPVSCVLVM,

IN QVO

QUINQUAGINTA ET TRIA OPPOSITIONUM CAPITA, contra Theologiam moralem Jesuitarum exponuntur & refutantur.

LECTORI.

ANonymus appositè Anonymum refutare potest; idque jure suo; sic enim paribus armis pugnatur: totam rem paucis explico, Lector Benevole; Quidam, suppresso nomine, aliquot accusationum capita, contra Theologiam moralem Jesuitarum, promulgavit; quæ ut refutarem, instinctu quodam & nativo impetu moveri me sensi; quamvis enim crambem recoctam Adversarius mundo porrigat, eamque prorsus insulsam & malè conditam; quia tamen nova quædam habet, præter ea, quæ jam aliis opposita fuerant, & novâ seriem, & novum rerum ordinem adhibet; non prorsus inutile esse duxi, hominem refutare; idque, pro more, argumentorum vi, & multiplicis auctoritatis momento. Ex iis porro sententiis, quas notavit Anonymus, in prædictis Capitibus, aliquot ad divinam fidem pertinere clarissimè demonstrabo; plerasque oppositis longè probabiliores videri; paucas, minùs quidem, certò tamen probabiles; unam, vel alteram speculativè tantùm probabilem; ac proinde ad praxim & usum nunquam reducendam. Unde profectò non erat, quod Anonymus, aliique conspiratione huic conjuncti, tantos clamores & tempestates in morales Theologos, excitarent; cum nulla prorsus de illis expostulandi justa inde causa, vel occasio præberetur. A convitiis, immo & aculeis abstinebo, rationibus dumtaxat pugnabo doctorumque testimoniis: uno verbo, luculenter, ni fallor, ostendam, exposita in hoc opusculo capita nostris Theologis, nequidquam obesse: cæterùm maxima rerum sylva prolixiorē fortè tractationem postularet; sed reverà illud esset contra instituti mei rationem; nimirum, id mihi dumtaxat consilii est, singula capita, solidè quidem, breviter tamen excutere, & nostros auctores ab horrendis calumniis, quæ ab isto anonymo iis affictæ sunt, vindicare; quod utrùm præstiterim, candide Lector, tuum erit judicare. Unum addo, Anonymum multa imò fere omnia ex aliis in suum opusculum traduxisse; quare vitio mihi verti non debet, si ex aliorum, qui prædictos jam refuturant, scriptis & monumentis, multa hic etiam derivarim.

CAPUT

CAPUT I.

De doctrina opinionis probabilis.

DOCTRINA opinionis probabilis, inquiunt adversarii, quam iidem Theologi profitentur, Christianorum mores, ac morum doctrinam corrupit, ac penitùs corrupit.

REFELLITUR.

QUisnis in rebus agendis certitudinem desiderat, probabilitate minimè contentus, ab omni re probabilitate abstinere necesse est; immò & ipsum *abstinere* probabile dumtaxat, non verò certum bonum est; cum probabile sit, malum esse, ita ab omnibus abstinere; immò cùm citrà obligationem præcepti, bonum aliquod opus molior, est mihi tantùm probabile hic & nunc, bonum esse; nec enim certus sum, an illud supremus rerum Dominus eo tempore à me exigat. Quisnis doctrinam probabilitatis damnat, omnes eosquotscripsere hactenus, si unum vel alterum nullius ferè nominis excipias, tum scholasticos, tum morales Theologos, omnis generis, nationis, dignitatis & instituti, simul eodem judicio damnat; quisquis plenum illorum syllabum desiderat, omnium prorsus elenchum, uno vel altero recentiore excepto, describit; facere tamen non possum, quin adducam quinum illum doctorum quinarium, quem nuni dumtaxat quinario doctissimus & Illustrissimus pacul opposuit. Quinque Theologi sunt D. Thom. 1. part. quæst. 48. & quodlib. 8. a. 13. Joann. Viguerius, institut. Theolog. lib. 1. cap. 15. Philipp. Gamacchæus 1. 2. quæst. 19. cap. 2. Andr. Duvallius 1. 2. tract. de act. tom. 4. a. 12. ub citat Medinam, Navarr. &c. Nicol. Ysambertus 1. 2. quæst. 19. disp. 9. art. 4. 9. 2. 6. Quinque item canonici doctores sunt S. Raymundus à Penna fortis summ. lib. 1. tit. de vot. & tit. de jurament. Item lib. 5. tit. de pœnitent. Bernard. Parmensis in cap. nuper, de jurejur. & alibi passim, Præpositus in cap. ex literis qui fil. sit legit. de cognat. Abbas, Panormitan. consil. 85. Mart. Dorsat. in man. cap. 27. Quinque Episcopi sunt, S. Augustinus lib. 1. de Genesi, item lib. 2. contra Donatist. item Epist. 19. 7. 180. S. Antonin. in summ. part. 10. tit. 3. cap. 1. Paludan. in 4. d. 17. qu. 2. art. 1. Malderus in 2. quæst. 19. disp. 86. ubi citat Victoriam, Soto, Medin. Conrad. Francisc. Salesius tractat. de pœnis radicis. Quinque Cardinales sunt, S. Carolus Consil. 1. Mediol. Ostiensis l. 5. summ. Tolet. in Summ. lib. 3. cap. 20. Perronius in orat. ad ordin. Regni Hisp. Delugo de pœnit. disp. 23. sect. 2. §. 2. ubi Lessius citat. Quinque demum Pontifices sunt; Nicolaus Gregorius Epist. ad defensores, &c. Alexand. III. cap. 2. de cognit. spirit. Innoc. III. cap. litteras de presbyt. non baptizat. Leo X. in Concil. Lateran. approbans ordinationes Patratis. Adrian. VI. tract. de Sacrament. confess. & pœnit. d. 7. innumeri alii describi possent, sed brevitatis ratio tota ferè in indicem abiret.

Dicam, quod sentio, proscripta probabilitate, mala ferè concideren; si enim articulos divinæ fidei aliquot demonstrationes geometricas & alia his similia excipias, nihil aliud in rebus humanis probabile restat. Quibus amabò legibus rerum orbis regitur à supremis rerum moderatoribus? iis sanè, quæ rationi dumtaxat probabili, non certa & perspicua nituntur; quid quæso agitur in celeberrimis Academiis? de variis quæstionibus disputatur, hinc argumentis probabilibus, inde responsionibus, quæ tantùm probabiles sunt; uno verbo, probabilia solùm ferè docentur in omni ferè disciplinæ genere, philosophicis, Theologicis, moralibus, medicis; in foro tandem quid agitur? Patroni defendunt jura probabilia partium, & judex, cui major inest probabilitas, causam justè adjudicat; Romani Pontifices, quorum autoritas eo nititur fundamento, adversùs quod portæ inferi non prævalebunt, & in rebus fidei & morum, errori obnoxia non est, opinione probabili sæpè utuntur; sic dispensant in matrimonio rato non consummato, in professione solemni, & in quibusdam aliis, licèt multi autores id fieri posse negent, ac proinde ex opinione dumtaxat probabili hæc faciant; cùm enim hinc inde gravissimi sint autores, nemo sanè nisi temerè neget, utramque partem probabilem esse, dum scilicet altera ab Ecclesia definiatur: hoc tamen non obstat, quin prudenter agant, ratione scilicet probabili nixi, & validæ sint hujusmodi dispensationes, ita ut ii, quibus illæ conceduntur, sint prorsus tuti in conscientia; nec de hac re ullus restat dubio locus.

Reges, & supremi Principes bella movent jure suo probabili ducti; leges condunt ex ratione tantùm probabili; regna ipsa consuetudines quasdam admittunt, tum circa hæreditates, tum circa judiciorum modum, fundamento tantùm probabili nixas: S. Hieronymus ad Lucinium idem monet; *illud breviter inquit te admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.* S. Augustinus item docet in Epist. ad Casulan. *in his rebus inquit, in quibus nihil statuit divina scriptura; mos populi Dei & institutа majorum pro lege tuenda sunt.* Mos populi, inquit, qui sola ratione probabili nititur; supremi, aliique inferiores judices jura partium probabilia discutiunt; eadem causidici defendunt; imò sæpè accidit, ut nova majoris probabilitatis luce affulgente, primam sententiam altera castiget; quid mirum? cùm ex præsumptionibus ut plurimùm judicent; præsumptio autem probabilitatis fines minimè transcendit: quis ergò neget, homines tutos esse in conscientia, quando agunt ex opinione verè probabili? nec enim aliam hoc loco suppono; quod certè potiori jure dicendum est de privatis cujuslibet actionibus, quæ tanti momenti esse non videntur, quanti sunt illæ, quæ ad regnorum & justitiæ publicæ administrationem pertinent. Dicam ampliùs, in ipso rerum sacrarum usu probabilitatem tantùm supponimus: colo reliquias, sacram hostiam adoro, licèt certus non sim, sed probabiliter tantummodò credam, hanc ritè consecratam, illas legitimas & veras esse; accipio absolutionem sacramentalem, vel aliud quodpiam sacramentum, certus non sum ea me dispositione instructum esse, quam digna sacramenti susceptio postulat, exerceo meos ordines, certus non sum me esse sacerdotem ac ritè ordinatum, certus non sum me baptizatum esse; quid plura si probabilitas non sufficit ad tutum actionum humanarum usum, sed requiritur certitudo, pessimè sanè hominibus consultum esset, præsertim iis, quibus justitiæ & sacramentorum administratio commissa est; nempè alii saltem abstinere possunt ab iis actionibus, quarum

bonitas probabilis tantùm est, cum tamen illi sine injustitia, & peccato à suo munere obeundo licitè abstinere non possint: v. g. confessarius cognoscit tantùm probabiliter, pœnitentem rectè dispositum esse; an fortè absolutionem negare potest? judicat probabiliter, pœnitentem teneri ad aliquam restitutionem, pœnitens probabiliter judicat, se non teneri, uterque gravi ratione & autoritate fretus; cur amabò pœnitens jure suo probabili exturbabitur? cur negabitur absolutio? præterea si confessarius illius, cui prædicta restitutio fieri deberet, secus judicat, cujus amabò judicio standum est? verbo dicam quod sentio; quisquis negat, homines ex opinione verè probabili licitè ac tutò agere, vel rem hanc non capit, vel mero contradicendi studio id negat; nam cùm opinio verè probabilis illa sit, quæ gravi fundamento nititur, illud autem fundamentum grave sit, quod ad prudentem assensum intellectum sufficienter movet, citra evidentiam, reverà si prudenter assentior opinioni probabili, illam etiam prudenter eligo & ad praxim redigo. Quid quod insignes illi juris utriusque interpretes, Ostiensis, Innocentius, Durantus, Joann. Andreas, Bartolus Baldus, Ancharanus, Panormitanus, Turrecremata, Covarruvias, Cujacius, Tiraquellus, Barbosa, Navarrus, aliique ferè innumeri una dumtaxat probabilitate nituntur, idem dico de Theologis scholasticis & moralibus, exceptis dumtaxat divinæ fidei dogmatis & conclusionibus ex iis deductis, quos recensere prætermitto; ne longum indicem describam, quem ut habeas, centum & viginti lustrorum autores enumera; si autem me audis, recentiores minimè omittes; nam, crede mihi, Theologiam scholasticam & moralem plurimùm illustrarunt Cajetanus, Victoria, Sotus uterque, Sylvester, Suarez, Vasquez, Molina, Lessius, Sanchez, Basilius, Pontius, Lugo, Tannerus, Coninch, Layman, Castro Palao, Martinon, aliique ferè innumeri, quos hujus & proximè elapsi sæculi lumina appellare possum; hi tamen, ut dixi, citra dogmata fidei & conclusiones ex iis deductas rem Theologicam probabilibus dumtaxat argumentis & rationibus discusserunt; in hoc, priores Doctores sequuti, D. Th. scilicet, D. Bonaventuram, Magistrum, Alensem, Albertū, Durand. Paludan. Henricum, Scotum, Gabriel. Gersonem, &c. sed inquiunt si probabilem illam opinionem, quam in re morali sequeris, falsam esse contingat, illa minimè tibi patrocinatur, nec te excusat: hoc eadem facilitate negatur, qua adstruitur; si enim ex opinione verè probabili ago, prudenter ago; quis autem id mihi vitio vertat, quod prudenter à me agitur? deindè bona fides omninò excusat; alioquin bona fides non esset; at quisquis ex opinione verè probabili agit, bonâ fide agit; præterea ignorantia invincibilis, peccato eximit; sed quisquis ex opinione probabili agit, ignorat invincibiliter, falsam esse; cur ergò culpæ non eximitur? accedit, quod is, qui ex opinione verè probabili agit, certò judicat, se non peccare; nempè ex illa, conscientia certa rectè sequitur, ut jam multi demonstrarunt; denique cum utraque pars sit tantùm probabilis, utram quæso sequi jubes; probabiliorem inquies; sed si hanc falsam esse contingat, ut reverà falsa esse potest, alioquin certa esset; igitur opinio probabilis etiam falsa peccato eximit; Tutiorem fortè inquies; sed aliquando hæc minùs probabilis est, ut toties demonstratum fuit; quis autem probabiliorem sequi vetet? addo, mihi sæpè in multis casibus non constare, utra probabilior, utra tutior sit; illam tu judicas probabiliorem cum tuis, ego hanc cum meis; utri fides potius habenda; sed de hac quæstione paulò post agam: constat igitur doctrinam probabilitatis sanam & Catholicam esse, sine qua nulla humana societas servari, nulla doctrina moralis doceri, nulla conscientia quiescere unquam poterit.

CAPUT II.

De Opinione probabili.

DE opinione probabili ea Jesuitæ sentiunt, quæ in universam morum doctrinam maximam corruptelam intulerunt; dicunt enim ex duabus opinionibus, minùs tutam homines licè qui posse; item minùs probabilem; item illam esse probabilem, quàm unus, pluribus aliis refragantibus defendit.

REFELLITUR.

FAteor hæc tria à majore Casuistarum parte defendi, non tamen absque aliqua limitatione: ut res magis perspicua evadat: illam opinionē tutam esse dicunt, quæ peccatum & peccati periculum excludit, proximum scilicet; unde nonnulli docuerunt, rectè an perperam, nihil refert, illam esse tutiorem, quæ secundùm omnes Theologos peccatum excludit; illam minùs tutam, quæ secundùm aliquos peccatum non excludit: opinio verò probabilis illa est, quæ citrà certitudinem, gravi fundamento nititur; probabilior, graviore; minùs probabilis, gravi quidem, sed minùs gravi: his præmissis, dico, illos, qui judicant, tutiorem esse amplectendam, non modicam perplexitatem & anxietatem hominibus afferre; nam paucissimæ sunt actiones, vel omissiones illæ, quibus peccati notam aliqui Theologi non inurant; ut enim aliqui laxiores sunt, ita aliqui strictiores esse videntur; ut ii, qui volunt, iis omnibus actionibus peccatum inesse, quæ à pura charitate perfectæ non sunt: quid igitur in hujusmodi anguillis homo facturus est? qui quoquoversùm spectet, nihil nisi peccati malitiam videt: frustra autem illi suggeretur, multos esse, eosque gravissimos auctores, qui talem actionem, vel omissionem ab omni noxa liberant; si vel Theologaster quispiam secus sentiat, illicò abstinendum esse, si est actio; non omittendum verò, si est omissio, judicabit, quia tutius est; nihil est igitur, quod agere possit; quod reverà impossibile judico, cum actionem omnem omninò sustinere nequeat; immò tutius eligere non posset, cum multi electionem illam, necessariam licet, imprudentiæ ac nimii rigoris damnent, ut conscientiæ quieti contrariam.

Præterea prudentes & probi viri hanc regulam minimè sequuntur, & omnes ferè Theologi illum à peccato liberant, qui cum attritione sola ad sacramentum pœnitentiæ accedit, licet contritio aliquid tutius videatur; item illum, qui statim à missa peracto, ad confessarium sese non confert, licèt tutius sit, id facere; item illum, qui matutino nondum perfoluto, rem sacram facit, licèt matutinum præmittere, tutius esse videatur; item Principem, qui officia publica vendit, licèt tutius sit non vendere, cum alii qui officia vænalia culpæ non eximant; alia quàm plurima

hujusmodi exemplaadducere possem, ex quibus constat, viros pios, prudentes & doctos præsumptos, quæ ad tutius obligat, non adhærere: discrimen, certissimam esse Casuistarum regulam, distinctionem illam circa actionem moralem veram, quam verè probabilem esse constat, tutam alteram altera formaliter tutiorem; cum esse eadem in indivisibili positum sit; hoc est, in exclusivo separati; unde infero, opinionem minùs probabilem, modò verè probabilis sit, non propterea minùs tutam esse formaliter, & distinctionem hanc opinionis magis, aut minus tutæ in iis tantùm locum habere, in quibus præter actionem ipsam, aliud opus perficitur, v.g. in administratione Sacramenti, tutiorem autem, quando illa suppetit, ministeligere debet; ubi enim non sit vera materia, licèt vera probabilitate putetur, non fit Sacramentum; sic medicus, tutius medicamentum adhibere; Judex secundùm jus probabilius judicare, &c. quia in his præter actionem opus, alii effectus sequuntur; confectio Sacramenti, sanitas ægri, adæquatio jurium, &c. at ubi de actione moraliagitur, opinio verè probabilis ideò minùs tuta non est, quod sit minùs probabilis; accedit, quod non tàm tutior est minùs probabilis, ut patet ex iis exemplis, quæ supràadduxi.

Idem Casuistæ etiam docent, posse nos sequi ex duabus oppositis, minùs probabilem, in actione scilicet pure morali; modò certò constet, esse verè probabilem; cum enim neutra certa sit, fieri potest, ut ea quæ probabilior videtur, sit etiam falsa; hoc iisdem probantis, qui litteris operam navant; nam sensim de medium opinionum falsitatem explorant & vident, quas primùm pro veris habebant; quàm multa ipse Augustinus ingeniorum Phœnix in suis retractationibus revocavit, quàm multa illius exemplo, multi alii auctores sapientissimi; hinc tot decisiones contrariæ apud juris utriusque Doctores, in Parlamentis, in Rotis; vix aliquis multa voluminascribit, qui hoc vitio non laboret, quod ex ipsa rerum moralium natura ortum ducit, quæ diversimodis rationibus & respectibus subjacent: Hinc juris consulti & Casuistæ, nisi cauti & jam doctorum sint memores, diversa responsa & consilia ad eundem casum retribent: quod autem in actione morali opinionem minùs probabilem tutò sequi possimus, multam demonstrarunt, nec præsentis instituti esse videtur & verò hoc non prohibetur ullâ lege naturali, vel positiva; deinde sum in possessione mei juris probabilis; detur abme si potes; hoc tibi probandum incumbit me teneri ad probabiliorem, quod nullo unquam argumento evinces; aliqua proferuntur, sed jam ab auctoribus, qui de hoc argumento scripserunt, penitùs diffiata; quare omitto, rem actum agam. Præterea cum opinio verè probabilis illa sit, quæ gravi fundamento nititur, (licèt negari minus grave esse possit, nec enim consistit mathematicè) ac proindè sufficienti, ad hoc ut illi prudenter assensum præbeam, haud dubiè prudenter ego illam opinionem, & ad praxim, vel usum adhibeo; prudens igitur ille usus est; tutus igitur ac bonus. Quod autem pertinet ad sacramenti materiam, medicamentū, judicium, bellum, &c. dico, non de opinionem verè ac certò probabilem, à ministro licèt posse materiam minùs probabilem, quando illa suppetit, nec à medico medicamentum minùs tutabile, nec à Judice ferri sententiam secundùm minus probabilia, nec bellum inferri sine jure sufficiente. Ne autem desit auctoritas, describo hic copiosum catalogum auctorum, qui docent, nos sequi posse minùs probabilem & minùs tutam; nemo enim negat de tutiore; illos autem huc accersam, tum ex luculento opusculo P. Stephani Dechamps, quod quæstionem facti inscripsit, tum etiam ex aliis. Paludan. *in* 4. *d.* 17. *qu.* 2. *art.* . D. Antonin. 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. ubi Albertum Magnum citat; Panormit. *in cap. Capellanus de feriis, num* 6. Did. Alvarez *in* 1. 2. *disput.* 80. *num.* 4 & 9. Angles Flor. *quæst. de confess. diffic.* 8. Barthol. Ledesm. *tract. de pœnit. diffic.* 14. Zerola *in prax. pœnit. cap* 22. *quæst.* 3. Malderus 1. 2. *quæst.* 19. *disp.* 86. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 9. Barbosa *tom.* 1. *collect. in lib.* 2. *decret.* Tolet *lib* 3 *sum. cap.* 2. Lugo *de pœnit disput* 23. *s.* 2. §. 2. Gamachæus 1. 2. *q.* 19 *c.* 2. Du Valius *tract. de act hum. q.* 4. *art.* 12. Ysambert 1. 2 *d.* 9. *art.* 4. & 5. Ludovic. Basilius *lib. de trip exam. part.* 1. *quæst.* 13. Sylvest *in sum. verb. opinio num.* 1. Angel. *verb. opinio.* Joannes Viguerius *cap.* 15. Bartholom. Medina 1. 2 *qu* 19. *artic.* 6. *concl.* 3 Ludovic. Lopez *part* 1. *instruct. cap* 20. *concluf.* 2. Victoria *in sum. de confess. num.* 177 Mercado *de contract lib* 2. *cap.* 5. Nazarius *opusc* 2. *dub.* 4. *concluf.* 2. Baunez 1. 2. *art.* 10. *q* 1. *dub.* 3 *concluf.* 4. Cabezudo *in addit. ad* 3. *part. quæst.* 8. *art.* 5. *dub.* 3. Gregor. Martinez *tom.* 1. *in* 1. 2. *ad quæst.* 19. *art.* 6. Pet. Ledesm. *in sum. part.* 2. *tract.* 8 *cap.* 22. Candidus *tom.* 1. *disp.* 3. *art* 20. *num* 3. Joan. Hidephons. Bapt. *in* 1. 2. *disput.* 208. *dub.* 6. *fragm.* 1 & 4. *concluf.* 5. Paul. de Blanchis *in discept. pag.* 182. Hacquet. *in* 1. 2. *controvers.* 14. Salonius *de justit. controv* 2. *concluf.* 4. *ad artic.* 4. *quæst.* 63 Arragonius *in* . 2 *dub penult. ad artic* 4. *qu.* 63. Bela *part.* 2. *cas.* Basil. Pontius *lib.* 4. *de matrim cap.* 25. *num* 9. Cornelo *in* 1. 2. *tract.* 8. *disput.* 3. *dub.* 6. Lezana *tom.* 3. *de opin. regul.* tenenda, *num.* 5. Urban. ab Ascensione *in Theolog. moral. tr.* 1. *cap.* 11. Lorca *in* 1. 2. *disput* 39. *memb.* 10. Petrus à S. Joseph. *lib.* 1. *de leg. cap* 3. Carol. Malletus *tom.* 1. *Theolog moral. malleat.* 8 *tract.* 4. Sayrus *lib.* 7. *clav. reg. cap.* 4. *num.* 4. Pelbartus *tom.* 1. *verb. opinio*; §. 13. Villalobos *in sum. tract.* 1. *dub.* 10. Portell. *in dub. verb. opinio, num.* 3. Joan Poncius *in curs. disputat.* 24. *quæst.* 5. Marchantius *in trib. tract.* 5. *tit.* 5. *quæst.* 6. & 7. Hauzeur *tom.* 2. *epit ad lib.* 1. *de bapt.* contra Donat. *cap.* 4. Basseus *in flor. tit. conscient.* Coriolanus *tract. de cas. reserv. par.* 1 *sect* 2 *art.* 2. *num.* 2. Caspensis *in curs. tom.* 1. *tract. de conscient. disputat.* 3. *sect.* 2. Gesualdus *tom.* 1. *tract* 24. *cap.* 3. Jacob Raggius *centur* 1. *part.* 3. *dub.* 46. Leander *part.* 5. *tract.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 10. Hieron. Garcias *in sum. tract.* 1. *diffic.* 2. *dub.* 2. *n.* 5. Aversa 1. 2. *q.* 28. *s.* 18. Diana *tom* 1. *tr.* 13. *res.* 1. Pasqualig. *decis.* 5. ubi citat autores 45. ut Diana 15. præter citatos à Sanchez, Marcus Vidal. *in arc. tit. de opin probab. inquis.* 5. *num.* 45. Lanfranchus *opusc.* 1. *c.* 4. *n.* 16. Bossius *p.* 1. *tit* 1. §. 17. & *in append. ad tit.* 1 Homobon. *tract.* 12. *c.* 4. *q.* 17. *res.* 6. Steph. Spinola *in opusc. de hoc argum. disp.* 3. *sect.* 4. & passim, Petr. Morinus *lib.* 8. *de pœnit. cap.* 4. *num.* 19. Merolla *tom.* 1. *disp.* 3. *c.* 4. *n.* 24 ubi citat 25 autores. Guazzinus *in tr. mor. lib* 2. *cap* 26. *n.* 14. ubi citat 30. autores, Joseph de Januario *resol.* 61. *n.* 5. ubi citat 7. autores, Martin. Navarr. *de pœnit dist* 7. *n.* 3. Pet. Navarra *lib.* 3. *de rest c* 1. *n.* 239. Joan. Medina *Cod. de rest. q.* 22. Montesin. 1. 2. *disp.* 29. *q* 5. § 3. *n.* 177. Joan. Sanch. *disp.* 42. *num.* 12. Nicol. Garcias *de benef p.* 11. *c.* 5. *n.* 361. Hieron. de la Rua *tom.* 2. *controv* 6. *dub* 6. Ochagavia *de Sacram. bapt. q.* 11. *num.* 11. Tülench *tom* 2. *l.* 8. *c.* 1. *dub* 6. *n.* 1. Rocaful. *in praxi p.* 3. *tr. de conscient. lib.* 3. *cap* 6. *n.* 49. Gutierr. *lib.* 1. *canon qu. c.* 13. *n.* 23 Joan de Solorzan. *de Indiar. iure*, 1. 2. *n* 38. Joan. Machado *art.* 3. ubi citat auctores 45. Pelant.

1 2. q. 19. art 6 disp. 2. n. 3. Carbo in sum tom. 1. p 1. c. 14. Lællus Zecch. in summ tom. 1. c. 4. n. 7 Jo. Wigers. 1 2. q 19 art 6. dub. 5. Mercer in 3. p pag 382 David à Mauden. disc. 1. rf 2. in decalog. pag 1031. Silvius 1. 2. ad q. 19. art. 5. q. 9 concl 3 Gaugeric. Hispanus in addit. ad summ. Cajet. verb. opinionis usus. Richard. Hallus tract de conscient. lib. 2. c. 9. Suar. tr. 3. in 1. 2. disp. 12. s. 6. Vasq. 1. 2. disp. 62. c. 4 n. 14. Valentia 1. 2. disp. 2. q. 14 punct. 4. Tannerus disp 2. de act. hum. q 4. dub. 4 Granado in 1. 2. disp. 4. s. 3 n 23 Lessius lib. 2. c. 29. n. 68. Becan. in summ. p. 2. c. 4. q. 9. n. 15. Turrian. in 2. 2. d 13. dub. 3 n. 21. Salas in 1. 2. tr 8 disp. unica s. 6. Coninck tom 2. de Sacram. d. 34. n. 84. Ouiedo in 1 2. tr. 3. controv. 3 punct. 2. Arriaga in 1. 2. disp. 24. sect. 1. Palavic. in 1. 2. disp. 9 q 4 art. 4. Henriq. lib. 14. c 3 n. 3. Sanch. lib. 1 in decalog. c. 9. n. 14. Azor lib. 2 c. 16. q. 3 Laymann. tr. 1. c. 1. §. 2. n. 7. Filliuc. tract. 20 c. 4 n. 1 8. Reginald. in prax. lib. 13. c. 10. s. 2. Gordon. lib. 1. q. 9. n. 33. Castr. Pal p. 1 d. 2 punct. 2. Baldell. lib. 4 disp. 12 n. 1. Bresser. lib 3. de conscient. c. 8. Joan. Nider Consolator. c 11. & 12. ubi citat Willel. Altissiodor. Ulric. Monald. Humbert. Goffrid. & alios, addere possem Lao, Mastrium, Marc, Serra, Verricell. Orellanam, Molfes. Tambur. Busemb. Amicum, Bardi, Ferrer. Lalover. Gobat. Quis adeò numeroso & nobili auctorum manipulo non cedat? vel potiùs quis opinionem, quam tot ac tanti auctores defendunt, non admittat ut probabilem, imò ut longè probabiliorem? quis eam, ut pestem ac monstrum reique moralis perniciem & corruptelam insectetur?

Sed ut ad 3. accusationis caput veniam; Theologi morales docent, in quibusdam casibus unius doctoris sententiam communi multorum anteponi posse; non quidem temerè cujuslibet auctoris, nec enim Casuistæ hoc docent, sed gravissimi cujuspiam, qui scilicet suam opinionem optimis rationibus firmarit, & oppositæ partis argumenta solidè solverit, ac proindè rem hanc, de qua agitur, accuratè, diligenter, doctè, nec non ex professo discusserit; sic nonnunquam accidit, ut vel unus Senatorum reliquos omnes in diversa euntes, in sententiam oppositam, gravissimarum rationum vi adducat; ubi autem liber alicujus auctoris, ex juris & legum formula, ab iis, ad quos spectat, diligenter discussus est & castigatus, facilè crediderim, opiniones ab eo traditas probabiles censeri, Hoc examen & hujusmodi emendationem Romæ tulit libellus Emanuel Sà, ac proinde illius aphorismos ad praxim & usum, tuta conscientia reduci posse putarim: Quod autem unus autor optimo pollens ingenio, gravem aliquam rationem pro singulari opinione invenire, & rationes quæ pro communi sententia adducuntur, refellere possit, nemini opinor, dubium est: sic nonnunquam accidit, ut aliquis in re geometrica, illam demonstrationem inveniat, quam cæteri hucusque ignorarunt; sic illæ opiniones, quæ jam communes sunt, aliquando singulares fuerunt, & accedentibus deinde multorum calculis communes tandem evaserunt: præterea cum probabilitas ratione gravi nitatur, ubi quis aliquam opinionem ratione gravi firmavit, & facilè diluit rationes oppositas, præsertim si autor gravis sit, qui rem illam ex professo discusserit, licèt plures repugnent, ex iis scilicet, qui scripserunt, non video, cur verè probabilis non dicatur; præsertim cum multi viri probi & docti, iis, qui scripserunt, omninò comparandi, illam approbent, & ad praxim reducant: in hoc vim facio, si vir doctus novam demonstrationem invenire potest, cur non rationem gravem, quæ opinionem verè probabilem faciat?

Non desunt autores pro confirmatione hujus rationis. Navar. passim ut in man. c. 27 & lib 5. consil. de rest. & remiss. S. Antonin. 1. p. tit. 3. c 10. §. 10. ubi citat Albert. Magn. Major in 4 q. 2. in prol. & resp. ad 5 Sylvest. v. scrupul. 3. Du Vallius tr. de act. hum. q. 4 art. 12 Joan. Viguer. c. 15. Pesant. 1. 2. q 19. a 6 disp. 2 dub. 3. Læl. Zecch. tom. 1. de regul. hum act. c. 4. n. 7. Richard. Hallus tract. de conscient. lib. 2. c. 9. Gamaschæus 1. 2. q 19. c. 2. Bernard. Parmensis autor Glossæ in decret. al. inter. cum inter nonnullos. Bossi. tom. 1. de conscient. p. 1. n. 207. & §. 19. n 170. Pasqualig decis. 22. Emman. Sà dubium, n. 3. Marc. Serra 1. 2. q. 19. art. 6. Verricell. in quæst. moral. tr. 2. sing q 5. ubi pro hac sententia 24. autores citat. Valent. tom. 2. disp. 2. q 14. punct. 4 Jolinian. l 1 ff de veter. jur enucl §. 6. Macagnan. tract. de com. opin. cap 8 n. 1. post Felin. & alios, Andr. Gail. 2. obs. 94 n 19 Malcard. de prob. concl 1138 n 12 post Ostiens. Abb Dec. Iason, Zas. ab iis citatos, ac post Theolog quos citat & sequitur Sanch. de matrim. 18. n. 7 Filliucius tr, 21. n 13. Gobat. 1 p clypei, sect 11 Ant. Maria Corat. in tr. de opin communi lib 1 tit 3. testatur à Jasone, & aliis illam opinionem pro communi haberi, quam unus quispiam excellens Doctor tuetur; citari à me possent plures alii, sed ignitissimi cujuspiam doctoris opinionem gravitatis nixam, à quo diluuntur omnia opposita, verè probabilem esse; nisi tamen vel cæteri omnes dissentiant, eamque ut improbabilem ac temerariam rejiciant, ut rectè observant Tanner. tom. 4. disp 6 q 3 n. 11. Bresser. de conscient. l 3 c. 3. n 30 & alii. Subscribo brevissimum Navar. dictum in man. c. 27 n 289 opinio communis non est, inquit, quam plerique sequuntur, sed quam pondus fulcit auctoritatis; igitur si ratio unius gravissimi autoris, majoris ponderis est, quam opinio non probabilis modò, sed teste Navarro communis dicenda est; videatur denique Sanch. li. mor. cap. 9. n 14. Diana p 1. tr. 13 resol. 1 Jo. Sanc. disp. 42 n 12. Pasqualig. decis 5 qui docent, illam opinionem esse practicè probabilem, quæ nititur ratione gravi, & in hanc rem ultrà 50. doctores citant.

CAPUT III.

De occasione peccandi.

DOCENT iidem, 1. citra peccatum, in proxima peccandi occasione perseverari posse. 2. ablolvi posse illos, qui pravos vitiorum habitus contraxerunt. 3. renunciandum necessariò non esse arti, aut vitæ generi, in quo multi peccant, non sine aliquo æternæ salutis periculo.

REFELLITUR.

AFfirmant multi Theologi, cum vitari occasio nequit, sine aperto discrimine, vitæ, honoris famæ, vel sine grandi bonorum jactura, posse rum hominem in illa permanere, modò illam directe minimè intendat; pro hac doctrina videri potest Bullius Pontius, qui eam sequitur *in append cap* 9. & pro illa citat 15. magni nominis auctores, v. g. familia quispiam apud hæreticum servit, in iis scilicet regionibus, in quibus impunè grassatur hæresis; & ab hero ad perpetranda lethalia peccata, contra religionem inductus est, aut à confessione facienda urgente præcepto, idq; semel atque iterum dum taxat; is sanè, modò verè contritus sit, ac præteritos errores detestatus,

omnibus exemplis à me supra probatis, aliisque adhuc illustrioribus utitur.

In prædicto famulo, ut possit absolvi, nonnulla requiro. 1. contritionem de peccato præterito. 2. firmum propositum de non peccando in posterum, ac detestationem hæreseos. 3. spem & credulitatem divinæ gratiæ subsidio non peccandi in posterum in illa occasione. 4. justam rationem & rationabilem causam in eo statu remanendi; ita ut quàm primùm potetit, illi renunciet. 5. non præcessisse frequentè lapsum, unde mala dispositio conjici posset; sed tum primùm de hoc peccato confessum esse. 6. suppono, non ita vilem & abjectam esse illius famuli conditionem, ut illi admodùm probrosum non sit, eâ abjectâ, mendicare: ex his constat, hanc occasionem vix proximam dici posse, aut saltè longè minoris esse periculi, quàm sint illæ, in quibus juxta Navarr. *in man c.3.n.15.* modò adsint quatuor illæ conditiones supra expositæ, aliquis sine peccato permanere potest: suppono autem in iis terris versari, in quibus hæresis impunè grassatur, ut in Gallia, Germania, Anglia, Hungaria: sic jam ab initio Ecclesiæ servi Christiani heris gentilibus famulabantur, & aliquando accidit, ut ad istorum conversionem Deus illorum operâ uteretur; sic serva illa Hebræa, Naami conversionis causa fuit: item serva Christiana apud Iberos conversionem illius gentis procuravit; hinc hujusmodi famuli, juxta communem oppositorum legem, longè pertiores sunt rerum fidei, & majoris religionis zelo flagrare videntur; quod verò ad eos pertinet, qui frequenter labuntur, citra tamen aliam occasionem, non nego, aliquando dimittendos, pro Confessarii prudentia, si tamen aliquid diligentiæ adhibuerint ad excutiendum habitum, jure absolvi possunt. Innumeri ferè autores, præter Navarr. Bailliū, & Basilium Pontium supra citatos, huic sententiæ suffragantur, scilicet idem Navarr. *in c. satisfactio, dist.3.* Beja *tom.1. cas.39.* Corduba *in sum. q. 4.* Vivald. *in Candelabr. tit. de absol.* Joan. Sanch. *disp.10.* D. Thom. *2,2.q.10. art.9.* Bonac. *tr. de matr. q.4. p.14. n.17.* Zerola *c.25. de pœn.* Finell. *c.11 n.12.* Philiarc. *p.2. l.2. c.2.* Suar. *disp.32.* Lugo *de pœnit. disp.14. sect.10.* Emman. Sà Correctus, *verb. Absol. n.12.* Basil. *lib. de const. monast. c.3.* Ambr. *lib.3. offic. c.13.* Lopez *p.1. c.20. & 22.* post Victoriam Cajetan. *in summ. V. periculum.* Armilla *v. periculum.* Henriq. *lib.4. de matr. cap.25. n.3.* Alph. à Castro *lib. 1. de justa hæret. punit. cap. 17.* Layman *lib.5. tr.6. c.4. n.9.* Sanch. *tom.1. moral. lib.1. c.8.* plures alii legi possunt apud Dianam *part.2. tract.16. resol.5. & part.4. tract.4. resol.165.*

Imò sunt, qui docent, posse aliquem gravi & justa de causa, alteri occasionem peccandi præbere; maritum v.g. uxori, herum famulo, quod gravius videtur, quàm invitum in occasione permanere; ita Petr. Navarr. *lib.3. de restit. c.4. n.127.* Joan. Sanc. *disp.35. n.12.* Guilin. *verb. peccatum, n.11.* Dian. *3. p. tr.5. misc. resol.18.* Layman. *lib.2. tr.3. c.13. n.5.* Limitat tamen id homini ordinariè concessum non esse. Idem dico de illorum sententia, qui docent, licere proximi peccatum permittere ex bono fine, vel non auferre occasionem peccandi, licèt commodè id fieri possit, Sot. *de ratione tegendi & detegendi secret. membr. 2. q. 2.* Navar. *in sum. lat. c.24. n.13.* Cordub. *in sum. q.5. col.4.* Sanch. *de matr. l.10. d.12 n.52.* qui citat D. Th. & Pet. de Ledesma, Bonac. *d.2. de peccat. q.4. punct.2. n.28.* ubi citat Navar. & Turr. Castr. Pal. *tom.2. tr.6. d.5. punct.5. n.6.* qui citat Pet. Navar. Tambur. *l.5. c.1. §.4.* hæc dico, non quòd approbem, sed ut ex eo constet, non esse dictu improbabile, licitè quempiam ex

gravi aliqua causa, invitum scilicet, in aliqua occasione peccandi manere.

Non deerunt fortè aliqui, qui DD. Th. Basilium & Ambrosium perperam pro hac sententia citari dicant: en tibi verba S. Th. *ex 2,2 q.10. art. 9. si autem*, inquit, *sunt simplices & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel* ABSQUE NECESSITATE *cis communicent*; viden, *absque necessitate*. D. Basilii textus expressus est, cùm enim supposuisset, esse hominem, cui consuetudo cum mulieribus occasionem peccandi præberet, tandem concludit, hujusmodi congressiones collocutionesque fugiendas esse, *neque ad eas unquam accedendum, nisi cùm gravissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus*. Ambrosius loco citato, excusat actionem Judith à peccato contra castitatem, eò quòd in casu magnæ necessitatis periculum adierit, *honestatis fuit, inquit, pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo*; vide iis plura apud Basil. Pontium supra laudatum.

Illi porrò Theologi, qui docent, interdum dari posse absolutionem iis, qui remanent in occasione proxima, idem potiori jure tenent pro iis, qui peccant ex habitu; quia scilicet habitus, statim tolli non potest; accedit, quod licèt cum occasione proxima comparari possit, non tamen in voluntate hominis positum est, illum statim abigere; igitur voluntarius dici non potest, cùm sæpè illum homo detestetur; nec voluntariè comparatus, cùm de illo nulla prorsus cogitatio esset; pro hac sententia innumeri ferè citari possunt, ut Vivaldus *in candelab. tit. de absolut. §. casus.* Joan. Sanctius *disp.10 n.16.* Medina *lib.10 summ. c.14. §.2.* Petr. Ledesm. *tom.2. summ. tract. 1. c.9.* Manuel. *tom.1. sum. c.34. n.5.* Ludovic. Lopez *1. part. c.282.* hi quatuor prudenter ita limitant, ut postquam sæpiùs data est absolutio, nisi pœnitens resipiscat, aliquandiu differatur; hoc consilium maximè probo, ne scilicet nimiâ indulgentiâ abutantur. Azor. *tom.1. l.11. c.7. q.3.* existimat peccantibus ex habitu dari posse absolutionem, modò ad evellendum habitum aliquam diligentiam adhibeant, cui Sanch. *lib.2. moral. c.32. n.4.* & Ludovic. Bailliu *p.264.* cum multis aliis suffragantur: hac in re opus est maxima prudentia Confessarii, ne pœnitentem aut nimia severitate avertat, aut nimia indulgentia seducat & peccet, pereatque cum illo. Suar. *disp.32. sect.2.* Lugo *disp.14 sect.8. n.166. & 169.* Laym. citatus: quare, ut damno praxim illorum, qui nunquam pœnitentem absolvi volunt, nisi priùs vitiosum habitum contractum abjecerit, ita probo illorum prudentiam, qui aliquando absolutionem negari volunt, ut illius negligentiam in habitu revellendo castigent.

Denique iidem Doctores absolutionē iis dari posse concedunt, qui aliquod vitæ genus suscepерunt, in quo plures occasiones peccandi occurrunt. Navarr. *man c 3.* Beja *p.1. casu 39.* De Graffis *l. c.28. n.21.* Sancius *disp.10. n.11.* De Lugo *de pœnit. disp. 14. sect.10. n.150.* Laym. citatus supra, qui alios citat; ratio est, quia recedere à statu vitæ semel assumpto, saltem ut plurimùm, difficile est, & quasi moraliter impossibile; vel potiùs, ut rectè censet Delugo citatus, quia status & conditio vitæ ex se indifferens, non est occasio proxima peccati, sed tantùm remota, in qua qui remanent, possunt absolvi, si de peccatis doleant, & firmiter statuant, ab iis abstinere; exemplum habemus in militibus, nautis, lictoribus, aliisque similibus: utinam sublimiores status majores peccandi occasiones non præbeant.

CAPUT IV.

De cooperatione alienis peccatis.

IMmodica Jesuitarum indulgentia aluntur impurissima commercia, & scelera tegunturque horrima; nempe docent, famulos & ancillas posse Dominis suis præstare obsequia indifferentia, quamvis sciant in malum finem illa exigi, ac proinde rectam animi intentionem sufficere, ad culpam arcendam.

REFELLITUR.

ACtionem ex se indifferentem malam non fieri Theologi docent, licèt ea alius quispiam ad malum finem abutatur, modò adsit justa causa & ratio legitima illam faciendi, quæ reverà si absit, ejusmodi servorum obsequia, flagitiorum scilicet adjumenta, Casuistæ culpæ non eximunt; ajunt dumtaxat ejusmodi actiones ex se indifferentes, cùm justa ex causa fiunt, honestoque ex fine, non vitiari alterius culpa, qui ad Dei offensam iis abutitur: favent hujusmodi responsioni argumenta plurima, eaque sanè maximi ponderis; verùm instar omnium erit communis Christianorum, atque adeò ipsius Ecclesiæ consensus: à enim actiones illæ indifferentes bono animo & justa de causa factæ, quibus alii ad malum usum & finem abutuntur, essent illicitæ, servorum & opificum pars maxima à communibus obsequiis, & abstinere opificiis tenerentur; hinc qui conjuncti matrimonio, in salutis discrimine, aut saltem in perpetuo peccandi habitu versarentur; cùm sæpè alter conjugum uti illo indifferenti ad malum finem utatur; item aurigæ, lecticarii, sellularum gestatores à Dominis recedere tenerentur, quos aliquando in obscœna libidinum loca devehunt: item servi, qui suis Dominis jejunii lege obstrictis quadragesimali tempore cœnam parant, quod in Hugonottis, aliisque Ecclesiæ perduellibus etiam locum habet, item Tabellariis, publicisque veredariis à suo munere cessandum esset; cùm literas amatorias, aut famosas & satyricas ultrò citrò que sæpè deferant; lanistæ, aleatorum ludorum, aromorum, sulphurati pulveris artifices, coqui omnes, qui lautas epulas comessatoribus instruunt, aliique omnes artifices, quorum opera ad luxum, vanitatem, voluptatem homines abutuntur, ut fidicines, comptores, unguentarii, caupones, alias exercere artes planè deberent, si famulis indifferentia obsequia præstare non licet.

At non legimus, hujusmodi artes à Rom. Pontifice, à Conciliis, ab Episcopis, à Parochis damnari, nec hujusmodi opificibus absolutionem denegari: dixi etiam supra, conjuges subjici pluribus peccatis, si hæc sententia rejiciatur, quorum alioqui communi Theologorum consensu immunes sunt, maritus autem castitatis emisit, debitum exigit ab uxore & peccat, igitur uxor simul peccaret, cùm tamen illi debitum reddere teneatur; idem de qualibet alia actione uxoris dictum sit ex se indifferente, quam vir ad malum finem refert: quanta inde conscientiæ anxietas conjugibus, si peccata communicarent inter se; quantus horror ac timor omnium; quis unquam se in consuetudinem hominum immittat, si ejus actiones indifferentes alterius malo fine & pravo animo contaminari possunt: hæc esto agitur regula; illud omne obsequium famulis licitum

...ad ex se indifferens cùm sit, alteri, qui eo non ...ntur, ex officio præstare tenerentur; nisi ab ...ma, præsente & evidente circumstantia ...contrahat; pro hac sententia auctores mul... Molina *tract. 2. disp.* 115. 240. 340. Valent. ...*punct. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 22. q.* 10. *punct. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 22. ...c. 24. quæst. 14.* Lessius *lib. 2. cap. 9. n.* 122. ...*n.* 20 *lib. 4. t. 2. n.* 24. Rebell. *quæst. 14. à ...* Sanc. *tom. 3. in 3 part. disp. 8. sect. 1.* Sanch. *l. 1. ...* Castr. Pal. *tom. 1. tract. 6. disp. 6. de charit. ...* Diana *p. 5. tract. 7. per totum*, ubi citat ...rumque Hurtadum, & alios; Tamburin. ...*l. 1. c. 6.* Lugo *de pœnit. disp.* 10 *sect.* 4. Trul... *l. 1. cap. 1. dub. 6. n. 2.* Merolla *tom. 1. disp. 2. c. 4. ...* Manuel. *tom. 2. sum. c.* 215. Beja *p. 1. cas. ...* Boiacina *de peccat. disp. 2. q. 4. pun. 2. §. u... &c.* Angles *in flor. 1. p. q. 7. de jejunio*; Pe... Escobar. *2. tom. sum. tr. 27. c. 9.* Navarr. *man. c. 20. ...* D. Thom. *in 3. sent. d. 39. q. 1. art. 5. quæstiunc. 2.* D. Bonavent. *ibidem art. 2. quæst. 5.* Richard. *art. 3. ...* Alens. *in 3. p. q. 31. memb. 2. art. 6. §. 2.* Sanch. ...additus supra citat Cajetan. Bann. Aragon. Salon. ...*tom. 3. tenarum. disp. 6. num. 4. & 7.* ubi citat S. ...Thom. Toll. Major, Adrian. Sot. Petr. de Soto, Co... Tolen. Angel. Ledesm. Vera Cruz. S. Anto... Jun. de Neapoli, &c. Major *in 4. d. 15. q. 35.* ...multos non addere possem, sed hi sufficiunt.

CAPUT V.

Theologia Moralis Iesuitarum Paganismum olet.

HOc præcipuum caput est, quod nostris auctoribus ab adversario opponitur; scilicet, moralem illorum doctrinam gentilem & paganam, non verò Christianam esse; vires naturæ corruptæ licèt, sufficere, ad servandas illius leges, omnes controversias, adhibitâ humanæ rationis operâ, examinari ac decidi, ac proinde fieri non posse, quin doctrina illa laxior, corruptior, & Ecclesiæ perniciosa sit, nec non scandalosam & immanem propemodùm vitæ libidinem ac licentiam hominibus præbeat.

REFELLITVR.

Error, doctrinam moralem Theologorum nostrorum ex 1. 2. Doctoris Angelici, majori ex parte esse fluxam, qui totam ferè moralem Aristotelicam adduxit; quod certè ultrò fatentur adversarii, dum scribunt, omnes summas & collectiones earum ex libris S. Thomæ, uti rivos à fonte, sanguis ab origine fluxêre, sensim creverunt, &c. in hoc sensu libenter admitto, nostram moralem paganam esse; quod sanè vitio nobis verti non potest, nisi eidem Angelico Doctori vitio vertatur, quod absit, ut quisquam sanæ mentis homo dixerit. Quanti porro in rebus moralibus Aristoteles fecerit, norunt omnes, qui rectè sentiunt; cùm ille ea rationis & intelligentiæ lumine polleret, quo animis deinceps ingeniis, intra naturæ fines ...in hoc sensu, inquam, Casuistarum doctrina est; immò maximè Christiana; quis enim ...D. Thomæ doctrinam Christianam esse ...

Nec est, quòd adversarii dicant, eam doctrinam morum sibi dumtaxat cordi esse, quam ex Patribus primitivæ Ecclesiæ, præsertim Augustino excerpserunt; ac proinde cæteros Theologos rejiciendos, quos potiori jure, per contemptum, Philosophos vocant: Quasi verò crimen sit, Philosophum esse; sapientiæ scilicet & rationis amantem; quasi verò is rectè non sentiat, qui Doctorem Angelicum ducem in moralibus sequitur, & moralem Aristotelicam consulit? ab his, opinor, Patres alieni non sunt; alioquin D. Thomas alienus etiam à Patribus esset; an fortè morum corruptela, Philosophiæ & rationis studio tribui potest? quin potiùs mores ideo corrupti censendi sunt, quia à recta ratione desciscunt, quæ nativa honestarum actionum regula est.

Non est etiam, quod iidem nescio quam hominibus cæco modo agendi necessitatem, ratione proscriptâ, imponant; res quidem divinæ fidei, obscuras licèt, credimus; prudenter tamen, & ratione duce, quæ nobis evidenter ac certò persuadet, esse credendas: hinc ratio & fides fœdus quoddam & societatem ineunt; itaque Calvinistis necessitas illa, quæ libertati officit, relinquenda, & interior ille spiritus, cujus instinctu dumtaxat aliqui agunt, Genevam ablegandus; ut nimia laxitas fugienda in opinionum moralium delectu, ita vitanda nimia severitas; arcta quidem est via, quæ ducit ad vitam; jugum tamen Christi suave est, & onus leve; nec enim Deus impossibilia jubet, nec gratia deest, qua ejus præcepta possibilia fiant; quisquis nimium stringit, nodum ipsum laxat, quia rumpit: augere numerum noxarum lethalium, non expedit, saltè expedire non puto; multiplicare monstra nihil juvat, prudenti potiùs examine, ac recta discussione cuncta censeantur; lumen illud rationis nobis inditum, disciplinæ, lectione, autoritate, ac præsertim divina fide instructum, & usu Ecclesiæ firmatum, nobis in omnibus, divinâ etiam affulgente gratiâ, præluceat; hoc sanè hæretici omnes, quasi flagellum esset, quo ab Ecclesia canes illi abiguntur, pertimescere visi sunt; hinc atrociter ac vehementer in Scholasticos invecti: doctrina igitur illa, quam paganam vocant, nec laxior nec severior est, quàm par sit; recta ratio, qua nititur, utrimque à vitiosis extremitatibus dissita, in medio sita est; cùm ergo & nimia laxitas, & nimia severitas versùs extremitates eant, utraque à recta ratione aliena est: morales Theologi rationem consulunt, eidem adhærent atque insistunt, ut ipsis opponitur; igitur nec laxior est illorum doctrina, nec austerior: hæc porrò in individuibili posita non sunt, suam extensionem habent & latitudinem; hic paulò laxior, ille rigidior, neuter tamen alterum damnat; quia uterque ratione ducitur; res humanæ, iis seclusis, quæ sunt divinæ fidei, variis opinionibus subjectæ sunt; erit, qui rigidiores probet; gratulor, huic oneri lætos humeros supponat; erit, qui minùs rigidas: bene est, non propterea accuso; modò hic susceptum onus alteri non exprobret, & ille huic idem onus, per vim non imponat; gaudeat sua quisque ratione; suppono enim neutrum certum esse, sed utrumque circa opinionem versari.

Unum refellendum restat, quod opponitur; scilicet, ita corruptam esse moralê hujus temporis doctrinam, ut ad servandas illius leges, naturæ corruptæ, & divina gratia destituræ vires satis esse dicantur; nemo unquam moralis Theologus Catholicus hoc dixit; hoc autem facilè solvitur; quænam sunt amabò leges illæ, quas nobis doctrina moralis imposuit?

virtutes

virtutes morales exercendas esse; vitia fugienda, justè, castè, piè, fortiter, heroicè agendum; mala patienter & æquanimiter toleranda; hæc moralis Aristotelica commendat, hæc eadem præscribit Thomistica & Christiana; si quis hoc neget, consulat D. Thom. *in* 1. 2. & Philosophum in moralibus: at nemo dicat, naturæ corruptæ vires ad hæc sufficere; nec ipsi, opinor, adversarii inficiabuntur; igitur leges moralis nostræ, divinæ gratiæ subsidium postulant; quod adeò Catholicum est, ut nemo Catholicus contrarium asserat: dicimus tamen, nunquam divinam illam gratiam deesse, eo scilicet tempore, quo præceptum obligat, qua homo illud implere possit, si velit, gratiam, inquam, saltem ad orandum necessariam; alioquin si deesset, præceptum impossibile jure censeretur; sed hoc est heterodoxum, non est igitur doctrina illa scandalosa, corrupta, Ecclesiæ perniciosa, nec cum immoderata vivendi licentia conjuncta; ubi enim recta ratio est, immoderata libido non est; accedit, quòd illa eadem doctrina est, quæ in cathedris catholicis docetur; in libris traditur, in pulpitis persuadetur, à Doctoribus omnis generis, Episcopis, Abbatibus, Regularibus, Ecclesiasticis, Laicis, Romanis etiam Pontificibus explicatur; usus communis est, quem reverà Ecclesia per tot lustra & sæcula in suis præcipuis membris nunquam toleraſſet, si corruptus, si scandalosus, si pernicioſus fuisset.

CAPUT VI.

Iesuitæ nec sacros codices legunt, nec consulunt Concilia.

JEsuitæ, (inquit Adversarius,) sacros libros non volvunt, Concilia non consuluat, & incredibili sacrorum Canonum ignorantia laborant; unde tamen præcipua moralium decisionum fundamina eruuntur; ac proinde divino quodam consilio accidisse putandum est, ut homines divino zelo flagrantes, & omnigena rerum sacrarum scientia instructissimi sese iis opponerent, eaque arcerent discrimina, quæ ex tanta ignorantia ac libidine ortum duxissent; futurum alioquin, ut traditiones Ecclesiasticæ penitùs conciderent, Lex Evangelica in Judaicam, divina fides in commenta merè humana abiret, & venerabilis antiquitas despicatui haberetur.

REFVTATIO.

PAce istorum hominum dixerim, sacra Biblia, eâ, quâ par est, animi demissione volvimus; & ubi nobis aliqua proponitur quæstio in sacris literis perspicuè & indubitanter expressa & definita, eam statim, adducto Scripturæ textu, solvimus; in re simoniæ, usuræ, eleemosynæ, mendacii, odii, furti, aliisque similibus clarissima exempla suppetunt; absit tamen, ut Calviniſtarum errore ducamur, qui reliquos omnes libros proscribunt; perinde atque si in sacris literis omnium controversiarum indubitatam decisionem haberemus; quis nescit, ibi esse nonnulla rerum gestarum exempla, quæ sine peccato imitari non possumus, quædam enim singularia Deus aut vetuit, aut jussit, quæ secluso singulari Dei præcepto, vel omitti licitè, vel fieri poterant: præterea in sacris libris multa Deus Judæis præceperat, quæ reverà Ecclesiæ intolerabile onus afferrent, si ad reformandos Christianorum mores iisdem essent imponenda: luculentũ hujus rei exemplum in iis habemus, qui Caroli Magni jussu, famosa illa capitularia Carolina compilarunt; nempe cum literæ sacri textus minùs prudenter adhæserint, præcepta quædam cæremonialia Judæis tradita, Christianis hominibus imponere voluerunt; verbi gratia, quod habent *cap.* 5. excerptum ex 21. Exodi si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes ejus; item *cap.* 42. 43. 45. *ex* 22. Deuteron. si nidum avis inveneris, non tenebis matrem cum filiis, non arabis in bove & asino, non indueris ex vestimento, quod ex lana linoque contextum est, cùm ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua; hæc aliaque hujusmodi penè innumera in prefatis capitularibus leguntur, quæ tamen cum aliis legibus valde utilibus & maximi momenti conjuncta sunt.

Non est igitur dubium, quin ex sacris Scripturis perperam acceptis, vel intellectis, multi errandi occasionem accipiant; immò hæretici ferè omnes Scripturarũ testimonio suos errores probare conantur, quod maximè nostris Novatoribus familiare est: nil creari potest, quàm multa puerilia & absurda nonnullis hominibus, sacrâ Scripturâ omnino abusis, in mentem venerint; ut illud de igne solemni & publica de conversione ad Orientem; de vario corporis habitu & gestu, aliaque hujusmodi; hæc antiqua fraus est communis hostis generis humani, qui hoc eodem sacræ Scripturæ obtentu, populum Judaicũ suæ contumaciæ obstinatum affigit, eosque suis legibus subjicit, quæ lege Evangelica longè duriores esse videntur: immo nonnullas ex prædictis cæremoniis, ut sic loquar, ad speciem Mahometicæ impietatis attexuit, ut vel inde aliquid sanctitatis conciliet, & effrænata licentia legis naturalis violandæ ab ea concessæ compensari videatur: vanis hujusmodi ritibus, vel usibus illos homines sæpè illudit, quos & alios erroribus irretitos, & occultis sceleribus contaminatos jam plenè possidet; quid in Anabaptistis, Anglisque tremulis, ut vocant, præstiterit, quóve illos adduxerit, nemo non videt; ad cujusdam scilicet reformationis vanam speciem: Primi Calviniſtæ nihil aliud quàm reformationem crepabant; unde nomen duxerunt Reformatorum: secus omnino nostri moderales Theologi, qui homines ad actiones germanæ virtutis inducunt, & ab iis, quæ illicitæ sunt, ac minùs honestæ, suis judiciis ac decisionibus omninò removent; suis verò consiliis ab iis, quæ alioquin licita essent, sed minùs perfecta. Quod pertinet ad Concilia, mera est calumnia, Theologi nostris moralibus afficta, legunt ipsi & intelligunt Concilia, & legitima à spuriis ab Ecclesia Romana rejectis probè discernunt; sacros canones sibi familiares faciunt, iisque sæpè utuntur ad moralia dubia decidendas: sed ut antiqua verentur Concilia, ita nova, Tridentinum præsertim, amplectuntur: & quidem in rebus fidei & doctrina morum certò definita, æquè antiquis ac novis indiscriminatim adhærent; pro disciplina verò & ritibus, posterioribus rectis omnino standum; hæc enim Ecclesia identidem mutat; perperam igitur aliqui vellent, ut Christiani hujus tẽporis aliquot antiquorũ Conciliorũ decreta ad disciplinam pertinentibus, quæ nunquam ubique

tempora, vel observata fuêre, subjicerentur: quòd eam ubique recepta non fuerint, præsertim in Occidente, facilè mihi demonstratu esset, illudque ex Nicæno probare possem, in quo Christianis vetitum fuit, ne cum infidelibus matrimonium contraherent, licèt tempore S. Hieronymi, ut ipse testatur, hujusmodi matrimonia in quibusdam Provinciis tolerarentur: non est igitur, quòd Adversarii illibet decreta, quamvis exoleta, ad disciplinam præsentia, ab antiquis Conciliis condita, fidelibus servanda esse dicant; alioquin nec genu flexo die Dominicis in Ecclesia orationes fundere liceret, nec sanguine, aut suffocatis vesci, nec Sabbato jejunare, nec secundis nuptiis Presbytero interesse, nec peccatum in Ecclesia exponere, nec sedere Diacono eorum Presbytero, nec azyma Judæorum comedere, nec Martyrum natalitia in Quadragesima celebrare, nec saltare in Christianorum nuptiis, nec Laicis Chorum ingredi, nec Crucis figuram in pavimento designere, nec agnum ut Christi figuram exprimere, nec die Passionis Domini ante mediam noctem cibum sumere; bonus sum, qui hæc prosequor. In his, quæ ad disciplinam pertinent, usus præsentis Ecclesiæ nos abundè docet, quibus standum sit: hæc sciunt morales Theologi, antiquos Canones minimè ignorant, omnes singulari veneratione prosequuntur; cæterùm, multos vel à posterioribus Conciliis, vel Romanis Pontificibus, vel ipsa consuetudine hactenus à supremo sacrorum moderatore, abrogatos fuisse; consulunt denique decretales, rescripta, Bullæ, Constitutiones Romanorũ Pontificum, præ quarum dubio procul omni, Juris Canonici partem, & eam, si res ita postulat, morales controversias discutiuntur definiunt, Hæreticis omnino dissimiles, qui Pontificias leges, & sanctæ Sedis decreta vaticano plusquam odio prosequuntur. Hinc Hieronymus à Praga & Lutherus, insignis uterque Hæresiarcha, collectos Juris Pontificii libros, sacrilegis flammis palam devoverunt.

CAPUT VII.

De lectione sanctorum Patrum.

Quæ, inquit, omissa sanctorum Patrum lectione, quosdam Recentiores, qui vix ab octoginta annis scripserunt, semper in manibus habent, eorumque doctrinâ utuntur, ad illorum directionem, qui sese illorum fidei & curæ commiserunt; si quando consulantur, inde exprimunt responsa mota; quamquam vel ex barbaris nominibus satis constet, quo loco illorum doctrina habenda sit.

REFELLITVR.

A Bultimo initium confutationis dicam; ut diversarum nationum homines diverso genio, & lingua, ita diversis affectibus & gustibus gaudent: Hispani, Itali, Angli, linguæ suæ lepores & venustatem; nos Galli, diversæ pronunciationi, & earum expressioni assuefacti & innutriti, aliquas voces nostris alienas sunt: sed ridemus, quia nostris aliena sunt: sed ipsi quoque nostra ridiculissima nobis videntur, v. g. Villalob. Covar. Soto, Coninck, Tanner, Busenbaum, &c. ita nostra iis risum movent: ut Le Tenneur, du Sault, Dupleix, quæ quia nostræ linguæ consonant, dissona & ridicula nobis non videntur: sed his levioribus omissis, ad aliud caput, quod majoris momenti est, orationem converto. Theologi morales, inquit, sanctos Patres non legunt; breviter respondeo, meram calumniam esse, si de iis loquamur, qui moralem Theologiam non summatim, quasi congerendo, sed ex professo, pro dignitate tractarunt; innumeros, tum ex nostris, tum ex aliis appellare possem; sed ne aliqua ostentatio esse videatur, quam maximè fugiendam esse duxi, & cùm inutile sit; quis enim probet, Solem lucere de meridie? haud invitus huic labori parco: & verò, si quis eo fine morales Scriptores legat, ut Theologiam moralem ex doctrina Patrum compositam habeat, facilè consequi poterit; idque, in omni ferè argumento morali, v. g. de jure naturali, in præceptis Decalogi; de re sacra, in Sacramentis, aliisque hujusmodi tractatibus, qui ad regimen exterius Ecclesiæ non pertinent: unus Gratianus omnium loco sit, qui ex sanctis Patribus Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, adductis eorum locis, ferè innumeras morales controversias decidit; ut vel inde constet, à Theologis moralibus sanctos Patres ablegatos non fuisse, cùm ii Gratiani decreto passim utantur, quod ex locis Patrum totum ferè compactum est.

Causa 13. & 26. habet multa *de sortilegiis*, *can.* 22. & 24. *de votis*, *juramentis*, *blasphemiis*, *dist.* 1. *de consecrat. de Dominica.* Caus. 23. *de homicidio & bello*, *d.* 6. *de impuritate.* Caus. 14. *de furto*, *d.* 23. *de mendacio*; cuncta hæc ferè ex Patribus; sed quid in his hæreo? Gratianus totus est in controversiis moralibus definiendis, idque ex Conciliis, Pontificum rescriptis, Patrum locis: Quis porrò moralis Theologus Gratianum non legit? Casuistæ igitur SS. Patres legunt, saltem apud Gratianum, apud quem haud dubiè sinceriores sunt, quàm apud Calvinum, aliosque ejusdem furfuris homines, qui Augustini, aliorumque Patrum locis temerè utuntur, ad errores suos confirmandos: neque his Casuistæ contenti, alios etiam Doctores consulunt, doctrina & pietate conspicuos; apud Sylvestrum longam auctorum seriem, ex quibus ea, quæ habet in summa, excerpserat, invenies, & supra 160 numerabis: Azor supra 200 citat: Barbosa longum illorum censum descripsit: Sanchez idem fecisset, si voluisset, cùm præsertim testetur, nullum à se auctorẽ citatum fuisse, quem ipse non legisset, ac seriò examinasset, Idem dico de Basilio Poncio, qui omnes ferè auctores exhausisse videtur, Patres scilicet, Concilia, Theologos, Juris utriusque peritos, morales: porro inter auctores illos, quos Casuistæ citant, sunt aliquot summi Pontifices, doctrinâ & virtute insignes, ut Innocentius, Adrianus; multi Cardinales, ut Cajetanus, Mantica, Toletus, Lugo; complures Episcopi, ut Antoninus, Zerola, Barbosa; supremarum curiarum Præsides, ut Selva, Thesaurus, Antonius Faber; libellorum supplicum Magistri, ut Tiraquellus; sapientissimi Senatores, ut Boërius; Doctores omnis generis, tum sæculares, tum regulares; accedit, quod non pauci ex illis singulare doctrinam cum eximia vitæ sanctitate conjunxerunt: hi sunt, quos evolvunt & consulunt Casuistæ, non sine maxima prudentiæ laude; quid enim responsi ab iis expectes, nisi quod sanctum, solidum & christianum sit.

Quod autem Adversarius vehementer inculcat, decisiones morales ex Patribus, non verò ex Casuistis petendas

petendas esse, pace illius dixerim, si loquamur in universum, nullius ponderis est: primò, quia Casuistæ suas decisiones adductis Patrum locis confirmant, si fortè de propositæ controversiæ argumento ab iis actum est. Secundò multa sunt in legibus Ecclesiasticis, in ritibus, contractibus, beneficiis, Sacramentorum administratione ac susceptione, regimine Ecclesiastico, de quibus SS. PP. non scripserunt, cum in his forma mutata fuerit; igitur si quid in his controversum fuerit, Patres consuli non debent, sed nova decreta, Ecclesiæ usus, recta ratio, &c. Tertiò, reverà auctor non essem simplici Confessario, parum docto, ut ad legendos SS. Patres, in dubiis conscientiæ, animum applicet, sed potiùs faciliores Casuistas, vel etiam Summistas, Sylvestrum scilicet, Cajetanum, Navarrum, Toletum, Sà; si enim vel unius Augustini lectio viginti annos postulat, ut illius doctrina probè intelligatur, quid amabò aliis ut numero penè innumeris, ita mole propemodùm immensis restabit? præterea vix unum ex mille casibus propositis apud Augustinum inveniet; deindè si Augustini verba ac sensum non intelligat, ut reverà minimè intellecturum pro certo habendum est, cum vir modicæ literaturæ supponatur, quid amabò illi faciendum est; doctiorem certè consulat, oportet, Theologum scilicet probum, pium, prudentem, rerum illarum peritum; cur ergo initio, omisso Augustino, consulere non potuit? Lectio Sanctorum Patrum res sanctissima est, quorum placitis & dictis utraque Theologia, Scholastica scilicet atque moralis mirificè illustratur; at nemini auctor essem, ut in altissimum illud pelagus sese immergeret, nisi plena Theologorum & sacrorum dogmatum scientia instructissimus; vix credi potest, quantum indè semidocti quidam homines capiant detrimenti; ab exemplis abstineo, quia trita sunt & vulgaria; eos tamen tractatus excipio, qui ascetici vocantur, hoc est pii, quia de re polemica, dogmatica, literaria non agunt, sed pias tantùm considerationes, seu meditationes suggerunt, quibus animus illustratur, & voluntas ad pietatis fervorem accenditur: Itaque non negarim, quin maximo cum fructu hujusmodi libros pios, sive à Patribus, sive ab aliis compositos simplex Confessarius lecturus sit, & si meo consilio utatur, illos perpetuò teret, modò scilicèt sanam doctrinam contineant, cum aliquando erroris venenum, sub illa pietatis specie, in nonnullis recentioribus lateat; sed cùm in iis, decisiones casuum, qui occurrunt identidem, non inveniat, alios haud dubiè, Casuistarum scilicet libros evolvat, oportet, aut peritum aliquem rerum moralium Theologum consulat; quid aliud fieri possit, reverà non video.

Nec est, quod rei novitatem Adversarius nobis exprobret, quasi ab octoginta annis Casuistæ scribere cœperint; antiquiores sunt haud dubiè, à tempore D. Thom. de rebus moralibus innumeri ferè scripserunt; quid porrò decretales Pontificum, quid decretum, quid glossa, quid juris Pontificii interpretes scripserunt, nisi rerum moralium decisiones; tot collectiones Canonum, regularum, consiliorum, responsorum, decisionum, quid quæso aliud continent? Casuistæ igitur antiquiores sunt, cum jam indè à primis sæculis casuum compilationes in Ecclesia fuerint: ab initio sæculi quinti Theodoretus casuum collectionem concinnavit, quibus multas decisiones adjunxit ex scriptis S. Basilii petitas; his aliæ deindè accesserunt excerptæ ex libris Dionysii Alexandrini, Petri item Alexandrini, Gregorii Taumaturgi, aliorumque Patrum Ecclesiæ Orientis, quæ tunc maximè florebat; nec propter istas casuum compilationes de disciplinæ rigore quidquam remisserat: imò si hinc altiùs progredi vellemus, unam reperiremus ex canonibus Apostolorum concinnatam, ante annum 255. ac proindè ante Nicænum Concilium, ut observat Illustrissimus & doctissimus Marca: opponet fortasse aliquis, collectionem Canonum summam casuum non esse. Resp. summarum duo esse genera: primum canones & decisiones complectitur, quæ jubent, aut vetant singulares actiones; & ejusmodi est collectio canonum Apostolorum; atque ita dici potest, paulò post Apostolorum tempora, exiguum juris canonici corpus constitui cœpisse, & casuum compilationem; alterum summarum genus in certam methodum ac certum ordinem redigit peccata contra prædictas leges admissa; hæc autem methodus adeò antiqua non est; ita Theologia Scholastica, ut vocant, Patribus familiaris fuit, ipsisque coæva, eam tamen, quam modò habet methodum, à Magistro sententiarum accepit; suas quoque summas Ecclesia Latina habuit, de quibus Antonius, Augustinus, Morinus, *lib. 1. de pœnit. cap. 4.* meminit pœnitentialis cujusdam à Cyprino compositi, qui de singulis peccatorum speciebus & pœnitentiis, quæ iis imponerentur, qui vel scelera admisissent, pertractabat; meminit Illustrissimus Marka collectionis à Burchardo Wormacensi factæ circa ann. 1050. quâ certè aliquando usa est Gallicana Ecclesia: item compilationis Yvonis Carnotensis, profectò satis antiquæ, quod vel deinde ad meliorem formam redacta sit, & innumeris decisionibus aucta, petitis scilicet ex decretis & usu præsentis Ecclesiæ & principiis Theologiæ. Casuistis certè laudi potiùs, quàm vitio verti debet, alioquin D. Thomas, D. Bonaventura, aliique vi sanctissimi & doctissimi, qui methodum illam & formam tradendæ Theologiæ adhibuerunt, ejusdem criminis accusandi essent, quod nemo Catholicus concesserit; & verò soli dumtaxat hæretici, aut istem suspecti homines contra Theologiam Scholasticam hucusque declamarunt: non negarim tamen, inter Casuistas, aliquos esse levioris notæ & auctoritatis, ut reverà in omni artium ac rerum genere accidere solet; sed nihil moror quempiam tribolis Casuistam; ego Casuistas, nostros defendo, viros scilicet, ut plurimùm, doctissimos & prudentissimos, qui rem moralem suis lucubrationibus incredibiliter auxerunt, atque illustrarunt.

CAPUT VIII.

De Ignorantia.

THEOLOGI morales & Scholastici Jesuitarum ad peccandum, culpamque apud Deum commendam, necessarium esse contendunt, ut antillam, quam quis molitur, malam esse sciat, aut istem addubitet, formidetque, ne mala sit; aut displicere Deo, ab eoque prohiberi judicet, eamque nihilominus aggrediatur & perficiat: hæc reverà opinio sceleratissimos quosque alta in pace, nec non in tuto collocat, nec ab ullo pio scriptore etiam hujus temporis traditur, solos Jesuitas recentioresque Scholasticos, repugnante scilicet Aristotele, patronos & defensores nacta.

REFU-

REFELLITVR.

Cùm multi, iique præstantissimi auctores, hæc, cui opponuntur, jam nervosè confutarint, superfluum videtur, hoc loco illorum argumenta pertractare, ne jam actum agam, & crambem. ut aiunt, bis coquam. Uno verbo cuncta diffiare possum, ignorantiam invincibilem, inculpabilem dari, ac proinde culpæ eximere; secus verò invincibilem, qualis est crassa, affectata, supina; nempe hæc ignorantia, illa involuntaria censetur; omne autem peccatum voluntarium ac liberum est; hoc ipsum quidem Theologi & Catholici omnes dicunt, nec ullus unquam hæreticos, saltem quod sciam, refragatur: verò ipsi Heterodoxi ultro concedunt, quod illum non peccare, nec pœnæ obnoxium dicant, qui sine ullo imperium ac legem violando, si legem aut ejus imperium ignoravit: Christus ipse attestatur, vacare culpa Judæos fuisse, nisi veritatem Evangelicam & ejus veram insignibus miraculis confirmassent; *si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, Joan. 15. Ex quibus constat, quamlibet ignorantiam invincibilem, quavis in re, culpæ eximere, omissionem, vel omissionem pœnæ subjectam ignorantia, nisi cognitio præcesserit, quæ voluntati præceptum eamque dirigat, tum ad fugienda prohibita, tum ad exequendum injuncta.

Notes, quod Adversarii dicant, hanc consequentiam non valere, cum ignorantia illa ex antecedenti peccato oriatur, in cujus pœnam, hanc ignorantiam Deus permittit, vel immittit, cujusmodi est legis naturalis & Decalogi ignoratio, ac supernaturalium mysteriorum, quas Adami posteri minimè ignorarent, si Adam minimè peccassset; igitur hæc ignorantia à primo illo peccato derivata ex eodem fonte malitiam derivat, quam in actiones, vel omissiones inde consequutas traducit; at verò legis humanæ culpabilem ignorantia invincibilis subditos non excusat, imò & legis divinæ positivæ à lege naturæ distinctæ; hinc ignorantia legis Evangelicæ à Joanne Christo attestante, noxâ liberasset; sed hæc cavillatio futilis est, quisquis enim sensum communicationem ipsam consulit, perspicuè intelliget, peccata, quæ ex ignorantia invincibili, quam Adami peccato contraximus, à nobis admittuntur, haud quidquam nobis ita non imputari, ut ab iis Deus non puniat; supponamus enim effossos alicui oculos, vel fracta crura, in pœnam præteritorum criminum; quis amabò Herus ab eo exigat, ut ea præstet vel oculorum, vel tibiarum usum & operationem obeant; vel nisi præstet, eum justè plectat; quis sanè nisi ab omni humanitate alienus id faciat? nemo servum illum culpæ non eximat, quamvis oculos sua culpa amiserit; cum igitur Deus non sit justior sit, & ignorantia illa, quæ ex Adami peccato fluxit, multo minùs homini, quam dicto servo cæcitas, crimini tribuenda sit. Verùm propter hujusmodi ignorantiam puniri neminem affirmare audeat, eumque vindictam operum faciat, quorum malitia operantibus nota fuit?

Lex non obligat, nisi sit publicata; legis autem promulgatio, ipsa hominis ratio est & cognitio, quæ verâ si careat, idque sine sua culpa, justè excusat, eo quod eam legem violet, quam invincibiliter ignorat: utriusque ignorantiæ, culpabilis & inculpabilis meminit Augustinus: illa est, qua quis aliquid ignorat, quod scire possit & vellet; hinc voluntaria ignorantia censetur, quia vult ignorare, quod ignorat: altera verò involuntaria est, quia reverâ ignorare non vult, & revera doceri vellet, si posset, ac se ignorare sciret. Hinc optimè deducit Augustinus, hanc ignorantiam invincibilem nec culpæ, nec pœnæ obnoxiam esse; ille, inquit, ignorans potest excusari à pœna, qui à quo disceret, non invenit, *in lib. quæst. vet Testam.* refertur à Gratian. *c.16.d.37.* ubi addit Gloss. *à pœna*, inquit, id est, à peccato, pro quo debetur pœna, vel à pœna æterna: ratio porro est, quia nemo peccat, nisi velit peccatum, cum peccare sit voluntatis; at nemo id velle potest, quod nescit, cum voluntas non feratur in incognitum; igitur ubi est ignorantia, scilicet invincibilis, ac proinde involuntaria, nequit esse peccatum; cum autem dixi, eum, qui peccat, peccatum velle, ita intelligi debet, ut illud velit, non directè, sed indirectè; nec enim voluntas in malum directè fertur, sed indirectè, id est, in illud bonum, cui malum annexum est.

Non omittam quædam absurdissima, quæ iis glutienda sunt, qui volunt ignorantiam invincibilem juris naturalis à peccato non liberare: primum est, innumeros ferè Christianos, qui per ignorantiam aliqua Decalogi præcepta violant, invincibilem scilicet, damnandos esse; quis enim modus eos liberandi ab æterna damnatione? secundum verò, nonnullos ex iis, qui in album Sanctorum ab Ecclesia relati sunt, eidem damnationi addictos fuisse: nempe si D. Thom. putet, aliquid esse juris divini, aut naturalis, v. g. talem contractum esse injustum, & D. Bonaventura secus sentiat, errat alteruter; supponamus hunc esse, igitur probabiliter damnatus est, erroriisque sui, quantumvis invincibilis, pœnas dabit; tum quia ipsa ignorantia peccatum est omissionis, cum teneatur scire; tum quia errorem adstruxit, tum demum quia in errorem alios induxit: tertium denique, multos ex sanctis Patribus, (dicam fere omnes, quis enim aliquo errore non laboravit) divinæ justitiæ obstrictos esse, ac proinde damnatos, quod aliqua ignorarint ad legem naturæ pertinentia; nempe illos, ut volunt Adversarii, nulla excusat Ignorantia; quis amabò tam absurda piis auribus excipiat?

Exprobrant deinde nostris Theologis, quod cum hi doceant, ea non puniri à Deo peccata, quæ ex ignorantia invincibili fiunt, corruptissimos quosque homines, & omni vitiorum genere contaminatos, scrupulis omnibus eximant; quia scilicet isti ea mali cognitione non pollent, quæ ad peccandum necessaria sit; hoc sanè est, inquiunt, fovere vitia & corruptos hominum mores; quis enim curabit ea scire, quæ si sciat, peccat, & peccato eximitur, si nesciat: hoc telum facile retunditur: 1. pauci sunt, quos in omnibus, invincibilis ignorantia excuset; licèt enim fortè nesciant, hoc, vel illud peccatum esse, alia tamen admittunt, quæ mala & illicita esse, non ignorant. 2. si quis negligat scire, quod scire debet, illum haud dubiè ignorantia non excusat. 3. dubitant saltem exquisiti illi peccatores, ne aliquid mali insit, hoc dubium eos in tuto esse, non finit; nam vel inquirere, vel abstinere tenentur, si reverâ dubitant: quænam porro Casuistarum culpa sit, ignoro; Titius invincibiliter ignoravit, aliquid peccatum fuisse, quod ipse bona fide, per ignorantiam admisit; quæritur à Casuista, utrùm is peccaverit, hic prudenter negat, cum id asserere, erroneum sit; an jure probro ipsi vertitur, non astruere aliquid erroneum? sed libri pii non docent, ignorantiam peccato eximere; hæc est tertia pars accusationis, eaque non minùs quàm cæteræ injusta. Quis enim liber

pius ab auctore Catholico editus docet, ex ignorantia invincibili peccari? ex crassa quidem & affectata peccatur; hinc Deum oramus, ut ignorantias nostras non meminerit; at omnes libri pii, vel ascetici, ut dogma fidei omnino supponunt, ignorantiam invincibilem peccato eximere, nempe ad merendum & demerendum, liberam actionem, vel omissionem esse oportet; libertas autem cognitionem supponit, equidem libri ascetici hoc argumentum non agitant, neque id illorum institutum postulat; hoc dumtaxat Theologorum est, tum Scholasticorum, tum moralium, tum etiam sacri textus expositorum; hi pro dignitate rem discutiunt, statuuntque omnes omninò, neminem ex Catholicis excipio, ignorantiam invincibilem quantumvis ab originali noxa profectam peccato eximere, secus verò crassam & affectatam, quia hæc voluntaria censetur; vel enim qui sic ignorat, non vult scire, vel saltem cum posset, negligit inquirere. Hi porro consulendi sunt, ad morales controversias decidendas, non verò Ascetici, exemplo sanctissimæ Virginis Theresiæ, quæ in hoc negotio, doctissimos quosque adhibere solebat; neque in iis pietas desideratur, licet libri pii à Theologicis & moralibus vulgò distinguantur: nempe illi controversias fidei, vel morum non discutiunt, sed discussas supponunt à Theologis, eumque potissimum finem sibi proponunt, ut homines ad Dei cultum, divinum amorem, virtutum praxim, & totius vitæ reformationem promoveant. Sed bonus sum, qui hîc hæreo, ubi nullus Catholicus adversatur.

Frustra autem sibi persuadent Adversarii, Aristotelem ab illorum partibus stare, voluntque, duplex genus ignorantiæ ab Aristotele cognitum fuisse, facti scilicet & juris; ignorantia facti involuntaria est, ac proinde à peccato liberat; sic actio Meropis, cum non hostem, ut proposuerat, sed filium pro hoste occidit, involuntaria fuit, ideoque excusanda; contra verò, inquiunt, non excusat peccatorem ignorantia juris, sed pœna dignum reddit: de hac distinctione sub his terminis nihil prorsus apud Aristotelem; nec minùs una, quàm alia coram Deo, modò invincibilis, in foro conscientiæ excusat: equidem in foro externo, ut vocant, ignorantia facti faciliùs excusatur, quàm ignorantia juris; nempe ille, qui legem violat, supponitur, saltem ut plurimum, ac præsumitur legis obligationem minimè ignorasse; & hoc valet apud Judices, de rebus judicantes ex præsumptionibus; apud Deum non ita, qui corda & renes scrutatur: si Judices scirent; legem ab eo violatam, qui latam fuisse, nulla sua culpa ignoraret, impunitum illum dimittere tenerentur? & verò eadem ratio utrimque militat; nempe ideo ignorantia facti excusat, quia involuntaria est; sed ignorantia juris, invincibilis scilicet, non minùs involuntaria est, ut patet; igitur vel utraque, vel neutra excusat: præterea certum est, Aristoteli originalem noxam compertam non fuisse; igitur nescivit ignorantiam legis naturalis à peccato derivatam fuisse; igitur hoc discrimen leges positivas inter & naturalem non agnovit; igitur vel utramque ignorantiam noxæ ac pœnæ eximere censuit, vel neutram: sed cur in re adeò clara & Catholica, diutiùs hærerem? pro qua auctores non cito, alioquin omnes Catholici adducendi essent.

***

CAPUT IX.

De eadem Ignorantia.

AD forum experientiæ Adversarii provocant, qua scilicet, inquiunt, omnino constat, quosdam sceleratissimos homines de Deo, de peccato, de pœnis nunquam cogitare; in omni voluptatum genere tuti & quieti versantur, nec unquam illos conscientia interpellat, nec ullo peccati, aut mali sensu ducuntur, quis porro istos insontes & à culpa immunes, quamvis ignorantes & minimè cogitantes sint, existimet.

REFELLITUR.

EXperientiæ forum ultro admitto, & advoco illorum quempiam, quos exquisitæ & consummatæ nequitiæ esse volunt, eumque interrogo; supponam enim, illum aliquando Christianis moribus institutum fuisse, nec omnino barbarum, qui de Deo, de virtute, de religione, nihil unquam inaudierit; ecquæro igitur ex illo, utrùm saltem dubitet, ubi hoc, vel illud flagitium admittit, ne aliquid mali insit? Respondebit fortè se minimè cogitare, nec ullis conscientiæ stimulis perstringi; insto, an vel minimum quid sentiat; negare non audet, aliquid quasi confusè apparere, quod fortè non pungit cor, sed tantillum pulsat, & leviter saltem vellicat; vocem quandam interiorem esse, quæ monet, actionem illam esse illicitam; vocem inquam valde remissam, ad quam tamen minùs attendit, attenderet tamen, si vellet; sic dum quis meditabundus ambulat, non attendit ad illa objecta, quæ in oculos incurrunt, & quæ confusè tantùm videt, distinctè tamen videret, si vellet: illa conscientiæ vox est, quam sensuum, voluptatum, & passionum tumultuantium vis penè opprimit, aliquid tamen, licèt exiguum, restat, ad instar fermenti, aut seminis majoris advertentiæ; nempe illius ope, homo, si velit, vocem illam, dictamen illud conscientiæ facilè audiet: hæc germana est experientia, quam nemo profectò neget; sed dicet fortè cinorosus ille, se nihil sentire, nihil audire, nihil advertere; id sanè, si de clara & indistincta advertentia sermo sit, omnino concesserim; secus verò de confusa, indistincta, & fere impercepta, cujus tamen ope, distinctam & perfectam obtinere posset, si velit: si quis confusam illam se habere obstinatè neget, detrectabo fidem, nisi barbarus sit, aut barbarus; si quis tamen aliquid ageret, quod tamen malum esse invincibiliter ignoraret, reverà non peccaret, hoc ullus auctor Catholicus refragatur; at pauci sunt qui ignorantia invincibili teneantur, præsertim quando agitur de flagitiis majoribus & enormibus in iis scilicet regionibus, quæ legum & societatis publicæ usu fruuntur.

Martinus Lutherus, vir ille tot flagitiis & sceleribus infamis exemplo esse poterit, qui cum quopiam consuleretur, pro sedandis conscientiæ stimulis, quos hic patiebatur, ingenuè respondit, scire se hujusmodi stimulis agitatum fuisse, longè tamen eo tempore mitiùs ac remissiùs, quamquam ab iis omnino liber non esset: aliquid igitur stimuli conscientiæ sceleratissimi homines patiuntur, alioquin Luthero longè nequiores essent; & licet stimulos illos non sentiant, non carent tamen cognitione mali

...biunt, peccatum esse, licet peccati pœnam ...meant; allucscunt enim flagitiis, sic fur initio ...ve aliquo terrore furatur, deinceps longo su- ...dine timorem excutit, licèt sciat se furari & fur- ...peccatum esse: & verò si quæram ex eo, qui lon- ...furandi habitum contraxit, an sciat, se furari, ...verè furatur, risu potiùs & sibilis, quàm ...illo hanc quæstionem excipiet; si enim ...vult furari; si vult furari, furtum esse cog- ...si deinde iterum quæram, an sciat furtum ...esse, me quoque ridebit, quasi verò id nes- ...centies & millies audivit: si demùm quæ- ...utrùm ab hoc furto abstinere possit, si velit; ...negabit, alioquin necessario furaretur, ...habere; at nemo necessariò peccat; si autem ...malum omittere possit, malum esse cog- ...cum fieri nequeat, ut quis aliquid ut ma- ...fugiat, nisi malum esse cognoscat; hæc illa vis ...verè ac plenè sufficientis, qua nemo ca- ...peccat, alioquin non peccare non posset, & ...est, & omnes Catholici tenent; illa au- ...motione interiore vel cordis, vel mentis, po- ...est, cujus sanè illapsus diversus est: hunc enim ...peccato revocat timore, illum amore, alium ...illustratione, vel instinctu, vel monitu, &c. ...gratia illa vix percipitur sensu; exilis scin- ...illa est, & motus fere imperceptus; si tamen ho- ...illud modicum vel exiguum, longè ma- ...vim acquirit; sic opera naturæ & gratiæ, sal- ...plurimùm, à minimis incipiunt. Sed frustra ...Calvinas sendo, qui reverà si sunt Catholici, aliter loqu, ascribere non possunt, cum dicunt ...antem invincibilem peccato eximere; nisi e- ...peccato eximat, peccatum illud vitari non po- ...si vitari non potest, necessariò peccatur, non ...quod hæreticum dictu est; illud autem ma- ...fingere homo non potest, quod malum esse ita ...at, nimis circumstantiis, scire non possit; de- ...gitur gratia sufficiens, qua is indiget, ne peccet, ...pergnorantiam invincibilem peccat; sed hoc ...hæreticum dictu est, jam ad alia magis mora- ...gudem facimus.

CAPUT X.

De Quæstionibus inutilibus.

...ræ leviculas & nugatorias quæstiones mo- ...v.g. cum quærunt, utrùm qui post mediam ...diem, 21. annum impleverit, eodem ipso die je- ...neretur; & si de hoc dubitet, utrùm jejunii ...meatur.

REFELLITVR.

...Ultæ in Senatu, imò in Ecclesiasticis tribuna- ...libus ejusmodi quæstiones idemtidem propo- ...ex quibus totius causæ decisio pendet, ut in ...professione, matrimonio, aliisque contracti- ...qui certum quoddam tempus tanquam condi- ...essentialem exigunt; in causa nuptæ puel- ...examinatur an duodecimum annum impleve- ...de matrimonii validitate judicetur: item in ...Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, quæritur an ...ptum juxta canones tempus exegerint, ut ...sciatur an incurrerint in censuras in eos latas, qui ante legitimam ætatem ad sacros Ordines promoventur. Item in administratione Sacramentorum, ejusmodi quæstiones à gravissimis Theologis pertractantur, v.g. an sufficiat capillos, vel ungues pueri aqua tinxisse, ad validitatem Baptismi; an is, qui guttam aquæ imprudens glutiit, ad Eucharistiam accedere possit: in Levitico & Exodo nihilo his graviora sancita legimus; & Patres interdum rarò licet, inter serias quæstiones alias paulò leviores aliquando admiscent. Quisquis verò dubitat, an 21. annum exegerit, si adhibitâ morali diligentiâ, dubius adhuc manet, non tenetur ex universali regula, quia dubia obligatio certam exequutionem non postulat. Ita Doctores communiter, Laym. *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 6.* qui citat Sylvest. Cajet. Navarr. Tolet. Tambur. *lib. 1. c. 3. §. 7.* Sanchius *d. 43. num. 7.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 41. num. 38.* Castr. Pal. *tract. 1. d. 3 p. 7. num. 7* & alii communiter, sed cur in his hæreo?

CAPUT XI.

De Jejunio.

ITEM illum à jejunio liberant, qui in persequenda libidinosè puella, ita defatigatus sit, ut vires penitùs exhauserit.

RESPONDETVR.

QUis amabò illum inedia perire statuat, quem ex accepto in monomachia vulnere, fusique sanguinis copia, vires defecerunt? quis nescit, præceptum, ut obliget, possibile factu esse debere, eo tempore, quo infringitur? nulla unquam est peccandi hîc & nunc necessitas, nec in eam ex prævio peccato incidimus: quisquis ergo ex defatigatione, etiam illa, quæ cum peccato conjuncta sit, ita vires fregit, ut sine gravissimo incommodo, jejunium servare non possit, præcepto illo Ecclesiastico minimè tenetur; si autem eo fine defatigari voluit, dando operam rei illicitæ, ne jejunaret, novam inde malitiam actio illa contrahit, haud dubie Confessario explicandam, cum facta sit in fraudem jejunii; non tamen propterea, inductâ semel necessitate non jejunandi, novum peccatum admittitur; quæ sanè doctrina communis est. S. Antonin. 2. *part. tit. 6. cap. 2. §. 6.* Medina *in* 1. 2. *quæst. 77. art. 4.* Sylvester *v. jejunium.* Cajetan. 1. 2. *quæst. 77. ad 3.* Angelus & Tabiena *v. jejunium.* Navarr. *cap. 21. num. 334. & cap. 12. num. 39. &c.* Sancius *disp. 54. num 2.* Filliuc. *tract. 27. punct. 2. cap. 6. num. 123.* Tamburin. *lib 3. cap 5. §. 7. num. 32.* Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 3. num. 5.* Paludan. *in 4. d. 15. quæst. 4. art. 1.* omitto alios: itaque quisquis impedimentum exhibendo jejunio apponit in fraudem jejunii, tunc sanè peccat, at deinde sine novo peccato comedit, quia jejunii incapax est; si autem actio illa, per quam impedimentum apposuit, ex se mala fuit, duplex malitia, propria scilicet actionis, & extrinsecus adveniens, ab appositio scilicet impedimento, actionem illam vitiavit; scio, nonnullos esse, qui violationem illam jejunii peccatum esse asserant, quod tamen ita intelligendum est, ut non quidem novum peccatum sit in se, sed jam ante admissum in radice, in tantum enim

contra præceptum jejunii peccavit, in quantum posuit impedimentum sine justa causa, eo scilicet fine, ne jejunaret, quod revera tenebatur non ponere; & hæc communis est omnium rem hanc intelligentium doctrina.

CAPUT XII.

De Eleemosyna.

LIBERANT etiam divites ab onere faciendi eleemosynam de superfluo, in ordinaria; & de necessario, pro sua quemque parte, in extrema egestate.

REFELLITUR.

NE fortè ex hac concertatione aliqua, vel in pauperes calamitas, vel in Theologos invidia redundet, & apud Deum reus sim, qui divites immisericordes gehennæ addicturus est, misericordes verò recepturus in cœlum, profiteor, quicquid à me dicetur, eo tantùm consilio dici, ut Confessarii scrupulis eximantur, qui plerumque ambigunt, an iis debeant absolutionem denegare, qui juxta strictiores quorumdam opiniones, eleemosynas non erogant, & nulla deinceps quidam pii homines anxietate conscientiæ laborent, qui licèt pro facultatum suarum ratione eleemosynas faciant, anguntur tamen animo, quasi suo muneri non satisfaciant; tantùm abest, ut divitum avaritiam duritiemque adversùs egenos defendendas susceperim; contestor etiam, me obsequi paratissimum, illa omnia, quæ à me dicentur, Doctorum judicio ac censuræ subjicere, & si quis validis rationibus ostenderit, præceptum eleemosynæ latiùs adhuc patere, & majorem inducere obligationem; gratum mihi accidet, & ex templo ejus me sententiæ subscripturum promitto: nempe jam à multis annis super hac re dubius consilii pendeo; inclinatio voluntatis egenis maximè favet; nulla tamen invicta ratio hactenus occurrit, qua divitum excusationes refutare possim, quos sanè nisi firmissima ratio evincat, damnandos esse nemo sanus censuerit.

His præmissis, duo præcepta faciendæ eleemosynæ Adversarii statuunt: primum est, dandi de superfluo in communi, vel ordinaria pauperum egestate, qualis est vulgo mendicantium: alterum dandi de necessario, ad retinendum statum, in extremis pauperum angustiis; rectè, sed primò significare debuissent, ubi tandem hæc duo præcepta extent, & loca citare; nisi enim vel ex sacro Evangelio, vel ex Conciliis aliquis textus proferatur, intra fines legis naturalis præceptum faciendi eleemosynam à Christo relictum est, ut & præcepta Decalogi. In hac igitur materia; opinionum diversitas non est facilè damnanda, siquidem sapientissimorum Doctorum judicia discrepant in conclusionibus ex jure naturali deductis. Secundò duas tantùm agnoscunt pauperum necessitates, ordinariam scilicet & extremam; cum tamen Casuistæ tertiam addant, gravem scilicet, vel urgentem, quod revera necessarium fuit: nam pro varia pauperum inopia, varia est obligatio faciendi eleemosynam. Tertiò, quid nomine status, vel conditionis personæ intelligi debeat; quod tamen faciendum erat, ut rectè judicaretur, ecquid & quatenus teneantur divites iis succurrere, quorum status periclitatur, licet omnino mendici non evadant: existimarunt fortè illa duo axiomata generalia sine ulla probatione ab iis adducta satisfacere; sed non ignoramus, eos sæpe hallucinari, quæ difficultates certis quibusdam regulis generalibus definiunt, ut rectè observat Duarenus, *nihil est periculosius*, inquit, *in jure, quàm per universales theses aliquid definire*: hæc igitur, quæ omiserunt, explicanda esse mihi videntur.

Triplex igitur est pauperum necessitas, ordinaria scilicet, extrema, & magna, seu gravis & urgens: prima est mendicantium ostiatim: secunda, quæ hominem in proximo periculo vel mortis, vel morbi incurabilis ponit: tertia denique licèt extrema non sit, ad eam tamen facilè vergit; v. g. si quis in magna annonæ penuria, per unum, vel alterum diem nihil inveniret, quo vesci posset, aut sæviente frigore, veste careret, vel eo morbo correptus jaceret, qui facilè incurabilis evaderet: huc nonnulli revocant periculum excidendi ex proprio statu, quod tamen alii negant, sed de hac lite paulò post agam. Status verò seu conditio personæ est quoddam vitæ genus, quod aliquem ordinem in rep. constituit; apud majores, quando mancipia & servi erant, libertinus hominis censebatur; in Gallia modò statum vocant, quia servitutis nomen & onus penitus obliterat, itaque opifices habere statum dicuntur: item agricolæ, qui suos agros colunt; cives, qui suis reditibus vivunt; mercatores, forenses, Nobiles, Principes, ac Reges; regius enim status supremus est: denique multis modis aliquid dicitur superfluum vel necessarium: 1. aliquid erit superfluum servanda vitæ, sed necessarium honori, vel famæ. 2. superfluum honori, sed necessarium præsenti statui; superfluum præsenti statui, sed necessarium ad majorem statum legitimè ac justè obtinendum. 4. omnino superfluum; hæc probè distinguenda sunt, ut mens auctorum, qui de hoc argumento scripserunt, intelligatur.

His suppositis, ad primum illud præceptum ab Adversariis inculcatum venio, quo scilicet jubentur homines dare de superfluo, in necessitate ordinaria, ac dico, esse inutile, & moraliter impossibile, divites inde obligari dicantur sub pœna peccati mortale quidem, quia superflui quantitatem non determinat; impossibile verò moraliter, quia si totum superfluum detur, nunquam opifices ad pinguiorem fortunam pervenient; nunquam agricolæ fundum suum amplicare poterunt, nec quispiam ditior fiet: quod si quantitas superflui dandi determinetur, hæc semel data, si alii mendici peræquè egentes accedant, vel his quoque de superfluo dandum est, vel non dandum; si dandum, igitur totum superfluum exhaurietur, ut jam dicebam; si verò non dandum, id est, si non est obligatio dandi, nulla etiam fiet obligatio dandi primam illam partem superflui cum unum tam sit superfluum, quàm aliud, & mendici qui secundo loco accedunt, sint æquè egentes: nec est, quod aliquis dicat, præscribendam esse à legis latoribus moderatoribus eam superflui partem, qua mendicorum penuriæ succurrat, quia profectò necesse non est, alioquin prætermissum minimè fuisset; satius igitur est, hortari fideles ad faciendam eleemosynam, quàm Doctores Catholicos damnare, qui dicunt, in necessitatibus ordinariis divites obligandos non esse sub pœna peccati ad dandum residuum; cum alioqui satis constet, huic communi penuriæ satis consultum esse; imò vix aliquem ex

...ipem in egenos erogant, invenias, qui hanc ...ligationem impositam sibi esse censeat; non ...ò peccato impositam sibi esse censeat; non ...propterea divites cessant egenis liberaliter o... propterea damnandi ...; quòd autem divites propterea damnandi ..., necabsolutio Sacramentalis iis deneganda, ...docent multi, Halensis *in* 4. *quæst.* 113. S. Antoninus, Gabriel *in* 4. *d.* 16. ...*art.* 2. *tit.* 1. *cap.* 24. §. *ult.* Gabriel *in* 4. *d.* 16. ...*art.* 2. *concluſ.* 5. Major *in* 4. *diſp.* 15. *quæſt.* 7. ...*mat. de ſept. pecc. cap.* 35. qui teſtatur *de com...* Vaſq. *tract. de eleemoſ. c.* 1. *dub.* 3. & 4. Sà *verb.* ...*nus*, n. 2. Medina *q.* 3. *de eleemoſ.* Luiſ Turrianus, n. 2. Medina *q.* 3. *de eleemoſ.* Luiſ Turrianus, n. 2. Suar. *de charit. diſp.* 7. *ſect.* ...*n.* 2. *diſp.* 82. *dub.*

conscientiæ anxietas inde proveniret, & animorum perturbatio; hæc autem eo fine dico, ut multos religiosæ conscientiæ homines ab illa perplexitate liberem, non verò ut quemquam ab eleemosyna facienda abstraham; date enim eleemosynam & omnia munda sunt vobis; & divites scire velim, aliquando fore, ut Deus accuratissimam rationem divitiarum, illarumque usus ab iis exigat.

CAPUT XIII.

De Simonia.

IDEAM quandam fictitiam simoniæ prædicti Theologi excogitarunt, quæ nunquam in mentem simoniacorum venit, quæ temporale bonum in se ipso spectatum tanti æstimat, quanti spirituale in se ipso spectatum; sic dari potest, inquiunt, temporale pro spirituali duobus modis. 1. ita ut temporale pluris æstimetur, quàm spirituale, quod simonia est, 2. ita ut temporale sit quidem motivum conferendi spirituale, pluris tamen, quam spirituale non fiat, quod simoniæ vitio caret.

REFELLITVR.

NUllus unquam moralis Theologus docuit, ad simoniæ vitium contrahendum, requiri, ut temporale pluris fiat, quàm spirituale; sufficit enim ut unum detur in pretium alterius: in duobus igitur conveniunt Theologi; primum est, rem spiritualem verbi gratia, sacrificium missæ, professionem religiosam, beneficium vendi non posse, pretio pecuniæ, vel alterius temporalis æquivalentis; videri possunt Major *d.* 25. Victoria *de simonia n.* 10. Soto *de justitia quæst.* 6. Cajetan. *in summ. verb. simonia*, appello istos, quia in hac materia strictiores sunt; Alterum est, accipi posse pecuniam pro re spirituali, modò ex motivo honesto accipiatur, non verò titulo pretii: sic approbat Ecclesia gratuitum stipendum, quod datur sacerdoti, ut faciat sacrum, ut administret Sacramenta, ut choro interfit, ut preces efferat pro vivis & defunctis; in his duobus omnes Theologi conveniunt: aliud est, de quo inter illos disputatur, quandonam scilicet pecunia illa habeat rationem pretii, & qui dat rem spiritualem, eam vendere censeatur: D. Thom. videtur putare, tunc censeri, quando tradit spirituale propter pecuniam accipiendam, tanquam propter principalem finem; subscribit Major *d.* 25. *quæst.* 2. §. *sed contra*, ubi asserit, sacerdotem simoniacum esse, qui facit sacrum propter pecuniam, ut propter finem principalem, sine quo sacrum non faceret; alii tamen Canonistæ & Casuistæ huic opinioni, quæ D. Thomæ esse videtur, non subscribunt; refragatur etiam Sotus *q.* 6. *art.* 2. ubi docet, finem principalem percipiendi distributiones, sine quo aliquis Canonicus choro minimè interesset, vel grandis pecuniæ, sine qua virgo ad professionem religiosam non admitteretur, simoniæ labem non inferre: sed vult, ad simoniam requiri, ut vera venditione ipsa, aut virtute interveniat, & pro spirituali detur, vel accipiatur temporale, titulo pretii, Tannerus & Valentia idem prorsus sentiunt.

Non est igitur, quod adversarii opponant, hanc fictitiam esse Ideam simoniæ, ad quam ii, qui vendunt Sacramenta minimè attendunt; rescindi facilis est, ut vix mulierculatum captum [illegible] quis enim nescit, aliud esse vendere sacrificium missæ, aliud nolle rem sacram facere, hoc tollito illo medio; item aliud est, vendere professionem religiosam, aliud nolle admittere ad professionem sine dote; nulla igitur, inquies, simonia erit; quis enim adeò stolidus excludere non possit rationem illam venditionis & pretii? Hoc certè eadem facilitate negari potest, qua adstruitur; & dico, eum qui ita disputat esse [illegible] actu, virtute, vel habitu, ut nullo modo vendere aut emere rem spiritualem temporali, seu habere temporalem ut spiritualis pretium, non admittere simoniam contra jus divinum, dando rem spiritualem, gratitudinis causa, pro temporali accepta, donum absque ullo pacto prævio, quo temporale pretii loco statuatur; si quis autem hac dispositione actuali, vel habituali careat, detque pecuniam pro re spirituali, ut unum adæquet alteri, ideoque pretium, incurrit in peccatum simoniæ contra jus divinum, licèt expressè non advertat, in ea permutatione, rem spiritualem mercis, temporalem pretii vices obtinere.

Quivis igitur beneficiarius, inquies, hujusmodi formalitatum peritus, necdum profligatæ contentiæ pecuniam, vel aliud temporale accipere potest pro beneficio resignato; Respondeo, id fieri non posse; quia 1. leges Canonicæ id vetant; ita rem definit ac limitat Tannerus; 2. Quia vix sine pacto hæc fiunt, quod si accedat, simoniam esse constat: observandum tamen est, Concilia & Pontifices, quibus prohibetur, ne compensationes temporales in beneficiis accipiantur, loqui de compensationibus, pactione inter partes firmatis, non verò de meris gratuitis, de quibus pacto conventum non fuit, v. g. Episcopus alicui gratificatus est opportunè, ordinique si conferendo, is grati animi ergo, equem Episcopo vult dono dare; hic sine simonia potest accipere, *etsi quæstionis de simonia, ea. sicut Episcopum* [illegible] quia ejus oblatio nullam culpæ macolam ingerit, quæ non ex ambitionis petitione processit: Innocentius, Archidiac. Hostiens. Turrecrem. Hugo, Navarrus idem sentiunt. Apud alios auctores multos similes casus invenies, in quibus docent, posse dari pecuniale pro temporali, si compensatio sit meræ gratuita, & nullum pactum intercesserit: exempli causa, si advocatus gratuitam operam Episcopo præstitit, hucusque gratiam rependere, beneficium conferendo filio advocati; idem potest capellano suo, qui gratuitam illi navavit operam, beneficium conferre, modò recta utrimque sit intentio, & nullum pactum expressum, vel tacitum interveniat. Victoria *de simonia n.* 4. docet, ab eo non admitti simoniam, scilicet contra jus divinum, qui dederit aliquid temporale collatori beneficii, ut ejus amicitiam sibi conciliet, aut cogitet, amicitia illa uti, in commodum suum; quidem ut valde improbat Victoria, & ego quoque improbo, ita libera à simonia, scilicet contra jus divinum.

Ex his, ad casum ab adversariis propositum facilè respondetur, utrùm scilicet Beneficiarius, pro resignato beneficio tria millia nummûm accepere possit; & ut responsio facilius intelligatur, supponamus, Ecclesiam vetuisse, ne quid Sacerdos pro faciendo sacro accipiat; hoc posito, quæro exte, an [illegible] Sacerdos pro sacrificio Missæ accepta pecunia, simoniæ labem contrahat: illico distinguendum putat, si pecuniam, inquis, accipiat ut pretium sacrificii, admittit

dentis peccatum simoniæ contra jus divinum; si verò spiritualis ratio titulo, adhuc ita distinguis; nam ecclesia absolutè prohibet quidquam accipere, nomine vel titulo; vel tantùm præmii prævia pacta de hujusmodi stipendiis, quo jam fieri solent; si primum dicas, præfatus Sacerdos admitteret simoniam contra Ecclesiasticum; si verò secundum, & nullum pactum concesserit, nulla erit simonia: hæc responsio propositum calum omnino quadrat, pro foro conscientiæ, & quivis eam facilè applicabit; foro verò externo, simonia censebitur præsumitur eam pactum præmium, saltem tacitum, quod certè præsumitur in materia beneficiali, quàm in Missæ: hæc responsio, meo judicio rem Valentiam ætate sua fortissimum hæreticorum oppugnatorem ab omni nota liberat. Damnandum igitur est omne pactum, etiam tacitum, in quod datur pretium rei temporalis pro spirituali; damnandum, inquam, ut simoniacum contra jus divinum, utrum quis antecedenter se obligat, sub præmio pure gratitudinis, ad dandam pecuniam, vel illud æquivalens pro re spirituali; quia pactum præmium solam gratitudinis obligationem non induxit, sed jubilæ, aut quasi justitiæ; si quis tamen propter rem spiritalem jam acceptam, sine ullo pacto prævio, ex mera gratitudine, det aliquid temporale, nemo est simonia contra jus divinum, ad quam non requiratur, ut formaliter intendatur dare temporale pro spirituali titulo precii, si fortè non adsit alius titulus formaliter excludens precii titulum: Quod autem requiratur aliquam simoniam contra jus divinum, ut res temporalis, quæ datur pro spirituali, teneat rationem precii, docent Theologi; ita definit simoniam D. Thom. 2. 2. q. 100. *& in 4. d. 25 & quodlib. 8. Simonia est pravissima voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituali annexum*; hanc definitionem tradidit Gloss. *in sum. 1. q. 1. & in cap. quicunque, ibid.* & probarunt Canonistæ *in rubr. de simon.* item Summistæ *verb. simonia*; ac demum Theologi Alens. Antisiodor. Antonin. Armachan. videantur *de simon. lib. 4 cap. 1. num. 9.* & Barbosa *ad cap. ejusdem de simon.* ubi refert multos, asserentes, simoniam non committi contra jus divinum, quando pretii non intercedat; Sylvester expresse *verb. simonia, 3. tertio quæritur.* Cajetanus *in summ. verb. simonia.* Suarez fusè & doctè *lib. 4 cap 36. & 44.* Navarrus *in manual. c. 23. num. 100.* Gerson *de simonia, propos. 5.*

Ad hanc pretii rationem explicandam Theologi requiruntur nomine adæquationis rei temporalis spiritualis, ut D. Th. *in 4. d. 25. q. 3. ad 1.* Gerson. *de simonia, prop. 10.* idem porro est adæquare pretio, æstimare; necest, quod aliquis putet, adæquare æstimare, ac existimare rem spiritualem non pluris esse, quam temporalem, quod à Theologorum communissimum est; cùm ad simoniam sufficiat, si talem sententia, si absque ullo respectu ad alium titulum, qui fundare possit justam pecuniæ acceptationem, detur aliquid temporale pretio æstimabile, secundum traditionis rei spiritualis, licèt nihil cogitet de formalitate pretii: Theologi hoc verbum *æquare, æstimare* acceperunt: Conan. *lib 7 c. 5. n. 2.* Gotofred. *in quæst. 48. § qui sur ff. de furtis*, hanc pretii rationem habent *pretium est*, inquiunt, *cum æqua æstimatione, pecunia pro rebus solvitur*; hinc Conan. *lib. 4 cap final.* ex Varrone, pretium æstimationem peritium, qui statui debet ex opinione communi eorum, qui rerum istarum periti sunt.

Quia verò adversarii nolunt admittere, ad simoniam contra jus divinum requiri, ut inter veniat ratio pretii, oppono illis, selectum gravissimorum auctorum manipulum, quorum censum instituit Gibalinus in *aureo tract. de simon. q. 2.*

Petrus Lombard. *in 4. d. 24.* D. Thom. citatus & alibi passim. D. Bonavent. *in 4. d. 25 art. 1. q. 3.* Albertus Magnus *in 4. d. 25 art. 2. & 3.* Alexander de Halles vel Alensis *in summ. 2. part. q. 167.* Petrus Tartaretus *in 4. d. 25.* Richard. à media villa *ibidem art. 2. q. 1.* Henricus à Gandavo *quodlib. 1 q. 34* Durandus *in 4. d. 25 quæst 3.* Paludanus *ibidem. quæst. 4.* Joan. Baconis *ibidem quæst 4. art 1.* Dionysius Carthusian. *in tract. de simon. lib. 1. cap. 1. & 2.* Aureolus *in 4. d. 25. quæst unic. art. 2.* Thomas ab Argentina *ibidem quæst. 1.* Joan. Major. *ibidem* Joan. Gerson. citatus. Armachanus *in qq Armenor. lib. 10. à cap. 13. ad 26.* Gabriel Biel. *in 4. d. 25.* Cajetanus 2. 2. *q. 100.* Victoria *relect. de simonia* Dominicus Soto *l. 9 de just. q. 6. art. 1.* Aragonius *in 2. 2. q. 100 art. 2.* Petrus Navarr. *lib. 2. de restit c 2. n. 384.* Hadrianus quolib. 9 *in 2. quæsito.* Molderus *tract. 9. cap. 3. dub. 1.* Pesantius *disp. 1 & 3. de simon.* Felinus *in 7. præcep. c. 7.* Brulefer *quæst. de sim.* Barbosa citatus, passim. item Navarrus passim. Sylvester. *v. simonia q. 3* Altensis 2 *p. lib. 6. tit. 55. art. 5.* Joann. Valerus *in differ. utriusque juris verb simonia, diff. 5.* Villalobos *tract. 37. diffc. 1. num. 7.* Raymundus de Pennaffort *in summa.* Armilla *verb simonia n 5.* Rosella *ibidem 1. num 4.* Pisanella *ibid. 1 n 6* Guerieres *lib. 2. qq canon. c. 23. n. 60.* adde recentiores Valent. *tom. 3. d. 6. q 16. p. 3* Suar. *lib. de simon. c. 44. n. 8.* Fillinc. *tract. 45 c 10. q. 4.* Bonacin. *disp de simon q. 2. n.* Layn. *lib 4. tr. 10. cap ult. §. 2 num. 11.* Sanct. *lib. 2 in decal. c. 43 n. 22.* Lessi. *de sim. dub. 1. n. 9.* Tolet. *lib 5. cap 90.* Sa *ver. simon. n. 1.* Busenbaum *lib 3. tr. 1. c. 2. dub. 3.* sed quid hic hæreo? describe omnes alicujus nominis, & censum integrum habebis.

Nec est, quod aliquis putet, aliam esse Sancti Thomæ mentem, aliorumque multorum, qui volunt, esse simoniam, quando spiritale datur propter temporale, tanquam propter finem principalem, quia reverà illum finem principalem intelligunt, qui non sit tantùm impulsivus, & sine quo non daretur spirituale, sed propter quem toraliter, sive adsint, sive absint alia motiva, res spiritualis traditur, quod reverà pretium importat, id est, permutationem non gratuitam; hic autem loquendi modus finis principalis, ab auctoribus usurpatus fuit, ut melius simoniam merè mentalem explicarent; quam reverà explicationem ex iisdem auctoribus luculenter deducit Gibalin. citatus; nempe in qualibet venditione, confunditur finis principalis cum pretio, ac præter supradictos, in hanc rem citat Antonin. Covatruv. Panormit. Felin. & alios; Hinc dictum est supra, Doctorem Angelicum alterius sententiæ videri, licèt ejusdem omnino sententiæ sit; nec nisi de nomine in hac distinctione finis principalis & pretii disputatur. Maneat ergo, communem illam esse simoniæ naturam & rationem: hinc si pactum præcedat, & alius titulus honestus absit, haud dubiè simonia est contra jus divinum, nec in pactum deduci potest titulus gratitudinis; pactum scilicet verum, quod inducat novam obligationem, ut rectè Suar. *cap. 45.* & reliqui ferè omnes; quia pacti obligatorii exequutio gratitudinis esse non potest, sed justitiæ; si autem sit alius titulus, quàm gratitudinis, isque honestus, non erit quidem simonia contra jus divinum, imò nec contra jus Ecclesiasti-

cum, nisi in materia beneficiali, in qua hujusmodi pacta prohibentur ut simoniaca. *cap. tua nos de simon. cap præterea, de transactionib. cap. cum olim de rerum permutat. cap. quæsitum*, ubi dicitur pactio circa spiritualia semper continere labem simoniæ; uno verbo *tit. de simon. de rerum permutat. de concessione præbend.* nihil aliud magis inculcant. De hoc etiam fusè Barbosa *in c. sicut Episcopum 1. quæst. 2.* qui multos citat. Observabis autem, Valentiam nunquam hæc pacta in materia beneficiali approbasse, sed in alia, quæ ad Missas, horas Canonicas, aliásque functiones Ecclesiasticas & Parochiales pertinet.

Præterea, actio illa externa gratuitæ donationis quæ à principio intrinseco procedit, quod rationem & essentiam simoniæ destruit, scilicet ab illa actuali, vel habituali dispositione, non adæquandi pretio rem spiritualem, cum qua stare non potest studiosa voluntas vendendi aliquid spirituale pretio temporali, simoniaca esse non potest; de actuali dispositione negari non potest; eadem autem ratio militat pro habituali, quæ destruit etiam rationem simoniæ, quia stare non potest cum studiosa illa voluntate actuali, vel habituali; non cum actuali, quia per illam statim revocari censetur; nec etiam cum habituali, quæ ex actuali non revocata sequitur; igitur prædicta illa dispositio habitualis, qua quis affectus est ad gratuitam donationem, cum simonia stare non potest; cum simonia, inquam, juri divino opposita: & hæc sunt principia Theologica, in quibus omnes conveniunt: nempe exterior illa donatio, secluſa lege positiva, est quid indifferens, ne dicam bonum, cùm alteri benefacere bonum sit; igitur suam bonitatē, vel malitiam ducit ab interno principio donantis, quod reverà si bonum est, in donationem imperatam bonitatem refundit; si malam, malitiam; at dispositio illa sive actualis, sive habitualis, nec vendendi, nec emendi rem spiritualem pretio temporali, bona est, ut patet; igitur & donatio, quæ ab illa procedit, etiam bona est: hæc autem excusat Canonicos, Parochos, Presbyteros, Superiores Religionum, qui aliquid temporale recipiunt pro Missis, horis Canonicis aliisque precibus; item pro Sacramentalium administratione, admissione ad professionem, quia sunt ita dispositi actu, vel habitu, ut hæc nolint recipere per modum pretii.

Nonnullis fortè vox illa dispositio habitualis displicuit; sed immeritò, cùm frequens sit illius usus apud Theologos & Canonistas, Vasq. *in 3. p. q. 64. d. 138 cap. 6 n. 73.* Suar. *ibid. disp. 13. sect. 3.* & verò licèt fortè dispositio illa habitualis non sufficiat ad bonitatem, meritum & valorem actus, sufficit tamen ad removendam ab actu malitiam, quam solummodò mala voluntas refundit in illum, quando hic ex natura sua malus non est; sed mala voluntas cum prædicta illa dispositione habituali stare non potest: accedit quod S. Thom. & Cajet. quos *ibid.* citat Vasq. habitualem à virtuali non distinguunt; is ergo, qui cum prædicta dispositione, accepto priùs aliquo temporali, nullo pacto prævio, etiam tacito, aliquid spirituale donaret, non admitteret simoniam contra jus divinum; quod certè, ut jam dixi, ex multis textibus probatur, scilicet ex *cap. sicut Episcopum 1. q. 2.* ex *cap. etsi quæstiones de simon.* Gloss. §. *constat factum fuisse*, &c. Barbosa in prædictos text. multos citat, ut Andræam, Panormit. Bellammer. Ximen. Zabarell. Tiraquell. Ant. Augustin. Flamin. Paris. &c. Nec dicas, inde facilè omnem simoniam vitari, cum ex sola intentione pendeat; rarò quippe homines à pacto & conventione abstinent, ne res suas periculo exponant; pauci enim in gratitudine hominum spes suas collocant; pauci pro acceptis, beneficiis grati sunt; pauci denique fallaci hominum fidei, nisi pactione firmetur, credere nabent.

Opponunt deinde adversarii à Casuistis docentibus nullam esse simoniam, licèt promittatur pecunia pro beneficio conferendo, si persolvendi voluntas absit. Ita est, hoc Casuistæ & jurisconsulti communiter docent; scilicet essentiam contractus venditionis in verbis solis firmam non esse; & nisi voluntas obligandi se, interveniat, nullum contractum censeri; cum igitur simonia sit verus contractus venditionis, formam scilicet, ut virtualis; si persolvendi voluntas absit, nulla est simonia; fateor quidem hujusmodi fraudem pœna dignam esse; verùm in materia beneficiali, quidquid punitur, non continuò simoniæ vitio laborat? pro hac doctrina, stant ferè omnes Doctores, Lessius *de simon. dub. 1. num. 11.* Caietan. *opusc. 9. tom. 2. quæst.* Sotus *2. lib. 9. quæst. 8. art. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 90.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 8. part. 6.* Suar. *tract. 3 de relig. lib. 4. c. 36. n. 6.* Aragon. *2. 2. q. 100. art. 6. conf. 5.* Layman *lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 6.* Bonacin. *tr. de simon. d. 1. q. 2. n. 8.* Filliuc. *tr. 45. c. 10. q. 2.* Castro Pal. *tr. 17. disp. 3. p. 6.* Wilhelob. *tom 2. tr 37. diffic. 35. n. 9.* Contra Navar. in Manuale meo judicio nulla est difficultas; præsumetur tamen in foro externo, voluntas se obligandi, quodcumque negatu modo pactum probari possit.

Opponunt denique multorum Casuistarum opinionem esse, nullam admitti simoniam, fidelis religiosi ita inter se paciscantur, tu tuo me suffragio fac Provincialem, ego te vicissim meo Priorem faciam: neque etiam magna est hoc loco difficultas; ita enim Provincialis, & Prioris officia non sunt beneficia, constat, nullam esse simoniæ suspicionem in hoc pacto; quamvis alioqui abominabili ambitionis vitio infectum sit; permutatio enim rerum spiritualium solis dumtaxat beneficiis prohibetur; sic licet reliquias alicujus Sancti cum aliis permutare; similiter de Missa celebranda, vel confessionibus audiendis duo possunt inter se ita convenire, tu hac hebdomada meas vices age, ego tuas agam proximè sequenti. Aragon. *2. 2. quæst. 100. a. 1.* Manuel *tom. 2. sum. cap. 64. num 2.* Beia *casu 37.* Soto *lib. 9 quæst. 5. art. 2. ad 3.* Victoria *relect. de simon. num. 17.* Lopez *1. p. instruct. cap. 305.* Quod autem prædicta officia non sint beneficia, plures Canonistæ & Theologi tenent, ut Sanchez *lib. 2. consil. cap. 3. dub. 44.* Bonacin. *de censur. disp. 2. quæst 3. punct. 24. num. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 37. §. 3.* Lessius *de simon. dub. 25.* Azor *tom. 3. lib. 12. cap. 21. num. 16.* Portell. *tom. 2. resp. cas. 39.* Lezan. *tom. 1. cap. 15. n. 37.* hanc sententiam probabilem putat; Filliucius *tract. 45. cap. 13. n. 22.* ubi revocat ea, quæ dixerat pro contraria sententia *tract. 15. cap. 4. num. 87.* nemo tamen hoc pacto eximat à gravissimo peccato contra religionem, quod jus habet ad libertatem suffragiorum, item contra justitiam distributivam, quæ aliorum juri consulit; item etiam vitium ambitionis & subordinationis, quod quibusdam ordinibus censuris subjacet, per statuta particulares.

Porro censuræ in jure latæ contra simoniacos non tantùm afficiunt, qui simoniam admittunt in ordinatione ad professionem vel habitum religiosum, administratione, vel susceptione ordinum, & impetrantes beneficiarii ut longè probabilius tenent Angelus *verb. simon. num. 9.* Rosell. *ibid. num 13.* Sylvester *ibid. quæst. 12.* Tabiena *ibid. quæst. 73.* Navarr. in Manuale *cap. 23. num. 111.* adde citatos supra, scilicet Aragon. Manuel. Beia, Sot. Victor. Lop. Sanchez, Barbosam

tion. quæst. 2. Cajetan. & Suarez *cap.* 31. *num.* 20. Panormitan. Innocent. Turrecrem. Card. Hostien. Panormitan. Innocent. Turrecrem. Card. Quamobrem hi duo postremi Cajet. scilicet & Suar. ut dictum simoniacum esse, ac simoniacorum pœnis subesse probarent, hæc officia, beneficia esse dicunt, quia *in extravagant. cum detestabile*, fit mentio inferiorum; sed prudenter observat Henriquez illum, in Ordine S. Benedicti, officia superiorum esse beneficia, secus in ordine Mendicantium: quod pactum illud non modò non subjacet pœnis, quibus quidem est simoniacum, si prioratus & prioratibus non sunt vera beneficia; ita Doctores communiter & juris canonici interpretes *gloss.* 17. *in Clement. 1. quæst. 2. verb. pactio*, item *in cap. ult. de pact.* Portell. *in fine*, item *in cap. 2. & cap. super eo, de transact. in 6. num. 8. de simon. in cap. ult. de rerum permut.* cum Gloss. *ibi verb. temporalia.*

Fateor tamen, opinionem contrariam esse valde probabilem, quam defendunt gravissimi auctores, ut Rodrig. Portell. Lezana Sylvest. Petr. Navarr. Villalob. Cajet. Suar. Hi duo postremi volunt, prædicta officia esse beneficia, ut dixi, & comprehendi *in extravag. cum detestabile*, sed Portellus, licèt eandem opinionem sequatur, negat tamen expresè *tom. 2. resp. cas. 49.* prædictum pactum comprehendi d. extravag. & Lezan. *tom. 1. cap. 15. num. 32.* rationes à Portello allatas probabiles esse testatur. Præterea multi Theologi & canonistæ interpretantur d. extravag. de pactis solummodò pecuniariis, ut Vega, *cap. 101. cas. 12.* Bonacin. *de sacr. d. 2. quæ. 3. punct. 24. num 4.* ubi multos citat. Denique cum d. extravag. imponat gravissimas pœnas, Theologi & canonistæ communiter docent, eandem non habere locum in pactis beneficiatis, in collatione & receptione ordinum, & religionis ingressu, ut Less. Navarr. Sylvest. Angel. aliique supra citati; Quare, ut jam indicavi, Suar. ut prædictum pactum in d. extravag. includat, officia illa regularia, beneficia esse contendit; sed ut optimè observat Barbosa citatus, in odiosis, juxta reg. comm. juris, verba accipienda sunt in stricta & propria significatione; pro quo citat Less. & Azor, quibus adde Bonacin. & Henriques supra citatos.

Rejecta autem d. extravag. aliis probant contrariam sententiam per alios textus, scilicet *C. quam pio 1. quæst. 2. cap. sicut idem & ult. de pact. cap. quæsitum de rer. permut.* in quo permutatio præbendarum prohibetur, præsertim pactione præmissa; *quæ circa spiritualia, annexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.* Sed antiquiores canonistæ prædicta jura de pactis pecuniariis, vel beneficiariis interpretantur; ita Abbas in *C. quæsitum* Innocent. Hostiens. Archidiacon. in eum Barbosa *in cap. quæsitum de permut.* ubi multos recentiores citat. Nonnulli tantùm summistæ loquuntur de pactis rerum spiritualium omnis generis fuisse verum; licèt plerique hæsitanter loquantur, Sylvest. *verb. simon. quæ. 16.* in remissarum pactum appellat, Petr. Navarr. *l. 2. de rest. c. 2. n. 386.* improbat quidem in omni genere, *saltem*, inquit, *in beneficiis.* Villalob. *tr. 37. quæst. 24.* concludit, pacta illa esse saltem fraudulenta, licèt fortè simoniaca non sint; igitur probabile est, prædictum pactum non esse simoniacum, nec comprehendi *in d. extravagant. cum detestabile*, nec in aliis juribus adductis; licèt æquè detestabile sit, ac si esset simoniacum. Et hæc de hac quæstione sint satis.

CAPUT XIV.

De Interpretationibus legum.

ITEM vitiosis suis interpretationibus jus Canonicum ad peccandi licentiam detorquent, v. g. explicatione alicujus vocabuli; aut si verba clara sunt, mitiores circumstantias accersunt; aut si hæ planæ sunt & constantes, ad mentem legislatoris confugiunt; ita ut ex duabus oppositis opinionibus probabilibus, legislator unam approbet, alteri tamen probabilitatem non auferat: ex hujusmodi interpretationibus colligunt, Gregor. XIV. agentem de assassinis, sic enim quosdam sicarios vocant, quos immunitatis Ecclesiasticæ privilegio privat, eos solos comprehendere, qui pecunia conducti aliquem occiderint: pari modo asserunt, religiosum excommunicationi non subjacere, qui vestem deponit, ut ad lupanar se conferat. Diana denique suam sententiam præfert definitionibus trium Pontificum, qui definiverunt, religiosum ex ordine Minorum, factum Episcopum, à victu quadragesimali, quem voverat, liberum non esse.

REFELLITUR.

QUis amabo, vel tyro in jure ignorat, sæpe necessarium esse, ut Canonistæ, causidici, atque ipsi Judices, prædictis interpretationibus utantur 1. quia sæpe Canones inter se videntur pugnare; ideo Gratianus decretum suum inscripsit concordiam discordantium Canonum. 2. sæpe verba, quibus lex concepta est, obscura sunt supra vulgi captum; titulus de verborum significatione argumento est. 3. diversæ sunt regulæ in jure, quibus sancitur, ut odiosa & difficilia restringantur: titulus de regulis juris, his egregiis legibus plenus est, quæ à Dyno & doctissimis aliis Canonistis explicantur. 4. Si quando aliqua controversia definita non est, ad similium definitarum congruentias confugiendum est, quæpassim occurrunt in collectoribus; inter recentes Nicolaus Everardus, & Barbosa, *de locis communibus, de verborum significatione, de clausulis tractatus scripserunt.* Ipsi Patres ad Scripturarum, Canonum, Legumque intelligentiam, has regulas adhibent, docentque, non solum verborum, sed etiam circumstantiarum loci & temporis rationem habendam esse; *dist.* 29. illorum textus lectori suppeditabit; sed jam ad singula objectionis capita descendo.

Verbo Assassinii in Bulla Gregorii XIV. illud tantùm homicidium comprehendit, quod patratur pecuniæ pretio, quando quis accipit pecuniam ad cædem faciendam, ab omnibus Canonistis & Summistis docetur: ita Cajetanus *verb. Assassinium, ibid. cæteri Summistæ.* Bonacin. *tom. 2. disputat. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 4. num. 2. & 3.* ubi citat Probum, Ancaran. Imol. Suar. Menoch. Julium Clar. Ambros. Deci. Mascard. Peregrin. Gabr. In Italia & Hispania auctores in hac significatione hoc vocabulum accipiunt; in Gallia nonnulli quodlibet homicidium proditorium, assassinii nomine appellant: tu vide sis Thesaur. *in praxi, verb. Assassinium, cap. 1. n. 1.* Farinac. *quæst. 123. num. 22.* ubi multos citat, & hæc de primo capite sint satis.

Secundum nihilo meliore nititur argumento; cum enim tempore Bonifacii VIII. complures è monasteriis

sterijs egrederentur, & mutata veste, huc & illuc incogniti circumcursarent, unde gravissima incommoda in monasterijs oriebantur; hæc causa Pontificem induxit, ad condendam constitutionem, quæ incipit *ut periculosa*, & habetur *tit. ne clerici, in 6.* in qua, excommunicat religiosum, qui temerè vestem suam abjecerit: porro hujus constitutionis occasione de multis Canonistæ consulti sunt, verbi gratia, utrùm religiosus, qui vestem deponeret in cubiculo, ut commodiùs luderet, incurreret in præfatam excommunicationem; Canonistarum pars maxima negavit incurrere; item utrum religiosus, qui votorum suorum & conditionis oblitus, vestem deponeret, ut in lupanar se conferret, prædictæ Bullæ vi, excommunicaretur; affirmarunt plerique; alii responderunt, peccaturum quidem illum graviter contra votum, perinde ac si cum habitu issset; verùm non incursurum in excommunicationem latam *dicto cap. ut periculosa*, quandoquidem hæc Bulla contra impudicos minimè lata esset, sed contra errabundos, qui vestem deponunt, ne in urbibus & provinciis pro religiosis agnoscantur. Pro hac sententia multi sunt auctores, ut Sayrus *lib 3. de censur. cap. 13. num. 11.* Tabiena *verb. excommunicatio 2. casu 23. quæst. 1. num. 2* Barbosa, Sanch. *lib 6. in Decalog. cap 8. n. 54.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 23. sect. 4. num. 5.* Sed jam ad tertium caput venio.

Diana *tom. 5. tract 13. resolut. 39.* discutit dubium de obligatione religiosi ex ordine Minimorum ad Episcopatum assumpti, ibique refert duas opiniones; Prima docet, Episcopum illum teneri voto suo victus quadragesimalis; quod maximè hujus sententiæ auctores ex eo probant, quod tres Pontifices scilicet Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. dispensationem recusarint, aut se recusaturos minati sint. Secunda, quam Diana sequitur, docet, non teneri; & post laudatos utriusque opinionis fautores, respondet ad argumentum illud à prædicta repulsa petitum, & negat, à tribus illis Pontificibus opinionem illam suam fuisse damnatam; cum in hac controversia, nihil prorsus definierint, sed ad summum opinioni contrariæ adhæserint. Quid ego de hac re sentiam, nihil est, quod dicam, hoc unum ind co, in Gallia longè mitiùs agi cum religiosis ad Episcopatum assumptis, quàm in Italia, idque usu recepto; nempe sinuntur testari, prædia acquirere, hæreditatem ad consanguineos transmittere, nihil obstante voto paupertatis, quod in Italia non licet, nisi facultatem Pontif. ex concedat; immo in Hispania Cathedralis Ecclesia in demortui Religiosi bona succedit.

Aliud est, quod Dianæ opponunt adversarii, qui eum *ibidem resol. 6.* tradidisset, Sacerdotem aliquid impuræ illusionis inter dormiendum perpessum non teneri die sequenti abstinere à sacro faciendo, licet rubricæ Missalis Romani abstinendum suadeant; citat Joannem Sancium pro hac sententia, qui cum sibi opposuisset, videri Pontificem, rubricarum approbatione, hoc idem suadere, respondet Pontificem in approbatione illa, loqui tanquam privatus Doctorem. Hæc responsio Dianæ non satisfacit, affirmanti, Pontificem pro Ecclesia universa, rubricas approbantem, loqui ut Ecclesiæ caput; alio igitur modo respondet, scilicet, non proterea Roman. Pontificem damnasse opinionem contrariam, quæ Sacerdoti nocturnam illusionem passo, faciendi sacri veniam concedit; dictum sanè innocentissimum omnino diversum ab eo, quod ab Adversarijs viro doctissimo affictum est; quasi scripsisset, probabilem esse opinionem, licèt oppositum à Romano Pontifice definitum sit, cum tamen minimè definitum sit, sed simplici rubricarum approbatione decentius judicatum, hinc consilium potiùs quàm præceptum est.

CAPUT XV.

De legibus Ecclesiasticis.

ASSERUNT etiam Ecclesiasticas leges, intermissa observatione, antiquari; unde collegum summo piorum scandalo, licere Sacerdoti, eo ipso die sacris operari, quo gravi aliquo & obsceno crimine se obstrinxit; tantum, ajunt, honoris ex sacrificio missæ, ad Dei gloriam redundare, ut optandum esset, res omnes, sensus expertes, vel participes, beluasque ipsas in Sacerdotes converti, ad augustum illud sacrificium offerendum, quod tanti valoris est, ut Sacerdos una vice pro duobus celebrans, duplicatum stipendium accipere queat.

REFELLITUR.

RUsticanis leguleijs notum est, consuetudines rogari legem, & obsolescere desuetudines, nodò hæc definito ad tollendam obligationem tempore duret, non sine Principis notitia & tolerantia, loquor autem de lege positiva, qua indifferens quidpiam prohibeatur, vel aliquid ad salutem per se minimè necessarium imperetur, in hoc sacri canones cum jure civili conveniunt? nam *si quæ legiam teribus libris posita jam per desuetudinem abierunt, nullo modo vobis eadem ponere permittimus*; Idem auctore C. de veteri jure enucleando. Et *rectissimè illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur*; *l. de quibus, ff. de legibus*; & si quando Summi Pontifices declarant legem consuetudini non cedere, eam consuetudinem semper excipiunt, quæ rationabilis est, & legitimè præscripta, *tanquam consuet.* imò. S. Thom. 2. 2. *quæst. 97. a. 3.* expressè habet, consuetudinem habere vim legis; illa enim & legem abolet, & est legum interpretatrix; & Cajetan. 1. 2. *quæst 97 a 3. non oportet*, inquit, *posteros sollicitos esse an licitè, vel illicitè introducta sit consuetudo, quam sine dubio inveniunt licitè observari, vetitæ legi scripta*, idem censent omnes auctores alicujus nominis. Bartol. *in l. de quibus ff de leg. quæst. num. 8.* D. Antonin. 1. *p. tit. 16. cap. unico. Sylvest. verb. consuetudo.* Gerson, 3. *p. tract. de vita spirituali lect. 4. corol. 3.* Sot. *l. de just. q. 7. a. 2.* Sà. *verb. consuetudo.* Azor, 1. *p. l. 8. c. 17.* Navarr. *cons 2 de cleric non residentibus num. 4.* alios citare possem, ut Suar. Castro. Pal. Salas, &c. sed in re perspicua, frustra laborarem; nisi hæc sufficiant, consule Anton. Augustin. & Florent. ut diximus ex hujus in 9. priores Gregorii IX. decretales recitatibus, fidei dogmata nunquam mutari; in disciplina, mutationem fieri posse; consuetudinem modò nihil contineat iniquum, potiorem habere lege & canonibus; Gregorii Nazianzeni tempore, ipso eodem teste, Conciliorem canones jam elanguerant, quoniam illorum usus obsoleverat: consule Illustrissimum & omni literaturæ genere instructissimum D. De Marca, & ab eo disces, Nicolaum I. instissimum D. De Marca, & ab eo disces, Nicolaum I. instissimum D. De Marca, & ab eo disces, Nicolaum I. inst

quidlibet usu contrario & desuetudine, tunc temporis in Gallia abrogatæ essent.

Quod attinet ad Sacerdotum lapsus, castigabant veteres quidem Canones illorum peccata, sed publica, propter quæ, non tantùm Sacerdotes ab Altaris ministerio arcebant, sed ne Episcopis quidem ipsis peccata occulta verò peccata arbitrio & prudentia confessarii permittebantur: videri possunt apud Gratianum *can.22. & 23. dist.5.* Item *can.* 10. & 50. & quæ decreta sunt *dist.82. de pœnitentia Sacerdotum*, qui fornicatione, aut libidine lapsi sunt: item apud Anton. Augustinum, qui multa ex pœnitentialibus libris ad calcem sui compendii attexuit; denique apud Morinum, qui eadem repetit, addens Gallicanarum Diœceseon pœnitentialibus, in quibus publicorum delictorum pœnæ præscribuntur. Si Ecclesia renovare velit prædictos Canones contra publicos Sacerdotum lapsus, Casuistæ haud gravatè assentientur; at propter occulta peccata scilicet, quæ nullam irregularitatem important, ab Altaris ministerio ablegandos, & arcana illa videntur promulganda esse non putant. Hæc sanè à me dicta accipi velim, ut flagitiis nonnullorum Sacerdotum minimè patrocinentur, vel eorum multitudinem approbent, qui sine vocatione legitima, quadam potius quæstus cupiditate, quam religionis studio ducti, ad Ordines protrudunt sese; non approbo etiam illorum Sacerdotum irreverentiam, qui populos, quo fœdè lapsi sunt, etiam si nullum scandalum immineat, rem sacram faciunt; nullum novimus Casuistas, qui hoc approbet; dixi, modò nullum scandalum immineat; hæc enim ratio irreverentiam excusat, in hoc, ni fallor, prudentes & pii Confessarii dicent à Casuistis suo munere probè defungi.

Id porro, quod non nemo scripsit, optandam esse maximam optimorum Sacerdotum copiam, qui singulis diebus incruentum sacrificium Deo offerant; & desiderandum, si fieri posset, ut bestiæ, & omnes creaturæ in Sacerdotes converterentur, ut tantam glorian creatori suo redderent; nihil absurdi, opinor, gerefert, pium est omnino desiderium; imò in Cantico illo trium puerorum, quod Sacerdotes ex officio ritu, Ecclesiæ approbatione firmato, post Psalmum recitant, omnia Dei opera, atque adeò pecora & bestiæ invitantur, ut benedicant Domino; nihil sanè in his, nisi sanctum & pium perspicio? Ad id demum; quod opponitur de duplicato stipendio pro una Missa, ne quid in hac causa dissimulem, Resp. ex quovis ordine, quà sæcularium, quà regularium, 300. vel 400. ab hinc annis, non defuisse doctos, sacrificium Missæ pro pluribus obesse tantùm illis prodesse, quantum si pro uno dûmtaxat offeretur; ex qua doctrina, nonnulli deduxere, Sacerdotem egentem, pro pluribus idem sacrificium offerre posse, & multiplex stipendium accipere, quo suam tenuitatem sustentet. Hoc tamen communiter à Theologis reiicitur, & usus illius opinionis ab Urbano VIII. singulari decreto prohibitus fuit; quippe quæ fidei publicæ repugnet, & non sine periculo multis: adde si injustitiam, quando-quidem is, qui plura stipendia pro una Missa accepit, nullum stipendium excederet: præterea cum quibus, de singulis Missis pactus est, ig tur plures obligationes contraxit; usus demum Ecclesiæ & communis fidelium sensus contrarius est; neque enim ubi darent stipendium, si scirent, te jam esse locutum. Vide Gibalinum *de Simonia*, *quæst.* 18. num. 8. multos citat, scilicet Cordub. Suar. Angel. Mirand. Anell. Fraxinel. Vide item Cardinal. Delugo, *disp.19. num.*259. ubi multos citat; denique Urbani decretum, de quo supra, rem istam definit.

CAPUT XVI.

De Religiosis ejectis.

JESUITÆ docent, ejectum ex sua Religione, non teneri emendare suos mores, ut denuo admittatur, nec amplius Obedientiæ voto constringi.

REFELLITUR.

EQuidem Navarrus *consil.*51. *de regular. & commentar.2. num.33. & 36.* censet, ejectum per sententiam definitivam & absolutam, non teneri ad reditum, nec posse compelli per Superiorem Monasterii, ut redeat; quia, inquit, per sententiam illam, Religiosus desinit esse membrum illius Ordinis, ac proinde eximitur ejus jurisdictioni; interpretatur autem *cap. ultim. de regul.* de ejectis injustè & inordinatè, & non per sententiam definitivam; docet etiam, non teneri emendare sese, ut sit habilis ad reditum; quod ita intelligendum est, non quidem quod non teneatur corrigere mores suos, quatenus ad peccandum ipsum inclinant, omnes enim ad hoc tenentur, sed quatenus illum ad tale institutum religionis minùs habilem reddunt; videri possunt alii apud Dianam *tom.2. tract.2. resol.*60.

Communis tamen & verior est sententia, ejectum teneri se corrigere, ac redire, quoties à Religione revocatur, eumque obstrictum manere tribus votis essentialibus Religionis; ita Lessius *lib.2. cap.* 41. *num.* 111. D. Bonavent. *quæst.2. in Regul S. Francis.* Sylvester *v. religio 6. quæst.*12. Sà *v. relig. num.* 40. Sanch. *lib.6. in Decalog. cap.9. num.*25. Laym. *lib* 4. *tract.5. cap.13. num.6.* Sotus *lib.7. quæst.1. art.* 1. Arragon. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 3. Philiarc. *tom.1. p.2. lib.2. cap.21.* Mirand. *tom.1. quæst.* 52. *art.*3. *&c.* Quid plura, præter constitutionem Gregorii X. latam in Concilio Lugdunensi, habemus decretum de Apostatis fugitivis & ejectis, authoritate Urbani VIII. firmatum, ut videre est in Bullario, *constit.* 26. Urbani, quod prædictam Gregorii constitutionem innovat, explicat, ampliat, &c. additis pœnis in eos, qui contra tale decretum aliquid moliri præsumpserint.

CAPUT XVII.

De justa compensatione.

DOCENT quoque, famulos, qui de mercede stipendiisque conqueruntur, posse certis in occasionibus, tantum è bonis Dominorum usurpare, quantum arbitrantur necessarium esse, ut operæ & labori merces æqualis sit.

REFELLI-

REFELLITVR.

QUod justa compensatio in quibusdam casibus licita sit, nemo, opinor, inficiabitur; is enim, qui eam adhibet, non furatur, sed accipit, quod suum est; ita Navar. *lib. 3. consil. de locat. & conduct. cons. 1. num. 5.* Corduba *in sum. quæst. 111. & l. qq. 35.* Petrus Navar. *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 409.* S. Antonin. *2. p. tit. 1. cap. 15.* Rupert. *lib. 7. in Gen. c. 39.* Tertul. *lib. 4. contra Marcion. cap. 24 Instincti sunt Hebræi*, inquit, *non ad fraudem, sed ad mercedis compensationem, quam aliter à dominatoribus exigere non poterant.* Idem docet Abulensis, S. August. *lib. 22.* contra Faustum, *cap. 71.* Toletus *lib. 5. c. 15.* Laym. *lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 1. num. 7.* D. Thom. *2, 2. quæst. 65. art. 3. ad 3.* Abbas *in cap. sicut, num. 14. & 15. de jurejur.* Adrian. *in 4. de restit. quæst. 1. ad 4.* Lopez *part. 2. cap. 8.* Medina *C. de restit. quæst. 3. causa 12.* Sylvest. *v. furt. quæst. 13.* Molin. *disp. 691.* Less. *lib. 2. cap. 12. dub. 10.* Lugo *disp. 16. s. 4.* Busenbaum *lib. 3. tract. 5. dub. 1. num. 3.* Dicastil. *lib. 2 tract. 2. disput. 9. dub. 6.* Tamburin. *lib. 8. tract. 1. cap. 5.* Felinus *de simonia*, Bonacina *disp. 3. quæst. 2. punct. 3.* Iason, Alexander, Paulus à Castro, Covarruvias à Causslino citati, Tartaretus *in 4. d. 15. quæst. 2.* Almainus *ibidem*, Henricus de Gandavo *quodlib. ultimo*, Baillinspag. 467. Navar. *in man. cap. 17. n. 112.* Comitolus *resp. moral lib. 3. quæst 39.* Diana *part. 3. tract. 5. misc. resol. 10.* Item *5. part. tract. 13. resol. 79.* Item *7. part. tract. 10. resol. 18.* qui citat Navar. Homobon. Fernand. Marchantium & alios, Trullenc. *tom. 2. lib. 7. cap. 4. num. 5.* Machado *tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 23. doc. 5. num. 9.* Marc. Serra *2. 2. quæst. 62. art. 8.* Joan. de la Cruz *in direct. p. 1. prac. 7. art. 8. dub. 2. concl. 3.* Lublin. *v. pecunia.* Lugo *d. 16. sect. 5. & 6.* ubi citat Bann. Angel. Arragon. Bonacin. Bald. D. Antonin. *2. part. tit. 2. cap. 7. §. 3.* aliique communiter: negari ergo non potest, & nemo negat, justam compensationem licitam esse, in quibusdam casibus; quam tamen Casuistæ nec promiscuè omnibus, neque in quibuscumque casibus permittunt; sed desiderant certas circumstantias, quæ si abfuerint, illam communiter omnes improbant; ego cum iis, quatuor adnoto & desidero: 1. volo, eum, qui compensatione utitur, certissimum esse, rem illam, quam usurpare vult, suam esse, ac sibi debitam. 2. omni spe careat, oportet, rem illam alia via, vel alio modo obtinendi. 3. compensationem in commodatis, vel mutuis, minùs tolerandam esse, quia hæc fidelitatem maximè postulant; servi autem & procuratores non minùs fidei, aut fidelitatis habere debent, quàm depositarii, vel mutuatarii; quam in rem videri potest Less. *lib. 2. cap. 27. dub. 4. num. 16.* 4. hæc opinio adhiberi potest ad judicandum, utrùm is, qui compensationem fecit, absolvendus sit in Sacramento Pœnitentiæ, absque restitutione, non tamen ad persuadendam illam, antequam facta sit. 5. suppono scandalum abesse His circumstantiis rite servatis, nihil est in compensatione ita odiosum; nihil, quod justis Heris scandalo esse possit, nihil quod doctrinæ Patrum non consentiat, præsertim si S. Ambrosium & S. Augustinum audias: primus enim *lib de Tobia, cap. 15.* ait, usuram ex mutuo dato exigi posse ad compensationem damni à mutuatario illati: *ab illo*, inquit, *usuram exige, cui meritò nocere desideras; cui jure inferuntur arma, huic legitimò indicantur usuræ, &c.* Igitur alia etiam ratione compensatio fieri poterit; nec dicas, Ambrosium malè intelligi, quia in hoc sensu, ad probandam compensationem, multi Theologi & Canonistæ relati à Barbosa *in can. 12. ab illo, quæst. caus. 14. num. 8.* prædicta Ambrosii verba accipiunt. Augustinus etiam *epist. 54 ad Macedon.* judicat, Judicum & artificem suæ mercedis frustratos, compensatione uti posse, etiam invitis debitoribus: Non enim, inquit, *quidquid ab invito sumitur, injuriosè auferetur: quamplerique nec Medico volunt reddere honorem suum, nec operario mercedem, nec tamen hæc, qui ab invito accipiunt, per injuriam accipiunt, quæ potiùs per injuriam non dantur.* Sed, inquies, verbum *sumitur*, non significat idem quod *surripitur*: esto, modò invito altero, res illa sumatur, accipiatur, retineatur, ad compensationem facilè reducitur; nec enim rem alienam invito domino sumere, accipere, retinere licet; cum igitur res illa accipi possit, etiam invito domino, à Medico scilicet & opifice suæ mercede frustratis, quis non videt, fieri compensationem? & cum acceptio injusta non sit, quis neget justam esse compensationem unicam rationem sui necto, quisquis jus habet ad aliquid, hoc ipsum aliquo modo obtinere potest; nemo enim ad illud jus habet, quod obtentu impossibile est, sed pifex jus habet ad mercedem sui laboris, & alio modo obtinere nequit, quàm per compensationem, igitur compensatione uti potest; nollem sanè Casistas ex eo corripere, quod famulis plus æquo concedant, sed potiùs, quod fortè optimatibus plus æquo indulgeant: sed hæc chorda pulsanda non est, quæ ingratum sonum redderet.

CAPUT XVIII.

De directione intentionis.

ITEM conciliant Evangelium cum depravatis seculi legibus, in sumenda vindicta, quam bellè puliant, directione quadam intentionis, consulendi honori ac vitæ, non verò nocendi iis, nisi per accidens, à quibus aliquod damnum passi sunt.

REFELLITVR.

VT hæc refellantur, unus Augustini locus ex *epist. ad Macedonium* excerptus sufficeret, ubi hanc directionem intentionis probat, ut in quibusdam casibus, homicidium excuset: *Cum bona abhomine occiditur*, inquit, *multùm distat, utrum fiat nocendi cupiditate, an ulciscendi, vel obediendi ordine; sicut à judice, sicut à carnifice, an eruditionis, vel subveniendi necessitate; sicut interimuntur hostes à piatore, hostis à milite.* Monet nos Augustinus, ut illius intentionem spectemus, qui alterum occidit, ut judicemus, an homicidium illud peccatum his sit judex, v. g. Reum morte condemnat, sententiam exequitur carnifex; si utrique ex motivo ultionis hoc faciat, peccat; si ex justitia, & boni publici zelo, vir tus est; si interfecti hominis uxor, petita Judicem odio, ut homicida plectatur, haud dubiè peccat; si vindicta Judici relicta, jus suum dumtaxat prosequatur, nullo modo peccat; unde quæso discrimen illud, nisi ex directione intentionis? mirum quantum ad rectè judicandum de aliqua re gesta conferat, scire, quo animo, quo fine, qua intentione facta sit, sed hæc perspicua sunt & trita; bona intentio actionem ex se indifferentem honestat, mala verò inficit, bonum

bonum opus intentio facit, intentionem finis dirigit: ait Augustinus *in Psalm.* nempe actus moratus. Imò ipsi Theologi, qui hanc speciem secundùm id, quod intenditur, distinguunt [illegible] inter D. Thom. 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. *in corp.* sic vim [illegible] vellere omnia jura legesque permittunt, non ad [illegible] sumendam, sed injuriam propulsandam, [illegible] lib. III. *cap. significasti.* Sed cur hic hæreo, ubi nullus Theologus, ubi nullus Catholicus refragatur.

CAPUT XIX.

De desiderio mortis Proximi.

DOCENT etiam non licere quidem ex motivo odii mortem alterius expetere, licere tamen, ad damnum aliquod vitandum: item orare Deum, ut eos è medio tollat, qui tibi perniciem moliuntur: item Beneficiario optare mortem Pensionarii.

REFELLITVR.

Theologi actus voluntatis in duo genera vulgò distinguunt, efficacium scilicet, & inefficacium: efficaces, quo quis vult quidpiam, & ad illud obtinendum apta media, quantum in se est, vult adhibere; si aliquis desiderat mortem proximi, quam si posset, omnino procuraret; inefficax verò est, quo quis aliquid vellet, potiùs quàm velit, ita ut nullo modo illud facere, aut procurare, aut media idonea adhibere velit: admalitiam, vel bonitatem, actui efficaci concilandam, objecti ratio habenda est, quod revera si malum est, malitiam in actum refundit; si bonum, bonitatem, modo nullus sit motivi, aut circumstantiarum defectus, bonum enim ex integra causa: at Theologi docent, non refundi malitiam in actum inefficacem ab objecto malo, si motivum bonum sit; Exempli gratia, aliquis domo egressus inimicum recèns in platea interfectum offendit, & aliquo gaudio afficitur, ut rectè judices, an & quantum is peccet, scire debes, quo motivo id gaudendum ducatur; si enim gaudet ex odio, vel quia jam apud se decreverat illum interficere, grauiter peccat; si ideo gaudet, quia is insignis blasphemus erat, ac proinde ejus morte, grave scandalum sublatum, virtuti aczelo gaudium illud tribuit, vel quia scelestis suis quietem publicam turbabat; est actus amoris proximi, vel quia is, qui potest, ab eo injustè vexabatur, aut vexari timebat, aliquid pensionem solvebat; actus est amoris proximi, qui, nisi valde immoderatus sit, ad peccatum, etiam mortale, non pervenit.

Invertò, quoties hæc optantur in sacris literis? quotiès David ad ejusmodi lætitiam invitat? non quidem ex odio, vel invidia, sed ex motivo zeli, gloriæ Dei, quietis Sanctorum: *Lætabitur justus*, inquit, *cum vindictam viderit, manus suas lavabit in sanguine peccatoris: veniat mors super illos, & descendant in infernum.* Moses in Cantico 15. *Exodi.* lætitiam de Ægyptiorum clade apertè & palam testatur: Orat Ecclesiasticus Deum, ut inimicos suos humiliare dignetur; Abigail ergo matrem à peccato meritò excuses, quæ filium filiarum expetit, quas honesto matrimonio illæ non potest: en tibi verba S. Gregorii, *lib.* [illegible] *cap.* 11. *Evenire plerumque solet, ut non amissa quæque, & inimici nostri ruina lætificet, & rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet*: nec est, quod aliquis dicat, loca ex Psalmis adducta continere prophetias; esto, quid inde? an propterea deest affectus Prophetæ, tum gaudii, tum desiderii de morte impii: fac quæso, aliquem insignem sicarium & grassatorem, justa Judicis sententia, extremo supplicio affectum fuisse; qua lege prohibeor, gaudere de illa sententia, & de illius executione, scilicet de actu virtutis, volo enim honestum motivum adesse: idem dico, si morte naturali extinctus sit; si verò per actionem malam è medio tollatur, non possum gaudere de actione ipsa, quæ mala est, secus tamen de illius effectu, propter bonum finem; sic possum desiderare meam mortem, desiderio illo inefficaci, propter motivum honestum; sic Paulus cupiebat dissolvi, igitur & alterius; ut enim observant Theologi, multa possumus desiderare, quæ procurare non possumus.

Hæc opinio à D. Thoma expressè docetur 2.2. *quæst.* 76. *art.* 1. Cajet. *in sum.* eamque sequitur, *v. maledictio.* Joan. de la Cruz. *part. tract. de homicid. dub* 3. Conradus 1. *part. resp. cas quæst.* 392. Zanardus 2.2. *director. c.* 6. Bonacina *tom* 2 *disp* 3. *quæst.* 4. *punct. ult. num.* 7. Francisc. Galleti *in Margarita cas. v. desiderare.* Joan. Sancius *disp.* 2. *num.* 9. Pasqualigus *decis.* 474. Vericelli *qq. moral. tract.* 5. *quæst.* 6. *num.* 64. Marc. Serra 2.2.q. *quæst.* 76. *art.* 1. Diana *part.* 5, *tract.* 14. *resol.* 92. Sotus *lib.* 5. *de just. quæst.* 12. Gaspar Hurtado *tom de fid. tract de char. disput.* 4. *diffic.* . Castro-Pal. *tom.* 1. *tract.* 6. *disputat.* 4. *punct.* 1. *num.* 11. Busenbaum *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. ubi citat Azor, Granad. Sanch. Trullench. *lib.* 1. *disput.* 2. *num* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 4. Item *cap.* 9. *dub.* 6. *num.* 20. & *lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 14. *num* 106. Navar. *in man. cap.* 16. *num.* 7. Tolet. *lib* 5. *cap* 13. Angel. *verb pollutio.* D. Antonin. *part* 2. *tit.* 6. *cap* 5. Adrian. *in* 4. *tract. de Euchar. q. de consensu in opus pravum.* Paludan. *in* 4. *d.* 9. *quæst.* 3. *art.* 1. Vasq. 1. 2. *disp.* 1. 5 *cap.* 2. Tambur. *lib.* 5. *cap.* 1. § 3. ubi citat Sà, Turrian. porro prædicti autores de actu inefficaci, & simplici tantùm affectu loquuntur; deinde hic simplex affectus in actionem malam ferri non debet, scilicet in peccatum; neque in id, quod cum peccato necessariò connectitur; denique turpis finis, seu motivum inhonestum absit, necesse est, adsitque debita moderatio; his definita legibus, prædicta opinio damnanda esse non videtur.

CAPUT XX.

De Homicidio.

HOMICIDIS favent; docent enim, ut honori, vel bonis consulatur, posse duellum acceptari aliquando, imò & offerri: item falsum accusatorem, falsos testes, & corruptum Judicem clam interfici; eum, qui alapam inflixit, posse repercuti gladio; eumque interfici, qui alapam intentat, qui mendacium impingit, qui verbis aut nutu contumeliam infert, si aliter reprimi non potest; summam verò pecuniæ, quæ homicidam excuset, Casuistæ nummo aureo definiunt: quamquam aliqui prædictas opiniones ad praxim reducendas non esse docuerunt, quia scilicet Magistratus iis refragantur.

REFELLITVR.

CUncta hæc per calumniam nostris affingi, faciam, ut luce meridiana clarius constet: & primo quidem loco, Casuistas homicidis nullo modo favere, aut patrocinari, demonstro; nullum homicidium, quod injustum sit, approbant, justum autem damnare non possunt; quodnam autem justum sit, indagant & disputant; nec enim præceptum illud naturæ, *Non occides*, rationis lumine notum, & à Mose in Decalogo expressè promulgatum, nec illud, quod à Deo Noe intimatum est, Genes. 9. *De manu hominis animam requiram*, &c. homicidium justum prohibet, nec etiam Christus in lege gratiæ novum præceptum de hac re hominibus reliquit; imò neque nova præcepta moralia, ut expressè docet D. Thom. 1.2. *quæst.* 108 *art.* 2. *ad* 1. *Ad opera virtutum dirigimur*, inquit, *per rationem naturalem, quæ est regula quædam operationis humanæ; & ideo in his, non oportuit aliqua præcepta dari, ultra moralia legis præcepta, quæ sunt de dictamine rationis, itaque non occides*, scilicet, injustè; justum verò homicidium est, quod vel justitia vindicativa imperat, & authoritate publica executioni mandatur; vel justæ, inculpatæ & moderatæ defensionis jure committitur; reos autem authoritate publica extremo supplicio affici posse, inter Catholicos, non est dubium; insignis ille Hussitarum Patronus, Hieronymus à Praga, necnon Nicolaus Galecus docebant, hominem, quantumvis reum, à Judice ad mortem damnari non posse; at scelerati homines hac fraude omnes alios sceleratos in suas partes trahere volebant, illudque supplicium effugere, quo tamen Generalis Concilii jussu, affecti sunt; nec est, quod aliqui asserant, ideo Magistratus prædicta potestate pollere, quia in scriptura ipsis à Deo data est: nam dubium esse non potest, quin ante legem Moysi datam, rei justè à Magistratu ad mortem damnarentur; igitur scriptura in hoc, ut in præceptis Decalogi, expressiùs, ut sic loquar, explicat, quod ante solo naturæ & rationis lumine habebatur: ut igitur solo naturæ lumine, homines cognoverunt, reos authoritate publica interfici posse, hoc enim societatis humanæ ratio omnino postulat; eodem lumine cognoverunt, authoritate privata etiam interfici posse, ad repellendam vim injustè illatam, cum moderamine inculpatæ ac necessariæ tutelæ; idque justæ defensionis jure.

Justæ porro defensionis jus non tantùm est ad vitæ defensionem, verùm etiam pudicitiæ, bonorum, honoris, eorumque omnium, quæ ad vitam honestè ducendam necessaria judicantur; leges, tum civiles, tum canonicæ hanc naturæ legem passim explicant, & forrè civiles longius extendunt, quàm par esset, v. g. quod viro adulterum & uxorem interficere liceat in adulterio deprehensam: item patri, filiam fornicantem, Hero, servum, *l. Patri, ff. de adulter.* Item *l.* 22. 23. *eodem titulo, & l. Marito*, ibidem, *l. Gracchus, C. eodem titulo*; adde *l. duodecim tabularum*, quæ tamen per sacros Canones sublatæ sunt; secus vero illæ, quæ permittunt, ad vitæ, bonorum, honoris, pudicitiæ defensionem, injustum aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidere; *l. Furem, ff. ad legem Corneliam de sicariis*; & *l.* 4. *ff. ad legem Aquiliam*, & alibi passim; consule Cujacium *ad l.* 3. *ff. de justitia & jure*; & Abbatem *in cap.* 2. *tit. de homicidio*: in jure canonico, non minùs expressè hoc habemus, *cap. interfecisti, de homicidio*. his verbis: *Si autem sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecisti, &c.* nec est quod aliquis, cum Abbate, clausulam illam, *te tuaque*, collectivè intelligendam esse contendat; quæ sanè expositio ridicula esset & absurda; nec enim ab eo me defendere possem, qui vitam meam, intactis bonis, impeteret; imò nisi pro defensione bonorum, vim illatam repellere possem, frustra illud *tuaque* additum esset; igitur intelligebet clausula illa distributivè; ita ut, & vitam & bona seorsim, & simul etiam conjunctim, defendere possimus; & hunc sensum ut legitimum, & germanum agnoscit Barbosa *in hoc cap.* ubi citat 20. Authores, Clar. Covar. Ant. Gom. Mascard. Menoch. & ferè omnes Canonistæ, ab interpretatione Abbatis discedunt: idem tenet Gloss *in cap.* 10. *de homicidio*; adde sis Panormitani additiones, *in cap.* 2. *ejusdem tituli*, & ibidem Barbosam *cap. olim, de restitutione*, *cap. dicto, de sentent. excom. cap. significasti, de homicidio*, *vim vi repellere*, inquit, *omnia jura legesque permittunt, non ad vindictam sumendam, sed ad injuriam propulsandam.*

Sed omitto defensionem vitæ & pudicitiæ, nempe Adversarii non negant, hoc nomine, injustum invasorem interfici posse, adde sis defensionem integritatis membrorum, quod expressè docet S. Thom. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. & post eum reliqui; ut ad defensionem bonorum & honoris veniam, pro quarum injustum aggressorem occidi posse, Doctores communiter sentiunt; Cajetan. *quæst* 67. *art.* 7. Sylvest. *homicid.* 1. *q.* 2. & 5. Joan. Medin. *de restit quæst.* 45. Sot. *lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 8. Navar. *cap.* 15. ubi multa jura citat, Lud. Lop *cap.* 62. Ant. Gom. *tom.* 3. *cap.* 3. *num.* 22. Julius Clarus *p. homicid. num.* 26. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. & 12. Dicastil. *lib.* 2. *de just. tract.* 1. *disp.* 9. *dub.* 5. *num.* 50. & *sequent.* ubi citat Leym. Valent. Molin. Bonacin. *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. & *seq.* Salon. 2. 2. *quæst.* 64 *art.* 7. *contr.* 2. *conclus.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 18 & *lib.* 2. *cap.* 6. Dian. *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 48. ubi multos citat, Bannes 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. ubi dicit, hunc esse consensum omnium ferè Theologorum. Lugo *disp* 10. *sect.* 9. & 10. Vasq. *tract. de restit. cap.* 2 Rebell. *lib.* 3. *quæst.* 12. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 8. locum Cajet. *in sum. v. homicidium*, describere juvat, *non solùm*, inquit, *se ipsum*, *sed præsertim*, ut Ambros. *in* 1. *de officiis* testatur, 23. 4. *cap. fortitudo*, & *cap. non inferenda tuendo*, *licet occidere injuriam irrogantem*; *pari ratione*, *tuendo libertatem & integritatem membrorum*, & *similiter necessaria ad vitam & virtutem*, *ne perdat res sua, aut suorum*; & *notabis verba Ambrosii, quæ universaliter de injuria loquuntur.* S. Antonin. 3. *part. tit.* 3. *cap.* 3. Covarr. *in Clement. furiosus* 3. *p.* §. *ult.* Sebastia. Medices *de fortuitis casibus, quæst.* 8. Brunel. *tract. de restit.* 17. *cap.* 1. *de homicid. num.* 75. Bartholom. *de Medina in cap.* 2. *ad vim, ff. de just. & jur.* Barbosa addit alios *in cap.* 2. *de homicidio*, scilicet Tiraquel. *de nobilit. cap.* 20. *num.* 63. Clarum §. *Homicid.* Bobadil. *in polit. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 44. Menoch. *illustr. cap.* 11. *num.* 10. & *cap.* 18. *num.* 13. Hippolyt. *in l.* 1 *num.* 45. & 47. *ff. de just.* Farinac. *quæst.* 125. Brunel. *in l. Iulianus. Sayrus de clavi, cap.* 7. *num.* 10. Comitol Azor, Lessius, &c. Petr. Navar. *de rest. lib.* 2 *cap.* 3 *num.* 398. Major *ad.* 15. *quæst.* 13. §. 6. Sylvius 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Dicastillius *de charit. quæst.* 17. *art.* 1. Caraffa *tract.* 3. *sacræ quæst.* 16. Raimundus *lib.* 2. Zanard. 12. *direct. de homicid. cap.* 2. §. *octavo dico.* M. Serra 2. 2. *quæst.* 64. *dub.* 1. Cajet. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. §. *ad hoc dubium*, testatur esse D. Thomæ sententiam. Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 9. citat cum aliis, Arragon. & *resol.* 4. cum cæteris Villalobos, Marchantium, Fabrum,

Silve-

Sayerdorff. Molfesium, & *resol.* 16. Sylvium & Molinam; sed quid auctores recenseo, præter quatuor vel quinque, omnes Theologi & Canonistæ hanc sententiæ subscribunt; supponunt tamen, illud quod fur ex bonis alterius surripit, esse notabilis momenti; item verum honorem lædi, illius scilicet dignitatis, cui prædictus honor ad servandam propriam dignitatem, necessarius est: item gravem esse contumeliam, qua quis alterius honorem attentat; neque enim propter sola verba occidere licet, nec propter signa, cum aliquid grave, si cum hominis morte conferatur, minimè censendum sit.

Illi verò jam injuria illata est, bona surrepta, & honor læsus, impacto scilicet viro gravi fuste, vel alia illicita, & injuriæ auctore ausugiente; quæritur, an rerum fugientem insequi & interficere liceat; in quorum distinctionis, opinor, adhibendum est: Theologi & Jurisconsulti furtum coram testibus factum à occulto distinguunt; furem clancularium ablatis rebus nostris fugientem, iisque notabilis valoris, eas relinquere nolit, nec alio modo recuperare queant, occidi posse, illi ipsi ajunt, qui occidi permittunt furem, actui illas auferre conantem; accersse hæc illorum nomina, ne iterum describam; ratio est, quia habeo jus in rem meam, eam scilicet mihi vendicandi; igitur & id faciendi, sine quo, illam mihi vendicare non possum, modò serventur prædictæ conditiones, id est, ut res ablata, sit notabilis valoris, & sic monitus, eam relinquere nolit, nec alio modo ipsi auferri queat: Eum verò furem, qui furti, testibus rerum Judice convinci potest, fugientem occidi non posse, iidem Theologi & Jurisconsulti docent.

Non nulli de honore secus quàm de fortunæ bonis judicant; sentiunt enim, illum occidi posse, qui impacto colapho, aut fuste fugiat; supponunt autem illum casum, in quo, is, qui colaphum accepit, honorem sum irreparabiliter amittat, nisi eum, qui contumeliam intulit, fugientem insequatur & occidat, si satisfacere recuset; voluntque de vero honore intelligi, eoque insignis notæ, sine quo, vir læsus dignitatem suam, coram hominibus, sustinere nequeat: si quis Tribunus militum in acie exercitat, a gregario milite fuste percutiatur: hanc sententiam his conditionibus & restrictionibus multi sequuntur, scilicet Navar. *in manual. cap.* 15. *num.* 3. Per. Navarra *lib.* 2. *de restit. c.* 13. *num.* 383. Victoria *de jure Belli quæst.* 2. *num.* 6. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 10. *in commment. lit.* T. ubi citat pro hac opinione Mariam, Cordubam, Pennam; Fernand. *in exam. mod.* 2. 1. *cap.* 9. §. 1. *num.* 16. Dian. *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 10. Bonacin. *de restit. propter homicid. disp.* 2. *quæst.* Gregor. Caraffa *de duello, pag.* 192. *num.* 25. Quorum omnes habent textus expressos: censetur enim non durare congressio, dum alter fugit, alter insequitur, & hoc est verè defendere honorem, quod licitum est, si enim furem insequi & occidere possum, ut bona rapta recuperem; cur non eum, qui contumeliâ illatâ, honorem meum abstulit, si honorem non recupero: Ludovic. Lopez *instruct.* 1. *part.* cap. 15. Marchantius *in summ. resol. pastoral. ad Decal.* tit. 5. *quæst.* 3. *cas.* 3. Mercatus apud Petr. Navarr. *in c.* 14. Marc. Serra 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Philip. Sherpad Dianam citatum; Villalob. *in sum. tom.* 2. *tract. diff.* 12. *num.* 3. Isti alios dabunt; longum esset omnes describere.

Contrariam sententiam Doctores communiter tenent; Barbosa scilicet, *in cap.* 10. *de homicid.* ubi plura citat Tolet. Salon. Emanuel. Malderum; Cardinalis Delugo, *disp.* 10. *sect.* 10. ubi citat Sotum, Carrerium, Molinam, Vasq. Rodrig. Turrian. Bannes, & prædictos Salon. & Malderum; adde Busenbaum *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 3. *num.* 7. ubi præter adductos, citat Laym. Filliuc. Lessium; hic tamen propter authoritatem, oppositam opinionem utcumque probabilem speculativè, ut ajunt, esse putat, quamquam in praxi minimè tutam, quia, inquiunt, is qui fugit, alapa inflicta, læsum honorem saltem ex parte, percusso restituere videtur, quod eum revera timeat, ac proinde fugiat: si testes adsint, Judex de reliqua satisfactione facile judicabit; si verò occulta est injuria, honor certè parum lædetur: uno verbo, si unum excipiam Henriquez, nullum ex auctoribus Societatis invenio, qui opinionem illam in praxi tutam & probabilem esse dicat; ego sanè à communi minimè recedo, quamquam oppositam speculativè loquendo, damnare non ausim extra praxim: & vero ubi jam illata est contumelia, & honor læsus, licèt is, qui insequitur fugientem & occidit, videatur honorem amissum reparare, hic tamen qui restituitur, verus honor censeri non debet, ex virtute scilicet & dignitate personæ ortus, sed verè mundanus & spurius, ex sumpta vindicta resultans.

Ab homicidii substantia ad circumstantias veniamus: opponunt igitur 1. Casuistis Adversarii, id quod dicunt, falsum accusatorem & Testes, imò & Judicem corruptum occidi posse ab insonte accusato; & hanc opinionem speculativè probabilem esse, non tamen ad praxim reducendam, quoniam à Magistratibus improbatur, & cædibus Reimp. funestaret; igitur Magistratus judicio, non Dei verbo, & humanis ac temporalibus Reip. rationibus, non divinis ab æternitate & animæ bono petitis rem hanc definiunt, sed hæc facilè refelluntur; sufficit enim, ut Casuistæ doceant, & revera omnes docent, præsertim auctores Societatis, prædictas opiniones ad praxim licitè reduci non posse: deinde non parum confert, ad definiendum licitum, vel illicitum rerum usum, scire, quid Magistratus decernat, & quid Reip. rationes postulent; nam sæpenumero fieri potest, ut aliquid in se consideratum innoxium sit, quod tamen malum sit, si cum legibus humanis, vel Reip. rationibus comparetur, & vicissim, aliquid cum publica re collatum liceat, quod in se alioquin iniquum esset: v. g. non licet hominem occidere pro gallina; si tamen proposita capitis pœna, imperator exercitus quidquam capi vetuit, miles pro levi gallinæ furto jure plectitur; sic excubitor, si obdormierit, jure occiditur; necem utriusque justam nihil efficit, nisi salus publica; dormiret hic sanè citra culpam, nisi vigilias excubiæ, & totius exercitus salus postularent.

Iisdem de causis Theologi affirmant, homicidium aliquando culpæ expers fore, nisi Reip. salus ageretur, v. g. duæ familiæ in aliqua civitate, ut sæpe accidit, intestinis odiis dissident, & ex illarum una quispiam ab inimicis interficitur; non licet cognatis interfecti, ulcisci injuriam morte percussoris; hoc enim ad auctoritatem publicam pertinet; sed apud Brasilos & Americanos complures, ubi Reges nulli, nullæ civitates, nulli cœtus legibus consociati, nulli Magistratus sunt, illic docent Theologi, licere cognatis occisi, interfectorem, aut cognatos illius vicissim, si rei sunt, interficere, si ii facere satis pro illata morte abnuunt; ita Molina *disp.* 10. ubi citat Angelum *v. Bellum*, §. 6. Tabienam, Gabriel. *in* 4. *d.* 15. *quæst* 4. *art.* 10. Navarrum *in cap. novit, de judiciis, coroll.* 25. *num.* 94. & 95. eadem ex

causa, non licet in Europa hostem, qui te aliquoties irrito conatu adortus esset, interficere, quoniam lege agere licet, quæ in promptu est; apud Barbaros autem, ubi nullus legibus, aut Magistratibus locus est, si quis sclopeto disploso, tibi aliquoties mortem intentasset, non ita facilè damnandus esset, si Barbarum interimeres; haud abs re igitur Theologi principum statutis, vel publicæ rei bono homicidii malitiam & culpam interdum metiuntur; cum actio ex se indifferens, imò fortè bona, mala fieri possit, propter Superiorum & Magistratus prohibitionem.

Exhis etiam refellitur, quod iidem Adversarii nonnullis Casuistis exprobrant, quod aliquando duellum à peccato eximant; at nullum invenies, opinor, qui post Romanorum Pontificum fulmina, Regum decreta, Episcoporum execrationes, duellum à peccato liberet, etiamsi daretur, eum, qui duellum detrectat, veri honoris jacturam facere: nam Superiorum voluntas cum recta ratione conjuncta, & ad publicum bonum relata, privatorũ honore superior est. Quæ nolim, sic interpretêre, quasi existimem, detrectanti pugnam de vero solidoque honore quidquam imminui; ita semper judicavi, perpaucos aliquot Theologos, qui duellum in se spectatum, præscindendo à legibus positivis, quibusdam in casibus excusant, opinione falli; Layman inter illos, omnium modestissimè loquutus est, *lib. 3 tract. 3. cap. 3. num. 3. Si in casu rarissimo*, inquit, *eo loco res sita sit, ut vir equestris, officio, dignitate, Principis favore, ob ignaviæ suspicionem, excidere debeat, nisi identidem provocanti se fistat, non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia, paruerit, juxta expressam Navarri doctrinam, cap. 15. num. 3. & 4.* Supponit enim, esse meram defensionem; non asserit quidem, sed damnare non audet Navarri opinionem, quam etiam Duvallius *tract. de charitate*, damnare ausus non est; ausim tamen illam sententiam reiicere, nunquam enim duellum licitum est, non tamen propterea, ante judicium Ecclesiæ, Navarrum damnandum esse crediderim, licet in hoc argumento paulò remissiùs scripserit. Quis amabò, ex iis, qui multa scripserunt, aliquando non dormitavit? Ex SS. Patribus aliquis, de homicidio agens, scripsit, occidi posse vadem pro reo factum, si Reum elapsum nequeat ad tempus sistere; gloss. *cap. 19. 23. quæst. 5.* Sed innocens suo sanguine nocentis scelus expiare non debet: Augustinus, inquies, negat, hominem occidi posse pro tuendo honore; sed idem negat, occidi posse, pro servandis bonis; & refragantes habet Theologos, & Juris utriusque Doctores prope omnes; quamquam benigna interpretatione Augustinus explicari debet, potiùs quàm refelli; at Hieron. *in 1. c. Sophon.* expressè dicit, prædones & piratas esse mutilandos, *Si quis*, inquit, *fortitudinem latronis & piratæ & furis enervat, infirmosque illos reddat, prodest illis sua infirmitas*; sed hæc meo judicio plana sunt & perspicua.

Opponunt denique, summam pecuniæ, quæ homicidam excuset, nummo aureo à Casuistis definiri, hoc telum Molinam petit; sed ut res planior fiat, accipe illius textum, excerptum ex *tract. 3. disp. 16. n. 4. & 6. Quando res*, inquit, *non esset magni valoris, ut si esset solum valoris trium, aut quatuor, aut quinque ducatorum, consentit Sotus art. 8. consentiunt & alii, non licere fugientem interficere; quando verò esset magni valoris, exiguaque esset spes illam postea recuperandi, affirmat Sotus, fas in eo eventu esse, illum interficere; neque id auderem condemnare, modò priùs voce admoneretur, nisi rem relinquat, esse interficiendum; semper est tamen consulendum, ne proximus eo casu interficiatur*: quid modestius & majori cautela dici possit, non video; docuerat autem, *num.* antequam res auferatur, posse dominum illius eam defendere, etiam si minoris valoris sit; & si ipsi inferatur, vix eum se damnaturum dicit, qui injustum aggressorem repelleret, & cum moderamine inculpatæ tutelæ occideret; atque id planè est, quod intenditur *d. cap. interfecisti*, hac clausula, *tenaciter liberando*; quando enim quis ita defendit suas, regulariter defendit simul suam propriam personam, quam periculo exponit: & verò, quando quis aliquid per vim auferre conatur, maximam ipsi contumeliam infert; ac proinde, si eam contra injustum aggressorem defendat, non tam rei, quàm honoris est defensio; res modici valoris esse potest, sed honor læsus, præsertim si persona nobilis sit, magni momenti est, & hæc Molinam satis defendunt, item Lessium *cap. 9. num. 68.* imò & Sotum, quem uterque, sed de his satis.

CAPUT XXI.

De Iudicibus & opinione minus probabili.

DOCENT iidem, Judicem posse in quæstione juris judicare secundùm opinionem probabilem, relicta probabiliore, etiam contra sum sensum.

REFELLITVR.

BOnacina de distinctione specifica & numerica peccatorum, *disp. 2. quæst. 4. punct. 9. num. 13.* existimat, hanc opinionem esse probabilem, & profitetur Sayr. Aragon. Salon. qui eam defendunt: nobis sunt in contraria sententia, Vasq. Becan. Azor, Reginald. Valent. Sanchez, quibus omnino assentior, quia Princeps, aut Resp. constituit Judices, ut secundùm propriam cognitionem judicent.

CAPUT XXII.

De Iudicibus, & munerum acceptione.

DOCENT, Judices posse munera accipere, modò id nulla lex particularis prohibeat, cum scilicet ea dant litigantes, exmotivo amicitiæ, vel gratitudinis, ob justam causam adjudicatam, sive ut in posterum rectè judicent, litesve dependente; vel ut brevi rem expediant, aut illarum causarum discussioni præponant, vel majore cum diligentia, studio discutiant.

RESPONDETVR.

ITa sentit Augustinus *Epist. 54. ad Macclonium*, in qua de judicibus agens, qui accipiunt munera dicit, eos ipsâ consuetudine excusari: *Sunt alia personæ*, inquit, *inferioris loci, quæ ab utraque parte insolenter accipiunt, sicut officialis & qui annonas*

&

CAPUT XXIII.

De eodem argumento.

DICUNT, non peccaturum eum judicem, quando nullus litigantium jus habet, quo præferri debeat aliis, ad promptiorem expeditionem, si aliquid muneris ab uno accipiat, ut eum aliis præferat.

RESPONDETUR.

SI sit mera gratia, & nullum sit decretum contratium, standum est proximè decisis; sed quia scribæ possunt exigere & vexare partes, quæ ut aliis præferantur, majores summas quàm competitores obtulerint, eáque minimè voluntarias, sed coactas; ideo constituto super hoc edita, quæ id prohibet, quod sanè in manifestum pauperum detrimentum esset, prudens pariter est admodum, & æqua.

CAPUT XXIV.

De Usura.

USURAM etiam fovent, docéntque, eam palliare, ut ajunt contractibus fictæ societatis, prætextu gratificationum, & aliis hujusmodi simulatis causis, præsertim contractus quem Hispani Mohatra vocant.

REFELLITUR.

NIhil fortè gravius Casuistis adversarii opponunt; quo fit, ut viri alioquin probi, qui justum lucrum ex suis pecuniis libenter perciperent, dubii & ancipites maneant, ob diversas Theologorum sententias; nonnulli omne lucrum repudiant, nisi quod ex censu, aut fundis emptis percipitur; alii contra asserunt, præter censum & fundos, alios titulos non deesse percipiendi justum lucrum; operæ igitur pretium est, hanc controversiam paulò accuratiùs pertractare, ut liquido constet, utrùm alii contractus à censu distincti usuræ labem contineant, unde restituendi lucri necessitas sit. Quæstionem hanc diligentissimè tractavit vir clarissimus Ludovicus Baillius, *in suo libro de triplici examine à pag. 414. ad 462.* probavítque, præter censum, multis aliis nominibus, justum lucrum ex data pecunia fieri posse: in compendium hîc redigam ea, quæ prædictus auctor fusiùs explicuit, ut ii, quibus inanes scrupuli injecti sunt, adeò docti, pii atque periti hominis auctoritate placati se sinant; præsertim cùm doctrinam suam ab antiquis Sorbonæ Theologis acceperit, & librum suum à præstantissimis ejusdem Academiæ Doctoribus approbari curaverit; hoc brevi compendio præmisso, quid deinde sentiam, liberè aperiam; & ne hoc caput longiùs excurrat, in §. aliquot illlud partiar.

dum vetur officium, ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem imbecillitatem non solent; magisque reprehendi non solent, qui talia inusitatè repererunt, quàm qui talia de novo introtulerunt; Molina aliíque Casuistæ idem docent, voluntque, Judices stare decretis & consuetudini, & cavere à scandalo prope inevitabili, si exiguis muneta judices accipere, populus resciat: ad quæstionem aliquis, Sanctus Augustinus de judicibus hoc loco non agit; nam apud Latinos, vox illa *Officialis* non significat, sed tabellionem, vel apparitorem; deinde non legitur in textu Augustini *quibus amovetur, sed à quo amovetur*; fateor, hunc locum aliquantulùm difficilem esse; ex eo tamen constat, sive judicem hæc vox *officialis* significat, sive alium quemlibet hujusmodi, judicem stare posse consuetudini, in meritam acceptione, quod Sanctus Augustinus in hoc loco expresè asserit; immo si Tabellio consuetudinem stare potest, cur non Judex? hæc porro vox *officialis* non tantùm apparitores, Tabelliones, scribas, verùm etiam judices, non quidem supremos, sed subordinatos, ut vocant, & alios hujusmodi belli patentes administros significat: vide Rebuff. *in 21. tit. ff. de officio*, Molinam 53. *tit. lib. 1. Cod. de contractibus judicum*, ubi Gloss. nomen officialis Judici tribuit; item Lexicus Calvini *verb. officialis*.

Quod attinet ad illam depravationem, quæ opponitur, Gloss. *in can. non sanè. 14. quæst. 5.* explicat locum illum intemporalibus & perpetuis officialibus; hæc autem expositio in apparitores non satis quadrat; Antonius Augustinus diligentissimus Gratiani interpres, & alii, qui jussu Gregorii XIII. Gratiani decretum emendarunt, textum hunc Augustini à Gratiano relatum intactum reliquerunt, scilicet *qui amovetur, & cui admovetur*, adnotata solum ad marginem alia lectione, *à quo amovetur, & cui admovetur*, quæ apud Augustinum ipsum extat: non nemo ita hunc textum emendare voluit, *à quo amovetur & cui admovetur*, sed perperam omnino, & sine ratione: igitur probabilissimum est, hoc loco, ubi Augustino intelligi officiales duplicis generis, temporales scilicet & perpetuos. Sed, inquies, in eadem Epistola, Augustinus obligat judices ad restitutionem munerum acceptorum; fortè supremos, quibus consuetudo non favebat, non verò inferiores, qui munera accipere consueverant; & verò si Hugutium utrumque Decreti interpretem, & Barthol. Brixiensem audiamus, Sanctus Augustinus sub finem ejusdem Epistolæ judices eximit ab obligatione restituendi accepta munera, modò faciant eleemosynas: *Isti*, inquit, *suam vitam mutaverint, & excellentioris conscenderint judicatus gradum, facilius ea, quæ hoc modo acquisierunt, tanquam sua Pauperibus largiuntur, quàm ea, à quibus accepta sunt, tanquam aliena restituant*: videsis quæ in *c. non sanè 14 quæst. 5.* in Gloss. & si vera audieris, nulla hic amplius restat difficultas; expressâ legepositivâ prohibente, Doctores in hoc puncto non dissentiant, modo alteri partium nulla injuria inferatur, nec pro ferenda sententia justa, vel injusta, de quo infrà, ex pacto expresso, vel tacito munera, dentur.

§. I.

Doctrina D. Baillii de usura & justo lucro.

PRimo loco docet, usuræ labem contrahi, quotiescumque titulo ac vi mutui, ex pecunia, lucrum percipitur; unde concludit, quolibet alio titulo justo lucrum percipi posse; deinde multas usuræ species recenset; præcipua autem divisio est in eam, quæ juri naturæ, & illam quæ juri dumtaxat humano repugnat; hæc ad restitutionem non obligat, nisi post sententiam judicis, secus verò illa; Gersonem præterea citat, aliosque graves auctores, nonnullorum nimiam severitatem castigantes, qui faciliùs quàm par sit, quosdam contractus damnant, iisque usuræ notam inurunt. Quare Gerson Theologos hortatur, ut in hujusmodi censuris moderatiores se præbeant; futurum alioquin, ut graviter peccent; cùm inde fidelium animi maximè perturbentur. Observat etiam prudentissimè, ante concilium Constantiense, perpetui census contractum à nonnullis Theologis eadem contentione damnatum fuisse, quâ modò à nonnullis census utrimque redimibilis ad tempus, & pactum trium contractuum damnantur; & Henricus Gandavensis tanto ardore census insectabatur, ut emptoribus certissimum & indubitatum æternæ salutis discrimen denunciaret; his tamen non obstantibus, Rom. Pontifices contractum census justum ac legitimum esse suis constitutionibus declararunt: quis scit, utrùm aliquando idem futurum sit de præmissis duobus contractibus, quos hac tempestate aliqui adeò facilè damnant, licèt auctoritate nobilissimorum Doctorum, tum sæcularium, tum regularium nitantur; illud saltem optandum esset, ad sedandas turbas, quas justò severiores quorumdam opiniones excitarunt, teste Baillio, qui se vidisse asserit, quosdam sub mortem miserabiliter in desperationem actos, ob impositam sibi à Confessario obligationem restituendi, quidquid per ejusmodi contractus bonorum acquisierant; vidisse se pariter, eadem de causa, viduas hæredesque extremo angore confectos; audiisse cum summo animi sui horrore, lamentabiles illorum ejulatus, quos nimia severitate inclementes illi Theologi bonis suis spoliaverant. Quare orat obtestaturque, ut mitiora sentiant, ad veritatem & humanitatem accommodatiora: Doctores demum Theologiæ scholasticæ rogat, ut Casuistarum scripta diligenter evolvant; nec quidquam ex tempore, ingenio, vel doctoris insignibus confisi, circa morales controversias definiant, quæ diuturna exercitatione, consideratisque maturè circumstantiis, & longa experientia egent, ut rectè decidantur: ac demum profitetur, se diversis subinde occasionibus, per annos 12. vicibus licèt interruptis, operam navasse, excutiendis quæstionibus de usura, iisque contractibus, quos nonnulli temere vituperant.

Inde recenset legitimos titulos, quibus ex numerata pecunia, fructus licitè percipitur; eorumque singillatim æquitatem examinat; initio facto ab eo, quem vocant lucri cessantis, & damni emergentis, qui tunc occurrit, quando is, qui pecuniam suam alteri dedit, indè jacturam aliquam suorum bonorum patitur, vel honestum lucrum non facit, quod alioquin ex illa pecunia fecisset; ostenditque, Divum Thomam, antiquos Theologos, & austerissimos quosque concionatores, qui maximo zelo usuram insectati sunt, ut Sanctus Bernardinus, hunc titulum legitimum judicasse; quod evidenti argumento est, aliquid supra sortem licitè accipi posse, modò non vi mutui, sed alterius tituli rationabilis percipiatur: quibus positis, quærit utrùm qui pecuniam haberet, ad prædium aliquod, vel officium proximè emendum, vel qui mercaturam eo consilio desereret, ut commodaret pecuniam indigentibus, ut posset hoc titulo lucri cessantis, & damni emergentis, & tantumdem fructus recipere, quantum ex prædio, officio, mercatura recepisset; ac citat Card. de Lugo & Malderum, qui docent, hoc fieri posse, salva conscientia; ibidem mentionem facit quorumdam mercatorum, in Belgio, auctoritate principis constitutorum, qui cum isto lucro, prædicto modo dant pecuniam; additque, ann. 1617. multos DD. Theologos, sex Episcopos, duos Archiepiscopos, Mechliniæ Conventu habito, hoc genus contractus examinasse, ac judicasse, non esse usurarium; subnectit tamen in Regno Galliæ non tolerari, eò quod regii decretis prohibeatur; quo sanè confirmat id, quod dixerat, esse aliquam usuram juri tantùm humano. Principum legibus inducto, repugnantem, eum timen, qui hujusmodi contractum jure tantùm humano usurarium iniisset, ante sententiam Judicis ad restitutionem minimè obligandum.

Deinde alium modum legitimum affert, percipiendi justum lucrum, ut scilicet exigas partem fructus, aut reditus provenientis ex eorum mercatura, quibus pecuniam das, vel ex prædio, vel officio, quod ea pecunia sibi comparant: hic modus tres contractus supponit ex sua natura; primus est societatis, secundus assecurationis sortis, remissa proilla parte lucri probabilis, tertius permutationis reliqui lucri majoris, incerti quidem sed probabilis, in lucrum certum, sed minus, verbi gratia, das tuam pecuniam mercatori in societatem, posses percipere ex 6. vel 8. unum, si contractui dumtaxat societatis stares; sed tu paciscris, ut unum certum ex 18. tantùm recipias, ea lege, ut mercator sortem assecuret; addit autem, cuncta hæc uno contractu æquivalenter fieri posse, qui scilicet tres prædictos complectatur; in hanc rem citat supra 20 celebres Theologos & Canonistas, & inter cæteros, Majorem, Navarr. Sylvestr. suæ sententiæ suffragantes, ac proinde illum modum omni culpa carere, dicitque, perpensis serio adversæ partis rationibus, nullam à se inventam, quæ probet, contractum ejusmodi usurarium, aut vitiosum esse; immò asserit, sententiam suam esse magis communem, & illustriores habere Theologos, qui eam defendunt, à nullis demum Conciliis reprobatam, aut prohibitam fuisse: Hinc sequitur, illos omnes, qui tradunt suas pecunias mercatoribus, vel officia mentibus, ex eis posse fructum percipere. Opponi posset, quando is, qui accipit pecuniam, debitum aliquod vult extinguere, alioquin prædium venditurus, ad id debitum dissolvendum, eum, qui tradit pecuniam, justum inde lucrum percipere non posse: at fructus servati prædii, vel officii is, qui accepit pecuniam, qua debitum dissolvit, percipit: cur ergo illorum partem is, qui dedit, exigere nequit; Baillius tamen auctor est, ut ab hoc pacto abstineas, quod sanè si fortè alterius consilio inieris, ad restitutionem te non obligat.

Mentionem fecerat tertii cujusdam pacti, cum iniit, qui fundos habent; is, qui dat pecuniam, emit pensionem annuam, ex reditibus talis fundi, in duos vel tres annos, cùm pecunia sua perpetuò carere nolit; hunc modum fusiùs non explicat; fortè, quia illum in contractu Societatis comprehendit, cùm dixit, emi posse illa pecunia partem red-

mutuatario provenientis; sunt tamen duo tituli omnino admittendi, ut mox ostendam: Explicat deinde quem modum, cùm is, qui pecuniam dedit, dicatur mutuare illi, qui accepit, ut vel summam totam, vel aliquid lucri solvat: hoc loco sanè probabiliorem suam mentem exponit; ex iis tamen quæ dicit, id saltem colliges, abeo non improbari opinionem illorum, qui dicunt, lucrum percipi posse ex vi latæ sententiæ, de qua inter partes convento fierat, legitimum esse: Quintum modum probabilem, scilicet mutuatarius dat aliquid supra sortem, ex mera liberalitate, sine ulla obligatione. Sextum modum quo scilicet ratione periculi, & maximæ difficultatis solvendi, qua mutuatarius laborat, aliquid supra sortem exigitur; sed hunc modum percontenti lucrum, ut illicitum Baillius rejicit.

Ad hæc dilucidanda, rationes adversariorum diluit; qui primò objiciunt, pecuniam ipso usu consumi, perinde ac res ad victum aptas; at si in rebus ipso usu consumptibilibus, plus exigitur à mutuatario, quàm accepit, verbi gratia, si pro 20. libris panis, 25. repetantur, aut pro cado olei 100. Heminarum repetatur cadus 110. usuram committi, vel ipsi Philosophi naturæ lumine agnoverunt. Objectionem solvit, atque, maximum discrimen intercedere inter panem, verbi gratia, & pecuniam; qui panem mutuatim, utpote usu consumatur, at verò pecunia, rerum quas emimus, naturam induit; hinc fit ut aliter pecunia, ut emat panem, tam usura erit, exigere aliquid supra sortem, quam revera esset, si pro 20. libris panis, 25. repeterentur; si vero detur ad mercaturam, ad emendum officium, vel fundum, pars fructuum percipi potest, cùm fundus emptus pecuniæ loco. Objiciunt præterea, nullum deinceps usuræ locum fore, si sola directio intentionis contractum legitimum facit; sed hanc facilè solvit, adductis multis locis ex sancto Augustino, pro directione intentionis. Objiciunt denique regiis decretis prohiberi, ne quid supra sortem ex pecunia mutuandos accipiatur; Respondet, internum forum à fori externo interdum discrepare; nempe forum externum ex præsumptionibus sæpe judicat, cùm tamen internum sola rei veritate nitatur. Habes paucis comprehensam Baillii de quæstu pecuniario doctrinam, circa quam nonnulla animadvertenda esse puto.

§. II.

Quædam ex præmissa doctrina deducuntur.

Primò deducitur, illos, qui ex data pecunia mutuatorum lucrum perceperunt, verbi gratia; ſ. ex regulis censeris, non tenere ad restitutionem, nisi probatis à Baillio titulis, aliquem ante oculos habuerint, aut certè bona fide pecuniam dederint, etsi de titulis ejusmodi nihil cogitarent; ac proinde viduas, liberos, & hæredes eorum, qui ejusmodi lucrum exegerunt, nullâ restituendi lege obstringi; & si fortè à confessariis aliquid negotii super hoc iis facessitur, stare possunt dictis hujus doctissimi & pissimi auctoris, qui ex celeberrimis Europæ & aliarum Universitatum doctoribus, suam doctrinam hausit.

Secundò consilium dari petentibus posse, ut contractu societatis inito, lucrum ex pecunia sua refundatur, adducor Baillii rationibus, quibus tum hujus contractus æquitatem demonstrat, tum adversariorum argumenta refellit, gravi præterea illustrissimorum scriptorum 20. circiter aut 30. testimonio, qui huic pacto subscribunt: his præsidiis fultum ægrè de sententia dimoveas, nisi id, quod in contrariam partem affertur, gravissimum & firmissimum sit; cùm tamen id unum potissimùm opponatur, scilicet vix fieri posse, ut omnes circumstantiæ ad æquitatem hujus contractus requisitæ, simul adsint; ego contra existimo, satis facilè simul adesse posse; alioquin vix unquam mercatori suadere posses, ut cum alio societatem iniret; sufficit ergo, ut is, qui dat pecuniam, sciat, accipientem mercaturam exercere, vel fundos, aut aliud quidpiam fructiferum emere; si verò dubites, num mercaturam exerceat, at fundos emat, unde justum lucrum percipi possit, ideoque usuræ aliquod periculum subsit, non erit minus periculum, si pactum census ineas cum eodem homine, qui juxta decretal. *Regiminis* Martini V. & Calixti III. contractus census veram emptionem supponit; atqui, si is, qui pecuniam accipit, non habet fundum, super quo census, annua scilicet pensio constituatur, contractus ille usura non vacat; vel igitur cum hoc dubio contractum societatis inire licet, vel cum eodem contractum census inire non licet: sed inquiunt, sæpe contractus hujusmodi societatis infœlicem exitum habent; unde in suaserem mille maledicta; hæc ratio futilis est; nec enim consuluntur Casuistæ, ut sciatur, quid expediat ad bonum temporale, sed quid tutò & licitè secundùm animam fieri queat, immo si de bono temporali interrogarentur, non video, cur respondere non possent, licet deinde, te infœliciter cadente, maledictis imperentur; sic de matrimonio & religione consulti, etsi interdum propter hoc diris devoveantur, respondent: denique si hæc ratio valeret, contractus census suadendi non essent, cùm sæpissimè accidat, ut is, qui pecuniam dedit, ea carere cogatur, qua ramen aliquando maximè indigeret; aut eam omnino amittat, eo quod fundus ille, super quo census constitutus est, jam aliis oppignoratus sit; quo periculo nonnulli deterriti, non nisi in certum tempus suam pecuniam dare constituunt.

Tertiò, aliquid supra sortem percipi non posse, ratione periculi, vel amittendæ pecuniæ, vel ægrè recuperandæ, si ordinarium dumtaxet periculum est, cui revera omne mutuum exponitur, ut Baillius prudenter animadvertit; si verò extraordinarium est, sive quia mutuatarius rei domesticæ angustiis laborat, aut susceptæ mercaturæ periculosior est, sive quia non nisi per lites ab eo debita extorqueri solent, damnare aliqui non audent, si ratione majoris hujus periculi, aliquid exigatur; nempe cæteris in contractibus, cambii, v.g. aliisque inter mercatores usitatis, periculi ratio haberi, & æstimari pecuniâ solet.

Quartò, circa sententias, quibus creditori lucrum supra sortem à judice adjudicatur, ita quidem censeo; si ante latam sententiam, nullum jus est creditori, percipiendi lucrum, nullum deinde, vi latæ sententiæ, acquiri, sed quidquid acceptum est, restituendum esse; quia Judex, sola illa præsumptione nititur, creditori aliquod ex dilatione lucrum cessare, vel damnum emergere; quando verò justo aliquo titulo, ex iis, quos Baillius cum aliis Doctoribus approbat, v.g. contractus societatis, vel census, legitimum lucrum exigi potest, & suspicatur, ne aliquid mali insit, sive quia statuta Principis violat; sive quia in jus vocari timet, ad jurandum, pecuniam ad lucrum datam non esse, illi ego auctor essem, ut à judice sententiam obtineret, sic enim ab omni scrupulo liberaretur.

Quintò denique, prædictos titulos à Baillio approbatos, spectato jure naturæ, attentisque rationibus Theologicis, legitimos esse, & usurariæ labis immunes, non nemo ultrò concederet; prohiberi tamen decretis regiis; nemo enim negat usum illorum, alioquin ex se legitimum, interdici posse, ac proinde illicitum esse, quia prohibitum: sed paulò post hanc controversiam dirimam, hic dixisse contentus, prædictam doctrinam adeò solidis rationibus firmatam, hujusmodi limitatione appositâ, inutilem fore iis, qui lucrum ex pecunia percipere volunt; utilem tamen iis, qui jam perceperunt, quos vel ipsi adversarii ab obligatione restituendi, ante sententiam Judicis, liberant.

§. III.

Mens auctoris, de lucro ex pecunia.

POst allatam Sapientissimi Doctoris opinionem, mei muneris & instituti esse putavi, quid ego ipse sentiam exponere circa lucrum, quod ex pecunia, alio, quàm census perpetui titulo, percipitur, illudque prosequi ac definire, quod à Baillio intactum relictum erit, circa obligationem, nihil accipiendi supra sortem; duo igitur suscipio probanda, primum est, stando in rationibus Theologicis, præcitâ lege positivâ, posse quempiam ex pecunia sua moderatum lucrum licitè percipere; alterum est, statutis & legibus non prohiberi lucrum, quod justis titulis exigitur. Utrumque breviter pertracto; primum quidem in hac sectione, alterum in proxime sequenti.

Enumeratos à Baillio titulos legitimos quidem esse assentior; at ex iis, duos tantùm sufficere prorsus existimo; contractum scilicet societatis, & census utriusque redimibilis ad præfixum tempus, secluſa scilicet lege positiva, & attento solum jure naturæ; non nemo tertium adderet, secundùm quædam senatusconsulta, ubi decernitur, eum, qui bona tantùm habet mobilia, posse constituere censum perpetuum; at quia juxta extravagantem *Regimini*, census in fundo constitui debet, vel alia re immobili fructifera; nemini sanè auctor ero illum, ejusmodi census constituendi, in homine bona tantùm mobilia habente; accedit, quod census est vera emptio, pensionis scilicet, ex re fructifera provenientis: sed hoc omisso, de quo morales disputant, dico duos illos titulos sufficere, quod sanè frustra probarem, cùm res per se ipsa pateat; qui enim alteri suam pecuniam credat, quem solvendo non esse sciat; vel quia bonis immobilibus caret; vel, quia nulla valet industria, vel artis, vel mercaturæ, ad pecuniæ lucrum faciendum; sed paulò fusiùs demonstrabo utriusque contractus æquitatem.

Et ut à primo incipiam; hoc famosum est pactum trium contractuum, de quibus supra, societatis scilicet & assecurationis, tum sortis, tum certi lucri, justo pretio, & socio ultro consentiente comparatæ: Societas naturæ rationali ita congruit, ut ex quo jure gentium, bonorum divisio instituta est, in ipsis conjugiis, aliquid vitii, aut defectus inesse, creditum sit, in quibus bonorum communio & Societas non esset: nemo hactenus socialem hanc conventionem inter conjuges reprehendit; cur igitur in pecuniæ, & negotiationis usu reprehendetur? Viget inter mercatores Societas, sine cujusquam criminatione; toleratur inter colusores & aleatores; quare iis solis crimini dabitur, qui in privatorum commodum, & publici commercii utilitatem, suas pecunias conferunt.

Negant Adversarii, à se reprehendi contractum societatis, cum spe lucri, & timore damni, modò verus sit & bonæ fidei; at contendunt, à nobis simulatam tantùm & coloratam societatem defendi, propter binos illos contractus adjunctos, quibus natura societatis destruitur, quæ in distribuendis pro rata lucris, damnisque posita est, & aleæ ex æquo subjicitur; in triplici autem contractu certum, danti pecuniam lucrum provenit extra omnem aleam: in promptu responsio est; hoc jam centies oppositum fuit, & centies rejectum; vi primi contractus, dans pecuniam, eidem jacturæ periculo communi accipiente se se exponit, & par utrique est lucri spes; aliis verò duobus contractibus totam spem lucri majoris emit debitor, pro obligatione, quam contrahit, assecurandi sortem, & refundendi tantulum certi lucri; nunquid spes illa lucri verisimilis, & quæ moraliter certi, pretio æstimabilis non est? igitur & pretio æqualis; quid ergo mirum est, si obligatio prædicta, quam debitor suscepit, illam adæquet: quid in his amabò iniquum est? an non aliis rebus locum habet? Piscator jactum retis vendere potest, qui aliquando vili pretio emptus, maximum ementi lucrum affert: inter aleatores, sæpe talorum jactus emitur, qui aliquando minimo empti, ementi quæstuosissimus evadit, secus alias; quibus exemplis confirmatur, incertum pro certo vendi posse, & dantem pecunias, adjectis primo pactis duobus aliis sorti suæ consulere, spe scilicet grandis lucri pro vendita; nempe vi primi contractus in singula centena facilè lucrabitur 30. sed annexi duo ita temperant, ut 4. tantùm, aut quinque lucretur: quod autem dixerant adversarii, primum contractum societatis destrui ab aliis duobus, paulò post dilui, cùm solventur objectiones.

Non deerunt fortè, qui hujusmodi contractum æquitatem agnoscant, ea tamen lege, ut duo postremi primo societatis jam inito, exintervallo succedant; negent tamen, una simul fieri posse in hunc ferè modum: is, qui, dat pecuniam in societatem, dicit mercatori: en tibi trado meam pecuniam ad negotiandum; sed quia ejusmodi commercii sum imperitus, cedo tibi totum lucrum, dummodò sortem assecures, & tantulum quid, verbi gratia, quatuor in singula centena mihi promittas; mercator annuit ultro? probandum igitur superest, unico contractu, tribus scilicet æquivalente, perinde atque triplici, de his omnibus conveniri posse; si enim isti contractus seorsim initi, legitimi sunt, cur conjunctim usurarii erunt atque injusti, cur is, qui pecuniam tradit, mercatori cedere lucrum non potest, modò is capitalem summam assecuret, & partem modicam lucri promittat? etenim si quis injustum vel usurarium in his contractibus simul initis esset, vel in uno tantùm tribus æquivalente, inde solum ratio peteretur & mali labes, quod illorum materia, justa quidem, cùm seorsim fiunt, naturam mutet, cùm simul & conjunctim uniuntur; sed hoc à vero prorsus abest; eadem enim est utrimque materia; sive conjunctim, sive seorsim fiant; igitur si semel justa, semper justa; secluſa scilicet lege positiva; non nego tamen, his contractibus inesse vitium, si mercator ad duos posteriores invitus adigatur, qui fortè in primo societatis

Societatis consistere vellet ; at suppono hoc loco, Mercatorem ultro in prædictas pactiones venire, atque ita video transigi inter negotiatores, a quibus audivi , hoc pactum trium contractuum illis gratissimum & valde utile esse , ac ultro illis assecurare sortem, & promittere quatuor, vel quinque in singula centena ; gaudent igitur augere pecunias hac conditione , cum pericula, quibus assuefacti sunt , nihil sanè, aut parum timeant.

Nocet, quod dicant adversarii , sub hac conventione, quasi sub pallio & ficto involucro, usuram latere, ac proinde illam proscribendam esse ; sed profectò usuræ regi, vel colorari non possunt, cum verus & legitimus contractus intercedit ; licèt non certum sit de lucrum exillo, quàm ex usurario provenire tum enim verò fraus est & palliatio , cum legitimus contractus veruſque titulus finguntur, ut è pecunia lucrum fiat, qui tamen re ipsa nulli sunt ; ut fit in cambio sicco ; aut cum fingitur vænundari triticum, quod tamen non vænundatur, aut tradi pecora, quæ non traduntur : his pactionibus usurarum, & ut ajunt palliatur ; at tres contractus, de quibus agitur, quibus nulla fictio inest, ab eo vitio procul absunt : cuncta hæc confirmari possunt *cap. per vestras de donationibus*, ubi Innocentius III. probat pactum illud, quo traditur mercatori pecunia, sortis summatem præstanti ; & definitum conventione lucrum spondenti ; nec postulat scientissimus Pontifex tres contractus, sed unum tribus æquivalentem : consultò autem hoc Pontificis testimonio utor, quoniam vetare Pontifex potest, ne conjunctim tres contractus fiant, qui tamen seorsim facti, legitimi essent & validi ; sic Beneficiarius relinquam beneficium sub pensione , in illo actu, de illius redemptione agere non potest, quoniam Pontifex cap. ult. de pactis, quamlibet pecuniarum conventionem prohibet, in rebus spiritualibus.

Sed ut rem hanc pressiùs urgeam , selectum & copiosum Doctorum manipulum adduco, quorum primum ex Lessio, Lugo, Diana, Gibalino, Leotardo orsus ; isti ergo prædictum pactum approbant. Silvester *in summ. tit de usur.* §. *in aliis autem casibus*, Abbecius ibi allegatus ab Hostiensi, Joan. Andreas *in cap. Per vestras , de donation. inter vir. & uxor.* Angelus *verb. Societas* 1. §. 7. Sylvest. *verb. Societas* 1. *quæst* 2. Armill. *verb. Societas, num.* 6. Tabienæ *verb. Usura, num.* 3. Emman. Sà *verb. contractus*, num. 11. Major. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 49. Gabriel. *in* 4. *dist. quæst.* 11. *art.* 3. Medina *instruct.* §. 27. Angles *verb. q. de Societate*, Toletus *lib.* 5. *cap.* 41. Lugo *disp.* 20. *de just. num.* 41. Molin. *tract.* 2. *de justit. disp.* 417. Valentia 3. *part. disput.* 5. *quæst.* 24. *punct.* 2. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 25. *dub.* 3. Garcias 2. *p. de contract. cap.* 17. Ludovicus Lopez *de contract. c.* 65. Salon. Palao *de justit. disputat.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 11. num. 1. Malderus 2. 2. *tract* 5. *cap.* 2 *dub.* 9. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 20. *num* 2. Bonacina *de contract. disput. quæst.* 3. *punct.* 11. *num.* 2. Homobon. 2. *part. Summ. confess. tract.* 9 *cap.* 14. *quæst.* 14 Megala 2. 2. *tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 2. *num.* 25. Reginaldus *lib.* 25. *prax. fori* 190. Scortia *in constitut. Pontif theor.* 367. Filliucius *tract.* 34. *num.* 107. *& tract.* 35. *num* 453. *&* 458. *num.* 55. Diana 1. *part. tract.* 8. *resol.* 30. Sanchez *tract. de Societ. artic.* 3. Bernardin. Justinian. *de cambi. quæst.* 10. *num.* 9. Marelc. *variar lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 21. Ugolin. *de usur. cap.* 55. §. 1. *num.* 1. Bonac. *de potest. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 5. *&* 6. Duardus *de Societ. lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 7. *num.* 9. *&* 21. Gibalinus *lib.* 6. *de usur. cap.* 5 *art.* 1. Comitolus *de contract. part.* 2. *cap.* 11. Graffius *tom.* 1. *decis. lib.* 2. *cap* 119. Maillard. *de pœnitent. cap.* 58. *instruct.* 14. Joann. Benedict. *lib.* 3. *cap.* 9. Petrus de Navarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *num.* 442. Auctor Speculi *confess d.* 7. *quæst.* 18. Theophil. Raynaudus *in epist. descripta à Gibalino, consect.* 3. cui subscripserunt Lezana, Baldellus, Salernus, Diana, Leotardus *q.* 31. *num.* 13. Navarrus *in manual. cap.* 17. *num.* 154. *& comment. de usur. in cap si fœneraveris*, Joan. Bapist. Lupus *in cap. navigant.* §. 1. *n.* 12. Petrus à Perusio *tract de duob. fratr.* 4. *part. quæst.* 1. Purpuratus *in l. si pascenda, Cod. de pactis*, Panormitan. *in cap per vestras*, Boninsignius *tract. de mont. cap.* 8. *num.* 2. Gratian. *disceptation. forens. tom.* 2 *cap.* 360. *num.* 10. & 11. Sigismond. Scaccia *de commerc.* §. 3. *gloss.* 3. *num.* 36. Mantica *de tacit. & ambig convention tract.* 1. *lib.* 6. *num.* 12. Morla *in emptorio juris, part.* 1. *tit* 8. *quæst.* 5. *num.* 30. Natta *part.* 2. *consil.* 403. *num.* 3. Sarmiento *select. lib.* 3 *c.* 1. *num.* 7. Rubeus *repetit. in cap. per vestras , de donat. notab.* 6. §. 11. *num.* 8. Binsfeld. *in cap navigantes*, Palacios *de contract. lib.* 4. *cap.* 12. Natbon. *ad l. Hispan.* 15. *gloss.* 2. *num* 43. Molfesius *tom.* 3. *quæst.* 18. *& de contract. quæst.* 11. *num.* 41. Baillius *in tripl examin. p.* 433. Amicus *tom.* 5 *disputat* 24. *sect* 2. *num* 25. Tannerus 2. 2. *disput.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 8. *num.* 208. Busenbaum *lib.* 3. *medull. tract.* 5. *cap.* 3. *dub* 14. *num* 3. Gordon. *Theolog. moral. lib.* 4 *quæst.* 9. *c* 5. §. 2. Basilius *verb. Societas, num.* 4. Villalob. 2 *part. tract.* 26 *diffic* 3. *num* 5. Covarruvias *variar lib.* 3. *c* 2 *n* 4. Trullench. *lib.* 7. *in decalog. c.* 24. *dub* 2. *n.* 1 Marc. Serra 2. 2. *quæst.* 77. *art* 4. *dub.* 2. Tamburinus *lib* 8 *tract* 3. *cap.* 8. §. 3. *num.* 21 Cajetanus, Corradus, & plures alii concedunt, tres illos contractus fieri posse cum eodem mercatore, successivè seorsim, non simul conjunctim ; sed, ut jam dictum est , cum sit eadem materia , vel conjunctim justa est , vel seorsim injusta.

Accedit, quod Valentia loco citato , hoc pactum trium contractuum approbatũ fuisse testatur à Rom. Theologis, in speciali Congregatione an. 1581. ad hanc controversiam discutiendam deputatis : Joan. Echius, ut Major ipse testatur, hanc eandem sententiam Bonomiæ defendit ; Lessius citatus *num.* 23. hanc passim doceri, & ad praxim reduci asserit , in Italia, Gallia, Germania, Hispania : omnes fere Christiani orbis Academiæ illam approbant & docent ; aliquot vota diversarum Academiarum subscripta, & sigillo munita, in favorem hujus sententiæ, apud me habeo, hic facilè, si opus esset, describenda : immo Lessius testatur, hanc eandem controversiam ab Academia Lovaniensi accuratè discussam , & hanc nostram sententiam communibus omnium votis probabilem & tutam declaratam fuisse : hoc pactum passim , ut dixi, apud Catholicos initur, cum auctoritate Principis, approbatione Doctorum, judiciis senatus, bonorum omnium consensu ; & Lugduni, in qua civitate, teste Navarro, ab ipsa Proavorum memoria, hæc praxis viget, instit utus est Prætor regius, quem Conservatorem vocant, ut hujus contractus integritati & contrahentium justæ indemnitati invigilet ; imò præcipua vis cõmercii ubique gentium ex hoc contractu dependet, sine quo, vix fieri potest, ut mercatoribus ea pecuniæ summa suppetat, quam majoris præsertim mercaturæ ratio postulat. Quis ergo neget, sententiam illam esse probabilissimam , quam tot ac tanti autores defendunt, ætate maturi , morum candore & gravitate universo orbi conspicui, doctrinâ illustres, fide orthodoxi, quorum responsa

Univer-

Universitates Catholicæ, velut oracula admiratæ sunt, ipsique Summi Pontifices & Concilia Oecumenica in pretio habuerunt; Quis ergo tantæ auctoritatis pondus non sentiat, aut saltem momeutum non ponderet?

Quæ porro objiciuntur, nullius sunt momenti: primò dicunt Adversarii, contractum societatis destrui à duobus succedentibus; sed hoc eadem facilitate negatur, qua adstruitur; nec enim illi contractus societatem destruunt, qui eam supponunt; sicut nec venditio, quæ succedit emptioni ejusdem rei; nempe non possum permutare lucrum incertum majus probabile, in certum minus, nisi supponam contractum societatis, vi cujus lucrum illud majus spero; nec possum emere assecurationem sortis, nisi supponam sortem collatam in societatem, igitur illi contractus non destruunt societatem, qui eam supponunt: accedunt autem, ut disparatum quid, quod possit abesse vel adesse sine destructione societatis: objiciunt 2. dominium sortis transire in mercatorem, cui traditur, sed hoc negatur: 3. in societate jam æqualitas posita est; mercator igitur novo onere, vel nova obligatione gravari non debet: Resp. non gravari mercatorem, qui duos alios contractus desiderat, & ultro admittit, ut sibi utiles; unde non tollitur prior æqualitas per primum contractum posita, sed nova ponitur, addito scilicet secundo contractu justo.

Aliud fortè difficilius objicitur ex Bulla Sixti V. quæ incipit, *detestabilis*, edita ann. 1586. die 25. Octobr. in qua pontifex, declarat usurarias omnes pactiones societatis, in quibus sors assecuratur, & certum lucrum statuitur. Resp. 1. cuncta hæc à me dicta esse, secluſa lege omni positiva, ut bis, aut ter monui. 2. constitutiones pœnales Sixti V. reductas esse ad terminos juris communis. 3. Less. *cap.* 26. *n.* 33. dicit constitutionem illam non esse receptam in Belgio, imò nec vigere illius usum in Italia; Gibalinus *cap.* 6. *art.* 3. *num.* 5. idem testatur de Gallia. 4. alii dicunt, Pontificem declarasse, illa tantummodò pacta, in prædicta constitutione damnari, quæ jam per se sese injusta & illicita essent; ita Filliucius *tract.* 38. *cap.* 3. *num.* 59. cum post illam constitutionem passim hujusmodi pacta celebrentur, ut Less. & Gibalin. citati observant; hoc idem confirmat Comitolus *lib.* 3. *resp. quæst.* 12. *num.* 3. ex literis P. Tucci ad se datis, qui id acceperat ab iis, quibus cura condendæ hujus constitutionis demandata fuerat: Delugo demum *disp* 30. *num.* 37. refert D. Coccinum Rom. Rot. Decanum *in una decis. Rom. Societatis*, die 3. Junii ann. 1602. concludere, hujusmodi Bullam comprehendere solum casus ordinarios de jure communi, additis majoribus pœnis; quam decisionem affert Cherubim *in compend. Bull. ad Bull.* 45. *Sixti V.* huic postremæ responsioni quilibet stare potest. 5. ex verbis Bullæ, luculentus sensus exprimitur; prohiberi scilicet, ne quis, societatis nomine, res, vel pecunias alteri ita tradat, ut sors ipsa salva sit, id est, sub tali conditione huic contractui apposita; nempe contractum societatis hac lege initi, iniquum est. Leotardus *quæst.* 31. *num.* 13. asserit, hanc interpretationem & exceptionem in prædictam Bullam optimè quadrare, pro quo citat Less. Azor, Ugolin. Malder. Scacciam, Maresc. Bellon, Molfes. Narbon. Filliuc. Bonacin. Bern. Justinian. Scortiam, Molin. Covar. Lupum, Duard. sed de his satis.

Jam verò similiter constat de æquitate alterius contractus, quo numerata pecunia, emitur census utrimque redimibilis, ad tempus præscriptum, dummodo scilicet vel plurium annorum præcisa, lege positiva id vetante: est enim vera emptio æque ac census perpetuus; hoc uno discrimine, quod in hoc altero nolente, census redimi & extingui non possit; in illo verò, elapso tempore definito, uterque pactum initum solvere valeat, etiam altero invito; alter scilicet, redimendo, retrovendendo alter: & verò census suapte natura perpetuitatem non postulat; alioquin censuarius redimere censum non posset, contra *Extravag. regimini*: imò census utrimque redimibilis, ad tempus præscriptum, juris canonici auctoritate nititur, *cap. illo vos, de pignoribus*, ubi decidit, posse emptorem Theobaldum terram emptam post tres annos restituere, si emptio ipsi displiceat, & gaudere fructibus biennio perceptis, unde à fortiori de censu idem dicendum videtur: Covar. *lib.* 3. *variar. cap.* 9. & Tiraquel. *tract. de retractu conventionali, cap.* 5. *Gloss.* 2. *emptiones ad tempus limitatum probant*; unde à pari sequitur, hominem, qui 20. millia librarum numerat, posse emere illa summa pensionem 1000. librarum, in annum, ab eo, qui rem fructi feram majoris pretii possidet: accedit, quod in positivum contractus retrovenditionis & retroemptionis approbat, ut constat *ex l. quod si nolit, §. 2. ff. de ædilit. edicto, si quid ita venierit, ut nisi placuerit, intra finitum tempus redhibeatur*, ea conditio rata habetur; ex qua lege inferunt, idem pariter dicendum decessibus; ita ut utrique liceat retrocedere; alteri, retrovendendo; alteri, redimendo; quando ita inter partes conventum fuerit.

Et verò non video, cur æquè censuarius non possit obligare se, justo scilicet pretio, ad redimendum, pro voluntate censuistæ, ac censuista obligat ad revendendum, ad nutum censuarii; cur censuista non possit se obligare ad id, quod licet potest facere, modò sit sui juris, & obligatio suscepta rem ipsam non destruat; cur aliquis possit vendere fundum cum pacto de retrovendendo ac rememendo ad nutum, non tamen hac lege possit vendere censum; equidem certum tempus limitari nullo, ita ut censuista obligare non possit censuarium ad redimendum censum, antequam præfixum tempus elapsum fuerit; nisi enim hæc conditio apponeretur, censuarius accepta pecunia uti non posset; hoc quidem eam semper paratam & expeditam servare deberet, ne forte censuista censum redimere cogatur; nec est, quod aliqui timeant, ne census utrimque redimibilis transeat in mutuum, à quo multum differt; nec enim mutuum rem fructiferam supponit, ut census; nec in eo cessat obligatio restituendi sortem, pereunte re fructifera, ut in censu; omitto alias differentias: non est etiam, quod dicant, esse usuræ palliationem, quia est verus contractus venditionis; sed jam adducendi sunt auctores, qui censum utrumque redimibilem, seclusâ lege positivâ, legitimum esse arbitrantur.

Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 43. & 44. Gerson *de contract. prop.* 19. Gabriël *in* 4. *quæst.* 12. *art.* 2. Conradus *de contract. quæst.* 84. Malderus *disp* 230. *tract.* 5. *cap.* 5. *dub.* 11. Tannerus 2. *disp. quæst.* 7. *dub.* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 10. *de cens. censibus, dub.* 25. Joan. Medin. *quæst. ult. de cens. q.* 15. *de usur. dub.* 2. & 5. Valentia 2. 2. *disp.* 3. *punct.* 6. & *quæst.* 25. *puncto* 2. Molina *tract.* 2. *disp* 377. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 5. Lugo *disp* 27. *num.* 122. & *disp.* 26. *num* 102. Castro-Palao *disp* 6. *punct.* 24. §. 4. *num* 2. Gibalinus *lib* 6. *cap.* 3. *art.* 27. *sect.* 3. Frideric. Martin, *de jure cens. cap.* 4. *num.* 14.

num.8. Diana *part.3. tract.5. resol.75.* Leotardus *quæst.num.4.* Pro hac sententia citari possunt illi omnes, qui præter jam citatos, approbant contractum pacto retrovendendi & retroemendi, ut Gutierrez *lib.2.variar.cap.9.* qui citat Alexandr. & Imolam *in parra sint*, inquit, *contrahentium jura* : item Tamburl. *tract. de retract. conventionali*, *Gloss.* 2. *num.71.61.* Azor *part.3. lib.8. cap.* 12. Joannes Bonac. Lupus citatus à Leotardo *num.5.* Cajetan. *in Summa tit.* Tolet. *lib.5. cap.45.* ubi citat Sotum; Rebellum *in medul. lib.3. tract.5. cap.3. dub.9.* Rebellum *de obligat. part.2. lib.* 10. *quæst.8.* licet *quæst.7.* Molin. *de obligat.* videatur; Sylvester *v. usura* 2. *quæst.* 19. Navarr. *lib.1. de contract. quæst.20.* Gordon. *Theolog. moral. lib.4 quæst.7. dub.* 3. Amicus *tom.5. disput.* 32. Salas, *num.71.* Trullenc. *tom.2. lib.7. cap.20. dub.24.* Bonacin. *disp.3. quæst.2. punct.7.* §.1. *num.11.* Tanner. *tom.3. disp.3. quæst.4. punct.3.* citat Aragon. *quæst.78. art.4.* Anchar. *cons.30.* Binnez *2.2. tom.2. q.78. art.4. dub.2.* vult, hoc quidem esse licitum, modò pretium justum sit (pluris æstimentur census cum obligatione redimendi; & minoris, cum obligatione revendendi) & non obligatione censuari, sed res ipsa, super qua constituitur census, idem ex Orellana & communi Thomistarum docet Petrus Ledesma *in sum. part.2. tract.8. cap.24. ind.4.* Hinc nonnulli reprehendunt Covarruviam, eò quod minùs consequenter damnet hoc pactum in emptione census, quod tamen approbat in emptione aliarum rerum : Gregorius Valentia *super tertium* asserit, hanc sententiam, qua census utrumque redimibilis adstruitur, seclusa scilicet lege prohibente, à multis Theologis fuisse approbatam anno 1581. in congregatione, cui ipse interfuit. Nonnulli supra citati, ut Lessius & Leotardus, veriorem & probabiliorem esse dixerunt; denique Laymann. *lib.3. tract.4. cap.18.* testatur in Germania passim viros probos & doctis ad usum reduci; quis autem dicat, tot viros prudentes & pios in errorem inductos fuisse, in re præsertim morali, pro qua, secundi definitione Ecclesiæ, usus prudentum & proborum hominum multùm facit.

Unum est, quòd potissimùm contra prædictam sententiam opponitur, Bulla scilicet Pii V. edita an. 1569. in qua censum utrimque redimibilem prohibet; sed hoc mihi opponi non potest, qui rem hanc, seclusâ lege positivâ, ex principiis naturalibus & Theologicis discutio : scio, aliter à nonnullis responderi. Lell. *cap.22. dub.13.* expressè asserit, hujus constitutionis usum non vigere in Germania, Gallia, Belgio, ac testatur, ibi non fuisse promulgatam, neque usu receptam, nec instare, aut curare superiores, ut executioni mandetur; ac demum non esse probabile, velle Pontificem, ut hæc Bulla, quæ tot juris & juris naturali minimè requisitas conditiones continet, id est contractui mere civili apponit, ante ejusdem promulgationem, in aliis provinciis habeat, ex quo revertà, inquit, gravissima incommoda sequerentur : Gibalin. *lib.4. c.6. art.20. n.9.* asserit hanc communem esse Doctorum sensum, Gutierrez *lib.2 cap.117.* ubi refert Philippum II. in comitiis Madriti habitis, an. 1587. respondisse, Bullam non apud Hispanos receptam non esse : Navarr. *comment. de regul.* ubi docet, hujusmodi decretum per decennium recepta non sint, minimè obligare; item *lib. 1. concil. 5. de constit. & in manual. cap. num.41.* Covar. *lib.2. var. cap.16. n.6.* idem affirmant apud Natram *consil. 498. num.20.* ex Gemma Bald. Angel. Alexand. Sotus *de just. lib.1. quæst. art.4.* Vasq. *controv. lib 1. cap.44. n.1.* Gudelin. *de jur. novissim. lib.5. cap.2. num.40.* item *lib.3. cap.3. num.50.* Frideric. Martin. *de jur. cens. cap 4. num.74.* Cancer. *variar. resol. part.2. cap.1. num.275.* Thesaur. *decis.154.* Gratian. *discept. cap.587. num.13. & 14.* Felician. *lib.1 cap.9. num.2.* Azor *part.3. lib.10. cap.19. num.3.* Reginal. *lib.25. cap.31. num.444.* Canisius *de usur. cap.10 num.8.* Binsfeld. *in cap. in civitate concil.2.* Bugnon *de leg. abrog. lib.6. cap.69.* Carol. Loys *de redit. lib.1. cap.9. num.2.* Malderus *tract.5. cap.5. dub.6.* Zerola *in prax. Episc. v. contractus cens.* Emmanuël Roderic. *in explicat. dict. constit.* Bonacin. *de contract. disp.3. quæst.4. punct.10. num.4.* Fontanel. *de pact. nupt. claus.4. gloss.16. part.1. num.3. & 5.* Leotardus fusè *quæst.44. per totam*, ubi citat Salaz, Surdum, Philiarc. Honded. Molin. Lælium Zech. & alios quibus addi possunt Castr. Pal. *disp.6. punct. 15 num.6.* Delugo *disp.27. sect.4. num.61.* ubi citat Serrarium, Sà, Mirand. Medin. Conrad Dian. adde Suar. passim de legibus, Laymann *lib.3. tract.4. cap.18.* Busenbaum *lib.3. tract.5. cap.3. dub.9. num.7.* & alios fere omnes; sed huic responsioni mihi standum non est, qui rem hanc seclusa omni lege positiva, discutio.

Nec obstat, censum utrimque redimibilem in prædicta Bulla usurarium dici, nam idem est, ac præsumi usurarium; cum enim sanctissimus Pontifex in hac Bulla, formam censibus præscribat; & prohibeat censum utrimque redimibilem & irredimibilem, licèt hunc ultimum, præter Authores supra citatos, seclusa lege prohibente, reliqui fere omnes approbent, vult, transgressores hujus legis pro usurariis haberi, usurarios præsumi, & in pœnas usurariorum incurrere : Hinc facilè deducitur, duplicem usuram esse, alteram de jure divino & naturali, alteram de jure positivo & humano : Judicavit sanctissimus Pontifex, aliquid periculi hujusmodi pactis inesse, iisque usuram & mutuum palliatum facilè prætexi, ac proinde hujusmodi pacta prohibuit; hinc si quis illa ineat, in iis saltem provinciis, in quibus vigent prædictæ leges, usurarium pactum inire censetur, usura scilicet de jure Ecclesiastico, & pactum illud usurarium præsumitur, & jure quidem; nam cum illud Pontifex prohibeat ob periculum usuræ, quisquis illud init, censetur velle illud periculum, atque adeò usuram ipsam & mutuum palliatum; ita prædicti auctores, sed nihil ad me, qui præcisa lege prohibente, quæstionem istam proposui.

§. IV.

Gallica statuta de usura explicantur.

PRimus, ni fallor, Philippus Pulcher ann. 1317. lege lata, omne genus usuræ prohibuit : deinde Ludovicus XII. lucrum ex data pecunia percipere vetuit; denique *art.* 202. *Statutorum Blesensium*, his verbis hæ leges renovatæ fuerunt : *Prohibemus universis, ne usuras ullas exerceant, aut ne mutuata pecunia lucrum exigant, etiam prætextu commercii, seu per se, seu per alios; idque sub pœna mulctæ honorariæ & pecuniariæ, necnon exilii, prima vice : secundâ verò, capitis & omnium bonorum privationis*; hujus statuti verba adeò clara sunt, ut prædictum lucrum, sine peccato, nullo modo exigi posse videatur : est tamen multiplex statuti explicandi ratio, ita ut citra illius violationem, lucrum ex pecunia percipi possit : rem igitur sic explico, ut ea, quæ à me dicentur, censuræ ac judicio Doctorum ultro subjecta esse velim : primùm censent Theologi quidam, hæc statuta esse leges

leges merè pœnales, præsertim cum pœnas extraordinarias importent, ac proinde sine peccato violari posse: huic sententiæ non subscribo, præsertim quatenus ejusmodi leges prohibent contractus verè usurarios, vel alia quævis crimina, v.g. blasphemiam, tunc enim non sunt merè pœnales.

Quidam alii Theologi judicant, de obligatione, quam aliqua lex affert, ex fine, quem legislator sibi proposuit in lege illa condenda; si enim hic finis cesset in quibusdam speciebus casuum, sub eodem genere prohibito contentis, species illæ hac lege comprehensæ non censentur: exempli gratia, dato quod censuræ latæ contra simoniacos, veram dumtaxat simoniam petant, non cadunt in eos, qui simoniam juris tantùm Ecclesiastici, quæ vera simonia non est, incurrunt; dixi *supra, dato quod*, cum in exemplis non requiratur veritas; nempe satis scio, simoniam Ecclesiastici juris, suis censuris subjacere, ut constat ex Bullis Pii IV. & Pii V. contra confidentiarios, & extravag. *cùm detestabile*, in qua illi omnes excommunicantur, qui *quomodolibet*, dando, vel recipiendo, simoniam commiserint: iidem Theologi docent, cessante fine legis, in quibusdam casibus particularibus speciei prohibitæ, admittentes ejusmodi casus eximi à culpa; vide sis Sot. *lib.* 10. *de just.* Carb. Suar. Sayr. *integris voluminibus*, Navarr. *cap.* 23. *num.* 49. Manuel. Tolet. *de 7 peccat. cap.* 18. 19. 20. Molin. *disp.* 208. qui hanc controversiam discutiunt, de qua hìc non est disputandi locus; porro cessante fine legis in casu particulari, non cessare propterea obligationem, communis opinio, cui adhæreo, docet: vide Dian. *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 28. ubi pro illa citat 31. Authores, & præ cæteris Suar. Vasq. Sanch. Coninck. Sot. Covar. Bonacin. &c. alia minùs communis docet, cessare; pro qua ibidem Dian. citat Henriquez, Comitol. Granad. Sà, Mexia, Navar. Abbat. Megala, Sosa, & sequitur ipse Diana *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 96. adde Hurtad. Mendoza *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 74. *sect.* 3. §. 26. Tamburin. *lib.* 2. *cap.* 1. §. 7. *num.* 40. Quidquid, sit de uno casu particulari, certum est, & nemo negat, totam speciem lege non comprehendi, ad quam finis legis non pertinet.

His positis, dico Reges Christianissimos id unum spectasse, prohibendo lucrum ex pecunia, ut prohiberent usuram juri naturali & canonico repugnantem, ex qua, subditorum ruina ortum ducit, cum Reipublicæ detrimento; non fuit igitur Regum is animus atque consilium, ut subditis, quocumque in casu, gratuitam pecuniæ traditionem imperarent, sed illam tantùm, quæ propriè loquendo dicitur mutuum, quo mutui nomine vulgò pecunia significatur, credita maximè ad impensas sustinendæ vitæ, vel dignitatis legitimè comparatæ necessarias: quidam Theologi & Canonistæ, ut Gregorius Tholosanus, *lib.* 22. *cap.* 3. obligationem gratuiti mutui sic interpretantur, ut nihil lucri supra sortem exigere liceat, cum pecunia creditur egenti, ut vitam, aut statum sustineat: ac proinde ex horum Doctorum opinione, in hujusmodi casibus, si aliquid supra sortem exigatur, peccabitur contra jus naturale, legesque regias juris naturalis interpretes; si verò lucrum illud justis aliis titulis exigitur quàm mutui, probabilissimum est, iis statutis, id non prohiberi, quod per sacros Canones licet, & Reipublicæ utile est; sic Tutores & curatores per Senatusconsulta pupillorum ex pecunia, lucrum facere debent, justis scilicet titulis, imò Sebusiani anno 1642. cum ad Regium consilium retulissent, nec commercium vigere, nec solvi posse vectigalia, nisi liceret lucrum facere ex pecunia, citra census perpetui contractum, diplomata regium obtinuerunt, 29. Martii datum, in quo, Rex postulatis annuit: denique Parlamentum Tholosanum hujusmodi lucra non damnat; quis ergo dicat juri naturali esse contraria, modò scilicet veri mutui ratio absit? quis dicat, Magistratus de subditorum bonis & fortunis, sine ulla necessitate, contra fas & jus naturæ statuere? quis vel hoc in animum inducat, ut sibi persuadeat?

Et verò, nemo dicat, debitorum bona, seu lucrum ex pecunia perceptum à Principibus, authoritate publica, pupillis attribui; nempe citra pœnam, & necessitatem publicam, Principes ea potestate non pollent: mirum quantum hæc aliaque hujusmodi exempla Theologos torqueant; respondent alii, pupillos, ubi ad ætatem pervenerint, teneri ad restitutionem lucri percepti: alii hoc onus imponunt miseris tutoribus; alii dicunt, Tutores ad id teneri dumtaxat, ut pupillos suos moneant; alii dicunt, lucrum illud authoritate Principis illis attribui; in tanta Doctorum discordia, vix crediderim, certum quidpiam inesse: præterea Magistratus etiam mercatores damnant, si aliquid supra sortem exigant, licèt legitimum titulum habeant, scilicet lucri cessantis; unde, ni fallor, perspicuum fit, prædicta lucra eò dumtaxat spectare: 1. ut modi præfati percipiendi lucrum absolutè quidem non prohibeantur, sed nitantur authoritate publica, postquam Magistratum rem discussit, censuitque, nullum usuræ vitium inesse. 2. eosdem modos juri naturali non repugnare cum à Magistratibus adeò facile permittantur. 3. mentem Principum esse, ut Judices hujusmodi contractibus invigilent, ne usuræ labes sumpat; unde si quid lucri percipiatur, authoritate vara, inconsulto judice, usura ut plurimùm præmitur.

Has conclusiones probabilissimis conjecturis confirmo; nempe vix ante Philippi Pulchri tempora legimus, statutis regiis prohibitum fuisse, ne quidpiam supra sortem percipiatur; nec ullos habemus Canones, quibus personis laïcis hoc ipsum vetitum sit, ante Pontificatum Alexandri III. qui 150. annis circiter ante Philippum fuit; in quo sanè conveniunt Canonistæ, qui scripserunt *in tit. de usuris*: his autem legibus, tum Ecclesiasticis, tum civilibus occasionem dederant, quidam Christiani, qui Judæorum imitati, varias palliationes excogitaverant, ne usura esset aperta, multarentur: ut igitur hujusmodi usuras palliatas removerent Superiores, prohiburunt omne lucrum ex pecunia authoritate privata perceptum; hic est finis, opinor, legum contra præcta lucra latarum; v.g. Alexander III *cap.* 2. *de usuris*, prohibet laïcis, ne credita pecunia iis, qui habent agros, aliquid lucri caperent ex fructibus agrorum, sed non est absoluta prohibitio, saltem quo ad fortem conscientiæ; ibi enim tantum prohibet, ne agros oppigneratis, mutuatores fructus tanquam suos colligant, scilicet vr contractus pignoratitii, quo tunc fructus percepti in sortem computari debent, non tamen prohibet, ne vi census, lucrum percipiatur, vel annua pensio in prædictis agris & fructibus constituta: nec est, quod aliqui alios Canones antiquiores adducant, quibus sanè nihil prohibetur, nisi usura juri naturali repugnans; si quem juvat ista scire, consulat Anton. Augustinum *lib.* 3. *tit.* 6. fatebiturque, nullum ex Conciliis ibi citatis damnare modos percipiendi lucrum ex licitos, omnia prohibere usuram contra naturale jus & divinum; solum

Concilium

Cardinal Parisiense aliquid habet, de non accipiendis fructibus agrorum, ab iis, quibus mutuò data pecunia; sed ibi est mera explicatio præceptorum naturalis; imò illa fructuum acceptio, ob summam pauperibus, gravi necessitate pressis, commodatam, injusta erat; tum quia fructus percepti, tantæ pecuniæ valorem superabant, tum quia in tali necessitate commodari gratis pecunia debuerat, ut dictum est.

§. V.

De Contractu Mohatra.

Hîc paucis attingemus, cujus in statutis Blesensibus fit mentio, *art.* 202. ubi merces venundari prohibetur, credita pecunia, statim redimendi; juvat, rem in exemplo ponere: Mercator pannum vendit 25 libris, creditâ in annum pecuniâ, mox idem ab emptore redimit pannum, numerato libris, primo contractu interea subsistente: disputant Theologi, an hic contractus sit usurarius; aliqui ab usura liberant, modò merces emantur, & redimantur justo pretio, hinc supremo, inde infimo; est enim justum pretium intra justitiæ fines, summum scilicet, medium & infimum, & bona mercatoris facilitet, medium & infimum, & bona mercatoris facilitet, & omne scandalum amoveatur; addunt, propter lucrum cessans, dilata post annum solutione, mercatorem id lucri percipere posse, quod ex mutuæ pecuniæ cepisset. Hæc si in eum contractum simul conveniant, cum bona fide, probabilem ejusmodi sententiam arbitror; quoniam vero ejusmodi involucris ejusmodi tegitur, & adolescentibus, hac arte pecuniam nactis, insanorum ad voluptates sumptuum occasio inde offertur, idcirco legibus hæc pacta sapienter prohibita fuêre, ac proinde hanc opinio ad praxim & usum reduci licitè nequit.

Ipsi autem mercatores, meo judicio, in his pactis, quamplurimum peccant, quia sciunt, has pecunias in usus ut plurimum nequiter expendi; si tamen hæc nesciunt, reverà non peccant, nisi lege positiva hæc pactum prohiberi sciant: quâ secluſâ, hic contractus certam usuræ labem non continet, nec suis omnibus caret; si enim bona fide fiat, sine pacto lucri, & scandalo, & justum pretium semper interveniat, tum in emendo, tum in redimendo, multi Auctores favent; Molina *tom.* 2. *disp.* 310. Bonacin. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 2. *p.* 3. *num.* 20. ubi pro hac sententia multos citat, scilicet Navarr. Petr. de Navar. Rebell. Salon. Sylvest. Armil. addo alios, Sa *de contract. vendit. dub.* 37. *num.* 2. *& de usur. dub.* 16. ubi citat pro hac sententia Angel. Garciam, Guttier. Isaac. Alzeved. Rodrig. Angles, Lop. *de contract. lib.* 1. *cap.* 34. ubi citat Pennam, Rosel. Cajetan. *in sum. v.* Mercat. Marc. Serra 2, 2. *q.* 77. *art.* 1. *dub.* 3. Dian 1. *p. tract.* 8. *resol.* 53. Bannez 2, 2. *q.* 78. *art.* 2. §. *ad* 2. Cunch. *in resp. cas. part.* 1. *q.* 357. Less. *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 10. num. 130. Mercat. 1. *de contract. c.* 26. Delugo *disp.* 26. num. 99. *& disp.* 26. *num.* 205. Gibalin. *lib.* 5. *tract.* 3. *num.* 8. adde Megalam à Diana citatum: ego tamen negarim, esse rem periculi plenam, ac proinde hunc contractum rectè præsumi usurarium ex interno, & à Principibus jure prohiberi; imò ego ultrò fatetur, vix unquam sine peccato mortis iniri; tum quia christianæ charitati opposita, cur enim cogis egentem emere merces illas, quibus non indiget? tum quia præbetur scandalum, & viæ manifestam usuræ suspicionem: item Delugo *num.* 206. & Salas *num.* 3. monent, cautè in hoc procedendum esse, propter periculum usuræ implicitum: Leotard. *quæst.* 24. *num.* 25. illud commercii genus damnat, & execrabile vocat; & in hanc rem citat Scac. Lup. Covar. de Graff. Salsed. Manent. Ugol. Grimald. Joan. Benedict. Reginald. S. Carolum: standum igitur in assertione nostra, duos illos modos percipiendi lucrum sufficere, qui vel pacto trium contractuum, vel censu utrimque redimibili, secluſâ lege positivâ, nituntur; & nihil posse opponi contra duos istos contractus, quod pariter contra quemlibet censum opponi non possit; ac proinde in iis omnibus casibus, sine usuræ periculo, prædictos contractus iniri posse, in quibus contractus census perpetui sine usura iniri potest.

CAPUT XXV.

De Restitutione.

DOcent Jesuitæ, mercatorem, qui fidem & nomina renunciavit, tuta conscientia retinere posse ex suis bonis, quantum necessarium est sibi & familiæ, ut cum dignitate & cum honore vivat.

REFELLITUR.

HOc telum Lessium petit, qui *cap.* 16. *dub.* 1. docet ex Navar. *consil. l.* 3. *de stat. mon. cons.* 3. eum, qui nulla sua culpa, ad extremas rei domesticæ angustias, ita redactus est, ut debita solvere non possit, nisi fame pereat, cum tota familia, hac necessitate durante, non teneri ad solutionem: [Si tamen ad eas angustias, inquit, tua culpa sis redactus, v. g. ludis, comessationibus, superfluis sumptibus, non mereris dilationem; tibi enim imputare debes, quòd jam sine status amissione satisfacere non possis; quod est notandum, pro quibusdam Nobilibus, qui debita sine fine contrahunt, ut supra conditionem sui status expendant;] hæc habet *num.* 28. tum subnectit, *num.* 29. [Hoc etiam est valde notandum, pro multis hoc tempore, qui magnis fraudibus repentè divites & magni evadunt; hi tenentur statim restituere, sine dilatione, etiam cum dimissione status malè acquisiti:] Eidem sententiæ subscribunt Azor *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 39. Lugo *pag.* 580. *num.* 41. si quando Casuistæ in hoc mitiores sunt, id sanè est in gratiam illorum mercatorũ, qui contractis nominibus, suam fortunam non auxerunt, sed illam honestam & amplam à parentibus acceperunt, & nulla sua culpa, sed vel alterius malitia, vel temporum injuria, foro cedere coguntur: nec est, quòd aliquis opponat Senatusconsulta, quibus ejusmodi desertores justè damnantur; quasi verò quispiam ignoret, Judices ut plurimùm ex præsumptionibus sententiam ferre; tum ad castigandam mercatorum negligentiam, tum ad illorum fraudes removendas, qui simulata paupertate, sibi alimenta decerni postularent; itaque Senatusconsulta prædicta justa sunt, licèt in foro conscientiæ aliquando secus decidatur; sed de differentiis utriusque fori multi scripserunt; si reliquos consulere non vacat, in promptu erit Card. Delugo *pag.* 573. *n.* 11. ubi habet rationes, quibus ducuntur Judices, ad agendum summo jure & rigore contra illos desertores, qui fidem & nomina renunciant.

CAPUT XXVI.

De Restitutione.

LIberant militem ab obligatione restituendi, qui ab alio conductus, pecunia quempiam occidisset, vel ignem rectis injecisset.

RESPONDETUR.

DIstinguendæ sunt diversæ obligationes: 1. est, restituendi parti læsæ, & injuriam passæ; ab hac nemo militem liberat, nisi is, cujus suasu facinus perpetravit, satisfecerit; hinc prædictus miles à Judice justè plectitur, & damnum, quod ex incendio sequitur, resarcire tenetur. 2. obligatio est solvendi militi mercedem promissam pro incendio, vel homicidio, de qua *infra cap.* 28. 3. est refundendi militi pecuniam, quam is in pœnam solvere coactus est; quæritur autem, utrùm is, qui militem ad facinus induxit, damnum, quod inde miles passus est, resarcire debeat; ego cum multis non arbitror teneri, quia miles culpa ina facinus patravit; & quòd se induci siverit, non commiseratione, sed pœnâ dignus est, nec quemquam refragari puto.

CAPUT XXVII.

De Furto.

CAsuistæ docent, pauperes ad gravem necessitatem redactos, licitè furari.

REFELLITUR.

NEmo unquam dixit, licitè quemquam furari posse; nec enim pauperes furari dicuntur, quando in prædictas angustias redacti, aliquid accipiunt, quod ad sustinendam vitam sufficit, ut docent Angelus, Sylvest. Medina, Covar. Navar. Petrus Navarra, citati à Lessio *lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. ubi fatetur, hanc opinionem esse probabilem, modò sit gravis necessitas, in ordine ad vitam, non verò in ordine ad statum; nec suppetat pauperi alius modus, etiam mendicando, habendi, unde alatur, & vitam sustineat. Adde Dianam, *part.* 2. *tract.* 3. *miscell. resol.* 29. & *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 23. qui plures citat, præsertim Malderum, Bannes 2, 2. *quæst.* 66. *art.* 7. Marc. Serr. *ibidem*; Sà *v. furtum, n.* 1. Castr. Pal. *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 2. *de charit. punct.* 2 *num* 13 & *p.* 9. *n.* 5. Valquez aliique, quos citat Lugo *disp* 16. *num.* 153. Dicastil. *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 9. *dub.* 9 *num.* 256. ubi alios citat; Tambur. *lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 6. §. 1. sed nulla in hoc difficultas esse videtur.

CAPUT XXVIII.

De Restitutione mercedis ex actione turpi.

LIberant meretrices à restituenda mercede turpis actionis, nisi fortè à Religiosis accepe-

rint: item siccarios mercede conductos, & magos veneficos, artis scilicet nefariæ scientes, esse volunt.

RESPONDETUR.

OMnes quidem Theologi damnant hujusmodi pacta, & ante opus impletum, jubent restitui acceptum, pro admittendo crimine, pretium; at verò opere completo, modò pretium immodicum non sit, & nulla lege pretii restitutio præscribatur, modò communiter docent, nullam esse obligationem restituendi. Juris interpretes paulò obscuriùs de hoc argumento scripserunt; hinc Judices sæpè reos ad restitutionem obligant, & ejusmodi donationes rescindunt, si res nondum tradita est: nemo sanè hæc dicia improbat, vel accusat injustitiæ; si enim imperatores suis legibus mutuas inter conjuges donationes irritarunt, ne conjuges mutuo amore ducti, suis bonis sese spolient; longè potiori jure idem statuere potuerunt de donationibus, quæ fiunt libidinis causa, conjugali amore interdum flagrantioris: sed profectò hujusmodi leges ad levia munuscula extendi non debent, nec ad ea minuta, quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt: Accedit, quòd obscuriori est legum textus, quam ut constet ante Judicis sententiam de prædictarum pactionum rescissione, quare nec à Theologis plane damnantur.

Multos adducere possem; hi sufficient, D. Thom. 2, 2. *quæst.* 2. *art.* 5. Antonin. 2 *part. tit.* 2. *c.* 5. ubi citat Raymundum; Petrus Navar. *lib.* 9. *decis. cap.* 2. Navar. *cap.* 17. *num.* 30. & 35. Cajetan. *in* 2, 2. *q.* 32. *art.* 7. & *quæst.* 62. *art.* 5. Angel. *v. restitutio.* Sylvest. *v. restit.* Less. *cap.* 14. *dub* 8. Azor. *part.* 3. *lib.* 4. *c.* 11. Molin. *tract.* 2. *disp.* 82. Valent. *q.* 6. *de just. punct.* 5. §. 2. Salon. *controv.* 4. 5. Vasq. *de rest.* §. 3. *cap.* 7. Dian. *tom.* 1. *part.* 2 *tract.* 16 *resol.* 38. Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. Dicastil. *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 6. *dub.* adde Megalam, Bonacinam, Graff. citatos à Dian. *part* 2. *tract.* 16. *resol.* 7. Sanch. *lib.* 1. *de matr. disp.* 10. *num.* 22. ubi refert 22 Authores: item *num.* 22. & 23. Panormit. *in cap* 20. *de sponsalib.* ubi citat Rubium, Angelum, Jason. & multas leges; Tolet. *lib.* 5. *cap.* 21. Equidem Navar. excipit mercedem ex actione contra justitiam: idem sentiunt nonnulli alii, nec improbo; hoc tamen non facit, ut ipsa accepta, vel retentio injusta sit; equidem tenetur gratuitò resarcire damnum per summam injustitiam illatum; quis hoc negat? multi tamen negant, injuriam facere illi, cujus suasu, facinus patravit, si mercedem acceptam retineat; nec enim ipsa retentio, vel acceptio injusta est, impleta scilicet conditione; nempe ante illam, semper est obligatio restituendi: quia amabò liberet adolescentem ab obligatione stupri pacto in defloratione virginis inito? nec est, quòd aliquis Casuistas irrideat, eò quòd agant de diversitate mercedis, pro actione turpi, ut Lugo *num.* 23. Quasi verò ante Casuistas hæc disparitas audita non fuerit, nunquid Judas Thamari annulum, armillas & baculum non dedit, perpetrati stupri mercedem? *Genes. cap.* 38. nunquid apud Plautum servulorum sordidorum scorta diobolaria non habentur? consule, si vis, leges de turpi stipulatione: quod verè dicitur, veneficum, aut magum, qui has nefandas artes ignorat, non posse quidquam accipere, lumine naturæ notum est, cùm sic fraus manifesta; quòd autem Casuistæ mercedem pro actione turpi à Religioso meretrici datam, meritò arripiant, etiam tyrones sciunt; nec enim Religiosus dare potest, quorum Dominus non est; nec sufficit licentia

Vtens dandi à Superioribus ipsi fortè concessa; tantum enim censetur concessa licentia dandi meum.

CAPVT XXIX.

De restitutione accepti à debitore in fraudem creditorum.

DOcent iidem, donata in fraudem creditorum, nulla lege esse restituenda, ac proinde tuta conscientia retineri posse.

RESPONDETVR.

VErum est à multis hoc doceri, sed hac lege, ut is, qui accipit, nullo modo dantem induxerit ad donandum, nec directè, nec indirectè prædictum donationem procurarit; ratio hujus sententiæ perspicua est, cùm enim bonorum illorum dominium deferebat dantem, non video, cur si ab eo detur, alter accipere non possit, ac retinere, citra obligationem restituendi, saltem in foro conscientiæ; nec obstat, quòd ille peccet donando, quatenus per hoc impotens evadit, ad solvendum creditoribus, quia is, qui accipit, non est causa hujus voluntatis donandi, sed utitur jure suo; datur tamen actio creditoribus adversùs illum, qui titulo gratuito accepit; ita Lessius *cap.* 20 *dub* 19. *num.*168. Petrus Navarra *lib.3.cap.* 4. *num.*118. Molina *disp.*327. & colligitur ex *ultima*, §. 4. *ff.*

CAPVT XXX.

De restitutione accepti a Iudice pro sententia injusta.

LIberant etiam Judicem ab obligatione restituendi ea, quæ accepit pro sententia injusta, secus pro justa.

REFELLITVR.

NIsi negat, Judicem teneri ad resarciendum damnum parti læsæ per sententiam injustam illatum, si tamen alter injustè sibi adjudicata eidem non restituerit: utrùm verò teneatur restituere præmium pro injusta sententia acceptum, affirmant aliqui, ut Cajetanus *in* 2,2. *quæst.*32. *art.*7. *& quæst.*62. *art.*1. Covar. *ad reg. peccatum*, *p.*2. §. 2. alii nonnulli, Lessius *cap.*14. *dub.*8. *num.*52. qui hanc doctrinam colligit *ex l.* 3. §. *de conduc. ob turpem causam. ff.* & Bartolo *l.* 3. *de pœnis Iudic.* D. Antonin. 2. *part. tit.*2. *cap.*3. Angel. *v. concussio*, *num.* 2. Sylvester *eod. tit.* 2. *& v. Eleemosyna*, *quæst.* 4. Navarr. *cap.* 17. *n.*35. & 36. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.*38. & *tract.*4. *resol.*27. ubi citat Rebell. Turrian. Sylvestr. &c. Azor. *part.*3. *lib.*4. *cap.*21. Lugo *de just. disp.*5. ubi multos citat, Dicastil. *lib.*2. *de just. disp.*6. *dub.*1. Tamburin. *lib.*7. *cap.*5. §.3. *n.*20. Ego hanc sententiam communem esse inter Recentiores; Bonacin. *in* 8. *præcept. quæst.* 2. *punct.* 8. Laym. *lib.*3. *tract.*4. *cap* 4. *num.*9. *&* 10. Busenbaum *lib.*4. *cap.*2. *dub.*1. ab his autem innumeri citantur, ut Corduba, Vasq. Sanch. Turrian. Tannerus, Petrus Navarra, Filliuc. Molin. Reginald. aliique ferè innumeri: porro ratio illa, quæ vulgò affertur, inepta non est, quòd scilicet Judex nihil quidem accipere possit, sive pro justa, sive pro injusta sententia; id tamen, quod pro justa accepit, restituere tenetur; quia cùm is, qui dedit, jus haberet ad justam sententiam, coactus dedisse censetur; secus tamen, qui obtinuit injustam, ad quam nullum penitus jus habebat; igitur restituere huic non tenetur, saltem ante Judicis sententiam. Hoc tamen non facit, quin Judex qui judicavit injustè, damnum illatum parti læsæ resarcire, strictè teneatur.

CAPUT XXXI.

De nimia scriptorum illorum multitudine.

APprobari non potest sine crimine tanta hujusmodi scriptorum multitudo, qui moralem Theologiam adulterarunt & corruperunt.

REFELLITVR.

NEgare vix ausim, longè satius fore, si nonnulli, qui librorum syllabos, vel indices compilant, ab illa scribendi licentia abstinerent; præsertim cùm mentem auctorum sæpè non assequantur: sed quid faceres, in omni disciplinarum genere hoc vitio laboratur, licèt in re morali & modica sit paulò periculosiùs: at profectò nemo negaverit, his etiam posterioribus sæculis gratulandum esse, eò quòd tulerint Scriptores doctissimos & piissimos, Gallos, Italos, Hispanos, Germanos, Belgas; minima nostra Societas aliquot non sanè ignobiles protulit, Tolet. scilicet Delugo, Valent. Vasq. Suarez, Molin. Henriquez, Granado, Lessium, Coninck, Layman, Azor, Castro-Palao, Gibalin. Gordon. Præposit. Salas, Fagund. Reginald. Filliuc. Sanch. Tanner. Martinon; sed omitto, cùm omnes sine longo censu numerari non possint; neque hi cæteris laxiores sunt, Suar. antiquis Scholasticis strictior, & Sanchez antiquis Canonistis: nonnihil fortè nævi quibusdam inest; quid tum, quasi verò sui antiquis etiam non inessent: denique adversarii Vasquem sugillant, eò quòd dixerit, latronem, qui jam apud se statuisset pauperem suis bonis spoliare, si à furto removeri non possit, inducendum potiùs esse, ut bona divitis surripiat; cæteri Theologi, præsertim Societatis, à Vasquis sententia discesserunt; quamquam multi existimant, minus malum illi suaderi posse, qui jam majus decrevisset: Sotus *lib.* 4. *quæst.* 7. *art.*3. Cajetan. *in summ.* Marc. Serra 2,2. *quæst.*62. *art.*7. *dub.* 1. ubi citat Sylvestr. Armill. Medin. Thom. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 11. *à num.* 15. Diana 5. *part. tract.* 7. *resolut.* 18. qui citat Guttier. Arragon. Navarr. & alios, nec aliud sibi voluit Vasq. sed ad alia majoris momenti gradum faciamus.

* * *

CAPUT XXXII.

De Calumnia.

DIcastillus, & alii docent, calumniam calumniare, torqueri posse sine peccato mortali; & esse merum mendacium, nec charitati, nec justitiæ repugnans.

RESPONDETUR.

EQuidem Dicastillus docet ut probabile, in certis quibusdam casibus ad infringendam alterius fidem, nobis perniciosam, justæ defensionis titulo, calumniam adhiberi posse, sine peccato mortali, vel criminis occulti publicationem; vult tamen adesse multas conditiones, quarum si vel una absit, calumnia injusta sit: 1. vult, injustam esse accusationem, adversùs famam, vitam, rem nostram; sive quia hostis affingit calumniam, sive quia crimen occultum aperit, quod in judicio probari nequit. 2. vult, agi de re magni momenti; si enim res levis sit, à tali medio abstinendum est. 3. vult, honori aliter consuli non posse, quàm eversa fide adversarii; nec fidem illius alio modo infringi posse; si enim alia sunt media, hoc sanè uti sine peccato lethali nequimus. 4. supponit, illum, qui calumniam retorquet in hostem, hoc reverà modo honoris sui & famæ indemnitati consulere; si enim alterius infamatio ad hunc finem inutilis esset, jam hæc justæ defensionis loco esse non posset, sed meræ vindictæ.

His positis, prædictam sententiam ut probabilem Dicastillus defendit; quæ sanè longè mitior & humanior est opinione illa, quæ in iisdem planè circumstantiis hostem occidere permittit, quam sequitur Bannez 2,2. *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. *in corpore & solutione ad* 2. Manuel. *tom.* 1. *summ. cap.* 37 *num.* 1. Petrus Navar. *de restit. cap.* 3. *à num.* 171. Duvallius *tom.* 2 *tract de charit. quæst.* 17. *art.* 1. Salon. Arragon. Covarr. Navarrus, & alii multi, quos citat & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 4. *resol.* 9. Sayr. *lib.* 6. *de censur. cap.* 17. *à num.* 23. Joan. Sanctius *disp.* 46. *num.* 8. Henricus Stroverdorff. 2,2. *quæst.* 64. *art.* 7 *concl.* 5. imò possunt adduci pro hac sententia, quotquot asserunt, in foro conscientiæ licitum esse occidere pro defensione honoris, quando aliter defendi non potest; quod tuetur Sotus cum aliis suprà citatis à Diana; Zanardus 12. *director. de homicid. cap.* 2. §. *octavo dico*, est ejusdem sententiæ; item Cajetan. *in sum. v. homicidium, &* 2,2. *quæst* 64. *art.* 7. §. *ad hoc dubium*; ubi ait, hanc esse mentem D. D. Augustini & Thomæ; Marc. Serra *ibid. dub.* 1. §. *ex hoc sequitur*, & citat Sotum, Lopez 1. *part. instruct. cap.* 65. cum Armilla: sed longè mitiùs loquitur Dicastillus, qui in prædictis circumstantiis homicidium non permittit, sed tantùm dictam opinionem, præscriptis tamen legibus, limitatam defendit.

Pro hac opinione Dicastilli, Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 16. multos citat, & sequitur, tum Canonistas, tum Theologos, qui docent, hominem, cui injustè aliquod crimen ab alio imponitur, posse ipsum exprobratorem calumniæ accusare; hi porro sunt Bartol. Felin. Farinac. Peregrin. Sayr. Sotus *lib.* 5. *quæst.* 9. *art.* 3. hæc habet: *Nunquam licet per modum vindictæ in convitiatorem crimen respuere, sed tantum per modum defensæ, vim vi repellendo*: Hurtad. de Mendoza 2,2. *disp* 170. *sect.* 14. & apud illum Pet. Alciat. Palqualigus *decis. moral.* 473. qui citat Arragon. Sayr. Petigian. Peregrin. &c. apud Sàv. *infamare, num.* 4. quatuor pro hac sententia adducunt. Bannez 2,2. *quæst.* 70 *art.* 3. *dub.* 2. asserit, soltùm esse peccatum veniale mendacii; idem docet *quæst.* 7. *art.* 3. *concl.* 2. & alibi passim; & hoc putat probabile Joan. de la Cruz 1. *part. direct. p.* 8. *art.* 3. *dub.* 2. Caramuel. *fundam.* 55. §. 6. *num.* 1151. testatur supra 20 Doctores huic sententiæ suffragari. Accedunt Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 6. Bonacin. *de rest. disp.* 2. *quæst.* 4. *punct. ultim.* D. Thom. 2,2. *quæst.* 70. *art.* 4. Ledesm. *de just. cap.* 25. *concl.* 2. *dub.* 3. ubi testatur de communi; Orellan. 2,2. *quæst.* 72. ut testatur Vega *in sum. v. injurias*; Salon. 2,2 *quæst.* 62. *art.* 2. *controv.* 23. *concl.* 2. Arragon. *ibid. dub.* 9. Navar. *lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 349. Malder. *tract.* 6. *cap.* 1. *dub.* 20. Sylvest. *v. restitutio*, 3. 4. 3. alii multi pro hac opinione citantur. Adrianus, Angles, &c. Lessius *cap.* 11. *dub.* 2. *num.* 131. *Ita Sotus*, inquit, *& alii passim*; Rebel. *quæst.* 13. isti omnes dicunt, ad impediendam injustam accusationem, vel infamiam, defectum occultum infamantis, sine injustitia aperiri posse, ad detrahendam illi fidem; & si per calumniam falsum crimen eodem fine illi affingatur, præscriptis licet supra legibus, non esse peccatum mortale contra justitiam, vel charitatem, sed venial. simplex mendacii; ita expresè D. Thom. *suprà* citatus cum Ledesma, & hoc eodem teste; ita communiter Thomistæ: vide Dicastill. *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 2. *punct.* 4. *dub.* 2.

Ratio pro hac sententia deesse non videtur: quia mò, in quibusdam casibus, vix aliter fieri potest: si enim aliquis mihi falsum crimen palam exprobret, aut certè verum, sed occultum, cur non possum opponere, *mentiris, calumniaris*: si Confessarius, pro summum nefas, peccatum in confessione Sacramentali sibi expositum revelet, an mendacii & impositæ notæ inurere illi, injustum est? nunquid non habeo jus, ne mea res lædatur? mea res, inquam, magni alicujus momenti, ut vita, bona, honor, pudicitia, fama; igitur an injustum erit ejus indemnitati consulere? illudque dumtaxat medium efficax habere, quod restare supponitur, detractâ scilicet ipsi-sto aggressori fide, modò id fiat cum moderamine inculpato, & præscriptæ conditiones adsint: si enim tem morte aggressoris, mutilationem mutilatione, justè arceo, cur calumniam calumnia, sine injuste repellere non possum? Qui vitam alter us injuste petit, jus amittit in propriam vitam; unde sine injuria occidi potest; quidni pariteris, qui famam alterius injustè petit, excidat suo jure in propriam famam? dixi supra, injustum non esse, non ramen propterea licitum, quia calumniam alteri adfingere saltem mendacium est; & si perjurium accedat, erit peccatum mortale contra religionem, non minus contra justitiam; multum enim interest, utrumne tet, ad satisfactionem injungendam, si enim contra justitiam nihil actum est, nulla reparatio imponitur.

Hæc, quæ hactenùs à me dicta sunt, eò non tendant, ut hanc opinionem approbem; nempe ego nullo modo approbo, nec ad praxim licitè reduci posse existimo; sed illam speculativè loquendo, tum propter rationes, quibus nititur, tum propter gravissimos auctores, qui eam defendunt, damnare non ausim; illius tamen praxim & usum rejicio, proscribo, damno; tum quia omnes ferè auctores Scholæ tatis illam reprobant, ac censent injustè accusa-

qua-

auctoritate legum interjectâ, honorem suum ac famam defendere nequit, retorquendo, detrahendo, calumniando sese tueri non posse, sed patienter proximi Deum injuriam ferendam esse, tum quia manifestum est experientia, vix unquam accidere posse, ut injustè accusatus alia media, ad propriam defensionem adhibere non possit; tum quia semper aliquid contrito deest, ex iis, quas vel ipse Dicastillus enumerat, qua improbi malè uterentur, & quæ proximis esset: scio, Malderum & Sylvium docere, illam Confessariis non fore inutilem, ad justam compositionem præscribendam, quando scilicet mutuæ calumniæ intercesserunt; sed in hoc etiam Confessarius, nisi cum maxima cautione & prudentia se gerat, facilè hujus opinionis usu, in errorem inducitur, quare neque illam ex hoc capite probo.

CAPUT XXXIII.

De pietate adversùs virginem.

NOnnulli eorum Scriptores simplicioribus imponunt, dum eos docent inania quædam pietatis officia erga Deiparam; quidam eorum libri pleni sunt hujusmodi nugis.

REFELLITUR.

NOn est, quòd hîc hæream; dico tantùm varia, quæ in libris piis proponuntur, ad prædicti Deiparæ cultus testificationem, & augmentum, si eo animo fiant, quo ab auctoribus illis proponuntur, esse omnino pia, & salubria, nec parum conducere, ut justificentur adhuc, & peccatores convertantur; nemo enim ignorat, peccatorem salvari non posse, sine pœnitentia, quam sanè prædicta officia supplere non possunt: sed cùm pœnitentia sit donum Dei, nemo dubitet, quin Deiparæ intercessione, illa gratiæ adjutis subsidia Deus peccatori elargiri possit, quibus motus & adjutus pœnitentiam agat, & ad Deum convertatur; quis autem nescit, bona peccatorum opera, v. g. jejunia, eleemosynas, alia quæ hujusmodi, licet meritoria non sint, esse tamen impetratoria: erunt forte aliqua, quæ si in rigore scholastico examinentur, forte inania censenda sint; sed nonnihil sanctæ pietati concedendum & condonandum est; sunt sanctæ quædam stultitiæ; piæ quædam, ut sic loquar, nugæ, ut ita ferret, esset que hujus loci, hæc facilè Sanctorum exemplis confirmarem, sed extra chorum saltare nollud Pauli sufficiat, nos stulti propter Christum, &c. sæpè hominum prudentia ea damnat, quæ divina Sapientia probat & diligit: uno verbo, modò infra latriæ cultum, qui Deo & Christo competit, te contineas, non est periculum, ne in cultu Deiparæ plus æquo excedas.

CAPUT XXXIV.

De vera pietate.

VEram genuinamque pietatem, cum immoderata gloria, honorisque cupiditate conciliant; quoniam rerum humanarum studium, aliorum sententia, veniale dumtaxat peccatum est; nisi quis illas appetat, ut impunius & commodius peccet.

RESPONDETUR.

IN fugiendis honoribus, & probris Christi causa expetendis, veram perfectorum pietatem Casuistæ collocant; alia posita est in compescendo possessorum honorum amore; ita ut divitiæ si affluant, cor non apponatur; & mori potiùs malis, quàm pro illis tuendis, vel augendis, leve peccatũ admittere: iidem Casuistæ docent, ambitionem, ut plurimùm, veniale peccatum esse, nisi finis, quem ambitiosus sibi proponit, mortalis sit, aut ut id, quod ipse cambit, consequatur, malis artibus eo utatur, iisque mediis, quæ ad peccatum lethale conducant; hæc trita est Casuistarum sententia, quos frustra citarem: nec est, quòd adversarii dicant, superbiam esse unum ex septem peccatis mortalibus, quia vulgus septem peccata capitalia, mortalia vocat, cùm tamen ex genere suo non sint mortalia, scilicet omnia: vide Cajet. *v. superb.* Tolet. *lib.* 8. *cap.* 3. *&c.*

CAPUT XXXV.

De Invidia.

NOnnulli ex iis docent, invidiam de bono spirituali proximi esse peccatum mortale, veniale verò de bono temporali.

REFELLITUR.

THeologi communiter dicunt, optari posse, ex causa & fine dumtaxat veniali, ne fortunis, honoribusque proximus augeatur; imò optari posse, ut privetur bonis temporalibus, ne iis in perniciem aliorum abutatur, ac proinde naufragium salutis faciat: de spiritualibus secus omnino dicendum est; nullo enim honesto ex fine optari potest, ne quis v. g. ad Deum convertatur, vel insignem sanctimoniam consequatur, aut ad cælestem gloriam perveniat; nempe hæc desideria, seu vota ex immani dumtaxat adversus proximum odio fluere possunt: hoc discrimen vel ipse Aristoteles agnovisse visus est, inter bona temporalia, & actiones virtutis; dicit enim in Rhetoricis, illam invidiæ speciem, quam Græci nemesim appellant, non posse ferri in bona honesta proximi, id est, in bona virtutis, sed tantùm in bona fortunæ: in his minutiis non hæreo, quæ nullam penitùs difficultatem continent.

CAPUT XXXVI.

De Acedia.

ACediam definiunt, tristitiam ex eo conceptam, quòd res spirituales tales sint, v. g. si doleas, Sacramenta esse gratiæ fontes; hoc autem peccatum mortale est.

RESPONDETUR.

EQuidem juxta Theologos, quisquis doleret, seu tristitiam conciperet, ob instituta à Christo Sacramenta, ut media, ad obtinendam gloriam necessaria,

ria, per gratiam, iis utentibus collatam, peccatum acediæ admitteret; sed multa sunt alia peccata, quæ ad hoc capitale à Theologis referuntur; quod autem Casuistæ de hoc argumento habent, sumpserunt ex D. Thom. 2,2. *quæst.* 35. *art.* 2.3.4. & 1.2. *quæst.* 37. *art.* 4. *ad* 1. Cajetano & Sylvestr. *v. acedia*; Navarr. *in sum. cap.* 23. hanc porrò doctrinam Doctor Angelicus ex SS. Gregorio & Damasceno accepit; quare longiorem dissertationem non postulat: est autem acedia interdum peccatum mortale, v. g. cùm ex animi remissione omittitur aliquid præceptum sub mortali; vel cùm affert tædium de divina amicitia, eamque non curat; vel cùm agit in desperationem, vel cùm inducit ad odium rerum spiritualium; aliàs est veniale, v. g. quando est simplex torpor, rancor, evagatio, pusillanimitas, inquietudo, &c.

CAPVT *XXXVII.*

De Gula.

ASserunt, licere comedere usque ad satietatem, absque necessitate, ob solam delectationem, modò valetudini non officiat; eumque admittere tantùm veniale, qui absque necessitate, usque ad vomitum, cibo & potu sese ingurgitat.

RESPONDETVR.

GRaves quidem Theologi docent, delectationem ex gustu quæsitam, æquè culpa carere, ac illam, quæ visu, auditu, odoratu percipitur, & multi docent, hujusmodi delectationes ex se nec bonas, nec malas, sed indifferentes esse; ita sentiunt Bonavent. *in* 2 *dist.* 41. *art.* 1. *quæst* 3. Scot. *ibid.* Ocham *in* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. Almain. *tract.* 1. *moral. c.* 14. Major. *in* 4. *d.* 31. *concl.* 7. Gabriel. *in* 2. *d.* 41. *art.* 1. *concl.* 1. Sancius *disp.* 2. *num.* 14. Cajetan. *in sum. v. gula*, cujus verba hîc apponenda esse mihi videntur: *Nullum peccatum est in hoc, quòd cibus delectabilis delectabiliter sumitur, nisi quis sit adeò insipiens, ut putet, omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum*: peccatum autem est veniale, si delectatio illa sit tantulum inordinata, v. g. quando comedis ante tempus, vel nimis exquisita, vel plus justo, vel voraciter, &c. uno verbo, gula ex genere suo est peccatum veniale. Quod attinet ad aliud caput, multi docent, esse tantùm veniale usque ad vomitum se cibo & potu implere, secluso scilicet corporis damno & scandalo; ut Tolet. *lib.* 8. *cap* 62. Cajet. *in sum. v. Gula.* Navar. *cap.* 23. *num.* 129. Busenbaum *lib.* 5. *cap.* 3. *d.* 5. *art.* 1. ubi citat Layman. Tabien. *v. Ebrietas, n.* 3. Less. *lib.* 4. *c.* 3 *n.* 6. Benedictus *in sum. lib.* 4. *pag.* 368. Basilius *pag.* 555. D. Thom. in hanc sententiam inclinare videtur 2,2. *quæst* 150. *art.* 1. & *q.* 148. *art.* 6. *ad* 2. Supponitur autem abesse tum corporis damnum, tum mentis vitium, quod ebrietas conciliat: quis ergo neget, hæc esse probabilia? fateor, immundum quidpiam esse; sed oculi Dei non sunt ut oculi hominum; & verò cùm is, qui usque ad satietatem comedit, propter delectationem, absque necessitate, non peccet, aut peccet tantùm venialiter, ubi sequitur vomitus, cur quæso veniale mutatur in mortale? quo enim præcepto tenetur homo non vomere? quo jure vomere prohibetur? nullum profectò scio, nisi aliæ circumstantiæ peccatum inducant, ut morbi, scandali, &c.

CAPUT *XXXVIII.*

De Æquivocis.

EXimunt mendacii peccato ea, quæ per ambigua verba dicuntur, etiam interposito juramento.

REFELLITVR.

NOstri profectò mendacia non excusant, quæ verbis aut signis committuntur, quia verba & signa ideò fuêre instituta, ut homines sincerè inter se agerent; verùm si ii, quibuscum agimus, nullum jus habeant nos interrogandi, vel in damnû nostrum interrogent, docent Theologi, nos posse dissimulatione uti, verbis item, & signis ambiguis, quæ diversos sensus admittant, ita ut unum sensum intendamus, alter verò alium intelligat: sacra Scriptura multa nobis suppeditat dissimulanter responsa. *Marc.* 13. & *Matth.* 14. quærunt à Christo discipuli, quo tempore mundus dissolvendus sit? Respondet Christus: Neque Angelis, neque filio hominis, sed soli Patri notum esse, an mentiebatur? minimè, nesciebat, ut Apostolis indicaret. *Ioan.* 7. Christum fratres rogant, ut eat Jerosolymam, ac se manifestet mundo, negat se iturum, ivit tamen, mentitum dicet? absit; negavit iturum se, palàm scilicet, ivit enim occultò. *Luc.* 8. Archisynagogi filiam à morte insciaturus, deprecatores solatur, asserens non esse mortuam, sed dormire; an mentiebatur? minimè; dicere enim voluit, non esse mortuam aliorum more, qui non reviviscunt. *Ioan.* 11. dixit Apostolis: Lazarus amicus noster dormit; putarunt Apostoli, quòd de dormitione somni diceret, cùm tamen ipse de somno mortis intelligeret, infinita sunt alia ambiguè dicta.

Pauciora non sunt signis expressa, *lib.* 1. *Reg c.* 21. David apud Achis Regem Geth amentiam simulat, ut vitæ consulat; *Genes.* 27. Rebecca hædinas pelles Jacobi manibus circumdat, ut ab Isaac patre, pro Esau habeatur; negat hîc mendacium Augustinus, sed mysterium agnoscit, *lib. contra mendacium, c.* 10. Similia omnino de æquivocis Casuistæ docent, quæ solùm approbant, cùm honesta ex causa usurpantur, quæ reverà si absit, ea penitùs damnant; meritò quidem, quia alioquin hominum societatem & commercium destruerent; si Canonistas & Theologos videre placet, qui æquivoca excusant, consule Barbos. *in* 2. *q.* 2. *& in c.* 14. 21 *&* 22. nonnullos appello. Angel. *V. juramentum*, 3. §. 9. Sylvest. *ibid.* 4. *q.* 7. Navar. *in c. humanæ aures*, 2, 2. *q* 5. *in q.* 2. *n.* 12. Salon. 2, 2. *q.* 89. *art.* 2. *controv.* 11. §. 4. Philiarc. *tom.* 1. *de off. Sacerd. l.* 3. *c.* 14. §. *verum*, Valent *tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 13. *p.* 2. Sanch. *l.* 3. *moral. c.* 6. *n.* 35. Less. *l.* 2. *c.* 24. *dub.* 9. *n.* 47. Serar. *in Iudith, c.* 13. *q.* 10. *de oratione ambigua*; communem sententiam Lessius esse testatur, *ibid.* ac citat Cajet. Arragon. Sot. licèt hi tres restrictionem occultantes, jiciant, quam tamen admittunt, præter suprà citat. Adrian. *in* 4. *q. de sigil. confess.* Major. *in* 4. *d.* 21. *q.* 2. Tolet. *l.* 4. *c.* 21. *& l.* 5. *c.* 58. Gregor. *homil.* 1. *in Ezech.* Laym. *l.* 4. *tract.* 3. *c.* 13 *n.* 7. Paludan. *in* 4. *d.* 21. *q.* 3. *art.* 3. *concl.* 1. Rodrig. *tom.* 1. *sum. c.* 92. *concl.* 4. Lugo *disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 2. Joan. Sanctius *disp.* 43. Castr. Pal. *tom.* 3. *tr.* 14. *disp.* 1. *p.* 7. Busenbaum *l.* 3. *tr.* 2 *c.* 2 *dub.* 4. ubi citat Laym. Sanch. Bonac. Sayr. *l.* 4. *c.* 5. *& lib.* 12. *c.* 17. Trullench *l.* 2. *c.* 1. *d.* 15. & alii passim, qui tamen sine

sacrificia utitur æquivocatione, & jurat non rogatus, graviter peccat; item quando juramentum justè exigitur à superiore: sed in re facili, diutiùs hærere, quam par est, non esset.

CAPUT XXXIX.

De Promissione.

QUIDAM docent, promissa non obligare, quando deest voluntas se obligandi, & rarò accidere, ut promissor hanc voluntatem habeat, nisi eam pactio, vel instrumento, vel jurejurando fiat.

RESPONDETUR.

Ut hujus objectioni fiat satis, duæ difficultates explicandæ sunt, altera facti, altera juris; quod ad primam attinet, multi Theologi dicunt eos, qui promittunt, non habere ut plurimùm intentionem absolutam se obligandi sub pœna peccati, ad præstanda promissa homini facta, quando scilicet nullum pactum, nullum juramentum, nullum instrumentum, nulla expressa formula gravem obligationem importans intercedit, sed est mera & vulgaris promissio gratuita, & solùm eos velle id facere, modò commode possint, aut aliqua non subeat ratio, quæ mutare cogat voluntatem; cùm autem quæstio facti sit, dubium non est, quin multùm hoc loco experientia valeat; docetque quisque sibi conscius est, si animum suum, dum aliquid simpliciter promittit, sine juramento & pacto, penitùs introspiciat: quod si doctorum judicio standum est; Emmanuel Sà *verb. promissio*, n. hanc sententiam satis fusè, præter solitum, explicatè defendit; multi alii idem sentiunt, ut Molina *disp.* 261. 8 Lugo *disp.* 23. *sect.* 6. Lessius c. 18. *dub.* 8. *n.* 61. Sanch. *l.* 1. *disp.* 5. *n.* 21. Busenbaum *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 3. *dub.* 2. Cajetan. 2. 2. *q.* 113 *art.* 1. *dub.* 4. Meratius *tom.* 2. *tr. de spes. disp.* 19. *sect.* 10. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *miscell. resol.* 122. Sanchez citatus, multos pro hac citat, Armil. Sot. Ferd. Ledesm. Henriq. &c. Wadingus *tr. de contract. disp. dub.* 2. nemo igitur neget, hanc sententiam probabilem esse, cui suffragatur experientia, cum selecto Doctorum manipulo; eos scilicet, qui promittunt dissimulo, non habere intentionem obligandi se summo jure, & ex justitia; imò nec absolutè obligare se volunt, saltem ut plurimùm, sed conditionatè; id est, nisi quo aliqua justa ratio mutare voluntatem non permittat.

Altera pars, quæ continet quæstionem juris, paulò difficilior est, ac proinde Theologos in duas opiniones distrahit: enim verò quæritur, utrùm is, qui promittit, stare promissis teneatur, si dum promittit, caret voluntate se obligandi: nonnulli negant, fieri posse, ait is, qui promittit, & vult promittere, non, se obligare; ita Sotus, Petr. Ledesma, Ludovic. Lopez, Fonseca, Manuel, Arragon Guttierr. quos citat Sanch. *de matrim. disp.* 9. *n.* 4; ratio est, quia obligatio est effectus, qui necessariò ex promissione sequitur; igitur si aliquis reverà promittit, se obligat; alii, numero plures contrarium tenent; quia obligatio voluntate promittentis nascitur; igitur si non habeat voluntatem se obligandi, nulla nascitur obligatio; quemadmodum legislator non obligat subditos, nisi habeat intentionem illos obligandi: ita Sanch. citatus *n.* 5. ut Henriquez, Richard. D. Bonavent. D. Antonin. Angel. Sylvestr. Armill. Metin. Tabien. Navarr. Super. Palacios. Sed meo judicio hæc disputatio est inanis: nam autores primæ sententiæ volunt, qui non vult se obligare, non promittere verè, ac proindè non teneri; alii verò censent, verè promittere, & teneri quæstionem de nomine; sic disputatur inter Theologos, utrùm legislator veram legem faciat, quando non habet intentionem obligandi subditos; aliqui volunt, veram esse legem; alii negant, esse verâ legem sed regulam, vel constitutionem: ecce disputationem de nomine; quæstio igitur est, utrum inter homines pactio quædam fiat, promissionis nomine, vi cujus, is, qui promittit, obligetur, non ex justitia, sed ex urbanitate, ac decori honestiq; ratione: hanc quæstionem, ut breviter expediam, dico, promissiones merè gratuitas, esse ejusmodi, saltè at plurimùm; ac proinde non obligare in rigore; sed, ut dixi, ex mera decori ratione; idq; non absolutè, sed conditionatè; quis enim amabò neget, talem pactionem fieri posse; sic autem homines ita vulgò promissionis nomen usurpant, & hæc est sententia auctorum, qui pro secunda opinione suprà citati fuerunt: si autem onerosa sit promissio, & promissarium ad aliquid obliget, aut damnum aliquod is patiatur, eò quod promissor non stet promissis; vel interveniat juramentũ aut formula, quæ strictam & gravem obligationem expressè importet, tunc promissio gravem affert obligationem; sic qui Virginem corrupit, cum promissione futuri matrimonii, tenetur eam ducere, licèt abfuerit voluntas eam ducendi, ut docet Sanch. *disp.* 1. *n.* 2. & si alter contrahentium consensum interiorẽ non ponit, peccat mortaliter, eumq; præstare tenetur ut probat idem Sanch. *disp.* 2. *n.* 4. sed hæc tractatio latiùs patet, & diuturniore otio indiget: ex dictis quisque satis intelliget, à Casuistis fraudes non probari, nec illos favere iis, qui promissis non stant, nisi tantùm in iis casibus, in quibus vulgò & passim creditur, eos non teneri, ex justitia scilicet, & sub pœna peccati mortalis.

CAPUT XL.

De Stupro.

VIRGINI ita jus & arbitrium prostituendi corporis, invitis parentibus, permittunt, ut is, qui eam ultrò consentientem corruperit, contra justitiam peccare minimè censendus sit.

RESPONDETUR.

FAteor ultrò aliquos ex nostris hoc docere: ita, ut virgo turpi corporis prostitutione graviter quidem peccet, nullam tamen Parentibus injuriã faciat; nisi fortè aliqua inde infamiæ nota familiæ inuratur, aut certè aliud detrimentum iis accidat; ac proindè illam non teneri hanc circumstantiam suo confessario explicare: hoc expressè tradunt, Petrus Navar. *l.* 2 *de restit. c.* 3. Bannez 2. 2. *q.* 62. *a.* 2 *dub.* 7 *concl.* 1. Soto *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *a.* 4. Graffius *lib.* 2 *cap.* 79. *n.* 13. Megal. 1. *par. lib.* 5. *c.* 11. *n.* 1. Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 14. *n.* 1. Vasq. *opusc. de restit. c.* 3. §. 1. *dub.* 1. *n.* 6. Less *l.* 2 *c.* 1. *dub* 1. Busenbaum *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 2. *dub.* 2. Conink *de sacram. tom.* 2. *disp.* 7. *dub* 4. *n.* 19. Diana 1. *par. tr.* 17. *res.* 12. *ubi multos citat*, Lugo *de pœnit. disp.* 16. *n.* 200. Petr. Ledesm. *in sum. tom.* 1. *c.* 16. *de pœnit. dub.* 5. Corrad. *in resp. cas.* 1. *par. q.* 47. *in addit.* Leander *tom de pœnit. tr.* 5. *disp* 8. *q.* 17. §. 2. ad de Trullenc. & Molfes. D. Antonin. à Diana citatos, item Tamburin. *in method. confess l.* 2. *c.* 7. §. 8 adde Suar. & Tanner. citatos à Lugo, qui hac ratione nituntur, quod virginitatis dominium ad puellam pertineat, non ad ejus parentes; unde sequitur, non esse necessariò exponendam illam circumstantiam in confessione, cùm stuprum ex sententia illorum, sit quædam injustitiæ species, quæ non committitur, nisi quando puella vi corrumpitur; quod dico præcisè, propter usum corporis: cum alioqui judicio prudentum, satisfaciendum sit parentibus & familiæ, si quid scandali, damni, aut infamiæ ex prædicta fornicatione nascatur.

CAPUT XLI.

De obscœnis quæstionibus Casuistarum.

ADeò spurcas & obscœnas quæstiones discutiunt, & tractant, præsertim circa conjuges & sponsos, ut cogitationem omnem atque pudorem superent; easque ita definiunt, ut castas aures non parum offendant.

RESPONDETVR.

THeologi tribus potissimùm de causis, hæc obscœna tractant; primò ut varias luxuriæ & libidinis species distinguant, illarũ enormitatẽ ostendant, ac pœnarum, quibus Deus hæc flagitia prosequitur, etiam in hac vita, horrore, ab iisdem flagitiis homines avertant; secundò ex S. Conciliis, Canonibus, libris pœnitentialibus Græcis & Latinis excerpta in suas summas traduxerunt: Antonius, Augustinus multos collegit pœnitentiales libros; item Morinus etiam Gallicanos præsertim Ecclesiæ Andegavensis; Gratianus in fine decreti Canones Pœnitentiales refert; eadem Burcardus pertractat, in iis autem Ecclesia diversas luxuriæ species explicat, definitq; pœnitentiã singulis imponendam: Patres etiam in suis commentariis, homiliis & concionibus ad populum, aliisque tractatibus de hac eadẽ materia egerunt, nq paulò liberaliùs, qui singulari castitatis integritate floruerunt, hinc facilè illos refellas, qui Thomam Sanch. in suspicionẽ impuritatis adducere voluerunt, quod paulò minutiùs ea discusserit, quæ castis mentibus pudorem suffundunt: hoc liberè dicam, auctorem istum castitatis laude in paucis eximium, hujusmodi quæstiones ad animorum salutem, absque periculo tractasse, quas fortè nonnulli tutò attingere vix potuissent; quod sanè præstitit, verbis adeò gravibus & sertis, ut si qui hac lectione paulò inquinatiùs commoventur, id eorum pravæ dispositioni & vitio tribuendũ sit, potiùs quàm auctori de Ecclesia & Confessariis bene merito, qui res illas modestè ac verecundè pertractavit, quas ex aliis repetere debuissent, à quorum plerisq; si apliciùs & populariter expositæ, animos vehementiùs afficiunt quam ea, quæ Sanch. scripsit: accedit, quod iste autor, nulli Theologorũ in simili argumento secundus, suam summã ex 480. disputationibus circiter contexuit, ex quibus quatuor aut quinque ad summum peccata contra castitatẽ declarant, & harum major pars ad forum Ecclesiasticũ pertinet, in quo de impedimento impotentiæ judicatur, & hæc Confessarii facilè omittere possunt: nemo igitur vitio vertat auctori doctissimo & religiosissimo, quod ex S. Canonibus, Patribus, utroque jure, antiquis & recentioribus doctoribus ea collegerit, quæ conjuges & sponsi, confessarii, iiq; qui de matrimonii validitate judicant, omninò scire debebant.

Illud quoq; Casuistas movit, ad agendum de peccatis, quæ inter conjuges, aut sponsos incidunt, ut scilicet animos scrupulis & angoribus eximant, quibus interdum ab imprudentioribus implicantur, qui nihil ferè in matrimonii usu à culpa lethali, aut venali liberant; quæ si vera essent, multi sanè de salute desperarent, hæc porrò Casuistæ non disputant, ut conjugibus habenas laxent ad voluptatẽ, canonum, eorumq; contemptum, quæ SS. Patres reliquere, ad reprimendos corruptæ naturæ sese licentiùs effundentis impetus; sed ad errorem depellendũ, quem nonnullorũ imprudentia pœnitentibus objicere posset, plausibili quodam prætextu quorumdam canonum, quorum usus in Ecclesia obsolevit, & dictorum à SS. Patribus, qui res aliquando paulò ampliùs exaggerarunt, ut Christianos à voluptatibus deterrerent: sic Tertullianus relatus, *in c. 5. q. 4. 32.* Abrahamum fornicatorem appellat, quia secundas nuptias contraxit; & Hieronymus adulterum illum vocat, qui uxorem suam flagrantiùs amat, *can. 14.* sic loquitur, *liberorum ergò, ut diximus, in matrimonio opera concessa sunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore damnatæ* Greg. *c. 4. moral.* eos peccare contendit, qui matrimonio alia, quàm suscipiendæ prolis causa utuntur; Alii Patres severos etiam se præbent, ut conjuges à molliore & solutiore vita abducant, non sanè quod peccati lethalis, aut sæpènumero venialis, gravioris scilicet, noxa in iis actionibus insit, quas fornicationes & adulteria vocant, aut in quas actiùs invehuntur, sed ut terrore objecto, populos ab illicitis avertant, si quis autem præmissa loca ad rigorem literæ interpretatus, dixerit, compertâ uxoris graviditate, usum matrimonii illicitum esse; fœminam ad partũ præ ætate ineptam peccare, si nupserit; usum matrimonii illicitum esse, etsi ad repellendam tentationem adhibeatur; item quadragesimali tempore & diebus Dominicis & festis; si quis, inquam, hæc dixerit, omnium Theologorum hæc liberè negantium torrentem se opponet, illius imprudentiam castigabit, validiq; rationibus impugnabit; quis enim nescit, canones illos consuetudine in contrarium recepta, hoc tempore antiquatos esse: hac igitur de causa, Casuistæ hujusmodi quæstiones agitarunt, ut fideles ab angoribus & cruciatibus animi liberarent; hortati tamen, ut modestè & cùm timore in his se gerant; & Pauli exemplo, Evangelica consilia iisdem proponentes, non tamen imponentes; quis enim aliud jugum imponat, præter illud, quod Christus imposuit.

CAPUT XLII.

De ornatu mulierum.

DOcent mulierem, quæ se ornat, eo tantùm animo, ut innatæ ad vanitatem propensioni satisfaciat, aut nullo modo, aut venialiter dumtaxat peccare; etsi mulier non ignoret, malum effectum in animis & corporibus intuentium inde produci.

RESPONDETVR.

CUriosus vestium apparatus per se spectatus malus non est, sed à Philosophis & Theologis resiter indifferentes numeratur, quæ pro diverso animo & fine utentium, bonæ, aut malæ sunt: Judith & Esther muliebri mundo ornarunt se, cum grandi apud Deum merito suo; nec dubito, quin nobilissimæ etiamnum reperiantur, quæ superbis splendidisq; vestibus majorem humilitatem & castitatem tegunt, quàm aliæ centonibus & sordido panno: jure igitur ajunt Casuistæ, fœminam, quæ pro conditione sua & statu, sese decenter vestiat, ornetque, non peccare, quando id unum appetit, ut concinnè vestitatur, ejusq; concinnitate delectetur, secluso omni alio turpi fine; quippe delectatio illa indifferens est; ac proindè bona, malisq; expers; si tamen præter delectationem illã, ex ornatu illo & cultu, sese aliis præferat & præferri velit, in culpã superbiæ incurrit, quæ tamen, saltem ut plurimùm, minimè lethalis est; quamquã si superbiæ periculum sit, in ejusmodi ornatu, solo venialis noxa metu, christianæ fœminæ ab illo abstinere debent.

At si fœmina, quæ se superbiùs ornat, probè sciat de pravos effectus in spectantiũ corporibus & animis produci; nonnulli eas dũtaxat mulieres in simili casu à peccato mortali liberant, quæ se decentiùs ornant, ut maritis suis placeant; etsi prævideant, se occasionem peccandi mortaliter alicui fortè præbituras, qui in eas curiosiùs inspiciendis immorabitur; diversæ sunt in hac controversia Theologorũ sententiæ, cùm scilicet agunt de scandalo, & peculiariter expendunt, utrum

rum mulier mortaliter peccet, conversando cum illis, absq; mala intentione, licet sciat, prædictos homines, vel ex nativa illius pulchritudine, vel ex gratia, quam externus ille ornatus conciliat, peccati mortalis occasionem arripere; similiter, utrùm hæc mulier absq; ullo peccati mortalis periculo, vel saltem veniali, valeat illis colloquiis abstinere, vel etiam deponere, unde peccandi occasionem illi arripiant; dixi (absq; mala intentione) si enim speciem illam hominum oculis eo fine exhibeat, ut furtim sui amorem instillet, nemo sanè illam peccati mortalis immunem faciat, licèt alioquin pravis illorũ cupiditatibus obsequi nolit, item si quid agat, quod reverà malum sit, aut saltem specie mali præferat, unde peccati mortalis occasio sumatur, hujus etiam peccati participem esse nemo negaverit; denique si quid paulò licentius secum agi patiatur, unde illi in spem veniant, explendæ suæ cupiditatis, eam peccati complicem esse omnes dicunt.

Sed his omnibus omissis, hoc unum discutio, quid de fœmina, aut virgine sentiendum sit, quæ certò scit, fore, ut quis accipiat peccandi occasionẽ, si prodeat accuratiùs ornata, aut sese videndam præbeat, nullo alio consilio, quàm ut scita videatur & placeat, Cajet. 2.2. *q.* 4. & *q.* 169. *a.* 2. *ad.* 5. Armill. *v. ornatus*, n. 3. & *v. scandalum*, *n.* 3 Sanch. *in decal. l.* 1 *c.* 6. *n.* 17. Sà *verb. ornat.* Nav. *c.* 14. *n.* 37. & *c.* 23. *n.* 18. & alibi, Granad. *in 2. contr. 3. tr. 13. d. 5. s. n.* 3. ubi citat Azor; Mat. Dian. & Duval. citati à Caussin *in addit. p.* 10. Lorca, Bonac. Suarius, Diana citati à Lemonio docẽt, virginẽ, aut supernaturali pulchritudine præditã, vel honestè ornatam, ire posse in templum, in forum, & alia publica loca, etsi noverit, inde aliquem accepturum peccandi mortaliter occasionem; quia scilicet, inquunt, charitas, quæ vetat, præberi occasiones proximo peccandi, prohibet dumtaxat actiones illas, quæ vel malæ sunt, vel aliquam malitiæ speciem præ se ferunt, & quædam sunt ad peccandum invitamenta; secus verò bonæ, vel indifferentes, ex quibus si fortè aliquam peccandi occasionem proximus capiet, hoc est illius malitiæ, non verò ejusmodi actionis auctori tribuendũ est; hoc autem vel ex eo confirmant, quòd alioquin innumeris scrupulis, & conscientiæ angoribus prædictæ fœminæ essent expositæ, si abesse a locis tenerentur, nisi necessitas id postulet, in quæ vix conveniunt. Non desunt aliqui, qui hanc opinionẽ hoc modo temperant; ajunt, duplex esse hominum genus, qui peccandi occasionẽ ex conspectu fœminæ captant; primum eorum est, qui peccant, & captant occasiones peccandi ex mera malitia, propensione ad malũ, consuetudine peccandi, quorum gratia, non tenetur mulier abesse à communi congressu & publicis locis; alterum eorum, qui occasionẽ ullam non captant, sed ex mera infirmitate, quasi inviti occasione captantur & rapiuntur; istorum gratia, mulier ea colloquia & congressus vitare debet, in quibus prævidet, pulchritudinẽ suam iis scandalo & impedimento ad peccandũ fore; Valentia *tom.* 3. *d.* 3. *q.* 11. *punct.* 4. hanc opinionẽ tuetur & probat testimoniis D. Greg. Bedæ, &c. Unde sequitur, mulierẽ, cui perspecta est hujusmodi infirmitas, quæ in circulis, comœdia, aliisq; locis frequens esset, ream esse peccati mortalis, imo addunt nonnulli, teneri quoque abesse loco, si prævideat, hujusmodi amatorem ad futurũ, licèt illius infirmitati involuntariæ consulat.

Alii tamen Theologi ut D. Th. 2.2. *q.* 43. *a.* 2. 3. & 4. *in opusc. de scandalo*, *q.* 43. *a* 8. *dub.* 2. *n.* 27. Azor. *l.* 11. *c.* 18. *q.* 12. Granad. *citat n.* 28. Castr. Pal. *t.* 1. *disp.* 6. *punct.* 16. *n.* 4. Dian. *p.* 5. *tr.* 7. *res.* 22. aliiq; docent, in eo casu, non modò non teneri fœminam abesse à Sacro, sed teneri adesse, ut & alia præstare, quæ Dei & Ecclesiæ legibus præcipiuntur; teneri tamen ab iis abstinere, de quibus nihil præceptum est: Hurtad. Valent Suar. Bannez, Tanner. Gordon. citati à Diana *resol.* 21. eam teneri abesse à Sacro; Hurtado quidem, per aliquod tempus, Valentia aliquoties; Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 10. putat tantò teneri.

Tertiam quandam opinionem reperio à secunda distinctã, circa illos, qui ex mera malitia peccant, & ultrò captant occasiones peccandi; docet enim 2. opinio, non peccare mulierẽ, sese ornando, etsi noverit aliquem ex mera malitia peccandi occasionem inde sumpturum; 3 verò, mulierem à peccato tantùm eximunt, cum ei honesta & rationabilis causa subest, sese ornandi, vel ea loca obeundi, quò illum venire novit; ita Sanch. citatus *n.* 17. ubi ait, quamcumq; se vertat in partem, nullam sibi rationem occurrere excusandæ mulieris à peccato mortali, quæ nulla necessitate, sed sola levitate, occasiones quærit conversandi cum homine, cujus pravam voluntatẽ novit; licèt ipsa malum detestetur, nec eo consilio se illi videndam præbeat; idem docet *c.* 7. 15. ubi citat Cajet. & Suar. & peccati eum damnat, qui alteri ad peccandũ jam parato, peccandi occasionẽ præbet, nisi justam & legitimã causam habeat id agendi, unde alter peccandi occasionẽ captat: Hinc nonnulli mulierem peccato eximunt, quæ se splendidiùs ornat, ut marito placeat, licèt prævideat, fore, ut aliquis inde captet occasionem mortaliter peccandi; nempe studium illud placendi marito, legitimæ excusationis & justæ causæ loco est.

Scio, quartam esse illorum opinionem, qui dicunt, fœminas peccare mortaliter, quæ cum probè sciant pravos affectus, quibus aliqui ducuntur, hoc non obstante, ornant se, in publicum prodeunt, & ita cum iis se gerunt, ac si penitus ignorarent, nullâ re prorsus ob id prætermissâ; ita S. Anton. Sylv. Azor. Nav. Corduba, Medina, Zumel, Lopez, quos citat Sanch. *c.* 6 *n.* 16. nonnulli ex his citari possent pro aliqua ex tribus præmissis opinionibus; nempe omnes concedunt, ex justa causa puellam excusari ob necessitatem aliquã, vel utilitatem; sed quæ major necessitas, vel causa, vel utilitas, quàm ea, quæ ducitur ex scrupulis, ex libertate, &c. ex his constat, nullam fere in Theologia morali difficiliorem esse controversiã, quàm de scandalo; est enim satis difficile, conciliare rei domesticæ & propriæ curã, cum charitate circa proximi salutem; unde paucos omninò Theologos inveniás, qui hac in parte sibi undequaq; constent; hinc tanta opinionum & distinctionũ varietas; ego quartam istam opinionẽ minimè accuso, nedum damno; imò Casuistis & confessariis perspectã esse velim, ut & illam Christi comminationem, *Matt.* 5. qua is regno cœlesti excluditur, qui doctrinam perfectioni Evangelicæ contrariam docuerit; malum enim maximè timeri debet ex promiscuis sexus utriusq; congressibus, in quibus tam lubrica præceps; via est, ut creberrimi lapsus succedãt.

Verùm tres priores opiniones damnare non ausim, nec suo muneri Confessarium defuisse dicam, qui ea sedulò observarit, quæ in prædictis opinionibus caventur, & ad eam normã fœminas instituat, & regat: an non Christianum institutum est, non modò actiones malas mulieris damnare; sed eas prohibere, quæ vel minimam mali suspicionem habere possunt apud eum, à quo amatur, cujusmodi sunt missæ epistolæ, furtivæ conditiones, clandestinæ congressiunculæ, munuscula, & aliæ benevolentiæ significationes? cuncta hæc prohibet 1. opinio, jubetq; confessariis, ut absolutionem fœminis recusent, ab ea solutiore consuetudine non abstinentibus; an non recta disci-

plina, absolutionem denegare mulieri, quæ cum sciat, peccare proximum ex infirmitate, in mutua conversatione, ab ea tamen non abstinet, licet ad eam nullo præcepto obligetur? hocipsum præscribit secunda opinio; an non sancta lex est, negare absolutionem mulieri, quæ cognità prava hominis voluntate, sine ulla necessitate, eius oculis se spectandam præbet? id mandat Sanch. *c.6.n.* 17. an non denique optimum consilium est negare absolutionem mulieri, quæ in conspectu virorum sinum aperit & papillas nudat, cum præsertim sciat malos inde effectus sequi; atqui illud Emm. Sà, præceptum est *vt ornatus*; tu vide si Less *lib.4.c.4.dub.14.* qui rem hanc doctè & piè pertractat.

CAPUT XLIII.

De pecuniis ab uxore marito surreptis.

JEsuitæ docent, uxorem licitè posse marito tuo pecuniam surripere, multis in occasionibus, v. g. ad ludendum, ad comparandas vestes, aliaque hujusmodi sibi necessaria.

RESPONDETVR.

BAuni, quem præsertim hæc objectio petit, pro hac opinione citat Sylvest. Tabien. Armill. Petrum Nav. adde Molin. & alios decem citatos à Dian. *p.5.tr.8.resol.* 34. item Less. *c.12 dub.14.n* 85. ubi citat Sylvestr. Angel. Paludan. nempe vir tenetur uxori præstare victum, vestitum & cætera ad decentem, pro illius statu, sustentationem necessaria, more aliarum fœminarum similis conditionis; Dicastil. *l.2.de just.tr.2.disp* 9. *dub.8.* ubi multos citat Trullenc. *l.7.c.6.d.*8. Busenbaum *l.3.tr.5.cap* 1. *dub.* 4. ubi citat Bonacin. & alios: multi ergò hanc opinionè docent, sed ea lege, ut mulier ejusmodi sit, eiusque conditionis, cui ludus honestus, inter alimenta sumptusque necessarios concedi possit; auctores enim qui id mulieri permittunt, non ignorant, maritum esse totius familiæ caput, & bonorum dominum, sed qui debeat uxori alendæ & rebus necessariis instruendæ satisfacere: hinc si maritus, vel prodigus rem domesticam decoquat, vel avarus & tenax erga uxorem durior sit, tum hæc victum, vestitum, aliaque necessaria sumere potest, quod reverà latius est, quàm si bonorum communionem dirimat, quod animorum etiam conjunctionem dissolvere solet, quid in his reprehendi queat, reverà non video.

CAPUT XLIV.

De Missæ auditione.

VOlunt, præcepto audiendi sacri satisfieri. 1. si quis assistat, honesto dumtaxat & reverenti corporis habitu: 2. etiam cum proposito & intentione non satisfaciendi; 3. nihil obesse impuram voluntatem inspiciendi libidinosè mulieres; 4. mediam partem Missæ ab uno Sacerdote, alteram ab alio audiri posse; 5. eodem tempore audiri posse dimidiam partem unius, & dimidiam alterius; 6. imò secundùm aliquos, quatuor partes diversarum missarum, quæ simul conjunctæ integram missam efficiunt.

REFELLITVR.

NOstri docent 1. satius esse, ab uno eodemque Sacerdote missam integram attentè, devotè, & sine mētis aberratione audire, 2. licèt nonnulli Canonistæ doceant, actus internos ab Ecclesia imperari non posse, atque adeò eum satisfacere præcepto audiendæ Missæ, qui debita corporis compositione interest, Theologi tamen communiter, præsertim ex Societate, contrarium tenent, ut Suar. Valq. Sanch. Azor. Lugo, &c. 3. Qui die festo templum ingressus, ita statueret; hanc missam devotionis causa primò audiam, aliam deinde, ut præceptum impleam, auditurus, haud dubiè juxta communem Casuistarum mentem, præcepto satisfaceret, quia Ecclesia imperat tantùm auditionē Sacri debito modo ponendam, non verò actum illum reflexū intentionis; sic qui constitueret non jejunare, ac deinde jejunaret, præceptum impleret, ita Vasq. 2.2.*q*100. *art.*9. Less. *l.2.c.*7. *dub.*10. Suar. Coninck. Lugo, Valent. Laym. Sāch. Salas citati à Busenb. *l.1 tr.2.c.3.dub.* 3. Tambur. *l.4 c.2.§.1.n.*18. 4. ali qui docent, eum, qui nihil externū tacit, quod repugnet externæ modestiæ, externoq; honori Missæ debito, satisfacere præcepto, licèt interiùs aliud cogitet; ut Sylvester, Rosell. Durand. Medin. S. Antonin. aliiq;, quos citat & sequitur Diana *p.3.tr.4 resol.*101. Coninck, Hurtad. Less. Victorell. Henriq. Laym. quos citat & sequitur Delugo *de Euchar. disp.*22 *s.2.n.*27. contrariam sententiam communiter docent Vasq. Suar. Sanch. Bonac. aliiq; innumeri citati à Diana *part.1.de hor.canon.resol.*2.

5. Alii docent satisfieri præcepto, cum auditur una pars Missæ ab uno Sacerdote, & altera ab alio, ut Sotus, Nav Sa, Henriq. quos citat & sequitur Diana *p.2. ts 3. miscell.resol.*18, item Major. Medin. Ægid. apud Fagund. 2. *Eccl.præcept.l.2.c.6.n.*11. Bonac. *tom.1.disp.* 4. *de sacrif. miss.q.ult.punct.*11. *n.*13. Hurtad. *d.5.de sanct. Miss.diff.*4. at contrarium tenet Suar. *de Euchar. disp.*83. *sect.*1. cui subscribit Tambur. §.2. *n.*10. item Coninck, Fagund. Reginal. citati à Busenb. 6. quidam inferunt ex hac propositione, posse simul audiri duas medietates Missæ, hanc consequentiam approbat Azor *lib.*7. *tom.1.c.*4. Sed negat antecedens; hoc etiam probabile putant Bonac. Hurtad. Diana, quos citat Busenb. licèt oppositum sit longè probabilius, ut Reginl. Coninck, Lugo, quos idem citat; item Sanch. citatus, qui hoc reputat absurdū. Tambur. & alii ferè omnes, qui potiori jure illam opinionem rejiciunt, quæ vult satisfieri præcepto, licèt 4. partes diversarum Missarum simul audiantur; sed standum est communi usui Ecclesiæ, qui reverà postulat, ut integra ejusdem Missa audiatur; quamquam plus temporis consumeretur in quærendis 4. Missis in hunc modum concurrentibus, quàm in duabus integris audiendis; erat enim, quod hujus opinionis auctor alia majoris momenti tractaret, ne tempus in hujusmodi quæstionibus omnibus consumeret; sed is primus huc non impegit, cum SS. Patrum voluminibus nonnulla sint ejusdem notæ, licèt admodum rarò, quæ plus curiositatis, quàm utilitatis & fructus præseferant.

CAPUT XLV.

De Sacramento Pœnitentiæ.

JEsuitæ, veteris Pœnitentiæ asperitatem mollioribus indulgentiæ linimentis mitigarunt; imò penitus sustulerunt, permittuntq;, ut Pœnitens duobus confessariis utatur; altero, apud quem mortalia, altero, apud quem venialia deponat, & existimationem apud eum retineat; imò dicunt, eum, quem pudet confiteri peccatum, in quod lapsus est ab ultima confessione, posse confessionem generalem instituere, illudque simul cum aliis confiteri imbam cæterorum conjectum.

REFELLITVR.

COmmunis Ecclesiæ usus magnificiendus est, necnon in præsenti controversia consulendus; huic omninò standum esse, credunt Catholici; quare cum Ecclesiæ usus tantum rigorem non ferat, & experientia constet, hoc rigore Christianorum licentia potiùs ingravescere, quàm fervorē accendi, ut patet ex-

na mater, de sent excom. in 6. item *c providè ibid.* & *praxiū cap.* quis amabò mitiori Ecclesiæ sen-
tentiæ acquiescat? Præterea negant Casuistæ, teneri
nitentem apud eundem Sacerdotē semper confi-
rem, si nimiū ruborem timeat, propter aliquem
lapsum, posse alium adire; quid quæso hic re-
ndendum; siquidem nullum præceptum eidem
Confessario fideles adstringit, si autem frequen-
ejusmodi lapsus, dicunt eum posse habere
Confessarios, quorū uni cui ignotus esset, gravi-
peccata, alteri verò, cui notus esset, ordinaria a-
rem; quid amabò in hoc censuram meretur? modò
tis Confessariū non mutet, eo animo, ut libe-
peccet, vel inde occasionem capter sibi adulandi,
contraria multis sacrilegiis occasionē præbet,
nem in sexu fœmineo, cui plus timiditatis &
ntiæ inesse videtur; sed profectò satius est, apud ignotū sa-
cerdotē peccatum deponere, quàm per nefandum sa-
crilegium illud reticere in confessione facta apud or-
dinarium dicite quid est, misericordiā volo & non sa-
crificium. Multi denique auctores apud Dian. *part. 3. tr.*
resol. 36. docent posse aliquē in confessione ge-
neralī cum peccatis jam confessis alia non confessa
exponere, modo aliquā justā de causā id fiat; quia in-
quiunt, non est necesse, ut Confessarius sciat, quo tē-
pore peccata cōmissa fuerunt; si quis autem objiciat,
tunc leniē quā par sit, pœnitentiā ab illuso Confes-
sario impari, illicò respondent, hanc rationē non va-
lere in pore Jubilæi, quo Confessarii initiores pœni-
tentias imponere possūnt; aliis verò temporibus, vel
pœnas voluntarias à se exiget, pro criminis
atrocitate, vel Confessarii rogabit, ut majorē impo-
nat; hæc tamē, prædictas opiniones à Casuistis nō
tolerari, ni si quādo incredibili pœnitentis infirmi-
tate aliquid indulgendū esse videatur; cæterū in rigo-
re Theologico, hæc doctrina nullam notam meretur,
ut quidem tenet Busenb. *l. 6. tr. 5 c. 1. dub. 3. n. 5.* ubi citat
Filiuc. Laym. Lugo, qui multos citant ut Nav. Suar.
Coninck, & hoc unum ab omnibus procurandum
est, ne Sacramentum Pœnitentiæ odiosum reddant.

CAPUT XLVI.

De interrogando Pœnitente.

QUidam illorum docent, Confessariū exceptis
certis quibusdam casibus, non habere jus in-
terrogandi pœnitentem, an peccatum, quod
confitetur, sit ex habitu, vel consuetudine.

RESPONDETUR.

Citantur à Dian. *par. 1. tr. 7. res. 15.* quinque aut sex
graves Theologi, qui hoc ipsum docent: alii verò
tenent, de hac circunstantia pœnitentem interrogari
posse, si Confessarius judicet, id utile fore pœnitenti,
quam tamē valde pauci obligant ad exponendā hanc
circunstantiam, antequam de illa interrogetur; in hoc
equidem, non hæreo, cum instituendos Confessa-
rios hoc loco minimè susceperim; monebo iterū pro-
videndū, ne confessio pœnitentibus nimis odiosa sit,
& Confessarius severiores leges imponantur, quibus
ab hoc ministerio avertantur, quod in pœnitentium
damnū cederet; Francisc. Victoria *in tr. de Sac. n. 193.*
prudenter advertit, aliquos esse Confessarios, qui
injurian el alma a los penitentes, id est, qui vel ipsam
animam pœnitentibus molestæ interrogationis pres-
sūræ quasi exprimunt; cæterùm in præsenti casu
videtur, pœnitentem interrogari posse, donec æ-
què respondere significet; tunc enim urgendū mi-
nùs veniet, & multò minùs negandam absolu-
tionem, de quo jam suprà dictum est, nisi hoc pru-
dens Confessarius ad emendationem pœnitentis
conferre judicet.

CAPUT XLVII.

De circumstantiis quæ speciem non mutant.

ITem docent, neminem teneri confiteri circum-
stantias, quæ speciem non mutant.

RESPONDETUR.

ADmodum probabilis est hæc opinio, imò com-
munior & probabilior, ut testatur Sylvest. *v. con-
fessio 1. n. 10. qu. 9.* qui citat in hanc rem DD. Thom. &
Bonav. item Valq *in 3. p tom. 4. q. 9. ar. 1. dub. 3.* Zanard.
in direct. 1. part. de Sacr. Pœnit. c. 18. M. Serra *1. 2. q 73. ar.*
7. Navar. *c. 6. n. 7.* Lugo *disp. 6. sect. 3.* Suar. *disp. 22. sect. 3.*
multos citat eosq; magni nominis; Albert. Mag. Du-
rand. Palud. Almain. Carthus. Adrian. D. Antonin.
Medin. Turrecr. Covar. Angel. Armil. & alios Sum-
mist. Dian. *par. 1. tr. 7. res. 1.* citat 12. aut 13. alios; scio,
multos eosq; gravissimos auctores contrariam opi-
nionem defendere, ut Sanch. Suar. Valent. Cajet. Co-
ninck, Sot. Victoriam, quos ibidem Diana & Suar ci-
tant, non tamen negant, priorem esse probabilem; ut
reverà omninò probabilis est, & in eam omnes ferè
recentiores eunt; illius tamen usus multam pruden-
tiam postulat, nec facilè ad omnia extendendus: v. g.
quando plura præcepta eandem rem imperant, suf-
ficit dicere, se rem vetitam admisisse; v. g. comedisse
cibos vetitos, vel non interfuisse Sacro, die præce-
pto; at quando præcepta, res diversas jubent, v. g. ab-
stinere à carnibus, & jejunare, haud dubiè non suffi-
ceret dicere tantùm, se non jejunasse, & si quis Casui-
sta secus senserit, alii omnes refragantur; pari modo,
jubemur diebus festis Sacro interesse, & ab operibus
servilibus abstinere; si utrumque violetur, utrumq;
in confessione exprimendum est, unum enim non est
circunstantia respectu alterius, sed diversum omninò
præceptum, illudque diversæ speciei.

In multis aliis secus accidit; sic divinationes per
diversa non differunt specie; ac proindè sufficit dice-
re, se peccasse divinatione, aut superstitione; ita Sà
v. confessio, n. 27. citans Sot. Busenb. *lib. 3. tr. 1. c. 1. dub. 2.*
citans Laym. Sanch. Less. Bonacin. exprimendum ta-
men est, an sit naturalis, vel magica; an pactum ex-
pressum, vel tacitum intercesserit; sed nihil refert di-
cere, an aqua, vel sale, vel terra, vel speculis, vel aliis
hujusmodi usus sis; si tamen aliqua materia sacra ad-
hibeatur, mutatur species, ac proindè dicendum, vel
si quis divinatione utatur ad aliud peccatum; & hæc
apud Casuistas sunt communia: non dissimili ratio-
ne, multi Casuistæ dicunt, raptum non esse circun-
stantiam necessariò exponendā; si puella consentiat,
& tota res geratur in ædibus parentum, vel tutoris,
quia puella est domina corporis sui, ut jam suprà dic-
tum est; si verò ex prædictis ædibus contra parentū,
vel tutoris voluntatem, efferatur, hic raptus est con-
tra justitiam, ac proindè hæc circunstantia in confes-
sione explicanda; ita Sanch. *lib. 7. disp. 12. num. 12 &*
35. Fagund. *lib 6. c. 11.* Rebel. Sylvest. Salsedo ab iis
citati: igitur quod spectat ad aggravantes, ut neu-
tram damnare, ita ad alteram obligare neminem
velim.

CAPUT XLVIII.

De satisfactione Sacramentali.

DOcent etiam pœnitentem posse absolvi, licet
pœnitentiam impositā recuset, & malit Deo
satisfacere in Purgatorio, leviore scilicèt ad
integritatem Sacramenti, impositâ: item si Confes-
sarius cognoscat, graviorem à pœnitente non fore
acceptandam,

RESPON-

RESPONDETVR.

DIana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 51. citat 17. Auctores, omnes ferè ex Societate, qui asserunt, negandam esse illi absolutionem, qui rationabilem & justam pœnitentiâ recusat. Idem Diana 10. alios citat, quorum major pars ex Societate non est, qui docent, in eo casu, absolutionem negandam non esse, quia scilicet ad essentiam Sacramenti pœnitentia non pertinet: Primæ sententiæ adhæreo, quamquam si magna Pœnitentis contritio est, antiquus mos fuit in Ecclesia, levem pœnitentiam injungere, quia scilicet contritio valde intensa omnem ferè pœnam temporalem expungit, indulgentiæ item justam mitiori pœnitentiæ causam præbere possunt: cæterùm ut dicam, quod sentio, hæc materia de satisfactione, innumeris ferè controversiis & quæstionibus campum aperuit, quæ inter morales in utramque partem disputantur, de quibus cum nihil ab Ecclesia definitum sit, quid mirum, si Doctorum disputationibus permittantur, & cuilibet in re problematica, in suo sensu liceat abundare; unum breviter indico, paucissimos esse, qui diuturnas & graves pœnitentias impleant, unde viderint Confessarii quid expediat.

CAPUT XLIX.

De dispositione Pœnitentis.

DOcent item, quando pœnitens affirmat, se abhorrere à peccatis, Confessario ultrà laborandum non esse, circa interiorem illius dispositionem; idem dicendum de proposito emendationis futuræ; nisi fortè aliquid restituendum sit, vel aliqua occasio proxima removenda.

RESPONDETVR.

MOdò cætera, more solito, ponantur, confessio scilicèt integra, cum ipsa contritio, vel attritio sit in ipsa voluntate, necesse profectò non est, ut aliis signis, quàm verbis Confessario significetur; nemo enim dicere ausit, dolorem sensibilem in lachrymas erumpentem necessarium esse; cur igitur Confessarius fidem habeat pœnitenti, peccata sua confitenti, cur fidem eidem detrahet declaranti se pœnitere scelerum admissorum, ac statuere in posterum abstinere? modò nihil sit aliud, quod pravam pœnitentis dispositionem ostendat; miror sanè, hæc objici, si enim creditur homini asserenti, se non esse baptizatum, eique confertur Baptismus; & accedenti ad mensam Eucharisticam, sacrum Christi corpus porrigitur, ac proindè rectè dispositus creditur; quidni ritè confessus, asserens se rectè dispositum esse, se dolere de patratis, seque in posterum nolle peccare, cùm nullum aliud impedimentum supponatur, quidni inquam absolutionis beneficio donabitur?

CAPUT L.

De eodem argumento.

DOcent iidem, necessarium non esse, ut Confessarius sibi persuadeat, pœnitentem suum non lapsurum amplius, modò judicet, hîc & nunc, esse rectè dispositum, id est, dolere de peccatis, & habere verum propositum non peccandi in posterum.

RESPONDETVR.

PAucos haud dubiè Confessarius absolutos remitteret, si ante absolutionem, certò sibi persuadere deberet, non lapsurum amplius pœnitentẽ; hoc quidem sperat, desiderat, & probabiliter credit, confisus de divina graria, timet tamen, & jure quidem, præsertim si magna pœnitentis propensio est, ne detrahatur; præterea eadem ratio pro peccatis venialibus confessis militaret, ut patet; standum igitur in mitiore & magis utili Ecclesiæ usu, quem nullus Catholicus damnare potest; onus intolerabile pœnitentibus & confessariis minimè imponendum; exemplum Christi præ oculis habendum, qui S. Petro indixit, ut septuagies septies, id est, indefinitè peccanti fratri offensam remitteret; Confessarius igitur absolvere debet pœnitentem, licèt probabiliter credat, fore, ut iterum peccet, modò hîc & nunc rectè dispositum esse cognoscat, id est, ritè confessum, cum vero dolore & proposito; imò licèt pœnitens hoc idem judicet, suæ fragilitatis conscius, modò tamen verum doloris propositum habeat, & peccatum ipsi displiceat, nil quid aliud obstet, absolvendus est; nempè hoc justo timore actus ad remedium Sacramenti prudens confugit, ut scilicet divinæ gratiæ subsidio, infirmitatem suam sublevet & corroboret; quemadmodum podagra laborans, etsi reversurũ morbum prævideat, eum tamen tollendi ingenti desiderio tenetur, & quò vehementiùs timet, ne morbus recrudescat, eò majore parandorum remediorum studio ducitur: & nebet omittam, quibus amabò signis interiorem animi dolorem & dispositionem pœnitens significare potest? lacrymis fortè, aut suspiriis, sed hæc quoque fingere homines possunt; imò cum quis dicit, in confessione se dolere de peccatis, injustus est Confessarius, si idem detrectet; cur enim pœnitens, qui sponte accedit, qui scit, fictionẽ fore sacrilegã, cur inquam fingeret? facilè crediderim, illos, qui hæc objiciunt, recipiendis confessionibus diu non vacasse; nempe ut ipso usu facilè didicissent, aliter fieri non posse.

CAPUT LI.

De Contritione.

JEsuitæ dicunt, minus probabilem esse illam non nullorum sententiam, qui docent, contritionem esse necessariam, & attritionem conceptam pœnæ æternæ metu, licèt peccandi voluntatem excludat, cum Sacramento non sufficere.

RESPONDETVR.

ITa est. Theologi ferè omnes, qui post Tridentinũ scripserunt, docent illam sententiam minùs probabilem; utpotè quæ Trid. decretis omninò repugnet; fateor tamen, ante Trid. non æquè certum fuisse, ut Suar. monet; nempe Trid. rem hanc quæ nonnullis obscurior videbatur, clarissimè meo judicio, declaravit ac decidit; ex qua declaratione, hunc qui modò est certitudinis gradũ habemus; fateor etiam, non paucos Casuistas docuisse, attritionẽ illam supernaturalem scilicet, conceptam ex timore pœnarum temporalium, quas Deus in scripturis peccatoribus sæpè intentat, sufficere ad Sacramentũ, modò adsit propositum non peccandi: si enim timor æternæ pœnæ sufficit, cur non timor pœnæ temporalis non sufficiet? cùm utramque sacra Scriptura Deus comminetur: fateor denique Valentia, præcipuũ Sacramenti pœnitentiæ effectum esse justificationem peccatoris, & remissionem peccatorum; ac proindè Sacramentum hoc effectum iturũ, si contritio perfecta præcedere deberet; quod etiam remisso peccato, hoc Sacramentum nunquam carere alio suo effectu, eoq; maximo; cum scilicet novum gradũ gratiæ producat, quo anima perficitur & ditescit; hæc autem Theologi satis facilè explicant.

In his omnibus, nihil video, quod censura dignũ sit, neq; propterea in lege gratiæ amor Dei minùs curæ est, quam in lege scripta; nam licèt in hac, ad justificationem

tionem perfecta contritio necessaria esset, in illa verò perfecta attritio cum Sacramento, non tamen propter ipsam attritio cum Sacramento, non tamen propter ipsam gratiæ divinum amorem proscribit, ut solum eam admittat: nempe in justificatione divina charitas infunditur, divini scilicet amoris principiũ, cum gratiæ actualis auxiliis conjunctum, quibus ad amandũ Deum excitatur & adjuvatur; cum igitur justificatio ad Dei amorem plurimùm conferat, cum illa in lege gratiæ longè facilior sit, quàm in lege scripta; inde, ni fallor, rectè deducitur, in lege gratiæ, longè majora esse subsidia ad divini amoris exercitium, quàm in lege scripta; quare haud immerito lex amoris dicta est, cum tamen lex scripta, lex timoris diceretur; in hoc haud dubiè, inferior, quod nullum Sacramentum haberet, vi cujus, homo adultus justificaretur, & divinas illas virtutes acciperet, quas nostrorum Sacramentorum usu, in lege gratiæ, Deus nobis infundit; non valet igitur Adversariorum consequentia, qui ex eo, quod per attritionem cum Sacramento in lege gratiæ justificemur, deducunt, divino amori in lege gratiæ minùs consultum esse, quàm in lege scripta, contrarium potiùs deducendũ esse; cum enim in lege gratiæ homines faciliùs justificentur, utpote, & cum in justificatione, divina charitas infundatur, inde sequitur, divini amoris usum faciliorem esse; sed frustrà in his hæreo, quæ nullam habent difficultatem.

CAPUT LII.

De amore Dei.

DOctores Societatis eximunt homines ab obligatione amandi Deum, docentq́; hominem adultum salvari posse, qui per totam vitam, nullum actum amoris erga Deum elicuerit.

RESPONDETVR.

Omnes ferè Theologi agnoscunt, admittuntque obligationẽ amandi Deum, hominibus impositam, non tamen conveniunt de tempore, quo præceptum amandi Deum obligat: dicunt omnes, hominẽ teneri amare Deum, sed nemo certò statuit tempus, quo amare tenetur, varii varia dicunt, idq́; probabiliter, illorũ tamen opinio mihi præ cæteris placet, qui docent, hominem teneri, cum gravis aliqua tentatio animum illius pulsat; tunc enim bonum sensibile sensibus nostros maximè afficit; quo fit, ut ratio valde turbetur & cæcutiat, voluntas titubet, & viribus ad resistendum necessariis careat, nisi Deus objectum aliquod sibi offerat, vel maximè formidabile, ut cruciari, vel maximè amabile, divinam scilicet hominem, quo subortæ passionis motus reprimatur, si autem tentatione urgente, divinæ gratiæ illapsu, Deus ad divinum amorem, voluntatem meam excitet, probabile est, me teneri ad actum amoris eliciendum, ac ab objecto tentationis animum avertam: non desino, quin ii, qui graves tentationes idemtidem sustinent, crebros divini amoris, quem appretiativum vocant, actus exerceant, etiam incogitantes, propter consuetudinem, quam maximè sentiunt, in bonum sensibile propensionem.

CAPUT LIII.

De opinionum laxitate.

Fictæ laxiores & liberiores opiniones excogitantur, non sine morum corruptela; nihil enim ferè est, quod secundùm Casuistas, modò non liceat, unum dumtaxat præceptũ intactum ab iis relictũ & reliqua suis explicationibus penitùs tollunt.

REFELLITVR.

Ficta, quæ dicta sunt hucusque, hæc nota Casuistis ficta facilè diluitur: nam ex iis omnibus opinionibus, quas adversarii suprà Casuistis exprobrarunt, tres aut quatuor dumtaxat adnotavi, quæ licèt speculativè probabiles sint, ad praxim tamen tutò reduci non possunt; totidẽ in praxi tutæ sunt, licèt fortè minùs probabiles speculativè; reliquæ omnes communes sunt & probabiliores. His præmissis, responsionem ad hanc objectionem ad certa capita reduco, & majoris distinctionis gratia, numeros adnoto.

I. Negari non potest, à nonnullis auctoribus, aliquot opiniones excogitatas & publicatas fuisse, reliquis ferè omnibus refragantibus, quæ nullo modo probabiles censendæ sunt, easq́; vel laxiores, & mitiores, vel duriores & strictiores, v. g. cuilibet errorem suum esse probabilem; nullam legem humanam obligare sub pœna peccati mortalis, præceptum Ecclesiasticum jejunii non obligare sub mortali culpa; Principes non habere jus vitæ & mortis; beneficia ratione temporalis vendi posse; nullam simoniam de jure Ecclesiastico subjici pœnis contra simoniacos latis; sine usuræ vitio posse aliquid accipi suprà sortem, ratione dilationis & privationis pecuniæ; probabilẽ materiam Baptismi esse lac, vinum, arenam, sanguinem, &c. non teneri Beneficiarios sub mortali expendere superfluum in opera pia; non teneri etiam, omissis Horis Canonicis, restituere ante sententiam Judicis; Portionem congruam Cardinalis esse 50. vel 60. millium nummũm, de qua non teneatur quidquam dare pauperibus; attritionem cum Sacramento non sufficere, sine aliquo actu veræ & perfectæ charitatis; quamlibet actionem, quæ à charitate profecta non sit, peccatum esse; rebaptizandos esse baptizatos à Calvinistis, vel Lutheranis; nullam opinionem probabilem tutam esse in praxi; dispensationes negari posse sine causa, etiam cum maximo damno supplicantium; non posse bona maximi momenti armis defendi sine peccato; absolutionem Sacramentalem dari non posse, nisi pœnitentia, eaque satis longa peracta; nullam legem humanam desuetudine abrogari; omitto multas alias, tum duriores, quæ nullo jure probabilitatis gaudent.

II. Negari etiam non potest, esse aliquas opiniones, quæ licèt utcumq́; speculativè probabiles sint in praxi tamen tutæ dici non possunt, id est, ut more vulgari loquar, quæ sunt probabiles speculativè, non practicè: sunt autem illæ, quas maxima pars classicorum & gravium auctorum probabiles esse negat, aliquot ejusmodi suprà attulimus, nulla autem ex his morum corruptela timenda est, quæ cum ex pravo usu oriatur & nunquã illæ ad usum licitè reduci possint, nullam unquãbonis moribus corruptionis labem conciliant.

III. Negari demum non potest, utrimq́; vitium fugiendum esse, nimiæ scilicet laxitatis, & nimii rigoris, utraq́; extremitas vitiosa est; utra verò magis noxia; erunt, qui nimiam laxitatẽ; erunt, qui nimiam duritiẽ esse dicant; quod ad me attinet, ut damno utramque, ita nimiam duritiem magis noxiam esse putarem; sint enim, v. g. duæ opiniones oppositæ, quarum altera mitior, altera durior sit; mitiorẽ sequi & amplecti possum sine peccato, modò verè probabilis sit; vel is, qui eam sequitur, inculpabiliter probabilem esse credat; igitur sive reducatur ad usum, sive non reducatur, nullum peccati periculum est: at de duriore secus accidit; nempe ut possum illam sequi sine peccato, ita si ad eam teneri me putem, etiam per errorem, illam omittere non possum sine peccato; igitur magis noxia est: nam mitior culpa semper vacat, sive illa utaris, sive non utaris, durior verò culpa vacat si utaris, culpa non vacat, si non utaris.

IV. Imò nimius rigor homines aliquando in desperationem

rationem agit; ita enim illos deterret, ut ipsi salutem propriam negligant; cœlum multis claudit, & viam Domini faciliorē obstruit. Hinc prudentissimè Doctor Angelicus, *quodlib. 9. art. 16. Omnis quæstio*, inquit, *in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur*: & Gerson. l. 4 *par. 3. de vita spirituali lit. O. Doctores*, inquit, *Theologi non debent esse faciles, ad asserendum aliquas actiones vel omissiones esse peccata mortalia: nam per hujusmodi assertiones rigidas & duras, nunquam eruuntur homines à luto peccatorum; sed in aliud profundius, quia desperatius demerguntur; quid igitur expedit amarius, gravius, reddere, illud Christi jugū, quod suave est, & onus leve; præstabitur præterea sedulius servitiū Deo, cujus mandata gravia non sunt*: sed arcta est via, inquies, quæ ducit ad vitā, & regnū cælorum vim patitur; sed an hæc fortè tibi levia videntur? à voluptatibus illicitis abstinere; tot præceptis divinis & humanis teneri; tot legibus civilibus & canonicis ligari; captivare intellectum in obsequium fidei; pro consensu momentaneo animam æternis cruciatibus addicere? nihil dico de confessionis rigore, ad quam peccator tenetur, ut peccatorum veniam obtineat?

V. Majores quidē pœnæ à peccatoribus publicis olim exigebātur; non certè ab omnibus, sed à reis quorundam criminū enormium; quamquam diversarum Ecclesiarū in hoc varia praxis fuit, de qua non est disputandi locus; quidquid sit, facilè concesserim, pœnitentiæ publicæ usum olim viguisse in prædictis casibus, præsertim ab anno octingentesimo ad millesimum; sed nescio, utrùm res fœliciùs successerit; utrùm eo tempore fideles meliores fuerint; utrùm frequentior esset Christianarum virtutum usus; multa enim ex antiquis historiarum monumentis excerpsimus, quibus barbari mores & nefanda flagitia illorū temporū evincuntur; nescio, utrùm iis temporibus purior esset castitatis amor, ferventior charitatis ardor, flagrantius pietatis, orationis & religiosæ perfectionis studium; vel ex uno Rhemensi Concilio, cui Leo IX. Pontifex maximus præfuit habemus, quantū simoniæ studerent Episcopi, turpitudini Abbates, licentiæ Monachi, sæculares omnibus vitiis: sed esto, demus, fœliciora & sanctiora tempora fuisse; quid rum? hoc sanè prædicto pœnitentiarū rigori tribuendum non fuit, quem si Conc. Trid. ad morum reformationē necessariū esse duxisset, dubio procul omni adhibuisset: non deest etiam nostri temporis rigor, licèt enim multi Canones ad rigorē illum pertinentes longâ desuetudine obsoluerint; aliæ tamē leges eæq; ferè innumeræ, à posterioribus Conciliis & Romanis Pontificibus conditæ, prioribus illis successerūt; quot amabò censurarum vincula injecta? quot inhabilitatum impedimenta? quot pœnarū genera? paucos invenias, quibus omnia comperta sint atq; perspecta: consule jus antiquū & novum, & ita esse comperies.

VI. Præterea dicit, relaxari morum doctrinā; quin potiùs, dico, restringi; elige quamlibet materiā v. g. simoniæ, usuræ, &c. quis nescit, novis Pontificū decretis, non modò leges antiquas contra simoniacos & usurarios renovatas fuisse & confirmatas, verùm etiam novas additas, & longè majores pœnas indictas; comparationē quæso institue, & videbis, utrùm vera canā. Quod verò ad auctores pertinet; scio Suarē antiquis Theologis strictiorē esse, ut jam indicavi suprà, & Tho. Sanch. antiquis canonistis; deinde unūm, vel alterum paulò liberiùs dictum ab ignoto fortè & nullius nominis scriptore, non probat morum doctrinā corruptam aut relaxatam fuisse, in qua duo sunt rerū genera: primum ea complectitur, quæ sunt juris divini & naturalis, alterū ea, quæ sunt juris Ecclesiastici; omitto enim illa, quæ sunt divinæ fidei, quod ad primum spectat, eadem modò est rerū natura, quæ fuit antea res ex natura sua turpis semper fuit, nec honesta fieri potest, eadem sunt principia; errorem fortè & ignorantiam oppones, sed non video, doctiores fuisse homines temporibus illis semibarbaris, quibus pœnitentiæ publicæ usus maximè vigebat: præterquam quod, licèt ad doctrinam antiquorum minimè attingamus, illorum tamen libris instruimur; ac proindè vix crediderim, per ignorantiam, hanc corruptelam induci, per malitiam, inquies, abest, ut hanc notam doctissimis & piissimis auctoribus inuram, qui suæ salutis adeò immemores non fuerunt; quod verò attinet ad aliud rerum caput, Ecclesiæ hanc esse illum modum præscribere, quem in legum Ecclesiasticarum observatione tenendum esse judicat.

VII. Observo etiam, casus rarissimos esse, quibus laboriosæ opiniones favent: v. g. nonnulli liberant à jejunio illum, qui labore illicito confectus, moraliter jejunare non potest, quod nunquam ferè, vel rarò contingit; item nonnulli homicidiū permittunt, sed cum justo moderamine inculpatæ tutelæ, pro defensione suæ vitæ rerumq; suarum magni momenti, quas aliter servare nequeat: item aliqui justam compensationē, sed ea lege, ut quis certus sit sibi hoc deberi, & omni spe careat aliter obtinendi, ac demum omne scandalū absit, quis amabò dicat, indebitè morum doctrinā relaxari? rarissimi sunt casus, in quibus, ut juri alterius consulatur, aliquid excusationis Casuistæ approbant: sunt autē innumeri & frequentissimi, in quibus nullam excusationē admittunt, nec à culpa liberant: an fortè, vel hoc nomine illos accusabis corruptæ morū doctrinæ; & exclamabis, ita omnia modò relaxata esse, ut amplius nesciatur, quid licitū, quid illicitū sit: immerito sanè, de casibus ferè innumeris nulla est controversia: nonnulli problematicè disputantur, quasi verò in omni disciplinæ genere, exceptis geometricis, hoc non fiat; sed quid tum? an fortè indè nō constat, quid licitū sit, res ni fallor, perspicua: nam si opinio verè probabilis est, licèt de illius veritate probabiliter utrimque disputetur, tamen constat, illius usum licitum esse: & certus sum, me operari prudenter, quando ex opinione verè probabili operor.

VIII. Hoc etiam omittendum esse non puto, scilicet ita varios esse hominum sensus, ut unus & idem structus sit in uno argumento, & laxior in alio; ab exemplis abhinneo, quia sunt obvia, & vix unum invenias, qui laxitatem conjuncto rigore non temperet, inde charitati consulendum, sed justitiæ faciendum satis, nec is charitatem læsisse censendus est, qui suum jus moderatè & legitimè tuetur; antiqui Canones servandi, sed ii dumtaxat, qui nec revocati sunt, nec desuetudine abrogati, nec præsenti Ecclesiæ usui repugnant: præterea, unde constat, Canones Concilii cujuspiam Provincialis, Epaunensis, Matisconensis, Herdensis, &c. ab universali Ecclesia receptos & usum, & approbatos fuisse; itaq; ut uno verbo concludam, moralis Theologus summâ prudentiâ, doctrina & pietate instructus esse debet. Prudentia rerum peritiam, experientiam, multamque circumspectionem desiderat: nec minùs solicitum esse oportet, ne graviora onera imponat, quàm ne à Christo, à Deo, ab Ecclesia imposita minuat, imò longè majus peccatum est injustum onus imponere, quàm de justo aliquid bona fide minuere; quemadmodum gravius delinquit Judex, si plectit innocentem, quàm si mitiùs reum puniat: doctrina multa completitur, scilicet sacros Canones, sed obsoleti ab iis quidem in usu, probè discernantur: SS. Patrum scripta, Theologos, Scholasticos & Morales, moralem etiam Philosophiam, sacram eruditionem, &c. pietatem denique, probatos mores, charitatem, zelum animarum, quem tamen discretū esse oportet, prudentē, peritum, patientē, ne si fortè indiscretus sit, animas addicat potiùs Diabolo, quàm lucretur Deo: Casuista igitur, Pauli exemplo, sit omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaciat.

CHRI

IHS

CHRISTIANI KORTHOLTI GERMANI ROSTOCHIENSIS, VALERIANUS CONFESSOR, IN EXAMEN VOCATVS ATQVE REIECTVS,

Et ejusdem Demonstratio Paralogismi convicta.

ITEM

Scandali Ecclesiæ Romano-Catholicæ afficti à Larvato quodam Theophilo, vanitas demonstrata.

ID EST,

Utriusque Opusculi brevis confutatio, in duas partes distincta,

AVCTORE

CHRISTIANO FABRO, GALLO-SEBVSIANO.

LECTORI.

IÆ Opuscula paulò tardiùs in meas manus venerunt, MI LECTOR; quæ cum à nullo confutata fuisse, intellexissem, illorũ refutationẽ ultrò suscepi; rem tibi gratissimam fore, mihi persuadeo; quis enim Reos insontes ab impositis falsis criminibus, afflictisque horrendis calumniis vindicari, ægrè ferret? Brevis confutatio breviorem accusationem excepit; ut æqualis utraque & par esset, & alteri altera prò debè consentiret. Sed cur hæc, inquies, Iesuitæ ante non refutarunt? cum illorum maximè interesset: neglexere, haud dubiè; cum enim crimina ab istis Hominibus, iis afflicta, ab omni verisimilitudine aliena essent; calumniam per se ipsam diffl ari prudentissimè crediderunt: quare risu potius, quàm indignatione res hujusmodi excipendas esse putarunt. Ego verò non item; sed existimavi, nihil prorsus, quantumvis inverisimile, hoc tempore, negligendum: Licèt enim apud eos, qui Iesuitas, vel leviter norunt, ridiculum & absurdum dictu sit, Hæreticos illos & Atheos dici; quia tamen non desunt alii, qui eamdem fabulam agant, operæ pretium esse duxi, eadem opuscula refutare, ne fortè silentium, pro tacita confessione à quibusdam simplicioribus haberetur. Accedit, quod hujusmodi calumniatores & libellorum famosorum auctores, nisi comprimantur, ac retundatur illorum insolentia, longè audaciores ad novà scribenda, & insolentiores evadunt; in mansuetis vestitur non est ponendum, si coerceantur & obtundatur os loquentium iniqua.

Quod verò ad auctores attinet; utrumque Heterodoxum esse arbitror; primus nimirum Christianus Kortholtus, abunde se prodit; alter latere studet; sed loquela illum satis manifestat; nomen tamen Theophili fictum esse constat; nec facile illum apud Germanos reperias. Vt ut sit, refellendum esse duxi, quia reprehensibilis erat; tuum erit, judicare, MI LECTOR: de Valeriano nihil prorsus dixissem, nisi uterque mihi præsens occasionem illum appellandi: loca enim ex illius Apologia excerpta, & Iesuitis opposita, mihi certè rerudita fuerunt; ne si ea darem refelli, à me non posse, ultrò fateri viderer; de illo tamen nihil, nisi tritum rotorium: sed jam diutiùs hæreo in limine; ad rem venio.

PARS PRIMA.

CHRISTIANUS FABER SEBUSIANUS, AD CHRISTIANUM KORTHOLTUM, ROSTOCHIENS.

UT demonstrationum, solidarum præsertim, ac germanarum amantissimus sum: ita fastosus ille titulus, quem Libello tuo præfixisti, Christiane Kortholte, summâ profectò admiratione animum meum perculit; hunc enim titulum libellus tuus præfert. *Christiani Kortholti S. Theolog. D. Valerianus Confessor, hoc est, solida demonstratio, quod Ecclesia Romana hodierna non sit vera Christi Ecclesia, deducta ex Valeriani Magni Capucini Theologi apud Pontificios celebratissimi & Missionarii Apostolici Apologia, contra impostoras Iesuitarum*: quàm magnificè, quàm thrasonicè; libellus duorum foliorum, ut Typographi vocant, magnificum illum titulum præfert; sed relego vestigia.

Breves in præfixum titulum notæ.

Christiani Kortholti S Theolog. D. Christianus, non Catholicus, solo cognomine Theologus; Doctor etiam, si superis placet, & rude donatus, quisquis à vera fide aberrat, Theologus non est; quisquis hæresim profitetur, erratque in doctrina, Doctor esse aut dici nequit, nisi Rostochiensis.

Valerianus Confessor. Plus æquo demissè loqueris; Confessorem facis Valerianum, quem tamen alii Martyrem proclamarunt; utpote qui per fas & nefas, ut ajunt, ac per summam injustitiam, in carcerem detrusus est, & dum Romam deportaretur, Salisburgi mortalem hanc vitam cum beata illa commutavit: hæc autem, ut ipse, aliiq; ejus defensores graviter conqueruntur, ac præ cæteris quidam, sub ficto Theophili nomine, à Romano Pontifice Alexandro VII. injustè passus, quem in hoc, lethalem noxam admisisse, per summam scilicet modestiam demonstrant, aut saltem dictitant à se demonstrari; quod scilicet insontem Valerianum in vincula conjici, ducique Romam jusserit; nec non Jesuitas moralis doctrinæ corruptores, Decalogi destructores, Hæreticos & Atheos manifestos, contra *juridicas*, ut vocant Valeriani accusationes, seu delationes sæpè ac sæpiùs repetitas, fovendos & defendendos susceperit; ita modestè loquuntur de Christi Vicario & visibili Ecclesiæ Capite. Tu sanè longè demissiùs; Valerianum quippe non Martyrem facis, utilli; in Confessorum album retulisse contentus; Palmam illi fortè invidisti, ut eam tibi arrogares, in hoc tuo de Romana Ecclesia triumpho, sic enim pergis.

Hoc est, solida demonstratio, quod Ecclesia Romana hodierna non sit vera Christi Ecclesia. Si hoc revera demonstras, de Papatu, atque adeò de nobis Catholicis actum est; quis enim demonstrationi, solidæ præsertim non cedat? vereor tamen, ut pro votis res tibi succedat, & hæc tua demonstratio vix in elenchis, nedum in Topicis locum habitura sit, ut paulò post tibi demonstrabo; illam enim solidam non esse ostendam, sed prorsus inanem, omnique demonstrationis energia vacuam. Hodiernam porrò Romanam Ecclesiam appellas, non verò antiquam; sed hanc aliam esse ab illa, priùs ostendere debueras; hoc tamen probandum non suscepisti; laudo prudentiam; quia nunquam probare potuisses: ut enim idem modò Rhenus est, qui tempore Julii Cæsaris fuit, licèt unda undæ succedat; ita eadem est Romana Ecclesia hoc sæculo, quæ antiquo tempore fuit, eâdem scilicet fide instructa, eadem religione informata, quæ licèt nonnullam in ceris ritibus mutaverit, quod revera pro ea, qua pollet potestate, facere potuit, hæc quippè juris humani, ut ajunt, non verò divini res est; in fide tamen & sacris religionis dogmatis, nihil unquam mutavit: nonnulla quidem, quæ paulò obscuriora esse videbantur, in conciliis, vel definitionibus Apostolicis apertiùs & explicatiùs declaravit, nullum tamen, quod vestri hucusque nobis exprobrare non cessant, novum articulum fidei condidit; eadem credimus, quæ Patres nostri crediderunt & annunciverunt nobis, ea scilicèt omnia, quæ Deus revelavit & revelata nobis Ecclesia proposuit; ac proindè ut Deus revelando, ita Ecclesia revelata omnibus Christi fidelibus proponendo, nec falli potest, nec fallere; fac enim, alterum ex his deesse; fides incerta vacillat, cum tamen certam & firmam esse, oporteat: itaque ut Regnum aliquod idem manet, quod antiquam interrupta Regum sibi succedentium serie gaudet, servata præsertim eadem regiminis forma; ita idem manet Christi Regnum, nimirum Ecclesia, quod nunquam interruptam suorum Principum Romanorum, scilicet Pontificum seriem agnoscit, quæ cum ita sint, vel indè ruit tua demonstratio, cum ut à subjecto supposititio: sed pergamus ad alias tituli partes.

Deducta ex Valer. Magni, Theologi celebratissimi, & Missionarii Apostolici apologia, contra impostoras Iesuitarum. Hujus consequentiæ, ut ajunt, vim dicitiam infrà, & evincam, à te, ut par esset, rectè non deduci, in quo ineptum Logicum agis, licèt enim planè constaret, de iis impostoris, & revera falsa crimina per calumniam à Jesuitis Valeriano affixa fuissent, non tamen ex hoc dato, & non concesso, tua illa solida demonstratio sequeretur: Undenàm, an Theologi partes & nomen impleas, qui ne logicam quidem tenes. Deindè, cùm nullæ unquam impostoræ Valeriano à Jesuitis affictæ fuerint, nulla crimina, seu vera, seu falsa imposita, tuum illud antecedens, licèt alioquin ex eo prædictum consequens, id est, tuam illam demonstrationem rectè deduci daremus, pari vitio laborat; falsum est, chi-

mæ-

mentum est, & à subjecto supposititio; ac proinde ridiculè eo loquitur. Sed inquies, Apologia Valeriani prostat; ita est, sed chimærica; defendit se ipsum ille; at nullus eum offendit; accusationes refellit sine multa recriminatione, sed nullus accusat, refellit sine actore; extat apologia sine actione, quæ redit ad injuria, bellum sine hoste. Denique Valerianum Theologum esse, non inficior; at celebratissimum vel celeberrimum esse, nunquam audieram: quis enim celebrem illum reddere potuit? & verò hoc mihi valde mirum accidit; pauci enim sunt libri recentioribus editi, in quibus res Theologiæ discutiuntur, quos diligentissimè non lustraverim, nunquam tamen in iis Valeriani nomen etiam inter homines mobolimihi legere contigit, nulla unquam illius mentio facta est, me saltem audiente, in Doctorum circulis, in Academiarum lycæis, in quapiam scena literaria; accedit, quod nonnulla ejusdem Valeriani opuscula, quæ in meas manus venerunt, vix cum essem eximium & celebrem, quàm dicis, vix mihi persuadent; de luce mentis libellum edidit, ipsis tenebris obscuriorem, de vacuo alterum, vacuum omni ratione, præterquam quod aliorum inventa sibi vendicet, nimirum experimentum mercurii in erecta fistula erantis, quod tamen primus omnium doctissimus Torricellius invenit; præterea in eodem libello, supremum fistulæ segmentum vacuum, vel saltem conatur, locum sine locato esse, asserit, & frustrà persuadere conatur; constat enim vacuum non esse: unitum sanè sibi arrogat, eoque singulari illius modestia prorupit, Mersenno teste in 1. *præfatione* 3. *Novarum observationum*, ut nec apud Aristotelem, nec apud illius interpretes, seu Græcos, seu Latinos, veltantulum veræ Philosophiæ invenire possit dicar: castigat etiam ibidem Mersennus illius negligentiam, alioquin in ejus laudes effusus, quamquam opinor, ironicè, quod Mercurii gravitatem gravitatis aquæ decuplam esse statuat; in quo certè hallucinatur, cum illa sit multò major, illum igitur omnino gratia, magnum Theologum ultrò dixi, nemo tamen celebratissimum esse admittat; Missionarium item Apostolicum libenter agnosco, quamquam Apostolica detractantem imperia, & libros in lucem editis, contendentem, se ad obsequendum Apostolicis decretis minimè teneri; bonum certè Apostolum, seu Missionarium Apostolicum: & laude titulo.

IN PRÆLIMINAREM *Epistolam Commentariolum.*

Hic sanè eruditum agis, illudque tuum consilium exponis, quo Christi & Pauli exemplo, multi ex sanctis Patribus usi, ut Gentilium errores confutarent, eorundem testimonia contra ipsos adduxerunt; illudque, quod subdis, Catholicorum castra hoc eorum genere oppugnata, immò expugnata fuisse à Joanne Gerhardo, & Joanne Georgio Dorscheo, veritate alienum est; hoc quidem adstruis, quod votis fuit, eos tamen fefellit eventus, & Theologorum omnium ludibrio exposuerunt: quid enim ridiculum excogitari possit, quàm id, quod ipsis Doctoris scilicèt Angelici & magni Bellarmini testimoniis, Catholicam fidem expugnari; sed hoc cui hoc mirum accidit, cum vobis id maximè sit, ut non modò recentiorum Catholicorum scriptis in alienum sensum detortis, doctrinam Catholicam, perperam licèt, impugnetis, verùm etiam Sanctorum Patrum loca & Sacri Textus oracula, ad hunc ipsum finem in sinistrum sensum deflexa adhibeatis: Calvinus Augustinum, alii alios, Lutherani & Anabaptistæ, nihil nisi Sacrum Textum crepant: ut ut sit, in nostrorum auctorum messem, falcem vestram temerè mittitis; licèt enim aliis in rebus inter se nostri plerumque dissentiant, in iis tamen, quæ sunt divinæ fidei, Doctores Catholici ita inter se conveniunt, ut ne unus quidem ab alio dissentiat; ab hoc more alieni estis; vix duos ex vobis reperiri liceat, qui de fide conveniant; nec mirum, cùm enim singuli privato spiritu ducantur, in quo vivam suæ fidei regulam statuunt, & cum privati spiritus diversi sint, diversas etiam regulas esse necesse est. In scriptura, inquies, certam fidei regulam habemus; regulam certè, sed non vivam; nempe scriptura illa continet, quæ revelata sunt, ut fatentur ultrò omnes Catholici; sed si de hac ipsa scriptura, vel de locorum difficilium sensu, controversia oriatur; (non negas opinor oriri quotidiè) quis amabò me doceat verum & legitimum sensum à spurio & falso distinguere? sed hæc mitto, ut tuis vestigiis insistam; subjicis enim, Apologiam Valeriani Magni contra Jesuitarum impostoras, in tuas manus venisse, unde luculenta testimonia eruere possis, idque nullo negotio, quibus irrefragabiliter demonstres, Ecclesiam Romanam hodiernam, veram Christi Ecclesiam non esse. Ostendam infrà, mi Christiane, non modò illud à te non demonstrari, sed ne quidem ullâ probabili ratiuncula probari; quod ut faciliùs expediam, eamdem refutationis methodum inibo, quam in actione tua inisti, adscriptis scilicet paribus numeris, ita ut singuli singulis respondeant.

§. I.

Primo loco & ante omnia, dicis exemplaria Valerianæ apologiæ ita subducta, nec non suppressa fuisse, miris malisque Jesuitarum artibus, ut jam illius copia vix paucis fieri possit. Sed hoc eadem facilitate à me negatur, qua sine teste omnique probatione à te adstruitur: Liber editus est reticito loci & typographi nomine, citra ullam doctorum approbationem, & superiorum licentiam; haud secus, quàm alii libelli famosi in lucem prodire solent: quamobrem, cum vænalis non prostet, saltem in civitatibus Catholicorum, quis enim Bibliopola in eas pœnas incurrere non metuat, quæ per leges contra libellos famosos, eorumque auctores latas, statuuntur; cum etiam furtim & clam, pro more, distrahatur, nihil mirum, si non veniat in multorum manus: quod autem Jesuitæ illum supprimi curarint, falsissimum est; sine teste nihil tale admitto; tu partes actoris agis; hoc tibi probandum, quod adstruis; nullam enim suspectæ, aut nullius fidei homo, fidem meretur, nisi ea probet, quæ dicit. Unde est, quod tuæ demonstrationi malè ac pessimè augurer, quam ita malè statim initio adornas, ut à fœdissimo mendacio exordium ducas.

§. II.

Hoc exordio præmisso, ad narrationem te accingis, & breviter exponis congressum Rheinfelsæ habitum inter Valerianum & Haberkornium, in quo præfatus Valerianus hæc protulisse fertur. *Candidè fatemur, non extare argumentum Catholicum ex sacro textu, quod inferat hanc thesim. Post ætatem Divi Petri, Pontifices Romani successores ejus habent authoritatem infallibilem in proponenda ac declaranda universæ Ecclesiæ, ex Cathedra, fidei Christianæ doctrina. Hanc inquam thesim non quimus inferre ex solo sacro textu, sed neque ab autoritate Iudicis Ecclesiastici possumus præcisè, sine argumento theologico confirmare illam thesim; nos enim inter decreta Ecclesiastica fidem concernentia, nullum scimus, quod Pontifici Romano expresè tribuat infallibilitatem authoritatis.* Hæc narratio exordio planè consentit; ut enim hoc ex falsis compositum est, ita illa ex repugnantibus contexta, quod miror, à Rostochiensi Theologo non animadverti; nempè hanc thesim esse de primatu Romani Pontificis, expresè habetur *in dicta Apologia pag. 10. & 26.* & passim alibi; Immò paulò ante præmiseras, *postulari tantùm, ut unus primatus Romani Pontificis confirmetur, siquidem eo concesso, securi communicamus in fide cum illo: Candidè fatemur,* & cætera, ut suprà, hoc posito, en tibi repugnantia; *hanc thesim*, inquis, pro Valeriano, *ab authoritate Iudicis Ecclesiastici confirmare non possumus; probamus tamen*, ut ais paulò post, *ab authoritate Iudicis Ecclesiastici has septem propositiones*, quarum secunda est, *Pontifex Romanus primatum tenet in universum orbem.* Probamus, non probamus, probare possumus, probare non possumus, nunquid hæc repugnantia non sunt?

Hîc etiam duo adverto & adnoto; primum est, te ac tuum Valerianum crassissimo errore teneri; Thesis enim, quæ hîc apponitur ad infallibilitatem, ut vocant, Romani Pontificis, in declaranda toti Ecclesiæ doctrina fidei, spectat; hanc autem confundis cum ejusdem primatu, licèt duo sint omninò diversa; nemo enim Catholicorum est, qui primatum ut dogma Catholicum non teneat & credat; non tamen ita fortè omnes prædictam infallibilitatem, de quo aliàs tecum, & cum aliis paulò fusiùs agam; alterum verò est, quod jam Celsissimus Princeps Ernestus Landgravius in sua ad Valerianum Epistola observavit, Valerianum initio dixisse, prædictam thesim ex Sacro Textu probari non posse, infrà verò ita correxit, *ex solo Sacro Textu*: ut autem aliquis Auctor castigetur, necesse profectò non est, ut cuncta ab eo prolata, aut scripta, censura & nota digna sint; vel unica propositio ad hunc finem sufficit; quælibet enim propositio seorsim consideratur & discutitur, alioquin nullus unquam liber configi posset, cum fieri non possit, quin aliqua bona contineat: immò Hæreticis vestris hoc satis solemne est; ut vel casu, vel quod faciliùs crediderim, data opera, repugnantia involvant; quam multa in Luthero & Calvino, quibus alios Novatores adjungo, inter se repugnantia invenies. Prima igitur illa Valeriani propositio, *Primatus Romani Pontificis ex Sacro Textu probari non potest*, censura & nota est digna; licèt alia, quàm postea subjunxit, *Primatus Romani Pontificis ex solo Sacro Textu probari nequit*, utcumque defendi possit; priorem tamen seorsim consideratam censuræ & notæ non eximit; nihil enim obstat, eumdem auctorem non diversa modò, verùm etiam repugnantia docere; exemplum tibi suggero: fac aliquem hanc propositionem tueri, *homo non constat ex anima rationali*; nemo certè inficiabitur, quin Hæretica censenda sit? licèt alio loco hanc habeat, *Homo constat ex corpore & anima rationali*, vel hanc, *Homo non constat ex sola anima rationali*, compara illas propositiones cum propositionibus Valeriani, & videbis, parem esse utrimque rationem; sed pergamus.

§. III.

Hanc Valeriani assertionem ita bilem Jesuitis movisse dicis, ut Joannes Rosendallus, qui Principi Ernesto à confessionibus erat, libellum ediderit, in quo, erroneam doctrinam Valeriano affingat, quasi is dixisset, Primatum Pontificis ex Sacris literis probari non posse; eumque cum sociis Capucinis malignè traduxit, quasi hi doctrinam hæreticam prædicto Principi ejusq; nobilissimæ conjugi insinuassent. Contra hunc libellum, nonnemo ex Catholicis Apologiam pro Valeriano edidit, quæ tamen Coloniæ flammis tradita est; imò ipse Valerianus contra Jesuitas calamum strinxit, edita epistola ad Bartholomæum Ruthenum, quæ ut in Cæsaris & Pontificis aliorumque Principum manus veniret, idem Valerianus, ut ipse testatur, impensè procuravit & obtinuit. Hæc summa eorum est, quæ nunc, fuse prosequeris: res autem ita gesta est, prout Celsissimus Landgravius in sua ad Valerianum Epistola typis mandata ingenuè testatur.

Sebastianus Kurtius Calvinianæ sectæ minister libellum vulgarat contra Doctorem Catholicum, in quo fœdissimè Catholicis hoc nomine pueriliter insultabat, quod juxta Valeriani sententiam, ex actis congressus Rheifelsini perspicuam, Primatum Romani Pontificis, ex Sacro Textu probare non possent: & cum Celsissimus Landgravius Hermannus Principis Ernesti frater, ejusdemque cum Kurtio sectæ, sibi omninò persuasisset, præfatum libellum refutari non posse; Ernestus, qui per id tempus fortè aderat, & ægrè, immò ægerrimè ferebat, fratri natu majori impositum fuisse, Rosendallum quem in Hassiam secum duxerat, enixè rogavit, ut breviter & solidè, more suo, ei rat enim vir apprimè doctus, Kurtianum opusculum refelleret; Rosendallus Principi morem gessit, scripto libello, in quo hæc habet, Valerianus tamen nunquam appellato. *Quando aliquis Catholicus auctor in modo ratiocinandi, ex ignorantia, vel malafiderantia, aut ex alio defectu, aliquid scribit, quod aliter scribendum fuerat, id Hæretici sic præcisè accipiunt, quasi id non proveniret ab aliquo particulari homine, sed universaliter à Catholicis; hac ratione non debuisset excitari tantus rumor, ex eo quod aliquis existimavit, non posse ex divinis probari primatum Romani Pontificis, &c.*

Hæc tota est calumnia à Rosendallo, & ab universa Societate Valeriano, ut ipse toties ingemit, per summum scelus afficta; hæc illa studiosissimè & universalis traductio; & sanctè juro, nihil aliud à Jesuitis contra illum de hoc argumento Theologico editum fuisse; licèt ab eo tempore, varii libelli famosi ob hanc dumtaxat offensionis suspicionem & umbram, tum à Valeriano, tum ab aliis ejus gratia contra Jesuitas vulgati fuerint; undè fortè nonnulli

...mentur constantem Jesuitarum patientiam, & ob-...tionem, quamvis alioquin sanctum & christianum ...minum, quod penè omnem superat fidem: Præ-...dium Bartholomæus Ruthenus, alias ex oppido ...in Westphalia, & acerrimam satyram edi-...Rosendallum, ejusque socium, sed Il-...simi Nuntii auctoritate, tum in librum ideo ...dictum, tum in auctores Colonia ejectos, ...vertitum est: libellum hunc horrida illa, to-...& lutulenta condita Valeriani epistola ad eumdem ...ventoram scripta illico excepit, in qua de Je-...vehementer expostulat, quod ab iis pro infa-...tereo & nequissimo nebulone traduceretur. ...o Jesuitæ contra illum? nihil prorsus, ni-...verba Rosendalli, de quibus suprà: sed ...modestius, quid mitius Kurtio reponere, ...Catholicis insultanti, iisque sententiam Valeriani ...obranti, quam heterodoxus ille, quasi telum in ...diunquebat? non accusat Valerianum optimus ...Pater, non reprehendit, non carpit, quod jure suo, ...servato tamen moderamine, facere poterat, cùm ...profectò reprehensibilis esset, utpote qui ea dedis-...set hæreticis, quæ revera danda, seu concedenda ...non fuissent, ut dicam infra; hominem tamen ne ...appellat quidem, sed indefinitè loquitur, *quando ali-...quis author*, inquit, *aliquid scribit*; quid porrò? *ex ignorantia, vel inconsiderantia, vel alio defectu, quod forsitan non fuerat, id hæretici accipiunt ac a Catholicis universaliter scriptum*: Hæc pro-...positio est verissima, nec ab ullo negatur, immò ex ...bello manifestè probatur, in quo illa omnia, ...quæ aliquo saltem defectu, puta ex immoderato ...undique adversus Jesuitas impetu, Valerianus ...effunt, omnibus Catholicis, atque adeò Ecclesiæ ...Romanæ imputas. *Quare*, inquit Rosendallus, *non ...debuisset exitari tantus rumor, ex eo, quòd aliquis ...asseruerit, Primatum Romani Pontificis ex divinis ...literis non probari.* Hæc quoque propositio veriss-...ma est, nec ad hominem prudentiùs & efficaciùs, ...tum argumentari, tum respondere potuit; quasi ...esset: esto, aliquis ex Theologis Catholicis hoc ...asseruerit, cùm enim, ut Princeps Ernestus candi-...dè fatetur, acta congressus Rheinfelsini ad manus ...venissent, Kurtii argumentum aliter dilui non po-...terat; esto, inquit, de hoc enim disputare non va-...co, dato & non concesso, ut vulgò in scholis lo-...quamur; supponamus enim, hoc negatum fuisse à ...Rosendallo, merum factum erat, ab uno assertum, ...ab altero negatum, nullo sanè refutationis fructu, ...cui tabulis reseratis, quæ deerant, Kurtius convin-...cum posset: dato igitur, & non concesso, an pro-...pterea tantum rumorem excitare, tanto fastu & tu-...more superbiæ Kurtius Catholicis insultare debuit? ...quid fatius non fuisset pensare, quid sancti Pa-...tres, aliique Doctores Catholici hac de re censue-...rint, quid Cyprianus, quid Hieronymus, quid Au-...gustinus, quid Leo, aliique Patres de hoc argumento ...senserint?

Hanc superbiam Rosendallus hæreticis tui simi-...lem cum Augustino exprobrat, *superbia*, inquit, *...contra epist. Manich. cap. 6. omnium Hæretico-...rum mater est: nos volumus non insolescere superba ...cogitatione, sed cum humilitate suspirare, & Dei ...misericordiam implorare, ut congreget, quod disper-...sum est*, hæc autem quasi sibi dicta Valerianus ac-...cipiat, de quo Rosendallus ne cogitarat quidem, ut ...æquum est (quamquam Valerianus hoc etiam ...postremo loco ad vitæ ac morum emendationem uti poterat) neq; in hoc Celsissimo Landgravio fidem detrectare licet, qui semper eximium candorem & in-genuum veritatis amorem præsetulit; nemo certè hanc laudem ipsi invideat, quam etiam Heterodoxi suspiciunt, atque verentur. Præterea, demus, Valeria-num optimè juxta atque prudenter sensisse, ejusque assertionem ab omni prorsus censuræ nota immunem; optimè tamè Kurtii petulantiâ prædictâ formulâ usus Rosendallus, repressisset; quis enim non videat, unius hominis sensum toti Ecclesiæ non esse imputandum?

Sed, inquies, Rosendallus Valeriani dictum falsa-vit, de quo Valerianus meritò ac jure conqueritur; nempe dictionem illam *solo* à Valeriano insertam, per malitiam reticuit; dixerat enim Valerianus, *ex solo sacro textu*, Rosendallus verò, *ex sacro textu* tan-tùm, omissâ dictione illa *solo*: sed constat ex iis, quæ dicta sunt, & luculento Principis Ernesti testimonio, per malitiam, dictionem illam non fuisse omissam; cùm acta Rheinfelsina in promptu non essent, dein-de, ne responsionis vis & robur inde frangeretur, hoc ultrò dedit adversario, eo modo, quo inter disputan-dum in scholis fieri solet, dato scilicet, & non conces-so: præterea, Valerianus duobus in locis illam thesim proposuit; in primo, dictionem *solo* non apposuit, secus in altero; denique, ut liberè dicam, eamdem paulò ante insertam, paulò pòst deinde revocavit; quod facilè ostendo: Thesim illam de Primatu Rom. Pontificis Valerianus ad infallibilitatem ejusdem, ut vocant, traduxit, quo fine, aut animo, nescio; nempe ubi dixisset, non extare argumentum Catholicum ex sacro textu, quod inferat hanc thesim, *post ætá-tem Divi Petri*, &c. ut suprà, *hanc, inquam, thesim nequimus inferre ex solo sacro textu: Sed neque*, in-quit, *ab auctoritate Iudicis Ecclesiastici*, &c. ut su-pra; per hæc autem revocat illam dictionem *solo*, primùm quidem omissam, sed deinde insertam, cùm per illum, nec ex sacro textu, nec ab auctoritate Ju-dicis Ecclesiastici, argumentum Catholicum pro dic-ta sententia duci queat; igitur perinde est quoad hoc, sive sacer textus solus consideretur, sive non solus, id est, cum auctoritate Judicis Ecclesiastici conjunctus.

Dices fortè, duci argumentum ex traditione, rectè sanè, sed ne illius quidem Valerianus meminit; quod tamen non omisisset, si ex ea argumentum Catholi-cum in rem hanc duci posse credidisset. Equidem habet in Apologia pro Primatu Romani Pontificis ex sacro textu, non solo, ex traditione Apostolica, non sola, sed ex utroque simul argumentum duci; in actis Rheinfelsinis, de traditione nulla mentio: præterea quamvis ex utroque capite probetur inter Catholicos, ubi tamen cum hæreticis agitur, qui nec Concilium Florentinum admittunt, nec prædictas traditiones, quæ licèt Catholicis sufficiant, utpote qui illas omnes admittunt, quæ ab Ecclesia Romana proponuntur; at semotâ autoritate Ecclesiæ propo-nentis, in antiquis monumentis, ita fortè expressæ non sunt, nimirum quoad præsentem controversiam, ut obstinatis hæreticis omnem excutiant dubitationem. Deinde ante Concilium Tridentinum, an Catholicis deerat argumentum pro hac re confirmanda? quis hoc nisi temerè dicat? neque hæc hæreticis conce-di posse, putarim, quibus certè nihil dandum, nisi quod certum sit, ac proinde ipsi suis argumentis à nobis extorqueant.

Itaque si tecum, tuique similibus agam, conten-dam ultro, Primatum Romani Pontificis ex solo sacro textu sufficienter deduci, semotis etiam tra-

ditionibus, quamvis illæ quoque suppetant; ex iis scilicet verbis, quæ dicta sunt Petro, ejusque successoribus, nimirum Romanis Pontificibus; nempe in persona Petri, ejusque successoribus dicta esse, Ecclesia docet, ex communi Patrum consensu; sacer textus non crudam modò literam, verùm etiam sensum complectitur; sensum porrò verum & legitimum accipio ab Ecclesia, atqui juxta sensum Ecclesiæ, in persona Petri, omnibus ejus successoribus dicta esse, omnes Catholici credunt; iisque non generatim, & in abstracto, ut ajunt, sed in concreto, nimirum iis, qui re ipsa Petro successuri erant; iis, inquam, notis & compertis; nihil enim prorsus ignotis & incompertis dicta fuisse juvaret; igitur ex solo sacro textu, juxta legitimum illius sensum, quem ab Ecclesia accipere dumtaxat possum, juxta mentem omnium sanctorum Patrum, semotâ etiam traditione, semoto item Concilio Florentino, primatum Romani Pontificis deduco.

Sed, inquies, cum Valeriano, in sacris literis, nulla Romani Pontificis fit mentio; scribi non debuit, quod notorium erat; tam autem nobis compertum & notorium est, Romanos Pontifices successisse Petro, quàm notorium Alexandrinos successisse Marco, Hierosolymitanos Jacobo, immò Cæsares Augusto: scio, aliquos levioris licèt armaturæ, super hoc litem movisse, quæ tamen inanis est, & si quid in ea momenti esset, relictis aliis, in quibus adversarii nostri valde laborant, hanc præsertim ac præcipuè urgerent, & intra hujus propugnaculi septa, satis se tutos putarent: sed profectò puderet illos, de re notoria disputare; non obstat igitur, nullam in sacris literis Romanorum Pontificum expressam mentionem factam esse, cùm in expressa Petri, illorum mentio facta esse censeatur; ita prorsus, quando Apostolis Christus remittendi peccata potestatem fecit, seu consecrandi, faciendique Eucharistiam, item baptizandi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, succedentibus Episcopis & Presbyteris eamdem potestatem dedisse censetur: illud Christi, *Ego dico vobis, diligite inimicos vestros*, non tantùm Apostolis & discipulis, sed omnibus Christianis dictum esse, credendum est; mihi scilicet, & tibi, licèt nec tui, nec mei in sacro textu expressa mentio fiat; illud item, *diliges proximum tuum*, ut prædictus Rosendallus optimè observat, me docet, teneri me ex sacris literis, Valerianum diligere, in his tamen nulla Valeriani expressè fit mentio: itaque haud dissimili modo, licèt Romani Pontificis & successorum Petri nulla expressa mentio fiat, ita tamen verba illa Christi Petro dicta sunt, juxta sensum Ecclesiæ, & SS. Patrum, in quo, ut jam dixi, sacer textus accipiendus est, sensus enim est anima literæ, ut etiam illius successoribus dicta esse constet; successores autem Petri æquè perspecti sunt & notorii, ac successores Augusti; igitur ut Primatus Petri ex solo sacro textu habetur, ita & Petri successorum Romanorum Pontificum, juxta verum & legitimum sensum illius textus; nec, opinor, ullus Catholicus refragetur; dato enim, quòd ex solo sacro textu habeamus, primatum à Christo, tum ipsi Petro, tum ejus successoribus collatum fuisse, ut concedit ultrò Valerianus *apolog. pag.* 31. & cùm notorium sit, Romanos Pontifices esse Petri successores, inde necessariò sequitur, penès Romanum Pontificem Primatum esse; nec obstat, notorium illud ex sacro textu non haberi, sicut non habetur ex sacro textu, quòd Valerianus à Christo redemptus fuerit, cum quòd is, quem Antiocheni, vel Romani videbant, esset Petrus, dum scilicet Petrus esset in vivis; sed hæc constant ex evidentia objecti, nec ulla probatione indigent; constant inquam visu, vel auditu, vel conceptu rei per se notæ; nempe habeo ex sacro textu, omnem hominem redemptum à Christo fuisse, & cùm mihi constet, Valerianum esse hominem, habeo etiam ex sacro textu, Valerianum à Christo redemptum esse; habeo ex sacro textu, Petrum esse Christi Vicarium, & supremum Pastorem, itemque Petri successores; cùm autem Antiochenis, vel Romanis notorium & perspectum esset, talem hominem, quem videbant, vel cui gratia, esse Petrum, ex sacro textu habebant, illum hominem esse Vicarium Christi; cùm etiam nobis notorium & perspectum sit, Romanos Pontifices Petri successores esse, habemus etiam ex sacro textu, primatum iis collatum fuisse: sic non habeo ex sacro textu, vocem hanc, *pasce oves meas*, hoc, vel illud significare, sed ex Grammatica, & iisquæ Latinæ notitia; itaque, ut cæterà omittam, ne sim prolixior, constat, illud ex sacro textu probari, quod vel in sacris literis expressum est, vel notum & perspicuum, in eo, quod expressum est, contineri, juxta legitimum sacri textus sensum, eum scilicet, quem agnoscit Ecclesia, & nobis proponit.

§. IV.

Subnectis paulò pòst adversus Valerianum, quendam sub persona Lutherani, & ficto Severi Jocomedii nomine, severiorem censuram edidisse, quem tamen ipse Valerianus Jesuitam fuisse asserit, atque adeo ipsum Rosendallum; jocosum scilicet illum, quem sine joco Romæ extinctum fuisse dicit; quod quàm à vero alienum sit, non modò ex multis erroribus, quibus libellus scatet, & doctrina hæretica, quam continet, quæ ab homine Catholico defendi & tradi non poterat, verùm etiam ex authentico testimonio, quod ad calcem epistolæ suæ typis mandatæ Princeps Landgravius attexit, ex quo perspicuè constat, illius libri auctorem fuisse Rectorem Lutherani Gymnasii Gerwinensis in Voidtlandia: crimine ab uno disce omnes; sed est potiùs, quòd te accusem, Christiane, qui opusculum illud Pontificio, seu Catholico tribuis: cùm tamen probè scias, præfati Rectoris, Lutherani scilicet hominis esse, nempe Celsissimus Ernestus epistolam suam edidit anno 1661. mense Junio, tu verò Confessorem Valerianum edidisti anno 1662. cùm autem argumentum illud discuteres, fieri non potuit, quin prædictam epistolam, quæ argumentum illud propemodùm exhausit, ad te mitti procuraveris, & ex ea didiceris, quis fuerit auctor illius censuræ, quæ sub ficto Jocosi Severi nomine prodierat.

Attexis deinde fragmentum *cujusdam* epistolæ ad Valerianum scriptæ *à quodam* illius amico, à quo fit certior, *cujusdam* Bibliopolæ nomine, modicam spem esse distrahendi libros ab eo compositos, ex quo illos *quidam N.* invisos & suspectos reddiderat, quem addit secretò spargere, doctrinam illius de primatu, auctoritate Apostolica quàm primùm confingendam: si hunc modum adornan-

de

dictationis fortè approbas, Christiane, æquè facilè ac planum erit, de te quidpiam fingere. Dicam enim, ut tu, *quendam* scilicet ad me scripsisse, *à quodam* se accepisse, *quemdam* N. in Rostochiensi Doctorem, ruinam patriæ meditari, vel quodlibet aliud etiam atrocissimum scelus perpetrasse, adscripto etiam margini nomine, *Doctor N. Christianus Kortholtus*; non video, cur pari jure in hunc modum tecum agere non possim, si tuus ille, quem ex Valeriano refers, legitimus censeatur: eadem enim ratio utrimque militat: novum certè & ingeniosum accusationis modum: Quidam scripsit epistolam ad quendam, in qua refert, à quodam hæc aut illa in quodam congressu dicta fuisse; si fortè quidam, hoc vel simili modo in quendam commoveretur vehementis, an quispiam hunc accusandi modum jure probaret?

Credo mihi, vel literæ illæ fictæ sunt, atque adeò filius amicus, vel finxit amicus, Bibliopolam hoc dixisse, vel huic à malignis impositum fuit: Et verò, quod ad dictos libros attinet, ii profectò non sunt, de quorum distractione Jesuitæ adeò sollicitè esse deberent, ut eam ad eam retardandam, calumnias & impostura machinarentur; vinum illud hederâ sanè indigebat: quod ad me spectat, nihil solidum, nihil recondam, sed mera commenta, ne dicam somnia, in his gravissimis hujusmodi literas finxit Valerianus, quarum testimonio præfatæ calumniæ contra illum conceptæ, per totam Germaniam à Jesuitis spargi & disseminari asserit, & tantùm non jurat: *non gemuit modò*, inquit, *verùm etiam saltant & tripudiant.* Cuncta hæc dicuntur, scribuntur, sed nihil horum probatur; immò cùm non constet de corpore delicti, multò minùs de ipsis delinquentibus constare poterit. Rosendallus haud dubiè ac cæteri homines Societatis sanctissimum Capucinorum Ordinem maximi faciunt, eoque apud homines loco habent, quem arduæ virtutis, & castigatissimæ vitæ, quam profitentur, genus meritò sibi arrogat; nihil unquam dixerunt, sparserunt, scripserunt contra illum Ordinem; & si fortè quis inter Jesuitas, privatæ vir auctoritatis, in hoc genere vel leviter delinqueret, certus sum, illum haud impunè laturum; habet pro sua in Jesuitas charitate, Valerianus siderat; si tamen illius Apologiæ auctor est, quam prudentissimi homines dubitant; libri scientissimi atque damnati, ut constat ex decreto Urbanico annexo sub finem epistolæ Celsissimi Landgravii, vel pro nimia, qua fortè laborabat credulitate, quibusdam sycophantis, qui cacodæmonis opera, & munere defuncti, tam falsa illi de Societate, captatâ occasione aversi, quo erat in eos animo, retulerant, majorem, quàm par fuisset, fidem habuit.

§. V.

Hic Celsissimum Ernestum fœdè fugillas, quòd Capucinis sancti Goaris Capucinos emigrare jusserit, & multa Valeriano, scriptâ ad eum epistolâ, exposuerit, falsum scilicet, vanitatem, jactantiam, minas & calumnias ab eo Societati affictas, quæ omnia religiosissimus Princeps luculento scripto annexo plenissimè refutavit; citasque in hunc finem Apolog. *pag.* 76. ubi Valerianus in hunc modum perorat: *Imputantur mihi præcisè in termino hæreses, pronuncior damnatus hæresis à Romano Pontifice, &c.* Sed quis unquam illi duas hæreses imputavit? Princeps Landgravius, inquit, quem ad hoc Jesuitæ induxerant, duas imposuit; at ipse testatur, à nullo se fuisse inductum, & nullam à se, Valeriano hæresim fuisse afflictam.

Equidem in primis literis ad Valerianum scriptis, quarum hic maximam partem, inscio & invito Principe, typis mandatam in lucem edidit, hortatur illum, ut Romam se conferat, causam suam acturus, Rheinfelsinæ assertionis, qua scilicet heterodoxis dederat, Primatum Romani Pontificis, id est, sancti Petri, ejusque successorum, ex solo sacro textu probari non posse; nempe in hoc subjecto, *Primatus Romani Pontificis*, optimus Princeps illa omnia optimè complectitur. Sed inquit, hæc propositio ultimo loco posita, est hæretica; nimirum primatum Petri ex solo sacro textu probari non posse: hanc autem Landgravius Valeriano affingit: demus, esse hæreticam, de quo fortè aliquis dubitaret; nunquam illam Valeriano Princeps affinxit, sed aliam copulativam, quòd scilicet ex solo sacro textu probari non possit Primatus Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum; ita enim Princeps intelligit, nec alium sensum illius verba præseferunt: Valerianus singulas partes seorsim accepit, contra sensum ac mentem Principis: Primatus Petri, ait Princeps, id est, Petri ejusque successorum, non dixit Primatum solius Petri, nec Petri dumtaxat successorum, sed utrumque simul, quatenus hoc subjectum, *Primatus Romani Pontificis* utrumque conjunctim complectitur: nullam igitur hæresim Valeriano Princeps imposuit, sed tantùm assertionem, quæ licèt hæretica non sit, ab ea tamen in congressu cum hæretico Valerianum abstinere potuisse, immo & debuisse, Celsissimus Landgravius prudentissimè asserit, in præfato scripto, ad hujus opusculi calcem annexo, in quo etiam egregiè diluit, quidquid Valerianus tum contra illum, tum conata Jesuitas in dictam apologiam congessit.

Sed ab hac refutatione abstineo, ne jam actum agam, & duo tantùm obiter indico; primum est, illam epistolam, quam privatim & clam Princeps ad Valerianum scripserat, ad instar christianæ & lenissimæ correptionis, ab eodem Valeriano in lucem penè totam editam & promulgatam fuisse; unde profectò est, quòd is sibi jure imputet, si quid fortè illa paulò durius, vel acerbius contineat; alterum verò, Christiane, te ipsum petit; habes enim hoc eodem articulo, Principem Ernestum dicere, *securum se esse, illum à consortio Ordinis Capucinorum protinùs eliminandum, qui vel decimam partem defectuum Valeriani monstret*: Imponis Principi, Christiane, qui de Ordine Jesuitarum, non Capucinorum loquitur, quod etiam optimus Princeps inculcat *pag.* 83. scripti, jam suprà laudati; neque id confirmare vereor; si enim aliquis ex Societate, non dico decimam, aut centuplam, sed millesimam partem contra quemlibet religiosum Ordinem, eorum convitiorum scripsisset, quæ contra Societatem universam sæpè ac sæpiùs idem Valerianus promulgavit, ex eadem Societate dubio procul omni ejectus fuisset.

§. VI.

Epistolam illam Valerianus Jesuitis attribuit, quasi ipsi erubuerint eam suo nomine propalare, Principis ministerio abusi, quem, inquit, ad exercendam tyrannidem subdelegarunt, dum ipsi ex abdito illius simplicitatem & indecora obsequia ridentes; hæc

hæc ex *pag.* 3. *apolog.* non 34. ut scribis, excerpsisti, & hæc in Celsissimum Landgravium cadunt: itane verò humilis fraterculus talem virum natalium nobilitate, armorum gloriâ, virtutum omnium splendore toti ferè Europæ conspicuum? Malim tamen Ernesti dicta & scriptis stare, quàm tuis, vel etiam ipsius Valeriani, quem tanta animi impotentia eò adduxit, quantam aliàs, in hoc saltem genere, vix invenies; dolet tamen, & graviter expostulat de calumniis à Jesuitis sibi affictis, dum hi silent, & nemutire quidem videntur, ut sanctum hoc christianæ patientiæ & modestiæ exemplum mundo exhibeant; silent, inquam, dum Valerianus illos immisericorditer lacerat atque proscindit, appellatque tyrannos intolerabiles, nebulones spectatissimos, impudentissimos mendaciorum Architectos, divini Decalogi eversores, divinarum, humanarumque legum violatores, apertos hæreticos, convictos Atheos, insignes sycophantas; hæc scribit Valerianus, hæc clamat atque ingeminat, & sanctè jurat, hominesque Deosque etiam in pœnam capitis, attestatus. Sed unica negatio, unum dumtaxat, *nego*, rem istam conficit, & diluit objecta; quis enim reus non esset, si accusatio sola omni probatione destituta sufficeret? illud certè apud omnes gentes, & nationes etiam barbaras, solemne, ut omnis accusatio, citra omnem probationem, non modò injusta, verùm etiam inepta censeatur; absit autem, ut Christianos inter id locum habeat, quod ne inter Turcas quidem & Persas locum invenit.

§. VII.

Jesuitis etiam imputas, quòd decretum à generali Congregatione de propaganda fide procurarint, quo cavetur, ne quis Missionarius Apostolicus quidpiam typis mandaret absque ipsius S. Congregationis expressa licentia; hoc inquam Jesuitis imputas, cum Valeriano tota passim apologia. Rem sanè lepidam, Christiane, perinde loqueris post Valerianum tuum, atque si regestum Romanum penès te esset, & vivæ vocis oracula fundere posses; detrectas liberè fidem Pontifici ex cathedra loquenti, ut ajunt, dum vel Lutherum, vel Calvinum, vel Novatorum doctrinam ut blasphemam & hæreticam damnat, & vis, tibi garrienti, nec non Valeriano, ut mitissimè loquar, somnianti, vis, inquam, tibi aniles fabulas enarranti ab omnibus fidem haberi.

Dicis, hoc procuratum fuisse à Jesuitis, apertum mendacium est, nec enim, ut fortè tibi persuades, Jesuitæ tanta pollent auctoritate in dicta Congregatione, quanta opus esse constat, ut ab ea contra Missionarios Apostolicos tam facilè, quàm putas, decreta extorqueant. Deinde demus hoc, præfatum scilicet decretum à Jesuitis procuratum fuisse; quis hoc illis vitio vertat? furebat, tonabat, grassabatur in eos Valerianus, in suis libellis contra illorum Societatem scriptis, ac per totam Germaniam sparsis, ultimum Jesuitis exterminium, nec non extrema omnia minabatur; cur amabò Jesuitis non liceat esse sui defensoribus? ad legitimum Judicem confugere? & ab eo tandem obtinere, ut modum ponat, & Valerianum coërceat? Hoc prudenter, & quidem jure suo Jesuitæ facere potuissent: non fecerunt tamen, sed raro Christi Servatoris exemplo, eo tempore, quo in Gallia, Belgio, Germania, à Valeriano & aliis multis, immò à nonnullis in Italia, atrociter vapulabant, tacendum prorsus, & rarum, ut dixi, illustris patientiæ exemplum toti Ecclesiæ præbendum esse duxerunt.

Quòd autem *pag.* 81. subnectit Valerianus, nihil vehementiùs confirmare Jesuitarum impostura, præfato decreto ab iis procurato, quod est, inquit, ad instar sigilli Apostolici appensi autographo, ex quo damnor hæreseos & infandorum scelerum: Mirror, in sani hominis mentem hæc cadere! Sacra Congregatio prædictum decretum condidit, silentibus ne quidem mutientibus Jesuitis: inde igitur illorum impostura maximè confirmantur, & hoc veluti sigillo Apostolico hæreseos, & infandorum scelerum Valerianus damnatur: Logicam, opinor, attigit, Christiane, quid amabò de illa consequentia censes? cujus sanè, non dico trioboli Logicum, sed quemlibet hominem sui compotem puderet.

§. VIII.

Inde, inquis, Valerianus pessimè audire cœpit, emissa videlicet à Jesuitis alatâ famâ, regna & provincias celerrimè pervasura, accersita etiam in hunc finem tot scholarium opera; quapropter Valerianus apud S. Congregationem, & Pontificem per totos sex annos impensè institit, pro licentia scribendi adversus Jesuitas; sed cuncta incassum, nunquam enim illam obtinere potuit. Imponis, Christiane, cum tuo Valeriano Jesuitis, cùm ne unus quidem ex illa Societate, quod omni asseveratione affirmo, Valeriani famam notârit: quod verò addis de adhibita scholarium operâ, luculentum mendacium esse, pronuncio; estque, quod pudeat ingenuum hominem, hæc anilia commenta adeò constanter asserere, quamvis omni, etiam minimo probationis adminiculo destituta: uni sibi Valerianus impune, si nonnihil labeculæ ejus famæ aspersum & illatum est; ipse ipse sibi nocuit, ac seipsum propriis armis confixit; quam enim opinionem homines sapientissimi de illo, etiam Missionario Apostolico, & auctoris instituti homine haberent, qui sola, eaque vanissima suspicione fretus, & in extremum furorem actus, spretis majorum & superiorum imperiis, contra viros innocentissimos, ne mutientes quidem, a quibus nullam unquam injuriam acceperat, quos potiùs illius sanctissimus Ordo meritis honore & observantiæ officiis cumulatus fuerat, ea scribere non dubitavit, & fatigatis ubique prelis, in lucem edere, quæ vel Lutherani tui similes, vel Calvinistæ, vel alii Novatores, alioquin petulantissimi in hoc genere, scribere & typis mandare vetiti essent? hinc certè malè audiit Valerianus, neque ad hunc finem alia quapiam Jesuitarum arte opus fuit.

§. IX.

Sortem hanc, inquis, in Ecclesia Papistica expertus est Valerianus, juxta ductum ipsius Apologiæ supositam. At si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; pessimo duce & ductu Christiane utique quid mirum igitur, si vel incogitans in crassissimos errores animum impegeris; quid enim, quæso, est apologia illa, nisi inexhausta calumniarum farina, plena convitiorum synopsis, fœda mendaciorum collectio, exquisitum atrocioris maledicentiæ compendium, petulantis scena proterviæ, inveterati odii prototypon, alterum theatrum Jesuiticum, solemnis tyrannis, accusatio injusta, æternum perturbati & impotentis animi monumentum; opusculum sanè aculeis horridum, felle potiùs & toxico, quàm atramento exaratum; in quo nullus innocentiæ, veritati, justitiæ, religioni & modestiæ locus relinquitur; in quo

gratia

omnia ferro miscentur & igne; ferro, inquam, multa benigne asperato; igne verò cum multo iræ calore, sed absque omni luce benigna, in quo furibundus nullos accusat, sed innocentes; multa imponit, sed nihil probat; hæresim appellat & ingeminat, sed demonstrat; multa dicit, animo fortè bono, Deus clementiam; multa Sanctæ impotenti, suique impote: Christiane, quid tandem hoc duce & ductu? age verò, si talis est, inquam, Apologia, cur eam Jesuitarum quispiam refutandam non susceperit? quid quæso in ea, quod refutandum supersit? vel, ut verius dicam, quod refutatione dignum sit; quamquam Celsissimus Princeps reliquerit: dicam etiam, quod res est, ut ea, quæ per se nota sint, nemo probanda susceperit; ita illa, quæ falsa esse palam constat, & à veritate aliena, refutari non debent. Multa hujusmodi hoc ferè ultimo lustro recensèri à me possent; ut famosa notæ Ogdoadis scripta, & innumeri libelli; Wendrockius cum his notis; & cornix Æsopi, id est, insani commentatrix elanus auctor, insignis profectò nugivendus, & eximius fabularum architectus, hæc ipsa, quam toties appellas, Apologia: item alia mole major, sed par maledicentia; alii demum ejusdem furfuris, adulteri preli spurii fœtus; sed temni potiùs, quàm refelli debent, in quos tritum illud optimè quadrat, *nux trita potest.*

§. X.

Exposui deinde super his gestis Valeriani judicium nempe hic Jesuitis omnes illas turbas imputat, atque hanc Jesuitarum contra miserum Valerianum insectationem, quæ toto sexennio duravit, hæresim, vel Atheismum involvere; si enim factum hoc lethali culpa vacare, Jesuitæ sentiunt, sunt hæretici; si veri culpam in eo agnoscunt, cujus tamen eos toto sexennio non pœnituit, sunt Athei: hæc habet Valerianus, *pag.* 102. & eadem ferè *pag.* 34. ubi asserit, Jesuitas datos fuisse in reprobum sensum, *pag.* de num. 107. *Hæresis Jesuitarum*, inquit, *Decalogum per, cum omnibus legibus humanis & divinis, naturalibus & positivis, ac proinde absque alia ludicis sublatæ, detestari licet & execrari, etiam publicarum factiones & doctrinas, perinde ac licuit ipsa confugere, cum certo mortis violentissimæ periculo.*

Jam videamus, quàm rectè Valerianus tuus ratiocinetur: illa insectatio, inquit, involvit hæresim, aut Atheismum; hæc propositio falsa est, cùm sit à subjecto oppositio, quis enim Jesuitarum unquam dicto, scripto, facto, Valerianum insectatus est? Pater Rosendallus, inquies, sed hic Valerianum ne appellavit quidem; indicavit tamen, quo tandem signo? Rosendallus, quid amabò Rosendallus? non approbavit Valeriani assertionem in congressu Rheinfeldino producta, credidit, Hæreticis dandum non fuisse, quod Valerianus Haberkornio dederat; idem ego sentio, idem princeps Ernestus sensit; idem omnes, qui meliùs sentiunt; hoccine est Valerianum insectari? quasi vero in rebus dubiis, quæ in controversiam cadunt, aliis impugnare non liceat? ut Doctori Angelicum; Okamo, utrumque, Suarium, Catharino, Cajetanum, Aureolo, Capreolo, Cardanum, Scaligero, Scheinero, cuilibet demum quemlibet, salvâ scilicet honestate, & christianâ modestiâ.

Verùm, demus, aliquem ex illa Societate Valeriani fœdè in eam grassanti, & furentis ad instar Bucchanti obstitisse, ac sese opposuisse, nec non petulantem hominem coërcuisse, imò & eadem urbanitatis figura usum, eadem in ipsum retorsisse convitia, in hunc ferè modum: imponis impudentissimè, Valeriane, leges omnes, omnia jura impiè violas, majorum impunè detrectas imperia; S. Congregationis decretum iniquum esse blateras, ac te illo minimè adstringi; manifestam injustitiam & lethalem culpam, imò & tacitam erroris suspicionem, per intolerabilem blasphemiam, Romano Pontifici affingis, Religiosum Ordinem de Ecclesia bene meritum, ut societatem Baal, & reproborum gregem traducis, unde Heterodoxis risum, altósque cachinnos movere, Catholicis ciêre lachrymas, & scandalum præbere non dubitas: expostulatum est de te apud Superiorem tuum Generalem; sed hîc non sine lachrymis ingenuè fassus est, te jam à multis annis jugi ac fræni impatientem, à Superioribus regi ac coërceri non posse: apud S. Congregationem, quæ decreto mitissimo, cùm alioquin severiùs in te animadvertere potuisset, vetuit, ne quid sine licentia in lucem ederes, sed hoc decretum irritum & iniquum pronunciasti, violasti, proculcasti; apud Sedem Apostolicam, Sanctissimus Romam te vocavit, & ne aufugeres, quod sanè timebatur, jussit in carcerem mitti, sed hoc non obstante, leone pejor & urso, ex cavea ringis & mordes, nec in Jesuitas modò invectus frendes, verùm etiam Christum Domini, seu Christi Vicarium, tyrannicæ injustitiæ, & manifesti erroris, non viva voce, aut scripto, sed libellis in publicam lucem editis insimulas.

Si fortè aliquis ex Societate, quod tamen absit, in prædictum modum Valeriano reposuisset, dum hic in rabiem actus, & centum furiis agitatus, in Jesuitas fœdissimè grassabatur & debacchabatur, quis amabò illum lethalis noxæ reum ageret? fortè tam grave piaculum est, respondere stulto, secundùm stultitiam suam? vim vi etiam stylo ferreo repellere, servato, ut ajunt, moderamine inculpatæ tutelæ? Hoc tamen factum non fuit; inde igitur ruit totum Valeriani ratiocinium, nempe in hujusmodi refutationibus, Christiana moderatione conditis, Jesuitæ cum omnibus rectè sentientibus lethalem culpam minimè agnoscunt, nec eapropter in reprobum sensum dati esse creduntur; divina certè judicia & æterna divinæ prædestinationis decreta, non sine sacro demissæ mentis pavore verentur; quis enim sciat, utrùm amore vel odio dignus sit? non tamen opinor, eò redacti sunt, ut desperent de divina misericordia, in qua spem suam omnem collocârunt, sperantque, fore, ut Deus, cui se totos addixerunt, illorum cultum & jurata obsequia benignus acceptet.

Nollem tamen, ne quid dissimulem, sive in vita, sive in morte, Valeriano tuo similis esse, qui solemne illud & insolens odii plusquam vatiniani, furoris, maledicentiæ, calumniæ, rebellionis specimen mundo præbuit, cujus morientem non pœnituit, sed eandem provinciam, idemque consilium, quasi condito testamento, cuipiam ex sociis moriens legavit. Illud mortis genus Deus à me avertat, morti Sanctorum adeo dissimilis. Quod demum subnectis ex Valeriano, Jesuitas leges omnes, atque adeo ipsum Decalogum evertere; scio, unde ille acceperit, & ex qua sentina hauserit: nonnulli Calvinistis in hoc fœdere juncti, non quidem quòd rem ita se habere crederent, sed ut excitato tumultu, Jesuitis nocerent, in concinnanda hujusmodi calumnia, Valeriano prælusêrunt, & centenis libellis in lucem editis, Jesuitas traduxerunt ut Theologiæ moralis, atque adeò Decalogi corruptores: hæc jam multi refutarunt, quamquam

quam refutatione indigna; prostant enim Jesuitarum libri in officinis, volvuntur in Bibliothecis, citantur in pulpitis non sine aliqua laude; nec enim negari potest, etiam ab Heterodoxis & Zoilis, quin omnes rei literariæ partes ab iis plurimùm illustratæ fuerint.

Scio, aliquos ex Catholicis, nimio fortè zelo abreptos, & in errorem ab aliis inductos, de Jesuitis malè, imò pessimè scripsisse; ignoscat illis Deus, uni præsertim, ac præ cæteris, qui supra centum errores, corruptis falsatisque locis, per ignorantiam, opinor, potiùs quàm per malitiam Jesuitis falsò imposuit. Nonnullos hujus fœdissimi criminis reos, Pater Annatus egerat, prolatis collatisque auctorum locis; hi porro doctissimo alioquin viro imposuerunt, cujus in hoc prudentiam nonnulli desiderarunt, quòd nullius scilicet fidei hominibus fidem habuerit, & ab ipsis Jesuitis, antequam talia scriberet, de re tam gravi certior fieri neglexerit. Sed ad rem, Christiane, & ad te redeo, cùm jam ille refutatus sit.

§. XI.

Non est, quòd quispiam, inquis, privatis dumtaxat Jesuitis hæc attribuat; nempe, ut Valerianus sæpè attestatur, in totam Societatem quadrant, cujus authoritate freti, auctores illi scripserunt; res enim librorum, qui sine expressa Generalis licentia, in lucem edi non possunt, ad totam Societatem pertinet; illa autem, quæ à Generali fiunt, rata Societas habet; unde universam Societatem hæreseos & atheismi ream esse pronuncias, & uti ream Valerianus ad Pontificem detulit; quia, inquit, Jesuitæ cum divitiis inhient dominatui & gloriæ supra omnes mortales, admittunt peccata lethalia, & nullum pœnitentiæ signum exhibent; unde hæreseos, vel atheismi suspecti redduntur; si enim non credant peccata inesse, sunt hæretici; si verò credant, & in illis insordescant, sunt athei. Subnectis testamentum illud falsum à Notario, quem Jesuitæ ad hoc scelus induxerant, fabricatum: itemque alia multa, quæ Valerianus generatim in suis ad Rom. Pontifices epistolis, Jesuitis imposuit, quibus hæreseos & atheismi rei aguntur.

Ab hoc ultimo capite initium facio, ac dico, falsum crimen Jesuitis à Valeriano impositum fuisse, dum scripsit, Notarium ab iis inductum ad testamentum falsum fabricandum; cujus impostoræ Princeps Ernestus plenissimam fidem facit, *pag.* 72. Valerianus certè temerè suspicatus fuerat, cùm implacabile illius odium adversùs Jesuitas extrema omnia & pessima quæque de iis ipsi suggereret, Francisci Magni viduam inductam à Jesuita, qui erat illi à confessionibus, prætermissis fratris Philippi filiis, Jesuitas hæredes instituisse; secus tamen probavit eventus; parum est, id suspicari, constanter asserit, & omni asseverationè affirmat; parum est asserere, prædicat, declamat, libris in lucem editis promulgat, imò defert ad Romanum Pontificem, rei veritatem attestatur, & inde totum Jesuitarum Ordinem reum agit hæreseos & Atheismi; additque, alia esse quamplurima, eaque scandalosissima capita, toti Ecclesiæ à se brevi denuncianda, ex quibus Jesuitas hæreticos & Atheos esse constat.

Quid amabò acerbius? sed quænam sunt illa capita; illud enim falsi testamenti factum atrocem calumniam esse, jam suprà demonstratum est, præterea hoc argumentum contra Valerianum retorqueri potest; sciebat enim, factum illud testamenti à se promulgatum, esse falsum; quinam porro sunt libri illi, authoritate Generalis in lucem editi, in quibus heretica dogmata continentur; in re tam gravi Hæreticorum, Novatorum & Æmulorum, quos aliquando pejores esse constat, dictis & scriptis minimè standum est: Haud sanè inficior, aliquos Jesuitarum libros confixos fuisse, sed vel auctoritate propria invito Generali editi fuerunt, vel ob aliam ab hæreseos causam confixi, quod nullo negotio evincerem, si susceptæ provinciæ ratio postularet. Lepidum porro est, quod Valerianus asserit, Generalem Societatis Præpositum, cujuslibet lethalis noxæ reum, per Societatis Constitutiones exautorandum esse, alio in ejus locum substituto; fateor, aliquos esse, eosque gravissimos casus, in quibus ab officio removendum esse, statuta Ordinis ferunt; de quolibet tamen peccato mortali omnino falsum est; & Valerianus, ut in cæteris, ita in hoc etiam errare voluit, ut sit semper similis esset.

Jam verò ad rancidum illud argumentum facile respondeo, præcipuum illius fundamentum corrue, cùm sit à subjecto supposititio; illa enim ficta innumera in utroque orbis Hemisphærio decantata, sunt chimærica, & meræ calumniæ ab Hæreticis, Politicis, apostatis, æmulis, aliisque cœco furore actis, Societati affictæ; quòd enim Jesuitæ vidua intra bonis spolient; quòd Christum crucifixum apud Sinas non prædicent; quòd unionum potiùs, quàm animarum lucro in India & America operam navent; quòd ab iis sententiis, quæ communi Doctorum calculo, & longo Ecclesiæ usu approbatæ fuerunt, in Theologia morali abhorreant; quòd homicidium, furtum, simoniam, usuram, vindictam, aliaque id genus licita esse, doceant, merum, purum mendacium est, & nigra calumnia, igne potiùs quàm atramento Deo, quàm hominibus castiganda, cùm nihil de præfatis argumentis tradant, nisi quod Doctores antiqui magni nominis, Episcopi, Cardinales, Romani Pontifices, & multi in Sanctorum Album ab Ecclesia relati, præteritis temporibus docuerunt; scilicet vim vi repelli posse, cum moderamine se ac sua defendendo; nunquam rem alienam invito Domino accipi, aut retineri posse; in qualibet simonia, aliquod pactum, tacitum saltem, intercedere; in usura, lucrum ex mutuo, in vindicta demum proximi damnum, quod ad moderatam defensionem non pertinet.

Sed bonus sum, qui de his disputo cum iis hominibus, qui vel Theologi non sunt, vel bibunt limum aquam, iniquitatem, vel demum Petri Molinæi vestigiis inhærentes, ex his contra puram Ecclesiæ doctrinam aliquos errores deducere frustra conantur, quos eidem Ecclesiæ deinde affingant. Rus igitur præcipuum Valeriani fundamentum, quod ut mage perspicuum sit, in forma, ut ajunt, respondeo; vel non credunt, inquit, illa omnia involvere lethalem noxam, vel credunt; nego ante omnia hanc propositionem disjunctivam, cum illa à subjecto supposititio; sunt enim chimæricæ illæ hominum, Jesuitis à Valeriano imputata: si non credunt, sunt hæretici; si credunt, sunt Athæi, nego utramque propositionem hypotheticam; cùm etiamsi, ut jam dixi, à subjecto supposititio: sed ut melius vitium hujus ratiocinii pateat, demus vera esse hujusmodi facinora, ac proinde veram illam primam propositionem disjunctivam, item istam hypotheticam veram, *si non credunt, sunt hæretici*; alia hypothetica, scilicet, *si credunt, sunt Athei*, absolutè neganda est; quisquis enim Atheus est, ut Deum esse non credat;

et delicta nec credit lethalem Dei offensam esse; unde hæresim datis, & non concessis, Valeriani ratiocinium vitio laborat; sed nihil tale à Jesuitis admittitur. Valeriani affirmo, & contendo, atrocissimam calumniam esse, & horrendum vix flammis expiabile maleficium; ad id porro, quod dicit, stolida Societatis mancipia à Jesuitis apud Principes promoveri, delirantis senis somnium, vel anus edentulæ fabula est, seu fabula. Principes illos appellare dedecus, ut dictis à se faceret fidem: vix se à malignorum, & æmulorum furore defendere possunt, quomodò igitur alios promoverent? passim deprimunt, quomodò igitur alios ad dignitates efferrent: vis liberè dicam; faceret utinam Deus immortalis, ut majore gratia pollerent apud Christianos Principes; id fortè ad rem Catholicam promovendam non parum conferret, sed jam ad aliam ratiocinem me converto.

§. XII.

Idem argumentum amplificas, aisque, ex Valeriano, Jesuitas livore contabescere, nec aliorum laudes ab iis ferri posse: justitiam item apud Principes illorum astu & potentia, quam Jesuitarum Tyrannidem vocat, passim everti, eosque Principum ministerio, ad alios vexandos abuti; multa sine scrupulo ab iis admitti, quæ culpam mortalem involvunt; moralem illorum Theologiam ab Ecclesia Gallicana & Belgica fuisse damnatam, ut adversam Evangelio; eumque, nullo excepto, qui pro hæreticis, vel atheis illos non habet, insanire, vel hominem vecordem esse.

Quam bellè, quam eleganter, de livore illo multa jactatur, nihil probatur, utinam omnes prophetæ: vulliberè dicam, aliis parum aut nihil Jesuitæ invident, iis tamen aliis plurimum: quid egerint pro Rep. Christiana in Germania, Gallia, Belgio, Polonia, quid pro re literaria, quid pro Christianorum restauratione, pro divini cultus splendore, pro frequenti Sacramentorum usu, dicam etiam candide, pro regularis disciplinæ restitutione, nihil attinet, dicere, cum res per se ipsa perspicua sit: multos quidem æmulos habent, utinam bonos æmulatores, quotum in literis, in moribus, in pietate, in spiritu fuerunt, qui utinam malum pro bono non habent. Sed quis tandem Jesuitas livoris insimulat? Scioppius nescio quis, Valerianus, Mariales, & quidam Baro, non sacri imperii, sed eorum fortè, quos Campi Floræ Barones vulgus Romanum vocat? certè illis porro aliis, non est, quod Jesuitæ multa Valeriano invideant, nisi fortè præclarum illud excantandi fistula Mercurii inventum, quod ille sibi perperam arrogat; cum tamen vir eximius Torriglius primus illius auctor fuerit; non vacuum, & locum, ut vocat, sine locato, quod facile illius cerebrum effugiat; non mentis lucem, in tenebras vertere, non Philosophiam novam, quæ novum commentum est; non demum fidei analysim, seu circulum, quem à centro paulo obliquiùs excurrisse aliquamdiu fatetur: Hæc præclara sunt Valeriani ingenii monumenta, quæ sanè dubito, an multam illi Jesuitarum invidiam crearint, cum risu potiùs, & commiseratione, quàm invidia digna sint.

Dic mi Christiane, quænam est Tyrannis illa Jesuitarum? quinam illi ab iis toto orbe afflicti & oppressi? quidnam ab iis sine scrupulo admissum quod eosdem culpam ex Christiana fide involvat? Sollicita est in salute animarum procuranda, juvandisque, ut ajunt, proximis: quomodò igitur illos affligit vel opprimit? quàm multos Jesuitas appellare possem, qui vel morte cruenta, vel immensis confecti laboribus, in lucrandis Christo animabus exantlatis, piè obierunt; sed frustra hæc dicerem, quæ publica utriusque orbis testificatione perspecta sunt; His tamen omissis, est potiùs, quod Jesuitæ cum D. Paulo glorientur in infirmitatibus suis, scilicet in persequutionibus, variisque vexationum & calumniarum generibus, quibus passim, tum ab hostibus, tum ab æmulis, tum etiam ab iis quorum maximè interest, in demnem fore Societatem, passim agitantur; id permittentibus superis, ad rarum Christianæ patientiæ exemplum.

Quod verò dicis, doctrinam Societatis ab Ecclesia Gallicana & Belgica damnatam fuisse, toto cœlo erras; scio, nonnullos ex iis, qui Adversariorum partibus adhæserunt, aut saltem faverunt, paulò acriùs quàm par esset, & factionis potiùs, quàm veritatis & charitatis studio ductos, de Jesuitis sensisse; sed quod hi pauci Gallicanam Ecclesiam repræsentent, nemo sanæ mentis concesserit; idem de Belgica dictum sit: Mechlinienses, qui tunc temporis erat, à Sede Apostolica latis in eum censuris repressus, & in ordinem redactus fuit; quare ab illius judicio, post illam notam inustam Jesuitæ facilè provocare possunt; eadem ratio pro quibusdam aliis militat; nonnulli etiam ex Academia Lovaniensi plus æquo aversum à Jesuitis animum præ se tulerunt; sed reverà ii pauci sunt, si cum reliquis rectè sentientibus conferantur; sed hos nihil moror; privati Doctores sunt, quorum authoritas argumentorum nervo & rationum robore, non verò interdum inani Doctoratus titulo censenda est: Ex Academia illa Bajus olim prodiit, qui cum nova dogmata condere cœpisset; Jesuitæ illum statim refutarunt: Alius item cum Calvinianos errores defenderet, ab iisdem acriter repressus; utriusque deinde doctrina à Sede Apostolica damnata; Fromondus, Sinichius, & nonnulli alii in eandem censuræ Apostolicæ notam incurrerunt; quod autem suspectorum hujusmodi hominum sensa, pro fixo utriusque Ecclesiæ decreto, seu Canone traducantur, utrique profecto Ecclesiæ contumeliosum est & injuriosum, sed de his alibi ex professo actum est.

Blasphema demum est ultima illa Valeriani assertio, eum scilicet, vel insanire, vel hominem vecordem habendum esse, qui Jesuitas hæreseos & atheismi jure insimulatos esse negarit; unde necessariò deduco, Catholicos omnes insanire; quis enim Catholicus Jesuitas pro hæreticis habeat; Calvinistas vero, iisque adhærentes rectè in fide sentire judicet? Solvat porro Valerianus hunc syllogismum: Quisquis totum Ordinem Religiosum hæreseos & atheismi ex innumeris & notoris capitibus reum esse dicit, prædicat, declamat, publicat, mille scriptis in lucem editis, quem tota Ecclesia pro Catholico habet, ille haud dubiè vel somniat, vel insanit, vel turpiter errat; atqui Valerianus Magnus Religiosum Ordinem, Jesuitarum scilicet, quem tota Ecclesia Catholicum esse testatur, hæreseos & atheismi notat, ex innumetis & notoriis capitibus, tibi conclusionem deducendam relinquo. Cæterùm hîc saltem Jesuitis gratulari possum, quod nemo fere contra Sedem Apostolicam à centum circiter annis scripserit, qui simul una in Jesuitas stylum non strinxerit, & vicissim, communi utrimque sorte: luculenta & recentia in Novatoribus habemus exempla, qui per medios Jesuitas, Sedem Apostolicam petierunt, est-

que, quod rideam aliquos, qui mentito Catholicorum nomine, Romano Pontifici persuadere procurant, Jesuitis ablegatis, futuram illico Ecclesiæ pacem in Europa, & Acatholicos omnes ad fidem avitam rediturос; quid Jesuitis, inquiunt, cum Bajo? cur non silent? cur tantos tumultus excitant, turbasque miscent? hæc sanè mihi Demosthenis apologum in memoriam revocant, in quo, lupi de canibus, apud ovium pastores expostulant, jurantque, futuram lupis cum ovibus pacem, si canes ablegentur; lupi Christi oves invadunt, & canes mutos latrare vetas? Illustrem Academiam Bajus errorum suorum veneno inficit, totam Ecclesiam Novatores, & Jesuitas silere jubes? ad populum phaleras, intelligenti pauca.

§. XIII.

Hic altè Valerianus de Romano Pontifice, & de Romana Curia gravioribus sanè verbis expostulat, ob negatam sibi justitiam Jesuitas denuntianti: at Jesuitæ potiori jure conqueri deberent, quanquam ipsi minimè conqueruntur, utpotè qui tam diré & duré à Valeriano, per tot annos vapularunt, nimirum tot libellis famosis contra homines Societatis ab eo sparsis & promulgatis, in quibus hæresis, atheismus, & horrenda quæque Ordini Religioso, singulari jure & modo Sedi Apostolicæ addicto, per inauditam hucusque audaciam falsò imputantur; vix tamen hac de re, ut dixi, Jesuitæ conqueruntur. Erat sanè, quod Valerianus Romanæ Curiæ maximas gratias ageret, à qua longè mitiùs, quàm pro meritis exceptus est, quæque illius pœnitentiam non sine incredibili benignitate & patientia expectavit.

Horrescit profectò animus, dum ea lego in dictis libellis, quæ scripsit contra Romanum Pontificem, quem noxæ lethalis insimulat, ob sibi negatam justitiam, & satis insinuat, suspectum esse in fide; hoc ipsum, ne quid dissimulem, mihi præsertim mirum accidit, quod prædicti libelli apud Catholicos etiamnum prostent, graviore censuræ nota minimè confixi; viderint ii, quorum interest, & ad quos attinet; ab indaganda causa, ultro abstineo, ne quid dicam, quod licèt dici nihil vetet, æquis tamen oculis, vel auribus non ita fortè à nonnullis exciperetur.

§. XIV.

Ex prædicta, inquis, Valeriani nominatissimi apud Pontificios Theologi denuntiatione, juxta Jesuitas atque ipsum Romanum Pontificem Hæreticos, vel Atheos esse constat; eodem enim argumento de Romano Pontifice probas, quo de Jesuitis à Valeriano probatum est: nempe, inquis, licèt de Romano Pontifice, idem, totidem verbis Valerianus minimè pronunciarit; quod tamen nec de hoc aliter sentiat, tam est manifestum, quàm quod manifestissimum, sic autem ratiocinaris.

Vel Romanus Pontifex credit, denegationem illam & eversionem justitiæ, de qua Valerianus vehementer expostulat, non involvere culpam mortalem, vel non credit; si primum, est hæreticus, si alterum, est atheus: prima tua propositio est à subjecto supposititio; nunquam enim justitiam Valeriano Pontifex denegavit; sed ejusdem temeritatem & pertinacem audaciam aliquandiu toleravit, ut virum ad meliorem frugem reduceret; sic optima parens Ecclesia sponsum imitata suum, dissimulat peccata fidelium, expectatque illos ad pœnitentiam, condonandum esse aliquid rata cœco furori illius hominis, qui dum in Jesuitas calamum stringeret, sui compos esse non videbatur; sperabat, mitigatum & lenitum in Valerianum, diuturna illa & constantissima Jesuitarum patientia; cum autem longa illa tolerantia (dicerem quasi conniventiam) non molliri hominem, sed magis ac magis asperari, tumultuari, grassarique Rom. Pontifex animadverteret, procrastinandum ultra esse non duxit, sed Valerianum in carcerem jubet sit intrudi, & Romam duci; corruit igitur tum illud argumentum, nec est quod Valeriani apologum in hanc rem cites, quæ reverà nihil ad illum eximendum culpæ, plurimum tamen ad delictum ampliscandum contulit. Non erat igitur, quod is de Pontifice adeo vehementer conquereretur, cui potius jure gratias agere debuisset pro tam insigni & tam indulgentia, ea profecto, cui vix parem à multis seculis invenies. Eodem etiam vitio tertia propositio tui dilemmatis laborat, de quo jam supra: nempe athei, ut jam supra monui, nullam mortalem noxam agnoscunt.

§. XV.

Nec est, inquis, quod excipiat Valerianus justitiam astu & potentia Jesuitarum eversam esse; quid parum interest, sive Judex justitiam deneget pecunia corruptus, vel in gratiam amicorum, sive ob quamlibet aliam causam, nempe hæc Judicem non eximunt culpæ. Non est etiam, quod Valerianus dicat, Pontificem deceptum fuisse circa veritatem facti; quia, inquis, negotiis suis bellicis tantum temporis subtrahere debuerat, ut de accurata inquisitione ac veritate facti certior fieret; quod cum facere omiserit, in re tanti momenti, eximi culpæ non potest, condito præsertim & promulgato illius jussu, præsto decreto, ne quis Missionarius Apostolicus quidpiam edat in lucem, absque licentia S. Congregationis, quod certe unum Valerianum petit, cui facultas scribendi ac Jesuitas refellendi, summis precibus toties ab eo petita, non sine maxima injuria negata est.

Sed hæc sunt prorsus anilia, ac te vel stipite stolidiorem, vel angue pejorem esse demonstrant. Nullam justitia astu & potentia Jesuitarum eversam esse, & si fortè injuria cuipiam, in hac causa, Jesuitis dumtaxat, & quàm gravissima illata est, utpotè qui mille modis, iisque iniquissimis & atrocissimis, à Valeriano per tot annos vexati & agitati fuerint; dum vel ipsi tacerent, & ardentissimas ad Deum preces, non sine ubere lachrymarum rivo, pro suo persecutore funderent.

Quod autem dicis, Alexandrum VII. de illo enim loqueris, negotiis suis bellicis aliquantulum temporis subtrahere debuisse, Beatissimo Patri leviter imponis; scribebas enim anno 1662. ineunte, ut ex præfixa epistola tua constat, sed ante illum annum, nulli rumores bellici suborti fuerant; ut patet. Sed hoc sarcasmo Romanum Pontificem configere voluisti, quod vestris Heterodoxis familiare est, iis potissimum, qui ab urbanitate & ingenuis moribus minùs instructi sunt; sed ad rem, mi homo.

Non ita fortè, ut dicis, justitiæ administrandæ à Romano Pontifice in hac Valeriani causa, omissa, aut neglecta fuit; licèt enim ante annum 1655. Jesuitas Valerianus denuntiasset, non quidem omnes, sed duos Provinciales dumtaxat, cum Generali, ad S. Congregationem de propaganda fide, imò ad P. Mutium Vitelleschum Epistolam de hoc argumento scrip-

fensisset, quam Urbano VIII. & nonnullis Cardinalibus, aliisque Romanæ Curiæ Prælatis legendam dabimus. Hoc autem unius Valeriani dictis standum obstinatio, qui volet, ego illum pecude stolidiorem reputabo. Quid huic homini, quem non puduit tam apertis, imo & huic homini, quem non puduit tam apertis, imo & tam calumnias & horrenda mendacia, adhibitis etiam publicis typis ad struere, fidem habet; sed hoc dato & non concesso, quis amabò non videt, denuntiationem illam temerè factam, omnique probationis adminiculo destitutam, à Pontifice compertam fuisse? Quamvis tamen vel malum denunciantis animum indicet, quamvis vel nimio commotioris hominis zelo aliquid condonandum esse duxit; idque eo facilius, quod Jesuitæ hanc injuriam æquanimiter ferrent, nec litem moverent calumniatori, aliam pœnam ab eo repetere noluit.

Non inficior, quin aliqui Valeriani consilium probarint, eumque ad prosequendum hortarentur; quis enim nescit, nunquam defuisse, qui Jesuitis adversentur: ab exemplis abstineo, quæ palam & cuique obvia sunt, etiamsi non illorum, sed Ecclesiæ causa agatur; itaque licèt ante annum 1653. nonnihil simultatis, Valerianum inter & Jesuitas intercesserit; conjunctim hoc ipso anno in apertum bellum prorumpere, contra hostem inermem, paratum ad verbera, ac fele minimè defendentem: Res quidem Romæ vulgata fuit, sub annum 1654. sed jam tum Pontifice, vel decumbente, vel vita functo, ad proximè sequentem annum causa dilata est, promoto, sedente ad S. Petri sedem Alexandro VII. qui hoc eodem anno, ut Valerianum compesceret, promulgato decreto, vetuit, ne ipse aliique Missionarii Apologiæ quidquam ederent, nisi de expressa S. Congregationis licentia.

Ecce vides, ni fallor, Christiane, Romæ justitiam eversam non fuisse; cum enim vir ille meras, compertasque calumnias spargeret, ita multandum esse, Pontifex censuit, ut scribere ultra prohiberetur; quod reverâ huic homini gravissimæ pœnæ loco fuit, de qua passim per totam apologiam vehementer conqueritur: vix poterat sapientissimus Pontifex mitius & lenientius testificari, Valeriani libros contra Jesuitas editos sibi non probari, quàm prohibendo, ne ultra scriberet. Perge porro, Christiane, videamus, utrùm Alexander justitiam neglexerit: Decreto Apostolico non paruit homo petulantissimus, imò quod fidem omnem superat, palam omnibus significavit, se parere non posse absque lethali nôxa, eandem virulentam illam apologiam promulgavit pæne sæpius à re laudatam; non tamen impunè nullo nec versa fuit justitia, nempe jussit eum Sanctissimus ex monasterio extrahi, in carcerem detrudi, & Romam duci, ut ibi judicaretur: sed mors reorum hominum judicio illum subduxit, ut divino subderet. Cuncta hæc resciscere poteras antequam scriberes; scribis enim anno 1662. & Valerianus in carcere mortuus est anno 1660. cur ergo dissimulasti, Valerianum à Romano Pontifice multatum fuisse? cur non illum eversæ justitiæ insimulas?

Sed, inquis, Mutius Vitelleschus à Valeriano mordetur, qui tamen nec remedium adhibuit, nec ipsum nominatissimum illum Theologum dignatus est: Quid responderet impotenti homini & sui juris compoti? ratus cum hujusmodi hominibus, non verbo, nec scripto agendum esse; modestiam suam ille sapientissimus, cum intolerabili illius impudentia committere dubitavit; nec mirum, si cunctabundus, tum Lancitius, cum Valeriano agere timuerint; quis enim congressum illum non fugeret? in quo Christianæ modestiæ, & ingenuæ urbanitatis partes desiderantur, in quo immoderatus animus, effrænata lingua, clamores inconditi scenam occupant.

Omitto laudes, quas Valeriano paulò liberaliùs aspergis; nominatissimum illum inter Pontificios appellas; alios opinor, minimè nosti; nec mirum, cum in illo ferè orbis angulo degas, à Catholicorum consuetudine sejunctus: sanctè jurare possem, nunquam à me in doctissimorum hominum circulis Valeriani nomen auditum fuisse: quod autem de Sede Apostolica optimè meritus fuerit, nescivi hucusque; quod enim sibi arrogat, duorum Principum conversionem, dare illi profectò non possum, & ingenuæ Principis Ernesti testificationi, non verò putidæ Valeriani jactantiæ, standum esse, optimi quique sibi facilè persuadebunt.

§. XVI.

His præmissis, descendis ad tuum argumentum, & solidam demonstrationem, atque in hunc modum argumentaris.

Quæcumque Ecclesia destituitur fide, nulla hæresis mixtura interpolata; ea non est vera, & una illa Ecclesia, quam in Symbolo Apostolico confitemur.

Ecclesia Romana hodierna destituitur fide, nulla hæresis mixtura interpolata.

Ergo Ecclesia Romana hodierna non est vera & una illa Ecclesia, quam in Symbolo Apostolico confitemur.

Hoc argumentum multiplici vitio laborat, cum quædam falsa, & quædam ambigua contineat; & ut primo loco majorem propositionem discutiam; si ita intelligat, ut fides, quam tota illa Ecclesia profitetur, cum hæresi & errore conjuncta sit, certum est, veram Ecclesiam non esse: nempe illa fides, pura non est, quæ admixtam hæresim habet; si autem pura non est, vera & Catholica non est; igitur nec vera Ecclesia, quæ talem fidem profitetur, qualis enim fides, talis Ecclesia.

Si vero ita intelligatur, ut aliquot membra illius Ecclesiæ hæresi, aut errore infecta sint, illa tua major falsa est; quis enim neget, multos hæreticos intra Ecclesiam, cum aliis Catholicis esse posse conjunctos, sive occultos, sive nondum plenè & juridicè, ut ajunt, convictos, seu declaratos; quod certè non obstat, quominùs illa Ecclesia vera sit, ut patet; vera autem Ecclesia manet, quamdiu nulla hæresis illius fidei admiscetur, quam publica authoritate omnibus suis membris tenendam proponit. Hoc posito, damus, illam Ecclesiam veram non esse, cujus fidei dogmata authoritate publica proposita, aliquam involvunt hæresim; non damus tamen, illam Ecclesiam veram non esse, cujus fides, ea scilicet, quæ authoritate publica tenenda proponitur, ab omni errore immunis est; licet aliqua illius membra, occulta, vel non satis manifesta, hæresi inficiantur.

Minorem tuam propositionem falsam pronuntio, si de illa fide agatur, quam Ecclesia omnibus Christi fidelibus tenendam proponit; nullam enim unquam hæresim Ecclesia Romana credendam proposuit; hoc tamen non obstat, quin aliqua Ecclesiæ Romanæ membra infecta hæresi esse possint, vel occulta, vel nondum sufficienter declarata: ut autem ostendam, quam malè ratiocineris, fieri non potest, ut per hæresim ac vitium aliquot membro-

rum, Ecclesia Romana vera Ecclesia esse desinat; nempe vel hæresis illa occulta est, & sic non desinunt esse membra veræ Ecclesiæ, vel ita manifesta & perspicua, ut nullum dubium esse possit, & sic desinunt esse membra Ecclesiæ Romanæ, ut cum Bellarmino Catholici docent; quæ tamen resectis & segregatis illis membris, vera manet Ecclesia; si autem hæresis illa manifesta quidem est, ita tamen, ut aliquod dubium subsit, & aliqua magis expressa declaratione opus esse videatur, rescinduntur tantùm ab Ecclesia per expressam declarationem, ac proinde antequam hæc fiat, membra Ecclesiæ censentur.

Disce igitur, Christiane, Ecclesiæ Romanæ fidem eam censeri, quam eadem Ecclesia omnibus Christi fidelibus tenendam & profitendam proponit; non verò illam, quam aliquot Ecclesiæ Romanæ membra cum hæresi conjunctam tenent; nunquam autem probabis, fidem Ecclesiæ Romanæ, primo modo sumptam cum hæresi conjunctam esse: nec dicas, Jesuitarum hæresim esse manifestam; hoc enim falsum est & mentiris impudentissimè, sic enim te compellare mihi liceat, ut Bellarminus Velenum compellavit: Quænam enim est illa hæresis Jesuitarum? Hæresim, inquis, Valeriano affinxerunt, in quo illos errasse constat; quis, quando, ubi? redis ad propositionem illam de primatu Pontificis, à Valeriano in congressu Rheinfelsino adductam; sed quis Jesuitarum hæreticam esse dixit, aut scripsit? imprudentem quidem, & minus probabilem esse, fortè dixerunt, non tamen hæreticam; nulla est igitur Jesuitarum hæresis, unde ruit præcipuum tuæ demonstrationis fundamentum.

§. XVII.

Sed demus, rem ita se habere, ut dicis, licèt plusquam anilem fabulam esse constet; demus, Jesuitas esse hæreticos, de omnibus fortè hoc non dixeris, cum Valerianus in Apologia, *pag.* 106. hæc habeat: de Jesuitis, inquit, excipio bonos, bonos autem multos esse putat; sed demus, omnes, ut dicis, hæreticos esse; hoc dato, sic argumentaris: Jesuitæ sunt hæretici, igitur Ecclesia Romana non est vera Ecclesia; antecedens decumanum mendacium est, sed transeat, ut ajunt, nego consequentiam: nam vel illa hæresis occulta est, aut saltem non declarata, ut par est: igitur Ecclesiæ membra esse, nihil vetat, vel est manifesta & perspicua, & sic Ecclesiæ membra non sunt; sed non propterea Ecclesia Romana desinit esse vera Ecclesia; vides, quàm malè ratiocineris, licèt enim tota Germania, cujus vel mediocris civitas plures animas numerat, quam Jesuitarum Ordo, licèt tota Germania, inquam, quæ supra 20. milliones hominum recensetur à recta fide deficeret, an propterea Ecclesia Romana vera Ecclesia esse cessaret? minimè gentium, neque opinor Heterodoxi vestri inficiabuntur: nam facilè contra illos argumentum retorqueri posset; quis enim neget, aliquot centena Lutheranorum & Calvinistarum millia ad fidem Ecclesiæ Romanæ reducta fuisse ab octoginta circiter annis; igitur si tua valeret consequentia, vel ex hoc Lutheranorum & Calvinistarum Ecclesiam desiisse dicendum esset; negabis haud dubiè hanc meam consequentiam, sed eodem jure, tuam illam negare possum; unde vides, quam non solida, sed prorsus inanis sit tuta demonstratio.

§. XVIII.

Sed inquis, à majore & potiore parte fit denominatio, ut ajunt; negari autem non potest, quin majorem Ecclesiæ Romanæ partem Jesuitæ cum suis asseclis constituant: Ego sum solus, clamat Valerianus, illi vero triginta millia, stipati favore & auctoritate Principum, Regum, Cæsarum, Pontificum; sanè Jesuitæ sunt, inquis, qui Pontificiam religionem in utroque orbis Hemisphærio juventuti instillant, populoque proponunt; Jesuitæ, qui eandem & voce, & calamo pene soli hodie cum primis propugnant; ex Jesuitarum demum scriptis Romanæ Ecclesiæ doctrinam hodie æstimamus; quid ergo restat in Ecclesia Jesuitarum hæresi non infectum? pauci, inquis, Capucini fratri suo Valeriano adstipulantes; accedit, quod inquis, potior pars, quæ Pontificem, Cardinales, aliaque præcipua membra complectitur, Jesuitis adhæret.

Est sanè, quod Jesuitæ sibi gratulentur, & tibi maximas gratias agant, utpotè qui luculentissimum iis elogium contexueris, cui certè nihil ad cumulum addi posse videtur: docent enim Jesuitæ, instituunt, prædicant, ac strenuè defendunt religionem Catholicam in utroque orbis Hemisphærio, & quivoce, quà stylo, quà fusis cum sanguine lachrymis, Christo & Ecclesiæ fidelem operam navant: est tamen, quod rectum in obliquum, mutes & dicas, Jesuitas doctrinæ Ecclesiæ Romanæ firmiter adhærere, non verò Ecclesiam Romanam doctrinæ Jesuitarum; nec Ecclesiæ doctrina ex Jesuitarum doctrina censenda est, sed hæc ex illa, quæ viva fidei & doctrinæ Catholicæ est regula.

Quod vero de Capucinis impiè blateras, nemo sanæ mentis sibi persuaserit, & nemo dixerit, sanctissimum illum Ordinem eos fovere, aut etiam tolerare, qui Ecclesiæ Romanæ placitis non adhæreant. Sed mi Christiane involvis repugnantia; paulò ante dicebas, ex Valeriano, Jesuitarum doctrinam ab Ecclesia Gallicana & Belgica damnatam fuisse, & nullum esse, nisi stolidus & vecors sit, qui eam pro hæretica non habeat; addis etiam, subnexum, adductis in hanc rem Eminentissimorum Cardinalium Borgiæ & Pamphilii literis, Valerianidoctrinam à Romana Curia laudatam & approbatam fuisse, sed præcipuum hujus doctrinæ caput est Jesuitas hæreticos esse; nunquid amabò hæc repugnantia non sunt? Illud de Ecclesia Gallicana & Belgica jam supra refutatum est; de præfatis literis postò postagam. Cæterùm, ut maximæ gloriæ Jesuitis vertitur, quod nemo Ecclesiæ Romanæ ultimis hisce temporibus hostis fuerit, qui apertum iis bellum non indixerit, quod Tullius de olim, ac de Rep. dictitabat; ita æquanimiter ferunt, quod multi Catholici, etiam ex primoribus, non adeò ergà ipsos propendere, sed potiùs averso ab iis animo esse videantur; quod certè nonnullis mirum accidit; secus verò mihi, cui perspectum est, malis Cacodæmonis artibus hoc fieri, ut scilicet maximum illum fructum, vel impediat, vel imminuat, quem collata in vineam Domini graviter opera, dubio procul omni, etiamnum æquè ac præterito sæculo referret; sed rem hanc pressiùs non urgeo, ne cuipiam, vel minimam offensionis occasionem præbere videar.

§. XIX.

§. XIX.

Stantem argumentaris.

Quæcumque Ecclesia secundùm præcipua membra peccati mortalis labe inficitur, ea non est vera & sancta illa Ecclesia, quam in symbolo Apostolico confitemur.

Ecclesia Romana hodierna secundùm præcipua membra peccati mortalis labe inficitur.

Ergo Ecclesia Romana hodierna non est vera & sancta illa Ecclesia, quam in symbolo Apostolico confitemur.

Nego majorem & minorem; egregium sane argumentum, præcipua enim membra Ecclesiæ sunt Romanus Pontifex, Cardinales, Episcopi, ut nemo negat; ubi autem legis, non esse veram Ecclesiam, dum hi quando Pontifices, Cardinales, Episcopi lethali culpa coinquinentur: scire ex te velim, utrùm Pastores vestri ab omni culpa immunes sint; tibi forsitan excidit *super Cathedram Moysis*. vis rem acu tangam; vestra illa hæresis est, ut Ecclesia ex solis prædestinatis constet, pro quibus dumtaxat, ut vultis, Christus sanguinem fudit.

Hoc jam olim Wichlephus dicebat, Papam admissa lethali noxa, Papatu excidere, & ab Ecclesiæ corpore tanquam ramum excindi; Recentior quidam in eumdem errorem à Constantiensi & Martino V. damnatum, stylum impegit; docuit enim, Episcopum admissâ mortali culpâ, omni jurisdictione & Episcopatu excidere, de Principibus sæcularibus eadem quidem non habet, supponit tamen, cum illius ratio æquè pro illis militet: sed mitto perduelles illos, juratos utriusque Monarchiæ hostes, ut ad te te deam, Christiane, qui haud dubie cum hujusmodi pestibus idem sentis: Ecclesia sancta est, inquis, sic enim appellatur in symbolo, at nemo sanctam esse dixerit, nisi præcipuus Ministri sanctificuerint, id est à peccati mortalis labe immunes.

Sancta dicitur Ecclesia multis nominibus. 1. quia Christus qui ejus caput est, sanctus est: 2. quia illa à quibus accepit Christianæ vitæ institutum, & regulam morum, sanctificuerunt, ut Apostoli, primi Episcopi, Religiosorum Ordinum Fundatores: 3. quia baptisma sanctum est & unio membrorum inter se, & cum capite sancta, externa saltem in iis, quæ ad religionem pertinent: 4. quia ejus professio sancta est nihil continens falsum, quoad fidei dogmata, nihil injustum, quoad doctrinam morum & legis: 5. quia revera multos sanctos habet non modò divina præcepta observantes, sed etiam Christi consilia, quod majoris perfectionis est: 6. denique, quia tota Deo consecrata est, ac proinde sponsa Domino jure vocatur. Ex his capitibus Ecclesia sancta dicitur, non autem ex eo præcisè, quod Romanus Pontifex & Cardinales ab omni culpa lethali noxa liberi sint, unde falsa est major tui argumenti; sed data illa & non concessa negatur minor, quam nemo sine horrenda & igne luenda blasphemia Sanctissimo Pontifici & Eminentissimis Cardinalibus affingat, & licèt Valerianus hoc dicat, nihilominus innuat, illius autoritas exigui momenti sit, & causa præsertim propria, in qua Judex esse nequeat. Dolet, denegatam sibi esse justitiam, cum à potiori jure dolere possint; non dolent autem, sed patienter ferunt, quod huic calumniatori debitæ pœnæ tardiùs quam par esset irrogatæ fuerint.

§. XX.

Opponis tibi aliqua ex Valeriano, hunc loqui sub disjunctione, ut ajunt, nimirum, Jesuitas esse vel hæreticos, vel atheos, id est, vel credere præfatam infectationem, culpam mortalem involvere, vel secus existimare; si primum, hæreticos, si alterum, atheos esse; cum igitur hæreticos esse constet, inquis, credunt enim actiones suas contra Valerianum omni eximi culpæ, alterum disjunctionis membrum cessat, nimirum quod sint athei & noxarum lethalium Rei. Hæc tibi opponis.

Sed pro his, remitto te ad ea, quæ superioribus capitibus à me dicta sunt; cum enim nulla unquam fuerit hujusmodi infectatio, nulla, inquam, nisi in mente Valeriani cum chimæris, hircocervis & vacuo, illa propositio disjunctiva, est à subjecto supposititio, ut jam toties dixi; ac proinde Jesuitæ de Chimærica illa infectatione, quam toties obtrudis, nihil credunt, nihil judicant, nisi quod atrocissimam & realem, ut ajunt, tempestatem excitarit, nec mihi dubium est, quin ipse Cacodæmon Valeriani stylum ad hunc finem adhibuerit, cum aptiùs fortè magis aptum & idoneum non invenisset.

§. XXI.

Occurris tamen statim, aisque, ad illam præcisè disjunctivam digitum à te non intendi, cum ex alio Valeriani testimonio constet, Jesuitas aliorum criminum reos esse; furti, verbi gratia, oppressionis justitiæ, falsi juramenti ac testamenti procurationis, aliorumque hujusmodi; committunt enim Jesuitæ, ait Valerianus, in Apolog. *pag.* 128. plurima, quæ mortalem culpam involvunt. Præterea ignorantia illa, qua Jesuitæ ducti credunt præfatam infectationem, lethalem noxam non involvere, crassa est, supina & affectata, ut vocant; culpæ igitur illos non eximit; denique ipsa hæresis mortalem opinor culpam importat; opponit igitur Valerianus hæresim atheismo, non verò peccato mortali.

Quàm bene, quàm doctè vel acutè; tibi fingis hostem, quem ferias, nodum quem solvas, difficultatem quam diluas: fallum illud testimonium luculenta & omni exceptione majore celsissimi Landgravii testificatione jam supra rejecimus; mentitis autem in caput tuum, dum Jesuitas furti & eversæ justitiæ insimulas; quis enim fur ille fuit? quid furto sublatum, cui, quando, ubi? idem dictum puta de illa justitiæ oppressione, quam per diabolicam calumniam cum tuo Valeriano Jesuitis affingis: tibi enim contra Jesuitas scribenti fides habenda non est, nisi ea, quæ dicis, lùculenter à te probentur. Testem adduco, inquies Valerianum; dignum sanè patella operculum; testem recuso, implacabilem Jesuitarum hostem & incredibili adversùs illos odio flagrantem, qui mero calumniandi studio ductus, ea Jesuitis imposuit, quæ falsissima sunt, ut notorium est; nempe infectatio illa chimærica, falsi testamenti procuratio imaginaria, oppressio justitiæ fictitia, furta supposita, & falsò imposita, uno verbo omnia & singula falsa.

§. XXII.

Hæc tandem ex iis quæ à te dicta sunt colligis.

Ecclesia malignantium non est vera Ecclesia.

Ecclesia Romana hodierna est Ecclesia malignantium.

Ergo Ecclesia Romana hodierna non est vera Ecclesia.

Major extra controversiam est, minorem ita probas.

Ecclesia ex Jesuitis & Jesuitistis conflata, est Ecclesia malignantium.

Ecclesia Romana hodierna ex Jesuitis & Jesuitistis est conflata.

Ergo Ecclesia Romana hodierna est Ecclesia malignantium.

Primi syllogismi majorem extra controversiam esse dicis; illa tamen ambiguum sensum præfert, vel enim Ecclesia illa tota dumtaxat malignantium est, vel enim Ecclesia illa tota dumtaxat malignantium est, ac proinde non est vera Ecclesia; & in hoc sensu tua major vera est; vel aliqua tantùm illius membra, etiam ex præcipuis sunt malignantia; & sic vera Ecclesia esse non definit, modò fidei dogmata, quæ omnibus proponit, ab omni errore immunia sint: in hoc sensu prædicta major falsa est. Quod verò ad minorem spectat, illa non modò falsa est, verùm etiam blasphema, quare major secundi syllogismi falsa est, minor contumeliosa, quasi Ecclesia ex solis Iesuitis constet: si tamen illam Ecclesiam appelles & intelligas, cujus Societas Iesuitarum membrum est, licèt exiguum; in hoc sensu, tua minor vera est, sed falsissima major; illa enim Ecclesia, cujus aliquam partem Iesuitæ faciunt, non est Ecclesia malignantium.

Est verò quod te pudeat, Christiane, benignissimam Parentem Ecclesiam, malignantium Ecclesiam appellare? cui enim maligna est Ecclesia? cui non benigna & benefica? Iesuitæ etiam maligni non sunt, quorum institutum ad eum potissimum finem spectat, ut benignissimi Salvatoris & Apostolorum exemplo, omnibus benefaciendo pertranseant; tu verò in primis malignus es, & totus in maligno positus, qui Catholicis malignitatem exprobras; quid enim quæso malignius excogitari potest, quam insontibus furta, falsa testamenta, perjuria, & Catholicis hominibus hæresim vel atheismum imponere. Ducem, inquis Valerianum sequor. At si cœcus cœcum ducat, ambo in foveam cadunt.

§. XXIII.

Subnectis nonnulla æque inepta; nimirum Pontificios (sic Catholicos appellas) in duas sectas distinctos esse, Valerianistarum scilicet & Iesuitistarum (tuis terminis utor) Iesuitistis Romanum Pontificem & Romanam curiam accensos. Valerianistæ, inquis meis demonstrationibus cedant, necesse est, cum ex Valeriani principiis & doctrina deductæ fuerint; alii verò assertiones Valeriani fortè rejicient & falsitatis postulabunt, sed frustra, inquis; nihil enim eorum, quæ contra Iesuitas à Valeriano adeò constanter promulgata fuerunt, vi veritatis adstricti, inficiari unquam ausi sunt, nec causam suam agere coram illo tribunali ad quod eos Valerianus rapuit.

Semper repugnantia loqueris, nebulo spectatissime; conqueritur toties Valerianus, quod ab Alexandro VII. jussus sit per singulare decretum, quod tamen ipse perfumdedit, nihil edere in lucem sine licentia S. Congregationis, quod prædictam licentiam sæpe ac sæpius emixè petierit, & semper repulsam passus sit; quod in carcerem per fas & nefas Pontificis jussu detrusus sit, Romam deportandus ut judicaretur: & hæc facta esse conqueritur, arte, opera & auctoritate Iesuitarum, qua plurimum apud Pontificem pollent, qui, ut supra dicebas, Iesuitæ sectæ addictus est, Iesuitæ igitur ad tribunal illud confugerant, ad quod Valerianus illos provocaverat & rapuerat, atque adeò adversa parte vocata, immo & multata, vel hoc nomine causam vicerunt: cur ergo dicis, ne hiscere quidem ausos fuisse, cum eorum criminum, quorum accusati fuerant, convictiessent. Nisi hæc inter se repugnent, quid uspiam repugnare non video & miror, Rostochiensem Academicum non fœdè lapsum esse: hæc ad hominem, ut ajunt, rem ipsa, Iesuitæ tacuerunt; non veritatis, sed charitatis & Christianæ patientiæ vi constricti: largure scandalum optimis quibusque cum summo dolore conjunctum Valerianus præbuerat; illud Iesuitæ, contentione aucta, augendum esse non duxerunt: & ne fortè vobis aliisque Heterodoxis risum moverent, in scenam prodire noluerunt: addes is Christi consilium de patientia Evangelica, nimirum de bono opere lapidari, & dignos haberi pro nomine Christi aliquid pati; sed bonus sum, qui margaritas ante porcos projicio.

§. XXIV.

Quod autem Pontifici & Cardinalibus illa omnia perspecta fuerint quæ contra Iesuitas ad Romanum tribunal à Valeriano delata fuerant, certo certius additur, inquis, ex binis literis à Sancta Congregatione ad eum scriptis, & authentica Cardinalium Borgiæ & Pamphilii subscriptione munitis, in quibus zelus & doctrina ejusdem Valeriani non mediocriter laudantur, eique suadetur constantia in exhibendis Sanctæ Sedi obsequiis, illi denique Sancta Congregatio sancte pollicetur, usuram se illius doctrinæ in omnibus gravioribus occasionibus. Doctrina igitur Valeriani vera est, alioquin Sancta Congregatio nunquam hoc pollicita fuisset; sed inter alia hoc ipsum complectitur, quod Iesuitæ hæresi, vel atheismo infecti sint: & verò, inquis, nisi Romana Curia eas veras esse credidisset, quæ de Iesuitis Valerianus constanter affirmat, nunquam alioquin tantam Valeriani arrogantiam & petulantiam toleraſſet: exclamo, inquis, & peto, aut puniri, si malus sum; aut compesci Iesuitas, si innocens, *apol pag.* 85. & 113. provocavi Cæsarem & Pontificem, iterumque provoco: ad ulciscendam injuriam factam illi Societati, si mea denunciatione ea non involvit, quæ sufficiant compellere Iudicem ad inquisitionem juridicam. Certè, inquit, Valerianus impunè non tuliſſet, si vel minimi mendacii convinci potuisset.

Ab hoc ultimo incipio, nempe impunè non tulisse; cum enim nimia indulgentia (multæ quippe ruinas faciebant, ne severiùs Sedes Apostolica cum hominem illo ageret, ne alioquin turbas cum scandalo excitaret) cum inquam diuturna illa indulgentia noceret potiùs, quàm juvaret, qua scilicet Valerianus pervicacior & obstinatior fieret, Romanus Pontifex primò quidem illi silentium imposuit, singulari decreto

decimo, cui eum ille minimè parcuisset, procrastinandum ulla esse non duxit, sed hominem in carcerem dimittere, ac deduci Romam, ut ibi judicaretur; quod & factum est, ut jam dixi, hominum judicio illustrissimo, ut divino subjiceret. Male igitur infers, Deum tabuisse, ut divino subjiceret. Male igitur infers, Deum tabuisse, ut divino subjiceret. Male igitur infers, Christum, ex impunitate denunciantis justitiam & veritatem denuntiationis, cum certè impune non tuerentur denuntiationis, cum certè impune non tuerentur denuntiationis, cum certè impune non tuerentur

unus scripsit ; Valerianum Rheintelsæ causam religionis male egisse, alter verò , illum sibi nimium arrogare, suisque indulgere affectibus ; ut Princeps fidem facit *pag.* 71.

Sed quò tandem tua demonstratio Christiane? in fumum abiit ; quia solida non fuit, ut promiseras, sed inanis : solidam pro inani rependo paucis verbis.

Illa Ecclesia vera non est quæ est nova , quæ nullam habet vivam fidei regulam , nullum controversiarum in materia fidei judicem , nullum caput , nullam certam fidem , nulla stabilia & sibi constantia dogmata, nullam Hierarchiam , nullum jurisdictionis spiritualis titulum , nullum perfectionis Evangelicæ statum , nullum missionis principium.

Hæc major propositio certa est, eaque de fide: sed Ecclesia Lutheranorum est hujusmodi , ut per se patet; quid enim horum negari potest ; non primum, quia Lutherus , qui novus est , vestram Ecclesiam fundavit ; quam enim amabò fidem ante Lutherum majores vestri profitebantur? nostram profectò , scilicet Catholicam: non secundum , assigna enim regulam illam vivam erroris minimè obnoxiam : an Ministellos & Doctores vestros? sed inter se illi non consentiunt, quis porro iis hanc potestatem fecit ? non tertium & quartum, quod eodem modo probatur: non quintum & sextum, quia toties mutatis , & quot capita inter vos, tot sensus, etiam in iis , quæ ad fidem pertinent; non septimum, quis enim supremus Hierarcha vobis est? an Princeps Meckelerburgicus? sed hic hæresim vestram ejuravit , & modò noster est; si verò fœmina Rostochii Domina esset , illam pro Hierarchiæ vestræ principe haberetis , & Papissæ nostræ fabulam in veram historiam verteretis: non octavum , quem enim jurisdictionis titulum , legitimum scilicet & bene fundatum appellare poteritis? non verò nonum , quia nullus inter vos religionis status , nullus Paupertatis voluntariæ & castitatis perpetuæ usus. Non denique decimum , unde enim missionem vestram habetis ? & quis inter vos auctoritate mittendi pollet ? consistorium nostrum, inquies, sed quis hanc consistorio vestro potestatem fecit? minor igitur certa est, ex utraque deduco conclusionem.

Ergo Ecclesia Lutheranorum non est vera Ecclesia.

APPENDIX

ad Primam Partem.

APPENDICIS *loco subnecto duas Epistolas Celsissimi Principis Ernesti ; Primam quidem prolixiorem ad Valerianum scriptam , & jam aliàs typis mandatam; alteram verò ad Fratrem Fortunatum longè breviorem, & nondum, saltem quod sciam , in lucem editam. Vtraque ad rem hanc pertinet & calumniarum Iesuitis affictarum luculenta refutatio est ; parum abfuit, quin primam Latiniorem redderem , Sed re melius ponderata illius simplicitati nihil detrahendum esse duxi, utramque igitur, nulla prorsus mutatione facta, hic subnecto.*

AUDIATUR ET ALTERA PARS,

SEV

COPIA LITERARUM

Serenissimi Principis, ac Domini,

D. ERNESTI

HASSIÆ LANDGRAVII,

& cætera.

AD R. P.

VALERIANUM MAGNI

Ord. S. Francisci Capuccinum.

DE SIC DICTA EIVS APOLOGIA contra imaginatas sibi

Impostura Jesuitarum.

Pacem & veritatem diligite, ait Dominus Omnipotens. *Zachar.* 8.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Philip.* 4.

ADMODVM REVERENDE in Christo Pater,

QUM absque hoc, scribendo & concertando adeo defessus sim, ut eo genere etiam cum publicis Religionis nostræ adversariis (ob id nimirum, quod eiusmodi certaminis inde fructus sperandus , & hâc præsertim magis, quam unquam, carnalibus & iniquitate repletis temporibus, paucissimi inveniantur, quibus unica sua salus, & agnitio veritatis, verè cordi sit) hinc & inde supersederam, sic spero, ad minimum me liberum teneri ab illa suspicione , quod in hac vestra mili materia, ad scribendum, & quidem contra Religiosos Catholicos , nullus me certè pruritus impulerit, non ignorans, quod alioquin plerumque, tum inter Catholicos , volantia scripta , illam à Christo Domino tam strictè injunctam charitatem, sæpè non minus lædere , quàm etiam inimicis Ecclesiæ in sua perversitate exultandi & eo magis se indutandi, causam dare soleant, præcipuè quod cum Psalmista Regio *Psalm.* 52. dicere possim: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique , & si is , qui oderat me, magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu vero homo unanimis (Catholicus, Religiosus & amicissimus,) Dux meus & notus noster, qui simul mecum dulces capiebas cibos , in domo Dei ambulavimus cum consentiente.* Attamen quia R. T. tam in Commentario, quam in Apologia & literis suis, contra Patr. Societ. Jesu egregatis, mei variè mentionem facit, & adeo quidem, ut inde, si ita esset, nihil aliud colligi posset, quam quod te. 1. reprehensibili ingratitudine tractassem. 2. quia me à Patribus Societatis Jesu, per natum, ut dicitur, circumduci & decipi sinerem , iidemque me, tanquam suo mancipio , in omnibus pro suo libitu uterentur, quod tamen ipsis, si præsumerent, non minus quam mihi, indecorum esset. 3. quasi tibi in meis, immediatè ante has ad te datis literis, quippiam indecenter scripsissem. 4. quod ad nutum quasi Patrum Societa-

Societatis Jesu, RR. PP. Capucinos, qui hic habitant, ad discessum hinc, contra omnem æquitatem & decentiam coëgerim, & sacrum istum & meritissimum charum Ordinem Capucinorum ignominiosè tractassem. Jam vero cum hæc ejusmodi sint, quibus meritò innocenter onerari, bonam nostri existimationem, tam in vivis, quam post mortem, ita imminui; & oppressa veritate Injusti triumphare, videre non possim, eò magis, quòd nuper jam in libro aliquo Jansenistico contra PP. Societatis in Gallia in lucem edito (qui tamen nihil aliud, quam auctoritate magni Consilii Regii ad ignominiam & Parisiis publicè comburi, meritò condemnari & Parisiis publicè comburi, meritò videri possit) ubi hæc adhuc scribere proposui: quod sicut ex me ipso facio, sine cujusquam mortalis, aut Jesuitæ impulsu, ita etiam ego ipse hæc in lingua vernacula scripsi, & per unum, qui est in meis servitiis, dictum Hermannum Beernklavv, hominem Teutonem, & qui paulò majorem me in lingua Latina sum habet, ex Germanico in Latinum transtulit. Nemo Jesuitarum hoc scriptum, priusquam typis esset fuit, vidit, nec eorum aliquis ad illud quicquam contribuit: hoc ita verum est, sicut & hic cum aliis præcedentibus, ubi etiam operâ alicujus ex meis officiatis, qui adhuc sæcularis est, usus sum: quamvis autem tu, aliique tui similes, pro more, contrarium suspicientur; attamen in veritate & coram Deo, aliter se non habet: consuetudo tua non est, Deo sit laus, in rebus seriis mentiendi: fecit quod Deus ad defensionem sui honoris, & veritatis constitutione sua mediacliis prorsus non indigeat. Conscripta mea (casu quo in illo solo tu, ne alii, qui forte ejusdem tecum sunt mentis, mihi fidem habuerint) tibi, aliisque ad oculum monstrari possint, & PP. Capucinis, nunc hic prope nos habitantibus videndum dabuntur. Sed nec hoc contra me sufficiens erit remedium, siquidem cum Samuele Maresio, Prædicante Calvinistico Groningensi (ut in similibus de me publicè scripsit) forte, sicut ille de mea Epistola Coloniæ ad Calixtum scripta, diceres, quod ego quidem illam ipse, sed non aliter, quam per salutarem mihi à Patribus Societatis impositam pœnitentiam, ita dictaverim, adeò ut, sicut video, nullum aliud in simili casu restet medium, quàm ut semper aliquis adsit, & scribere eum videat eo tempore, quo similia scribenda sunt. Sed tamen speraverim, si fiat provocatio ad Deum honorem que Divinum, quod tam ejusmodi suspicioni locus esse non deberet, & quidem tali, quæ mihi (si me aliàs non novissem) vanam quandam gloriam dare posset, quasi scripta mea ex scripta, à Patribus Societatis composita transissent. Præter hæc non spero, quò aversio contra me eò usque occupaverit, ut credas, si aliquorum istiusmodi composuisset, non multò meliùs quam sic, ab iis facta fuisse? ad minimum qui Latinum norunt, & de cætero planè certus sum, quod si tantum Generalis eorum permitteret, & etiam sine ulteriori offensione charitatis fieri posset, quòd responsio omnino non esset defutura, & quidem talis, quæ tibi nec proficua, nec grata foret.

Scriptum hoc in quatuor partes dividam. In Prima dicetur de conversione mea ad fidem Catholicam, & de colloquio Rheinfelsensi inter R. T. & Doctorem Petrum Haberkornium, Lutheranum. In secunda, de eo quod inter te & P. Rosendal, Societatis Jesu, nunc piæ memoriæ, contigit. In tertia, de Patribus Capucinis, qui hic in Oppido S. Goaris habitarunt, eorumque abitu in Anno 1657. siquidem, uti hæc sunt res planè separatæ, ita etiam de iis separatim dicetur, nec aliis immiscebuntur. Quarta continebit responsionem ad varias, in tua sic dicta Apologia, res mentionatas.

PARS PRIMA.

De mea conversione ad fidem Catholicam & de colloquio Rheinfelsensi inter P. Valerianum & Doctorem Haberkornium, Lutheranum.

QUod ego ex Domo Hassiaca (quæ de Protestantibus Germaniæ ut mundo notum, tam benè merita est) & quidem de Principe Mauritio Hassiæ Landgravio, qui propter zelum pro Religione Calvinistica, terras suas propè omnes amisit, sim natus: Quanto cum zelo in Religione jam dicta semper educatus sim, ita etiam ut in exteris nationibus Prædicans mihi semper adjunctus fuerit: Quam zelosè etiam eam ipsam Religionem, ut semper à me tum temporis pro vera habitam, coluerim: quod & aliquibus annis in bello Germanico contra Impetatorem & Catholicos, partes Protestantium secutus, servierim, id non minus tibi, quam ubique ferè in Germania aliis constat. Inæstate anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo proficiscebar Viennam, propter notum illum processum, qui ventilabat inter me & Nepotem meum, D. Wilhelmum Landgravium Hasso-Cassellanum, in puncto juris primogenituræ, sed planè non ea intentione, ut ibidem Catholicus fierem, quia tum temporis Religionem illam pro verâ adhuc non agnoscebam, nec unquam (favente Deo) istius mentis fui (quod tamen Acatholici de me æquè ac de aliis, qui se convertunt, somniant, & malitiosè spargunt) ut conscientiam meam ob respectus humanos gravarem: & tantum abest quod propterea Religionem mutaverim, ut si tales respectus æternæ saluti præferre voluissem, potius in ea, qua natus sum Religione manere, quam ad Catholicam me convertere debuissem. Verum est, quod à puero per singularem gratiam divinam semper paratus fuerim, nunquam veritati agnitæ repugnare, sed cor meum pro Deo semper habere apertum: quam gratiam sine dubio Deus ter opt. max. per immissionem Divini luminis in agnoscenda veritate Catholica, adhuc magis magisque augere voluit: Cum ergo Viennæ, curiositatis ergò, in suburbio ibidem, P. Alphonsum Staimos ex Ordine Eremitarum Sancti Augustini, controversias fidei non sine magna eloquentia & populi confluxu, concionantem sæpius audivissem, tum primò quasi ex somno ignorantiæ & præoccupationis meæ excitatus, causam sumpsi, rem illam

illam paulò magis, quàm antea feceram, ponderandi: & cum mihi postea per D. Comitem Maximilianum de Gronsfeld, Generalem Cæsareum, lectio celeberrimi illius operis, Replicæ Cardinalis Perronii, ad Jacobum Regem Angliæ & doctum suum Calvinistam, Casaubonum Gallicè, æquè ac motivorum conversionis ad fidem Catholicam D. Marchionis Wilhelmi de Brandenburg, Germanicè scriptorum, recommendata esset, me lectione eorum & præcipuè primò dicti tractatus, quasi planè à Domino Deo illuminatum ad amplectendam veritatem Catholicam sensi, ita ut mihi nihil ferè deesse, quam publicam ejus facere professionem, & Sanctorum Sacramentorum me reddere participem, quamvis ob certas circunstantias propositum hoc meum tum temporis in mente retinere deberem, nec publicè declarare auderem. Cum jam in hoc statu essem, prima vice R. T. in mensa Ducis Amalfi, aut Generalis Piccolominii vidi, & novisse cœpi, & uti ipse non ignoras, me tum temporis ita constitutum invenisti: Quæ omnia propter amorem puræ veritatis, & non illâ intentione dico, quasi me puderet, quod postea in perficiendâ mea conversione cum ædificatione operâ tuâ usus sim, cùm non rarò contingat, quod per hunc & illum hominem viventem, tanquam per instrumentum, unus aut alter convertatur, & tu ad hoc etiam mihi satis capax sis: Hæc ita, & non aliter se habent, & quantum ad me, non sum ejusdem cum istis Theologis & Religiosis, vel aliis personis opinionis, qui suam propriam personalem reputationem illis, quæ Deo soli aliisque mediis adscribenda sunt, interdum miscere & intercessare volunt: O quàm valde enim vanam gloriam & carnales affectus hoc sapit! & Deus raro hisce benedicere solet, cùm in similibus aliud, præter ipsum, quæritur. Cum R. T. me jam ita constitutum invenisset (uti aliter non memini, & certè etiam nihil extra veritatem in medium producere intendo) te obtulisti, casu quo à te desiderarem, quod Viennâ Rheinfelsam ad me venire, & solennem quandam disputationem cum præcipuis acatholicis Theologis Germaniæ inire, eumque in finem Romam ad Congregationem de propaganda fide scribere & permissionem petere velles. Quid cum Prædicante Calvinistico Nigrino in Polonia aut Prussia effeceris; Quomodo in Philosophia cum tuo vacuo omnia evacuaveris: quod ante omnia me monueris, ne cum Jesuitis (de quibus inter alia multa, quibus eos jam tum onerabas, mihi Italicè dicebas) *certo anno del Heretico*, id est, aliquid Hæretici redolent) rem haberem, id adhuc mihi non excidit, & postea nimium satis experiri debui, quod tua aversio contra Jesuitas limites non haberet, ita ut etiam tuus ipse frater germanus Comes Franciscus Magni una vice dixerit, quod diceres, te hac in re non habere libertatem: & quando finem facerem, tuum in hoc genere mihi notissimum procedere describendi? Jam verò Ego, qui tum temporis apud Catholicos adhuc, uti postea, ita nondum notus eram, & absque hoc, pro majori ædificatione meorum, Catholicorum fratrum, agnatorum patriæ, & subditorum, & ad evitandum omne prorsus conceptum alicujus præcipitantiæ in mutanda Religione, apud me decreveram, antequam effectivè & ad publicam mutationem accederem, prius utriusque partis Theologos, non modò super controversiis audire, sed etiam eorum libros diligenter (uti toto anno 1651. feceram, legere, & cum eorum Theologis conversari & tractare, tuam istam, dico, oblationem acceptavi & uti aliter non scio, tu etiam propterea Romam ad Congregationem de propaganda fide, pro licentia & mandato scripsisti, & ita demum res eo usque pervenit, ut in æstate, anno 1652. te Viennâ venire curarim, & quod tres principui tum temporis in Imperio Germanico ex Protestantibus Theologi, nempe Georgius Calixtus, Lutheranus Professor Helmstadii & DD. Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Theologus, Joannes Crocius Calvinista, Professor Marpurgensis, Domini Landgravii Hasso-Cassellani Theologus, & Petrus Haberkornius Lutheranus, Professor Giesensis, ac D. Landgravii Hasso-Darmstadini Theologus, Francofurtum ad Mœnum à me provocati vel invitati fuerint. Cum verò hi tres, sine dubio ex respectu timere sese ipsos supervenientis discordiæ & inde consecturæ confusionis (siquidem ambo isti Lutherani Calixtus & Haberkornius, inter cætera, etiam particulariter ratione ubiquitatis corporis Christi, notoriè inter se valdè dissidebant, & tertius Calvinista erat) in locum prætactum simul omnes comparere noluerunt, sed tantum D. Landgravius Georgius Hasso-Darmbstadinus postmodum suum jam dictum Ubiquitarium Theologum Haberkornium, cum literis aliis huc misit. Quid autem hi egerint, illi literæ utrimque scriptæ, & acta Rheinfelsensia satis probant. Quo, sed tamen brevi, colloquio finito, cum ego ita, sine publica fidei Catholicæ professione & participatione Sanctorum Sacramentorum, diutius manere nollem, unà cum conjuge mea Coloniam profectus sum, & ibidem uterque, sextâ Januarii, in Festo Trium Regum Anno 1652. moderno Domino Electore Colonienſi celebrata primitias in Ecclesia Metropolitana, solemniter publicam professionem fecit. Post hæc Ego P. Bartholomæo Wernensi Capucino, primò generaliter confessus sum, & in festo Purificatæ Virginis, in Ecclesiâ P. P. Capucinorum Coloniæ prima vice ad Sacram Synaxin accessi. De cætero verum est, quo ad meam conjugem, quod ad eam convertendam Deus R. T. uti instrumento, usus sit. Deinde Paternitas tua Clivam & inde rediens, profecta est Herbipolim, ac in Austriam & Ratisbonam versus. Sed tria, ni fallor, statim à mea conversione ubi illme displicuerunt, & te malè habuerunt, & quæ tu ex illa jam pridem contra Jesuitas accepta suspicione, illorum artibus, & non meæ propriæ, mihi tamen optimè perspectæ inclinationi libeæ, adscribis, quod in hoc vel illo, juxta expectationem tuam, te ita extollere noluerim, uti credebas te benè meritum esse: Sed mi P. Valeriane, illi, qui me benè noverunt, sciunt humorem meum in similibus, quod scilicet pauca verba mea, & multum in re ipsa desiderem, nec libenter iis rebus, quæ honorem Dei omninò & solum concernentes, ab omni privato honore & gloria vacuæ esse deberent, humanam laudem, & vanam jactationem admixtam videam, & licet in iis versatus non sum, ita me illis etiam non impendo, & adhuc multò minus pro me desidero, quod ego R. P. Rosendal pro meo Confessario sumpserim, & cum PP. Societatis confidenter agerem. 3. quod motiva meæ conversionis non pene, sed per celebres, & in controversiis bene versatos duos fratres, Dominos de Walenburg, nunc Moguntinum & Colonienſem Suffraganeos in scripta redigi, & in lucem ire fecerim. Sed ab hisce tribus Jesuitas, bona conscientia, absolvere possum, & dico,

tolerit hoc mihi integrum fuit, & nemini per hoc præjudicare volui, ita etiam libera mea in eo voluntate. PP. Jesuitæ se nunquam nec per se, nec per alium hoc obtuleruut, multò minus intruserunt, aut vel minimum verbum effuderunt, sed id totum à me ipso provenit.

PARS SECUNDA.

De eorum Dissusto, sive Offensa R. P. Valeriani Magni contra P. Rosendal, & Societatem, ex eo, quod aliquid mentionatum fuerit in libello, aliàs contra Acatholicos scripto.

Profectus circa finem anni 1652. pro prima vice postquam publicam fidei professionem feceram, in Hassiam inferiorem patriam meam, quæ viginti & duobus Germanicis, & centum triginta circiter Italicis milliaribus hinc distat, invisere fratres & agnatos meos; ubi cum multum, licèt prô dolor, invenum laborarem, fratrem meum natu maximum, D. Hermannum Hassiæ Landgravium (principem de cætero virtutibus moralibus ornatissimum) ad agnitionem fidei Catholicæ perducere; præsentabat hic mihi parvum quemdam libellum cujusdam Prædicantis Calvinistici, & Doctoris Theologiæ Sebastiani Kurtii, contra Doctorem quendam Catholicum Eliam Schiller, Viennensem, ordine juxta suam præoccupationem, eum ita fictum esse, ut ejus refutatio nostris Theologis negotium facesseret posset. Ego mox illam tradebam Confessario meo P. Rosendal (quem cum suo Socio P. Matthia Merrhem Colonienses, tum temporis Colonia Rheinfelsam, & inde ulterius in Hassiam meum adduxeram) & ab ipso brevem, & subitaneam eadem postulabam refutationem, ne fortè frater meus, cum aliis suæ religioni addictis, crederet, quod nihil contra obtici posset, vel quod multum temporis pro refutando illo requireretur. P. Rosendal, qui aliquin orare & meditari, quam scribere debuerat mallebat, ad meam instantiam, refutationem suscepit, & dicto libello hæretico ex tempore opposuit Tractatulum quendam Germanicum, de duobus follis, cui titulus est: *Duodecim Considerationes de solido super petram, & non super arenam, editus, cum duodecim considerationibus in aliquas Acatholicorum strophas*, ita ut in hac ultima parte demonstraret, quomodo Acatholici Prædicantes, & Theologi, per duodecim genera strophorum, seu structurarum, miseras animas ab agnitione Ecclesiæ Catholicæ abstraherent. Jam verò D. Calvinistici Theologus inter cætera etiam contra Doctorem Schiller, suo tractatui sive libello hoc inseruerat, quod scilicet P. Valerianus Magnus in colloquio Rheinfelsensi concessisset, *quod primatus Romani Pontificis ex sacro textu probari non posset*, & hinc non mediocriter volebat, quasi per hoc Ecclesiæ Catholicæ grave præjudicium accrevisset: Sed cum nec P. Rosendal, neque ego acta Rheinfelsensis Colloquii in isto itinere penès nos haberemus, bonus ille P. Rosendal ea inspicere non potuit, utrùm Valerianus ab adversario fideliter citatus esset: Imo ergo Pater in positione undecimæ strophæ sic modo asserit: *Quando aliquis Catholicus auctor modo ratiocinandi, ex ignorantia, vel inconsideratione, aut ex alio defectu aliquid scribit, quod aliter sentiendum fuerat id* (hæretici) *sic præcisè accipiunt, quasi id non proveniret ab aliquo particulari homine, sed universaliter à Catholicis: hac ratione non debuisset excitari tantus rumor ex eo, quod aliquis existimavit, non posse ex divinis libris probari primatum Romani Pontificis, multò magis pensandum erat, quod SS. Patres Hieronymus, Augustinus, Leo & alii ex iisdem Sacris libris olim argumentati sunt, & quomodo iidem in verbis Christi ad Petrum semper intellexerunt Ecclesiam universalem, tametsi in illis verbis non expressè suo nomine, vel aliis circumstantiis non fuerit nominatus hic aut ille Successor D. Petri: Nam hoc modò te non invenio expressum; tamen scio ego ex sacris libris, quod te debeam, velut meum proximum amare.* Sine mora mittitur hic P. Rosendallii libellus ad Typographum Coloniam, ut nempe illum adhuc in mea præsentia, hinc inde pro ædificatione Acatholicorum in Hassia distribuere possem. Quid fit? remittitur nobis impressus per postam, sed mero casu (uti mihi optimè constat; quod tamen postea P. Valerianus, ad eò magis legitimandam suam suspicionem, pro se sumpsit) accidit, quod nomen auctoris & facultas imprimendi, à Librario omissa fuerint, cum tamen alioquin sine approbatione impressus non fuerit, ut statim postea, nimirum in secunda editione, satis apparuit: quam primum ergo lucem aspexit, & forte unus aut alter, ad inveniendum aliquid contra Jesuitas, eum cum attentione legit, P. Valeriano transmissus fuit: quo facto, mox ingens excitatus est rumor, quasi mundus sursum deorsum ire deberet. P. Bonaventura Rurhenus, aliàs ex Oppido Ruden in Westphalia, Capucinus, statim libellum quendam Germanicum, sub titulo (*Zweiff bedencken eines lehrjungen in der bavvu-Kunst, vber zvveen Meister der selbigen Kunst, einen alten Griechen, vnd einen jungen Creter*: Id est: *Duodecim considerationes cujusdam Tyronis in architectura, in duos ejusdem artis Magistros, seu artifices, annosum Græcum unum, & alterum juniorem Cretensem*) absque permissu Superiorum evulgavit; ob quod etiam in illum & socium, qui adjuverat eum hinc inde spargere, auctoritate D. Nuncii Apostolici Colonienses, D. Josephi San. Felicio, nunc p. m. Coloniæ exemplariter animadversum est, & conventum ibidem exire jussi sunt. Hic primum hac in re incipit R. T. calamum sumere, & aversioni contra Jesuitas frenum laxare: Tunc dicebatur, quod PP. Jesuitæ tibi inviderent gloriam, me, meam conjugem, aliquos ex ministris & domesticis, aliosque à te conversos esse: Quod doctrinam tuam pro suspectâ, & te pro hæretico & infami tenerent, imò quod lepidum est, tua, aliorumque suspicio eo progressa est, ut totam libelli conclusionem, contra Acatholicos directam, (ubi juxta S. Augustinum *lib. contra Epist. Manich. fund. c. 6.* dicentem*: *Superbia mater omnium hæreticorum*, sic finit: *Nos volumus non insolescere superba disputatione, sed cum humilitate suspirare, & Dei misericordiam implorare, ut congreget, quod dispersum est*,) quasi te respicere crederes: cum tamen è contra certus sim, quod bonus ille P. Rosendal, ne quidem unquam cogitarit, te hoc passu tangere: tum dicebatur, inquam, de meris machinationibus & artificiis Jesuitarum, quorum artium ego essem instrumentum: tum erat, & adhuc est in ore, in causa malè informatorum, quod P. Rosendal verbum illud, *Solo*, tui gravandi causa studio omiserit, & tuum textum falsificarit, cum tamen id ob eam causam deliberatò non fecerit, sed, ad summum, tantum culpari posset, quod adversario nimium in allegatione sua fidisset: Sed mi Valeriane, acta hujus

tui

tui colloquii Rheinfelsensis demonstrant, quod quidem uno in loco, nimirum *pag.* 13. usus fueris additione particulæ, *solo*; at primo mi pater, scilicet, *pag.* 12. *circa finem*, nomine sociorum tuorum rotundè asserebas: *Candidè fatemur, non extare argumentum Catholicum ex sacro textu, quod inferat hanc thesin à nobis positam in prima actione*: Ubi nunc P. Rosendal falsificavit textum tuum, vel suum proprium, sicut ipsum inculpas? & tu quidem omnia super hoc struis: audi autem, mi Valeriane, cum postea P. Rosendal auctas, vel amplificatas considerationes contra Crocium, (quia ille, & non Sebastianus Kurtzius responderat) pro secunda editione Coloniæ typis mandari curasset, & tunc aliquid in textu, non quidem per P. Rosendal, sed per tunc temporis librorum censorem D. Paulum Stravium, Episcopum Joppensem, & Suffraganeum Coloniensem, tui mitigandi causa, mutatum esset, tum P. Rosendal transmisso sibi libello, & visa mutatione quamprimum dixit, nunc P. Valerianus mihi crimen falsi imponere volet, & sic mihi ad pacem serviet: Quæ sicut mihi optimè nota sunt, ita etiam desuper solidissimè, & supra conscientiam meam (quam aliàs in casu falsi pro totius mundi bonis non gravarem) testari possum. Clamabas etiam, quod Jesuitæ librum sub titulo cujusdam anonymi contra te ediderint, & te pro hæretico & stolido, adeoque in te totum Ordinem horrendo traduxerint: & tamen in se nil aliud est, quàm quod in genere R. P. Rosendal contra Acatholicos in undecima strophe dixit, ob quod tu ita insultasti, & tantum rumoris excitasti; cum tamen ne vel semel ibidem nominatus fueris, nec ex mille unicus, qui eam legisset, scivisset, te aliquo modo ibi peti, & ad summum P. Rosendal p. m. te tantum alicujus defectus in modo ratiocinandi arguit. Nam quomodo extorquere potes, ut necessariò id, quod de ignorantia & inconsiderantia dixit, te concernere reputari debeat? & demum si te non nominatum, erroris, qui ex ignorantia, aut inconsiderantia aliqua provenisset, arguisset, bone Deus! propterea omnia sursum deorsum ire deberent: & quid putas, si PP. Dominicani, v. g. Jesuitæ, & alii Religiosi semper ejusmodi, imò prout causa est, majorem vellent excitare rumorem, Deus! quæ non inde præclara sequerentur, si quandoque sententiæ hujus vel illius Doctoris & Theologi aliquo modo impeterentur. R. T. adhuc longè non est apud homines in existimatione alicujus Doctoris Angelici S. Thomæ de Aquino, & tamen pro calumnia non exaggeratur, si in hac vel illa sententia non sequaces, sed etiam contradictores habeat. O Cajetane, Melchior Cane, Ambrosi Catharine, Vasquez & Suarez! si hoc semper sit necessarium & laudabile, ut si hujus vel illius sententia in libris taxetur, & pro incommodè posità teneatur, statim quis se præbeat uti P. Valerianus de se fieri vult; quare & non pro vobis ita zelatum est? quare vos soli in hoc estis tam infelices? prius ille P. Rosendal suti mihi, qui ipsum bene novi, & tum temporis ipsi adfui, in primis constat) nullum sanè te offendendi animum habuit, sed credidit, se adversariæ objectioni non aliter, quam hoc modo, respondere potuisse; si autem, te purgandi causa, aliquid in lucem edere, te non poteras continere, nunquid & hoc modestè & eo, quem Christus Dominus præcepit, modo, & non cum tantâ acerbitate tam contra tibi imaginatum Adversarium tuum, quàm totum ejus Ordinem, fieri potuisset? ubi quæso illæ, vel Jesuitæ te pro hæretico proclamarunt? ubi te talem persecuti sunt? & denuntiarunt? tu vero, cujus cor jam à longo tempore amaritudinibus contra Societatem plenum erat, à te ipso hanc prætensam offensam extorsisti, præsertim cum te non nominato, & omnibus in terminis generalibus tantùm positis bene supersedere, vel ad minimum non cum ejusmodi strepitu, sed potius Christiano, & Religioso modo, te explicare & defendere potuisset. Nam profectò non esset bonum, si non aliter, quam tali genere scribendi alicui responderi, & sequis explicare posset. Sed fortè dices, tibi non constare, quid mihi ex hoc & illo loco, à tali & tali scriptum sit: Quid hic aut ille mihi dixerit, & quantam habeam causam etiam quævis deteriora de Jesuitis suspicandi. Tu autem, dico ego, non deberes statim omnis generis otiosis, & tibi ad placitum loquentibus, vel Jesuitis malevolentibus hominibus credere. Te assecurare possum, quod cum multis, iisque præpuis ex Societate locutus sim, & tamen nunquam audierim, te ab iis pro hæretico, stolido & infami haberi, & publicari: & quid? anne infirmitates & defectus aliqui humani, statim pro hæresibus & flagitiis reputandi sunt? Sed quæso quid aliud mali fecerat bonus P. Rosendal, nisi quod illum pro meo Confessario, & Jesuitas ad me vocaverim, & quod hi non tanti æstimarent, quanti ab illis se haberi vellet. Novistine genium & naturam P. Rosendalli, unveri Religiosi? Ille ab ejusmodi scriptis & concertationibus inter Religiosos se tali modo abstrahebat, ut etiam cum frater ipsius germanus, Malachias Ordinis Cistercienſis Religiosus, vir doctus, pro necessitate tibi respondere vellet, ipse hoc planè noluit, cum Gregorio Nazianzeno dicere solitus: *Propter me tempestas hæc orta est, projicite me in mare*, id est, fiat de me, quicquid libuerit, dummodo omnia tendant ad majorem Dei gloriam, & confessionem charitatis. Hic vir in Deo ita religiosus erat, ut non solum libentissimè vitam suam, sed etiam eam, quam in hoc mundo habebat, bonum nominis existimationem Deo innocenter immolare, nec minus promptè Superioribus suis obedire, & hoc pro significata divina voluntate tenere, & se se in hoc passu submittere paratus esset. Imò si ipsum anno 1653. Ratisbonæ non impedivisset, ipsi remonstrando, quod te tua sinistra contra ipsum, & Societatem opinione tantum animosiorem & duriorem redderet, & ita ad scopum pacis assequendum nihil faceret; volebat bonus Pater tam Conventu tuo accedere, & veniam deprecari, quamvis certè non putarit eo tempore, cum hæc contra Acatholicos scriberet, te inde adeò offensum iri: & si desuper tantum videatur apologia ipsius P. Rosendallii, quam data occasione, sub titulo *auctæ vel amplificatæ considerationes*, pro secunda editione, & refutatione contra Joannem Crocium Professorem Calvinistam Matpurgensem scripsit, apparebit, quantâ cum modestia & mansuetudine, non arrogantâ tuâ, qua in scribendo usus es acerbitate, respuderit. Adhuc apud me custodiuntur literæ, quas Coloniâ ad me scripsit, nec minus memini sermonum ejus, quibus tam sedulò apud me insistit, ne antiste detestandi illius jam mentionati, Coloniæ contra ipsum P. Rosendallium emanati scommatis sequilli, *de annoso Græco & iuniore Cretensi*, quod etiam anlam meam calumniosè strinxit) apud illustrissimum D. Nuntium, nec quem vis alium, ulterius quid urgerem: In quo pasquillo (quem nec tu ipse, nisi te passio, & affectus tui omnino occupassent, prædicare posses) comparatio nigri capilli P.

Rosen-

Rosendalli cum habitu Ordinis sui, ubique sonabat, quidam alii plures nigrum habitum gestarent, & ne unum P. Rosendal nigros crines haberet: Sed tibi hæc placent, ut faxit Deus, quomodo etiam omnia, quæ tantùm isti intendunt contra Jesuitas servire videntur, approbes. Mi Rme Valeriane, crede mihi sincerè, quod si vellem tuam conscientiam provocare, istum P. Capucinum bene nominare possim, qui in discursu mecum, cum prima vice libellus dictus Scholasticus mearce, cum P. Bonaventuræ de Græco & Cretensi hic apparuit, dixerit: Quantus Jesuitas odio habuerit, ille vir Dei novit, qui illum mihi postea tanto vivacius ingerebat, quod judicium mihi postea tanto vivacius inculcavit, quod judicium mihi postea tanto vivacius inculcavit, quod judicium mihi postea tanto vivacius inculcavit

nere offensioni postposuisse; per tales tuos sermones sæpè etiam Acatholicos tibi parum conciliasti, & quem desuper contra te Acatholici Giesenses, sub titulo, *Manes Bellarmini*, in lucem emiserint librum, non ignoras. Mirum autem est, quod tibi hic etiam, quasi à Jesuita scriptus, non videatur esse suspectus, cum pari certè apparentia, quæ erat cum *Iocoso Severo Medico*.

PARS TERTIA.

De Residentia, seu Hospitio RR. PP. Capucinorum in Oppido S. Goaris, & eorum abitu in Anno 1657.

PUnctus hic planè separata tractatione indiget, nec debet ad nutum R. T. aliis immisceri, cùm nihil commune, aut nullam tecum habeat connexionem, nec PP. Capucini propter te hinc discedere debuerint, sicut etiam tua causa particularis non est causa universalis totius sacri Ordinis Capucinorum, quamvis libenter talem ex ea facere velles.

Ut autem illi, qui in hisce partibus minus noti sunt, se non confundant; sciant pro circumstantia, quòd arx, quæ in monte sita est, & in qua ego habito Rheinfelsa, & Oppidum in pede istius montis ad fluvium Rheni distans, S. Goar appelletur.

Sciendum ergo est,

Primò, quod licet anno 1651. in autumno, P. Valeriano hic præsente, ante publicam fidei declarationem, accidisse potuerit, quod mentio fortè facta sit, & aliqui sibi non aliam spem fecerint, quam quod nunc in posterum opera PP. Capucinorum hic usurus, iisdemque conventum ædificaturus essem. Ego autem tum temporis, neque me ad id resolvere, nec propter diversas circumstantias, (scilicet ob durantem adhuc processum cum Domo Cassellana) id facere non poteram; tamen verum est, quod tum temporis Patribus Capucinis nulla adhuc solida declaratio, uti memini, desuper à me data sit, quia in similibus pro majori utriusque partis securitate, semper sub manu & sigillo resolutionem meam libentissimè dare soleo.

Secundò: cum anno 1652. Coloniæ, quæ duobus diebus hinc distat, publice, uti dictum est, me Catholicum professus essem, & mihi placeret, (uti & unicuique licet) opera PP. Societatis in posterum uti, non solùm per Serenissimum Principem Palatinum, Ducem Neoburgensem, apud Societatem P. Rosendallium, qui tunc in templo Archiepiscopali Coloniæ concionator erat, pro meo Confessario & concionatore petivi, sed etiam,

Tertiò: apud Eminentissimos Archiepiscopos & Electores Moguntinum & Trevirensem, uti hujus mei districtus ordinarios, pro facultate per PP. Societatis administrandi Parochias, nimirum hic in S. Goar, Nastedden & Schvvalbach, tanquam præcipuis locis hujus inferioris comitatûs Catzenelenbogen institi, & sub dato Treviris 19. Martii 1652. in amplissima forma obtinui, uti monstrari adhuc potest. Ob certas autem circumstantias hic in Germania, rationes suas habet, quare non statim in principio Sacerdotes sæculares in hunc finem adhibere potuerim.

Quartò: & quidem in his omnibus PP. Jesuitæ, ne quidem verbum per se, aut per alios, uti cum Deo testari, & veritati patrocinando dicere possum, impenderunt, sed ego solus nudè ex me sed. fels, & præsentia Coloniæ, eodem anno 1652. Festis Paschalibus, per P. Sturin Societatis Jesu hîc primum possessionem quo ad Parochialia a prehendi, statimque post Pascha R. P. Rosend cum socio suo, ut dictum est, mecum huc venit, ita in veritate dici potest, quòd post meam pub cam conversionem PP. Societatis ante PP. Capu nos hîc fuerint.

Sextò: post Pascha anno 1652. & post reditu meum huc, PP. Capucini se hîc apud me intro runt, & in Oppido S. Goaris hospitium, inter peregrinos suos infra Confluentiam & Bingam, uno die Confluentia Bingam commode ire possent, excipiendi, etiam meæ conjugi in audien confessione, & mihi in aliis ministeriis Ecclesiast serviendi, petierunt.

Septimò: super quibus, & antequam huc ve rent, mentem meam, & qua conditione ipsis hu venire, & hîc habitare permitterem, in scriptis, in diplomate, quòd etiam sine contradictione acc ptarunt, ipsis dedi, & illi deinde, scilicet duo Patres & totidem Laici huc venerunt.

Octavò: in dicto diplomate, quòd monstrari potest, expressè continetur, quòd illis ad tempus, Hospitium in Oppido habere permittam, donec lis in meis NB. ditionibus certum quendam locum, ubi vellem, pro Conventu assignaturus essem.

Nonò: tum temporis contra domum Hassо-Cassellanam, cassationem noviter introductæ primogenituræ, nec minus tam in Ecclesiasticis quàm secularibus, ad modernum modum Protestantum in Imperio nostro Germanico, plenam & summam jurisdictionem, & superioritatem, & sic eo ipso facultatem illimitatam Catholicam Religionem introducendi, prætendebam.

Decimò: cùm autem propter injuriam temporum, & per interpositionem Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Eminentissimi Electoris Moguntini, anno 1653. in comitiis Ratisbonensibus, cum mentata Domo Hasso-Cassellana-ita postea transigeretur, ut ego non solùm in multis cedere, non tantùm limitato Catholicæ Religionis exercitio me contentare, sed etiam inter cætera pacisci deberem, ut tantùm unam Capellam pro D. Religionis Catholicæ exercitio in exiguo satis Oppido S. Goaris, cum expressa conditione, nullum Conventum, Seminarium, aut Collegiatam Ecclesiam ædificandi, habere mihi liceret.

Undecimò: PP. Capucinos amicabiliter requisivi, quod cum ipsos jam pro meo desiderio cum Conventu accommodare, aut providere non possem, me etiam intentio nunquam fuisset, illos absque hoc habendi: nec minus rem ita constitutam videri, ut ad longum subsistere non posset, quod duo, si quidem tales Ordines, scilicet Capucinorum, & Jesuitarum Missiones vel Residentiæ, unum sacrum passu regerent, & administrarent, & eundem numerum Catholicorum ambo pascerent, quam libi in Christianitate fieret, aut tali modo videretur, præsertim cum utrimque non satis occupati, diu sequenter cum decore simul hic esse non possint, ex eò quod vix alterutra ex Missionibus se satis occupatam credat: Ego etiam in timore essem, quod liber in jam dicta conventione cum Domo Cassellana cautum sit, ut mihi sine differentia Ordinum liceat fieri administrationem trium Parochiarum per eum per quem vellem, tamen ad longum, Domus Cassel-

lana

Van de plicis Ordinis residentias simul, & in uno loco earum arcto, disputatura esset. Accedit, quod opera PP. Societatis in itinere, & in consideratione aliarum circumstantiarum, commodius uti possem; attamen quod ratione hic transeuntium PP. Capucinorum hospitii hic congruè ordinare, vellem vicinia, in territorio Trevirensi ad procurandam residentiam, aut simile hospitium libenter operam navarent vellem: ut, inquam, rebus sic stantibus (ubi ego etiam tot insignibus, & quidem fundationis pretensionibus renuntiare debuerim) nunc temporis servire, & me ex istis difficultatibus eripere ipsis placeret: In primis cum,

Duodecimò: R. P. Willibrordus, tum temporis Superior hospitii seu Residentiæ Capucinorum ipse met mihi dixerit, quod illorum P. Generalis, qui in mea absentia, cùm Ratisbonæ essem, hac transivit, ultra fines sit, & ipsi Patri dixerit, se non videre, qui congruè fieri posset, ut tali modo, & in tali loco, & rerum statu duo Patres, & duo Laici Capucini, sine Ecclesia & Conventu, diutius soli habitare possent.

Decim-tertio: Sed R. P. Provincialis, nec ullus eorum in hoc consentire voluit, & potiùs Romæ coram Congregatione de propaganda fide, & apud Cæsaream Majestatem, necnon diversos Principes Electores de me & PP. Societatis, quasi hi illos tolerare non possent, & me ad procurandum eorum discessum impellerent, conquesti sunt, nec ullo modo decedere voluerunt, sequentibus, ut memini, argumentis, quæ partim oretenus, partim in scriptis proposita, innixi.

1. Cùm P. Valerianus ex ipsorum Ordine ante hæresim fuerit, sic esse primos. Resp. ad hoc in prioribus jam responsum est.

2. Quòd ab Eminentissimo Archiepiscopo, & Electore Trevirensi tanquam Ordinario loci facultatem Parochialem, & Romæ à Congregatione de propaganda fide, consensum obtinuerint. Resp. protestando ego nunquam pro PP. Capucinis institi, & adhuc hoc credere nolit, monstrentur literæ, quibus in uno aut altero loco, facultatem Parochias administrandi pro PP. Capucinis petierim; taceo, quòd Archiepiscopus Trevirensis, nec Congregatio dicti, & sufficienter informati fuerint, sed in utroque loco consensus meus, quem PP. Capucini improvisò pro se sumpserunt, ad narrata illorum impostus fuit.

3. Quòd Hasso-Cassellani erga ipsos expressè se declararint, quòd non desiderarent eorum abitum, sed potiùs quam Jesuitas, retinere hic mallent. Resp. credere, Cassellanos hoc dixisse, qui, uti alii omnes Catholici, Jesuitis inprimis malè volunt, sed ad eorum fuisset declaratio, & assecuratio aliqua in scriptis ejusdem tenoris, quod bene contenti essent, ut utriusque Ordinis missiones sive Residentiæ hic maneant: Ego autem è contra literas habeo à nepote quondam D. Wilhelmo Landgravio, in quibus quod PP. Capucini in hospitio suo tantum de asseribus aliquas clausulas fecerint, & hoc alicui Conventui contra similiorum simile videretur, valde tanquam suæ conventionis conqueritur.

4. Quod ipsi, scilicet PP. Capucini ad convertendos Acatholicos æquè idonei ac Jesuitæ essent, & cum hominibus in communi, tam Acatholicis, quàm Catholicis chariores quàm Jesuitæ essent: auditorium ipsorum prædicaret pro eis, dummodo foràs per plateas incederent: quod sustentatio sua minùs quàm Jesuitarum constaret, & quod hospitalitati etiam vacarent. Resp. his omnibus nec contradico, nec concertare volo, sed interim spero, cum impetratio exercitii Catholici pro hisce ditionibus meis mihi tanti constiterit, quod ad minimum nemo mihi satisfactionem istam, PP. Societatis, uti etiam bonis Religiosis, utendi, invidebit.

5. Quod cryptam, tum temporis sacellum S. Goaris, in Oppido tanto jam tempore soli deserviissent, & ego ipse anno 1652. in die S. Goaris P. Serapioni Capucino clavem inde tradidissem, etiam diu soli in Oppido S. Goaris habitassent, PP. Jesuitis in arce commorantibus. Resp. mens mea nunquam fuit, ut si pro mea commoditate & placito contingeret, PP. Jesuitas non amplius apud me in arce, sed Oppido habitare, quod per hoc PP. Capucinis, id, quod taliter, ut video, prætendunt, concesserim; nam istum modum agendi ego non capio, & mihi semper integrum fuit, PP. Jesuitis vel hic in arce apud me, vel in Oppido S. Goaris habitationem concedere, & administrationem sacelli committere, cui mihi liberet.

6. Esset ipsis ignominiosum, & daret occasionem credendi, quasi se minus bene gessissent, adeo ut causa P. Valeriani, negotio isti immisceri velle videretur. Resp. hoc à mea parte de illis nunquam existimatum est, sed semper illos habui, & tenui pro Religiosis bonis, & piis, & hominibus mihi inprimis charis: nec causa P. Valeriai cum hac connexionem habet, nec ipsi propter illum luere deberent.

7. Quòd domus, quam ego conductionis modo illis concesserim, ab aliquo ipsis certa conditione cessa esset, & quod per aliquem Apostolicum Notarium Moguntinum, eatenus jam possessio pro ipsis apprehensa esset. Resp. hujus hominis non erat nisi minima pars istius domus, & præter hæc, uti notorium, erat insignis impostor, siquidem brevi pòst ob horrendum scelus Moguntiæ rotæ impositus fuit: Ego autem è contra cum veris domus proprietariis jam contraxeram, & partem pretii solveram, adeò ut boni Patres per prætensam istam cessionem non mediocriter decepti fuerint. Accedit, quòd dictus actus possessionis clam & me tanquam Principe & Domino ordinario loci inscio, & contra expressa contenta diplomatis, vigore cujus hic recepti fuerant, fuerit exercitus.

8. Post PP. Capucinorum discessum non defuerunt, qui sparserint, quòd conversio Acatholicorum cum illorum discessu quasi cessaverit. Resp. causa istius non est abitus PP. Capucinorum, nec paucitas Religiosorum, sed transactio Ratisbonensis, vigore cujus D. Landgravius Hasso-Cassellanus, à Protestantibus Germaniæ jampridem usurpatum jus Episcopale, & Religionis sibi reservavit; idque præcipue hoc carnali sæculo, ubi homines exiguam suæ salutis reflexionem habent, vel curam adhibent.

Decimoquarto: diversis & plurimis hac super re hinc inde actis, & etiam scriptis literis, quæ tam in meo, quàm in Archivo Provinciali PP. Capucinorum adhuc erunt, & sine quarum lectione vanum ac temerarium foret, hisce velle contradicere, eo quod quandoque etiam oretenus hinc inde quædam super hoc negotio prolata fuerint, cum jam à bonis PP. Capucinis nihil quàm disgratia reportaretur, nec ego quicquam negotii præterea cum iis, tanquam cum viris Religiosis (quos, si per supradictas difficultates solummodo licuisset, libentius apud me retinere, quam dimittere voluissem) hac in re habere

vellem, siquidem nec ego, nec PP. Societatis nos Romæ coram Congregatione contra dictos Patres partem constituimus, neque unquam adhuc ab eadem Congregatione, desuper auditi sumus; cum res jam eò pervenisset, ut PP. Capucini ad interpositionem D. Nuntii Apostolici, se quidem ad discessum obtulissent, attamen non libenter, sed coactè quasi & cum disgusto id facere præ se ferrent, & P. Rosendal p.m. ipsemet me rogaret, ut ipsis optimis Religiosis gratificarer. Ego etiam quantum fieri poterat, ut bonis istis PP. Capucinis nihil duri & adversi fieri voluissem, tertiâ Martii anno 1655. cum R.P. Melchiore Capucino, à suis deputato, ad interim ea conditione conveni, ut ipsis adhuc aliquo tempore, certo modo & conditione in Oppido manere liceret, quæ conventio, sicuti à P. Provinciale, & Definitoribus ex parte PP. Capucinorum, & à me ratificata & subscripta fuit, ita etiam à me illi in nullo contraventum fuit.

Decimo quinto: tantum autem abest, quod PP. Societatis apud me institerint, ut patres Capucini cederent, ut etiam Generalis illorum P. Govvinus Nickel per literas, quas adhuc habeo, me expresse requisierit, ut Patres suos dimitterem ad cedendum PP. Capucinis, cui si consentire voluissem, ipsum in verbis suis tenere potuissem. Etiam in veritate dicere possum, quod Pater Rosendal mesæpe rogarit, ut cum PP. Capucinis me contentarem, & PP. Societatis iterum ad Collegium dimitterem, & ad hoc facilitandum, non solum se in eventum, & casu quo in itinere vel alias illorum opera uti vellem, (quod, ut dicebat, ex Confluentino Collegio hic in vicinia commodè fieri posset) se semper fore paratissimum, obtulit; sed etiam rationes suas, quare non putaret expedire, ut pro meo placito Residentiam aut Missionem ex Societate hic haberem, Superioribus suis in scriptis exhibuit. Aliud nunc est dicere, non convenit, ut in illo loco & rebus sic stantibus Capucini & Jesuitæ simul habitent (quæ res apud omnes prudentes, & in hisce partibus notos ipsa loquitur,) & aliud est, ergo PP. Capucini Jesuitis debent cedere; & cum PP. Societatis se obtulerint ad cedendum Capucinis, certè illos non expulerunt; neque ex eo, quòd P. Rosendal p.m. putaverit, aut dixerit, quòd commodè hic simul habitare non possent, hoc concludi debet, quia pari passu se etiam offerebant, uti ille Genes. *cap.* 13. *vers.* 7. 8. & 9. fratri suo, si hic à dextra, ille à sinistra ire vellet, dummodò charitas conservetur. Sed hic videor audire quendam mihi dicentem, quòd hoc ipsum secretum illud, & à me non notatum, Jesuitarum artificium fuerit, ad amovendum Capucinos hoc medio. Quid autem PP. Societatis magis facere potuissent, quàm se ad cedendum offerre? quid putas, anne me planè dissentiente abire debuissent? calumnia, quæ semper aliquid invenit, ob id non emansisset, scilicet quòd quidem hoc in loco cessissent, minimè autem in alio & commodiore: & quis unquam omnibus æquus fuit?

Decimo sexto: Profectus autem anno 1655 Romam propter alia negotia, & minimè certè ea intentione, quasi conventionem cum PP. Capucinis non ita pridem initam (uti falsissimè sparsum fuit) ipsis inscius, sine causa retractari petere vellem, & dùm ad pedes moderni Pontificis veniens, Sua Sanctitas de variis rebus mecum loqui, & inter alia etiam quærere dignaretur, an Capucini adhuc hîc essent? & cùm ego simpliciter responderem, quòd ita, Sua Sanctitas fortè ex scientia eorum, quæ contigerant, statim adjecit: *non judicamus expedire, illos ibi esse, mandabimus Provinciali P. Benedicto Leodio, cùm ad capitulum Pentecostes venerit, ut eos ad Conventus suos avocet*, cumque sua Sanctitas loquendo ad alia pergeret, non oportuit me ejusdem hac in re menti contradicere.

Decimo septimo: Cum postea Anno 1656. à rectè memini, R. Pater Benedictus Leodius Provincialis Româ rediret, multum temporis adhuc effluxit, antequam quicquam hac de re coram me insinuaret, & avocationem suorum exequeretur, sed potius postea diversis ad me scriptis literis, minus se contentum significans, non dubiè insinuabat, quasi jam dictam suorum avocationem apud summum Pontificem sollicitassem, & suis Patribus injuria fieret; at ego ipsi non solum in scriptis, sed & oretenus Coloniæ in conventu, coram suis Definitoribus, rem ita se non habere, remonstravi, ipsique etiam demum, cum non exiguum tædium ubique exurgere videretur, obtuli, quandoquidem ex hoc vel illo impedimento, jam ultra sex menses executionem mandati Pontificii distulissent, mihi in tantum gratificaretur, & Patres adhuc sex septimanas hic manere permitteret, quod interea, ad demonstrandum, quod suspecta procuratio abitus, neutiquam nec à P.P. Societatis proveniret, ad suam Societatem scribere vellem; quod si illi solummodo placeret, ego bene contentus essem, ut si absolutè hic esse desiderarent, in nomine Domini, quantum ad me attinet, manerent; sed noluit, ipsoque anno 1657. avocavit.

Decimo octavo, aliquo tempore post, RR. PP. Capucini, quadrantis horæ spatio ab hinc è regione in oppidulo Welmenich, territorii Trevirensis, quod ab hinc videri potest, Residentiam & hospitium acceptarunt, ubi eâdem, quam hic speraverant, gaudent commoditate, & si solummodo tum temporis talem locum & commoditatem acceptare voluissent, ipsis jamdudum istiusmodi procurare laborassem. Sicuti etiam, absit gloria verbis, non omittam ipsis etiam tam ibidem, quam alias ubique posse, benefacere, eorum opera & conversatione uti, illosque, eo quo decet modo, amare & æstimare, & in itineribus & absentia mei confessarii ordinarii, ipsis non minus libenter, quam aliis, confiteri.

Decimo Nono. Hæc omnia nulla ratione contigerunt ob id, quod inter P. Valerianum & P. Rosendal accidit, multo minus ex aliqua disaffectione aut contemptu sacri Ordinis Capucinorum; Deus qui omnia scit, & me æque novit, qui tandem me, uti & homines omnes judicabit, novit etiam, quam unicè in visceribus meis hoc sacrum institutum amem, & quam libenter sim apud hos Patres, iisque benefaciam, & quomodo hunc sacrum Ordinem pro magno ornamento Ecclesiæ Dei habeam. Verum est, quod amem & honorem PP. Societatis, sed tamen eo non obstante necodi, nec contemnam PP. Capucinos. NB. totum secretum negotii, ut ingenuè fatear, & cum libertate dicam, hoc est, quod cùm hic commodè non ultra tres vel quatuor Religiosi haberi & accommodari possint, mihi, quemadmodum pissimè in Hassiam & aliò proficisci debeo, semper magis congruere visum fuerit, unam hic habere residentiam PP. Societ. ut qui ante alios & potius quam P.P. Capucini soli in rheda & equis proficisci possint, & quorum tres hic commodius, quam P. P. Capucini, qui sine formali conventu & churo (cujus tamen habendi spes omnis nunc per translationem Ratisbonensem præcisa est) hic in Residentia

dem habitare ; & mihi in uno & alio ad manus esse fuisset : Si ergo hoc in passu error commissus fuit, quæ adhuc committitur, latet in hoc conceptu; quod tamen nemini præjudicat, & certè aliquo modo videtur esse id mihi invidere.

Vigesimo, Taliter & non aliter sese res habet, Sicuti ansi invidiosè dicis : *Ocreatos & nummatos* (nempe Jesuitas) *nunc procedere, & quòd deridea-* nempe id est, RR. PP. Capucinorum) *simplicitas.* Ædificium editorum tuorum hac in re li- Editorum non consistit, nisi vel in mala informatio- ne, de illa suspicione, vel perversa explanatione, exaggeratione & applicatione.

PARS QUARTA.

Responsa ad quædam in libello P. Valer. mentionata.

Primo R. T. *pag.* 9. meminit, quòd tibi ante abitum tuum hinc, promissum sit monumentum. Ego vero aliter non scio, quàm quòd acta tuæ disputationis cum Haberkornio, & imago tua quam Viennæ expetiisti venire feci, hic in arce adhuc custodiantur : & quidem pro nota dico, quod infra imaginem hæc legantur verba: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Secundo videris mihi illudere quod P. Rosendal Bonum possobitum dixerim: Scito autem, quod Secretarius meus, qui laicus & non Jesuita fuit, in hoc plusquam Germanicam, sine ulteriori reflexione secutus sit, qua loco piæ memoriæ, aliquem beatum dicere soleamus, de cætero bene sciens, quod ego nemini pro beato declarare possim : è contra autem divini parum ædificantur, quod nomine tuæ familiæ, Magnopere libenter uteris,

Tertio R. T. me appellat mancipium Societatis, & testatur quod me à Jesuitis hinc inde & in Italiam discriminasse. Hoc autem Paternitas tua non minus erroneum quam Acatholici & alii malè informati, de meis subinde faciunt, qui easdem impressiones, sicut ipsi me habent, sed errant, sicut tu. Talia itinera, ut illis (cujus isti boni Patres innocenter insimulantur) nunquam mihi ipse resolvi, ut etiam alii homines prius quàm de illis quid sciverint: ipsi non prætendunt simile quid in me, multo minus ab illis, non attentâ humanæ inipsos affectione, eo, quo tu aliique male informati credunt. modo me duci aut regi patior. Ante quam credis tamen opere in me esse taxandum, confessarium meum apud me, & viros Religiosos in itinere pro Societate habeam, quomodo id possibile, ut unicuique satis fiat? Si in recenti itinere meo Romam versus, confessarium mecum adsciscam, nunquid forte dixisses, Princeps à Jesuitis ductus in Italiam? & fortassis mala tua suspicio ulteriùs progressa fuisset, cum arrestum tuum Viennæ contra, in id tempus inciderit.

Quarto id quod de PP. Societatis Wadingo & Lucensi dicis, quod auditâ tuâ gravissimâ insimulatione contra Societatem, abierint, & tecum ulterius nihil habere voluerint. me non mediocriter ædificat enim veri Religiosi in similibus casibus, utique similes tractare potius, quam frustra temere, concertationibus terere, & Æthiopem lavare conati deberent. Sed quæso R. T. sibi non imponatur, nec se decipiat, quasi Jesuitæ tibi resistere non valerent: non expedit enim : & sicut inter duos ex duobus malis minus est semper eligendum, ita etiam sæpius præstat, istiusmodi calumnias patienti animo sufferre, & Deo committere, quàm majores tumultus & rumores excitare, charitatem lædere, adversarii defectus revelare, & inimicis Ecclesiæ exultandi causam præbere.

Quinto : Nonne cùm nuper ex mandato Pontificio, Viennæ fuisti arrestatus (quo Venetiis in mense Februario intellecto, certe ex corde, Deo teste, dolui, quòd res eò pervenerint) non solùm in tuo, sed etiam multorum aliorum male informatorum ore est, quòd Jesuitæ propterea apud Suam Sanctitatem institerint? & sæculi iniquitas tanta est, ut hoc à quovis ita firmiter credatur & teneatur, & tamen nihil certius est, quam quòd hoc non sit, & quod Sua Sanctitas & Congregatio Cardinalium causas suas quare habuerint: quæ certe non ita difficulter divinari possunt, si consideretur, quomodo usque & usque, non attentis inhibitionibus Pontificiis, cum tanta acerbitate & scandalo scribere, & de Justitia conqueri continues. Tibi autè gnotũ esse nolo, quòd non unus & alter ex PP. Jesuitis libenter id viderit, & tibi non invideat, cum hoc mirum non sit, quandoquidem tua scripta & sermones ad illud non parum contribuant. Sed quòd aliqui ex illis hæc contra te solicitarint, & eum in finẽ Summum Pontificem imploraverint, id ex certa scientia, quam desuper Romæ habui, tibi affirmare possum, non esse. Mi Valeriane, scito, quòd cùm anno 1655. (quia in hoc novissimo itinere mihi ego ipse de te dixi Summo Pontifici, neque per alios vel verbum dici curavi) Suæ Sanctitati commentarium tuum ostenderẽ, auribus meis audivi, quod te INOBEDIENTEM nominarit: scito etiam, quòd eodem anno in festo S. Francisci ego tui S. Ordinis proximè præcedentem Generalem super tuo modo contra Patres Societ. procedendi lachrimari viderim, & quòd præsenti anno in Cõventu Romano PP. Capucin. Generalem tuum de te dicentem audierim, his formalibus: *hunc virum à quindecim jam annis amplius regere non potuimus*, Ecce quòd hæc vera sint, remitto me ad magnas personas illas ipsas, meamque conscientiam, quæ in similibus nunquam, Deo sit laus, falsitatis convicta est, hæc ad te humiliandum dicta sint, & aliis ex tuo S. Ordine serviant ad sciendum, ne ex tuo particulari affectu contra Jesuitas, causam universalem totius Ordinis faciant. Uterque ordo Sanctus, & institutа sancta & laudabilia sunt. Uterque habet Sanctos & infirmos, quorum defectus interdum se produnt. Sed privati hominis cujusdam gratia, uterque non statim in arenam prosilire debet : Diversitas Regularum & constitutionum, & difformis sive discolor habitus, ad disunionem animorum ad scopum eundem (qui est uno ore & corde servire illi, cui nihil gratius est, quam conservatio charitatis tendendi, nihil contribuere debet.

Sextò : Valde mirum & nimis iniquum mihi videtur, quod R. T. ex mera suspicione, vel falsa relatione, nequid durius dicam, asserere voluerit, quasi rationes vel motiva à me tum temporis desiderati discessus RR. PP. Capucinorum, & meæ ad te daræ literæ, per orbem & orbem (qua phrasi non illubenter uteris) volarent, cum hæc duo tamen pauciissimis à me communicata sint, & quidem iis, de quibus certus sum, quod nihil ab iis publicatum sit ; & quantum ad dictas rationes attinet, eas nemo, quam solus D. Nuntius Apostolicus San Felicio Coloniæ vidit, & certo scio, quod nemini quicquam de iis constiterit, donec tu ipse eas in lucem ederis, quod ego autem nunquam prævidere potui, & adhuc multo minus feciſſem: Quod vero dictæ rationes (quas

nemo, ut dictum est, nisi memoratus D. Nuntius, nunc p.m. vidit, & etiam à me, quod eas cuidam ex tuo Ordine, per quem postea ad manus tuas pervenêre, communicarit, sibi ignosci petivit) evulgatæ sint, hoc tibi, non autem mihi, neque Jesuitis, imputari debet; optarem autem, ut cum tua mens erat, hoc & illud ex meis literis in publicum dandi, eas integras publicasses, & cum videam, licet tibi libenter parcere velim, tu tamen aliud velis; bene ergo utar etiam æque ac tu, commoditate typi, quod in veritate alioquin, ad tibi parcendum, non feci sem.

Septimo. Quia autem conservatio famæ meæ mihi æquè chara est, ac tua tibi esse possit, nec mihi integrum sit, me tali modo apud posteros traduci, perinde ac si nescirem, quomodo Catholici, & quidem viri tales, sancti ac mihi dilecti Religiosi, uti RR. PP. Capucini sunt, & à me habentur, tractari deberent, & quasi aliquam indecentiam contra ipsos apud me decrevissem; sic necessarium duxi, me hisce declarare, qualis mens mea fuerit, dicendo, me velle uti jure meo territoriali, casu quo cedere nollent. Dico igitur: 1. quòd pura solummodo & ad nullum effectum destinata fuerit comminatio, ad eò citiùs inducendum D. Nuntium, quatenus me ex difficultatibus in tertia parte nominatis eriperet: 2. quod ad summum, si res eò usque pervenire debuisset, domum in qua habitabant, & à me jam empta, ipsisque ad inhabitandum ad tempus concessa erat, bono titulo pro me vindicare potuissem, & cùm illi aliam non haberent, nec sine mea permissione aliam in oppido habere potuissent, eò citiùs se ad discessum disponerent: Sed tamen mihi nunquam in mentem venit, ejusmodi procedendi modum contra illos accipere, sed potiùs pati resolveram, licet etiam, præsertim apud Acatholicos durum videri potuisset, quòd Princeps ad Catholicam fidem noviter conversus, contra Religiosos & quidem tali modo, & conditione à se susceptos (qui tamen non aliter, quàm per illum, ibi habitare poterant, ab illo sustentari debebant) ad effectum, quem ex gravi causa desideraret, venire non posset, sed cum illis Romæ coram Congregatione de propaganda fide, cui circumstantiæ hujus exigui districtûs satis innotescere non possunt, adhuc diu litigare & certare deberet. 3. candidè fateor, quòd rationes & motiva illa tum temporis, (cùm non sine aliquo fervore in hoc puncto ageretur) illi, qui ea Latinè concepit ad communicandum sæpè dicto D. Nuntio Apostolico San Felicio paulò durius in calamum venerint, non tamen ea intentione, per hoc PP. Capucinos gravandi: 4. Præsupposui, quòd hæc tantum pro informatione D. Nuncii servire, & nullatenus divulgari deberent, quod tamen postea per nullum alium, quam per tuam editionem factum est: 5. Legantur autem animo impartiali, & audiatur mea explicatio, tum non apparebunt tam duta, sicut tu ea interpretaris, eaque exaggerare, & teneri vis: nam, verbi gratia, allegas, ad excitandam eo majorem invidiam, quasi in illis rationibus seu motivis Capucini, hypochrysis Acatholicos scandalizantis insimulati essent: hæc autem nullo modo intentio fuit, sed cum P. quidem Capucinus, quem nominare possum, P. Rosendal diceret, quod congruè admodum fieri posset, ut uterque Ordo hic maneret, *Patres enim Societ. per doctrinam, se autem per sanctitatem vitæ prædicare sive concionari posse*, Ego in meis rationibus dixi, tales sermones apud Acatholicos non habere ædificationem, ut qui ad hoc vel illud genus austeritatis parum respicerent, & mihi etiam aliquo modo durum videri, quod, licet Ordo Societatis externam quidem austeritatem, non uti Capucini profiterentur, tamen propterea dici deberet, ipsos non æque ac alios, cum sanctitate concionari posse.

Octavo. Certè parum me ædificavit, quod mihi nullus plane locus reconciliationi cum PP. Societatis relinqueretur, te nunc etiam cum adversis illorum, qui propter Novatores in Gallia & Belgio, post etiam cum diversis aliis, contra ipsos torqueamus, conjungere velis: de quibus multa, si otium & ocium esset, dici possent, quandoquidem mihi altiùs de hac re constat, præcipuè cum quidam Catholici in Gallia & aliunde, viri de cætero pii & eruditi, boni mei amici, & noti, ad suam partem contra PP. Jesuitas me trahere vel maximè laborarunt, ita & tantisque partis scripta legerim. Sed ut paucis multa, non primis miror, quomodo tibi, tanquam viro eruditio, nunc primum in mentem venerit, in hoc etiam puncto Jesuitas aggredi, cum tamen jam multis ab hinc annis non solum illorum, sed etiam aliorum Ordinum Casuistas legeris, & quidem etiam interillos virorum non minus doctrina quam vitæ sanctitate conspicuorum, & qui longè antequàm Jesuitæ in mundum venirent, similia, quæ nunc in ipsis exhibeta aliquo, qui ex multis aliis causis contra illos interesse habet) tantopere carpi & exaggerari volunt, in suis libris expressè habeant, & publicè docuerint. De cætero nolo patrocinari laxo alicui Casuistæ, & adhuc multò minùs Jesuitæ ulli, qui in hoc puncto extra terminos vadit: Sed si quis etiam illorum responsa aut replicas animo impartiali consideret, longè aliter res se habet, quam quomodo contra ipsos deduci & exaggerari velit.

Nono. Quando ego certè non alio, quàm optimo fine intendi, tibi tollere conceptum tuum, quòd felicitæ soli non essent, qui te, pro tua opinione, non tam, quanti vis, existimant, & tuos defectus norunt, id quod ego etiam id ab illis viris præcipuis ipsique Religiosis intelle xerim, quibus tuæ humanæ infirmitates etiam notæ sunt, & qui tibi eatenus comparantur, tunc tu planè quasi in furorem erupisti, & in deteriorem partem omnia interpretatus, nihil quam convitia spirasti, illos etiam appellando nobiles *spectatissimos, & quod doctissimè mentiantur* (puta autem Jesuitas.) Dicam ergo pro veritate, quod unus illorum fuerit vir primarius, doctus, & mihi notus, Ordinis S. Benedicti, qui ad aliquem, mihi similiter notum, virum præcipuum, & doctum P. Dominicanum anno 1652. scripsit: *P. Valerianus malè egit causam nostram Reinfelsæ*; hoc mihi non Jesuitæ dixerunt, sed oculi mei ipsimet viderunt, & aures audierunt, quod P. Dominicanus dicerat: *Ah, bonus ille P. Valerianus sibi nimium adscribit, & novi ipsum, quòd affectibus suis plus satis indulgeat.* Nec minus alius intignis, mihi notus, & qui patrocinatur, quà doctrina longè celeberrimus P. Franciscanæ Strictioris Observantiæ, mihi quadam vice dicebat, quòd in aliquo ex libris tuis, quem legerat, nimia magna præsumptio eluceret. Quidam P. Minor Conventualis tuæ nationis, sicut & Augustinianus, qui posterior vir conspicuus, & magno loco in Ordine suo, mihi semel dixerunt, te non esse dominum affectuum tuorum, & præsumptionem esse majorem scientiâ, primamque tuam aversionem contra Jesuitas ex eo provenire, quod crederes quod tempore Urbani Octavi, & proximè defuncti Re-

gis

gis Poloniæ, te in Cardinalatu consequendo impedivisse. Ecce tibi viros, non Jesuitas, neque nebulones. Etiam à diversis Capucinis audivi, quod optarent, tandem aliquando vetè vitâ Capucinorum, ut relinquere, frui posses, & à concertationibus cum Jesuitis cessares.

Primo: quod de furto & testamento falso loquaris, nescivi, ubi & in quo loco enorme illud à Patribus Jesuitis commissum esset, adeo ut etiam illorum Generalis nihil horum sciverit: Veniens autem Lauretum 21. Aprilis hujus anni, & ibi in diversorio Patres ex Societate ad congregationem generalem properantes, & inter cæteros etiam Austriacos & Bohemos offendens, aliqui illorum ex quibus etiam P. Aringa erat, mihi interroganti dixerunt, si bene memini, pro certo, quod D. vidua fratris tui Francisci Comitis Magni ad persuasionem sui Confessarii Jesuitæ bona sua maximâ ex parte Societati, & non filiis fratris tui Comitis Philippi Magni, per testamentum legarit, & quod desuper id, quod scribis, acciderit; Cum autem postea aperto testamento contrarium, & quod Societati tantum pauca quædam millia florenorum, reliqua verò omnia tui fratris Philippi liberis relicta essent, apparuisset, tu propterea P. Himmelhaven Societatis Jesu displicentiam tuam demonstravisti, sed interim atrox tua insimulatio in libello manet.

Undecimò: Videamus nunc, quam præclarè PP. Jesuitas hæreticos & atheos esse probâris, præcipuè cum in conscientia tua necessarium duxeris, id summo Pontifici & Sacræ Congregationi denuntiare;

Ecce tuum dilemma.

Vel Jesuitas non credunt, calumnias contra innocentem effutiunt, & ita sunt hæretici: vel credunt, neque cur, ita sunt atheï. Præclarè sanè argumentaris! Sed Jesuitæ nec calumniari, nec te, uti tua contra eos præoccupata fert imaginatio, persecuti sunt, sed pro meritis & calumniatus & persecutus es. Ipsis ita imputare id, super quo te merito ipsum examinare debere, licet Jesuitæ (quod tamen ignoro) insigni & animosa tua, quam ad P. Bonaventuram Ruthenum anno 1653. Ratisbonæ scripsisti, contra eos evulgatipsihla Romæ & alias ubique institissent, ut tibi tua urbendi potestas interdiceretur, credisne, quod tamen vertì posset? Sed non video, quomodo dicere possis, quod te innocentem persecuti, & ut hæreticum & fictum calumniati sint? Certe mi P. Valentine magnam causam habes te paululum reflectendi, & primo in consideratione istius, quod Christus Dominus minaturiis, qui infirmos scandalizandi causa fuit, nunquid Jesuitæ ad conversionem Acathorum & Paganorum à Sede Apostolica mittuntur, Romæ in iis functionibus bene meriti sunt? an non propterea, summi Pontificis, Sacræ Cæsareæ Majestatis Christianissimi & Poloniæ Regum, & tot aliorum Catholicorum Electorum & Principum sunt laudati? nunquid illis duæ præcipuæ in Ecclesia Catholica pœnitentiariæ Romæ ad sanctum Petrum, & Lauretti, præter Scholas ad instituendam juventutem, & cathedras & confessionalia plurimorum, ubique præcipuorum locorum in Christianitate credita sunt? Nunquid illorum in omnibus scientiarum libri, hujus & prioris sæculi bibliothecas ornant? nunquid Ecclesia Catholica Societatem illam militante pro novo subsidio, militanté Ecclesia triumphante qualificat? Et tu hos viros & Religiosos, ex privato tuo in eos affectu & passione, scriptis & evulgatis tuis libellis, per totum mundum pro hæreticis & atheis proclamare vis? Et ad quid aliud quæso hoc, quàm ad Acatholicorum (quorum notorium, illos magis, quam alios Religiosos oderunt) gaudium, & eo ipso multarum animarum indurationem servire potest? Meo autem aliorumque judicio immoderatos affectus tuos evidentius, quam atheismum & hæresin Societatis probasti. Quamvis Jesuitæ multos habeant adversarios, qui ipsos hujus & alius defectus arguant, tamen pro hæreticis à nullo Catholico & impartiali habentur, licet etiam usque ad crepitum clamares.

Duodecimò. At fortè R. T. vel quis alius diceret, sed D. Landgravie Ernestе, magnus est zelus vester pro Jesuitis, cum in cæteris omnia ad Dei gloriam tam piè refertis? novistine etiam bene Jesuitas? Scitine etiam, quam in omnibus penè statibus Catholicæ Christianitatis, odiosi sint, & quod in comparatione eorum, qui ipsis addicti sunt, plures adversarios & inimicos, quàm amicos habeant? Ita benè scio, & ex toto corde doleo, & postquam in similibus satis curiosus fui, & negotium illud scrutatus sum, etiam multa audivi, & ea, quæ contra ipsos in lucem exierunt, legi; invenio primum fontem invidiam, quæ ipsos, ut primùm Societas paululum crescere cœpit, aggressa est; Sed uti antea dixi, ita & adhuc dico, quod sicut Societas adhuc in hoc mundo ex hominibus, & non ex Angelis constat, sic etiam omnium actiones à culpa eximere, in me non suscipio, & certus sum quod ipsimet de se ita sentiant: At hoc etiam dicere possum & sæpissimè expertus sum, quod re bene inspecta falsum reperiatur id, quod ipsis ab hominibus uno vel altero modo malè informatis & contra ipsos præoccupatis, vel aliis hanc vel illam offensam vel aversionem contra ipsos foventibus imputari vult. Amo Societatem, tam propter pietatem, quàm doctrinam & disciplinam, quæ apud ipsos per Dei gratiam vigere comperio, non tamen ob id alios vilipendo, & ne quidem tantum dico, quantum unus ex nostris Protestantibus Electoribus Imperii non ita pridem publicè in mensa alicui Catholico Domino (quem fortè ad captandam benevolentiam, vel aliàs ex amaritudine, aut mala informatione contra Societatem loquentem audiebat) regessit in formalibus: *VVas vvollet ihr sagen, die Iesuiter sein doch evvere beste Pfaffen?* id est Latinè: *Quid tu vis dicere, Iesuitæ sunt optimi ex vestris Sacerdotibus?* Profectò licet P. Societatis, sicut & alii Clerici regulares non habeant perpetuam abstinentiam à carnibus cum Camaldolensibus, Paulinis, Carmelitanis & Carthusianis, neque horum ultimorum perpetuum silentium & cilicium & austeritates Franciscanorum, tamen æque apud illos, quam apud alios Ordines, piissimi & Religiosi, valde mortificationibus addicti, & quidem bono numero, per Dei gratiam inveniuntur, & qui nihil magis quærunt quam de suis pœnitentibus facere probos Christianos. Parum etiam refert, an Secretarius congregationis D. Massarius tibi scripserit vel non: Sed quod dicis me malè supra hoc informatum esse, respondeo, quod illud intellexerim de eo, quod *pag. 70.* dicis: *Retuli Epistolam ab Eminentissimo Cardinale, tunc nuncupato Pamphilio, Præfecto ejusdem congregationis, datam Romæ 25. Aprilis 1653. Signatam*, (*ipse dicebas*) *à Dionysio Massario Secretario ejusdem congregationis*; & quis alius, quam Secretarius, literas in Congregatione concipit?

Conclusio.

Sed tandem ego non minus scribendo, quam tu, & alii, fortè legendo defessi sunt: certe eo etiam libenter supersedissem, nisi ad succurrendum veritati innocenter oppressæ, ad salvandam bonam nominis mei existimationem, & dandum tibi occasionem, tandem aliquando omnia melius perpendendi, ex Christiana charitate impulsus fuissem; Deum iterum testor, (majus nihil dici potest:) 1. quod hæc ipsemet spatio trium aut quatuor dierum ex tempore Germanicè conceperim: 2. quod uti jam in initio dictum est, Hermannus Beernklavv à servitiismeis ea descripserit & in Latinum transtulerit: 3. quod nec Iesuita, nec ullus mortalium, directè aut indirectè, me ad illud adduxerit, vel minimum contribuerit: 4. quod nemo Iesuitarum priusquam impressum fuerit, viderit: 5. quod nihil scripserim, animo me contra te vindicandi, non attento quod me, comparando, cum impio *Semei*, qui Davidi innocenter persecuto, ingratè maledicebat, & ita publicato libello tuo, oneraveris: 6. quod nihil pono, quod pro vero non credam. Amo quidem PP. Societatis, sicut & omnes alios Religiosos, sed tamen, Deo sit laus, hoc non ulterius, quam ad aras æquitatis extenditur, & te assecutare possum, si in simili casu Iesuitæ id tibi fecissent, & se comportassent contra te, uti tu, idem pro te contra ipsos facerem: Magni æstimo Societatem, sed è contra bene considero, quod homines sint, & sic etiam lapsui obnoxii. Non inficior, quin hinc inde unus aut alter ex illis quandoque quid faciat, quod non semper probandum sit. Si etiam quidam illorum viam perfectionis aliis prædicent, & ipsimet in hoc vel illo passu, illam minùs sequantur, deploro humanam, quæ ubique se monstrat infirmitatem. Deum laudo, quod aliter non sim constitutus, quàm quidam *lib. Num. c.* 24. dicere debebat, & si mihi etiam totam domum argento & auro plenam dares, attamen aliter loqui non possem, quam quod justum & æquum judico: Et quia planè ex scientia & in conscientia convictus sum, quod P. Rosendal p.m. & Iesuitæ in hoc negotio sint innocentes, & tu te sine necessitate & modo hisce concertationibus immerseris, ideo ob hanc & nullam aliam causam, aliter, quàm nunc facio, facere nequeo. O quantum ex corde lætor, cùm video Religiosos sese invicem sincerè amare & recommendare! Ego qui jam per Europam satis hinc inde itineratus sum, in diversis PP. Societatis Ecclesiis & Collegiis inveni imaginem S. Francisci Seraphici, sed nullibi nisi in unica PP. Franciscanorum strictioris observantiæ Ecclesia, quæ est in Tusculano propè Romam, vulgo Frescati, vidi imaginem S. Ignatii. O quàm mihi gratus visu, quamque fortunatus dicendus Religiosus ille, qui in humilitate, solitudine, modestia, & in conformitate sui Ordinis instituti, optimâ in hoc mundo vitâ fruitur! O quàm doleo vicem tuam, quòd te illi immenso & inquietissimo mari, ubi te continuò passiones tuæ jactitant, & tuam canitiem cum dolore in terram deducere intendunt, commiseris. Nec ego, nec Iesuitæ te unquam (nisi in tua imaginatione, sinistra interpretatione, & ordinaria exaggeratione) tanquam hæreticum aut stolidum traduxerunt: & licet (ut puto, quòd pro calumnia haberi non possit) quod Societas Capucinos ad minimum hic in Germania, quo ad doctrinam aliquo modo antecedat, attamen non ob id Capucini pro hominibus indoctis & inidoneis proclamantur. Ego & non soli Iesuitæ, sed & aliæ omnis status & conditionis, & certè diversæ in negotio bene informatæ personæ tenent, te melius fecisse, si abstinuisses assertione & formalibus, quòd primatus Romani Pontificis ex sacro textu (vel solo) probari non possit, apud Lutheranum istum Doctorem Haberkornium, ipsiusque socios, abstinuisses; nam non ignorat & acta disputationis probant, quomodo Hæretici vel minimum verbum, quod illis conceditur, pro consuetudine in continenti accepterit: Ego & alii non dicimus, quòd malam intentionem, absit hoc habueris, quo autem minus adversarius ad istiusmodi janua aperitur, eò melius est. Ego & illi dicimus, præclara esse, quæ habes, dona; & ego (cujus animus ut aliter non scio, impartialis est, & ad æquitatem inclinat) non intermitto R. T. in omnibus iis, in quibus fieri potest, laudare. Sed tamen putamus, longè non accedere ad ea, quæ tu tibi imaginaris: & quod nimis probes & monstres quòd non sit modo rator affectuum tuorum, te nimium existimari velis, & te plus satis prostituas: ne tamen propterea statim nomines & teneas pro *nebulonibus spectatissimis*, uti pag. 73. similiter qualificas. Et si scire sunt illi ipsi tui defectus, seu, ut dulciùs loquar, humanæ infirmitates, scilicet nimis immoderatæ tuæ, quam prodis, passionis, fastus, & inobedientiæ, quæ tibi cum discretione ob oculos ponuntur, quæque si Iesuita ita & in tali occasione præ se tulisset, ne dubitas, quin jam dudum ex Societate dimissus esset? necessarium non est propterea nova crimina fingere. Si credas te justa tam clarum, & causas adeò prægnantes habuisse Iesuitas accusandi, Romam te oportuisset, forte etiam ibi expertus fuisses, quòd licèt quidem ibi non desint, qui ipsis non optimè velint, causa tua tamen ad eum quo procedis, modum, uti nec alibi, ita nec ibi ullum successum habitum fuisse creditur. Unus ille *ex Iesuita* (de quo *pag.* 113. à te mentio fit, & si ille sit, quem puto, vir est ille unus præclarus à doctrina & pietate, & ita à vanitatibus mundanis abstractus, ut optem, omnes tales viros uti ille est, in statu, ubi nunc se videt, semper fuisse & in futurum esse, non esset dubium, quin in hoc mundo, in multis, alia & melior esset rerum facies) tibi non malè suasit, tibique fortè plurimum fidelitatis præstitit, denuntiationem & detestationem contra Iesuitas tibi dissuadendo. Te supra honorem meum assecuro, quòd quidam, licet aliàs Iesuitæ male velint, tamen etiam te in hoc passu rideant. Si Ego dicere, & tu scire auderes, qualiter quandoque homines præcipui, eo ipso die, in certo loco ubi tu & ego simul eramus, planè aliter mihi & tibi de re tua contra Iesuitas locuti sint! ille est modernus mundi flos, quem ego non intelligo, nec sequi cupio: homines inquam, qui sæpissimè veritatem non experimendo, neminem offendere volunt, & forassis interdum ob certas circumstantias, vel respectus, æquè Religiosum quendam ac Principem reformidant. Mi Valeriane, crede mihi (tu scis enim, & ipsemet dicis, quia veritatem amo) quod interdum intelligere debuerim, bonos PP. Capucinos aliquando apud magnos & præcipuos cum hoc responso recessisse, scilicet se libenter videre, ut hic manerent, & quòd fatis cito modè hoc fieri posset: quòd Ego sine dubio ad illorum (nempe Iesuitarum) impulsum, illorum altum desiderarem, cum tamen id mihi nec honorificum, nec utile esset. Uno verbo, bonis istis PP. Capucinis omnia illa dicebantur, quæ ipsis grata audiunt, putarentur, & tamen erant homines illi tales, qui etiam

vetim sæpe eodem ipso die coram me planè contra-dicebant. Pleræque tuæ miseriæ, crede mi-hi, sic proveniunt, quod tibi negotium non sit cum hominibus, qui, uti ego, Deus laudetur, in similibus

Ubinam faciam, fortassis aliquis cogitaret & di-ceret, quomodo hoc tibi Landgravie Ernestе con-stet, quod bonus ille P. Valerianus, cui tua æter-nam, temporalis salus ita cordi fuit, & in cujus fra-tris Comitis Francisci Magni domo, Pragæ anno non exiguo tempore, & hospitio & omni humanitate exceptus fuisti, tali modo per hasce literas literas & demonstrationes tuas grave-rit? Sed jam satis afflicto major adhuc afflictio adda-tur, & quasi ipsum prostituas, in gratiam Jesuita-rum (qui si possent, se ipsos defenderent) hæc & similia tribendo? Respondeo, me non ignorare, quod R. T. me in eo gradu amaverit, ita ut si ex re mea fieri potuisset, non defuisses. Præte-rea intimissimus sum criminis ingratitudinis, nec mihi odi terrè non humanum istud vitium inno-centiæ oppressum cooperari velle, adhuc magis execrantur. Sed quare & quomodo hæc solus, sine consilium hominis scitu aut assistentia ita scripse-rim, mea premissam, eamque summam, quam feci, contestationem, remitto: non ignoro etiam, quod nonnullos exiguí mei, sed tamen bene intentionati ad pro Catholica Religione, & bona affectio, vel ad intra ejga Societatem apud quosdam minus in-formator, me in aliquale quasi vilipendium repo-suerit. Verùm haud me pudet (prout fortassè tibi videbitur, cum nomen meum non præmiserim) hoc ipsum perficere, quod in lib. Ecclesiastici cap. 4. habetur: *Pro justitia agonizare pro anima tua, & us-que ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro nemine tuo*: & dico: Amicus P. Valerianus: Ami-ci multi omnes amici, sed magis mihi amica tuitio quam innocentiæ & læsæ famæ, & ea quæ P. Va-leriano à me præstatur sinceritas, cæteroquin hodie invenio tam rara; optandumque esset, ut multi ejusmodi cum etiam egisti, & conversatus es, idem mihi præstitissent. Nam mi P. Valetiane, ut cum Sancto Thoma de Kempis. cap 3. lib. 1. loquar: *quis enim impedit & molestat, quam tua immortificata af-fectio?* & iterum lib. 1. cap. 13. *Non est molestior super animæ hostis, quam tu ipse tibi non benè concordans*: non autem secundùm spiritum illorum, qui cum petebant, uti apud Eliam, ut ignis de cælo de-sceret, sed potiùs secundùm illius, qui dicit, Matth. cap. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Credemihi, quod de tuo incomparabili, quo superbiam & humilitatem, tibi serviente laico fra-tre, qui verè fortunatus vivet, dici possit: *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo*. Vale. Datæ in arce Rheinfellæ decimâ septima Junii, Anno, quo Virgineo, millesimo sexcentesimo sexagesi-mo nono.

Admodum Reverendæ Paternitati tuæ ex corde addictus

Ernestus, Hassiæ Landgravius.

P. S.

Postquàm jam unum exemplar P. Valeriano transmissum esset, intelligitur à Melchiore Buchnero Turingo, Cancel-lariæ Registratore, nuper ad Fidem Catholicam cum ædifi-catione converso; quòd Rector Lutherani Gymnasii Gera-viensis in Voitlandia sit auctor libelli qui sub nomine, Iocosi Severi Medii prodiit.

Exemplar Epistolæ Responsoriæ ad fratrem Fortunatum ex Italico in Latinum translatæ verbo tenus; Rheinfelt. 30. Sept. 1661.

Charissime in Christo Frater Fortunate.

Etsi non desint causæ, quas ipsemet potes cogi-tando assequi, omittendi responsorias ad epi-stolam, quam dedisti ad me Vienna N. hujus; ni-hilominus non solum ex ea propensione animi, quâ semper erga te feror, verùm etiam ex charitate Chri-stiana, & studio cuique gratificandi, significo hisce meis, me abhinc octo diebus accepisse tuas litte-ras, & qua gratulatione tuam valetudinem, eo in-tellexisse mœrore mortem R. P. Valeriani, in eo præcipuè statu, in quo sese collocaverat. Dicis, ar-bitrarisque rem esse, quam hactenus nesciverim, quis primus auctor hujus simultatis deplorandæ in-ter P. Valerianum, & Jesuitas fuerit, fuisse R. P. Generalem, qui ut primùm audivit, me, meam-que conjugem à P. Valeriano conversos ad fidem Catholicam, scripserat severas litteras non sine exa-cerbatione animi (hæc enim sunt tuam et verba) suis Patribus, exprobrans, permisisse illos converti Prin-cipem à Capucinis, & jubens omnimodis eò rem de-ducere, ut derogetur ea laus Capucinis, & cedat Je-suitis, idque ais fuisse narratum ab homine, qui pluri-bus annis vixit Jesuita, ac deinde descíverit ab illo Ordine, illasque litteras P. Generalis fuisse lectas pa-lam in omnibus Collegiis. Ad quod tibi Charissime Fr. Fortunate respondeo, me quidem id rescire non potuisse, cum acciderit nunquam; teque per Chri-sti amorem oro, ut pro certo habeas, merum illud esse, impudensque mendacium & ejusmodi, quod nulla sui parte sit verisimile, ac R. P. Generalem Je-suitarum tam esse innocentem ea in re, quam est in-fans, qui hodie nascitur: quod si verum sit, aliquem, qui è Societate Jesu exierit (quod genus hominum non solet esse ex probatissimis) dixisse, & persuasisse id P. Valeriano, ego verò tam illum mendacem ar-chitectum calumniarum reprehendo, quàm compa-tior nimium credulo Valeriano. Age nominetur vel unicum Collegium, de quo probetur, (& in quo vel unum hominem supervivat) quod si potueris nominare, viceris; Optimè novi egomet R. P. Ge-neralem Societatis, virum esse omnino exemptum ab ejusmodi rebus; proinde eas, licet, & narres has fabulas Idiotis, iisque, qui perturbationibus aguntur animorum suorum, vacuis timore Dei & hujus ne-gotii rudibus.

Cæterùm ex una quidem parte laudo sanctum animi

animi tui sensum, quod credideris id temporis, quo Dux Neoburgicus mihi adfuit, id est, anno 1651. tâta fuerit animorum conjunctio R. P. Valeriani & Patribus societatis ejusdem Ducis; verùm ex parte altera, cum veritus populus errorem sibi eximi, assevero tibi, jam tunc P. Valerianum mihi solitum loqui tam acerbè de Jesuitis quàm poterat, & inter alia atrocia, hoc diserte asseruisse; Certum est, inquit, Jesuitas infectos esse hæresi: quando etiam pro viribus hortabatur, caverem mihi à technis eorum. Atque ut exactius intelligas, verissimum esse, quod inde jam à longo tempore P. Valerianus exulcerato fuerit animo contra Jesuitas, breviter narrabo, id, quod tunc hic accidit, quodque nõ ego solum, & mea conjux, sed alii ampliùs viginti tunc in mensa præsentes testari possunt, neque enim memini, an tu ipse ex tuo cubiculo in aulam descenderis nec ne.

Recordaberis igitur, cur P. Valerianus tecum descenderit navigio Coloniam, ut sibi adsciscret ibi duos socios ad colloquium instituendum cum Doctore Haberkorn Lutherano, ejusque duobus sociis ad me advectis in Rheda mea; Cum ecce subita aquarum eluvio intervenit, ejusq; modi, ut nullatenus potuerit P. Valerianus cum sociis Colonia reverti secus Rhenum, & desperaverim ego penitus, cum nec veredarii quidem commeare possent, nec esset commercium litterarum; Interea habebam domi meæ tres illos Doctores Lutheranos qui cum non reperissent P. Valerianum, meditabantur illico reditum triumphabundi, quòd non comparuissent die, & loco constituto sui provocatores; quibus cum demonstrarem inopinatam inundationem aquæ, & quod nullæ Colonia acciperentur litteræ, illi perstitere omnibus modis in proposito redeundi, specie multarum actionum vel occupationum, in concionibus & celebrando Natali Domini. Hic quid facerem, exoravi ut remanerent triduo solo; atque interea, ne dimitterem eos, quin minimum vidissem aliquem Catholicum Theologum, cum ejusmodi nullus vicinior esset idoneus, nisi Cursorem expressum, qui citato equo per montes se conferret Moguntiam ad R. P. Rectorem Jesuitarum mihi aliter ignotum; fecique illum certiorem, quo in statu versarer, precatus, ut quam ocissime duos ad me in controversiis apprimè versatos Patres mitteret, atque inter illos eum præcipue, si forte is adesset, qui solidè nuper refutaverat in Moguntinis animadversionibus doctissimum Calvinistam Crocium. P. Rector eodem temporis puncto, quo litteras acceperat, ablegat ad me duos Patres Melchiorem Cornæum & Henricum Meurzum, quorum prior is planè erat, quem optaveram; tametsi aliter mihi incognitus. Hi antequam advenirent, media solummodò horula citius adest P. Valerianus rheda Colonienſis Electoris advectus, itinere, uti nosti, per montes Westervvaldios prorsus nobis inexpectatus; protinus cum ascendisset suum in conclave, dixi illi, quid ipsius adventu desperato, fecerim; Et ecce inter dicendum præco signum ex turri dat, adventantium Patrum; aderat tunc mea Conjux & Vice-colonellus Guibenhausen, aliique & ut opinor tu ipse (nisi fortete receperis in aliud conclave) Simul ac P. Valeriano hæc dixissem, ita exarsit ira, ut itando huc illucque fremens ore, pedibus, manibus, undique perstrepens eruperit in hæc suamet verba: Domine Princeps, ajo, quod subito & hoc ipso momento debeas curare abitum illorum hominum, & quod nescias modum, te regendi, & cum ejusmodi personis, qualis ego sum, agendi; contestor, quod non debeant intrare, & nec pedem quidem hanc in domum inferre, num hi homines gloriabuntur, te ab iis esse conversum, idque per omnes scholas suas divulgabunt. Hæc ille; denique fateor, me cum famulo meo stabulario non posse loqui imperiosius. Respondi tamen ei placidissimè, me ipsiusmet prudentiæ permittere, ut judicaret, num in tali casu, potuerim aliud facere; addidi, non posse mihi suaderi hoc jam initiato, & præsertim in conspectu hæreticorum, ut detractarem hos duos Patres Jesuitas, quos ego meo vocassem, pluvio isto semper incommodo tempore; appromisi illi autem, fore, ut non se immisceant colloquio ipsius, & curaturum me ut cum posterâ die, quæ erat dies Dominica quievissent, illos remittarem; etsi autem P. Valerianus nullatenus acquiesceret, non potui tamen adduci ad illam tantam incivilitatem perpetrandam, quæ ipsi P. Valeriano sum maximo dedecori. Dedi igitur signum Præfecto aulæ, ut eos acciperet, & introduceret ad cubiculum, ubi cum eos salutassem, simul ac intellexissem, advenisse P. Valerianum, proposuerunt reverebistim diluculo sequentis diei; verum cum ollendarem tum non convenire, ut die Dominica redirent, qua præsertim Hæretici sentirent, non esse tendum iter sine necessitate, quibus eares foret militempli, tum oportere ut quiescerent uno die, gerunt mihi morem eo die remanendo, nec aliud quiquam prensaverunt, summa cum modestia, nullo verbulo contra prolato.

Ergo die Dominica, cùm adhibuissem mensæ Lutheranos tres Doctores, vocavi etiam hos Patres, ut unà pranderent; incepique discursum super præcepto Extremæ-Unctionis apud S. Jacobum, quam cum possent Lutherani admittere, & protestantes salvis suis principiis, utpotè tam expresse illicinjunctam, nata est hinc disputatio perinde curiosa, ac pro Catholicis victoriosa inter P. Cornæum Jesuitam, & Doctorem Haberkorn; sed quo exitu? aderant homines amplius 30. inter quos duo alii Calvinistæ Theologi, mea Conjux, multique aulici, inter cæteros, vester etiam aderat Secretarius laicus Ludovicus Stirner Oenipontanus, qui postquam auscultassent tam utilem, quam alioqui tam placidam conversationem, subduxit se laïcus, & proculdubio admonuit ea de re P. Valerianum. Jam adverte, obsecro, successum rei; etenim bonus hic senex, & afflictus podagra descendit è cubiculo suo, circiter gradibus centenis; & cum alioqui, ut nosti, prandere nunquam, neque fuisset vocatus, ingreditur repente in Aulam, ea majestate, quæ potiùs referat Principem, quàm Religiosum S. Francisci Ordinis. Collocat sese in capite mensæ, juxta meam conjugem, & cum aliquantulum attendisset, colloquentibus Jesuita & Lutherano, subito effervescens ita: Jesuita, inquit, non eo modo, quo oportuit, disputavit contra Lutheranum, sed meliùs Lutheranus Doctor Haberkorn progressus est: Dici non potest, imò nec sine horrore cogitari, quanto scandalo id ferrit, & quantæ voluptati hæreticis, qui tunc adsunt frequentiores, quàm Catholici, tum Doctor Haberkornius ad me; Videt, inquit, jam vestra Celsitudo, quàm Jesuitæ & Capucini ipsi sibi contrarient, & tamen Jesuita, contra omnem expectationem, hic lacessitus nullo contra reposuit verbulo, quod nollet dare causam hæreticis ullam exultandi. Sed respondi ego Doctori Haberkornio, his verbis: Domine, ego equidem immoderatos affectus P. Valeriani, sed quod à Jesuita responsum est, idem egomet sentio

bidictis, eo in statu turbulento, jussi tolli mensam, & singuli se recepere in conclavia.

Denceps die Lunæ abierunt Jesuitæ, & institutum est colloquium inter P. Valerianum, & Doctorem Haberkorn, quod paucis duravit horis, & successu fructu, cum non posset Deus huic agendi modo benedicere: ii sanè, quibus postea, data occasione hæc narravi, omnes mirati sunt, me meamque uxorem non potuisse scandalizari, & alienari animo: Quod reliquum est, tu ipse præ cæteris satis experteris, quàm bonus is Pater non fuerit iræ suæ erga nos, & quo sæpe modo egerit cum iis, quos habuerunt subditos, non sanè juxta modum à S. Francisco præscriptum. Opto illi ut quemadmodum dicitur, obierit instar Angeli: sed profectò, neque Angeli, neque ii Religiosi, qui affectus suos dominos habent, ita gerunt sese in simili occasione, sicut ipse gessit P. Valerianus: Illa grandis præsumptio de se ipso, plane erat maximis quibusque illius amicis intolerabilis. Memini mihi illum dixisse Pragæ anno 1632. Illustrissime Princeps, debes scire, me per meam Theologiam redditurum esse attonitum totum mundum, nemine excepto; & cum advenisset ex meo vultu, id mihi minùs probari, reperæ indignans, nec Aristotelem, nec Jesuitas omnes, & quotquot sunt in orbe docti, ea in re sibi parisse. Et ecce charissime Fr. Fortunate, hæc inquam omnium aliorum prima fuit causa simultatis inter illum & Jesuitas, malevolentiæque illius erga illos quam maximæ, eò videlicet, quod non æquè ab illo veluti adoraretur, prout sibi videbatur mereri, atque ex hoc fonte postea omnis illa paulatim emanavit acerbitas. Cæterùm cures licet ut meus libellus si Latinè quidem nescias, tibi fideliter explicetur, quem illi scripsi, etiamnum superstiti, & invenies quem in modum reverà res omnis gesta sit.

Existimas, & memones, esse Deum justum Judicem, qui non in speciem judicet, opprimi autem non hoc in negotio à potentioribus, id quod apud Deum non dissimuletur. Respondeo te rectè illud dicere, sed non rectè applicare. Nam illi justissimo Judici, cui reverà nihil potest abscondi, non potuit placere talis agendi modus contra innocentes, & patrocinandi calumnias oppressos Jesuitas; neque unquam cum veritate (quod certissimum dico) potuit refutari meus libellus, quem dedi equidem in lucem publicam, non aliam ob causam, quam ne innocentiam veluti finerem captivam, vinctâ catenis, & oppressam ab injustitia & calumnia, sic mea mihi dictante conscientia. Profectò non licet Deo illudere, necis acquiescit, si quis abripiatur perturbationibus animi, informationibus sinistris, suspicionibus & exaggerationibus, multoque minùs torrente maledictorum contra Ordinem aliquem, aut hominem. Summopere exopto vestro P. Valeriano, in eum è vita, reverà sincereque doluerit, eo modo imbuisse libris impressis, etiam coram hæreticis, tam Ecclesiæ Dei utiles operarios, & Religiosos viros Jesuitas pro atheistis hæreticis, & hominibus maximè execrandis; an tu hoc parvi æstimas? & quantus mihi dolor est medullitus, quod denique cum summa mea tristitia cogar videre, quam sit parum boni exempli, quod aliqui in Ordine tam docto, tam religioso, tam mihi charo, pretioso que, tum habeant & fervorem defendendi id, quod cæteris deberent improbare, cum interim, neque bene informati sint, neque velint ad merita causæ videre.

Quum bonum, quis Jesuitarum, quo in loco, quo tempore, & præcipuè ante hæc scripta virulenta vestri P. Valeriani, & D. Bonaventuræ Rutheni dixit unquam esse hæreticum, stolidum, infamem, & denique ejusmodi qualem se ab illis haberi prætexuit? Ille aliique Jesuitis malevoli, hoc ipsimet excogitarunt, eò solum ut prædictos Patres onerarent, cum aliud sit utique quempiam, & ne quidem nominando taxare aliquatenus in aliqua sententia aut modo loquendi, aliud autem eum injuriis afficere. Prius illud quotidie, vel maxime Catholicorum Theologis evenit; alterum istud non decet hominem Christianum nedum Religiosum. Addo, aliud multo esse si non tanti æstimes quanti valet, neque approbare possis omnia ejus placita, compatiarisque infirmitatibus illius: aliud verò convitiari, & pessime denigrare. De priore illo neque vellem fidejubere pro omnibus Jesuitis, sed de posteriore spondeo. Nonnulli abuntur applausu multitudinis, quæ invidet Societati. Ego vero existimo me spatio 10. annorum, quibus Dei auxilio sum Catholicus, audiendo & legendo percepisse maxima quæque mala, quæ excogitata sunt, vel edita contra prædictos Patres, sed demum reperi omnes eorum inimicos, aut hæreticos (quod iis honori esse debet inter nos) aut certe Catholicos male informatos, præoccupatos, invidiosos, vel ex Religiosis, licentiosos, ac libertinos, vel denique particulares quosdam, qui suas proprias ob causas iis sunt offensi.

Persuade sis tibi meum libellum, sicut scriptus est à me coram Deo, & perinde ac si eodem momento mihi discedendum foret ex hac vita ad judicium severissimum Judicis justi fuisse (divinæ majestatis beneficio) acceptum gratumque, non solùm suæ sanctitati Pontifici maximo, & Eminentissimis DD. Cardinalibus, verum etiam suæ Cæsareæ Majestati, multisque aliis piis juxta ac cordatis viris, qui omnes uti & ipse vester P. Generalis testati sunt cum modestia & ingenuè esse conscriptum.

Obsecro te mi Fr. Fortunate, ne te ingeras huic negotio, esto felicior in tuæ pietatis exercitiis, è quibus referes laudem fructumque ne te decipi zelo quodam, sed non secundùm scientiam pro ea causa, pro qua non oporteat zelare, & dissuadeas P. Valeriani Secretario, id est, P. Ludovico de Salice, ne velit instrumentum esse ad continuandam altercationem tam funestam, & pravi exempli quod non postea posset luere. Nam quid tandem arbitraris, nisi eo tempore ipso, mors P. Valeriani interveniisset, quam molestè fuisset laturus se abduci Romam, ubi certissimum est eum non potuisse obtinere causam, nec sperare reditum jucundum, nimirum quantò fuerimus demissiores, & magis addicti veræ pietati, alienique ab aliis judicandis, & nobismet intricandis in res quas fœliciter, & cum decore non possumus finire, tanto etimus, inquam, quietiores. Atque ut finem faciam, testor mihi dolere intimè, & ex pectore, quod amicitia cum bono P. Valeriano inita, tam deinde deplorandum sit sortita exitum. Sed quid dicam, faciamve; P. Valerianus, qui hunc agendi modum potuisset omittere, ipse est causa, nequaquam ego, nec Jesuitæ. Commendo te divinæ protectioni, meque sanctis tuis orationibus: Scripsi autem hæc omnia in conspectu Omnipotentis, & juxta dictamen conscientiæ meæ, quam alioqui pro omnibus mundi divitiis nollem gravare.

PARS

PARS SECUNDA.

Christianus Faber, idem, qui Germanus Theophilus, ad larvatum Theophilum.

PARUM abfuit; ô Theophile, quem potiori jure, Atheophilum dicam deinceps; quisquis enim probos, & Religiosos homines convitiis, afflictisque impostoris infectatur, Deum non diligit, ac proinde re ipsa Theophilus non est; parum, inquam, abfuit, quin te omni respõsione indignum reputans, temnendum potiùs, quàm refutandum esse duxerim, cum scilicet ea, quæ dicis, ab omni veritatis specie ita sint aliena, tam aperta mendacia, & calumniæ in meridiana luce collocatæ, ut dictorum tuorum falsitas primo statim obtutu in legentium oculos incurrat.

Quia tamen aliquid opinioni dandum est, eorumque simplicitati, vel ignorantiæ occurrendum, qui argumentationum tuarum plaustris territi, per summum errorem, iis aliquid confectum potiùs, quàm confictum esse putarent, tuas nugas refellendas suscepi, ea tamen orationis brevitate, quæ garrulitatem tuam improbam, & iniquam loquacitatem castiget, nec non maximum libelli tui horrorem bonis omnibus injiciat. Et verò, ne quid dissimulem, horret animus, dum ea lego, quæ per incredibilem malitiam, & singularem calumniam Jesuitis affinxisti; quidquid enim criminis & flagitii, non re ipsa admitti, sed cogitatione fingi potuit, totum id cum multiplici hyperbole conjunctum Jesuitis imponis; sacrilegia, furta, homicidia, veneficia, libidinem omnis generis, intolerabilem tyrannidem, diabolicam superbiam, virulentum odii & livoris tabum, hæresim denique & atheismum; in hoc si non conscientiam, saltem prudentiam tuam, Atheophile demiror.

Puerilem quandam eloquentiam affectas & arguti dialectici nomen; neutrum tamen assequutus es, nempe minùs appositè dicis ad persuadendum, utpotè qui verisimilia non dicas; quis enim etiam Jesuitarum hostis de illis hæc sibi persuadeat? imò demus ea, quæ dicis, vera esse, etsi atrocissima sint mendacia & meræ impostoræ; demus, inquam, certe in hoc rerum statu, nemo tuis dictis prudenter fidem habeat, cum à publica voce & fama, & à communi hominum opinione longissime dissentiant; tu ipse, quisquis tandem es, qui hæc scribere non dubitasti, sive Catholicus, sive Acatholicus, quod mihi facilè persuadeo, nam loquela tua manifestum te facit; quis enim Catholicus de Romano Pontifice illa omnia, quæ temerè scripsisti, scribere non vereretur? quamvis te Catholicum esse, necnon Romani Pontificis clientem, varijs in locis profitearis, ut scilicet fucum facias, quod, ni fallor, suo loco *infrà* evincam; quisquis es, inquam, qui hæc scripsisti, quamvis immortalis alioquin Jesuitarum hostis, ea tamen vera esse non credis, cujus rei adeò certus sum, ut quamvis sponsione certare non dubitem, ita omnem etiam scribentis fidem, si non malitiam superant.

Sed ne in præludio diutiùs hæream, ut tota res paulò distinctiùs procedat, in distincta capita tuis semper vestigiis insistens, opusculum partior; & primo quidem loco, libelli Titulum & Epistolam ad Lectorem discutiam. 2. factum Oenipontanum, & propositiones, necnon argumentationes ex eo deductas. 3. causam Caramuelis, cum propositionibus & argumentis ex eo contextis. 4. Dominicanorum querelas, & tua circa illas ratiocinia. 5. Historiam Sanctorum Ignatii & Francisci, cum tuis observationibus. 6. ea quæ profers doctrinæ Jesuiticæ specimina. 7. Valeriani causam & litem.

CAPUT PRIMUM.

Frons libelli examinatur, Epistola ad Lectorem discutitur.

APerto libro in geminam frontem statim incidi; bifrontem Janum agere videris, quo relato, bella, horrida bella; vel ut verius dicam, frontem posuisti, ut eam in libellum tuum, abortivum sanè corruptissimi cerebri fœtum traduceres: licet autem prima frons se habet.

Scandalum Ecclesiæ Romano-Catholicæ, id est, Jesuitarum Hæresis, seu atheismus, detectus à Theophilo, secundùm Apostolicam denunciationem Valeriani Magni, ad Imperatorem, Reges, Principes.

Altera verò sic: *Defensio pro Valeriano Magno, qua exponitur Ecclesiæ Romano Catholicæ scandalum id est, Jesuitarum hæresis, seu atheismus, detectus à Theophilo, secundùm Apostolicam denunciationem Valeriani Magni, ad Imperatorem, Reges, Principes, contra librum Auditum & alteram pars.*

Singula obiter relego: *Defensio Valeriani Magni.* Cur eum defendis, quem nemo accusat? etiamsi, quod Jesuitæ ab eo esse defendant; nempe illos hic homo accerrimè insectatur, non verò quod illum à Jesuitis defendas, quem nunquam Jesuitæ accusarunt. Huc quæso transfer Atheophile illa omnia, quæ in prima parte à me dicta sunt, nempe hic eum suum locum habent.

In qua exponitur Ecclesiæ Romano-Catholicæ scandalum; hæc vox *Romano-Catholicæ* in ea, quam de tua fide concepi, opinione, non parum me confirmat; sic enim Lutherani, saltem ut plurimum, loquuntur; nam cum negare non possint, quin nos Catholici nominemur & simus, & nostra Ecclesia Catholica, ne inde fateri cogantur, se Catholicos non esse, Romano-Catholicos nos vocant: illud etiam quod Ecclesiæ nostræ scandalum affingis, te Lutheranum apertè prodit; nonnulli fortè privati Catholici scandalo esse queunt; at de tota Ecclesia hoc affirmare, hæreticum est; alioquin Ecclesia firma veritatis columna non esset, & portæ inferi adversùs eam prævalerent: sed pergis.

Id est, Jesuitarum hæresis, seu atheismus. Risum mihi potiùs, quàm stomachum moves & in hoc etiam te putidum hæreticum, aut saltem mente captum utique minimè compotem esse ostendis. Jesuitæ, inquis, sunt hæretici, vel athei, risum tene lector; omnes sunt lupi, oves sunt hœdi, amici hostes, bona profectò antiphrasis: Crede mihi, Atheophile, Jesuitæ omnes hæreticos strenuè insectantur, & omnes Hæretici Jesuitas ut capitales hostes, plusquam mortali odio prosequuntur; & quamvis inter se illi alioquin dissentiant, in duobus tamen articulis omnes ad unum conveniunt; nempe unanimi consensu contra Romani Pontificis primatum, & Jesuitarum doctrinam declamare non cessant.

Deteſtor

Theophilus à Theophilo secundum Apostolicam denuntiatus Valeriani Magni. Quomodo à Theophilo rectum, quod jam Valerianus toties publicè, & sæpè ac sæpiùs denunciârat? hæc porro denuntio ab Ecclesia rejecta est, ut falsa, ut conviciis calumniis horrida, ut scandalosa, & ab impuro homine profecta; ita ut vel eo nomine Valerianum primùm quidem indicto silentio coërcendum, & cum se intra christianæ modestiæ, & religiosæ observantiæ fines non contineret, in carcerem tandem esse, benigna parens Ecclesia statuerit: viden, quàm inani fundamento tuæ argumentationes nitantur.

At Imperatorem, Reges, Principes; cur non ad Germanum Pontificem; hîc etiam te prodis, lardum Catholicè, quem hæreticum esse constat. Sed an Imperator, an Rex Christianissimus, an Serenissimus Poloniæ, an denique multi alii Principes, quibus Jesuitæ sunt à confessionibus, tuis excitti monitis, tuum consilius, Jesuitas dimiserunt, & flagitiosissimum hominum operam adhibere ultra noluerunt? Cedo tibi, Jesuitas norunt intus & in cute, eorumque ipsum, cæum, pietatem; si fortè iis æquè notus esset, non utique profectò pœnas non effugeres, quæ tuis criminibus debentur. Sic demum concludis.

Contra librum, Audiatur & altera pars. Titulum video hîc esse, nihil enim ad aureum librum illum, ne grandem quidem, at ajunt, respondisti; nec illius, vel alterius meministi, in quo theses tuas etiam puerorum libro exponis; contra librum scribis, quem ne quidem appellas, impugnas hostem, quem nunquam nosti, in quo tamen saltem ex parte prudenter laudando; quid enim scriberes contra librum illum, in quo merum factum summo candore à Serenissimo Principe Landgravio ita exponitur, ut ne tantum quidem dubium restet; est tamen quòd nonnullam tuam alia ex parte accusem; qua duo libello tuo eum titulum præfigis, quem deinde non impleas, quique in argumentum à te agitatum, litem deducam non quadrat.

Imo politicus integer accesset. Esset profectò, quid omitteres hujusmodi nugas & fabulas, Mimo tuum agendo, vel histrioni petulanti condonandas, non tamen graviori auctori, sed hanc etiam tu addidisti (quid enim aliud huc congessisti,) sentinam, seu cloacam desiderari noluisti. Jam ad quæstionem tuam præfixam venio.

Hîc Panegyricum & Satyram uno stylo adoras, una fidelia duos parietes; hinc Valerianum cum laudibus in cælum effers, inde Jesuitas omnium horum genere proscindis: illum certè hujus ordinis fidelè primum hominem fuisse audacter pronuncias: natalium splendore illustrem, religione & integræ vitæ sanctimoniâ insignem, omnigena literarum ad fluporem usque instructum, Romanis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus acceptum & charum, nec non ab iis summo in honore habitum, rebus præclarè gestis, belli, domique pro Ecclesia & Rep. Christiana conspicuum, ipsum Cardinalium Collegium, nisi Jesuitæ per invidiam obstitissent, cooptandum, pro fide catholica, & justitia multùm diúque vexatum, & pene non Martyrem Christi, cujus exemplo, Summorum Pontificum jussu, in vincula conjectus est, & asseris.

Hæc ad hæc, Atheophile; ad ea tamen multa desiderem, si per christianam charitatem liceret; video, Valerianum primum hujus temporis hominem fuisse, nemini profectò persuadebis; grande illi sibi nomen fecit; inficias non eo, sua tamen maledicentia, non doctrina, vel eloquentia, suis tumultibus & contentionibus; cuncta enim susdeque miscuit; atrocissimis calumniis & impostoris Ordini Religioso, per summam scilicet Religionem affictis, in quo certè castigatissimæ vitæ luculentum exemplum mundo præbuit; multiplicatis passim scandalis, apertâque in Sedem Apostolicam rebellione, in quam vehementer invectus est, sanctum Domini Christi Vicarium plusquam canino dente momordit, eumque iniquum tyrannum vocavit, non sine aspersa erroris suspicione; in his primus fuit, vix enim alium huic parem invenies, quem tanta cum audacia, & inverecundia utrumque Imperii Christiani Principem ore sacrilego proscindere non puduerit; ita sibi nomen fecit Valerianus; quid enim aliud in Germania, Italia, Polonia, Gallia præstitit? alia præ summa, qua pollebat animi demissione, supprimi curavit, in gratiam Jesuitarum, ne hi fortè invidia tabescerent: ingenuè ac seriò dicam, nihil unquam de homine illo à nobis auditum est, præter clamores, tumultus, rixas, jactantiam, aliaque hujusmodi, pro quibus ad Serenissimi Principis epistolas te remitto, ubi luculenta hujusce rei testimonia invenies.

Satyram autem, ut dixi, Panegyrico annectis, floribus aculeos, rosis spinas, toxicum nectari, & putidæ adulationi horrenda convitia, monstrosas calumnias, & diabolicas impostoras; nempe Jesuitarum corruptos mores, abominanda crimina, pietatis obtentu passim admissa, effrænatam regnandi libidinem, quæ cùm nullis legum divinarum, humanarumque vinculis coërceri possit, ad hæresim & atheismum sese effert, fastosum *adulcismum*, impia scandala, desperatam salutē, improbam vitam, atrocissima scelera, fœtidissima vitia, & deterrimos vitiorum morbos, fraudulentam pietatis speciem, morum luxuriem, innatam avaritiam, immensam opulentiam, malas artes, corruptam docendi methodum, immanem ambitionem, livorem & invidiam, sexcentos dolos, consutas artes, venena, sacrilegia, contagionem, virulentiam, phreneticum furorem, & insaniam, scelerum enormitatem commemoras, & Societatem vocas, non JESU, sed Balaam, gentem pravam, Deoque adversam, disciplinæ Ecclesiasticæ violatricem, ignorantiæ & ignaviæ propagatricem, Ecclesiæ Catholicæ dedecus & scandalum.

Hinc Sacrorum administratio ad propria commoda, & promovendos Jesuiticæ dominationis terminos spectat; hinc adinventa, & instituta simulatæ pietatis exercitia, opportuna sanè ad congerendas opes, & viduarum possessiones invadendas; hinc nihil humano divinoque jure sanctum est; quod urgente ambitione, Jesuitæ temerè non conculcent: hinc Melchioris Inchofer vitæ probitate, & eruditionis præstantia eximii tristis exitus; is enim cùm reformandæ Societatis consilium suggessisset, carcere inclusus, vitam clausit, an dolo, an fato? hinc Gaspar Schioppius, vir juxta literatura, atque egregiis functionibus celebris, cùm idem consilium iniisset, multas adversitates, & mortem ipsam subiit. Hinc demum Valerianus cùm eandem provinciam suscepisset, multa mala ea de causa passus est.

Denuncias igitur Orbi universo illam Societatem Baal, non Jesu, ut hæresi & atheismo infectam; ac proinde penitus excidendam, cùm reformationis patiens non sit: *à planta enim pedis usque ad verticem capitis non est in ea salus*; & hæc sine ira, inquis, sine odio, sine studio, ad majorem Dei omnipotentis

& Ecclesiæ Romano-Catholicæ gloriam, cujus te obedientissimum, & fidelem filium esse dicis, qui magistro Christo, proximum diligere didicisti, utpote vitâ, doctrinâ, & moribus christianis abundè instructus.

Quàm bellè & eleganter, quàm nitidè & figuratè: sed mittamus jocos & ironias; ad convitia, nihil habeo, quod opponam, eadem enim, aut similia reponere, seu retorquere puderet, ne lixarum & calonum more agere videamur; hæc autem inde validè refelluntur, unde candidè ac fideliter exponuntur; nempe illa Jesuitis falsò ac temerè adstruis, quæ omnem prorsus superant fidem; in quo tuam saltem prudentiam desidero; & verò verisimilia, falsa licèt attexere debueras; sed divino quodam instinctu, & consilio factum esse puto, ut ea dixeris, quæ nemo uspiam, quamvis alioquin Jesuitis parum æquus sit, inducat in animum, ut credat: de sicariis & grassatoribus ea dicere dubitares, quæ de religiosis hominibus palam asserere non vereris: & verò si hæc de barbaris, nobisque ignotis gentibus apud nos spargeres, sustinerem utique, sed universa Europa illos intus, & in cute novit, quos immanium scelerum, hæreseos nimirum, & atheismi insimulas; hoc enim duplici capite illa omnia, quæ frustra multiplicas, facilè complector; novit, inquam, alios ab iis esse, quos fœdissimè traducis, quare duco spongiam, unoque ductu illa omnia expungo, quæ per intolerabile mendacium, & luculentam calumniam iis affingis, nec non contendo, esse mera convitia, aniles fabulas, palmares calumnias, ut constat ex veritate comperta & notoria, ex fama etiam publica, & innumeris sanctissimorum & gravissimorum hominum testimoniis; licèt enim aliqui privati ex illa Societate nonnulla, ut plurimùm levia, quandoque admittant, quæ omnibus minimè probantur; plerique tamen omnes in id potissimùm incumbunt, ut vitam omni virtutum genere ornatam agant, eamque totam divinæ gloriæ propagandæ, & procurandæ saluti proximorum addictam, adstrictamque esse velint. Res per se ipsa loquitur, à laudibus abstineo, ne quis conductum me esse putet, hoc unum dixisse contentus, Jesuitas, ut plurimùm, homines probos & doctos esse, Reip. Christianæ non parum utiles, in primis Catholicos, & fidei Catholicæ propugnatores, contra hujus temporis hæreticos, quibus hoc nomine præ cæteris sunt odio; & si aliquod Societatis membrum, (homines enim sunt,) comperuerit, rescindi statim, ne alia inficiat; sic nonnulli haud ineptè Societatem oceano simile esse dixerunt, qui sordes & cadavera ad littus & oram propellit.

Quod dicis de Melchiore Incofer, chimæra est; aliquid fortè vir ille, quem ingeniosum, & satis eruditum fuisse, non inficior, non quidem ad Societatis reformationem, sed deformationem moliebatur; idque joco potiùs, quàm serio, ut ab iis non semel audivi, qui hominem noverant, quod autem subindicare videris, dolo sublatum fuisse, atrocissimam esse calumniam altè pronuncio, & mentiris in caput tuum; scio, quibusdam malevolis & æmulis, hoc in mentem venisse, eosque inanem illam movisse suspicionem; sed pudeat, non Christianos modò, verùm etiam sanæ mentis homines, absque ullo etiam minimo indicio, vel levissimo, ut ajunt fumo, Prælatis Religiosis horrendum illud facinus imponere, quod ne barbaris quidem & Schytis condonandum esset.

De Scioppio nihil est, quod dicam; sciunt omnes, quanto in Jesuitas arserit odio; sed pro Scioppio ad Lydium lapidem Patris Alberti te remitto, ex quo facilè intelliges, illius hominis fidem auro, quod per ignem probatur, non fuisse pretiosiorem, aut certè si Alberti severitas & supercilium te fortè aliquantulum terreat, tibi auctor sum, ut lepidissimum opusculum consulas, Eugenii Lavandæ nomine inscriptum, cujus auctorem paulò ante appellavi, scilicet Melchiorem Incofer. De Valeriano jam supra multa, & plura fortè, quàm velles: Quid porrò à Jesuitis passus fuerit, divinare non possum; facilè tamen dicturus, si vel ita jubeas, quid à Judicibus pati debuisset.

Denuntiatio demum tua, quam magnificentissimè prædicas, vix inter selecta hujus ævi deliramenta locum obtineat: larvatus tenebrio, sub ficto Theophili nomine, putidus hæreticus, vel quod facilè credderim, execrandus apostata, sine testibus & tabulis toti orbi, ut ipse ait, universum Jesuitarum Ordinem horrendis flagitiis pollutum, & ut omnia hæc diquactiva complectar, hæresi, vel atheismo infectum esse denunciat, ac proinde penitùs excidendum & extirpandum radicitùs multos delirantes audivi, nullum tamen, qui tam effrænatam audaciam, cum tanta insania conjunctam præferat, toti orbi denunciat, quis porro? transfuga nescio quis, & forsit bubo; quem verò denunciat? Religiosum Ordinem de Ecclesia Catholica bene meritum; in quo tot viri sanctissimi juxta atque doctissimi, & chara Deo capita indefessam Deo & Ecclesiæ operam navant, ut fama publica attestatur, omnium bonorum calculo, & multiplici Regum, Imperatorum, & Romanorum Pontificum approbatione confirmata; cujus quæso criminis? hæreseos, atheismi, aliorumve immanium flagitiorum: quo demum teste? nullo prorsus, nisi Gasparo Scioppio, jurato & mortali Jesuitarum hoste, & Valeriano Magno, quem altenus à Jesuitis animus ad furorem & insaniam semper adegit: & hæc pro tua in proximum charitate, Atheophile, quam Christo, inquis, magistro didicisti; integer vitæ, scelerisque purus, nulloque tu, vel odii, vel immoderati cujuspiam affectus fluctu abreptus, sed christianis moribus probè institutus, ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ utilitatem.

Nos fortè stipites esse putas, vel stupidos Lappones, aut Samojedos, quibus pro tua libidine & arbitrio adeò facilè imponas? rem sanè lepidam, quæ vix in mentem ratione præditam cadat: homines innocentissimos, doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ conspicuos, ut hæreticos & atheos, & immanium scelerum reos, per incredibilem audaciam, calumniam & contumeliam insectari non dubitas, à quibus nunquam læsus fuisti, nullâ unquam affectus injuriâ, sed potiùs, quod rectè divinare mihi videor, omni beneficiorum genere cumulatus; fallor enim, nisi sis aliquis transfuga, hîc tamen charitatem tuam, christianos mores, animum ab omni pravo affectu immunem impudentissimè, ut mitiùs loquar, prædicas, & altè jactas; osculum profectò Judaicum, Leoninam dilectionem, Crocodili voces, Herodianam pietatem, Saulis mores, virtutem diabolicam, nec te pudet ea scribere, quorum vel ipsa cogitatio Lutheranis humanioribus ruborem obduceret: sed de his omnibus infra seorsim tecum agemus.

CAPUT

CAPUT II.

Factum Oenipontanum diſcutitur, propoſitiones ex eo deductæ refelluntur, & contextæ ex his argumentationes diſſolvuntur.

Nequam ad propoſitum factum veniam, unum præmitto, quod habes *pag.* 25. & 26. ſcilicet, *Imperatorum conniventia, Romani Pontificis Sacerdotium ad ſummum principalem evaſiſſe, eundem Romanum Pontificem in omnibus juribus mundanis, Imperatori ſubditum fuiſſe, ut Chriſtum terris ſubditus fuerat; ac proinde à legibus Imperatoris minimè exemptum; Pontificalis dignitatis apicem Imperatoria eſſe: neſciri, qua poteſtate Valerianum Magum Papa in carcerem detrudi juſſerit*: diſtrahor hinc, Atheophile, nempe dum hæc à te ſcripta video: præterea minùs pondero, hæreticum, aut certè ſchiſmaticum audire mihi videor: ſunt enim hæ ſchiſmaticorum voces, quæ à Græcis primùm ortum duxerunt, ac deinde per Henricos, Fridericos, Ludovicos Bavaros ad Wiclephum, Huſſitas, & tandem ad Lutheranos & Calviniſtas, quibus etiam alios Novatores addere poſſumus, tranſmiſſæ fuerunt: Quid enim Romanum Pontificem Eccleſiæ viſibile caput, & Chriſti Vicarium Cæſareis legibus ſubjicias, eique deneges poteſtatem rebellem fraterculum in ordinem redigendi, ſchiſmaticum eſt; quòd Imperatoriæ dignitati Pontificiam ineſſe dicas, alludere haud dubiè ad Cæſares antiquos idololatras, qui ſimul etiam ſummi Pontifices erant, impium; quòd ipſum Chriſtum, Regem Regum, & Dominum dominantium Imperatori ſubditum fuiſſe ſcribas, blaſphemum eſſe, nullus Catholicus negat; inde igitur hæreticum te reputo, aliunde verò tranſfugam & apoſtatam; ſed bonus ſum, utrumque facilè conciliari poteſt, ſi dicamus, te ſimul hæreticum & tranſfugam eſſe: non deſuit, qui crediderit, ipſum Valerianum hujus libelli famoſi auctorem eſſe, cum ſimilem ſtylum habeat, eundemque præſumptionis modum; ſed vix hoc mihi perſuaſero, quamquam cæco furori, & odio inveterato nihil non tribui poteſt; ſed ad factum Oenipontanum unicum converto.

Scribis, Sereniſſimum Archiducem Leopoldum, Patrum impulſu omnibus ſuis familiaribus & aulicis edixiſſe, ut non aliis, quàm Jeſuitis Confeſſionem adirent; cùm autem nonnulli ex præcipuis, inquis, tam grave jugum ægerrimè & indigniſſimè ferrent, & cùm Archidux alia pejora timeret, immutatum in conſilium mutavit, ſignificans, ſibi gratum fore, ſi Jeſuitas illi potiùs quàm alios conſcientiæ ſuæ arbitros eligerent. Apud alios Principes Solem in id unum omni ope & operâ enititur; unus Ferdinandus Viennæ innumeros ferè omnis generis & ordinis mancipavit; in id etiam alibi Jeſuitæ pro viribus incumbunt.

Ante omnia, factum illud Oenipontanum pertego, quod ſanè tibi probandum erat: teſtem apponis omni, ais, expectatione majorem, Gaſparum Scioppium: itane verò Scioppium contra Jeſuitas, hunc teſtem præ cæteris excipio, utpote publicæ honeſtatis, & privatum omnium bonorum hoſtem. Hoc tibi fortè latebat Atheophile? eodem judicio Pandrockium, Anticotonum, Theatri Jeſuitici auctorem, aliosque ejuſdem furfuris Scriptores, qui libellos famoſos contra Jeſuitas ſcripſerunt, citare poteris. Prædicti verò facti falſitatem innumeris & authenticis teſtimoniis, ſupra laudatus Albertus in Lydio lapide demonſtravit.

Sed demus, Sereniſſimum Archiducem hoc ipſum, quod dicis, indixiſſe, nego interveniſſe Jeſuitarum impulſum, vel acceſſiſſe inſtantiam; quomodo id probas? Scioppius, inquis, hoc atteſtatur; ſed hic homo ubi de Jeſuitis ſermonem inſtituit, totus in maligno poſitus eſt, & juxta atque Valerianus ſui minimè compos: quare niſi alium teſtem adducas, cauſa cades, & infamis audies impoſtor. Demus tamen, tui gratia; ne omnem egregiis tuis argumentationibus materiam ſubducamus; demus, inquam, Sereniſſimum Archiducem Jeſuitarum conſilio & arte inductum fuiſſe, in hoc certè tam grande, tam immane ſcelus eſſe non video, quàm fortè putares; nempe morem illum cunctis rectè ſentientibus valde probari conſtat, ut omnes, qui ſunt ejuſdem familiæ, vel eodem conſcientiæ ſuæ arbitro utantur, vel ejuſdem Ordinis Confeſſario: ſic ferunt varia Religioſorum Ordinum inſtituta, à ſancta Sede approbata; ſic omnes Sanctimoniales ejuſdem Cœnobii; ſic multæ ſæcularium, ut vocant familiæ, non ſine ubere fructu ejuſdem Confeſſarii legem obſervant: nec optima eaque, meo judicio, ratio deſideratur; nempe cùm diverſæ ſint, quibus itur in cælum viæ, diverſæ ſunt etiam vitæ rectè inſtituendæ rationes; ac proinde non eſt dubium, quin diverſi, ut vocant Directores, diverſas etiam præſcribant, quamvis omnes ad eundem finem obtinendum ſpectent; unde multa in eadem familia diſſenſionum, imò & ſcandalorum occaſio; prout enim quiſque inſtitutus & affectus eſt, de ſe ac de aliis cenſet, & naturâ corruptâ duce, eò quiſque facilè fertur, ut quod in ſe laudat, in aliis deſideret, & ea, quæ in ſe deſiderari ſentit, elevet in aliis, & vituperio ducat. Et verò negari non poteſt, quin res non modò incommoda & importuna, verùm etiam excitandis fovendiſque contentionibus apta & idonea futura ſit, ſi in eadem familia alii Thereſianam virtutis Chriſtianæ formam & methodum ineant; Jeſuiticam alii, nonnulli Franciſcanam, hi Dominicanam, Auguſtinianam illi, quidam verò aliam ſingularem, hujus vel illius Parochi, hi quippe ſuas quoque partes agunt in hoc munere. Itaque, quòd Sereniſſimus Archidux ſuis aulicis & familiaribus inſinuarit, rem ſibi gratiſſimam fore, ſi Jeſuitis in via ſpiritus, & chriſtianæ vitæ regendos ſe ipſi, & inſtituendos traderent, quòd Jeſuitæ hoc conſilium probarint, imò ſuggeſſerint, tam grande ſcelus, quàm exaggeras, ab iis admiſſum eſſe non video.

Sed, inquis, hæc ſæva tyrannis eſt animarum, & immanis tortura conſcientiæ, cùm ſummam libertatem res ſacramentalis Confeſſionis poſtulet. Pleniſſima libertas reſtat, niſi enim hanc legem ſubire velis, à Sereniſſimo miſſionem pete, cùm nullum niſi hac lege admittat; idem de Religioſis hominibus, atque adeo de ipſis Monialibus dictum puta; nemo te cogit ad religioſæ vitæ inſtitutum ſuſcipiendum; nemo à te per vim & metum Profeſſionem ſolemnem extorquet, quæ ſi per vim emittatur, irrita manet; ſi tamen volens, & ultrò in Religioſum Ordinem admiſſus fueris, & in eo ritè ac ſpontè Profeſſionem emiſeris, nulla certè injuria legum Ordinis obſervantiam exigi à te patieris.

Inde ruunt propoſitiones ex prædicto facto à te deductæ; ſcilicet, quòd Jeſuitæ mentiantur, dum hæc inſinuant Sereniſſimo Archiduci, quòd illum deciant, ejuſque affectu & probitate abutantur; quòd Sacramentum Confeſſionis privatæ utilitati, & uſui

sacrilegè accommodent; quòd infamiam concilient aliis Religiosis Ordinibus, & toti scandalum aulæ, imò & occasionem dictum Sacramentum negligendi: nam præterquam quòd præfatæ propositiones sunt à subjecto supposititio, id est, in facto chimærico fundatæ, hoc tamen dato & non concesso, non mentiuntur, ut ais, utpotè qui rem laudabilem, Sanctorum usu probatam, & Sedis Apostolicæ auctoritate firmatam, Serenissimo Principi, saltem ut fingis, suggesserunt, quem ea propter ab iis deceptum fuisse nemo dixerit. Jesuitas, crede mihi, probè noverat optimus Princeps, & hoc satis solemne esse intelligo, ut optimi quique Jesuitas singulari benevolentia complectantur; licèt minimè ignorem, malis cacodæmonis artibus interdum fieri, ut plerique odio illos prosequantur; pro quo, meminerint quæso illius dicti Paulini: *Si hominibus placerem, servus Christi non essem*; imò & divini hujus oraculi: *Mundus vos odit, quia me priorem odio habuit.* Accedunt æmulorum temerarii conatus, ut mitissimè loquar, quos aliquando cæcus furor eò adigit, ut suæ conditionis obliti, in blasphemias insanas adversùs cælites erumpant, ut ille, qui ex pulpito Jesuitas recta in cælum via ire posse negabat, claudo nimirum duce Ignatio; omitto alias ejusdem spurcitias, sed Pygmæus Herculem, vaniloquus cælitem, leonem lepus.

Quod deinde subdis, falsissimum est; nec enim Jesuitæ divinum illud Altaris, & Sacramentorum ministerium ad sua privata commoda referunt, sed ad majorem illius gloriam, cui se totos & omnia sua addixerunt: res notoria est, nec te latebat, ex sacris functionibus, seu ministeriis, nullum stipendium ab iis exigi, vel accipi, idque ex primævo instituto, quod tamen in aliis non damnant, cùm æquum sit, illum, qui Altari servit, vivere de Altari. Neque hæc parvi momenti res est, ut non nemo sibi fortè persuaderet, nempe quotidianæ Missæ multa centena aureorum millia quotannis importarent; quid si, ut nonnulli faciunt, duplicatum stipendium exigerent; quid si pro expiandis sacra exhomologesi peccatis, saltem sponte oblata, pro sacris concionibus, pro exequiis, pro docendi munere: hæc sciebas, Atheophile, nisi fortè Garamantas inter vixisti, ac proinde mero calumniandi studio hæc à te adducta fuerunt.

Quòd autem scandalum Aulicis, aliisque Religiosis infamiam factum illud Oenipontanum conciliarit, insulsum mendacium est; quanquam si scandalum interceserit, passivum fuit, nullam enim iis injustæ offensionis causam Jesuitæ dederant: non tarò accidit, ut nonnulli, saltem ex Aulicis erga Jesuitas malè affecti fuerint, & ægerrimè tulerint Serenissimi Archiducis consilium; quod certè mirum cuipiam esse non debet, cùm in aulis Principum hujusmodi susurrones nunquam desiderentur; & si quando absint, impensè à cacodæmone suscitentur. Quod verò dicis de infamia, cæteris Ordinibus Religiosis inde conciliata, inane prorsus est; ut enim Jesuitis infamiæ non vertitur, quòd multi vel funem Minorum, vel cingulum Eremitarum, vel Carmelitarum Scapulare, vel Prædicatorum Rosarium adhibeant, ac sese aliis in via Domini tradant instituendos; ita nec hujusmodi Religiosis infamiæ, aut vitio quispiam verterit, quòd aliqui pro sua institutione Jesuitarum operâ utantur.

Jam verò expunctis tuis propositionibus, omnes tuæ argumentationes pariter corruunt, quas scilicet ex iis deducebas: nam dato etiam illo facto, & non concesso, Jesuitæ minimè mentiuntur; imò dato & non concesso, quòd Jesuitæ se ad id muneris aptiores esse dicant, nullo modo mentiuntur, saltem formaliter, ut ajunt, quia fortè hoc sibi persuadent; licèt fieri possit, ut vano errore ducantur; præterquam quod, dato & non concesso, quòd formaliter mentiantur, non tamen sequitur, ut perperàm inferre voluisti, hoc mendacio lethalem noxam involvi, cùm sit levis jactantia; neutrum enim, nisi cum gravi alterius damno conjunctum sit, mortalem culpam importat: nec inde sequitur, ut ineptè dicis, aliorum Ordinum infamia; nec aliquo illi jure quæsito privantur; nec ea propter Jesuitæ dicunt, se majore & ampliore auctoritate pollere, quis enim hoc unquam somniavit?

Dato demum & non concesso, quòd in hoc Jesuitæ mortalem culpam admiserint, an propterea adquitur, ut perperam affingis, debita illos, & necessaria intentione, ut ajunt, administrandi Sacramenti caruisse: primò enim unum vel alterum Serenissimo immane illud consilium insinuasse supponis; hi verò soli fidelium confessiones non excipiunt: secundò, quid scis, an illos admissi delicti pœnituerit? tertiò denique hæreticum dictum Sacerdotem lethalis noxæ reum, validum Sacramentum non conficere: viden, quò te furor, necnon excæcatæ mentis ineptia cum Valeriano tuo adegerit!

Eodem recidunt aliæ tuæ argumentationes, nimirum quòd Jesuitæ, dum Sacramentum Pœnitentiæ administrant, non sint in gratia, quòd in gravi Principem decipiant, quòd ad privatam utilitatem, & commodum Sacramento illo utantur, contra majorum decreta, quòd multa fucatæ pietatis exercitia adhibeant ad eundem finem, pura bonæ mortis, ut vocant, communionis generali, aliaque hujusmodi, quibus, inquis, derelictabili omnatu omnium animos aucupantur; & hic attexis fabulam mulierculæ Viennensis, illusque aguti responsi, dum eam quidam Jesuita hortaretur, ut in nescio quam Sodalitatem admitti curaret; sed nomen utriusque taces, ne falsitatis convincaris; & huc etiam id probè quadrat, de quo *supra*, nimirum *quendam* dixisse *cuidam* de *quodam*, &c. Ex his autem manifestè deducis, Jesuitas esse hæreticos, vel Atheos, quod ut demonstres, hoc syllogismo uteris.

Quisquis admittere solet peccata mortalia, cum modica spe emendationis, est hæreticus, vel Atheus.

Jesuitæ admittere solent peccata mortalia, cum modica spe emendationis.

Jesuitæ igitur sunt hæretici, vel Athei.

Egregium sanè syllogismum, cujus major falsa atque minor falsa est; major quidem, alioquin innumeri essent hæretici inter Catholicos, si omnes illi, qui ex contractu habitu peccant mortaliter, in hæreticorum album referrentur; effoque, quòd multæ negligentiæ sacri Tribunalis ministros accusaremus; utpotè qui suo munere minimè defuncti, tam multos hæreticos, si ea, quæ dicis, vera sunt, in media Ecclesia liberè & impunè versari patiuntur: unde vereor, ut Theologicis disciplinis operam minimè navaris, cùm ea scilicet adstruas, quæ nullus sanæ mentis Theologus admittat.

Minor etiam tui syllogismi æquè falsa est, ut constat ex dictis; imponis enim Jesuitis palmares calumnias, & insignis impostoris partes agis, dum sanctissima

Sanctissimæ Catholicæ & Religiosæ pietatis exercitia Jesuitarum vertis, & noxæ lethali; quid enim sanctius Sodalitatibus, in quibus selecti adolescentium, & aliorum manipuli, ad solidam pietatem, & christianos mores formantur; ac proinde, ut vulgari phrasi terrar, totidem Religiosorum Ordinum seminaria esse videntur: Communionis generalis & mensis, ut vocant, illius quidem mensirua, hujusmodi hebdomadaria exercitia, uberes sanè huc usque fructus pepererunt, nec quisquam illa, nisi petulans & impudens improbet; tu ipse videris, Atheophile, quam liberè & ineptè damnas.

Sed malo animo, inquis, Jesuitæ hujusmodi exercitia habent; quis amabò Deus ex machina, corda hominum scrutatur & renes; sic turpis Aracnes mel in venenum convertit; ita ne verò adeò temerè judicaremus Dei famulos, qui te dubio procul omni malitiæ sunt: aucupantur omnium animos, inquis, detestabili conatu; nunquid non Paulus omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret? eò spectant Jesuitarum vota & aucupia; quid enim illis in cœlo, & quid aliud ambiunt super terram, nisi animarum salutem, & Dei gloriam? & hunc detestabilem conatum appellas; sed ut liberè, & citra convitium dicam, quæ contra Jesuitas scripsisti, nullam fidem apud homines rectè sentientes, invenêre, sed potiùs horrorem ac detestationem optimis quibusque incussêre.

Illud demum viris prudentibus considerandum relinquo, quàm injuriosus fueris in Serenissimum Archiducem, quem ut ignavum pecus à Jesuitis duci, ac regi, illiusque summam prudentiam toti Orbi Christiano perspicuam, in errorem induci, ludi simulatam pietatem, christianum zelum ad offensionem usurpari, & scandala excitanda exeri, falsò asseris; nimiò impium facis, aut mente captum, dum vis ab illo Sectarum hæresim & atheismum non tolerari modò, verùm etiam foveri ac promoveri: si hæc Dixeris, quid amabò Jesuitis, aliisque minoris sortis hominibus?

CAPUT III.

Caramuelis causa exponitur, propositiones item & argumentationes ex ea deductæ refelluntur.

Illustrissimus Caramuel non modò erga Jesuitas offensum animum non gerit, sed amicum illorum palam agit; nullam autem ab ingenuo Antistite dissimulationem, aut fictionem timeas; is enim rotundè candidè animi sui sensus expromit, & palam in vulgus profert, quod illi medullitùs in corde latet: falsum est igitur, quod Jesuitis temerè imponis; nimirum illustrissimum Caramuelem ab iis multa passum, quòd suspectus doctrinam elevatam, & traductam, inusta opinionis suspicionis nota; Prægenses Monachos, clandestina arte, ad rebellionem inductos, & à P. Miller Cæsaris Confessario ita defensos, ut hi causam omnino vicerint, & miser Caramuel non modò sua Abbatia, ejusdem Cæsaris auctoritate ejectus, sum etiam solum vertere, & ex tota Germania pellere, Jesuitarum potentiâ, coactus fuerit; quæ ille impedire non potuit, ne ad sacras infulas, Serenissimi Proregis commendatione promoveretur.

His multa deducis, nimirum, quòd Jesuitæ Caramuelem insectati sint; hæreseos Romæ accusarint, Monachos contra Prælatum concitarint, armarint, iisque faverint, illum officio renuntiare coëgerint, summam denique illi calamitatem, carcerem perpetuum, & mortem ipsam inferre studuerint; ac proinde, cùm res gravissima sit, peccarint mortaliter, idque ex malitia & odio pertinaciter insito, sine ullo prorsus emendationis signo; unde tandem concludis, Jesuitas hæreticos, vel atheos esse; eò spectant omnes propositiones & argumentationes ex præmisso facto à te deductæ.

Huc, quæso te, accersè illa omnia, quæ superiore capite contra factum Oenipontanum reposui; nempe hoc etiam factum falsissimum est, nec unquam Illustrissimus Caramuel de Jesuitis conquestus fuit, immò quantum à viris fide dignissimis accepi, optima erga illos voluntate semper extitit; præterquam quòd multos ex iis, quos vir ille mihi appellavit, singulari benevolentia complectitur, arctioris necessitudinis vinculo sibi devinctos: & verò eo candore est Illustrissimus Caramuel, ut cùm tam multa & varia in lucem ediderit, ad infamiam sibi aspersam eluendam, hoc ipsum, quod temerè adstruis, dissimulare & tacitus concoquere minimè potuisset; unde certè ruunt tuæ propositiones & argumentationes, cùm sint à subjecto supposititio.

Sed demus, Jesuitas, scilicet P. Miller Pragensibus Monachis favisse, & singulari patrocinio eorum causam apud Cæsarem promovisse; fieri potuit, ut justitia penès illos esset; non rarò quippe accidit, ut Monachi suis Abbatibus, præsertim ascititiis, justam litem moveant; quidni ergo P. Miller justam causam tueri, & suo illam patrocinio apud Cæsarem promovere jure potuit: sed Monachi Pragenses, inquis, per fas & nefas, legitimi Præsulis jugum excusserant, & ab eo defecerant, non sine gravissimo scandalo: nunquam hoc probasti, & malè supponis; sed demus hoc; P. Miller secus sentire potuit; nulli enim causæ, præsertim si jura hinc inde crepera sint & dubia, patroni desunt, vel Advocati; nec ea propter, opinor, omnes Advocatos noxæ lethalis reos esse pronunciabis.

At P. Miller malo animo se gessit, eo dumtaxat fine, ut præstantissimum virum deprimeret, hoc enim Jesuitis solemne est, ut viros illustres præ invidia ferre non possint; parum abest, quin tibi reponam, Valeriani more; res enim ipsa, & hujus calumniæ atrocitas hoc postularet; sed parco, ne tui similis, vel in re minima, esse videar, dixisse contentus, ut ab hoc ultimo incipiam, falsissimum esse: verentur Jesuitæ insignes viros vel doctrinâ, vel sanctimoniâ; exempla plenis manibus spargere possem, sed frustra Solem faculâ illustrarem, inficiari quidem non possum, quin Jesuitæ interdum cum literatis quibusdam hominibus apertas inimicitias & simultates gesserint, putà cum Schoppio, Josepho Scaligero, aliisque ejusdem furfuris hominibus; sed hoc integerrimæ & intaminatæ illorum fidei tribuas, velim, quæ suspectos homines, quamvis alioquin doctos & eruditos, nunquam ferre potuit: omitto æmulos, eosque magno numero, cum quibus religiosa potiùs patientia, quàm alio defensionis genere Jesuitis dimicandum fuit.

Falsum est etiam, quod dicis, P. Millerum malo animo ad sustinendas Monachorum partes ductum fuisse; nôrunt omnes optimum illum virum, ejusque singularem prudentiam, pietatem & charitatem summis laudibus efferunt; sed demus, illum in hoc deliquisse,

quod tamen falsum dictu est, an propterea Jesuitæ atheismi & hæreseos rei sunt? an Societas universa ut toti hominum generi pernicioſa penitùs excidenda? privatus quispiam malè se gerit, universus igitur Ordo extinguendus? unus inter Apostolos Judas Iscariotes peccavit, sacrum igitur Apostolorum Collegium extirpandum? sic malè, sic pessimè ratiocinaris, Atheophile, sic argumentationes cum paralogismis multiplicas.

Jesuitæ, inquis, D. Caramuelem hæreseos Romæ insimularunt; pudeat te in re tam aperta mentiri; quis enim amabò accusavit? apud quem? cujus hæreseos? quo tempore? dato tamen, & non concesso, an fortè tam grande, tam imane scelus est, ad Romanum Pontificem in causa fidei confugere; prudentissimo illius judicio rem totam committere, ac definitioni Apostolicæ stare; demus, Jesuitas hoc feciſſe, Religione & bono zelo ductos, an fortè hoc nomine pro Atheis vel Hæreticis habendi sunt? certè illi, qui ante 70 annos Molinam quasi multos errores doceret, ad Sedem Apostolicam detulerunt, eodem jure censendi essent hæretici, quod tamen nemo seriò dixerit: puerilem igitur & insulsum dialecticum agis, cùm & factum illud, ex quo propositiones deducis, minimè subsistat, & ex eo deductæ propositiones falsæ sint, ac demum ex his compactæ argumentationis, major & minor falsa sit; conclusionem tibi judicandam relinquo.

CAPUT IV.

Dominicanorum querelæ cum propositionibus & argumentationibus inde deductis discutiuntur.

Hic RR. Patres Prædicatores, eorumque sententiam de Conceptu Deiparæ Virginis maximoperè commendas; quo animo & fine, non est profectò quod dicam, cùm res per se ipsa pateat; commendas, inquam, eamque non indirectè modò, verùm etiam directè adstruis, & citas in hanc rem Doctoris Angelici expressa verba ex 1, 2. q. 81. a. 3. nempe hæc, *secundùm fidem Catholicam, firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatum originale contrahunt. Alioquin non omnes indigerent redemptione per Christum.* Nulla, inquis, obscuritas esse videtur in his verbis, nulla difficultas, nullus sensus abstrusus, omnia clara, dilucida & perspicua; adducis ad majorem confirmationem verba Pauli *ex Epist. ad Rom.* item Bernardi *ex Epist. ad Canonicos Lugdunenses*, Pium V. Gregorium XV. Canum, Suarem, Guidonem de Perpiniano, quibus ad cumulum addis Calovium heterodoxum, ut piæ sententiæ pro viribus detrahas.

Sed miror, qua fronte simplicioribus imponere non dubitaris; dicis enim Pium V. vetuisse, ne quis publicè & privatim de hujus controversiæ alterutra parte disputet; itane verò Constitutionem Apostolicam depravas? nempe Pius V. in Bulla, quæ incipit, *super speculam*, prohibet tantùm, ne in concionibus popularibus, in quibus promiscua virorum & mulierum multitudo convenire solet, de hac controversia disputetur, non prohibet tamen, ne in scholis, vel Academiis, vel ubi aliàs intersunt, qui rem ipsam capere possint, & omnis abest occasio scandali, vel in libris, non tamen vulgari idiomate editis, prædicta quæstio discutiatur; qua fide igitur hoc vetari asseris.

Subnectis præterea, liberum esse utrique parti suam sententiam defendere; sciebas tamen, Paulum V. vetuisse, ne in publicis actibus asseratur, quod Beatissima Virgo cum peccato originali fuerit concepta, idem vetuit Gregorius XV. pro privatis etiam colloquiis, quod tamen Prædicatoribus inter sedum taxat indulsit; idem Alexander VII. in recenti Bulla omnibus, nullo excepto, interdixit; cur ergo temerè adstruis, cuiq; liberum esse alterutram partem tueri? sic decreta Pontificia vereris? sic pœnas & censuras in iis contentas nihili facis? sed profectò neque Deum, neque homines times. Cùm autem in S. Prædicatorum Ordinem adeò propensus esse videaris, cur adductum Doctoris Angelici textum Cajetano duce non excusas, vel explicas, cùm alequin post Extravagant. Sixti IV. à Pio, Paulo, Gregorio, Alexandro, Concilio Tridentino approbatas & innovatas, errorem contineat; hæc enim modalis est erronea: *Erroneum est, dicere, beatam Virginem ab originali peccato immunem fuisse*; item hæc æquivalens, *de fide est*, vel, quod idem esse constat, *secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes ex Adamo derivati, præter Christum, peccatum originale contrahunt.* Cur amabò Doctorem Angelicum eâdem reverentiâ non excipis, quà docti & prudentes Theologi sanctos Patres excipere solent, quorum difficiliora loca in bonum sensum, quantum fieri potest, detorquent; sed illum potiùs imitari voluisti, qui statim nulla excusatione præmissâ, in prædicto textu errorem agnovit, & nonnullos alios, qui SS. Patribus errores exprobrant, quos excusare, & molliùs explicare debuissent.

Addis præterea, Doctorem subtilem piam sententiam excogitasse, (sic eam appello, quæ immaculatum conceptum adstruit,) eamque acerrimè defendisse, ut Thomæ Aquinatis doctrinam impugnaret, quem ejusdem Ordinis Religiosi deinde sequuntur: Interea, inquis, Prædicatorum Ordo floret in Ecclesia Romana, ob cultum gloriosæ Virginis, quem ex instituto promovet & propagat: displicet, inquis, incrementum, & fœlix Dominicanorum successus Societati, ac proinde litem Franciscanorum facit suam, & adversùs Prædicatores immaculatum Deiparæ Conceptum propugnat, immò ad eandem opinionem profitendam, Pontifices, Imperatores, Reges, Principes pertrahit.

Cuncta hæc perperàm & malignè à te asserta, falsa & fictitia esse pronuncio; discere poteras ex Constitutione Alexandri VII. piam sententiam longè antiquiorem esse; nam *vetus est, inquit, Christi filium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sentientium ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus, fuisse speciali gratia Dei & privilegio, intuitu meritorum Jesu, Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, à macula peccati originalis præservatam immunem.* Mera est etiam calumnia, Doctorem subtilem Scotum pietate juxta atque doctrinâ toti orbi conspicuum, animo contradicendi impugnandi doctrinam S. Thomæ, piam sententiam propugnasse.

Amice, unde hoc nôsti? quis tibi arcanamenta & cordis adyta retexit? falsum est etiam, quod dicis, splendorem S. Ordinis Prædicatorum inde præsertim conciliatum, quòd ii Deiparæ Virginis cultum impensè promoveant, Jesuitis displicuisse, ac tum impensè promoveant, Jesuitis displicuisse, ac proinde illos Franciscanorũ causam suam fecisse, sed nonne S. Ignatius in suis Constitutionibus hoc unum edixit, ut piam sententiam omnes Societatis Religio-

si pro-

si omittantur? an soli dumtaxat Jesuitæ, in hoc soli Franciscanis conveniunt? nunquid Carmelitæ, Thomistæ, Augustiniani, Servitæ & reliqui omnes aliter sentiunt? & hæc nescire non potuisti; saltem inter te docet, quod *jam ferè omnes Catholici sententiam complectuntur*, id est, tota ferè Ecclesia errori minimè obnoxia. Addis, Pontificios eam professendam à Jesuitis pertractos fuisse; *primò*, quò spectes, indignam Catholico vocem; *tertiò*, quòd demum utriusque partis sortem jactare non audeam, & aquè indictum utrique silentium; in quo facilè, & aquè imperitum erras. Et cum iis haud dubiè sentis, quæ in dicta constitutione Sanctissimus Alexander VII. *non cessavit impugnare, eo quod piam sententiam impugnent, aut vellicent, & favorem à Rom. Pontificibus cultui, aut sententiæ secundùm illam præstitum, ita interpretentur, ut frustrentur; immò Ecclesiam Romanam huic sententiæ favere negent, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando*; sed hos sapientissimus Pontifex reprehendit.

Falsissimum est etiam quod dicis, PP. Prædicatoribus Jesuitis infamatos fuisse, hi quidem propugnant piam sententiam alteri scilicet oppositam, quam Prædicatores hactenus tenuerunt; sed non propterea illos infamant, alioquin eodem jure Jesuitæ à Prædicatoribus infamarentur; quod verò dicis, Jesuitam Thebibus Viennensibus inter alia proposuisse, immaculatam Conceptionem certâ fide esse tenendam, tanquam fidei articulum, aperta calumnia est. Has illas vidi, quæ nihil tale habent; quanquâ nunquam adduci potuissem, ut tibi hoc adstruenti fidem haberem; nullus Jesuita hoc proposuit, nullus docuit, nemo enim nescit, rem illam nondum ab Ecclesia definitam fuisse; Hoc Sixtus, hoc Pius, hoc Paulus, hoc Gregorius, hoc Alexander, hoc Tridentinum, hoc tota clamat Ecclesia, vis tamen à Viennensi Theologo nesciri.

Ut potius, quod ignorantiæ tuæ id tribuam; dixit eum forte quispiam, à quopiam privato credi posse, ac certâ fide teneri, immaculatam Deiparæ Conceptionem, citrà tamen obligationem credendi, ab eo dictum, qui hoc sibi sufficienter propositum esse juret, cum sufficientibus motivis credibilitatis nemo publicè aliquis attentè perpendit, antiquum Ecclesiæ cultum, usum, sensum, favores, declarationes, commendationes Romanorum Pontificum, & Concilii cujusdam, miracula authenticis testimoniis confirmata ad veritatem præfati cultus astruendam, opinionem contrariam ita suppressam, ut eam nemini vetito, aut scripto expromere liceat, aliaque hujusmodi, quæ brevitatis causa, omitto, licèt probè videat eam nondum esse plenè definitam, nec ullam addendi obligationem, ipse tamen sibi alia definiendi opus esse non putat, ad sponte credendum; quod non video, cur ad credendū sese accingere non possit, prorsus ante definitionem Concilii Tridentini, multi credere poterant, Deiparam Virginem nunquam peccato, seu mortali, seu veniali obnoxiam fuisse; sic multi certâ fide tenent, Alexandrum VII. esse verum Pontificem, & Vicarium Christi; eundem Canonizatum esse revera Beatum; damnatam ab Ecclesia ob hæresim, esse hæreticum, aliaque hujusmodi, licèt multi asserant, hæc nondum ad fidem pertinere, nec esse plenè definita: sic etiam aliqui dicunt, Prædeterminationem Physicam ad meritum demeritum admitti non posse; licèt alii secus sentiant, & neutra pars ab Ecclesia definita fuerit. Fateréa ubi attentè is consideraſ, hanc propositionem modalem, *Hæreticum est, dicere Deiparam Virginem originalem noxam non contraxisse*, esse erroneam; ita quippe notatam à Sixto IV. inde facilè deducit, oppositam esse Catholicam, scilicet hanc, *non est Hæreticum dicere, Deiparam Virginem, originalem noxam non contraxisse*, ac proindè hanc non posse damnari, *Deipara Virgo à peccato originali immunis fuit*; igitur nec esse falsam, nempè omnis propositio falsa in materia Theologica, damnari potest, igitur certâ esse, ad instar conclusionis Theologicæ, quæ indirectè ad fidē reducitur, nondum tamen directè de fide, nec plenè definitam; sic fortè Thesis Viennensis intelligenda est; nec in his quidquam esse video, quod vel carpas, vel censura notes.

Inde porrò omnes tuæ propositiones & futiles argumentationes evanescunt; nec enim Jesuitæ contentiones cum aliis Ordinibus agitant, nec scandalo sunt Christi fidelibus, in hoc scilicèt immaculati Conceptus argumento, cum illum omnes ferè Catholici defendant; nec decreta Pontificum super hoc edita contemnunt; tu potiùs, qui contra expressas sex Pontificum constitutiones, Conceptum illum maculatum adstruis, unà cum iis (ut hoc iterum repetā ex Alexandri constitutione) qui piam sententiā vellicare & impugnare non cessant, & favorē Romanorum Pontificum eidem præstitum ita interpretari, ut frustrentur, immò Ecclesiam Romanam huic sententiæ favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica possessione deturbare conando; unde offensiones, scandala & jurgia, &c. viden, unde scandala proveniant.

Ejusdem furfuris esse constat alia quæ dicis, novos scilicet articulos fidei Jesuitas condere, Ecclesiā Romanam irridendam & contemnendam hæreticis præbere, impiè sanctorum honori detrahere, Cæsaris pietate abuti, eidemque turpiter mentiri, fidelibus nova præcepta imponere, aliaque id genus; si enim Cæsar, pro sua erga Deiparam ejusque immaculatum Conceptū pietate, aliquid ad illius cultum conferre voluit, hortantibus etiam Jesuitis; si fortè constituit, ut promovendi ad gradus in Academiis in piam sententiam jurarent; quid inde mali? quid scandali? quid immanis facinoris? cum multæ aliæ Academiæ hoc pio Sacramento se jam olim obstrinxerint: si annuum censum cathedræ Theologicæ, aliàs assignatū ad publicam studentium utilitatem & commodum, hac ipsa vacante, ut ajunt, & prorsus destituta, ad aliā utilem & frequentem transferre voluit; an fortè bono publico Cæsari consulere non licuit? quod verò dicis, malis Jesuitarum artibus cathedram illam destitutam fuisse, erras, mi homo, erras, cum re ipsa vacaret, antequam Jesuitæ Theologiam Viennæ docerent; non te pudet adeò apertè & palam mentiri.

I nunc & conclude tuis argumentationibus, Jesuitas Hæreticos, vel atheos esse; quamobrem verò? quia Deiparam Virginem ab omni originis labe immunem fuisse tenent, docent, prædicant; sed an soli? cum omnibus ferè Catholicis, juxta veterem Ecclesiæ cultum & sensum, ut testatur Alexander VII. an verò cum scandalo? quid amabò scandali, cum omnibus ferè Catholicis sentire & loqui? at dato etiam & non concesso, quod Jesuitæ Imperatori auctores fuerint, ut nullus ad gradus admitteretur, nisi præmisso juramento in favorem piæ sententiæ, quid inde scandali? immò quid non honestum & laudabile? certè, ut dicam, quod res est, si quis indè scandalizetur, scandalum merè passivum est; quare sibi imputet, non Jesuitis quibus summæ gloriæ semper vertetur, immaculatæ Conceptionis cultum intra fines ab Ecclesia præscriptos promovere.

Nonnulla porrò tuis argumentationibus inseris, veneni & odii, quo flagras adversùs Jesuitas, quasi spumam & colluviem: in primis, luculenta, ut ais Jesuiticæ ignorantiæ documenta, ac præ cæteris, P. Avancinum, virum ut audio, tum humanioribus literis, tum gravioribus disciplinis instructissimum, iniquè sugillas, quasi solares maculas esse negarit, quas tamè præstantissimi Mathematici adstruunt; Egregiè hallucinaris, ô bone; negavit Avancinus maculas in illo sole, in quo Christus posuit tabernaculum suum; maculas, inquam, in Deipara Virgine, quæ est electa ut sol, & pulchra ut luna; nesciebas oratoribus hoc satis familiare esse, ut etiam fabulas, aliquando & apologos ingeniosa & acuta apodosi, in suum argumentum traducant? ignotas fortè, non defuisse, qui dixerint, illa omnia quæ in sphæris cœlestibus, Telescopii opera conspiciuntur, meræ esse vitrorum & oculorum ludibria; alii verò crediderint, non esse maculas, sed astra interposita, aut certè nubes & umbras?

Cur ergò Rethori non licuit, in festo immaculatæ Conceptionis peroranti, hanc opinionem etiam falsam, ad piam argumenti sui veritatem ingeniosè transferre? Hæc facilè intelligere poteras, nisi te implacabilis odii perturbatio excæcasset: cæterùm dum ludis operam garriendo contra Jesuitas, quasi Prædicatores offenderint, infamarint, iisque nocuerint, Pontificia decreta contempserint, omnia jura violarint, Cæsaris Majestatem nihili fecerint, eique temerè mentiti fuerint, Theologiæ studiosis damnum intulerint, majorum voluntates infregerint, hæc omnia in caput tuum retorquere facilè possem; tu enim Jesuitas non lædis utcunque, sed extremam iis perniciem creare moliris; Cæsarem ipsum traducis, quasi ad instar stipitis, sinat se agi & duci à Jesuitis, & decreta Pontificia centies violas, dum immaculatam Conceptionem aperto Marte impugnas; sed vani sunt canini, aut Cynici hominis latratus, qui licèt à Jesuitis temnantur, autori tamen suo pessimè vertent, quem in gravissimas censuras vel hoc nomine centies incurrisse, constat, sed anathemata Pontificia facilè ludes, qui Pontificem ipsum Alexandrum VII. reum agere non dubitasti.

CAPUT V.

S. Ignatius ab hujus auctoris calumniis vindicatur.

EO tandem te furor adduxit, ut virus in mortales affatim evomuisse minimè contentus, in Divos cœlites audacia plusquam temeraria etiam involaveris; cum aliquot laudes longè meritis impares à Jesuitis S. Ignatio aspersas, præsumma in eos invidia ac diro livore ferre non posses. Jesuitæ, inquis, eximiis sanctos suos laudum encomiis evehunt? rectè, quis hoc illis vitio vertat? sed pergis, majoribus ornant gratiis, immò maximis; & in hoc laudo; sed illos, & hoc vehementer axaggeras, aliis sanctis præferunt; absolutè in omnibus, prorsus negarim, in nonnullis facilè concesserim; stella enim à stella differt; deinde in panegyricis, instituto præsertim, ut sæpè fit, parallelo, multa oratoribus conceduntur, quæ aliàs in rigore Theologico minimè concederentur: sed, inquis, S. Ignatium ipsi Deo æquant; vicisti, si hoc legitima probatione eviceris. Circumferuntur, ais, imagines Ignatii æri incisæ, cum hac inscriptione, *in nomine meo Dæmonia ejicient*, quæ soli dumtaxat Christo competit.

Nisi à convitiis abstinere constituissem, hoc certè loco in te probè quadrarent; non te pudet, factum innocentissimum, non modò in suspicionem blasphemiæ vocare, sed palam exponere & jactare, perinde atque si expressa blasphemia esset; cur enim non licuit, illum Sacri Textus locum, ut moris est in similibus argumentis, huc accersere, cum ad rem ipsam appositus esse videretur? illud in *nomine meo*, Christi, non Ignatii nomen significat, in quo scilicet Ignatius, cujus imago exhibetur, ejicit dæmonia; sic imaginibus Sanctorum Largi & Smaragdi, Cosmæ item & Damiani, satis appositè hic textus adscribi potuisset, *super ægros manus imponent & benè habebunt*: immo Christus illud *in nomine meo*, Apostolis & discipulis suis aliisque hominibus Apostolicis attribuit, utpote qui in nomine Christi Dæmonia ejecturi essent. nec video, cur de S. Ignatio dici non possit, cum hic præsertim Sanctum Christi nomen pro symbolo ac divina Ordinis sui tessera assumpserit, & nunquam fere Sanctissimus ille Patriarcha vel depingatur, vel in ære incidatur, nisi præfatum Jesu nomen ejusdem imagini appingi curetur.

Illud porrò non est, ut temerè garris, accommodare Ignatio, quod uni dumtaxat Christo competit, neque illud Dæmonis responsum, quod te adsciquet, ut tu ipse energumenus esse videaris, hoc pio evincit; quis enim nescit, Dæmonis dicto minimè standum esse, cùm sit mendax & mendacii parens; quamvis alioqui exorcismorum vi aliquidem torqueri videatur. Deindè licèt hoc reverà tibi datem, multiplici fretus experimento, nimirum D. Ignatium, post Deiparam Virginem, inter beatos cœlites, ac codæmone timeri, non propterea ulla blasphemia esset, nec inde Ignatius Christo conferri, nedum præferri diceretur; immò nec inde sequitur, Ignatium post Deiparam Virginem, cœlitum primum esse, cùm fieri possit, ut cœlitum quispiam etiam infimi Ordinis singulari quadam prærogativa, gratuita, ut vocant, polleat, qua reliqui, quamvis alioqui merito & gloria superiores, omninò carent.

Sic D. Apollonia contra dolorem dentium; D. Blasius contra gutturis & faucium obstructionem, D. Lucia ad amovendum oculorum vitium, D. Erasmus ad lenienda viscerum tormina, Sancti Rochus & Sebastianus ad pestem arcendam, à fidelibus singulari cultu invocantur; non tamen indè cœlitum primi censendi sunt; quidni ergò D. Ignatii opem, contra Cacodæmonis infestationes, tot experimentis freti, populi fideles implorent; multa sanè hujus gratuiti doni D. Ignatio, à Deo, præ cæteris collati exempla & argumenta, vel ipsi Societatis annales mihi facilè suppeditare possent; illud potissimum Collegii Lauretani, in quo P. Oliverius Rectoris munere fungebatur; cum enim lemures & cacodæmones domum illam maximè infestarent, non sine gravissimo Patrum incommodo, & de hac re Manaræi ad Ignatium etiam tum viventem scripsisset, monuit Ignatii rescripto ita in fugam versi & abacti fuere, ut nullum exin præteritæ infestationis signum amplius vestigium post se reliquerint.

Aliud est quod tibi molestum accidit, nimirum illa D. Pauli verba, *multifariam multisque modis locutus est Deus Patribus per Prophetas, novissimis autem diebus*, &c. à Jesuita quodam Parisiensi S. Ignatio, in panegyrico, accommodata fuisse; Somnias, opinor, Atheophile, quasi verò sacri textus verba sensu quodam, ut vocant, accommodatitio, Sanctis attribui non possint, & hujusmodi accommodatione absque culpa uti non liceat? peccat igitur Ecclesia, cui solemne est, sacri textus verba Sanctis suis accom-

commodare; puta hæc: *dispersit dedit Pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi*, D. Laurentio, item *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce &c. Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*, D. Francisco; *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, &c. diffusa est gratia in labiis tuis: specie tua pulchritudine tua. Adstitit Regina à dextris tuis. Filiam audi filia & vide: concupivit Rex, &c.* Atque hujusmodi ferè innumera sanctis Virginibus. Pari jure Sancto Francisco Xaverio illud de Paulo dictum accommodari posset, *vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus*; item *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, alteri cuipiam, qui divinæ vocationi diu restitisset: an propterea negat Ecclesia, dum hæc canit in honorem sanctorum suorum? & hæc reprehendis, Homuncio, hæc carpis, Homule; quid quæso indè Christo eripitur honoris detrahitur, ad cujus gloriam & cultum omnia hæc referuntur; quod verò indè Jesuitæ aliquibus sanctis debitas laudes detrahant, vel suum Ignatium his anteponant, quis amabò dicat? cur autem non liceat, singularia quædam laudum capita omnino, plurimum more, sancto Ignatio attribuere, quæ singulari jure in eum quadrant; dicam ingenuè, quod res est, omnia & singula sancti Ignatii elogia Jesuitis commemorata longè iis inferiora esse, quæ Sabellis, ac præ cæteris à Beatissima illa virgine Magdalena de Pazzis, incomparabili divini amoris amante, & altera Carmelitani ordinis Theresiadibus tur: sed hoc argumentum laudum sanctorum Ignatii & Xaverii, quibus tantoperè invidet, non Europa & Asia, elegantissimus scriptor Daniel Bartoli penitùs exhausit, nec non ex authentico contextu tabulis perfecit, & ad umbilicum perduxit; grande opus, grandem sanè Jesuitarum Ordini futuram Apologiam;

Iam dem Atheophile cum tuis propositionibus dedecoris, nimirum, quod Jesuitæ sanctos contumeliis afficiant, Christo inferant injuriam, latriæ cultum sanctis deferant, eosque irridendos præbeant hæreticis, nec non iis fabulas pro veris historiis affingant: Horrenda, horrenda mendacia, sacrilegas calumnias, atrocissimas impostoras, quarum à te rationem supremus Judex exiget; sed nec Deum times, nec homines vereris.

Quod addis de sacro textu, D. Ignatio sacrilegè accommodato? accommodari quidem posse, ultrò fatear, at sacrilegè accommodari, pernego; alioquin sacrilega est Ecclesia, quæ hujusmodi accommodationem sæpè usurpat, immò sacrilegus Christus, qui Deos illos vocavit, ad quos sermo Dei factus est, & Deus ipse sacrilegus, qui divini illius oraculi verba, quæ tum Ecclesiæ, tum Virgini Deiparæ propriè competunt, cuilibet animæ fideli attribuit; sacrilegus Joannes, qui Episcopos etiam Deo dilectos acceptos, Angelos vocat? abi ergò cum tuis futilibus argumentationibus, in quibus impudentissimè nullam in Ecclesiis Jesuitarum commemorationem fieri, Apostolorum, Doctorum & Patrum Ecclesiæ, aliorumque vitæ sanctitate & doctrinâ dictum; Ignatii tantùm & Xaverii laudes celebrari non te pudet adeò luculentum mendacium detegere; cum Tartaris fortè aut Scythis agere puratus verò cum iis hominibus, qui vel semel adierint templa; ad ipsos Jesuitarum hostes redi, mortalium mendaciissime, quorum finibus quin suspectam in re tam apertâ & perspicuâ reformido.

Quo porrò unquam dixit, quod per atrocissimam calumniam Jesuitis imponis, quasi ipsi velint, Ignatii, non Christi nomine Dæmonia ejici & magis torqueri; audes tam impiam blasphemiam religiosis hominibus affingere? qui nullam vim agnoscunt in suo Ignatio, nisi per Christum & à Christo; & volunt Dæmonia ejici virtute & nomine Christi, sed intercessione ac precibus Ignatii, qui certè quantumvis odio ringaris, disrumparis invidia, livore tabescas, singulari Dei beneficio, & gratuito dono, eâ vi adversùs cacodæmonem valuit, ut ad majorem infamiæ notam, ac sibi collati in illum imperii testificationem, baculo illum ut canem sæpè abigeret, dum adhuc in vivis esset: neque hoc est, ut blateras, Ignatio, divinæ potestatis vim attribuere, eique latriæ cultum deferre: nemo quoque uspiam dixit, Ignatium à Diabolo magis timeri, quam Christum; ne quidem ipse mendaciorum parens, exorcismorum vi, hoc dicere ausus est, sed post Mariam, inter reliquos cœlites, puros scilicet homines, illum maximè timeri: hoc certam fidem non facit, fateor ultrò, hoc tamen dato & non concesso, ex eo non sequitur, Ignatium primum post Mariam Sanctorũ esse, quia singulare donum gratuitum non facit sanctum, uti etiam non sequitur, ex eo quod dicis, sanctum Patriarcham Dominicum legiones spirituum expulisse, quod tamen à Christo dumtaxat factum fuisse in sacro textu legimus, non sequitur, inquam sanctum Dominicum primum inter cælites locum obtinere.

Malignè igitur & per intolerabilem impostoram figmentum Jesuiticum esse dicis; pessimè verò, nec non per abominandam petulantiam, Jesuitarum ordinem Ecclesiæ noxium esse; Cani quod profers testimonium, hac in re nihili ducendum esse constat, hostis quippe ad extremum usque diem, implacabilis, & rabie plusquam caninâ in illos acti; quid verò & quantum germanæ laudis apud cordatos homines Canus ex hoc retulerit, nihil attinet dicere; apud Deum verò, viderit Ecclesia, quæ autoritate Apostolicâ ordinem illum, non sine aliquâ laudis commendatione approbavit & confirmavit.

Ad cumulum autem impudentiæ, seu verius blasphemiæ, addis, honorem Ignatii exsibilari ac vilescere, vel, ut appositè dicis, in vilitatem abire: non times Deum, mi homo, nec sanctos vereris; affectas videri Dominicanus, sed nunquam in animum inducam, ut credam, adeò virulenti operis autorem Dominicanum esse: quod demum Jesuitis imponis sacrilega consilia, ambitionem & dominandi libidinem; quod dicas, ab iis Ecclesiæ thesauros diripi, piorum possessiones invadi, viduas bonis propriis spoliari, hæ sunt insani capitis, impii hominis, Calviniani, vel Lutherani gutturis voces: facilè est, calumnias & convitia spargere, at sine teste & probatione? cito Marianam inquies; an Mariana hoc dicit? ne verbum quidem; deinde librum illum quem laudas, fictitium & commentitium esse, contendo, ascitumque Marianæ nomen,; sed demus, hæc aliaque peiora ab eodem Mariana scripta fuisse: hæc ille viperino stylo; excanduerat fortè in Claudium Aquavivam, quod scilicet hic ab illo aliisque ejusdem furoris & factionis hominibus, legum & regularis disciplinæ observantiam exigeret; nullus porrò dixerit Aquavivam Societatis regulas & institutum mutasse, sed potiùs defendisse ac promovisse, iis omnibus adminiculis & subsidiis additis, quæ ad finem illum obtinendum, ad quem spectat Societas, plurimùm conducere, longo multorum annorum usu compertum est; sed dum hæc tibi obtrudo, mi homo, margaritas ante porcos mihi projicere videor.

Quod

Quod dicis de Confessariis Principum, malè omninò intelligis; nec enim vetitum est decreto illo secundæ Congregationis, quod citas, ne Societatis homines Principibus sint à Confessionibus, præsertim Ecclesiasticis; sed cum eo loco ageretur de Cardinali Augustano, negavit Congregatio, assignandum illi fore Confessarium, qui semper aulam ejus sequeretur, & in ea viveret, nisi ad unum, vel alterum mensem; igitur decreto illo vetitum non fuit, ne Jesuitæ à Confessionibus sint Principibus, sed ne in aulis habitent; & hoc meo judicio non fit; nempe Confessarii Cæsaris & Christianissimi in domibus Societatis habitant, item Confessarius sereniſſimi Regis Poloniæ, & cæteri omnes, si fortè Romani Pontificis Confessarium excipiam, qui nonnunquam in Palatio Pontificio habitat; nempe Romanus Pontifex, pro sua in Religiosos Ordines potestate, hoc indulgere, vel potiùs imperare potuit.

Quod demum ex *part. 2. tract. 3. cap. 4.* Alphonsi Rodriguez profers, Jesuitas scilicet instituti sui degeneres factos, attendere tantùm ad humanam prudentiam, literas, eloquentiam, doctrinæ ostentationem, candidissimo & pissimo scriptori malignè imponis, apud quem nihil tale reperio: immò sub finem ejusdem capitis, hæc habet longè contraria, *noli timere pusille Grex, ne cadas animo minima Societas Jesu, cum Pater cœlestis tua opera usus sit, ad comparandos sibi hominum animos; Ego vobis Romæ propitius ero, dixit Dominus S. Patri nostro Ignatio, unde nomen suum & titulum traxit Societas; ac certi sumus, suis illum promissis staturum, futurumque nobis Ducem & Patrem*: hæc ille.

I nunc & conclude, more tuo, cum Valeriano, Jesuitas esse hæreticos, vel atheos: quamobrem verò? quia Ignatium & Xaverium summâ cum modestiâ colunt: non dissimili argumento, nec fortè animo, Iconomachi Catholicis Idololatriam exprobrant, ob cultum sacris imaginibus & sacris sanctorum exuviis ab iis impensum, cum hoc tamen discrimine, quod isti per ignorantiam, saltem ut plurimum Idololatriæ Catholicos insimulent, tu verò per insignem & palmarem malitiam, Jesuitas Hæreseos & Atheismi, vel eo nomine accusas, quod ii Sanctos Ignatium & Xaverium merito cultu ac debitis laudibus prosequantur; sic illos de opere bono lapidas; sic illos per te ipsa pietas impios fecit, sic cultores Sanctorum Hæreticos, Idololatras, Atheos vocas.

Sors illa, optima quidem, Ignatii fuit, quæ licèt cum aliis Sanctis omnibus communis illi fuerit, in hoc tamen singularem illi fuisse, constat, ut multis, etiam dum in vivis esset, minùs gratus & parum acceptus fuerit, qui, ut Regius Vates psallit, odio illum habuerunt gratis, nec mirum si Christi servus hominibus non placuit; si Cacodæmon inid potissimum, ac totis viribus incubuit, ut illum hominibus exosum redderet; si aliqui non divino certè, sed diabolico instinctu, Ignatium luserunt & traduxerunt ut claudum, qui tamen in itineribus æternitatis eò progressus est, ut heroicæ virtutis & sanctimoniæ verticem attigerit: interdum tamen accidit, ut boni illi S. Patriarchæ irrisores, meritas impietatis suæ pœnas dederint; ab exemplis abstineo, ne bilem & iram, vel sanguinem & ruborem cuipiam moveam.

CAPUT VI.

Doctrinæ Jesuiticæ injusta censura notatæ, specimina examinantur.

HOc loco maximè censorem agis, & in doctrinam Jesuitarum acerrimè invectus, ea sanè profers, & expromere non dubitas, quæ tum incredibilem ignorantiam tuam, tum etiam palmarem malitiam faciunt palam; & verò si uspiam, hic manet locum habet tritum illud proverbium, *sus Minervam*, nempè dum Jesuitarum doctrinam, quæ vehs, nolis, Catholica est & sana, carpis & notas, in fœdissimos errores prolaberis, quod ineluctabili demonstratione ostendo.

Primum illud doctrinæ Jesuiticæ specimen addis de sacro sigillo sacramentalis exhomologesis, dicis enim, docere Jesuitas, sigillum illud esse jure divini, ac proindè obligationis in omni casu sanctissimæ; quam doctrinam vis esse falsam, erroneam, scandalosam, impiam, pernicioſam, hæreticam, addis autem, nullam in sacris literis illius mentionem fieri, & tantùm non juras, nihil prorsus de sacro illo sigillo successoribus ab Apostolis relictum fuisse; nullam etiam, inquis, illius mentionem antiqui Ecclesiæ Doctores fecerunt; immò secundum canones, non adeò strictè observandum est: quam bellè calvinizas, mi homo, sunt enim Hæreticæ & Hæreticorum voces; sed hic tibi hæsit gutta; nam liberaliùs alibi Theologos etiam moralis citas; hic nullum prorsus; causam teneo; nullus enim docet, si unum dumtaxat Antisiodorensem excipias, sacrum sigillum in ullo casu violari posse, immò D. Thom. in 4. contrariam sententiam eamque vocat: si vel unum Suarium legisses, *tom. 4. in 3. p. disp. 33. sect. 1.* prolixum Doctorum Elenchum habere potuisses, & prima scholarum capita, D. Thom. D. Bonavent. Scot, Durand. Richard. Paludan. Alens. Gabriel. Capreol. Major. Adrian. utrumque Soto, Medin. Viguer, Ledesm. item Canonistas Navarr. Covarruviam, Simanch. adde Summistas & recentiores omnes qui hanc, quam erroneam vocas, sententiam docent: hujus autem veritatis præcipuum fundamentum est perpetua Ecclesiæ traditio, & Christi præceptum, ut præfati auctores testantur, & nemo præter Hæreticos infitiatur.

Viden, quò tandem, & quis tandem tu; Lutheranus haud dubiè sub persona Catholici; loquela tua manifestum te facit; immò idem fortè qui Christianus Rostochiensis Theologus. Ut autem error locupletior esset, atrocissima illum impostura auxilii; dicis enim, Jesuitas privatam constitutionem habere, quæ singulis Societatis Confessariis potestatem tribuit, revelandi peccatum alterius Jesuitæ, si illud vergere posse putet in dispendium Societatis; addis porrò, arcanum hoc compertum tantùm esse Generali & majoribus Societatis Prælatis, reliquis verò omnium gentium diis incompertum.

Dic mihi sodes, Atheophile, ubinam quæso constitutionem illam legisti? quâ parte, quo capite, quo paragrapho extat? nempe Societatis constitutiones typis mandatæ fuerunt; hæc fortè typis mandata non fuit; unde igitur habes, talem esse, si nunquam eam legisti? A viris fide dignissimis, inquis, illud accepi; sed undenam illi? an Generalis, aut alius quispiam ex majoribus Prælatis hoc arcanum tibi aperuit? ita profectò fingis, & Catholicis hominibus diabolicam cre-

lumpiam

hominem imponis: non te pudet, ita impudenter, ita manifestè mentiri.

Sed inquis, ab aliquo rescivi, qui damno suo hujusmodi Jesuitici periculum fecit: huc volo te, ita me Deus juvet, curdam Tremelio Apostatæ, à quo fortè hæc audivisti, vel alteri cuipiam transfugæ gravi, fidem habendam esse, putas? credebam facilè, exiis quempiam, ut suam turpitudinem tegeret, hanc causam fugæ prætexuisse, quod sciret ea lex apud Jesuitas vigeat, ut excepta in confessione aliquando revelari possint; & facilè fieri posse, ut præfatus Tremelius impiam illam impostu-ram cum aliis, quarum jam suprà memini, apud te divulgaret: sed huic homini fidem habes, qui Deo, Ecclesiæ & Religioni datam ex voto solemni oppignoratam fidem violavit? fidem, inquam, habes, transfugæ, qui Christo valedixit, ut scortum impudicum amplexaretur; fidem Catholicam ejuravit, ut sine pudore liberius viveret, sese à corpore Christi disjunxit, fieret membrum meretricis; uno verbo non Lutheranus, sed Lutheranæ amore correptus insaniit: huic homini, vel alteri ejusdem furfuris aniles fabulas de Jesuitis commemoranti fidem habes Atheophile?

Sed intolerabile prorsus est, quod iis constitutionem affingis, per quam sacrum sigillum violare liceat, in quo certè non modò in censuras Apostolicarum, sub quibus cautum est, ne quis constitutiones Societatis impugnare, & damnare præsumat, primo etiam Sedem Apostolicam offendis, dum eas onerosas constitutiones non tolerari modò, verùm etiam approbari: Romanos item Pontifices, Reges & Principes Catholicos, qui Jesuitarum operam in hoc sacro ministerio utuntur, quamvis probè norint, sacrum ab iis sigillum violari.

Doctrinæ Societatis aliud specimen exhibes circa vota, quæ à Jesuitis emittuntur; nempè, ais, Theologi Societatis docent, emisso illo voto remanere dominium bonorum, non actuale, sed radicale, quod valdè ridiculum esse dicis; alioquin, ais, & sanè legisse mihi videris, secundò geniti Nobilium familiarum in Germania, Gallia, Hispania, Religiosæ paupertatis votum profiterentur; & hîc jocaris Germanis, nec non doctrinam Societatis ridiculam vocas & erroneam.

Sed, ut mitissimè loquar, luculenter hallucinaris; nullus enim unquam Theologus Societatis docuit, post solemne votum, rerum suarum dominium cuipiam remanere; nullus docuit, post vota simplicia, remanere tantùm radicale, non verò actuale; quis ergo unquam tam falsa, tam inepta de rebus Societatis conscripsit, aut docuit? unum saltem Suarii quartum, quartum scilicet de religione consulere potest, ut discerès, Religiosos Societatis, emissis votis simplicibus, non verò Professione solemni, retinere quidem bonorum suorum dominium, illudque, sed ligatum, ita ut de iis, inconsulto Superiore, & absque illius licentia disponere nequeant: quippe hæres habet dominium bonorum suorum, non dominium; imò non tantùm de bonis suis disponere nequeant, sed ne de reditibus quidem, qui ex iis proveniunt.

Qui autem dicat, secundogenitum, bonorum suorum habere dominium, quod primogenito cedit; habere quidem jus succedendi, casu quo primogenitus sine liberis vita fungatur, hoc tamen vivente, nullum dominium habet, sed tantùm jus succedendi, si fortè ab isque liberis decedat, in reliquis verò, secundogenitus plenam habet potestatem, de rebus suis disponendi, qua certè Religiosi Societatis, post emissa vota simplicia, omninò carent: cur igitur secundogenitos illos Religiosæ paupertatis solemne votum reverà profiteri temerè asseris, juxtà doctrinam Jesuiticam? quam profectò non capis, ut vel inde facilè conjiciam, te hominem esse levioris armaturæ, & vix à primo limine, ut ajunt, Theologicas disciplinas salutasse.

Imò in censuras latas contra impugnantes institutum Societatis, quod præ cæteris hoc etiam caput complectitur, incurristi; licèt enim res fortè nova nonnullis visa fuerit; nemo tamen illam nisi temerè damnare ausit, post expressam Sedis Apostolicæ approbationem & confirmationem, quam in hoc, errori non esse obnoxiam, credunt & docent optimi quique. Scio, antiquorum mentem fuisse, nullum esse Religiosum, nisi Professione solemni emissa, nullum item Religiosum, emisso paupertatis voto, bonorum suorum dominium retinere; sed hæc novis constitutionibus Apostolicis ita declarata & definita fuerunt, ut nullus dubio locus supersit, & jam ab antiquorum sententia discedatur. Non tamen erat, quod falcem tuam in hanc messem mitteres, cum jam ab aliis hæc controversia, non discussa modò, verùm etiam penitùs exhausta fuerit.

Damnas præterea generatim universam Jesuitarum doctrinam, eorumque docendi methodum, ut perniciosam & inutilem reprobas; Jesuitas denique omnes ignaros esse contendis, & nullum modò inter illos doctrina valere, paucis dumtaxat exceptis, quos etiam appellas, Kirkerum, scilicet Ricciolum, Gregorium à sancto Vincentio, Morettum, Conradum, Schottum, Heintium, Cruxillam, Kirkofferum; tres primi mihi probè noti sunt: legi enim doctissimas illorum lucubrationes; Kirkerus vastissima omnigenæ literaturæ doctrina illustris est; Gregorius insignis hujus temporis Geometra Herculeos labores cum incredibili ingenii facilitate conjunxit; Ricciolus denique alter hujus temporis Ptolomeus dicendus est, aliorum opera non vidi; audio tamen, quatuor ultimos juniores esse, & ultimo loco appellatum è Societate demissum.

Sed te ignarissimum esse, demonstras Atheophile, qui Jesuitas ignorantiæ insimulas, in quo turpissimè erras, ut tecùm agam mitissimè: In primis enim Mathematicos tantùm appellas, quasi verò præter Mathematicos, alii homines docti non essent; Theologi scilicet, Philosophi, Rhetores, Poëtæ, Philologi, Historici, eruditi, sacri & prophani textus interpretes; an fortè istos in doctorum hominum censum non admittis? an fortè una dumtaxat Matheseis universam literaturam complectitur? præterquam quod multos alios omittis. Insignes dubio procul omni Mathematicos & Geometras, Leotaudum scilicet, Laloveram, Billium, Tacquetum, Curtium, typorum gloria celebres, multos alios appellare possem, quorum aliquâ etiam consuetudine literariâ utor, in hac disciplina probè versatos, licèt adhuc sua in lucem non ediderint: cæterùm auctorum Societatis censum non instituo, ne longè prolixior elenchus evadat; & verò tam multos etiamnum Societas enumerat, ut jam vastissimæ Bibliothecæ, præ nimia copia, Jesuitarum volumina vix contineant.

Quod spectat ad docendi methodum, quam Jesuitæ adhibent, tu verò improbas, tuo judicio minimè standum est, sed potiùs sapientissimorum hominum, qui eam instituerunt; quis stultitiam tuam illorum sapientiæ anteponendam esse dixerit? quasi verò aquilam, noctua, & sus Minervam, ut dixi: sed

hoc

hoc ignorantiæ, & imperitiæ tuæ facilè condono, utpotè qui Jesuitarum libros minimè volveris, ac de re litteraria, præ imperitia rectè judicare non possis: accuso tamen malitiam, quod Jesuitarum opes plus æquo extollas, quasi malis artibus eas corrogarint, & viduas atque pupillos per fas & nefas suis facultatibus spoliarint, nec non Franciscæ de Bergerin, viduæ Francisci Comitis Magni, mirâ dexteritate magnum auri pondus & gemmarum vim, cum duabus præfecturis extorserint; quod quam à veritate alienum sit, omnes sciunt; cujus rei testem omni exceptione majorem in prima parte laudavi, Celsissimum scilicet Ernestum, Landgravium Hassiæ, cui facerem injurtiam, si majorem & plenioremhujus rei probationem adornarem.

Cæterùm immensæ illæ Jesuitarum opes sunt meræ nugæ, & chimeræ tuæ; vix illi necessariis utuntur, quomodò igitur superfluis abundarent? vetus est cantilena, pro qua ne obolum quidem accipies; quod autem subnectis, illas iniquis titulis à Jesuitis acquisitas fuisse, atrocissimam calumniam esse contendo, per diabolicam & impiam temeritatem à te iis affictam; sed nemo pius, nemo prudens, nemo cordatus fidem tibi habeat, qui totus ex figmentis & mendaciis, ex calumniis & impostoris constatus esse videris. Quanquam non deerit fortè aliquis Jesuitarum hostis vel æmulus, qui tuis dictis suffragetur, & Jesuitarum opes, & avaritiam per solitam hyperbolem tecum exaggeret.

Sed quid faceres, Jesuitæ divini Pauli exemplo omnium debitores esse videntur, sapientibus juxtà atque insipientibus expositi, Deo & hominibus spectaculum facti, parum tamen sollicitiquid de iis quisque blateret, Dei cultum, salutem hominum, & literarum splendorem pro viribus ubiq; passim promovere studeant: hoc præsertim Cacodæmonem urit, & nonnullos illius instinctu & ductu, qui vel sanam doctrinam, quam Jesuitæ strenuè defendunt, vel castigatos & Christianos mores, quibus inducendis sedulam Jesuitæ operam navant, vel tantulum virtutis & doctrinæ splendorem, quem Societas hactenus præ se tulit, ferre non possunt: hunc error excœcat, illum invidia discerpit, quosdam odium dilaniat, alios furor exenterat: quid plura, sic tandem concludis, illius, inquis, Societatis me miseret, quæ à primo fundationis suæ statu adeò deformata est, ut pietatis & zeli ne minimum quidem in ea vestigium reliquum sit, quam practicata hucusque scelera à pristino sanctitatis loco in turpitudinem vitiorum dejecerunt, perduxeruntque ad hæresim & Atheismum.

Dignum sanè patella operculum, dignum antecedente consequens; illud est à subjecto suppositicio, hoc verò nulla consequentiæ fibula cum eo connexum; utrumque verò igne potiùs quàm stylo, & seriâ refutatione dignum, nec non tortoris publici manu, quàm justi patroni & defensoris lingua; sed ubi tandem est illa visu fœda, & auditu horrenda Jesuitarum turpitudo? ubi sexcenta illorum facinora impunè & cum fœnore, imò, ut ais per ironiam, ad majorem Dei gloriam patrata? ubi manifesta & notoria crimina? ubi diuturna in gravissimis peccatis insordescentia? ubi scandala & monopolia, & justæ querelæ? ubi tandem Hæresis & Atheismus? haud dubiè istorum omnium te puderet, nisi pudorem omnem & frontem posuisses.

Hæc illa est ridicula sanè, & inepta Novatorum vox, qui nescio quo æstu, vel œstro perciti, declamare non cessant, Jesuitas Hæreticos, & novarum Hæreseon auctores esse, ac proindè toti orbi Christiano denunciandos; nihil ferè aliud elapsis proximè annis agitatum, & libellis in lucem editis jactatum, rem sanè lepidam, quæ vix in cucurbitam cadat, quam vix malè tornatum caput capere valeat; nonnulli Jesuitas hæreseos accusant; quamobrem verò, quia Jesuitæ cum universa Ecclesia illorum doctrinam rejiciunt & damnant; prout eam damnavit Ecclesia, & ab omnibus damnandam esse mandavit, ac definivit: Quia Ecclesiam in controversiis fidei decidendis, errori non esse obnoxiam, docent; hoc solum nomine Jesuitæ sunt Hæretici.

Tu verò Atheophile accusationem longiùs promoves; nempè Atheismo hæresim cumulas & innumeris aliis flagitiis, quæ Jesuitæ, ut ais, impunè admittunt: Quis unquam majorem audaciam præ se tulit? illi Jesuitas Hæreseos damnant, tu etiam Atheismi, & multorum scelerum; nihil unquam magis ridiculum excogitari potuit; & verò in risum effusus, vix stylum rego; hæc enim potiùs risum quàm iram, & splenem quàm stomachum movent; Jesuitæ inquam Hæreticos; risum tene lector, si pons es; haud secus ante aliquot dies, mihi contigit, cum enim liber quidam inscriptus, ni fallor, Candoris, in meas manus venisset, ea verborum atrocitate contra Theophilum Raynaudum exaratus, quæ illum omnem & ingenuam humanitatem superet, tenet auctor plusquam thrasonico stylo Theophilum in deprimit, ut eum tanquam stolidam pecudem & mortalium ignorantissimum traducat, qui vix barbarè scribere didicerit; cum autem verum illum Cretici Theophilus usurpasset, *dans veniam corvis vexat censura columbas*; candoris auctor, addito pentametro à se fabricato, sic telum in Theophilum scitè retorsisse sibi visus est, *alba columba mihi, fatum corvus* ATER, bilem illico tremulo cachinno diaphragma excussit, in risum prorupi, stylus sponte manu excidit, & vix satis mirari potui, quonam fato accidisset, ut atrum illum in versu errorem superstitiosus censor, qui præ se neminem putat, fœdissimè admiserit, admissumque gemini illi, omnigena literatura ad stuporem usque, saltem si huic credimus, instructissimi non emendarint, quem in puero, qui vix à limine prosodiam salutasset, clemens Pædagogus ferula corrigeret; sic dum candorem jactat, peccavit in atro; error in Iliade utcumque tolerandus, in versu imminuto minimè ferendus; vult tamen magister audire in Israël, quis autem sibi persuadeat, Theophilum ignarum, stolidum, asinum esse, in hoc etiam præfatus auctor erravit; debuerat enim, si non veris, saltem verisimilibus argumentis agere, ut vel mediocris oratoris partes impleret, sed hic sustineo, nempè luculenta Theophili Apologia jam prodiit; opera scilicet omnia doctissimi eruditissimi hujus Hominis, vigint majoribus tomis, in folio, ut ajunt comprehensa; certè causam suam Theophilus melius agere non poterat, ut adversarius suos immensæ doctrinæ pondere, & tantâ librorum vi & mole obrueret.

CAPUT VII.

Controversiæ circa Valerianum propositæ dissolvuntur.

Primò quæris, utrum Valerianus in leges peccaverit, denunciando Societatem Jesu. Respondeo, nullo modo peccasse: Respondeo meliùs, denunciando, non peccasse: Respondeo meliùs, denunciationem illam chimæricam esse, ut jam in prima parte ostendi, cum singula illius capita falsa sint, vel a subjecto supposititio; tu vide sis, Atheophile, quæ suprà dicta sunt, cùm hic repetere non vacet. Hîc autem opportunam occasionem nactus Valerianus contra leges, dum innocentes homines Deo sacros, non modò calumniis, & convitiis dehonestare procuravit; peccavit contra justitiam, affictâ, scilicet calumnia profanis sacris, in re tanti momenti, imò toti ordini Religioso, typis etiam sæpè ac sæpiùs publicatis; quamnam sacrilegam injustitiam esse negarit? peccavit contra charitatem & Religionem; vetabat enim charitas; cavebat religio, ne homines religiosi inauditè ab alio Religioso proscinderentur; peccavit contra majorum leges, utpote qui decreto Apostolico tacere jussus, aut saltem inveterati odii suam chartis, & publicis typis non illinere, non autem modò non gessit, sed Principi & Domino Apostolico per inauditam rebellionem insultavit.

Secundò quæris, utrùm Valerianus injuriam Jesuitarum fecerit, dum illos infamavit: Respondes nullam esse injuriam illatam, cum sese illi priùs infamârint, propter hæresim toto orbe notoriam & damnatam, falsum est, Atheophile, notoriam esse, vel damnatam, cum nulla revera sit, & nulla unquam fuerit Jesuitarum hæresis, nullus atheismus, ut insultanter atque malignè blateras; falsum est, Societatem Jesu, & hoc scribere non te pudet, ex adulterinis, & privatæ dominationis prognatos esse; falsum est, illam sacrilegis manibus divinorum mysteriorum Sacramenta tractare; falsum, eandem Ecclesiasticas functiones, in manifestum Dei, & Ecclesiæ ludibrium; falsum denique, contagium vitiorum luem contraxisse: dicam quod tu, Atheophile, non loqueris, ut hominem sui similem deceret; multos sanè urit, sat scio, Jesuitarum nullis Principibus & Regibus Christianis confessionibus esse, quod identidem ridere soleant, imò Hæretici, & quidam alii ejusdem faritatis homines, eorum præsertim capita petunt, qui hoc munere defunguntur; quid contra Patrem Lemoinium, qui Cæsari, contra Patres Cottonum, Annatum, qui Regi Christianissimo à confessionibus erant, imò & Annatum, qui hodienum hoc munere defungitur, politicis illis scripserint, & impiis sæculi maligni declamarint, dicere, nihil attinet, cùm res ipsa notoria sit; Annatum præsertim, quem calumniatores quidam in libellis suis centies & millies stolidis & calumniis proscidernnt, eumque deliramentum, Logicum imperitum, ineptum, insulsum, insulsissimum esse toties scripserint & publicarunt, ut nullus ferè liber ab iis editus sit, in quo miseri Annati nomen, inustâ ignorantiæ, vel malitiæ notâ, non traducatur.

Sed notæ sunt illorum hominum artes, & facilè dictu est, quo animo, quo fine ducti, hoc tam impensè & sollicitè inculcent; in sacra palatia Regumque turres illa pestis irrepere vellet; incorruptus Confessarius invigilat, arcetque aditu; hinc odium & furor: & verò nulla unquam hæresis propagata fuit, altasque in regnis egit radices, nisi Principum & Procerum patrocinio: quantum Ariani hoc favore profecerint, quid Constantia, quid Justina pro iis gesserint, quid pro Nestorio, Eutychete, Monothelitis, Iconomachis Imperatores & Imperatrices, antiquis historiarum monumentis proditum est: Quid Tholosanus Comes pro Albigensibus, pro Lutheranis & Calvinistis, Saxo, aliique Germaniæ & Galliæ Principes, Christianus orbis etiamnum gemit.

Ut autem ad rem nostram redeam, pessimè omninò quæstionem propositam decidisti: nam revera Valerianus maxima injuria Jesuitas affecit, dum eos infamare conatus est, iisque per meram calumniam, gravissima flagitia, hæresim scilicet & Atheismum affingere; quod nemo nisi mente captus negarit: remittunt tamen illi, ut germanos Ignatii filios, & Christi servatoris imitatores decet; remittunt, inquam, atrocissimam illam injuriam, & enixè orant pro iis, à quibus odio gratis habentur, & centies sanctissimas illas Christi morientis voces ingeminant, *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: non dubitarem sanè, si de Valeriano agatur, nempe ille cœco furore actus, sui compos non erat, ac proinde quid faceret, quid scriberet, aut diceret, nesciebat; secus verò recentiores illi, qui revera sciunt, quid faciunt, nec atroces illas calumnias, quas Jesuitis imponunt, ignorantiæ etiam crassæ & supinæ, sed obstinatæ malitiæ tribuas velim.

Tertiò, utrùm ideò Valerianus jure in carcerem detrudi potuerit; negas illicò, aisque summam fuisse injustitiam, quæ omnem, inquis, injustitiæ latitudinem transcendit, & hanc Jesuitis impuras; nempe virum senio gravem, laboribus confectum, officio suo, ad quod omni jure tenebatur, probè defunctum, ex Monasterio eductum, in carcerem intrudi, ac Romam deduci, judicio Apostolico damnandum, injustum, ais, & iniquum esse videtur: cur verò hæc Jesuitis imputas? sua, inquis, potentiâ & eâ, qua mirificè valent apud Pontificem gratiâ, procurarunt, ut Pontifex Valerianum ita exciperet. O Bone, si tibi ad aurem aliquid insusurrare liceret, & clam ea suggerere, quæ reticenda esse duco; dubio procul omni, opinionem murares, vix paucula quædam, sciens loquor, vix aliqua, inquam, eaque parvi momenti Romæ Jesuitæ obtinent; non tamen propterea repulsam passi queruntur, sed Principis ita prudenter judicantis taciti nutum adorant; vix libelli famosi etiam atrocissimi confixionem, & censuram impetrare possunt; quomodò igitur tantâ essent potentiâ, ut Valerianum Magnum, tanto Procerum patrocinio fretum, in vincula conjici procurarint: crede mihi, vix se ab inimicorum potentia tueri, & indemnes servare queunt; quomodò alios opprimerent? vix suas causas, justas licèt, evincunt, quomodò injustas vincerent, cum manifesta aliorum injuria? vix me teneo.

Credis, mi homo, tantam illorum esse potentiam, qui sunt Principibus à confessionibus; toto cœlo erras, quamquam hoc etiam mihi valde mirum accidit; unus Annatus exempli loco sit, qui cum alio-

quin Regi Christianissimo, cui servit in hoc sacro ministerio, charissimus sit, & maximoperè acceptus, obtinere tamen hucusque non potuit (si tamen petiit unquam) ut iis meritas pœnas darent, qui tantam vim famosorum libellorum publicarunt, in quibus optimum illum senem de re Catholica optimè meritum, & universum Jesuitarum Ordinem fœdè proscindunt; quod certè divino consilio fieri crediderim, ad exercendam doctissimi & piissimi Patris patientiam, licèt alioquin jura reclament, & recta ratio secus fieri postulet. Et verò sine horrore à cordato viro ea legi non possunt, quæ in dictis libellis per exquisitam, & diabolica pejorem malitiam, iis Patribus affinguntur, & hæc inter Catholicos: O tempora, ô mores, causam reticeo, quam hoc loco discutere non vacat; leguntur tamen præfati libelli: scio, mundani homines Satyras amant; nescio tamen, quâ conscientiâ, saltem ex communibus Theologiæ moralis principiis; nisi fortè boni illi Casuistarum hostes & ejusdem Theologiæ reformatores nova principia posuerint, ut scilicet eodem tempore, & consilio, & antiqua fidei dogmata, & mores antiquos è medio tollant. Quod autem Valerianus justis de causis in carcerem missus fuerit, ex iis, quæ in prima parte à me dicta sunt, perspicuum esse omninò constat, neque repetere vacat.

Quæris quarto loco, utrùm judicium contra Valerianum ab executione instituendum fuerit. O insignem Jurisconsultum, vel ut vulgò ajunt, criminalistam, seu quæsitorem capitalem; quasi verò Valeriani contumacia notoria non esset; quasi verò is, qui turbas & tumultus ciet, & prædicat altè, decretis Pontificiis in subditos latis non esse obtemperandum, in carcerem mitti non possit; quasi verò notorius reus citandus sit, antequam in vincula conjiciatur? carceres haud dubiè vacui essent, si hæc ratio locum haberet: jure igitur cum Valeriano ita actum est, ut in carcerem truderetur, cum multa de illo & justa suspicio esset, ne scilicet per animi, qua plurimum laborabat, impotentiam, aliquid ageret; unde gravissimum inter Catholicos scandalùm nasceretur, nec quisquam hoc neget nisi mente captus sit, & omnis rationis expers.

Hîc porrò tuum virus erumpit, ac te ipsum prodis, dum hæc ex Osea contra Romanos, *Nulla fides, nulla benignitas, nulla scientia Dei est in illa terra; sed audi, inquis, Romanus populus, quia tu scientiam sprevisti, spernam quoque te, ait Dominus Deus exercituum, ne fungaris Sacerdotio mihi.* O insignem Catholicum, qui nullam Romæ fidem, nullam Dei scientiam, nullum verum Sacerdotium agnoscit: quis amabò neget, te Germanum hæreticum esse; pone larvam & nomen, aut vocem muta, hæc una responsio totam rem conficit, & controversiam diluit; hæreticus es, quid mirum igitur, si contra Jesuitas, si contra Romanos & Romanum Pontificem debacharis, à quo vis omnia jura divina, Cæsarea, Pontificia violata fuisse, cum Valerianum in carcerem misit, & Romam duci mandavit, & hoc nomine Romanæ Curiæ tribunal in contumeliam & contemptum venisse.

Quæris quintò, utrùm sententia Alexandri VII. contra Valerianum admittere potuerit exceptionem subreptionis & obreptionis; partem affirmantem amplecteris, ac dicere non dubitas, Alexandr. VII. à Jesuitis, præsertim à Patre Generali Goswino Nikel, & à Cardinali Pallavicino miserè seductum esse, inductumque ad Valerianum adeò acerbè & immisericorditer excipiendum. Erras, mi homo, erras; Alexander quippe is non erat, qui à Jesuitis duci se sineret, nedum seduci, quod certè non modò in Jesuitas, verùm etiam in Alexandrum injuriosum dictum est. Quod verò blateras, Alexandrum mala inire consilia, nullas consultationes instituere, nullumque peragere negotium, nisi accedente præfatorum Patrum auctoritate, omninò persuadeo blateronem & nullius fidei hominem esse, quem vel ipsa fama publica manifestæ falsitatis, & apertæ audacii convincit: quisquis Alexandrum novit, optimè tenet, eum non fuisse, qui à Jesuitis regi se sineret.

Quæris sextò, utrùm Romanus Pontifex talem processum contra Valerianum instituere potuerit, præfractè negas, eumque omnia jura, naturale scilicet, divinum & Cæsareum evertisse, necnon violasse, modestè sanè pronuncias, in dominationis tuæ sum, cum scandalo Christiani orbis, Ecclesiæ dominio, confusione Curiæ Romanæ, & contemptu religionis orthodoxæ: Tyrannum denique vocas, imprudè qui adversùs justitiam sacram & humanam gravissimè deliquerit: raram profectò modestiam, non certè hominis cucullati, qualem te esse aliunde patent: nunquam tamen ego in animum inducam, ut credam, sed procaciissimi Lutherani, qualem te esse jurarem. Cuncta hæc impia, horrenda, blasphema, & nihil aliud restat, nisi ut fœniculum, aut trochilum tibi porrigam, ut spurcum os adeò virulenta verborum colluvie, & sanie fœdatum abstergas.

Quæris septimò, utrùm in hoc Romanus Pontifex peccaverit; affirmas illicò, quia scilicet innocentissimo Valeriano infamiam & mortem attulit; peccare item mortaliter dicis, & gravi piaculo obstringere, dum Jesuitas, Hæreticos scilicet & Atheos fovet & sustinet; in hoc autem abeo negligi dicis, maximam & præcipuam sui muneris partem & rationem, ad quam obeundam à Deo vocatus & electus est; & hic infœlicem Ecclesiæ Romanæ conditionem deploras, nec non virulentiâ Jesuitas compellas Apostrophe, iisque atrociter exprobras, quod turpi & sacrilego ausu in Ecclesiam recalcitrarint, ejusq; favores in profanos suæ ambitionis usus converterint, & Sacramentorum mysteria cum mendaciis, fraudibus & dolis administrarint; quod facti sint abominabiles, exinaniti, steriles & infœlici dumtaxat vitiorum lolio fœcundi; quod Ecclesiam erroribus, scandalis, sceleribus, hæresi, atheismo fœdissimè conspurcent, quod improbi & iniqui mercaturam cum Sanctis & Altaribus exerceant, & Sanctuarium Dei prophanent, sceleribus atri, flagitiis immanes, hæresi & atheismo infectis juventutis animos inficiant, non sine regnorum periculo, & Christiani orbis detrimento: hic demum longam conglobationem adhibes, & eadem quæ hactenus in Societatem regeris, hortarisque Imperatores, Reges, Principes & reliquos omnes, ut à Jesuitis tanquam à peste sibi caveant; iisque liberos suos non committant, à quibus nihil solidæ eruditionis referre possunt.

Vah stultum caput; vis potiùs tibi fidem haberi, homini scilicet maledicentissimo, larvato, juratoque hosti, quem nemo novit, de cujus fide nemo non dubitet, tibi nullius authoritatis & nominis; vis, inquam, tibi potiùs fidem haberi, quàm Romanis Pontificibus, Paulis, Gregoriis, Piis, Alexandris, quàm Eminentissimis Cardinalibus, quàm Illustrissimis Præsulibus, quàm Imperatoribus, Regibus, Principibus sapientissimis & potentissimis, quam

singulari doctrina, pietate, prudentia præditis, qui de Societate longè aliter senserunt atque scripserunt. Summum ingentem, vastumque volumen impleret, si vel pauca elogia huc accerserem, quibus de Jesuitarum ordinem cumularunt, & etiam suum: ea nunc mutuari; sed operæ pretium esse non puto, ea quæ sunt notoria demonstrare.

Unum porrò veneno ac felle turgidum exonerasti, & vomuisti, quod intùs in corde alebas, sed in ipso, & recessum, ne tam fœda colluvies Catholicorum oculos inficeret. Et verò ingenuè fateor, me integros aliquot libros in meas manus venisse, nullum tamen unquam hocce tuo ineptiorem; eò quippe impietatis & dementiæ venisti, ut Jesuitas hæreticos & atheos esse pronuncies, qui ubique terrarum hæreticos & atheos impugnant; Religionis & Ecclesiæ hostes, qui Ecclesiam & religionem ab hostibus tueantur convellant; multiplicis facinoris reos, qui verbo & stylo ubique gentium vitia persequuntur; Juventutis corruptores, qui eam in literis & virtute tantum fructu instituunt; ignorantissimos & literaturæ expertes, qui vastissimas Bibliothecas doctissimis voluminibus, & incredibili librorum à se in lucem editorum copia non ornant modò, verùm etiam ad summum cumulum implent; divinarum & humanarum legum violatores, qui ad Christianum orbem reformandum non parùm contulerunt; sacrarum ecclesiasticarum administros, qui ferè abolitū Sacramentorum usum restituerunt; rerum sacrarū mercatores, seu nundinatores, qui magnam hinc usque inguinis vim pro lucrandis Christo animabus liberali corde fuderunt; viduarum & pupillorum prædatores, & tantùm non grassatores publicos, qui tales hucusque servare non didicerunt, nedum rapere valeant.

Quo porrò impudentiam & vanitatem tuam notem? Audiant Imperatores, Reges & Principes hortatus, ut sibi à Jesuitis caveant; illi tamen propria & hactenus experientia docti, Jesuitarum fidem, mores & integritatem probè norunt; Romanum Pontificem rogas, ut Jesuitas radicitus exterminet, quorum tamen fidei opera, non sine ubere fructu, sancta Sedes hactenus usa est; omnibus persuadere conaris, ut liberos suos scholis Jesuitarum evocent; paucos tamen homines doctos hoc sæculo miramur, qui Jesuitarum scholas non adierint; ita appositè ratiocinaris, ut adstudendum, ut ea sint notoria, quæ impugnas, eaque ad evidentiam falsa, quæ adstruis.

Nunc Atheophile, & si fortè cucullatus, quod tamen non crediderim, intra cucullum tuum stude latere; si verò alius quispiam, scilicet Heterodoxus; abjice res tuas, & à nostris sacris manus abstine; reprobatum vulgus; mandere rancidum Lutheri semen, turpis Harpyia, ne cibum regium, & panem Angelorum turpi contactu fœdes; uno verbo, rugi, frendi, grunni, strende, ringe, rude, quantum voles, Societas Jesu hucusque floret, florebitque deinceps; sedi Apostolicæ singulari jure obstricta, Principibus Catholicis accepta, Ecclesiæ non prorsus inutilis, hominum saluti fidelem navans operam indefessa; hostes habet, æmulos habet, fatscio; in hoc tamen Apostolis, aliisque viris Apostolicis se haud imparem esse summæ gloriæ ducit; illius doctrina sana, virtus probata & solida; sunt qui ejus doctrinam damnant, sed hæretici, Novatores, eorumque asseclæ; sunt qui mores carpunt, sed politici, detractiones & sycophantæ. Non negarim tamen, fuisse, ut Jesuita quispiam, vel in doctrina, vel moribus delinquat; quis enim hominum ordo à personalibus delictis immunis est? sed ut tutè scis, putridum membrum illicò resciditur, vel curatur, quod huic præsertim Ordini solenne est. Et hæc, ad ea, quæ dicis, refellenda sufficiant, quamquam optimi quique publica testificatione satis superque refellunt.

CAPUT VIII.

Brevis expostulatio de nonnullis Catholicis.

I. TRia sunt, inter Catholicos, hominum genera, de quibus Jesuitæ jure ac meritò expostulent: primùm æmulorum est, qui cum suis ministeriis & gloriæ, quàm ex iis referre homines solent, nonnihil à Jesuitis detrahi putent, iisdem scilicet, ministeriis defungentibus, conscientiæ ac religioni minimè ducunt, hominibus Societatis passim obloqui; & sparsas contra illos Hæreticorum aut aliorum voces sedulò colligere, easque in publicis privatisque colloquiis, in navibus & rhedis, rùri & domi, in vicis & compitis, super mensam in conviviis, doctos inter atque indoctos, opportunè, importunè, & quavis occasione liberaliùs jactare. Est autem, quod miremur; nam semper eadem dicunt, seu potiùs fingunt; nempe Jesuitas doctrinæ moralis esse corruptores, juratos Augustini, & divinæ gratiæ hostes, rei literariæ & didascalicæ omninò imperitos, ita suo Molinæ obstrictos, atque addictos, ut in ejus verba & sensus, cœco Sacramento jurarint; unius, vel alterius hæreseos, his ultimis temporibus assertores; pessimos rei asceticæ Magistros; vel ut vocant, animarum directores; iniquos Episcopalis dignitatis desertores & contemptores; eos demum, qui neminem præ se putent, alios Ecclesiæ ministros, tum regulares, ut vocant, tum etiam sæculares nihili faciant, eorum laudes ægerrimè ferant, lucubrationes imò & sacra ministeria prorsus elevent, sibi demum & suis omnia, aliis verò nihil, aut parùm tribuant: hæc aliaque id genus à Jesuitarum æmulis jactantur, iisque, ut notum est, Ecclesiastici ordinis; quâ conscientiâ, & religione viderint ii, qui steterint sacris Evangelii placitis, dogmatis & doctrinis. Si enim malum est, de proximi fama detrahere maledicentia, in rebus tantuli momenti; quid quæso in capitalibus flagitiis? si de privata persona; quid de universo Religiosorum Ordine? non qualicumque illo; sed toto terrarum orbe sparso atque diffuso; ad divina illa ministeria obeunda, quæ ad conversionem & salutem hominum, & Dei gloriam impensè promovendam mirabiliter conducunt: si malum est, inquam, hujusmodi hominibus obloqui, quid atroces affingere calumnias? quid scurriliter & malignè illos traducere ut sycophantas & hæreticos? id sanè omni asseverationeaffirmare non dubitarim, eam non esse Theologiam moralem Jesuitarum, quæ hunc agendi modum approbet; nullus Escobar, aut Tamburinus adeò laxus & mollis, ut eum non damnet; immò longè majori vitio non tribuat, in iis præsertim hominibus, quos institutæ vitæ ratio à prædictis calumniis, nimirum christianæ charitatis pestibus, longè potiori jure avertere ac deterrere debuisset.

II. Sed dicant, amabò, illi admodum venerandi, qua in re homines Societatis Christianos mores corrumpant; factisne, an verbis; seu scriptis; an simul utrisque? his omnibus, inquiunt; de factis, quæso, quid? omitte calumnias perspectas, notorias impostoras, comperta mendacia; exprome

quæpiam alia; quis enim sententiam ferat in reum, nisi constet de corpore delicti? an fortè Jesuitæ ita corruptis sunt moribus? unde illos nosti; cum iis passim versamur & colloquimur, nihil tale observamus; comperi homines doctos & pios, ut plurimùm, eamque illorum vitæ rationem, quam accuratissimæ religionis leges præscribunt; nullum certè uspiam Ordinem invenias, in quo plura eaque certiora ad formandos in rebus asceticis homines, tum divina, tum humana subsidia suppetant: scio, inter tot paucos interdum esse, qui aliter se gerant; sed hi sociis accensendi non sunt; cùm vel ultrò, vel inviti è Societate dimittantur; neque indè censenda religio, ut optimè observat Bonaventura, quod in ea non delinquatur; nihil enim tale in hac mortali vita sperandum est; sed quod delicta sine pœna in ea non relinquantur; indè profectò Societatem illam vel maximi facere deberent, quod discoli, ut ita loquar, vel ab ea, de Superiorum consensu sponte secedant; vel omninò dimittantur. Utinam admodùm Reverende, cum Jesuitis per integrum mensem, vel annum, eorumque more viveres, iisdem scilicet legibus obstrictus, & illorum meliùs edoctus exemplo; mutares haud dubiè tuam de illis sententiam, & non jam corruptos illorum mores detestari, sed Christianas ac religiosas virtutes, easque non ad speciem compositas, sed apprimè & verè solidas mirari primùm, tum deindè imitari, divino fretus adjutorio, apud te statueres; ibi orationis ac rerum spiritualium studium, perennia charitatis officia, exquisitæ mortificationis exempla, castitatem Angelicam, cœcam obedientiam, prudentem simplicitatem, consuetudinem ingenuam, perfectam, ut sic loquar, communitatis, seu communis rerum usus observationem vigere, constat: nihil dico, de omnigena literatura; nam paucos inter illos invenias (de provectis loquor, & plerisque junioribus) qui vel rerum Theologicarum, vel Philosophicarum, vel moralium, vel sublimioris Matheseos, vel linguarum, vel eloquentiæ sacræ, vel humaniorum literarum, quarum plurimæ sunt classes, ut turè scis; Rhetoricam enim, Poësim, Historiam, sacram profanamque eruditionem, & alia id genus complectuntur; vel multarum partium ex istis, aut etiam omnium, quod tamen rarius est, paucos inquam, invenias, qui rerum hujusmodi peritissimi non sint; nullas apud eos capitulares tricas, nullas in ambitu præfecturarum dissentiones invenias; ex quo enim quivis eas ambiret, inde penitus excluderetur: nihil igitur in Jesuitarum factis reperias, quod tam acerbâ reprehensione dignum sit, & totæ tantas Satyras postulare videatur: utinam illi boni, tam christianè & sanctè viverent: illud unum, præ cæteris attestari possum, me nullum unquam Jesuitam audiisse, qui vobis obloqueretur; multos tamen ex vestris, qui de Jesuitis, non modò pessimè sentirent, verùm etiam afflictis calumniis, de illorum fama, vita, doctrina, plurima passim non spargerent.

III. Sed factis omissis, in quibus caninis genuinis, nihil mordendum est, ad dicta & scripta veniamus; pro quibus sanè nihil dicendum restat, confutato Wendrockio, Augustino de Angelis rejecto, Barone profligato, repulso Marinario, discusso & excusso Illustrissimo Fagnano, Kortholto, ejusque socio Theophilo ventilatis, seu jugulatis, Anonymo penitùs contrito, aliisque in ordinem redactis; nempe in editis confutationibus, omnes ferè calumniæ & impostura dissolutæ, solutæ Adversariorum objectationes, atque dilutæ: imò tribus ferè versibus rem istam conficio, nempe omnem simoniam, usuram, calumniam, omne mendacium, furtum, sacrilegium, injustumque homicidium Jesuitæ damnant; religioni dumtaxat ducunt, damnare illud simoniæ, & usuræ, in nullum pactum formale, aut tacitum, nulla mutui ratio intervenit; item illud furti, quo quis rem suam, non alienam accipit, auctoritate privata, & absque ullo scandalo; quando illam auctoritate publicâ, recipere nequit: nullum porrò Jesuitæ homicidium eximunt culpæ, nisi justum; quod scilicet ad defensionem propriam fit, cum debito moderamine; in his omnibus, nihil planè Jesuitæ proprium, sed communes, atque receptas in scholis sententias tradunt; quod certè ex præfatis confutationibus manifestum fit; imò si quid in morali Theologia restrictum est, illorum Scriptoribus acceptum refert, ut P. Stephanus Dechamps luculenter evicit.

IV. Sed Jesuitæ, Augustini & divinæ gratiæ juxti hostes sunt; quamobrem verò? quid tandem in hanc & adversus illum? lustravi diligenter illorum auctores, Suarem, Vasquem, Petavium, Rho, aliosque benè multos, & nihil odii, aut aversationi erga Augustinum in eorum libris reperi; at summam observantiam, reverentiam, & maximam de sanctissimo Doctore opinionem, quam sæpè acclapius laudant, explanant, & illius testimonio, seu calculo sententias suas confirmant; quid porrò de divina gratia? si fortè divinam gratiam inde odisse dicantur, quod eam à diræ necessitatis vinculo, & fati jugo exemerint, & cum libertate hominis rectè composuerint, ad meritum actionum humanarum; si enim ab iis libertas absit, omni prorsus merito carent, quod gratiam efficacem infallibilem statuant, quod sufficientem à Novatorum stylo vindicent, quod nulli deesse demonstrent, si quando necessaria est, instante præcepto, eam saltem quæ est ad orandum; quod inertem illam, quæ ad rectè operandum satis non est, ut merum commentum & ludibrium rejiciant, quod divinam gratiam ad rectè agendum, etiam ad ipsum libertatis exercitium, in salutis, & ad primam voluntatem credendi, vel initium fidei, necessariam esse doceant; quod inter Calvinum inter & Pelagium, recto tramite, Catholica de divina gratia dogmata statuerint; hæc revera sunt illorum odii, adversùs divinam gratiam, monumenta. Sed, inquis, in verba sui Molinæ jurarunt, eumque præferunt Augustino; illos profectò male nosti, negari non potest, quin Ludovicus Molina præclarus & eximius auctor sit; sæpè tamen ac sæpius illum in Jesuitarum scholis & libris rejectum, & refutatum vidi, aut legi: omnes quidem illi, exemplo Molinæ, & eo quasi duce, de divina gratia meliùs sentiunt, eamque à necessitatis vinculo liberam esse volunt, & scientiæ mediæ opera efficacis gratiæ infallibilitatem, imò & naturam constituunt; quod certè nec Augustinianis placitis adversatur, nec divinæ gratiæ dignitati, nobilitati, aut naturæ obest; sed an propterea in verba Molinæ jurasse dicendi sunt? eos porrò, qui secus sentiunt, & invictam Gratiam inducunt, & efficaci contenti, sufficientem omnino rejiciunt, acriter hucusque impugnarunt; sed quid tum; an fortè de opere bono lapidantur? eos certè hujus rei non pœniteat, nec pœnitebit unquam.

V. Ad alia capita venio, in quibus Jesuitæ, ut imperiti rei didascalicæ & asceticæ traducuntur; utinam omnes propherent; agite meliùs, admodum Reverendi, & magis strenuè in utraque arena vos gesti-

...ste; Jesuitæ profectò ægrè laturi non sunt, pru-
...dentiæ dissimulatione ducti, exempla vestra sequentur;
...ut sinceræ dicam, huc usque illos in desperatione
...agritis; nec apud vos hactenus profundiores
...Theologos, subtiliores Philosophos, amœniores
...Rhetores, acutiores Poëtas, scriptores omnis generis
...quàm uberiores, ac formatis in posterum; bene est, gra-
...tulemur, atque ex præsenti statu futuri ...
...ut ajunt, liberè frui sinemus: de re ascetica ni-
...hil dicam, quæ disputatione obscuratur potiùs quàm
...illustratur; ascetici tamen Jesuitarum libri multo-
...rum manibus teruntur non sine ubere fructu; unum
...forsitan dicam, si forment aliorum mores in suis, id est,
...in discant illum orandi, cum Deo agendi ac viven-
...di modum, quem ipsi adhibent, fieri non posse, ut res
...minimè succedat: atque adeò illud mihi valdè mi-
...rum semper accidit, qui fieri posset, ut ii rectam o-
...randi, vivendi, immò & sciendi rationem benè doce-
...rent, qui ea fortè quæ docent, aut nesciunt, aut
...non ad usum & praxim vix unquam reducunt; huc
...usque quadrat dictum illud Evangelicum, *non omnis*,
...*audiet &c.* vidi & audivi non semel aliquos, qui vel
...Raphaëlem in pictura, Michaëlem in sculptura, Vi-
...truvium in Architectonica, Aristotelem in Philoso-
...phia, Tullium in Romana eloquentia, Virgilium in
...Poësi, Horatium in lyricis, Senecam in acuto &
...sententioso stylo, Plutarchum in varia literatura,
...Hippocratem in re medica, Euclidem, Archime-
...dem in geometricis, aliosque hujusmodi in variis
...artibus & disciplinis facilè principes carperent &
...lacerarent; nihil aliud ego, nisi hæc, pingite, scul-
...pite, fabricate, scribite, curate, demonstrate me-
...lius, factis enim fidem habeo, non dictis.

VI. Aliud caput est accusationis quod Jesuitæ u-
...num aut alteram hæresim cuderint, publicarint ac
...defenderint; quod scilicet, factum aliquod non
...revelatum ad fidem pertinere possit: Jesuitæ ferè om-
...nes tenent, nimirùm aliquod factum ab Eccle-
...siasticis Christi fidelibus proponi posse, in quo
...fidelis error obnoxia non sit, quamvis illud ex-
...presse vel explicitè ac formaliter revelatum non sit;
...Ecclesia proponit nobis libros Canonicos, illo-
...rum auctores, Concilia legitima, damnatos hæreti-
...corum cultum, aliaque id genus, quæ sunt
...non fida, nec revelata fuerunt expressè, & forma-
...liter, sed implicitè ac virtualiter, nimirùm in propo-
...sitionibus quibusdam universalibus Scripturæ, in
...quibus, ut continentur, ita ex iis deducuntur; quod
...totum verbum Dei tenendum sit & credendum, & sit
...unica regula fidei; quod Ecclesiæ sit parendum, & standū
...sententiis dictis & placitis, cùm sit viva regula fidei; quod
...sacri sint colendi, hæretici damnandi & fugiendi,
...legitima Concilia admittenda, & canones ab iis con-
...dendi, aliaque id genus, habemus in Scriptu-
...ris; quod autem sit hoc verbum Dei, non illud; hæc
...Ecclesia vera, non illa; hic auctor canonicus, non a-
...lius hic hæreticus, hic sanctus, hoc Concilium legi-
...timum, res factæ sunt, in quibus si Ecclesia erraret,
...non errare posset, pro certis illas fideles habere non
...tenetur: hæc facta igitur ad fidem indirectè, ut a-
...iunt, pertinent, sine quibus res fidei stare non pos-
...sunt; & hoc est implicitè ac virtualiter in Scriptura
...contineri; si autem hæc sunt hæretica, Jesuitis sanè
...non sunt imputanda, cùm scilicet reliquis ferè om-
...nibus Theologis communia sint.

VII. Ad ultimum caput venio, quod scilicet Jesui-
...tæ Episcopalem dignitatem contemnere ac pessun-
...dare non vereantur, absit; Jesuitæ cum Illustrissimis
& Reverendissimis ita ubique passim, nimirùm in Italia, Germania, Belgio, Polonia, Hispania, immò & Gallia gesserunt sese, ut ne minimam quidem illis alicujus offensionis occasionem præbuerint, scio, quid sibi velint nostri illi admodum Reverendi; nonnulli Episcopi, pauci quidem, & ferè nulli, si cum aliis ejusdem ordinis conferantur, paulò duriùs & acerbiùs cum Jesuitis egerunt; quo instinctu & fine, & cujus consilio, nihil attinet dicere: tulerunt Jesuitæ patienter, æquanimiter pro Christi amore & animarum salute; semel atque iterum, via juris, ad tribunalia majora confugerunt; quis in hoc ab iis peccatum, aut dignitatem Episcopalem pessundatam fuisse meritò dicat? vix centesima suorum privilegiorum parte utuntur in Gallia; Episcoporum verba & nutus adorant; ab uno vel altero malè habentur; unum dumtaxat iis displicet, quod animarum saluti indè profectò parùm consulatur; à causa demonstranda prudens abstineo; publica est, notoria est, & innumeri ferè libelli in hanc rem scripti nunquam illam ita obscurabunt, quin palam semper & comperta sit; intelligenti pauca; latissimus certè scribendi campus pateret; sed præ reverentia stylum contineo & sisto, omitto porrò illud, quod de Jesuitarum superbia subnectitur, quasi neminem præ se putent, ac se tantùm & sua magnifaciant, si enim Jesuitæ humiles non sunt atque demissi, nemo negarit eos satis depressos esse, & ut parùm latinè loquar, humiliatos; utrumque sanè displiceret, quod plus æquo deprimantur, non laudo, ne inde illorum ministeria vilescant; quod humiles non sint, vix credo; cùm apud illos exquisitæ humilitatis exempla observarim; unum dicam, Jesuitarum superbiam, si quæ est, cum Adversariorum superbia collatam, summam humilitatem videri.

VIII. Alterum est Catholicorum hominum genus, qui alieno à Jesuitis animo esse dicuntur; quia vel factione cum eorum adversariis conjuncti sunt, aut certè iis gratificari volunt, vel casu aliquo, citrà culpam, ut plurimùm saltem ab iis offensi; vel sinistris aliorum delationibus inducti; vel alias ob causas, quarum aliquæ levissimæ sunt, & plerumque suppositiciæ, immò non rarò parum honestæ: accidit aliquando, ut cum Societas nescio quem ex suis Apostatam, etiam denunciatum, in ordinem, pro more, & jure, conaretur reducere, primores civitatis illius nobilissimæ, majorem falsiloquo Apostatæ fidem, quàm Superioribus habentes, illius causam & patrocinium susceperint, & à Jesuitis deinceps averti fuerint & alieni, hac autem captata occasione, malevoli quidam plurima, falsa licèt, de Jesuitis jactare, spargere cœperunt, de quibus jam suprà; fuit unus, ut alios omittam, qui diceret, nobilissimum quendam adolescentem, majorem profectum in literis fecisse, postquam illum per aliquot hebdomadas docendum suscepisset, quàm per totos sex annos in Jesuitarum scholis, in quibus gnaviter ad humaniores litteras formatus & institutus fuerat; his fidem optimi parentes habuerunt, & Adolescentem à dictis scholis abstractum, ad aliud Lycæum traduxerunt; quod fœlix faustumque sit: omitto multos alios similes casus, quibus dictus Apostata occasionem præbuit, quem adversarii, vel æmuli Jesuitarum illicò prensarunt, non sine sperato eventu.

IX. Non negarim tamen, aliquos non defuisse, paucos licèt, inter magistros, inferiorum scholarum, apud Jesuitas, qui munere suo, malè defuncti fuerint, vel ita gesserint sese cum iis, qui eorum curæ traditi fuerant, ut nonnihil, vel modestiæ, vel

diligentiæ, vel religiosæ moderationis in iis desideratum fuerit; sed paucos inter tot eò venisse, iis certè mirum, aut novum non accidet, qui apud se reputaverint, fieri non posse, ut in tanto numero, pauci recto tramite non deflectant, & ab injuncti officii lege, tantulum saltem, non desciscant: illud autem præsertim querulorum expostulationibus occurrit, quod Societas certior de his facta, eos à se rescindat, atquè dimittat; nefas autem est, privatum unius delictum, omnibus imputare; unus delinquit in officio, delinquunt igitur cæteri omnes; unus religiosam modestiam non servat, omnes igitur non servant; unus est rudis & imperitus, omnes igitur rudes & imperiti: iniqua profectò consequentia, injusta sententia, & ab omni ratione aliena? cur ergò, inquiunt, huic docendi ac regendi adolescentes muneri à superioribus addicitur, cum ineptum illi ad id muneris esse, cognoscant; duo sunt, quæ ad hæc respondeam; primum est, Superiores omnes in gratia confirmatos non esse, nec ab omni errore immunes; deinde falli possunt Prælati; præsertim cum ex aliorum relatione interdum, de subditis eorumque dotibus certiores fiant; O utinam maximè apti & idonei ad publica munia applicarentur, tanti ergò non est, magistrum aliquem partes suas aliquando, rarò licèt, minimè implere, cum certissimum sit, res, ut plurimùm, benè & optimè ac pro votis succedere. Non erat igitur, quod aliqui tantas excitarent tempestates in Jesuitas, hoc scilicet obtentu, quod magister aliquis Grammatices, aut Rhetorices suo munere paulò neligentiùs ac leviùs defunctus esset: obtentum dixi; quia merus obtentus fuit, & causa non causa; scopum attigi, ni fallor; illi admodùm reverendi multa suggesserunt, quibus Primorum illorum animi à Jesuitis fierent alieni; præcipuus Apostata non parum contulit; esset fortè, quod Jesuitæ ad Themidis aram provocarent; satius tamen est, causam patienti à vincere, quam infenso nocentium illorum judicio committere.

IX. Tertium denique genus est illorum hominum, qui nec Jesuitas viderunt unquam, nec eorum libros lustrarunt; nec res illas intelligunt, de quibus agitur; hi porrò solo factionis studio acti, Jesuitis obloqui non cessant; hoc ferè unicum est colloquiorum argumentum; Jesuitæ causa ceciderunt, illorum iniquitas palam comperta; Molina damnatus; hæc aliaque hujusmodi rerum imperiti blaterant: agnoscat Deus, quia nesciunt quid dicunt; quid faciens Jesuitæ jam ferè ab ortu suo erecti sunt in signum, cui contradicetur; quid rei sit, satis compertum est illos mundus odit, quia verbis, scriptis & exemplis suis mundi opera improbant & damnant; si malè gerent, de iis homines sæculi benè loquerentur, & ideò malè, quia benè agunt; præluxit iis Christus in hac scena, præluxerunt Apostoli; accedit, quod malis cacodæmonis artibus, ad detrahendum de illorum nomine & affingendas calumnias, homines inducuntur, ut vel inde, infamiam honorisque jacturam passi, minùs idonei sint, ad procurandam, pro more, populorum salutem; eaque munera, quæ passim obire solent, ad Dei & Ecclesiæ gloriam promovendam, ab iusta calumniando nota dehonestentur; id consilii Diabolum cepisse, cordatis hominibus omninò constat. Sed de his satis.

LVDOVICI MONTALTII LITERARUM CONFUTATIO,

ET NOTÆ IN NOTAS WILLELMI WENDROCKII AD EASDEM LITERAS:

AUCTORE

BERNARDO STUBROCKIO.

ALTERA EDITIO.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

EX titulo huic ternioni extrà ordinem inſerto, facilè colliges, amice Lector, aliquem irrepſiſſe errorem. Sic eſt. Sed & haud ægrè fatebere, eum vix eſſe alicujus momenti, cùm liberæ tuæ electionis ſit, præmittere lectionem Confutationis Epiſtolarum Montaltii, Notis in Notas Wendrockii. Undè nec operæ pretium eſſe reor, excuſationis loco referre, ejus ſivè occaſionem, ſive cauſam, quæ cùm vix culpabilis ſit, pro tua benignitate facilè, ſpero, indulgebis; Vale.

NOTÆ



NOTÆ IN NOTAS WILLELMI WENDROCKII

AD LVDOVICI MONTALTII LITTERAS,

ET IN DISQUISITIONES PAULI IRENÆI, INUSTÆ

à BERNARDO STUBROCKIO,
VIENNENSI THEOLOGO.

EDITIO SECUNDA.

WILLELMO WENDROCKIO
FAMILIARI SUO,

BERNARDVS STVBROCKIVS
SAPERE IN POSTERUM.

AVidis & famelicis oculis lucubrationē tuam legi, Willelme Wendrocki: quem Bajanæ, Janſenianæ, Sancygiranæ pſeudologiæ Baccalaureum veriùs dixerim, quàm Salisburgenſem Theologum. Rarum opus tibi gratulor: dignum ſanè patella operculum, numeris ferè omnibus abſolutum: in quo ſcilicet ad maledicentiam, calumniam, fraudem, obſtinatam in damnatâ hæreſi pervicaciam, nihil prorsùs deſideratur. Tria ſunt tamen, ut ingenuè moneam, quæ forte imprudens omiſiſti. Primum eſt, quod cùm tua, tuorumque incuriâ, vel potiùs curâ, innumeræ mendæ, & craſſiſſimi errores in tuum librum irrepſerint, nullam tamen, ut fieri ſolet, erratorum tabulam ſubnexere dignatus es. Ego, ut hoc ſaltem labore levarem, & hoc levi officio mihi arctiùs obligam, hanc provinciam ultrò ſuſcepi. Multa propter immenſam erratorum multitudinem, levioris operæ non fuit, rudiorem quoſdam præmitto, in quam palmaria congeſſi: cras alteram partem mittam: tu interim æqui bonique conſule. Alterum, quod omnes Catholici in tuo libro deſiderarunt, non minoris momenti eſſe videtur. Deeſt enim Doctorum, & eorum, quibus ex officio incumbit, Approbatio: niſi fortè huic incommodo ſatis lepidè occurrere voluiſti, inſertis Liberti Fromondi, & Cornelii Janſenii Approbationibus, * in gratiam libri damnati. Quid enim aliud damnatæ doctrinæ auctores approbarent? Eſt in hoc, quod tibi plurimùm gratificer. Mitto enim Approbationem, non qualemcunque illam à conductitio quopiam Theologaſtro, vel corrupto, venalique Vicario emendicatam, ſed à Romano Pontifice ALEXANDRO VII. profectam, eamque geminam; quò major auctoritas libro tuo concilietur: Conſtitutionem, ſcilicet, in quâ quinque Propoſitiones, ut Janſenii, & in Janſenii ſenſu; & Decretum ejuſdem ALEXANDRI, in quo præter Arnaldi ineptias, & Thomæ Angli blaſphemias, famoſæ illæ tui Montaltii Litteræ damnantur. Tertium denique eſt, quòd, cùm in duos Apologiſtas, qui Montaltii Litteras refutarunt, paulò vehementiùs invectus fueris, & alte-

*Pag. 445.

rum quidem, ut ignavum & tardum; alterum verò, ut insanum & furiosum traduxeris: ut quantum hic insaniat, ille hebescat, apud omnes constet; ad majorē tuorum convitiorum confirmationem, & plenam fidem tibi faciendam, scriptum utriusque Latinitate donatum, cum aliquot aliis opusculis hîc attexere cogitaveram: ut, si quando ad secundam editionem venias, tergeminæ hujus appendicis accessione, liber tuus altero se auctior, majori pompâ prodeat. Sed ne tardiùs, quàm par sit, hæc tria officia persolvam, minimè procrastinandum ratus, primum & secundum statim exequor; tertio deindè, meo ac tuo commodo, satisfaciam. Cæterùm mihi facilè ignoscès, si verbosiorem illam tui Montaltii loquelam, quam identidem mirabiliter extollis, minimè assequutus, polemicum, non calamistratum dicendi genus amplector. Id unum præsertim enitar, ut ea, quæ à me scribentur, probè intelligas: faciamque, ut verba rebus, non verò vicissim res verbis, & dictioni serviant. Eo mihi dumtaxat styli acumine opus esse duxi, quo tuos aculeos configerem; iis argumentorum nervis, quibus tua convitia castigarem; ea rationum pondere, quo vaniloquentiam tuam obruerem: eum denique ordinem unà hi servandum præscripsi, quem in erratorum syllabo Librorum auctores adhibere solent. Lustrabo paginas, quarum censum infrà adscribam: neque aliis opusculo huic meo distinguendo titulis utar, quàm quibus lucubrationem tuam ipse partitus es. Sed nedùm tiùs in limine suspensum te detineam, primam libri tui frontem protinùs aggrediar. Priùs tamen, amabò, accuratè perlege, cujus supra mentionem feci, geminam Litterarum Ludovici Montaltii, & Notarum tuarum Approbationem. Utramque præmittendam duxi, tum ob Summi Pontificis dignitatem, tum ne, quod ad honorem Libri tui vel maximè facit, patiar à te diutiùs ignorari. Tu quoque in secunda editione, quam prodibit, Notis tuis, si placet, utramque præfigito.

SANCTISSIMI D. N.
ALEXANDRI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VII.

Confirmatio, & Declaratio Constitutionis Innocentii Papæ X. qua damnatæ sunt quinque Propositiones excerptæ ex libro Cornelii Iansenii, Episcopi Iprensis, cui Titulus, Augustinus.

ALEXANDER
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Universis Christi-fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

AD sanctam beati Petri Sedem, & universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili divinæ providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil nobis antiquiùs ex muneris nostri debito esse duximus, quàm ut sanctæ fidei nostræ, ac sacrorum dogmatum integritati traditâ nobis à Deo potestate, opportunè consuleremus; ac licèt ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione, nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubiū revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divageturpromptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidē aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus Augustinus, Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, inter alios ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Gallis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut eadem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum propositionum est, prout sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Secunda. Interior gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & inhæ-

erant

eam hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare? Quintam, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cura est, ut Ecclesia Dei Nobis ex alto commissa, purgata pravarum opinionum erroribus, tutò militet, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; Pontificalis gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra, Nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tùm voce, tùm scriptò relata, maturè consideravimus, eosdemque magistros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cùm autem ab initio hujusmodi discussionis ad divinum implorandum auxilium multorum Christi-fidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixissemus; postmodùm iteratis eidem ferventiùs, ac per Nos solicitè imploratâ sanctâ Spiritus assistentiâ, tandem divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilitentur, temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Secundam, Interiori gratiæ status naturæ lapsæ nunquam resistitur; hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Tertiam, Admerendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione, hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quartam, Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc sunt hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Quintam, Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi-fidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictis, ceteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coërceant, & compescant. Non obstantes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super prædictis quinque propositionibus, approbare ullatenùs alias opiniones, quæ commentum in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii. Pontificatus Nostri Anno nono. Cùm autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones, vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi-fidelium scandalo non reformident. Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpotè, qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate, eadem causa discussa est, eâ profectò diligentiâ, quâ major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes; ut omnes Christi-fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito Nostri Pastoralis Officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas Propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inustâ scilicet eâdem singulis notâ, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum singillatim inuritur, iterùm damnamus, ac eundem librum sæpè dicti Cornelii Jansenii, cui titulus, Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quàm typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii doctrina, ut supra, damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur & astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi-fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur, publicè, vel privatim, palàm, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in jure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem juxta præsentem nostram Determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omninò coërceant. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

I. CARD. PRODAT.

G. GUALTERIUS.

Visa de Curia P. *Campinus.*

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini N. IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & D.N. D. ALEXANDRI, Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus secundo, die verò

verò septimæ mensis Novembris retroscriptæ literæ sub plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, ac aliis locis solitis, & consuetis Vrbis, per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

Pro Magistro Cursorum Jacobus Cornelius Cursor.

DECRETUM SANCTISSIMI D.N. ALEXANDRI PAPÆ VII.

Feria v. Die 6 Septembris, 1657.

In Congregatione generali sanctæ Romanæ, & Vniversalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud sanctam Mariam Majorem, coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO, Divina Providentia Papa VII ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E Cardinalibus in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctiss. D. N. ALEXANDER Papa VII. præsenti Decreto prohibet, & damnat libros infrascriptos, eosque pro damnatis, & prohibitis haberi voluit sub pœnis, & censuris, in sacro Concilio Tridentino, & in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque arbitrio Sanctitatis suæ infligendis.

ELENCHUS LIBRORUM.

DEcem & octo Epistolæ Gallico idiomate conscriptæ, quarum prior inscribitur:

Lettre escrite à un Provincial par un de ses amis sur le sujet des disputes presentes de la Sorbonne, de Paris ce 2 Ianvier, 1656. incipit: Monsieur nous estions bien abusez.

2. *Seconde lettre, &c. de Paris ce 29. Ianvier 1656. incipit: Monsieur, comme je fermois, &c.*

3. *Troisiesme lettre, &c de Paris ce 9 Fevrier, 1656. incipit: Monsieur, je viens de recevoir, &c.*

4. *Quatriesme lettre, &c. de Paris le 25 Fevrier, 1656. incipit: Monsieur, il n'est rien tel, que, &c.*

5. *Cinquiesme lettre, &c. de Paris le 20 Mars 1656. incipit: Monsieur, Voicy ce que je vous ay promis, &c.*

6. *Sixiesme lettre de Paris ce 10 Avril 1656. incipit: Monsieur, Ie vous ay dit, &c.*

7. *Septiesme lettre, &c. de Paris ce 25 Avril, 1656. incipit: Monsieur, Apres, avoir appaisé, &c.*

8. *Huitiesme lettre, &c. de Paris ce 28 Maji 1656. incipit: Monsieur, Vous ne pensiez pas, que personne, &c.*

9. *Neuviesme lettre, &c. de Paris ce 3 Iuillet 1656. incipit Monsieur, Ie ne vous feray pas plus, &c.*

10. *Dieſme lettre, &c. de Paris ce 2 Aoust, 1656. incipit: Monsieur, Ce n'est pas encor icy, &c.*

11. *Onzieme lettre escrite par l'Autheur des lettres au Provincial, aux Reverends Peres Iesuites, du 18 d'Aoust 1656. incipit: Mes Reverends Peres, I'ay veu les lettres, que vous, &c.*

12. *Douziesme letere, &c. du 9 Septembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, I'estois prest à vous escrire, &c.*

13. *Treziéme lettre, &c. du 30 Septembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres, Je viens de voir vostre dernier escrit, &c.*

14. *Quatorziéme lettre, &c. du 23 Octobre, 1656. incipit: Mes Reverends Peres, si je n'avois que respondre, &c.*

15. *Quinziéme lettre, &c. du 25 Novembre, 1656. incipit: Mes Reverends Peres, Puisque vos impostures, ont, &c.*

16. *Seiziesme lettre, &c. du 4 Decembre 1656. incipit: Mes Reverends Peres. Voicy la suite de vos calomnies.*

17. *Dixseptiéme lettre escrite par l'Autheur des lettres au Provincial, au Reverend P. Annat Iesuite, ce 23 Janvier 1657. incipit: Mon Reverend Pere, Vostre procedé m'avoit, &c.*

18. *Dixhuitiéme lettre au Reverend Pere Annat Iesuite, sur la Copie Imprimée à Cologne le 24 Mars 1657. incipit: Mon Reverend Pere, Il y a long-temps que vous, &c.*

Lettre d'un Advocat au Parlement à un de ses Amis, touchant l'Inquisition, qu'on veut establir en France à l'occasion de la nouvelle Bulle du Pape Alexandre VII. à Paris le 1 Iuin, 1657. incipit: Vous croyez que toutes vos affaires, &c.

Antonii Arnaldi Doctoris, & Socii Sorbonici, opera sequentia:

Lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne à une personne de condition, sur ce, qui est arrivé depuis peu dans une des Paroisses de Paris, à un Seigneur de la Cour.

Seconde lettre de Monsieur Arnauld Docteur de Sorbonne, à un Duc, & Pair de France, pour servir de response à plusieurs escrits, qui ont esté publiez contre sa premiere lettre, sur ce qui est arrivé à un Seigneur de la Cour dans une Paroisse de Paris.

Epistola, & scriptum ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 6. Decembris anni 1655.

Epistola, & alter Apologeticus ad sacram facultatem Parisiensem in Sorbona congregatam die 17 Ianuarii, anni 1656.

Epistola inscripta Viro sapientissimo Henrico Holdeno, sacræ Facultatis Parisiensis Doctori, incipiens: Ea temporum conditione, &c.

Vera S. Thomæ de gratia sufficiente, & efficaci doctrina dilucidè explanata.

Propositiones Theologicæ, de quibus hodie maximè disputatur, clarissimè demonstratæ.

Tabulæ suffragiales de terminandis fidei litibus ab Ecclesia Catholica fixæ. Authore Thoma Anglo ex Albis Rupe Saxone.

Tesseræ ✠audovúmæ Romanæ evulgatio, eodem authore, &c.

Et quia circumferuntur quædam folia impressa an. 1657. quorum titulus est: *Tredecim Theologorum ad examinandas quinque Propositiones ab Innocentio X. sanctorum suffragia, seu, ut appellant, vota, summo Pontifici servato tradita.* Eadem Sanctitas sua, præsenti hoc decreto illa prohibet, & declarat, ac decernit, ita tamquam apocryphis nullam fidem esse adhibendā, nec quam à quocumque allegari posse vel debere. Et præterea epistolas, libellos, ac libros alios quoscumque in quibus doctrina Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis quæ-

FRONS LIBRI.

Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales. Auctorem appellas Litterarum Provincialium: ad Provincialem verius dixisses: error in limine infaustum præsagium est. Vix inito cursu, pede offendis: dum in cælum Montaltium extollis, fabulosum scilicet, ut eum cum ursis, draconibus & scorpionibus colloces; tu ipse in cænum devolveris. Nomen ad libitum fingis, tuoque Lectori imponis: sed fingendi affingendique artis peritissimis hominibus, qualem te esse reputo, hæc & majora licent. Omisisti alios honoris titulos, quos præfatus auctor jure ac meritò sibi vendicat. Is enim est Princeps Jansenianæ factionis scriba, vulgatus Portus-regalis commentariensis, cujus anilia commenta tuis auxisti; famosus scurra, & nobilis histrio, immò strenuus scurrilitatis & dicacitatis patronus ac propugnator. Ille igitur auctor est Litterarum ad Provincialem.

De Morali & Politica Iesuitarum Disciplina. Cur Jesuitarum potiùs, quàm Theologorum alterius Ordinis? Quid enim de hoc argumento Jesuitæ scripserunt, quod aliis acceptum non referant? Sed cur Jansenium omisisti, cujus hæresis impune vocet? Cur Arnaldū, cujus causam agit, ac errores liberè prædicat? An illa, quæ habet de gratia sufficiente, quam explodit; deque illa, quæ ad non peccandum, imminente periculo, necessaria est, quam sæpè ac sæpiùs deesse fatetur; de proxima ad agendum potentia, quam risu & sibilis excipit; de inculpata ignorantia, quam culpa non liberare contendit, de authoritate Rom. Pontificis errare nescia, quam non agnoscit; an hæc, inquam, aliaque id genus ad Theologiam non pertinent? Cur ergo *Moralis* duntaxat mentionem feceris?

Nomen tuum deinde subnectis, si tamen alicujus nomen est: *A Willelmo*, inquis, *Wendrockio Salisburgensi Theologo, è Gallica in Latinam linguam translatæ & Theologicis notis illustratæ.* Fingamus, demus esse nomen tuum, nec enim de nomine tecum disputo; licèt hoc disputationis genus tibi tuisque Bajanis familiare sit, quos passim asseris, in causa quinquè Propositionum, sacro tactarum fulmine, de nomine duntaxat & vocibus cum Catholicis disputare, de re verò ipsa cum iisdem convenire. Sic in Nominalium sectam adscriptus, sub Okami Principis hujus sectæ auspiciis, contra Romanum Pontificem alacriùs pugnabis. Nomen assumis Teutonicum, quod in germanum Batavi sectarii asseclam, haud prorsus ineptè quadrat: Theologi Salisburgensis lauream larvæ loco adhibes; sed lauro fictitiâ tectum grunnitus prodit, & hæc laurus fulmen non arcet. Litteras illas Montaltii latinitate donasti, quamvis alioquin ex Catholica Republica proscriptas. Theologicis notis & affictis elogiis illustrasti, quantumvis Decreto Pontificio, æternis tenebris addictas, & nigro thyra notatas. *Theologicas notas* scribis: Pseudologicas, Heterologicas scribere debuisti; *Quibus*, inquis, *tum Iesuitarum adversùs Montaltiū crimmationes repelluntur, tū præcipua Theologiæ Moralis capita, à novorum Casuistarum corruptelis vindicantur.* Montaltii crimina melius dixisses; quàm

---

quinque Propositionibus per Constitutiones Innocentii Prædecessoris, & Sanctitatis suæ damnata, eorumve quomodolibet approbatur, vel defenditur, aut quomodolibet approbatur, vel defenderint, aut quomodolibet approbatur, vel defenderint, tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis exprimatur, vel in futurum evulgandos, Sanctitas sua omnino damnat, & prohibet, ac damnatos, & prohibitos esse voluit, mandans, ut nemo cujuscumque status, gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissimâ notâ dignus, libros prædictos, aut aliquem eorumdem ad se retinere, legere, aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis, & censuris contra hujusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quandocumque habebunt, locorum Ordinariis, seu Inquisitoribus sub illorum pœnis exhibere teneantur.

Insuper cùm hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri, continentes & tractantes materiam de auxiliis, nullâ prorsùs petitâ, vel obtentâ licentiâ, ab hac sacra Congregatione, contra formam Decretorum Pauli V. & Urbani VIII. prædecessorum suorum, quæ quatenùs opus sit, Sanctitas sua denuò confirmat, innovat, & inviolabiliter observari mandat, sub censuris & pœnis in eisdem contentis) ideò illos iterando, dictos libros editos, & in futurum quomodolibet edendos, absque eo, quòd fiat de illis specialis mentio, ipso facto, & absque alia declaratione reprehensibilis prohibitis haberi voluit, & decrevit.

Ioannes Lupus, sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D. N. JESU CHRISTI millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima, die verò decimaquinta mensis Septembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri, divina providentia Papæ VII. Anno ejus tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicarum S. Joan. Laterani. & S. Petri de Urbe, nec non ad Valvas Palat. Inquisitionis, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, per me Hieronymum Mascellam, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Hactenùs, ut rogaveram, perlectis, quid censes Willelmum assentiris? nonne utraque Approbatio placet? Imò forte tertia accederet. *Nam intelligo librum tuum, uti cum apologia Theologorum Moralium, jam pridem S. Sedis Tribunal fabricatum esse. Nullus dubito, quin Tuus in Catalogum librorum prohibitorū referendus sit: fortè etiam alter, quòd Nomenclatorem Auctoris, nec non sine Approbatione Superiorum prodierit. Si quid præterea in eo damnetur, satis scio fore, ut damnetur, cæterique veré Catholici, eâ, quâ par est, animadversione, statim annuant. At si nihil prorsus in eo singillatim notetur, sed prohibeatur generatim: nemo sapiens negabit, eo duntaxat nomine prohibitum fuisse, quòd contra regulas Concilio Tridentino præscriptas editus sit. Sed jam nimis, ut destinato operi manum admoveam.*

quàm Jesuitarum criminationes; quem scilicet multorum criminum reum esse constat. Quòd Theologiam Moralem vindicandam suscipias (evertendam ac destruendam dicere debueras) tibi tuíq; similibus probè consulis; cùm illa tuos tuorumque mores non ferat: Hostem aggrederis, quam Judicem habere times: Theologis Moralibus, quos Casuistas vocas, morum corruptelam, per nefandam calumniam prudens affingis; ut vel inde eorum auctoritatem eleves (eò enim spectas) qui damnata Jansenii dogmata, fœtida Aurelii placita, proscripta Baji pronunciata, confixaque Arnaldi commenta, in doctrina morum & fidei, censuris suis notarunt. Editionis etiam locus mendo non caret; *Coloniæ*, inquis, *apud Nicolaum Schouten*. Scribe Coloniæ Batavorum, scilicet Amsterodami. Patriarchæ vestri Jansenii patrium solum vobis placet. Titulum igitur sic emendatum lege.

Ludovici Montaltii insignis sycophantæ, & primarii Portus regalis scribæ famosæ Litteræ ad Provincialem, pro causa Jansenii exaratæ, & à Willelmo Wendrockio, ejusdem furfuris homine, Jansenianæ Pseudologiæ Baccalaureo, latinitate donatæ, & virulenta notarum eluvie fœdatæ, in quibus Jesuitis atroces calumniæ affinguntur, Jansenii errores propugnantur, Apostolicæ Constitutiones eluduntur, Catholica dogmata destruuntur, & adstruuntur hæretica, Amsterodami apud heterodoxos fœderatos.

PRÆLOQUIUM

LIBRI.

LEctorem Catholicum statim initio compellas: dic, sodes, acatholicum. Hîc tuum, non præli errorem agnosco: Loquela tua te prodit: nec enim Catholicos hic modus agendi decet, quorum (ut ais) *utilitati*, dic amabò, offensioni, quam scandalum vocant, famosas illas, seu fumosas (nempe siniſtrum fulmen fumum obduxit) litteras dicasti: quarum *atticum nitorem, pretium, eloquentiam nominis & famæ celebritatem, splendorem, ornatum, lepores, temperamentum*, tam impensè, ac putidè verbis exaggeras, ut conductus laudator esse videaris. Hac in parte, sapientes viri, ut mitissimè loquar, tuam prudentiam & modestiam desiderarunt. Haud aliter mutuò muli scabunt; ignosce, tecum ago familiariùs. Et verò mirum plerisque accidit, quòd religioni minimè duxeris, libellos famosos tam multis scatentes erroribus, Pontificio Decreto damnatos, ex fumanti busto * per fraudem eductos, in aspectum lucemque hominum reducere, & effusis laudibus cumulare. Crede mihi, dum in cælum Montaltium efferre visus es, insano illum præconiorum ponderi penitùs imparem obruisti.

Quod verò ad illos spectat, qui Montaltii nugas egregiè refutarunt, & ab eo affictas diluerunt calumnias: miselloſ:ta deprimis, ut alter, saltem te judice, *ingratas, velut anser inter olores, naïas intercinat; immanis* alter & truculentus, spumanti ore, turpe classicum intonet: sed hic insanus nobilissimis Parochis, ad quos ex officio spectat, in furorem à dæmone actos, solitis exorcismis curare; ille verò ignavus Thersites famoso Jansenianarum partium Achilli meritas pœnas dedit, & vilis victrice manu hostia cecidit. Hæc in utrumque paulò intemperantiùs Jansenianos tuos illi haud leviter pupugerant: probrisque convitiis doloris sensum demulcere, ac lenire conatus es. Subiratis hominibus aliquid condonandis, sed quantumvis fremas & ringas, hic Anser Romano Capitolio cecinit, & clangore suo Vaticani Jovis fulmina elicuit, quibus larvati oloris caput perculsum meritò conflagravit. Ignavum tamen, tardum, segnemque hebetem vocas. At bilem Montaltio & stomachum movit; ad propriam defensionem iniquum aggressorem adegit: à ludicris ad seria, à jocis, ad mimicarum quæ faces, & irarum tædas, segnis ille actipudus homuncio, Achillem, Herculem vestrum traduxit. Quid reisit, ingenuè dicam: vinci puduit & cedere causâ: probra & maledicta inustæ Montaltiotæ, turpi cicatrici turpius emplastrum obduxit. Si opus esset, facilè reponerem, nec sine fœnore; neque id singularis est industriæ. Quid enim facilius, quàm jactare probra? at effusa profusaque illa convitia num te feriunt: & inusta cauterio Apostolico non aspersis elogiis, quibus paulò liberaliùs indulgent nunquam eluetur.

Quod alterum attinet, ad Ecclesiæ tribunal evocatis. Cujus porrò Ecclesiæ? an Romanæ? minimè gentium. Nec enim vindicem habere speras, quem justum Judicem hactenus sensisti: nempe illa Sionii, Sancygirani, Arnaldi, Montaltii errores contrit, sed conventiculum illud octo Parochorum subscriptorum (cui haud dubiè divinus Spiritus non præfuit, utinam humanus saltem præfuisset!) Ecclesiæ loco habes. Hinc sub præloquii finem, nonnulla te, ex Parochorum scriptis excerpta, in tua Commentaria derivasse, ingenuè mones. Cæterùm, inquis, *pariter ab Jesuitis vocula* contra Montaltium illicò *suppressa & suffocata* fuerunt, criminationes retusæ, diutæ criminæ. Hîc reverà thrasonem agis. Sed factis, non dictis standum est. Pelagii crimen vobis impositum, quòd scilicet hæreticorum loca & argumenta contra Jesuitas adhiberetis, repulsum est, inquis, in nuperis epistolæ quintæ præambulis. Huc volo te, Willelme. Nemini enim dubium est, quin Jansenius veterum hæreticorum compilarit, eamque rerum & locorum sylvam corraserit, qua deindè insana Volumina conferfit: cujus plenissimam fidem Ricardus Theologus toti Orbi Christiano fecit. Accedit, quòd libellum famosus, quem Theologiam Moralem Jesuitarum, nescio quis de grege inscripsit, ex centonibus Molinæi compactus fuit: ut vulgato scripto, adductis, collatisque locis, demonstratum est.

Quod demùm ad abigendam *affictæ*, ut ais, *horrisonæ formidinem*, & *inanes*, ut vocas, *terriculum*, 17. & 18. Epistolas accersis; imprudentissimè facis, mi homo: cum ex iis potissimùm litteris, Montaltii errores excerpti fuerint, & impius adversùs Sedem Apostolicam fuit detectus. Falleris etiam Willelme, falleris, cùm merè asseris 18 Epistolam ab adversariis improbatam non fuisse. Immò illa præ cæteris improbata, & ad sanctam Sedem delata, cùm Rom. Pontificis auctoritatem, pro definiendis controversiis, in doctrina morum & fidei, ex professo, ut ajunt, impugnaret; quæ semel eversâ, tota res Catholica statim corrueret. Cæteris autem illud emenda, quòd Jansenianæ hæresim *fictitiam* vocas, ne Pontificiæ Bullæ chimeras petant: item quòd dicis, Montakium has Latinas Epistolas ad se transmissas, emendasse & approbasse, quamvis longè pejores sint Gallicis, quæ à Romano Pontifice damnatæ fuerunt. Montaltio malè consulis, quem testaris hæreticorum more approbare, quod Roma damnat. Sed de præloquio satis: ad eam quæ proximè sequitur, admonitionem, gradum facio.

ADMONI-

* Aquis Sextiis, Parlamenti decreto, Montaltii litteræ, in area publica, tortoris manu, ultricibus flammis traditæ fuerunt. Anno 1657. die 9 Februar.

ADMONITIO
AD LECTOREM.

Deo nonnullis te monitum velim, *Willelme*, quæ ad monitionem tua ad lectorem, imprudens peccasti. Hoc loco Montaltii literas in compendium & brevem summam redigis, ut ejus crimina, calumnia, errores sub unum aspectum cadant, & summa dumtaxat capita delibas. Primis quidem, inquis, Sorbonica contentio in nostri Articulum, breviter explicatur: tum gemina quæstio, scilicet & facti expenditur: gratia sufficiens proxima ad agendum potentia proscribitur, Sorbona per jocum traducitur: Schola Thomistarum: tum libertatem suffragiorum in eo conventu, & novam comitiorum formam insimulasse miserè deploras: ac proinde optimi quosque defensores (Jansenianos intelligis) è comitiis exclusos, & irrita, quæ agerentur, fore denunciata: Sorbonam demum vacuam Molinistis relictam. Subjiciunt quæso imponere statuisti? an Medis aut Tartaris? recte, nempè hi quid rei sit, quorum alioquin tuas theses ludibrio exponeres. Ita omnia sese habent; antiqua forma servata, & modus concludendi tumultibus, quos Jansenistæ excitarunt, mirata adhibitus. Sic fortè Sorbonæ Censuram omnis Arnaldi doctrinam, & latum contra eos decretum qui Censuræ subscribere recusarent, delatas Sorbonam vacuam dicis; licèt major & potior Doctorum pars doctrinæ Catholicæ partes sequatur: & hos Molinistas vocas. Quid ad me? inquiunt.

Ego sanè non possum, cur accepti recens à Sorbona beneficii penitus immemor, eandem Sorbonam atrocissimis verborum aculeis immisericordi-ter confodias, gratias immortales mortalium ingratissimè debueras, pro edita contra immanem illam (ita enim vocas) & furiosum Apologistam severa, probris tamen & maledictis eam fœdissimis insectandis. Tam ingrati animi labem quis ferat? quis Jansenianarum partium homo admittat? Ita cum Decreti Pontificii, quo literæ vestræ damnarantur, nonnulli ex temperantioribus in prædicationis mentionem fieri postularent; illicò *De Bonis* ille Parochus, unusque ex Ogdoade Sapientum, familiaris vester *intercessit*, ac ne id quidem obtinuit. Hæc aliaque id genus tibi non potuerunt. Cur igitur Sorbonam lacessis? quæ tuos immortali beneficio sibi obstrictos Apostolico fulgure percussos recreavit, fabulam in historiam mutavit. Gratulari debueras: & probra in hoc tuam prudentiam & gratum animum testari.

Ridiculum illum scribendi modum, quem Sorbonæ adhibuit, non modò approbas, sed valde laudas: insulsum illius dialogum describis & ludis, in quo ficticium illum Jesuitam loquentem introducit. Fabulam dedit Montaltius: personatum eum esse oportuit: insignem scurram & histrionem decet. Sed animum minimè advertis, ubi egregiè tibi contradicas; simplicem illum Jesuitam, stolidum & tantùm non pecudem initiò dicis: quis enim ludum illum tuum & artem, etiam hominum simplicissimus non intelligeret? tum deinde callidam illam tationem vocas, quâ cum sociis utitur ad insinuanda hominibus Societatis dogmata. Nisi hæc sibi invicem repugnent, nusquam erit repugnantia. Præterea totam moralem disciplinam ab eo descriptam & explicatam esse, non semel repetis, qui vix quinque, aut sex quæstiones attigerat: universam morum doctrinam ab eo exhaustam fuisse dicis, qui vix aliquot summa capita delibarat. Vel hanc rem imperitus non capis, vel potiùs per insignem malitiam ita exaggeras.

Tum elevas Jesuitarum scripta contra Montaltium; *imbelles adversarios* vocas: *Annatum* præ cæteris appellas, auctorem illum totâ Europâ celebertimum, *& infirmissimam ejus scriptionem*, quam *Bonam Jansenistarum fidem* inscripsit, ita de primis, ut luce indigna esse videatur. At siste parumper, mi homo; vix ad ea, quæ scribis, animum advertis. Annatus corrupta à Montaltio aliquot auctorum loca protulit, & fideliter exscripsit. Quæstio facti est. Annatus profert & confert depravata loca: ad pœnam libri, ut vulgò ajunt. Unum tamen, ne quid dissimulem, Annatus peccavit, scilicet in fronte Libelli, quem bonam, ut dixi, Jansenistarum fidem inscripsit, per ironiam quidem; longè tamen meliùs dixisset pessimam, corruptam, damnatam, vel uno verbo cæteris pari, *Jansenianam*. Sic aperto Marte cum tenebrionibus agendum, qui pugnant ex tenebris & latebris; & satis tutos se putant, si tectos.

At mi homo, mendacem, ut ajunt, memorem esse oportet. In præmisso Præloquio ut jam antè notavi, dixeras, in hisce Literis res morales tantummodò discuti: & hic ultrò fateris, primam Epistolam esse de proxima ad agendum potentia, secundam de gratia sufficiente, quartam de actuali ut vocant, tertiam de Arnaldi propositionibus confixis, duas postremas de hæresi & Romani Pontificis auctoritate, nisi hæc sint Theologica, quid, amabo, Theologicum est? Dixeras etiam paullò antè, hæc ad quinque Jansenii propositiones non pertinere. Erras Willelme, erras: nisi enim adsit illud *posse* proximum, ut vocas, illa potestas implendi præceptum, quis neget esset impossibile? si nulla sit gratia sufficiens ab efficaci distincta, quis neget divinæ gratiæ nunquam resisti? si demùm illa, quam invincibilem & inculpatam vocant, ignorantia à peccato immunem non reddit, quis neget eum peccare, qui necessariò peccat? & hæc ad damnatas propositiones non pertinent? Immò in duabus postremis Epistolis, Constitutionis Apostolicæ vim & robur eludere Montaltius, frustra licèt, conatur; & hæc ad Bullam non spectant? Ad ea, quæ blateras contra Jesuitarum scripta, nihil repono: ut major tibi fides habeatur, ea, ut jam ante addixi, propediem ad te mittam: non exscripta, sed typis mandata, & latinitate donata: ut saltem *imbelles & victi*, Jansenii triumphum adornent. Quæ deinde delibas de opinione probabili, de calumnia, de Homicidio, de Caramuele, infra suo loco discutiam; hæc enim ad nauseam, pro more, centies repetis.

Omittere tamen debueras Montaltii elogium, cujus *eruditionem, doctrinam, zelum, prudentiam, religionem, fidem* in cælum evexisti. Qui tuis dictis fidem habeat, extra Jansenii gregem, nisi conducas, haud invenies: impium enim scurram, qui sacra prophanis miscuit, germanæ Theologiæ ignarum, maledicum impostorem, insignem sycophantam, compertum hæreticum, Sanctæ Sedi exosum caput, tot ac tanti laudibus ornasse, non modò imprudentiæ, sed extremæ imprudentiæ fuit. Quæ citas ex Rothomagensi

Epistola, non faciunt fidem: ut Calvinum defendas, Lutherum accersis: calumniam probas nova calumnia, & Montaltio similem Patronum conducis; fallor, eundem Montaltium: nec enim gutta guttæ similior: ex eadem Portus-regalis officina hæc Epistola, immò & alia Parochorum scripta prodiere, ut vel ex stylo constat. Quod certè si neges, aliòs quoque testes producam. Sed hæc de re, nemo prudens, aut sciens dubitat.

Quis porrò modò sit rerum status, non aperis, sed dissimulas. Nempè illa Parochorum scripta, quæ impensè laudas, & in tuos usus convertis, ad sanctam Sedem delata fuerunt; non Archiepiscopi Senonensis, vel Convenarum Episcopi, aut Bellovacensis, sed Petri & Christi: ut de innumeris, quibus scatent, erroribus judicium ferat. Mechliniensem appellare non debueras; quid fæces versare juvat? omnes Jansenianæ doctrinæ Patronos effictim amas & laudas.

Minus tamen ferendum, quod dicis, Litteras illas Ecclesiæ salutares fuisse; idque dubio procul, inquis, fortè ut illa suorum fulminum vim probaret. Sic Calvinus, Lutherus, Jansenius Ecclesiæ salutares fuere: sic pestis & lues orbi salutares. Vis revelem mysterium? Nonnulli Parochi, non divinæ gloriæ zelo, sed proprii commodi & lucri studio ducti, ut fideles, præsertim locupletiores à Jesuitis abstraherent, sibique devincirent, Jesuitarum doctrinam mille infectam erroribus & Evangelio contrariam esse publicarunt; ut populis horrorem incuterent; & cum ipsi, nec cultiore sint doctrina, nec majore sanctimonia, potestatem decidendi controversias in doctrina morum & fidei, jure quodam successionis hæreditario, sibi arrogarunt. Quod quàm erroneum sit, omnes Catholici tenent. Sed tandem ad tuas notas accedo: nec enim Epistolarum errores castigandos suscepi, quod jam alii egregiè præstiterunt: notas duntaxat in notas scribam.

In primam Epistolam.

NOTA I.

PErridiculum est, quæ discant, omnibus mortalibus ignarum præcipere. Sic malim te risu & sibilis, quàm severiore modo excipere: malim te ignorantiæ, quàm malitiæ insimulare; quanquam utriusque partes egregiè sustines. Censuram Sorbonicam, Scholam Thomisticam, proximam illam agendi potestatem, *posse proximum*, ut vocas, pleno buccarum rictu, altoque cachinno, cum tuo Montaltio irrides; (a) vel inde ridiculus, quod de re tam seria, tam stultè rideas. Jesuitas & Thomistas ab re inter se committis. At utrique in hac parte, cum aliis omnibus Catholicis probè conveniunt. Dividis, ut regnes: jurgia feminas, ut in Catholicorum discordiis Jansenianæ hæresis altas radices agat. Sed frustrà oculatis & piis hominibus apertas insidias struis. In hoc, ut dixi, utrique conveniunt, quod quis, dum peccat, proximam non peccandi potestatem, seu proximum *posse* habeat: utriq; oppositum, Arnaldi scilicet, errorem damnant. Arnaldus porrò non dixerat, ut sincerè, tuo more, narras, D. Petro gratiam efficacem defuisse: quis enim hoc neget? sed gratiam necessariam, ad hoc ut posset non peccare, si vellet; quod reverà omnes Catholici negant, & adducta Patrum loca, Catholicè, ut par est, explicant.

(a) *Pag.* 10.

Nec Jesuitæ à Thomistis dissentiunt, quo hi volunt, gratiam seu virtutem illam interiorem, *nunquam in actum prodire, nisi efficax sit*: quis Theologorum, quis mortalium hoc neget? seu quod illi proximam agendi potestatem homini adstruant, eum hic libere agere omittit. In hoc, utrique conveniunt, *non errorius*, ut dicis, sed re ipsa, ut damnatum errorem fugiant. Nisi enim proximum *posse* adsit ad non peccandum, Deique præceptis obtemperandum, haud debiè illa præcepta sunt impossibilia. Sed hic error solemni tactus anathemate jacet. *Commentum* igitur non fuit, quod scurra tuus, quem *festivum* Scriptorem appellas irrideat; sed dogma Catholicum, quod heterodoxi duntaxat rejiciunt. Neque hæc vox *barbara* sunt, & *nova*, ut dicis, sed omnino appellata vestras & aliorum hæreticorum fraudes & fallacias Catholici Scriptores exagitent. Nec desunt inde rem, Patrum & Conciliorum loca: tu vide quæso. Auctores, qui contra Jansenium scripserunt, eorum egregiæ lucubrationes, ut gratissimam Catholicæ doctrinæ lucem attulerunt, ita æternas etiam Jansenio tenebras offuderunt. (b) Perstringis denique pudicò sarcasmo, tum Sorbonam, tum pontificis proximæ *fabulam*, sic enim vocas. Sorbonam viderit, quæ cum multos domesticos habeat, inneos defensores non postulat. *Fabulam* verò illam inter fidei dogmata repositam ægrè, immò ægerrimè tulisti: Arnaldi quoque placita damnata, non modò à Sorbona (cujus censuram eo iccirco contemnis, quo vir prudens habere debet) sed ab ipsa Ecclesia. Et hæc dissimulas? Nec Annati gratiquam datum est. Extat extabitque in posterum Decretum Apostolicum, & immortalis Arnaldi & Montaltii infamia. Errores utriusque uno eodemque Decreto configi, par erat; qui communi omnique sensu, & unanimi voluntatum consensione fuerant publicati. Quod demum subnectis, non multò post, *apud Patres Oratorii, eandem Arnaldi doctrinam palam defensam fuisse*; quid ad me? quid ad Jesuitas? nemo nescit, Jansenianis partibus plurimos eosque ferè hominum genere addictos esse; quo animo & fine, Deus scit. Sed est, quod nobilissimæ & doctissimæ familiæ hanc notam sibi à te inustam, vindicandam ultrò relinquam.

(b) *Pag.* 11.

NOTA II.

REverendum Patrem *Nicolai* per summam impudentiam hoc loco fugillas: quem à Thomistarum *doctrina desciviisse* perindè asseris, ac si apud omnes constaret: eumque *transfugam & prostratum Molinistam* vocas, qui *Nænias* in D. Thomam, non *Commentaria* scribat, ac proinde *melius & confidentius taceat*. Ita Willelme doctissimum virum, Sorbonæ & sui Ordinis decus excipis? sed cur illi adeò hostiliter ac ferociter succenses? non est profectò, quod dicam: cum jam apud omnes in confesso sit. Semper fuit Jansenii, Arnaldi, Sancyrani, Montani semper fuit Jansenii, Arnaldi, Sancyrani, Montanus semper fuit Jansenii, Arnaldi, Sancyrani, Montanus non acerrimus expugnator. Non alia fuit ratio illum vestri causa. Sed Vir de Ecclesia, de Sorbona, de ordine suo benè meritus, alienis armis non indiget, ut in te tuique similes animadvertat. Adillum igitur te remitto.

NOTA III.

LArvam ponis sensim sine sensu, Moyniam Doctorem Sorbonicum raptim adortus, eum à Collegio

Richelio, in Cornelium Jansenium, *quem tamen non negat, ut nec Augustinum*, incitatum fuisse narras: nempe de duplici gratia, orandi scilicet atque agendi eumdem adducis, ac illam sufficientem duntaxat, hanc verò semper efficacem ais asseruisse: tum liberè procaces, *Moynii, Corneti, Haberti, Halerii æmulationes* Arnaldum, & *Pedagogicas cupiditates*, illarum commentorum fontem esse: ac mirari, te dicis, *Procerum tantum errorem*, qui se his dissensionibus interponunt, quibus divinæ summa fidei ageretur. Relego tua verba. Ilin te Cardinalis Richelii memoria, qui Sangermanum restrum, ne nova & impia dogmata spargeret, tot annos in vinculis habuit. Illam verò, quam Moynio affingis sententiam, vel non capis, vel captas difficultas. Nemo enim neget, quin tum ad orandum, tum ad bene agendum, divina gratia nobis opus sit: sed quod orandi gratia sit duntaxat sufficiens, quis, amabo, dicat? quis capiat? quando enim illius impulsu oratur, haud dubiè efficax est, cum suum effectum sortitur. Ubi autem oratum est, quis nescit novam gratiam agendum, ad non peccandum, ad præceptum implendum necessariam esse; quam tamen semper etiam nemo dicat, qui doctus sit & Catholicus: cum eidem sæpè ac sæpiùs resistatur. Quod subnectis, de prædictorum Doctorum æmulatione in Arnaldum animata est: à verò tua conjectura longè aberras: nimirum pia & docta hominibus, in tuo Arnaldo, præsertim duplicuit. Sed quo tandem œstro percommoveantur, scilicet Ecclesiasticos, Episcopos, & Romanum Pontificem furis? quibus erroribus, ignoro. Id quod pejus est, in re tam seria, tantique momenti, jocum & ludendi libidinem affingis. Erit aliquando, qui os illud tuum infrunitum, & stylum effrænatiget.

NOTA IV.

Hic novos Thomistas in tuas partes trahere videris: Agnoventu, mox dicam. Gratiam, inquis, efficacem metaphysicam tuentur, & quandam aliam admittunt, quæ sufficientem vocant, cui tamen sine efficaci nunquam mentitur: tum addis, vocabulum illud gratiæ sufficientis vix apud *antiquos reperiri*: Moynium denique *distinctiones* irridet (*a*). Quod novos Thomistas antiquoribus discernis, doctis illis hominibus invisos est, qui à D. Thoma discedere videri nolunt. Bene homo, Jansenianam causam tibi creditam propugnas, eique partibus Jesuitarum, quos Thomistis præconciliasti. Quis enim Jesuitas inter gratiam efficacem non admittat? Quis sufficientem, per se solam ad actum prodire unquam concedat? quod Thomistarum in parte attribuis, Jesuitæ omnes tenent. O te felicem & industrium conciliatorem! qui litem hanc inter pios, quam vel ipsi Rom. Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. componere olim frustrà tentarunt. Fateor tamen, gratiæ *sufficientis* apud Antiquos non reperiri, qui reperiant. Tu vide sis auctores, qui id ex professo scripsêre. Imm& D. Thomas 1.2. qu. 109. art. 2. ad 2. *auxilii sufficientis* expressam mentionem facit. Moynii distinctiones explodis, quia illas non capis. Mirabile est quorundam hominum ingenium, quia obscurum est, ea, quæ ipsi nesciunt, despicari: sed ignorantiam suam palam faciunt, dum eam hac arte operire conantur.

(a) Pag. 12.

In secundam Epistolam.

NOTA I.

Hic gratiam sufficientem explodis, novum *Molinistarum inventum*, *meram Vocem*, præterea que nihil, titulum sinere, larvam & umbram: (*b*) subjungere poteras cum Jansenio, monstrum & chimæram; cum Petro Martyre, humanum commentum, & Pelagianum perfugium. Hæc est illa gratia ab omnibus Catholicis admissa; ab hæreticis duntaxat negata, quos Ducem in hoc Calvinum secutos esse, Duvallius Doctor Sorbonicus docet tom. 1. tract. de grat. quæst. 5. art. 1. Vis autem à Molinistis eam gratiam sufficientem adstrui, quæ suum aliquando effectum sortiatur. O gravem, ô insignem Theologum!

Tum in Thomistas, qui hanc gratiam approbant, ac potissimùm in Patrem Nicolai, ejusque *familiam* stylum exeris; quod ii, neglecta ordinis sui doctrina, junita cum Jesuitis conjuratione, à S. Thomæ placitis desciverint. Id unum præsertim eniti videris, ut Thomistas concites adversùs Jesuitas, sed ut in nonnullis ab iis dissentiunt, ita cum iis in damnandis vestris erroribus probè consentiunt. Crede mihi Willelme, Thomistæ gratiam sufficientem admittunt, quæ proximam agendi conferat potestatem, eo scilicet momento quo quis agere tenetur. Si tecum mihi disputandum esset, proferrem tabulas, auctores adducerem in schola Thomistica facile principes, quales sunt Didac. Alvarez disp. 71. de auxil. num. 2. Cabrera in 3. part. quæst. 18. art. 4. memb. 1. Cumel, Ledesma, Cabezudo, &c. consule opusculum de hoc argumento, accuratè ab Annato amico vestro, & summa fide elaboratum.

Præterea Jesuitæ admittunt quidem gratiam sufficientem, non tamen eam, quæ *aliquando suum effectum sortiatur*, ut per supinam ignorantiam affirmas, quis enim vel rudis tyro ignoret, sufficientem gratiam illam esse, quæ suum effectum habere potest; nunquam tamen habet; efficacem verò, quæ potest non habere, at semper habet? Tu magister es, Dux gregis ipse Caper, & hæc ignoras? quòd autem illam gratiam sufficientem nobis obtrudas, quæ actus imperfectos excitat, turpiùs erras; cùm illa pro iis actibus revera efficax sit. Sed ad alium perfectiorem spectat; inquies, ad quem tamen voluntatem flectere nequeat, ac proinde voluntas ad agendum satis instructa non sit, nec proximam & plenam habeat agendi potestatem. Illa igitur gratia sufficiens non est. Si mihi tecum res esset, facilè demonstratu foret, dari gratiam sufficientem, consule auctores, qui de hoc argumento scripserunt, Suarez, Ripaldam, Annatum, Stephanum Deschamps: non tamen sine magistro. In his enim, quamvis alioquin Theologus, saltem nomine tenus atque in speciem, satis rudem te probas.

Unum tamen breviter innuo, ex Constitutionibus Apostolicis contra Jansenium petitum. Cùm quis peccat, Deique violat præceptum, quod tamen sine divina gratia servare nequeat; vel eam gratiam habet, qua scilicet à peccato abstinere possit, vel eâ caret: si habet, & revera peccat; quis neget, illam merè sufficientem esse? si verò caret, igitur non peccare non potest. Igitur necessariò peccat: quod in tertia propositione damnatum est. Igitur servare præ-

(b) Pag. 12.

ceptum illi possibile non fuit : quod etiam in prima confixum , & inter hæretica dogmata reputatum. Videu' esse adhuc inter vos, qui, dum gratiam sufficientem explodunt, fulminatas Jansenii propositiones etiamnum defendunt ? Quod verò in doctissimam & religiosissimam Thomistarum familiam peccasti , quibus *græculam levitatem* , quæ graviores Theologos non decet, temerè aspergis, non impunè feres. Sed cum illi extraneo patrono ac defensore minimè indigeant ; stylum & calamum sustineo.

NOTA II.

ARenariam clepsydram adhibitam fuisse in consessu Sorbonico, (a) cui supremus Galliæ Cancellarius, jussu Regis Christianissimi præfuit, vehementer doles, & copiosè deploras. Sed res id fieri postulabat ; ut aliquis modus vestris declamationibus tragicis, invectionibus plusquam judicialibus, effugiis, nugis, solitisque tumultibus poneretur. Et hîc doctum, eruditum, litteratum agis. In hac quæstione juris, (nam quæstionem facti levissimam, & nullius momenti reputas) tota, inquis, explicanda erat traditio, innumeræ calumniæ redarguendæ, & cavillationes diluendæ : tandem *actum erat de Molinistis*, qui à Doctoribus Arnaldi defensoribus validissimè urgebantur , & maximâ testimoniorum copiâ *obruebantur*. Jo triumphe, Wendrocki! ô quàm egregiè, quam strenuè, quam thrasonicè ! Sed cur levissimam reputas quæstionem facti , quæ ad Romani Pontificis auctoritatem pertinet ? Fortè illius pondus non sentis : sub quo Jansenius, Arnaldus, Montaltius, aliique damnatæ memoriæ homines æternùm gemunt. Sed de hoc tecum infra ; quia centies repetis, & familiaris hæreticorum vox est. Quod verò ad quæstionem juris pertinet ; id duntaxat unum enixi estis, ut per tumultum , quod jam aliàs pro votis successerat, consessum dissolveretis, & inconditis clamoribus, quos lixis & calonibus , nunquam tamen Ecclesiasticis Doctoribus condonarem, judiciorum & suffragiorum ordinem confunderetis. Quod autem palmaris illa petulantia compressa sit , & insolens audacia cohibita, ab re profectò doles. *Tanti res non fuit*, inquis. At nisi proxima illa non peccandi potestas adsit, necessariò peccatur. Sed hoc dictu hæreticum est. Quod demum subdis, de *formidabili* Molinistarum potentia apud Sorbonam, quibus facilè persuadeas, non invenies. Ridebit, credo, ipsa Sorbona.

(a) Pag. 23.

NOTA III.

ANtiquas & jam obductas cicatrices malitiosè refricas. Ut vel inde manifestè appareat, quanto Christianæ charitatis, sectæ hujus reformatæ homines, studio ducantur. Quid de illo, qui seminat discordias inter fratres, in sacro textu legamus, fortè meministi. Quod aliqui auctores fervore disputationis abrepti extra fines Christianæ moderationis tantulùm excurrant ; cui, amabo te, mirum accidat ? nonnulli Thomistæ Jesuitis Massilienssium hæresim, & hi vicissim illis Calvini errores affinxerunt : sed hinc inde doctissimis responsionibus, inustam notam expunxerunt. Utra pars melius, sub Judice lis est. Ut autem Thomistas vehementiùs commoveres ; exosum libellum , cui titulus, *Calvinismus religio bestiarum*, sub aspectum reduxisti. Quorsum verò hæc ? quis non videt , nisi & ipse bestia sit ? ut, crede mihi, Willelme Wendrocki, in censu abauctore illo instituto , ac in ea bestiarum religione Jansenius vester non postremum locum habuisset, si jam tum illius secta in lucem , vel potiùs in tenebras venisset : & fortè non levem mutandi tituli occasionem præbuisset ; sic ergo emenda, *Jansenismus religio bestiarum*.

Annati librum de scientia media , eodem animo & consilio appellas, ut adversùs illum auctorem de Ecclesia ac Theologia benè meritum , Thomistarum animos commoveas. Si veri & æquiamantes esses, ad ejusdem Annati libros diligenter evolvendos, te ac tuos amandarem : quorum lectione, si doctior , ita fortè aliquando Catholicus evaderes. Sed quid sus ad Minervam & porcus ad gemmas ? At cur, amabo , id vitii Jesuitis exprobras , qui Jansenio, Aurelio, & tuis Parochis, quos impensè laudas, familiare est , qui tot errores Jesuitis acteris Theologis moralibus, perperam licèt , ingunt ? cur festucam in oculo fratris tui ferre nompotes, & trabem in tuo non vides ? (b) Subnectis denique, Ripaldam fateri tom. 2. disp. 113. sect. 9. num. 5 sexaginta Molinæ propositiones Romæ in Congregatione de auxiliis fuisse damnatas. Sed nug. Quandoquidem Ripaldam laudas , eodem jure stamus. Quid legis in eadem pagina ? *meras falsi impostoras & calumnias Molinæ afficias* ; perge & lege. Pontificio tamen decreto tibi parendum erat, quo, ne hujusmodi congregationum acta citentur , sit cautum est : sed te Romana decreta parum, aut nihil movent. Interea pro his consule Paulum Laurendum, Ripaldam, Petrum à sancto Josepho, & solutionem quæstionis Historicæ apud Annatum, in qua multa disces , quæ in arte spargendi festivos jocos tuum Montaltium docere possis.

(b) Pag. 24.

In tertiam Epistolam.

NOTA I.

CEnsuræ Sorbonicæ, quam *Molinisticam* perperam vocas, (c) tum *iniquitatem*, tum *insolentiam*, his notis accusas. Sic damnatus reus de judice & lata sententia conqueri solet Iræ vestræ, ac immanitati rerum vestrarum, quæ tunc fuit, de seperationi aliqua condonandum. Res ista vos altè pupugit. Durum esset, silentium imponere, ac solitum lamentationis fugium intercludere. Arnaldo factionis vestræ, atque Jansenianæ sectæ coryphæo turpissimam notam inuri, selectum doctorum vestrorum manipulum exauctorari, arque uti membra Sorbonæ putridæ aspestifera rescindi, acutissimi sanè doloris fuit. Nunquis ignem & cauterium, quis ferrum & novacula non sentiat ? mirum tamen nonnullis accidit, quod censuram illam *Molinisticam* appelles ; nisi forte, quos vos in pistrinum, ad molam asinariam detrusit.

Mox ad Jesuitas orationem convertis, quorum quot exercitationes , tum pias, tum gymnasticas litterarias pro more carpis : Catechismum scilicet, quem in superbo D. Ludovici templo diebus festis Lutetiæ Parisiorũ habere consueverunt ; in quo pueros & puellas ad *maledicentiam & calumniam* inquis, *histrionica forma erudiunt*. Pios & familiares dialogos, histrionicos perperã vocas. Vis dicam illud, *nulla fides pietasq; viris* ? bonã vestram fidem Annatus probarit, pietatemq; ; quis fortè, qui pietatem laudet, Histrionicam, Mo-

(c) Pag. 33.

rabrum, Histricorum facilè Principi, & Imperatoribus relinquimus, ne in res vestras nos involare videamur. Quid tibi velis, mi Wendrocki, sat scio. Magnificum illud templum, non *populi extructum sportulis*, ad confirmandam Jesuitis invidiam garris, sed impensè, ad celebrandam Regis Christianissimi Ludovici XIII. beneficentia ædificatum, ac gentis selectæ concursum & frequentiam optimis illis Patribus invides: & nobiles quosque puellasque, quibus fides, pietas, & Christianæ virtutes cum lacte instillantur, de doctrina Catholicè erudiri, ægrè, immo ægerrimè ferre videris, Jansenianis juxta Catheciſmum vestrum à fide & politica damnatum infici erroribus, & mortiferum illidem porrigi venenum: quidquid secus fas, venenum & histrionale appellas.

Idem dico de pia illa & festiva supplicatione, si tamen aliqua fuit, Matiscone habita, in qua sufficiens signale triumphus, profligata Jansenii hæresi, qui eradicandam gratiam procul ablegarat, fuit exhibitus: idem dico de Claro-montano Dramate, in quo Jansenius, non Jansenius in orcum detrusus est, & eò ultro compulsus, unde priùs eruperat. Sed Jansenium pro Jansenismo accipis, & Patrem substituis in eodem locum. Dic mihi, Willelme, qua lege parentes proximitate teneantur? ego sanè gravissimam in hoc quoque Patriarchæ vestro à te illatam apud te queror. Quamquam fabulam in fabula fingis. Nihil enim quandò in Collegio Claro-montano exhibitum non fuit; nisi fortè librum, qui damnatus Indici inscribitur, damnatus inquam à Romano Pontifice, in tragœdiam, vel comœdiam tu & Montalcinum commutare voluistis.

Idem peccasti in Almanacho isto, (*a*) si enim tuum secum & cum tuo Montaltio vocare liceat, impudentiæ, vel minùs proprio vocabulo utar. In hoc tuum Jansenismum in Jansenium incautè conversa hoc autem inventum, non Jesuitarum, ut falsò effers, sed alterius fuit, quem facilè appellarem, si res postularet; at cujuscumque tandem sit, & quidquid ex ore tuo sanè lapidea visa est, non modò salsamentarium Illuris, ut dicis, verùm etiam sapientissimis hominum, quin & ipsis Summatibus; immò, velis nolis ipsum dicam, Innocentio decimo, Pontifici Maximo jucundissima fuit, cujus singulari jussu, imagine tua in ampliorem tabellam, auro & coloribus distinctam, non infœlici penicillo, ad perpetuam memoriam, traducta est. Impalluisti Willelme: Innocentii nomen te perculit. Sic fulmine tacti, tonitrua deinde timent. Neque ut narras, fabella fuit, sed vera historia. Quid enim vobis sacro anathemate sanctum rebabat, nisi, ut vel ejuratis erroribus, redirent cor quod sanè desiderari à nobis, sperari tamen non potuit, in tanta præsertim animorum obstinatione vel detracta larva, ad fœderatos Calvinistas tandem reciperetis; cùm iis communium errorum nexu jam arctè devincti essetis. Sed *magno* fabellarum Jesuitis *constitit*, edito scilicet carmine lugubri satyrico, quod exquisitarum laudum minio illitum, ad dignum reputas, *quod à Poëseos studiosis & tenebris* (malarum scilicet) *tractetur*. Insanum vere, ferinum, & monstrosus ille prostratæ factionis Typhon, mille unguibus & rostris horridus, vix natus, vix natus fuit: vix primam lucem aspexit, cum Deus Pontificio æternis tenebris addictus: & hunc tibi me laudas? hanc pestem adornas, quia Jesuitam putas? quid aliud reponerem? ad Decium Innocentii & librorum damnatorum centonem remitto, in quo alios etiam invenies; Jansenium scilicet, Arnaldum, Sancygiranum, Fromondum & reliquos, qui pro Jansenio scripserunt: quos istarum laudum participes facias, æquum videtur.

(*a*) Pag. 14.

In quartam Epistolam.

NOTA I.

HIc tandem raciocinari cœpisti, bone Willelme, & contra Jesuitas rationis usum adhibes, quem in iis huc usque ferre non poteras: (*b*) sed quam parum tuum ratiocinium, rationi & veritati consonet, breviter discutio. *Tota olim*, inquis, *& libera Sorbona, facultas Lovanienſis, Episcopi Galliæ*, Parochi Parisienses, Rothomagenses, &c. *Iesuiticam doctrinam, in Baunio censura sua notarunt*, quâ docet *nunquam ab eo peccari, qui peccatum esse nescit*: id est, à peccato immune esse, quod fit per ignorantiam invincibilem scilicet; nec quisquam est, qui aliam intelligat. Quid ergo mirum, inquis, si *Catholici* (scilicet Jansenistæ) *ignorantiam juris naturalis & Decalogi*, peccato non eximere, defendant? & in hanc rem, sugillas *furiosum* illum Apologistam, quem deinceps distinctionis gratia, secundum vocabo, vel alterum; & secundam Jansenii Apologiam laudas. Extendis præterea Baunii doctrinam ad omne ignorantiæ genus: tum *mollitiem* tuorum arguis, qui hanc Jesuiticam doctrinam *erroneam* appellant, quam *hæreticam* potiori jure appellare potuissent; cum fide constet, aliqua esse ignorantiæ peccata; (*c*) quod probas ex scripturis, ex Concilio Diospolitano, ex traditione; longum denique D. Bernardi locum adducis. hæc tui ratiocinii summa est.

Sed mi homo, totum hoc ratiocinium corruit, si quis vel uno verbo reponat, ignorantiam voluntariam & culpabilem, ut vocant à culpa non liberare; & hanc esse, quam scripturæ, concilia, traditio, Patres à peccato immunem esse negant. De invincibili nemo Catholicus neget: alioquin ex necessitate peccaretur, scilicet involuntaria: quod in tertia propositione damnatum est. Ad tua principia tuum ratiocinium reduco, scilicet, ad peccandi necessitatem, quam libertas ad merendum, & demerendum, ut vocant, officere non putas; quod scilicet necessarium cum voluntario aliquando conjunctum sit. Sed qui hoc dixerit, anathema, immo quod fit per ignorantiam invincibilem, voluntarium dici nequit: nec enim voluntas fertur in incognitum; nec volo admittere peccatum, quod ignoro; aut violare præceptum, quod nescio.

Quod autem Baunio affingis, calumnia est. Nempè ille de ignorantia, incogitantia, inconsiderantia invincibili duntaxat agit. Item inepte sugillas alterum Apologistam, quasi vobis imposuerit, ignorantiam invincibilem à Jansenianis *peccatum reputari*; cum ii tamen peccatum duntaxat esse reputent *quidquid flagitii per eam fit*. Pudeat te aperti mendacii: ad pœnam libri: cita locum, lege à pag. 23. ad pag. 39. ubi auctor doctè, fusè, acriter tuum Montaltium refutavit; eâ sanè verborum claritudine, quâ hujus erroris, qui apud vestros ultimo loco non est, tenebræ penitùs profligantur: & hoc te valde pupugit: quanquam alii multi, ut Annatus, Martinon, Petrus à S. Joseph, Marandæus hoc etiam munere peregregiè defuncti sunt. Porrò in hanc rem secundam Jansenii Apologiam laudas; librum scilicet Innocentii decretò, in confixorum album relatum.

(*b*) Pag. 46. (*c*) Pag. 47.

Vis demum dicam, quod res est? de ignorantia, ignorans ipse scripsisti: sed alios utique ignorantia, te tamen nullatenus excusat; cùm in te voluntaria, crassa, vel ut vocant, affectata sit. In hoc do manus ultrò, ac descendo in tuam sententiam: ignorantiam scilicet tuam à peccato, eoque gravissimo non liberare. Nullus Baunius, vel Caramuel, vel Diana, nullus Casuista, quamvis laxioris doctrinæ auctor, secus sentiet. Censura Sorbonica, cujus mentionem facis, nondum prodiit; neminem igitur ferit: Lovaniensis suspecta est, & fingit Chimæras, quas notet? Episcopi Galliæ præmissam doctrinam nunquam damnarunt; si forte Senonensem, Bellovacensem & Convenarum excipias; quorum in doctrina morum & fidei judicium etiam suspectum est. Sed hîc tuos non alterius errores adnoto.

NOTA II.

HOc paragrapho eundem (*a*) Apologistam impugnas, eò quod dixerit, impio non deesse *gratiam sufficientem, bonæ* scilicet *cogitationis, remorsus, desiderii, timoris, sed ea parum advertere*; Bellarmini locum de Grat. & lib. arb. lib. 2. cap. 6. statim opponis; tum juveniliter exultas contra hanc, inquis, *Iesuitismum ineptiam* & negas, id sufficere, ut homo à peccato abstinere queat: *intacta* igitur & inconcussa Augustinianorum, id est Jansenianorum *doctrina*, qui evidentissimè probant, Scripturæ & Patrum auctoritate, & compellata cujusque conscientia & experientia, *gratiam sufficientem peccantibus revera deesse*: (*b*) immò contrariam doctrinam *bonis gravem & molestam, peccantibus odiosam* esse contendis; atque adeò *Pelagianam*; cùm seclusis etiam conscientiæ morsibus, in solâ cognitione peccati, gratiam sufficientem collocet; præterquàm quòd hujusmodi morsus in quadam formidine positi esse dicuntur, quam idem Apologista pro vera gratia, qua peccata vitari possunt, obtrudit; quod ab Augustino, scilicet Iprensi, & gratiæ auctoribus, scilicet Jansenianis, centies explosum est.

Hîc tuam fidem, Willelme, religionem, rationem desidero. Non advertis, aliud esse, aliquid leviori cogitatione attingere; aliud maturè ponderare, & penitiùs inspicere. Primum illud percipitur quidem, at leviter & minùs perfectè: quid mirum ergo, si minùs afficit? alterum verò altiùs imprimitur & inculcatur: quid mirum, si vehementiùs excitet? Sic oculus leviori aspectu nonnunquam aliquid delibat; idem aliàs fixo intuitu aspicit & lustrat. At quis nescit, leviorem illam cogitationem esse ad instar fermenti cujusdam & seminis, ex quo, ejusdem gratiæ beneficio, majorem & perfectiorem homo elicere possit, si velit. Hæc longè fusiùs prosequerer, si rerum honestarum & sanæ doctrinæ patiens esses; ac penitùs demonstrarem, illam omnino gratiam sufficere, ad hoc, ut aliquis peccatum vitare queat. Accedit, quod timeo, ut rem hanc capias, quantumvis à me paulò fusiùs explicetur, quam ab Apologista clarissimè alioquin, ac nitidissimè descriptam capere non potuisti. Facesse igitur cum tuis nugis, quas ignorantiæ juxtà atque malitiæ attribuo. Bellarmini locus ad hanc rem non facit, nempe contra illos disputat, qui dicunt, Deum perpetuò pulsare ad ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos non percipere. Dissimilem quæstionem agitas, neutrum adstruit Apologista: vult enim, instinctus illos percipi, sed leviter, & minùs perfectè; nec Baunius aliam attentionem, cogitationem, reflexionem ad peccatum exigit, nisi eam, quæ ignorantiam invincibilem expungit.

Moynium deinde perstringis: Herculi, qui dormit, Pygmæus barbam vellicas: sed clavam time. Doctrinam illam Jesuiticam (*c*) *bonis gravem & molestam, peccantibus odiosam* esse, tantum non juras, sed ne jurato quidem crederem: jurabis, scio, te fallere posse Deos. Præterea tuos illos bonos intelligis, & Portus-regalis pœnitentes: qui vel inde excusatos se volunt, dum ipsi peccant, quod gratia, ad hoc, ut possent non peccare, necessaria, illis defuerit: cum tamen illa, quam adeò improbes doctrina, nullum excusationi locum relinquat. Quid enim est quod peccator, quem patrati criminis arguo, pro sui defensione adducat? vix inquis, adverti animum ad legem divinam, ad pœnas inferorum, ad turpitudinem & malitiam actionis. Vix inquis: at saltem leviter hæc cogitatio cor & mentem tuam pulsavit. Ita est, inquis; levissimè tamen. Ex modico illo semine uberes fructus referre poteras: applicare animum, in tua potestate fuit, ejusdem divinæ gratiæ impulsu; & hoc nullatenus negas: quod reverà si fecisses & conatum, quem poteras, adhibuisses; dubio procul omni mortali peccasses.

Tecum ago Willelme, nec alium compello peccatorem. Quis enim gravius unquam peccare potuit? tot ac tantos errores effutis, tot calumnias effundis, tot probra spargis & convitia; mortiferum denique piis & doctis hominibus extremæ maledicentiæ virus aspergis: nullus Casuista tam gravia scelera excusat, nullus Confessarius dissimulat. Fateris ultrò, *peccantibus gratiam sufficientem deesse*, Sed hoc est hæreticum. Fateris, Augustinianorum esse doctrinam, sed damnatam: sat scio, quos intelligas. Timorem illum gehennæ, qui divina fide et revelatione nititur, veram gratiam esse negas, sufficientem scilicet, ad non peccandum: quod cum tuis Gratiæ, scilicet Calvinianæ, Doctoribus liberè effutis. Hoc etiam est hæreticum, scripturæ & Tridentino repugnans: breviùs respondere non possum. Pelagianismi notam eidem Apologistæ peperam inuris, eò quod cognitionem peccati detectam ex fide, alios que pios mortus divinitus inspectos, à morsu licèt conscientiæ distinctos, prosus sciente gratia acceperit: tu verò ipse eandem naviter incurris, qui negas hujusmodi motus & illustrationes, veram Christi gratiam esse. Verbo dicam, Willelme, eò spectas, ut nullam gratiam sufficientem esse velis; præter gratiam efficacem, insertis scilicet Calviniano, qui Jansenio consentit: quam semper in ore, in animo & corde nunquam habet, alioquin ejuratis erroribus, Catholicam doctrinam, quam vobis optima parens Ecclesia tot Constitutionibus Apostolicis, atque Decretis explicuit, & proposuit, ultro amplexi essetis. Annuis Willelme, cum tota reformatorum corona.

***

Notæ

(a) Pag. 48. (b) Pag. 49. & 50. (c) Pag. 50.

Notæ præambulæ in sequentes Epistolas.

NOTA I.

Vbi notis præambulis, generales quasdam Jesuitarum querimonias breviter proponis, atque refutas. *Cum enim inquis, quædam loca falsi arguis, quædam defendant; operæ pretium erit, deprimi eorum cavillationibus, obtritisque defensionibus eadem & doctrinam auctoris, scilicet Montalti, tam in omnibus integram quæ præstare.*

Quod ad fidem attinet & crimen falsi, ad Annatum remitto; qui fidelem tibi tuisque operam navavit, ubinamque, ut vestra fides omnibus pateret; corruptiones etiam vestras mirabiliter detexuit, atque detexit. Expecto, ut hujus fidei sanctitatem nouis miraculis apud Regio-portum editis confirmes. Doctrinæ integritas, scilicet damnatæ, unam dumtaxat approbationem postulat, ab inserto Alexandri VII. decreto petitam. Sed vide, ne tuus Montaltius dictæ fidei homo habeatur, Galli vocant *Foy douteuse*. Tu sanctam laudas: Annatus malam esse demonstrat: Annato auctori accuratissimo detrectare eadem non possum: tibi etiam amico & familiari meo eadem haberedebeo. Utrique aliquid dandum, interea quoque dubius hæreo; vestram fidem illam dubiam minime habiturus.

[a] Pag. 50.

NOTA II.

Vbi vetas, inquis, (a) Montaltii accusationes generali quadam exceptione depellere Jesuitæ quasi sint, non alia suis Doctoribus objici causandum quam quæ Molinæus in suo libro Traditionum Romanarum, (sic enim liber inscriptus est) jam ab annis millesimum & sexcentesimum, trigesimo secundo peperam objecit: hîc integrum Parochorum Parisiensium scriptum exscribis & latinè reddis, eum ob rem plagii te accusas: uteris jure tuo: eademque est scriptorum omnium contra Jesuitas conditio. Hic tuum venalem stylum conduxit: utinam Catholicum, quàm latinum! sed ulcus non pro, ne virulenta tecti apostematis, vel apostatæ ruinæ rumpat. Nonnulla, ne quid affingam, contracta, & in compendium redigis: reliqua ut jacent, ubique exscribis, & vertis. Quam porrò hæc in totum Ecclesiam injuriosa sint, doctissimisque & sanctissimis doctoribus, Catholico lectori cogitandum relinquo. Itane verò? Molinæi censuram tuo libello (b) approbas, & hoc unum duntaxat improbandum ea Ecclesiæ imputet, quæ Catholicis Doctoribus ab ipsa Ecclesia approbatis imputare desinat? Sed res eodem recidit ut confideranti patebit. Qui non lædit, qui præcipua membra percutit. Sæpe multis mirum accideratiat desino mirari. Si mihi cum illo Hæresiarcha vobis convenerant; si Richardus amicus vester (malleum dicere volui) tantissimo argumento seu testimonio comprobabit (c) Dehoc ultimo longè faciliùs convenire potuis.

Doctrinam Theologorum Moralium, Jesuitarum præsertim, ut *erroneam* ac *hæreticam* impunè traducis, ab *Ecclesia* tamen *tolerari* dicis; doleasque optimam parentem liberis paulò liberiùs indulgere; quamvis illi exterorum *odium, contemptum, horrorem & opprobrium* optimæ parenti conciliarint. Jesuitarum item existimationi lethale vulnus his litteris inflictum esse prædicas. Sed iisdem potiùs litteris, earumque auctori, cauterio Apostolico vulnus inflictum est. Jesuitarum doctrinam jam *gravem & odiosam* populis esse, & Jesuitas jam passim ab omnibus deseri ac derelinqui, per summam jactantiam subnectis: censuras item Sorbonicas, Lovanienses, Parochorum, & aliquot Episcoporum, etiam atque etiam exaggeras. Ita prorsus Heterodoxi, nisi fortè mitiùs, loquerentur. Quando Ecclesiam appellas, quæ, ut ais, Jesuitarum doctrinam confixit? (a) cur Romanæ, scilicet Catholicæ, nullam unquam mentionem facis? sed duntaxat Sorbonæ, Lovaniensis Academiæ, Parochorum & aliquot Episcoporum, de quibus jam supra. Si tam angustis finibus Ecclesiam complecteris; vide ne Donati hæresim postliminiò reducas.

Hæretici notam à te, tuisque amovere conaris: sed operam & oleum perdis Wilhelme, quisquis hæreses obstinatè defendit, jure ac meritò hæreticus censendus est. Ecclesiæ, inquis, judicium exspectandum, quasi verò Ecclesia Jansenii causam non judicarit, & Constitutionibus Apostolicis non decideret. Porrò Jesuitæ tam destituti ac deserti non sunt, quàm exaggeras, tua vota & desideria, non historiam narras. Quàm frequentes adsint Parisiis, in superba illa, ut vocas, Basilica, ad exhomologesim & sacram synaxim, & ad Præcones Evangelicos è sacro pulpito dicentes audiendos; etiamnum vident Jansenistæ & invident. Quid Lugduni ultimis hisce Festis Natalis Domini actum sit, prætereo, quia omnibus notum. Necerat, quod Jesuitas Parochi hortarentur, ut tandem agnitis ac ejuratis suis erroribus ad Jansenianorum castra & partes transirent, sic rebus suis desperatis probè consulturi.

Sed inquis, non aliud ad os occludendum Jesuitis mihi dari velim, quàm illud ipsum, quod inter Montaltii & Molinæi criminationes παραλλήλον instituerunt; (b) ita omnia dissimilia sunt. Non occurrit, quid aliud respondeam: quæstio facti est: ad pœnam libri; gutta guttæ non est similior. Utris potiùs habenda fides, Jesuitis scilicet, an Jansenistis? haud dubiè præjudicium Jesuitis favet: nempe hi dixerunt semper & ubique, & omni asseveratione affirmarunt, quinque Propositiones Jansenii esse, & in ejus sensu damnatas: hoc idem Jansenistæ obstinatè negarunt: sed tandem Summus Pontifex, Alexander VII. sententiam tulit, & Jesuitæ causam obtinuerunt. Fingis deinde, auctores à Montaltio citatos, post Molinæum scripsisse, eosque recenses, ut libet: sed cur omisisti Molinam, Sanchez, Vasquez, Lessium, Suarez, Valentiam, Layman, Emanuelem Sa, & multos alios, qui sua Commentaria in lucem ediderunt, antequam Traditiones illæ Romanæ, Genevæ proderent.

Porrò unum libenter à te scire aveo: cur Molinæo ita addicti, & Molinæ ita infensi estis? Cogitanti mihi id tantùm causæ in mentem venit: quia, scilicet, hic Catholicus, ille verò hæreticus est: similis simili gaudet: errores qui vobis arridet in Jansenio, non displicent in Molinæo: in Molina & Iesuitis nihil vobis placet, quia sana doctrina, religiosi mores, perpetua erga Sanctam Sedem observantia. At dum Moli-

[a] Pag. 50. (b) à pag. 51. ad 54. (c) *Antonius Ricardus appendice ad disput. de lib. arbitrio.*

(a) Pag. 53. (b) Pag 54.

næo subscribis, omnes Doctores Catholicos, scilicet D. Thomam, S. Antoninum, Sylvestrum, Cajetanum, Burchardum, Navarrum, Angelum, Medinam, Bellarminum, Toletum & multos alios, quorum censum frustra describerem, cum eodem Molinæo duce perstringis. Nec est, quod dicas, à Molinæo errores Theologorum Ecclesiæ perperam imputari. Igitur Ecclesia compertos in suis Doctoribus errores tolerat, ab iis etiam obstinatè defensos. Hæc Ianseni mens fuit, ut Baii sui errores excusaret: sed dum errores alterius excusat, longè graviorem ipse admittit errorem; ut doctissima & nervosissima lucubratione Annatus demonstravit. (a)

Plura subnecterem: sed nullus dubito, quin Iesuitæ Parochorum scripta egregiè refellant, in quo nonnulli aliquam eorum tarditatem accusarunt: malim credere, justis de causis, defensionem suam in aliud tempus distulisse: publica illa, quam in lucem dederunt, provocatione ad Rom. Pontificem, & contestatò interposita denunciatione in præsentiarum contentos. Non deerit saltem materia, segesque amplissima, quam discutiant calumniæ, quas diluant errores, quos damnent injuriæ demùm & contumeliæ, quas Catholico ritu, & Christi exemplo condonent. Sed tuos, ut dixi, non aliorum errores censeo: neque hæc etiam obiter indicassem, nisi aliorum erroribus tuos auxisses.

(a) *Annatus in Augustino à Bajanis Vindicato.*

NOTA III.

QUeruntur, inquis, Iesuitæ, sibi tribui, quod ab aliis ipsi acceperint: sed ad vitium excusandum, socios habere nihil juvat: nec necesse habuit Montaltius, libros *ineptos* aliorum auctorum conquirere, ex quibus Iesuitæ corruptelas suas hauserint; cum ipsi eas majori auctoritate propugnent, disseminent, omnium animis instillent: *alii auctores sibi peccant, Iesuita toti Ecclesiæ*: latebant prius hæc dogmata *in Bibliothecarum angulis*, paucis nota: ea tamen Iesuitæ publicarunt, in aulas Regum, in curias Magistratuum, in familias privatorum invexerunt. (a)

O Bone! Iesuitas per fas & nefas deprimere conaris, & altiùs extollis: præillis nullum alium auctorem putas, qui de Theologia Morali scripserit: D. Thomam, D. Antoninum, Cajetanum, Sylvestrum, Navarrum, utrumque Sotum, Victoriam, Medinam, Angelum, Fumum, *ineptos* scilicet auctores, in Bibliothecarum angulis sepositos, blattis & tineis dumtaxat terendos relinquis: à quibus, ut nihil, aut parum damni timendum est, si corruptam doctrinam contineant; ita si bonam, nihil, aut parum emolumenti sperandum: sibi canunt, & suis Musis, aliis non prosunt nec obsunt. Sed laudem hanc iniquam Iesuitæ nullâ ex parte admittunt: quidquid ipsi de re morali scripsere, id totum aliis referunt acceptum: hinc tam multos citant, tum Theologos, tum Sacrorum Canonum & Legum peritos: quid unus Sanchez in hac parte præstiterit, omnes sciunt. Quòd Montaltius multa non legerit, vitio illi non vertam: frustra enim legeret, quæ ipse non intelligeret: quòd verò Theologiæ moralis supremus arbiter haberi velit, ut totam morum doctrinam censeat, illorum tamen auctorum libros non triverit, in quibus ea principia explicantur, ex quibus morales conclusiones deducuntur; nihil plerique omnes tam ridiculum & insanum, tam audax & temerarium, tam impudens & putidum fingere animo potuerunt,

(a) Pag. 55.

NOTA IV.

QUeruntur etiam, inquis, prætermissa multis in locis variorum scriptorum nomina, quorum congestu doctrinæ suæ auctoritatem conciliarunt: sed non erat, quod Montaltius paginas suas barbarorum nominum congerie fædaret: otio ac tædio gentium consulendum fuit, præsertim cùm nihil de roboris accederet: quid, quod in citandis auctoribus, (a) magna Iesuitarum indiligentia, & exigua fides? immò cùm Annatus questus sit, bis esse duo S. Thomæ loca, alterum in Lessio, alterum in Thoma Sanchez; utrumque ab eisdem depravatum fuisse deinde compertum est; undè apparet quitas Annatinæ querelæ.

Hîc tuam fidem, Willelme, si quando unquam, malam fidem Annatus objecerat: ut malam esses, pejorem reddis. Locum D. Thomæ, quo Lessii doctrina haud parùm confirmatur, suppressum nunc verò contra eandem, novum locum affingis nec homines vereris, nec Deum times: ad penum libri. Verba D. Thomæ ex 2. 2. quæst. 32. art. 7. dicto charactere, ut mos est, sic fideliter exscribis: *quæ quis per Simoniam, aut subsequentem justitiæ accepit, in Eleemosynas elargiri tenetur; tum lucrum verò & justè retinere & rectè in Eleemosynam impendi potest.* Et hæc Angelico Doctori affingis! Impostor nequam, dignus sanè quem totus orbis scholasticus sibilis excipiat: Sic ergo textum emenda; *alio verò modo est aliquid illicitè acquisitum, quia quidem ille, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, à quo acquisivit, quia scilicet contra Iustitiam accepit, & alter contra justitiam dedit, sicut contingit in Simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis divinæ agit; Undè non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in Eleemosynas erogari, & eadem est ratio in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. Tum modo est aliquid illicitè acquisitum, non quidem, quasi acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum; sicut patet de eo, quod mulier acquirit, per meretricium; & hoc propriè vocatur turpe lucrum, quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injustè agit, nec contra legem, Undè quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & dari Eleemosynas fieri.* O fidelem, & integrum Annotatorem! Ubi legis, Willelme, illam clausulam, aut *subversionem justitiæ* Quæ haud dubiè si adesset, & Doctoris sensum & mentem omnino mutaret. In omnia subvertitis, in doctrina morum & fidei, ut ipse Doctoris Angelici textus à vestris calumniis immunis esse non potuerit.

Sed ut ad rem propiùs accedam, intactâ sedulò Lessii causâ, quam Annatus egregiè defendit, & planè fecit malam, immò pessimam Montaltii fidem dic mihi, sodes, Willelme, undè infestam illam calumniam hauseris, quam haud dubiè in textu principis? nec ignorantiæ id tribuendum esse videtur, quam adeò supinam esse vix crediderim. Ut autem in hac re, quæ luce meridiana clarior est, tuam multiam & malam fidem accusem, adduci revera non possum, nisi frontem omnino posueris, vel amentem, aut meretriciam, quandoquidem de meretricibus agis, indueris: mediam quandam viam ineo, & mitiorem sententiam amplector; ne tibi plùs æquo, vel indulgeam, vel succenseam. Malitia certè non defuit. Quis enim animum tuum stylo tuo sinceriùs & fideliter expressum, ut saltem, vel in hoc, sincerus & fidelis

(a) Pag. 56. (b) Pag. 56.

sibi esses, quis inquam animum tuum, immortalis odii adversùs Jesuitas felle imbutum, ac livoris veneni illutum, non tantùm in singulis tuæ satyræ paginæ versibus, sed etiam in minimis apicibus, quibus nè non videat? Malitia igitur non defuit; sed tamen supina ignorantia conjuncta. Legisti in notis, seu Commentariis Cajetani, hinc indè margini adjectum, prædictam clausulam, *aut subversionem justitiæ*, distinctam à textu, quanquam diverso characteris genere, distinctam distinguere tamen nescivisti. Quod mirum cum tam parum in terendis hujusmodi auctorum libris versatus sis, & nihil tibi sit cum Scriptoribus, quorum barbaris nominibus suas paginas Montaltius fœdandas esse non putavit. Sed inquies, Montaltius dedandas esse non putavit. Sed inquies, Montaltius hæc Cajetanus habet. Non agitur de Cajetano, sed de Aquinate. Idem utrique Thomæ nomen, eadem Patria, idem Ordinis institutum, non tamen propterea unus & idem est: nec Cajetani Glossa, cuicumque tandem sit ponderis, pro textu D. Thomæ habenda est. Malitiam tuam accuso, palmarem ignorantiam rideo. At Willelme, si hæc in viridi, quid in aridis locum adulteras, de quo tecum Annatus disputat, productis resignatisque tabulis; quid enim de aliis, intactis hactenus & in examen minimè vocatis, sperandum est?

Aiunt D. Thomæ locum, quod lib. 3. art. 10. fidem quidem exscribis; sic enim habet; *in his quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem* ERRONEAM *alicujus Magistri*. At nemen per fraudem subducis, quibus præsertim Thomæ Sanchez sententia innititur. Nempe S. Doctor in corpore ejusdem Articuli, suam mentem luculenter explicat, & quid per ea intelligat, *quæ fidem & mores pertinent*. Ita enim concludit: *Qui ergo sequitur opinionem alicujus Magistri*, erroneæ scilicet, ut paulò antè dixerat, *contra* MANIFESTUM *Scripturæ* TESTIMONIUM, *sive contra id, quod* PUBLICE TENETUR *secundùm* ECCLESIÆ *AUCTORITATEM*, *non possit erroris vitio excusari*. At Sanchez loquitur de rebus dubiis. Ita est, sed *dubiâ*, ut expressè habet: igitur non erroneâ, nec contra manifestum Scripturæ testimonium, nec contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem. Et hæc omnia, perdidicque si ad rem non facerent, præterire voluisti. Quamobrem verò? quia sententiam Thomæ Sanctè mirificè confirmabant: cui revera S. Doctor derogatur, qui nunquam distinctiùs & clariùs suam mentem aperuit.

Sed attende ad illa verba, *opinionem erroneam alicujus Magistri*: item ad hæc, *contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem*. Hinc enim rectè deducunt Jansenio, nec Arnaldo, nec Sancygirano, huic pestilenti Portus-regalis Cathedra sedentibus MAGISTRIS fidem habendam esse; cum erroneas opiniones doceant: nec jam ullum, qui iis adhæreat, excusari per ignorantiam: hæc enim crassa & voluntaria, & affectata; nempe Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ auctoritate palàm interpositâ, Sectæ Sectatores & Libri damnati fuerunt; & hoc nemo ignorat.

NOTA V.

Ultra querela est, inquis, quod Montaltius multa verba ex variis locis simul connectat, & sic unum locum ex pluribus aliis contexat: sed inanis querela, (a) cum hæc ad eandem sententiam, eundemque sensum pertineant; nec enim erat, quod ingentes verborum tractus exscriberet, inutili farragine Lectores oneraret, & ineptis næniis *Epistolarum nitorem deturparet*.

Annatus fidei Vestræ sanctitatem, in hac scribendi fallendique arte, luculentis testimoniis, & productis tabulis demonstravit; item uterque Apologista, qui vestras impostura fideliter, & cum summa laude recensuit: ego, ne jam actum agam, abstineo: præsertim cum prædicta opuscula latinitate donata brevi missurus sim. Ille autem Epistolarum Montaltii nitor fucatus est; ac proindè hujusmodi mixtionem pigmenta & fucus postulant: additum aliquid decori: multa, immò ferè omnia veritati detracta: ingentes verborum tractus exscribitis, & ineptas næmas inseritis, cum ad rem vestram conducunt. Hoc à Patriarcha vestro Jansenio, hæreditario jure, accepistis; qui vastum illud opus suum, ex innumeris centonibus composuit. Id quoque vitii Arnaldus ab eo didicit. Nulli demùm verborum farragini, nulli fraudi, nulli locorum adulterio parcitis, ut veritatē Catholicam obruatis. His porrò *næniis*, quas per contemptū puerilem ita elevas, tragœdiæ vestræ subactæ sunt, unâ catastrophe vobis relictâ Montaltius demùm vester, ne hanc ejus laudem reticeam, in hac arte consuendi verba & dolos, contexendi loca & fraudes, ita versatus est, ut typographio navasse operam videatur.

NOTA VI.

Queruntur demùm, inquis, omissas nonnunquam circumstantias, & exceptiones illas, quibus adjectis, sententiæ longè molliores essent: sed illæ tantùm omissæ, quæ ad rem non faciunt: & si quando absque ulla exceptione aliquam opinionem Jesuiticam Montaltius damnavit, id revera fuit, quod illa in quibusvis circumstantiis damnanda esse videretur. (a)

Cur amabo, tuis Lectoribus impudenter ac perperam imponis Willelme Wendrocki? quoties Montaltius hujus criminis accusatus, & convictus fuit ab utroque Apologista, ab Annato, aliisque auctoribus, qui vestras calumnias refutarunt? Deus bone, quid vobis unquam familiariùs, quid antiquiùs fuit, quàm ut vel ea reticeretis, quæ sensum auctoris inverterent; vel ea de vestro adderetis, quæ novum inducerent? in simili delicto paulò antè deprehensus fuisti. Affingebas enim Doctori Angelico gravem clausulam, quæ in ejus textu non legitur; & aliam reticebas, cujus accessione, Thomæ Sanchez sententia planissima esse videbatur. Sed pro his, ad Annatum, aliosque auctores, quos supra laudavi, te remitto. Nec est, quod tuum Montaltium hac in parte defendas; in qua nihil est quod defendi possit: non veritas prodita, nec prostitutus honor, nec religio perdita. Quid aliud quæso defenderes? & verò spongiæ potius, quàm styli opera adhibenda fuit, ut Montaltii litteræ & calumniæ refellerentur. Vis dicam ingenuè, quod sentio? Universam illam litterarum farraginem, una litura pro dignitate refelleret.

(*x*)

(a) Pag. 57.

In quintam Epistolam.

NOTA I.

SIVE

Dissertatio Theologica de Probabilitate.

SECTIO I.

Controversiæ status exponitur.

§. I.

Cavilli Iesuitarum, laus Parochorum.

CAvilli Jansenianí toti orbi Christiano innotuerunt: Annatus aureo suo libello, illos palam fecit. Cur ergo Cavillos Jesuitis attribuis? (a) an fortè calami error est? vel amanuensis? vel typographi? Cavillationes Jesuitarum scripsisti. *Iansenistarum* scribere voluisti; debuisti saltem. Sint ergo tibi Cavillationes tuæ; & ne id deinceps Jesuitis affingas, quod Jansenistis jure competit. Quid enim aliud aliquot ab hinc annis Jansenistæ vestri gesserunt? libros edunt, quà prosâ, quà versu: operas & præla fatigant: calumnias & rumores spargunt adversùs Jesuitas: Sorbonam, Galliam, totam ferè Europam factionibus, tumultibus, conspirationibus suis agitant: nihil ferè iis inaccessum, nihil intentatum, quâ vi, quâ dolo: nullum lapidem non movent, ut res illis pro votis succedat; id est, ut errores suos defendant, & Jesuitis, quos immortali odio prosequuntur, populorum odium, Episcoporum invidiam, Primatum suspicionem conciliant. Vis unico verbo dicam, & cuncta in brevem summam redigam? perpetuò cavillantur.

Dicis tamen Jesuitas cavillari, dum suam de probabilitate sententiam exponunt, eamque *variis occultant restrictionibus*; in hanc rem, citas impostaram 20. Quid porrò ibi legis? Suarez disp. 12. de bonit. & malit. illam opinionem vult esse probabilem, quæ nec Ecclesiæ Catholicæ sensui, nec communi omnium repugnat, & tum ratione, tum auctoritate omni exceptione majore nititur. Quid in his quæso cavillationis, quid occulti, quid ambigui? Et tamen cavillos vocas. Nisi cœcutias, mi homo, & tu ipsemet cavillêris; nullus unquam cœcutiit, nec cavillatus est.

Quænam porrò illa sunt perversissima consectaria à Jesuitis audacissimè defensa? Pro his citas impost. 21. & 23. Ad pœnam libri. quid eo loco legis? ex duabus opinionibus probabilibus minùs probabilem, & minùs tutam amplecti licet: pro quo Duvallius, Gamachæus, S. Antoninus, exscriptis locis fideliter citantur. Supra centum auctores, pro hac sententia, si ita jubeas, adducam. Perge porrò: Confessarius deposita opinione probabili, quam tenet, sequi potest oppositam probabilem sui pœnitentis: pro quo quadraginta sex auctores citantur. Et hæc perversissima consectaria vocas? cur nova nomina rebus imponis? bonum malum, & malum bonum vocas. Damnatos errores Jansenianí nobis obtrudunt; & inconcussa divinæ fidei dogmata intolerantiùs jactas: Morales Theologi propositiones adducunt probabilissimas; tu verò errores, hæreses, perversa consectaria clamas.

Tum in Parochorum Parisiensium laudes effunditur (a) quorum scilicet pietatem, eruditionem & singularem in detegendis erroribus: (adde sis, in affingendis calumniis:) illustranda veritate: (die obscuranda:) & evolvendis hujus quæstionis nodis: (quin gè melius, involvendis & implicandis:) industriam mirabiliter exaggeras: pro re benegesta, de re Christiana bene meritis triumphum adornas. Quid porrò illud? *geminam, inquis, actionum humanarum normam, divinam legem & rectam conscientiam* à Cavillis eversam restituerunt, hoc duplici dogmate Catholico? Primum est, *opinionem probabilem falsam in statu naturali à peccato non liberare*: Alterum, *ex probabilium opinionum conflictu, tutiorem & probabiliorem amplectendam.*

Egregiam verò laudem Willelme optimis Parochis, non sine contumelia tribuis. malim profectò à te vituperari, quam laudari: malim esse Iesuita, quem convitiis, quàm Parochus, quem similibus elogiis cumules: nempe Iesuitarum genuinam doctrinam, religiosos mores, & ardentissimum, quo ipsi ducuntur, procurandæ hominum salutis studium vituperas: Parochorum verò iisquam factionem, manifestam ad Iesuitas opprimendos conspirationem, & quod pejus est, crassissimos errores, & placita heterodoxa impunè laudat. Geminam, inquis, humanarum actionum normam, *legem* scilicet *divinam*, & *rectam conscientiam* restituerunt: Ubi verò lex positiva? ubi sacri Canones? ubi Decretales, & Apostolicæ Constitutiones? ubi Concilia? ubi sancta Sedes? Gemina illa norma à neotericis sectatoribus ultrò admittitur; quid ergo inter hos discriminis intercedit.

At si fortè in prima illa, scilicet in lege divina aliquid dubii vel ambigui suboriatur, quid opinecto: Altera regula, inquis, consulenda restat, conscientia recta. Nempe lex illa cordis, illeprimus interior, utique Calvinianus: eò Moralis veritas analysis reducitur, ut ex iis, quæ paulò post dicam, perspicuum fiet.

Præterea, pro indubitato fidei dogmate primum illud habes. *Lutheranæ* quidem & *Iansenianæ* addere poteras, sed non Catholicæ. Deliras opinor, Stenonias Wendrocki: Montaltii Litteræ te ad istiusmodi redigunt. Opinio probabilis falsè peccato non eximit: error tamen inculpatus scilicet, & ignorantia invincibilis eximit; quod nemo neget, nisi hæreticus aut Iansenianus, ut jam suprà breviter inculcatum est: potiori ergo jure opinio probabilis, quantumvis falsa. Tu verò, dum oppositum adstruis, ignorantiam tuam, non invincibilem, sed incredibilem palam facis. Quis enim nescit, multa esse ac ferè innumera, de quibus utrinque probabiliter tantum disputatur, utrùm sint naturali jure vetita: Igitur quisquis aliquid istorum fecerit fide quantumvis bona, in judice peccabit; nempe reus delicti, cujus periculum subit. Sed vide sis, ne, dum sic alterum injustè judicas, teipsum justè condemnes. Quid porrò respondebis, si in controversiis juris naturalis de restitutione faciendâ dubius quispiam te consulat? Si neges debere restitui, eris auctor retinendi rem alteri forte debitam: si affirmes, geminam culpam contrahet: quia consulenti onus imponis forte falsum, quod fugiebat nolles attingere: & alter, quod sibi forte non competit, injustè recipiet. undique igitur anguliæ. At tamen

(a) Pag. 73. & 74.

[a] Pag. 74.

etam etiam pro dogmate fidei venditas; quod tamen vix opinio probabilis est, cùm oppositum longè probabilius esse videatur. Utrumque fusè sectionibus explicas: tuis vestigiis insistam, multis quentibus copioso tuorum errorum spicilegio.

Quam porrò in Parochos Parisienses injuriosus sim, tam enormia, per calumniam, opinor, ullis umquam vix oratione complecti possum: nec ipsi (silentio hoc mihi facilè persuadeo) restituendæ actioni humanarum normæ operam navant. Quid enim illa vatinet? longè diversæ Provinciæ obnoxii sunt. Quæ ad sacros ritus pertinet, exhomologesim, ultimam, extremam unctionem, Matrimonium, diversas benedictiones salis, aquæ, panis, ovorum, cereos, exequias, sepulturam, puerorum ac ritum, institutionem in primis doctrinæ Christiæ elementis, aliaque id genus, quibus Curionum munia comprehenduntur: his, opinor, Parochi Parisienses vacant: non verò definiendis ac restituendis doctrinæ morum & fidei regulis. Et si qui fortè per ignorantiam, illud sibi munus arrogent, ac sese ingerant, eius rei haud dubiè vulgari paræmiæ locus: *Festina lentè, ne festinanter agas.*

§. II.

Quid sit opinio Probabilis.

De opinione probabili, parum probabiliter hoc loco disseris: (a) ut vel inde verisimile reputem, ignorantiâ potiùs quàm malitiâ te laborare. Tria Propositionum genera initio statim agnoscis, veram, falsam, & probabilium. Egregia satis divisio, rudi etiâ tyrone indigna. Quasi verò sententia probabilis, vera aut falsa non sit. Vis autem illam probabilem esse, cujus *nec veritas, nec falsitas certò constet.* Quisquis ergo nihil penitus scit, innumeras habet probabiles sententias. Sic appositè ignorantiam à probabilitate non distinguis: in quo turpiter hallucinaris.

Nempe illa sententia probabilis est, quæ ratione probabili & gravi auctoritate nititur, & contra quam oppositæ etiam probabiliter refelluntur: equdem illi veritas aut falsitas certò non constat: multa enim sunt, quæ mentis humanæ oculus perspicuè non penetrat: appulsum tamen probabilis veritatis lumen eo non sufficit, ut mens probabilem assensum præbeat, cum aliqua licèt formidine conjunctum. Quòd autem multi, ut dicis, pro certis nonnulla venditent, quæ probabilia quidem, aut vicissim pro improbabilibus, quæ alioquin certa sunt; id paralogismo & naturæ hominum hallucinationi tribuendum: item quòd probabile videatur illud ipsum, quod alius improbabile reputat, vel negligentiæ, vel diligentiæ utriusque est. Nimirum sæpè accidit, ut vel ratio, vel momento argumenti uni veniat in mentem, non verò alteri.

Neque id quod sub finem asseris, veritati consentaneum est; *ideo*, (b) scilicet, *quidque tantùm probabile videatur, quia veritas ignoratur.* Melius dixisses, illud esse probabile, quod probabilis duntaxat ratio persuadet: aliquo ratio probabilis censetur, quæ ita mentem prudentem assensum movet, ut nō necessario trahat, sed liberum ei dissensum relinquat. Illud demum *probabile in moribus* esse subnectis, *quod tales doctos, pios & acutos.* Locū extrinsecum duntaxat adhibes, ab auctoritate petitum: sed cur illud, quod tertio loco subnectis: Quasi verò solidum ingenium hac in parte non sit acuto anteponendum. Cæterùm Willelme hîc tuam fidem imploro, putasne Jansenistas Jesuitis doctiores esse, aut magis pios, quibus scilicet in sententiis probabilibus definiendis, majorem populus fidem habere debeat? Id tibi fortè arrogas. Agedum, doctiores illos, ut producas, velim. Appellabis statim Jansenium, Sancygiranum, Arnaldum, auctores scilicet à S. Sede damnatos: Jesuitæ mille præstantiores pro tribus illis adducent.

(a) Pag. 74. & 75. (b) Pag. 75.

SECTIO II.

De I. Probabilistarum axiomate.

Probabilem omnem opinionem etiam falsam, & Legi Divinæ contrariam, à peccato coram Deo excusare.

§. I.

Ejus falsitas ex S. Thoma demonstratur.

UT probes auctoritate Doctoris Angelici, erroneum illud axioma Parochorum Parisiensium, scilicet opinionem probabilem falsam in jure naturali neminem peccato penitùs eximere; primum locum adducis, ex quodlib. 8. art. 13. sed perperam omninò: (a) *si enim aliquis adhibet diligentiam, inquirens, an habere plures præbendas sit licitum, nec invenit aliquid, quod ipsum moveat, ad hoc, quod sit illicitum, ergo videtur, quod sine peccato plures possit præbendas habere.* At fieri potest, ut sit contra legem divinam, habere plures præbendas: igitur non peccabit, licèt per ignorantiam contra legem divinam faciat: igitur peccat, quando hæc ignorantia est crassa, affectata, cum dubio conjuncta: qui enim dubiùs de peccato aliquid agit, haud dubiè peccat. Sic enim concludit S. Thomas: *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem* (ne scilicet peccatum insit:) *inducitur, & sic non peccat:* licèt id faciat, quod materiale peccatum est. Poteratne adduci textus magis expressus, ut principium illud erroneum confutaretur? hunc tamen impudenter adducis pro illius confirmatione: & nihil, ut dicis, loco illo planius, nihil evidentius.

Alium locum quodlib. 9 art. 15. describis, ubi hæc habet S. Doctor: *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto.* Loquitur S. Doctor de errore crasso, & affectato, non verò de invincibili. Idem prorsus repono ad tertium textum, quodlib. 3. art. 10. Ubi legitur: *Nullus excusatur si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri:* Erroneam scilicet, affectatè, crassè, non verò invincibiliter; ut patet ex primo textu citato. Sic profectò Jansenius vester Augustinum citat pro suorum errorum confirmatione; ut ab aliis demonstratum.

* * *

§. II.

§. II.

Idem Probatur ex Scriptura & Patribus.

STatim vocem illam à Parisiensibus Parochis allatam intonas: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Igitur inquis, qui sequitur opinionem probabilem falsam, in foveam corruet. (a) O subtilem & acutum Logicum! Quasi verò ignorantia, vel cæcitas affectata & voluntaria, quâ revera Pharisæi tenebantur, opinionem probabilem faciat. Quis Tyro tam supinè peccaret? cæcitas affectata errorem facit, vel opinionem erroneam affectatam: quantum hæc à probabili discrepet, quis, amabo, ignoret, non Theologus, sed rudis & novitius Theologiæ candidatus? Adducis alium locum, quem & ipsi Parochi protulere: *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem.* Videtur, inquam, per ignorantiam, crassam & voluntariam, non verò inculpatam & invincibilem.

Hic fateris ultrò, opinionem probabilem falsam ab erronea non differre. In quo sanè turpiter erras. Nam erronea probabili ratione non nititur, sed communi Ecclesiæ testimonio repugnat: hinc opposita certa est. Quis hoc de probabili dicat? erras, inquam, Willelme, non tamen inculpato errore, quia doceri non vis. Sed, iniquis, sunt quidam errores, qui difficilius & à paucioribus deprehenduntur, & hi vulgò probabiles opiniones censentur. Vah stultum caput! quinam sunt illi pauciores? Jansenistas intelligis. Sed quis eos Judices constituit in rem orum & fidei? Ad Ecclesiam, mi homo, non Portus-regalis, sed Romanam, ad Sanctam Petri Sedem, pro his judiciis veniendum est. Sed illam horretis, quæ vos erroresque vestros diro anathemate perculit.

(b) Quod subnectis de repudio, ignorantiam tuam luculenter demonstrat, dicis enim nunquam repudium Judæis licuisse, & hoc constanti Patrum traditione constare. Sic imponis, Willelme, ignaris & simplicioribus. Quis enim nescit, indissolubile matrimonii vinculum divina lege initio fuisse institutum; in hac deinde per Moysem Dei jussu, ad majus malum vitandum, fuisse dispensatum (sic enim vocant,) id est, indultum, ut hoc vinculum propter graves aliquas causas dissolvi posset: ac demùm à Christo nova lege, indultum illud repudii abrogatum ac revocatum fuisse. Ita D. Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus in 4. dist. 33. aliique ferè innumeri. Sed hos fortasse Casuistis aggregasti: nec eorum calculos numeras.

Tertulliani locus de spectac. cap. 20. ad rem non facit. Quis enim illud excuset, quod Deus damnat? at quod usum & praxim opinionum verè probabilium Deus unquam damnârit, nemo hactenus probavit. Idem dico de Augustini loco homil. 12. perperam enim homo promittit, quod non promisit Deus. homo enim falli & fallere potest; si tamen illum excipiamus, qui Dei nomine, cujus vices agit in terris, ex Cathedra Petri, toti Ecclesiæ oracula fundit.

Ad Bernardi locum venio lib. de præcept. & disp. cap. 14. (c) *Quod à nesciente fit*, inquit, *& bonum, prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta . . . Licet levius admodum peccetur, ubi sana intentione, sola reprehensibilis actio foris apparet.* Quorsum hæc Willelme? quia ibi non est peccatum, ubi non est voluntarium ac liberum; si nihil est prorsus voluntarii, nihil relinquitur peccati; hujus tamen levissaltem aliquid est, si aliquid voluntarii insit; hoc ipsum est, quod Theologi & Casuistæ dicunt, ad peccatum grave, lethale scilicet, plenam deliberationem requiri; ad leve, quod vulgò veniale vocant, semiplenam sufficere: hinc primi motus non imputantur ad culpam, quia libertatis usum præveniunt. Sed bonus sum, qui tecum de rebus Theologicis ago; quarum te ignarum, & imperitum esse, conjectum est.

§. III.

Theologicis argumentis convellitur probabilitatis commentum.

AD tuas tandem rationes venio, quibus sanctorum principiorum nomina temerè arrogas, ex Theologiæ scilicet Sancygiranæ, & Scripturæ scilicet Jansenianæ, sacris & hucusque inaccessis adytis, (si pergis placet, erutas. Sic igitur ratiocinaris: (a) sine gratia, nullum opus bonum fieri potest: nunquam gratia est sine cognitione veritatis: & nunquam sine cum opinione probabili falsa; igitur ex opinione probabili falsa, bonum opus fieri nequit. imò cum eadem peccatum semper conjunctum est; quia sine divina gratia nullum opus bonum fieri potest. Et hoc principium tuæ demonstrationis vocas.

Credideras fortè, vel nos esse totidem stipites, vel nunquam fore, ut tua lucubratio in manus nostras veniret. Sed relegamus, quæso, tua verba: nullum opus bonum, inquis, sine gratia fieri potest. At, opus bonum naturali bonitate, quod scilicet ad salutem nihil conferat, contra Jansenium & Bajum, à Doctoribus Catholicis, sine gratia fieri posse, habemus. Illa igitur propositio, quam tu præmittis, falsa est. Sed pergis: nunquam est gratia, sine cognitione veritatis, quam in animum semper immittit, ut & charitatis ardorem. Haec etiam falsa est: nam gratia actualis, de qua hoc loco agitur, cum habituali, ut vocant, sæpè actuali non est conjuncta; igitur nec cum charitatis ardore. Praterea gratia, quæ ad recipiendam fidem nos movet, cum divina fide non semper conjuncta est. Denique quòd ignorantia inculpata cum divina gratia, tum habituali, tum actuali stare non possit, suppenis quidem, sed non probas: neque mirum, cum erroneum sit. Er hoc Tridentino affingis? Rectè igitur, falsum esse, quod inde concludis, scilicet ex opinione probabili bonum opus fieri non posse. Falsum etiam, quod subnectis, omne opus malum esse, quod sine divina gratia fiat. Nempe veldifferens, vel etiam bonum bonitate illa naturali esse potest. Illud porrò quod adducis, sine Spiritu Sancto nihil esse innoxium, cum Ecclesia canat, *sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est noxium*; malè accipis. Sensus est, sine Spiritus Sancti auxilio hominem à peccato abstinere non posse. Et sic miserè ludis, magnumque agis Theologum.

Secundo loco sic ratiocinaris: peccatum est factum, dictum, concupitum, contra legem æternam; nam legem humanam facilè omittis;) sed opinio probabilis falsa ab æterna lege dissidet; igitur peccat qui illam sequitur. Vix me teneo, quin tuos Theologorum albo expungam, quid enim quæso si

(a) Pag. 77. (b) Pag. 78. (c) Pag. 79.

(a) Pag. 80.

habeb, *factum*, vel *dictum contra legem Dei*? dic age Windrock: hujus artis haud imperitus, erit fortè quod nos doceas. Illud est, opinor, quo lex Dei, violetur, v. g. lex divina mendacium & calumniam vetat: dum mentiris Willelme, & calumniaris, legem æternam violas. Atquæ lex vetat propositiones improbabiles, earumque usum proscribit? nulla prorsus igitur opinio probabilis vel ejus usus non est factum, concupitum contra legem æternam; igitur peccatum non est. Necà justitiæ regula opinio probabilis defecit, nec à Deo, qui justitia est, animum avocat, nec bonæ voluntati repugnat, cum quâ ignorantia invincibilis societatem inire potest: & bonæ voluntatis bonitas ex lege æterna pendeat; non tamen, ut dicis, opinio probabilis etiam falsa, cum lege æterna pugnat. Locailla, quæ * adducis, *justus ex fide vivit*, & *quod non est ex fide, peccatum est*, ab auctoribus in bono & Catholico sensu explicantur: tu vide sis.

Sed quis non miretur, hominem mille scatentem erroribus, iisque crassis & affectatis in opiniones probabiles tam acriter invehi? In multis urgere possem: hoc unum præ cæteris occurrit. Ad sacram synaxim lethali culpa inquinatus accedere non debet, ut constituit Tridentinò & communi Ecclesiæ usu. Cum ergò accedis, Willelme, an certò scis, te nullâ mortali nexâ teneri? minimè verò: hoc enim nemo scit, quin probabiliter dumtaxat tenes. Cur igitur inculpandus, quod tu ipse admittis? nugas tuas refellere pudet, sed quandoquidem errata tua emendare non possum, quin ea notem.

* Deindè eundem errorem tuum ex eo confirmas, quòd *Christus sit Veritas*, quòd *Deum adoremus in spiritu & veritate*, quòd *omnes viæ Domini veritas*, quòd *Christus miserit spiritum veritatis*, quòd opus bonum sit opus lucis, quòd *sermo Christi judicaturus sit homines in novissimo die*, quòd sint peccata ignorantiæ, quæ damnabilis est omnibus adultis, si est invincibilis. Quid porrò ex his concludis? probabilem opinionem, si falsam esse contingat, non excuset. Profectò consequentiæ vim non capio: nec mihi probabilis est; ne dum evidens & certa. Quisenim neget, Christum esse *Veritatem*, id est Veritatis Doctorem, à quo veram fidei & morum doctrinam accipimus: ac præter ea quæ certâ fide tenemus, quis neget alia multa esse quæ nobis perspicua non sunt, tum in rebus Theologicis, tum in Moralibus? ac proinde probabiliter dumtaxat de iis judicamus. Ita est, inquis: sed si id falsum esse constet, quod verum probabiliter existimabam, illa improbabilitas nullatenus excusat. Igitur cum conscientia dubia operaris. Igitur etiam peccas, licèt opinio illa, quam probabilem reputas, vera sit; quia imprudenter dubitas, an falsa sit.

** Adducta loca non difficilè explicantur, tu vide quid auctores, Annatum, Martinon, Stephanum Duchamps, aliosque ferè innumeros. Non admittis, inquies, eorum interpretationem. Nec illi tuam. Mentem Patrum, inquis, intelligo: illi quoque mentem Patrum se assecutos ajunt. ecce tibi litem. Sed quis Judex? Ecclesia inquis, cujus recto judicio Moralis Jesuitarum disciplina damnata est. Sed quænam est illa Ecclesia? Senonensis, Bellovacensis, Constantiensis, Sanctorum Pauli vel Rochi? erras mi homuncio. Ecclesiæ judicio stamus, sed Romanæ & Catholicæ, quæ doctrinam Jansenii damnavit, & propositiones confixit, inter quas illa meritò censetur, quæ asserit, ignorantiam invincibilem non excusare; neque hanc unquam Gratianus, Augustinus, Christus, à peccato liberare negarunt, ut à citatis auctoribus demonstratum est.

Quæris demum * ex Casuistis, utrùm verè probabilem opinionem tutam esse certum sit? utique, certum esse dicunt; & hoc in rebus Moralibus principium statuunt: illum operari prudenter, qui ex opinione verè probabili operatur. Ex probabiliore, inquies. Esto, nam hæc, dumtaxat probabilis est, non certa; ac lumine naturæ notum est, tutum esse, prudenter operari: immò hæc ex Scriptura & Patribus etiam habemus; & Christus prudentiam præ cæteris in servo fideli laudavit. Præterea Jesuitæ facilè argumentum retorquebunt: & quærent ex te, utrùm probabiliorem opinionem tutam & securam esse certum sit? Annuis, tutam esse. At fieri potest, ut etiam falsa sit: igitur ex tuis principiis tuta non est; igitur incertum an tuta sit. Tenendam tamen esse vis. Si verò dicas securitatem probabilem satis esse, ad hoc, ut quis prudenter operetur: idem quoque facilè reponerem ex præmissis Jesuitarum principiis, probabilem scilicèt opinionem probabiliter tutam esse; quamquam certò tutam esse contendo: tutam autem appello, quæ peccatum excludit. Jam sumus ergò pares, si in probabili securitate sistamus. Sed eâ non contenti, ut dixi, certi sumus, sententiam in re morum verè probabilem, tutam esse; nisi aliud præceptum obstet, de quo infrà: & hoc ipsum naturæ lumine notum esse contendo, nec oppositum, meo judicio, cum rationabili fundamento teneri posse.

Hîc porrò distinguunt auctores tutam formaliter, à tuta etiam materialiter; item tutiorem à probabiliore. Illa opinio est tuta formaliter, non verò materialiter, quam quis revera probabilem putat, idq; per inculpatam ignorantiam, licèt revera probabilis non sit. Quod autem fas sit eam sequi, vel eligere, vel eâ uti, mihi certum videtur: alioqui ignorantia inculpata à peccato immunis non esset; quod sine aliquo errore dici nequit. Hinc fit, omnem opinionem verè probabilem, non modò formaliter, verùm etiam materialiter tutam esse; id est illius usum, seclusâ etiam ignorantiâ, ab omni culpâ liberum esse: licèt altera ex duabus tutior dici possit, quod scilicèt tutiùs ac certiùs ad salutem conducat. sic, v. g. post admissam lethalem noxam statim animum exhomologesi purgare, tutiùs est, quàm salutaris usum remedii differre; differre tamen per se tam excludit peccatum, quàm non differre: igitur quantum ad hoc, utraque opinio æquè tuta est, tum formaliter tum materialiter. sed de his fusiùs infrà.

* *Pag.* 82.

SECTIO III.

Idem probabilitatis commentum quibusdam ejus Consectariis evertitur.

§. I.

Consectarium primum.

SI probabilis opinio sufficeret, frustrà, inquis, homines cognitionem veritatis à Deo peterent; immò ipsa veritas fugienda esset, quâ semel cognitâ, oppositum non licet. Ita prorsus Jansenius, Calvino præeunte, docet, frustrà divinam gratiam fusis ad Deum precibus peti, si gratia sufficiens nunquam

* *Pag.* 80.

** *Pag.* 81.

deest. Quasi verò cognitio veritatis supernaturalis, non sit donum Dei, quod à Deo flagitare possimus; & multæ nobis cognitiones non desint, * ad salutem necessariæ, vel utiles, quas vult Deus, ut ab ipso petamus; & grave aliquando periculum non sit, ne culpando errore ducamur: ac proindè Deus exorandus, ut ab eo liberemur. adde alia ferè innumera, quæ, ut in via Domini rectè ambulemus, divini luminis appulsu cognoscere dumtaxat possumus. Quod subnectis, juxtà hujus doctrinæ principia, *veritatem potiùs fugendam esse*, & merè opinantium meliorem conditionem videri, quàm eorum, qui veritatem certò cognoscunt; frivolum est, & puerile. Pariter ego dicerem, meliorem esse ebrii, vel delirantis conditionem, quàm hominis temperantis & sapientis; quia hic in multis peccare potest, quæ licèt ille admittat, non peccat. Sic voluntatem Domini sciens, & non faciens, vapulabit multis, & paucis nesciens. Apage igitur plusquàm aniles nugas.

* *Pag.* 83.

§. II.

Consectarium secundum.

SI verum est, inquis, quod Escobarius dicit, duas opiniones probabiles oppositas ex æquo securas esse: frustrà litigant Theologi, utrùm hoc, vel illud liceat; falluntur enim, qui negant licere. Argutulus videri vis, dùm adeò pueriliter exultas. Sed hæ bullæ facilè dissipantur. Nam primò opiniones æquè probabiles, sunt æquè securæ formaliter; ut nemo negat, nisi fortè quis Jansenii de grege: si verò altera probabilior; sunt qui dicant, pauciores licèt, teneri quempiam ad probabiliorem, atque adeò minùs probabilem tutam non esse, igitur non æquè tutam: qui verò illum negant teneri, minùs probabilem tutam esse dicunt; & inter hos aliqui minùs tutam: cùm enim, inquiunt, opinio probabilis, in re morali, sit probaliter tuta, quid mirum, si vel magis, vel minùs probabile sit, tutam esse? At dicendum mihi videtur omnem opinionem verè probabilem certò tutam esse; ita ut hæc sit universalis sententia: certum est, omnem opinionem verè probabilem tutam esse; nisi obstet, ut dixi, aliud præceptum; ac proindè æquè tutam: immò cum *esse tutam*, sit tantùm *peccatum excludere*; peccatum excludi non potest magis vel minùs, quod scilicet in indivisibili positum est. Hinc eo ipso, quod aliqua opinio non est tuta, non est verè probabilis; & vicissim. quid sit autem opinio verè probabilis, infrà dicam. Theologi ergò frustrà non litigant, ut stultè garris: investigant enim, utra duarum sit probabilior; vel utrùm potiùs utraque sit probabilis. aliqui negant, id licere, quod est minùs probabile; alii probabile putant, quempiam non teneri ad probabiliorem partem. Verum hi admittere debent non modò probabile esse, verùm etiam certum ad quamlibet probabiliorē non teneri; alioqui si tantùm probabile esset, *non teneri*, igitur falsum esse potest, *non teneri*: sit igitur falsum: igitur verum erit, *teneri*; igitur peccarent, qui sententiam illam minùs probabilem sequerentur, nisi fortè ignorantia inculpata intercedat; sed non peccant, ut hi Doctores fatentur: igitur non est verum, *teneri*: igitur certum *non teneri*. Nec obstat exemplum Medici, Judicis, & Sacramentorum Administri, qui rejectâ minùs probabili, probabiliorem in sua quisque materia præferre tenentur: hæc enim obligatio à singulari præcepto petitur, quo Medicus saluti ægri, Judex partium juri, Administer denique Sacramenti confectioni consulere tenentur.

Ad id porrò, quod addis, de opinione probabili speculativè tantùm, non practicè; dico breviter, quod res est: aliquas esse opiniones, quas non est certum, probabiles esse, sed valde incertum; hinc licèt speculativè loquendo, utcumque probabiles dici possint, scilicet probabiliter; quia tamen maximum periculum est, ne sint improbabiles, ideò in praxi parùm tutas esse constat; & cùm verè probabilis tum speculativè, tum practicè, satis superque tuta sequitur, illas non esse practicè probabiles, licèt aliquid præferant probabilitatis. Si hæc caperes Wilhelme, vel taceres: quod longè consultiùs esset, vel alia scriberes, quod ut facias, tibi auctor sum, ne scilicet perperam dicta retractes; dabis tamen operam, ut alios auctores consulas, & libros legas, quàm Parochorum scripta, quæ hîc compilasti: idem dico de libro Matthæi Homem, qui cum Theologus non sit, quod ultrò ipse fatetur, immò nec Philosophus quidem, in multis hallucinatus est; & verò non erat, quod in messem alienam falcem mitteret, ne sutor ultrà crepidam.

§. III.

Consectarium tertium.

SED *apud Patres, inquis, hujus doctrinæ ut vestigium quidem apparet.* *

Ita Calvinus Patribus, præsertim Augustino suos errores affingit; ita Jansenius aliique hujus furfuris homines. Quasi verò Patres non supposuerint, humanis actionibus certam & evidentem cognitionem sæpè ac sæpiùs non prælucere. Pauca sunt, quæ certâ fide tenemus; pauca in moralibus certa, si quædam universalia principia excipiam. Equidem certum est, Christianum ad jejunium teneri ex lege Ecclesiastica: infirmum non teneri, certum etiam est: nec etiam eum, qui propter laborem plus cibi postulat: an verò teneatur, qui minùs gravi infirmitate laborat, aut qui minorem operam labori suo impendit, incertum est; ac proindè disputatur, adductis utrimque rationibus probabilibus. Sic malum est, hominem occidere; non tamen malum, vim vi repellere, cum moderamine, ut ajunt, inculpatæ tutelæ: & utrumque certum: incertum verò, an licet occidere ad justam bonorum defensionem; hoc etiam Theologi disputant. Nec dubium, quin Patres hanc doctrinam semper supposuerint, vel ipso naturæ lumine notam. Non tamen propterea sanctus remor ablegandus est, quem ipsi Patres præ se tulerunt. multa enim adhuc timenda restant, v. g. occasio peccandi, tentatio gravis, humana infirmitas, crassus error, ignorantia affectata, diaboli insidiæ, aliaque id genus, quæ sanctis etiam hominibus non parum justi tremoris incutiunt: nec quisquam scit, utrùm amore, vel odio dignus sit. Hæ justæ sunt timoris causæ.

* *Pag.* 83.

§. IV.

§. IV.

Consectarium quartum.

Placet, inquis, prædicta Probabilitatum doctrina, ut salutis via quotidiè planior & facilior evadat; *Bilii incertitudinem, vanitatem & audaciam* Casuistarum exaggeras, immò *absurditatem, & impietatem*, qua scilicet velint, his postremis temporibus faciliùs quàm priùs, ad æternam salutem perveniri.

* Aliquem appellare debueras, qui hoc dicat. Quædam aliquæ opiniones modò probabiles sint, quæ enim improbabiles erant, & vicissim, ut nemo quam negaverit. Cum etiam novæ indies demonstrationes protegant, planiorem salutis viam non efficit; multa enim quotidiè restringuntur, idq; in omni ferè argumenti genere. In re venerea, & Simoniâ de jure divino, Jesuitæ omnes ne materiæ quidem parvitatem agnoscunt. Quot novæ Leges, & nova decreta, quibus restringuntur, cum tamen ab iis majores nostri immunes essent? Quàm multa à Concilio Tridentino reformata atque restricta? Uno verbo, erunt forte salutis viam difficiliorem his temporibus esse asserentur: atque adeò dicere ausim, disciplinam eorum à Jesuitis non modò non relaxatam, sed non mediocriter restrictam fuisse. Quàm multa enim Navarrus, Cajetanus, Sylvester, Fumus licita putarunt, quæ à Jesuitis licita esse negantur? Sed video finem, quem sanctitatæ sibi proponunt. Suave Christi jugum & onus leve invident hominum generi, cui, more Pharisæo, *onera importabilia* imponunt, quæ ipsi digitorum quidem motione movere velint.

* Pag. 84.

§. V.

Consectarium quintum.

Ne etiam convitiari & nugari pergis; vis enim, ut ille probabilitatis fonte tam *horrenda*, tam *monstruosa* prodiisse, quorum pars tum in Montaltii litteras, tum Patrochorum Scriptis descripta fuit, pars verecundiæ compressa: *

O insensatos & pudibundos homines! quidquid convitii, veneni, calumniæ, affingi, excogitari, sparguntur, liberali & impudenti manu sparserunt; & ipsæ prudentissimi videri volunt. Erras deindè quòd ex privatis erroribus probabiles opiniones eorum duxisse; quasi verò errores tenebræ pariant lucem probabilis saltem veritatis. In hoc autem lucubrationem hallucinaris, quod idem putas, *esse revera, & videri probabile*. Ut enim aliqua vera videntur & certa, quamvis vera, nec certa sunt, ita aliqua videntur probabilia, quæ probabilia non sunt. Quod Deistarum risum Jesuitis exprobras, risum potiùs, quàm stomachum movet. Quod dicis errorem cuique suum probabilem esse, erroneum est; dicere debueras *videri* autem probabilem non excusat; quia scilicet error est; nisi fortè invincibilis & inculpatus sit: quod autem excusat, quod revera probabile est; tunc non prudenter agitur, quando circa id actio versatur, quod bonum esse, vel malum non esse, verè probabilis ratio demonstrat. Probabilis demùm ratio illa, quæ sufficienter intellectum non præoccupat, nec vitiatum ad prudentem assensum movet; quòd nulla ratio opposita contrarium evincat. Nec si fortè accidat, opinionem verè probabilem falsam esse, ac proindè falli eum, qui illâ ducitur; non culpandæ, sed inculpatæ ignorantiæ tribuendum est; cùm probabilia aliter sciri vel cognosci non possint; nec Deus homines obliget ad impossibile; Calvinistis, immò & Jansenistis frustrà licèt obstrepentibus. Huc spectas Willelme; damnata Jansenii placita ob oculos semper habere videris. Nec est, quod Jesuitis religionum adiaphoriam attribuas: sectarii hactenus senserunt, utrum Jesuitæ illorum dogmata suo calculo donent.

* Pag. 85.

Quid porrò aliud Thomas Sanchez à te adductus dicit? nisi, hæreticum inculpata ignorantia laborantem non teneri sectam mutare: alioquin, invincibilis non esset. Idem Eradus Billius, idem omnes Doctores verè Catholici docent: puerum scilicet baptizatum, hæresim ab iis, à quibus in rebus fidei instituitur, sibi propositam credere sine peccato; modò scilicèt, quod revera omnes supponunt, invincibili laboret ignorantiâ. Sic in iis regionibus, quibus, nullum fidei Catholicæ lumen affulget, multos ignorantiâ invincibili teneri constat, ac proindè esse materialiter dumtaxat, ut vocant, non formaliter hæreticos. Longior ille dialogi tractus, quem describis, *instituti, scilicet, inter Valerianum Magnum & Basanomenum, ab auctore suo omitti potuit; quanquam illius Lutherani placita non approbat, immò saltem tacitè improbat. Centies demùm tuum illud recantas: probabile falsum peccato non eximit. Sed, si verè probabile sit, haud dubiè peccato eximit; cum ignorantia illa inculpata censeatur, quæ non modò probabile, verùm etiam errorem atque hæresim à peccato liberat.

* Pag. 86. 87.

§. VI.

Consectarium sextum.

CRiminationes & calumnias hîc ultrà modum amplificas. Vis enim à Jesuitis doceri, eam quæ cuique probatur, opinionem, probabilem esse, atque adeò hæresim hæreticis esse probabilem. *

Luculenter hallucinaris, Willelme; qui existimas, ideò aliquid revera esse probabile, quia alicui probabile videtur. Falleris mi homo, falleris: nullus Jesuita id tibi concedat. Nempe aliud est, ut jam dixi, esse probabile, aliud, videri probabile: nec probabile dicitur per merum respectum ad intellectum unius, sed multorum, ut constat ex iis, quæ suprà digessi: alioquin idem esset probabile & improbabile, quod vel dictu ridiculum est. Scio, nonnullis videri improbabile, quod aliis probabile videtur; sed alterutrum falli, necesse est; cum idem non sit, *esse* & *videri*. Nempe, quod est probabile, per respectum ad omnes mortalium intellectus probabile est; licèt nonnullis certum, aliis improbabile videatur. Pari modo, quod certum est, per respectum ad omnes certum dicitur; licèt alioquin multis probabile dumtaxat videatur.

Hic etiam Jesuitas comparas cum Academicis. * Sed ex suprà dictis, ea, quæ dicis, facilè refutantur; nempe Academici id tantùm curabant, non quod revera probabile esset, sed quod probabile cuiq; videretur. Accedit quod in religione, fide, moribus, legibus, quid quisque vellet, asserere, aut negare, liberum erat. Triumphas tamen, Jesuitis, ut putas,

* Pag. 88.
* Pag. 89.

jugulatis, atque prostratis Augustini telo, *cui cum Iesuitis*, inquis, *numquam benè convenit* : scilicet cum Iprensi. Sed quam debile sit hoc telum, perspicuum est. Quid enim Jesuitis (qui cum Jansenistis, Calvinistis, Arnaldistis nunquam hactenus convenire potuerunt) quid, inquam, cum Academicis? quibus, quid quisque teneret atque probaret, quid cuique probabile videretur, vel improbabile, perindè fuit; ac proindè simul omnia approbabant & improbabant. His tamen Jansenistæ anteponendi sunt, qui errores, ut Catholica dogmata admittunt; & sententias probabilissimas communi Catholicorum usu receptas, errorum loco habent.

§. VII.

De probabilibus Sententiis, Juri positivo adversis.

CRambem recoctam denuò apponis. Vis enim ignorantiam, juris positivi scilicet, invincibilem excusare, non tamen legis æternæ & naturalis; * jus autem positivum est, vel divinum, ut quædam Christi præcepta, vel humanum, ut lex Ecclesiastica, & Civilis. Purum putum Jansenium audire mihi videor. Sed dic sodes, Willelme, cur ignorantia juris positivi excusat, & juris naturalis non excusat? Quia hæc, inquis, est pœna peccati originalis, non verò illa, quàm benè Jansenius, immò Calvinus & Lutherus tibi suffragantur! Sed, nullus dubito, utraque excusat, quia voluntarium tollit; nec enim id volo, quod ignoro. Hæc ratio vel utrique, vel neutri competit. Si verò crassa sit, affectata, voluntaria, qua quis ignorat quod vult ignorare, quia doceri potest si velit, sed hoc ultrò negligit, à peccato non liberat: sive sit juris naturalis, sive juris positivi. Et hæc est omnium Catholicorum sententia; quam hoc loco fusè demonstrarem, nisi auctores, quos jam suprà laudavi, id egregiè præstitissent.

* *Pag.* 89.

SECTIO IV.

Opinionem minùs probabilem & minùs tutam amplecti licet.

§. I.

Variis argumentis hæc Doctrina confutatur.

SI hoc unum dumtaxat probares, teneri scilicet quempiam ad probabilius; nihil reverà esset, quod jure in te castigarem. * Nonnullis enim probabilis hæc sententia videtur: non tamen illis omnibus, quos in hanc rem citas, ex quorum sensu expunge Navarrum, S. Antoninum, Sot. &c. Immò nonnulli ex iis quos adducis, in vario sensu loquuntur: ut Cajetanus, Corduba, &c. At quod sententiam contrariam, ut *blasphemam impiam, erroneam, hæreticam*, traducas, in hoc sanè judicium tuum desidero; cum illa & firmissimis rationibus, & gravissimorũ Doctorum calculo nitatur. Horum censum describerem, nisi apud auctores extaret: frustrà igitur tot nominibus paginas implerem; præsertim cum iis hominibus agens, qui Doctores illos rejiciunt non sine sarcasmo, quorum suffragio Jansenii errores non gaudent. Sed ad

* *Pag.* 90.

rem venio; etsi probè sciam, me oleum & operam perdere, dum tecum disputo, quem nec rationum momenta removent ab errore, quas haud dubiè non capis, aut si capias per summam obstinationem respuis; nec Doctorum auctoritas movet, quos non modò nihili facis, sed pro sceleratis ac perditis hominibus, Catholicæ Religionis perturbatoribus habes. In hoc tamen, officio meo satisfaciam, licèt sciam, tuo te prorsus defuturum.

Itaque inficias ire nemo potest, quin jam communis omnium recentiorum sententia sit, quibus multi ex antiquioribus etiam accedunt, quempiam posse in actionibus moralibus, ex duabus opinionibus contrariis minùs probabilẽ amplecti. Quâ enim lege ad naturali, vel positivâ id vetitum est? Cedo Scripturæ, Conciliorum & Patrum loca; expressa scilicet & perspicua: nec enim farraginem illam vestram, quæ nihil probat, sed paginas duntaxat occupat, admitto. Præterea eo jure, quo probabiliorem sequor, minùs probabilem sequi possum, jure scilicet probabilitatis, in quo prudens actio fundatur, mediatè scilicet & remotè: nam proximè ac immediatè fundatur in certo judicio practico, ex quo deducitur; id qi in eorum genere, quas certâ notione homines assequi non possunt. Deindè illa, quæ mihi videtur probabilior, aut ut plurimùm minùs, aut æquè probabilis videbitur, quid ergò in re obscura aliorum judicium meo præferre vetat? Nec enim ad veritatem certò spectare possum, quæ utrimque incerta est. Denique opinionem minùs probabilem amplecti non licet, igitur haec tuta non est: quod enim tutũ est, periculo caret: igitur nec probabilis, scilicet in praxi; cum certum sit, neminĩ licere peccandi periculo sese ultrò exponere, saltem sine gravissima ratione; de quo aliàs. Igitur prima illa, quæ improbabili opponitur, non probabilis, sed omninò certa est: quod nemo dicat. Nec cas, minùs tutam esse probabilem, licèt illius electio non sit probabilis: nam probabilitas non cadit in electionem, sed in ipsam opinionem: quæ si verè probabilis est, certò tuta est, tum materialiter, tum formaliter; nisi aliud præceptum obliget, omisso probabili, sequi certum, aut saltem probabilius, si certum deest: illud autem præceptum est, vel charitatis, vel justitiæ, vel obedientiæ, aut religionis; ut suprà vidimus, in adductis exemplis. Adde, quòd illa opinio, communis & longè probabilior est, saltem hoc tempore, quâ conceditur, è duabus minùs probabilem sequi. Igitur ubi judico, tutam esse in praxi, opinione probabiliore moveor & ducor. Quod verò attinet ad auctores, qui hanc sententiam tradidère, omnes omninò recense, qui à centum annis scripserunt; si unum aut alterum excipias, quibus tertium accensum esse velim, scilicet Canonistam quendam neotericum, qui ultrò fatetur, se non esse Theologum: an mirum accidit, cum ferè omnia Philosophiæ & Theologiæ principia, quæ ad hoc argumentum pertinent, dissecerit. Sed ad tua argumenta venio.

* Primo loco statim illud obtrudis: nullam opinionem probabilẽ tutam esse, nisi vera sit. Hoc argumentum probare debueras, non supponere: sed nihil probè consulis, qui probandum non suscipis, quod erroneũ est. At etiam demus, ita esse, ut dicis, eam opinio probabilior falsa esse potest: igitur non est tuta, si nulla tuta sit, quæ falsa esse possit: igitur cum minùs probabilis vera esse queat, tuta esse potest.

Ad aliud deindè argumentũ descendis: qui minùs probabilem opinionem sequitur, inquis, securus non est: igitur dubitet, necesse est: igitur dubiam conscien-

* *Pag.* 91.

quidam habet: igitur tutiorem partem eligere debet ex juris formula. Hoc loco supponis conscientiam dubiam, quæ tamen certa est; cum certum dubiam, quæ tamen certa est; cum certum sit, eum prudenter agere, qui ex opinione vera probabili agit, quando non obstat aliud præceptum: alioquin etiam conscientiam dubiam habet, qui probabiliore agit: hæc enim quamvis probabiliori, certa tamen non est: igitur cum formidine peccandi agere liceret: igitur ubi judico, aliquam opinionem esse verè probabilem, v.g. illam qua dicunt, vi tituli triplicis contractus, ut vocant, jure lucrum percipi posse; hanc propositionem primo dico: ille contractus est justus, & legitimus, qui minimè repugnet juri naturali, nec positivo; eamque propositionem verè probabilis sit, quia saltem honestas probabilis huic objecto insit, vel ratio probabilis huic contractui; ac proindè illa tuta sit: hoc autem ultimum judicium, quod aliqui practicum vocant, est certum: igitur conscientia tuta, certa, secura: igitur non dubia.

Si verò certum non sit, opinionem esse probabilem, sed tantùm, & tantùm probabile; haud dubiè illa non sequitur in praxi: quia, ut non est mihi certum, eam licitam esse, ita non est mihi certum, esse tutum, igitur incertum, ac proindè dubium: hinc consequens dubia: nempè judico inesse probabile periculum peccati; sed illud fugere teneor: & licèt aliquando, abesse dubium, ubi adest judicium, falsum: haud dubiè, nisi hoc judicium certum sit; judicium enim probabile periculum inesse. Et hæc est opinio probabilis speculativè dumtaxat, quæ scilicet ad praxim reduci non debet: hinc practicè probabile non: immò cum sit tantùm probabile, esse probabilem; est etiam probabile, esse improbabilem: igitur probabile, oppositam certam esse; certum vel esse maximè probabilem.

Hic primum locum obtinet illa, quam, certum est non esse; secundum illa, quam probabile est, certum esse; tertium illa, quam certum est, esse probabilem; quartum illa, quam probabile est, esse probabilem, ac proindè probabile, non esse probabilem. Quintum improbabilem; quintum denique illa, quam certum est, esse improbabilem. Opposita autem illi quæ primæ classis, est quintæ; quartæ verò, oppositi quæ est secundæ; in eadem tertia classe, utrapposita locum habet. Hinc nunquam licet in quintæ & quartæ classis opiniones sequi; sed semper sequi oppositas, quæ sunt primæ & secundæ, nisi fortè per inculpatum errorem. Opiniones verò classis amplecti ad libitum possumus, quia certæ, esse probabiles: igitur certum est, esse tutas: quia certum est, abesse periculum peccandi: immò quia tutæ, cum peccatum æquè excludant: hinc probabiles, tum speculativè, tum practicè. Opinionem tamen quartæ classis, speculativè, vel opinabiles vocant, tenere possumus, in quo non peccamus: non tamen practicè, quia probabile periculum est quod vitare tenemur: igitur non sunt tutæ saltem: tuta enim securum facit. Accedit quod illam sequi tenemur, quæ est secundæ classis; quia licitè certam esse, probabile est. Hæc paulò fusiùs explicare volui, non quod sperem tibi usui fore, ob obstinatissimum esse conjicio; sed ut aut Catholici qui diversa sentire videntur, vel inter se conciliari possint.

Non deerunt fortè, qui velint, opinionem illam tutam esse, vel potiùs illius usum tutum, quam probabilem esse, incertum est, licèt probabile. Sed eos nihil moror: nam reverà ut ex hoc judicio, *certum est, opinionem hanc esse probabilem*, rectè hoc deducitur, *certum est, illius usum esse tutum*; ita ex illo, *incertum est, esse probabilem*, rectè hoc sequitur, *incertum est esse tutam*: igitur dubium: sed ex D. Thom. quodlibeto 8. art. 13. ne quis peccet, requiritur quòd ex contrarietate opinionum, in nullam dubitationem adducatur: igitur certus esse debet, quod sit tuta opinio: igitur, citrà inculpatam ignorantiam, quod sit verè probabilis, vel certa: igitur ut sequi non potest eam, quam probabile est, esse improbabilem; ita sequi debet oppositam, quam certam esse probabile est.

Pergis deindè eandem sententiam confutare. Sæpè tantùm inquis, ex altera parte, est periculum peccandi: sic dubitatur, utrùm liceat habere plures præbendas; sed non dubitatur, quin liceat non habere plures: igitur, qui hanc sequitur partem, non modò magis probabilem minùs probabili, sed omninò certam anteponit. Si docilis esses, ad Logicam (agitur enim de oppositis) te amandarem: nam ineptè huic propositioni, *licet habere plures præbendas*, hanc opponis, *licet non habere plures præbendas*; cum tamen hæc sit opposita, *non licet habere plures præbendas*: quod vel minimus in Dialectica tyro te docebit: nempè illæ duæ quas adducis, ut oppositas, vel contrarias, veræ simul esse possunt. Sic die non præcepto, licet jejunare, itemque licet non jejunare. Itaque si huic, *licet habere* &c. quam probabilem supponis, exempli gratia, oppositam *non licet habere* &c. accipias, haud dubiè certa dici non potest, sed probabilis, aut saltem probabilior. Cur ergò oppositam illam certam esse dicis? vis sincerè dicam? quia hæc non intelligis, & in re alioquin satis clara cæcutis, mihi sanè mirùm ampliùs non accidit, cur ratiocinii usum tam sollicitè proscribere coneris; cum eo scilicet tam infœliciter uteris. Locus Augustini contra Donatistas non urget: quia S. Doctor vult tantùm, certum esse peccatum, quod ab eo patratur, qui peccati dubius est atque incertus; id est, ut communi formulâ utar, qui cum dubia conscientia operatur. In hoc verò casu, non est dubia conscientia sed certa. Unde refellitur etiam aliud, quod à te adducitur, eum scilicet contra conscientiam operari, qui minùs probabilem amplectitur. In quo etiam erras, cùm secundùm illud judicium operetur, quò certò judicat, opinionem illam probabilem & tutam esse, ac proindè nullum esse peccatum: si certum judicium est, reverà dubium non est: igitur ut patet, contra conscientiam non operatur.

Quod addis de causa, * quæ ad electionem opinionis minùs probabilis impellit, quam vis esse cupiditatem; turpem ego causam non approbo: non video tamè, cur aliquis suæ conscientiæ simul & utilitati consulere, in rerum humanarum usu jure non possit, v.g. cur aliquis, ut justum ex pecunia lucrum percipiat, inquirere non possit, utrùm usus Trium Contractuum licitus ac legitimus sit? Quod demùm subnectis ex Tullio de Academicis, ad rem non facit, ut suprà dictum est: immò pessimè Tullii locum explicas, dum ea, quæ ipse improbabilia vocat, vis esse minùs probabilia: quàm unum ab alio discrepet, omnes vident. Te saltem Grammaticũ esse putabã, qui nec Logicus es, nec Theologus, nisi Salisburgensis. Sed ni fallor, jam ferè cum Casuistis tibi con-

* *Pag.* 92.

venit. Vel enim agitur de re certa, vel de dubia: si certa est, omnes conveniunt, illi oppositam probabilem non esse, sed improbabilem & certò falsam; si verò de dubia, ita ut utrimque de rei veritate disputetur, vis divinum lumen implorandum, & diligentiam adhibendam; quod etiam Casuistæ dicunt. Perge porrò. Vis eam præferri, quæ probabilior appareat: at si S. Thomas oppositam teneat, num poterit quispiam illam sequi? si demùm utraque æquè probabilis videatur, concedis utramliber, etiam cum illo, quod fingis, periculo peccandi; in quo turpiter erras, & longè laxior es, quàm Casuistæ. Hæc enim est conscientia dubia, quæ actionem vitiat, ut omnes Casuistæ testantur. Nempe conscientiam tutam certum judicium constituit de actionis honestate; quod tamen sequitur ex judicio etiam certo de opinionis probabilitate, vel certâ objecti veritate, citrà ignorantiam invincibilem, quæ cum certo de actionis honestate judicio rectè componitur; & citrà obligationem, ab alio præcepto inductam, sequendi dumtaxat vel certum, vel probabilius; ut constat ex suprà adductis exemplis.

Sed, quæso, per te mihi liceat, hîc etiam breviter delibare doctrinam præfati Canonistæ, à quo etiam multa accepisti; licèt hic cum Catholicis Doctoribus sentiat, ignorantiam invincibilem à peccato liberare; in quo à vobis dissentit. Vult autem prædictus auctor, non posse dari duas opiniones oppositas probabiles de eodem objecto; alioquin intellectus dubius pendet in æquilibrio sine assensu, dum utramque partem existimat probabilem. Itane? existimat probabilem? Igitur assentitur; cum existimare idem sit, quod assentiri; igitur sine assensu non manet. Deindè quisquis judicat, aliquam propositionem objectivam, ut vocant, esse probabilem, eidem assensum præbere potest, si velit; at utramque partem intellectus judicat probabilem; igitur utrique assentiri; nec etiam seorsim; cur enim potiùs uni, quàm alteri? In hoc opinor hallucinaris. Demus, utrique parti oppositarum propositionum intellectum simul assentiri non posse: non video, cur utrique seorsim assentiri non possit, voluntatis jussu, quæ applicat intellectum ad assentiendum objecto, non evidenter, sed obscurè proposito. Sed inquies: intellectus prælucet voluntati. Rectè: anima, cui proponitur utraque propositio, sufficientibus rationibus nixa, ad hoc ut intellectus prudenter assentiatur, eâ vi pollet, quâ ad assensum uni præbendum, vel alteri, vel utrique seorsim, sese determinet, & hoc est, quod dixi, voluntatis imperio, intellectum assentiri. Sed ille assensus, inquis, cum formidine conjunctus est; igitur cum aliquo dubio. Fateor primum assensum illum opinativum, ut vocant, quo veritati propositi objecti mens assentitur, cum aliqua formidine esse conjunctum, & cum aliquo dubio, non peccandi, sed errandi; dubio, inquam, non negativo, ut vocant, quo scilicet intellectus suspensus maneat inter assensum & dissensum, dubitans, utrùm assentiri, an dissentiri debeat; sed positivo, quo timet errare, aut falli; ac proindè dubitat de veritate objecti propositi. At judicium, quod sequitur, quo judico, certum esse, opinionem illam, cui adhæreo, esse verè probabilem, ac proindè tutam, & peccatum excludere; judicium, inquam, illud est certum, & ab omni dubio immune. Porrò illud dumtaxat dubium actionem inficit, quo dubito de illius honestate, vel turpitudine, aut de probabilitate objecti propositi, non tamen illud, quo dubito de objecti veritate.

Sed inquies, si hæc, ita sunt, cur uni potiùs, quàm alteri parti adhæreo? Quæstio facilis breve relinquam postulat. adhæreo, quia volo; quia sum liber, quia eâ vi polleo, quâ me determinare valeo; nam enim intellectui ab objecto obscurè proposito necessitas imponitur; ut patet in actu fidei, ad quem voluntas piâ motione intellectum impellit. Dato igitur, inquis, quod uni partium intellectus, voluntatis imperio, adhæserit; alteri amplius adhærere nequit: nempè eo ipso huic falsitatem, quo illi veritatem adstruit. Attamen cùm à voluntate utrique liberè applicetur, eâdem facilitate assensum illum deindè revocat, quâ antè præbuit: igitur alteri parti ut intellectus adhæreat; jubet, revocato, seu deposito priore assensu. Quæres fortè, cur utrique simul assentiri non possit? Non desunt gravissimi auctores, qui hoc fieri posse non negent, ego tamen fieri non posse, virtute saltem naturali, existimo, cum intellectus eodem simul instanti, de eodem objecto dicere nequeat, verum & falsum est, id est, verum & non verum: quia est ipsi evidens, propositiones contradictorias simul veras esse non posse. Illud est, quod difficiliùs objiceres, scilicet partem oppositam etiam certò esse probabilem: judicatur igitur probabiliter, v. g. Triplicem contractum legitimum non esse: hinc judico, certum esse, hanc opinionem esse probabilem, ac proinde tutam; igitur honestum esse eam sequi, & ab illo contractu abstinere: igitur, inquies, certum etiam judico, turpe ac illicitum esse eodem uti. Hoc ultimum judicium ex antecedentibus non sequitur, alioquin certum esset, idem honestum esse ac turpe, quod repugnat. Ille observandum est id, quod suprà dixi; ex eo quod certum sit, probabilem esse opinionem, certum inde judicium deduci, usum illius tutum esse, nisi, ut dixi, aliud præceptum obstet. Igitur si utraque opinio de illo contractu verè probabilis est, tum illa, quæ asserit legitimum esse, tum illa, quæ negat, & certum est, utramque esse probabilem: certò deduco utriusque usum opinionis honestum esse; igitur uti licere uti contractu illo, quam non uti, si quis autem per errorem, ex prædictis judiciis speculativis deduceret, turpe esse prædicto contractu uti; nemo negaret, peccare illum, si deindè præfato contractu utatur. Judico, inquies, illum contractum esse illegitimum, ac proindè illicitum; igitur judicium illud practicum per errorem non deducitur. At ex uno speculativo probabili non sequitur damnatio oppositi, sed ejusdem reductio ad praxim. Sic ex eo, quod judicem, legitimum esse contractum, rectè deduco, honestum esse illius usum; inde tamen illius non usum non reprobo: item ex eo, quod judicem, probabiliter contractum esse illegitimum, rectè deduco, illius non usum honestum esse; at illius usum inde non damno, quem ex oppositis rationibus honestum esse deduxi. Si tamen certò judicarem, contractum illegitimum esse, rectè indè deducerem, necessariò omittendum, ac proindè illius usum damnarem: quidem per errorem, prædictum judicium demptudinè illius usus, ex priori judicio multi defluunt & hoc stante, contractu illo, sine peccato, uti non possunt. Si ea pauca, quæ dixi, attentè ponderentur; nulla prorsùs difficultas restat.

* * *
* *

§. II.

§. II.

Hanc doctrinam scrupulis occasionem non præbere.

Atredeo, Willelme: statim initiò pro fundamento statuis, neutram partem tutam, aut securam esse; * ne illam quidem, quæ probabilior est, aut talis videtur: quia *sola vera secura est.* At nescio quæ sit vera: igitur utra sit bona, & à peccato immunis, nescio; igitur inde anxius, perplexus & dubius sedeo; quis hoc neget? igitur cum dubia conscientia operor; igitur pecco, quoties lumen certæ veritatis mihi non affulget. Cuncta hæc ultrò fateris, & tacitè, immò satis expressè. vis enim à viro pio falsitatem illarum opinionum, quas Casuistæ probabiles reputant, certò cognosci, idque *unctione, & spiritu sancto docente.* Ad tuam illam arcem confugis. Si verò ambigat, & timeat vir ille pius, convertat se ad Patrem luminum, inquis, qui dat omnibus affluenter. Rectè moner: nequeo hoc Casuistæ negant. Consulat viros pios & doctos: sanè quos verò tandem? Jansenistas, Arnaldistas directores Portus regalis. At si dubitet, num illi sint pii, docti, tuti, veri Catholici, alios sibi consulere non debet? Consulat, inquies; sed non Casuistas. nempe non sunt illi viri docti & pii. Quando litem habes, mi homo, quem, amabrie, consulis? Medicumne, an Jurisperitum? hunc, ni fallor: nam in suâ cuique arte perito credendum est. In rebus moralibus, & casibus conscientiæ, si quid difficultatis sentias, quem consules? Casuistam, inquies, modò non Jesuitam, aut Casuistam, id est, modò non peritum. Quod denique de timore illo tremore Sanctorum subnectis, reverà sanctus: est enim, quòd homo Deum timeat, & male sollicitus vivat: inter hostes vivit, cur non timeat? domi & foris inimicos habet, de quo jam supra. At dubium excutiat, necesse est, ut hîc & nunc bene agat: quisquis enim dubitat, ne actio aliqua ex objecto, ut ajunt, mala sit; haud dubiè peccat, si eam elicit. Hæc tamen glutis, Willelme, ut trepidas, & alios trepidare vis, ubi non est timendi locus; audax verò & intrepidus prodis, cùm te modò continere deberet.

* *Pag.* 93.

SECTIO V.

De duobus erroneis consectariis.

§. I.

Primum refellitur.

Casuistæ, inquis, docent, ex opinione probabiliori quam quis falsam putet, eidem licere dare consilium, ut Layman, Vasquez, Sanchez; quod sanè absurdum, nefandum, & impium est. * Si ita res, tibi absurdum, & impium videri, cùm absurdis & heterodoxis hominibus multa impia & absurda videantur, quæ tamen rationi consentanea, & sanctæ esse constat, utcumque tolerari posses; sed quòd istæc esse, impudenter clames, quis, amabò, ferat? sed amicos & fœderatos vestros imitaris, qui absurdum putant, Corpus Christi re ipsa in Sacramento Eucharistiæ esse; & impium, Sanctos colere, vereri sacras Imagines. At quæso te, si aliqua D. Thomæ sententia alicui falsa videatur, saltem ita sibi persuadeat, quantumvis temerè, ut voles, nihil moror; nunquid alteri, à quo hac de re consulitur, indicare poterit, immò debebit, se quidem talem opinionem falsam reputare, nec sibi fas esse eam sequi, eandem tamen à S. Thoma doceri, ut probabilem; ac proindè talem esse, quam tutò sequi possit, tanta nixus auctoritate, quisquis eam certò falsam non reputat. Quid, quæso, in hac doctrina blasphemum? quid impium?

Quòd autem Vasques nolit, ut quisquam obliget consulentem ad restitutionem, vel aliud simile, juxta probabilem sententiam alterius Doctoris, quam falsam ipse reputet; vox profectò non est hominis, *communissima vitæ christianæ principia penitus ignorantis.* * Tibi facilè credent mortalium ignorantissimi: nunquam tamen vel ipsi tyrones in Theologia sibi unquam persuadebunt, Vasques esse hominé ignorantissimum. Laudari à laudato viro bonum est: ab impio, heterodoxo, hoste acerrimo vituperari etiam laus est. Sed quæso te, quo jure juxta sententiam alterius, quam falsam reputas, quæque ad summum probabilis est, obligabis proximum tuum ad gravissimum illud incommodum? rem acu tetigi. Non vultis Jesuitas consuli, ne vestros errores, hæreses, blasphemias, contumaciam & malas artes, consulentibus aperiant: moralia præterea, ut Janseniana dogmata obtentui illo defendatis & propagetis. Quod demum Sanchez auctor sit, ut ii, qui juxta opinionem probabilem consulenti respondent, in scriptis præsertim, significent oppositam etiam probabilè esse; prudenter, ac sincerè factum, sapientissimi quique reputabunt. Cur ergo fugillas? Vis dicam? quia non capis? quia Thomam Sanchez, virum sanè de Theologia Morali bene-meritum carpere voluisti. Vide, ne aliquis reponat hoc tritum: *Sus Minervam.*

* *Pag.* 97.

§. II.

Secundus error refellitur.

Cuivis licere plures Casuistas consulere, æquum non putas, nisi ad hoc, ut, quod probabilius est, cognoscat & sequatur. * Tuis verbis fidem detrecto, nisi probes id, quod astruis. Nec enim tenetur quisquam ad probabilius, modò oppositū probabile esse constet. Judicem excipio, cui Resp. vel Princeps id muneris ea lege committit, ut ex probabiliore sententiam ferat; item ministros Sacramentorum, à quibus probabilem materiam aut formam adhiberi, non vult Ecclesia, quando scilicet certa suppetit; item Medicum, qui, certâ medicinâ rejectâ, probabilē adhibere non debet. Igitur, si aliquis minùs probabilem opinionem sequi potest, non video, cur à Doctoribus eam discere non possit; nec enim agitur cupiditate, sed desiderio fugiendi peccatum ducitur, v. g. vult quis ex pecunia justum lucrum percipere: quid ni à Doctoribus modos illos inquirat, quibus justum lucrum percipi potest? Vult quis dimittere beneficium, at retentâ pensione; aut illud cum alio permutare: quid ni à Casuistis, Theologis, Canonistis modum resciat, quo id rectè, licitè, & exclusâ simoniâ fiat? sic ego tuo argumento utor: licet sequi minùs probabilem sententiam, licet igitur inquirere. Sic enim ratiocinaris: non licet amplecti minùs probabilem, & mi-

* *Pag.* 94. 95. 96.

* *Pag.* 98.

nùs tutam, igitur nec indagare: sed falsum est antecedens: nec, ut dicis, * dubia conscientia remanet, cùm adsit judicium practicum certum de honestate actionis. Si certũ; igitur omne dubium excludit. Restat unum, cujus te moneam: semper enim minùs probabilem opinionem pro minùs tuta accipere videris; cùm tamen sæpè accidat, ut minùs probabilis sit magis tuta: v. g. est minùs probabile, immò improbabile, contritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariam esse; quis autem neget, tutiùs esse, adhibere contritionem? est minùs probabile matutinas horas Sacrificio Missæ necessariò præmittendas esse; quis neget tutius esse? est minùs probabile quempiam admisso peccato, illicò teneri ad Confessionem, quis autem non videt tutius esse? tutius inquam, non ad peccatum excludendum, quod æquè utraque pars excludit, sed ad majorem perfectionem, ad quam non tenemur, actioni conciliandam. Cuncta hæc distinguere debueras, mi homo; sed distinctionis & perspicuitatis impatiens, omnia confundere maluisti, ut sub illis tenebris lateres, & simplicioribus longè facilìùs imponeres.

Quis demum Jesuita, ut temerè affingis, * unquam negavit, diligentiam adhibendam esse, vel fusis ad Deum precibus, vel consultis piis, doctisque hominibus, ad Dei voluntatem cognoscendam, & cæleste lumen implorandum? Doctis inquam & piis, non tamen Portus-regalis inquilinis, quos reverà nec pios, nec doctos esse, omnes Catholici sciunt: nec enim pietas, & vera doctrina cum errore consentiunt. Quòd boni & religiosi viri Casuistis parùm, ut dicis, utantur, experientiæ repugnat. Nam religiosæ conscientiæ homines alios sæpè consulunt, ne vel minimam peccati labem contrahant. Sed consilia à præceptis probè distinguenda. Utinam omnes consilia sequerentur! hæc sunt, ctede mihi, Jesuitarum vota: sed quod Christus non præcepit, præcipere ipsi minimè possunt. Hîc porrò Concionatorem agis, & satis pueriliter declamas: eos, qui Casuistas consulunt, * ineptè Balaamo comparas, intentas iram Dei, maledictionem comminaris, eò quòd magistros *prurientes auribus* sibi *coacervent*. Sed vide, ne in vestros Magistros hæc probè quadrent, qui adeò tersum & exquisitum styli nitorem impensè hactenùs & operosè affectarunt, ut hoc melle, Jansenianì venenum erroris, præsertim apud imperitos condirent.

* *Pag.* 99.
* *Pag.* 99.
* *Pag.* 100.

SECTIO VI.

De Casuistarum auctoritate.

REtractas, quæ jam supra de probabili opinione, ad nauseam congessisti: * nullum Doctorum numerum vis sufficere, ad probabilitatem opinionibus conciliandam, per locum scilicet, ut ajunt, extrinsecum. Times Jansenium vestrum obrui à maxima illa Doctorum turba, qui ejus errores cum Ecclesia damnarunt: hinc illorum authoritatem elevas. Sed apud Catholicos maximi semper ponderis fuit; nullius verò apud heterodoxos. Eo ipso quòd quis aliquam opinionem probabilem censet, statim vis ipsi fieri probabilem. In hoc sæpè ac sæpiùs hallucinaris; cùm aliud sit esse probabilem, & aliud talem videri. Si forsitan error probabilis vobis videtur, qui tamen probabilis non est: neque vos excusat, cùm per crassam & voluntariam ignorantiam omnino delinquatis. Quòd aliqua opinio nonnullis videatur probabilis, quæ Scripturæ & manifestæ rationi repugnet; apud vos non deerunt exempla: apud Catholicos non invenies. Licèt enim aliqua improbabilia putent; illa tamen manifestæ rationi, aut Scripturæ tam perspicuæ, ut allegatis, non repugnant. Aliquo exemplo dictis, seu meditis, fidem facere debueras. Addis unius Ecclesiæ auctoritatem movere. Rectè: medice cura teipsum: cur eam rejicitis, & pessumdatis? movet Ecclesiæ auctoritas ad certa; Doctorum verò ad probabilia: de iis enim agit Augustinus, quæ quis credere, vel non credere debet; nec unquam negavit Augustinus, quin Doctorum auctoritas maximi alioquin momenti sit. Perstringis deinde aliquos auctores, quos insicias insimulas. * De Thoma Sanchez, ut alios omittam, quibus aliquando caninæ tuæ maledicentiæ dabis pœnas, dicere ausim, ad instar aquilæ esse, cui noctuas, vespertiliones, & ferales Portus-regalis bubones nemo sanè, opinor, nisi mortalium stultissimus comparet.

Immò, quod longè graviùs est, opinionem aliquam eo ipso suspectam esse dicis, quo à Casuistis docetur: quas subinde Baunio & Escobario calumnias affingi, multi Apologistæ diluerunt: de his tamen infra. Interim per inanem quandam ostentationem, tibi serium applaudens; vis Casuistas, Theologos, Jesuitas odevenisse, ut doctis simul & indoctis *horrori* sint. Sic eleganter tua vota expromis: quod enim ad rem ipsam attinet, eodem prorsus modo, quo antè Catholici eos consulunt, adeuntque, ac se illis, in iis, quæ ad Deum spectant, regendos tradunt: nec ea laborant solitudine, quam exaggeras. * Vestrum quidem, vel potiùs cacodæmonis consilium fuit, qui vestri, aliorumque fœderatorum operâ usus est; ut Jesuitas à suis erga fideles piis muneribus removeret: sed ea pro votis non successit: est, qui videt, & judicat. *Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania, sed Dominus de cælo prospexit, & conturbavit eos.*

Ne quid demùm ad contumeliam desideretur, constanter asseveras, in dubiis moralibus, mulierculæ cujuspiam judicium, Casuistarum, non paucorum aliquot, sed ferè omnium (nam plerosque dicis) judicio anteponendum esse. In hoc sanè tuum plenique judicium desiderabunt: nec deerit fortè, qui dicat, te insano mulierculorum amore teneri, quas Theologis Catholicis anteponis. Desperatam haud dubiè causam agis, pro qua ad mulierculorum tribunal appellas. Hæreticis quoque idem mos fuit: nullus enim sectari * unquam exstitit, sine consorte alterius furoris. Rem etiam indoctorum judicio committis: at indoctos & suspectos recuso Judices, quia scilicet rei similes. Viginti demùm Casuistis, immò centum & mille, vel unum pium & eruditum Parochum opponis. Unum inquam, ex illa celebri ogdoade. Tumagine facto, omnem Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgii populum opponis. Expunge, amabo te, Hispaniam, nec enim populum in ea reformatum invenies, qui Jansenianà dogmata probet: in aliis regionibus, quas appellasti, multos invenies, qui vestræ factioni addicti sunt. Vobis enim cum Lutheranis & Calvinistis, cum Carolo Molinæo, & Samuele Maresio bene convenit. Italiam prudens omisisti, quæ nihil nisi fulmina vobis hactenus cudere visa est.

Subnectis, nihil ex eo auctoritatis Casuistis accedere, quòd ingentia volumina confecerint, parum aliqui

* *Pag.* 102.
* *Pag.* 103.

aliqui ad scribendum instructi & idonei; in toto ferè annorum decursu, non nisi 12. Casuistas, teste Adamo, scripsisse, idque divino quodam consilio contigisse; cùm res admodum periculosa & lubrica sit de conscientia, de distinctione venialium & mortalium disputare; nunc verò Casuistarum nubem exortam esse, qui, tanquam *Ægyptiacæ ranæ*, * in Ecclesiam irruerunt, & nihil pene jam *in moribus integrum* reliquerunt. Citas in hanc rem longum *divini Aurelii* (is enim appellas) locum; institutâ demùm, pro negotio fidelibus, Parochum inter & alienum, comparatione, in gratiam Parochi sententiam ita propugnantis, ut alienos, *impuras cisternas, devios tramites, & latebrosos recessus*, appellare non vereatis.

Hæc paucis refutantur. Antiqua fuit hæreticorum mania, contra Scholasticos & ingentia illorum volumina declamare. Sed numquid D. Thomas tot & tantorum voluminum auctor, aliique omnium ordinum scriptores, in eo Theologorum Moralium censu comprehenduntur? Beliarminus Summistas numerat, ut vocant, qui Summas scripserunt, inter quos S. Raymundus de Pennaforti, S. Antoninus, Cardinalis Cajetanus, & Sylvester Magister sacri Palatii recenseantur, tredecim appellat: tu verò duodecim, neque sine fuco & mendacio à te dicatur. Sed ubi Canonistæ, & Theologi, qui de re morali scripserunt? Quæ sit, satis video, tot ac tantos errorum volumen testes habere puduit.

Parum idoneos, & instructos ad scribendum fuisse dicis. Quid porrò iis desuit? vis dicam; una dumtaxat ergò doctrinam Jansenianam propensio. Nam integritate ac vitæ sanctimoniâ, eruditione singulari, constanti demùm ingenio præditi, ex S. Scriptura, ritu Ecclesiæ, sacris Canonibus, Rom. Pontificum Constitutionibus, sanctis Patribus, Doctoribus demùm Theologis, eam doctrinam excerpserunt, quam in eorum codicibus legimus. Nolles de concinnita disputari; ne vobis erroneam esse, simplices Catholici intelligant: nec de culparum distinctione ut nova crimina ad terrendum populum proferatis; ut Sancygiranus vester, qui hominem ejus mortali adstrictum, rei sacræ, absque peccato mortali, nunquam interesse dicebat. Attingis eum modum injungendæ pœnitentiæ: de quo agi nolles, ne, quam obtruditis pœnitentiam publicam, eam pro occultis, idq; more Pharisaico, necessariam esse, Theologi demonstrarent. Quis tuum Aurelium ignorum credat, quem tam inhumanum erga regulares Ordines, vel ipse locus à te adductus planè demonstrat? sæpè quidem divinũ & Prophetam egit, in libris illis Apocalypticis commentis: sed falsum Prophetam fuisse, probavit eventus. Cæterùm tibi habitus esset, ut nunquam Aurelium citares, nisi monita priùs Lectore de libro cautè legendo, in quo fere nemo centum errores confixit.

Uter verò, ad regendos fideles, in via spiritus, ignorit, Parochus scilicet paulò liberioris vitæ honos, cui nihil ad luxum, ad commodum, ad delicias desit, quem turba nepotum coronat, cui licèt incogitanti fenitur & metitur (de his enim tantùm loquor;) vel alius strictioris instituti, castigatioris vitæ, rebus divinis addictus, curis sæcularibus liber, doctus sapiens, & debita, tum jurisdictione, tum approbatione instructus; uter, inquam, sit aptior, cuivis considerandum relinquo. Te interim ad libellum P. Babilonæ hoc argumento scriptũ remitto; quem, cùm a Cardinalium Congregatio ad id specialiter deputata, recognoscendum & examinandũ suscepisset; nihil in eo censurâ dignum pronunciavit. Hinc Romæ liber, cum approbatione secundò editus; ut ab amico certior factus sum.

SECTIO VII.

Dissolvuntur Jesuitarum criminationes.

AJunt, inquis, impostura 22. perperàm sibi vitio dari, quòd probabiles opiniones esse censeant: illicò pernegas; sed id duntaxat vitio verti, quod ea, quæ improbabilia sunt, pro probabilibus habeant. Incitata impostura, nihil tale invenio; ut vel inde impostura vestras multiplicetis; sed ibi tantùm lego, Thomam Sanchez à Montalcio temerè correptum esse, eò quòd dixerit, auctoritatem gravissimi Auctoris, solidis nixam rationibus, sufficere, ut aliqua opinio dicatur probabilis. Sed hæc est communis omnium sententia, modò sit auctor doctus, prudens, & pius, qui ex professo rem discusserit, eam optimis & firmis rationibus confirmet, & ea, quæ opponuntur, probabiliter diluat. Sed te remitto ad impostura latinè redditas, ut novam impostura agnoscas. Quod verò opponis, pro probabilibus multa à Jesuitis haberi, quæ improbabilia sunt; donec ipse probaveris, improbabile reputandum est. Sed age, quæso, argumentis, non convitiis. Centies in his notis dixisti, nullam opinionem, quæ falsa sit, tutam esse: quòd Jesuitæ, immò Catholici omnes, id negent; errant, inquis, & pueriliter nugantur. Tu verò erras Willelme, & à te in hoc dissentire, Catholicum est. Quod ipsi habent, minùs probabilem, modò verè probabilis sit, esse tutam, eo modo, quo antè dixi, probabilius est. Tu id negas, etsi minùs probabiliter; non tibi propterea litem intendo; à censura prorsus abstineo. Cur eam adhibes, qui pejoris es conditionis?

*Nemo inter Jesuitas opinionem illam probabilem agnoscit, quæ dogmatis in Ecclesia receptis adversetur, aut à sensu communi abhorreat: quia probabilem, quamvis certitudinis expertem, ratione probabili nixam esse volunt: hæc autem ratio petitur, vel à loco extrinseco, scilicet ab auctoritate gravium auctorũ, quos sine ratione ita sensisse incredibile est; alioquin graves, docti, pii, prudentes Doctores non essent: vel à loco intrinseco, scilicet à re ipsa: hinc utrumque semper conjunctum est. Licèt enim opinio aliqua mihi probabilis videatur, quia illam tenuit gravissimus, & omni exceptione major auctor, suppono tamen, illum suis rationibus & fundamentis non caruisse. Negabis fortè, Doctoris Angelici auctoritatem sufficere cuipiam ad probabilitatem, quamvis alioqui ejusdem rationes ignoret, quas tamen ille supponit? Caramuelem idemtidem carpis: sed ille nostris armis non indiget; ad pugnam satis instructus est, auxiliares copias non postulat. Nolim tamen tibi persuadeas, Jesuitas in ejus verba jurasse, innumera proposuit, interrogando potiùs quàm asserendo, quæ nullus unquam Jesuita defendit. Quòd verò dicant, non ideò aliquam opinionem reipsa esse improbabilem, quòd alicui talis videatur, modò tamen gravissimi auctores eidem suffragentur; nemo, qui rectè sentiat, secùs putat. Quàm multa Jansenistæ vestri, immò Calvinistæ improbabilia & falsa reputant, quæ pro probabilibus & certis Catholici habent?

Quòd demum aliqua opinio nec Scripturæ, nec Patri-

* Pag. 104.
* Pag. 105.
* Pag. 106.

Patribus, nec Ecclesiæ, nec rationi evidenter repugnet; illud quidem necesse est, ad hoc ut probabilis sit, non tamen probabilem facit; sed ratio probabilis adesse debet: neque tes tota, ut dicis, ad auctoritatem solam reducitur; immò ipsa auctoritas cum ratione conjuncta esse supponitur. Falsum etiam est, quod Jesuitis affingis, nullam unquam opinionem Casuistarum improbabilem censeri posse. Si enim communi gravissimorum auctorum consensu, aliqua opinio sensui Ecclesiæ, sacris Canonibus, SS Patribus, rationi evidenter repugnet, quamvis aliqui eam probabilem putent, nihil tamen obstat, quin eam pro improbabili habeamus. Adductum Vallii testimonium ab auctore illo, * qui vestras imposturas publicavit, luculentum est, & nullatenus ambiguum; item Navarri, Alberti Magni, S. Antonini, Gamachæi loca perspicua sunt: ad pœnam libri: tu vide sis. Quid porrò ambiguitatis in Vallio fingi possit? satis enim esse, inquit, tutam & probabilem opinionem sequi, & probabiliorem posse optimè relinqui. Quòd Gamachæus non præstò sit, nemini persuadebis: sic perspicuum illius testimonium eludere voluisti: * eadem arte S. Antonini auctoritatem elevas. Sed hoc vobis familiare est, ut eorum, qui vestris erroribus non suffragantur, bonum nomen & famam denigretis: nemini hactenus satyræ vestræ pepercerunt: nihil in Ecclesia sanctum, quod maledicentia vestra non fœdarit: Romanum Pontificem, Concilium Trident. SS. Patres, qui vobis ab Augustino dissentire videntur, Scholasticos omnes, Religiosos Ordines, Deiparæ cultum, sugillare, carpere, deridere, perstringere, impunè hucusque non cessatis. Hæc porrò sunt crimina vestra; non Jesuitarum criminationes. Multùm alibi, sed hîc plurimùm hallucinaris. Ubi titulum sine re lectoribus tuis exhibuisti, centies eadem repetis; eadem ubique cantilena. Unum dumtaxat obolum feres. Hæc quoque sæpiùs Parochi Parisienses, aliique in suis censuris ad nauseam inculcarunt. Aspersisti aliquot, Augustini ut plurimùm, loca; quæ tamen ad rem non faciunt. Sic operam, & atramentum perdis: sic frustra paginas imples; in quas una litura, seu spongia probè quadraret.

* *Pag.* 107.
* *Pag.* 108.

NOTA II.

Filiutii doctrina de Jejunio.

Filiutium, tanquam blasphemũ, & hæreticum, hoc loco traducis, eò quòd dixerit, eum ad jejunium non teneri, qui vel labore ob malum finem suscepto, vel alia sua culpa, talem infirmitatem, dispositionem, vitium debilitationem contraxerit, ut sine gravissimo incommodo & periculo jejunare non possit; quamvis expressè dixerit, eum peccare, si malo fine laboret in fraudem jejunii; * duplici videlicet peccato, primò ob turpe factum, quod ab eo ponitur, secundò ob appositam causam solvendi jejunii; licet deinde, si reverà, ut dixi, moraliter jejunare non potest, ad jejunium non teneatur. Auctores suos Filiutius citat.

Quid in hac doctrina tam nefandum & horrendum sit, quod tam acres declamationes postulet; reverà non video. Supponit enim Filiutius, pravum illum, tum laboris illiciti, tum fraudis intentæ affectum revocatum fuisse. Si enim remaneret, haud dubiè illa omissio jejunii ab illo vitiaretur. Immò fieri potest, ut jam infirmus, in Sacramento Pœnitentiæ absolutionis gratiam acceperit, urgente scilicet necessitate, ut si quis ex duello, gravi vulnere accepto, & multi vis sanguinis effusâ, decumbat: quis eũ, amabò, quam vis sua culpa infirmum, jejunii lege non solvat? Non negarim tamen, Ecclesiam iis, qui licito labore defatigantur, indulgentiorem esse debere; & in iis, qui sua culpa defatigantur, graviorem causam requirere, scilicet in pœnam: at posito, quòd sit talis defatigatio, debilitatio, corporis infirmitas, ut infirmus jejunare non possit, nisi in probabilissimum mortis, aut gravis morbi periculum incurrat, quis eum à jejunii lege immunem esse non dicat? si fortè Jansenitarum stros excipiam, qui, ut jam dixi, Pharisaico more, aliis *onera importabilia* imponunt, eaque *digito suo* movere nolunt.

Quod attinet ad auctores pro hac sententia citatos, scilicet S. Antoninum, Sylvestrum, Medinam, Cajetanum, Angelum, Navarrum; expressa eorum loca impostura 8. legisti. Quid ergo tricaris, & miraris Jesuitarum frontem? quasi verò omnes eam corporis infirmitatem, seu dispositionem non intelligant, quæ jejunii impatiens sit. Quis enim neget, ab Ecclesia aliquid præcipiente supponi vires adequendum necessarias? quis neget, sceleratum peccatorem plus jejuniis egere, quamvis difficilius, quàm alii jejunet? at si talis sit infirmitas, & vitium lapsus, ut jejunare non possit, de hoc enim agitur; quis eum teneri dicat? sed tuas artes agnosco Wilhelme: hæc quæstio tibi parum curæ est: hoc prætexis nomine fraudem: Jansenianadogmata ubique defendis; licet de Jansenio ne cogitare quidem videri velis. Teneri nempe vis etiam eum, qui præceptum implere non potest: impotentia illa, quæ culpâ nostrâ contrahitur, à peccato nunquam liberat. Sic ignorantia juris naturalis, quam per peccatum contraximus, à culpa non liberat. Agnoscis, ni fallor, nativum Jansenii vultum. Nihil affingo, immò nihil dico, quod rudis tyro non videat. Eò spectas: nempe res hujusce modi ad probationẽ vestri erroris adducere soleris. * Censura illa Lovanienſis suspecta est. Quàm infesta Jesuitis, quàm addicta Bajo & Jansenio Academia illa hactenus fuerit, frustrà reponerem; cùm id nemini lateat. Nec Filiutius tam crudè loquitur: cur ejus verba non adduxisti, quæ tibi suggesta fuerant nec ille quamlibet defatigationẽ intelligit; sed eam, quæ maximam difficultatem pariat; eam nimirum, quæ ab implendo Ecclesiæ præcepto liberet. Vis hominem penitùs exhaustum, & semimortuum jejunii lege teneri? Vah charitatem Pharisaicam!

* *Pag.* 110.

NOTA III.

Baunii sententia, quæ Confessarium obligat ad pœnitentes absolvendos, probabilem opinionem secutos.

Hæc toties inculcata fuit, & pro ea tam multi auctores scripserunt, ut vel unus illorũ quadringinta sex alios citet: supponunt autem, opinionem, quam pœnitens sequitur, esse verè probabilem, ac proinde talem, cui etiam Confessarius, si velit, adhærere probabilem esse sciat, licèt alteri adhæreat. Sic tamen possit, utpotè, qui illam Confessarius falsam esse evidenter cognoscat, nullo modo eam sequi potest. Et verò, si ex illa opinione pœnitentem absolvat, illam

Illa in hoc sequitur: igitur talis esse debet, quam in rem certò sequi possit: igitur certò probabilis, ne ipsum dubia conscientia operetur. Porrò si talis est, cui neget eum teneri illam amplecti, in gratiam pœnitentis, quem ex officio juvare tenetur? igitur & illud agere, quod commodè & licitè agere potest, ad hoc idem illum: igitur opinionem illam ad usum pœnitentem reducere, cùm aliter pœnitentem hîc & nunc juvare nequeat.

Hoc etiam loco, dum Andabatarum more pugnare videris, tuos errores multiplicas, seu veriùs, itera verum que repetis. Vis enim nullam unquam opinionem falsam, quantumvis probabilem, à peccatorum omnem facere; quod erroneum esse, jam supra demonstravi. Unde concludis, non posse pœnitentem ulla lege absolvi, cùm præter peccati maculam, haberet erroris contumaciam. Sed heus tu Wendrock: illa pœnitentis opinio, cùm probabilis sit, non illo modo, sed etiam vera esse potest: suppone igitur verum esse: Confessarius igitur, qui oppositam falsam sequitur, errat & peccat, si alteri, quæ vera & bona adhæreat. quid ergo facto opus? Confessarius suam veram putat, ita tamen, ut falsam esse possit: item pœnitens suam: igitur eodem hic jure stant, quo ille suam sequitur. Videndum ergo, quid expedit, & satius esse videatur. Quis neget satius esse, pœnitentem absolvi, cùm licitè absolvi queat, quam absolutionis beneficio privatum dimitti, & sic agi in desperationem? Hæc revera si capias Willelme, mutabis, errores que tuos revocabis.

*Subnectis deinde varias opiniones de homicidio, de mendacio, de calumnia, de duello; quæ jam ab Apologistis vel omnino rejectæ sunt, (nam innumeras per calumniam affinxistis,) vel ita explicatæ, addito scilicet iis conditionibus & legibus, ut speculativè saltem, si non practicè probabiles censeantur, eo modo, quem breviter quidem, at satis perspicuè demonstravi supra pagina 60.

Jam verò, quòd aliqui dicant, licere aliquid, & non licere, id est, probabile esse licere, & probabile non licere; probabiliter Confessarium teneri, & probabiliter non teneri; mirum tibi accidit, & Dialectici personam induens, sic arguis: licet & non licet absolvere; igitur certò licet non absolvere; tenetur & non tenetur Confessarius absolvere; igitur certò non tenetur. Verum sanè Dialecticæ genus: ex probabili certum deduci, immò, quod mirabilius est, ex duabus probabilibus oppositis & copulatis, alteram certam infers. At te personam Dialectici induis, qui tam ineptè & absurdè illam sustines. Sic ergò meliùs ratiocinari posses, si tamen rationis patiens es, quæ in tanta perturbatione furoris, odii, & pervicaciæ vix locum habet: certum est, probabile esse, quòd prædictus pœnitens sit absolvendus; igitur certum est, tutum & honestum esse absolvere: & quia certum est, etiam probabile esse, quòd absolvendus non sit; ideo certum est, tutum & honestum esse, non absolvere; quia nulla lex certò obligat, nisi certa; igitur neutra pars oppositam damnat. Sed, inquies, Cajetanus, & alii non sibi ex parte conscientiæ, judicium ultimum practicum certum exigunt, verùm etiam certam veritatem sententiam, quæ sit fundamentum conscientiæ, negantque sufficere probabilem. Respondeat qui, hanc opinionem falsam esse, vel, ad summum, probabilem non certam. Ego aliter respondeo, ne fallor, utrique parti facio satis: nempe ultrò concedo, illud ultimum judicium conscientiæ, citrà quantiam invincibilem, deduci ex sententia certa, scilicet ex illo judicio, quo judico certò talem, vel talem sententiam certam esse, vel probabilem, vel probabiliorem: igitur licèt supponatur opinio probabilis de tali vel tali objecto, supponitur tamen certitudo, id est, certum judicium de prædicta probabilitate; quod est fundamentum conscientiæ.

*Quod demum subnectis de divino lumine, quo Confessarius à Deo illustratus, veritatem liquidò cognoscat; Calvinum olet, & interiorem illum spiritum, cui hæretici divinæ veritatis notitiam acceptam referunt. Si nihil aliud, hoc satis animum tuum prodit.

*Pag. 112.

NOTA IV.

De Joanne Sancio.

ÆGrè tulisti, quòd Apologista Joannem Sancium eruditissimum Theologiæ Moralis Doctorem appellarit: tum quatuor ejusdem opiniones refers ex Diana; ac dicis, dignos esse Jesuitas, qui Sancium laudent. Unius dictum omnibus attribuis; quo jure, divinare non possum. Prætereà eruditum esse, nemo profectò negaverit, nisi fortè, qui librum illius non legerit, sed tui similis apud Dianam paucos illius versus cursim oculis lustrarit. Omnes hujus auctoris opiniones defendendas non suscipio, * nec etiam Dianæ, aut Caramuelis, quia nonnullæ mihi probabiles esse non videntur, saltem in praxi; negari tamen non potest, quin eruditus sit & ingeniosus; quod nisi concedas, plus quàm stolidus es. Nisi à sacra Indicis Romani Congregatione in prohibitorum album hic liber, ob aliquot assertiones, relatus esset; tibi auctor forem, ut illum apud illum, non apud Dianam legeres. Non rarò enim accidit, ut librorum coactores in iis exscribendis aliquando turpiter errent, ut is, qui P. Amici objectionem pro ejusdem sententia traduxit & publicavit; & alius interrogationes, seu quæstiones Caramuelis, pro ratis ac fixis ejusdem decretis. Sed cùm adeò demisse de Sancio sentias, cur Romanam illam confixionem omisisti? nec enim tibi latere potuit. Verbo dicam; quia Romana est; &, quæ te pupugit, Roma placere nequit. Censuras Lovanienses & Sorbonicas ad nauseam obtrudis & jactas, quia Jesuitis adversas; Romanas retices, quia Jansenistis & hæreticis infestas.

*Pag. 112.

NOTA V.

Quo pacto Jesuitæ Patres re-vereantur.

VIs SS. Patres à Jesuitis parum admodùm reverenter habitos fuisse; quia Reginaldus dixit, potiorem rationem habendam esse recentiorum scriptorum in iis, quæ ad mores & quæstiones morales pertinent; antiquorum verò in iis, * quæ ad fidei dogmata spectant. Grande scelus, Willelme, propter quod etiam in Apologistam acriter invectus es; sed sive Patres pro antiquis illis accipiat, ut sensit Annatus in responsione ad Theologiam moralem, sive pro aliis antiquis scriptoribus, qui Patres non sunt; quid inde concludit? Fallitur igitur Apologista, inquis; qui & negat, hæc verba in Cellotio reperiri, & antiquos illos à Reginaldo appellatos, alios à sanctis Patribus esse vult; cùm tamen Annatus Patres in an-

*Pag. 113.

in antiquioribus illis invenerit. Neuter sanè peccavit, cùm uterque sensus in verba quadret, tum Reginaldi, tum Cellotii. Cùm Patres ne nominent quidem; cur alios antiquiores, qui Patres non sunt, intelligere vetas? & cùm etiam Patres antiquiores sint, cur Patres inter antiquos non recenseam? neuter igitur erravit; uterque rationabilem sensum exposuit. Quòd autem illa verba, quæ Montaltius Cellotio affinxit, in Cellotio non legantur, scilicet latinitate donata, sola locorum collatio demonstrat. Sed esto, Reginaldus ita censeat, Cellotius ita scribat. * Cùm in Morali Theologia non disputetur de certis morum regulis, quæ in libris Patrum habentur (has enim ut certas Theologi supponunt;) sed de singularibus quæstionibus, quarum solutio, ut plurimùm, ab aliquo textu aut Canone, aut diplomate Pontificio petenda est; frustra apud SS. Patres solutionem illam investigarem, qui ante hujusmodi leges scripserunt. Adde casus particulares, quos apud SS. Patres non invenies. Nullum igitur piaculum, nullum scelus fuit, apud Recentiores ea exquirere, quæ ipsi discusserunt, non verò apud SS. Patres, qui omiserunt.

Cæterùm Apologista luculentis exemplis ostendit, quàm versati essent Jesuitæ in doctrina Patrum: Fronto, Sirmundus, Petavius, Turrianus, indefesso studio Patrum volumina triverunt. Quid Suarez, Vasquez, Ruiz, Bellarminus, Toletus; quid Theophilus Rainaudus, Annatus, Martinon, Gretserus, Serrarius, quid alii ferè innumeri hac in parte præstiterint, orbi Christiano compertum est. Quid porrò Augustini, Chrysostomi, Gregorii nomina desideras in Filiutio & Reginaldo, in iis quæstionibus, quas agitant de simonia, de Irregularitate, de Censuris, de Contractibus, Impedimentis matrimonii, ritu & usu Sacramentorum, aliisque hujusmodi? apage quæso istas nugas. Sed mirabilis es: sugillas Reginaldum & Filiutium, quòd tariora Patrum loca exscribant, & inscitiæ tribuis: Baunium quoque acriter perstringis, quòd multa & frequentia adducat, ad inanem, inquis, doctrinæ ostentationem. Est sanè, quòd te bilinguem vocem; qui carpis in uno, quod desideras in altero. Baunius tamen eo dumtaxat nomine, hac in re scilicet, displicuit, quod ad dispositionem sacræ Communioni necessariò præmittendam, illa omnia non postulet, quæ Arnaldus vester, quasi ex Tripode, Jansenio plenus Apolline, Christianæ Resp. annuntiavit. Frustra demùm carpis miserum illum & tardum Apologistam, eumque in facetorum hominum risum incurrisse dicis, * *ô imitatores servum pecus*; quod aggestis hæreticorum nominibus, Montaltium voluerit imitari. Tu faceros homines, histriones scilicet & scurras Apologistæ opponis: ego istis sapientissimos & religiosissimos opponere possem, qui lepidam illam Apologistæ responsionem valde probarunt. Scurra vester multa nomina Casuistarum, Germanorum præsertim, & Hispanorum collegerat, ut Villalobos, Coninck, Llamas, Achokier, Dealkofer, Delacruz, Veracruz, Ugolin, Tamburin, Fernandez, Martinez, &c. & insulsè quærebat perterrefactus, utrùm illi Christiani essent: Apologista, ut *stulto secundùm ejus stultitiam* responderet, hæc alia nomina congessit, Luther, Usser, Bucer, Tailer, Keiser, Groper, Tamber, Wittaker, Herman, Tilleman, Calagan, Hus, Thorp, Vrigth, Horck, Schuch, Crau, Whyght, Esch, Hall, Hun, Fryth, Hesch, Philpot, Testuvot, Jansen, Horden, Hitten, Sulfen, Houvenden, Zanchius, Brandius, Scharpius & interrogabat, utrùm hi, quos hæretici pro suis auctoribus & martyribus agnoscunt, revera Christiani essent. Longè meliùs interroganti respondere Willelme, si diceres ingenuè, Christianos quidem esse, at non Catholicos, eos tamen Jansenio vestro satis notos & familiares; quorum lectione multum ille profecit, & cuncta ferè, quæ in illo grandi volumine habet, ex iis puris putis fontibus hausit, ut P. Deschamps luculentissimis testimoniis aliisque collatisque locis feliciter demonstravit. Parum abfuit, quin nomen tuum, Wendrocki, attexeret. Probemus an quadret, Hork, Wrigth, Whyght, Wendrock: quàm bene sonat!

* *Pag.* 114.
* *Pag.* 115.

In sextam Epistolam.

NOTA I.

EXcusas Montaltii ignorantiam ab Apologista impost. 25. ita demonstratam, ut luce meridiana clarior evaserit. * Fateri ergo debueras, & hoc qualecunque pœnitentiæ publicæ, quæ vobismagnoperè placet, specimen edere; fateri, inquam, aliis debueras, Montaltium ignorasse, quid *Assertor* & Proditoris nomen apud Canonistas significet, quatenus scilicet ad Censuras Ecclesiasticas contrahendas ab iis refertur: aut si hominem satis ignarum excusare velles, id satis erat dixisse, in Summistis, Casuistis, Canonistis & Theologis eum parùm versatum esse, vacasse dumtaxat lectioni SS. Patrum, apud quos hæc futilia invenire non potuit. Si hæc ingenuè dixisses, esset, quòd sinceritatem tuam saltem laudarem, cum nec prudentiam, nec pietatem, nec sanam doctrinam in te quisquam laudare queat. Publicam illam pœnitentiam, quam misellis hominibus, qui vestro regimini se credunt, severè imponitis, nullatenus in vobis probare vultis; non estis *sicut cæteri hominum*, scilicet, ut Jesuitæ, Casuistæ, homicidæ, calumniatores, usurarii, simoniaci: omnia Phatisaica aptè in vos quadrant; hoc unum dumtaxat omittitis, *jejunio in sabbatho*. Sed bonus sum, qui vobis pœnitentium & confessionem publicam persuadere velim, quam à vobis, Censuræ Sorbonicæ, Episcoporum Decreta, Constitutiones demùm Apostolicæ extorquere hactenùs non potuerunt. Unum tamen rogo, aut saltem moneo, ut cùm de aliquo puncto Juris Canonici vobis disputandum erit, Lexicon saltem & vocabulorum indicem consulatis, ne artis terminos, & prima rudimenta ignoretis, & quispiam severus Canonista tritum illud occinat: *Ne sutor ultrà crepidam*. Escobario etiam fœdè imponis. Ab Apologista ita hujusce lumniæ cõvictus es, ut vel mutire vel hiscere pudeat. Bonacinam & alios ab Apologista citatos, * quasi per contemptum, Legnleios vocas, scilicet Bartolum, Ambrosium, Farinacium, Peregrinum, Genuensem, Cajetanum, Probum, Ancaranum, Immolam, Interez, Menochium, Julium Clarum, Covarruvium, Matcardum, Gutierez, immò Clementem VIII. tam graves, & tanto numero auctores, nullius auctoritatis homines esse dicis; ut iis nescio quem Menagium inter auctores classicos innominatum opponas, & Mosaica præcepta nobis obtrudas. Et hæc dicere, hæc scribere non vereris? O tempora! ô mores! est ne

* *Pag.* 130.
* *Pag.* 131.

mam, quòd tibi faciliùs ignoscatur, qui stylum dum-taxat latinitatem primatiis hujus sectæ mystagogis non gratis quidem, sed pretio locasti.

NOTA II.

Ecclesiæ leges desuetudine abrogari.

De legibus humanis, Civilibus, & Ecclesiasticis, quæstio est: quas desuetudine abrogari, nemo sapiens, nemo doctus, nemo, qui rem intelligat, negabit. * De antiquis pœnis, quibus blasphemi olim puniebantur, litem Filiutio moves; quòd scriptum reliquerit, omnes illas in usu ampliùs non esse. Quis hoc neget? quis non videt? experimento vestro faciat fidem, qui blasphemas illas voces toties fudi-erit. *Sic olim Dei præcepta sunt impossibilia: Christus pro salute omnium prædestinatorum mortuus est:* non tamen blasphemorum pœnas tulistis. Hîc quoque maledicentiam mihi fingis, eò quòd dixerit, Sacerdotē nullius reum debilis noxæ, si res ita postulet, rē sacrā facere posse: quidni, inquis, antiquæ severitati aditum obsepiri? Atmaledicta mihi peroras, qui & pœnitentiam publicam reduxere, & fideles à sacro convivio, in quo Christus simitur, per multos etiam annos removere consuere. Hujusmodi Reformatores Ecclesiæ semper fuerunt, cùm vel hoc nomine sectarii omnes exercitos invexerint; nomen etiamnum prætensis, ut ajunt, Reformatis relictum est. Unum tamen tentare, antiquorum Canonum usum adversus hæreses restituendum videri, in Gallia præsertim, in qua majores nostri tanto conservandæ religionis & fidei studio tenebantur; ne Janseniana hæresis ulteriùs serpat. Sed optandum id potiùs, quàm sperandum. Ita enim præsentium temporum sors tulit. Exoriatur Deus, ut manum ipse operi admovere dignetur.

* *Pag.* 131.

Dissertatio Theologica,

De Perpetuitate Canonum.

SECTIO I.

Certæ regulæ citra consuetudinem.

Mihora cœpit instituicurrente rota, cur Vrceus exit? Scurram egisti aliàs, nunc tandem Theologum agis; sed vide, ne pro conclusionibus Theologicis erroneas & hæreticas deducas. Initiò illum ultrò fateris, Leges Ecclesiæ ad cæremonias pertinentes, per desuetudinem abrogari; * in aliis autem positivis, hanc Jurisperitorum regulam non ubique perperàm asseris; & quia rem ita confundis, ut vix eam capere videaris, paulò distinctiùs explicanda est.

Duplex est sacrorum Canonum & Decretorum Ecclesiasticorum genus; huc etiam refero Constitutiones Apostolicas. Primum est in doctrina fidei & morum, cùm scilicet declaratur aliqua propositio hæretica, vel aliquod factum turpe, ac divinæ legi repugnans; v.g. simoniam vel usuram semper esse malum, item mendacium culpabile, &c. hujusmodi leges nunquam abrogari possunt, vel revocatione, vel desuetudine, vel alio quovis modo: nec item illæ, quæ sunt juris naturalis, ut lex æterna. Alterum est in disciplina, idque in multiplici genere. Vel enim ad cæremonias, & sacros ritus pertinet; & hoc abrogari posse, non negas: vel ad concessiones, indulta, gratias; sic Tridentinum Episcopis multa concessit, scilicet per delegationem, & summus Pontifex multa privilegia idemtidem concedit; nemo autem Catholicus dubitat, quin ea revocari & abrogari possint: vel ad præcepta positiva, v.g. Jejunii, abstinentiæ à carnibus, Festorum, confessionis annuæ &c. nemo etiam negat, hæc ab Ecclesia abrogari posse, nisi fortè aliqua institutionis Apostolicæ esse censeantur: vel ad pœnas & censuras, quas Ecclesia suis Deique præceptis sæpè annectit; hæ quoque ab eadem Ecclesia abrogari possunt, non quidem quantum ad Dei præcepta, sed quantum ad pœnas annexas: vel ad mores Ecclesiasticorum formandos; hæc etiam mutare potest; immò nullis aliis, si velit, nisi communibus præceptis Ecclesiasticis adstringere: vel demum ad distributionem beneficiorum, dignitatum Ecclesiasticarum, officiorum; quid in his summo jure possit Ecclesia, nihil est, quod dicam; quid ordinario, ex ipso usu constat. Certum est igitur, leges illas ab Ecclesia abrogari posse, quæ ab eadem latæ sunt, exceptis, ut dixi, Declarationibus & Definitionibus, in doctrina morum & fidei: sic posterius Concilium abrogare potest Canones antecedentis, in materia disciplinæ; item is, qui succedit Rom. Pontifex, revocare potest Bullas & Decreta suorum antecessorum, citrà Constitutiones in materia morum & fidei; nec enim is, qui præcessit, alios, qui succedunt, eadem potestate privat. Excipio autem Canones & Definitiones fidei, quæ cùm ab ea potestate & infallibilitate, qua pollet, tum Concilium generale legitimum à Rom. Pontifice confirmatum, tum ipse Rom. Pontifex in definiendis fidei & morū controversiis, proficiscantur; ut errori obnoxiæ non sunt, ita à succedentibus vel Conciliis, vel Pontificibus, revocari non possunt.

Hæc est doctrina Catholica adeò communis, & trita, ut vel ipsi tyrones hoc sciant: quam haud dubiè, Willelme, non tenes; cùm nullam legem Ecclesiasticam, præter ceremonialem, abrogari posse asseras. Equidem Ecclesia approbare nequit, ut honestum & bonum, quod jam olim turpe & malum esse declaravit, & nunc quoque sanctos & castos ministros optat, ut olim: sed quis neget, Canonicas pœnas abrogari posse, quas vel usurariis, vel simoniacis, vel homicidis inflixit? quis hoc, quæso, nisi hæreticus neget? Quasi verò ut leges ferre, ita eximere, dispensare, plectere, condonare, abrogare, aliaque id genus ad supremam Ecclesiæ & Romani Pontificis immediatam in omnes Christi-fideles jurisdictionem non pertineant. Nec Ecclesiæ spiritus ex iis Canonibus, quos olim florens & libera sanxit, * meliùs cernitur, quàm ex iis, quos deinde cōdidit. Quò spectes, satis video, Willelme. Ecclesiam modò liberam esse non putas, nec Concilia posteriora libera, quia Romani Pontificis auctoritas, Ecclesiæ, ut fingis, libertatem oppressit. O hæreticum caput! hoc à Calvino Sancygiranus, & ab hoc ultimo Janseniani acceperunt. Quasi verò libertas Ecclesiæ, alia sit à libertate summi Pontificis; suprema Ecclesiæ potestas alia sit ab hujus potestate. Sancta Sedes, totius jurisdictionis Ecclesiasticæ fons est, Romanus Pontifex Ecclesiæ caput visibile, à quo in reliqua membra spi-

* *Pag.* 132.

* *Pag.* 133.

ritus jurisdictionis descendit, Conciliis etiam legitimâ auctoritate convocatis, sua auctoritas inest; quatenus Rom. Pontifex iis præest, aut Decreta deinde confirmat. Igitur nemini Catholico dubium, quin ii Canones, qui ad disciplinam pertinent, à Rom. Pontifice revocari possint, ac proinde ipsa desuetudine abrogari. Hoc sanè mirari satis non possum; antiquos Canones, ad disciplinam scilicet ecclesiasticam pertinentes, minimè observatis; novos admittere recusatis ab ultimis Conciliis conditos: quid, amabò, rei? sacros Canones, semper in ore habetis, nunquam in opere: ab antiquis præsens Ecclesiæ usus vos eximit; à novis ipsi vos eximitis. Videte, ne id vobis bellè cóveniat: *Dicunt, & non faciunt.* Non negarim tamen, nec Jesuitæ id negant, per abusionem desuetudinem inductam aliquando fuisse, & abusionem, per crimina, saltem ut plurimùm, & legum violationes. Sed de ipsa desuetudine agitur, non de illius causa; quâ semel positâ, legem abrogari certum est.

Satis lepidum est, quod subnectis: * Canonicas pœnas, pro variis criminum generibus assignatas, divinæ institutionis esse, ac proinde juris divini. Quasi verò Sacramentum Pœnitentiæ sine Canonicis pœnis esse non possit. Hinc Canones illos *de Pœnitentia*, vis ab Ecclesia abrogari non potuisse: hinc Arnaldus pro iis restituendis acriter pugnavit. At Concilium Tridentinum nullam, Canonum *de Pœnitentia*, mentionem facit; sed de Sacramentali satisfactione, quæ à Confessario injungitur, & ejusdem prudentiæ relinquitur. * Ex longiore illo doctoris Angelici loco, quem exscripsisti, quid aliud constat, nisi per contrariam consuetudinem jura humana abrogari? præsertim, si contrariam illam consuetudinè ii dissimulent, in quorum potestate est, jus positivum mutare. Igitur ex D. Thoma quælibet lex positiva humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, desuetudine, vel Principis auctoritate abrogatur. Cur ergo dicis, tales pœnas, quibus per sacros Canones, simoniaci subjiciuntur, aboleri non posse ab Ecclesia? quod revera erroneum est: quamvis propterea omnimoda impunitas non concederetur; semper enim crimen aliqua pœna dignum est. Equidem Ecclesia declarare nequit, simoniam turpem & culpabilè non esse; potest tamen revocare Canones illos, qui talibus pœnis simoniacos subjiciunt: immò idemtidem Ecclesia à Censuris, in quas incurrunt, eos exolvit. Igitur illæ pœnæ, vel Censuræ jure divino non stant; ut temerè garris: alioquin nulla consuetudine contraria abrogari possent. Quis enim Casuista unquam dixit, ea quæ sunt juris æterni, vel naturalis, desuetudine abrogari?

Sed exemplis contrarium probas. * Contendunt Casuistæ, inquis, multa positivo dumtaxat jure illicita esse, quæ tamen divino illicita esse constat: v. g accepta à Judicibus munera, dare pecuniam, ut *motivum*, vel invitamentum, non ut pretium pro beneficio, contractum *Moatra*, aliaque id genus. Nemo negat, quin juri naturæ repugnet, Judicem accipere munera, ad ferendam injustam sententiam? Utrùm verò repugnet ad ferendam justam, majore scilicet, studio, curâ, operâ, diligentia; non ita certum est, ut dicis. Equidem tenetur, ad justam ferendam; sed teneri ad aliquod opus honestum, diversis titulis & nominibus, nihil vetat. Sed bonus sum, qui in his hæreo, quæ ab Apologistis fusè discussa sunt. Hoc dumtaxat unum subnecto: nullum unquam Casuistam dixisse, aliquid contraria consuetudine abrogari, quod jure divino illicitum sit: nullus tamen verè Catholicus unquam dixit, sacros Canones, qui ad pœnas & Censuras pertinent, ab Ecclesia revocari non posse. Quantum porrò temporis requiratur, ad veram desuetudinem inducendam, auctores disputantibus sanè prudentis judicio relinquendum esse videtur. Tamen esse debet, ut iis, ad quos spectat, non prorsus ignota sit. Quòd Ecclesiæ tolerantia omnibus nota esse debeat, sine fundamento adstruis: sufficit, ut passim nota sit. Collabenti ecclesiasticæ disciplinæ in paucorum firmitate, præsidium esse, perperam affirmas tuos Jansenistas haud dubiè intelligis, qui prædictæ disciplinæ rigorem more Pharisaico affectant: quo verò fine, Deus scit. Ne quid dissimulem, errorem Montani, & Donati superbiam, non parùm redolent. * Addis, prædictos Canones, scilicet *de pœnitentia*, adhuc stare, non obstante tolerantia Ecclesiæ, quæ in sacramentorum administratione, arcana flagitia, atrocesque permittit, & erumpentia tantùm plectere solita habet. Hæc pura puta Jansenii mens est, qui probos pacis, errores etiam in suis administris ab Ecclesia dissimulari, & tacitè tolerari dicebat. Aliquoties, inquis, (in fide scilicet & moribus) *majoris mali vitandi causâ*, christiana prudentia tolerari præcipit. Subdit erroneum est. * Hoc etiam loco, Episcopis, non modò divinam auctoritatem, sed ecclesiasticæ potestatis plenitudinem divinitùs concessam attribuis quæ uni dumtaxat Romano Pontifici competit. Ac demùm in Ecclesiæ rectores inveheris, qui, Jesuitarum consilio, nihil cogitant de antiquis Canonibus restituendis, de reformanda Ecclesia, &c. Ultima illi vestri, hujusmodi reformationi busminùs addicti sunt hæc vox *reformationis*, hæreticorum perpetua fuit, querent Tridentini decreta observari; erga tantam sedem propensiores sint, & observantiores Apostolicæ Constitutiones, eo, quo par est, honore excipiant, suam dignitatem eidè acceptam referant, promotæ doctrinas novatorum non ferant; missellis Regularibus non adeò infensos ac infestos se præbeant; paulo mitiùs agant cum iis hominibus, qui Ecclesiam De suis litteris, virtutibus & miraculis, immò illorum Ordinem sanctissimis & doctissimis viris illustrarunt; sarta & tecta servent illorum privilegia; immunitates ne lædant à Sede Apostolica profectas: si quid forte delinquant, homines enim sunt, servato juris ordine, à Tridentino sancito agant. Uno verbo, Regularium potiùs, quàm Jansenistarũ operâ utantur. Illorum enim damnata doctrina, & Pharisaici mores: illorum doctrina Catholica, & moresad consilia Evangelica formati. Non deerunt alii ejusdem Ordinis, iisque optimi, quos imitentur.

* *Pag.* 133.
* *Pag.* 134. 135. & 136.
* *Pag.* 133.
* *Pag.* 138.
* *Pag.* 139.

SECTIO II.

Exempla, quibus ostenditur, quantum Casuistæ in has regulas peccent.

REpetis iterum, leges Ecclesiasticas jure divino & naturali constitutas & sanctas esse; ut inde concludas dispensandi, abrogandique potestatem penès Ecclesiam, ac Romanum Pontificem non esse. Tantam hujus auctoritatem, qua te ruoisque cuncuit, ægerrimè ferre videris: sacri Canones nihil ad parùm ad timorem obtentum esse constat. Quo

verò perpetuus Ecclesiæ usus, chimæricis vestris re-
[illegible]nibus antepondus non sit.

Harum primo loco aggrederis, Pygmæus Her-
culem, Thersites Achillem. Vin' te Ranæ apologi
[illegible], Thersites Achillem. Vin' te Ranæ apologi
[illegible]mentò cõparem? cavè, ne tumore, plus æquo, disten-
[illegible]ris. Quid verò peccavit Suarez? dixit, inquis,
[illegible]ueres, Quid verò peccavit Suarez? dixit, inquis,
[illegible]nonum usu jam receptum esse, ut inferiores Pasto-
[illegible]nonum usu jam receptum esse, ut inferiores Pasto-
[illegible]res à Curati beneficia mutent, ad alia pinguiora
[illegible]res à Curati beneficia mutent, ad alia pinguiora
[illegible]ut eadem, cum pensione renuncient, eaque assumant
[illegible]ut eadem, cum pensione renuncient, eaque assumant
[illegible]ne animo retinẽdi ad aliquod tempus, sed non per-
[illegible]ne animo retinẽdi ad aliquod tempus, sed non per-
[illegible]petuo, nec enim illi statum, sed ministerium pro il-
[illegible]petuo, nec enim illi statum, sed ministerium pro il-
[illegible]lo tempore habere dicuntur. Hæc sanè Parochos,
[illegible]lo tempore habere dicuntur. Hæc sanè Parochos,
[illegible]in primis præsertim Ogdoadis, non leviter pupugêre,
[illegible]in primis præsertim Ogdoadis, non leviter pupugêre,
[illegible]quibus illum suum jure divino, ac proinde indi-
[illegible]quibus illum suum jure divino, ac proinde indi-
[illegible]spensabilem (dabis mihi hanc vocem) habere se di-
[illegible]spensabilem (dabis mihi hanc vocem) habere se di-
[illegible]cebant. Quod quàm à ratione alienum sit, sanctæ Sedi,
[illegible]cebant. Quod quàm à ratione alienum sit, sanctæ Sedi,
[illegible]quasi ipsis Episcopis injuriosum, nemo non vi-
[illegible]quasi ipsis Episcopis injuriosum, nemo non vi-
[illegible]det. Supponit autem Suarez talem usum, quem Ec-
[illegible]det. Supponit autem Suarez talem usum, quem Ec-
[illegible]clesia modò tolerat, sed suis, ut ajunt, *provisioni-*
[illegible]clesia modò tolerat, sed suis, ut ajunt, *provisioni-*
[illegible]*bus* nixum. Crede mihi, merum ministerium est, cui
[illegible]*bus* nixum. Crede mihi, merum ministerium est, cui
[illegible]Parochi propriam jurisdictionem conjunctam esse
[illegible]Parochi propriam jurisdictionem conjunctam esse
[illegible]velinquod ab inferioribus quidem Prælatis amove-
[illegible]velinquod ab inferioribus quidem Prælatis amove-
[illegible]ri ipsis opponi non possit, secùs tamen ab Ecclesia, & à
[illegible]ri ipsis opponi non possit, secùs tamen ab Ecclesia, & à
[illegible]Rom. Pontifice. Catholici omnes ita sentiunt: atque
[illegible]Rom. Pontifice. Catholici omnes ita sentiunt: atque
[illegible]ita difficultas soluta manet. Supponit autem doctis-
[illegible]ita difficultas soluta manet. Supponit autem doctis-
[illegible]simus auctor, bono animo & fine, non sordido, ut di-
[illegible]simus auctor, bono animo & fine, non sordido, ut di-
[illegible]xi, bono appetitu id fieri. Nam reverà, si turpis fi-
[illegible]xi, bono appetitu id fieri. Nam reverà, si turpis fi-
[illegible]nis aliquem moveret, non modò ille ad pinguius
[illegible]nis aliquem moveret, non modò ille ad pinguius
[illegible]promoveri non deberet, sed potiùs tenui, quo jam
[illegible]promoveri non deberet, sed potiùs tenui, quo jam
[illegible]fortunæ fervandus esset. Mercenarios & falsos Pasto-
[illegible]fortunæ fervandus esset. Mercenarios & falsos Pasto-
[illegible]res à Ecclesia removendos esse clamitas. Utinam,
[illegible]res à Ecclesia removendos esse clamitas. Utinam,
[illegible]Wiclefe, id fieret! Suarez haud dubiè suo calculo,
[illegible]Wiclefe, id fieret! Suarez haud dubiè suo calculo,
[illegible]eodem illud consilium donaret: sed in tanta Eccle-
[illegible]eodem illud consilium donaret: sed in tanta Eccle-
[illegible]siarum multitudine illud sanè optandum, vix
[illegible]siarum multitudine illud sanè optandum, vix
[illegible]unum sperandum est. In hoc Jesuitæ, modò sincerè
[illegible]unum sperandum est. In hoc Jesuitæ, modò sincerè
[illegible]loquuntur, eadem sentiunt: sed *timeo Danaos, & dona fe-*
[illegible]loquuntur, eadem sentiunt: sed *timeo Danaos, & dona fe-*
[illegible]*rentes*. Quid enim his tumultibus occasionem præ-
[illegible]*rentes*. Quid enim his tumultibus occasionem præ-
[illegible]bere? Curè scias, aliis cogitandum relinquo. Je-
[illegible]bere? Curè scias, aliis cogitandum relinquo. Je-
[illegible]suitarum odium, invidiam, suspicionem, pessimam fa-
[illegible]suitarum odium, invidiam, suspicionem, pessimam fa-
[illegible]mam, celebris Ogdoas conciliare summo conatu eni-
[illegible]mam, celebris Ogdoas conciliare summo conatu eni-
[illegible]tatur quamobrem verò ut ab iis fideles arceret. Sed
[illegible]tatur quamobrem verò ut ab iis fideles arceret. Sed
[illegible]quorsum? ut Jesuitis relictis, Parochis regendos se
[illegible]quorsum? ut Jesuitis relictis, Parochis regendos se
[illegible]darent. Si puro divini cultus & salutis animarum
[illegible]darent. Si puro divini cultus & salutis animarum
[illegible]studio, non lactis ovium, & lanæ amore ducerentur;
[illegible]studio, non lactis ovium, & lanæ amore ducerentur;
[illegible]nunquam profectò illas satyras, quarum maximam
[illegible]nunquam profectò illas satyras, quarum maximam
[illegible]partem, in tuas notas, ad splendorem & ornamen-
[illegible]partem, in tuas notas, ad splendorem & ornamen-
[illegible]tum assumsisti, in publicam lucem edidissent. Quis
[illegible]tum assumsisti, in publicam lucem edidissent. Quis
[illegible]enim divinæ charitatis ardore illos flagrare crederet,
[illegible]enim divinæ charitatis ardore illos flagrare crederet,
[illegible]qui publicum illud plusquàm Vatiniani odii monu-
[illegible]qui publicum illud plusquàm Vatiniani odii monu-
[illegible]mentum esse voluerunt? Nicænus Canon aliique,
[illegible]mentum esse voluerunt? Nicænus Canon aliique,
[illegible]quorsum, nihil ad rem, quia non modò Curionem,
[illegible]quorsum, nihil ad rem, quia non modò Curionem,
[illegible]verum etiam alios Presbyteros, Diaconos, & Cle-
[illegible]verum etiam alios Presbyteros, Diaconos, & Cle-
[illegible]ricos ad aliam Ecclesiam transire, sine licentia Epi-
[illegible]ricos ad aliam Ecclesiam transire, sine licentia Epi-
[illegible]scopi prohibent. Quasi verò prædictæ permutationes,
[illegible]scopi prohibent. Quasi verò prædictæ permutationes,
[illegible]resignationes, provisiones, sine licentia modò fiant,
[illegible]resignationes, provisiones, sine licentia modò fiant,
[illegible]Suarez id dicat. Recole, quæso, totum illud caput
[illegible]Suarez id dicat. Recole, quæso, totum illud caput
[illegible]de Curatis, & cura, ut tui illi paulò attentiùs le-
[illegible]de Curatis, & cura, ut tui illi paulò attentiùs le-
[illegible]gant: nempè ibi meram Doctoris Angelici mentem,
[illegible]gant: nempè ibi meram Doctoris Angelici mentem,
[illegible]non humanam doctrinam invenient; quamvis oppositam
[illegible]non humanam doctrinam invenient; quamvis oppositam
[illegible]illis chimæris, quas pro veris Traditionibus jactare
[illegible]illis chimæris, quas pro veris Traditionibus jactare
[illegible]non erubuit.

Alterum exemplum ex Filiutio, & Th. Sanchez
[illegible]rum, qui dicunt, pœnas contra blasphemiæ cri-
[illegible]rum, qui dicunt, pœnas contra blasphemiæ cri-
[illegible]men à quovis statutas, desuetudine abrogatas es-
[illegible]men à quovis statutas, desuetudine abrogatas es-
[illegible]se. Decretum Concilii Lateranensis ultimi sess. 9.
[illegible]se. Decretum Concilii Lateranensis ultimi sess. 9.
[illegible]incipit. *ad abolendam*, ipso usu receptum non es-
[illegible]incipit. *ad abolendam*, ipso usu receptum non es-
[illegible]se docent Armilla, Emmanuel Sa, Azor, Suarez:
[illegible]se docent Armilla, Emmanuel Sa, Azor, Suarez:
[illegible]quos, inquis, Jesuitæ præter Armillam: * quasi ve-
[illegible]quos, inquis, Jesuitæ præter Armillam: * quasi ve-

* Pag. 140.

* Pag. 141.

rò Armilla sit auctor, & non titulus Summæ à Fumo compositæ. Hinc autem in tragicas voces, & luctuosas declamationes insanus erumpis; hîc Clerum Gallicanum, Episcopos, Regem Christianissimum, Romanum Pontificem, Ecclesiam Mediolanensem, S. Carolum, terras, cælumque profundum, Superos & Acherunta lamentabili voce compellas, imploras, excitas adversùs Jesuitica flagitia. Quorsum hæc? quia dicunt, talem usum esse. Quis hoc non videat? nihil argumentis opus est, sed ipso sensu. An blasphemis lingua candenti ferro perforatur, vel abscinditur? quis, amabò, contrarium usum non videt?

Sed, inquis, gravis saltem Pœnitentia à Confessario blasphemis imponenda. Cur negas, gravem imponi? pro more scilicet gravium, ut ab Ecclesia modò usurpantur. Sed esto, illud Concilii Lateranensis Decretum usu receptum sit: numquid res severi Confessarii arbitrio relinquitur? numquid etiam consonat Tridentinum? Præterea cur usum petis à paucis, non verò à majori parte? à paucis, inquam, tui similibus, qui veterem Canonicæ pœnitentiæ praxim, contra expressam Tridentini mentem, pro peccatis scilicet occultis reducere conantur, licèt, ut ait Synod. sess. 14. cap 5. *nec præcepto divino mandatum sit, nec satis consultè humana aliqua lege præcipi posit, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Prætertim secreta, inquit; igitur publica etiam, saltem ut plurimùm, complectitur. Quòd hîc locus Emanuelis Sa à Magistro sacri Palatii mutatus fuerit, & oppositum ab eodem subsit tutum, * Jesuitæ non negant; quamquam *gravissimam* in *gravem* mutavit; nec ulla censura fuit, ut dicis: immò ex propositionibus mutatis, unica dumtaxat, de absolvendo scilicet absente, ab Ecclesia damnata est Sed ille auctor ante Clementis VIII. tempora, qui propositionem illam damnavit, aphorismos scripserat; & eam à multis Doctoribus, usque gravissimis, acceperat. Sed quid levissimos nævos hujus auctoris de re morali benemeriti, cum tuis crassissimis erroribus comparem, qui singulis ferè lineis occurrunt? nota quæso hanc paginam, in qua damnas Cellotium, eò quòd *nefariè*, ut inquis, dixerit, aliqua Conciliorum & Pontificum Decreta, in materia scilicet disciplinæ, ab Ecclesia esse abrogata: ab *Ecclesia*, inquis, *Iesuitica*. Hinc virus erumpit, & dolus patet. S. Sedis auctoritatem Jansenistæ tui ferre non possunt: perditam vellent, quæ illos malè perdidit. At quod Cellotius adstruit, nemo Catholicus negat. Vide qui sis; cùm ipse neges, & nefandum voces. Ad illud demùm, quod adeò vehementer exaggeras, de Concilii Lateranensis decreto; præter ea, quæ supra dixi, ex Conciliorum Summâ hæc pauca exscribo, quæ tibi fortè facient satis. *Ambiguum est, an Censuræ latæ in hoc Concilio sint usu receptæ, ut annotatur à Cardinale Cajetano in sua Summa, V. Excommunicatio & à me etiam ambigitur: pleræque earum usu non observantur, quo solo poterant abrogari.* Hæc coactor. Adde Cajetani dictum in Sum. V. Excom. c. 75. *Nisi consensu utentium*, inquit, *lex fuerit firmata, pro non lege habetur.*

* Pag. 142.

* * *
* *

SECTIO III.

Antiqua Ecclesiæ disciplina circa Presbyteros lapsos.

NOnnullis probabile visum est, Presbyterum eodem post lapsum die, contritum scilicet & ritè absolutum, * præsertim si ad id ex officio, vel proprio statu teneatur, sine ullo peccato posse rem sacram facere: nam & contemptus abesse, & status gratiæ, cum aliis dispositionibus pietatis actualis, ut ajunt, adesse supponitur, & alioquin alicujus offendiculi, seu scandali, ut vocant, vel suspicionis periculum est: nam de lapsu occulto quæstio instituitur. Postquam in Baunium, Vasquez, & Mascarenham, quorum imperitiam & impudentiam laudas, invectus es; inde occasionem arripis longiùs excurrendi in vastum antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ campum, circa lapsos & pœnitentes: parum abfuit, quin totum Arnaldum, & Morinum, quantus quantus est, huc traduxeris.

Multa facilè asseris, quæ eadem facilitate negantur; nec quidquam ex confusa illa locorum farragine, legitima consecutione concludi potest; quod certum & perspicuum sit. Nihil tamen probabiliùs super ea re dici posse videtur, quàm quod à Bagotio, libro singulari Dissertationum Theologicarum, editum est: scilicet, Pœnitentiam publicam seu Canonicam à sacramentali diversam fuisse; publicam illam, non pro quibuslibet peccatis mortalibus, sed tantùm pro publicis, nec pro omnibus publicis, sed pro enormibus fuisse; nullam pro occultis fuisse, nisi merè spontaneam; absolutionem illam, etiam ultimam pœnitentiæ publicæ, non fuisse Sacramentalem; varium fuisse in variis regionibus pœnitentiæ publicæ usum & ritum; illam fuisse tantum institutionis Ecclesiasticæ; ac proinde ab Ecclesia jure abrogari potuisse; jam dudum apud Græcos à Nectario suppressam; pœnitentiam publicam nunquam fuisse sine exhomologesi, id est, sine confessione publica, sive spontanea esset, scilicet occultorum, sive de præcepto Ecclesiastico, publicorum enormium. Cuncta hæc longè mihi probabiliora videntur; nec difficilè ex locis, tum à Bagotio, tum ab Arnaldo, tum à Morino adductis colliguntur. Utrùm verò præsens Ecclesiæ ritus Sacramenti Pœnitentiæ administrandi, cujus ratio & partes à Conciliis Florentino & Tridentino clarissimè traditæ sunt, tantam, ut aliqui plusquam flebiliter deplorant, Ecclesiasticæ disciplinæ collapsæ ruinam importet; non ita facilè concesserim: plus sanè terroris, at fortè minùs clementiæ & christianæ mansuetudinis præferebat. Hincante Novati hæresim, vix ullum illius vestigium: immò Morinus asserere non dubitat, primam illam formam ad ritum hujus temporis non parùm accessisse. Non negarim, illi sua fuisse commoda; sed etiam incommoda & offendicula non defuisse, nemo inficias eat. Ritus præsentis temporis ad fidelium consolationem, commodum, numerum, longè accommodatior esse videtur. Multi abutuntur, sat scio: sed etiam multi mirificè inde juvantur, & non pœnitendo compendio, ad christianæ & perfectioris vitæ usum perveniunt. Innumeros sanè peccatores, optimæ parentis Ecclesiæ charitas, ad meliorem frugem adductos, Christo lucrata est; quos alioquin durus ille rigor desperationi relinquisset.

Equidem peccatores ad pœnas illas sponte susciendas Confessarii hortantur, cùm ex spontaneis illis corpusculi afflictatione, non modò incredibiles meriti, satisfactionis, & impetrationis fructus proveniant (suppono enim hominem justificatū, ut ajunt,) verùm etiam suavissimæ consolationis interna vis, & interioris torrens voluptatis, ubertim fluat. Sanè in tanta fidelium multitudine, vix fieri potest, qui aliqui mali & boni sint, pauci optimi & pessimi, mediocris status plurimi. Nec antiquis illis temporibus sua vitia, errores, scandala, defuerunt. Hoc animus, cùm Salvianum sui temporis Hieremiam & historicos lego: nempe, exceptis primis illis nascentis Ecclesiæ primitiis, & tinctis sanguine Martyrum reliquiis, multis passim contentionibus, erroribus, ambitioni, avaritiæ, turpitudini, fraudi, bello & scandalis, locus fuit. Non adeò sum *laudator temporis acti*, quin etiam præsentis virtutem & sanctitatem res fidei optimè constitutas, probatissimos multorum Ecclesiasticorum, Regularium, & sæcularium mores, magni faciam. Sed ad te redeo, Willelme, qui hæc dubiè aliter sentire videris; & ita primævæ Ecclesiæ disciplinam extollis, * pro qua eruditum, ut vocas, Arnaldi librum mirificè laudas, ut jam tota pene collapsa esse videatur.

Asseris igitur, antiquo jure constitutum fuisse, ut Clerici, qui se aliquo crimine, luxuriæ præsertim, commaculassent, in perpetuum gradu decidere me, Capitale crimen dicere debueras; sic enim Cæsarius vocat: item publicum, non occultum; publicum inquam, de quo scilicet in judicio accusari posset: nec demum quodlibet publicum, sed enorme & capitale, ut supra laudatus Bagotius luculenter demonstrat in aureo libello, etiam à me laudato. Quod enim dicis, Hincmarum, S. Anselmum, Burchardum, Ivonem in hoc hallucinatos fuisse, & in fraudem inductos adulterinis quibusdam epistolis Gregorii, Calixti, & Isidori Hispalensis, ab insigni Impostore, nomine Isidoro, scilicet Mercatore, confictis; * perperàm & temerè dictum, omnes ad unum Catholici censebunt. Ecquis in hoc tibi potiùs fidē habeat, quàm Hincmaro, viro sanè doctissimo, & rerum Ecclesiasticarum peritissimo, necnon usus pœnitentiæ publicæ, quæ illius tempore præsertim vigebat? cui, amabò, persuadebis, illum ignorasse, eorum peccatis mortalibus publicam pœnitentiam fuisse imponendam? nescivisse, quibus Decretis stare communis exhomologesis usus, iis temporibus familiaris? perinde sanè atque si diceres, doctissimum aliquem hujus temporis Episcopum, v. g. Tholosanum, nescire, quibus modò partibus constet Sacramentum Pœnitentiæ.

Præterea Hincmarus non ignarus modò, & Episcopalis muneris imperitus habendus esset; verùm etiam mentis inops, & expers ratiocinii. Dicis enim, respondisse falsum Gregorium, in affecta illa epistola ad Secundinum, Sacerdotes lapsos, post dignam satisfactionem, ad priſtinum ministerium revocari posse: qua de re Hincmarus nullatenus agit; cùm id unum dumtaxat velit, occulta crimina Clericorum non esse publicanda, sed Dei judicio relinquenda, in Pœnitentia scilicet Sacramentali. Quid, quæso, interhoc, & illud connexionis intercedit? & si nihil aliud foret, illud Gregorius habet, quid facit illius auctoritas ad probandum, Sacerdotes lapsos, sed non detectos, à ministerio non esse removendos? Deinde, quis credat, omnia exemplaria operum Gregorii à Mercatore illo adulterata fuisse, & nullum amplius exemplar integrum

* Pag. 143.

* Pag. 144.

* A Pag. 145. ad 150.

quæ extitisse, in quo Hincmarus, S. Anselmus, Burchardus, Ivo, aliique sinceram Gregorii mentem invenient. Octo manuscripta Anglica, teste Jamesio, inventa sunt, à quibus hæc abest lacinia, ut dicit Archiep. Anselmus Cantuariensis Episcopus integra. Ad B. Anselmus Cantuariensis Episcopus integra, quam codicem nanciscì non potuit? Hincmarus denique, vir suis eruditæ naris, qui vix centesimo quinquagesimo anno post S. Gregorium vixit, ejusdem Gregorii singularem stylum à barbarissimis & solœcismis illiderit distinguere non potuit?

Quod, quod nescire non potuit Ecclesiæ Romanæ ritum & praxim? cùm ad Nicolaum I. Rom. Pontificem sæpissimè scripserit, & ab eo multas litteras ultrò acceperit. Sed inquies, Rom. etiam Pontifices in errorem à Mercatore illo inducti fuerant. Apage istas nugas, vel, ut verùs dicam, blasphemias. Hincmarum hoc dubitè odisti, quòd nequissimum illũ Gotteschalcum, obstinatum Prædestinatianæ hæreseos patronum & defensorem, Concilii judicio damnatum, correptum, & virgis cæsum repressérit, ac in ordinem redegerit. Hunc autem vos cum Prudentio Trecassino, Sanctorum albo adscriptum in Jansenianæ Ecclesiæ Martyrologium tradux istis. Nemini sanè, qui vos novit, dubium sit, quin hæc fuerit odii vestri adversùs Hincmarum causa. Quid porrò de Anselmo, Burchardo, & Ivone Carnotensi dicam? quos nemo nisi ingratissimus, hac in re, ignorantiæ insimulare, aut quin non modò Romanæ Ecclesiæ praxim ignorare non potuerunt, verùm etiam ex professo hanc ita discussérint, ut nihil reconditum, nihil obtusum, nihil adulteratum ad Pœnitentiales, aut Canones pertinens, eorum diligentiam effugere, aut fallere unquam potuerit. Sed pro Hincmaro & Gotteschalci causa ad Cellotium te remitto, qui rem hanc grandi volumine, eo styli nitore & ordine ponderi, multiplici doctrinæ & eruditionis lumine prosecutus est, ut in hoc opere, nihil dubitationis & Catholicis desideretur. Sed ad rem nostram, vel potiùs tuam redeo, ac te monitum seriò velim, velitidi, quod tam audacter adstruis, omnino repugnare *nimirum per mille & amplius annos, Sacerdotibus, sive clam, sive palam in carnis flagitia lapsis reditum ad suam dignitatem nullum patuisse. Quo porrò subdis, totam Ecclesiam falsis Gregorii & Calixti decretis decerptam, contrariæ consuetudini fortiter repugnasse (nempe in totam Ecclesiam consuetudo inducta est, & Tridentini decreti mater;) vis ingenuè dicam? non responsione, sed arietignani vestri Gotteschalci virgis dignum esse iudicarunt.

*Tum Mascarenhæ & Baunio solitam convitiorum suorum suavem aspergis. Quamobrem verò, quòd Sacerdotes verè contritos ac rectè dispositos, occulto aliquo peccato adstrictos, absolvi posse scripserint; quòd eos non suspenderint à sacri Ordinis exercitio; quòd pœnitentiam publicam eisdem non imposuerint, cum sint eorum crimina, hæc flagitiosa, ut ais, delicta, hæc nova Jesuitarum corruptela. Somnias Sanctio, somnias, ut mitissimè loquar; nam potui & debui dicere, deliras Willelme, deliras. Quis enim absolutionem, rectè disposito ac verè contrito crimine & injustitia negare possit? quis dicat, pœnitentem à Confessario, qui Prælatus non sit, suspensionis vinculo ligari posse? quis asserat pœnitentiam canonicam pro criminibus occultis ab eodem Confessario injungendam contra perspicuum Tridentini decretum? Licèt enim Ecclesia pœnitentiam publicam etiamnum imponat, illa tamen Sacramentalis dici nequit: sed, vel ut Ecclesiæ fiat satis, pro quibusdam enormibus flagitiis, sic pro Presbytericidio publico, flagellatio etiamnum adhibetur; vel ut præcedente incestu, ad tollendum matrimonii impedimentum, contracta obligatio, aliis operibus piis compensetur. Quis demùm dicat, Sacerdotem Sacramentali Pœnitentiâ ritè expiatum, ab Altaribus arcendum esse, qui sine scandalo, & aliorum offensione, vel suspicione amoveri non possit? Is Arnaldi finis & scopus, ut fideles ab Eucharistica communione removeret. Nihil igitur, quod valde suspectum non sit, in hac causa proferre valetis. Jam Gotteschalci doctrinam de Eucharistia singulari opere approbare voluistis, cujus etiam Samuel Maresius amicus vester, insignis laudator fuit. Pœnitentiæ publicæ res parùm vestrâ interest; nisi quatenùs in eo potissimam pœnitentiæ publicæ partem positam esse dicitis, quòd quis ab Eucharistiæ Sacramento diu abstineat. Rem ultra non urgeo, pro qua sæpè ac sæpiùs vapulastis.

Imponis autem, ac mentiris Wendrocki, *cùm scribis, Sacerdotes à nefandis abominationibus adhuc recentes, à Jesuitis ad sacratissima mysteria propelli. Nunquam, ut video, apud illos Patres peccata deposuisti: alioquin tuo periculo probasses, quàm acribus objurgationibus flagitiosos illos excipiant, quàm sæpenumerò sine obligatione remittant, quos satis dispositos esse non credunt, quàm sedulò moneant, atque hortentur, ut eo saltem die, à re sacra facienda abstineant; nunquam tamen indulgeant, quantùm scilicet per eos licet, nisi certi scandali vitandi causâ. Uno verbo, illa tantùm cõversio cordis ad suscipiendum absolutionis beneficium requiritur, quę contritione saltem imperfecta, quam attritionem vocant, integra confessione, & vero proposito in posterum non peccandi constat. Nec enim satisfactio absolutioni necessariò præmittenda est: nec perfectam contritionem illud Sacramentum desiderat. Sat scio, vos secùs sentire: sed tam multi nugas, erroresque vestros in hoc argumento egregiè refutarunt, ut eidem operæ mihi diutiùs insistendum non sit.

Negas deindè, *idque per errorem, fieri posse, ut Sacerdos in noxam lethalem carnis per fragilitatem lapsus, post unam, vel alteram horam paratus sit ad sacramentalem Pœnitentiam. Erronea vestri Jansenii principia, ob oculos semper habetis: Vis illi gratiam sufficientem deesse, quam chimæricam & monstrosam esse dicitis; ac proindè reverà post lapsum resurgere non posse, cùm illi gratia ad hunc effectum necessaria desit. En purum putum Jansenismum. Mox in hanc rem longissimum Aurelii, hoc est, Sancyrani locum exscribis. Ita sordes sordibus illustrare voluisti; cùm tamen fœditate potiùs, & eluvie contaminaveris. Gemina, quæ subduntur, D. Thomæ loca pro Jesuitis aptè faciunt, nempè *Deus*, inquit, *quandoque movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis motus præcedit gratiam.* De contritione imperfecta clarius testimonium esse non potuit; quæ reverà præcedit gratiam, scilicet habitualem, quæ vi Sacramenti, cujus attritio pars est, infunditur. *Sed quandoque statim perfectè movet ad bonũ; & subitò gratiam homo accipit.* Ecce tibi contritionem perfectam, per quam homo justificatur. Alter locus eodẽ modo explicatur de conversione imperfecta & perfecta. Si tecum mihi res esset Willelme, tuis armis contra te pugnarem, iisdemque locis ad refellendos errores tuos uterer, quæ ipse contra Jesuiticam doctrinam adduxisti,

* Pag. 150.
* Pag. 150.
* Pag. 151.
* Pag. 152. & 153.

xisti. Ostentas eruditionem in illa locorum farragine: sed insanam temeritatem & stultitiam vel ex eo palàm ostendis, quòd iisdem Patrum & Doctorum testimoniis, ea, quæ adstruis, confutentur, quibus eadem apud indoctam plebeculam demonstrare voluisti. Quod demùm negas, pœnitentiam publicam usu esse abolitam, pro occultis scilicet criminibus (si tamen pro iis unquam viguit) eamq; Tridentini Decreto renovatam esse scribis; sibilis potiùs & irrisione, quàm alia refutatione aut ratione rejiciendum est. Insanis mi homo, insanis, nimium factionis studium, & plusquam Vatinianum adversùs Jesuitas odium te ad insaniam redigunt: cùm Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. expressè habeat, publicam confessionem divino præcepto nunquam fuisse mandatam, nec satis consultè humana aliqua lege præcipi posse, immò secretam confessionem sacramentalem à sanctissimis & antiquissimis Patribus magno unanimique consensu commendatam fuisse, eâque ab initio Ecclesiam usam esse, & modò etiam uti.

Ad *horrendam doctrinam Escobarii* de nefando crimine descendis, * & ad Bullam Pii V. quæ incipit, *Horrendum*, remissam malitiosè quidem, sed puerìliter exaggeras. Quis unquam Jesuita negavit, crimen illud esse enormissimum, flammis reverà ultricibus expiandum? sed cùm illa Bulla tam dirum nefas *exercentes* appelleret, haud dubiè vox illa consuetudinem, seu frequentiam significat, ut Doctores observant, Barbosa in c. Clerici de excess. Prælat. Garcias part. 11. c. 10. n. 198. cum omnibus aliis: licèt nemo neget, quin scelerati illi homines propter unum actum possint & debeant de gradu dimoveri, tradi q; sæculari foro puniendi; non tamen vi hujus Bullæ, sed vi, d. cap. *Clerici*, ut omnes observant cum Farinacio quæst. 148. n. 30. Ad hunc porrò degradationis, ut vocant, effectũ, requiritur notoreitas (sic enim appellant) juris, aut facti, ut patet. Quis enim de gradu dejici potest, nisi notus? Denique multi, iique gravissimi auctores tenent, in pœnam illam non incurri ante sententiam, quam vulgò dicunt, declaratoriam: quia ista pœna non est censura, vel irregularitas, sed mera pœna privativa, seu dispositio verbalis latæ sententiæ. Ita Suar. de Cens. disp. 13. sect. 4. n. 22. Quaranta in explicatione hujus Bullæ limit. 1. Avila p. 3. disp. 5. dub. 3. Thesaurus de pœnis Ecclesiast. p. 2. v. Sodom. c. 1. Nihil ergo Escobarius tam horrendum adduxit. Tu verò bipedum nequissime, turpitudinem istam Sacerdotum cum summa voluptate ita versas, & accumulas, ut non levis in sacerdotalem dignitatem infamia refundatur: omnes fœditatis circumstantias, ut vocant, omnia adjuncta ita colligis, ut tibi cordi esse videantur: tuo pallio Christos Domini tegere debueras, si quæ spurcities inesset: quam tamen, dum publicas, triumphare videris, & reverà exultas in rebus pessimis. Fœniculum porrigo, ut fœdum & spurcum os, quo tam fœtidam eluviem aspersisti, abstergere possis.

* *Pag.* 154.

NOTA III.

De occulta Compensatione.

HOc loco * Baunium sugillas, eò quòd dixerit, famulum, cui alia via non patet, modò scandali periculum absit, justâ & occultâ compensatione uti posse. Auctor, qui vestras impostu ras collegit, à te citatus *impost.* 12. Baunium ab illa calumnia vindicat: vestram fidem desiderat, cùm ipsam quæstionem pro responsione afferatis, quod jam aliàs in condenda Theologia Morali (quæ Burdigalæ, justo Parlamenti Decreto, carnificis manu lacerata est: ut literæ Montaltii, haud absimili Aquensis Parlamenti edicto, flammis addictæ) à vobis factum fuerat. Sententiam demùm Baunii communi doctorum calculo donatam, Navarri, Cordubæ, Petri de Navarra, Antonini &c. immò & Patrum suffragio, Terentini, Augustini, &c. instructam esse demonstrari adhibitis scilicet iis conditionibus, quas ipse Baunius cùm aliis omnibus præscribit. Ad hunc auctorem vos remitto.

Istæ elitarum exemplum, Ægyptiorum bona sapientium, infirmare conaris, ac dicis, Hebræos in ea jus habuisse, propter acceptas ab Ægyptiis injurias. Sed numquid injuriam famulo herus non refert, quem justo salario iniquè privat, de quo scilicet convenerat, vel quod justè debet, ut supponitur? Nil enim herus debeat, famulus nullum jus habet. Ista aliàs ad Censuras illas tuas Parisiensem & Lovaniensem à me responsum est: recoctam cram bem sæpiùs apponis. Ne quid à me frustra repetatur, quæ jam in simili objectione à me dicta sunt, huc eum transferri à te desidero. Veneror, osculor clarissimarum Academiarum judicia, eaque maximi facio, quòd sincera sint, sine factione ac tumultu edita: non tamen ea esse putet, quæ numquam errori subjacerant. Ab exemplis abstineo: Odiosa res est: per tenuitatem licet, ne quid à me dicatur, quod displiceat. Uno verbo dico: Parisiensem & Lovaniensem veneror, sed sanctæ & Apostolicæ Sedis judicium ut à me, atque ab omnibus verè Catholicis præferendum censeo, ita eodem omninò standum esse, profiteor.

In septimam Epistolam.

NOTA UNICA.

De directione Intentionis.

HIc paulò liberaliùs nugas tuas nobis vindicas: Doctorem agis sine doctrina, Theologum sine Deo, Moralem Philosophiam sine bonis moribus: Jesuitas inscitiæ ignorantissimus ipse accusas, nequissimus malitiæ, erroris hæreticæ fraudis & doli egregius sycophanta. Sed te tamen ad Apologistam, *impost.* 24. qui tuum illum scurram egregiè ac pro meritis excepit. Quod hic de eo dejicis, vel potiùs de Parochorum, aut certè, ut vendicam, Regio-portuensium scriptis, satis futile & frivolum est. Prima Moralis Theologiæ rudimenta perinde atque abstrusa mysteria, & divina Patrum oracula fundis. * vis primò intentionem generatim nihil esse aliud, quàm finem cuiq; in singulis propositum. O grandem & profundum Theologum! quod verò intentio finis ipse sit, non verò actus, seu motus voluntatis, qui fertur immediatè in finem, ut electio propter finem, in media. Subdis, actionem humanam ex duobus constare, scilicet ex opere vel officio, ut vocas, & intentione. Si bonum opus sit, sed prava intentio; vel malum opus, sed bona intentio; vel utrumque malum; actio bona & honesta esse non potest, nisi fortè cum bona intentione & officio malo inculpata ignorantia conjuncta sit: at cùm ea

* *Pag.* 173.

quilibet se indifferens est, ut malâ intentione adulterium, ita bona prorsùs honestatur. Aliquis vim vi repellit: si propter odium & vindictam, mala intentio: si propter odium & vindictam, mala intentio: si propter justitiam, id est, ut debitum detur pat; si propter justitiam, id est, ut bonum indemne servet, bona intentio defensionis eumdem honestat. Ornatum colit fœmina, ut marito placeat, ut parentibus pareat, ut sponso pulchrior appareat: quis neget, rectâ intentione ornatum illum esse culpæ? Quis unquam Jesuita de hoc argumentum aliter sensit? quis unquam dixit, turpe factum furtum, fornicationem, homicidium injustum, bonâ intentione, peccati maculâ immune reddi? nisi forte ignorantia invincibilis intercesserit. Sic qui mendicam furtipit, quam suam esse per inculpatum putabam furtum credit, furto illo materiali, ut vocant, non peccat.

Fabula, quæ suggeris,* vel sunt ridicula, vel à Jesuitarum minimè discrepant. Si enim plures *præbendas* habere, suppositis talibus, vel talibus circumstantiis, est quid indifferens; modò rectâ intentione, id est, quâ quis velit habere, propter bonum finem, plures præbendas sine peccato retinet. Si absentia accedat propter legitimam causam non est mala, modo Episcopus rectâ intentione feratur, licitè absentet. Quid, amabò, in his dissimile? objectum per se malum, sed indifferens, cum rectâ intentione commodum honestam actionem constituit. Recta autem illa intentio, quâ finis honestus proponitur, in qua voluntas in finem honestum fertur: honestus finis est bonum; ultimus quidem summum bonum; alii verò fines alia bona, quæ naturæ rationi sint conformia: v. g. si comedo propter conservationem vitæ; finis honestus est, naturali scilicet intellectu: item si detestor peccatum propter metum gehennæ, ut Tridentinum declaravit *sess.* 14. cum adversus Baio, Willelme, erras, qui nullum opus bonum esse dicis, nisi quem Divina charitas ad bonum perficiat. † Hinc naturales quoque virtutes admittimus: quarum actus ideò Augustinus impugnat, vel quod ad salutem inutiles essent, vel quòd, ut plurimùm, ob turpem aliquem finem exerceantur. Quod demùm de illata contumelia dicis, inflictâ scilicet alapâ, aut aliquâ re per vim quæ plenè refutatum est ab Annato, & Apologista. Imponitur enim gravis injuria, quam quis repellere jure queat, non vindictæ, vel odii studio, sed tuendi sui juris indemnitati (quod reverâ honestum est), modò moderatè, ut jura volunt. Velle autem id quod honestum est, bonam intentionem omnes docent. Sed jam vestræ illæ calumniæ diffluxæ sunt. Nullus Jesuita duellum, simoniam, usuram, homicidium injustum, aut quid aliud simile approbat: sed quia dele aliquo indifferens, rectâ intentione honestatur, aut etiam per se malum, si fortè ignorantia invincibilis adsit, noxæ eximi dicunt, juxtà communè, quam in hoc præ cæteris sequuntur, Doctorum Casuistarum doctrinam. Si hæc in Jesuitis carpis; id quod per se ingenuè ignorantiam & palmarem malitiam facio. Hanc nemo Catholicus non damnet; illam nemo literatus sibilis non explodat; utramque quis non prudens sit, probro tibi ac vitio non vertet? Hoc tamen quid tibi velis. Hæc quæ nobis apponis, Sarcella, Bajanam & Jansenianam culinam olent. Quorsum tandem hæc adduxisti, ut doceres, nullam intentionem rectam, quamvis alioqui cum ignorantia invincibili incogitantia invincibili conjunctam à peccato excusare; & nulla intentionis rectitudine honestari actum, qui à divina charitate Deique amore non procedat. Utrumque emenda; quia erroneum.

* Pag. 174.
† Pag. 175.

In octavam Epistolam.

De pecunia à Judice, ob injustam sententiam accepta.

NOTA I.

MOntaltium nihil peccasse, dicis, * in referenda, superhac re, Lessii sententia. Sed Apologista *impost.* 5. contrarium evicit; Annatus item: pro more, accuratissimè demonstravit, quantum etiam tu ipse peccaris, in adducendo Doctoris Angelici loco, à me luculenter ostensum est suprà *in nota 4. præambula ad Epistolam 5. & sequentes.* Sed in delicto contumax peccare pergis: rem breviter expono. Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 52.* dicit, naturæ jure dumtaxat spectato, acceptum ob turpem causam, opere impleto, non esse necessariò restituendum, sivè illud opus sit contra justitiam, sive non: pro quo citat S. Thomam, Cajetanum, Covarruviam: quanquam hi duo excipiunt acceptũ à Judice pro injusta sententia: sed rationem quam ipsi adducunt, refellit Lessius; item explicat locum S. Augustini à Soto in hanc rem allatum. Tum *num. 56.* idem sentit, attento jure positivo: pro quo citat D. Antoninum, Angelum, Sylvestrum, Navarrum, & aliquot jura. *Num. 60.* fatetur, contrariam sententiam esse probabilem, cùm scilicèt crimen per leges punire licet; utpotè communem omnium ferè jurisperitorũ, teste Covarruviâ, item Medinâ, Navarro; licèt hic posteà mutarit. *Num. 61.* dato quod restituendum sit, juxtà communem sententiam, asserit restituendum esse pauperibus. Quod reverà de jure naturæ esse nequit, & est potiùs salutare consilium, quàm præceptum; ut rectè docent S. Antoninus, Navarrus, & alii. Quare à Confessario in pœnitentiam meritò posset injungi. Sotus & Covarruvias putant, restituendum esse illi, qui dedit; sed hoc est contra mentem legum. Ex his demùm concludit auctor, nulli esse restituendum ante sententiam. *Num. 63.* dicit, id, quod datur pro justitia obtinenda, vel injuria vitanda, non censeri sponte datum, sed quasi coactè & ex metu injuriæ. Ex quo *num. 64.* concludit, Judicem teneri restituere id, quod accepit, ad ferendam justam sententiam.

Quid porrò in tota ista doctrina, tàm acri censurâ configendum sit, non video, pro qua innumeri ferè auctores citari possunt: quos vide sis, apud Cardinalem de Lugo *de just. & jure disp. 18. sect. 3. num. 45.* quibus ipse subscribit, propter communem illam rationem, quòd scilicet actus, qua parte est utilis & delectabilis, dignus sit pretio: item num. 54. in quo extendit prædictam doctrinam ad omne opus malum: item disp. 37. sect. 11. num. 127. 130. 134.

Sed ad te redeo Wendrocki: dicis † perperam causari Apologistam, multa omissa esse à Montaltio, in referenda Lessii sententia. Quis hoc neget? ad pœnam libri, ut vulgò ajunt; sed vereor, ne reseratis etiam tabulis, adhuc Montaltium excuses, tam perfrictæ frontis esse vos constat, ut verum atque falsum dicere perindè vobis sit. Sic ab aliquot annis, obstinatè negatis, quinque propositiones damnatas esse Jansenii: centies aperti mendacii convicti fuistis, vel ipso sedis Apostolicæ oraculo. Unum vel alterum indico,

* Pag. 190.
† Pag. 119.

dico, in hac Lessii sententia referenda, à Montaltio, per insignem malitiam, ultrò prætermissum. Illam enim retulit, perindè atque si Lessius docuisset, Judicem nihil peccasse, pactum illud ineundo, vel eo fine pecuniam accipiendo, etiam ante opus impletum; vel eundem Judicem non teneri ad damnum partî læsæ illatum resarciendum; vel justam causam non esse, propter quam non modò damnari possit, ad pecuniam illam refundendam mulctæ loco, verùm etiam ad majores pœnas; aut demùm à Confessario eidem Judici non posse injungi, ut tantumdem pecuniæ in Eleemosynas impendat. Nec est, quod de hoc ultimo Lessii dicto nugeris. Cùm enim probabilius Lessio, aliisque ferè innumeris auctoribus esse videretur, non teneri Judicem illum ad restitutionem; ut probabilitati oppositæ partis occurreret, haud dubiè prudenter monuit, ad cautelam hoc injungi posse à Confessario in pœnam: nempè illa, ut plurimùm saltem, in pœnam injunguntur, ad quæ alioquin præstanda pœnitens non teneretur. Quod verò pertinet ad doctrinam Jesuitarum, circà illud à pœnitente acceptandum, & executioni mandandum, quod pœnitentiæ loco imponitur, si res postularet, facilè ostenderem, eam suo rigore non carere: erit fortè infrà dicendi locus.

Mox in Apologistam invectus, *imbecillè* (imbeciliter dicere voluisti:) *& pueriliter* argumentari dicis. Sed argumentum tantisper ponderemus. Judex acceptum pro injusta sententia pretium ei restituere non tenetur, à quo accepit, opere scilicet completo; igitur jure naturæ nulli restituere tenetur. Hoc est argumentum Apologistæ; immò Lessii & aliorum, qui hanc sententiam tenent. Antecedens dant ferè omnes, tu ipse das ultrò: consequentia certa videtur. Cui enim? pauperibus, inquis, & hoc vulgò à Theologis statuitur. Appella, cita illos Theologos, qui dicant, jure naturæ pecuniam illam debitam pauperibus esse. Ignarum caput! non nego, nonnullos esse auctores, qui sentiant, pauperibus erogandam esse; non quidem jure naturali, sed positivo. Quamquam opposita sententia, quam impugnas, communis sit; neque tuam illam vulgò adstruant Theologi: at nemo quod sciam, unquam dixit, jure naturali pauperibus restituendam esse, igitur mi homo, valet illa consequentia. Igitur ad prædictam restitutionem nefarius ille Judex jure naturæ non tenetur. Nec etiam jure positivo; alioquin jura producenda essent; nullum autem adducitur, quod à Lessio, De Lugo, aliisque clarissimè non explicetur. Igitur non tam imbellè telum fuit. Ictum fortè non sensisti: ingenuè fateberis, ego quoque ingenuè stuporem miror. Abs reigitur Apologistam increpas, quòd prima juris elementa Montaltio incognita esse dixerit, & Jesuitarum fidem accusas, quòd suam, scilicet Catholicam, Jansenianæ fidei, quam bellè Annatus descripsit, huc usque opposuerint. At Lessius inquit, num. 60. & 52. omnes ferè juris Doctores censere, acceptum pro crimine, quod legibus punitur, esse restituendum. Malè citasti num. 52. pro num. 51. in quo Lessii sententiam non habes, sed aliorum. Num. 60. adducit testimonium Covarruviæ, ex cujus & Navarri mente communis illa Jurisperitorum sententia explicatur num. 57. quod scilicet, leges non faciant judicem inhabilem ad acquirendum accepti dominium, sed id unum dumtaxat decernant, ut pacta illa invalida sint ante opus patratum; nec exillis oriatur obligatio civilis, ob quam possit in judicio promissum exigi; immò justâ causâ, ob quam judex per sententiam illo pretio privetur, & majoribus pœnis mulctetur. At surdo cano, & ad lyram asinum voco.

Dimisso Apologistâ, Lessium aggrederis, & flagitas D. Thomæ locum adulteras: * sed quia jam tuæ hujus criminis pœnas dedisti; nebis in idipsum, ultrò remitto; modò apud omnes constet, D. Thomam Lessio apertè favere: Tum D. Antonini locum contra Lessium adducis: at loquitur de acquirendo per Simoniam, ut expressè habet: estque quod cuivis dorem tuum saltem hac vice laudem, illud enim *Simonia* reticere poteras. Quis autem nescit, rem spiritualem & sacram pretio emi non posse? acquirendè contractum illum jure naturæ & divino ellritum? immò per sacra jura, Simoniacum ad restitutionem teneri? At in dissimili versamur arena. Judicium illud, quamvis iniquum, habet aliquid, quod alteri utile cedit; igitur pretio æstimabile; contrumque profanum sit; ac proindè ejusdem generis. Nec est, quod dicas, ab eodem S. Antonino subjecti deinde exempla injustæ sententiæ & adulterii, cùm tamen expressè dicat, illi præcipuè pecuniam dandam esse, qui ex sententia injusta damnum passus est: quod nemo negat; & cum illa pecuniæ non sufficiat ad damnum resarciendum, reliquum inquus Judex de suo supplere debet. De adulterio verisimile dicendum esse judicat, quod de turpi & meretrio lucro, quod potest retineri; nec quidquam legitimè tuere de pecunia data pro adulterio; undeporiùs inducendi sunt consilio, ad hoc, ut erogent eam pauperibus, quàm obligandi, seu cogendi imperio, quod etiam habet tit. 1. cap. 23. item in tract. de restitut. cap. 1. §. *manus turpiter lucratoria.* adde Cardinalem Toletum in Summ. lib. 5. c. 21. qui eandem doctrinam expressè tradit.

Falsum est, inquis, & turpe fundamentum Lessi, quod scilicet opus malum, quâ malum est, non sit quidem pretio æstimabile, sed quâ delectabile, utile, laboriosum, &c. & hîc concionatorem & declamatorem agis: rem indignam Christiano & Theologo dicis, æquare pretio turpissimas voluptates, laborem improbum, iniquum litis lucrum. Hic Aristidem cum Ethnicis legibus, Comitolum cum Augustino appellas. O bone, artes tuas novimus: Christiano ergà pauperes zelo flagrare videris: sed est, quod de te tuisque Regio-portuensibus illud ipsum dicam, quod S. Evangelista de Juda Iscariote scripsit: *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* unde tantam vim pecuniæ Regio-portuenses corraderent, in quos usus; Deus scit. Non est, quòd dicam, cùm jam apud omnes constet. Sed hæc mitto: etres adnoto, non accuso flagitia. Cur verò indignum Christiano putas? quia, inquis, voluptas cum crimine conjuncta improba est, nec unum mente abstractum præscindi potest, ut patet in Simonia. Hominem nè eruditum! quid tandem infers? non licet igitur pactum illud inire. Quis unquam licitum esse censuit? & hoc leges damnant. Hinc meretrix eo die pacisci non debet, nec eo animo pecuniam accipere. At opere completo, quod acceptam restituere debeat. nulla lex jubet, nullum jus, sive positivum, sive naturale præscribit, gravissimi auctores negant; quamvis Comitolus cum paucis secùs sentiat. Hinc Lessius ultrò fatetur, opinionem suæ oppositam probabilem esse. Præterea probandum tibi fuerat, illius pecuniæ retentionem injustam esse, & cum aliqua improbitate conjunctam. Quod si revera fecisses, in tuam sententiam facilè descenderem.

* *Pag.* 192.

Re-

Retrudis illam rationem, * quam Montaltius Jesuita affinxerat: quod scilicet, justa sententia vendi non possit, quia debita est; secùs verò injusta. Jam thesaurus fidem vestram hac in re laudarat. Quod ita vera justa vendi non possit à Judice, modò alioquin stipendiario pro labore hujus ministerii remuneretur, propè vitium est; nec nisi coactè iniquum illud pretium solvi censetur, & jura id expressè vetant. Imò illam quoque sententiam, quamvis non debitam, vendere inquit. Hinc acceptam pecuniam, antequàm lata sit, restituere tenetur, & injustam sententiam non ferre: at ubi lata est, & gravissimo illo crimine se obstrinxit; cùm restituere non debeat accepta pecunia ei, qui dedit (nempè illam ultrò, non quòd dedit,) si retineatur, injuria illi non fit; nec videtur, cui jure naturæ restituenda sit: salvo tamen integritis læsæ, quod judex iniquus resarcire debet.

Hæc si fortè intellexisses Wendrocki, *absurdæ ineptæ*, quæ tibi jure competit, & *tarditatis* Lessium nimium accusasses; quasi verò Lessius dixerit, licitè posse vendi sententiam injustam, vel rem alienam: quod verò Virgo sui corporis usum licitè vendere possit. Hoc tamen non facit, quin stuprator Virginem in uxorem ducere, vel dotem eidem solvere teneatur. Igitur juri naturæ non repugnat, quod pro aliqua turpi actione pecunia accipiatur, v. g. pro adulterio, homicidio, injustâ sententiâ: quam opere impletus, qui accepit, retinere possit, cum eadem pro utrumvis ratio militet.

Locus Augustini, quem adducis, ad rem non facit. Loquitur enim, idque expressè, de re ablata, quam verè restituendam esse, nemo negat. Alter improbat, sceleratius esse injustum judicium, quàm injustum; & falsum testimonium vendere, quàm venum. Quis hoc negat? quid indè concludis? igitur, inquis, tam pecunia pro injusto accepta restitui debet, quàm pro justo. Sed malis artibus agis: dicere debueras, igitur cum pecunia pro justa sententia accepta restituenda sit ei, qui dedit, ita & accepta pro injusta, ei, qui dedit, restituenda est. Sed quis hoc dixit? † quod habes denique de advocato, cujus iniqua causa, injusta sententia lata est; non est dubium, quin omnium illud, quod procuravit adversæ parti solvere debeat, nisi clientem suum ad illud resarciendum inducat, quod certè meliùs fieri non posse Augustinus putavit, quàm si *suscepto suo diceret, redde mihi, cum tibi malè adessem, dedisti, & redde damnum tuo, quod me agente, iniquè abstulisti.* Mens Augustini alia esse non potuit: alioquin nunquam dixisset, ei pecuniam esse restituendam, à quo pro injusta sententiâ, vel clientelâ, data priùs fuerat. In Catholicismo Romano, iniqui Judices, qui venalia habent judicia, furibus accensentur: rectè: hinc proindè se habent, atque si bona illius, quem in quò damnarunt, furati essent; ac proindè nemo illos ab ea restituendi liberat, scilicet parti læsæ, & damnum illatum resarciendi. Quid ergò pervicaciam Lessii aliisque Theologis, & solitum morem SS. Patrum sententias adulterandi exprobras? nihil evidentius, inquis. At, si evidens est, cur D. Thomas, Antoninus, Sylvester, Angelus, Cordubа, Toletus, De Lugo, Navarrus, Vasquez, Tannerus, Reginaldus, Turrianus, Sanchez, Bonacina, Petrus à Sancta; cur hi aliique innumeri non vident? hi stupidulo & hebete ingenio latentes sensus inspicere nequeunt? Ignarum caput! tu cum his Aquilis vespertilio. Ita prorsùs Augustini sententias Jansenius & Calvinus explicant, ut in iis suos errores clarissimè contineri, prædicare non vereantur. Sic hæretici nihil nisi Sacra Biblia, Sanctos Patres, antiquam Ecclesiam, Ecclesiasticorum hujus temporis corruptos mores, Ecclesiasticæ disciplinæ lapsum, Theologiæ Moralis corruptelam, Scholasticorum tricas, & cavillationes, uno verbo, nihil nisi rigorem & reformationem crepant.

Sed ad ratiunculam Lessii, ab Augustino, inquis, explosam, veniamus: quisquis dat pecuniam Judici, ut ab eo justam sententiam emat, coactè dare censetur, sicut is, qui pendit usuram usurario; quid mirum ergò, si jure deinde repetat, scilicet in judicio? is verò, qui emit injustam, ultrò pecuniam dare censetur, cujus dumtaxat operâ nullo jure fretus, causæ lucrum habere sperat; igitur repetere deinde non potest; scilicet in judicio, in quo Judex quidem iniquus plecteretur, non tamen propterea iniquus emptor data pecuniam reciperet; immò re sibi per injustam sententiam adjudicata privaretur; igitur *& timeret & puderet* emisse, scilicet in judicio; puderet, quia crimen est; timeret, ne jure ob crimen admissum mulctaretur; igitur illud, *vellet repetere, nisi timeret & puderet*, non significat, quod velit, ut ais; nec enim distinguis voluntatem à velleitate, ut vocant, quod supinam ignorantiam demonstrat. Nec inde rectè deducitur, iniquum Judicem teneri restituere acceptum injustæ sententiæ pretium, opere scilicet completo; nisi per sententiam superioris Judicis ad id adstringatur. Immò si ex prædictis S. Augustini verbis sequeretur, iniquum Judicem teneri restituere prædictum pretium, haud dubiè teneretur restituere ei, à quo accepit, qui vellet repetere, nisi timeret, & puderet emisse: quod tamen nemo tibi concedat. Quod dicis, iniquum emptorem coactum emisse injustam sententiam; non responsionem, sed irrisionem sibilis condita postulat. Quod sanè nisi evidens sit, nihil prorsùs evidens reputo. Gratis, inquis, consequi maluisset. Sed id fieri non poterat, cum nullo jure valeret. Haud dissimili ratione quisquis aliquid emit, coactus emere censeretur, quia mallet id gratis, quàm numeratâ pecuniâ obtinere. Apage igitur ineptas & pueriles nugas, cum monstrosâ insciti & diabolicâ malignitate conjunctas.

Multa in Apologistam §. 3. similiter effutis, quæ nullâ refutatione indigent, sed factâ utriusque scriptionis copiâ, *Iansseniana* Montaltii *fides* facilè constabit. * Illud autem maximè ad rem faciebat: nempè Molina seclusâ lege positivâ, & spectato dumtaxat naturæ jure, expressè loquitur de muneribus judici datis post latam justam sententiam, ex mera gratitudine, vel rei obtentæ gaudio, vel etiam ante sententiam, eo dumtaxat fine, ut rem diligentiùs, citiùs & majori cum affectu expediat, scilicet intrà justitiæ fines, seclusa lege positiva, seclusoque item Sacramento, quo Judex sese obstrinxit, seclusoque demum scandalo. Molina cum innumeris aliis sentit, prædictas donationes licitas esse: docet tamen tom. 1. tract. 2 disp. 88. Judices peccare, cùm accipiunt munera, tùm quia contra legem positivam, & proprium Sacramentum faciunt, tum quia nunquàm ferè sine scandalo id fieri potest.

Montaltii fidem non liberas in Filiutio, qui expressè asserit, Judicem peccare, si munera accipiat, etiam ex liberalitate donata; quia lege positiva jure prohibetur, estque potestas in Principe obligandi ad restitutionem, etiam in foro conscientiæ; igitur ante sen-

ten-

* Pag. 194.
† Pag. 193.
* Pag. 195.

tentiam. tract. 31. num. 211. Quod deindè asserat Filiutius, spectato jure naturæ, & seclusa lege positiva, donationes illas licitas esse, quid tum? an propterea negat, esse peccatum? Idem dico de Reginaldo, qui expressè lib. 10. n. 185. excludit legem positivam, qua delinquens fiat inhabilis & restituere teneatur, quæ accepit, ob crimen aliquod patratum. Equidem Lessius negat, ullam esse legem positivam, qua id cautum sit: non tamen Reginaldus hoc dicit. Cur ergo illum cum Lessio confundis? est ergò, quòd Montaltii fidem Apologista desideret, qui Reginaldum cum Lessio citavit, licèt hic neget, ullam esse legem, quod tamen ille non negat, sed præcisè in jure naturali sistit. Nullas autem hîc quisquilias præter tuas, nullam vitigilationis insulsitatem, præter Jansenianas cavillationes, videre licet.

Optimè denique oppositi Montaltio Apologistæ, quod sine ullo juris naturalis & positivi discrimine loquutus fuisset; * quia reverà Molina & Reginaldus jus dumtaxat naturæ spectant: quanquàm Molina cum aliis ferè innumeris dicat, non teneri ad restitutionem accepti pretii pro injusta sententia, ante sententiam contra eum latam: nec deest optima ratio, nam alioquin idem bis restituere teneretur. Non negat tamen, Principis potestatem eam esse, qua Judex ad dominium illud acquirendum, inhabilis fieri possit: voluntas autem Principis ex verbis Legis colligitur. Nec adeò nefandum dictu est, juramentum de non accipiendo, distingui à juramento de non retinendo, vel de restituendo. Licèt enim aliquis juret se non accepturum aliquid; si deindè perjurus accipiat, hoc non facit, quin dominium acquirat; si autem acquirit dominium, non tenetur restituere. Ex quo satis apparet, quàm doctus sis, qui hæc ignoras, licèt alioquin putidũ Thrasonem agas, reliquos omnes præ tuis Regio-Portuensibus nihili facias, præsertim Molinam, aliosque Jesuitas, tametsi de hac quæstione doctè & eruditè multa scripserint, præsertim Molina, qui 14. disputationes de hac materia tàm copiosè, tam distinctè, tam solidè compositas & elaboratas edidit, ut nihil, quod ad illud argumentum pertineat, in iis desiderari videatur; insignis haud dubiè Scriptor, de utrâque Theologiâ, Morali, scilicet, & Scholasticâ benemeritus, quem reverà immeritò, ac immerentem Jansenianî fœdè lacerare, ac infamare, ejusdem loca, ut tu ipse Willelme hoc loco, adulterare, immutare, invertere, assuere, eidemque Massilienſium errores affingere non cessant. Sed frustrà Lunam canes oblatratis, & Solem vespertiliones convitio proscinditis. Ad Molinam certè vos amandarem, nisi ad molam aptiores essetis.

* *Pag.* 196.

NOTA II.

De quæstu honestarum fœminarum.

Hîc etiam pro more nugaris, & quidquid in buccam venit, petulanter effutis; convitia, probra, calumnias liberiùs spargis. Statim initiò infamem pudicitiæ Virginum & Matronarum nundinationem à Casuistis permitti asseris. * Non te pudet, impostor nequam, tam apertæ calumniæ? quis unquam Theologus, aut Casuista Catholicus hoc permisit? quasi verò turpem actionem, & turpe pactum omnes omninò non damnent, licèt pecuniam opere completo, à Virgine, vel Matronâ acceptam retineri posse plerique omnes asserant. D. Thomam & S. Antoninum excipere non debueras: tuam in hoc fidem jam suprà convictam, ad Lydium ultrà non voco. Expectabam, ut ea Patrum loca & Consultorum Decreta, quibus Jesuitarum sententia configitur, & nefaria, lutulenta, flagitiosa declaratur, adduceres. Quid sibi Leges velint, auctores luculenter explicant, & Patrum loca fideliter interpretantur. Dic porrò sodes: Titius Virgini promisit tantam vim pecuniæ in dotem: inito turpi pacto, & accepto utrimque, stuprum committitur: nemo negat, peractum illud sceleratum esse, promissionem inhonestam, acceptionem flagitiosam, actionem ipsam turpissimam: sed an Titium à solvendâ illâ pecuniâ in foro conscientiæ liberares? aut reverà si jam pacto tradita fuit, hanc ad eam restituendam in eodem foro adstringeres? Meretricem dignam furca, publicum scortum & offendiculum, accepto pretio impunè gaudere permittis, ad nova flagitia: Virginem verò semel lapsam ex fragilitate, spe dotis, quâ certabat, ad restitutionem obligas? Sed, inquis, Respublica tolerat meretrices. Esto: illa tolerantia non facit, quin illarum actio turpis sit. Respubl. censemit donare ad servandam vitam. * O insignem Reip. Dictatorem? quo jure? quo Senatus consulto? quo Decreto? quasi verò Resp. illarum sustentationi conferre debeat, quæ vitam infamem ducunt, & Remp. suis flagitiis contaminant. Opus illud, inquis, Leges concedunt. Quid monstri? nulla lex peccatum concedit: tolerant quidem, id est, non plectunt; quod sanè culpam non tollit.

Scio aliquos, paucos tamen, oppositam sententiam docuisse; nec illam damno: sit illa probabilis; per me licet. Scio aliquos, etiam paucos, meretricibus, non verò fœminis honestis quæstum concessisse esto, ita sentiant. At quod dicis, Jesuitas dumtaxat sententiam illam tertiam, quam impugnas, docere, hoc ipsum nescio; immò contrarium constat. At D. Thomas, S. Antoninus, Cajetanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Covarruvias, Corduba, aliique ferè innumeri, quos habes apud De Lugo, & Dianam, Jesuitæ fuerunt? ego sanè hoc loco illos citarem & paginas citationibus implerem; sed frustrà: nempe mille Casuistas nihili facis, & fortè à me, ut olim, quæreres, utrùm illi omnes Christiani sint. Non te pudet, nebulo, Jesuitis, ac præsertim Lessio, fœdissimam, ut vocas, doctrinam, & obscœnas voces assingere, viro integerrimæ fidei, religiosissimæ vitæ, singularis doctrinæ, candoris eximii? quem verè debueras, si quid, non dicam Christianæ modestiæ, & Catholicæ religionis, sed Gallicæ urbanitatis & humanitatis haberes. Quamobrem verò hæc? quia communem & longè probabiliorem D. Thomæ, Cajetani, Sylvestri, Navarri, Toleti, S. Antonini sententiam sequitur. Tu verò novas leges profitibulis & lupanaribus indicis: quâ auctoritate? quâ fronte? haud dubiè meretricis. Fæces ultrò versas, miscebo, quia tibi placent; quod jam Montaltio expostulatum fuit.

Quod demum pertinet ad figmenta illa, seu sibilla bria rationum, quas sæpè obtrudis; quâ facilitate adducuntur, eâdem refelluntur. Negas, illud pretium esse, quod meretrices pro corporis usu recipiunt, sed mulctam esse vis, hoc probandũ erat, Willelme hoc falsò & in cassum à te dictũ, ab omnibus haud immeritò exploditur. Dicis, hoc à Rep. dari, non ab eo, qui flagitium

* *Pag.* 197.

Regulam committit. Sed hoc dictu ridiculum est, & mercatorio advocato dignum. Non licet, inquis, a-mercatoris nummis quidquam emere; igitur nec scelerosis, aliquid de se, ac jure divino illicitum, legibus humanis licitum reddi; Jansenio Doctore dignum est. In tam absurda & acatholica, supinam ignorantia, cum ferina malignitate conjuncta, vos rumpentes agit. In dubiis aliquid probabiliter pronunciare, temerarium vocas: tu aliquid ultrà; qui falsa & erronea pro indubitatis & fidei articulis venditas. Peteras, Wendrocki, illam Medinæ sententiam explectì, idque citrà oppositæ censuram, ut illa omnino tibi item intenderet; quamvis alioquin illa minùs probabilis sit. Sed quod Censoris partes tibi vendices, novas leges obtrudas, sapientum responsis, sententiam probabilissimam, ut erroneam & scelestam traducas, condonare tibi non possum; nam hoc sycophantæ potiùs, quàm Theologi pertinet; & Molinæi potiùs satyræ, quàm D. Thomæ sententiæ subscribas.

* *Pag.* 198.

NOTA III.

De Contractu Mohatra.

Quasi ferè Jesuitæ hunc Contractum damnant: ego, ut Molina tom. 2. disp. 310. requirunt, * ut merces non vendantur ex intentione redimendi, ut Leff. lib. 2. cap. 21. dub. 16. dicunt, hunc contractum nunquam carere culpâ, tum contrà charitatem, tum ratione scandali: alii, ut Apologista Casuistarum, illum in praxi damnant: omnes deniq; ponunt varias conditiones, scilicet ut bonâ fide, sine pacto prævio, sine scandalo, & justum pretium semper intercedat. Bonacina tract. de contract. disp. 3. quæst. 2. part. 3. num. 20. pro hac sententia multos citat, ut Navarrum, Petrum de Navarra, Abell. Salon. Sylvestr. Armillam. Sed hi sunt, inquit, auctores Ecclesiæ ignoti, scilicet Regio-portenses, quæ auctores Catholicos non curat, exemplo Lutheri, qui omnia sua à Sectariis auctoribus sumit; nempè hujus plagii ab elegantissimo & nitidissimo scriptore Stepano Deschamps, aliàs Ricardo, datis collatisque testimoniis convictus est. Vis hanc rem tibi, Mercatum 1. de contract. c. 25. Ludovicum Lopez de contract. lib. 1. cap. 34. Salas de contract. de vendit. dub. 37. num. 2. & de Usur. dub. 16. qui omnes pro hac sententia, Angelum, Garziam, Guttierez, Palacium, Azebedium, Graffium. Lopez Gutierrez Pennam, Rosellam. Adde Cajetan. in sum. V. Usura, Marcum Serra 2. 2. quæst. 77. art. 1. dub. 3. Sum. 1. part. tract. 8. resol. 53. adde Bannez. 2. 2. quæst. 78. art. 2. §. ad 2. Conrad. in resp. cas. parte 1. cas. 37. qui omnes seclusâ lege positivâ intelligi volunt.

Verùm quid ad hæc, miselle? Deus videt, inquis, totam hanc emptionem esse merum ludibrium, tantùm integumentum; nempe hanc artem adolescentem adhibet, ut hoc pacto pecuniam eliciat: non curam hominis de Adolescentis peccato, sed Mercatoris. Adit enim Mercatorem nihil tale cogitantem, & ab eo, summo pretio, sed justo, non præsenti pecuniâ, sed datâ fide, illius solvendæ intrà certum, merces emit. Quis neget, Mercatorem, qui hoc modo agit, suas merces prædicto modo vendere? Verùm paulò post redit adolescens, eidemque Mercatori offert easdem merces numeratâ pecuniâ

* *Pag.* 199.

redimendas, infimo pretio sed justo, alteri alioquin, si fortè ipse redimere nolit, venditurus. Num est valdè probabile, seclusâ lege positivâ, ut vocant, Mercatorem licitè redimere posse? seclusâ inquam lege positivâ; nam ne hujus contractus obtentu, usuræ labes irrepat, Principes & Magistratus hujusmodi pacta prohibent. Neque hîc tuas declamationes desidero, sed rationes. Quis enim negat, malam artem Adolescentis cum bona fide Mercatoris esse conjunctam? nec Adolescens usuræ vitium timet. Quod autem dicis, Mercatorem, qui bonâ fide merces vendidit, si deindè redimat, fœnoris crimen *haud dubiè* contrahere; haud dubiè, inquis; sed erunt, qui dubitent, & parùm curent, quid dicas, nisi dicta demonstres. Quid credas, aut teneas, nihil refert; sed quomodò probes.

Nugaris deindè tuo more, & saltas extrà chorum; nam nec agitur de pretio injusto, nec Adolescens fœnori accipit. Nempè eo modo accipit, quo dat Mercator, qui de fœnore non cogitat. * Nec seleratum est, hæc duo simul agere, vendere scilicet easdem merces summo pretio, & infimo redimere; scilicèt utroque justo. Immò ne quidem Adolescens peccat, si bonâ fide illas pecunias eliciat. Cuncta ista certa supponis: quæ si probabilia dixisses, utique tolerandus esses. Sic certam Augustini mentem in quinque propositionibus agnoscitis, quas tamen Ecclesia ut hæreticas damnavit. Vis dicam, quod sentio? nihil certum habetis præter contumaciam in damnatis erroribus, & constantem adversùs Romanum Pontificem conspirationem. Quod Nicolao Fabro affingis, mera calumnia est: sine teste nihil volo tale. Fieri quidem potuit, ut aliquorum decisiones morales minùs probaret; quis enim neget, in quodlibet disciplinæ genus, fraudis, erroris que vitium aliquando irrepere? at, quòd Theologiam Moralem, artem cavillandi cum Deo, generatim esse dixerit, adduci non possum ut credam. Sed demus, dixisse, quod tamen non damus: in hoc non laudo. Deus videt, inquis, merum ludibrium esse, fraudis involucrum, fallaciam, dolum, & apertissimam divinæ Majestatis irrisionem. Deus reverà videt id, quod est. Si ergo, ut supponitur, bona Mercatoris fides intercedat, illam haud dubiè Deus videt. Retorqueo argumentum Wendrocki: est Deus, qui à vobis rationem exiget obstinatæ pervicaciæ in propugnandis erroribus, in adornandis calumniis, in spargendis libellis famosis; dissipabit vestra consilia, disjiciet machinas, confundet artes, fraudes & dolos aperiet, factionem destruet, & juratam contra religiosum Ordinem, & Ecclesiam Romanam, conspirationem evertet.

* *Pag.* 200.

NOTA IV.

De Usura.

Hîc Apologistam Casuistarum acerrimè perstringis, quasi ipse usuram, & pecuniæ collationem cum fœnore, ejusque repetendæ potestate, licitam esse doceat; ita ut vix scias, ubinam usura possit consistere. Idem Principum & Conciliorum leges, inquis, contrà usuram latas ludificatur, docetque adversùs Judæos constitutas fuisse, & Legis fine cessante, cessare legis obligationem. Hîc autem Magistratus & Episcopos appellas, ut Jesuitarum audaciam coërceant. Quot verba, tot mendacia. Omnem usuram hic auctor improbat. Et spectato dumtaxat jure divino, nec non seclusâ Lege positivâ, ut expressè monet,

net, duos modos percipiendi justum lucrum proponit: pactum scilicet trium contractuum, ut vocant, & censum utrimque redimibilem ad certum tempus. Primum modum plusquam certum auctores, licitum esse dicunt; alterum supra sexaginta. Non desunt rationes potentissimæ, quæ utrumque suadeant. An propterea usuram & injustum fœnus approbat? Nec deest propterea multiplex usui locus & modus: si res postularet, triginta saltem percipiendi lucrum expecunia facilè adducerem, quos ab usuræ labe nullus Jesuita liberat. Quod dicis de Conciliorum & Principum legibus, inane est: vel unam proferre debueras. Nemo in hac accusatione tibi fidem habeat; nempe tibi ac tui similibus nulla fides pietasque. Non dixit absolutè Apologista vim legis cessare, cessante illius fine; sed quibusdam conditionibus appositis: atque hoc à multis gravissimis Theologis, & Canonistis doceri; citatque in hanc rem Soto, Carbo, Azor, Navarrum, Sayrum, Toletum, Suarez, Molina.

Falsum est etiam, dixisse Apologistam, Conciliorum leges in enormes Judæorum usuras constitutas fuisse: sed in Christianos, qui Judæorum exemplo, rei usurariæ vacabant, quique varias artes excogitaverant, ut sub iis usuræ vitium lateret. Hîc fidem tuam Willelme, ut in cæteris hominibus, Catholicam vellem: Jansenianam ubique invenio. Mox illum insciliæ & temeritatis arguis, quòd asserere non sit veritus, ante Alexandrum III. simplices usuras nulla lege, ecclesiasticâ scilicet, vetitas fuisse; quod ut falsum esse ostendas, multa Concilia subjicis obiter, quorum Canones usuram vetant: * Verùm, inquis, istos Canones ignorasse, Apologistæ nihil nocuit; habet enim ad omnia exceptionem, nimirum non mutari Canonibus naturam rerum. Lepidè, acutè dixisse tibi videris; sed aperta calumnia est. Ubinam dixit, simplices usuras nulla lege fuisse vetitas? Hîc sanè impostor es, si usquam ahàs. Dixerat enim Apologista, ante Alexandrum III. prohibitos non fuisse modos illos percipiendi lucrum, qui alioquin liciti poterant interdum usuris locum, vel occasionem præbere. Ii verò Canones, quos ex Antonii Augustini lib. 5. refers, simplices dumtaxat usuras vetant, ex eodem auctore tit. 6. Ad pœnam libri. Parisiense tantummodò aliquid innuit, de non accipiendis fructibus agrorum, nisi computentur in partem sortis; sed eo Concilio nulla præcepta ecclesiastica inducuntur, ut legenti constabit. Præterea ibi dumtaxat damnatur acceptio fructuum injusta, contra jus naturæ, ob pecuniam pauperibus gravi necessitate pressis commodatam; præterquàm quòd fructus percepti, modicæ pecuniæ commodatæ valorem excedebant. Quis autè neget, in tali necessitate, pecuniam gratis commodandam esse? Abi ergo Willelme cum tua Canonum farragine, qui ad rem non faciunt, & quos ad meram ostentationem accumulas, ut simpliciores in fraudè inducas: quod huc usque vobis solemne fuit. Sacros Canones, SS. Patres, templum Domini, templum Domini, ubique passim crepatis, sive id res postulet, sive non postulet. Hypocritæ, Constitutiones Apostolicas, & Concilium Tridentinum impunè rejicitis, & libris in lucem editis oppugnatis: Jesuitis verò, quamvis eo sint animo erga S. Sedem, & sacra Concilia, quem nonnulli Politici immoderatum, & affectatum perperàm judicant, sacrorum Canonum contemptum, & ignorantiam exprobratis. Hîc sanè tritum carmen locum habet: *Clodius accusat Mœchos, Catilina Cetegos.* Hæc porrò Apologistam, virum in Jure Canonico versatissimum ignorasse, nemo dicat, nisi maledicus; nemo credat, nisi ignarus.

* Pag. 201.

In nonam Epistolam.

NOTA I.

De cultu Deiparæ.

MOntaltius in hac Epistola,* ut legenti constabit, singulares aliquot, quæ ad Deiparæ cultum & honorem pertinent, quas P. Berrius singulari libro ediderat, pias & familiares excitationes (vulgò praxes vocant,) impius irriserat & exploserat: utrique Apologistæ meritas hujus delicti pœnas dederat. Illum defendendum suscepisti, Willelme, ut ejusdem criminis reus evaderes. Montaltius inquis, pietatem adversùs B. Virginem magnum ad piscendæ salutis subsidium esse fatetur, modò ex fide & charitatis radice nascatur, sed præter hanc, conversionem ad Deum desiderat. Hæc insignis Montalti, ac tua, qui eam approbas, fraus esse videtur, quòd hæc ambigua subnectat, postquam pia illa officia pièe & scurriliter exibilavit. quis unquam eorum docuit? quis nescit, neminem noxæ lethalium, cælestem gloriam consequi posse? Sed Barrius, Benerus, aliique Scriptores docent, piis illis officiis Deiparam moveri, ut sibi addictis ea gratiæ subsidia obtineat, quæ ad mutationem vitæ, & pœnitentiam peccatorum brevius & facilius conducunt. Dixi est ambigua, quæ Montaltius subnectit, quòd scilicet ea tantùm officia adversùs Deiparam approbet, quæ à charitatis radice nascuntur. Igitur peccator, qui charitatem non habet, frustrà Mariam implorat, frustrà salutat, frustrà illius cultui se addicit. Nec est, quid falsam illam doctrinam exaggeres: quam reverà Jesuitæ non docent, sed cultum erga Deiparam promovere conantur, quò fiat, ut peccatores illius subsidio freti, convertantur; & justi ad finem usque perseverent. Tu verò Mariæ præsidium salutare innocentibus, & pœnitentibus opportunum agnoscis; depeccatoribus altùm siles: quasi verò *Refugium peccatorum* jure ipsa non dicatur. Vis deinde * cultum illum certis quibusdam virtutibus annexum esse; quasi verò cum fide saltem & spe conjunctus non sit. Deles præterea majorem, quàm par sit, Mariæ reverentiam exhiberi à non paucis Scriptoribus. Quis, amabò, latriam unquam detulit? Infra latriam omnis alius, quantumvis insignis, cultus congruit. Nec in hoc tare quempiam debueras: qui reverà si secùs sentiat, illius auctoritatem flocci facio. Expectabam, ut diceres, quinam sint falsi honores, quibus Deipara nos delectatur: scio, quid tibi velis, Jansenii de grege magistri opinioni subscribis; utinam erroribus non subscripsisses.

Vis adorationem illam hyperduliæ, qua Deiparam Catholici colunt, esse tantùm respectivam, ut sanctorum Imaginum cultum. Hæc profectò à Theologis non didicisti, sed à quibusdam Anti-Marianis. * Tibi etiam displicet, quòd ejus splendorem, potentiam, & dignitatem laudibus extollamus. Ecclesiam ecclesias cum hæreticis, quæ similibus elogiis Deiparam ornat, dum canit *Salve Regina, Ave Regina Angelorum*, &c. Quantum suspicionis & veneni hæc præ se ferant, piis hominibus considerandum relinquo: nempe has laudes *inanes & pueriles* vocas. Et hæc, ut ingenue loquar, tartareo stylo. Inertes deinde precationes & ferme vota

* Pag. 217. * Pag. 218. * Pag. 219.

vantes ficis, quibus ad Mariam confugimus: nullas preces admittis, quas divinus amor & pura charitas non dictet. Miseros sanè peccatores, votis & precationibus interdictos! Quis errorem non videt? Vis nos imitari Mariam: sed imitari nequimus, nisi divinum adjutorium nobis obtineat. Illam igitur precibus & votis, ut illud nobis impetret, sollicitare debemus: idque sincero cordis affectu, in quem revera non quadrat illud, quod attulisti: *Populus hic labiis me honorat*: quod probè in Pharisæos, eorumque successores imitatores Jansenistas quadrat. Nullum enim nostrum apographum, feliciùs suum archetypum exhibet. Sycophantæ & hypocritæ malis artibus & fraudibus omnia miscetis; aliis onera gravia imponitis, quæ vix extremo digito delibatis; doctrinam & traditionem perpetuò jactatis, & vix prima Theologiæ principia tenetis; sacrorum Canonum observationem ad nauseam inculcatis, & Constitutiones Apostolicas in materia Fidei, & Concilia Oecumenica conculcatis; divinam charitatem libri vestri passim concrepant, & plusquàm mortali adversùs Ecclesiæ & Romanam Ecclesiam, ne quid dissimulando fingatis.

(a) Simili modestiæ & pietatis genere, Sacrum Scapulare, Imagines, Rosaria, aliasque precationum formulas, & externa in Beatam Virginem pietatis officia *non plurimis exitiosa esse* affirmas. Nemo Catholicus hactenus phrasim, quovis modo eam condias, approbet: nec credet esse quam plurimos, qui vanam sibi illisuæ securitatem hauriant. Mox stylum commendites exeris. Quid tibi velis, sat scio: emungere vis pia sagitis. Quis autem, ut dicis, spernit Christi & Mariæ paupertatem? Id sanè pietas erga Virginem impetrat, ut divinas illius virtutes imitemur. Quis porrò flagitiosis hominibus persuadet, ut in suis flagitiis perseverent? apage istas calumnias, quas una Jansenistarũ officina cudere potuit. Quasi vero pietati Scriptores ad omnia bona Christianos non hortentur, justos, ad perseverantiam & majorem perfectionem; peccatores ad pœnitentiam; divites, ad eleemosynam & divitiarum contemptum; pauperes ad patientiam; & quò hæc facilius obtineant, ad singularem pietatis cultum erga Deiparã. Quis hæc audeat, nisi Anti-Marianus? quis irrideat, nisi hæreticus, vel impius? quis Pharisaici ritus loco habeat, nisi justissima dissimula, quantum libet: exteriorem illum Deiparæ, & Sanctorum cultum manifesto ictu feriat. Nec verò Barrius illo contentus interiorem virtutum praxim, Fidei, Spei, Charitatis, Pœnitentiæ negligit, seu negligendam curat; neque Lectores ab iis rebus distrahit. (b) Quod quàm falsò imputet religiosissimo sensi de rebus ad excolendũ animum pertinentibus benemerito, & singulari pietatis amore que erga Deiparam & Sanctos studio flagranti Catholicus non videt. Increpas illum, quod Deiparæ cultum absolutum, non respectivum, ut vocant, esse scripserit, ad mirabilem ejus excellentiam terminarum. Quasi verò Theologi omnes id non docent: quasi verò Mariæ pulchritudo in se, & propter Deum tamen ultimò:) amari non possit; & impiũ, stolidum, ridiculum & stultum dictu sit, in sanctissima Eucharistia suscipienda, singularem illum pietatis erga Virginem affectum induere, quòd Christi corpus ex purissimo Mariæ sanguine compactum fuerit? hæc stulta, atque *Ecclesiæ scandala, & hæreticorum fabulas* vocas? nec te pudet? ô monstrum!

Theophilum Raynaudum contrà Barrium in hanc arenam adducis; non tam ut Barrium confutes, quàm ut eundem Raynaudum sugilles, quem in multis nugatum esse dicis. Disputatio Theophili contra Barrium merè scholastica fuit; ingeniorum non voluntatum dissensione suscepta. Alter rigore scholastico discutit, ponderat, atque improbat nonnulla pietatis officia, quæ Theologiæ Ascenticæ & simpliciorum pietati facilè indulgentur: alter verò charitatis ardore succensus, piorum hominum pietati, ac sinceræ fidei aliqua permittit, quæ alioquin scholarum rigor minimè permitteret. Dum Theophilum carpis, Leonem dormientem excitas. Nihil vobis hactenus formidabilius fuit, quàm ne hic auctor omni literaturæ genere præditus, in Theologicis acutus, profundus, solidus, in doctrina Patrum versatissimus, utraque eruditione sacra & profana ad stuporem instructissimus, uno verbo, qui majore facilitate libros scribat, quàm alter exscribat, ne hic, inquam, stylum adversùm vos exerceret. Egregiè præluserat contra Gibium Jansenii prodromum; fœliciter cœperat contra errorem de Duplici Capite: exin aliis, ut fors tulit, dissertationibus omnino distractus, vobis pepercit; sed nondum receptui cecinit, sat citò, si sat benè. Tibi saltem imputa, si fortè aliquando illius manu vapules: ne dubita, probè tibi furfures excutiet, ac te solita strigili defricabit. Quod subnectis à Sanjurio dictum, Barrius non negat, nec adversatur: & si Montaltius nihil aliud dixisset, ab re illi vitio verteretur. (a) Demum reprehendis *exilia* hujusmodi *pietatis languidioris* officia & *minutiores devotiones* in totam Ecclesiam spargi. Animum tuum satis aperis: gravem pietatem, & severam Religionem postulas: hoc prætexis nomine fraudem: te satis superque prodidisti. Quibus adhæreas, jam constat. Purum illum amorem spirare videris, & spiritu Evangelico duci; spurio tamen, hoc est, Jansenismo, ut molliùs loquar, cum Calvinianum meritò dicere possim. Frustrà igitur de altero Apologista quereris, cùm ille Montaltium mitiùs, quàm par esset, exceperit.

(a) *Pag.* 222.

NOTA II.

De stupro sententia Baunii.

MOntaltii malitia, in referenda Baunii opinione nullam prorsus excusationem admittit: nempe illam refert, perinde atque si Virgo ita sui corporis domina esset, ut ad omnem usum eo uti posset, ac proinde sese licitè prostitueret: hinc *lutulentam* illam & *inauditam* opinionem vocat. Tu quoq; Willelme, Montaltii vestigiis tuo more insistis. Quasi verò herus, servi sui dominus non sit, licèt ad turpem usum eo uti nequeat. Idem dico de omnibus aliis, quæ sub dominium cadunt. Sic Virgo sui corporis ita est domina, ut illud citra Parentum injuriam, ad honestos scilicet usus, alteri tradere possit: hinc si nubat, etiam invitis parentibus, matrimonium legitimum est, juxta Tridentinum sess. 24. in Decreto de reformatione Matrimonii. Hinc si Virgo sese alteri volens prostituat, peccat haud dubiè contra castitatem stuprator, at minimè contra justitiam; nisi fortè aliquod damnum Virginis parentes, aut detrimentum indè patiantur. Hæc est Baunii opinio, quam ipse accepit à Bannez, Navarro, Petro à Navarra, Soto, Graffio, Megala, citatis ab Apologista; ad quem te remitto, quia rem hanc egregiè discussit. Si vis, adde alios, scilicet Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 14. num. 1. Vasquez opusc. de restit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6. Lessium

(a) *Pag.* 220. (b) *Pag.* 221.

lib.2.c.1.dub.1.Coninck de Sacram. tom. 2. disp. 7.dub.4.n.19.& plures quos refert & sequitur Diana 1.part.tract.17.resol.12. Item Responsum illud editum Parisiis an.1655.cui 18. Curiones & 12. Doctores Sorbonici subscripserûnt in Matrimonii causa; quia hujus responsi veritas eo præsertim fundamento nititur, quod usus corporum, licitus scilicet, ad filiosfamilias, non ad parentes pertineat! Quod autem in stupro Virginis consentientes, virginitatis circûstantia in confessione necessariò explicanda non sit, docet De Lugo de Pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 218. Ubi citat Soto, Suarez, Vasquez, Lessium, Sanchez, Coninck, Navarram, Tannerum, Megala, Molfesium, Dianam, additq; n. 227. stuprum distinctam speciem inducere, quando intervenit violentia, aut raptus, aut dolus, aut aliud injustitiæ genus. Sed pudet diutiùs tractare fœces, quas toto libro passim aggeris. Quid aliud, quæso, scurra fæculentus effunderet?

NOTA III.

De Voluptatibus licitis.

TVrpissimam recentioris Apologistæ, illius scilicet, quem furiosum & immanem vocas, doctrinam commemoras; (a) qui scribit, multos graves Theologos docere, voluptates gustus æquè licitas esse, ac auditus, odoratus, aspectus; easque moderatas scilicet, ex se indifferentes esse; & hanc doctrinam *turpissimam* censes, quam tamen docuere D. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. Scotus ibidem a. 1. concl. 1. Ockamus in 1. q. ad 1. Almainus tract. 1. moral. c. 14. Major in 4. dist. 31. concl. 7. Vis recentiores? Tabiena v. ebrietas n. 3. Navarrus Manual. c. 23. n. 119. qui citat Cajet. in summa. Toletus lib. 8. c. 62. Lessius lib. 4. c. 3. n. 6. Summa Benedicti lib. 4. pag. 368. Ludovicus Bail pag. 555. & plures alii, qui docent, peccatum gulæ non esse mortale, nisi sequatur damnum aliquod notabile corporis, vel offendiculum. Immò S. Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. peccatum gulæ constituit in gravi aliquo corporis incommodo ex ciborum superfluitate. Sed declamatorem agis. Ergone, inquis, nullum aliud Christianæ temperantiæ officium est, quàm ut nos ab illicitis & valetudini noxiis voluptatibus retrahat? ô bone, tuo te pugione confodisti. Non agitur de virtutis actibus, sed de indifferentibus; agitur de iis voluptatibus, quas licitas esse agnoscis, quandoquidem vis temperantiam à licitis quoque retrahere. Igitur si quis eas amet, illicitum quidpiam non amat; igitur non peccat; nam licèt temperantiam non exerceat, à gulæ tamen vitio abstinet. Locus Ciceronis, quem adducis, ad rem nostram non facit, cum loquatur de intemperantissimis hominibus, quorum Deus venter est. Quis porrò negat, immoderatas gustus voluptates vitiosas esse?

Nec est, quod Epicurum, vel Julianum Pelagii defensorem acerrimum, hujus dogmatis auctores esse fingas; cum celeberrimi suffragatores non desint. (b) Longissimus ille Augustini locus tibi adversatur; nec enim libidinem illam, vel cupiditatem tantulùm immoderatam hujusmodi voluptatum, tam turpem, aut virtutibus inimicam esse voluit; sed minimum quid appellat: & licèt malum esse dicat, si jam *suppleta necessitate*, amor edendi animum sollicitat, quia nonnihil intemperantiæ est; nusquam tamen dixit, esse lethalè noxam. (c) Subnectis Jesuitas *concupiscentiæ vitium* nõ agnovisse, qui fuit Juliani error, ac proindè erron eam & hæreticam eorum doctrinam esse, cum appetitum illum naturalem esse censeant, quæ ipsissima est *concupiscentia*, primævi peccati miserrimum germen. Vah stultum caput. Quis unquam negavit vitiosam esse *concupiscentiam* & propensionem illam ad illicitas voluptates? quis tamen, nisi amens, nisi demens, nisi Jansenista, omnes voluptates esse illicitas, omnes motus appetitus, immoderatos, & quemlibet motum immoderatum scilicet, *concupiscentiæ*, esse peccatum mortale sentiat? hanc distinctionem peccati mortalis & venialis rides, sat scio: sed eam Ecclesia, quod mihi satis est, agnoscit. Non dubitant etiam Jesuitæ, quin optimum factu sit, abstinere à licitis, ut ab illicitis abstinere discamus: vobis sanè suo prælucent exemplo. Utinam Parochi vestri tam tenui victu suas mensas conderent! Non negant etiam, quin *concupiscentia* coërcenda sit, jejuniis tragenda, aliisque piis cruciatibus in ordinem redigenda. Sed hæc vobis est terra Australis incognita. Quid ergo Augustini loca frustra in hanc rem congeris quem hostem petis, mi homo? sed tandem video, quid tibi velis cum tuo Jansenio: Vis actum omnem peccatum esse, qui à Christiana virtute, imò & Charitate profectus non sit. Sed erras; nam multæ sunt Christianæ virtutis actiones, licet Charitate carentes, ut Fidei, Spei, Pœnitentiæ: sunt etiam aliquæ virtutes naturalis ordinis; sunt demum aliquæ actiones ex se indifferentes; id est, quibus ad bonum & malum finem uti possumus. Hinc ruit tuum illud argumentum.

Alius porrò fuit Augustinianæ disputationis scopus & finis, quam què hoc loco Jesuitis ineptè applicas. (a) Agnoscunt ipsi peccatũ Originale, & fomitem peccati *concupiscentiam*; nec eam ullo modo laudant: corpus tamen per se non malum castigant, ut ratioi serviat, ne scilicet voluntas corporis illecebris capta, iis contra legem Dei adhæreat. Sed bonus sum, qui hîc disputo, ubi nulla est prorsus difficultas, nisi qui tua insciția finxit, utpotè qui appetitum à *concupiscentia*, peccatum mortale à veniali, actum naturalem virtutis à supernaturali, ut vocant, licitum ab illicito, objectum indifferens à turpi & honesto, actionem non malam à bona, præceptum à consilio, bonum opus à meliore, doctrinam Catholicam ab Hæretica, Jesuitas demum à Pelagianis nullatenùs distinguis. Quæ cum ita sint, sapientibus cogitandum relinquo utrùm is, qui hæc aliaque hujusmodi non distinguit, dignus sit, qui cum Theologis disputet.

In decimam Epistolam.

NOTA I.

De absolutione differenda.

REcentiorem Apologistam ultrò hîc insectatus eò quòd scripserit, iis denegandam absolutionem *plerumque* non esse, qui vitiosam aliquam peccandi consuetudinem contraxerunt, quam illecebrosam detestantur, & sincerè ab ea liberari cupiunt; & licèt Confessarius certus nõ sit, sint, ut percupiunt; & licèt Confessarius certus nõ sit, sint, ut pœnitens à peccato abstineat, si alioquin rectè dispositus sit, etiamsi dubitet de firmitate & constantia propositi, eũ absolvi posse: (b) Quid in hac doctrina tam vehementer exaggeres, non invenio; nec ullam in ea video rationis depravationẽ, nec temeritatem

(a) Pag. 223. (b) Pag. 224. (c) Pag. 225.

(a) Pag. 226. (b) Pag. 244.

amo-

nonitatis contemptum, nec S. Caroli auctoritatem habeo pro habitam, nec Episcoporum Galliæ dignitatem ullo ignominiæ contumelia violatam, nec salutem Christianorum nefariè proditam, nec demùm apertũ omnibus vitiis aditum. Inflatæ hujusmodi eloquentiæ, vel potius implæ garrulitatis bullæ facilè difflantur: ad Apologistam te remitto, qui rem hanc breviter quidem, at solidè discussit. Quasi verò homo verè contritus contracta vitiosa habitudine, nunquam absolvendus sit. Quid si mortis periculum imminet? si Eucharistia iter suscipiendum? si præceptum Ecclesiæ instet, vel aliud opus, quod statum gratiæ postulet? si vitiosa illa habitudo valdè displiceat pœnitenti? si insuper secum ipse pugnavit, ut ab illa se expediat, quod facilius præstet, status gratiæ necessarius esse tamen absolvendum non putas?

Sed consilium tuum apertum est, Jansenianum ritum nobis obtrudis, quem Regio-portus tenet, quem Arnaldus inducere pro viribus conatur, quem vestri totus Ecclesia ubique promovent: Vis pœnitentem peccatis exponere, mox ipsi pœnitentiam impone, atque ad aliquot septimanas & menses; interim absolutionem suspendi, dum pœnitentia peracta sit: immò vis, absolutionem esse meram declarationem, non verò actum judicialem, contra expressam Tridentini definitionem. Apage istas nugas & ineptias. Pœnitente rectè dispositio, ac vere contrito, ad omnia prudens & justus Cõfessarius injunxerit exercenda parato, modò id probabiliter & verisimiliter Confessio constet, absolutionis beneficium jure conferri potest, etiamsi malos habitus contraxerit, modòdò displiceant, & verè statuat, illos extirpare. Vivaldum in Candelabro tit. de absolut. §. *casus*. Metinam lib. 1. Summ. c. 4. 1. Petrum Ledesmam 2. tom. Summæ tract. 1. 6. Manuëlem tom. 1. summ. c. 34. n. 5. Ludovicum Lopez. part. instruct. 232. Azor tom. 1. l. 4. c. 3. q. 3. Sanchez Op. Moral. lib. 2. c. 31. n. 4. Ludovic. Bail pag. 281. De Lugo de Pœnit. disp. 14. sect. 10. cum multis aliquin tamen non negant, quin Confessarius pro sua prudentia & charitate, non ad puniendum, sed ut melius possit differre absolutionem ad breve tempus; at nullus vel Scholasticus, vel Moralis unquam dixit, tamdiu differendam esse, quamdiu habitudo vitiosa manet.

Jam ad tuos errores accedo. (a) Vis enim *habitus* illos vitiosos, quantumvis illos pœnitens detestetur, adhuc voluntarios; &, dùm insunt, nunquam ab illis cessare voluntatem. Hîc purum putum Calvinii Jansenii errorem agnosco, qui volunt, concupiscentiam verè & propriè peccatum esse, quod est contra Trident. sess. 5. Nempe illa propensio ad peccandum, quam vitiosum habitum vocant, ipso peccandi actu contracta, per se habet rationem veri peccati, & hominem culpabilem reddit: igitur licèt aliquis cum ejusmodi habitus inest, verè contritus absolvatur, manet tamen adhuc peccati reus. Exempla, quæ tu adducis, in rebus scilicet humanis, contra te ipsum queri possunt. Nam in pecunia collocanda, ut mendo famulo, probandisq; novitiis, fide dummodo humana & notitia probabili homines nituntur; quorum, quo religiosæ familiæ utuntur, non modo probandam constantiam instituerunt est, sed ad pœnitentiam dum aptos ab ineptis, & ad rectam juvenem informationem.

Negaris igitur, mi homo, & nihil aliud ratiocinio tuo evincit, nisi tuas ineptias, & summam impudentiam; qua probatum ab Ecclesia administrandi Pœnitentiæ Sacramenti usum reprobas. (a) Vis enim cum tuo Arnaldo, satisfactionẽ & pœnitentiam aliquot mensium absolutioni præmittendã esse. Arnaldi librum impensè laudas: suspectũ recuso laudatorẽ. Approbarunt viginti Doctores & sexdecim Episcopi: sed longè plures reprobarunt. Emendicata elogia vitio potiùs, quàm laudi vertuntur. Quod dicis de pœnitentia publica, jam supra rejectum: quantùm in hoc argumento hallucineris, Bagotius demonstravit. Illa, quam jactas duodecim sæculorum praxis, merum commentum est, pro peccatis occultis; item pro publicis non paucis. Illa etiam, quam in Regio-portu adhibetis, vestra fraude, non Ecclesiæ jussu introducta est. Iterati porrò lapsus cum vero proposito mores in meliùs commutandi sæpissimè conjuncti sunt. Quid aliud ad necessariam dispositionem desideras? Nec S. Carolus aliud præcipit, nisi ut tunc differatur absolutio, cum aliquis jam per multos annos in eadem peccata prolapsus, nullam operam ad correctionem vitæ contulit; vel est in aliqua occasione proxima, quam facilè dimittere possit, vel ita affectus est, ut nihil veri ac firmi propositi, aut necessariæ dispositionis habere videatur. Quis enim Jesuitas inter, idem non censeat, & utile sæpè non reputet, si post iteratos sæpè lapsus, absolutio differatur? at id semper agere, ut vultis, intolerabile revera esset, & in maximum fidelium *scandalum* & detrimentum verteretur. Quare prudentiæ & charitati Confessarii id totum Ecclesia permittit.

(b) Cleri Gallicani statuta videre non licuit, quia nulla condita fuerunt. Affecta illa Epistola, quam sæpè appellas, fidem non facit; saltem maxima Prælatorum pars illam minimè approbavit. Testis quem in alio scripto, in hanc rem, appellatis, suspectus est, quia publicus Jansenianus. De doctrinæ Moralis pravitate Sancta Sedes judicat; ad quam, etiam extrà Concilium Oecumenicum, hoc judicium pertinet. Non dubito tamen inter tot Confessarios, nonnullos esse, qui nimia, vel severitate, vel indulgentiâ peccant. Omnis extremitas vitiosa: Ultra verò pejor, iis considerandum relinquo, qui sincero charitatis & veritatis studio ducuntur, non verò iis, qui per factionem atque tumultum omnia miscent. Sæpe à multis audivi, Jesuitas Confessarios inter mitiores non recenseri. Probate, sultis: Vobis sanè pœnitentiam publicam facilè imponent, quorum scilicet peccatum publicum est, & cum hæretica pertinacia conjunctum. Quod à solis Jansenistis eorum doctrina Moralis impugnetur, adeò certum est, ut nemo refragari possit. Parochos nihil moror, quorum scripta ex vestra officina prodierunt: quod nec satis dissimulare potuisti, cum ex iis, quasi centonibus, notæ istæ compositæ fuerint, & Censuræ aliquot Episcoporum ex eodem fonte prodierint. Et S. Carolus Jesuitarum doctrinæ & instituto adversus non fuit. Quod dicis, totam Ecclesiæ disciplinam ab iis fuisse labefactatã; ita, opinor, intelligis, ut fideles ad frequentem Sacramentorum Confessionis & Communionis usum induxerint. Quod quantùm Arnaldo, aliisque ejusdem furfuris hominibus displicuerit, ex libro de frequenti Communione perspicuum sit. Senescentem Ecclesiam hujus temporis vocas: cur ita dicas, satis constat; nempe rugas & maculas, errores in doctrina morum & fide in ea perperàm cum tuo Jansenio agnoscis: hinc reformationem proponis, sed hæreticam. Doles, sub Paschatis tempus, peccatores confiteri, quos per Sacerdotes ab Altaribus removeri jubes. Quamobrem verò? quia tempus non suppe-

(a) Pag. 245.

(a) Pag. 146. (b) 247.

tit, diuturnam pœnitentiam absolutioni præmittendi. Si quis rectè dispositus absolvatur, errorem Jesuiticum vocas. Cur Jesuiticum, cùm hic totius Ecclesiæ usus sit? Vellem, ut minùs solliciti de aliis, de vobis ac vestra conversione ageretis, ac deponentes dolum & mendacium, ejuratis erroribus, posita contumacia, dignos pœnitentiæ fructus faceretis. Reticete solitas hæreticorum voces. Quid ad vos attinet Ecclesiastica disciplina? rerum vestrarum satagite. Sed surdis canò: merus obtentus est; quo nomine fraudem erroresque vestros prætexitis.

NOTA II.

De Attritione.

IDem semper tibique similis, Willelme, ubiq; calumnias affingis, convitia jactas, errores adstruis. Dicis, à Jesuitis doceri, (a) attritionem naturalem in Sacramento pœnitentiæ sufficere ad justificationem. Non desunt alii, qui hoc dicant, ut Soto, Navarrus, à Gamachæo citati Tract. de Pœn. c. 9. item Bonacina, Canus, Ledesma, Victoria, Capreolus, Ricardus, Cajetanus, Sylvester, citati à Leandro tract. 5. de Pœn. d. 1. q. 47. Sed hanc doctrinam Suarez rejicit de Pœn. disp. 20. sect. 2. n. 8. Vasquez improbat q. 92. art. 2. Granado explodit d. 8. n. 4. Molina parùm tutam judicat in Concordia disput. 14. Amicus damnat tom. 8. disp. 13. n. 13. De Lugo falsissimam reputat disp. 5. sect. 8. n. 117. cæteri omnes improbant. Vel unum auctorem Jesuitam appellare debueras, qui hanc doctrinam sequatur. Quod autem attritio ex metu pœnarum temporalium, quas Deus comminatur, elicita ad Sacramentum sufficiat, multi docent, ut De Lugo cit. sect. 9. n. 137. item Suarez disp. 20. sect. 2. n. 15. & alii. Si quæ ratio tibi supperat contra istam sententiam, eam expromere debueras. Immò Tridentinum adducit in exemplum pœnitentiam Ninivitarum, conceptam ex temporali metu.

Pergis carpere Jesuitas, eò quòd doceant ad attritionem, seu contritionem imperfectum actum amoris, seu charitatis necessarium non esse. Quid, amabò, aliud Tridentinum docet? pro quo, te remitto ad Apologistas, immò ad omnes auctores scholasticos, qui post Tridentinum de hoc argumento scripserunt; exceptis paucis, iisque suspectis. Recense quæso & appella trium, aut quatuor celebriorum auctorum nomina, qui hoc sæculo obstinatiùs sententiam illam tuam scriptis in lucem editis propugnarunt; & fac deinde scias, quo mortis genere extincti sint; & an Sacramenti pœnitentiæ beneficio, sub extremam illam vitæ horam, gaudere potuerint. Auctores porrò non cito, ne paginas impleam. Vis Hispanos? adsunt benè multi, Suarez, Vasquez, Valentia, Canus, Sa, Granado, Henriquez, Azor. Vis Italos? habes Filiutium, Bonacinam, Sylvestrum, D. Antoninum, immò D. Thomam. Vis Gallos? ecce Paludanum, Gamachæum, Duvallium, Isambertum, Meratium, Martinon, Reginaldum. Habes etiam Germanos & Belgas, Adrianum, Tannerum, Coninck, Layman. Vis Cardinales? en Bellarminum, Toletum, De Lugo. Sed bonus sum, qui hîc hæreo.

Esto inquis: verùm attritio nequit esse sine detestatione peccati, at sine amore Dei nemo peccatum detestari potest. Ita Sylvius, Molanus, Estius. Istos auctores nihil moror, utpotè Bajo plùs æquo addictos, ut Card De Lugo rectè observat. Sed hæc opinio est contra omnes Theologos, & contra Tridentinum, ut monet De Lugo citatus n. 133. Vel enim amorem Charitatis intelligis, quantumvis remissum, qui reverà si adsit, non jam attritio, sed perfecta contritio est: vel amorem concupiscentiæ, ut vocant, quo Deum quidem diligimus, sed nobis: & hunc adesse ultrò fateor, cùm sine illo Spes esse non possit; Spes autem & Fides cum attritione conjunctæ sunt. Attritio, inquis, includit æternæ damnationis metum. De aliqua attritione conceditur; de omni negatur, etiam ex Tridentino, ut constat; immò attritio de venialibus ad pœnam æternam terminari non potest, quandò à lethalibus segregata sunt. Includit etiam, inquis, dolorem ob beatitudinem amissam, & hic amorem. Utrumque falsum: sed dato primo, non concesso, alterum non sequitur. Nempe dolor ille sine amore charitatis esse posset, non tamen sine amore concupiscentiæ. Relego breviter alias rationes à me congestas: sine gratia & Spiritu Sancto, inquis, ad gratiam nemo præparatur; igitur attritio naturalis non sufficit: & hîc hæresim Jesuitis affingis. Sed quam facilè Doctores, qui hunc sententiæ suffragantur, licèt Jesuitæ non sint, hoc argumentum solvunt? concesso antecedente, distinguunt consequens: attritio naturalis præcisè non sufficit; ita est: at modò cum Fide, Spe, & Christiano Timore conjuncta sit Sacramento; haud dubiè, inquiunt, sufficiet. Pergitis mali temporalis timore, nihil est supra naturam; igitur attritio ex illo timore naturalis est; igitur naturâ justitia est; en Pelagium Jesuitarum operâ tell vivum. Pudet reverà cum tam imbelli & ignavo adversario, vel alieno nomine, congredi. Quis enim Tyro in Theologiâ, hæc non rideat? negatur primò antecedens: nam ille timor est à principio supernaturali, quatenùs Deus illud malum temporale comminatur in Ninivitis luculentum exemplum habes. Præterea pœna Purgatorii est malum temporale, & tamen supra naturam. Insuper, dato, non tamen concesso, quod timor ille sit naturalis; cur, amabò, si cum Fide & Spe conjunctus sit, ad justitiam in Sacramento non disponet? an illa omnia, quæ Sacramentum componunt, supra naturam esse debent? Apage tales nugas & ineptias. Non te pudet, de rebus Theologicis disputare, quas prorsùs ignoras?

Nullum actum ex solo timore pœnæ profectum ad justificationẽ sufficere dicis, (a) quia hic timor *servilis* est, ac proindè quatenùs servilis, malus; idque ex D. Thom. 2. 2. q. 19. & ex Augustino probare conaris. Hoc loco luculenter hallucinaris; nam Doctor Angelicus expressè dicit, timorem servilem bonum esse, ac esse à Spiritu Sancto, sive sit cum Charitate, sive ab ea sejunctus: nempe utrumque S. Doctor expressè docet, & art. 7. dicit esse principium disponens ad sapientiam, in quantum aliquis timore pœnæ, discedit à peccato. Equidem si quis meâ dumtaxat *servilitate* (sic enim vocat) duceretur, id est, ita esset affectus erga peccatũ, ut illud omninò admittere vellet, nisi pœna subeunda foret; haud dubiè ille unus merè servilis vitiosus esset, nec ad legitimam attritionem sufficeret. Hinc per timorem servilem bonum, ita homo timet pœnam, ut amet justitiam; id est, ut excludat voluntatem peccandi, igitur includat voluntatem benè agendi; id est, justitiæ & rectæ vitæ amorem. Cũcta hæc sine Charitate esse possunt; ad eam tamen in Sacramento conducunt. Sed ubi tandiculè contradicis, cum dicis, timorem servilem ex parte *servilitatis* malum & bonum esse; hæc autem ita confundis, ut minimè à te intellecta esse manifestum sit. Aliud

(a) *Pag.* 278.

(a) *Pag.* 249.

illud argumentum profers, sed centies & millies a Doctoribus discussum: dicis enim, nullam esse legitimam attritionem, quâ homo ad Deum non convertatur, sed nullâ ad Deum conversio, in eo, qui solum malum temporale metuit. Sed hoc nego; converti enim ad Deum idem est, ac se convertere ad mandata Dei servanda, ad honestam vitam, &c. Sed quidnam, inquis, solo timore pœnæ faciat? S. Thomas multique, solo timore pœnæ faciat? S. Thomas multique, solo timore pœnæ faciat? de perfectâ contritione loco quem adduxisti, de perfectâ contritione, ut patet; hinc laboras in ambiguo, vel potiùs in equo. Sed instas: qui timet malum temporale, timet bonum temporale oppositum; igitur non diligit Deum; igitur neccolit ipsum Deum ex Augustino. Colit certè Deum, ipsumque diligit, sed amore concupiscentiæ, quo scilicet amat bonum, malo quod timet oppositum: præterea cum timore pœnæ, voluntarium peccandi conjuncta est, igitur & Deum colendi amorem.

Eodem recidit ultimum tuum argumentum, *a*) solam novam inter legem ac veterem, illud tantùm discrimen esse, quod in veteri propter bona temporalia, in novâ propter æterna Deus colatur. Tum multa Augustini loca in hanc rem congeris. Cuncta fateor: nam etiam sine Charitate possum appetere cœlestem gloriam, & amare Deum amore concupiscentiæ. Illud autem præsertim Pauli ad Galatas urgebat, ut à terrenis cupiditatibus D. Paulus homines abhorrat. Augustinus verò illum dumtaxat timorem servilem damnat, quo quis à peccato terretur sine *in opere*, cui tamen *affectu* adhæret *in voluntate*. Hinc reus est, inquit, *in ipsa voluntate, qui vult facere, quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impunè non potest.* Immò omnia illa Augustini loca, *servilitatis* nomine modo explicant, quo à me suprà explicatum est. Sed hæc quò spectant? Vin' ego dicam: Duas tines vobis proponitis: Primus est, ut Tridentinam auctoritatem eleveris, hinc timorem pœnarum malum esse, quem tamen Tridentinum sess. 6. c. 6. & sess. 14. 4. malum & bonum esse testatur: alter verò, ut Sacramentum Pœnitentiæ è medio tollatis: nempe ideò contritionem perfectam, id est, Charitati conjunctam, necessariam esse dicitis, & satisfactionem præmittendam præscribitis; ut peccata ante absolutionem remitti censeantur, ac proindè ipsa absolutio actus judicialis non sit, sed mera declaratio, contra Tridentinum sess. 14. c. 6.

a) Pag. 250.

NOTA III.

De præcepto amandi Deum.

a) IN scenam Polemicam & pulverem contentiosum provocas Willelme, disputas, arguis, distinguis, exponis, instas, & quas tantopere Jansenius odit tricas etiam Scholasticas adhibes, easque Scholasticorum formulas & distinctiones, quas hactenùs tuæ factionis homines exploserunt. Hæc audio tandem aliquando Jansenistam cum Scholasticis Theologizantem, si enim per te loqui liceat. Gratulor tibi has tuas assecutio *effectu, habitu, actu, virtualiter, realiter, necessitate medii & præcepti, totaliter & totalitates*, aliasque ejusmodi. Præterea D. Thomæ & S. Bernardi agis interpretem: quàm accuratum & rectum, is facilè intelliget, cui mos Jansenianorum perspectus est; & bona fides, quam Annatus tantoperè commendavit, comperta. Publicam enim auctoritatem & facultatem sibi arrogant, verba Dei, Patrum, Conciliorum, Rom. Pontificum, Doctorum adulterandi in verbis S. Thomæ jam suprà non semel hujus rei fidem fecimus.

Sed age Willelme, contrahamus disputationem. Præcepto negativo amoris Dei hominem semper teneri, tecum Sirmudus, contra quem disputas, & Jesuitæ omnes sentiunt; ne scilicet quidquam homo admittat, quod prædicto amori contrarium sit: item præcepto *positivo effectivi* amoris, ut ajunt, servandi scilicet divina præcepta; nempe ille Deum diligit, qui *sermones illius servat*: item præcepto naturali, ac etiam *positivo*, si velis, amoris *affectivi*, id est, eliciendi actum interiorem veræ Charitatis; quo tamen præcepto, hominem semper ac singulis momentis obligari, non dices, sed aliquando dumtaxat; tunc autem obligari, mecum facilè senties, cùm ad finem suum obtinendum, actus ille saltem moraliter necessarius est, v. g. in articulo mortis, si quis sibi peccati mortalis conscius sit, nec Confessarii copia fiat; item cùm Sacerdos rem sacram facere tenetur ex officio, nec adest Confessarius, ac se lethalis culpæ reum agnoscit; idem pro administratione aliorum Sacramentorum dicendum est; item cum quis probabili periculo se exponit, vel longæ navigationis, vel justi prælii committendi, vel proximi juvandi contagio laborantis, vel in gravissima tentatione odii Dei. In his omnibus, præcepto amoris *affectivi* hominem teneri Jesuitæ omnes sentiunt; de aliis casibus probabiliter disputant: omnes tamen negant, teneri ad actum *supernaturalem* Charitatis eo primo temporis momento, quo ad rationis usum pervenit: quod aliqui Doctori Angelico attribuunt, quem tamen Sirmundus non ineptè interpretatur, quidquid dicas, mi homo, eique affingas. Nunquam enim negavit, ad actum Charitatis hominem teneri, quotiescumque ad salutem obtinendam, legem implendam, fugiendum peccatum, sedandam conscientiam, est necessarius.

Sed à te rescire velim, quandonam sit necessarius, extrà casus prædictos & alios ejusmodi, pro quibus omnes conveniunt. Sunt qui velint, hominem ad hoc teneri, omnibus diebus Festis; alii singulis diebus; alii cùm accedit ad sacram Synaxim; alii cùm gravis tentatio urget; alii semel in anno; alii cùm inspiratur: suam quisque opinionem probabili aliqua ratione probat; sed ut inter se non conveniunt, ita neminem, opinor, teneri dices, ad unam potiùs quàm ad aliam. Ad quam enim? appella quæso: hoc tibi faciendum erat, ut aliquid novi adstrueres; cum tamen nihil aliud nisi crambem recoctam denuò apponas. Licèt enim interpretatio tua locorum discussorum, SS. scilicet Bernardi & Thomæ Aquinatis, Gersonis, &c. legitima esset, quod tamen tibi non concedo, cùm nihil sanè minùs præstiteris: nempe Doctoris Angelici locus, ut Bernardum omittam, satis obscurus est, ut tu ipse fateris; si ergo illius sensum, cum clarè & perspicuè loquitur, minimè capis, quomodò illum assequêris, cùm obscurior & difficilior est? Sed hoc dato, & non concesso, tuam scilicet interpretationem legitimam esse; quid inde? Igitur interpretatio Sirmundi corruit. Esto corruat, quid ad rem? Igitur amor actu est necessarius. Ita est; at non semper: dic, amabò, quando extrà casus expositos, in quibus omnes consentiunt, atque adeò ipse Sirmundus; licèt in iis præcepti naturalis, & legis æternæ vim obligationemque potiùs consideret, quàm

a) Pag. 211. ad Pag. 284. *Longum tractatum de Præcepto amandi Deum scripsit. Cum autem tum à Sirmundo tum ab Apologista argumentum plenè discussum sit, & meram locorum farraginem congerere hic dumtaxat esse videam, omissâ ejus explicatione, rem breviter conficio.*

Positivæ: dic sodes, extrà prædictos casus quandonàm præceptum illud positivum obliget: sed dic aliquid certi: nam amentes sibi somnia fingunt. Taces: Vin', prorè respondeam: quid tibi velis, satis ionuis. Jam Tui toties responderunt, hominem in omnibus actionibus suis teneri, actum Charitatis elicere; sic enim locum Pauli perperàm interpretantur. Itane verò: huc spectas, mi homo: Vis ab homine peccari in omni actione, quæ ab actuali Dei amore profecta non sit. Igitur Fides informis peccatum est, Spes item, & sanctus Timor, item attritio, & oratio peccatoris; immò cum actus divinæ Charitatis eodem instanti Charitatem habitualem vel supponat, vel inducat, omnis peccatoris actio peccatum est. Hinc si orat peccator, peccat: si rei sacræ interest, peccat; si mendico eleemosynam erogat, peccat; si Dei timore concutitur, peccat. Hinc ais, fieri non posse, ut qui non amat Deum, scilicet actu, aliquid non amet plusquàm Deum. Sed vide, amabò, quid dicas. Nam amare aliquid plusquàm Deum, est peccatum mortale; igitur omnis actus, qui amorem Dei non continet, est peccatum mortale. Nec errorem excusat id, quod dicis, amorem *manforium* in creatura, quo quis in ea defigitur, esse peccatum veniale, nisi actus aliquo speciali præcepto prohibeatur. Nam defigi in creatura, est in ea ponere finem ultimum; & hæc est peccati mortalis nota. Nec demùm est, quod dicas, à te non intelligi illum Charitatis gradum, qui sine Sacramento justificat: quia gradus ille speciem non mutat; & per te Charitas nascens, proficiens, & perfecta, sunt ejusdem generis; Charitas autem Theologica, etiam in gradu remisso justificat, aut certè cum gratia justificante conjuncta est. Hæc & alia multa absurda, impia, blasphema, hæretica ex illo vestro principio recta consequutione deducuntur; neque fateri erubescitis. Et hæc ad longam illam dissertationem, in qua millies eadem repetis, ac perpetuò nugaris.

Sed dato, ut dixi, & non concesso, te aliquid confecisse, nihil aliud obtinueris quàm ut præceptum positivum divini amoris, non quidem semper, sed aliquando obliget, idque certò, in casibus scilicet expositis, aliisque similibus; ac proinde doctrina illa ad eosdem pertineat. Quòd aliàs sit obligatio, scilicet pro alio casu determinato, nunquam probasti: dicam ampliùs, nunquam probabis. Sed, ut dixi, tam multa ad pompam & speciem congessisti, ut aliquid apud indoctos auræ captares; ut Theologum ageres, vel potiùs Theologastrum; ut vel hunc fucum erroribus vestris circa divinum amorem obduceres; denique ut sub amoris divini specie, simplicioribus imponeres, eosque in fraudem erroremque induceres. Fraudem detexi, errorem ostendi; cæterùm ad Apologistam te remitto, qui egregiè, breviùs licèt, calumniam vestram diluit, & totam rem istam egregiè discussit.

In Epistolam undecimam,

NOTA PRIMA.

De locis Montaltii.

DE hoc argumento præclarè scripserunt Apologistæ: idque variis locis, sed præsertim in 1. responsione ad Litteras Montaltii generatim, tum in responsione ad Epistolam undecimam, & in responsione ad objectionem 54: neque hîc tam infirmi ac jejuni fuêre, ut scribis. Montaltius nugatur, mentitur, calumniatur, fallit & fallitur: quàm elegans, inquis, quàm urbanus, quàm tersus & ingenuus! Uterque Apologista calumnias diluit clarissimè, Jansenistarum fraudes detegit apertè, doctrinam Catholicam defendit solidè: quàm jejunus, inquis, quàm infirmus, quàm misellus & languidus! In responsione ad undecimam Epistolam nihil est, quod rideas, (a) nisi misellum Montaltium, impostoræ scilicet, calumniæ, blasphemiæ, impietatis, erroris & impudentiæ convictum, nisi fortè miserrimi hominis sortem lugere malis. Concedit quidem Apologista, impia hæreticorum dogmata à SS. Patribus notata, quam irrisa fuisse: neque hoc improbat, sed ludicra & scurriles hæreticorum contra Catholicos sarcasmos, id est, Jansenistarum contra Jesuitas. Quis enim neget hos esse Catholicos; illos hæreticos, à tribus Pontificibus damnatos, cum scilicet doctrinam damnatam obstinatè defendant: Vis, Jesuitarum impia dogmata, & Jansenistarum doctrinam Catholicam esse primum, ut nugaris, probavit Montaltius suis litteris; alterum Deus suis miraculis. Sed Epistolæ Montaltii damnatæ fuerunt; igitur nihil probant: accedit quòd egregiè refutatæ sunt; & luculenter ostenditur, eas erroribus, calumniis, impostoris, mendaciis, convitiis, fraudibus & dolis, nec non ineptis & malignis salibus scatêre. Quid, amabò, lucis à tenebris, veritatis à mendacio, sinceritatis à dolo, justitiæ ab impostura sperandum: Quod attinet ad miracula, vestra fide, quæ dubia est, stare non possunt: nec tibi, qui adstruis miracula, fidem habeo; quia fidem tuam prodidisti. Vis tibi credamus, qui Deo ejusque Vicario non credis: sed de his infra.

Sed, inquis, Jesuitas in turpissimis & quavis digna objurgatione, doctrinæ flagitiis, Montaltius deprehendit. Error doctrinæ flagitium est? errores habetis, quos scilicet Ecclesia damnavit; igitur flagitia illa vestra sunt, non Jesuitarum. Non desunt alia præter errores, flagitia, quorum Montaltius reus esti, utpote qui tot calumnias affinxit, tot probra jecit, tot fraudes texuit, tot aculeis punxit. Sed quænam sint horrendæ illæ calumniæ, quænam rabida convicia, quibus Jesuitæ vos confixerunt? hæreticos forte vocarunt? non est calumnia; cum Ecclesia errores illos damnarit, quos per incredibilem contumaciam defenditis. Quod deinde fraudes vestras detexerint, calumnias diluerint, malas artes patefecerint, ad fidumtaxat, Veritatis, Religionis & Ecclesiæ detestionem; ideò sanè dici nequeunt convitiatores. Tum rides querelas furiosi, ut vocare soles, (b) Apologiæ, cujus textum tua versione in multis adulteras v. g. dùm *calumniam* in *urbanitatem* vertisti. Sed hæc & longè majora *fidei Ianseniana* facilè condonantur. Ridet hujus pueruli lachrymas, & ex Parochorum scriptis longam laciniam huc traducis: haud ab re quidem uteris jure tuo; amicorum omnia communia. Quod quod ex eadem officina hæc omnia prodierunt? Et tuas satyras blandum & facetum scribendi genus vocas? Deus me liberet ab iis blanditiis. At, si hæc atroces & acerbæ sunt, quid ab irâ & furore exspectandum? crede mihi, non puerliter, ut ais, Apologista de his conquestus est, sed graviter, nec non Christiano more. Res sanè miseranda fuit & commiseratione digna; per aliquot menses Jesuitæ calumniis, impostoris, convitiis, satyris opprimi à nebulone sycophanta, puro puto hæretico; in manifestum dedecus justitiæ, Religionis, Ecclesiæ, Veritatis; non sine piorum scandalo, impiorum risu, & plausu hæreticorum; idque impunè, nulla auctoritate publica, sive

(a) *Pag.* 300. (b) *Pag* 301.

loquelari, ut vocant, sive Ecclesiastica intercedente. Hæresi justis querelis occasionem præbueruut: at non multò post, Romanus Pontifex vindice Decreto, immanitatem damnavit.

Montaltii denique variam, qua pollet, in dicendo facultatem, laudibus in cœlum extollis; tum prudentem eorum circumspectionem, sinceritatem, moderationem, & vivum in eo pietatis exemplar impensè commendas. Ad Apologistas te remitto; sed quid ajo? ad eosdem. Ad Apologistas te remitto; sed quid ajo? ad Libertum Catholicum. Crede mihi, virtutum nomini opposita vitiis non benè conveniunt. Quidquid rabiosæ rabies, & desperatio, aculei, satyræ, veneni, ferri ubique passim adhibuit: & pium, moderatum, blandum appellas: neque id studio habuit, inquis, ut risus de Jesuitis excitaret, & populorum animos ingeniosis jocorum illecebris detineret. Te malignum hactenùs & invidum reputavi: at te modò stultum & mente captum credibile est. Mille modos excogitavit, quâ fraude, quâ impostura, quâ mendacio, ut ridiculos Jesuitas in fabulis exhiberet: & negas, id unquam in animo habuisse. Ita est: non Jesuitas, sed Ecclesiam petis: non eorum doctrinam, sed Catholica dogmata sugillas: meritò moderatus es: hac via, ad eum finem spectas. Laudas rursum atque iterùm, ingeniosas Montaltii scriptiones, eorum ingenium, urbanitatem: hæc sanè in scurram, bellionem, & insignem sycophantam minùs rectè quadrant. Sed hic homunculus, inquis, cum totâ Jesuitarum societate certavit invictus, & ab iis tristes ejulatus expressit. Justas sanè querelas, non verò ejulatus; piæ lachrymæ non defuerunt, quod inter Christianos tam horrenda impietas impunè læviret. *Cum tota*, inquis, *totarum potentia*: minùs dicis, quàm par sit; rem omnem: dic potius, cum totâ Ecclesiæ potentia. *Certarunt*, ais? mentiris Willelme: à te hanc vocem accipio. Certavit quidem, sed tandem victus, damnatus, & nigro theta notatus est. Subdis Jesuitarum dogmata eo modo prodita, qui eorum *absurditatem* lectoribus aperiret. *Eo modo*, inquis; afflictis scilicet per impudentiam & calumniam illis absurdis, quæ nunquam iis mentem venerant. Nempe dùm germanam illorum dementiam sincerè exposuisti, quod rarò accidit; nulla, præterquam absurditas, nullæ, præter tuas, ineptiæ inesse potuerunt. Et mira Montaltii felicitas fuit, tum in effingendis ineptis, suis videlicet & Regio-portuensium, ut mox fingendis religiosorum hominum Societati.

NOTA II.

De Rosario & gratia sufficiente.

Videst, habemus fatentem reum. Fateris enim à Montaltio, ac proindè à Regio-portuensibus, eam gratiam sufficientem negari & irrideri, quam Jesuitæ admittunt, & quam Thomistæ non negant, quidquid tandem affingas: (*a*) eam scilicet, quæ verè sufficit in ordine, ut vocant, quæ dat *posse* proximum, seu potestatem proximam agendi. Illa est, quam negat & irridet Montaltius: & quâ sublatâ, præcepta Dei sunt impossibilia; gratiæ interiori, cujus ope homo agere prohibetur, nunquam resistitur; dum peccatur, necessariò peccatur, &c. Ex hoc uno principio, omnes errores S. Sede damnatos, necessariò consecutione secuti sunt: in hoc enim contrà Logicæ regulas non peccant. Primarius igitur error est, quem Thomistis falsò ac temerè affingitis. Et verò tolerari non potest, quod dicis, Jansenium docuisse nihil, quàm quod Thomistæ de gratia docent. Nam ita Bullas & Epistolas Innocentii, & Alexandri, eludis; qui doctrinam Jansenii damnarunt, & Thomistarum intactam reliquerunt. Hinc gravissimam religiosissimis Doctoribus injuriam & contumeliam infers, quos in damnationis erroris que communionem per vim & invitos abripis.

Quod dicis, nunquam Montaltium de Rosario jocatum fuisse; quid vis, tibi dicam? ad pœnam libri: consule primam & secundam Paginam Epistolæ nonæ, & videbis inter illa pia erga Deiparam officia, quæ per summam impietatem Montaltius irridet, Rosarium quoque & sanctum Mariæ nomen contineri: irridet enim Montaltius ea, quæ Barrius scripserat; hic nunquam scripsit, hominibus, in flagitiis, permanentibus, propter externa pietatis erga B. Virginem officia, certam salutis spem esse; sed multa hujusmodi officii recensuit, quibus homines non extrinsecùs dumtaxat, & ore tenus, sed ex pio animi affectu profectis, ea gratiæ subsidia obtinerent, quibus, & peccatores ab iis flagitiis, quæ dicis, liberarentur, & justi in justitia permanerent. Constat igitur, nihil aliud Montaltium impiè irrisisse præter illa pietatis officia; quod ei Apologista exprobravit. Sed non miror, à vobis negari, ea scripta esse, quæ reverà scripta sunt; cùm etiamnùm negetis, quinque propositiones damnatas, esse Jansenii, quamvis ab Ecclesia hoc definitum sit.

NOTA III.

De Moinio & Garasso.

ADversùs Moinios insensum animum geris: fortè quia Moinius Gallico idiomate *Monachum* significat; Monachos autem in Gallia, cujuslibet instituti religiosos, perperàm licèt, appellant. Quid verò tandem peccavit Moinius ille Iesuita? quod in carmine elegantissimo, per leporem Poeticum, pudorem Virgineum, rubori, quo Cherubinorum vultus vulgò suffundi solent, comparavit. (*b*) Grande scelus & horrendum nefas. Apologista tam injustum & inane probrum contemptim rejicit; & uno verbo commendat ingenium, & stylum viri, quem jam contra Theologiæ Moralis famosum libellum, cum summa laude distrinxerat; miratur nimiam illius tolerantiam, tibi, Willelme, in Iesuitis valdè suspectam. Nam qui tot noxia, inquis, flagitiosè defendunt, quomodò ea non defenderent, quæ aliqua ratione defendi possunt? Porrigo fœniculum, ut os virulenta illa eluvie fœdatum abstergas. Quid, amabò, Moinius hîc defenderet? quid enim illi opponitis? figuram Poeticam? ingeniosum & insons acumen? Unum ingenuè dicam, quod à clarissimo viro accepi, de cujus fide nullum mihi dubium est, triginta saltem Apologias & refutationes libellorum Regio-portuensium à variis Iesuitis fuisse compositas, vetuisse tamen hactenùs eorundem Præsides, ad majorem Christianæ patientiæ commendationem, ne typis mandarentur. Utinam tandem consilium mutent! esset enim operæ pretium, infrunita hæreticorum ora comprimere: hoc reverà esset, obsequium præstare Deo; cum petulantes illi sycophantæ longa illa patientia abutantur; nec enim patientia, sed acri animadversione *hoc genus dæmoniorum* expellitur. Ad Garassi locum deinde transis, quem statim ipsa versione adulteras, dum sic vertis, *humana personalitas, Verbi personalitati inserta est, & super ea quasi equo collocata*. Sic vertere debueras *personalitas hominis personalitati Verbi quasi insita, & quasi jumento imposita fuit*. Nempe ex surculo insito & truncо, cui inseritur, una planta evadit; truncus autem sustentat surculum; item ex homine & equo, cui insidet, & à quo

(*a*) Pag. 302.

(*b*) Pag. 302.

fertur,

fertur, fit unus eques. Sic ex persona Verbi & humanitate fit unus Christus; & licèt claudicet comparatio, hoc tamen non facit, ut damnanda sit: ut enim fit unum totum, in ratione plantæ, ex trunco & surculo, qui à trunco sustentatur; & unum totum, in ratione equitis, ex homine & equo, qui hominem sustentat, ita ex Verbi persona & humanitate à Verbo sustentatâ, fit unum totum hypostaticum, id est, in ratione personæ. Quod Verbum comparetur equo, mirum vobis accidit. Sed comparatur Leoni, Gallinæ, Agno, Aquilæ, Pelicano, immò & Vermi; & ex Pauli loco, caro Christi Verbo unita, id est, ipse Christus, jumentum dicitur. Nec est, quod dicas, humanitatem, non Verbum, jumento comparari: erras mi homo, erras, humanitas Verbo unita, Christus ipse, qui Deus est, jumento comparatur, cùm sit agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & jumentum, quod hominem saucium & semimortuum curandum ad stabulum, & curatum in cœlum tulit. Sed quæro te, Willelme, ostende parumper Nestorii hæresim in hac Garassi sententia, cum impio joco, manifestè, quanquam per imprudentiam, ut inquis, fuisse conjunctam. Nestorius duas personas in Christo agnovit: Garassus eodem, quem oppugnas, loco, disertis verbis, non nisi unam admittit. An ex furculo, & trunco, cui est insitus, duæ arbores fiunt? an ex homine, & equo cui insidet, duo equites evadunt? De hæresi malè judicas. Rectè de eâ censere, hæretici profectò non est; utpotè, qui aliorum Catholica dogmata pro heterodoxis, & sua heterodoxa pro Catholicis habeat. Quid mirum? cum factus sit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Et ut ab equis ad asinos, ad vos scilicet revertar, quis nescit vos esse reos, damnatos, & Vaticano fulmine tactos; doctrinam vestram hæreticam, impiam, blasphemam à supremo & legitimo judice declaratam; libros vestros multiplici Decreto confixos, & nigriore nota fœdatos? Quis igitur ferat, insolentem illam proterviam, qua vobis impunè potestatem arrogatis, judicandi doctrinam morum & fidei, damnandique auctores Catholicos, qui vestros errores, pro eo, quo sunt erga optimam Parentem Ecclesiam zelo refutarunt? quis unquam tàm immanem arrogantiam, tam horrendam superbiam ferat?

In duodecimã Epistolam.

NOTA I.

Ignoti Scriptoris Epistola.

HAnc latinè reddidisti, inquis, notarum loco. (a) Scriptorem ignotum dicis, quasi alter ignotus etiam non sit. Montaltii nomen scenicum est: scena haud dubiè histrionem docet. Quamobrem porrò Montaltium nomen suum tacuisse dicis? nonnè quia sibi à Jesuitarum gladiis & sclopis timebat? O timidum animal, qui te mortalium sibilis exponis! stylum Jesuitarum timuit, non gladium; aut certè gladium timuit & laqueum Carnificis: multi enim extremo supplicio, juxta legum Decreta, plectuntur, longè Montaltio innocentiores. Tum Montaltii potentiam & vim exaggeras, qui, *si voluisset*, inquis, *ut te, Deus bone poterat calsacere!* affusâ scilicet calidâ: *Viden' ut totam Societatem agat, & versat?* hactenùs tamen immotam. *Quid si in te unum vertisset impetum?* lepidè prorsùs & thrasonicè. Doles præterea, quòd Jesuitæ Jansenistas veltro tanquam hæreticos insectentur. Dolere potiùs debueras, quòd Jansenistæ sint hæretici, & damnatis erroribus obstinatiùs adhæreant.

His præmissis, ad quæstionem accedis. (b) Montaltius Vasquis doctrinam de eleëmosyna ita exposuerat, quasi divites laïcos omnino liberaret à faciendâ eleemosynâ, etiam de superfluo. Hanc imposturam egregiè diluerat uterque Apologista; primus quidem impostur. 1. & in respons. ad duodecimam Epistolam; alter verò in respons. ad objectionem 12. & ab his clarissimè ostenditur, ex mente Vasquis, divites teneri, dare eleëmosynam, non tantùm de superfluo, extra casum extremæ necessitatis, sed etiam de necessario, idque sub pœna peccati mortalis cap. 1. Opusculi d. III. n. 29. & 18. 13. Sed doctrinam hujus Doctoris non intelligitis, nec capitis varias distinctiones, quibus appositè omnia explicat, quid sit superfluum, quid necessarium. Nempè aliquid est necessarium vel ad vitam, vel propriam, tùm familiæ; vel ad statum jam acquisitum, vel ad illum, qui legitimè probabiliter proximè, & ut sic dicam, prudenter, haud temerè sequi potest; vel ad famam, &c. Deindè alia est ordinata pauperis necessitas, alia extrema; alia non extrema quidem, sed gravis & urgens: præterea aliud est, divitem adstringere sub pœna peccati mortalis, ad faciendam eleëmosynam; aliud, hortari, impellere, invitare. Cuncta hæc ita confunditis, ut unum ab alio non distinguatis; cum tamen manifestum sit, doctrinam Vasquis longè strictiorem esse, doctrinâ Gabriëlis, Majoris, & Gersonis; qui docent, divites teneri tantùm in extrema pauperum necessitate; immò & Cajetani, qui docet, divites non teneri etiam extremam necessitatem, nisi de superfluo. Quod ad tuas cavillationes reponam, nihil opportunius occurrit, quàm si tibi auctor sim, ut legas dubium illud 3. Vasquis; & si fortè non intelligis, ut magistrum adhibeas, quo reverà satis indiges, cùm tantam ignorantiam præ te feras. Vellem etiam accerseres morum magistrum, qui tuam illam feritatem, & effrenem licentiam coerceret. Immò si me audis, totum illud opusculum diligenter volves, cum ineo genere, nihil melius, firmius, & solidius inveniri possit.

Ne tamen mihi vitio vertas, quod errores tuos dissimulem, aliquot adnoto. (c) Maximum crimen à Vasque & Apologista, Cajetano affictum esse dicis: quamobrem verò? quia eum docere asserunt, in *Tract. de Indulg.* extrà extremam necessitatem, datili superflui præceptum, peccati venialis modum non excedere. Accipe verba Cajetani tom. 1. Opusc. quæst. tract. de indulgent. quæst. 3. num. 40. *Licèt*, inquit, *necessitas non extrema non obliget ad peccatum mortale omittentem eleemosynam, magna tamen necessitas proximi à potenti sine suo incommodo subvenire,* (de superfluo scilicet, alioquin incommodo esset) *rationabiliter inducitur, ut obliget etiam ad peccatum, quamvis non mortale.* Illud autem *secluso superfluitate bonorum*, ad remotum facit: vult enim Cajetanus, locum illum Joannis 1. cap. 3. *Si quis viderit fratrem suum necesse habere, & obclauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo,* præscindendo à superfluis, de extrema necessitate intelligendum esse, *si assertivus* sit. Licèt autem Cajetanus contrarium videatur dicere tom. 2. tract. 5. hunc tamen scripsit anno 1496. illum verò de indulgentiis 1518.

Præ-

(a) Pag. 320.

(b) Pag. 321 ad 325. (c) Pag. 325.

Interea carpis Vasquem, eò quòd dixerit, vix unquam teneri aliquem ad eleemosynam præcisè ex præcepto stantem, cum vix unquam hujusmodi superabundans sit: quod à legis Evangelicæ animo prodigialem sit: quod dicis horrere dicis. At idem habet Cajetanus, in Summâ Morali, verbo *Eleemosyna*: *superfluum judicandum*, inquit, *consideratis sumptibus, statu munificentiæ, conditionibus, communibus eventibus, hæredibus, & aliis circumstantiis; ita ut rarò videatur contingere, ut homo secundum gloriosè viventis superfluum habeat.* Denique quod dicis, extremam necessitatem, de qua loquitur Cajetanus, eandem esse cum ea, quæ à Vasque magna, gravis, urgens vocatur, & quàm ab extremâ communibus probè distinguit; ejusdem furfuris est cum aliis tuis figmentis. Est profectò, quòd dicam, nullum mihi visum hactenus cum tanta impudentia scripsisse. Erit, quòd miretur posteritas, eò processe impudentiam hominis Jansenisti, haud dubiè à malo dæmone acti; ut ter etiam & quater impostum convictus, eandem tamen, per diabolicam obstinationem, quæ resipiscere nescit, denuò recoquat.

Ad Simoniam deindè gradum facis: (a) & quàmvis utroque Apologistâ sincerè ac fideliter edoctus, discere tamen non potuisti, nullam esse Simoniam, juris scilicet divini, ubi datur aliquid temporale spirituali, aut vicissim; non tamen in pretium, nempè Simoniâ venditionem continet, seu æstimatur, ut vocant, seu virtualiter & æquivalenter; alioquin enim, nihil posset dari pro Missa, pro Horis Canonicis, pro administratione Sacramentorum. Monstrat hoc titulo, inquies. Rectè: non datur titulo pretii, sed alio v. g. pii stipendii, motivi, ut vocant, eleemosynæ, gratitudinis, amicitiæ. Sed, inquis, Montaltius ad beneficia & sacerdotia traduxit: id non rectè; cum lege condita cautum sit, ne quidquam quocunque titulo, in hac materia detur: utique in Collatione Ordinum: igitur si datur aliquid, licèt non detur ut pretium, sed alio titulo, committit quidem Simoniam contra jus Divinum; sed contra Ecclesiasticum. Dare tamen aliquid, ad obtinendum beneficium, conducens, sine alio titulo, nisi de ratione pretii non cogitetur, Simonia est juris Divini; illud enim, æquivalenter saltem, titulo quidem datur. Accipere aliquid pro Missa, licitum est, quia lege non vetitum: si tamen Sacerdos illam tantam sibi vendicet, ut Missæ pretium, sive hoc unum pro fine sibi proponat, sive quidlibet aliud, haud dubiè veram Simoniam admittit. Hoc ipsum docent quod tenent Jesuitæ. Locus, quem ex tuo Cano adducis, de pretio agit, cujus expresè meminit. Angis autem, pertolerabilem calumniam Jesuitis horribilem illam sententiam; quasi dicant, licitum esse Sacerdoti, omnes spirituales fructus ex sacrificio provenientes, alteri accepto pretio concedere, seu vendere. Si tuum illud *mentiris impudentissime*, huc accersam; nullam sanè tibi faciam injuriam, cum insigne mendacium sit.

Ad quæstionem Montaltii de pecunia ab eo accepta, (b) cui beneficium concesserat, jam ter, aut quater responsum est; primò quidem esse Simoniam contra jus positivum, ut vocant; nam leges hoc vetant: deindè si pactum intercedat, vel expressum, vel tacitum, quo fiat, ut pecunia pro beneficio detur, id est in pretium beneficii, & resultare præsumatur in hujusmodi obligatio rependendi, seu beneficium, pecuniam, est Simonia contra jus divinum; item qui concedit beneficium, intendat obligare alterum ad solvendam pecuniam, aut qui dat primo loco pecuniam, obligare alterum ad cedendum beneficium; est etiam Simonia contra jus divinum. Si verò qui accepit ab alio beneficium, ultrò & volens ab eo motivo impulsus, liberaliter aliquam pecuniæ summam eidem numeret, vel meræ gratitudinis causâ, vel eleemosynæ & piæ donationis titulo, si fortè ille pecuniâ indigeat; item si quis det alteri ex mera liberalitate, ex charitate, ex amicitia, aliquam pecuniæ summam, quâ hic moveatur ad resignandum eidem beneficium, modò nulla intercedat ratio pretii, seu venditionis, id est, modò is, qui pecuniam dedit, nullam indè obligationem resultare præsumat in accipiente, resignandi scilicet beneficium, non erit Simonia. Quid ad hæc, mi homo? Horribilem impietatem vocas. Igitur horribilis est impietas, propter Sacrificium Missæ pecuniam dare & accipere, immò longè priori horribilior, cum hoc sacrosanctum mysterium sit augustius simplici beneficio. Sed inquies, hoc licet; quia Ecclesia permittit. Quasi verò Ecclesia impietatem permittere valeat. Itaque manifestum est, hæc à te nesciri; alioquin non adeò ineptè dissereres. Ut enim mitiùs de te loquar, rem hanc Willelme, non capis; quam tamen discere potuisti ab utroque Apologista.

Vis auctores hujus doctrinæ? hi sunt, D. Thom. 2.2 q.100. & in 4.d.25. & quodl.8. item Alens. Altisiodor. Antonin. Armach. Summistæ omnes & Canonistæ, quorum multos citat Suar. tom.1. de relig. lib.4. c.1.n.9. Item Barbosa in cap. *etsi quæstionis* de Simon. Item Sylvester v. Simonia, §. *tertio quæritur*. Cajetan. in summ. v. Simonia satis fusè. Sed bonus sum, qui hic hæreo; cùm potius remittendus sis ad utrumque Apologistam: ad primum quidem impost. 2. & in resp. ad Epist. 12. ad secundum verò, in respons. ad object. 13. sed potissimum ad P. Josephum Gibalinum, qui ex professo singulari tractatu, rem hanc ità discussit, & ineptias vestras refutavit, ut nihil profectò sit, quod doctissimi quique in hac materia ultra desiderent: omissis enim Societatis Doctoribus, quamvis plurimi sint, iique doctrinâ & pietate celeberrimi & gravissimi, alios auctores adducit, allatis, collatisque eorum locis, initio facto à Petro Lombardo Magistro Sententiarum; item Canonistas, Romanosque Pontifices; ipsius Sorbonæ Decreta; quibus omnibus abundè prorsus evincit, nullam unquam Simoniam esse; in qua ratio pretii, ac proindè venditionis non intercedat: rarum opus, sive rationum pondera, sive auctoritatis momenta, sive oppositæ sententiæ refutationem perpendas. Ad hunc ego te remittendum putavi, à quo multa, quæ nescis, discere valeas.

Insulsè demùm sub finem (c) & plusquàm puerilitèr, in priorem Apologistam declamas, quòd ab Escobario ad Lessium controversiam transtulerit, pro eo, qui contractis nominibus, bonis deindè cedit. Sed ab te profectò expostulas Wendrocki; quasi verò doctrinam illam Montaltius Lessio non attribuat. Sed, inquis, Montaltius per se Lessium non protulerat; nam Escobarii tantùm locum attulerat, in quo Lessius laudabatur. Quo usque tandem mentiri non cessabis, mendaciorum architecte? ad octavam Epistolam te revoco, pagin. 182. Volve, lege, *hoc noster sancivit Lessius, confirmavit Escobarius, &c.* per se igitur Lessium hujus doctrinæ auctorem appellasti; Escobarium verò ejusdem confirmatorem. Lessius tamen sententiam suam longè fusiùs & clarius

(a) Pag.325. (b) Pag.367. (c) Pag.328.

rius explicuit : nam Escobarius aliorum Doctorum sensum sæpè supponit, rarò explicat. Hujus igitur doctrinæ sensus apud Lessium explorandus est, & discutiendus : quod egregiè præstitit Apologista impost. 3. & in respons. ad Epist. 12. Ad eum te remitto ; nisi velis Escobarii Vallisoleto exspectare responsum. Et verò licèt Escobarius ambiguè locutus sit ; cum is dicat, se cum Lessio sentire, non alia quàm Lessii, ipsi doctrina imputanda est. Injustè igitur conquereris, quòd Apologistæ doctrinam Lessii de hoc argumento explicuerint ; primus quidem citatis locis, alter verò in respons. ad object. 24.

NOTA II.

De reditibus Ecclesiasticis.

TAm facilè pronunciare, vel ignorantiæ, vel imprudentiæ est ; adde malitiam & iniquitatem, cum quis ex odio præcipiti, quo adversùs aliquos abripitur, pronunciat. In hoc, erras statim initiò : Vis enim, (a) certius esse nihil, quàm Ecclesiasticos suorum reditnum dominos non esse : & ex Comitolo, cujus auctoritas nullius ferè momenti est, periculosam illam sententiam vocas, quæ ad omnem licentiam aditum aperiat. Si oppositam probabilem dixisses, utique tolerandus esses, cum pro illa multi auctores scripserint : at ita certam putare, ut aliam periculosam esse velis, & ad omnem licentiam aditum aperientem, hoc reverà sustineri nequit ; cum ea pro se gravissimos auctores habeat, quales sunt Sotus, Covarruvias, Adrianus, Corduba, Vasques, Arboreus, Alcozer, Tabiena, Sarmiento, Simancas, Gerson, Abulensis, Honcala, Turrecremata, Propositus, Angles, Aragonius, Thomas Sanchez, Molina, Lessius, Lorca, Coninck, Filiutius, quos citat & sequitur De Lugo *de just. & jure disp. 4. sect. 1 num. 2.* adde torrentem omnium recentiorum, quos hîc recensere, longum esset. Omnes tamen isti fatentur, teneri Ecclesiasticum, in usus pios residuum expendere. Probatur autem hæc obligatio, tùm ex Trident. sess. 25. cap. 2. de reform. quod prohibet Ecclesiasticis, ne redditus suos, *qui Dei sunt*, consanguineis donent ; tùm ex usu Ecclesiæ, quo mens illius clarissimè constat. Quod autem sint Domini, præsertim probatur ex Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. ubi dicitur Ecclesiasticus facere fructus suos ; item sess. 23. cap. 1. de reform. item ex Bulla Pii V. quæ incipit *Ex primo*. Illud etiam præsertim movet, quod Ecclesia nullis pœnis eos ad restitutionem adstringat, qui residua in pios usus non expenderunt.

Non nego, sententiam oppositam rationibus etiam suis probari, iisque gravioris momenti ; sed quæ illam dumtaxat probabilem, non certam efficiant. Quare, ut eam non damno, sed probabilem reputo ; ita neque tu meam damnare debes, utpotè longè probabiliorem. Dixi supra, Comitolum hac in re nullius esse momenti : quippe qui nimio studio, neotericis auctoribus contradicendi, scripserit.

Unum autem præ cæteris, in te displicet, (b) quod attritionis cum Sacramento conjunctæ beneficium per summum contemptum eleves, cujus scilicet operâ, is ad gratiam redire possit, qui reditus Ecclesiasticos in consanguineos effuderit, idque citra omnem restitutionem, ad quam scilicet non tenetur. At dato, quod teneatur, ejusdem attritionis opera, in Sacramento, ad gratiam redit ; cùm vera attritio propositum non peccandi, & voluntatem servandi præcepta, atque adeò restituendi complectatur. Tu verò nimiam, ut putas, salutaris remedii facilitatem non probas, O inhumanum hominum genus ! qui Christi mortem pro omnibus oblatam, & sanguinem fusum ; & gratiam sufficientem, quæ nemini deest, cum præceptum obligat ; & novum Pœnitentiæ Sacramentum, quo Christiani longè facilius, quàm olim Judæi peccatorum suorum veniam consequuntur ; & jugum Christi suavius, onusque levius, redemptis à Christo mortalibus invidetis.

Sed hoc onus superflua distribuendi, Jesuitæ, inquis, *Pensionariis* eximunt : (c) item docent, ea quæ stipendii loco accipiuntur, tametsi superfluant, in pauperes necessariò eroganda non esse ; (d) neque id, quod parsimonia congruæ ac debitæ sustentationi subtrahit ; neque id quod nonnulli, digna laboris & industriæ impensæ in regimine Ecclesiæ mercede, supra congruam sustentationem meretur. Cuncta hæc, inquis, sunt nefanda, turpia, sordida, avaritiæ labe polluta, Christo & Ecclesiæ contumeliosa, simoniaca & nulli probanda, quem aliqua divini ministerii cura & honos tangat. (e) Heus tu : viden' quid dicas ? tam graves, tam sanctos, tam doctos homines his laudibus exornas ? Sed, quantumvis ringaris, prædictæ sententiæ sunt probabiles. Nam & pensio est ipsissima applicatio ob causam justam ad aliquem usum pium ; & quod datur stipendii loco, inter reditus Ecclesiasticos non recensetur ; & quod portioni sibi debitæ aliquis subtrahit, alteri non debet ; omnis demum merces singulari labori & industriæ alicujus debita, eidem in competit, ut ejus liberæ voluntati relinquatur : præterquàm quòd Doctorum auctoritas, & usus in Ecclesia receptus hujusmodi opinionibus aliquod pondus conciliant. Consule Cardinal. De Lugo sect. 3. per totam, qui multos etiam citat.

(a) Pag. 329. (b) Pag. 330.

(c) Pag. 330.
(d) Pag 331.
(e) Pag. 332.

NOTA III.

De Simonia.

ITerum hoc loco *furiosum* illum Apologistam imperis : (f) & primò quidem increpas, quod Epistolam duodecimam Montaltii dissimulet. Turbatus videris, Willelme, adeò ut revera nescias, quid dicas. Nam contra illam duodecimam potissimum agit Apologista, eamque expressè appellat, refutatque pag. 53. & 54. Sed falsò, inquis, Montaltio affingit, quasi divitibus præciperet, ut se etiam statui suo necessariis spolient, quò periclitantem aliorum statum tueantur ; *cujus opinionis*, inquis, *ne vestigium quidem in Montaltii Epistolis reperias.* Itane vero ? at Montaltius in extremis necessitatibus etiam necessaria largienda esse sensit, ipso ferè initio Epistolæ : extremam autem necessitatem cum urgente & gravi confundit. Tu ipse suprà propter hoc vapulabas pag. 325. Porrò Theologi jacturam status autumant inter magnas necessitates recensent. Igitur recte Apologista per legitimum ratiocinium illam tibi opinionem imputavit. Sic enim ratiocinatur : in magnis, urgentibus, extremis necessitatibus (nam hæc tria apud vosdem sonant) necessaria (sunt largienda ; hæc propositio Montaltii expressa est : sed evidens jacturæ status periculum, est magna necessitas ;

(f) Pag. 332.

simoniam ferè omnes Theologi dicunt: igitur in evitandam hanc iacturæ status periculo, necessaria largienda dona.

Ad Simoniam deindè orationem convertis: sed nescio quomodo, vel ut verius dicam, malignè peccas, ut videtur. Nam doctus Apologista, quem utinam bene legeres, id dumtaxat asserit, nullam esse Simoniam in negotiis, id dumtaxat asserit, nullam esse Simoniam in negotiis, quæ sunt mere de jure divinum, sine ratione pretii & vendibilitatis, formaliter scilicet, vel æquivalenter, ut ajunt: id est, dare rem, vel comparare pretio unum alteri, id est, emere, quod vendere, vel emere, id est, ita dare ut detur, ita tamen, ut resultet jus ad aliud recipiendum; nam, ut dante resultet jus ad aliud recipiendum; consequenter obligatio in accipiente illud ipsum dandi. Sed hæc non capis, mi homo; ad forum venaticum, ut video, pertinent, quam ad Scholam mihi sanè videris esse mancipandus.

Nec id, quod timeas, (a) ne juris humani Simoniaci negotio Casuistæ amoliantur, vel leges istas latæ desuetudine abrogentur. Ne sis tam sollicitus: quid tuâ interest? Romani Pontifices summodò leges ab Antecessoribus super hac re latas sæpè renovant, sed etiam novas condunt: quod verò dicis, nihil vulgarius esse, quàm ut Episcopalia Sacerdotia conferant, ob præstitam ipsis gratum opetam, quod Simoniacum esse contendis; non vel Illustrissimo Prælatorum Ordini injuriosum existimandum, quasi dignus es, in quem ipsi severiùs animadvertant. Quasi verò jura expressa non sint, quæ ab Apologista citantur. At inquis, Apologista docet, pœnas contra Simoniacos latas, in eam dumtaxat Simoniam cadere, quæ est juris divini; quæ cùm raro occidat, frustra essent tot Conciliorum Decreta, contra Simoniacos edita. Imponis Apologistæ, qui tantummodò refert opinionem aliquot Theologorum, qui docent, pœnas per aliquod Decretum vel Legibus expressum Simoniæ impositas, ad Simoniam juris divini, quæ propriè Simonia est, contrahendas esse, non verò ad aliam, quæ est juris Ecclesiastici, extendi. Hæc est opinio, quam mere recitativo modum exempli, seu comparationis, non tamen suo calculo donat: nec in exemplis & comparationibus veritas requiritur, sed mera analogia.

Dicis autem Apologista, multa jura esse, in quibus tamen nonnulla Simoniæ pœnis subjiciuntur, quæ tamen citra prohibitionem, & nisi exprimerentur talia non essent. Apologistæ sententia doctrinæ horum omnino consentit *tract. de Simon. cap. 55. n. 19.* Jus quidem, generalis est regula, pœnas maximè cadere in Simoniam juris divini: nihilominus talia esse debere verba legis, ut puniant aliquam Simoniam non Ecclesiastici, licèt minus propriè Simonia sit, id est, Simonia quia prohibita, non prohibita quia Simonia. Faceret denique Deus immortalis, ut Sinistrarior esset! satius enim est, frustrà esse legem, quàm contra legem peccari. Id desiderandum quidem, sed vix sperandum; etiam in tua Gallia Wildeman quia hoc vitium tam altas radices egit. Audio enim in aliquot Provinciis Simoniaca pacta non palàm iniri: pacta, inquam, pecuniaria pro beneficio. At nullum pactum pecuniarium, in hac re furiosus ille tuus Apologista à Simonia liberat. Per temihi liceat unum scifcitari: utrùm ceu aut conferre alicui Sacerdotium, ea lege, ut eras insanerit defendat, & contra Jesuitas & Casuistas famosos libellos scribat, Simoniæ tribuendum sit? quid enim non est temporale pro spirituali, temporale, inquam, non humanum, sed diabolicum?

Asseris deindè, omnibus Decretis, & legibus Ecclesiasticis vetari, ne quocunque modo, vel titulo, pecunia accipiatur, etiamsi non detur ut pretium. Ut hoc probes, quinque loca producis, in quibus tantummodò agitur de ordinandis Presbyteris, Diaconis, Clericis, vel consecrandis Episcopis. At, ni fallor, in materia beneficiali, Apologista versatur. Præterea ex iis dumtaxat habetur, in Ordinatione, commoda, id est, lucra, Simoniaca scilicet, fugienda esse Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum per pecunias non esse obtinendos, nec pro iis præmium offerendum; sine cauponatione Ordinationem peragendam. Cuncta hæc pretium denotant. Non diffiteor tamen esse aliqua jura, quibus pro obtinendo beneficio, aliquid quovis modo dari prohibetur; & nisi adsit alius titulus honestus, eo ipso, quòd datur aliquid, ad beneficium obtinendum, ut pretium dari censetur. Sed hæc ad Apologistam nihil faciunt, qui omne pactum excludit, & te primùm accepta, ex mera deinde gratitudine, vel alio titulo honesto, beneficium conferri supponit, præscindendo ab omni lege humana. Accusas denique Simoniæ illum, qui pecuniam promittit sine intentione solvendi. Sed multi dicunt, non esse Simoniam, te, haud dubiè, longè doctiores, ut Cajet. tom. 2. Opusc. tract. 9. q. 2. Sot. lib. 9. q. 8. art. 1. Tolet. in Summ. lib. 5. c. 90. n. 4. Petr. Navarr. lib. 2. de restit. n. 421. Suar. tract. de Simon. cap. 42. n. 5. Nempe ille, qui fingit, non habet voluntatem emendi, igitur nec Simoniam Mentalem ut vocant, solâ mente conceptam, igitur nec eam, quam dicunt Conventionalem seu pacto firmatam, quæ Mentalem supponit: alter verò qui non fictè promittit, Mentalem habet. At ridiculus es, cùm dicas, eum, qui pecuniam fictè promisit, per pecuniam ad Sacerdotium pervenire. Quomodò per pecuniam, si nulla pecunia intercedit? Quòd dicis, corrumpi Judicem, per promissum falsum; itemque illum, à quo, qui fictè promittit, accipit deinde Sacerdotium: utrumque verum est; sed non est Simonia; quia non obtinetur beneficium per pecuniam, sed per promissum falsum. Prohibet demùm Concilium Melphit. ne quis dato vel promisso Episcopalem dignitatem assequi nitatur. Promisso scilicet vero, non falso & ficto. Non tamen negabit quispiam, quin ille, qui fictè promittit, graviter delinquat, & mendacium sacrilegum cum maxima irreverentia committat. Nihil enim obstat, quò minùs peccatum sit, & Simonia non sit. Fuit aliquando, qui dixerit, non neminem inter Casuistas, quod paulò laxior esset, esse agnum, qui tollit peccata mundi. Id per jocum dictum fuit. Ausim tamen seriò dicere, ita vos hominum generi esse infensos, ut longè plura, quàm te ipsâ sint, peccata esse velitis, licèt communem omnium obstinatè negetis Servatorem. Hinc Diaboli partes agitis, cui maximam hominum partem à communi redemptione rejectam devovistis. Hinc non grassatorum modò & *sicariorum*, quod justo jocо Apologista vobis exprobravit, sed ipsius Diaboli sicariorum principis insignes patronos agitis.

(*)

(a) pag. 238.

In

In Epistol. decimã tertiam,

NOTA UNICA.

De Homicidio.

TAnti est impudentem esse, (*a*) & frontem omnino posuisse ; fabulam alapæ Compendii à Jesuita quodam impactæ , quam pro vera historia scurra tuus in solita famosarum literarum scena exhibuerat, tota Gallia cognovit : Apologista, illius narrationis falsitatem , adductis etiam testibus omni exceptione majoribus in respons. ad 15. Epistol. demonstrarat ; rem deinde Montaltius convertit in jocum, suo more ludens circa alapam aversa, vel adversa manu inflictam ; iterum eandem fabulam sub aspectum reducis. Tanti est, ut dixi, impudentem esse & Jansenistam ; huic enim hominum generi solemne est, dictorum nunquam pœnitere. Sed falsa esse constat, erronea, hæretica ; nihil refert ; semel dicta, nunquam revocanda. sic tam obstinatè damnatas propositiones defenditis , negatisque pervicaciter, Jansenii esse, vel in ejus sensu damnatas : standum in decretis. Sed iniqua sunt, impia, blasphema. Quid tum? constantia, angelica virtus est, sed obstinatio, vitium diabolicum. (*b*) Tum cavillaris ineptè in re aperta. Nempe Annatus calumniam Lessio à Montaltio affictam tam clarè demonstravit à pag. 1. ad 8. *Ianseniana fidei*, ut à nullo, qui vel legere sciat, negari possit. Nempe id attribuerat Lessio, quod expressè negat ; verba Victoriæ pro verbis Lessii, sententiam Petri Navarræ pro sententia Lessii impudentissimè proposuerat. Quis enim dicat, aliquam opinionem illius auctoris esse, qui expressè negat, eam in praxi tutam ? Præterea Montaltius ea, quæ Gallicè scripsit, Lessio imputavit, licèt ea Lessii non sint ; sed ne jam dicta repetam , te ad Annatum remitto ; item ad Apologistam impost. 4. & in respons. ad 13. epist. ubi etiam rem hanc egregiè discussit, Montaltium planè convicit, & reluctantem licèt , omnino prostravit.

Pergis deinde, nec ab eo, quem semel iniviſti, calumniæ tramite unquam discedis. Dixerat Apologista impost. 19. nullum unquam , vel Theologum, vel Casuistam docuisse , propter simplices maledicentias, vel obtrectationes , licitè hominem occidi posse ; tu verò simplicem maledicentiam in calumniam , quantumvis atrocem vertisti ; & hîc Gallicæ linguæ peritos appellas. Præterea quis nescit, voce illa *simple*, rem ipsam extenuari , ac significari exile quod piam & leve ? sic auctor per illud, quod habet, *simples mesdisances*, nihil aliud intelligit ; & qui Gallicè sciunt, nihil aliud intelligent , nisi leves obtrectationes : quantùm autem calumnia, præsertim si atrox est , levem quampiam obtrectationem superet, non est profectò quòd dicam ; cùm res ipsa lippis & tonsoribus nota sit. at utrumque, dictum illud Apologistæ excludit ; nam vox illa *mesdisance*, id est, obtrectatio, calumniam arcet , & falsam criminationem, & adjunctum illud epithetum *simple*, id est levis, simplex , atrocem maledicentiam excipit. Hic tamen ineptiam, *absurditatem*, & *ridiculam* Apologistæ *argutiam* rides , & intolerandam vocas : hoc mihi facilè persuaderet, te revera Gallum non esse, sed Teutonem, aut Noricum , ut fingis ; cum Gallicæ linguæ tam ignarum esse te videam ; quis enim, qui vel mediocriter illam calleat, dum illud, de quo agitur, *simples mesdisances*, vel legit, vel audit , leves obtrectationes illicò non intelligit ? tu verò obtrectationem in calumniam, & levem in atrocem vertis, ut vel inde potiùs Gallicum illud dictum penitus everti, quam fideliter vertisse videaris , calumniam in calumniâ struxisti : tibi adeò familiaris est , ut eam oculis geras, eamque propterea videas , ubi non est. Hæc, inquam, mihi persuaderent, te Germanum esse, ut in fronte libri mentiris ; sed quantùm à candore Germanico absis, & quantùm atro Regio-pontesium veneno imbutus sis, quisquis legit tuas illas nugas, facilè intelligit. Sed hæc sunt levia, ut dicitur, majora orationem convertis.

Franciscus Amicus Jesuita, inquis, (*c*) docuit, ac typis mandavit, honorem proprium, scilicet verum, qui ex virtute, & sapientia nascitur, à Clericis & Religiosis, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invasoris defendi posse ; quamvis deinde erroneam illam doctrinam palliare conetur : hanc supremum Brabantiæ Concilium tolli jussit, & mandato hactenùs obtemperatum ; licèt fundamentum, cui hæc doctrina innititur, sublatum non sit, & librorum adhuc Laïcis relictum, proprium honorem defendere : item jussum expungi, quod dicit, licitum esse, hæredi, vel legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, sese defendere, &c. Utrumque Lovaniensis Academia damnavit : Præterea Caramuel à quodam Jesuitâ super hac doctrinâ interrogatus respondit, illam tibi probabilissimam videri : nec mirum, cùm eum Jesuita insanis laudibus ad se allicuisset. Pro eadem doctrinâ, Jesuitæ varios auctores citant ; Duvallium, Bannesium, ipsumque adeò Cardinalem Richelium, quod risum multorum concitavit : Nec juvat, puerles illas de praxi & speculatione cavillationes, quæ risum etiam movent, adducere ; cùm revera ad excusandas cædes adhiberi non possint ; ridiculum enim & nefandum est, cædes vel in speculatione permittere. Hæc summa illorum est, quæ in hac nota, quinque paragraphis complecteris. Omitto enim illum pellicis casum , quem ex Caramuële exscribere non es veritus. Hæc te mirificè delectant Willeme, porcinæ indolis homo, cui fæces & sordes placent. De cacodæmone idem fertur, quem juxtà id immundum spiritum vocant ; cui cum in obstinato animo similis esses, in amore immunditiæ adhuc similis esse voluisti.

Quod pertinet ad doctrinam, quam Amico affingis, eam minimè defendendam suscepi. Id unum duntaxat repono. Amico illam affingi, à te quidem, per insignem malitiam, ab aliis verò quibusdam per summam imprudentiam , vel Incogitantiam. Hæc certè Amicus non asserit, sed opponit. Ubi enim dixisset *tom. 5. disp. 36. sect. 7. num. 118.* licitum esse Clerico & Religioso , defendere honorem illum verum, qui ex virtute & sapientia nascitur ; statim hoc illi opponit ; ergo, inquit, hunc honorem potest quis defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invasoris, si opus sit. Hæc sanè difficultas molesta illi videtur. Vellem saltem eam solvisses Willelme. Deinde tamen hæc subnectit, non fictè ad palliandum errorem, ut temerè dicis, sed ingenuè ad suæ sententiæ declarationem : *nec hæc ita sint dicta, ut communi sententiæ adversentur , sed solum disputandi gratia , maturo judicio relicto penes prudentem lectorem.* Communi ergo sententiæ adhæret ; igitur alteram minimè approbat, quæ communi sententiæ adver-

(a) *Pag.* 278. [b] *Pag.* 351. [c] *A pag.* 352. *ad* 357.

bilentur. Necobstat, quod in *syllabo desputatio-*
nis sectionum duos auctores pro prædicta doctri-
na laudaverit, scilicet Petrum Navarram & Sayrum.
Verum dissimulare non debuit, cum ante dixis-
set non esse lectam apud ullum auctorem. Si
tamen apud aliquos invenit; quod id liberè significa-
verit apud aliquos invenit; quod id liberè signifi-
vitio verti non debet, sed hominis ingenuitas
potius laudanda.

Subnectis deinde longam Historiam de Censura
Lovaniensium, & de Supremi Brabantiæ Concilii
Decreto. Quænam porrò illi fides debeatur, est quòd
ipse profiteor; cùm eandem à Doctore Lovaniensi,
Augustino Janseniano, accepisse fatearis. Sed quor-
sum placuit eam tam prolixè referre? Nempè ut
ostenderes palàm esset, quanta vos inter & Lovanien-
ses Augustinianos jam pridem intercesserit communio
& quanti facias quinque vel sex Doctorum
Augustinorum censuram, & Concilii sæcularis De-
cretum adversùs unum è Jesuitis. At dic candidè,
amice, equid causæ fuerit, quare nullam feceris
mentionem Decreti Romani, 6. Julii anno 1655. à
Sanctissimo, ut vocant, Congregatione editi, quo
propositiones quæ Lovanienses & Concilium illud pro-
scripserant, jubentur expungi? nullam quoque fus-
sorum censurarum in Generali Congregatione
Sancti postridie factæ? Cur hæc omisisti, quæ vel
non ignorabas, vel facilè scire poteras? Quia animi-
advertisti Concilio & paucis Doctoribus Janse-
nianis addictis plus longè deferendum statuis-
se, quàm Romano Pontifici, Institutisque ab eo
Cardinalium Congregationibus, quas immortali
odio prosequeris, quia minùs propitias probasti. Sed
profectò, liquid in vestrâ causâ à Romanis pecca-
tum est, non nimio rigori, & iniquo judicio, sed mi-
nus potius indulgentiæ, quâ tamen abuti potiùs
quàm voluistis, tribuendum. Equidem sæcularis
Concilii est, leges indemnes servare atque tueri: at
quatenus ad Religionem & vitam Christiano ritu
instituendam spectante, judicare ac Decreta sua
ponere, ad Laicos minimè pertinet. Hinc non-
nullam satis non potuerunt, quòd prædictum
Sanctum, Decretum Pontificium, in quo Litteræ
Innocentii damnabantur, ab Illustrissimo Archie-
piscopo publicatum, refigi jusserit. Doctores item
Parisienses in Scholis rem Moralem & Theologi-
cam docere ac censere possunt: at eos ita censu-
ram interponere, inconsultâ Romanâ Ecclesiâ,
Catholicas controversias definire & legem aliis præ-
scribere videantur; nemo prudens approbarit. Por-
ro censuram hujus Academiæ, & supremi hujus
Consilii Decretum tanti facias; cur doctrinam illam
tanto honore à Laicis hominibus defensa, ut ne-
fandam & impiam damnas, quam tamen illa vestra
Censura, accuratè licet, & oculo inimico, ut ajunt,
perpensam & examinatam, ab omni censura liberam
dimiserit? Nam æquè facilè integra sectio septima, ac
quinta illius clausula expungi potuisset. Idem etiam
in Romana Congregatione dictum sit. Unde re-
sponsio, deduco, illam non adeò impiam & ne-
fandam esse, ut dicis: de quo infrà liberior erit tecum
sermo locus.

Ultima quæ de Illustrissimo Caramuële subnectis,
hæc est, quod reponam. Stylum ipse habet
acrem, quo se defendat: sublime ingenium
habuit, cujus sanè eximia specimina edidit. Hæc
non dico, quasi omnes illius morales senten-
tias complectar. Is revera est, qui sua commenta ex-
ponit, non tamen legem cuiquam imponat ea de-
fendi. Jesuitis tam acriter identidem succenses,
quod de Jansenio, cum is Episcopus esset, paulò du-
rius scripserint; cujus tamen doctrina à S. Sede, ut
hæretica damnata est. Tu verò Caramuelem, quan-
tumvis Episcopum, & nunquam à S. Sede damnatum
perinde insectaris, atque si tetrum aliquod ulcus es-
set, ex quo nihil nisi turpe, corruptum & virulentum
erumpat. Immò in Jesuitam Zergolium satis inurba-
nè insultas, quòd Caramuelis ingenio nonnihil lau-
dis asperserit. Grande profectò scelus huic homini
exprobras. Quasi verò hominem ingeniosum lau-
dare, modò id putidè non fiat, piaculum sit. Id reverà
vobis solemne est, ut aliorum, qui à vestris partibus
non stant, laudes nullatenùs ferre possitis. Hinc si
quis Jesuita nonnihil lucubretur; vel deprimitis, ut
publicâ & privatâ luce indignum; aut reverà, si res
non laudari non possit, plagii auctorem, quantumvis
innocentissimum, accusatis, eaque manuscripta fin-
gitis; quæ ipse, si superis placet, compilârit. Hinc
si Gregorius à S. Vincentio Geometrica edidit, fu-
ratus est Cavalerio; si Lalovera, vel alius, Roberval-
lo; atque ita de cæteris.

Omitto narrationem illam turpissimam meretri-
cis & monachi, quam ex Caramuele subnectis. Nihil
apud Amicum simile habes: nec Doctorem illum S.
Theologiæ, magni ingenii & doctrinæ virum, quem
Caramuel appellat, Jesuitam esse dicit, & quamvis
ipse diceret, nunquam profectò adduci possem, ut
crederem. Sed mittamus istas fæces, quas perpetuò
versas, ut vel inde mortalium fæculentissimus esse
videaris. Ingratum etiam tibi accidit, quòd pro præ-
dictâ doctrinâ, quam nonnulli Amico perperam im-
posuerunt, alii Doctores citentur ab Apologista,
scilicet Duvallius, Bannesius, Cardinalis Richelius,
de quo ultimo cum urbanis hominibus rides, scili-
cet cum Regio-portuensibus. Nihil sanè attinet di-
cere, cur Richelio adeò infensi hactenus fueritis, qui
Sancygiranum vestrum pro meritis excepit. Utinam
diutiùs vixisset! nunquam enim Jansenianæ hæresis
in lucem venisset. Vis fortè alios auctores? en tibi
Petrum de Navarra lib. 2. de rest. c. 3 n. 171. Sayrum
lib. 6. de cens. c. 17. n. 23. Sancium in select. disp. 46.
n. 8. Henricum Stroverdorff. 2. 2. q 64. a. 7. concl. 5.
Dianam 5. p. tract. 4. resol. 9. qui citat Sotum, Salo-
nium, Aragonium, Navarrum. Adde Michaelem
Zanardum *in direct. de homicid. c.* 2. Cajetanum *in*
Summ. v. homicid. & 2. 2. q 64. a. 7. Marcum Serra 2. 2.
q. 64. d. 1. Ludovic. Lopez 1. p. *Instr.* c. 65. cum Armil-
lâ. Sed frustrà auctores adduco, quos nihili facias,
quamvis Jesuitæ non sint; nullum autem Jesuitam
appello, quia nullum invenio, qui hanc doctrinam
doceat. Irrides denique vulgarem illam distinctio-
nem, de speculatione & praxi, quam reverà nemo
usurpat ad excusandam cædem injustam, sed eam
dumtaxat, quæ justa probabiliter esse videatur. Sed
quamvis probabilem esse dicant hujus doctrinæ au-
ctores, quos ego non sequor, quia tamen non est cer-
tum, probabilem esse, ideò in praxi tuta non est, eo
modo, quo supra explicatum est: quem reverà si ca-
pias, alia responsione non indiges. nec ullum, ut ais,
(a) hujus distinctionis periculum est. cùm enim in
sola praxi periculum esse queat, & cùm praxim pro-
hibeant & damnent, omne periculum facile aver-
tunt. nec tantùm agitur de removendis quibusdam
circumstantiis, sed de re ipsâ, quæ certò tuta esse non
videtur, ac proindè dubiam conscientiam relinquit.

Sed de hoc argumento, quantum satis, suprà
egimus; tu vide sis.

***

(a) *Pag.* 351.

NOTÆ
In Epist. decimã quartam,
SIVE
Dissertatio Theologica de Homicidio,
SECTIO I.

Præstruuntur principia ad hanc tractationem necessaria, ex quibus certa regula figitur, & consectaria colliguntur. (a)

UT contrà eruenta, inquis, Jesuitarum dogmata, hîc pugnes, Parochi Parisienses tibi arma suppeditant: totam lucem, ais, ex eorum eruditissimis lucubrationibus mutuaris, ad refellendas Casuistarum corruptelas, Arma omninò appositè illi suppeditant, qui convitiis, calumniis, aculeis, ferro ac veneno instructi armatique prodiere: & lucem ex iis tenebris elicies, non quasi ex astro benigno, sed velut ex funesto tristique cometa. Gratulor, quòd eruditissimos appelles, convitiando scilicet & calumniando. Nec mirum: quid enim aliud præter calumnias, errores, insulsosque sales, ex illa vestra Regio-portuensi officina unquam prodiit?

His præmissis, primum statim principium, quasi ex tripode, pronuncias: scilicet ex primo illo Adami peccato, naturam humanam læsam & corruptam fuisse, tum in corpore, tum in animo; tum in intellectu per ignorantiam, tum in voluntate per concupiscentiam & propensionem ad bona sensibilia. Quis hoc negat? sed vereor, ne aliquid aliud velis; utramque scilicet peccatum esse; errantem etiam invincibiliter, peccare; peccandi necessitatem voluntati læsæ inductam, ac proindè amissam libertatem; non inanem illam & commentitiam, quam cum agendi necessitate ineptè componitis; sed illam veram indifferentiæ, ut vocant, quam ad merendum & demerendum necessariam esse, Ecclesia definivit.

Quod verò subnectis, voluntatem corruptiorem fuisse, quam intellectum; gratis omnino adstruis. Quod eo fine non dico, quasi ad rem pertineat, sed ut vel inde Jansenianæ temeritas innotescat, & vesana libido quidlibet audiendi ac temerè adstruendi. Quòd autem dicis, humanum intellectum magis cæcutire in discernenda boni ac mali ratione, scilicet naturalis, quàm in divinis mysteriis capiendis; (b) non modò à veritate, sed à Fide alienum est. Nempe licèt mens hominis, humanis etiam scientiis illustrata, in discernendis bonis & malis aliquando erret, ut plurimùm tamen nativo lumine, doctrinâ & rectâ educatione munito, bonum à malo discernit. Hinc tam sanctæ Gentilium leges, quas etiam Christiani Principes adhibuerunt. In nonnullis, fateor, quæ præsertim à jure positivo Divino fuerant præscripta, illi tupiter hallucinati sunt; in aliis tamen, ut plurimùm, de morali virtute rectè senserunt. Hinc Doctor Angelicus, immò docti omnes moralem Aristotelis scientiam tanti fecerunt, ut eam, ringentelicèt Jansenio, sequuti sint. Sic furtum, adulterium, sacrilegium, injustum homicidium, aliasque actiones injustas, omninò damnarunt. Quod dum mum intellectus, humana duntaxat ratione freti, sacrosanctum Trinitatis mysterium, vel Divinæ Incarnationis, vel Eucharisticæ transsubstantiationis facilius capere valeat, quàm malitiam furti, vel adulterii, vel injusti homicidii; non facilè invenies, quibus persuadeas: immò, ut dixi, à Fide alienum esse videtur. Quis enim neget, nativo lumine cognosci posse, furtum, vel adulterium, malum esse; tum tamen ad res divinæ Fidei credendas, nativum lumen assurgere nequeat?

Sed cur, amabò, rationis & nativi luminis usum, quod Deus nobis impressit, tantoperè deprimis? qui se nequiter humiliet, Willelme. Fateor, divini luminis appulsum necessarium esse, tum ad ea credenda, quæ Deus revelavit, tum ad illa facienda, quæ ad salutem conducant: Sed nego, nullam actionem honestam fieri posse, naturali scilicet bonum humanis vitibus: nego, hominis rationem caligare semper & cæcutire: nego, illius usum abigendum esse: nego interiori duntaxat spiritui, immissoque instinctui credendum. Hi sunt errores vestri, Willelme, damnati scilicet in Calvino & Bajo; quos ex tuo principio deducis. Sed inquis: cœlestem lumen nostræ rationi præferre debemus. Ita est; nemo Christianus id negat. Sed unde nobis affulgebit Sacra Scriptura, inquis, & Traditione. (c) Ostendam tibi Ecclesia? ubi Concilia? ubi S. Sedes? ubi Romanorum Pontificum Constitutiones in doctrinâ Morum & Fidei? ubi communis Doctorum Catholicorum consensus? ubi divina inspiratio rectè probata? Præterea Scriptura in multis mihi dubia est; quis eam mihi explicabit? Idem de Traditione dictum sit, & interiori inspiratione. Tuncinquies, consulenda est Ecclesia. Utinam hoc dicas. Sed quænam Ecclesia? Sacra Concilia, inquies, & Canones antiquitus relicti. Sed si dubitem, utrum aliquis Canon receptus sit, vel desuetudine abrogatus; nemo cum neget, id fieri posse; alioquin sanguinem comederetis: hominem non liceret: si dubitem, utrum Canon aliquis Concilii Meldensis v. g. vel Matiscoënsis, universos Christi fideles obliget; quid agendum? Consulenda fortè aliqua Academia. Rectè; sed prudentes Doctores sunt, qui certè exponere possint, quid pie sentiant, non tamen rem definire. Consulendus Episcopus. Optimè: sed tamen errare potest; mysteriorum coporum, præteritis sæculis, hæreticorum recondita possem. Concilium fortè convocandum? sed non difficilem postulas. Deinde, quâ auctoritate, nisi Romani Pontificis? Igitur satius & facilius erit consulere Romanum Pontificem in dubiis morum & Fidei; qui rem matùrè discussam, vel definiat, vel sufficiens Scripturarum, sacræ Traditionis, ac perpetui usus Ecclesiæ, lumen affulgeat; vel utramque partem liberam relinquat, si definiendi sufficiens ratio non suppetat; neque hæc discussio sufficiens, quantumvis summâ diligentiâ adhibitâ, nisi promissa Spiritûs sancti assistentia, ut vocant, Romano Pontifici adesset in iis, quæ toti Ecclesiæ proponit, ad doctrinam morum & Fidei pertinentia, quibus ut errare non possit.

Ex his porrò deduco, quid in dubiis morum controversiis, fieri debeat, deduco, inquam, Catholicos non Janseniano more. Hinc si alicujus doctrina sus sit à gravibus Doctoribus probatus, fundatur probabili ratione, nec evidenter oppositus

(a) *Pag.* 374. (b) *Pag.* 375. (c) *Pag.* 376.

...Ecclesiæ sensui, immò publicè, tum in libris ritè ...bantis, tum in Catholicorum scholis & pulpi... ...ugnatus & defensus, annuente Ecclesia; quis ...prædictam usum licitum esse? quis ferat Jan... ...dictam quempiam contra illum atrocissimè decla... ...mantem? Sed pergo ulteriùs. si quis de Romano Pon... ...tumen? Sed pergo ulteriùs. si quis de Romano Pon... ...habitaret; nunquid statim ad calculum legiti... ...dictionis mittendus esset? quis autem legitimam ...tionem censet, nisi ratio communi Electorum ...sentientia, quem communis deindè totiùs Eccle... ...consensus consequitur? Immò in re divinæ Fi... ...quò tandem res reducitur? loquenti Deo, & ...revelanti credendum esse, nemo nescit, & ...ponit: hoc autem vel illud reipsa revela... ...tale, multa persuadent: v. g. Ecclesiæ propo... ...auctoritas, sanctitas Doctorum, & piorum ...studium, miracula, communis traditio. Ex his evi... ...dico, illud ipsum esse credibile: & hinc ra... ...cinor, me prudenter facturum, si credam, im... ...verò, si detrectem fidem. Viden', quò res ...ducatur Willelme? disce igitur (si tamen dis... ...indocilis & pertinax hæreticus) rationem ...divina gratia adjutam, non adeò depri... ...esse. Sentio, quid vos movet. nulla humana ...sine divinâ gratiâ, culpâ, vel errore vacat, ...nulla ignorantia, nullus error, quantum... ...excusat. Erratis miseri, impii blas... ...qui Deo tantam impietatem affingitis. Ac... ...rationem ipsam timetis, quâ errores vestri ...quid mirum ergo, si contra Judicem il... ...declametis, qui vos doctrinamque vestram ...

a) Alterum principium à te allatum erroneum est: ...sensum Scripturarum, in doctrina morum & ...ex Traditione petendum; sola videlicet: sic ...intelligis; alioquin nihil concluderes. Immò ...nigrem malitiam affers nonnulla ex Innocentio ...Gregorio VII. Petro Damiano, Concil. 8. Con... ...politano, item Lemovicensi 2. Quibus locis ...Schismatici, perperam licet, probare co... ...Romanum Pontificem novas leges, aut Con... ...ferre non posse. Sic nullum lapidem non ...ut damnationem vestram eludatis: sed, vel ...dictum nomen renuntiandum, vel Sanctæ Se... ...auctoritas admittenda. Fateor equidem, Tradi... ...Apostolicas tenendas esse, de quibus scilicet, ...præsertim agitur: hoc tamen non vetat, quin ...versetur, in doctrina morum & Fidei, Roma... ...inter jure definiat, & Scripturarum præsertim ...& legitimum sensum declaret. Ad Traditio... ...confugis. Sed, si hæc dubia? ad interpretatio... ...Sed si hæc obscura, aut varia? In hoc ...larvam ponis, apertique hæretici personam ...Sic Calvinistæ ad Scripturam semper appel... ...recentiam Traditionem, cujus expressa mentio ...quatuor aut quinque primis sæculis, recusa... ...Quàm bellè igitur inter vos convenit. At si ...manet; quid opus facto? an hæc ad Ec... ...referenda? Romanus Pontifex consulendus? ...Catholici adeundi? nihil minùs. Ad spi... ...internum cordis nos remittis, ut suprà osten... ...Quàm bellè Calvinizas, Willelme! nimiùm ...

...missis, erroneis scilicet, ac proinde infir... ...principiis, causam aggrederis (b) Et, cùm recen... ...logista dixisset, generali præcepto injustum ...prohiberi, ac jure naturali esse illicitum, ...nullum Scripturæ locum allegari, posse, quo

(a) Pag. 176. (b) Pag. 377.

Deus expressè vetuerit, ne gassatores, qui vitam & res nostras impetunt, occiderentur; ac proinde recto naturalis rationis judicio discerni posse justum homicidium ab injusto, licitum ab illicito; immò antequam Scriptura ulla hominibus à Deo tradita esset, nativi luminis virtute, homines agnovisse, homicidium sinè justa causa patratum illicitum esse; fieri tamen posse, ut licitum esset, vel auctoritate publicâ, in pœnam scelerum admissorum, vel privatâ, ad vim injustè illatam vi, cum moderamine justæ tutelæ, repellendam: cùm hæc, inquam, Apologista nitidè ac doctè explicasset, illum refutare conaris. Sed, quàm miserè & ridiculè; faciam modò intelligas, nisi tamen sis ut equus & mulus, quibus non est intellectus. Dicis enim, unum hunc locum sufficere, ad omnia Dei præcepta delenda: nempe Deus generali lege vetat adulterium, *non mœchaberis*; utique si sine causa fiat, inquiet aliquis: vetat idololattriam, *non facies tibi sculptile ut adores illud*; at si legitima causa intercedat, v. g. metus mortis, thura idolis adolere licebit; quod certè à Jesuitis apud Sinas, ut refert Hurtado, traditum fuit: idem de calumnia & falso testimonio. Hæc scribis & blateras.

Siste gradum Willelme, nam antequàm ulteriùs progrediaris; malitia, vel ignorantia tua castiganda est. An ignoras, mortalium nequissime, adulterium nunquam licitum esse? ac proinde frustrà obtendi legitimam causam? Idem dico de idololatria, mendacio, aliisque similibus. At homicidium non semper illicitum est; actio scilicet illa, qua vita homini eripitur; alioquin nulla humana lege, nulla auctoritate, etiam publica, licitum esse posset. Sic nulla lex, nulla auctoritas adulterium licitum reddit. Idem de idololatria & mendacio dictum sit. Vides igitur, quàm dissimilis sit ratio. Cùm ergò aliqua causa homicidium aliquando culpa liberet; quis neget, à sapientibus disquiri posse, quænam sint causæ legitimæ, quibus actio illa, qua vita homini eripitur, licita reddatur? Disquirunt porrò illas causas, adhibita rationis & ratiocinii opera, qua consulunt primo loco Scripturam, tum sacros Canones, Jura Canonica & Civilia, responsa Sapientum, usum Ecclesiæ, Doctorum sensum, tum etiam principia Theologica & Moralia ab omnibus Catholicis passim recepta. Ex his autem deducunt, actionem illam illicitam non esse, si vel auctoritate publica, vel moderamine inculpatæ tutelæ nitatur: primum quidem in pœnam criminum; alterum autem, ad vim vi repellendam. Vis autem inferri potest vitæ, fortunis, pudicitiæ, membris, parentibus, sociis, amicis, honori, &c.

Quod autem vitam defendere liceat, & pro ea defendenda, cum prædicto moderamine, injustum aggressorem, si opus sit, occidere; omnes auctores Morales & Scholastici censent, cum S. Thoma 2. 2. qu. 64. art. 7. si paucos aliquot excipias, scilicet Accursium, Augustinum de Ancona, Gersonem, &c. qui tamen à torrente aliorum obruuntur. Frustrà eorum nomina congeretem; tu vide sis, apud de Lugo *de Iustitia & jure disp.* 10. *sect.* 6. Lessium *lib.* 2. *cap.* 9. *dub* 8. Vasquez *tract. de restit. cap.* 2. §. 1. Molinam *disp.* 11. Et verò vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittunt, ut ait Alexand. III. *si verò, de sentent. excommunic.* & Innocent. III. *c. significasti* 2. *de homicidio*: Quod autem præter vitam, defendere quis possit membra sua, ne mutiletur, iidem auctores concedunt. Sic Pater defendere potest vitam & membra filii, & vicissim filius Patris, famulus Heri,

amicus amici, &c. immò aliquando ad id tenetur.

Præterea omnes communiter censent, si paucos excipias, posse quemlibet defendere facultates suas, vel Patris, vel Heri, &c. etiam cum morte furis, si aliter servari, aut recuperari non possint, & res notabilis momenti id postulet. Frustra citarem pro hac sententia Cajetan. Sot. Navarr. Molin. Less. Vasq. citatos à Cardinali de Lugo sect. 9. adde S. Antoninum, Sylvestrum, Medinam, puta omnes; si quatuor, vel quinque excipias, qui auctoritatis pondere aliis facilè cedunt. Idem probatur ex cap. *interfecisti. De homicidio. Te tuaque liberando*, inquit, non collectivè, ut Jansenistæ insulsè interpretantur, quod vel ridiculum dictu est, sed distributivè, ut ajunt. Vide alia jura apud Less. dub. 2. Vix ullum auctorem invenio, ex innumeris ferè, qui de hoc argumento scripserunt, cujus calculo hæc sententia non donetur. Pro defensione honoris, scilicet veri, & pudicitiæ, injustum aggressorem cum eodem moderamine occidi posse, communiter Doctores docent; ut testatur Cardinalis de Lugo *sect.* 10. Vasquez c. 2. §. 1. Less. *dub.* 12. adde Sylvestrum v. *bellum* 2. q. 2. & v. *Homicid.* 2. q. 2. Sotum *lib.* 5. *de just.* q. 1. art. 8. Navarr. *in sum. c.* 15. *n.* 4. Tolet *l.* 5. *c* 6. Sa v. *Homicid.* Valent. 2. 2. *disp* 5. *q.* 8 Rebell. *l.* 3. *q.* 12. Petr. Navarr. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 369. Cajetan. *in sum.* v. *Homicid. Notabis*, inquit, *verba Ambrosii, quæ universaliter de injuria loquuntur*: denique præter Tannerum & Sylvium, vix scio ullum Theologum, qui idem non sentiat, scilicet pro Laicis; licet enim multi auctores, de quibus supra, idem Clericis permittant, nullus tamen Jesuita hoc docet; Amicus per modum objectionis proposuerat, sed statim, ut dixi suprà, expunctum est.

Utrùm verò vir nobilis acceptâ alapâ, vel aliquâ contumeliâ, quâ honor graviter lædatur, possit licitè repercutere, vel etiam occidere; magna est dissensio. Multi affirmant, scilicet Navarrus, Petr. Navarra, Victoria, Henriquez, Fernandez, Diana; Lessius à Cardinale de Lugo citati *sect.* 10. *num.* 189. quanquam Lessius hanc sententiam improbabilem in praxi dicat; adde Marchant. *in sum. resol. Pastoral. ad decalog. cap.* 5. *quæst.* 3. *Cas.* 3. item Mag. Mancium, Mag. Pennam, Cordubam apud Henriquez *in sum. lib.* 14 *cap.* 10 *n.* 3. *in gloss.* litt. T. Mercat. apud Petr. de Navarr. *l.* 2. *cap.* 3. Ludovicum Lopez *in instruct.* 1. *p. c.* 62. Victoriam *in relect. de jure belli num.* 5. Marcum Serra 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. Philipp. Fabrum *de rest. in* 4. *d.* 15 *quæst.* 7. *disp.* 52. *cap.* 1. *num.* 29. Villalobos *in sum. tom.* 2. *tract.* 12. *disp.* 12. *num.* 3. Vide sis alios apud Dian. 2 *p. tract.* 1. *resol.* 15. & 5 *p tract.* 4. *res.* 11. Bonacinam *de restit. propter Homicid. disp.* 2. *quæst. ult.* Gregor. Caraff. *de duello. pag.* 192. *num.* 25. Contrariam tamen sententiam Doctores communiter docent, ut Soto, Carrerius, Molina, Vasquez, Rodriguez, Turrianus, Bannes, Salonius, Malderus, quos citat & sequitur de Lugo sect. 10. cum universo Jesuitarum manipulo, si unum excipias. Quia scilicet jam honorem perditum supponunt, & novum tantùm acquiri; vel ex vindicta, vel ex fortitudine petitum, juxtà hominum opinionem.

Hæ tandem sunt Jesuitarum de homicidio sententiæ; in quibus nihil profectò est, quod à communi sensu alienum sit. Nempè de ultimò dumtaxat casu dubium esse posset; utrùm is scilicet, cui gravissima contumelia illata est, ad reparandum honorem perditum, fugientem illum, qui contumeliam intulit, insequi possit, percutere, & si opus sit, occidere. Unus solummodo Jesuita hoc licitum esse docet, scilicet Henriquez; alius in praxi damnat, ut Lessius; recentior autem Apologista, quem plerique omnes Jesuitam esse testantur, non adstruit quidem, damnare tamen non audet, propter doctissimorum hominum, qui hoc docuere, auctoritatem; reliqui omnes oppositam sententiam defendunt.

Sed jam videndum restat, quàm benè ratiocinaris. Licet inquis, (a) ex eorum sententiâ, interemtem mihi alapam occidere; ergo etiam alteri impactam, impingentis nece ulcisci licet. O ignum dialecticum! quàm falsa sit consequentia, nemo non videt. Antecedens, non modò Jesuitarum est, sed fere omnium, ut dixi supra. Possum enim vim vi repellere, & arcere contumeliam, quam quis vel fuste, vel alapâ inferre mihi; per gravem injuriam contam. At, ut ex hoc antecedente non sequitur, quòd, acceptâ semel contumeliâ, illam inferentis nece ulcisci liceat; tunc enim vim vi non repello, nec contumeliam jam acceptam & illatam arceo, sed malum pro malo reddo, quod revera est ulciscisita non sequitur, quòd id quoque alterius gratia, quod inferre videtur, præstare possim. Sed, ut ingenuè fatear, rem ipsam minimè capis. Nec enim distingus contumeliam, quam quis inferre parat & aggreditur, à contumelia jam illatâ. Pari modo, possum alterius opitulatione conducere ad repellendam injuriam, non tamen ad vindictam.

Argumentari pergis: licet calumniatorem & honorum prædonem occidere; igitur & eum, qui famæ meæ insidiatur, quovis mali incitamento, v. g. doctrinâ, exemplo. Antecedens illud tuum ambiguum est: si enim jam calumnia affecta est, & facultates ablatæ, ut raptori excuti non possint; nemo, solum inter Jesuitas, tibi concesserit, calumniatorem, vel prædonem occidi posse; si verò prædo rapere & auferre satagat, nec absistere, aut dimittere, quantumvis monitus velit; eum sanè occidi posse; fere omnes Doctores sentiunt De calumniatore per occultas detractiones, aliqui tenent; nullus Jesuita docet: de illo verò, qui publicam infamiam vel calumniam, eamque gravissimam intentat, quam suo modo vitare non possit; idem omnes communiter docent, quod suprà de honore læso dictum est, nempe nomen bonum & bona fama honorati viri, Doctoribus ipsi vitæ comparatur. Sed pro his adstruendis utrumque Apologistam te remitto.

Jam venio ad tuam illam consequentiam, qua eo dumtaxat casu, concedi utcumque potest, quo alius modus non esset, procurandi tuam salutem, quàm per mortem illius; qui saluti tuæ insidiatur. Hic autem casus chimæricus est, nisi forte, si quis publicitiam alterius impeteret; nemo autem negat, quin is, si aliter repelli nequiret, occidi posset. Nec episcopus occidi debet, licet errores spargat, falsa superius tribunal deferri: nec fœmina, quæ dissoluto incedit habitu; *averte oculos* Willelme, *ne videant vanitatem*: nec is, qui Reip. Christianæ obesse patratur; cum ad hoc, auctoritate publica opus sit. Videndum, quam facilè tuæ consequentiæ corruant! Nec erat, quod Ravaillacos & Clementes, funestissima monstra, sub aspectum hominum reduceres. Quid enim ad Jesuitas, in quos tamen, Regum emulos assidentes concitare instituis? Sed frustra: Regis latrones non sunt, nihil sibi à Jesuitis timendum; quibus nihil antiquius est, quàm ut pro aliorum salute vitam cum sanguine profundant. At multum est, quod eorum sanguine profundant. At multum est, quod emeant ab Hæreticis, à Jansenistis, qui pecuniam accumulant, factiones & tumultus excitant, arcana

(a) *Pag.* 379.

...ineunt. Quod addis, jure Montaltium suæ ...misse, ac propterea tacuisse nomen ; sibilis ..., quàm ulla responsione dignum est. Quisquis ... sionem, qui suum dumtaxat sanguinem pro ... fundere didicerunt, in te profectò excan... Willelme, vel potiùs tuam insaniam ridebit. ...cem Montaltius timuit, non Jesuitas ; nisi ... quatenus hi, pro more, ad furcam illum piè de... Frustrà deinde, per summam impuden... quàm famosarum Literarum vim, quæ Jesui... famæ & existimationi multum nocuerint. Je... Apostolico, *per infamiam & bonam famam*, ...camunia huc usque obierunt. Infamare ... ; sed infamia in vos ipsos & Literas ... cidit, quæ judicio Apostolico damnatæ, ... infamiam contraxerunt.

...ios nec sicarios, nec satellites hactenùs ha... de conversione, non de nece vestrorum ... consilia. Impostor atrocissime, mortalium ... sime; quandonam, & à quo vestrum ... fundi poposcerunt ? In desperationem ... quòd scilicet à Jansenistis ex illo, quem ...rent, literarum principatu deturbati fue... via aliis suppetat via amissæ dignitatis re... devotorum sibi sicariorum gladios adhi... Onequam ! gladios Jesuitæ non nô... Ethnicorum & *Hæreticorum*, quibus, in ... innumeri hactenùs occubuere. Dixi fe... *somnium*. Quis enim Bajonensem tragœdiam ... vestris gladiis, Jesuita sacram pixi... gestans, in sacello ad aras confossus est ? ...quis, de terrâ etiamnum clamat. Hæc facilè ..., sed profictis & chimæricis cædibus, quas ... fingitis, veras & cruentas, quæ jussu vestro ..., exponere oportuit. Nullum porrò lit... principatum Jesuitæ sibi arrogant. Quod ... Jansenistis ex illo suo pristino gradu dejecti ... pace tua dixerim Willelme, falsissimum est. ... pete narras, sed concipis vota. Quasi verò non ... scribant, conciones sacras habeant, ut antè. ... sto, per te mihi liceat Willelme, sincerè in... Quinam sunt litterarum Principes ve... appella quæso. Arnaldum & germanum fra... appellabis : nec enim scribas, scurras, ...osque qui versioni serviunt, in docto... rum referre par est. Vis dicam ? In primo, lo... quæ nihil probant, meram farraginem ; in al... solum tersi styli nitorem agnosco, præterea... Sunt insignes Theologi ? errant in princi... In doctrina Patrum versatissimi ? ut Calvi... locis Patrum ad errores suos confirmandos ... Antiquæ disciplinæ & eruditionis peritis... novæ, quam violant, imperiti.

...onequam, cur Jesuitis fœdè imponis qua... *ratione cujusque dignosci*, utrùm occidendi ...tima sit ? Quis unquam Jesuita, quis Ca... hoc dixit ? Doctorum, sapientum, ratio su... consulitur, non cujuscunque : hi verò Script... Patres, Canones, Sacra Jura, & rationem con... Ratio quidem consulenda, ut suprà dixi ; ... cujusliber, sed pii, docti, periti ; quibus ... gio-portuenses carent. Illa autem ratio à ... capitibus petenda est.

...ram, ratione proscriptâ, Divinorum Præ... intelligentiam ex Traditione solâ repetis? ... auctoritatem retices, quæ tuos errores ...rationem, ut pestem, arces, qua vestrorum ...rum falsitas heterodoxa contrita est. Cur de... mùm principium illud statuis, exceptionem omnem generalis præcepti, quæ sine auctoritate Scripturæ & Traditionis affertur, falsam & erroneam esse ? sed profer quæso, vel Scripturam, vel antiquam Traditionem, quâ constet, Virginem Deiparam sine peccati originis labe conceptam esse. Et tamen hæc exceptio non est erronea ; immò erraret ex Sixti IV. Extravagante, qui erroneam diceret. Profer aliam, quâ certum sit, vitam, bona, membra, proximum, defendi posse contra vim aggressoris, etiam cum hujus morte. Si enim Traditio antiqua vel Scriptura fuit ; quomodò illam D. Augustinus ignoravit ? omitto alia innumera. Igitur, velis, nolis, ad auctoritatem Ecclesiæ veniendum est, quæ & verum Scripturæ sensum declarat, & Catholicas Traditiones ab aliis probè discernit. Ad hoc igitur tribunal te fisto Willelme, ut de tuis erroribus judicet. Quorum sanè primarius ille est, & communis omnibus aliis hæreticis ; quo Ecclesiæ ac Sedis Apostolicæ auctoritatem, pro definiendis doctrinæ morum & Fidei controversiis, solâ Scripturâ & Traditione contentus, datâ operâ omittis, quia non admittis.

Jam Consectaria quædam ex tuis illis erroribus deducis. (a) Primò, pro tuendo honore, vel recuperandis bonis, quæ fur per vim asportat, cædem licitam non esse ; quia adversa opinio nova est, nec ullum habet in Scriptura, vel Patribus fundamentum ; igitur sine aliâ majore inquisitione damnanda est. Immò verò ex Sacris Canonibus deducitur: *se suaque liberando*. Immò ex Sacrâ Scripturâ, in quâ contumelia, quâ solus honor læsus fuerat, tam gravi pœnâ divinitus immissâ plectitur. Sic ursi vorarunt petulantes illos pueros, qui Eliseum, per ludibrium, calvum appellaverant : ignis cœlo lapsus consumpsit missos à Rege ad Eliam, quòd minores, quàm par erat, honore ac reverentiâ Prophetam prosecuti essent : D. Ambrosius, ut optimè observat citatus suprà Cajetanus, omnem injuriam, gravem scilicet, licitè repelli posse docet ; idque generaliter : in Scriptura bonum nomen melius est, quàm divitiæ multæ : Cham propter levem, ut primo intuitu apparet, irrisionem, tam gravem in posteros suos propagandam maledictionem passus est. Denique cur dicis, novam esse opinionem, quam Doctores omnes, præter quatuor aut quinque nec numero nec auctoritate pares, tenuerunt ?

Secundò, recentiorem Apologistam desipere vis, quòd à vobis postulet Scripturæ locum, quo vetitum sit, pro bonis & honore tuendis, si aliter fieri nequit, hominem cædere : ac profers in hanc rem generale præceptum, *non occides*. Sed ita omnes intelligunt, ut injusta dumtaxat cædes in eo prohibeatur. Nec enim vim vi repellere vetat. Honorem autem defendi posse, omnes dicunt ; quia, scilicet, res magni momenti est, & injustè lædi potest. Quid ad hoc Theologe Salisburgensis ? Tertiò eundem increpas, quòd exemplo Principum, Magistratuum, militum, exceptiones illas firmârit, eo tempore, quo nulla Scriptura extabat. Hoc frivolum & imbelle vocas ; quia, scilicet, Traditio fuit. Sed si quis hoc neget ; quomodò probabis ? Præterea negabis, alios Principes, aut reip. Magistratus, qui hujusmodi Traditiones nunquam acceperant, fontes justè damnasse ? Jus naturale fuit, mi homo, vel ipso naturæ lumine, non *parùm certò*, ut dicis, at certissimè notum, de quo nemo sapiens, nemo doctus vel minimùm dubitet ; scilicet illo generali præcepto, *non occides*, cædem injustam vetari. At cædes sontis, publicâ auctoritate, ac

(a) *Pag.* 370.

d. bito modo facta, justa est; item illa, qua quis gravem injuriam cum moderamine inculpatæ tutelæ repellit, quando aliter fieri nequit. Et ut optimè observat Cajetanus *in sum. V. Homicidium*, semper est mortale, *ex intentione* occidere, privata auctoritate, nec ulla est exceptio. Hinc rei sunt, quotquot ideò se defendunt, ut occidant, vel non sunt defensione contenti, nisi occidant; secùs verò illi, qui occidunt, ut se defendant, cum aliter se defendere nequeant, nisi occidant. Defendere autem licet, ut idem Cajetan. cum cæteris omnibus deinde testatur, vitam, libertatem, pudicitiam, bona, honorem, proximum; uno verbo, inquit, *necessaria ad vitam & virtutem, tum suam, tum suorum.*

SECTIO II.

Iesuitica de cæde doctrina refellitur.

JEsuiticam doctrinam de homicidio, quam suprà fideliter retuli, impugnandam hac sectione suscepisti: (a) quo eventu, jam jam constabit. Primum argumentum ab auctoritate Sanctorum Patrum ducis, qui prædictam doctrinam damnarunt: præter illos, quos Apologista laudaverat, aliquot etiam de tuo penu protulisti. At hi negant, cædem unquam licitam esse, etiam pro vita defendenda, contra D. Thom. & torrentem Scriptorum. Cum igitur vel explicentur, vel ab iis, quantum ad hoc, impunè discedatur, cur non idem facere liceat, quando agitur de fortunis & honore? Quia, inquis, cum Leges propriæ vitæ defensionem permittant, tum Civiles, tum Ecclesiasticæ, & communis in eo sit Theologorum consensus; nihil mirum, si ab aliquot Patrum sententia, quæ illam fieri prohibet, jure aliqui discesserint. (b) Ain', Willelme, aliqui? quasi verò Doctorum torrens hanc justam defensionem suo calculo non approbet, non modò pro vita, verùm etiam pro fortunis, libertate, membris, pudicitia, honore, parentibus, amicis; & pro omnibus ad vitam & virtutem necessariis, ut ait Cajetanus suprà citatus, ad repellendum omne injuriæ genus, modò hæc gravis sit, ut ex Ambrosio idem auctor & alii Doctores ex utroque jure colligunt: quasi verò Hieronymus ab Apologistis citatus non permittat ad repellendam vim, enervare latronis & piratæ fortitudinem. Quonam verò pacto amputatis scilicet manibus & pedibus. Sed quis neget latronem in eum statum redactum, in quo nocere amplius non valeat, occidi ultrà non posse? at, cum vix enervari queat, nisi occidatur, saltem ut plurimùm, (nec enim, ô bone, Chirurgi manum expectat;) nunquam ferè enervare licet, nisi simul occidere licitum sit.

Præterea, non desunt, qui pauca illa, quæ vulgò in hanc rem adduci solent, verisimiliter explicent. Vel enim rem istam ad terrorem populo conciliandum exaggerant: vel homicidium illud intelligunt, quod ex odio, vel in vindictam, vel per se atque ex professo patratur; non verò ex mero justæ defensionis fine. nempè nemo potest se defendere, ut occidat; licèt possit occidere, ut se defendat; scilicet contra injustam vim, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vel ita rem intelligunt, ut alius modus vitam fortunasque servandi suppetat; vel quia non mera defensio, sed aggressio ab iis supponitur. Sed cur in his diutiùs hæreo? cur jam actum ago? consule Willelme, innumeros auctores, qui de hoc argumento scripserunt; scilicet Eminentissimos Cardinales, Illustrissimos Præsules, Doctores celeberrimos, Theologos & Canonistas, sanctissimos & doctissimos homines. Sed hos omnes, præ tuis Jansenio, Sancygirano, Arnaldo, nihili facis. Non deest denique firmissima ratio, quam Regio-portuenses fugere debuissent: nempe omnem vim injustè illatam, si res gravis sit, repellere possum: sed illa omnia, de quibus suprà, gravissima sunt, & ad vitam honestè ducendam necessaria. Quæ sanè lex à naturâ nobis indita est. Et licèt Deus summo jure agens, eandem prohibere possit, quæ jure naturæ nobis licent; nunquam tamen ita agere censendus est: ac proinde præcepto illo non occidendi, homicidium injustum tantummodò vetat.

Ut autem omnium ferè Theologorum consensum opponis Augustino, aliisque nonnullis Patribus, pro justâ vitæ defensione; cur eundem non opponis pro defensione fortunarum, membrorum, patrum, honoris, pudicitiæ? nempè in hanc sententiam iidem Theologi omnes descendunt, si duo summa excipiam. Igitur non imminuitur quidem, ut temerè dicis, Patrum auctoritas, sed benignè ac verè limitet explicatur. Quod dicis, occidi sic arma Regis jussu; aliqui ex Doctoribus ita censent: idem alii volunt, ejusdem jussu, quamlibet vim injustè illatam repellendam. Sed verius dixero, naturæ jussu agere id fieri. Si enim id natura vetaret; Rex permittere non posset. Quòd demùm subnectis, non magnum esse Scholasticorum numerum, qui, servatis servandis, pro fortunis & honore defendendis injustum aggressorem occidi posse dicant; fallere, Willelme, & tuo Lectori fœdissimè imponis. Nempè tam pauci id negant, ut vix centesimam aliorum partem faciant: ut constat ex dictis suprà. Imò jam ostendi, Jesuitas in hac materia à communi aliorum sententia non discedere. Consule, quæso, & relege utrumque Apologistam, qui rem hanc egregiè discussit.

Tum congeris (c) multos Conciliorum Canones, contra homicidia voluntaria, immò & involuntaria. Sed ô bone, de injustis homicidiis agunt, saltem præsumptis, ad pœnitentiam imponendam. Ancyrani Canon 22. non 21. quem primo loco citas, hæc tantùm habet. *Qui voluntariè homicidium fecerint*: injustum scilicet. Idem dico de Canone 17. Agathensis; repetito in Epaonensi. Idem de Canon. 16. non, ut habes, 18. Aurelianensis quarti: in quo res non perspicuè proponitur, ut minimè omittendæ videatur. *Quisquis*, inquit, *homicidium voluntate commiserit, ita ut occidere audeat innocentem.* Audin' Wadrocki, *INNOCENTEM*? Igitur injustum aggressorem occidi non vetat, justæ scilicet defensionis jure. Hîc tuam fidem. Sed, inquis, illud idem apud Patres vindicta est, quod apud Jesuitas defensionis locum habet. Erras Willelme, erras: nulla defensio honestus finis est: si quis ad vindictam eam utatur; quis eum excuset?

Deinde patientiam valdè commendas, (d) hîc tecum sentio. Illud Evangelii de altera maxillæ percutienti præbendâ, & pallio cedendo tunicam auferre volenti, non præceptum, sed consilium est. equidem Augustinus ad cordis præparationem transtulit, id est, ad interiorem charitatem & benevolentiam, quâ homo Christianus, etiam inimicos diligere jussus est. Exemplum Christi, non præceptum, sed consilium patientiæ constituit. Primi sanè utilitati studendum, saltem voluntate,

(a) Pag. 380. (b) Pag. 381. (c) Pag. 382. (d) Pag. 383.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pugnare. Cùm autem *ordinata* Charitas censeatur: ferre possim contumelias & injurias à proximo pati, quod laudabile sit, & virtutis heroicæ; nemo tamen dicat, me ad id præcepto teneri: alioquin vim repellere non liceret. Sed, inquis, illum, quem occidis, detrudis ad inferos. Ne scilicet eò me detrudis, detrudis ad inferos. Nam fieri potest, ut ego quoque noxæ lethali adhibitum eo temporis momento, quo quis injustè aggreditur. Præterea, non intendo mortem proximi, sed propriæ vitæ defensionem. Sed hæc & id genus quæ objicere posses, centies diffata sunto.

Esto lepidissimus esse videâris, dum nihil foris agendum statuis, nisi quod utile sit, non noceas, sed inimico, cui prodesse velle debemus. Igitur nec Judex reum ad mortem damnare potest; cùm eum Judex præcepto charitatis teneatur: nec ullus privatus sanctificatum vitam propriam defendere poterit. Quis hæc ubi concedat? quæ tamen ex iis, quæ à te dicta sunt, necessariò consequuntur. Quasi verò proximum meum, alterius bono, licitè præferre non debeam, & Charitas, ut dixi, *ordinata* non sit.

Quod dicis, latronem enervari posse, amputatis scilicet manibus & pedibus, ex benevolentiâ; ridiculum est. Licèt enim ex odio adversùs illum id fieri non debeat, ac proinde illi nocere minimè intendam possum tamen propriæ Charitatis jure; meas vires contra illum tueri. Intendo igitur propriæ defensionem, quam tamè procurare non possum, per accidens alteri noceam. Sed hæc tyrones scire & de his agere pudet: tu me coëgisti, qui hæc ignorare videris; nec distinguis contumeliam illatam abeâ quâ quis aliquem attentat, gravi scilicet, quæ jure naturæ repelli potest. Sed quid honorem, quid pudicitiam, quid fortunas dico? tu ne vitam quidem, aggressoris cæde posse defendi, apertè docuisti principiis insistas, hoc tibi tenendum est. Sed malim cum Doctore Angelico, & omnium Doctorum turbâ, secùs sentire. Charitatem obtendis hominum perditissime: sed fictam; cum animus tuus immortale odium adversùs Jesuitas & Ecclesiam Romanam alat. Hypocrita Charitatem illorum simulas, qui proprium sanguinem ultrò profundentur, utcordi tuo Deus Charitatem infundet.

SECTIO III.

Dissolvuntur argumenta Iesuitarum.

Hic etiam bonam tuam fidem desidero, Westrickii: sed frustra illud, quo potissimùm cares, ut exigerem. Argumenta, quibus Jesuitæ probant, honorem defendi posse, in sectionis titulo promittis (a) quæ deinde non stas promissis. Nam præcipua per eadem tenetices. Nempe ex eo naturali principio, quòd vim vi repellere licet, injustè scilicet illatam, & rem gravioris momenti; manifestè sequitur, quòd, cum honoris esse possit injusta læsio, eaque gravis, in personâ scilicet gravi & honestâ, omnes jus habent, injustam illam læsionem arcendi ac prohibendi: jus cuique suum indemne servare potest; alioquin nec vera nec esset. Deinde non modò vitam, quam quis injustè attentat, verùm etiam alia ad vitam honestè ducendam necessaria justè defendere possum. Si quis autem neget, honorem, verum scilicet, ad hûc eum necessarium esse? cum fieri non possit, ut vir honestus, qui honore omni excidit; honestè vivat. Sed ne quidem illud solvis, quod refellendum suscepisti. Adducis *crudelem* illum *Syllogismum*; (a) sic enim vocas. Carior honos, quam corporis salus; at pro salute corporis, licèt hominem occidere; ergo etiam pro honore tuendo. Vocas Syllogismum: at in quâ formâ aut figurâ? ille terminus *carior*, item ille *tuendo*, semel dumtaxat ponitur. Si Dialecticam nosses Willelme, non adeò ineptires. Equidem ad syllogismum reduci potest. Quis hoc neget? at eo modo, quo dicis, syllogismus revera non est. Consule, quæso, tuos Regio-portuenses, utrùm novas syllogismorum formas invenerint; quas Aristoteles, & qui post eum scripserunt, nescierint. Quid facerem hujusmodi hominibus, quibus solemne est, in omni argumenti genere, per supinam ignorantiam errare; &, quod longè pejus est, erroribus pertinaciter adhærere?

Sed hæc levia. videndum restat, quid opponas, & quonam pacto argumentum solvas. Primo loco dicis; dubium esse, utrùm pro vitæ defensione, injustum aggressorem occidere liceat, servatis, ut ajunt, servandis. Nego dubium esse, quia omninò certum. Dicis præterea, manifestum & constans esse; non licere hominem occidere pro defensione honoris; nec quisquam hâc de re, ut ais, per mille & quingentos annos dubitavit. Nego, id manifestum esse; tuis dictis profectò non stamus, nisi ea luculenter probes. Dico etiam, novam sententiam non esse, sed antiquissimam. Quis enim unquam dubitavit, vitam & necessaria ad vitam honestè ducendam, ac proindè honorem ipsum licitè defendi posse? Patres inquis, hoc prohibent. Cedò loca: ab iis enim illud dumtaxat homicidium prohibetur, quod à vindictâ, odio, malevolentiâ, levi causâ, ac proindè injustâ, directâ intentione, animo malo proficiscitur. Dubitarunt, inquis, aliqui, utrùm pro defensione vitæ occidere liceat, iique magni & maximi viri. Sed; an majores D. Thomâ? Nullo, inquis, decreto, illorum opinionem Ecclesia reprobavit. Fortè responsa Pontificum, & Decretales, Ecclesiasticarum Sanctionum loco non habes? sat scio, quid tibi velis. In iis enim à culpâ omni liberatur, qui, cum moderamine inculpatæ tutelæ, injustum aggressorem occidit. Tum argumentum, ut ais, ut eliùs invertis: non licet, inquis, pro honore tuendo, aliquem occidere; igitur nec pro vitâ. Antecedens, constantissimum Christianæ disciplinæ caput ineptè appellas. Nempè omnes ferè Doctores illud tibi negabunt; ut constat ex iis, quæ suprà dicta sunt.

Jesuitica, inquis argumentatio, fallaciâ laborat. Ostende paululùm. Honor, inquis, quatenùs est bonum ejus, qui eo gaudet, nec ad aliorum utilitatem refertur, vitâ ipsâ potior non est, sed exile quid est; de quo gaudere, vanitas est; illudque desiderare, ambitio: quatenùs verò ad aliorum utilitatem refertur, ita vitâ potior est, ut vita potiùs amittenda sit, quàm aliquid admittatur, unde huic honori labes aspergi possit; per crimen, scilicet, vel criminis suspicionem. Egregium sanè Dialecticum! geminum tuæ distinctionis membrum adducis: utrumque vitiosum est. Primum quidem, quia falsum; quia verus honor, etiamsi ad aliorum utilitatem non referatur, magnum bonum est. Sed non miror, illos homines de honore ita sentire, qui honorem suum hactenùs prostituerunt, & in perpetuam commutarunt infamiam. Nec honoris studium moderatum, vel ambitioni, vel vanitati tribuendum est. Idem de vitâ facilè dicerem;

(a) Pag. 384.

(a) Pag. 385.

cujus

cujus immoderata cura vitio non caret. Et verò neminem ferè nisi rusticum & sceleratum invenies, qui mortem honestam infami vitæ non præferat; nisi fortè quis, heroicâ virtute, infamiam ultrò pro Christo amplectatur.

Aliud quoque distinctionis tuæ membrum vitiosum est: quia ad rem ipsam non applicatur. Vis enim, nullo unquam scelere aut criminis suspicione, honorem illum, qui ad aliorum utilitatem refertur, contaminandum. Rectè: quis hoc negat? Ille Ivonis locus frustra omninò à te adductus. Sed quæso, applica. Fateris, (a) honorem illum, quatenus ad aliorum utilitatem refertur, vitâ ipsâ potiorem esse. Sed hunc ipsum injustus aggressor impetere potest. Si ergo alia via non suppetit, quâ hujus honoris indemnitati consulam; cùm vitam defendere possim, cur honorem vitâ potiorem defendere non liceat? Hoc solvendum erat, mi homo. sed hîc hæsit gutta, difficultatem eludere voluisti. Gregorium citas, qui tristitiam, ex maledicentiâ, & obtrectationibus aliorum provenientem, lenire conatur. Quid tum? utinam omnes ejus consiliis acquiescerent! Quasi verò Lessius citatus, ac Jesuitæ omnes, id consilii piè non suggerant; aut quisquam dicat pro simplicibus obtrectationibus hominem occidi posse. Licet, inquis, honorem illum defendere, sed non crimine, non homicidio. At si alio modo non possit, ut supponitur; quid ad hoc? Denique vitam defendi posse subnectis, quia Leges & Ecclesia id concedunt. Sed quæso te, an licet, quia Ecclesia permittit? minimè verò: sed Ecclesia declarat, licere; quia reverà licet; licet autem, quia malum non est D. Thomas, inquis, occidendi propositum prohibuit. Rectè: nempè, ut te defendas, aggressorem injustum occidis. Proponis tibi defensionem: non verò homicidium, nisi per accidens; & habes animum non occidendi, modò aliter defendere te possis, sed nulla in hoc difficultas. Si hæc intelligeres, hæc sanè disputare puderet. Cur verò Jesuitis, non verò aliis super hoc litem moves? quasi verò isti & numero & auctoritate Jesuitas non superent. Id charitatis tuæ fuit, & benevolentiæ; Jesuitis, non verò aliis invidiam conciliare. Odisse tibi satis non erat, nisi plerisque tecum aliis odium illud commune esset. Faxit Deus, ut te vicemque tuam, cujus me miseret, tandem agnoscas: quo reverà fiat, ut ejuratis erroribus, odio deposito, malè gestorum ac perperàm dictorum te pœniteat.

Redis tandem ad genium, (b) dicisque, prudentis Theologi esse, etiam pro vitæ defensione, illicitam putare cædem. Vis dicam? quia existimas, hunc actum à Charitate proficisci non posse: omnis verò actio, quæ à Charitate non procedit, inquis, peccatum est. Hæc tua sunt, & Iansenistarum tuorum, somnia. Quod verò iterùm dicis, certum esse, pro honore tuendo, injustum aggressorem occidi non posse; eâdem facilitate rejicitur, quâ asseritur. Vix enim probabile est, quod tam constanter asseris certum esse. Dico *vix probabile*: cùm moraliter certum sit, justam honoris defensionem, contrà injustum aggressorem, licitam esse. Quod subnectis, Jesuitarum dogmata eò spectare, ut necem calumniatoribus, maledicis, contumeliosis, falsis testibus, iniquis judicibus, inferri permittant; falsissimum est. Equidem Bannez quæst. 64. art. 7. Petrus à Navarra lib. 2. cap. 3. num. 391. Cajetanus quæst. 95. art. 8. ad 3. præter alios, quos supra citavi, de falsis testibus & calumniatoribus id concedunt; si fortè ex falsis illis criminationibus, vel mors, vel infamia, vel fortunarum jactura consequi debeat, neque hæc aliter vitari possit. His tamen non obstantibus, Lessius lib. 2. cap. 9. dist. 8. num. 47. expressè negat, hanc sententiam in praxi admittendam esse. Idem num. 78. expressè docet, contumeliis per verba, vel signa afficientem licitè occidi non posse. Licèt enim Petrus à Navarrâ, citatus num. 376. illud concedat; *hæc tamen sententia non est sequenda*, ait Lessius. De alapâ inflictâ, ab eo, qui deinde fugit, suprà jam dictum est. Et licèt multi doctores pro parte affirmante, à Lessio citentur num. 79. ut Navarrus, Navarra, Henriquez, Jason, Corduba, Mantius, Penna, Clarus, Cajetanus, D. Antoninus, Mercatus, Victoria; tamen num. 80. apertè docet, hanc sententiam in praxi non esse facilè permittendam. Inter tot Jesuitas, unus Henriquez illam tenet. Pari modo, Lessius num. 82. illam sententiam improbat, quam Navarra & Bannez citati docent licere scilicet eum occidere, qui falsis criminationibus, apud Judicem, Principem, viros honoratos, nomini alicujus ita detrahit, ut damnum famæ averti non possit, nisi criminator è medio tollatur. Immò idem Lessius num. 55. multis rationibus probat, longè gratius esse mori, quàm occidere, etiam pro vitæ defensione: & hoc salutare consilium valdè commendat, & magni faciendum esse ipse affirmat. Cur ergo Jesuitis tam falsa, & ab eorum sententiis aliena imponis?

Nec est, cur Apologistam arguas, (a) quòd Montaltium tuum, latronum & sicariorum patronum & advocatum, nec ab re quidem, appellarit. Quinnec neget? nisi enim justæ defensionis arma & vires illi timerent; quid, amabò, non auderent? quid non arrogarent? Nec est, quòd dicas, Montaltium ad paretiam hortatum esse, Apostoli exemplo; *non resistendentes*, inquit, *charissimi*; immo & Christi, qui alteram maxillam, percutientibus præberi jussit; ac demum SS. Patrum, præsertim Augustini. Hortare, quantumlibet, per me licet: hortantur & Jesuitæ omnes tecum. Sed quòd illud sub præcepto imponas, quis te constituit iudicem, vel naturæ legislatorem? Illud *defendere* Apostoli, idem est quod ulcisci. Patet ex græco, ut Lessius & alii observarunt. Quid ergo iterùm occinis illud Christi? Consilium est, non præceptum. Augustinus eo, quem adducis, loco, amorem inimici dumtaxat inculcat. Ad pœnam libri. Quis hoc neget? quis dicat, ex odio quemquam occidi posse? Spumam sub finem paragraphi potiùs, quàm atramentum chartis aspergis. Dicis enim, Jesuitas Diaboli partes agere; consiliis suis animæ vitam innocentibus eripere, improbis verò corporis vitam; reum ab iis ad æterna mitti supplicia; innocentem fieri æterni supplicii reum. Garris nebulo, garris. Illi sunt illa Jesuitarum consilia? Immò ad patientiam heroicam, & tolerantiam, scriptis, verbis, exemplisque suis omnes hortantur. At contra sanctas naturæ leges, quas impunè violatis, scribere noluerunt ipsi tam scilicet defensionem, illicitam esse. Sed multi ad æterna supplicia mittuntur. Paucos dicere debueras. Pauci enim sunt, quos privata auctoritate publica defensor interimat: longè plures injusta licentiarum manus è medio tollit: sed plurimos sanè, justa, vel injusta bella extinguunt. Quid ergo, insontes Jesuitas accusas, divini, non humani sanguinis sitientes? Reponere possem cum fœnore. Dicis, Jesuitas innocentibus insidias struere, eosque Diaboli consiliorum socios & fautores, ad vindictam incitare & impellere: quod reverà apud omnes probos qui Jesuitas norunt, falsum esse, constat, & per meram calumniam.

(a) Pag. 386. (b) Pag. 387.

(a) Pag. 388.

...affictum. Cedò unum, qui vindictam non ...erat. Cita locum, in quo aliquem ad eandem in... ...atque impellant. Sed quid de vobis dici non ...qui homines in errorem inducitis, doctri... ...Catholicam impugnatis, Fidem ipsam impeti... ...Ecclesiam affligitis, Rom. Pontificem ejusque ...tricibus, damnatas hæreses pertinaciter de... ...novos Sacramentorum ritus, per tumultus ...tiones, per fas & nefas introducere non cessa... ...cur hæc frustrà recenseam, quæ jam publica ...quis enim nescit, Jansenistas hæreticos esse, qui ...bellum suis erroribus, Sanctæ Sedi libellis ...ticis à se editis, Patriæ suis tumultibus, Jesui... ...que ac bonis omnibus, suis calumniis & con... ...miserunt?

Ad Duellum orationem convertis; (a) quod à ...Jesuitis, ut licitum permitti fingis; scilicet à ...Lessio, Layman, Hurtado, Filiutio. Dixi hæc à te fin... ...Sum Lessius citatus num. 84: contrarium docet: ...Quid Layman sentiat; Apologista impost. 11. & P... ...nius in Libello, qui *Bona fides Jansenistarum* inscri... ...ubique satis docuere. Sed cur Layman apud ...Cramerem & Caraffam, non apud illum ipsum in... ...illius libri non extant? sed cur citas sectio... ...tertium? nempe hic tractatus non in sectiones; ...diversis distribuitur. Citas etiam num. 4. pro 3. ...Filiutram pro Navarro. Nihil porrò hoc loco ...habet, nisi quòd, in tarissimo casu, quo mi... ...tatis equestris, officio, dignitate, Principis gra... ...debere debeat, ob ignaviæ infamiam; nisi iden... ...provocanti se sistat; eum qui meræ defensionis ...parerint juxta doctrinam Navarri, damnare ...nter. Non dicit, seu approbare: addit tamen de ...quid permittendum, si quis ità ad pugnandum, ali... ...cessit, adjectis crebris convitiis & contumeli... ...gravi injuriâ & contumeliâ se liberare non ...nisi armis congrediatur, & eam repellat ferro. ...Quid enim hoc aliud est, nisi meræ defensio? Quis ...negat, contumeliam gravem repelli posse? Idem om... ...dicimus, si armis congredi necesse sit, ad tuen... ...vitam, v. g. si quis alteri diceret stricto gladio: ...*quomodo conficiam, nisi congrediaris mecum.* Filiutius ...Hurtado supra citati, in hoc dumtaxat sensu loqu... ...ut quis meræ defensionis gratiâ armis con... ...ur, nec sit alius modus evadendi. Nec est, ...dicas, Jesuitas censere, duellum esse tantùm ...rium, propter Regias, vel Ecclesiasticas Leges: ...ratione alienum est. Quis unquam Jesuita ...dixit: cùm Leges humanæ accesserint ad majo... ...rum pœnam, qui detestabilem illum duelli ...adhiberent. Duellum igitur per se malum est, ...homicidium: sejunctum scilicet ab iis cir... ...tantiis, quæ utrumque culpæ aliquando exi... ...mat.

Fine, quod subnectis de Lege Pœnali, ut vocant, ...ritus. Ut enim nemo negat, esse quasdam leges ...pœnales, (b) cum hoc à voluntate Legislatoris ...pendeat; pro quo præter auctores ab Escobario, ...citatos, adductos, scilicet Navarr. Reginald. Vil... ...lent. Filiutium, tu vide sis Laymân lib. 1. ...tr. 4. cap. qui citat in hanc rem Henricum, Angel. ...Salon. Philiarc. Suar. Soto, Carbo, Sanchez, ...qui recte explicant, unde mens Legislatoris ...& conjici possit; v. g. ex materiâ, fine, objecto, ...aliisque circumstantiis. Nec ulla est hoc loco ...ritas. Nec enim Jesuita ullus leges contrà duel... ...as merè pœnales esse diceret; cùm duellum ...malum sit, ac proindè non ideò malum, quia prohibitum: sed ideò prohibitum, quia malum. Nec quisquam etiam dicet, propter Regias Leges dumtaxat duellum repudiari sinè ignominiâ posse. Cùm enim malum internum & verum crimen sit; etiam præcisis legibus, à crimine abstinere, vera ignominia non est. Igitur Jesuitæ armis congredi eo tantum casu permittunt, quo quis, meræ defensionis gratiâ, illatam vim, aut gravem contumeliam repellit. Quid in his reprehendas, nemo sapiens inveniet. Sed mala meâ sorte factum est, ut tecum agerem, qui res istas non intelligis: ut vel ex eo constat, quod dicis, probrosum non esse, scilicet coram hominibus, alapam accipere. Nemo negat, quin maximi meriti, & maximæ gloriæ sit coram Deo, patienter ferre, alteram maxillam præbere. Hoc fac, Willelme, Jesuitarum exemplo. Sed quis à vobis hoc speret, ut contumelias per injustam vim illatas patienter feratis, qui sinceras & à mera Charitate profectas, non correctiones; sed monitiones ferre non potuistis? quibus optimi Patres sæpè, frustrà licèt, conati sunt ad meliorem frugem vos reducere, benignè hortati; ut ejuratis erroribus, pacem Ecclesiæ redderetis. At surdis hactenus cecinêre, & obstinatis in malo. Reverà, ut dicam, quod sentio, hæc obstinatio; tremenda est diabolicæ pravitatis & reprobi sensus nota. Denique sub finem irrides iterùm probabilitatis speculativæ & practicæ à Lessio sæpè usurpatam distinctionem. Rides inquam; quia rem illam non capis. Optimam enim & appositam distinctionem illam esse, in iis præsertim casibus, in quibus eam Lessius adhibet, ex iis quæ antè diximus, manifestum est. Quid ergo Lessio negotium facessis, doctissimo, piissimo, & candidissimo Scriptori? importuna Cantharis rosam illam, florem illum illibatum invadis: non ut mel colligas, Apis sedula; sed ut mel ipsum, funestus ataneus in venenum convertas. Tace igitur æterno damnandus silentio, nisi ad errores tuos ejurandos, canendamque palinodiam, voce & calamo satis tempori uti malis.

In Epist. decimamquintâ,

NOTA I.

De Calumnia.

IN hac scenâ, Willelme, egregiè præsertim ac strenuè te gerisi gratum argumentum nactus, in eo reverâ triumphas. (a) Quam quisque norit artem, in eâ se exerceat. Quidni, amabò, hujus artis, calumnias instruendi, contumelias intorquendi, ingerendi convitia, omnium sanè, qui præteritis retrò sæculis scripsere, longè peritissimus sis: tot hucusque calumnias & contumelias, tantumque virus acerbitatis, ore infrunito evomuisti, ut supremum hujus artis magisterium adeptus, calumniatorum facilè Princeps & Coryphæus censearis. Ne tamen hic operam meam desideres; ad susceptum à me castigationis pensum redeo. Primò causa-riis, nihil ab Apologistâ responsum ad ea, quæ Montaltius primâ parte Epistolæ, contrà doctrinam Jesuiticam, quæ calumniam à peccatorum numero eximit, luculenter exposuit. At ni fallor, primus Apologista, meo judicio, satis efficaciter, brevi licèt, respondit, doctrinam illam non Jesuiticam, sed Dicastilli, communi Jesuitarum omnium, qui de hâc materiâ scripserunt, contrariam, suis auctoribus non carere: ac pro eâ citari Bannez, Vegam, Orellanam ab eodem Dicastillo. Paulò pòst dabo alios, ubi rem breviter expoluero. Disputant Mo-

tales

(a) Pag. 389. (b) Pag. 390.

(a) Pag. 408.

rales Theologi, utrùm aliquis casus, ratus licèt, esse queat, in quo áliquis retorquere calumniam in calumniatorem sinè injustitiâ possit. Dicastillus tunc fieri posse putat, cum prædictis auctoribus & aliis, quos citat; si alius modus non sit, arcendi calumniam, gravem scilicet; & si reverà arceatur retortâ calumniâ. Tunc enim calumnia, inquit, simplex mendacium erit, non tamen contra justitiam; & quidem primò coram Judice, ita ut criminator, vel testis iniquus, calumniæ arguatur, sive hic crimen falsum imposuerit, sive fortè verum, sed occultum, contra juris ordinem, quòd nulla probatio haberi queat. Ita Bannez 2.2 *q.*64. *a.*7. *dub.*4. Petrus Navarra, *lib.* 2. *c.*4 *n.*349. Malderus *tract.*6. *c.*3. *dub.*20. Sylvestr. 5. *restit.*3. *q.*3. Navarrus *c.*18. *n.*49. Colligitur ex D. Thoma *q.*69. *a.*2. Lessius *lib.*2. *c.*31. *n* 6. Mendoza *in* 2.2 *disp.* 70. *sect.*4. §.121. Diana *parte* 5. *tract.* 17. *resol.* 26. Neque est mendacium, si neges illud crimen, quod occultum est, nec in judicio probari potest, quantumvis dicas, accusatorem mentiri, calumniari, &c. & hæc est communis.

Utrùm verò semper mortale sit, objicere falsum calumniatori, vel accusanti contra ordinem Juris, disceptatur. Negat Dicastillus, si non sit alius modus evadendi, & sic reverà evadatur; enervatâ, scilicet, accusatoris fide. Idem sentit Bannez *q.*70 *art.*3. *dub.*2. item *q.* 72. *art.*3. Orellana *q.*72. ut testatur Vega in Summâ Hispanicâ, Petrus Ledesma *tract.*8. *c.*25. *concl.* 21. *dub.* 3. qui hanc sententiam vult communem esse Thomistarum, desumptam ex S. Thoma 2.2. *q.*70. *a.*4. Item Joannes De la Cruz in Directorio præcept. 8. *a.*4. *dub.* 17. Si Dicastillum excipias, Jesuitæ omnes, quotquot scripserunt, in contrariam sententiam eunt. Recentior Apologista Dicastilli opinionem in praxi damnavit; sed propter tam illustres auctores speculativè probabilem esse, negare ausus non est; cùm etiam aliundè probabilis dici queat, propter alios auctores; scilicet, Majorem *in* 4. *dist* 15. *q* 16. Soto *ibid. q.*3. Sylvestrum aliosque, qui docent, compensationem in calumniis fieri posse: non tamen Jesuitæ hæc docent. Cur ergo doctrinam Jesuiticam vocas, ac dicis, Jesuitas Divinum præceptum labefactasse? Sed Willelme, (*a*) quid opus erat, tot Scripturæ & Conciliorum loca huc congerere? quid enim probant? Calumniam, inquis, grave peccatum esse. Injustam scilicet: nec enim de aliâ in his locis agitur. Sed quæso, quis hoc negat? fingis tibi hostem, quem impugnes. Quis unquam Jesuita aut dixit, aut scripsit, injustam & gravem calumniam grave peccatum non esse? Sed, inquis, omnis calumnia injusta est. Hoc si probasses, Willelme, citrà illam locorum farraginem: non Jesuitas quidem, qui tecum in hac re sentiunt, sed Dicastillum & alios qui cum illo sentiunt, non parùm perculisses. At demus, crimen occultum tibi ab aliquo exprobari, & te contra juris ordinem coram judice accusari: quid in his angustiis faceres? an crimen ultrò fateri statueres? haud crediderim. Quonam enim pacto occulta fateri velles, qui publica, quorum sæpè convictus fuisti, fateri recusas? taceres, exemplo Christi? at, qui tacet, consentire videtur. Præterea si tacere nequis, cùm jam causâ cecidisti: quomodò taceres, cùm illa defendenda esset? negares fortè? diceres igitur, falsam esse accusationem: igitur & falsum accusatorem. Vides, quò tandem te reduxerim.

Videndum restat, quomodò *raticunculam*, non Jesuitarum, sed Thomistarum potiùs, quorum sententiam Dicastillus suo calculo donavit, impugnes. Quisquis, inquiunt, injustè famam alterius lædit, justæ defensionis eidem jus cedat, necesse est: justa verò defensio est, quâ medium illud adhibetur, quod ad repellendam injuriam necessarium est. Supponunt autem, ad removendam infamiam, gravem scilicet, immò ad evadendam mortem, cujus crimen impositum reum facit, non esse aliud medium, præter illud, quo in accusatorem calumnia retorquetur. Demus ex hypothesi, mendacium peccatum non esse, licèt reverà peccatum sit: imò dubiè, accusatus, calumniam, justæ defensionis jure, licèt retorquebit. Igitur retorquere calumniam, idoneum est, quia mendacium, non quia injuria est. Utram vitam meam attentans, injustè scilicet, & privatâ auctoritate, jus non habet in propriam vitam, quominùs illam impetam, si meam aliter salvare nequeo: infamiam meam attentat, in famam suam jus non habet, quominùs, si necesse sit, nec aliter indemnis esse possim, eandem famam aggrediar: vel simplici mendacio, si calumnia est; vel insonti accusatione, si crimen impositum est verum. Hæc est Dicastilli & suffraganiorum tio: quam tamen non ideò exposui, ut illam Bannis opinionem defendam; sed ut constet, quid tu ipse reprobandeas. Hoc igitur jam videndum.

Nihil prorsùs reponis, quod ad rem conferat. (*a*) Dicis enim, iniquum accusatorem apud Deum innocentem esse retortæ calumniæ. Quid tum? nemo negat, mendacium esse, ac proinde peccatum. Sed quodinjuria iniquo accusatori inferatur, probare debuisses, minimè probas. Non est justum, inquis, ut apud homines amittat, quod apud Deum non amisit. Sed apud Deum, justum est, ut iniquam accusationem dilumeò enim specto. Sic vim vi injustè illatam repellere quoad autem injusti aggressoris, vel vita, vel fama aliquid inde patiatur, omninò per accidens est. At injustum est, inquis, omne judicium quod veritati non consentit: cum eadem sit justitia, quæ veritas. Sæpè ac sæpiùs te hinc monui, V Villelme: rem istam non capis. Quis enim nescit, quantumvis tyro, non omne mendacium injustum esse: quis nescit justitiam à veritate distinctam: si Christum Dominum à Judâ proditum, à Judæis crucifixum fuisse, veritati consentaneum est, quam vis à justitiâ alienum. Veritas igitur à justitia discrepat: quod nemo nescit, nisi pertinax & ignarus Jansenista. Neque hic scelere scelus ulciscimur. Nempè vindicta non licet, sed justæ defensionis jure, simplici mendacio calumniam, vel crimen, contra juris ordinem, afficiam rebellimus. Neque perindè est, ac si quis adulterium adulterio vindicaret: quia adulterium omne, peccatum mortale est; ut & ipsa fornicatio: præterquam quod adulterium ad justam defensionem nihil pertinaconfert.

Quod vero doctrinam illam Dicastilli Facultas Lovanien sis damnarit; mirum mihi non accidit. Verecundè illustrem Academiam: sed illius censuras, à factione, non ab æquitatis studio profectas, plurimi flocci faciunt. Quid Bajus, quid Jansenius, quid Fromondus in ea valuerint, non est profecto quod dicam. Si quid doctrinâ morum & Fidei adversùs Iesuras habeant; ad S. Sedem deferant: cujus dumtaxat, extra Concilium Generale, judicio stamus. Quòd demùm illam doctrinam Dicastilli erroneam in Fide & hæreticam appelles: tuam ignorantiam prodis. (*b*) Nec propterea tam longus Cantoris locus adducendus fuit nec is, quo subnectis, Doctoris Angelici textus describendus. Quis enim neget, hæresim esse, si quis dicat v. g. mendacium peccatum non esse: aut votum, seu juramentum nullam afferre obligationem? quia, scilicet, hoc constat. At occidere ad defensionem vitæ, facultatum, honoris, cum moderamine inculpatæ tutelæ, si aliter fieri nequeat, infamare ad defensionem justam propriæ famæ, aut etiam vitæ, si aliter vita aut fama servari non possit, non

(a) Pag. 409.

(a) Pag 409. (b) Pag 411.

hoc adeò certum est, grave malum esse. Ac profanum, si quis hoc ipsum licere adstruat; non tamen hæreticus censendus est. Hæreticus tamen censendus, Willelme, quisquis errores ab Ecclesiâ damnatos obstinatè defendit: ut Jansenistæ facientes; cum maximo totius Ecclesiæ scandalo, plurimi fecerunt.

At Jesuitæ omnes constantissimè negant, peccatum veniale admittendum esse, etiamsi orbis universus inde penderet. Cùm igitur omnis calumnia hinc pendeat, hoc; peccatum saltem veniale; mendacium sit; & hoc, peccatum saltem veniale; Jesuita unquam dixerit, calumniam licitam (scilicet alioquin aliquando accidat, ut contra justum non sit. Esto, inquis; (a) Jesuitæ ita sentiant: hoc tamen non facit, quin peccata venialia facilè fingant, eoque obtentu, calumnias suis adversariis effingant; quæ revera patent, in oculos incurrunt, ab omnibus palpantur, & ex illo erroris fonte derivantur, quòd scilicet hoc licere sibi persuadent: hinc tanta calumniandi facilitas: immò ad omnem scrupulum vellendum, per aliquam *restrictionem mentalem*; vocant, mendacium purgari & castigari facilè hinc; si aliquam mulierem Societati suæ infestam putent, eam statim ut adulteram infamare audent; atque citrà injustitiam, quia calumniam calumniâ rependunt; & citrà mendacium, quia *restrictionem mentalem*, de adulterii fonte; *concupiscentiæ*, scilicet, *fonte*, intelligunt. Somnias Willelme, somnias. Quænam sunt illæ patentes calumniæ? An quia hi vestri errores accusantur? nunquid eosdem Ecclesia non damnavit? Quia vos hæreticos vocant? nunquid revera hæretici non estis, qui damnatos errores pertinaciter defenditis? Quia malam fidem vestram arguunt? nunquid eam Annatus, & uterque Apologista taliculentissimè non demonstrarunt? Sed ad tenuissimam calumniarum statim descendam. Quid ego simplicioribus imponitis? Quanquàm dein, quid temerè dicatis; aut scribatis perpendite, parùm curandum est: cùm jam omnes intelligant, ut rectè Annatus observavit, fidem vestram in proverbium abiisse; & Jansenistas omnium mortalium mendacissimos jure ac meritò censeri. Quod libellis de muliere & adulterio; in communem prostitutarum locum adeò tibi familiarem; ultrò immittam. Fœcibus innutritus esse videris; quas rimando plenus spiritu turpis scarabæus perpetuò volas.

Argumentum Apologistæ solvere satagis; (b) sed frustrà. Nempe inquis: Jesuitæ eam dumtaxat calumniam gravi injustitiæ crimine eximunt, quæ ad defendam aliam calumniam adhibetur: hanc autem, ut dicitis, Jesuitæ adhibent, contra Jansenistas. Jansenistæ igitur calumnias priores struxerant. Quid hoc, mi homo? Jesuitæ, inquis, id sibi persuadent; ductu fui amore ducti. Hinc si quis eos Theologiæ hostes esse dicat, vel ab iis morum doctrinam corrumpi, illicò calumniatorem appellant. Negas, esse calumniam, Wendrock? Per nego, inquies. Haud malè hoc unico verbo causam vicisti. Retractate verò, quæ de hoc homine per incogitantiam scripsistis de hoc homine, inquam; nam Wendrockius & Montaltius, mera sunt nomina; cùm unus uterque sit Montaltius, Altimontius, Claramontius, Wendrockius, versâ dumtaxat togâ. Dixistis impostorem & calumniatorem: calumnias & impostoras recensuistis. Expungite, quæso: scribite ineptias & stultitias, nugas & deliria. Quis enim eum insanire non censeat, qui nullum Jesuitam esse dicat non ignarum Theologiæ, non hospitem in hac sacrâ facultate? Suarem, Vasquem, Molinam, Lessium, Ruiz, Bellarminum, de Lugo, aliosque innumeros, qui de re Theologicâ, multâ cum laude scripserunt, Theologos non fuisse? Veram Theologiam intelligo, inquies. Scilicet, Jansenianam, & Calvinianam. Sed hanc quoque Jesuitæ probè calluerunt; non quidem scientiâ approbationis, ut vocant; sed ut illam strenuè refutarent. Quod revera multi; Annatus scilicet, Martinon, Stephanus Deschamps, Ripalda, aliique egregiè præstiterunt.

Arguis deinde Apologistam; eò quòd dixerit; injustè ac præter juris ordinem accusatum, admissi criminis, id palam negare posse; ac proinde accusatorem mendacii arguere. Quid verò hic reprehendas, revera non video. An injustè insimulatum teneri dices, ad publicam occulti criminis confessionem? Quo jure? qua lege? at nisi neget, fateri censetur; & si neget, perinde est atque si injustum accusatorem mendacii & calumniæ arguat. Quod dicis, summâ cum fide doctrinam Jesuitarum à Montaltio repræsentatam, nec illum Iesuitam tam stultum esse, ut hoc non intelligat; explosione ac sibilis; non responsione, vel refutatione dignum est. Quoties ille falsitatis convictus est ab utroque Apologista, & Annato? qua fronte hæc scribis Wendrocki? plusquàm meretriciâ. Quâ fide? plusquàm Jansenianâ. Sed agnoscit, inquies; recentior Apologista; ita sentire Casuistas & Iesuitas; quemadmodùm ipsos sentire Montaltius scripserat. Insignis nebulo & sycophanta! quasi verò plusquàm centies idem Apologista de impostoris vestris questus non fuerit; dumque defendit à Iesuitis asserta, etiam à vobis afficta & depravata non refutârit. Sic mendacium & calumnia, quibus Iesuitas prosequuti estis, justæ defensionis arma iis hactenùs suppeditârunt. Quo eventu, omnes sciunt. Doctrina vestra damnata est: libri vestri confixi. Nec vos Societas lacessivit; nisi propter errores vestros: non quòd elatior hoc sæculo esset, sed quòd sine crimine tacere non potuerit, dùm Jansenianas hæreses serpere videret. Nec adeò impavidi estis, quin fulminis afflatum, vestrasque ruinas senseritis. Quòd nihil ab hominibus speretis; dare non possum. Quàm multos enim prensatis incautos licet: quorum patrocinio tecti & fulti, Jansenismum propagare omni studio & curâ studetis. Nihil etiam ab hominibus vos metuere dicitis. In hoc non laudo: cùm Vicarium Christi Romanum Pontificem, & Christianissimum Regem jure timere debeatis. Pontificias Bullas contra vos editas, & in Senatu Parisiensi solennitèr receptas, hoc modo eludi posse creditis: sed ludum vestrum nemo non videt. Nec est, quòd dicatis, fore, ut grata posteritas fateatur, Christianum orbem vobis devinctum esse, pro Litteris illis vestris, contra Iesuitas publicatis. Immò damnabit posteritas satyras illas, mille scatentes erroribus: quas Romanus Pontifex, pleno censu, jure damnavit, & Senatus Regius Aquis Sextiis famosas, calumniæ reas, & bonò publico perniciosas declaravit, manuque tortoris ultricibus flammis addixit.

(*)

NOTA

(a) Pag. 412. (b) Pag. 143.

NOTA II.

Exempla calumniæ Iesuiticæ.

HIc habemus titulum sine re, (a) umbram sine corpore, frontem magnificam sine reliquâ æde. Quis hujus tituli aspectu, non expectaret homicidia, adulteria, furta, sacrilegia, horrenda quæpiam, à Jesuitis, vobis per scelus & calumniam afficta? en quò res reducitur. Theologiæ Moralis auctor, id est, sincerus ille Molinæi discipulus & imitator, Baunio affinxerat erroneam illam sententiam; quòd liceret propter aliquod bonum temporale, ut vocant, vel spirituale, proximæ occasioni peccandi sese ultrò exponere; scilicet indiscriminatim: nec enim unam occasionem ab aliâ, unum bonum ab alio ullatenùs distinguit. Pater Caussinus negat hoc scriptum unquam à Baunio fuisse; ut reverà nunquam hoc scripsit; sed contrarium docuit tract. de pœnit. q. 14. Equidem Basilius Poncius, celebris & eruditus auctor, in appendice docuit, aliquem licitè posse sese exponere proximæ occasioni peccandi, quamvis se infirmũ & fragilem esse sentiat; non quidem temerè & propter quemlibet finem; sed in quibusdam casibus rarò contingentibus, in quibus agitur de salute Reip. & Religionis bono. Pro hac sententia, 15. auctores adducit, eamque fusè & doctè suo more probare nititur. Secùs tamen Jesuitæ ferè omnes sentiunt: at Baunius Poncio subscripsit. En tibi luculentum Jesuiticæ calumniæ exemplum. Jesuitis à vobis imposita fuerat erronea sententia; quasi temerè liceret, propter quodlibet bonum, quamlibet occasionem peccandi captare. Caussinus negat, à Baunio errorem illum doceri, qui opinionem Basilii Poncii sequitur. Hæc autem ab errore illo penitus discrepat. Quemadmodùm erraret, quisquis generatim diceret, homicidium licitum esse; secùs ille, qui assereret homicidium ad justam vitæ defensionem licere. Calumnia igitur Caussini non fuit. Et verò innocensissimi & nitidissimi Patris memoriam vereri debueras. Sed hoc tibi cum hæreticis, familiaribus tuis, commune est, ut Sancta & Sanctos Viperino dente lacerare non cesses.

Prætereà negavit Apologista, dixisse Baunium, occasionem illam *primò, & per se directè* captari posse. Instas: hoc dixit Poncius, cui subscribit Baunius. (b) Sed, ô bone, subscribit quantùm ad rem, non quantùm ad modum, quem reverà conceptis verbis excepit loco citato; idque non semel, quod tamen satis esset, sed terque quaterque. Et hæc est, ut dicis, calumnia Jesuitica. Et hîc exclamas, declamas, impingis mendacia Caussino, Pinterello, Apologistæ: projectam hujus audaciã, impietatem, & perfrictam frontem declamatoriè exaggeras; quem tamen utignavum, tardum, ac timidum, huc usq; traduxisti. Quid verò hic peccavit, aut parentes ejus? quia Ambrosii exemplo docuit, posse aliquem à Deo motum, lupanar ingredi, ad subducendã satanæ prædam: quia Judittæ factum, post eundem Ambrosiũ, adduxit; quæ se, ut adultero placeret, ornavit, non turpi amore, sed religione ducta. Hæc sunt illius crimina.

Hujusmodi, inquis, (c) occasiones non fuerunt illis proximæ. Ineptissime mortalium! quasi verò de reipsâ in se consideratâ non agatur; aut Juditta ipsa Holoferni occasionem proximam peccandi non obtulerit; & Ambrosius, aut solitarius alter, alicujus scandali, aliis id spectantibus. Prætereà Castitatis donum, vel gratia non permittit, ut quis se in peccandi occasiones ultrò ingerat, quæ aliis proximæ censentur. Immò longè majorem curam adhibent facque Castitatis amor & gratia, ut eas omninò fugiant, nisi quando, inspirante Deo, de Reip. bono, aut tranquillitate Regni, aut animarum salute agitur. Quid ergo tam insanis declamationibus opus erat, Wilelme? præsertim cum Apologistæ rem hanc planissimè & luculentissimè explanassent. Quid aliud quæso, cavillari est? Et tamen hæc adducis in perpetuum Jesuiticæ calumniæ monumentum. Vah male coriatum caput! calumnias tuas insulsis salibus condis dumtaxat voluisti. Sed sal tuum infatuatum est. Et cum alioquin Christianæ virtutes abessent; humanam saltem prudentiam, quam in *Villico* inquinatæ Paterfamilias laudavit, Lector tuus in te desiderasset. Sed in hanc quoque peccasti, & passim ubique turpissimè cæcûtis.

NOTA III.

Aliæ Calumniæ Iesuiticæ.

AD Apologistas te remitto pro conciliatione Pinterelli & Brisacerii. (a) Neuter ab altero dissentit. Baunium uterque defendit; diversâ quidem ratione, sed utrâque legitimâ. Tu vide sis Apologistarum dictis in hanc rem nihil addendum puto. Prætereà condono tibi tuum illud *mentiris impudentissimè*. Neque est, quòd dicas, Jesuitas conquestos esse, quòd inde duriùs & inhumaniùs à Montalto habiti fuissent. Falleris mi homo, falleris. Hoc uno verbo Montaltius victoriam & triumphum Jesuitis decinit. Is enim, cui alia probationis momenta deficiunt, ad probra verborumque convitia se convertit. Ne crede igitur, lixarum illam calonumque vocã, *mentiris impudentissimè*, valde ingratam Jesuitis accidisse. In eâ quidam Gallicam comitatem desiderarunt. Et hoc impudentissimam teneritudinẽ vocant eodemque mucronis genere Jesuitas iterum transfodigis. Nec enim alius modus aptior est, inquis, ad refellenda, quæ centies & millies Jansenistis perfas & nefas Jesuitæ affinxerunt. Quid porrò illud est errores, hæreses. Quis nescit Jansenianam doctrinam erroribus scatere? quis Catholicus hoc neget? nunquid illos Ecclesia non damnavit? Quid verò aliud? de lege veteri, inquis, quæ peccato favebat; de gratia sufficiente, quæ impedimento potius, quam subsidio est; de Ecclesiæ defectu, quæ scilicet errores ad vitandum scandalum approbat; de contemptu Tridentini; de cæde sui ipsius; de motu interiore sequendo. Tam immanes, tam stultæ, tam absurdæ, inquis, calumniæ non aliter refelli merentur. Hoc verbulo res absolvitur, *mentiris impudentissimè*. Sed Wilelme, ad populum phaleras: quid quæso ex iis, quæ recensuisti, suâ probatione caruit? tabulis obsignatis vobiscum actum est. Non sunt calumniæ istæ sed errores vestri. Immò, quod pejus est, sibæc detonata disputationem vocentur, fatentes reos habemus & tu ipse in tuis hisce notis, eosdem errores defendis, ut jam sæpè monui, & iterum infrà monebo. Sed his verborum involucris, & tricis apud muliercalas, quarum gratiam sollicitè captare soleris, & apud ignarum vulgus, vestra crimina defenditis.

Describis denique longum censum seu catalogum calumniarum recentioris Apologistæ. (b) Septimum exi-

(a) Pag. 414. (b) Pag. 415. (c) Pag. 416.

(a) Pag. 416. (b) Pag. 417. & 418.

...dam, in quam per typographi negligentiam, ...trepsit, in aliis nihil est calumniæ. Illam au... facilè corrigere potuisti. Ibi enim ...giâ quinque propositiones Jansenii ab Ec... damnatas, exquibus quasi totidem principiis, ...errores vestros deducitis, recensetis; & ter... propositionem appellat, quæ certè neminem ...proindè eum latêre non potuit, typographus ...imprimere debuit, *ad merendum & demerendum ...libertatem à coactione.* Quod verò attinet ad ...capita, nullum est quod Apologista non proba... ...aliis probatum non supposuerit; aut vi le... ...ac necessariæ consequutionis ex principiis ...non deduxerit. Vin' leviter percurramus? per ...licet.

I. *Legem exteriorum nullam rationem habendam esse,* ...licet interiori motui gratiæ contrariæ esse ...Hæc est maxima 29. Abbatis vestri Sancy... ...cujus verba jurastis.

II. *Mentes inconsideratos,* scilicet concupiscentiæ, *esse ...mortalia.* Hoc perspicuè à multis deducitur ex ...vestra. Quid enim, quæso, impediret? non ...objectum sub mortali noxâ prohibitum, quod ...deest non libertas, quæ per vos cum necessitate ...tur: nihil ergo.

III. *Quandam fœminam, cùm adulterium commisisset, ...confessione, sibi gratiam defuisse.* Ita rem gestam ...Nemirum: quis enim seriò sese accuset illius ...a quo abstinere non potuit?

IV. *Omnibus Arnaldo esse, abrogare Confessionem au...ut saltem procurare, ut rarior sit,* restitu... ...pœnitentiæ publicæ usu. Quis neget, ...mentem esse? quid aliud liber illius cla... quid ritus novus? Sed inquies: auricula... Confessionem etiamnum adhibet. Sed qui ...fieri, cum Exhomologesi stare non posse: ut ...in aureo Libro de hac re publicato, egregiè ...

V. *Sanctimonios, ac proindè Arnaldum, Concilio Tridenti... ...deferre.* Id constat ex maximâ 24. Sancygira... ...eradis ejusdem.

VI. *Corrogari à vobis pecunias sub prætextu eleemosyna... ...Ecclesiam Dei.* Quis hoc non videt? quis ...sumptus, quos ad promovendam fa... ...vestram, & defendendos ac propagandos er... ...vestros, jam à multis annis fecistis? capsula ...na, cui, amabò, non innotuit? uno verbo, ...pubus parcitis, ut novos proselytos facia... ...pretiis hujus gratiam; illius operam, stylum, ...industriam vobis comparetis. Est sanè, quòd ...in hoc vobis cedant.

VII. *Fateri scriptorem Litterarum, esse se Theologiæ ru...* Illud dubiè passim fatetur, se non esse doctorem ...: *Quid est ergo,* inquit, *cur doctorum pugnæ nos ...nimiùm doctores?* item Epist. 17. *Adversum me, ...Doctorem, nec Sacerdotem.* Quanquam nihil ...celle, ut id, quod doctis omnibus compertum ...retur. Quis enim Theologus Montaltii Lit... ...legit, qui eum Theologiæ ignarissimum statim ...judicet?

VIII. *Quinque Propositiones damnatas à vobis nihilomi...* Quoties illas post utramq; Bullam propug... ...in Libris editis, tum in Thesibus proposi... ...quid aliud agit tuus ille Paulus Irenæus in suis ...tionibus contrà Annatum publicatis?

IX. *Abbatem Sancygiranum, reformandæ Ecclesiæ curam ...mandatam divinitus, arrogasse.* Constat ex actis in... ...tu vide sis in Reliquiarum lib. reliq. 1.

X. Quod subnectis de famulo Jansenistæ cujus... piam, cui ab Hero persuasum sit, ut à Confessione, vel audiendo Sacro abstineat; exempli gratiâ dictum esse constat; in exemplis autem non requiritur veritas.

XI. *Iudæ illos agi spiritu, in corrogandis opibus.* De quo jam supra n. 6. Quid ni, ex operibus vestris vos judicemus?

XII. *Multi conjiciunt, consilium vobis esse, abolendæ Eucharistiæ & Pœnitentiæ.* Hanc quidem, quia à Sacerdote absolvente remitti peccata non vultis; quod sæpè docuit Sancygiranus, ut constat ex actis: illam verò per non usum & desuetudinem, quam inducere cœpistis; ut habetur in actis, & patet experientiâ.

Reliquas, ut tu ipse vocas, calumnias, breviter perstringo. I. Lutheri exemplo in Sacerdotes incontinentes invehuntur; idque fortè eodem fine. Crimine ab uno discè omnes. II. *apud Regium portum pauca Sacra fiunt.* Hoc sciunt omnes. III. *Mira est Iansenistarum industria & calliditas, ad colligendas pecunias.* Quàm multis exemplis hoc probari posset? quid in hac parte vester Du Hamel præstiterit, satis compertum est. IV. *à Iansenistis irridentur vota.* Constat ex iisdem actis, & ex lib. *de Sancta Virginitate.* V. *Theodorus Beza amicus vester dicitur.* Quis enim neget, Jansenianas hæreses ad Calvinianas proximè accedere? sunt qui Jansenistas, Calvinistas molliores vocent. VI. *Quod D. Thom. alios q; Scholasticos & Canonistas Iansenius irriserit.* Norunt, qui legere sciunt. VII. *Quod contra Deiparæ cultum Montaltius scripserit.* Multi refutarunt, ego supra breviter perstrinxi. VIII. *Hypocrisis vestra sugillatur.* Haud ab re: vix à Pharisæorum tempore, insigniores hypocritas mundus habuit. IX. *Multa singularia dici possent, quæ reticentur.* Apologista facilè morè vobis geret: immò in hoc plurimi operam suam desiderari non patientur. X. *Docent Iansenistæ, ab eo qui est in statu peccati mortalis, Sacrũ sine novo peccato audiri nõ posse.* Quid aliud clamat Aurelius vester? XI. *Cur sitarunt Iansenistæ per domos, perlatâ in Gallias Innocentii Bullâ, ut aliquid patrocinii sibi conciliarent.* Universa Lutetia testis est. Illud quod habet de Montaltrio à meretricibus spoliato, jocus est: seriò tamen Apologista, affectatam illam severitatem carpit; quæ, nisi maturè occurratur, non modicam stragem allatura est. Quid ad hæc Willelme? tuum illud, *mentiris impudentissimè,* statim opponis: mones Jesuitas, ut flagitia vestra publicent: futurum alioqui illorum silentium, luculentum maledicentiæ testimonium. Sed quàm multa hactenùs publicarunt atque probarunt? errores vestri principem locum tenent. Quoties ab illis exprobrati? quoties à vobis obstinatè defensi? Hortaris demùm ad pœnitentiam; ut saluti suæ consulant. Bene est: sed cave, reponant optimi Patres; *medice cura teipsum: Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo.* Rem dubio procul lepidissimam! Jansenista apud Jesuitas pium concionatorem agit. Sic Diabolus è sacro pulpito ad populum sacra verba fertur olim fecisse.

In Epist. decimam sextam,

NOTA I.

Calumnia Iesuiticæ de Eucharistia.

QUantas Tragœdias in hoc proscenio excitas, ut Arnaldum, Sancygiranum, Regio-portuen-

tes defendas! (a) & quidem primo loco, tantùm non juras, Jesuitas decimâ sextâ illâ Montaltii Epistola *in horrendis & apertis calumniis conclusos fuisse*. Quænam verò sunt illæ calumniæ? de pecunia à Jansenio clàm subducta: de multis opibus ab illo famoso Rectore brevi tempore congestis. Quod autem pro responsione Jesuitas ad clarissimos S. Rochi & S. Pauli Parochos remittis; perindè facis, atque si Jesuitas à Pilato ad Herodem remitteres. Quid enim aliud dicerem? intelligenti pauca. Præterea de Monialibus Regio-portuensibus, earundemque Rectoribus. Adde, si vis, de Arnaldo & Sancygirano, aliisque sectæ vestræ Principibus, Fraus Jansenii ex citatis litterarum ejusdem autographis demonstratur. *Hæc pecunia*, inquit, *Collegii est non mea: ea tamen uti possum tàm occultè, ut in rationibus, quæ quotannis à me redduntur, nihil appareat.* Vestræ illæ Moniales vestris erroribus addictissimæ sunt. Prædicti Rectoris avaritia omnibus patet. Arnaldus & Sancygiranus nihil antiquius habuere, quàm ut Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta abolerent: immò ille ex certis loquendi formulis, non levem suspicionem præbuit sinistræ Fidei. Ubi enim dixisset in lib. *de Frequenti Communione* 3. part. c. 11. eodem cibo nos in Eucharistia pasci, quo Sancti in Cœlis pascuntur (quod certè si ab alio diceretur, bonum sensum præferre posset; pascuntur enim in Cœlis Sancti, Christi visione, amore, possessione; nos verò in Eucharistia, Sacramentali receptione;) subnectit deindè; quantum à clara visione Fides abest, tantùm, modum, quo in terris manducatur, abeo differre, quo in cœlis comeditur. Igitur Fide tantùm in terris manducatur: quod Calvinianum est. Non levem indè, crede mihi, suspicionem Arnaldus præbuit: præterquàm quòd per non usum & infrequentiam id unum enitì visus est, ut Sanctissimum illud Sacramentum aboleret.

Frustrà autem loca multiplicas ex Arnaldi libris. Ut enim hæretici clarissima Scripturæ verba, quæ transsubstantiationem significant, in alio pravo sensu intelligunt, cur idem de prædictis locis, suspecti præsertim hominis, dici non potest? tergiversantur hæretici, immò sibi non rarò contradicunt, ut suos errores obducto fuco melius tegant. Alia loca ex libris Sancygirani à Sancta Sede damnatis congessisti; ac proindè nullius momenti esse, nescire non potes: præterquàm quod illa loca varias interpretationes, præsertim à suspectis auctoribus, recipere possunt. Cæterùm illa omnia, quæ calumniæ & maledicentiæ tribuis, non modò clarissimis & omni exceptione majoribns probationibus sæpè ac sæpiùs expositis, verùm etiam voce publica eaque constanti nituntur; si tamen Filæi narrationem excipiam: quam licèt reprobandam esse non dicam, eam tamen auctore suo stare velim, viro scilicet intaminatæ fidei, integerrimæ vitæ, acerrimo Jansenii nominis hoste, de re Catholica benèmerito, ac proindè digno, quem litteris Apostolicis Innocentius X. compellarit. Doles præterea ab Apologista dici, Regium portum cum Geneva satis convenire. Sed, ni fallor mitiùs quàm par sit, loquitur, cùm Regius portus altera Geneva haud prorsus ineptè dici potuisset. Nempè Lemana una, Calvinistarum est; altera verò Parisina, Jansenistarum; quos molliores Calvinistas jure dixeris.

Arnaldi errores, errorumque principia in responsione ad Epistolam 16. (b) Apologista recensuit: scilicet gemina loca de Eucharistia, quæ jam suprà indicavimus; deinde errorem illum de duplici Ecclesiæ Capite, Petro & Paulo; tum id, quod dicit, eo quòd viget, pœnitentiæ usu, generalem hominum pœnitentiam fovet; denique rem perfectissimam Deoque gratissimam fore, differre usque ad mortem eram Communionem. Hæc Arnaldi esse non diffiris. Ex his autem Apologista rectè infert, suspectum saltem esse Arnaldi fidem circa Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum: ex his, inquam, non quidem singulis, sed majore istorum parte: qui reverà satis communis est loquendi modus. Et verò ex duabus primis sententiis & quinta, prædicta suspicio directè deducitur: ex quarta saltem indirectè, ut ajunt, ad illum eminentiquæ pœnitentiæ, si Superis placet, ritum, dictum Eucharistiæ omissio pertinet. Tertiam sententiam ipse approbas. Ubi enim hæc Apologistæ verba resti, *dixistis*, inquit, *Petrum & Paulum esse geminum Ecclesiæ verticem, qui unum efficiant*; reponis illicò, quid tum? Hanc igitur sententiam, quantumvis à Sancta Sede damnatam approbas. Quamobrem verò? quia Arnaldo majorem fidem, quàm Romano Pontifici habes? hinc tamen sequitur totius Apostolicæ firmitatis, & infallibilitatis, ut vocant excidium. Esset enim Ecclesia sine visibili capite: quia nisi caput unum sit, nullum est. Hinc totius Ecclesiæ ruinæ; ac proindè Sacramentorum & Eucharistiæ destructio.

Non eratigitur, quod Apologistam tam ingratibi scitiæ insimulares, & tam imperitum Dialecticæ ejudiceres. Ex tribus sententiis vestris directè sequitur, Arnaldi fidem circà Eucharistiam suspectam esse, ex duobus aliis; idem indirectè saltem sequitur. Quod autem attinet ad librum *de Frequenti Communione*, contendunt reverà Jesuitæ à S. Sede damnatum esse. Cum enim damnarit Innocentius Decreto suo, an. 1679. die 24. Januarii, libros omnes, in quibus damnata illa et *duplici Ecclesiæ Capite* opinio continetur; & cùm ea in libro illo contineatur; negari non potest, quin eam ob causam pro damnato habendus sit: præter innumeros alios errores, quos continet, & quos frustrà recenserem; cùm id jam à multis, qui contra librum illum scripserunt, egregiè præstitum sit. Si alios legere non vacat, in *Reliquiis* aliquot errorum syllabum habes: ex quibus, ni fallor, quivis facilè videre poterit, quàm pernicios liber ille sit.

Quod autem dicis, *totam Societatem ad scelerum demtiæ cumulum pervenisse: quod incredibile, inquis, & horrendum est*: rectè mones, incredibile esse; imo & horrendum; hoc scilicet ab homine, non Catholico quidem, sed qui se pro Catholico gerat, impudenter adstrui. Quamobrem verò? quia Arnaldi fidem circà Eucharistiam, ex prædicto libro nonnulli ejusdem Societatis homines suspectam esse scripserunt. Quasi vera publica vox non sit, & res per se ipsa non constet. (c) Mox descendis ad quinque propositiones Jansenii ab Ecclesia damnatas; quas negas, à vobis unquam defensas fuisse. Scilicet, in sensu illo ridiculo, à vobis excogitato, cujus reverà patientes non sunt: in quo, scilicet, damnatas tantummodò dictitatis: licèt eas in proprio sensu, qui est Jansenii, in quo jam constat, ex Alexandri Constitutione, damnatas fuisse) etiamnum, ut aiunt, defendatis. Nec est, quod Thomisticam doctrinam vobis vendicetis. Nunquam enim Thomistæ propositiones illas defendetunt, immò expresè damnarunt, ut ab Annato sæpè, at præsertim libello singulari demonstratum est. Sed de hoc argumento paulò fusiùs infrà agendi locus erit; aut saltem tu ipse præbebis occasionem.

Cæterùm ægerrimè ferre videris, quòd Jesuita Arnaldum, sæpiùs petant, & Dandillium germanum

(a) Pag. 441. & 442.
(b) Pag. 443.

(c) Pag. 444.

...ebitorem, necnon Agnetem sororem utriusque. ...elogia, profusasque laudes. Vin' breviter di... ...causæ sunt, propter quas Arnaldos Jesuitæ ...ius excipiunt. Prima est Catholicæ veritatis ...tium. Cùm enim errores publicarent, tum ab ...lli, scilicet, à Ianseni & Sancygirano acceptos, ...ipsis excogitatos; Iesuitæ sine crimine ta... ...rum potuerunt. Altera causa, justæ defensionis ...untur. Quid enim ab iis contra Societatem IE... ...mentum non fuit? hic avitus hujus familiæ mos ...Quis nescit, quantum ab antiquo illo Arnaldo, ...nio in *Parlamento Parisiensi* advocato, quantum ...ero, quasi dixi feris, nepotibus, Societas identi... ...dem posset fit? Non desunt alia quædam nomina le... ...infesta, ut Paschasiorum, & Paschalium: ...inter Beruillistas, rùm ferè ab initio, nonnulli ...Iesuitis satis iniqui. Illos omnes tuis partibus te... ...rugas Willelme: sed aversum aliquorum ani... ...nibus tribuere nolim. Nominibus parco: ...rem facere possum, quin eum appellem, qui, ...fabulosæ apud Æsopum corniculæ, Volu... ...parvum edidit, contra *Regularium Privilegia*; ...bellum Patris Ioannis Bagotii, *Defensionem*, ...*Episcopalis* adversùs anonymum, identi... ...que, & doctrinam in eo contentam afficit gra... ...Sciat tamen, prædictum libellum post ...diligentem discussionem à legitimis Iudicibus adhi... ...bitos, fuisse & illibatum judicatum fuisse; ac pro... ...probatum, ut Romæ, ex Typographiâ Re... ...Cameræ Apostolicæ iterum prodiret. Hoc ...pro Libelli defensione & plena illius auctoris ...confutatione, homini Catholico sufficiat. ...Catholicus non assentiatur? absolvit Ro... ...Augustum: insons igitur est. Non deerunt tamen, ...illius corniculæ nævos liberali manu absterpsi; ...iis teverà non careat. Cur *fabulæ corni...* ...appellem, nihil est quod dicam, apud eos, qui ...norunt: apud alios verò, quibus ignotus ...dicam, quid juvat? *quomodò literas scit, qui eas nun...* ...*didicit*?

NOTA II.

Precatiuncula de Sanctissimo Sacramento.

QUæ est historia. Abbas Sancygiranus breve opus... ...sum scripserat, sic inscriptum, (a) *Le Chappelet ...du Très-saint Sacrement*: quod cuidam moniali ...portuensi, Agneti scilicet à S. Paulo, dignissimæ ...dictum sororiattributum esse voluit: Sancygi... ...rem esse, omnes conveniunt; quod vel ex ...stylo constat. Cum autem prædicta precatiuncula multa absurda, *impia*, *blasphema*, *scandalosa*, *erronea*, *suspecta*, *erronea* contineret, à Censoribus Sorbonicis damnata est anno 1633. die 18. Iunii. Doctores censuræ subscriptos ex iis esse putes, ...armaturæ vulgò dicuntur; appello nomi... ...autem Duvallius, Le Clerc, Charton, Ba... ...Hallier, Morel, Cornet. Vides, ni fallor, ...illius ordinis. Nec est, quòd Iansenii & Fro... ...approbationem obtrudas. Nam qui sibi ne... ...cui bonus? damnati auctores nullius auctori... ...sunt. Nonest etiam, quòd censuram illam ...eorum, occultis quibusdam simultatibus inter ...Episcopum N. & Episcopum Lingonensem in... ...tribus tribuas; ac dicas, Hallerium alioque ...factæ pœnituisse. Hæc enim sunt mera somnia & aperta mendacia; eadem facilitate rejicienda, quâ asserta. Præsulibus illis iniquè injurius es; quibus simultatis vitium temerè imponis; Archiepiscopo præsertim, cui manifestam injustitiam affingis. Celsiorem prædictæ scriptiunculæ doctrinam, à Censoribus minimè intellectam, ad pessimos sensus ab iisdem detortam fuisse asseris; idque exemplo Tauleri & Rusbrokii confirmas. Sed illi pessimi sensus ita proprii sunt, in suspecto potissimùm auctore; ut Censores, non dicam eximios, quales isti fuerunt; verùm etiam minùs oculatos fallere non possint.

Scio, à vobis negari, scriptiunculam illam à Sancygirano compositam fuisse; sed ab Agnete moniali, Arnaldorum sorore. Hæc pro more fingitis. Mentiri, parvi negotii res est apud vos, veritati bellum indixistis. Nec minùs erratis in quæstionibus facti, quàm in quæstione juris. Tu vide sis *Reliquias*, & discussionem ejusdem scriptiunculæ anno 1635. editam. Ex his enim facilè constabit, Sancygiranum verum illius auctorem esse & defensorem; item à celeberrimis Sorbonicæ Facultatis Doctoribus damnatam fuisse; & à Sede Apostolica proscriptam & in perpetuum suppressam. Quæ, ni fallor, quidquid dicas, magna satis ignominia censenda est.

Porrò Sancygiranum hoc loco ad cœlum extollis: insignem atque illustrem Theologum, nec non eruditissimum scriptorem vocas; laudas ingenium, virtutem, eruditionem, lumen & robur, invictam scriptionem, aliaque id genus. Quid ni alterum Patriarcham vestrum laudares? multiplici sanè à vobis elogio coronatus est. Unum habeo, quod reponam: auctorem scilicet illum damnatum fuisse; in vincula propter errores, quos seminabat, conjectum; innumeris probationibus convictum: authentica acta ejus doctrinæ & vitæ in Collegio Claramontano Parisiis asservari; ejus *Maximas*, ut vocant, pernicioſas & heterodoxas; *Theologiam familiarem* confixam; *Regiam Quæstionem*, impiam & horrendam ab omnibus habitam; alterum librum, qui *Aurelius* inscribitur, innumeris erroribus scatere (nescio quis, supra centum in brevi syllabo raptim recensuit) librum *de Sancta Virginitate*, à Sorbonâ, infami notâ inustum; *Literas*, erroris veneno infectas. Omitto librum *de Frequenti Communione*, qui licèt Arnaldi nomen præferat, Sancygirano tamen à plerisque jure attribuitur. Cæterùm blasphemias præfatæ scriptiunculæ fruſtrà recenserem, cùm jam hoc munere alii egregiè defuncti sint.

NOTA III.

De miraculis in Portus-Regii Monasterio editis.

ILla miracula non suspecta modò, sed prorsus rejicienda sunt, quæ in confirmationem erroris superbè jactantur (a) idque majore, ut ais, incitatione & eloquentia. Et ut fidem facias, locum Montaltii elegantissimum, ut putas, exscribis: quamvis, ut verum fateat, Grammaticæ legibus vix congruat; & difficile sit, in eo congruam verborum constructionem invenire. Regii portus Monasterium à Iesuitis oppugnatum fuisse dicis; quod, scilicet, sex Arnaldi sorores cum anu matre, & totidem Andilii fratris filiæ potiorem & nobiliorem illius partem facerent; & quòd ibidem Arnaldus, Sacerdotis & Confessarii partes

(b) Pag. 444. 445. 446.

(a) Pag. 447. 448. 449.

tes agens, opportunum suis studiis secessum nactus esset. Sed quid hæc ad Jesuitas? qui de Portu-Regio nunquam cogitassent, nisi Janseniana hæresis ibidem suam quasi Genevam constituisset; ibique venenum pararetur, quod deinde per totam Galliam spargendum erat. Nemo est inter Catholicos, qui hoc ignoret. Cùm igitur huic Monasterio gravissimæ calamitates, inquis, imminerent; Deus ancillis suis hominum violentiâ pressis, inusitatâ miraculorum per sacram spinam ratione subvenit. His miraculis, ut fidem facias, testem adducis Dominum *Paschal*, tibi, ut ais, magnâ necessitudine conjunctum. Montaltium, vel Altimontium, vel Claramontium, aut Claramontanum addere debueras. Nihil enim his tribus conjunctius. Nisi verba sacra profanare vereret, dicerem: *& hi tres unum sunt.* Immò à Vicariis Parisiensibus, & ab Archiepiscopo Senonensi, hæc miracula approbata fuisse asseris: hinc populi eò confluentis concursus, & ingruentis procellæ mitigata tantisper asperitas. At Senonensis testificatio suspecta est. Parisiensis, vix fortè certior.

Ferri tamen nequit, quod sæpiùs dicis, omnes (scilicet Jansenistas) in eam opinionem venisse, hoc divino testimonio Regio portuensium innocentiam vindicatam fuisse; cùm etiam aliquot miracula post Alexandri VII. Constitutionem edita sint: hunc fuisse totius Galliæ sensum: immò in illo circumstantiarum concursu, hæc miracula à Deo patrari non potuisse, nisi ad confirmationem veritatis. Sciebam, vos eò spectare: hoc extremum fuit desperationis vestræ refugium. Undique vobis pericula ingruebant, & inferebantur clades. Roma gemino fulmine vos perculerat: Rex Christianissimus suis Declarationibus, Episcopi suis Decretis, Parlamentum solemni Bullatum acceptatione, Sorbona suis Censuris, aliaque id genus extremam ruinam vobis minabantur. Confugistis ad miracula: res pro votis successit. Hinc populi novi motus, hinc novi animi; hinc opportunâ occasione arreptâ, famosas Literas contra Sorbonam, Jesuitas, Ecclesiam publicastis: quæ cum à S. Sede damnatæ fuissent, à Parochis libellos famosos, aliquot ab Episcopis Censuras contra Jesuitas extorsistis. Sed pro his quoque, Petri judicium expectate; Interim, nescio, quonam pacto, errores vestros à Sede Apostolica damnatos, non modò, ut ante, mordicùs teneatis, ac defendatis; verùm etiam Divino miraculorum testimonio confirmare præsumatis. Quasi verò Deus errorem testificari possit. Nec te pudet insolentissimæ blasphemiæ? hæc tracto pressiùs, ut te ad aureum libellum pro defensione veritatis Catholicæ, à doctissimo Theologo, simul & illustrissimo & piissimo Præsule, in hanc rem editum, remittam: quem etiam ad te latinitate donatum, cum aliis brevi missurus sum. Quid enim de hoc argumento meliùs ac nervosiùs scribi, vel excogitari possit, non video: ne semper eadem more vestro repetamus. Cùm nihil addi possit opusculo numeris omnibus absoluto: non est, quòd hic diutiùs hæream, hac brevi responsione contentus. Errare quidem humanum est; errores verò pertinaciter defendere, diabolicum; errores demùm pertinaciter defensos Divino miraculorum testimonio velle tueri, plusquàm diabolicum.

Sic Ecclesiæ auctoritatem infringere voluistis; pejore certè, quàm Calvinistæ, vel Lutherani exemplo. Calvinus hæreses suas publicavit, quas cum Romanus Pontifex damnasset, hujus dumtaxat auctoritatem negavit, adhæsitque erroribus suis. At vos non modò hæreses defenditis, ac pro viribus diffunditis, & Romani Pontificis auctoritatem profundatis, scriptisque libellis refutatis; verùm etiam quod nunquam Calvinistæ fecere, eò venistis audaciæ, ut miraculis doctrinæ vestræ veritatem, & Constitutionum Apostolicarum falsitatem & injustitiam demonstrare præsumatis. Vereor ne vestro malo Deus effrænam hanc juxta atque impiam licentiam coërceat. Sacra illa spina, cui publicum cultum privatâ auctoritate detu istis, contra solitam Ecclesiæ formam, vos etiam pungit. Agnes illa virago imbris, & Sancygirani manu diligenter culta, vetus gynæcei facilè princeps, ad reddendam errorum suorum rationem à supremo Judice vocata est; ille famosus Magister, cujus tersissimus stylus vestris erroribus diu servire voluit, qui priùs, summâ cum laude, justitiæ & veritati servierat, ejusdem fidem vel apparitoris operâ, ad supremum Dei tribunal vocatus est: Arnaldus ipse gravissimæ ægritudinis morbo, ad resipiscentiam invitatur. Cavete igitur, ne illa spina, Christi sanguine, cui summam laudem summumque præmium invidetis, dum eum pro communi omnium salute fusum fuisse negatis; Cavete, inquam, ne spina illa Divino illo sanguine cruenta vos pungat. Utinam ulcus tandem aperiret, & virulenta errorum sanies efflueret! Cavete, ne tam frequentis populi concursus vos obruat; ne miracula infidelitatem vestram tandem aliquando arguant. Nam hoc præsertim genere, Deus supremus vindex manum operi admovet; causam suam agit, & sacrilegos mortalium conatus elidit.

In Epist. decimam octavam,

Dialogus VVendrocki.

Hic paucis te volo Wendrocki. Ea, quæ à Montaltio scripta sunt in duabus postremis Epistolis, de summi Pontificis auctoritate: apud omnes Catholicos constare dicis. Ille tamen intolerabiles errores admisit, negavitque, Romanum Pontificem ea auctoritate pollere, qua in quæstione facti aliquid ex Cathedra pronunciare possit sine aliquo errandi periculo: et simul factum illud ad Fidei controversiam pertineat. Hinc tum Innocentium X. tum Alexandrum VII. errasse vultis, in damnatione Jansenii. Idem de Calvino, Lutero, Pelagio, aliisque hæreticis dici posset. Ignoro quis negaret. Atium, Macedonium, Nestorium hæreticos fuisse; nihil diceret, quod contra Fidem esset: & quod *omnes Catholici* cum tuo Montaltio dicere non possint.

Deinde recensere summorum Pontificum errores, quod Montaltius præstitit, eosque multis exemplis locupletare, quod tibi facile esse testaris; (a) valde, ni fallor, Catholicum est. Errorem Honorii errore inculcastis; qui per fraudem Græcorum in acta Concilii sexti universalis insertus fuit. Fateor, aliquot Catholicos, in hoc etiam deceptos fuisse; ac præterea Toletanum illum Conciliorum coactorem, qui Honorium, non modò à Synodo damnarum, ut hæreticum, asserit; sed per intolerabilem negligentiam & hallucinationem, ab Agathone Pontifice eumdem *Anathematizatum*, in Epistola, non ad Synodum sed ad Cæsarem Constantinum scripta, fuisse, testa-

tur

(a) *Pag.* 495.

Quod à veritate alienum est. Ad pœnam libri. lege Agathonis Epistolam : in eâ nihil tale invenies. Quod si hoc fecisset Agatho, sibi manifestè contrarius. Nempe *Apostolicæ* inquit, *Christi Ecclesia, Romana scilicet, à tramite Apostolicæ Traditionis nunquam deviare, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: Dominum nostrum Petri non defecturam promisit, qui confirmare fratres suos est: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis jussu est, quod inquit, prædecessores, considenter fecisse semper, nemo est qui ignorat.* Sed Honorius ejus antecessor extitisse ante annis: igitur si eum, ut hæreticum, damnabo, sibi apertè contradixisset.

Præter rationes, quas apud Bellarminum & alios, pro Honorio defendendum susceperunt; videre potes, si libet, meam conjecturam; quæ mihi verissima videtur. Pro quo suppono 1. acta hujusmodi Conciliorum apud Græcos mansisse; immò linguâ quoad erratas fuisse: quod Imperatorum auctoritas quoad obtinuit. Nec ullum esse puto, qui hoc neget. 2. Græcis familiare fuisse, acta Conciliorum adulterare: in hoc ipso Concilio à Actione 3. acta quintæ Synodi non legerentur, depravata fuisse Patres deprehenderunt. Idem de multis aliis dictum sit, ut Bellarminus & alii demonstrant. Immò ipsas Epistolas Romanorum Pontificum adulterare veriti non sunt. 3. Suppono, in hac sexta Synodo damnatos & anathematizatos fuisse, ut hæreticos, plerosque Orientalis Ecclesiæ Patriarchas, scilicet, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Constantinopolitanos; Cyrum Alexandrinum, Macarium Antiochenum. 4. Supponò Græcos hactenus à Latinâ semper alienam fuisse; imò etiam de Primatu sæpè contendisse, ut nemo negare & præcipuum tolli; quo Latina superior est, si Petro concessa, in personâ Petri, infallibilitatis prærogativa intelligatur. His igitur positis; cùm Græci olim, tum multos Patriarchas suos, ut hæreticos, in Conciliis; & ab hac præsertim sexta Synodo damnatos, quod revelâ iis Sedibus *Patriarchalissimo* opprobrio vertebatur; similem notam inussisse Honorio; non quòd erraslet; ut constat ex eadem Epistolis; nec enim ipse duas in Christo voluntates, duas operationes unquam negaverat: sed quòd aliquam saltem occasionem præbuisse videretur, cum disputationem illam, nondum satis discussam, & vocum illarum usum, ex quibus disputatio illa ortum duxerant, prohibuisset: donec re maturè discussâ; hæc controversia ab Ecclesiâ terminaretur. Hac igitur occasione arreptâ, quasi ipse Monothelitarum partibus favisset; cùm tamen controversiam non decidisse, sed silentium dumtaxat partibus imposuisse dicendus sit; hac, inquam, occasione arreptâ Græci Latinorum æmuli: ne Occidentis Patriarchæ ab errore immunes essent; Honorii nomen in dictæ Synodi, immò & octavæ, & in Litteras Apostolicas inter alia hæreticorum nomina, per summam calumniam inseruerunt.

Quod deinde de gratia efficaci cum tuo illo fautore Molinistas propensiores ac dicis, eandem Jansenistarum & Thomistarum de divina gratia doctrinam. Sed profectò erras Willelme. Jansenii sententia eadem est, quæ Jansenii, quod vehementer negant: Jansenius autem in explicanda gratia efficaci Thomistâ non est. Nempe tom. 3 lib. 8. cap. 15. dicit; sententiam Augustini, scilicet, *nec* Thomisticâ; nec cum Jesuiticâ *concordare, sed aliquid ab utraque sumere.* Capite 2. ait, *Thomæ recentioribus prædeterminationis auctoribus placere, quæ cum Augustini doctrina nullo modo congruere.* Inter Augustinianos & Prædeterminantes, *non modicam discrepantiam esse. Nec ullum omnino locum ex universis Augustini scripturis proferri posse, qui talem prædeterminationem tanquam Christi gratiam præ se ferat.* Et post multa contra prædeterminationem physicam dicta, sic concludit: *Qui medicinalem Christi gratiam in talem prædeterminationem transformant, ex vi scilicet causæ primæ, & indifferentia voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio, universam Augustini doctrinam inexplicabili confusione perturbat. .... ab Augustini sensibus remotissima est.* Idem centies eodem capite Jansenius inculcat. Tum cap. 5. affert alium modum componendi gratiam efficacem cum libertate. Item tom. 2. lib. de gratia primi hominis & Angelorum, toto cap. 20.

Præterea; ut Jansenius negat, se Thomistam esse; ita Thomistæ; Jansenistæ necesse, nec dici unquam voluerunt. Hinc damnant Jansenistæ dogmata: negant, mandata Dei esse impossibilia: interiori gratiæ nunquam resisti: libertatem à coactione ad meritum sufficere: Christum pro cunctis non esse mortuum, Hominem; in naturâ integrâ, divino adjutorio ad superandas tentationes non indigüisse; ignorantiam invincibilem peccato non eximere; aliaque id genus. Deindè prædeterminationem physicam in ipso actu secundo collocant; ne, si in actu primo, libertatem lædat. Quod quomodò ipsi explicent, reverâ indagare hujus loci non est. At Jansenistæ gratiam suam victricem in actu primo considerant; quatenus illa actus secundi causa est. Accedit, quòd Thomistæ libertatem in indifferentiâ potentiæ constituunt; Jansenistæ in ipsomet voluntario; quatenus coacto opponitur. Hinc Thomistæ ultrò fatentur, necessitatem antecedentem illatam voluntati, libertati nocere; Jansenistæ ultrò concedunt, actum necessarium, modò ipse voluntarius sit; liberum esse. Thomistæ negant; cum ipsâ prædeterminatione dissensum voluntatis, etiam per divinam potentiam, componi posse: at Jansenistæ ultrò fatentur, si major vis cupiditatis accedat, gratiam illam, alioqui minoris cupiditatis victricem, vinci posse. Thomistæ ad omnes actus liberos, etiam naturales, prædeterminationem requirunt: Jansenistæ ad supernaturales dumtaxat: & hi quidem tantùm in naturâ corruptâ, illi etiam in integrâ. Quid plura? remitto te non modò ad Annatum, qui tabulis consignatis luculenter demonstravit, Thomistas Jansenianos non esse; verùm etiam ad ipsos Thomistas, qui reverâ sciunt quid ipsi teneant, v.g. ad P. Sebile, P. Nicolai, P. Martinez, &c.

Ad alias discrepantias orationem converto. Vis, à gratia efficaci dissentiendi potentiam homini relinqui, illi omnino similem, qua quis sese ex altissimo ponte in fluvium præcipitem agere potest, vel nasum sibi abscindere, vel oculos sibi eruere, vel parentem amantissimum interficere, vel nudus per urbem incedere. Hæc, si nescis, potentia physica est, cum impotentiâ morali conjuncta. Nempe difficultas, ut hæc fiant, moraliter insuperabilis est: id est, nunquam accidit, ut superetur. Ità gratia victrix per te moralem quandam impotentiam dissentiendi conciliat. Utrùm Jansenii mens hæc fuerit, erunt sanè, qui dubitent. Quicquid sit, hac de re non disputo, cùm, id ne fiat, Pontificio Decreto cautum sit. Dico tamen, hanc doctrinam Thomisticæ repugnare. Nempe *infallibilitatem* dumtaxat moralem, efficaci gratiæ conciliat. Utrùm Jansenii mens hæc fuerit, erunt sanè, qui dubitent. Præscindis enim à scientia Dei; &, ut gratiam per seipsam præcisè vis efficacem esse, sine ullo respectu ad divinam scientiam, ita & infallibiliter suum effectum habituram. Igitur cum necesse sit moraliter effectum habituram, necesse est moraliter dumtaxat

infallibilem esse. Sed futuri effectus infallibilitas non moralis, sed physica, immò metaphysica est ; ita ut repugnet, illam, qua talis est , cum dissensu unquam componi. Igitur non salvas summam illam infallibilitatem gratiæ efficacis. Præterea, cùm dicis, potentiam ad dissensum manere, haud dubiè vim ipsam dissentiendi non intelligis , sed ipsammet voluntatem, quæ, dissentiendi potentia est; licèt in sensu tantùm diviso, ut ajunt, dissentire possit, quatenùs scilicet cupiditas ipsa non invaluerit. In hoc dupliciter erras, Willelme, licét magnus Apollo videri velis. Primò quidem vis, voluntatem, accedente dumtaxat ponderе ferri ; ita, ut validiori continuò cedat. Hinc si divinæ gratiæ vis cupiditatem superet , divinæ gratiæ motioni obtemperat. Si verò cupiditas prævaleat, ab eâ ferri se sinit. Igitur nihil est, quod voluntas præstare queat ; nulla illius libertas est ; nihil ejus arbitrio relictum ; ad instar alterius potentiæ se habet, quæ sui juris non est ; & frustrà laudi eidem vertitur, quod transgredi possit, & non transgrediatur ; facere mala, & non faciat. Nec modò libertati hæc doctrina repugnat , sed experientiæ & communi hominum sensui. Quis enim vel in se identidem expertus non est, nonnulla fieri aliquando, quæ tamen longè facilius esset omittere?

Alterum verò est , in quo peccas ; quòd scilicet potentiam illam dissentiendi , voluntatem ipsam esse velis ; quamvis omnibus ad dissentiendum necessariis minimè instructam ; scilicet cupiditate potentiore. Sic cum ipsa cupiditas prævalet , adest quidem potentia resistendi, id est , ipsa voluntas ; non tamen instructa illo adjutorio , sine quo cupiditas superari nequit. Hinc nunquam ad utrumque, *posse* proximum est. Unde manet læsa libertas: quæ sanè merè voluntarium non sonat, ut definivit Innocentius; sed illam vim electivam supponit, quâ , positis ad utrumque prærequisitis , quodlibet eligere possit. Nec juvat illud, quod aperis, Augustinianæ doctrinæ arcanum; divinam scilicet gratiam cum efficaci & omnipotenti Dei voluntate conjunctam , cujus instrumentum est, ita efficacem esse, ut nunquam effectu suo careat. Nihil porrò per te istud est, nisi quòd Deus, cognito cupiditatis gradu, validiorem gratiam impertitur: voluntas enim validiori semper cedit. Hinc res eodem recidit. Longè igitur meliùs faceres , si morali necessitate contentus , quam ex iis, quæ adduxisti, exemplis , rectè deduxeram , alterum explicationis modum rejiceres. Sed Jansenianis dogmatis imbutus, ab iis tantillùm discedere, religioni ducis.

Quanquam etiam , ut verum fatear, illa moralis necessitas rem hanc non explicat : cùm & infallibilitatem illam consensus futuri non salvet , & innumera importet absurda, quæ nemo admittat. Nam primò, manifestæ experientiæ repugnat. Nempe aliquando per divinam gratiam tentationi resistimus , licèt longè facilius nobis esset , eidem succumbere ; & aliàs illi succumbimus , licèt eidem resistere non difficile esset. Est quidem aliquando maxima divinæ gratiæ suavitas , quâ fit , ut facilè etiam difficilia & ardua superemus: at nunquam illa suavitas tanta est, ut moralem necessitatem conciliet. Secundò, non deerunt multi, qui putent libertati, scilicet morali , prædictam necessitatem non parum officere. Voluntas enim quasi rapitur, & parum de suo confert. Tertiò, quis ferat, in viatore, quoties cupiditati succumbit , ac proinde peccat, non minùs difficile esse , cupiditati resistere: quàm sit cuipiam, sibi oculos eruere , nasum abscindere , Parentem amantissimum occidere ? uno verbo, quàm sit cacodæmoni, non peccare, non odisse Deum, &c. omitto alia, quæ cuilibet rem hanc consideranti venient in mentem.

Pergo errores tuos cursim adnotare. *Primo*, non tantùm moralem necessitatem inducis , verùm etiam physicam , eamque antecedentem. Cùm enim aliqua præcepta , sine divinâ gratia servare physicè homo non possit , quòd scilicet supernaturales operationes injungant; quotiescumque violantur , divinæ gratiæ adjutorium, abest, ut dicis; ac proinde aliquid deliberatur, quod ad potentiam physicam pertinet, figitur est mera impotentia ac necessitas physica. Sed libertatem destruit: & de Fide est , ad merendum & demerendum , libertatem à necessitate requiri. *Secundo* , Vis nunquam voluntatem prædominanti ponderi, vel affectioni posse resistere , quamdiutest prædominans. Igitur potiùs agitur , quàm agi, & meram indifferentiam passivam habet, quæ rebus creatis etiam inanimis communis est. *Tertio*, vis voluntatem indifferentem ad oppositа , non posse ad unum determinare sese; nec, omisso altero , aliud eligere: Nisi hæc optionis facultas admittatur , ubi quæso libertas? *Quarto*, vis, voluntatem liberè agere, licèt nulla cognitio præluceat illius objecti, in quod ipsa fertur. *Quinto*, vis, hominem ad divinam gratiam sese disponere, ac fieri paratiorem ad illam recipiendam; subigendo scilicet & cohibendo cupiditatis impetum, jejunando , erogando eleemosynas, &c. Quasi verò hæc per divinam gratiam non fiant, ac homo sese ad gratiam , naturæ viribus disponere valeat. *Sexto* , dicis , deesse aliquando gratiam, quæ ad hoc , ut aliquis tentationem superare possit necessaria est. *Septimò* , visideò dici voluntatem dissentire non posse, quia firma & constans non dissentiendi voluntas est. Quod ridiculum est. Quasi verùm esse possint voluntas non dissentiendi & ipse dissensus. Quæritur Willelme de actu primo, in quo voluntas non dissentiendi nondum est , utrùm gratia voluntas dissentire possit. Sed video, quid velis: nempè ipsamet gratia per te est illa firma & constans voluntas non dissentiendi. Unoictu omnia solvis; sed libertas quoque sic dissolvitur. *Octavò*, dùm deest necessaria ad dissentiendum cogitatio, vis tamen adesse dissentiendi potentiam. Itane verò, Wendrocki, post *proximum*? mira narras, *Nonò*, vis potentiam ad oppositа , ad assensum scilicet & dissensum , etiam ad alterum oppositorum componi ; ita ut dum actuell assensus, sit potentia ad dissensum , scilicet in sensu compositò : nempè, sicut in cane famelico ossium vorante est potentia abstinendi. *Decimò*, vis eorum Molinistarum esse, quòd dicant , eandem gratiam, scilicet quantum ad *entitatem*, animis similiter affectis illapsam, hunc convertere , illum non convertere. *Undecimò*, vis, quod metu fit, id tantùm nobis posse, quòd inde minùs malí simus. *Duodecimò*, vis humanos omnes conatus, à Charitate non profectos, vitiosos esse. *Decimò tertiò*, vis illos esse vicinissimos Charitatis actibus ; licèt nulla sit proportio inter actus naturales & supernaturales. *Decimò quartò*, vis omnes justificatos, per gratiam sanctificantem, habere sum *posse* in actu primo habere: *posse*, inquam, ad agenda, quæ alioquin gratiæ actualis adjutorium requirerent; v. g. ad graves tentationes superandas. *Decimò quintò*, demùm vis illas aliquando deesse gratias, sine quibus majores tentationes superari non possunt. En tibi Willelme Jansenianæ doctrinæ compendium.

Frustrà autem Thomistæ vultum induis, qui germanus putus es Jansenista. Quibusdam verborum involucris errores tuos tegere voluisti : sed rerum istarum peritis

ritiæ impones. Commune est hæreticorum vitium, latebras facere. Coluber tortuosus gyros agit, & latet in herba. Mentitis nomen, patriam, doctrinam : totus ex fucis & dolis, ex calumniis, & mendaciis compactus. Saucygiranus vobis suo præluxit exemplo, qui alienis nomina suis operibus præfixit, Aurelii scilicet, Steynonii, Arnaldi, immò & Agnetis à Sancto Paulo. Sic modò Wendrockius, modò Montaltius, vel Simonius Wendrockius, modò Montaltius, vel Clamontius, vel Paulus Irenæus, uno verbo Regiomontanus Proteus. Sed, ut scurram agis & histrionem; quidni, si varios vultus induis, scenam mutas, & multas personas sustines? semper tamen Jansenianus, ac proinde hæreticus. De hac materiâ plura disputarem: sed in Pontificiis Decretis paream, calamum venerabundus sustineo.

PAULI IRENÆI DISQUISITIONES.

Typographus Lectorem monet, Wendrockium non consulentem, duas extremas Epistolas Notis locupletare noluisse; non tamen alienum visum, has Disquisitiones Pauli Irenæi ad hanc rem non parum lucubrantes subnectere. Sed cui paci consulis Wendrockii, ingenuè significasses. Facies, si quando velint. Interea festino errorum spicilegio, quibus meæ Disquisitiones scatent, huic provinciæ à me libenter otiosidem imponam; leviore manu rem hanc aggrediar, & in tuas Disquisitiones paulò mitiùs inquiram. Amantierit, quem in his vehementer impugnas, alterius tuæ injustum aggressorem repellere. Is profectò est, qui auxiliari dexterâ non indigeat: te illi ultro commendatum velim. Tuas Disquisitiones appello, quatenus tuæ sunt: nomen dumtaxat mutasti: tuas Notis Epistolas Montaltii locupletare dicitur Wilelmus Wendrockius, idem easdem Paulus Irenæus Disquisitionibus illustrare conatus est. Sed ad rem.

Errores in prima Disquisitione contenti.

Primò nulla est, inquis, (a) nec fuit unquam in Ecclesia, Jansenii hæresis; nullum hæreticum dogma: quidquid scilicet damnatum est, privati odii, & occultæ malitiæ fuit. Damnarunt tamen duo Pontifices tantùm Jansenianas.

Secundò, præter quinque propositionum controversas, reliqua omnia quæ habet Jansenius, ab omnibus Catholicis defendi ais, (b) ut Catholica. Controversias vocas propositiones hæreticas ab Ecclesia damnatas: Caterùm etiam dicis, alias opiniones, vel errores Jansenii de gratia sufficiente, de legè antiqua; de ignorantia invincibili, &c.

Tertiò, Honorii sensum à Synodis 6. 7. & 8. à duobus Rom. Pontificibus damnatum fuisse asseris articulo. Quàm temerè! ut mitissimè loquar. Pergis: posse quid sine culpa negare, quinque propositiones esse damnatas & in ejus sensu damnatas: ibidem. Sed nonne damnatio Alexandri contrarium declarat?

Quartò, nunquam Episcopis, nunquam Rom. Pontifici, inquis art. 3. (d) in mente fuit damnare illam sententiam, quâ contineri sensum Jansenii arbitrantur, qui ejus damnationi non consentiunt. Sed hoc Bullæ Alexandri repugnat. Jansenius, inquis ibidem, Thomistarum sententiam de divinâ gratiâ omninò sequitur. Sed hoc sacro Ordini injuriosum est, & menti Pontificum repugnat. Nulla est gratia sufficiens in sensu Molinæ, id est, quæ sit verè sufficiens, & quæ *posse* proximum conferat: ibidem. Hoc videtur hæreticum.

Quintò, deest justis conantibus & volentibus gratia verè sufficiens, necessaria ad hoc, ut proximè possint tentationem urgentem superare, artic. 4. (e) In hoc tamen sensu verè damnata est prima Propositio. Nulla est gratia omnino sufficiens, scilicet in actu primo, præter efficacem; ibidem. Hoc etiam est hæreticum. Non habent justi in actu primo omnia necessaria ad hoc, ut proximè possint operari, & carent aliquo necessario: ibidem. Hoc etiam ab Ecclesia damnatum est.

Sextò. Omnis gratia est efficax, ad eum scilicet effectum, ad quem à Deo ordinatur, (f) art. 5. Cùm igitur alium effectum habere non possit, nec vires ad illum habeat; non potest dici, quòd ipsi resistatur, nisi ratione proprii effectus, ad quem refertur: sed quantùm ad hunc, omnis gratia Christi per se efficax est, igitur interiori gratiæ nunquam resistitur: quod est damnatum. Eidem gratiæ, quantùm ad entitatem, non potest homo obtemperare, aut resistere; ibidem. Hoc damnatum est in 4. Propositione.

Septimò. Ad merendum aut demerendum, non requiritur libertas indifferentiæ, quâ scilicet voluntas possit transgredi, vel non transgredi; facere mala, vel non facere; (g) artic. 6. Quis neget hoc esse damnatum? Hoc eodem articulo, idem bis aut ter inculcas: sequenti verò nugaris circa hæresim Semipelagianorum; & in Historia turpiter hallucinaris.

Octavò, in art. 8. concedis tantùm Christo velleitatem, non voluntatem moriendi pro omnium salute. Item concedis (h) sufficientiam, non verò oblationem pretii, pro communi hominum redemptione. Non est igitur omnium Redemptor. Item dicis Christum esse mortuum pro promerenda gratia omnibus reprobis quibus aliquando collata est. Quid igitur de parvulis in utero parentum extinctis? Quid velis satis perspicio: scilicet, remotam quandam illis potentiam concedis, quam nunquam ipse Calvinus negavit. & eò res cadit, ut pro reproborum salute non magis Christus mortuus sit, *quàm pro Diaboli*; ut fatetur ultrò Jansenius. Immò, dùm dicis, reprobos rejectos fuisse; reprobationem positivam ante prævisa demerita intelligis. Sic vobis cum Calvino probè convenit.

Nonò art. 9. multa effundis, (i) vel effutis, absona & heterodoxa, v. g. Jansenium rectè sensisse (tu videris) ac unam dumtaxat *gratiæ efficacis* assertionem ab illo adstrui: *Thomisticæ* inquis. Falleris, ex ipsius Jansenii confessione; ut supradictum est. Calvinianam igitur asseruit. At, inquis, Innocentius & vivæ vocis oraculo & scripto declaravit, se *quæstionem de auxiliis* non attigisse. Sed quid hæc ad errores & hæreses Jansenii? frustrà enim Thomistas vestris partibus accensetis; qui vos ut damnatos hæreticos rejiciunt. Quòd aliqui ex Patribus Berullistis & Canonicis Regularibus, (k) ut dicis, vobis faveant, & victricem gratiam vestram defendant; vix crediderim: si tamen res ita se habet, ut dicis; dolendum sanè; non Jesuitarum, quibus in hoc, nec feritur, nec metitur; sed potiùs illorum gratia, qui sese damnatis erroribus temerè implicarunt. Quod dicis, maximam Cleri Gallicani partem à doctrina Molinæ abhorrere; tibi profe-

(a) Pag. 510. (b) Pag. 511. (c) Pag. 512. (d) Pag. 514. (e) Pag. 516. (f) Pag. 517. (g) Pag. 518. (h) Pag. 519. (i) Pag. 520. (k) Pag. 521.

profectò mortalium mendacissimo nullatenùs credendum. Abhorrent à Jansenio, illiusque sensu; non decepti, nec per ignorantiam, ut garris; sed re maturè discussâ atque perspectâ. Nec obstat illa Thesis apud Patres Oratorii defensa. (a) Quid in hoc genere ausi sitis, & passim attenta veritis; non est, quòd dicam. Itaque nemo negat, gratiam efficacem; quæ scilicet libertatem non lædat, indifferentiam actus primi non tollat, & effectum infallibiliter sortiatur. Jesuitæ rem suo modo explicant, Thomistæ suo: utroque licito & Catholico. Vos neutrum sequûti estis: non Jesuiticum, quem horretis: non Thomisticum; quia Thomistæ constanter asserunt errare Jansenium, & ab ipsis non stare. Calvinianum igitur modum tenetis; ac proinde prorsus hæreticum.

Demùm, articulo decimo, (b) concludis, nullam esse hæresim Jansenianam: Chimæram esse, in quam Vaticana fulmina tanto impetu vibrata sunt: quòd Ecclesia Jansenii sensum damnet, quem vos approbatis, non rei, sed nominis dissensionem esse: Rom. Pontificem & Episcopos hallucinari, utpotè, qui Jansenii sensum non intelligant: meram quæstionem facti esse, non juris: Jansenistas interpretatione dumtaxat Jansenii à Rom. Pontifice dissidere: quæstionem facti ad Fidem pertinere non posse (c licèt in re divinæ Fidei: Fidem enim Scripturâ & Traditione niti. Sed ubi Ecclesia? ubi sancta Sedes? quæ viva est regula. Nulla est igitur hæresis Jansenii; quidquid secùs definiat Ecclesia: nulla pertinacia; licèt Jansenistæ Jansenii errores & sensum obstinatè defendere pergant. Quis, amabò, Calvinianùs eodem modo & jure loqui non possit? defendimus enim, inquient Calvinum in sensu Augustini? quis dicat, sensum Augustini esse damnatum? Ecclesia sensum Calvini damnat, non Augustini: quæstio facti est, quæ ad Fidem non pertinet, & in quâ Ecclesia errare potest. Si tibi fas est ita loqui; Cur Calvinistæ pariter fas non erit? Igitur, si nulla est hæresis Jansenii, nulla quoque Calvini. Confugis iterùm (d) ad tuam gratiam efficacem. Sed hæc damnata est: Tua scilicet; non Thomistica, non Jesuitica; Tua inquam, quæ revera Calviniana est. Dicis præterea, eum *delusum esse*, qui Jansenianos à Thomistis abstrahere nititur. Thomistæ igitur ipsi delusi sunt, qui vos, errores que vestros *anathematizant*.

Addis, Jansenii propositiones ab Ecclesia damnatas, excusare ac benignè interpretari æquum esse & Catholicum. Concludis, rem hanc ad religionem non pertinere; levem esse ac facilem controversiam; non de re, sed de verbis *æquivocis*; de actu primo & secundo; de potestate proximâ; de sufficientis gratiæ significatione. Tolle lis, inquis, semi horâ decidi posset, & continùo sua Ecclesiæ tranquillitas redderetur; nisi malignitas & potentia Jesuitarum obstitissent. Non est, quòd hæc refutem Willelme; cum errores manifesti sint, quos vel indicasse & exposuisse apud Catholicos, idoneæ refutationis loco est. Semi-horam dumtaxat postulas ad terminandam litem? Bipedum nequissime! quot, non dicam, horas, sed annos, in hoc opere posuistis? quantam librorum vim edidistis? qua industria, quot sumptibus, qua fraude, quot intercessionibus, Jansenianam causam defendistis? quàm multa scripto & verbo tradidistis, Romæ, Parisiis? uno verbo, quid non tentastis ad Jansenianam Hæresim seminandam, propagandam, promovendam? sed Deus consilia vestra dissipavit; & Spiritus assistens Ecclesiæ hanc pestem avertit. Nec est, quod potentiam Jesuitarum accusetis. Juratem, tantam à vobis non credi, Sed non est malum in civitate, quod Jesuitæ non fecerint. Si Polonia bello flagrat; si tumultuatur Germania; si Belgium ardet; si fervet Anglia; si Jansenii errores damnantur; Jesuitis omnia tribuenda. Quis, cui sanum synciput, cachionis temperet?

DISQUISITIO SECUNDA.

NUllos esse in Ecclesia hæreticos; nullum Jansenii sensum ab Ecclesia damnatum, (e) (licèt anno 1657. scripseris, & 1658. ediderit, ac promulgârit post editam Alexandri VII. Constitutionem) Jansenii doctrinam sanam esse; [cujus assertionis veritatem in prima propositione damnata, demonstrare conatus] immò eidem Jansenio doctrinæ & probitatis laudem ab omnibus etiam adversariis tributi: per summam impudentiam & hæreticam pervicaciam, in hac Disquisitione asseris. Res ista adeò trita est hactenus, atque discussa, ut jàm actum agere nolim. Nihil enim affers, quod defensionem primæ propositionis, quod centies refutatum & obtritum non fuerit. Relegò dumtaxat cautiones, quasi per summa capita, & curtim, ut lupi, errores tuos adnoto.

Primò articulo, dicis, (f) auctoris sensum ex verbis ejus; ac proinde cùm voces illæ, ex quibus prima propositio constat, tam vagos habeant significatus; adeòque ambiguitatis errores, ad certam notionem figendas fuisse; exemplo Geometrarum, qui terminos primis definiunt. Cur, amabò, crambem recoctam iterum regeris? diversos illos sensus, vestris columnis affixos, sæpè ac sæpiùs obtrusistis; & obtulistis Innocentio X. antequam propositiones vestras damnaret: immò hic columnas vestras Decreto suo disjecit. Quid igitur inimici Judicis sententiæ non acquiescitis? Laudo Geometrarum morem in definiendis nominibus. Recte audio, te non mediocrem Geometram esse, quanquam hac parte nullum hactenus specimen ediderit. *Geometrizare* debueras, Momalci, Wendrocki (nam quoumque tandem te nomine appellem, nihil refert,) non res Theologizare: ne sutor ultrà crepidam. Tum sanationes subnectis, quibus illæ voces primæ propositionis subjacent. Egregiùs profectò nomenclatoras inimus Theologus, & apertus hæreticus.

Articulo secundo, constitutis (g) notionibus singularum vocum; ut deinde exiis, verum, germanum Jansenii sensum, in sequenti articulo eruas. Sed in multis peccatis hallucinaris. Est enim hæc prima propositio sensus: *Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.* Illud ipsum de omnibus non vis intelligi. Neque revera intelligi debet. Quis, vel Logicus, nescit, propositionem, ut vocant, indefinitam, in materia contingenti esse particularem? Vis deinde, illud *conantibus & volentibus* intelligi de statu per gratiam (esto) eoque imbecilli & invalido ad plenum effectum, id est, ad præceptum servandum. Non tamen, ut dicis, voluntas resistit prædictæ conatui illi prædictæ voluntati, immò, quantum est in se, tantum præceptum servare. Nec etiam gratiæ resistit: non illam quam habet, cui consentit per conatum illum, ad quem ipsa refertur: non alteri, quam non habet. Hinc nimis quantùm ineptias; & rerum istarum ignarus es. Quod autem gratia illa, per quam voluntas conatur, (h) gratia sufficiens Thomistica; dici non potest: cùm revera sit efficax ad istum conatum, & insufficiens ad plenum mandati Divini observationem. Quod dicis, gratiam sufficientem Molinisticam illam esse, præter quam nihil aliud est necessarium, ut homo actu velit, & operetur: à veritate alienum est: cùm sit illa, præter quam nihil

aliud

(a) *Pag.* 523. (b) *Pag.* 525. (c) *Pag.* 224. (d) *Pag.* 225. (e) *Pag.* 226. (f) *Pag.* 527. (g) *Pag.* 529. (h) *Pag.* 530.

illud est necessarium, ut homo proximè possit velle, mandatum servare.

Illud impossibilia, significare vis, (*a*) deesse sufficientem & proximam potestatem servandi mandatum. Facilè annuo. Illud *præsentes vires* intelligis (*b*) de viribus quas justi habent in eo statu, quo invalidè tentantur. Esto. Illud *deest* satis notum, inquis; quia hominis *gratia* sine illius peccato subtrahi nequit. De hoc autem hoc loco non agitur, quæ justis non deest: sed de actuali; non de illâ, ex quâ prædictus conatus procedit, quia hæc etiam non deest; igitur de illa, quæ deest in actu primo; quæque si adesset, potestatem sufficientem & proximam constitueret: sed hæc non subtrahitur per peccatum, quod in actu primo nondum esse censetur. Video; quid tibi velis: subtrahitur, inquis, in pœnam peccati originalis. Hoc te limiam esse probas. Igitur etiam peccatur in eo, quod necessariò fit, si hæc necessitas à primò illo peccato profecta est. His sunt errores vestri. Deinde illud *gratia* significat efficacem. Ridiculè: agitur hic de primo, de *posse* proximo; igitur de gratia sufficiente.

Inde sic concipis istam propositionem articulo decimo: (*c*) *Aliqua Dei præcepta quibusdam hominibus justis conantibus & volentibus per gratiam* (rectè hucusque) *sufficientem* (esto) *Thomistico sensu sufficientem, sed ei resistentibus & infideliter volentibus* (ridicule: illa gratia dicitur efficax in ordine ad proprium effectum, qui est consensus ille; necà Thomistis pro sufficiente habetur, si illi voluntas resistit, ut dixi; & ille infideliter voluit, qui vult, quod potest) *non sunt possibilia, ea potestate qui nihil deest*, (scilicet in actu primo: optimè, & omninò juxta mentem Jansenii) *deest quoque illis efficax agendi* (non illa tantùm, verùm etiam sufficiens) *qua possibilia fiant, ea potestate, quæ complectitur omnia ad agendum necessaria.* Non agitur de necessariis ad agendum, sed de prærequisitis ad agendum; quibus potestas illa proxima completur: nec in alio sensu, damnata est illa propositio, nisi quia peccanti & mandatum violanti, potestatem proximam & completam non peccandi, seu non violandi mandatum negat. Et verò damnari non potuit Jansenius, si quod dixerit, actu peccanti gratiam efficacem deesse; quis enim hoc negat? igitur eò quòd dixerit, actu peccanti gratiam sufficientem & potestatem proximam non peccandi revera deesse. Nec te pudet, tam clarà, tam ineptè cavillari?

Quinquesenius Jansenii duo complectitur, ut tu etiam fateris. Primum est, quòd peccanti desit gratia efficax. De hoc non est quæstio; quia nemo dissentit. Alterum est, deesse gratiam plenè ac verè sufficientem, & completam ac proximam potestatem non peccandi. Ad primum restringis Romanam censuram, in quo revera hallucinaris, cùm in alterum cadas. Erras etiam in eo, quod dicis articulo 4. (*d*) sensum Jansenii in hac Propositione non esse proprium, sed improprium. Nam propriè significat hæc Propositio, quibusdam justis volentibus & conantibus per gratiam, deesse potestatem proximam, & gratiam plenè sufficientem ad servanda aliqua Dei præcepta. Quis non videt, hunc esse proprium hujus Propositionis sensum? At cuncta hæc Jansenius admittit. Error in Jansenii sensu, id est, in eo, quem admittit, Propositio damnata est. Dubito, inquies. Sed illum profectò dubium, tum rei perspicuitas, tum facilitas judicium relinquunt.

Soles, multos fallos sensus hæreticos affictos esse dicentio; (*e*) & primò quidem, sensum Calvini, qui volebat, Dei præcepta semper esse impossibilia omnibus justis. Somnias Willelme: omnes Calvini errores Jansenio Jesuitæ non imputarunt, sed aliquos. De illo tamen, quem dixi, negari non potest. Negavit enim Calvinus, justo præceptum violanti adesse potestatem proximam non violandi; & gratiam illam plenè sufficientem; quam monstrosam & chimæricam Calvinus æquè ac Jansenius appellavit. Nemo etiam, negat, gratiam Calvinianam eandem esse ac Jansenianam. Gratia Calviniana, inquis, destruit libertatem, non Janseniana. Utraque, mi homo, destruit in actu primo indifferentiam, utraque conciliat necessitatem antecedentem. Undè Calvinus, longè peritior Dialecticus, libertatem destrui rectè intulit. Voluit autem Jansenius prædictam necessitatem libertati minimè repugnare. Unum errorem Calvinus admisit, scilicet contra Fidem; duos Jansenius; alterum contra Fidem, alterum contra rationis lumen. Dicis, hanc esse inauditam Calvini sententiam, fictitiam, fabulosam, ex Jesuitarum cerebro natam. Sed ut video, longè adhuc turpiùs cæcutis. Si enim Calvinus voluit, præcepta Dei esse impossibilia omnibus; igitur multò magis aliquibus: si semper; igitur potiore jure aliquando. Quis ex universali particulare non deducat? Et hoc fabulam Jesuiticam vocas. Tuæ sanè factioni malè consulis, quam pertinacium hæreticorum esse hactenus creditum est; hominum tamen; quanquam humanitatis aliquando expertiũ. At modò periculum est, ne quis bestiarum esse dicat, qui te sic delirare intelligat, ac cæcutire.

Deinde Jansenio affingitur, inquis, quasi dicat, justis conantibus & volentibus fideliter, præcepta Dei impossibilia; (*f*) cum tamen eos intelligat, qui à gratiæ suavitate dissentiunt. Cujus, amabò, gratiæ? non illius quæ deest; ut patet. Nemo enim resistit hosti, nisi reipsâ sit: alioquin cum chimæris & hircocervis pugnaret. Igitur gratiæ quæ adest, id est, imperfectæ illi, quæ ad conandum impellit. At conantur juxta mensuram gratiæ, quam habent: neque hæc gratia seorsim sumpta ab aliâ efficaci, alium effectum habere potest. (*g*) Annatinum sensum mox refellis; ac dicis primò, homines transgredi præcepta, sed non ex defectu gratiæ; nam defectus gratiæ efficacis non est causa peccati. Imponis Annato, nequam: dicit enim Annatus, in Jansenii sensu, impotentiam servandi præcepta esse ex defectu gratiæ; scilicet plenè sufficientis, quæ *posse* proximum conferat. Negas hoc. Undè igitur est? à voluntate, inquis. O ignorantiæ monstrum! quòd præceptum transgrediantur, à voluntate est: quòd verò non possint præceptum servare, à voluntate esse nequit. Nempè illa potestas proxima constituitur, per gratiam in actu primo consideratam; & per ipsam voluntatem, instructam de reliquo debitâ cognitione, cæterisque prærequisitis. Igitur quamdiù voluntas ipsa existit, non stat per voluntatem, quo minùs sit potestas proxima; sed per gratiam ipsam, quæ per te plenè sufficiens non est. Igitur ridiculum est, quòd dicis, impossibilitatem illam à voluntate proficisci. Quod autem dicis, omnes Thomistas huic potestati proximæ refragari; falsissimum est. Equidem illi suo modò explicant; non tamen illam potestatem negant, ut fatetur ultrò Montaltius Epist. 2. Illud porrò *conantibus* non negat Annatus extendi posse ad plenum illius gratiæ, per quam conantur, effectum.

Sed quæso te, quomodò excusas Jansenii mentem, juxta quam, etiamsi adsint cætera adjutoria, (*h*) nihilo magis homines bonum velle possunt, quàm cæcus

a Pag. 531. b Pag. 532. c Pag. 533. d Pag. 534. e Pag. 535.
f Pag. 536. g Pag. 537. h Pag. 538.

cæcus videre, claudus currere, beatus peccare, si gratia efficax absit? quod de actu secundo, non de primo dictum esse contendis: nam cæcus, inquis, caret internâ videndi facultate. At si similiter, qui caret gratiâ plenè sufficiente, & potestate proximâ, caret internâ agendi facultate, id est, non habet potentiam completam agendi. Innuis comparandum potius esse cum homine, qui est in tenebris. Quod revera falsum est: quia tunc oculus habet omnia, quæ ex parte potentiæ se tenent, & deest tantummodò affectio, (a) quæ ab objecto per lumen, vel cum lumine profecta, organo potentiæ imprimitur: sed esto, demus, ita esse. Quis neget, oculum sine lumine videre non posse? pari modo, quis neget voluntatem, sine gratia plenè sufficiente, non posse agere? erravit in hoc Jansenius, ac proinde ab Ecclesia damnatus est. Quod nemo Catholicus negat. Tu verò, dum errorem excusas, errores multiplicas. Vis Thomisticè locutum esse. At Thomistæ Jansenii doctrinam non admittunt, sed anathematizant. Et tam malè distinguis actum primum à secundo, ut rem minùs intelligere videaris. Dicis, otiosorum hominum esse, (b) disputare de illâ potentiâ benè agendi in actu primo consideratâ. Sed eam negare, hæretici est. Illam porrò locas in summo gradu. Utinam in debito: in quo scilicet sit plenè sufficiens, proxima, & completa. Vis, nunquam in actum prodire sine gratia efficaci. Oprimè: quis hoc negat? si enim in actum prodeat; illa eadem, quæ in actu primo conferebat *posse*, confert deinde agere in secundo, & dicitur efficax: si verò non prodeat; indè sufficiens tantùm dicitur. Sed hæc centies explanata sunt. Nec, ut dicis, gratia habitualis sine actuali constituit potentiam proximam servandi præcepta. Nec Jansenius actum primum satis distinxit ab actu secundo. Nempè, cùm gratia illa efficax, sit causa; quis non videt, ad actum primum pertinere, sed cum infallibili respectu ad secundum? Nec tantùm unum recenset discrimen inter suam & Thomisticam sententiam de divina gratia: nec eum Thomistæ in Thomistarum album adscribunt; quia Jansenianam gratiam à Calvinianâ nullatenùs differre vident.

Fateor, vocem illam *deest* à Jansenio (c) ita usurpatam esse, ut gratiam deesse voluerit, sine ullo peccato, etiam originali. Nempè hominem in statu naturæ integræ plenâ libertate gaudentem, alio adjutorio non indigere affirmat. In quo se Pelagianum probat. At in naturâ lapsâ, inquit, indiget quidem gratiâ ut habeat potestatem proximam agendi; caret tamen in pœnam peccati originalis; & hoc non obstante, ipsi imputatur, quod malè agat; licèt non habuerit omnia necessaria, ex quibus posset non malè agere. Quod Calvinianum est. Igitur, quidquid obgannias, Jansenius vult, aliquando deesse quibusdam justis gratiam plenè sufficientem, & potentiam proximam servandi præcepta. Quod sub nectis de gratia orandi, (d) ambiguum est. Certum enim est, sæpè hominem non orare, cum tamen orare deberet. Vel igitur tunc habet gratiam plenè sufficientem orandi; (negabis opinor, quia istam gratiam non admittitis:) vel non habet: at cur iis succenses, qui hoc Jansenio exprobrant? Argumentum verò illud rancidum, quo Jansenius ad nauseam probare conatur, deesse gratiam servandi præcepta, ex eo, quòd illam à Deo flagitemus; centies solutum est. Nempè eam sæpè Deus hac dumtaxat lege dare statuit, ut priùs petamus; petendi verò gratiam ultrò ipse dat, ne res procedat in infinitum. Deinde petimus uberiores & potentiores gratias, quibus nostri cordis duritiem subigatur; petimus illas, quæ agendi facilitatem concilient; petimus illas quas Deus efficaces fore prævidit. Vides quàm miserè vestrum illud corruat argumentum?

Concludis denique, (e) intolerabile jugum vestris imponi, quo Theologorum fides opprimitur, conscientia vexatur. Quid porrò illud est? ut scilicet Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VII. admittatis, agnoscatisque, errasse Jansenium, & quinque propositiones in ejus sensu damnatas esse. Sed, inquis, quid hoc ad Fidem? Nonne benè dixerim, quia Samaritanus, quia hæreticus es tu? Sed assignetur, inquis, Jansenianus ille sensus. Quoties assignatus fuit? Ille est, quem ipsa propositio præfert, & quem verba sonant. Nec enim alius mos fuit in Ecclesiâ, damnandi propositiones. Hic etiam ludis, nebulo, in re tam seriâ. Cùm sint, inquis, septem sensus, si quem eligam ex septem, sex ex illis intentos habebo. Pergis deinde in jocis impiis, seu verisimiliphemiis. Jansenius, inquis, in genere dumtaxat erravit: at quid sit error in abstracto, & in genere, dici non potest: genus enim sine ulla specie esse non posse, Logici docent. Quàm frigide! quàm ridicule! quasi verò Ecclesia propositiones speciales Jansenii non notarit. Subnectis tamen, illam in horrendam perturbationem & caliginem, dum certorum hominum studiis indulget, præcipitatam fuisse. Quid pejus à Calvino, vel Luthero exspectare posset? quæ unquam vox magis hæretica? caliginem, errorem, perturbationem exprobras Ecclesiæ? Doles, (f) à Jesuitis procuratum esse, ne tota hæc causa, auditoque trimque partibus, præcisis nominum quæstionibus, constitutis dissensionis *capitis* (capitibus dicere voluisti) in legitimo judicio disceptaretur. Sed quibus, amabò, scribitis, Errones famosi? an Scythis & Laponibus? quis enim Europæus nescit, concessum vobis fuisse, ut verbo & scripto causam quinque Propositionum usque ad nauseam defenderetis? nullisne industriæ pepercistis, nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis intercessionibus: ineptias vestras centies inculcastis. Præterea, de quo legitimo judicio intelligitis? quid de Sanctâ Sede teneatis, omnibus compertum est. Cuncta hæc unicâ responsione facilè diluam, si dicam quod res est; scilicet, vos puros putos hæreticos esse.

(c) *Pag.* 543. (f) *Pag.* 544.

DISQUISITIO TERTIA.

Hæc Disquisitio Annatum præsertim periphrasis est, ad quam responsio ad ipsum spectat; quanquam hæc usque ad satietatem, Jansenistæ hæretici obtruserint. Ego cursim, ne quid omittam, vestigia tua relegam, personate Paule; aut, si vis, Willelme Wendrocki; aut, fortè meliùs, Ludovice Montane quemcumque enim istorum compellavero, petitur est: propono mihi quoddam Jansenismi individuum vagum. Paragrapho 2. dicis, (g) voces vestras, ut ad Episcopos, nec ad Summum Pontificem, aspirare, cùm id Jesuitæ præpediant. Sic accusas Romanum Pontificem, quòd vos inauditos per summam injustitiam damnarit. De Episcopis ab re conqueritur: multos enim habes vestris partibus nimis addictos, Senonensis, & Convenarum, tibi alios indicabunt.

Paragrapho 3. tuos Jansenistas, Augustinianos vocas, (h) scilicèt Iprenses: quos ab errore, hoc tuo argumen-

(a) *Pag.* 538. (b) *Pag.* 539. (c) *Pag.* 541. (d) *Pag.* 542.

(g) *Pag.* 545. (h) *Pag.* 546.

gumento, vindicas. Gratiæ efficacis dogma ad omnibonos actus necessariæ, Catholicum est: at Jansenii nihil aliud in quinque Propositionibus addunt: igitur nullum dogma quod non sit Catholicum, adstruunt. Tum addis, ad fidem non pertinere, utrùm Jansenii sensus damnari queat: saltem illum damnari non posse, quem Jansenii esse tenetis. Id dem non pertinet? Ain'? hoc tamen Alexander VII. *declaravit & definivit*, & Jansenii sensum damnavit. Ulti credendum, Alexandro, an tibi? Sed ad argumentum quis facilè non respondeat, in quo omnia, quæ assumuntur, falsa sunt? *Dogma gratiæ efficacis* [illegible] *Catholicum est*, Calvinianæ & Jansenianæ; nam una eademque est: nego hanc majorem. *In quinque Propositionibus Jansenianis tantùm adstruunt gratiam efficacem*: nego minorem. Nam in illis agitur de plenè sufficiente, quam negatis; de libertate, quam destruitis; de communi omnium redemptione, quam irridetis. Egregium sanè argumentum; cujus utraque præmissa falsa est.

Addis, contra Annatum; (*a*) à vobis negari, necessitatem imponi à gratiâ vestrâ efficaci; ac proinde Calvinianam non esse. Gratulor: Jansenio valedicito. Nihil enim à Jansenio tam inculcatum, quàm libertatem soli coactioni opponi. Hinc *velle, & liberè velle, item sunt*, tom. 3. lib. 6. cap. 4. item *nihil aliud libertas negat, quàm necessitatis violentia*, cap. 12. item *sola violenta coactionis adimit libertatem, non simplex necessitas*: quò item *eò gratia non tollit liberum arbitrium, quia non fit cogitur*, lib. 8. cap. 19. item *nulla necessitas absolutè formidanda est, sed sola vis coactionis*, cap. 21. item *libertatem solam excludit coactionis necessitatem, & sola coactiva necessitas libertati voluntati repugnat*, cap. 38. videsis, ut à Magistro & Patriarcha vestro discesserit? sed vereor, ut sincerè loquaris. Exspecto patrem.

Paragrapho 8. (*b*) Fateris remanere cum gratiâ efficiendi potestatem, scilicet in actu primo: sed, inquam, & proximam? non puto. Adjungis enim, eamdem esse gratiæ prædeterminantis, ut physicè & indubitabiliter efficiat, non ut voluntas dissentire non possit, sed ut nolit. Citas in hanc rem Alvarez locum. Sed jam te monui sæpè ac sæpiùs: Thomistæ vestri suis minimè agnoscunt. Præterea gratia illa tantùm primo consideratur, in quo nondum censetur esse prædeterminatio, quam actui dumtaxat secundo Thomistæ recentiores affigunt. quare gratiam illam prædeterminantè & necessitantem in actu primo, vobis ultrò & Calvino relinquunt. Denique illa gratia prædeterminans in actu primo, necessariò, non facit, ut voluntas consentiat in actu secundo, ac proinde dissentire nolit: at, si necessariò; igitur voluntas, quæ necessariò dissentire non vult, non habet plenam & proximam potestatem volendi dissentire. Frustra citas Petavium, quasi causæ vestræ patronum, cujus hostem acerrimum habuistis. Præterea gratiam plenè sufficientem ab efficaci distinctam nego, & frustrà ad Thomistarum asylum confugitis; in quo hæreticis, quales vos estis, locus non est. Quæ de hoc argumento jam supra actum est, nihil ulterius dum puto.

Demò asseris Paragrapho 10. (*c*) & 11. gratiæ efficacis necessitatem. Sed jam responsum est: Calvinianæ nego, Catholicæ concedo: at Jansenianæ cum Augustiana consentit. Deinde: gratia efficax est necessaria ad actum primum completum, id est, ad hoc, ut voluntas possit; nego: ad actum secundum, id est, ad hoc, ut re ipsa agat, concedo. Non hæreo in explicandis Thomistarum locis à te adductis (*d*): hoc unum dixisse satis; vos à Thomistis repelli, ut jam sæpè dictum: præterquàm quòd, hanc controversiam de auxiliis Thomistas inter & Jesuitas vertentem, agitare non licet; quia expressè per Pontificia Decreta prohibitum. Erras tamen in eo, quòd dicis, (*e*) nullam esse in Ecclesiâ de causâ Jansenii certam controversiam, nullamque certam hæresim. Quod certè maximè, si quid aliud, Constitutionibus Innocentii, & Alexandri, repugnat. Versas iterùm eandem molam paragrapho 12, ac dicis, Calvini sensum de divina gratia damnari à vestris, ac proinde vos hæreticos non esse. Defenditis tamen Jansenii quinque Propositiones in ejus sensu; quamvis in eo ab Ecclesia damnatas: & nihil prorsus de Calviniana gratiâ dicitur, quod de Jansenianâ dici non possit. Non est igitur, quòd Annatus, quòd ullus Catholicus vereatur, vos pro hæreticis habere; cùm Ecclesiæ judicio in re fidei stare nolitis. Non est quòd Augustini, Iprensis videlicet, discipulorum errores dissimulet; & religioni ducat, servos illos, non Dei, ut dicis, sed diaboli, cui omnes hæretici manciparunt sese, refutatis eorum erroribus, infamare. Vilissimis quæstiunculis, (quinque propositiones intelligis,) turbatam ais fidelium pacem; delusam summi Pontificis æquitatem; ejusdem fures, heu nimiùm credulas, innumeris quotidiè mendaciis oneratas. O quàm Catholice! Judæos imitaris, Willelme, qui genu flexo Christum adorare simulantes, ejus sacrum os conspuebant. Textus glossâ non indiget: quot verba, tot blasphemiæ. Idem urges paragrapho 13. (*f*) contendisque, Jansenianum sensum damnatum non esse, quia Thomisticus est, non Calvinianus. Sed clamat Ecclesia, damnatum esse: Thomisticus autem damnatus non fuit. Dico à vobis negari sensum Calvinianum; scilicet, nullam dari gratiam verè ac plenè sufficientem in actu primo ab efficaci distinctam; & gratiam efficacem per se in actu primo necessitatem antecedentem voluntati conciliare. Hæc negare simulas, non tamen re ipsâ negas.

Hinc Annatum, *Dialecticum senem* vocas (*g*); & in eo *puerile argumentationis vitium* castigas. Os infrunitum! doctissimum Theologum, gravissimum auctorem, virum religiosissimũ, quem optimi quique verentur, sic petulanter excipere non dubitas? vereri saltem debueras sacrum illud munus, quo tantâ moderatione defungitur. Hominem immortali odio prosequeris, qui vestros errores eruditè & accuratè refutavit. Sed, inquis, quidâ sibi persuaserunt, Jansenii sensum circa quinque Propositiones, nihil à vulgari Thomistarum doctrinâ dissidere. At Ecclesia, damnato Jansenii sensu, secùs definivit. Illi ergò Ecclesiæ definitionem, in re fidei, non admittunt: quis ergo Catholicos dicat? Sed P. Palavicinus, inquis, in manuscriptis asserit, idem cum Thomistis sentire Jansenium. Manuscripta citas; sed quo animo, satis intelligo. Quo anno tradita? millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto. Quo verò quinque Propositiones damnatæ? millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio. Quo Jansenii sensus? millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Quid ergo ad rem manuscripta illa? quæ non modò fidem non faciunt, (quis enim ad libitum fingere non possit?) sed diu ante Constitutionem Innocentii, te attestante, scripta fuêre, & totis 12 annis præcesserunt Declarationem Alexandri, quâ hic Jansenianum sensum damnavit. Standũ igitur Constitutionibus; non verò dubiis manuscriptis. Rei veritatem discutere non vacat. Sed dato, non concesso; quid inde, cùm per Constitutiones Apostolicas contrarium

(a) *Pag.* 547. (b) *Pag.* 549. (c) *Pag.* 549.

(d) *Pag.* 550. (e) *Pag.* 551. (f) *Pag.* 552. (g) *Pag.* 553.

trarium habeatur ? porrò in suffragiis P. Palavicini, etiam prout à te referuntur, non invenio, quod dicis, Jansenii sensum ab illo dictum fuisse erroneum, quia Thomisticum. Impostor nequam, quâ fronte igitur hæc scribis, cùm pauca folia revoluta te manifestæ impostoræ arguant ? Quod addis de suffragio ejusdem propitio quartæ propositioni; infrà refellam.

Paragrapho 14. eadem repetis (*a*) de gratiâ plenè sufficiente, quæ scilicet proximam potentiam conferat in actu primo, hæc enim non Molinæ modò, sed omnium Catholicorum est, ac proinde Thomistarum; quidquid iis perperàm affingatis. Hancautem Jansenius negat, ut fateris ultrò; in quo manifestus error ab Ecclesia damnatus. Igitur non Molinæ, ut dicis, sed Jansenii venenum timendum est. Quod dicis, legitimum Honorii sensum à Sextâ Synodo damnatum esse; (*b*) hæretici & schismatici hominis est. Hunc locum toties versas, ut grave & horrendum scandalum sit. Sed jam suprà de Honorio dictum satis. Cavillaris deinde, & tuum illum gratiæ efficacis sensum semper obtrudis. (*c*) Quasi verò in gratiâ efficaci vestrâ non erretis, quæ Calvinianæ consentit; item in plenè ac verè sufficiente, quam omnes Catholici admittunt, quam tamen huc usque negastis; item in libertate, quam uni dumtaxat coactioni opponitis. Subnectis deinde Paragrapho 16. varias propositiones, seu propositionum formulas; ac postulas ab Annato, (*d*) ut eas expressè damnari curet. Procura tu ipse: nihil ad Annatum: cui satis fuit, quinque propositiones, ut Jansenii, & in Jansenii sensu fuisse damnatas; ac proinde eum sensum, quem præferunt, Jansenianum esse; igitur erroneum. Non est de reliquo, quod Annatus curet. Si quæstionem & antiquam controversiam de Auxiliis, quæ vertitur Thomistas inter & Jesuitas, ab Ecclesia definiri tantopere cupias; procura, quantùm libet: rem ingratam mihi non facies. Cæterùm polliceor fore, ut meliore quam tu exemplo, definitionibus Apostolicis Jesuitæ perpetuò adhæreant, quidquid tandem dehniatur.

Paragrapho 17. declamas contra Jesuitas, quorum potentia, inquis, (*e*) Jansenianos apud Rom. Pontificem, cujus gratiâ abutuntur, suspectos reddidit. Quidquid igitur ab Episcopis Galliæ 80. qui Innotium X. consuluerunt; quidquid ab institutâ Congregatione pro 5. propositionibus discutiendis; quidquid à tribus Rom. Pontificibus, qui tot Bullas, tot Brevia, & Decreta super hâc causâ ediderunt; quidquid totâ Europâ dictum, scriptum, factum, in eâ, quæ tunc erat, controversiâ, id totum Jesuitarum gratiæ & potentiæ datum est. Extortæ igitur per fraudem Constitutiones Apostolicæ; extorta Decreta & Brevia. Cuncta hæc quasi bruta fulmina neminem feriunt: doctrina Jansenii & discipulorum integra, sana, Catholica manet, ac in æternum manebit. Sic Bullas Pontificias recipitis? sic Catholici haberi vultis? hoc reverà nugari est; fallor, petulcum potiùs agere sycophantam. Tum Paragraphis 19. & 20. (*f*) duo loca Jansenii adducis ex tom. 3. lib. 8. cap. 20. & 21. in quibus reverà tortuosus coluber impunè ludit. Licèt enim Calvinum respuere videatur, quòd is neget, in homine mali bonique electionem esse; item nostræ electionis esse, divinæ motioni obtemperare, aut refragari; item in nostra potestate esse, benè vel malè agere, &c. ibidem tamen expressè asserit, solam coactionis necessitatem libertati repugnare, quamlibet aliam non repugnare. Hinc, cùm nulla actio voluntaria sit coacta, omnis actio voluntaria est Jansenio libera. Calvinus hoc glutire non potuit: necessitatem quidem à voluntâ illatam admisit; cum eâ tamen libertatem componere non potuit. Utrumque valentiore stomacho Jansenius concoxit; qui verbis quidem à Calvino re tamen ipsâ cum eodem consensit. Sed curin hæreo, quæ sæpè ac sæpiùs discussa sunt & demonstrata? præsertim, cùm obstinatio Jansenii ana convinci quidem possit, non tamen vinci: demonstrationes verò frangi. Thomistis & Tridentino Jansenium consentire dicis: (*g*) Alvaris locum in hanc rem adducis paragrapho 21. Discutere non vacat, ne jam actum agam: Thomistas quæso interroga: omnes unum Jansenium respuunt: summum Pontificem interroga: Jansenium damnat, Thomistas non damnat. Igitur Jansenius Thomista non est.

Fucum deinde facis, & doctrinæ Jansenianæ adducis, Paragrapho 22. (*h*) Dicis enim, potestatem in actu primo plenissimam esse, & completissimam, ea tamen lege, ut gratia per se efficax non dependeat à scientia Dei. In actu primo, nulla præcise gratia per se efficax est: nempè Thomistæ prædeterminationem suam in actu secundo dumtaxat collocant. Igitur Thomistæ non estis, sed Calvinistæ. Sed Thomista esse; admitte, ut Thomistæ admittunt, prædeterminationem in actu secundo, ratione subjectionis causæ secundæ; idque pro omni genere actuum, pro omni naturæ statu, pro omnibus causis secundis; admitte gratiam sufficientem in actu primo, quæ potentiam proximam conferat: anathemtiza cum Ecclesiâ quinque Propositiones, ut Jansenii, & in Jansenii sensu: si fortè respuis Jesuitarum sententiam de divinâ gratiâ, ne tamen illam errorem facilè damnes. Hac lege Thomista germanus esto, nec quisquam tibi negotium facesset. Sed sensa hæc tibi Tuisque non placent: solo prætextis nomine fraudem & sub Thomistarum larvâ, ac veluti mustis ovium, luporum rapacitatem, errorumque foetatem, frustrà licèt, obtegitis.

Paragrapho 23. Quæstionem facti *infrugiferam*, & invidiosam iterùm (*i*) vocas. Illam tamen Ecclesia definivit; cui parendum. Loca ab Annato ex Jansenio adducta, quibus damnatæ Propositiones continentur; adeò plana sunt, ut nullum dubio locum relinquant. Vel unum Augustini locum ab Annato, ut dicis, mutilatum & fœdè corruptum, appellare debueras, ut tua calumnia meliùs pateret. Annatum artem illam adulterandi Patrum & auctorum loca, quâ mirificè valetis, vobis relinquit. Lessii doctrina (*k*) quâ Lovanienses notarant, auctoritate Pontificis sana declarata est: Annatus rem narravit, ut debuit. Paragrapho 24. eundem sugillas, quòd promissis non steterit. Quid porrò promisit? lex Jansenio quinque Propositiones damnatas excerpturum. Et quis mente sanus neget, ab eo præstitum fuisse? Doles præterea paragrapho 25. illas Jansenii vobis expressas, Summo Pontifici oblatas non fuisse. Erras Willelme: ipse Annati indiculus, rumpitur mendacii te convincit. Sed esto, Annatus promissis non steterit, quod tamen falsissimum esse ex non nonis videt, Ecclesia definivit esse Jansenii. At parendum Ecclesiæ: quisquis *Ecclesiam non audit*, est mihi sicut *Ethnicus & Publicanus*. Nec est, quòd volam cas-

(a) *Pag.* 554. (b) *Pag.* 555. (c) *Pag.* 556. (d) *Pag.* 557. (e) *Pag.* 558. (f) *Pag.* 560. (g) *Pag.* 561. (h) *Pag.* 562. (i) *Pag.* 563. (k) *Pag* 564.

Theologorum Romanorum,

In causa quinque Propositionum, suffragia, ex quibus verus Constitutionis sensus innotescit. (c)

AB hoc ultimo initium duco. Nam Pontificiæ Constitutionis sensus ex verbis ejusdem habetur, non verò ex suffragiis Consultorum : nec ipsi Consultores infallibilitatis prærogativam habent, quâ Rom. Pontifex gaudet ; cùm, scilicet, in doctrinâ morum & Fidei, ex Cathedrâ aliquid omnibus Christi-fidelibus proponit. Hinc licèt Consultores malè sentirent, erroris tamen vitium in Constitutionem Pontificiam minimè refunderetur. Hæc suffragia, seu vota jam antè à vobis edita, ab Ecclesiâ reprobata & damnata fuisse, ac reposita inter apocrypha, minimè ignoras ; immò eodem Pontificio Decreto, quo tuæ famosæ Litteræ damnantur : autographum etiam illud fictitium & chimericum Clementis VIII. alio Decreto cum vestris libris, damnatum est. Quâ fronte igitur hujusmodi Decreta violas ? fronte, inquam, plusquàm meretriciâ & hæreticâ. Fateris Rom. Pontificem declarasse, fide indigna esse : cur igitur ea publicas, si nullâ iis fides habenda est ? sed quid tandem aliquando publicasti, quod erroribus, calumniis, & mendaciis non scateat ? quod Decretis Pontificiis, sacris Fidei dogmatis, divinis humanisque legibus contrarium esse non constet ? Sed rem hanc breviter expedio : & quidem ante omnia, constanter assero, illa vota, seu suffragia esse omninò apocrypha, immò spuria, falsa, conficta, & Romanis Theologis afficta. Sed, inquis, produco testes. Unum appellas Ill.mum Montis Pelluli Episcopum : aliorum, qui ex manuscripto Romano illa excerpserunt, nomina retices. Esto ; demus, excerpta fuisse ex Romano aliquo manuscripto : contendo, hoc spurium & fictum fuisse. Quis nescit, Romæ singulis hebdomadis, non obstante legum pœnarumque timore, multa hujusmodi manuscripta clàm in vulgus spargi ? Quis nescit, Regestum Sacræ Congregationis, quæ rebus Fidei præest, verum esse manuscriptum, ex quo exscribi dumtaxat potuerunt ? at, quis nescit, cautum esse gravissimis pœnis, atque censuris, ne hujusmodi scripta cuiquam communicentur ? Sed inquies, pecunia multa extorquet. Sed vis fidem habeam iis hominibus, qui amore pecuniæ, Deo, & Rom. Pontifici, fidem suam non servant, & in gravissimas censuras incurrere non dubitant ? Sed quid disputare juvat ; cùm Ecclesia suffragia illa, ut apocrypha, & spuria proscripserit ac prohibuerit ?

Hinc etiam concludo, quàm parum fidei habendum sit pietati vestræ, eique, quo duci dumtaxat vos dicitis, veritatis, Christianæ observantiæ, Ecclesiasticæ disciplinæ studio ; cùm apertâ fronte Decreta Pontificia tam sæpè ac facilè violetis. Sed ut tecum paulò liberaliùs agam ; demus ita esse, ut dicis ; ac nonnullos ex prædictis Theologis quinque illas Propositiones, quas deinde Ecclesia damnavit, suo calculo donasse : quid, amabò, indè concludis ? Jansenium plures Patronos habuisse, à quibus defensus fuit, in quo sanè nullis laboribus, sumptibus, dictis, scriptisque pepercistis. At legitimum judicem habuit,

(c) *A pag. 573. ad finem.*

---

vest, incertas illas esse dicas, (a) quæ ab Annato congestæ sunt. Debueras laudare diligentiam illius Auctoris, de Ecclesiâ benè meriti ; qui plura loca suggerit, quibus eadem propositio continetur. Desultorem denique judicium, Annato auctori gravissimo debitum. Hæc habitudo desultoria histrionibus convenit, qualem te præbes, jure competit.

Necesse est, quod Annato exprobres Paragrapho 26. Propter eò dictum, Jansenianis locis accommodatarum Propositionum significatus. Quasi vera accommodatitio significatu opus sit, ubi expressum & formalem habemus ; ut ab Annato fusè ostendimus, & ex eorum est, allatis collatisque locis. Quod dicis, (b) in Congregatione *de auxiliis*, Molinam Semipelagianum damnatum fuisse ; imponis primùm, tum Decretum Pontificium violas, quo interdictum est, ne quis illarum Congregationum acta citaret. Sed, ut Constitutionibus Apostolicis non pares, quomodò Decretis obtemperabis ? Ecclesia Molinam absolvit, Jansenium damnavit. (c) Paragrapho 27. damnati sensus quinque Propositionum, sex notas inusitatas. Turpissima certè nota, hujusmodi Propositionibus ab Ecclesiâ inusta est. Quid alias notas addere, cùm prima illa optimè quadret ? Vis autem illas à Pontifice indicatas fuisse : declararunt Episcopi, quibus illum sensum esse proprium & legitimum, Augustiniano contrarium, à Baio & Jansenio traditum. Sed hic Jansenianis Propositionibus convenit ; quæ revera damnatæ sunt, in proprio, scilicet, Jansenismo. Deinde constat ex Decreto Innocentii, Thomistas non esse damnatos. Rectè : igitur Jansenistæ, qui damnati fuerunt, Thomistæ non sunt. Item Innocentius declaravit, gratiam efficacem in sensu Thomistico acceptam non fuisse damnatam : nemo Catholicus id non admittat : sed efficax vestra, Thomistica non est, sed Calviniana. Denique vis, à multis Theologis sensum illum defendi. De Jansenistis facilè crediderim : Catholicis falsò impones.

(a) Concludis demùm, ut Thrasonicè in Annatum insultes, quem impudentissimè ad novam pugnam provocas, utpotè, qui de hoc argumento jejunè scripserit, magisque ad rudem imperitorum levitatem, quàm ad eruditorum judicium. Insanum catalogum Annatus, qui tam multa de hoc agumento scripsit, edidit, (octo saltem libros appellare possem, quibus doctissimè pro more, rem hanc vestram discussit) jejunè scripsit ; Sub finem iterùm errores congeris. Negas enim, ullam hæresim esse, ullorum fautores, ullum Jansenii sensum satis damnatum : asseris frustra esse tot Bullas atque Decreta ; fictæ hæreseos larvâ Ecclesiam jactari ; videri inevitabile, esse quandam hæresim, quæ nec ambiguis, nec perspicuis verbis exprimi queat ; quam ignorent, qui accusant, & qui accusantur. Sic ludis Annatum, (quid Annatum dico ?) Innocentium, Alexandrum Ecclesiam. O tempora ! ô mores ! & vis hanc Catholicus ? Hypocrita, non te pudet ? nulla unquam tam vesana petulantia fuit, nusquam tam effrena audacia. nec Deum times : nec audis Ecclesiam : nec Rom. Pontificem vereris. Erit fortè, qui pœnas aliquando à te repetat : ego cursim recognoscendas indico. Sed jam supremam coronidem imponamus.

* *
*

(a) Pag. 565. (b) Pag 566. (c) Pag 567. & 568. (d) Pag 569. & 570.

buit, errare nescium, Spiritus sancti *assistentiâ*, ut vocant, instructum, de re totâ certiorem factum: à quo Jansenius ritè damnatus est. Parum est, Willelme, Patronos fuisse, si Judex deindè puniat; parum est defendi, si defensio non sufficiat. Nescis, Theologos illos homines fuisse erroribus obnoxios? quid mirum, si aliqui errarint? quod tamen non damus. At Rom. Pontifex errare non potest, dum saltem ex Cathedrâ in doctrinâ morum & Fidei toti Ecclesiæ aliquid proponit. Sed inquis, (*a*) ex Theologorum suffragiis Constitutionem confecit. Erras Willelme. Equidem controversiam discuti mandatâ Theologis, eorumque suffragia à Cardinalibus iterum discuti jubet: tum ipse omnia per se, aliosque, maturè ponderat. Divinique Spiritus infallibili ductu, deindè pronunciat. Non est igitur, quòd ex suffragiis Theologorum Constitutionem Pontificiam censeas, sed illa potius per Constitutionem corrigenda sunt. Deindè nihil de Cardinalium suffragiis dixisti, alterius que Prælati, qui hujusmodi Congregationibus interfuit. At neminem, inquis, (*b*) tam absurdum futurum putas, ut ex iis Consultorum sententiis, Pontificiæ Constitutionis mentem indagandam esse neget. Non enim, ut omnes Theologi conveniunt, Roman. Pontifex tanquam ex tripode promit oracula, sed humano modo, veritatem inquirens, doctos homines consulens, ex illorum sententia, Fidei dogmata definit. concludis denique nihil absurdius fingi posse, quàm ut Rom. Pontifex tredecim Theologis in consilium adhibitis, id hæreticum pronunciet, quod illorum omnium calculo tanquam orthodoxum comprobatum sit.

Hæc schismatici cujuspiam vox est. Quis enim Catholicus nescit, Constitutionis Pontificiæ mentem ac sensum ex iis, quibus constat formalibus, ut ajunt, verbis indagandum esse, non verò ex Consultorum suffragiis, quæ ut plurimùm varia sunt. Præterea plus quàm ex tripode Rom. Pontifex oracula fundit, sancti Spiritus *assistentia* munitus: & Theologis omnibus injuriam facis, quibus schismaticam illam sententiam affingis. Equidem humano modo veritatem inquirere, doctos homines consulere, & humanam diligentiam adhibere debet: at, quòd ex illorum sententiâ, Fidei dogmata definire debeat, nemo verè Catholicus dicat. Nam, si ita esset; quid opus erat, Romanum Pontificem ab octoginta Galliarum Episcopis de hac re consuli? an ipsis deerant Theologi, ex quorum sententiâ orta controversia facilè componi, ac decidi posset? Falsum est igitur, in doctrinâ morum & Fidei, ex eorum, qui errare possunt, sententiâ, Summum Pontificem pronunciare: sed iis auditis, ac re maturè discussâ, nec non Deo precibus commendatâ, ejus, à quo in his infallibiliter regitur, Spiritus ductu, atque interiore instinctu, sanctum & infallibile promit oraculum, quod ut dogma Fidei omnes Catholici admittunt. Dicam ampliùs: etsi omnium Consultorum vota Pontificiæ definitioni contraria essent, (quod tamen fieri non potest; nam in hoc casu alios Consultores adhiberet:) dato tamen, quòd omnia essent contraria, nemo, nisi hæreticus, nisi schismaticus, nisi Jansenianus, definitionem illam toti Ecclesiæ ex Cathedrâ propositam respueret. Dico præterea: si Rom. Pontifex, qui alioqui doctissimus, & totius controversiæ scientissimus esset, inconsultis Theologis, re tamen apud se maturè discussâ, sententiam pronunciaret, editâ Constitutione; peccaret fortè contra prudentiam; at edita Constitutio, in materiâ scilicet morum & Fidei, ab omnibus Catholicis admittenda esset. Apage igitur schismaticas illas voces, quæ pias & Catholicas aures offendunt; præsertim cùm in eo casu non simus; cùm illa suffragia quæ publicis, sint apocrypha; cùm Cardinalium vota non adduxeris; cùm res eâ diligentiâ discussa fuerit, quâ reverà major excogitari non potest.

Dicis, (*c*) nihil absurdius fingi posse, quàm ut Rom. Pontifex id hæreticum pronunciet, quod Theologi consulti, Catholicum esse censuerunt. Sed, ut hoc primò dicam, etiam juxta tuum sensum, multi ex iis Propositiones damnarunt: primam absolutè quatuor; cum aliquâ restrictione etiam quatuor: totidem ferè secundam: sex absolutè tertiam; duo sub aliquâ restrictione: idem de quarta & quinta dictum sit. Consule tuum librum: nec enim exscribere volo, ne Pontificium Decretum violem. Dico præterea, *moraliter* fieri non posse, ut in argumento controverso omnes Consultores ejusdem sint opinionis; quod etiam in Conciliis Generalibus sæpe accidit. Igitur fieri non potest, quin Summus Pontifex ea damnet, quæ Consultorum aliqui approbarunt. Negas fortè, Roman. Pontificem definire posse controversiam de Auxiliis: fac, subscribat sententiæ Thomistarum, & contrariam ut hæreticam damnet: quot, amabò, Jesuitæ aliique illam defendent, aut Jesuiticam approbet & damnet Thomisticam: quàm multi hanc huc usque propugnarunt? Nihil ego vetat, quin Ecclesia aliquam sententiam damnet, quam multi ante Doctores Catholici, imò & Sanctissimi Patres docuissent. Dicis, Ecclesiam in Pelagii errorem à Jesuitis penè præcipitem actam. Sed Catholicum non sapit sic pro viribus enti vilescere Ecclesiæ auctoritati & infallibilitati aliquid detrahas; totiesque id facis, ut toties refellere non vereare.

De sensu Jansenii neutiquam Romæ actum fuisse, affirmas, sed obiter. (*d*) Perditissime nebulo, eòne audaciæ & contumaciæ venisti? quasi verò per propositionibus ex Jansenio excerptis Innocentium X. Galliarum Episcopi maturâ deliberatione prævia non consuluerint? quasi verò Romæ *diligentiâ, quâ major desiderari non posset*, discussus non fuerit? Nonnulli fortè inter Consultores, propositiones in se ipsis, citra ullum auctorem, censere voluerunt: & unus fortè, vel alter Jansenium ab errore vindicare voluit: sed quid tum? nunquid deinde Innocentius Jansenii propositiones non damnavit? nunquid Alexander eosdem, ut Jansenii, & in Jansenii sensu, damnatas fuisse non declaravit & definivit? His non obstantibus, dicere audes, Jansenii sensum Romæ non fuisse maturè judicatum. O ingenuam Jansenistarum fidem! ô impensam erga Patriarcham vestrum gratitudinem & charitatem! tanti vos illum facitis? neminem, non dico Jesuitam, Episcopum, Cardinalem, sed Rom. Pontificem ne trioboli quidem præ illo putetis. Quanta vis charitatis! ut Censuræ illum per fas & nefas subducatis, in Censuram ultrò incurritis: ut illius hæreses excusetis, novas hæreses admittitis. Sic errores erroribus defenditis. Parum fuit vos ab illo in errorem adductos fuisse, nisi vestra contumacia illius errori accederet.

At saltem, inquis, Thomistarum doctrina per Constitutiones prædictas non parùm confirmata est. Equidem controversia *de auxiliis*, his definitionibus terminata non fuit. Utri verò parti plus illæ favere videantur, qui dubitent. Thomisticæ, inquis. Quamobrem verò? Quia Consultores huic satis addicti erant. De nonnullis facilè concesserim: de omnibus, ut de-

(a) *Pag.* 573. (b) *Pag.* 576. (c) *Pag* 576. (d) *pag.* 575.

tuis, nemo erit, cui persuadeas. At demus gratiam esse. Non suffragiis Consultorum, sed Ecclesiæ judicio res stetit. Quare aliis fortè, Jesuiticæ non item inde accessisse, videbitur. Quidquid sit, nec eam quæstionem decidere vacat; certum est, ex pontificiis Constitutionibus, dum quis præceptum violat, non deesse potentiam proximam, quâ servari possit: ac proinde dari gratiam verè ac plenè sufficientem, cui voluntas resistat; item omnem necessitatem antecedentem ab eâ libertate abesse, quæ ad merendum & demerendum sufficiat; item talem esse gratiam, cui voluntas obtemperare, vel obsistere ad libitum valeat. Denique satis ridiculus esse videris, dum negas, Romæ inter Consultores, de re ipsâ vel de illo dogmate disputatum esse; cùm de quinque propositionibus disputatum sit. De nomine, inquis, non de re ipsâ Romæ actum fuit. Idem Calvinus & Lutherus pro suis erroribus defendendis faciebant. Crediderim hos æquè fuisse hæreticos, quàm æquè impudentes.

Si fortè aliqua spes vestræ conversionis affulgeret, dubio procul omni, leniùs scriberem. Proba, sis: illicò accersam, quidquid habet tersi nitoris, stylus; ornamenti, eloquentia; jucundi, suada: ut tibi & panegyricum & elogium contexam. Cum Diabolis Willelme, quibus operam tuam dicasti, mitiùs agere non juvat. Hodie præluſi; cras scenam aperiam: faciamque, ne de meâ parcitate, jure saltem, conqueri unquam valeas. Liberalem dextram porrigo, & copiosam operam polliceor: quandoquidem Jesuiticam doctrinam ad examen vocasti, par pari referam; & quid in Scholasticâ Theologiâ, quid in Morali, quid in Mysticâ, quid in Positivâ, ut vocant, Jansenistæ vestri sentiant; non uno volumine toti orbi Christiano exponam; nisi quispiam alius præverterit. Latinè scribam, quia toti Europæ scribo. Fœmineo foro, doctrinæ judicium subducendum est: ibi enim, saltem ut plurimùm, blasphemi sales, & joci heterodoxi, pluris æstimantur, quàm rationum momenta. Propediem quidquid à Jesuitis Gallicâ linguâ, justæ defensionis jure, contra errores vestros, & affictas calumnias huc usque scriptum est; in Latinam versum mitti etiam ad te curabo: ne tu deinceps Tuique, religiosam Jesuitarum moderationem, tacitæ criminum iis à te affictorum confessioni tribuatis. Molliùs cum hæreticis agendum non est. Quandoquidem Christianum silentium Jesuitis vitio vertis; erit, qui pro illis loquatur & scribat, iis deinceps futurus auctor, ut te Librorum multitudine obruant. Interim vale, quod opto; & resipisce, quod optari quidem, sperari tamen vix potest.

***

CONCLUSIO.

Hæc sunt, Willelme Wendrocki vel Paule Irenæe, quæ raptim exarata ad te mittere constitui. Asperiorem ac duriorem stylum fortè accusabis: sed excusare potiùs debueras. Mitiùs enim, seu molliùs fluere non poterat; dum in frequentem errorum tuorum salebras, & calumniarum scopulos incurreret. Si quid asperius est; tibi ac veritati imputes: tibi quidem, quem ut castigarem, caligatus stylus aptus non fuit: veritati autem, quam ut contra Jansenianam mendacia defenderem, non fucis & fuco, aliisque ornamentis, sed nervis, femoribus, unguibus & rostro pugnandum fuit.



LUDOVICI MONTALTII EPISTOLARES LIBELLI AD PROVINCIALEM, REFVTATI à BERNARDO STUBROCKIO VIENNENSI THEOLOGO;

EDITIO ALTERA

WILLELMO WENDROCKIO BERNARDVS STVBROCKIVS.

TErtium oppigneratæ fidei caput ſtatim exolvendum ac liberandum eſſe duxi, Willelme wendrocki, quamquam alio fortè modo, quàm quo rem hanc expedire meditatus fueram: intacto enim alterius apologiſtæ libro, cujus aliquam defenſionem in aliud opuſculum commodiùs reiicere volui, alterius lucubrationem partim latinitate donavi, partim auxi atque ſuppleyi; multa enim reſtabant intacta & ab auctore minimè confutata; putà decem primæ epiſtolæ: quod verò ad impoſturas pertinet, cum multa in verſione latina emendaris, quamquam hujus rei Lectorem non monuiſti, quod certè omittere non debueras, operæ pretium fore, non duxi, eas latinè reddere, cum in latinas epiſtolas minimè quadrent; ea tamen non prætermiſi, quæ in has etiam quadrabant; unde, ne quid perirer, multa ex iis huc traduxi, reliqua omiſi, quæ jam effectum ſuum ſortita fuerant, nimirum emendationem impoſturarum: longè plura, ni fallor, attexui, ut plenior & planior eſſet confutatio; unde non deerunt, qui dicant, novum potiùs opus cenſendum eſſe, quàm antiquum latinitate donatum: ut ut ſit, modò famoſæ illæ tui Montaltii literæ pleniſſimè confutatæ ſtent, perinde eſt, cujuſcumque tandem manu id fiat.

Cæterùm cum dictas Epiſtolas latinitate donaris, non jam vernaculas, ſed latinas aggrediar; nec Montaltium illum primum vernacularum auctorem, ſed te ipſum in hac refutatione compello, ut latinarum auctorem; præſertim cùm tam multa mutaris, expunxeris, addideris, ut quaſi novum opus eſſe videatur. Itaque, ſemotò Montaltio, de quo jam aliquam notis, unum te compello; perinde atque ſi auctor eſſes illarum Epiſtolarum, uti revera latinarum auctor es: tecum uno res mihi erit; Germano ſcilicet, cum Germano; Bernardo, cui in Willelmo; Stubrockio cum Wendrockio, Theologo Viennenſi cum Salisburgenſi, uno nempe Larvato cum Larvato, ſic enim facilius & commodius, verbo ſaltem & ſtylo pugnatur, pari-bus ſcilicet armis, & conditione pari; ſi Larvam aliquando poſueris, ego etiam ponam; idem meam oppignero, alius profectò eris ab eo, cujus perſonam & nomen præfers; idem tamen ego, etiam detecto vultu, & explicato dumtaxat cognomine, Bernardo quippe Willelmus, & Stubrockio Wendrockius indigebat.

PRIMÆ

PRIMÆ EPISTOLÆ CONFUTATIO.

VIx quatuor menses fluxerunt, ex quo ad te misi meas Notas, in tuas, Willelme Wendrocki; pollicitus sum in prologuio, me quam primùm ad te missurum plenam Epistolarum Herois tui; nimirum Ludovici Montaltii, sic enim Pachalem vocas, confutationem; sto promissis, quæ sedulus exequor; & ne tuum Heroem imitari videar, qui toties scenam mutat in fabula, quòd scenarium mihi non accidit, insignis quippe hiatus & scurra est, cum tu ipse illius Literas Latinitate donatis, tecum semper agam, ut jam monui, pernoctanque si verus esses illarum auctor; hoc enim, ut reor, ingratum tibi non erit, utpote cui tanti Heros fuit, ut tecum sanè personam sustinendam committeret. Utrum te consilii à me initi participem fias; illud tu scis, & ante omnia tibi denuncio, res istas à me tractandas & discutiendas esse, Christiano & serio modo, non scurrili, & histrionico, qui certè in res horum minimè quadrat; solidis argumentis agam, non popularibus adagiis, & meris paralogismis, qui Scholam Theologicum non sustinent; dicam enim, & rectè dicam, hoc maximè in Heroe tuo desiderabam, quidquid aliqui, vel sanguine, vel factionis studio, ipsi conjuncti, pueriliter obganniant. Illud quoque tibi polliceor, & fidem meam oppignero, meorum remissam eo candore discussurum, ut nec dissimulatem unquam vel dissimulem, vel fugiam; nec quampiam objectationem Herois tui insolutam relinquam, quod ad stylum attinet, Latinum quidem habeo, cujus tamen operosè cultum non affectabo; quod judiceme, in rem polemicam non quadrat, abhorreo à convitiis, & si quid paulò acerbiùs interdum excidat, non mihi quæso, sed Heroi tuo, qui per vim illud quasi extorsit, imputes velim. Hæc pauca præfatus, ad rem accedo.

II. Si omnia scurrilia hujus Epistolæ prætermisero, maximam dubio procul omni, partem illius omittendam verò esse, & ratio religiosi, immo Christiani Scriptoris dictat & rerum sacrarum, quæ hic agitantur dignitas postulat; nempe jocari & serium agere in re dogmatica, non temerarium modò, sed impium est: deinde præter acumen ingenii, docti sales & amœnæ facetiæ alia multa exigunt, quæ in his desiderantur, ac præ cæteris interna fides, amorem veritatis, nullam fraudis ac doli suspitionem; adde aliquam veri speciem, si enim verisimile non est, quo adstruitur, ne in scena quidem fabula toleratur. Et verò in hac Epistola, quam quasi fabulæ aperis, in qua, diversas personas agis; modò enim Jansenistam agis, tùm Molinistam, Thomistam paulò post; nunc Magistrum in scholâ, non sine ferula, & tantùm non fundentem oracula; mox rudem & ignavum Tyronem, seu discipulum, qui tritas etiam voces non capias; unde huc illuc discurris; ex hoc & ex illo quæris; quid rei, quid barbari nominis, inquis; quid est hoc, *proximum posse*; seu *proxima potestas*; sciebas haud dubiè; sed histrionem agens multa fingis: fateris igitur, te nescire, quid sit proxima illa potestas agendi; & tamen hac inscit à, quam nulla ferula satis, instructus; ad disputandum de profundissimis divinæ gratiæ arcanis, seu mysteriis te accingis; in quo, nequid, pro candore meo, tibi dissimulem, non jam fatetum histrionem, sed ridiculum Morionem agis: præterea succincti veredarii personam induis; quasi veredum dixi; nempe huc illuc præcipitas gradus, discurrisque ad instar ignis fatui; jam enim ad tuum illum vicinum & amicum, Navarræ Doctorem, in Jansenistas accerrimum te confers; mox ad Amicum N. ejusque uxoris fratrem, virum, si qui quam alius, Jansenistam; hinc ad priorem Doctorem, ac denuo ad Jansenistam; inde ad Monialem discipulum; & ab illo, nulla mora interjecta, ne quid temporis, inquis, tibi frustra periret, ad Thomistas; Deus Bone; ituredituque tam frequenti, me sedente in licèt, ita defatigasti, ut vix anhelitum recipere valeam; nihil affingo; literas tuas præ oculis habeo; versus, lineas, verba & apices signare possem; ut ut sit, quantumvis variè ac diversùm personatus, petulcum tamen & petulantem scutram ubique agis.

III. Præterea, ab urbanis humanisque jocis mendacium & calumniam abesse par est; tu verò quàm multa in paucis verisibus mendacia, quàm innumerabiles calumnias; pauca præ multis obiter indico: 1. Quod nemo unquam quinque propositiones in libro Jansenii legerit; notorium tamen est, à multis allegatas fuisse, appellato scilicet fideliter libro, capite, numero, qui Anuatus, Petrus à S. Joseph, Marcondeus & aliquam plurimi in hoc præstiterint, nemo nescit, qui vellegere sciat. 2. Quod in Sorbonæ comitiis provocati sint à Jansenistis omnes contrà sentientes ad pœnam libri, ut ajunt, & nemo ex his provocatoriam, ut vocant, denunciationem acceptare ausus fuerit; omnes tamen bonarum partium Doctores in iisdem comitiis, in ferenda sententia, pro more, omnes, inquam, ad unum, Jansenii textum & loca citatunt; & hoc etiam notorium; sed in notoriis mentiri præcipuè vobis solemne est. 3. In dictis comitiis omnia per manifestam vim gesta esse nec liberum fuisse cuique suam sententiam expromere, præ nimiis temporis, præscripti ad clepsydram, angustiis: equidem cùm omnia inconditis vociferationibus & affectatis clamoribus vestri miscerent, ad impediendum, aut retardandum necessarium illius consessus exitum, supremi magistratus auctoritas intercessit, ac præsentia tumultuantes compescuit, & continuit in officio; & cùm, datâ operâ, in longum suas sententias producerent, id temporis, quod satis erat, cuique præscriptum est.

4. Quod plerique omnes in animum induxerint, ut credant, propositiones in Jansenii Augustino minimè contineri; immo nullus eorum, qui Jansenii librum lustrarunt, contineri negat; negamus, inquies, qui tamen librum illum legimus; negatis, fatscio; non tamen eo modo contineri negatis, quo nos ipsi dicimus, contineri, ut paulò post evincam. 5. Quod Doctores bonarum partium, nimirum Catholici, fateantur ultro, non de re ipsa, sed de voce ac sono quæstionem agitari; eo dumtaxat consilio, ut Arnaldum ejusque socios gravi censura notatos ablegent è Sorbona: de re omnino agitur, Willelme, eaque gravissima; nimirum de divina gratia definienda, libertate hominis tuenda, arcendis Calvini erroribus. 6. Quod nostri à tuis (ita enim deinceps, nequid fortè in verbo & appellatione aliquid duriusculum excidat) quod nostri à tuis ita tenui limite discludamur, ut illum assignare vix satis ipsi valeamus; quod quam sit à veritate alienum, lippis & tonsoribus notum; admittimus enim gratiam sufficientem, quæ plenam & proximam agendi potestatem confert, quam vos tamen ut monstrosam, & pelagianam explodit is; omitto alia fere innumera, contumeliosa, ludicra, falsa; nihil enim aliud hæc Epistola.

IV. Quod verò ad rem attinet, quæstio facti jam dudum expedita est, & cavilli vestri dissoluti; & ut presiùs texum agam, non negabis, opinor, materiale illud propositionum (da mihi quæso hanc vocem) in libro Jansenii contineri; nullum ex tuis unquam nactus sum, rerum scilicet istarum peritum qui hoc negaret; nihil enim reliquos moror, qui nec Augustinum, nec Jansenium de facie, seu de fronte norunt, sed uno dumtaxat factionis studio ducuntur; hoc igitur non mihi negabis, utpote qui agas, cum homine rei perito, qui volendo lustrandoque tuo Jansenio sæpe ac sæpius digitos trivit; verba quippe illa prostant, & materiale illud, appello, manibus potiùs palpatur, quàm oculis videtur; nunquam saltem id mihi seriò scisciranti vestri negarunt: ubi tamen inde inferre volui; propositiones igitur damnatæ in libro continentur; consequentiam illico negarunt; quia scilicet, inquiebant illi, sola verba non faciunt propositionem, sed maximè verborum sensus; cum verba sint quasi materia, sensus verò forma, & quasi anima propositionis; non continentur igitur illæ propositiones in libro Jansenii, nimirum in eo sensu, in quo ab Ecclesia damnatæ fuerunt; annuis, haud dubiè, cum tuis, & nihil aliud vultis; quamquam hoc distinctè passim non clamatis, nec vulgò prædicatis; quod enim ad maximam hominum partem attinet, vobis perinde est, sive formam propositionis à materia, id est, sensum à verbis distinguant, sive non distinguant, & cum vix è decem millibus unus librum Jansenii legerit, reliquis sanè facilè persuasum restat, vestris scilicet mendaciis, cultioris præsertim styli & multiplici factionis apparatu instructis, dictas propositiones in eo libro minimè contineri; Hinc mendacia vestra nunquam sine lucro; at cum certa semper animarum jactura.

V. Ut autem brevissimo ratiocinio rem hanc conficiam; id dumtaxat volo à vobis, & nihil aliud Ecclesia voluit, quæ propositiones vestras ut hæreticas damnavit; nimirum ut dictas propositiones, quo ad materiale tantùm, ut dixi, seu verba, quibus constat, ex libro Jansenii excerptas fuisse, agnoscatis; quod verò ad sensum attinet, quamvis Ecclesia illas in sensu Jansenii damnatas fuisse, dicat, ita intelligendum est, ut in sensu proprio, naturali, vulgari eorum verborum, quæ in libro Jansenii extant, damnatæ censeantur; sive sit ad mentem Jansenii, sive non; cum enim Ecclesia ad cordis & mentis usque adyta non penetret, in suis judiciis & censuris, ad verborum sensum tantùm attendit; non qualemcumque illum, sed nativum & proprium; ne alioquin, si ad improprium, qui multiplex est, attenderet, fideles jure dubitare possent, quis sensus ex multis ab Ecclesia damnatus censeretur. Itaque, Jansenii sensum Ecclesia vocat, proprium & vulgarem illorum verborum sensum, quæ in libro Jansenii extant; unde, & quantum voles, sensum illum, proprium scilicet, ut mentem Jansenii non esse, sed alium; hoc enim nihil ad me, nihil ad Ecclesiam, quæ mentem & Animum Jansenii in hac causa nec curavit, nec indagavit: modò igitur fateatis, verba illa, materiale illud, ex libro Jansenii excerpta fuisse, mihi factum satis, sensus enim proprius verborum notorius cum sit, alia indagatione minimè indiget: Hoc autem modo Ecclesia huc usque se gessit; nimirum ut propositiones auctorum in proprio verborum sensu configat & notet, ex quibus illæ constant; cum enim sensus improprii multi sint, ut dixi, nusquam certum esset in quem illorum, Ecclesiæ censuram draret: sed hæ tuæ sunt vitilitigines, iis centand absimiles, quas jam olim Ecclesia in Arianos gavit; in his porrò ne micam quidem difficultatis esse, video; nimirum apud illos, qui rem intelligunt; quamquam hoc tibi parum cure ell, aliam auram captas; & quamvis magnum Theologum agas in hac scena, vix tamen, ut talem agnosco, nec Heroa tuum, nisi fortè personatum.

VI. Nonnulli desiderassent, fatscio, ut Alexander illam clausulam, *& in sensu, abeodem Cornelio Iansenio intento damnatas*, ab ultima sua constitutione ablegasset; ablegari potuisse, non nego: sed apponi & allegari debuisse, constantissimè asserm, ut primæ damnationi consuleretur; nihil tamen aliud, his verbis Alexander, nisi quod illæ propositiones damnatæ fuissent in proprio illorum verborum sensu, quæ in libro Jansenii extabant, & quem solùm à Jansenio intentum esse, jure præsumebat; quisquis enim loquitur, aut scribit, id tantùm sensum præsumitur, quod verba significant & sonant; nempe ad eum finem instituta sunt, ut iis homines utantur, tanquam propriis suarum notionum signis; & si fortè secus accidat, fraudem, fictionem, mendacium & dolum homines reputant. Itaque Ecclesia Cornelium Jansenium, non per fictionem & dolum, sed uti revera sentiebat, scripsisse, jure statuit, ejusque verba in proprio sensu accipienda esse; non quod definierit, hanc ipsi mentem re ipsa fuisse, de interioribus illis, vel affectibus, vel consiliis Ecclesia non judicat; unus Deus renes & corda scrutatur; sed quod mera præsumptio fuerit (da mihi quæso hanc vocem) nimirum sensus auctoris, ex illius verbis ea autem sunt notoria; quæ in libro palam extant; his vides, quàm inanes & inutiles fuerint deliberationes vestræ super hoc facto, ut vocatis; quæ vana nonnullorum terricula, qui Alexandrum per his litem tantùm non moverunt, à quibus tamen dubiè remistam, vel dissimulatam, vel non meditatam fuisse, putarim; cum scilicet finxerint, indeleles obstrictos mansisse, ad certa fide tenendum. Propositiones illas ex Jansenii libro excerptas, & in ejus sensu damnatas fuisse: in quo, ut mitissimè loquar, hallucinantur; illud est factum notorium, quod fidem non terminat, sed

divina

ubique fidei suum objectum applicat, & singulari
mente quasi affligit; de fide est, quinque propositiones hæreticas esse, atque damnandas; sed notoriè non in libro Jansenii contineri, unde prudenter
dubia utrumque complexa est, in damnatione
quinque propositionum ex libro Jansenii excerpta-
rum. Ecclesia quippe damnat errores, censuras que
fidelibus proponit, eo scilicet fine, ut
errantes errоribus, vel ab iis errores arceat; quod certè
non obtineret, nisi errorum sedes & loca designa-
ret, puta libros, in quibus, vel auctores, à qui-
bus manantur; quemadmodum Magistratus, ut
pestem arceat, non tantùm generatim populum
monet, ut caveat à peste, sed civitates illas lue in-
fectas appellat, vel privatorum domos pestè cor-
ruptas in civitate, perspectis signis notat: quam-
vis ergo Deus Ecclesiæ non revelarit, damnatos er-
rores in libro Jansenii contineri, designavit tamen
Ecclesiæ, idque prudentissimè, illa damnatione, cum
notorium esset, propositiones in eo libro contine-
ri, verba illa, quibus constant, ex eo fuisse ex-
certa, ut eadem erroris designaret, arceretque pe-
ridum errandi; in quo, errare non potuit, cum res
ipsa esset; & quia vestri columnas illas sensibus
suis exterant, ad manifestum fidelium scandalum,
negant, declaravit Ecclesia, in sensu dumtaxat
damnatas fuisse, id est, in proprio sensu ver-
borum, quæ in libro Jansenii extant, quem reve-
ra auctor intendisse præsumitur: dixi autem, Ec-
clesiam in hujusmodi factis generalibus, & omnibus
fidelibus ab ea propositis, errori obnoxiam
non esse, cum quia singulari pro his, & sibi promissa
gratiæ assistentia (da mihi hanc vocem, aliasque hu-
jusmodi, quas infra usurpabo, ut ea, quæ dicam, me-
lius intelligantur; quod semel monuisse sit satis)
non maximè, quia nunquam ea proponit omnibus
fidelibus, nisi notoria sint; neque hoc, ut dixi, noto-
rium esse negas.

VII. Ad aliam quæstionem juris, ut vocas, eam-
que præcipuam, venio; dicis enim, illud *posse pro-
ximum*, seu *proximam potestatem* justo peccanti de-
esse, & vis, Thomistas re ipsa vestris in hoc suffra-
gari, nostris, verbo tenus & sono; quia nempe ali-
quid aliud ad agendum, necessarium esse dicunt,
quod tamen deest; nimirum gratiam à se ac per se
efficacem; Thomistas defendendos non su-
pra, cum defensione mea non indigeant; ii profe-
sint, qui à tuis calumniis sese tueri possint; id
tum dumtaxat obiter judico, auxilium scilicet
predeterminans Thomistarum in multis à Janse-
nio discrepare; nam illi physicam prædetermi-
nationem adstruunt, vos moralem tantùm; illi
actum secundum eam referunt, vos ad pri-
mum; illi necessitatem antecedentem ejurant, vos
non admittitis; illi demum in quolibet natu-
rali actu, etiam integræ, vos tantùm in statu
naturæ; sed in his, nimius sum; ad quæstio-
nem redeo, quam tuis salibus condire, & tuis
floribus illustrare, seu verùs obscurare & re-
rum Theologicarum insciti a, dehonestare vo-
luisti; affectas quidem insciti am illam, quam-
vis, ut liberè dicam, quod sentio, fictionem il-
lam simules, cum is revera sis, quem te esse fingis,
nempe, à te fingi credamus, nimirum Germanæ
Theologiæ satis rudem: omitto igitur præcipuum
ad Epistolæ tuæ fundamentum, vel argumen-
tum, in quo fere totus es, nimirum à Thomistis ita
dictum *illud proximum* explicari, ut cum vestris omni-
bus consentiant, re scilicet ipsa, & verborum
sensu, & voce tenus dumtaxat, ac sono dissen-
tire videantur; fatentur, inquis, aliquid ne-
cessarium desiderari, uti & nos, nimirum gratiam efficacem; adstruunt tamen *posse proximum*, id est, nihil, quod sit necessarium ad agendum, desiderari; hæc, inquis, sunt repugnantia, quæ ut concilient, nihil deesse dicunt, verbo tenus, id est, barbaram illam vocem, *proximum posse* usurpant, at remota omni significatione, re tamen ipsa, deesse aliquid, agnoscunt, illudque præcipuum; & hic malam fidem iis exprobras, & parum sinceri animi notam, quasi labiis tantùm Deum cum nostris honorent, & cum vestris cor eorum longè sit à Deo: itane verò doctis & piis hominibus, à quibus etiam, per figuram maledicâ, illud extorques? sed his omissis, nullus enim dubito, quin iis aliquando meritas pœnas daturus sis, rem istam conficio, non prolixa disputatione; cum enim fatentem reum habeamus, longa inquisitione, ad ferendam in hac causa sententiam, opus non erit.

VIII. Fateris igitur ultro, Wendrocki, peccanti homini aliquid revera deesse, quod necessarium sit, ut possit, non peccare, seu quod eodem recidit, à peccato abstinere; aliquid, inquam, ab ipsa peccati negatione, vel absentia distinctum, quod nimirum ex parte causæ teneat; v. g. ut eodem utar exemplo, quod tu ipse suggessisti, perinde homini peccanti deest aliquid necessarium, ad non peccandum, id est, ut valeat non peccare, ac deest oculo aliquid ad videndum necessarium, quando lumen ipsi deest; agnoscis, opinor, singulare, non dicam sententiæ tuæ, sed erroris tui exemplum; nihil plus potest, ad non peccandum, voluntas, quando peccat, quàm oculus, cui lumen deest, ad videndum; itane verò? igitur ut oculus, defectu luminis, necessariò non videt; ita voluntas, defectu æquè necessarii, gratiæ scilicet efficacis, necessariò peccat; annuis, haud dubiè; immo libertatem tantùm à coactione admittis, & rejicis à necessitate; sed hæc est tertia propositio damnata; non tanti interest, inquis, mille vias & effugia facilè nobis occurrunt, ad eludendam censuram; hæc vox *necessitas* mille modis intelligitur, mille patitur exceptiones; antequam omnes discussæ fuerint, non modicum tempus fluit; interea respiramus, & jocos miscemus, & miseros fatigamus Molinistas; si hæc disertè non dicitis, cogitatis saltem, immo, ut parum latinè loquar, dicitis in actu exercito, id est, perinde agitis & scribitis, ac si illud diceretis: hoc præcipuum est sententiæ vestræ fundamentum, quod Patriarcha, seu Moyses vester plusquam quadraginta locis adstruxit; nimirum necessitatem libertati oppositam non esse, sed coactionem solam; ac proinde non semel dumtaxat, sed omnino semper necessariò peccari, quando peccatur; quia scilicet illud ipsum deest, quod à peccante non pendet; quodque ad non peccandum necessarium est, nimirum gratia efficax; quando verò aliquis bene agit, id fieri, necesse est; habet enim gratiam à se intrinsecè ac præcisè efficacem, quæ se tenet ex parte causæ, & ab hominis voluntate non pendet; nam non est currentis, neque volentis: & cui voluntas resistere non potest; quis enim Dei voluntati resisteret? agnoscis prima principia doctrinæ vestræ, cui mordicùs adhæretis; nihil affingo; sed, ut tute scis, hæc doctrina damnata est in 3. propositione; idque disertè; nec video, citra errorem & anathema, oppositum defendi posse.

IX. Nullum negotium, inquis, hæc nobis facessunt; habemus centum modos, explicandi tertiam propositionem, quibus eam à censura vindicamus: præterea stat, stabitque in æternum, inconcussa & indubitata Thomistarum doctrina, de gratia à se intrinsecè efficaci, quam unam, ut firmum & immobile fundamentum doctrinæ nostræ statuimus; denique nobis restat ineluctabile argumentum, sine gratia efficaci, agere non possumus; sed illa sæpe deest; deest igitur id, sine quo agere non possumus; igitur & proxima deest potestas agendi; addis autem, cuncta hæc à Thomistis admitti; nec non iis vitio vertis, quod sibi contradicant, cum & deesse gratiam efficacem fateantur, eamque ad non peccandum necessariam, velint tamen, *posse proximum* adesse: ante omnia, est, quod ad viros doctissimos te remittam, qui opera mea non indigent, & facilè juxta sua principia tua tela retundent; ego sanè ne quid fortè dicam pro eorum defensione, quod ab iis dissentiat, vel hoc nomine, ab ea mihi abstinendum esse putavi; expedio igitur tuum illud argumentum, quod centies ingeminas: gratia, inquis, à se intrinsecè efficax ad agendum necessaria est; hoc eadem facilitate negatur, qua adstruitur; nullam enim talem gratiam admittimus, quæ libertatem omnem tolleret, & peccandi necessitatem induceret; si tamen in eo peccatur, quod necessariò fit, vel omittitur; vides, quàm infirmum sit tuum illud argumentum, cujus antecedens non falsum modò, sed absurdum & impossibile reputatur: sed, inquis, id saltem non negaveris, dari aliquam gratiam efficacem; illud enim citra errorem negari nequit; ita est, admitto, agnosco gratiam efficacem, nimirum illam, quæ suo effectu nunquam frustratur, & quam toties Augustinus contra Pelagianos disputans vindicavit. Bene est, inquis, hæc enim multis etiam non datur; est tamen ad agendum necessaria; deest igitur aliquid, ad agendum necessarium; malè igitur *posse illud proximum* statuitis; erras, Willelme, erras, & te non difficilè erroris convincerem, si rerum Theologicarum paulò peritior esses; dicam tamen, adeò dilucidè, ut ea, quæ dicam, Tyronum captum minimè superent.

X. Gratia efficax ex duobus constat, nimirum ex re ipsa, vel ipso esse, vel ipsa entitate, (condona mihi hæc verba) & ex habitudine seu respectu; ut ajunt, ad effectum, seu futurum, seu prævisum: primum absolutum quid est, ut vocant; alterum verò, respectivum; primum autem sine altero esse, nihil vetat, quia ab eo aliqua connexione necessaria non pendet; quam tamen importat gratia vestra, nimirum à se intrinsecè efficax. itaque cùm illud *posse proximum* ex parte causæ sit, ut patet, ac proinde causam completam, ut ajunt, postulet; non est dubium, quin primum illud caput gratiæ efficacis, absolutum illud, res illa, esse illud, entitas illa, semper adsit; hæc autem ad futurum effectum vel ad non futurum, necessariam habitudinem præfert; ad neutrum quidem distributivè; tam enim ad futurum, quàm ad non futurum; ad alterum verò disjunctim, si vel Tyro esses, has Scholasticas voces intelligeres, quas exponere quasi me pudet, faciam tamen obiter: procedamus apodicticè; sit entitas gratiæ *A*, tibi à Deo destinata; vel consenties illi, vel dissentries; alterum ex duobus; idque ad libitum liberè, & pro arbitrio; & Deus, quem nihil sanè latet, hoc novit; unde illa entitas ex se non respicit potiùs consensum futurum, quàm dissensum; quia æquè cum utroque conjungi potest; & hanc præcisè dico, esse necessariam, ex parte causæ, ad agendum; nec sine illa, causa esset completa, nec *posse proximum* esset: jam verò, si statuamus, vel supponamus, effectum futurum, illico ex hac hypothesi resultat, seu pullulat in dicta entitate, habitudo ad effectum futurum; igitur illa entitas, ut tali habitudine affecta gratiam efficacem constituit, cui etiam accidit infallibilitas; consequitur enim effectum suum infallibiliter accidit, inquam, à scientia Dei, quæ nec falli potest, nec fallere, quatenus ad futurum effectum terminatur: si verò statuatur dissensus; illico relultat habitudo illa gratiæ ad illum; & sub tali habitudine, sufficienter appellamus; efficax enim semper habet suum effectum, quem tamen potest, non habere; sufficiens verò quam habet, sed habere potest. Unde semper adest gratia ex parte causæ, & causam ita complet, ut nihil ultrà sit, ut causa est; præscindendo scilicet à prædicta habitudine, quæ ad rationem causæ non pertinet, sed effectus: cum igitur nihil unquam desit causæ liberæ, quando scilicet præceptum obligat, haud dubiè *posse proximum* inest; igitur peccanti gratia non deest, necessaria scilicet, ad non peccandum, cujus operâ is, qui peccat, posset non peccare, si vellet.

XI. Unde peccanti deesse fatemur gratiam, ut efficax est, id est, cum habitudine ad consensum futurum; non tamen gratiam, ut sufficiens est; id est, cum habitudine ad dissensum: hæc autem in peccante ponunt proximam constituit: illa verò in non peccante ponunt re ipsa consentiat, seu agat gratia, ut efficax, necesse est; non tamen ut possit agere; ad hoc enim sufficiens satis omnino est. quid, quæso in his tam difficilibus? igitur tuum illud stramineum & irrane argumentum, duobus fere verbulis difflatum: nunquam agit voluntas sine gratia efficaci: ita est, nemo id negat, & portis terminis: nunquam potest agere, sine gratia efficaci, sufficientissimum est; quia sæpe resistit gratiæ, cum tamen posset non resistere: distingue dumtaxat causam ab effectu, & ea, quæ sunt ex parte causæ, ab iis, quæ sunt ex parte effectus, & tibi, aut saltem tuo argumento facies satis, cuncta hæc inquies, Augustini Doctrinæ repugnant, immo & sacris dogmatis: nam juxta hypothesim illam Molinisticam, gratia voluntati esset pedisequa, & efficax esset à voluntate, & Homo se ipsum discerneret; currentisque & volentis esset, non miserentis Dei. Cuncta hæc toties difflarunt auctores nostri, Antonius præsertim, & Martinon, præter Suarem & antiquiores, ut ineptias eadem pudeat retractare: dico tantùm obiter, Augustinum ita sentire, ut velit, liberum voluntati semper esse, vel adhærere, vel dissentire gratiæ, ut docent Tridentinum, quod ex verbis Augustini doctrinam habet de hoc argumento tradidit: equidem nisi voluntas liberè consentiat, gratia suum effectum non habet; nec enim voluntas bonum effectum, nisi præveniat & adjuvet gratia: unde rectè Paulus, *non ego, sed gratia Dei, mecum*. Hinc voluntatis est, sequi gratiæ motionem, acquiescere, pedissequam esse; cum tamen liberè sequatur, potest non sequi. Quod autem dicitur, efficacia esse à voluntate, ambiguum est: nam equidem nisi voluntas consentiat, gratia efficax nunquam est; nec etiam voluntas consentire valet, nisi gratia illam præmoneat, prævenat, existet, adjuvet: unde efficacia gratiæ est ab ipsa gratia cum habitudine tamen ad consensum voluntatum futurum; nec propterea homo se discernit, sed Deus hominem; quatenus gratiam efficacem illi decernit: quidenim homo consentiat, habet à gratia & à se: quod autem hanc gratiam habeat, cui consentiet, à solo Deo est, qui posset quamlibet aliam decernere, cui non consentiret: efficacem autem à non efficaci Deus distinguit, operâ scientiæ mediæ, cujus certè præcipuus usus est, ut per eam distinguat, seu discernat gratias efficaces à non efficacibus: quod nisi fieret, agere cæco modo, ut ajunt,

junt, nec illi decreto, quo gratiam efficacem alii destinavit, facere satis posset. Non est igitur voluntis, neque currentis, habere talem, vel talem gratiam, prævisam à Deo efficacem; sed solius Dei miserentis, licèt profectò sit volentis, seu voluntatis, collatæ sibi gratiæ consentire.

XII. Unde vides, quàm facilè argumentorum vestrorum machinæ corruant, quæ ut ab Eterodoxis acceptis, quod certè summæ vobis gloriæ vertitur, ita cum jam ab antiquioribus nostris Theologis discussa & penitus excussa fuerint, difficile nobis non fuit, eandem spartam adornare: itaque, duplex esse, sed duplex entitas gratiæ non est, sed eadem prorsus, sub duplici tamen habitudine, ut dixi; nempe vel consentit voluntas motioni gratiæ, ad eum scilicet effectum ponendum, ad quem gratia inclinat, vel non consentit, si consentit, idque per ipsam gratiam, hæc dicitur efficax; si verò voluntas non consentit, motivum per se ipsam, relictâ gratiâ, hæc sufficiens tantum appellatur. Quid amabò hic difficile? quid implicatum? dicis tamen, à te non intelligi, quid sit illud *posterius*; huc illuc discurris, ut ab aliquo Doctore Molinista, Thomista, Jansenista discere valeas, hæc per sinceritatem Jansenianâ, ut à mulier-culis nescio quid plausus & aulæ palatinæ captare queas: hinc forte in iis literis; quas ad te Amicus Provincialis rescripsit, honorifica illius Palladis mentio fit, quæ tuas literas adeò commendabat; sexui vacare studes, & hæc ut præcipua est politicæ vetustæ prorsus antiquæ fuit tui similium industria; ad latiorem errorum suorum propugationem. Ut verò hæc Epistola justa bilance appensa, nihil mihi habere visa est, nisi mera mendacia, in narrationibus, jocos & sales, in rebus seriis; fraudes malè connexas, in consiliis; errores in fide; in re sacra, contemptum, in Theologicis, incredibilem insciam; ne verbo scurrilem fabulam in scena:

SECUNDÆ EPIST. Confutatio.

ERrores cum literis tuis propagas & multiplicas, & ut ex falso, falsum sequitur, ita prorsus error ex errore. Negasti supra *potentiam proximam*, seu *posse proximum* non peccandi, in peccatum ex quo rectè omnino deducis, non dari gratiam sufficientem; si enim quidpiam aliud deest, necessarium ad non peccandum, ex parte scilicet cautionis, quid deesse, dicitis, nimirum gratiam illam nostram ab intrinsecè efficacem, illud reverâ quod est, non datur est, igitur, ut cum Scholasticis loquar, sufficiens non est: jàm mihi rectè omnino ratiocinari videris, sequid tibi laudis promeritæ negem; cum enim gratia *posse illud, potestatem illam* constituat, si hæc plena, completa, proxima non est, sed aliquid aliud, uti necessarium postulat ultra, illa profectò sufficiens non est, atque adeò uno quasi verbo, totam rem illud est, prolixam disputationem expedis; una dimittaxat gratia à se intrinsecè efficax; nunquam illi divina gratia suo caret effectu; nunquam illi datur; nulla igitur gratia mere sufficiens datur; sed quidem, ut dixi, ratiocinaris; si enim datur tantum efficax, non datur merè sufficiens; etsi plena potestas non est; aliquid deest; igitur quod est, non satis est, non sufficit; rectè, inquâ, ratiocinaris, sed male sentis; errorem ex errore, vi sanè legitimæ consequutionis deducis; in qua nihil est, quod desiderem; hinc ut saltem mediocrem te logicum esse non abnuerim, ita parum Catholicum, immo errantem hæreticum esse, constat; quid enim amabò tuum illud ratiocinium? falsum ex falso, hæresim ex hæresi, errorem ex errore infers, & abyssus abyssum invocat: ubi verò tuum illud antecedens negavero, quo tandem tuum illud consequens abitum iri putas?

II. Sed relegamus tua vestigia, idque sanè cautè ac pedetentim, nam via lutulenta est. Initium ducis, pro more, à scenica fictione, fingis ante omnia incogitanti adfuisse, tuum illum N. hominem à puero tibi amicum, Jesuitarum consiliis intimum, à quo de Jesuitarum doctrina & sensu certior factus sis; hi quippe docent, quamdam esse gratiam, sufficientem scilicet, libero arbitrio famulantem, quæ pro solo illius nutu, nunc potiatur, nunc effectu careat. Est sanè, quod mirer Willelme Wendrocki, rerum istarum te adeo rudem esse, ut ea Jesuitis affingas, quæ nunquam iis venerunt in mentem: quis unquam præter te & tuum illum amicum N. fictum tamen & personatum, illam gratiam sufficientem ab iis adstrui, dixit, quæ nunc suo potiatur effectu, nunc careat? quasi verò, fixum, ratum, immo tritum apud eos non sit, gratiam sufficientem illam esse, quæ licèt effectum suum consequi possit, eo tamen potiatur nunquam: deinde, cur dicis, libero arbitrio famulantem? idque ad invidiam, quasi divinam illi gratiam, ad instar vilis mancipii, proculcandam esse, Jesuitæ docerent, cum potiùs liberum arbitrium, liberè tamen, divinæ gratiæ serviat: Tu fingeris servum nequam, qui Hero famulari teneatur; cuique optimus Herus, præter honestà imperia, illa omnia suppeditet abundè, quæ ad munus obeundum, necessaria sunt; eam deinde, si rectè serviat, amplissimo præmio donaturus; vel gravi multaturus pœna, si ut par est, exequutus non fuerit imperia; Audices, Herum servo illi nequam famulari? pluisquam ridiculus is profectò sit, qui vel id somniet: ille nequam liberè servit; ac proinde id ipsi libertum est, benè, aut malè servire; iisque auxiliis, ad eum finem, rectè scilicet famulandi, suppeditatis, uti, vel non uti?

III. Exemplum apodosi non indiget; Deus supremus hominum Herus & Dominus est, qui bonum imperat, malum vetat; & quia neutrum homo præstare potest, nimirum nec bonum facere, nec malum fugere, propriis scilicet viribus, in hoc præsertim corruptæ naturæ statu, omnia illi auxilia & adjutoria, ad eum finem necessaria, abundè, ut ille, suppeditat; nec enim Deus acerbè & avarè imperat, quorum scilicet libero usu divinum mandatum homo exequatur; libero, inquam, usu; audin? id est, quibus homo libere utatur; id est, si velit, utatur; secus verò, si nolit; an quispiam ea propter jure dixerit, Deum homini & divinum adjutorium liberæ voluntati servire? quin potiùs Homo Deo servit, sed liberè; item voluntas divinæ gratiæ liberè consentit, nisi enim hic famulatus, hic consensus liber esset, ad merendum, vel demerendum minimè juvaret; videri igitur, an tu & tuus Heros rectè de divina gratia; per te mihi, quæso, liceat, quid de te & illo sentiam patiò liberiùs expromere: in hoc argumento turpitet erratis; Lutheri & Calvini Hæreses dudum proscriptas è Republica Christiana, quasi postliminio restitutas, in exosam lucem reducitis, docetis, spargitis; constitutiones Apostolicas cavillationibus vestris eluditis; in hoc tamen reliquis Hæreticis callidiores, quod intra

fines

fines Ecclesiæ vos continetis, ut pingues proventus Ecclesiasticos retinere valeatis ; in quo quidam ex vestris, non ita pridem, Calvini & sociorum, non fidem, non doctrinam, non zelum, sed prudentiam desiderabat: facilè conijcies, quis ille sit; alioquin hominem, aliàs satis notum, appellare non dedignarer.

IV. Pergit tuus ille amicus; tibi enim scisciranti de novorũ Thomistarum sententia, iis certè repugnantia tribuit, te in omnibus suffragante ; nimirum quod gratiam illi sufficientem admittant, sed quæ sufficiat & non sufficiat; sufficit enim, si verè sufficiens est, & nihil ultra, ut necessarium postulet; at verò non sufficit, cum aliquid ultra requirat; verbo igitur sufficiens est, re tamen ipsa non sufficiens: nihil ego ad hæc; doctissimos homines non levi à me injuria affici, putarem, si cum sibi ad propriam defensionem sint satis, defendendos illos susciperem; præterquam quod, non nihil, ut dixi, fortè nolens, refutando ac defendendo adstruerẽ, quod nõ ita ipsi, suæ sententiæ principia longè meliùs edocti, æquè probarent; illud unum dicere non dubitem, quod publicum est & palam prostat; hoc ipsum à Jesuitis præcipuè Thomistis recentioribus opponi; nimirum ex eorum sententia sequi, nullam dari gratiam sufficientem; quod certè ratiocinio conficere ac demonstrare Jesuitæ sibi videntur; Thomistæ tamen, quamvis fortè super hoc, nonnulli ex iis tantulùm vacillẽt, negant illam consequentiam; & hæc Lippis & tonsoribus nota; hinc etiam videre, est, quàm parum in rebus Theologicis versati sitis.

V. Pergit ille amicus, seu fabulæ actor; tibi enim quærenti, quid esset, cur Thomistis Jesuitæ aggregarent sese, nec ipsos oppugnarent, itidem, ut Jansenistas; illico reponit, opus non esse; nec ita instandum videri Ecclesiâ valentibus; alienum hoc esset, inquit, à Societatis prudentia, cui, evicisse satis est, gratiam sufficientem à Thomistis agnosci, admittique, saltem voce tenus: nec mirum, si cum Thomistis rursum committi Societas defugiat, à quibus, super his, tantas olim molestias passa est; & hic egregiam Jesuitarum calliditatem & Thomistarum stultitiam laudas. non desunt profectò qui satis ingeniosam fabulæ inventionem laudent, ex qua fortè apud mulierculas & illiteratum vulgus, plausum referes, sibilis tamen, & manuum explosione à peritis omnibus & doctis excipiendus; hi nempe sciunt, decretis pontificiis cautum esse, ne quis de illa controversia, pro una, vel altera parte, scribat, quibus omnes Catholici standum esse putant; tu verò non ita, utpote qui decreta pontificia parum, aut nihil curas. Jesuitis pono gratum accideret, non Thomistas modò, verùm etiam omnes alios à vestris erroribus alienos esse; quod utinam consequuti essent, sed novitas erroris fautores sequaces; suos semper habuit, habebitq; in posterum: eò reliqua vitia degenerãt, multa de his prudens reticeo, si tacuero, publica monumenta, mutaticèt, clamabunt; illud igitur omni asseveratione à me dictum esse velim, ut summoperè dolere Jesuitas, quod longè plures, quàm par esset, vestris partibus accesserint, quo fine ducti, Deus scit; qua fraude, vel arte inducti, homines etiam sciunt; ita vehementer lætari, quod multi vel ante vobis aggregati, deinde segregati fuerint, vel nunquam vestris partibus adhæserint; in quo certè non erat, quod egregiam illorum calliditatem laudares; nullus enim hac in re calliditati locus fuit; immo parum callidè, ut ita loquar, egissent, si hac arte, sua consilia direxissent, ut sibi Thomistas, contra Jansenistas ascisceren; crede mihi, Willelme, Jesuitæ cum Thomistis rursum committi, non defugiunt ; nec præteritis molestiis sibi creatis ullo modo terrenturnec vident, semotis decretis Pontificiis, quibus id vetatur, ex suo usu non esse, nunc ipsos vehementiùs urgere ; meræ sunt Chimæræ tuæ, quæ nihil verisimile præferunt; quin immo, si callidè & humanis dumtaxat artibus agerent, non parum illorum sententiæ inde momenti accederet, quod Thomistæ à Jansenianis partibus starent ; cum enim Jansenistarum doctrina damnata fuerit, ut hæretica, impia, blasphema, inde Iesuitarum doctrinam Ecclesia confirmasse crederetur, quod Thomisticam, si eadem esset cum Iansenia, Iesuiticæ oppositam, eadem Ecclesia damnasset immo non: defuerè politici quidam, qui Annato imprudentiæ verterint, quod nimis solicitè Thomistas à Jansenistis abstraxerit, quasi timeret, ne his illi, inito fœdere, jungerentur; unde fortè doctrina Societatis, de divina gratia restasset maximè confirmata: hæc Politici quidam; ego tamen secus, qui Annati prudentiam in hoc non semel laudavi, quod scilicet plus veritati & religioni, quàm privatæ suorum causæ detulisset.

VI. Sed pergamus in tua fabula, peregrinationem eas denuo resumis, & te ad Dominicanos confers; nimirum ut eos tuis jocis scurrilibus, præberes omnibus deridendos: tibi enim quærenti ab uno ex illis, utrùm gratiam sufficientem admitterent, & hæc esset Thomistica scholæ sententia: illum in hunc modum plusquam insonicè reponentem inducis; istæc ipsa, inquit, quin illa mane in Sorbona, vah quàm pulchrè exposui, totam ego semi hotam implevi, ac nisi per clepsydram steterit, infandum illud exterminassem, jam Parisiis pervulgatum. *Nutu sententiam dicit, quasi Monachus in Sorbona*: & hæc eo dumtaxat fine, ut dictum illud religiosis Doctoribus injuriosum insereres, eosque inscitiæ & modicæ literaturæ insimulatos, tidendos in scenam adduceres, hæc, inquã, eo dumtaxat fine à te dicta, seu ficta esse, cõfiteor. Sed mi homo, velis, nolis, Regulares, sic enim vocantur, summo semper honori Sorbonæ fuerunt, eamque suis egregiis monumentis maximè illustrarunt; Quid Alensis, Doctor Angelicus, S. Bonaventura, Scotus, Mairon, aliique fere innumeri tuum antiquiores, tum etiam et recentioribus ad rem literariam, & sacram præsertim doctrinam contulerint, neminem, opinor latet, qui sit librorum & literarum peritus; nullam comparationem instituo, quod fortè odiosum esset: abiit, ut cuipiam, etiã minimo, quidquam laudis detractum velim; illud unum dixisse, satis, Regulares doctrinã & Sanctimoniã eximios nunquam in Sorbona defuisse.

VII. Mox ad disputandum conversus, ostendis, aut saltem conaris ostendere, gratiam illam sufficientem Thomistarum non esse sufficientem, cum alia quædam necessaria sit: & hic ita urges hominem tecum, ut dictũ est, colloquentem, ut is dare manus quasi videatur: sed cur quæso hæc, quæ frustra esse sciebas? quid tibi, amabò, cum Thomistis? quibus, ut tute scis, singularis est rem hanc explicandi modus, non fortè omnibus perviam: multos enim audisse memini, qui dicerent, illum à te non capi, unde accidit, ut nonnemo, iis, qui non caperent modum illum, præ summa difficultate, credendi necessitatem imposuisse ut sit, Thomistas hoc loco defendendos non suscipio, huic provinciæ ipsimet, unde mihi, non deerunt, & potiùs difficilia quæque admodent, quàm sufficientem gratiam renuncient, punquod idem prius sit & posterius ante & post; causa & effectus, aliaque hujusmodi: cum reverà præstet, peccare in Philosophiam, quam in Theologiam & fidem: Quare abre tuus ille acerrimus Iansenista in eos graviter invehitur, & grande scelus, gravem culpam iis exprobrat: vellet, ut gratiam illi sufficientem, & cum ea fidem Catholicam ablegarent: cum gratia sufficiens dogma Catholi-

cum

mon insectuat; quod scio quidem, à vobis non admitti, sed inde justam occasionem præbetis, damnati errores insimulandi.

VIII. Hic autem Augustinũ, sed nullo citato loco, vestræ asseris, errori vestro suffragari; negat certè Augustinus, dari omnibus gratiã efficacem, gratiam illam, quæ dat posse simul & velle, de hac enim ibidem ut plurimùm contra Pelagianos disputans docet Augustinus; Hæc sanè concedimus ultrò; subdit tamen Doctor sanctissimus negat, gratiã illam dare posse, præcepto scilicet instante, quæ dat, posse à peccato abstinere, licèt re ipsa peccetur, non quidem per defectũ gratiæ, sed per vitium voluntatis: sed nolo personas in scenã inducis; nimirum tres medicos, quorum scilicet ab homine multis vulneribus saucio, primus cum vulnera exploraſſet, lethalia pronunciat & nullam nisi in Deo spem esse denunciat; alter verò negat, esse lethalia, & bono animo saucium esse jubet; idq; per meram assentationem; tertius demum blandienti medico sese aggregat, ægroq; dicit, vires sufficientes esse, ut domum suam repetat; nervum tibias integras, quamquam viribus destitutas. Apodosi parabola nõ indiget; saucius ille vulnerabilis, hominem in naturæ corruptæ statu repræsentat; primus medicus Jansenistam, secundus Jesuitam, tertium deniq; Thomistam; nimirum juxta tuum sensum intentem: sed, ô bone, quis unquam Jesuita negavit, hominem in eo statu, divino adjutorio indigere? quis unquam dixit, sine gratia quidpiã posse, quod ad salutem pertineat? nunquid omnes Catholici docent hominem suis viribus relictum nihil posse, nec sufficientem esse? ut Paulus monet; non admittũt, inquis, Jesuitæ gratiã efficacem, sed tantùm sufficientem; calumniam affingis; utramque admittunt, cũ religione Catholica; tu verò per damnatum errorẽ, unam duntaxat; Catholicè igitur illi sentiunt cum Ecclesia, tu secus, contra Ecclesiam; non admittimus quidem gratiam à se intrinsecè efficacem, quæ repugnantia involvit; esset enim efficax, & non efficax; primi quidem, quia talis statuitur; alterũ verò quia suo tempore fine careret; cum enim necessitatem inducere, nec ad merendum ejus præsentia, nec ad demerendum absentia quidpiam conferret, & hæc mulier cuivis historiæ narratis; nimirũ Jesuitas Pelagianos esse, negare omnem gratiam efficacem, aliaque hujusmodi ut dixi, fidei catholicæ dogma est, quod utram gratia detur; quod neutra voluntati necessitatis jugum imponat; quod liberũ arbitriũ non destruat, servet, uno verbo quod talis sit gratia Christi, ut ejus voluntas consentire, aut dissentire possit, si velit.

IX. His ludicris, seu comicis præmissis, tragica deinde succedunt. eò sanè truculentiora, quod Thomistam ad tragicam palinodiam adegeris in eadem scena; cuncta enim hæc sunt scenica; eumque induxeris fatentem ullum sibi datum se ad gratiam sufficientem adstruendam à propositis suis, quibus, inquit, si obluctor, quid de me fiet? itaque casum Abbavillanum commemorat; denique hominem traducis, quasi hic rationibus privatis & humanis abductus, veritati Catholicæ renũciarit, quo quid possit de homine religioso dici queat, non video. Illum deinde inducis jactantem Bullam illam fictitiam contra Jesuitas imponentem, quod hi postea, ac demum Jesuitis imponentem, quod hi postea, ac demum Jesuitis imponentem, quod hi postea, ac demum Jesuitis

minimè damnavit, sed an in sensu Jansenii? id est, in sensu vulgari, & proprio, in quo dumtaxat Ecclesia propositiones damnare solita est; igitur proprius est hæreticus, sensu igitur Jansenii hæreticus: damnate igitur illas in hoc sensu, ut non jam verbo & voce, sed reipsa, Catholici sitis: res facti est, inquis, in quo Ecclesia erravit; hæreticam profectò vocem; loquela vestra vos satis manifestat, Hæretici estis; vos tamen, si Willelmo vestro credimus, sæculi vinculis exoluti, uni Deo servitis, unum Deum in animo habetis: quisquis ergo in Ecclesia aliquid potest, publicè à Præconibus curet, illud tuũ *notum omnibus esto*, quod longè melius in vos, quàm in Thomistas cadit; cum Jansenistæ dicunt, se damnare ubilibet quinq; Jansenii propositiones, ab Ecclesia damnatas, id eos velle significare, se nullibi damnare, nedum in Jansenii libro, sed eas maximè adstruere, cum negant & damnant gratiam sufficientẽ, quidquid enim mali quinque illis propositionibus inest, ex eo potissimùm provenit, quod per eas, gratia sufficiens ablegetur ut monstrosa, damnetur ut hæretica.

PROVINCIALIS Epistolæ Confutatio.

I. Est saltem, quod laudem hujus Epistolæ brevitatem, nam quò brevior, eò minùs mala; quamvis enim malum insit, immo nihil boni; quò minùs ineſt, minùs mali est. Montaltii literas, inquit, nemo non probat: itane verò? en tibi purum putum Jansenistarum stylum, cùm neminem illi præ se putent, quidquid ipsimet probant, non probare neminem dicunt, sat scio, ab iis, aliisque Hæreticis, impensè probari & putidè laudari, sed quoque scio, improbari à Catholicis, damnari ab Ecclesia, à Magistratibus æqui honestique amantibus flammis ultricibus addici. Addit, jucundas esse politioribus Aulæ ingeniis, scio, quos intelligat, illustres haud dubiè sibi patronos accersit, sed quæso te, an ipsi Aulæ? An Regi? cujus imperio & decreto, illæ satyræ, Carnificis manu, igni traditæ fuerunt; item non abhorrere à fœminarum captu, sat video, quid bonus ille captet; omnibus hæreticis id solemne fuit, ad suos errores propagandos, fœminarũ & Aulicorum opera uti, sed quis ad istiusmodi regulas fidem suam, Religionem suam? multa reticeo, & invitum sustineo stylum.

II. Addit, vix credibile esse, quantũ Montaltii literas nobilis quidam Academicus commendarit, cujus literarum longam laciniam exscripsit, facilè tertiam hujus Epistolæ partem; ille autẽ nihil prorsus ad scriptoris laudem, ne hilum quidẽ, sed totus est in meritis causæ, ut ajunt, cõmemorandis, illique, ut ipse testatur, in votis esset, proximam illam potestatẽ tot turbas, inquit, sine causa cientem, & quid sibi velit ignorantẽ, expellere, proscribere, profligare: sed quid hæc Theologica ad Grammaticorum Academiam? huc reverà quadrat tritum illud, *ne sutor ultra crepidam*; aut fortè aliud, sed præmodestia reticeo. Subnectit denique insignis fœminæ literas ad Amicam, in quibus, impensè laudat Montaltium, ejusque elegantissimas Epistolas; & rollit ad astra, fœmineo more, ingenium viri, judicium, eloquentiam, artem mirabilem, aliaque plusquàm eximia, sed hæc accipimus ad instar muliebris mundi; fœmineam laudem nec probo, nec invideo: id colum provoco, seu remitto: pro rectis & sanis rerum judicus, peritis standum est, nemo quippe de iis rectè judicet, quæ ipse nescit: Quid si ergo de Theologicis Academicus, de arcanis fidei mysteriis muliercula, surdus de musica, cœcus de pictura, stultus stolidus de subtilissimis scholarum apicibus, hæc sanè non à recta modò ratione & prudendi humanum usu, sed à sensu communi tam aliena, quidpiam aliud, esse, dixero.

III. Tritam & vulgarem paræmiam revocat in memoriam, Willelme, bonum vinum vendibile hederam non indiget: vix credi potest, quàm id vobis soleat fit; vestros scilicet & vestra adeò putidè præsumere laudare, extollere; alios verò & alienata deprimere, ut Annatus, si verbis & scriptis vestris fides habenda sit de rebus senex; Ferrerius à vobis læpius in effigie profligatus; Bagotius ineptus; Martinonius ignotus; Petrus à S. Joseph stupidus; Petavius nugator; Stephanus Dechamps garrulus; Pirotus immanis & inculentus; Nœtus vilis anser inter olores; Alidenus ex Societate scriptores, doctrinæ morum & fidei disruptores: immo præcones & emissarios ubique habetis & conducitis, qui hoc munere defungantur, ut verbo, adeò putida, ut dixi, & fœtida repetitione laudes vestras nobis obtrudere non cessatis, ut omnibus rectè sentientibus inde non leviter stomachũ moveritis. Montaltiũ vestrum non contemnendo ingenio esse, do, & fateor ultro; non tamen ingeniorum Deum & Coryphæum; nec ipse opinor, Arnaldus amens; stylo facili est, sed scurrili; adeòq; triger, fit frivolaritas interdũ absit; unde non mirum est, Fœminis & Aulicis arriserit; hi quippe nihil fere aliud libri captant; sed summa rerũ Theologicarum, earum præsertim, quas ipse versandas susceperit, insciæ & imperitiæ; satis bonum Geometrã duco; non tamen is est, qui Archimedẽ, Apollonium, alios; vel antiquos vel recentiores possit se reliquerit, ut ejus emissarii & laudatores conducti jactare non cessent, scripsisse libri de Cycloide, solvitq; abstrusa quædam problemata; sed ante illum, Torricellus eadem, aut maxima earum partẽ, quamquã citra demonstrationẽ solvent, item Lalovera, & quidã alii: unde mirum nomini accidit, quod ne ipsum quidem Torricellum appellerit: illum sanè, quamvis adversarium, sua laude fraudatum nolim, iis tamen laudibus quæ omnem fere hominum cogitationem superant, quas nonnulli, quo studio ducti, Deus scit, plenis buccis, calamis & manibus illi aspergunt, indignissimum reputo: quidnã voluntatem hominis spectat, pessima est, malignus, homo certè, si uspiam alius, nulla fide malis artibus, diabolica superbia, protervia, pertinacia, perfidia, pudore penitus prostituto, & nulla fronte: à Jansenio hominem discessisse, fama fuit, non tamen (quod rescivi à viris cognatione ipsi conjunctis) ut fieret melior, sed peior: cum enim Jansenistæ, saltem ad speciem, faterentur, Ecclesiam in causa Janseniana errasse quidem in facto, non tamen in jure, ab iis recessit, cum etiam erravisse in jure præfractè assereret.

TERTIÆ EPISTOLÆ Confutatio.

I. Dolorem, quem tibi censura Sorbonica intulit, premere voluisti, Willelme Wadrocki, erupit tamen in furorem & rabiem, & cum jocari maximè videri vis, vehementer baccharis, immò & furis, hinc tui compos esse non videris; Protheum agis, mille vultus induis, & mille trahis averso sole colores, ut simplicioribus & incautis rerumque imperitis, mulierculis præsertim, atque aulicis, qui jocis & risu omnia metiuntur, imponas: Hinc eadẽ asseris & negas, attollis & deprimis, ampli-

nificas & elevas; quàm varia, quàm contraria, quæ pugnantia; centies & millies tibi contradixi: nihil mirum, impostui, nescis, quid tibi velis & tua Censura Sorbonica, inquis, expectationem eorum destituit; expectabas enim, ut Hæresum flammam suffocaret; sed tanti apparatus, inquis, exercitus; Jansenistæ Hæreseos & schismatis parentes; Jansenistæ Hæreseos & schismatis patroni; Arnaldi secunda Epistola ad Sorbonam delata; Censores, Arnaldo, præ cæteris indoctis, ad recognoscendum deputati; nulli diligentiæ, nulli labori parcitur, ut quidpiam censura digna reperiatur; sed quid tandem? unam dumtaxat propositionem, eamque non prolixam censuræ & notæ subjecerunt, in quam tamen Arnaldus nihil nisi à Patribus excerptum congessit; summa illi, cum his omnibus, & nemo unquam, etsi id maximè postulavit, vel leviter ostendere potuit, in quo Arnaldi dictum ab Augustini & Chrysostomi sensu discreparet; eadem Arnaldi propositio temeraria, impia, blasphema, anathemate damnata, Hæretica pronunciata. Illud graviter de censoribus expostulas, quod fidem Arnaldum & de Arnaldo tam iniquè & acerbè judicassent, & tot horribilia verba contra eum protulerint; nimirum hæc, *venenum, pestis, lues, horror, amaritas, impietas, blasphemia, abominatio, execratio, execrationi, Hæresi*; quid gravius, inquis, in Arium, vel etiam Antichristum intorquere potuissent?

Sat video, quàm te altè censura pupugerit; sed quæ tandem illam elevas, undè illam plurimi æstimas; quibus, ut Hæresum portenta Sorbona suffocaret, nunquid amabò Arnaldi propositionem impiã, blasphemam, anathemate damnatam, Hæreticam nondeclaravit? nisi hæc monstra sint atque portenta, quæ eadem monstri & portenti expectares, divinare non possim; quis autem non videat, imò non stupeat tuam, quæ adstruis; nihil prorsùs in libro Arnaldi inventum esse, dicis, nigro theta dignum; quasi verò impia, blasphema, & hæretica proprio nomine in eo inventa, notata, damnata non fuerint? tam horrendi, tam grandes, ais, apparatus evanuerunt; sed an terribile fulmen abfuit, præfulguransne contra partas, cujus trisulco cuneo, Arnaldi doctrina contrita est? frustrà etiam horribiles illas voces, quas vix in Arium vel Antichristum quispiam torquet, & sine causa resonasse fingis, ac de illis inanes expostulas; nam revera doctrina hæretica pestifera, quæ facilè serpit, venenum, quod animæ vitam facilè extinguit; res demum quæ horrori, execrationi, abominationi Catholicis omnibus esse debet.

III. Indubitatum igitur hujus causæ statum habemus; Arnaldi secunda epistola ad Sorbonam delata, in examen Theologicum à deputatis censoribus vocata; censorum suffragia in generalibus comitiis exposita, & post accuratam disquisitionem, qua certè majorem aliquando adhibitam esse non invenies, in duas propositiones dicto libro contentas lata sententia; alterum scilicet facti, quia negat Arnaldus, quinque propositiones ab Ecclesia damnatas, esse in Jansenio; alteram juris, ninirum hanc, *Patres in Petro justum ostendunt, cui gratia defuit, sine qua, nihil possumus, in ea occasione, in qua Petrus excusari non potest.* Primam autem temerariam, scandalosam, injuriosam, Pontifici, Episcopo, &c. Alteram verò temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, hæreticam Sorbona declaravit; cur ergò tergiversaris, & tantum apparatum evanuisse, nec non in fumum abiisse conqueris? nullum certè fulmen absque fumo est; censuram etiam ludis ut inbellem, debilem, inanem, nullius momenti; cur ergò illam ut acriorem & severiorem justa esse dicis? crede mihi Willelme, suus exspectationi respondit eventus; nullum lapidem non movistis, & quem maximè timebatis comitiorum eventum, prohiberetis; omnes machinas & artes fraudemque multiplicem adhibuistis, eo fine; vim quasi apertam parabatis exerere, ut vel inde constet, quanti rem istam duceretis; sed tandem, singulari prorsùs Dei consilio, artes vestræ dissipatæ, dissectæ machinæ, fraudes elusæ, vis repulsa, horribilis sententia lata est, liber Arnaldi damnatus, & hic cum sociis ex Doctorum albo expunctus; quid tandem aliud Willelme expectasses.

IV. Hæc sunt notoria; sed quid tandem tu? nihil sanè, nisi excusationes in peccatis: negas hanc propositionem Arnaldi esse hæreticam; Sorbona, immò quod longè majus est, Ecclesia hæreticam esse, asserit, utri credendum? contrà verò asseris, Arnaldum cum SS. Patribus Augustino & Chrysostomo probè consentire; negat Sorbona, negat Ecclesia; utri fides habenda est? addis, nullam prorsùs Patres inter & Arnaldum discrepantiam adduci ab ullo posse, vel potuisse: negat Sorbona, negat Ecclesia, utri quæso standum? nonne Arnaldi propositio damnata, diserta & expressa pars est primæ propositionis ab Ecclesia damnatæ? quis ergò jure damnandam fuisse inficias eat? haud absimili modo Calvinus, Lutherus aliique hæreses suas tuerì possent: dicent enim illi, immò & dicunt, se cum Augustino aliisque Patribus omninò consentire. Sed consule, quæso, adducta Augustini & Chrysostomi, quamvis alioquin truncata loca, *Christus in Petro demonstrat*, inquit Augustinus, *non in se quemquam justum debere præsumere.* Quis hoc negat? Petro igitur sufficiens gratia defuit: quis, hoc ex eo sequi non neget? *Petrus ideò destitus est*, ait alibi idem Augustinus, *ut in illo, totum hominum genus posset cognoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere*; Quis amabò Catholicus hoc non admittat? Petro igitur defuit gratia sufficiens; quis hujus consequutionis vitium non agnoscat? destitus est Petrus, inquis, gratia igitur destitutus; ita est, nimirùm gratiâ efficaci, singulari, selecta, quæ maximè in eam peccandi occasionem quadrabat, idque justo Dei judicio, ut eum scilicet nimiæ præsumptionis, cujus pridie grande specimen ediderat, deindè pœniteret, aliique, Petri exemplo, ab ea caverent, non tamen gratia sufficiente; vana enim est hæc consequentia; defuit gratia efficax, igitur & sufficiens; quis non jam Theologus, sed Logicus id concedat?

V. Hæc tamen est Arnaldi vestri consequutio, Patres in Petro justum ostendunt, cui gratia defuit, nimirùm singularis, efficax; igitur defuit Petro gratia, sine qua nihil possumus, nimirùm sufficiens; falsa, erronea, hæretica consequentia: Patres quidem in Petro justum ostendunt, desertum & destitutum gratia; sed non dicunt, sine illa gratia, quæ Petro defuit, nihil fieri posse: sine Deo nihil certè fieri potest, ut rectè Chrysostomus, & sine gratia efficaci nihil fit, ut rectè Augustinus; at sine gratia efficaci nihil fieri posse, illi Patres nunquam dixerunt: dicimus etiam cum eodem Chrysostomo, lapsum Petri non tam fuisse negligentiæ, frigiditatis & socordiæ, quam ex defectu singularis illius gratiæ, & maximè congrui adjutorii, in tam urgente peccandi occasione; quia reverà de fervore & zelo, Petrus nihil remiserat; sed quia in gravissima illa tentatione, novâ fervoris & zeli accessione opus erat, quàm gratiæ sufficientis vi, quæ aderat, exerere potuit,

quamquam longè difficiliùs, huic difficultati volens succubuit, cui tamen, quamquam ut dixi, difficiliùs, potuit non succumbere, & cui reverà non succubuisset, si gratiam illam singularem & efficacem à Deo accepisset; peccavit igitur, licèt potuerit non peccare, si voluisset, & gravissimæ tentationi magis strenuè, seu majore nisu obstitisset; quia tamen illi obsistere arduum & valde difficile fuit, eidem volens cessit; jure igitur peccavit; Jure igitur, quidquid obgannias, Arnaldi propositio, à Sorbona, quid dico à Sorbona, ab Ecclesia confixa est, damnata est, quem pro Hæreticorum, vel Hæresiarcharum more, gemini delicti reum fuisse, constat; nimirum erroris impii, atque blasphemi, ac minimè ferendæ temeritatis, utpotè qui sanctos Patres in societatem erroris vocare non dubitavit.

VI. Jam verò primam illam tuam cantilenam repetis: postquam inquis, homines ad hunc modum se illusos senserunt, omnium animos tacita quædam subiit offensio, adeòque censoribus ipsis vulgò jam irascuntur, & ex totius rei gestæ serie, mira quædam, ad Arnaldum purgandum, argumenta colligunt; *Omnes*, inquis, *omnium animos*, atque ita ne unus quidem Catholicus restat; omnes ab Ecclesia transfugæ, ad Jansenii & Calvini castra transierunt; *omnes*, inquis, Jesuitæ igitur, Episcopi, Cardinales, atque adeò ipse Romanus Pontifex; *omnes* enim, inquis, neminem excipis; hæc ut dixi solita vestra cantilena est; tres aut quatuor Doctorculi, totidem ferè Leguleii, aliquot mulierculæ, pauci fortè cucullati, præter apertos Calvinistas, dicunt aliquid, vel approbant Heterodoxum; omnes, inquis, omnes, illud dicunt & probant; & pauci illi, juxta Onomasticon Jansenianum, *omnes* significant. Illud nobis profectò sat est, quod ipsa Ecclesia universalis, cujus Romanus Pontifex Caput est, eamque cum Præsulibus sibi subditis & unitis repræsentat, Arnaldi vestri Hæresim notarit, confixerit, damnarit, uti aliàs errores Jansenii, quos in hisce literis & notis renovas, ut disertè testantur Illustrissimi Episcopi & sapientissimi Doctores, in censura tui libri, vi cujus, decreto regio, flammis deinde publicè à ministro publico traditus est.

VII. Postea redis ad tuam solitam fictionem, qua in tribus hisce primis litteris, centies uti visus es; & hic miram inventionum penuriam mirari satis non possum, in eo præsertim homine, quem ut ingeniorum apicem prædicare non cessas: adisti quippe unum ex illis, qui sequestres, in quæstione facti fuerant, & ex eo, ut rerum istarum peritissimo, discrimen illud exquisisti, quo Arnaldi propositio damnata, à luculentis Patrum dictis, Augustini scilicet & Chrysostomi discreparet. Hic statim erupit in tui, suique Arnaldi encomia, à quo, ipso teste, nihil manarit unquam in publicum, quod non traditionis auctoritate undique fultum esset; ac proinde illius doctrinam tutam, sanam, catholicam esse; cujus tamen censura malis, artibus, à Molinistis procurata fuerit; censura, inquit, censura dignissima, ad tempus saltem iis profutura; post verò ipsi aliud subsidium quærent; in diem enim vivunt; Hinc Scenicus illorum Catechismus, supplicationis pro gratia sufficiente pompa, comedia, pictumque kalendarium, aliaque hujusmodi, ad futilis victoriæ commendationem: & hic illorum solertiam, calliditatem, prudentiam laudas, eo scilicet fine, ut tuus ille, quem sequestrem vocas, qui tamen totus vester est, non illepidum illud eruditi Theologi dictum insereret, nimirum Molinistarum consultissimos esse, qui astu multa tractent, parum loquantur, & nihil scribant; quidquid demum in comitiis gestum est, eorum astutiæ tribuit; & tandem in concludit; fac igitur, inquit, te compellans, ut ego toanimo sis, nec si damnatam propositionem ut pes, hæresim ea re metueris; quod Doctoris Molini testimonio confirmat, quem fingit, dixisse, propositionem illam in uno Arnaldo damnatam fuisse, orthodoxam tamen à quovis alio prolatam; nomen certè inquis, Hæreseos genus; Arnaldi doctrina heretica non est, sed ipse Arnaldus Hæreticus.

VIII. Cuncta hæc eò satis superque refelluntur, quò nudè & apertè referuntur; hominem illum peritissimum vocas, sed Jansenianæ & damnatæ doctrinæ, quàm palam profitetur; in censuras declamat, eamque censurâ dignissimam censet; omnibus haud dubiè, illorum est, qui exauctorati sint Albo Doctorum recens expuncti fuerant; præ Judicem ipsum & latam ab eo sententiam, qui ipse Arnaldus cum suis damnatus est, morsu ac dentibus dilaniare conatur; nolim tamen asserere, censuras omnes Sorbonicas errori obnoxias notare, cujus sanè prærogativæ laus Ecclesiæ dumtaxat ipsi competit; quamquàm hæc, quia Ecclesiæ censuræ omninò consentit, verissima, sanctissima & Sorbona digna est: non mirum est igitur, quòd hic homo Arnaldum laudet, socius socium, similis similem, Jansenista, pro more Jansenistam; quod autem Arnaldus nihil scripserit, quod traditionis auctoritate fultum undique non fuerit, falsissimum est, immò dictu erroneum; cùm enim non modò hanc, verùm etiam universam Jansenii doctrinam defendat, item damnati erroris de duplici Ecclesiæ capite, primus auctor & parens extiterit, immunis ab errore dici non potest, nisi ab errante, & similis furfuris homine.

IX. Quod verò censura Sorbonica malis artibus à Molinistis solicitè procurata fuerit, facilè dictu est, at probatu difficilè, immò impossibilè scium omnes, & voce publicâ constat, Jesuitas Sorbonæ non ita acceptos esse, ut illi ab ista tam gravis momenti re extorserint; demus tamen procuratse, ne tecum in omnibus contendamus; rem illi profectò sanctam, justam, & in hoc rerum statu necessariam procuraverunt, cujus nunquam eos pœniteret. Quod Jesuitæ, ut ait, in diem vivant, quasi fortè iis domi sit curta supellex, lepidum dictu, seu dictum sapidè tibi videtur: sed quid quæso illi? illud certè potissimum; servire Deo & Ecclesiæ, pro cujus & veritatis Catholicæ defensione, nullis unquam laboribus, industriæ nulli, atque adeò nec ipsi animæ, vitæ, & sanguini pepercerunt; hoc dumtaxat nomine illos odisti, idque communi & publico omnium aliorum Hæreticorum exemplo; quod verò spectat ad ea, quæ commemoras de Catechismo, supplicatione, comedia, kalendario, de quibus in meis notis dictum est abundè. Futilem porrò victoriam vocas, quam scilicet Ecclesia de vestris erroribus notatis, confixis, & fulminatis reportavit, utinam etiam de ipsis errantibus; si hanc pro futili habeas, nescio, quid solidum & firmum apud te futurum sit: Fatemur ultrò, insignem esse victoriam & plurimum de illa gaudemus; sed hanc futilis est, seu quod eodem recidit, vana & commentitia; hanc reverà futilitatem pluris facimus, quàm universam Jansenistarum solidita-

tem: dubito verò quàmplurimum, an Jesuitæ puerili dum-

damnaxat voce adversarios suos proterant; nullus meus dubito, quin obstinatissimi illi Dei ac divinæ gratiæ hostes ab Ecclesia non uno fulmine afflati contriti fuerint; ululant quidem frendentque ad horrendum, præ rabie, sed victis atque prostratis non-nihil forte indulgendum.

4. Quod attinet ad dictum lepidum eruditi Theologi, Samoiedis & Laponibus hæc fortè scribere cogitabas, aut certè mulierculis & cincinnatis Gallis, librorum juxtà atque scientiarum imperitis; quod enim Jesuitæ silendo & astu, rem suam, eadem fraude, hucusque servarint integram, & scribendo perdiderint, & quod tam multos auctores eosque doctissimos omnisque generis scripsisse, pœnitent, nemini certè, nisi stolidis nicrionibus tui similibus persuadebis unquam; sed est, quod ignoscam, si non temeritati, saltem justitiæ tuæ, utpote qui Jesuitarum libros nunquam lustraveris, aliquot mutilatis locis truncatis & adulteraris à sociis tibi notatis, seu dictatis contentus, & reliquorum omnium inscius, quæ vastissima Bibliotheca vix capet, in iis scurrilitatem tuam probare, vel exercere poteris. Apage igitur calliditatem illam, astutiam illam, quam Jesuitis affingis; apage hæreticam illam Doctoris tui rerum istarum, inquiebas, peritissimi, conclusionem, in qua scilicet, per summum omnium, Arnaldi errorem ab errore liberat: quàm illi quieto animo futurus sis, vix mente, seu cogitatione assequi valeo; propositioem illam Ecclesia damnare ut impiam, blasphemam, hæreticam; tu vero cum illo tuo, ut catholicam adstruis, atque defendis; & hæc quieto animo; vereor sanè, Willelme Wendrocki, ut conscientia callum obduxerit, cor Pharaonis obduratum sit; ad quietem illam earum perveneris, quam Lutherus tandem post viginti annos, quibus stimulis conscientiæ agitatus fuerat, obtinuit, ac demum victrix illa gratia, quam præcurrere non cessantibi defuerit. Et verò qui quis Ecclesiam non audit, quæ toties errores nostros corripuit, ille non jam mihi & omnibus Catholicis Jansenista est, sed sicut Ethnicus & Publicanus. Omitto impium illud verbum, quod perperam Doctori Meinio affingis; sine teste nihil volo tale; quis enim talia de homine Catholico eoque doctissimo & urbis infensissimo sibi persuadeat? sed vix à me retinere possum, quin hoc dicam; mitiùs haud duxit optima Parens Ecclesia erga vos se gessit; errores damnavit, non errantes; propositiones Jansenii, non Jansenium; Hæresim Arnaldi, non verò Arnaldum; quamvis Arnaldum solùm, non errorem illius damnatum fuisse, insulsè dicas: Mitissimum illum agendi modum Ecclesiæ mirari satis non possum, cui certè Arnaldus & alii justam & majorem quam par esset, occasionem dederant, non tantùm novos errores, verùm etiam contrà errantes sua fulmina intorquendi: Mos antiquus Ecclesiæ fuit, errores simul cum suis erroribus damnare; sic in Concilio Niceno, Arrius; in secundo, Macedonius; in tertio, Nestorius; Euticles in quarto; atque ita de cæteris, à quibus, quid in simili causa factitatum sit, nova rerum præteritarum non prorsùs ignaro proclivum est; præsertim verò (ut alia omittam) quid Constantiensi gestum fuerit, feralis busti fumus adhuc horrendum vestros oculos ferit; sed hæc plusquam necessaria apodosim Catholicis lectoribus faciendam reliquo.

5. Concludis denique, has contentiones Theologicas Theologorum quidem esse, Theologiam tamen non attingere; quid ergò est, inquis, cur Doctorum pugnæ nos inseramus, minimè Doctores; fateris, te Doctorem non esse, fatenti etiam non jurato plenissimam habeo fidem; de his enim rebus Theologicis ita loqueris, ut te illarum prorsus imperitum esse, apud doctos omnes constet; immò id, quod dicis, præteritas contentiones Theologiam non attingere, reverà evincit, te imperitos inter maximè imperitum esse; quis enim nescit, ad Theologiam hæc pertinere; an scilicet detur gratia sufficiens; an plena & proxima potestas non peccandi, homini peccanti insit; an detur gratia à se intrinsecè efficax; an is reverà peccet, cui deest gratia necessaria, ad hoc ut verè possit non peccare: hæc Theologiam non attingunt, inquis; Vah ignarum caput! immò in prima epistola hæc habes, quantus brevi Theologus effectus sim, jam taxo scias; hæc sunt igitur theologica; tibi ergò manifestè contradicis; sed id sæpè ac sæpiùs; Hinc illud efficaciter retunditur, quod scribis in admonitione; cùm enim Jesuitæ dixissent, te fassum fuisse, quod nec Doctor, nec Sacerdos, nec Theologus esses; admonitionis auctor, vel tu ipse, id nunquam, inquis, in ejus literis inveni; imò qui eas legerit, satis comperiet, quàm ille sit veræ Theologiæ gnarus; dixeras tamen, ipso statim initio primæ Epistolæ, *quanto in errore versati sumus; at illo me liberavit hesterna dies*, agnoscis opinor, tua verba, & altera pòst pagina, hæc addis, *quantus brevi Theologus effectus sim*; unde manifestè sequitur, te priùs Theologum non fuisse; si enim effectus es, antè non eras; antè, inquam, id est, ante alterum diem, cùm hesterna illa te inscitia liberarit; manifestè igitur tibi contradicis; quamquam frustra id fassus es, timendum quippe non erat, ne quis Theologus te haberet pro Theologo; adeò miserè & imperitè de rebus Theologicis disputas, quarum terminos, ut vocant, non intelligis. Ejusdem furfuris est, quod ibidem habes in admonitione; nimirum, nihil aliud de illo sciri, id est, de auctore literarum ad Provincialem, nisi quòd is Ludovici Montaltii, non Ludovicum Montaltium, ut dicis, nomen assumpsit; ut etiam in nomine fingeret; ita scurra, vel histrio nomen in scena mutat. Cæterùm nemo nescit, illum esse Paschalem, satis notum hominem, Geometram, ut jam dixi, non prorsus contemnendum, non tamen tam eximium, quàm aliqui illius emissarii prædicant: Scripsit aliquid de Vacuo, sed ratione satis vacuum, item de Cycloide, sed hæc ab aliis innominatis, majori ex parte, in alveum suum derivavit. Sed de hoc homine jam suprà, & fortè adhuc infrà.

* * *
* *.

QUARTÆ EPISTOLÆ Confutatio.

I. IN tuis dumtaxat erroribus adstruendis, consequentium cum antecedentibus connexionem, intactam & integram servas: in quovis alio argumento vix unquam, ut par est, & ex nexu consequentium ratiocinari, ut ajunt, videris: In hac Epistola gratiam actualem, ut vocant, ita explanas, ut prorsùs eam, una dumtaxat efficaci contentus, elimines; ita evolvis, ut è medio tollas; idque cum maximè necessaria est, ut illius ope, gravissimæ tentationi homo resistat. Est autem, quod Jesuitis gratuler, qui sententiam Catholicam tenent, oppositam tuæ, quàm ut Hæreticam Ecclesia damnavit. Proximam illam potestatem non peccandi, quâ pollet justus peccans, prima Epistola rejecisti, ut ridiculam; secundâ verò, gratiam sufficientem, ut monstrosam & semipelagianam ablegasti; tertiâ quoque, propositionem Arnaldi à Sorbona & Ecclesia damnatam mordicus defendis & vindicas à censura; in quarta demùm, quam discutiendam suscepi, hominem peccare vis, ex incogitantia & ignorantia insuperabili; quamvis alioqui voluntas non peccet, nisi volendo, nec feratur in incognitum; in eo tamen peccari vis, & imputari ad culpam; igitur in eo peccat voluntas, quod nec cognoscit, nec vitare potest, contra Augustinum; quod tamen in tertia propositione ab Ecclesia damnatum fuit. Hoc unum est ex præcipuis Jansenianæ doctrinæ principiis seu fundamentis, ignorantiam (Theologi invincibilem vocant, ego latiniùs insuperabilem) ignorantiam, inquam, juris naturalis insuperabilem, ignorantem culpæ non eximere; quod sanè Hæreticum dictu est, & damnatum ut hæreticum, in tertia propositione ut dixi; neque disputamus hoc loco, utrum in hoc, vel alio rerum statu, hujus, vel illius juris ignorantia insuperabilis esse queat; quod certè ad præsentem quæstionem non pertinet, sed disputandum Theologis ab Ecclesia relictum est; sed dato, & non concesso, ut ajunt, in hoc vel illo casu incogitantiam, vel ignorantiam insuperabilem revera intervenire, hæreticum dictu est, peccare illos formaliter, id est, iis imputari, & culpæ ac vitio verti, qui aliquid omittunt præceptum, vel admittunt vetitum, ex incogitantia, vel ignorantia insuperabili.

II. Sed, inquies, hominem Theologum non decet, in acres censuras adeò facilè prorumpere: præstaret sanè argumenta in hanc rem à nobis adducta, & à multiplici ratione petita, immò disertis SS. Patrum & conciliorum locis confirmata diluere: ita nuper cucullatus quidam: sed quæ tandem ratio illius sententiæ damnatæ? nulla profectò ratio divinæ fidei repugnat, an fortè ex eo, quod libertas à coactione sit satis; a page dictum hæreticum, an quod omnis gratia Christi Salvatoris à se intrinsecè sit efficax? error est, hæresis est: an quod in pœnam peccati originis, id fiat? fateor in pœnam peccati, necessitatem aliquid faciendi, vel omittendi, à Deo Judice statui posse, fieri tamen non potest, ut id, quod necessariò fit, vel omittitur, novum peccatum sit, & jure imputetur; nulla igitur ratio est, quæ sententiam illam damnatam vel minimum probabilem efficiat. Quod verò pertinet ad Scripturæ, conciliorum, & SS. Patrum loca, miror, tanti à nonnullis æstimari, quasi per hæc, ignorantiæ & necessitatis peccata adstruantur; quia nullo negotio explicari possunt; loca obscura scilicet & dubia, per expressa, clara & indubitata: nec enim clarus locus & expressus per obscurum & dubium; sed contrà, obscurus & dubius per clarum & expressum explicandus; nempe vel de ignorantia crassa, supina, affectata intelligi debent, vel de insuperabili quidem per vires dumtaxat naturæ, sic enim locus ille Concilii Diospolitani contra Pelagium intelligitur, vel de peccato materiali, in quod scilicet voluntas fertur, dum ignorat, peccatum inesse; unde materiale tantùm peccatum est; voluntarium scilicet voluntate *facti*, non voluntate *peccati*, juxtà Augustini loquendi modum, de quo infrà. Itaquam hac Epistola, id præsertim, non probandum quidem, quia nihil unquam probas, sed exprobandum suscepisti, nimirùm verè peccati per incogitantiam & ignorantiam insuperabilem juris naturalis.

III. Fingis statim initio, te data opera contigisse Jesuitam unum ex peritissimis, quem tanquam ad instar stolidæ pecudis & Morionis loquentem inducis, eâ simplicitate, inscitiâ, imperitiâ, ut nihil stolidius repræsentari posse videatur; ab illo igitur Jesuita Fabulino, sic eum deinceps circumphrasim appellabimus; ab eo, inquam, primùm scisciteris, quid sit gratia illa actualis; respondeat is, esse inspirationem Dei, quæ nobis divinæ voluntatis notitiam, & ejus implendæ desiderium affert; parum certè peritè; hunc tamen peritissimum esse dicis; vitiosa quippe est illa definitio; quia licet prædicta inspiratio sit gratia actualis, non tamen omnis gratia actualis est inspiratio; definitum igitur latiùs patet; igitur definitio vitiosa. Cùm autem satis commodè gratia in habitualem & actualem dividatur, & habitualis sit divina illa qualitas, quæ inest animæ, per modum habitus, eamque sanctam, Deo gratam, Dei amicam, & divinæ consortem naturæ facit; actualis erit quæcumque alia, quæ vel ad auxilium, vel ad Dei concursum naturæ non debitum facilè reducitur; illud porrò auxilium est, ad aliquid faciendum, vel omittendum; illud bonum, hoc malum: cur igitur vitiosam definitionem huic Fabulino per fraudem imponis? an sunt hæ ingenui Academici & æqui disputatoris partes.

IV. Pergis in fraude, eumque sic loquentem inducis; neminem in peccato jure culpari posse, nisi qui de illius pravitate divinitùs sit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus. Cur affingis ebrio, cur rem alioquin clarissimam verbis ambiguis involvis? dicimus tantùm, quo ad hoc non peccare illum, qui tenetur ignorantia insuperabili; dicimus, gratiam sufficientem tunc adesse, saltem ad orandum, quando sine illa peccatum fieri, vel omitti non posset; hæc est doctrina Catholica; impugnatis illam, sat scio, tot tantùm novis erroribus. Deinde, cur Simplicianum (ut simpliciter loquar) illum, seu Fabulinum ad Collationes redigis, ac præsertim ad Basnium? cur non ad Suarem, Vasquem, immò & ipsum Molinam, qui de divina gratia doctissimè scripserunt? quod tamen argu-

argumentum ad Theologiam moralem non pertinet: adduxisti Baunii citare voluisti, ut inde fugillandi occasionem & confixionem illius libri occasionem captares: quamquam exscripta Baunii propositio sanæ Catholicæ est; nemo enim peccat in eo, quod peccatum esse ignorat, ignorantiâ scilicet insuperabili; fortè negabis, quampiam ignorantiam insuperabilem esse posse; hoc stultum dictu est; perinsaneque si aliquis diceret, solem non splendere; caligat ecclesiasticus, immò & hæretici, in eo, quod dicitur peccati etiam ex ignorantia insuperabili; non tamen ideò stultitiæ veniistis, ut omnem omninò ignorantiam invincibilem negaretis, uti reverà non negatis. Nihil igitur aliud Baunius hoc loco, nisi laudem ignorantiâ insuperabili minimè peccare; quod tetè Hallerius in Baunio nunquam reprehendit, quamquam doctissimus ille Antistes Heterodoxis Jansenij placitis adhæsit. Illud porrò scurrile dictum, *ecce qui tollit peccata mundi*, alteri jam olim, nempe Baunius scriberet, nimirùm Dianæ, affixum fuerat; undè in te fortè illud, *imitatores servorum nostrorum*, quod Apologistæ occinuisti, longè melius quadrat.

V. Idem Annatus, idem Moinius, quorum locum scilicet dictante, tuus ille Fabulinus exscripsit, nimirum illud, quod fit ex ignorantia insuperabili, culpæ non verti, nec imputari; & hoc ipsum ch dogma fidei: nihil igitur est, quod hic nodosi, nisi genuino hæretico: duo tamen obsecro, pannum tuam fidem; dixerat Annatus, *qui nihil de Deo, vel peccatis cogitationem habet, nec ullo modo apprehendit*, nimirum peccatum inesse, quod Fabulinum tuum sic interpretantem inducis, id est, *nullo modo cognoscit*; pessimè interpretaris; aliud quippe est apprehendere, & aliud cognoscere; cum vel mera dubitatio sit satis, ut aliquid apprehendi dicatur. Nugaris deindè frigidissimè, & facetum agis; quam illam sufficientem, quæ non est sufficiens, iterum commemoras; distinctiunculas illas, quas mihi times, deprecaris; ignorantiæ ope, si fortè illa omnes culpæ, longè plures absolvi dicis, quàm gratia sacramentis: ad quid hæc nebulo? ridendo dicerem, nil vetat; Vah scurram impium atque impudentem! crede mihi, ignorantia illa insuperabilium tam frequens est, quàm tu ipse putas; tibi salem patrocinabitur nunquam; laboras quidem ignorantiâ, sed supinâ, crassâ & affectatâ, quæ nunquam te ac tuos eximat culpæ; hic autem præsertim pudeat & scurriliter exultas, nimirum in rebus tenebris, dum tuos illos integros, perfectos, plenos, inveteratos peccatores inducis, qui nunquam de Deo, vel amando, vel orando cogitant, ac proindè utique, non peccant; cùm ignorantiâ & incogitantiâ laborent; & hanc per jocum regiam viam appellas, quæ itur ad astra, quam si quis ineat, & in hac, & altera vita sit fœlix; O nequam! nemo istos ignorantiâ insuperabili teneri dixerit; peccant, crede mihi, & graviter peccant; vix in Luthero crucians inveterata conscientia, post viginti annos tantulùm pacata fuit, quamquam ad ultimum vitæ halitum, debiliores illam conscientiæ stimuli non defuerunt; idem inveterationis illis accidit; centies & millies hujusmodi homines redeuntes ad cor operam meam pro unica salute sibi poposcerunt, quàm certè iis ultrò obtuli, at semper comperi, nunquam iis defuisse, quicquam aliquem, quamvis alioquin tenuissimum ingenium, multo quidem opertum cinere, multa caligine, seu caligine obscuratum; nonnihil tamen saltem lucilæ semper affulsisse, & scisciranti mihi, an certi essent, se in tuto esse, omnes ad unum respondederunt, semper aliquid dubitationis fuisse.

VI. Abi ergò cum tuis illis inveteratis, quos nulla unquam ignorantia insuperabilis liberet culpa, peccant sine dolore, immò cum gaudio & gloriatione; ita est, fateor ultrò; item sine divino monitu, vel instinctu, non tamen sine aliquo, quantumvis leviissimo, conscientiæ stimulo; etsi enim adeò ipsis animus occalluerit in scelere, ut eos nulla ferè flagitiorum conscientia pungat & cruciet, nimirum ad sensum; nonnihil tamen, confusum scilicet & tantùm non insensibile restat, quod deindè, si animum advertere velint, mage sensibile fiat; nempè fieri non potest, ut certi sint, se in tuto esse, dum peccant: dato tamen, & non concesso, eò quempiam redactum esse, ut nihil prorsus conscientiæ resset, & omnes omninò stimulos excusserit, certumque sibi videri, res suas in tuto esse, quod tamen ut dixi fieri nequit, dato tamen & non concesso, in horrendum illud miseriæ barathrum prolapsum esse, id certè accidere non potuit, nisi præmissis innumeris, iisque non parum enormibus flagitiis, quorum Reus æternis cruciatibus addicetur, etiam si exilla hypothesi, falsa licèt, ignorantiæ insuperabilis, nova scelera non admittat: & ut rem istam præsenti confirmem exemplo; quamvis incredibili quadam obstinatione tuis erroribus adhæreas, & nullum conscientiæ stimulum, nullam etiam vel minimam dubitationem præseferre videaris, immò id altè prædices & jactes, cum tuis illis inveteratis, si tamen sincerè loqui velles, aut si aliquando ad meliorem frugem conversus, apud Confessarium exhomologesi tua, scelera expiares, illud à te sciscitantem, sincerè haud dubiè, ut par esset, responderes, nunquam tibi aliquid, obtusi saltem sensus, subobscuri luminis, & insensibilis quasi dubitationis defuisse, quod te ab errore, inefficaci quadam motione retrahebat; fortè inficias ibis; sed jurato etiam non credam, aut certè dicam, exilla falsa, seu ficta hypothesi, te ita in reprobum sensum datum fuisse, ut jam quasi damnatus sis, & non divinâ modò gratiâ destitutus, verùm etiam naturæ quodam lumine nobis insito, quò bonùm à malo, in plerisq; saltè distinguimus, aut leviter saltè dubitamus, an malùm insit, ac proindè intelligimus, teneri nos inquirere ac certiores fieri; undè vel ad Deum Patrè luminùm confugimus, vel doctiores consulimus. Crede mihi, Willelme, fieri vix posse putarim, ut is, qui aliquâ saltem vitæ partem inter Catholicos, aut certè inter humaniores incolas posuerit, ignorantia illa insuperabili juris naturalis laboret: abi ergò iterùm, cum tuo Jansenista, qui perperâ Jesuitis affingit, ab iis doceri, peccare neminem, nisi qui divino munere ante adeptus sit notitiam infirmitatis suæ, sanitatis desiderium, & votum à Deo illius exorandæ: quis unquam talia? illud unum dumtaxat, nunquam ferè deesse aliquid interioris stimuli, & insensilis igniculi, quamquam inefficacis; & si aliquando, urgente præcepto, à peccato absque divinæ gratiæ subsidio abstinerinon possit, nunquam illam deesse, aut certè si desit, adesse saltem gratiam illius exorandæ; quam si adhuc abesse dixeris, dicam, & certò dicam, est enim dogma fidei, minimè peccatum iri; & hoc nunquam, nisi ex ignorantia insuperabili, quam certè rerum illarum, quæ sunt juris naturalis, vix unquam, nisi fortè Barbaros inter, admittendam esse, putarem; multò minùs in te, tuique similibus, nullus enim etiam laxissimus Casuista vos eximat culpæ; quamvis alioquin in odio, calumniandi studio, errore, Hæresi, nec non pertinacissimâ obstinatione inveteratos.

VII. Lepidus porrò es, qui tuum illum Fabulinum ad Philosophos & Epicureos remittis; quasi verò tàm hi, quàm illi bonum à malo, virtutem à vitio, honestum à turpi, naturali ratione in plerisque saltem non distinxerint; quod autem erraverint in illo effato, *Divinum munus virtus non est, nec pro ea Deo supplicandum*; quid tum; an putas, hoc iis ita certum fuisse, ut demonstratum à se tenerent? cùm tanta sectarum varietas esset, & de suis quique sententiis inter se differerent, id certè clarissimè evincit, illud quidem ab iis assertum fuisse, non tamen ut certum & perspicuum; aliàs in disputationem non caderet; quis enim de perspicuis disputaret? idem prorsus de Idolorum cultoribus & Atheis dictum sit; illi enim dubitarunt saltem, an idola sua Dii essent; hi verò, an aliquis Deus esset? ac proindè ignorantia inculpata non fuit, cùm id scire neglexerint, quod non ignorare debuissent: si verò ne minimam quidem dubitationem, quantumvis obtusam & insensibilem in quibusdam non admittas, sed ignorantiam prorsùs & omninò insuperabilem, si quid ex ea, vel gestum, vel omissum est, culpæ non vertitur; sed cum alia multa sint delicta, ex ignorantia insuperabili non patrata, non deerit, isque sanè multiplex, æternæ damnationi locus: rectè autem ille tuus Fabulinus, quamvis alioquin pessimè suam causam agat; nec mirum, cum ea tantum expromat, quæ tutè illi suggeris, rectè inquam, dixit, nunquam peccavi sine aliqua peccati conscientia, saltem obtusa, confusa, & tantùm non insensibili; hæc enim Patrum & Ecclesiæ antiqua vox est, in eo non peccavi, quod caveri non potest.

VIII. Ea porrò scripturæ loca, quæ tuus ille Jansenista obiter indicavit, ut ex iis, cum Lutheranis & Calvinistis, rancida illa argumenta contra gratiam sufficientem peteret, nullo negotio explicamus; non negamus, *in tenebris*, & in *umbra mortis* Gentes habitasse, ac sedisse, in maximâ scilicet rerum divinarum ignorantia; non tamen insuperabili & inculpata: non fuerunt etiam *Dei judicia nationibus manifestata*, id est, expressè, clarè, disertè, ut Judæis & Christianis; & *Gentes à Deo dimissæ sunt, ut vias suas ingrederentur*; id est, singulari gratia eas Deus non prævenit; nihil tamen ab eis exegit, quod præstare illæ non possent, per vires naturæ, vel gratiæ, vel utriusque; & ita hæc loca Doctores omnes Catholici interpretantur: cur ergò non stas eorum interpretationi & sensui? & cur huic præfers Calvinianum seu Jansenianum? Quod attinet ad zelum indiscretum Pauli, & ad Christum cruci sustigentes, nemo Catholicus neget, Paulum in hoc graviter peccasse, item illos, qui Christum Dominum Cruci affixerunt; quamvis enim nescirent, quid facerent, hæc tamen ignorantia supina & crassa fuit, ac proindè culpæ obnoxia: nec obstat tantum scelus non admissum iri, Paulo teste, si Christum novissent, expressâ scilicet, & clarâ notitiâ; hoc enim non facit, quin talis ignorantia cum gravissimo delicto conjuncta fuerit: sic omnis peccans est ignorans; caret enim aliquâ cognitione, qua si polleret, revera non peccaret; satis tamen lucis affulget, ut possit non peccare, si velit: quod demum aliqui, dum peccant, credant, se obsequium præstare Deo, minimè nos urget; cùm per vitiosum errorem id credant, qui cùm insuperabilis non sit, inculpatus non est; nec obstat, prudentes alios, alios imprudentes peccare, & utrisque paratam pœnam, quamvis imparem; quis enim negat, eum gravius peccare, qui data opera & consultò peccat, quàm alium, qui ex ignorantia, crassâ licet, atque supina, ac proindè graviori pœnâ plectendum.

IX. Fabulinus, inquis, tot testimoniis evictus, de gradu dimoveri cœpit, & infideles ac impios habere, sine instinctu peccare sinens, de justis saltem abnui non posse dixit: pedem refert; O bone! ipse hunc pedem agis ad nutum & pro merito arbitrii circulatoris ad instar, pupas ad choreas in scenis tripudiantis inducentis. Sed hic quoque tuus Jansenista justos etiam ex ignorantia peccare, dicit; hinc justi occulta delicta deprecantur; hinc peccatorum numerum & magnitudinem solus Deus novit; hinc nemo scit, amore, an odio dignus sit; hinc denique Paulus, quamvis nihil sibi conscius esset, ex hoc tamen, se minimè justum certò reputabat: sed quam hæc rancida, Willelme; quàm putent, quàm fœtent quis amabò neget multa peccari à nobis, per ignorantiam crassam & supinam, quæ deindè nos fugiunt vel admissa olim fuisse, quæ memoria exciderunt, ut proindè nobis occulta restant? quid ni ergò precis ad Deum fundimus, ut ab occultis nostris nos mundet? idem de peccatorum numero & gravitate dictum sit; sed an fortè id admissæ culpæ nos erunt, quod nec præteritarum noxarum numerum, nec etiam gravitatem calleamus? quod verò nescimus, amore, an odio dignus sim, ad patratum scelus nihil attinet, nec inde justus quispiam censendus est, quod admissæ culpæ memoriæ non occurrant; Rem tamen, quod illas admiserit: sed quid hæc ad præsentem controversiam, quid ad gratiam actualem ejusve necessitatem? igitur more suo, tuus ille Jansenista ex his concludit, justo, cum peccat, gratiam actualem deesse. Hæc ipsissima est Arnaldi propositio, à Sorbonâ ab Ecclesia damnata; cur igitur caput illud damnatum orco, in exosam lucem reducis? insciliæ quidem accuso, utpote qui distinguere nescias, ignorantiam insuperabilem à superabili, sed cum insciliâ malignam mentem & multam calumniam conjungisti: ex te gemini delicti reum esse constat; nimirum explicitæ malitiæ, & crassæ, supinæ, affectatæ ignorantiæ, quæ nunquam te gravissimæ culpæ eximat.

X. Locum Augustini truncatum, vel uno verbo infinuas, *necesse est*, inquis, *peccet, à quo ignoratur justitia*, non tamen librum, nec tractatum, nec caput, nec numerum appellas; velles decem, vel undecim Augustini tomos à me lustrari, ut locum illum invenirem; quamquam si operæ pretium futurum esset, in Augustino Iprensi potiùs, quàm Hipponensi facilè invenirem; sed nihil opus; cum facilè explicari possit; necesse quippe est, ut peccet, à quo ignoratur justitia; ignorantia scilicet affectata, supina, crassa, aut certè insuperabili, per vires dumtaxat naturæ, non gratiæ, quas orando consequi possumus, si forte non curemus, nempè ignoranti non imputatur ad culpam, quod invitus ignorat, sed quod negligit quærere, quod ignorat? & nemo in eo peccat, quod caveri non potest. Mox Aristotelem à tuo Fabulino laudatum profers, cui scilicet id voluntarium, quod fit à principio cognoscente singula, in quibus est actio: sed mi homo, non tantùm peccatum est voluntarium, sed liberum; nempè licet omne liberum sit voluntarium, non tamen vicissim omne voluntarium liberum; scio, liberum à coactione, non tamen à necessitate vobis satis esse ad rectè agendum & peccandum; sed scio, hunc errorem ab Ecclesia jure damnatum esse; quamquam (& hoc gratis addo) ne voluntarium quidem

& quod per ignorantiam insuperabilem, vel admissum vel omissum est; quod enim penitùs ignoratur, nullomodo cognoscitur, neque voluntas id vult, quę ignoratur in incognitum.

XI. Retorques deinde in adversarios ipsummet Aristotelem, qui lib. 3. moral. cap. 1. dicit, omnem imprudentem ignorare, quæ oportet agere, & à quibus abstinendum sit; & propter tale peccatum, injusti & mali efficiuntur; involuntarium verò vult esse, non si quis ignorat, quod conducibile est, non enim quæ in electione est ignoratio, causa est involuntarii, sed improbitatis; neque ea, quæ est universi (rerum universalium) vituperantur enim propter ignorantiam, sed ea, quæ singularium est, in quibus, & circa quæ est actio. hic purus textus est Aristotelis, quatenus est ex Græco, cui etiam consentiunt aliæ versiones Lambini, Fælciani, &c. Utinam stares verbis Willelmæ præmissis Philosophi verbis; loquitur enim Aristoteles de ignorantia supina & affectata, qua scilicet laborant interdum, qui malè agunt, & promptitudinis, seu voluptatis studio abrepti, scire & meminisse negligunt, quid reverà hîc & nunc expetendum sit. negligunt, inquam, cùm id scire possint; unde ignorantia est insuperabilis ignorantia, sed crassa, quæ quidem eximit culpæ: immò non tam causa est involuntarii, quàm pravitatis; nempe inde maximè pravus & improbus homo censetur; unde illa, per circumstantiam negligentiam vel removet, si jam adsunt, vel retardant, quæ ad rectè vivendum necessaria sunt, quæ principiorum universalium ignoratio non eximit culpæ, quia hæc quilibet aut tenet, aut tenere facilè potest, si velit; secus tamen ignorantia singularium, non tantùm accidentium, quæ nostris actibus circumfunduntur, ut temerè asseris, sed ipsiusmet substantiæ; frustra autem ignorantiam juris ab ignorantia facti distinguis, quo ad hoc scilicet; quia ut ignorantia insuperabilis juris eximit culpæ, quia ignorantia insuperabilis facti; & tam ignorantia supina, crassa, affectata vertitur culpæ, quàm ignorantia juris ejusdem generis; nimirum quo ad forum conscientiæ; nam quo ad forum fori, ut vocant, non parum interest utramque discriminis interstitio; in quo scilicet ignorantia juris nunquam præsumatur, nisi probetur; præsumitur enim quisque id scire, quod scire tenetur: at posito, seu dato, quòd aliquis laboret ignorantia juris insuperabili, sive naturali, sive divini, sive humani, haud dubiè eximit culpæ, & hoc certa fide tenendum: alioquin ad meritum & demerendum non requiritur libertas à necessitate; quod tamen ut hæreticum ab Ecclesia damnatum est.

XII. Fateor tamen, nunquam ferè intervenire ignorantiam insuperabilem juris naturalis, 1. inter Christianos; 2. inter politiores & humaniores populos; quò ad principia universalia naturalia; 4. exceptis forte possent nonnulla longo usu apud aliquas nationes inducta; sed hæc negotium minimè facessunt. Non nego tamen, aliquando, immò nec rarò accidere, ut ignorantia facti sit causa involuntarii; ut cum quis putans esse feram, occidit amicum, quam negligentia illa rem accuratiùs inquirendi, ipse vertatur; unde non imputatur ad culpam, quòd amicum occideris, quem amicum esse nescieris, sed quòd antequam sclopum explodares, accuratiùs non indagatis ut certior fieres. Ille Augustini locus excerptus ex lib. 1. retract. cap. 15. ea certè fatetur ac felicitate à nobis explicatur, ut non pateat causæ nostræ, doctrinæ scilicet Catholicæ suffragatur, qui nesciens, inquit, peccavit, quia voluit, fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit, ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit; haud dubiè hoc loco sanctissimus Doctor de peccato materiali loquitur; nempe eo modo peccamus, quo peccare, seu peccatum volumus; sed quisquis ignorat, ignorantia scilicet insuperabili, aliquid peccatum esse, si fortè illud velit, vult tantùm peccatum materiale, id est, vult illud, quod reverà per se malum est, & si tale, quale est, cognosceretur, haud dubiè peccaret; quia peccare vellet; atqui vult illud sub ratione facti, non sub ratione peccati; illud autem peccatum materiale cum Theologis vocamus; vult enim illud facere, quod facit; ergo est voluntas facti; quia tamen nescit, factum illud cum peccato esse conjunctum, non vult peccatum; immò factum non vellet, si cum peccato conjunctum esse, cognosceret; non est igitur voluntas peccati; igitur non est peccatum, formale scilicet, sed tantùm materiale, ut dixi, nec in rem nostram Augustinus magis appositè scribere potuit.

XIII. Inde Fabulinum aliquantulum conturbatum vobis visum fuisse, dicis, magis adeò propter Aristotelis, quàm propter Augustini testimonium; quasi verò erroribus vestris, vel minimùm faveat Aristoteles: sed quid amabò vobis est cum Aristotele? de quo, ne quid dissimulem, cum Heroe vestro libentissimè disputarem; quamquam hic Luciano potiùs, quàm Aristoteli addictus sit; gravior enim Stagiritæ sapientia in scurram, histrionem & ridiculum Puparum choragum vix quadrat. Cùm autem ille ad respondendum se compararet, inquis, nunciatur, Mareschallam N. & Marchionissam N. adesse, & ipsum conventum velle; statim propripuit sese, responsum iri pollicitus à suis illis acutissimis; sensimus, cur ita properaret. Si per gravitatem Theologicam tecum paulò liberiùs jocari liceret, res sanè muliebris uberem vobiscum jocandi mihi materiem præberet; quantum illi vestri fœmineo sexui serviant, non est, quod dicam, cùm vox publica sit; scio, scio, aliquos esse, qui non pauca nummorum millia inde corraserint; immò in devotabus vestris, ut vocant, maximam spei vestræ, famæ vestræ, causæ vestræ partem semper hucusque posuistis; prudenter sanè, secundùm carnem & sanguinem; nec infœlix spei nostræ respondit eventus; quid enim fœminæ potentes auro, forma, gradu, aliisque naturæ & fortunæ subsidiis non possunt? omitto illud ultimum; *sensimus cur ita properaret*; sat video, quò spectes; & quid reponi à me possit; sed ea facilè cuique veniunt in mentem, quæ sunt ipsi maximè familiaria. Quod demum Amicus ille tuus addidit, nusquam Jesuitas licentiùs, & flagitiosiùs, quàm in morum doctrina peccasse, atrocissima calumnia est, quàm in hac literarum, seu veriùs, satyrarum tuarum confutatione, abundè sanè diluam, & horrenda illa, ut vocat exempla discutiam, quæ tum illa subjecit; huc volo te, ut vel inde manifestum fiat, in hac causa, nihil horrendum esse, præter tuam tuorumque omni majorem cogitatione malitiam, & pertinaciam, cum inaudita & incogitabili hactenus maledicendi & calumniandi libidine conjunctam; erit, quod miretur posteritas, eam librorum farraginem & colluviem ex officina vestra prodiisse, quæ nihil, non jam Christianum dicam, sed ne humanum quidem præsefert, & quàm urbaniores Hæretici minimè tolerarent.

QUINTÆ EPISTOLÆ Confutatio.

I. AD pleniorem & clariorem hujus Epistolæ, aliarumque succedentium confutationem, pauca quædam præmittenda esse, putavi, excerpta scilicet magna ex parte ex aliquot schedis, sparsim ac seorsim vernacula Francorum lingua editis; tibi quidem exprobranda, Willelme Wendrocki, aliis verò prudentibus hominibus pensanda & ponderanda. Primum est, eo dumtaxat fine, ferventis controversiæ argumentum à te tuisque mutatum fuisse, & à Theologicis dogmatis, ad quæstiones morales traductum, ut hallucinatione, seu frustratione hujusmodi, solemnem & canonicam errorum vestrorum damnationem hominum oculis, immò & cogitationi subduceretis, atque ita secundus fortunæ status Jesuitis in adversum deflecteret: sic olim Athanasium Ariani; nempe, ut errores suos à fortissima illius impugnatione vindicarent, varias in eum calumnias ad rem ipsam minimè pertinentes, retorserunt, ut jam ille ad propriam defensionem, alienâ impugnatione relictâ, se converteret. Quid enim amabò ad quinque propositiones damnatas Jansenii, hæreses Arnaldi, blasphemias Aurélii, quid ad ignorantiam insuperabilem, quæ per vos non eximit culpæ, ad gratiam à se intrinsecè efficacem, quæ necessitatis vincula nobis injicit, quid, inquam, ad hæc, aliaque hujusmodi, quædam quæstionum moralium minutiæ, ut sic loquar, de jejunio, de usura, de simonia, de occasione proxima, aliisque similibus, quæ à Casuistis, ut vocant, agitantur? errores vestros subducere voluistis, ut jam dixi, sed Ecclesiæ decreta, in re divinæ fidei, nulla unquam oblivione, nullo, longissimi etiam temporis cursu obliterantur; errorumque Jansenii & Arnaldi, utì & Calvini, Lutheri, Nestorii, Arii, post centum annorum myriadas, si tamdiu duret mundus, semper in Ecclesia recens erit memoria.

II. Qua verò prudentia & conscientia, sub unum Christianorum aspectum illa omnia, quæ mores utcumque laxant, adduxisti? in Theologorum libris, huc illuc seorsim dispersa, vix unquam in oculos legentium incurrebant; tu ad cumulum omnia congessisti, & ad perpetuum charitatis vestræ monumentum: si Jesuitis tanto vitio & opprobrio vertis, quòd ea seorsim scripserint, nec unus quidem omnia, sed hic unum, ille aliud, neque hæc populis nocere queant, cùm iis non prostent; nonne tibi tuisque longè majori opprobrio versum iri, putas, qui omnia simul in unum quasi monstrum horrendum ingens compegistis, & muliercularum oculis subjecistis, quæ cùm rerum hujusmodi sint imperitæ, verum à falso, certum à dubio, tutum à crepero discernere non possunt; nec est, quòd idem aliqui Jesuitarum Apologistis opponant, quod scilicet in eodem libro laxas opiniones, quasi in acervum compilarint; hoc enim ab iis justæ defensionis jure factum esse, constat; utpote qui alia refutare non possent, quàm quæ ipsis fuerant objectata. Mens tibi fuit, sat scio, doctrinæ Societatis invidiam conciliare, & quemdam illius horrorem populis incutere; sed profectò res tibi pro votis minimè successit; paucis enim Catholicis persuadere potuisti, Jesuitas esse Theologiæ moralis corruptores; *paucis*, dixi; quia non dubito, quin aliqui (quo studio ducti, Deus scit, vitioso certè & parum christiano) vestris partibus adhæserint, quodam pietatis & castigationis vitæ obtentu; cùm reverà probarit eventus, illos tandem vestris eruditionibus, factionibus, fraudibus, & malis actibus fuisse illaqueasse, ut errantes inter reformatos, ut vocant, recenseri posse videantur.

III. Hæ tuæ literæ nihil ferè novi; meta compilatio est atque farrago, illius scilicet libri simul ante aliquot annos in lucem editi, & inscripti hoc titulo, *Theologia moralis Jesuitarum*; eadem quippe auctorum loca citasti, immò & falsasti, præter unum, vel alterum; dissimulasti tamen tres Jesuitarum Apologeticos, à Caussino, Annato, Meinio, eodem tempore scriptos, quibus certè prædictus liber non refutatus modò, sed penè obrutus fuit; ea verò loca ita scurrili & plusquam histrionico stylo compositi, consuisti, contexuisti, ut non tam Theologica disertatio, quàm ludicra, seu comica circulatoris fabula esse videatur.

IV. Loca porro illa ita falsasti, ita Auctorum mentem adulterasti, ut nihil unquam in hoc genere lentius excogitari possit; imponis auctoribus, sed nulla fronte, eaque affingis, quæ nunquam iis in mentem cadere potuerunt, truncas loca; in unum alios multa, & unum in multa dividis & multiplicas; omittis etiam annexas ab iis conditiones, restrictiones, limitationes, ut vocant, aliaque adjuncta; & hæc ut risum lectoribus moveas: ita prorsus hæreticis scripturæ & Patrum loca; ita Calvinistæ, ita Jansenistæ; uno verbo, nihil unquam impudentius, nihil petulantius, nihil unquam majore & liberiore calumnia scriptum esse putarim.

V. Res sacras, Theologicas, morales, quæ ad conscientiam, salutem animæ, christianos mores pertinent, ludicro, scurrili & histrionico stylo discutiendas & tractandas suscepisti, in quo non Petrum Molinæum modò, non Erasmum, non alium quempiam ex recentioribus Eterodoxis, sed Lucianum ipsum, Porphyrium & Julianum apostatam superasti: rem prorsus Christiano indignam; illud quippe hæreticis solenne est, tibi certè accruis, ut cum veritate, rei scientia, & bona causa destituantur, ad ludicra, comica & scurrilia confugiant; risum saltem & plausum, circulatorum more, in turba excitent; quod reverà in te summum fuit: quid enim aliud tuas literas commendavit? sed juxta sapientis monitum, stulti guam blasphemantium, vel ut textus Hebraicus, irrisorum odi.

VI. Toti Societati tribuis, quod fortè uni dumtaxat, casu potiùs, quàm arte ac deinduſtria excideriti quo jure, mi homo? fieri enim non potest in tanta voluminum multitudine, quin duo, vel tria verbula malè collocata, & quasi per incogitantiam in chartam projecta fuerint, & quandoque bonus dormitat Homerus; quo jure, inquam, omnibus, quod tantum uni? an Sorbonæ universæ Arnaldi hæreses, Richerii errores, Gersonis, Almaini, & paucorum aliorum singulares sententiæ adscribuntur? an fortè omnes Episcopi damnandi, quòd ex iis plurimi hæreticum, immò hæresiarchæ fuerint? an Apostolis fraudi & vitio Judæ proditio vertenda? deinde, si uni ex Societate, vel Baunio, vel Escobario, quos inter classicos, ut vocant, recensendos esse aliquis fortè non putaret, aliquid paulò liberius excidit: nunquid non reliqui omnes, iique gravissimi, & primæ notæ, scripserunt illud deinde refutarunt? nonne illa Societatis doc-

trina

dus censetur, quæ multorum & ferè omnium est, quique præcipuorum, non verò unius, vel alterius recentioris non adeò conspicui?

III. Jesuitas illarum opinionum auctores fecisti, quas aliis auctoribus, libris in lucem editis, traditas docuerunt, & in omnibus ferè christiani orbis Academiis propugnatæ, in pulpitis assertæ, in prælectionibus explicatæ, in consiliis commendatæ, antequam Societas Jesu instituta fuisset: cur ergo Jesuitis omne commune est? an Jesuitam esse, crimen est? Nihil prorsus Jesuitis exprobras in tuis literis, quod à te affictum non fuerit per calumniam, aut depravatum atque falsatum per fraudem, aut adulterinum, truncatum, auctum, imminutum & commutatum de industria, reticitis omnibus limitationibus, conditionibus, restrictionibus & adjunctis; aut quod ab aliis auctoribus Societatis tuæ, sed verum, quod ab aliis auctoribus Societatis multum & confutatum, immò ab aliis quàm plurimis Societatem, tum antiquis, tum recentioribus, etiam ex Sorbona, & ex quolibet Ordine scriptoribus traditum non fuerit. Sed quid faceres, illud tamen Societati solemne est, ut variis persequutionibus etiam ab ortu ipso, divexata fuerit: à quibus quoniam ab hæreticis, politicis, liberioris vitæ hominibus, æmulis quoque, cùm etiam intraverit Satanas in eos, velut Iscariotis, qui erat Apostolus; neque inde quoque, parum laudis & gloriæ Jesuitæ referunt, quod in hoc sanctissimis hominibus, immo & Christo Domino similes censeantur.

IV. Cùm te insignem Jansenistam esse constet, (tametenim Jansenii & Arnaldi in primis quatuor libris, & in tribus ultimis palam profiteris) & fateatur aliquis, nec Doctorem, nec Sacerdotem, nec Ecclesiasticum esse, in quo certè tuam prudentiam laudo, quia & resita se habet, (Paschalis enim, quem tu refers tuam esse, constat, nec Doctor, nec Ecclesiasticus, nec Theologus unquam fuit) & turpissimum esset, Theologum, vel Ecclesiasticum in rebus hujusmodi, scurram & histrionem agere; ex his, ni fallor, recte concludere possumus, nullam tuis scriptis fidem habendam esse: quis enim Jansenistæ tantùm non parænetico Jesuitis calumnias affingenti fidem habeat? quis laicum res sacras tractantem non rideat, immò non horreat? ecquis non miretur, profanum hominem omnium sacrorum & ecclesiasticorum munerum supremum moderatorem ac restauratorem agere? imperitum etiam, nec Doctorem, nec Theologum, utramque Theologiam, moralem scilicet & scholasticam, ut vocant, restaurandam, immò unquam abolendam, & novam ex principiis vestris condendam atque inducendam suscipere? ita igitur stupidi, acte gessisti, præmissâ scilicet liberâ illâ confessione, ut risum legentibus moveas, & miserum Ecclesiastes, & Fabulinum illum tuum in ludicram fabulam inducas, ad plausum vulgi & risum; do ultrò; nihil enim magè ridiculum unquam; quod tamen non laudo; immò do ultrò, te ita scripsisse, ut multi te insanire viderent, eosque redderes ridiculos, satis patienter tulere: sed quòd aliquis verè Catholicus, & mediocri saltem prudentia tuis calumniis non habeat, & renunciato antiquo Theologiæ modo usu, novum ex tuis legibus instituere conetur, non possum inducere in animum, ut credam; quippe enim factu est, pro rebus fidei, hæreticum; pro sacris, profanum; pro ecclesiasticis, laicum; pro Theologicis, Theologiæ rudem; pro serio demum ritæ cultu & salute, scurram & histrionem consulere, ejusque consilia non laudare modò, sed ad usum & praxim reducere; nisi hoc stultum sit, immo stultitiam omnem superet, veritas omnis & demonstratio renuncianda est.

IX. Ut ex libro illo, cui titulus, *Theologia moralis Iesuitarum*, illa ferè omnia excerpsisti, quæ Jesuitis à te afficta sunt, ita illius libri auctor, omnia ferè ex libro Petri Molinei, de traditionibus Romanis excerpsit; & ut Molineus Calvinum, ita uterque Molineum imitari voluistis; tu verò præsertim ac præcipuè, cùm & vafrum ingenium, & scurrilem Molinei stylum non assequutus modò fueris, verùm etiam longo intervallo superaveris: nonnemo brevem illorum delectorum habuit, quem saltem obiter indicare non pigeat. Molineus pagina 350. Bellarmino exprobrat, quòd eam gratiam sufficientem admittat, quæ sit sufficiens & non sufficiens; illud quidem ex hypothesi; hoc verò, quia non habet satis efficaciæ, igitur sine efficaci non sufficit. tu verò epistola 2. pag. 13. editionis Colonienfis, eadem Thomistis, qui Jesuitis assentiuntur, inquis, in gratia sufficiente omnibus data, at neminem cum ea sola rectè agere volunt; sufficit igitur, & non sufficit. Molineus pag. 329. Navarrum sugillat, eò quòd dixerit, ancillam, quæ meretrici famulatur, in iis, quæ per se mala non sunt, ut sternere lectum, aperire fores, ferre literas, aliisque hujusmodi, lethalem noxam non admittere. tu epist. 6. pag. 126. Escobarium, & pag. 127. Baunium, hoc nomine, & iisdem ferè verbis. Molineus pag. 327. Navarrum corripit, docentem, quòd ad servandum honorem integrum, liceat hominem occidere, & viro nobili, aggressorem interficere, ne vel cum infamia fugere cogatur, vel fuste percutiatur. tu epist. 7. pag. 160. Reginaldum, eò quòd Navarrum sequatur. Molineus pag. 335. D. Thomæ & S. Antonino insultat, quòd dicant, mercedem impudicitiæ, quam meretrix accepit, jure naturæ non esse restituendam. tu epist. 8. pag. 184. Lessio, quòd idem doceat. Molineus pag. 335. & 336. D. Thomam & Toletum objurgat de falso teste; adstruentes, quòd pecuniam pro falso testimonio acceptam, restituere non teneatur; tu epist. 8. pag. 185. Escobarium, qui hoc tenet: Molineus pag. 319. Vasquem castigat, qui docet, creaturam adorari posse; tu verò epist. 5. pag. 61. Jesuitas, qui Sinas, inquis, docuerunt, idola in speciem adorare. Molineus pag. 341. & 342. D. Thomam & Navarrum carpit, quòd doceant, in tabulis legis, nullum fidei & charitatis præceptum contineri; tu fusè Sirmondum, ea de re not. 3. in 10. epist. à pag. 251. ad 284. Molineus pag. 343. Emmanuel. Sa suggillat, quòd dicat, potu jejunium ecclesiasticum non violari; tu epist. 5. pag. 65. propter idem, Escobarium. Molineus eumdem Sa corripit, pag. 405. docentem, illum absolvi posse, qui occasionem peccandi proximam relinquere non vult; tu epist. 5. pag. 66. propter hoc idem, Baunium. Molineus pag. 312. Toletum arguit, quasi simoniam licitam esse, doceat; tu epist. 6. pag. 122, de hoc ipso Valentiam & Tannerum. Molineus pag. 334. reprehendit acriter Navarrum, qui docet, non teneri hominem aliena restituere, si absque honoris jactura restitui non possint; tu epist. 8. pag. 182. ea de causa Lessium. Molineus pag. 342. Navarrum refellit, docentem, minus malum consuli posse; tu epist. 8. ibidem, Vasquium. Molineus pag. 335. invehitur in Emmanuel. Sa, docentem, licitum esse pauperi, furari diviti, qui ei tenetur succurrere; tu epist. 8. pag. 184. in Jesuitas. Molineus pag. 337. mordet Toletum, quia docet, eum non peccare lethaliter,

liter, qui sine plena deliberatione, hominem occidere voluerit; tu epist. 4. pag. 36. Baunium, ut supra vidimus. Molineus pag. 336. Navarrum arguit, quòd restrictionem mentalem aliquando approbet; tu epist. 9. pag. 210. de hoc ipso, Thomam Sanchez. Molineus ibidem Navarrum pungit, quòd dixerit, aliquando crimen patratum negari posse, per amphibologiam; tu ibidem, pag. 211. propter hoc eumdem Sanchez. Molineus pag. 323. Navarrum accusat, eò quòd docuisset, non esse blasphemiam, jurare per corpus, vel sanguinem Christi; tu Baunium cum auctore Theologiæ moralis, sect. 3. prop. 5. omitto alia, ne tædium legenti afferam.

X. Addo tamen tria, primum est, præmissa omnia non tantùm contineri in utroque libro, nimirum Petri Molinei, & Theologiæ moralis Jesuitarum, verùm etiam eodem ordine, eadem serie argumentorum, puta de præceptis Decalogi, de Sacramentis, de regimine Ecclesiæ, &c. Secundum est, alia quàm plurima restare, in quibus cum Molineo consentis, putà de cultu Deiparæ, contritione, salutis facilitate, Dei liberalitate; immò (& hoc liberè pronuncio) nihil ferè esse in tuis literis, quod in libro Theologiæ moralis; & nihil in isto, quod in libro Traditionum Romanarum non contineatur. Tertium denique, non esse mirum, si ex Molineo doctrinam de moribus hauseris, cùm Jansenius & Arnaldus doctrinam de divina gratia hauserint ex Calvino. Illud autem non mirandum modò, sed stupendùm, epistolas vestras, id est, famosas Histrionis Eterodoxi & Sedanensis ministelli reliquias, à Catholicis etiam adeo laudari, ac celebrari, iisque inde persuasum videri, insontes, vel eo nomine reos esse, quòd ab hæreticis, per calumniam, tot, tantarumque falsitatum insimulentur. O tempora! ô mores! Illud tamen præ cæteris deplorandum esse, duco, quòd multi, quibus id persuasum est, laxitates illas & absurditates à Jesuitis doceri, (nec enim vacat, tot lustrare libros, quos vix ampla capiat Bibliotheca) rati, veras esse & licitas, ac freti Jesuitarum auctoritate, falsò licèt credita, quos in doctrina & bonis moribus Jansenistis anteponendos esse non dubitant, illas ad usum & praxim reducunt; & hæc præcipua ratio fecit, ut ad literarum & notarum tuarum confutationem me accinxerim; ut scilicet populos falsam illam opinionem, iis à te de Societate injectam, dedocerem. Sed jam ad te.

XI. Nonnihil, quamvis alioquin perexiguum, laudis & commendationis, in libro, cui titulus, Imago primi sæculi, quem in Gallicis epistolis appellatum, in Latinis reticuisti, Societati Jesu aspersum, pro hæreticorum more, concoquere non potuisti; ibi autem dictæ Societatis homines, magna scilicet ex parte, nec enim alio modo intelligendum est, pari doctrinæ & sapientiæ laude præstantes dicuntur, ac regia divina sapientia, quæ humanâ Philosophiâ dux longè certior, longè securior est: væ illis, nisi hoc veritati consentaneum sit; atque ita laudem hanc ut hyperbolicam rides, quę non tam accedit, ut ornamentum, quàm statuitur, ut necessarium hujus instituti fundamentum; nisi enim Jesuitæ doctrina & sapientia valeant, ii profectò non sunt, quos Societatis institutum esse, postulat. Nullibi porrò lego verba illa, Italico charactere à te designata, *Societas est hominum seu potiùs Angelorum*: equidem verba illa Isaiæ: *Ite Angeli veloces*, iis satis appositè accommodantur; neque id auctor à se, sed ibi gravissimos hujusce laudis auctores citat, pag. scilicet 61. ut Benzovium, Fredericum Lumnium, Bozium, præter alios; non dicit etiam, totidem esse Phœnices; sed verbum illud, ut *palma florebit*, interpretatur ex Græco, ut *Phœnix florebit*; cujus occasione hæc habet de Societate: *fructus ferret in sancta uberi, & cum Phœnice, ave non jam unica, suo Jesu vitæ Soli expositæ, &c.* Quid hîc porrò tam superbum, tam indignum cachinnis tuis? quid carpendum, nisi à te tuisque similibus? quasi verò, à Phœnice & Aquila, comparationem, similitudinem, symbolum, emblema quodpiam ducere non liceat?

XII. Illud verò, quod addis ultimo loco, *Christiani orbis faciem immutarunt*, non invenio; eximiè certè Musivi operis artificem; ita enim aliis alia consuis, ut quasi uno tractu ac tenore scripta, aut dicta esse videantur; cum tamen Phœnicis in præfatione mentio facta sit; Aquilæ, pag. 406. loci Isaiæ, pag. 410. pagina demum 54. hæc tantùm leges, *ubicumque Societas olim vestigium posuisset, aliam continuò rerum facies extitisse.* Nunquid hoc notorium non est? demum tamen, illa omnia ab auctore congesta simul fuisse, quæ tu ipse partim finxisti, pro more, partim assuisti, per fraudem; quid tandem hîc mali? quid tam grandis piaculi? velis, nolis, res ita se habet; rumpatur, quisquis rumpitur invidia; neque id humilitati contrarium esse, jure dixeris; humilitas quippe privati cujuslibet virtus est, non verò communis; quæ cum Apostolis, aliisque principibus Ecclesiæ membris perbiæ vertat, si quando Ecclesiam meritis laudibus & præconiis prosequantur? quis neget, rem ecclesiasticam observantissimi filii, optimam colere & laudare parentem? Hæretici quidem Societatis laudes ferre non possunt, easque invitis auribus excipiunt; quid mirum igitur, si Jansenistæ, quos nemo Catholicus inter hæreticos non recenseat? quamquam notoriarum veritas hujusmodi laudes à Melanchtone ipso etiam invito extorsit, ut Florimondus Remondus lib. 5. cap 3. art. 6. testatur; item à Beza, Kemnitio, aliisque, ac præsertim à Francisco Verulanio, Angliæ Cancellario, lib. de dignitate & augmentis scientiarum. Immò cacodæmon mendaciorum parens, invitus licèt, ac per vim sacri imperii, Societatem non semel laudavit.

XIII. Hoc præmisso, ad captandam benevolentiam, exordio fingis, tuum illum amicum, nimirum Jansenistam, verum, inquis, amicum in omnibus, verum illud, ambiguum est; verum quidem amicum, etiam in omnibus, in nullo tamen veridicum; nec mirum, similem simili, ut ajunt, gaudere; fingis, itaquam, amicum illum jocularia tibi Jesuitarum dogmata memorasse, eaque syllabatim in eorum libris ostendisse; unde multum à te risus, sed parum fidei elicuerit; repugnantia nunquam non adstruis, etiam dum jocaris maximè; si enim ea tibi syllabatim in libris ostendit, quomodò parum à te fidei elicuit? ostendit loca, vidisti haud dubiè, legisti, oculis tamen tuis parum aut nihil fidei habes? ita profectò quinque propositiones damnatæ in libro Jansenii, vobis syllabatim ostenduntur, neque illas uno loco, sed pluribus; inficiari tamen non cessatis, in libro contineri, præfractè negare, ac superos inferosque testari; hæc sanè vestra sunt jocularia dogmata, non Jesuitarum; mentiri scilicet impudentissimè, mendatoriis, in rebus sacris, jocari, delirare, in Theologicis, in perspicuis, cæcutire; in humanis ratiociniis, adstruere repugnantia; errare demum in rebus fidei.

XIV. Tu verò hîc hærere, ac dicere, nonnullos ex iis, nimirum Jesuitis, deliràsse, quæ omnibus, atque

quæ adeo universæ Societati adscribi injurium est, præsertim cùm inquis, ex ipsis aliquos valde severos esse, compertum sit: tum ille magnum arcanum aperuit; nempe, commune illud esse Jesuitarum consilium, ut & severitatem adhibeant, quibus regendis est idonea, & laxitatem non omittant cum aliis, quibus tanta severitas exosa est; hinc pro variis hominum studiis, varios Casuistas habent, & pro suo quemque ingenio tractant; ut omnes Societati aggregent, omnes amplectuntur, neminem submoveant, atque adeò non falsa modò, verùm etiam impia, ut idololatriam apud Sinas permittere non dubitant, & Christum prædicare, sed non crucifixum; quia crux Sinis nimis exosa est; quod Gravina ipsis, & Thomas Hurtadus, & quidam alii exprobrarunt; ideòque ipsum illis sacra Congregatio singulari decreto, sub anathemate prohibuit: ita porro probabilium opinionum operâ fidem, & traditionem mutarunt, ut non jam recta, sancta, immaculata, sed detorta, versatilis, humanis cupiditatibus ab iis servire cogatur. Adito igitur, inquit, te alloquens, quàm primùm Jesuitas, & spondeo, fore, ut in eorum moralî disciplina corrupta & luculenta Molinisticæ de gratia doctrinæ fontem reperias; nimirum stupendam christianæ virtutis ignorantiam; meras simulacra virtutum, omni spiritu & charitate carentia; horrendas crimina, quæ sitis prætexta coloribus; innumeras morum labes; uno verbo, virtutem tantùm Philosophicam, Ethnicam, Pharisaicam, cui gratia illa sufficiens, quam ipsi excogitarunt, id est, sola natura sit satis ut scilicet consequendæ, adjuta lege ratio, gratia sufficiens est. nos verò germanam & solidam, non fictitiam & fucatam virtutem sectamur, quæ gratiam à se intrinsecè efficacem postulat, ut animus amore sacræ expeditus, sibi moriens, Deo vivat, illique indissolubili nexu cohæreat: unde perinde absurdi sunt, qui christianas virtutes collocent in hominum nutu, & qui virtutes illas charitatis inanes, quas pro Christianis obtrudunt Jesuitæ, in nostro semper arbitrio positas negent. Hæc ille, inquis, cum multo gemitu, et indignatione potiùs quàm commiseratione.

XV. Audire mihi videor ex illis tremulis unum, quos in Anglia Quakers appellant; aut, quod fortè potius est, hæreticum Jansenistam in furorem & rabiem actum: sed relegamus amici tui vestigia, in quibus hæresum monstra, quot verba; tot errores, quasi totidem voces; nulla igitur virtus charitatis inanis, christiana est; igitur neque fides, neque spes, neque amor Dei, neque pœnitentia, neque aliæ multæ virtutes, christianæ sunt; quia charitate sæpissimè destituuntur: igitur omnia præter charitatem, absque divinæ gratiæ subsidio, in arbitrio nostro posita sunt; imò & gratia efficax vestra, quæ à charitate distinguitur, cùm illa justo desit interdum, ut vultis, cui tamen charitas non deest, si justus est: hæc sunt hæreses, mi homo, & plusquam Calviniana, sed cum inaudito, qua teneris insciti a, conjuncta: Palmaris porrò calumnia est, quam Jesuitis affingis, ab iis scilicet, nullam aliam gratiam sufficientem agnosci, quàm naturæ vires, & rationem lege adjunctam; ita enim Pelagius, at Jesuitæ veram gratiam Christi, hoc est supernaturalem & intrinsecam agnoscunt; verum quid extrinsecum est; sed plusquam stultum & te notoria palam mentiri; appella, sodes, vel unum ex illis, qui hoc doceat: horrenda igitur & exemplis impostura est, eoque impostore digna, qui omnis speciem exuerit: tanta est cacodæmonis superbia, ut eum puderet, tam crassum, tam luculentum, tam publicum & notorium mendacium sibi exprobrari; ita est, eorum pudet cacodæmonem, quorum vos non pudet. Sed unde hæc? quia, inquit, virtutis dumtaxat simulacrum, virtutes ethnicas & pharisaicas, non verò christianas colunt, ad quas natura sit satis. Hæc calumnia ejusdem generis est; ad hæc tamen impii, politici, fœminæ, Calvinistæ, aliique ejusdem furfuris tibi applaudunt: bellissimè quidem, ut tuis vocibus utar, hæretici Jansenistæ germanam virtutem, & gratiam Christi agnoscunt; sibi & mundo mortui, soli Dei vivunt, & amore sæculi expediti, uni Deo arctissimè agglutinantur; Jesuitæ verò sunt homines malè feriati, Pelagiani, Ethnici, Pharisæi, amore sæculi implicati, Deo mortui, ut sibi & mundo vivant.

XVI. Quid quæso de his antitheris, Lector Catholice? ergone tam eximii rerum Theologicarum scriptores, Suarez, Vasquez, Molina, Lessius, Tannerus, Martinonus, Ruis, Petavius, Toletus, Bellarminus, Delugo, aliique saltem ducenti veram Christi gratiam, Augustinianam scilicet, minimè agnoverunt, sed spuriam, Pelagianam, & lege adjutam rationem? Ergone tam egregii scriptores Ascetici, ut Rodriguez, Alvarez, de Ponte, Caussinus, Saniurius, Drexelius, Lancitius, aliique plusquam trecenti, nunquam verum & nativum christianæ virtutis vultum, sed Philosophicæ dumtaxat, Ethnicæ, Pharisaicæ, id est, merum virtutis simulacrum aspexerunt? immò tam insignes Christi pugiles, qui pro fide sanguinem fuderunt, iique saltem milleni, in quatuor mundi partibus, vel singulari religiosæ vitæ sanctimonia illustres, in Domino piè dormierunt, ut (præter illos, qui ab Ecclesia in Sanctorum, vel Beatorum album relati fuerunt) Realinus, Mancinellus, Conagus, de Ponte, Sylveria, Cottonus, Carolus à Lotharingia, Berkmans, & multa hujusmodi religiosissimorum hominum millia, meram dumtaxat virtutis umbram, virtutem charitatis inanem, virtutem ethnicam, gentilium, Bonziorum, Dervisiorum more, coluerunt? non te pudet impudentissime sychophanta; & hæc homo, inhumanus certè, neque Doctor, neque Sacerdos, nec Theologus, nec Ecclesiasticus, nec Laicus, mundanus, histrio, scurra, Jansenista, hæreticus, uno verbo, Monraltius, id est, Paschalis; infandum nomen, horrori futurum posteritati.

XVII. Falsum est igitur, Willelme Wendrocki, fidem, aut traditionem à Jesuitis opinionum probabilium operâ mutatam, & ad cupiditates humanas detortam fuisse; Jesuitæ fidem Catholicam & traditionem totis viribus defendunt, non mutant, & pro illa vitam cum sanguine fundunt, contra hæreticos, Lutheranos, Calvinistas, Jansenistas; nec eam ad hominum cupiditates detorquent, at sinceris doctrinæ Catholicæ dogmatis, & Christianis suorum morum exemplis, ab humanis cupiditatibus homines abstrahunt; nec ulla est opinio verè probabilis, quæ fidei & traditioni adversetur; & si quæ opinio talis est, probabilis non est. Uno verbo, me à tam crassis calumniis expedirem, vel geminæ vocis adagio, *sus Minervam*. Quod refers de Jesuitis, apud Sinas, plusquam diabolica calumnia est, ab Alexandro Rhodio, Martino Martinio, Daniele Bartolo, & quinque aut sex aliis, dilucidè, abundè, ac plenissimè confutata; dixi *diabolicam*; quamvis enim duos illos appelles, nemo nescit, non rarò accidere, ut diabolus, quem alio quin puderet, præ superbia, tam falsa & incredibilia sparge-

spargere, quorumdam hominum linguis loquatur, qui vel ipsum diabolum impudentiâ superant. Illud porro grande arcanum Societatis, quod tibi amicus ille suggessit & aperuit; commune illud consilium, omnes captandi, lepidum sanè inventum nonnullis visum est; sed insanis & ridiculis, qui nihil ratione, sed omnia risu metiuntur: rem profectò fabula & scena indignam, in qua si non vera, saltem verisimilia exhibentur. Sed unde hoc scivit ille tuus? fare age, nebulonum impudentissime, unde hoc scivit? unde accepit? finxit haud dubiè, seu verius, tu ipse, qui scurram agis, finxisti; serva quæso tibi actuis pessimas illas artes, quibus jam à multis annis homines in errorem inducitis, quâ auro, eoque copiosissimo; unde porrò illud: Deus scit, multi quoque sciunt; capsula illa multa centena millia nummûm pretio æquans, & tigillum illud stipis reseratum in crypta S. Meterni, & quædam alia non suspicionem modò, sed plenam probationem afferunt; quâ auro igitur, quâ verbo, quâ stylo, quâ patrocinio grandi, quâ emissariis ubique gentium conductis, quâ mendaciis & calumniis, quâ fraude & dolo, quâ demum factionibus & tumultibus: in Jesuitis nihil unquam tale; sed hæreticis contra Jesuitas cuncta licere videntur; neque hæc parva illorum gloria, quòd communes ipsis hostes sint cum Ecclesia, quòd ab hæreticis traducantur, ut divinæ gratiæ jurati hostes, christianarum virtutum ignarissimi, mundo & sibi viventes, Deo mortui, à Deo alieni, mundo obstricti; Deo gratias.

XVIII. Jactis hisce fundamentis, totam epistolarum tuarum molem inædificas; fontes ipsos, de consilio familiaris tui, statim adiisti, & Jesuitam illum Fabulinum convenisti; & captata currentis quadragesimæ, ut vocant, occasione, de jejunio primùm interrogas; fingis enim, te vix noctu dormire, si fortè incœnatus cubitum eas; tum ille statim jejunii lege te liberat. Escobario auctore, quem tibi aperit, ubi tecum in Bibliothecam, summoperè laudat, & allegoriam 24. seniorum, & quatuor animalium alacriter, inquis, decurrit: hic ille est miser, seu potiùs miserandus Escobarius, quem ut ludicram Momaris & Sannionis imaginem centies & millies in fabula exhibuistis: ego certè in Allegoria illa nihil ridiculum, nihil ludicrum esse video, præter scurriles jocos, ridiculos aculeos, mordaces facetias, aliaque hujusmodi à vobis adjuncta; textus illius auctoris valde serius est, & gravis: vestra dumtaxat commenta ludicra & scurrilia; ô si fortè à misero illo, Bellarmini, aut Suaris capita, sanctorum Augustini & Thomæ truncis insita fuissent, ut à mulierculis vestris factitatum est, quæ *Magistrorum* suorum capita, expressa veri vultus effigie, Pauli & Chrysostomi truncis insita, ad cultum exposuerunt; ô si quid tale, vel Baunius, vel Escobarius, sincerè dicam: Allegoria illa tibi displicuit, quòd in Societatis scriptores aliquid inde laudis quasi refundi videretur: sed an oculus tuus nequam est, quia illi boni & docti? Escobarium & Baunium præ cæteris in scenam inducis, quibus pro justa & plena defensione, id satis esse videtur, ut impactis in caput tuum grandioribus tomis à se in lucem editis, hæc pauca verba in prima libri fronte, majusculis characteribus cudi jubeant: accusat nos homo laicus, Theologiæ ignarus, scurra, Jansenista, hæreticus. jam ad singula.

XIX. Jejunii lege non tenetur, quisquis incœnatus agrè dormit, etiamsi jentaculo sub meridiem sumpto, prandium in cœnam commodè rejicere possit. Potu vini etiam largo jejunium ecclesiasticum non solvitur; nec is jejunii lege tota die obstringitur, qui unum supra vigesimum annum post meridiem attigerit; nec etiam ille, qui dubitat, an sit id ætatis. Et sanè, quòd te sibilis excipiant morales Theologi, qui cùm sic rerum istarum adeò imperitus, eas tamen discutiendas, & definiendas susceperis; in quo prudentiam tuam. Quòd jejunii lege non teneatur is, qui ægrè dormit incœnatus, non jam opinio, sed magis, seu minùs probabilis, at certa omnino sententia est, quam omnes ferè auctores docent. Pasqualigus de jejunio, decis. 263. innumeros citat, puta Gabriel. Cajetan. Navarr. Angles, Reginald. Bonacin. Lumas, Sanch. Fagund. Filliuc. Trullenc. Laym. Villalob. Sylvium, Lopez. Addo Leandr. part. 3. tract. 1. disp. 8. quæst. 27. ubi præter appellatos, citat Dian. Leandr. De Murcia, Auson. Machad. Joan. Henriq. innumeros alios recensere facilè possem; quid ergo peccavit Escobar. dum communem omnium doctrinam tradidit?

XX. Quamvis autem is jentaculo sub meridiem sumpto, prandium in cœnam commodè rejicere possit, idem Escobarius docet, jejunii lege illum minimè teneri: antequam hanc sententiam damnes, vel Escobarium, qui eam duobus verbis indicat, tract. 1. exam. 13. cap. 3. multi alii autores ante damnati sunt, qui eandem opinionem, libris in lucem editis, tradiderunt; ut Pasqualig. dec. 265. ubi citat pro hac sententia Dian. Sancium, Ghislinum, Fagund. Trullenc. & Leander q. 30. ubi citat Lopez, Filliuc. Joan. Henriquez; quia nunquam Ecclesia fideles admittit ad talem jejunii usum, vel modum, & quidem in ipso usu, qui grandis adinstar legis est, habet jus de jejunii, prandendi circa meridiem; sed de his non disputo; obiter dumtaxat judico, ut videas, hanc singularem non esse Jesuitarum sententiam, cùm duntùm ex appellatis Jesuitæ sint, ut facilè observasti.

XXI. Quòd verò potu vini jejunium ecclesiasticum non solvatur, omnes certissimum reputant, post D. Thomam in 4. dist. 15. q. 4. a. 4. quæstiunc. 1. & item 2, 2. q. 147. a. 6. ad 2. ut Cajetan, Durand. Navarr. Sylvest. Rosell. Tabien. Medin. Azor. Less. Molfes. Joan. Pined. Filliuc. Graff. Bonacin. Reginald. Baleus, Valent. Rodrig. Mouve, Veg. Pasqualig. Anton. de Leon, Fagund. qui testatur, communem esse Theologorum & Canonistarum sententiam, & alios, quos sequitur, & citat Leand. disp. 5. q. 4. & q.

XXII. Non tenetur etiam jejunii lege, qui dubitat, an dictum annum 21. attigerit, ut docet Pasqualig. dec. 255. ubi citat Sanch. Sanc. Fagund. Laym. Castr. Pal. Trull. Dian. item Leand. disp. 8. q. 13. ubi citat Narbon. Joan. Henriq. adde Suar. & alios bene multos; quia lex dubia non obligat, nec incerta certum effectum producit. Is demum, qui ætatem illam attigit post meridiem illius diei, qui est jejunium, non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter; non tenetur jejunii lege, qui dubitat, an dictum annum 21. attigerit, ut docet Pasqualig. dec. 255. ubi citat Sanch. Sanc. Fagund. Laym. Castr. Pal. Trull. Dian. item Leand. disp. 8. q. 13. ubi citat Narbon. Joan. Henriq. adde Suar. & alios bene multos; quia lex dubia non obligat, nec incerta certum effectum producit. Is demum, qui ætatem illam attigit post meridiem illius diei, qui est jejunium, non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter; non tenetur etiam jejunii lege, qui dubitat, an dictum annum 21. attigerit, ut docet Pasqualig. dec. 255. ubi citat Sanch. Sanc. Fagund. Laym. Castr. Pal. Trull. Dian. item Leand. disp. 8. q. 13. ubi citat Narbon. Joan. Henriq. adde Suar. & alios bene multos; quia lex dubia non obligat, nec incerta certum effectum producit. Is demum, qui ætatem illam attigit post meridiem illius diei, qui est jejunium, non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter; non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter; non tenetur etiam jejunii lege, qui dubitat, an dictum annum 21. attigerit, ut docet Pasqualig. dec. 255. ubi citat Sanch. Sanc. Fagund. Laym. Castr. Pal. Trull. Dian. item Leand. disp. 8. q. 13. ubi citat Narbon. Joan. Henriq. adde Suar. & alios bene multos; quia lex dubia non obligat, nec incerta certum effectum producit. Is demum, qui ætatem illam attigit post meridiem illius diei, qui est jejunium, non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter; non tenetur etiam jejunii lege, qui dubitat, an dictum annum 21. attigerit, ut docet Pasqualig. dec. 255. ubi citat Sanch. Sanc. Fagund. Laym. Castr. Pal. Trull. Dian. item Leand. disp. 8. q. 13. ubi citat Narbon. Joan. Henriq. adde Suar. & alios bene multos; quia lex dubia non obligat, nec incerta certum effectum producit. Is demum, qui ætatem illam attigit post meridiem illius diei, qui est jejunium, non tenetur jejunii lege, ut Leander probabiliter;

tra Leand. *disp.* 8. *q.* 56. ubi citat Medin. Ledesm. Filliuc. Llamas, Sanch. Pasqualig. Joan. Henriq. Basil. quibus addo Medin. *inst. c.* 14. §. 10. & 1. 2. *q.* 74. Antonin. 2. *part. tit.* 6. *c.* 2. §. 6. *n.* 1. Sylvest. *v. Jejunium*, 9. vix unũ invenias, qui secus sentiat; nimirum veniam peccatum admitti, si post gravẽ defatigationem non jejunetur; sat video, quò spectes; peccari vis, cum ex necessitate, quod hæreticum dictu est: sed enimuero, num peccatũ est, jejunium omittere, cùm id implere? an fortè hoc negat Filliucius, qui certè in prædicta actione peccatum agnoscit, non tantùm, quatenùs illa castitati, verùm etiam quatenùs præcepto jejunii adversatur; si pudoris patiens esset, se profectò tam supinæ inscitiæ puderet.

XXIV. Transis ad Baunium, qui, ut ais, *in summa, tract. 4. cap. 7. concl. 7.* docet, absolutionẽ illi negandam non esse, qui semanet in proxima occasione peccandi, si non desistere aliter non possit, quin vel sermonem det populo, vel aliquid incommodi inde capiat: imponis Baunio, qui disertè ibidem asserit, illam occasionem proximam non esse; item absolutionẽ illi negandam esse, qui occasionem proximam renuntiare non vult; absolvi tamẽ, si vitari non possit sine scandalo, & adsint omnes illæ conditiones, à Navarro & aliis appositæ, nimirum quòd adsit vera pœnitẽtia, verus dolor, firmum propositũ, peculiare studium vitandi peccatum cum occasione, causa notabilis; item quòd illa occasio non sit mala, sed per se indifferens, ac demum absit obstinata peccãdi; his positis, quæ rarò accidunt, non negabunius, pœnitentem illum absolvendum esse: quæ quæso in his tam horrendum & christianis moribus videtur? Præter Basil. Ponc. *de Matr. in append. c.* 9. obstat 3. magni nominis auctores, alios 25. facilè expellere possem, ac præcæteris D. Th. 2, 2. *q.* 10. *a.* 9. docet, simplices & infirmos in fide, de quorũ subversione probabiliter timeri possit, prohibendos esse, rerum infidelibus communicent, *absque necessitate*. Id porro, quod subnectis, *licet quærere occasionem peccandi, primò & per se, ob bonũ spirituale, vel temporale*; perpetàm Baunio assingis, qui hæc non ex se, sed ex Poncio retinacepisse illius verba *tract. de Pœnit pag.* 94. *col.* 2. *quin monuerit Basil. Ponc. cap.* 6. *Append. occasionem primò & per se quærere posse, cum est aliqua causa eam volendi, ob bonum animæ, aut proximi, tam temporale, quàm spirituale*; Baunius certè, licèt opinionem Poncii sequatur, pro qua citat D. Th. Navarr. Armill. Henriq. Graff. Philiarch. Sylv. Cajetan. Laym. Candid. Cordub. Dian. Em. Sà, Gabriel. Pal. Salas; illud tamen *primò, & per se* non esse Baunii, qui disertè dicit *col.* 1. *vers. etsi inquam, periculum illud non esse voluntarium, nec in se directè, nec in causa*; item *col. 2. vers. probatur autem*, nec occasionem *vult expressè*, sed commodum, seu bonum. item *in summ. d. concl.* 7. dicit, occasionẽ illam non esse voluntariam, sed quasi voluntariã; unde vides, quàm malignè Baunio imponas.

XXV. Deinde, dato & non concesso, Baunium in hac Basilio Poncio plenissimè suffragari; num reliqui omnes Societatis scriptores, iique longè celeberrimi refragantur? ut Suar. *de charit. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 8. & alii. cur igitur doctrinam Societatis in uno Baunio, non verò in cæteris omnibus longè profectò nobilioribus agnoscis? præterquam quòd, hæc est prima contra Baunii loco citato, regulariter absolvendũ non esse, qui est in proxima occasione peccandi; quia cum tantate peccandi stare non potest absolutio: non ergitur, quòd in hæc verba prorũperes; somnians quam vigilans, mi Pater, Religiosos ita loquentes audiam. Vix satis teneo; mores, inquis, ad Scripturæ & traditionis auctoritatem, non ad Casuistarum opiniones exigi oportet: quid quæso in his Scripturæ locis? nonne in Scriptura Judith laudatur? nonne in antiquis historiarum monumentis, Ambrosius, Clotildis, Paphnutius, Ingondes, & multi alii, qui ob bonum finẽ in hujusmodi occasiones peccandi conjecerunt sese: unum quæso, per te, mihi liceat dicere, nimirum illos eximi à culpa non posse, qui vel institutionibus vestris se tradiderunt, vel librorum vestrorum lectioni sedulò vacant; venenum hauriunt; quis eos morti eximat?

XXVI. Inde ad opiniones probabiles descendis, id est, ad Theologiæ moralis, christianę vitę, & animarũ pestẽ. probabilia nihil moror, inquis, secura postulo; quasi verò qui sequitur opinionem verè ac certò probabilẽ securus & tutus non sit: consule, quæ in Notis scripsi, de hoc probabilitatis argumẽto, ne bis eadem repetam. Sugillas ante omnia Escobar, quòd scilicet *in proem. exam. 3. cap.* 3. definierit opinionẽ probabilem eam esse, quæ rationibus innititur alicujus momenti, unde aliquando unus tantùm Doctor, *gravis admodum* opinionẽ probabilẽ potest efficere; quamobrẽ verò? quia *vir doctrinæ specialiter addict⁹*, haud adhærebit sententiæ cuilibet, nisi *præstantis rationis vi allectus*; num quæso te, hoc verum est? ergo, inquis, vel unus Doctor conscientias susdeq; vertet; Doctor *ad. nodum gravis*, vir *doctrinæ specialiter addictus*, & *vi tantùm præstantis rationis allect⁹*, nihil unquam adstruet, rel quis omnibus refragantibus; præsertim *sufficiente ac præstanti ratione* fretus; fieri enim nequit, ut reliqui omnes præstanti rationi obsistant atq; adversentur. Vos certè non ita, qui conscientias sus deque vertitis, non jam probabilibus opinionibus & præstantibus rationibus, sed Calviniano spiritu, & damnatis ab Ecclesia erroribus.

XXVII. Thom. Sanch. *in Decalog lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 6. hoc ipsum confirmat; *& ita tenent*, inquit, *Angelus, Sylvius, Navarr⁹, Em. Sa* Hîc duo peccas: primò enim appellas *Sylvium*, à Th. Sanch. citatum; quod ridiculum est, nisi fortè Th. Sanch. Sylviũ, ut Propheta vaticinando citaverit; cùm multis annis ante Sylvium scripserit. *Sylvestrũ*, non *Sylvium* dicere debueras; vel ex hac, quamvis alioquin levissima hallucinatione videre est, quàm imperitus sis rerum istarum. Secundò de industria D. Thomam reticuisti, quem his verbis auctor citarat, *& favet D. Thom. quodlib.* 3. *a.* 10. Nonnulla etiam alia peccaras in epistola vernacula, quæ Annatus castigatarin libello, cui titulus, certè per ironiam, *Bona Jansenistarum fides*; sed in Latina emendasti; non ita duo alia, quæ vobis Annatus etiam exprobrarat; primum est, quòd ea prudens reticueris, quæ ibidem n. 9. Th. Sanch. addit, *non crebrò & passim, ob unius auctoris sententiam, recedendum à communi; sed quando prudenter judicatur, firmiore fundamento niti*; Audin Willelme? hoccine est conscientias sus deque vertere? Alterum est, quòd pariter reticueris limitationem à Thom. Sanch. appositam, nimirum solam auctoritatem Doctoris, citra *rationem gravis momenti, non facere opinionem sufficienter probabilem, ut eam consulere, aut sequi possit, & juxta eam prudenter operari*; & hîc citat Azor, Vasq. &c. qua fide præcipuum istum totius rei cardinem omisisti? ex hoc enim meridiana luce clarius est, nunquam voluisse P. Sanch. ut Doctoris unius, etiam pii & docti, auctoritas faciat opinionem probabilem, quando ab aliis communiter rejicitur.

XXXVIII. Ludis deinde rationem à Th. Sanch. adductam; si enim magni momenti est, inquit, ut aliquid *credamus, id virum pium asserere*; cur non pariter, *in re morali dubia, quod vir pius & in ea materia doctus censuerit?* attende, inquis, egregiam rationem; quam bene (subdis) vestri scriptores cum rebus religionem attingentibus humana negotia componunt; nugaris, Willelme, nequeid semel dumtaxat, sed in omnibus ac perpetuò; quid in his quæso humani negotii? quis

nescit, auctoritatem loquentis, aut scribentis eam esse posse, ut intellectum ad prudentem assensum moveat? quamquam citra omnem certitudinem, ac præsertim, ut ait Sanch. quando res gravi rationis momento nititur, & nihil opponitur, quod facilè solvi non possit. Hîc tamen Doctorem tetricum agis, & fateris ultrò, hanc doctrinam tibi parum placere; quòd scilicet in ea prædicti auctores humanæ rationis potiùs, quàm divinæ fidei operâ utantur; cùm unus asserat, quod alter negat, & unus opinionem securam esse velit, quam alius dubiam restare, testatur. Rem istam profectò non capis, Willelme; opinio verè ac certò probabilis omnino tuta est, secura est; nullus tutam esse, negat, eorum scilicet, qui rem intelligunt; cùm judicium practicum certum semper præluceat, quo tuta & secura judicatur: unde auctores classici de veritate, non de probabilitate disputant; nisi enim certa sit probabilitas, nullam opinionem probabilem, tum ipse Sanch. tum alii Jesuitæ in praxi tutam esse, dicent: non est igitur, ut dicis, periculosus delectus; nam sive opinio sit magis, sive minùs probabilis, modò certa insit probabilitas, tuta est, secura est, ut in Notis demonstravimus; nec unam aliâ formaliter tutiorem esse, putamus; cùm esse tutam, in individuo positum sit: sed puder, cum imperito de his disputare.

XXXIX. Abs re igitur dicis, ex hoc fonte nasci omnimodam conscientiæ libertatem, tum in agendo, tum in respondendo; & pro arbitrio, à Jesuitis responderi, vel potiùs ad consulentium arbitrium; nempe non solùm ex propria, sed etiam ex aliena probabili, responderi potest, etiamsi respondens certò sibi persuadeat, falsam esse; & hæc juxta præcepta à Th. Sanch. tradita: sed Annatus, quo ad hoc, te manifestæ falsitatis convincit; Sanch. enim *cap. 9. n. 19.* hæc habet: *Nequit enim quispiam, quod credit esse falsum, consulere*; unde manifestè constat, Patri Sanchez imposuisse: quod verò ad locum P. Laym. fateor illum in hac sententia fuisse, ut putarit, consultum pro certo habentem aliquam opinionem falsam esse, consulenti respondere posse, à quibusdam vitis doctis probabilem haberi, ac proinde consulenti sequi eam liceat, non tamen ipsi consulto; fateor, inquam, hunc auctorem putasse, quamlibet opinionem etiam probabiliter tantùm probabilem tutam esse, quod tamen reliqui ferè omnes Jesuitæ negant; cùm enim consulens respondeat, sibi certò persuasum, falsam esse, ac proinde improbabilem; probabilis quippe certò falsa non est, inde insinuat consulenti, esse tantùm probabiliter probabilè; ac proinde talè, quæ ad conscientiam certam non sit satis: in hoc autem à sententia P. Laym. lubens & ultrò discedo.

XL. Si fortè unquam in manus Jesuitarum incideres, Willelme Wendrocki, haud dubiè mutares sententiam, & disceres, crede mihi, non omnem iis opinionem probabilem, nec omnem probabilem tutam videri; quamvis enim Baunius doceat, ut ipsi opponis, teneri Confessarium absolvere pœnitentem rectè alioquin dispositum, juxta opinionem verè probabilem pœnitentis, quam etiam Confessarius probabilem esse putat; si enim certò falsam & improbabilè, nullus certè Baunius, vel Escobarius Confessarium ad absolvendum adstringat; nullus, ut perperam exprobras, pro voluntate & arbitrio, *est*, vel *non*, respondeat; illud tamen valde opportunum tibi non accideret, nec opportunitatem illam, ut maximè comodam tantoperè laudares; nullus reverà illorum sacramentalis absolutionis beneficio te dignum reputaret: tu proba, sis; ea quippe dicitis, scribitis, facitis, in quibus nullus vobis Diana, nullus Caramuel patrocinetur, & vix illud, quod per jocum afferre voluisti, vobis esset usui, sæpè premente Deo, fert Deus alter opem: ea sanè Casuistarum, ut vocant, etiam mitissimorum auctoritas non est, quæ vestrum agendi, scribendi, sentiendi modum eximat culpæ, & vos absolvat ab errorum culpa, quorum profectò huc usque vos non pœnituit, cùm illos obstinatissimè hodienum defendatis; nec alia mihi probatione opus est; si enim pergunctetur à vobis quispiam, an D. Petro gratia defuerit, sine qua nihil poterat, in ea scilicet occasione, a qua à peccato excusari non poterat, nullus dubito, quin juretis, defuisse: idem dico de aliis erroribus, quos impunè in tuis literis renovasti: nullus ergo Catholicus errores vestros, scripta vestra, quæ calumniis & convitiis scatent, moralem denique Theologiam vestram à gravissima culpa liberet.

XLI. Sed, inquis, Patres Doctorum vestrorum decretis adversantur; hoc ipsum centies & millies oggeris, sed probas nunquam; multam quidem locorum farraginem, ad terriculum simplicium, congessisti, nunquam tamen ex iis ostendere potuistis, ullam opinionis verè probabilis illicitum esse, ut in Notis à me ostensum est: quòd autem Fabulinum illum dicentem inducas, formandis suorum temporum moribus Patres accomodatos fuisse, sed à nostrorum temporum moribus longè abhorrere, & nunc ex Casuistarum legibus, non verò ex Patrum decretis vivendum; de hanc rem, Cellotium & Reginaldum citat; verba illa, quæ in vernacula epistola dictis scriptoribus intexras, in eorum libris non extant; in Latina emendatiori parte; quamvis autem Reginaldus dicat, in dirimendis controversiis, circa agenda, Doctorum recentiorum potiorem rationem habendam esse, quàm veterum; de SS. Patribus eo loco nihil; cùm enim veteres appellat, antiquos Theologos & Casuistas intelligit: hoc idem Theologiæ moralis auctor Jesuitis exprobrat; sed plenè confutatus restat; de his satis fuit in Notis; tu vide sis.

XLII. Pessimè autem Jesuitis imponis, quòd SS. Patres non legant, quòd iis valedixerint, quòd iis eorum adventum Casuistæ orti sint, & Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, mores hominum informare desierint; sed crassissima calumnia & insciitia est; Jesuitæ, inquis, Augustinū & SS. Patres proscripserunt; Pseudo Augustinum vestrum; facet ultrò, quem ab Ecclesia damnatum proscriptum esse, & ad suos Batavos amandatum, summoperè gratulantur; quod spectat ad verum Augustinū & SS. Patres, horrenda calumnia est; cùm doctissima SS. PP. monumenta Jesuitis non parum debeant, nimirum Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, Balsamon, Zonaras, Melissa, Maximus, Irenæus, Paulinus & Nicephorus Callistus, Fronto Theodotetus, Hincmarus, Radbertus, Srdonius Apollinaris, Ennodius, Avitus, Theodulfus, Facundus & Concilia Gallica Sirmondo; Epiphanius, Sinesius & quinque volumina Theologicorum dogmatum Petavio; auctores multi antiqui Francisco Turriano; Cyrillus & Isidorus, Schotto; Augustinus, Hieronymo Torrez; Climacus Radero; Eucherius & Paulinus Rosvveido; Cerdæ, Tertullianus; Vigerio; Eusebius; Dionysius Lanselio; Catena Patrum multis illustrata voluminibus Corderio & Possino: consulere liqua in Notis. I nunc, & scribe, SS. Patres à Jesuitis eliminari.

XLIII. Lustrant, crede mihi, Jesuitæ docta & verenda volumina, iisque utuntur, ad dogmata fidei explicanda & confirmanda; vos ad depravanda, erroresque in Ecclesiam inducendos, cum Magistro vestro Jansenio, cui Calvinus, & alii hæresiarchæ feralem

fidem facem prætulerunt; Jesuitæ iis utuntur, ad allucinandos, tum sacris concionibus, tum libris in lucem editis, Christianorum animos, formandosque ad Christianas virtutes; vos, ad populos seducendos, ad Christianas virtutes explicandos erroribus; Jesuitæ denique ad Christianas virtutes explicandos erroribus; vos, ad defensionem Ecclesiæ, ad Patrum utuntur, ad defensionem Ecclesiæ, ad unionem fidelium; vos ad destructionem Ecclesiæ, ad unionem fidelium; vos ad destructionem Ecclesiæ, ad dissidium schisma inducendum, & Christi oves su- ad dissidium schisma inducendum, & Christi oves su- mmo Pastori subducendas. Quòd verò dixeris, Ca- mmo Pastori subducendas. Quòd verò dixeris, Ca- tullas cum Jesuitis ortos fuisse, supinam illam, quâ tullas cum Jesuitis ortos fuisse, supinam illam, quâ labuntur, ignorantiam evincit; Societas instituta est labuntur, ignorantiam evincit; Societas instituta est anno Christi 1540. omitto antiquos illos Theologos, anno Christi 1540. omitto antiquos illos Theologos, Alexandrum Alensem, D. Thom. D. Bonavent. S. Ray- Alexandrum Alensem, D. Thom. D. Bonavent. S. Ray- mund. Paludan. Ostiens. Guillelm. Parisiens. Du- mund. Paludan. Ostiens. Guillelm. Parisiens. Du- rand. Aegid. Rom. Richard. Henric. Scot. Aureol. rand. Aegid. Rom. Richard. Henric. Scot. Aureol. Herveum, Capreol. Mayron. Durand. ut ad Summi- Herveum, Capreol. Mayron. Durand. ut ad Summi- stas veteri Casuistæ censentur, veniam; accipe illo- stas veteri Casuistæ censentur, veniam; accipe illo- rum etiam & tempus; Monaldus ann. 1320. A- rum etiam & tempus; Monaldus ann. 1320. A- delm. 1330. Barthol. Pisan. 1335. Panormitanus 1440. delm. 1330. Barthol. Pisan. 1335. Panormitanus 1440. S. Antonin. 1445. Turrecremata 1440. Pacificus S. Antonin. 1445. Turrecremata 1440. Pacificus Maler. Angelus Clavasius 1480. Baptista Tronamala Maler. Angelus Clavasius 1480. Baptista Tronamala Card. Cajetanus 1500. Tabiensis 1500. Sylvester 1500. Card. Cajetanus 1500. Tabiensis 1500. Sylvester 1500. Dominic. Victoria 1500. Navar. 1500. Adde Barthol. Dominic. Victoria 1500. Navar. 1500. Adde Barthol. Spinam, Alexandr. de Arriostis, &c. isti omnes cum Spinam, Alexandr. de Arriostis, &c. isti omnes cum nobiscum fidem tibi habemus, cum Societate orti nobiscum fidem tibi habemus, cum Societate orti sunt. Addis, omnes à Diana in syllabo appellatos, sunt. Addis, omnes à Diana in syllabo appellatos, ante Joannos non scripsisse, id est, ante annum Chri- ante Joannos non scripsisse, id est, ante annum Chri- sti 1640. quod vel ipsa falsitate falsius est, cùm Sylve- sti 1640. quod vel ipsa falsitate falsius est, cùm Sylve- strum, Cajetanum, Angelum, & multos alios ex anti- strum, Cajetanum, Angelum, & multos alios ex anti- quioribus citet. De elencho illo auctorum, in quo quioribus citet. De elencho illo auctorum, in quo lubenter, more tuo, ludere voluisti, jam dixi in No- lubenter, more tuo, ludere voluisti, jam dixi in No- ta. Denique, quòd doctrina opinionum probabi- ta. Denique, quòd doctrina opinionum probabi- lium, uti vis, fons vitiatus sit, ex quo cætera doctri- lium, uti vis, fons vitiatus sit, ex quo cætera doctri- na tua fluxerunt; quòd inde omnia crimina pul- na tua fluxerunt; quòd inde omnia crimina pul- chrum, & eximantur culpæ, eadem facilitate negatur, chrum, & eximantur culpæ, eadem facilitate negatur, qua astruitur; quòd de opinionibus probabilibus qua astruitur; quòd de opinionibus probabilibus Casuistæ perpetuò disputent, & vix ulla sit, quæ suos Casuistæ perpetuò disputent, & vix ulla sit, quæ suos non habeat defensores & hostes; facilè concesserim; non habeat defensores & hostes; facilè concesserim; sed quid tum? disputant de veritate opinionis, quæ sed quid tum? disputant de veritate opinionis, quæ incerta, non verò de probabilitate, quæ certa est; si incerta, non verò de probabilitate, quæ certa est; si enim hæc dubia & crepera, ultrò damus, eam non enim hæc dubia & crepera, ultrò damus, eam non ita, quæ ad usum & praxim reduci queat; hæc igitur ita, quæ ad usum & praxim reduci queat; hæc igitur tua nostra nobis, qui tamen vobis jure hactenus ob- tua nostra nobis, qui tamen vobis jure hactenus ob- stitimus, quòd insciti & superbia vestra multa er- stitimus, quòd insciti & superbia vestra multa er- rorum monstra mundo peperierit, quæ sacro quidem rorum monstra mundo peperierit, quæ sacro quidem lumine Ecclesia tetigit, errantes tamen intactos re- lumine Ecclesia tetigit, errantes tamen intactos re- quit; potentiorem fortè dexteram res postularet; quit; potentiorem fortè dexteram res postularet; ipsis saltem suo tempore cuncta persolvet; faxit in ipsis saltem suo tempore cuncta persolvet; faxit in immortali vita, ut in æternum parcat.

SEXTÆ EPISTOLÆ Confutatio.

IN hac Epistola, illud potissimùm demonstran- dum suscepisti, quàm temerè Jesuitæ quædam verba exponant, & à vero ac legitimo sensu de- torqueant, nefuæ opiniones Scripturæ, Conciliorum Romanorum Pontificum placitis adversari vide- antur: illud autem variis exemplis ostendere conaris. Primum à Bulla Gregorii XIV. in qua proditorie occidentales Ecclesiæ perfugio indigni esse decla- rantur; Escobarius tamen in summ. tract. 6. exam. 4. §. 3. docet, non omnem, qui per insidias hominem interimit, teneri hujus Bullæ sanctione; unde, inquis, videri contrarium esse videtur; sed hæc voce *Assassinus* exposità, utrumq; inter se apprimè consentire osten- dit; *Assassini nomine intelligitur, qui pecunia, vel pretio ad hominem incautum occidendum, ex insidiis conducitur*: add- dit porro hæc, *quare qui sine pretio aliquem interficit, ut amico rem gratam faciat, non dicitur Assassinus*. Nullibi lego apud Escobarium, non omnem, qui proditorie hominem interimat, dicta Bulla comprehendi; cur ergo affingis? equidem non omnis, qui proditorie occidit, Assassinus dicendus est, ut is, qui pretio non conductus, & hoc dabit ultrò Escobarius, & dabunt omnes; non dabit tamen, aliquem proditor è occi- dentem, dicta Bulla non comprehendi, cùm diserte dicat cap. 3. *Proditorie aliquem occidens, caret Ecclesiæ immunitate*: cur ergo calumniam affingis?

II. Sed, inquies, ibidem asserit, illum proditorem non dici, qui per insidias inimicum occidit; rectè om- nino; quia proditorie occidere dicitur, qui aliquem id minimè suspicantem interimit, nullâ inimicitiâ a- pertâ præcedente; ut prudentissimè Farinac. *consil. crim.* 132. *n.* 2. & *consil.* 178. *n.* 77. & 78. quem in hoc re- liqui omnes sequuntur: quis proditorem unquam appellet, ducem exercitus, qui stratagemate bellico, seu dolo, vel arcem hostium ceperit, vel exercitum fuderit tam dolus, an virtus, quis in hoste requirat? As- sassinus etiam ille est, qui pecunia conductus, proditorie Christianum interficit; prout de communi & recepta sententia testatur idem Farinacius *q.* 123. *n.* 22. ubi multos allegat; item Thesaurus *in prax. part.* 2. *verbo Assassinium*. quid quæso hîc est, quod genuino ro- das? sed quis unquam te adeò imperitum crediderit? utpote qui ad primas definitiones, ad elementa, ad rudimenta, ad terminos, ut vocant, ad voces, ad lexi- con, vel onomasticon amandandus sis. quid enim a- mabò hîc contrarium? non omnis per insidias occi- dens, Gregoriana Constitutione comprehenditur, quæ tamen Assassinos sacro perfugio indignos declarat; quasi verò quisquis per insidias alium interficit, As- sassinus reputetur; aut etiam proditor dicendus sit: mirror, te adeò rudem esse, ut hæc distinguere nesci- eris: fortè provocabis ad novum dictionariù vestrum, quod vobis sensus illos reconditos suppeditavit, qui- bus quinque propositiones Pseudo Augustini vestri, quasi emplastrare voluistis (ut sic loquar) & pro more, Pontificia diplomata interpretari; quibus, inquam, errores vestros in sensu vestro, (velter enim Jansenii est) ab Ecclesia damnatos, damnationi subducere, vel eximere tentastis; prostant in columnis hodiedum insignia interpretationis vestræ programmata; Calvini Lexicon consuluistis, non German. Juri sperti, sed Galli, seu Lemani Theologi; huic enim vestras de di- vina gratia hæreses acceptas referre debetis. hæc quæ- so vos, non scurrilia & ludicra, ut vestra, sed vera & seria ponderate.

III. Itaque non mirum est, si de hoc argumento pessimè ratiocineris, cùm illius terminos nescire pe- nitùs videaris, & pro eadem accipias proditorium homicidium, & Assassinium, in quo plusquàm pueri- liter hallucinaris; quia nec omnis Assassinus proditor est, ut cùm quis pecuniâ conductus ab alio, illius ho- stem, ex insidiis, interficit; nec omnis proditor Assas- sinus, ut cùm quis sine pretio alium ex insidiis interi- mit; unde unum ab alio in Gregoriana illa distingui- tur; atque ita docti & periti omnes distinguunt, quos vide sis apud Dian. 1 *part. tract.* 1. Cajetan. *in Summ. verbo Assassinus* habet, Assassinum vulgariter esse il- lum, qui pro pecunia, ad instantiam alicujus, homi- nem occidit; idem prorsus Bonacin *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 6. §. 4. *n.* 2. & 3. ubi citat Prob. Ancar. in Immol. Suar. Menoch. Clar. Ambrosin. Decian. Ma-

scard. Covarr. Gutier. Farinac. Peregrin. Ant. Gabriel. &c. ex his ignorantia tua, eaque crassissima evincitur; estque, quod miremur universi, famosum Geometram demonstrare solitum, tam ineptè ratiocinari? sed dicam, quod res est, fœminis præsertim scribebas, quæ vernaculam dumtaxat linguam didicerunt, in qua vox illa *Assassinus* quemlibet proditoriè occidentem significat; quod certè hominem vernaculæ quidem linguæ peritum, sed canonum & legum ignarum, in errorem induxit.

IV. Transis ad locum illum Evangelii: *Quod superest, date eleemosynam*, quem Vasquez, inquis, eludit, immo penitùs elidit, hac voce *superflui* ita expositâ, ut nihil unquam divitibus superfluere contingat; nempe *Laici*, inquit, opusc. de eleemos. cap. 4. n. 14. *possunt de bonis patrimonialibus servare ad statum suum mutandum, & tunc illud non dicitur superfluum; unde vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui.* ex quo deducis, illum securum esse, qui propter infinitam ambitionem, nulla se superflua habere deputat; Fabulino tuo annuente: sed nigra & mera calumnia; ex his quippe, si nihil aliud addas, divites omnes laicos ab obligatione erogandi eleemosynam Vasquez liberare videtur; cùm tamen contrarium doceat, non tantùm quo ad Ecclesiasticos, qui totum superfluum pauperibus largiri tenentur, immò & pauperes inquirere, & ab hoc onere, ne ab Ecclesia quidem eos liberari posse asserit, *n.* 11. & 14. verùm etiam quo ad laicos, qui non tantùm de superfluo, verùm etiam de necessario, pro diversa necessitate, pauperibus dare tenentur; v. g. de necessario servando statui, ad servandam proximi vitam; de necessario mutando & amplificando statui, ad servandum proximi statum, *cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 21. 25. & 26. loquitur autem Vasq de statu, *quem licitè ac dignè potest quis acquirere, cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 26. sed per ambitionem etiam minimam, nedum infinitam, ut ais, statum cuipiam amplificare non licet; & multò minùs, si sublimiore illo statu dignus non est.

V. Et verò hic auctor, quem à Diana laudatum fuisse, sub finem Epistolæ proximè antecedentis, ægerrimè tulisti, in quo aliquos communi societatis fœdere tibi conjunctos appellare possem, subtili juxta atque solido ratiocinio obligationem dandi eleemosynam non tantùm ducit à ratione superflui, quod dives habet; sed à ratione necessitatis egeni; si enim nullus indigeret, nullus indigenti eleemosynam facere posset; unde concludit, talem charitatis ordinem statuendum esse, ut vitam quidem proximi, cum vitæ meæ detrimento tueri non tenear; secus tamen, cum detrimento bonorum & status; nec statum proximi, cum detrimento mei status; secus tamen cum eorum detrimento, quæ ad præsentem meum statum servandum superflua sunt, quamvis alioquin necessaria, ad illum, etiam licitè amplificandum; satis profectò severè, ac durè; nec enim eos liberat, ut dicis, qui per infinitam ambitionem, per fas & nefas, & ut plurimùm indigni ad sublimiorem statum ascendere nituntur; qui vel regio & nimio luxu vitam agunt; vix certè de millibus unum divitem invenias, si paucos excipiam, sordida quadam avaritia & auri fame laborantes, qui vel in epulis & conviviis, vel in vestibus, vel in ædificiis, vel in canibus, equis, superbo famulatu, aliisque delitiis illam proventuum partem non absumat, quam in pauperes erogare teneretur; vix inquam, è millibus unum, etiam inter illos reformatores, plusquam pharisaicos: Utinam Vasquesianam de hoc argumento doctrinam omnes amplecterentur, ac reducerent ad praxim; illa enim, ut temerè opponis, rem istam plus justo non laxat; sed, crede mihi, non parum contrahit & stringit: sed hæc parum, aut nihil te movent; merus obtentus est, egent & pauperes tibi curæ non sunt, nisi ad speciem; illud unum dumtaxat; in re seria, pia, sancta, impium, calumniosum & profanum scurram agere voluisti. Ut id saltem à te sciri velim, rem pauperum dare pauperibus dare, partem sacrilegii esse; sed heroicis dare, qui bonis Dei contra Deum & Ecclesiam utuntur, plusquàm sacrilegium; Apodosim ridiculam relinquo.

VI. Redis ad Escobarium, liberantem ab excommunicatione lata in decretali Bonifacii VIII. Religiosum illum, qui habitum dimisit, ut furetur occultè, vel ob aliam turpem causam; idque ad breve tempus; sed an propterea eum liberat à gravissima culpa? quòd enim hoc, vel illud factum excommunicatum subjiciatur, facti naturam, vel rationem non mutat. Bonifacius VIII. c. *ut periculosa*, tit. *ne clerici*, ut quosdam Religiosos compesceret, qui mutatâ veste, et monasteriis egrediebantur, ut incogniti huc illuc eum cursarent, constitutionem edidit, in qua excommunicat Religiosum, qui temerè vestem abjeceret; hinc orta quæstio inter Canonistas, an Religiosus, qui ad aliquem actum turpem occultè, nullâ & tutiùs patrandum, vestem abjecit, eam tamen nullò pòst resumpturus, in dictam excommunicationem incurrat? plerique affirmant; multi tamen negant, quamvis alioquin gravissimè illum delinquere, fateantur; etiam contra votum; ut Sayr. *decens. lib.* 13. *n.* 11. Tabien. *V. Excommunicatio*, 2. *cas.* 23. *q.* 1. *n.* 2. Sanch. *in Decalog. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 54. Suarez *de censur. disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 3. Barbosa & multi alii: sed hæc mihi ad te; merus obtentus est, ut dixi; & hæc eo dumtaxat animo, ut religiosis hominibus hanc maculam & notam aspergeres, nec non fœditates illas sub oculos, etiam criminarum, ponderes. Suggeris demum Fabulino tuo rationem illam, cujus nec Escobarius, nec ullus alius meminit unquam, cùm sit ineptissima; quia, inquis, turpe esset, in iis locis, nimirum in lupanaribus, hominem cum religiosa veste deprehendi; ita omnino non turpe modò, sed turpissimum esset; is ergo, vel hoc nomine censuræ eximendus? turpissima & nequissima consequentia; immo vel inde majoribus pœnis multandus. Prædictæ igitur sententiæ defensores ex fine hujus legis, ne scilicet Religiosi, mutatâ veste, huc illuc discurrerent, ratione ducuntur; pudeat igitur scriptorem Catholicum, simulatum saltem, has fæces tam impensè verfare; nempe, tresinta, aut quatuor lineas, illud fornicari, lupanar illud, quinquies & ultra repetere voluisti, ut pus illud purulis fœteret; peniculum porrigerem, si tam spurcum os abstergi posset.

VII. Quod spectat ad Bullam Pii V. quæ sic incipit *Horrendum*, contra clericos dirum illud exercentes, quod dictu nefas est; per quam declaravit, illos omni privilegio clericali reapse, vel ipso facto, ut ajunt, privari, nihil habet super hoc Escobarius, nisi communia & trita; *tract.* scilicet 1. *exam.* 8 *cap.* 2. nimirum, ad illam pœnam incurrendam non modò requiri versi & consummatum actum illius speciei, sed etiam actum hujusmodi frequentiam, seu consuetudinem, omnes communiter docent; Barbos. *in c. Clerici, de excessibus Prælatorũ*, Garzias *part.* XI. *cap.* 10. *n.* 198. Thesaurus *in prax.* 2. *part. V. Sodomia, versu, Limita primò*; item aliæ sententiam, his pœnis locum non esse, docent Filliuc. *tract.* 17. *n.* 126. Suar *de censur. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 22. Thesaur. ibidem, ubi citat Quarant. Avil. Dian. sed dissertè ac sincerè rem istâ exponere dedignatus, ut meritò majorem invidiam, immo & horrorem ignatis & imperiti

nenis conciliares, contra miseros casuistas; hæc tanquam pressis digito labris expromere voluisti; ô non ausum, inquis, ita teter & horrendus locus! quid amabò de Alcorano graviùs? hac arte, seu figurâ usus, ut nefandum quodliber tuis lectoribus, cui sæminis cogitandum relinqueres.

VIII. Illud, quod Dianæ deinde opponis, non ullam calumniam & falsitatem continet: putavit Diana Religiosum ex Ordine Minimorum ad Episcopatum assumptum, suo illo voto quadragesimalis victus non teneri; quamvis multi alii contrarium sentiant, qui hoc maximè probant ex eo, quòd tres Pontifices, Paulus V, Gregorius XV, & Urbanus VIII. dispensationem, ut vocant, super illo voto, vel recusarint, vel se recusaturos minati sint; Diana, postquam utriusque partis defensores laudasset, ad illud argumentum respondet, non propterea suam opinionem à dictis Pontificibus damnatam fuisse; nihil ab illis de hoc definitum; sed illos ad summum contrariæ opinioni adhæsisse; cur ergo dicis, decrevisse, *stare Pontifices*, Episcopum illum, primo suo voto solutum non esse? negarunt dispensationem petitam, & quam probabiliter necessariam; fateor ultro; rem ipsam definierunt; ô bellam & subtilem consequentiam! huc profectò quadrat tritus versus, *Clodius accusat mœchos*; Romani Pontifices Jansenii doctrinam tam ac tam ùs damnarunt, idque ex cathedra, ut aiunt, ab anathemate; atque adeò universa Ecclesia damnavit, vos huc usque præfractè negatis, damnasse, in quo manifestam hæresim facitis palam, cum incredibili pertinacia conjunctam: Dianæ tam improbatis nescio quam responsionem insonam & catholicam, dubio procul omni si auctoritas Sedis vobis adeò cordi est, cur eam superbo tumano proculcare, & lingua diabolica dilacerare non cessatis? Dictum illud à te Baunio affictum, *quid mihi Romana cum gallica*, optimum sensum habet; quicquid in censura ad Romanam nihil facit; Roma hunc damnat, quem absolvit Gallia, seu vicissim, hanc damnat, absolvit illa; (hujus sanè rei non desiderantur exempla) utri amabò Catholicis standū? quòd denique dicis, libros Baunii Romæ damnatos fuisse; mendacium, & tuum votum est; unicus tantùm, isq; libellus potiùs, quàm liber in 8vo, ut ajunt, confixus clavo summa; reliqui omnes grandiores in foro, ut vocant, intacti manserunt.

IX. Omitto insana illa & vesana commenta, quæ aliquam scurriliter subnectis de opinione utrimque probabili; si hæc caperes, aut saltem velles capere, te nihil docendum susciperem; quid hac de re in Notis scripserim, tu videris; quælibet enim opinio verè ac certo probabilis tuta est, secura est; nec unius partis probabilitas alterius probabilitatem expungit, ut inquis garris; nec is Confessarius, qui aliquâ opinionem probabilem certò putat, pœnitentem in ea persistentem absolvere debet; nec ab uno Casuista nova, pro arbitrio, morum præcepta cudi possunt, ac proinde tota Ecclesiæ disciplina everti; quis unquam talia? quis unquam probabilem illam opinionem esse dicat, quæ totam Ecclesiæ disciplinam evertit? error est, hæresis etiam, imò, dicam, quod sentio, vestra est, qui antiquam Ecclesiæ disciplinam à Theologis eversam fuisse dicis, & Theologorum errores ab Ecclesia tolerari, imò & laudari; sed quis Catholicus hisce vocibus hæreseos anathema non dicat? Insulsè deinde Dianam refellis, quod nescio quam opinionem proposuerit quidem, non tamen adstruxerit, sed eam, quia nova erat, tempori maturandam reliquerit: quasi verò in quocunque disciplinæ genere, novæ ex antiquis principiis conclusiones deduci jure non possint; unam similem Diana deduxit, non ausus tamen adstruere, præmodestia; illam doctiorum examini ac censuræ subjecit, ut vel illam approbarent, si legitima, vel rejicerent, si spuria videretur; hoc certè nihil aliud est, nisi tempori maturandam relinquere; quid quæso modestiùs? vos profectò non ita, qui præter antiquas hæreses jam olim damnatas, quas in exosam lucem reduxistis, ut denuò damnarentur, novas publicatis, quas etiam Ecclesia, quæ nunquam fidei & morum corruptelas tolerat, Innocentii X. fulmine attrivit.

X. Iniquè posteà Baunium perstringis hoc loco, quasi docuerit, opiniones probabiles post aliquod temporis spatium, ex tacita Ecclesiæ approbatione, auctoritatem accipere, quod falsissimum est: docet Baunius tract. 6. de præcepto audiendi Missam, q. 9. satisfacere illū, qui audit partem ex alia Missa, quam ex priore omiserat, & citat in hanc rem Navarr. Major Hierō. Blamas, Barthol. ab Angelo, Em. Sà, Laym. Coninch; addere possem alios triginta; quia scilicet, inquit, Ecclesia huic præcepto in hunc modum satisfieri velle censetur, cùm auctores citati, aliique longè plures, libris impressis, hoc docuerint, nec Ecclesia hæc videns & sciens, reclamarit; quod tamen faceret, si per hoc præceptum illud probabiliter impleri non putaret: quis neget rationabiliter hæc à Baunio dicta fuisse? nempe quo ad præcepta Ecclesiæ implenda, meliorem ac certiorem regulam non habemus, quàm præsentem usum, quem videt & patitur in fidelibus, immò in præcipuis membris Ecclesia; unde ita præceptum impleri velle censetur: hæc dolo & arte mala reticuisti, ut vel inde Jansenianū errorem confirmandi occasionem arriperes, nimirum errores publicos & hæreses in suis Theologis, Ecclesiam tolerare, etiam in omnibus ferè Academiis Catholicis, majoris mali vitandi gratia; quod certè vestræ doctrinæ præcipuum caput est; ut enim torrenti Doctorum Jansenius occurreret, qui ejus erroribus sese opponere statuerant; omnes illos errasse, dicere non dubitavit, & Ecclesiam, pro bono pacis, illorum errores, quantumvis publicos, tolerasse; quid quæso Calviniani, aut Lutherani atrociùs in Ecclesiam?

XI. Inducis deinde Fabulinum illum, pecude stolidiorem, de se ac suis ultro fatentem, hoc scilicet Societati unicè propositum esse, ut, ne quemquam à se alienaret, varia decreta pararet, singulorum usui accommodata: nimirum Ecclesiasticis, nobilibus, famulis, negotiatoribus, egenis, omnibus denique, ne quis, inquit, nostrorum curæ elaberetur; & hæc, quo ad fieri potuit, commodissima & mitissima: & hæc contumeliosa ab omni veritatis umbra alienissima, nequissimus scurra & sannio in scenam: proh nefas; & his jocis plusquam sacrilegis, fœminas, imperitos, otiosos, & malè feriatos homines delectas, iisque risum & cachinnum moves, quæ bonis alioquin & probatis Catholicis amaras lacrymas cient: mirum certè, quàm multos de Jesuitis ridere, jocari, & insulsos sales miscere, delectet; quo instinctu, quo fine, cujus impulsu & suggestu, Deus scit: ut autem hoc Jesuitarum consilium esse ostendas, quædam ad speciem, sed more tuo, truncata & adulterata Fabulino tuo suggeris. Primo igitur loco Valentiam & Tannerum appellas, qui docent, spirituale conferri posse ab aliquo pro temporali, modò temporale non sit finis ipsius rei spiritualis collatæ, sed tantùm voluntatis, vel applicationis, ad actum conferendi; id est, modò temporale non accipiatur ut pretium rei spiritualis, sed alio titulo, puta gratitudinis, intercessionis, &c.

XII. Uterque docet, committi simoniam juris divini, si temporale detur pro spirituali; puta pro beneficio, ut pretium; si tamen alio titulo datur, simoniam juris divini esse, negat, quæ cùm essentialiter venditio sit, pretium dicit, ut Gibalinus q. 2. de simon. fusissimè ac doctissimè demonstravit atque confecit; nullus enim refutare ausus est; docet tamen uterque, esse simoniam juris positivi, iisdem pœnis obnoxiam, in casibus scilicet jure expressis, ut Tannerus disertè tradit, disp. 5. de Relig. q. 83. dub. 3. n. 65. in quo D. Thomam expresse sequitur, q. 100. a. 1. & 2. ad 4. & a. 3. ad 2. 3. 4. sed cur hæc reticuisti, unde utriusque Doctoris doctrina perspicua redditur? cur omnem simoniam ab iis ablegari dicis, quamvis simoniam juris positivi iisdem pœnis subjectam ibi agnoscant? ita ne verò, usque adeò prostitutæ ac perditæ famæ, ut sanam Catholicorum scriptorum doctrinam adulterare non dubites? hæccine est, quæ jam in proverbium abiit, *Ianseniſtarum fides* & sinceritas, qua instructus mentiris impunè, nec non mille falsitates & calumnias, nulla fronte, nulla conscientia, nullo pudore, plena manu disseminas? gravissimum peccatum admittitur, inquit Tannerus, & simonia saltem juris positivi incurritur; pessimè igitur inde inferre voluisti, Beneficiarios inde maximè levari, cùm per jura, sub gravissimis pœnis cautum sit, ne in collatione beneficiorum ullum pactum intercedat, quocumque tandem nomine, vel titulo coleretur, præter ea, quæ ex rei natura insunt: multis igitur deest illa gratia sufficiens, de qua hîc jocaris; nec adeò facilè est, pecuniam ex beneficii collatione, vel dimissione percipere, citra simoniam, sive juris divini, sive positivi; quod sanè perinde est, quo ad censuras & pœnas. ô utinam Willelme illi tui ab hac simonia immunes essent; intelligenti pauca.

XIII. Redis denuò ad Escobarium, qui nescio quod dictum Filliucii refert, sed non approbat; nimirum Sacerdotem, qui accepto stipendio pro uno celebrat, posse, non integrum quidem stipendium, sed v. g tertiam partem ab alio accipere, cui partem sacrificii sibi competentem applicat; hæc scripserat Filliuc. immò & Escobarius longè ante declarationem Alexandri VII editam 25. Januarii, ann. 1659, qua damnatur opinio de duplici stipendio, quæ est 8. decreti dati 24. Septembr. ann. 1665. quanquam propositio damnata loquitur de duplici stipendio integro, cùm tamen Filliucius loquatur de tertia tantùm illius parte, & supponat illum, qui secundam eleemosynam elargitur, hujus rei ab accipiente & applicante certiorem fieri: sed in his non hæreo; standum quippe est declarationi Alexandri; illud tamen non omittendum, quod per intolerabilem insciti am, de hoc argumento ineptissimè disputas; non finit Ecclesia, inquis, ut Sacerdotes sacrificium pro pecunia commutent; quis unquam hoc somniavit? quis unquam negavit, puram putam simoniam esse? quia spirituale pro temporali venderetur, sed pergis, non finit etiam Ecclesia, ut se ipsi divinis illis muneribus spolient, quæ ipsos ex hoc sacrificio percipere convenit; certè gratiam habitualem, quam ex hoc sacrificio percipiunt, in alium transferre non possunt, nec etiam gratias actuales annexas: quod verò attinet ad satisfactionem, dubium est, an quidpiam facientibus restet, applicato jam alteri sacrificio, ut rectè observat Lugo de Eucharist. disp. 21. sect. 2. n. 33. unde residuum illud, de quo dubitatur, an reverà extet, applicari non debet, nec pro eo novum stipendium accipi, ut communiter docent Jesuitæ; Suar. de Sacrif. Miss. disp. 79. sect. 9. Laym. lib. 5. tract. 5. c. 2. n. 8. Tamburin. lib. 3. de Sacrif. c. 1. §. 3. Turrian. disp. select. centur. 4. dub. 8. Lugo citatus. Dicastill. tract. 5. de Sacrif. disp. 3. dub. 8. n. 134. Vasq. in 3. p. tom. 3. disp. 234 c. 3. & plures alii. Restat demum impetratio, cujus Sacerdos celebrans multos participes facere potest, etiam applicato sacrificio; licèt novum stipendium accipere pro illis non debeat, quia scilicet lege vetitum est, illud Apostoli: *Pontifex debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*, non obligat Sacerdotem ad applicandam sibi sacrificii satisfactionem, quotiescumque celebrat, sed tantùm quando vult pro peccatis suis satisfacere; unde manifestum fit, quàm peritus sis & profundus Theologus; sed hoc argumentum non urgeo, quod sanè non ultimum doctrinæ, seu cabalæ vestræ caput est, ut scilicet a frequenti Eucharistiæ usu fideles arceatis; nostri sunt Arnaldi vestri conatus, ad hunc effectum; sed oleum & operam perdidit; quis enim Christo & Paulo fidem potiùs non habeat, quàm Arnaldo?

XIV. Increpas deinde Baunium, eò quòd dixerit, nullum canonem, nullam legem extare, qua Parochi rem sacram facere quotidie teneantur: inepte ac re fragaris, cùm legem illam, canonem illum, minimè appelles; quæstio facti est; negat Baunius, legem ullam esse; suggere aliquam; obmutescis; cur ergo accusat quod autem subdit ex Possevino, legem illam ab Ecclesia condi non posse, prudenter scilicet, ob periculum, ex humana fragilitate proveniens, mitto à vobis improbari, cùm illud doctrinam vestram, de raro usu Eucharistiæ, non parum confirmet; quare veretur, ut hoc Arnaldo gratum accidat: ut ut sit, quamvis nulla lex hujusmodi extet; dubium tamen non est, quin ab Ecclesia ferri possit. Quærit autem Baunius pag. 441. an Sacerdos, qui tenetur sacrificare proalio, abstinere possit; & respondet, teneri sacrificare, sive per se, aut per alium; sed inquies, sibi conscius est peccati mortalis, & substituere non potest; purget animum sacra exhomologesi; non est copia Confessarii, absit neat, & omittat, deinde facturus satis; omittere non potest sine scandalo; nec enim Baunius de eo loquitur, cui jus liberum est sacrificii, ut diserte monet, ipso statim quæstionis initio, eliciat, inquit, aut istem elicere conetur contritionis actum: quid quæso in his, quod certum non sit? vah imperitum & ignarum rerum illarum, quas tractandas, seu disputandas temerè suscepisti, nunquid hoc non est theses suas ludibrio exponere? Addit demum Baunius, Sacerdotem non peccare, qui admissâ eo die lethali cujuspiam impudicitiæ noxâ, ritè antè confessus & absolutus, Missam celebrat; nonnulli quidem secùs sentiunt, ut Villalob. Nugnus, Delacruz, & dicunt, inesse veniale m culpam; sed appellent quæso legem illam, quam dictus Sacerdos, rem sacram faciens transgreditur, præterquam quod, cum veniali culpa ad sacrificandum accedere, nihil vetat: hoc tamen loco mum continui, inquis, sed commotiùs, ain tandem mi ter, hanc opinionem in praxi sequendam, quid ei in praxi? consultum scilicet super hoc, respondeo, peccatum non esse, nulla quippe alia praxis contrariari potest; nec enim quæstio est, an Sacerdos non hortari debeas ad sacrificandum, sed an ille peccet sacrificando: non erat igitur, quòd inde commotior esses; quamquam, ut dixi, hæc te parum, aut nihil afficiunt; zelum præfers, ad speciem; sed quò speciem nemo non videt; Jesuitas videris impetere; meruit obtentus est; Ecclesiam petis, ejusque recentem disciplinam & usum, cum Molineo; sic enim errores vestros Ecclesiæ censuræ subduci posse putas, cum

ænda vertit vos inter & Catholicos, an errores illi damnandi sint in sensu Jansenii; Ecclesia ita damnatos & damnandos esse, non una constitutione definitas, vos verò negatis; utri parti Catholicis stando, vobisne, quibus solenne est, impudentissimè mentiri, etiam in nonoriis? an verò Ecclesiæ, quæ veritatis atque fidei columna est? deinde cur ad quæstiones morales causam & quæstionem traducitis? Eodem in prima, mi homo; age igitur, sentiri cum Ecclesia, damna errores illos, in sensu Jansenii atque ab ea prima causa finietur; hac autem finita, ad alteram ultrò descendemus, & quantum voles de quæstionibus moralibus tecum, ruisque differemus. Perge tamen.

XV. Ludis præterea satis impiè, & scurrilia miscens de tanto missarum numero, quem vel ex eo valde enormem iri putas, si tam districtè sacerdotes ab Episcopis, per leges Ecclesiasticas, removerentur; falsas leges inquis, ipsa desuetudine cessare Filliucius docet. Aculeus iste Jesuitas profectò non ferit, qui illare missarum, juxtà institutum Societatis, stipendiorum emolumenti, nihil ultrà stipendii accipiunt: quod enim mirabilis, leges humanas desuetudine cessare, quam in rerum istarum rudis, satis evincit, cum jus ipsum dicat, legem per desuetudinem abrogari; L. Inveterata. C. de veter jur. enuclean. & l. *de quibus* ff. eodem; ubi dicitur consuetudo vim legis habere, legem abolere: D. Th. 1. 2. q. 97. a. 3. ibi Cajetan. Imò istæ omnes v. *Consuetudo* Sot. de just. q. 7. a. 2. Antonin. 1. part. tit. 16. cap. unic. &c. Truncasti nimis perinsignem quidem, sed consuetam fraudem, Filliucium locum, qui loquitur ibi de legibus veteris testamenti, contra blasphemos statutis, quas dicit nequaquam receptas fuisse in lege gratiæ, vel desuetudine abiisse; tu verò ad turpes Sacerdotes distum illud traduxisti, quasi Filliucius iis faveret: nos tenè leges omnes impunè violatis, & de lege non male sentitis, ut vester ille Sancygiranus, qui legem antiquam per se, & quantum in se, malam esse docebat; item legis humanæ externæ nullam rationem habendam, sed tantùm internæ; item ad sacramentalem absolutionem, remissionem peccatorum confessario præmittendam; item præsentem Ecclesiam non esse talem Ecclesiam esse, quia Ecclesiæ veræ nequaquam successit: hæc & alia hujusmodi, quæ ut sana dogmata, & Prophetarum vestrorum oracula passis, satis evincunt, quò tandem Ecclesiæ leges non habeatis, & qua pietate illius imperia exequuntur mandetis.

XVI. Quod profers ex Cellotio optimum sentire habet, quamvis enim res omnes creatæ Deo sacrificarent, longè plura sacrificia, infinita Dei Mathusalæ postularet; quasi verò res omnes creatas, etiam rationis & vocis expertes, ad celebrandas Dei laudes cum Regio Vate invitare non liceat: sat scio; in quibus vobis esset, augustissimum illud sacramentum adorare, saltem per non usum, ut ajunt, quod non modò vobis exprobratum est. Sugillas etiam Castrodidum, eo quod dixerit, non teneri Prælato parere subditi, si probabile sit, eum non teneri: rem hanc profectò non capis; omnis vera obligatio certa est, dubia lex non obligat; sed si probabile est, eum non teneri, seu non obligari, obligatio est tantùm probabilis, incerta igitur & dubia: & verò ut rectè agam, certò judicare debeo, me non teneri illud omittere, quod ago; at si certò judico, nullam esse obligationem, certam scilicèt; sed si probabilis est objectio, non possum certò judicare, nullam esse obligationem, igitur si aliqua est, certa est; igitur lex incerta & dubia, seu præceptum incertum & dubium non obligat: dato tamen, quod præceptum verum sit, sed tantùm dubium, an obliget, id est, an justum sit, debet esse certò injustum, ut non obliget; cùm incerta exceptio certum præceptum non tollat: undè nativa est obedientiæ proprietas, ut subditus in iis omnibus legitimo superiori obediat, quibus manifesta noxa non inest; & nunquam aliàs opinio probabilis est, quod subditus parere non teneatur: unde hujus auctoris propositio est hypothetica; *quando daretur*, inquit, *opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire.* &c.

XVII. Escobario deinde manifestam calumniam affingis, quasi doceat, ejectum à Religione non teneri se emendare, ut ad religionem redeat; nec obligari voto obedientiæ; contrarium dicit tract. 6. exam. 7. cap. 2. Ejectus manet, inquit, votis substantialibus adstrictus, nec ab obedientiæ voto liberatus omninò est; debet se corrigere, ac redire, si ab Ordine recipiatur; hæc diserta sunt Escobarii verba: cap. verò 3. prædicta verba à te opposita ex Molina refert; non negat tamen Molina, illum obligari ad emendationem vitæ, necessariam scilicet ad salutem; & christianum munus obeundum, sed tantùm ad finem redeundi, nisi revocetur; uti revocari potest à Superioribus: tunc enim redire tenetur, ac proindè illa omnia emendare, quæ obstare queunt, ne suo munere in Religione defungatur; cùm tamen ejectus fuerit, & redire ac denuò admitti ab ipso non pendeat, illum finem sibi proponere non tenetur: igitur nec quidquam aliud ad eumdem finem referre: hæc mera est Molinæ sententia, quàm si mente capias, prudentissimam esse judicabis; si verò non intelligas, tibi ac tuæ insciticæ imputes velim, non verò Molinæ, quem profectò virum, vel nominasse satis laudasse est:

XVIII. Recenses insuper multa famulorum officia, quæ ipsi Dominis suis tuta conscientia præstant, nempe actiones quasdam ex se indifferentes, ut comitari herum ad domum pellicis, equum ad eum finem parare, mensam apponere, Epistolas deferre, de quarum tamen gravi turpitudine non constat, dona ferre, excubias agere, scalas applicare, auxilium Domino præstare, ut ascendat, aliaque hujusmodi ex Baunio & Escobario. Ita est, Escobarius hæc habet, modò tamen actiones illæ ex se indifferentes sint, quibus Herus ad peccandum perversæ voluntatis vitio utitur, & famuli Heri peccato non modò non consentiant, sed illud ex animo abhorreant, immò actiones illas, obsequia illa sine gravi damno & grandi periculo omittere non valeant, nec domicilium, vel dominum mutare, *& inibi perseverantes, grave damnum timeant, præcipuè si Dominus vehementer abira corripi soleret*, ut præmittit Escobarius, quæ verba per solitam charitatem, & Jansenianam sinceritatem, reticuisti; multi enim actiones illas damnare non audent, indifferentes scilicet, quas jure suo aliquis præstat, quamvis alius quispiã iis malè utatur; sic laborans pecuniæ penuria, quæ mihi necessaria est, possum illã fœnori ab usurario petere & accipere, ut omnes, post Navarrã tenent: alias etiam limitationes dissimulasti, quas hujusmodi actionibus ut licitè fiant, nostri Theologi apponunt: 1. Quod actio illa ex natura sua indifferens, ita ut citra malum finem, ad quem ab Hero refertur, à quolibet præstari licitè queat; 2. Ut famulus nullo modo peccato Heri consentiat, sed illud omninò detestetur, & opus illud ad bonum finem referat, nimirùm ad sese indemnem servandum, à damno scilicet valdè gravi, quale esset mercede suâ frustrari, ab Hero ejici, verberari, ad mendicitatem cogi. 3. Ut hæc opera solo nomine famulatus non præstentur,

qui revera satis non esset, sed gravis damni imminentis justus timor adsit, nisi id officii, vel obsequii famulus obeat; ita Navarr. lib. 5. consil. edit. 2. cons. 5. de pœnit. alios auctores plena manu profunderem, si opus esset, tu vide sis apud Sanch. lib. 1. in Decalog. c. 7. ubi citat Cajetan. Bannez, Aragon. Salon. & lib. 9. de matr. disp. 6. n. 4. & 7. ubi appellat D. Th. Tostat. Major. Adrian. Covarr. Sot. utrumque Tabien. Angel Ledesm. Veracruz, S. Antonin. Joann. De Neapoli, alios alibi appellavimus.

XIX. Quod ad Baunium attinet, imponis illi hæc verba. *famuli comitantes Dominum ut absolvi non possunt, si consentiant in peccatum Dominorum, secùs verò si id fieret propter commoditatem temporalem:* Hæc tantùm Baunius, in summ. cap. 46. concl. 7. q. 11. *Utrum famuli absolvi possint, qui ea officia Dominis præstant, quibus ibi abutuntur. Resp si actiones illæ sint indifferentes ex natura sua, quibus Domini malè utuntur,* unam tantùm appellat, nimirum parare cibos, *famulos eximi culpæ, modò non consentiant peccato, nec possint actionem illam omittere, sine gravi incommodo, interesse notabile*; & hic citat Bejam tom. 1. cas. 27. Nihil aliud apud Baunium; cur ergò in Epistola vernacula, duo illius loca citasti? sed jam monui à te multa emendata fuisse in hac Epistolarum versione; Utinam omnia; quod autem ille tuus Fabulinus dicat, vel eum potiùs dicentem inducas, famulos eximi culpæ, qui sunt spurcitiarum illarum administri, calumnia est & atrocissimum mendacium; peccati enim administer ad peccatum concurrit, eique ut cum Scholasticis loquar, cooperatur: at nullus Jesuita illum eximat culpæ, qui ad peccatum sciens & volens concurrit. Quid porrò de te dicam, qui operam tuam Montaltio locasti, literis hisce vertendis, actionem certè indifferentem nemo dixerit, libellos famosos, eosque primæ notæ, convitiis, aculeis, sarcasmis, calumniis, impostoris, erroribus & blasphemiis scaturientes, latinitate donare; hoc est, iis omnibus legendos porrigere, qui gallicè nesciunt; nemo, nemo id à culpa liberet; nullus Baunius, nullus Escobarius in hoc tibi suffragetur.

XX. Adducis demum Baunii sententiam, in eorum famulorum gratiam, qui constituta sibi mercede minimè contenti, tantùm ex bonis Domini sui clam corradunt, quantum sufficit, ut suis laboribus justa merces respondeat; & hic lepidam historiam Joannis de Alba inseris, & causam illius agitatam in curia prætoria, nec non sententiam Domini de Monte Rubeo à plerisque probatam. Non satis erat, Willelme, Theologorum libros adulterasse, nisi etiam publica fori judicia falleres, cùm ne unus quidem Judicium in sententiam Domini de Monte-rubeo descenderit, utpote quæ justo alieniorem opinantis à Jesuitis animum præferret; ut videre est in publicis regesti prætorii tabulis; quod ad locum Baunii spectat, excerptum ex summ. cap. 10. concl. 9. q. 1. illum adeò miserè truncasti, ut toto cœlo à se ipso discrepet; in duobus tantùm casibus id fieri posse, Baunius docet, cum iis limitationibus, quas tu omninò reticuisti; primum integrum omisisti; alterum ita imminutum, & truncatum exhibuisti, ut vix decimam illius partem, idque aliis verbis delibaris; multa autem ibi statuit Baunius, de quibus tu ne verbum quidem. 1. Mercedem illam justa longè minorem esse; 2. Famulum non sponte, sed vi necessitatis urgentis, adactum fuisse, ad quantumvis iniquam conditionem, quod revevà facit, ne id, quod ad justam mercedem deest, Domino cedere censeatur; 3. Compensationem illicitam fore, si famulus precariò ex mera gratia & misericordia Domini adjutus fuerit. 4. Item, si se ipsum obrulit ultrò, sub ea conditione. 5. Item, si alii eadem mercede contenti ultrò serviunt. 6. Nihil ultrà aut suprà debitum accipi; 7. Denique supponit, seu statuit prædicta omnia certa esse, famulum aliâ viâ rem sibi debitam habere non posse, omne scandalum abesse; & verò Herus in hoc casu injustè cum famulo se gerit, haud dubiè famulus jus suum indemne servare potest. In hanc rem multi auctores citari possent, ut Lopez part. 2. c. 8. Less. cap. 12. dub. 10. n. 63. Navarr. lib. 3. cons. de locat. & conduct. cons. 1. n. 5. Cordub. in sum. q. 111. & l. 1. qq. 435. Petr. Navarra lib. 3. de rest. c. 409 D. Antonin. 2. part. tit. 1. c. 15. de furt. § 3. Rupert. lib. 7. in Genes. c. 39. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 24. August. lib. 22. contra Faust. c. 71. Iren. lib. 4. contra Hæreses c. 40. omitto alios; illud tamen observandum est, vix unquam accidere, ut famulum prædicto casu eximatur culpæ; cum vix unquam omnes illæ conditiones interveniant, quas suprà recensui; ut rectè monet Lugo de just. disp. 16. sect. 2. §. 2. n. 80. & ita maximam Jesuitarum partem sentire, constat: cur ergò Jesuitarum doctrinam illicitam, perniciosam, divinæ, naturali, humanæ legi contrariam, familiis pestiferam, domesticis furtis commodatam esse blateras? Ludis denique histriones ad instar, & Fabulinum Jesuitam hortaris, ut rure, Judices illos Sacramentorum usu interdici, qui probabilem opinionem sequutos non absolverint; & hic fatetur, rem dignam esse, quæ curetur, & se illam ad Provincialem delaturum pollicetur; quid ineptiùs illâ cucurbitâ? quid frigidiùs hoc sarcasmo? quid his salibus insulsiùs? & hic risum semimulierculis & otiosis hominibus movet, quæterenti sibi lachrymas eliciet, æternamque apud posteros vel Catholicos infamiam, nec non Epistolarum tarum horrorem.

EPISTOLÆ VII
Confutatio.

I. INitium disputationis tuus ille Fabulinus ducit à Methodo dirigendæ intentionis Willelmi Wendrocki, qua fiat, ut omnia fere ulcisci permitti queant, modò ad honestum finem referantur; hinc pecuiam dari posse pro beneficio, citrà simoniæ suprà ostensum est, eo scilicèt intentionis flexu, ut non pro pretio, sed alio fine detur: sic famuli quidam ut suprà vidimus officia Dominis præstant, animo tantùm averso à turpi usu, cui applicantur, & ad proveniens indè lucrum converso: hac ratione, inquiunt, des licitè patrari possunt, modò animus à studio vitandæ ad alium finem bonum, aut certè non malum convertatur. In hunc modum Deo & hominibus satis: Hominibus actio exterior, Deo interior intentio conceditur: Homines certè ab illicitis abstinendi, abstinendique; at ubi actus ipse impediri nequit, intentio dirigenda, & actio per se nocens, innocuo fine emendanda.

II. Cuncta hæc ex Petro Molineo fœliciter excerpsisti, qui hanc directionem intentionis in sacerdotii ministeriis atque ministris plusquam scutriliter tuendet; immò & eadem exempla commemorat, nimirum præstiti ab ancilla officii, pecuniæ à Pontifice acceptæ pro litteris Apostolicis; cædis patratæ, ad

defensionem vitæ, bonorũ, famæ: ex hoc fonte, quàm puro ac fœculento, vestras imposturas, errores, falsitates, & impios sales hausistis; gutta guttæ similis non est: illud dumtaxat discriminis intercedit, quod Molinæus Ecclesiæ Romanæ hæc scurriliter, Societatis autem exprobrat; vos saltem ad speciem, Jesuitis, eorumque Societati; sed quo tandem operæ pretio? Certè alio certè, nisi, ut malitiam juxtà atque insciam tuam faceres palam; sed an nescis nebulo, actum non bonum, propter malum finem elicitum semper esse? item actum per se malum, quamvis ad bonum finem relatum, ab eo nunquàm honestari posse, undè sive bonum propter malum, sive malum propter bonum, sive malum propter malum fiat, protinùs eximitur culpæ; quia bonum, ut ajunt, ex integra causa, & minimus boni defectus actum ipsum vitiat.

III. Nihil igitur, quo ad hæc, juvat intentionis dirigendæ methodus, nisi fortè cum ignorantia invincibili conjuncta sit: hoc tamen non vetat, quin talibus quibusdam per se indifferentibus, ut vocant, meo uti queam, quamquam iis ad malum finem quidam utatur, si res meæ ita postulent, quibus alterius malitia nocere non debet: sic famulus, ut supra dictum est, quædam obsequia Hero præstare licet, quibus Herus ad peccandum utitur, modò illæ omnes conditiones adsint, quas necessarias diximus; sic temporale datur pro spirituali, v.g. stipendium pro missa, vel alio sacro ministerio; sic ex defensionis jure, injustus aggressor interficitur; quæ tamen omnia illicita essent, si & famulus Heri peccato consentiret, & temporale ut pretium pro spirituali daretur, & vindictæ studio cædes patraretur, undè vides, hæc bona, aut mala esse, pro diversitate, & diversa intentionis directione: bonum operantem facit, ut ait Augustinus in Psalm. nisi tamen opus ipsum per se malum sit; & intentionem fundingit; Morales quippe actus speciem suam requirit secundùm id, quod intenditur, ut docet D. Th. 22. q. 64. a. 7 in corp. intellexistin Willelme; unicum hac voce utar; cur ergò certissimam istam regulam ab omnibus Theologis, Philosophis, Doctoribus probatam, illudis, & eludis?

IV. Innocentius III. cap. *Significasti* 2. de homicidio rem hanc ita definit, omnia jura, leges omnes clamant, vim vi repelli posse, non ad vindictam tantùm, sed ad propulsandam injuriam, & C. *in integrum*, eod. titulo, *te tuaque liberando, sine odii mentione, ejusmodi membra Diaboli interfeceris*: quando enim quis defendit sua, dum ea quispiam per vim auferre conatur, regulariter simul defendit suam personam, quam periculo exponit, ut docet Molina tom. 4. tract. 3. disp. 16. n. 4. ac demum percussio non imputatur, si quis in continenti vim repellat, ut ibi verò *de sentent. excomm.* Sed hæc parùm vos movent, sacros canones appellatos, per intolerabilem superbiam elevatis, & per sacrilegam impietatem irridetis, quasi amplissimum & vastissimum vindictæ campum aperiant, & per directionem intentionis cujuslibet actionis vitium corrigatur: sacra scriptura furem nocturnum domum suffodientem, imò diurnum armatum impunè occidi postulat, sed has leges ridendo exploditis, quæ domus conservatione hominem occidi permittit: Doctor Angelicus 2. 2. q. 32. a. 3. quandoque etiam illatam repellendam esse, docet, sed hanc doctrinam ridetis, non sine cachinno; quia per vos hominibus actus; Deo intentio conceditur; atque ita utriquebellè fit satis.

V. Si autem hæc scurrili & ludicro modo, ut facitis, tractare liceat, pleraque scripturæ sacræ dogmata & facta in scenam & risum pariter vertentur; nempe Atheus quispiam ridendo & jocando cum Jansenistis, eodem jure dicere posset, fœnerandi artem à Moyse populo concessam fuisse, quo ad exteros, religionis obtentu, sed ad lucrum: Juditham sese ornasse, ac stetisse Holoferni, obtentu salutis publicæ, ut turpem illius amorem & cupidinem accenderet; Davidem jamjam morientem Salomoni mandasse, justitiæ obtentu, ut Semei & Joab è medio tolleret; & Samuelem vocanti sagæ præsto fuisse, ut Sauli funesta prædiceret; cuncta hæc, inquit, accersita recta intentione, à culpa eximuntur: ita vos prorsùs, non jam ratione, argumentis, & auctoritate, doctissimos & pissimos Doctores impugnatis, sed insulsis jocis & scurrilitate; prout ex iis constat, quæ hucusque adduximus, & ex dicendis infrà melius constabit; vos certè qui directionem intentionis ludibrio, non modò honestæ actionis, verùm etiam rectæ intentionis penuria laboratis; nullus unquam honestus finis, nulla intentio recta, errores vestros, calumnias, imposturas, & impium agendi & scribendi modum à gravissima culpa liberet; nulla intentionis directio, nullus finis, ut dixi; quis enim? uno verbo, non jam alios Scriptores Catholicos, qui res sacras & serias seriò tractarunt, sed scurram & sycophantam ministellum imitari voluistis: abstineo à recriminatione, quam mihi mystæ vestri, Jansenius, Sancyranus, Arnaldus & quidam alii copiosissimam, & selectam suppeditarent. Sed ad auctorum loca veniamus.

VI. Primum Fabulinus ille tuus ex Reginaldo excerpsit, *lib. 21. n. 62.* Ubi hæc habet, vindicare propriè est reddere malum pro malo; ac deindè subdit, illud naturam defensionis, non vindictæ habere, quo militaris homo eum, à quo percussus & vulneratus est, insequitur, non quidem ut malum pro malo reddat, sed ut defendat honorem graviter læsum. Cuncta hæc ita connectis, quasi uno tenore & non interruptè dicta essent, & multa omittis ab auctore interjecta, quæ illius mentem mirabiliter explanant & sensum aperiant; nam primò statuit, damnum illud, id est, jacturam honoris manere in suspenso; secundò aliter servari, aut defendi non posse; tertiò, si nihil recuperari, aut servari possit, licitè illum insequi non posse, undè insequi dumtaxat licet, cùm damnum illud, hoc tantùm modo, resarciri potest. Quartò subdit, hoc fieri debere in continenti, dum res adhuc in suspenso est; Quintò denique ita concludit num. 63. *Quidquid sit in speculatione, non videtur in praxi admittenda ejusmodi insequutio.* Cur hæc reticuisti nebulo; Ultimam præsertim auctoris conclusionem; cur Reginaldo opinionem illam affingis, quàm ipse permittendam non esse disertis verbis concludit; Multi quidem alii hanc sententiam tenent, iique magni nominis, quos appellavi in Notis; unus tantùm Jesuita, inter tot, nimirùm Henriquez ut jam alibi à me observatum est.

VII. Lessio pariter imponis, quasi docuerit, eum, qui colaphum accepit, statim posse repercutere, etiam cum gladio, non ad vindictam, sed ad vitandam infamiam; idem Molineus Ecclesiæ olim exprobravit? sed Lessio per fraudem tribuis diserta verba Victoriæ, cujus tamen sententiam Lessius in praxi rejicit: *idem tenet Victoria*, inquit, & præmissa verba ex Victoria recitat, & Italico charactere exscribit, additque hæc præcisè verba:

Hæc

Hæc sententia in praxi non est permittenda : hic porrò loquitur de Gregario quolibet, sed de viro nobili; cur igitur Lessium calumniosâ impostură infectaris? cur dicis, hanc doctrinam veteribus ignotam fuisse, ac Jesuitis acceptam referri? quasi verò Victoria ante Jesuitas non scripserit; utpote qui circà annum 1500. floreret.

VIII. Escobarius, inquis, *tract 5. exam. 5. cap. 6.* docet, posse quempiam hosti mortem valdè nocituro exoptare, non odio, sed ad vitandum damnum; & de morte ejus gaudere, ob bonum inde sequutum; item Petrus Hurtado de Mendoza de fide, spe, char. *vol. 2. disp. 15. sect. 4. n. 48.* docet posse orari Deum, ut eum è vivis tollat, si est injustè vexaturus, & aliter inferenda mala vitari non possunt; item Gaspar Hurtado *tract. de charit. disp. 4. diffic. 3.* dicit, posse gaudere filium, de morte patris, cui succedit in bonis, & Beneficiarium de morte Pensionarii; & simpliciter desiderare illorum mortem, modò ex odio non fiat, lethalem culpam non esse: & hic exclamas: *O pulcherrimos ex directa intentionis methodo fructus!* Admiratio exclamationis parens est, sed ignorantiæ proles; quid mirum igitur, si pueriliter exclames, cùm rerum istarum rudis adeò sis, ut nec ipsarum vocum notitiam teneas; ludis tamen ac dolere fingis, quod Ecclesia hujusmodi orationes Breviario inseri non curaverit; inducis autem Fabulinum illum reponentem, opinionem istam Breviario Romano recentiorem esse, ac te arguentem, quod non bellè rationes temporum subducas; sed quid tecum agerem, quem rectum istarũ, de quibus disputas, ignarum & imperitum esse, compertum est? ignoras enim, aut saltem nescire simulas, aliud esse desiderium efficax & meram velleitatem, ut vocant; item aliud esse, voluntatem in actionem malam ferri, aliud in effectum illius, qui sæpè ac sæpiùs malus in se non est, modò ex honesto fine, seu motivo, ut ajunt, id fiat; vellem, ut insignis siccarius, id est, publica pestis, è medio tolleretur, non quidem per actum malum, alioquin malum ipsum vellem; sed vel morte naturali, vel ultimo supplicio à Judice inflicto, non quidem ex odio, quod charitas vetat, sed ex mero boni publici amore: cum enim mors illius ipsi malum sit, item illius vita malum reipublicæ, & hoc publicum privato illo sic majus; quidni, juxtà commune pronunciatum, ex duobus malis minus eligam, modò illud non procurem; quia malum alteri procurare, malum est; voluntas igitur velle malum non potest: multa autem desiderare possumus, quæ procurare non licèt.

IX. Prætereà dirus mihi hostis imminet, magnum allaturus; oro Deum ut meab eo liberare dignetur, aut si aliter fieri nequit, eum ex medio tollat: hic duo mala sunt, alterum meum, cum illius vita conjunctum; alterum illius, mors scilicèt à Deo justè infligenda; juxtà charitatem ordinatam, bonum meum velle ac desiderare possum, & flagitare à Deo, quamvis alioquin cum illius malo, seu morte conjunctum, quod tamen procurare non debeo; quia peccatum esset. De morte siccarii lætari pariter possum, ex bono motivo: uti parens, de morte filiæ, sed de illius effectu, id est, eò quod filia periculo subducta fuerit, cui egestas illam subjecerat; idem dico de filio & beneficiario; nec enim ille de morte Parentis propriè lætatur, sed de effectu inde sequuto; nimirum, de hæreditate; neque hic de morte Pensionarii, sed de bono suo inde proveniente, quod est, liberari ab onere pensionis; immò de morte proximi, quatenus à Deo statuta est, atque disposita, gaudere possum, ut scilicet voluntas mea cum divina consentiat; fit enim nunquam accidit, ut in peccatum feratur: accedit, quod, non possum quidem velle causam, nisi velim effectum, qui positâ scilicet aliunde causâ. Pro hac sententia, facilè possem paginas implere allegationibus auctorum, & quinquaginta saltem appellare, post D. Th. 2. 2. q. 76. a. 2. Sed ut quid petitio hæc? ad Psalmos etiam te remitterem, in quibus Propheta passim orat Deum, ut superbi confundantur, Peccatores tollantur, Impii exterminentur, immò & orationes adhibet Ecclesia, quibus Deus exoratur; ut Pagani, Hæretici, alique hostes Ecclesiæ confundantur & humilientur; nec dicit prophetias esse, quæ in Psalmis leguntur; quia non verà Regius Vates hæcà Deo petit, idque ex animo, qui certè in malum ferri non potest: sed hæc forte non intelligis, nec deerit, qui mihi vitio vertat, quod Margaritas projiciam &c.

X. Longum deindè locum describis excerptum ex *tom. 2. disp. 170. s. 13. n. 106. & seq.* Hurtado de Mendoza, in quo concedere videtur, provocatum ad duellum non posse quidem acceptare, sed respondere, se horâ condictâ egressurum in campum, non tamen ad pugnandum, sed jure suo, ut nullum fiat, se nihil sibi à provocante timere; & si forsitan provocans eum aggrediatur, se propriæ defensioni minimè defuturum: hæc quidem Mendoza, sed in legibus & conditionibus, ut provocatus ceu infamiam contrahat, nisi id faciat, & res eo sumat, ut infamia alio quovis modo arceri non possit; immò *num. 113. & 115.* monet, à provocato hæc provocanti dici posse; egrediar quidem, non tamen ad pugnandum, tecum enim pugnare nolo, sed potiùs componere pacem; at si me injuriâ fueris aggressus, ego me defendam, ut par est, cum moderamine inculpatæ tutelæ: subdit denique, hanc sententiam speculativè quidem probabilem videri, pro qua triginta auctores à Diana referuntur, *part. 2. tract. 13. resol. 11.* quibus addi possent alii, qui ab eo tempore post Dianam scripserunt, eam tamen practicè valdè difficilem esse, ac proindè minimè ad usum & praxim reducendam: cur hæc omnia Willelme? quæ si fortè auctoris liber non suppeditabat, ipse Diana, quem citas, eadem tibi suggesserat: sed huic etiam calumniam struere voluisti, ut semper tui similis esses.

XI. Patrem Layman abominandæ doctrinæ auctorem facis, utpote qui doceat, *lib. 3. cap. 2. num. 4.* duelli acceptionem licitam esse, in rarissimo tamen casu, quo quis, ni acceptet, excidat dignitate, officio, gratiâ Principis; fingis Willelme; P. Layman non docet, non tenet hanc sententiam, quæ est Navarri & aliorum, non dicit, esse tutam in praxi; sed illud tantùm *non audeo damnare*; quid modestius? cùm præsertim Navarrus, quo ad hoc allatus, Ecclesiâ nunquam damnatus fuerit, & meritò defensionis jure ac titulo id dumtaxat fieri statuat: Petri & Petrus Hurtado de Mendoza, cujus hæc etiam petis ex ipso Escobario, pro defensione bonorum temporalium, modò aliter servari non possint, & spes adsit prævalendi adversus injustum aggressorem; utrumque ab utroque sequitur, idque ex cap. *interfecisti* de Homicidio: Escobarius quo ad hæc, severior esse non potest, cum *tract. 1. exam. 7. cap. 2.* omne duellum damnet præter illud, in quod bellum resolvitur: certè apud illum, locum illum Petri de Mendoza non invenio, quodcumque scilicet duello quispiam ad defensionem bonorum

natum suorum certare valeat; sed quis hoc neget, quin in eo casu, vis vi potiùs repellatur, quàm ille certetur. In vernacula Epistola Patris Layman affinxeras sententiam illam, quod scilicèt is damnari non possit, qui duellum in casu illo rarissimo acceptarit; cùm tamen hæc tantùm ibi Layman, *non audeo damnare*; quod quantum discrepet ab illo, *damnari non potest*, qui latinè sciat, non indigere, non audeo damnare, inquit, præ modestiâ; nec enim Censores illos imitari noluit, qui omnes & omnia præter se suaque damnant: item in vernacula, dictam opinionem ita Patri Layman tribueras, quasi primus esset illius auctor & Patronus, nullâ Navarri mentione factâ; item verba illa incusti ab auctore illo præmissa, *in rarissimo casu*, item illa, *meræ defensionis gratia*; ut vel indè constet, non tam esse duellum, quàm propriam & necessariam sui rerumque suarum defensionem: omitto hæc & innumera propemodum alia, quamvis tamen par erat, lectores tuos non monueris, in versione latina emendasti.

II. Multa quoque P. Sanch. imponis: cùm enim dixerim *ipsum lib. 2. cap 39. n 7.* licere innocenti, duellum, adversùs injustum actorem, si alioquin certus sit, de infausta damnatione futura, & de jactura vitæ, honoris, bonorum, in notabili quantitate, nec alia sit evadendi via, pro quo citat Manuel. Navarrum & Bannez, adde Sis Cajetan. Duvall. Dian. & alios: reticuisti tamen & mutasti multa in fabula vernacula, sine quibus hæc opinio absurda & impia censenda esset; Primò illum statui *innocentem*, quod P. Sanchez in paucis lineis quater aut quinties repetit: Secundò, ita Sanchez indicis loquentem, *rationabile dictu est*; *Il est bien raisonable de dire*, quasi hujus sententiæ ipse auctor sit, cùm tamen scribat in hunc modum, *Sed melius alii dicunt*, audin' alii dicunt, non ipse? Tertiò, cum textum hujus auctoris uno tenore & non interruptè referres, per fraudulentam syncopem prætermisisti, *& in hanc sententiam tenet Bannez, Manuel, Navarra.* Quartò, plenam illam & perfectam certitudinem, *dictum omninò, constat omninò* omisisti & dissimulasti. Quintò, illud *per calumniam* vertis & mutas in *minas forenses*; mutas item Bannez in Navarram, & Navarram, in Navarrum; unde constat, quàm peritus sis auctorum; hac in versione latina quatenus utcumque emendasti; omisisti tamen utrobique hujus auctoris mentem explicatum *num.* 8. nimirum, duellum illicitum esse etiam ad servandam vitam, si aliter servari possit; & nullum infamem apparet, eò quod provocatus duellum detrectet; & duellum nunquam acceptari posse, obtentu honoris, ullique mortali noxa; unde patet, casum illum, in quo Sanchez cum tam multis auctoribus duellum licitum esse, dicere videtur, esse potiùs necessariam defensionem quàm duellum.

III. Quod autem addit Thom. Sanchez duellum illicitum esse, in casu præmisso, appositis etiam omnibus illis conditionibus, quas paulò ante descripsi, si occultè injustum aggressorem ille invasus occidere possit; quod certè ex illa sua positione auctor vult sequi; neutrum profectò dare possum, malim quippe dicere cum Suarez de charit. *disp. 13. sect. ult. num. 5. Calumniam non propulsandam esse, sed manifestatione veritatis; quod si hæc possibilia esse non videantur, non licere transgredi ad media inordinata, quæ media non sunt media, sed mortem patienter ferendam esse, non secus ac si innocens probaretur nocens per falsos testes.* & num. 6. *Non posse Reum sic falsò accusatum, occidere suum accusatorem*; ergò nec idem tentare *per duellum*; malim etiam sequi Patrem Vasquez ita loquentem de *restit. cap. 2. §. 1. dub. 7 num. 24. Non licet illum occidere, quem scio, certò depositurum falsum apud Iudicem; quia ille non potest dici invasor; licet enim contrà jus faciat, non tamen contra ordinem juris; de ratione autem aggressoris, est, ut contra jus & ordinem juris injuriam inferat: & ita in hoc casu qui hunc occideret, peccaret contra charitatem, & contra justitiam, teneretur que restituere.* Sed hoc transitionis loco assumere, vel usurpare voluisti, uti indè jure inferri posse, diceres, licitum esse cuique, inimicum per proditionem obtruncare, & luderes Escobarium, in hac voce *proditorie*; sed tuam in hoc insciti am feci palam in confutatione Epistolæ sextæ numero primo & secundo. Unde rectè Fabulinus ille tuus verborum notitiam tibi non esse cognitam, dicebat.

XIII. Patri Sanchez iterum imponis, quasi doceat, sine ullo conscientiæ morsu, calumniatorem exitium cuipiam in judicio molientem, ab eo clam interfici posse; mera calumnia; nusquam hæc tam crudè, tam amplè, tam liberè Sanchez; sed illa omnia, quæ suprà recensui huc accersit; nimirùm certam innocentiam, certam vitæ, honoris, bonorum, in magna quantitate, jacturam; & nullum alium evadendi modum suppetere; quamquam, ut dixi, oppositæ sententiæ adhærendum esse, puto cum Suar. Vasq. Less. aliisque, & homicidium semper illicitum, nisi duæ illæ conditiones interveniant, quas Auctores Societatis statuunt cum Reginaldo *lib 21. cap. 5. num. 57.* Prima est, ut vis reaptè inferatur, quam secundùm omnes leges & jura repellere licet c. *Significasti* 2. de homicidio ac proinde ad propriam tantùm & necessariam sui rerumque suarum defensionem, & vim propulsandam; Secunda, ut fiat in ipso actu insultationis & rixæ, idque cum moderamine inculpatæ tutelæ: Nihil profectò aliud Molina, Reginaldus, Tannerus; licet, inquit iste, injustum aggressorem interficere, si omnis alia via ad defensionem intercludatur; Em. Sà suam ibi sententiam non expromit, sed refert tantùm aliorum dicta: nihil igitur aliud prædicti auctores volunt, nisi jus naturale necessariæ & justæ defensionis sartum tectumque servari, exceptis semper iis, qui judicio forensi interveniunt, nimirùm testibus, Judice, aliisque, nempè re ad forum deductâ, propriæ defensioni locus non est, quæ in publicam convertitur; hæc autem licet fortè deficiat, etiam per fraudem, calumniam, malitiam accusatoris, testium, Judicis, privata defensio accusati accersenda non est; quia bonum privatum publico cedat, oportet.

XIV. Escobarium in scenam reducis, qui citat Henriquez docentem *libro 14. capite 16.* licere cuipiam, accepto injustè colapho, percussorem fugientem insequi, eumque occidere: benè est, unum solummodò Henriquez ex Jesuitis appellat, nullus enim societatis auctor hanc sententiam non damnat, ut videre est apud Lugo *de just. disput. 10. sect. 10. num. 109.* Ubi testatur, oppositam communem esse, & pro illa citat Bannez, Sot. Carrer. Rodriq. Salon. Malder. Turrian. item Lessius, qui licet *lib. 2. cap. 9. num. 79.* pro eadem opinione citet Navarrum, Navarram, Henriquez, Jason. Cordub. Mantium, Pennam, Clar. Cajetan. D. Antonin. Mercatum, Victoriam, quibus addi possunt Dian. *part. 2. tr. 15 res. & alibi* Ubi longè plures citat, idem tamen Lessius *n. 80.* diserte docet, in praxi permittendam, id est, licitam non esse; Layman item

&

& Filliutius illam in praxi damnant, quamvis illam probabilem esse, negare non ausint: immò Vasq. *de rest. c.1. n.* 37. à christiana lege alienam esse, dicit; recenseo igitur omnes Jesuitarum auctores, puta Lugo, Vasq. Azor. Molin. Less. Hurtad. Mendoz. & alios quos refert & sequitur Amicus, *to.5. disp.36. s.7. n.*114. item Tolet. Fill. Laym. & alios, quos appellat & sequitur Busemb. *l.3. tr.4 c.1. dub. 3. n.*7. uno verbo appella omnes, uno dumtaxat Henriq. excepto, immò & ipsum Escobarium *tr.1. exam* 7. *c.2 n.* 59. *fugit aggressor*, inquit, *occidere non licebit*; omnes, omnes oppositam sententiam tenent; cur igitur detestandâ illam iis exprobras? cur alios eosq. plurimos illius defensores intactos relinquis? cur eorũ argumenta non solvis?

XV. Sugillas deindè Patrem Azor, eo quod doceat, illum occidi posse, qui alapam aut fustem intentat, si alius modus non suppetat dedecus illud vitandi: ita est. Azor, *inst. moral.3. l.2. c.1. qu.*16. & Becan. *summ part.2. in q.*64 D. Th. *de homicid. q.*8. *n.*2. adstruunt illud ipsum; loquuntur autem de homine honesto, cui valde ignominiosum sit, fustè cædi, qui alio modo, nec illud vitare, nec honori suo consulere valeat; citat Azor pro hac sententia, Sot. Covarr. Navarr. Becanus verò, Sylvest. Lopez, Gomez, Clar. addesis Lugo *disp.*10. *sect.*10. *n.*137. ubi multos appellat huic placito suffragantes, & communem sententiã esse, testatur: item Less. Laym. Filliuc. de quibus alibi; omitto alios: illud unum indico, Lessii textum à te falsatum fuisse in vernacula; emendasti tamen in latina versione, imò sex lineas, in hac, de tuo addidisti, quæ in vernacula desiderantur; affingis Lessio verba illa, *ex sententia omnium*: immò & præcipuum hujus opinionis fundamentum & caput, nimirùm malum animum aggressoris reticuisti, his verbis à Lessio expressum, *ut ignominiam inferat*; en locum integrum Lessii *fas est viro honorato, occidere invasorem, qui fustem, vel alapam nititur impingere, UT IGNOMINIAM INFERAT, si aliter hac ignominia vitari nequit.* Tu verò illud *ut ignominiam inferat*, omisisti; immò Lessius *n* 78. diserte concludit, opinionem Petri Navarræ sequendam non esse, si aggressor verbis tantùm, non armis invadat; hæc sententia, inquit, non est sequenda, satis enim est, verba verbis repelli; unde patet, manifesta calumnia, quam super his Lessio imponis.

XVI. Transis ad Baldellum, qui docet, inquis, *l.3. disp.* 24. *n.*24. profitentem *mentiris*, occidi posse: O nequam, tu ipse mentiris, nebulo; nihil tale Baldellus citato loco de hac voce *mentiris*, sed hæc tantùm, *si adhuc sit & continuatur contumelia, & si magna sit, & per illam magna fiat honoris factura, neque possit aliter impediri, licitum est interficere calumniosum, id est, vim vi repellere.* Immò Escobarius ipse nihil tale ibi, nimirùm *tr.*1. *exam.*7. *c.*3. sed potiùs contrarium *c.*2. *n.*59. nempe ad hanc quæstionem *licetne pro defensione honoris verbis tantùm impugnati aggressorem occidere*, respondet *minimè*. Imponis etiam Lessio, qui disertè asserit, ut suprà dictum à me fuit, illam sententiam sequendam non esse: quamvis enim dicat honorem imperi posse, factis, verbis & signis, malè tamen infers, hominem occidi posse pro defensione honoris, quolibet modo impetiti. Utinam porrò Jesuitæ doceant, pro simplicibus verbis, & maledicis vocibus, occidi hominem posse, fingere quidem potuisti per atrocissimam calumniam, sed nullũ appellabis unquam, & nullius etiam hominis scriptorem, qui hoc defendat.

XVII. Omnem verò superat fidem impostura illa, quam subdis, nimirum Reginaldum, Lessium, Filliucium fateri ultrò, non esse legem Dei, si aliquis pro verbo contumelioso & voce maledica hominem occidat; hoc tamen in praxi minimè permittendum, propter causas extrinsecas, ab actione ipsa sejunctas; quia scilicet, brevi regna vastarentur, si maledicos omnes interimi placeret: hæc sunt Reginaldi verba *l.*21. *n.*63. *In praxi, pars negans sequenda est, quia in jure defensionis semper considerandum est, ne usus illius vergat in Reip. perniciem, & præbeatur occasio multis cædibus*, &c. quasi verò hæc legi Dei non adversentur; nimirum, *Reip. perniciem afferre, occasionem cædibus præbere*; & hæc tuis mulierculis, de prostratis hostibus, quasi triumphans: aliam deinde rationem Reginaldus profert, ex eo petitam, quod infamia jam illata per cædem infamantis non tollatur; si verò nondũ illata dici nequeat, non esse alium modum eum vitandi. Lessius verò d. cap. duobus locis rem istam definit, nimirum *n.* 78. sub finem, ubi habet hæc diserta verba: *hæc sententia non est sequenda, satis enim est, ut injuriæ verbales verbis repelli possint*; & n.82. *hæc sententia in praxi non probatur, quia præbet occasionem multis cædibus, ut & illius usus in Reip. perniciem vergeret*; *immò etsi speculativè vera esset* (non dicit esse probabilem, sed loquitur ex hypothesi, & *si*, inquit, *speculativè vera esset, in praxi* tamen *non habet locum*, propter quo eamdem rationem affert, quam suprà Reginaldus 2. loco; Filliucium deniq; accusas, quasi docuerit licentiam illam in praxi permittendam non esse, quin potius à Judice infligenda, jure timenda est: vah fraudulentum caput, & linguam falsiloquam! Filliucius *tr.29. cap.*3. *n.*1. prædictam sententiam rejicit, propter utramq; rationem à Lessio allatam, quem ipse citat; n. verò 51. loquitur eodem de pœna à judicibus infligenda, sed Homicidio certis & indubitatis, atque adeò flagitiosis hominum; quasi verò judices Reum dumtaxat plectant, ob rationes politicas, non verò petitas à Religione, lege Dei, à conscientia, à justitia; quasi verò lex Dei in Christianorum judicum foro nullum habeat locum.

XVIII. Quod res quisque suas, quæ parvi non sint, sed magni, Reginaldo, Tanner. Laymanno, Filliucio, tribus, vel auctoribus, etiam latronis morte, si aliter servari non possint, tueri valeat, jam suprà dictum est, *sed quando liberando*, per c. *Interfeci si* de homicidio: sed quamvis hominem interficere? licet enim Fabulinus tuus interroget: valoris unius aurei, inquit Molina; O nequam! Molina *to.4. tr.3. disp.*16. *n.*6. non dicit latronem, qui furatam sibi aureum, interfici posse, sed qui per vim conatur eripere rem aliquam, tanti æstimatam, Domino resistenti; quia non tam rei, quàm Domino vis infertur, illam igitur repellere potest, etiam morte vim inferentis, si aliter fieri nequit; quis amabò neget, maximam contumeliam esse rem suam alteri, maximè honorato viro, per vim abstrahere & avellere? quis neget, ibi justæ esse defensioni licito modò tamen id fiat, ut Molina subdit, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *non audere*, inquit Molina *illud fieri*, quod tu per summam equitiã, reticuisti, nec enim huic vitæ pretium statuitur, ut malitiosè, ad concilianda invidiam, insidias & impiè nugaris, sed justæ defensioni jus definitur, quo vir nobilis gaudet, cui per vim, sine maxima ignominia, quantumvis resistenti res sua auferri non potest; utut sit, in hoc casu aggressor non tam in rem ejus, quàm in Dominum illius involare censetur. Quodemum spectat ad pretium vitæ, Molina disertè allegat 4. si res non sit magni valoris, ut 4. aut 5. Ducatorii, fugientem, sine gravi culpa, interfici non posse, tecumen si sit magni valoris, quem non definit; nec operæ restet, rem illam recuperandi, & fugiens, licèt mordeam dimittere nolit: quamquam inquit, *semper cavendum, ne proximus in hoc casu occidatur*: quid modestius dici possit, non video; ubi autem impostor nequitiæ Molina 4. aut 5. ducatis vitam hominis æstimavit!

XIX. Quod licitũ sit clericis & Religiosis homicidium, occidere injustum aggressorem, ad defensionem vitæ, nemo non tenet, & nemo id neget, nisi doctrinæ rudis, idem licere, ad defensionem bonorum, multi docent: Cajet. Sot. Sylvest. Medin. Nav. quos refert & sequitur Amicus *to.5. disp.* 36. *sect.* 8. *n.*126. Zanard. Malder. Tanner. Less. Molin. Reginald. quos citat & sequitur Diana *part.3. tr.* 4. *res.*16. Licèt enim religiosi propria bona non habeant, ut-

rumen partis & patriæ bona homines tueri possunt, i-
dve religiosi communia Religionis Quodverò attinet ad
dendum honoris, amicus per modum objectationis
generat, dum fisterer ipse in vera & communi sen-
tia quod scilicet Religioso liceat pro defensione ho-
hominem occidere: illa tamen quasi umbra, in a-
latim expuncta est; unde est quod nequiriam tuam
dem insimulet; utpote qui conclusionẽ illam amici
eris his verbis contrariã, quibus palã facit quid
tiat. *Verùm quia hæc apud alios non legimus, nolu-
nostros dicta esse ut communi sententiæ adversentur.*

XI. Quæstionem denique illam plusquam ridiculam
producis, quodam auctore, per jocum, propo-
um, an Jesuitis liceat, Ianseniſtas occidere: qui
dit, non licere: quia Ianseniſtæ nocere quidem vo-
lentibus, sed non potuerũt, & quot radios noctua
Ianseniſtæ, Societati detraxerunt: hæc sanè vir in-
per jocũ; tu verò infamis scurra, inde tibi tuisq;
Jesuitis timendum esse, per meram fictionem si-
bus adeò inhumanis placitis, à dira illa sententia,
amici perpetrãda esse dicis, timendum, inquis, ne le-
gnorum famam denigrasti, & proculcasti fœdissi-
nomen, te vindictæ suæ macta & immolari curent:
ere, quod vindicis Dei & justorũ judicum sententiã,
nolentium arma timeas. Iesuitæ vitam pro inimicis
, non verò iis eripere didicerunt; siccatiorum, saltem
ntia, opera uti non possent, quos in clientelam ve-
, contra Casuistas suscepistis: sed huc tandem spe-
, quasi magnam nominis & famæ jacturam Socie-
dentis crede mihi, Willelme, eadem est, quæ an-
ntias, in eo dẽstatu & gradu hæc tua fuerunt tuorũ
ideria & vota, sed vana & sterilia: Dum Iesuitæ
Ecclesiæ, Religionis, causam tuebuntur, contra im-
, hæreticos, Hæreticos, Calvinistas, Ianseniſtas, impeti
, quidem poterunt variis machinis, lacerari convitiis, ca-
nniæ dari, nunquam tamen vinci, vel opprimi; ut
undum hominem loquar, jure victoriam sibi arrogare
, cum errores vestri damnati fuerint & libri confi-
, de victoriam illam non sibi, sed Ecclesiæ gratulantur;
lum est, quod ii se vobis ubique gentium, in Belgio,
lia, Italia, indefessi opposuerint, conatus vestros fre-
, machinas disiecerint; quo eventu, nemo non vi-
, nisi illud alrè pupugit; sed vobis vestrisque errori-
imputate; uno verbo, renunciate vestros errores sin-
, non verò ad speciem, & statim amicas vobis dexte-
pongemus.

EPIST. VIII. Confutatio.

AD octavam Epistolam accedo, eamque confu-
tandam suscipio, Willelme Wendrocki, in qua
lsiones, calumnias, impietates, non emendas, sed mul-
ficas, & plurimũ auges: Ludis eos, qui fortè curiosiùs
ngare, qui sis, & conjectura assequi studeant; ignotus
ter omnibus, præterquam Provinciali, ad quem scri-
& tuo illi Fabulino, quem, inquis, ægrè ferre & indi-
nem meam reprimere cogor: dici enim vix potest,
am molestum sit homini omnia christianæ vitæ institu-
undùs evertenti nihil apertè reclamare; & hæc, ut
eam Jesuitarum disciplinam in fonte haurire possis,
undè deinde eruptarus, cum demum ille omnem suam
ritiam effuderit. Ignotus aliquandiu latuisti; nec mi-
um tenebrionis cujusdam personam sustineas; qui
agit, odit lucem, & tenebras amati tenebras, inquã,
s & mentis, quæ charitati & veritati adversantur.
ere de mihi, quamvis obvium cuiq; fortè non fuerit,
ace, quis esses, id tamẽ asserere non dubito, facilè iis
ium, qui hominũ indolem norunt, te apprimè nosse;
empè Regio portuensibus fœderatus eras; quod sanè
nullinon perspectum fuit; deindè vales ingenio, eoque
ad Satyram & scurrilia comparato, nec non sulphureo, ut
tuus ille Sancyranus, qui flammam concipit illicò, sed
fœtidi ac tetri odoris; præterea inanis gloriæ studio, si
quis alius in orbe terrarũ duci videris; in hac parte sæpè
ac sæpiùs adeò putidè te gessisti, ut nihil putidiùs excogi-
tari possit; nonnihil plautus priores Epistolæ tibi conci-
liarant, non quidem à sapientibus viris, sed à mulierculis,
aulicis & suspectis quibusdam hominibus: quod te ultrà
modum inflavit, & novas adddidit alas: non difficilè igi-
tur fuit, te nolle, ex stylo, ex genio, ex effrænata illa lau-
dis & gloriæ cupidine: dissimulatum opinor fuit; libe-
riùs quippe adversùs ignotum auctorẽ scribitur; & cum
larvatis hominibus paulò licẽtiùs agitur: deindè, id quod
multis compertum est, diu arcanum esse nequit: satis no-
tus eras tuis illis, qui tibi schedas & auctorum loca, trun-
cata licèt, confusa & adulterata sollicitè suppeditabant.
Quod autem de tuo illo Provinciali scribis, multos eti-
am teneri desiderio sciendi, quis esset, fidem tuam & sin-
ceritatẽ palam facit; quis enim nescit, literas illas ad nul-
lum unquam, nisi nomine tenus scriptas fuisse, ac proin-
dè non jam Epistolas, sed libellos famosos censeri, eo fine
compositos & furtivis typis mandatos, ut infamem Je-
suitis corruptæ Theologiæ moralis notam inurerent: illud
porrò in hac Epistola suscipis demonstrandum, corrup-
tos pecuniâ judices, fœneratores, infidos fidei mensariæ
desertores, fures, adulteros, magos ipsos à Iesuitis exolvi
onere ea restituendi, quæ illiusmodi artificiis pararunt.

II. Sed ecce Fabulinum tuum in scenam inducis, cum
Escobario socio; nempè hic Auctor, præ cæteris, præci-
puam comœdiæ, seu fabulæ vestræ personam sustinet: Iu-
dex, inquit, in ferendis sententiis, relictâ probabiliore,
minùs probabilem sequi potest; posse item, Castro-Palao
docet, etiam contra propriam opinionẽ, dummodò
probabilitas sit circà jus: Quare truncas locum; omittis
enim duo verba, quæ subnectit Escobarius. nimirũ hæc,
non verò circà factum; nam circa factum, probabiliorem
sequi tenetur: quis autem ex hoc loco ita truncato non
statim sibi persuadeat, Judicem ferre posse sententiã, pro
illa partium, cujus tamen jus minùs probabile est? nempe
vox illa *Ius* ambigua est, & varia significat: nam vel sumi-
tur pro jure partium; sic litigando jus quæque suum tueri
dicitur: & in hoc sensu, secundùm jus probabilius, Judex
ferre sententiam debet: vel sumitur pro ipsa lege, & di-
citur jus probabilius illius partis, cui lex magis favet, &
in hoc casu, nonnulli docent, Judicẽ posse ferre senten-
tiam secundùm jus minùs probabile, nisi tamen proba-
tiones à facto petitæ pro altera parte probabiliores exi-
stant: at stante probationum à facto petitarum æquali-
tate, in mera quæstione juris. Bonacina de *distinct. peccat. disp. 2. qu. 4. punct. 9. n. 13.* existimat, Iudicem posse judi-
care secundùm jus minùs probabile. & hanc opinionem
esse probabilem, pro qua citat Sayr. Aragon. Salon. sed
omnes Societatis Scriptores secùs sentiunt, ut Vasq. Be-
can. Azor, Reginald. Valent. Sanch. &c. qui docent, se-
cundùm probabiliorem judicandum esse. Stante autem
utraque æquè probabili, ita ut ex parte facti probationes
æquales sint, præseindendo à possessione, rem dividen-
dam esse, si dividi queat, docet ipse Sanch. *in Decal. l. 1. c. 9. n. 45.* Si verò ex parte Iudicis tantùm stet illa proba-
tionum, vel jurium æqualitas, licèt aliqui censeant, rem,
etiam in hoc casu, dividendam esse: longè tamen plures
Iudicis arbitrio relinquunt, huic vel illi partium causam
adjudicare.

III. Sed venio ad Castro Palao. Hic quidem *tr. de conscient. disp. 2. p. 10. n. 5.* certum esse dicit, stantibus pro-
bationibus æqualibus, tam ex parte facti, quàm ex parte
juris, rem dividendam esse, uti cautum est, per jura, quæ
citat; sed si dubium sit, utra pars probationes efficacio-
res habeat, tam ex parte facti, quàm ex parte juris, in hoc

casu tenet, Judicem pro arbitrio judicare posse, & citat pro hac sententia, Sayr. Medin. Salon. Salas, Aragon. Valent. Petr. de Ledesm. Manuel. Sanch. Sanctum, Gloss. Jason. Decium, quibus addi possunt Dominic. Sot Reginald, quos citat & sequitur Baldell. *de conscient. l. 4. disp. 15. n. 1.* item Lorca, Montesin. Gasp. Hurtado, quos citat & sequitur Caspens. *tr. de consciens. disp. 4. s. 8. n. 5.* at si Judex in hoc casu opinionũ oppositarum, unam probabiliorem judicet, cum tamen alii alteram oppositam probabiliorem esse dicant, docet, in hoc casu Castro-Palao, sententiam ferri posse à Judice pro utravis, ad libitum; id est, tàm secundùm illum, quam ipse, quam secundùm illam, quam alii probabiliorẽ putant, & in hanc rem citat Medin. Salas, Sayr. Arag. Petr. de Ledesma, Garc. Thom. Sanch. Joan. Sanc. Salon. qui monet, hanc sententiam esse multorum Doctorum Salmanticens. item Vasq. Torres, Anton. Perez, modò Judex supremus non sit, à quo appellare non liceat. Quæstio igitur est, & hoc loco agitur, quando variæ sunt opiniones & sententiæ, de alicujus legis, aut juris, aut textus, sensu & interpretatione, ex quibus litis & causæ decisio pendeat; undè malè citatur à nonnullis Castro-Palao, quasi universè rem hanc Judicis arbitrio relinquat; cùm tamen ad duos dumtaxat casus eam restringat, 1. si opiniones utrinque æquè probabiles sint, utri parti jura faveant; 2. si altera pars Judici, aliis verò opposita probabilior esse videatur; nihil aliud Castro-Palao, undè, ut dixi, malè citatur, quasi doceat Judicem posse judicare secundùm opinionem minùs probabilem, tam quòad se, quam quòad alios. O utinam Judices omnes ita judicarent, tantam enim justitiæ corruptelam homines passim deplorare non cogerentur, & divinam opem implorare, his verbis: *Judica me Deus & discerne causam meam*: Utinam omnes Judices doctissimorum Auctorum doctrinam in judicando sequerentur, quæ certè nullum in conscientias, ut ais, nullum in fortunas hominum imperium concedit; sed legibus, religione, justitia, ratione, non gratiâ, inscitiâ, & partium studio judicia metitur.

IV. Gradum facis ad Molinam Judices eximentem, inquis, culpæ, qui munera, pro ferenda sententia, à partibus accipiunt; sed doctissimo scriptori, pro more imponis; primò quidem, in vernacula, clausulam illam reticuisti, *intra limites justitiæ*; item illam, *seclusa lege positiva*: secundò Molinæ imponis apertissimè, nempe loco illo, quem citas, nimirùm *tom. 1. tract. 2. disp. 88. n. 6.* non disputat, utrùm Judex à partibus, licitè aliquid accipere valeat, sed *an contra leges acceptа, restituenda sint, & cui*; si contra leges, injustè igitur & illicitè: tertiò denique, Molinæ verba huc illuc sparsa in unum quasi contextum collegisti, ut verè musivum opus esse videatur; & hæc evinco ad evidentiam; quæstionem loco citato proponit doctissimus Auctor, utrùm seclusâ lege positivâ, Judex eorum dominium acquirat, quæ illi dantur à partibus ex mera liberalitate, vel amicitia, perindè atq; si Judex non esset, vel gratitudine accepti beneficii, ex gaudio rei bene gestæ, vel antequam negotium expediat, ut afficiatur ad diligenter expediendum; hac quæstione propositа, tria dicit; primum est, dominium illud acquiri, seclusâ lege positivâ; secundum est, donationes illas, seclusâ etiam lege positivâ, sæpè fieri & acceptari cum peccato, propter scandalum, seu pervertendæ justitiæ periculum, seu defectum sufficientis voluntatis in donante, seu gravamen Reip. *interdum tamen*, inquit, *fieri posse, & acceptari sine peccato*, seclusâ scilicet lege positivâ; cujus clausulæ ter, aut quater, intrà paucas lineas, meminit; sed quandonam accipi possunt sine peccato? quando, inquit, datur aliquid ex amicitia, ex gratitudine, ex gaudio causæ justæ obtentæ, & ex mera liberalitate; audin'? nihil aliud, cui ergò fingis & affingis quæstionem pro assertione? Tertium denique est, hujusmodi donationes jure optimo prohibitas esse, propter mala, damna, scandala inde promanantia; finalis denique illius conclusio vel *mihi contraria sententia*, his verbis ab eo tradita est, licèt peccent, qui donationes illas accipiunt, iterumen tenent & validæ sunt, nec Judex ante sententiam accepta restituere tenetur; aut certè ante præceptum Confessarii; expedit enim, ut Confessarius dictam restitutionem, saltem in pœnitentiam, injungat; antè tuit clariùs & luculentiùs? unde nihil mitior Escobarium, qui ea Molinæ & Layman imponit, quæ nunquam iis in mentem venerunt, illum enim defendendum minimè suscepi, cùm præsertim ex ejus placitis, ut jam dixi, doctrina moralis Societatis censenda & definienda non sit.

V. Molina vindicato, Layman vindicandus restat; hic *lib. 3. tr. 4. c. 4. n. 10.* disertè dicit, Judicem accipiendo peccare, tum ratione scandali, tum ratione periculi, pervertendi justitiam: & sequenti versiculo legem positivam agnoscit, qua munerum acceptio prohibetur; quamvis alioquin cũ Molina teneat, hujusmodi donationes dominium acquiri, necobligari Judicem ad restituendũ, antè sententiã; unde contra Escobarium, Layman etiam imposuisse, & fatiscididerim, in tam multis editionibus summæ Escobari, cum ante Lugdunensem, factam anno 1644. jam triginta septem aliæ præcessissent, credidetim facile, quam, in tanto editionum numero, varia fuissent addita, detracta, mutata; ex quibus deduco, unius Escobarii calculo, ut dixi, vel Baunii suffragio, doctrinam moralem Societatis censendam non esse, immo atque illos, classicos inter Auctores reponendos esse non omo fortè putaret: Layman certè *n. 9. vers. sed pro* quæstionem illam proponit, si plures causæ decidendæ sunt, quarum expeditio in Judicis arbitrio ponit, an Judex pretium accipere possit, ut hanc, antelias expediat; sicautem respondet Layman; tes periculo non vacat; spectato tamen jure naturali, Judicem illum damnare non audeo; hæc mea est illius responsio, in qua, quid tam horrendum sit, ut dicam, quod res est, non video? præterquam quod cùm periculum, seu scandalum ut plurimùm inde, ratione, saltem periculi peccatũ est: accedit, quod legem positivam, quæ id vetat, post unum, vel alterum versum agnoscit; novo igitur titulo, peccatum incl.

VI. Accedis ad Baunium, cujus textum citas; recito tamen loco; timebas fortè, ne liber confutatus & perditæ fidei convinci posses; is ergò *in summa* 14. pactum trium contractuum, ut licitum & legitimum defendit, tu verò ignaviam & inscitiam tuam, quasi monstrum horrendum esset, & res hucusque inaudita, antiquis Theologis ignota & incognita, cum nihil sit tota Gallia, Germania, Belgio, Hispania frequentiùs & familiariùs, & in foro Lugdunensi, emporio scilicet totius Europæ, jam à Patrum memoria celeberrimo, alio titulo pecuniæ non committur; multos ibi pro hac sententia Auctores adducit, Nav. Major. Covar. Valent. Bonac. Palat. Molin. Lop. Sot. Manuel. Echium, Gabriel, Garc. Medin. Angel. Laym. Binsfeld. Sylv. Benedict. Fum. Graff. Mori. Megal. Natt. longè plures citare possem; & verò præter appellatos citavi alibi Lug. Dian. Gibal. Hostiens. Alberic. Joã. Andr. Tabiẽ. Sa, Tolet. Castr. Pal. Malder. Homobon. Scott. Reginald. Filluc. Salon. Justin. Leotard. Maresc. Ugol. Bellon. Duar. Comit. Maillard.

Vallard. Pet. De Navarr. Raynaud. Auctor. ſpeculi Joan. Salern. Badell. Lup. Petr. à Peruſio Purpurat. Augustinit. Gratian. Scacc. Mantic. Sarmient. Rubionet. Narbon. Molfeſ. Baill. Amic. Tanner. Lessenbaum, Gordon. Baſſ. Villalob. Trullen. Serr. Tamburr. & alios, quos excerpſi majori ex parte ex Gobin. qui opus doctiſſimum de hoc argumento conſcripſit ad inſtar appendicis, ſecundo tomo de usuris annexæ, in quo rē hanc doctiſſimè, copioſiſſimè & doctiſſimè diſcuſſit atque tractavit; vide, quo jure meo delecto manipulo te opponas; dicere auſim, à nōnullis hoc pactum damnari, ut illicitum, qui tamen ejus naturam & rationem non capiunt; incidi aliquando in Doctorem, qui putarat, dominiū collatæ in Societatem pecuniæ penes dantem non manere, quod tamen falſum eſt, cum per hoc, pactum illud à mutuo diſtinguatur, & pecunia domino ſuo, ut ajunt, fructificaque certum eſt, contractum ſocietatis juſtum eſſe. quod autem mercator lubens & volens lucrum ſibi probabile, minoris certi pretii, ſibi vendi poſſe rem juſto pretio, ſecuram ſortem præſtare, quis probo jure damnare queat; præſertim cum mercator id pacifci nolit, & lucrum majus, quod ſperat, minori certo, quod pro illo cedit, præferendum eſſe putet? hæc enim periclitari, mercatorum proprium eſt: uno verbo non Galli modò, ſed Hiſpani, Germani, Belgæ, Itali, numero conferti, auctoritate præcipui, rem ſiquam vel alterum excipias, qui rem hanc fortaſſe non intelligunt, reliqui omnes in hanc ſententiam abunde defendunt; ac proinde longè probabiliorē oppoſitam eſſe, conſtat; res iſta igitur in verbis poſita non eſt, ne inſulſè nugaris, nec, ut impiè garris, in magica verborum potentia; juſcitia tua mihi ſatis perſpecta eſt, rerum iſtarum imperitia; ea tamen non eſt, quā fabulas; Aluerni tui cum Lugdunenſibus cognatione conjuncti fuerunt; unde fieri nō potuit, quin Lugdunenſis fori mentionem tibi centies fecerint; appellaverim ſi opus eſſem agnatos tuos; ſed omitto, ut ſequar te in Hiſpaniam navigantem.

VII. Redis enim ad Eſcobarium, qui cum tract. 3. exam. 5. c. 1. ſtatuiſſet, uſuram mentalem, ſine ullo pacto expreſſo, vel tacito ſemper eſſe, ibi uſuram meritam agnoſcit, ubi lucrum ex mutuo, ut debitum intercurrit; ibi tamen eſſe negat, ubi vel titulo gratitudinis, vel benevolentiæ, citra ullum pactum præviū, quod accipitur; modò, inquam, omne pactum abſit, unde ſit obligatio poſita à tradente pecuniam in patientis; quis hoc neget? quis amabò ſecus ſentiat? interdē dicit cap. 4. cum Molina, non eſſe uſuram, ſi quid aliquod donum à mutuatario, ad quod danti mutuante fuerit excitatus, ſed non adſtrictus quidem. Si hæc intelligeres, non tam ineptè ſcriberes: ſed dum ſannionem agas & ſplenem moveas mutuariis, reliqua parum curas; fabulam agis, riſum quæris: cætera tibi curæ non ſunt; calumnias affingis, ſonnes proſcindis, res ſerias & ſacras in Scenam, ludum & jocum traducis; quid tum, modò riſum excites, nihil aliud tibi proponis; ſed Catholicis & cordatis hominibus ſcandalo es, ut ajunt, & quos ames offendis, immo Doctorum ſibilis tuas Theſes exponis, cum illa neſcias, aut ſaltem neſcire ſimules, quæ diſputanda ultro ſuſcepiſti; quid tum inquam, modò Jeſuitas ridiculos, aut certè ridendos fœtorum gregi & quibuſdam male feriatis hominibus præbeam, mihi factum ſatis; rideant me, modò Jeſuitas etiam rideant; prudenter ſanè; nullam quippe famæ jacturam times, quam penitus proſtituiſti, ac ſi per te, Jeſuitæ eo, quo fuere hactenus, boni nominis gradu exciderent, non modò dicum inde tum iis, tum etiam religioni & Chriſtianis gentibus detrimentum accederet.

VIII. Ad contractum *Moatra* tandem venis, quò dudum ſpectabas: ad hanc vocem attonitus hæres, perfictionem & ſcurrilem fac etiam; vah Nebulo; quaſi verò vox Hiſpanica Gallum terreat: in Latina verſione, Italicam addidiſti, Baratta ſcilicet, cuncta hæc ad riſum; ſed ante omnia, obſervo multa in latina verſione à te mutata & addita fuiſſe, quæ in vernacula omiſeras: de iſto porro contractu ſatis fusè in notis, in quibus oſtendi, illum ab omnibus fere Jeſuitis damnari. Hæc tantùm addo 1. Eſcobarius ipſe tract. 3. exam 6. cap. 5. illum damnat, ſi fiat ex pacto expreſſo, vel tacito, idem habet cap. 4. Si mercator eo fine vendit, ut ab emptore deinde minoris emat; *hoc ſapit uſuram*, inquit, *& meritò reprehendendum duxi*: in editione Lugdunenſi ann. 1644. ea non lego, quæ tu ipſe adſtruis; hæc tantùm habet tract. 3. exam. 6. cap. 5. *Licetne vendere pannum credita pecunia pretio ſupremo, & poſtea illum emere, numerata pecunia, pretio infimo; cum Molina aſſero, poſſe fieri, modò id non fiat ex pacto.* 2. Molina tract. 2. diſp. 310. requirit, ut merces non vendantur ex intentione reemendi infimo pretio. 3. Leſſius dicit, contractum illum ſæpe culpa non carere, tum quia eſt contra charitatem, tum ratione ſcandali, tum demum quia ſe ſuaque mercator infamat; non tamen tenetur, inquit, ad reſtitutionem, ut docet Navarrus, niſi ex charitate. Locum porro illum Leſſii ita deformaſti, tum in vernacula, tum in latina, ita, inquam, truncaſti, invertiſti, confuſiſti, quamvis latina in multis à vernacula diſcrepet, ut vel in hoc ſolo malam, immo peſſimam tuam fidem prodideris; emendaſti quidem aliqua, ſed ut aliàs, prima vitia ſecundis non caſtigas, ſed multiplicas.

IX. Tranſis ad Leſſium, qui, ut vis, docet, poſſe quempiam cedentem bonis tuta conſcientia ſibi & familiæ ſuæ neceſſaria retinere, ne indecorè vivat, licèt debita illa injuſtè contracta fuerint. Leſſio imponis; hic enim lib. 2. cap. 16. dub. 1. docet primò, redactum in extremas anguſtias non teneri ſolvere debita, ſi aliter vivere non poſſit, nec ejus familia ſuſtentari; ſecundò, redactum ad gravem neceſſitatem ea durante, non teneri: tertio redactum ad extremam, ſua culpa, id eſt, ſuperfluis ſumptibus, teneri, etiam cum amiſſione ſtatus n. 28. quartò illum denique teneri, qui per fraudem, dives evaſit, etiam cum dimiſſione ſtatus malè acquiſiti; an ſeveriùs hic auctor ſentire potuit? Eſcobarius cum Leſſio ſentit: cur ergo his litem moves, ſcurra maledicentiſſime? O ſi recriminari liceret, quanta rerum ſylva & copia in hoc genere mihi ſuppeteret; ſed fruſtra illa exponerem, quæ ſunt notoria & palam proſtant; quantam vim auri ſollicitè corradatis, omnes vident; & in quos uſus affluentiſſimè, omnes ſciunt, & publica fama multiplici tuba dudum cecinit: fruſtra igitur narrarem; quamquam multitudinem peccatorum charitas operit.

X. Eſcobarium petis, qui docet, inquis, *poſſe ei, qui paratus eſt, furari à paupere, perſuaderi, ut furetur à divite tali determinatè*, citaſque tract. 5. exam. 5. & cap. cui titulus *praxis circa materiam de charitate, ex Societatis noſtræ Doctoribus*, nihil tale ibi reperio, immo titulus cap. 6. aliter ſe habet, in hunc ſcilicet modum. *praxis circa prædicta ex Societatis Jeſu ſchola*; nihil, inquam, loco appellato, quo ad hoc, apud auctorē iſtum invenio, ſed tantùm hæc deſerta verba, tract. 5. exam. 2. cap. 2. *Paratus eſt quis furari* [illegible] *aureos*,

aureos, consulo furari tantùm 50. teneorne ad restitutionem ? minimè; supponit enim, finem ita esse paratum & dispositum, ut dissuaderi non possit : Castro Palao, quem etiam hîc appellasti, tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 6. n. 12. diserte docet, dicti consilii auctorem peccare, & omnes ita sentire præter Vasquez; *omnes* inquit *conveniunt præter Vasq. eum peccaturũ*; quia reverà est causa damni, determinatæ personæ illati; nec sunt facienda mala, ut eveniant bona; quamquam enim ex duobus malis, minus eligendum sit, nunquam tamen faciendum; sed si utrumque impedire nequeas, majus certè impediendum, citra concursum ad minus, quod permitti quidem, non tamen poni debet, quando agitur de malo culpæ; nec aliter Vasquez intelligendus; nemo quippe Catholicus neget peccaturum illum, qui ad peccatum verè ac liberè concurrit; unde putarem, quæstionem istam esse de nomine, ut ajunt; idem prorsùs de restitutione dicendum est; citatur autem à Castro Palao Lessius, lib. 2. cap. 15. num. 19. pro ea sententia, quæ consulentem à culpa liberat; cum tamen Lessius ita loquatur, *si consulas minus damnum inferri alicui, ne majus eidem inferatur, à quo scilicet is, qui infert, aliter abduci nequit*, v. g. *ut 50. furatur, paratus 100. furari, eidem scilicet homini, non peccas, non teneris restituere*, & hoc admittit ultrò Castr. Pal. n. 8. quia, qui paratus est ad furandum 100. paratus censetur ad furandum 50. item Vasq. opusc. de scandalo dub. 2. n. 14. dicit quidem, suaderi posse furtum respectu divitis; non tamen determinando personam, ut imponit illi Castr. Pal. vult autem Vasq. illud proponi potiùs, quàm suaderi, nimirum minus malum esse, furari diviti, quàm pauperi; imponit item Thomæ Sanch. qui diserte docet, lib. 7. de Matr. disp. 11. num. 19. Licitè proponi materiam minoris mali, & num. 24. quando sunt diversæ personæ, quibus damnum infertur, dictum consilium expressè damnat, & consulentem ad restitutionem obligat; hæc subdere volui, ut vel obiter indicarem, nonnullis satis familiare esse, ut alios perperam citent; unde facilè crediderim, Castro Palao in hoc cuipiam fidem habuisse : ut ut sit, nullus ex Societate auctor, consilium illud non damnat, determinando scilicet divitis personam; nullus præter Vasq. non determinatâ personâ, cur igitur, os maledicum, tribuis omnibus? cur fingis, esse doctrinam Societatis? cur calumniaris impunè ? cur mentiris impudentissimè ? sed fortè repones; quia cuncta licent scurræ petulantissimo, nequissimo sychophantæ, pertinacissimo Hæretico.

XI. Quod ad Baunium spectat, docentem in summ. cap. 13. quæst. 10. ad restitutionem illum non teneri, cujus sollicitis precibus alteri quispiam damnum intulit, si fortè hic damnum minimè resarcit; illum certè defendendum non suscipio; nullus alius ex Societate illum eximit culpæ; quia vera est illati damni causa; utpote qui alium ad illud inferendum impulit; unde sibi Baunius omnino contradicit, qui scilicet quæst. 2. suadentem damnum, ad restitutionem obligat; unde Baunio Baunium ipsum & reliquos omnes Societatis auctores oppono; erravit in hoc Baunius, fateor ultro; quandoque bonus dormitat Homerus; & propter hoc fortè aliaque similia non multa, illius summula potiùs quàm summa Romæ confixa est; & ne tibi refragari semper videar, rationem illam à Baunio adductam ad probationem suæ sententiæ, ridiculam esse, sentio; quia, inquit, homini, qui damnum intulit, plena potestas & libera voluntas restabat; quasi verò idem de consulente, & mandante dici non possit; ut ut sit, iniquè ab uno perperam dictum & scriptum omnibus aliis imputasti.

XII. Lessium deinde aggrederis, qui docet, hunc quis, lib. 2. cap. 12. n. 12. probabile esse, quod non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate naturæ ubi, famis, nuditatis, possit Pauper clanculum furripere ab opulento, si aliter grave illud malum avertere nequeat; multa emendasti in versione Latina, quæ tibi Annatus in vernacula opposuerat, addere possem, aliud omissum ab ipso; dicis enim, juxta Lessium, pauperem furari posse, *derober*; nunquam Lessius, nunquam ullus Catholicus dixit, quempiam licere furari posse; nec enim pauperes furari dicerent, quando aliquid ab opulentis in gravissima necessitate, cui aliter nequeunt occurrere, clanculum furripiunt; quid amabò facere velles, pauperem in angustiis constitutum? an crudâ fame perire, antequam frustrùm panis clam opulento furripiat? ô inhumanum hominum genus, hominum salum! idem infestum, non modò corporis, sed etiam mentis; unde quæso illud mortale odium ortum duxit? videlicet, ex eodem fonte, ex quo errores vestros hausistis; sed cui auctores illos reticuisti, quos fabius ibidem appellavit suæ sententiæ suffragantes, nimium Angel. Sylvest. Navarr. Joan. Medin. Covar. Petr. de Navarr. alios plena manu addere possem, quos vide si alibi à me laudatos; nimirum, Dic. Mald. Banncz, Serr. Sà. Castr. Pal. Vasq. Lug. Dasill. Tamburin. damnatis igitur erroribus, salutem hominum insectari, & pietatem scurrilibus argumentis insectari non cessatis, religionis licèt obtentu frustra ergo hîc delirando exclamas, à Jesuitis fuisse permitti; mentiris; nequam; furtum non permittunt, sed Lessius probabile putat, tanta scilicet auctoritate fretus, Deum & naturam, in gravi necessitate, quæ aliter sublevari nequit, jus illud pauperi tribuisse; nec, crede mihi, Christianus Judex mendicum, quem in graves illas angustias redactum fuisse, constaret, qui panem clam diviti furripuisset, sed divitem ipsum plecteret, qui daremendicoresassset.

XIII. Molinam sugillas, eo quod doceat, non teneri hominem, ea bona restituere, sibi ab alio donata in fraudem creditorum; quia non exigit ordo charitatis, inquit, ut quisquam negligat suum commodum, etsi per accidens æquale alterius damnum inde sequatur, tom. 2. disp. 328. n. 8. Molina contrarium penitus adstruit ibidem : *accipiens*, inquit, *tenetur illud restituere*, vel æquivalens, si non extet, idque *in utroque foro*; quid magis expressum dici potuit? equidem n. 9. docet, illum non teneri, si elapso anno, à die scientiæ talis alienationis à creditoribus repetatur; quia donatio illa valida est; nam ea donata nulli oneri reali subjecta statuitur; si ergo valida est, cum leges actionem in illam anno elapso eandem, quo jure, qua lege, illum, qui accepit, ad rem suam retinendam adstringes? & verò argumentum illud doctissimus auctor ita explicuit, & leges super hoc datas explanavit, ut in hoc genere, nihil, quod par sit, ut niam; cum enim res illa dantis esse statuatur, & onere reali minimè subjaceat, quid eam velemi pretio, vel sponte datam acceptari vetat? ut ut sit, quamvis neger peccare illum peccato injustitiæ, qui rem illam donatam acceptat; quia scilicet res illa creditorum non est, non tamen absolutè negat, peccare illum, contra charitatem, sed tantum hæc addit n. 10. & *fortasse, qui acciperet titulo lucrativo*, id est, titulo donationis *ab alienante in fraudem creditorum, neque contrà charitatem adversùs creditores peccaret*, eo quod *charitatis ordo non postulet, ut proponat tantum suum commodum*, ut creditores ad

rvalli damno serverindemnes. Audin Willelme *fortasse?* quam dissimilis sui Molina apud te est; non ausus asserere, nec reapse asserit, *fortasse*, inquit, peccato contra charitatem immmunis est. Sed supposito certum esse, dicis; hîc non tua vereor efficacia argumenta, quibus demonstres peccatum contra charitatem, desidero. Non negat quantem peccare contra justitiam; accipiens igitur, inquies, peccabit; nego consequentiam; parimenti dicerem, peccat usurarius dando fœnori, ipse & is, qui fœnore accipit: sed quid facerem hujusmodi scrolis, qui cum tria aut quatuor problemata geometrica demonstrare didicerint, tribunal sibi arrogant, in quo, de omnibus aliis, quæ ipsi penitus ignorant, supremo jure judicare non dubitant.

XIV. Ventilas deinde illam sententiam, quæ accepta ob turpem causam negat esse restitutioni obnoxia; assinxeras super hoc textum quemdam Lessii, in tua vernacula, qui tamen apud Lessium nullibi extat, ut tibi Annatus exprobravit; alium pro loco ejusdem auctoris ita dispositeras, ut mirum quoddam opus esse videretur; unde Annatus porrectam sibi occasionem arripuit tecum jocandi lepidissimè in hunc fere modum; ex verbis Lessii hinc illuc dispersis & tuis, unicum orationis contextum composuisti, & cum uno *inquit* totum illud pro doctrina Lessii traducis; ex numeris 52. 53. & 59. multa excerpta, in unum collegisti, quæ uno tenore & tractu scripta fuissent; idque characteribus Italicis, ad majorem distinctionem, & cum uno *inquit* interjecto, hanc Lessii doctrinam esse dicis; Lessius hanc D. Thomæ doctrinam esse refert, cujus verba & textum allegat; cum illo tu agis, cuncta hæc impune præteris, ne, dum Lessium nudum præbes, theses tuas ludibrio exponas. Lessius disserè loquitur de eo, quod accipitur opere impleto; tuum illud *inquit* totum operuit tenebras; in Lessio hæc non leguntur, quod in Latinitate addidisti, *quodcumque tandem illud sit, tamen illum sententia injusta, fornicatio*; sed nihil refert, quamvis illa verba in Lessio non sint, illud tuum *inquit* characteris Italici opera, ea facilè supplebit, & fidem faciet, non tua, sed Lessii verba esse, inquies, hæc est opinio Lessii; esto; cur tu Lessii verba tam impudenter, quàm ridiculè adulterasti? Præterquam quod Lessius non tam asserat hoc loco sententiam illam, quæ Judicem astringit, ad restituendum munus acceptum pro injusta sententia ferenda, quàm rationem auctorum, qui hanc sententiam defendunt, & tantùm Covarruviam & Cajetanum confutat, eo quod docuerint, Assassinum non teneri restituere id, quod pro commisso homicidio accepit, secus verò Judicem aliquam, acceptum pro injusta sententia: Et ibi verba Lessii cap. 14. n. 52. *Si solum jus naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, opere impleto, non necessariò restituendum*; citatque D. Th. Cajetan. Covarr. & alios; oratione hoc probat, quam reticuisti: solvere teneberis, mi homo, sed quia non poteras, reticendum esse, duxisti, ratus satis esse jocos & sales ad Lessium refutandum; hoc idem Molinæus Doctori Angelico exprobrare non est veritus, hic enim 2. 2. q. 62. ad 2. & q. 32. a. 7. disertè asserit, acceptum ob turpem causam retineri posse; idem SS. Raimundus & Antoninus expresè docent; idem Tolet. Navarrus, Navarra, Cajetan. Sylvest. Angelus: addere tamen debueras, Lessium n. 59. disertè monere, ante opus injustum, pretium nec dari, nec accipi posse, absque peccato. Cur ergo ea Jesuitis vitio vertis, quasi enormia flagitia essent, quæ à Sanctis Aquinate, Raymundo, Antonino, à Cardinalibus Cajetano, Toleto, Lugo; à celeberrimis Canonistis Navarro, Navarra, Covarruvia; ab Eximiis Theologis Vasq. Tannnero, Turriano; à moralibus & Summistis, Sylvestro, Angelo, Filliucio, aliisque fere innumeris traduntur; non te pudet mortalium impudentissime, Lessio litem movere, super doctrina, quam Theologi & Canonistæ communiter docent?

XV. Et hæc tetra & horrida vocas? quasi verò is, qui apud cauponem lautè cœnavit, & die vetito carnes comedit, nihil solvere teneatur? nec is, qui die festo, jumentum, vel operam conduxit? nec Dux exercitus militibus, in bello injusto, quorum delectum habuit, nec jumentarius vector à latronibus, quibus jumenta locat, aliquid exigere posset; fateor quidem, hujusmodi pacta fieri non posse, nec promitti pecuniam Judici, pellicici, grassatori, ad malum opus; nec dari, aut accipi, si opus illud exequutioni nondum mandatum est, sine peccato; fateor etiam, legibus caveri posse, ne promissum pretium, etiam opere impleto, solvatur; aut jam receptum retineatur; at stando in jure naturali, opere impleto, hujusmodi pactis standum non esse, à nullo, quod sciam, hactenus demonstratum fuit: equidem si pretii solutio ad ipsum opus pertineat, ut in pacto simoniaco & usurario, tunc revera pretium solvi non debet; quia per hanc solutionem, simonia, vel usura completur; unde cum pars operis mali sit, nemini mirum accidat, malum esse. 1. nihil ergo in his sanctissimorum & doctissimorum Hominum decisionibus, spurcum, injustum, absurdum est, ut als: tu certè spurcissimus, qui res sacras & serias, spurca scurrilitate conspurcas; homines doctissimos injustis calumniis dilaceras; rem demum Theologicam absurdissima insciti a dehonestas. Abi ergo & Molinam fine, qui rectè docet, pretium datum alicui ad malum opus, restituendum esse, si opus illud non fecit, secus vero si fecit.

XVI. Te porro mutum ais, & stupidum reddidit Lessii sententia, quod Judex pecuniâ acceptam pro justa sententia ferenda restituere teneatur, secus pro injusta; quia justam debet; ac proinde pro justa pretium accipi non potest; injustam verò, quam non debet, vendi ab eo posse, dicis, juxta Lessium. O nequam, quis unquam dixit, vendi posse injustam sententiam; peccat haud dubiè tam Judex, qui vendit, quàm is, qui emit; igitur nec vendi, nec emi potest; quamvis post latam sententiam, Judex acceptum pro ea pretium restituere non teneatur, ut innumeri fere auctores post D. Thomam docent; licèt teneatur non vendere injustam sententiam, nec pro illa ferenda, accipere pretium; & si acceperit, post latam, damnum, quod per illam alteri partium intulit plenissimè resarcire. Duo porro sunt, in quibus nequissimè & iniquissimè visus es egisse; primum est, quod aliqua auctori affinxeris; alterum est, quod multa reticueris, de industria, quæ ad mentem illius explicandam, maximè pertinebant; affingis Lessio hæc verba uno tenore & non interruptè, charactere Italico descripta, *nego, pecuniam acceptam pro sententia injusta debere restitui, vel jure naturæ, vel jure positivo*, citasque lib. 2. cap. 14. dub. 1. num. 55. in paucis verbis menda quamplurima; dub. 1. nihil prorsus de his; hæc autem num. 7. terminatur, repugnat igitur esse dub. 1. & num. 55. de his agit dub. 8. ubi hæc habet, *Dices D. Augustinus Epist. ad Macedon. ait, sceleratiùs accipi pro sententia injusta, quàm pro justa, sed pro justa restituendum est, igitur*

pro injusta. Resp. negando consequentiam; non enim, quia aliquid est sceleratius, ideo magis, vel æquè obligat ad restituendum, cum hæc restitutio non sequatur magnitudinem sceleris, sed damnum per injuriam illatum; at qui accipit pro injusta, nullam infert injuriam danti; hæc sunt verba Lessii, hæc unica ratio ab illo adducta, quam malignè reticuisti; sed inquis, damnum infert alteri parti; ita est, unde illud, ut dixi, & omnes auctores Catholici dicunt, resarcire tenetur. Quamvis autem deinde Lessius assertione. 2. dicat, verius sibi videri, nullo etiam jure positivo acceptum à Judice pro injusta sententia esse restituendum: citat in hanc rem D. Th. D. Antonin. Angel Sylvest. Navarr. item l. 3. & 8. ff. de conduct. ob turp. caus. ubi hæc habes, *non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, ut malè judicetur.* item l. 2. & 5. c. & Bartol. l. 9. de pœn. Judic. quibus adde Dian. Rebell. Turrian. Malder. Azor, Lugo, Dicastill. Tamburin. Bonacin. Laym. Busenb. Cordub. Vasq. Sanch. Tanner. Petr. de Navarr. Filliuc. Molin. Reginald. à me alibi citatos, aliosque ab iis appellatos. Addit tamen assertne. 3. oppositam sententiam Juristarum communem esse, subditque, vel à Confessario Judicem illum ad restituendum obligandum esse, vel per sententiam, in pœnam criminis; consule, quæ satis fuse de hoc argumento in notis. Cæterùm unum ex te rescire velim, quam injuriam danti pro injusta sententia Judex inferat; si enim nullam infert, cur eidem facere satis tenetur. Scio, per leges, Judicem reddi posse inhabilem, ad acquirendum dominium muneris accepti pro injusta sententia; item Judicem illum damnari posse per sententiam ad illud restituendum; immò ad pœnam longè graviorem, præter illam obligationem, qua tenetur citra sententiam, resarcire damnum illatum alteri parti injustè damnatæ; at non parum hanc quæstionem dilucidasses, si legem aliquam, claram scilicet atque indubitantem, dubia quippe non obligat, nobis exposuisses, quod certè præstare debueras, non verò insulsè jocari, & impium agere scurram & sychophantam.

XVII. Thomæ Sanchez in vernacula Epistola multa sanè affinxeras; illud præsertim, quod doceat, magos & hariolos arte sua quæstum *licitè* facere, *legitimè*, & cum fide populo inservire; & alia quædam, Italico charactere descripta, quæ tamen apud Sanchez non extant; nonnulla in versione Latina emendasti, non tamen omnia: illud unum Sanchez ex citatis confertim auctoribus, Astrologum, vel magum artis ignarum teneri ad restitutionem accepti pretii operæ præstitæ, quia reverâ nullam operam præstitit, sed per fraudem illam pecuniam corrasit; item non posse illum hanc operam præstare; quis hoc dicat? nec de pretio pro illa paciscì, nec pecuniam pro præstanda accipere, ac proinde pecuniam pro præstanda, nec dari, nec promitti posse; si tamen jam præstita est, ex arte scilicet, quamvis alioquin nefanda, & pecunia data, Sanchez docet, cum multis etiam antiquis, Astrologum, vel Magum ad restituendum non teneri; quo enim jure, si fraus abfuit, si pecunia liberè data, si danti nec vis, nec injuria illata? quid defuit ad transferendum illius dominium? opus est nefandum, quis hoc negat? omnes fatentur, vix flammis expiari posse; pactum illud nefarium, pecunia nec data nec promissa, sine gravissima culpa: ita est, do ultro hæc omnia; pecunia igitur restituenda est; negat Sanchez, negant multi consequentiam; hanc probare debueras, Willelme, sed nugari voluisti, non ratiocinari, scurram & Histrionem, non Philosophum & Theologum agere didicisti; non negat Sanchez, horrendum esse flagitium, & utrumque, nimirum tam recipientem pecuniam, quàm dantem jure plectendum esse atque damnandum, non tantum ad refundendam illam pecuniam, verùm etiam ad majores pœnas; sed præmissis stantibus, quod ii teneantur pecuniam pro præstita, ex arte non vero per fraudem, opera accepta, ante sententiam, restituere: negat Sanchez, negant multi; tu miraris, hæresque, ais, attonitus, & stupidus, dicam meliùs, hæsit tibi gutta.

XVIII. Abi ergo lingua falsiloqua, & refove spurcissimam illam verborum colluviem, quam doctissimis juxta atque piissimis Auctoribus, pleno gutture, fœdissimè aspersisti: illa verò, quam ex Collotio refers historiola, in vos appositè quadrat; nempe imprudentis Confessarii judicio, injustum onus impositum fuerat misello & simplici pœnitenti, summarum ingentem pecuniæ summam restituendi, quæ cum in librum de Theologia morali recens editum, & in casum suum in eo libro contentum forte incidisset, restituendi obligationem solutam dixisset, quod tersissimus ille scriptor singulari providentia tribuit: in vos, inquam, apprimè quadrat hæc historiola, qui pharisaico more, onera importabilia, quæ vix digito movere vultis, aliis imponitis; imo eosdem vestram & justitiam; hanc certè; quia injustum est, dubiam alteri obligationem imponere, nemo enim re sua, quam possidet privandus est, nisi certum sit, alterius esse; nec satis est, quod ad hoc, probabilis tantùm notitia; unde injustè agunt illi Confessarii, qui dubias hujusmodi obligationes aliis imponunt; nec dicere dubitatem, illos gravissimè peccare contra justitiam; atque adeo teneri, ad faciendum satis, & damnum illatum resarciendum; illam verò fidem scilicet; quia notæ sunt artes vestræ; restitutionem pecuniæ parum, aut nihil curatis, nisi vestris manibus fiat, vel in eos usus, qui sint ad libitum vestrum, destinetur; novam certè fœnerandi artem, quam non jam simoniacam à Simone Mago dictam, sed Judaicam, derivato à Juda Iscariote nomine, appellare posim. Cæterum prudentem & Catholicum rerum æstimatorem etiam atque etiam rogo, unum ipse Cacodæmon personam scitoris, velpotiùs scurræ cujuspiam, puta Erasmi, vel Luciani, induens, rem istam pejore arte, majore malitia, pleniore malitia, pleniore maledicentia, atrociore stylo, jocis & aculeis acutioribus, inhumaniore & magis diabolico modo, prosequi potuisset.

EPISTOLÆ NONÆ Confutatio.

I. IN hac Epistola, maximè ac præcipuè impium scurram agis, cum pium in Deiparam Virginem cultum ludicris jocis & ridiculis cavillationibus ludendum carpendumque susceperis; pium beatam Virginem salutare, cum in ejus imaginem incurris; rosarium decem gaudiorum Beatæ Virginis recitare; Mariæ nomen frequenter in ore habere; aliaque id genus; & hæc, quasi optimus & piissimus scriptor Barrius docuisset, ea satis esse, ad salutem, rejecta & neglecta quavis alia divinæ legis, quam quisque servare tenetur, nec non pœnitentiæ, qua dumtaxat admissum scelus eluitur, cui, qui reverâ maxi-

minus & intolerabilis, non modò in doctrina morum, sed etiam in doctrina fidei error censeretur: illud tantùm Barrius sibi proposuit, ut ad teneram erga Deiparam Virginem, fidelemque pietatem, animos excitaret; quid hoc consilio laudabilius? quid ipsi Deiparæ jucundiùs & acceptiùs esse potuit? vota in hunc finem hujusmodi pietatis officiorum preces, seu praxes, ut vocant, simplici & pio stylo exarata; quid quæso his est, quod genuino carpas & notare; quid quæso his est, quod genuino carpas & notare? an propterea docuit, hæc sibi aliisque satis visalutem? an negavit, Dei & Ecclesiæ præcepta servanda esse? an pœnitentiam, admissâ culpâ, omittendam? an Sacramentorum usum temnendum ac vitandum? sciebat haud dubiè pius scriptor, in hac mortali vita, salutem nostram in maximum discrimen adduci, nisi cælestes divinæ gratiæ imbres ubertim nobis affluant; hæc enim, quamvis alioquin nunquam desit, quantum scilicet ad non peccandum necessaria est; sæpè tamen ac sæpiùs eam difficultatem parit, qua territi pusillanimes, gravibus, quæ urgent imminent, tentationibus cedunt, ac vinci se patiuntur: sciebat, Deiparam divinæ gratiæ dispensatricem esse, & quasi collum corporis Ecclesiæ, cujus caput Christus est; ut enim, quidquid virtutis & spiritus à capite ad reliquum corpus diffunditur, quidquid à reliquo corpore, ad caput ascendit, per collum transmittatur, eatque, necesse est; ita prorsus, quidquid à Christo ad Ecclesiam, & ab Ecclesia ad Christum emanatur, per Deiparam ire putamus; illa enim vota nostra & preces, piæ advocatæ munere defuncta, Deo porrigit; & ab eo illa gratiarum subsidia nobis ordinet, quarum vi & energia salutis via longè facilior redditur, & jugum illud tam multis grave, à fidelibus divinæ gratiæ mollitur, & comportatio.

II. Sciebat etiam Barrius, variis historiarum & revelationum monumentis, quibus piam fidem dare possunt, traditum fuisse, piis hujusmodi officiis Deiparam Virginem mirificè delectari; gaudet enim apud Deum simplicibus, quod illi cum Deo commune est; quamvis historiam illius fœminæ retulerit, quæ quotannam diem intermisisset, quin B. Virginis insignem salutasset, & tandem lethali culpæ obnoxia mortua est, per insignem miraculum à Deipara obtentum, vitam revocata est, ut noxam illam pœnitentiâ eluere: sed an propterea credidit, aut asseruit, idem omnibus sperandum esse? an fortè una hirundo, inquit, ver facit? an dixit, à lethali noxa nihil timendum, nec curandum de pœnitentia? vah impium & Deiparæ Virginis derisorem, qui scilicet in tam pio, tam sacro argumento blasphemis jocis, & profanis scurrilitationibus ludere, & sic os tuum in cælum ponere non dubitasti; itane verò sacrilegum fœdus iniisti cum omnibus aliis hæreticis, adversùs Matrem illam pulchræ dilectionis, in quo tamen potiores acerbioris & infensioris hostis partes ageres? Calvinus enim, Lutherus, Nestorius, aperta vi cælestem illam reginam, seu Reginam aggressi sunt, admotis palam erroneis suorum machinis atque tormentis; negant oportere, quâ voce, quâ scripto, colendam Virginem, Dei Matrem esse; tu verò jocis & ludibriis, scurrilitationibus ludieris, ridiculis, & scurrili stylo honestandam censuisti: longè profectò gravius offenderet potentissimo Principi, ab hoste ludi, rideri, jocis & tidendum præberi, & traduci ut risui, quàm armis peti, & apertâ vi; ita prorsus longè atrociore scelere te obstrinxisti, & deliquisti gravius, necnon magis injuriosè in Deiparam Virginem, quàm Calvinus, Lutherus, Nestorius, aliaque hujusmodi hominum monstra: quantum porro inde subsidii, vel emolumenti vivens & moriens retuleris, piis omnibus cogitandum relinquo; quî vixeris, sciunt omnes; loquela tua, stylus tuus te satis prodidit; quî verò diem supremum obieris, jam suprà obiter indicavi; tæderet repetere; nam, ita me Deus amet, doleo sortem tuam, & lugeo.

III. Sine igitur, impie scurra, piissimos illos scriptores Barrium & Binetum, quorum ultimum, vel appellasse, satis laudasse est; Binetus enim, velis, nolis, ingeniosissimus, jucundissimus & piissimus scriptor fuit, cujus suavissimos mores, innocentissimam vitam, aliaque cultioris virtutis decora (novi enim hominem) satis prædicare non possum; sine, inquam, pauca quædam ab iis piè & pio animo scripta, quæ pium & Catholicum sensum præferunt, nisi per aetam calumniam, à te, tuique similibus ab eo, in erroneum deflectantur, qui quantum ab eorum mente abfuerit, luce meridiana clariùs restat. Quod verò addis, de libris editis ab hominibus Societatis, quos ipsa, inquis, Societas præstat; falsissimum est; equidem libri recognosci jubentur à duobus, aut tribus; at hi homines sunt; addo etiam, ut secundùm hominem loquar, interdum amici, ac proinde errori, aut saltem gratiæ obnoxii; Superiores, seu Prælati, cùm libros per se ipsi recognoscere nequeant, stant eorum judicio, ac demum edi permittunt; sed an propterea Societas libros à suis editos præstare dicenda est? nunquam sanè mihi persuasissem, tam absurdam cogitationem in tuam mentem cadere potuisse; falleris igitur, sed gravissimè & enormiter; nunquam Societas libros suorum præstitit, quæ certè palmaris esset dementia.

IV. Transis ad Moinium, cujus verba ex illius libro, cui titulus est, de commoda pietate, excerpta, describis in hunc modum: *Virtus sic nobis adhuc exhibita est, quasi morosa quædam & aspera, frequentiæ fugiens, solitudinis amans, labore semper ac dolore stipata, &c. nunquam defuerunt viri sancti, & nihilominus politi, &c. non nego, inquit, esse quosdam devotos, pallida facie, & multùm atræ bilis præferentes, qui silentium sectentur, atque secessus, &c. sunt tamen, quos ad mansuetiorem cultum instruxit benignior corporis temperatio, &c.* tuæ versioni etiam iniquiori adhæreo, & quamvis multa in unum, quasi uno tenore scripta essent, congesseris, nihil refert, etiam admitto; sed age; quid quæso in his omnibus carpendum? quasi verò idem vitæ genus, eamdemque corporis indolem sincerus Dei cultus postulet? quasi verò omnes Eremicolæ, aut solitariis vestris similes esse debeant, ut servent Christo? quasi verò vita communis, quam tot viri sancti post Christum amplexi sunt, ut inepta, aut saltem minùs idonea à regno Dei arcenda sit? quasi verò divina gratia variæ hominum indoli sese non accommodet, (quo dicto nihil magè tritum invenies, apud ascetica, seu mysticæ Theologiæ scriptores) & singularis non sit cujusque indolis modus & character? quasi verò diversæ lineæ ad idem centrum, diversæ viæ ad Christum non terminentur, quælibet indoles suas virtutes & vitia non habeat, ut illæ, divinæ gratiæ subsidio colantur, & hæc castigentur? quasi verò denique nullus Deo placere valeat, nisi sit pallidâ & exterminatâ facie, quam certè, ut non improbo, ita in Pharisæis Christus damnavit: crede mihi, Willelme, ama & time Deum, serva illius & Ecclesiæ mandata, Ecclesiam audi, fuge peccandi periculum, procura quàm primùm, læsæ Deiparæ facere satis; & quod caput est, errores tuos palam ejura; nemo enim te ab hoc onere liberet, cùm talis semper usus in Ecclesia fuerit, qui

non nisi à traditione Apostolica ortum duxit; ac proindè hac lege solvi non possis; hæc fac & vives Willelme, quamvis alioquin pallidâ facie non sis. sed hæc desiderare quidem, sed sperare non possumus.

V. Molinus haud dubiè, Scriptor elegantissimus, cujus fortè illud unum vitium est, quòd impensiùs omne dictionis & orationis vitium fugit; nihil præfert obscuri, præter nimiam luminum copiam, & nihil enim ejus orationem obscurat, nisi luminis & ingenii exuperantia; ille igitur dum hæc scriberet, & novos istos reformatores confutandos, aut saltem irridendos susciperet, qui nihil nisi aspera & acerba crepant, tuos ille solitarios habebat præ oculis, vestras illas Regio-portuenses, ad normam Sancygitani formatas & institutas, seu veriùs deformatas; pharisaicam igitur virtutem à Christiana discernere voluit; vultum illius non tam agrestem, quàm vos illum describitis, nec tam liberum, aut lascivientem, quàm mundus vellet, depingere conatus est: absit in primis, omnis lethalis noxa; timore Dei carnes confixæ sint; diffusa charitas in corde; frequens Sacramentorum usus; non probatis, sat scio; sed parum refert; cæterùm nihil vetat, moderatâ lætitiâ mortalem hanc vitam per se alioquin molestam & gravem temperatè condire; hilarem datorem diligit Deus, ridere cum ridentibus, flere cum flentibus; illud unum dumtaxat excipio, peccare cum peccantibus, errare cum errantibus, & cum Hæreticis sentire.

VI. Alium locum ejusdem auctoris subnectis. *Hic tamen* inquit, *ad inspiciendam artis vel naturæ pulchritudinem, oculis caret, voluptatem, tanquàm onus molestissimum aspernatur & fugit*, &c. *Injuriis & contumeliis tam non movetur, quàm si statuæ oculos & aures haberet: formosa mulier illi spectrum est, nec plus in illum valent imperiosi vultus, quàm sol in oculos noctuæ.* &c. itane verò? paucas lineas ex decem ferè paginis excerpsisti, nimirùm *lib. 7. pictur. moral. post sect. 3. cap. 2.* ubi agrestem & plusquam barbarum hominem scitè more suo describit, quem vernacula lingua appositè vocat *le Sauvage*, paucas, inquam, hinc indè lineas, seu pauca verba, in orationem minimè interruptam, musivi ad instar operis, compegisti; provoco ad oculos legentium; anteponis aliqua, postponis alia, varia inseris, addis ad libitum, vel omittis; hæc tamen demum ita esse; sed non te pudet perfectionis Evangelicæ, in hoc agresti homine, veram, ut dicis, effigiem agnoscere, qui nec se, nec quidquam aliud amat, nec Deum veretur, nec homines, novus Timon Misanthropos, qui se & omnes odit, cui nulla voluptas est nisi de malo, suo nimirùm & alieno; uno verbo, ferinum & inhumanum animal Erebi furiis satum, legis librum, mi Lector; ut videas, an vera narrem, & an uspiam esse queat manifestior calumnia; in hoc tamen fero, inhumano, & diris omnibus sacro homine nativam perfectionis christianæ imaginem agnoscis: illud etiam, quod habes de formosa muliere, finxisti, pro more, cum ibi de fœmina, ne verbum quidem. Hanc porrò pietatis disciplinam à Molinio traditam novam perperam vocas; illam quippe in Christo, in Joanne Evangelista, in Petro & Paulo; illam Martino, Paulino, Augustino, Ambrosio, Boetio; illam in Philippo Nerio; in Francisco Salesio, in Ignatio, in Maria Magdalena de Pazzis habemus; Appellarem si opus esset Ludovicum Granatensem, Joannem de Avila, Petrum Cottonum, aliosque benè multos, miræ sanctimoniæ & charitatis homines, qui vitæ communis speciem cum incredibilii vitæ sanctimonia & flagrantissimo charitatis ardore conjunxerunt. Cæterùm stante divinarum & humanarum legum indemnitate, cultum illum interiorem magnifacio, cum exteriore communis vitæ ratione conjunctum; quamvis alioquin absit horrida illa & austera Macarii, vel Hilarionis species, quæ sicubi interiore destituatur, nihil certè, aut parum juvat, immò plurimùm nocet, si fortè, ut sæpe fit, Pharisaica vanitas accedat; ab exemplis abstineo, cùm illa cuique sint obvia: quod autem impium Molinum esse dicas, dissimulandum esse, puto; impius enim, qualem te esse constat, pium vocat, quod impium est, & quod pium est, pro impio habet; nam sua fictores imponunt nomina rebus.

VII. Ad argumenta moralia deindè orationem convertis, & antè omnia, sugillas Escobarum, Sanione tuo referente, eo quod, dixerit, *tract. 1. exam. 2. cap. 1.* ambitionem esse appetitum inordinatum dignitatum & honorum, ex genere veniale tantùm, ex circunstantia tamen mortale. Dixisse, meminisse mel, iterumque, societatis doctrinam unius Escobarii placitis metiendam aut censendam non esse; unde petindè mihi est, sive hæc, sive alia dicat Escobarius, quem nec accusandum, nec defendandum suscepi, cùm is reverà non sit, in cujus capite bona, aut mala sors & omnes societatis fortunæ versentur, ut ut sit, Escobarium hoc loco perperam & iniquè reprehendis, cùm nihil adstruat, quod apud cæteros omnes commune & tritum non sit; ambitio igitur, id est appetitus inordinatus honorum ac dignitatum, ex se, id est, ex genere suo, & semotâ quidlibet aliâ circunstantiâ, mortale peccatum esse, putasti sel. dic mihi sodes, & appella præceptum Decalogi, vel Ecclesiæ legem, cui ambitio adversatur; ut inde concludere liceat, esse peccatum grave; nunquam appellabis, sat scio; hæc enim vulgaris & communis est omnium sententia; si vel unum auctorem classicum appellaveris, qui secus sentiat, ero mihi magnus Apollo: fateor quidem, ex ambitione interdum multa, eaque gravissima mala profluere, unde alterum malorum fontem appellare non dubitarem, quibus universum hominum genus jactatur; quid non mortalia pectora cogit, non tantùm aut, sed honorũ & dignitatum etiam sacratum, sacra, immò sacrilega fames? sed hoc, vel ex fine, propter quem ambitiosus honores ambit, vel ex modo, seu mediis, ut vocant, ad obtinendum ab eo adhibitis; nempe ille, ut plurimùm saltem, ut desideratos honores adipiscatur, justitiam evertit, charitatem violat, nullum lapidem non movet, per fas & nefas agit omnia; hæc quidem ambitio, non ex se, sed vel ex fine, vel ex modo; sic igitur ea noxius non est, at si vel pulveri tormentario admiveas, si tectis injicias, si fœnili applices, magnum inde incendium & deplorandæ ruinæ consequentur: est autem quod vel obiter hic ostendam, unde hæc lucrandi occasionem duxeris; legisti haud dubiè vel audivisti aliquando ex Catechismo, superbiam septem peccatis mortalibus, seu capitalibus, annumerant, unam esse, ambitionem verò superbiæ filiam; indè facilè putasti peccatum mortale cessare, erras, mi homo, erras: dicuntur enim capitalia, non quidem quod omnia mortalia censeantur, sed quod sint quasi quædam suprema genera, sub quibus cætera omnia continentur; sed pudet, de his rectum disputare, quæ trita sunt apud tyrones, & de quibus vel ipsi pueri disputant in catechesi; sivel unicũ summisstam verbo *superbiæ*, legisses, vel inde ignavia tuam castigare potuisses.

VIII.

VIII. Eumdem auctorem perstringis, circa eleemosynam; hic sentit cum Patre Vasquez; sed jam vetera hæc materia plenè discussa est, in confutatione Disput. 6. n. 4. & 5. ut quò te remitto, & tantùm adjungo interrogationem Escobarii pro responsione, quam tibi acceptam fuisse; idque de indubitatione à te acceptam fuisse; idque de indubitatione à te acceptam fuisse; idque de indubitatione à te

tantùm venialis, immo & honestus, qualis esse potest; quis enim neget, jure aliquem dolere posse, de prospera malorum sorte: quamquam Baunius sibi contradicit; nam paulò inferiùs nimirum c.7.concl. 6.dicit,cum Navarro,invidiam ex accidenti tantùm esse veniale & cap.39.concl.15.hæc habet, *invidia ex natura sua est mortale*; etiam quando est dolor de bono temporali proximi,ut expressè concl.16. Quod dictum est de acedia, in dubium revocari nequit; unde constat,quàm peritus sis rerum istarum. Quod demum pertinet ad gulam; ibi statuit Escobarius; & potiori jure P.Sanchez, quem in hanc rem citat, ad justam dumtaxat satietatem perveniri; justam,inquam,non immoderatam & exuperantem,vel justos fines excedentem; atque ita comedere usque ad satietatem, peccatum non est; qua enim lege id veteturquod autem simplex voluptas gustus, turpe motivum non sit, multi auctores docent, præter Thomam Sanchez; nimirum delectationem ex gustu quæsitam,moderatam scilicet, culpæ non verti; in hanc rem citavi alibi Bonavent. Scot. Almain. Major. Gabriel. Cajetan. Sanch. si demum interveniat vomitus, sed absque alio incommodo vel corporis, vel capitis,censet Escobarius, esse tantùm veniale, pro quo etiam alibi multos citavi, nimirum D. Th. Cajetan. Navarr. Tolet. Tabien. Less. Layman, Busemb. Benedict. Bail,& alios: rem istam,ut tu, leviter perstringo; quia de illa fusius in Siotis.

XI. Accedis ad Thom. Sanch. cui manifestam impostaram affingis, quasi doceat, licitum esse, mentiri,& fallere: multa quidem in versione Latina emendasti, quæ in vernacula perperam adstruxisti,& quorum,in flagranti deprehensus, Annato dedisti pœnas; multa tamen incorrecta reliquisti; tanta enim pravitas,ut sic loquar cum Quintiliano, inemendabilis est. 1. dicis doctrinam illam de verborum ambiguitate, vel amphibologiæ usu, novam & propriam Jesuitarum esse,reticitis, de industria, auctoribus, quos Sanch. ipse laudarat, nimirum Sylvestr. Angel. Navarr.Salon. Manuel. Philiarc. quibus addo Adrian. Major. Paludan. Bonacin. Joann. Sancium Trullenc. Sayr.immo & Augustin. cum multis aliis,qui Jesuitæ non sunt; cur ergo dicis, doctrinam illam à Jesuitis excogitatam? *solerter*, inquit Fabulinus ille tuus, *excogitavimus*.2. hæc verba Sanchez *proferre verba ambigua mendacium non est*, ita vertisti. *licet uti verbis ambiguis*; quasi verò licitum sit, quidquid mendacium non est. 3. affingis, quod Jesuitæ doceant mendacium effugere, dum aliquid falsi persuadere conaris; nescis profectò, quid dicas; quasi verò mentiri, non sit, aliquid falsi persuadere. Nunquid hæc repugnantia non sunt; illud igitur Sanchez non docet, sed id unum duntaxat, licitè quempiam uti verbis ambiguis; si tamen justa causa adsit; quæ si fortè desideratur, & juramentum interveniat,mortale perjurium vocat,lib.3.cap.6.n.18. 4. illam periodum quam subdis ex Sanch. characteribus Italicis descriptam,uno tenore,ac minimè interruptè, per sex lineas minutissimi typi, ad finem perductam,& sic incipientem, *jurare quispiam potest, se aliquid non fecisse, quamvis revera fecerit*,&c. ex variis locis,seu versibus huc illuc dispersis compegisti, & unum cum alio, per solitam copulam &, vel tuum illud *inquit*,consuisti; quasi hoc modo enunciata hujus auctoris esset, aliqua verba primi membri,n.15. leguntur variè tamen disposita; secundo membro aliquid simile habetur post sesqui alteram columnam; tertium ad n.19.refertur & à secundo distat altera sesquicolumna; hæc verba *ante nativitatem* ex n. 26.post sex integras columnas excerpta sunt.5.omissis,per syncopem fraudulentam, variis probationum capita,à P.Sanch. adducta & petita ex S.Scriptura, ex SS.Patribus, ex Sanctorum exemplis; auctores etiam ab eo citatos reticuisti, limitationes & conditiones ab eo prudenter appositas prætermisisti, v.g. lethalem culpam ab eo admitti, qui jurat, animo persuadendi falsum n.13. item illud, *nullo modo licet uti verbis ambiguis*, num. 16. item illud non, *re bene inspecta mortale perjurium est*. Cæterùm de hoc argumento auctores Societatis, doctrinam singularem & propriam non habent, sed communem defendunt, nimirum uti verbis ambiguis absque justa causa semper illicitum esse; quamvis alioquin mendacium minimè involvant; & ad restrictionem mentalem,longè graviorem causam desiderari; sed de hoc argumento aliàs non uno loco; Filliucii item pariter depravasti; sed cum eadem cum P. Sanchez doceat,eadem responsio huc etiam quadrat.

XII. Quod subdis de promissione ex eodem Escobario tract.2.exam.3. cap.6.tibi negotium facessit & gravis piaculi loco tibi est, nimirum quod simplex promissio absque stipulatione,pacto oneroso, & juramento,quam quis facit, absque animo,se obligandi,non obliget in conscientia, nisi alioquin scandalum, aut grave proximi damnum sequeretur (cui hæc reticuisti nebulo) quisquis autem habet animum,hoc ipso se obligat;huc usque Escobarius: quid porro aliud dici possit, non video; cum vera promissio non sit,absque animo promittendi; adhuc mum,igitur,mendacium esset veniale, semoto scilicet juramento, & proximi damno; at si non sit promissio, non obligat. Quod autem ii qui promittunt absque juramento, expressa formula, non habeant intentionem absolutam se obligandi sub peccato, multi docent apud Thom.Sanch.lib.1.de matr.disp. 5.n.21. utrùm demum esse queat voluntas promittenti absque voluntate se obligandi negant apud d. Sanch.n.4.Sot.Petr.de Ledesma,Lopez,Penna,Manuel.Aragon. Guttier. asserunt verò apud eundem n.5.Richard.Bonavent. D.Antonin.Angel.Sylvest. Armill.Henriquez, Medin. Tabien. Viguer, Palac. quos sequitur idem Sanch. sed hæc quæstio videtur esse de nomine.

XIII. Fingis deinde tam spurca, tam obscœna,& pecude potiùs quàm homine digna,in materia pudicitiæ,remissarum, seu laxarum opinionum exempla,ex Jesuitarum libris excerpta, ab illo tuo Fabulino fuisse tibi exposita,ut pluribus literis simplendis facilè sufficere possent; sed hæc à te omitti, pro religione,dicis,ne ii,quibus literarum tuarum sit copia,tali lectione animum commaculent; nequam illud in te probè *qui Curios simulant*: quidquid obscœnum & spurcum fingi potuit, in tuas literas,quasi sentinam projecisti,& puder,inquis,vel unicum hujusmodi laxitatum exemplum obiter indicare: nullum in hac materia indicasti, mi homo, quia nullum inveniisti; notorium est,parvitatem materiæ, ut vocant,in hoc à Jesuitis,nec agnosci,nec probari; imminatione uti facilè fore; vos enim toti estis in mulierculis & fœminis fallendis,concinnandis,formandis,instituendis; quanta audivimus & legimus in hoc genere facta,scripta,dicta; Ecclesia vestra Regio portuensis,si non Propheras,saltem Sybillas habet, non tamen divino spiritu afflatas; sed stylum sustineo.

XIV. Dogma inauditum esse dicis, quod Baunius docet, nihil injuriæ parentibus inferre puellam, quæ volens & ultro sese alteri prostituit: inauditum, inquis; miror sanè,quod nunquam audieris, cùm re-

non satis longæ tibi sint aures; inscitiam potiùs in-
ultam tu ipse præfers, qui nescias, innumeros ita
ere; non negat Baunius, ab utroque graviter de-
ri contra castitatem, immò & contra justitiam,
quid inde scandali, infamiæ, damni, puellæ paren-
proveniat; innumeros, inquam, quos ex parte in
ris & alibi citavi, puta Bañez, Navarr. Petr. de
ntor. Megal. Graff. Sot. Sanch. Vasq. Less. Coninc.
Sanr. Molfes. Dian. Lug. Tanner. Busemb. Le-
Conrad. Petr. de Ledesm. Trullench. D. Anto-
, fil omnes, aliique bene multi, si fidem tibi ha-
Baunius, nunquam in scholis, in rotis, aliisque tribu-
ndi audiri fuerunt; quid quæso absurdius, quid
ugnis dici poterat? non est igitur dogma inaudi-
, ut ais, sed communis omnino sententia, quam
hodieuique damnare ausus est, quam nemo ha-
ctenus probabilem esse, negavit; virgo enim alicui
ri, invitis parentibus, nullam iis injuriam in-
, quamvis alioquin contra prudentiam & obser-
iam, ut plurimùm, delinquat; si ergo corporis
rum clam faciat, ac proinde citra parentum in-
iam, vel damnum, inde iis proveniens, peccat
quidem contra castitatem, non tamen contra justi-
nemo negat, hanc rationem alicujus momenti
e, ut sit de opinionis veritate; de qua non agitur
nunc, sed tantùm de illius probabilitate: erat au-
em potius, quòd auctores Catholicos super hac re
sultores, quàm Pœtam illum ethnicum, cujus au-
tas in hoc genere causæ nulla prorsus est.

II. De ornatu, seu viri, seu fœminæ, Escoba-
r, quem tamen hoc nomine corripis, modestiùs
ri non potuit; si fit enim animo malo, inquit, ut
ena, aut quæ adamatur, mortale crimen est; si alio
alo fine, v. g. ut maritus, aut uxor alliciatur, non est
rtale, si fiat non malo fine, (audin) malo fine, sed
o naturalem fastus inclinationem, veniale tantùm
, aut aliquando nullum, cùm scilicet illius inclina-
nis affectus inordinatus non est: ita ille, *tract. 1. exam. 3. cap. 1.* Baunius verò *cap. 46. quæst. 7.* docet qui-
, fœminam absolvi posse, quæ ut marito placeat,
ti patriæ consuetudinem servet, se se ornat, quam-
n alioquin sciat, inde aliquos occasionem peccandi
quos, quod tamen ipsa nullo modo intendit; &
ere in hanc rem Sauch. & Lorcam, addere poterat
Cuiram. Attinill. Navarr. Granad. Azor, Major. Du-
l. Bonacin. Graff. Dian. & alios, qui docent, ne-
em propter alterius malitiam, suo jure privan-
esse. Fœminarum modestiam summoperè pro-
, & lascivientium illam muliebris mundi pompam
non possum; at insignium doctorum sententiam
mnare profectò non possum; præsertim cùm de
ratu moderato, per se non malo, agatur; si enim a-
quid vel turpe, vel minùs decens accedat, puta la-
ia quædam nuditas brachiorum, pectoris, humeri,
i ubi fit, nullus revera Baunius, nullus Escoba-
ra culpæ id eximat; uno verbo, hanc opinionem,
quam eximii Doctores adstruunt, possum quidem
fellari; sed damnare non ausim.

VI. Lessium deinde aggrederis, quòd scilicet ad
Scripturæ loca, quibus dictus ornatus severè pro-
beri videtur, in hunc modum responderit; *propter*
ationem Ethnicorum, illo tempore, ita præcipi expedie-
. Fœdissimè Lessium mutilasti, quatuor dumtaxat
bis ex illo excerptis, & omissis omnibus aliis argu-
ntis, petitis à Scriptura, SS. Patribus & Principi-
scholæ, quibus suam sententiam luculenter pro-
; nihil enim Lessius prætermisit ad doctrinam il-
am firmandam; nempe cùm sex modos exposuisset,
quibus ille ornatus mortali culpæ vertitur, communi
ue sententiæ stare vellet, nimirum ornatum illum
per se præcisè non esse peccatum mortale; tribus
modis ad dicta Scripturæ loca respondet, copula *vel*
connexis; tertium tantùm adduxisti, duobus prioribus & potioribus dissimulatis; nimirum Scripturas illas continere meram exhortationem, cùm nullum verbum præceptivum habeant, aut si continent præceptum, illud tantùm est pro illis, quæ se ornabant, ut aliis placerent, ut notat D. Thom. ex glossa; aut certè propter ædificationem, ut supra. Quæris demum ex tuo Fabulino, undenam id Lessius hauserit, eique, more tuo, hanc responsionem suggeris; nunquam, inquit, inquirendum esse, unde Jesuitæ suas sententias hauriant; quid enim refert? cùm talium virorum decreta suapte gravitate sint probabilia; hæc prorsus ad invidiam; cùm tamen facilè respondere potuisset, hausisse ex veteri & novo Testamento, ex sanctis Augustino & Thoma, ex præcipuis, seu Principibus Theologis; immò dato etiam, & non concesso, immoderatum illum ornatum ex se ac per se lethali noxæ non verti, utì Lessius post selectum illum Theologorum & Canonistarum manipulum, docet, manifestum est, opposita Scripturæ loca aliter solvi, aut explicari non posse, quàm eo triplici modo, quem Lessius exposuit.

XVII. Crimini etiam vertis Moinio, quòd dictum ornatum vetulis dumtaxat interdicat: facetè quidem, juxta atque ingeniosè vetulas illas ridet & ludit elegantissimus Scriptor, quarum dorsum curvavit in pontem senecta, & faciem aravit, rugisque asperavit: nihil aliud de ornatu illo adstruit, quàm quod ab auctoribus appellatis accepit; hæc enim habet, *juventam, quæ flos virescens ætatis est, ornatus decet; sed in hac siste; intempestivum esset, rosas in nive quærere; stellæ dumtaxat, quæ nunquam senescunt, perpetuas agunt choreas; rationem & speculum consuli, par est, decori & necessitati servire, nocte ingruente, receptui canere.* Vides, quàm acutè ludat anus illas, quæ in corpore semimortuo juniorum cultum affectant, quo nihil magè ridiculum unquam excogites: fallor, non dubito, quin cultissimo scriptori pœnas aliquando daturus sis; utpote qui Theologiæ rudis & imperitus, Theologiam ipsam restaurandam susceperis, & juxta tritum illud, *sus Minervam*, doctissimos Theologos arguas, quòd nec tuo gustui servire, nec ea scribere dignati sint, quæ tuo calculo donares; risum tenere non possum, dum repugnantia illa, quasi totidem chimæras & hircocervos oculis meis subjicio, & propositiones istas confero, Musicus ædificat, Geometra Theologos docet, Laicus Presbyteros, scurra prædicat, histrio prophetat, Molineus, Montaltius, Wendrockius, Theologiam moralem, Jansenius, Aurelius, Arnaldus religionem restaurandam susceperunt; hæc sunt profectò ridicula, quàm lascivientes anus, quas Moinius paulò ante lepidè ridebat.

XVIII. Redis ad Escobarium, qui permittit nuptæ fœminæ, pecuniam clam viro suo accipere, ad ludum, dandumq; pauperibus, intra limites & decentiam status; hæc quippe, inquit ille, non peccat accipiendo aliquid, quod maritus rogatus facilè concederet, *tract. 1. exam. 9. cap. 3.* quid quæso in his carpendum vides? Baunius *cap. 19.* citat in hanc rem Sylvestr. Petr. de Navarr. Angel. Reginald. quibus adde Molin. & alios decem à Diana citatos, item Less. Paludan. Dicastill. Trullenc. Bonacin. Busemb. & alios ab iis citatos, qui tamen omnes supponunt, mulierem illam ejusmodi, ejusque conditionis esse, cui ludus honestus & moderatus, item eleemosynæ, aliaque id genus, ad sumptus necessarios concedi possint. O utinam fœminæ in vos adeo liberales non essent; invitis etiam maritis, aut pupillis;

utinam

utinam boni quidem Administratores Patriarcham vestrum in componendis rationibus nunquam imitarentur; remittam ultrà non premo, nec urgeo, ne tabum fœtens effluat.

XIX. Tandem ad auditionem Missæ descendis, ut Escobarum, Hurtad. Coninch. Vasq. Turrianum, Baunium, & alios fugilles; sed jam ad singula venio. Nonnulli docent, eum satisfacere præcepto audiendæ Missæ, qui debita corporis compositione interest, id est, nihil exteriùs facit, quod exteriori modestiæ, & honori cultui debito repugnet, licèt interiùs aliud cogitet: aliqui Theologi & Canonistæ hanc sententiam tenent, ut Durand. Sylvest. Rosell. Medin. S. Antonin. aliique, quos citat & sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resol.* 101. item Less. Coninc. Hurtad. Henriquez, Laiman, quos citat & sequitur Lugo *de Euch. disp. 22. sect. 2. n. 27.* contrariam tamen sententiam tenent Suar. Vasq. Sanch. Bonacin. aliique ferè innumeri citati ex parte à Diau. *part. 1. de hor. canonic. resol. 2.* Vasques, cum aliis bene multis, docet, illum satisfacere præcepto, qui die festo templum ingressus, unam Missam audiret, sed absque animo satisfaciendi præcepto; quia revera Ecclesia non impetrat actum illum reflexum intentionis, ita præter Vasq Suar. Coninc. Lugo, Valent. Laym. Sanch. Salas, citati à Busemb. *lib. 1. tract. 2. c. 3. dub. 3.* nihil porro in hoc, cùm opposita sententia ne probabilis quidem esse videatur. Sed, inquis, Jesuitæ docent, ab eo præceptum impleri, qui auditâ parte unius Missæ, omissam deinde partem alterius audit; ita est, aliqui hoc docent, nimirum Sotus, Navarr. Sa, Henriquez, quos citat & sequitur Diana *p. 2. tr. 3. miscell. resol.* 18. item Major, Medin. Ægidius, quos citat, sed non sequitur Fagund. *lib. 2. de præcept. Eccl. c. 6. n. 11.* item Bonacina & Hurtad. sed oppositam sententiam defendunt Suar. Fagund. Coninc. Reginald. Lugo, Busemb. Martinon, Castropal. Tamburin. & cæteri omnes Jesuitæ, præter unum vel alterum; unde potiori jure negant, duas partes, vel tres, vel quatuor diversarum Missarum simul audiri posse; & pro hac sententia Azor & Sanchez malè citantur, ut alibi ostensum est; immo Suar. Lugo, & alii hanc opinionem absurdam esse, pronunciant, quorum judicio lubens subscribo, & ipse Baunius *c. 17. concl. 15.* expressè dicit, tenendam non esse, quia scilicet repugnat usui. Sed quia de hac re satis fusè & accuratè aliàs, plura non addo. Unde sanè tot ac tantis declamationibus locus non fuit, propter aliquot verba, quæ incauto Escobario exciderunt, qui nec rem istam discussit, nec suam mentem aperuit, sed tantùm Sanchez pro hac sententia, perperàm licèt, ut jam dixi, citavit.

XX. Moinium denique perstringis, quòd scripserit, *pietatem vitiis oppositis, & voluptate ipsa faciliorem esse*; ita ut ipsum *vivere difficiliùs sit, ipso pie vivere.* O utinam homines id curæ & operæ virtuti sibi comparandæ impenderent, quod vitiis persequendis impendunt; utinam pro Christo eos labores susciperemus, quos homines pro mundo suscipiunt; utinam pro cælestibus delitiis, divinæ charitatis thesauro, Dei gloria, Ecclesiæ dignitate, propagatione fidei, religionis incremento, ea faceremus, quæ passim pro obscœnis voluptatibus, terrestribus divitiis, mundanis honoribus, familiæ & status augmento, ambitionis, aliarumque cupiditatum saturitate, homines præstant: hæc sunt notoria, & mundanis etiam hominibus comperta, qui fatentur ultrò, in rerum mundanarum tractatione, plùs amari esse, quàm dulcis; plus fellis quàm mellis; plus spinæ, quàm rosæ; plus laboris, quàm quietis; plus umbræ, quàm lucis; plus speciei atque figuræ, quàm veritatis & rei: et tamen quasi fascinati quibusdam mundi præstigiis rapi se, vel abripi sinunt; hoc inquam fatentur simul & dictare non cessant; cur ergo ea reprehendis in Moinio, quæ adeò perspecta sunt & notoria, ut ipsi mundani homines, quantumvis à carne, mundo & cacodæmone obcœcati, ea perspiciant; dicam iterum, utinam tam impensè homines pro Deo laborarent, quàm pro carne, mundo & cacodæmone laborant; utinam vestri illi pro religione & fide præstarent, quæ pro adstruendis & defendendis mordacus suis erroribus præstiterunt; utinam tereus ille stylus (sic aliqui eum vocant, fortè per iniam, cùm revera sit plus quàm ferreus) Deo, Ecclesiæ, & charitati, non verò hæresi, schismati, & calumniæ servisset; utinam tot paginas pro veritate scripsissent, quot libros & codices pro damnatis errobus in publicam lucem ediderunt. Hoc denique addo, ut tritum proverbium tibi occinam, mendacem oportet esse memorem; primæ enim paginæ, et Barrii libro, cui titulus, *Paradisus apertus*, &c. multi excerpsisti; sub finem tamen epistolæ vernaculè hæc subdis, *post hasce literas scriptas, vidi librum, cui titulus, Paradisus apertus, auctore Barrio.* Scripsisti ista, librum illum legisti, libri tamen textum in hæc verba non inscribis, & rides; non legeram, inquies, sed à Jesuitis accepi, nimirum ab illo Fabulino, cui tamen omnia suggeris; an fortè homines habes cucurbitarum loco? quis enim non videt, meram fictionem esse? tu ipse fateris in proloquiis, aut certè alius tuo nomine; quid facerem; fecerram & morionem ubique agis, omnes, & omnia ludis; qui ludionis personam sustines, & insignis joculatoris partes, sed utinam errores, calumniæ & impostura abesserent, simplex enim mendacium facilè tibi condonarem.

EPIST. DECIMÆ Confutatio.

I. CAllidissimam, inquis, Jesuiticæ disciplinæ industriam hæ literæ retegent, confessionis scilicet lenimenta, quibus homines allicuntur, & submovetur nemo: & in hanc rem citat librum cui titulus est, *Imago primi sæculi, pag. 401. & lib. cap. 2.* item *lib. 3. cap. 8.* ubi hæc pia & religiosa calliditas, & pietatis solertia ab autore libri agnoscitur. his artibus, inquit, alacriùs nunc purgantur crimina, quàm committuntur; plurimique vix citiùs mortua contrahunt, quàm eluunt; nec sunt exiguo numero salutares illæ versutiæ, ut Fabulinus ille ultrò fatetur, quibus illa duriora Sacramenti Pœnitentiæ lenimentis molliuntur; nimirum pudor in confitendis peccatis confitendis; in exprimendis circumstantiis negligentia; obeunda pro peccatis pœnitentia; concipiendum non peccandi propositum; occasionum, quibus ad flagitium trahimur, fuga; dolor denique de peccatis admissis; in his potissimùm mollendis Jesuitarum, inquit, desudavit industria, cui prospero eventu; nihil enim acerbum in his sacrificium,

II. Tan

II. Tam falsa & calumniosa sine stomacho refutare non possunt; & ut ab eo libro, cui titulus, Imago primi sæculi, ducam initium, citas illius pag. 401. non in vernacula, tum versione Latina; sed ibi nihil eorum prorsus, quæ fingis, invenio; provoco omnes, qui vel legere sciunt; ad pœnam libri, ut vulgo in scholis dicitur; ut vel inde omnes intelligant, quàm sis homo nullius fidei, frontis prætiosæ, ac perditæ conscientiæ. Citas deinde, eadem fidelib. 1. cap. 2. in quo etiam nihil eorum, quæ ex eo loco excerpta, Italicis, ad luculentam distinctionem, characteribus descripsisti; consule, mi lector, librum illum, & si quidpiam eorum, quæ scribendo imponit reperias, tum certè audire vere immortalium mendacissimus: citas denique lib. 1. cap. 8. ubi non invenio piam illam, quam altè mentitus, Societatis calliditatem, religiosam illius astutiæ solertiam; ibi enim dumtaxat, parcissimè licèt, auctor recenset maximum illum concursum & pœnitentium turbam ad sacram exhomologesin accedentium, quem tantum fuisse, refert, primis solenniores anni dies, & principem Festum omnium vix discrimen appareat; *alacriùs*, inquit, multò atque ardentius scelere jam expiantur, quam ante solebant committi; quis hoc amabo negare ausit, qui concursum illum pœnitentium sacra tribunalia obsidentium aspiciat? nihil jam nostrum, nihil hebdomadaria expiatione mortificatum est magis; plurimi vix citiùs macerant contrahunt, quàm eluunt; id est, vix peccare, cum statim ad peccati remedium confugiant: ibi ergo de frequenti Sacramentorum usu ab hominibus Societatis inducto hic Auctor agit: illudne accepisti, & eò te contractum odium adversùs Societatem induxit, ut Latinè vix intelligas? sed illud maximè te pupugit, quod institutum vestro & regulis vestris nihil opponatur magis, quàm frequens ille Sacramentorum usus; quid mirum igitur, si Jesuitas odio prosequi & dilaniare cessas, qui velis, nolis, ad salutem fidelium & publicam totius Ecclesiæ gratulationem, usum illum feliciter induxerunt.

III. In eo igitur capite tantùm agit auctor de frequentiore usu Sacramentorum, ut dixi, à Societate restaurato, ad quem Societas, ab incunabulis fidei ubique hortata est, & in eo jam inde ab ortu suo tota fuit, ut Christianum Orbem accenderet amore tam utilium animis præsidiorum, ubique obtinuit privatis congressibus, scriptis libris, rudium & vulgi, per conciones & catecheses institutione, sodalitatum erectione, decenti sacrorum tractatione, assiduaque mysteriorum, quæ commendabat, administratione: at quo successu bona, (ita prosequitur auctor) quo nec maiora sperare potuit Societas; quantus ubique concursus, quam impar numero fuit operosa Confessariorum sedulitas, adeo in plerisque Societatis aliisque templis obsessa perpetuo affluxu sacra Tribunalia alacriùs multo atque ardentius scelera jam expiantur, quam ante solebant committi, ut supra dictum est. Quid quæso hîc non pium, non sanctum, non unum? subdit auctor illustrium virorum testimonia, Valentiæ scilicet, S. Thomæ de Villa-Nova; Romæ, Cardinalis Baronii, qui urbanum Societatem templum Anastasiam appellare non dubitavit; & alibi, aliorum; quamquam in re notoria, testibus non indigemus; illud porro, ut dixi, vos altè pupugit, qui frequentem Eucharistiæ & Pœnitentiæ usum è medio tollere voluistis; quid enim aliud libri vestri, institutiones & catecheses vestræ, documenta & exempla vestra! neque id sanè Jesuitis modicæ laudi & gloriæ vertendum, quod in omnibus sint vobis oppositi; non modò in sacra fidei & morum doctrina, verùm etiam in modo & methodo agendi, orandi, dicendi, scribendi, docendi, in Rhetoricis, Geometricis, Logicis, Physicis, Theologicis, cæterisque omnibus; Polus Polo magis oppositus non est, quàm Jesuitæ Jansenistis, & hi vicissim illis contrarii; utra vero pars melior, Deus scit, omnes verè Catholici sciunt, Ecclesia multis constitutionibus definivit.

IV. Quod ad pudorem supra memoratum pertinet, trium benignarum opinionum lenimentis à Jesuitis illum satis molliri, Fabulino tuo suggeris; prima est Escobarii, docentis tract. 7. exam. 4. cap. 7. posse quem ordinario Confessario aperire peccata venialia, postquam alteri mortalia jam aperuit, ut bonum nomen apud priorem retineat, modò tamen pœnitens ob hac causam in occasione peccati mortalis non maneat, nec facilius peccatum admittat, vel remedium necessarium ab ordinario dumtaxat adhiberi queat: ita sentit Escobar, & citat in hanc rem Suarez, ita est, Suares hæc habet tom. 4. in 3. p. disp. 21. sect. 1. num. 13. ubi pro hac opinione citat Navarr. in summ. cap. 21. n. 42. & refutat Sotum qui dicit, esse hypocrisim & mendacium virtuale; sed profectò ibi non est per se loquendo peccatum mortale; cum nec sit contra integritatem confessionis, nec contra veritatem, nec contra ullum divinum, vel Ecclesiasticum præceptum; qua enim lege tenetur homo, qui sui juris est, uni potius, quàm alteri confiteri? statuo enim utrumque ritè approbatum debitam jurisdictionem, tum in personas, tum in casus habere; deinde nihil falsum adstruit; igitur non mentitur, sed utitur jure suo, idque absque ulla hypocrisi, quæ semper cum malo fine conjuncta est, & obducta boni specie malum operatur: quasi verò quisquis nomini suo consulit, utens jure suo, hypocrita censendus sit? vos certè non ita, qui obtento illo restaurandæ Theologiæ moralis ac reformandæ Ecclesiæ zelo, errores vestros ab eadem Ecclesia damnatos, blasphemias vestras obtegere & inaurare impensè satagitis: hæc communis quædam omnium hæreticorum & schismaticorum vox est & hypocrisis; nihil nisi reformationem & abusus Ecclesiæ crepant; sed hypocritæ, ejurate primùm errores vestros, indemnemque fidem servate, ut de restaurandis & restituendis bonis moribus deinde cogitetis. At, ne quid dissimulem, consilium vestrum palam compertum est, summum rigorem ad usum Sacramenti pœnitentiæ accersere voluistis, ut ea difficultate homines territi ab eo arcerentur: hinc non tantùm errores circa divinam gratiam & liberum arbitrium ab heterodoxis, fœderatis vestris accepistis, sed cum iis etiam, circa Sacramentum pœnitentiæ, vos sentire, multa persuadere videntur, 1. loco perfectæ charitatis & contritionis actum in hoc Sacramento desideratis; longam deinde per aliquot menses & annos pœnitentiam præmittendam esse, ducitis, omnino implendam, antequam pœnitens absolvatur; absolutionem demùm Sacerdotis meram declarationem esse vultis, Ecclesiæ nomine factâ, quæ declaret, Sacerdotis ministerio, sibi factum esse satis, eamque pœnitentiam videri, quâ Deus ad

miserandum commoveatur : hæc præcipua sunt doctrinæ vestræ, circa hoc Sacramentum, mysteria, quamvis illa ore tantùm semiaperto, & furtiva quadam expressione declaretis.

V. Secunda sententia ejusdem Escobarii est, & eodem loco tradita, nimirum posse quem in confessione generali aliquod peccatum mortale ab ultima confessione patratum inter alia peccata, etiam non monito Confessario, aperire ; quamvis multa emendaveris in Latina versione, quæ in vernacula Epistola peccaras, multa tamen non emendasti ; verba illa, *rubore quis afficitur, de aliquo crimine* &c. Ut apud Escobar. citatum in Princip. exam. 2. n. 75. non iuvenio : equidem tract. 7. exam. 4. num. 7. hæc habet, *addo, facientem confessionem generalem, & nolentem manifestare, se aliquod peccatum ab ultima confessione admisisse, posse illud inter alia peccata prius confessa aperire ; sic Lugo & alii.* Ita est, Lugo tenet hanc sententiam tract. de pœnit. disp. 16. sect. 2. §. 1. pro qua citat Bonacin. Villalob. & verò, licèt illam in praxi non probem, nullam tamen gravioris censuræ notam inurere ausim ; nimirum in rigore Theologico ; quo enim præcepto, qua lege id vetatur ? præsertim cum multi eam defendant apud Dian. immo Dicastill. de pœnit. disp. 9. dub. 2. §. 6. pro ea, præter appellatos, Suar. Sanch. Conink, sed meo judicio, perperam, citat ; Martinon de pœnit. disp. 50. sect. 1. n. 16. & multi alii, plerique Jesuitæ, quibus adhærendum esse, puto, secus sentiunt.

VI. Textum Baunii, quem statim subnectis ità corruperas in vernacula, ut vix eum quispiam norit ; in Latina emendasti, quamvis multa reticueris, sed nihil refert. Itaque Baunius tract. de pœnit. quæst. 15. dub. 12. docet, non teneri pœnitentem ex natura rei, consuetudinem peccandi confiteri ; pro quo citat Sanch. Diana p. 1. tract. 7. resol. 15. pro hac sententia sex alios auctores citat ; Leander 1. p. tract. 5. dub. 18. quæst. 21. hanc sequitur & citat multos in hanc rem : sed communis est Jesuitarum sententia, pœnitentem de consuetudine interrogatum teneri ad respondendum ; ea praxis, inquam, Jesuitis passim communis est, ut Confessarius, qui non Judicis modò, verùm etiam Doctoris & Medici personam sustinet, de consuetudine pœnitentem interroget, si vel ad medicinam, vel ad institutionem pœnitentis id necessarium esse, rationabiliter judicet ; non tamen ex natura rei, statuta semel illa sententia satis communi atque recepta, quam multi docent, circumstantias scilicet aggravantes, quæ speciem non mutant, non esse necessariò aperiendas : at ubi pœnitentem Confessarius interrogat ; hic haud dubiè respondere tenetur, nisi fortè vir apprimè doctus & peritus esset, & prudenter censeret, in eo casu se minimè teneri ad respondendum ; hoc autem interdum accidit, sive ex insciția, sive ex imprudentia Confessarii : v. g. si quis ex pœnitente, conscii nomen rescire vellet, hic certè, non supertè quidem, sed cum Christiana demissione respondere deberet, se super hoc respondere non posse : ut igitur Medico jus non est, de iis ægrum interrogandi, quæ ad curandum morbum non pertinent, & circa quæ ars Medici minimè versatur, ita nec Confessario pœnitentem de iis quæ ad hujus Sacramenti materiam non spectant : cum autem præsens ægri status, vel morbus varius sit, pro diverso decubitus die, ideo Medicus, ut morbi curandi rationem probè noscat, diem illam rescire debet ; sed non ita Confessarius, cujus muneris est circa præsentem materiam, id est, circa peccata commissa artem suam, operam suam, ministerium suum exercere ; id est circa peccatorum speciem & numerum, unde cum habitus, vel consuetudo nec ad speciem, nec ad numerum peccatorum pertineat, certè ad materiam hujus Sacramenti non spectat : ubi tamen Confessarius rationabiliter judicat, eam vim & rationem morbi spiritalis esse, quæ singulare remedium postulet, ac proinde nosse debeat, an habitus insit, necne, communis est Jesuitarum sententia, pœnitentem habitù illo interrogari posse, ac respondere ad interrogata teneri ; immo Cardinalis de Lugo de pœnit. disp. 14. sect. 10. num. 172. asserere non dubitat, oppositam sententiam esse contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti ; quare hanc Baunii opinionem reprobandam esse duco, nec in ea sententia Baunium filio pio defendendum, quam Jesuitis perperam affingis.

VII. Ad secundum venis, nimirum ad necessitatem exprimendis circumstantiis diligentiam ; & circa hanc rem Escobarium, rectè quidem, cum auctore teneat, circumstantias notabiliter aggravantes, sed non mutantes speciem, non esse necessariò in confessione aperiendas, non tamen habet illiterate, quæ ipsi affingis, loco à te citato, in princip. fin. exam. 2. n. 39. v. g. inquis, *furti quantitas*, cum ipsemet Escobarius diserte ibidem excipiat circumstantiam quid ; si attingat quantitatem, ac veluti integrum objecti ; v. g. *si quis* 10. *millia furaturit* ; manifesta igitur, pro more, calumnia est, quod autem valde communis sit eorum sententia, qui docent, circumstantias aggravantes non esse necessariò aperiendas, testatur Sylvester verb. confessio num. 10. q. 9. qui citat in hanc rem SS. Thom. & Bonavent. pro hac citavi alias Vasq. Navarr. Zinard. Serram, Lugo, Albert. Magn. Durand. Diana p. 1. tract. 7. resol. 1. & p. 5. tract 4. resol. 67. item tract. 14. resol. 85. allegat pro hac sententia 38. auctores, eamque probabiliorem esse docet D. Th. in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. *hoc probabilius est*, inquit ; & et ejus schola Can. Cajetan. D. Antonin. Sylvest. Sum. Zenard. Turrecrem. Armill. Tabien. Martinez de Prado Acat. Velasc. Medin. adde Paludan. & multos alios ? quamvis multi ex Jesuitis oppositam sententiam teneant, ut Suar. Valent. Sanch. Coninck, &c. in hoc autem, ut dicam, quod sentiam ; Confessarii prudentia maximè desideratur ; cum enim circumstantiæ ideo tantùm aperiendæ sint, ut status conscientiæ pœnitentis Confessario pateat, non tantùm quo ad remissionem peccatorum, verùm etiam quo ad curationem vitiorum, aliter cum viro docto ac perito se gerat, oportet, quàm cum ignaro, rudi & imperito ; nempe ille rectè novit, quæ medii suis morbis & animæ suæ adhibendum sit, quid noceat, quid juvet, apprimè tenet ; modò quem admodum æger, cui certum & prompt esset remedium, ad curandum vulnus inficiat, frustra illud Medico aperiret, ac præsertim, si quid pudoris in esset, ita prorsus, quisquis alicujus vitii morbum contraxit, modò in Sacramento pœnitentiæ admissa peccata ritè exponat, apponitque totam illam materiam necessariam, aut sufficientem, in quam forma quadrat, speciem scilicet & numerum peccatorum, modò sit doctus & peritus, suo munere defunctus esse videtur : nec vitium illud curandum Confessario manifestare teneatur, cujus

ens curandi ut voluntatem habet, ita optimam rationem callet: quare, ut dixi Confessarii prudentia summè desideratur, qua scilicet pœnitentem remissum à peritum ab imperito discernat.

VIII. Unde non erat, quod in hac quæstione adeò severum ac tetrum censorem ageres, cum utrasque partes insignes habeat defensores; in quo tuam stultitiam ridendam exponis; malitiam tamen & fallacias artes, quod multa Escobario affingas, quæ apud eum non habet, v. g. quod jam supra innuit, de furti restitutione, de jejunii violatione, de divinatione, de quibus nihil tale ibi Escobarius. Sed fœdissimè Reginaldo imponis, quasi dixerit, non teneri divinationem exprimere, *an divinaverit cum pacto dæmonis, nec ne; quia hæ circumstantiæ non mutant speciem*: ô nequitiæ! cur ne falsas auctorum loca? non legisti omnino Reginald. qui hæc tantùm habet, lib. 6. cap. 4. n. 11. *Si quis peccaverit in divinando, satis est si dicat, se commisisse peccatum divinationis, neque necesse est, addere, utrum per pyromantiam, iterum per hydromantiam, ac denique per necromantiam; quia scilicet diversitas illa specifica horum peccatorum est tantùm in genere naturæ, non vero ratione malitiæ moralis.* Reliqua imposuisti, quid docuisset hic auctor, divinationem illam, quæ fiebat pacto dæmonis, expresso scilicet, ab ea, quæ non differre, quæ sine illo pacto fit. Pari modo fingendes imponis hæc verba, *non tenetur quispiam confiteri raptus aperire si virgo consenserit*; contrarium docet hic auctor, de præcept. Eccles. lib 4. cap. num. 17. audi ejus verba, *erit tamen injuria raptus respectu parentum, necessariò in confessione dicenda, quamvis sponte consentiat*, &c. Quid magis differendum potuit? unde in Latina versione cautè omisisti tionem; ne falsitatis convinci posses, quam tamen in vernacula appellasti. Non te pudet, impudentissime? puderet sanè toties in flagranti deprehensum, nisi pudorem omnem exuisses.

IX. Nihil dico de Claromontanis thesibus, quia illarum extant, ac proinde rectum de iis judicium ferri nequit; si enim libros editos & qui prostant, non impunè falsas, licèt falsitatis palam convinci possis, quid non facies in thesibus, & scriptis, aliisque hujusmodi, quæ non extant, & in quibus longè plura fingere potis es: quanquam, grande scelus pœnitentis non est, si cùm pœnitentiam, quam ipse justorem judicat, acceptare nolit, à Confessario reddat, quod in his thesibus (ut ais) culpæ non vertas; si enim Confessarius pœnitentem, quem minùs dispositum esse rationabiliter judicat, sine absolutione jure dimittit, cur pœnitenti, qui rationabiliter putat, impositam pœnitentiam justa gravorem esse, recedere non licet? ponamus, aliquem velle ex Confessariis disciplinæ vestræ ac novi rigoris amatum accedere, qui pro pœnitentia mihi injungat, ut per aliquot menses jejunet, & ligneos calceos excavare, seu formare discat, aliaque hujusmodi, ut his peractis, absolutionem deinde impertiatur; an fortè miserum illum magni criminis reum esse dices, si modestè ab eo Confessario repetat? cur igitur Claromontanas theses, in quibus ut disputandum pro more proponitur, quadam horrendum quoddam impietatis programma tradunt, imponis etiam Escobario, quod opinionem illam defendat, qui tamen oppositam docet tract. 1. exam. 4. cap. 7. his præcisè verbis, *est ne absolvendus pœnitens, nolens pœnitentiam satisfactoriam sibi à Confessario impositam acceptare? cum Suar. & Vasq. assero, non esse absolvendum; quia sub onere peccati mortalis illam debet acceptare*; hæc autem ibidem addit; *quid si affirmet pœnitens, se velle purgatorii pœnas subire? levem pœnitentiam adhuc imponat Sacerdos*; id est, non dimittat pœnitentem sine aliqua pœnitentia, saltem levi, præcipuè si cognoscat, eum gravem minimè acceptaturum; nimirum ad integritatem Sacramenti. Sed quid in his tandem? quasi verò prudens Confessarius aliquid, quo ad hoc, benignè indulgere non possit, & nonnihil, modò lutegrum restet Sacramentum, de graviore pœnitentia remittere, his præsertim temporibus, in quibus copiosæ Indulgentiarum opes ex thesauro Ecclesiæ ubertim affunduntur. Ut ut sit, Diana p. 3. tract. 4. resol. 51. appellat 17. auctores, omnes scilicet ex Societate, præter unum & alterum, asserentes, negandam illi esse absolutionem, qui justam & rationabilem pœnitentiam recusat; decem verò citat, pro sententia opposita, nullum fere ex Societate.

X. Sed quid rei? quid tam solliciti estis, & illa omnia impensè accumulatis, quæ hujus Sacramenti usum gravem & valde difficilem reddant? latet anguis in herba; sincero & catholico zelo vos minimè duci, satis compertum est; hæ sunt, ut mitissimè loquar, disciplinæ ac Theologiæ Pharisaicæ leges; illa sacra auri sacrilegi fames, sacrilega pectora vellicat; gravia, immo gravissima imponitis, ut deindè largis eleemosynis, quarum dispensatio Jansenianæ fidei creditur, commodo vestro redimantur; quod maximè illud evincit, à te assertum, ante absolutionem, dispiciendum esse, utrùm Christus illos solvat in cælo, quorum in terra Confessarii vincula relaxant: sat video, quò spectes; alludis enim ad errorem illorum, quem tu & tui amplexi estis, nimirum à Christo dumtaxat peccata in hoc Sacramento remitti, non verò à Confessario; à quo tantùm declaratur, à Deo remissa esse; aut saltem pœnitentiam ad eum finem impletam, sufficientem videri: Lutherani hæc ultro concedant. Locus ille Filliucii, quem valde laudas, & quem miraris, auctoris Societatis esse, reliquis omnibus Jesuitis communis est; nemo enim catholicus dicat, indignum, id est minimè dispositum absolvendum esse; neque illum, quem Confessarius prudenter judicet, à Christo damnari: nec est, quod mireris & exclames, multum inde terroris incuti Confessariis, nam Confessarius prudenter judicat, illum rectè dispositum esse, qui confessione integra & contritione saltem imperfecta, quam attritionem vocant, & proposito non peccandi præmissis, modò non sit in proxima & voluntaria occasione, humiliter absolvi à Confessario postulat; nec obstant ea, quæ citas ex Filliucio, & quæ ille, inquis, ex Suare syllabatim exscripsit; nimirum Confessario satis esse debere, *quando non habet sufficientia signa doloris, debet interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur & si affirmet, potest & debet credere*; ita est; hæc habet Filliuc. tom. 1. tract. 7. num. 355. & Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 32. sect. 2. num. 2. sed quid inde? hîc enim supponitur abesse, quodvis signum præsentis erga peccatum affectus: vis autem pœnitenti à Confessario fidem habendam non esse, quando ille asserit, se dolere ex animo de peccatis, & nolle amplius peccare; nec illius verba tanti ponderis esse, ut unico illo signo mens ad assentiendum cogatur: parce, mi homo, Theologicis argumentis, quorum imperitissimum ex ore tuo te prodis; tracta quantum voles, Geometrica, & abstine ab iis, quæ ignoras; quasi verò Confessarius cogi & certus esse

debeat de dispositione Pœnitentis; satis est, & plusquam satis, si probabiliter de illa judicet. Pœnitens genuflexo, solito more, ritu, ac situ, quo humili pœnitentiæ affectu se duci, testatur, aperit peccata sua, non sine rubore ac pudore, de iis se dolere pariter declarat, & proponit firmiter ab iis in posterum abstinere, abest omnis occasio peccandi, nullum apparet præsentis erga peccatum affectus signum; nihil sanè restat, quod prudens Confessarius desideret.

XI. Lepidus porro es; vis Confessarium Pœnitenti sese accusanti plenissimam habere fidem, eam tamen detrectare dicenti, se dolere de peccatis, & proponenti ultra non peccare; quo quæso motivo & qua ratione duci potest, ad credendum pœnitenti, dicenti, se peccasse, qua etiam non ducatur, ad credendum eidem, dicenti, se plurimum dolere de peccatis, & statuere apud se non peccare in posterum? non dico, dicenti, se non peccaturum, sed quod satis, se habere propositum non peccandi; nec enim necessarium est, ut Confessarius sibi persuadeat, pœnitentem ultra non peccaturum; in quo luculenter hallucinaris; sed ut, de præsenti, doleat de peccatis, & sincerè illa exponat, ac demum proponat in posterum non peccare: & hîc immeritò Suar. Filiuc. Baunium Sugillas, hæc tria est & communis omnium doctrina; pœnitens materiam hujus Sacramenti ponit, dolorem scilicet interaum, sinceram confessionem & firmum non peccandi propositum, modò absit omnis erga peccatum affectus, & omnis occasio proxima peccandi, nihil aliud à pœnitente desideratur; nempe satisfactio, seu pœnitentia, ut vocant, non est præmittenda; & hæc est vera, constans & fortis pœnitentia, cujus Petavius, quem citas, meminit: velles lacrymas, jejunia, cilicium, cineres ejulatus & planctus; hæc omnia probo, laudo, gratulor, si adsint, at si absint, modò adsint reliqua omnia, quæ supra commemoravi, quæ scilicet materiam hujus Sacramenti constituant, nemo citra errorem, modò Confessarius suas partes agat, justam imponat pœnitentiam, & solennem formam ritè pronunciet, nemo, inquam, citra errorem dicat, Sacramentum irritum esse.

XII. In hoc articulo, erratis, sat scio; & præsentis Ecclesiæ usum, quo ad hoc, diserte damnatis; sed est, quod ab Ecclesia, quæ vestros errores damnavit, legitimum Sacramentorum usum, non verò ab Hæreticis, quales profectò vos estis, sacramentariis non impares, discamus & accipiamus: unde frustra carpis Baunium, Cauſſinum & Th. Sanch. eo quod doceant, adolescentes, quos verè peccasse pœnitet, & qui emendandi se propositum habent, absolvi posse, quamvis alioquin peccandi consuetudinem habeant, & rem totam prudentiæ Confessarii relinquendam esse: hæc sanè tolerare non potestis; quia usui Ecclesiæ congruunt, qui vestris erroribus adversatur, quibus hoc Sacramentum misericordiæ in crudelem animarum lanienam convertere hactenus voluistis. Sed cur Jesuitas dumtaxat ea propter in crimen vocatis, qui communes circa hoc Doctorum sententias sequuti sunt, & restrinxerunt potiùs, quàm relaxarunt; illud enim dumtaxat, etiam Baunius & Escobarius; sacramentalis absolutionis beneficium rectè disposito negandum non esse; rectè autem dispositum censendum, qui confessionem integram, contritionem saltem imperfectam, & firmum non peccandi propositum præmisit; quid enim aliud Christus? quid Ecclesia? quod enim spectat ad frequentes lapsus & recidivas, rem prudenti Confessario prædicti Societatis Auctores pensandam relinquunt, utrùm scilicet dictum propositum in eo casu præsumi possit; unde nemo negat, interdum Confessarium prudenter facturum, si absolutionem differat, illud tamen maximè procurare debet, ut pœnitens annuat, & demissum illum contriti cordis & animi sensum, à Deo interim obtineat. Itaque Confessarius rectè dispositum pœnitentem absolvere potest, licèt futurum non speret, ut is ab hoc, vel illo peccato, cujus habitudinem contraxit, omnino & statim abstineat; accedit ad me adolescens, ejulo, contrito, non sine lacrymis & ejulatu, sed cum habitu inveterato turpis alicujus vitii, & vix speare possum, ut is, temporis momento, ab eo vitio liber evadat, quem tantùm sensim sine sensu exuere potest; promittit tamen & obtestatur, se diligentem daturum operam, divina scilicet gratia fretum, qua eo liberet sese, lubensque acceptat inculcata sibi; me remedia, huic animi morbo curando ac depellendo idonea; scio deinde, longè uberioris gratiæ subsidia amicis, quàm inimicis à Deo conferri, nimirum iis, qui divina gratia & justitia pollent, quam iis, qui lethali noxæ obstricti tenentur: unde rectæ consequutione deduco, adolescentem illum, si emendicatur, longè infirmiorem fore, ad tentationem illam superandam, & pravum habitum abigendum; robustiorem verò & valentiorem, si absolvatur, quid faceremus in hoc rerum statu? an putas, grande peccatum à me admissum iri, si adolescenti sacramentalis absolutionis beneficium impertiar, & divina gratia perfusum dimittam? si animam illam peccati lethanæ vinculis exolvam, & Christo lucrifaciam, seu verius restituam? Crede mihi, hoc Sacramentum non est laniena quædam, ut vultis, sed dulce lavacrum, ex lacrymis pœnitentium & Christi sanguine commixtum, in quo Christi oves à variis peccatorum morbis curantur: non nego tamen, cum recta Confessarii prudentiæ relinquatur, expedire interdum, adolescentes, annuentes scilicet atque volentes dimitti, ac præsertim si recentes sunt lapsus, & cor parum contritum & humiliatum præseferant, non sine pia hortatione & catecheſi, qua res illi doceantur, quæ ad spiritum illum compunctionis acquirendum necessarias, vel opportunas prudens Confessarius judicabit.

XIII. Mentitis autem imprudentissimè, cum dicis, à Jesuitis suis pœnitentibus permitti, ut in occasione proxima peccandi maneant; quasi verò ex his verbis à te relatis & excerptis ex libro, cui titulus *Imago primi sæculi, id Societati nostræ propositum est, ut virtutes inserat, vitia revellat, magnos se animarum manes præstet utilem*, rectè deducas, Jesuitæ igitur sua pœnitentibus permittunt, ut in proxima peccandi occasione vivant; nunquam Baunius, nunquam Escobarius hoc docuerunt; quænam verò proxima peccandi occasio dicenda sit, multi disputant; nemo tamen negat, illam esse, in qua ut plurimùm delinquitur, & vix de millibus unus, si fortè in illa manet, abstinet à peccato; si ergo raro in ea delinquitur, proxima non est, sed remota; alioquin nullus sit vitæ status, in quo, raro saltem, omnino non delinquatur, quilibet status occasio proxima diceretur, quod vel cogitatu absurdum est; quod si autem raro, vel crebrò delinqui, non tuo, sed piorum, prudentum, & peritorum judicio definiendum est, nempe per comparationem quamdam usurpatum hæc voces: quisquis singulis fere diebus peccare solitus erat, si deinde semel tantùm in hebdomada, dicimus illum rariùs cadere; ac deinde si semel

in men-

mense, adhuc rarius; ac demum si semel iterum-que singulis annis, longè rariùs eum peccare dicimus: unde cum valde pauci sint, qui Sanctæ Mariæ Magdalenæ exemplo, temporis momento, singulari divinæ gratiæ prærogativa, à pravis omnibus habitibus & vitiis liberentur; reliqui pedetentim ac sensim, ut dixi, sine sensu, curandi & liberandi; si adolescentem, qui singulis diebus admittere hoc vel illud peccatum solitus est, eò primùm inducam, ut semel tantùm in Hebdomada, ac deinde semel in mense, ac demum semel in anno illud admittat; longè facilius ab eo morbo curabitur; quis enim dicat, pravo illum habitu teneri, qui semel in anno cadit? sed de occasione proxima jam dixi aliàs, in exhortatione Epistolæ V. puderet in hoc vos imitari, qui centies & millies eadem regeritis; geminæ sunt, at nonnemo verè quidem, quamvis per jocum illuricæ vestræ adeo decantatæ figuræ, calumnia licet & repetitio? sine igitur Escobarium, Filiutium, & alios, qui nihil aliud docent, nisi quod occasio proxima non sit, in qua rarò delinquitur: quamquam, ut jam sæpius dixi, Baunii & Escobarii pravis doctrina moralis Societatis censenda non est, constat tamen, longum illum Baunii locum à te incomposi, consui, proponi, extendi, & imminui, immo, ut Baunium in Baunio minimè inveniam, ne Baunii doctrina non appareat, quæ in eo tantopere posita est, quod aliquis possit salutem suam perpetuo exponere, pro juvando proximo & illius salute procuranda, *ex justa scilicet & urgente causa* ait Baunius, cur hæc omisisti, quæ Baunius habet tract. de pœnit. q. 14. col. 1. vers. *etsi jugum*: hic tamen cohorrui, inquis, ô nequam; errores tuos, calumnias tuas, reipsum abhorrere & abominare deberes; nulli enim hoc loco horrores, præter errores tuos, blasphemias tuas, quæ omnibus verè Catholicis horrorem sunt.

XIV. Sed magnum statim Theologum agis & opponis ac defendis illorum opinionem, qui negant, attritionem, etiam voluntati non peccandi conjunctam satis esse cum Sacramento, & dicunt, contritionem perfectam, ut necessariam ad Sacramentum omnino requiri. Tuam istam opinionem non damno; quia decreto, vetitum est; eodem tamen declaratum, oppositam sententiam communiorem & probabiliorem censeri, ac proinde in ipso tutiam: huic decreto nobis, standum est; nemo quam nostram sententiam damnet, quam communiorem esse constat; utere quantum voles, tua, cujus momenta non pondero, per me licet, at sine quoque nostra uti: nisi obstaret decretum, longè durius tecum agerem, sed dum res definiatur, intra hos fines me contineo. Locum porro, quem ex Suario excerpsisti de pœnit. disp. 15. sect. 4. n. 17. ita consuisti, more tuo, & adulterasti, quasi hæc sententia Suarii esset, quam tamen vir ille doctissimus n. tantum 19. explicationem enim à se ipso dicit, illam sententiam de attritione, quæ cum Sacramento sit satis, communem & antiquam non esse; alioquin sibi contradiceret, cum disp. 20. sect. 1. n. 9. pro ea citet D. Th. Scot. Palud. Capreol. Durand. S. Antonin. Sylvestr. an fortè illi auctores antiqui non sunt, & illa sententia communis censenda non est, in qua D. Thom. Scot. Durand. conveniunt? Suares autem eo loco, quem tu loquitur de articulo mortis, in quo vult, hominem teneri, saltem ex præcepto positivo & particulari charitatis, elicere actum dilectionis Dei super omnia, vel quod proinde est, quo ad hoc, actum perfectæ contritionis; quem scilicet, inquit, Sanchez elicere queat, si vellit; sic enim loquitur Sanch. in decalog. lib. 1. cap. 9. n. 35. non 39 ubi statuit hominem in articulo mortis, qui cognoscat, se non habere, nisi attritionem; & si velit, se posse actum contritionis elicere: peccat, inquit Sanch. in eo casu, nisi eliciat; putabat Sanch. non esse omnino certum attritionem cum Sacramento satis esse, ac proinde illum teneri credidit in articulo mortis actum contritionis elicere, quem scilicet divinæ gratiæ subsidio à se, si velit, elici posse, cognoscit.

XV. Attritionem hujus Sacramenti materiam sufficientem esse communis fere omnium Theologorum vox est; pauci enim refragantur; illud tamen observandum est, inter partes non disputari, an attritio sit materia probabilis, quod certè nemo negat, sed an sit certa; ego cum probabiliore & communiore sententia, certam esse, dico; si enim probabilem tantùm esse, putarem, illâ profectò uti non possem, nisi in eo casu, in quo contritio haberi non posset; hæc quippe omnium Sacramentorum communis regula est; teneo igitur, certam esse materiam, & hoc mihi, saltem probabilius est; certum dicerem, si per decretum liceret; certum tamen est usum illius tutum esse & ab omni peccato liberum; alioquin nisi usus sit certò tutus, esset tantùm materia probabilis; ac proinde sine peccato adhiberi non posset: dum igitur Ecclesia rem istam definiat, quod multis necessarium esse videtur, ad tollendas subortas lites, arcendumque scandalum populorum, licèt opinionem contrariam damnare non possimus, tenemus tamen, nostræ usum certò tutum ac securum jure censeri. Falsum porro est, quod dicis, privatam illam de attritione opinionem, quacumque terrarum à Jesuitis dispersam fuisse; nam præter illos, quos appelavi supra, Sylvest. Can. Ruard. Ledesm. Navarr. Bonacin. Trullenc. Villalob. Rodrig. Zambran. Nugn. Medin. Leander Diana aliique fere omnes si valde paucos excipias, illam tenent, & Jesuitæ non sunt: his adde omnes auctores Societatis Bellarm. Tolet. Lug. Suar. Vasq. Valent. omnes, omnes, uno dempto: immo plerique, qui ante prædictum decretum scripserunt, ut Lugo, Dicastill. aliique oppositam probabilem esse, negant, quod tamen post decretum, negari non debet. Quod addis, ex Fagund. Granad. Escobario, pœniteutem in articulo mortis cum attritione etiam cognita confessum non teneri ad actum contritionis, præcisè scilicet, ad validum Sacramentum; ita est; appellati auctores cum aliis omnibus, si paucos excipias, hoc docent: & verò si attritio extra mortis articulum cum Sacramento satis est ad justificationem, ac proinde Sacramentum ex illa confectum validum est, quid ni amabò etiam in articulo mortis, cum ex hominum arbitrio non pendeat ut idem modò sit materia sufficiens Sacramenti, modò non sit.

XVI. Quidni etiam attritio ob malum temporale in peccati pœnam à Deo infligendum materia sufficiens Sacramenti esse possit, non video; præsertim cum dolor de venialibus ob aliud malù esse nequeat; cur igitur inde Hurtado & Escobarium corripis, cùm Deus æque temporalem pœnam ac æternam in Scripturis comminetur? Quod demum præcipuus Sacramenti pœnitentiæ effectus sit remissio peccatorum & justificatio peccatoris, nemo profectò negat; unde Valentia rectè concludit, hoc Sacramentum præcipuo illo effectu semper carituram, si perfecta contritio præmittenda esset; quanquam remisso interdum per contritionem peccato, Sacramen-

tum alio effectu non caret, eoque maximo, cum scilicet novum gratiæ gradum producat; quid porro in his censura dignum sit, divinare non possum: Attritionem autem naturalem ad Sacramentum validum, satis esse, multi revera docuerunt ut Bonacin. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3. n. 12. & q. 3. punct. 2. n. 9. ubi citat Ledesm. Castr. Navarr. Capreol. Cajetan. Richard. Sylvest. Victor. item aliqui ad effectum etiam Sacramenti, ut Sot. in 4. d. 18. q. 3. a. 3. Can. relect. de pœnit. p. 5. in quam sententiam Valent. & Hurtad. inclinare videntur; sed alii omnes Jesuitæ secus sentiunt, nimirum Suar. Vasq. Molin. Granad. Castr. Pal. Conink Reginald. Lugo Dicastill. quòd verò inde sequatur, ut dicis, sine gratia supernaturali mereri quempiam posse absolutionem ineptum est, & ferula dignum; rem istam non capis, mi homo, si enim loqueris de absolutione sacramentali, stultum dictu est, pœnitentem, qui materiam Sacramenti ponit, ejusdem formam mereri; quod sine risu & sibilis Theologus profectò non audiat; si verò de peccati remissione; posita etiam illa sententia de attritione naturali, dicta remissio sine gratia supernaturali minimè fieret, ut dicis, nam gratia sanctificans infunditur, merita Christi influunt, fidei & spei actus interveniunt, ad actus concurrunt habitus, concursus Dei non deest, nec multiplex gratia actualis; vides, quàm multa supernaturalia interveniant, etiam in illa Hypothesi; nec enim opus est, ut illa omnia, quæ Sacramentum constituunt, supernaturalia sint; alioquin aqua, panis, ablutio, loquutio aliaque hujusmodi supernaturalia essent; non te pudet tantæ insciitiæ; igitur quamvis attritio ipsa naturalis esset, quia tamen cum spe venia, ac proinde cum divina fide conjuncta esse debet, immo & cum voluntate non peccandi, & amore justitiæ, inde optimè donum Dei adhuc diceretur, juxta Tridentinum, quod tamen à me non dicitur, ut velim, attritionem naturalem satis esse, nam revera supernaturalem esse, puto, qualem illam omnes Jesuitæ reputant, si forte unum, vel alterum excipias. Quod demum exprobras Valentiæ, ab eo dici, contritionem non modò necessariam Sacramento non esse, sed potiùs noxiam, quia cum peccata vi sua deleat, nihil ultra præstandum, ut habes in vernacula, Sacramento relinquit: ô nequam; quasi verò gratiam sacramentalem Sacramentum non producat, qua licet homo non justificetur, quia justus est, inde tamen magis justus, & magis Deo charus evadit; mutasti quidem, ut passim alibi, in versione Latina, in qua non dicis *nihil præstandum*, sed *nihil delendum* Sacramento relinquit; sed nunquid hoc verum non est, quo ad peccata mortalia: negabis fortè cum tuo Bajo, contritionem ea vi pollere, quæ lethales noxas expungat; sed error est ab Ecclesia damnatus: quare argumentum illud Valentiæ solvere non elevare, diluere, non eludere debueras.

XVII. Descendis denique ad præceptum divinæ charitatis, quod à Jesuitis è medio tolli, exclamas, declamas, & posito tâtisper scurrili stylo, accersitoque illo vehementi & gravi dicendi genere, quod supremum vocant, in miseros Jesuitas, quasi charitatis & divini Amoris parricidas acriter invectus, non jam ludionem, vel histrionem, sed tonantem & fulminantem Oratorem agis: sed hoc etiam scenicum; nonnulla hujusmodi audivi alias in theatro; quid enim fingi non potest? sed ad te, mi homo, qui ludum & ineptias vocas sententias illas, quas Theologi agitant, circa tempus, quo præceptum illud obligat; quasi verò *controversia magni momenti non sit*, ut Cajetan. v. *contritio* de *tempore, quo tenetur peccator contteri*; ineptum igitur non est, ut dicis, de illo disputare; tenentur homines divini amoris præcepto, non tantum effectivo, ut sic loquar; sed etiam affectivo, an singulis instantibus? minime gentium; quando-nam igitur? diversi, diversa sentiunt; tu verò quid? saltem aliquid indicare debueras; sed nihil proferis: cur igitur alios hac de re sugillas, traducisque pro ineptis & ridiculis? ita est? Theologos de hoc argumento disputantes, nugari, dicis & ineptire; rapitur D. Thom. Scot. D. Antonin. Duvallius, Cajetan. Banneæ Sot. aliique omnes nugantur & ineptiunt.

XVIII. Sed cur horrendam illam calumniam Jesuitis affingis? quod scilicet violent & deducit suis violandum exponant magnum illud mandatum, unde universa lex pendet & Prophetæ, dicant, ad salutem necessarium esse, Deum diligi: nonne Valentia disp. de pœnit. sect. 12. num. 350. hæc habet, *præceptum de diligendo Deo est omnino de jure naturæ*. Et hæc tom. 3. disp. 3. quæst. 19. punct. 1. *pro certo ponimus illud præceptum etiam, diligere*, &c. Et hæc Suar. de char. disp. 5. sect. 2. *omnibus impositum est hoc præceptum, quia hujusmodi actio est medium necessarium ad salutem*. Et hæc Mont. tract. 5. de just. disp. 59. *charitatis est aliquid præcipere præceptum* & hæc Becan. de Sacram. cap. 3. q. 2. n. 4. *datur præceptum particulare, quod obligat pænitentem ad actum charitatis*. Idem Sanch. Laym. Azor. Tanner. Castr. Pal. Maldonat. Bellarm. verbo dicam, idem omnes Jesuitæ sentiunt & agnoscunt præceptum positivum, non tantum generale, servandi mandata, sed particulare obligans ad formalem Dei dilectionem, quod licet Joann. Sanch. qui Jesuita non est, negarit, pro hac tamen opinione probabili perperam allegavit Augustin. & Bernard. item Vasq. & Maldonat; quia revera Jesuitæ omnes, etiam Sirmondus, docent, hominem hoc præcepto teneri; nonnulli ut Suar. Sanch. Comitol. Vasq. saltem in articulo mortis, qui tamen non negant, alias etiam teneri; aliud tempus alii assignant; & licet omnes de re ipsa, vel ut scholastice loquar, de substantia conveniant, de tempore tamen aliisque circunstantiis inter se disceptant, & plerique dissentiunt, cum varii varia sentiant. In tota nonnulla de hoc argumento congessi, quæ hic regerere non vacat: unum tantum adjicio; nimirum ita fere statuendum esse de præcepto positivo & particulari divini amoris, ac de præcepto positivo orationis; quod revera obligat, quoties aliquid ad salutem necessarium à Deo impetrandum est; nempe quæ sunt de necessitate medii, ut loquuntur Theologi; sunt etiam de necessitate præcepti ut est, cum Deus salutem nostram intendat, illa omnia nobis præcepit, quæ ad salutem illam obtinendam necessaria esse, voluit; orationem igitur nobis præcepit; quia necessariam esse voluit, cum ne illa, multa nobis concedere nolit, quamvis alioquin ad salutem necessaria, nisi præva oratione, ab ipso eadem impetremus; obligatur præceptum orationis, etiam per se, quoties aliquid ad salutem necessarium à Deo est obtinendum.

XIX. Ita prorsus actus divini amoris ad salutem interdum necessarius est; ac proinde divinum interdum amorem Deus nobis præcepit, nimirum pro eo tempore, quo sine illo, id præstare non possumus,

mus, quod salus propria, vel aliena postulat: nec obstat, alia lege nos in eo casu teneri, ad divinam scilicet dilectionem, nihil enim vetat, quin Deus, qui ut dilectionem, & præcepta sua refert ad nostram salutem, tunc divini amoris actum etiam imperet, cum ad salutem nostram necessarius est; ac proinde si eo tempore omittatur, duplex peccatum admittitur, nimirum contra præceptum propriæ & divinæ charitatis. Maximè profectò ita statuere, quàm aliud quidquam absque fundamento & gratis, ut ajunt, adstruere. Dabis ergo cum illo tuo pleno iniquitatis mysterio, quod Jesuitis exprobras: ita ne vero divini amoris præceptum simples, qui charitatem erga proximum tuam tam atrociter persequeris? itane charitatis Patronum agis, qui dirè illam dilaceras atque profligas, & divini amoris præconem, qui totus ex odio compactus es adversus Doctores Catholicos, ac præsertim adversus homines Societatis, & vano charitatis obtentu, odium plusquam vatinianum exercens? Judæ profectò haud absimilis, qui mero amicæ salutationis obtentu, Dominum suum osculo prodidit. Sciebas certè illorum, qui ludicræ adorationis specie, Christi faciem sputorum eluvie fœdarunt, & duræ verberandine contuderunt: ab ergo, inquam, & disce timere Deum, justum læsæ charitatis vindicem, venturumque peremptorum Hominum Judicem; quandoquidem Pœnitentiæ locus non est, & jam superest Deo rationem (sed quo eventu) reddidisti.

EPIST. UNDECIMÆ Confutatio.

I. HAc epistola in tui defensionem scripta, nihilminùs obtinuisti, quàm ut objecta tibi crimina purgares; quin admittis nova flagitia, dum antiqua eluere, seu verius eludere conaris: notatibi à Jesuitis objectata fuerant, & unum dumtaxat defensionis caput attingis; jocorum scilicet & scurrilitatis, quæ tamen tuorum scelerum supremum nomen. Sciebas, opinor, tibi ab iis oppositum fuisse, errores Jansenii ab Ecclesiâ damnatos, in quatuor primis literis, in exosam lucem à te reductos, nec non censuram Sorbonæ, quâ & Arnaldi errores ab Ecclesia jam damnatos denuo confixit, & Arnaldum ipsum cum sociis ex suorum albo expunxit, derisam imprudentissimè & joculariter elevatam; cur igitur adhuc nihil prorsus reponere voluisti? certè quia crimen illud adeò compertum & manifestum est, ut à nullo amoliri non possis, aut tibi adeo jucundum & charum, ut nolis unquam illius pœnitere.

II. Probè tenebas, te ab iis plenè convictum fuisse aperti fœderis, initi cum Heterodoxis Genevensibus, collatis scilicet calumniis & impostoris, Jesuitarum scriptoribus à te affictis, cum iis, quas Petrus Molinæus in suis, contra Ecclesiam Romanam, traditionibus, ante aliquot annos collegerat; cur tam grave utique momenti accusationis caput dissimulasti? de Garassi locus, cujus in hac Epistola mentionem facis, nimirum de signo S. Nominis Christi, quod vulgò inter Christianos sic pingitur, I H S. *quidam, inquit, inde crucem detraxerunt, & solis characteribus retentis, hoc modo* I H S. *Jesum quemdam spoliatum efformarunt*, vn Jesus devalise; illè, inquam, locus opportunam tibi occasionem præbuerat; nec ea verba, quæ ibidem sequuntur, quibus auctoris mens explicatur, & clauditur periodus, omittere debueras, *& hoc signum*, inquit, *non sine aliquo mysterio, ab omni ævo, Civitatis Genevensis typus symbolicus fuit*: impietatem eruditissimi auctoris à te creditam & supposititiam plurimùm sanè vel inde confirmasses, si nos docere voluisses, *Jesum illum spoliatum* tuæ charissimæ Genevæ fesseram gentilitiam esse, ac proinde Calvinistas vobis fœderatos furti à Garasso insimulari; quod scilicet Christum spoliarint & Jesu crucem detraxerint; Jesum amant, ita ne verò? at sine cruce; quam odio Calviniano (nullum epithetum magè appositum suppetit) prosequuntur: da gloriam Deo; locum illum data opera ita truncasti, & postremam illam partem quæ totius sententiæ coronis erat, finis & acumen, subduxisti, ne fortè vel leviter fontem illum indicares, unde tu sanè tuique errores vestros, calumnias & impostoras vestras, doctrinam denique vestram huc usque hausistis.

III. Præterea oppositum tibi fuerat, literas tuas novam quamdam farraginem esse, compactam scilicet ex antiquis illis impostoris, contentis in libro, cui titulus, *Theologia moralis Jesuitarum*, jam olim edito, & Burdigalæ senatus consulto, anno 1644. carnificis manu publicè lacerato, & flammis tradito; nullam tamen illius libri mentionem facis, quem si tui tanquam specimen artis ediderant, ut vel inde constaret, quantum profecisses in schola Petri Molinei, à quo jocandi, scurrandi & calumniandi artem didiceras; scopulum illum tacitè prætergressus, uno verbo rem expedis; *de me*, inquit, *expostulatis, quod jam olim contrà vos scripta denuo repetam*; illud saltem obiter innuere debueras, cur infamem illum libellum ex busto, seu tumulo redivivum in exosam lucem revocaris; quis te Generalem Theologiæ moralis correctorem, seu potiùs corruptorem constituerit, qui tamen neque Doctor, neque sacerdos, nec demum Ecclesiasticus es; qua de causa, relictis omnibus aliis Theologis, à Petro Molineo citatis, ut D. Thom. D. Antonin. Navarr. Jesuitas dumtaxat impugnandos susceperis, & qua arte suppressis illorum nominibus, doctrinam istorum ita depravatis & corruperis, ut vel ab iis ipsis minimè cognoscatur; Hæc sunt, quæ objecta tibi fuerant; quam justè & appositè, nemo non videt; & quæ haud dubiè ideò dissimulasti, quia nihil erat, quod reponeres: accipio igitur silentium tuum, de præmissis accusationum capitibus; pro confessione spontaneâ, qua illorum omnium convictus restas; estque, quod deinceps te omnes Catholici abhorreant, ut Calvini & Molinei discipulum, ab Ecclesia toties fulminatum; ut famosum & publicum Calumniatorem, non uno senatus consulto damnatum; ut insignem denique scurram & sychophantam, omnium sapientum judicio notatum & infamatum.

IV. Sed hunc titulum summæ gloriæ ducis; & totâ fere Epistolâ in laudes scurrilitatis effusus, nobis persuadere conaris, te scurrandi artem à sanctis Patribus, immo ab ipso Deo accepisse; multa in hanc rem scripturæ & SS. Patrum loca congeris, sed qua audacia, vel potiùs qua insania Lectorum tuorum oculis & patientia abutens, dicere non dubitas, te in literis tuis *scurrari sanctorum & Dei exemplo*? hæc enim tam in Latina versione, quàm in vernacula Epistola, quamvis in illa tam multa mutaris, addideris, detrax-

er's, ut non tam versio, quàm similis quædam scriptio videatur: postquam igitur tot falsitates excogitasti, tot affinxisti calumnias, tot falsasti loca, ut inde profanis & impiis jocis materia suppeteret, pro sancto & pio scriptore haberi vis, & infames tuas literas, id est, semultas morientis Calviniſmi reliquias nativa quædam apographa vel exempla esse, quorum Archetypum in Deo adoramus. Dic, sodes, Willelme, an Deus, qui ridet in peccatorum interitu, in extremo illo termino vitæ, Casuistas, seu morales Theologos tecum irrisurus sit, ducta scilicet derisionis materia vel occasione ab eorum nominibus, quorum syllabæ, Gallis præsertim, male concurrere & sonare videtur, & quæsiturus tecũ, utrùm illi omnes Christiani sint? an tecum mentionem quoque facturus quatuor animalium & vigintiquatuor Seniorum Escobarii, contractus moatra, Albanæ fabulæ, aliorumque hujusmodi jocorum & deridiculorum, quibus homo laicus, ut vocant, sacerdotes & religiosos Theologos excepisti? an cũ sibilis & sanis tecum explosurus gratiam sufficientem, potentiam proximã, Sorbonæ cẽsuram, Ecclesiæ fulmina & anathemata? an viris insontibus falsa crimina, doctissimis auctoribus decisiones falsas, textus adulteratos, loca truncata & musivi ad instar operis composita, ineptas responsiones à te omnino excogitatas, ut eos ridendos & ridiculos præberes, tecum affingetan tecum ridebit & scurrabitur de sanctissimis pietatis officiis in Deiparã Virginem? puta. *Beatam Virginem salutare, cum in ejus imaginem incurrimus; Rosarium decem delectationum B. Virginis recitare; Mariæ nomen frequenter in ore habere; Angelis mandare, ut ei nostro nomine salutem dicant, optare, ut plures illi Ecclesias ædificemus, quàm omnes simul Catholici Reges adhuc fecerint; ineunte & desinente die, salutem ipsi dicere; singulis diebus Ave Maria in honorem cordis Mariæ recitare?* non negas, opinor, hæc præsertim à te petita, selectis acuminibus, sanctæ illius scurrilitatis, quam hodie tuis scriptis prædicandam, & quasi consecrandam suscepisti.

V. Crede mihi, Willelme, hæc insana juxta atque maligna & impia deridicula, seu deliria & dicteria à Catholicis hominibus nunquam habenda sunt pro sanctorum dictis & voce, seu Prophetarum enthusiasmo, qui risu quodam indignationis & iræ, hominum vitia interdum corripiunt, à quibus tam procul abes, quàm à Cœlo terra, & nox à diurna luce. SS. Patres Hæreticos ut ridiculos traduxerunt, tu verò Hæreseos accusatus, convictus atque damnatus, Sorbonam & Doctores Catholicos: Illi publica & vera vitia, & notoria crimina ita exagitarunt, ut iis nõ tantùm indignationem & odium, sed joculari quadam ironia, contemptum & risum conciliarent; tu verò falsa crimina insontibus affingis, ut errores tuos, quos istrenuè impugnarunt, de illis vindices: Patres sobriè, prudenter & cautè salibus & jocis usi sunt, cum alioqui illorum libri solidis argumentis, sublimioribus sensis, & robustissimis, ad convincendos Hæreticos & impios rationibus scaturiant; tuæ verò literæ fallatis textibus, falsisq; citationibus & accusationibus, perpetua scurrilitate conditis, ita ut ne unum quidem in iis argumentum, quod Theologo dignum sit, appareat: Cave igitur, dicas, sanctorum illorũ exemplo te duci, quorum agendi & scribendi modus à tuo alienus est; Calvinum potiùs refers, qui Patres Trident. Concilii eodẽ prorsus modo & stylo loquẽtes induxit, quo tu ipse Jesuitas; ineptè scilicet atque insulsè, ut tuis lectoribus inde risum moveres. Nullus certè Prophetæ loco te habiturus est, nisi fortè illi, qui præ implacabili, quo flagrant adversùs Jesuitas odio, Magistros illos accersunt, à quibus decipiantur, & reluctante licèt conscientia, in animum sibi inducunt, ut credant, mendacium verum esse, quoties sedes Jesuitarum nomen & famam. Pone quæso larvam charitatis & Justitiæ, quam tuis calumniis obduxisti, ut meliùs lateant; cum jam omnes probè te noscant, ac sciant, quid te ad vindictam induxerit; aperta sunt consilia vestra, & quò spectet summa illa contentio, quæ te agitat, & Christianis moribus adeo adversatur, satis superque compertum; non te movet haud dubiè zelus & studium religionis, sed ingens dolor, quem concepisti, de religiosæ machinis vestris indemni servata; non fides & veritatis amor, sed rabies & desperatio quædam, cum & pessimæ illæ artes, quibus Ecclesiam impugnatis, perspectæ, vestrique errores damnati sint.

VI. Frustra igitur SS. Patrum loca multiplicas, ut probes jocos & sales interdum insontes esse, cum si luculenter ostensum sit, vestros Iniquos, impios, blasphemos censeri: frustra Scripturam accersis, ut doceas, nonnunquam facetias charitati & justitiæ minimè adversari; cum jam constet, vestras mortali odio & felle conditas fuisse: frustra Patrum exempla recenses, cum tu ipse, declaratus scilicet Hæreticus, ratus Patrum & Ecclesiæ Hostis reputandus sis. Meminisse potiùs debueras, qua ratione Deus, in S. Textu, & SS. Patres, in Conciliis, scurras illos excepere, qui Catholicorum pacem turbabant & impugnabant doctrinam Catholicam: Jubet Sapiens, proverb. 22. *ejici derisores*, id est Hæreticos; ficenim hunc locum venerabilis Beda interpretatur, *ejice hæreticum* inquit, *quem corrigere non potes, de Ecclesia; & cum illi libertatem prædicandi abstuleris, Catholicæ paci auxilium præstabis*: revoca etiam in memoriam, quanto rigore hæc gravis disciplina in Conciliis observata fuerit, à quibus joci & sales histrionici semper fuerunt proscripti; *quicumque* (ut legimus in Concil. Tolet. 2.) *contumeliis, vel risibus Concilium perturbaverit, juxta divinum legis edictum, quo præcipitur, ita derisorẽ, & exibit cũ eo jurgium, cũ omni dedecore confessione abstractus, à cõmuni cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam ferat.* Utere quoq; D. Bernardi consilio, Eugenio Papæ suggesto, lib. 1. de consider. cap. 13. *verbum scurrile, quod faceti urbanique nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum: fœdè ad cachinnos movens, fœdius moves.* Consule Chrysost. hom. 17. in Epist. ad Eph. aliisque locis, ubi eleganti ssima oratione demonstrat, scurrilem illam indolem, quam nonnulli virtutis loco habent, ab homine Christiano alienam esse: Pondera denique acerrimas & frequentissimas invectiones à sanctis contra derisores compositas, quos inimicos crucis Christi appellare non dubitant. Futile igitur argumentum illud reputa, quod SS. Patribus ducis, ut probes, facetias honestas esse, cum ex iisdem Patribus, manifestum sit, longè plures iniquas & impias, quales revera tuæ sunt, reperiri, & proinde odio publico dignissimas, ac Piorum omnium indignatione & honore excipiendas.

VII. Ut autem fontes ab insontibus rectè discernas, & discas, quales illæ sint, quibus horrent tuæ literæ, & quem illæ tibi locum scurras inter & histriones reliquerint, iisdem regulis rem istam definias, velim quas summatim recensesin hac epistola, quæ breve quoddam compendium est, longioris illius Apologiæ scurrilitatis, quam tui, annis proximè elapsis in lucem ediderunt. Prima regula est, ut joci cum veritate consentiant; quàm multas, Deus immortalis, impostu-

& falsitates huc usque appellavimus, quibus illæ tuæ literæ scatent; centenas, immo millenas numerare facile possem. Secunda est, ut Charitatem non læsisse, quid quæso atrocius. Satyris, seu literis vestris, in quas quidquid inhumanum, ferinum & diabolicum est, congessistis: diabolicum rectè dixi, si etiam furvas Diabolus scribendas susciperet, stylum earum imitari & assequi conaretur; interim, charissimi, inquis, in cordis meditullio integram servas atque intactam; O nequam, odii, furoris & furiarum omnium turpe tabulum est, non regium & sacrũ charitatis templum. Tertia est, ut sint humani, urbani, venusti, prudentes, ingenui, honesti; quid quæso vidisti, humilius, & mage plebeium, quam illud cornicum echo, quod toties ingeminas? quid acrius & atrocius dicacitate vestra in Doctores Sorbonæ & Carthusianos originem? quid mage satyrium & ineptum, quam quod Theologis imponis, circa jejunium, magistrum, Quarta est, ut rebus sacris & religioni parcâti videre posuisti in cœlum os tuum; nunquid enim divina gratia & Deiparæ cultus ad religionem & res sacras non pertinet? cum illa sit pretiosus crucis Christi thesaurus, hic verò clavis regia; quia illa nobis reserant; tu verò, postquam utrumque lusisti scurrilissimè & fœdissimè proculcasti; postquam Jansenium & Jansenismum in Sorbonæ adyta, & Regularium claustra, quasi triumphantem invexisti, ut vel inde Judices quibus damnatus fuerat, ipsamq; divinam gratiam, ludibrio, istorum omnium immemor, frigidè & inepte quæris, *ubinam*, inquis, *de rebus sanctis jocatus sit aut venerandus videtur contractus Moatra, ut convictus blasphemus habendus sit, qui de eo minùs honorificè loquutus?* sed dic, sodes, qui tam acriter modum illum irridendi mendacii carpis, quo alta voce quidpiam, aliud verò demissa profertur; dic age, qua figura, vel amphibologia, alta voce clamas, contractum Moatra derisum à te fuisse, submissa verò mussitas, divinam gratiam, Sorbonæ censuram, constitutiones apostolicas, aliaque id genus, multam jocis, literis, & satyris vestris materiam præbuisse? qua restrictionem palam jactatis, Jesuitas à vobis irrideri? idem verò D. Thomam, D. Antoninum, Sorbonam, immo Christi vicarium & Ecclesiam universam?

VIII. Credemihi iterum Willelme Wendrocki, ipsa causa his artibus, quæ Hypocrisi serviunt, non indigetrotundè potius fateri debueras, cũ tuis, gratam sufficientem, potentiam proximam, rosarium, Sorbonæ censuram, aliaq; hujusmodi, ejus momenti quod nos non esse, ut impium de iis jocari, & paulo licentius de iis scribere, blasphemum reputetur: si quando de vobis expostulatum est, ob nimiam jocandi scurrandiq; licentiam, circa contractum Moatra, & celebriorum Theologorum sententias, quos sub Jesuitarum nomine, aggressi estis, qui tamen de hoc argumento nihil docuerunt, nisi quod à doctissimis illius actoribus acceperant, certè, non impietatis, sed temeritatis dicacitatis & scurrilitatis; non blasphemiæ, sed imprudentiæ accusati fuistis; vos sacrilegii reos, quo ad hanc, nemo jure dixerit; secus tamen, quo ad jocos, deridicula & scurrilia, circa divinam gratiam, rosarium, Deiparæ &c. Jesuitæ quidem vobis exprobrant, ego ipse iterum exprobro, illum scribendi morem ab auctore Christiano alienum esse, immo Christiani nomine indignum; at si reus es & nocens, quod illum adhibueris, longè profecto nocentior dici debes, quod impensè defenderis, commendaris, laudaveris; quod scurrilem illum stylum in Dei Throno collocaris, quem vix in Theatro Christiani spectatores tolerarent; immo & sanctos Patres illius facti auctores appellaveris, cujus ingenuum hominem puderet, & tu ipse auctoris nomen erubuisti.

IX. Jam verò Moinio exprobras, quod rubicundũ pudorem purpureis Angelorum flammis innocentissimè comparet in versu, qui tamen ludicra tua & deridicula sanctorum zelo & iræ divinæ conferre non dubitasti; Moinium defendendum non suscipio; ut jam supra dixisse memini; ipse ipse sibi satis est; præsertim cum paucis verbibus rem istam conficere valeat; quid verò tandem hic peccavit? aliquam ingenii lucem, quam scriptor amœnissimus præfert, oculi vestri ferre non potuerunt; ita est, Jesuitam acutissimè scribentem ferre non potestis, qui rancidas aliquot periodos, & male cochleatas vestrarum muliercularum Antitheses, putidèin cœlum tollere non cessatis: an nescis, pictoribus atque Poëtis multa licere? cur ergo carpis eximii Poëtæ dictum, Sorbonæ scilicet nihil juris esse in Parnassum; nimirum in fictiones honestas & ingenuas; quis enim nescit, Poëtarum fictiones esse? quis autem fictionis, seu falsitatis, fictionem ipsam insimulet? item illud, Castalias aquas, vel iis similes, ea vi pollere, qua Poëtas fingunt, iisque enthousiasmum quemdam inspirant, & Poëseos Genium, seu Dæmonem, abigere non possunt, quamvis alioquin solito ritu, in Lustralem conconvertantur: hoc totum Poëticum est; & nulla hic blasphemia præter tuas: haud secus turpis araneus mel etiam dulcissimum in mortale venenum coquit, & fœda cantharis rosam fœdat: Garasso Hæresim & blasphemiam imponis; ita enim loquitur, *humana personalitas, verbi personalitati inserta est, & super ea quasi super equo collocata*, male vertis illud *humana personalitas*; dicere debueras, *Hominis personalitas*; sed nihil est, quod timeas, Garassus suam mentem explicat; nam ibidem unam tantùm personam in Christo, & duas voluntates agnoscit; unde & Monothelitarum & Nestorii erroribus eximit sese; immo alibi, accepta Cyrilli analogia, disertè dicit, personalitatem naturæ humanæ absorberi & absumi à personalitate verbi, quemadmodum aquæ guttula immissa dolio vini absumitur; illam demum equi analogiam à Paulino petitam, ep. 4. non difficilè Theologi explicant; *hic ad hominem saucium, inquit, prætermissum à præviis, nec curatum, miseratus accessit, & iumento suo, hoc est, verbi incarnatione suscepit*: tu vide iis alia, de utroque, in Notis.

X. Transis ad Brisacerium in eum acriter invectus, eo quod negare visus sit, à Monialibus vestris preces ad cœlites fundi; minùs fortè dixit, sincerus ille & rotundus auctor, quàm par esset; pluta enim discere poterat, de hoc argumento, à lepidissimo scriptore, * nimirum, multos etiam alios, qui cœlites nõ sunt, ab iis coli, easq; utnovum rituale, ita novum menologium sibi finxisse: doleo autem, quod dixerit, illas esse impœnitentes; aliquas scilicet, quas universa Lutetia novit, Ecclesiasticis censuris irretitas, alias verò contumaces, & damnatis erroribus pertinaciter adhærentes obiisse, an putas in Domino? item Sacramentarias & incommunicantes; quæ biennium sæpius integrum intacta sacra sinaxi, exigunt; item fatuas virgines; stultum quippe est, tribus potiùs, iisque privatis & minimùm suspectis hominibus fidem habere, & suam credere salutem, quàm plenis cleri Gallicani Comitiis, quàm Romano Pontifici, quàm Ecclesiæ universæ: item phantasticas & calaganicas, utrumq; optimè quadrat, fanaticas addere poterat; desperatas denique, nulla enim ejurata fide, spes salutis restat. Quod verò spectat ad novitates in usum confessionis à vobis inductas, quod doles à Brisacerio scriptum;

* *Des Marets.* frustra

frustra de illo expostulas ; res notoria est, ritus vestri satis perspecti, & rituale vestrum, quamvis jure damnatum, inusta satis acri & infami nota, palam prostat; de vestris demum criminibus, quid vis, amabo, dicam ; nam præter errores damnatos, & pessimas artes, & capitalia consilia, quibus Ecclesiam huc usque perturbare conati estis, quæ sunt, opinor, satis grandia crimina, calumniæ & imposturæ, & diabolicum illud odium, quo in Jesuitas arderis, crimina vestra satis multiplicant, absque eo, quod intrinsecùs lateat.

XI. Cadomense votum te tuosque altissimè pupugit; rem ipsam explicare debueras; saltem in Notis; nesciunt enim exteri, quid tibi velis ; sed cautè dissimulasti; finge quæso, hanc quæstionem mihi propositam, an præstet, occultos hæreticos intra Ecclesiam retineri, unde facilè multos fideles suis erroribus implicant, quàm declaratos palam, rescindi ab Ecclesia, ut fideles & Catholici ab iis caveant; quis verè Catholicus, hoc secundum melius fore non sentiat? neque id fit, personarum odio, sed errorum; nec optat Ecclesia æternam Hæreticorum damnationem, sed precibus illorum conversionem & salutem apud Deum impensè sollicitat; hoc tamen non vetat, quin optima Parens rebelles filios expellat, & segregeret à fidelibus perduelles. Chimærica igitur Jesuitarum flagitia somnias; & summa illa fides, quam jactas, summa charitas & modestia, qua te gessisti, inquis, inter Chimæras fortè locum non invenient: quot verba exoras, tot mendacia, falsitates, calumnias, importunas, aculeos, sannas, dicteria, irrisiones, deridicula, scommata; subdis tamen; *inique violatam charitatem mihi obiicitis cum nihil dixerim, nisi summa cum fide, summa modestia, quam multas*, inquis, *eruditi Doctores & tota Parisiensis Academia doctrinæ vestræ corruptelas obiecit*; Ubinam? appella quæso; notavit Sorbona aliquot propositiones; sed an Jesuitarum potiùs, quàm aliorum? errores quidem vestros Sorbona non semel damnavit; immo Arnaldum & multos alios ejusdem factionis ex suorum albo expunxit; hoc nemo negat, quia notorium est: quod autem Jesuitarum doctrina damnata sit à Sorbona, quod Moinius, Causinus, Pinterellus, Annatus, Sorbonæ monitis convitia rependant, somnium est, seu potius chimæricum Jansenistarum votum; deliras Willelme; tuæ literæ ad insaniâ te redigunt; ubi, quando, Annatus convitia Sorbonæ aspersit? unde illum refers inter temerarios scriptores? verum ut eximia vitæ sanctimonia, ita sana, solida & profunda doctrina, qui vestros errores erudito & doctissimo stylo ita profligavit, ut nihil melius, nihil accuratius, futura sæcula, de hoc argumento, ab hoc nostro desiderare unquam possint.

XII. Quod dicis, tot volumina in Hispania, Gallia, Belgio, ab Escobario edita fuisse, dignum est ferula, & prorsus evincit, quàm sis librorum imperitus; verius saltem in Epistola vernacula dixeras, tot editiones illius libri, seu libelli, ab eo tempore factas: Amicum, Cellotium, Bagotium, deinde sugillas; sed velis, nolis, doctissimi auctores tibi debitis laudibus nunquâ excident, de illis dicere poteras, *quorum non sum dignus solvere corrigiam* &c. Singula porro capita, quæ summatim commemoras, de incendiario Baunii, restitutione Cellotii, alapa Lessii, duello Hurtadi, mago Sancii, simonia, restrictione mentali, præcepto audiendæ missæ, duplici stipendio, Religioso habitum dimittente, aliaque hujusmodi Jesuitis à vobis oppositа, quæ more tuo centies regeris, in præmissis 10. Epistolarum confutationibus, plenè à me discussa & explanata fuerunt; nulla igitur vanitatis ridenda restat, nisi vestra; quòd enim vos illa? quippe vobis, per intolerabilem superbiam, laudis scilicet, gloriæ, ingenii, literaturæ, arrogatis, quæ superbissima antiquorum & recentiorum hæreticorum capita sibi arrogare verebantur: Cæcitatem deinde Jesuitis exprobras; Aquilæ scilicet nostris satis oculorum & luminis est, ut crassissimos & pernicioſissimos errores vestros, & pessimas artes absque eo quod intrinsecus latet, ut dixi, clarissime videant; utri porro parti hic locus melius congruat, *vir sapiens si cum stulto contenderit*, Jesuitis, an videat Lector & judicet: Jesuitæ, saltem sunt Catholici, tu verò Hæreticus; sed obiter relego tua velligo, non sine aliquo spicilegio.

XIII. Pestiferam Jesuitarum doctrinam vocem rectè in meo sensu; quia doctrinæ vestræ pestis est subdis, Jesuitas commentis suis religionem adulterare; optimè; *Clodius accusat Mæchos*; immo Religionem cum multis aliis, à vestris non commentis modò, sed erroribus vindicarunt: Jesuitis errorem & lanienam veritatē attribuis; lepidè, ita prorsus Basilio, Hieronymo, Augustino hæresim, Ario, Iunomio, Pelagio veritatem & sanam fidem tribuere quispiam posset: Quod SS. Patrum passibus ingressus, labi non timeas, properam dicis; longè verius dico, te Lutheri, Calvini, Iansenij passibus ingressum, fœdissimè lapsum fuisse: Quàm urbanus fueris, ut jactas, et quotidie miremur; Barbarum Scytham dicerem, si latinè sciret: ubinam verò sint manifesti Iesuitarum errores, quos exscidisti, indica, sodes; tuos facilè appelabo, quos Ecclesia tot Constitutionibus & Decretis Apostolicis exscidit, ut nulla unquâ hæresis exstiterit, tot fulminibus obruenda; jure id quidem & merito quia nullam unquam tot machinis & malis artibus ad sui defensionem, & propagationem usam fuisse, constat. Ubi est etiam infinita illa & horribilis lectio à Iesuitis in Christianorum mores invecta? ubi pervicax audacia & violenta flagitia ab iis defensa? fare age; cuncta hæc probè quadrabunt & cadent, si Iesuitarum loco, Iansenistæ substituantur. Cocos denique Iesuitas vocas, qui ducunt alios cæcos Deo gratias; crede mihi, plura vident Iesuitæ, quam tu ipse tuique velletis.

XIV. Sed nihil lepidius tua illa professione, *præteor coram Deo*, inquis, *& testor, mori me malle illi, quàm vel tantulùm à veritate deflectere; ideoque eorum à me semper diligentiùs, non modò locorum tuorum sensum ne corrumperem, sed ne illum vel tantum exulcerarem*: hic certè risum tenere non posses, etiam ipse Agesilaus; nullum à sæculo scriptum prodiit tot mendaciis, falsitatibus, calumniis, impostum horridum; tot loca citasti, & nullum non adulterasti; testaris tamen, te mori malle; juras; ar scio, te fallere posse Deos; quis tibi habeat fidem, impostor nequissime, qui juratam Deo & Ecclesiæ fidem perdidisti? Illud etiam mage ridiculum, quod scimus multum peperceris; quod multa, quæ acerbissima fore sentiebas, consultò præterieris; quod meo de te nigniori, in te severiori fueris; quod multorum contenta & tibi certò comperta vitia, præ charitate, remiseris; O sanctum, ô pium, ô misericordem hominem, ita ne verò; vera dissimulasti, ac peperceristi, ut illa imponeres; Hic certe fidem tuam W. lielme si alias unquam; non nego, Jesuitas homines esse, ac proinde erroribus & noxis obnoxios; nemo secus speraverit, ac fuerit in tanto præsertim numero hominum, omnis ætatis, nationis, indolis; in tam diversis muneribus, docendi, prædicandi, agendi cum hominibus; id tamen non modicæ laudi Iesuitis vertitur, quod

quod delicta, vel spontaneâ dimissione delinquentium, vel etiâ imperatâ eorumdem invitorum ejectione, adhijs castigentur. Sed profectò non est, ut ais, quod Jesuitæ moderationi tuæ gratiam habeant, quod errores tuos refellant, calumnias eluant, illiares aperiant: Christi legè teneantur sat scio, inimicos diligere; unde pro te, tuisque infensissimis & omnis hostibus, ardentissimas preces ad Deum funderet, paratî certè fundere, pro tuâ tuorumque salute, cum sanguine vitam: at tuas preces, quas obmutuis; nunquam admittent, nisi priùs errores tuos ejeraris, & fidem Catholicam tenueris; sine qua nullæ preces Deo placere possunt; hac dumtaxat lege, Jesuitæ tuas tuorumque preces admittent. O pietium, quod denuo Binetum perstringis, cujus libellum, quem pro ægrorum aliqua remissione scripsemus, inscriptis fabellarum penu appellas. utinam à pijssimo illo & amœnissimo scriptore; utinam ab optimo juxta atque Doctissimo Annato; sanctam facetiam artem didicisses, nullus profectò Jesuitis de tuis expostulandi locus restaret; vereri saltem deberas venerandi senis jam pridem vita functi nomen & piam memoriam; at stylus tuus plusquam ferreus nulli parcit; nisi Jansenistis, eorumque fautoribus & fœderatis.

DUODECIMÆ EPIS. Confutatio.

PUdeat ingenuum hominem, pactis & promissis non stetisse, Willelme Wendrocki; accusatam responsionem pollicitus fueras, & jam nonam putem effugium quæris: jactabas acrem & justam defensionem; hanc sollicitè multi expectabant; quamen fugâ dumtaxat, in quam, te dedisti, & clamosas expostulationes modò mirantur; possem haud dubiè confusum ac desperatum fugientem nō sequi? tuis clamoribus te percussum ac læsum fuisse, cum Europæ occinere non cesses, libenter ex te rescirem, quid & unde tàm potenè doleas; Doles, inquis, injustum initio expostulas, quòd te Jesuitæin suis scriptis tanquam impium, scurram, indoctum, histrionem, sycophantam, calumniatorem, fraudulentum, profanatum Calvinistam, Molinæi discipulum, legione Dæmonum obsessum, & quovis dignum opprobrio traducant; multùm laboras, ut palam fatias, quàm malè à Jesuitis excipiaris; præstaret, tuos errores renunciare, quàm omnibus denunciare, à te ferri ægerrimè, quod à Jesuitis ea proferantur merito vapules: sed bene est, & optimè cecidisti enim sortem illam jure ac meritò probas, quam injustè aliis dudum probandam imposuisti, & qui diuturnam aliorum patientiam fatigasti, tuam modò, si qua pollet, exerceas oportet: tuæ illæ impietates & blasphemiæ tolerari ultra non poterant, nisi ipsa religio proderetur, & destitueretur innocentium utraque tuis furiis & satyris dilanietur. Justum igitur defensionem pro injuria perperam accusatam nec injurijs injustæ calumniæ refelli dicantur, hæc fortioribus armis error & mendacium, quibus tuæ literæ serviunt, refutari possint, quàm ipsius veritatis; hâc enim præcipuè impugnandâ susceptisti.

II. Doles, Hæreticum appellari; ita prorsus Ecclesiæ errori minimè obnoxia, quæ Jansenii errores, quibus etiamnum pertinaciter adhæres, promulgatis constitutionibus damnavit, & declaravit Hæreticos: quis amabò inter Catholicos Ecclesiam non audiat? quis illius dictis & oraculis non acquiescat? quis cum eâ loqui prohibeat? Doles, Calvinistam dici & Molinæi discipulum: sed præterquam quod errores vestros à Calvino accepistis, impostoras à te Jesuitis affictas ex Molinæi libro excerptas in tuas literas traduxisti; cujus sanè delicti convictus, ne mutire quidem ausus es; nihil ergo restat, nisi ut vel plagii reus, vel Molinæi discipulus audias. Doles, scurram nuncupari & Histrionem, illud quippe nomen Theologiæ moralis censorem ac restauratorem non decet: sed jure tibi nomen illud inditum est à satyris & jocis, à dicteriis & deridiculis, à scurrili stylo, quem à Calvino & Molinæo acceptum, sanctorum, inquis, & Dei exemplo consecare voluisti: Impostorem sycophantam, calumniatorem; & quovis dignum opprobrio dolesreputari; at cum multiplici senatus consulto, Burdigalensi, Aquensi, Parisiensi libri & libelli vestri, ut famosi & probrosi damnati, proscripti, lacerati & combusti fuerint, quid ni ego, tam gravi auctoritate fretus te impostorem, calumniatorem & infamem esse dicam, qui hæc omnia compilasti. Doles, à Jesuitis scribi & spargi, te impium esse, qui divinam gratiam, Deiparæ cultum, rosarium, Sorbonam, Ecclesiam, omnia fere sacra plenis buccis & labris sacrilegis derides; indoctum, qui toties palmaris insciticæ convictus fuisti, immo fatentem reum habemus, ut supra evici; frandulentum, qui totus ex fraudibus & dolis compactus es, quid enim per fraudem hactenus non egistis? hujus artis magistrum peritiorem vix inventas, sed hæc notoria; Legione Dæmonū obsessum, utinam non multiplici; enim verò communis illius hostis generis humani plurimū interest, vobis præsto esse, qui rem illius sedulò administratis, spargitis errores vestros, turbatis Ecclesiam Dei, ab æterna salute fideles arcetis, hæ sunt illius hostis deliciæ; quare fieri non potest, quin vobis omnem opem ferat, omnē operam præstet. Frustra igitur & absre de Jesuitis expostulas, quòd te pro impio, scurra, indocto, sycophanta, Calvinista, impostore tradūcant, cū & senatus consultis, & omnium Catholicorum voce, & in multis, propria confessione talē esse constet, frustra pro insonti, pio, & religioso scriptore haberi vis, cum vel ipsæ probationes, quibus uteris, ut ostendas, te probum & insontem esse, adeò debiles, futiles & infirmæ sint, ut illæ potiùs, nisi aliter denunciares, confessio publica, quàm apologia quædam & defensio esse videantur.

III. Inde quippe à te potissima ratio ducitur, quòd tu solus humanis subsidiis destitutissimus cū tanto corpore concertes; sed quæso te, quibus Dialecticæ regulis, ex hoc infers, te impostorē & sycophantam nō esse; cum potiùs inde contrarium cōsequatur; qui enim male agit, odit lucem; nonne ita se gerunt omnes illi tenebriones, qui famosos libellos cudunt? nomen illi & caput celant; nomen, ne scripsisse pudeat; caput, ne pœniteat: oculis dumtaxat opus est, ut tuæ literæ legantur & modica luce, ut fraudes, imposturæ, impii joci, aliaq; hujusmodi, quæ insontis hominis nonsunt observentur. Solus es, inquis & destitutus; quonā tuo fato, seu mala sorte? ubinam est veridicus ille, mentiri nescius, juratus & acerrimus Jansenista? ille ille, tuorū consiliorum particeps, expeditionum socius, viæ & vitæ comes; ille ille tu⁹ fidus Achates? solus es? an fortè Jansenianæ partes esse desierunt, aut tu Jansenista esse desijsti? optare certè id possumus, sed sperare nequimus.

quimus: solus es? an hæc fortè, ut nos ad commiserationem moveas? & verò quem amabo non misereat vestri; videre quippe mihi videor, triginta, vel triginta solitarios, quorum aliqui paginas & libros lustrant, ut tibi materiem suppeditent, alii loca truncant, extendunt, consuant, & componunt; alii scripta recognoscunt alii emendant typorum menda, alii tuas literas distrahunt, alii aliis legunt, etiam ad spondam lecti, & mirificè laudant; dum clamas, *sum ipse solus, humanis omnibus subsidiis desertissimus*: perperam igitur impostor audio; ô rectum, ô novum ratiocinij modum; an novæ istæ sunt Dialecticæ vestræ leges? nam, ut audio, disciplinas omnes, humanas, divinas, ipsam etiam fidem & religionem restaurandas suscepistis.

IV. Aliud argumentum ducis ex eo, quod verisimile non sit, ut tu ipse, uno, quo niti poteras, veritatis ac fidei abjecto præsidio, commiseris, ut calumniæ convinci possis, ac sic tuam salutem immo & omnia, ita enim habes in vernacula, in apertum discrimen projeceris. Omnia, inquis; sed quæso, quid tibi restat, Hæreticorum castra sequuto? fidem enim perdidisti, seu prodidisti, damnatis erroribus, quos impensè hodienum in tuis literis defendis; charitatem, immortali odio, quo flagras adversùs doctrinæ Catholicæ defensores; religionem, honorem, pudorem, impostoris & impiis jocis, adversùs Deum & homines; nihil igitur perdendum tibi restat: cum manifestæ falsitatis & impposturæ convictus fueris; eò tedesperatio; extinctâ veritatis & fidei luce in corde, linguam ad impostoris & calumniæ tenebras convertisti; immo quamvis aliquid restaret ex illo rerum vestrarum naufragio, dum occultus & incognitus manes, juxta susceptum & non semel inculcatum à te consilium, inde quidem factionis Jansenianæ partes, quibus animam tuam, stylum tuum mancipasti, æternam & indelebilem infamiæ notam, cum incredibili opprobrio, contraxerunt, sed tu ipse intactus vives, dum ex iis latebris in quibus agis tenebrio, non efferas pedem. Ultimam denique rationem ex eo ducis, ut suspicionem impostoris amoliaris, quod mendacia in facti quæstionibus, quales istæ sunt, facilè detegantur; huc volo te; hoc ipsum est, quod valde solatur optimum quemque, & piis omnibus non minùs voluptatis & lætitiæ, quàm tuis Jansenistis ignominiæ, doloris & pudoris affert; nempe impostoris & falsitates tuæ ita cuique rectè sentienti compertæ sunt, atque apertæ, de quibus hactenus tecum egi, & Jansenianæ fides, id est, perdita & prostituta, ita cuique perspecta, ut nihil jam fraudis & malæ artis, operosa solicitudine Jansenianæ excogitare possint, quod eas non obscuret modò, sed luculentiores & apertiores non reddat; quod sanè ut demonstrem, illud unum satis est, à me ostendi, te in earum defensione, quibus nonnihil fucatæ veritatis offundere conaris, à quæstione facti, qua de agitur, semper deflexisse, nec non divertisse ad quæstionem juris, quam tamen ad difflandam impostoris suspicionem, inutilem prorsus esse, sciebas.

V. Primam calumniam repetis ex Vasquesii sententia & Eleemosyna, inquam, per solitas figuras & declamationes, ariter invectus es, eo quod, ut dicis, duo eleemosinæ præcepta funditus everterit, alterum scilicet, erogandi de superfluis, alterum etiam de necessariis; *notum enim est, inquis, ex Ecclesiæ mente, eleemosynæ faciendæ illa duo esse præcepta; ut docet D. Thom.* Sancti Doctoris aliquem textum, vel aliquem Ecclesiasticum Canonem allegare debueras, quo duo illa præcepta evincerem, multi enim unum tantùm agnoscunt: Doctrina S. Thom. de hoc argumento extat 2.2. quæst. 32. art. 5. ubi, statuto eleemosynæ præcepto, prudenter monet, in corp. art. aliquid considerandum esse ex parte dantis, nimirum ut id, quod erogandum est in eleemosynam, sit ei superfluum, tum respectu sui ipsius, tum respectu personæ, seu status, & dignitatis; & aliud ex parte recipientis, necessitatem scilicet; quamquam, inquit, omnis necessitas non obligat ad præceptum, sed tantum illa, sine qua is, cujus necessitatem patitur, sustentari non potest; unde ait Ambrosij, *pasce fame morientem: sic ergo* (concludit) *re eleemosynam de superfluo, est de præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*; alias autem eleemosynas dare est de consilio: ad 3. hæc addit, *ex parte recipientis, cum apparet evidens & urgens necessitas, non apparet in promptu, qui ei subveniat, ex parte dantis si habeat superflua, quæ secundùm statum præsentem probabiliter necessaria non sunt.* art. verò 6. distinguit duplex necessarium, primum illud est, quod est necessarium ad vitam propriam & familiæ, & *de hoc*, inquit, *non dicitur dare eleemosynam*; aliud est, sine quo vita non potest transigi, secundùm statum; de hujusmodi dare eleemosynam est bonum, *& non cadit sub præcepto, sed sub consilio*; tres casus excipit, in quibus sub præcepto cadit, 1. quando aliquis statum mutat & ingreditur religionem; 2. quando id, quod subtrahitur, non est in necessarium, quin facile resarciri possit, ut non sit inconveniens; 3. *quando occurreret extrema necessitas privatæ alicuius personæ.* En tibi summam doctrinæ S. Thom. de præcepto Eleemosynæ; illa quidem S. Doctoris verba, *sic ergo eleemosynam*; &c. in sensu collectivo, nimirum ut sint superflua, & simul extrema necessitas adsit, teste Cajetan. in hunc loc. à pariisque intelliguntur, puta D. Antonin. Gabriel. Major & multis recentioribus, ab aliis tamen, in sensu distributivo, ut Cajetan. Ricard. Sot. Bon. Valent. Bellarm. Azor Sylvest. Tabien. Medin. Armil. Laym. &c.

VI. Juvat etiam Navarri mentem de hoc præcepto exponere; ille igitur hæc habet in man. cap. 24. n. 6. *habens superflua naturæ, si non subvenit egenti extremæ necessitati peccat mortaliter; habens superflua naturæ & statui, si non subveniat egenti in necessariis ad statum*, peccat mortaliter; *in reliquis casibus, eleemosyna est de consilio.* Addo Tolet. in summ. cap. 33. 34. 35. ubi tradit quo ad hoc 4. regulas, 1. de necessariis ad conservationem vitæ propriæ & familiæ, nullus alteri succurrere tenetur; 2. de necessariis ad statum, tenetur homo succurrere extrema necessitate laboranti, non tamen extra necessitatem; 3. de superfluis ad vitam & statum, sub mortali, eleemosyna fieri debet, nimirum in gravi necessitate, 4. in necessitatibus communibus & non gravibus nullus tenetur, sub mortali, facere eleemosynam; cuncta hæc eo fine adduxi, ut constet; Vasquii sententiam non adeò impiam & laxam esse, ut dicis; distinguit enim tria necessitatis, vel egestatis genera, extremam, gravem, quam etiam magnam & urgentem vocant, & communem; item tria superflui, minimum, ad vitam, ad præsentem statum, & ad futurum licitè, legitimè, ac dignè obtinendum; vult etiam, ex charitatis potiùs, quàm justitiæ lege, Deum tui præceptum erogandæ eleemosynæ; ac prorsus de non tam à ratione superflui, à qua forte multi eximerent sese, quàm à ratione necessitatis, obligationem illam ducendam esse, immo ab utraque indivisibiliter, ut loquuntur Scholastici; si enim nulla est egestas

tui vel necessitas, quantumvis habeas residui, eroga tion potes eleemosynam; & quantavis sit superfluum, vel necessitas, nisi habeas aliquid, quod superfluum sit in eodem genere, in quo proximus juvari postulat, non teneris: Itaque Vasq. de necessariis ad vitam non teneris eleemosynam erogare, etiam in extrema necessitate proximi; de necessariis ad præsentem statum, & superfluis ad vitam; teneris in extrema, id est, ad servandum vitam proximi, de necessariis ad futurum statum sed superfluis ad præsentem, teneris etiam ad futurum, & ad servandum proximi statum; de superfluis omninò, teneris etiam in communibus, tenis legis charitatis ordinatæ; nempè juxtà illas, ut docet hic Auctor, *Opusc. de Eleemosina capite ultimo num. vigesimo quinto*, vitam proximi cum detrimento meæ non teneor tueri; cum detrimentis cæterorum, teneor; & *num. vigesimo sexto* si alteri immineat periculum cadendi è statu suo, teneor superfluis status illi subvenire; ex quibus manifestum fit, Auctorem, istum non adeò benignum & mitem esse in hac materia, imò verè penseturi, strictissimum & severissimum reputandum; cum juxtà illum, eleemosynæ præceptum ferè semper obliget; quia semper est aliquid residui saltem parvi momenti, & pauperes semper habemus.

VII. Et hæc ad quæstionem juris, quæ à vario modo explicatur; Cajetan. enim suo modo, Vasq. suo, Toletus, Navarrus aliique suo, & usque D. Th. textum suo modo accipit & intelligit; etiam contra sensum Cajetani, non unus, vel alter, sed *plerique*; facilè igitur poteras Cajetani vel cujusvis alterius tueri partes, at citrà colorum aliarum partium; quis enim te constituit Judicem; ac præsertim citrà impostura; & tacet quæstio facti, qua de agimus, & à qua declinasti; oppositum tibi fuerat, Vasquii sententiam à te falsatam & adulteratam fuisse; tu verò sincerè relatam fuisse contendis, igitur ostendero, hanc quæstionem facti, nec à te quidem in hac Epistola attingi: evincam certè, responsionem tuam futilem & inanem esse, ac te impostura convictum manere. Ad te igitur Willelme; dixeras, Epist. 6. *Locupletiores quosque erogata pecunia onere à Vasquio exolvi, sic exposita superflua nec, ut nihil unquam divitibus superfluere contingat*; Nam *Laici possunt servare de bonis ad statum sum, vel consanguineorum mutandum; unde illud ur datur superfluum; & vix in sæcularibus invenies, ullum in Regibus, superfluum statui*; addis paulò post, *ut Vasquio igitur non minùs securum ad salutem*, (hic enim vertendum est ex tua vernacula) *nulla duci ambitione, ne quid superfluum insit, quàm puræ Evangelium, nulla ferri ambitione, ut superfluum in Eleemosynam erogetur*: ita autem vertis, *Non minùs securum ad salutem iter ingredi, qui superflua non erogat, quia propter infinitam ambitionem, nulla se superflua habere deputat, quam qui ambitiosus vacuus habet superflua, sed ea in pauperes ex Evangelio largitur*, eodem recidit; aliquid subobscurè, ut melius lateas, sepiæ ad instar, effudisti, sed ut clarissimè videat Lector, gallicæ linguæ genius, vernaculæ locum exscribo, *Affin de faire le salut, il seroit auſſy seur, selon Vasquez, d'avoir fort d'ambition, pour n'avoir point de superflu, qu'il est seur, selon l'Evangile, de n'avoir point d'ambition, pour donner l'aumosne de son superflu.*

VIII. Nunquid amabò propter hæc tam ineptè, quàm injustè & malignè illata duarum insignium falsitatum convictus fuisti? primò, quod data opera, ea reticuisses, quæ Vasquius adjecerat; nimirùm etiam juxtà mentem Cajetani laicos uti posse suis bonis, ad statum illum obtinendum, *quem dignè ac licitè acquirere possunt*, ac proindè verè superfluum non censeri, quidquid ad eum finem necessarium est; immò ipse Cajetanus vult illud necessarium reputari, non tantùm ad futurum, sed etiam ad præsentem statum; accipe illius verba in comment. articulo quinto, *ad secundum verò dicitur, quod ille, qui aliàs licitè potest mutare statum, & hoc probabiliter expectat, non habet pro superfluo, secundum præsentem statum, quidquid sibi in statu hujusmodi expectationis, opportunum censetur, unde licitè potest & futuro statui servare, & pro illo habendo exponere; præceptum enim de Eleemosyna superflui præsupponit superfluum, & non vetat mutationem status*: Quid clariùs? Secundò, quod etiam de industria, prædicta suppresseris, ut probrosam illam consequutionem deduceres; nimirùm juxta Vasquium, multa scilicet ambitione, omne tolli superfluum; ab hac enim tam luculenta impostura, haud dubiè abstinuisses, si hæc verba retulisses, *statum, quem licitè possunt acquirere*; ac te puduisset, Auctori gravissimo & doctissimo illam calumniam affingere, alioquin Theses tuas omnium sibilis & ludibrio exposuisses, si vel innuisses, contra Vasquem & Cajetanum, immò & communem omnium sensum, ambitione illum peccare, qui dignè & licitè ad meliorem statum ascendit; ut igitur aliquem impostoræ colorem & fucum obduceres, verba illa *statum, quem licitè & dignè possunt acquirere*, tibi supponenda visa sunt; sed profectò indè calumniam auxisti, undè illam tegere vel obscurare voluisti.

IX. Sed dic mihi, sodes, ex quibus verbis hujus Auctoris inferre potuisti, satis esse ex doctrina Vasquii, ambitione ferri, ut nihil superflui restet; viden', quàm malè, quàm ineptè ratiocineris; Vasquez dixerat cum Cajetano, (in hoc enim cum illo consentit, licèt in aliis ab eo dissentiat) id superfluum non dici, quod divites servant, ad statum licitè promovendum; igitur ex Vasquesio, inquis, non minùs securum est, per multam ambitionem, nihil habere superflui, quam ex Evangelio ambitione carere, ut superfluum in pauperes erogetur; ubinam quæso Vasquez docuit, securùm esse, multa duci ambitione? ubinam dixit, illum ambitiosum esse, qui licitè gradum suum promovet & statum amplificat? in hoc cardine Willelme quæstio facti vertitur; utramque illam falsitatem Vasquio affinxeras, ut tibi exprobratum est, neutram, vel deprecari, vel fateri voluisti; à te quippe amoliri non poteras; impostoræ igitur convictus restas, cum inficiari non valeas, quin ea sint Vasquii verba, cur illa igitur tum in sexta, tum in hac duodecima Epistola reticuisti? sed tantum abest ut hanc impostoram purgaris, quin potiùs duas falsitates ad cumulum adjecisti; Vasques, inquis, *tunc solum divi-*

divitibus sublevandorum pauperum (de necessario scilicet, uthabes in vernacula, quod licèt in latina exciderit, illud tamen subintelligis) *sublevandorum, inquis pauperum, legem indicit, cum pauperibus permittit, ut divitibus bona diripiant*; id est, in extrema necessitate; sed addis, altera post pagina, Vasques, inquis, *disertè docet, divites nec justitiæ, nec charitatis lege erogare, vel superflua, vel necessaria juberi, in communibus pauperum necessitatibus; necessaria verò in iis tantùm occasionibus, ex præcepto largienda, ut illæ vix, aut ferè nunquam incident:* Cur tam impunè mentiris nebulo? Vasq. in dicto opusc. cap. 1. num. 29. hæc habet, *constat enim, quod non solùm extrema necessitas, sed aliæ multæ urgentes obligant ad eleemosynam, neque tantùm habenda est ratio superflui*, &c. Et paulò ante n. 18. *Non sola illa necessitas obligat ad eleemosynam, cui ex necessario statui, superfluo autem naturæ, sit subveniendum; sed quis negat, etiam obligare, cum quis est in periculo statum amittendi, & alius habet superfluum statui &c. charitas enim obligat ex superfluo status defendere, ne alius statum amittat*; ac demum num. 12. & 13. Gersonis, Gabrielis & aliorum, qui docent, divites teneri dumtaxat eleemosynæ præcepto, in extrema pauperum necessitate, opinionem disertè refutat, eamque meritò reprobari testatur ab aliis Theologis; *hæc enim necessitas vix occurrit*, inquit, & frustrà Patres tam acriter in divites inveherentur, iisque comminarentur æternas flammas, *si tantùm tenerentur in extrema necessitate, quæ nunquàm aut rarissimè occurrit*: Falsum est igitur, quod dicis, ex sententia Vasquii, divites adstringi tantùm *in iis occasionibus, quæ nunquam, aut vix unquam occurrunt.*

X. Hæc sincera est Vasquii doctrina; in extrema necessitate, teneor de superfluo naturæ; in gravi, de superfluo statui præsenti; in communi, de superfluo statui futuro, etiam licitè acquirendo; quod autem necessitatis hujusmodi casus rarò accidant; fateor ultrò, cum Vasquio, de prima, extrema scilicet; præsertim cùm scire debeam, seu credere probabiliter, nullum alium egenti opem ferre, quod sanè Vasquio perperam exprobras, qui hanc conditionem à D. Th. accepit, ut patet ex verbis suprà exscriptis; secunda & tertia sæpissimè occurrunt, ut jam monui: nec est, quod aliquis dicat, te hallucinari, ac per te alios in errorem induci, præ nimia hujus Auctoris subtilitate, quam assequi non potuisti; nam hæc sententia ea facilitate tradita est, quæ ni fallor, Tyronum etiam captum non superat; quare de ingenio tuo non ita demissè sentio, quin à te intellectam fuisse, mihi persuadeam; at per solitam malitiam dissimulasti; quamvis enim superfluum illud statui præsenti servando, & futuro licitè amplificando vix in sæcularibus inveniri dicat, (quamquam, ut jam dixisse memini, semper aliquid hujus superflui restat, parvi scilicet momenti, de quo erogari possunt eleemosynæ) non tamen negat, immò disertè docet, aliud esse, superfluum quidem statui præsenti, & necessarium futuro licitè acquirendo, quod & sæpè invenitur in multis, & in gravi necessitate erogandum est; undè perspicuè constat, Vasquium, quoad hoc, Cajetano rigidiorem esse; nam hic vult quidem (demus hoc, licèt multi refragentur) de necessario status egenis extremâ necessitate laborantibus erogandum esse, in aliis verò necessitatibus, de superfluo statui præsenti & futuro licitè acquirendo; cum tamen Vasquius doceat in gravi necessitate, de necessario statui licitè mutando erogandum.

XI. Nec est, quod opponas audiendum esse ipsum Cajetanum, qui sic loquitur *in 2. 2. quæst. 118. art. 4. Dives*, inquit, *non dispensans superflua, sed cumulans, ad emendum sibi dominium ex sola accendendi libidine, non solùm illicitè agit, propter libidinem dominandi, & inordinatum amorem pecuniæ, sed mortaliter peccat, contra proximorum indigentiam occupando superflua, quæ pauperibus debentur ex ipso, quod superflua sunt.* Audin', *ex sola accendendi libidine?* Igitur si non ex sola, sed ex alio motivo honesto, ac proindè licito; non peccat, illum statum, illud dominium licitè acquirendo; alioquin Cajetanus sibi contradiceret; loquitur enim de superfluo naturæ ac personæ; sed superfluum personæ, ut ipsemet docet *quæst 32. art. 5.* ut supra vidimus, non est necessarium statui præsenti servando, nec futuro licitè acquirendo; igitur quod est necessarium hoc modo, id est, statui futuro licitè acquirendo, dici non debet superfluum, etiam *secundum præsentem statum*; ut disertè ibi Cajetanus; unde facilè concesserim, divitem, qui ex sola ascendendi & dominandi libidine, accumulat, ad emendum sibi dominium, non peccare modo propter libidinem dominandi, sed propter malum usum pecuniæ superfluæ, quam in subsidium pauperum impendere tenebatur: sed hæc nihil ad Vasquem, qui vult, de necessario ad statum non tantùm cùm ambitione, sed etiam licitè acquirendum, in gravi necessitate, eleemosynam erogandam. Frustrà igitur causam tuam contra Jesuitas Cajetani subsidio tueris; frustrà causam Cajetani contra Vasquium defendis; Catholicus Auctor, scurræ hæretici, & profundissimus Theologus, inepti Geometræ opera non indiget: Ulter sit, sive regulis Vasquii, sive Cajetani, divites teneantur eleemosynæ præcepto, sive ex justitia, sive ex charitate, sive in hac, sive in alia necessitate, sive plura dicenda sint superflua, uti revera sunt, quæ ad pompam & luxum crescunt indies & multiplicantur in immensum, sive pauciora; de his in scholis, in libris, à præstantissimis Theologis disputatur; at vix unquam definietur, nedum ab homine laico (qualis es) unius diei & trimbolii Theologiæ candidato

XII. Descendis ad quæstionem vel impositam de simonia, quam Valentiæ & Tannero affinxeram *in Epist. 6.* & quam hoc loco pessimè purgas. Hic certè non vacat, ea repetere, quæ illic breviter quidem *num. 11. & 12.* sed me judice, quantum satis, ad plenam eorum, quæ longè brevius doctissimis Auctoribus, per meram calumniam, imposueras, confutationem; cùm autem fateamur utrò, Valentiæ, Sancii & Tanneri eamdem, quæ ad hoc argumentum, doctrinam esse, *eadem est*, inquis, *Sanctii divinatio*, ut vocas, cùm *Valentiæ nomine*, sic enim urbanè appellitas, & *Tanneri doctrina prorsus Valentiæ doctrinæ similis est*; ne chartam frustrà & calamum teram, satierit, opinor, Tanneri verba discutere; si tamen, ut jam aliàs facile memini, ante monuerim, varias ab Auctoribus voces & formulas adhiberi ad explanandum hoc argumentum, puta *pretii, æqualitatis, adæquationis, motivi, finis principalis, non principalis*, aliasque hujusmodi; cum tamen omnes in eo conveniant, nimirùm, simoniam duo importare, pretium scilicet & pa-

dictum, seu formale, seu tacitum, ut Gibalinus appellato laudatus accuratissimè demonstravit; tamen ergò doctrina *disp. 5. de reliq. q. 83. dub. 3. n. 66. &c.* quem tamen locum non citas *Epist. 6.* lib. *Resp. 12.* à te citatum fuisse, asseras. *Loco*, inquit, *in Epistolâ citato*, ad 4. capita reducitur; primum est, non esse *veram & propriam simoniam*, nisi *spirituale temporale accipitur tanquam pretium rei spiritualis, vel contrà*; Unde non accidit propria simonia, quando accipitur ex alio motivo, ut gratitudinis &c. *Ita docet*, inquit, *Valentia, post Sylvestrum, Cajetan. & Navarr. ex mente Sancti Thomæ, & colligitur ex notione & malitia simoniæ, quam explicant.* Et hanc partem textus Tanneri per fraudem omisisti; Secundum caput est, hoc *non obstante, quo minus in casibus à jure expressis, incurratur simonia, sive ea, quam juris positivi superius diximus, sive secundum præsumptionem externi fori*; id est, quando datur spirituale pro temporali, alio titulo, quàm ratione hanc etiam partem in vernacula truncasti, quod cum tibi exprobratum fuisset, in vernacula restituisti; priore tamen omissa. Tertium caput est, illud etiam locum habere, tametsi temporale sit principale motivum, immò & finis, etsi contrarium Sanctus Thomas dixisse videatur; hanc habes in utraque vernacula scilicet versione; nimirùm modò temporale non sit pretium. Quartum denique, quod in utraque retinuisti, de industria, *esto quidem in tali commutatione non peccatum committatur, ac simul in casibus prædictis simonia, saltem juris positivi incurratur*; quibus quatuor capitibus Tanneri doctrina de simonia continetur.

XIII. Ex his evinco manifestè, impostoras Valentiæ Tannero à te affictas; dixeras, à Jesuitis eorum à Valentia, Tannero, nullam simoniam agnosci, quando datur spirituale propter temporale, idque tanquam propter pretium; Tannerus tamen agnoscit *simoniam juris positivi*, idque diserte verbis; dixeras ex Tannero & Jesuitis, posse eleemosynam pro beneficio accipi, modò non accipiatur tanquam pretium, & quoad hoc, nulli non adesse piam sufficientem; posse, inquam, licitè, absque peccato; Tannerus tamen grave peccatum quoad expressis verbis; dicis, à Jesuitis res ipsas quæ petunt, hominibus concedi, nimirùm, ut eleemosynam accipiant ab iis, quibus sacerdotia conferunt, modò non tanquam pretium; dicunt tamen Jesuitæ omnes, esse simoniam juris positivi, committi peccatum grave; dicis, ex ipsius Tanneri confessione patere, doctrinam illam S. Thomæ consonam non esse, & ægrè tulisse Jesuitas, hoc à te dictum. Primum caput doctrinæ ipsemet Tannerus testatur mente D. Thom. esse, de quo ibi agebatur; secundum & quartum; de tertio dubitare videtur, sed mera est quæstio de nomine; cùm S. Thomas, aliique ultrò concedant, non esse veram & propriam simoniam, quando spirituale non datur propter temporale, tanquam propter pretium; Jesuitas quæstos esse, quod hæc duo verba non darem, per fraudem omiseris; quæsti sunt, quod omnes hæc duo, *juris positivi*, non *juris divini*; hæc tantùm verba, sed multas lineas per maximam fraudem omisisti. Dicis, negari à Tanneri simoniam in foro conscientiæ, sed juris divini non meminisse; admittit, esse simoniam juris positivi, & peccatum grave committi; admittitur, esse simoniam juris positivi in foro conscientiæ, non verò juris divini; scilicet in hac hypothesi; igitur loquitur de simonia juris divini, quando dicit, non esse simoniam, in foro saltem conscientiæ; & hoc prudentissimè; quia in foro externo, simonia juris positivi perindè habetur, tractatur, excipitur, atque si esset juris divini, immò talis, quo ad judicia & pœnas, præsumitur; dicis, Tannerum generatim non affirmare, incurri in simoniam juris positivi in ea scilicet hypothesi; sed *in casibus à jure expressis*, quæ est exceptio superioris sententiæ, in qua simoniam esse negat in foro conscientiæ; *quibus verbis*, inquis, *simoniam* etiam *juris positivi removerat*; *nisi fortè simoniam juris positivi in foro conscientiæ non esse censuerit*: Nihil est juris positivi, quod in jure expressum non sit; unde æquè patet unum atque aliud; igitur nec generatim, nec singillatim, quidquam est juris positivi, nisi generatim, vel singillatim, in jure expressum sit, & vicissim; igitur in iis omnibus casibus, in quibus jure cavetur, ne detur temporale pro spirituali, etiam alio motivo, quàm pretii, ut in beneficiis, potissimùm cautum est, in iis omnibus; Tannerus asserit, incurri in simoniam juris positivi, & peccatum grave admitti; & hæc in foro conscientiæ, ut dixi; omitto alia, quis enim unquam tecum finis; unde constat, non jam duas, ut ante impostoras, Tannero, ac Jesuitis, sed innumeras à te affingi; (vide quæso Lector, quam multas in paucis lineis) postremæ tamen, quas inui, non malitiam modò tuam, verùm etiam supinam inscitiam, ne dicam asinitatem demonstrant; utpote qui nescias, pro eodem accipi, aliquid esse *juris positivi*, & *à jure expressum*.

XIV. Sed, inquis, de Valentia siletis, igitur convictus manet; Hominem Geometram adeò cæcutire, vix credidissem; sed abreptus odio, errore ductus, furiis agitatus, prostitutâ præsertim conscientiâ, in barathrum cœcitatis præceps agitur; nonne fateris, doctrinam Tanneri, prorsùs doctrinæ Valentiæ similem esse? sunt tua verba; nonne dixeras, *Epist. 6.* Tannerum Valentiæ subscripsisse? vindicata igitur doctrina Tanneri, doctrina Valentiæ, quæ est eadem, vindicata manet: accedit, quod, ut jam aliàs dixi, nunquam Valentia hæc pacta in beneficiis approbavit, sed in aliis, quæ ad missas, horas Canonicas, cæteraque functiones Ecclesiasticas & Parochiales pertinent: Quod autem imaginarium quoddam simulachrum Jesuitis exprobras & caliginem, in qua illi, aberrationum suarum vestigia intervertunt, ac deditâ operâ, verba quædam ignota, ut *juris positivi*, *divini*, *fori externi*, *interni*, *casus jure expressi*, *præsumptionis externæ*, frequentent, ridiculum est; quasi verò simonia facilius definiri, explicari, concipi vel intelligi possit, quàm per pactum dandi spirituale pro temporali ut pretio; quid amabò ibi non clarum, non limpidum, nullum ibi simulachrum imaginarium, nulla chimæra; uti nec in hæresi Jansenianâ, ut jactabatis, voces porrò illæ nihil nisi tritum & quasi ex trivio præter illud ultimum *præsumptionis externæ*; quid monstri, dicere debueras *præsumptionis fori externi*, pro qua hujusmodi præsumptiones militant; hîc etiam asinitatem tuam; cur ergo de his disputas, si vel ipsas voces non capias.

XV. Sed mox thrasonem agis, ita inquis, vos præcisis quæstionibus conclusos tenebo, ut nullus distinctiuncularum vestrarum usus futurus sit, quæro igitur, an quis simoniæ labem suscipiat, qui aliquot millia nummûm alicui numerat, à quo sacerdotium accipit, numerat inquam, non tanquam beneficii pretium, sed ut motivum, &c. Mittite ambages, inquis, claram mihi responsionem dari volo: accipe; incurrit is in simoniam; an in foro conscientiæ? ita omninò: non ita Tannerus: immò, ita de beneficio; undè est simonia in foro interno juris positivi, stante nimirum hypothesi, in foro vero externo, juris divini præsumitur, & grave scelus admittitur, omnibus pœnis & censuris contra simoniacos satis obnoxium: hæc ex Tanneri doctrina; estne satis clara responsio? sed, inquis, an hunc in tribunali pœnitentiæ damnare audeatis? immò in hoc maximè, peccati scilicet & censurarum reum; ita pro Jesuitis respondeo; omnes, omnes huic responsioni subscribent; viden', quomodò res istas intelligas; ad gnomonem & circinum mi homo; hæc Theologica non capis; sed in Thesibus Cadomensibus Billius pactum illud peccato eximit; apage istas nugas; quasi verò res morales hac ratione definiantur; si Theses omnes diversis in locis propositæ, in examen vocandæ essent, nullus unquam finis; præterquam quod Billius ipse strenuè doctrinam suam defendit, & ab iniquo illo actore vel accusatore, quem ideò laudas, quia vestrarum partium fuit, nec non ab ejus calumniis vindicavit: hoccine est rem argutiis implicare, scholasticis verbis involvere, statum quæstionis immutare, ut dicis? nolles fieri mentionem juris positivi; at si res aliqua eo dumtaxat nomine mala sit, quod jure positivo caveatur; si quæram ex te, an pro missa, exequiis, aliisque functionibus, Parochialibus & chori pecuniam accipere, seu de illa pacisci quovis modo, simoniæ labes insit; negabis, inesse; aliquin ad Parochos omnes, Canonicos, Beneficiarios, immò & Theologiæ Doctores, divini verbi præcones, esses mihi amandandus; sed an saltem in collatione beneficii, vel cessione ita pacisci? simoniacum esse, illicò clamas; rectè; sed an missa, horæ canonicæ, & aliæ sacræ functiones, an sacra lectio & concio, aliaque id genus æquè res spirituales non sunt, ac beneficium? ita prorsùs & longè potiori jure: cur ergò æquè utrimque simonia non est, si pro spirituali pecunia detur. Hærebit gutta, mi homo, nisi ad jus positivum confugias & dicas, semper simoniam inesse, quando pro re spirituali datur temporale tanquam pretium, quæcumque tandem illa sit; non tamen si detur alio titulo, puta stipendii, gratitudinis, vel alterius honesti motivi, nisi in iis casibus in quibus jure positivo id fieri prohibetur; unde cum jure positivo cautum sit, ne in collatione beneficii, quidpiam temporale accipiatur, vel pactum ineatur de temporali, quocumque tandem titulo, seu motivo; & cum nihil tale in jure habeatur de missa, horis canonicis, exequiis, aliisque suprà memoratis; inde manifestum discrimen apparet; erit que simonia accipere pecuniam pro beneficio, quamvis non tanquam pretium, non tamen pro missa; simonia, inquam, juris positivi pro foro interno, & peccatum gravissimum; & juris divini, pro externo, in quo talis præsumitur, ac proindè omnibus pœnis ac censuris contra simoniacos latis obnoxia: prudenter alias Philosophus monuit, contra negantem principia disputandum non esse, at longè potiori jure contra ignorantem principia.

XVI. Pergis tamen ac dicis, Jesuitas perperam & injuria queri illa Tanneri verba, quibus in hoc facto, *grave peccatum* esse, declarat, à te fuisse omissa; quia inquis, eo loco non agebatur, utrùm id peccatum, sed utrùm simonia esset; immò censum illum dumtaxat Tannerus peccati damnat, in quo præfertur temporale spirituali; immò maximè agebatur, an hujusmodi commutationibus peccatum inesset; volebas enim à Jesuitis indulgeri atque permitti, ut præcepta morum mitissima conderem, ne quemquam à se alienarent, &c. Igitur de peccato agebatur: deinde illa clausula Tanneri à te prætermissa, in qua declarat, *grave peccatum esse*, cadit quidem in illam commutationem, in qua datur spirituale propter temporale, non tanquam pretium, sed tanquam finem principalem, qui plurimi æstimetur, quàm res ipsa spiritualis; quemadmodum peccatum esset, pluris æstimare pecuniam, quam missam; sed hoc non obstat, quin etiam peccatum insit, alio titulo, nimirùm, quia in casibus jure expressis in simoniam juris positivi incurritur, quoslibet peccato fieri nequit; & quin per finem omiseris illa verba, quæ non parum ad Tanneri mentem intelligendam conducebant: sed illæ voces antiquorum Theologorum, de quibus supra & quibus rem istam explicant, terruerunt te; nimirum rerum istarum imperitum; quare ad Scholam, ad Ludimagistrum, ad ferulam amandandus esses, ut hæc saltem inscitiam, si non malitiam excuterent: imponis ibidem Valentiæ, qui certè non negat, esse peccatum, si pluris fiat temporale, quàm spirituale, tunc enim, ut disertè ait, *omninò simoniacè*, quam peccatum; sed dubitat, an peccatum insit, quando temporale pluris non sit, quàm spirituale; ideò, non est illius finis, sed tantùm applicationis &c. nimirùm, extrà casus in jure expressos, in quibus non negat, simoniæ juris positivi peccatum inesse, imponis etiam Tannero, vel D. Thomæ, qui *absolutè esse*, inquis, *simoniam esse*, *conferre spirituale propter temporale*; cur truncas locum? & cur hæc omnia, *quam propter finem*? imponis denique toti Societati, quod ex illius decretis, tam rarum sit, simoniæ vitium, inquis, ut jam ab illo Simon Magus & Giezi facilè defendi possint; quia neuter meminit pretii; O nequam! nunquid Simon *Donum Dei non existimavit pecunia posideri*, ut Petrus ipsi exprobrat? nunquid hoc non est velle emere? quid aliud Jesuitæ omnes ad simoniam desiderant? nunquid Giezi à Naaman, Elizei nomine, pecuniam & vestes non petiit, nimirum pro curatione? fac, aliquem, pro collatum alteri sacerdotium, ab eo petere duo millia nummûm: idem vel omninò similis casus est, quem nullus Jesuita eximat simoniæ.

XVII. Facilè tibi esset, inquis, de Jesuitis multa excitare, si alia loca, proferre velles; & statim duo indicas, excerpta ex Escobario, primò, quod simonia non sit, si duo paciscantur de suffragiis invicem, te lige me in Generalem, & te in Provincialem eligam; secundò, quod etiam verè simonia non sit, si committere temporale pro spirituali, aut vicissim: Suarez etiam in rebus seriis & sacris, ridendi & jocandi materiam quærit; quasi verò utraque quæstio in scholis non proponatur & discutiatur; quoad primam, nonnulli volunt, simoniam inesse, ut Rodrig. Portell. Lezan. Sylvest. Petr. Navarr. Villalob. Cajetan. Suar. alii negant, ut Aragon. Manuel. Sa

Vide

thor. Lop. Sanch. Bonacin. Henriq. Azor. Leſſ. Filliuc. & alii, quos alibi citavi, ubi hoc argumentum à ſcuſſi; altera quæſtio ejuſdem generis eſt; ſi dicunt, non eſſe ſimoniam fictè promittere, Cajetan Sot. Tolet. Gibal. Valent. Suar. A- Lym. Bonacin. Filliuc. Caſtr. Pal. & alii, etiam alibi citavi, contra Navarr. utut ſit, non prædicti Auctores, graviſſimum ſcelus in u- admitti, in quem per leges juſtè animad- eat. Hæc autem quæ à me dicta ſunt, ita ac- non quidem, ut dictis opinionibus meum , ſed calculus accedat; in hac quippe ma- imum vigorem probo ac ſervari deſidero; pecunia ne nominetur quidem, quando de qualibet re ſpirituali: & in materia bene- omnia pacta damno, præter ea, quæ à rei na- ſunt; dico tamen, privatum hominem, laicum & imperitum eum non eſſe, qui rem i- ſciat, graviſſimos Auctores notet cenſuris, ridiculis, ac præſertim iis calumnias dignas homine ingenuo.

XVIII. Ad tertium calumniarum caput illudque ſophiſmum, iis, propulſandum, accedis; illud eſt quidam ſententia Leſſii, circa illum, qui cedit fo- tenere poteſt ſibi ac familiæ ſuæ neceſſaria, Leſſio ne indecorè vivat, quamvis debita, cui- cedit, injuſtè fuerint contracta. De hoc ſatis jam à me actum eſt, quantum ſatis, *in* Iuſt. 3. n. 9. Ubi doctrinam Leſſii, de hoc n. 40. ad 44. capita reduxi; nimirùm, primò, poſſe redactum in extremas anguſtias, ſi a- aliter non poſſit; Secundò item redactum ad ſi- neceſſitatem, ea durante. Tertiò redactum ſuam culpa, id eſt, ſuperfluis ſumptibus, non poſſe, ſed teneri ſolvere debita, etiam amiſſione ſtatus; Quartò, item illum, qui per & injuſtitiam, etiam cum dimiſſione ſta- tractas hæc ex dicta Leſſii verbis *Lib. 2. cap. 16.* quidem n. 1. *extrema neceſſitas tua, vel tuo- ſalter ſubvenire nequis, niſi rem alteri debitam* *dendo, excuſat à reſtitutione, quamdiu durat.* Se- n. 15 *non ſolum extrema ſed etiam gravis ne- quamdiu durat, excuſat, niſi creditor ſit in pari* Tertiu n num. 28 *Quid ſi ad eas anguſtias* *tua culpa, v. g. ludis, nimiis ſumptibus, non* *dilationem; tibi enim imputare debes, quod jam* *amiſſione non poſſis ſatisfacere.* Quartum n. 29. *Si quis rapinis, uſuris fraudibus ad aliquem ho- ſtatum perveniſſet, teneretur, etiam cum ejus di- ſcere, reſtituere,* &c. Idem repetit eodem to, hæc ſunt diſerta verba Leſſii; unde fru- ſtra multiplicas, & truncas: & quamvis hoc lo- maximè triumphare thraſonicè & miſeris Jeſui- videaris; hic tamen maximè, ſi uſpiam deprehenſus ſcilicet palam in flagran- enim Escobarum, inquis, vindices, & ab eo citati doctrinam talem eſſe, qualem Escobarius eſſe dixerat, oſtendas, Leſſii textum prolixum, uno tenore contextum & minimè diſtinctionem, deſcriptum ſubnectis, citaſ- lib. 2. cap. 16. num. 45. in hunc modum, *idem* *ſatur aperte ex juribus citatis,* &c. Quid quæſo ſe- illud *idem* quò refertur, ad quem, ad quid? certum eſt, nebulo principium illud hujus nume- Hinc ſequitur, in quit Leſſius, nihil o ſtatim. num. *Ex dictis quis aliquæ culpa cogitur cedere bonis ſi fiat exe- bonis ejus, per creditores, poſſe abſcondere, quan-*

tum neceſſarium eſt, ut tenuiter vivat, ſecundùm ſuum ſtatum, ut non egeat: & ut expreſſè Sylveſt. ne aliquatenus indecenter; audin, mi homo? *tenuiter non egeat*, idem colligitur aperte, &c. ut ſupra. Videmus, quò re- feratur illud *idem*; *maximè, quo ad ea bona, quæ poſt ceſſionem acquirit, de quibus etiam is, qui debitor eſt ex delicto, retinere poteſt, quantum neceſſarium eſt, ne inde- corè vivat.* Hæc autem addit num. 46. *Petes, an leges id permittant de bonis, quæ tempore inſtantis ceſſionis habebat; Reſp. ita videri, colligi ex L. qui bonis ff. ubi di- citur, eum, qui bonis ceſſit, non eſſe fraudandum quo- tidianis alimentis, quod eſt æquitati conſentaneum, in debitore, qui abſque ſua culpa non eſt ſolvendo*; hæc au- tem minimè interrupte ſubdis, *licèt debitor ſit ex de- licto*; quæ hic non habet Leſſius, nam continuò ſequitur num. 47. *Dico tertiò*, O nequam! ita ne im- ponis lectorum oculis, quibus Leſſii non eſt co- pia; immò ſi hæc haberet Leſſius, ſibi contradi- ceret; ſi enim *abſque ſua culpa*, quomodò *ex delicto*?

XIX. Illud autem periculum eſt, quod ſequi- tur, nempe addis quaſi uno tenore à Leſſio dicta, iiſdem characteribus Italicis, *nam, ut ait idem Leſſius n. 42 non tenetur debitor ſe ſpoliare neceſſariis alimentis, ita ut cogatur mendicare,* &c. *etiam ſi debeat ex delicto*; connectis illud *nam* dictis n. 46. ubi agitur de bo- nis, quæ tempore ceſſionis habebat is, qui *abſque ſua culpa* &c. cum iis, quæ dicta ſunt n. 42. quo ad ne- ceſſaria alimenta, etiam ſi *debeat ex delicto*: cum ta- men Leſſius diſertè doceat, ceſſionem bonorum non magis excuſare in foro conſcientiæ, quam *ex- cuſat neceſſitas ſine ceſſione* n. 42. atqui ſi delictum adſit, tenetur debitor reſtituere *etiam cum amiſſione ſtatus* n. 28 & 29. Leſſio igitur immeritò expro- bras, quod legibus aburatur, cum diſerta legum ver- ba expreſſerit, & Navarr. citet, Sylveſtr. Petr. Na- varr. Medin. Covarr. Adrian. Tolet. Sot. Lop. Angel. Scot. Joan. Nyder. S. Antonin. &c. & conſequentiam illam temerè, malignè, nec non per atram calumniam deducit, nimirùm, permitti à Leſſio iis, qui bonis cedunt, ut ex iis, tametſi ex delicto partis, retineant, quod neceſſarium eſt, *ne indè certè vivant*, id eſt reten- to priore ſtatu; cum tamen Leſſius hoc tantùm iis permittat, qui *abſque ſua culpa* & debita contraxerunt, & ſolvendo non ſunt, iis verò, qui cum delicto, de bonis tantùm poſt ceſſionem partis: Sed *quo tandem*, inquis, *charitatis genere, hæc bona potiùs raptoribus, quàm legitimis Dominis tribuitis*? hic nodus vobis eſt diſſol- vendus; jam ſolvit Leſſius; in extrema neceſſitate, nemo negat; in gravi de malè partis negat Leſſius, immò in gravi, ſi Domini æquali neceſſitate premun- tur: in his Leſſius nihil niſi communia. Sed urges, poſſumne, inquis, decoctores Eſcobarii ſententiam ſe- qui? ſi annuant Jeſuitæ, ad ſupremum ſenatum eos remittis; ſi negent, quid tam gravi Doctore inquis, quid probabilitatis doctrina fiet? ſic eos in hoc luto relinquis.

XX. Urbana certè concluſio; utinam tu ipſe in luto errorum ab Eccleſia damnatorum obſtinatiſſimè non hæreres; nulla hic difficultas, ne per umbram qui- dem apparet; juxtà Leſſii ſententiam, quam Eſco- barius ſequitur, ſed quam non explicuit; ſatis eſſe pu- tans, ſi ad Leſſium lectorem remitteret, decoctores ſe gerere poſſunt; quamquam, ut jam dixiſſe memini, doctrinam moralem Societatis in eo libello, toties edito, ac proindè per tam multorum manus ad nos delato, quærere non debemus, nec etiam breviſ- ſimæ potiùs ſummulæ valde compendioſæ, quam ſummæ calculo, non exiguâ doctrinæ Societatis molè

censere; dicam ingenuè, compendiolum, seu commentariolum illud à doctis hominibus eo loco habitum fuisse, nunquam observavi, ut multum curarent, vel æstimarent, quod in eo legeretur; unde dato etiam & non concesso, quod Escobarius in hoc argumento errasset; dolerem certè illius causa, non tamen Societati multum cordi & curæ fore, facilè crederem; unde nodus ille facilè solvitur, nec hærent Jesuitæ in luto, nec multùm urges, cum tuo illo argumento; nam & Escobarius doctrinam Lessii in hac quæstione sequi se testatur, & tu ipse ultrò fateris, quæ sana est & tuta; vel ab ea, per incuriam deflectit; unde illum in hoc defendendum, ut jam dixi aliàs, non suscipio; nec tanta est illius auctoritas, ut opinionem certò probabilem faciat, ac proinde tutam; nam ut fusè in Notis, & alibi, certam dumtaxat probabilitatem in praxi admitto ac permitto.

EPISTOLÆ XIII.
Confutatio.

I. POstremam commodùm Jesuitarum scripturiunculam à te acceptam fuisse, dicis; *scripturiunculam*, inquis, *schedulam*, alibi; ut res Jesuitarum eleves; hæc pura, puta est Jansenistarum indoles, hic genius & character, ut nihil nisi grande atque divinum ab iis edatur; ab aliis verò, nihil nisi flocci & nihili: hæc tamen schedula, vel scripturiuncula nec terum copia, nec libri mole, nec etiam, velis, nolis, verborum elegantia tuis cedere cogitur. *Vbi calumnias vestras*, inquis, *ad vigesimam usque perduxistis*; rectè omninò; calumnias Jesuitarum agnosco, sed passivas; & Jansenistarum, sed activas; da mihi quæso hunc loquendi modum; unde ne tibi mendacium in os impingam, hoc sensu verba tua usurpanda esse duxi; de multis impostoris & falsificatoribus à te affictis, Jesuitarum aliquis tecum expostulaverat; tres primas in priori Epistola defendendas, seu diluendas susceperas; sed profectò antiquas impostoras novis impostoris accumulasti, non refutasti: in hac verò, quartam suscipis refellendam & vindicandam, & simul unà 11. 13. 14. 15. 16. 17. 18. argumento conjunctas; quamquam altera statim post pagina, repugnantia loqueris; ubi vis, esse distincta prorsus argumenta; & hic tritum illud locum haberet *mendacem oportet esse memorem*: immemor tamen propositi, cuncta simul omittis; multi expectabant, ut Patri Layman faceres satis, cui sententiam Navarri de duello affinxeras; hæc fuerat 11. impostura; sed de hac ne verbum quidem; nonnulli voluissent, ut etiam Molinæ, cujus textus ita disposueras ac deformaras, ut sensum Auctoris omninò corruperis: hæc fuit 13. & 14. sed hic quoque taces: Reginaldi, Lessii, Filliucii loca fœdissimè adulterasti, alterâ illorum parte suppressa, ut alteram corrumperes; hæc fuit 16. 17. 18. illatam injuriam saltem agnoscere debueras; hoc etiam memoria excidit; idem Auctor tibi rotundè denunciarat, nullum unquam Jesuitam sensisse, propter leves obtrectationes, hominem occidi posse; quod tu ipse iis affinxeras, *epist.* 7. hoc etiam reticuisti, & leves obtrectationes in atroces calumnias commutasti, iis profectò debitoribus haud absimilis, qui ne antiqua nomina solvant, novas quotidiè lites creditoribus movent.

II. Tuam deinde fidem, in referendis Auctorum sententiis, altè prædicas; sed quam, amabo te fidem? haud dubiè Jansenianam; est sanè, quod hanc laudem nullus Jesuita tibi detrectet; hanc fidem in hac Epistola vindicas; jure quidem; tua est; eam tibi tuisque diligenter serva; sed ut adeò solicitus esse videtis de Fide Catholica, de Ecclesia, de Religione, ut eam à Jesuitarum corruptelis præstes indemnem, & illius decreta ab illorum flagitiis defendas, quod certè risum mihi, non stomachum movet; quid enim magè ridiculum, quàm Ecclesiæ & Religionis causam contra Tolletum, Bellarminum, Delugo, Pallavicinum, Sirem, Vasquem, Molinam, Valentiam, aliosque ab hæretico notorio suscipi? ita prorsùs contra canes à lupis causam ovium. Sed ad rem, mi bone: diserta Victoræ verba, & hæc fuit quarta impostura, in septima Epist. Lessio affinxeras, quæ itidem confutatione fideliter retuli; tu videris, te more vestro, centies eadem repetas; luculenta impostura facta est palàm, ac proindè plerisque perspecta: quid verò tu ad hæc? rem ita esse, agnoscis, sed *necdum hoc causa*, inquis, *continetur*; hoc tamen, eoque dumtaxat, continetur impostura; nam in septima tua locum illum Victoriæ Lessio tribueras, quem deinde in ejusdem versione, & intr. Victoriæ restituisti; nunquid hæc non est manifesta impostura? an impostor eo satis tueri se putat, dicat, necdum eo causam contineri? aut fur insigranti deprehensus, & tractus ad Judicem, arrem furto sublatam restituat, si vociferetur, necdum hoc causam contineri? quia videlicet alia multa sum sustulit; ita est profectò, illud retineo, sed hoc accipio; nam multæ aliæ impostoræ tibi suppetent; subdis enim, Victoriæ opinionem ideò referri à Lessio, ut eam sequatur; novam oppidò impostoram, quæ non modò primam illam non deluit, sed plurimas deinde secum affert atque adensat; siccine recenti vulnere antiquum curatur? an tibi satis non fuit, Auctoris verba falsasse, nisi etiam doctrinam & sensum adulterares? itane verò Victoriæ sententiam Lessius sequitur? oppositum docet, illudque luculenter evinco.

III. Numero 80. de prædicta Victoriæ sententia hæc disertè habet, *in praxi tamen non videtur facilè permittenda*: an fortè poterat, cum aliquis licèt urbanitate & modestia, clariùs & nitidiùs ea Auctoris celeberrimi sententia discedere, quam etiam, quod tamen tu cautè dissimulasti, S. Augustini auctoritate impugnavit? accedit, quod numero sequenti, discussa Petri Navarræ sententia, quæ calumniatorem occidi permittit, *hanc quoque sententiam in praxi sibi non probari*, asserit: *hanc quoque*, inquit, prima igitur illi non probatur; unam quoque cum alia illa particula *quoque*, in eodem, vel simili censuræ genere connectit; cur ergò dicis, illam opinionem Victoriæ ideò referri à Lessio, ut eam sequatur; si enim sequitur & tenet; igitur adstruit, permittit & probat; sed disertè dicit, à se non permitti neque probari; & hæc dissimulas, effususque in contia adversus Jesuitas, impudentiæ illos, perditæ fidei & fraudis insimulas, utpotè qui honestissimorum

homi-

hominum crudelitati illudant, & æquivocantium artem probè callentes, aliun. Lessii locum ostendant de eo, quo de agitur: sed utriusque loci, quæstionis utriusque, Jesuitæ disertè meminerunt; cur ergo dicis, unum locum ab iis ostensum, & alium per fraudem suppressum ac reticitum? vel, ut lepidè tibi dicere videris, unum alta voce prolatum, alium verò submissa mussitatum; cùm uterque disertè ac syllabatim expressus fuerit: nec est, quòd opponas, Lessium ultrò fateri, Victoriæ sententiam speculativè probabilem esse; ita est, speculativè, per locum sanè extrinsecum, ut vocant, cùm illam multi auctores, idque gravissimi adstruant, quorum aliquos Lessius ibidem appellat, nimirum Victoriam, Navarrum, Petrum Navarram, Henriquez, Jason. Cordub. Cluc. Mantium, Pennam, Cajetan. D. Antonin. Mercurium; alios alibi appellasti; quasi verò privato cuiquam vitio vertendum sit, quod tam multos quàm celebres auctores non damnarit, nec sibi jus arrogarit, quæ modestia, tetram iis censuræ notam inusserit. Cur igitur Vasquius, inquies, notam inussit? cur dixit, illam sententiam *christianam non esse, sapere impietatem, & Decalogum destruere*? hæc enim sunt ipsissima Vasquii verba; ita prorsus; quid mirum? plus æquo est Vasquez, quàm Lessius; aut certè, longè verisimiliùs dixerim, Vasquium intelligendum esse de sententia illa practicè, ut ajunt, considerata; & in hoc Lessio Vasquio suffragatur; cùm disertè neget, sententiam illam in praxi permittendam esse, ob periculum odii, vindictæ, cædium, pugnarum, &c. & probet Augustino, quod tamen, ut jam innui, cautè admodum. Ex Lessio igitur, inquis, aliquando permittenda, rariùs licèt, ut ex illa particula *facilè* omnino colligitur: malè profectò infers, id sequi & colligi ex dicta particula, quæ hoc loco idem sonat, quod *rarò*, vel *haud dubiè*, ut perspicuè deducitur ex secunda sententia n. 82. exposita, de qua quid sentiat, his verbis expromit, *hæc quoque sententia in praxi mihi non probatur*; illud *quoque* prorsus evincit idem Lessii utriusque judicium. Sed, inquis, si hæc incommoda timerentur, odium scilicet, vindictæ cupiditas, nec non cædibus locus sit, nullum tunc erit in cæde licitum, etiam in praxi: quam argutè ineptis, vel ineptè argutis; non agitur hoc loco de odio & vindicta, sed de periculo utriusque, quod moraliter abesse neget deinde quid opus est multis cædibus, cùm una sufficiat? denique quando appellas cædem in praxi, videris, quid dicas, & theses tuas omnium ludibrio exponis; quasi verò cædes citra praxim esse possit.

IV. Quod subnectis de alapa Guillio à P. Borite Jesuita Compendii inflicta, non aulæ modò, sed totius Lutetiæ publica testificatione, manifestæ falsitatis convictum est; quod etiam in 14. Epistola regesserat, ludisque in alapa aversa manu inflicta; hoc enim vobis solenne est, mendacium semel assertum, obstinatissimè sustinere, quamvis notorium sit. Ne quid tamen dissimulem, hæc ludicra narratio in scurrilem longè meliùs quadrat, quàm disputatio Theologica; nec huic imposituræ diutiùs insistendum esse censerem, cùm satis gravem pœnam esse constet, in mendacio, eoque publico, palam, in media re, deprehensum fuisse; quod revera satis esset, ad confutandum, vel obtundendum os tuum, si fortè impudentiæ infrunitum esset; ac te puderet, scribere deinceps, nisi pudorem omnem posuisses; inde tamen omnes videant, hoc vobis solenne potissimùm esse, mentiri liberè in notoriis; & quàm parum, aut nihil sacri vobis restet in rebus privatis & occultis, cùm in publicis & notoriis omnem fidem prostituere non dubitetis: quod verò subdis, Guillium illum culinæ regiæ præfectum, Parochi sui melioribus præceptis institutum, post acceptam alapam, à vindicta & cæde temperasse; eò spectat, ut dicto Parocho religionis causâ in exilium relegato, in tua Epistola locus esset, hoc dumtaxat nomine, quòd eodem tecum animo, maximè sit Jesuitis infensus: est tamen, quod reliqui Jansenistæ tibi succenseant, quorum decisiones morales in publica impostura, & vano falsoque rumore fundatas esse voluisti: falsum est igitur, colaphum Guillio à Jesuita incussum; verissimum tamen & notorium, veritati & innocentiæ à Jansenista mortalium mendacissimo infractum fuisse.

V. Quod innuisti de ambiguitatis & æquivocationum arte, qua unum alta, & aliud summissa voce profertur; nullam responsionem postulat; res per se ipsa loquitur; nec est, quòd à Jesuitis, aliisque Theologis artem illam discas, quam vestri adeo familiarem sibi fecerunt; exactis causæ Sancygirani, famosi scilicet illius vestrarum partium coryphæi, habemus, clam & summissa voce dici per illum potuisse, Concilium Tridentinum merum Theologorum consessum fuisse, à quibus doctrina Ecclesiæ, in multis, adulterata est; palam verò, & alta voce, illud ipsum negari, si quid fortè inde quispiam negotii faceesseret: audi quæso, quid dicat de hoc argumento vir ille divinus, ut vocatis, seu potiùs fanaticus, ut vocare soleo, in epistola ad Dandillium; *Si repugnantia interdum*, inquit, *à me adstrui aliquis objectat, ut nuper eximius ille tuus, quem diligis, inde jure me tuetur, quòd cælestis cujusdam mixtionis sim, & ex contrariis qualitatibus compactum esse, me sentiam: ignis & aqua in me sociantur, & pugnantia non rarò loqui me cogunt; ita tamen, ut unum aliud minimè destruat; quemadmodùm in cælo ignis lunæ & aquis, à quibus cingitur, nullum inde caloris sui patitur detrimentum.* Quàm bellè bonus ille vester ratiocinatur; quàm commodè ignis, aqua, luna, æquant illius temperamentum, ut memoriæ lapsibus occurrant, hoc sanè remedio uti posses, Willelme; promiseras enim statim initio, te septem aliis impostoris, quas etiam appellasti, facturum satis; quod deinde, quamvis caput præcipuum esset, ita memoria excidit, ut ne unum quidem verbum de iis feceris.

VI. Frustra verò Escobarium hoc loco appellas; quid enim quæso ille? nihil prorsus, quod ad rem nostram faciat; ut constat etiam ex illius verbis, à te in cassum exscriptis; ibi enim tantùm diversas auctorum opiniones refert, circa prædictam Victoriæ sententiam, quam per calumniam Lessio affinxisti; aliqui eam reprobant absolutè, ut Vasquez; alii in praxi tantùm, ut Lessius; alii denique, ut Henriquez, in praxi etiam probabilem esse docent; appella quæso alium ex Societate, qui eam in praxi probet, & eris mihi magnus Apollo; alium inquam auctorem, qui sua typis mandarit; reliqua enim sunt mihi floccifacienda, ut theses Cadomenses, prælectiones Parisienses, assertiones Rothomagenses; omitto fabulam Herelli, jussu regio domi clausi, pro carcere; cuncta hæc ad libros de arte fingendi, seu mentiendi, amandanda, unà cum aliis plusquàm anilibus fabulis, puta Ioannis Albani, Compendiensis alapæ, &c. quid enim amabò in scriptis, quæ non extant, & quæ quisque ad nutum, ac pro arbitrio, fingere potest, mentiri & calumniari non valetis, quibus tam impudenter & putidè, quàm impunè in publicis auctorum monumentis, quæ palam prostant, mentiri & calumniari solemne est?

VII. Descendis, ad explicandum paulò diligentiùs distinctionem illam opinionis speculativæ à practica, seu potiùs, probabilis speculativè, à probabili practicè; in quo id profectò assecutus esse videris, ut vel inde constet, rerum illarum te imperitum, immò ignarissimum esse; *vana est*, inquis, *distinctio speculativæ & practicæ tadii*; vah bardum & ignavum pecus; quis unquam cædem sine actione, actionem sine praxi agnovit? quid quæso est cædes illa speculativa, non practica, id est, cædes, qua nihil fiat, nullus cædat, nullus cædatur? quid monstri? cædes, quæ cædes non sit? audin repugnantia: dicere debueras, opinionem, quæ sistit in mente, nec ad opus seu praxim traducitur, seu refertur, speculativè sumptam dici; practicè verò, quatenus in mente non sistit, sed ad opus, ad usum, aliquam actionem humanam refertur, aut reducitur; ubi ergo aliqua opinio ad praxim & usum reduci nequit, nisi ab aliqua circumstantia, vel aliquo adjuncto vitietur, Theologi morales dicunt, illam in praxi probabilem non esse; etiam si fortè, quatenus in mente sistit, à dicta circumstantia præcisa, probabilis quibusdam videatur.

VIII. In Notis paulò aliter rem istam distinxi, & illam opinionem speculativè tantùm probabilem esse, dixi, non verò in praxi, quam licèt aliqui auctores, iisque satis graves, probabilem esse, dicant, alii tamen æquè graves, negant, esse probabilem; unde fiat, certò probabilem non esse, sed probabiliter tantùm, ac proinde ad usum & praxim reduci non posse, quæ judicium practicum certum postulat; igitur in praxi probabilis censenda non est: itaque Victoria, Navarrus, Henriquez, & alii, opinionem illam, qua de agitur, probabilem esse, dicunt; Vasquez, & plerique ex Societate, probabilem esse, negant; Lessius cùm negare non posset, esse probabilem, ut dixi, saltem per locum extrinsecum, mediâ quadam viâ inîtâ, statuit, esse probabilem speculativè, non tamen in praxi; id est, juxta nostrum, eumque nativum explicandi modum, esse tantùm probabiliter probabilem, ac proinde ad usum minimè reducendam; cùm enim Jesuitæ ferè omnes conscientiam certam esse velint, & nullus inficias eat, quin hæc doctrina propria sit Societatis, ac demum opinio speculativè tantùm probabilis, certa & tuta non sit; non est, quod timeas, ne à speculatione ad praxim facilè descendatur; rem hanc, mi homo, non capis, ut mitissimè loquar; repugnat enim opinionem illam reduci ad praxim, honestè scilicet, & tuta conscientia, quam in praxi probabilem non esse, constat.

IX. Sed, inquies, Joannes Sancius, à quo Escobarius deinde accepit, disertè docet, illam opinionem esse probabilem practicè, quæ est probabilis speculativè; cùm igitur illa opinio Victoriæ, secundùm Lessium, speculativè sit probabilis, nihil vetat, juxta prædictos auctores, practicè quoque probabilem dici: ut ut sit de isto explicandi modo, quem admittere non cogor, cùm duos illos defendendos non susceperim, quamvis alioquin non negem, modum illum boni sensus patientem esse, nec non posse in bono lumine collocari; certum est, nullam actionem honestam esse, cui judicium practicum certum non præluceat; judicium, inquam, de illius honestate & bonitate; dicitur autem practicum, quia terminatur ad praxim, eamque proximè dirigit, nimirum ipsam actionem honestam: huic porrò judicio præmittitur aliud, quod speculativum vocant, ac versatur circa objectum dictæ actionis: id est, circa veritatem illius objecti; & aliquando est certum, aliquando verò tantùm probabile; & hæc est opinio probabilis practicè, id est, quæ ad praxim tutò reduci potest, tandemum semper est, quando est certò probabilis, proinde certò prudens; nisi enim certo probabilis sit, certò prudens non est, nec probabilis practicè, sed speculativè: igitur ad praxim honestam minimè reducenda: hæc sunt illa nostra principia, de quibus in Notis, in quæ tota illa distinctio, immò tota rei probabilitatis resolvitur; si enim opinio certò probabilis est, nemo negat, probabilem esse, saltem, ut auctor sit alicujus nominis; nulla igitur circumstantia vitiatur, à qua in praxi separari non possit; alioquin non deessent, qui negarent, illam esse probabilem: ita ergo Sancius & Escobarius intelligendi sunt, si enim aliter, illorum doctrinam non suscipio defendendam, nimirum doctrinæ Societatis, in hoc scilicet argumento, contrariam.

X. Mentiris porrò plusquàm impudentissimè, nebulo, cùm dicis, religionis præcepta, quæ solam religionem, non verò Rempublicam attingunt, qualia sunt contritionis, Pœnitentiæ, & divini amoris dogmata, sine distinctione, sine exceptione, ita metu à Jesuitis calcari, qui divinam justitiam rorum, aut nihil verentur, quod cum intimo doloris sensu, in flagitiosis illorum decretis videat omnes, quos Ecclesiæ cura sollicitat; è quam, vestra sunt, non Jesuitarum flagitiosa decreta errores scilicet ab Ecclesia damnati, aliaque centena & millena, non censura modò notanda & condemnanda, verùm etiam igne purganda & expianda; quasi verò Romanum Pontificem, Cardinales, Episcopos, si paucos excipias, doctissimorum & pissimorum hominum non jam legiones, sed myriadas, Ecclesiæ cura non sollicitet, sed Jansenistas duntaxat, iisque fœdere conjunctos; & lupos tantùm voraces, non vigiles & fideles canes ovium Christi custodia urget & premat? ita ne verò cura Ecclesiæ vos sollicitat? sed impia, iniqua, & malis artibus instructa, quæ ipsam Ecclesiam tot ac tantis erroribus conspurcare, & Christi fideles tot factionibus, machinis & dolis in errorem inducere non cessatis: quis amabo ergò gentem incuriam hujusmodi curæ non autoremque injurium porro est Reip. christianæ, quod dicis, illius non interesse, Sacramentorum materiam, nimirum actus pœnitentis adulterari; statuta religionis præcepta sine exceptione calcari, flagitiosa decreta de rebus sacris spargi & publicari, ab omnitatione, immò & religione alienum est; quasi verò religionem & divinis legibus, illarumque indemnitati christiana Respublica consulere non debeat: sat video, quæ spectes, Willelme, velletis Ecclesiam & religionem impunè aggredi & impia, hæretica & blasphema vestra dogmata citra ullam pœnam spargere & promulgare; doletis, ab Ecclesia damnata fuisse, & vos à Christianis Principibus in officio contineri, ac decretis & statutis Ecclesiæ pareatis; illud vos alæpugit, egitque in desperationem, & hujusmodi vos à vobis extorsit: quasi verò Ecclesia in hæreticos, sphemos, Atheos, simoniacos, alioque divinae violatores severissimè non animadvertat; & quam hoc, distinguendæ sint leges conscientiæ, quæ illam religionem, ab iis, quæ Rempublicam etiam attingunt?

XI. Pessimè item asseris, distinctionem illam opinionis speculativè probabilis, à probabili practicè à Jesuitis adhiberi de industria, in iis, quæ Reipublicam attingunt, cùm æquè in omni genere adhiberi possit, ut manifestum est; quod revera ut non videatur

videas, insciam, supinitatem, asinitatem tuam, ut sic loquar, satis mirari non possum. Quòd autem distinctionem illam à Jesuitis primùm excogitatam fuisse dicis, ineptum est, ac ferulâ dignum; cùm Cajetanus multis locis, sed præsertim 1, 2. q. 57. a. 5. ad 3. illius mentionem faciat, & multi postmodùm auctores illam amplexi sint, & ab ipso Paulo didicerint, qui dolose, culpæ non verti, comedere idolothyta, si res per se ipsa consideretur, sed si fidelium scandalum inde timeatur, ab eo penitùs abstinendum: communis est inter Jurisconsultos, ut observat Joannes Sancius, eorum multi, Cuiacii, Duareni, & Donelli sententias in praxi sequi non ausi, eas tantùm in theorica probant, & dici volunt theoricas, non practicas: Duellius distinctionem illam in Sorbona communem vocabat, & alibi passim alii Auctores; vix enim unum reperias, qui eam aliquando non usurparit; cur ergo dicis, illam ab Academia Parisiensi dudum ut ridiculam exagitatam fuisse? cur dicis, arcanum esse Jesuitarum politicum? Jesuitæ, inquis, in speculatione omnia probant, in praxi damnant; illi certè, nec in hac, nec in speculatione; vos verò in speculatione eadem damnatis ad speciem, sed in praxi probatis, & ad praxim redigitis, Jansenii Patriarchæ vestri exemplo, qui furtum in speculatione damnabat, quod tamen probabat in praxi; cùm enim Collegii sanctæ Pulcheriæ Lovanii administer esset, subtilem reverà modum excogitavit, ex illius redditibus, eam summam subducendi, quæ ad sustentationem Barchosii sufficiens esset, & procurandi, ne quid deinde apparere, cum ab eo administrationis ac reddituum ratio poscheretur: egregiam verò praxim, & præclaram artem tuendam pecuniam furandi, & falsandi rationes, fucosomnino & falsariis opportunam; parce igitur istos fabriles distinctiones Jesuitis affingere; tibi tuisque serva, qui tam sanè futiles commenti estis, cum diversorum sensuum, in columnis vestris, manuscriptis & factis; aliasque hujusmodi, quibus, Ecclesiæ fulminibus & anathemati capita vestra subducere, frustra licèt, conati estis.

XII. Deploras deinde, sperare Jesuitas, gratia, quam valent in Ecclesia, perfectum iri, ne ab iis eadem Ecclesia violatæ veritatis pœnas exigat; hanc fortè gratiam invidetis, si tamen gratia est, propter veritatis & religionis defensionem, Ecclesiæ gratum & acceptum esse; non aliis, crede mihi, artibus Jesuitæ Ecclesiam sibi demerentur, aucupanturque optimæ matris gratiam; vos verò quibus? quid enim ad hanc finem omisistis? quid non feciistis, tum in Gallia, tum in Italia, ad captandum, ad prensandum opinatum patrocinium? nunquam tamen res vobis pro votis successit; nunquam Ecclesia vel unum ex dogmatis vestris probavit, sed quinque illas propositiones, id est, doctrinæ vestræ breviarium tanto apparatu & sumptu munitas, tanto molimine & nisu Jesuitas, tanta commendatione & intercessione innocentius, solemni constitutione damnavit, appositis quoque justa censura; negatis illicò, esse Jansenii, aut eadem in ejus sensu damnatas, cùm tamen ante, illas esse Jansenii, & in Jansenii sensu passim sustineretis; ut Ecclesia, ut hoc effugium præcluderet, nova constitutione declaravit; illas ut Jansenii, & in Jansenii sensu damnatas fuisse, easque, ut tales, denuò damnavit. Arnaldus paulò pòst duas epistolas & ab ipso scripta in lucem edidit, ut primam propositionem, in Petro Christum negante, à censura vindicaret, sed hæc pariter omnia ab Ecclesia damnata, quæ ante, longum librorum vestrorum elenchum jure confixerat: ad distinctionem juris & facti confugistis, sed hoc effugium quoque ab eadem Ecclesia præclusum est, propositâ fidei formulâ, quæ uterumque complectebatur, cui subscribere jussi estis: denique ad res morales disputationem traduxistis, cùm scholasticæ, ut vocant, parum propitiæ vobis essent, scriptis scilicet epistolis, quarum confutationem aggressus sum; sed hæ quoque ab Ecclesia nigro theta, cum multis aliis libellis, qui ex officina vestra prodierant, notatæ fuerunt; ex quibus manifestè sequitur, Jansenianam doctrinam universam, ab Ecclesia damnatam fuisse, ut erroneam, impiam, blasphemam, hæreticam; ac proinde Jesuiticam illi oppositam non parum inde roboris atque momenti accepisse.

XIII. Ut autem eò redeat oratio, unde digressa est; senserunt aliqui, nullo unquam câsu, homicidium licitum esse, & hic fuit Waldensium error; tu verò dicis, immensum quoddam intervallum intercedere, inter Dei præceptum homicidium prohibentis, & Casuistarum decreta, quibus homicidium permittitur; in quo, quamvis alioquin obscurius, de industria, loquaris, ad primum illum errorem videris accedere; alii, ut Sancygiranus vester, docent, quemlibet interiore spiritu, vel instinctu actum, posse alium interficere; quod certè impium, inhumanum, immò & hæreticum est; alii tenent, ut ille idem, in quæstione regia, nonnunquam teneri quempiam sibi vitam eripere; ad fidem pertinet illa sententia, qua licet nocturnum furem irrumpentem occidere; illa etiam ab Ecclesia recepta est, quæ permittit injustum aggressorem occidere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, se suaque defendendo, non copulativè, ut nonnulli satis ineptè interpretantur, sed distributivè, aut disjunctivè: quædam aliæ sententiæ de hoc eodem argumento disputationibus Theologorum Ecclesia liberas relinquit, qualis illa est, utrùm pro defensione honoris hominem occidere liceat, laico scilicet; item illa Victoriæ, quæ huic nostræ disputationi causam dedit, & aliæ hujusmodi; quarum aliquæ sunt certò, ac proinde practicè probabiles, aliæ verò probabiliter tantùm, & speculativè, juxta illum modum, quem supra breviter sanè, sed luculenter explicui; nihil autem moror in hoc Escobarium, aut Joan. Sancium, quos certè auctores canonicos esse non puto, quorum scilicet dictis in omnibus standum sit; quamquam, ut dixi, satis commodè explicantur.

XIV. Sed ut brevi compendio summatim omnia complectar, falsum est 1. illud omne probabile ac tutum esse, quod ab aliquo gravi auctore probatur; pauci reverà auctores sunt, quibus aliquid improbabile, aut etiam erroneum non exciderit; ab exemplis abstineo, quia sunt obvia & trita in omni ferè gradu & ordine; homines quippe fuerunt, erroribus obnoxii; nec quidquam iis inde gloriæ & commendationis detrahitur; ut enim, leviter saltem, voluntate peccarunt, quidni & intellectu, cùm tamen errori obnoxii sint intelligendo, quàm volendo, & tam ignorantiam ab originis peccato, quàm concupiscentiam contraxerint; quando ergo dicimus, probabilem esse aliquam opinionem, quæ auctoris gravis & celebris auctoritate fulcitur, ita intelligendum est, ut optima ratione firmetur, nec refragentur cæteri omnes, nec usus Ecclesiæ repugnet, nec bonis moribus adversetur, nec aliquo prematur argumento indissolubili; his legibus, dicimus, viri gravis & docti auctoritate probabilem aliquam opinionem evadere; hoc igitur te in errorem induxit, quòd illam dumtaxat

taxat viri gravis & celebris auctoritatem seorsim acceperis, ab aliis omnibus adjunctis, quibus destituta, opinionem probabilem non facit.

XV. 2. Falsum est, ex doctrina probabilitatis, Jesuitas auctores censeri errorum omnium, quos Catholicæ passim adstruunt; quasi verò Jesuitæ doctrinam illam excogitarint, quam ab antiquis scriptoribus mundus accepit; quin immò germana probabilitatis doctrina errores omnes excludit, arcetque à regulis fidei, & recta morum disciplina; tutus enim & securus sum, dum opinionem aliquam certò probabilem ad praxim reduco; falsum est etiam, tantam illam opinionum probabilium varietatem religioni & Ecclesiæ funestam esse; quod certè Calvinismum, seu, quod ferè idem est, Jansenismum olet, nec parum injurium esse constat, Romano Pontifici Christi Vicario, qui eas permittit; Catholicis Academiis, quæ illas docent; nec non sapientissimis & doctissimis hominibus, qui eas sequuntur, atque defendunt: Deus mundum nostris traditionibus tradidit; scimus evidentia, aut ex evidentibus demonstrata; à Deo revelata divina fide credimus; perspicuè falsa, erronea, hæretica non rejicimus modò, sed detestamur; probabilia denique in vario disciplinarum genere versamus, discutimus, ac de iis disputamus, & ut sunt, qui hanc, ita sunt, qui oppositam partem defendunt; cùm enim suo quæque motivo gravi gaudeat, vel æquè, vel inæqualiter, voluntatis est, diversis rationibus mota, sive ad unam, sive ad aliam intellectum inflectere ac determinare.

XVI. Falsum est, eamdem opinionum varietatem, instituto ac menti S. Ignatii, nec non Societatis adversari, cùm Ecclesiæ sensui minimè adversetur; nempe quando Ignatius suis præcipit, ut idem omnes sentiant & dicant, iis certè liberum opinionum probabilium usum non vetat; sed opiniones hæreticas, erroneas, Ecclesiæ sensui contrarias; & si quis filios inter Ignatii, eò temeritatis veniret, ut Jansenii errores, vel Aurelii insanias, amplecteretur; Societas illum minimè ferret, sed ut putidum cadaver suo repelleret sinu; in hoc quippe adinstar maris est, quod cadavera in littus projicit: sed illud præsertim placuit, quod sub epistolæ finem, incogitans fortè, verissimè tamen subdis, & illibatam instituti Societatis rationem, magni Patriarchæ Ignatii sanctimoniam, nec non primorum Generalium sapientiam agnoscis, quos tamen in societatem erroris & pravitatis vocaveras, epist. 5. sub finem, his verbis: *Sub adventum vestrum*, inquis, *Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, mores hominum informare desierunt*; & ferè sub medium, *ad hunc modum, probabilium opinionum opera, totum in orbem sese Societas infudit*; *inde tanquam ex vitiato fonte, cætera doctrina flagitia fluxerunt*; sed jam perperàm dicta revocas; cùm enim Societas sese totum in orbem infuderit, sub primis illis Generalibus, quos ab eo vitio liberas, inde perspicuè sequitur, vel opinionum probabilium usum vitio non esse vertendum, vel opinionum probabilium operâ, Societatem totum in orbem sese minimè infudisse.

XVII. Falsum est denique, doctrinam opinionum probabilium fecisse, ut Jesuitæ à primo instituto deflexerint; non deflexit, crede mihi; & si fortè aliqui, quod certè in tanto numero, mirum esse non debet, sui nominis & officii immemores, ab eo tantulum declinarint, Societati, quæ hujusmodi homines non tolerat, sed vel reducit ad meliorem frugem, quod reverâ pissimæ Parentis est, vel justæ vindicis partes agens, à se repellit; sed nunquam fecit, & faciet nunquam vera & germana probabilitatis doctrina, ut quispiam à recta morum regula deflexisse dicendus sit; illud sanè Societatis Scriptoribus cum aliis omnibus commune est; quibus solus tenebrio *omni humano subsidio destitutus*, si tamen Eretodoxum excipias, qui arma tibi & subsidia liberaliter suppeditant, non nisi temerè sese opponit. Sed dic mihi, desides, admittis ne aliquam opinionem probabilem admitto, inquis, si vera est; nulla enim falsa suffragatur; at si nesciam, falsam esse, hæc tamen videtur probabilior; num liber sum à culpa, si falsa est contingat? minimè, inquis; nulla enim ignorantia juris naturalis eximit culpæ; huc volo te; nam hoc præcipuum est Jansenianæ doctrinæ caput; ad hoc principium rem totam probabilitatis reducitis, quo reverâ stante, omnes adversariorum vestrorum impetus infringetis, vel eludetis; nempe sive opinio probabilis vera, sive falsa sit, citra peccatum ad praxim reduci non potest; si enim falsa sit, error à culpa non liberat; error quippe dumtaxat obtendi poterat; si autem vera, cùm hoc certò nesciatur, ac proinde de falsitate dubitetur, quisquis salutitur, audi, aut peccandi periculo exponit sese; igitur peccat; unde omnis opinionis usum proscribitis.

XVIII. Sed cùm sint duæ hinc inde extremitates, quas probabilitas excludit; inde nimirum certa & indubitata, inde verò improbabilia, ac certò falsa, unam Willelme ad primam illam extremitatem te recipieres, dum à probabilitate discedis; sed ut dicam, quod res est, non rejicitis probabilia, ut certa & indubitata, sed ut blasphema, impia, hæretica, improbabilia, quæ nullus Catholicus, quæ nullus Catholicus etiam laxissimus approbet, doceatis; omitto alia, quæ de Filliucio, & Reginaldo, aliisque refers, nesciens eadem repetam, more vestro; cùm in refutatione duodecimæ, luculenter evicerim, ab iis praxim damnari illius opinionis de calumnia, quam iis affingeras; omitto alia quædam fœculenta, ne horrore gravidoremq; lectoribus afferant; non certè urbana quædam convitia, quæ interdum scriptoribus excidunt, sed inurbana & putida; quid enim, amabo, Jesuitæ non exprobras? calumnias, dissolutiones, incredibilem confidentiam, temerarias & Ecclesiæ contumeliosas voces, corruptelas, flagitia; hæc intra paucas lineas pag. 1. item pag. 12. æternæ legis contemptum, impietatis crimen, sceleratas sententias, scandalum, impias cupiditates, pestifera dogmata, ridiculos cavillos, execrationem, detestationem, horrorem, detestatam perversionem, nefariam calliditatem, flagitiosa decreta, pestilentem sententiam, aliaque id genus; ab iis, si tibi credimus, Decalogus destruitur, Dei præcepta calcantur, lex Dei violatur, in spectum Religio colitur, genus sermonis horribile usurpatur, gladius ad cædem Christianis porrigitur, morum disciplina flagitiosè corrumpitur; sed bonus sum, qui hæc exscribo, totus liber exscribendus esset, ut quo, si convitia, falsitates, calumnias detexerim, nihil prorsus aliud restat; illa autem ubi Christum Doctoris oculis subjicis, satis superque rejecta & refutata censentur; sed tu quoque nobis, inquies, eadem toties cecinisti; appellavi hæreticos, id est, doctrinæ ab Ecclesia damnatæ ut hæreticæ, impias, blasphemæ assertores & defensores; ita est, cum Ecclesia loqui licet; calumniatores & fastiloqueos, utrumque non tam dictum, quàm demonstratum, denique scurram & histrionem; hanc personam publicè agis; res notoria est; aliaque id genus adeò gra-

spicua

spicua & manifesta, ut voce publica constent. Sed ad refutationem 14æ accedamus.

EPISTOLÆ XIV
Confutatio.

I. SCribendi modum mutasti, Willelme Wendstrocki, non emendasti; nunquam sistis in medio; at semper ad extrema descendis; postquam diu scurram egisti, Doctoris continuè personam induis: hanc tamen, si me audis, brevi exues; adeo frigidè & miserè illam sustines: res seria in tuam ridendi non quadrat; in ea tractanda morosus vindexque austerus; nihil nisi cruenta cogitas; cædes etiamnat somnias, atque hominum strages; mille ficta præ oculis habes; & morales Theologos, qui totidem furiæ essent, acriter insectaris: *Vtinam, inquis, nunquam è tartaro infanda illa dogmata prodiissent, utinam diabolus, verus illorum parens, nullos invenire potuisset ministros, sic voluntati suæ morigeros, ut ea inter Christianos spargerent:* sed quænam, amabò, dogmata? hæreticis dubio procul omni, esse oportet; cùm te in cæcitatem & insaniam agant: an fortè hominem occidisse, propter *leves & simplices obtrectationes*, hoc iis elimetas, epist. 7. expostularunt; sed cautè dissimulas, an verò propter vanum honorem illum, *quem diabolus, inquis, superbiæ pater ad superbos filios transmisit*; pudeat ingenuum hominem, toties proferre diaboli nomen; septies in ultima vernaculæ pagella illud appellaras; emendasti in Latina, in cujus tamen proximè antecedenti pagina, intra paucas lineas, semel ingeminasti: quid mirum, si semper in ore illum habeas, qui plusquàm diabolica verba tibi suggerit; & si tua is liberè lingua utatur, cui cor tuum & animum mancipasti; quod certè omnibus hæreticis solenne est; sed iis præsertim, qui errores, blasphemias, hæreses, scripto & voce tuentur, & ut loquitur Ignatius, epist. ad Trullian. *Erroris venenum lenibus aliquo implicant, & tanquam mulso cicutam temperant*, quos ibidem *diaboli propagines* vocat; & Iren. l. 5. c. 26. *organa satanæ*; & ante illum, Clem. Rom. Const. c. 10. *Diaboli instrumenta*; Basil. epist. 141. *Progenies satanæ*; Epiph. hær. 69. *Simulachra diaboli*; Nazianz. orat. 48. *Dæmonum expeditionem, immundorum furtuum legiones, furiarum exercitus*; hoc unum eundem Nazianz. orat. 33. quod in te bellissimè cadit, *unius diei Theologos*, quod de te ipso ultrò fatens.

II. Redeo ad inanem illum, seu vanum honorem, quem Jesuitæ quidem floccifaciunt, nec Casuista ullus ferro, aut cæde, ut per calumniam affingis, defendi posse, scripsit, aut dixit unquam; sed illum dumtaxat, cui Deus virtutem comitem esse voluit; & quem divitiis atque opibus, immo & huic mortali vitæ anteponendum esse, Scriptura disertè tradit, omnes clamant, ratio ipsa demonstrat: hunc inquam, etiam injusti aggressoris nece, defendi posse, multi graves Theologi tenent; quamquam ex Jesuitis unus, aut alter: sed pergo: an fortè Casuistæ docent, furem occidi posse, etiamsi non defendat sese, rem ablatam ultrò dimittat? hoc quidem Jesuitis opprobras, solita charitate; sed nullus unquam Jesuita docuit, furem occidi posse, nisi vel nocturnum per vim irruentem, vel alium, qui per vim rem alterius auferre nitatur, ac Dominum, seu custodem renitentem aggrediatur; vel denique fugientem, sed qui rem furto ablatam, etiam monitus, dimittere nolit; his tamen legibus, ut non parvi momenti res sit; nec alia via recipi queat; nec illatum damnum resarciri: hæc distinguere debueras; non verò declamando, Jesuitis affingere, quod per illos, furem occidere licet, etiamsi non defendat sese; quod ab iis traditum fuisse, fingere quidem per calumniam, sed vel minimo testimonio probare non potuisti. An denique docent, hominem occidi posse, pro aureo, atque adeo etiam pro pomo; sic accuratè, inquis, & præcisè; ita ut nullus sit effugio locus, Lessius rem decidit; sed cur non dicis, disertè doceri à Lessio, ibidem (hæc enim loca supra versavimus quasi ad nauseam) non posse occidi furem, ad sua servanda, *nisi facultates illæ sint magni momenti*; unde *valde injustum est*, inquit, *ut pro pomo, vel uno aureo servando, alicui vita auferatur*; si tamen *non tam res, quàm honoris est defensio*, solus docet, & Lessius refert, virum nobilem posse stricto gladio injustum aggressorem repellere, & rem per vim ablatam ex ejus manibus extorquere.

III. Ponamus rem in exemplo; vir nobilis habet in digito gemmam summi pretii, putà 50 millium nummum; accedit fur nequam, eamque per vim abripit; ille statim stricto gladio in furem involat; hic ferro etiam prædam suam tueri conatur, nec illam dimittit; quare vir nobilis furem obtruncat, vel mutilat; quæro ex te, an peccarit ille? haud dubiè, inquies; sciebam, te ita sentire; sed omnes ferè auctores id negant; immo Ecclesia Innocentii III. oraculo, & leges omnes clamant, cuilibet sui, rerumque suarum defensionem licitam esse, non occides, inquis; rectè, nimirum injustè: grassator viatorem sistit; marsupium jubet sibi porrigi; mortem alioquin minatur; viator vim vi repellit, & grassatorem mactat; illum deliquisse censes, eumque homicidii reum habendum; Theologi & Canonistæ secùs sentiunt, quibus certè potiùs standum, quàm iis hominibus, qui Curios simulant, &c. itanè verò siccariorum & grassatorum patronum agis? qui tamen innocentissimos homines impius & ferox actor insectaris: nusquam major hypocrisis; divinæ charitatis obtentu, ut jam dixisse memini, crudelissimum odium exerces; ut flagitiosos defendas, insontes accusas acerrimè; sceleratorum sanguini parcis, humanioris & pii sitiens; nihil sanè à grassatorum peste tutum est, si te audimus; domos expilant, homines spoliant, sacra & humana jura violant; si vel leviter obsistas, & repellas fuste, aut ferro, grandi & inexpiabili scelere te obstringis: & hanc Evangelii moralem Theologiam esse dicis, & sanctorum Patrum & omnium antiquorum; ô nequam; nunquid leges omnes non permittunt, vim vi repellere, nimirum injustè illatam; injustè autem infertur hominum vitæ, membris, pudicitiæ, fortunis, honori, parentibus, amicis, liberis, &c. modò cũ moderamine inculpatæ tutelæ fiat; si enim se quispiam & sua citra cædem injuriam inferentis, servare potest, ac defendere, nullus Casuista dixit unquam, eum licitè cædi posse.

IV. Natura certè, cui leges omnes divinæ & humanæ suffragantur, nullum nisi justè, sive publica, sive privata auctoritate, cædi posse, docet; nullus autem justè cæditur auctoritate publica, nisi in pœnam delicto æqualem; nec enim Princeps subditorum vitæ, aut necis Dominus est; auctoritate verò privata,

privata, nemo justè cæditur, nisi mero titulo moderatæ ac necessariæ sui, rerumque suarum defensionis; dico moderatam, quæ scilicet omne odii, vindictæ, & iræ studium excludit; dico necessariam, quia omnis non necessaria, illicita est; fatebaris autem in vernacula, defensionem illam ad vitam dumtaxat & pudicitiam extendi posse, & in hanc rem Rerumpublicarum moderatores sanctos & profanos, & diserras ab iis leges expressas citasti; subdis tamen in Latina versione, quod de his causis, ob quas, scilicet, justa defensio licita est, neutram in partem nihil tibi dictum velis; nempe Apologistâ ratiocinando tecum, omnino confecerat, eadem prorsus ratione, qua probatur, defensionem vitæ ac pudicitiæ licitam esse, licitam etiam probari bonorum, atque honoris defensionem; at præcisè à te mihi responderi volo; nam vel negas, defensionem vitæ licitam esse, vel licitam esse, concedis; si primum, sanctissimam naturæ legem, qua vim vi repellere licet, violas, quam omnes, ut fateris ultrò, sacri & profani Rerumpublicarum moderatores suis legibus firmarunt; cujus certè impudentiæ & audaciæ homunculum, nescio quem pudere deberet; si verò alterum, eadem ratio militat pro facultatibus & honore vero, quæ pro vita & pudicitia; ut post D. Thom. omnes Theologi & Jurisconsulti sentiunt; quos tamen ut cacodæmonis organa & quasi monstra Erebi traducis; ita odium & furor te abripit, ut omnes hujusmodi diris & diabolo devoveas; ita ne verò, Duvallium, Cajetanum, Caraffam, Lugo, immò DD. Antoninum & Raimondum, aliosque diaboli ministros, ejusque voluntati morigeros vocas?

V. Sed quo jure, cælorum claves, & divinæ justitiæ fulmina tibi arrogas, ut ea in servos & amicos Dei contorqueas? tu, inquam, Willelme, cum sociis tuis, qui Vaticanis fulminibus & anathematis toties attriti fuistis, toties ab Ecclesia damnati, perpetuæ nota infamiæ vobis inusta; an fortè ad damnatum pertinet, ferre sententias? ad hæreticos, doctrinæ controversias decidere? ad animarum laniones, corporum securitati consulere? ad fidei corruptores, de moribus & legibus ambitiosè statuere? an fortè ii, qui docent, sibi quemquam violentas manus licitè interdum inferre; immò & aliis, si fortè interior instinctus eò inclinat; an, inquam, illi jure statuere possunt, rectas homicidii leges, & definire, quandonam liceat ad propriam defensionem hominem interficere? egregios sanè morum restauratores, qui pernicio-sissimos errores huc usque prædicare, publicare, eaque obstinatione defendere ausi estis, cui parem, aut similem nunquam probavit Ecclesia, nunquam orbis vidit: nimirum Christum pro omnibus mortuum non esse, nec eorum Redemptorem, qui pereunt; non magis pro his oravisse Patrem, quàm pro diabolo; legem veteris Testamenti ad peccandum adegisse; gratiam sufficientem cacodæmonis donum esse; posse nos renunciare omnibus Dei promissionibus, immò & ejus cultui, ac desiderare, ut de nobis non cogitet, nostri & aliorum curam non gerat, velle potiùs abjici à Deo, quàm admitti, eumque nostri oblivisci, quàm recordari. Hæc profectò sunt horrenda illa & infanda dogmata, quæ prodierunt è tartaro, quæ diabolus verus illorum parens vobis suggessit, ministris scilicet voluntati suæ morigeris, ut ea inter Christianos spargeretis; sed hæc Christi Vicarius fulminavit, proscripserunt Episcopi, Sorbona confixit, Doctores Catholici refutarunt, Ecclesia demum ita damnavit, ut soli dumtaxat hæretici refragentur; & hîc tecum Willelme, exclamare meritò possem, & tuis verbis uti; ubinam gentium summi, immanissimi homines, Misantropi, & generis humani pestes, an qui sic loquuntur, sunt Catholici? an Christiani? an Turcæ? an homines? an dæmones? an hæc, ut vultis, pro catholicis dogmatis, quæ Calvinus Jansenianis reseravit, an potiùs pro piaculis, quæ draco suis sequacibus instillavit?

VI. Sed mirum est, quòd spretâ summi Pastoris voce, magistri potiùs erroris, quàm discipuli veritatem audire vultis; quòd in via Domini cæcutientes, ut filios regere ductu vestro, & legibus vestris dirigere, ac demum tot criminum rei & conscii, moralem doctrinam, & casus conscientiæ, ut vocant, prælegere non dubitetis; duplici profectò nomine cæci, timirum, quòd reliquos omnes errare putetis, & non videatis, quantum vos ipsi erretis: satis modò esto, Willelme, si vel ipsos errores, quos in hanc epistolam liberaliter projecisti, agnoscere; non dicam, neram esse rapsodiam diu congestam, ut saltem recentui vestro faveret, cùm jam ad objecta nihil reponere posses; non dicam, quod tamen in versione Latina emendasti, te imposituræ convictum, denuò assensisse, Layman sententiam Navarri amplexum esse in quæstione duelli; cùm tamen Layman, ut suprà olim est, secus à Navarro sentiat: non dicam etiam, quòd cùm Molinæ à te imposita in epist. 7. dilueræ debuisses, hoc enim exprobratum tibi fuerat; calumniam potiùs auges, seu multiplicas, visque à Molina doceri, furem interfici posse ad tutelam nummi, tametsi vita non periclitetur; & in eo casu secundum illum, adhuc servari moderamen inculpatæ tutelæ, pro quo citas alium ejusdem locum, sed longè diversum ab isto; constat enim, quidquid blateres, nunquam docuisse Molinam, furem interfici posse proservando nummo, quando fur hominem, cujus numus est, non aggreditur; nunquam enim est moderamen inculpatæ tutelæ juxta Molinam & alios, nisi vel aggressor hominem aggrediatur, vel res hominis magni momenti: non dicam etiam, à te nova Lessio & Reginaldo affingi, & calumnia calumniam purgari; sed quid purgandum restat, cùm manifestæ imposituræ iis affictæ, perspicuè convictus fueris.

VII. His ergo prætermissis, ad ipsam quæstionem, quam agitas, ultrò descendo, ut scilicet tuis armis te petam; fateri videris, quamquam, ut dixi, vacillas dubius & incertus, hominem interfici posse, pro defensione vitæ & pudicitiæ; tunc enim, ut ait Cicero à te laudatus, videtur nobis gladius ab ipsis portigi legibus, idque justæ defensionis jure: id tamen negas, pro defensione bonorum & honoris, licitum esse; non jam te severiorè, Willelme, si ad prima illa rerum dogmata respiciam, sed laxiorem & molliorem dicam; non jam unus ex illis es arctioris instituti & strictioris conscientiæ Jansenistis, qui toties illud ingeminant, tutum & securum volumus, non crepetum & probabile; sed nonne tutiùs est, per te mihi quam liceat, in hunc modum te compellare, nonne, inquam, tutius est insonti, corporis vitam exponere, quàm impio eripere animæ vitam? justo & Christiano mors timenda non est; quem si hostis aggrediatur, petatque ferro, magnum certè damnum inferre non potest; timet tantùm privari Deo & tantùm abest, ut hoc bonum mors illi eripiat, ut potiùs mortis dumtaxat opera illo fruatur; at si hic aggressorem injustum occidat, damnum infert irreparabile, vitam caducam nullius pretii Christi sanguini, qui est infiniti momenti, præfe-

& non

& non solùm pro salute fratris sui, animam non po-
nas, sed vitam suam committit discrimini, ut vitam
fratri eripiat; justa quidem & legitima defensione uti
potest: sed ut legitima sit, intra fines evangelii sese
contineat, oportet, cujus lege, vitam cum san-
guine dare possumus, non tamen alteri eripere;
sique ad Evangelium, inquit Ambrosius, non au-
dias posthæc; per leges civiles aliquando licet; sed
leges damnare non ausim, vix tamen eximam
casus, quotquot prædicta legum indulgentia
eximuntur: Gerso, & Augustinus de Ancona disser-
ti docuerunt, nunquam auctoritate privat homi-
nem occidi posse; hoc antiquorum Catholico-
rum dogma fuit, Sanctorum Patrum auctoritate
firmatum, ac præsertim Augustini, qui legem qui-
dem non reprehendit, quæ tales jubet interfici, sed
quomodo istos, qui interficiunt, defendat, non in-
vasi.

VIII. Sed quo tandem insperato consilio, doctri-
nam opinionum probabilium, quæ omnium laxita-
tem & totius perversitatis fons est, amplexus es,
eamque præfers evangelio, quod Christianis om-
nibus officiis normam & regulam præscribit?
quid quæso tuis illis austerioribus dicturus es, si
hæc tibi exprobrent aliquando? dices, haud du-
bie, Doctorem Angelicum, gravissimorum Au-
ctorum turbam, & rationem ipsam tibi præluxisse;
nec illum tibi visum fuisse, inermem innocentiam
flagitiosorum Hominum furori expositam relin-
quere, sed inhumanum, cædibus illam & flagitiis
eripere, ipsique arma subducere, qui moderatè & ju-
dicio veto porrigere, qui nonnisi ad perniciem pri-
vatorum & Reip. armis utuntur; Magnifacio profe-
ctò hanc regulam, & te maximè laudo, quod vel in-
vasationi manus dederis; sed mirum, quod
tam reflias, & primùm siccariis & impudicis
impunitate negata, illos occidi posse statue-
ris vis ab iis illata repellatur, integram illam fu-
rum & grassatoribus relinquas, omnemque defen-
sionem, utinjustam prohibeas; quo jure istos, non
vel illos periculo eximis? cur majorem illis pec-
candi licentiam tribuis, qui jus alterius æquè
violant? nempe ad arcendas dumtaxat hujusmo-
di pestes, Theologi moderatam defensionem per-
mittunt, ac docent, nullam ibi esse justam defen-
sionem, ubi nullus adest injustus aggressor; & tan-
tum abest, ut vitiis & criminibus faveant, ut po-
tiùs ea compescant, repressa illorum audacia,
quæ facilè patrarent, si potestate æquè valerent
ac malitia.

IX. Hic sanè est totius dissertationis cardo; quando enim Calvinistæ dicunt, cuiquam licere, pro defensione bonorum atque honoris, injustum aggressorem occidere, insontibus dumtaxat jus illud tribuunt propriæ defensionis, quibus tu ipse con-cedis pro defensione vitæ ac pudicitiæ, nullum igi-tur periculum est, ne jure illo abutantur, aut certè si aliquod periculum est, utrimque æquale reportò adversùs illos homines prædictum jus de-fensionibus tribuunt, qui rapto & criminibus vi-vunt, & aliorum dumtaxat minis sustentantur; id-que, in extrema tantùm necessitate; cum scilicet illius alius modus restat; de damno magni mo-menti agitur; ad Judices & magistratus in-stantem passi confugere nequeunt; & periculum imminet, non, cum dubium & probabi-le, sed indubitatum & certum, faciendi ja-cturam fortunarum atque honoris, non jam ina-nis & vani, sed veri, quem sapientes magni fa-ciunt; hæ sunt doctrinæ moralis leges; si quid-piam addatur, non admitto, non approbo.

X. Agnoscis, opinor, hujus dogmatis æquita-tem; & facilè vides, quantum ex eo commodi in-sontibus accedat, quantum verò flagitiosis ho-minibus impunitatis ex opposito, quod tanto ar-dore sustines: si divitibus jus illud subtrahas, for-tunas suas & opes defendendi, fures à periculo tuti, non jam tenebras captabant, ut clam fu-rentur; sed palam ac de meridie furari non verebuntur, si vobis & regulis vestris credi-mus; illud unum solùm obtendant, non vi-tam à se, sed marsupium peti, si Principi-bus viris potestatem detrectes, honorem suum tuendi; illud unum restat, ut genas percutien-tibus præbeant ultro, & fustibus humeros ad solennem contumeliam; cum enim aggressor ne-quam repelli non possit sine periculo, illud cer-tè fieri nequit, nisi quis privatus vitæ ac necis si-bi jus arroget, sitque in propria causa reus, ju-dex, & sententiæ administer, quod per te non licet: eò spectat tua Epistola; eò tota ratiocina-tio tua de miti Christianorum indole, quam Ec-clesia impensè commendat; de summo rigore, quem Columba illa in homicidas olim exercebat; eò seve-rior illa morum restauratio, quam suscepistis; eo de-mum acerrimæ illæ tuæ invectiones adversùs Theo-logos & Jesuitas, ut furtum longè facilius reddas, & grassatoribus impunitatem vindices; inde profectò illi tibi valde obstricti restant; & id saltem inde commoditibi accedet, quod latronum casuista & advocatus audies; id præmii haud dubiè tibi jure cedit; utpote qui susceptâ insontium contra siccarios causâ, cum omnibus Theologis, istos illico deseris, ut contra illos causam mali latronis a-gas, furem contra divites, grassatorem con-tra mercatorem, petulantes denique & contu-melioso nebulones, adversùs honoratos homi-nes defendas. Dixi omnes Theologos; quia li-cèt fortè inter se in loquendi modo dissentiant in hac quæstione, in eodem tamen principio, con-tra tuas ineptias conveniunt, ut vel inde videas, quàm magnus & nobilis sit illorum numerus, quos impugnandos suscepisti, & quàm temerè me provo-caris, ad producendum aliquam legem, aut legis interpretem, qui eam doctrinam probaret, quam nos sustinemus, vos destruendam perperam susce-pistis.

XI. Vis Theologorum placita? Bannes celebris ille Doctoris Angelici discipulus disertè docet, pri-vato cuipiam licere, ad defensionem fortunarum at-que honoris, injustum aggressorem occidere, si id ne-cesse sit: & *hæc conclusio* inquit *est consensus Philoso-phorum & fere omnium Theologorum*, quid expres-sius? hæc autem habes 2.2.q. 64.a.7. vis Cardinales hujus opinionis auctores? en tibi Cajetan. Tolet. Lugo quorum ultimus subdit, de just. disp. 10. sect. 9. n. 175. *hanc sententiam communem & veram esse.* Vis relatos in album sanctorum? habes? Antonin. 3.p. tit. 5. c. 3. *quando violentia*, inquit, *infertur rebus, nec aliter repelli potest, tunc licet, qualitercumque defendere, etiam personam occidendo.* Vis leges ci-viles & sacros Canones, Sylvester V. Homicid. 1. q. 2. testatur, injustum aggressorem occidi posse, au-ctoritate legis civilis, primò defendendo personam suam, secundò honorem, tertiò res suas, quando aliter haberi non poterunt *secundum multos legistas.* Navarrus caput 5. Summ. magnam vim

legum & Canonum ad hunc finem congessit. Covarruvias manifestum esse, dicit, quod licet furem fugientem & res auferentem, ac se defendentem à captione, occidere; idem de honore testatur Sebastianus Medices; Brunellus Bartolus, Petrus Navarra, aliique fere innumeri eamdem sententiam tenent, quam Major cum aliis in Academia Parisiensi, Sylvius in Duacensi, Sancius in Hispania, Bonacina in Italia, Sotus, Bannez, Victoria in schola Thomistica, alii fere ubique docuerunt; loca citarem, sed parco; ne jam actum agam, & grandes tomos exscribam.

XII. Itaque perspicuum ex præmissis restat, illos omnes ita cum Jesuitis convenire in hac cõtroversia, ut tamen Jesuitæ omnium severissimi esse videantur: non te igitur pudet, eos traducere, ut Diaboli ministros, ejus voluntati morigeros, qui spargere inter Christianos veriti non sint, infanda illa dogmata, quæ non nisi è Tartaro, auctore Diabolo, prodierunt? at scire averem, quinam ii sint, quos pro Christi discipulis habes, quinam audiant liguam pacificæ civitatis, quæ eadem est mystica Hierusalem, an fortè Calvinus, Lutherus, Molinæus; confer, amabo te, dogmata vestra cum dogmatis Jesuitarum, & vide, an vel unus sit, ex omnibus illis auctoribus Catholicis, Jesuitis, in hac quæstione, suffragantibus, qui Jansenianos errores non detestetur, qui cum Jansenio doceat, Dei mandata justis esse impossibilia; cum Sancygirano, Ecclesiam in doctrina corruptam esse; ac tecum, in secunda Epistola, gratiam sufficientem merum esse figmentum, & vocis ludibrium: ridiculum porro est, nos à te remitti ad capitalium judiciorum formulas; quasi verò hæ servari possint, cum grassator in remoto saltu, improvisò te aggreditur, & marsupium sibi cedi jubet; & ut conscientiæ consulatur, testes accersendi sint & audiendi, & causidicus adhibendus, ut de illius consilio constet, an grassator vitam etiam petat; ac demum colligendæ sint septem Iudicum sententiæ, ut decidatur, an in hoc casu vim vi repellere liceat; Egregium certe moralis disciplinæ restauratorem, qui nos ad simplicia religionis & sensus communis elementa seu principia revocas! O utinam nequissime mortalium, ab erroribus tuis, à Calvinismo, Lutheranismo, Arnaldismo infandis Sancygirani dogmatis, ab illo illo plusquam mortali odio, quo genus hominum universum, ac præ cæteris, Jesuitas prosequeris, avocari posses, nec non ad germana Religionis & Christianæ charitatis principia revocari: hoc desiderare quidem, sperare tamen non possumus. Quod demum Jesuitas calumniis & convitiis lacerare non cesses, tibi maximæ gloriæ non vertitur, ut pote qui fœdere juncius sis in hoc consilio omnibus Heterodoxis Germaniæ, Galliæ, Poloniæ, Hungariæ, Belgii, & nonnullis aliis politicis vel æmulis projectæ conscientiæ: stetit huc usque, frendentibus illis, Societas, stabitque in posterum, ringente licèt Erebo, quem à primis cunis, huc usque, suis progressibus, singulari nisu adversante sensit, in hoc tuam operam, tenebrio, tenebrarum principi locasti, non sine operæ pretio; nemo enim atrociùs juxta atque iniquius Jesuitas exagitavit: vestra profectò, immo & Cacodæmonis interest, ne Jesuitæ ea doctrinæ & virtutis fama præstent, quam ferre nunquam potuistis; ne scilicet errores vestros, à Diabolo vobis suggestos strenuè, ut fecere hactenus, impugnent atque, confutent; illud sanè vos misere torquet; illud vos potissimùm urit.

XIII. Sed relego tua vestigia, & eloquentiæ tuæ flores in fascem colligo, hic etiam Jesuitis exprobrem horrorem, divinam legem oblivione deletam, ejusdem tinctum rationis lumen, nefarium facinus, projectam audaciam, errores, divinæ majestati gloriosissimæ supremæ potestatis insigne ab iis præceptum, adversas, detestabiles & nefandas sententias, neglectas Dei Ecclesiæ, Reip. leges, dogma diabolicum, perniciem rerum omnium perversionem, flagitiorum morbos, barbaram sententiam, detestandam, formidolosam, crudelem defensionem, Regibus infanda dogmata, quæ prodierunt è tartaro, sacrilegia, horribilem perversitatem piacula, linguam turbidæ civitatis, id est, spiritualis Sodomæ, seditiosa & cruenta decreta, Turcas etiam & Dæmones vocas; quàm eleganter, quàm urbanè, Willelme Wendrocki! pauca, aut etiam majora referre facilè possem, etiam cum fenore, hoc saltem discrimine, quod tu non nisi falsa effutias, ego vera immo & notoria referem: sed quidtandem tu? scripturæ & Patrum loca multiplicas, quibus homicidium damnatur; sed quod nam amabo te? injustum profecto, de quo nemo ambigat; justum verò damnari non posse, ex ipsis terminis patet; justum autem est, quo injustus aggressor repellitur, qui vitam, pudicitiam, fortunas abripere tentat; sed, inquies, ex Augustino quisquis auctoritate carens nocentem interficit, ipse fit nocens; ita est; sed is, in quem grassator injustus involat, hunc jure suo, & auctoritate, sanctissimis naturæ legibus sibi comparata, repellere potest, etiam illata morte, si aliter repelli nequit; licio, Augustinum dubitasse, utrùm pro servanda vita & pudicitia, injustus aggressor occidi posset: sed in hoc, reliquorum omnium suffragio fretus, ab Augustino discedere, grande piaculum non est: ut ut sit, omnes Theologi, si Gersonem & Augustinum de Ancona excipiam, omnes Canonistæ & juris consulti contrarium docent, quibus non nisi temerè quispiam retrogari potest.

XIV. Et verò, si quæram extrè, cur Deus Principibus hanc auctoritatem tribuerit, ad vindictam malefactorum, utendi gladio: vel potiùs, sanctæ laicoris Reip. leges, præscindendo scilicet à Dei præcepto, illud statuerint, ut flagitiosi homines extremo supplicio plecterentur: dices haud dubiè, ut Reip. membra in officio contineantur: si enim scelerati homines impunè ferrent: non jam respublica bene compolita, & societas rectè ordinata esset, sed summa & extrema rerum confusio: id est, ut suum cuique jus indemne servetur: huc enim spectat justitia, quoties igitur cuique auctoritate publica legum & Iudicum, jam demne cuique servatur, sceleratorum multa, & pœna cessat haud dubiè privata auctoritas, cum ad eum finem legum subsidium sit satis: at si hostis in nostram cujuspiam involet, vel grassator in fortunas eo loco & tempore, quo legum subsidium implorari nequit, quid faciet miser? si nec vitam, nec fortunas defendere licet: poterit quidem collum accipiti & mucroni pectus libens offerre, præ charitate, & pallium tollenti, etiam tunicam tunicæ dare, vellenti capillos, vellendam barbam, & maxillam dexteram cædenti, sinistram præbere: has summoperè laudo, quæ sunt heroicæ virtutis & ardentissimæ charitatis, sed barbari dogmata est, eum damnare peccati, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, vim vi repellat: jure utimur suo, & injustum aggressorem reptimat, nunquam leges civiles, nunquam duodecim tabularum tuerunt, immo in nonnullis casibus, hominem inte-

liter fieri permittunt, v.g. uxorem in flagranti deprehensam, à marito, in quibus Theologia nostra id vendicavimus; de hoc quippe argumento, nihil communia docent, immo aliis longe severiores; nec unquam defensionem illam occisionis licitam esse, volunt, nisi quando necessaria ad eque cum omni moderamine ad servandam vitam, conservandas fortunas magni momenti, servandum honorem, non spurium illum & falsum, sed verum, sine quo vita honestè transigi nequit, idque à sæculari tantùm; cum Ecclesiasticis honori ducatur, Christi exemplo, ignominiam pati; unde omnes Jesuitæ docent, excepto uno Henriquez, hoc religioso viro illicitum esse; Amicus communi sententiæ licèt adhæreat, argumentum super hoc proposuit, sed statim ejusdem est, S. Congregationis jussu; reliquis omnibus intactis relictis, quæ Academia illa, quam immensè laudas, ante damnarat; Romanis igitur decretandum, non Belgicis.

III. Sed videamus, quonam pacto solvas syllogismum istum; honor est charior vita & fortunis, ad eandam vitam, licèt vim vi repellere, item ad servandas fortunas, igitur & ad servandum honorem; hanc enim, secus, esse non posse, idque cum modo ne fieri: quid quæso ad hæc? Homines, inquis, ob concupiditate depravati propriæ vitæ ad divinum eam concessæ divinitus, honoris larvam antepo-nunt: non agitur, mi Homo, de honore larvato, sed de eo quo felicet honorati homines esse dicuntur; non agitur de judicio noxia cupiditate depravato, sed de vero judicio sapientis, qui altè pronunciat, spiritus sancti instinctu, melius esse nomen bonum, quam divitias; non agitur de honoris simulacro, sed de honore ipso, quem secundùm omnes, bonum esse constat, nisi forte secundum Doctores istos, qui honorem suum toties prostituerunt: honori, vel inhonorati hominis non est, de honore quidquam statuere; quisquis honore suo cedit, de alieno parum curat; vos attrivit æternæ infamiæ nota, quid mirum igitur, si Honori adeo infensi estis: non timemus autem ne ex publicis Theologorum placitis, horribilia contra nectantur, personam publicam gerentibus impulsanda; O nequam; nihil timent personam publicam gerentes à Theologis, nihil timent à Patribus; esset tamen, quod timerent à Jansenio, ab Hæreticis, à factiosis hominibus; verumtamen, res notoria est; nonne totam fere Galliam factionibus & tumultibus vestris ante aliquot annos, agitastis majorum vestrorum exemplo cædibus & sacrilegiis, deinde si licuisset, eversuri; sed regia auctoritas tempore & opportunè conatus vestros repressit; vos tamen in gravia Jesuitarum dogmata declamatis; Jesuitæ pro eorum sanguinem fundere didicerunt, præ charitate nunquam, præ odio, fugere alienum; sed hoc argumentum vobis non favet.

IV. Transis ad antiquos Ecclesiæ Canones, contra homicidium voluntarium; sed quid ad rem? Non homicidium justum voluntarium propriè vocatur; quisquis enim cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad servandam vitam, injustum aggressorem occidit; vult directè vitam servare, ac tuendere sese, ex quo, per accidens, ut ajunt, sequitur illius cædes; sed inquis, illa etiam Homicidia Ecclesia insectata est, quæ quis per imprudentiam admisisset; injusta scilicet, quamquam per imprudentiam patrata; nemo sanè illud improbat; sed suo Carnotensis Presbytero, qui ad vitæ defensionem, latronem, ictu lapidis, interfecerat, sacris, per totam vitam, interdixit; O Insignem & profundum Theologum, quasi verò antiquiores Theologi post S. Thomam & Canonistæ post Jvonem, non docuerint, regularitatem ex tali homicidio induci; contrarium tamen hodie constat ex Clement. *si furiosus*, de Homicidiis; sed tu ac tui hujusmodi decretales Pontificum parum curatis, qui temnitis etiam solemniores constitutiones, sed hæc trita sunt apud Theologos, unus Suarez, si discendo esses, rem hanc te probè doceret, de cens. disp. 46. sect. 1. & 2.

XVII. Fidenter deinde asseris, nullum Canonem proferri posse, quo cædes permittatur, propter solam externorum bonorum defensionem; illud enim, *te tuaque liberando*, excerptum ex C. *interfecisti* de Homicidio, conjunctivè intelligendum esse, idque dubio procul omni, pronuncias; sed communis omnium fere sententia contraria est, ut testatur Barbosa in hunc locum; audin, *omnium fere*; unde ut labori parcam inutili, omitto longissimum illorum Elenchum; nam præter 22. auctores, quos pro hac parte Barbosa ibidem citat, alios quinquaginta facilè appellarem: illudque manifestè ratio decisionis evincit; nempe in priori illius parte deciditur, non licere cuiquam, furem occidere, si absque occisione capi potest, cum rebus ipsis; in posteriori verò, licere; si capi non potest, nec ullus alius modus restat rem ipsam recuperandi, aut servandi; non obstat c. *suscepimus de homicidio*. in quo disertè dicitur, non esse homines interficiendos, pro rebus transitoriis; quia, monent auctores, in eo casu, accidisse maximum defensionis excessum, ratione cujus homicidium illud eximi culpæ non potuit: ut ut sit, disputare poteras de hoc argumento; utcumque tolerandus fuisses; poteras ratiocinari, non tamen, perpetuo convitiari debueras, & maximum illum piissimorum Auctorum numerum orco devovere, pro ministris Satanæ, filiis Diaboli, publica pernicie, Religionis ac Reip. peste, Evangelii perduellibus traducere: quo jure, mi homo? qua auctoritate, universam propemodum literatorum & piorum hominum remp. damnas & devoves orco? quis te constituit Judicem? bellissimè omnino; reus Judicem agit, damnatus insontes damnat, Hæreticus Religionem, Schismaticus Ecclesiam, perduellis & proscriptus remp. susçipit vindicandam, Jansenista denique mille convictus erroribus, factionibus, malis artibus & dolis, religiosos homines, qui animarum saluti animas suas consecrarunt, accusat ut crudeles, sanguinarios, cædis amantes, & sanguinis humani sitientes: Horrenda est calumnia, fateor ultro; sed quæ risum potiùs, quàm iram moveat: denique non minùs ridiculum est, quod Jesuitas filiis Belial & hujus sæculi, mundi & Diaboli asseclis, spiritualis Sodomæ incolis, & sub vexillo Satanæ militantibus, Jansenistas verò, dilectissimis, germanisque Christi & Augustini discipulis, Genti sanctæ, populo acquisitionis, spiritualis Hierusalem civibus, Angelis demum vel Angelicis hominibus, qui sub Christi vexillo militant, annumeres.

XVIII. Risum tene, si potis es, mi lector; nihil enim magè ridiculum excogitari potuit; sed his prætermissis, quæ satis superque refutantur, nuda & aperta expositione; ea tantùm consectaria perpendi velim, Willelme, quæ ex tuis dogmatis consequuntur;

Sanctissimi Reges aliquando Barbaros in provincias & ditiones suas irrumpentes armis ac ferro strenuè repulerunt; item Romani Pontifices Saracenos aliosque impios in ditionem Ecclesiasticam involantes armis represserunt; immo non semel Christianos Principes sanctissimè induxerunt ad bellum Turcis inferendum; si fides tibi habenda est, eò gravius isti deliquerunt, quod non jam unius, vel alterius, sed multorum millium cædes inde sequuta fuerit; nunquam enim cædes, si credimus Montaltio, pro rebus temporalibus permittenda. Latro subit in conclave civis præcipui, ubi larga asservatur pecunia, saccos implet & marsupia, & inde asportat; cave hominem tangas, alioquin grave piaculum admittes, secundùm Janseniana placita; navis Africana in Gallicam irruit, pretiosis mercibus & auro gravem, Africani denunciant se tantùm inhiare mercium prædæ, & Christianos omnes liberos fore; caveant Galli, vel tormentum explodere, vel sarissam intorquere; nullus enim hominem pro mercibus & bonis externis occidat: innumera propemodùm alia hujusmodi proferre possem, ex quibus palam fiat vestrorum placitorum absurditas & impietas; sat video, quò spectetis; flagitiis & flagitiosis hominibus favetis; vestra causa est, pro qua oratis; vestra denique interest; ut flagitia liberiùs, abacto scilicet omnis defensionis timore patrentur, & flagitiosi impunitatè freti, audaciores evadant.

EPISTO. DECIMÆquintæ Confutatio.

I. EST sanè, quod mirari desinam, Willelme Wendrocki, cur sanctissimam illam naturæ legē, qua vim vi repellere licet, vehementer insecteris; cum schedulas illas, seu scriptiunculas nostras (sic enim per solitum contemptum, vocitas) adeò graviter accipias, & inde non mediocriter commotus esse videaris: Hæc concertatio tibi non arridet; nec res ista, uti sperabat, tibi omnino pro votis successit; projecta illa, qua plurimùm vales, audacia, thrasonicis declamationibus instructa, modestiâ nostram terrere non potuit; discussisque singulis hujusce tuæ epistolæ partibus, tota vis & energia non quidem eloquentiæ, sed tuæ illius verbositatis, duobus hisce verbis continetur, quæ justam, si superis placet, apologiam adæquant, & Regio-portum vestrum penitus purgant, *mentiris impudentissime*. Immodica & effusa verbi licentia tibi condonatur; ira vehementi percitus, nescis, quid tibi dicas, & tui minimè compos, præ animi agitatione, prudentem verborum delectū habere non potes. Vir ille partium vestrarum facilè Princeps & Coryphæus, cujus errores Theologiam vestram componunt, ingenuè fatebatur, igneum sibi corporis remperamentum inesse ad celerem iræ motum, nitro haud absimile, quod statim flammam concipit, remporis momento extinguendam, nullo tamen tetro, vel odore, vel halitu post se relicto; sed en tibi concepta verba; subtilis choleræ nonnihil habuit, quam flammulæ salpetræ lepidè comparare solebat, quæ momento incenditur, & sine nidore & fumo momento in nihilum dispergitur. Jansen. in Synops. vit. tu vero Willelme, igneo quidem ingenio tu natura te finxit, quo certè iniram proniores, sed impuro & fæculento, in quo abundè misces cum sulphure nitrum; unde tua scripta, non jam olent urbanitatem Gallicam, sed barbarum illum quid, & ferox; non innocuam flammulam, & ingenii lumina, sed horrenda incendia, & furentis cujuspiam Cyclopis fulmina præferunt ubique & spargunt.

II. Sed cur quæso ad exteros te recipis, ut tonicè convitiari discas? num poteras, intra Gallicæ fines te continere, in qua certè hujus artis peritissimi minimè desiderantur? proferre possem in hoc genere, rara hujus artis specimina, & ut ita loquar magisteria; illud unum forte, nisi me mea fallit opinio, te movit, quod à Luthero egregiam aliquam defendendi Hæreses methodum hauriendam esse putasti; hoc enim præsertim clypeo Lutherus se texit, tam contia Regis potentissimi animadversiones, quam contra Romani Pontificis anathemata; *ego*, inquiebat, *sine lorica, & apertè dico, Regem Angliæ Henricum istum mentiri*. Leonem verò X. sic Urbanè compellat; *Obscœna quæ frons tua meretricia Sanctissime Vicarie Christi sed tale scelerata abominatio; tam stultè simul & impiè loqueris, ut indigna sis, propter quam vola jant*; en tibi Germanum autographum, cujus apographum fideliter expressisti; in te fortè plus industriæ, vel artis, non tamen minùs audaciæ, vel impudentiæ fuit: & verò si tuum illud nomen *impudentissime* iis omnibus impingis, qui vel tam consilia tibi suggerunt, vel tuos errores confingunt, juxta prædictam figuram Eloquentiæ Lutheranæ, quam imitandam suscepisti; non est, quod lauræ caput demittant, ad fallendum jctum; longè altiùs tollimas, & in nobiliorem scopum collineas, nimirum in capita mitris, tiaris & diademate conspicua; quid enim amabò quiritaris? vos hæreticos appellamus; clamas, calumniam esse; Ludi Willeme; non jam calumnia, sed dogma Catholicum & oraculum est, quod Vicarius Christi protulit, quo errores vestros hæreticos, blasphemos, impios esse omnibus Christi fidelibus declaravit; quid ad nostrum deris; apud illum causam tuam age, & vindica istem, nihil aliud opportuniùs tibi occurrit, quam tuum lud *mentiris impudentissime*.

III. Ægerrimè fertis saltem, ad speciem, dicti Jansenistas, Jansenio licèt adhærere, & in ejus verba jurare gloriæ ducatis; Auctorem illum & Patrem doctrinæ vestræ agnoscitis ultro; Patris nomen illi addecet; cur ergo renuitis? præsertim cum illud nomen Romani Pontifices constitutionibus Apostolicis confirmarint; Audite, quæso, Urbanum, *Ut Lumani*, inquit, *Apostolicis decretis tandem aequiescant*, quod certè si vobis injuriosum esse ducas, quid de nobis expostulas? expostula de sede Apostolica, & tuum illud audacter intorque *mentiris impudentissime*. Pro insigni nebulone & impostore beris, qui doctrinam moralem Societatis miserabili licentia corrupisti, depravasti, falsasti, cujus à me criminis perspicuè convictus es; neq; id, quod stior, negare ausis; neque id clàm in tenebris mulsito; sed palam prædico super tecta; idque Urbani VIII. exemplo; quamobrem, inquit, *pudens aliquorum temeritas satis improbari non potest, ob tam apertam quorundam contumaciam, ingenti dolore ægritudine affecti fuimus*: item, *Constitutionem nostram*

A quo

Augustinum Jansenii Assectis impudenter atque inanibus argumentationibus oppugnari audivimus : si hæc elogia vobis displicent, cur inde mihi litem movetis, qui illorum hujus Pontificis verba dumtaxat refero? ad ipsum ipsum adite, & ut probetis, vos contumaces non esse, stringite in illum, vestrum illud mendacium, *mentiris impudentissimè.*

IV. Non semel profectò id feci stis, Willelme; arripuistis illam, excipiendi tam urbanè illos, qui luculentissimis & indissolubilibus argumentis, impostura rum errores que demonstrarunt, in decretis Pontificis, quæ causæ vestræ minùs faverunt, primum probastis ad magisterium; nemo igitur mirabitur, quod verbis adeò urbanis & honorificis Jesuitas compelletis, quibus ante Christi Vicarium compellare non dubitastis; postquam ejusdem Ecclesia Urbani ministerio & oraculo, pernicios Jansenii errores damnasset & uno eodemque fulmine nativum Jansenium, & fictitium Augustinum perculisset, factio vestra hoc tonitru percussa, nihil satius & opportunius, in his angustiis, ad defensionem suam, esse duxit, quàm tenebris in lucem editis, constitutionem Apostolicam falsitatis arguere, iisque omnibus, qui vobis illam opponebant, plusquam impudenter impingere vestrum illud *mentiris impudentissimè* : Jesuitæ, inquiebatis, Bullam illam fabricarunt, contra S. Augustini doctrinam in libro Illustrissimi Ypresis explicatam; causam suam his dumtaxat armis tueri poterant, quas nemo infamis, & non solum Christianis & religiosis, verumetiam ingenuis hominibus indignas non reperit; optimi quique sperant, hoc crimen non fore impunitum; nec eos impunè laturos, qui Romanum Pontificem palmaris hujus & luculentæ falsitatis reum facere non dubitarunt: Probavit tandem eventus, vos falsos Prophetas fuisse; vox Pastorem pro fure traducebatis, ab ovibus Christi vestra fuit & cognita; dicta constitutio, scripta vestris licèt impiè lacerata, multis literis Apostolicis confirmata, & ubique tandem recepta est, quam vos ante ubique ut obreptitiam & fictam elevabatis; denuo tamen confugistis ad illud vestrum *mentiris impudentissimè*; illi oculi vobis eruunt ultro, inquiebatis, qui dubitant, an dicta Bulla fictitia sit; malis quippe animis Ypresis hostes obtinuerunt, ut illa tam vestris consiliis consentiret, quàm Romani Pontificis menti & voluntati adversatur.

V. Non multo post tempore Innocentius X. monstrum illud Bicipitis Ecclesiæ, quod ab antris Stygiis orcum duxerat, sacro fulmine tetigit, & Christianum orbem docuit ex Cathedra, multa quidem esse Ecclesiæ membra, sed caput unicum, doctrinæ, Pauli gladio commodè uti, quamvis ejusdem Sancti Petri Claves illi non committeret: offensus ille, moriens licèt, extremum sibilum emisit, in percussorem ejaculatus illud vestrum *mentiris impudentissimè*; horruit Ecclesia hujusmodi voces excipiens, nimirum Romanum Pontificem falsis delationibus in errorem inductum fuisse, librum, in quo scilicet doctrina illa continetur, à Romanis censoribus, lectum non fuisse, aut certè non intellectum: eos partis simul & judicis munere functos: Cardinalem De Lugo Jesuitæ addictum, immo & Præposito illorum Generali, singulari Voto obstrictum, Cardinalem Spadam cum Jesuitis inito fœdere, sedis Apostolicæ honorem prostituisse, ut proprio consuleret: totum denique negotium ex politicis potiùs, quàm Ecclesiasticis & Theologicis regulis gestum fuisse: nihil denique à vobis in ea causa omissum, ut Præsules & Catholicas Academias in partes vestras à Catholica unione abstraheretis: sed hæc in cassum omnia, cum Octoginta quinque Galliarum Episopi, quinque illas propositiones, id est, totius doctrinæ Jansenianæ breviarium, ad eumdem Innocentium X. miserint & rogarint impensè, ut super iis ex cathedra pronunciaret; hic discussa materia, eaque ad hunc finem adhibita diligentia, qua major excogitari non potuit, pronunciavit, damnavitque propositiones vestras ut blasphemas, impias, hæreticas; in hac desperatione inopinata, erectis impudentiæ columnis, præfractè negastis, dictas propositiones esse Jansenii, aut in Jansenii sensu damnatas, ac proinde, solito effugio locus fuit, torsistisque adversùs Innocentium, vestrum illud *mentiris impudentissimè.*

VI. Necdum finis; Episcopi Galliarum manifestæ vos falsitatis convicerunt, & Alexander VII. nova constitutione declaravit, dictas propositiones ut Jansenii & in sensu Jansenii damnatas fuisse, & ut tales, à se iterum damnari; non tamen præclusit vobis effugium, quæstio facti est, inquisebatis, in qua haud dubiè Pontifex erravit; Jansenii librum diligenter lustravimus, & nunquam in eo hujusmodi propositiones invenimus; falsum est, igitur; Jansenii propositiones esse; huc igitur bellissimè quadrat nostrum illud *mentiris impudentissimè*; nullus enim propositiones illas defendit; unde si Hæresis est, Chimærica est. itane verò, nullus Theologus propositiones illas defendit? illas tamen ante constitutionis Innocentianæ promulgationem, ubique ostentabatis, in libris, in Scholis, in pulpitis, in compitis; hæc erat doctrina Ecclesiæ, Apostolorum, Conciliorum, Romanorum Pontificum, Sanctorum Patrum ac præ cæteris Augustini; posteà verò Bulla edita, hæresis est chimærica, quam nemo novit de facie, & nemo scit, in quo illa posita sit: ante Bullam, si quis dictas propositiones impugnaret, uti revera non deerant; suspectus illico, & Semipelagianus à vobis denunciabatur, infensus hostis gratiæ Christi, utpote qui antiqua Evangelii & fidei dogmata destruere conaretur: post Bullam verò, quisquis illas vobis imputat, insignis calumniator est, & prolati mendacii contumeliam in os ejus impingitis: ante Bullam in iis propositionibus totidem divinæ fidei regulas agnoscebatis, illarumque originem in Traditione; oraculum, in Augustino; fidelem in Jansenio interpretem; post. Bullam, per insignem Metamorphosim, meræ sunt impostura, quas invidia peperit, publicavit calumnia, excepit ignorantia, non sine gravissimo innocentiæ detrimento; cum nullus omnino Theologus illas propositiones sustineat: itane verò fides vestra biformis est atque bilinguis? idem negatis & asseritis; approbatis, & reprobatis indiscriminatim; ubi vestra interesse putatis: nullum profectò lapidem non movetis, ut consilia vestra ad optatum exitum perducatis, & imperium illud chimæricum, quod dudum affectatis in Ecclesia, assequi possitis.

VII. Illud dumtaxat odium, quo in Iesuitas flagratis, constans est, iisque acceptum refertis, quidquid Ecclesia huc usque adversum vos

constituit: si Ecclesia libros vestros configit: Jesuitæ pro falsariis habendi sunt, cum Bullas fictitias cudant contra Sanctorum Patrum doctrinam; si Elogium Jansenii tumulo adscriptum, expungi jubet, insigne haud dubiè erroris monumentum; Jesuitæ idololatriam apud Sinas tolerant; nimiam vitæ licentiam in Europa, ubique demùm Christianorum morum corruptionem inducunt: si Præsules Galliæ, elogium Sancyrano per fraudem nuncupatum reprobant, Jesuitæ insignes viros, etiam post mortem, ubique persequuntur; si Sorbona Jansenistas ex Doctorum suorum albo expungit; Jesuitæ ut disciplinæ moralis destructores prbscribendi sunt atque abolendi; quamvis in doctrina fidei victores evaserint, in doctrina morum, si non vinci, concuti saltem poterunt; omnes Societatis scriptores & libri in examen vocandi, ad quæstionem admovendi, & si res ita postulet, falsificandi, adulterandi, contrahendi, extendendi, ac mille omissionibus, additionibus, interpretationibus depravandi; & quod caput est, mille jocis scurrilibus, ad plausum mulierc ularum, omnia condienda; an dolus, an virtus, quis in hoste requirat? vix unus ex decem millibus impostura & dolum advertet; reliquis omnibus, majore scilicet ex parte, persuarum erit, rem ita se habere; mirabuntur sapientissimi quique, vos eò venisse, ut cum ante Patres in ore & manu semper haberetis, jam tinearum ad instar, Casuistarum codices rodere non dubitetis; quid tum; mirabitur unus, sed mille ad risum provocabitis; quis enim nescit, vulgus maledicentia, jocis præsertim condita, maximè delectari; immo sunt, qui falsis potiùs quàm veris recreantur; Jesuitæ quidem defensioni suæ non deerunt, vestraque impostura facient palam; sed novis impostoris antiquas diluetis; mendaciis, mendacia cumulabitis; & cum sitis ratione, jure, argumentis longè impares; eos tamen, regestis centies & millies solitis convitiis & probris fatigabitis, totiesque impingetis illud vestrum *mentiris impudentissimè*, ut tandem silere cogantur; quid enim vobiscum agerent, qui honoris, pudoris & fidei jacturam integram fecistis? præsertim cum nullum inde lucrum à nobis præter injurias sperare possint: commodam sanè & novam defensionis rationem inistis, in eo scilicet positam, ut, dùm quis impudentissimè mentitur, quod certè facile est, turpis mentitionis contumeliam impunè alteri in os impingat; & dum vitiis insontibus atroces calumnias affingit, eosdem pro calumniatoribus ad crimen amoliendum traducat; cujus rei pauca exempla breviter suggero.

VIII. Imputas Patri Albio, Dominum Puteanum (is erat Æduus, ut vocant, in S. Nicetii Lugduni) hæreticum, excommunicatum, & dignum, qui flammis adiceretur, ab eo fuisse appellatum, citasque in hanc rem primum & secundum illius scriptum; & tantùm non juras, rem ita esse; Albium in secundo id confirmasse, quod in primo adstruxerat. Sed hæc est manifesta calumnia; accipe Albii concepta verba, excerpta ex 3. pagina secundi scripti, *accusor immerito* inquit *quod Parochum illum hæreticum appellarim, nemo sanè mentis suæ compos, perpensis primæ apologiæ verbis, non judicet, hanc glossam in textum minimè quadrare*; tu igitur insignis impostor censendus es; sed quid juvat, te manifestæ impostura convictum à me fuisse, quid ultra te urgerem; ut enim accusatio tua merum mendacium est; ita defensio nihil aliud erit, quam admissæ mentitionis contumeliosa exprobratio; & ut religioni non dedisti, impunè mentiri, ut Albio calumniam imponeres, ita non te pudebit, os meum verberare dicti mendacii convitio, & tuum illud intercalare occinere, *mentiris impudentissimè*.

IX. Patri Baunio imposuisti doctrinam illam, quod liceat directè primò & per se occasionem peccandi proximam captare, propter bonum spirituale, aut temporale, nostrum, vel proximi, jam evictam calumniam; nimirum illa verba *primò & per se*, non esse Baunii, & ostendi, opinionem illam duobus modis accipi posse; primo, quod alteri liceat, propter graves rationes, v. g. propter conversionem animarum, vel bonum commune Reip. occasioni peccandi exponere se se, ut Ambrosius & alii quidam viri Sanctissimi; modò tamen speret, flammaque omnino, divinæ gratiæ subsidio, à peccato abstinere; & hæc est Baunii aliorumque sententia; secundo, quod liceat cuipiam, temerè occasionem peccandi captare directè, formaliter, & absque gravi ratione; & hanc doctrinam, ut detestabilem Jesuitæ damnant; quo ad primum, est sanè, quod ignorantiæ te insimulem, qui communem illam Theologorum sententiam crimini ducis; quo verò ad secundum, ne vestigium quidem apud Baunium reperiri illius impii dicti, quod certè, ut ait Casuista, non nisi ab organo Dæmonis illi affingi potuit. jam verò me tuis creditoribus & accusationi sponsorem & vadem opponis, quasi agnoverim illam sententiam, eo, qui indicatus est, loco reperiri; O nequam; itane tuis lectoribus imponis? primam sententiam agnovi, quæ communis est; alteram verò inficiatus sum: hoccine, ut eadem, ut ais, modò affirmare, modò negare? id sanè vobis solenne est, & quasi Regio-Portensi diplomate indultum, quo, à dicendo vero immunes esse voluistis, idque juris vobis arrogatis, non modò impunè mentiendi, verùm etiam turpis mentitionis probrum in os iis impingere, qui palmaria mendacia, decumanas calumnias, malam & plusquam perditam fidem vobis exprobrant; quod altero exemplo, ut reliqua omittam, facilè demonstro.

X. Hanc propositionem Baunio imputas, *Pœnitens consuetudinem peccandi habeat*, &c. *non est tamen ei neganda absolutio*; ac deinde, hæc quasi Baunio eodem tenore, ac minimè interruptè dicta essent, subdis in vernacula, *etsi emendationis futura spes nulla appareat*; iis omissis, quæ statim subjicit auctor nimirum, *si verè eum admissorum pœnitet, ac emendandi sui propositum habeat*; in versione tamen hæc addidisti, illa verò expunxisti; & statim opponis, Pinterellum & Brisacerium repugnanta loqui; primus enim, ais, propositionem illam execratur, juratque, non esse Baunii; alter Baunii esse, fatetur, & innocentem esse, contendit; erras, mi homo, erras; responsio unius alterius responsionem non destruit; utraque sua apposita; nempe ille negat, absolvendum illum esse, quando nullum exhibet, vel doloris signum, vel emendationis propositum; in quo reverà versatum tuam illam accusationem accepit, uti acceptare potuit; prout scilicet in vercula jacet; nec enim Pinterellus tuam versionem, in qua hæc emendasti, videre potuit, cum multò ante scripserit, quàm illa edita fuisset; jure igitur propositionem illam reticit & Baunium ab illa vindicat; Brisacerius verò, propositionem integram Baunii, compositam scilicet, tam ex

res parte, quam exscripseras, tum ex ea, quam retinueras, accipit, & probat; modò enim sit vera & integra confessio, dolor de peccatis, & firmum non peccandi propositum, quorum signa & probabilia pœnitens ipse præferat ac exhibeat, etiam si emendationis certa spes Confessario non affulgeat; sic enim Sacerdos intelligendus, non videt, cur pœnitens absolvi non possit; utrumque verissimum est, & convenient ambo; ille pravam doctrinam rejicit, quam Baunio affinxeras; hic germanam Baunii doctrinam, quam adulcerasti, defendit; ille nequitiam tuam aperit; hic fratris sui ac socii innocentiam demonstrat; diversus utrinsque defensionis modus; utrique tamen æquè bonus & appositus; utrimque se impugnant, dissimili, quidem ictu, quamquam penetrabili; victoria tamen utrique certa; tu verò utrinque fusus & profligatus eò desperationis adactus fuisti, ut in Germaniam aufugeres; & inde tuum illud *mentiris impudentissimè* referres in Gallum.

XI. Insolitam illam responsionis & Apologiæ formam ex Valeriani Magni schola, inquis, Jesuitis tam parum propitii, haurire licuit; & hîc narras historiam conversionis ad fidem Catholicam Serenissimi Lantgravii, non Darmstat, ut garris, sed Hassiæ, nimirum Ernesti, qui fabulam illam à dicto Valeriano sparsam, scripto publico in lucem edito, præsentissimè confutavit; quamquam quot fere verba, tot mendacia huc accersis, quæ obiter indico. 1. dicis, Lantgravium Darmstat ad fidem conversum esse, in quem; is enim fuit Lantgravius Hassiæ, 2. dicis, conversum fuisse à Valeriano; sed hoc ipsemet nequam dicto opusculo; 3. addis, Jesuitas hoc ægrè tulisse, imponis, nunquam ægrè tulerunt: 4. fingis, libellum abiisse editum, in quo eximium illum virum taxaverint; appellare saltem libellum debueras; sed hic nunquam editus est; 5. subdis, à Jesuitarum calumniis nusquam bonos intactos fuisse, atrox calumnia. 6. literas etiam à Jesuitis contra illum sparsas; sed hæ quoque fabulosæ, intra quinque, aut sex horas, quam multa falsa, etiam in narratione; subdis rerum longum atrocissimæ satyræ tractum; quam Valerianus impotentissimus sui homo, contra Jesuitas ediderat; sed quia hic satis lusit, conjectus in carcerem Romani Pontificis jussu, & dum Romam ad judicandus duceretur, Salisburgi fato functus; immo Serenissimus Princeps Ernestus dicto opusculo, calumnias à Valeriano Jesuitis affictas satis superque diluit; item singulari lucubratione, breviter quidem, plenè tamen dejectæ fuerunt; ab iis vindicandis abstineo, & bonum illum, cui Deus ignoscat, libro dimitto, ac tibi liberum relinquo illud *mentiris impudentissimè*, quod tibi forte legavit, cum in os tuum appositè quadret: perperam autem jactas, Capucinos Jesuitis parum esse propitios, uti & Benedictinos; saltem, ut minitaris; non ita res profectò se habent; quin immo, vobis parum propitios esse, constat; cum in capitulo generali Romæ celebrato, hoc decreto, statuerint ac vetuerint, ne quis inter vos, Jansenii doctrinam defenderet: idem quoque statuerunt RR. PP. Fulienses, Carmelitani discalceati, ut vocant, Benedictini Congregationis sancti Mauri, Minimi, & nonnulli alii, ac proinde non ita vobis propitii; sed quid mirum, si optimi quique vos detestantur, qui Deum ipsum & doctrinam Catholicam deseruistis; Romani Pontifices vestros errores multiplici constitutione damnarunt; Episcopi doctrinam vestram habent pro hæretica & justè damnata; ab ea Religiosi Ordines omnino abhorrent; Academiæ Catholicæ eamdem proscribunt; Sorbona non eam modò rejicit, sed illius fautores & defensores ex suorum albo expungit; immo iis justa post mortem persolvi solita, justissima indignatione reculat: quid plura, nullus vere Catholicus vobis inter Catholicos propitius restat; nullus Jesuitis, saltem quo ad doctrinam & mores, non propitius; nisi fortè, quem vestris calumniis in errorem induxeritis, quod nonnullis evenire facilè potuit, præ simplicitate, ignorantia, vel tantulùm saltem alieno à Jesuitis animo.

XII. Jam verò pergis dicere, Jesuitas calumniatores esse, eo quod Jansenistas pro hæreticis traducant; & in Germaniam te confers, ut inde in Galliam tuum illud *mentiris impudentissimè*, ab urbanitate Gallica tam alienam tecum asportes: Dicas tillus, inquis, Jesuita contra Quirogam, sustinet, calumniâ repelli posse calumniam absque injuria, non tamen absque mendacio, & ita falsa crimina imponi calumniatori, qui falsa imposuit, ad infirmandam illius auctoritatem & fidem; ille pro sua opinione laudat Bannez, Vegam, Orellanam, & multos alios; immo Academiam Pragensem & Viennensem; hic verò pro sua, tres auctores citat, quorum duo sunt Jesuitæ, nimirum Lessius & Filliutius; paulo forte ardentius duorum istorum Theologorum; pro more, ferbuit disputatio; unde fieri facilè potuit, ut alteri vel utrique aliqua verba exciderint paulò maturiùs ponderanda: sed de hac quæstione satis fusè alias, quam tu de industria, in hanc Epistolam ad invidiam inseris; sed quid inde? Propositiones igitur ab Ecclesia damnatæ in libro Jansenii non reperiuntur; quid debilius? ergo non sunt hæreticæ, impiæ, blasphemæ, quamvis ut tales damnentur; quid futilius? ergo Arnaldi Epistolas aliaque ejusdem scripta Roma non confixit; quid absurdius? ergo hæresis duorum capitum Ecclesiæ, cujus Arnaldus auctor est, confixa non fuit à Sede Apostolica & fulmine tacta; quid ineptius? ergo Sancygiranus non dixit, se nihil scire, nisi quod ab antiqua Ecclesia didicit? ergo Jansenius eidem non promisit per literas, se Barcosio omnia necessaria suppeditaturum ex pecunia Collegii, administrationi suæ credita, & curaturum, ne quidpiam in rationum exactione deinde appareat; ergo ad eumdem non scripsit, singulari Dei providentia, duos Ecclesiasticos intra paucos dies obiisse, ut sibi Canonicatus obveniret, pro quo, sexcenti floreni cum alio beneficio sibi offeruntur; ergo Mater Agnes à Sancto Paulo, Abbatissa portus Regii eumdem Abbatem per literas certiorem non fecit, de nonnullis ex suis monialibus, quæ à quindecim mensibus sacra exhomologesi animi noxas non expiarant: dum in hunc modum Willelme ratiocinaris, nonne thesis tuas omnium ludibrio exponis? crede mihi, non est, quod Jesuitæ falsas hæreses vobis affingant, cum jam vos ipsi tam multas veras promulgaveritis; non est, quod libros à vobis editos fallent, ut crassos errores in omni genere in iis notent; quoties vobis locum, paginam, concepta verba citarunt? literas Jansenii & Sancygirani minimè adulterant, quarum archetypon in collegio Parisiensi Societatis asservatur, & omnibus; etiam à vobis missis, illius ultro fit copia; sed quid ad hæc hucusque, præter illud tuum obiter non ita profectò Jesuitæ, ad calumnias, quas iis affingitis; planissimè & clarissimè respondent, tricas vestras solvunt, imposturas aperiunt, difflant tenebras; & vos ignorantiæ & falsitatis manifestè convincunt.

XIII. Quis autem nescit, cur tam acriter Patrem

Annatum, qui est Regi Christianissimo à confessionibus, perstrinxeris; Vasquem, Suarem, Molinam, Lessium, aliosque insignes Theologos Societatis, quorum clarissima lumina tuos oculos percellunt, lacerare non cesses, Brisacerium, Patrem Davion, Crasserum atque adeo universam Societatem adeo vehementer insecteris; id enim dumtaxat causæ; quod isti errores Jansenii hactenus minimè tolerarint, nec in posterum sint toleraturi; hæc una eaque verissima causa est, & fons & origo, unde tot calumniæ, falsitates, impostura, convitia, fabulæ, fatyræ, criminationes aliaque id genus ubertim scaturiunt: zelum disciplinæ morum restaurandæ præferre videmini; sed hoc prætexitis nomine fraudem; inconcussa Jesuitarum fides, sincerus & incorruptus Ecclesiæ & Religionis amor implacabiles vobis iras, immo furorem & rabiem concitarunt; tametsi aliam causam obtenditis: resipiscite, ejurate errores, renunciate damnatam Jansenii doctrinam, Jesuitæ illico dexteras vobis porrigent & jungent; illud certè ardentissimè desiderare, vix tamen, prudenter saltem, sperare ausim; hoc genus dæmoniorum, etiam ab Apostolis non ejicitur; potentiore dextera opus est, Dei scilicet & Regis; illius quidem ut cor interiùs sua gratia molliat & mutet; unus Deus tantam superbiam domare potest, hujus verò, ut linguam exteriùs autoritate sua & pœnarum metu compescat: sed pro more tua vestigia relegamus.

XIV. Sub unum adspectum adduco eloquentiæ vestræ flores, quos Jesuitis aspergis in hac Epistola; vocas enim criminatores, convitiatores, publicos sycophantas, monstra, perditos homines, egregios ardeliones, hominum genus orbi christiano grave & intolorabile, viduis exitiale, manifestos calumniatores, prævaricatores atheos, hæreticos; iis vero exprobras, calumnias, impostura, crudelitatem, errores, impiam calliditatem, revictam calumniarum falsitatem, projectam salutem, Theologiam detestandam & omnibus suis partibus corruptam, flagitia, mentis tumorem, licentiam, audaciam, horribilem petulantiam, mentiendi etiam consilio confidentiam, impia verba, effrænem honoris cupiditatem, professam impietatem, scandalum, scelus, execrationem universalem, tyrannidem, manifesta, infanda, impudentissima mendacia, mores iniquos, irreligiosos animos, aliaque hujusmodi Jansenianæ orationis lumina, quibus ex Epistola tua detractis, nihil aliud restat, nisi fortè crambe quædam recocta, de occasione proxima peccandi, de peccantibus ex habitu absolvendis, de calumnia retorquenda, quam toties versavi, discussi & supra evici, nihil de his ab auctoribus Societatis adstrui, admitti, ac doceri, nisi quod tritum, apud alios auctores commune, in communi usu receptum & probatum sit.

XV. Quam lepidus porro sis, Willelme, mirari, seu potiùs, ridere satis non possum, cum dicis, Jesuitas non temerè, sed consilio mendaces esse, ac prudentes & gnaros falsa in adversarios crimina conferre, idque ideo audere, quod calumniam calumnia refelli posse, doceant, eoque Dei gratiam minimè amitti; est enim hæc in scholis Jesuitarum, inquis, pervagata doctrina; præter unum Dicastillum, alios è Societate appellare debueras, qui hanc sententiam typis mandarint; nihil enim moror scripta & dicta, quæ fingi liberè possunt; nec etiam theses, quæ interdum disputandi potiùs, quàm adstruendi animo, proponuntur; quamvis enim fortè aliqui rationes Dicastilli approbare videantur, quia tamen vix unquam fieri potest, ut omnes illæ conditiones intercedant, quas ipse Dicastillus requirit; docuerè mortali noxa eum liberum non esse, qui calumniam in calumniatorem retorquet; illud autem potissimum Dicastillum excusat, quod ipse ab illo bono provocatus & in gravissimi criminis suspicionem inde vocatus fuisset; id que non in bivio, vel in pulvere scholastico, apud scholasticum vulgus, sed in Cæsaris aula, apud magnates & proceres Imperii; sed de his satis, de quibus fusè in notis, & alibi; quibus porro convitiis hominem illum oneret Dicastillus non video; locum illum Dicastilli satis prolixum excripsisti, in quo tamen ne minimum quidem convitii vestigium apparet: unde constat, quàm sis verídicus auctor; in quo anceps hæreo, an potiùs in hoc, stolliditatis & ignaviæ, quàm petulcitatis & nequitiæ insimulandus sis.

XVI. Concludis, hanc doctrinam à Jesuitis sæpissime frequentari, cujus rei aliquot argumenta, vel exempla profers; sed quò tandem illa? omisso Valeriano Magno, quem à Jesuitis infamatum fuisse dicis, quod quàm à veritate alienum sit, notorium est; sed cum hæc Valeriani causa à Serenissimo Principe Lantgravio Ernesto & quibusdam aliis abundè discussa sit; frustra omnino quidpiam adderem, nec ultra juvat, hoc ulcus premere; nullam prorsus calumniam Jesuitæ Valeriano affinxerunt, qui tam enormitas, easque atrocissimas Jesuitis affinxit. Omissis igitur Valeriano; cætera exempla in te tuosque cadunt; velles haberi pro calumniis, quæcumque à Jesuitis contra Jansenistas scribuntur, nimirum contra Jansenium, Sacygiranum, Arnaldum, Regiopontanos, aliosque ejusdem furfuris; parum abest, quin eximem; ô utinam calumniæ essent; sanius quippe furet Jesuitas in hoc facto, bona fide, errare, seuper errorem, mentiri, quàm Ecclesiam vestris erroribus, quos in dies ad cumulum addensatis, conspurcari, & conturbari vestris factionibus rempublicam; nam Jesuitæ longè faciliùs dedoceri possent, cum tamen vos erroribus vestris obstinatissimè insistendum esse putetis; quod nonnulli, Episcopi, vestri gratia, paulò duriùs in unum, vel alterum Jesuitam animadverterint, mihi certè mirum non accidit; nullus unquam error sine suis fautoribus fuit; sed de uno, vel altero male affecto judice, parum curandum; cum tamen vos universa Ecclesia, quæ nec falli potest, nec fallere, sæpe ac sæpius damnaverit; de Albio & Bianno jam supra dictum; Albani fabula exposa, pugnantia Brisacerii & Pinterelli composita; quid tandem ultra? minitaris, te Jesuitarum mores ante omnium oculos expansurum, *expandentur Patres*, inquis, *ne debitate; saltem ipsa contentio, qua mihi loquendi libertatem eripere nitemini, certo judicio erunt* (erit, dicere voluisti, debuisti saltem) *pertimuisse vos, & conscientia alium flagitiis, crimina, quæ vobis objecturus eram, agnoscentes, quæ vestis, ne illa vulgarentur, esse molitos*; ô nequam, nihil intra Jesuitæ moliti sunt, ut tibi loquendi libertatem eriperent; quasi verò ab eo tempore, maximam librorum vim per fas & nefas non ediderit, in quo earum fœderatorum vestrorum opera liberè usi estis; nulla hîc crimina Jesuitæ agnoscunt, præter vestra; quomodo quæso vera dissimulasses, & reticuisses, quitam multa falsa, fictitia & fabulosa per aperram calumniam affinxisti, ubi ergo impostor nequissime; qui nec Deum times, nec homines vereris; homo projectæ conscientiæ, religionis & fidei; insignis, si usquam aliàs, sycophanta, posteris futurus, si boni fuerint, horrori & execrationi; si verò mali, tui simile que simios, rarò, ad selectas maledicentias, & atrocissimas calumnias, exemplo.

EPISTO

EPISTOLÆ DECIMÆ sextæ Confutatio.

OMissis levioribus illis, de Jansenio & Barcosio, de arca sancti Mederici, de multis opibus ab illo famoso Rectore congestis, aquibus obiter, sed quantum satis, in notis dictum est; illud unum præsertim, quod maximè te pupugit, demonstrandum & conficiendum suscipio; Jansenistas scilicet, primatios saltem illorum Mystas, cum Genevensibus fœdere junctos esse & convenire, non modò contra Jesuitas, verùm etiam contra Ecclesiam, in multis quidem apertissimè, at saltem velatiùs, in re sanctissimi Sacramenti; quamvis enim Jansenistæ cùm Calvinistis, in omnibus hujus articuli capitibus non conveniant, uti nec isti, cum Lutheranis, in aliquo tamen, saltem quo ad loquendi modum, illos convenire infrà ostendam; cum autem, ista communem regulam ab Evangelio nobis portendam, quisquis in uno peccat, eorum scilicet, quæ eidem pertinent, omnium reus existat, inde ni fallor, rectè deducere mihi videor, perinde esse, sive in multis à fide alienis, sive in uno dumtaxat Jansenistæ, quamquam hi etiam in multis, cum eterodoxis consentiant.

II. Quod ad primum spectat, non negabis, opinor, solemnes Calvinistis contra Jesuitas fœdere junctos esse, jam publica vox est & conspiratio; sub iisdem signis militatis (hîc per te, quæso mihi liceat, eos compellare) & iisdem armis cum Petro Molineo pugnatis; quid enim aliud est Theologia vestra, nisi Indiculum Romanarum Brevlarium (sic enim opusculum suum ministellus ille inscripsit) & literæ vestræ ad Provincialem nihil aliud nisi dictæ lucubrationis commentarium? Theologiam moralem vestram ex illius impostoris, & literas vestras ex atrocissimis & impiis illius satyris contexere voluistis; impositis, ut ille; falsatis, ut ille; falsa dogmata sparsistis, ut ille; uno verbo, iisdem sophismatis & malis artibus, cum illo uti videmini; unde Reformatorum Ecclesiæ, ut vocamus per jocum, res vestræ maximè orti sunt; illa quippe pro consiliorum vestrorum, quæ prosus agnovit, secundo eventu, publicas preces non semel indixit, gaudet de victoriis vestris ominatis, exultat insultatque de triumphis imaginatis, & res à vestris præclarè gestas inter præclara earum facinora prudens ac sollicita recensèt.

III. Hoc fœdus, ut iis honorificum atque utile, ita vobis omnino necessarium fuit; à quibus enim, nisi à hæreticis supperias & auxilia sperare potuistis, adversùs Religiosum Ordinem recens in Ecclesia institutum, ad Christianam fidem ubique defendendam & propagandam? fateor, Jesuitas ubique fere à non paucis impugnari atque vexari; & licèt omnibus sua subeant impendantque officia, hoc tamen non obstante, ubique hostes & persequutores inveniant, quod sanè Societati solenne est, ut & persequutionibus adolescat, & patientia coronetur; sed quinam, malo vos, isti sunt, à quibus affligitur? an Romani Pontifices Christi Vicarii? hoc præsertim nomine Jesuitas odio prosequi, & convitiis proscindere non cessatis, quod sedi Apostolici nimis addicti sint, & ea multis beneficiis cumulentur; & ut hæretici terræ non possunt obsequia illa, quibus sanctæ Sedi Societas devincta est, ita gravissimè admurmuratis in literis vestris, de illa gratia, qua pollet in Ecclesia; vana Papæ mancipia Jesuitæ à Lutheranis passim vocantur; *dissentiunt*, inquiebat Zvinglianus ille, *Jesuitæ à Concilio Tridentino? discordant ne à Papa? nonne unum corpus sunt, una anima?* an Reges & Principes Catholici? nonne illi Societatem innumeris beneficiis atque subsidiis prosequuti sunt, in Germania, Gallia, Hispania, Polonia, Lusitania? quot ab iis instituta & fundata Societati Collegia, templa erecta, immo & avita palatia ultrò concessa & attributa? an verò Episcopi? nonne isti ordinem illum in Concilio Tridentino confirmarunt & approbarunt, & illorum opera semper hucusque usi sunt, utuntur etiamnum, & in posterum utentur, eo scilicet eventu & fructu quem iis Catholici gratulantur? an demum optimi quique? quantum iis Jesuitæ chari sint, innumeris exemplis ac testimoniis demonstrare facilè possem; sed rei notoriæ frustra probationes accerserentur; fieri certè potuit, ut nonnullis hominibus frugi Jesuitæ suspecti fuerint; sed ignoscendum errori, quem nimia illorum, ex libellis vestris, credulitas imprudenter hausit; tritum est Henrici Quarti Regis Christianissimi dictum, quo adversarios Societatis egregiè confutavit, ægrè scilicet ferentes, quod Rex ille potentissimus Jesuitas defenderet ac tueretur; *alias*, inquit *eodè, errore laboravi, quo ja tenerì vos videò; sed agnovi tandè, quàm utilis sit Societas Religioni & Reipublicæ*; dignam certè tanto Principe nec non Heroe sententiam.

IV. Sed profectò iniquis conditionibus, cum Jesuitis pugnatis, ut tenebrio nescio quis, fidei scilicet & nominis expers, mille calumniis & impostoris illos impunè lacessat; crimen igitur Jesuitarum est, quod illorum innocentia comperta non sit; & innocentia vestra in eo posita, quod vestra flagitia lateant; veniet aliquando illa Deus, qua Deus mysterium iniquitatis faciat palam; *perimus*, inquiebant illi scelerati homines, apud Historicum, *sinos isti norint*; at Sapiens ille longè meliùs, *nisi me hi noscant, perii*; haud aliter Jesuitæ, quos tanto furore potiùs quàm fervore miserè laceratis, perierant, si calumniis vestris locus esset, & nisi Romani Pontifices, Principes, magistratus & fere optimi quique illos probè nossent; de vobis verò actum esset, si crimina vestra nota essent; hinc nullum non movetis lapidem, ut lateatis, nunquam sine larva proditis in lucem, arte dumtaxat & machinarum opera res vestras agitis; fingitis, ut regnetis; & sub pietate larvata, vel ut propriè loquar, hypocrisi, blasphemiæ vestræ tutæ quiescunt; satis tuti estis, si tecti; expromitis animi sensa, ut in alio sensu capiantur; explicatis, ut implicetis; errores inficiamini, ut firmiùs adstruatis; damnatas propositiones vobis amolimini, ut illas impunè retineatis; ii videri vultis, qui non estis; & ii profectò non estis, qui vultis videri. Quid ergo mirum, si ad hæreticorum arma confugientis; nimirum ad convitia & calumnias, ut Jesuitarum doctrinam in suspicionem vocaretis; ita prorsus veritatem, mendacio; impostoris, insontes; & Ecclesiæ Filios, hæreticorum telis impugnatis. Aperta sunt vestra consilia, nihil juvat dissimulatio; doctrinæ moralis restaurationem prætexitis; aliò spectatis; morum corruptio, seu remissio in Jesuitis vobis non displicet, nisi verbo tenus; optimi quique illorum, omnium apud vos sunt pessimi; fingitis Idololatras apud Sinas & Japones, quos ibi tyranni, ut Christi martyres obtruncant; ut mercatores pellium traducitis apud Barbatos, à quibus pro Christo vivi flammis addicuntur Anglia, quæ pro iis nihil nisi crucis & equuleos habet, fictos commentarios vobis suppeditat, ut eos tanquam perduelles agitetis; cuncta hæc omnibus satis persuadent, religionem ipsam à vobis impeti, vano restaurandorum morum obtentu; ita prorsus alii hæretici, nihil nisi

morum

morum restaurationem crepuerunt hactenus; sed fidem vestram ante omnia restaurate, errores damnatos ejurate; ut deinde mores vestros corruptissimos emendetis; vera & visa narro; ignoscite quæso, vos intus & in cute novi; parcite igitur solitis declamationibus contra Theologiam moralem Jesuitarum; merus obtentus est, neque hoc nomine illos odistis; sed quia pessimè affecti estis in Sedem Apostolicam, quæ illorum institutum & doctrinam approbat; in Ecclesiam, quæ illorum utitur opera; in doctrinam Catholicam, quam ubique docent atque defendunt; & ut verbo dicam, cum Jesuitis vobis non convenit, sed cum Ecclesia reformatorum adversus Romanam, quæ huc usque nihil nisi censuras fulmina & anathemata pro vobis habere visa est.

V. Hoc probrum, quod vobis objicio, grande profectò est, sed ineluctabilibus argumentis confirmatum, immo & notorium; quippe vestra, tota spectante Europa, palam discussa est, & ab Ecclesia palam definita, doctrina vestra ut impia, blasphema, hæretica damnata; cur igitur Jesuitas accersitis, & ab iis rei male gestæ & parum secundi eventus rationem reposcitis? vos quidem illi hortantur, ut Ecclesiæ decisionibus acquiescatis; sed an propterea ignavi ac sævi calumniatores habendi sunt? vos etiam atque etiam rogant, ut sincerè damnètis quinque propositiones ab Ecclesia damnatas; an propterea impostores impudentissimi audiunt negatis, esse Jansenii; sed quoties ut Jansenii ultro illas nobis obtrusistis? meministis, opinor, libelli à vobis editi, cui titulus, *propositiones gratiæ*, in quo diligenter & accuratè Jansenii loca & paginas designastis, quibus dictæ propositiones continentur: frustra igitur modò reclamatis, & juratis, Jansenii non esse, ut simplicioribus imponatis, iisque fere omnibus quibus Jansenii libri copia non est; cur ergo vos temeritatis & manifestæ fraudis non insimulem? illius certè, cum plusquam temerè id negetis, quod suprema Ecclesiæ auctoritate definitum est; hujus verò, cum ea modò dissimuletis, quæ ante palam, libris in lucem editis, toties publicastis: tanta porro est doctrinæ vestræ ac fœderatorũ vestrorum consensio, ut citra delectum, sola librorum vestrorum apertura demonstretur. Dicitis, cum Jansenio, (a) nihil esse in sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quàm *esse præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia*; concepta sunt Jansenii verba, hæretica, scilicet, blasphema & impia, qualia Ecclesia illa declaravit: Genevenses omnino accinunt. (b) *Papistæ*, inquiunt, *objectant, Deum non jubere impossibilia, sed nullius momenti est; quamvis enim divina præcepta impossibilia sint homini in natura corrupta, in integra tamen possibilia fuerunt*. Dicitis præterea, (c) quod ante Christi adventum lex redderet justitiam difficiliorem, & quasi muro interpositro, impossibilem; & quod non defuit modò gratia sufficiens, sed quod talis gratia lationi legis & scopo Dei capitaliter repugnabat; status quippe veteris testamenti non afferebat Judæis gratiam sufficientem, sed potiùs impedientem: Calvinus & Lutherus idem sentiunt; nimirum Judæos caruisse gratia sufficienti, nec potuisse credere Verbo Dei; ita ut ad Dei vocem magis obsurdescerent, ad illustrationes magis excæcarentur, ad oblata remedia magis ægrotarent. Vos gratiam sufficientẽ ut mostrosam exploditis, quæ sufficiat & non sufficiat & quam ultro diabolus concederet: hæretici eamdem gratiam vocant inane somnium, callidum Pelagianismi operculum, rem fallacem, meram illusionem, solo nomine sufficientem; vos Christum pro solis electis mortuum esse, vultis, non verò pro omnibus, quos reverà si salvari tribuisset, haud dubiè salvaret; quis enim ejus voluntati resistat; hæc est, inquit Geneva, simplex & fidelis sententia nostræ, fidei Ecclesiæ nostræ, fides omnium Ecclesiarum Gallicarum, quæ confessioni Gallicæ adhærent.

VI. Vos etiam dicitis ultro, eorum, qui non salvantur, Christum Redemptorem non esse, nec pro iis Patrem orasse; Geneva omnibus denunciat, hanc esse præcipuum suæ fidei articulum, cujus horrorem mitigaret, supra sexaginta volumina promulgavit, multiplici synodo firmavit, falsa Augustini auctoritate munivit, ut Tridentini decreto illum opponeret, quod S. Synodus his verbis complexa est, (d) *ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis beneficium recipiunt*: vos quoque de Urbano VIII. ejusque constitutione, qua doctrina Patriarchæ vestri damnatur, graviter expostulastis, & hanc constitutionem omnibus Catholicis offensioni esse, dimissum in ea Augustini doctrina notetur, ut vel piscem videre coguntur; ita prorsus Geneva contra Tridentinum, cujus fulmina in Augustinum cuspidi Calvinus asserit; eodem nomine, Philippus Melanchton in Sorbonam invehitur, in qua nullum esse mentitur, qui calleat Augustinum: vos passim docetis, cum Jansenio, ignorantiam invincibilem juris naturalis culpa non eximere; Geneva consonat & vobis cum ultro fatetur, in pœnam peccati, necessitate peccati: vos demum Jansenio nobilissimum elogii trophæum erexistis, in quo illum mirabiliter extollitis, quasi hominem hujus temporis scientissimum, plenum scientia traditionis & scripturæ, Herculem hujus sæculi, qui gratiæ sufficientis monstrum è medio sustulit, & doctrinam Augustini restituit & vindicavit, eo tempore, quo ab hominibus contemptuis habebatur tandem prorsus Beza de Calvino, & Melanchton de Luthero; per quos, inquit uterque Augustinus his ultimis sæculis revixit, ejusque doctrina pridem obscurata, pristinã fulgorem recepit, puis unquam sibi persuasisset, ut Regio portus Genevæ fidelis echo esset, eadem prorsus dogmata reperens, iisdem rationibus firmata, iisdem verbis expressa, iisdem Augustini locis munita, immo ut multiplicata repetitione, eamdem Augustini locum, seu textum centies ac sequentes Jansenius repeteret, quem Calvinus vigesies tantum allegaret: quis sibi persuasisset, Jansenianam hæresim novo apparatu verborum & stylo fucatam, integro sæculo ante quiorem esse, & jam dudum vetusto fulmine afflatam ac denigratam? quis demum sibi persuasisset, Genevam Lutetiã accessisse, vel Lutetiam Genevam, & pios illos solitarios in Ecclesia Romana fere incognitos & obscuros, in Ecclesia heterodoxis ita illustres esse & conspicuos.

VII. Trajicite in Britanniam alacriter; etenim ibi patronos atque fautores nactum estis; aliis profectò literis commendatitis vobis opus non est; Londinensis Gazula, ut vocant, satis esse videtur, nimirum 3. Jan. ann. 65. omnibus denunciavit, doctrinam vestram in multis eamdem esse cum doctrina Ecclesiarum reformatarum; descendite in Belgium, omnes Batavorum Academiæ, omnes Calvini discipuli vestra excipient oracula; omnes ministelli & divini verbi pseudopræcones doctrinæ vestræ subscribent, & approbabunt catechismum vestrum ab Ecclesia Romana donatum; omnes oratores vobis canent Panegiricum cum Maresio, qui jam in libro citato, ita vos honorificè compellat: *macte illa vestra mente, viri docti, quod audeatis in os resistere impio illi Pontifici*

(a) *Tom 3. l. 3. c. 13.* (b) *Gravier. a. 18. de lib arbit.* (c) *Iansen. tom. 3. l. 1. c. 8. l. 3. c. 5. l. 3. c. 8.* (d) *Sess. 6. c. 3.*

dum suorum Iesuitarum gratiam, damnata orthodoxi sententia, puriputi Pelagianismi putidam & impiam confutationem susceperat. Transit ad Helvetios; lautissime vos excipient, ut Doctores vestros Roma reduces pridem exceperunt, & invitis ac refragantibus Iesuitis & Papa, gratiæ victricis, inter pocula, triumphum adornarunt; nam *in confesso est*, inquit ille, *Iesuitis ultro hoc largientibus, victricis gratiæ propugnaculum Ianseniistas, in maximis & fundamentalibus fidei articulis, castra nostra transisse*; quod certè maximæ gloriæ vobis vertitur, in castris scilicet Zvinglianorum ab defensa præcipua Zvinglianæ religionis dogmata Laurigeros triumphos egisse. Cum autem apud vestros tanta polleatis gratia, quid mirum, si vestra hæretici doctrinam vestram summoperè probent, duos insignes discipuli vestri Massonus scilicet, & Labadius, hujusce rei, quamvis alioquin nullius fidei homines, plenissimam tamen faciunt fidem, qui postquam Calvinistas transierint, non tamen ea propter desierunt esse Ianseniistæ; illi autem publicè Montaltina ea prædicant, quæ à vestris didicerunt, & quidem ergo, fatentur ultrò, se Calvinismum ex ore Ianseni hausisse, & Ianseniismum in libris Calvini reperisse: primus ille in Neustria olim Parisiis, disertè scribit, se Ianseniistam fuisse, antequam Ianenius in Gallia notus esset, & eadem de divina gratia, libero arbitrio & prædestinatione à Pelagianis sensisse, quæ modò sentit; *si alium*, inquiunt *Christum, Magistrum agnoscerem, Calvinum ejusdem non erubescerem; cum inter illos de prædictis articulis optimè conveniat; hinc nonnulli ex iis, quos Ianseniistas vocant, Calvini doctrinam de hoc argumento hæreticam non agnoscant, ut à Iesuitarum persecutionibus sese tueantur, quatenus à doctrina Ianseni minimè discrepat*: ex quibus manifestum fit, vos Genevensibus arctissimè devinctos esse, pusillo gregi conjunctos, & ab impiis vos jure agnosci, etiam vestra fide non quæ, inter divinæ gratiæ, immo etiam, quod verissimum est, quamvis horribile dictu vobis videatur, meris omnibus fere assertionibus in libro de frequenti communione contentis, ut luculenter evinco. VIII. Sed, quæso vos, agamus pacificè, & citra rancorem verò, ut ille vester, qui tanta commotione quatur, ut in furorem & rabiem actus esse videatur, & energumenus potiùs, quàm humanus scriptor mentis compos: omittam Filæi testimonia, quandoquidem interceditis; quamvis alioqui vir sit omni exceptione major, integritatis notoriæ & fidei probatæ, quem nullus, præter flagitiosos, aut valde infectos homines, rejiciat, prætermittam etiam P. Meynerti argumenta, quibus vix à vobis extorquere possit, ut localem Christi præsentiam in Eucharistia Sacramento agnoscatis; cum ingenuum illum atque ingeniosum auctorem recusetis; qui tamen illud dumtaxat à vobis exigit, ut cum Tridentino agnoscatis, (a) *Salvatorem nostrum semper ad dexteram Patris in cœlis assidere, juxta modum existendi naturalem, & multis aliis in locis, sacramentaliter præsentem, substantia nobis adesse*, unde constat, quam temerè contra vester adulterati Tridentini Meynerium insurgat, nihil aliud contra vos urgentem nisi præsentiam localem, & Doctoris Angelici auctoritate frustra Tridentini dogma conetur eludere; ab Alensi nempe S. Aquinatis præceptore poterat didicisse, qui sensu hic intelligat, Christi corpus in Sacramento localiter non existere; dupliciter enim, inquit ille, (b) Christi corpus sub Sacramento continetur, uno modò continetur sub signo illo, quod est Sacramentum; alio modo, continetur à loco contiguo ipsum signum; & mirabilis est utraque continentia; juxta primum modum, Christi corpus non est localiter sub speciebus propriè loquendo, & hic est Doctoris Angelici sensus; secus verò juxta secundum; illa enim continentia habet modum continentiæ localis, haud absimilis illi, qua corpora non sunt in quantitate tanquam in loco, sunt tamen in loco, per quantitatem; hoc nimirum discrimine, quod alia corpora in loco sunt, mediantibus propriis dimensionibus, ut loquitur S. Thomas; cum tamen in loco sit Corpus Christi, mediantibus dimensionibus alienis; & hic est Meynerii sensus, qui loquendi modo Patrum & Conciliorum bellissimè consonat, à quibus Corpus Christi simul in multis locis esse dicitur, nimirum per Sacramentum; & altare nihil aliud esse, nisi sedem corporis & sanguinis Christi; sed his subtilitatibus scholasticis opus non est, quas minùs capitis, Patriarchæ vestri exemplo, qui reverà, velitis, nolitis, magnus Theologus Scholasticus non fuit; his, inquam, opus mihi non est, ut explorem, quid in fide sentiatis; ut fœdus illud vestrum cum Genevensibus evincam; illa quippe non discutio, quæ in libris vestris omisistis, sed ea, quæ adstruxistis; omissionis delicta prætermitto, ut de admissis vos arguã; & omissis aliis libris, ex libro de frequenti communione quinque assertiones excerpsi, quarum quatuor ultimæ augustissimo Sacramento adversantur, & prima divinæ fidei, Calvinistis ultro suffragantibus.

IX. Prima est, sanctos Petrum & Paulum esse duo Ecclesiæ capita, quæ faciunt unum; hanc Geneva probat, Roma damnat; nihil igitur effugii restat. Secunda est, usum communem Ecclesiæ in Sacramentorum administratione, communi omnium delinquendi contumaciæ favere; si hæc deferatur ad Ecclesiam, notam haud dubiè referet & nigrum theta; illam tamen Calvinistæ non sine laudibus excipiunt. Tertia est, nonnullos esse, qui ad testificationem doloris, de offenso Deo, concepti, communionem ad extremum vitæ terminum ultro different; Ecclesia doctrinam illam execratur, & ipsa Geneva improbat, non quod sit Catholica, sed propter horrendam impietatem, quam præfert. Quarta est, eumdem Eucharistiæ cibum in cœlis à beatis, & in terris, à fidelibus manducari, eo *dumtaxat* discrimine; quod fidem inter & visionem beatificam intercedit; quo *solum*, observate hanc particulam, differt modus, quo manducatur in terris, à modo, quo manducatur in cœlis; ita prorsus Geneva, sed non ita Roma. Quinta denique, ut innumeras propemodùm alias omittam, nos à Deo fieri participes ejusdem cibi, quo electi vescuntur in cælo; nec aliud discrimen intercedere, nisi quod Deus visionem claram & illius gustum sensibilem nobis subducat, in terris, & nobis utrumque reservet in cælis: omnes ex dicto libro fideliter excerpsi; prima est damnata; secunda est tertia sunt impiæ; quarta & quinta suspectæ; omnes demùm à pus & doctis Theologis rejectæ; cur igitur eas non ejuratis? cur eos crudelis impostura arguitis, qui officii vestri vos monitos voluntè? cur Jesuitas ut calumniatores traducitis, quod hujusmodi errorum monstra tolerare non potuerint? an Lingonensis Episcopus pro impostore habendus est, qui Sancygiranum Monialibus vestris auctorem fuisse dicit, ut rarò ad S. exomologesim, & ratiùs ad S. Synaxim accederet; unde accidit; ut Maria Angelica Arnaldi soror & monasterii Abbatissa per quinque menses integros, à S. Communione, & aliquando paschali tempore abstinuerit? an Senonensis Archiepiscopus calumniator, non is certè qui modò est, sed antecessor, qui paulo ante mortem, scripsit ad Nuncium Apostolicum, ut hic Romanum Pontificem certiorem faceret, scripsit,

(a) *Sess.* 13. c. 1. (b) 4. *p. m.* 7. *a.* 3. *S.* 1. *q.* 7.

scripsit, inquam, sibi constare de indole & ratione discipulorum Sancygirani, singulari sensu à communi alieno, superbia intolerabili, aliorum contemptu; ac proinde sibi videri, factionem illorum hominum Ecclesiæ jure suspectam; cum ab illusione cœperit; ac deinde progressa fuerit, per inane illud pietatis officium, seu figmentum quod vocant arcanum rosarium sanctissimi Sacramenti, damnatum ab octo Doctoribus Sorbonæ; præterea, Sancygiranum loqui solitum de Concilio Tridentino, perinde atque si congressus merè politicus esset, non vero Synodus legitima; ac demum dictum Abbatem in id præsertim enixum fuisse, ut multos, etiam pios, à S. Communione abstraheret, cujusdam spiritualis communionis obtentu, quam longè pluris faciebat, etiam quo ad gratiam promerendâ, quam ipsam sacramentalẽ.

X. Nonne duo illi testes Illustrissimi satis esse videntur, quamvis alia deessent, ad probandum; quo animo sitis in S. Eucharistiam, & quam apertè cum Genevensibus consentiatis? sed alia suppetunt argumenta; dogmata vestra, errores vestros, libris in lucem editis, publicastis; cur ergo huc illuc tergiversamini, ac me rursum commemorare cogitis ineptias, impietates, blasphemias, à Sorbonicis in opusculo illo damnato notatas, cui tamen hoc elogium adscribitis, *piæ cogitationes eximiæ monialis & sapientissimæ Abbatissæ*, nec non sacrilega illa vota, quibus solitarii vestri hodienum sese fortè obstringent, quorum formulam in eo scripto, non sine horrore legimus, cum & Christo sint opprobrio, & augustissimi Sacramenti contemptum ingenerent? pauca hæc tremula voce, aut stylo suggero, quæ vix ullus, ut dixi, absque horrore excipiat. Christus ita sit Sacramento præsens, ut sistat in seipso, & ab omni cum hominibus societate, vel consuetudine prudens abstineat; destituat creaturam in suo nihilo; nullam gerat curam nostri; nullam sui nobis copiam faciat; divinis amplexibus, & communicationibus anima renunciet: fixis in se oculis, nihil extra se Deus aspiciat; & anima se satis fœlicem putet, quod donorum Dei particeps non fiat; quis hæc legat, quis audiat, non indignatus hujusmodi abominationum auctores ac defensores? collatis præsertim Illustrissimi Senonensis & selectis Doctorum Sorbonicorum manipuli censuris, nimirum Duvalli, Hallerii, Morelli, Corneti, &c. cum impia Jansenii & sequacium approbatione; Illustrissimus Senonensis asserit, rosarium illud, seu precatiunculam de divinissimo Sacramento, in qua præmissæ blasphemiæ continentur, cœpisse ab errore, vel illusione, unde secta vestra ortum duxit; scurra autem vester, absque insigni malitia dici non posse, testatur, precatiunculam illam primum fœtum extitisse, initæ adversus Christum, conspirationis; Doctores Sorbonici scribunt, libellum illum scatere ineptiis, erroribus, impietatibus, blasphemiis, eo præsertim fine, ut fideles à praxi Christianarum virtutum, fidei, spei, charitatis abstrahantur: Jansenius verò dicit, ab ipso divino amore dictatum fuisse, nec quidquam contra fidei regulas in eo contineri. Iidem Auctores addunt, eò spectare, ut orandi modum à Christo institutum destruat: contra verò Apologistæ vestri nihil inveniunt in eo, nisi sensa Catholica, sublimia, haud absimilia luminibus Angelorum, primi ordinis, quæ luminibus Angelorum infimi ordinis Dionysius obscuriora esse, testatur: iidem Doctores vel inde pernicioſum & periculosum censent, quod eas opiniones inducat, quæ divini amoris affectibus penitùs adversantur, quem Christus nobis exhibuit in sanctissimo præsertim Eucharistiæ Sacramento & mysterio Dominicæ Incarnationis; Apologistæ verò scribere non dubitant, hæc esse desideria & vota animæ, amore divino ebriæ, quæ ab eo dumtaxat intelligi & capi possint, qui amoris idioma callet, agnoscitque, quid de se anima illa sentiat, quæ sibi & à seipsa erepta, in abysso divinitatis natat. O impium & blasphemum dictum.

XI. Quis enim dicat, animam divino amore perfusam & ebriam eo statu esse, ut atrox illud & crudele desiderium concipiat & pariat; nimirum, ut nec Christus, nec quidpiam Christi ad nos referatur; in eo tamen salutis nostræ originem agnoscimus: Ego vel hoc nomine nihil ad nos, & nihil inde nobis: de nobis actum est, & reprobi sumus; in eo spem, gloriam, fœlicitatem nostram, & summum bonum nostrũ collocavimus; si nihil igitur cũ illo nobis est, nihilq; illi nobiscum, id maximum & miserrimũ nostrarũ omniũ miseriarũ est: quod anima divinis amplexibus, obtutibus, occursibus, renunciet; sed quo tandem ibit, nisi ad eum tendat? ille ipse vita, via, & veritas est; an vultis animam ab eo deflectere? ipsum ad mortem, ad errorem & tenebras, ad præcipitium & inferni viam; bonum & optimum nobis est corpore dominico vesci, in viis Domini ambulare, & divinis fulgoribus illustrari; an vultis illa suæ fœlicitati renunciet, ac sese in funestam agat desperationem: quod anima optet, tradi oblivioni à Deo, eidere illius curæ & providentiæ, ab eo seorsim vivere, rejecta, despecta, & destituta, ut ille fœlicissime ipso, sibi ipsi vivat; quasi verò Deus nostri recordari non possit, nisi obliviscatur sui: de se simul & de nobis cogitare; ac demum fœlix ac beatus esse, nisi ab omnibus creaturis mentem, curam & providentiam omnem avertat, & omnia fortunæ & hominum nequitiæ libera relinquat: & hæc scribitis, sparginis defenditis ut sensa Catholica, sublimia, angelica, ab ipso amore dictata, sapientissimæ & sanctissimæ Abbatissæ, quæ sibi erepta & à se abrepta, in ipso divinitatis sinu natabat; siccine verborum rerumque sanctissimarum usum pervertitis? siccine pietatis fucum illusionibus & blasphemiis obducitis? siccine errori & mendacio fidei & veritatis nomen imponitis vos, qui dicitis bonum malum: ridiculam profectò, sed perniciosam arrogantiam, quæ suos errores, pro regulis fidei; blasphemias suas, pro regulis morum; somnia sua pro angelicis luminibus vendicat! eum vobiscum optare licet, ut Christus in Sacramento ab intima hominum Societate abstineat; nonne patet optare possemus, cum Genevensibus, ut sub illis signis sacramentalibus verè non existat? in templis & altaribus nostris non sed eat; à nobis demum ore sumum, ac deinde stomacho non excipiatur, ut se nobis intime conjungat? si vobiscum optare licet, ut Christus in re ulla non sit, quæ illo minor est; cur priter cum Calvinistis optare non licet, ut Christus sub iis corruptilibus elementis, quæ tot mutationibus obnoxia sunt, non maneat, cum interdum sine aliquo Christi opprobrio id fieri non possit? optare licet cum illa vestra sanctimoniali, ut Christus habitet in loco suæ dignitati consentaneo, & rebus omnibus inaccesso; cur optare non licet, cum Calvino, ut non sit sub accidentibus Eucharisticis, cum locus divinæ majestate indignus esse videatur; atque ita, cum vestris Regioportuensibus, ad vota Genevæ defendere non licet, & ab his ad Genevæ fidem & dogmata, quorum præcipuum est, Christum in Sacramento non ipsa non existere, sed tantùm figurâ, ac proinde eum sam merum figmentum, & communionem sacramentalem inanem superstitionem esse.

XII. Ex his constat, vos per eram expostu quod Jesuitæ & alii viri pissimi vos in erroris sus cionem

cipem vocarint, quasi cum Geneva in Eucharistiam consentiatis; fateor, probrum illud & opprobrium abominandum esse; cur igitur ab eo non declinastis? occasionem dedistis, hoc saltem de vobis suspicando, edita illa S. Sacramenti precatiuncula, quæ tot impias & blasphemis scatet: cur tot insanis apologiis & blasphemiis scatet? cur tot insanis apologiis impia illa dogmata defendere & vindicare voluistis, quæ præcipui Sorbonæ Doctores confixerunt, cur inseruistis libro de frequenti communione propositiones illas, partim hæreticas & damnatas, partim suspectas & censura dignas? cur demum de earum emendatione, eas emendare vel explicare dedignati estis? Hæc profecto haud dubiè, luculenta extare fidei vestræ de hoc articulo, in scriptis Regioportuensibus testimonia; sed quænam amabò scripta intelligitis? an ea quæ scurra vester in hac epistola, cum elogio, appellavit: putà secundam Arnaldi epistolam, Theologiam familiarem Sancygirani, apologiam dictæ precatiunculæ, & cæteras apologias vestras; sed eadem hæc confixa & damnata fuerunt, à Sorbonæ Episcopis, ab Ecclesia; an hujusmodi testimonia vestram fidem defenditis, quæ ipsa Ecclesia vel hæretica, vel ut in fide suspecta, nigro theta notavit? demus, loca ex iis descripta orthodoxa esse & Catholica; non inde sequitur, alia, quæ vobis exprobramus, talia esse; ad summum, inde sequitur, aurem vestros, hæreticorum more, repugnantia & contraria interdum loqui: hinc fides vestra bifrons deinde quippe catholicum vultum præfertis, & vere catholica; inde verò hæreticum, & doctrinam erroneam; si quis, dum vertitis ad nos Genevensem vultum, vos erroris insimulet, subducitis illicò, & Catholicum substituitis; nunquam enim hæresim vestram promulgatis, nisi prælto sit apologia; errorem & veritatem, venenum & antidotum eodem poculo propinatis, & pro more hæreticorum, una pars librorum vestrorum aliam tuetur; crimen simul patris, & eximitis culpæ; qua profectò arte, simplicibus quidem & ignaris, non tamen sapientibus imponitis.

XIII. Et ut rem istam aliquot exemplis confirmemus; exprobratur vobis dogma illud Aurelii, per necatum carnis, sacerdotium aboleri, quæ fuit Vigilantiarum hæresis; & respondetis, in eodem libro Aurelio doceri, quòd Ecclesia non possit potestatem Ordinis abrogare, cùm caracter sit indelebilis; fatemur quidem repugnantia, sed primum illud dictum integrum & intactum restat. Opponitur vobis damnata Arnaldi assertio; quòd scilicet in terris paroches simus illius cibi, quibus Beati vescuntur in cœlis, hac duntaxat differentia, quòd hîc nobis vivis & quitus ejusdem cibi subtrahantur; ita prorsus Calvinistæ de hoc mysterio; scurra vester quædam alia differentiæ capita suggerit; nescio, an vobis illum vindicetis, cùm dicat, nunquam in Regio-portu Fidei certum domicilium fuisse, idque, judice me, ne illius epistolarum fides penès vos esset, ut ut sit, illius testimonium mera esset dictorum repugnantia, non tamen criminationis depulsio. Opponitur alia ejusdem propositio, quòd scilicet præsens usus Ecclesiæ communi hominum delinquendi contumaciæ favet; respondetis tamen, Ecclesiæ praxim à vobis minimè damnari; hoc quidem est contraria loqui, non tamen crimen intentatum refutare; opponitur denique, dictum à vobis fuisse, quòd Ecclesia in moribus & disciplina corruptioni obnoxia sit; respondetis, à vobis oppositum in libris doceri; hoc ipsum est, quod oppono; nimirum libros vestros repugnantibus & contrariis dictis scatere; hæc tamen ad purgationem vestram nihil conferunt; ad purgationem enim non satis est, ut ostendatis, duas propositiones contrarias in libris vestris extare, quarum altera est orthodoxa, alia hæretica; demus enim, orthodoxam in iis extare; ostendendum vobis fuerat, non extare aliam, nimirùm hæreticam; quod reverà si à vobis præstitum esset, jure illud vestrum *mentiris impudentissimè* in accusatorem impingere posseris; sed cùm illa omnia, quæ vobis à Jesuitis exprobrantur, in libris vestris legamus, quis non videt, horrenda illa convitiorum & contumeliarum tela in Jesuitas à vobis extorta, jure in vos retorqueri, nec iis modò à vobis obtineri, ut à consensione cum Geneva vos purgetis, quin potiùs ut errorum convicti, & pertinaciæ hæreticorum rei maneatis: sed nonnihil addo, ad spicilegium, scurræ hujus vestigiis insistens.

XIV. Quid addi possit ad maledicentiam vestri sycophantæ, non video; nam plenam convitiorum & calumniarum colluviem in Jesuitas non tam evomit, quàm profundit; stultos vocat, scelestos, ignavos, crudeles, improbos & perditissimos calumniatores; immò, inquit, bonis viris non deerunt calumniatores, dum erunt Jesuitæ; centies ac millies iis exprobat improbas, nefandas, horrendas calumnias, insulta mendacia, summam malignitatem, stupendam audaciam, contumaciam, flagitia, scelera, vesaniam, furorem, improbitatem, corruptelas, induratum animum, effrænem calumniandi licentiam, corruptelas, infandum nomen, horribiles cavillationes, impudentiam, prolapsiones, pudorem, dedecus, ignominiam, positam frontem, ineptias, nihil tam nefandum, inquit, quod in Jesuitas non cadat, & crimen, quod Deus solus, pro merito, punire possit, & soli pariter Jesuitæ suscipere queant; quid jam vobis, inquiebat ille, Jesuitas alloquens, ad omne facinus reliquistis? quid rutum à tanta calumniandi licentia? addit, eos instituto & professione calumniari, & sine conscientiæ morsu, liberè delinquere: quid pejus infamis scurra in publicos grassatores & flagitiosissimos homines deblateraret? sed hoc divino consilio factum esse, puto; ut hic homo fidem omnem prostitueret; si enim, ut cœperat initio, servato accusationis decoro, laxitates Casuistarum prosequutus fuisset, eodem scurrili stylo, non sine multiplici calumnia, sed honestè & appositè composita, majorem haud dubiè fidem fecisset; saltem apud aliquos malè affectos in Societatem; at ubi furoris œstro percitus, & impos sui, effutire illa non dubitavit, quæ omnem superant fidem, & vix Eboiis, aut phræneticis ignoscerentur, nihil ab eo Jesuitis timendum fuit: quis enim, etiam emotæ mentis, sibi persuaderet, Jesuitas eò venisse, ut nullo conscientiæ morsu, à flagitiis horrendis & detestandis arceantur; ut Missam celebrent à lethalibus noxis minimè purgati; ut omni operâ connitantur, morum corruptelam inducere, sacrilegiis locum dare, divinum Sacramentum profanare ac prostituere, uno verbo, omnia sacra & profana miscere, unde perspectum sit, ut videtur innuere, illos non hæreticos modò esse, sed Atheos; nemo certè, etiam inter Eterodoxos, ea sibi de Jesuitis persuadeat; nemo inducat in animum, ut ea credat, quæ ille vester, non jam scurra & ludio, sed plusquam Hercules furens in Jesuitas detonavit.

XV. Initio militem glorioſum Plauti, sed Bombomachidem illum, aut Pyrgopolinicem, aut certè Thrasonem Terentianum agere videtur; sic vos accipiam Patres, inquit, sic insequar, ut fortè antiquos illos adversarios deliderauri sitis; dabo operam, ut hoc reipsa sentiatis; & dum Regioportuenses tam

nefanda accusatione violati, tanti facinoris veniam, gemitibus suis, taciti vobis impetrare contendunt, ego, quem hæc injuria non tangit, ad illam vobis in totius Ecclesiæ oculis exprobrandam, aggrediar, ut hoc modo Societati vestræ salutaris illa contingat infamia, &c. quàm bellè; quàm thrasonicè: sed quo tandem eventu? eodem loco, statu & situ Societas immota mansit; eadem virtutis, fidei, & scientiæ de illa ubique opinio; ille verò, quid? crepuit tandem, utinam ad meliorem frugem reversus; ejusque libelli famosi ab Ecclesia damnati fuerunt, ut ejusdem conditionis esset cum Jansenio, Sancygirano, Arnaldo, aliisque suæ factionis auctoribus: sub finem denique insanum declamatorem agit; superos movet & Acheronta, & Jesuitas devovet orco; tonat & fulminat; multos sanè delirantes vidi & audivi, nullum tamen, qui luculentiùs deliraret: Sanctimoniales vestras Maresi, limpidissimi sane scriptoris, curæ commendo, & Regioportus miracula sacræ rotæ, vel S. Congregationi rituum examinanda relinquo; quisquis illarum Monialium vitæ, rationis, ritus & status certior esse voluerit, ab eo repetat, ut amœnissima, ita cum veritate conjuncta: Fillæi & Meynerii narrationem non discutio; suis auctoribus stat, omni certè, velitis, nolitis, exceptione majoribus; in Arnaldo novenni manifestum antichronismum admittitis; sed hæc nihil ad rem; nihil ad me; utpote qui explorem, non quid alii de vobis dixerint, sed quid vos ipsi scripseritis, & quid de scriptis & libris vestris Ecclesia judicarit; absque hyperbole dicam, tantam librorum vestrorum vim ab Ecclesia confixorum fuisse, ut ii justam Bibliothecam implere possint.

EPISTOLÆ XVII
Confutatio.

I. QUamvis P. Annatus tuam istam epistolam confutarit; quia tamen præ modestia, qua præsertim pollet doctissimus Auctor, de se paulò demissiùs sentit & scribit, simplici ejus versione non utar, sed nonnihil addam ad ea confutationis capita, quæ ex illo excerpturus sum: initium ducam ab illo tuo plusquam thrasonico exordio, in quo, per intolerabilem & putidissimam jactantiam, illa effutire non dubitas, quorum hominem non prorsus perfrictæ frontis puderet; liber, inquis, solutus, expeditus sum, nulli devinctus, cum nemine implicatus, Jesuiticæ doctrinæ non ignarus, certus illam insequi; nec ulla me humana ratio ab hoc incepto vel retrahet, vel retardabit; adversus minas vestras, (sic eos alloquitur,) circumfusa me caligo defendit; ferit vos manus nulli conspicua, quæ cunctis doctrinæ vestræ labes conspicuas facit; nec mihi impetum vestrum timeo, nec ulli; sic in me Societatis gratia tota marcescit; nec spero quidquam in terra, nec metuo, nec volo; nullius bonis egeo, nullius auctoritate; undique petitionibus vestris elabor; nec ulla me ex parte potest Societas vestra prehendere; vobis Portumregium vexare, facilè est; me verò, non item; pulsi nonnulli; ego interim quietus in domo maneo; cum nullo vobis congredi contigit, vel adversus assultus vestros tutiore, vel ad errores vestros impugnandos paratiore: quàm altè, quàm magnificè, quàm thrasonicè; quid amabò superbius, quid arrogantiùs, vel fortè magis appositè, quid infantiùs vel dici, vel excogitari poterat? en tibi, Lector, alterum litem gloriosum, seu ridiculum Matamorum fabulæ rificentissimum sesqui Herculem, rodomontis vibrantem fulmina, & immani buccarum tonitru, porrectum vomentem; qui Societatem universam, ni cæcum amentem atque inflatum, ut cum totus orbis capiorum videatur; se ipso plenum; vento scilicet atque vento, nihil timet in suis tenebris, nihil vult, nihil sperat, fretus dextera, suo stylo armatus, suis literis instructus unus, unus provocat omnes, idque sine splendore nominis; nempe anonymus est ac tenebrio, destitutus auctorum subsidio; nullius enim bonis indiget, nullius auctoritate; quid faceres, ita ineptit, ita insanit atque delirat, ut me quasi ad commiserationem moveat: in quo quis audet, audet & ille; prodeant in medium Jesuitæ omnes; non modò Annatus, Petavius, Martinonius, Suares modò, Vasquez, Molina, Valentia; non Lessius modò, Sanchez, Gibalinus, aliique facilè Principes Societatis Auctores, verùm etiam Eminentissimi Senatus juxta atque dignitate Bellarminus, Tolerus, Lugo, Silvicinus; unus Montalrius, verè Pasqualis, jocus ac ludus Italicum, unus sycophanta, scurra & histrio, ita omnium aliisque sociis, quorum doctissimæ lucubrationes nobilissimam bibliothecam abundè instruerent, patem leprædicat & jactat: pauperem superbum abominor; & inflatum utrem ac follem multiplici repercussi sibilitatem videre soleo, & ludentibus pueris sino colligendum: hic tamen tanti tumoris impatiens, crepuit medius, ut dicere memini, à Jansenistis alienus, quos doctiores esse duxit; à Catholicis abstractus, utpote qui errores ab Ecclesia damnatos, ad ultimum usque anhelitum obstinatissimè retinuerit; sciens loquor, & horum intimis familiaribus habeo; publicâ licèt famâ refragente: sed ad rem venio.

II. Omitto indigna viro ingenuo convitia, quibus Annatum cumulasti; insolentem ac petulantem ferit initio vocas, intolerabilem, qui jam ferri non possit, nec debeat, ridiculum calumniatorem, intolerandæ arrogantiæ hominem, christianæ morum disciplinæ evulsorem, ab æquitate abhorrentem, hæreseos chimeræ fabricatorem, pervicacem, mendacem, insidiatorem, tyrannum, à Deo desertum, infœlicissimis consiliis utentem, uno mendacio nitentem, uni mendacio servientem, qui totum in eo sit, ut falsa persuadeas; & concludis uno verbo, plus sinceritatis in Jansenianis ellis quàm in ipso; plus diligentiæ ad discutiendum Jansenium, non minùs acuminis ad illius sensum pervidendum, nec minus fidei ad persuadendum: immò ea perterviæ venisti, ut Valeriani telum, id est, meritum probrum illi & contumeliam in os impegeris: itane verò petulcus tenebrio in gravissimum & doctissimum hominem, de Ecclesia, de Gallia, de re literaria bene meritum? itane verò infamis scurra in sanctissimum senem, Regi Christianissimo à Confessionibus, sanctorum gloria illustrem, & religiosis virtutibus conspicuum? itane verò profanus & laicus in Sacerdotem, cui venerandum, innocentia & morum candore amabilissimum? ita prorsus aliàs Julianus, Celestius, Celestium in Augustinum; Maximus in Nazianzenum; Berengarius in Bernardum: hoc sanè ultimum in te probè quadrat, qui pro defensione tui Jansenii tenuem stylum stringis in Annatum, Episcopos, & Romanum Pontificem; uti sciolus ille, adversus Bernardum, Præsules & Cardinales, haud dissimilem stylum

bilum, jocis, nugis, & convitiis armatum ſtrinxeſtis, pro defenſione Petri Abailardi; ſi res poſtularet, multa ſanè adducerem, quibus utrumque apparet committerem; ſed de hoc fortè aliàs, niſi alius præverterit.

III. Quiritaris ſtatim initio, te paſſim ab Annato hæreticum dici; cùm tamen, inquis, nec Miſſæ, nec cæteris Catholicorum officiis defueris unquam, nec ab Eccleſia disjunxeris, nec Pontificium ullum decretum violaris, & ſtatim ſyllogiſmum Annati ſubdis, quo ſyllogiſticè efficit, epiſtolarum ſcriptorem hæreticum eſſe; viden, quàm ſis ridiculus? cùm nullus ſyllogiſmus Annati, in ea ſcriptiuncula, quam cavillas, inventam, quo id efficere conetur, Janſenius quidem pro hæreticis habendos eſſe, non probabimodò, ſed demonſtrat; de quo paulò pòſt, ſed te nunquam ſingulari nomine appellat; quòd dicis, te nunquam ſolitis Catholicorum officiis defuiſſe, inaudit, immò ridiculum tenebrionis dictum; quis enim falſitatis revincat, cùm ignotus lateas: quod autem addis, nullum à te Pontificium decretum violatum, mentiris apertè, nam in quatuor primis capitulis, errores liberali manu ſparſiſti, eluſiſti Conſtitutiones Pontificias, Janſenii hæreſes acerrimè defendiſti; ſed nobis eadem, ad illarum confutationem tranſmitto: addo aliud majoris momenti; cùm Janſenium ultrò fateremur, ſaltem verbo tenùs, Eccleſiam infallibilem non eſſe in quæſtionibus juris, ſed tantùm in quæſtionibus facti, cùm in utroque erraſſe, velles, eâpropter defeciſti; vera narro, & ſi res poſtulaverit, domeſticum, & ſanguine tibi conjunctum appellabo; doles tamen, hæreticum dici: ſed, inquis, extra-regiomee eſſe negavi, id eſt, Janſenii ſectæ addictum; jurabis, ſcio, te fallere poſſe Deos; loquela tua prodit; quid quæſo aliud in primis & ultimis literis præſtas? quid in hac præſertim, niſi ut Janſenium vindices à cenſura? nunquid univerſam illius diſcipulorum doctrinam complecteris hoc breviariummò & illorum effugia, diſtinctiones, argumenta quoties ipſi Honorium, Origenem, Theodoretum, Dionyſium Alexandrinum, & alios in ſcenam vocarunt, & tria capitula, ut iis tuerentur ſe, ac rebellionem ſuam ponerent in tuto? quod ſubdis, in tuis literis nihil reperiri, quod à Conſtitutionibus Apoſtolicis diſſideat, ejuſdem furfuris eſt; quaſi verò, quam ſufficientem non rejeceris, ſolam efficacem tamen admiſeris, explicatam Calviniano modo, ex quibus cætera neceſſariò conſequuntur: fateris, Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis mortuum eſſe; in hac parte, à tuo Janſenio defeciſti, gratulor, utinam fideliter; vereor enim, ut aliquis ſenſus, aliqua diſtinctio lateat; non tamen integram propoſitionem ejurat, nec fateris, pro omnibus Chriſtum mortuum eſſe, ac perinde, licèt hæreſim fugias, dictum tamen falſum, temerarium & ſcandaloſum adhuc retines: quibus autem aliis, quæ toties refricas, nimirum de morum diſciplina, à Jeſuitis funditùs everſa, de præcepto divini amoris, de arcula ſancti Mederici, de Jeſuitarum libris, quos ab univerſa Societate præſtari, idque ex Conſtitutionibus Societatis, & literis Aquavivæ & Viteleſchi conſtare, falsò ac temerè jactas, nihil enim tale eſt; jubentur quidem reprobari Jeſuitarum libri, ſed quòd Societas omnia ſua edita præſtet, futile mendacium eſt.

IV. His ergo prætermiſſis, quæ ad calumniam Annato, ut dicis, Regio-portuenſibus affictam, non pertinent, ad eam refellendam te accingis; Annatum quippe non ſemel Janſenſtas (hi enim ſunt Regio-portuenſes) hæreticos eſſe dixit, & luculentis argumentis demonſtravit; ut autem probrum illud ab illis tuis amoliaris, tres illorum facilè Principes, ſeu coryphæos, nimirum Sambovium, Lanæum, vel auctorem libri de gratia victrice, & Arnaldum in ſcenam inducis, atque, ab illis quinque propoſitiones damnatas & rejectas fuiſſe; quia ſcilicet, ut ait Lanæus, hæreticæ ſunt, Lutheranæ, ad libitum confictæ, nec in Janſenio, nec in ullis ejus defenſoribus extant; hæc trita eſt cantilena veſtra; non extant eo ſenſu ridiculo, quem vos iis tribuitis; extant tamen, neque hoc negatis, opinor, ſecundum verba illa, ſeu materiale, vel complexum verborum, quibus ab Eccleſia in earum damnatione expreſſæ fuerunt, quod ſæpè Annatus & alii, adducto Janſenii textu, perſpicuè comprobarunt, eviceruntque; nec ullus ſupereſt, quo ad hoc, tergiverſationi locus: antequam Eccleſia illas configeret, centies eaſdem publicaſtis, prædicaſtis, immò cùm ad Eccleſiam delatæ fuiſſent, Romam veniſtis, illas acriter defenſuri; poſt damnationem verò ſtylum, & loquendi modum mutaſtis, non mentem; eamdem quippe doctrinam tenetis ac defenditis, neque ita inficias, quam antè propugnabatis; quid ergo? erectis famoſis illis columnis, diverſos ſenſus commenti eſtis, quorum unum pro Catholico, Auguſtiniano, Janſeniano, haberi vultis, atque ita propoſitiones in hoc ſenſu acceptas in Janſenio, immo & Auguſtino contineri, non negatis, ſed ultrò aſſeritis; alius ſenſus Lutheranus eſt, & Calviniahus, in quo ſcilicet damnatæ fuerunt, & in hoc negatis, in Janſenio contineri; tertius eſt Moliniſticus, quo tamen omiſſo, quia huc non pertinet, quæro ex vobis, num Eccleſia illas propoſitiones damnarit in proprio, nativo & vulgari verborum ſenſu? annuis intrepidus; nimirum pag. 468. editionis 1. Colonienſis, ubi hæc habes: *Cùm ſummus Pontifex propoſitiones in ſenſu germano & ſimplici damnaverit*; agnoſcis tua verba; hoc igitur tecum jacto fundamento, ſic rectè mihi ratiocinari videor; Eccleſia damnavit eas in ſenſu Janſenii; hæc ipſiſſima ſunt Conſtitutionis Apoſtolicæ verba; ſed per te in ſenſu proprio, legitimo ac germano damnatæ fuerunt; igitur ſenſus Janſenii eſt germanus & proprius; quiſquis ratione pollet, & ratiocinii patiens eſt, hoc inficiari non poteſt: cùm igitur in ſenſu germano & proprio rectè damnatas eſſe, fatearis; & hanc ſaltem, ut ais, Eccleſiæ damnationem admittas & oſculeris; ſi homo es, & tui compos, admittere debes, in ſenſu Janſenii rectè damnatas fuiſſe; conſule quæſo tuam Algebram & Geometriam, & novam ratiocinandi artem, quam brutis etiam concedere videris, ut hunc ſyllogiſmum ſolvas.

V. Quod pertinet ad tuos illos; quis neſcit, Lanæum in eadem ſententia manere; idem facilè de Sambonio dixerim; ſaltem ex fama; hic enim nihil, quod ſciam, edidit; Arnaldi epiſtolas citas, ad depulſionem, ego verò ad confirmationem erroris; cùm in ſecunda primam propoſitionem renovarit, in perſona Principis Apoſtolorum, eapropter à Sorbona cum ſociis ex Doctorum albo expunctus; unde conſtat, quàm rectè ratiocineris, utpote qui ad defenſionem Arnaldi, eadem argumenta præfers, quæ ad illum convincendum producimus. Tranſis ad ſubſcriptionem, cujus, inquis, conſilium Jeſuitæ abjecerunt, ut in Regio-portuenſibus nihil moræ ad illam futurum eſſe, cognoverunt; mendacium notorium eſt; ſubſcriptio à vobis exacta eſt; vos autem ſectæ primipili obſtinatiſſimè recuſaſtis, & hoc promptum fuit Auguſtinianorum, nimirum diſcipulorum Auguſtini

Iprensis, adversus summum Pontificem, obsequium, quem scilicet sarcasmis primùm & sacrilegis convitiis prosequuti estis, & tandem erroris arguere non dubitastis. Parum porrò Annatus mihi dixisse visus est, cùm vos foris Catholicos, intus hæreticos esse, pronuntiavit, & animum vestrum à lingua dissidere; nam reverà & mente & lingua hæretici estis; quasi verò illa propositio Arnaldi de duplici capite non sit hæretica? item illa de gratia, quæ S. Petro defuit? tu item, quàm multorum errorum à me suprà convictus es? denique, nunquid hoc ipso loco hæresim adstruis, cùm hæc scribere veritus non sis, *mihi nullos in Ecclesia hæreticos esse, certum est?* nónne Lutherani, Calvinistæ, aliíque sunt hæretici? de istis non loquor, inquis, sed de Jansenistis; nónne Urbanus VIII, Innocentius X, Alexander VII, doctrinam Jansenii ut hæreticam damnarunt? chimæram, inquies, quæ nullibi est; ô nequam; erravit igitur Ecclesia, quæ bruta fulmina contorsit, & chimæram dumtaxat fulminavit; sed, crede mihi, chimæra illa Ecclesiæ fulmina sensit, alioquin tantos clamores & motus non edidisset; tu etiam sensisti; quidquid obgannias; quòd demum dicis, nunquam ab Annato judicari potuisse, qua pagina Jansenii illa verba extarent, quibus damnatæ propositiones continentur; quoties judicavit & indicavit, & multi alii indicarunt? sed in notoriis mentiri, vobis solenne est. Arguis deindè Annati pervicaciam & mendacium, mortalium pervicacissimus & mendacissimus: vix in hoc, vobis similes, ab Ecclesia condita, reperiemus: quamobrem verò? quia, inquis, Janseniani à vobis initio hæretici dicti sunt, eò quòd quinque Jansenii propositiones defenderent, ubi verò ab iis rejici vidistis, illud oretenus, corde à lingua dissentiente, ab iis adstrui, scribere, dicere, & prædicare non cessastis; ac demum inde vultis, hæreticos esse, quòd in sensu Jansenii easdem propositiones damnare nolint: huc certè quadrat, quòd toties nobis intentas Valeriani telum; dico enim, ideo vos hæreticos esse, quia propositiones damnatas defenditis, quas in eo dumtaxat sensu rejicitis, improprio scilicet, atque inepto, de quo ne cogitavit quidem Ecclesia; ideo porro in Jansenii sensu damnare abnuitis, quia hic germanus est & proprius, in quo ab Ecclesia damnatæ fuerunt, ut suprà evicimus; nisi hæc perspicua sint, quid sit perspicuum, non intelligo.

VI. Utrùm, inquis, sentiat Jansenius, Ecclesiam & fidem non tangit; hoc alterum est effugium vestrum, hæc distinctio juris & facti, quam plusquàm millies nobis obstrusistis; propositiones damnavit Ecclesia, inquis, sensum Jansenii non damnavit, immò damnare non potuit; sed loquamur seriò & sincerè; damnavit sensum Jansenii, ut notorium est; sed in hac, non tamen in illa damnatione, ipsa erravit; sic enim Janseniani; tu fortè, in utraque errasse, diceres; sed primum dumtaxat hoc loco adstruis, & decantatis exemplis Dionysii Alexandrini, Honorii, Origenis, & Theodoreti, tibi demonstrare videris; sed longè abertas à scopo; exemplum Dionysii nihil ad rem, cùm ab Ecclesia illius doctrina nunquam damnata fuerit; nec enim, opinor, Basilius universam Ecclesiam repræsentat; quamvis alioquin clarissimus Ecclesiæ Doctor. Quod spectat ad Honorium, altioris indaginis res est, quam hîc discutiendam non suscipio, aliàs fortè, si occasio tulerit; illud unum dixisse contentus, damnationem Honorii ad summum, esse probabilem & dubiam, cùm illam multi, iisque doctrinâ, eruditione, & dignitate conspicui, ut spuriam & fictitiam rejiciant; duos tantùm appello, Baronium scilicet & Bellarminum, quorum auctoritas, etiam si soli essent, tot rationum momentis firmata, opinionem probabilem facit: dixi, etiam si soli essent, quia sunt alii quam plurimi, quorum satis longum elenchum in promissa discussione daturus sum; accedit, quod Hadrianus II. in epistola, non dicit, à Concilio Oecumenico universalem Ecclesiam repræsentante, Honorio anathema dictum fuisse, sed ab orientalibus; qui certè universalem Ecclesiam minimè repræsentant: ut ut sit, demus prædictam damnationem, ad summum, probabilem & dubiam esse, ex hoc vestrum ratiocinium corruit; nam certum est, doctrinam Jansenii ab Ecclesia damnatam esse, ut hæreticam; igitur hoc ipsum credere debemus, & si fortè illam, contra definitionem Ecclesiæ, defendimus, hæretici sumus; at cùm dubium sit, Honorii doctrinam ab Ecclesia damnatam fuisse, hoc certò credere non possum, ut proinde non teneor; & quamvis hoc negem, aut defendam Honorium, hæreticus ea propter non sum; quid ad hoc?

VII. Quod spectat ad Origenis, & Theodoreti libros, quos aliqui hodienum ab hæresi vindicare non dubitant, idque citra vel minimam hæresis notam; diversa prorsus à nostra ratio est: nam præterquam quòd multa ineat falsitatis suspicio, quòd scilicet vel omnino conficti fuissent, ut epistola illa Theodoreti ad Joannem Antiochenum, de morte Cyrilli Alexandrini, quem illi superstitem fuisse, constat; ac proinde fictam epistolam; vel errores à quibusdam hominibus iis inserti; nempe duo illi Monachi Lauræ, Nonnius scilicet & Leontius impenitudesque literarum, ex Origenis libris multa exempsisse dicuntur, quæ aliter in libris extant; multa item Nestoriani Theodoreto affinxerunt, ad commendationem suorum errorum, de quibus nunquam virilit doctissimus cogitarat; ut ut sit, utriusque defensores (quos tamen in hoc non laudo,) nihil aliud volunt, nisi certò damnandos non esse, cùm multa insint affictæ calumniæ suspicio: at si dissertum extaret Ecclesiæ decretum, quo dicta suspicio excuteretur, & expressis verbis, omnibus Christi-fidelibus indicaretur, hunc, vel illum errorem ex tali Origenis, vel Theodoreti libro excerptum, ab Ecclesia in sensu ab his auctoribus intento damnatum fuisse, ac denuò, ut talem damnari, in simili versaremur aretas & nemo Catholicus refragari posset: damnantur certè utriusque errores à quinta Synodo, & hanc damnationem approbavit tandem Vigilius Papa, eamque Pelagius II. Romanus Pontifex in epistola ad Istricos, nec non Gregorius Magnus, variis locis, luculenter explicarunt; sed quia illius Synodi alia falsata & adulterata fuisse, constat, nec sufficiens Ecclesiæ declaratio nonnullis, paucis licèt, esse videtur, ad suspicionem omnem penitùs tollendam, notanulli, quos tamen in hoc, ut dixi, non laudo, illorum auctorum defensionem suscepérunt; at nulla in nostro casu suspicio restat, nulla umbra; propositiones Jansenii appellatas & conceptis verbis expressas, ante damnavit Ecclesia; nimirum ex tali Jansenii libro excerptas: sed quia statim reclamatis, Jansenii non esse, nimirum in eo sensu, in quo damnatæ fuerant; Ecclesia, ut omnem dubitationem amoliretur, declaravit, Jansenii reverà esse, & in sensu Jansenii damnatas, & ut tales denuò damnavit; unde corruit petitum ab Origene & à tribus capitulis argumentum; quid enim quæ tale

tur est in epistolis Pelagii & Gregorii ? ubi legi-
tur hunc, vel illum errorem, ut Theodoreti, & in
illo à Theodoreto intento damnatum esse ? non-
nullis igitur non videtur esse sufficiens declaratio; de-
claravit, inquis, Pontifex, propositiones esse Janse-
nii non tantùm illud ; declaravit insuper in sensu
Jansenii fuisse damnatas; adde aliud, easque uti tales
ab eo damnavit ; declararunt alii Pontifices , in
Theodoreti scriptis , Nestorii errores contineri;
nobis hoc tibi negabunt; nempe declararunt dum-
taxat, dictos errores contineri in iis scriptis , quæ
Theodoreti esse dicebantur; sed demus hoc, ne super
re verbis & crepera tecum disputem, cui certæ sup-
peditem, ut te impugnem; demus hæc, inquam; quis
unquam in sensu à Theodoreto intento dictos erro-
res damnatos fuisse, declaravit ? quis unquam uti
eos damnavit ? diversissima igitur ratio est ; atque
adeo vestrum illud argumentum , toties inculca-
tum & ingeminatum, ab Honorio & tribus capitu-
lorum corruit ; cùm tamen eodem telo hære-
ticos feriant, operæ pretium erit aliquando , rem
hanc Honorii, Liberii, & trium capitulorum discu-
tere.

VIII. Itaque, quòd illæ propositiones sint Janse-
nii, non jam divina fide, sed perspicuo tenemus ex-
perimento; ut supra dictum est; item, quòd damnatæ
sint Ecclesia ut Jansenii , & in sensu Jansenii, ex-
perimento habemus; uti & quamlibet aliam Eccle-
siæ declarationem ; quòd demum sint hæreticæ in
sensu Jansenii, habemus ab Ecclesia, & certa fide
tenemus ; neque hæc est quæstio facti, ut ais, sed
juris; tam enim hæc propositio, *Pater major me*
est in sensu Ariì, & hæc, *Corpus Christi non est realiter in*
Sacramento, in sensu Calvini, est hæretica, quàm
hæc, *interiori gratiæ nunquam resistitur* , in sensu Jan-
senii: & nisi hoc verum sit, tota fides nostra corruat,
necesse est ; & nulla unquam propositio ut hære-
tica damnari poterit; accipe istam, si vis; *sunt duæ*
substantiæ vel hypostases in Christo ; hæc in sensu Ne-
storii est hæretica ; & ut talis, ab Ecclesia damnata;
ecce igitur illa, eodem jure, *gratiæ interiori nun-*
quam resistitur, in sensu Jansenii ; nec dicas, Nesto-
rium & Nestorianos sensum illum pro suo agnosce-
re; sed quid hoc ? agnoscunt verba illa, quibus
hæc propositio continetur , esse in libris Nestorii,
legitimum illorum sensum pro suo agnoscunt,
quo scilicet propositio ab Ecclesia damnata est;
nec non tantùm Nestorii propositio est hæretica,
sed ipse quoque , cùm illam pro sua & illum sen-
sum, in quo damnata est, pro suo agnoscat , est
hæreticus ; at verò Jansenii propositio in sensu
proprio & vulgari , qui ab eo intendi præsumitur,
est hæretica , & talis ab Ecclesia declarata est;
quamvis ipse, qui obstinatè illam non defendit, ab
Ecclesia damnatus non fuerit , nec declaratus hæ-
reticus, vos tamen, qui eam in sensu, in quo dam-
nata est , pertinacissimè defenditis , nimirum in
sensu proprio & legitimo , qui est sensus Jansenii
præsumptus , hæretici estis : eligamus enim pro
formâ, Pontificiam Constitutionem ; ad hanc, ut
ajunt, exigantur Jansenistæ ; quid porrò hæc Con-
stitutio ? *hæc propositio in sensu Iansenii est hæretica*; id
est in sensu proprio & vulgari; quisquis ergo pro-
positionem in hoc sensu defendit, hæresim defen-
dit, igitur hæreticus est : frustra autem quæris,
quis sit ille Jansenii sensus , præsumptus scilicet,
cum is sit propositionis sensus , in quo librorum
auctores loqui præsumuntur ; ridiculum igitur est,
quod dicis, sensum Jansenii non explicatum, ab Ec-
clesia damnari non potuisse, aut debuisse; quia cùm
ille sensus proprius sit, nativus, legitimus, vul-
garis , in quo propositiones damnatas esse , fa-
teris , ulteriori certè explicatione opus non
fuit.

IX. Non minùs Ecclesia declaravit , quinque
prædictas propositiones esse hæreticas , in sensu
Jansenii, quàm septem illas, quas Cœlestinus recen-
set, esse catholicas, in sensu Augustini; sed quisquis
has impugnaret , esset hæreticus ; igitur quisquis
illas propugnaret , esset pariter hæreticus ; noto-
rium est, illas propositiones esse Augustini ; sed æ-
què notorium, istas esse Jansenii ; sensus utriusque
notorius, cùm sit proprius, nativus, atque vulga-
ris; nulla igitur inter utrumque differentia; nun-
quam, opinor, hoc argumentum exoluistis ; tenta-
stis, sat scio, sed verbis tantùm, convitiis, calum-
niis , & contumeliis pugnatis. ex quibus constat,
vos Patriarchâ vestro longè potiores esse ; nempe
ille propositiones quidem hæreticas edidit, in pro-
prio scilicet verborum sensu, in quo scripsisse præ-
sumitur ; quia tamen illas pertinaciter non defen-
dit, nemo illum formalem hæreticum inde appel-
let; vos verò, qui eas defenditis, ea certè pervica-
cia, qua major in Ecclesia Dei visa non fuit, for-
males hæretici estis : præclusis igitur his duobus
effugiis vestris , ad tertium & ultimum descen-
do.

X. Dicitis enim , propositiones illas damnatas
non fuisse, in sensu gratiæ à se præcisè efficacis, qui
est sensus vester, & Jansenii ; hîc autem Schola-
sticum, seu Theologum agis, quæ tamen persona in
tuam indolem, vel in tuum captum non cadit; illam
indueras in quatuor primis epistolis , sed cùm mi-
nùs succederet , Casuistam egisti in duodecim se-
quentibus , sed cùm tot falsitatum & impostura-
rum convictus fueris, quas cùm refellendas suscepe-
risses, tres aut quatuor attigisti, non diluisti ; reli-
quas omnes omisisti; resumis Theologi personam,
in duabus ultimis, sed non dissimili eventu; dicis
enim, propositiones illas non esse hæreticas in sen-
su Jansenii , cùm hic sensus reducatur ad doctri-
nam gratiæ efficacis à se ipsa præcisè : Calvinus,
eodem jure, doctrinam suam non esse hæreticam,
diceret, in eo sensu, in quo ad gratiam efficacem
reducitur ; miror autem , Thrasonem istum adeo
rudem, seu rudentem esse, ut nesciat, duobus mo-
dis illam gratiam efficacem defendi, altero scilicet
orthodoxo, principiis catholicis innixo; altero hæ-
retico, in principiis Eterodoxis fundato; Calvinus
& Jansenius istum secundum modum adhibent, in
quo reverà est hæreticus ; Thomistæ verò, aliique
Doctores Catholici primum adhibent ; & quam-
vis inter se dissentiant, remanent tamen in unitate
fidei. Ut igitur videamus, an doctrina Jansenii sit
Catholica , quatenus illam reducit ad doctrinam
gratiæ à se præcisè efficacis, videndum est, quem
modum adhibeat, illius gratiæ defendendæ, an sci-
licet Etherodoxum, & Calvini; an verò Doctorum
Catholicorum, & hæreticum.

XI. Calvinus ita defendit illam gratiam, ut velit,
ab ea nobis tantùm relinqui libertatem à coactione,
non verò à necessitate, quæ potestatè resistendi, dum
ipsa permanet, nobis eripit; Catholici verò in hoc
cõveniunt, quòd gratia efficax ita voluntatè nostram
moveat, atque afficiat, ut potestatem dissentiendi re-
linquat; ac proinde hæc duo simul sint in voluntate;

gratia scilicet & potestas sufficiens dissentiendi; nec in dubium nullo modo revocant, hunc verum & legitimum sensum esse textus Tridentini, *potest dissentire, si velit* : Bannes & Molina, quamvis inter se maximè dissentiant in hoc argumento divinæ gratiæ, in hoc tamen omnino consentiunt ; nimirum divinam gratiam cum potestate dissentiendi in voluntate esse conjunctam, eamque, sub hac ratione efficacis, non esse ita necessariam ad bonas actiones, quin etiam sufficiens interdum sit, & nobis potestatem proximam & completam tribuat illud agendi, quod Deus à nobis exigit, etiam si illud ipsum minimè præstemus, unde per nos stat, quò minùs gratia suum effectum sortiatur. Quæro igitur ex te, an Jansenius hunc modum sequatur, cùm docet, timendum non esse, ne nobis libertatem eripiat necessitas; etiam antecedens; cùm impugnat libertatis indifferentiam, & nullam ipse admittit, quam Calvinus ultrò admissurus facilè non esset; cùm sufficientem gratiam habet pro monstro in Theologia, & negat, gratiam ullam medicinalem suo unquam effectu carere; cùm denique Semipelagianorum erroribus tribuit, quòd voluntas consentire, aut dissentire possit divinæ gratiæ: cùm igitur hæc doctrina ab eo modo aliena sit, quo Doctores Catholici gratiam præcisè à se efficacem explicant, contra verò, cum modo Calvini non parum consentiat, inde rectè deduco, propositiones Jansenii ad sensum hæreticum ab iis reduci, qui eas reducunt ad doctrinam gratiæ efficacis à se, juxta Calvini modum explicatæ, ac proinde illos non Jansenii modò, verùm etiam Calvini esse discipulos: frustra igitur Annato exprobras, Pontificem in sua Constitutione abstinuisse à prædicto divinæ gratiæ argumento; ita est; abstinuit, quo ad modum, quem Catholici adhibent, non tamen à modo, quem Calvinus & Jansenius adhibent, & quem omnes Catholici damnant; quamvis alioquin quo ad primum, non parum inter se dissentiant; damnant, inquam, cùm Ecclesia Jansenium in Calvino, Calvinum in Jansenio.

XII. Quid mirum igitur, si Calvinistæ vobis undique auxiliares manus porrigant; Protestantes Helvetii sui Professoris lingua clamitent, *in nostras cum consortibus Jansenius transit partes*, & tantam Jansenianæ & Zwingliatæ doctrinæ de hoc argumento consensionem esse videant, ut *nec aliud, nec plus, nec minùs sit in una, quàm in alia*; Batavi fœderati vobis animos faciant, quos sic compellant, Samuelis Maresii Pastoris & Professoris stylo, *malle illa vestra virtute viri docti, quòd audeatis resistere impio illi Pontifici*. Angli etiam in suis Gazulis publicam faciant fidem, doctrinam vestram ab Ecclesia & Sorbona damnatam, in multis similem esse doctrinæ Ecclesiarum reformatarum: Molineus non delirat, dum Sedani prædictam utriusque doctrinæ consensionem ultrò fatetur; Rousletus idem Nemausi publicat; Eustachius Montispessulani; & duo famosi apostatæ, Massonus & Labadius Montalbani; hic ultrò fatetur, se Calvinismum in Jansenio, ille verò Jansenismum in Calvino didicisse, longè antequam Jansenius Augustinum suum in lucem edidisset; habemus præ manibus librum à Massono recens editum, in quo rationes suæ apostasiæ explicat; sed in his frustra diut ùs hærerem, cùm tamen multis scriptis in lucem editis, prædicta consensio evicta & demonstrata fuerit, ut nunquam istam maculam eluere potueritis.

XIII. Quod demum ad convitia spectat, quibus Annatum impiè lacerasti, cujus, ut ais, te miseret, eumque à Deo desertum doles, aliam profectò responsionem, præter meram ipsam & nudam expositionem, non postulat; est sanè, quòd Annatus bene speret, cùm ab iis à Deo destitutus esse dicatur, qui dicere non dubitant, Ecclesiam à Deo destitutam fuisse; facilè retorquerem, si recriminatione uti vellem; nuspiam quippe reprobi hominis, ut vocant, expressiorem imaginem quàm in te, tuique similibus videre est; tritæ sunt illius Notæ, & character tuus non perspectus; superbia, dicacitas, impudentia, errandi contumacia, mentiendi & calumniandi facilitas, aliaque id genus signa sunt supremæ illius infœlicitatis, quam in Annato, per impium sarcasmum deploras: toties quippe impostura & malæ fidei, erroris, mendacii, ac pessimarum artium convictus fuisti; inde tamen insolentior & petulantior evadis, & ipsa remedia ægrum animum non levant, sed morbum augent: eò tandem audaciæ venisti, ut Deum in societatis errorem vocare non vereare: appellèque Regioportus miracula, ut certa errorum Regioportuensium testimonia; quis tam improbam impietatem non horreat? magnum certè miraculum esset, ad meliorem frugem te reducere; ô utinam spuerræ compunctionis, ut ajunt, cor tuum verè contigit; hæc quidem desiderare miracula, sperare tamen non possumus: alia quippe sunt miracula vestra, ô mirum animum felle conditum cum ardentissima, quam fingitis, charitate conjungere; justitiam, cujus amorem prætexistis, cum incredibili calumniandi, & convitiandi libidine; toties prædicatam sinceritatem & fidem, cum tanta impostura rum, fallitarum, & malarum artium copia; tantum, ut præfertis, religionis zelum, cum obstinata errorum damnatorum defensione: veram Ecclesiæ doctrinam, cum aperta bello adversùs eamdem Ecclesiam, & cum aperta rebellione, integram, ut fingitis, observantiam; hæc sunt vestra miracula, quibus res adeo in speciem contrarias, mirabiliter componitis ; dico, in speciem, nam reverà charitatis, sinceritatis, justitiæ, fidei, zelisanæ doctrinæ, & christianæ observantiæ speciem tantùm, non verò rem ipsam habetis; omnibus hæreticis fingere hactenùs solenne fuit, & simulare conversionem, pœnitentiam, reditum, ad meliorem mentem, & sanius resipiscentis animi consilium, cujus sanè fictionis in Ario, Apollinari, Eutichete, Pelagio, Celestio, Sergio, aliisque, luculenta in annalibus habemus exempla; hinc Bernardus sui temporis hæreticos vulpibus assimilat, in arte fingendi; si fidem interroges, inquit, nihil christianùs; si conversationem, nihil irreprehensibilius, &c. *Omes sunt habitu*, sic enim concludit, *astu vulpes, actu & crudelitate lupi*; quàm hæc appositè in te, ac tuos quadrent, omnes vident, quare nihil addo.

* * *

EPISTOLÆ XVIII
Confutatio.

PArum abfuit, quin posito stylo ab hujus Epistolæ confutatione prudens abstinerem, cùm nihil omninò contineat, quod abundè toties refutatum non fuerit; nam more vestro, vel potius solenni hæreticorum more, centies ac millies eadem regeritis; quamvis plenè ac plenè discussa, discussa & refutata; iis animalibus haud absimiles, quæ in faces continuè versant, lambunt, sorbent, vomunt, atque resorbent: ne tamen apud imperitum vulgus jactetis, hanc ultimam Epistolam nullâ confutatione pulsatam, sartam tectamque manere; illamquoque refutandam suscipio; & statim initio in ipsa prima die, fraudem apertam, eamque geminam adscribis; nempè in vernacula adscribis nonam Kalendas Aprilis ann. 1657. & in versione ann. 1658. deindè in apographum typis mandatum est Coloniæ, Kal. Aprilis, autographum haud dubiè ante hanc fuit. Sed his omissis, statim initio Annatum agnoveris, quem dicis, indè tantùm vobis crimen hæreos conflare, quod Jansenii sensum damnare nolueris, quem tamen, ut ab omnibus damnari, ita à nemine vult, explicari; & hanc frivolam hæresim vocas, quæ à nemine exprimi possit; si constaret quale esset ille Jansenii sensus, res confecta esse videretur, sed non constat; quidam enim nihil aliud in eo vident, nisi vulgarem SS. Augustini & Thomæ doctrinam de gratia efficaci; undè Bulla, quæ in genere tantùm sensum Jansenii proscribit, nihil prorsùs ad controversiam pertinet; centies vobis, imò, iteratum est, nullum pugnandi finem futurum, nisi sensus Jansenii explanetur; semper abnuistis, atque consilio, ne gratiam efficacem à vobis impeti omnes intelligerent, quo nullum majus vobis dedecus possit accidere.

II. Centies quoque tibi tuisque iteratum est, & nuper inculcatum, vobis satis immò & omnibus, constare, qualis sit illa hæresis, quam vobis jure tribuimus; scitis, non esse finalem, aut chimæricam; scitis, non esse unam, multas appellavit Ecclesia, multas damnavit, non ut frivolas & chimæricas, sed ut impias & blasphemas; nimirum quinque propositiones in sensu Jansenii; scitis autem, quis & qualis sit Jansenii sensus; sciunt omnes latinè scientes; nulla igitur explicatione opus est, ad illum sensum enucleandum; is enim est legitimus, vulgaris, proprius & Calvinianus, quo ad primam, secundam, quartam & quintam. Hic autem exclamas, exultas, insultas, plusquàm thrasonicè, aisq; nihil opus fuisse tot consultationibus & diplomatis; cùm sensus ille Calvini sit notissimus, eumque toto animo Jansenianus detestetur, & nihil ultrà esse, in quo illos Annatus inquiet; Ecclesia non jubet hoc loco, ut detestemini Calvinianum, disertis scilicet verbis, sed tantùm Jansenianum, id est, proprium & legitimum, quem ipse damnavit; nec etiam disertè definit, Jansenianum eumdem esse cum Calviniano, quamquam eumdem esse Annatus, & alii doctissimi viri demonstrarunt: defendimus, inquis, Thomisticum, quem cum Jansenio eumdem esse, credimus; Ecclesia damnavit Jansenianum, non Thomisticum; unde ut quis Thomisticum minimè damnatum esse dicat, uti verè dicimus, alium esse à Jansenio dicat, oportet; Jansenianus enim damnatus est ab Ecclesia; sed Thomisticus non fuit damnatus; igitur Jansenianus non est Thomisticus; quid ad hæc mi homo?

III. In varios gyros & orbes te torques, antequam mentem vestram declares, inde varia loca Jansenii profers, in quibus, Thomistam agit; sed cum etiam sint alia, in quibus totus est Calvinianus, & cum bonum sit ex integra causa, malum verò ex minimo defectu censeatur; hoc certè non obstitit, quin Ecclesia expressos illius errores in proprio sensu, cum aliter Ecclesia non accipiat, jure damnarit; sed, inquis, sensus illorum locorum, in quibus Calvino consensisse videtur, ad sensum illorum in quibus Thomistis adhæret reducendus est; immò potiùs, in Auctore præsertim ex multis capitibus suspecto, sensus istorum, ad sensum illorum reducendus, cùm id solenne sit omnibus hæreticis, perinde atque colubro tortuoso, ut caput & venenum tegant: sed, inquis, collatæ gratiæ potest voluntas dissentire, si velit; itane verò? cur ergò dicis cum Jansenio tuo, illam esse gratiam Semipelagianorum, cui voluntas dissentire possit? si velit? deindè, quid est hoc, si velit? id est, si dissentiat, inquis; igitur æquè dicerem, cæcum videre posse, si videat, & claudum currere, si currat; præterea dissentire potest, inquis; sed qua potentia? an proxima & completa? minimè gentium, inquis; hanc enim explodis & exsibilas in primis literis; quamlibet aliam Calvinus facilè admittet.

IV. Huc etiam accersis distinctionem sensus compositi atque divisi; tu quoque fili, distinctiunculas & tricas scholasticas, quæ tibi hucusque nauseam moverunt; sic nullum non moves lapidem, nullis artibus parcis, & nullis fraudibus. ut Jansenii doctrinam, damnatam licet ab Ecclesia ut blasphemam, impiam, hæreticam, Vaticanis fulminibus subducas; ad Scholasticos, Dialecticos, immò & Grammaticos confugis identidem, ut sensus erroresque Jansenii salves? ad hæreticos non semel, ut ille, confugistis, Helvetios, Batavos, Genevenses, & Charentonios, ut ex memoratis suprà manifestum est; fœderatas illi dexteras porrexerunt; tulerunt suppetias; & pro sua doctrinam vestram agnoscere non dubitarunt; immò cum pœnarum formidine, non tamen pudore coërciti, sensa vestra in Gallia expromere non possetis, adhibuistis operam apostatæ illius & publici Sycophantæ, qui singulis septimanis Anstelodami suas nugas & satyras, sub Gazularum nomine spargit: sed redeamus ad tuam distinctionem; voluntas dissentire potest; distinguis, in sensu diviso, concedo; in sensu composito, nego; hui quàm egregiè! sed quæso te, explana distinctionem tuam; composita gratia cum voluntate, id est, quatenus gratia inest voluntati, hæc profectò dissentire nequit, uti nec illa suo effectu carere; hinc illud Jansenii, interiori gratiæ nunquam resistitur; at verò si voluntatem seorsim consideremus, ac semotâ illâ gratiâ, tunc haud dubiè dissentire potest; atque ita in sensu composito dissentire non potest, secùs in sensu diviso; quàm bellè; immò in neutro sensu dissentire potest; non in composito, ut dicis, in quo necessariò consentit; non in diviso, cùm fieri nequit, ut dissentire dicatur voluntas illi gratiæ, quæ non inesse, vel adesse censetur: Sed, inquies, Thomistæ adhibent illam distinctionem; ita est, sed ab aliis impugnatur; sed in alio casu; sed in alia materia, nimirùm prædeterminationis, non divinæ gratiæ, sed in actu secundo, non primo; sed

consequenter, non antecedenter; sed in simultate potentiæ, non in potentia simultatis; utut sit, nunquam Thomistæ dixerunt, nullam necessitatem libertati obesse, præter illam, quam ipsa coactio inducit; & hæc est hæresis ab Ecclesia damnata in tertia propositione: idque in Jansenii sensu; id est, secundùm proprium & vulgarem sensum, quem prædicta Jansenii verba præferunt; nunquam Thomistæ ita loquuti sunt, neque hanc modò necessitatem, quam coactio inducit, amoliri conantur, quod certè longè facillimum est, cùm nec illorum adversarii eam unquam tribuerint prædeterminationi Physicæ, sed omnem aliam antecedentem; non ita Jansenius; frustrà igitur ad Thomistas confugitis.

V. Calvinus autem re ipsa vobiscum sentit, & vocetenus dissentit; nempè ille facilè admittet, per gratiam illam, eamdem profectò cum sua, efficacem à se præcisè, necessitatem coactionis minimè induci, sed aliam tantùm antecedentem, per quam tamen & libertatem & meritum proprium destrui vult; in quo, ut dixi, vocetenus vobis adversatur; vultis enim illum modum operandi, quamvis cum necessitate conjunctum, liberum adhuc dici posse; Calvinus hoc concoquere non potuit; id est, hunc loquendi modum approbare, ne suas theses omnium ludibrio exponeret; quis enim nescit, liberum opponi necessario? idque liberè non fieri, quod necessariò fit? æquè igitur Hæreticus fuit; sed longè melior Grammaticus; æquè malè sentit ac vos; sed longè meliùs loquutus est: præterea, in illa actione, quæ non esset libera, sed necessaria, ut nullam bonitatem moralem, ita nullum meritum proprium agnovit; unde ad sola Christi merita confugere debuit, homini per gratiam illam attributa; quemadmodum per sacramenta attribuuntur: in quo certè non tam ineptè, quàm vos, qui merita propria in actione necessaria & minimè libera collocatis; merita propria insunt quidem actionibus nostris, idque per divinam gratiam, quam Deus benignè nobis impertitur, ex meritis Christi, & quisquis hoc negat, hæreticus à nobis reputatur; at si quis vobiscum statuat, actionem necessariam, consequens est, ut dicat, nec libertatem, nec merita propria inesse; unde hic Calvini error propria negantis merita, ex primo illo necessariæ operationis ortum duxit, ut dixi; nec unum sine alio congruenter adstruere potuit: vos igitur cum Calvino erratis, quod gratiam efficacem à se præcisè statuatis, quæ necessitatem antecedentem induci, non quidem coactionis, sed aliam; errat Calvinus, quod libertatem homini eripiat non tamen errat, quod indè nimirum, per necessitatem illam destrui, concludat; in quo tamen erratis, qui destrui negatis, erratis, inquam, non quidem theologicè, sed philosophicè; errat denique Calvinus, quod nulla merita propria ex actione necessaria, quamvis alioquin voluntaria, profluere dicat; in quo tamen vos erratis: idem igitur error est, necessitatem antecedentem, libertatis destructionem, propriique meriti carentiam adstruere; & quamvis primum tantùm expresè ac disertè adstruatis, cum tamen secundum & tertium ex primo illo necessariò consequantur, æquè nobis utrumque imputamus; undè, ut dixi, vos inter & Calvinum in re ipsa omninò convenit; in modo loquendi, ab eo dissentitis, quamquam ille congruentiùs loqui videatur.

VI. Quod autem dicis, impietatem Lutheri à Tridentinâ Synodo anathemate percussam, qui non magis nos, quam res inanimas ad salutem nostram conferre, asserebat; rectè quidem; sed malè intelligis: nec enim S. Synodus Lutheri mentem fuisse putavit, quod voluntas à Deo mota, nihil omninò ageret absolutè, sed quoad meritum, & quoad obtinendam justificationis gratiam: nam revera S. Synodus ita loquitur, *nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti*, id est, gratiæ, quâ Deus excitat & vocat; si enim voluntas Deo assentitur, & consentit, haud dubiè agit; consensus enim voluntatis est actio voluntatis: volebat autem Lutherus, volebat Calvinus, consensum illum nihil prorsus conferre, quo se homo ad obtinendam justificationis gratiam disponat, ac præparet, & quoad hoc, nihil omninò agere, velut inanime quoddam, & merè passivè se habere: sed cur hæc Luthero exprobras? qui es in eadem damnatione, cum vestra pariter impietas, ab Ecclesia fulmine percussa fuerit in tertia propositione; hic enim hujusmodi errorum Lutheri & Calvini fons est, aqui hi statuerunt vobiscum gratiam efficacem à se; sed hoc Ecclesia præcisè non damnavit: indè necessitatem antecedentem inferri voluntati, æquè vobiscum sentiunt; & hoc Ecclesia in utrisque damnat; sicut enim necessitas illata, ne dissentire possit, vim voluntati deinde, ut à Calvino & Luthero discedere, nil pretium videremini, dicere non dubitastis, id necessitatem antecedentem inferri voluntati, ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiri libertatem à necessitate, sed tantùm à coactione: & hanc, ut hæreticam Ecclesia damnavit; atque damnavit errorem Lutheri, quod scilicet homo assentiendo divinæ gratiæ nihil mereatur, id est, nihil agat, quo se præparet atque disponat ad obtinendam justificationis gratiam: unde tam hæc propositio in sensu Jansenii, hæretica est, *meretur homo assentiendo necessario divinæ gratiæ*, est hæretica, quàm hæc in sensu Lutheri, *homo assentiendo divinæ gratiæ nihil meretur*; idem porrò utriusque fons est; nimirum gratia efficax à se Jansenianò, vel Calviniano modo explicata; ita ut afferat necessitatem antecedentem assentiendi; unde Calvinus deducit hanc, *homo igitur assentiendo divinæ gratiæ nihil meretur*: consequentia est optima, sed falsum est, imò hæreticum consequens: Jansenius verò hanc deducit, *ergo homo assentiendo meretur*; verum est consequens, sed falsa est consequentia; unde Ecclesia prudentissimè damnavit, propositionem illam, qua sola libertas à coactione ad merendum excluditur. Patet igitur, omnes propositiones syllogismi hujus à vobis admitti: *voluntas assentiendo divinæ gratiæ meretur: sed necessario assentitur; igitur assentiendo necessario, meretur*: Calvinus primam negat, secundam admittit; tertiam igitur eo negari, necesse est; Ecclesia verò primam admittit, ut dogma fidei; secundam & tertiam negat, ut hæreticas; itaque, partim cum Calvino, partim cum Ecclesia conveniitis; Calvinus meritum proprium negat; quia necessarium voluntatis assensum statuit; Jansenius assensum necessarium ponit, sed meritum proprium non negat; Ecclesia meritum proprium adstruit, sed assensum necessarium negat; claudicatis in utramque partem; admittitis cum Ecclesia meritum proprium, & cum Calvino assensum necessarium; permutate vices; utrumque Calvini errorem renunciate; admittite meritum proprium, et assensu non certè necessario, sed libero: Hinc vos ut ait appositè quidam Calvinistas molliores vocant, ut patet ex dictis.

VII. Sed horrendè exclamas & expostulas de Jesuitis, qui hanc vobis & Jansenio vestro calumniam affingunt: quamvis à Calvinistis omninò dissentiatis, tamen

nam vultis, voluntatem ita per divinam gratiam moveri, ut gratiæ dissentire possit; ita tamen, ut pro summo Dei in voluntates nostras dominio, quidquid ille voluerit, semper exequatur; ita temperata cum libertate gratia, ut nec gratiæ libertas, nec libertati quidquam detrahat immutabilis Dei voluntas; miris enim modis, Deus hoc operatur; infusâ scilicet cœlitùs quadam suavitate, carnis superante delectationem; voluntatem denique secundùm id, quod amplius delectat, operari, necesse est. Et hæc sunt, inquis, catholicæ de gratia doctrinæ principia: Hæc atque hujusmodi quamplurima dictitare non cessatis quamvis centies ab Annato aliisque rejecta; qui etiam multas Jansenii de hoc argumento contradictiones exposuere: quamquam vos ipsi satis superq; eadem etiam loco, exponitis: vis hominem gratiæ dissentire posse, nimirùm efficaci à se; ac proindè simul utrumque posse; assentire scilicet, & dissentire, facultate scilicet potentiæ, ut vocant; vis autem, quam illam efficacem atque victricem talem semper esse, ut carnis delectationem superet; ita ut magis gratia polleat, quam concupiscentia; concludendque tandem, voluntatem semper operari, secundùm id, quod ampliùs delectat; & hoc necesse est, inquis; repugnantia; si enim necesse est, operari secundùm gratiam, non potest operari secundùm carnem; igitur nec dissentire gratiæ victrici & efficaci: nihil enim aliud est dissentire gratiæ, quàm secundùm carnem operari; nimirùm eo casu, in quo ad vincendam concupiscentiam gratia confertur: hæc germana est Jansenii doctrina; si vis concupiscentiæ major est, voluntas habet plenissimam dissentiendi gratiæ potestatem, eamque proximam & immediatam; assentiendi verò, mediatam, remotam, imperfectam; si verò vis gratiæ major, habet voluntas plenissimam proximam & immediatam assentiendi, dissentiendi verò, remotam; si vis æqualis utrimque, voluntas caret proxima & immediata potestate assentiendi & dissentiendi; nulla igitur est voluntatis electio & optio, nullum arbitrium, nihil ad libitum, in ullo casu.

VIII. Hæc profectò doctrina Catholica non est, nec Augustini, vel Thomæ, sed Jansenii, Calvini, Lutheri, & in his ab Ecclesia sæpiùs damnata; provocatis quidem Jansenius ad Augustinum, cujus addens multa loca; uti & Calvinus ante illum; sed Augustinum à vobis Annatus, non uno libro, plenissimè vindicavit, profertque Augustini clarissima & divina loca, de quorum sensu ambigi non potest, quibus alia quædam obscura & ambigua prudenter explicat; nec enim, opinor, clara per obscura explicantur, sed obscurantur. Deinde concedimus quidem, supremum in voluntatem nostram Dei dominium & imperium, quò fiat, ut in nobis semper voluntatem suam exequatur; concedimus etiam, ita gratiam ab eo cum libertate temperari, ut nec gratiæ libertas obstet, nec gratia libertati, & hoc Deum miris modis operari; sed alio modo, quàm Calvini & Jansenii; imò ille modus mirus profectò non esset; vult enim Deus gratiam prævalere carni, sit major vis gratiæ, quàm carnis; vult carnem prævalere, sit minor vis gratiæ, quàm carnis; vult neutram prævalere, sint quales utrimque vires; magnum hic mysterium est, non videtur; en tibi duo pondera librata, A & B, æqualibus distantiis, vis pondus A deorsum ire; sit major; vis attolli à B, & elevari, sit minus; vis æquilibrari, sint æqualia: si nihil aliud inest, mirus modus non est; vincit, quod majus est & prævalet; sed nulla hic libertas, nulla indifferentia activa, nulla electio, nullum arbitrium, nulla potestas dissentiendi, si gratiæ vis major est, quàm carnis; nulla verò assentiendi, si vis gratiæ minor est; nulla, inquam, re ipsa, sed tantùm nomine tenus; nulla gratia verè sufficiens; si enim gratiæ vis major est, semper efficax est; si verò minor, vel æqualis, non sufficit; nulla igitur verè sufficiens est; hinc, ut monstrosa à Jansenio & Calvino exploditur: quod autem hæc doctrina vestra sit, & Jansenii, vel ex eo manifestum est, quod nunquam Arnaldus vester, nunquam socii agnoscere voluerunt in Principe Apostolorũ Christum negante, potentiam proximam & completam, id est, gratiam verè sufficientem, qua posset non negare, non peccare, si voluisset; in hoc publico facto, æternum & luculentum extat doctrinæ vestræ monumentum.

IX. Frustrà autem ad Thomistas confugitis, qui vos rejiciunt; ii saltem, qui de hoc argumento scripserunt; admittunt ipsi gratiam verè sufficientem, & potentiam proximam & completam; quamvis autem illorum sententiam ex his quoque capitibus libertatis & gratiæ sufficientis Jesuitæ aliiq́ue impugnent, nunquam tamen eò venerunt, ut vel gratiam verè sufficientem negarint, vel completam & proximam potentiam dissentiendi gratiæ, qua Deus nos movet, vel adstruxerint libertatem à sola coactione ad merendum & demerendum satis esse; vel necessitatem antecedentem à gratia induci, aliaq́ue hujusmodi, quæ inter Jansenii & Jansenistarum errores numeramus: si ut Thomistæ sentitis, cur eum Thomistis non loquimini; si cum Calvino, cur Calvinum dividitis; gratiam efficacem à se quantumlibet defendite; sed Catholico modo, ut Thomistæ, non verò hæretico, ut Calvinus; difficile est, fat scio, salvâ libertate, & infallibili gratiæ efficacia, semota scilicet divina præscientia, gratiam illam efficacem à se præcisè tueri; modò tamen illius defensores in principiis catholicis nobiscum & cum Ecclesia consentiant, gratiam verè sufficientem admittant, nec non proximam, tum assentiendi, tum dissentiendi potestatem, omnemque vim, quæ necessitatem antecedentem inducat, arceant, uti hucusque Thomistæ fecerunt, facientq́ue in posterum, communionis catholicæ dexteras iis porrigemus. Frustrà item ad Clementis oracula confugitis, ficta scilicèt & suppositia; sed decretis Apostolicis cautum est, ne de actis illarum Congregationum disputetur, fi frustrà scripturæ & SS. Augustini, Thomæ, Prosperi loca multiplicas, frustrà Petavium & Alvarez in scenam inducis, ut constet, dono divinæ gratiæ, non tantùm dari nobis, ut possimus, si velimus, sed etiam ut velimus, id quod possumus; quis unquam Jesuita hoc negavit? admittunt Jesuitæ gratiam efficacem, quæ dat posse & velle; & gratiam verè sufficientem, quæ dat posse, non tamen velle, quia scilicet nolumus.

X. Quod demum impium Molinæ dogma, id est, impiam Jesuitarum doctrinam vocas, Hæretici hominis vox est; quasi verò Jesuitæ hodienum doctrinam illam non doceant atque defendant, in libris, rostris, scholarum subselliis, quam ipsis Ecclesia liberam, integram & intactam, post longum & accuratum examen, reliquit; quasi verò Ecclesia impium dogma delatum, & non sine maxima contentione inculcatum & exaggeratum, intactum atque indemne servare unquam, aut permittere valeat; execrandæ verò calumniæ fuit, quod statim subdis, nimirum negare Molinam, à gratia proficisci voluntatis, gratiæ obtemperantis, assensum, & ab eo deleri certissimum illud catholicæ fidei caput, à Paulo traditum, *Deum*, scilicèt *esse, qui in nobis & velle & perficere operatur*,

tur, probona voluntate ; mortalium nequissimum & mendacissimum, os impurum & falsiloquum ; nunquam hoc Molina & nullus Jesuita unquam adstruxit ; immò repugnantia loqueris ; quid enim est assentiri gratiæ, nisi velle, aut nolle illud, ad quod volendum, aut nolendum divina gratia voluntatem movet ? illud quippe est, divinæ gratiæ conniti, vel ut ajunt, cooperari ; repugnat autem gratiæ cooperari, nisi simul gratia operetur ; illa igitur operatio à gratia simul & voluntate proficiscitur ; Molina igitur, vel ullus mortalium, qui terminos & voces intelligat, negare non potest, assensum illum, quo voluntas gratiæ assentitur & cooperatur, ab utraque proficisci, juxtà illud, *non ego, sed gratia Dei mecum*, nemo etiam Catholicus negat, Deum in nobis operari velle & perficere, pro bona voluntate ; sed non solùm ; si enim bona voluntas est, haud dubiè vult, adit, operatur, sed non sola ; gratia item, sed non sola ; utraque igitur ; non ita quidem, ut hoc una, & altera illud ; sed totum utraque, communi quodam & individuo nisu, vel influxu præstet ; à scholarum vocibus prudens abstineo, quas profectò non intelligeres, vel solitis cachynnis exciperes ; sed pudet cum homine rerum Theologicarum ignavissimo, de iisdem disceptare, ne quis tritum illud occinat *Asinus ad Lyram*.

XI. Sed tandem crepuit ulcus ? in varios diu gyros & orbes & circuitus stylum flexisti ? sed cum plus ultrà minimè pateret, acte urgeret Annatus, disertumque Ecclesiæ oraculum opponeret, quo scilicet propositiones ut Jansenii, & in Jansenii sensu damnantur, cum nodum istum solvere non posses, uno ictu scidisti ; erravit in hoc Ecclesia ; inquis, quia scilicet Calvini sensum Jansenio effinxit, à quo tamen longissimè abest ; utrum absit, quoad efficaciam divinæ gratiæ, satis constat ex dictis, suprà ; & ex disertis utriusque verbis ; sed cum Ecclesia in damnatione dictarum propositionum Calvini non meminerit, nec sensus Calviniani mentionem fecerit, ac proindè Calvini sensum Jansenio non affinxerit ; nihil horum lego ; sed tantùm illas propositiones in sensu Jansenii damnavit ; quæro ex te, in quo erraverit ; quia inquis, sensum Catholicum Jansenii ignoravit ; id est, sensum hæreticum iis propositionibus attribuit ; quarum tamen sensus Catholicus est ; id est, ut disertè dicam, erravit Ecclesia, in damnatione illarum propositionum ; nempe ut jam suprà ostendi, Ecclesia nunquam damnat propositiones, nisi in sensu proprio, legitimo, nativo, vulgari ; nec alterius sensus, saltem ut plurimum, mentionem ullam facit ; ut accidit in prima istarum propositionum damnatione ; quia tamen sententiam & definitionem Ecclesiæ, per fraudem impiam, erectis diversorum sensuum columnis, eludere voluistis ; nova constitutione Ecclesia illas damnavit in sensu Jansenii, id est, in sensu proprio & legitimo illorum verborum, quibus comprehenduntur, quæ scilicet in libro Jansenii extant : hoc certè ultimum, quod scilicet verba illa extent in libro Jansenii, non tam definit Ecclesia, quàm ut notorium ac certum supponit, & statuit ; ita prorsùs, quando proponit fidelibus Canones Tridentini, non tam definit, concilium illud extitisse, quàm ut notorium supponit, item quod Innocentius damnarit illas propositiones in sensu proprio, supponit, ut notorium, & declarat, ut solitum ; quod autem Ecclesia damnat eas, in sensu Jansenii, id est, in sensu proprio illorum verborum, quibus expressæ sunt, & quæ in libro Jansenii extare, certum aliudè, & notorium est ; non est hæc quæstio facti, sed juris, & dogma fidei : sic enim pariter omnis Ecclesiæ definitio eluderetur ; cum ad sensum quemlibet improprium trahi queat.

XII. Erras igitur, mi homo, cum dicis, hanc totam esse hujus contentionis, quis sit Jansenii sensus, an Calvini, an Augustini ; erras, inquam ; alia prorsus quæstio est ; immo errasset Ecclesia, si Calvinisensum Jansenio tribuisset in damnatione tertiæ propositionis, in qua Jansenius asserit, ad merendum non esse libertatem à coactione ; quod tamen Calvinus negat ; rectè tamen mones, non de *syllabis*, de litteris, de verbis, quibus propositiones expressæ sunt, ut quippe in Jansenii libro extare, non negas, sed de subjecto verbis & syllabis sensu litigari ; à vobis, opinor, nullam enim de sensu litem movemus ; cum Ecclesia litem omnem super hoc, à vobis temerè motam terminarit, & damnarit propositiones illas, non in sensu Calvini, id est, in sensu proprio verborum, qui apud Calvinum extant, sed in sensu Jansenii, id est, ut iterum dicam, in sensu proprio verborum, qui in libro Jansenii extare notorium est. Non agitur enim de Jansenio damnando, id est, de Jansenii persona, hanc causam Ecclesia nec discussit, nec definivit, sed tantùm damnavit Jansenii propositiones ; hoc loco, Ecclesia, errores, non personam errantem sumsit ; & sanè prudenter ; cùm Auctor, qui jam obierat, omnia sua Ecclesiæ judicio ac censuræ subjecerit : liber tamen confixus est, & doctrina damnata. Hic autem saltas extrà chorum, dum revocas demodum Amici sententiam ; sed omitto, cùm jam suprà totemel impostura vestræ super hoc plenissimè dictum fuerint ; nugaris item, cum iterum disputas, an illæ propositiones sint in Jansenio ; non negas tamen, verba illa, syllabas illas, quibus exprimuntur, in Jansenio extare ; quia, inquiebas suprà, non *de syllabis*, sed de subbjecto syllabis sensu litigatur. Quod spectat ad suffragium Commissarii sancti officii, cujus fragmentum adducis, nullius momenti res est ; tum quia hujusmodi suffragia ut supposititia damnata fuere ; tum quia non unius, vel alterius Theologi suffragio, sed unius Judicis sententia causæ definitionem metimur. Multa demùm falsa interseris, nimirum Jesuitas hanc sinistram opinionem de Jansenio, Pontificibus instillasse, convictum Molinam à Jansenio plusquam quinquaginta errorum ; legitimo tamque judicata causam decisam non fuisse ; Christianos à Pontificibus impotenti dominatu premi ; fucum factum fuisse, in hac scilicet causa, Romanis Pontificibus, ac proindè illos erravisse ; cuncta hæc falsa, impia, contumeliosa & iis hominibus digna, qui ponunt in cælum os suum. Loca multiplicas ex Gregorio, Bernardo, Alexandro III. sed ad rem nostram non pertinent ; in factis singularibus, quæ ad fidem non pertinent, sed ad lites, crimina, judicia, beneficia, aliasque contentiones, extrà rem fidei, & morum, Ecclesia sensum mutare potest, immò & falli ; sic Damasus ab Apollinari, Zosimus à Celestio, à Pelagio Innocentium alique ab aliis decepti fuerunt. De Honorio jam suprà, & alibi.

XIII. Ab usu Ecclesiæ & fide non est alienum, quod Christi Vicarius in aliis, quæ ad fidem non pertinent, miseris & defectibus sit obnoxius ; non enim Christus, ut illius justitia, charitas, prudentia, integritas, diligentia non deficiat ; sed una dumtaxat fides ; quod sint, aut non sint antipodes ; quod Dionysii corpus Lutetiæ sit, aut Ratisponæ, quod terra moveatur, aut sistat ; res divinæ fidei non sunt ; nunquam Ecclesia damnavit, ut hæreticos, illos homines, qui hæc adstruerent ; prudenter quidem interdum vetuit aliquas opiniones, quibus nonnulli sicie

abun

buti poterunt ad proprium sensum S. Scripturæ adducendum; si quis hypothesim Copernici unquam demonstret; non dubitabit Ecclesia, textus illos Scripturæ, quibus terræ quies adstruitur, in sensu figurato & metaphorico explicare: at communi regula interea standum est, nimirum, Scripturæ locum in sensu proprio & literali, ut vocant, intelligendum, quoties absque absurdo ita intelligi potest; demonstra, si potes, terram moveri, & statim Ecclesia decretum suum abrogabit; sed dubito, an præstare unquam id valeas. Itaq; probè distinguenda sunt hujusmodi rescripta, præcepta statuta, decreta, & varia dictaminum genera, quæ ad res fidei non pertinent, in quibus per incogitantiam, ignorantiam, imprudentiam, immò & injustitiam delinqui posse, non abnuimus, à definitionibus, & constitutionibus fidei: in his Ecclesia errare non potest, secus verò in illis, quæ per sarcasmum, pro singulari illo tuo in sanctam Petri Sedem studio elevare non dubitasti: sed illa omnia, quæ impiè & insulsè blateras non juvant; nunquam enim Ecclesiam in damnatione alicujus propositionis, ut hæreticæ, in sensu cujuslibet Auctoris, sed in proprio vulgari & legitimo errori obnoxiam fuisse, comperies: nunquam dixit Ecclesia, damnamus hanc propositionem ut hæreticam, in sensu Honorii, vel Liberii, vel Theodoreti; profer quæso vel unum similem: nunquam dixit, damnamus ut hæreticam sententiam Galilæi de motu terræ: aut Virgilii, qua Antipodas: aut Parisiensium, de corpore Dionysii; sed cum impio & insicio agere pudet; & timeo, ne Catholici hoc mihi dedecori versuri sint.

XIV. Rectè tamen subdis, ex oculis & sensibus, rerum cognitionem petendam esse; ita illam petit Ecclesia: Jansenii Augustinum examinati, discussi, & accurato studio perpendi, jussit; multa illius exemplaria, ut pluribus distribuerentur, afferri curavit, quidquid obgannias; verba illa, quibus expressæ sunt propositiones, in eo reperta; idque non uno loco, ut rectè scis: nec quisquam, opinor, vestrum id negat; sensum quippe, non verba & syllabas curatis; in verbo, nihil omissum, quod ad definitionē conversiæ pertineret, nec ut ipsamet testatur Ecclesia, major, quo ad hoc, diligentia excogitari potest: uno verbo, nihil aliud quæritis, nisi effugia; sed præclusa ubique: nisi enim definitioni Ecclesiæ in re fidei venitis, nemo vos eximat Hæreseos noxæ; damnata Ecclesia propositiones Jansenii, ut hæreticas, in Jansenii sensu; negatis esse Jansenii: ambiguum dictum est: propositio quippe constat litera & sensu, id est, verbis & verborum significatione; verba enim sunt veluti corpus & sensus, veluti anima propositionis: negatis, esse Jansenii secundùm verba? minimè quidem; cùm notorium sit, verba illa extare in Jansenii libro: & hoc agnoscitis ultrò: negatis tamen, contineri secundùm sensum; benè est: alioquin, quia verba illa, syllabas illas contineri negaret, non tu mihi hæreticus, sed stultus omninò esset; loquuntur enim de iis, qui Jansenium legerunt, & latinè sciunt: itaque non de verbis sed de verborum sensu disputatio est; dicimus cum Ecclesia, esse hæreticas in sensu Jansenii, id est, in proprio verborum sensu, quæ in libro Jansenii extant; vos verò negatis; & hoc vocas contentionem de nihilo, de re levicula; sed quisquis propositionem in eo sensu hæreticam esse, negat, in quo illam Ecclesia damnavit, est hæreticus; quod revera nisi dicamus, nullus jam erit, nullus fuerit in Ecclesia hæreticus. Sed, inquis damnamus illas in sensu verborum proprio; igitur in Jansenii sensu; nihil aliud volumus; O utinam Willelme, sed vereor, ut alium, à nostro sensum proprium verborum illorum, quæ in Jansenio extant, commenti fueritis; sed jam ad ferulam grammaticorum amandandus es, ut emendatus sensum proprium verborum discas; hoc profectò insanire est; & cum æquè notorium sit, hunc, vel illum esse proprium verborum sensum, ac notorium est, hæc verba in Jansenii libro extare, utrumque negare, æquè stultum est: illorum certè imitari exempla voluistis, qui ut debitas criminibus fugerent pœnas, insaniam simularunt; vos saltem insania errores vestros tegere velletis; stultum quippe est, res notorias negare; hæc tamen ad speciem; cum igitur vos malitia potiùs, quàm insania duci, omnibus perspicuum sit, nec enim tam malæ artes in mentis impotem quadrant; nullus in dubium revocet, vobis probè constare, & hæc verba esse in Jansenio, & hunc proprium esse verborum illorum sensum, in quo ab Ecclesia propositiones damnatæ fuerunt; sed vos secùs sentitis; nimirùm, errasse ipsam Ecclesiam; unde ut primos errores sartos tectosque servetis, novum errorem cudistis; nam & propositiones Jansenii, in Jansenii sensu, non modò non hæreticas, sed præcipua fidei dogmata esse vultis; & in hac damnatione, Ecclesiam errasse non mussitatis modò, sed dicitis & prædicatis. Quisquis igitur rerum peritus vos pro hæreticis non habuerit, nisi resipiscatis, quod vix spero; Ecclesiam profectò non audit; ac proindè ille mihi, si non Ethnici & Publicani, suspecti saltem hominis loco est.

XV. Lepidum porrò est, quod subdis; nimirum non Ecclesiæ, sed solius Societatis interesse, infamia Jansenium & Jansenistas aspergi, atque ut indè pendebat Ecclesiæ tranquillitas, hoc aperiri, magni retulisse; quo retectis Jesuitarum artibus, nullum in Jansenistis errorem, nullam in Ecclesia hæresim esse, patesceret. Cur amabò Societatis interest, damnari Jansenium? nisi quia Jansenii doctrina, Societatis doctrinæ de divina gratia est opposita; ita prorsùs; hinc, catholica in Jansenio, impia verò in Molina dogmata habetis; quod certè Societati maximæ gloriæ vertitur; cum enim Ecclesia doctrinam Jansenii, non utcumque, sed ut Jansenii, & in sensu Jansenii, vobis licèt ringentibus ac ferventibus, damnaverit, inde oppositam, quæ est Societatis, ut ais, non parum firmata censenda est: oppositam, inquam ut dicis, quamquam Societas sibi tantum non arrogat; sed hæc dico, ut vel inde pateat, quàm strenuè Societatis doctrinam impugnes, qui tamen vis Jansenianæ directè oppositam esse, quæ cum ab Ecclesia damnata fuerit, ut hæretica, inde oppositam, per te, quasi, ut sic loquar, canonizatam fuisse, sequeretur: Ecclesiam demum à Jesuitis violatam esse dicis: bellè, immò bellissimè; dum vos Ecclesiam vestris erroribus conspurcatis, blasphemiis, & factionibus conturbatis, malis artibus circumscribere & in fraudem illigare tentatis, Jesuitis reclamantibus, vobisque palam obsistentibus; Ecclesiam à Jesuitis violari, dicitis, & tanti referre; id à vobis aperiri, ut inde pendeat Ecclesiæ tranquillitas; ita est, prorsùs; sic canes ovibus noxii, lupi salutares & benefici: quid plura, Regioportuenses in silendi proposito, ita religiosos esse, dicis, ut vereatis, ne in hanc partem nimio plus incubuerint, dum taciti sinunt Jesuitas impunè bacchari: rem prorsùs ridiculam, si quando aliàs; totam Europam libris & satyris vestris, adversùs Jesuitas; implevistis; omnia præla fatigastis; nullum scribendi finem hodienum

dienum facitis; filetis tamen, & taciti Jesuitas, qui vix mussitarunt ab aliquot annis, impunè bacchari finitis; quid vis dicam, in rebus notoriis mentiri, Jansenianum est: uno verbo, ideo damnari errores vestros Jesuitarum interest, quia interest Ecclesiæ; immò nunquam aliàs magis interfuit: cum nulla unquam Hæresis in Ecclesia extiterit, quæ pluribus ingenii, factionis, patrocinii, auctoritatis, pecuniæ ac cæterarum malarum artium subsidiis valuerit; Ecclesiam intra Ecclesiam impugnatis; res sacras sacris initiati proculcatis; & vano falsoque restaurandæ religionis obtentu, religionem ipsam destruitis. Est Deus in cœlis, mihi credite; homines fallere potuistis, fortè volentes; Deum tamen nunquam fallere poteritis; huc volo vos; quamquam etiam homines, suo tempore, seriùs fortè licet, fraudes & ludificationes vestras erroresque agnoscent; nec non posteritas Arianos inter, Nestorianos, Pelagianos, Lutheranos, Calvinistas, aliosque Hæreticos, Jansenistas etiam erroribus iis pares, ed malitia & nequitia superiores, detestabitur.

PROLOQUII TERTII Confutatio.

I. PRologum haud dubiè in scena egisti, Wilhelme Wendrocki; utpote qui totus es in proloquiis: quid mirum, Histrioni servis, qui suam cuique actorum personam assignat, ac tibi præsertim Prologū personā satis ignobilem: cum autem jam bis præluisses; denuò prodis in scenam, ut tertiò & quartò præloquaris; & statim initio in laudes tuas & tuorum effusus, fructum illum exaggeras, quem ex Montaltii litteris, & tuis Notis Ecclesia cepit; hoc consilium ortum & gubernatum à Deo fuisse, dicis; vota vestra suprà spem ab eo fortunata, & à divina providentia ad Ecclesiæ commodum destinata; consilium deindè Montaltii aperis; qua fide & sinceritate; nativa certè & Jansenianā: hic etiam innuis, in comitiis Sorbonicis, in quibus Arnaldi doctrina discussa est, nihil serium, aut solidum versatum fuisse, sed futiles tantùm & æquivocis vocibus illigatas cavillationes; uno verbo de nihilo actum; tum ad eos plausus conversus, quos tuus Heros ex primis Epistolis retulit, ita illi animos fecisse pronuncias, ut tantum opus auspicaretur, in quod deinde sola ductus Ecclesiæ necessitate ingenti contentione incubuit: hic autem elogium potiùs, quàm proloquium adornas; stylum scurrilem & sales commendas; ardens ingenium, limæ laborem, & miram hominis sagacitatem deprædicas: accessit, inquis, totius Galliæ favor, plausus & assensus; prostrati ubique Jesuitæ jacuerunt; horrori ab omnibus habiti; delatæ à Parochis Parisiensibus aliisque illorum opiniones ad Cleri conventum; sparsa huc illuc varia scripta; sed quò tandem horribilis tempestas? decretum est, ut S. Caroli Borromei Institutiones in lucem denuò ederentur, & omnes Galliæ Diœceses pervaderent; ne una quidem propositione, ex tanto illarum numero, quas Parochi detulerant, damnata, vel prohibita; quamvis alioquin non deessent multi, qui rem hanc, pro eo, quo sunt in Jesuitas affectu, impensè sollicitarent; brutum igitur fulmen fuit & multus sine cuneo fragor.

II. Blasphemum autem dictu est, tantisceleris Deum Auctorem & promotorem fuisse; nonne pudet, nequissime mortalium, tantam errorum vim, covitiorum, calumniarum; tot falsitates, imposturas, & impia dicta; tot ludicra & scurrilia, Deo ac singulari divinæ providentiæ consilio affingere? quid porrò indè Ecclesia, nisi horribile scandalum & optimi cujusque offensionem? id commodi & utilitatis Ecclesia retulit, ut ex officina vestra prodire doluerit, tam horrenda impietatis monstra, quæ vix ætas præterita in Hæreticis aliisque flagitiosis hominibus tolerasset; rara certè libellorum famosorum & maledicentiæ specimina; hæc est elogiorum vestrorum, hæc plausus Epistolarum vestri Montaltii materia; cum autem perditissimæ sis fidei, ea profectò, quæ narras, de mente & consilio Montaltii, nullam prorsus merentur fidem; non casu quodam, crede mihi, sed manifesta constitutione, in Jesuitas quidem ad speciem, sed reipsa in Ecclesiam & religionem; ut jam suprà ex multis capitibus evici, quæ hic non repeto; at verò tantus ille indè plausus à vobis relatus fuerit, probabit infra, ex decreto Parlamenti Provinciæ, item et decreto Regio Parisiis dato, quibus literæ tuæ cum tuis Notis Carnificis manu, flammis publicè traditæ fuerunt; item ex Romano decreto, quod jam aliàs ad te missum fuit; hinc ut vides, tuis plausibus ipse etiam festivi, ad majorem commendationem, & luminis augmentum non defuerunt; hæc tamen præmodestia, si superis placet, prudenter reticuisti & solitâ figurâ usus, paucos homines vestrarum partium, vobisque similes, & factione conjunctos, communis saltem odii, adversùs Jesuitas, vel curiam Romanam, qui mendicato plausu, has literas prosequuti sunt, in totam Galliam, immò & Europam universam commutasti; illæ certè risum paucis, multis tamen lacrymas moverunt, qui deplorare satis non poterant, petulantissimum hæreticum & convictum impostorem Ecclesiasticis hominibus, immò & ipsi Ecclesiæ tam impunè insultare.

III. Damnata est, inquis, ab inferiori sacerdotum ordine Jesuitarum doctrina, quam Montaltius in suis literis infectatus erat, immo & multis Ecclesiæ præjudiciis perstricta; sed quinam sunt illi Sacerdotes inferioris Ordinis? pauci Parochi, celebrissima Ogdoas; sed qua auctoritate? deferre quidem illam poterant, non tamen damnare; quis eos Judices constituit? eorum scripta referre non juvat: cum enim partim ex Montaltii literis excerpta fuerint, & partim traducta in tuas Notas, abundè singula rejecta fuerunt: Undè prodierint, notorium est, ut in Notis dixisse memini; ex tam lutulento & impuro fonte, nihil puri laticis profluere potuit; Quænam vero sit Ecclesia illa, quæ gravibus præjudiciis Jesuitas perstrinxit, divinare non possum; nisi fortè unam Cironum pro universa Ecclesia accipias, & immensam molem arte nova diminuendi, in minimum quid contrahere volueris: Illustrissimi Præsules in Comitiis Parochorum accusationes neglexerunt, & sancti Caroli institutiones edi, & tota Gallia spargi jussérunt; quis non tam pium, quàm justum consilium? O utinam multos Carolos haberemus, & Pastores sanctissimos, qui Christi gregem exemplo & verbo pascant, & aliorum mores in suis forment. Quod discis, Societatem scribendæ apologiæ uni suorum par-

tes

mandelle, nimirum Pirotio perditæ audaciæ ac protervæ homini; in cujus librum à multis animadversum fuisse, dicis, quos vel hoc nomine magnopere laudas, atque inde totius doctrinæ moralis Societatis damnationem deducis, quam ipsamet Societas ultro admisit; tot falsitatibus & mendaciis variationem istam, quot pene verbis, conspurcabit; falsum est, hoc commune fuisse societatis consilium; unus fortè, vel alter rem istam imprudentissimè gessit, ut enim liberè dicam, quod sentio, nunquam illius libri editionem approbavit quam Generalis societatis; nunquam alii sanioris judicii homines, quotquot saltem novi, approbarunt; non dico, illius auctorem ingenio, judicio, eruditione, omnique scribendi facultate carere; ut dicis; is enim, velis, nobis, vir fuit in doctrina morum, sacris decretis, eorumque libris qui de hoc argumento scripserunt, optimè versatus; sed ea tum fuit temporum ratio, quæ hujus libri editionem minimè postulabat: doctrina vero Theologica, quinque illis famosis propositionibus comprehensa, ab Ecclesia damnata fuerat, ut impia, blasphema, hæretica; tanta librorum vestrorum copia, Augustino Yprensi duce, ab eadem Ecclesia confixa & notata fuerat, ut totam Bibliothecam implere queat; error de damni capite, cujus Arnaldus auctor est, statim condemnatus, & addictus orco, unde prodierat; ejusdem Arnaldi & vestra doctrina, non modò à Sorbonicis ejecta, sed ab Ecclesia damnata est, confixis Arnaldi literis, aliisque ab eo in hanc rem editis elucubrationibus: omitto damnationem operum Thomæ Anglivobis fœderati, & libelli Anonymi, cujus defensionem ab eo, quem summè laudatis, R. Lochi Parocho editæ, contra Bagotium, confixionem; omnes & singulæ literæ Montaltii herois tui ab Ecclesia pariter rejectæ, & nigro theta inusto, confixæ fuerant: præterquam quod à nobilissimo & eruditissimo scriptore, immo aliqua ex parte, ab Arnaldo plenissimè, & non sine plausu confutatæ fuerint; ad plenam perfectò victoriam Jesuitis nihil prorsus deerat; quis ergò illius libelli editionem intempestivam fuisse, non videt?

IV. Falsum est etiam, doctrinam moralem socios in eo libello, contineri, quam Suarez, Vasquez, Molina, Valentia, Lessius, Sanchez, aliique tam multis iisque grandioribus voluminibus complexi sunt; Libellus ille 54. circiter propositiones, vel assertiones habet, quarum tres, aut quatuor certæ sunt; 45. probabiliores oppositæ minùs probabiles paucæ, quæ restant, vel improbabiles; fateor ultro, aliqua illius libelli capita mihi non probari; quæ hic recensere supersedeo; nullus ergo dicat, nisi rerum imperitus, doctrinam moralem universam societatis, Libello comprehendi; hoc quidem sparsistis in vulgus & fudistis, non sine plurima gratulatione ex suis penetralibus vestris, Nemausi, & alibi Romanam Ecclesiam jam suæ doctrinæ moralis pudere ac pœnitere cœperunt; unde idem facilè de doctrina fidei inferre videbantur: damnavit Alexander VII. & prostravit Apologiæ Libellum; nulla tamen doctrinæ mentione facta; ut varia sunt censuræ capita, liber non quispiam prohiberi potest, vel quia malam doctrinam continet; libri vestri hoc nomine prohibentur; vel quia stylo acerbiore scriptus est; non defuerunt, qui dicant, hoc potissimum Alexandro in hoc libro displicuisse; vel demum quia contra S. Indicis regulas editus est, puta nullo auctoris, Typographi, & loci nomine, nulla doctorum approbatione, vel superiorum licentia; & in hoc Libelli auctoris prudentiam plerique desiderarunt; & mihi saltem certum est, dictum librum justissimè configi potuisse; falsum tamen, doctrinam moralem societatis in eo contentam, damnatam fuisse; utrumque, inquam, falsum est, ut constat: inde quidem grandes triumphos ducere voluistis, sed pessima consilia vestra sperato à vobis eventu caruerunt; res societatis eodem statu mansit; eadem de illius virtute & doctrina opinio; nec scholæ illius desertæ, nec templa vacua relicta; uno verbo, Jesuitæ sua munia cum eadem laude ubique obeunt.

V. Falsum est denique, quod subdis, censuras illas Apologiæ societati ratas fuisse, & ab ea ultrò approbatas: acceptavit quidem Romanam eamque ratam habuit; non tamen alias, in quibus quædam opiniones damnantur, quæ cum à censura immunes sint, absit, ut societas illarum damnationem subscribat; citra tamen judicium Apostolicum; immo censurasinter, non una fuit, quæ manifestos errores continebat; omnium anacrisim, semota scilicet Apostolica, quæ nullam opinionem appellat, aut damnat, non nemo satis diligenter paraverat; sed præ observantia, & pacis amore, in lucem illam non dedit. Omitto laudes, quas certè liberali manu, iis omnibus aspergis, qui Apologiam notarunt; Deus me liberet à laudibus illorum hominum, qui se tantùm & sua suisque similia laudant; laudari à laudato viro, optimum sanè est; sed à proscripto, & sacro fulmine tacto, quem in eadem damnatione esse, constat, non modicam, ut mitissimè loquar, suspicionem movet; illæ præsertim æquissimæ & moderatissimæ notæ, ut vocas, ailquam certè notam sapientissimis hominibus mereri visæ sunt; quàm multa super his, dicere valerē; sed præ modestia & cultu etiam minùs dignis debito, abstineo: quod dicis, decretorum (sic enim opiniones vocas, ab iis exceptas & appellatas, qui Apologiam, confixerunt) damnationi totam Ecclesiam consensisse, non falsum modò, sed hæreticum dictu est, & Novatianum, vel Donatistam olet; habetis in Gallia 120 circiter Episcopos; viginti librum illum notarunt; reliquis tamen omnino renuentibus, quamvis multa non defuerit sollicitatio; inter tot Parochorum millia, quos habet Gallia, pauci fœdus & conspirationem contra Jesuitas inierunt; & tamen non Galliam modò universam, quod longè tolerabilius esset, sed totam Ecclesiam appellas: damnatus fuit Apologiæ Libellus ab Alexandro VII. annuunt Jesuitæ damnationi pro more, & sacra adorant oracula; vos certè non ita, ut illorum tamen decretorum, ut vocas, vel opinionum, ab aliquot Gallis collectarum, damnationi nunquam profectò annuerunt, nec annuent unquam; cum inter eas, quædam sint non probabiles modò, sed omnino certæ.

VI. Sed omissa Jesuitarum Apologia, ad tuam tuorumque accedis, & doles, à Jesuitis spargi, quosdam esse magni nominis Theologos, nimirum tuos Regioportuenses, quibus hodienum quinque illæ permulgatæ propositiones probantur, & totam rem istam privatis potiùs simultatibus, vel politicis artibus quàm ulla Ecclesiæ cura gubernari; dignam certè homine Catholico vocem; quidquid aliqui factionis studio, apertoque odio adversus Jesuitas, agunt, ad quos tamen cura illa nō pertinet; omnia canonicè,

& totius Ecclesiæ nomine, nec non divino instinctu fieri, dicuntur; quidquid ipsa Ecclesia non alio fine, quàm, ut errores arceat, adversùs Jansenistas decernit definit ac pronunciat, non jam pro constituto Apostolico, sed pro figmento politico habendum est; filii hominum recta judicia judicate; cur bonum malum, & malum bonum appellatis? Ecclesiæ zelum, honorem, gloriam, integritatem obtenditis; quam vestris erroribus & malis artibus violatis; ne quæso istas Jesuitis imputes, Willelme, tuæ sunt, tuorumque nativæ & propriæ; iterum, nec non verissimè dico, nulla unquam hæresis tanta industria fuit, ut fucum faceret, tanta petulantia, ut omnia sancta & sacra, quæ sibi adversari putat, proculcaret, tanta impudentia, ut adversanti Catholicorum parti mille calumnias affingeret, & optimos, doctissimos, sapientissimos quosque mille convitiis & contumeliis proscinderet; tanta auri coacervandi & captandi Procerum patrocinii cupidine, quo animo & fine, Deus scit; quid non in Archiepiscopos, Tholosanum, Parisiensem, Auxitanum, Ebredunensem? quid non in Annatum aliosque auctores Catholicos? sed quid non in Romanos Pontifices, Urbanum, Innocentium, Alexandrum, nec non Eminentissimos Cardinales, ac præsertim Albicium, in quem unum, ut alterum vestri Goliat Davidem; immortali odio flagratis?

VII. Ut te purges ab omni erroris suspicione, denuncias, quinque propositiones à te improbari atque damnari; an verò sint Jansenii, nec ne, ad fidem, inquis, non pertinet; neque hoc sine gravissimo errore ac certissima hæresi dici potest; cum ipsa fidei fundamenta convellat. Quod ad primum spectat, quæro ex te, in quo sensu illas propositiones damnes; an in sensu Catholico, & Augustiniano? nihil sanè minùs; igitur in hæretico; ita est, inquis; sed an illum hæreticum putas, quem Ecclesia declaravit hæreticum, vel in quo illas Ecclesia hæreticas declaravit? fare age, mi homo, cur titubas & taces? nunquid Ecclesia damnavit illas, ut hæreticas, in sensu Jansenii? an eas in hoc sensu damnas? minimè, inquis, quia hic sensus est Catholicus; rectè sensum illum Catholicum esse dicis, quem Ecclesia hæreticum esse, pronunciat; id est, propositiones in eo sensu Catholicas esse, dicis, in eo sensu in quo eas, ut hæreticas Ecclesia damnavit: quis unquam hæreticus magis heterodoxa? parimodo Calvinus & Lutherus Ecclesiæ fulmina luderent immo eluderent; aliique omnes hæretici, eodem vobiscum, immo potiori jure; vix enim aliàs invenio damnationem magis expressam; neque hoc pertinet ad factum, sed ad jus perquam maximè; cum verborum sensus hæresim formaliter constituat; sed quia de his fusè in confutatione Epistolarum; diutius hærendum non puto; id unum dixisse contentus, duplicati criminis te Reum esse, primum est, quod eas propositiones in sensu Jansenii damnatas ab Ecclesia, ut hæreticas, damnare in hoc sensu recuses; secundum est, quod in hoc sensu maximè Catholicas esse, velis, in quo eas Ecclesia ut hæreticas damnavit: miror, hanc fraudem vestram ab iis hominibus non videri, quorum patrocinio valetis, quasi hoc loco agatur de facto, ubi potissimum de jure agitur: factum notorium supponitur, nec ullum inveni, peritum scilicet, qui negaret, verba illa, syllabas illas, in libro Jansenii contineri; unde ad fidem non pertinere, facile damus; immo pertinere non posse, secundum illos, qui volunt, fidem & scientiam, vel claram notitiam simul esse non posse: ut ut sit damnis ad fidem non pertinere; unde is, qui rem notoriam negat, non tam hæreticus, quàm stultus reputatur, quamquam solito modo probandum, an stultum agat, & ad tegendam melius hæresim simuler stultitiam: quod attinet ad verborum sensum, proprium scilicet ac legitimum, quæstio est, juris quidem, sed grammaticalis, ferula decidenda; quamquam autem Ecclesia propositiones semper judicet in proprio sensu, ad frangendam tamen non nullorum contumaciam, vestrorum scilicet, quos & iniquitatis filios & publicæ tranquillitatis perturbatores vocat; hoc expressè declarare voluit; nimirum ita damnari propositiones in sensu Jansenii; id est, in sensu proprio illorum verborum, quæ in libro Jansenii extant.

VIII. Quod pertinet ad alterum; scio nullum Theologum asserere, omnia & singula facta declarari posse ab Ecclesia certa fide tenenda; at scio, nullum esse Theologum Catholicum, qui asserat, nullum factum ab Ecclesia declarari posse certa fide tenendum; tenent communiter Theologi, Canonizationem Sanctorum, damnationem hæreticum, librorum scilicet, auctorum, approbationem librorum canonicorum, & quædam alia facta universalia, si quando ab Ecclesia omnibus Christi fidelibus proponantur, ad fidem pertinere; sed de his tecum disputandi hic locus non est; cum sit altioris indaginis: statuamus, hunc textum in scriptura legi, *quisquis, vel auctor, vel liber ab Ecclesia omnibus Christi fidelibus denuntiabitur hæreticus, ipse hæreticus*; ac deinde Ecclesia denuncier Arium hæreticum; quis neget, citra hæresim, Arium hæreticum esse, nempe in eo casu, in ea Hypothesi, divinæ providentiæ erit, procurare, ne possit Ecclesia in factis hujusmodi errare: non desunt, crede mihi, qui dicant, hoc contineri, saltem implicitè, ut vocant, in sacro textu, quo ad facta quædam universalia; v.g. habemus in sacro textu, sanctos & amicos Dei vitæ functos colendos esse; sed hoc frustra esset, nisi Ecclesia suis fidelibus declararet, quinam sint sancti illi atque amici; item habemus, sacras scripturas scrutandas esse, & Dei Verbum credendum; sed hoc frustra esset, nisi nobis declaret Ecclesia, quænam sit vera scriptura, quinam auctores Canonici: habemus denique damnandos & fugiendos hæreticos; & hoc frustra esset, nisi nobis Ecclesia denunciaret, quinam sint hæretici in his declarationibus, singularis subsidii ope, juvatur, quo ab errore immunis evadat. ex quibus manifestum fit, nec vos, nec Ecclesiam, nec sententiam mutari; vos eosdem, quos ante, errores defendetis; ubinam, vel minimum mutationis, vel confessionis signum? nunquid eas, ante constitutionem Innocentii, acerrimè propugnastis, etiam in media Roma? nunquam dixistis hactenus, nec dicetis unquam, vos mutasse sententiam; in iisdem igitur erroribus manetis; igitur ut non mutastis, non mutavit etiam Ecclesia; non mutarunt etiam Jesuitæ, qui cum Ecclesiæ semper huc usque adhæsint, sperentque, se adhæsuros imposterum, tamen errores vestros impugnabunt, quamdiu illos defendetis.

IX. Pro eo verò, quòd dicis, decimam septimam & duodenigesimam Epistolas Heroïs tuas, integras esse, & omni ex parte constitutionibus Apostolicis suffragati; tam falsum est, quàm

quàm quod maximè; pro quo ad confutationem usque te remitto: hoc tantùm innuo, per Constitutiones damnari propositiones in sensu Jansenii, ut hæreticas; in literis verò habemus, in hoc sensu, esse Catholicas, & minimè damnandas; nunquid hæc repugnantia non sunt, Wendrocki? cur igitur literas illas dictis Constitutionibus omni ex parte suffragari dixi? cur inde odiosam calumniam & effrænatam maledicentiam Jesuitis exprobras, quòd hæc vobis notoria opponant? at scire velim, quis ille sit ingens scriptus, quem Ecclesia retulit ex infamibus, & famosis literis; omnia, inquis, in pristinum decus restituta, & explosa probabilitatis doctrina; sed à quo, quando, in quo, ubi? nunquid non iidem libri, iidem magistri, eadem doctrina, eædem scholæ? prohibuit Alexander aliquot propositiones; sed profer quæso vel unam propositionem, præter vestras, ab eo probatam atque damnatam, ex iis, quas censores vestri notaverant: damnavit Apologiam, inquies; sed inde non sequitur, propositiones apologia contentas, damnatas ab eo fuisse, immo cùm deinde 45 propositiones disertè damnari jusserit, nec inter eas ulla sit earum, quæ libro Apologiæ continentur, inde, saltem judice me, tectè deducitur, contentas Apologiæ libro propositiones, ab eo non fuisse damnatas, sed alium censuræ causam fuisse. Ut ut sit, damnavit etiam Alexander censuras vestras, literas vestras, omnia vestra evulgata, vel evulganda; sacrilegum igitur dixeris, Ecclesiam ex iis ingentem fructum retulisse, ni forte qualem ex viperis & scorpionibus, ex helminthagogiis ac pestibus, homines referre solent. Immò gaudet tuus heros, doctrinam Jesuitarum ab Ecclesia damnatam fuisse; dico & Ecclesia, non vero vestris, quorum censuræ censurâ dignæ sunt; gaudet, explosam fuisse ab Ecclesia probabilitatem: sed vanum est gaudium, de re chimærica; nunquam enim hæc explosa fuit, vera scilicet, ac certa, nunquam damnata; sed est, quòd doleat, suas literas emeritis, aliisque opusculis Arnaldi, & Thomæ Angli, immò & quibuscumque aliis suorum libris, ab Ecclesia Romana damnatas fuisse: miraris, Wendrocki, quòd hujus damnationis nunquam memineris, cujus tamen certiorem te factum fuisse, constat.

Quarti Præloquii Confutatio.

I. IN hoc Præloquio, Burdigalense judicium de literis Montalcii & tuis Notis, narras; sed Jansenianâ fide, ad invidiam Jesuitis conciliandam, & celeberrimum tuorum triumphum adornandum; quanto enim liberaliùs Jesuitis convitia, calumnias, contumelias aspergis, tantò uberiùs in tuos conferas immeritas laudes; tantò putidior encomiastes, quantò iniquior convitiator: huic narrationi mille falsitas, mille calumnias interseris, quæ fortè si ab alio minùs suspectæ, nec omnino perditæ ac prostitutæ fidei proferrentur, eas refellere operæ pretium putarem; at cùm à mendacissimo & nequissimo quoque adstruantur, ad libros de arte fingendi remittendi possunt: hæc rei gestæ summa est; Procurator Generalis ad Senatum librum tuum detulit, ut Senatusconsulto igni traderetur, liber scilicet famosus, & hæreticus; solitis artibus obtinuistis, ut libri judicium ad Theologos remitteretur, quorum judicio præmisso, Senatus meliùs judicaret; tres Theologi, qui vobis maximè favebant, delecti; duo fratres, Franciscus Arnaldus, malo ominis nomen; & Joann. Bapt. Gonet; tertius Canonicus Lopez, qui explosâ Sorbonæ censurâ, cujus in reliquas facultates, nullam esse auctoritatem monstravit; hic quis, qualis, & unde sit, nomen satis probat: quod ad secundum spectat; quàm sit Jesuitis infensus, quàm vobis addictus, vel ipsa elogia, quibus hominem cumulastis, in quo etiam vobis accesserunt Germani heterodoxi, satis superque demonstrant; tres igitur illi librum damnandum non esse, censuerunt; unde statim concludis, post hoc judicium, nihil jam amplius esse, ad Wendrockiani libri innocentiam planissimè testandam: at, si quid video, tam luculenti triumphi materiam hîc non habetis: Senatus ad Theologos librum remisit, ut de illius doctrina judicarent; quamquam æqualis ferè suffragiorum pars eò spectaret, ut liber famosus & hæreticus flammis Senatusconsulto traderetur; cùm alio examine opus non esset, in re præsertim notoria; Roma literas illas damnaverat singulari decreto; Senatus Provinciæ illas Senatusconsulto, carnificis manu lacerari, & flammis addici judicarat; Sorbona eumdem errorem in Arnaldi Epistola confixerat, quem Montaltius in primis literis commendat, tu ipse laudas in Notis; notoriæ igitur erant justissimæ damnationis causæ; sed nullum lapidem non movistis, ut hoc probrum arceretis, nullis laboribus, nullis fraudibus, immò nullis sumptibus pepercistis; emendicatis tota Gallia commendatitiis & intercessionibus; res vobis successit pro votis, & paucis suffragiis superastis: iisdem artibus, remissâ causâ ad Theologos, non difficilè vobis fuit, in eo statu, atque hominum concursu, semotis scilicet iis, à quibus erat, quòd aliquid timeretis, iniquam illam sententiam à tribus illis, quos appellavi suprà, reportare, qua doctrina vestra eo libro contenta, immunis à nota censetur, quam tamen Sorbona, Episcopi, & quod caput est, Ecclesia ut impiam, blasphemam, hæreticam, tot decretis & Constitutionibus damnavit, ut in hoc, omnes præteritorum temporum hæreses longissimè superarit: malim certè Ecclesiæ judicio stare, quàm centum Gonetorum & Arnaldorum plusquam vænalibus suffragiis; quo id saltem factum est, ut secretioris consilii rescripto, ipse Gonetus à docendi munere, quo in Burdigalensi Academia fungebatur, amotus fuerit.

II. Quòd addis, Monachum, nescio quem, inter concionandum, in Jesuitas & Casuistas acerrimè invectum esse; miror, unum dumtaxat extitisse, quem excitatæ factionis studium ad audendum impulerit; nunquam hoc hominum genus ad id officii desideratur; miror etiam, duos tantummodò ex Societate adversus Jansenistas è sacris rostris declamasse: lupi rapaces in medio gregis Dominici grassabantur; canes latrare quid vetas? tectis domus Dei ab hoste ignis injectus fuerat; cur prohibes fidelem populum, voce saltem, si non æris campani signo moneri, ut opem ferat? pestis ac lues hæreseos Jansenianæ sævire cæperat, ac serpebat indies; cur quæso ægrè ferre videris, necessaria Catholicis porrigi remedia, ut caveant? Quòd autem dicis, Jesuitas in hoc opus diligenter, sollicitoque animo incubuisse, quâ promissis, quâ minis, quâ prensando potentiorum

gratiam, idque maxima contentione; laudarem haud dubiè, si res ita se haberet; saltem, ut vobis opponerent sese, qui tot factiones atque tumultus, tot rumores ac tempestates Burdigalæ, in hac causa suscitastis, ut parum abfuerit, quin ad manus & seditionem publicam ventum sit: hic agendi modus hæreticis solennis est; quid ubique hujusmodi egerint, satis prospectum est; & funesta hodienum extant eorum furoris monumenta: sed nunquid etiam tu furis, dum Jesuitis tumorem, ferociam, impudentiam, perditam in horrendis calumniis audaciam, imperitiam, malignitatem, stultitiam, aliaque hujusmodi eloquentiæ Jansenianæ præconia occinis, & nullum in iis modestiæ, pudoris, fidei, sanitatis vestigium agnoscis; furere ipsos, & mente planè emotos fuisse dicis? quo certè, vel id unum evincis, in arte convitiandi, te primas tulisse; erit, qui peniculũ porrigat, ut os fœculentum & turpissimis cõvitiis fœdatum abstergas: non te pudet, mortalium impudentissime; homines Deo & Ecclesiæ charos tam atrociter excipere? sed in hoc præsertim, hæretici eloquentiæ suæ vires & nervos probarunt.

III. Reum agis deinde Patrem du Chesne violatæ in Augustinum observantiæ; mentiris nebulo; ignosce Lector, cum perditissimo hæretico aliter agere non possum; mentiris inquam, pro more; nempe ille divini verbi Præco ut vestram illam cantilenam, quam semper obtruderet non cessatis, refelleret, quod scilicet sitis Augustiniani, Augustini discipuli, & doctrina Jansenii Augustiniana; docuit primo loco, Augustini loca explicanda & rectè intelligenda esse, non verò in sensum hæreticum detorquenda; & hoc sapientissimè; nempe utrimque vitiosa extremitas est; altera scilicet Jansenii, Calvini, aliorumque hæreticorum, qui allegatis excerptisque locis ex Augustino, errores suos confirmant; altera verò nonnullorum ex Catholicis, qui statim concedunt, Augustinum in quibusdam errasse; cum tamen longè satius esset, obscura quædam Augustini loca in bono lumine collocare, & sensum iis accommodare Catholicum; ita Petronius explicat loca illa, in quibus Augustinus Eucharistiam infantibus necessariam esse, asserere videtur; sic alii alia ejusdem loca, quibus Jansenius, Calvinus, Lutherus malè utuntur; & hæc P. Du Chesne prudentissimè ad populum; dato tamen, & non concesso, inquit, Augustinum ita sensisse; nemo Catholicus neget, deferendum potiùs esse Ecclesiæ decreto, quàm Augustini dicto; quid quæso hic peccavit Religiosus præco? vos pugnat hæc responsio; dato enim, & non concesso, quia falsum esse, constat: quod idem sit sensus Augustini & Jansenii, in propositionibus damnatis; standum profectò est definitioni Ecclesiæ, non verò sensui Augustini falsum tamen est, ut dixi, eumdem utriusque sensum esse, ut eximii Scriptores demonstrarunt, qui Augustinum ab ea nota, quam illi Jansenius inurere voluit, plenissimè vindicarunt; unde bene Jesuitis cum Augustino convenit, quia cum Ecclesia: vobis malè cum ista, quæ vestros errores damnavit, ac proinde omnibus denunciavit, vos non Hipponenses, sed Yprenses discipulos esse.

IV. Doles, Jansenium hæreticis Parentibus prognatum ab alio Jesuita dici; quod tamen, inquis, impudentissimo mendacio confictum esse, toti Belgio notum est; tecum super hoc contendere nolim; tam enim obscuris natalibus fuit, ut vix ea ulli nota sint; in eam tamen inclino partem, quod à Catholicis parentibus ortum duxerit; pauperculis scilicet & rusticanis, obscuri & ignobilis oppidi, quo accederit, ut Lovanii primùm quasi mendicato, tum deinde Paridiis domesticæ pedagogiæ pretio, & publicæ stipendio Baionæ, victitare coactus fuerit; sunt autem Batavi rustícani, majori ex parte Catholici, in minoribus scilicet oppidis & pagis; ut ut fit, sive primordios spiritus parum sanæ fidei à parentibus hauserit, sive à nativo solo, sive à necessitudine, qua Sancyrano devinctus fuit, sive ex libris Hæreticorum, quibus in Gallia vixit, abundè illi supperebant, sive aliqui putant, ab insito adversùs Jesuitas odio, nostro profectò non refert; nec atrocis calumniæ fuit, hominem inter Hæreticos, in media Batavia nato, hæreticos parentes tribuisse; saltem, ut ajunt, præsumptum fat mali protulit ex se; nihil aut parum juvat, alienos accersere; puteus profectò altus est; altiorem fontem repetere nihil refert. Sed illico detonat in miserum illum concionatorem, quasi in furentem Tartarum, aut tartareum Scytham; cur vero tandem (quia ornatissimos, spectatissimos & clarissimos (agnoscis, opinor, tua epitheta) Arnaldum scilicet & Sancyranum, vestrarum partium duces & Corypheos, nec non præcipuos Jansenianæ doctrinæ defensores esse dixit; quasi verò sanè fulmine tacti vel leviter tangi non possint? vos innocentissimos & doctissimos Homines impudentissimi proscinditis; nobis absque piaculo, vel eos appellare sine laude non liceat, quos Sorbona & Ecclesia non semel damnarunt? Sorbonam despicis & Ecclesiam; interea fumat etiamnum ferale bustum, cui pauca membra, semiusta subducere potuistis: quia dixit, Sancyranum subita morte occupatum absque Sacramentorum subsidio, mortem obisse; nunquid hoc vetatissimum non est & tota Gallia notorium? item illum ab Arnaldo longè fuisse superatum, nonne ipsa opera & monumenta hoc prædicant, & clamant? quia demum dixit, Jansenistas superum ad instar, insidiari ovibus Christi, pestè populos inficere, idque pertentare sermonibus, scriptis, libris, & largæ profusione pecuniæ, quis hæc omnia, quæ publica sunt, ignorat? si Jesuita tacuerint, nunquid lapides ipsi non clamabunt? hæc illa est incredibilis, ut vocas, Jesuitarum in calumniando audacia; hæc humani cordis pravitas; hæc infandæ calumniæ; hæc frons, hæc conscientia perdita, hæc prodigiosa mendacia; hæc contumacies; hic peculiaris instinctus Diaboli iis afflatus; hæc demum perturbatio, quæ omnem humanitatis sensum in illis extinxit; quàm ineptè, quàm ridiculè, rata, communia, vulgaria, notoria concionator ille narrat, lippis, ut ajunt, & tonsoribus nota; tu verò, quæ horrendæ & omni memoria inauditæ blasphemiæ essent, tam hyperbolicè & patheticè insanus orator declamas.

V. Quæris deinde, & bona fide, à Jesuitis scilicet aris, sibine verè ac seriò persuaserint, Jansenii libro, qui totus in explicanda Christi gratia versetur, doctrinam Hæreticam contineri? idem quæris de libro Arnaldi, cui non aliud propositum fuerit, quàm Christi in Eucharistia residentis adorationem & reverentiam altiùs in omnium animis infigere: si hæc creditis, Patres, inquis, stultissimi fuistis; creditis, sceleratissimi; & hic cæcitatem, contagionem, sceleris magnitudinem iis exprobras: cur non eadem Ecclesiæ, quæ toties Jansenii doctrinã, ut Hæreticam damnavit? & Arnaldi Epistolas cõsimiles, aliaq; opuscula, ad defensionẽ erroris à Sorbona conscripta, immò & Hæresim de duplici gratia

cujus ipse auctor est, ac proinde non hæreticus modo sed hæresiarcha. Redis ad quæstionem juris & facti, & solitam de illa cantilenam ; vobis solenne est, centies eadem regerere ; sed quia jam supra eam istam discussi, ne bis eadem, & vos quoque, quod maximè fugio, imitari videar, omitto, & illa remitto, quæ à me supra dicta sunt. Hîc etiam inextricabiles ineptias & absurditates Jesuitas aspergis ; sed abstre ; serva tibi, tuisque, in quos bene quadrant ; sed, inquis, propositiones illas ab ortu suo Ecclesia rejecit, nec tamen Jansenium nonnisi aliquando futurum ; quam acutè, quàm docte ! nonne rejecit etiam ab ortu suo damnata dogmata Arii, Nestorii, Eutichetis, Pelagii, Lutheri, Calvini ; quæ tamen deinde in sensu Arii, Nestorii, Eutichetis, Pelagii, Lutheri, Calvini, damnavit ? nunquam tamen, non sine divino consilio, exortus, quàm vestra, in sensu Jansenii ; neque hoc ad factum pertinet, ut dixi, sed ad jus ; immo ad formam ipsam & animam propositionum ; ad factum quidem, quod hæc & illa verba in libro Jansenii sint ; quod damnus ultro, ad fidem non pertinere ; non notorium est ; nec ab illo, qui latinè sciat, oculis valeat, eosque in Jansenii librum & paginas istas appellatas conjiciat, absque stultitiæ nota, negari potest ; uti nec absque hæresi quisquam negat dictas propositiones in sensu Jansenii esse damnatas ; hoc centies vobis oppositum & exprobratum, hoc centies à vobis dissimulatum, aut ineptè repositum, à vobis nesciri, quisnam ille sit Jansenii sensus ; at millies reposuimus, esse proprium, legitimum, nativum & vulgarem, in quo tu ipse, hac ipsa pagina, damnatas esse differtè fateris, & dicis, ejusmodi esse in 5. propositionibus, in proprio verborum sensu acceptis ; sed hîc est sensus Jansenii ; id est, verborum, quæ in libro Jansenii extant ; si extra negas, stultum est ; provoco ad oculos ; si sensum proprium esse, negas ; stultum est, ad fetulam istam Grammaticorum subsellia, ubi prima Latinitatis elementa traduntur, amandandus esse, videtis.

VI. Sub finem, addis, nihil tibi ægrius accidisse, quàm quod multis optimis viris, quorum in hac causa nemo erubuit, deferre meritum laudis non licuit, videlicet ultricia Jesuitarum odia in eos accendere ; erit fortasse tempus, inquis, cum major erit virtutis securitas, minor improbitati licentia ; nec jam deerit, animi nostri sensus ullius metu comprimere : ab hoc ultimo incipio ; nullum certè huc usque timuistis, cui enim genuini vestri pepercerunt ? an fortè Annato, qui est Regi à confessionibus ? an eximiis Sorbonæ Doctoribus, Morinio, Allerio, Corneto ? an Illustrissimis Antistibus, Parisiensi, Tholosano, Ebredunensi, Vabrensi ? an Eminentissimis Cardinalibus ? an demùm Regi & curiæ ? quid enim sibi volunt hæc verba, erit tempus, cùm major erit virtuti securitas, minor improbitati licentia ? uno verbo dicam ; nusquam major fuit improbitati vestræ licentia, quibus per inauditam audaciam, quidvis & in quosvis scribere licuit ; nusquam major indulgentia, dixi, fere conniventiam, quàm in te, tuosque, quorum insolentia eò venit, pessimis artibus conjuncta, ut omnia jura, divina, humana, civilia, canonica impunè violaveritis.

VII. Quid verò tandem ex his ? senatus Burdigalensis literas Montaltii & notas Wendrockii ultricibus & piacularibus flammis non addixit ; quid tum ? nec etiam liber institutionis Calvini aleam illam Burdigalæ subiit ; quasi verò, universali conflagratione opus sit, & communi totius Galliæ incendio, ad libelli vestri pœnam ? satis profectò est, Romæ auctoritate apostolica confixum & damnatum fuisse ; & hoc fortè Goales ille voluit, à sociis tantulum dissentiens, saltem ut dicis ; quamquam hoc à te fictum esse potuit ; ut scilicet ad Ecclesiam, non verò ad laicorum senatum res ista deferretur, utpote quæ ad Religionem maximè pertineret ; ne tamen hoc etiam à nobis ultra desideres, & Lectores agnoscant, præsertim exteri, librum istum dignam flammarum pœnam subiisse, duo decreta subnectenda esse, visa sunt ; alterum supremi senatus Provinciæ, alterum Sanctoris consili Regii, quibus dictus liber flammis addictus est, non ut famosus modò, verùm etiam ut continens ac defendens hæreses ab Ecclesia damnatas, præter insignem illam maledicentiam, ac petulantiam illis auctoribus, Montaltio scilicet, Wendrockio & Paulo Irenæo, quamvis forte hi tres unum sint, adeo familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Jansenistis : & hæc sint satis ad tua præloquia ; in quibus priores tantùm calumnias, & prima convitia renovasti, & novis auxisti ; ubique atrox & petulans ; maledicus & impostor ; nulla fronte, conscientia & fide, infamis denique Jansenista, & toties damnatus hæreticus.

EXTRAIT DES REGISTRES
De Parlement d'Aix en Provence.

SUr ce que le Procureur general du Roy à dit avoir esté remis entre ſes mains dix-ſept Lettres Imprimées ſans nom d'Autheur ny de l'Imprimeur, remplies de calomnies, fauſſetés ſuppoſitions & diffamations contre la faculté de Sorbonne, Dominicains & Jeſuites, pour les ietter dans le meſpris, & avec ſcandale troubler la tranquillité publique & quil à requis dy' eſtres promptement pourveu en les confiſquant comme des Libelles diffamatoires, à eſtre brulez par l'executeur de la haute Juſtice avec deffence a tous Imprimeurs dén vendre ny debiter a peine de la galere ; a toutres perſonnes dén avoir & tenir, ains de les remettres au Greffe pour eſtre ſupprimés quil ſoit informé des contreventions a laveſt qui ſerat rendut ſur ſa plainte.

La Cour Apres avoir oüy le rapport des Commissaries qui ont veu & examiné Lesdites lettres, & veu icelles les a declarées & declare diffamatoires, calomnieuses & pernicieuses au public. & en consequence ordonne quelles seront remises entre les mains de l'executeur de la haute Justice, pour estre par luy bruleés sur le Pilory de la place des Prescheurs de cette ville d'Aix, a fait & fait Inhibition & defences a tous Imprimeurs de plus en mettre sous la presse ny autres de semblable nature, a Tous Marchands Libaires, & Autres de quelque condition & qualité quil soit dén tenir, vendre ny debiter a peine de punition Corporelle: leurs enioint de les remettre sans delay par devers le Greffe, pour estre supprimés sous mémes peines: ordonne que des contreventions en serat informé par le Premier Juge Rogal ou huissier de la Cour, pour les Informations rapportées estre procedé contre les Coupables par la declaration des susdittes Peines? & Afin que nul nen pretende cause d'Ignorance serat le present Arrest leu & publié a son de Trompe par tous les Lieux & Carrefours de cette ville d'Aix. Fait au Parlement de Provence seant a Aix, & publié a la Barre le g.e Feurier 1657.

Collationné

Signé Estiennes.

Arrest du Conseil D'Estat, Portant que le Liure Intitulé: Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c. serat lacéré & Brulé par les mains de L'Executeur de la Haute Iustice.

Ensemble la sentence de Lieutenant Civil donnée en Consequence dudit Arrest: & le Procés verbal d'execution.

Avec L'aduis & Iugement des Prelats & autres Docteurs de la sacrée faculté de Theologie de Paris, qui ont examiné ledit liure.

A Paris.

PAr les Imprimeurs ordinaires du Roy. MDC. LX. Avec Privilege de sa Majesté.

EXTRAIT DES REGISTRES Du Conseil d'Estat.

ZEu par le Roy estant en son conseil, l'Arrest donné en Iceluy le 12. Aoust dernier sur le fuiet de plusieurs Plaintes rendues a sa Majesté, de ce qúencore que les Constitutions des Papes Innocent X. & Alexandre VII. condamnent la doctrine de Jansenius Evesque d'Ypres contennues dans le liure Intitulé Augustinus & que Lesdites Constitutions agent este receues par l'Assemblée generale du clergé de France publiées par les Prelats dans leurs Dioceses executées par les universites mesmes confirmées par les declarations de sa Majesté, lesquelles ont esté registrées dans les Cours de Parlement: neaumoins on voyoit tous les iours dans le public de novveaux écrits & imprimés qui tendoient a soutenir ladite doctrine condanée, & un entr' autres sous le tiltre de Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c. lequel outre les propositions heretiques qúil contient, est outrageux a la reputation du feu Roy Louys XIII. de glorieuse memoire, & a celle des Principaux Ministres qui ont eu la direction de ses affaires: Par lequel arrest sa Majesté pour y pourvoir Incessamment afin dén prevenir les mauvaises suittes a ordonné que ledit liure intitulé Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales seroit remis par devers le Siëur Baltasard Commissaire a ce deputé pour estre veu & examiné & avoir le sentiment des Sieurs Evesques de Rennes, Rodez, Amiens & Soisons: ensemble des Sieurs Grandin, Lestocq, Morel, Bail, Chapelas, Chamillard, du Saussoy & des Peres Nicolai & Gangy, Docteurs en Theologie de la faculté de Sorbonne, que sa Majesté a Commis a cet effet pour donner leurs Avis, en estre dressé procés verbal & le tout rapporté a sa Majesté, y estre pourveu ainty qúil appartiendrat. Le procés verbal desdits Commissaires du 7. du present mois de Septembre, par lequel apres avoir diligemment examiné ledit liure, ils declarent que les heresies de Jansenius condamnées par l'Eglise sont soustenues & deffendues tant dans les dittes Lettres de Louys Montalte & dans les Nottes de Guillaume Wendrok que dans les disquisitions adiointes de Paul Irence que cela est si manifeste que si quelqumle nie il faut necessairement ou qúil naye pas leu ledit liure ou qúil ne láyt pas entendu ou ce qui pis est qúilne croye point heretique ce qui

qui a esté comme heretique condamné par les saints Pontifes par l'Eglise Gallicane, & par la sacreé faculte de Theologie de Paris que la detraction & petulence est tellement familiere a ces trois Auteurs quils ne pardonnent a la condition de Personne non pas méme au souverain Pontif, aux Rois, aux Euéques, & aux principaux Ministres du Roiaume, a la sacrée faculte de Theologie de Paris, ny aux familles Religieuses & que ledit liure est digne de la peine ordonnée de droit pour les libelles diffamatoires & livres heretiques: Oüy le rapport dudit Sieur Baltasard & tout consideré sa Majesté estant en son conseil at ordonné & ordonne que ledit livre intitulé Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c. serat remis par devers le Sieur d'Aubray Lieutenant civil au Chastelet de Paris pour a la diligence du Procureur de sadite Majesté le faire lacerer & bruler a la Croix du Tiroir par les mains de l'executeur de la haute justice dont sadite Majesté serat certifieé dans huitaine faisant cependant tres expresses inhibitions & deffences a Touts Imprimeurs, Libraires, Colporteurs & autres de quelque qualité & conditions quils soient d'imprimer vendre & debiter ny meme retenir ledit livre sans nottes ou avec les nottes additions & disquisitions desdits Wendrok & Paul Jrenée sur peine de punition exemplaire, & serat le present arrest executoire nonobstant opposition ou appellation quelconque, dont si aucunes interviennent sadite Majesté s'est reseruée la Connois sance d'Icelle interditte a tous autres Juges. Fait au Conseil d'Estat du Roy Sa Majesté y estant, tenu a Paris le 23. Septembre 1660.

Signé, Phelyppeaux.

LOvys par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre a nostre Amé & feal conseillier en noscons eils, le Sieur d'Aubray Lieutenant Civil au Chastelet de Paris, salut, nous vous mandons & ordonnons par ces presentes signeés de nostré main que l'Arrest de nostre conseil d'Estat, dont l'extrait est cy-attaché sous le contreseel de nostre Chancellerie vous ayez a mettre a deüe & entiere execution selon sa forme & Teneur. De ce faire vous donnons pouvoir commission & mandement special par cesdites presentes. Commandons au premier nostre Huissier ou sergent sur ce requis signifier ledit Arrest a tous libraires colporteurs & autres que besoin serat, & leurs faire les defences y contenües sur les peines y declarées sans demandir autre permission: Car til est nostre plaisir. Donné a Paris le 23. jour de Septembre l'an de grace 1660. & de nostre Regne le dixhuictiéme. Signé Loüis, & plus bas par le Roy, Phelyppeaux, & seellé.

EXTRAIT DES REGISTRES DU CHASTELET.

A Tous ceux qui ces presentes lettres verront, Pierre Segnier Chevalier Marquis de S. Brisson, Conseiller du Roy, Gentilhomme ordinaire de sa Chambre, & Garde de la Ville, Prevoté & Vicomté de Paris: Salut. Sçauoir faisons que veu l'Arrest du Conseil d'Estat du Roy du vingtroisieme Septembre dernier: portant que le liure intitulé Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales, seroit remis par devers nous pour a la requeste du Procureur du Roy en cette cour estre laceré & brusle a la Croix du Tiroir par les mains de l'Executeur de la Haute Justice, dont sa Majesté seroit certifieé huitaine aprés, & defenses a tous imprimeurs, libraires, colporteurs & autres de quelque qualité & condition qúils soient d'imprimer vendre ny debiter, ny mesme retenir ledit livre sans notes ou avec les notes, Additions & disquisitions de Guillaume Wendrok, & Paul Irenée, sur peine de punition exemplaire: ledit Arrest Signé Phelippeaux la Commission de la grande Chancellerie attachée audit Arrest sous le contreseel d'Icelle dudit Jour 23. dudit mois de Septembre, signeé lovis & plus bas, Par le Roy Phelippeaux, & seellé du grand seau de cire Jaune. Les Conclusions dudit Procureur du Roy tendantes a ce que pour l'execution dudit Arrest il fut informé a sa requeste par un Commissaire de cette Cour, tant contre les Auteurs dudit livre qu'Imprimeurs qui lauront Imprimés, & Colporteurs qui se trouveront l'avoir debité, lequel Commissaire se transporterat és Maisons des libraires, Imprimeurs & Colporteurs de cétte Ville & Fauxbourgs, & par tout ou besoin sera, pour a sa requeste saisir & arrester tous les exemplaires dudit livre qui se trouveront pour estre le procés: fait & parfait aux Coupables suivant la rigueur des Ordonnances, & cependant le livre en question brusle par l'Executeur de la Haute Justice a la Croix du Tiroir: Nous, oüy jur ce le Procureur du Roy auquel le tout a esté monstré & communiqué, & tout veu & consideré, avons ordonné qúil serat informé a la requeste dudit Procureur du Roy par le premier Commissaire de cette Cour sur ce requis, tant contre les Auteurs de Liure intitulé Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales, qu'Imprimeurs qui L'auront Imprimés & Colporteurs qui se trouveron Lávoir debite: Lequel Commissaire se transportera es maisons des libraires, Imprimeurs, & Colporteurs de cette Ville & Fauxbourgs, & par tout ou besoin serat, pour a la requeste dudit Procureur du Roy Saisir & arrester tous les exemplaires dudit Liure qui se treuveront, pour estre les proces fait & parfait aux Coupables, suivant la rigueur des Ordonnances; & cependant

dant que ledit liure en question sera Bruslé a la Croix du Tiroir par les mains de l'Executeur de la Haute Justice, & defenses a tous Imprimeurs, Libraires, Colporteurs, & autres de quelque qualité & condition quils soient, d'imprimer, vendre ny debiter ny même retenir ledit liure sans Notes ou avec les Notes, Additions ou disquisitions de Guillaume de Wendrok & Paul Irenée sur peine de punition exemplaire. En tesmoin de ce Auons fait seeller ces presentes. Ce fut fait & donné audit Chastelet par Messire Dreux D. Aubray Conseiller d'Estat, & Lieutenant civil, le 8. Octobre 1660.

Signé, Berthelot.

L'An mil six cents soixante, le quatorziéme Octobre; Neus Soubsignés Greffier de la Chambre Civile Tournelle, & Police du Chasteler de Paris, en consequence de l'Arrest du Conseil d'Estat du Roy du vingttroisiéme Septembree dernier, Signé Phelypeaux, & seellé portant entre autres chose que le Liure Intitulé Ludovici Montaltii Literæ Provinciales &c. Seroit Brusle par les mains de l'Executeur de la Haute Justice à la Croix du Tiroir; avec defenses a tous Imprimeurs, Libraires, Colporteurs & autres de quelque qualité & condition quils soient, d'imprimer vendre & debiter ny même retenir ledit Liure; Pour l'Execution duquel Arrest sa Majesté a renvoyé par devant Monsieur le Lieutenant Civil, pour a la diligence de Monsieur Jon Procureur audit Chastelet estre executé auquel arrest est attachée la Commission dudit Jour avec contreseel: & en vertu de la sentence rendüe par mondit Sieur, le Lieutenant Civil le huictiéme du present mois, sur les remonstrances & conclusions de mondit Sieur Procureur de Sa Majesté portant que ledit liure cy dessus mentionné seroit brusté audit lieu de la Croix du Tiroir par l'Executeur de la haute Justice conformément audit Arrest. & que pour Scavoir les Autheurs ceux qui ont fait Iceluy, imprimé & vendu, qúil en seroit informé a la requeste dudit Sieur Procureur de Sa Majesté, Saisir & arrester les exemplaires dudit Liure, pour estre le procés fait aux Coupables, suivant la rigueur des Ordonnances & Icelle sentence Leüe, publiée, & affichée a son de trompe & cry public és lieux & places accoustumées: Nous sommes transportés sur l'heure de Midy au Carrefour de ladite Croix du Tiroir, ou estant & Aprés avoir fait allumer un feu par ledit Executeur de la haute Justice, aurions par la Bouche d'Icelur a haute & Intelligible voix fait repeter tout le contenu en ladite sentence cy dessus datée & ensuitte fait mettre dans le feu ledit Liure Intitulé, Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales, par les mains dudit Executeur, lequel aprés avoir esté converty en cendres, nous serions retiré. Dont & de ce que dessus avons dressé le present nostre procés verbal, pour servir & valoir ainsi que de raison.

Signé, Berthelot.

JUDICIUM EPICOPORUM DOCTORUM ET PROFESSORUM Sacræ Facultatis Parisiensis.

NOs infrascripti Regis decreto selecti ad ferendum Judicium de Libro cui titulus est Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales &c. præmisso ejusdem libri diligenti examine, testamur Jansenianas hæreses ab Ecclesia damnatas in eo propugnari atque defendi, tum dictis Litteris Ludovici Montaltii, tum in Notis Willelmi Wendrokii, tum in adjunctis disquisitionibus Pauli Irenæi: atque id esse ita manifestum, ut si quis neget, necesse sit, vel non legisse Librum hunc, vel non intellexisse, vel certè quod pejus est, non putare id hæreticum esse quod à summis Pontificibus, & ab Ecclesiâ Gallicanâ & sacra Facultate Theologiæ Parisiensi damnatur ut hæreticum. Testamur insuper maledicentiam & petulantiam tribus illis Authoribus adeò esse familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant; exceptis Jansenistis, non summo Pontifici, non Episcopis, non Regi, non præcipuis Regni Administris, non sacræ Facultati Parisiensi, non Religiosis Familiis; Ideoque Librum esse dignum pœnâ, libellis famosis & hæreticis à Jure constitutâ. Actum Parisiis die Septima Septembris anno Domini Millesimo Sexentesimo Sexagesimo.

Henricus de La Motte E. Rhedonensis
Harduinus E. Ruthenensis.
Franciscus E. Ambianensis.
Carolus Episcopus Suessionensis.

Chapelas Cur. S. Iacobi. *C. Morel.*
L. Bail. *Fr. Ioannes Nicolai Prædicator.*
M. Grandin. *Saussoy.*
Fr. Matthæus de Gangii Carmelita.
Chamillard. *G. De Lestocq.*

APPEN-

APPENDIX

AD PRÆMISSAS CONFVTATIONES.

Cum aliqua Appendicis loco addideris, ad eorum confutationem hæc pauca refero, & congero in Appendicem, majoris distinctionis ergò, in suos paragraphos distinctam.

§. I.

PRimam Appendicem scripsisti adversùs P. Stephanum De Champs, ejusque libellum, inscriptum, *Quæstiones facti* &c. Stylo tibi tuisque familiari, convitiis nimirum, calumniis & contumeliis ornato & figurato; ubi porrò facilius esset, quàm ea, quæ opponis, refellere, in quibus malitia, pro more, & ignorantia suppetes agunt, pergisque, hallucinari; circa naturam & tationem probabilitatis; sed hoc tibi facilè condonandum, cum etiam pauci illi, ex nostris Catholicis, qui tecum, ex parte saltem, in hoc argumento sentiunt, ita in explicanda & definienda opinione probabili & probabiliore, tuta & tutiore, hallucinati sint, ut opinionem probabilem ab improbabili, certò probabilem, ab incertò probabili; ac demum verè ac reapse probabilem à probabili tantùm ad speciem diversa enim sunt esse verè probabilem, & videri talem cuipiam probabilem, probè distinguere noluerint, vel voluerint: facile inquam esset, illa omnia refellere, quæ doctissimo auctori & scriptori elegantissimo, nimirum levia, inania, & falsa, ut plurimum, opponis, eamque provinciam libentissimè susciperem, ni vererer, tanto viro minùs placere, utpote qui alienis armis non indigeat, cùm propriis instructissimus sit, probastis, opinor, quantum valeat in hoc genere Hæresim vestram ab ovo, ut ajunt, id est ab ipsis fontibus, ex quibus errores & confirmandis erroribus argumenta hausistis, insectatus est, eo styli more, ea rationum pondere, ea locorum & antiquorum suffragiorum copia, ut vel hujus nobilissimi & grandis operis mole Hæresis Jansenianà non refutata amodò, sed plenè obruta esse videatur; cum igitur tantùm valeat in oppugnando & expugnando, æquè profectò valeret, in repellendo ac propugnando, & qui tam acriter aggressus est, Jansenium Heresiarcham vestrum, eumque prostravit & profligavit, eadem, parique virtute Wendrockium nescio quem, libellum aggressorem repelleret; sed, ut facilè mihi persuadeo, vel huc usque per tempus non licuit, vel quia rem adversarium dedignatus, est, ejusque temerè argumenta, quæ ignorantia fabricavit, malitia reperit, ignavia contorsit; ut ut sit, illum defendere non autem, qui nostra defensione non indiget, & sibi ipsi satis est; si tamen aliquando intellexero, illum egrè non laturum, cum te in reliquis omnibus refutarim, ut plena sit confutatio, hanc etiam appendicem contra gravissimum illum auctorem scriptam, in quam, tuo more, tum multa falsa & inania, & innumera tùm malitiæ, tum ignorantiæ, immo pessimæ fidei argumenta congessisti, aperto marte plenissimè confutabo.

§. II.

ALteram Appendicem longè prolixiorem subnectis, de tribus, sic enim inscribis, Casuistarum flagellis; nimirum Mercoro, Fagnano & Sinnichio; sed cùm primum illum initio maximè laudandum & commendandum suscipere videaris, statim illum non sine sugillatione impugnas in multis, ac præsertim in eo, quod habet variis locis, dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis, eamque peccato eximere, quod, ut ais, principiis Theologiæ religionis capitaliter adversatur: hic quasi errorum vestrorum fons est; hoc præcipuum caput; nimirum necessitate peccari, in natura lapsa; error est ab Ecclesia damnatus in 3. prop. argumenta vestra jam alii efficaciter refutarunt; & grandem injuriam Doctissimo juxta atque piissimo auctori à me inferri putarem, si eum ab impugnatione Wendrocxii defendendum susciperem, qui nullius ope indiget, ad sui defensionem; hoc igitur ipsi faciendum relinquam; duo tantùm, vel tria breviter adnoto. 1. idem esse dicis, ignorantiam invincibilem, & eam, quæ eximit culpæ, in quo pugnantia loqueris; licèt enim Catholici dicant & doceant, ignorantiam invincibilem eximere culpæ, hoc tamen vos ipsi præfractè negatis de ignorantia juris naturalis; nempe illa invincibilis est, quæ superari non potest, secundum præsentes vires, quæ insunt, tum naturæ, tum gratiæ, de qua quæritur, an liberet à peccato, vos negatis; omnes Catholici asserunt; equidem negarunt aliqui, dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis, & longè plures docuerunt, universalissima quædam, sic enim vocant, juris naturæ principia ea esse, quorum ignorantia invincibilis dari non possit; at nemo Catholicus dixit, aut saltem dixerit, Ignorantiam invincibilem juris cujuspiam, non eximere culpæ 2. dicis Vasquesium ultro fateri 1. 2. disp. 122. c. 1. antiquos omnes Theologos in ea fuisse sententia ut negarint, ignorantiam juris naturalis invincibilem esse, sive à culpa unquam excusare: habeo, mi Lector, librum Vasquii & citatum locum ante oculos; ubi dicit, non pauci Theologi; non dicit, *omnes*; cur ergo affingit Wendrockius? deinde Vasq. non dicit, hæc *sive à culpa nunquam excusare*, aliud quippe est, ut dixi, negare ignorantiam invincibilem, aliud, dato quod sit invincibilis, negare, quod eximat culpæ: cur ergo hæc Wendrocxius? vis dicam, quia Jansenianus. 3. Interseris errorem Jansenii; nimirum à Jansenio ignorantiam

juris

juris naturalis invincibilem agnosci, quæ tamen à culpa neminem liberet; nunquid hæc repugnantia non sunt? hic autem ansam arripis laudandi Jansenium, quem doctissimum, gravissimum, & doctrinæ Augustinianæ addictissimum vel ipsis adversariis testibus, vocas; expunge illud; refragantur enim illi Adversarii; cum præter quinque propositiones, illius liber alia multa contineat, nigro theta notanda; cæterùm quod eos tantùm Theologorum nomine dignos reputes, qui tenent, ignorantiam juris naturalis invincibilem à culpa non liberare, digna vox est homine Jansenisto, vel Calviniano: unde D. Thom. Scot. Paludan. Maironis, Suarez Vasq. Valent Major Jsambert. Du Vall. Gamach. Theologorum nomine digni non sunt, si huic nebuloni credimus: Numquid enim S. Th. 1.2. q. 76. a. 3. disertè hæc habet, in concl. ignorantia non excusat totaliter, *nisi sit invincibilis.* item in corp. artic. *si verò est invincibilis, omnino excusat à peccato*; Nihil moror Cajetanum à te citatum; cum de vincibili loquatur, aut saltem intelligi possit; quod autem distinctio illa ignorantiæ vincibilis & invincibilis, nulla auctoritate nitatur, ac proinde temeritatis damnanda sit; ut dicis, insanum dictu est; alioquin temeritatis Doctor Angelicus damnandus; sed hæc Doctissimo Mercoro refutanda relinquo; hoc unum dixisse contentus, quod jam dicere memini, novis erroribus antiquos errores à te defendi, iisque argumentis, quæ id unum evincunt, nimirum te convictum hæreticum esse, & rerum istarum ignorantissimum.

§. III.

ALter est Illustrimus D. Fagnanus, quem summoperè laudas, & unum dumtaxat in eo desideras; nimirum, quod casuisticæ fontis virulentum fontem omnino penetrasse non videatur, in eo, quod docuerit, ignorantiam invincibilem juris divini à peccato eximere; quamvis alioquin eximius in reliquis Casuistarum corruptelis explicandis ac refellendis: nonnulli, sat scio, doctissimum senem accusarunt, quod, in hoc, Jansenistis adhæserit; sed meo judicio, injuria; cum ipse n. 429. hæc diserta verba habeat, *nulla ignorantia invincibilis est peccatum.* Hic autem obiter relegis Fagnani decreta contra Casuistas, & acriter agitas Illustrissimum Caramuelem, in quo dicis, nullas in eo esse, vel ingenii, vel humanæ prudentiæ dotes, nihil magnum, nihil ingenuum, sed vilem tantùm & confusam eruditionem, inconditum & illiberalem stylum, eam doctrinæ pravitatem, & tam enormem licentiam, ut quemvis horrore afficere debeat; immanem præterea typhum, horrenda doctrinæ vitia, cæcum sui amorem, stolidam jactantiam, ut mirum sit ac prorsus indignum, inquis, hunc hominem ad Ecclesiæ honores obrepsisse, qui penitus ignoret, non modò quid Christiani humilitas, quid sacerdotis & Episcopi gravitas, sed omnino, quid ingenui hominis pudor postulet omitto elogium illud ipsi positum à Carmelitanis Discalceatis Collegii Lugdunensis, quibus exprobras projectam adulationem, apertas & horrendas blasphemias, & quos miserrimos monachos vocas; omitto infandam impietatem, quam ipsi tribuis, ferociam, modò procacitatem, modò asperam supinitatem, sævum denique & inhumanum appellas. Versor in ancipiti, an scilicet ridere debeam, an stomachari; ridiculum enim est, hominem iis omnibus vitiis abundè cumulatum, ingeniosissimo, & doctrissimo Scriptori, innocentissimo & morum ac genii suavitate amœnissimo eadem affingere: habemus Hominem præoculis, eumdem tractamus, palpamus, intus & in cute novimus; alium scilicet ab eo, quem nobis stylo plusquam tartareo, nimirum Jansenisto, describis; non reperies, infamis tenebrio, frontis & nominis expers, ita Illustrissimum Antistitem, & Christum Domini sed quid à convicto hæretico, à nebulone impudentissimo, ab insigni Jansenista, qui Calvinistas & Lutheranos & cæteros hæreticos nequitia & impudentia longissimè superat? sed clarissimo Scriptori alieno stylo non est opus, ut defendat sese; non dubito, quin huic officio faciat satis, & tuam impugnationem, quam asinitas, impietas, Hæresis manifesta instruxerunt, efficaciter, more suo, repellat; ut enim dixi, quod sentio, nusquam Hæreticum proteriorem, nequiorem nebulonem, rudentem ignaviorem vidisse, memini, utpote qui præter verbositatem, fallacias, & convitia, nihil habeas: sed quæso te, cum notoriis tam impune mentiris? dicis enim, Mercurii librum ante notatum, contrario deinde inquisitionis decreto, censuræ subductum fuisse; nihil tale unquam; cur ergo fingis? rerum Genevensium & Batavarum te longè peritiorem esse constat, quam Romanarum; ab his enim nihil nisi fulmina & anathema, ab illis verò nihil nisi gratulationes & auriferas copias, seu Literas refers: deinde impune mentiris, cum dicis, in postrema Bulla Alexandrina de Immaculata Conceptione Deiparæ, interdici tantùm Hispanis, non aliis, ne oppositam sententiam asserant; nec præscribi cultum Conceptionis, sed sanctificationis; eumque verius permitti, quàm indici; aliaque id genus; immo hæc omnia, quæ in favorem piæ sententiæ facta esse, constat, nugas vocas, insanias, deliramenta, fabulas, antiquitatis contemptum, novitatis amorem, præceps & immaturum judicium, nimiam in humanis rationculis fiduciam, malevolum in diversa sentientes animum, spem popularis gratiæ, quamdam pietatis ostentationem, religiosi, immo Jansenisticè & Calvinisticè appellas: monerem, te centies in censuras, prædicta Constitutione latas, ob hæc, aliaque dicta, incurrisse; sed homo hæreticus nec censuras, nec Deum, nec homines timet, & aliis pœnis, quam Ecclesiasticis coercendus; illustrissimus Fagnanus talem dubio procul omni defensorem horrebit; & Illustrissimus Caramuel hunc sibi ac Deiparæ communem hostem esse gratulabitur.

§. IV.

TRansis denique ad Sinnichium, in quo nihil prorsus desideras; nam & Casuistas, non unum aliquem, aut paucos, sed plerasque illorum labes exagitat; nec humanis tantùm rationibus, aut vanis SS. Patrum locis, sed justam in ipsos ex omnibus Patribus aciem instruit; & quod caput est, vestris erroribus addictissimum, & singularem Jansenii defensorem, in eo, semper habuistis: itaque non mirum, si hominem absque ulla exceptione laudes, in hac parte, in qua eruditionis laudem cæteris omnibus reputavit, & ad ejus librum eos remittas, qui forte inania votis, aliquid requirerent; cum autè Sinnichium omnem prorsus probabilitatem præfractè damnet, absolutamque certitudinem ad bene agendum requirat, in quo, ni fallor, ex connexione consequentium eum antecedentibus mihi loqui videtur; tu inepte sanè hunc rigorem, etiam contra tua principia temperas, & illius Theologi dicta interpretari conaris, quamvis alioquin Theologus non sis; sed multos in-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum errores miles, quorum ille præcipuus est, de ignorantia invincibili culpæ neminem eximente: imo est, quod in te animadvertam, qui certam contemnis eliminas, quam tamen casuistarum laxissimi neque ultrò admittunt, & sanctè pronuntiant, illi ubi facere licitum, nisi quod sibi licitum esse, sciant, in quo, videris tuam, tuorumque cautio tradere. hic scopulus fuit, in quem impegerunt, quotquot scripserunt adversus opinionem probabilem falleris igitur Wendrochi; certa semper superveniendi peccandi via; in rebus fidei patet, nihil enim certius; item in claris & evidentibus principiis naturalibus; in obscuris item & probabilibus; tam vel certa est atque indubitata probabilitas, vel incerta & dubia; si primum, inde sequitur judicium practicum certum de illius usu; si verò alterum, certum est, illius praxim & usum illicitum esse; si verò dubium est negativum, nunquam cum eo licet operari. si error, vel invincibilis, vel vincibilis, si primum peccatum arcet; si verò secundum, non arcet; conscientia perplexa, idque per errorem, ita quemque peccatum iri videatur, si error invincibilis est, eximit culpæ quidquid tandem fiat. Quod dico opinionem falsam nunquam eximere culpæ, non postremus est errorum vestrorum; Cum falsior falsum esse, invincibiliter ignoretur; hic nodus est, in quo vertuntur omnia vestra dogmata, nimirum ignorantiam invincibilem non eximere culpæ; hæc perpetuò clamatis & declamatis, & tu fine tetra illa Hesselii capita exscribis; sed quid nos? quasi verò aliquot Lovanienſium autoritati standum sit in re dogmatica ab Ecclesia damnata; hæc quippe, ex quo tertiam propositionem damnavit, qua in natura lapsa libertas à sola coactione ad demerendum satis esse dicitur, ac proinde necessitate, modò ex voluntate peccetur, error inculpabilis esto, si quis dicat, per ignorantiam invincibilem verè peccari: quod verò pertinet ad Augustini, aliorumque Patrum loca, immò Concilii Diospolitani, à multis, qui hanc quæstionem discusserunt, explicata fuere; obscura scitur per ea, quæ clara sunt & indubitata; immo nihil, quod vetet, prolixum illum, quem frustra interpolisti Hesselii tractum de ignorantia vincibili explicare, cum divina scilicet gratia, quæ vel jam obtenta, vel si petatur certò, obtinenda sit. Cæterùm cum jam discussa fuerint trium illorum argumenta, contra opinionem verè probabilem, nimirum Mercati, Tagnani & Sinnichii, ne jam actum agam, abstineo, & eò te cum tuis præloquiis ultrò remitto.

§. V.

Samuel Rachelius Ethicæ Professor Helmstadii, vir sanè inter Herodoxos alicujus nominis, curavit novam editionem, Literarum Montaltii & nostrum Wendrockii &c. annexo singulari opusculo, hoc titulo, *examen probabilitatis quam Iesuitæ novique casuistæ Theologiæ suæ moralis fundamentum constituere*; quod reverà discutiendum susciperem, & novo libri examini, si res ipsa postularet; summatim tamen taxat relegam hujus opusculi capita, additâ suâ unique justa censura; & primo quidem loco, ante omnia observes, velim, Lector Catholice, quanta Wendrockius aliique Jansenianæ necessitudine conjuncti sint cum Protestantibus utpote qui eorum operatam impensè recudi curent, non sine multis elogiis & multiplici commendatione; videant per Deum immortalem ii Catholici, cum quibus copias suas & vires junxerint, contra miseros Casuistas; id est, contra fere omnes Theologos; quis enim, præter unum vel alterum, opinionem verè probabilem non admittit? ab Elencho abstineo, qui jam alibi non uno loco descriptus est.

II. Hic autem Rachelius in Epistola dedicatoria hæc habet, *non equidem nescio, Wendrockii notis regestas fuisse alias notas, sub nomine Stubrockii, quæ tamen eius ponderis non sunt ut veritatem deprimere potuerint; præterquam enim quod convitiis & maledicentia scateant, probabilitatis dogma ita is defendere satagit, ut ad omnem illam disputationem magis impeditam reddendam, unicè ingenii sui nervos intenderit, perinde ut compediti rabiosi canes, cum se expedire nesciunt, multo strepitu & latratu se in vinculis jactantes magis intricare solent.* Hæc ille, ad meam igitur defensionem conversus, jam te compello Rachelii, omisso tantisper Wendrockio, cum suis Regio pertuensibus, quamquam inter vos, probè convenit, nec inficias ibis, opinor, ut Samuel alter, nimirum maresius agnovit ultrò: non satis erat, dixisse, meas notas in notas Wendrockii tanti non esse ponderis, ut veritatem deprimere potuerint, nisi hoc ipsum vel minimà ratiuncula probares; vel unicam notam, inter tot, seligere poteras, quam efficaci refutatione revelleres; sed ne unam quidem appellas: quis amabò fidem tuis verbis, absque ulla probatione? hoc ipsum nescio quis alius à te accepit, & scribere non dubitavit, Stubrockium huic congressui imparem fuisse; sed mera verba, prætereaque nihil; saltem illam notam in notam primam Wendrockii ad 5. Epist. nimirum in dissertationem de probabilitate, discutere debueras & excutere, quam certè disputationem magis impeditam ut ais, non reddidi; sed satis claram & expeditam; admitto tantùm illam opinionem ad praxim, quæ sit verè ac certò probabilis; unde conscientiam certam statuo; quid clarius? hoc discutiendum fuerat, mi homo; nullæ profectò hic tricæ, nulli compedes, nulla impedimenta; omnia clara & expedita; quid enim non tale? indica saltem; quod autem me canem voces, admitto elogium; quis ergo me contra rapaces lupos latrare vetet? satis tenes, quos intelligam; nimirum quos Christus ipse intelligit; qui scilicet sub vestibus ovium, in Dominicam Gregem grassantur, & cujusdam reformationis obtentu, errores suos disseminant.

III. Quod pertinet ad convitia, liberè dicam, nonnil fortè tantæ colluviei resiliit, quam Montaltius & Wendrockius in Jesuitas evomuerant; sibi quæso imputent; sed profectò hæ sunt rosæ, si cum illorum spinis conferantur; nihil enim ad maledicentiam & calumnias iis addi potest, quæ uterque in piissimos & doctissimos auctores effutiit: ego saltem, licèt forte interdum, prout res ferebat, paulò acriùs, vix enim aliter homo impotens sui ferto ac felle armatus repelli potuit, illum exceperim, Hieronymum, & Nazianzenum imitatus contra Hæreticos, nullam tamen calumniam affinxi, nullum illius locum adulteravi aut falsavi, & valde pauca regessi, si cum iis conferas, quæ vir aliquis tantæ moderationis impatiens, ratione ac veritate atque optimo jure instructus regerere potuisset; nullus enim alibi patuit latior campus, in quo Apologista liberiùs excurreret; Hostis ubique apertus, & nulla sui parte tectus, ita objiciebat sese, ut nullum telum falleret ictum: quare si rem hanc paulò accuratiùs tecum ipse reputes, erit fortè quod moderationem meam laudes, quàm rabiem & maledicentiam exprobres, accedit, quod injustum, iniquum aggressorem

rem repuli, qui per fas & nefas dira omnia & atrocia in tentarat; quod per leges semper licuit; cum vel ipse sapiens moneat, stulto respondendum esse, juxta illius stultitiam.

IV. Sed jam ad tuum examen propiùs accedo; 1. cap. statim exagitas Academicos, Pyrrhonios; scepticos, ludisque lucretii versibus; hæc ultro damus, quæ nihil ad nos; quod autem Probabilistas Rabbinis asserentibus Deum contradictoria dicere posse, assimiles, stultum dictu est; quis enim talia ex Germanis Probabilistis. cap. 2. ut occasionem scriptarum à Montaltio Epistolarum aperias, repetis ab ovo controversiam de Auxiliis inter Molinam & Thomistas, quibus, ut ais, Jansenius accessit, cujus damnationem Jesuitæ procutarunt; fatet mendaciis tota variatio; falsum est, Jansenium Thomistis accessisse, quos potiùs ut Aristotelicos, quàm Augustinianos non semel lusit; Thomistæ autem Jansenii errores damnare non dubitant, nec illum pro suo, sed pro Calvini socio agnoscunt; quod dicis, Jesuitas procurasse Jansenii damnationem, juratem à te non credi, Jesuitas tanta esse auctoritate: res notoria est; sed in hoc etiam Jansenistis adstipularis, quibus sollenne est, in notoriis mentiri. cap. 3. discutis, quid sit probabilitas ex Aristotele, & cap. 4. agis de scientia, fide, opinione; sed ut quid perditio hæc; nihil enim hic habes, nisi vulgaria, trita & cunctis nota. item cap. 5. de pia affectione voluntatis, & cap. 6. de latitudine probabilitatis in moralibus; sed in his nihil ad rem; saltem nihil contra nos. cap. 7. agis de demonstrationibus practicis moralibus. 8. de conscientia in genere, ubi contendis, conscientiam non esse regulam propriè, sed vel tranquillitatem animi, si bona est, vel si mala, extremam, infælicitatem; solam autem legem vis regulam esse; sed cuncta hæc ineptè, & parum ad rem: conscientia autem est regula proxima, lex autem remota; ut vel ipsis tyronibus constat; illa enim proximè dirigit actus morales, quamvis alioquin fundetur in lege; quod verò dicis, de tranquillitate animi, pueriliter hallucinaris; nempe conscientia propriè sumpta est judicium practicum, quod proximè dirigit operationem moralem; ac proinde illam antecedit; quamquam aliquando accipitur minùs propriè pro judicio speculativo subsequente opus, quo dicitur aliquis, sibi conscius, aut peccati, aut actus boni; si hoc, tranquilli tas animi; si verò illud, perturbatio consequitur; hæc pauca satis evincunt, quàm sis rerum istarum peritus.

V. Cap. 9. inter alias cautelas, seu regulas, hanc potissimum statuis, quod nulla opinio falsa, quamvis alioquin sit probabilis, eximat culpæ; quia quisquis falsum sequitur, ab æterna veritate recedit, igitur peccat; nego primò, eum falsum sequi in praxi, qui aliquam opinionem verè ac certò probabilem ad usum reducit; licet enim judicium speculativum falsum sit, id est, ipsa opinio, practicum tamen verum est, immo & certum. 2. Quisquis sequitur falsum in praxi per ignorantiam invincibilem, recedit à vero per intellectum, non tamen à bono per voluntatem; quæ fertur in bonum, non ut re ipsa est, sed ut repræsentatur; plerique autem volunt, in opinione, verè probabili ignorantiam invincibilem intercedere; egò fortè non item, unde sisto in priore responsione; quod autem pertinet ad pronunciatum illud Jansenisticum, seu Calvinisticum, quod scilicet nulla opinio verè probabilis falsa eximat culpæ, jam rejectum est in notis not. 1. sect. 2. 3. 4. 2. & hic non repeto; immo inde rectè deducerem, nullam omnino probabilem opinionem eximere culpæ, non falsam, ut patet; non veram, quia cum nesciam, an vera sit, aut falsa, expono me periculo errandi, ac peccandi.

VI. Cap. 10. Calvistarum effata congeris, excerpta ex litteris Montaltii, & Parochorum scriptis; sed jam hæc abundè discussa; & frustra iterum; præsertim cum meræ sint impostura, ut luce meridiana clarius constat; quid enim scurra ille non addidit, non detraxit, non mutavit, non affinxit? quorum supra me convictus est; tu etiam aliqua de tuo; hoc enim vobis solemne est: subdis, tempustatem in Gallis excitatam, occasione Apologiæ, de qua jam supra, ortum esse, inquis, oppositum, quotquot aliquam pietatis & bonorum morum existimationem amabant, tuum in hac causa testimonium nullius momenti est, tot scilicet exceptionibus obnoxium; fidem dicit priùs, ut de moribus rectè ratiocineris. Ultimo demum capite totus truculentus, in Jesuitas, more vestro, invectus, illa omnia evomis & effutis, quæ furor suggessit, & plusquam canina rabies dictavit; illas opiniones utrimque probabiles, quas Escobarus congessit, & problematicæ illæ decisiones, est, non est, licet, non licet, obligat, nō obligat, aliæq; hujusmodi propositiones speculativæ, ita tibi stomachum moverunt, ut puram bilem effutire videaris, cum mente istam minimè intelligas, nec judicium speculativum à practico distinguere scias; malè autem Pretheos Catholicos vocas, qui antiquam fidem retinuerunt; hoc enim nomen vobis aliisque hæreticis potiori jure competit, qui singulis fere lustris, fidem & religionem mutatis: jam dixi supra librum Apologiæ ab Alexandro VII. prohibitum quidem fuisse, nullam tamen doctrinæ contentæ mentionem factam; dicis, à te dubitari, an Jesuitæ huic decreto obsequuturi sint; cui quæso decreto? an quisquam negare ausit, librum illum esse prohibitum? quid quæso aliud decernitur? quæ doctrina damnatur in eo decreto? ridiculum porro est, ab uno de Lutheri, aut Calvini grege Jesuitis opponi, quod Romanos censuras spernant: dictum illud vargas hominis Jesuitis infensissimi, ut notorium est; nullius auctoritatis censetur; nimirum sententiam utcumque absurdam semel probatam, à sociis defendendam esse; Jesuitarum constantia te non parum afficit; in retinendis Patrum nostrorum placitis; in servanda religione intacta, in propugnanda contra Lutherum & Calvinum Ecclesia; Germania ut tutè scis, & vestrionem semel expostularunt, non parum iis debet, pro tam multis civitatibus & provinciis ab ea peste, vel in demnibus servatis, vel deinde liberatis.

VII. Quod autem Jesuitæ crimina licita faciant, ob quæ Deus excidium civitatibus minitatur, quod probitatis specie, vitiis omnibus fenestram aperiant latissimè, quod disciplinam omnem tollant, jus omne ex foro & judiciis exigant, & summa imis misceant, opinionum suarum probabilium opera; quod perilos nihil aliud restet in rep. nisi ut exequiæ illi paretur; quod admissa illa probabilitatis hypothesi, vis principum in manu illorum omnium sit, qui pestilentissimum hoc dogma sectantur; quod præcipui Jesuitarum Doctores ut Bellarmin. Suar. Molin. Less. Vasq. Becanus & reliqui omnes infanda & nefanda quæpiam super hoc permittant; unde rerum publicarum rectores magno in discrimine versantur, quod in legibus satis præfidii non sit, adversus eos qui se probabiliter obligatos, & probabiliter deobligatos credunt; nec etiam in armis, contra eos, qui

marcyn

martyrii gloriam in atrocissimi facinoris supplicio quæsunt; & hic infanda nomina Clementis, Castelli, Avalliaci, Roberti, Catesbii perpetuo licet addicta exsecrationi exosam lucem reducis; quod Jesuitæ talia machinari, falsum, immo falsissimum est; atrocissima calumnia; hominis hæretici vox & Lutherani porci grunnitus, larga haud dubie crapula Racheli te in somnis egerat, dum hæc scriberes, nempe homo ingenius, quantumvis heterodoxus tam cruentis maleficiis, & tam inhumanis vocibus perciisset: hic rerum illud belle quadrat, *Clodius accusat Mœchos*; qui enim nescit, quos strages perduelles vestri, à paucis lustris, in Germania & Gallia ediderint; quotres rebelles acies in Reges & Principes suos induxerint; civitates & Provincias ferro & igne depopulati sint, mille mortes & incendia, cædes & excidia, direptiones, vastationes & pessima quæque intulerint; nostro Jesuitas, quorum pietas prospecta, fidelitas probata, nudos & inermes ad summum terrorem, principibus & rerum publicarum rectoribus quasi ridiculum opponis, à quibus, inquis, civitatum exitium, regum regnorumque exterminium timendum est; hæc profectò est, somniantis vel delirantis hominis Epicrisis.

VIII. Nunquam, mi homo, Jesuitæ etiam minimaelera, ne dum palmaria illa licita esse, dixerunt; nunquam vera probabilitas jus illud sibi vendicavit, unum malum; & malum bonum faceret; nunquam Theologia Catholicorum id omne probabile esse duxit, quod cuipiam probabile esse videtur; male sanè in hoc hallucinantur, tu ipse præ cæteris, qui probabilitatem veram & indubitatam à spuria tantùm & crepera minimè distinguant; quasi verò dicto cujuslibet Faratici stare debeamus; quot & amabo quanta tibi persuades non probabilia tantùm, sed omnino certa, quæ à nobis improbabilia & falsissima reputantur? multa igitur, immo quamplurima male esse, nobis certum est; multa etiam bona, de quibus dubitare non licet, & in iis illæ problematum formulæ locum non habent; est, non est, obligant non obligant; quæ sibi invicem non repugnant, cum perinde sit, atque si diceremus, probabile est, quod obligant? probabile est, quod non obligant; quamquam hunc loquendi modum alibi satis commodè temperavi: quasi verò inter vos etiam de nullis probabiliter non disputetis, & hic unam, alteram oppositam sententiam non defendat? fac teab uno ex his discipulis super qualibet re morali consuli, ab eodem Contrigium super eodem argumento; fac demum, Contrigius à te dissentiat, uti revera eorum sum, in multis dissentire; quid quæso per te bonus ille facturus est? vis juvet in verba tua; sed si idem Contingius? liberum igitur illi erit, si utraque sententia gravibus momentis nitatur, alteruttram eligere, sed frustra de his cum Heterodoxo Germani pueri de grege: statuenda primùm fides; de doctrina morum facilè deinde conveniemus.

§. 6.

I. HErmannus Contingius Epist. 10. ad Samuel. Rachelium, pauca de hoc argumento habet: refert in primis, hominem heterodoxum esse, scriptorum gloria, aut saltem copia nobilem, qui de me certè parum honorificè, immo parum urbanè ac sincerè scripsit, quæ hic confutanda esse putavi. Dicis Hermanne ante omnia, *Stubrockiana, paria non esse tollendæ doctrinæ adversariorum, laudanda scilicet potius, ab emendata styli latinitate, & acri scriptione, quam rerum pondere*; ultimum vix admitto; stylum adeò tersum, aut limatiorem latinitatem mihi non vendico, quæ fortè ad rem polemicam minùs conferat, ut notarum initio monuisse memini; quod verò ad primum attinet, nisi aliqua probatione illud eviceris, inane reputo; cur vel unum caput, unam notam, unum argumentum non discussisti, ut ostenderes, me Wendrockianis notis nihil obfuisse? nec enim omnia adversariorum Argumenta eo loco diluenda suscepi; sed Wendrockianas notas discutiendas, quod utrum præstiterim, tu proba sis; tibi per me datur optio; vel unam accipe. Montaltio deinde & Wendrockio libera li manu laudes aspergis; similis, simili, mulus mulo, hæreticus hæretico; Deus me & Catholicorum quempiam ab hujusmodi laudibus liberet: addis, me Jesuitam esse, & feciisse fucum; quid tum? quid tua? tam sum ego Stubrockius, quam ille Wendrockius; tam Bernandus, quàm ille Willelmus; tam Viennensis Theologus, quàm ille Salisburgensis; tam ego Germanus, quam ille; tam ego Jesuita, quam ille Jansenista; *pollet*, inquis de me, *exquisita convitiandi & maledicendi facultate*, quæ hodie dos est compluribus Jesuitis propria, & *planè virtus quædam, velut calumnia, bonum opus, si cum adversario justissimam actionem intendente sibi res sit*: Hæc mera verba; vel unum ex illis, quod non quadret probe, indices, velim; interdum licuit retorquere; ille totam pene maledicentiæ & calumniæ sensinam exhausit, & plenam colluviem in Jesuitas immisit; an ne mussitare quidem, vel expostulare licebit? bene est, tuarum partium hominem agnoscis, eique facile maxima quæque indulges; qui minima in hoste, in me scilicet, vix toleras; quod dicis, hanc propriam esse Jesuitis dotem, & virtutem quandam; vis dicam, quod res est; Jesuitis proprium est, à vobis crudeliter lacerari, proscindi, mille contumeliis immo & morte affici, hac Jesuitæ dote & sorte contenti, nihil aliud vobis exposcunt, nisi cœleste lumen cujus ductu, ad Ecclesiam optimam parentem vestram redeatis; nunquam demum calumnia apud Jesuitas virtutis loco fuit; hanc notam à Montaltio & Wendrockio inustam omnino dilui; cur ergo regeris?

II. Ubi immania convitia tuleris è medio, inquis, & acerbissimas fugillationes, libri parum supererit, quod ad ea capita reducitur, quorum meminit Wendrockius in præambulis ad Epist. quæ sequuntur quintam, id est ad inepta effugia, libellorum Gallicorum, contra Montaltium in defensionem Jesuitarum exaratorum, quæ repetens, inquis, cum furiosa maledicentia, librum suum Stubrockius absolvit; & vix quidpiam de suo, præter censuram Romanam in Jansenii dogmata & Montaltii Epistolas; quasi ad moralia Jansenianorum dogmatum damnatio pertineat; & satis sit, Epistolas Romæ prohibitas esse; eodem recidis quò ante; cuncta hæc eadem facilè negantur, qua adstruuntur, cum vel unicum notarum caput in examen non vocasti, etiam debilissimum, ut dictorum faceres fidem? nam sine teste, & probatione solis dictis hominis Heterodoxi standum esse non puto; nonnulla fortè ex iis libellis accepi; quo jure id vetas? quamquam in his moralibus, facilè fieri potest, ut multis eadem allega-

tionum capita occurrant, quæ scilicet ex libris petuntur: iterum dico, vel unam Wendrockii notam à me discussam appellare poteras, ut ostenderes, tem mihi pro votis non successisse; illi porro libelli, non continent inepta effugia, ut ais, sed illius scurræ imposturas ita aperiunt, ut vel inde convictus manserit, & sui minime compos, atque adeo conturbatus, ut nesciret ipse, quid sibi vellet, errores defenderet erroribus, imposturas diluere et imposturis, ac furore, aut furiis agitatus, non jà scurrilia, ut ante, sed flammas, ignes, ferrũ, mortes & horrenda quæq; miscere: sed quod nihil aliud habeam, dicis quidem, & falsò dicis, ac proinde non probas, censuram utramque Romanam addidi, nimirum; propositionum & literarũ Montaltii, quarum quatuor primæ & duæ postremæ, non moralia, sed dogmata, eaq; Jansseniana defendunt; prudenter igitur utramq; censuram adduxi, quam tamen vis satis non esse; non miror, Heterodoxum hominẽ ita loqui; satis est, verè Catholico; Hæretico etiam satis esse deberet: mihi quoque exprobras superbas cavillationes, in censuras à Gallicano Clero, & Belgico editas; erras, Hermanne, nullas ibi cavillationes habeo; indicare saltem debueras; illæ porro censuræ, de quibus alibi à Gallicano clero minimè prodierunt, sed à nonnullis Episcopis, qui vix sextam partem æquant Episcoporum Galliæ; in Belgio, duo tantùm Episcopi hujusmodi censuras ediderunt; sed quæso te, satage rerum tuarum, tuorumque Lutheranorum, quorum errores clerus uterque impensè execratur; sed, inquies, Montaltii Epistolis & Wendrockii notis subscripsi; bene est, age cum illis, quantumlibet, sed nostris Præsulibus parce; nihil tibi & sanctis, aut sacris illis hominibus, qui errores vestros in conciliis anathemate damnarunt.

III. Mihi deindè novos turpis doctrinæ fucos imponis; vis enim, à me dici, probabilem opinionem falsam & legi divinæ contrariam à peccato coram Deo absolvere, tum demum ita se habere, si error ille planè sit invincibilis, quod penitus adversatur, inquis, communi illorum doctrinæ &c. rem hanc non capis Hermanne, ubi enim discuterem dogma illud Wendrockianum, not. 1. in 5. Epist. sect. 1. §. 1. *opinionem probabilem falsam à peccato non liberare*, hoc argumento contra illum usus sum; *Opinio probabilis falsa peccato non eximit: error tamen inculpatus & ignorantia invincibilis eximit; potiori ergo jure opinio probabilis, quantumvis falsa:* hoc argumentum, quod est à minore ad majus, solvere debuisses; sed jurarem, à te non intelligi hujusmodi rebus non assueto; distinguimus optimè opinionem probabilem ab errore inculpato, nullus enim error opinio probabilis dici potest; distinguitur etiam ab ignorantia invincibili non recti, & honesti, nec etiam veri, quo ad honestum usum opinionis, sed veri, quo ad ipsam opinionem; ignoramus enim invincibiliter an falsa sit, unde si ignorantia invincibilis veri practici & recti liberat à peccato; v. g. per errorem, quis credit, non esse diem jejunii, non peccat, non jejunando; potiore jure, opinio verè accertò probabilis, quæ cũ ignorantia veri tantùm speculativi, fortè conjuncta est, nimirum si opinio illa falsa statuatur, & cum judicio vero ac certo, de honestate operationis, vel usus dictæ opinionis, peccato eximet; unde sive sit minùs probabilis, sive magis, sine æquè, perinde est; singularis igitur sententia non est; nec inde sequitur, ut dicis, non licere minùs probabilem sectari; minus tutam formaliter non admitto, ut sæpe à me dictum est: quod demum ea sole clariora esse dicas, quæ Montaltius Jesuitis opponit, , & quæ ipse nego, cum duobus ejusdem Adversarijs, & nos uti nova mentiendi methodo, nimirum æquivocatione & restrictione mentali, putidum mendacium est, vel unum erro sole clarioribus, quod Wendrockius adstruxerit, ego vero perfricta fronte negarim, ut ais, protereo bueras; ut saltem ostenderem, falsum esse; sed dissimre non possum; iniquus profectò, immo ridiculus agendi modus; negamus, clariora sola, sed quæ tandem? fareage, taces: quid unquam videbidius?

IV. Denuò dicis, pleraque eorum, quæ Montius & Wendrockius carpunt in Jesuitis, Stubrockius defendere voluit, damnata fuisse ab Episcopis & Parochis bonæ Galliæ & Belgii partis, nec jam sæpe rejecta & refutata; nunquam probavit Episcopi errores & imposturas Montalti; nullo quid factionis intercessit; sed quo fructu & ventu? res Societatis eodem statu sunt & situ, ne quidquam in his mutatum, nisi fortè in melius, dictio extincta est; Deus enim curam suorum semper gerit; pauci illi maxima ex parte redierunt: Montaltii lineæ & Wendrockii notæ edicto Regio, pœ censuram doctissimorum Episcoporum & celeberrimi Doctorum Sorbonicorum manipulo famosorum voracibus addictæ, tum quia Jansenianas Haeres ab Ecclesia damnatas in dicto libro propugnare que defendi, certum est, tum quia petulantia & maledicentia is auctoribus adeo familiaris est, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis dumtaxat Jansenistis: quid ergo cicatricem illam refricas, quæ jam callum obduxit: sine Catholicos nostros agere cum tuis Lutheranis, aliisque de grege: quid nobis cum filiis Belial? Jansenistas tibi concedimus nimis sed cum Catholicis nihil prorsus tibi est, contentiones interdum cacodæmon, permittente Deo, fusitat inter Catholicos, ad probationem saltem bonorum, sed tandem, affulgente divina gratia, cessant contentiones & iræ, redit serenitas, & pax optata stituitur: iterum dicis, Apologiam Calvinistarum Pontifice orco traditam esse, cujus tamen, inquis, patrocinium Stubrockius suscipere non erubuit: jam ante dixeras, cur iterum regeris? quod dicis de patrocinio Apologiæ à me suscepto, inane est: tum Wendrockium, ejusque errores in sectatissimum, de illius prohibitione ibidem egi, sub finem prologi, quæ videre potuisti, quid porro singillatim dimaratum sit in Apologia, non invenio, præter modum traditionis, qui regulis S. Indicis & Tridentini repugnat: orco verò Ecclesia neminẽ tradit, nisi obstinatos Hæreticos, petulantes Apostatas, & peccatores in sceleris perseverantia contumaces.

V. Speras verò, hoc raro Gallorum & Belgarum exemplo, multos quoque tum in Germania, tum alibi, Romanensium partium, doctrinam moralem Jesuitarum confixuros, aut saltem illorum potentiæ veritos, in occulto tandem deprehensuros, qualibus Magistris, qualique doctrina tot millium animarum implacabili innocentiæ nostræ, inquis, odio infectarum, curatio in Germania subnixa sit. *Innocentiæ nostræ*, inquis, quis unquam Hæreticus intons? præsertim, tui similibus, quos ignorantia invincibilis culpæ non eximit; quam porrò doctrinam magistri vestri populos suos docent? doctrinam Lutheri, doctrinam Diaboli, doctrinam schismatis & hæreseos; Jesuitæ verò quam? doctrinam Ecclesiæ, doctrinam Patrum nostrorum, doctrinam salutis: porro flagramus autem ut dicis, adversum vos odio, detestamur errores, sed errantes amamus, imò quæ optima Parens Ecclesia brachia tendit, & aperit viscera; fatemus, quod loquimur, & cui credidimus, nimirum

ram Ecclesiæ, à qua verbum Dei scriptum & traditum & omnia sacra accipimus; sed vos quæso, à quo accipitis, & cui creditis? Deo, inquies, an tibi Deus loquutus est unquam? credis Luthero, Carlostadio, aliisque hujus furfuris, & nullius, aut dubiæ fidei Hominibus. Casuistas deinde ac præsertim Jesuitas cum Pharisæis comparas; sed mendacem oportet esse memorem; Pharisæi quippe gravia cæteris onera & importabilia imponebant, quæ vel digito ipsi movere nolebant; cum tamen Montaltius & Wendrockius, quorum approbas dicta, velint, à Jesuitis omnem disciplinæ Christianæ & morum rigorem remissum ac mollitum fuisse; ab iis omnia scelera permitti, & ad omnes cupiditates habenas laxari; contra vero ipsi vitam religiosam degant, singulari obedientia coercitam, castitate Angelica, paupertate, mortificatione, aliisque castigatæ vitæ virtutibus conspicuam, præter ea, quæ intus latent; utinam Hermanne Conringi, per aliquot dies cum iis hominibus viveres; certus sum, fore, ut contrariam de illis opinionem ac sententiam mutares; longè vetiùs Pharisæis illos conferrem, quibus ad vitæ delicias nihil defit, summum rigorem adversus alios exercent, vano scilicet pietatis obtentu, quid quæso magè Pharisaicum?

VI. Subdis anilem fabulam, excerptam ex aliqua augiveda; nimirum in generali congressu Societatis, cautum esse decreto, ut semel assertæ mordicus tenerentur, & silentio potiùs, accusatio exciperetur, quam vel minima dictorum revocatio apparet; ne quid inde Societatis nomini & existimationi detraheretur; virum literatum, qualem te profiteris esse, pudere deberet, has nugas scribere: quo enim anno congressus ille habitus est? sub quo Generali? appella sodes; quid faceres Lector, his hominibus, qui cum Deo fidem & Ecclesiæ non habent, justo Dei judicio, omni fide apud homines cadunt. Addis tamen esse in Societate viros, pios, bonos, & doctos, qui saltem clam vibices sui ordinis deplorant; animum tamen tegunt & dissimulant, ductum meru; & eodem animo juras, Alexandrum esse, præ nimia Jesuitarum potentia; & si non vacat gravissima culpa, *dans veniam corvis vexat censura columbas*: itane verò, in Societate bonos & pios agnoscis? tibi ergo in religione consentimus; cum extra veræ Religionis castra nulla sit Germana pietas; imponis maledice, atrocissima calumnia est; jam aliàs oppositi, at secundo ac tertio mentiri, & easdem calumnias, fabulas, nugas regerere, vobis hactenus solenne fuit. Futile est quod Alexandro affingis; non timuit, credere mihi, potentiam Societatis, immo nec ullam ex ea toleravit, qui censura & nota dignus esset.

VII. Rabbinis etiam Jesuitas perperam confers; crede mihi, Judæos & Judaizantes societas semper abhorruit; contradictorias sententias iisdem temerè affingis; sed nullam appellas; dicis tantùm ab iis adstrui illud à peccato alienum esse, quod ex sententia sit alicujus probabilis Magistri; in quo luculenter erras; sed jam hoc non semel refutavimus. Hortaris deinde Samuelem tuum, ut exagitet æquivocationum argumentum, quod Jesuitis proprium est, illamque mentiendi artem, ut Caramuel olim appellavit, citasque in hanc rem Valerianum magnum; hic in Jesuitarum causis tot justas exceptiones patitur, quot apices in ejus libello exarati sunt: nunquam mentiri licet, Hermanne; pro quo Jesuitæ omnes vitam cum sangine profundere parati sunt; at verò, urgente necessitate, tegere veritatem non modò licet aliquando, verùm etiam oportet; hoc argumentum alibi plenè discussi; tu vide sis; si tamen intelligis; cum sctoli quidam ea sæpissime non capiant, de quibus acerrimè disputant; quam multa hujusce rei nobis suppetunt exempla & argumenta. In hac autem materia, Jesuitæ à communi aliorum auctorum sententia non discesserunt. Attingis demum Hæresim illam Jesuiticam, de auctoritate infallibili Ecclesiæ, in quæstione facti; Ecclesiæ, inquam, seu Papæ Ecclesiam repræsentantis, hæc enim controversia à Jansenistis in Gallia excitata ita intelligitur, ut ipsi velint, Ecclesiam in qualibet quæstione facti errori obnoxiam esse, Jesuitis scilicet refragantibus, quorum multi tenent, Ecclesiam errare non posse in iis factis universalibus, quæ omnibus Christi fidelibus, sub anathemate, ab Ecclesia proponuntur, ut Canonizatio sanctorum, damnatio Hæreticorum, Religionum, confirmatio, Librorum Canonicorum approbatio, Conciliorum Oecumenicorum confirmatio, aliaque id genus; nullus autem, nisi fortè Hæreticus, communem illam omnium fere Theologorum sententiam, Hæreticam dixerit; sed de hac controversia non est disputandi locus; præsertim cum homine Heterodoxo, qui vult, Ecclesiam in aliis etiam quæstionibus, quas juris vocant, errori obnoxiam esse; ab infensissimo Ecclesiæ Romanæ Hoste, qualem te semper exhibuisti, aliud expectare Catholici non possunt.

(***)

BERNARDUS STUBROCKIVS
LECTORI DE NOVO INDICE VVENDROCKIANO.

VNum est, Optime Lector, cujus te monitum velim; quamvis enim supra, variis locis, passim, pessimas artes Wendrockii, atque adeò totius sectæ demonstrarim, tum in notis tum in confutatione Literarum Montaltii; unum tamen ni fallor omisi, de quo breviter hoc loco, te certiorem faciendum esse, duxi, ad pleniorem confutationem: nimirum Wendrockius notas suas in V. Epistolam, 4. editionis, ita mutavit, invertit, distraxit, disposuit, consuit, ut tractationi novam faciem induxerit; quamvis eadem prorsus, etiam quo ad concepta verba, manserit; mutavit, ut vulgo ajunt, quadrata rotundis: eadem cera est, sed diversa forma, seu figura; eædem notæ, sed mutata sede, sub novis titulis, aliæ, ignaris saltem, esse videntur; cujus rei vel hoc uno exemplo faciam fidem: in hac 4. editione habes tantùm tres notas & sectiones sex; in priore verò septem sectiones, & quinque notas; sed notam V. hujus, in secundam illius; secundam prioris, in tertiam posterioris; quartam antiquæ in quartum §. Lectionis 5. novæ editionis, & totam sectionem 7. primæ, in varios §. secundæ traduxit; omnia sus deque. In notis cuncta satis efficaciter refutaveram, errores adnotaram, eosque non raros, sed confertos & turmatim, nihil, quod esset alicujus momenti, omiseram; ille verò nihil ad hæc, quid enim? saltem ordinem perturbavit, ut meliùs lateret, vel potiùs, ut confutationem eluderet: ut verò Indicem indici opponam; summatim relego novum indicem, novæ scilicet editionis, & antiquo more, ipsum hominem compello, appositis majoris distinctionis gratia numeris.

I. In Notis, ad quatuor primas Epistolas, immò & in præambulis ad sequentes nihil mutasti, Willelme Wendrocki, & ne verbum quidem ad ea reposuisti, quæ tibi candidè opposueram; fœdissimos errores adnotaram & tibi exprobraram, circa gratiam sufficientem, quam ut Monstrosam explodis; circa potentiam proximam, quam traducis ut riduculam; circa Sorbonæ censuram, quam fabulæ loco habes; circa insignes Doctores Sorbonicos, Moinium, Cornetum, Halerium, quibus Pædagogicas cupiditates imponis; circa P. Nicolai, quem transfugam à doctrina Thomistica, & prostratum Molinistam vocas; circa Proceres, quibus jocularem errorem tribuis; circa controversiam de auxiliis & discrimen gratiam inter sufficientem & efficacem, in quibus tuam inscitiam & asinitatem prodis; ac demum circa ignorantiam, vel incogitantiam invincibilem, quam vis culpæ non eximere; loca demum falsata, truncata & adulterata protuleram, impostoras & calumnias referarum omnes & singulas notas in quatuor primas Epistolas, & præambulas insequentes, perstrinxeram, atque tenore, quo à te scriptæ fuerant, excuderem; tu easdem denuo, quasi intactas & omnium calculo donatas, cum solita commendatione nobis obtrudis: duo priora præloquia etiam discusseram; ut duo posteriora deinde discussi: ad illa omnia, nihil prorsus refutatione indigna putasti, ac te puduit cum imbelli adversario congredi: ita sæpe thrasonicè; sed ad populum phaleras; multiplicis erroris, nec non falsitatis argueré à me convictus fuisti; nihil erat, quod reponeres: deratos illos tuos, Hermannum scilicet Contingium Samuelem Rachelium, dixisse, tibi satis fuit, hinc quidem, notas Stubrockii ejus ponderis non fuisse, ut veritatem, nimirum à te assertam, deprimere potuerint; illum verò, Stubrockiana patria, nolle tollere dæ doctrinæ adversatiorum; egregios sanè defensores; sic frater adjuvatur à fratre; amicorum omnia communia.

II. Ad quintam Epistolam tres notas habes, prima nota dissertationem Theologicam, vel potius Acatholicam, ac proinde atheologicam de probabilitate continet, sex comprehensam sectionibus; prima sectio controversiæ statum exponit, seu veritis confundit, tribus §. & 11. corollariis. §. 1. Cavillos Jesuitarum etica doctrinam probabilitatis, & laudes Parochorum Parisiensium indicas; argumentum retorsi, & etiam ostendi, non Jesuitarum, sed Jansenistarum cavillos esse, quos præ cæteris Annatus aureo libello palam fecit; Parochos etiam à re parum commendari, ostendi, quibus attribuis duo Catholica, ut ais, dogmata, quorum alterum ut erroneum, alterum verò ut falsissimum reieci. §. 2. docendum suscipis, quid sit opinio probabilis, in quo te ridendum præbes; nullus enim unquam tam supinè in hoc argumento inepti, ut ibidem evici; nescis enim quid dicas, cum opinionem probabilem ab improbabili, ab errore, à paralogismo minimè distinguas, nec verè probabilem habeat, quæ per errorem probabilis cuipiam apparet; nec certam probabilitatem, ab incertâ, nec judicii speculiuum à practico; sed cur hæc repeto? hæc autem corollaria deducis, 1. nullam esse opinionem probabilem universè, & in se, erras; illa enim, quæ est vera ac certò probabilis, universè probabilis est; licèt aliquis per errorem, improbabilis esse videatur; sicut articulus fidei est articulus fidei universè, licèt per errorem cuipiam, ut sæpe fit, articulus fidei esse non videtur. 2. tot esse opiniones probabiles veras, quot libet, accuratè inita ratione; quid tum? rarum profectò computationem, & eximium calculatorem: deo ampliùs, tot esse propositiones veras, quot fallas, cum enim nulla sit, quæ non habeat contradictoriam; alteram veram & alteram fallam

esse

esse necesse est. 3. Opiniones probabiles falsas non nisi Sophismatis nisi; erras, quia fallacia Sophismatis ad evidentiam ostenditur, sed motivum rationabile Falsitatis evidenter convinci non potest. Sequentibus vero §. conaris ostendere notionem opinionis probabilis à Jesuitis callide obscurari, ne intelligatur, & hic Patrem fecrier appellas. jam Suarez te docuerat, si discendo esses, opinionem illam verè probabilem esse, quæ tum ratione, tum auctoritate gravi nititur, nec communi usui, vel sensui repugnat, nec argumento insolubili petitur; illa porrò ratio non est fallax, vel sophistica, quæ ad evidentiam non solvitur; id est, cujus falsitas evidenter non ostenditur; illud firmum ac certum judicium est ex Jesuitis, quod formidinem excludit; illud motivum grave est, quod ad prudentem assensum movere potest; ille vir Doctus, qui doctrina dogmatica, Scholastica, atque morali, & Canonica instructus est; cuncta hæc centies tibi cecinimus; sed non capis; quod mirum, erras in doctrina fidei; igitur potiori jure, in doctrina morum. Reducis denique omnia ad Tamburini doctrinam, qui vult incertam probabilitatem satis esse, reliquis omnibus Jesuitis refragantibus; cita mihi Suar. Vasq. Molin. Less. Sanct. Valentiamque hujusmodi; non verò Tamburinum; unus vel altera hirundo non facit ver.

III. Sect. 2. de primo est, inquis, probabilistarum axiomate, minimum, probabilem omnem opinionem, eam falsam, & legi divinæ contrariam, à peccato excusare coram Deo; falsum est à nobis adstrui hoc axioma; quibus scilicet quæ libet opinio probabilis tutior est; falsum est, opinionem aliquam verè ac certò probabilem legi divinæ esse contrariam; falsum est, certò constare, de opinione vere probabili, quod sit interroneum tamen est tuum illud, nullam opinionem verè probabilem & falsam, cujus tamen falsitas ignoratur, eximere culpæ. illud autem probandum suscipis, §. 1. ex S. Thom. 2. ex scriptura & Patribus; argumentis Theologicis; sed luculenter ostendis, geminò, quæ addunci Doctoris Angelici textu doctrinam nostram mirificè confirmari, tuam verò singulari; & tescripturæ & SS. Patrum locis, Hæreticorum tui similium more, omninò abuti, ad confirmationem errorum vestrum, difflavi denique argumenta illa, ut vocas Theologica, homine Theologo prorsus indigna, nisi fortè Salisburgensi. §. 4. præterquam, inquis, probabilisticæ securitatis fundamentum evertitur; sed quomodò illud evertisti, quod nec tentasti? fundamentum illud unicum est; nimirum certa conscientia, ex certa probabilitate deducta contra quam sodes, & eris mihi magnus Theologus. id verum quod §. 5. jactas, inane est, & hominis sui non compotis dictum; nimirum, doctrinam Jesuitarum de hoc argumento, aut certissimè veram, quod sine insania dici nequit, aut certissimè falsam esse: doctrina illa duo capita complectitur, primum est, quod opinio certò probabilis ac probabilior sit tuta in praxi; hoc certissimè verum esse, dicimus, nec ab ullo negari potest, sine stultitia, aut saltem errore in fide: alterum est, quod certò probabilis, licèt minùs probabilis, sit tuta in praxi; & hoc non certum absolutè, neque falsum, sed probabiliter certum esse, dicimus; quo patet, quàm sis rerum istarum peritus. sect. 3. eandem molam versas, rudentis ad instar; aisque, eadem probabilitatis commentum septem ejus corrollariis evertis; sed illa omnia plenè discussimus, & eodem tenon penitus excussimus.

IV. Sect. 4. Alterum Probabilistarum axioma impugnas, quod scilicet liceat, sequi minùs probabile & minùs tutam; nimirum certò probabilem; illud autem *minus tutam* addis frustra; quia modò tuta sit, frustra est magis aut minùs tuta, præsertim cum esse tutam, in indivisibili positum sit, nec una tuta, alia tuta, formaliter tutior esse queat: Hanc autem doctrinam variis argumentis impugnas, sed ea ibidem dissolvimus; fingis deinde §. sequentibus quædam Casuistarum suffugia, quibus dubium ab opinione probabili distinguunt; sed rem istam non capis; damus tibi ultrò, cui libet opinioni probabili in esse dubitationem quandam, nimirum formidinem, quæ tamen non vetat, si certa est probabilitas, quin judicium practicum certum sit; de Tamburino jam supra dixi, quid sentiam; tu certò dubiam conscientiam ab opinione probabili distinguere nesciisti, vel noluisti. Quod dicis §. 3. stante æquali probabilitate utriusque partis, intellectum assentiri non posse; gratis adstruitur; tenemus oppositum & probamus: §. 6. rectè dicis, quod aliud sit judicium illud, quo duæ oppositæ simul probabiles esse, dicuntur, ab eo, quo de re ipsa judicatur. id est, aliud est judicium de probabilitate, aliud de veritate opinionis probabilis; illud enim certum est; hoc verò, tantùm probabile. Quòd addis §. 7. per judicium illud, quo duæ oppositæ probabiles esse, dicuntur, non tolli sed supponi veram & propriam dubitationem positivam, nimirum formidinem; distinguendum est; nempe tollit omnem dubitationem, seu formidinem à judicio practico, & à judicio de probabilitate, de prudenti assensu, & electione, non tamen ab ipso judicio opinativo. §. 8. mentionem iterum facis nostrarum cavillationum; sed duobus hisce verbis *certa conscientia*, *certa probabilitas*, nulla inest cavillatio. §. 10. dicis: doctrinam vestram scrupulis occasionem non præbere; sed hoc refutavi §. 2. denique §. 11. S. Antoninum nobis subtrahere conaris, sed frustra: ut sect. 7. ostendi, in qua etiam alia quædam, quæ adstruxeras, rejeci.

V. Sectione V. refellis tres errores nimirum §. 1. licere Theologo, ex opinione probabili, quam certò falsam putet, consilium dare, §. 2. licere cuivis, varios adire Casuistas, donec repererit, qui ad libitum respondeat: §. 3. peccare confessarium, qui neget absolutionem pœnitenti, probabilem opinionem sequuto. Quo ad primum, mutasti, nam in prima editione dixeras, *quam falsam putet*, nimirum probabiliter; in quo sensu, à te super hoc adducta dilui; in hac verò, dicis, *quam falsam certò putet*; nullus Theologus hoc dicat; immo loqueris repugnantia; cum non possit quispiam opinionem sibi certò falsam, probabilem reputare. Errorem 2. rejeci §. 2. tertium verò not. 3. item quod addis, §. 4. de Joanne Sancio, not. 4. repuli sect. VI. Ut jacet refutavi: item notam secundam novæ editionis, nota quinta antiquæ; item notam tertiam illius, nota secunda hujus; atque adeo nihil ultra restat notarum in V. Epist. refutandum.

VI. Tres notas in VI. Epistolam scripsisti, sed primam in tertium locum traduxisti; illas autem, quantum ad rem satis fuit, planè disjeci, & multos errores tuos castigavi; v. g. nullam legem Ecclesiasticam præter ceremonialem abrogari posse; Ecclesiæ libertatem ab auctoritate Romani Pontificis oppressam fuisse; pœnas canonicas divinæ institutionis esse, ac proinde ab Ecclesia non potuisse aboleri; aliquot labes in fide ab Ecclesia tolerari: Episcopis

potestatis Ecclesiasticæ plenitudinem divinitus concessam; omitto alios, ne bis eadem: quam bellè Calvinizas, mi homo. Excussi etiam notam unicam, quam habes in VII. Epist. & tres, quas scripsisti in Epist. VIII. tres item in IX. item primam & secundam, quas in X. scripsisti; tertiam antiquam in quartam novam transtulisti, quam etiam discussi; addisti tertiam in nova editione quæ continet longiorem tractationem Pastorum Gandavensium, de insufficientia attritionis; pro qua, est, quod te remittam, saltas enim extra chorum, ad varios tractatus editos à Patribus Le Dent & Estrix è Societate Jesu; in quibus illa controversia doctissimè discutitur, modò mihi satis est, dixisse, decreto S. Inquisitionis, nostram sententiam probabiliorem, & magis communem declaratam fuisse, ac proinde tutam in praxi. Repuli etiam tres notas, in XI. item tres, in XII. item unicam, in XIII. item dissertationem de homicidio tribus sectionibus partitam in XIV. item tres notas in XV. & tres in XVI. nihil habes in XVII. Dialogum etiam tuum in XVIII. refutavi; item appendices novæ additas editioni ac proinde nihil ultra confutandum restat.

EPISTOLA I. HONORATI FABRI AD VINCENTIVM BARONEM LUGDUNO SCRIPTA.

R. P. Vincentio Baroni Honoratus Fabri P. S.

I. VIx pauca illa folia, quæ ad te, ac de te Scripseram in Apologetico, recenti prelo subducta fuerant, Vincenti Baro, cum ecce Theologiæ tuæ moralis alteraeditio, casu nescio quo, in meas manus venit; unde facilè videas, quàm rerum tuarum incuriosus sim, cui scilicet hæc tua, ante unum & alterum annum in publicam lucem edita, incomperta huc usque fuerunt. Ubi autem in primam frontem, tum prioris, tum posterioris partis, oculos conjeci, & legi, hanc editionem esse ad mentem Alexandri VII. & S. Congregationis, quæ, utais, Pontificis jussu, primam editionem recognoverat; mihi statim ac tibi gratulatus sum, ratus haud dubiè, exosam dissensionum materiem, & uberem disceptationum, tempestatumque, quas libri tui, excitarunt, segetem inde omnino præcidi; meque statim accinxi, ad inserendum proloquio aliquid temperamenti, quo tam ingenua pœnitentia commendaretur. Sed vix aliquot lustraram paginas, cum spe, & opinione mea dejectus, nihil fere mutatum in hac editione comperi, nisi, pro more, in pejus, errores, iique multiplices & crassissimi à me adnotati in altera editione, in hac non fuerunt emendati, sed aucti; calumniæ accumulatæ; convitia inde acriora, unde, per artificiosam injuriam, ad speciem, delinita; dicteria & scommata, Bellarmino, Suarez, aliisque liberali manu ante aspersa, quasi emendaturus, maiis artibus ita renovasti, ut legentium animis altiùs inculcares; Uno verbo, idem Baro, tuique semper ubique simillis à me inventus es: Quare cogitatum consilium illicò reieci, & nihil præfationi addendum, vel inserendum esse putavi; & fateor ultrò, ac denuncio palam, illa omnia, quæ à me in Dialogis de te scripta sunt, & typis mandata, probè in te quadrare, & hoc loco à me pro ratis & fixis haberi.

II. Est tamen, quod super his, aliquid insinuem, quod si non tibi, quem aliquando ad meliorem frugem redire vehementer opto, quamquam vix spero, rediturum, aliis saltem utile futurum mihi persuadeo; Primum est quod dicis; illa omnia, quæ in duobus hisce tomulis alterius editionis continentur, esse ad mentem summi Pontificis & S. Congregationis: errores igitur, etiam in fide, [illegible] quos advotavi atque confixi, sunt ad mentem S. Congregationis? Calumniæ igitur, impostura, omnegenus maledicentiæ, in numeræ falsitates, quibus libri mei scaturiunt, aliaque id genus, sunt ad mentem S. Congregationis & Romani Pontificis? convitia, calumnias, errores multiplicas; centies in censuras Apostolicas incurris, transgressus scilicet decreta pontificia; fingis astingis, imponis; & hæc, inquis, ad mentem S. Congregationis. Horret profectò animus, Vincenti, quis unquā inter Catholicos talia? immo quis ferenter Urbaniores Heterodoxos? tibi satis nó fuit, errores, falsitates, calumnias, convitia, atque hujusmodi plena manu spargere, seu profunderein eum lucem, nisi hæc eadem Domno Apostolico, temeri, immo sacrilegè imputares: sed, ais, certior ab urbe Roma factus sum, nihil aliud à Romanis censoribus, qui utramque partem, S. Congregationis jussu, recognoverunt, præter pauca paulò acerbiùs scripta, & à mitissimo Angelici præceptoris stylo tantulum aliena, repertum, fuisse; quo ad cætera nihil nisi laudes & elogia; ibi autem præ cæteris Augustinum de Angelis appellasti; facilè dixissem. quisnam ille esset, si mihi conjectandum proposuisses; sed res apte omnino cecidit; eodem calamo te simul & illum retavi; quamquam hic, non jam, ut tu, ithafonice & tantùm non furentis ad instar; sed longe mitius & remissius.

III. Sed ad tem venio: do ultrò, censores illos, qui tuum librum recognoverunt, plus æquo libros favisse; non tamen omnes, ut tute scis; nec enim amicus ille Romanus hoc tibi dissimulavit; non sunt ea omnes Theologi, ut dicis, quamquam uno vel altero dempto, reliqui, do, inquam, ultro, censores illorum te animo propensiore fuisse; causam reticeo; quæ neminem latet; ille verò, qui non tam aperte tibi faverat, & pauca, præ multis, notanda censura digna, non leve negotium sibi facessere nisi sunt, qui tuæ indemnitati eam impensè studebant: demus hæc; quid tum? an for-

tè,

ræ S. Congregatio ullo decreto statuit, reliqua omnia in tuis libris contenta à se probari: profer ea nobis decretum illud; appella diem & consulem: absit, & faxit Deus, ne unquam talia; teneo Vincenti, & probe scio totius rei exordium, progressum & finem; dicis, librum à nostris (nostros enim intelligis) fuisse delatum, & tota sparsum Europa, vel jam confixum, vel mox configendum esse: erras, Vincenti, erras, nostri potiùs illud unum procurare curarunt, &, nequid dissimulem, ego, præ cæteris, ne liber decreto configeretur, cum solita scilicet formula, ut latior & tutior inde pateret campus animadversioni, quam nunquam non necessariam esse judicavi; sed de his fusè ac verè in decade. Facesse igitur, Vincenti Baro; & videant, pro summa illa, quæ plurimum valent, prudentia Eminentissimi Principes S. Congregationis, utrum illatam sibi à te injuriam plusquam sacrilegam, cum eos errorum eorum socios esse velis, ferre ac dissimulare debeant; quod certe iis, quàm possum maxima de submissione animi, à me propositum fuisse, æqui bonique venti spero, consulent.

II. Secundum spectat ad vivæ vocis oraculum Alexandri VII. fœlicis memoriæ, quem dixisse, scribis, eundam Eminentissimo, cujus nomini parcis, libentius nos docere tuta, sana, solida, cum aliquo etiam cultu, eosque fructu & laude minimè carere, luculentissima sunt Alexandri verba (illum enim loquentem inducis) quæ habes in proloquio pag. 8. eadem majorem distinctionem, charactere Italico, quamore, excusa. Appellare debueras Eminentissimum illum; sed prudentissimè nomen reticuisti, ne falsitatis & impostura convinci posses, & hæc S. Pontificis per inauditam, dicerem impiam, calumniam, nisi acerbiùs loqui vererer, quæ tamen vox in rem probè quadrat. Nunquam certè hoc dixit, aut dicere potuit Alexander; nec tibi etiam jurato fides habenda est; hoc tibi adeò solenne est, Vincenti, *ad frontem falsa*, in notoriis (à proprio verbo, tui gratia, modestia abstinere me cogit) ut etiam adstruenti vera, fides neganda sit. Declaravit igitur Alexander, hæc vivæ vocis oraculo, illa omnia, quæ in utraque parte leguntur, tuta, sana & solida esse; errores igitur, tique palmares & multiplices tuti, sani, solidi censentur; errare igitur, tutum est & sanum; an quæso hæc in Catholicum aut sanum caput? calumniæ igitur, contumeliæ, satyræ decumanæ, aliaque id genus tuta sunt, sana & solida? quis ad hæc Catholicus non horreat? tibi satis esse debuerat, hæc primùm iterumque ac tertiò edidisse; nimirum falsa, iniqua, contumeliosa, erronea, Angelici præceptoris discipulo indigna, præter nugas, gerras, aniles fabulas omnis generis, in grandem acervum accumulatas: sed hæc Christo Domino affingere, iisque inde auctoritatem & summâ commendationem accersere; verbo dicam, absit invidia, grandis certè sacrilegii res est, haud alia luce digna, quàm piacularis flammæ, satius fuisset, os illud sanctissimum asperso puto fœdare, quàm verbis illis, quibus error & omne genus falsitatis & maledicentiæ approbatur, commendatur, laudatur, os, inquam, illud sanctissimum, quod nihil nisi oracula promit, os illud Petri, quod Joannes Chrysostomus os Ecclesiæ, per quod Christus suis fidelibus loquitur, appellavit, laudatissimè conspurcare. De styli cultu nihil dicam, quid de illo periti sentiant, abundè dixi: quod denum ad fructum attinet; arbor mala, ut cum Christo loquar, bonos fructus non facit, nonnihil fortè florum affectatæ dictionis ex illo vepreto, seu rosarum ex illo spineto pullulat; sed cave lector, in sinu rosæ fœda cantharis latitat, Ut ut sit, Hypocritas imitari voluisti; neque hoc, crede mihi, parum aptè in te cadit, qui religionis obtentu, sua flagitia tegunt, nec non sacro religionis amictu profana consilia; tu vero S. Congregationis voto, & oraculo Apostolico, errores tuos, fœditates tuas, honestare, consecrare, dicam melius barbare, canonizare voluisti.

V. Tertium addis ejusdem farinæ, te scilicet, non jam pœnam, aut censuram à sede Apostolica retulisse, sed egregia præmia, pro re bene gesta, & tot ac tantis exhantlatis laboribus, in morali Theologia castiganda & restauranda; nam diplomate Pontificio, inquis, in domum Cæsaris, id est, in numerum & sortem ministrorum sedis Apostolicæ, cooptatus es, quidnam porro illud? generalis quæsitor fidei, ut vocant, in Gallia renuntiatus. Gratulor Reverendissime, permitte tamen, ut sustineam, dum ab aliis hoc rescire possim; eo loco fidem tuam habeo, ut ne minimam quidem illi fidem in ulla re habere possim: sed demus hoc; quid ad nos? diploma non vidi, & si viderem, non dubitarem profectò subreptitium, ut ajunt, illud reputare: præclarum certè custodem omnium Christi; quamquam, ut dicis ibidem, est merum nomen, & titulus sine re; hæc ultra non urgeo ne si altiùs premam, aliquid fortè puris exprimatur.

VI. Quarto loco nostris auctoribus imponis, quod D. Thomam & universum Prædicatorum Ordinem sugillare & lacerare non cessent; lepidus porro, & simiæ Hispalensi haud absimilis, quæ cum ad pœnam sceleris admissi, à populo saxis impeteretur, semestrem pupulum è gremio Matris, dolo, aut per vim, abreptum, lapideæ grandini opposuit, eoque, debili quidem, tutissimo tamen Innocentiæ clypeo se texit, ne meritas pœnas daret; ita prorsus, dum nostrum aliquis, vel Canum, à quo societas nostra tam dira passa est; vel Bannez, cujus instinctu, consilio, & ductu, doctrina molinæ ut suspecta & hæretica ad sedem Apostolicam delata est, vel Xantes Mariales, qui virulentam convitiorum colluviem adversus auctores nostros, eosque celeberrimos evomuit; vel te ipsum, vincenti Baro, qui furenti & plusquam ferreo stylo eosdem auctores nostros primæ classis, Bellarminum, Toletum, Lugo, Suarez, Vasquez, Molinam, atque adeo. Sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium, ejusque constitutiones & exercitia, Vincentium Caraffam, qualem virum, Deus immortalis, tanta vitæ castimonia, ut cœlestem in terris vitam duxerit toties lacerasti; dum nostrum aliquis, inquam justæ ac necessariæ defensionis jure, cum moderamine, ut ajunt inculpatæ tutelæ, perperam à vobis dicta, ficta & afficta refellit; reponis illico, itane S. Thomam & universum Dominicanorum Ordinem? Halluciaris, mi homo, volens ac lubens; S. vestrum ordinem, Doctorem Angelicum, Albertum Magnum, Raimondum, Hugonem Cardinalem, Paludanum, Hervæum, Capreolum, Ferrariensem, Durandum, Catharinum, Cajetanum, Sotum, Sylvestrum & Victorium, aliosque bene multos meritis præconiis & elogijs, in libris, in scholis nostris, in pulpitis, Academiis & circulis, impensè prosequi non cessamus; Cani etiam librum de locis, & doctrinam viri, nitorem styli, aliaque in eo, non mediocriter laudamus; vitia tamen, errores, aculeos, & canina majorem, qua in

nos ad mortem usque furere visus est, rabiem, ut dicam quod res, laudare non possumus: Bannez etiam magni facimus, & habemus pro insigni Theologo; in eo tamen non probamus, nec ipsi gloriæ vertimus odium illud, à Cano haustum, quo in nos maximè flagravit, nec non cœptæ factionis studium, cujus auctor fuit, quam nulla pax, me judice, extinguet, nisi tandem decretoria Ecclesiæ sententia, quam ex animo medullitus opto, tu quoque optare videris, sed fidem tibi etiam jurato non habeo, terminetur. Salmaticenses & Joannem à S. Thoma debitis laudibus non privamus; sed aniles fabulas quas intermiscent, de Molinæ damnatione, Valentiæ casu, & congregationum actis, ut futiles prudenter rejicimus, & nimiam illorum credulitatem, ut mitissimè loquar, ut nobis & veritati crudelem incusamus; omitto Xantes moriales & quæstionarium Tholosanum; quia velis, nolis, nullius commendationis elogio dignos reputamus.

VII. Tu verò quid tandem? jam dixi aliàs, quid de te viri sapientissimi sentiant; nullibi tam altam, vanam licet, sui rerumque suarum opinionem; tam effrænam & plusquam Thrasonicam styli jactantiam, cum tanta, liberè dicam, ignorantia conjunctam: ingenuè loquar, & ad quempiam provoco superiorum disciplinarum, vel mediocriter peritum; hoc unum spondeo, fore, ut ad quamlibet libri tui aperturam, aliquid nævi, idque non uno dumtaxat loco, inveniam; illud in me suscipio; unde constat, quo tandem apud me loco sis: vis tamen audire magister in Israel, ac præ te neminem putas, Theophilo ignorantiam, mihique inscitiam & reliquis omnibus supinam & asinariam ruditatem exprobrare non cessas; tu solus doctus, peritus, latinus, illi certe Athenienses mentis impoti non impar, qui & ædes & navigia & omnia, quæ oculis subjiciebantur, sui juris esse credebat. Merus igitur obtentus est, & causa non causa; Doctorem Angelicum miramur, veremur, suspicimus; sacram item Prædicatorem ordinem maxima, debita licèt, observantia, omnique officiorum genere demereri nobis satagimus; te tamen, Vincenti Baro, tuique similes, justæ defensionis jure repellimus, calumnias exponimus, errores adnotamus, offensas & convitia condonamus; quod nec sanctissimo Doctori, nec ordini vestro æquitatis amantissimo, ingratum fore creditmus. Futile igitur est, & homine ingenuo indignum, Apologias illico pro S. Thoma & sacro Prædicatorum ordine obtendere; non certè ut eos defendas; quis enim accusat? quis impugnat? sed ut specioso illo obtentu, tam honesto & pio ad speciem, quamquam re ipsa indecoro, vulpino, & parum humano, multiplici maledicentiæ telo, auctores nostros, S. Patriarcham Ignatium, & societatem universam configas.

VIII. Quintum etiam omnibus perspectum esse velim; nimirum famosam illam Apologiam S. Congregationis indicis, ut per jocum, opinor, appellare voluisti, ab Alexandro VII. jure damnatam, non jam propter convitia, quæ per typorum errorem, ut lepidè ais, irrepserant, sed propter vel ipsas, errores scilicet crassissimos, apertissimas calumnias, insignes falsitates, aliaque hujusmodi vitia, quibus hic liber, totus quantus est, scaturiebat, in tres minores tomulos traductam à se fuisse, quamvis eorum non pauca in duos priores traduxeris; paucis etiam intermixtis & additis, ut parænetica illa quadruplicis Theologiæ, vindiciis genealogiæ Offomannicæ, exercitatione in Launoium, & quibusdam aliis minoris momenti, ut in iis sese verbositas, seu loquacitas tua exerceret; unde nemo negaverit, tres saltem illos tomulos, confixos & nigro theta notatos restare; nam perinde est, sive in quarto majore, ut vocant, uno volumine, sive tribus minoribus, in octavo, idem liber edatur; estque, quod universi mirentur, vanales prostare, non sine programmate monitorio; sed quid non ... 2. Imponis, inquies, non est idem opus, tu ipse fateris, detractis tamen convitiis; expunctis convitia mi Pater? immo à te nova fuerunt addita, novæ calumniæ & impostura accumulatæ; nova falsitates absque numero congestæ; inficias, opinor, non ibis; alioquin spondeo in caput meum, immo novum hujus artis convitiandi, cujus es peritissimus, specimen edidisti; nempe ut priora convitia retractare videaris, per cruentam itoniam, eadem denuo regeris, ut altiùs legentium animis inculcentur. Ita Bellarminum, Suarez, & alios; non nunquam vis lepidus pungendo videri, & miscet jocos & sales, sed frigidè & insulsè; credis acuè dictum seu fictum, quando scribis, te in Theophilum scripsisse, vel ipso post mortem, supplicibus votis instante, ut scilicet per tuas vindicias, (novum genus) S. Prædicatorum ordini faciat satis, & ab iis piacularibus flammis, quibus ejus anima inquietur, in purgatorio, ob illatas S. vestro ordini injurias, quantocius liberetur: ante mortem facere satis debuerat; non fecit, etsi potuerit; deliquitur; sed quo genere noxæ? an lethalis? neutquam sanè; nam pro hujusmodi, non est locus in purgatorio; an verò venialis? (dabis quæso has voces, si enim periphrasi utar, ut tu, pro more, erunt, qui à me dicta non capiunt; loquor autem, ut mea sensa exponam facilè ac dilucidè) an venialis, inquam? noxa igitur levis est; injustè igitur stylum ditis armatum in Theophilum strinxisti; sed immemor eorum, quæ abre dixeras, esse voluisti; nimirum Theophilum reprobis & damnatis accersendum esse; sed ut novo sarcasmo locus esset, ex inferis illum, novo miraculi genere, in purgatorium traduxisti; longè potiùs sanctius Theophilum ex purgatorio, quam Exercitatro educes.

IX. Sextum est hanc unam causam à te obtendi & obtrudi sæpissimè, tam grandis iræ; nimirum Theophilum intemperantiùs in vos scripsisse. Jam dixisse, memini, illum scribendi modum mihi non probari; non probari etiam societati; discretè improbavit optimus P.N. Generalis, qui hoc ultro, non tam vestrorum expostulationibus, quàm nativo sibi genio concessit. Sed demus hoc, Theophilus excesserit; non dicam, illum, pro sui defensione scripsisse, causatum, se multa passum fuisse à paucis vestrorum, quos etiam pro insita ingenuitate, non semel appellavit, qui bellum ipsi acerrimum indixerunt, non dicam, causam suam egisse, contra illos, à quibus iniquè habitum putabat; sed demus, non ita esse, eumque graviter excessisse; sed quid societas in hoc eum que graviter excessisse; sed quid societas in hoc cui in Theophilo, nec feritur, nec metitur? cur ergo, Vincenti Baro, inde avidè occasionem arripuisti tam dira, tam atrocia scribendi contra societatem? si peccavit Theophilus, de quo non disputo, & quem nec accusandum, nec defendendum fuisse; laudant enim illum in portis, ut dixi aliàs, opera ejus, quid amabò peccavit societas, quæ librum illum ut spurium rejecit ac prohibuit, & pro merita suspicione, Theophilum male habuit? quod autem addis, librum illum petri à valle clausa vobis inficta & minimè curantibus confixum fuisse; falsissimum

ello

ei; sciens loquor: adieram per id tempus, hominem tui amicissimum: librum ille mihi, quem casu pene manibus habebat, statim obtulit; quid de illo sentirem, ex me quæsivit; pro innata mihi simplicitate & ingenuitate, illico reposui, mihi non placere, dabo, inquit ille, operam, ut brevi configatur; vera, visa, audita narro, non verò, ut tu, ficta & vix unquam somniata; scribe igitur & clama rotundis buccis, ad ravim usque, adversus Theophilum, in quem integrum maledicentiæ onomasticon exhausisti; nam posteris hoc singulare tuæ moderationis monumentum erexi; exere in illum stylum ferreum, quem forte ex ..... duxisti; sed parce socierati, à qua, velis, nolis, aliquid beneficii, saltem pro prima illa institutione acceperas, quam tamen, data opera, ita eleras, ut insciliæ magistros tuos insimulare veritus non fueris; non tamen, opinor, ab iis, vel quopiam alio ex vestris, quamquam laxioris viæ homines, nos effrevelis, didicisti, unquam, integrum esse & tutum, religiosos homines jam maximam partem vita functos, eosque doctrina & pietate conspicuos, & societatem universam, tuis aculeis, sarcasmis, & calumniis; cœlites ipsos, nimirum sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium, & Xaverium Indiarum Apostolum, tuis dicteriis & argumentis lacessere. Petrus à Valle clausa, seu Theophilus, demus hoc, contra vos scripserat, invita, in scia & librum improbante & damnante societate; Xantes igitur Annales, qui ne illum quidem unquam vidit, ne nunc appellavit, scripsit enim ante Theophilum, in hoc tantum ipsam stylum jure ac meritò strinxit; & Ludovicus Carterius, de quo tecum in alia Epistola, injustè detrocibus illius auctoris convitiis expostulavit: quid quæso ad hæc mi Baro? sed frustra tecum ratiocinari videor, qui omni prorsus ratione careas; ad sapientes & æquos rerum æstimatores provoco.

X. Sed quæso, illud apud te seriò reputa, qua conscientia, quo privilegii genere, quo jure, vel hæreticario, ut innuis alicubi, vel comparato & porrò iniquibus officiis ac meritis in rem literariam, in Theologiam moralem, cujus magnum restauratorem agis, non sine pompa & jactantia; in sedem Apostolicam; quo jure, inquam, decreta Apostolica, eaque triplicis generis, violare præsumpseris, & in censuras contra violatores latas non incurreris? ea incurristi, idque multis locis, de maculato Deiparæ conceptu, quibus illum videris maximè adstruere, ut paulus observavit, à quo haud dubiè super hoc reprehensus: cautum est, multiplici lege Pontificia, ne quis eiret acta congregationum habitarum sub Clemente & Paulo, in materia de auxiliis; cui autem decretis & mandatis Apostolicis non modò non paruisti, sed eò venisti audaciæ, ut ea eludas, illudas, ludibrio & sibilis omnium exponas, dum ais decreto Ecclesiæ, rem totâ Europa notoriam & publicam famam supprimi non posse: ita prorsus illi tui, quibus in re notoria mentiri, solemne est: dico tuos, non instituto, sed jurata in Jesuitas conspiratione; fama publica, in quis; privata commenta, & plusquam aniles fabulas dicere debueras. eadem lege cautum est, ne quis in materia de auxiliis quidpiam ferebat & in lucem edat; toties hoc decretum, non violasti modò, sed proculcasti; in hisce tuis Apologematis, fusè, impensè, & ex professo, ut ajunt, hanc molam versas; quia inquis hæc decreta pro urbe tantum condita fuerunt; itane verò? & hæc celebris ille, Caterochin, præceptoris Angelici discipulus, & Reverendissimus Generalis fidei quæsitor in Gallia? sed tu etiam in urbe, non Cracoviæ, dictam Apologiam scripsisti, scutypis mandasti, ut neminem latet rerum præteritarum non penitus insciun:

XI. Sed, quod mage mirum, nobis lepidè insultas, quod scilicet obtentu illo decreti Pontificii, malam causam, quam defendendam suscepimus, tegi ac numiri gaudeamus: seriò loquor, Vincenti Baro, procura per tuos illos, qui maxima auctoritate pollent, ut nobis de hoc argumento scribere liceat, & maximo me tibi obstringes beneficio; nam hoc unum tibi polliceor, fore, & fidem meam oppignero, etiam jurejurando firmatam, ut tua illa argumenta nobis opposita ea facilitate & claritudine soluam & diluam, ut ad geometricum rigorem accedat; tuum illud, quod sanè involuit repugnantia, de mutua causalitate, ut vocant, de obice, per quem voluntas gratiæ resistit, de sensu composito & diviso aliaque id genus non jam nova & à te inventa, ut per intolerabilem jactantiam tibi arrogas sed tam rancida, quàm antiqua, iterum acertiò dico, geometricè diluam. doles, quod Carterius Bzonii annales stramineum additamentum appellarit, de quo in alia Epistola; erit fortè, quod plus doleas, si tua illa straminea vocitem; quid faceres? Ingenuitati mihi liceat, res omnes nativo & proprio nomine appellare. Statim etiam prodibit in lucem, si per te nobis hoc concedatur, grande volumen historicum, de hoc argumento, ea diligentia & fide, compositum, eo rerum apparatu & styli cultu, iisque authenticis probationum argumentis instructum, ut in hoc genere, nihil solidius, nihil accuratius excogitari possit; opus inquam, illud numeris omnibus absolutum edetur in lucè, ut multam rei gestæ lucem afferat, difflatis fabellarum sparsorumq; de industria rumorum tenebris. Ferrerius noster tua illa straminea, contra scientiam argumenta, in aureo illo, de hac materia edito opusculo, efficaciter, more suo, refutavit, evicitque, rem istam à te non capi. Illustrissimo Caramueli, uti spero, meritas pœnas dabis, nisi fortè cum adeò debili & obscuro adversario, vir doctissimus, & omnigenæ literaturæ congredi dedignetur. Pro Alva non dubitarim, quin aliquis ex S. ordine Seraphico ab horrendis calumniis, quibus illum obruere voluisti, (egregiam verò laudem, jam terra obrutum, post fata, maledictis obruere & vita functis thrasonicè insultare) scriptorem illum, magni revera nominis suscipiat vindicandum. Optimus Maraccius, quem inter Marianos ..... referre possem immisericorditer proscidisti, suas in hoc partes desiderari non patietur. Cæterum si tu cum Launoio, te committis pari; quamquam hic Ecclesiastica & sacra eruditione, te multis superat, paratangis. Omitto alios; cui enim, præter tuos, dentes illi tui ipsius quam canini pepercerunt?

XII. Ubique passim asseveranter affirmas, & tantùm non juras, Auctorum vestrorum opera non alio nomine prohibita fuisse, quàm quod pauca continerent paulò asperiùs scripta, quibus expunctis, intacta manere & illibata; & hæc de tua illa Apologia, de Combefisii historia, aliisque vestrorum libris, in album, seu nigrum prohibitorum relatis; at verò Theophili opera, & Apologiam illam Theologorum morallum, aliaque hujusmodi, non jam propter convitia, sed propter parum sanam doctrinam, quam continent. At si quis inficias eat, qua tandem ratione id evinces? *quidam* amicus, inquis, scriptis ad me Roma literis, me certiorem fecit; hic autem rescivit ab alio, & hic ab alio *quodam*: Lusi in Apologetico simile prorsus argumentum Valeriani, cujus

cujus *quidam* amicus à Bibliopola *quodam* acceperat, & hic à *quodam* Jesuita audiverat, &c. Si tecum jocari per gravitatem Reverendissimi quæsitoris liceret, eodem prorsus modo dicerem, *quemdam* amicum ad te scripsisse Roma, se à *quodam* alio accepisse, & hunc ab alio *quodam*, tuam Apologiam eo dumtaxat nomine confixam fuisse, quod pauca convitia contineret; Apologiam verò Theologorum moralium, propter horrendam, quam adstruit, doctrinæ moralis corruptelam. De utraque contrarium mihi perspectum est; nempe in tua, ut à quodam illo resciri potuisti, alia certè quàm plurima virga plusquam censoria dignissima notata fuerunt; sciens loquor, & fidele censuræ Apographum vidi: quod verò ad aliam attinet, quandoquidem vociferari ac strepere non cessas contra librum illum, in quem tot fulmina & tempestates sævierunt, quo animo & fide, Deus scit; quamquam satis compertum habemus; reverà teneri me sentio, rem totam, uti gesta est, disertè aperire, dum tres Eminentissimi Cardinales in vivis restant superstites, utinam diu, eorum scilicet, quibus hujus examen & censuram Alexander VII. commiserat.

XIII. Itaque ante omnia, liber ex latina in hetruscam vernaculam versus est; & quia non semel de fide versione dubitatum; suggestum fuit S. Congregationi, per libellum supplicem, optimum & maximè opportunum fore, si propositiones singulæ seorsim discuterentur, & coram, in ipso consessu exponerentur, adductis auctoribus, tum suffragantibus, tum refragantibus, explicatisque rationibus pro utraque parte; attento denique usu & sensu Ecclesiæ, in praxi; ac demum his peractis & ritè ponderatis, judicium de singulis ab Eminentissimis ferretur: hoc consilium ab iis probatum fuit; provincia mihi demandata, id muneris obeundi; & ab Illustrissimo Visanio Assessore semel atque iterum, Eminentissimorum nomine imposita: res tota pro more, ad sanctissimum delata, qui eam probavit, confirmavitque decretum S. Congregationis. Initium dictæ discussioni quamprimùm Eminentissimi daturi erunt, sperabantque fœlicissimum rei eventum; cum sine ullo partium studio, vel discuteretur; eo certè fine, ut quæ propositiones certò probabiles non essent, ab usu & praxi removerentur; mihi jam apparatus erat in promptu in quatuor, aut quinque consessus; primo congressui jam dies indicta; sed Alexander mutavit mentem & Consilium, & inconsultis Eminentissimis, quibus hanc causam demandarat, utique sciis & minimè cogitantibus, pro summa, qua pollebat, auctoritate & prudentia, die quadam, feria V. in palatio quirinali, librum, quo de agitur, in prohibitorum album referri jussit; nihil tamen in decreto circa libri doctrinam: de Auctore, dicitur Alexander tantulum expostulasse, quod arrogantiis victis & damnatis adversariis insultasset; ac dixisse, id sibi testari duos religiosi instituti homines, eosque pissimos & doctissimos, quorum nominibus parcit è vivis excessit uterque: Accedit, quod alia quædam præter asperiorem stylum in libro non deerant, quæ illum censuræ obnoxium fecerant, à regulis scilicet S. Indicis petita; nam sine auctoris, Typographi, & loci nomine, & sine ulla approbatione in lucem editus fuerat. Rem ita gestam esse sanctè juro, ne unius momenti, mentiri, dum tres illi Eminentissimi vivunt, grandis piaculi æqualisque periculi esset. Hæc publicare me cogis, Vincenti Baro, ut fallitatis & calumniæ, quas nobis super hoc affingis, opertissimè refellantur. Vale Lugduni Kal. Aug. 1669.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ hâc primâ parte continentur.

A

Absolutio

Absolutio potest dari peccanti ex habitu, modo ad evellendum habitum diligentiam aliquam adhibeat. *pag.* 392

Absolvi possunt ii, qui aliquod vitæ genus susceperunt, in quo plures peccandi occasiones occurrunt. ibid.

An Confessarius absolvere possit pœnitentem, assentem se abhorrere à peccato. 432

An pœnitens possit absolvi, licet pœnitentiam impositam recuset. ibid.

Ramus non dixit, rationem boni temporalis facere, ut absolvi possit, qui est in occasione proxima; sed tantùm eum absolvi posse, qui est in occasione proxima, si dolorem de peccatis habeat, & firmum propositum non peccandi, & justam causam non deserendi prædictam occasionem, ideoque prædictus casus ei falsò imputatur. 212

Absolvendos esse juniores rectè docet Baunius, qui in eadem peccata sæpè recidunt; aliquid tamen ipsi circà hunc casum imponitur ab adversariis, quod nunquam dixit. ibid.

Non est differenda absolutio, donec habitus vitiosus extirpetur, ut Jansenitæ delirant. 531

Acedia.

An sit peccatum mortale, vel veniale. 425

Adversarii.

Casuistarum, Baro, Merenda, Mercorus, Comitolus, Philalethus, qui homines? 198. & 199

Advocatus.

An possit defendere causam minùs probabilem? 22. 216. Quas causas possit defendere? 80

Æmulatio.

Æmulationis ratio inter dissimiles, & obscurè inæquales. 193

Æquivocare.

Æquivocare in juramento. V. *Iuramentum.*

Æquivocatio.

An liceat uti verbis & signis ambiguis, vel restrictione mentali. 426

Æquivocationes aliquando adhiberi posse certum est. 114.

Alexander VII.

Alex. VII. sententia in Valerianum M. 482

Alex. VII. nunquam scripsit ad Lovanienses, nihil esse in grandibus voluminibus S S. Augustini & Thomæ, quod dogma Fidei censendum non sit. 214

Ambitio.

Ambitio ut plurimum est peccatum tantùm veniale, 425. & 612. in fine.

Amor.

Amandi Dei præceptum quandò obliget. 433

P. Sirmondo falsò objicitur, quod scripserit, homines ad amorem Dei, ex vi præcepti charitatis non obligari, nec ad aliud præceptum ex motivo ejusdem amoris. 213

Amphibologia.

Amphibologia à quomodo uti liceat, & in quibus circumstantiis, ex Filliucio, Sanch. Lessio, & aliis, atque ex ipso Auctore. 203. 204. & 426

Antiquitas.

Antiquitas in Moralibus, non est nostris temporibus anteferenda. 3

Antiquitatis auctoritas sola non facit opinionem probabilem. 5

Apologia.

Apologia Theologiæ moralis Jesuitarum, Auctor est P. Pirol. Liber non est approbatus à Superioribus Societatis, nec tamen est confixa ab Alex. VII. ob errores, cùm nec una è 45. Propositionibus damnatis ex illa sit &c. 665

Res hæc tota uti gesta est refertur plenè authentico testimonio trium Cardinalium superstitum confirmanda. 686

Apostata.

Apostatatæ fides non adhibenda. 487

Nobilissima Civitas à Jesuitis aliena, ob nescio quem Apostatam Societatis denunciatum. 486

Aristoteles.

Aristotelis axiomata, ut dictum de omni, dictum de nullo; quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter sex. Defenduntur. 71

Assassinius.

Quos nomine Assassinii Gregorius XIV. in Bulla comprehendat. 405. & 591

Assensus.

Assensus prudens & probabilis, non sunt Synonyma. 126

Assensum opinativum dari certum est: quomodò intelligendus S. Thomas, cum negare videtur hunc assensum 157

Index Rerum.

Attritio.

Falsò accusatur Escobar, quasi dixerit, dolorem de peccato admisso conceptum ratione mali temporalis incursi; sufficere cum Sacramento, modò à Deo immissum fuisse credatur. 213

Qui asserant attritionem non sufficere in puncto mortis, explicantur. 103

An magis probabile sit, Attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ. 184

Vide etiam infrà V. *Contritio.*

P. Avancinus.

Falsò accusatur ignorantiæ ab Atheopilo. 476

Augustinus.

S. Augustino non benè tribuitur liber de vera Innocentia. 162

Malè affertur contra Casuistas S. August. 157. & 58

Ea quæ objicit Augustinus de Angelis contra opinionem probabilem, diluuntur. 48. & seq.

B.

Baro Vincentius.

QUædam notantur ex multis, quæ P. Vinc. Baro falsò assumpsit. 87. 88

Alii ejus errores notantur. 93. & seq.

Quod ab Hæreticis in Jesuitas olim scriptum est, & multis refutatum, idipsum Baro repetit. 109

Meritis P. Suaris laudibus detrahit. 110. & 111

Ridiculum Baronis ratiocinium & insciti a circà materiam Sacramenti. 116

Quantâ cum licentiâ asserat, Bullam Pauli V. Rituali Romano præfixam, per subreptionem extortam fuisse, & in articulo moribundi errorem subrepsisse. 119

Convitia quibus P. Theophilum Baro prosequitur. 120

Hanc Provinciam suscipit, cui centum viri omni scientiâ insignes vix sufficerent. 123

Cùm Baro Fagnani doctrinam confirmandam suscepisset, & Caramuelis sententiam de probabilitate refellendam, aliud nihil agit, nisi ut Jesuitas criminetur. 124

Exemplo Patrum malè excusatur Baro, quod in Jesuitas scripserit. 130. & 145

Pontificum juri & auctoritati detrahit. 143

Ejus libri scatent erroribus. 128

Falsò asserit, Bellarminum scripsisse, dubium esse an ultimum Lateranense Concilium sit Oecumenicum. 133

Baro in censuras incurrit, latas in Bulla Alexandrina pro Immaculata Conceptione V. Deiparæ. ibid.

Hæreticos & notâ confixos homines commendat; sanctum verò Ignatium & Exercitiorum libellum carpit plusquam canino dente. 134

Summa errorum, convitiorum, & calumniarum, quæ in Apologia Baronis continentur. 135

Ridiculè asserit, sine opinione Thomisticâ, quæ asserit, essentiam distingui ab existentia, mysteria fidei explicari non posse; & Ordinem illum Religiosi nomen non mereri, qui Chorum non habet. 137

In multis capitibus cum Novatoribus convenit. 144

In editione posteriori damnatæ ab Alex. VII. Apologiæ suæ, vix aliquid ad rem faciens mutavit, imò auxit errores crassissimos, calumnias accumulavit &c. ita ut maneat trium illorum recusorum damnatio pristina. 682

Idem mentitur suos libellos de morali Theologia approbatos fuisse ab Alexandro VII. item, se ob id non Censuras & pœnas, sed præmia & munera retulisse à Sede Apostolica. 683

Ostenditur, eundem violasse Decreta Apostolica triplicis generis, scil. 1. de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ. 2. Acta Congregationis sub Clem. VIII. & Paulo V. de auxiliis habita, contra prohibitionem Innocentii X. allegare audeat. 3. quod eludat Decretum Pontificium hoc, decens, talia esse tantùm decreta pro Urbe 683

Synopsis Alphabetica convitiorum in P. Theophilum. 120

Bassæus.

Mirum est eos, qui bysso vestiuntur, Bassæo Capellano Doctori laxitatem exprobrare. 118

Bellum.

Bellum inferri non potest à Principe juxtà nostros Auctores, nisi habeat opinionem probabiliorem. 193

C.

Calumnia.

AN calumniam calumniæ reponere licitum sit, nec injustum? 422

Calumniæ Jesuitis impositæ à Valeriano & Kornbluth earumque refutationes. 442. usque ad 449

Calumniæ in Alexandrum VII. 448

Cambium.

Ista propositio, Cambium Recursæ non est usurium an sit probabilis? 116

Cambia Recursæ & plateale, in quibus non nisi ficta fit pecuniarum trajectio, eorumque continuo, iniquitatis & usuræ convincitur. à pag. 260 usque ad 277.

Canones.

Canones antiqui servandi. 434

Nulli Canones contra opinionem probabilem faciunt. 61

Qui opponunt nobis Canonum enervationem, eos non servant. 207

Caramuel.

Caramuelis causa exponitur. 473

Occasio Dialogi XI. cui nomen Caramuel, amicitia Caramuelis cum Jesuitis. 237

Casuista.

An Casuistarum sit nimia multitudo. 413

Quibus de causis obscœnas quæstiones discutiant Casuistæ, præsertim circa conjuges. 428

Casuistis falsò imposita diluuntur. 163. 137. & 214

Decisiones Morales ex Casuistis, non ex Patribus petendæ sunt, si loquamur in universum. 398

Redditur ratio, cur Casuistæ non citent SS. Patres omnibus materiis quas tractant. 99

Malè affertur contra Casuistas S. August. 217

Cathechismus.

Catechismum Romanum à Concilio Tridentino approbatus & à Sede Apostolica toti Ecclesiæ propositum, falsò asserit Baro. 118

Censura.

Ut liber censurâ configatur, non est necesse, ut omnia in eo contenta, censurâ digna sint. 448

Certitudo.

Certitudo probabilis, & probabilitas certa non sunt idem. 164

Si certum est prius conjugium, incerta verò prius conjugis mors, secundum conjugium incertum est. Item incertum est matrimonium, si dubitatur probabiliter de impedimento. 171

Certitudo moralis debet præcedere omnem actum honestum. 29. 30. & 193

Potest esse major vel minor. Certi-

Index Rerum.

Compensatio

Damnum in vita, membris, honore, nec potest, nec debet reparari pecuniâ. 354

Damnum famæ pecuniâ compensari posse, non est certò probabile; multò verò minùs, quod illa compensatio occultè fieri possit. 356

Ad occultam compensationem requiritur, ut sit justa, certa, cauta. 358

Conceptio B. Virginis.

Videtur V. Baro existimare, Ecclesiam non posse definire, Conceptionem B. Virginis fuisse immaculatam. 95

Concilia.

In Conciliorum deliberationibus, semper probabilior opinio, & cui plures Patres adhærent, vincit, non tamen idem debet contingere in foro conscientiæ. 61

Aliquot Antiquorum decreta nunquam fuerunt ubique recepta. Perperam igitur aliqui vellent, ut Christiani hujus temporis iis subjicerentur. 395

Confessarius.

An sequi possit opinionem probabilem? 22

Non propterea accipit legem à suo pœnitente. 95

An teneatur sequi opinionem minùs probabilem sui Pœnitentis? 66

Unusquisque habeat jus interrogandi pœnitentem, an peccatum quod confitetur sit ex habitu. 433

An Confessarius possit absolvere pœnitentem, quem sinet denuò lapsurum? 432.

Malè invehitur Illustriss. Fagnanus in Theologos, qui docent, non posse Confessarium uti ergà pœnitentem invitum opinione minùs probabili, sed tuciori. 197

Imerentò vitio vertitur Suari, quod dicat, Confessarium debere credere pœnitenti; si ab eo interrogatus, utrum doleat de peccatis, id verbulo affirmet. 211

Ramus non probatur cùm dicit, pœnitentem à Confessario interrogatum non teneri dicere peccatum cujus se accusat, esse consuetudinis. 212. & 618.

Confessarius tenetur absolvere pœnitentem, qui practicè probabilem sententiam tenet, 515

Tenetur pœnitentiam per modum præcepti imponere. 375

Quàm difficilè munus Confessarii. 377

Confessio.

Thomistæ Confessionis absenti factæ sententiam defendunt; Suarez contrariam docuit. 112

Signa absente Sacerdote ab ægroto edita, ac deinde Sacerdoti renunciata sunt, materia probabilis confessionis. 117

An pœnitens teneatur confiteri circumstantias aggravantes, quæ speciem non mutant. 431

Non potest pœnitens recusare pœnitentiam sibi impositam à Confessario. 85

Peccata dubia an & quæ in confessione exponenda. 378. usque ad 382

Peccata oblita oportet posteà, cùm memoriæ occurrunt, subjicere Clavibus. 382

Si quid contingat jam ad S. mensam existenti, probabile est, teneri per se loquendo recedere & confiteri prius; ab hoc tamen facilè excusat quælibet justa causa ut notabile incommodum, scandalum, scrupulus, &c. 384

Qui peccatum dubium, aut numerum peccatorum incertum subjicit clavibus, posteà factus certior, non tenetur iterum confiteri ex aliquorum sententia probabili; quæ tamen nec suadenda, nec damnanda pro praxi. ibid.

Conscientia.

Conscientiæ definitio. 9. & 163

Error duplex in conscientia erronea, scilicet in objecta, & in modo, quo intellectus tradit in objectum. 39

Conscientia erronea quid sit. ibid.

Quando error est inculpabilis, errantem conscientiam sequi licet. 40

Conscientia erronea de duobus oppositis nascens ex errore invincibili, eximit culpæ. 42

Conscientia dubia definitur. 43

Aliquando obligat. 43. 44

In quibus casibus? 44. 45.

Conscientia scrupulosa definitur, licet contra eam operari, & quare. 47. 48.

Conscientia certa esse debet. 29. 30

Et ratio 8^a non benè responderi demonstratur. 72. 73

Conscientia probabilis speculativè est practicè certa. 10.

Quomodo differt judicium practicum à speculativo. ibid.

Dictamen conscientiæ formaliter sumptum & immediatè directivum humanæ operationis. 156

Contractus.

Tituli sex, à quibus aliquid suprà sortem accipi potest: sed ex mente Auctoris duo sufficiunt, scilicet contractus Societatis, & Census utrinque redimibilis ad præfixum tempus. 210. 414. & 416

Utriusque contractûs æquitas seclusâ lege positivâ; & attentâ saltem lege naturæ demonstratur. 418

Circumstantiæ ad contractum Societatis requisitæ facilè adesse possunt. 413

An Contractus *Mohatra* dictus sit usurarius 420. & 667.

Contritio.

Contritionem ad Sacram. Pœnitentiæ esse necessariam minus est probabile. 2

1. Opinio Bajanorum, quod Contritio perfecta non sufficiat ad justificationem, est vel hæretica, vel erronea: 2. quæ in Sacramento requirit contritionem perfectam, si non erronea, saltem improbabilis est. 3. quæ aliqualem dilectionem cum attritione in Sacramento Pœnitentiæ requirit, nullam censuram meretur. 363

Dilectionem illam, quam Trid. sess. 6. c. 6. inter dispositiones requirit, non esse Charitatis, sed Spei, probatur, & sufficere attritionem cum Sacramento. 365. & 366

Nisi obstaret decretum Alex. VII. dicerem esse hoc certum. 621

D.

Defensio justa.

AN falsum accusatorem, falsos testes, & corruptum Judicem clàm liceat occidere. 411

Vim injustè illatam quivis repellere potest, dummodò legitimo modo fiat. 341

Neque hæc defensio est vindicta, quia non vindicat primam illam injuriam aggressoris, sed impedit, ne majorem inferat, neque enim intenditur læsio invasoris. ibid.

Qui se defendit ideò ut occidat, homicida est; qui verò hoc non potest, nisi per accidens occidendo Invasorem, innocens est. 342

A privata defensione abstinendum, quoties publicâ auctoritate injusta vis repelli potest, quod multò magis & semper faciendum quoad reparationem illam injuriæ. ibid.

In praxi non nisi certis & probabilioribus sententiis standum est, cùm quæritur vel de ultimo supplicio auctoritate publica Reis inferenda, vel de vita in-

Index Rerum.

justo aggressori jure justæ defensionis eripienda. 344. 603.
Etiam pro defensione bonorum fortunæ, si magni momenti sint, aggressor occidi potest, servatis debitis conditionibus. 346
Gravis contumelia, attentata quoque repelli potest, occiso etiam injusto aggressore, si aliter arceri nequeat. 348
Tales injurias patienter perferre consilii est, non præcepti. 349
Propter mera verborum convitia & affictam calumniam, nefas est alium occidere. 350
Ad infringendam fidem calumniatoris non licet per calumniam ei affingere quodvis aliud crimen. 352
Imò nec verum crimen occultum, quod probari in foro externo non potest. 353
Non tantùm pro vitæ & pudicitiæ, sed etiam pro bonorum & honoris defensione licere aggressorem occidere, demonstratur contra Jansenitas. 639. & seq.

Dialogus.

Melius per dialogum, quàm per methodum Scholasticam doctrina traditur. 28

Diana.

A Caramuele defenditur seseque defendit. 223

Directio Intentionis.

Actionem ex se indifferentem bonam vel malam facit. 408

Dispensatio.

Episcopum cum subditus, qui ob paupertatem ad urbem non possunt accedere dispensare posse in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non docuit Sanchez; & quibus in circumstantiis hæc opinio sit probabilis. 203
Immeritò accusatur Th. Sanchez quod dixerit, probabile esse dispensationem subreptitiam non esse, inter consanguineos vel affines, reticitâ copulâ inter eos antè vel post matrimonium habitâ. 105
Idem malè suggillatur, quod docuerit, Episcopos ex magna necessitate dispensare posse ante matrimonium contractum in impedimentis dirimentibus. 206

Divinatio.

Th. Sanchez non docuit, Bullam Sixti V. contra Astrologos non obligare in foro conscientiæ, ut ipsi immeritò exprobratur. 206. & 207.

Divinator.

Tenetur ad restitutionem accepti pro divinatione, si solùm consuluit astra; secùs tamen si Dæmonem, quamvis gravissimè peccet. 210

Doctor.

Doctoris unius auctoritas an faciat opinionem probabilem. 3. 4. & 6.
Quas doctes habere debeat Doctor, ut faciat sententiam probabilem. 4
Quænam scire debeat Doctor Moralis Theologiæ. 5

Dominicani.

Dominicanorum querelæ discutiuntur. 474

Dubium, Dubius.

Dubium aliud propriè & strictè sumitur, aliud latè. 43
Dubium Juris & dubium facti definiuntur. ibid.
Quandònam sit aliqua obligatio cum dubio facti? 44 & 45.
Et cum dubio juris. 46. 57. & 58.
Dubia obligatio certam executionem non postulat. 399
Qui dubius est, an sit excommunicatus, non debet se gerere pro excommunicato. 171
Idem tamen non debet citrà necessitatem celebrare. ibid.
Dubius de peccato mortali, debet petere absolutionem. ibid.
Dubius an lex sit usu recepta, non tenetur eam servare. ibid.
Dubius die Jovis an media nox transierit, potest comedere carnes; secùs die Sabbathi. ibid.
In dubio Juris non tenemur partem tutiorem sequi, respondetur objectionibus quæ contra hanc. 176. & 177.
Hoc principium, in dubio tutior pars est amplectenda, quomodo intelligendum sit, ex Caramuele. 177
In dubio, an, & quomodò tutior pars sit eligenda. 77
Respondetur SS. Canonibus, qui opponuntur. 78
Dubium positivum distinguitur à negativo. ibid.

Duellum.

Acceptationem Duelli licitam esse, non docent Doctores nostri. 209
An possit duellum acceptari? imò & offerri? 421

E.

Ecclesia.

Ecclesia nec falli potest, nec fallere. 455
Ostenditur falsitas demonstrationis Kortholti, quod nempè Ecclesia hodierna Romana non sit vera Dei Ecclesia. 456
Refellitur argumentum Kortholti, quo probare voluit, Ecclesiam Rom. non esse veram Ecclesiam, quam in Symbolo Apostolico confitemur, à pag. 447. ad 451.
Ecclesia Romana sancta dicitur multis nominibus. 448
Potest Ecclesia definire, & credenda fidelibus proponere, quæ non credebantur explicitè ab antiquis fidelibus. 54

Eleemosyna.

In necessitatibus ordinarii divites non obligantur sub pœna peccati ad dandum superfluum. 400
Si necessitas extrema supponatur, tenemur dare de superfluo vitæ, ac necessariò statui: si gravis de superfluo statui de præsenti & futuro, proximè & justè augendo. 401. 598. & 628.

Emanuel Sà.

Malè accusatur, quasi dicat, eum qui perdidit authenticam Scripturam, posse similem aliam efficere, & quodnam hoc sit peccatum. 200
Ejus Aphorismi à Magistro S. Palatii alicubi notati, sed non nisi unicus de absolvendo absente postea à Clemente VIII. confixus fuit. 519
Epistola Celsissimi Principis Ernesti ad Valerianum scripta, in 4. partes divisa. 452. & seq.
In prima parte agit de sua Conversione. 453
In secunda, de offensa P. Valeriani in P. Rosendalium & Societatem Jesu. 454
In tertia parte, de causa discessus PP. Capucinorum ex oppido S. Goaris. 458. & seq.
In quarta diluit objecta sibi & Jesuitis à P. Valeriano in illius Apologia. 462
Studium Celsissimi Principis Ernesti ergà Religionem Christianam, Ordinem Capucinorum & Societatem Jesu. 460

Error

Error communis & titulus coloratus conferunt sacerdoti jurisdictionem. 83

Excommunicatio.

An Religiosus Excommunicationi subjiceat, qui vestem deponit, ut ad lupanar se conferat. 403

F.

Factum.

Factum Oenipontanum discutitur & dissolvitur. 471

Facti quæstiones quænam ab Ecclesia definita sint de fide, quæ non? 662. & 664

Illustrissimus Fagnanus.

Fagnanus novis argumentis opinionem probabilem non impugnavit. 234

Fagnani Elenchus suprà ducentas falsis citationibus corruptus est. ibid.

Rationem reddit Auctor, cur audeat impugnare Illustrissimum D. Prosperum Fagnanum. 162

Quibus in materiis ex Fagnano licitum sit sequi probabilem opinionem 163

Carpitur à Caramuele Fagnanus tanquam in Theologicis parùm versatus. 224

Fagundez.

Fides sugillatur, quasi dixerit, per Confessionem voluntariè nullam, satisfieri præcepto. Hæc autem opinio, quæ est Antiquiorum, non est improbabilis. 200

Famulus.

Ubi ista propositio tribuit Castropalao; Famulus qui submissis humoris scienter adjuvat herum ascendentem per fenestram ad stuprandam Virginem & non peccat. 201

Feudum.

Feudi oppignorati fructus an teneatur Dominus in sortem computare. 255

Fur.

Ponitur Reginaldo & Molinæ, cum iis ista affingitur opinio, Clericus, si res ei furreptæ excedant valorem trium, quatuor, aut quinque ducatorum, potest sine peccato & & incensu irregularitatis occidere furem: Multæ enim conditiones addendæ sunt, & adduntur à Molina, ut hæc opinio sit probabilis. 202

G.

I. B. Gonet.

Obvenale suffragium pro libro Wendrockii, rescripto Concilii secretioris à docendi munere Burdegale amotus est. 667

Gula.

Gula ex genere suo est peccatum veniale. 426

An peccatum mortale sit, usque ad vomitum se cibo & potu implere? ibid.

H.

Hæreticus.

Hæreticum nominasse, refutâsse est. 122

Epitheta hæreticorum, quæ Jansenianis præcipuè conveniunt, ex SS. Ignatio M. & aliis Patribus, 639

Homicidium

Iste quempiam occidi, ut alapa vel percussio immediatur, quo sensu probabile sit? 207. & 411

Illum est doceri à Nostris, Religiosum posse Invasorem occidere. 208

Delinquentem postquàm impegit alapam occidere, non Nostri docent, sed alii multi. ibid.

Illum accusatorem, testes, Judicem occidi posse, quando aliter oppressio Innocentis vitari nequit, Tutum est & improbabile, & quo sensu aliqui docuerint licere? ibid.

Jure occidi posse eum, qui dicit, *Mentirè* non docet ullus ex Nostris. 209

Horæ Canonicæ.

Immeritò vitio vertitur Casuistis, quod dicant impleri præceptum recitandi Horas Canonicas absque interna devotione. 197

I.

Iansenitæ: Montaltius: Wendrockius.

WEndrokii &c. Jansenitarum error refellitur, quod nulla opinio probabilis à parte rei falsa eximet culpæ. 503

Idem cum sociis suis Muliercularum judicium in rebus moralibus, plerorumque Theologorum judicium postponit. 512

Leges Ecclesiasticas, præter ceremoniales abrogari non posse asserit idem, & hoc errorem Montani & Donati redolet. 512. & 517. & 518.

Error eorundem de pœnitentia publica, & antiquæ Ecclesiæ disciplina rejicitur. 520

Iidem Constitutiones Apostolicas & concilium Tridentinum impunè rejiciunt & impugnant; & tamen Jesuitis per insignem hypocrisin & calumniam exprobant SS. Canonum contemptum, quamvis eo sint animo erga S. Sedem & Consilia, quem nonnulli Politici immoderatum perperam judicant. 528

Montaltius & Wendrockius plagium admisere ex Molinæo Calvinista, libro de Traditionibus Romanis demonstratur. 585

Et pag. seq. quomodo ferè in omnibus cum Calvinistis conspirent.

Horrendas calumnias in Jesuitarum Moralem refert. 587

Diabolum præ superbia puderet, tam incredibiles calumnias spargere, uti Jansenitæ in Jesuitas sparserunt ibid. & 610. 623. 624. 625. 638.

Cur Jansenitæ tam rigidi in Sacram. Pœnitentiæ, 619. & 626.

Eorum crimina minimè à Jesuitis asserta, sed verissimè admissa. 554

Eorum error de gratia efficaci nervosè refellitur. 557

Totius doctrinæ Jansenisticæ compendium XV. propositionibus includitur. 558

Solvitur eorum argumentum contra potentiam proximam non peccandi 572

Gratiam sufficientiam Thomistarum ridiculè iidem exagitant. 575

Jansenianæ hæresis processus summatim describitur. 637

Jansenius pro suorum errorum defensione dixit, Ecclesiam majoris mali vitandi causa, tolerare communes Theologorum opiniones suis contrarias. 593

Jansenitarum confœderatio cum Calvinianis præcipuè circà ven. Sacramentum demonstratur. 649. & seq.

Eorum errores ex propriis libris confutari possunt, eò quod contradictoria asserant, ut patet exemplis. 653.

Eorundem horrenda convitia in Jesuitas 653. seq.

Tanta copia librorum Jansenisticorum ab Ecclesia confixa est, ut Bibliothecam implere possit. 654

Effugia eorundē, & pertinacia in defensandis quinque damnatis propositionibus: item in quantum ipsi cum Calvino concordent & discrepent, accuratè

& perspicuè explicatur à pag. 656. usque ad 663.
Montaltii litteræ Provinciales, Wendrokii Notæ, & Disquisitiones Irenæi, Decreto Provinciæ à Carnifice combustæ, à Concilio status & Sorbona, tanquàm digna pœna libellis famosis & hæreticis debita, judicatæ sunt. 669
Recitantur ibidem & pag. seq. Tenores prædictorum Decretorum.

Iejunium.

Obligationes jejunandi ab Escobar relaxari, falsum est. 211
An Relioſus ex Ordine Minimorum factus Episcopus, à victu Quadragesimali, quem voverat, liber sit? 406
Lepida historia de quodam, qui Casuistas accusabat quod jejunii leges relaxâssent. 196
Jejunii leges Nostri non relaxârunt. ibid.
Qui in persequenda libidinosè puellâ vires exhausit, jejunio non tenetur. 399. & 514
Defenditur sententia, non teneri ad jejunium, qui dormire nequit. 588

Iesuitæ.

An Jesuitæ laxiores sententias doceant? 241. & 433.
Suarez antiquis Theologis strictior, ut Thomas Sanchez aut quis Canonistis. 434
Falsissimum, Morum corruptelam à Jesuitis induci, easque homicidium, usuram, simoniam, furtum, &c. licita esse pronunciare. 214
Falsum est, quod Jesuitæ Caramuelem accusarint hæreseos apud summum Pontificem, & quod carcerem ac mortem illi inferre studuerint. 473
Jesuitæ reverentur viros literatos ibid.
Falsum est, Jesuitas contentiones agitare cum aliis Ordinibus, condere articulos Fidei, scandalo esse Christi fidelibus, &c. 375
Ita Jesuitæ S. Scripturam legunt, ut reliquos libros non proscribant more Calvinistarum 394
Jesuitæ legunt SS. Patres. 395
Quo sensu Moralis Jesuitarum sit pagana. 397
Jesuitæ accusantur invidiæ. 476
Ambitionis, dominandi libidinis, sed falsò. 477
Accusantur ignorantiæ. 479
Diluitur illa criminatio à gravissimorum Auctorum enumeratione, qui scripserunt in qualibet facultate. ibid.
Non prohibetur Jesuitis in decreto Congregationis secundæ, ne Principibus à Confessionibus sint, sed ne in aulis habitent. 478
Jesuitæ Instituti sui minimè sunt degeneres. ibid. & 480.
Nulla est in Societate constitutio, potestatem faciens violandi aliquando sigillum confessionis. 478
Religiosi Societatis emissis votis simplicibus, non verò professione solenni, retinent bonorum actuale dominium, sed ligatum. 479
Docendi methodus Jesuitarum est bona. 479
An sint prædivites ut vulgus jactat. ibid.
Jesuitarum reverentia erga S. Augustinum. 484
Jesuitæ neque factis, neque verbis, neque scripto, habendi sunt corruptores morum. 483
Non sint impertiti rei Didascalicæ, & Asceticæ. 484
Non juraruntin verba sui Molinæ. 483
Nullam hæresin cuderunt, aut defenderunt, 485
Illis sine causa objicitur Superbia. ibid.
Triarecensensentur inter Catholicos hominum genera, de quibus Jesuitæ expostulant, Primum est Æmulorum. 486
Secundum eorum, qui alieno ab eis sunt animo. 488
Tertium eorum, qui nec Jesuitas viderunt unquam, nec libros lustrarunt. 486
Jesuitæ sua non jactant, nec ad honores, sed ad labores & cruces pro Christo aspirant, si forte paucos excipias. Quilibet Ordo habet suos Nebulones &c. 611
Jesuitæ sunt Jansenistis per omnia contrarii, Polus polo magis non est oppositus. 607
Artem æquivocandi non Jesuitarum, sed Jansenitarum esse, ostenditur illustri dicto Abbatis Sancyrani. 615
Jesuitæ falsò insimulantur à Vinc. Barone, quod reverenter S. Thomam & Ordinem Prædicatorum fugillent. 683

S. Ignatius.

Vindicatur à calumniis Atheopoli. 476. & seq.
S. Ignatii & quorundam Sanctorum prærogativa 223

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis sæpè excusat à peccato formali. 31. 32.
Quædam consectaria ex illa doctrina. 40
D. Augustini mens explicatur. 41
Cum D. Thoma docet, in iis, quæ pertinent ad eadem & bonos mores, nullum propter ignorantiam excusari, intelligendus est de culpabili. 218.
Ignorantia juris & facti invincibilis peccato carere, secùs vincibilis, crassa & affectata. 397
Non favet sceleratissimis hæc opinio, ut constat experientiâ: non solos Patronos habet Jesuitas, nec repugnat Aristoteli. ibid. & 561
An juris ignorantia invincibilis eximat culpæ 230.

Illiteratus.

Doctoris, quem consulit, sententiam potest sequi 84. 85.

Incofer.

Exitus Melch. Incofer ex Societate qualis. 479

Inquisitio

Inquisitionis sacræ decretis nihil addendum, nihil detrahendum. 68
Nihil decrevit S. Inquisitio contra opinionem probabilem. 68

Intellectus.

Intellectus fertur in suum objectum duobus modis. 1. certò & firmiter. 2. probabiliter & cum formidine. 137
Falsum est, intellectum non determinari à voluntate ad actum opinativum sicut determinatur ad actum Fidei. 147
Intellectus potest assentiri opinioni minùs probabili, relictâ probabiliori. 70
Intellectus datis duabus propositionibus æquè probabilibus, potest assentiri alterutri ex voluntate imperio, & rationes contrariæ diluuntur. 73

Index Rerum.

Interpretes.

Recenſentur aliquot interpres S. Scripturæ è Societate. 93

Invidia.

Invidiam non eſſe pecc. mortale ob proximi bonum temporale conceptam, non docet Baunius. 211

Quodnam ſit peccatum, invidia de bono ſpirituali proximi. 227

Iudex.

An judices poſſint munera accipere? 412.423.605.

An Judex poſſit in quæſtione juris judicare ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliore, etiam contra ſuum ſenſum? 139.17. & 412 605

Sanchez non cenſuit, poſſe judicem omiſsâ probabiliore ſententia ſecundum minus tutâ judicare. 165

Judicis obligatio, quando jus utriuſque partis eſt æquale. 21. & 24

Judicis diverſa obligatio, quando jura ſunt diverſa. 80.

Iudicium.

Judicium practicum & ſpeculativum quid? & an practicum certum eſſe debeat. 227

Reſpondetur argumento, quo à pari probatur, judicium practicum probabile ſufficere, ſicut ſufficit judicium ſpeculativum probabile. ibid.

An ſufficiat judicium practicum, quo probabiliter judicat quis peccatum abeſſe, ut cenſeatur operari prudenter. 229

Iuramentum.

Male accuſantur Filliuc. Sanchez & Leſſius, quaſi dixerint, licitum eſſe jurare falſum, etiam in judicio. 203.

K.

Kortholtus.

Chriſtianus Kortholtus ne Logicam quidem tenet. 436

Ostenditur falſitas demonſtrationis Kortholti, quòd nempè Eccleſia Romana hodierna non ſit vera Eccleſia Chriſti. 437

Univerſam Societatem Hæreſis, & Atheiſmi ream pronunciat Kortholtus. 444

Summum Pontificem eodem crimine inſimulat. 446

Inanis illius argumentum, quo id probare contendit, refellitur. 444 46.47

Refellitur luculenter argumentum Kortholti quo probare voluit, Eccleſiam Romanam hodiernam non eſſe veram & unam illam Eccleſiam, quam in Symbolo Apoſtolorum confitemur. 448

Larvatus Theophilus.

Rom. Pontifex Cæſaris legibus ſubditus dicitur ab Atheophilo. 471

Diluuntur ea, quæ objicit Atheophilus Jeſuitis circa Sacramentorum adminiſtrationem, & pietatis exercitia. 472

Doctrinæ Jeſuiticæ examen ab Atheophilo inſtitutum diluitur. 478

Controverſiæ circa Valerianum ab Atheophilo propoſitæ diſſolvuntur. 481

Frons & Epiſtola ad Lectorem libelli, larvati Theophi examinatur. 469.470

Lex.

Lex dubia non obligat. 58.71.82

Leges non nimis laxè, nec nimis ſtrictæ ſunt explicandæ. 69

Lex non obligat niſi publicata. 396

Diſcrimen inter leges poſitivas & naturales non agnovit Ariſtoteles. 398

Actio ex ſe indifferens, imò fortè bona, mala fieri poteſt propter legis magiſtratuumque prohibitionem. 402

Leges non obligare niſi acceſſerit acceptatio populi, non eſt opinio peculiaris Doctorum Societatis Jesu, non eſt ſcandaloſa, vel temeraria. 199

Non negant Caſuiſtæ, Pontificem poſſe legem condere ita ut minimè pendeat ab acceptatione populi. 200

Libertas.

Sententia quæ aſſerit; Intellectum determinari ab objecto inevidenti ad aſſenſum, derogat libertati. 147

Lovanienſis Facultas.

Lovanienſis Academia parum æquam ſe nobis à tempore Baji præbuit. 214

Propoſitiones aliquot authorum, quas eadem Facultas damnavit, non ita crudè jacent in libris, ex quibus excerptæ fuerunt, ſed debitis circumſtantiis ac reſtrictioribus inſtructæ ſunt; aliæ verò quæ ſunt improbabiles, nullo modo leguntur in noſtrorum libris. ibid.

Lucrum.

An titulo depoſiti, commodati, juſti lucri generatim accipi poſſit aliquid? 256

M.

Matrimonium.

In quo caſu Sanchez dixerit, Principes poſſe ſtatuere impedimenta matrimonium dirimentia, & quorum fretus auctoritate? 206

Medicus.

Medicus quo caſu dubium remedium poſſit dare, ubi purgantur Sanchez, Valentia &c. 165

Non poteſt Medicus uti medicamento probabili, quando habet certum; ſicut Sacramenti adminiſter materiâ probabili non poteſt uti: redditur ratio. 103

Medicus an poſſit dare medicinam probabiliter ſanaturam ægrum. 14

An illa doctrina deroget doctrinæ, quæ aſſerit licere operari ſecundòm opinionem probabilem? 15.19. 88.64

Mechlinienſis Archiepiſcopus.

Qui homo, & quàm intenſus Societatis Jesu. 213

Miſſa.

Miſſam audiri, dum 4. Miſſæ partes in diverſis altaribus eodem tempore celebratæ ſimul audiuntur, falſum eſt ex noſtris. 211

An ſacerdos quo die ſœdè lapſus eſt, rem ſacram facere poſſit. 406

Immeritò vitio vertitur Caſuiſtis, quod dicant, impleri præceptum audiendi miſſam abſque interna devotione. 197

An in audienda miſſa præcepto ſatisfaciat, qui aſſiſtit duntaxat honeſto & reverenti corporis habitu? 2. Etiam cum intentione non ſatisfaciendi? 3. Qui habet impuram voluntatem aſpiciendi libidinosè mulieres. 4. Qui unam partem Miſſæ ab uno Sacerdote, alteram ab alio audit? 5. Qui eodem tempore audit dimidiam partem unius, & dimidiam alterius? vel qui audit 4. partes diverſarum Miſſarum, quæ ſimul celebrantur? 430

Moralis Theologus.

Summâ prudentiâ, doctrinâ, pietate inſtructus eſſe debet. 434

Morum doctrina.

An relaxetur, vel reſtringatur 434

Motivum.

Intellectus non movetur vel determinatur propo-

posito aliquo objecto probabili à motivis sufficientibus ad assensum prababilem, sed à voluntate. 146
Quare, & quomodo motivum movere dicatur, non verò determinare? ibid.

Mutuum.

Nihil in mutuo ratione periculi & suspectæ fidei mutuandi exigi posse, probatur ita efficaciter, ut opposita opinio non sit certò probabilis, ac proin ad praxin reduci nequit. 241. & seqq.
Quomodo ratione damni emergentis? 245
& lucris cessantis. 246
& titulo pœnæ conventionalis. 247
Mutuo accepta pecunia solvi debet juxta valorem quem habuit tempore mutuationis, nisi aliter conventum sit. 248

N.

Necessitas.

EXtrema dat jus aliena rapiendi. 49
Necessitas gravis quando idem concedat. ibid.

Obligatio.

Obligatio dubia non magis obligat quàm lex dubia. 79
Incertus titulus certam obligationem nunquam parit. 176

Obsequium.

Actiones ex se indifferentes cùm justa ex causa fiunt, honestoque ex fine, non vitiantur alterius culpa. 176

Occasio Peccandi.

Cùm occasio proxima peccandi vitari nequit sine aperto discrimine vitæ, honoris, famæ, vel sine gravi bonorum jactura, potest tunc homo in illa perseverare, modò illam directè non intendat. 491
Nullus tenetur illi vitæ generi renuntiare, in quo frequens est peccandi periculum, si facile renunciare nequit. 492
Quodnam intercedat discrimen inter causam & occasionem. ibid.
Conditiones requisitæ ad absolutionem famuli servientis apud hæreticum. 493
An liceat proximi peccatum permittere ex bonofine. vel non auferre occasionem peccandi, licet commodè id fieri possit. ibid.
Quænam proxima? quæ remota. 369
Quando proxima occasio necessariè relinquenda sit, quando non? 370
Quandonam absolvi possit hærens adhuc in occasione proxima peccandi? 371
Causa peccati ab occasione peccandi maximè differt, quòd cum illa nunquam, cùm hac subindè licite quis manere possit. 372

Opinio.

Adulantur Fagnano qui dicunt, eum concussisse principium illud, quemlibet posse sequi opinionem minùs probabilem. 222
Falsa est illa adversariorum doctrina, nullam opinionem probabilem falsam in jure naturali, peccato eximere. 207
Retorquetur à Caramuele in Fagnanum argumentum, quo impugnat doctrinam communem de opinione minùs probabili. 222
Sancti Patres nihil habent contra opinionem probabilem. 98. & 105
Definitio opinionis probabilis ab Auctore allata defenditur contra Baronem. 200
Vitiosa definitio P. Vinc. Baronis rejicitur. 101. & 102
Defenditur distinctio opinionis certo probabilis, ab opinione probabiliter tantùm probabili, 106. 107
Opinio tuta illa est, quæ secluså ignorantia peccatum excludit. 3
Explicatur hæc regula: In dubiis tutior pars est eligenda. 3
Opinio falsa non opponitur probabili. 3
In quo sensu dici possit doctrinam de opinione probabili esse novam. 2
Non debet rejici opinio probabilis, quia illâ multi abutuntur. 69
Ut opinio probabilis sufficiat ab praxim, debet esse verè ac certò probabilis, quod ut fiat, debet constare, motiva proposita esse sufficientia ad assensum prudentem. 141
In Conciliorum deliberationibus, semper probabilior opinio, & cui plures Patres adhærent, vincit, non tamen idem debet contingere in foro conscientiæ. 61
Objecti certo probabilis honestas, non probabilis est tantùm, sed certa. 160. & 161
Ex eo quod certum sit opinionem probabilem esse incertam, male concluditur incertum esse, an sequi eam liceat. 161
Opinio verisimilis distinguitur ab opinione probabili. 74
Opinionem suæ oppositam sequi non licet, nisi utramque vere probabilem esse certo constet. 157
Quibus in materiis ex Fagnano licitum sit sequi opinionem probabilem. 165
Doctrina communis de opinione probabili, nec suspecta est, nec nova, nec si bene intelligatur, à consuetudine Ecclesiæ exorbitans. 171
Certitudinem moralem in opinionis probabilis praxi, haberi non posse, falsum est. 161
Antiquiores Theologos, & Ecclesiæ Patres, stare ab adversariis contra opinionem nostram de opinione minus probabili, omnino falsum est. 214
Opinionis verè & certò probabilis usus, peccati periculo subesse nequit. 165
Usus opinionum probabilium novus non est, deest novus esset, non ideo damnandus ut malus. 226. 227.
Per hoc principium Authoris, quod opiniones illæ non sunt tutæ in praxi, quæ non sunt certò probabiles, nimia opinionum laxitas castigatur, & nimia etiam severitas lenitur. 227
Asserentium nos ad probabiliorem opinionem teneri, opinio est moraliter improbabilis. 119
Omnino probabile non est ordinatum ante Baptelitismum, denuò ordinandum non esse. item Sacramentum Matrimonii à non baptizatis initi. 180
Respondetur vanæ objectioni contra sententiam, quæ ait licere sequi opinionem probabilem. ibid.
Solvuntur argumenta, quibus Illustrissimus Fagnanus impugnat opinionem communem, nempe licitum esse sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, à pag 181. ad pag 199
Authores qui impugnant doctrinam communem de opinione minùs probabili, magis inter se differentiunt quàm nostri. 198
Argumenta petita à Medico, Judice, & Sacramento contra opinionem minus probabilem solvuntur iterum. ibid.
Quam necessaria sit opinio probabilis ad omnem vitæ statum & conditionem. 1
Non omnes opiniones probabiles rejiciendæ ex omnium consensu. 2
Opinio probabilis non opponitur opinioni falsæ, sed improbabili. ibid.
Opinio probabilis potest fieri improbabilis. ibid.

Opiniones quædam quæ fuêre probabiles, sunt nunc improbabiles. ibid.
Certa regula est, opinionum probabilitatem ex præsentium temporum usu censendam esse. ibid.
Opinionis probabilis definitio. 3
Explicatio. 3.4.5
Defensio. 50.51
Opinio probabiliter probabilis, non potest reddere actionem honestam, 12.13
Rationes afferuntur. 13.& 31
Confirmantur. 69.70
Opinio probabiliter probabilis, coincidit cum opinione speculative probabili. 11
Opinio probabilis speculative, an sit probabilis practice. ibid.
Objectiones aliquæ solvuntur, quibus adversari conantur, non licere sequi opinionem probabilem. 14.15.
Medicus, & qui administrat Sacramenta, non potest adhibere materiam probabilem, licet possit sequi opinionem probabilem. 14
Nemo tenetur amplecti opinionem probabiliorem, relicta minus probabili. 15.17.18.& seq.
Objectiones solvuntur. 18.& seq.
An Opinio probabilis sit improbabilis respectu probabilioris. 70
Authoris consilium in toto opere de opinione probabili. 27
Opinio minus probabilis non desinit esse probabilis, licet comparetur cum probabiliore. 33.34
Authores multi qui non sunt ex Societate, asserunt licitum esse sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore. 37
Contraria sententia non est certo probabilis. ibid.
Opinio illorum qui docuere Medicum, Sacramentorum Administrum, Judicem, Advocatum, non teneri opinionem probabiliorem sequi, non est certo probabilis, quod demonstratur. 38
Quinam docuerint opinionem minus probabilem non fieri improbabilem, licet comparetur cum probabiliore. 50
Idem probatur ratione. 51.64
Quam difficile sit discernere, quæ non sit opinio probabilior, demonstratur. 61
Nec S. Thomas, nec Scotus, nec D. Bonaventura, docuere homines teneri ad opinionem magis probabilem. 62
Nec ullis exemplis id evinci potest. 63
Opinionis probabilis vitiosa affertur definitio ab Augustino de Angelis, & refutatur. 52.53
Falsum est, quod duarum opinionum æque probabilium neutra sit probabilis. 56
Quilibet ex modernis facere non potest opinionem probabilem, sed ex antiquis plurimi, ut D. Thom. Scotus, &c. 217
Quinam Authores illustriores, an ii qui communem doctrinam de opinione probabili tenuerunt, an qui contrariam. ibid.
Omnes fatentur opinionem unius Doctoris, etsi sancti, teneri non posse, si ab Ecclesia reprobata est. ibid.
Cum D. Thomas docet in iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullum ex ignorantia à peccato excusari, intelligendus est de culpabili. ibid.
Immeritò Pater Sanchez carpitur, quod dixerit, sibi non placere limitationem Adriani & Cordubæ, qui doctrinam de opinione probabili ad ea restringunt, quæ sunt juris humani, non divini. Neque sequitur, ut vult Fagnanus, ex hac doctrina Patris Sanchez opiniones Arrii & Nestorii fuisse probabiles antequam damnarentur. 227.228
Opinio probabilis esse potest, etiam de iis, quæ deinde ab Ecclesia reprobantur, dum scilicet dubia manent. 218
Sanchez non sibi contradicit dum agit de opinione probabili, nec male citat pro se S. Thomam. ibid.
Verum est solam authoritatem unius Doctoris non reddere opinionem probabilem, secus si is Author habeat rationem æqualis momenti. ibid.
Falsum est opinionem probabilem non esse, cum pro opposita stant totidem Doctores, & rationes utrimque pares. Falsum est etiam in eo casu intellectum alterutram eligere non posse. ibid.
Falsum est etiam opinionem non esse probabilem, si stant pro opposita rationes quidem æquales, sed Doctores licet numero æquales, graviores tamen. ibid.
Conditionum quas Fagnanus apponit, ut opinio sit probabilis, aliæ admittendæ, aliæ respuendæ. 219
Doctrina de opinione minus probabili potest ad praxim reduci sine scandalo. 194
Falsum est quoque eandem doctrinam ledere indies libertatem Ecclesiasticam. ibid.
Falsum est etiam eam doctrinam reddere homines ignavos, & relaxare conscientias, jejuniique legem, occasiones peccandi permittere. 195
Certa probabilitas & certitudo probabilis non sunt idem. 169
Respondetur rationibus & autoritatibus quibus probare nititur Fagnanus, opinionem oppositam doctrinæ communi, pugnare cum gravissimorum Doctorum sensu, circa opinionem probabilem. 167.167.169.
Quandiu aliqua opinio est probabilis, dici nequit, ei oppositam esse certam. 169.170
Solvuntur duo argumenta circa opinionem minus probabilem: primum petitum à paritate duarum lancium inæqualium: secundum, à formis judiciorum, juxta quas duæ semiplenæ probationes plenam constituunt probationem. 170
Non repugnat duas opiniones contrarias ab eodem intellectu probabiles judicari. 171
Respondetur argumentis quibus Fagnanus probat eum, qui duas opiniones judicat æque probabiles, esse de earum veritate dubium. 171.172.173
Qui judicat simul utramlibet opinionem esse probabilem, non ideo judicat alterutram esse licitam & illicitam. 172
Tutiorem opinionem sequi in moralibus non tenemur ex præcepto. Respondetur authoribus quæ contra afferuntur. 174.175
Cum duarum opinionum una dicitur tutior, intelligendum est esse tutiorem materialiter, non vero formaliter. 175
Aliud est opinionem esse absolute probabilem, aliud alicui tantum probabilem videri. 229
Ostenditur communis in praxi Ecclesiastica opinionis probabilis usus. 230
Probatur exemplis licitum esse sequi opinionem minus probabilem. 231
Ostenditur tutum consistere in indivisibili, secus se habet ratio prudentis. 236
Ostenditur necessitas opinionis probabilis. 25
Sine opinione probabili nulla humana societas servari, nulla doctrina moralis tradi potest. Quisquis verò illam damnat, tum omnes Scholasticos, tum morales Theologos damnat. 387
Quænam dicatur opinio tuta, tutior, minus tuta, pro-

probabilis, probabilior, minus probabilis. 388
Quandonam locum habet distinctio opinionis magis aut minus tutæ. 389
Qui judicant tutiorem opinionem esse amplectendam, non modicam perplexitatem hominibus afferunt. ibid.
Describitur copiosus Elenchus Authorum, qui docent nos sequi posse minus probabilem, & minus tutam ex duabus oppositis. ibid.
In quibusdam casibus unius Doctoris sententia communi anteponi potest. 390
Multæ sunt opiniones à nonnullis Authoribus excogitatæ, cæteris refragantibus, quæ nullo modo probabiles censendæ sunt, v. g. cuilibet errorem suum esse probabilem. 433
Multæ sunt opiniones probabiles speculativè, non practicè. ibid.
Discrimen sententiæ ab opinione. 147
Rejicitur confusio opinionis cum falsitate & errore. 350
Observatur specialis quædam opinionis & opinantis acceptio apud Augustinum. ibid.

Ornatus Mulierum.

An licitè mulieres ornare se possint, cùm sciunt inde malos oriri effectus. 428

P.

Papa.

Ostenditur, primatum Papæ ex solo sacro textu sufficienter deduci. 440

Parochia.

Damnati sunt Romæ libelli quidam qui docebant Christianos teneri Parochialem missam audire, & in Parochia confiteri, ut annuo Confessionis præcepto fiat satis. 214

Pietas erga B. Virginem.

Quid censendum de quibusdam pietatis officiis erga Deiparam, quæ nonnulli scriptores docent in suis libris. 425

Pœnitens.

An potest duobus Confessariis uti, altero apud quem mortalia, altero apud quem venialia deponat. 490 & 617
An pœnitens in confessione generali cùm peccatis jam confessis, alia non confessa exponere possit, & eo fine Confessionem generalem instituere, at peccatum, in quod lapsus est ab ultima Confessione, simul cum aliis confiteatur in turbam cæterorum conjectam. 431. & 618

Possessio.

Immeritò impugnatur illa juris Regula, quòd in pari causa melior sit possidentis conditio in omni materia. 176

Prædeterminatio.

Doctrinæ prædeterminantium affinitas cum doctrina hæreticorum indicatur. 96

Probabile.

Probabiles rationes in Theologia morali ex quibus locis petantur. 7
Quod certum est, moraliter probabile dici non potest. 154
Quid probabile juxta Aristotelem. 154
Nihil quod fit contra legem, potest esse probabile imò lex non est pro illis actionibus, pro quibus stat opinio probabilis. 125

Promissio.

Quandonam promissa obligant? & quomodo? 427
Gratuita, si nuda, nec jurata, nec stipulata, neque instrumento publico firmata promissio, non inducit obligationem justitiæ, sed fidelitatis. 311. seqq
Ad ejus calorem requiritur acceptatio. 313

Propositio.

Propositionum vel certarum, vel probabilium quatuor genera. 7
Propositio certò probabilis, non est probabilior certâ. ibid.
Omnis propositio certa reducitur in modalem, & omnis propositio dicit de seipsa, ego vera sum. 14

Prudentia.

Non fertur ad optimum. 65

R.

Reformatores.

Describuntur, qui scil. opera importabilia quæ ipsi digito movere nolunt, aliis portanda imponunt. 229

Regulares.

Falsum est, P. Henriquez docuisse, Regulares posse in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata in Concilio Tridentino; Haec enim opinio jam est prorsus improbabilis. 230. 231

Religiosus.

An Religiosus ejectus teneatur se corrigere, & redire? 407
Non inde censenda religio, quòd in ea non delinquitur. Sed quòd delicta sine pœna in ea non relinquuntur. 384

Restitutio.

Quo sensu Molina docuerit, licere eum, qui restitutionem differt absolvere. 166
Restituenda non esse damna, quæ nobis auctoribus quispiam alteri intulit, nequaquam docet Baunius. 210
Non teneri furem sub mortali restituere summam mortalem per minutiora furta acquisitam, minimè docet Baunius. 211
Communis est sententia etiam antiquorum, neminem teneri jure naturæ vel legum restituere acceptum pro ferenda sententia injustâ. Assistorum. 210
An mereatur, qui fidem & nomina renunciavit, retinere possit ex suis bonis, quantum necessarium est sibi & familiæ ut cum dignitate & honore vivat. 211
An miles, qui conductus ab alio pecuniâ quempiam occidisset, teneatur ad restitutionem? 422
An pauperibus ad gravem necessitatem reductis, aliquid accipere liceat, quod ab sustinendum vitam sufficiat? 174
An fieri debeat restitutio mercedis ex actione turpi? ibid.
An donata in fraudem creditorum restituenda? 438
An judex restituere teneatur ea, quæ accepit pro sententia justa vel injusta. ibid.
Universaliter, non esse restituenda, quæ ob impiam causam accepta fuerant, opere secuto, contra Montaltium demonstratur. 609

P. Ioan. Rosendalius.

Rosendalius Kurtii Calvinistæ libellum refellit, in quo insultabat Catholicis, quòd juxta Valentiam sententiam, primatum Rom. Pontificis ex sacro textu probare non possent. 438
Satyra Barthol. Rutheni contra Rosendalium. 439
Rosendalii virtus & eruditio. 417

S.

Sacerdos.

Falsò accusatur Escobar, quasi dixerit, sacerdotem acceptâ pecuniâ pro missa, alium accipere posse pro sacrificii parte ad ipsum spectante. 211

Sacramentum.

An Sacramenti ministri possit sequi opinionem minus probabilem. 15. 20. 38. Thom.

Index Rerum.

Thom. Sanchez.

Petri Sanchez imponitur, dum accusatur, quòd dixerit, magis esse deferendum Neotorico cuilibet, quàm antiquis. 198

Explicatur, quo sensu dixerit, licere varios Authores consulere, donec aliquem juxta suum desiderium invenerit. 165

Immeritò carpitur idem quod doceat, pœnitentem qui verè probabilem sententiam sequitur, modò cætera adsint, esse dispositum ad beneficium absolutionis à Confessario accipiendum, licet ille oppositum sequatur. 166

Idem Sanchez immeritò carpitur, quòd dixerit, Sacerdotem jurisdictione probabili utentem non peccare, licet minùs probabile sit, eum jurisdictione pollere. ibid.

Sanchez qui sit intelligendus cùm docere videtur, intellectum utrique parti oppositæ simul posse assentiri. Idem sibi non contradicit. contra Castropal. 171.172

P. Sanchez doctrina circa opinionem minùs tutam & minus probabilem defenditur. 164

Eredem Sanchez non licet sequi minus tutam in omni materia. ibid.

Ejusopus posthumum Consiliorum non est ita elaboratum, ut alia. 285

Ioan. Sancius.

Eruditus & ingeniosus, licet ejus (uti & Caramuelis & Dianæ) non omnes sententiæ probabiles sint. 515

Scientia Media.

Non est nuperum inventum, sed antiquum. Illam non invenerunt, sed illa abutebantur Pelagiani & Semipelagiani. 95.96

Scioppius.

Gasp. Scioppii odium in Jesuitas. 469

Scriptura Sacra.

Sacra Scriptura perperam accepta vel intellecta, multis est errandi occasio. 394

Sacra Scriptura est certa Fidei Regula, sed non viva. 437

Sensus.

Sensus proprius damnandus est, cùm juri repugnat. 162

Simonia.

Non est vera simonia, quamvis sit peccatum grave, temporale pro spirituali promittere, sine animo illudi promissis. 210

In quo consistit Simonia. 402.319.539

Hoc vitium in Gallis altas radices egit in aliquibus Provinciis. 539

Sanctè illi quæstioni, utrum Beneficiarius pro resignato Beneficio 3000. nummûm accipere possit? 402

Idem est adæquare rem spiritualem pretio ac vendere, non verò ac existimare, non pluris valere quàm temporalem. 403

Ad Simoniam contra jus divinum requiri, ut interveniat ratio pretii, probatur ex gravissimis Auctoribus, & ostenditur, D. Thomam non esse in contraria sententia. 403

An sit Simonia, si duo Religiosi inter se paciscantur, tu tuo suffragio me fac Provincialem, ego te vicissim Priorem faciam. 388.404

Labor extrinsecus in sacris actionibus vendi sine Simonia potest, non verò intrinsecus. 320

Licitè venditur temporale v.g. Calix, quia temporalitas non fundatur in spirituali: Vice versa in Beneficio non potest vendi temporale, quia temporalitas fundatur in spirituali, scil. in titulo, officio, ibid.

Qua ratione possint absque Simonia vendi Officia Ecclesiastica cum jurisdictione spirituali conjuncta? 322

Sine Simonia fieri potest collatio Beneficii, assignatio pensionis, ejusque redemptio. ibid.

Definitio Simoniæ explicatur. 323

Simonia juris Ecclesiastici non est vera Simonia, sed tantùm præsumpta. ibid.

Præcipua difficultas discutitur, an vera Simonia dicat rationem pretii temporalis. 325. & seqq.

Simonia non est, si quis nullo modo velit æquare spirituale temporali, nec credere, quicquam temporale pretium rei spiritualis esse posse, & rem spiritualem dandam meræ gratitudinis causâ pro temporali accepta, aut vicissim, nullo tamen pacto prævio. 327

Quotiescunque datur spirituale pro temporali aliquo titulo honesto, v.g. Gratitudinis, oblationis, stipendii &c. non resultat relatio pretii, & sic nulla Simonia; si verò omnis alius titulus absit, haud dubiè resultat ratio pretii, & consequenter est Simonia. 329

Si temporale detur solo intuitu obtinendi spirituale, vel spirituale solo intuitu recipiendi temporale, licet de pretio nullatenus cogitetur, ea intentio omnino ad Simoniam sufficit. 330

Redimere vexationem non est Simonia. 334

Omnis transactio, quâ dimittitur spirituale pro temporali, est Simonia. 335

Societas IESV.

Non modò flores, ut vult Baro, hucusque tulit Societatis Jesu, sed fructus uberrimos. 144

Sodalitates.

Jesuitarum Sodalitates sunt Religiosorum Ordinum seminaria. 473

Sors.

Aliquid supra sortem percipi non potest ratione periculi, si ordinarium sit tantùm. 415

Quid censendum de sententiis, quibus creditori lucrum supra sortem à judice adjudicatur. ibid.

Stuprum.

An qui Virginem consentientem corrumpit, peccet contra justitiam? 427

Suarez.

An Suaris interpretatio de Clem. VIII. decreto, posterioribus decretis labefactata sit? 114

Superfluum.

Quot modis aliquid dicitur superfluum, aut necessarium? 400

P.

P. Tamburinus.

WEndrokius iniquè reducit omnem Jesuitarum doctrinam moralem ad P. Thomæ Tamburini sententiam, quâ vult incertam probabilitatem sufficere, reliquis omnibus Jesuitis refragantibus. Una hirundo non facit ver. 681

Theologia.

Semper impugnata fuit Theologia Scholastica ab hæreticis. 89

Per calumniam ea Theologis moralibus imponuntur, quæ S. Augustinus Academicis exprobrat. 156

Theophilus Raynaudus.

Raynaudus pro Summo Pontifice multa scripsit. 110

Baro fingit Theophilum asseruisse, Suaris nomen satis auctoritatis habere, ut possit probabilem, & etiam certam opinionem constituere, cæteris Auctoribus reclamantibus. 113

Raynau-

Index Rerum.

Raynaudus nullum edidit librum in Dominicanum Ordinem. 131
Ejusdem commendatio! 132
Idem Jansenistis maximè formidabilis. 529

D. Thomas.

D. Thomæ nullus Doctorum, qui eum secuti sunt, æquiparari potest: in multis tamen fuit ejus summa à recentioribus mirificè illustrata, & aucta. 225

Tutum.

Tutius eligendum, quando pars altera non est tuta. 81
Tantùm abest, ut tutior sit Baronis sententia, quæ stat pro lege, imò hanc assertionem periculosam esse demonstratur. 125

V.

Valerianus.

VAleriani Panegyricus ab Atheophilo, & Satyra in Jesuitas eodem stylo adornata. 469
Refellitur. 470
Denunciatio Valeriani in Societatem chimærica. 481
Valerianus summâ injuriâ Jesuitas affecit, dum illos infamavit. ibid.
Valerianus in carcerum jure detrusus. ibid.
Sententia Alex. VII. in Valerianum. 482
Valerianus an Theologus & Missionarius Apostolicus, de luce librum ediditipsis tenebris obscuriorem, de vacuo alterum, omni ratione vacuum. 437
Valeriani apologia chimærica est. ibid.
Falsum est, Jesuitas illam supprimi curâsse. ibid.
Congressus Rheinfeldæ inter Haberkornium Lutheranum & Valerianum Capucinum. 438
Error Valeriani & Kortholti confundentium infallibilitatem Summis Pontificis cum ejus Primatu. ibid.
Dubitatur, an Valerianus fuerit Apologiæ suæ auctor. 441
Valeriani Apologia calumniarum sentina. 442
Justitia Summi Pontificis in Valerianum. 443
Valerianus à nullo unquam Jesuita hæreseos accusatus fuit. 445
Capita ex quibus odium Valeriani contra Jesuitas ortum duxit. 460
Valeriani detentio Viennæ ex mandato Summi Pontificis. ibid.
Valerianus malè audiebat apud Suum P. Generalem. 461
Ejus arrogantia & audacia. ibid.
Valeriani odium in Jesuitas. 461. 465 &c.
Jesuitas Atheismi & hæreseos insimulet. 465 &c.
Valerianus Confessor. 462. &c.
Nullæ unquam impusturæ Valeriano à Jesuitis effictæ sunt. 466
ibid.

Vasquez.

Falsum est, Vasquem doctrinam de opinione minus tutâ extendere ad omnem materiam. 164

Via arcta & lata.

Explicatur, quòd significet in Evangelio viam arctam & lata. 60. 69

Votum.

Votum dubium non obligat. 44

Usura.

Peccatum esse demonstratur. 191
Salmasius & alii hæretici ineptæ usuras defendere conantur ex eo, quod mutuatarius accipiat tantùm usum juris; hic autem à dominio pecuniæ minimè distinguitur. 201
Quandonam usuræ labes contrahatur? 214
Usuræ species. ibid.
Quo spectent Gallica statuta de usura, præterea Ludovici XII? 215

Uxor,

An uxor licitè possit maritò suo pecuniam subripere ad ludendum, comparandas vestes, aliaque hujusmodi? 450

FINIS.

Lectori Benevolo Typographus.

CVm præter spem, tam Authoris, quàm Typographi, quidam errores irrepserint, præcipuos (qui Lectorem in legendo turbare possent) hic addidi, cæteros parvi momenti, pro sua humanitate, facile emendabit Lector benè faxens.

Pag. 1. col. 1. l. 40.	dissentionibus lege	dissensionibus.
col. 2. l. 36.	notitiones	notiones
p. 4. c. 1. lin. 65:	indicarent	judicarent
p. 5. col. 1. lin. 24.	principium	principum
l. 40 soli subd.		sibi subditos
col. 2. lin. 17.	probata	probatæ
p. 8. col. 2. lin. 3,	altro	ultrò
p. 9. col. 1. lin. 55.	divi pt.	dici pt
p. 10. col. 1. lin. 46.	ceu	seu
p. 11. col. 1. lin. pen.	quid enim,	quæso te intell.
2. lin. 7.	probabiliter	probabiliter
p. 12, c. 1. lin. 67.	indicare	judicare
p. 13. col. 1. lin. 20.	disputam	disputem
p. 14. col. 1. lin. 33,	hoc dubiè	haud dubie
2, lin.	rationem non contemnendam.	NB.
	non omissum est.	
p. 16. col. 1. lin. 65.	tua esset	tuta esset
p. 17. col. 1. lin. 28.	adhibite	adhibita
p. 18. col. 2. lin. 16.	amplectamur	amplectatur
p. 19. col. 2.	moderat; ben.	moderata ben
2. *post*	digniori,	*addatur* vel
p. 25. col. 1. p. 40.	*dele* veram, & *in fine ejusdem*	*lineæ addatur* simul.
lin. 25.	*dele* unum &	
col. 2. lin. 9.	cantrat	contrarium
lin. 64,	conculcatur	inculcatur

APOLOGETICI
PARS ALTERA,
IN QUA CONTINENTUR;

I. R. P. Stephani de Champs, QUÆSTIO FACTI, utrùm Theologorum Societatis Jesu propriæ sint duæ istæ sententiæ, Prima: *Ex duabus Opinionibus probabilibus, possumus sequi minus tutam.* Secunda: *Ex duabus Opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus tutam.*

II. Responsio ad quædam Recentiorum argumenta de Opinione Probabili, Autore P. Martino de Esparsa, Soc. Jesu.

III. Supplex libellus Amadæi Guimenii ad S. Congregationis Indicis Eminentissimos ac RR. S. R. E. Cardinales.

IV. R. P. MATTHÆI de MOYA, Soc. Jesu, in Complutensi Collegio, quondam sacræ Theologiæ Scholasticæ, & indè in Imperiali Matritensi pro Scholis Regalibus, Facultatis Moralis Primarii Professoris, &c. SELECTÆ QUÆSTIONES, ex præcipuis Theologiæ Moralis Tractatibus, de Opinione Probabili, de Religione, de Pœnitentia, de aliis Sacramentis, de Censuris, & ex aliis Miscellaneæ.

V. Germana doctrina P. Thomæ Tamburini, asserta à Lucio Sanmarcio, contra Vincentium Baronem.

VI. Ludovici Carterii Vocontii, justa expostulatio de P. M. Xantes Mariales Ordinis Prædicatorum, Authore Bibliothecæ Interpretum D. Thomæ quatuor voluminibus distinctæ, Venetiis editæ An. 1660. & per antichronismum An. 1638.

VII. Epistola P. Honorati Fabri ad Vincentium Baronem, in qua contra Ludovici Carterii librum à Barone scripta, ut breviter, ita efficaciter refutantur.

SYNOPSIS,

EORUM, QUÆ IN SINGULIS HUJUS PARtis Secundæ Tractatibus continentur.

REVER. P. Stephani de Champs Quæstio Facti, &c. fol. 3.

CAPUT I.

Quæstionis status explicatur. ibid.

CAPUT II.

Qualem observanda circa Auctores, quorum testimonia deinceps recitabuntur. 4

CAPUT III.

Sententias illas tuentur Episcopi, ex Veteribus plurimi, ex Recentioribus omnes planè, qui abhinc annos centum controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur. 5

CAPUT IV.

Priorem sententiam veteres Theologi Parisienses solemni decreto approbant: utramque omnes omninò Doctores Sorbonici, qui hoc sæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt, ex professo examinant, atque defendunt. 7

CAPUT V.

Utramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi, Recentiores verò fere omnes, incredibili consensu propugnant. 8

CAPUT VI.

Pari consensu doctissimi ex aliis Religiosis Ordinibus Theologi easdem opiniones tuentur. 11

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores, easdem sententias tenent. 15

CAPUT VIII.

Concluditur sententias illas, quamvis à doctissimis quibusque Societatis Iesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: immò Societati Iesu propemodum singulare fuisse easdem opiniones, tum variis modis temperare, tum etiam penitùs oppugnare, 17

Pars II.

APPENDIX.

Ad quæstionem de usu licito Opinionis Probabilis.

PARS PRIMA.

DE argumentis noviter adinventis. pag. 22

Argumentum Mercori, ex opinione probabili primorum parentum, circà præceptum sibi impositum. ibid.

Ostenditur primos parentes, nullâ protectos probabilitate, peccasse. ibid.

Aliud ejusdem auctoris argumentum ex peccato Saulis, parcentis Amalec. 24

Inobedientiam Saulis omni prorsus probabilitate destitutam fuisse, multipliciter demonstratur. 25

Aditus ad argumenta Sinnichii, adversùs usum licitum opinionis probabilis. 26

Observatio prima adversùs Sinnichium de probabilitate veritati contra posita, & de opinione cum errore confusa. 28

Observatio secunda de ulteriori Sinnichiana confusione opinionis & ignorantiæ cum vitio, & peccato. 29

Observatio tertia adversùs Sinnichium, de via angusta comparata cum jugo suavi. 34

Observatio quarta adversùs Sinnichium; non magis reprehendi in sacris literis nimis laxantes, quam nimis stringentes. 36

Observatio postrema de infidelitate, & ignorantia pravæ dispositionis vincibili, & affectata, reddita per Sinnichium probabili. 39

Proponitur argumentum Marinarii ex Academismo, 44

Cui nil est certum, nil esse probabile; & probabile Catholicorum toto cœlo differre à probabili Academicorum. 45

Tres insuper annotationes circà Academismum. 48.

Removetur scrupulus Marinarii quoad assensum opinantis. 49

Proponitur, ac diluitur difficultas ex definitione probabilis per plerumque contingens. 51

Expenditur Aristotelica alia probabilium definitio, 55

PARS SECVNDA.

De argumentis ex defectu libertatis opinandi, 57
Reproducitur argumentum ex defectu liberatis ad speciem actus opinativi. ibid.
Exponitur testimonium Philosophi de necessitate opinantis. 59
Proponitur secundum & tertium argumentum adversùs libertatem opinandi. 60
Astruitur libertas specificationis quoad actus opinativos. 61
Vlterior probatio libertatis opinandi ex libertate ad credendum, necnon ad judicandum de proximo. 64
Exponitur, an, & quando elidant se mutuò, vel non mutuò motiva opinandi invicem opposita. 66
Superadditur auctoritati ratio circà elisionem motivorum intellectus. 70
Satisfit duobus argumentis adversùs libertatem physicam opinandi. 71
Subinseritur duplex confirmatio ejusdem libertatis opinandi. 73
Exponitur necessitas physicæ libertatis opinandi pro usu licito opinionis minus probabilis. 75
Præcluditur primum effugium negantium necessitatem libertatis opinandi. 76
Obstruitur rima quædam ejusdem effugii. 77
Præcluditur alterum aliorum effugium. 79
An, & quatenùs sufficiat libertas opinandi pro usu licito opinionis probabilis, contra priorem propriam cujusque opinionem. 80
Vlterior confirmatio, & expositio assertæ libertatis opinandi absque peccato. 83
Expenditur testimonium Divi Thomæ, de usu licito opinionum. 85

PARS TERTIA.

De argumentis ex periculo operandi sub opinione. 87
Postremum argumentum ex periculo transgrediendi legem propositum, & solutum à Divo Antonino. ibidem.
Vlterior consideratio textuum pro obligatione ad tutiorem. 89
Illustrantur tres alii textus canonici tangentes opinionem probabilem. 94
Exponitur Clement. Exivi. ibid.
Diruitur paritas periculi ex dubiis ad probabilia. 97
Occurritur rationi paritatis à dubiis ad probabilia. 99
Conciliatur cum dubio, & opinione certitudo requisita ad operandum honestè. 100
Superadditur ulterior declaratio certitudinis & incertitudinis prudentiæ humanæ. 101
Subinseritur opportunè peccatorum materialium frequentia innocens. 103
Dividitur, & exponitur certitudo moralis; & qualis sit apud Cajetanum, & Sylvestrum. 105
Instituitur accurata comparatio periculi inter opiniones strictas, & largas, tutiores, & minùs tutas, 107
Annectitur eadem comparatio in agendo. 107
Concluditur utrumque genus opinionum rigidarum, & benignarum indigere sæpe, & sub probabilitate etiam tutiori excusatione per ignorantiam invincibilem. 111
Promovetur amplius, & concluditur eadem excusatione ignorantia invincibili. 112
Confirmatur postremò securitas nostræ sententiæ ex numero, & qualitate auctorum utriusque partis. 113
Parergon illationibus limitaneum: an doctrina moralis sit difficilior, quam speculativa; Et universalior, quam minus universalis; & reflexa, quam directa. 115

AD SACRÆ CONGREgationis Indicis Eminentissimos ac RR.PP. S.R.E. Cardinales, Supplex Libellus Amadæi Guimenii.

CAPUT I.

Occurritur locis de probabilitate, quæ ab Amadæo falsata objecit Baronius. 120

CAPUT II.

Respondetur locis, quæ ex Tractatu de peccatis, ab Amadæo depravata, dicit Baronius. 122

CAPUT III.

Expostulationibus Baronii in loca, quæ de Religione, & ejus partibus ab Amadæo depravata jactat, satisfit. 129

CAPUT IV.

Locis, quæ de charitate falsata objicit Baronius, fit satis. 138

CAPUT V.

Ad trutinam revocantur loca, quæ circà præceptum amoris Dei falsata contendit Baronius. 144

R.P

R. P. MATTHÆI de MOYA
SOCIETATIS JESU,

SELECTÆ QUÆSTIONES

EX PRÆCIPUIS THEOLOGIÆ MORALIS Tractatibus, De Opinione Probabili, de Religione, de Pœnitentia, de aliis Sacramentis, de Censuris, & ex aliis Miscellaneæ.

TRACTATVS PRIMVS.

De Opinione Probabili.

QUÆSTIO 1. *Quid sit opinio probabilis? quæ ad illam requirantur?* 149

Quæstio 2. *De opinione speculativè & practicè probabili.* 150

Quæstio 3. *Vtrùm unicus gravis Doctor possit sibi opinionem probabilem efficere?* 152

Quæstio 4. *Vtrùm ad probabilitatem extrinsecam opinionis sufficiat authoritas unius gravis Doctoris?* 153

Quæstio 5. *Vtrùm sit obligatio eligendi tutiorem opinionem, etsi minus probabilem?* 158

Quæst 6. *Vtrùm saltem sit obligatio eligendi tutiorem, si probabilior sit contraria pugnante pro libertate? & quid sit gravis probabilitatis?* 165

Quæstio 7. *Vtrùm Regii Consiliarii in imponendis tributis, teneantur eligere probabiliorem opinionem?* 181

Quæstio 8. *An subditi habentes opinionem probabilem de injustitia tributi, à solutionis onere eximantur?* 183

Quæstio 9. *Vtrùm liceat opinionem minus tutam eligere circa Sacramenta?* 185

TRACTATVS SECVNDVS.

De Religione.

DISPUTATIO PRIMA.

De Voto, & Iuramento.

Quæstio 1. *An votum castitatis, vel Religionis emissum valdè proclivi invenerem, obliget ad abstinendum à matrimonio? & quid si fragilitas post emissum votum adveniat?* 191

Quæstio 2. *Vtrùm votum castitatis, & Religionis possit aliquando commutari virtute Cruciatæ?* 195

Quæstio 3. *An juramentum quod non cedit in utilitatem ejus, cui præstatur, possit virtute Cruciatæ commutari?* 196

Quæstio 4. *An reservato voto, maneat etiam reservatum juramentum?* 200

Quæstio 5. *An votum, vel juramentum de erogandâ eleemosyna alicui pauperi determinato, possit post ejus acceptationem virtute Bullæ commutari?* 201

Quæstio 6 *An quando est probabilis opinio, quod taxa alicujus mercis sit injusta, & propterea venditor falsis ponderibus, vel aliàs injustitiam compensat, possit postea à judice interrogatus id totum jurejurando negare, subintelligendo se injustè non fecisse?* 202

DISPVTATIO SECUNDA.

De Horis Canonicis.

Quæstio 1. *An qui preces Deo fundit cum proposito actuali peccandi mortaliter, novum orando peccatum committat? & quid si voluntariè distractus recitet?* 207

Quæstio 2. *Vtrùm Regulares satisfaciant præcepto recitandi Horas Canonicas, si mentaliter tantum recitent?* 209

Quæstio 3. *Vtrùm mutatio officii divini in aliud brevius, v. g. si loco officii de Feria, dicatur de Sacramento, vel de Sancto, sit peccatum mortale? & quid de officio Resurrectionis?* 211

Quæstio 4. *Vtrùm Pensionarius teneatur ad officium parvum B. Virginis, si pensio ad vitam sustentandam non sufficiat?* 217

DISPUTATIO TERTIA.

De Oratoriis.

Quæstio 1. *Vtrùm virtute Cruciatæ possit quisque sine alio privilegio, in domo privata Oratorium erigere, quod ab Episcopo designetur, & approbetur ad celebrandum? Vbi an licentiam concedere queat Illustriss. Commissarius Cruciatæ?* 220

Quæstio 2. *Vtrùm finito tempore, pro quo indultum Oratorii concessum fuit, liceat virtute Cruciatæ in eo celebrare, vel celebrari facere?* 225

Quæstio 3. *Vtrùm Regulares posſint in Oratorio non approbato ab ordinario, vel in Altari portatili, in domibus privatis sæcularium, virtute ſuorum privilegiorum celebrare?* 228

TRACTATVS TERTIVS.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DISPUTATIO PRIMA.

De integritate confeſſionis.

Quæſtio 1. *In quo conſiſtat confeſſionis integritas, & quæ cauſæ ab illa excuſent?* 231

Quæſtio 2. *An ſatisfaciet integritati confeſſionis, qui unum individuum phyſicum peccati pro alio ſubrogaverit?* 232

Quæſtio 3. *Vtrùm peccata ſic debeant in confeſſione explicari, ut Confeſſarius percipiat, poſt ultimam confeſſionem fuiſſe commiſſa?* 235

Quæſtio 4. *Vtrùm qui habet judicium probabile pro utraque parte, an mortale commiſerit? teneatur confiteri, ſaltem ſi magis propendeat?* 239

Quæſtio 5. *Vtrùm ſit obligatio confitendi peccata dubia?* 240

Quæſtio 6. *An qui peccatum ut dubium confeſſus eſt, teneatur dubio ceſſante, ut certum confiteri?* 248

Quæſtio 5. *Vtrùm ſit obligatio confitendi læthalia in confeſſione oblita?* 251

Quæſtio 8. *An qui ſcienter ex verecundia tacet in confeſſione peccatum mortale, teneatur aliorum confeſſionem iterare?* 256

DISPVTATIO SECUNDA.

De diſtinctione numerica peccatorum.

Quæſtio 1. *Vnde ſumatur diſtinctio numerica in peccatis merè internis?* 261

Quæſtio 2. *An tactus, & oſcula, quæ præcedunt abſque intentione copulæ, ſi hæc poſteà ſubſequatur, debeant in confeſſione explicari?* 265

Quæſtio 3. *An plures copulæ abſque interruptione morali unum numero peccatum conſtituant?* 266

Quæſtio 4. *Vtrùm, qui unica actione pluribus injuriam infert, ut ſi unico ictu decem occidat, unicum tantum peccatum committat?* 268

Quæſtio 5. *Vtrùm ad confeſſionem quidquid referat, unum, vel plura peccata in una actione pluribus injurioſa reperiri?* 270

(·.·†·.·)
(:†:)

DISPVTATIO TERTIA.

De circumſtantiis peccatorum.

Quæſtio 1. *Vtrùm circumſtantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem ſpeciem debeant in confeſſione explicari?* 274

Quæſtio 2. *De circumſtantia Quis.* 275

Caput 1. *Vtrùm habens caſtitatis votum debeat in confeſſione illud explicare, ſi aliquo ſuo peccato alterius ſponte, ſeu conſilio, fuerit cauſa, ut alii non habentes votum contra caſtitatem delinquant?* ibid.

Caput 2. *An qui violavit votum ſolemne caſtitatis vel ingreſſus Religioſus, vel Sacerdos, aut ſacris initiatus, vel cum his carnaliter ſe commiſcentes, teneantur in confeſſione explicare ſolemnitatem voti?* 277

Caput 3. *An qui pravo ſuo exemplo, vel conſilio inducit habentem votum caſtitatis, ad peccandum contra caſtitatem, teneatur in confeſſione explicare votum proximi, cui ſcandalum dedit?* 279

Caput 4. *An Confeſſarius, qui pœnitentem tandem cognovit, teneatur hanc circumſtantiam in confeſſione aperire: & an poſſit à peccatis, quorum fuit complex, abſolvere?* 280

Quæſtio 3. *De circumſtantia Quid, ſeu circa Quæ.* 282

Caput 1. *An in peccato furti debeat ejus quantitas præciſè in confeſſione declarari?* ibid.

Caput 2. *Vtrùm, qui cum matre coitum habuit, ſatisfaciat, ſi in confeſſione dicat, commiſſe inceſtum?* 286

Caput 3. *An peccata contra naturam in conſanguineis, vel affinibus, habeant malitiam gravem inceſtus?* 290

Caput 4. *An in peccatis contra naturam, opus ſit in confeſſione explicare circumſtantiam beſtialitatis, ſodomiæ, vel pollutionis? an verò ſufficiat, dicere, peccatum intra naturam in materia caſtitatis?* 293

Caput 5. *Corollaria?* 298

Caput 6. *An defloratio virginis ſponte conſentientis, contineat novam ſpeciem malitiæ in confeſſione explicandam?* 302

Caput 7. *Vtrùm in delectatione morioſa de re turpi explicari debeat circumſtantia ſtatus perſonæ, quæ peccanti objicitur, v. gr. an conſanguinea, an nupta, vel res caſtitatis adſtricta?* 305

Caput 8. *Corollaria ex dictis?* 307

Caput 9. *Vtrùm in peccato odii, ſit in confeſſione explicanda qualitas mali proximo deſiderati, vel contumeliæ perſonæ, cui deſideratur?* 309

Caput 10. *An judicium temerarium, & detractionis diſtinguantur ſpecie in ordine ad confeſſionem?* 310

Quæſtio 4. *De circumſtantia ubi.* 312

Caput 1, *De furto commiſſo in loco ſacro?* ibid.

Caput 2. *De effuſione ſeminis, vel ſanguinis in loco ſacro?* 314

Caput 3. *Vtrùm tactus impudici, & turpes in Eccleſia, habeant malitiam ſacrilegii in confeſſione explicandam?* 317

Caput 4.

Index Tractatuum, & Quæstionum.

Caput 4. Quid veniat nomine loci sacri quoad furtum, & sanguinis, vel seminis effusionem? 306
Quæstio 5. De circumstantia. Quomodo, ibid.
Caput 1. An pœnitens teneatur in confessione explicare consuetudinem peccandi? ibid.
Caput 2. An saltem rogatus à confessario ad id obligetur? 307
Caput 3. Quomodo se accusare debeat, qui habet consuetudinem peccandi? 310

DISPUTATIO QUARTA.

De obligatione iterandi confessionem.

Quæstio 1. Quando, & quomodo sit iteranda confessio? 310
Quæstio 2. An rustici, qui inculto modo confessi sunt, non potentes distinguere species, neque numerum peccatorum, teneantur, si postea possint, ad confessiones iterandas? 312

DISPUTATIO QUINTA.

De dolore, & disputatione, quæ peccatorum absolutionem præcedere debet.

Quæstio 1. An ad effectum hujus Sacramenti requiratur contritio; an sufficiat attritio? 313
Quæstio 2. Vtrùm ad prædictum effectum sufficiat bona fide confiteri labialia cum desiderio veniæ, aut cum eorum defectu? 315
Quæstio 3. An ad valorem Sacramenti requiratur attritio, an sufficiat existimata? 317
Quæstio 4. Ex quo motivo debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum Sacramenti? Vbi de opinione M. Sott. 518. & 519
Quæstio 5. An quando de solis venialibus fit confessio, sufficiat accedere cum eorum dispicentia, aut desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum? 322
Quæstio 6. An pœnitens teneatur sub mortali habere dolorem efficacem de omnibus venialibus, quæ confitetur? 327
Quæstio 7. De proposito requisito ad valorem, & effectum confessionis de venialibus? 327
Quæstio 8. An ad singulas confessiones requiratur novus actus doloris? 328
Quæstio 9. Quanto tempore possit dolor confessionem præcedere? 330
Quæstio 10. An dolor ad Sacramentum requisitus debeat præcedere confessionem? 332
Quæstio 11. Quale debeat esse propositum ad valorem, & effectum Sacramenti? 333
Quæstio 12. An sufficiat propositum formale non peccandi de cætero, absque detestatione formali peccati præteriti. 335

DISPVTATIO SEXTA.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio 1. An moribundus, qui in absentia confessarii, aut nutibus confessionem petiit, aut vera signa pœnitentiæ dedit, absolvendus sit, si testis aliquis deponat? 336
Quæstio 2. Quid si testis deponat in absentia infirmi? 337
Quæstio 3. An moribundus, qui non audiens, neque loquens, dubia doloris signa exhibet, absolvendus sit? 341
Quæstio 4. An moribundus, qui nec confessionem petiit, neque ulla signa contritionis dedit, possit absolvi? 342
Quæstio 5. Vtrùm moribundus, de cujus petitione confessionis testis deponit, possit in absentia sub conditione absolvi, si prudenter timeatur, aliter sine ullo Sacramento decessurus? 349

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Ministro huius Sacramenti.

Quæstio 1. Vtrùm solus Sacerdos sit Minister idoneus, & quid ultrà ex parte illius ad valorem absolutionis requiratur? 358
Quæstio 2. Vtrum Parochi possint sibi eligere confessarium? an etiam non approbatum ab Ordinario? 360
Quæstio 3. Dubia nonnulla occurrentia circà approbationem confessarii, 365
Quæstio 4. Vtrum confessarius, qui ex ignorantia vincibili, seu graviter culpabili, non præcepit pœnitenti restitutionem ad illam, eo non restituente, maneat obligatus? 368
Quæstio 5. An confessarius muneri suo satisfaciat interrogando pœnitentem, an doleat de peccatis, & affirmanti credere debeat? 370

DISPUTATIO OCTAVA.

De Ministro ad reservata.

Quæstio 1. Qui & quot sint casus reservati? 373
Quæstio 2. Vtrum, qui ignorat, reservationem illam incurrat? 374
Quæstio 3. An dubium de peccato reservato tollat ejus reservationem? & quid si post absolutionem cesset dubium? 375
Quæstio 4. An possit superior concedere facultatem absolvendi à reservatis sub onere comparendi? 376
Quæstio 5. Vtrum Regulares possint in foro conscientiæ absolvere saculares à casibus Bullæ Cœnæ? 378
Quæstio 6. An Regulares post decretum Vrbani VIII. die 17. Novemb. anno 1628. potuerint absolvere à casibus Episcopis reservatis? 380.
Quæstio 7. Vtrum validè absolvatur, qui bona fide confitetur casum reservatum Sacerdoti non habenti jurisdictionem? 384
Quæstio 8. An teneatur confessarius se conformare opinioni Regularis exigentis absolutionem à reservatis virtute Cruciatæ? 385
Quæstio 9. An confessarius possit credere pœnitenti dicenti se habere licentiam à superiore, ut à reservatis absolvatur? 392
Quæstio 10. An confessarius, qui opinionem Bullæ Cruciatæ pro absolvendis Regularibus, probabilem existimaret, possit illum absolvere, ejusmodi privilegii omninò ignarum, vel eo uti nolentem? 393
Quæstio 11. An petitâ, & non obtentâ facultate absolvendi à reservatis, possit confessarius ab illis directè absolvere? 394
Quæstio. 12 Vtrum inferior Sacerdos possit, nullâ urgente necessitate, absolvere à reservatis cum onere comparendi coram superiore? 396
Quæstio 13. An qui habens reservata potest Sacerdoti inferiori confiteri, ad id ante communionem teneatur? 399

TRACTATVS QVARTVS Miscellaneus,

De aliis Sacramentis.

Quæstio 1. *Vtrùm peccat mortaliter Sacerdos administrans Sacramentum in peccato mortali?* 401

Quæstio 2. *Vtrùm ob gravem metum liceat uti simulatione in administratione Sacramentorum?* 406

Quæstio 3. *An Sacramento invalido ex defectu intentionis Ministri, gratia nihilominus sanctificans à Deo conferatur?* 410

Quæstio 4. *An præcepto annuæ communionis satisfaciant fideles, si in Ecclesiis Regularium Eucharistiam tempore Paschatis suscipiant?* 415

Quæstio 5. *Vtrùm qui ad celebrandum, vel communicandum confessus est, si postea recordetur lethalis in confessione oblitus, teneatur ante communionem confiteri?* 417

Quæstio 6. *Vtrùm Sacerdos, qui habens copiam Confessoris ex malitia celebravit, non præmissâ mortalium confessione, teneatur postea quam primum confiteri? ubi de præcepto Tridentini?* 421

Quæstio 7. *An qui sacrilegè pluries communicavit, si actum contritionis postea eliciat, vel attritus confiteatur, recipiat simul omnes gradus gratiæ, quos recepisset ex opere operato, si dignè semper communicasset?* 424

Quæstio 8. *An qui habuit voluntariam pollutionem, possit præmissa confessione, eodem die communicare?* 416

Quæstio 9. *Vtrùm non baptizatus baptismo aquæ possit validè ordinari, & Sacerdotium recipere?* 420

Quæstio 10. *An qui ob probabile dubium baptismi? ordinem Sacerdotalem sub conditione iterum recipit, possit eodem die omnes ordines, omissis etiam solemnitatibus suscipere?* 432

Quæstio 11. *An absolutè loquendo, omittere Sacramentum confirmationis sit peccatum veniale? & quid si ordines suscipiendi?* 433

Quæstio 12. *Vtrùm ætas ad ordines computari possit à die conceptionis?* 435

Quæstio 13. *Vtrùm Religiosi possint ordinari ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam?* 438

Quæstio 14. *Vtrùm ad incurrendum impedimentum criminis dirimentis matrimonium, notitia impedimenti requiratur?* 441

TRACTATVS QVINTVS.

De Censuris.

Quæstio 1. *Vtrùm incurratur irregularitas ex homicidio omnino occulto?* 445

Quæstio 2. *Vtrùm Episcopi, & alii jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario omnino occulto?* 447

Quæstio 3. *Vtrùm Prælati Regulares etiam locales possint cum subditis dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, etsi omninò occultum non sit?* 449

Quæstio 4. *Vtrùm omnes Confessarii Regulares possint dispensare cum sæcularibus, in irregularitate ex homicidio, etiam voluntario omninò occulto?* 451

Quæstio 5. *Vtrùm virtute Cruciatæ possit dispensari irregularitas, quæ est purè pœna peccati?* 452

Quæstio 6. *An qui abortum procuravit, dubitet verò an fœtus esset animatus, irregularitatem incurrerit?* 457

Quæstio 7. *An adulter, qui in vitæ suæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, maritum invasorem occidit, fiat irregularis?* 457

Quæstio 8. *Vtrum damnati ad triremes sint irregulares?* 457

Quæstio 9. *An sit improbanda consuetudo, quibusdam in locis Catholici sunt Patrini filiorum hæreticorum, Ministro hæretico baptizante?* 461

Quæstio 10. *Vtrùm incidat in excommunicationem contra legentes libros hæreticorum, qui audit alium legentem, ipso autem incitante, aut petente, ut legat?* 465

Tractatus sextus Miscellaneus.

DISPVTATIO PRIMA.

De Legibus.

Quæstio 1. *Vtrum acceptatio Legis sit conditio necessaria ad ejus obligationem?* 467

Quæstio 2. *Vtrum qui ex justa causa dispensat à Pontifice, absque ulla limitatione ad non jejunandum per totam vitam, possit tali dispensatione uti, si causa cesserit?* 470

Quæstio 3. *An sit licitum uti dispensatione, sine causa obtenta?* 471

DISPUTATIO SECUNDA.

De Peccatis.

Quæstio 1. *Vtrum habens voluntatem perpetrandi omnia peccata venialia, solaque vitandi mortalia, graviter delinquat?* 473

Quæstio 2. *Vtrùm in re Venerea detur parvitas materiæ?* 477

Quæstio 3. *Vtrum licitum sit intendere delectationem, quæ ex cibo, & potu non immoderatis captatur?* 481

Quæstio 4. *An qui sollicitat fœminam sine animum executionis, ob solam ostentationem amoris, certo similem minimè ad assensum alliciendam, neque ad scandalum asserendam, delinquat mortaliter?* 484

DISPVTATIO TERTIA.

De Homicidio.

Quæstio 1. *An licitum sit accusatorem falsum occidere an etiam testem, & judicem? si oppressio innocentis aliter vitari non possit?* 488

Quæstio 2. *An licitum sit occidere latronem, rerum loris accepta fugientem, quando aliter recuperari non potest?* 488

Quæstio 3. *An Proscriptum, seu Bannitum à Pontifice, aut ab alio Principe, liceat ubique occidere?* 490

Quæstio 4. *Vtrum ad vitandum periculum vitæ, vel infamiæ puellæ prægnantis, licitum sit procurare abortum fœtus inanimati?* 495

DISPUTATIO QUARTA.

De Restitutione.

Quæstio 1. *An filius possit salarium exigere à patre negotiatore, vel agricola pro operâ in illo officio ab ipso impensâ?* 496

Quæstio 2. *An acceptum pro injusta sententia, homicidio, vel adulterio, teneatis naturali, aut positivo jure restituere?* 498

Quæstio 3. *An Iudices, & alii Ministri publici teneantur restituere munera liberaliter à litigantibus donata?* 502

Quæstio 4 *An qui paulatim modica usurpans ad notabilem quantitatem pervenit, mortaliter delinquat? & ad restitutionem sub lethali teneatur?* 509

Quæstio 5. *Vtrùm peccatum mortale furti, ex suo genere gravius sit quàm sodomia?* 512

Quæstio 6. *Sit ne usura aliquid supra sortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum terminum?* 516

Quæstio 7. *Sit ne simonia pecuniam promittere ad consummandum Beneficii, quando non est intentio standi promisso?* 520

DISPUTATIO QUINTA.

De Jejunio.

Quæstio 1. *An qui labore, sive ex bono, sive malo fine, fessus, ut ad aliquem occidendum, vel ad insequendam victimam defatigatur, excusetur à præcepto jejunii.* 523

Quæstio 2. *Aliqua dubiola circa præceptum jejunii.* 527

DISPUTATIO SEXTA.

De Præcepto charitatis Dei, & proximi.

Quæstio 1. *An detur speciale præceptum actus amoris Dei super omnia?* 531

Quæstio 2. *Quo tempore hoc præceptum obliget?* 536

Quæstio 3. *Vtrùm maritus, qui uxorem adulteram sustinet, possit ei occasionem offerre, ut in adulterio deprehensam corrigat?* 539

Quæstio 4. *Vtrùm divites laici teneantur erogare pro anno eleemosynam de superfluo?* 541

Quæstio 5. *Vtrùm licitum sit desiderare alteri mortem, & de illa gaudere, non quatenus illi mala, sed quatenus desideranti utilis est?* 546

Quæstio ultima. *Aliarum compendium, pro Amadæo à Baronii vitilitigationibus, vindicando?* 549

GERMANA DOCTRINA

R. P. Thomæ Tamburini, Societatis Iesu.

Occasio scribendi, & intentio Auctoris. 554

Probra & Doctrina Baronii in Tamburinum. 555

Congeries sententiarum, quæ Tamburino imputantur. 555

Explicatur illud (tenuis probabilitas. 557

Explicatur illud (instante morte. 558

De præcepto charitatis & spei, &c. ibid.

Fides. ibid.

Charitas. 559

Spes. 560

Explicatur magis illud (per se.) 561

Explicatur magis illud (quando non est determinatum tempus implendi præceptum.) 562

De præcepto orationis. ibid.

De distractione in orando. 563

De die festo. 564

Repetitio aliquorum ex dictis. 565

De jejunio. ibid.

Declaratur illud (de conjugatis.) ibid.

De Filio erga Patrem. 567

De matrimonio filii inconsulto patre. 568

De voto paternæ mortis. ibid.

De Rege, quo ad bellum gerendum. 569

De subditis quo ad gabellas. 571

De judicibus. ibid.

De furibus. 573

De reo imponente sibi falsum crimen. 574

De eodem reo imponente falsum crimen testi iniquo. 575

De iis quæ in §. 2. affert contra Tamburinum Baronius 576

De protectione Sacræ Inquisitionis Italicæ supra Decalogo Tamburini. ibid.

De supplici libello curatorum Parisiensium. ibid.

De jurgiis contra doctrinam Tamburini, deque consequentiis impiis, quæ ex illa malè intellecta, Baronius deducit. 577

Primum paradoxum ex tribus imputatis Tamburino hoc est, jurare verbis æquivocis. 578

De juramento ficto. 579

Secundum paradoxum imputatum Tamburino. Prima pars hujus paradoxi, de Reo non respondente ad mentem Iudicis non certo legitimi. 581

Secunda pars prædicti paradoxi, de Reo non respondente ad interrogationem, quam vis legitimam Iudicis. 583

Tertia pars, in qua dicitur Tamburinus non sibi constans. 584

Tertium paradoxum, de instigante jurare falsum, quod jurans verum putat. 585

Injusta gradatio Baronii. 589

Aliæ observationes contra prædicta à Baronio. 589

Qua fidelitate prædicti Doctores citentur. ibid.

An sibi conveniant duo nostri Authoris dicta. 590

LVDOVICI CARTERII VOCONTII,

SS. Theologiæ, & Iurium Doctoris, justa Expostulatio

de P. M. Xantes Mariales, Ordinis Prædicatorum, Authore Bibliothecæ interpretum D. Thomæ. &c.

CAPUT I.

Hujus scriptionis occasio exponitur. 593

CAPUT II.

Iudicium libri præmittitur. 594

CAPUT III.

Pax frustra turbata. ibid.

CAPUT IV.

Doctrina Societatis inmeritò confixa. 595

CAPUT V.

Acta Congregationum temerè jactata. 596

CAPUT VI.

Iesuitæ corruptores & contemptores SS. Patrum perperam dicuntur. 594

CAPUT VII.

Expostulatio pro Bellarmino. 598

CAPUT VIII.

Expostulatio pro Valentia. ibid.

CAPUT IX.

Expostulatio pro P. Gabriele Vasquez.

CAPUT X.

Expostulatio pro Fasolo, & nonnullis aliis.

CAPUT XI.

Expostulatio pro Ioann. Bapt. Poza.

CAPUT XII.

Expostulatio pro ipsa Societate.

CAPUT XIII.

Expostulatio pro scientia media.

CAPUT XIV.

De scripto Francisci Roales denuo edito expostulatur.

CAPUT XV.

Libri confixi Iesuitis perperam exprobrantur.

CAPUT XVI.

Modus editionis reprehenditur.

CAPUT XVII.

Decreta S. Officii Mariales eludit.

CAPUT XVIII.

Expostulatio pro Doctore Angelico.

CAPUT XIX.

Expostulatio de P. Alexandro Sebille.

CAPUT XX.

Conclusio opusculi.

Conclusio operis, Epistola P. Honorati Fabri, ad Franciscum Baronem, in qua contra Ludovici Carterii librum ratione scripta, ut breviter, ita efficaciter refutantur.

QUÆS



QUÆSTIO FACTI

VTRVM THEOLOGORVM SOCIETATIS IESV

Propriæ sint istæ Sententiæ duæ:

PRIMA:

Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.

SECVNDA:

Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem:

Auctore STEPHANO DE CHAMPS, ejusdem Societ. Presbytero.

CAPUT I.

Quæstionis status explicatur.

VTRUM veræ sint istæ sententiæ, an falsæ, non disputo: hoc unum quæro, sintne Theologorum Societ. Jesu propriæ. Dudum est enim quòd id Montaltius, aliique Scriptores larvati, quàm importunè, tam falsò illis exprobrant. Quod ut accuratè discepretur, quæstionis status brevi & enucleatâ singularum vocum, quibus illæ sententiæ ab auctoribus suis concipi solent, explicatione declarandus est.

Notandum primò, sermonem esse de opinione, quæ à dubio ea re discrepat, quòd dubium neutram in partem inclinet, adeòque ancipitem, ac veluti suspensum animum teneat: opinio verò determinatum alicujus partis assensum includat, sed cum alterius formidine conjunctum, ut ait S. Thomas 1. p. q. 79. a. 9. ad 4. Certum est autem, eum qui aliquid agit propriè & strictè loquendo dubitans, sitne peccatum, an non, verè peccare. Quod recentiores ferè omnes post Suarem tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 5. n. 2. probant, tum ex illa juris regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*: tum hac ratione, *qui operatur cum tali dubio exponit se periculo peccandi.*

Notandum secundò, quæstionem esse de opinionibus, quæ sint verè probabiles. Duæ verò conditiones ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem requiruntur. Prima est, ut nihil contra eam, sive pro opposita sit convincens. Quamobrem præclarè Suarez annotat loco citato sect. 6. n. 1. ad opinionis alicujus probabilitatem necessarium esse, *ut non repugnet, aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi: neque etiam temerè contradicit communi, & receptæ doctrinæ Doctorum.* Altera conditio est, ut firmo aliquo fundamento nitatur. Duplex est autem hujusmodi fundamentum: nempe solida ratio, & auctoritas digna fide, *quæ in re morali*, inquit Suarez ibidem, *multum habet ponderis.* Quæ omnia Suarî assentiuntur omnes Societatis nostræ Theologi, qui vel strictim quæstionem istam libarunt.

Notandum tertiò, probabiliorem opinionem eam esse, quæ duas illas conditiones modò explicatas perfectiùs possidet: tutiorem verò quæ nos ab omni peccati specie, ac veluti umbra longiùs removet. Quamobrem inter opiniones duas, quarum altera affirmat, altera negat, peccatum esse aliquid agere, semper affirmans est tutior; cùm hominem se illi accommodantem, & ab opere quod damnat abstinentem, nulli planè, ac ne *materialiter* quidem peccandi periculo exponat: at non semper est probabilior; cùm debilioribus quandoque fundamentis nitatur. Pridem istud animadvertit S. Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. Nam explicatis opinionibus S. Thomæ negantis, & S. Bonaventuræ affirmantis, *post lapsum in mortale teneri aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia confessoris*: significat postremam esse tutiorem, alteram verò probabiliorem. *Beati Thomæ opinio*, inquit, *communius tenetur, quæ tamen minùs tuta videtur.*

Notandum quartò, hîc agi de præcepto, non de consilio; sive, an liceat; non verò, an melius sit, sequi opinionem minùs tutam, & minùs probabilem.

lem. Fatentur enim omnes melius esse, per se loquendo, sequi tutiorem partem; vel si ambæ sint æquè tutæ, probabiliorem. Quò spectat illud S. Antonini loco citato, *eligere viam tutiorem consilii est.*

Notandum quintò, duplicis generis opiniones esse. Aliæ enim versantur circa ius solum ac præceptum, quærendo præcisè *utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne*; sive an sit *obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi.* Aliæ spectant conditiones rerum, vel facta quædam: *cujusmodi sunt in Theologia*, inquit Suarez loco citato, num. 8. *An Sacramenta hoc modo facta teneant, nec ne: in Medicina an hoc phærmacum sit utile, vel pernicioſum: in Iure civili, an iſte ſit hæres, vel non*, &c. Non hîc autem de secundo opinionum genere disputatur. Nam, ut ait Suarez num. 10. *quando opiniones versantur circa res ipsas, an sint talis naturæ vel conditionis, sæpe tenetur homo præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minùs probabili, quando scilicet ex justitia vel charitate tenetur vitare damnum, vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus.* Quam Suaris opinionem, & in temperanda plurimorum Theologorum de probabilitate sententia moderationem, approbant doctissimi quique Societatis nostræ Theologi; atque inde cùm alia multa, tum præcipuè ista duo colligunt. Primum est, *cùm de Sacramentis quæritur, utrum hoc vel illo modo administrata, aut susceptæ, valida sint, vel gratiam conferant, nec ne: per se loquendo tutiorem opinionem semper in praxi sequendam esse.* Secundum est, *judicem teneri sententiam ferre juxta opinionem probabiliorem.* Ita docent Vasquez, Valentia, Sanches, Becanus, aliique magno numero Societatis nostræ Scriptores, quorum nomina postremo capite appellabo.

His animadversis, intelligi facilè potest, quid sibi velint eæ sententiæ, de quibus his est atque contentio. Agunt enim de opinionibus propriè dictis, quæ & verè probabiles sint, & circa ius solum, ac præceptum versentur, hoc unum præcisè quærendo, *utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, nec ne*, sive an sit *obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi.* Ac prima quidem sententia docet, ex duabus ejusmodi opinionibus contrariis, licitum esse in praxi minùs tutam sequi. Secunda idem statuit de minùs probabili. Qua in assertione postrema supponitur opinionem illam minùs probabilem, non esse magis tutam. Aliàs enim ne in dubium quidem vocaretur, an licitum sit eam amplecti: siquidem hoc ipso quò diceretur esse tutior, magis ab omni peccati specie nos removeret; adeòque non modò licitum esset, sed etiam laudabile ad illam, sic tanquam ad normam, actiones suas exigere. Quamobrem ex recentiorum omnium confessione posterior hæc sententia, priorem includit: nec ullus ex iis docet, licitum esse ex duabus opinionibus verè probabilibus amplecti minùs probabilem, qui non supponat eandem esse minùs tutam.

De his sententiis sic explicatis quæritur, sintne Theologorum Societatis Jesu propriæ. Quod sine insigni fallitate, & calumnia dici non posse manifestè demonstrabo, cùm plurimorum utriusque opinionis defensorum testimonia protulero: sed antequam ea describam, pauca quædam eruditum Lectorem admonitum velim.

* * *

CAPUT II.

Quædam observanda circa Auctores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.

OBSERVANDUM primò, veteres quidem Theologos complures allegaturum me: iis tamen appellandis maximè laboraturum, qui abhinc annis centum floruerunt. Nam cùm hoc num disputem, sintne Theologorum Societatis Jesu propriæ istæ sententiæ; eorum præcipuè testimonia proferenda mihi sunt, qui ex quo Scriptorum nostrorum celebrari nomen cœpit, libris editis illos defenderunt. Neque verò deerit, qui antiquiores utriusque opinionis patronos accuratius colligat, demonstrèque magnam veterum Theologorum partem, quæ contrarium docere videri possent, nihil omninò istis sententiis adversari.

Quanquam & istud ex iis, quæ jam annotavi, intelligi facilè potest. Nam primò, plerique loquuntur non de opinione, sed de dubio, ut *de B. Thoma*, & ait S. Antoninus observat loco paulò mox recitando. Secundò, agunt alii de opinione, quæ sit *contra manifestum testimonium Scripturæ & determinationem Ecclesiæ*, ac proinde quæ non sit probabilis, ut ibidem S. Antoninus admonet. Tertiò, sunt qui de consilio non præcepto loquuntur, ut notat Sylvester verbis cap. 7. describendis. Quartò, agunt alii de judicibus intùm, & de factis ad aliena jura pertinentibus: ut Dominicus Soto, qui eo ipso loco, quem Wendrockius citat, nimirum lib. 3. de Justitia & Jure, q. 6. a. 1. ita mentem suam exprimit: *In practicis, qua aliena jura spiciunt, nefas est judici infirmiorem opinionem sectari.* Eadem mens est Panormitani & Navarri: namin exteno quidem, & contentioso foro docent *sequendam esse opinionem illam, quæ meliori & subtiliori ratione nitur*, sed in foro conscientiæ, *& ad effectum non peccandi*, ter fieri posse disertissimè asserunt, ut ex producendis eorum testimoniis constabit. Quintò, loquuntur nonnulli de Sacramentis, & de mediis ad salutem necessariis. Atque hanc esse S. Augustini mentem libro de Bapt. cap. 3. (quem unum ex Patribus locum contra posteriorem sententiam Wendrockius opponit) ex ipsis ejus verbis manifestè demonstrant Granado in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 46 Bresserus libro de conscientia, cap. 9. & Matthias Hauzeur tom. 2. Epitomes S. Augustini ad eum locum. Loquitur enim S. Doctor de homine, quemadmodum ipse Wendrockius admonet, qui *jam fatetur secundum ipsi Baptismum in Ecclesia Catholica rectè susci; sed dubitat an rectè apud Donatistas suscipiatur*, de illo autem pronuntiat: *Si dubium haberet non illic rectè accipi, qua Ecclesia Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo quòd certis incerta proponeret.* Quibus ex verbis eruit colligit Vasquez in 1. 2. disp. 63. cap. 2. n. 8. & post illum Salas ibidem tract. 8. disp. unica, sect. 10. n. 9. *Augustinum non loqui quando sunt diversæ opiniones, sed quando de una parte dubius est qui operatur, de altera autem certus.*

Observandum secundò, Theologos omnes, qui ab annis ferè centum de his rebus scripserunt, tanto consensu utriusque sententiæ patrocinium suscepisse, ut auctores à me deinceps allegandi, quorum plerique accuratissimè eorum omnium nomina percensent, qui controversiam istam agitarunt, unum duntaxat ex recentioribus Theologis non Jesuitis Antonium Perez Benedictinum appellent, qui ab aliis unicumque dissentiat; & admissa priori opinione, posteriorem

riorem impugnet. Cui se non ita pridem nuperus quidam planeque ignotus Scriptor, sub ementito Candidi Philalethi nomine, dicitur adjunxisse. Ex tanta porrò utriusque opinionis defensorum multitudine, eos duntaxat appellabo, quorum & opera nactus sum, & adeò perspicuam super hac re sententiam esse cognovi, ut de illa dubitare nemo possit.

Neque verò tales illi sunt, ut eos fastidire Montaltius possit, & causari, præter Suarem, Vasquem, Valentiam, & alios Jesuitas aliquot mediocriter eruditos, his opinionibus ignobiles tantùm, & nullius nominis Casuistas adhæsisse. Producâ enim doctissimos Episcopos, clarissima Sorbonæ lumina, præstantissimos S. Thomæ interpretes, ac discipulos, præcipua Religiosorum Ordinum decora, celeberrimos sacræ Theologiæ in nobilissimis Academiis Professores: verbo dicâ, Theologos appellabo, ex quibus plerique; tantæ pietatis ac doctrinæ laude floruerunt (quemadmodum ex ipsorum elogiis obiter delibandis constabit) ut illustriores nullos Gallia, Hispania, Italia, Belgium, Europa tota hisce annis centũ videtit. Tam eximiis Theologis aliquos adjungã, qui etsi nobis minùs noti sint, apud suos tamen plurimũ auctoritatis habẽt ac famę.

Observandum tertiò, posteriorem sententiam (quâ & priorem contineri, suprà monuimus) ab omnibus ferè Theologis recentioribus, quos producam, non strictim tantùm, & obiter libatam fuisse; sed ex professo, diligenter & uberrimè pertractatam. Nam plerique & in ipsa disputationis fronte controversiæ statum inscribunt, & contrariæ opinionis fundamenta omnia proponunt, eaque postquã pluribus argumentis, mentem suam comprobarunt, accuratè confutant. Sic planè, ut nihil omninò quod alicujus momenti sit ac ponderis, contra hanc sententiam à Wendrockio, aut alio quolibet proferri possit, quod non sit pridẽ à numeroso clarissimorum Theologorum agmine luculenter, ac copiosè refutatum.

Præter Auctores illos, qui pluribus & data opera quæstionem istam examinant, aliquos producam, qui ex occasione tantùm, diserte tamen & conceptis verbis eandem opinionem docent. Quosdam etiam adjungam, qui definitima tantùm quæstione pronuntiant; sed quam vel ipse Montaltius nihil admodum à nostra discrepare fatebitur: videlicet utrũ confessarius debeat absolvere pœnitentem, qui non probabiliorẽ, sed probabilẽ dumtaxat opinionẽ sequitur.

CAPUT III.

Sententias illas tuentur Episcopi ex veteribus plurimi, ex recentioribus omnes planè, qui abhinc annos centum controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur.

Si ex sanctorum Patrum testimoniis pro utraque sententia argumentari liberet, plurima proferrem præclara & insignia; atque illud in primis S. Leonis Papæ, quod ad decidendam *probabilitatis* quæstionem, *optimum* esse meritò affirmat S. Antoninus in Summa 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10 sub finem. Sic enim loquitur sanctissimus Papa, epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, ante caput 1. *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversum.* Quibus ex verbis Petrus Cornelio clarissimus Theologus, & *verè dignus Ecclesiæ Dei Doctor*, à Paulo V. nuncupatus, ita argumentatur in 1. 2. tract. 8. disp. 3. dub. 6. Quælibet opinio simpliciter probabilis, etsi minùs tuta, ac minùs probabilis sit, *nec præceptis Evangelicis contraria, nec decretis sanctorum Patrum invenitur adversa*; ergo licitum est eam sequi. Possem ex pluribus sanctorum Patrum testimoniis simillima argumenta contexere: sed cùm professos tantùm & apertos sententiarum illarum defensores producere statuerim, veniendum est ad Theologos, ante quorum ætatem non est ista controversia clarè ac perspicuè disceptata.

S. Leo.

Plurimum favet utrique opinioni, quod ex Alberto Magno Ratisponensi Episcopo S. Antoninus ibidem recitat his verbis: *Ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur quòd Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur.*

Albertus Magnus.

Non absimilis est ea Petri Paludani Patriarchæ Hierosolymitani sententia, quæ à S. Antonino probatur eodem loci, & apud ipsum Paludanum in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. habetur in hæc verba: *Si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo alius (qui confitetur) non pœniteret, esset mortale: & ille sibi diceret, quòd de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vita & scientia probabile est, quòd non consulerent, nisi benè, potest se illorum judicio conformare.*

Petrus Paludanus.

Accedit ipse Antoninus Archiepiscopus Florentinus, qui priorem sententiam manifestè docet eodem loco: *Eligere tutiorem*, inquit, *consilii est, non præcepti: aliàs oporteret multos ingredi religionem, in qua tutiùs vivitur, quàm in sæculo; non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta.* Quæ Sancti Doctoris verba futili & ludicrâ cavillatione eludere Wendrockius nititur, pag. 107. cùm ait: *Quod Sanctus Antoninus inter vias tutas non necessariò sequendam tutiorem asserit, nihil ad rem pertinet: verùm est enim id in tutis, non in probabilibus, id est dubiis: cùm enim dubitatur an liceat, vel non liceat, nullo modo tuta est sententia quæ id affirmat licere, cùm id ipsum sit de quo dubitatur. Tuta, & licita via idem prorsus est, nec tutum esse potest de quo dubitatur, an sit licitum.* Valet ergo Antonini ratio in rebus tutis & certissimè licitis, quale conjugium ac religiosa vita; de quibus licèt hæc sit tutior, tam certum tamen est conjugium esse licitum, quàm religiosam vitam. At hoc ad ea transferre, de quibus dubitatur, an licita, id est tuta sint, manifesta est sensus communis, & Antonini sensus depravatio.

Ego verò contendo, vel hoc uno exemplo manifestè demonstrari posse, quanta sit in corrumpendis, depravandisque Sanctorum Patrum testimoniis Wendrockii temeritas & audacia. Constat enim ex reliqua S. Antonini disputatione, de iis maximè sermonem esse, de quibus quæritur: Utrum sint peccata, nec ne: vel utrum sint licita, an non. Mox enim istud sibi proponit: *Dicitur Ecclesiastici 3. qui amat periculum in eo peribit: hinc est quod B. Thomas & alii dicunt, quòd ille qui agit id de quo est dubium; utrum sit mortale, an non peccat mortaliter; quia periculo se exponit mortalis. Cùm ergo in aliqua materia morali sunt variæ & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis: cùm posset illa opinio esse falsa, & contraria vera.* Audis quæstionem esse de contrariis opinionibus, quarum altera affirmat, altera negat, aliquid esse peccatum mortale. Quid verò S. Antoninus super ea pronuntiat? *Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat; etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo propriè ac strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad alteram. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli, sicut dubitat seu formidat habens opinionem de aliquo; quia ita inhæret ipsi sententiæ, quòd tamen formidat de oppositò: sic agendo contra tale dubium non peccat.* Cujus responsionis suæ rationem hanc profert: quòd *talis non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.* Vox hîc nulla, quæ non ostendat, sermonem esse de eo, qui veretur quidem ne quod agit sit peccatum; putat tamen secundùm opinionem probabilem peccatum non esse.

Panormitanus. Huc etiam spectat quod habet Nicolaus Tudescus Abbas & Archiepiscopus Panormitanus in caput Capellanus de feriis, nu. 6. *Notandum*, inquit, *ex hac glossa sic intellecta, quòd non peccat non servans ius præcepti, ubi sunt variæ opiniones, licèt posteà appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam.* Hinc enim sequitur, cùm variæ sunt Doctorum opiniones circa *ius præcepti*, tamdiu hominem posse *sine peccato* non servare præceptum, quamdiu nec ipsa falsa, nec contraria appareat vera: quod perinde est ac si diceret, quandiu est verè probabilis. Quamobrem illa Panormitani verba ad hanc sententiam confirmandam à Sylvestro, aliisque nonnullis postea appellandis adhibentur.

Ex iis verò Episcopis, quos ab annis centum controversiam istam in Theologicis commentariis suis agitasse constat ex iis, qui diligenter & accuratè utriusque partis defensores percensent; nullus est omninò, qui utramque sententiam non amplectatur. Primus est, non ætate quidem, sed dignitate, & eruditionis famâ, Didacus Alvares clarissimus ex Sancti Dominici familia Theologus, & Archiepiscopus Tranensis: copiosè quæstionem hanc pertractat in commentariis ad 1.2. summo studio sub finem vitæ expolitis, & Trani in ipso Archiepiscopali Palatio editis, anno 1617. sic enim disputationem 80. inscribit: *Utrum ex duabus opinionibus probabilibus, posit homo sequi opinionem probabilem pro libito suo, relictâ opinione quam judicat probabiliorem.* Atque ubi priorem Cajetani sententiam exposuit, hæc numero 4. subjungit: *Secunda sententia est præcedenti opposita asserentium, quòd quilibet potest sequi opinionem, quam judicat probabilem. Tenet hanc sententiam Magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ; quam probant his argumentis*, &c. Tum num. 9. illi subscribit in hæc verba: *Prima conclusio, quando opiniones versantur circa res, potest sequi opinio practicè probabilis, relictâ probabiliori. Hanc sententiam probant argumenta facta pro sententia Magistri Medinæ*, &c. Deinde adversariorum objectionibus fusè, ac luculenter respondet.

Didacus Alvares.

Eidem sententiæ obiter quidem, sed apertè patrocinatur Josephus Angles, eximii apud Franciscanos sacræ Theologiæ Professore, Bosanus in Sardinia Episcopus. Nam in Floribus Theologicarum quæstionum (quod opus cùm ab aliis eruditissimis viris, tùm maximè ab Henrico Sedulio in commentariis ad vitam S. Francisci plurimum laudatur) sic habet quæstione de confessione, diffic. 8. *Quando pœnitentis opinio est probabilis, etsi sacerdotis opinio probabilior sit, sacerdos illi absolutionem neque debet denegare, neque potest.* Josephus Angles.

Bartholomæus Ledesma (qui ut ait Alphonsus Fernandes in Notitia scriptorum Prædicatoriæ familiæ, & Theologiam docuit *maxima auditorum admiratione*, & Guaxaquensem Episcopatum, ad quem postea evectus est, *sanctè* administravit) similem assertionem ponit in tractatu de pœnitentiæ sacramento, difficult. 14. edition. Salmanticensis anni 1585 pag. 731. additque: *Hæc conclusio est contra Adrianum quæst. 5. de confess. dub. 7. ubi dicit, quòd quis tenetur sequi tutiorem opinionem, & contrariam etiam probabilem omittere: sed nihilominus nostra conclusio est verissima.* Bartholomæus Ledesma.

Quæ omnia illis assentitur Thomas Zerola Episcopus Minorensis, cujus libros Clemens VIII. libenter *pervolvebat*, quemadmodum ipse testatur in epistola dedicatoria ad Cinthium Cardinalem Aldobrandinum. Nam in Praxi pœnitentiæ cap. 22. q. 3. editionis Venetæ, ann. 1599. fol. 100. pag. 1. ait: *Dico secundò, si opinio pœnitentis est probabilis, & confessarii probabilior, quod tunc confessarius deposita sua opinione, potest & debet absolvere pœnitentem, & eum relinquere in sua opinione.* Thomas Zerola.

Prolixiorem ea de re disputationem habet Joannes Malderus, ex celeberrimo Lovaniensis Theologiæ Professore, Episcopus Antverpiensis, cujus *præcellentem doctrinam*, summasq; virtutes magnificè prædicat Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Ex iis autem quæ super hac quæstione plurima disserit Joannes Malderus.

disserit in 1.2.q.19. disput. 86. assertionem hanc colligit: *Licet aliquando sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, etiam si probabilior fuerit tutior.* Et pluribus interpositis: *Confessarius tenetur absolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, secundùm quam ab eo opere proponit non abstinere, quod secundùm probabiliorem tenet esse illicitum.* Sequitur & istud ex dictis. *Cùm enim non habeat pœnitens propositum peccandi, immeritò ei negaretur absolutio: & ita tenent communiter Doctores.*

Martinus Bonacin. Non minùs accuratè quæstionem hanc examinat Martinus Bonacina, de quo Leo Allatius in Apibus Urbanis hæc habet: *Episcopus cùm se Romæ in Germaniam conferret, pie obiit: vir laude dignus, qui cum bonarum litterarum studiis pietatem conjunxerat.* Tom. 2. disput. 2. q. 4. puncto 9. disputat, *utrum peccet, qui sequitur opinionem probabilem, relicta tutiore, vel probabiliore.* Sic autem mentem super ea re suam exponit: *Possumus absque peccato sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.* Quod ubi ratione & auctoritate probavit, contraria argumenta diluit.

Augustin. Barbosa. Augustinus Barbosa Ugentius Episcopus (de quo Leo Allatius in Apibus Urbanis: *Barbosæ omnes ferè recentiores memineruntdoctissimum illum & in canonicis quæstionibus decidendis, ac rebus Ecclesiasticis versatissimum dicunt*, &c.) approbat eandem sententiam, & pro ea auctores multos citat tom. 1. collectan. in lib. 2. decret. pag. 408. *Unde*, inquit, *opinionem probabilem in foro conscientiæ sequi posse, relicta probabiliori, tenent Armilla*, &c.

Joannes Caramuel Tandem Joannes Caramuel Episcopus Misiæ, in Theologia Morali fundamentali Alexandro VII. nuncupata, num. 302. ait: *Illa sententia hodie est omnium, posse hominem tuta conscientia sequi opinionem minus probabilem.* Item: *Tenet communis sententia esse licitum relicta opinione probabiliore, & magis tuta sequi minùs probabilem & minùs tutam.*

Franciscus Toletus. Joannes de Lugo. Potuissem his Episcopis doctissimos Cardinales duos adjungere, Franciscum Toletum, & Joannem de Lugo, qui utrique opinioni manifestè suffragantur; alter quidem lib. 3. Instit. Sacerdot. cap. 2. alter verò disput. 23. de pœnit. sect. 2. §. 2. Sed cùm ambo in Societ. Jesu perdiu vixerint, timui ne Adversarius eos Jesuitarum potiùs, quàm Cardinalium nomine censendos esse contenderet.

(***)

CAPUT IV.

Priorem sententiam veteres Theologi Parisienses solemni decreto approbant: utramque omnes omnino Doctores Sorbonici, qui hoc sæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt, ex professo examinant, atque defendunt.

NIHIL ad priorem sententiam confirmandam illustrius proferri potest, solemni illo Facultatis Theologicæ Parisiensis decreto, quod extat apud Dionysium Carthusianum in 4. Sent. dist. 25. q. 3. sic incipit: *Quia nuper mota est controversia inter aliquos Doctores super decisione hujus quæstionis, Utrum in aliquo Monasterio fœminarum, liceat recipere aliquam fœminam ultra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii commodè sine penuria possunt sustentari, & de persona recipienda oblata gratis spiritualibus exigere temporalia, instautinsque à nobis Magistris in Facultate Theologiæ Parisiis congregatis quæsitum est ut in ea re consilium dare, & super ejusdem quæstionis determinatione quid sentimus, dicere vellemus.* Ad quam quæstionem ita respondent: *In primis dicimus quòd attento tenore Constitutionis Apostolicæ felicis recordationis Papæ Bonifacii VIII non licet recipere aliquam fœminã in aliquo Monasterio non mendicantium, ultra numerum personarum quæ de bonis Monasterii sine penuria sustentari possunt. Et illud dicimus non licere, ubi non habetur de hoc consuetudo communis & diuturna, quam Papa scit & tolerare veri similiter creditur, & per quam possit præfatæ constitutioni esse derogatum.* Tum quibusdam interpositis istud subjungunt: *Dicimus ulterius, quòd ubi Monasterium ita tenue, quòd fœmina, quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius Monasterii sustentari sine penuria; oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ liberè facta ad spiritualia, si persona illa si crecepta habeat bona temporalia, de quibus juxta consuetudinem regionis potest disponere, & ea Monasterio conferre, tunc potest ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus sine fraude, ut habeat Monasterium unde sibi providere possit: & hoc non intelligendo de actione coactiva, ita quod eiiciatur si non dederit; sed quòd in omnibus servetur debitus modus & recta intentio: & quod hoc habeat locum ubi est consuetudo communis.* Addunt nihilominùs: *Tutius tamen est; quòd nihil petatur vel exigatur, nec in hujusmodi Monasterius ultra numerum earum, quæ sine penuria sustentari possunt, aliqua fœmina recipiatur, & si aliqua petit recipi, dicatur ei, quòd Monasterium non potest eam recipere, quia non habet unde ipsam valeat sustentare.* Audis Theologicam Facultatẽ ita dirimere motam controversiã inter aliquos Doctores, quorum videlicet alii affirmabant, negabant alii istud licere: ut dicat primò, licere, ac sine peccato fieri posse; secundò, tutiùs esse si non fiat. Potuit ne distinctiùs

Decretũ Theologiæ Parisiensis.

ſtatuere, ex duabus opinionibus probabilibus, quarum altera affirmat, altera negat aliquid eſſe peccatum, licere minùs tutam amplecti.

Poſteriorem ſententiam, quæ & iſtam complectitur, non obiter & ſtrictim, ſed explicatam pluribus & diligenter examinatam defendunt Doctores Sorbonici planè omnes, qui hac ætate de Theologicis rebus ſcripſerunt. Philippus Gamachæus clariſſimum Sorbonæ lumen, in 1. 2. quæſtione 19. cap. 2. pag. 153. ita loquitur: *Prima aſſertio eſt: Non tenemur in foro conſcientiæ ſequi probabiliorem partem, ſed ſatis eſt ſi abſolutè ſequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, donec Eccleſia contrarium ſtatuerit, aut prima illa opinio è Scholis Theologorum omninò exploſa fuerit.* Quam in rem citat Navarrum & Medinam. Tum alteram concluſionem ponit in hæc verba: *Secunda propoſitio: Sacerdos ſive proprius, ſive delegatus, poteſt contra ſuam ipſius opinionem abſolvere pœnitentes, quos videt eſſe in oppoſita ſententia, licèt minus certa ac tuta, dummodo ea ſit probabilis, habeatque aliquos authores Catholicos ac peritos.* Pro quâ concluſione allegat Navarrum & Dominicũ Soto.

Philippus Gamachæus.

Andreas Duvallius vir ſingulari pietate & doctrina, tractatu de humanis actibus, quæſt. 4. art. 12. pag. 115. hæc habet: *Secunda concluſio: Non tenemur in foro conſcientiæ ſequi probabiliorem partem, ſed ſatis eſt ſi abſolutè ſequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, licèt quibuſdam ſimiliter doctis diſpliceat. Quod tamen ſub hac reſtrictione intelligendum eſt, donec ſcilicet Eccleſia contrarium non ſtatuerit, aut prima illa opinio è Scholis exploſa non fuerit.* Quam aſſertionem ſuam, & authoritate, & ratione probat, tum præcipuæ adverſariorum objectioni reſpondet.

Andreas Duvallius.

Nicolaus Yſambertus, qui ſumma ingenii & doctrinæ laude in Sorbona floruit, hanc ipſam quæſtionem uberiùs & accuratiùs tractat in 1. 2. diſt. 9. a. 4. pag. 135. *Si iſta propoſitio*, inquit, *quando circa honeſtatem vel obligationem operis alicujus, ſunt utrinque opiniones probabiles, quarum tamen altera eſt probabilior, poteſt voluntas in operando ſequi probabilem, relicta probabiliori.* Poſtquam autem hanc aſſertionem probavit auctoritate *quam plurimorum*, inquit, *S. Thomæ interpretum*, quærit art. 5. circa medium: *An hæc propoſitio tam habeat locum in homine illiterato, ac rudi, qui neſcit rationes diſcutere, quàm in homine literato, qui id novit: id eſt, an tam rudis & illiteratus homo poſſit operari ex ſententia minus probabili, relicta probabiliori, quam homo literatus.* Tum quæſtionem ita ſolvit; *Reſpondetur affirmativè, & ratio eſt, quod non liceat alicui operari ex ſententia probabili, relicta probabiliori, quia eſt doctus, & novit utriuſque partis rationes penetrare, & conferre ad invicem: Sed quia ad bene operandum moraliter ſatis eſt habere moralem certitudinem de honeſtate actus, & quod nullum extet præceptum ſequendi opinionem probabiliorem, relicta ea, quæ ſolum probabilis eſt, ut fuſius ſuprà docuimus.*

Nicolaus Yſambert

Doctoribus Sorbonicis adjungi debet Ludovicus Bail Pariſienſis, & ipſe Academiæ Doctor Theologus, qui etſi quæſtionem hanc ex profeſſo non tractet, manifeſtè tamen ſententiam iſtam amplectitur libro de Triplici Examine part. 1. q. 3. pag. 207. tertiæ editionis. *Quamvis*, inquit, *multi univerſaliter doceant ſecuritatem ſententiæ minus probabilis præ probabiliori, limitanda tamen videtur hæc doctrina in materia præceptorum, & extra materiam ſacramentorum.* Et quæ. 12. pag. 192. art: *Ex communiori ſententia pœnitens non poteſt cogi à Confeſſario ab amplectendam ſuam opinionem probabilem, immò & probabiliorem, ſitea quam ſequitur ſit verè probabilis.*

Ludovic. Bail.

CAPVT V.

Vtramque ſententiam veteres Thomiſtæ quamplurimi, recentiores verò ferè omnes incredibili conſenſu propugnant.

QUI Didacum Aluarem affirmantem audiverit, poſteriorem ſententiam à *doctiſſimis Thomiſtis* doceri, Petrum verò Ledeſmam aſſerentem, teneri eandem *à multis Doctoribus, ac præcipuè à diſcipulis S. Thomæ*, non poterit non ſuſpicari naviter ſibi VVendrockium imponere, cùm ait pag. 76. 77. S. Thomam huic opinioni manifeſtè adverſari. Certè quod opponit ex quodlib. 8. art. 15. pridemà S. Antonino 1. part. tit. 3. c. 10. §. 10. ex S. Doctoris mente ita explicatum eſt, ut huic ſententiæ faveat potiùs, quàm repugnet. Nam primò hæc S. Thomæ verba: *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam: aut ergo ille qui facit contra opinionem Magiſtrorum, ut poteſt habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem: & ſic cùm facit contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam:* Sic interpretatur S. Antoninus: *Hæc verba D. Thomæ non poſſunt intelligi, niſi de his ubi manifeſtè patet ex Scriptura, vel Eccleſiæ determinatione, quòd ſit contra legem Dei; & non de illis intelligit, ubi non apparet: aliàs ſibi contradiceret in eodem libro, quòd non eſſet credendum.* Secundò, quod S. Thomas ſubjungit in hæc verba: *Sitn quandam dubitationem inducitur, & ſic manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat:* Hic à S. Antonino exponitur: *Quod Beatus Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id, de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, an non; peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis*, verum tantùm eſt, *ſumendo propriè & ſtrictè dubitationem*, videlicet prout *rationes ſunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam quàm ad aliam.* Tertiò, S. Antoninus addit, non ita ſe rem habere, cùm non eſt dubium propriè dictum, ſed opinio probabilis. Unde colligitur poſtrema Sancti Thomæ verba huic ſententiæ ſuffragari.

Aut

Aut ex contrariis opinionibus, inquit, *in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Quia videlicet, ut animadvertit S. Antoninus, *talis non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.*

Nihilo magis huic opinioni adversatur alterum S. Thomæ testimonium, quod ex quodlib. 3. art. 10. Wendrockius obiicit. *In his*, inquit S. Doctor, *quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii & Nestorii.* Et quibusdam interpositis: *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri, contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Nihil istud sententiæ, de qua agimus, repugnarò inde liquidò constat, quod, ut jam inde ab initio animadvertimus, & S. Antoninus ibidem admonet, non est probabilis opinio, quæ est *contra manifestum testimonium Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ.* At illud præterea huic sententiæ suffragari, præclarè ostendit Stephanus Spinola d. sp. 3. sect. 4. cùm ex allatis S. Thomæ verbis ita argumentatur: *Ergo in iis, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, excusatur quis sequendo opinionem sui Doctoris, si non sit erronea, & contra manifestum Scripturæ testimonium, quod est idem ac quando est probabilis; quia exceptio firmat regulam in non exceptis.*

Petrus Paludanus. S. Antoninus. Didacus Aluarez. Bartholomæus Ledesma. Ludovicus Lopes.

Sic explicatam S. Thomæ sententiam defendunt nobilissimi ejus discipuli. Nam, ut omittam Petrum Paludanum, S. Antoninum, Didacum Aluarem, & Bartholomæum Ledesmam, quos superius inter Episcopos appellavi, disertè primam opinionem docet Sylvester Prieras in Summa, verbo *opinio*, num. 1. Postquam enim recitavit postremum S. Thomæ testimonium, continuò ista subjungit Panormitani verba: *Sequens opinionem alicujus Doctoris non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa, excusatur à peccato quamdiu non apparuerit falsa.* Tum utramque sententiam ita conciliat: *S. Thomas dicit quod tales non excusantur in iis, quæ sunt manifestè & clarè determinata alicubi.* Et paulò post: *Panormitanus verò loquitur in obscuris.* Deinde contrariam argumenta sic solvit: *Nec obstat, quòd in dubiis tutior pars est eligenda, quia non est in dubio, quæ probabilibus rationibus flectitur ad unam partem. Nec quòd incertum dimittendum est, & certum tenendum; quia tenet iste certum sibi moraliter, cùm in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus.* Quæ paulò distinctiùs explicat verbo *scrupulus*, cùm ait: *Obiicit primò, quia in dubiis via tutior est eligenda. Sed dico secundùm Doctores hoc esse consilium, non præceptum.* Et paulò post *Secundò obiicit quia amans periculum, scilicet incedendo per viam laxiorem incidit in illud. Sed dico quod hoc intelligitur de eo qui existens in dubio, ita quòd non pendet ad unam partem magis quam ad aliam, operatur: secùs de eo, qui probabiliter credit secundùm judicium rationis sic esse faciendum.* Quamobrem verbo *confessio* 2. num. 3. ait: *Qui opinatur probabili ratione de aliquo quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri.*

Idem docet Angelus de Clavasio in Summa, verbo *opinio*. Nam post allatam, explicatamque Panormitani sententiam, subdit: *Nec obstat prædictis illud cap. Iuvenis de sponsi, ubi dicitur, quod in dubiis tutior pars est eligenda: & Eccles. 3. qui amat periculum peribit in eo; ergo videtur se exponere periculo, qui in diversitate opinionum non eligit tutiorem. Quia hoc verum esset, quando proprie dubium est: sed quando est opinio, secus est, quia nec tunc sumus in dubio, nec consequenter se quis exponit periculo: quod bene notandum est.* Angelus de Clavasio.

Joannes Viguerius, qui à Possevino *Theologus eximius*, ab Antonio Senensi *eruditionis præclaræ* fuisse dicitur, cap. 15. §. v. 2. ait: *In dubiis sequens opinionem probabilem alicujus Magistri, cùm Magister est Doctor & approbatus, ut D. Thomas, qui absque ratione & auctoritate non consuevit loqui, est excusatus à peccato. Quod est valde notandum ad sedandos scrupulos timoratarum conscientiarum.* Joannes Viguerius.

Veteres Thomistæ, quorum testimonia hactenus recitavi, priorem sententiam apertissimè omnes defendunt; posteriori nō mediocriter plerique favent: at recentiores, quibus modò dandus est locus, tam admirabili consensu utriusque opinionis patrocinium susceperunt, ut ex iis qui post Bartholomæum Medinam, id est, ab annis ferè centum, de hac controversia scripserunt, nullum planè viderim, vel ab auctoribus hoc tractatu toto citatis appellatū legerim, qui vel in speciem contrarium docuerit. Ordior à Bartholomæo Medina, quem Antonius Senensis in Biblioth. appellat *Theologum eximium & consummatissimum*, testatur, que *morum probitate, & religionis præstantia non minori, quam doctrina, præditum fuisse.* In Commentariis ad 1. 2. multò ante in lucem editis, quàm ullus Theologus Societatis Jesu controversiam istam attigisset, q. 19. a. 6. concl. 3. ita quæstionis statum proponit: *Ex hoc nascitur magna quæstio, utrum teneamur sequi opinionem probabiliorem, relicta probabili; an satis sit sequi opinionem probabilem.* Postquam autem contrariam Caietani opinionem cum præcipuis eius fundamentis protulit, sicipse pronuntiat: *Mihi videtur, quòd si est opinio probabilis, licitum est eam sequi, licèt opposita probabilior sit.* Quam in rem argumenta quatuor, & triplicem confirmationem adhibet: tum contrariæ sententiæ firmamenta sigillatim & accuratè dissolvit. Bartholomæus Medina.

Ludovicus Lopes, cujus eximiam pietatem, & singularem eruditionem laudat Possevinus in Apparatu, Meditæ sententiam amplectitur, parte 1. Instructorii conscientiæ, cap. 20. conclus. 2. editionis Lugdunensis, anni 1587. pag. 610. *Hæc conclusio elicitur ex Medina, & liquet ex eius ratione aut opinione, quam ibi tuetur, scilicet quòd Confessor pœnitenti probabilem opinionem Doctorum sectanti negare absolutionem non potest, licèt Confessor ipse contrariā opinionē probabilio-* Ludovic. Lopes.

biliorem esse censeat ; quia cùm pœnitens eo quòd probabilem opinionem sit amplexus non peccarit, nulla subest ratio negandi ei absolutionem.

Franciſcus à Victoria.

Quæstionem illam de Confessario similiter solvunt nobiles Thomistæ, Franciſci à Victoria discipuli, qui, ut admonet Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiasticis, sub ejus nomine Summam de Sacramentis ediderunt, quam ex illius scriptis collegerant. *Fuit autem Victoria*, ut ait Antonius Senensis in Bibliotheca, *vir numquam satis laudatus, & qui in Theologia talis ac tantus extitit, ut illius præclarissimum lumen in Hispania etiam à viris clarissimis meruerit appellari.* Sic loquens inducitur in illa Summa de confessione, num. 177. ed tionis Antvetpiensis, anni 1616. pag. 102. *Respondeo quòd sive Confessor sit ejus proprius Sacerdos, sive non, tenetur pœnitentem absolvere in tali casu. Probatur apertè, talis pœnitens est in gratia, & confessor habet probabilitatem quòd sit in gratia; quia scit esse probabilem eius opinionem ; ergo non debet ei negare absolutionem.*

Thomas Mercado. Y aun al que oye de penitencia al mercader le podria yo tambien de gracia dar un buen aviso, que le dara muchas vezes gran libertad, y aun autoridad. Y es que dado tenga una opinion y la defienda, non regle por esta al penitente, si no quiere ser regladó ni seguilla: si la que sigue es probable, y tiene sus razones y fundamentos. Basta aconsejarle lo que tiene por mas cierto, o mas le agrada. Pero si al penitente le desagrada, y lo que haze se puede hazer, y lo aprueban muchos authores aprobados: gran tochedad y arrogancia seria porque ello reprueve, no absolvelle si no desiste dello. Auiendo en vn contracto por vna parte y por otra opiniones buenas entre doctos: cada vno es libre para seguir la que escogiere. Lo mismo en substancia entiendo, quando fuera de confesion se propone al Theologo vn negocio. Que si por entrambas partes ay opiniones, y lo vno y lo otro se puede hazer y seguir sin peligro, dado que el aya escogido vna dellas por mas probable, no deue atar con ella al que pregunta, si non dezir de plano su parecer, auisandole que haziendo lo contrario, no es peccado, porque ay muchos Doctores que lo tienen por licito.

Clarius atque distinctius pro hac sententia loquitur Thomas Mercado *vir eruditissimus, præcipuè in scholastica ac morali Theologia*, ut ajunt Alphonsus Fernandes in Notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ, & Augustinus d' Avila lib. 2. Hist. cap. 92. Nam in libro *erudito* de Contractibus, Hispanicè scripto, editionis secundæ Hispalensis, anni 1587. quæ priori est auctior, lib. 2. cap. 5. pag. 29. hæc habet : *Præterea, ei qui confitentem audit mercatorem possim etiam amicè bonum consilium dare, quod magnam ipsi libertatem & auctoritatem etiam sæpe afferet. Est autem illud : ut si opinionem unam sequatur, eamque defendat, non ideo pœnitentem ex ea dirigat, si ex ea dirigi & eam sequi nolit : modò ea, quam ille sequitur sit probabilis, & suis rationibus fundamentisque nixa sit. Satis est si suadeat illi Confessarius, id quod sibi magis certum videtur, magisque placet. Verùm si pœnitenti non placeat, & id quod facit, fieri possit, sitque id à multis probatis auctoribus approbatum : magnæ dementiæ atque arrogantiæ foret pœnitentem, nisi ab eo desistat, ideo non absolvere, quia hoc ipse Confessarius improbat. Cum uno in contractu pro una & altera parte bonæ opiniones sint inter doctos, liber est unusquisque ad sequendam, eam quam eligat. Idem prorsus dico, quando extra confessionem, negotium Theologo proponitur. Si enim pro utraque parte sunt opiniones, & facere ac sequi utrumque sine periculo fas est: etiam si elegerit ipse unam ex iis magis probabilem, non potest ad eam adstringere eum qui ipsum interrogat, sed tantùm sententiam suam simpliciter exponere, admonendo ipsum quod contrarium faciendo non peccatur, quia multi sunt Doctores, qui licitum id credunt.*

Amplectitur eandem sententiam Joannes Paulus Nazarius ; qui à Michaële Plodio, & Alphonso Fernande Theologus *egregius*, ab aliis verò Dominicanis, qui Commentarios ejus in primam Partem recensuerunt, *præstantissimus vir, doctrinaque Thomisticæ propugnator acerrimus* appellatur. Sic habet in Opusculis Theologicis, opusc. 2. de statu & obligat. Religios. de voto obedientiæ, dubit. 4. concl. 2. *Qui dubitat, nullum habet assensum, quo dirigi possit in agendo : qui autem opinatur, rationes habet pro utraque parte, ex quibus elicit assensum probabilem, à quo dirigi potest in operando : & ideo potest absque peccato, in quam voluerit partem, sive illa sit magis probabilis, sive minùs, declinare.*

Joannes Paulus Nazarius.

Dominicus Bannes Ordinis Prædicatorum *Doctor & Theologus illustris* (ut ait Aubertus Miræus in Biblioth.) ita loquitur in 1. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. concl. 4. edit. Duacensis, ann. 1615. pag. 252. col. 2. *Dicimus opiniones esse in duplici differentia. Quædam enim versantur circa actionem aliquam exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus, vel illicitus. Quædam verò versantur circa res, an scilicet aliquid ita sit, vel non sit; an hæc domus sit propria, vel aliena. Dicimus ergo quod de opinionibus prioris generis verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem, relicta probabiliori. Cæterùm de opinionibus secundi generis non est universaliter verum quòd possit homo sequi opinionem minùs probabilem, maximè quando potest sequi aliquod periculum contra honorem Dei, aut utilitatem proximi.*

Dominicus Bannes.

Banni consentit Didacus Nugnus Cabezudo, ut ætate sic & doctrina illi suppar. Quærit enim in Addition. ad 3. Part. quæst. 8. art. 5. dub. 3. editionis Venetæ, ann. 1612. pag. 279. *Vtrum liceat ministrare sacramentum pœnitentiæ cum jurisdictione tantùm probabili;* cumque in negativam partem inclinet, sic contrà opponit : *Tota difficultas est de opinione probabili; quia in moralibus licitum est sequi opinionem probabilem, ut communiter dicitur.* Tum ita respondet: *Ab illa regula generali posita in argumento, est quædam famosa exceptio, quòd scilicet in his quæ pertinent ad necessitatem & existentiam Sacramentorum, non licet sequi opinionem probabilem, quando est possibile sequi sententiam certam.*

Didacus Nugnus Cabezudo.

Gregorius Martinez ingenii acumine & perspicuitate cum maximis comparandus, ut monet Alphonsus Fernandes in Notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ, de hac quæstione diligenter & accuratè disputat, tom. 1. in 1. 2. ad q. 19. art. 6. Sic enim habet pag. 1066. col. 2. editionis Toletanæ, anni 1622. *Prima conclusio : Non solùm est licitum ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus probabilitate practica eligere quam quis maluerit, sed etiam est licitum sequi minùs probabile, relicta probabiliori.* Et paulò post: *Secunda pars conclusionis*

Gregorius Martinez.

nis est contra Cajetanum & Sylvestrum. Est tamen communis, quam tenet Medina hîc, & optimis rationibus probat: & modò probatur primò, &c. Tum argumenta ad eam confirmandam congerit.

Petrus Ledesma. Adstipulatur eidem sententiæ Petrus Ledesma *Eruditissimus Magister*, & publica annorum quadraginta Theologiæ professione nobilis, ut testatur Alphonsus Fernandes in Notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ: sic enim habet in Summa Hispanicè edita, Salmanticæ 1608. parte 2. tractat. 8. capite vigesimo secundo, ante duodecimam conclusionem *Huic difficultati respondetur, esse probabilius, cum divini perinde naturalisque sit juris, licere judici sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore. Hanc sententiam tenet Magister Medina, & Orellana, & multi alii Doctores, ac præcipuè discipuli Sancti Thomæ, in 2. 2. expendo articulum 4. hujus quæstionis 67.* Adeò persuasum habuit hic Auctor, licitum esse probabilem opinionem sequi, relictâ probabiliore, ut ad ipsos quoque judices, contra quàm appellati supertus Societatis Jesu Theologi faciunt, illud extenderit.

Vincentius Candidus sacri Palatii Magister, tomo 1. Disquisitionum moral. disq. 3. de absolutione, art. 20. ita pronuntiat: *Dico primò, Confessarius quicumque absolvere potest pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relictâ sua opinione probabiliori.* Tum num. 3. proponit hoc dubium: *Utrum liceat in qualibet materia consulere opinionem probabilem relictâ probabiliore.* Ad quod ita respondet: *Quicumque alius consultus extra confessionem, licitè potest probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam aliis consulere, relictâ probabiliori.* Quod breviter & ratione, & auctoritate probat.

Joannes Alphonsus. Fusissimè omnium de hac quæstione egit Joannes Idephonsus Baptista Cæsar-Augustanus, in iis ad t. 2. Commentariis, quos ex *formali præcepto* generalissimi Dominicanorum Capituli anno 1644. Romæ celebrati typis edidit. Nam disp. 208. dub. 6: fragm. 1. postquam contrariæ sententiæ auctores & argumenta protulit, num. 549. ita loquitur; *Secunda sententia præcedenti omninò opposita est, neminem teneri ad sequendam in praxi opinionem probabiliorem, seu conscientiam ex illa formatam; sed sufficere ad securitatem conscientia, & ad hoc quod impune & absque peccato operemur, sequi opinionem & conscientiam probabilem relictâ longè probabiliori. Sententiam hanc plures maximè ex junioribus tenent.* &c. Pro qua auctores triginta quatuor, & argumenta septem prooducit. Tum eam amplectitur fragm. 4. conclus. 5. *Quando*, inquit, *opiniones probabiles versantur circà actiones exercendas, seu quod idem est, circà jus, potest homo sequi quamcumque opinionem probabilem practicè*, &c.

Paulus de Blanchis. Stat etiam pro illa opinione Paulus de Blanchis, in libro Venetiis edito ann. 1630. cui titulus est: *Disceptationes de difficilioribus materiis casuum.* Sic enim loquitur pag. 182. *Si opinio pœnitentis est probabilis apud doctos & prudentes in tali materia, tunc Sacerdos sive ordinarius, sive delegatus, debet eum absolvere, licet probabilior sit opposita sententia.*

Postremus, quod sciam, ex Dominicanis, qui Theologicos in D. Thomam Commentarios edidit, fuit Joannes Baptista Hacquetus, cujus *Controversiorum Theologicum* in 1. 2. prodiit Romæ ann. 1654. typis Jacobi Phæi, Christianissimo Francorum Regi Ludovico Adeodato nuncupatum, & R. P. Joannis Baptistæ de Marinis totius Ordinis Generalis Ministri facultate munitum. Quæstionem hanc exquisitè disceptat tractatu de conscientia, controversia 14. cujus hæc inscriptio: *Utrum liceat sequi opinionem minùs probabilem, etiam relictâ probabiliori & magis tuta.* Sic autem controversiam decidit: *Dico licitum esse sequi in praxi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, sive propriam, sive alienam, dummodò sit simpliciter probabilis.* Et paulò post: *Eam sententiam docent Medina, Bannes, Valentia, Salas, Arragon, & communiùs Doctores.* Tum accuratè eam probat, & contrariis argumentis respondet.

Joannes Hacquetus.

CAPUT VI.

Pari consensu doctissimi ex aliis Religiosis Ordinibus Theologi, easdem opiniones tuentur.

Vix ullus pro secunda sententia Societ. Jesu Theologus scripserat, cùm clarissimi duo ex S. Augustini Familia Doctores eam, ut *probabiliorem*, & apud Theologos, *maximè ex discipulis Sancti Thomæ, communem* acriter propugnant. Michael Salonius, *vir doctrina & vitæ sanctitate celebris*, ut ait Aubertus Miræus in Bibliotheca, anno 1592. Venetiis edidit *insigne volumen, de Iustitia & Iure*, quod Antonius Possevinus asserit *à Theologis, qui sapiunt, magnoperè nec immeritò commendari* Quo in opere de industria quæstionem hanc agitat controvers. 2. conclus. 4. ad art. 4. quæst. 63. S. Thomæ, docetque, *quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte juris, altera tamen probabilior, posse quemvis fidelem in suis privatis actionibus, dimissa probabiliori, eligere probabilem.* Quod pluribus argumentis ostendit: ac tandem sub finem admonet, *multos ac gravissimos Doctores ita sentire, ac maximè ex discipulis D. Thomæ.* Undè sic argumentatur ad hominem ex adversariorum sententia: *Eligenda est opinio, ut volunt, probabilior: sed quod liceat amplecti probabilem (dimissâ probabiliori) est opinio probabilior, cum habeat plures ac gravissimos Auctores, & firmiora fundamenta quàm opposita, ut ex progressu hujus disputationis constat*, ergò &c.

Augustiniani. Michael Salonius

Eodem ferè tempore Petrus Arragonius, alterum Augustiniani in Hispania Ordinis sidus, edidit commentaria in 2. 2. *præclara & eruditissima*, ut vocat Elssius in Bibliotheca

Petrus Arragonius.

theca Augustiniana. Quærit autem dub. penult. ad art. 4. quæst. 63. *An sit licitum sequi opinionem probabilem, non obstante quod contraria sit probabilior.* Atque ubi Cajetani sententiam proposuit, cum omnibus ejus fundamentis, subdit: *His tamen non obstantibus dico, quod contraria sententia est longè probabilior.* Qua in assertione comproanda, & contrariis argumentis dissolvendis, multus est atque copiosus.

Ludovicus de Beja.

Tam præclaris Ordinis sui Doctoribus, consentit Ludovicus de Beja in variis responsionibus casuum conscientiæ, qui coram Illustrissimo ac Reverendissimo Cardinali Pallæotto Archiepiscopo Bononiensi, in Congregatione Clericorum propositi & decisi fuerunt, parte 2. casu 6. editionis Olissipon. ann. 1610. fol. 164. col. 2. *Si altera* (pars) *etiam est probabilis, & propterea tuta & tuta, ac per consequens nullum habens periculum, illam sequi, relictâ probabiliori, absque peccato possumus: nec semper tenemur tutiorem partem eligere; sed sufficit eligere tutam.*

Basilius Pontius

Obiter quidem, sed perspicuè illud ipsum asserit Basilius Pontius, quem miris elogiis exornat Elsius in Encomiastico Augustiniano, & de quo Aubertus Miræus sic loquitur: *Fuit Academiæ Salamanticensis haud exiguum suo ævo decus, in qua primam in Theologiâ Cathedram moderatus est, summa cum omnium laude, ac pæne stupore.* Lib. 4. de Matrim. cap. 25 num. 9. *Cùm sint variæ opiniones,* inquit, *de observantia alicujus præcepti, non sit irreverentia legislatori, neque transgressio censetur, quod operetur aliquis secundùm opinionem probabilem minùs tutam.*

Carmelita. Petrus Cornejo.

Conspirat in eandem sententiam Petrus Cornejo *præstantissimus*, ex Carmelitarum Ordine, Salmanticensis Academiæ Doctor, de cujus *stupendo ingenio & multiplici doctrina*, tum alia multa commemorat Joannes Sanctius d'Aula Episcopus Placentinus, in ejus vita tom. 2. præfixa, tùm id præcipuè quòd Paulus V. Summus Pontifex *verè dignum Ecclesiæ Dei Doctorem appellavit.* Sic autem habet in 1. 2. tract. 8. disp. 3. dub. 6. ubi de industria, ac prolixè quæstionem istam tractat: *Licitum est sequi in praxi opinionem minus probabilem, & minùs tutam, sive propriam, sive alienam, dummodò sit simpliciter probabilis. Ita docent communiter Recentiores, Medina,* &c. Hanc conclusionem variis rationibus probat, & contrariæ sententiæ argumentis accuratè respondet.

Joannes Lezana.

Tam insignem Ordinis sui Theologum sequitur Joannes Baptista de Lezana, in Summa quæstionum regularium, tom. 3. de opinione regularibus tenenda, num. 5. pag. 458. *Dico secundò, regulariter loquendo posse religiosos, sive in operando, sive in consulendo aliis, uti opinione etiam minus probabili & minùs tuta, relictâ tutiori & probabiliori, etiam propria.*

Urbanus ab Ascensione.

Sequitur & Urbanus ab Ascensione in Theologia Morali, tract. 1. c. 11. his verbis: *Quis dubitet homini* (duas probabiles opiniones de eadem re sibi proponenti) *licere quam voluerit opinionem tenere; immò etiam probabili adhærere, licet aliena, relictâ probabiliore etiam propria.*

Pluribus, & ex professo de hac controversia disputat Petrus de Lorca egregius Complutensis Academiæ Doctor, & Ordinis Cisterciensis ex observantia Hispaniæ Generalis emeritus, cujus singularem eruditionem mirificè prædicant Dionysius Cuchus in ejus vita, & Carolus Visch in Bibliotheca Cistercienſi. Nam in Commentariis ad 1. 2. Compluti editis ann. 1609. disputationem 39. sic inscribit: *Utrum sit tutum operari secundùm conscientiam quæ innititur opinioni probabili.* Et membro 10. pag. 466 postquam explicuit opinionem negantem, subdit: *Est tamen hoc tempore receptum, posse assumi quamcumque opinionem probabilem, etiam si non sit probabilior & tutior. Quam doctrinam veram omnino censeo.* Tum luculenter eam probat, & ab adversariorum objectionibus defendit. Petrus de Lorca.

Pro more suo breviter & accuratè idem docet Petrus à S. Joseph Fulginensis, qui & in Bibliotheca Cistercienſi meritò laudatur: lib. 1. de Legibus, cap. 3. ait: *Resolutio 4. ille non peccat, qui sequitur opinionem probabilem relictâ probabiliori.* Quam & paucis probat, & variis ex ea deductis corollariis magis illustrat. Petrus à S. Joseph.

Carolus Malletus.

Sic etiam Carolus Malletus Taurinensis Patritius, & Monachus Cistercienſis, tom. 1. moralis Theolog. malleat. 8. tract. 4. pag. 91. docet, *licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, etiam minùs tutam.* Quod ubi ratione & auctoritate probavit, addit: *Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus, quamque in praxi sequi potest quam maluerit, etiam si ipsi operanti minùs probabilis videatur.*

Gregorius Sayrus. Benedictinus.

Accedit Gregorius Sayrus Benedictinus, quem Pitseus lib. de illustribus Angliæ Scriptoribus, *insignis eruditionis virum* appellat. Lib. 7. Clavis Regiæ cap. 4. num. 9. editionis tertiæ Venetæ anni 1610. pag. 16. postquam explicuit sententiam Medinæ affirmantis, *licitum esse in praxi opinionem probabilem sequi, relictâ probabiliore,* varias ad eam confirmandam rationes profert, ac tandem ita concludit: *Has igitur ob causas & rationes hæc Medinæ opinio mihi verior & recta rationi conformior semper visa est: & quam tutâ conscientiâ unusquisque in praxi sequi potest.*

Franciscus Toletus. Joannes Angelus Pelbartus de Themeſuar.

Patrocinantur eidem sententiæ doctissimi ex variis S. Francisci Familiis Theologi. Quos inter non appellabo Josephum Angles, qui superiùs cum Episcopis sententiam dixit. Initium duco à Pelbarto de Themeſuar, *viro in sacra scriptura egregiè versato,* ut habet Waddingus in Bibliotheca. Tomo 1. Aurei sacræ Theologiæ Rosarii, verbo *opinio*, §. 13. ait: *Sed nonne excusatur à peccato is, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa. Respondetur secundùm Panormitan. in cap. Capellanus de feriis, & in Angelica Summa, & Anton quod excusetur, nec tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem; quia opinio est tuta cùm habet Doctorem pro se satis acceptum, & hoc sufficit ad salutem, cum tali voluntate quod non adhæreret ei, si non crederet esse veram.*

Hen-

Henricus Villalupensis.

Henricus Villalupensis, Hispanicè Villalobos, cujus eximiam eruditionem mirè commendat Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum, movet hanc quæstionem in Summa Theologiæ moralis, tract. 1. dub. 10. *Utrum liceat sequi opinionem minùs probabilem, relictâ probabiliori.* Ubi verò negantem Cajetani sententiam retulit, de affirmante sic pronuntiat: *Medina, Lessius, Vasquez, & alii contrarium docent: scilicet licitum esse, relictâ opinione magis probabili, minùs probabilem sequi. Quam sententiam altera probabiliorem esse existimo.* Cujus assertionis suæ rationes obiter proponit, & contraria argumenta dissolvit.

Laurentius Portel.

Idem asserit Laurentius Portel Lusitanus, quem & auctores plurimi honorificè appellant, & Bibliotheca Ordinis Minorum *virum pium ac prudentem vocat.* Sic enim habet in Dubiis Regularibus, verbo *opinio eligenda*, num. 3. editionis ultimæ Lugdun. anni 1640. pag. 669. *Licitum est sequi, & operari secundùm opinionem minus tutam, sed probabilem, & quam puto probabilem, licèt credam oppositam esse tutiorem & probabiliorem.* Quam in sententiam & Auctores multos citat, & quatuor argumenta producit.

Joannes Poncius.

Fusiùs hanc quæstionem tractat Joannes Poncius, cujus prolixum extat elogium apud Waddingum) in Cursu Theologico, disp. 24. q. 3. *de conscientia probabili*, concluss. 2. *Potest*, inquit, *quis facere quod apparet probabiliter licitum, licèt magis probabile appareat quod non sit licitum.* Addit hanc esse *longè communiorem* sententiam, eamque probat tribus argumentis, & duplici adversariorum objectioni respondet.

Petrus Marchantius.

Petrus quoque Marchantius, vir magni apud Belgas nominis, atque, ut Valerius Andreas ait in Bibliotheca Belgica, *singulari eruditione & eloquentia præditus*, uberrimè de hac quæstione disputat in libro cui titulus est, Tribunal Sacramentale, tract. 5. titul. 5. q. 6. Sic autem mentem suam exponit concl. 2. *Inter opiniones plures, quæ sunt probabiles, etiamsi aliqua probabilior appareat, licet quamcumque ex illis sequi & eligere.* & quæst. 7. concluss. 1. *Inter opiniones verè probabiles per se, non tenetur homo sequi tutiorem.*

Matthias Hauzeur

Obiter idem affirmat Matthias Hauzeur tomo 2. Epitomis Operum S. Augustini, ad lib. 1. de Bap. contra Donatistas cap. 5. Quærit enim, *quo sensu sit certum peccatum præponere certis incerta, cùm liceat aliquando uti sententia tantùm probabili, relictâ certa.* Respondet, *in mediis ad salutem necessariis nunquam licere uti incertis, relictis certis: in præceptis autem licere uti sententia probabili.*

Eligius Basseus.

Subscribunt eidem sententiæ doctissimi quique Capucini. Eligius Basseus (*multæ vir lectionis*, ut admonet Valerius Andreas) in Floribus Theologiæ practicæ, titulo conscientiæ, editionis Duacenæ, anni 1637. pag. 79. ait: *Confessarius interrogatus, vel alius quicumque in consiliis dandis, & responsionibus, potest juxta probabilem aliquorum Doctorum opinionem, respondere, prætermissa probabiliore vel tutiore.*

Franciscus Longus à Coriolano.

Idem sentit Franciscus Longus à Coriolano, vir (ut ait Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minorum) *æquè doctus ac religiosus.* In tractatu de Casibus reservatis, part. 1. sect. 2. art. 2. num. 2. ita loquitur: *Resolutoriè dicimus, Confessarium quemcumque absolvere posse pœnitentem sequentem opinionem probabilem, relicta sua opinione probabiliori.*

Ludovicus Casp.

Ludovicus quoque Capensis, non ignobilis Theologus, in Cursu Theologico, tom. 1. tract. de conscientia, disp. 3. sect. 2. pag. 378. hanc assertionem ponit: *Licitum est operari juxta sententiam probabilem, quæ re ipsa probabilis sit judicio operantis, relicta tutiori & probabiliori sententia, etiam ipsius operantis.*

Gesualdus Panormitanus.

Consentit Gesualdus (sive ut habetur in Bibliotheca Ordinis Minorum, Jesualdus) Panormitanus, tomo 1. Operum moral. tract. 24. cap. 5. editionis Venetæ, anni 1649. pag. 256. *Si diversitas opinionum occurreret, vel circa restitutionem, vel circa alia, & pœnitens nollet satisfacere, eo quod habeat opinionem probabilem aliquorum Doctorum dicentium non esse obligatum, licèt Confessarius è contra teneret contrariam opinionem, quamvis probabiliorem: nihilominus in hoc casu Confessarius potest & debet talem pœnitentem absolvere.*

Jacobus Raggius.

Accuratiùs ac fusiùs quæstionem hanc examinat Jacobus Raggius Genuensis, centuria 1. de Regimine Regularium, parte 3. dub. 46. editionis secundæ Genuensis, anni 1653. pag. 159. *Secunda sententia*, inquit, *est affirmativa, admittens posse etiam in praxi adhærere opinioni probabili, probabiliore, relictâ. Ita Medina & alii, ut ita dicam, infiniti.* Quam opinionem ait esse *sequendam*, eamque quatuor argumentis probat.

Ord. Red. Captiv.

Suppeditat nobis ejusdem sententiæ defensorem Ordo Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Leandrum de Sancto Sacramento, parte 5. quæstion. moral. tract. 1. disp. 4. q. 10. *Ex duabus*, inquit, *opinionibus probabilibus, licitum est in praxi sequi quamlibet, etiam illam, quæ minùs tuta videtur.*

Leander de S. Sacramento.

Habemus & ex Ordine S. Hieronymi nobilem utriusque sententiæ patronum Hieronymum Garciam, qui in Summa morali Hispanicè scripta, & Cæsar-augustæ edita ann. 1644. ita loquitur tractatu 1. difficult. 5. dub. 2. num. 5. *Quamvis optimum consilium sit, ut quando duæ sunt opiniones æqualiter probabiles, sequamur tutiorem; & à fortiori quando concurrit probabilis cum probabiliore: nihilominus tamen possumus valdè tuta conscientia agere secundùm opinionem probabilem, probabiliore relictâ. Tam communis & secura est ista conclusio, ut solus Machado art. 5. num. 2. pro se allegat 45. recentes auctores.*

O. d. S. Hieron. Hieronymus Garcias. Aunque es muy buen consejo, que quãdo ay dos opiniones igualmente provables se ga la mas segura, y a fortiori quando concurren provable con mas provable. Pero con todo esso puede uno muy bien tuta conscientia obtar segun la opinion provable dexando la mas provable. Es esta conclusion tan commun y segura, que solo Machado art. 3. num. 6. trae en su favor 45. autores modernos.

Clerici Regulares.

Plures eidem sententiæ adstipulatores ex Clericis Regularibus accedunt, Raphael Aversa à S. Severino Clericorum Regularium Minorum Præpositus Generalis,

Raphael Aversa

quem Miræus non immeritò appellat *Philosophum & Theologum eximium*, acriter illam defendit, & plures pro ea auctores citat in 1.2.q.28. sect.18.

Antoninus Diana.

Idem fecit Antoninus Diana tom. 1. tract. 13. resol. 1. quæ sic inscribitur: *An sit licitum, relicta opinione probabiliori, & magis tuta, sequi opinionem probabilem, minùs tutam.* Nam pro affirmativa sententia præter auctores 17. à Sanche citatos, alios quindecim adjungit, & triplici ratione eam confirmat.

Zacharias Pasqualigus Theatinus.

Zacharias Pasqualigus Theatinus, tomo Decisionum moralium, decis. 5. cujus hic titulus, *An possit eligi opinio minùs probabilis, relicta probabiliori*, pro sententia affirmante citat auctores quadraginta quinque, eamque his verbis amplectitur. *Hanc sententiam certissimam puto, & existimo in materia morali posse demonstrari.* Tum ad eam probandã rationes duas profert, ac tandẽ respondet quinq; argumentis, quæ pro contraria proposuerat.

Marcus Vidal.

Adhæret eidem sententiæ Marcus Vidal ejusdem Instituti Clericus Regularis, in Opere, cui titulus est, Arca Vitalis, titulo de opinione probabili, inquisit. 5. num. 45. pag. 388. *Qui sequitur*, inquit, *& eligit opinionem minùs probabilem & minùs tutam, prudenter & licitè operatur, etiam si opposita sit probabilior & tutior.* Tum affirmat *hanc conclusionem veram tradere Doctores communiter*, citatque 18. addens, *& alii plures.* Eam verò probat tribus argumentis, quæ & variis confirmationibus munit: tandem quatuor adversariorum objectiones dissolvit.

Andreas Lanfranchus.

Andreas quoque Lanfranchus tom. Opuscul. moral. opuscul. 1. cap. 4 numero 16. hæc habet: *Licet in agendo sequi opinionem minùs tutam, quæ sit probabilis, relicta probabiliore.* Quã assertionẽ probat quinque argumentis, & gravissimorum Doctorũ auctoritate.

Joannes Angelus Bossius.

Prolixè admodum de re disputat Joannes Angelus Bossius, ex Clericis Regularibus Bernabitis, tomo Moral. varior. part. 1. tit. 1. §. 17. ubi hanc sententiam multiplici ratione, & auctoritate confirmat. Tum in Appendice ad tit. 1. Candidi Philalethi argumenta dissoluit, ac de ista opinione ita pronuntiat, num. 2377. *Sententia asserens in quæstione de sola honestate, vel turpitudine actionis, vel omissionis, licitum esse in praxi sequi opinionem probabilem, etiam minùs tutam, relicta probabiliore & tutiore, hodie videtur (ut supra in tit. num. 131. & 137 notavi) moraliter certa, cùm nitatur validissimis fundamentis, & fortioribus, quàm opposita.* Et paulò post: *Non solùm hodierni temporis Scriptores Theologi, Summistæ, Canonistæ, & Iuris periti, & omnes publici Professores Theologiæ moralis præfatam sententiam docent in publicis Academiis, & privatis Scholis: sed & apud omnes Confessarios Sæculares, & Regulares, apudque quoscumque doctos, & simul probos, in toto orbe Christiano nihil magis decantatum, quàm licitum esse in operando sequi quamcumque opinionem probabilem, dummodo sit probabilis, etiam minùs tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno insequendo, sed de sola honestate operationis.*

Hamobonus Bonus

Quæ duobus verbis expressit Homobonus de Bonis, ejusdem Ordinis Clericus Regularis, & in Metropolitana Ecclesia Bononiensi Pœnitentiarius, in Commentariis de examine Ecclesiastico, tract. 12. cap. 4 q. 17. resolut 6. *Resolutum est*, inquit, *in foro conscientiæ probabilem opinionem, relicta etiam probabiliori, nos amplecti posse.*

Stephanus Spinola

Stephanus Spinola Congregationis Sommaschæ, non minus doctrinâ, quàm generis claritate nobilis, super hac quæstione aliisque finitimis, eruditissimum, Opusculum edidit Genuæ, anno 1647. hac inscriptione, *De libera & prudenti agibilium electione in moralibus.* Quo in opere jam inde ab initio, sive in ipsa Præfatione, asserit, *opinionem hanc recentiorum omnium calculo, & universali penè populorum usu confirmatam esse.* Et disp. 3. sect. 4. eam sic exprimit: *Et licitè & sine peccato possumus in praxim deducere opinionem, quam putamus minùs probabilem; etsi concurrat cum probabiliori.* Quam assertionem probat multiplici authoritate & ratione. Tum sect. 5. 6. & 7. Candidi Pilalethi argumentis accuratissimè respondet.

Patres Congregationis Oratorii. Petrus Morinus Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi Presbyter

Adstipulantur eidem sententiæ doctissimi viri ex variis Congregationibus Oratorii. Petrus Morinus Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi Presbyter, lib. 8. depœnit. cap. 4. postquam num. 16. 17. & 18. ex S. Augustino, S. Thoma, & Clemente III. docuit, in dubiis tutiorem partem esse eligendam num. 19. ad hanc de opinione probabili quæstionem delabitur, & cùm Suare quibusdam in rebus necessarium esse opinionem probabiliorem minùs probabili præferre, in aliis verò minimè, asserit verbis: *Franciscus Suarez tract. 3. ad 1. 2. disput. 12. sect. 6. num. 10. prudenter mihi videtur circumscribere casus, in quibus necesse est opinionem certam præferre probabili & probabiliorem minùs probabili. Mihi enim videtur certum, & evidens, aliquando probabilia certa præferre posse. Quibus igitur iudicii, & argumentis hæc dignoscemus. Quando scilicet, inquit Suarez, ex justitia vel charitate tenemur vitare damnum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus, &c.*

Franciscus Merolla

Franciscus Merolla Congregationis Oratorii Neapolitani Presbyter, tom. 1. Theologiæ Moralis, disp. 3. cap. 4. num. 24. *Tertia sententia*, inquit, *quæ videtur mihi verissima, docet licitum esse operari juxta aliorum opinionem probabilem & minùs tutam, relicta propriâ tutiore, & quam probabiliorem esse sibi persuadet.* Citat pro ea auctores viginti quinque, additque, *& alii.* eandem probat tribus argumentis: & præcipuæ adversariorum objectioni respondet.

Paulus Guazzinus

Petrus Paulus Guazzinus, Congregationis Oratorii Civitatis Castelli, in Tractatu Morali, lib. 2. cap. 26. num. 14. *Secundò dico, quòd sequi opinionem minùs probabilem, etiamsi minùs tuta sit, non est illicitum.* Quod unica quidem ratione, sed gravissima Auctorum trigintà authoritate probat.

Josephus de Januario

Potest his adjungi Joseph. de Januario Neapolitanus, Congregationis Piorum Operariorũ, in Resolutionibus variis, editis Neapoli

Neapoli 1649. resolut. 61. num. 5. pag. 268. *Sequi probabilem opinionem*, inquit, *relicta probabiliori, tutissimum est in conscientia.* Citat auctores septem, additque, *& alii apud istos.*

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores easdem sententias tenent.

Hispani. Martinus Navarrus

MULTOS utriusque opinionis celeberrimos defensores unanobis suppeditat Hispania. Martinus Aspilcueta Navarrus, qui meritò *doctissimus & piissimus* à Bellarmino appellatur, de pœnit. dist. 5. num. 38. ita loquitur: *Respondeo secundò, negando semper tutiorem partem eligendam esse; quoniam satis est eligere tutam, ut eruditè & utiliter declarat Antoninus, & facit glossa recepta, quæ secunda est, quam dicit singularem Alexander. Quamquam verum est eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubitans, an sit peccatum mortale, nec ne, juxta illud, qui amat periculum peribit in eo. Sed aliud est dubitare, an tale quid faciendum sit, aliud credere ratione probabili, & authoritate alicujus illustris Doctoris admonente, ut pulchrè in loco præcitato declaravit Antoninus, & nos latiùs & magis ad vivum disputabimus super illis verbis, tene certum, & relinque incertum; & resolutiùs post hæc tradidimus in Manuali Confessorum.*

Primus locus, quem ex suis operibus Navarrus hic citat, sumitur ex distinct. 7. de pœnit. num. 3. ubi sic habet: *Sextò infertur, per hunc textum minimè probari teneri nos, sed tantum consilio regulariter ad eligendum in rebus agendis tutiorem partem, nisi aliud ad id nos urgeat præceptum. Infertur autem in hunc modum: Nam omnia jura, quæ habent in rebus agendis partem eligendam esse tutiorem, significant ut partem illam eligamus, quæ animæ utilitati est certior: at suprà dictum est consilium tantùm, esse, etiam in spiritualibus, ut certiora minùs certis prælegamus; ergo consilium tantùm, & non præceptum fuerit tutiorem partem eligere.* Locus alter petitur ex Manuali, cap. 27. num. 288. ubi quæ de meliori opinione deligenda pluribus disseruerat, ita restringit: *Quamvis in foro contentioso regulariter prædicta observanda sint, in foro tamen conscientiæ ad effectum non peccandi, sufficit eligere pro verâ opinionem ejus, quem merito censemus idoneæ ad id scientiæ, & conscientiæ præditum.*

Petrus Navarra.

Tuetur illud ipsum Petrus Navarra, cujus summa est apud doctos auctoritas, lib. 3. de Restitutione, cap. 1. num. 237. editionis Toletanæ anni 1597. p. 140. *Iuxta communiorem*, inquit, *Theologorum sententiam sufficit ad securitatem conscientiæ opinioni probabili se conformare, etiamsi sit minùs probabilis.*

Joannes Medina.

Joannes Medina celeberrimus in Academia Complutensi Theologiæ Professor, Codice de rebus restituendis, quæst. 22. de rebus per ludum acquisitis, editionis Ingolstadiensis, an. 1581. p. 148. quærit: *Quid agendum sit in casu, quo Doctores: varia opinantur*; atque ubi affirmavit, *durante dubio hominem teneri ad illud, quod tutius esse cognoverit*, subdit: *Poterit tamen, dubio deposito, illi opinioni adhærere, quam viderit, aut audierit à Doctoribus fide dignis approbari, quibus se tutè poterit conformare; & quia non video authoritatem, aut rationem convenientem ad tenendum, esse de salutis necessitate præfatum lucrum restituendum, opinioni liberanti potiùs, quàm condemnanti arbitror adhærendum.*

Ludovicus Montesinus.

Subscribit eidem opinioni Ludovicus Montesinus, quem Basilius Pontius l. 10. de Matrim. c. 15. num. 1. appellat *insignem Magistrum Complutensem, non minùs moribus, quàm doctrina.* Nam in Commentariis ad 1. 2. disp. 29. q. 5. §. 3. quærit: *Utrum licitum sit operari juxta opinionem minùs probabilem, & minùs tutam.* Quam quæstionem ita decidit num. 172. *Dicendum nobis est primò, vir literatus licitè operatur, sequendo opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Iam hæc sententia est communis in Scholis, & latè probat Medina,* &c. Quod ubi pluribus argumentis effecit, & adversariorum objectiones dissolvit, alteram conclusionem ponit num. 177. *Dico secundò, etiam illiteratus, & indoctus licitè potest sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam.*

Joannes Sanches.

Plures pro ea sententia auctores citat Joannes Sanches Abulensis, disput. 42. de Sacramentis, num. 12. *Licitum esse*, inquit, *sectari opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori, docent Mercado,* &c.

Nicolaus Garcias.

Priùs idem fecerat Nicolaus Garcias tract. de Benef. part. 11. cap. 5. num. 361. *Potest*, inquit, *sequi opinio probabilis, relicta probabiliori, ut tenent Armilla, Bartholom. Medina,* &c. *& recentiores communiter.*

Hieronymus de la Rua.

De eadem quæstione ita pronuntiat Hieronymus de la Rua, Theologiæ in Schola Toletana olim Professor, tom. 2. Theologicarum controversiarum, sexta controvers. dub. 6. pag. 182. editionis Matritensis, anni 1620. *Dico quintò, posse aliquem bene operari contra opinionem probabiliorem, & contra opinionem tutiorem, sequendo tamen opinionem probabilem & tutam.*

Petrus de Ochagavia.

Concinnit Petrus de Ochagavia Salmantinæ Ecclesiæ Theologus, in Tractatu de Sacramentis, de Baptismo, quæstione 11. num. 11. *Licèt operans*, inquit, *in aliis rebus satisfaciat suæ conscientiæ, & obligationi, sequendo opinionem probabilem, etiamsi sit minùs tuta, quia rigorosum & intolerabile esset semper operari secundum opinionem probabiliorem, & tutiorem: non tamen in re tanti momenti, qualis est Baptismus,* &c.

Ægidius Trullench.

Idem sentit Joannes Ægidius Trullench, S. Theologiæ in Academia Valentina Doctor, in Opere morali Venetiis edito ann. 1643. tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 1. *Suppono*, inquit, *loquendo generaliter & in communi, in moralibus licitum esse cuilibet, sequi opinionem probabilem & minùs tutam, relicta probabiliore & tutiore.* Quam in rem auctores decem, & rationes duas producit.

Josephus Rocaful.

Simillimâ assertione ponit Josephus Rocaful

caful Valentinæ & ipsæ Academiæ Doctor Theologus, in praxi Theologiæ moralis, 3. part. tract. de conscientia, lib. 3. cap. 6. nu. 49. pag. 359. *Quando sunt duæ opiniones inæqualiter probabiles, licitè quis aget, formando dictamen juxta opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori: Ita communiter Doctores*, &c. Quod triplici ratione probat.

Joannes Guttierez.

Sic etiam Joannes Guttierez lib. 1. canon. quæst. cap. 13. num. 23. *Quando*, inquit, *super aliquo puncto, sunt diversæ sententiæ auctorum, ambæque probabiles, poterit unusquisque suam conscientiam conformare, cum qua voluerit earum.*

Joannes de Solorzano.

Docet quoque Joannes de Solorzano, lib. 3. de Indiarum jure, cap. 2. num. 38. *Securos esse, qui opiniones dumtaxat probabiles amplectuntur, etiamsi aliæ tutiores, & probabiliores existant, præsertim ubi non de facto, sed de jure dubio, & eius interpretatione, aut intelligentia tractatur, de quo videnda sunt, quæ latè & eruditè tradunt Theologi recentiores post D. Thomam, in 2. 2. quæst. 63. art. 4. & quodlib. 8. art. 3. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. circa finem*, &c.

Joannes Machado

Dino que la mas commun y recibida de los Doctores ser licito seguro en conscien-cia, seguir la opinio menos provable. dexando la mas provable, o sea esta

Disertissimè eandem sententiam tuetur Joannes Machado celeberrimus in utroque orbe Doctor, cùm in Limensi primùm Academia, deinde in Salmanticensi, summa ingenii & doctrinæ laude floruerit. Nam in Opere Hispanicè edito, quòd inscribitur *Perfectus Confessarius*, sic habet discursu practico, art. 3. *Dico communiorem esse & magis receptam à Doctoribus sententiam, licere & tutum esse in conscientia, sequi minùs probabilem opinionem, relicta probabiliore, sive sit ista propria sive aliorum; & quamvis minus probabilis opinio, quam sequetur, minùs secura, aut magis secura sit: aut doctus, vel ignarus sit, qui eam sequetur.* Pro qua sententia Auctores citat quadraginta quinque.

propria, o de otros: Y aunque la opinion menos provable que siguiere, sea mas segura * menos segura, o sea docto o ignorante el que la siguiere.

Itali, Alexander Pesantius.

Non dissentiunt Itali Doctores, quos inter & rerum pro Apostolica Sede gestarum gloria, & ingenii ac doctrinæ laude eminet Alexander Pesantius Romanus, qui in Commentariis Theologicis Paulo V. nuncupatis, ad 1. 2. quæst. 19. art. 6. disput. 2. num. 3. ita loquitur: *Dico, quoties opinio quæ ait aliquid non esse peccatum, est communis apud Doctores, vel quamvis non sit tam communis, quam contraria, si est aliquorum peritorum, neque habetur pro improbabili, potest quivis doctus illam sequi.* Et paulò post. *Potest præterea aliis consilium dare secundùm eandem opinionem.*

Ludovicus Carbo.

Ludovicus Carbo publicus in Gymnasio Perusino Theologiæ Professor, *magnæ vir integritatis ac doctrinæ*, teste Possevino, & *operibus multis, quæ summa cum laude in lucem emisit, eximius atque præclarus*, ut ait Antoninus Rosatus in epistola ad Cinthium Aldrobrandinum Cardinalem: in Summa, tom. 1. part. 1. cap. 14. editionis Venetæ, anni 1606. pag. 157. controversiam hanc data opera examinat, ac de ea sic pronuntiat; *Licet sequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori.* Quod triplici ratione confirmat.

Lælius Zecchus

Brevissimè illud ipsum affirmat Lælius Zecchus clarissimus Theologus, in Summa Moralis Theologiæ, Clementi VIII. dicata, anno 1598. sic enim habet tom. 1. de Regulis humanorum actuum, cap. 4. num. 7. *Quando omnes opiniones habent graves auctores, & probabiles rationes, potest licitè quis eligere quamcumque.*

Belgæ Joannes Wigers.

Postremi sententiam dicent Belgæ Theologi, in quibus excellit Joannes Wigers, qui, teste Valeriano Andrea in Bibliotheca Belgica, *non minùs vitæ probitate, quàm doctrinâ emicuit, & Scholam Theologicam Lovaniensem Professor Regius, annis continuis viginti sex, docendo scribendoque illustravit.* Copiosissimè quæstionem hanc pertractat in 1. 2. qu. 19. art. 6. dub. 6. Quid autem sentiat, exponit: *Dico quartò, quando ex utraque parte sunt opiniones probabiles, quarum una est probabilior, & altera minùs probabilis, possum in actionibus moralibus sequi minùs probabilem, modò verè & absolutè probabilis sit: non tantum quando minùs probabilis tutior est, vel quando ab operante habetur uti probabilior; sed etiam quando est minùs tuta, & habetur ab operante tanquam minùs probabilis.*

Guillelmus Merceri.

Mens est eadem Guillelmi Merceri, quem & Aubertus Miræus in Bibliotheca asserit Theologiam Lovanii docuisse *primò in Abbatia nobili S. Gertrudis annis octo, postea Regiis auspiciis in Scholis publicis totos viginti & octo annos*; & Valerius Andreas multis planeque admirandis virtutibus præditum fuisse testatur. Sic enim habet in Commentariis ad 3. partem S. Thomæ, Lovanii editis anno 1630. pag. 382. *Si pœnitens adhæreat opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confessor judicet, debet Confessor eum absolvere. Ratio est, quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, est bene dispositus.*

David à Mauden

Eidem quæstioni similiter respondet David à Mauden, cujus *eruditionem*, & *præclarissimum* opus in Decalogum mirificè commendat Michael Ophovius Episcopus Buscoducensis, in iis litteris, quæ præfiguntur alteri ejusdem auctoris volumini inscripto, *Speculum aureum vitæ moralis*. Sic autem loquitur discursu 2. in Decalog. pag. 1031. col. 2. *Confessarius potest & tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta sua probabiliori.*

Franciscus Silvius

Franciscus Silvius, qui teste Valerio Andreæ, Duacenam Theologiam *Professor Regius atque ordinarius triginta & eo amplius annos cùm docendo, tum scribendo mirificè illustravit*; diligenter de hac quæstione disputat. in 1. 2. ad q. 19. art. 5. quæst. 9. mentem autem suam sic exponit, concluf. 3. *Quando sunt duæ opiniones verè probabiles, licitum est, relicta probabiliori, sequi minùs probabilem: sive hæc, quæ minùs probabilis est, sit tutior, sive non. Ita sentiunt Medina, Bannesius*, &c. Atq; hanc assertionem suam triplici ratione confirmat.

Am-

Gangericus Hispanus.

Amplectitur eandem sententiam Gaugericus, Hispanus, natione Belga, professione Theologus Duacenus, in Additionibus ad Summulam Cajetani, verbo *opinionis usus*: *Quando*, inquit, *duarum opinionum contrariarum utraque tanquam probabilis à Doctoribus admittitur, non necessariò eligi debet tutior & probabilior; sed potest alterutri earum quisque se conformare: dummodò sibi persuadeat eam quam amplectitur esse probabilem, eique assentiatur tanquam sufficienter fundatæ, quamvis fortè contrariam propter urgentiones rationes existimet esse veriorem. Ita Medina loco suprà citato. Neque hoc contrarium est supradicto, videlicet quòd in dubiis eligenda sit pars tutior; quia quando utraque pars est probabilis, & sufficienter fundata (sicut hic ponimus) neutra censetur esse dubia, sed habet utraque certitudinem moralem.*

Richardus Hallus.

His adjungi debet Richardus Hallus, natione quidem Anglus, sed diuturna commoratione Belga, ut constat ex Joanne Pitseo, qui & *multiplicem ejus eruditionem* commendat. Tract. de conscientia, lib. 2. cap 9, ait: *Magnorum virorum auctoritate fulti, statuimus satis esse sequi opinionem alicujus probabilem, ut ad eas latebras non fugiamus, quibus quidam investigandam probabiliorem esse contendunt.*

CAPUT VIII.

Concluditur sententias illas, quamvis à doctissimis quibusque Societatis Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: immò Societati Jesu propemodum singulare fuisse easdem opiniones, tum variis modis temperare, tum etiam penitùs oppugnare.

TAM copiosa utriusque sententiæ defensorum multitudo, quæ altero tanto major evadet, cùm auctores omnes abistis indicatos nactus fuero, adeò certum me ac securum victoriæ fecit: ut non dubitem palam & apertè profiteri, celeberrimos Societatis nostræ Scriptores istis opinionibus adhæsisse. Sic docuit Franciscus Suarez, quem & Paulus V. Pontifex Maximus *Doctorem eximium*, & Alphonsus Castelbrancus Conimbricensis Episcopus *communem ætatis suæ Magistrum* appellavit. Nam tract. 3. in 1.2. disp. 12. sect. 6. quod universè statuebat Medina, *licere uti opinione probabili, relicta etiam probabiliori*, fatetur in iis opinionibus esse verum, *quæ versantur circa jus ipsum, scilicet an hoc sit prohibitum, vel præceptum, nec ne.* Sic etiam Vasquez in 1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 14. Valentia in 1. 2. disp. 2. quæst. 14. puncto 4. Tannerus disp. 2. de Actibus humanis, q. 4. dub. 4. Granado in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 3. num. 23. Lessius lib. 2. de Justitia & Jure, cap. 29. num. 68. Becanus in Summa, parte 2. cap. 4. q. 9. n. 15. Turrianus in 2. 2. disp. 13. dub. 3. num. 21. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 6. Coninck tom. 2. de Sacrament. disput. 34. num. 84. Oviedo in 1. 2. tract. 3. controv. 3. puncto 2. Arriaga in 1. 2. disp. 24. sect. 1. Palavicinus in 1. 2. disp. 9 q. 4. art. 4. Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 3 Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9 num. 14. Azor lib. 2. Instit. moral. cap. 16. q. 3. Layman tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Filliucius tract. 20 in Decalog. c. 4. num. 128. Reginaldus in Praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 2. Gordonus lib. 1. q. 9. num. 33. à Castro Palao parte 1. disput. 2. puncto 2. Baldellus lib. 4. disp. 12. num. 1. Bessérus lib 3. de conscientia, cap. 8. aliique complures.

Suarez. Vasquez. Valentia. Tannerus. Granado. Lessius. Becanus. Turrianus. Salas. Coninck. Oviedo. Arriaga. Palavicinus. Henriquez. Sanchez. Azor. Layman. Filliucius. Reginaldus. Gordonus. à Castro Palao. Baldellus. Bessérus.

Quamvis tam multi Societatis nostræ Scriptores sententias illas amplexi sint, nego tamen eas esse ipsorum proprias. Quis enim tam iniquè sentiat, ut illis singulariter adscribendum putet, quod ab aliis Ordinum omnium ac nationum Theologis, & doctrinæ fama clarissimis, & numero propemodum infinitis, incredibili planeque admirando consensu propugnatum viderit, Accedit, quod plerique ex Auctoribus à me productis posteriorem sententiam, quæ & priorem continet, non modò defendunt, sed etiam in omnibus Europæ Scholis & Academiis doceri profitenter. Nam ex Gallia Ysambertus exclamat: *Ita communiter Doctores.* Ex Hispania verò Ludovicus Montesinus, Petrus Navarra, & Gregorius Martinez: *Hæc sententia est communis in Scholis, hæc est communior Theologorum sententia, hæc est sententia communis.* Ex Italia Martinus Bonacina Episcopus, Jacobus Raggius, & Angelus Bossius: ita *communiter* Theologi, inquit, *ut ita dicam, infiniti*, ita *omnes publici Professores Theologiæ.* Denique ex Germania Joannes Caramuel Episcopus: *Illa sententia hodie est omnium.*

Fatebitur forsan aliquis sententiam hanc in omnibus orbis Christiani Academiis dominari; sed in eas à Societatis nostræ Theologis introductam esse lamentabitur. Quod etsi à quibusdam iracundè, & atrociter expostulari soleat; caret tamen omni probabilitatis specie ac colore: immò apertæ falsitatis convinci nullo negotio potest. Nam, ut omittam antiquiores Episcopos & Doctores, qui primam opinionem manifestè tuentur, & isti non mediocriter favent: demonstratum est superiùs Franciscum Victoriam, Bartholomæum Medinam, Ludovicum Lopez, Bartholomæum Ledesmam, aliosque doctissimos Thomistas, multò ante eâ perspicuè & acriter defendisse, quàm ab ullo nostrorum esset propugnata. Quam obrem Gabriel Vasquez, qui inter primos Societatis Jesu Scriptores, eam sub finem superioris sæculi amplexus est, ait in 1. 2. disp 62. cap. 4. nu. 14. *in Scholis multò antè communè fuisse.* Quod ab eo verè affirmari non dubitabit, quisquis recordabitur Michaëlis Salo-

nium & Petrum Navarram ante Vasquem scripsisse, hanc esse *communem Theologorum sententiam*. Unde & Salonius, eo loco, quem cap. 6. protuli, contra adversæ opinionis defensores hoc *argumentum ad hominem*, ut appellant, deduxit: *Eligenda est opinio, ut volunt, probabilior: sed quòd liceat amplecti probabilem* (demissâ probabiliori) *est opinio probabilior; cùm habeat plures & gravissimos auctores, & firmiora fundamenta, quàm opposita, ut ex progressu hujus disputationis constat*: ergo, &c.

Fracta est, opinor, procax & inverecunda Montaltii calumnia: placet tamen ad eam magis ac magis obterendam paucis demonstrare, adeo Societatis nostræ proprium non fuisse, tueri *ex duabus opinionibus probabilibus licitum esse minùs tutam, & minùs probabilem amplecti*; ut ipsi propemodum singulare fuerit, communè illam sententiam, quam in Theologorum Scholis dominantem reperit, tum pluribus adhibitis temperamentis mollire, tum etiam penitùs oppugnare. Ac primum ostendi perfacilè potest; si recorderis antequam libris editis quæstionem istam Scriptores nostri attingerent, Theologos communiter docuisse cum Bartholomæo Medina in 1. 2. ad quæst. 19. art. 7. concl. 3. & 4. hanc sententiam: *In omnibus negotiis, etiam magni momenti, & in maximam injuriam tertii*, atque adeo *& in materiis Sacramentorum*, locum habere. Quamobrem cùm anno 1592. scribebat Salonius, plures auctores pro hac sententia quàm pro oppositâ stare, de illa loquebatur, quatenus ipsos quoque Judices comprehendit. Sic enim habet in ea conclusione, quam verbis paulò antè citatis confirmat: *Quando sunt duæ opiniones ex parte juris, altera tamen probabilior, potest Iudex in judicando, & quivis fidelis in suis privatis actionibus, dimissa probabiliori, eligere probabilem*. Hinc est etiam quòd Petrus Ledesma, quieodem tempore florebat, cùm eo loco, quem superiùs cap. 5. descripsi, opinionem illam Judicibus singulariter accommodat, ait: *Hanc sententiam tenet Magister Medina, & Orellana, & alii multi Doctores, præcipuè discipuli sancti Thomæ*. Constat igitur hunc fuisse communem Theologorum sensum ante annum 1592. videndum est modò quàm singulari planeque admirando consensu Suarez, Vasquez, Sanchez, aliique Societatis nostræ Theologi, qui paulò pòst de his rebus scribere cœperunt, sententiam illam variis modis temperare, & plures ejus partes oppugnare conati sunt.

Primò, falsam esse contenderunt in *materia Sacramentorum*. Suarez enim tom. 3. in tertiam partem, edito anno 1594. disertè id docet disp. 16. sect. 2. quod & repetit tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 6. cùm ait *in opinionibus de Sacramentis* locum habere quod dixerat: *Sæpe ex justitia vel charitate teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minùs probabili*. Idem affirmat Vasquez in Commentariis ad 1. 2. editis anno 1598: Sic enim habet disp. 64. cap. 3. num. 1. *Nunc de de opinione probabili, considerata obligatione quâ quis ex charitate debet indigenti providere remedium salutis per Sacramenta, dicendum est. In hoc autem casu existimo, neminem satisfacere huic obligationi charitatis, si sequatur opinionem probabilem, immo etiam probabiliorem minùs tutam, cùm potest tutam eligere & sequi*. Idem sentiunt Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 34. Granado in 1. 2. tract. 2. disp. 4. sect. 4. num. 36. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 10. Becanus in Summa, parte 2. cap. 4. quæst. 9. num. 10. Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 138. Layman tract. 1. cap. 5. §. 5. Reginaldus Praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 1. num. 99. Gordonus lib. 9. quæst. 9. num. 30. Oviedo in 1. 2. tract. 5. controv. 3. punct. 4. Amicus in 1. 2. disp. 15. sect. 3. num. 59. Arriaga in 1. 2. tract. de humanis actibus, disp. 24. sect. 4. Palavicinus in 1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 2. num. 5. Bresserus lib. 3. de conscientia, cap. 9 Emanuel Mascarenhas tract. 1. de Sacram. disp. 2. cap. 5. Busenbaum lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2. num. 6. aliique permulti.

Secundò, alteram ejusdem sententiæ partem, quæ Judices spectat, acerrimè oppugnarunt. Suarez locis proximè citatis firmissima fundamenta ponit, ex quibus manifestè colligitur, quod disp. 13. de Charit. sect. 6. n. 3. docet in hæc verba: *In sententiis ferendis, sequenda est semper Iudici probabilior*. Idem affirmant Vasquez in 1. 2. disp. 64. cap. 2. num. 5. Valentia in 2. 2. disp. 5. quæst. 7. puncto 4. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 47. Tannerus in 2. 2. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. num. 128. Becanus in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 14. Coninck de Sacrament. disp. 34. dub. 10. num. 91. Granado in 1. 2. controv. 12. disp. 4. sect. 4. num. 39. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 12 num. 176. Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 144. Layman. tractat. 1. cap. 5. §. 3. num. 16. Reginaldus in Praxi fori Pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 2. num. 99. Gordonus lib. 1. quæst. 9. num. 34. Castro Palao tom. 1. disp. 12. puncto 10. num. 2. Amicus in 1. 2. disp. 15. sect. 4. num. 81. Baldellus lib. 4. disp. 15. num. 8. Bresserus lib. 3. de conscientia. cap. 14. Fragosus de Regimine Christianæ Reipub. parte 2. lib. 4. disp. 10. num. 198. Martinus Perez de pœnit. dis. 53. sect. 4. Palavicinus in 1. 2. disp. 9. quæst. 4. art. 4. aliique plurimi.

Tertiò, eandem opinionem respectu Medicorum falsam esse docuerunt. Nam de illis quoque Suarez agit, cùm tract. 5. in 1. 2. sect. 6. statuit, plerumque ex justitia, vel ex charitate *teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minùs probabili*. Vasquez verò in 1. 2. disp. 64. cap. 4. num. 23. ait: *In hac re servare debet regulam, quam diximus à Ministro Sacramentorum servandam esse, ut non sequatur opinionem probabilem duntaxat cum aliquo periculo in re, relicto eo, quod omnino certum est, & sine periculo; alioquin eum non satisfacturum præcepto, quo debet subvenire proximo*. Consentiunt Granado in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 41. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 14. concl. 2. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 9. n. 41.

Layman

Layman tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 15. Filliucius tomo 1. tract. 21. cap. 4. num. 151. Becanus in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 14. Reginaldus in Praxi fori pœnit. lib. 13. sect. 1. num. 99. Gordonius lib. 1. quæst. 9. num. 30. 34. Bresserus lib. 3. de conscientia, cap. 12. num. 125. Busenbaum lib. 1. tract. 1. cap. 2. sub finem, & alii multi.

Quarto, eandem sententiam, quâ parte Magistrorum hujus Præceptores spectat, refutarunt. *tenetur Præceptor*, inquit Suarez in 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 6. num. 9. *sanioris & veriorem doctrinam docere: in quo possit per gradus peccare juxta materiæ qualitatem.* Quod et generali principio jam sæpiùs indicato, ita Becanus deducit in Summa, parte 2. cap. 4. quæst. 9. num. 14. *Tertiò, sequitur præceptorem teneri docere sententias, quas credit esse probabiliores, & adhibere moralem diligentiam, ut veritatem assequatur: quia alioquin injuriam faceret discipulis.* Idem asserit Filliucius tract. 21. in Decalogo cap. 4. num. 148. Baldellus lib. 4. disput. 13. num. 2. Bresserus lib. 3. de conscientia cap. 18. num. 179. Gordonius lib. 1. q. 9. num. 30. neque dissentit Sanchez cum lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 26. post Salam ait: *Præceptores sæpe opinionem suam singularem tacere debere, ne cum aliorum scandalo ab opinione communiter recepta discedant.* Nam continuò subjungit, eos peccare, quando absque *ulla causa justa excusante* sententias illas docent, quas minùs probabiles arbitrantur.

Vides quàm impensè doctissimi quique Societatis nostræ Scriptores, duce Suare, communem illam de opinione minùs tuta, & minùs probabili sententiam, quam in Scholis regnantem invenerant, ea parte moderati studuerint, quæ res ipsas, & damnum ex iis natum respicit. Superest modò, ut ostendam, Societatis Jesu propemodum singulare fuisse eandem sententiam, quatenus præcisè jus ipsum ac præceptum spectat, penitùs oppugnare. Neque verò mihi laborandum magnoperè fuerit, ut istud demonstrem: ex ipso Wendrockio cognosci facilè potest. Cùm enim aliquem inter recentiores Theologum quæreret, qui jam parata ad hanc opinionem, ut à nobis explicata est, oppugnandam arma mutuaretur, unum reperit Paulum Comitolum, quem & appellat pag. 90. (sed flagitiosè dissimulat nostrum fuisse) & ex quo verbatim describit veterum Theologorum nomina & loca, quæ pro contraria opinione ibidem recenset. Certè ab annis octoginta tanto consensu omnibus Theologorum Scholis recepta est illa sententia, ut qui superiùs allegati sunt Auctores tam multi (quorum plerique accuratissimum illorum catalogum texuerunt, qui hanc controversiam attigere) duos tantùm ex recentioribus Theologis aperuisse impugnatores nominent: Paulum Comitolum è Societate Jesu, qui lib. 5. Respons. moral. q. 5. acriter & generatim eam oppugnat: & Antonium Perez Benedictinum, qui in Laurea Salmantina, certam. 10. dub. 2. cap. 10. num. 55. multò remissiùs contrà illam agit, docetque tunc tantùm opinionem probabiliorem necessariò præferendam esse, cùm est *longè probabilior*. Fuit igitur Societati Jesu proprium singulare, postremis hisce temporibus Theologum hîc, qui & palam, & acriter, & generatim sententiam istam, qua parte jus ipsum ac præceptum respicit oppugnaret.

APPENDIX.

De duobus Ordinis S. Dominici Theologis, quorum alter favet, alter bellum indicit communi doctrinæ.

Cum hæc dissertatio typis ederetur, jamque postremum caput sub prælo esset: commodè in manus meas venerunt Dominicanorum libri duo, alter obsoletus, & præ nimia vetustate pænè detritus; recentissimus alter, & nondum compactus. Uterque in hanc controversiam multa disserit, ex quibus pauca delibo.

Primus est, *Consolatorium timoratæ conscientiæ*, ante annos ducentos conscriptum à Joanne Nider, quem Antonius Senensis in Bibliotheca, *verum speculum observantiæ regularis, & scientiarum omnium promptuarium uberrimum* appellat. Toto capite 11. probat *auctoritate antiquorum*, ac præcipuè S. Thomæ, Willelmi Altisiodorensis, Ulrici, Monaldi, Humberti, & Willelmi glossatoris Raymondi: *Quod non semper oportet tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere.* Tum aliud caput, sic inscribit: *Capitulum 12. probat idem auctoritatibus magis modernorum Doctorum* Et jam inde ab ipso initio ait: *Gosfridus de Fontibus dicit: quod si quis confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem Confessor opinatur esse peccatum, puta de vitaliciis, & de multitudine beneficiorum, & similibus; quando confitentis talis opinio non procedit ex protervia, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor generaliter in forma Ecclesiæ absolvere.* Simillima profert testimonia Bernardi Claromontensis, Petri Paludani, & Joannis Erdenberg, *Doctoris*, inquit, *nostri Ordinis satis antiqui.* Quæ omnia cap. 15. plurimis rationibus confirmat.

Vix illum Joannis Nider librum percurreram, cùm mihi oblatus est alter Julii Mercori Cremonensis, de *Praxi opinionum limitata*, qui recens prodiit Mantuæ, cum honorifica approbatione Hieronymi Placentia Societatis Jesu Theologi. Non est mei instituti explorare quam firma sint ea argumenta, quibus tota parte secunda probare nititur, ex duabus opinionibus contrariis probabiliorem ac tutiorem in praxi sequendam esse. Duo tantum obiter moneo. Primum est, eum part. 2. art. 26. inter contrariæ opinionis patronos appellare duos aut tres recentiores Theologos, quos nec vidi, nec ab Auctoribus superiùs productis citatos legi. Quamobrem facilè adducor ut credam, eos cum Dominico Soto, quem & ipsis Mercorus adjungit, loqui tantùm de Judicibus, vel de factis ad aliena jura pertinentibus. Secundum est, eum parte 3. art. 7. in communem sententiam relabi, ac docere, sæpiùs licitum esse sequi in praxi opinionem minùs tutam, & minùs probabilem: *Quando videlicet*, inquit, *minùs probabilis ex motivo intrinseco, per motivum extrinsecum redditur certa moraliter. Sit exemplum; pensatis rationibus intrinsecis, an sit licitum in die festo opus servile per horam; pars negativa mihi videtur probabilior, & affirmativa minùs probabilis: si postea adverto quod personæ religiosæ doctæ, & Dei timorem habentes, faciunt laborare suos famulos per horam in die festo extra casum necessitatis; ex hoc exemplo, tanquam medio extrinseco, possum sequi sententiam, quæ mihi minùs probabilis apparet ex motivo intrinseco.* Addit paulò post: *Et quia plura sunt hujusmodi motiva extrinseca, quæ operationes nostras moraliter possunt certificare, ut auctoritas Doctorum, exempla majorum, præsumptiones, titulus possessionis, consuetudo, tolerantia approbativa superiorum in lege lege humana, regula ab inconvenienti vitando, vel pro majori bono in his, quæ mala sunt, quia prohibita, & similia; ideò sæpiùs poterit accidere casus, ut possit admitti in praxi usus opinionis minùs probabilis, quæ favet libertati, relicta probabiliori oppositæ, quæ favet præcepto.* Ex quibus patet eum à communi sententia nihil admodùm discrepare. Quod & clariùs ostendit capite sequenti, cùm pluribus probat se cum Vasque, Suare, Sanche, de Lugo, Laymanno, & Escobario planè consentire.



R. P. MARTINI DE ESPARZA ARTIEDA.

THEOLOGI SOCIETATIS JESU,

APPENDIX.

Ad quæstionem de usu licito Opinionis probabilis.

Continens responsionem ad quædam recentiorum argumenta.

PROOEMIUM.

DECIMUS hic Annus est, ex quo primùm edidi seorsim hebdomæ librum de actibus humanis, qui deinde est liber tertius in cursu meo Theologico recuso Lugduni anno proximè elapso 1666. In eo libro quæstione vigesima tertia, egi ex professo de usu licito Opinionis Probabilis, atque præmissa communi, ac legitima opinionis, ac probabilitatis expositione, necnon distinctione opinionis speculativæ à practica; statui, atque suadere conatus sum licitum esse usum opinionis cujusvis practicæ verè probabilis in quavis materia. Satisfeci, quantum potui, argumentis in contrarium, quæ tum circumferebantur, quæque mihi occurrere potuere. Emerserunt autem postea argumenta quædam alia magno cum strepitu, & cum vi exigua, quibus in prima illa editione Romana propterea respondere non potui, quia in mentem mihi non venerant, nec certè erant unquam ventura, nisi illa legissem ab aliis in publicam lucem evulgata, ut permutatis longis in parvum voluminibus, atque sententia in argumenta, dicere mihi liceat cum Augustino *lib. 3. de pec. merit. c. 1. Quam fateor, in illis tàm longis voluminibus meis non refelli, quia in mentem mihi omninò non venerat, quemquam posse talia cogitare vel dicere.* Quamquam autem antè præmemoratam editionem Lugdunensem prodiissent jam in publicum pleraque ejusmodi argumenta, prætermittenda tamen tunc illa putavi. Quia videlicet credi-

crediderам, uti ſub finem prædictæ meæ quæſtionis in eadem editione Lugdunenſi inſinuavi, fore, ut ſponte ſua marceſcerent, ac interirent, nec eorum auctores ullos eatenus aſſeclas inventuros eſſe, ac proindè impugnationem illorum plus habituram garrulæ contentionis, quàm veræ neceſſitatis, aut charitativæ utilitatis. Sed poſtea animadverti ſerpere illa ex aliis in alios, jam non admodum paucos, atque latiùs indies propagari cum jactura veritatis, quantùm quidem adequi conceſſum mihi eſt, aut conceſſum eſſe videtur, haud quaquam levi, & cum magno perturbandi proximos, eoſdemque in anguſtias non neceſſarias nocenter conjiciendi periculo per tenebroſam rerum longiſſimè inter ſe diſſidentium confuſionem, & æquivocationem, ut patebit in progreſſu. Quapropter neceſſarium jam eſſe puto, ut connitar, quanta vi potero, ea argumenta conterere, ac diſſipare, ne tantum malum ſuccreſcat amplius, nec iis diutiùs adhæreſcat, quos corripuit. *Senſi enim ſæpè dolens, & gemens,* (ſi fas eſt teporem meum uſurpare verba expreſſiva fervoris Auguſtiniani in re ſimili, *Epiſt. 118. cap. 2.*) *Multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujuſmodi, quæ nec Scripturæ ſanctæ authoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum poſſunt terminum pervenire, tantùm quia ſubeſt qualiſcumque ratiocinatio cogitantis, aut quia, & tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt,* (ô utinam hoc ſaltem) *nil rectum exiſtiment.* Utar autem in iis argumentis referendis, ac refellendis non alio ordine, quam quo eorum auctores ad manus meas pervenere, & quo apud ſingulos ſingula ſuccedunt, niſi quod in poſteriori opuſculi hujus parte regreſſarin duo antiquiora eademque præcipua, & omnibus adverſariis noſtris communia argumenta cum ſpe, occaſione eorum, utiliùs aliquid ſugerendi, & magis ac magis corroborandi, confirmandiq; prædictam doctrinam quæſtiunculæ illius noſtræ, mole quidem admodum minoris, quàm futura ſit iſta ad ipſam appendix, ſed nucleo; ſi quis codicum, noſtrorum corticibus ſubeſſe poteſt, plenioris. Cui certè brevi quæſtioni laboris impendimus multò plus, quàm toti opuſculo præſenti, quod ut excreſceret uſque adeò, vitio potiùs factum eſt Adverſariorum noſtrorum circumducentium nos per avia, ac devia argumentis à longè petitis. Cætera intentionis noſtræ ſuggeremus opportunius in progreſſu, ac diſceſſu contenti hic præferre, veluti proprium, Auguſtinianum præindicatæ Epiſtolæ proœmium: *Primò itaque tenere te volo, quod eſt hujus diſputationis Caput, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ipſe in Evangelio loquitur, leni jugo nos ſubdidiſſe, & ſarcinæ levi. Unde Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis Societatem novi populi colligavit.* Et nos argumentis eandem manibus diſcindi patiemur.

PARS PRIMA.

De Argumentis noviter adinventis:

Argumentum Mercori, ex Opinione Probabili primorum parentum circa præceptum sibi impositum.

ART. I. R. P. Julius Mercorus *in suâ Basi, p. 2. art. 18. §. Et primò propono*, arguit sic: Primi parentes habuerunt opinionem probabilem, quod præceptum sibi impositum de non comedendo ex ligno vitæ non obligaret ipsos in conscientia saltem graviter: Ergò opinio probabilis non excusat à peccato, vel etiam lethali. Patet consequentia, cum sit certum ex fide primos parentes peccasse lethaliter transgressione ejus præcepti. Probat Antecedens primò, quia probabile est ex Valentia, Navarro, Lessio, & aliis nullam legem pœnalem obligare in conscientia. Præceptum autem primis parentibus impositum habuit formam legis pœnalis, ut patet *ex Genes. 2. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Probat secundò, quia probabile est, quod nonnulli docent, Deum non posse præcipere aliquid leve sub culpa gravi. Erat autem aliquid valde leve edere unum pomum. Probat denique specialiter de Eva, quia probabile est, quod docet Carena cum aliis, legem pœnalem, & præcipuè, quæ exorbitat à jure communi, non debere extendi ad personas in ea non nominatas. Talis autem fuit lex imposita Adamo, ut patet ex forma præcepti, *Genes. 2. Et præcepit ei dicens, ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Ergò Evæ, ante cujus creationem illud præceptum intimatum fuit, potuit probabiliter existimare ipsam non fuisse comprehensam in ea lege. Eo vel maximè, quia Augustinus in eum locum dicit sic: *Non credens* (Eva) *posse inde se mori arbitror, quod putaverit, Deum alicujus significationis causa dixisse, si manducaveritis, moriemini.* Et paulò inferius: *Maxima libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem, quam timuerant, sequuturam.* Habuit igitur saltem Eva opinionem probabilem adversus obligationem legis.

* * *

Ostenditur primos Parentes nulla protectos probabilitate peccasse.

ART. II. Respondeo, nego antecedens. Quod nimirum est in primis directè, ac manifestè contrarium doctrinæ D. Thomæ docentis ex professo, *quæst. de verit.* quæ est de cognitione primi hominis *art. 6.* in Adam ante peccatum nec fuisse, nec esse potuisse ullam opinionem seu probabilem, seu improbabilem. Et corpus articuli claudit his verbis: *Ex quo patet, quòd non solum in eo nulla fuit opinio fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisse, de quidquid cognovisset, secundum certitudinem cognovisset:* Si scilicet in statu innocentiæ, in quo constitutus fuit, perseverasset. Atque *in responsione ad 3. & ad 11.* addit ante seductionem Evæ, & deceptionem Adami, atque adeò, juxtà præmissa, ante omnem utriusque opinionem, ac fallibilem cognitionem præcessisse in utroque peccaminosam mentis aversionem, id est, conversionem ad se, cum aversione à Deo. Idem docet *1. part. quæst. 94. art. 4.*

ART. III. Rursus eidem antecedenti contradicit sæpè Augustinus, ut apparet clarè ex his consequentibus, *lib. 1. retract. cap. 15.* paulò post tium præmissa definitione voluntatis, & differentia volentis à nolente, *& sic ad illos*, ait, *pertinent intentio, qui in paradiso fecerunt originem mali, malo cogente peccando, id est, libera voluntate. Quia & [illi] entes* (non igitur opinantes) *contra præceptum [fe]runt, lib. 11. de Gen ad litt. cap. 30.* Ideò prius [in]gavit serpens, *& respondit hac mulier, ut prævaricatio esset inexcusabilis, neque ullo modo dici posset, [de] quod præceperat Deus, oblitam fuisse mulierem [ali]quamquam & oblivio præcepti maximè unius, & [ad] necessarii ad maximam culpam damnabilis negligentia pertineret. Verumtamen evidentior ejus evangelio est, cum memoria retinetur, & tanquam in [ip]Deus assistens, præsensque contemnitur: lib. 14. de Ge[n.] cap. 11. versùs finem: Ille autem* (Adam) *sic [ta]noluit consortio dirimi nec in communione peccati, [ne]deò minus reus, sed sciens, prudensque peccavit.* paulò post: *Hos autem seductos intelligo voluisse, [ta]id, quod faciunt, non putant esse peccatum, ille autem scivit.* Rursus *in eodem libro cap. 14.* initio: *Sed [il]pejor, damnabiliorque superbia, qua etiam in primis manifestis suffugium excusationis inquiritur, sicut in primi homines, quorum & illa dixit &c.* atque retortis utriusque excusationibus subdit: *sed confessio potiùs, quàm excusatio vera est, ubi mandati divini est ope-*

ſit aperta tranſgreſſio. *Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier ſerpente ſuadente, vir mulie-re imperante commiſit, quaſi quicquam Deo, cui vel non imperante vel imperante peccatum erat; anteponendum fuerit.* Neceſſene fuiſſet anteponere aliquid authoritati divinæ; vel credendo, vel cedendo, ſi probabile fuiſſet, Deum nullam induxiſſe obligationem non comedendi, quæ ligaret in conſcientia? Nemo, credo, dicet poſſe credi fide divina, quod probabile eſt à Deo dictum nequaquam fuiſſe. Ac demum quomodo potuiſſet peccatum Adæ, & Evæ manifeſtis connumerari peccatis, ſi probabile ipſis fuiſſet, nullum ab eiſdem committi peccatum id faciendo quod fecerunt? ſed audienda eſt ejuſdem veritatis luculentior expreſſio alia, quæ habetur in eodem lib. 14. cap. 13. initio: *In occulto autem mali eſſe cœperunt, ut in apertam (an hoc eſt nutare ſub opinione?) inobedientiam laberentur.* Atque paucis interjectis de peccato ſuperbiæ, & de cæcitate intellectus præeunte ad peccatum edendi, & exterioris inobedientiæ, ſubdit: *Spontaneus eſt autem iſte defectus, quoniam ſi voluntas in amore ſuperioris immutabilis boni, à quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, ſtabilis permaneret, non indè ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc obtenebreſceret; & frigeſceret, ut vel illa verùm crederet dixiſſe ſerpentem, vel de Dei mandato uxoris præponeret voluntatem, putaret ſe venialem eſſe tranſgreſſorem præcepti.* Et paulò poſt med. cap. *Manifeſto, apertoque peccato; ita factum eſt, quod Deus fieri prohibuerat, Diabolus hominem non cepiſſet, niſi jàm ille ſibi ipſi placere cœpiſſet.* Ac demum ſub finem capitis de eadem pomi comeſtione loquens, concludit ſic: *Quis autem hinc eſſe non videat, quando ſit mandati evidens, atrox inſuper data tranſgreſſio.* Ex iis itaque omnibus evidens, atque indubitatum eſt, ex mente Auguſtini primos parentes non habuiſſe opinionem probabilem, quod præcepto Dei non obligarentur in conſcientia, & quod non eſſent peccaturi, tametſi agerent contra illud: omnemque perſuaſionem intellectualem, vicujus eligerunt comedere, & peccatum fuiſſe ignorantiam vincibilem; & voluntarium motum manifeſtum procedentem ex antecedenti mentiori peccato.

Art. IV. Majoris adhuc momenti eſt, quod poſtremò conſiderandum occurrit adverſus idem antecedens, nempè perſuaſionem, ſeu exiſtimationem, qua præeunte, ac pertrahente comederunt primi parentes de ligno vetito; & commiſerunt peccatum tranſgreſſionis præcepti ſibi impoſiti, utque adeò non fuiſſe opinionem probabilem, aut etiam ſententiam præcisè temerariam; ut fuerit infidelitas, & hæreſis. Quem quidem eſſe communem ſenſum SS. PP. affirmat diſertè Bellarminus tom. 4. controv. lib. 3. *de amiſſ. gratiæ, & ſtatu peccati* cap. 6. & confirmat adductis pluribus eorum teſtimoniis, in quorum ſpecimen credo ſuffectura hæc tria, quæ ille exhibet ordine antiquitatis: Tertul. lib. 2. *adverſus Marc. cap.* 2. *Quis dubitabit ipſum illud delictum hæreſim pronunciare, quòd per electionem ſuæ potius, quàm divinæ ſententiæ admiſit?* Amb. lib. epiſt. 33. *ad Mercellinam ſororem*, inducit Deum ſic exprobrantem Adamo: *Agnoſcis te eſſe nudum, qui bona indumenta fidei perdidiſti.* Auguſt. *in Ench.* cap. 45. peccato prævio ſuperbiæ, & ſubſequenti comeſtionis peccato interjicit peccatum infidelitatis, ubi, & circa quod interjicit Mercorus ſuam illam opinionem probabilem: *Nam & ſuperbia*, ait, *eſt illic, quia homo in ſua potiùs eſſe, quàm in Dei poteſtate dilexit; & ſacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium, quia ſemetipſum præcipitavit in mortem.* & rurſus in præindicato *lib.* 14. *de Civ. cap.* 17. *poſt med. Hoc itaque* (nuditatem ſuam) *cognoverunt, quod felicius ignorarent ſi Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas, & inobedientia quid nocerent.*

Art. V. His ita ſe habentibus, Docti ego lectoris prudentiæ, arbitrioque committo, ut judicet de opinione probabili primorum parentum; quod non obligarentur in conſcientia præcepto ſibi impoſito à Deo. Certè antecedens P. Mercori de probabilitate favente pernicioſæ primorum parentum appetitioni, probabilitatem nullam habet, ut patet ex dictis. Ad probationes illius dicitur doctrinas illas Valentiæ, Carenæ, & aliorum probabiles dici, & ad inferendum probabiliter valere apud nos, utcunque poſſe, ubi non præfulget certitudo præcepti prout obligantis in conſcientia, nullo verò pacto apud primos parentes ante peccatum, utpotè ſpecialiter illuminatos à Deo, & certa fidei, vel ſcientiæ notitia cognoſcentes perfectè ante peccatum, quidquid eſſet neceſſarium pro honeſta, ac juſta electionum, operationumque ſuarum omnium directione, ac potiſſimum circa unicum illud, ſummique momenti præceptum immediatè ſibi, & in ipſis generi humano univerſo intimatum à Deo, verbis utique, & inſtinctu haud quaquam ambiguis, uti condecebat ſummum Legislatorem in re præſertim tanta, & erga innocentes, ita ut omnis opinandi fluctuatio, deceptio, & error præiens ad eſum pomi vetiti, fuerit omninò voluntarius, & conſequens ad peccatum aliud purè internum prius admiſſum, ut apparet inter alia luculenter ex præindicatis locis SS. Auguſtini, & Thomæ. Verba Auguſtini; quæ ſpecialiter pro Eva producit in fine Mercorus, initum videri poſſet, quod non adverterit, ſi quid probant contra nos, probare non minùs contra Mercorum ipſum. Quia Auguſtinus in illo loco, nempè (Mercorus enim nimis vagè illum indicat, cum Auguſtinus ter ut minimum ſcripſerit in illum locum) *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 35 *poſt med.* non dicit, *probabile*, aut *minùs probabile exiſtimans, ſed probabilius exiſtimans.* Licitum autem eſſe uſum opinionis probabilioris, tametſi minus tuta ſit, ipſe etiam Mercorus admittit, & fuſè proſequitur in ſua tertia parte. Verùm abſolutè nil probant verba illa Auguſtini, neque ad rem, de qua agitur, pertinent. Quia ſive probabile, ſive probabilius exiſtimaverit Eva mortem non eſſe ſequuturam ex prohibita pomi comeſtione; non tamen exiſtimavit id, juxta mentem Auguſtini, opinione ſeu probabili, ſeu probabiliori; ſed voluntario manifeſto errore, atque infidelitate; ad eum utique modum, quo hæretici omnes, cæterique infideles ſua dogmata exiſtimant probabiliora, & vera eſſe pronunciant. Id quod ex teſtimoniis ſuperiùs productis apparet clariſſimè, & potuit Mercorus obſervaſſe ex eodem illo *lib.* 11. *de Gen. ad lit. cap.* 30. ex quo tranſcripſit priorem partem teſtimonii pro ſe adducti, quia Auguſtinus ibi immediatè antè dicit ſic: *Quando his verbis* (ſerpentis) *crederet mulier à bona, atque utili re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperbâ præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda, & humilianda?*

Art. VI. Sed quid ampliùs moramur in ambiguitate legis pœnalis non obligantis in conſcientia; &

tia, & non comprehendentis, præsertim si exorbitet à jure communi (quæ enim verò observatio est admodum opportuna pro eo statu) personas in eo non nominatas, nec non præcepti non potentis obligare in materia levi sub culpa gravi? Quid inquam moramur? Quando certum in primis est præceptum illud fuisse Adamo cum Eva commune, fatente ipsa Eva, *Genes. 2. 3. Præcepit nobis Deus, ne comederemus*; Et certum pariter est ex definitione Concilii Tridentini præcepto eidem adjunctam à Deo fuisse comminationem pœnæ, quæ soli reperditur peccato lethali, ut patet ex ejus verbis, *sess. 5. in decret. de pec. orig. can. 1. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei, &c. incurrisseque, per offensam prævaricationis hujusmodi, iram & indignationem Dei, atque ideò mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli, &c. Anathema sit.* Omitto plura dicere, & excuso, quod tam multa dixerim; quia nimirum volui, manifestata hujus argumenti dissonantia, supersedere à reliquis ejusdem Auctoris argumentis, præter hoc aliud simile præcedenti.

Aliud ejusdem Auctoris argumentum ex peccato Sauli parcentis Amalec.

Art. VII. Proponit nimirùm secundo loco peccatum Saulis *ex 1. Reg. 15.* ubi præmittitur primò præceptum impositum Sauli per Samuëlem nomine Dei, deletione, & totali exterminio Amalec, gentis rebellis Deo, & inimicæ populo Dei Israëli: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus. Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem & ovem, camelum, & asinum.* Sequitur deinde aggressio, & victoria Saulis adversùs Amalec, cum internecione vulgi, & demolitione rerum vilium, avectis verò à milite pretiosis quibusque, ac pulchris, & Rege Agag servato incolumi: *Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea; quidquid vero vile fuit, ac reprobum, hoc demoliti sunt.* Claudítur demum narratio reprobatione hujus facti, & indignatione Dei adversus Saulem propter tam magnum, tamque manifestum peccatum. Quæ reprobatio, & indignatio occupat totum reliquum caput illud à *vers.* 10. *ad* 35. & incipit his verbis: *Factum est autem verbum Domini ad Samuel dicens: Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit.*

Art. VIII. Subdit jam R. P. Mercorus Saulem habuisse opinionem probabilem de honestate eorum, quæ fecit, seu quod ea omnia sibi licerent, solumque proindè peccavisse, quia opposita opinio erat probabilior. Majorem istam probabilitatem non probat, quia Saul consideravit præceptum divinum sibi à Samuële intimatum, non potuisse esse novum, nec diversum ab oraculo divino, quod fuerat registratum à Moyse ad perpetuam rei memoriam, *Exod. 17. 14.* ubi dicit Deus: *Delebo memoriam Amalec sub cœlo. Illud autem oraculum non ita nùs probabiliter* (verba sunt Mercori) *poterat interpretari de delenda memoria, quàm de delendis solis masculis Amalecitarum.* Quia videlicèt erat scriptum characteribus ambiguis, & non magis significantibus deletionem memoriæ, quàm deletionem masculi. Quam in rem notat ex Sixto Sen. *lib. 3. Methodo hunda*, antiquos Hebræos non fuisse inscribendos vocalibus ullis, sed solis consonantibus, & quia hinc oriebantur frequentes errores in intelligentia sacri textus, adinventa postea fuisse puncta, quibus cuique consonanti opportunè subjungeretur eo vocalium, sensus ubique legitimus redderetur clarus, ac dilucidus; atque specialiter in oraculo prædicto, ob defectum pro tunc, & vocalium, & punctorum vicevocalium, æquè benè intelligi potuisse, tum deletionem memoriæ, tum deletionem masculi, uti idem Sixtus inibi ostendit, & ex eo transcribit Mercorus, atque ideò Saulem probabiliter opinatum fuisse, se nihil acturum contra præceptum, si deletis masculis Amalecitis asservare, uti asservavit, res eorum omnes pretiosas & pulchras. Qua equidem de causa Rabini aliqui excusant Saulem à transgressione præcepti, uti memorat idem Sixtus *eodem in loco.*

Art. IX. Confirmat Mercorus istam suæ probabilitatem. Primum enim si servavit vivum Regem Agag, id fuit ad magnificentiam triumphi propter gloriam populi Dei, & nil interesset, ante, an post triumphum occideretur Rex; siquidem sunt pecora, id fuit ad immolandum Deo, & nil interesset ea, vel demoliri gladio in prælio, vel comburere igne in altari; si denique servatæ sunt vestes, & alia pretiosa, id rationabiliter permissum est militibus loco stipendii, eò vel maximè, quia verba illa præcepti, *Non concupiscas ex rebus ipsius aliquid*, non habentur in textu Hebræo, & propterea sunt expuncta obelo in nostra Vulgata. Accedit hæc omnia fuisse mala, quia prohibita, non verò prohibita, quia mala, atque in hoc genere paret amplior benignæ interpretationi locus. Accedit rursus, quod ex verbis excusatoriis Saulis innotescit, hac illum probabilitate nixum fuisse. Dicit enim *vers. 15. Adduxit Agag Regem Amalec, & Amalec interfecit. Tulit autem de præda populus oves, & boves, primitias eorum, quæ capta sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.* Accedunt denique rationes ponderatas pro Saule esse magis probabiles, quam quæ adducuntur pro peccato saltùm veniali, ex comestione ovorum, & lacticiniorum absque privilegio, tempore Quadragesimæ; illicita inductione ad jurandum falsum, quod à juratore putatur verum; pro liberatione legatarii ab onere solvendi, ultra centum annos, legatum piumve perpetuum, quæ tamen, & similia vulgantur in libris tanquam probabilia. Habuit igitur Saul opinionem pro se probabilem, & tamen certò peccavit lethaliter.

* * *
* *

Inde

Inobedientiam Saulis omni prorsus probabilitate destitutam fuisse multipliciter demonstratur.

ART. X. REspondeo negando Saulem habuisse ullam veram probabilitatem de licita illi omissione, & commissione eorum, quæ commisit, & omisit, & ob quæ punitus à Deo fuit. Circa probationes P. Mercori in contrarium, nota, quæ sequuntur. Primò asseritur affirmatè ab hoc Auctore Saulem considerâsse indistinctionem præcepti sibi impositi ab oraculo antiquo; cujus tamen considerationis, nec fundamentum, nec fundamenti vestigium exstat alicubi ullum. Secundò, pro interpretatione, & intelligentia probabili præcepti ore tenus intimati immediatè, & clarè, directi individualiter ad Saulem, descendentis distinctè ad particularia adhibetur oraculum ambiguis, ut prætenditur, characteribus exaratum olim, & in quo nulla fit Saulis, aut ullius omninò hominis mentio, sed solùm Deus dicitur deleturus memoriam Amalec sub cœlo, absque ulla determinatione, an per seipsum immediatè, an mediatè per aliquem hominem, & quem, & quando, & quomodò; id est, exponitur clarum per obscurum, distinctè prolatum per exaratum ambiguè, determinatum quoad tempus, personam, & modum, ac circumstantias per indeterminatum, ac vagum quoad eadem omnia; quod quidem interpretandi genus longè abest à vera, ac legitima probabilitate. Tertiò inducitur Saul homo militaris, & ignarus, per seipsum interpretans sacrum textum, & oraculum divinum in eo contentum, nec volens consulere Samuelem Prophetam, quem habebat præsentem, & intimatorem præcepti divini à Deo missum, à quo poterat facillimè, ac certissimè de veritate docerî. Quod itidem est contra conceptum opinionis verè probabilis; de cujus videlicet ratione est, ut concipiatur omnibus hinc, & inde consideratis, & adhibita omni diligentia, quæ moraliter adhiberi potest: Quartò, cum oraculum illud esset scriptum lingua, & caractere vernaculo, ideoque esset facilè pervium Saùli quoad rem significatam nomine proprio; ad adstruendam nihilominùs ancipitem in illo obscuritatem fit recursus ad ambiguum, ac lubricum scriptionis Hebraicæ sensum ob defectum vocalium, necnon punctorum vicevocalium, quæ puncta tunc temporis adinventa nondum fuerant. Pro ista porrò fic, seu suspicandi, seu asserendi ratione utitur Mercorus, ut vidimus, authoritate Sixti Senensis, & noluit advertere, quod tradit idem Sixtus eodem illo in loco, & est valdè notum omnibus ea de re aliquid scientibus, ejusmodi punctorum necessitatem, & hallucinationem in intelligentia suarum consonantium absque vocalibus, & punctis accidisse Hebræis post aliquot annorum centurias à Christo nato; idque propter dispersionem Hebræorum in varias mundi plagas, ex quo Regnum Hierosolymitanum funditus eversum, & gens Hebræa quaquaversum dissipata à Romanis fuit, atque per diuturnam apud exteras nationes moram, & convictum ceperunt, ut usu venit, dedicere usum legitimum idiomatis proprij, & justam ac certam intelligentiam propriorum caracterum; cum prius omnem eorum vim, & significationem sub quavis dispositione, inflexione, & respectu mutuo tam certo, & cum tanta distinctione, ac determinatione, aut certe non admodùm minori callerent, atque callemus Hispani, Galli, Itali, aliique sua quique idiomata, & scripturas. Ergo Saul usque adeò distans ab ejusmodi Hebræorum dispersionis tempore, ac statu, nullum potuit ex hoc capite, aut errorem pati, aut excusationem obtendere. Quintò, imò ne tentavit quidem Saul talem excusationem, ut patet observanti totum illud decimum quintum caput libri primi Regum, & exactum inibi, Samuelem inter, & Saulem, colloquium accusationis, & excusationis delicti. Ubi urget P. Mercorum argumentum ad hominem. Cùm enim dixisset adfuisse Sauli opinionem probabilem quoad retinendas oves, & boves Amalecitarum, quia retentæ fuerunt ad immolandum Deo; id deindè confirmat, quia ex eo capite nixus est Saul se excusare Samueli. Debuisset igitur è converso P. Mercorus agnoscere nullam adfuisse Sauli opinionem probabilem ex collatione præcepti cum veteri oraculo, exque ejusdem oraculi ambiguitate, quia Saul nullam ex hoc capite excusationem obtendere ausus est.

ART. XI. Sextò deviat quadrupliciter P. Mercorus quatenus adducit pro se ex Sixto Senensi quosdam Rabinos excusantes inobedientiam Saulis ambiguitate veteris oraculi. Prima deviatio leviuscula est, quod Sixto referente Judæos quosdam, Mercorus substituit Rabinos quosdam, quod perinde est, atque Italis quibusdam substituere Doctores quosdam legis Italos. Secunda major deviatio est, quia illi Judæi, seu Rabini, seu non Rabini non dicunt Saulem habuisse pro se opinionem probabilem, quod unicè erat è re Mercori, sed excusant absolutè inobedientiam Saulis, id est, dicunt Saulem non peccasse, quod est contra suppositum fundamentale ipsius Mercori. Tertia maxima deviatio est, quod P. Mercorus advocet tanquam patronos suos, sibique consentientes eos homines, qui in illo ipso puncto, in quo collocatur patrocinium, atq; consensus, sunt hæretici manifesti, utpotè excusantes inobedientiam Saulis, quam accusat, ac reprobat clarissimè sacer textus, & punit severissimè Deus, ut patet ex præindicato *cap.* 15. Quarta non minor deviatio est, quod P. Mercorus non parum conniveat Judæis illis usque adeò flagitiosis: Quia dum concedi Sauli probabilem pro se opinionem, eo ipso concedit illi plusquam ducentos Doctores Catholicos suffragantes innocentiæ ejus. Totidem enim sunt, qui negant eum peccare, qui habet pro se opinionem probabilem. Adde ulterius, si libet, P. Mercorum, dum adducit pro se Judæos illos, seu Rabinos, adducere pro se homines sibi contradicentes, quia Judæis illis excusantibus Saulem, non potest attribui, quòd concesserint Sauli opinionem minùs probabilem, ut potè insufficientem ex Mercoro ad excusandum. Concesserunt ergo illi opinionem magis probabilem, quæ sola ex Mercoro sufficit ad excusandum, & quam idem Mercorus negat adfuisse Sauli. Negat verò ea præcisè ratione, qua eadem inter alia nos negamus adfuisse illi opinionem ullatenus verè probabilem: Quia nimirum constat clarè ex sacro textu, & est certum ex fide Saulem peccasse, atque ad peccandum necesse est, per Mercorum, ut qui peccat, non habeat pro se opinionem magis probabilem, sicut necesse est per nos, ut nullam habeat pro se opinionem verè probabilem. Septimò, ut admittatur fuisse probabilem confusionem præcepti præsentis cum veteri oraculo, necnon intelligentiam ejusdem oraculi, ac proinde & præcepti de delendis solis masculis Amalecitis, nulla tamen superest probabilitas

tas pro non deleto, sed servato vivo Rege Agag, qui utique erat masculus, & Amalecita. Ergo nec eo posito habet intentum P. Mercorus.

ART. XII. Octavò, quæ primo loco dicuntur in confirmatione argumenti de occisione Regis Agag post triumphum, de immolatione, de stipendiis, sunt prætextus prorsus inanes, & vacui, quales nulli unquam desunt peccatori, & non sufficiunt ad probabilitatem opinionis, de cujus nempè conceptu est, ut nitatur fundamento, quod omnibus hinc, & inde consideratis non sit leve, sed magni ponderis quale certè fundamentum in illis prætextibus minimè apparet, uti evincit clarissimè Samuel in sua Saulis redargutione exaperta, ac manifesta transgressione præcepti, & videre quisque potest in illo *cap.* 15. *vers.* 22. Et fatetur ibidem ipse reus Saul dicens, *vers.* 24. *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Nonò, quod addit inibi P. Mercorus, verba illa, *non concupisces ex rebus ipsius aliquid*, non haberi in textu Hebræo, & in vulgata nostra esse expuncta obelo, tametsi falsum sit, & videri insuper scandalosum possit quoad expunctionem in vulgata per obelum, qui est nota adulterinorum, seu perperam scriptorum, ut patet ex dictionariis, & ex usu communi; missum tamen id facio pro re præsenti, quia nil confert ad scopum Mercori, utpotè nil moventis circa actum internum concupiscendi, sed solùm circa res ipsas, & operationes exteriores, circa quas superest universalis illa alia particula præcepti; *& demolire universa ejus*, ultra totalem internecionem expressam itidem in præcepto, & prætermissam magna ex parte in exequutione à Saule. Decimò, distinctio, quam rursus superaddit P. Mercorus de prohibitis, quia mala, & de malis, quia prohibita, atque de benigniori quoad hæc posteriora interpretatione; imprimis, ut locum habeat aliquem circa prohibitionem legis humanæ, nullum tamen habet circa prohibitionem legis divinæ, sed eatenus est de subjecto non supponenti, cum nil sit malum independenter à prohibitione divina, seu antecedenter ad illam, ut tradit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6. ex Augustino, & ostensum à nobis fuit *in prædict lib.* 3. *q.* 20. Deinde aliud est interpretari legem, quæ obscura est, seu non satis clarè apparens, aliud vim legis patentem, ac manifestam eludere prætextibus æquè patenter, ac manifestè vanis, qui est casus noster, ut patet ex dictis.

ART. XIII. Undecimò, & ultimò. Comparatio illa majoris probabilitatis rationum faventium Sauli, quàm rationum faventium tribus illis opinionibus, de comestione ovorum, de inductione ad juramentum falsum, de legato non solvendo ultra centum annos, utrimque imprimis est de subjecto non supponenti, quia sicut rationes faventes Sauli nullius sunt probabilitatis, ut ex dictis apparet ab undè, ita tres illæ sententiæ nullius sunt probabilitatis, nec docentur ab ullo Doctore legitimæ auctoritatis, quæ sufficiat ad probabilitatem sententiæ juxta dicta *in quæst. art.* 2. *&* 3. & communiter censentur à viris doctis temerariæ, & scandalosæ. Quæro deinde à P. Mercoro, ubi habeatur præceptum divinum distinctè, & individualiter prohibens comestionem ovorum, & lactis iniorum in Quadragesima absque privilegio, inductionem ad jurandum falsum, quod ab inducto, seu jurante putatur verum, retentionem legati perpetui post centum annos; quale præceptum habuit Saul adversus incolumitatem, ac retentionem eorum, quæ non est demolitus, & retinuit. Cum invenerit similitudinem, & æqualem claritatem, ac certitudinem præcepti; tunc enim vere agere potuit de paritate rationum probabilitatis, seu probabilitatis rationum. Hæc nimirum est præcipua, eaque planè gravissima deceptio P. Mercori, tam hoc argumento de Saule, quàm in præcedenti de Adamo, quod nititur sententiam negativam obligationis in conscientia fuisse probabilem apud utrumque transgressorem divini præcepti, cum apud utrumque fuerit certa certitudine fidei divinæ existentia divini præcepti utrique individualiter impositi, ac intimati; Sauli quidem in materia etiam gravissima, primis verò parentibus sub comminatione gravissima, ac proinde obligantia æquè in conscientia sub eadem fidei divinæ certitudine; cum sit, per quam manifestum probabilitatem unius partis consistere minimè posse cum totali, ac summa partis oppositæ certitudine. Sed fortasse tædet, jam optime Lector, tantæ in re tam manifestis moræ. Transeamus igitur ad alium adversarium, eidem Sauli, sed alia via, ac modo adhærentem.

Aditus ad argumenta Sinnichii, adversus usum licitum opinionis probabilis.

ART. XIV. JOannes Sinnichius Doctor Lovaniensis, & Præses Majoris inibi Collegii Theologici, in libro quodam suo, quem inscripsit, Saul Exrex, scribit multa fuso admodum calamo, à *cap.* 94. *ad* 123. inclusivè, quæ sincero, & sapienti lectori videri possent, ac deberent scripta adversus schismaticos, hæreticos, atque paganos potiùs, quàm adversus Doctores ullos Catholicos, & quorum pleraque si non & omnia, nemini in mentem venire potuisset dirigi adversùs sententiam Doctorum Catholicorum, & plurimorum, & gravissimorum de usu licito opinionis probabilis, illiusmet ipse Sinnichius non præloquutus fuisset initio, atque in progressu non identidem commonefaciens intentionem suam dirigi adversùs eos Doctos, quoad illam eorumdem doctrinam. Prælogitur autem sic in præindicato *cap.* 94. *Postulatæ dictationis ordo, ut hoc loco breviter perstringamus Mathericorum quorumdam Ethicen, sive morum doctrinam nimio jam successu in Ecclesia adolescentem, multigena librorum editione sese diffundentem, omnino jam sim se opportunè importunè ingerentem, libertinis fanmopere arridentem, prisco Ecclesiastica disciplina rigori non tam insidiantem, quam insultantem, segregatorum multitudine crebrescentem, eorumdemque doctrinæ celebrescentem, quæ humanarum opinionum doctaminibus tantum defert, sive arrogat, ut nunquam licere asserat, quidquid propria conscientia probabiliter subnixa præscripserit.* Ut autem manifestet clarius scopum suum, subjungit ex P. Thoma Tamburino declarationem opinionis probabilis, distinctionem probabilis ab intrinseco, & ab extrinseco, comparationem utriusque cum magis, & minùs tuta, ac demum sententiam ejusdem Tamburini, licitum esse usum opinionis cujusvis probabilis, tametsi oppositæ sit, vel probabilior, vel etiam probabilior simul, & tutior, id est, licitum esse universaliter usum opinionis cujusvis; quæ nitatur ratione, vel authoritate alicujus ponderis, dummodò nil appareat convincens pro parte oppositæ.

ART. XV.

ART. XV. Tum pergit Sinnichius dicere §. 353. *Videlicet sententiam istam per omnia coincidere cum errore libertinorum, superiori capite dissoluto; vereor tamen, ne nimis propè accedat, atque ei revehendo aditum pandat.* Dixerat verò de libertinis, dum eos dissolueret, hæc interalia, progredi nimirum illos usque ad Atheismi barathrum fingere Deorum multitudinem, ut adstruant delictorum impunitudinem; cumminisci Deum sibi in culpa similem, non modo personis vitiosis, sed ipsis etiam vitijs divinitatem arrogare, superbiam eorumdem esse majorem, quàm Dæmonum, vel protoplastorum; ac demum celeusma talium hominum esse; *Quis noster Dominus est: Dominamur Altissimo; Superiores sumus Deo.* Similem inibi comparationem instituit Ethices professorum Catholicorum Doctorum cum Ethice Gnosticorum, Quintinistarum, & Manichæorum, atque deinde omnibus prætulerat eadem ferè, atque de libertinis, & hoc præterea, omni impietate repletos eos esse, nullum peccatum agnoscere, nisi ex sola operantis opinione, omne genus vivendi probare etiam lenonum, furum, &c. jure, ac merito cum Augustino illos dici *praviscordios, & torticordios.* Posthæc parum jam videri, imò & modestum censeri poterit, quod idem Sinnichius eosdem doctrinæ quidem Doctores Catholicos sæpius in progressu lumes compellet, atque palpones, & laxitatum buccinatores, quod opiniones eorum dicat ignorationum symptomata, imò & ignorationes ipsas propriè dictas, & quidem deterrimæ speciei, nempè ignorationes pravæ dispositionis, quæ sunt puluilli, & cervicalia illa reprobata *Ezech.* 13. 18. tanquam suppolita *cubito, & capiti universæ ætatis ad capiendas animas*, quod statuat Doctoribus eisdem, & eorum affectis congruere illud *Matth.* 13. 14. *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, amboin foveam cadunt.* Et similia penè innumera.

ART. XVI. Quanto cum fundamento, quin imò quam sine fundamento hæc omnia dicat Sinnichius, apparebit ex observationibus, quas mox subjiciam. Mirari interim subit, & multum, vehementerque mirari talia, tam horrida, & usque adeò enormia convitia excogitari, evomi, typis publicis mandari potuisse ab homine professionis Catholicæ adversus non unum, vel alterum tantùm modo Doctorem catholicum, nec solùm adversùs omnes, aut plerosque unius tantum, vel alterius Academiæ catholicæ, aut Ordinis Religiosi Magistros, quorum utrumlibet esset valde detestabile, sed adversus tot, ac tantos omnium ubique Academiarum Catholicarum, omniumq; ordinum Religiosorum Doctores, ac Magistros, quot, & quantos, notum est, nactâ, esse patronos doctrinam de usu licito opinionis probabilis. Fatetur nimirum Sinnichius ipse præmemoratis jam verbis suis, doctrinam istam nimio, ut dicit, successu adolescere in Ecclesia Dei, ac debuisset dicere, esse adultam, & robustam. In Ecclesia, inquam, Dei; nec enim adolescit, vel adolevit in uno aliquo angulo, in una tantum, vel altera, seu Academia, seu provincia, idque apud paucos plerisque omnibus piis, & doctis viris, inibi reclamantibus, & toto nisu resistentibus, qualis contigit adolescentia erroribus Bajanis Sedis Apostolicæ auctoritate reprobatis, ac eliminatis, & qualis porrò contigit nonnullis eorumdem errorum, (ut verbo Sinnichiano utar opportunius, quam ille,) symptomatis; sed adolescit hæc doctrina, atque adolevit in Ecclesia Dei, quaquaversum ipsa patet, in omnibus ejus Academijs, atque in Ordinibus religiosis universis, idque vix uno, vel alio alicubi reclamante, imò nullo prorsus alicujus nominis, ac celebritatis Theologo alicubi clarè, ac indubitanter contradicente. Usque adeo verum est, doctrinam istam non modo, ut dixit Sinnichius, suffragatorum multitudine crebrescere, eorumdemque claritudine celebrescere, sed ex utroque eo capite ita percrebuisse, ac celebrem evasisse, ut nulla omninò doctrina inter Catholicos controversa tot, & tam claros patronos ubique gentium Christianarum tanto cum consensu omnis generis hominum, ac Doctorum consequuta sit, ex quo ipsa cœpit clarè, ac distinctè, atque in proprijs terminis agitari. Et tamen audet hic homo tot, & tam claros Doctores in toto Orbe Catholico præfulgentes æquiparare quoad hoc punctum libertinis, Gnosticis, Quintinistis, & Manichæis, atque innuere doctrinam illorum ad istorum errorem nimis propè accedere, eidemque errori revehendo aditum pandere; id est, juxta præmissam ex eodem Sinnichio expositionem, tot, ac tantos Doctores Catholicos nimis propè accedere, & aditum pandere ad Atheismum, & ad multitudinem Deorum, ad superbiam superbia Dæmonum, & protoplastrorum majorem, ad attribuendam non modo hominibus vitiosis, sed vitijs quoque ipsis divinitatem; Ultra plura alia, quæ exscripsimus ex parte, & tædet repetere.

ART. XVII. De hoc modo agendi, ac dicendi nihil mihi dicere, ac ponderare placet, nec necesse est. Fortè sufficiet ad instructionem, & coercitionem talium hominum zelus, & auctoritas Augustini perstirngentis *Epist. 86. ad Casulanum* quendam, ut dicebat Casulanus, Urbicum, hominem Sinnichio dissimilem, quatenus Urbicus habebat pro se praxim Ecclesiæ Romanæ, & nonnullarum aliarum Occidentalium Ecclesiarum, atque fideles reliquarum per Orbem Ecclesiarum proscindebat injurijs, magnis illis quidem, sed non summis, & horridis ultra omnem modum, atque testimonijs utebatur pro se, aliquid dicentibus de jejunio, de quo erat suscepta ab Urbico controversia; Sinnichius verò utitur testimonijs, nil, ut videbimus, dicentibus, vel etiam insinuantibus de usu opinionis probabilis, quem impugnat, & vomit injurias, quibus atrociores nullæ, ut vidimus, excogitari possunt; ac demum habet contradicentem sibi praxim communem fidelium ubique terrarum absque ullius Ecclesiæ exceptione, cùm in sacro pœnitentiæ tribunali, & judices, & rei utantur ubique communiter doctrina opinionis probabilis, nec sit ullus ullibi Confessarius, qui repellat pœnitentem volentem uti, & quia vult uti opinione probabili. Audiatur jam Augustinus paulò post initium ejus Epistolæ: *quæ si de uno quopiam Dei famulo diceret, quis eum audire, quis non evitare deberet; Cum ergo his opprobriis, atque maledictis insectatur Ecclesiam per totum Orbem fructificantem, atque crescentem, & die Sabbati penè ubique prandentem* in re nostra ubique utentem opinione probabili) *admoneo quisquis est, ut sese cohibeat.* Fortiori igitur ratione audiendus non est, & est quoad hoc evitandus Sinnichius, & quisquis est ejusdem cum illo sensus, debet sese cohibere, quo minus erumpat in verba, qualia evomuit, dum viveret Sinnichius. Verùm & illud ad eundem non minus pertinet, quod August. addit adversus eundem Urbicum ad medium ejusdem Epistolæ dicens: *Nec se ipse respicit, nec quid dicat: attendit, ut scriptis suis ab ista præcipiti cohibeatur audacia.* Nempè Sinnichius proposita sibi initio

opinio is probabilis re probatione digressus protinus est ad reprobandam universaliter opinionem, omnesque operationes qualicunque innixas opinione, ut mox patebit. Quæcunque autem circa hoc diffusissimè dicit opinando, utique dicit, cum nec demonstrationem pro se ullam habeat, nec certitudinem divinæ revelationis, à qua utraque abest longissimè. Ergo suo se gladio confodit. Sed jam ad particularia descendamus.

Observatio prima adversus Sinnichium de probabilitate veritati contraposita, & de opinione cum errore confusa.

ART. XVIII. Assumit Sinnichius §. 357. illud Christi Domini Joann. 14. v. 6. *Ego sum Veritas*, & videtur velle arguere sic; Christus dicit. *Ego sum Veritas*. Ergo non est licitus usus opinionis probabilis. Videtur, inquam, velle sic arguere, quia non subintellecta ista illatione testimonium hoc nil confert ad scopum ab auctore sibi propositum, uti paulò superius retulimus. Quod meminisse pariter necesse est pro quampluribus aliis testimoniis, quæ congerit in prosequutione ejusdè causæ absque ulla explicita, & formali illatione. Illatio autem hic proposita est inutilis, ut per se patet: Sed non patet Sinnichio ponderanti; *Nequaquam dixisse perhibetur, ego sum probabilitas, sed ego sum veritas*, quasi inde detur intelligi, unam sectandam esse veritatem, non probabilitatem. Sed repono, sicut non dixit, ego sum probabilitas, ita non dixit, ego sum fides, ego evidentia, ego major probabilitas, ego tutitas. Ergo si quid valet consequentia Sinnichii, neque fide divina, uti licet in operando, neque cognitione evidenti, neque opinione, & probabiliori, & tutiori. Quod est perabsurdum, ac proinde est perabsurda illa etiam consequentia.

ART. XIX. At opponit seriò Sinnichius c. 97. Omnis opinio, omnis, inquit, omninò est falsitas, & error. Ergo qui sequitur opinionem, quæ est falsitas, & error, non sequitur Christum, sed fugit à Christo, qui est veritas. Probat antecedens ratione. Quia licet aliquæ opiniones sint reipsa veræ formaliter, sunt nihilominus eædem etiam falsæ æquivalenter saltem, & interpretativè. Latet enim opinantem veritas, etiam cum adest formaliter, atque ideò perinde se accommodat dictamini, in se vero, atque si abesset veritas, adesset falsitas. Amplectitur ergo falsitatem saltem interpretativè, & æquivalenter, ac proindè neutra potest unquam esse regula honestæ, & laudabilis operationis. Probat rursus idem antecedens authoritate Augustini dicentis *lib. de utilit. cred cap.* 11. *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima; intelligere, credere, opinari. Quæ si per seipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.* Et rursus ibidem in propriis terminis: *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori.* Error autem, & vitium sunt per se, & secundum se quid intrinsecè inordinatum, monstrosum, & naturæ rationali dissentaneum, ut exaggerat Sinnichius ex Augustino in *Enchir. cap.* 17. & 19.

ART. XX. Respondeo negando antecedens, cujus falsitas ita est manifesta, ut ipse etiam agnoscat illam Sinnichius dicens aliquas opiniones esse formaliter veras: sunt autem totidem veræ, atque falsæ, quia cuivis opinioni est alia opinio contraria, & necesse est alteram esse veram, & alteram falsam; atque eam, quæ est vera, esse aliquo modo falsam, proinde est, ac album esse aliquo modo nigrum, & lucem tenebras. Quoad æquivalentiam, & interpretationem retorquetur argumentum sub eadem prorsus forma. Latet opinantem falsitas etiam cum adest formaliter, atque ideò se accommodat dictamini formaliter falso, ac si adesset veritas, abesset falsitas. Amplectitur ergo veritatem saltem interpretativè, ac æquivalenter. Idque eo magis quia intellectus dicitur, ac movetur ad actum opinandi specie, & apparentia veritatis, nec fieri magis potest, ut intellectus moveatur apparentia falsitatis, quam ut moveatur voluntas apparentia malitiæ. Dicendum est absolutè opinionem ex suo conceptu esse fallibilem, falsam verò aliquando, & aliquando veram. Quod falsitas proveniat ex voluntaria inconsideratione, & præcipitantia opinantis, tuncinest opinioni ignorantia pravæ dispositionis affectivè, & moraliter, secus verò si adhibita fuerit consideratio, & consultatio, quatam postulat res, de qua agitur. Quod autem opinioni insit, uti sæpè inest ignorantia pravæ dispositionis materialiter tantum, ac physicè, nil id refert ad res, quia sub ignorantia invincibili, seu conscientia invincibiliter erranti dari potest actus bonus, laudabilis, ut ostendi *quæst.* 24. *de act. hum.* cum D. Thoma, aliisque omnibus Theologis.

ART. XXI. Ad authoritatem Augustini dico, quod nuper significavi de authoritate Christi, & sæpè deinceps dicturus sum cogente Sinnichio, nil illam facere ad propositum. Patet ex notione opinatis, quam præfert idem Augustinus in illo ipso cap. sub initium: *Tria sunt*, inquit, *alia hominum genera infectò improbanda, ac detestanda. Primum eorum opinantium, id est*, (hoc nota) *eorum qui se aliquatenus scire, quod nesciunt. Alterum eorum &c.* In qua opinio, prout ibi sumitur ab Augustino, ultra incertitudinem assensus includit existimationem scientiæ cuniunctam cum ignorantia. Nos autem disputamus de opinione sumpta pro assensu incerto absque ejusmodi stultissima existimatione, sic opinionem vocamus sivè ratione, sivè authoritate nitatur incerta. Illa itaque multa, quæ sapientissimè prosequitur ibi August. contra opinantes, & opiniones nil pertinent ad præsentem quæstionem. Imò opinionem pro assensu incerto culpa vacuta & laudabilem esse posse tradit inibi August. non semel. Dicit enim ad medium illius capitis: *Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facilè creditur. Levitas verò rebus, si quis quid credit, si se id nescire intelligat, nulla culpa est.* Nempe tametsi fallatur. Et rursus in fine capitis: *Sed si quis diligenter consideret plurimum interesse, utrum se scire quis putet an quod nescire se intelligens credat, aliqua auctoritate commotus, profecto error, & inhumanitatis, atque superbiæ crimen vitabit.* Ac demum *cap.* 12. sub initium: *Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos pauperes esse crediderit, etiam si non essent.* Id est etiam si fictes esse crediderit, etiam si non essent. Id est etiam si fictes esse crediderit, etiam si non essent. Id est etiam si fictes esse crediderit, etiam si non essent.

veniens confundendi opinionem, de qua disputamus, cum errore, & falsitate, nec erupisset §. 357. & 361. in illas ab Augustino super, & sæpè aliàs reprobatas clarè, atque temeritate plenas sententias, quibus diserte asserit nullam, & nusquam opinionem seu probabilem, seu probabiliorem, seu etiam probabilissimam excusari, aut excusare à peccato, sed omnem prorsus opinionem esse peccatum, & incedere in peccatum, atque eum, qui in rebus animo quidem oblatis, sed incertis, aut ambiguis, hoc est in rebus utrimque opinabilibus (nec enim de certis, aut claris, ac indubitatis opinari est) eum, inquam, qui in talibus erumpit in assensum opinativum, eo ipso quadam mentis inordinatione infectum se prodere, errori speculoso se citra necessitatem exponere, adeoque reatum erroris incurrere, temeritatis sibi notam inurere, monstrosum mentis fœtum parere, & qui si jam sufficiente notitia ad rectè agendum instructus, studium ulteriorís indagationis deponere. Quæ omnia præterquam habent Augustinum, ut dixi, contradicentem in verbis nuper memoratis, & clarius, ac plenius in toto contextu, unde extracta illa sunt, eademque ipsum vel maximè carpunt Sinnichium utpotè effutientem illa cum assensu opinativo in re apud ipsum incerta, & ambigua, cum falsi apud neminem certitudo, & inhibitantia dari possit. Ea omnia, inquam, sunt adeò paradoxa, dissona, & à sensu, & praxi humani generis aliena, ut nulla mea indigeant impugnatione, quæ tamen suppetet abundè ex dicendis infrà præsertim de mente Augustini circa quæstionem istam totam.

Observatio secunda de ulteriori Sinnichiana confusione opinionis, & ignorantiæ cum vitio, & peccato.

ART. XXIII. INsurgit novo, sed assimili conatu Sinnichius adversus communem apud probabilitatum patronos, excusationem petitam ex ignorantia invincibili, ratione cujus in rebus plurimis nec scientiæ, nec fidei divinæ certitudinem assequi possumus, & sæpè à veritate per decepionem, & fallaciam inevitabiliter aberramus. Insurgit verò dicendo ignorantiam usque adeò non excusare à peccato, ut ipsa qualiscunque ignorantia circa agibilia, seu eligibilia sit per se peccatum, atque probat re transportat in suum codicem *cap.* 96. quæ ut Augustino, & aliis accumulaverat in eundem scopum Jansenius in suo Pseudo-Augustino, & sunt obvia in Augustino. Addit §. 361 ignorantiam saltem legis naturalis excusare neminem posse, quia nunquam invincibilis ea esse potest. Quam in rem superaddit Patribus Theologorum præcipuos, qui habentur apud Vasq. 1. 2. *disp.* 120. & 122. *c.* 11. & notat dictum Gersonis *lib. de vita spirit. lect. 4. coroll.* 3. *Concordam esse sententiam, nullam in his, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* Addit rursus §. 363. opinionem ex suo conceptu universali includere in se inordinationem aliquam & vitiositatem. Quod probat ex D. Thoma, negante ea de causa possibilitatem opinandi probabiliter innocentiæ, ut apparet ex loco à nobis indicato supra *tus art.* 2. & ponderat Sinnichius ex inordinato, & vitioso nil unquam ordinatum, ac virtuosum provenire posse, ac proinde ex nulla opinione, qualiscunque ea sit, actum ullum bonum procedere unquam posse.

ART. XXIV. Dico nil horum quidquam facere ad propositum. Quod ut clarius manifestetur, triplex distinctio habenda præ oculis est. Prima distinctio est peccati, quod ratione sui meretur specialem pœnam, à peccato, quod ita est pœna peccati, ut nullam ulterius specialem pœnam ratione sui mereatur. Altera distinctio est ignorantiæ vincibilis ab invincibili. Vincibilis est, quæ ab eo, qui illi subest, vitari propria voluntate potuit, seu mediatè, seu immediatè, seu remotè, seu proximè; invincibilis, quæ non potuit sic vitari.

ART. XXV. Agnoscit utramque istam distinctionem Augustinus (ultrà alia plura loca) præsertim *Enchir. cap.* 20. *&* 21. *& lib.* 3. *de lib. arb. cap.* 19. *Epist.* 105. *ad Sixtum* aliquanto post medium. *Ac per hoc*, ait, *inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat. Quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Ubi distinctio ignorantiæ eorum, qui intelligere noluerunt, ab ignorantia eorum, qui intelligere non potuerunt, clarissimè continet in se distinctionem ignorantiæ vincibilis ab invincibili. Illa enim talis dicitur, quia, & quatenus provenit à libera intelligendi nolitione: hæc quia, & quatenus provenit ab intelligendi impotentia. Nec minùs elucet clarè distinctio peccati, quod per se est causa pœnæ, à peccato quod est pura pœna, tum in ipsis postremis verbis, tum maximè in priori allati testimonij periodo. Absurdè namque distingueretur, quod sine dubitatione peccatum est, ab eo, quod est pœna peccati, si utrique ita conveniret ratio pœnæ peccati originalis, quæ procul dubio convenit omnibus peccatis personalibus filiorum Adæ, ut conveniret etiam utrique specialis causalitas ulterioris pœnæ. Absurdiùs verò, seu manifestiori absurditate distingueretur in initialibus verbis peccator inexcusabilis reatu originis, à peccatore, qui est inexcusabilis additamento propriæ voluntatis, si eadem asserta à nobis distinctio peccatorum ab Augustino non agnosceretur, nec dicerentur peccata obnoxia divinæ vindictæ, alia quidem per solam denominationem à peccato originali, alia verò etiam per se ipsa.

ART. XXVI. Postrema distinctio est ignorantiæ legis naturalis quoad præcipua ejus capita, & fundamentalia principia valdè manifesta, & quibusvis facilè pervia, ab ignorantia legis naturalis, quoad conclusiones deducibiles ex illis principiis occultiores ex sua natura, & à solis sapientibus cognoscibiles, per proprium discursum, & ne iis quidem notas quoad aliqua certitudinaliter, ac evidenter. Distinctionem istam amplectuntur, & merito Theologi cum D. Tho. 1. 2. *q.* 100. *art.* 11. Ubi expresse distinguuntur præcepta naturalia cuilibet etiam populari facilè nota, & præcepta naturalia solis sapientibus nota, & similiter distinxerat *q.* 95. *art.* 6. præcepta communissima legis naturalis, & præcepta magis particularia, & quasi conclusiones priorum; atque hæc posteriora dixerat posse aboleri à corde hominis, non solum per peccata propria, sed etiam per malas aliorum persuasiones; Et præterea qui scit Decalogum, prout reperitur expressus in sacris litteris, dicitur absolutè scire, & non dicitur absolutè ignorare legem Dei, tametsi ignoret interea quam plures conclusiones indè deducibiles, atque D. Augustinus conscius utique divinæ legis atque Sapientissimus dubitat de nonnullis in lege Dei contentis, ut ex.

gr. *lib. 1. de serm. Dom. in Monte cap. 16. post. med.* dubitat, an uxor à marito suo dimissa committat peccatum mœchiæ, si alteri marito copuletur vivente priori marito. Dicit enim: *Si autem dimittatur à viro, cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundum Domini sententiam; sed utrum & ipsa tali crimine teneatur, incertum est.* Et inibi paulò post proposita quæstione, an licere aliquando possit uxori, ut præhabito consensu mariti alteri homini commisceatur? subdit: *Quanquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor mariti consensa, pro ipso marito hoc facere debere videatur, sicut Antiochiæ factum esse perhibetur*; Atque relato casu Antiocheno planè miserabili concludit: *Nil hic in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare quod velit.* Idemque S. Doctor. *Ep. 65.* postrema, frequentes suas circa legem Dei hæsitationes exponit Paulino his verbis: *Sæpè nos quippè conturbat, & difficile est non aliquid, quod magis faciendum erat, omittere, dum illud mutare volumus, in quo prius permanere statueramus.* Et rursus: *Hic non falli difficile est.* Ac demum: *Hinc oro participem me facias cogitationum tuarum, quid in talibus vel facere soleas, vel faciendum esse reperias.* Sed nil necesse est in hoc puncto amplius immorari, quando, id est manifestissimum exquampluribus, apud præclarissimos, quosque Magistros, & Ecclesiæ Doctores, controversiis de licito, & illicito juxtà legem Dei, legemque naturalem, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ac proindè alterutris saltem ignorantibus, idque procul dubio invincibiliter, cum adhibeant diligentiam, quantam possunt.

ART. XXVII. Jam probabilitatum Patroni, quos Sinnichius *capite illo 96.* initio impugnandos proposuerat sibi, quoad hoc specialiter punctum ignorantiæ nullibi docent ignorantiam vincibilem, sed solam invincibilem excusare à peccato, ut communiter loquimur, formali, seu à peccato, quod ratione sui seorsim sit meritorium pœnæ; atque id tenent tanquam principium indubitatum, ut notavi *quæst. 24. de act. hum.* Exorbitat itaque Sinnichius, dum proponens impugnare probabilistas: nullamque tentans adversus eos rationem proponere, nullum item profert testimonium, in quo aliquid dicatur, vel etiam insinuetur ullo modo de ignorantia invincibili non excusante à peccato ratione sui seorsim meritorio pœnæ, uti facilè, & clarè deprehendet, qui volet legere longam ejus circa hoc rapsodiam. Sed exorbitat multò magis, quatenus inserit testimonium idque gravissimum, quod suffragatur apertè sufficientiæ ignorantiæ invincibilis ad excusandum à tali peccato. Inserit enim Augustinum dicentem *lib. de gratia, & lib arbitr. cap. 3. Nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescire, aliud scire noluisse. Voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur. Noluit intelligere, ut bene ageret.* Per quæ manifestè datur intelligi in iis solùm ignorantiæ tenebris non esse requirendam excusationem, quibus quis voluntate subest, non necessitate, ac proindè ignorantiam, quæ ab ignorante ipso vitari non potuit, valere ad excusationem à peccato, ratione sui seorsim specialiter demeritorio. Verborum in hoc testimonio immediatè antecedentium, & subsequentium meminero paulò post.

ART. XXVIII. Prius etenim notare oportet confinem aliam exorbitationem Sinnichii quoad peccata subsequentia ad ignorantiam invincibilem. Quia probabilistæ non negant dari sub ignorantia invincibili peccata, quæ solemus dicere materialia, & S. Augustinus, ut mox vidimus, aliique exemplo ipsius dicunt pœnas peccatorum, seu peccata, quæ sunt pœnæ peccatorum. Sed neque negant illum probabilistæ peccata ita materialia esse vere, & propriè peccata per denominationem à peccato originali, & esse voluntaria, atque imputabilia etiam præcisè voluntarietate, & imputabilitate, qua peccatum id em originale simul cum omni deordinatione, ac perversione intellectus, & voluntatis indè necessario resultante voluntarium, atque imputabile est. Ita autem hoc non negant, ut neque affirmet, quis re ipsorum non erat quidquam circa hoc affirmare, vel negare, cum quæstio solùm sit, an opinio probabilis excuset ab eo peccato, à quo certum est non excusare opinionem improbabilem, ac temerariam aut errorem liberè propria personali libertate contractum, id est; an excuset à peccato, quod ratione sui seorsim mereatur specialem pœnam. Præcidunt itaque à malitia, & imputabilitate illa per denominationem à peccato originali, utrà re minimè pertinenti ad scopum quæstionis, idque faciunt jure optimo sequentes exemplum in re simili, & consilium D. Thom. *de verit. quæst. 18.* Quæ est de cogitatione primi hominis *art. 6.* ubi sic habet: *Alii vero hoc dictum improbare nituntur ex hoc, quod Augustinus omnem falsam æstimationem, errorem nominat, & dicit etiam omnem errorem malum esse, in magno quidem magnum, in parvis autem parvum. Sed in his non est multum insistendum. Quia cum de rebus agitur, debet quæstio nominum intermitti.* Perpenso ego, & prorsus abs re convehit Sinnichius plura illa testimonia de oblivione, & ignorantia, seu subsecente peccato, seu non excusante à peccato, cum in plerisque eorum nulla fiat distinctio, ut ignorantiæ vincibilis ab invincibili, aut peccati, quod ratione sui est causa pœnæ, à peccato, quod solùm est pœna peccati; atque ubi hæc distinctio adhibetur, ad hibeatur cum additamento doctrinæ contradicentis scopo Sinnichii, uti de Augustino, quem cæteri loquuntur, innotuit satis *art. 25.* Jure ergo à nobis prætermittuntur ejusmodi testimonia, utpotè nil ad rem pertinentia, & quæ à nobis admittuntur de plano jacent absque ullo præjudicio præsentis nostræ doctrinæ.

ART. XXIX. Id circa hæc fortè prodem annotasse, Augustinum, & qui cum ipso, aut propè ipsum vixere, & scripsere, optimo consilio instituisse agnoscendæ, exprimendæ, ac firmiter retinendæ rationi peccati in oblivione, & ignorantia, qualicunque ea esset, necnon in iis, quæ qualitercunque inde subsequerentur dissentanea reipsa legi Dei. Quia Augustinus, quem reliqui imitari sunt, ut tus, & imitari debuerunt, utpotè in eundem scopum collimantes, totam ætatem egit in refellendis, atque per omnes vias, ac modos confundendis hæreticis, ac præsertim Pelagianis, qui negabant peccatum originale, & consequenter dicebant, oblivionem, & ignorantiam, & quemvis alium hinc, vel aliunde provenientem defectum recti ad finem ultimum ordinis, absque propria cujusque personali libertate, non esse sordes animi invectas per peccatum originale & quibus idem peccatum originale inficiat animum, sed esse primordia hominis naturalia, & proprietates naturæ humanæ, prout à Deo instituta est, nullamque proinde in illo ejusmodi defectibus agnoscendam esse ullo modo rationem voluntarii, & peccati, uti describit Augustinus latè libris duobus de peccato originali *lib. 4. 5. & 6.* contra Julianum *cap.* de

de dono perseverantiæ, & alias sæpissimè. Unde quod Pelagianos nolle agnoscere in oblivione, & ignorantia, aliisque ejusmodi defectibus ullam rationem peccati ullo modo, perindè erat, atque nolle agnoscere, penitusque negare peccatum originale. Necesse igitur Augustino fuit, & optima ratione in hoc semper incubuit, ut pro stabiliendo eodem peccato originali iisdem illis defectibus, eorumque proprijs fœtibus adscriberet è contra rationem peccati modo, & sensu jam explicato ex Augustino ipso, ubicunque incideret de illis sermo, dum disputabat adversus Pelagianos, Manichæos, aliasque similes pestes. Cæterum ut Cornelius ille Iprensis, & Sinnichius iste, aliique nonnulli usurpent Augustini ea de re, aliorumque per ea tempora scriptorum testimonia, dum disputant contra Theologicos Catholicos, & plerosque de Religione Catholica optimè meritos, atque de peccato originali, & ejus effectibus firmissimam tenentes fidem, & sanam, atque integram doctrinam; id enim verò est non solùm abuti, & extrà scopum propositum, ut dixi, verum etiam scandalo propriè dicto plenum, quoad plerosque ipsorum lectores, quatenus eas auctoritates, & auctoritatum ponderationes prosequuntur absque præmissa à nobis, ex communi consensu, distinctione, & accommoda distributione ignorantiæ, & peccati, hoc tempore apprimè necessaria, & sufficienter subintellecta tempore Augustini, ac propè; Ex ipso celebrrimo pro tunc controversiarum statu. Hoc, inquam, tempore apprimè necessaria ob rationem illi similem, qua Synodus Tridentina propter nonnullos postremi sæculi hæreticos coacta est edicere *sess. 5. sub finem*, definitionem istam. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat* (appellat verò frequentissimè omnium Augustinus) *Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Atque hæc de ignorantia, & peccato in genere.

ART. XXX. Quod ad ignorantiam invincibilem attinet legis, seu juris naturalis possibilem, vel impossibilem. Pro præsenti imprimis controversia de usu licito opinionis probabilis, loquendo formaliter, & directè intra limites ejus proprios, nil refert scire, in qua materia, & circa quæ objecta dari possit, vel non possit opinio probabilis, & is consequenter ignorantiæ gradus, qui est de conceptu talis opinionis. Solùm namque quæritur, an opinio probabilis, quandocunque, & cuicunque adest, & quamdiù adest, in quacunque demum materia contigerit illam adesse, reddat tutum in conscientia operantem secundum ipsam? Unde sicut esset præter rem dum agitur de hoc puncto inquirere, quinam sint, & quando incipiant, & quandiù permaneant esse capaces concipiendæ opinionis probabilis; ità est præterrem inquirere, quænam objecta sint capacia terminare opinionem probabilem. Licet enim neutrum sit extra sphæram totius tractationis de Conscientia, est tamen utrunque extra sphæram hujus controversiæ particularis.

ART. XXXI. Difficiliùs deindè est, ut quis inculpabiliter habeat opinionem probabilem, eamque solam ignorantiam, quæ est de conceptu ipsius, quam ut inculpabiliter patiatur totalem ignorantiam circa eam legem, cujus notitia certa, ac indubitata est obvia, & cujus facillimè pervia; sicut est difficilius, ut quis inculpabiliter careat discursu circa aliquid, præhabito principio discurrendi circa illud, quàm ut inculpabiliter careat eo principio particulari. Sicut enim qui assequutus est, & tenet in mente sua principium discurrendi circa aliquid; Eo ipso habet in potestate, ut discurrat circa illud, fieri verò facilè potuit, ut non haberet similiter in potestate cognitionem ejusdem principii: ità qui opinatur circa rem aliquam, facilè fieri potuit, ut de ea re nil cogitaret, ac proindè nec opinaretur, nec haberet in potestate cogitare, aut opinari; at ex suppositione quod opinetur, necesse est, ut cogitet actu de re, circa quam opinatur & siquidem opinetur probabiliter; Necessè similiter est, juxtà notionem opinionis probabilis superius insinuatam *art.* 14. eamdemque certissimam apud omnes, ut circumspiciat diligenter, an appareat aliquid certum, & indubitatum in contrarium. Hæc autem circumspectio diligens adhiberi à nemine potest circa rem, cujus certa, & indubitata notitia est cuivis facilè pervia, quin idem circa eamdem rem hanc ipsam notitiam assequatur de facto. Dum ergo Sinnichius impossibilitatem opinionis probabilis circa ea, quæ sunt de jure naturæ, id est, quorum notitia certa dicitur facilis, & obvia, nititur probare solis testimoniis negantibus impossibilitatem ignorantiæ simpliciter circa eadem, assumit, quod est difficilius, ut credatur, ad id probandum, quod creditur facilius. Quod est contra rectam methodum argumentandi.

ART. XXXII. Id aliquando deterius videri potest, quod rursus deseratur punctum controversiæ ob defectum distinctionis à nobis præmissæ *art.* 26. Quia Theologi illi præcipui, & quæ à Gersone merito dicitur concors sententia, non negant possibilitatem, aut etiam frequentem existentiam ignorantiæ invincibilis circa occultiores legis naturalis conclusiones, & articulos, sed solùm circa præcipua ejus capita, ex se sponte manifesta, & cuivis facilè pervia. Cujus inter alia argumento est D. Thomam, qui inter præcipuos eos Theologos est super præcipuus, & quo nemo manifestiùs negat absolutè ignorantiam invincibilem legis naturalis, tenere nihilominùs possibilem esse, & dari sæpè ignorantiam invincibilem circa remotiores, & abstrusas ejusdem legis conclusiones, ut conjici facilè potest ex locis à nobis indicatis *suprà art.* 26. Et docent eam esse S. Doctoris mentem Sylvester cum S. Antonnio *verb. Opinio quæst.* 1. aliique Thomistæ communiter, quibus addi possunt piures alii cum eadem limitatione relati ab ipso Sinnichio *cap.* 101. præsertim sub finem. Probabilitatum autem patroni nullum opinionibus probabilibus dant aditum, neque controversiam movent ullam circa fundamentalia illa principia facilè obvia, & certitudinaliter manifesta, sed solùm circa conclusiones remotas, & abstrusas, cum sit axioma illorum indubitatum, ad probabilitatem requiri, ut pro neutra parte appareat, ulla totalis certitudo, ut Sinnichius ipse referebat ex Tamburino, quem vult credi probabiliorum perditissimum, post Illustrissimum Caramuelem. Perperam ergo, & prorsus abs re utitur Sinnichius auctoritate veterum Theologorum adversùs Neotericos nihilo ab illis differentes, nisi quod Neoterici hac de re loquuntur cum distinctione, & claritate aliquantò majori, quæ est ordinaria posteriorum scriptorum prærogativa quoad ea, quæ æquè ac priores intelligere sufficiunt. Verùm oportet seorsim audire Gersonem, cui specialiter semel, atque iterum plaudit Sinnichius dicenti *par 3. lib. de vita spirit. lect. 4. coroll. 7. Quidquid sit de ignorantia facti, aut juris humani,*

humani, & naturalis positivi, concors est sententia, nullam in his, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem, quoniam facienti, quod in se est, Deus semper adsistit paratus illustrare mentem, quantum oportebit ad salutem, & erroris evitationem. Positremæ istæ particulæ, quas prætermisit Sinnichius, haud spero sufficient adversario pertinaci, ut, nobiscum consentiat in intelligentia concordis ejus sententiæ: sicut nec sufficiet, quod habetur apud eundem *par. 2. lib. de reg. Moral. Lit. B. non quilibet tenetur scire de quolibet peccato mortali, an sit tale, licet expediat &c.* Et paulò post. *Nemo utens ratione diu ab ignorantia principiorum moralium* (an etiam conclusionum?) *excusatur. Fortè enim morulam ad considerandum apponere sat habet.* Sed neque sufficiet, quod idem author in *eodem opere de vit. spirit.* præmiserat circa idem punctum *lect. 2. post med. Sequitur statim ex his*, ait, *quod apud facientem illud, quod in se est, nulla est ignorantia invincibilis, neque juris, neque facti in lege divina; Vel agens ex ignorantia tali nunquam peccat. Primam partem tenuerunt Doctores Excellentes, ut Guillielmus Parisiensis, contra quos sunt validæ rationes &c. Pro parte altera sunt alii, ut Guillielmus Antisiodorensis, qui talem ignorantiam præsertim facti, ac juris humani dicunt posse contingere.* Audiatur jam ergo distincta expressio ejus, quod intelligit, & complectitur Gerson sub nomine legis divinæ, & naturalis. *Lex aliqua*, inquit, ibidem coroll. 4. *non ideo dicitur appropriatè divina, quia ex principiis juris divini deducitur.* Et post pauca; *Et pro manuductione capiamus simile in eis, quæ dicuntur fides. Non enim fidei adscribimus omnem veritatem, quæ sequi potest ex veritatibus contentis in Sacra Scriptura.* Quod sanè exemplum est significantissimum in rem nostram. Summa tamen ejus claritas habetur *coroll. 7. initio. Aliqua est lex purè divina*, (idem dicit de lege naturali *in fine corollarii*) *aliqua pertinens ad divinam, aliqua impertinens*: Ac deinde. *In primo gradu reponuntur leges immediatè revelatæ à Deo pro tota communitate hominum, aut principaliori parte scriptæ in Biblia.* Rursus post med. *Declaremus nunc postmodum quid sit lex pertinens ad divinam, & dicemus, quod illa lex est pertinens solùm, quæ licet deduci non possit à veritatibus solis legis divinæ, deducetur tamen ex eisdem, assumptis aliquibus verè probabilibus, quæ pie, & rationabiliter negari non possunt.* Suggerit autem post hæc utilem admonitionem. *Ignorantia autem istius distinctionis multos plerumque turbat, & involuit.* Nempè extendentes, vel ad legem pertinentem ad divinam, aut naturalem, quæ dicuntur de impossibilitate ignorantiæ invincibilis circa ipsam divinam, aut naturalem legem, vel ad hanc utramque, quæ dicuntur de possibilitate invincibilis ejusdem ignorantiæ circa legem pertinentem. Sed ejusmodi turbatio, ac involutio eorum jam tantùmmodò est, qui turbari amant, ac involui regredientes à claris, ad obscura, & renuntiantes manuductioni successionis doctrinæ, qua parte proficit distinctione indistinctorum prius. Posteriores namque DD. Adrianus, Vasquez, aliique quamplures clarissimè hæc exposuere, & confirmavere juxta dicta. In eandem distinctionem intenderunt posteris digitos duo præcipui præcursores Theologiæ Albertus Magn. *in 2. dist. 22. art. 16. ad med.* & Alensis *2. par. quæst. 112. memb. 7. & quæst. 153. memb. 3. ad 2.* Cum enim uterque absolutè enunciet ignorantiam juris naturalis, & divini non excusare à peccato, Distinguunt nihilominus, ac limitant; Albertus quidem his verbis. *Juris autem ignorantia est duplex. Quia quoddam est universale, quod omnibus proponitur ad sciendum, & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium; Et puto quod prima est crassa, & supina non excusans: Secunda autem excusat vel à tanto, vel à toto, si est casus multum difficilis.* Alensis verò dicit sic. *Est iterum ignorantia juris divini, & canonici, & hæc excusat simplices quoad multa, quæ non sunt necessaria ad salutem essentialiter. E contrario vero est ignorantia, quæ non excusat quoad Deum, utpotè ignorantia supina, sivè affectata, & ignorantia morum, ad quæ tenetur homo, & ignorantia negligentiæ.* Et rursus. *Ad secundum verò dicendum, quod illa auctoritas Augustini intelligenda est de illis, qui habent ignorantiam eorum, quæ necesse est cognosci per disciplinam, & tales excusantur non solùm à pœna, sed etiam à culpa.* Auctoritas Augustini, erant verba illa ex qq. vet. & nov. Testam. *Ille ignorans potest excusari à pœna, qui quod dixeret, non invenit.* Ex his ergo, quæ per posteriores omnes Theologos majori semper cum luce propagata sunt, apparet clarè nullam contra nos vim fieri posse in testimoniis dicentium absolutè, ac indistinctè non dari ignorantiam invincibilem circa ea, quæ sunt juris divini, aut naturalis. Ejusmodi est, quod dicit Gratianus *1. quæst. 4. cap. Turbatur. Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est.* Cui ultima dicta adjungo glossam inibi marginalem, in qua eum similiter dicatur: *Ignorantia juris civilis, seu communem excusat*; mox subditur: *Et hoc intellige non in tale est, quod aliquis de facili per seipsum scire potuit, vel ab alios.* Suggero: & simile in similibus semper intelligendum est, juxta monitum Philosophi *lib. 3. Eth. cap. 5 ante med. Eos quoque puniunt, qui aliquid ignorant, quæ ad leges pertinent, quæ quidem & facilia sunt, & difficilia non sint.* Atque ibi D. Thom. *lect. 11. Difficilia juris non tenentur omnes scire, quia nec possunt.* Ac demum nullus invenitur auctor classicus, qui meminerit distinctionis inter ea, quæ sunt expressim in lege Dei, quæque inde inferibilia sunt; inter clara, & obscura; facilia scitu, & difficilia, & tamen negat promiscuè de omnibus dari posse ignorantiam invincibilem, & excusantem à peccato.

ART. XXXIII. Quod dixi, Theologos eos modernos nullum dare aditum probabilitati opinionis circa fundamentalia, & à quovis certo cognoscibilia legis naturalis principia, multò magis habere locum circa ea, quorum notitia certa certitudine fidei divinæ est necessaria necessitate medii ad consequutionem vitæ æternæ. Quia Deus quibus dedit potestatem filios Dei fieri, dedit utique potestatem ea consequi, quibus non habitis filii Dei fieri nequaquam possunt: Undè nemo adultus citra enormem suam gravem, carere potest fide Dei remuneratoris, & agnitione veræ Religionis, ac proindè nemo invincibiliter patitur ignorantiam oppositam cognitioni ejusmodi certissimæ, & infallibili, neque quoad hoc existit ulla cum probabilitis controversia. Undè speciali claritate clarissimum est Sinnichium abuti testimonio Augustini ad rem, de qua controvertitur, nil pertinente, ex libro de gratia, & lib. arb. cujus testimonii partem expendimus *art. 17.* dilata in hunc locum parte reliqua, in qua perspicuè manifestè Augustinum ibi agere de sola notitia necessaria ad salutem, deque ejus privatione non excusabili per ignorantiam, quo minùs ignorans pœnas inferni sustineat. Cum enim prætulisset Augustinus

minus: Dominus in Evangelio ait: Servus, qui nescit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis; servus autem, qui scit voluntatem Domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multis; interjicit deinde verba, quæ superius expendimus, subditque demum hæcalia, quibus intentum nostrum ponit ob oculos: *Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò, quod crederet, sed fortasse ut minùs ardeat.*

ART. XXXIV. Similia multa, quæ fusè transcribit Sinnichius, non est operæpretium sigillatim referre, ac excutere cum temporis jactura, & tædio Lectoris, quando omnia ex dictis clara legitimæ intelligentiæ lucem apud quemlibet facilè nanciscantur. Nanciscuntur certè illam facillimè verba quædam Lactantii emphaticè à Sinnichio repetita, *ex lib. 2. Institut. divin cap. 7.* & hæcalia Divi Augustini, *lib. de catech. rud. cap. 25. Cum videris multos non solùm hæc facere, sed etiam defendere, atque suadere; tene te allegem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus. Non enim secundum eorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis.* Augustinus enim in his verbis, atque in toto illo libro, & similiter Lactantius in toto illo suo opere, ac præsertim in libro secundo, ac in reliquis à Sinnichio jactatis non loquuntur de ignorantia, & de errore, seu opinione, vel in genere, vel circa ea, quæ omnibus hinc inde diligenter consideratis sunt incerta, & opinabilia, sed circa ea humanæ salutis fundamentalia principia, quæ veritate evidenti, cui maximè incumbit Lactantius, vel manifesta divinæ revelationis authoritate, quam Augustinus impensius considerat, sunt certissima, ac infallibilia, quod quivis ea opera, vel ociosiùs perlegens palpabiliter deprehendat, ut propudiosum planè sit, & non solum perperam ejusmodi testimonia in rem præsentem conferre.

ART. XXXV. Eadem ratione prætermitto ea facit eloqui oracula, quæ adversus infideles, idolatras, & hæreticos, directa ab Spiritu sancto, Sinnichius nullo etiam superinducto colore applicat Doctoribus Catholicis suffragatoribus opinionum probabilis. Tale imprimis illud est, quod *cap. 98. & 99.* repetita vociferatione promit ex *Matth. 15. 14. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem, si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Quæ indubitanter indidem apparet dicta esse de Scribis, & Pharisæis nolentibus credere Christo; transgredientibus, & irritum facientibus mandatum Dei propter traditionem humanam contradicentem mandato Dei; docentibus modum non honorandi patrem, & matrem, & utrique maledicendi. Atque ut hæc non essent particulariter dilucidissimè elucidata in contextu, quis non intelligit eum dici, & esse absolutè cæcum, qui ad lucem meridianam non videt, quæ sunt omninò conspicua, & patentia, non verò eum, qui illa tantùm cernit, ac distinctè non videt, quæ sub luce maligna translucent ambiguè? Patet igitur verba Christi contorta à Sinnichio nil habere commune cum opinantibus sic, vel aliter circa opinabilia, simulque cernentibus, quæ certa sunt, ideoque non comprehensis in descriptionibus cæcorum, *Isaiæ 59. 10. Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi oculis attrectavimus, impegimus meridie quasi in tenebris*: Et *Iob. 5. 14. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie*: Et *2. Petri 1. 9. Cui enim non præsto sunt hæc* (cognitio Christi, & manifesta, ac certissima vitæ Christianæ rudimenta, de quibus præloquutus fuerat) *cæcus est, & manu tentans.* Oportet ergo agnoscere clariorem meridiana luce differentiam certorum ab incertis, & dissidentium quoad, hæc à dissidentibus quoad illa, & non utrosque confundere sub eadem censura.

ART. XXXVI. Pergit probare Sinnichius, *cap. 99.* longis textibus Augustini, & aliorum, vim obligatoriam Decalogi perseverare post Christi adventum, nec legem Mosaicam evanuisse quoad moralia, atque §. 350. monet, quod nemo ipso non monente conjicere, aut suspicari potuisset, ea omnia se inserviisse, ut animadvertatur, quanta sedulitate curandum sit, *ne animæ per lubricas probabilitatum rotas in præcipitia transgressionum devoluantur.* Ista autem interjecta monitione tam opportuna, attexit immediatè distributionem peccatorum in quatuor gradus invicem inæquales, nempè peccati originalis, & personalium; sub lege naturæ, sub lege scripta, sub lege gratiæ, ac Evangelii. Qui postremus gradus est majoris procul dubio malitiæ, quàm cæteri, ac proinde transgressores legis sub Evangelio sunt cæteris transgressoribus deteriores. Quid, inquam, inde? Habeo intentum dicit Sinnichius, & arguit sic arrogans evidentiam ratiocinationi suæ. *Quod si evidens sit, transgressores Evangelicæ legis, enormius peccare transgressoribus legis Mosaicæ; evidens quoque esse debet, enormius peccare eos, qui opinionum suarum commentis ansam præbent Christianis transgrediendi legem Evangelicam, quam qui olim Iudæis ansam præbuere transgrediendi Mosaicam.* Dico argumentum esse optimum ad concludendum Lutherum, & Calvinum, aliosque similium sectarum Magistros, qui ansam ejusmodi præbent esse deteriores, & gravius peccare, quam subversores legis Mosaicæ. At contra Doctores Catholicos, quibus duellum indixerat Sinnichius, nil probat, quia Doctores isti non præbent ansam transgrediendi legem, sed solùm dicunt, idque innixi fundamentis absolutè, & comparativè magnis, nullam esse transgressionem legis in quibusdam operationibus, in quibus Sinnichius nulla ductus ratione, vel authoritate, quæ ad rem pertineat, transgressionem asseverat. Fecit hoc Augustinus memoratus *suprà, art. 17.* adversus Urbicum circa jejunium Sabbati; fecit Apostolus Paulus adversus Doctores legis Mosaicæ circa observationem cæremonialium, & legalium; fecit Christus adversus Scribas, & Pharisæos quoad ablutionem manuum, ut omittam quamplura alia exempla Summorum Pontificum, & Conciliorum, & tamen nulla inde præbita est ansa transgrediendi legem Evangelicam.

ART. XXXVII. Supereſt leviter attingenda postrema pars hujus observationis de opinione, quam dum Sinnichius universaliter persequitur secundum totum genus, non uno ex capite displicere, omnibus debet. Primum enim exorbitat à scopo, dum proposita controversia de specie, nempè de opinione probabili, regreditur ad controversiam de genere, nempè de opinione ut sic, eamque exulare penitus jubet, qualiscumque demum sit, & in quacumque materia. Deinde contradicit eatenus Apostolo permittenti, *ad Rom. 14. 5.* Ut in rebus quibusdam, *Unusquisque in suo sensu abundet*, quod non sit nisi opinando; atque reprehensores hujusmodi facultatis opinandi, inter quos est Sinnichius ex professo, reprehendit ibi graviter Apostolus. Tertiò redigun-

tur

tur homines per hanc doctrinam ad impossibile, quia occurrunt plura, circa quæ nec agere, nec cessare quisquam possit, nisi dependenter ab opinione propter incertitudinem utriusque partis contradictionis quoad honestatem, & securitatem, ut dicetur *infrà* ex Augustino, de communione quotidiana. Quartò, si omnis prorsùs opinio exulare deberet, nil omninò credendum esset de fide humana, quæ utique opinativa est. Id autem meritò detestatur vehementer Augustinus in libro jam iterum memorato, de utilitate credendi, à *cap.* præsertim 11. tanquam dissolutivum societatis humanæ, & commerciorum ejus. Quod si propterea admittatur, uti admittendum procul dubio est, sæpè concipi honestè, & laudabiliter assensum opinativum dependenter ab authoritate humana, eundemque esse posse principium saltem remotum electionis honestæ; quidni idem dicatur de assensu opinativo concepto dependenter à ratione, quæ tanti ponderis sit, quanti est authoritas humana, cui assentimur prudenter? Jam ad fundamentum Sinnichii non negatur, quin opinio sit operatio imperfecta, & quæ est falsa, sit insuper vitiosa, ac monstrosa physicè, sitque incompossibilis, etiam quæ vera est, cum statu supernaturali innocentiæ, qualis de facto fuit. Cæterùm opinionem ex suo conceptu esse moraliter imperfectam, & quæ falsa est, esse moraliter, seu imputabiliter vitiosam, & hoc nomine esse incompossibilem cum innocentia, nec ab ea proficisci unquam posse actum voluntatis expertem malitiæ formalis, seu ratione sui merentis pœnam. Hoc enim verò est falsissimum, & nulla vel etiam apparenti ratione probatum à Sinnichio, qui ab eodem D. Thom. quem pro se adducit, edoceri satis potuit, si considerare voluisset doctrinam ejus 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 5. *&* 6. Verùm circa hoc punctum abundè sufficiunt, quæ paulò antè præmisimus, *art.* 20. *&* 21.

Observatio tertia adversùs Sinnichium, de via augusta comparata cum jugo suavi.

ART. XXXVIII. Resumit Sinnichius, §. 357. illud Christi Domini *Ioan.* 14. 6. *Ego sum veritas*, & præsuppositio ex §. *proximo* 356. illo oraculo, *Matth* 7. 13. *Intrate per angustam portam, quia lata est porta, & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Assumit deindè istam ponderationem. *Porrò, quod hujus (Christi) magisterio didicimus, verum esse non ambigimus. Proindè quantumvis Diana moliatur viam cœli dilatare, vel viam perditionis angustare, non ei credimus, sed Christo potiùs acquiescimus asseveranti illam esse arctam, istam verò spatiosam. Qui enim illam prædicavit arctam, & istam spatiosam, Deus est, Legifer est, Veritas est: Diana quantumlibet à Caramuele laudatus, purus est homo, Legifer non est, Veritas non est.* Post hæc interpositis duobus testimoniis sacris, de quibus paulò infernùs, pergit congeminare eandem antithesim: *In Dei judicio non quæretur à judicandis, quid dixerit Diana, quid Caramuel, aut alius quispiam talium; sed quid Christus, quid alii quivis Legislatores, & legitimi superiores.* Ac demum loco sigilli superaddit Lactantium rectè monentem, *lib.* 2 *institut. div. cap.* 13. *Nec trahamur authoritate ejusquam, sed veritati potiùs faveamus, & accedamus. Nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitiæ pœna feunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa decipe.* Quibus peractam putat Sinnichius causam adversum licitum opinionis probabilis.

ART. XXXIX. Dico tamen, quod dixi, & dicturus sum sæpius, nihil hæc ad rem pertinere, de qua agitur: Quia porta, & via quæ ducit ad vitam, non dicitur angusta, & arcta propterea, quæ inter Doctores Catholicos sunt controversa, sic, vel aliter decisa, sed propter ea, quæ indubitato omnium Catholicorum consensu, sunt certissima, atque authoritate divinæ revelationis distinctè, & clarè illa immantis infallibilia, & penes quæ tergiversari minimè licèt propter unanimem, & perpetuam Ecclesiæ Catholicæ intelligentiam, ac traditionem. Adhuc certè pertinent, quæ in *cap.* isto 7. Matthæi tangit Christus particulariter, atque ad eadem prout traditа distinctius ab ipso fuerant, *cap.* 15. ejusdem Matthæi, alludit in istis verbis suis à Sinnichio objecta, ut observat post alios Cornelius à Lapide ibi. Eodem respicit tritum illud ex Averroe, & considerati humanæ naturæ fragilitatem absque auxilio gratiæ Dei plausibile, ah nimium, *lex Christianum, lex impossibilium.* Eodem respexere Mandarini Sinenses Philosophiæ naturalis præsertim moralis haud ignari, qui audita à nostris Missionariis lege Dei, qualitet solet catechizandis proponi, supersedendo scilicet à controversiis inter Catholicos, reposuerunt, legem ejusmodi non esse pro hominibus, sed pro spiritibus. Eodem respeximus, & nos *quæst.* 18. *de virt. Theol.* dum præinnuatis superioris capitibus Ethices Christianæ haud controvertibilibus inter Catholicos, concludimus doctrinam fidei nostræ, qua parte practica est, esse naturaliter indubitabilem, ac inacceptabilem, nec nisi operante, & cooperante gratia Dei potuisse usque adeò invalescere in genere humano, atque ipsam ejus usque adeò arduæ propagationem tam latam, tam firmam argumentum esse validissimum, ac prorsus insuperabile veritatis sibi inexistentis, & authorem habentis Deum omnipotentem. Denique si portam esse angustam, & arctam viam verificaretur dependenter à probabilium decisione hac potius, quam illa, sequeretur, vel illam veritatem, quæ est de fide, esse tantùm opinionem probabilem, vel probabilium pastorum, in quibus utraliber pars contradictionis esset tantum probabilis, alteram partem esse certam et fide, & alteram hæreticam. Quia quæ dependenter probabilibus non possunt esse certa, sed ad summum probabilia; & quæ connectuntur cum infallibilibus, sunt & ipsa eatenus infallibilia.

ART. XL. Facilè est adversarios adigere ad similem respondendi modum, si illis objicitur illud Christi Domini, *Matth.* 11. 30. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*: *Si irrisandum proponitur exemplum Apostolorum, & seniorum Jerosolymæ scribentium Antiochenis, Actor.* 15. 28 *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria* (quæ lex, aut ratio eluet certo præscribit:) si exprobretur illud Christi Domini adversus Scribas, & Phariseos, *Matth.* 23. 4. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* His enim & similibus, quæ sunt permulta, auditis necesse est, ut dicant adversarii, nil illorum ad ipsos specialiter pertinere. Nempè jugum Dei fieri suave, & onus leve non modo gratia

gentia temporalium delectationum, sed dilectione Dei, ut docet sæpè Augustinus; atque inter onera necessaria connumerari, quæcumque recta ratio, quam videlicet hi potissimum authores sequi se gloriantur, deducit ex oneribus explicitè, & certò importabilibus à Deo; gravia verò, & importabilia dici, quæ eam mensuram certò, multumque supergrediantur. Patet igitur per hujusmodi axiomata generalia, quæ locum majoris tantummodo habere possunt, nil peragi quoad utramlibet partem præsentis controversiæ de illicito opinionis probabilis, dum non subjungitur minor continens conditionatè falsitatem eorumdem axiomatum, si ea pars teneatur, quam quisque evertere nititur. Id quod Sinnichius eòque adrò non præstat, ut ne tentet quidem.

ART. XLI. Apparet adhuc manifestius neutri partis, vel aliter opinantium, seu rigidè, seu benignè adesse ullum speciale universale patrocinium in generalitate axiomatum prædictorum, si consideretur oracula divina æqualiter removentia ab utroque extremo nimiæ laxitatis, & restrictionis nimiæ, ut *Deuter. 4. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Et ibidem, *cap. 12. fine: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Et *Proverb. 4. 27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram*, id est, neque prætextu exquisitæ honestatis, neque appetitu delectationis temporalis, quæ ferè est expositio Augustini dicentis, *lib. 2. de pec. mer. cap. 35. Non declines in dexteram superbæ præsumptione justitiæ, nec in sinistram securæ delectatione peccati*: Similiter *Isaiæ 30. 21. Hæc est via, ambulate ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Manifestum porrò est in controversiis de obligatione tale, vel tale aliquid, seu agendi, seu omittendi opinionem assertivam obligationis, si fallis, addere legi Dei, sicut demit eidem opinio negativa obligationis, atque utravis falsitate declinare opinantem, altera ad dexteram, altera ad sinistram. Cum ergo evidentissimum sit in tota collectione hujusmodi controversiarum de eligibilibus, ac agibilibus totidem dari opiniones assertivas, ac negativas obligationis, & totidem similiter falsas, ac veras; siquidem in qualibet tali controversia perpetuo dantur, ut ipse controversiæ conceptus essentialiter requirit, duæ opiniones invicem contradictoriæ, quarum proinde altera est affirmativa, altera negativa, altera vera, & altera falsa, & consequenter altera non addens, nec auferens legi Dei, nec ad dexteram declinans, nec ad sinistram, altera è converso declinans ad dexteram, vel ad sinistram, & vel addens, vel auferens: Cumque sit non minus incertum, utra collectio opinionum affirmantium, an negantium obligationem plures in se contineat falsitates; hoc est utra collectio plus declinet à via regia, & an collectio affirmantium plus addat legi, quam auferat collectio negantium; vel si mavis, utra collectio declinet, & vel addat, vel auferat: concluditur planè neutrum genus opinionum ita esse universaliter præferendum alteri opinionum generi, ut hac præcisè de causa una opinio, aut via opinandi præferatur alteri, cæteris omninò paribus, aut non manifestè disparibus, quia una est benigna, ut dicitur, altera severa, quia una imponit onus, quod auferat altera, quia una consulit suavitati jugi Evangelii, altera angustiæ portæ Paradisi. Utrumvis nimium ex his extremis est æquè periculosum, quia excellus utrobique est perindè contrarius legi Dei eadem severitate interdicentis additionem, & ablationem, augmentum, & diminutionem, declinationem tum ad dexteram, tum ad sinistram. *Ambulandum est enim*, ut monet rectè Gerson, *par. 2. de reg. moral. sub titulo de superbia, & vana gloria, lit. D. In virtutis doctrina via regia, ut nec strictius fiat Dei mandatum, nec latius, quam ipse mandaverat, quamvis inde sumere possint aliqui, aut malitiæ velamen libertatem, aut è contra in desperationem corruere.*

ART. XLII. Constat itaque nil rem suam promovere Sinnichium ostentatione portæ angustæ, & arctæ viæ ducentis ad vitam, necnon latæ, ac spatiosæ ducentis ad mortem, & sua desuper vociferatione; sicut nemo proficere quidquam posset adversus eundem, & socios objecta suavitate, & levitate oneris, & jugi Christi, necnon gravitate, & importabilitate onerum impositorum per Doctores Antichristianos. Superest ergo, ut omnes unanimi consensu enitamur, quantum possumus, ad veritatem, & ea circa rem quamlibet teneatur sententia, quæ vera esse convincetur, aut omnibus hinc, & indè diligenter consideratis videbitur ad veritatem propius accedere; ea verò rejiciatur, ac reprobetur, quæ falsitatis convincetur, aut ad falsitatem vergere potissimum videbitur: nihili interim habito, an sententia sit benigna, vel aspera; lata, vel angusta; levis, vel gravis. Quia eadem sententia veritatis angustiam, & arctitudinem, suavitatem, & levitatem peræque docet, & prædicat de lege sua, quæ proinde sola stat veritate, solaque potest everti, sola labefactari falsitate, sive ad dexteram declinanti, sive ad sinistram. Unde Sinnichius deviat penitus à legitima disputandi ratione, dum nil afferens pro veritate doctrinæ suæ, & falsitate nostræ, sed hac, & illa supposita, vel utraque prætermissa totus est in exaggeranda angustia portæ, & arctitudine viæ ducentis ad vitam, cum eam & angustiam, & arctitudinem promoveant multò magis nonnullæ hæreses imponentes onera gravia, & importabilia, quam doctrina paucorum Catholicorum contraria doctrinæ nostræ communi, ut paulò post clarius ostendetur.

ART. XLIII. Oportet nimirum notare prius duo quædam alia circa discursum Sinnichii propositum pro hac observatione, *art. 38.* Primum est non magis è re Sinnichii, sed & clariùs præter illam esse testimonium illud Lactantii, quàm fuerint verba Christi Domini, ut liquido apparet ex annotatione superius præmissa, *art. 34.* de contextu, & intentione Lactantii. Sed ut non vacaverit Sinnichio considerare contextum eum, ac intentionem; mirabile planè est, quod neque vim verborum, quæ pro se affert cum magno plausu, animadvertere voluerit, atque imprimis vim restrictivam particulæ *hic*, dum dicit: *Nullus hic temeritati locus est*, quæ restrictio cogit ad considerandum contextum, & manifestat, in rebus quibusdam aliis esse temeritati locum aliquem; deinde illationem pœnæ æternæ ex deceptione, & ex admissa opinione falsa; quæ illatio ab homine sani cerebri intelligi minimè potest de controversiis universaliter omnibus circa peccata etiam venialia, & imperfectiones morales, seu de quavis promiscuè deceptione, & opinione falsa etiam practica; de qua tamen ut sic agebat Sinnichius, intelligitur verò rectè de falsitate opposita agnitioni veri Dei, veræque Religionis, & principiis fundamentalibus status, & morum salutarium, de qua deceptione sola patet, ut diximus,

agere

agere ibi, & in toto eo libro Lactantium, qui propterea rectè præmittit, *Ne trahamur authoritate cujusquam* quæ prohibitio accepta universaliter de rebus etiam aliis est insipiens, & nefaria.

ART. XLIV. Alterum nota dignum in eodem discursu est oppositio, quàm inducit Sinnichius Christum inter & Dianam. Sed ego consultius arbitror illam penitus omittere, & solùm adverto controversiam inter Sinnichium, & eos, quos impugnandos ipse sibi proposuerat, non esse, an sit angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, lata verò, & spatiosa, quæ ducit ad perditionem. In hoc enim utroque constantissimè asserendo Catholici omnes, atque ii maximè, de quibus ut displicentibus sibi præloquebatur *suprà* Sinnichius, *art.* 14. unanimiter conveniunt, nec nisi conveniendo Catholici esse possent, & siquidem mediocri saltem attentione observare Sinnichius voluisset, vel solum illud caput quintum Matthæi, cujus mox memini, dubitare minimè potuisset, quin porta cœli sit angusta, & arcta via, retentis iis solis documentis ethicis, quæ sunt de fide, ideoque retinentur ab omnibus Catholicis, tametsi excludantur de cætero angustiæ omnes, & arctitudines, quas excludere nititur Diana, & alii communiter Doctores Catholici suffragatores opinionis probabilis, & ideò inter alia illi suffragantes, ne portam, & viam Paradisi, quæ certò ac indubitanter, & juxta certas, ac indubitatas regulas morum, angusta valdè, & arcta est, opinando reddant angustiorem, & arctiorem. Controversia igitur tantùmmodò est, quam sit arcta, & angusta ea porta, & via? asserente Sinnichio, & negantibus nobis tam esse angustam, & arctam, ut non capiat utentem in opinabilibus opinione verè probabili, sed minùs probabili, minùsque tuta. Hunc nimirum scopum proposuerat sibi Sinnichius, ut retulimus, *art.* 14. eundemque argumenta ejus, minimè tangunt, ut vidimus, & videndum adhuc est.

Observatio quarta adversùs Sinnichium, non minùs reprehendi in sacris Literis, eos, qui nimis stringunt, & pungunt, quàm eos, qui nimis laxant, & palpant.

ART. XLV. HÆc observatio coincidit ferè cum observatione proximè præcedenti. Verùm quia sub his potissimum terminis sæpiùs, & maximè debacchatur Sinnichius adversus suffragatores opinionis probabilis, necesse est illum eatenus audire seorsim, atque ea præsertim considerare, quæ ponderat ex professo, *cap.* 95. §. 355. ubi primo loco producit illud apud *Isa.* 3. 12. *Populeus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Tum, ut manifestet hoc testimonium pertinere ad patronos probabilitatum, & legitimè adversùs ipsos usurpari, remittit Lectorem ad verba Hieronymi, quæ antè retulerat, §. 347. Ubi Hieronymus invehitur unicè, ipso fatente, & pro viribus cooperante Sinnichio, adversùs Hæreticos docentes solam fidem absque operibus sufficere ad salutem vitæ æternæ. Addit Hieronymo Bellum in commentario hujus loci: *Quisquis*, ait, *non sunt eos, qui defecerunt à zelo prædecessorum, viam ingressi, quæ sensu ipso inamœna est, & tristitiam parit; sed diligentes quæ sit recta agentes deprædicat beatos, hic sententiam pedum eorum conturbat.* Subjungit deinde Augustinum optimè perstringentem eosdem palponesque *ep.* 59. *inter* 83. tanquam significatos per venditores olei, in parabola de virginibus fatuis. *Vendunt, ait, oleum adulatores, quia sive falsa, sive ignorata laudando animas in errorem mittunt, & eis vana gaudia, non providentes quod scriptum est. Qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt.* Plaudit postea hæc Cypriano pulchrè appositè dicenti, *lib. de lapsis num.* 59. *Cum scriptum sit; Qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant, qui peccantem blanditiis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, ne comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consilia fortioribus, &c.* Et *epist.* 28. *Salubria nostra, & vera consilia promovent, dum blanditiis, & palpationibus pernicios salutaris veritas impeditur.* Interjectis mox quibusdam Caramuelis, adversus ista salubertima documenta, laudibus, & encomiis, quibus ille plaudit Diæ, & opinionibus nonnullis benignioribus ad probabilitatem per eum perductis, pergit Sinnichius exemplo nisimi expressionem, & commendationem detestari, his S. Paulini verbis, *epist.* 50. *ad Celantiam. Adulatorum assentationes, & noxia blandimenta fallacia, velut quasdam animæ pestes fuge. Nil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nil quod tam dulci, & molli animum feriat vulnere; unde & quidam sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris.* Et post alia ejusdem sensus subdit, & applicat Sinnichius sic. *Haud aliter certè etiam hodie bi probabilitatum artifices haberi volunt humaniores, benevolentiores, longanimiores, adversarios autem suos traducunt, ut inhumanos, prærigidos, & conscientiarum carnifices, quin & impios.* In eundem scopum accumulat, §. 357. illud *Prov.* 12. *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem deducunt ad mortem:* Et illud *Isaiæ* 5. 20. *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Eodem pertinent, quæ eadem mente superaddit Sinnichius, §. 362. ex *Eccles.* 10. 11. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi.* Atque ut ex hoc loco appareat, an novam laxitatum inventores habendi sint in numero sapientum, audiendum dicit Sinnichius Hieronymum ibi dicentem inter alia: *Si igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis: Verba quippè sapientum sunt sicut stimuli.* Verba autem insipientum comparantur e converso pulvillis, & cervicalibus apud *Ezechielem* 13. 18. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Quod optimè exponens Gregorius *lib.* 8. *moral. cap.* 4. *Ad hoc*, ait, *pulvillus ponitur, ut mollius quiescatur. Quisquis ergo male agentem adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito facienti ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea se laudibus molliter quiescat.* Cum igitur authores asserentes licitum esse usum opinionis cujusvis practicè probabilis, adulentur malè agentibus, nec pungat eorum sermo, & dicant bonum malum, tenebras lucem, atque beatum prædicent populum, indulgentem utique appetitui sensitivo, &c. idque in manifestum, nec probandum, sed supponendum? Concluditur planè eos esse insipientes, reprobatos à Deo

Deo doctrinæ fautores nefarios, ac proindè audiendos minimè esse, nec tuta conscientia assentiri quemquam illis posse.

Art. XLVI. Respondeo, quod semel, ac iterum necesse fuit respondere, & quivis spontè cognoscit responderi debere, nil hæc, aut quidquam horum ulla ex parte pertinere ad controversiam, qua de agere proposuerat Sinnichius; nempè de usu, seu illicito, seu illicito opinionum probabilium. Et quidem quoad primum textum ex Isaia de Doctoribus beatificantibus populum Dei, ideòque decipientibus illum, & dissipantibus viam gressuum ejus, apparet id liquidò ex iis ipsis SS. PP. testimoniis, quæ commentarii vice circumponit illi Sinnichius. Quia S. Hieronymus tradit ex professo, eo textu percelli hæreticos bonorum operum contemptores, & negantes eorumdem operum ultrà fidem necessitatem ad salutem vitæ æternæ, atque in eumdem scopum eodem utitur textu ipse quoque Sinnichius loco jam præindicato. Basilius autem eadem Isaiæ verba contorquet adversùs homines implicitè, atque opere ipso hæreticantes, qui videlicet beatificant, seu approbant, ac laudant delinquentes; atque sermonibus suis avocant ab studio emendationis, & mortificationis passionum eos, qui defecerunt à zelo, & sanctis prædecessorum exemplis. Quæ sunt manifesta relegenti utcumque ea testimonia, prout referuntur à Sinnichio, multò verò magis volenti considerare eorum apud Authores suos contextum. Is igitur poterit sibi in animum inducere, ea testimonia ad rem propositam pertinere, qui poterit credere, nihil differre hæreses, & palpationes hæreticales, ab opinionibus probabilibus.

Art. XLVII. Ad Augustinum quod attinet, sciendum est in ea quæstione de parabola decem virginum, per unumquemque earum quinarium intelligi ab Augustino continentiam à carnalibus quinque sensuum illecebris; atque continentes coram Deo utque Deo placeant dici Virgines prudentes; fatuas verò continentes coram hominibus, quæ hominibus placeant, ac probentur, & laudem inde reportent humanam. Porrò per oleum intelligi gaudium, & lætitiam quæ per prudentes quæruntur in testimonio Dei, & propriæ conscientiæ, quod intuetur cor; per fatuas verò in fallaci hominum testimonio, quod solam respicit exteriorem apparentiam. Hinc fatuæ petentes oleum à prudentibus sub adventum sponsi Christi supremi Judicis, meritò ab iis remittuntur ad venditores olei, quibus velificaverant, id est, ad homines laudantes turpis lucri gratia exteriorem operum apparentiam, nulla habita ratione interioris, seu pravæ, seu rectæ intentionis, ac electionis. Hæc nimirùm est justissima adulatorum descriptio à Sinnichio relata. Relata verò adversùs patronos probabilitatum eodem jure, quo referri potuisset adversùs Astrologos, Medicos, Pictores, &c. Quia probabilitatum Patroni scribunt pro toto genere humano, pro præsentibus, & absentibus, atque futuris, prudentibus, & fatuis, amicis, & inimicis: Neminem proindè caprant, & à nemine lucrum, aut quærunt, aut sperare possunt: & quod caput est, quidquid seu laudant, seu vituperant, dirigitur primò, & principaliter non ad exteriorem, ac sensibilem operationum apparentiam, sed ad realem internarum electionum honestatem, ac inhonestatem: Hæc omnia sunt manifestè contraria iis omnibus, quæ tradit Augustinus de venditoribus olei. Ineptit igitur manifestè Sinnichius cum olei, & operæ jactura. Ex eadem adulatorum, & probabilistarum mutua maxima dissimilitudine, quinimò oppositione constat clarè, quæ à Cypriano, & Paulino dicuntur adversùs adulatores, quæque plenis plaustris convehi in eundem scopum facilè possent, non magis tangere patronos probabilitatum, quàm tangant prudentes, liberales, eutrapelos, quæ dicuntur adversùs astutos, prodigos, scurras, & sic de similibus.

Art. XLVIII. Haud est obscurior aberratio, à scopo in reliquis textibus à Sinnichio productis. In illo Proverbiorum: *Est via, quæ videtur homini justa*; pe viam istam intelligitur, uti refert Cornelius ibi, à nonullis mens, seu voluntas libidine obcœcata; ab aliis fœlicitas temporalis, ab aliis error, aut in fide, ut Atheismus, Gentilismus, Hæresis, aut in moribus, ut quod furtum, fornicatio, vindicta, & similia non sint mala; à nemine autem, præterquam à Sinnichio intelligitur per viam illam opinio probabilis. Similiter commiseratio illa, seu potius exprobratio Isaiæ de dicentibus malum bonum, & è converso non cadit super opinantes in materia controversa, atque omnibus hinc & indè debitè consideratis adhuc incerta, propterea que uno affirmante, & alio negante talem aliquam actionem, vel omissionem esse peccaminosam, quorum proindè alteruter necesse est, ut quod reipsa est bonum, dicat malum, aut è converso. Si enim suprà istiusmodi opinantes caderet ea commiseratio, seu exprobratio, numerandi necessariò essent inter Doctores miserabiles, & deplorabiles, ac detestandos, vel D. Thomas, vel D. Bonaventura, vel uterque secundùm diversas quæstiones morales, & sic de aliis pluribus laudabilium, & optimorum Doctorum binariis sæpè invicem dissentientibus, atque contradicentibus circà bonitatem & malitiam plurium operationum. Deindè modus ipse loquendi Prophetæ demonstrat clarè non esse sermonem de bonitate, & malitia controversis; tum quia id, cujus seu bonitas, seu malitia controvertitur probabilibus, id est, æqualibus, aut ferè hinc & indè argumentis, nec bonum dicitur, ac supponitur absolutè, nec malum, sed cum addito; videri bonum potius, quàm malum, aut è converso; tum maximè, quia opinio probabilis, nec quæ vera est, tantam habet conspicuitatem, nec tantam caliginem, quæ falsa est, ut possit ore pleno altera dici lux, & altera tenebræ, & sic de objecto utriusque, prout ipsis subest. Cadit itaque prophetica ea deploratio suprà solos tantæ cœcitatis homines, ut vitia certa, ac manifesta approbent, deprædicent, ac magnificent tanquam virtutes, atque è converso, contradicentes eatenus, vel manifestæ divinæ revelationi, vel evidenti rationi, atque ita ea verba intelligunt omnes interpretes.

Art. XLIX. Circa textus illos duos, qui supersunt Ecclesiastis de stimulis, & clavis sapientum, & Ezechielis de pulvillis, ac cervicalibus palponum cum ponderationibus Hieronymi, & Gregorii, aliisque à Sinnichio adjunctis audiendus est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 115. *art.* 1. *ad* 1. *Laudare aliquem contingit, & benè, & malè, prout scilicet debitæ circumstantiæ, vel servantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, ne in tribulatione deficiat, vel etiam, ut in bono proficere studeat, aliis debitis circumstantiis observatis; pertinebit hoc ad prædictam virtutem amicitiæ. Pertinet autem ad adulationem, si quis velit aliquem laudare, in quibus non est laudandus, quia forte*

fortè mala sunt, secundum illud Psal. 9. Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Per hanc distinctionem componuntur inter se optimè duo Pauli Apostoli de seipso testimonia, 1. *ad Corinth.* 10. 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo.* Et *ad Galat.* 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Primum enim accipitur de iis, in quibus oportet placere proximo, alterum de iis, in quibus non oportet. Ut igitur Sinnichius quidquam faceret in rem suam, debuisset ostendere patronos probabilitatum laudare, quæ, aut quando, aut quantum non oportet; quod tamen ille tam non probat, vel etiam probare conatur, quàm non ædificat, qui cithatam pulsat: Profectò si quod dicitur de stimulis, & clavis sapientum, & additur de eorumdem sermone pungenti, accipiatur cum universalitate distributiva, & absque distinctione, ac modificatione exposita à D. Thom. inurenda imprimis foret Apostolo palponismi nota scribenti, 1. *ad Corinth.* 10. 25. *Omne quod in macello venit, manducate.* Et rursus: *Si quis vos vocat infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate.* Et *cap.* 7. 9. *Quod si non se continent, nubant: Melius est enim nubere, quam uri.* Quibus sunt similia alia non pauca minimè pungentia secundùm se. Deinde in omni controversia de obligatione aliquid faciendi, vel omittendi assertiva obligationis sententia tenenda necessariò semper esset, ut vitaretur vitium adulationis. Quæ cum sint perabsurda, patet esse perabsurdum modum agendi Sinnichii supponentis, quod probandum erat, & probantis, quod erat supponendum, absque idonea distinctione, & modificatione.

Art. L. Verum quia osores usus liciti opinionum practicè probabilium universaliter omnium possunt prætexere, se agere laudabilius, dum longiùs recedunt ab extremo vehementius reprobato in sacris literis, & à SS. PP. uti colligere fortasse illis libebit ex testimonis à Sinnichio productis adversus laxones, & palpones; non erit abs re, si paucis, quàm pluribus ejusdem instituti prætermissis, ostendero ex Apostolo tantùm, & Augustino, non minùs, quàm illos ab eadem regula veritatis coargui, qui nimis stringunt, & pungunt, ut utraque nimietate utrimque æqualiter agnita, ac reprobata omnes unanimi studio contendamus ad auream mediocritatem, & inquiramus unicè veritatem, in qua illa sita est; inquiramus verò per principia immediata, & propria prætermissis remotioribus hujusmodi, ac extraneis, una cum voluntaria huc illuc accommodatione eorum. Assumo itaque pro comparatione proposita, doctrinam inductivam obligationis non nubendi, & abstinendi à cibis, qui sunt delectabiles, esse sermonem proculdubio pungentem, & assimilem stimulis, ac clavis, & nil habentem commune cum pulvillis, & cervicalibus; Videamus jam, an eanthilominus doctrina sit sermo potiùs insipientis, & attendamus, quàm fortiter, quàm vehementer irascatur authoribus illius Apostolus 1. *ad Tim.* 4 1. *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrysi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam* (nil ferè asperiùs dicit Sinnichius contra nos) *prohibentium nubere, abstinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Videatur, si placet Augustinus utens hoc testimonio pro re partim eadem *epist.* 119. *cap.* 20. Idem August. *epist.* 59. *quæst.* 7. prosequitur pluribus expositionem, & commendationem ejusdem à postolici documenti *ad Coloss.* 2. Ubi totus est in postolus in removendis fidelibus à doctrina imponentium illis obligationem servitutis, & onerum veteris legis, ut apparet ex iis *vers.* 16. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbathorum.* Et rursus, *vers.* 20. hortatur, ut nihil faciant, dicentes: *Ne tetigeritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitu ipso usu secundum præcepta, & doctrinas hominum.* Is hunc scopum præmonet, *vers.* 4. *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum.* Et rursus vers. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Ut demum, *vers.* 23. post reprobata illa præcepta, & doctrinas hominum, subdit immediatè, *quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ* (apparentiam quandam veritatis, & fucatam probabilitatem) *in superstitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori.* Ecce quàm serio, quàm ardenter persequitur Paulus palliatos zelo, qui nimis stringunt, & imponunt onera gravia, in quos & Augustinus invehitur latè cum Apostolo loco indicato, tamen eleganter vallati insuper prætextu venerabilis traditionis præceptorum, & doctrinæ communis, specie superbæ per Philosophiam, & sophismata, sublimitate sermonis præferentis Religionem, & humilitatem vexantem corpus, quæ est expositio Augustini, præsertim *sub fin quæstionis.*

Art. LI. Locupletior est in eundem scopum ejusdem Augustini, *Epist.* 89. *quæst.* 4. & 5. in quarum priori multis, & magnis argumentis redarguit atroces divitum pungones, quorum doctrina erat, divites non posse adipisci salutem vitæ æternæ, præterquam venditis, atque in pauperes distributis facultatibus suis universis. Quamvis autem eam in rem uterentur verbis Christi Domini, *Matth.* 19. 21. *Vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus;* & quæ magnum discipulis incussura horrorem, *Marc.* 15. 25. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei,* aliaque similia accumularent magis præterrentia angustam eam, & arctam doctrinam, quam præ se ferant doctrinam nimis stringentium adversariorum nostrorum, testimonia Scripturæ, Pontificum & Sanctorum, quæ ponderant pro se, proponuntur nihilominùs in illos ab Augustino quæ sequuntur. Inter *med. & princ. quæstionis* dicit: *Verum Apostolus contra Dominum loquitur, an isti nesciunt, quæ loquuntur? Quid horum credat, eligat Christianus. Puto melius nos credere, istos nescire, quid loquantur, quàm Paulum contra Dominum loqui.* Et rursus inter *med. & finem: Proindè isti desinant contra scripturas sentire, qui, & suis exhortationibus ad majora se excitent, & minora non damnent.* Quod est simile nostris exhortationi, & desiderio de tutioribus, & probabilioribus ita præferendis, ut non reprobentur tutiùs probabilia, minùsque tuta. Quo etiam non modo pertinet, quod paucis interjectis subdit immediatè ibidem: *Sed si verè pauperes Christi sunt, & non sibi, sed Christo colligunt, infirmiora ejus membra quare non puniunt, antequam sedes judiciariæ acceperint?* Prosequitur paulò post Augustinus, quasi Sinnichium specialiter convenirent: *Puto enim, quod quidam eorum, qui hæc impudenter, atque imprudenter garriunt,*

à divinibus Christianis, & piis in suis necessitatibus sustentantur. Et mox iterum: *Quamvis talia disputare, quasi disputantes, non sit militare, sed rebellare: non sit plantare vineam, sed eradicare: non sit pascendos congregare, sed perdendos à grege separare.* Tum interjectis laudibus, & commendatione paupertatis summè perfectæ præ minus perfecta, adjungit cautionem circa detestatione stringonum; *Sic tamen, ut præcium doctrinæ teneatur, nec eos, qui ista non faciunt, sana contumacia judicemus.* Contextum, qui sequitur usque ad finem quæstionis, quia longus est, & tamen est peropportunus, intercisum exhibeo Adversariis nostris considerandum. *Quod ideò commemorari, ait, quoniam isti, quando talia dicere prohibentur, respondent eos talia disputare nolle, quoniam vitiis suis favent, & Dominica præcepta implere detrectant. Etenim ipsi cupidi, & avari: tolerabiliores in ea* (Ecclesia Dei) *sint, quam isti, quia talia sermocinando, & dissemnando hereditatem Domini, quæ usque ad fines terræ dilatatur, atque diffunditur, hac doctrina non sana perturbare, atque evertere moliantur.* Jam ex *quæst.* 5. in qua agitur adversùs imponentes obligationem nunquam ulla de causa jurandi, quorum sententiam reprobandam dicit Augustinus, proderit hæc ejus verba notare. *Multò enim tutiùs, ut dixi, quantum ad me attinet, nunquam juramus, ut sit in ore nostro: Ita est, non, non: Sicut Dominus monet. Non quia peccatum est, verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est, falsum jurare, quo citius cadit, qui consuevit jurare.*

Art. LII. Non necesse est, ut superaddam ulteriùs multa illa, quæ latè prosequitur Augustinus, *Epist.* 86. adversùs stringonem alium, cujus memini *supra, art.* 17. ubi prænotata sunt, quantum sufficit, quæ indè huc faciunt. Tantum superaddo accommodationem ad præsens consilii, quod ex Apostolo accommodat instituto suo Augustinus post medium ejus Epistolæ. Consilium Apostoli est: *Qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non judicet*: Accommodatio Augustini ad Urbicum est: *Isto modo hoc temperamentum, quo scandala devitaret, inter jejunantem sabbato, & manducantes teneret, ut & ipsum non manducantem manducans quisque non sperneret, & ipse non manducans manducantem non judicaret.* Similiter ergò, ut & ego accommodem in rem meam, Sinnichius, & si qui alii omninò cum eo sunt, aut unquam erunt, desinant judicare patronos usus liciti opinionum probabilium, confundendo eos cum adulatoribus, & palpantibus, laudantibus, quæ certò, ac manifestè mala sunt: sicut nos supersedemus judicare patronos sententiæ negantis eundem usum probabilium confundendo eos, cum iis, qui nimis stringunt, seu amaris, ac litigiosis reprobantibus, quæ certò ac manifestè bona sunt, aut indifferentia. Juverit attentè observare Chrysostò, num longiori contextu abigentem à parvis initiis & magnis progressibus doctrinæ tum nimium indulgentis, tum stringentis nimium, *hom* 87. *in Matthæum, post med.* ab illis verbis: *Solet mihi nonnunquam videri non tanto studio magna peccata esse evitanda, quanto parva & vilia.* Et rursus ab illis: *Certas adhuc retia* (Diabolus) *insidias, quibus Religiosos devotione habitu ad peccandum impellit.* Ejusdem rationis est, quod in materia longè diversa, dicit Philosophus, lib. 3. *Rhetor. cap.* 16. *ante medium. Qui verò brevem esse asserunt narrationem oportere, ridiculi sunt; veluti qui interroganti pictori, durumne, an mollem pinxerit? Quid, inquit, est impossibile bene pinxere?* Redditque mox rationem: *Bene dicere tamen, quod est oratoris proprium, nec in longo, nec in brevi est, sed in mediocri.* Similiter ergò bonitas doctrinæ moralis non in eo sita est, quod delectet, nec in eo, quod contristet, stringat, aut laxet, sed in eo quoad neutrum nimis, id est, in aurea mediocritate, quæ veritati devincta est. Nihili ergò faciendæ sunt quoad hoc punctum, quæ prosequitur Sinnichius de iis, qui nimis laxant, & quæ è contra dici possunt de iis, qui nimis stringunt. Eò vel maximè, quia adulatio, & litigium, seu sermo amarus sunt extrema vitiosa opposita affabilitati, quæ est virtus, proindè utraque illa sunt æquè vitanda, nisi quod litigium, seu amaritudo sermonis est majoris malitiæ ex specie sua, ideòque est magis vitanda per se, quàm adulatio, ut tradunt D. Thom. 2. 2. *q.* 116. *art.* 2. & duplici quæstione præcedenti, & ibidem reliqui Theologi, atque *in Decret. dist.* 47. *cap.* 3. & 5. clericus adulator, & maledicus pariter plectuntur, sed acrius maledicus: & præterea *in eadem dist. cap.* 1. & 2. observare Sinnichius, & invicem conferre potuisset verba illa D. Gregorii de pulvillis, & cervicalibus adversùs adulatores, & verba ejusdem Gregorii haud mitiora adversùs elatos, & amaros Doctores, qui bus & accommodat, quod apud *Ezech.* 34. 4. dicitur de pastoribus nequam: *Sed cum austeritate imperabitis eis.* Patet itaque nullam superesse causam, imò nec prætextum superesse ullum rejiciendi sententiam nostram ex adulationis confinio, atque oppositæ sententiæ pulsculum nocere asperitatis confinium, & Sinnichium ita excessisse ponderando, unde fugeret, ut non consideraverit, quò confugeret, aut quo appropinquaret. Quod tamen ultra dicta considerandum, vel maximè erat propter formidolosam comminationem Christi Domini adversùs Doctores nimis duros, ac angustos, *Matth.* 23. 13. *Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*, inducendo videlicet obligationes ultra modum, de quibus præmiserat, *vers.* 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*; quæ onera exprimit deindè pluribus distinctè in decursu ejusdem capitis.

Observatio quinta de infidelitate, & ignorantia pravæ dispositionis vincibili, ac affectata reddita per Sinnichium probabili.

Art. LIII. Postremus Sinnichii conatus nititur incommodis, seu absurditate consequentium ad nostram sententiam. Hoc argumentum proponit & variis promovet exemplis, *t.* 99. §. 371. & 372. Nimirum si licitus universaliter esset usus opinionis probabilis, licitum imprimis fuisset apud Hebræos propè adventum Christi, & cum jam Christus adesset præsens, ut nec filii subvenirent indigentiæ parentum, nec debitores creditoribus satisfacerent, dummodò partem bonorum, quanta officio hujus pietatis, & justitiæ sufficeret, & impendi alioqui deberet, reponerent in manibus Scribarum, & Pharisæorum pro structura, aliisque usibus templi. Hoc enim licitum esse, & valde laudabile, ut ita fieret, docebant unanimi consensu Scribæ, & Pharisæi Doctores ejus populi, ut tradit

Hieronymus *ad cap.* 15. *Matth.* Quorum profectò omnium authoritas superabundanter sufficiebat ad probabilitatem eius doctrinæ, quandoquidem apud nos unici etiam Doctoris pii, & docti authoritas sufficit ad probabilitatem opinionis. Accedit Scribas, & Pharisæos usos eam inrem fuisse argumento magni ponderis, & verisimilitudinis admodum conspicuæ. Prætexebant enim, ut tradit ibidem idem Hieronymus, Deum esse verum omnium Patrem, primumque multiplici titulo creditorem omnis humani obsequii, propterea quæ præferendum proculdubio Patri, & creditori terrenis. *Sanè*, ponderatio est his à Sinnichio annexa, *si modernorum probabilitatum patronorum principiis insistimus, non facilè apparet, quomodò eos accusare possimus, & multa suppetunt, unde excusari posse videantur.* Ista autem multa reducuntur ab illo ad ea tantùm duo, quæ jam proposui, alterum ab extrinseco, alterum ab intrinseco; utrumque, si illi credimus, excedens in suo genere fundamenta probabilitatis, quæ exigunt, & communiter exhibent moderni Probabilistæ pro suis opinionibus. Subsumit jam Sinnichius, ejusmodi probabilitate nil obstante reprobari, & transgressores legis, ac peccatores declarari à Christo, tum authores ejus doctrinæ, tum qui illa uterentur negando sub eo prætextu, & indigentiæ parentum subsidium, & solutionem juri creditorum, ut patet ex præindicato *cap.* 15. ubi præmemorata ejusmodi doctrina, & ejusdem praxi subjungit Christus, *vers.* 6. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaias*, &c. Et rursus, *vers.* 14. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Per quæ non solùm damnantur, & conjiciuntur in foveam Doctores, de quibus ob majorem in ipsis notitiam legis dubitari posset, an eorum nequitia probabilitate careret, sed etiam damnantur, & conjiciuntur pariter in foveam plebeii è fæce vulgi, de quorum probabilitate fundata in authoritate suorum Doctorum, & in propria sui ipsorum ignorantia, ac ineptitudine dubitari minimè potest. Ergò probabilitas non excusat à peccato, nec impedit, quominus operans juxtà illam, decidat in foveam, foveam utique Inferni simul cum Doctore suo, licet hic cadat profundiùs, utpotè ducens, ac præiens, ideoque prius cadens, & habiturus suprà se cæcum sequentem, qui posteriùs, nec tam altè cadit lentiori præcipitio sarcinæ minùs gravis.

Art. LIV. Simile argumentum, & quidem apparentiæ aliquantò majoris, & quod horrorem incuteret longè majorem adversùs usum probabilitatis, confici potuit ex crucifixoribus Christi Domini, quia populus Hebræorum, qui erat Hierosolymis, consensit crucifixioni Christi, & ad eam impulit, atque coëgit Pilatum munitus authoritate, qua nulla desiderari, nulla tunc inter puros homines reperiri poterat major in genere humano. Sequutus namque est sententiam summorum Sacerdotum, qui merito bis consilio, & re proinde tota maturè deliberata cum Senioribus, & Scribis, & universo concilio, statuerunt Jesum esse reum mortis, & debere tradi Pilato, ut crucifigeret eum. Statuerunt autem moti pluribus, & magnis argumentis, ut patet ex his ipsorum verbis, *Lucæ* 23. 2. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum esse.* Quorum quodlibet etiam seorsim sufficiebat abundè ad sententiam cohonestandam, si verum esse constaret. Id verò constabat probationibus apud eos Judices usque adeò efficacibus, ut speraverint, virillarum se posse in foro contentioso causam vincere, atque Pilatum Judicem alioqui bonum, & nullo præoccupatum præjudicio ad suam sententiam pertrahere. Atque hæc omnia sunt certa, ac manifesta ex Evangelistis. Certum igitur, ac manifestum est crucifixores Christi præsertim plebeios habuisse pro se maximam, ac superabundantem probabilitatem, tum ab extrinseco, tum ab intrinseco. Necesse porrò non est, nec verò decet, ut Catholicus disputans cum Catholicis probet, nequissimos eos crucifixores peccavisse nihilominùs omnes, & singulos, & gravissimè, ac deterrimè peccavisse probabilitate nil excusante, & neminem ex quibuslibet ulla ex parte enormem peccati omnium, quæ usquam fuerunt, aut erunt, granditatem.

Art. LV. Potuisset prætereà Sinnichius adjungere argumento huic ex persequutoribus Christi argumentum illud ex sequacibus Antichristi, majoris itidem apparentiæ, quam sit illud suum. Qui enim sequentur Antichristum, eique obsequentur, id facient inducti authoritate magna, & magnis argumentis, uti colligere licet ex verbo Christi Domini, *Matth.* 24. 11. *Et multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et vers.* 23. *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi.* Ubi probabilitatem sententiæ suffragantis obsequio erga Antichristum astruunt. Primò, multitudo eorum, qui illam amplectentur ut veram. Secundò, multitudo conjuncta cum insigni, ac illustri quitate Magistrorum ejus sectæ, nempè Pseudochristorum, & Pseudoprophetarum, id est, hominum præseferentium magnam apparentiam, seu probabilitatem, quod sint veri Christi, ac Prophetæ. Tertiò, exhibitio per eosdem signorum magnorum, ac prodigiorum. Quartò denique tanta vis pertrahendi in iis omnibus simul sumptis, ut electi etiam ipsi, quos certum est decipi finaliter non posse in lesu compositio electionis, futuri sint proximi talis ceptioni, & quasi jam casuri. Certè nullis modernorum opinionibus fundamenta usque adeò valida substruuntur ad probabilitatem. Et tamen conflat ex relatis verbis Redemptoris solos reprobos esse decipiendos, atque consensuros errori, quatenus exceptio firmat regulam in contrarium. Ergò probabilitas opinionis non reddit honestam operationem sibi conformem.

Art. LVI. Hæc obiter, & brevitet indicare libuit, ne quid dissimularem, quod causam Sinnichii maximoperè juvare videretur in eo genere, quod is attigerat, nempè in rebus pertinentibus ad fidem, quà ad fidem pertinent. Videndum modò, quid ille dicat circà res pertinentes ad rationem naturalem, quà ad ipsam pertinent. Audet affirmare abominandis flagitiis, ac facinoribus, quæ olim apud varias gentes in consuetudinem nemine reclamante abierant, suffragatam fuisse opinionem probabilem de honestate eorum omnium, & quorumlibet. Pro cognoscendis fœdissimis ejusmodi apud varios populos, ac nationes flagitiis consuetudine roboratis, remittit Lectorem ad Alexandrum Sardum Ferrariensem de moribus, ac ritibus gentium, præsertim *lib* 1 *c.* 1. 2. 3. & 23. Tum refert præcipuam quandam sigillatim verbis Hieronymi *lib.* 2. adversùs Jovinianum, *cap.* 6. Concubitum vagum absque ullo uxoris,

matris & marti discrimine apud Scotos juxta documentum Platonis, & exemplum Catonis; connubia, seu copulationes cum matribus, & aviis, cum filiabus, & nepotibus apud Medos, Indos, & Æthiopes; parentum, cognatorum, & propinquorum jam senum cædem, & comestionem apud Massagetas, & Derbices; affinia huic postremo alia fœdera usu patiter, & unanimi consensu recepta apud Tibarenos, Hircanos, Caspios, Scythas, bestias, & monstra multiplicia divinitate donata, & sacro, aciniolabili cultu adorata apud Ægyptios, diversis Civitatibus diversa ejusmodi delicta profitentibus. Istum errorum, ac fœditatum catalogum claudit Hieronym. hac illatione: *Pervides igitur, quod non solùm in esu, sed & in sepulturis, & in connubiis, & in omni conversatione unaquæque gens suo ritu, & proprietatibus vitiatur, & hoc eam naturæ legem putare, quod didicit.* Didicit autem, ac putavit cum probabilitatem qualicumque, sed maxima. Quia didicit, ac putavit adstipulante unicuique cæterorum, quibuscumque conviveret, & maximè sapientum, quos noverat omnium, necnon Magistratus, cui subesset, unanimi consensu, & exemplo. Neque verò moderni Probabilistæ diffiteri possunt pondus istud immensum tantæ authoritatis sufficere, ac superabundare ad probabilitatem ab extrinseco, quandoquidem plerique eorum docent ex professo unius cum solius sapientis, quidni viginti, vel triginta, vel certè centum, aut mille sapientum authoritatem adjllam sufficere; quem tamen numerum longè superabant homines, tum conviventes, tum maximè succedenter sibi invicem per plura sæcula reputati sapientes apud unamquamque ejusmodi gentem. Hoc argumentum viget multò magis, propterea que animosius adhibet Sinnichius pro honestare probabili Idololatriæ, utpotè pervagatæ olim per totum fermè genus humanum, & communitæ unanimi consensu Philosophorum, & sapientum sæculi omnium, necnon legibus, ac statutis Principum, Regum, Imperatorum, ut liquet ex Historiis, & contestatur sacer Textus, *Sap.* 14. 16. præmissa enim Idololatriæ origine per hæc verba: *Acerbo enim luctu dolens Pater citò sibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia:* Subdit immediatè progressum, & accessionem authoritatis. *Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio celebrantur figmenta.*

Art. LVII. At nullus Catholicus audebit dicere idolorum cultores, & vitiis ad idololatriam spontè consequentibus deditos ob eam tantam probabilitatem immunes fuisse peccati, seu materialiter tantùm peccasse, nec pœnam æternam meruisse; & si quis fortè ausurus alioqui fuisset id dicere, arcebit eum à tanta falsitate Apostolus luculenter tradens, *in Epist. ad Romanos cap.* præsertim 1. & 2. idolorum cultores, & transgressores legis naturalis esse inexcusabiles coram Deo, sive Gentiles sint, sive Hebræi, *cap.* namque 1. *à vers.* 18. inter alia eodem pertinentia, hæc habet: *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Quia quod est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, &c. ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ac demum enumeratis transgressoribus Decalogi sub idololatrica cœcitate, concludit, *vers.* 32. *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ex capite secundo, quod totum ferè est ejusdem instituti, sufficit observare universalem illam declarationem, *vers.* 12. *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccarunt, per legem judicabuntur.* Plura alia Augustini præsertim, & Prosperi, nec non Theologorum testimonia accumulat Sinnichius in præindicato *c.* 99. pro inexcusabilitate quorumlibet quandolibet adultorum colentium idola, & agentium contra Decalogum, atque specialiter adversus idolorum cultores, proque eorum reatu inexcusabili sunt efficacia nimium, & clara hæc tria, 2. *ad Thessal.* 1. 8. Ubi describitur adventus Christi ad judicandum *in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, Psalm.* 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt. Sap.* 13. 10. post argumenta manifestissima adversùs ignorantiam Dei, & adversùs idolorum cultores, concluditur sic: *Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ.* Constat itaque ex iis omnibus opinionem probabilem; aut etiam probabilissimam non sufficere ad excusandum à peccato formali, atque accidere, ut ibi emineat multò clarius, ac certius ratio malitiæ, ubi prælucet ratio majoris probabilitatis, uti quoad utramque partem manifestatum est circa idololatriam.

Art. LVIII. Libuit mihi hæc argumenta sub uno simul prospectu continuata serie proponere, quia licet sint valdè diversa ex parte materiæ; ratio tamen formalis, qua nituntur, & consequenter qua etiam refelluntur, est in omnibus una, & eadem, & fundamenta ejus rationis in singulis argumentis sunt valde affinia inter se. Nituntur nimirum ea argumenta inadæquata opinionis probabilis consideratione, & consequenter diruuntur negando adfuisse, & ostendendo non adfuisse opinionem probabilem simpliciter, seu secundùm suum conceptum adæquatum ulli eorum, quos peccasse, & magna, absque ulla legitima excusatione, commisisse flagitia, rectè assumitur, & absque necessitate probatur in argumentis. Opinio probabilis in suo conceptu adæquato includit duo. Requiritur enim primò, ut adsit pro opinione ratio, vel authoritas magni momenti: Deinde requiritur, ut nulla appareat authoritas, vel ratio convincens pro parte opposita, id est, ut sententia contraria non sit omninò certa ullo ex capite. Hic est unanimis consensus omnium authorum docentium licitum esse usum opinionis probabilis, neque id potest in dubium revocare Sinnichius, quem vidimus *suprà art.* 14. *fine,* ita referentem, & proponentem sibi impugnandum usum licitum opinionis probabilis juxta eam ipsius usurpationem. Ratio est clara, quia oppositum ejus, quod certò est verum, est certò falsum. Nequit autem esse probabile, id esse verum, quod certò constat esse falsum. Nequit, inquam, esse probabile probabilitate, de qua agunt Theologi, licet possit esse probabile probabilitate sumpta pro qualicumque apparentia veritatis; tametsi conjuncta ea sit cum totali certitudine, ac evidentia falsitatis.

ART. LIX. De ista posteriori probabilitate usque adeò non disputant Theologi, nec dubitare quisquam sapiens potest, an ea sufficiat ad excusandum à peccato, ut sit manifestissimum, nullum omninò peccatum committi posse, quin adsit peccanti aliqua ejusmodi probabilitas, eademque impellat ad peccandum. Cùm enim objectum voluntatis sit bonum verum, vel apparens, impossibile planè est, ut quis peccet amplectendo aliquid inhonestum, quin præfulgeat peccatori ex parte intellectus aliqua apparentia, per quam objectum re ipsa inhonestum, indignum, quod eligatur, & perducens ad infœlicitatem, appareat nihilominùs verum bonum, dignum, quod hic, & nunc eligatur, & conferens ad fœlicitatem. Quia verò ejusmodi apparentia potest esse major & minor, atque pro committendis peccatis, aut majoribus, aut manifestioribus oportet ex natura rei illam esse proportionaliter majorem; quatenus ad repellendam majorem vim, requiritur vis contraria proportionaliter major; atque vis retractiva voluntatis à committendo peccato, eò est major, quò ejus malitia est major, ac manifestior, eamque vim retractivam sola superat apparentia bonitatis, & eligibilitatis, ut convenientis objecto inhonesto cujus amore peccatur: propterea in superioribus argumentis apparentia veritatis, & probabilitas ejusmodi inadæquata pro parte peccantium existit maxima, quia peccata, circa quæ argumenta versantur, sunt maxima, & malitia eorum erat manifestissima. Hinc effectum est, ut Sinnichius, & nonnulli alii in casibus argumentorum æquivocare potuerint probabilitatem inadæquatam, apparentem, & falsam cum probabilitate adæquata, reali, ac vera. Quia supremum generis inferioris attingit proximè infimum generis superioris, suntque ambo inter se valdè affinia. Probabilitas autem inadæquata, & falsa, & secundum quid talis, quam diximus reperiri in supremo gradu, in casibus argumentorum, est genus inferius respectu probabilitatis adæquatæ, veræ, & simpliciter talis; atque æquivocatio contingit facilè inter ea, quæ sunt invicem affinia; omnis siquidem æquivocatio provenit ex mutua aliqua affinitate, & similitudine æquivocatorum.

ART. LX. Utcumque hæc habeant; probabilitatem adæquatam, seu simpliciter dictam, & de qua quæstio est inter Theologos, defuisse in casibus argumentorum, quia adfuit totalis certitudo, vel quæ illi quoad præsens omninò æquivalet ignorantia vincibilis, ac supina de malitia operationum, circa quas eadem argumenta versantur, facilè potest eundo per singula demonstrari. Quoad primum de filiis, qui prætextu templi, seu cultus divini negabant patentibus obsequium, & subsidium debitum, dupliciter demonstrat Christus adfuisse illis, & eorum Magistris notitiam certam obligationis in contrarium. Primò quia eum *Matth.* 15. increpuisset Scribas, & Pharisæos de transgressione legis: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? vers.* 3. ut id probet, utitur immediatè argumento sapientibus, & insipientibus peræque obvio, ac manifesto, nempè comparatione mandati divini, quod à pueritia docebantur omnes, cum traditione humana, quam ita noverant, ut etiam exercerent actu. Dicit enim: *Nam Deus dixit; honora patrem & matrem; & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Munus quodcumque est ex me* (oblatum templo) *tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam* (ad hoc jam non tenebitur) *& irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Hoc argumentum esse convincens nullus negabit Catholicus, cum sit argumentum Christi, Deum autem fuisse pervium, ac manifestum non solùm modò, & Pharisæis, sed & astectis eorum universis, palam est ex notatiunculis à me præinsertis circa utramque illius partem, nempè mandatum Dei, & traditionem humanam. Aderat ergò transgressionibus istis aliquid convincens in contrarium. Item rursus apparet ex censura, qua Christus afficit hujus erroris, & Doctores, & astectas, *vers.* 14. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Cæcus enim dicitur, qui meridianam lucem non videt, quæque sortè modum visibilia, ac patentia, non qui lucebulo tantum, ac per tenues rimas vix transparentia, non penetrat, uti ponderatum est *suprà, art.* 35. Adest ergò in contrarium aliquid ita clarum, ac patens, ut solus cæcus, aut oculos sponte claudens, id non videret. Præterea quid evidentius, & clarius in rebus moralibus esse potest, quàm quod existentibus rebus in Decalogo præceptis: primò de cultu Dei, quartò de pietate erga parentes, septimò de justitia erga proximum circa fortunas, adimpletionem horum, non solùm esse invicem compossibiles, sed etiam necessarias singulas seorsim. Agebant ergò contrà veritatem sibi manifestissimam, dum præcepto perficiendi opus injunctum per unum præcepto prætermittebant opus injunctum per aliud, velut duo præcepta. Eadem namque est ratio de utroliber, & de utroque, nempè authoritas divina prævalens infinitè suprà quamlibet authoritatem humanam, quæ proindè utcumque aliàs magna, debuisset à populatibus haberi eatenus pro nihilo. Prætermitto hìc, propter totalem simplitudinem difficultatis, & solutionis, argumentum aliud ex vendentibus, & ementibus in templo, quorum mensas, & cathedras evertit Christus dicens, *Matth.* 21. 13. *Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quidquid enim fuit prætextibus, quibus illi, ut describit Hieronymus apud Maldonatum ibi palliabant usuras, censeret, & non tantùm probabilibus, non licere fuisse, quod illi faciebant: Domum Dei speluncam latronum.

ART. LXI. Quoad crucifixores Christi, et quibus secundum argumentum ducebatur, eadem certitudo in contrarium est quodammodo manifestior ex verbis Christi, *Ioan.* 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & patrem meum.* Viderunt autem ea opera, & certissimam eorum notitiam habuerunt sapientes, & insipientes, Principes, & populi. Omnes enim fama celeberrima, & quampluribus restibus oculariter roborata certissimè noverant cæcos videntes, claudos ambulantes, leprosos mundatos, surdos audientes, mortuos resurgentes, ac præsertim stupendum Lazari resurrectionem coram magna Judæorum multitudine glorioſissimè peractam. Unde timet ne Pontificum, & Pharisæorum, *Ioan.* 11. 48. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum,* & mœsta illa veluti desperatio eorumdem Pharisæorum apud eundem *Ioan.* 12. 19 *Pharisæi ergò dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nil proficimus. Ecce mundus totus post eum abiit.* His operibus usque adeò vulgatis, usque adeò conspicuis, usque adeò certissimè notis, & manifestissimè demonstrantibus divinitatem Christi nulla poterat opponi authoritas, nulla ratio in contrarium, quæ esset

momenti absolutè, & comparativè magni, & quæ comparatione eorundem operum non deberet flocci fieri, & pro nihilo reputari. Atque ut crucifixores non attenderint, prout attendere omninò tenebantur opera à Christo peracta pro iisdem crucifixoribus, & pro omnibus; fieri certè non potuit, ut ignorarent ipsum opus contra Christum, quod exprimitur, *Matth. 26. 59. Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent, & non invenerunt; cum multi falsi testes accessissent.* Hæc falsorum testium indigentia, & inquisitio, nota utique quærentibus, & iis, inter quos quærebantur, palam prodebat iniquitatem causæ, quam & cognovit minus conscius veritatis judex Gentilis Pilatus dicens ad Principes Sacerdotum, & turbas, *Luc. 23. 4. Nil invenio causæ in hoc homine:* Patet itaque nullum de honestate operis sui probabilitatem adesse, & adstipulari potuisse crucifixoribus Christi, cum tanta iisdem contradiceret certitudo innocentiæ, & divinitatis Christi, tumquè esset manifesta falsitas, & mala fides persequentium illum.

Art. LXII. Jam quoad asseclas Antichristi sustinebservare habituros illos esse contradicentem sibi infallibilem, & nunquam interituram certitudinem Sanctorum quatuor Evangeliorum æqualiter attestantium Christo, & detestantium Antichristum. Cujus proinde asseclæ licet habituri sint argumenta pro se maxima secundum conceptum absolutum, atque eatenus omninò majora, quam quæ communiter habentur pro ordinariis Doctorum Catholicorum resolutionibus circa casus conscientiæ; habiturinihilominus sunt contra se omnia argumenta Christianæ fidei, authoritatem Ecclesiæ; & quod caput est, authoritatem divinam in iis manifestè præeminentem, id est, habebunt pro se argumenta, quæ ita comparentur cum argumentis contra ipsos, sicut comparatur homo apprimè pictus cum homine vero, ac vivo; aurichalcum auro; & Rex comicus cum eo, quem fingit; quanquam distantia inter hæc sit incomparabiliter minor, quam inter illa. Argumenta autem pro opinionibus apud nos reputatis probabilibus comparantur cum argumentis in contrarium, sicut comparantur inter se antagonistæ duo vitium plus minus earumdem, nec aliter alterutra pars improbabilitatis, ut minimum, aut temeritatis notam evadit.

Art. LXIII. Venio ad postremum argumentum desumptum ex prætensa apud antiquos Gentiles probabilitate opinionis affirmantis honestatem idololatriæ, & aliorum plurium operum, quibus directè, ac immediatè contradicit Decalogus. Et nego ullam unquam opinionem verè, ac adæquate probabilem favisse ullis idololatriæ professoribus, aut sectatoribus vitiorum, quæ ad professionem idololatriæ spontè consequuntur contrà Decalogũ. Quia licet illis faverint authoritas humana utcumque magna, & rationes, atque prætextus apparentiæ utcumque magnæ magnitudine utrobique excedente præcisam eatenus sufficientiam ad probabilitatem; contradixit tamen ejsdem, tum evidentia certissimæ rationis naturalis, tum infallibilis certitudo divinæ revelationis, & authoritatis, quarum neutra ulli opinioni probabili contradicit, & est contra conceptum veræ, ac legitimæ probabilitatis, ut contradicat, uti nupet observatum, ac demonstratum est. Nec idololatræ illi, & Antidecalogi homines, seu populi excusari potuere per ignorantiam invincibilem. Quia invincibilis ignorantia Decalogi quoad ea, quæ expressè in illo continentur nulli unquam adulto contigit, aut contingere potest saltem ad longum tempus, saltem ad extremum usque vitæ. Qua in re probanda nil me morari necesse est, dum respondeo Sinnichio semel, atque iterum probanti fusè nulli unquam adulto inesse ignorantiam invincibilem legis divinæ, & naturalis, atque in eum scopum superaddenti communem consensum Theologorum, primùm *cap. 96. sub finem*, cum ea indistinctione, de qua superius conquestus sum, *art. 26.* Et secundò rursus, *cap. 101.* itidem sub finem cum distinctione, ac limitatione, quam & exegi prius, & modo adhibui. Neque circa hoc prætereunda sunt verba Augustini, ad quæ sæpiùs recurrit Sinnichius, *in Psalm. 118. concl. 25. post med.* ubi præmissa quæstione: *Nunquid lex ista naturalis non erat in populo Israel?* respondet: *Erat planè, quoniam & ipsi homines erant. Sine autem lege naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent.* Erat autem, & vigebat cum vi proxima obligandi. Totus nempè sermo ille procedit secundum istam legis usurpationem. Specialiter autem idololatria, cujus professioni maximoperè credit, ac contendit Sinnichius suffragatam fuisse probabilem de ejus honestate opinionem, est tam manifestè stulta, tum quatenus negat unum authorem, & Dominum universorum, tum quatenus arrogat divinitatem rei creatæ, ac limitatæ, maximè sensibili, ac materiali; & multò maximè experti rationis, aut sensus, aut vitæ, aut naturæ, ut nil stultius dici, ac cogitari possit, contradicentibus argumentis quoad utramque eam partem evidentissimis, quæ norunt docti, & non est hujus loci, ut distinctè exhibeantur. Verum nec necesse est, quia constat id patenter, ex illis ipsis duobus testimoniis sactis, quæ producuntur in argumento, *art. 56. & 57.* utrobique sub finem, altero de origine Idololatriæ, altero de ejusdem fœditate, & stultæ malatia. Consideretur utrumque, & sufficit, ut omnia deessent alia. Patet itaque opinioni de honestate idololatriæ, & subsequentium contra Decalogum operationum non defuisse certitudinem in contrarium, aut quæ illi quoad præsens omninò æquivalet, vincibilem, ac supinam ignorantiam ejusdem; ex communi, ac indubitato PP. ac Theologorem consensu, apud ipsum Sinnichium, & apud Vasquez, & alios indicatos ab eodem ubi supra; ac proinde defuisse illi opinioni probabilitatem adæquatè, propriè, ac simpliciter talem, & de qua sola viget controversia inter Theologos.

Art. LXIV. Precor jam seriò Lectorem meum, ut consideret ipse, ac judicet, quam censuram mereantur propositio affirmans hæresim, aut aliam infidelitatis speciem; & manifestam, ac impiam stultitiam esse opinionem probabilem, aut reddi posse probabilem quantalibet cujuslibet qualiumcunque hominum multitudinis authoritate; Quod si cui minus patet quid, aut quorsum proponam. Rogo rursus, ut quisque judicet, quam censuram mereantur istæ propositiones: Probabile est, Sinnichius dicit, fuit) licitum esse negare indigentiæ parentum subsidium necessarium, & creditoribus legitimis justam solutionem exhibita ad usus templi proportionali aliqua quantitate pecuniæ, si decem, viginti, centum, mille Doctores obsequente sibi populo, aut populis ita dicant. Probabile similiter est (Sinnichius dicit in simili, fuit) licitum esse cultum, quem Mahometi exhibent ejus asseclæ, quia ita sentiunt omnes sapientes, & insipientes per Dominium Turcicum penè universum. Nota quoad primam propositionem

Decalogum

Decalogum ultra rationem naturalem ubique, & semper parem, tam benè notum fuisse Israëlitis, atque nobis, atque authore Deo utrisque intimatum. Quoad posteriorem nota, idololatriam esse multò deteriorem, quam cultum Mahometis, & turpitudinem illius esse multò notiorem, quam turpitudinem hujus, & insuper nullam idololatriæ speciem habuisse tot sectatores, quot à principio in hunc usque diem numerat Mahometismus. Judica similiter, si placet, de dicentibus probabile esse, nil peccasse crucifixores Christi, nil peccaturos asseclas Antichristi; atque adverte, differentiam temporis est, vel fuit materialiter se habere in materia doctrinali, nec fieri posse, ut fuerit probabile, non peccaturum sic, vel sic agentem, & non sit probabile sub eadem hypothesi, non peccasse eum, qui sic, vel sic egit. Censura autem, quam tuleris, comprehendet Sinnichium tenentem pertinaciter, & docentem ex professo, hæresim Scribarum, & Pharisæorum, ex qua arguit, & impiam idololatrarum stultitiam fuisse opiniones probabiles probabilitate, de qua disputatur inter Theologos.

Art. LXV. Adde circa eadem argumenta, si quid ea probarent, & siquidem præscindatur, uti præscindit Sinnichius, à certitudine, quæ re ipsa aderat in contrarium, probare plus etiam, quam intenditur, & probare contra sententiam authoris ipsorum. Quia probaret, opinionem non solum utcunque probabilem, sed etiam probabiliorem, & probabilissimam, simulque existimatam tutiorem non excusare à peccato. Scribæ namque, & Pharisæi, non unus, vel alter, aut pauci aliqui, sed omnes unanimi consensu erant authores, & suffragatores traditionis reprobatæ à Christo, atque docebant, laudabilius, ac tutius esse operari juxta illam. Idem facilè comicies proportionaliter circa crucifixionem Christi, & adorationem Antichristi, & facilius multò circa idololatriam, necnon circa prosequutionem vitiorum contra Decalogum.

Art. LXVI. Adde rursus absque ulla Sinnichium necessitate circuisse remotissima, & tempora, & loca, ut inveniret suas illas reconditas opiniones probabiles. Habebat enim sub oculos in proximis circumquaque provinciis quamplurimas, quales quærebat opiniones probabilitatis tam solidæ, tam firmæ, ut consistere posset cum contradicente sibi certitudine infallibili, tum fidei divinæ, tum rationis evidentis. Aderant nimirum in Germania, Anglia, Hollandia, aliisque finitimis provinciis Christus in Eucharistia conculcatus, conculcatæ sacræ imagines, sponsæ Christi ex asceteriis raptæ ad concubinatum matrimonii nomine cohonestatum, bona opera exclusa à cooperatione salutis æternæ ex lex arbitrium humanum, quia expers libertatis, ac indifferentiæ, aliæque similes fœditates assensu, & usu receptæ ex unanimi consensu omnium inibi Pseudo-episcoporum, Doctorum, seu Ministrorum, Magistratuum, Principum, populorum. Aderant hæc propè in januis. Quid igitur opus fuit recurrere ad remotiora, & obscuriora?

Art. LXVII. Adde postremò universaliter, ut tandem aliquando discedam à Sinnichio, conatus illius omnes, qui tam multipliciter comperti sunt mancs, ac dissoni adversus nostram, & communem sententiam, valere nihilominus adversus ipsum Sinnichium, qui sua argumenta putat concludentia, & inelu&abilia contra usum licitum opinionis probabilis, & etiam probabilioris, ac probabilissimæ, ut retulimus *supra*, & tamen docet licere uti opinione practicè probabili eo quoque comprehenso artificio, qui inter perspicaciores patronos hujus doctrinæ censetur communiter cæteris omnibus difficilior, nempè licere cuique uti opinione practicè probabili adversus propriam in contrarium opinionem speculativam. En verba Sinnichii in eodem illo opere de Saule Exrege, *lib. 1. c. 67. §. 260. Neque enim pravis conditionis censeri debent Summi Pontifices, quam cæteri homines, quibus subinde licitum est in praxi procedere secundum probabilem sententiam, etiam oppositi adversus quam speculative reputant veriorem.* Credidisses hoc dici potuisse ab homine, qui erumpere in tot, & tam horrida detestationum portenta, quot & qualia ei eo commemoravimus adversus opinionem in genere, & adversus qualemlibet usum opinionis quantumcumque probabilis? Et tamen profectò verba, quæ retuli, differens de casu, in quo tutius infringerat omittere, quam agere. Tu vide, si placet. Mihi enim placet non distineri diutius cum Sinnichio.

Proponitur argumentum Marinarii ex Academismo.

Art. LXVIII. R. P. Fr. Antoninus Marinarius opusculo *de opin. prob. cap. 1.* prosequitur fusiusculè hoc argumentum cum aliqua circuitione, qua rationem inferendi reddit aliquantò impediriorem. Totum argumentum dicemus ex Augustino describente, ac refellente plurimos Academicos, quem Marinarius non vidit, sed excepto ipse fatetur, *num. 7.* S. Doctoris testimonium P. Benedicto à Jesu Christo, quem nondum mihi videre licuit. Agit autem Augustinus de Academicis tum, & ex professo tribus libris adversus ipsos, qui habentur in tomo ejus primo; & brevius, *lib. 19. de Civit. cap. 18. in Enchir. ad Laur. cap. 20. lib. 15. de Trin. cap. 12. epist. 213. & alibi.* Academici novi, nam de veteribus hic non agitur, inveniendæ veritatis desperationem, in quam inciderant, auditoribus ingerebant, rati impossibilem esse assequutionem illius, eo quod *veritas*, ut refert Augustinus, *lib. 1. contra Acad. cap. 5. Sive propter naturæ tenebras quæstum, sive propter similitudinem rerum, vel obrutæ, vel confusæ tutaret.* Consequenter censuere, sapientem, ut meretur à periculo errandi, nil tanquam veram amplecti unquam debere, sed suspenso judicio omnia dubitabundum absque assensu circumspicere. *Huic eis injuria magna constata est*, ut ait ibidem Augustinus. *Videbatur enim esse consequens, ut nil ageret, quod approbaret. Unde dormientem semper, & officiorum omnium desertorem sapientem suum Academici describere videbantur, quem nil approbare censebant: Hinc illi undare quodam probabili, quod etiam verisimile nominabant, unde modo cessare sapientem ab officiis asserebant, cum haberet quid sequeretur.* Doctrina igitur de suspendendo de omnia assensu, nilque approbando, & simul de probabili, seu verisimili ad agendum sufficiente authoribus suis Academicis, Academismus nuncupatur, atque ex eo tale instruitur contra nos argumentum.

Art. LXIX. Doctrina de usu licito opinionis cujusvis practicè probabilis coincidit cum Academismo, estque verus, ac purus Academismus. Academismus autem pandit aditum ad flagitium omne, & omne nefas reddit licitum, ac honestum estque vorago omnium vitiorum. Ergo doctrina de usu licito opinionis cujusvis practicè probabilis

probabilis hoc ipsum præstet ; ac proinde est falsa, & modis omnibus detestanda. Identitas probabilismi, utita dicam, cum Academismo, quæ est major propositio, ex eo videtur manifesta, quia uterque dirigit, ac regulat operationes humanas per probabile, itaut probabilistæ dicant oprantem cum probabilitate, eo ipso operati prudenter, nec esse undè juste reprehendatur, aut puniatur, certè ego ita docui in mea quæstione, & Academici docerent usque adeò operari sapienter operantem cum probabilitate, ut non aliter sapiens quisquam esse posset, quam operando juxta probabilitatem, & sequendo probabile, ut apparet ex verbis relatis Augustini, & apparebit clarius ex mox referendis. Quod autem apud Academicos omnes universim operationes humanæ sapienter exercitæ, sola probabilitate nitentur, apud probabilistas verò catholicos nonnisi aliquæ, nempè illæ solæ quarum honestas, & inhonestas est controversa; est discrimen inter utrosque purè materiale, & per accidens, quatenus materia subjacens probabilitati latius patebat apud Academicos, quàm pateat apud nos, quam constat esse differentiam ex parte solius materiæ, atque adeò purè materialem, & per accidens. Quod enim ad formale attinet, utrisque unanimiter videtur, unumquemque sapienter, ac prudenter, atque adeò laudabiliter & honestè amplecti quidquid probabile sibi videtur, quidquid sit, an sæpè, an rarò, an quandocunque adsit, an aliquando tantum, probabile ipsum occurrat.

Art. LXX. Jam Academismum pandere aditum adomne flagitium, atque omnia promiscuè licere absque ulla exceptione, ac limitatione, si admittatur Academicorum doctrina, quæ erat propositio minor; Augustinus tam luculenter, tam efficaciter docet, ut nil locupletius, nil nervosius proferri unquam sit, *lib.* præsertim 3. contra Academicos, ex quo paucahæc considerare sufficerit *c.* 15. *jm*, transiens ab speculativa ad moralem, & practicam Academici dogmatis considerationem, deplorat primùm universaliter turpissimam morum corruptionem, quàm invehit ea doctrina. *Hinc jam adversum ista verba vigilantior, ipsa facta hominum, quæ curam considerare cœpi : Tum verò tam multa mihi, & tam capitalia in istos venerunt in mentem, ut jam non risum (uti facit arguens speculativè) sed partim stomachum, partim dolorem homines doctissimos, & acutissimos in tanta scelera sententiarum, & flagitia devolutos.* Proponit deinde *cap.* 16. sub initium juvenem adulterautem, eumdemque nihilominus impunibilem, irreprehensibilem juxta eam Doctrinam : *Quid ergo aliquis adolescentium, cum hos audierit dicentes: Turpe est errare, & ideò nulli rei consentire debemus ; sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat* (quæ est ipsissima nostra sententia.) *Illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo, vel sensibus, non vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ : Te consulo M. Tulli, de Adolescentum moribus, vitaque tractamus, cui educandæ, atque instituendæ omnes de littera tuæ vigilaverunt. Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens ? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam, quia Epicuro visum est, non esse faciendum. Adulter abit igitur ille invenis uxorem alienam. Qui deprehensus si fuerit, ubi te invenes, & quo defendatur, quamquam etiam si inveniat, quid dicturus est ?* Et postquam urit adversus Ciceronem, nec defendi, ac liberari juvenem posse, sed neque reprehendi, ac condemnari debere retenta scholæ Academicæ Doctrina, concludit. *Sed vos* (colloquutores Alipius, Trigetius, Licentius) *me jocari arbitramini : Libet deierare per omne divinum* (cujus formulæ pœnitet S. Doctorem *lib.* 1. *retract. cap.* 1. *sub finem*) *nescire me prorsus, quomodo iste peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat.*

Art. LXXI. Hinc progreditur immediatè ad excludendam universaliter rationem peccati ab omni, & quolibet utcunque enormi flagitio, & ad astruendam honestatem omnium, & quorumlibet vitiorum juxta eam doctrinam, simulque obstruit unicum Academicorum, & nostrum effugium ostendendo nullum flagitium, nullum vitium usque adeò probabilitate destitui, ut probabile videri non possit. Audiatur attente; *Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ dici, aut cogitari possunt flagitiis, aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius apud sapientissimos judices defenduntur ; Nil consensi, & ideo non erravi ; Quomodo autem non facerem, quod probabile visum est ? Qui autem non putant* (ecce effugium) *ista probabiliter posse persuaderi ; legant* (ecce occlusum) *orationem Catalinæ, qua patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit*; Quod est indicium evidentissimum ejus parricidii ex oratione redditi probabilis. Ea autem oratio efficacissimis maximæ apparentiæ argumentis referta videri potest apud Salustium in Catilina. Redit ad idem Augustinus paucis interjectis ; *Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuiquam visum fuerit esse faciendum, tantum nulli quasi vero assentiatur, non solum sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Hoc est barathrum abominationis, in quod judice, & demonstratore Augustino conicit confusio probabilis cum honesto, quàm fatebantur sponte, & audacter profitebantur Academici in omni agibili, & quam eandem amplectuntur novi probabilitatum patroni circa agibilia honestatis controversæ.

Cui nihil est certum, nihil esse probabile; Et probabile Catholicorum toto cœlo differre à probabili Academicorum.

Art. LXXII. Respondeo negando majorem de identitate doctrinæ inter Academicos profligatos ab Augustino, & Doctores Catholicos lacessitos à Marinario, & dico nil esse utrisque specialiter commune præter tinnitum vocis hujus æquivocæ, probabile sonantis ex longinquo ex parte Academicorum, & pertingenti ad aures nostras per lineam obliquam, perquè interjectos plurium sæculorum, & authorum ex referentibus referentium anfractus, ac propterea confusæ ab arguente cum probabili sibi familiari, magisque noto, & quod apud authores Synchronos, non alieno ex alieno rursus relatu, sed voce sua propria exponentes sensum suum percipere distinctiùs potuit. Ut æquivocatio ista, quæ est valdè pinguis, manifestetur clarè, penitusque dissipetur, observandum est initio ingens discrimen, quod ex ipso argumenti contextu apparet

apparet haud obscurè, & constituit dilucidè Augustinus *lib. 19. de Civit. cap. 17.* inter Catholicos omnes, eo ipso, quod Catholici sunt, & Academicos quoad dogma ipsorum proprium; Expedit autem caput illud exhibere integrum. *Quod autem attinet ad istam differentiam, quam de Academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omninò Civitas Dei talem dubitationem tanquam dementiam detestatur, habens de rebus, quæ mente, atque ratione comprehendit, etiamsi parvam propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quoniam sicut dicit Apostolus; Ex parte scimus; tamen certissimam scientiam, creditque sensibus, in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur, quoniam miserabilius fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum. Credit etiam Scripturis sanctis, & veteribus, & novis, quas Canonicas appellamus, undè fides ipsa conceptа est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quandiù peregrinamur à Domino. Qua salva, atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per Testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justa reprehensione dubitamus.* Itaque nemo Catholicus esse, & ad Civitatem Dei pertinere potest, quin distinguat certa quædam à quibusdam incertis, atque hærentem indiscriminatim circa omnia dubitationem ita depellat, ut admissis in animum, firmoque assensu certis iis, quæ per sensum, vel rationem evidenter noscuntur, vel authoritate divina infallibiliter confirmantur, conniciat alia quædam superesse, de quibus absque justa reprehensione dubitare sibi liceat; cum Academicus nullam inter hæc omnia, aut aliqua horum differentiam agnoscat, sed omnia promiscuè in idem dubitationis chaos perindè utique hæsitans, ac suspensus obtrudat, atque in hoc sapientiæ apicem ipse, sicut Catholicus dementiæ detestationem constituat.

Art. LXXIII. Ad istud discrimen consequitur necessariò discrimen aliud minime contemnendum, imò quam maximi faciendum. Nempè Academicus nequit distinguere ulla ex parte opinabile à probabili, sed totum illud genus cum toto hoc genere confundit inevitabiliter; & perindè est probabile apud ipsum, quod est opinabile temerariè, stultè, impiè, sacrilegè, atque quod est opinabile rationabiliter, sapienter, seu prudenter, piè, religiosè; atque divisio opinionis, quæ est nobis familiaris, perneccessaria, & certissimè legitima, in improbabilem, & probabilem, nullum potest habere locum; Sed est chimerica apud Academicos. Ratio est, quia omnes ejusmodi differentiæ opinionum, & opinabilium constituuntur per differentias majoris, & minoris accessus, & recessus respectu eorum, quæ certa sunt, & habent in animo statum immutabilis, ac indubitabilis veritatis, nec nisi aliquid certum potest esse mensura, & regula probabilium, & improbabilium, & magis, ac minus seu probabilium, seu improbabilium; Sicut mensura, & regula utilium, & inutilium, & magis, ac minùs seu utilium, seu nocentium est delectabile aliquod, vel honestum, quod habeat rationem finis, quatenus primum in unoquoque genere est mensura, & regula cæterorum, ut vulgo dicitur cum Philosopho. Ob rationem contrariam apud Doctores catholicos probabilitatum patronos opinabile reipsa differt, à probabili tanquam genus à differentia, dividitur legitimè per probabile, & improbabile, & per reliquas præmemoratas modò species. Quia videlicet Doctores Catholici habent principia certa, ac indubitabilia tum fidei divinæ, tum rationis, & sensus, per quæ tanquam per regulam, & mensuram invariabiliter metiri, ac determinare possint inferiorum notitiarum cognitionum dispares gradus, momenta, & qualitates, ac præsertim discernere, ac dijudicare inter opinabilia, quæ sunt probabilia, quæque improbabilia.

Art. LXXIV. Exhis apparet Academicos absolutos planè fuisse hac voce, probabile, maximè cum probabile illud suum dicebant approbabile esse, & verisimile, ut notat Augustinus in illo *lib. 2. retract. prope finem.* Patet enim abusivè dici probabile, quod reipsa non est probabile potius, quam improbabile, & cujus oppositum non consideretur, an sit certè verum, an certò falsum, an neutrum certò, cum hinc saltem partialiter dependeat probabilis ab improbabili differentia: Rituliquenam apertior loquutionis impropriætas esse potest, quam ut aliquid approbabile, & verisimile dicatur ab eo, qui profitetur nil esse approbandum, & verum cognosci, ac inveniri à nemine unquam posse id est, esse dignum approbatione, quod approbari nunquam debet, & quod debet non approbari, atque aliquid cognosci, ut simile vero, ab eo, ut verum ipsum non cognoscit, & dicit cognosci a nemine posse. Augustinus autem nil frequentius, ac significantius dicit, ac deridet in toto opere contra Academicos, quam istas eorum loquutiones impropriæ, & implicativas contradictionis; At Doctores catholici utuntur eadem voce, probabile, juxta legitimam, ac propriam significationem. Dicunt enim probabile, quod probatur fundamento magni momenti, & nil convincens apparet in contrarium, id est, nil certitudinaliter ostendens illud esse falsum. In summa probabile Academicorum est qualecunque apparens apparentia veri incogniti, certe non agniti, nec limitabile, ac regulabile per aliquid certum seu positivè, seu negativè, atque adeò indifferens ad manifestè stultum, & non stultum, temerarium, & non temerarium. &c. Quotum etiam opposita, & non solùm diversa conveniunt probabili catholicorum. Quapropter perinde est, ac fædius est velle transferre ad probabile catholicorum, quæ dicuntur de probabili Academicorum, ac velle transferre ad canem Venatorum, quæ dicuntur de cane Astrologorum.

Art. LXXV. Perspicietur clariùs, & prosus insuperabiliter discrimen propositum, si proponantur in medium definitiones utriusque probabilis; & clariùs adhuc, atque insuperabiliùs, si argumenta Augustini adversus probabile Academicorum admoveantur contra probabile Catholicorum. Probabile Academicorum sic definit Augustinus *lib. 2. adversus ipsos cap. 11. ad med. Id probabile, vel verisimile Academici vocant, quod ut agendum sine assensione potest invitare.* Atque hoc, *sine assensione*, exponit ulterius dicens immediatè: *Sine assensione autem dico, ut quod agimus, non opinemur, aut nos id scire arbitremur, agamus tamen.* Videtur Academicum non tam esse sollicitum de qualitate cognitionis, cui oporteat subesse probabile illum, quàm de qualitate cognitionis, cui oporteat illud non subesse. Vides excludi à concepto probabilis omnem opinionem, omnemque assensionem, id est, omnem actum judicativum, & adhæsivum ad unam determinatè partem potiùs, quàm oppositam, sicque exigi cognitionem qualiscunque de reliquo, &

quæ invitare possit ad agendum, & cum qua agamus. Videsigitur ad probabile Academici non minus sufficere cognitionem, cum qua ex vi cujus inhonestè, imprudenter, stultè agitur, & perpetratur quodcunque, & qualecunque flagitium, quàm cognitionem, cum qua, & ex vi cujus honestè, prudenter, sapienter agitur, & vitatur quodcunque, & qualecunque flagitium. Utrique etenim cognitioni petindè commune est, & æquè convenit, ut invitet ad agendum, urque cum ea agamus. Considera modo ex dictis in nostra quæstione juxtà communem consensum definitionem probabilis catholicorum, istud probabile ex suo imprimis conceptu generico includit assensum unius partis cum dissensu partis oppositæ. Quia probabile subest opinabili tanquam generi suo immediato. Opinio autem, relatè ad quam opinabile dicitur, definitur *assensus unius partis cū formidine partis oppositæ*. Undè probabile nostrum includit in suo conceptu generico oppositionem contradictoriam cum probabili Academico. Deinde probabile nostrum ex suo conceptu differentiali est restrictum ad honestum creditum tale cum fundamento magni momenti, magni verò tùm positivè, tùm negativè, seu & absolutè, & comparativè. Undè non potest invitare ad agendum quidquam certò inhonestum. Quia opinio probabilis, per quam ipsum agibile denominatur probabile, est assensus conceptus ex motivo fallibili quidem, sed magni momenti non solùm secundum conceptum absolutum, verum etiam comparatione facta cum motivo partis oppositæ, Ita videlicet, ut omnibus diligenter, quantum par est, consideratis, nulla parti oppositæ appareat certitudo. Quare probabile nostrum per suam rationem differentialem opponitur probabili Academicorum sicut restrictum, & regulatum laxo, & exlegi, quæ quidem distantia est qualis datur inter hominem pictum, & verum, vel potius qualis inter ebrium, & sobrium. Juverit relegere, quæ superiùs dicta sunt *art.* 58. & 59. de probabili adæquatè, & simplicitet tali, & de eo, quod inadæquatè tantum, & secundum quid tale est. Quia probabile Academicorum est idem, ac probabile inadæquatè, & secundum quid ibi expositum, & coincidit, ut apparet consideranti definitionem Augustini, cum appetibili proximè, utcunque appetibile sit sivè honestè, sivè inhonestè, flagitiosè, ac nefariè, Idque certò, ac manifestè. Cujus oppositum convenit probabili nostro adæquatè, & simpliciter tali, ut inibi expositum est. Perge modo identificare hæc duo probabilia usque adeò sibi invicem repugnantia, & habebis hircocervum.

Art. LXXVI. Transeo ad argumenta Augustini, quæ retuli *art.* 70. & dico, ea si adhibeantur adversus nostrum probabile, evadere tam ridicula, ac indigna, quam ridiculam, ac abominabilem, isdem argumentis idem August. effecit, ac potius demonstravit doctrinam moralem Academicorum. Proponat iterum Augustinus adolescentem insidiantem pudicitiæ uxoris alienæ, & quærat ex me, sicut quærit ex Marco Tullio, quid dicam. Dico, quod dicit Marcus Tullius, mihi non videri probabile, quòd seu intendit, seu agit adolescens. Reponat Augustinus mihi, quod reposuit Tullio, videri tamen probabile ipsi adolescenti, nec ex alieno probabili, sed ex cujusque proprio agendum esse. Respondeo jam juxtà probabile catholicorum, quod juxtà probabile Academicorum respondere Tullius nequaquam potuit. Nego adolescenti videri, aut etiam posse videri, id esse probabile. Quia habet certitudinem in contrarium sibi manifestam. Sunt enim illi nota, vel quod perindè est, vincibiliter, & affectatè ignorata hæc principia, quæ infidiis pudicitiæ uxoris alienæ contradicunt evidenter: Nempè illud universalissimum usurpatum in simili ab ipso August. *serm.* 25. *in Psalm.* 118. Enarrat. in *Psal.* 57. *lib.* 2. *de serm. Dom. in Monte app.* 9. & *lib.* 2. *confess. cap.* 4. *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*, Et illa duo magis particularia: *Non mœchaberis, non concupisces uxorem proximi tui*. Quæ sunt omnibus certissimè nota, certè à nemine ignorantur inculpabiliter, ut tradit August. in illis locis, & tenent firmissimè adversarii nostri, ut vidimus supra. Ecce habemus adolescentem evidenter convictum juxtà nostrum probabile, evidenterque destitutum probabilitate nostra, quo eodem adolescente convincit evidenter Academicos Augustinus, quia probabile Academicum eripi illi nullo pacto poterat. Undè quod ad veritatem attinet, licet profectò mihi invertere juramentum Augustini, & dicere juxtà probabile catholicorum: *Libet mihi deierare per omne divinum, scire me prorsus, quomodo iste peccaverit, tametsi quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccet*. Quia non probabile, sed temerarium, sed stultum, sed hæreticum, & supinæ ignorantiæ est credere, quod liceat iusidiari pudicitiæ uxoris alienæ. Multò autem manifestius evanescit, & putidum evadit alterum argumentum de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, deque conglobato omnium facinorum, & flagitiorum, quæ dici aut cogitari possunt, si similiter dirigatur adversus probabile Catholicorum. Cum enim singula ea flagitia habeant contradicentem sibi certitudinem manifestam evidentissimæ rationis naturalis, ac infallibi authoritatis divinæ, ut dictum est, multò clariùs collectio eorumdem, & aliorum flagitiorum, quæ dici, & cogitari possunt, eidem subest certitudini in contrarium. Et igitur plusquam dici, aut cogitari possit ridiculum, quod asseratur homicidia, parricidia, sacrilegia, omniaque flagitia, & facinora, quæ dici, aut cogitari possunt paucis verbis apud sapientissimos judices defendi, & sine peccato committi; Si quisquis id agit, quod non esse peccatum est practicè probabile apud catholicos, non peccat; id, si is non peccat, qui cum magno fundamento, & absque ulla certitudine in contrarium putat esse licitum, quod agit.

Art. LXXVII. Oratio Catilinæ, quo exemplo utitur peropportunè Augustinus, & rem suam promovet fortissimè, ea verò admovet scopo nostro lucentissimam facem. Oratio est digna authore suo, & sociis authoris, iisdemque auditoribus condecentissimis. Utrorumque vera effigies exprimitur à Salustio, ex quo carptim pauca hæc prænotare libet, & expedit. *Catilina fuit ingenio malo, pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit.. Animus audax illi fuit, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator, ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus, satis loquentiæ, sapientiæ parum* (hinc specialiter sublucet ipes probabilis apud Theologum orationis) *Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. In tanta, tamque corrupta civitate Catalina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum, atque facinorum circum se, tanquam stipatorum catervas habebat. Nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria dissipaverat; quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; præterea*

rea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti indiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus, atque lingua perjurio, aut civili sanguine alebat; postremò omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi, familiaresque erant. Iam primùm adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat cum Virgine nobili, cum Sacerdote Vestæ, & alia hujusmodi contra jus, fasque. Animus impurus, diis, hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat, ita conscientia mentem excitam vastabat. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes, signatores falsos commodare, fidem, fortunas, pericula vilia habere. Post ubi eorum famam, atque pudorem attriverat, majora alia imperabat. Si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilominus insontes, sicuti sontes, circumvenire jugulare. Scilicet ne per otium torpescere manus, aut animus, gratuito potiùs malus, atque crudelis erat. His amicis, sociisque confisus Catalina, &c.

Art. LXXVIII. Ex animo, & pro animis tam fæda pestiferatum consuetudinum lue correptis, penitusque corruptis, qualis oratio prodire, qualis ad persuadendum idonea censeri, & esse potuerit; facilè, & certò præsumitur. Sed nil opus est præsumptione. Oratio ipsa extat apud eundem Salustium, & in ea tota nullum est verbum, nullum vestigium, aut sapor, aut umbra honestatis, sed omnis vis persuadendi redigitur ad solam utilitatem, delectationem, seu libertatem exlegem, & ad gloriam vanam. Post maledicentiam enim adversus dominantes, & inter alia adversus severam flagitiorum coërcitionem, robur orationis in hæc verba contrahitur. *Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quàm sæpè optastis libertas, præterea divitiæ, decus, gloria, in oculis sita sunt. Fortuna ea omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica, magis quam oratio mea vos hortentur.* Ea pericula erant ex legibus ob delicta antè perpetrata, egestas ex prodigentia, & vita luxuriosè peracta, spolia magnifica dicuntur direptio patriæ, quæ sunt manifesta ex contextu Salustii. Honestissima hæc oratio tunc tandem persuasit, evicitque intentum, & vim suam exeruit manifestius, cum postulantibus subindè sociis, *quæ conditio belli foret, quæ præmia armis peterent?* perrexit Catilina *pollicieri tabulas novas, proscriptionem locupletum, Magistratus, Sacerdotia, rapinas, aliaque omnia, quæ bellum, atque libido victorum fert*; breviter, & dilucidè, ut creditores fraudarentur juribus suis, spoliarentur justi etiam omnis generis bonorum possessores, liceret omne nefas.

Art. LXXIX. Oratione ista nil potuisse probabiliter persuaderi probabilitate honestatis, claritate ipsa est clarius. Quia videlicet claritate clarum est, nil quemquam persuadere de re aliqua posse sub ea ratione formali, sub qua nil de illa dicit, nil considerat. Siquidem ergo ex eventu orationis ejus, quatenus de facto parricidium patriæ, quo uno continentur omnia scelera, persuasit, rectè colligit Augustinus, omne scelus esse probabile, & defendi posse, & committi sine peccato juxta dogma Academicorum; evidenter concluditur probabile Academicorum non fuisse restrictum ad probabilitatem honesti, sed prorsus indifferens, juxtà præmemoratam ex Augustino definitionem, ad quodcumque, & qualecunque potens nos sine assensione invitare ad agendum. Verùm Academici non solùm non adhibuere, sed nec potuerunt adhibere ullam ejusmodi strictionem probabilis sui ad honestum. Quibus etenim nil certum erat, nempe hoc utique certum erat, utile patere latius, quam delectabile, & utrumque atque utrumque latiùs, quàm honestum, & magnum inter hæc existere differentiam, ac distantiam. Necesse igitur erat, ut probabile Academicorum, id est potens absque ulla assensione invitare ad agendum, esset prorsus vagum, ac indifferens ad triplex illud genus bonorum, utque amplecteretur æquiter omne appetibile, sivè honestè, sivè inhonestè appetibile esset, & quidem honestate, ac inhonestate, sivè certa, ac indubitata, sivè incerta, & controversa. Nos autem disputamus de probabili probabilitate honestatis, quod nos invitare possit ad agendum per assensum, quo probabiliter judicamus illud esse honestum, & certò scimus, non esse certum, quod sit inhonestum. Quod sanè probabile, ultrò adeò non evincit oratio Catilinæ, adfuisse in opere, quod persuasit, ut ne quidem illud attigerit. Ergo ita que omnibus abundè liquet argumentum ex Academismo nil ad rem ipsam pertinere, qua de agitur in præsenti, & æquivocatione laborare vitia crassa, atque differentiam Academicos inter, & nos catholicos probabilitatum patronos non de materialem, & penes solam majorem, vel minorem extensionem ipsius probabilis, sed esse omnino formalem, & quoad totum conceptum realem quiditativum probabilitatis, & probabilis, solaque hanc vocem probabile esse utrisque communem.

Tres insuper Annotationes circa Academismum.

Art. LXXX. Duo quædam alia notanda superfluunt circa istud argumentum ex Academismo derivatum. Primum levioris momenti est, Marinarum perperam in longinquam regionem peregrinatum esse, atque per sæcula quamplura, perque ambiguas tenebrosæ antiquitatis semitas retrocessisse ad tempus usque Academicorum, quorum nullus jam diu extat codex, ut argumentum erueres, quæ proposuit. Si enim noluisset nudæ huic voci, probabile adhærescere, quod esse turpe, & supra indignum inculcat Augustinus in illo *cap.* 11. *lib.* 2. *contra Academicos*, sed rem ipsam urgere ea vox significatam, & expressam definitione Augustini dicentis probabile esse, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Si, inquam rem hanc ipsam urgere voluisset, habuisset illam facilè obviam apud peccatores, & improbos quosque homines, qui nullo unquam sæculo defuerunt, nec pauci fuerunt. Iis enim nunquam defecit, quod invitaret ad agendum. & quidem cum assensione, quod magis confert ad paritatem respectu nostri probabilis cum assensione verò ita plena, ut & plauderent sibi nequiter agentibus, tanquam prudenter, & optimo consilio agentibus juxtà illud *Prov.* 2. 14. *Qui lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*, & illuderent timentibus Deum tanquam ineptis, ac insipientibus, seque ipsos stultè odio habentibus juxtà illud *Sap.* 5. 4 *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Deesset autem iis nihilominus probabile simpliciter, & adæquatè tale, eadem ratione qua dictum est Academicis defuisse, & diximus supra adversus Stoicos defuisse peccatoribus aliis. Quia nimirum licet cum apparentia invitante ad eligendū, ac agendum

dum, quod elegerunt, ac egerunt, adfuit certitudo in contrarium, ad quam quia non attenderunt uti, & quantum par erat, agnoscunt se in fine, & fatentur, ac deplorant insensatos. Sed hæc ratio in iis peccatoribus est manifesta, in Academicis exesa vetustate, ac tenebrosior, ideoque hi prælecti sunt ad contentionem.

ART. LXXXI. Alterum seria magis animadversione notandum est, quod doctrina Academicorum quoad hanc partem fuit tam stulta, tam fœda, usque adeò perniciosa, ut Augustinus non potuerit sibi in animum inducere Academicos, licet docentes illam palam, atque clamantes se eam tenere, & horrantes, ac suadentes, ut omnes eandem tenerent, tenuisse illam reipsa, mentemque doctrinæ exterius sonanti conformem habuisse, sed finxisse potiùs pro temporum opportunitate, atque aliis tradidisse, quæ ipsi falsa reputarent, ad vitanda nimirum majora incommoda, quæ pro ea, quæ tunc vigebat, rerum, animorumque dispositione vitari aliter posse minimè sperarent. Qua ratione vindicat Augustinus ex professo Philosophos illos à tanta fœdissimæ sententiæ ignominia *lib.* 3. contra eosdem à *cap.* 17. ad finem usque libri, & tota *Epist.* 213. quæ sic incipit. *Academicos ego, ne inter jocandum quidem, unquam lacessere auderem, quando enim me non tantorum virorum moveret auctoritas, nisi eos putarem longè in alia, quam vulgo creditum est, fuisse sententia.* Par autem profecto erat, ut Illustrissimus Marinarius tantumdem, ut minimum deferret Doctoribus Catholicis vocatis, & inductis à Deo in admirabile lumen suum, & multis, & piis & sapientissimis, quantum detulit Augustinus eadem in re Gentilibus unius scholæ Philosophis maximis in umbra mortis, & cœca infidelitate obvolutis.

ART. LXXXII. Hoc præterea insinuare juvat occasione belli Catilinarii, quod in argumento attactum fuit, nos non debere, nec posse cogi ad demonstrandum singillatim iis omnibus, & singulis, quos constat retroactis temporibus peccavisse talia, vel illa agendo, aut sic, vel sic agendo, sivè in bello, sivè in pace, defuisse eatenus probabilitatem sententiæ ipsis faventem, & adfuisse certitudinem in contrarium; idque duabus inter alia rationibus, quas etiam superius adversus Sinnichium subindicavi. Prima est, quia rationes universales, quibus hæc controversia de usu licito opinionis probabilis in utramque partem promovetur, sunt notiores nobis, atque clariores, quam circumstantiæ, & rationes differentiales singulorum actuum præteritorum, & qualitas, atque gradus cognitionis illarum apud operantes. Notiora autem, & clariora, non debent subesse minus notis, minusque claris, sed hæc potiùs par est per illa regulari; nec est boni consilii, ut quod scitur, dimittatur propter id, quod ignoratur; uti soleo in simili suggerere post Augustinum *lib.* 6. *mus.* cap. 5. paulò post initium, & alibi ita præcipientem, ad repellendam ineptitudinem nonnullorum fluctuantium circa rationes universales rectè concludentes, quia nequeunt illas in singulis quibusque particularibus differentiis distinctissimè percipere, & exponere adæquatè, quod est opus operosissimum intellectus propemodum infiniti. Secunda, & præcipua ratio est, quia propter easdem causas, & motiva, propter quas apud nos est certum tales, vel tales, tali, vel tali tempore peccavisse, quatenus tale, vel tale aliquid, vel taliter fecerunt, nec est apud nos probabile illos eatenus non peccavisse; fuit pariter certum, aut quod perindè est, debuit esse certum apud illos ipsos peccatores, fore ut peccarent, si talia, vel taliter facerent, qualia; vel qualiter faciendo peccaverunt, nec fuit probabile apud eosdem, quod possent talia, vel taliter facere sine peccato. Quia rationes, & regulæ honestatis, & inhonestatis sunt semper eædem, æternæ, & invariabiles, nec differentia temporis præsentis, futuri, aut præteriti variare quidquam eatenus potest. Ergo fieri non potest ex natura ipsa rei, ut apud nos sit prorsus improbabile Catilinam, & socios non peccasse perpetrando patriæ parricidium, in quo omnia scelera continentur, & nihilominus non fuerit eodem modo, ac sensu improbabile apud ipsos Catilinam, & socios se posse sine peccato idem patriæ parricidium perpetrare, idemque dicitur de similibus. Mitto in fine ponderare circa orationem Catilinæ, quod & in aliis superiùs argumentis respectivè observavi: si quam illa evinceret probabilitatem eius partis, pro qua pugnavit, evincere etiam majorem probabilitatem, seu ut loquitur Marinarius, certitudinem moralem ejusdem partis, quia alioquin non potuisset obtinere, prout de facto obtinuit, omnium omninò Auditorum unanimem assensum, & consensum. Argumentum igitur ex illa oratione impetit æquè authores suos, atque nos.

Removetur scrupulus Marinarii circa assensum opinantis.

ART. LXXXIII. Illustrissimus Marinarius *cap.* illo 17. quia proponendo superius argumentum ex Academismo audivit Augustinum dicentem probabile Academicorum esse, quod sine assensione invitat ad agendum, conatus est ibidem à *num.* 8. assimilare nos Academicis, atque ostendere identitatem doctrinæ inter utrosque quoad hanc etiam partem de defectu assensus. Adducit in hanc rem verba D. Thom. *de verit. quæst.* 14. *art.* 1. *Dubitans non habet assensum, cum non inhæreat uni parti magis, quam alii: Similiter nec opinans, cum non firmetur eius acceptio circa alteram partem.* Hinc infert, quod communiter dicitur, opinantem assentiri uni parti, accipiendum esse non de assensu simpliciter, & absolutè, sed de assensu cum addito, nempè opinativo, & probabili, qui ut sic ex modo tendendi est indifferens ad verum, & falsum. Tum addit Academicos ita excluisse à suo probabili assensum simpliciter, & absolutè, ut tamen admiserint assensum cum addito, nempè opinativum, & probabilem, cum admitterent cognitionem sufficientem ad agendum.

ART. LXXXIV. Dico conatum istud identificandi doctrinam nostram, cum doctrina Academicorum quoad exclusionem, vel inclusionem assensus nequaquam subsistere. Quia Academici non solùm repudiabant universaliter, & respectu cujusvis cognoscibilis assensum firmum, seu certum, ac immobilem, sed etiam, & maximè assensum infirmum opinativum, ac probabilem. Scopus enim illorū erat liberare sapientem à periculo erroris, & falsitatis, cui periculo illis videbatur subesse quēlibet in qualibet materia assensū unius determinatè partis, subesse verò ex omnium sententia assensus opinativus, & probabilis. Hunc igitur excludebant vel maximè, atque omninò volebant sapientem hærere perpetuò inter affirmationem, & negationem, atque de omnibus, & semper dubitare; ita ut ne quidem hoc ipsum affirmarent fieri debere, sed solùm dicerent videri, sibi,

sibi, quod ita fieri deberet. Constat hoc clarè ex toto opere Augustini contra Academicos, & ex qualibet eius parte, ac præcipuè *lib. 2. cap. 5.* necnon ex his ejusdem Augustini verbis *lib. 15. de Trinit. cap. 12. initio*: *Exceptis enim, quæ in animum veniunt à sensibus corporis, in quibus tam multa aliter sunt, quam videntur, ut eorum verisimilitudine nimium constipatus, sanus sibi videatur, qui insanit, unde Academica Philosophia sic invaluit, ut de omnibus dubitans multò miserius insaniret. His igitur exceptis, &c.* Cum ergo nos assensum opinativum circa opinabilia, seu incerta quidem, sed quæ magis, quam sua opposita accedant ad ea, quæ certa sunt, minimè excludamus, atque in hoc Marinarius ipse nobiscum conveniat, manifestum est nos cum Academicis minimè convenire quoad assensum opinativum circa agibilia, vel admittendum, vel rejiciendum.

ART. LXXXV. Quod attinet ad allatum D. Thomæ testimonium, S. Doctor distinctè tradit in illis verbis hanc, dubitantem inter, & opinantem, differentiam, quod dubitans non inhæreat uni parti magis, quàm alii, opinans verò inhæreat, licet absque firmitate circa alteram partem. Undè dubitatio duplici titulo, opinio uno tantum deficit à conceptu assensus. Quia assensus, & adhæret uni parti magis, quam oppositæ, & adhæret cum confirmitate excludente omnem formidinem partis oppositæ. *Sententia enim, à qua dicitur assensus, sicut assentiens à sentiendo, est conceptio distincta, vel certissima alterius partis contradictionis*, uti assumit, ac supponit inibi Divus Thomas ex Isaac, & Avincenna. Quidquid autem sit de strictiori ista, & maximè propria significatione assensus, ratio certè assensus, & dissensus latius sumpti, & prout vulgo magis communiter usurpatur pro affirmatione, & negatione, est univocè communis actui incerto opinionis, & actui certo intelligentiæ, scientiæ, ac fidei divinæ. Ex doctrina namque Philosophi, de qua infra, perindè necesse est opinantem verum dicere, aut falsum, id est, affirmare, vel negare, ac intelligentem principia, scientem demonstrata, credentem revelata, & perinde contradicit negans possibiles esse plures species Angelorum affirmanti easdem esse possibiles, atque contradicit affirmanti scientificè animam esse immortalem, qui idipsum negat; atque ideò perindè omnes hi dicunt, affirmant, & negant verè, & propriè, & sic de similibus. Tota ergo differentia reducitur ad formidinem oppositi, quæ inest opinioni, & ad firmitatem, quæ inest actibus certis. Quod si Marinarius hanc solam differentiam exprimere voluit dicens opinantem assentiri uni parti, non assensu simpliciter tali, sed cum addito nempè assensu opinativo, ac probabili; Dicit quidem verè, ut patet ex præmissis, sed insufficienter, ut ex eo liquido apparet, quia similiter dici potest scientem assentiri assensu non qualicunque, sed cum addito, nempè assensu scientifico, & certo, & neutrius extremi ratio differentialis ab altero extremo innotescit magis, quam prius propter inflexionem solam nominis substantivi in adjectivum. Quod enim prædicatum aliquod significetur per modum per se stantis, quod fit per nomen substantivum, vel per modum alteri adjacentis, quod fit per adjectivum, nil variat claritatem, aut obscuritatem circa idem prædicatum, cum nec augeat, nec minuat cognitionem illius. Ut igitur aliquid utiliter agatur, necesse est declarare aliundè quid sit formido opinantis, quid firmitas intelligentis, scientis, credentis aliquam veritatem. Declarat hoc luculenter, ut solet Divus Thomas in illo eodem articulo, quem qui leget attentè, facilè agnoscet indeterminatam esse expositionem, quæ sequitur.

ART. LXXXVI. Intelligens prima principia, seu principia per se nota, ut quodlibet esse, vel non esse, totum esse majus sua parte; duo, & tria esse quinque, in simplicibus ejusmodi complexionum extremis videt clarè connexionem eorum inter se indefectibilem, ac invariabilem; atque hæc clara eius connexionis visio est tota invariabilis in omnem eventum firmitas ejusmodi affirmationum, seu complexionum. Similiter sciens aliquid demonstrativè illatum ex præmissis, sive per se notis, sive per hæc alias demonstratis, ut Deum esse summè amabilem, quia Deus est purum bonum, atque purum bonum est summè amabile, videt clarè connexionem indefectibilem terminorum simplicium consequentis, non immediatè in iis ipsis terminis, sed mediatè in præmissis; atque particula, *ergo* (ut hoc obiter addam) quæ solet præponi consequenti, ponitur ad significandam mediatam istam, qua mediata est, cognitionem connexionis inter extrema simplicia, quibus terminatur complexio consequentis, in præmissis, vel per immediatam inspectionem terminorum simplicium, ex quibus constant ipsæ præmissæ, si eædem præmissæ sint principia per se nota, sin minùs ut memoriam claram illationis demonstrativæ ex per notis, atque utralibet hujusmodi cognitio clara connexionis indefectibilis, ac invariabilis terminorum consequentis, in præmissis, est tota invariabilitas omnem eventum firmitas scientiæ. Jam credenti-dest utraque ea cognitio clara connexionis indefectibilis terminorum simplicium complexionis credit, propter eaque deest actui fidei ratio formalis, seu species firmitatis, tam eius, quæ datur in actu intelligentiæ complexæ, quam eius, quæ datur in actu scientiæ; atque hac sola causa fides actus fidei dicitur, & est obscurus, tam respectu objecti sui materialis, seu purè terminativi, quod est articulus revelatus, quam respectu sui motivi formalis; id est, testimonii divini, quod, & propter quod credit. Præfulget nihilominus credenti fide divina cognitio clara, & distincta, qua in argumentis, seu fundamentis ejusdem fidei videt credibilitatem, seu possibilitatem, & obligationem adhærendi firmissimè testimonio divino, quod in illis præeminet, per actum voluntatis, & intellectus contemptivum, ac rejectivum omnium, & quarumlibet, tum rationum, tum auctoritatum suadentium oppositum; atque hæc ratio voluntatis, & intellectus adhæsio ad testimonium divinum, quatenus intrinsecè relata ad prædictam cognitionem illam claram, ac evidentem summæ credibilitatis, est certitudo, & firmitas propria fidei divinæ, seu fidei, qua Deo credimus super omnia, ut exposui in *6. Curs. Theol. quæ. 22.*

ART. LXXXVII. Denique opinioni, sive rationi nitatur, sive authoritate, deest clara, & distincta cognitio tam mediata, quam immediata tam connexionis indefectibilis terminorum simplicium, quos invicem confert, vel componendo, vel dividendo, tum summæ credibilitatis, seu possibilitatis, & obligationis adhærendi per voluntatem, & intellectum testimonio proposito super omnia, & quælibet possibilia occurrere in contrarium; atque hinc utriusque ejusmodi cognitionis claræ, ac distinctæ defectus, qui est pura quædam carentia perfectionis specialis expositæ in actibus præcedentibus, est incertitudo propria opinionis, eademque communiter dicitur formido ad eum modum, quo in actibus voluntatis carentia rectitudinis debitæ dicitur malitia, carentia

carentia visus in subjecto capaci cæcitas, carentia lucis tenebræ, & sic de aliis. Incertitudo ista, & formido negativa, seu exclusiva perfectionis specialis expositæ in actibus intrinsecè certis inest universaliter omni opinioni, & pertinet ad conceptum eius quidditativum; sed quod sit purè negativa, vel non sic, accidit ei secundum suum conceptum generic, & est variabile in speciebus ejusdem. Fieri namque potest, & sæpè accidit, ut quis opinando non solum non cognoscat distinctè, & clarè, vel connexionem indefectibilem terminorum, vel summam credibilitatem modo dicto, sed etiam cognoscat claré, atque advertat deesse, vel in sua cognitione, vel etiam in objecto tum connexionem, tum credibilitatem ejusmodi; atque hæc utriusque eius defectus cognitio est incertitudo, & formido positiva, & continet in se imperfectionem universalem opinionis ut sic conjunctam cum perfectiuncula aliqua particulari, quatenus cognitio imperfectionis est aliqua perfectio. Itaque opinioni est communis cum intelligentia complexa, scientia, & fide divina cognitio connexionis terminorum simplicium, aut credibilitatis, necnon conformitatis inter ipsum actum, & objectum prout ab eo repræsentatum; solumque differt ab eisdem per defectum, vel purè, vel non purè negativum cognitionis claræ, & distinctè de prædicta vel connexione indefectibili, vel summa credibilitate, & consequenter de formali sui ipsius infallibilitate credita per fidem, visa per intelligentiam, & scientiam.

ART. LXXXVIII. Jam igitur Academici non solum nullam in ullo actu humano agnoscebant certitudinem, ac infallibilitatem, solamque agnoscebant possibilem homini opinionem, quæ est fallibilis, & exposita periculo falsitatis, ac erroris; sed hinc ulterius progrediebantur, ut dicerent nil unquam affirmandum, vel negandum, ut sic vitaretur omne periculum falsitatis, & deceptionis, quam putabant esse summum hominis malum, propterea que sapientis esse dubitare circa quælibet occurrentia, & hærere incipitem in apparentiis apprehensis, atque operari juxta easdem apparentias prout apprehensas. Quæ omnia patent clarissimè ex locis prædictis Augustini, ut patet ex dictis hucusque à nobis opinantem vere affirmare, & negare, atque operantem ex opinione, operari cum judicio determinato circa alteram partem contradictionis, & contrarietatis, licet cum defectu certitudinis, & indefectibilitatis. Quod Illustrissimus Marinarius non satis exposuerat, & oportuit, ut nos diligentius exponeremus ad vitandas nonnullorum circa hæc tricas, ac præsertim recursum quorundam ad prædicata quædam physica distincta à repræsentatione, & defectu repræsentationis, pro exponendis mutuis quibusdam differentiis diversorum actuum intellectus; ac si intellectus per species objectorum, quibus solis moventibus, determinantibus, & cooperantibus agit, quidquid agit, posset moveri, ac determinari ad aliud, quam ad repræsentandum hæc, vel illa, & plus, vel minus; sicut si diceretur, quod voluntas per bonitatem sibi propositam posset moveri ad aliud, quam ad affectus, & ad differentias alias, quam affectivas formaliter, aut visus, vel auditus ad alias, quam visivas, & auditivas, atque ex omni parte repræsentativas. Verum de hoc, & de non diversificandis actibus intellectus, & voluntatis ex solo modo tendendi absque ulla, vel etiam absque pari, & assimili prorsus diversitate ex parte objectorum, circa quæ versantur, sicut res purè physicæ ita differunt inter se ex modo essendi, ut simul necesse sit illis inesse specialia alia prædicata, ratione quorum verificetur diversitas quoad modum essendi. De iis, inquam, alibi ex professo. Id monere necessarium non videtur, quæ dixi de propositionibus affirmativis, intelligenda pariter esse de negativis proportione servata, cum sit eadem de utrisque ratio, eò vel maximè quia omnis negativa semper, ac necessariò, fundatur in aliqua affirmativa, sicut omne odium fundatur in aliquo amore, ut notavi *lib. 7. Curs. Theol. q. 10. & 12 art. 1.* Quà itidem ratione D. Thomas in prænotato *art. 1.* & alibi opinionem dicit acceptionem unius partis, rametsi opinio negativa sit potius rejectio. Sed nil est movendum de modo loquendi, cum de re constat.

Proponitur, ac diluitur difficultas ex definitione probabilis per plerumque contingens.

ART. LXXXIX. EX hoc capite intenditur quæstionem nostram esse de subjecto non supponenti, atque sententiam nostram de usu licito opinionis minùs probabilis relicta opinione contradictoria magis probabili implicare in terminis, ac proinde proferri à nobis voces Psittacorum more absque ulla vera intelligentia, & reali interiori assensu rei significatæ per voces, ejusdemque rei discretione, ac mentali distinctione à contradictorio ipsius. Arguitur autem sic. Probabile est, quod plerumque contingit: Sed repugnat manifestè in terminis, ut contradictorium eius, quod plerumque contingit, sit & ipsum plerumque contingens. Ergo repugnat manifestè in terminis, ut contradictorium eius, quod est probabile, sit & ipsum probabile. Ergo in nulla contradictione utraque pars potest esse probabilis, seu magis, seu minus, sed si una pars est probabilis, reliqua est non probabilis, seu improbabilis. Necesse namque est contradictorium plerumque contingentis rarò contingere, id est, contradictorium probabilis esse improbabile juxta definitionem datam; nec oppositum hujus concipi mente post cum assensu ab intelligente terminos, & discernente, quod affirmat, ab eo, quod negat, cum sit veritas per se nota, sicut quodlibet esse, vel non esse. Reliqua hujus argumenti præter majorem sunt per se manifesta, atque omninò indubitabilia. Major autem patet ex Philosopho sic sæpè definiente probabile, ac supponente talem esse ipsius conceptum, & quidditatem, maximè verò, & ex professo *lib. 2. Prior. cap. 27. init.* & *lib. 2. Rhet. c. 2. post med.* in quorum priori loco sic habet: *Eicos quidem est propositio probabilis. Quod enim ut in plurib. sciunt sic factum, vel non factum, aut esse, vel non esse, hoc est eicos, ut odire invidentes, vel diligere amantes.* In posteriori autem sic; *Probabile namque est, quod ferè semper solet fieri. Verum non simpliciter, ut quidam definiunt, sed quod, cum de iis sit, quæ aliter se possunt habere, sic se habet ad illud, ad quod est probabile, sicut universale, & particulare.*

ART. XC. Istud argumentum non jam ex iis est, de quibus initio dicebam mihi in mentem non venisse, antequam ederem quæstionem meam. Opposuerat enim illud mihi in disputationibus domesticis, cum prima vice docerem de conscientia in hoc Romano Collegio, Collega tunc meus in schola Theologica Eminentissimus Cardinalis Pallavicinus. Prætermittendum tamen duxi, & cum secunda vice adhibito novo labore, ac diligentia easdem mihi

quæstiones traderem, & cum ultimam illis manum adhiberem ante editionem tum Romanam, tum deindè Lugdunensem. Quia nimirum crediderat, sicut nullus ante hac Theologus usus fuerat ea probabilis notione, ac definitione, quam in analyticis, ac Rhetoricis tradiderat Aristoteles, ita nullum deinceps futurum Theologum, qui eidem insistendum putaret pro rebus Theologicis, ac controversiis moralibus declarandis, & determinandis, eò quod ad hanc illa minimè pertineret, nec ad eam esset accommodabilis directè. Verùm quia nuper legi Cardinalem Pallavicinum serio adhærentem pro re præsenti definitioni illi Aristotel. *disp. 8. & 9. de act. hum.* legi verò monitus à nonnullis, qui illum ea in re imitantur, necesse est, ut hic inseram, & plusculum exponam, quæ in disputatione illa exercitatoria, cujus mox memini, breviter respondendo suggesseram.

ART. XCI. Dico Aristotelem exposuisse optimè probabile pertinens ad scopum suum, sed ne attigisse quidem, saltem directè, ac immediatè, probabile pertinens ad rem nostram præsentem. Aristoteles intendit exponere probabile argumentativum, ac syllogisticum, seu entimematicum, ac proinde universale, quandoquidem syllogismi ex universalibus sunt, & præterea probabile per se, opinabile, atque credibile, seu verisimile, quoniam syllogismus procedit ex per se notis, aut ex assumptis tanquam per se notis ad notum per aliud, quatenus notum per aliud. Nos autem in controversia præsenti sumus intenti ad probabile practicum eligibile, & exequibile, ac proinde ad singulare, quatenus operationes sunt circa singularia, & præterea ad opinabile, credibile, seu verisimile per aliud, quatenus electiones, & operationes humanæ sunt ex præconsiliato, seu circa notum ex alio, nempè ex præeunte consultatione. Talem esse nostram præsentem intentionem nulla indiget probatione. Controversia namque nostra est, an sit licitus usus opinionis probabilis. Usus autem est circa singulare, ac proinde opinio, cujus est usus, est itidem circa singulare. Sed neque obscurum est intentionem Aristotelis esse, qualem diximus. Et quidem de priori loco ex prioristicis nil necesse est dicere, cum sit manifestum in toto eo opere de nulla alia re agi, quàm de dirigendis, ac rectè ordinandis syllogismis, atque in illo ipso *cap. 27.* nil agatur aliud, quàm distribuere, & adaptare opportunè ipsum eicos, seu probabile ad omnes figuras syllogismorum, quos absque universali esse non posse est nimis familiare, ac notum apud Aristotelem, cujus inter alia est hoc *lib. 7. top. cap. 4. prope fin. Non est syllogizare quicquam sine universali.* Quoad locum ex Rhetoricis sufficit, si non & superfluit hæc audire ex eodem illo *cap. 2.* paulò ante verba objectionis: *Cumque ars nulla consideret singularia, ut Medicina quid Socrati, aut Calliæ salubre sit, sed quid tali, vel talibus; id enim artificiosum est; Singularia autem infinita sunt, & scientia nequeunt contineri: nec Rhetorica utique, quod cuique credibile est, considerabit, utputa quid Socrati, aut Hippiæ, sed quid talibus, veluti & Dialectica. Vtitur enim & ipsa syllogismo;* adeoque & universali. Sed quid opus est, aliundè id confirmare? cum ex ipso testimonio, quòd objicitur, sit manifestum; tum quia dicitur probabile ita se habere ad id, ad quod est probabile, sicut universale ad particulare, quod patet nulli particulari respectu alterius particularis convenire posse, tum quia in ipsa prima quidditatis expressione dicitur probabile esse, quod ferè semper solet fieri, cum singulare, nec ferè semper, nec rarò, nec ullo modo aliquoties, sed semel tantum fieri possit.

ART. XCII. Manifestum igitur est, singularia circa, quæ est operatio, & electio, & de quorum proinde cognitione, & cognitionis qualitate principalis nostra controversia est, nec pauca Aristotelicam probabilitatis usurpationem, seu opinabilia, credibilia, verisimilia, vel è contraso inopinabilia, incredibilia, & inverisimilia. Et quidem Philosophus distinguit non semel credibilia, & verisimilia à probabilibus tanquam genus à specie, ut apparet ex *eod. cap. 2.* Rhetoricæ paulò post principium. *Rationibus autem, ait, in ipsis eadem auditores inducimus, cum verum, aut verisimile ex probabilibus, quæ in unoquoque sunt, esse demonstramus.* Et rursus ante med. *Nam cum credibile quidam credibile sit, & aliud quidem per seipsum illicò sit credibile, aliud probabile, aliud quoniam probari per talia videatur.* & demum paulò post: *Est autem possibile rationari, atque colligere, alia quidem ex iis, quæ prius syllogismo collecta sunt, alia verò ex iis, quæ syllogismo quidem collecta non sunt, syllogismo autem indigent, eo quod non sint probabilia. Quorum necessariò quædam hujusmodi sunt, non judex propter prolixitatem (simplex enim esse supponitur) non bene consequatur, quædam non credibilia, quoniam nec sunt ex concessis, nec ex probabilibus.* In hac postrema ratiocinatione peripicitur probile apud Aristotelem in prædictis locis perinde usurpari, quoad genus incertorum, sicut ab eodem, & aliis communiter, dum propriissimè loqui volunt, accipitur intelligibile quoad genus eorum, quæ certa sunt. Sicut enim in serie eorum, quæ certa sunt, non etiam in serie eorum, quæ certa omnino non sunt, necesse est dari quædam prima principia, quæ non ex aliis prioribus, sed ex se præcisè credibilia sunt, ideoque dicuntur per se credibilia, seu credibilia sola apprehensione terminorum, & hæc appellantur ab Aristotele probabilia. In neutro namque genere dari potest processus in infinitum, & in utroque esse est dari aliquod primum, quod non aliis, ut demonstrat Philosophus *lib. 1. poster. cap. 3.* nil quod utrumque originem ducit ex inductione singulorum observatrice, non illativa principii completi, sed manifestativa simplicium complexionis terminorum, ut apparet quoad probabile ex allatis hic testimoniis, & tradit quoad intelligibile Philosophus primo Metaphysicæ, & cum eodem exponit D. Th. 4. *Metaph. lect. 6. ante med.* his verbis. *Quod quidem fit* (ut adquirantur prima principia sine ratiocinatione, *per hoc, quod à sensibus accipitur memoria, & à memoria experimentum, & ab experimento universorum terminorum cognitio, quibus cognitis cognoscuntur hujusmodi propositiones communes, quæ sunt artium, & scientiarum principia.* Differunt ergo probabilia ista Aristotelica à reliquis credibilibus cum formale oppositi ad eum modum quo differunt intelligibilia, seu per se nota principia à reliquis enunciabilibus cum certitudine. Quod volenti attendere apparet clarè ex prælatis Aristotelicis illis particulis, *quæ syllogismo quidem collecta non sunt, syllogismo autem indigent, eò quod non sint probabilia &c. quædam non credibilia; quoniam nec ex concessis, nec ex probabilibus.* Idem igitur (si non & majus) absurditatis genus est deducere Aristotelicam probabilis definitionem ad declarandam quidditatem probabilis proximè practici, ac singularis, & non assumpti in consultatione, sed illati per consultationem, atque adducere definitionem intelligibilis, & principii per se noti ad declarandam quidditatem, scibilis, seu principii certò cogniti per aliud.

ART. XCIII.

ART. XCIII. Respondeo jam in forma ad argumentum ex *artic.* 89. distinguendo majorem. Probabile universale, & argumentativum & quod per se, ac primò, seu ex sola apprehensione terminorum tale est, est plerumque contingens, transeat major. Probabile singulare, & proximè practicum, atque illatum ex alio, & quod proinde non ex se præcisè, eaque sola apprehensione terminorum tale est, est plerumque contingens, nego majorem, & suppositionem majoris, & concessa minore distinguo similiter consequens: Ergo repugnat manifestè in terminis, ut contradictorium ejus, quod est probabile, sit & ipsum probabile probabilitate per se primò talis, universali, & argumentativo, concedo consequentiam: Sit & ipsum probabile probabilitate non ex se præcisè, sed ex alio singulari, & proximè practica, nego consequentiam. Ex hac distinctione patet ad cætera, quæ annectuntur ibi, & similiter patet ex dictis testimonia illa Aristotelis ita probare partem concessam, seu transmissam majoris, ut partem negatam minimè tangant. Necessitas, & oppositorum hujus distinctionis apparet ex præindicatis, & utiliter repetenda intentione, & scopo, tum Aristotelis in illis locis, tum Theologorum in quæstione præsenti. Aristotelis intentio, & scopus fuit instruere, & præmunire ad arguendum. Quia verò omnis argumentatio procedit ex universalibus, iisque vel concessis, vel per se notis, atque quoad concessa, nulla erat necessaria instructio. Necesse unicè fuit, ut expositurus locum à probabili complecteretur sub ea voce aliquid solummodò universale, atque in suo genere per se notum. Theologorum autem in præsenti quæstione intentio, & scopus est instruere, ac præmunire ad agendum, eligendum, ac exequendum. Quia verò actio est circa singulare, & electio est ex præconsiliato, necesse unicè est, ut acturi de probabili complectantur sub ea voce sola singularia, aut ad modum singularium se habentia, eaque quatenus nota, & conclusa ex aliis. Differt ergo alterum ab altero probabili, & definitio unius à definitione alterius tanquam infinitum, seu interminatum, & primum à finito, determinato, ac postremo, & tanquam definitio illius à definitione hujus. Propterea Aristoteles usurpat probabile, non passivè pro eo, quod probari, seu approbari meritò potest, sicut visibile usurpatur pro eo, quod videri potest, & laudabile pro eo, quod meritò laudatur; sed usurpat activè pro eo, quod est aptum ad probandum, ac suadendum aliquid absolutè incertum, seu pro principio probationis, seu suasionis incertæ, sicut risibile usurpatur pro principio ridendi, & vivens sensibile pro principio sentiendi. Theologi è converso accipiunt probabile passivè pro approbabili, seu habente, ac terminante probationem bonam, & validam, non activè pro idoneo ad probandum, ideoque exponunt suum probabile, non, sicut Aristoteles in locis, & verbis præindicatis, relatè ad conclusionem, quàm inferre potest dicens, *sic se habet ad id, ad quod est probabile, sensu universale ad particulare*; sed relatè ad argumentum, quod probatur, & dicunt probabile esse, quod nititur fundamento magni momenti, seu quod magis habeat ad verum, quàm ad falsum. Permutant igitur activa passivis, & ponunt quid pro quo, qui Aristotelicam probabilis definitionem ad rem præsentem transfetre conantur, ut facet.

ART. XCIV. Hoc præterea est valdè mirabile Aristotelicam eamdem probabilis definitionem adduci ad probandum fieri non posse, ut utraque pars contradictionis sit simul credibilis, opinabilis, ac verisimilis; ne ut altera magis, altera minus. Quod sanè est non solum præter, sed etiam contra mentem, intentionem, totumque ea in re institutum Aristotelis, ut patet ex iis, inter alia ejusmodi multa, ex *lib. & cap.* 1. *Rhetor.* versus finem: *Præterea oportet, ut sicut & in syllogismis persuadere contraria posimus.* Et mox distinctius. *Aliarum igitur artium nulla de contrariis ratiocinatur; sed dialectica, & Rhetorica id solæ faciunt. Nam utraque similiter de contrariis est.* Nempè ut utralibet valeat reddere credibilia, atque adeò utraque simul credibilia reddant Dialectici, & Oratores sibi invicem contradicentes. Atque hoc ita positum in genere, toto deinceps reliquo libro deducit in opus tradendo ubique principia, & modum, quibus in unoquoque genere utraque pars contradictionis reddatur opinabilis, atque credibilis. E. g. *cap.* 15. quod est de inartificiali fide, primum ex legibus locum sic versat ad astruendum utriusque partis contradictionis credibilitatem, præmittens hanc istius suæ intentionis expressionem. *Primum autem de legibus, quo pacto suadenti, & dissuadenti, accusanti, & defendenti* (intentis utique ad contradictoria) *utendum sit, dicamus.* Tum sic: *Patet ergo, si lex scripta adversatur nos fit, communi tunc lege utendum esse, & æquo, ac bono utique quam justioribus, & quod optima sententia uti hoc ejus utaris scriptis in omnibus, & quod æquum, ac bonum est eum permaneat semper, & nunquam, immutetur, sed nec communis lex, cum secundum naturam sit, ius verò scriptum sæpius, &c.* Transit deindè ad alteram partem contradictionis reddendam pariter credibilem: *Sin verò lex scripta rebus conveniat, tunc optima sententia dicendum, non esse legem positam, ut præter leges judices, sed ne ignorando, quod leges volunt, pejeres. Et quod nemo eligit, quod simpliciter bonum est, sed quod sibi. Et quod non differat, vel nullas leges esse, vel non uti &c.* Sic de testibus, sic de pactis, sic de quæstionibus, sic de jurejurando agit inducta ubique credibilitate utriusque simul partis contradictionis. Patet igitur Aristoteli magis, quàm nobis contradicere, negantes simultaneam utriusque partis contradictionis opinabilitatem, & credibilitatem, & quatenus id concludere nituntur ex probabili Aristotelico, niti concludere ex causa privationem effectus. Quia nos authoritate Aristotelis ducti assentimur simultati probabilitatis circa utramque partem contradictionis, eandemque simultatem idem Aristoteles deducit ex suo probabili, tanquam ex unico, certè præcipuo credibilitatis, opinabilitatis, ac verisimilitudinis principio circa reliqua incerta.

ART. XCV. Ratio simultaneæ hujus credibilitatis quoad utramque partem contradictionis est; Quia licet sit impossibile, ut utraque pars contradictionis simul sit vera, fieri tamen potest, [illegible] que pars simul subsit principio universali, q[illegible] ta plerumque contingentia sit per se primo c[illegible] seu ut loquitur Aristoteles, sit probabile, ac proinde fieri potest, ut utraque pars contradictionis simul reddatur credibilis, nempè utralibet pars per suum probabile, seu primò opinabile, ac credibile, cui subest. Exemplo res fiet manifesta. Matrem diligere filium, & lædentem non diligi à læso; utrumque est probabile, ac per se credibile. Accidit autem Mariam esse Matrem Petri qui illam iniquè, & graviter læsit. Erit igitur credibile Mariam, quæ mater est, diligere Petrum, & rursus erit credibile, non diligere, quia iniquè, & graviter læsa est. Quia quod infertur ex probabili, est credibile juxta

Aristotelem, qui opere ipso nuper id suadebat, atque ex D. Thom. *opusc. 48. cap. 1. In omni materia existentibus veris, vel probabilibus præmissis semper sequitur conclusio vera, vel probabilis.* Verum de istiusmodi simultate probabilitatis conjuncta cum improbilitate simultatis, quoad utramque partem contradictionis, atque de multiplici eatenus comparatione paulò post uberior redibit sermo.

ART. XCVI. Nunc enim id postremo, & principaliter observare oportet, quod demonstrat Aristotelicam eam definitionem probabilis, ne indirectè quidem ad rem præsentem adaptari universaliter posse. Nempè probabilitas definita per plerumque contingens est probabilitas tantummodò quoad an est? an erit? an fuit? idque in materia solùm contingenti, & in qua absolutè fieri potest rem sic, vel aliter esse, fuisse, fore. In materia namque necessaria, & in quæstione de quidditate rei, nullus est locus plerumque contingenti, quandoquidem quæ necessaria sunt, eodem modo semper eveniunt sub iisdem circumstantiis, atque quidditates rerum sunt invariabiles, & semper eædem, adeoque explorandæ per ea, quæ semper, ac necessariò sunt, non per id, quod plerumque contingit. Distinctionem istam suggerit, & annuit huic nostræ illius applicationi Aristoteles, *lib. 1. Rhet. cap. 15. ante med.* Cum enim dixisset de probatione per testes, subdit: *Verum ii de hujusmodi solummodo testes sunt, factumne sit, an non; & utrum sit, an non? De qualitate verò minimè, ut puta si justum sit, an injustum.* Atque mox addit usum probabilium, qualia utique expositurat ubi supra per plerumque contingens, eundem esse, atque testium prædictorum: *Qui ergo*, ait, *testes non habet, iis præsidiis utetur, quod ex probabilibus judicandum sit. Id enim est optima sententia judicare, quod pecuniæ corrumpi probabilia non possint, quod falsi nunquam testimonii crimine accusentur. Qui autem habet adversus non habentem, his utetur, quod ad ferendam sententiam probabilia non sufficiant, quod testibus nunquam opus esset, si rationes res satis cognosci posset.* Pro sola igitur quæstione, an est, utile esse potest probabile quatenus convertibile cum plerumque contingenti, sicut testes, qua testes præcisè sunt, pro eadem sola utiles esse possunt. Nostra autem controversia procedit de probabili quoad *qualitatem, & an justum, injustum*; honestum, an inhonestum sit. Quæ equidem qualitas in iis, quæ pertinent ad legem naturalem, est omninò invariabilis, nec ad ea, quæ plerumque, sed ad ea, quæ semper eodem modo proveniunt reducitur; in iis verò, quæ pertinent ad legem positivam, sive divinam, sive humanam, non itidem ex iis, quæ plerumque contingunt, deprehenditur, sed ex eo, quod semel, nempè ex lege lata, vel non lata. Manifestum igitur est expositionem probabilis per plerumque contingens esse prorsus abs re pro intelligentia probabilis circa quæstiones, consultationes, & resolutiones de licito, & illicito, honesto, & inhonesto.

ART. XCVII. Hinc Aristoteles in Ethicis meminit plerumque contingentium, & directionis, quæ desumi inde potest, tantummodò *lib. 1. cap. 3.* & *lib. 3. cap. 3.* dum prudentiam in priori loco, & prudentem consultationem in posteriori considerat relatè ad electionem mediorum, quæ sunt idonea conservandis, & augendis divitiis, obtinendæ victoriæ, aliisque ejusmodi negotiis ad optatum exitum perducendis, in quibus quæstio est, an is exitus sit futurus, vel non sit futurus, qualis desideratur mediis his, vel illis sic, vel aliter dispositis. At ubi agitur de discernendo honesto ab inhonesto, & de constituendis gula objectiva prudentiæ simpliciter dictæ, & dictionis absolutè laudabilis in ordine ad finem hominis, & non solùm artis, vel status particularis, nullus amplius fit recursus ad plerumque contingens, nec fit ulla de eo commemoratio, sed tota eatenus expositio fit per mediocritatem inter excessum, & defectum; per id, quod decet, quod videtur sapiens, quod laudatur ab omnibus. Veritatem hanc quivis facilè perspiciet, nec dubitare de ea poterit, si placeat legere librum secundum, & sextum Ethicorum, ubi ea de re universa, & universaliter agit etiam Philosophus, & nil non tangit, quod ad rem nostram pertineat, & ratio purè naturalis assequi possit, & tamen, ut hoc iterum dicam, istud plerumque contingens nullibi, vel leviter tangit. Idem prorsus de eodem silentium apparet in reliqua tota tractatione de virtutibus singulis in particulari, deque difficultatibus, & quæstionibus plurimis circa eadem.

ART. XCVIII. Sed nos id ipsum manifestemur clariùs, & ineptitudinem plerumque contingentis ad dignoscendam probabilitatem sententiæ de licito, aut illicita operatione hac, vel illa, ponamus oculos distinctiùs proposita una, vel altera quæstione particulari. Reum convictum in processu posse, & debere condemnari juxta qualitatem delicti a judice, tametsi aliundè certò conscio innocentia eius rei, affirmat D. Thomas, negat Scotus. Arguitur pro D. Thoma, quia judex fert sententiam quatenus, & gerit personam Reipublicæ, & ejus autoritate, ejusdemque prospicit utilitati. Reipublica autem nullam habet notitiam præter eam, quæ apparet in processu, & cætera quæ inibi non apparent, æstimat pro nihilo, juxta illud vulgare, quod non est in processu, non est in mundo, ejusdemque Reipublicæ interest, ut judex indipensabiliter procedat juxta allegata, & probata, utque nunquam ea conculcare, aut præterire illi liceat præterea privatæ qualiscumque notitiæ. Arguitur pro Scoto, quia nulla repræsentatio, nullaque fictio juris demare à Judice potest realem personæ suæ singularitatem, ejusdemque subjectionem ad legem naturalem, ratione cujus est intrinsecè malum infamare, & vexare innocentem certò cognitum, ut talem, nec non cooperari infamanti, & vexanti. Quæritur, in utraque hæc sententia sit probabilis, an utraque improbabilis, & an altera magis, seu probabilis, seu improbabilis, quam altera, an demum altera sit probabilis, altera improbabilis? Nil potest responderi juxta regulam, seu definitionem de plerumque contingenti. Quia una sententia dicit, omnis altera dicit, nullus. Una semper, altera nunquam, & utraque assumit principium affectum eadem universalitate. Nullius igitur est usus ea definitio pro dignoscenda probabilitate, aut improbabilitate sententiæ. Quod si propterea fiat recursus ad auctores sententiarum plerumque non fallentes: Contra est primò, quia definitio non dicit id esse probabile, cujus assertor plerumque non fallit, sed quod ipsum plerumque contingit, quæ sanè sunt diversa, & separabilia realiter, ut patet in casu posito, quia fallit, vel D. Thomas, vel Scotus, & alterutra dicit, quod nec plerumque, nec unquam contingit. Contra rursus, quia nec D. Thomas plerumque fallit, nec Scotus, ac proindè ex hoc capite utraque pars contradictionis erit probabilis in quæstione proposita. Argumentum autem, cui respondemus, adducebat eam definitionem probabilis ad

ad probandum repugnare in terminis, ut utraque pars contradictionis sit probabilis. Est autem eadem ratio de omni, & qualibet alia quæstione circa licitum, & illicitum, ut patet consideranti, præsertim in materia virtutum, & vitiorum, quæ sunt circa operationes, & non directè circa passiones. Quapropter quicumque volet adhærere prædictæ definitioni probabilis, remanebit necessariò exlex prorsus quoad hanc partem doctrinæ, & quælibet promiscuè dicet, vel probabilia, vel improbabilia pro genio, aut habitu hilari, vel tristi, angusto, vel augusto, nec inveniet ullibi per quod à præcipitio revocetur, quoad hoc punctum: Quia verò definitio est universalis, & abstrahit à probabilitate speculativa, & practica, perspiciamus id ipsum in exemplo alio ex materia speculativa, quod suggerit D. Thomas superaddito suo de probabilitate judicio *in 4. distinct. 45. quæst. 2. ar. 2. quæstiunc. 1. ad 5.* Quæstio est de utilitate suffragiorum pro existentibus in inferno. Quinta ratio dubitandi pro parte affirmativa proponitur his verbis: *Damascenus in eodem sermone* (de suffragiis mortuorum) *narrat, quod Gregorius pro Trajano orationem fundens audivit vocem sibi divinitus illatam. Vocem tuam audivi, & veniam Trajano do. Cujus rei, ut Damascenus dicit in dicto sermone, testis est Oriens omnis, & Occidens. Sed constat Trajanum in inferno fuisse, qua multorum Martyrum necem amaram instituit, ut ibidem Damascenus dicit. Ergo suffragia etiam valent existentibus in inferno.* Respondet ad hæc D. Thomas: *Dicendum, quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ibi gratiam consequutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna: Sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem justitiam propriorum meritorum. Secundum autem Superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat de eis aliter disponendum. Vel dicendum secundùm quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. Nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia. Quia alia sunt, quæ lege communi accidunt, & alia quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur. Sicut alia sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, ut Augustinus dicit in libro de cura pro mortuis agenda.* Vides hic ex sententia D. Thomæ probabiliter æstimari de utraque parte contradictionis, altera affirmante resurrectionem, justificationem, & gloriam, altera affirmante solam suspensionem pœnæ ad tempus. Vides neutrum horum esse plerumque contingens, aut ex plerumque contingentibus, aut secundum se, aut quoad modum, quo contigit, cum neutrum fuerit ex lege communi, sed ex privilegio, & quoad substantiam, & quoad modum. Ergo probabile apud D. Thom. cum quo quoad hoc conveniunt omnes omninò Theologi, nil habet commune cum plerumque contingenti, neque potest regulari per plerumque contingens, estque alia, & alia res significata per hanc vocem probabile apud Aristotelem, & apud D. Thomam, cæterosque Theologos; sicut est alius, & alius, tum scopus, tum usus apud illum, & apud illos circa expositionem probabilis, & circa probabile ipsum, ut patet consideranti, quæ huc usque dicta sunt.

(***)

Expenditur Aristotelica alia probabilium definitio.

ART. XCIX. PRoderit ad majorem eorum intelligentiam, & confirmationem, si considerationi prædictæ definitionis adiiciatur consideratio definitionis alterius, quam idem Aristoteles de eodem probabili exhibet *lib. 1. top. cap. 1. ante med.* Definitio autem est talis: *Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his, vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus, & probatis.* Hac definitione utuntur admodum fidenter Illustriss. Marinarius, & nonnulli alii. Sed quam id faciant perperam, non est difficile demonstrare. Observanda imprimis est distinctio, simulque proportionalis similitudo, quam inibi immediatè præmittit Philosophus, inter syllogismum demonstrativum, & dialecticum, id est, conclusivum veri cum certitudine, & conclusivum verisimilis cum formidine falsi. *Demonstratio verò est*, ait, *quando ex veris, & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera eius, quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpserunt. Dialecticus autem syllogismus est, qui ex probabilibus est collectus.* Reddit mox rationem utrique utriusque ejus syllogismi declarationi communem per hæc verba: *Non enim oportet in disciplinaribus principiis inquirere propter quid, sed secundum unum quodque principiorum* (juxta qualitatem cujusque principii fallibilis, ac incerti, vel certi, ac infallibilis) *ipsum per se esse fidem.* Ex iis liquidò rursus apparet verissimum esse, quod supra dicebamus, probabilia apud Philosophum perinde se habere quoad genus incertorum, atque se habent apud ipsum, & apud omnes intelligibilia quoad genus eorum, quæ certa, ac infallibilia sunt. Utrisque enim commune est intra genus suum, *ipsa per se esse fidem*, & non dari provocationem ad propter quid, seu ad aliquid natura ulterius, ac prius, ex quo illis concilietur fides. Atque hinc iterum constat probabile Aristotelicum, & quod definitio eius declarat, esse rem longè diversam à probabili, & probabiliori, de quo est præsens nostra controversia. Hæc enim instituitur de probabili controverso, atque in utramque, seu mavis, in utram vis partem deducto ex prioribus aliis, atque notioribus.

ART. C. Observandæ deinde sunt disiunctiones quinque, quas innectit in sua ista definitione Philosophus distinguens, atque gradatim distribuens totidem probabilium classes à summa probabilitate usque ad infimam. Primus gradus probabilium est eorum, *quæ videntur omnibus.* Secundus eorum, *quæ plurimis.* Intelliguntur autem utrobique docti promiscuè, & indocti, nempè non alioquin dicendi, vel omnes, vel plurimi simpliciter, & absque addito, seu distinctivo aliquo. Intelligitur consequenter utrobique id genus rerum, & complexionum, quarum percipiendarum, ac æstimandarum quivis rationis compos est capax; nempè cujus quisquam non sic est capax, id ei videri, vel non videri non propriè dicitur. Ad hoc igitur probabilium genus pertinent proverbia, seu adagia vulgò recepta, quæque illis affinia sunt. Tertius gradus est eorum, quæ videntur omnibus sapientibus. Quartus eorum, quæ plurimis sapientibus. Intelliguntur autem utrobique sapiens non soli propriè, & strictè tales, quales sunt pauciissimi, sed latius, & juxta vulgarem usum tales, nempè versati utcumque in unaquaque scientia, vel arte, & intelligentes, quæ in ea

communiter traduntur, cujusmodi sunt quamplures, ideoque distingui potuere in omnes, & plurimos, & dici solent viri docti, seu periti. Intelligitur consequenter id genus rerum, quibus in unaquaque scientia, vel arte percipiendis, ac æstimandis plerumque sufficiunt, qui illas profitentur. Complectitur igitur hæc probabilium classis positiones, dignitates, & axiomata communiter citra omne dubium recepta in unaquaque scientia, vel arte, & quæ sunt illis affinia. Quintus, & infimus probabilium gradus continet ea, quæ videntur sapientibus paucis quidem, sed præeminentibus, & publica approbatione, ac plausu celeberrimis. Contraponuntur enim postremi isti sapientes omnibus, & plurimis sapientibus, & dicuntur maximè familiares, maximèque probati, id est, non superficiales in sua scientia, vel arte, nec gaudentes sola vulgari, & ordinaria approbatione, ac existimatione sui, sed profundè penetrantes ad intima quæque, & abstrusissima scientiæ, vel artis, & agniti communiter, ac venerabiles, ut tales, & quibus proinde turpe, ac temerarium sit dissentire eatenus, ac refragari sapientes, seu professores inferioris notæ. Unde intra istum probabilium ordinem illa sola connumerantur, quæ sunt elevatissima, ac remotissima à sensu, & quorum intelligentia, justaque æstimatio postulat virum summi ingenii, & improbi, ac diuturni laboris, studiique pertinacissimi.

ART. CI. Ex legitima ista, ac sincera expositione Aristotelicæ definitionis, ut dicitur ab adversariis, & dicta à nobis est juxta eorum loquutionem, seu potiùs descriptionis, ac divisionis probabilum, uti res ipsa habet, apparet sponte nullas, vel certè vix ullas Theologorum opiniones circa quæstiones apud ipsos controversas dici posse probabiles, aut magis, minusve probabiles, juxta phrasim, & sententiam Aristotelis, uti benè advertit Baylius *in de trip. examine*. Et quidem quoad primam, & secundam partem de omnibus, & de plurimis cujusvis promiscuè conditionis, an aliquæ ex prædictis opinionibus sint eatenus probabiles, aut magis, minusve probabiles, quæstio est de subjecto non supponenti. Quia ejusmodi quæstiones sunt supra captum insipientum de vulgo hominum, quibus proinde per seipsos nil videtur circa illas, sed à sapientibus accipiunt, quid agant, in illarum materia. Nec sapientes de iis disputarent, atque pugnarent inter se, quæ idiotæ assequerentur, & dijudicare possent, & circa quæ deceret, ut haberetur ratio judicii ipsorum. Quoad tertiam, & quartam partem de sapientibus, vel omnibus, vel plurimis, id est, ferè omnibus, est itidem de subjecto non supponenti eadem quæstio. Quia circa ea, circa quæ conveniunt viri docti omnes, vel ferè omnes, nil amplius controvertitur, sed illa assumuntur tanquam principia ad decidendas controversias. Notum deinde est in ejusmodi Theologorum controversiis totidem plus minus sapientes adesse solere pro utralibet parte contradictionis, eumque solere esse numerum Auctorum pro utralibet parte, ut de neutra verificari possit videri illam Theologis omnibùs, aut ferè omnibus. Observatur nimirum hoc in praxi doctrinæ, ut quod unus, vel alter Theologus è trivio dixerit adversùs omnes, vel ferè omnes Doctores, non pensi habeatur, nec propterea id in controversiam vocetur, plauditurque meritò Philosopho dicenti in eodem *lib. 1. top. cap. 9. ad med. Nam de quovis contraria opinionibus proferente curam habere stultum est.* Idem denique dico quoad postremam partem de sapientissimis, seu de viris summa sapientia præditis, & habitis in summa reverentia. Nam quod certum est dixisse Dionysium, Augustinum, Hieronymum, &c. non controvertitur à Theologis, sed assumitur ut principium ad decisionem controversiarum. Quod si quando contingat, sapientissimo, & probatissimo aliquid dicenti contradicere sapientes alios, ipse id Aristoteles ea præcisè de causa excludet è numero suorum probabilium, ut colligitur ex his verbis *in eodem lib. top. cap. 8.* post initium: *Ponet enim aliquis* (ut probabile, & ut principium, de quo erat sermo) *quod videtur sapientibus, nisi id contrarium sit multorum opinionibus.* Tanti enim, ut minimum fiunt sapientes, tametsi inferioris notæ comparati sapientissimo, & probatissimo, quanti fit multitudo imperitorum sapienti comparata. Patet ergo nullas Theologorum sententias in rebus apud ipsos controversis dici posse probabiles, aut magis, minusve probabiles juxta phrasim, & eam, quam dicunt definitionem Aristotelis. Atque hæc multis eodem pertinentibus præmissis insinuasse sufficerit pro iis, qui libros Topicorum Aristotelis non legerunt, uti certissimè non legerunt, qui Aristotelicam illam divisionem, ac descriptionem induxerunt in controversiam præsentem. Qui enim illos, vel saltem primum illorum librum legerunt, certò sciunt, & quasi palpant nobis, probabile ab Aristotele sumi activè, ut dicebam supra, pro principio probationis incertæ, totumque ejus scopum, & opus in libris topicorum esse impeditare probabilia, seu loca probabilium in omni genere, tanquam principia idonea ad concludendum in utramq; partem contradictionis syllogismos sufficibiles, hoc est, quibus pertrahi possit intellectus ad assensum utriusvis partis contradictionis, seu posse utramvis partem opinari.

ART. CII. Apud auctores autem Latinos tam veteres, Sanctis quoque PP. comprehensis, quàm recentes idem probabile sumitur passivè, ut similiter dicebam supra, pro approbabili, seu pro eo, quod approbare, & cui adhærere, ac assentiri intellectus merito potest, cum formidine tamen partis oppositæ. Ut autem res ipsa, de qua controvertitur, intelligatur distinctiùs, & vitaretur quæstio de voce, præmisimus, & hic, & in quæstione controversiam nostram procedere de usu licito opinionis practicæ, quæ nititur fundamento magni momenti, magni verò, & positivè, & negativè, & absolutè, & comparativè, seu omnibus hinc, & inde, pro, & contra consideratis. Fundamentum magni hoc sensu momenti dicimus esse, quali prudens permoveri, & qualidem assentiri solet, quale plerumque non fallit, quod magis se habet ad verum, quam ad falsum; quod ita se habet respectu intellectus, sicut se habet respectu voluntatis motivum, quod nec inducit comparationem, nec permittit comparationem oppositi necessitatem moralem, & tamen pollet vi pertrahendi ad voluntatem omnibus, quæ occurrere cuique possunt, undequaque consideratis. Hucigitur respicere oportet, & videre, an opinio talis fundamenti sustineat ad operandum innocenter, & honestè sine peccato, & cum laude, tametsi adsit pro parte opposita fundamentum majus sive à ratione, sive ab auctoritate, absque ulla tamen certitudine ejusdem partis oppositæ; quidquid sit, an ejusmodi opinio dicenda sit probabilis, uti dicitur à nobis, an alio aliquo modo sit nominanda; Et an coincidat, vel non cum probabilitate, seu Aristotelica, seu Academica, aut alia qualibet apud quoslibet alios. Nec enim est admodum curandū de voce, cum res ipsa patefacta satis sit.

Quod

Quod si quis conqueratur expositiones istas nostras opinionis probabilis non esse methodicas, & indigere interiori alia expositione sui, ut quietent intellectum, propterea que concludat cudendam esse definitionem aliam Theologis hucusque inauditam. Repono ego imprimis exemplum Philosophi, in commemoratis nuper duabus ejus definitionibus, in quarum altera exponit suum probabile relatè ad judicium commune, tum hominum, tum sapientium, & speciale sapientissimorum, sicut ego exposui: relatè ad prudentem in altera verò exponit per plerumque contingens, sicut ego exposui per motivum plerumque non fallens, & quod magis se habet ad verum, quam ad falsum. Nec desinam suggerere monitum Philosophi, circa quod videri potest optima expositio D. Thom. *lib. 2. eth. lect. 3. initio*: *Dicitur autem satis, inquit Philosophus, si declarabitur tamdiu, atque subjecta materia postulat. Ipsum enim talium non est in omnibus simili modo rationibus investigandum.* Et paulò post: *Amabile igitur de talibus, & ex talibus dicentes grosse, & figuraliter veritatem ostendere.* Ac demum: *Disciplinati enim est in tantum certitudinem quærere secundum unumquodque genus, in quantum rei natura recipit. Proximum enim videtur, & Mathematicum persuadentem accipere, & Rhetoricum demonstrationes expetere.* Deinde ea exceptatio solùm videtur cadere posse in eam expositionem, quæ recurrit ad virum prudentem. Reliquæ enim constant justa forma cum suo genere, & differentia. Recursus autem ad virum prudentem habet auctorem Aristotelem in re similli, *lib. 2. eth. cap. 6. post med.* ubi mediocritatem propriam virtutis exponit sic: *Quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit, atque ita ut prudens præfiniret.* Idem præstiterat, *cap. 4. ante finem*, exponendo sic justa, & temperata, *Res igitur justæ, & temperantes dicuntur, cum fuerint tales, quales vir justus, vel temperans ageret. Justus verò vir, & temperans est, non qui hæc agit, sed qui etiam ita agit, ut justi, temperantes solent.* Ubi cogeminatur, ut vides, recursus similis nostro. Et quidem vis prudentes res usque adeò conspicua, & tot, tantisque indicibus multipliciter præclara, ut quod relatè ad illum manifestatur, ipsa videatur claritate clarescere. Abhinc verò, ut quisquam propterea relatè ad seipsum, quatenus suo sibi judicio plaudentem de prudentia, librare velit, an fundamentum sit grave, seu magni momenti. Qui enim ita sibi defert, ac credit, stulto defert, ac credit, ut vulgò dicitur. Haud minùs absurdum esset, ut dum fundamentum grave, seu magni momenti exponitur relatè ad prudentem, prudentissimi discerneretur ab imprudenti, non per alia indicia, & propria ejus prædicata, sed per hoc ipsum, quod soleat moveri fundamentis magni momenti. Sic enim incideret in circulum vitiosum, facilè alioquin vitabilem. Denique expositiones istæ meæ, ac definitiones sunt ex iis, quæ unanimi consensu recipiuntur ab omnibus Theologis, qui egerunt hucusque de illa quæstione in terminis propriis, ita ut nullus reipsa dissentiat, licet quamplures illorum egerint de ea diligentissimè. Est autem præsumptuosum contemnere, & abjicere definitiones communiter, ac unanimiter receptas; & est pariter periculosum in rebus præsertim moralibus inducere novas, ac singulares definitiones. Quia definitiones paradoxæ inducunt conclusiones paradoxas, quas nemo nescit in materia morum esse valdè periculosas; & quod est cumulus mali, indidem resultat pertinacia, & incorrigibilitas in doctrina, quia destitutus manuductione legitimæ definitionis, à qua dependet tota series reliquæ doctrinæ, necessariò redditur incorrigibilis. Quod quale sit inconveniens, quivis sponte videt, & repræsentat benè Gerson, *part. 2. lib. de reg. moral.* sub titulo de superbia, & vana gloria: *Pertinacia, ait, in opinionibus, & actibus propriis, per quam quis non est paratus corrigi, damnabilis, & vix sanabilis est præsumptio, & dum in rectoribus aliorum, aut apud religiosum est, cuncta turbat, & perdit.*

PARS SECUNDA.

De Argumentis ex defectu libertatis opinandi, & Physicæ, & Moralis.

Reproducitur Argumentum ex defectu libertatis ad speciem actus opinativi.

ART. CIII. TRANSEO jam ad argumenta olim proposita adversus nostram sententiam, & planè digniora, quæ attentè considerentur. Quæ enim prosequuti hucusque sumus, trita potiùs fuere, & æquivocationes, quam argumenta. Duæ autem sunt difficultates ex antiquis, circa quas potissimum de aliquæ novo superadditæ fuere ponderationes, quarum altera petitur ex defectu libertatis circa actus opinativos inæquales; altera eademque majoris longè momenti petitur ex periculo peccandi, seu agendi contra legem, cui subest operatio conformis opinioni minus probabili, simulque minus tutæ. Quia verò circa neutrum intelligi ulla ex parte possunt, quæ de novo superaddita, & superaddenda sunt, quin simul oculis ea etiam subiiciantur, quæ dederamus jam in nostra quæstione, oportebit, ut nos illa patienter repetamus. Repetemus autem data opera verbosius aliquanto, ac fusius, quoniam advertimus nonnullos, & quidem non ad modum paucos facilius adduci, ut multa legant, quam ut multum considerent, quæ paucis comprehensa sunt lineis; sicut sunt, quibus placeat magis longum iter, sed planum, quam breve, sed arduum; atque ab hujusmodi genii, & ingenii hominibus injecta nobis est tota ferè necessitas de utroque eo argumento rescribendi, cum si voluissent, attentius ea considerare, quæ scripsimus prius, advertere facilè potuissent, quomodo inde iis etiam satisfieret, quibus denuò perstrepunt.

ART. CIV. Ad argumentum, quod attinet ex defectu libertatis, præmittendum est, libertatem circa aliquem actum esse duplicem, aliam contradictionis, aliam contrarietatis. Libertas contradictionis, quæ & libertas exercitii dici solet, necnon libertas ad actum, & ad omissionem actus, est potestas eliciendi, seu inducendi actum aliquem conjuncta cum potestate omittendi, ac suspendendi eundem actum. Libertas contrarietatis, quæ & libertas specificationis, & libertas quoad speciem actus dici solet, necnon libertas ad utrumlibet ex actibus invicem oppositis, uti opponuntur amor, & odium, affirmatio, & negatio circa idem, est potestas eliciendi, seu inducendi actum aliquem conjuncta cum potestate

potestate eliciendi,seu inducendi actum oppositum id est,actum vel contradictorium , vel contrarium circa idem objectum eliciendi.Dico utrobique, seu inducendi, quia potestas immediata voluntatis respectu propri actus dicitur potestas eliciendi, mediata verò potestas ejusdem voluntatis , tum respectu alicujus propri sui actus,tum respectu alicujus actus intellectus,alterius ve potentiæ subordinatæ voluntati,dicitur potestas inducendi talem actum per imperium. Certum jam est apud omnes inesse nobis libertatem exercitii,& contradictionis respectu cujusvis actus opinativi.Et ratio est,quia opinio ex suo conceptu se habet ad verum,& falsum , atque motivum opinandi proponitur cum fallibilitate,& cum periculo aliquo falsitatis, quæ est summum malum intellectus.Nulla autem potentia rapitur cum omnimoda necessitate , nisi à puro suo bono, & ubi est admixta aliqua ratio malitiæ , eo ipso est adjuncta remora,& causa sufficiens,ob quam suspendi ab actu suo possit. Certum similiter præterea est apud omnes inesse nobis libertatem specificationis,& contrarietatis respectu cujusvis actus opinativi saltem indirectè,& mediatè. Quia postquam voluntas utens præsserta modo libertate sua exercitii, & contradictionis,suspendit omnem actum tam affirmativum, quam negativum circa objectum propositum cum ratione dubitandi pro utraque parte , potest utique applicare intellectum considerandis,ac promovendis rationibus utriusvis partis , prout sibi placuerit, eundemque simul cohibere,quo minus actu consideret,ac promoveat rationes partis oppositæ. Hoc autem præstito citò fiet,ut pars præelecta , seu magis perplacens nanciscatur eum apparentiæ,& verisimilitudinis gradum,ac excessum, qui abundè sufficiat ad assentiendum eidem demum parti. Verùm hic modus indirectæ, ac mediatæ libertatis non est proprius,ac specialis respectu opinabilium , sed demonstrabilibus quoque communis.Notum namque omnibus est per experientiam manifestam, avocari ab unoquoque intellectum pro libito , & quoties libet , quominus consideret veritatem jam demonstratam,& rationes demonstrantes , quæ habentur sub prospectu,eundemque transferri ad considerandas,& omnibus modis promovendas rationes suadentes oppositum;atque hoc pacto unumquemque traduci pro libito à veritatibus,tum ex fide divina certis,tum evidentibus etiam jam agnitis , ut talibus,ad absurdissimos errores. Neque de hoc libertatis genere circa actus intellectus,sive certos, sive incertos,sive evidentes,sive obscuros, est ulla apud authores controversia. Quapropter quicumque negata libertate specificationis,seu contrarietatis quoad actus scientificos , affirmant nihilominus eandem quoad actus opinativos, censendi eo ipso procul dubio sunt affirmare quoad actus opinativos libertatem specificationis immediatam, & formalem.

ART. CV. Quæstio itaque est de libertate ista immediata specificationis quoad actus opinativos. An videlicet voluntas possit imperio suo adigere,ac determinare intellectum,ut assentiatur utrilibet parti,prout ex aliis motivis propriis voluntatis eligere, ac imperare opinabundo ipsi placuerit,quoties adsunt, & habentur in prospectu rationes dubitandi pro utraque parte contradictionis,tametsi rationes unius partis sint efficaciores, & majoris momenti, quam rationes partis oppositæ? Sententiam affirmativam ejusmodi libertatis tenent communiter , qui nobiscum consentiunt quoad usum licitum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, ut necesse minimè sit singulos seorsim quoad hoc punctum referre. Solius P. Suarez placet hic verba referre,quia non nemo illum tentavit in dubium revocare, *tract. 2. in 1. 2. disp. 10. sect. 10.* ponat istas duas conclusiones: *Dico tertiò : Quando judicium rationis est evidens non pendet à voluntate in specie actus. Dico quartò : Quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto potest moveri à voluntate ad hoc vel illum actum.* Qui autem opinatur,nunquam habet evidentiam de objecto, circa quod opinatur, ea ratione , sub qua de eo opinatur. Ergo ex sententia P. Suarez intellectus dispositus ad opinandum quocumque demum modo ad id dispositus sit , semper potest moveri à voluntate ad hunc actus. Idem docet D. Thom. *lib. 3. eth. lect. 10. in med.* Ubi agens determinatè de opinionibus,circa quas versatur præsens nostra controversia principalis , nempè de opinionibus practicis, dicit: *Sed quia operabilia sunt contingentia , non cogitur ratio ad assentiendum huic , vel illi , sicut accidit in demonstrativis , sed in potestate habet homo , quod assentiat uni , vel alii parti contradictionis , sicut accidit in omnibus opinabilibus , & maximè circa operabilia , in quibus plurima attenduntur , secundum quæ quodlibet aliquid potest judicari bonum.* Augens hanc sententiam exponit Aristotelem ibidem dicentem : *At si habitus ipsius aliquo modo sibi quoque ipsi causa , erit & apparentia ipse sibi quodammodo causa.* Quia videlicet imperium, seu motio voluntatis quoad opinandum evadit conforme incliuanti habitus præexistentis , & propria cujusque libertate adquisiti prius, atque huic deinde imperio,ac motioni evadit necessariò conformis apparentia, seu opinio hæc potiùs,quam opposita; idque cum immediatè, quod solum est proprium apparentium, & opinabilium; & non tantùm mediatè , ac per gyrum , quod in demonstrabilibus quoque heri potest, ut dictum est. Negant nihilominus communiter eandem hanc libertatem specificationis quoad actus opinativos , qui nobis contrahuntur quoad usum licitum opinionis minus probabilis: mulque minus tutæ,atque inter alios promovet eam sententiam præcipuo conatu,& fusè P. Mercenarius *suæ Basi. part. 2. ab art. 3. ad 8.*

ART. CVI. Tria sunt præcipua hujus sententiæ negantis fundamenta,quibus ejus auctores potissimùm nituntur , quando in re incerta ex defectu evidentiæ , vel nullæ in alterutram partem occurrunt rationes , vel æquales utrimque apparent rationes,in neutram partem posse intellectum indicando determinari, sive ex se , sive ex imperio voluntatis;quando verò rationes,seu probationes quæ lescumque sunt efficaciores,majoriq; momento pro una parte, quam pro parte opposita, tunc intellectum necessariò, ex imperio voluntatis, vel suspendi omninò sicut prius, vel ei parti assentiri , pro qua militant probationes meliores ; idque exponunt nonnulli etiam probant exemplo bilancis,quæ haec in medio, sive in sint utrimque æqualia pondera, sive neutram partem ullum pondus gravet: si verò insint pondera inæqualia,ruit necessariò in eam partem, ad quam trahit majus pondus. Primum fundamentum sumitur ex auctoritate Aristotelis dicentis,*lib. 3. de anima,text. 153. Licet fingere pro libito quæcumque volumus ; opinari autem in nobis non est. Necesse enim est verum , aut falsum dicere.* Ubi ponderatur primum negativa universalis,*opinari nobis non est.* Esset autem,in nobis,si liberum nobis esset assentiri

illi

utrilibet parti pro libito; sicut eligere media est in nobis juxta veritatem, & juxta frequentem phrasim Philosophi, *lib. 3. eth. cap. 1. 2. & 5. & alibi*, non alia profecto de causa, quia medium propositum prosequimur, aut rei cimus pro libito. Ponderatur rursus causalis, *necesse enim est*, quæ esset insufficiens, nilque conferret ad intentum, nisi supponeretur tanquam certum, ac indubitatum, neque verum dici posse, neque falsum, quin adsit ratio, vi cujus determinetur, & quasi alligetur intellectus ad alterutrum ex illis determinatè. Hoc enim sublato oppositum potiùs verificaretur; nempè liberum est verum, aut falsum dicere.

Exponitur testimonium Philosophi de necessitate opinantis.

ART. CVII. VT appareat nil adversariis prodesse hoc testimonium, conferendum illud est cum alio simili ejusdem Philosophi testimonio *in eodem opere de anima lib. 2. text. 60.* ubi sic habet: *Idcirco intelligere quidem est in ipso, cum voluerit; sentire autem non est in ipso. Necesse enim est adesse sensibile.* Ex quibus profectò verbis nemo sanus intulerit, vel intelligere nostrum nulla penitus necessitate esse restrictum, vel nullum prorsus esse locum liberæ electioni quoad ipsum sentire; cum sit manifestum, non esse liberum nobis ea etiam, quando voluerimus, intelligere, quæ nullo unquam sensu percepimus prius, nilque in intellectu esse posse, quod non fuerit prius in sensu; esse verò liberum nobis, album videre, vel nigrum, & tangere molle, vel durum, cum utrumque simul adfuerit. Quapropter solum subintelligitur discrimen libertatis quoad intelligere, & defectus libertatis quoad sentire, quantum sufficit ad concludendam, quæ solùm tendebatur, distinctionem intellectus à sensu, & quantum evincunt rationes utrobique adhibitæ; earumque, ut vulgò dicitur, sensus dictorum rectè colligitur ex rationibus dicendi, idque maximè in ratiocinante juxtè, ut in Aristotele. Sufficit autem ad concludendam distinctionem inter intellectum, & sensum quæcumque specialis libertas quoad intelligendum, quæ eadem non detur quoad sentiendum. Concludunt verò specialem aliquam libertatem quoad intelligendum, ejusdemque libertatis defectum quoad sentiendum rationes pro utraque ea parte propositæ à Philosopho. Quia videlicet universalia, quæ sunt objectum intellectus, insunt quodammodo in anima, ex quo semel præhabitæ fuere illorum species, ideoque intelligi quandolibet, & quotlibet possunt, sive adsint secundum se, sive absint objecta illa, ex quibus primitus emana verant species deservientes ad eorumdem universalium abstractionem. At sensibilia sunt extra animam, nec illis remotis manent amplius eorum species intentionales, ac proinde sentiri eodem modo minimè possunt pro libito, nisi adsint physicè. quoties sentienda sunt. Sicut ergo hæc ratione nil obstante supereset nihilominus in nobis aliqua libertas quoad sensibilia, actus que sentiendi, ita etiam respectu opinabilium, & opinionum potest in nobis supereese aliqua libertas, nil obstante testimonio Philosophi nobis objecto, ejusque ratione, & scopo.

ART. CVIII. Scopus nimirum in illo loco est statuere distinctionem inter opinionem, & phantasiam, seu imaginationem, situt in loco priori inter intellectum & sensum. Ratio in hunc scopum est, sicut in priorem, ex amplitudine libertatis ad imaginandum, & ex restrictione libertatis ejusdem ad opinandum. Imaginamur enim, quæ, & quando, & qualiter placet, sive vera, sive falsa ea sint, ac appareant, id est, sive adsit aliqua, sive nulla prorsus adsit ratio, aut veritatis, aut falsitatis. Opinari autem nequaquam possumus, quin dicamus verum esse, aut falsum, affirmemus, aut negemus, quod opinamur: Ubi supponitur tanquam per se, aut per experientiam manifestam omnibus notum, ac indubitatum, nos nec verum aliquid esse, nec falsum enunciare, seu nec affirmare, nec negare quidquam posse, quin adsit ratio aliqua sic enunciandi; atque rationem talem non semper nobis adesse pro libito pro qualibet indiscriminatim conjunctione rerum, aut disjunctione. Unde liberum est imaginari montem aureum, hominem volantem, ipsum imaginantem jam mortuum, & similia; eadem autem affirmare non est liberum; sed si opinari circa ea libeat, necesse erit illa negare, quia ratio negandi præstò est, affirmandi verò nulla est, idemque dicitur de negabilibus, & minimè affirmabilibus eodem modo. Convincit itaque manifestè intentum ratio Philosophi iis solis admissis, quæ sunt certa, ac indubitata apud omnes de amplitudine libertatis ad imaginandum, & de restrictione libertatis ejusdem ad enunciandum, seu opinandum. Quapropter sicut inaniter inde inferretur ulterius libertatem imaginandi nullam omninò pati restrictionem, atque adeò nos ea etiam imaginari pro libito posse; quorum nullas unquam species præhabuerimus per sensum externum; ita non minus inaniter infertur defectum libertatis quoad opinandum esse talem, ut cum nulla eatenus libertate compatibilis sit, proindeque liberum nobis nunquam esse posse opinari pro libito utramlibet partem contradictionis, tametsi adsint simul rationes sufficientes pro utralibet parte contradictionis, seu tam ad affirmandum, quam ad negandum. Perindè namque non dicit hoc secundum Philosophus, atque non dicit illud primum; & perindè certum est neutrum esse necessarium ad scopum ejus, ut patet ex dictis. Ac demum qualis debeat esse ratio, quæ supponitur esse necessaria, tam ad dicendum verum, quam ad dicendum falsum esse aliquid, seu tam ad affirmandum quam ad negandum; an scilicet debeat esse prævalens ex se, & efficacior, quàm ratio partis oppositæ, an illi æqualis; an evidens, & certificativa, an probabilis, & incerta; nec determinatur ibi à Philosopho, nec insinuatur. Verùm neque determinari, aut insinuari id ibi aut poterat, aut expediebat. Quia licet interpres posuerit verbum, *opinari*; certum tamen est Philosophum ibi agere de enunciare, & existimare in genere, prout abstrahit ab existimatione, & enunciatione certa, & incerta; per se, & per aliud nota; prudenti, & stulta, ut patet intuenti contextum præcedentem, & maximè eum, qui subsequitur immediatè. Quia post rationem alteram distinctionis ejusdem inter phantasiam, & enunciationem, seu existimationem, subdit sic? *Sunt porrò & ipsius existimationis differentiæ, scientia, & opinio, & prudentia, & quæ his contraria sunt, de quorum differentia alia sit disputatio.* Patet autem agendo de genere complectente sub se differentias usque adeò inter se dissidentes, & indigas rationum æquè invicem diversarum, non potuisse, certè non debuisse determinari, vel etiam insinuari qualitatem hanc potiùs, quàm illam rationis requisitæ ad enunciandum, ac existimandum. Subinducunt igitur de

suo adversarii absque ullo fundamento in Aristotele rationem opinandi semper, ac necessariò debere esse prævalentem ex se, & majorem simpliciter, quam sit ratio præconcepta partis oppositæ. Prior in contrarium ponderatio *ex art.* 106. ideò est defectuosa, quia in sermone comparativo, qualis ibi est sermo Philosophi, ad verificandam negativam de altero extremorum sufficit, si id, & eatenus illi desit, quod & quatenus affirmatum fuit de altero extremo. Affirmata autem fuerat libertas quoad imaginandum nullius indiga rationis, seu prævalentis, seu non prævalentis. Negatur igitur in nobis esse opinari, utique absque ulla similiter ratione seu prævalenti, seu non prævalenti, à quibus differentiis meritò præscinditur. Altera ponderatio ideò deficit, quia licet in opinante necessitas dicendi verum, aut falsum possit esse conjuncta cum aliqua eatenus libertate, atque hæc libertas sit itidem in tali materia inseparabilis ab aliqua necessitate, ut patet ex dictis, non tamen erat è re, ut quidquam diceretur de libertate, sed solùm ut exprimeretur necessitas quatenus opposita amplitudini libertatis præassertæ ad imaginandum, & qualem solam probat ratio subinducta ab ipso Philosopho, ut visum jam est. Præterea utraque ponderatio patitur manifestam instantiam in altero illo testimonio à nobis expenso in articulo præcedenti, ut apparet consideranti, quæ ibi notata sunt. Oportuit me totidem verbis hæc dicere propter adversariorum insistentiam in eo testimonio, cum testimonium ipsum, quantum est de se, nullo, aut vix ullo indigeat commentario, ut concilietur cum sententia assertiva libertatis quoad speciem actus opinativi. Nam ego ipse, qui ejusmodi libertatem affirmo eo modo, quem mox exponam, dico similiter de plano, & pleno ore pronuncio; Necesse est opinantem verum dicere, aut falsum, affirmare, aut negare, neque fieri potest, ut quisquam opinetur, quin verum, aut falsum dicat, affirmet, aut neget, & necesse rursus est adesse aliquam rationem ad dicendum, tum verum, tum falsum; tum ad affirmandum, tum ad negandum; neque liberum est verum dicere, aut falsum; affirmare, aut negare, sicut est liberum quidvis imaginari absque ulla ad id ratione. Quid tum ad propositum?

Proponitur secundum, & tertium argumentum adversus libertatem opinandi.

ART. CIX. SEcundum Adversariorum fundamentum est: Quia intellectus est potentia necessaria, atque centrum, seu proprium, & adæquatum bonum ipsius est sola veritas. Omnis autem potentia necessaria necessariò movetur ad suum bonum, ac centrum juxta solam prævalentem, ac efficaciorem inclinationem præviam ad illud. Ergo intellectus præventus rationibus dubitandi in utramque partem, necessariò adhæret illi parti, pro qua stat major apparentia veritatis, seu major, ac efficacior probatio.

ART. CX. Tertium fundamentum est. Quando pro utraque parte contradictionis proponuntur rationes invicem æquales, ad neutram potest determinari intellectus per imperium voluntatis. Ergò multò minus potest per idem imperium determinari ad eam partem, cui favet minor ratio, seu cujus est probabilitas minor. Patet consequentia. Quia cui est impossibile, quod minus est, seu ex se minus difficile est, non potest esse possibile, quod intra idem genus est plus, seu ex se difficilius est. Patet autem esse quid minus, atque ex se minus difficile flectere intellectum per imperium adversus motivi æqualis, quam adversus vim motivi superioris, ac efficacioris. Ergo si primum illud præstare non possit voluntas imperio suo, multò minùs hoc secundum præstare poterit. Antecedens probatur auctoritate, & ratione D. Thomæ, *quæst. 14. de verit. art. 1. corp. post initium. Sic igitur intellectus ex se est possibilis respectu partium contradictionis scilicet diversimodè. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. Quandoque verò intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad alterum, sed tamen illud inclinans non sufficienter movet intellectum ad hoc, quod determinet ipsum ad unam partem totaliter, unde accipit quidem unam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis, qui accipit unam partem contradictionis informidine alterius.* Ergo ex sententia D. Thomæ impossibile est, ut quis opinetur aliquid determinatè sub motivis in utramque partem æqualibus, ergo est tam patenter impossibile, quam patenter impossibile est, ut qui est dispositus ad dubitandum, ex ipsa dispositione sit simul dispositus ad opinandum, si placeat opinari, id est, juxta partitionem fictam expressè à D. Thoma, ut qui subest motivis utramque partem æqualibus, eo ipso subsit inæqualibus, eademque sint invicem æqualia, & inæqualia. Unde etiam fieret, quod non minus dissonum esset, ut ligatus per idipsum, quo ligatur, liberaretur à ligamine, & solveretur, ipsum que ligamen esset solutio ligaminis pro solo beneplacito ligati. Nempe dubitans comparatur ligato, & rationes dubitandi sunt ligamen, & similiter ratio opinandi est solutio. Audiatur Aristot. *lib. 3 Metaph. cap. 1. Inest autem investigare volentibus præ opere bene dubitare. Posterior enim investigatio priorum est solutio dubitarum. Solvere enim non est ignorantis vinculum, sed mentis dubitatio: hoc de re demonstrat. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur. Utroque namque modo impossibile est ad ulteriora pertransire.* Et ibi D. Thomas: *Sicut enim qui habet pedes ligatos non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem; ita ille, qui dubitat quasi habens mentem ligatam, non potest in anteriora procedere secundum viam speculationis; & ideò sicut ille, qui vult solvere vinculum corporale, oportet, quod prius inspiciat vinculum: & modum ligationis, ita ille, qui vult solvere dubitationem, oportet, quod prius speculetur omnes difficultates, & earum causas.* Impossibile igitur est, ut non superveniente ratione solutiva majori, quam quæ ligabat, suspendebatque mentem, ligamen dubitationis dissolvatur, & exoriatur opinio determinata in unam potiùs partem, quam in alteram.

ART. CXI. Ut iis duobus argumentis plenè satisfiat, simulque præoccupentur quædam aliæ similes circa idem ponderationes, expedit, ut nostram semper etiam circa libertatem voluntatis quoad actus opinativos integrè ponamus ob oculos, præmonito tamen prius utrumque argumentum eadem ferè vi probare adversus etiam libertatem contradictionis, seu exercitii. Quia quoad primum non minus est de concepto

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

causæ necessariæ, ut moveatur, ac determinetur juxta inclinationem prævalentem, nec maneat suspensa ad versus ejus vim, quàm ut maneat suspensa nulla in alterutram partem admota inclinatione prævalenti. Quod secundum verò, ejusdem rationis videlicet, neutrum ex rationibus æqualibus juvare, ac promovere imperio posse, atque rationem majorem, ac prævalentem fœnare, & suspendere, eodem imperio minimè posse. Certè qui bilancem utrimque æquiponderatam in neutram partem manu trahere, atque inclinare posset, nec etiam tenere in medio, ac suspendere posset prægravante in alteram partem majori pondere. Sed jam rem ipsam absolutè consideremus.

Asserturlibertas specificationis quoad actus opinativos.

ART. CXII. Dicendum est liberum esse in utramlibet partem opinari, atque adeò convenire nobis libertatem specificationis, seu contrarietatis quoad actus opinativos, quandocumque motiva utrimque apparentia ad opinandum sunt heterogenea, seu diversæ rationis, & se habent tanquam excedens, & excessum, ita ut neutra ex parte excessus simpliciter sit evidens, atque omninò manifestus. Addo istas, seu limitationes, seu declarationes, alteram de heterogeneitate, seu dissimilitudine mutuâ motivorum, alteram de excessu alterius partis non evidenti, non manifesto, ac indubitato. Addo, inquam istas duas limitationes, non ea præcipuè de causa, quia sententiam utraque contentam censeo esse veram, sed potiùs quia neutrius ejusmodi extremorum comparationis discussio quidquam confert ad punctum principalis controversiæ de usu licito opinionis minus probabilis. Fieri namque minimè potest, ut ex opinionibus invicem contradicentibus altera sit magis, altera minus probabilis, si motiva opinandi utrimque sint similia, & æqualia; quandoquidem major, & minor probabilitas opinionis desumitur, & unicè dependet ex majoritate, & minoritate motivi. Similiter fieri non potest, ut opiniones invicem contradicentes, maneant ambæ probabiles apud eum, cui est evidens, & manifestum, ac indubitabile, alteram opinionum niti motivo absolutè, & simpliciter, omnibusque hinc, & inde consideratis majori. Quia ad probabilitatem opinionis requisitum in proœmio à nobis fuit, ut nitatur opinio fundamento, & absolutè, & comparativè magno, id est, fundamento, quod non solùm seorsim, & secundum se sit difficile solubile, & valide pertrahat ad assensum, sed quod comparatum etiam cum fundamento oppositæ partis retineat adhuc vim magnam pertrahendi ad assensum. Quando autem fundamentum unius partis contradictionis evidens, & manifestè, atque omninò indubitanter est majus, quam fundamentum oppositæ partis, eo ipso fundamentum istud minus evadit parvum sub ea comparatione, nec retinet ampliùs vim magnam pertrahendi intellectum ad assensum. Hac igitur de causâ do potius adversariis per modum suppositionis, quam asseram, & defendendum ex professo, suscipiam, nullam nobis inesse libertatem opinandi indifferenter in utramlibet partem, quando vel motiva utriusque sunt omninò similia, & æqualia, vel excessus motivi pro una parte est evidens, ac prorsus indubitatus. Similia porrò, & æqualia non sunt apud me duo prædicata realiter inter se distincta, aut ullo pacto separabilia, sed prorsus inseparabilia, & convertibilia mutuò, atque essentialiter idem, ut ostendi ratione efficaci, *lib. 1. curs. Theol quæst. 44. ad 7. art. 2. & 3.* eademque ratione, sed multò melius, & efficacius proposita, magisque comprehensa idem demonstrat ex professo D. Thom. *lib. 3. contra gen. cap. 97, & quæst unica, de anim. art. 7.* & pluribus ingeniosè confirmat magnum olim Scholæ meæ decus Pater Eusebius Truchses, *part. 3. Quodlib. 2. & in Miscel. Theorem. 6.* ubi & exhibet discursum D. Thomæ verbis ejusdem. Differunt autem ratione nostra quatenus similia, & dissimilia dicuntur relatè ad conceptus nostros, alterum confusivum, seu indivisim, atque indistinctè abstractivum, alterum discretivum, seu distinctè repræsentativum; æqualia verò, & inæqualia dicuntur relatè ad communem mensuram physicam.

ART. CXIII. Observandum præterea est, me non asserere, nec asserendum putare, sed rejiciendam potius libertatem ad opinandum utramlibet partem contradictionis in sensu composito judicii de majori probabilitate unius partis, quam oppositæ; ita ut quis judicet fundamenta unius partis esse majora, habere majorem verisimilitudinem, eandemq; partem reddere probabiliorem, quam oppositam; atque retento hoc judicio judicet nihilominus partem hanc oppositam esse absolutè veram, tametsi minus fundata sit, minusque verisimilis, & minus probabilis. Impossibile namque est, ut quod alicui videtur falsum, videatur nihilominus eidem similius vero, quam quod putat verum esse, sicut est impossibile, ut quis judicet esse similius albo, quod judicat esse nigrũ, quam quod judicat esse album. Nec enim minus repugnat putatum falsum simul putari similius vero, aut putatum nigrũ simul putari similius albo, quàm quod putatur verum, aut album esse, quàm repugnet falsum ipsum, ipsi verò, aut nigrum ipsum ipsi albo esse similius, quàm verum vero, & album albo. Ita nempè se habet putare ad putare in eodem respectu eorundem sicut esse ad esse sub eadem comparatione; & compossibilia, atq; incompossibilia in natura sunt pariter secundum suũ formalem conceptũ compossibilia, atq; incompossibilia in mente quoad partem judicativam, quæ sola determinat res intentionaliter ad esse potius, quàm ad non esse; & è converso. Unde quod apud nonnullos circumfertur nomine Aristotelis: *Multa falsa sunt probabiliora veris*, non est imprimis Aristotelicum sub his terminis, ac deindè est accipiendum de falsis in se, seu falsis reipsa tantum, non verò de falsis apud eum, seu ejus æstimatione, apud quem, seu cujus æstimatione probabiliora sunt. Quem sensum exprimit distinctè Aristoteles, *lib. 8. Top. cap. 4. paulo post princ. Nihil enim prohibet alicui videri, quæ non sunt, magis, quàm vera*, id est, verisimiliora reputari, non quæ falsa ab eodem reputantur, sed quæ tantùm falsa sunt. Hinc nulla est inconsequentia, sed maxima cohærentia in Patre Suar. *in 1. 2. disp. 10. sect. 1.* quatenus cum disertè statuisset libertatem quoad speciem actus, quando deest evidentia de objecto, ut retulimus *suprà*, *art. 105.* paucis interjectis subdit: *Mihi probabile est non posse moveri* (intellectum à voluntate) *nisi in illud, quod verò similius, & probabilius apparet.* Ex suppositione nimirum, quòd vero similius, & probabilius judicetur, seu appareat enunciativè. Alioquin enim diruere ista sua limitatione illam suam conclusionem in eodem contextu proximè positam, ut patet attentè consideranti, & perindè esset, atque si subdidisset: Mihi probabile est

meam hac ipsa de re conclusionem esse falsam. Eodem sensu loquuntur nonnulli alii dicentes non esse liberum opinari contra eam partem, quæ cuique videtur probabilior, id est, quæ ab unoquoque judicatur probabilior. Est enim usu receptum, ut dicatur; mihi videtur, pro, ego judico; hoc apparet mihi melius, pro, hoc judico melius, utque talia non dicantur ex vi solius apprehensionis simplicis, aut rationis dubitandi, qualiscumque ea sit, sive clarior, sive obscurior, sive fortior, sive debilior.

ART. CXIV. Procedit itaque conclusio nostra de libertate ad opinandum in utramlibet partem sub motivis invicem dissimilibus, & reipsa disparibus, neutrius tamen partis excessu existente omninò manifesto, ac prorsus indubitato, aut agnito, ac præjudicato ab ipso, qui adhuc est in actu primo proximo opinandi constitutus; atque in hoc sensu ita progredietur probatio, ut obiter confirmentur, ac corroborentur, quæ modo præsupposuimus omnia. Probatio autem est talis. Voluntas potest seipsam immediatè determinare per suam liberam electionem ad utrumlibet ex motivis invicem oppositis, & inter se inæqualibus, dummodò utrumvis excedat alterum secundum aliquid. Ergo eadem voluntas potest mediatè determinare intellectum per suum imperium ad utrumlibet ex motivis oppositis similiter, & inæqualibus. Antecedens multiplici auctoritate, & ratione stabilitum, ac demonstratum à nobis est, *lib. 3. Curs. Theol. tota quæst. 12.* eique suffragatur universalis Theologorum consensus cum D. Thom. *1. 2. quæst. 13. art. 6.* Favet itidem consequentiæ D. Thom. *1. 2. quæst. 17. art. 6. ad 1.* Præmissa enim libertate voluntatis ad inducendum assensum, vel dissensum, uti mox referam, subdit paritatem à nobis intentam, his verbis: *Ad primum ergo dicendum, quod ratio hoc modo imperat (*mediante voluntate*) sibi ipsi, sicut & voluntas movet (*immediatè*) seipsam, ut supra dictum est* & inde à nobis insinuatum est*) in quantum scilicet utraque potentia reflectitur supra suum actum, & ex uno in alium tendit.* Ratio paritatis, & simul ratio à priori antecedenti, & consequenti communis est. Primum, inclinatio voluntatis ad bonum non est minor, quàm inclinatio intellectus ad verum, cum bonum sit centrum voluntatis, sicut verum est centrum intellectus; ac proinde, quod inter motiva utriusque potentiæ disparia est majus, non minori vi trahit voluntatem ad amorem, quàm intellectum ad assensum. Deindè voluntas non minorem habet facultatem determinandi mediatè per suum imperium potentias sibi subordinatas, inter quas est intellectus, quàm determinandi seipsam formaliter, & immediatè per suam electionem, eadem utrobique præexistente proportionali dispositione in actu primo proximo. Quia subordinatio potentiæ necessariæ respectu potentiæ liberæ ad hoc est instituta, ut imperium potentiæ liberæ subeat vices electionis propriæ respectu potentiæ necessariæ, adeoque ut potentia necessaria determinetur per imperium potentiæ liberæ ad ea omnia, & sub ea omni dispositione proportionaliter, ad quæ & sub qua eadem potentia libera determinatur immediatè per electionem propriam, id est, homo libera sua electione inducit, & impedit cæteras suas operationes ad eum proportionaliter modum, & sub ea ad easdem operationes proportionali dispositione, quo, & sub qua per eandem suam liberam electionem prosequitur, & fugit, & prosequendo, ac fugiendo inducit, ac impedit res alias convenientes sibi, & disconvenientes; quarum utique eligendarum, ac rejiciendarum liberam facultatem perperam haberet, si non haberet facultatem æquè liberam inducendi, ac impediendi imperio suo suas illas alias operationes assimili ad easdem dispositione; cum non nisi mediantibus istis cæteras res electas, aut rejectas, inducere, seu impedire possit. Propositio dumtaxat motivorum eligendi, ac rejiciendi, affirmandi, ac negandi dissimilium, & quorum utrumlibet excedit tanquam excedens, & excessum respectu ejus habeat esse dispositio proportionaliter prorsus eadem ad actus, tum electionis, & rejectionis, tum affirmationis, ac negationis. Tale nempè est affirmare, & negare respectu intellectus, quale est velle, & nolle respectu voluntatis; & sicut se habent boni, & mali, nec in eligibilibus, ita se habent principia intellectibilibus, ut tradit sæpe D. Thomas ex Philosopho, & videri potest *1. 2. quæst. 13. art. 5. &* ac proindè qualis dispositio prævia, & quales fines, qui sunt motiva voluntatis, sufficiunt ad volendum pro libito, vel nolendum, talis prævia dispositio, & talia principia, quæ sunt motiva intellectus, sufficiunt ad affirmandum pro libito, vel negandum. Fieri igitur minimè potest, ut voluntas non sit, uti certissimè potest, determinare seipsam immediatè per electionem, & similiter non possit determinare intellectum immediatè per imperium ad utrumlibet pro libito ex actibus invicem oppositis sub motivis utrobique similiter oppositis inæqualibus, atque inter se disparibus modo jam præmonstrato.

ART. CXV. Agnoscit iterum luculenter D. Thomas rationem istam paritatis, & à priori circa intellectum, & voluntatem quoad flexibilitatem utrinque ac opposita ex vi motivorum inæqualium, & dissimilium invicem pugnantium, dum dicit, *quæst. 6. de malo, art. 11. ad 10. Dicendum quòd intellectus, & voluntas quodammodo est simile, & quodammodo dissimile. Dissimile quidem quoad exercitum actus. Nam intellectus movetur à voluntate ad agendum: voluntas autem non ab alia potentia, sed à seipsa. Sed ex parte objecti est utrobique similitudo. Sicut enim voluntas movetur ex necessitate ab obiecto, quod est omnimodum bonum, non autem ab obiecto, quod potest accipi secundum aliquam rationem, ut malum, ita etiam intellectus ex necessitate movetur à vero necessario, quod non potest, accipi ut falsum; non autem à vero contingenti, quod potest accipi ut falsum. Ibidem ad 15.* tangit rationem à priori ejus indifferentiæ in voluntate communem suo modo intellectui, juxta æquiparationem modo relatam. *Sic ergo,* ait, *ista causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eum ad volendum, vel considerando oppositum, scilicet quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum,* Quæ secunda disjunctionis pars verificatur in concursu motivorum invicem oppositorum, quorum utrumlibet comparatur cum altero tanquam excedens cum excessu, ac proinde utrumlibet secundum aliquid non est bonum, utpotè continens in se, quatenus excreditur, privationem illius gradus bonitatis, per quem constituitur excessus motivi oppositi secundum aliquid. Id quod exponit optimè Cajetanus *1. 2. in indicata quæst. 13. art. 6. circa responsionem ad 3.* quem habet: *Nil prohibet, si aliqua duo æqualia proportionentur secundum unam considerationem, quin circa alterum eorum*

cognoscetur aliqua conditio, per quam emineat, & magis placeat in ipsum, quam in aliud, & eadem ratione. Subdit Cajetanus, *proposito voluntatis aliquo eligibili eminentiori aliis non necessitatur voluntas ad eligendum illud, quia potest movere ad considerandum in altero aliquid aliud, quo praestet, & sic illud eligere.* Cum igitur ex priori textu asseratur à D. Thoma similitudo intellectus, & voluntatis ex parte objecti; id est, quoad motionem, ac determinationem provenientem ex objecto; atque ex duplici posteriori testimonio constet, ad liberam, ac indifferentem electionem voluntatis inter opposita sufficere excessum utriusvis supra alterum secundum aliquid; concluditur planè, ex mente D. Thomæ sufficere similem excessum mutuum motivorum intellectus, ut hic pari cum libertate, ac indifferentia determinetur per imperium voluntatis ad utrumlibet illorum. Verum nil necesse est inducere mentem D. Thomæ, quando ea directè, ac immediatè nobis favet non solùm *in loco superiùs indicato art. 6.* Sed etiam 1. 2. *in præallegata quæst 17. art. 6. corp. Alius autem rationis actus est*, ait, *dum his, quæ apprehendit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus natura aliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensui alium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordinatura, & ideo propriè loquendo, naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeò connectunt intellectum, quin possit assentire, dissentire, vel solum assensum, vel dissensum suspendere propter aliquam causam, & in talibus assensus ipse, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit.* Vides in his expensam jam superius contrapositionem scibilium, & opinabilium cum assertione potestatis indifferentis circa opinabilia, quæ negatur circa demonstrabilia, ac proindè potestatem hanc indifferentem asseri circa opinabilia non indirectam tantum, & per gyrum, sed etiam directam, & per lineam rectam juxtà animadversionem superius præmissam. Vides potestatem eandem opinandi asseri sub eodem individuo contextu verborum, & cum disjunctionis formula prorsus eadem, adeoque in eodem proculdubio sensu, tum ad assensum, vel dissensum tùm ad utrumvis, vel ad utriusvis suspensionem; hoc est in eamodum individuum, ac uniformem asseri libertatem, tùm exercitii, quæ est potestas indifferens ad actum, vel suspensionem actus, tùm specificationis, quæ est potestas ad actum aliquem, vel ad oppositum actum, ut puta assensum, vel dissensum. Indubitatum igitur cum sit convenire nobis libertatem exercitii directè respectu cujusvis opinativi; si adhuc nihilominus negas, aut etiam dubitas tantùm, exsententia D. Thomæ convenire itidem nobis libertatem directam specificationis quod actus opinativos, exerces utique libertatem majorem, quàm quæ à me asseritur, & à te negatur, vel certè uteris libertate indirecta distrahendo intellectum, à consideratione sensus legitimi, ac manifesti verborum D. Thomæ, ad ratiunculas tuas.

Art. CXVI. Prætermittenda minimè est circa eundem textum Divi Thomæ ratio disjungendi potestatem ad assensum, vel dissensum à potestate ad utrumvis eorum tantum, vel ad utriusvis suspensionem; atque ulterior ratio utramque potestatem uniformiter asserendi, & utrobique uniformiter subjiciendi imperio arbitrario, ac libero determinationem intellectus ad alterutrum ex extremis utriusque scutiendi, quin simul adsit motivum fallibile assentiendi, aut è converso; & tunc habetur in potestate assensus tantum, vel suspensio assensus, aut dissensus tantum, vel suspensio dissensus. Contingit etiam adesse simul motivum assentiendi, & motivum dissentiendi circa idem cum fallibilitate, & mutua aliqua dissimilitudine utriusque motivi; & tunc habetur in potestate assensus, vel dissensus, necnon suspensio utriusque. Ex gr. nunciat tibi famulus plerumque verax, nec nimis credulus imminere amico tuo præsens periculum vitæ, ni cito illi subvenias, uti potes cum aliquo, sed cum minori periculo tuo; & nemo comparet, qui dicat oppositum, nec tibi occurrit ulla ratio in contrarium. Habes hucusque in potestate assensum, & suspensionem assensus, non autem dissensum. Supervenit amicus tuus alius cætera similis famulo, sed non admodum bene affectus erga amicum assertum periclitantem, dicit se adfuisse in loco simul cum famulo tuo, & negat ullum amico illi imminere periculum, vel negat subvenire te posse absquè majori periculo tuo. Habes jam in potestate assensum, vel dissensum, tum periculi amico imminentis, tùm honestatis, ut illi subvenias, & habes similiter in potestate suspensionem assensus simul, & dissensus. Ratio igitur disjungendi potestatem ad assensum, vel dissensum à potestate ad utrumvis, vel ad utriusvis suspensionem est possibilitas occursus motivorum utrovis ex his duobus modis.

Art. CXVII. Pergo ad alteram partem de uniformi assertione utriusque ejusmodi potestatis. Omnes incunctanter conveniunt cum D. Thoma quoad asserendam liberam potestatem ad assensum, & suspensionem assensus, (& sic de dissensu, ejusque suspensione) quando adest motivum fallibile assentiendi, nullumque simul adest ullius generis motivum ad dissentiendum. Ratio autem indubitati omnium eatenus consensus non alia esse potest, quàm quia motivum fallibile est motivum biceps, habens perfectionem aliquam, ratione cujus gignit apparentem possibilitatem, & fundat spem aliquam assequendæ veritatis, si intellectus sibi adhæreat, ac conformetur, & simul habens aliquam imperfectionem, ratione cujus gignit apparentem falsitatem, & fundat timorem incidendi in falsitatem sub eadem conditione. Cum autem intellectus æquè propendeat in veritatem, & abhorreat à falsitate, hæreat necesse est, quantum est de se sub tali motivo, siquidem est potentia de se necessaria, & nil adest, quod necessitet, seu cum necessitate determinet; eademque ratione necesse est, ut idem intellectus sub eodem motivo sit determinabilis per imperium voluntatis, tùm ad assensum, tùm ad suspensionem assensus, prout magis libuerit, quandoquidem intellectus est potentia subordinata voluntati, atque per ejusmodi motivum est sufficienter dispositus ad utrumlibet eorum extremorum. Accedat jam motivo illi fallibi assentiendi motivum aliud itidem fallibile dissentiendi cum ancipiti excessu mutuo alterius supra alterum motivum. Dico adesse jam eadem prorsus ratione potestatem indifferentem ad assensum, & dissensum, & ad utriusque suspensionem, quanta prius aderat ad assensum solum, & ad suspensionem assensus; Quia ex vi novi apparet tanta plus minus possibilitas, & spes attingendæ veritatis per dissensum, quanta prius apparebat possibilitas, & timor incidendi in falsitatem per assensum. Fieri igitur non potest, ut ratione hujus periculi, & timoris suspensio assensus comparati cū assensu ipso, subesset libero imperio voluntatis pro priori eventu motivi fallibilis solitarii; & non similiter subsit imperio libero actus dissentiendi com-

tus cum actu assentiendi ratione illius possibilitatis, & spei pro posteriori eventu concursus motivorum invicem oppositorum cum ancipiti excessu mutuo. Eadem igitur ratione, qua apud omnes est indubitata libertas exercitii, admitti quoque ab omnibus debet libertas specificationis quoad actus opinativos, suppositis proportionaliter supponendis, uti perspici clarè potest in exemplo nuper proposito *art.* 116. Optimo proindè consilio D. Thomas eadem individua, ac uniformi assertione complexus est libertatem ad assensum, & dissensum, necnon ad utrumvis eorum, & ad utriusvis, necnon utriusque suspensionem sub motivo, seu motivis non convincentibus intellectum.

Ulterior probatio libertatis opinandi ex libertate ad credendum Deo, necnon ad judicandum de proximo.

Art. CXVIII. Subjungo superiori discursui duplex argumentum convincens, nisi fallor, à fortiori. Primum sumitur ex libertate respectu fidei divinæ. Respectu actus fidei, quo credimus Deo, datur libertas specificationis, atque intellectus potest determinari imperio voluntatis, ut rejectis argumentis, & motivo fidei divinæ sibi sufficienter propositis assentiatur motivis hæresum, & errorum. Ergò potest similiter determinari intellectus imperio voluntatis, ut assentiatur motivo minoris reipsa probabilitatis præ motivo probabilitatis reipsa majoris, ac proinde datur libertas specificationis ad opinandum in utramlibet partem sub motivis fallibilibus invicem disparibus disparitate exposita prius. Consequentia tenet à fortiori. Quia nullius opinionis probabilis motivum potest superare tanto cum excessu motivum cujusquam alterius opinionis verè probabilis apud ipsum opinantem, quanto cum excessu superant argumenta, & motivum fidei Catholicæ, rationes omnes, & motiva hæresum, errorumque oppositorum, ut est in confesso apud omnes Catholicos, & apparet clarè ex iis, quæ diximus *lib. 6. Curs. Theolog. quæst.* 18. Antecedentis veritatem ostendi peculiari fundamento *in eodem libro quæst.* 27. Addo nunc suffragium D. Thomæ, & communem consensum Theologorum D. Thomas 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 4. dicit sic. *Assentit autem intellectus alicui dupliciter. Uno modo, quia ad hoc movetur ab ipso objecto, quod est per seipsum cognitum, sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus; vel est per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quorum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam. Et siquidem hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides.* Ubi manifestè attribuitur liberæ electioni voluntatis non solùm, ut intellectus proposito motivo fidei declinet, vel non declinet ad actum fidei, sed etiam quod ad eum actum declinet potiùs, quàm ad actum oppositum, idque traditur esse commune actui opinionis, prout à nobis modo intenditur. Quod autem Divus Thomas hic non agit de libertate indirecta tantum, quatenus voluntas potest divertere intellectum à consideratione argumentorum, & motivi fidei, eundemque applicare ad considerandà seorsim motiva errorum, & sic demum inducere in actum discredendi, & errandi, patet ex contrapositione necessitatis respectu scibilium, quam immediatè præmittit, cum certum sit posse intellectum indirectè determinari ad actum etiam demonstrationis contrarium, si abstrahatur à consideratione demonstrationum, & applicetur ad solam contrariorum sophismatum, vel testimoniorum considerationem. Loquitur ergo D. Thom. de libertate directa ad credendum, & discredendum, dum intellectus actualiter considerat rationes, & motivum credendi, estque proximè dispositus ad credendum, si accedat pium voluntatis imperium per liberam electionem ejus partis, præ oppositæ. Idem habet *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *Intellectus credentis*, ait, *determinatur ad unum non per rationem, sed per voluntatem, & ideò assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad unum.* Præterea D. Thomam in his quæstionibus de fide agere de libertate ad ipsam non indirecta, ac remota, sed de directa, ac proxima, dum actualiter considerantem motivum proximè sufficiens ad credendum, manifestat inibi quam clarissimè S. Doctor *quæst.* 1. *art.* ubi cum *in corp.* præmisisset. *Ipsum autem credere actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis à Deo motæ per gratiam.* Deinde *ad* 2. libidit expositionem istam. *Dicendum quod in scientia duo possunt considerari, scilicet ipse assensus scientis ad rem scitam, & consideratio rei scitæ. Assensus autem scientiæ non subjicitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis; & ideò assensus scientiæ non est meritorius, sed consideratio actualis rei scitæ subjacet libero arbitrio. Est enim in potestate hominis considerare, vel non considerare; & ideò consideratio scientiæ potest esse meritoria, si referatur ad finem charitatis, id est ad honorem Dei, vel utilitatem proximi. Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio, & ideò quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius.* Qui post hæc omnia per suffossos interpretationum cuniculos molitur D. Thomam, aut nobis subtrahere, aut ei oppositam trahere sententiam, non is syncerè illum reveretur, sed genuflexus colaphizat. Certè Cajetanus accuratus interpres, & fides sectæ Angelicæ Præceptoris, usque adeò non diffitetur libertatem specificationis quoad actus fidei, & opinativos, ut plus etiam illi indulgeat, quàm par est, ut perspici potest *ex* 1. 2. *q.* 65. *ad art.* 4. & Mag. S. Thomæ pugil. acer controversiarum Thomisticarum eam libertatem quoad actum fidei ita tradit, ut supponere potius tanquam indubitatam, quàm probare vel videatur 2. 2. *disp.* 3. *art.* 1. Et P. Lusius Turrian. *disput.* 29. *dub.* 1. eandem dicit esse communem sententiam, & sibi certam, & expressè docet à D. Thoma.

Art. CXIX. Quoad communem auctorum consensum prolixitatis vitandæ gratia, exhibeo testem fide dignum P. Suar. *de virt. Theolog. tr.* 1. *disp.* 5. *sect.* 6. *num.* 3. ubi sic habet: *Nihil ominus communis sententia est, ad credendum præsertim fide divina, & infusa, necessarium esse actum voluntatis, quo determinet intellectum ad credendum.* Atque relatis nostræ auctoribus, subdit: *Et est vera, & certa sententia, quam tribus propositionibus breviter declaro, & confirmo. Dico ergo primo actum fidei esse liberum, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem.* Quam conclusionem probat efficaciter ex Sacris litteris, & Conciliis, & ex communi PP. consensu, ac demum confirmat, quia infidelitas meretur

pœnam

præmiam, & præmium fides, quæ duo sunt certa ex fide, ex qua itidem certum est, nec meritum, nec demeritum absque libertate, & indifferentia dari posse. Neque verò movere quemquam debet, quod cum P. Suarez in conclusione distinctè posuerit libertatem exercitii, & libertatem specificationis, deindè in probationibus indistinctè loquatur de utraque. Id enim facit jure optimo propter rationem à priori uniformitatis quoad utramque libertatem cæteris paribus, quæ paulò prius expensa à nobis fuit *art. 116. & art. 117.* Præterea licet circa res alias aliquando contingat suspendi assensum, quin subinducatur dissensus circa idem, aut assensus circa oppositum; in negotio tamen Religionis, & propositione fidei catholicæ id non contingit, & censeo ne quidem contingere ullo pacto posse. Quia quicunque resistunt fidei catholicæ, nec volunt eam sibi sufficienter propositam amplecti, id faciunt propter contrarium ad errores, quibus sunt innutriti, adhæsionem, nec fieri potest, ut quisquam rationis compos eligat nullius sui ultimi finis realitati sibi sufficienter propositæ assentiri, quia ea ipsa electio necessario præsupponeret intentionem efficacem ultimi finis quasi in genere juxtà dicta cum D. Thoma *lib. 1. part. Theol. quæst. 1.* Atque hæc intentio, proposito hoc, & hoc ultimo fine in specie, quam veri ultimi finis propositionem continet in se propositio fidei catholicæ, necessariò inducit electionem alterutrius extillis, in quo figat assensum, & quem præfigat vitæ suæ, sicut quælibet intentio finis cujusvis particularis indicit necessario electionem alicujus ex mediis propositis in ordine ad illum, nec nisi per electionem unius reliquorum electionem suspendere potest. Sed de hoc alibi fusius. Sufficit nunc pro re nostra Augustinus exprimens ejusmodi libertatem, inter infidelitatem, & fidem *Epist. 49. quæst. 2. paulò ante finem.* *Multi in eius* (Christi) *corporali præsentia fuerunt, qui in eum, nec suscitatis abjecto mortuis, credere voluerunt, qualis nunc etiam multos videmus, cum tanta manifestatione dicto compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc tedere, & malle humana astutia resistere, quàm claræ, atque perspicuæ, tamque sublimi, & sublimiter diffamatæ divinæ credere auctoritati.* Ubi humana astutia resistere, nil est aliud, quam contradicendo fidei, sufficienter utique propositæ cum facultate proxima illi assentiendi, humanis potius rationibus adhærere, ac assentiri. Quæcumque igitur probant libertatem credendi Deo, æqualiter, ac indivisim probant libertatem contradictionis, & contrarietatis, idque jure optimo supposuit P. Suarez, uti etiam de D. Thoma dictum est superius. Libertatem, inquam, credendi, quia testimonia omnia sacra, quæ habentur de hac re plurima, & clarissima, loquuntur de credendo expresè, deque ipso actu credendi, & non tantum de libertate ad audiendum, legendum, considerandum ea, per quæ deveniri potest ad actum credendi. Est autem violenta, & valdè periculosa alienatio verborum Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. dum quæ dicuntur de aliquo actu cum expressione ejus, transferuntur ad ea quæ sunt mediata, ac remota respectu ejusdem actus. Hoc enim pacto vix quidquam remaneret certum, ac fixum in Sacra Doctrina. Nemo profectò dixerit, absolutè, & sine addito digestionem cibi, respirationem, pulsum venæ esse liberam nobis, & subesse imperio voluntatis; & tamen subsunt illi mediatè, quia liberè sumimus cibum, & sumus physicè liberè, ut nosmetipsos occidamus.

ART. CXX. Adminiculatur libertati fidei divinæ libertas fidei humanæ, & consensu Doctorum circa illam consensus hominum circa istam, & utrimque accrescit auctoritas sententiæ nostræ. Videtur enim verò hunc esse innatum hominibus sensum, se esse invicem liberos, ut utrumlibet dicentium opposita accommodent fidem pro libito. Argumento imprimis est, utrumque ex volentibus persuadere opposita, præcipuo conatu in hoc incumbete, ut concilient sibi benevolentiam auditorum, quam patet ad hoc quæri, ut imperium voluntatis determinet intellectum ad præstandam fidem huic potius parti, quàm oppositæ. Et quidem apud Rhetores Aristotele priores ea, fuit præcipua, ac ferè unica solicitudo, præceptionumque materia, ut testatur Aristoteles ipse, multumque detestatur *lib. 1. Rhet. cap. 1. post initium*, & claudit detestationem dicens. *Non enim oportet in iram, aut invidiam, aut misericordiam impellendo, à recto iudicem flectere, ne similes ei simus, qui eam, qua usurus est, regulam prius inflectit*: Nil autem id noceret, si non esset penes voluntatem, ut posset impellere intellectum in eam potissimum partem, in quam ipsa esset præinclinata. Retinuit nihilominus Aristoteles quamquam modificatam eam industriam captandi benevolentiam pro obtinenda victoria in assensu judicis, dum dixit *cap. 2 proximè sequenti. Harum igitur, quæ ratione parantur, persuasionum tria sunt genera. Nam alia sunt in moribus eius, qui dicit; alia in auditore modo quodam afficiendo: alia in ratione ipsa, cum demonstremus, aut demonstrare videamur.* Hæc autem secunda ars judicis modo quodam afficiendi, si ad hoc tantum valere posset, ut applicaret ad considerandas rationes adversarii, non nisi apud pravum, & iniquum judicem habere locum posset, & tamen traditur exercenda in omni judicio, atque in familiaribus quoque persuasionibus idem ab omnibus præstatur communiter, tametsi agatur cum homine summæ probitatis, & existimato inflexibili, quominus æquè attendat ad rationes utriusque partis. Addit mihi Aristoteles ex tribus propositis generibus extremum utrumque, & mores, & rationes dicentis augere probationem, adeoque conferre ex parte objecti ad obtinendum assensum auditoris. Quod cum verificari minimè possit de medio genere excitationis affectus, superest, ut hic conferat ad idem ex parte principii determinando intellectum per imperium ad eam partem, in quam prævaluerit affectus, licet non prævaleat ratio. *Propter seipsos autem auditores credunt*, inquit Aristoteles, *cum oratione in affectum impelluntur. Non enim similiter judicium reddimus, cum dolemus, & cum lætamur, & cum diligimus, & cum odimus*; nempè tametsi de cætero rationes judicandi ealdem æquè bene possideamus. Deinde accidit frequenter eodem idem referente, duobus disparitèr affectis, alterum dicere, ego nolo credere quidquam, & puto esse falsissimum, alterum verò, ego omninò volo credere, & puto esse verissimum; usurpaturque vulgo volo, & nolo in credendo, & discredendo, perindè atq; in aliis operationibus certò subordinatis imperio voluntatis, & contradictoriè, & contrariè. Contingit demum similiter, ut multa alia prætermittam, duobus uni, eidemque narrantibus opposita, alterum ab illo repelli, alteri fidem præstari, atq; eum, qui repulsus fuit, conqueri de injuria sibi irrogata dicendo; noluit iste mihi credere provectiori, clariori, majorisque probitatis, & voluit potius adhærere humuncioni inferioris, quoad omnia conditionis: O, quantum potest malus, vel bonus affectus, &c. Videtur planè neminem his, aliisque

ejusmodi permultis in rem nostram exemplis resistere, & circa ea cavillari, nisi proteriter posse, & exercendo (ut hoc iterum exprobrem) ad tuendum positum, eam libertatem, quàm dari negat, aut etiam majorem. Quod ipsum jure optimo dixero circa testimonium S. P. N. Ignac. *in aurea epist. de virt. obed.* §. 9. ubi clarissimè suffragatur assertæ à nobis libertati quoad fidem divinam, & humanam, omnemque opinionem juxta planum, spontaneum, ac proinde legitimum sensum verborum ejus, quæ talia sunt. *Quæ vis animi* (intelligentia) *rametsi non ea, qua voluntas pollet, libertate prædita sit, atque ipsa natura fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet. tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere in hanc partem potius, quàm in illam inclinari*: Cum multis aliis infertus, & superiùs eodem efficacitèr conferentibus.

Art. CXXI. Alterum argumentum convincens quasi à fortiori sumitur ex libertate benè, & malè judicandi de proximò. Quæ præcipiuntur nobis, subsunt utique libertati nostræ. Quod est principium celebre Augustini, persæpè ab eo repetitum adversus Manichæos. Præcipitur autem nobis, non solùm ut suspendamus judicium, sed etiam, ut siquidem judicare, velimus, interpretemur in meliorem partem, quando occurrit dubium de bona, aut mala operatione, ac præsertim intentione proximi, ut apparet ex illo Christi Domini *Matth.* 7. 1. *Nolite judicare, ne judicetur de vobis. In quo enim judicio judicavertis, judicabitur de vobis, & qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quæ sic legit, & exponit Aug. ultim. *lib. 2. de sermone Domini in Monte*: *Hoc loco nil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Et sanè, si ita liberùm nobis esset judicare, vel non judicare de proximo in dubiis, ut non etiam esset liberum judicare benè, vel malè, sinistrè, vel benignè, pro, vel contra, perperam diceretur, *quo judicio, qua mensura.* In his enim verbis clarè supponitur in nostra esse potestate, non solum judicare, & non judicare, metiri, & non metiri, sed etiam sic, vel sic, & metiri, & judicare; itaut habeatur in potestate duplex, & mensura, & judicium. Quare in priori verbo: *Nolite judicare*, intelligitur cum Augustino, in deteriorem partem. Nec enim prohibemur judicare in meliorem partem. Ergo in dubiis, & opinabilibus non solum sumus liberi libertate contradictionis, sed etiam contrarietatis, seu & exercitii, & specificationis. Videri potest in eandem rem idem Augustinus in expositione quarumdam propositionum *ep.* ad Rom. c. 79. ad illud: *Tu quis es, qui judicas?* Quod si liceret istud præceptum, *nolite, judicare*, retrotrahere, ac restringere ad solam considerationem rationum pro, & contra proximum, atque dicere præmissa de facto consideratione rationum hinc, vel inde, vel utrimque pugnantium, nullam jam amplius nobis superesse libertatem, nec vigere adhuc specialem obligationem præcepti quoad actum ipsum judicandi, qui in eo exprimitur, liceret utique retrotrahere similiter hæc præcepta: *non occides, non concupisces*, & sic de aliis, ad motiva, & circumstantias inducentes proximam possibilitatem occidendi, fornicandi, &c. atque dicere posita ea possibilitate proxima nullam jam superesse libertatem, & obligationem quoad actum ipsum occidendi, fornicandi, &c. qui exprimitur in præceptis. Quod tamen quale sit, nemo non videt. Si autem dicas, adesse rationem disparis intelligentiæ ex parte materiæ, dictum id erit ex præjudicio tuo absque ullo prætensæ differentiæ vestigio in textu sacro, & accommodabis Evangelium cerebro tuo, perfas, nefas, non verò Evangelio, uti par est, cerebrum tuum nulla clara, & coactiva ratione præmunitum; imò nec ulla per se satis idonea, ut apparet ex dictis, ac dicendis.

Art. CXXII. Longè aliter procedit hac in re D. Thom. 2. 2. *quæst.* 60 *art.* 3, & 4. Ubi agit de judicio ex suspicione, & de dubiorum interpretatione circa proximum, atque inducto præjudicato apud Matthæum testimonio, & hoc alio ad Rom. 14. *Qui non manducat, manducantem non judicet*, agnoscit quidem libertatem, & peccatum in actu ipso judicandi, & non in solis præambulis considerationibus. Expedit legere, & considerare totos illos articulos dicos, ex quibus ego hæc ad specimen excerpo. Dicit itaque *art.* 3. *corp. Alio modo provenit* (judicare ex levibus indiciis.) *Ex hoc, quod aliquis malè affectus ad alterum. Cum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut trascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso. Quia unusquisque faciliter credit, quod optat.* Et paulò post *Secundus gradus est, cum aliquis pro vano malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc fit de aliquo gravi est peccatum mortale. Ad* 2. *ex hoc ipso, quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebitè contemnit ipsum, & ideò injuriatur ei.* In *art.* 3. *corp.* repetit postremam istam periodum. Et addit: *Et ideò ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum, ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Deinde *in respons. ad* 1. subdit auream, & ab omnibus receptam merito rationem à priori: *Melius est, quod aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quam quod rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo homine bono. Quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo.* Ac demum *ad* 3. *Ita modo interpretamur aliquid in bonum, vel malum, diffiniendo, sive determinando: & sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque secundum quod est; in judicio autem personarum, ut interpretetur in melius, sicut dictum est.* Prævalet ergo utrobique imperium voluntatis, ad quam solam directè pertinet ratio debiti; nec motivum prævalens alligat intellectum, absque evidentia, ad unam determinatè partem cum inflexibilitate ad oppositam in actu ipso judicandi. Absque evidentia, inquam, cum eodem S. Doctore dicente paulò prius *ad* 2. *Ad hoc potius attendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, nisi manifesta ratio in contrarium appareat.* Sola ergo manifesta ratio pro una parte ita alligat intellectum, ut non possit, nec debeat voluntas niti illum inflectere ad partem oppositam. Dixi, hoc argumentum convincere quasi à fortiori. Quia judicium temerarium contra proximum, quod prohibetur præcepto à nobis ponderatur levibus indiciis, adeoque concipitur adversus motivum prævalens quoad intellectum secundum se.

Exponitur, an, & quando elidant se mutuò, vel non mutuò motiva oppinandi invicem opposita.

Art. CXXIII. EXasserta opinandi libertate, & ex præmissis à nobis expositione

expositione ejus apparet satis, motiva invicem opposita, simulque invicem dissimilia, quorum utrumlibet comparatur cum altero tanquam excedens, & excessum absque evidentia excessus simpliciter pro alterutra parte, non elidere se invicem, neque mutuò, neque non mutuò. Quia elidi unum motivum per aliud nil est aliud, quàm motivum, quod elidi-tur, ita enervari, ac exinaniri, & quasi annihilari, ut omnem prorsus amittat vim proximam permovendi, ac determinandi intellectum, perindè omninò, ac si non adesset, seu non proponeretur intellectui. Patet autem neutrum ex motivis invicem oppositis, quorum utrumlibet potest movere in actu secundo, atque determinare intellectum accedente imperio voluntatis, ita enervari, ac exinaniri per alterum. Cum ergò constiterit intellectum moveri, ac determinari posse per utrumlibet ex ejusmodi motivis; constat utrumque neutrum ex iisdem motivis elidi per alterum. Expedit nihilominus id plusculum exponere, & confirmare ad repellendum, & retorquendum conatum adversariorum in contrarium. Dico igitur consequenter ad ea, quæ præmisi præcedenti discursui de libertate opinandi, probationes, & argumenta partium invicem adversantium elidere se invicem, si sint omninò similia, ejusdemque prorsùs rationis; elidere verò se mutuò, si contingat ea simul esse omninò æqualia inter se, sin minùs non mutuò; si verò probationes, & argumenta sint invicem dissimilia, & diversæ hinc, & indè rationis, vel adæquatè, vel saltem inadæquatè, nunquam se elidere mutuo, sed neque non mutuo, nisi excessus simpliciter ex una parte sit omninò manifestus, ac indubitatus. Distinctionem istam motivorum similium, & dissimilium, & excessus ex una parte certi, ac incerti nullibi satis advertunt adversarii, & multò minùs utilitatem ejus, ac momentum agnoscunt pro præsenti controversia; tametsi & distinctionem adhibuerint claré, & ejus utilitatem suaserim sufficienter in quæstione mea. Indè effectum est, ut iidem adversarii nostri arripuerint ineptè pro toto genere qualiumcunque probationum, & argumentorum, quæ ità convincunt elisionem concessam in priori parte nostræ conclusionis, ut simul repellant elisionem negatam in posteriori parte ejusdem conclusionis. Id quod apparebit haud obscurè; si discutiatur praxis tribunalium, qua maximè nituntur P. Mercorus *in Resp. part. 2. ab art. 16.* aliique nonnulli nobis contradicentes; nempè in tribunalibus forensibus probationes utrimque æquales haberi pro nullis, seu elidi mutuò; si verò sint inæquales, elidi debiliorem, & sententiam nonnisi pro potiori ferri posse: Unumquemque autem esse sibi judicem in negotio salutis animæ suæ inter honestum, & inhonestum, & inter contrarias circa utrumque opiniones, ac proinde debere ferre sententiam definitivam cujusque controversiæ moralis ad instar judicii forensis.

Art. CXXIV. Amplector ego libenter istam inter utrumque judicium internum, & externum, politicum, & monasticum analogiam. Et dico eam nobis plurimùm adfavere. Ut hoc pateat, subjicienda est oculis origo, & regula præallegatæ tribunalium praxis; id est juris ea de re dispositio. Noti imprimis juris est, probationes ejusdem omninò hinc, & indè rationis, atque inter se prorsus æquales pro nihilo reputari, nullamque, in vim illarum, sententiam proferri posse, Constat hoc luculenter ex *toto tit. de probationibus lib. 2. Decretal.* Ubique enim exigitur aliqualis ex altera parte disparitas, ac inæqualitas, ut sententia ferri possit. Et glossa *ibidem cap. Licet causam*, ad illud; *uti possidetis*, dicit sic: *Vbi nullus ostendit titulum, vel uterque, & probationes sunt omninò æquales, nec apparet, quis ad judicium provocavit, sorte dirimatur.* Neque verò minus certum est in eodem casu probationum utrimque similium, ejusdemque rationis, seu, ut vulgò dicitur, generis, si altera earum sit major, ac efficacior, eo ipso exinaniri, seu elidi minorem probationem, atque sententiam debere ferri majori, ac efficaciori probationi conformem. Traditur hoc clarè, & repetitur sæpissimè in eodem titulo de probationibus. Do pauca hæc *ex cap. Cum causam*: *Mandamus*, inquit Gregorius, *quatenus secundum divisiones, quæ per libros antiquos, vel alio modo melius prolabuntur, necnon & testes, famam, & quæcunque alia adminicula, in negotio procedatis.* Ubi eadem omnia pro utraque parte discutiuntur, & sententia addicitur meliori probationi. Benè igitur habet prior pars nostræ conclusionis de elisione tum mutua, tum non mutua probationum invicem similium. Jam si probationes sint invicem dissimiles, diversæque rationis, vel ex toto, vel ex parte, nunquam eliduntur, sed semper proceditur ad sententiam, atque pro ea ferenda spectatur saltem plerumque, motus animi existens in judice. Colligitur *ex 4. quæst. 2. & 3. cap. Si testes.* Ubi post medium habentur hæc verba *ex l. 3. ff. de testibus. Sæpè sine publicis monumentis, cujusque rei veritas deprehenditur, aliàs numerus testium, aliàs dignitas, & auctoritas, aliàs veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Non ergò ad unam probationis speciem, cognitionem statim judex alligare debet; sed ex sententia animi sui existimare, quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur.* Hinc spontè apparet, inductis dissimilibus diversarum invicem rationum probationibus deveniri ad decisionem, ac proindè nunquam dari elisionem mutuam ejusmodi probationum. Nempè data elisione mutua probationum suspenditur necessariò judicium, perindè, ac si nulla pro alterutra parte producta fuisset probatio. Verum attentiùs consideranti apparet indidem ulteriùs, accidere in ejusmodi dissimilaribus probationibus; ut neutra probatio elidatur per alteram; sed utraque simultaneè vigeat, & judex juxtà utramlibet concipere sententiam possit pro varia animi sui dispositione prævia. Etenim si hoc non admittatur, non video, quem satis idoneum sensum habere possint verba illa: *Sed ex sententia animi sui existimare*, debet judex, *quid aut credat, aut parum sibi probatum opinetur.* Quibus congruunt hæc alia sub initium ejusdem Canonis; *Confirmabitque judex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora esse compererit.* Inquiro, quod & quale momentum adjicere possit judex ex sententia animi sui, ut existimet, quid credat, vel rejiciat, seu opinetur non satis probatum? & quem animi sui motum confirmare idem valeat ex aptioribus rei, & verò proximioribus? si altera pars supponitur jam elisa, aut necessariò elidenda per solam vim, & robur partis alterius secundùm se præcisè consideratæ, & ex se præcisè victricis, atque intellectui dominantis, qualiscumque demum præexistat iis judice motus animi, atque sententia, vel etiam subsequatur, aut interjiciatur. Ne igitur perperam utriusque juris directione, ac mandato dicatur instrui eatenus judex, dicendum potius est, neutram partem probationum elidi per alteram in casu, & ambas in conspectu mutuo vigere simul, atque pro obtinenda victoria dependere ex prævia animi dispositio-

ne in judice, non solùm quoad prolationem verborum, sed etiam ut exprimitur in textu, quoad actum credendi, aut rejiciendi, seu opinandi parum probatum. Benè igitur habet secunda quoque pars nostræ conclusionis de motivis invicem oppositis, ac dissimilibus non elidentibus, seu interimentibus se mutuò, & plerumque saltem, neque non mutuò. Nota, ut occludatur aditus abusui prædictorum textuum, & nostræ circà eos ponderationis, illicitum nihilominus semper esse respectu judicis, ut ferat sententiam, seu in materia civili, seu in criminali adversus propriam opinionem, aut etiam adversus eam, quam judicat probabiliorem, utcumque, & quantumcumque probabilis sit, & credatur esse opposita opinio, idque sive circa factum, sive circà jus. Multò verò minùs ei licet, ut ferat sententiam in alterutram partem, dum dubitat, & quoad id, de quo dubitat; nec non dum judicat æqualia esse jura, aut jurium, & facti rationes, ac probationes pro utraque parte. Tametsi enim aliqui auctores, iique non admodum pauci variis modis laxent habenas judicibus quoad hoc punctum, ego illis usque adeò eatenus dissentio, ut si quid subsidii accedere possit alicui ejusmodi laxitati ex iis, quæ vel hic præmisi, vel alibi dixi, illa eatenùs indicta velim, ac reprobem. Verum hoc istic obiter ad cautelam. Vide P. Anton. Perez *tract. de just. disp.* 4.

Art. CXXV. Confirmari illud ipsum, quod dicebam ex professo, dilucidius potest auctoritate D. August. *lib. de princ. Rhet. cap.* 8. Ubi agit de controversiis, quæ non propriè, sed impropriè tantùm controversiæ dicuntur, quatenus non sunt in utramlibet partem opinabiles, sed vel in neutram, vel in alteram tantùm partem, propterea que propriè dicuntur plegmata aloga, hoc est propositiones irrationabiles, seu inopinabiles, utpote de quibus non ita ratiocinari in utramlibet partem possibile est, ut utraque pars suasibilis sit, reddaturque opinabilis. Istiusmodi porrò controversias non controvertibiles, seu plegmata aloga, & propositiones, & quæstiones irrationabiles, dicit quatuor omninò speciebus circuncludi. Prima species est, cum ob defectum circumstantiæ, nempe causæ, personæ, loci, aut alicujus alius ejusmodi, in neutram partem moveri quidquam potest, & de hac specie pronunciat sic August. *Hoc autem genus asystati* (in consistentis) *in scholasticam materiam non potest cadere, idcirco quia esse non poterit ullum thema deficiente circumstantia.* Secunda species est, cum suspendit intellectum probationum hinc, & inde productarum omnimoda similitudo, & æqualitas. Istam speciem definit, & subjecto exemplo declarat August. valdè appositè ad rem nostram his verbis: *Alter est modus asystati, quem cata insotita appellant; Nos tamen, si nomen Latinum dare non possumus, tamen vim intelligere debemus. Nam cum eadem utrumque dicuntur, & nulla re, ne parva quidem discernuntur, tamen hujus plegma, propter æqualitatem utriusque partis, statum implicat. Ut vicini adolescentuli, qui speciosas uxores habebant, noctu alter alterum obvium habuerunt, accusant invicem adulterii. Nam quidquid altera pars dixerit, hoc altera dicat necesse est. Verisimile est te adulterium voluisse committere, quia adolescens es. Te quoque verisimile est, voluisse, quia adolescens es. Verisimile est, quia speciosam uxorem habeo. Facultatem tibi vicinitas præbuit. Et tibi eadem vicinitas præbuit. Et tibi eadem vicinitas præbuit facultatem. Cur nocte in me? Cur tu autem in me incidisti? Nil est, quod distinguatur, & idcirco uter eorum, sive accusat alterum, se criminatur; sive se purgat, defendit rem, quam criminari videtur.* Tertia species est, cum probatio unius partis ita obruit probationem alterius, ut excessus sit manifestus, ac indubitatus, ideòque sententia non nisi pro parte priori concipi potest. *Tertium est asystati genus,* ait August. *quod Græci cata meteromeriam appellant, id est, secundum alterum partem, cum reo nulla defensio est, & aut color in facto non invenitur, aut parum probabilis color invenitur.* Subdit verò paucis interjectis, quod expedit animadvertere in rem nostram. *Nos, si afferatur aliquid ad defensionem, vel mediocriter probabile admittimus:* hoc est à toto asystatis genere subducimus, & alicubimus numero controversiarum opinabilium in utramque partem. Qui sensus redditur adhuc clarior ex hac immediatè adjuncta adversativa: *Sed si evidenter confessa causa est, ut oportet secundum hanc veniam, explodemus.* Quarta denique species est, quando præeunte initio dissimilitudine probationum hinc, & inde, & superveniente postea contraria dissimilitudine totus demum cumulus probationum ex una parte evadit omninò similis, & æqualis toti cumulo probationis ex altera parte, propterea que suspenditur necessariò judicium, & quæstio redditur prorsus inopinabilis. Audiatur expositio August. & exemplum. *Quartus est modus asystati, vel exiguissimus, adeò ut doctis etiam hominibus soleat obrepere. Habet enim nonnullam speciem probabilis, confidentissimæ materiæ.* Quia nimirum similitudo, & æqualitas motivorum in hac specie consurgit, & est mihi duplici correlativa dissimilitudine. *Ea est brevis,* prosequitur August. *in qua judex ferendæ sententiæ rationem explorare non potest. Hoc Græci aporon vocant. Sed subjiciamus exemplum. Petebat quidam ab alio pecuniam quasi pecuniæ creditæ. Ille accepisse se pecuniam confitebatur, sed depositam, & idcirco velle se reddere sortem sine usura. Pendente interea judicio lex de novis tabulis* (abolitivis debitorum, seu pecuniarum creditarum, & usurarum) *lata est. Repetit ille pecuniam quasi depositam, ille retinet quasi creditam. Non video quid sit hic, quod in sententia ferenda judex sequi possit; Cum petitor idem interdum credidisse, interdum deposuisse se dicat; & ille alter interdum depositam accepisse, interdum creditam; & neuter sua priore, sed alterque alter alterius præterita sententia utatur.* Eaque omnibus ita se habentibus, necesse jam est, vel dicere, quod nefas est, Augustinum inæquanimem, ac defectuosam feciisse partitionem propositionum in neutram, aut in alteram tantùm partem opinabilium; vel fateri, quod intendimus, nunquam se desidere mutuò, aut etiam non mutuò motiva invicem opposita, atque inter se ita dissimilia, ac disparia, ut neutrius excessus simpliciter suprà alterum sit prorsus evidens, ac indubitatus. Quia quando motiva opinandi invicem opposita elidunt se mutuò, in neutram partem est opinabilis propositio, sicut quando pro neutra parte ullum omninò adest motivum: est verò opinabilis propositio in alterutram tantùm partem, quando datur elisio non mutua. Augustinus autem propositiones non opinabiles differenter in utramlibet partem redigit ad quatuor classes. In primo nullum pro alterutra parte adest motivum ob defectum circumstantiæ, & inde dissimile. Secunda exhibet motiva hinc, & inde ita invicem similia, & æqualia ut sint *eadem utrimque, & nullæ, ne parva quidem discernantur.* Ad tertiam classem pertinent motiva, quorum alterius excessus simpliciter suprà alterum est ita manifestus, ac evidens, ut nulla sequi-

superfit defensio, nullus color, evidenterque confessa causa fit, usque adeò ut si adsit aliquid ad defensionem, vel meritò probabile, eo ipso propositio sit propriè controversa, atque in utramlibet partem opinabilis. Quarta denique classis coincidit per gyrum cum secunda, duplici contrariæ rationis dissimilitudine redeunte in similitudinem, & æqualitatem totalem. Patet igitur ex mente Augustini propositionem subsistantem motivis invicem oppositis, inter se dissimilibus, ac disparibus, sed quorum neutrius excessus superat alterum sit evidens, atque omninò manifestus, ac indubitatus, eo ipso esse indifferenter opinabilem in utramlibet partem, ac proinde motiva talia nunquam se elidere, seu mutuò, seu non mutuò. Deducto hæc, nisi omninò fallor, est omninò manifesta, ac intergiversabilis intelligenti, & attendenti.

ART. CXXVI. Expeditius aliud ejusdem Augustini eandem in rem testimonium habetur, *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 8.* Ubi divinarum scripturarum indagatorem circa scripturas controversas, instituit sic: *Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, ut ea quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quæ plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minoresque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc facilè invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* In trimembrisla partitione, extrema primæ, & secundæ comparationis sunt invicem similia, ejusdemque prorsus rationis, sed inæqualia cum excessu manifesto unius partis suprà aliam, propterea quæ eliditur motivuum minus à majori, & eidem majori motivo addicitur determinatè sententia prælativa. In tertia comparatione exhibentur extrema invicem dissimilia, pluralitas ex una parte, gravioritas ex altera, inter quas est manifestus excessus secundum quid utriusvis suprà alteram; at excessus simpliciter alterutrius (quem ipsa dati patet ex observatione præmissa, *art. 112. sine,* est quoad nos obscurus, & anceps, ac proindè sunt ea extrema æqualia negativè quoad nos. Quid tum? Juxta adversarios dicendum esset elidere se mutuo pluralitatem, & gravioritatem, & consequenter scripturas, quas plures Ecclesiæ accipiunt, graviores non accipiunt, aut è converso, perindè æstimandas esse, atque si nullæ illas acciperent, nullæ rejicient Ecclesiæ, hoc est nullius illas auctoritatis reputari debere. At Augustinus è contra, non equidem nullius, sed æqualis auctoritatis habendas illas esse putat. Ergo motiva invicem opposita, & inter se dissimilia, atque excessus simpliciter obscuri, ac ancipitis, nec mutuò sese elidunt; nec non mutuò, sed utraque simul vigent. Locum hunc August. expendit operosè post, & contra P. Bardi P. Mercor. *in Resp. part. 2. art. 22.* eumque dividit in tres partes, seu utipse edicit, casus, sed partem, quæ apud Augustinum est postrema, hinc pluralitatis, inde gravioritatis, quæ pars vel maximè ad controversiam pertinet, penitus in expensione prætermittit, sed nec fideliter eam refert. Videatur si placet.

ART. CXXVII. Ad eundem scopum pertinent omnia ea loca August. in quibus S. Doct. utramque simul partem contradictionis agnoscit probabilem, vel æqualiter, vel inæqualiter. Quia opinio, cujus motivum est jam elisum, seu exinanitum, & annihilatum per motivum oppositum, perindè jam esse probabilis, atque nequit probabilis esse opinio, cujus nullum prorsus est fundamentum. Quare toties implicitè, & æquivalenter dicitur motiva opinionum invicem oppositarum non elidere se, neque mutuò, neque non mutuò, quoties expressè, & formaliter adstruitur simultas probabilitatis opinionum invicem oppositarum, sive æqualis utrobique, sive major ex una parte, & minor ex altera probabilitas agnoscatur. Ejusmodi porrò simultas probabilitatis opinionum, quæ non possunt simul esse veræ, legenti Augustinum occurrit in ipso persæpè. Ecce specimen, *lib. 1. de Serm. Domini in monte, cap. 9. ante med.* præmissa quadam ex Græco significatione vocis Racha: *Probabilius est ergò,* subdit, *quod audivi à quodam Hebræo.* Et *lib. 2. cap. 7. initio,* ad illud: *Panem nostrum quotidianum,* proposita triplici expositione: *Sed horum trium,* ait, *quid sit probabilius considerari oportet, lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 6. propè finem,* cum de Enoch, & Elia dixisset inter alia, *nec morbo, nec senectute deficiunt,* ponderat. *Quantò justius, atque probabilius primis illis hominibus præstaretur? &c.* Et *cap. 18. versus finem: Per Ecclesiam multiformis sapientia Dei probabiliter creditur,* nempe sic, & sic, & opposito modo, *lib. 2. de doctr. Christ. cap. 12. sub initium: Nunc autem collato interpretum sensu probabilior occurrit sententia;* nempè alius duabus inter se, & cum hac tertia incompossibilibus, quas proximè reddiderat, & agnoverat probabiles, *Epist. 54. ad med. Nisi fortè quis dicat alia bonorum, alia malorum esse peccata; quod non usquequaque improbabiliter dicitur.* Ubi supponitur oppositum etiam esse probabile, & quidem priori certius. Addit inibi, *post med. Aliquando autem misericordes, & in ipso dubio nolunt homini pro incerta pecunia, certa inferre supplicia. Ad hanc misericordiam etiam nos provocari, & exhortari decet. Melius enim* (ergò & oppositum sine peccato, & fit, & docetur) *etiam si habet, amittis, quam si non habet, aut excrucias, aut occidis, epist. 59. col. 2. initio. Sed quod alii codices habent, &c. obscurius est quidem, sed electiori sententiæ videtur aptius convenire, epist. 118. cap. 7. Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, &c. Honestius autem arbitror ea hora fieri, &c.* Ac deindè probabilitati, & licito usui utriusque opinionis subscribit his verbis: *Quapropter neminem cogimus ante Dominicam, illam cœnam prandere; sed nulli etiam contradicere audemus.* Neutrius igitur sententiæ ratio rationem oppositæ sententiæ elidit apud Augustinum.

ART. CXXVIII. Verum ponet ob oculos distinctius mentem Augustini, & rem nostram casus conscientiæ in hac eadem postrema Epistola, *cap 3.* ab eodem Augustino resolutus. Quæritur, an sit licita quotidiana Eucharistica communio? Præmittit Augustinus sententiam affirmantem, & negantem cum suis fundamentis, & negantem quidem sic: *Dixerit aliquis non quotidiè accipiendam Eucharistiam. Quæsierit, quare? quoniam,* inquit, *eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiùsque vivat, quò ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Affirmantem mox sententiam proponit his verbis: *Alius contra: Imò,* inquit, *si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipias, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cum libet, vel auferat se communioni, vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus aliquibus* (fortè aliquatenus) *homo judicetur non se debet à quotidiana medicina Domi-*

Dominici corporis separare. Necesse jam est, fundamenta affirmantis hujus, & negantis sententiæ, vel æqualia esse, vel inæqualia. Si sunt æqualia elidunt se mutuò juxtà adversarios, & necessariò suspenditur judicium, sicut suspendit dubitans, dum dubitat. Si autem inæqualia dicantur, uti reipsa sunt, cum sint dissimilia, à majori elidit ur minus fundamentū juxta eosdem adversarios, & illi soli parti potest præstari assensus. Necesse igitur erat ex eorundē sententia, Augustinum, de quo dubitari non potest, quin utriusque partis fundamenta consideraverit satis, & percalluerit; vel alteram ex illis opinionibus approbare cum suæ praxi, & alteram reprobare cum sua; vel certè neutram, aut approbare, aut reprobare, atque fateri, nescio, quid dicam. At Augustino neutrum horum visum est, sed agnovit simultaneum eorum motivorum invicem oppositorum vigorem, ac sufficientiam, & permittit unicuique assensum, & praxim utriusvis opinionis juxta motum piæ affectionis in unoquoque prævalentis. Piæ, inquam, affectionis, quia rationes opinandi non variantur directè pro diversitate individuationum, & habituum, & resultantium exillis cognitionum, sed solæ cognitiones affectivæ, ipsique affectus. Audiantur verba resolutoria Augustini immediata ad controversiam modò relatam. *Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque, quod secundum fidem suam piè* (ex vi piæ affectionis) *credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus, & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri proposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit: Non sum dignus. Ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo: Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consequuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat; sic in ore cuiusque Christiani Sacramentum illud quomodo sumatur, æstimandum* (sequente utique diversitate judiciorum diversitatem affectuum.) *Nam & ille honorando non audet quotidiè sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium.* Cenet igitur Augustinus præventos itidem apud utrumque rationibus dubitandi hinc, & indè diversis posse, & physicè, quod modo intendo, & honestè, de quo dicam paulò post, subinducere judicium practicum diversum ex diverso imperio voluntatis juxta diversitatem præexistentis piæ affectionis, atque adeò rationes dubitandi non necessariò se invicem elidere saltem mutuò, & sæpè nec non mutuò. Nempè occurrunt sæpè rationes dubitandi proportionales rationibus Augustinianæ hujus quæstionis, quarum tamen neutra putatur ab Augustino elisa fuisse per alteram.

Superadditur auctoritati ratio circa elisionem motivorum intellectus.

Art. CXXIX. Auctoritatibus, quæ cogunt intellectum, adjungenda modo est ratio, quæ quietet eundem. Ratio, inquam. rum elisionis mutuæ motivorum similium, & æqualium, tum non mutuæ similium, simulque inæqualium, seu inæqualium intra eandem speciem, tum nullius elisionis motivorum dissimilium, seu diversæ invicem speciei, adeòque inæqualium, dummodo excessus simpliciter, in quam determinatè cadat quotem, sit anceps. Quicunque opinatur circa aliquod objectum, necesse est, ut assentiatilli, vel dissentiat, & neutrum facere potest, quin motivum alterius præferat motivo dissentiendi, aut è converso. Impossibile autem est, ut quis præferat motivum illi quod motivo alii omninò simili, & æquali, & alterum dicat esse verax, alterum fallax. Eo namq; ipso quo præferret, simulq; post haberet eidem secundum eadem, & de eodem secundum idem pronunciaret esse verax, simulque fallax. Quia in omninò similibus, & æqualibus omnia sunt idem præter individuationem, quæ nulla prorsus vi movendi prædita est, præcisè ratione sui; cum nulla prorsus perfectio formaliter ratione sui, sed solùm pura limitatio, ac coarctatio perfectionis specificæ; atque vis movendi intellectum sit perfectio aliqua, ut potè activa eatenus aliquo modo. Impossibile igitur est, ut præventus motivis hinc, & indè omninò similibus, & æqualibus opinetur in alterutram partem, utque vel assentiat, vel dissentiat, ac proindè motiva talia constituant intellectum in eodem indeterminabilis suspensionis statu, in quo foret, si nullum prorsus in alterutram partem appareret motivum. Hoc autem dictum, & est ea motiva elidere se mutuò juxta conceptum elisionis, quem præmisimus ex sensu communi. Rationem istam expositam à nobis in generet, suggessit subtiliter in specie, atque in individualibus terminis Augustinus verbis illis relatis paulò prius num. 125. *antè med. Nil est, quod distinguatur, & idcirco eorum, sive accusat alterum, se criminatur, sive se purgat, defendit eum, quem criminari videtur.* Eademratione facilè concluditur ex motivis similibus, & simul inæqualibus, seu inæqualibus intra eandem speciem, quod minus est, elidi à majori motivo. Quia si excessus majoris motivi præscindatur formaliter à reliquo, per hoc reliquum intelligitur elisum mutuò totum motivum minus, ut patet ex ratione mox ponderata. Ergò excessus ipse superest cum eadem omninò vi pertrahendi intellectum ad ie, qua vigeret, si nullum prorsus motivum adesset pro parte oppositā; ac proindè motivum minus elidit absolutè à toto motivo majori, & non è converso, atque intellectus manet necessitatus, ut is quidem opinetur, soli possit accommodari, ac assentiri eidem motivo majori: Jam quando motiva sunt dissimilia, seu diversæ hinc, & inde speciei; atque excessus simpliciter alterutrius determinatè supra alterum est immanifestus, ac anceps; ex eo apparet neutrum elidi totaliter, ac omnimodè ab altero. Quia videlicet utrumlibet ex hujusmodi motivis præcisis alteri quoad perfectionem differentialem, ac propriam suæ speciei, & simul superatur ab eodem altero quoad perfectionem differentialem, ac propriam ipsius alterius. Quodlibet enim habens in se aliquid perfectionis, quod deest in altero, eatenus excellit, & hoc alterum eadem tenus excellitur. Cum ergo utrumlibet ex motivis specie diversis habeat in se perfectionem suam specialem, qua caret motivum oppositum, constat utrumlibet eorum præcellere teri secundum aliquid, & vicissim superari ab eodem altero secundum aliquid. Ostensum autem nuper fuit motivum simpliciter minus elidi per motivū simpliciter

alter majus, non è converso; motiva verò invicem omninò æqualia elidere se mutuò totaliter. Utrumlibet igitur ex motivis invicem oppositis, & dissimilibus inter se specie elidit alterum, & eliditur vicissim ab altero secundum quid; & quando neutrius excessus simpliciter, & absolutè suprà alterum est manifestus, ac evidens, atque omninò certus, neutrum elidit alterum, aut eliditur ab altero simpliciter, ac totaliter, sicut accidit mutuò in motivis omninò similibus, simulque omninò æqualibus, & non mutuò in simul inæqualibus, sed superest in unoquilibet eorum perfectio specialis, & propria ipsius tanquam victrix, & excedens negativè, quatenus non est certum, ac manifestum, quod superetur absolutè à perfectione speciali, ac propria motivi oppositi, cum tamen sit certum, ac manifestum, quod se tota sit excessus quidam suprà totum motivum oppositum.

Art. CXXX. Quapropter, ut jam accedam ad finem principalem immediatum totius hujus discursus, intellectus præventus motivis ejusmodi diversarum specierum, vi eorum manet indifferens, & proximè dispositus, ut accedente adminiculo extrinseco inclinationis, & imperii voluntatis, vel tenderat ad utrumlibet eorum ad instar excedentis simpliciter, assentiendo illi, quandoquidem reipsa habet similitudinem quamdam cum excedenti simpliciter, velut ad neutrum feratur, & neutri adhæreat absolutè, cum utrimque habeat, per quod sufficienter retinbatur. Confirmatur hoc, & explicatur exemplo libertatis puræ contradictionis, seu puri exercitii, de qua iterum suprà, sed sub alia luce. Præventus motivo fallibili assentiendi alicui objecto, quin simul appareat ullum motivum discutiendi, eo ipso constituitur liber libertate contradictionis, seu ad assentiendum, & ad suspendendum assensum. Qua in re omnes absque ulla controversia conveniunt. Ratio autem non alia esse potest, quàm quia motivum fallibile, & continet in se perfectionem aliquam, qua fundat spem attingendæ veritatis, si ipsi præbeatur assensus, & simul subest alicui imperfectioni, qua fundat periculum, & incutit timorem incidendi in falsitatem, nisi suspendatur assensus; atque excessus perfectionis suprà imperfectionem, & spei suprà periculum, ac timorem, nec non è converso est incertus, & anceps. Unde fit, ut intellectus per tale motivum reddatur habilis, & dispositus in actu primo proximo, tum ad adhærendum illi perfectioni per assensum, tum ad fugiendum ab illa imperfectione per suspensionem assensus, juxtà inclinationem, & imperium voluntatis liberæ, vel erectæ ad eam spem, eandemque amplectentis, vel succumbentis illi timori, & præcaventis illud periculum, quin perfectio ejusmodi, & imperfectio, spes, & & timor elidant se, vel mutuò, vel non mutuò ex parte actus primi. Eadem autem est ratio de perfectionibus, & imperfectionibus duorum motivorum specie diversorum invicem confligentibus, cum obscuro, & ancipiti excessu simpliciter in ordine ad assensum, & dissensum, vel ad assensum hujus, & oppositi, nec non ad suspensionem utriusque simul, quæ est de perfectione, & imperfectione unici motivi simpliciter sibi invicem repugnantibus in ordine ad assensum, & ad suspensionem assensus, uti facilè & clarè apparebit volenti considerare. Idem ulteriùs confirmari validè potest à posteriori, observata pertinaci æmulatione hominum, conditionum, aut possessionum specie diversarum cum excessu simpliciter aliarum suprà alias obscuro, & ancipiti, aut non usquequaque apud omnes manifesto, propterea que unisquibusque æstimantibus, atque omninò judicantibus, juxtà affectus proprii prædominium, suam seu conditionem, seu professionem esse meliorem, ac præstantiorem, quàm seu conditionem, seu professionem æmulorum suorum. Æmulationes ejusmodi, ac dissensiones sunt nimis notæ inter litteratæ, & militaris professionis homines; inter Senatores, & Duces; inter nobiles vetustos, sed tenues, ac imbecilles, & novos, sed opulentos, ac prævalidos; inter Monarchicos, & Republicanos supparis utrobique gradus; pictores inter & statuarios inter hos utrosque; & fusores, & sic de aliis innumerabiliter. Quæ certè æmulationes, & judiciorum, de præeminentia invicem oppositorum, dissensiones dari nequaquam possent, si intellectus flecti non posset in utramlibet partem vi præeminentis affectus; & imperii voluntatis, sub motivis specie diversis, & ancipitis mutui excessus simpliciter. Nempè rationes, quibus singuli ex prædictis nituntur, sunt obviæ, & æquè benè notæ apud utramque respectivè factionem, atque illas sibi invicem satis, superque notificant opportunè, importunè, ac proindè ex sola affectuum discrepantia erumpunt in assensus contrarios, unoquoque æstimante rationes sibi faventes tanquam absolutè, & simpliciter meliores, illisque adhærendo tanquam veracibus, & rejiciendo rationes contrarias tanquam inferiores, ac fallaces. Neutræ igitur ejusmodi rationes se invicem unquam elidunt, sed ambæ simul fovent assertam libertatem specificationis.

Satisfit duobus argumentis adversus libertatem opinandi.

Art. CXXXI. EX dictis hucusq; facilè diruuntur duo fundamenta adversatiorum, quæ proposuimus *suprà art.* 109 & 110. Ad 1. quod erat de potentia necessaria, & contra, dicendum est, intellectum esse quidem potentiam ex suo præcisè conceptu formali necessariam, non tamen ea necessitate, qualis reperitur in elementis, & mixtis inanimatis, nec non in aliis rationis, & consertæ eidem rationi universalitatis expertibus, sed esse potentiam rationalem, & proindè universalem ad totum ens, atque multimodis ordinabilem, ac perducibilem ad scopum, & centrum suum, quod est veritas, eadem utique proportionali ratione, qua voluntas, propter omninò similem, & æqualem amplitudinem universalem objecti, variis, ac multimodè diversis viis ordinatur, ac perducitur ad scopum, & centrum suum, quod est bonitas. Ratione autem hujus uniformis in utraque potentia universalitatis objecti, & consequentis ad istam universalitatem multiplicitatis mediorum invicem incompossibilium, accedente insuper movibilitate utriusque potentiæ, non per resipsas, seu per veritatem, & bonitatem, ut sunt in se à parte rei, seu per easdem prout, & quatenus apparent in præviis, seu apprehensionibus, seu enunciationibus, quas evenit esse invicem inæquales inæqualitate contraria ei, quæ convenit in se rebus repræsentatis, sicut etiam evenit hanc ipsam inæqualitatem, tam rerum, quàm cognitionum ita defectuosè, ac inadæquatè repræsentari, ut non innotescat manifestè, & cum totali certitudine, utra ex parte determinatè se teneat excessus simpliciter, tum rei, tum repræsentationis, sed utrai bet maneat tantùm veluti excedens quoad aliquid, & veluti

veluti excessa quoad aliquid aliud, ac proindè utralibet sit idonea movere, tum ad instar excedentis simpliciter, tum ad instar simpliciter excessæ. Ratione, inquam, horum omnium, & totius hujus inter intellectum, & voluntatem similitudinis mutuæ, convenit utrique huic potentiæ assimilis indifferentia ad actus invicem oppositos, atque voluntas potest imperio suo, seu in genere causæ efficientis, ad quod genus reducitur causa applicativa, determinare intellectum ad utramlibet partem contradictionis, & contrarietatis eodem prorsus modo, quo potest seipsam determinare formaliter per electionem, quandocumque cætera sunt utrobique proportionaliter paria, ut apparet ex discussis superius, & modo subindicatis rationibus.

Art. CXXXII. Ex quibus itidem apparet clarè, quàm sit irrationabile, ac indisciplinatum, atque ex superficialitate vulgi velle urgere argumentum à pari, pro restrictione, & limitatione intellectus ad unum, ex bilance, aliisque inanimatis, aut etiam animatis, sed rationis expertibus, ideoque incapacibus moveri, præterquam ad unum, & uno modo, & motivis hinc, & indè ejusdem prorsus rationis, uti movetur bilanx sola ponderum injectorum gravitate, qua gravitas est, cæteris prædicatis se habentibus purè materialiter; cùm intellectus diversimodè afficiatur per auctoritatem, & per rationem, nec non per rationem à priori, & à posteriori, atque per singulas quasque harum, similiumque motionum differentias specificas cum facultate solius rationalis potentiæ propria super illas reflectendi, easdemque invicem comparandi. Ex hac eadem inter intellectum & voluntatem quoad ejusmodi prærogativam convenientia, & similitudine apparet præterea, quàm inanis sit conatus volentium statuere differentiam majoris determinationis ex parte intellectus ad veritatem, & ad prævalentem apparentiam ejus, quàm voluntatis ad bonitatem, & ad prævalentem apparentiam ejus; cum necesse palam sit utramque potentiam æquè inclinare ad scopum, & centrum suum, & utrique æqualiter insinuetur apparentia, & veritatis, & bonitatis hinc, & indè prævalens secundum quid absque clara, ac prorsus manifesta discretione excessus simpliciter ex una potiùs parte, quàm ex opposita; Unde demum obrepit sæpè tam intellectui, quàm voluntati determinatio ad extremum reipsa nocivum, decerpto intellectu, & depravata voluntate propter victoriam, & prælationem motivi, quod reipsa erat dignum postponi, & absolutè oportebat postponere.

Art. CXXXIII. Quod ad aliud attinet fundamentum *ex art.* 110. arguens ex motivis hinc, & indè omninò æqualibus ad motiva invicem inæqualia, ostensum jam est copiosè, & efficaciter, tum auctoritate, tum ratione diversam longè, imò & contrariam prorsus rationem esse motivorum hinc, & indè invicem æqualium, & invicem inæqualium quoad libertatem opinandi. Quæ videlicet perit sub motivis æqualibus, & viget sub inæqualibus. Videatur præsertim, *art.* 129. pro claritate, & veritate hujus differentiæ, imò contrarietatis. Unde quod tradit D. Tho. *art. illo* 1. *q.* 14. *de verit.* intellectum perindè habere ac suspendi sub totali defectu moventium, & sub apparenti eorumdem in utramque partem æqualitate, est verissimum, & nobis eatenus favet expressè quoad priorem partem nostræ sententiæ circa controversiam istam de libertate opinandi. Tantùm oportet meminisse sententiæ ex professo traditæ à D. Thoma de totali necessaria similitudine mutua quorumcumque omninò æqualium inter se, atque è converso de necessaria æqualitate quorumcunque invicem omninò similium, tam intensivè, quàm extensivè, uti retulimus *suprà art.* 113. *in fine.* Quod deindè superaddit eodem illo in loco D. Thomas de majori inclinatione opinantis ad unam partem, quàm ad oppositam, debet imprimis componi cum multis illis, ac claris ejusdem S. Doctoris testimoniis, quæ superius producta à nobis sunt, de libertate opinandi hujus potiùs, quàm oppositum. Indè enim necessariò concluditur, hoc, quod dicitur de majori ad unam partem inclinatione, accipiendum esse de majoritate inclinationis tantum secundum quid, quantum ex vi motivi intellectus secundum se præcisè considerati; atque in conceptu inclinationis simpliciter majoris, & determinantis intellectum in actu secundo includi inclinationem etiam, & imperium voluntatis, ut inter expendendum testimonia illa patefactum est, & omnes indubitanter agnoscunt, dum sermo est de eadem majori inclinatione, ac determinatione intellectus ad unam partem, prout opposita suspensioni, & inclinationi ad suspensionem assensus simul, & dissensus, atque assensus oppositi. Pro notatum nimirum à nobis est semel, ac iterum eadem quoad hoc rationem esse de libertate quoad specificationem, quæ est de libertate quoad exercitium, hoc est, eandem esse rationem de majori inclinatione intellectus ad assensum, quàm ad dissensum, vel ad assensum oppositum, quæ est de majori inclinatione ad assensum, quàm ad puram ejus suspensionem, & sic de dissensu, & ejus suspensione, nec non de suspensione assensus simul, & dissensus, vel assensus oppositi.

Art. CXXXIV. Observandum præterea est, ex modo, quo loquitur in hi D. Thomas, apparere satis, sermonem sibi esse de motivo inclinante, cujus majoritas, & excessus suprà motivum oppositum non sit omninò indubitatus, ac evidens. Loquitur enim de motivo insufficienti *ad hoc, quod determinet intellectum ad unam partem totaliter, & ratione ita accipit in intellectus unam partem, ut tamen dubitet semper de opposita, & subsit formidini ejusdem.* Qui autem præstat assensum ex motivo, tametsi utcumque fallibili, evidenter tamen, atque omninò manifesto majori, ac fortiori, quàm sit motivum oppositum, eo ipso accedit magis ad scientem, quàm ad dubitantem, inter quæ extrema ipsum opinati est medium, ideòque constituitur eo in gradu certitudinis moralis, & consequenter non dicitur abhorrere, & absque addito aliquo diminuenti, quod debeat semper de opposito, & subsit formidini, & quod non determinetur totaliter ad unam partem. Non enim hæc dicimus de eo, qui creditse non esse occidendum ab amico sibi diutissimè fido, ac familiari, nullaque prorsus occasione provocato ad iram, quando ab eo invitatur ad prandium, & sic de similibus moraliter certis. Loquitur ergò D. Thomas de majoritate, & excessu motivi, seu moventis ante de piti, ac incerto. Majoritas autem, & excessus motivi pro una parte suprà motivum ad partem oppositam, anceps, ac incertus non plus valere potest ad tollendam libertatem specificationis, quàm ad tollendam libertatem exercitii motivum fallibile ad tollendum omnes hoc motivum non sufficere ad tollendam hanc libertatem. Ergò nec illud ad illam tollendam sufficit. Non igitur exigit D. Thomas ad opinandum hoc potiùs, quàm oppositam majoritatem motivi

motivi ablativam libertatis quoad specificationem.

ART. CXXXV. Certè pro transitu, qui subrexebatur in argumento, à dubitatione, & suspensione ad opinionem, & determinationem positivam intellectus; necesse nequaquam est, ut superveniat tale motivum restrictivum ex se præcisè, atque alligativum intellectus ad unam partem. Primum enim transitus à dubitatione, & suspensione ad opinionem, ac determinationem positivam intellectus non solùm accidit sub occursu motivorum invicem pugnantium pro assensu, & dissensu, vel assensu contrario, sed etiam accidit sub occursu unici motivi adæquati fallibilis absq; alio motivo in contrarium. Sæpè enim dubitamus, & hæremus aliquantum dubitantes non solùm, an assentiamur, vel dissentiamur alicui objecto, vel assentiamur objecto contrario, sed etiam, an assentiamur, vel purè suspendamus judicium, ac deindè transimus non minus à prima, quam à secunda dubitatione, ac suspensione ad actum opinionis, & ad determinationem positivam intellectus. Certum autem est apud omnes, ut sæpiùs, ac multipliciter suggerimus, transitum à dubitatione, ac suspensione ad resolutionem dubii, & ad actum opinandi sub occursu unici motivi fallibilis absque ullo alio motivo in contrarium, non accidere ex vi sola motivi intellectualis ex se præcisè determinantis intellectum independenter ab affectu, & imperio libero voluntatis. Quia nullum motivum fallibile, nullaque fallibilis motivorum collectio usque adeò potenter, ac efficaciter propellit, ac determinat intellectum, ut non possit suspendi nihilominus, & hærere dubitando ex imperio voluntatis cohibentis assensum propter periculum errandi, quod semper inest motivis fallibilibus. Ergo transitus à suspensione assensus opinativi ad assensum ipsum nunquam fit vi solius motivi supervenientis de novo, sed requiritur insuper imperium voluntatis cooperantis motivo intellectuali objectivo subortum ex motivo affectivo, & proprio ipsius voluntatis. Idem igitur accidere similiter potest circa transitum à dubitatione, & suspensione inter assensum, & dissensum, vel assensum contrarium ad utrumvis eorum potiùs, quam ad oppositum. Quam consequentiam esse legitimam, non multò prius ostensum à nobis fuit.

ART. CXXXVI. Deindè experientia cujusque propria, & ratione facilè obvia liquido apparet volentem opinari circa aliquid, quod jam conficit sibi esse indemonstrabile, primo conatu excogitare rationes hinc, & indè dubitandi, quotquot invenire, & complectimente potest, iisque omnibus simultaneè in prospectu habitis non propterea existere protinus, saltem juxtà modum agendi magis ordinarium, opinionem, & determinationem intellectus, sed eam adhuc aliquantisper differri, tametsi nulla amplius superfit spes, nec adhibeatur conatus inveniendi ulteriorem aliquam opinandi, ac determinandi rationem directam, ac proinde tempus interea, & conatum unicè impendi deliberationi, ac consultationi reflexæ, utris potissimum rationibus invicem pugnantibus oporteat assensum accommodare; quod fit easdem rationes inter se conferendo, atque librando, donec voluntas afficiatur magis ad aliquam, vel al quas earum rationum, quàm ad oppositas, ac demum eligat eisdem illis potissimum assentiri, atque eligendo imperet intellectui, eundemque determinet, ut assentiatur. Itaque ut quis opinetur, postquam fluctuavit inter rationes dubitandi invicem oppositas, oportet, ut consultet de eligenda opinione, & præferendis rationibus his, vel illis in ordine ad attingendam veritatem, sicut oportet, ut consultet circa quodvis aliud medium genus, quicumque præconcepit plura invicem media incompossibilia, ut eligat aliquod illorum in ordine ad finem præintentum: & sicut non potest pervenire ad executionem cujusquam medii in alio quovis genere, nisi per hujusmodi consultationem, & electionem; ita nemo potest concipere opinionem victricem, & solutionem dubitationum, nisi per easdem. Ergo tam libera est electio ejusmodi opinionum, atque electio quorumvis aliorum mediorum. Attestatur huic veritati privata cujusque, & publica universitatum sollicitudo in conquirendis magistris, qui non solùm sint magni, & fœcundi acuminis ad inveniendas multas, & subtiles rationes dubitandi, sed etiam sint, & hoc maximè, maturi, & optimi judicii ad eligendas opiniones, prout oportet. Quæ profectò posterior pars sollicitudinis esset inanis, & stulta, si ex adinventis rationibus dubitandi, quæ re ipsa est major, ac efficacior, traheret ad se necessariò intellectum, nullusque superesset locus arbitrio, & liberæ electioni in opinando hoc potiùs, quàm oppositum, atque in præferendis, ac approbandis his determinatè rationibus dubitandi potius, quàm oppositis. Quapropter ædè rationes dubitandi, quæ primo, ac directo suo aspectu, aut etiam reflexo, sed inchoato tantum, ligabant intellectum, tenebantque suspensum; accedente deindè perfecta, & adæquata comparatione reflexa, & mox subsequuta electione, ac prælatione efficaci voluntatis, conferunt ad solutionem, & progressionem ejusdem intellectus, atque rationibus prælectis, & assensione ipsa confirmatis, jamque prædominantibus in animo dissolvuntur, ac dissipantur rationes contrariæ, & finis imponitur controversiæ, totique dubitationi.

Subinseritur duplex confirmatio eiusdem libertatis opinandi.

ART. CXXXVII. HUjusmodi in opinionis determinatione cooperatio mutua intellectus prælucentis primum, ac dirigentis, tum dubitando, tum consultando, ac deinde obsequentis per assensum, vel dissensum, vel assensum contrarium, necnon voluntatis per interjectum utrique illi operationi intellectus electionem, & imperium, suaderi ulterius ex eo potest, quia notissimum discrimen fluctuationis inter duas partes adversas, quæ est propria opinabundi, & firmæ, ac tenacis adhæsionis ad unam partem determinatè, quæ ex natura ipsa rei suboriri solet in jam opinante, non aliundè provenire potest, quàm ex prædicta conjunctione, & cooperatione mutua intellectus, & voluntatis in opere opinandi. Qui agit de decidenda controversia aliqua, & de statuenda propria circa illam opinionem, antequam actu decidat, & opinetur, sentit se ita facilem ad utramlibet partem, ut nulla sit difficultas non solùm in utralibet, verùm neque in utraque simul parte reticienda per putam suspensionem judicii: Si audiat obloquentem adversus rationes utriusvis partis, easdemque censurantem acerbè tanquam minus probabiles rationibus contrariis, tanquam leves, nulliusque momenti, dissonas, &c. nil afficitur, nil movetur, fautores, & adversarios utriusque partis æquè æstimat eatenus.

Hæc opinabundus. At postquam opinatus jam est, atque in alteram determinatè partem incubuit, magnam imprimis sentit difficultatem in cantanda palinodia, & necogitare quidem, nisi ægerrimè, potest de transitu ad sententiam contrariam. Unde est celeberrima laus Augustini ex libris retractationum, tanquam de re heroica, & summè ardua, non minùs, si non & magis, quam ex libris Confessionum, peractaque in illis affectuum pravorum pœnitentia. Contradicit deindè ferventer impugnanti, aut utcumque deprimenti fundamenta suæ opinionis, eaque dicenti minus probabilia, ac solida, quàm sint fundamenta contrariæ sententiæ; acerbiores verò ejus suæ sententiæ, ac fundamentorum censuras, ac vilipensiones audire nequit absque amaro doloris sensu. Talis profectò est animi dispositio, quam ex sua natura inducit determinatio sententiæ in alteram partem controversiæ, nisi aliundè cohibeatur per motiva respectu opinionis extranea, & per sanctos affectus. Eadem demum ratione, & sub eadem conditione parvi pendit auctores opinionum suis plerumque contrarios. Quæ cum sint experimentaliter nimium manifesta, necesse est, ut habeant fundamentum, & rationem à priori in speciali opinantis, qua opinantis actualiter, & determinatè, dispositione ex parte, vel intellectus, vel voluntatis, vel utriusque. Constat autem provenire illa minimè posse ex motivo intellectus secundum se præcisè consideratо. Quia motivum intellectus ad opinandum est idem, & cognoscitur æqualiter, dum sumus in actu primo proximo opinandi, & cum jam opinamur de facto. Opinamur enim ex eodem motivo, quo constituimur proximè potentes opinari; nec cognoscimus illud magis, dum opinamur actu, quàm jam præcognoscerentur ab opinaturis, quandoquidem ideò opinando assentimur illi, quia jam innotuerat, & non ideò innotescit, quia jam illi assentimur. Quidquid autem existit denovo ex parte intellectus secundum se præcisè, necesse est, ut proveniat ex objecto motivo ipsius proprio, quatenus eidem apparente. Necesse igitur est, ut discrimen prænotatum inter opinabundum, & opinantem revocetur, tanquam ad primam radicem, ad actum voluntatis, quo præeligitur, præmatur, ac imperatur opinio, in quam erumpimus de facto, & postponitur, negligitur, ac impeditur opinio opposita. In eo nimirum actu voluntatis elucet sponte ratio omnium prædictorum. Primò etenim motivum eligendi, & illud ipsum, ad quod eligendum movet, diliguntur magis per actum ipsum electivum, quàm diligantur, dum sumus in actu primo proximo eligendi. Præferuntur enim affectivè per actum electionis iis, quibus in actu primo proximo eramus indifferentes, ut postponerentur. Deinde actus electionis placet specialiter per seipsum eligenti, eundemque sibi usque adeò potenter, ac efficaciter devincit, ut cui fuisset facillimum eligere oppositum, sit jam difficillimum, si & impossibile prorsus non est, ab electione jam facta recedere, & ad oppositam transire electionem rebus omnibus aliis eodem modo se habentibus. Id quod elucet vel maximè ex comparatione vehementer terribili ex una parte, & æquè delectabili ex altera, Angelorum, & Dæmonum, quibus utrisque fuit facillimum, ut in oppositas iis, quibus incubuere de facto, electiones concederent, utque evaderent, seu permanerent Angeli, qui sunt Dæmones, aut è converso. Utrique enim suberant assimili, & intrinsecè, ac entitativè pari intellectus, & voluntatis, naturæ, & gratiæ dispositioni proportionali prævia. At postquam elegere, ut placuit, ita mansere devincti electioni quisque suæ, ut ab ea recedere, & vices permutare proposito æternum immobiles, ac inflexibiles, id illius, ut cum Divo Thoma, allisque communiter tradidimus, *quæst.* 28. *de Ang. lib.* 2. *Curs. Theolog.* Ista autem tanta illigandi vis, & usque adeò vitalis tenacitas electionis, utpotè placentis per seipsum eligenti super omnia incompossibilia secum, eandemque consequenter removentis, quantum potest, ab omnibus, & quibusvis ex se idoneis ad inducendam electionem contrariam, aut suspensionem jam factæ, pervagatur proportione servata per omnes cujusvis generis electiones. Quia in omnibus viget proportionaliter ratio à priori modo insinuata, idemque suadet, servatis servandis, ratio à parti electione Angelica. Revocata igitur origine, & causa determinationis ad opinandum in electionem liberam, & imperium voluntatis, apparet promptissima ratio clara, & permanentiæ difficulter revocabilis in opinione semel concepta, & displicentiæ omnium, & qualiumcumque adversus eandem impugnationum, & impugnantium, quæ ipsa ratio in opposita sententia non satis apparet. Nec enim dici potest eam, & tenacitatem opinionum, & displicentiam contrariorum provenire ex complacentia consequente, per quam sua cuique placet opinio. Quia si determinatio intellectus ad hanc potius opinionem, quàm ad oppositam non proveniret ex imperio, & electione, libera voluntatis, sed aliundè necessariò resultaret, fieri facilè posset, ut sæpè nobis displiceret opinio, uti accidit frequenter circa plures nostras cogitationes, quarum assultum patimur inviti propter earum, vel improbitatem, vel inopportunitatem, atque earumdem infectationes, ac vilipensiones audimus libenter, libenterque meditamur, & perquirimus. Dicendum igitur determinationem opinionis conceptæ ex fundamento ancipitis excessus, provenire ex imperio libero voluntatis.

ART. CXXXVIII. Addo apparentiam majorem, vel minorem harum, vel illarum contrarium invicem rationum plurimùm dependere ex tali, aut tali dispositione phantasiæ, & æstimativæ materialis, & variari juxta variationem utriusque. Phantasia autem, & æstimativa materialis dependent rursus similiter ex temperamento corporis, & extensione, ac remissione qualitatum naturalium, atque illarum actus variantur juxta variationem in iis existentem. Neminem potrò latet, in temperamento corporali, & in intensione, & remissione quarumtum naturalium magnam, & frequentem, quam pluribus ex causis, suboriri vicissitudinem. Ergo si determinatio intellectus ad unam potius, quàm ad oppositam opinionem consequeretur necessariò juxta apparentiam qualitercumque majorem respectarum potius, quàm oppositarum rationum; necesse omninò esset, ut daretur in nobis vicissitudo, ac permutatio opinionum nimium frequens, certè major, quàm quæ datur reipsa, & per experientiam manifestam certò innotescit. Quod inconveniens cessat revocata ea intellectus ex se ancipitis determinatione ad imperium, & electionem liberam voluntatis, quæ potentia spiritualis operans independenter ab organo corporali, adeoque potens prævalere proposito suo adversus variationes corporales, & potentiarum, ac apparentiarum materialium.

ART.

ART. CXXXIX. Adde & confirmatiunculam aliam ex scrupulosis, quibus, qui dirigendis, confovendis, ac sanandis sunt intenti, ac assueti, sciunt satis, & plusquam vellen, quanto ipsis opus sit conatu, ac industria in perurgendis rationibus, atque in adhibendis opportunè, qualenibus adhortationibus, qua duris objurgationibus, per quas utiliter conveniatur voluntas scrupulosi ad deponendas ineptas, quibus pereditur, opinationes, quæque eædem, & rationes, & adhortationes, & objurgationes sint prorsus inidoneæ, ut convincantur, aut persuadeatur directè intellectus ejusdem scrupulosi, utpotè jam deprehensi indirigibilis, quoad intellectum, ac impersuasibilis directè. Videri potest inter alios, in hunc modum, & hoc industriæ genere sapienter, fortiter, & piè differens adversus scrupulos, & erigens scrupulosos D. Antoninus 1. *part. Summæ tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. *in regula* præsertim 5. *&* 6. quarum prior incipit sic. *Est igitur quinta regula obedientiæ humilis imitatio, ut scilicet scrupulosus captivet intellectum suum dictis sapientum, & obedientiæ superiorum, quantumcumque scrupulus sibi dictet aliud.* Posterior verò incidit sic. *Sexta regula est animosa impugnatio, seu repulsio scrupulorum, seu pusillanimitatis. Ad quod hortabatur Dominus Isaæ* 35. *dicens. Confortamini pusillanimes, confortamini, & nolite timere. Ecce enim Deus vester, scilicet adimans, & illustrans.* Esset autem ineptus, ac prorsus inutilis, ut spontè patet, hic modus agendi, si major quævis apparentia, seu majoris utcunque rationis, ac fundamenti raperet necessariò intellectum ad unam partem, nullaque ejus in opinando daretur subordinatio ad liberam electionem, & imperium voluntatis; ad quam videlicet solam directè pertinent obedientia, animositas, & depulsio timoris, & ejusmodi alia.

Exponitur necessitas libertatis opinandi pro usu licito opinionis minus probabilis.

ART. CXL. Venio ad scopum operosi, & fusioris quam de more, molliminis mei proximè præcedentis, & dico præassertam libertatem opinandi esse omninò necessariam pro usu licito opinionis minus probabilis, & minus tutæ, atque doctrinam moralem de hoc usu licito ita dependere à doctrina speculativa de illa libertate physica, ut procedant omninò inconsequenter, qui negata universaliter, & pro omni prorsus eventu libertate opinandi in utramlibet partem contradictionis, atque determinandi quæstionem, tum affirmativè, tum negativè, docent nihilominus licere uti opinione minus probabili. Quinimò instituunt quæstionem, & tradunt conclusionem de subjecto non supponenti. Quia nemo uti potest opinione, quam non habet, sicut re nulla alia uti unquam potest, qui illam non habet, dum non habet. Et, quod est quodammodò manifestius, nemo potest dirigi in eliciendo actu voluntatis per cognitionem, & opinionem, quæ actualiter non præexistit in intellectu ejus, estque planè chimericum, ut conformare quis liberè possit electionem suam cognitioni, seu opinioni, quæ non datur in eligente, nec prælucet eidem electioni ex parte actus primi; utque exerceat immediatam aliquam causalitatem, seu directivam, seu motivam, seu formalem, seu efficientem in actum voluntatis ea cognitio, ac opinio, quæ volenti ipsi non inest, & cujus potiùs contraria inest, dum elicit talem actum. Posito autem deesse nobis universaliter, & pro omni prorsus eventu liberam facultatem opinandi in utramlibet partem quæstionis propositæ, consequens profectò est, ut dicatur in nullo intellectu adesse unquam pro ullo eventu posse opinionem minus probabilem, seu fundamenti, & apparentiæ simpliciter, & absolutè minoris, quàm sit fundamentum, & apparentia opinionis oppositæ. Irrationabile nimirum, ac stultum est credere, ut siquidem intellectus necessario, ac inevitabiliter rapiatur pro omni eventu per alterutrum ex duobus motivis, ac fundamentis invicem oppositis determinatè sumptum; id aliquandò efficivi, & energia motivi, ac fundamenti hic, & nunc, omnibusque consideratis absolutè, & simpliciter minoris, quàm sit motivum, ac fundamentum contrarium, fieri que proindè posse, ut necessario, ac inevitabiliter prævaleat aliquando debilius contra fortius, minus contra majus, & similiter evadat superius inducendo actualiter effectu, quod omnibus undique consideratis est absolutè inferius quoad virtutem inductivam illius. Quæ cum sint perabsurda, certissima ratione concluditur nullum esse locum usui licito opinionis minus probabilis, si nulla est unquam libertas opinandi in utramlibet partem, atque controversiam de eodem usu licito, vel illicito esse de subjecto non supponenti, si ponatur eam libertatem non subsistere.

ART. CXLI. Intellexere hoc inter alios bene RR. PP. Mercor. supra relatus, & Gonet *in dissertat. de probabilit. art.* 2. §. 4. *ras.* 1. Cum enim teneant, ad vitandum peccatum in quavis humana operatione, requiri ut minimum majorem probabilitatem, vel ut ipsis loqui placet, certitudinem moralem, quod talis operatio sit licita; ut id probent, assumunt tanquam principium omninò necessarium, intellectum assentiri nunquam posse, nisi parti reipsa probabiliori, seu cujus fundamentum reipsa est majus, nullumque esse locum, loquendo directè, & formaliter, libertati, & imperio libero voluntatis in opinando hanc potius partem, quàm oppositam. Qua quidem in re ita laudo consequentiam, ut tamen laudare minimè possim, quod Doctores hi ambo Dominicani, dum agunt de quæstione tanti momenti, non solùm deserant quoad aliquid D. Thomam, sed insuper fundent suam sententiam supra principium, cui, & tam clarè, & toties contradicit S. Doctor, ut visum est *supra art.* 105. 114. 115. *&* 118. Verum occurrit specialiter in P. Gonet aliquid aliud circa hoc ipsum punctum, in quo pariter laudetur consequentia ejus, sed consequens vituperetur multò magis. Agnoscit eandem esse rationem, seu indifferentiæ, & flexibilitatis, seu restrictionis ad unam partem, & inflexibilitatis, tum in intellectu quoad opinandum; tùm in voluntate quoad eligendum cæteris utrobique proportionaliter paribus juxta ea, quæ de proportionali utriusque potentiæ quoad hoc uniformitate superius prosequuti sumus ab *art.* 114. ex mente D. Thomæ. Sed cum, hoc principio S. Doctoris laudabiliter admisso, debuisset inferre, ex certa, ac manifesta indifferentia voluntatis ad utrumlibet ex eligibilibus invicem disparibus, assimilem intellectus flexibilitatem ad utrumlibet ex opinabilibus itidem disparibus inter se; intulit è converso, ex restrictione, ac inevitabili alligatione prævia intellectus ad qualecunque probabilius, ac verosimilius, quæ erat sibi omninò necessaria pro scopo suo principali, assimilem restrictionem, ac inevitabilem alli-

alligationem præviam voluntatis ad qualecunque eligibilius, ac melius. Concludit enim sic : *Unde facta comparatione inter majus, & minus bonum, voluntas non potest eligere minus, repudiato majori.* Et quid tum dicemus ad illud *Ecclesiast.*15.17. *Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum. Quod placuerit ei dabitur illi.* Comparantur hic inter se extrema certò, & valdè inæqualia, & Deus relinquit homini indifferentem adjutrumlibet eorum facultatem, quam tamen prælligat P.Gonet ad alterum, nem pè ad majus, seu melius determinatè sumptum, ita ut *non possit eligi minus repudiato maiori.* Hoc non apparet, quomodò cohæreat cum libertate, & indifferentia arbitrii humani. Nec vacat dicere, liberum, ac indifferens esse, vel fuisse applicare intellectum ad excogitandas rationes pro utralibet parte, & ad augendam, ac minuendam pro libito apparentiam utriusvis eligibilis, atque per denominationem ab exercitio hujus immediatæ libertatis, ac indifferentiæ, dici, & esse absolutè liberam, tametsi immediatè, & ratione sui inevitabilem hic, & nunc electionem majoris boni. Non vacat, inquam, hoc dicere, non solùm, quia sacer textus violentiam indè patitur præduram, utpotè exprimens clarè indifferentiam in ipso actu eligendi inter aquam, & ignem, vitam, & mortem, bonum, & malum absque ullo regressu, aut progressu ad aliquid aliud; Verùm etiam, quia undecunque tandem aut ubicunque seu incipiet, seu desinet exercitium voluntatis immediatè liberum, & secundum se præcisè proveniens indifferenter à voluntate; semper oportebit, ut ibi adsint motiva invicem contraria, æque, vel omninò similia, & æqualia inter se, vel inæqualia. Sub motivis utrimque omninò similibus, & æqualibus nullus est locus electioni liberæ ex communi consensu, imò nec operatio subsequi indè ulla potest juxtà illud Philosophi *lib.*2. *de Cælo tex.*94. *Quia necessarium manere in medio omne, cui nil magis huc, quàm illuc moveri convenit.* Quoad libertatem videri, & facilè huc applicari potest ratio à nobis expensa cum Augustino *suprà art.*129. Sub motivis autem inæqualibus occludi itidem aditum universaliter P.Gonet omni ad eligendum inefferentiæ, dum statuit, facta comparatione inter majus, & minus bonùm, voluntatem non posse eligere minus repudiato majori. Admisso igitur hoc hujus auctoris principio, quidquid tergiversando huc vel illuc circumagatur discursus, necesse tandem est, ut prorsus intereat dogma fidei de humani arbitrii indifferentia. Nec enim fieri unquam poterit ut, nulla existente electione immediatè libera, & suborta ex immediata ad ipsam indifferentia, aliqua nihilominus supersit electio mediatè, ac denominativè libera, ac indifferens, seu indifferenter elicita, sed de hoc est alius ex professo disserendi locus. Pro nunc sufficit insinuasse, quantum interfit, ut non admittatur sententia negans assertam à nobis libertatem opinandi.

Præcluditur primum effugium negantium necessitatem libertatis opinandi.

ART. CXLII. Laudatis igitur de cætero his auctoribus quoad agnitam, tùm dependentiam usus licitti opinionis minus probabilis à libertate opinandi, tùm uniformitatem proportionalem indifferentiæ, & in voluntate adligendum, & in intellectu ad opinandum; transeamus ad alios, qui contradicunt, aut perindè se gerunt ac si contradicerent quoad utramque. Duobus hi modis componere nituntur necessitatem semper, & ubique assentiendi opinioni probabiliori, aut quod perinde ferè est, permanentiam voluntariam in opinione semel æstimata probabiliore, & absolutè vera, cum facultate utendi nihilominus absque ullopeccato opinione contraria minus probabili, simulque minùs tuta. Alii namque, ut Card. Pallavicinus longè ante à me relatus, & Caramuel sæpè in Theol. fund. & alibi recurrunt ad cognitiones quasdam reflexas circa probabile. Alii ut P.Thomas Sanchez, certatique communiter nituntur distinctione cognitionis speculativæ, & practicæ, universalis & particularis seu ut alii loquuntur speculativè practicæ, & practicè practicæ. Utrosque autem refellit jam olim à nobis *quæst. quodl.*2. *punct.*3. argumento, nisi omninò fallor, omninò demonstrativo. Dicunt reflexitæ, opponantem operationem aliquam esse peccaminosam, quam alii graves, & laudati auctores censent non esse peccaminosam, posse considerare, dum accedat ad operandum, probabile esse, saltem ab extrinseco propter auctoritatem eorum Doctorum, talem operationem posse exequutioni mendari absque ullopeccato, ac proindè acturum se esse prudenter, si eam operationem exequatur; siquidem necesse est, ut agat prudenter, qui nititur in operando fundamento magni momenti, & plerumque non fallenti, quale est fundamentum cujusvis veræ probabilitatis, utpotè ab initio dictum est; ac demum se non esse peccaturum exercita ejusmodi operatione, siquidem impossibile est, ut quisquam id agendo peccet, quod agit prudenter, dum prudenter agit.

ART. CXLIII. Iste discursus videtur mihi subsistere non posse sub his terminis. Quia actus voluntatis non specificatur ex objecto prout repræsentato, seu applicato, ac proposito per aliam, sed per propriam ipsius volentis cognitionem, eamque directam, & non reflexam. Actus etenim volentis operari fertur ad operationem ipsam, eamque vult secundum se, & non præcisè, ut denominatam per cognitionem aliquam; atque ut velit operationem necesse est, ut dirigatur cognitione eandem repræsentante, seu applicante, ac proponente, utque ei cognitio insit ipsi volenti, eique proponat operationem secundum se, & non præcisè ut denominatam per aliquam aliam cognitionem. Unde si cognitio directa repræsentet operanti operationem tanquam malam secundum se hic, & nunc, omnibusque consideratis, actus voluntatis eligens, ac volens eam operationem evadet eo ipso malus, quidquid sit de aliquo, & operans erit eatenus similiter malus juxta illud Osee 9.10 *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Cum ergo tota illa consideratio reflexa de probabilitate opinionis, quam opinionem ipse operans judicat esse falsam; de magnitudine fundamenti probabilitatis, quod idem operans consequenter reputat fallax, ac inane; ac demum de prudentia operantis cum magno fundamento de operis sui honestate, quæ prudentia non potest operanti nostro non videri fucata tantum absolutè, atque dependens ex suppositione simpliciter falsa. Cum illequam, consideratio ejusmodi reflexa, ob hæc omnia, eò pervenire minimè possit, ut operans, retenta opinione propria de inhonestate operis sui, judicet nihilominus directè, & absolutè idem opus esse honestum, aut non esse peccaminosum, ne aliquo simul

simul assentiatur duobus contradictoriis, quod est impossibile; nec eò utique pervenire eadem consideratio potest, ut verè non peccet, qui operatur retenta opinione sua propria, quod opus suum sit inhonestum, ac peccaminosum.

ART. CXLIV. Perspicietur hoc clariùs descendendo ad particularia. Opinatur quis non satisfieri obligationi recitandi Officium divinum, si recitetur absq; attentione ad verba, & ad sensum verborum; peccare pingentem in die festo, nisi tanta sit necessitas pingendi, ut excuset, peccantem læthaliter teneri sub novo peccato læthali, ut protinus, nullaque vel minima interposita mora, vel conteratur perfectè, vel confiteatur peccatum cum vera, ac idonea attritione. Est jam hic homo in procinctu agendi circa, hæc, & tùm recolit viros pios, & doctos docere opiniones his opinionibus suis contrarias; auctoritatem eorum sufficere proculdubio ad probabilitatem; operantem juxtà opinionem probabilem, eo ipso operari prudenter, ac proindè satisfacere omni suæ præsenti obligationi, nec peccare. His nil obstantibus, quæ nempè omnia prævideratiste, & pro consideraverat, cum primitus opinatus fuit, pergit retinere, & veras adhuc absolutè reputare opiniones illas suas, & dicit in corde suo, fateturque coram Deo: Verè non satisfacit officio divino, qui illudrecitat absque attentione ad verba, & ad sensum verborum: Verè peccat, qui pingit in die festo sine necessitate; Verè peccat denovo, qui confestim non contentur, nec confitetur legitimè, postquam peccavit læthaliter. His ità se habentibus consuevit iste dicere officium absque attentione, & nil unquam curat de ea adhibenda; pingit in die festo, quantum libet, & quoties libet nulla coactus necessitate; differt per plures dies agere pœnitentiam, postquam peccavit læthaliter, & cum tandem aliquando accedit ad peragendam pœnitentiam; non dolet, nec se accusat unquam de ea mora. Dico servum istum nequam jam judicatum esse ex ore suo, atque in supremo judicio reprobandum esse, testimonium reddente illi conscientia ipsius. Quia sentiebat, ac docebat, necessariam esse attentionem, & non attendit, non licere pingere in die festo, & pinxit in die festo; debere pœnitentiam actutum peragi, & distulit, neque de ea pœnituit unquam. Prototypon hujusce modi formæ judicii habetur apud Apostolum 2. ad Rom. à ver. 15. Neque verò quidquam ad hujus hominis defensionem valere poterit, si dicat viros tales, & quales, & tot tenuisse opiniones contrarias. Reponetur enim illi: Viros illos tot, & tantos tu non tantifeceris, (& quod tua tibi mens suggerebat) nec tanti facere potuisti, ut propter illorum auctoritatem deponeres opinionem tuam, aut ab ea primitus in animum inducenda deterrere, atque judicium tuum judicio illorum conformares, sed perstitisti nihilominus in tua sententia sententiæ illorum contraria, eaque retenta operatus es contra eandem, ac proindè contra dictamen conscientiæ tuæ; quæ tua sententia, & conscientia tua, non verò sententia, & conscientia aliorum quotlibet, & quantælibet auctoritatis erat regula proxima voluntatis, & operationis tuæ, uti dideceras ex Apostolo ad *Rom. 2. 15. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, non aliorum tot, & talium, vel talium, sed omninò *ipsorum*, & iterum fortius *cap. 14. 23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Tu autem discrevisti, & fecisti, quæ credebas esse peccata, & damnatus es, quia non fecisti ex fide tua. Patet itaque ejusmodi reflexionem, & reflexionum reflexiones supra, ut circa probabilitatem nil prodesse ad vitandum peccatum in eo, quod quis cognitione directa judicat esse peccatum, & tamen facit retenta hac sua sententia.

ART. CXLV. Præterea licet fieri facilè possit, & sæpè contingat, ut ab aliquo judicetur probabilis absolutè, utque reipsa sit absolutè probabilis sententia contraria sententiæ, quam ille idem de facto tenet, & putat esse veram; fieri tamen non potest, ut sententia aliqua sit reipsa, aut judicetur probabilis respectu ejus, aut ab eo, qui tenet sententiam contrariam, atque illi adhæret tanquam veræ, dum eam tenet, eidemque adhæret, seu in sensu compositotalis suæ sententiæ: sicut fieri potest, ut quis sit absolutè amabilis, & talis ab eo etiam judicetur, à quo odio habetur de facto, fieri tamen non potest, ut ille idem ab hoc eodem sit amabilis, & judicetur talis respectu sui in sensu compositoodii sui adversus ipsum. Qui enim sententiam aliquam amplectitur, eamque omnibus circumquaq; consideratis approbat absolutè tamquam veram, eo ipso reiicit, & reprobat tanquam falsam sententiam contrariā, quam proindè approbare minimè potest in sensu compositosententiæ illius suæ; sicut nec amare quisquam potest, quem odio habet, dum odio habet, & in sensu compositoodii. Non est autem probabile respectu cujusquam, quod ab eo reprobatur, dum reprobatur, atque in sensu compositoreprobationis. Id quod merito visum est principium per se notum Augustino propterea exclamanti *lib. de utilit. cred. cap.* si benè memini 11 *Quomodo est illud, quod sequuntur, si non probatur, probabile?* nempè illi cui non probatur, & à quo judicatur probari non debere. De tali nimirum, & quatenus taliter affecto disserit ibi ex professo Augustinus. Moliuntur ergo impossibile quiddam, & chimæricum auctores isti, dum opinanti operationem aliquam esse peccaminosam tentant permittere, ut retenta ea opinione, atque in sensu ejus compositoutatur opinione cōtraria tanquam probabili, cum probabilis minimè sit respectu reprobantis ipsam, & appositam, dum sic alteram approbat, & alteram reprobat, seu in sensu compositotalis approbationis, & reprobationis.

Obstruitur rima quadam eiusdem effugij.

ART. CXLVI. Quærunt propter hæc effugium aliud alii quidam, inter quos est Card. Pallavicinus, superaddita, eidem reflexioni circa probabile, cōsideratione quadam speciali universalitatis, & uniformitatis legis divinæ quoad omnes homines. Pertinet, ajunt, ad sapientem gubernationem, & ad justitiam legum, ut non plus graventur, nec obligentur ad plura quidam ex subditis, ac præsertim qui sunt de republica specialiter benemeriti, quam alii plerique, & non usque adeò benemeriti. Si ergo contingat aliquos viros doctos, quos eo ipso constat esse de Republica specialiter benemeritos, studio suo, ac diligentia adinvenire rationem, qua coguntur judicare tales, vel tales aliquas operationes esse illicitas; quas tamē simul animadvertunt ab aliis viris doctis censeri licitas, easdemque propterea ab iisdem, necnō ab aliis plerisque ductu ipsorum ex equutioni reipsa mandari absque ullo peccato; poterunt utiq;, & illi priores idem facere absque ullo peccato, agendo contra propriam,

quam putant veram,& conformiter ad probabilem sententiam contrariam aliorum. Ne nimirum plus alioquin graventur, & pluribus adhòc subiiciantur obligationibus,qui sunt diligentiores, ac perspicacioresin scrutinio legis,voluntatisque divinæ.Quod profectò est specialissimè alienum ab infinita sapientia Dei,& à rectitudine legum divinarum, quæ sunt suprema omnis justitiæ,& æquitatis norma. Adminiculatur huic discursui exemplum,quod sibi opponit Adrianus ubi supra,ex Rege temporali, qui missurus exercitum adversus hostem, postquam illum instituit mandatis suis, nisi velit insipienter agere, superordinat explicitè, vel implicitè,ut si quæ suboriatur dissensio inter Duces circa intelligentiam eorum mandatorum in casu particulari,omnes operentur juxta sensum plurium,ac peritiorum,tametsi nonnulli certò conficiant intentionem, ac voluntatem Regis omninò fu sse contrariam. Quæ nimirum sequerentur alioquin,multa incommoda,ac demum dissipatio,& ruina totius exercitus. Ergo Deus,cujus sapientiæ non est numerus *Psal.*145.5. quique omnia in sapientia fecit *Psal.*103.24. Multò majori ratione credendus est, superordinasse similiter circa legem suam.Licet ergo cuilibet agere contra propriam sententiam eadem retenta,quoties aderit sententia probabilis in contrarium, saltem cum ea fuerit plurium,& doctiorum.

ART. CXLVII. Huic discursui nemo fidere potest,quia probat nimis, & ducit ad præcipitium.Probaret enim,siquid probaret,et etiam licere uti opinione apud alios probabili, qui certò, ac scientificè cognosceret illam esse falsam; licere item omnibus Catholicis contrarie toti juri Canonico, quo nempè non obligantur infideles; Catholicos demum,atque hæreticos posse transgredi impunè totum jus divinum positivum,utpotè non inducens reatum specialis pœnæ ob transgressionem sui respectu paganorum,& quoad novum testamentum, nec respectu Hebræorum. Patet nimirum non aliter in iis etiam subsistere æqualitatem gravaminum, atque meliores alioquin gravari magis. Præterea in eodem discursu considerantur leges divinæ, & humanæ tanquam pura gravamina,& incommoda, vel certè tanquam in quibus prævaleat ratio gravaminis,& incommodi,ac proindè supponitur melioris, cæteris paribus, conditionis esse exemptos per ignorantiam ab actuali, & immediata obligatione,& observantia legum, quam qui per earum cognitionem, ac legitimam intelligentiam instruuntur,ac diriguntur ad sanctos mores, æmulos Divinitatis, & Angelorum, atque congruentes humanæ naturæ dignitati, & secundum se,& prout elevatæ ad visionis Dei consequibilitatem, ad quam ita effectivè perducit homines earundem legum observantia, ut eos per seipsam reddat Deiformes,seu Deo in volendo,ac agendo simillimos. Ex iis porrò eorum extremorum expressionibus, exque ipsa terminorum justa apprehensione spontè,ac liquidò apparet consideration em ejusmodi vivificativam legum,earumdemque cognitionis, ac sinceræ intelligentiæ esse perabsurdam, alienam prorsus à pietate hominis Christiani, imò & hominis, atque enormiter degenerem ab spiritu divino, quo percitus,ac illuminatus Regius Psaltes ardenter, ac sæpè postulat à Deo cognitionem majorem semper, ac majorem legis,mandatorumque suorum,uti apparet ex *Psal.*188. qui,cum sit cæteris omnibus longior,totus est plenus ejusmodi aspirationibus ver. 12. *Doce me justificationes tuas*, ver.18.& 19. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Incola ego sum in terra, non abscondas à me mandata tua.* ver.34. *Da mihi intellectum,& scrutabor legem tuam*, ver. 64. *Misericordia tua Domine plena est terra, justificationes tuas doce me.* Atque ut innumera ejusmodi loca,ubi tam multipliciter obvia in sacris litteris, subdo tantum *ex ver.* 72. quod continet rationem pretii specialis ejus beneficentiæ divinæ, & appetibilitatis humanæ.*Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.* Cui consonat illud *Prov.* 6. 23. *Quia mandatum lucerna est, & lex lux,& via vitæ increpatio disciplinæ.* Perinde itaque est dicere eum, qui agnoscit obligationem legis quoad aliquid,quam alii quidam negant cum fundamento magnæ equidem apparentiæ;sed,ut ille credit,fallaci,ac decipientis sa,permitti ratione æquitatis,& justitiæ divinæ providentiæ,ut agat,ac si nullam haberet cognitionem talis obligationis,utque eos sequatur in operando, quos credit decipi,& operari ex vi deceptionis,ac ignorantiæ,atque agere re ipsa contra legem. Perinde, inquam,est hoc dicere,ac si diceretur, nato in patria catholica,baptizato,ac educato catholicè, aut habenti donum qualecunque aliud Dei,specialiter dispositivum ad bonam aliquam operationem, licere, ut non aliter agat,quam si nullum speciale tale beneficium accepisset à Deo,nempè ratione sapientiæ, & æquitatis divinæ permitti illi,ut legerat in operando,sicut ii,quibus nil tale indultum à Deo est.Quod quam sit impium,ac stultum nemo non videt. Differentia autem inter ea extrema est purè materialis, & forma arguendi,est prorsus eadem,ut pateat;atque dictamen conscientiæ,tametsi erroneum reipsa sit, & non solùm utcunque incertum, perinde obligat, dum non deponitur, atque si esset omninò certum, & fundatum in veritate. Agimus verò de non deponente,sed retinente firmiter opinionem suam affirmativam obligationis,atque operante in sensu composito hujus suæ opinionis.

ART. CXLVIII. Concludo, nec dispensare, seu superordinare Deum de facto, nec posse etiam de potentia sua absoluta dispensare, seu superordinare,ut cuiquam,propter qualiumcumque,& quotcunque aliorum opinionem, liceat id exequi sine peccato,quod ipse opinatur,& judicat esse illicitum, & peccaminosum,dum ita opinatur,& judicat.Quia Deus nulla sua potentia efficere potest,ut quis simultaneè assentiatur duobus contradictoriis,& dicat esse verum, ac honestum, quod dicit, & dum dicit esse falsum, ac inhonestum,aut ut actus voluntatis non specificetur ex objecto sibi proposito, nec evadat malus,tametsi objectum proponatur ut malum. Ergo retenta opinione absolutè assertiva obligationis ad aliquam actionem,vel omissionem,& quod ea sit peccaminosa,nullus est modus evadendi peccatum præter quam vitando actionem eam, vel omissionem.Exemplum illud Regis temporalis convincit,quod nemo negat,nempè fieri posse, ut redditur,ac judicetur licitum ex suppositione aliqua accidentali,quod absolutè,& secundum se erat illicitum;non tamen convincit,aut ullatenus suadet, ut aliquid idem sub eadem adæquata suppositione judicetur illicitum;& tamen vi alicujus reflexionis fieri possit,ut mandetur exequutioni absque peccato. Consideretur iterum,sed paulò distinctius exemplum nuper objectum.Rex æternus, sicut & temporalis vult, ut miles præsidiarius custodiat Civitatem adversus hostem illi imminentem,utque impediat omnem jacturam, & omne incommodum ediat omnem jacturam, & omne incommodum. Adsunt duo vitatis ejusdem, quoad fieri poterit.

Centu-

Centuriones, qui sciunt modum disponendi defensionem, atque agendi, quo certò vetur omne incommodum, omnisque jactura; sed eum modum reprobant plerique alii, & incumbunt verbo, ac opere in alium disponendi, ac agendi modum, per quem speratur incolumitas Civitatis, licet cum aliquo incommodo, & jactura. Centuriones illi duo, quia vident Civitatem esse perdendam, nisi & ipsi cooperentur posteriori huic defensionis modo, cooperantur illi de facto, & dimittunt quod erat optimum factu obsolutè, propterea que volitum obsolutè à Deo, & à Rege suo ex eadem suppositione. Omittunt itaque, & exequuntur cum laude per accidens, quod omittere, & quod exequi erat illicitum per se. Hoc profectò non est reddi licitum per solam reflexionem, supra sensum aliorum, conjunctam cum æquitate æqualitatis onerum, quod erat, & adhuc est illicitum ex propria operantis sententia, sed est mutari statum rei per realem aliorum operationem dependentem à contraria eorumdem sententia. Unde illa, quæ dicebatur superordinatio Regis temporalis, nil est aliud, nisi expressio quædam conditionis, seu exceptionis inhibitæ in præmissa ab eodem jussione, atque subintellectæ universaliter in omni prudenti mandato, nempè ut non observetur mandatum prout sonat absolutè prolatum, si ex tali observantia, ob incidentem utcunque circunstantiam, subsequuturum prævideatur inconveniens contrarium intentioni jubentis, cujus inconvenientis vitatio merito prævaleat in voluntate eius efficaci, atque ejusmodi sunt circunstantia, & inconveniens, qualia ibi describuntur. Hoc autem nil habet commune cum re nostra. Quia differimus de discrepantia opinionum circa vim legis nil variante statum rerum, & exitum operationis pertinentis ad unumquemque juxta opinionem, ac intelligentiam propriam ipsius. Quo quidem in genere operationum nullus, nisi stultus Rex superordinaret, seu superpermitteret, ut suborta dissensione circa voluntatem eius, non id quisque exequeretur, quod certò sciret, aut utcunque crederet jussum ab eo fuisse, sed prout reputarent quidam alii, qui sciuntur, aut creduntur eatenus decipi, nec tantæ sunt auctoritatis, ut ob eam debeat quisque, aut etiam possit recedere ab opinione, ac intelligentia propria. Hoc enim nil esset aliud re ipsa, uti consideranti facilè patebit, quam superordinare, seu supermittere, ut ab unoquoque credantur non decipi, qui, & quatenus creduntur, & dum creduntur, & non possunt non credi esse decepti. Constat itaque certissimè per eum philosophandi modum vitari minimè posse necessitatem, & usum libertatis opinandi in utramlibet partem, rebus quoad intellectum eodem modo se habentibus, ut licitus esse possit usus opinionis minùs probabilis.

Præcluditur alterum aliorum effugium.

ART. CXLIX. FAcilius, & paucioribus demonstrari potest insufficientia pro eodem scopo, recursus ad distinctionem opinionis speculativæ, & practicæ. Dicunt auctores, qui nituntur hac distinctione, eum, qui tenet opinionem assertivam obligationis aliquid agendi, vel omittendi in abstracto, seu sub terminis universalibus, posse retenta ea opinione concipere nihilominus dictamen particulare negativum obligationis illud idem agendi, vel omittendi hic, & nunc, atque ita nullum seu agendo, seu omittendo committere peccatum. Quia videlicet universalis illa opinio affirmativa est cognitio speculativa, seu speculativè practica, & fertur ad objectum secundum se in abstracto, & prout denudatum à circumstantiis individualibus, quæ vulgo denotantur per particulas hic, & nunc, dictamen verò particulare negativum est cognitio practica, seu practice practica, & fertur ad suum objectum in concreto, & prout affectum circumstantiis individualibus, atque pronunciat de illo prout hic, & nunc. Inter affirmationem autem, & negationem usque adeò invicem dissidentes quoad modum tendendi, & quod caput est, quoad objectum partialiter re ipsa diversum, nulla est contradictio, nulla est incompossibilitas mutua. Notum siquidem est ex summulis, de conceptu contradictionis, atque in ea fundatæ incompossibilitatis esse, ut propositiones invicem contradictoriæ, & incompossibiles sint de eodem secundum idem, nempè, & realiter, & formaliter. Argumento præterea est ejusdem inter eas cognitiones diversitatis, quod in opinionibus ejusmodi universalibus præcipuè laudatur, ac vituperatur ingenium, in dictamine verò particulari judicium potiùs. Accedit id quoque minimè contemnendum, viros timoratæ conscientiæ, & doctos, atque perspicaces, nec paucos, nec rarò tenere tanquam veras, & docere opiniones aliquas rigidas in materia etiam gravi, quas tamen non opere complent causati aliud esse opinari in genere, aliud operari, & arbitrari hic, & nunc. Et quod videtur perinde valere pro puncto doctrinæ, viri etiam doctissimi, simul ac Sanctissimi, uti vidimus supra circa S. Augustinum *art.* 127. & observavi pluries in D. Thoma, aliisque summis Doctoribus, ita nonnunquam tradunt doctrinas severiores, ut tamen oppositas benigniores, seu laxiores sub eodem contextu sermonis dicant, aut clarè indicent esse probabiles, hoc est, deducibiles in opus absque peccato.

ART. CL. Hæc evadendi ratio evanescit, si seclusis vocum ambagibus res ipsa consideretur. Certum est propositionem universalem affirmativam, & particularem negativam, aut è converso esse invicem contradictorias, & incompossibiles in eodem intellectu, quæcunque demum sit earum materia, seu objectum, dummodo sint de eodem secundum idem, nullumque intercedat discrimen, præterquam aliam descendere ad individuum, & circunstantias purè individuales, ac materiales determinatè, aliam abstrahere ab eisdem determinatè sumptis, sivè propterea altera dicatur speculativa, aut speculativè practica, altera practica absolutè, aut practicè practica, sivè quovis alio modo denominentur, de quo nil curandum est. Quia quod ad rem ipsam attinet, tam sunt contradictoriæ istæ duæ: Omne mendacium est illicitum semper, & pro semper, tùm respectu mei, tum respectu quorumvis aliorum; hoc mendacium hic, & nunc est mihi licitum, aut cuiquam alii; quam sunt contradictoriæ istæ aliæ duæ: Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: hic triangulus in individuo non habet tres angulos æquales duobus rectis; vel omne animal rationale est admirativum: Hoc animal rationale in individuo non est admirativum. Manifestum igitur est datam distinctionem practici, & speculativi, & alia ejusmodi qualiacumque vocum involucra nil ad hoc conferre posse, ut, retenta ab aliquo opinione universaliter affirmativa obligationis

ad aliquid, subinducatur nihilominus in ejusdem intellectum dictamen particulare negativum ejusdem, ad illud idem, obligationis; atque diversitatem quoad modum tendendi, & quoad objectum in hoc præcisè consistentem reipsa, quod altera cognitio sit universalis, & abstractiva, altera particularis, atque individualis, usque adeo non tollere contradictionem, & mutuam incompossibilitatem cognitionum, ut potiùs sit de conceptu veræ, ac propriissimæ contradictionis diversitas talis cognitionum, ut vulgò est notum ex summulis, & nec expedit, aut decet, ut hic amplius exponatur.

ART. CLI. Quod addebatur de experientia, seu praxi virorum doctrina, & probitate præstantium, nil me tangit. Quia ego non contendo auctorem sententiæ rigidioris non posse absolutè uti absque peccato sententia opposita benigniori, quæ alioqui sit probabilis, sed tantùm non posse retenta pro tunc ea sententia rigidiori, seu in sensu compositio illius. Similiter nec dico existimantem unam partem contradictionis esse veram, non posse simul reputare absolutè probabilem oppositam partem contradictionis, sed tantum non posse talem reputare respectu sui, quatenus taliter opinantis actu juxta nuper dicta *art.* 145. Addo, si prædictis, vel aliis qualibuscunque circuitionibus, aut exemplis fieri posset, ut qui tenet opinionem universaliter affirmativam obligationis ad aliquid, posset nihilominus absque ullo peccato nolle id unquam exequi pro ulla particulari opportunitate operandi, quin recederet ab ea sua opinione, seu in sensu compositio illius; eo ipso talis opinio, omnesque tales opiniones essent falsæ, frustraneæ, & quibus nemo conscius ejusmodi doctrinæ assentiri posset tanquam veris. Quia propositio universalis, quæ in nullo sibi substanti individuo verificatur, est falsa, & frustranea, quæ dictat, necesse esse sic, vel sic operari, qualiter nunquam necesse erit operari; ac proindè qui hoc censet esse verum, non poterit illi propositioni assentiri, eidemque seriò, & ex animo adhærere tanquam veræ. Adhærere, inquam, absolutè, & sine restrictione, seu conditione auferente conceptum simpliciter opinantis, & reddente ridiculam, ac frustraneam doctrinam taliter opinantis. Si enim quis diceret, ego opinarer, vel distortè concipiendo, opinor, eos, qui tenentur ad officium divinum, eo ipso obligari, ut attendant ad verba, & sensum verborum, nisi adesset in contrarium auctoritas plurium Doctorum, aut talis textus, aut talis ratio; patet, quod verè non teneat opinionem assertivam eius obligationis, sed potiùs oppositam. Nos autem de opinanti absolutè, & consideratis omnibus, quantum fieri potest, rationis, & auctoritatis hinc & inde momentis, atque ad hoc ipsum genus opinionum diriguntur commemoratæ modo evasiones, & distinctiones inter speculationem, & praxim. Quas evasiones, cum constiterit, esse vanas, ac insufficientes; Concluditur demum, necessariam omninò esse, uti jam dicebam, aliquam libertatem, ac indifferentiam opinandi in utramlibet partem, ut aliquando liceat, tum uti opinione minùs probabili, & minùs tuta, tum agere contra propriam præconceptam priùs opinionem universaliter affirmativam obligationis ad aliquid.

Videndum jam supereſt de ejusdem libertatis, ac indifferentiæ sufficientia ad hoc utrumque.

* *
*

An, & quatenus sufficiat libertas opinandi pro usu licito opinionis probabilis contra priorem, propriam etiam cujusque, opinionem?

ART. CLII. MAximi imprimis momenti esse puto quoad hoc punctum, & tentiosissima controversia de usu licito opinionum, distinctionem superius à me observatam, & quam doleo me non invenire expressè notatam apud auctores communiter, inter opinionem evidenter, atque omninò indubitanter, seu probabiliorem, seu minus probabilem, & opinionem non usque adeò patenter, seu probabiliorem, seu minùs probabilem, sed cujus, seu superioritas, seu inferioritas supra, aut infra oppositam sit aliquousque dubia, obscura, & anceps. Hujus distinctionis, nec ego ipse olim memini in illa mea, hac de re, quæstione, & ratio, ob quam nil de ea sollicitus fuerim, credo hæc fuit. Quod nimirum quæstio de usu licito opinionum unicè, vel certè præcipuè respicit opiniones, quæ tanquam probabiles circumferuntur apud auctores classicos, & approbatos, ac laudatos communiter, ita ut agnoscantur probabiles ab iis etiam, à quibus rejiciuntur tanquam falsæ. Inter ejusmodi autem opiniones, tametsi quælibet earum sint suis oppositis probabiliores, aut minùs probables reipsa, idque videatur esse certum juxta principium Divi Thomæ superius à nobis præmissum de necessaria inæqualitate mutua quorumlibet invicem dissimilium, nullæ tamen sunt, quarum major, vel minor probabilitas, seu excessus, vel inferioritas probabilitatis supra oppositam opinionem sit indubitata, & evidens, ac facilè pervia. Opinio enim, quæ tanta hujusmodi conspicuitate est verisimilior, aut minùs verisimilis, non amplius dici solet probabilis, sed quæ est ita verisimilior, dicitur certa moraliter, & quæ est eodem modo minus verisimilis dicitur improbabilis; & hæc si quidem sit restrictiva dicitur scrupulus, seu opinium scrupulosa, si verò sit laxativa dicitur parum tuta, aut prorsus intuta in conscientia; & utralibet sub aliqua ejusmodi censura excluditur à gradu probabilium. Hoc igitur effectum est, ut etiam plerique omnes scriptores alii eò sensim ferantur, ut dum agunt de usu licito opinionum probabilium, perinde differant, atque si nullæ prorsus essent opiniones, quarum excessus, aut inferioritas probabilitatis comparatione oppositarum opinionum sit evidens, atque omninò indubitata, aut apud plerosque, aut apud unumquemque. Pauci verò quidam alii defigunt oculos in nonnullas potissimum opiniones, quarum excessus verisimilitudinis super opiniones oppositas est, aut (quod perindè apud unumquemque valet) videtur sibi evidens, ac prorsus indubitatus. Et licet opiniones ejusmodi usque adeò patenter præeminentes oppositis sint reipsa paucæ intra vastum totius Theologiæ moralis ambitum, dum tamen ad eas, tanquam ad exemplaria, mentis aciem restringunt, eisdemque considerandis unicè incumbunt, ad pauca respicientes de universo opinabilium genere, quod latissimè patet, quamplures species, ac gradus valdè invicem inæquales sub se complectens, pronunciant, ac si in unaqualibet opinionum contradi-

tradictione altera pars semper esset, absque ulla unquam exceptione, evidenter, ac indubitanter probabilior, altera verò eodem modo minus probabilis. Ista probabilioritatum usque adeò inter se disparium indistincta confusio, & æquivocatio accendit primitus, nisi fallor, & fovet hodieque ardorem contentionis maximum in hac materia, qualis circa minimas quoque res concipi facile solet sub latebris æquivocationum, partibus hinc, & inde in diversa intentis, & unaquaque, vel altera earum attribuente parti adversæ absurdum aliquid, ac planè intolerabile. Id quod, cum maximo veritatis in re maxima præjudicio, accidisse, circa nostram istam controversiam, nonnullis ex Probabilioristis, conjicere clarè potest attentus lector ex qualitate argumentorum Mercori præsertim, Marinarii, & Sinnichii, quæ superius retulimus, ac diluimus; siquidem impugnant patronos usus liciti opinionis minùs probabilis, & minus tutæ, ac si docerent licentiam operandi juxta quemlibet etiam levissimum prætextum, reclamantibus in contrarium fundamentis evidenter, ac palpabiliter longè majoribus. Cujus fallentiam suppositionis tametsi inibi animadvertimus satis; distinctius tamen, & utilius eadem apparebit, si breviter subjungamus, uti facere instituimus, expositionem terminorum, ad quos usque protenditur usus licitus præassertæ libertatis physicæ opinandi in utramlibet partem contradictionis, tum quoad delectum opinionum, tum maximè quoad deponendam præconceptam prius universalem opinionem, quando ventum est in particulari ad operationis instantiam hic, & nunc. Utar autem præcipuè directione D. Antonini, *1. part. sum. tit. 3. cap. 16. §. 10.* maximè verò *reg. 7.* & quæ post eam sequitur, quarta, & Adriani, *quodl. quæst. 2. punct. 3. §. Ad rationes antè oppositas*; ubi rem hanc accuratè, & magistraliter exponunt; prior pro sedandis scrupulis, posterior pro justa dispositione conscientiæ.

ART. CLIII. Dico primò: Nulla libertas opinandi quidquam confert ad usum licitum opinionis certò, aut evidenter, ac indubitanter minùs probabilis, seu potiùs minus verisimilis. Patet hoc ex dictis *suprà*. Ostendimus enim *art. 113.* deesse nobis physicam potestatem, ac libertatem assentiendi opinioni, quam, & quoties manifestè, atque omninò indubitanter conjicimus esse minùs verisimilem oppositâ opinione. Demonstravimus itidem nuperab *art. 142.* fieri nullatenus posse, ut quis licitè, & absque peccato utatur opinione aliqua exclusiva obligationis, & peccati, quin assentiatur, seu potiùs quin præassentiatur eidem opinioni, dum operatur conformiter ad ipsam. Patet igitur libertatem, ac indifferentiam physicam opinandi in utramlibet partem contradictionis, qualis à nobis asserta est, & qualis ipsa datur, nullatenus sufficere, ut quisquam licitè uti aliquando possit opinione, quæ manifestè, atque omninò indubitanter sit apud ipsum minùs verisimilis, quam opposita, qualiscumque de cætero conditionis ea sit.

ART. CLIV. Quod si quis conjiciens manifestam, atque omninò sibi indubitatam præponderantiam fundamenti pro una parte contradictionis, ideoque impotens eatenus physicè assentiri oppositæ opinioni, seu alteri parti ejusdem contradictionis, quæ alioquin sibi apparet commoda, & perplacens, data opera avertat oculos à consideratione fundamenti probabilitati illius manifestè, atque omninò indubitanter majoris, seque totum impendat considerandis, ac promovendis, seu auctoribus, seu rationibus suadentibus eam partem, seu opinionem, quæ manifestè, ac indubitanter deprehenta jam fuerat minùs verisimilis absolutè; efficere quidem hac arte poterit, ut inducat tandem in animum partem eam debiliorem, & minùs verisimilem absolutè, eidemque adhæreat assentiendo, ac si esset verisimilior, probabiliorque; cum per ejusmodi industriam, seu potiùs nequitiam, ac gyrum obtinere à se quisque possit, ut opinetur de facto adversus ea, non solùm certa ex fide divina, sed & evidentia, imò & adversus per se nota; efficere nihilominus eadem arte minimè poterit, ut evadat licitus, & immunis à peccato usus opinionis taliter conceptæ. Quia pro usu licito opinionis minùs probabilis, & minus tutæ, postulatum à nobis semper fuit, & postulatur ab omnibus hujus sententiæ patronis, ut retineat probabilitatem, utque assentiri illi possit, & assentiatur actu, qui eadem est usurus, omnibus hinc, & indè maturè, ac diligenter consideratis, quæ sivè ab auctoritate, sive à ratione occurrere cuique possunt. In modo autem agendi proposito usque adeò hoc non præstatur, ut oppositum potius fiat, dum de industria avocatur animus à consideratione eorum, quæ præ cæteris ad veritatem accedere, ac inducere posse præsentiuntur. Unde nequitiosæ ejusdem circuitionis auctorem, eundemque cavillatorem, ac palponem sui abs dubio comprehendit, ac reprobat illud, *Psalm. 35. 4. Noluit intelligere, ut benè ageret.* Ubi Bellarminus, *ut malè ageret, scientiam benè vivendi contempsit.* Quis etenim magis propriè dici potest nolle intelligere, ut benè agat, & scientiam bene vivendi contemnere, quam qui, oculis manu propria pulvere conspersis, terga vertit rationibus, quas præsensit ineluctabiles, & quia ineluctabiles præsensit, ut concedat in eam partem, quam prævidit à veritate longiùs recedere, seu ad veritatem, quæ unicè quærenda est, minùs accedere, utque id in animum inducere possit, in quo clarè, ac indubitanter conspicit minorem affulgere spem veritatis attingendæ, & majus adesse periculum falsitatis incurrendæ? Jure igitur optimo Adrianus adversus istum modum, seu formandi, seu deponendi conscientiam (est enim eadem utrobique ratio) *per voluntariam aversionem intellectus à præposito, vel causæ consideratione, ut est in volentibus actu ignorare per non considerationem.* Utitur testimonio, *Iob. 21. 14.* Ubi sanctus vir ejusmodi nequitiam impiorum plangit, his verbis: *Qui dixerunt Deo. Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Quibus in eandem rem adjungit idem Adrianus illa paris impietatis verba apud Isaiam 30. 10. *Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra Sanctus Israel.* Qualia profectò vota nemo animo concipere potest formaliter, ut sonant. Quia error, & recessus à veritate, atque à fonte veritatis Deo est intrinsecè inamabilis, sicut omne malum, quatenus talis formaliter est. Attribuuntur ergo talia deglutienti identicè, & materialiter, ut vulgò dicimus, ejusmodi perversionem intellectus, dum spretis, ac vitatis fulgoribus, quibus percutitur, magis conspicuis veritatis sectatur verisimilitudines, seu veritatis adumbrationes patenter, ac manifestè remotiores, magisque devias à veritate ipsa. Quod accidit in casu nostro.

ART. CLV. Consequens porrò hinc est, ut qui post ejusmodi tergiversationem accedit ad operandum; tametsi fieri possit, ut extorqueat utcumque à se-

à semetipso assensum approbativum operationis concupitæ, utpotè commodæ,aut delectabilis; fieri tamen non posse , ut idem interea vitet remorsum conscientiæ memoris, saltem confusè, ac implicitè, rationum prævalentium in contrarium , propterea que reclamantis electioni absolutè , & omnibus undequaque consideratis minimè approbabili. Ex quo rursus consequitur, operantem sic, dum, & quia sic operatur, peccare denovo cum merito specialis seorsim pœnæ ultra rationem peccati,& dignitatem pœnæ, quæ convenit eidem operationi per denominationem à prævio proposito inhonesto avocandi animum à consideratione motivi, seu motivorum manifestè, ac indubitanter prævalentium in contrarium, & quæ quatenus talia jam antè præluxerant. Quia remorsus conscientiæ resultans ex antecedenti cognitione non repulsa, seu non deposita legitimè per motivum ad id sufficiens, aufert omnem veram coram Deo excusationem operationis sub ipso exercitæ, ac si adesset actualiter tota illa antecedens cognitio , uti animadvertit optimè Adrianus immediatè post verba mox à nobis relata. Conatus igitur hominis tentantis eo modo fallere seipsum, atque operari veluti clam seipso, est quædam chimera moralis , ut sic dicam. Quia retinetur quoad totum suum effectum cognitio, quæ vitatur, seu potiùs dissimulatur, hæretque lateri læthalis arundo eò læthalius, ac pertinacius, quò occultius. Cum enim hoc malum latebrosæ ejusmodi perversitatis latè pateat per doctos de gente Sciolorum,perque prorsus indoctos,ac rudes, est pessimæ præterea indolis in ordine ad veram emendationem , ac pœnitentiam salutarem. Quia peccata ejusmodi, quasi furtivè patrata sub luce maligna hebetium crepusculorum , difficulter deindè agnoscuntur ; difficilius manifestantur plenariè, & difficillimè ad radices usque revelluntur ex animo deluso viscosa fallacis honestatis , aut parvæ malitiæ apparentia. Hoc genus peccati plangit in specie Augustinus circa gulam, *lib.* 10 *Confess. cap.* 31.

ART. CLVI. Dico 2. libertas physica opinandi in utramlibet partem contradictionis sufficit pro usu licito opinionis cujusvis practicè probabilis; hoc est affirmantis cum fundamento magni momenti, quale exposui *suprà, art.* 102. licere hoc, vel illud, seu agere, seu omittere, sive talis opinio sit reipsa, aut minus probabilis, aut minus tuta, aut minùs probabilis, simulque minùs tuta, sive sit magis probabilis,aut magis tuta, aut magis probabilis, simulque magis tuta; Dummodo excessus verisimilitudinis ex parte oppositi ei, quæ deducitur in opus, non sit manifestus, atque omninò indubitatus ipsi operanti. Hæc conclusio continet reipsa totum scopum quæstionis illius meæ , quam hoc opusculo vindicare conor, eandemque conclusionem, & nil aliud intendunt reipsa patroni usus liciti opinionis minùs probabilis,& minùs tutæ, uti facilè conjiciet quisquis fundamenta eorum, & contextum totius doctrinæ attentè, ac sincerè consideraverit. Deducitur autem ex dictis, ut cætera hîc non repetam supervacuè , quæ proposita fuere in illa mea quæstione. Potest imprimis unusquisque, ratione præassertæ libertatis physicæ opinandi in utramlibet partem contradictionis, assentiri absolutè in casu posito utrilibet ex opinionibus invicem oppositis, prout libuerit, & juxta præsentem suæ voluntatis inclinationem, ac determinationem, ut patet ex præmissis. Deindè neque peccat voluntate sic opinandi,neque voluntate operandi juxta opinionem jam præconceptam , quam tenet hic, & nunc, & cui assentitur de facto absolutè. Non peccat voluntate sic opinandi. Quia eligit opinari cum magno fundamento omnibus hinc, & indè diligenter consideratis, nullaque apparente, seu auctoritate, seu ratione, quæ manifestè, ac indubitanter prævaleat in contrarium. Qui autem sic opinatur, non utique opinatur incautè, insipienter, ac stulte, quod erat necessarium, ut peccaret opinando, seu eligendo sic opinari. Certè in speculativis, atque in negotiis pure humanis , ac temporalibus , qui opinatur præhabitis, pro , & contra fundamentis ejusmodi, non æstimatur propterea ineptus, ac insipiens. Et autem eadem ratio laudabilis electionis opinandi in qualibet materia, sistendo intra terminos opinandi, atque præscindendo à proposito ordinante, vel non ordinante opinionem ad opus. Non igitur est turpis , ac peccaminosa voluntas opinandi modo dicto in materia morali, seu agibili. Sed neque voluntas operandi , juxta opinionem jam sic præconceptam, atque ipsius operis approbativam absolute peccaminosa esse potest. Quia talis evadat necessariò actus voluntatis, qualis judicatus est judicio immediate præeunti, ac directivo ipsius, cum hoc judicium sit immediata regula humanæ cujusque operationis, juxta dicta ex communi, *lib.* 3. *Curs. Theol. quæst.* 2. Atque illud Apostoli ad Roman.14.23. *Quod non est ex fide, peccatum est*, verificatur positive, & negative; ita videlicet,ut similiter sit verum: Quod est ex fide, peccatum non est. Enimverò , quod est ex assensu concepto omnibus hinc,& inde consideratis, quæ tu quantum considerare quisque tenetur, est utique ex fide sumpta , juxta sensum illi verbo Apostoli communiter attributum cum D. Thoma, & à me stabilitum in loco mox indicato pro judicio simpliciter approbativo operis,quod quisque exequitur. Hujusmodi judicium non habet,qui subest ignorantiæ vincibili, aut affectatæ , ac data opera non considerat rationes , quæ erant maximè considerandæ, ut in Conclusione præcedenti visum est. Utrique enim patitur actualem , vel saltem habitualem remorsum conscientiæ in contrarium , ideoque non operatur simpliciter ex fide , sed cum contradictione in semetipso. Habet verò idem judicium simpliciter approbativum , qui operatur cum assensu , qualis à nobis expositus est , & exigitur in hac conclusione. Quia assentit honestati sui operis omnibus utrimque diligenter consideratis, ac innixus fundamento magni ponderis, quod ita comparatur, cum toto fundamento oppositæ partis , ut possit præferri, & tanquam majus, ac probabilius acceptari imperio voluntatis, & sic acceptetur, ac præferatur, quoties libet. Circa quod expedit relegere, *art.* 135. Constat itaque libertatem , ac indifferentiam physicam opinandi in utramlibet partem contradictionis ita esse semper, & ubique necessariam pro usu licito utriuslibet ex opinionibus de licito , & illicito sibi invicem oppositis , ut eadem sit etiam sufficiens pro eodem usu licito promiscuo utriusvis opinionum ex invicem oppositis, quoties neutri earum inest excessus verisimilitudinis supra alteram manifestus atque omninò indubitatus.

ART. CLVII. Adde doctrinam traditam æque valere pro deponenda opinione sive universali, sive particulari prius concepta , & pro admittenda loco illius, atque in animum inducenda, deducendaque in opus opinione oppositâ, quando in neutra earum inest indubitanter agnoscitur excessus simpliciter verisimilitudinis supra alteram. Ita nimirum, ut nulla evi apparente

apparente de novo ratione, vel auctoritate, pro, aut contra alterutram partem contradictionis, quod ad intellectum attinet, propter solam supervenientem de novo specialem dispositionem voluntatis, & apparentiam rationum pertinentium ad ipsam, incipiat displicere opinio, quæ placebat prius, & placere, quæ displicebat, propterea q; determinetur intellectus ad opinionem contrariam opinioni prius conceptæ, & approbatæ. Cum enim intellectus in ejusmodi assensibus, ac dissensibus dependeat à voluntate, ejusdemque imperio determinetur, ut dictum est; novitas, quæ directè afficit voluntatem, ejusq; affectum transferat extremum contrarium priori, afficit etiam intellectum indirectè, & transfert ab assensu ad dissensum, aut è contra. Et quidem transitus voluntatis ab affectu ad affectum, & propositum contrarium contingit facillimè, quando ex deliberatione abstracta, & universali fit descensus ad particularem, & individualem deliberationem, & considerationem operationis hic, & nunc imminentis. Quod præterquam experientia quotidiana nimiopere manifestum est, ratio quoque evincit facilè obvia, & clara. Nempè difficultas, & arduitas operationis hic; & nunc exequtioni mandandæ cadit sub sensum, & experimentaliter, ac intuitivè percipitur directè, vel saltem indirectè, cum prius in deliberatione universali abstractivè tantum dignosceretur, & secundum prædicata tantum communia, quæ appetitum sensitivum minimè promovent directè. Est autem longè diversa vis cognitionis intuitivæ, ac experimentalis, ab ea, quæ inest cognitioni abstractivæ, & secundùm prædicata tantùm communia, apparetque rerum facies valdè diversa sub altera, & altera repræsentatione; estque dispar similiter conditio voluntatis repugnaturæ appetitui sensitivo vehementer commoto, ac renitenti sub operationis instantia, cum nil, vel certè remissius multo commoveretur, ac reniteretur sub consideratione abstractiva, ac universali propter incapacitatem sensus respectu rationum abstractarum, ac universalium. Exista igitur usque adeò diversa voluntatis dispositione, & affectione sub universali, & sub individuali operationis consideratione provenit, ut qui facilitate applicat, ac determinat intellectum ad opinionem assertivam, ac inductivam obligationis ad aliquid sub terminis universalibus, eadem eundem applicet, ac determinet ad opinionem oppositam, quando ventum est ad opus hic, & nunc, & ad deponendam interim priorem opinionem.

Ulterior expositio, & confirmatio assertæ libertatis opinandi absque peccato.

ART. CLVIII. Quod autem istiusmodi vicissitudo opinionum contingere possit, ac sæpè contingat absque peccato, si nil obstet aliud, quando opiniones utrimque sunt, quales à nobis propositæ fuere, nempè absque manifesto excessu alterius supra alteram, probatur eadem ratione, qua nuper usi sumus pro licito in utramlibet partem delectu, & usu ejusmodi opinionum. Quia quod quis tenuerit jam alterutram opinionem, eandemque pleno, quantum in opinabilibus fieri potest, assensu prætulerit oppositæ opinioni, solùm efficit, ut hanc prius postpositam, rejectamque opinionem præponat deindè, amplectaturque tanquam meliorem, ac probabiliorem cum difficultate aliquousque majori, seu potiùs cum minori facilitate, quàm si non præcelliset voluntas præferendi, quod deinde postponendum est, & è converso, juxta ponderationem circa hoc præmissam supra ab *art.* 137. Rationes enim honestatis, & inhonestatis, cum non cadant sub sensum, sicut ratio commodi, & incommodi, facilis, & difficilis operis, non possunt mutare faciem, & sortiri apparentiam diversam, quando ex universali consideratione descenditur ad particularem, agiturque de operando hic, & nunc, sed ex hoc præcisè capite manent prorsus eædem, & apprehenduntur eodem modo. Quapropter intellectus, quantum est ex se, & ex vi motivorum directè, ac immediatè pertinentium ad ipsum, permanet in eadem illa dispositione parendi indifferenter imperio voluntatis, sequendique eius ductum quoad depositionem opinionis prius præconceptæ, in qua primitus fuerat quoad eandem opinionem non admittendam, sed oppositam; ac proindè idem, qui sub deliberatione universali, & nondum urgente operandi, opportunitate, ac difficultate præsenti elegit opinionem inductivam, seu indictivam obligationis cum potestate eligendi oppositam, potest similiter omnibus rursus hinc, & inde consideratis, ac recogitatis transire tuta conscientia ad opinionem oppositam, dum sentiens præsentem conformandi se præconceptæ ptius sententiæ difficultatem simul advertit absque ulla convincenti, aut certò præponderanti, seu auctoritate, seu ratione conjici se in angustias fragilitati suæ periculosas, aut tepori spiritus graves, atque adesse pro parte contraria liberanti ab eo onere fundamentum magni momenti, seu motivum, quale plerumque non fallit. Suffragatur huic parti doctrinæ ultrà communem plurimorum, & optimorum postremi hujus sæculi auctorum consensum, de quo controverti, nisi protervè non potest, D. Antoninus *ubi supra reg.* 4. verbis, quibus obiter exponetur testimonium quoddam quò nimium confidenter abutuntur adversarii: Verba D. Antonini sunt. *Quod autem dicit D. Thomas in quodl.* 3. *quæst.* 4. *art.* 2. (*quodl.* nunc 8. *quæst.* 6. *art.* 13.) *Quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic non excusatur à peccato, cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam. Hæc enim verba B. Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet* (nempè manifestè.) *Alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum.* Excusatur ergo à peccato ex mente D. Antonini, qui in materia juris positivi tenet, & exequitur opinionem, quæ tametsi falsa sit, non tamen manifestè apparet, quod falsa sit. Alioquin interpretatio non subsisteret, ut patet. Nec minùs clarè patet eandem esse rationem de manifesta contrarietate ad legem naturalem ex principiis synderesis, vel communi sapientum consensu tanquam de re certa in materia pertinente ad ius naturæ. In hoc autem, quod dicitur de manifestè patere, ac apparere, vel non, intelligitur, abs dubio ratio manifesti, qualis plerumque datur, & est possibilis in operationibus humanis, nempè ut sit clara, atque omninò indubitata præponderantia fundamenti pro ea opinione, contra quam non potest quis agere sine peccato, tametsi veritas ipsius opinionis nec sit evidens, nec certa ex fide.

ART. CLIX. Constat hanc esse mentem Antonini,

tonini, inter alia plura, ex iis, quæ dicit sub finem regulæ ejus quartæ de tertio gradu certitudinis moralis, seu civilis. Conjungit enim hæc duo, tanquam invicem convertibilia, quod clarè denotat certitudinem ab eo dici moralem, non ex eo, quod perinde ferè infallibilis sit, atque certitudo physica, aut metaphysica, uti nonnulli usurpant perabsurdè in re præsenti, sed dici moralem, quatenus est certitudo congruens moribus, & qualis quæri solet in deliberationibus civilibus. Exponit hoc distinctissimè idem S. Doctor, subdens ex Philosopho, *Disciplinam esse, in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ; certitudinem moralem non consurgere ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis, & figuralibus magis ad unam partem, quam ad aliam se habentibus, seu ex iis, quæ pluribus, & maximè sapientibus apparent vera*; nempe ex motivo, ut supra dicebamus, plerumque non fallenti, & quod magis se habeat ad verum, quàm ad falsum. Ex quibus concludit sic: *Ex his igitur sequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teste Aristotele, & experientia, sufficit talis certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit, ut contemnat, seu superet eos.* Quod utique fit adjungendo motivo intellectus non præeminenti manifestè, atque hac præcisè de causa insufficienti ad abjiciendos penitusque dissipandos scrupulos, imperium voluntatis, ad cujus efficaciam pertinet contemnere illos, & superare adigendo intellectum, ut amplectatur motivum præeminens secundum quid ad modum præeminentis simpliciter, quando non est manifestus excessus simpliciter motivi pro parte oppositæ rigidiori. In quam sententiam subdit opportunè S. hic Doctor. Ad quod etiam optimè facit illud Leonis Papæ dicentis: *In his quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis, nec decretis SS. PP. inveniatur adversum dist. 14. cap. Sicut quædam.* Quod sanè verificari potest absque certitudine moraliter infallibili, & cum sola certitudine, qualis plerumque dari solet in deliberationibus, & operationibus humanis, ut dictum est. Huic sic expositæ certitudini morali, quæ coincidit re ipsa cum opinione, quæ à nobis dicitur verè probabilis, utpotè innixa fundamento, quale plerumque non fallit, seu quod est magni ponderis, congruunt omnia, quæ tradit idem *in eod. cap. 20. de conscientia, totareg. 6. & 7. de repellendis, ac deponendis scrupulis.* Sed quia sunt nimis multa, ut huc transferantur omnia, do pauca hæc in specimen, *Reg. 6. fine. Ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud in se non esset mortale, sumendo propriè, & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam. Sed si dubitet leviter quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de opposito; sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione, etiam si ipsa opinio, quam tenet, non esset vera; Et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem.* In quibus quod dicitur de æquiponderantia rationum, seu de rationibus hinc, & inde æqualibus, & de dubitatione propriè tali inde necessario subsequenti, expositum à nobis fuit *suprà*, & pluribus confirmatum ab *art. 11.* & alibi inter alia ex D. Thoma, à cujus mente, & sensu loquutionis haud quaquam recedit D. Antoninus. Exposuimus similiter *art. 13.* & prius, ac deinceps illud de ratione magis se habente ad unam partem, quam ad aliam in opinabilibus, ut nil prius differat nostra quoad hoc doctrina à doctrina contenta in verbis relatis D. Antonini.

ART. CLX. Adde hæc alia *ex regula 7. salutium: Inter duram, & benignam circa præcepta sententiam benigna est potius cæteris paribus interpretanda sequenda.* Cui consilio nullus esset locus, si nulla esset libertas in eligendis, retinendis, ac deponendis opinionibus, sed semper esset opus ratione ex se præcisè necessario victrici. Adde rursus *ex Reg. 4. initio. Cum bona conscientia potest quis temere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, secluso saltem scandalo; quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam, & credulitatem formet ita, quod credit tanquam de probabiliori parte, & præsque quando quis adhibet diligentiam inquirendo, antequat, ut invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum.* Ista postrema cautela de non sufficienter movente, seu de motivo non necessitante ad opinionem, quod sit illicitum, nec necessario emanente ab opinione, quod sit licitum, adhibita à nobis etiam est, & confirmata ex professo in superioribus, atque inibi observatum pariter est adhærentem alterutri parti contradictionis, ubi proinde una parte apparet motivum manifestè, ac indubitanter verosimilius, eo ipso adhærere illi tanquam probabiliori. Habemus igitur consentientem per omnia D. Antoninum, & cum ipso præcipuos quosque eius temporis Theologos, quorum sententias refert ipse diligenter in eundem sensum, sicut referri facilè possunt, & referuntur à pluribus auctores præcipui hujus temporis. Subjungo D. Antonino Adrianum, ubi supra ad primum de depositione conscientiæ, id est, opinionis practicæ prioris, circa quod omissis duobus modis deponendi, quos præmittit; considero tertium per rationes inducentes in contrarium, quem modum subdividit in duos rursus alios, primum insufficientem per rationes inductivas dubii, & suspensivas tam assensus, quam dissensus, & alterum, quem approbat ut sufficientem, his verbis: *Secundo modo, cum inducitur in contrarium judicium, sive assensum: Et cum sic deposita fuerit conscientia circa nullitatem matrimonii* (quæ erat materia particularis argumenti) *potest reddere, & exigere: dum tamen ex rationabilibus motivis, & non levibus, aut temerariis, ad hoc inducatur.* Quam limitationem nos quoque apponimus semper, & apponunt omnes nostræ, ejusdemque communis sententiæ auctores, solumque reque communis sententiæ auctores, solumque reque cimus Adversarios, quatenus exigunt, quod non exigit Adrianus, ut depositio conscientiæ, seu opinionis fiat ex rationabilioribus motivis, aut non prævisis, quando opinio jam deponenda concepta fuisset, quando opinio jam deponenda concepta fuisset. Concludo itaque esse licitum non modo delectum utriusvis partis contradictionis, sed etiam depositionem opinionis prius conceptæ, & transitum ad oppositam opinionem, juxta novam voluntatis inclinationem, & affectum efficacem, quotics pro utraque parte adsunt motiva momenti absolutè, & comparativè

tivè magni, & pro neutra adest excessus verisimilitudinis manifestus ac indubitatus. Quæ duo exprimo, & expressi seorsim majoris claritatis gratia, cum ipsa pars prior contineat in se posteriorem, uti & superiùs item adnotavi, & quisque facilè conjicere spontè potest.

ART. CLXI. Exhucusque discussis circa libertatem, & physicam, & moralem opinandi, colligitur verum esse, quod superiùs insinuabam, opiniones, quæ communiter circumferuntur, ut probabiles apud auctores Catholicos pios, & doctos, seu qui quæruntur & leguntur passim à fidelibus non quæsituris sic, & lecturis absque spe addiscendi veram, sanamque doctrinam, eo ipso esse eligibiles, & deducibiles in praxim tuta conscientia apud plerosque omnes, seu apud omnes, iis tantùm exceptis, qui sunt capaces discutiendi per seipsos fundamenta opinionum singularum, tum ab auctoritate, tum à ratione, eademque ita invicem conferendi, ac librandi, ut conscire valeant, an alterutra ex parte adsit excessus verisimilitudinis manifestus sibi, ac indubitatus, & quatenus adhibita attenta, ac seria diligentia conjiciunt adesse talem ex altera parte excessum in occurrente, seu electione opinionis, seu operatione. Ratio hujus, tam illationis, quàm exceptionis est usque adeò clara ex dictis, præsertim animadversa, quoad illationem, notatione, quàm præmissi *art.* 151. sub initium, & quoad exceptionem, doctrina tradita to *n.art.*152. Ut neutra pars indigeat ulla amplius declaratione, aut confirmatione. Adde distinctionem datam quoad delectum, & usum licitum opinionum inter peritos, & imperitos, valentes, & non valentes per seipsos librare momenta fundamentorum cujusque opinionis doceri inter alios à D. Antonino, *in præindicato cap.* 10. *de conscientia*, sub finem inductis, pro certificatione, & securitate sapientum illo *Prov.*27.11. *Stude sapientiæ fili mi.* & pro meruditis illo *Deut.* 32. 7. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos & dicent tibi.* Addo & experientiam propriam, si quid fortè sincera ejus expressio movete quemquam, aut juvare possit. Aliquas opiniones ita teneo in quæstionibus controversis, ut opinionibus contrariis assentiri nullo pacto possim, tametsi maximè vellem, sive in communi, sive in particulari, sive assensu speculativè practico, sive assensu practicè practico; ex. gr. *lib.*8. *Curs. Theol. quæst.* 45. *art.*7. tenui electionem non solùm indigni, verum etiam minus digni prætermisso digniori ad officia conservativa, & promotiva boni communis, præsertim jurisdictionalia, esse injustam, atque ex suo genere læthaliter peccaminosam. Tenui similiter inibi, *in respons. ad* 7. *art.*3. Distributorem dotium, & aliarum similium largitionum cum libera facultate eligendi personas individuas, quibus distribuat, ac largiatur, injustè agere, si paciscatur de parte pecuniæ sibi retinenda propter electionem unius personæ, cui subveniat præ aliis, & quidquid ita retentum fuerit, esse obnoxium restitutioni. Docui item, *lib.*10. *quæst.* 96. *ad* 8. circunstantias, ut vulgò dicitur, aggravantes intra eandem speciem esse necessariò exponendas in confessione Sacramentali, non quidem quoad omnes suas etiam minutiores differentias; bene tamen quoad omnem rationem, seu rationes differentiales unius peccati ab alio, quarum quælibet secundum se, ac seorsim sufficeret ad peccatum læthale ex. gr. furantem una vice centum aureos, aut occidentem una explosione decem homines, non satisfacere, si dicat, commisi furtum grave, seu homicidium, sed teneri exponere determinatè quantitatem, & numerum. Vide ibi. Dico autem opiniones istas, ut & alias non admodum paucas in quæstionibus controversis habentibus auctores hinc, & inde bonos, ac venerabiles, ita nihilominùs à me teneri, ut oppositas opiniones in animum inducere, aut quoquomodo juxta eas operari, nullatenus mihi liceat, nullaq; arte, nulla inclinatione, aut imperio voluntatis consequi ex me possim, ut existimem licere id mihi, aut hic, & nunc, aut universaliter, & in abstracto. In eadem porrò animi dispositione, atque adhæsione fui erga sententias oppositas iis propositionibus, quibus zelo, & consilio optimo severè interdixit Alexander VII. fœl. record. ante etiam, quàm illis interdiceret, aut de interdicendo ageretur. Quia videlicet in prænemoratis, aliisve similibus opinionibus excessus verisimilitudinis suprà oppositas est mihi omninò manifestus, ac indubitatus, ideoque retrahit me necessariò ab assensu earumdem oppositarum opinionum tùm universali, tum particulari, ac individuo, dum omnia hinc, & inde considero, quantum pro mea tenuitate possum, & quantùm quisque considerare tenetur circa mores, sive docere oporteat, sive operari. Circa quæsti nes alias morales communiter controversas ita plerumque dispositum me sentio, ut absque remorsu conscientiæ de peccato in utramvis partem flecti facilè possim per solas rationes pertinentes ad voluntatem, nulloque superveniente motivo, quod intellectum specialiter alliciat ad alteram determinatè partem, eidemq; devinciat, aut absterreat ab opposita, uti accidere posse docebat in genere D. Thom. *suprà art.* 105. ac læpiùs deinceps. De facto tamen id nunquam exequor propter considerationem subjungendam circa sequens argumentum.

Expenditur testimonium D. Thom. de usu licito opinionum.

ART. CLXII. Sed antequam ad illud transeo, libet regredi ad verba D. Antonini relata *suprà art.* 157. ante medium, quatenus cum præmisisset sententiam D. Thomæ, de faciente contra veram opinionem, & non excusato à peccato, tametsi non faciat contra conscientiam; atque subjunxisset ea verba D. Thomæ non posse intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ traditione, quod sit contra legem Dei; addidit demùm; *Alias sibi contradiceret in eodem libro*, nempè in quodlibetis. Quod ut firmiter credatur, tametsi abundè sufficiat auctoritas ita dicentis Antonini viri Sanctissimi, & in D. Thoma versatissimi, atque, inter alia, eximio erga ejus doctrinam cultu, ac prona adhæsione laudatissimi; è re nihilominus erit, si hic subinferantur ipsa verba D. Thomæ, quæ habentur, *quodl.* 3. *q.*4 *art.* 10. cujus titulus est: *Utrum discipuli sequentes diversas opiniones magistrorum, excusentur à peccato erroris?* Respondet autem: *Iniis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri. In talibus enim ignorantia non excusat.* Et probat primò ab incommodo, quia alioquin assectæ hæresiarchatum fuissent immunes à peccato; deinde auctoritate Augustini dicentis: *Consulere unumquemque debere regulam fidei, quàm scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit.* Tum concludit: *Qui ergò assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contrà id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris*

vitio excusari. Ex hoc contextu apparet obiter non omnem opinionem utcumque fa sam, sive de jure, sive de facto esse, ac dici, ut quidam dissonè hallucinantur, erroneam apud D. Thomam, sed illam tantùm, cui manifestè contradicit Scriptura, aut traditio Ecclesiæ. Quia alioqui priora cum mediis, & ultimis, nempe assumptum cum probationibus, & conclusione minimè cohærerent, ut patet inspicienti. Animadvertit hoc optimè post D. Anton. *suprà* P. Gonet *art.* 7. suæ hac de re differt. §. 4. *vers. ad* 1. *locum D. Thom. & vers. Errat etiam hic auctor*, atque per hanc animadvetsionem exponit facilè, ac legitimè quædam loca D. Thomæ, & aliorum, quibus abutitur Wendrockius pro suo errore de ignorantia invincibili juris naturalis, & divini non excusante à peccato speciali pœna digno, de quo diximus plura superius disputantes cum Sinnichio, & dicturi adhuc plusculum sumus circa sequens, idemque postremum argumentum. Notat præterea opportunè idem Gonet ibidem pro eadem conscientiæ erroneæ suppositione Theologos agentes de fide, & infidelitate solitos esse distinguere opinionem falsam, temerariam, erroneam, hæreticam. Apparet rursus ex eodem contextu excusare ignorantiam, & licere sequi opiniones Magistrorum quoad fidem, & bonos mores, ubi non adest, in contrarium, manifestum Sacræ Scripturæ testimonium, neque tenetur quidquam, aut docetur contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem. Hæc certè est manifesta D. Thomæ sententia, quatenus ex exceptio firmat regulam in contrarium. Quæstio etenim universaliter proposita erat, *an liceat sequi opiniones Magistrorum?* & præmisso licere *in iis, quæ non pertinent ad fidem, & bonos mores,* addit quoad hæc non licere sequi *opiniones erroneas*; & mox exponit, quid intelligat nomine erronearum opinionum, nempè *quæ sunt contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem.* Ergò ex mente D. Thomæ, licet de reliquo sequi opiniones Magistrorum, & sequens excusatur à peccato. Alioqui resolutio D. Thomæ esset defectuosa, & deceptiva in re longè gravissima, quod dici non potest. Concinunt huic intelligentiæ rationes dubitandi, quas proponit S. Doctor. Pro affirmativa enim, quod excusant opiniones Magistrorum, proponit illud Christi Domini, Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia, quæ dicunt vobis, servate, & facite.* Pro negativa autem proponit illud Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*; & subdit hanc ponderationem: *Sed quicumque errat, cæcus est, in quantum errat. Ergo quicumque sequitur opinionem errantis Magistri, in foveam peccati cadit.* Jam inter respondendum, circa istud posterius testimonium cum sua ponderatione nil dicit, sed tacitè supponit illud coincidere cum resolutione in corpore præmissa, ac proindè cæcum dici, & ductorem, & ductum, non omnem, qui utcumque decipitur, aut decipit etiam circa abditiores, ac remotiores consequentias, sed eum tantum, qui decipitur, aut decipit circa manifesta, ac facilè pervia, uti dicitur in corpore, & stabilitum à nobis fuit, *art.* 35. Ad testimonium autem prius pro parte affirmativa respondit sic: *Dicendum quod ideo præmisit; super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, ut quod postea subdit: Omnia quæ dixerint vobis, servate, & facite; de illis intelligatur, quæ ad cathedram pertinent, ad quam non pertinent ea, quæ sunt contra fidem, vel bonos mores.* Sed ea tantùm (subaudi ex præmissa propositi articuli resolutione) quæ certò, ac manifestè pertinent ad fidem, & bonos mores. Manifestum porrò est, subsumo ego, non nisi violenter, & impropriè, ac prorsus ineptè dici posse erroneam, & contra manifestum scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, eam opinionem, cujus oppositæ hoc minimum, non conveniat, ut excessus verisimilitudinis in ipsa, seu excessus propinquitatis, & accessus ad scripturæ testimonium, vel Ecclesiæ auctoritatem sit manifestus, ac indubitatus. Manifestum igitur est, ejus ut minimum opinionis assensum, & usum esse immunem à peccato ex sententia D. Thomæ, qui à nobis assertus est esse immunis à peccato, atque adeò doctrinam nostram quoad hoc punctum, ne minimum quidem discrepare à doctrina D. Thom. certè illam laxiorem nequaquam esse, quam istam.

Art. CLXIII. Adjungam D. Thomæ *infra art.* 205. duos illos præcipuos, & asseclas ipsius, & posterorum antesignanos Cajetanum, & Sylvestrum. Interim non erit absre, si Angelico conectum subibem Doctorem, atque ostendam Scotum non solum nil contradicere, sed etiam illi suffragari inlocis, quæ contra nos opponunt adversarii. Tria autem sunt præcipua. Primum testimonium sumitur *ex quæst. 2. prologi fine. Et si objicias,* ait, *multa in actibus humanis sunt dubia, utrum sint peccata mortalia, etiam sapientibus omnibus doctrinis Doctorum, & Expositorum. Respondeo non est dubia via salutis simpliciter. Quia à talibus tanquàm à periculosis debet homo sibi cavere, & cohibere se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum. Quod si noluerit quærere salutem, sed non curando exponat se periculo; ubi fortè de genere actus non est peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter sic sibi periculo exponendo:* Dico imprimis hoc testimonium non videri ad rem. Quia Scotus loquitur de dubio, & de periculo dubitantis: *Multa sunt dubia,* dicit in argumento; & in responsione: *Non est dubia via salutis.* Adversarii loquuntur de opinantis aut utcumque, sed cum probabilitate. Dubium autem, & opinio, ea maximè, quæ est probabilis, differunt inter se, tanquam, nodus, & solutio, & consequenter dubitans, & opinans, præsertim probabiliter, differunt sicut ligatus, & solutus, ut vidimus supra ex Aristotele, & D. Thoma. Unde in agendo, & quoad rationem periculi differunt toto cœlo, ut videre potes infrà fusè ab *art.* 190 Advertendum deinde est, ab Scoto non computari inter dubia doctrinas Doctorum, & Expositorum, sed tantum opponit, iis suppositis, adhuc illa existere. Quod hodiè quam verissimum est, postquam tot insuper alia tradita, & exposita sunt. Quotidiè enim, & non raro saepissimè die interrogamur adhuc, & interrogamus de dubiis emergentibus, atque interim tam consulentes, quam consulti pro certo habemus, quod Scotus tradit, non licere agere; nisi quod tutius est, quotque inveniatur certitudo, vel saltem probabilitas ejus parte mitiori. Consentimus igitur Scoto indubitanter circa hæc dubia probabilistæ, dum manent dubia. Nota denique cum Meldula *in disp. 1. quæst. 1. articul. 5.* Scotum ubi immediatè antè docere, circa ea, quæ implicitè tantùm traduntur in scriptura, *esse utilem laborem Doctorum, & Expositorum.* Est autem utilis pro minus tuto. Quia tutius ex natura ipsa rei, seu materialiter, omnibus sponte innotescit cum

cum probabilius ut tale rarò per Doctores innoteſcat certò. Opponit 2. Gonet. artic. 2. ſuæ diſſert. §. 2. fine, hæc verba Scoti *in 3. diſt. 25. quæſt. 1. ad 1. dub.* occurrens. *Sicut in moralibus, quando ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primò eſt mortale, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quod non licet ſic mercari; & alius dicat, quod licet: tutius eſt non procedere ſic, nec ſic, ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. Si enim ita eſſet, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius, quod peccaret, ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus. Ideo benè videndum eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur. Et per hoc patet, ad ſecundum:* Dico ad hæc; difficilem eſſe priorem periodum hujus contextus quoad ſenſum grammaticalem. Quia præmiſſo, uno dicente contractum talem eſſe illicitum, & alio dicente contractum eſſe illicitum; Subjungitur, tutius eſſe, nec ſic procedere, nec ſic: Quod perindè videtur eſſe, atque ſi diceretur, in eo caſu tutius eſſe, nec facere talem contractum, nec omittere. Hoc autem eſt impoſſibile, ac proinde nec tutius eſt, nec minus tutum. Cæterum quoad rem noſtram nulla eſt difficultas, nec umbra difficultatis. Quia quidquid illud ſit, de quo Scotus pronuntiat tutius eſſe, nil id facit ad quæſtionem. Quæſtio enim noſtra non eſt, an hoc, vel illud ſit tutius, au minus tutum; ſed an poſito, & agnito, quod aliquid ſit tutius, teneamur ad illud ſub peccato, ſi ſimul non ſit minùs probabile, quam oppoſitum. De quare nil dicit, nil inſinuat Scotus. Similiter in poſteriori periodo non loquitur Scotus de cautela in agendo ſub tali, vel tali opinione, ſed de cautela in docendo tales, vel tales opiniones. Noſtra autem quæſtio procedit directè de cautela in agendo, ſeu de uſu opinionum non de opinionibus ipſis. Neutra igitur pars ad rem noſtram pertinet. Jam quoad illam particulam prioris periodi; *Quouſque veritas pateat aliundè*; tu dicis, veritas pateat per rationem probabiliorem, ego dico, per rationem ſaltem probabilem, cui acquieſcat intellectus. Scotus neutrum dicit determinatè. Ergò, quod ad Scotum attinet, manemus ſicut priùs, niſi quod qui eſt contentus genere, videtur eſſe contentus infima etiam ſpecie generis. Quod facit pro nobis. Illud denique de perplexitate ſimplicis, uno perito affirmante, & alio negante, accidit frequenter. Veniunt enim, & poſito caſu addunt; talis mihi reſpondit affirmativè, talis negativè, ego neutri ſatis fido, tu quid dicis? Ego, vel protinus, vel interpoſito ſtudio expono illi, quod mihi occurrit, & addo, ſi opus eſt, rationem, quæ videtur opportuna. Ille acquieſcit, vel mihi, vel meæ rationi, vadit, & operatur ſine ſcrupulo; atque hujus generis eſt, quod ſupponitur à Scoto. Quid autem hinc ad rem? An ne quilibet peritus contra quemlibet peritum, & apud quemlibet facit opinionem probabilem? Aut quilibet eſt diſpoſitus, ut diſcernat, atque agnoſcat probabilitam, vel probabilioritatem, ubi reipſa adeſt, ut non incidatin perplexietatem? Vide quæ dixi ab *artic.* 133. de eliſione motivorum invicem oppoſitorum, & quæ dicam infrà de dubitante *art.* præſertim 191. Videtur propter hæc agnoviſſe R.P. Gonet nil ſe concludere poſſe ex hoc textu Scoti, & ideò ejus verbis, interjecta ſola virgula, & cum eodem caractere curſivo, annexuit hæc alia: *Quia videlicet, cum habens duas opiniones contrarias perplexus ſit, periculoſè ſe determinaret ad unam, niſi re diligenter inſpecta, illam probabiliorem agnoſceret.* Verum hæc non dicit Scotus, & fortè fuit error Typographi; ſed nec inferuntur ex Scoto, ut patet ex dictis. Tertius locus Scoti ſumitur *ex 4. diſt.* 11. *quæſt. 6. ad 1, dub. Cum dubium ſit*, ait, *an amidum ſit hujuſmodi materia, & pars negativa multum ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio* Hoc teſtimonium, quod idem Gonet proponit cum additione ſimiliter in fine, & cum diminutione, ac tranſmutatione in principio, conſtat clariùs ad rem nil facere. Quia Scotus agit ibi de opinione ſpeculativa circa natutam phyſicam materiæ Sacramenti. Noſtra autem quæſtio eſt de opinione practica circa licitum, & illicitum; peccatum, & non peccatum. Et præterea omnes unanimi conſenſu tenemus, ex opinione ſpeculativa utcumque probabili circa qualitatem materiæ Sacramenti non poſſe ſubduci opinionem practicam probabilem de uſu per ſe licito talis materiæ in perficiendo Sacramento. Concedimus ergò adverſariis plus etiam, quam habeatur ex hoc loco Scoti, ſed quod nil confetat ad ſcopum controverſiæ. Vide ſi placet plura ſimilia diligenter diſcuſſa apud Meldulam in loco indicato.

PARS TERTIA.

De Argumentis ex periculo operandi ſub opinione.

Poſtremum argumentum, ex periculo tranſgrediendi legem, propoſitum, & ſolutum à D. Antonino.

ART. CLXIV. ARGUMENTO deſumpto ex periculo tranſgrediendi legem Dei jam olim uſi ſunt, ante etiam Gerſonem, graviſſimi Theologi adverſus opiniones ineptas, leviter, aut nulliter fundatas, adeoque minimè probabiles, & morum, ac legum corruptivas. Nuperi autem probabilioriſtæ, & fautores certitudinis moralis tanquam omninò requiſitæ ad operandum honeſtè, & ſine peccato abutuntur eodem argumento admodum ferventer, ac animosè adverſus uſum opinionum verè probabilium, habentium auctores claſſicos, & laudatos communiter, atque magni meritò habitos; & quæ nituntur fundamentis minimè contemnendis, ſivè abſolutè, ſive etiam comparativè. Accumulant eam in rem textus quam plures, & eorum pro parte noſtra interpretationes cohibitivas eorumdem intra ambitum veræ probabilitatis etiam infimæ, ac minùs tutæ, & excluſivas progreſſus ad uſque, vel majorem probabilitatem, vel certitudinem moralem, explodunt, detident, deteſtantur tanquam ineptas, illegitimas, violentas. Res ea viſa eſt mihi digna, cui pluſculum immorer adhibitis nonnulli conſiderationibus, quas ſpero futuras eſſe utiles detegendæ, inſinuandæ, ac evincendæ, quoad hoc punctum, veritati. Libet autem, ac juvabit præmittere, ante omnia, diſcurſum deſuper D. Antonini, qui præcipuos ejuſmodi textus attigit, & præcipuas interpretationum vias aperuit, ut oppoſito tantæ authoritatis obice comprimatur præjudicata adverſariorum audentia, & lectoré, nullo præoccupatum præjudicio, promiorè, ac attentiorem habeamus circa ea, quæ ſubjicienda deinde à nobis ſunt

sub directione, ac manuductione sapientissimi, piissimique Doctoris.

ART. CLXV. Dixitaquè Antoninus: cujus verba, & apices omnes pro meis haberi volo, & loco verborum meorum appono tanquam meliora, quo etiam titulo non multò antè partem eorum iterum descripsi. Argumentum petitum ex periculo transgrediendi legem per usum opinionis minus tutæ, nec moraliter certæ, proponit, ac diluit in hunc modum *in sum. 1. p. tit. 3 c. 10. §. 10. reg. 6. Solet autem impedire repulsionem scrupulorum* (de qua est tota illa reg. 6.) *Sententia aliquarum auctoritatum non benè intellectarum, & ideò declarandæ sunt, ut illa, quæ habetur extra de spons.* (fortè cap. Juvenis de spons.) *scilicet in dubiis tutior via est eligenda; propter quod scrupulosus eligit viam rigidiorem. Sed ad hoc respondetur, quod eligere viam tutiorem, consilii est, non præcepti. Alias oporteret multos ingredi religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via potest eligi tuta. Sicut enim diversa viæ tendunt ad unam Civitatem, licet una tutior alia sit; sic ad Civitatem cælestem alius sic vadit, & tutè: licet aliquis tutiori modo. Item quia dicitur Eccles. 3. Qui amat periculum, peribit in illo: Hinc est, quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo est dubium; utrum sit mortale, vel non? peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua re mortali sunt variæ, & contrariæ opiniones; ille, qui adhæreret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia in dubio; cum posit illa opinio esse falsa, & contraria vera. Sed ad hoc respondetur, quod utique ille, qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiam si illud in se non esset mortale, sumendo propriè, & strictè dubitationem; videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam. Sed si dubitet leviter quis per modum scrupuli, sicut dubitat, seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, quod tamen formidat de oppositio; sic agendo contra tale dubium non peccatur, dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro oppositia opinione, etiam si ipsa opinio, quam tenet, non esset vera. Et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ. Talis enim non operatur in dubio mortali, sed secundum opinionem probabilem, quod magis declarabitur in septima regula. Quod etiam Gregorius dicit. Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est dist. 5. Ad hoc dicit glossa, agnoscere, id est, timere, & non per assensum firmum determinare. Hoc enim stultum esset secundum Cancellarium.* Ex septima porrò regula, ad quam se pro uberiori luce remittit, quoniam diffunditur latius, sufficeret hic exhibere, ultra ea, quæ non multò prius, expensa à nobis fuere, priorem illius partem, cui consonant reliquæ, ut potè ab eadem derivatæ. *Septima regula est*, ait, *pro scrupulorum depositione, præceptorum discreta Epicaizatio, id est, interpretatio, vel declaratio. Æquitas enim, quam Philosophus nominat Epykeiam, præponderat rigori secundum juris peritos. Est autem æquitas, justitia, pensatis omnibus circumstantiis particularibus, dulcore misericordiæ temperatæ. Et ait sapiens: Noli esse nimis justus, qui perit in justitia sua. Pertinet autem ad virtutem Epykeiæ considerare, non nudum de se præceptum sed circumstantias omnes ipsum particulariter vestientes. Unde Philosophus 5. Ethic. dicit, quod Epikeia interpretativa legum est melior, quam justitia legalis. Et secundum hanc virtutem Epykeia possumus præcepta Dei, Ecclesiæ, prælatorum, seu judicum benignè interpretari. Et in foro quidem contentioso non est interpretari, cujus est concedere, vel sententiare. Sed in foro conscientiæ circa præcepta, & Divina, & humana, dico, quod pertinet ad quemlibet pro suis. Si tamen rationabiliter interpretatur.* Et secundum Tamb. *de Tamb. septuplex doctrina per virtutem Epykeiæ scrupulosæ conscientiæ proficua dari potest. Quarum prima est; interduram, & benignam circa præcepta sententiam, quod benigna est potius cæteris paribus interpretatio faciendæ, quod etiam asserit Guil. Hujus ratio est, quia præcepta Dei, & Ecclesiæ non sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando nimis scrupulosè, & timidè præcepta interpretatur. Docunda doctrina secundum virtutem Epykeiæ est, quod ut Deus, nec Ecclesia per sua præcepta intendit obligare ad impossibile alicui. Cum enim secundum regulam juris nemo possit ad impossibile obligari, extra de reg. jur. lib. 6. Non solùm dicitur impossibile, quod absolutè non est possibile, sed etiam videtur interpretandum secundum virtutem Epykeiæ in lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, utpotè nimiam habens difficultatem. Alias quomodo salvaretur illud? Onus meum leve Matt. 11. c. Tertia, &c.*

ART. CLXVI. Habes in his 1. exemplum auctoritativum accipiendi, tanquam consilia, & non tanquam præcepta, textus suggerentes tutiorem opinionem in dubiis; *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti.* 2. Idem exemplum non ampliandi eosdem textus ad opiniones probabiles, seu assensum tenentes magno fundamento, sed restringendi ad paras dubitationes; *sumendo propriè, & strictè dubitationem.* 3. probabilitatem opinionis, qua uti licet jam olim fuisse eam, quam fundat auctoritas alicujus Doctoris, cum rationibus, quibus quis assentiatur tanquam melioribus, ac præeminentibus juxta dicta supra *art.* 113 dum modo non adsit pro parte contraria manifestus, ac indubitatus excellat fundamenti veritatis: *Dum adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis, quam pro oppositia: Nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium scripturæ, vel contra traditionem Ecclesiæ,* uti etiam tradebat D. Thomas expensis à nobis paulò prius. 4. non esse inventionem modernam, aut theologorum propriam devastantium Ethicen Christianam, quod excuset prorsus à peccato, in quavis indiscriminatim materia, ignorantia invincibilis conserta opinioni ejusmodi probabili: *Etiamsi ipsa opinio, quam tenet, non esset vera.* 5. ad virtutem pertinere, quod interpretemur benignè præcepta divina, & humana, atque interpretatione rigida, austera textuum præferentium oppositum scriptos exiccativos spiritus, & ablativos hilaritatis, & vigoris, seu dulcedinis spiritualis; *solet impedire repulsionem scrupulorum sententia aliquarum auctoritatum non bene intellectarum: secundum hanc virtutem possumus præcepta benignè interpretari: præcepta Dei, & Ecclesiæ sunt ad tollendam omnem spiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando nimis scrupulose & timide præcepta interpretantur.* 6. auctoritas in doctrina moderata rigidis, & nolentibus uti justitia dulcore misericordiæ temperata sapienter, & piè suggerit ad emollienda eorum duritiem illud Eccles. 7. 17. *Noli esse justus multum.* Et illud Christi Domini Matth. 11. 30. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve:* Siquidem hæc illis opponit S. Antoninus dictus vulgò dum

dum viveret consiliarius, propter consiliorum sapientiam, & pietatem. Adde adversarios nostros, hac una assertione necessitatis, seu obligationis utendi tutiori sententia, quandocunque opposita opinio non est certò, ac manifestè probabilior, doceri tanquam veras, & unicè tenendas sententias ridiculosissimas, seu assertivas, & inductivas obligationis in omnibus, & singulis quæstionibus de licita, & illicita operatione controversis inter auctores Catholicos, quarum dicuntur reperiri in uno Diana plusquam tria millia. Quia in omnibus ejusmodi quæstionibus apud plerosque omnes est anceps, & obscurus excessus probabilitatis conveniens alteri opinioni supra opinionem oppositam, uti consideratum à nobis supernis fuit *art.* 51. Unde perinde est dicere, quod isti dicunt, omnem operationem non conformem opinioni, vel tutiori, vel certò probabiliori, seu ut plerique eorundem adversariorum jam loquuntur, moraliter certæ, esse peccaminosam, atque dicere, in omnibus, & singulis prædictis numerosissimis quæstionibus opinionem tutiorem, id est, assertivam obligationis, & quod operatio, de qua quæritur, sit illicita, esse veram, & oppositam falsam; esset nimirum implicatio manifesta, si quis hæc duo simul diceret, verum est hanc, vel illam talem operationem esse licitam, nullamque esse obligationem vitandi illam; sed est etiam verum peccaturum esse, quicunque eandem operationem exequtioni mandabit utpotè oppositam opinioni tutiori, cujus falsitas non est moraliter certa. Manifestum igitur est modernos istos adversarios nostros opponi è regione intentioni, & piis ac salubribus documentis D. Antonini, & licet ex præindicatis ab eodem fundamentis appareat haud obscurè, rationem, & veritatem militare pro ipso; redibit tamen paulò post distinctior nobis sermo circa hoc punctum, exposito discrimine inter doctrinam tutiorem, tutioremque operationem. Septimò, ac ultimò nota non esse de nihilo querelam D. Antonini de impossibilitate, seu de maxima ac moraliter apud plerosque insuperabili difficultate consequendæ vitæ æternæ juxta doctrinam de necessitate, seu obligatione operandi conformiter ad tutiorem, ubicunque deest certitudo moralis in contrarium. Quotus enim quisque est, qui spondere sibi de se possit conformitatem suæ voluntatis ad tutiorem in tanta, ac tam immensa opinabilium varietate, & multitudine circa omnem materiam moralem? *Nec Deus, nec Ecclesia intendit obligare ad impossibile: In lege nova esse impossibile, quod vix est possibile, utpote nimiam habens difficultatem; aliàs quo modo salvaretur illud? Onus meum leve,* Videatur Cornel. à Lapide ad præindicatum locum Ecclesiastis! *Noli esse justus multum,* cum notis præsertim Greg. Naz. & Bernar. Et nos ad singulos adversariorum textus seorsim, ac nonnihil distinctius considerandos descendamus.

Ulterior consideratio textuum pro obligatione ad tutiorem.

Art. CLXVII. PRimò, ac principaliter arguunt adversarii ex illo Eccles 27. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Peccat ergò, qui utitur opinione minùs probabili, & minùs tuta. Dico istam consequentiam non tenere. Quia testimonium scripturæ, quod assumitur, tribus de causis non pertinet ad propositum. Primum enim eò loci non agitur de periculo in genere, & multò minùs in specie de periculo operandi juxta tale, vel tale genus doctrinæ moralis, sed agitur determinatè de periculo moriendi in peccato mortali, & incidendi in æternam damnationem, quod imminet peccatori obdurato, & differenti pœnitentiam usque ad articulum mortis. Patet hoc inspicienti integram sententiam cum sua particula copulativa, quæ sic habet: *Cor durum habebit malè in novissimo; & qui amat periculum, in illo peribit.* Peribit nimirum finali animæ interitu, qui se exponit periculo malè habendi in novissimo per duritiam cordis, & permanentiam habitualem in peccato cum dilatione pœnitentiæ, & emendationis usque ad articulum mortis. Qui est sensus litteralis, & proprius testimonii propositi, ut patet consideranti. Lege etiam interpretes, si placet. Vides autem hunc sensum distare à tua tutioris necessitate, quantum distat ortus ab occasu.

Art. CLXVIII. Deindè prædictio ista comminatio interitus finalis, fundata in amore periculi amittendæ salutis animæ, accipiatur nihilominus seorsim tanquam gnome, seu sententia universalis ad probandum, quod immediatè præmissum fuerat de duro corde malè habituro in novissimo. Videndum jam erit, & tibi, & mihi, quantum, & quanti mali periculum esse debeat, ut in ejus amore fundari rectè possit prædictio, seu comminatio interitus animæ tanquam certò futuri certitudine morali, qualis procul dubio subintelligitur in nostro sacro textu. Et postquam convenerimus de magnitudine mali, nempè tantam illam esse oportere, quanta inest cujus peccato lethali, dissentiemus necessariò circa magnitudinem periculi asserente te, & conante statuere, sufficere periculum, quantum inest operationi directæ per opinionem probabilè, quod ea non sit peccatum lethale, si simul adsit opinio contraria, quæ vel appareat probabilior, vel non sit certò minùs probabilis; me verò id negante, & asserente esse necessarium periculum, quantum inest operationi directæ per opinionem temerariam, præcipitem, inconsultam, ac demum innixam prætextibus vanis, ac futilibus contra fundamentum manifestè, ac indubitanter præeminens. Neuter autem quoad hoc proficere quidquam possumus, & tu minus, ex proposito testimonio. In quo videlicet nulla statuitur directè taxa, seu regula determinata magnitudinis periculi portendentis interitum, ut per se patet. Indirectè verò, si quid indè argueretur, pro me potius argumentum militaret. Oporteret enim intelligere magnitudinem periculi, qualis immediatè præcessit in duro corde, seu habitualiter, ac pertinaciter adhærente peccato usque ad articulum mortis. Non est autem tantum, aut tale periculum, quod ineest usui cujusquam opinionis verè probabilis, siquidem per eam, non sine magno fundamento, & omnibus, quæ occurrere cuique possunt diligenter hinc, & indè consideratis, creditur nil inesse mali operationi, quàm dirigit.

Art. CLXIX. Inquiro demum, ut hoc ipsum percipiatur clarius; vel ex vi hujus textus, intenditur, amorem, seu deglutionem cujusvis indiscriminatim periculi etiam remoti, aut remotissimi, levis, aut levissimi incidendi in peccatum lethale, esse lethaliter peccaminosam, vel non nisi periculo existente magno, tali, ac tanta aliqua determinata magnitudine; Si intentio sit de quovis indiscriminatim periculo, præterquam est intentio valdè irrationabilis, & absurda, ut observabamus adversus Sinnichium, dum agebamus cum ipso, argumentum ferit

auctores etiam suos. Quia opinionem esse magis probabilem, aut probabilissimam, & moraliter certam, non eximit illam penitus à periculo falsitatis, ac proindè nec operationem, quam dirigit, liberat totaliter à periculo contraveniendi reipsa legi. Quapropter ad vitandum omne prorsus ejusmodi periculum, necesse erit operari semper sub certitudine fidei divinæ, aut scientiæ propriè talis, quam tamen necessitatem nemo sanus asserit pro statu præsenti naturæ lapsæ. Si verò intentio arguentis restringatur ad tantum, ac talem determinatè gradum periculi, nullum poterit ex hoc textu auxilium pro se nancisci pars adversa, cum nullus talis gradus periculi per eum determinetur, aut insinuetur, quinimò loquatur de supremo gradu periculi, continentis in se moralem in summo certitudinem ruinæ finalis ex corde duro, & per totam vitam impœnitenti usque ad articulum mortis. Patet igitur clarè testimonium istud adaptari minimè posse opinioni verè probabili, ejusque usui, tametsi opposita sit reipsa probabilior, simulque magis tuta.

Art. CLXX. Ejusdem sensus est, & eamdem habet solutionem textus canonicus ex *cap. si quis autem de pœnit. quæst. 3. dist. 7. Ergo tene certum, dimitte incertum.* Ergò teneimur operari juxta tutiorem dimissa incertitudine opinionis minus probabilis, & minùs tutæ. Dico similiter ad hoc, consequentiam non esse legitimam, & textum nullatenus pertinere ad nostram controversiam. Sciendum est totam illam distinctionem septimam agere unicè de pœnitentia non differenda usque ad articulum mortis, & de periculo hujus dilationis; atque caput hoc. *si quis autem* cum duobus proximè præcedentibus desumptum esse ex Aug. *libro 5. homil. 41.* cujus homiliæ postrema verba sunt hæc, quæ nobis objiciuntur, tota verò homilia similiter contendit unicè pœnitentiam non esse differendam usque ad articulum mortis, & ponderat terribiliter periculum hujus dilationis. Majoris claritatis gratia, & propter momentum salubertimi documenti, accipe, quæ sequuntur ad med. hom. *Fidelis benè vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pœnitentiam, & reconciliatus, cum sanus est & postea benè vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus.* Et post pauca: *Nunquid dico damnabitur? Non dico; sed dico etiam, liberabitur? Non; & quid dicis mihi? Nescio, non præsumo, non promitto, nescio. Vis te de dubio liberare? Vis, quod incertum est, evadere? Age pœnitentiam, dum sanus es.* Et rursus. *Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Ac demum paucis aliis similibus adjunctis concludit. *Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quod horum futurum sit, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum.*

Art. CLXXI Vides patenter quisquis videre aliquid potes, sermonem hic non esse de opinione probabili, adeoque incerta, cum qua quis operatur, aut operari potest, sed de exitu incerto operantis cum opinione temeraria, insipienti, ac planè stulta. Quam ut minimum censuram meretur proculdubio opinio existimantis, licitum esse propositum differendi pœnitentiam de commissis peccatis lethalibus usque ad ultimi agonis angustias. Vides rursus sermonem esse de re non utcunque necessaria, seu necessitate præcepti tantùm, sed de ea, quæ est necessaria necessitate medii, nempè de pœnitentia peccatorum lethalium peragenda antè mortem; & nemo audet opinionem tantum probabilem speculativè, & non moraliter certam, circa necessaria necessitate medii, esse practicè improbabilem, præterquam quod in casu nostri textus deest probabilitas quoque speculativa, ut patet inter alia ex prædicata dist. 7. *cap. Nullus* ab illis præsertim verbis: *Sed quamvis vel rarò est tam justa conversio, timendum est de tam tente serò. Cum enim morbus urget &c.* Videsdemque ex præmisso Augustini contextu, sensum ejus redire in his verbis. *Tene certum, dimitte incertum, esse hunc: Per age pœnitentiam dum sanus es, ac deindè bene vive, ne te exponas periculo moriendi, quin peregeris legitimam pœnitentiam, differendo illam usque ad articulum mortis.* Eliciet autem ex pumice aquam, qui ex hoc antecedenti inferre valebit consequentiam illam: *Ergo peccat, quicunque in materia aliqua non operatur juxta tutiorem, simulque magis, vel æquè probabilem opinionem dimissa incertitudine opinionis oppositæ vere probabilis* in qua enimverò argumentatione fit transitus à genere in genus; & arguitur, ex improbabili reprobato, ad reprobandum probabile, ex incertitudine eventus subsequuturi post talem determinatè modum agendi, ad incertitudinem talis determinatè opinionis dirigentis operationem, & modum agendi, ex materia necessaria necessitate medii ad omnem indiscriminatim materiam, etiam necessariam necessitate solius præcepti. Quod quam sit absonum, ac ineptum, tetemet sponte vides. Adde, si libet, quæ ponderavimus circa textum præcedentem. Huc etenim redeunt omnia eadem cum eadem vi propter identitatem materiæ & rationis.

Art. CLXXII. Tertium, & quartum testimonium sumuntur ex *cap. Iuvenis de sponsal.* & ex *cap. ad audientiam de homic.* Ubi assumuntur tanquam certæ, atque omninò necessariæ humanarum operationum, regulæ axiomata ista duo: *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus; & in dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Ergo quandocunque circa quæstionem, an liceat aliquid? Occurrunt opiniones hinc, & indè incertæ, altera tutior, altera intuta, seu minus tuta, tenemur operari juxtà tutiorem, & alioqui peccamus, vel leviter, vel graviter, prout contigerit gravem, vel levem esse materiam, circa quam.

Art. CLXXIII. Dico hanc consequentiam his aliis consequentiis esse similem. Claudus non potest ambulare, nec videre cœcus. Ergo habens tibias debiles non potest ambulare, nec videre lippus. Claudi ambulare, cœcum videre sunt miracula ex Evangelio. Ergò habentem tibias debiles ambulare, lippum videre sunt miracula. Aliud nimirum est dubitare, aliud opinari, & aliud rursus est opinari cum fundamento absolutè, & comparativè magno, id est, omnibus hinc, & indè diligenter consideratis, aliud opinari cum fundamamento levi, cumq; voluntaria non quæ sunt in contrariũ, inconsideratione. Qui dubitat nil enunciat. Enunciat, qui opinatur; qui enunciat cum levi fundamento, & absq; attenta consideratione motivorum utriusq; partis, opinatur temerè, insipienter, improbabiliter, probabiliter verò, sapienter, & maturè, qui cum magno fundamento, omnibusque hinc, & indè diligenter collatis. Hinc patet, quid sint, & quantum distent invicem dubia, & opinabilia, probabiliter, & improbabiliter opinabilia, de quo duplici discrimine egimus iterum superiùs, & paulò post aliquid adhuc superadditurus, quatenus incidimus in adversarios sæpiùs impingen-

tes in istam æquivocationem, & alienam, ab homine præsertim, disciplinato, confusionem. Jam quoad præsens attinet, Pontifex loquitur expresè de dubiis: *In his, quæ dubia sunt, In dubiis.* Adversarii inferunt de opinabilibus, & non qualibuscumque, sed insuper probabilibus, & quorum fundamentum post diligens examen dignoscitur esse magnum. Arguunt igitur ad instar arguentis negativè ex claudo ad debilem, ex cæco ad lippum.

Art. CLXXIV. Quod autem in utroque eo tenus sermo sit dubiis propriè, & strictè talibus, ostendi haud obscurè potest. Et quidem quoad *cap. Iuvenis* supponit, id, & exponit optimè glossa ibi, sed antè ejus verba oportet præmittere casum quæstionis qui distinctius proponitur, & resolvitur *in cap. Litteras, de despons. impub.* Juvenis septennio major duxerat puellam nondum septennem per contractum sponsalitium. Puella autem deindè præmortua, aut juvene recedente ab ipsa, & à promissione sponsalitia, antequam puella post septimum annum sponsalibus consentiret, idem juvenis contraxit matrimonium cum consobrina ejusdem puellæ. Quæsitum est, an sustinendum esset matrimonium; an verò separari deberent dictus juvenis, & hæc consobrina prioris? Respondet Pontifex separari debere, atque ut ita respondeat, assumit axioma illud: *In his quæ dubia sunt.* Audiatur jam glossa: *Sed quare dicit? in his, quæ dubia sunt. Quia si ex toto antè septennium ducta fuit, & post septimum annum non consensit, vel antè recessit; tunc non est dubia, sed certa. Quia matrimonium non impeditur cum consanguinea etiam cum mare*, 1. tit. prox. *Litteras*, &c. *accessit. Si post septimum annum consensit; sponsalia tenuerunt, & ita res non est dubia*, 1. eo. *sponsam.* Et. tit. prox. *Continebatur* §. *si verò solutio*: *sic intellige; Puella ista post septimum annum non consensit, vel non constabat de consensu. Quia statim recessit ab eo, vel mortua est. Verumtamen quia tentavit forsitan, quod complere non potuit, præsumitur, quod erat doli capax, sive quia malitia supplebat ætatem quoad sponsalia, sicut supplet malitia quoad matrimonium*, 1. tit. prox. *De illis*, & cap. ult. *Unde propter hoc dubium, tum quia hoc plene non constabat, tum etiam propter honestatem Ecclesiæ, non potest habere consobrinam illius*, 1. cap. prox. arg. *Alias non videtur, quod posset stare illa littera, si diceremus, quod post septem annos consensit, ut dixit Tanc. Quia sic non esset res dubia.* Vides hic dubium sæpè repetitum, idque ex causa convincente dubitationem propriè, & strictè talem, nempè ex confessione, & narratione facti substantialiter defectuosa. Eandem dubitationis proprietatem indicat tum disjunctiva: *non consensit, vel non constabat de consensu*, tum particula formaliter dubitativa: *tentavit fortasse*, atque hæc eadem particula habetur itidem in textu: *ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod complere non potuit.* Ista porrò dubitatio speculativa circa factū, quæ secum trahit parem dubitationem juris alioqui certi quoad ejus extensionem ad casum, fuit tota necessitas, & causa adigens ad tutiorem, ut patet ex nexu verborum immediatè sequentium ad verba modo relata. Subdit enim immediatè Pontifex: *Quia igitur in his, quæ dubia*, &c. Nil igitur habetur ex hoc textu quoad probabilia propriè talia, & impropriè tantum, ac latè dubia.

Art. CLXXV. Manifestior quodammodo est dubitatio eadem propriè, & strictè talis *in cap. Ad audientiam.* Dum presbyter cingulo, quo cinctus erat, famulum verberaret, cultellus cingulo adhærens decidit ex vagina, & famulum vulneravit. Postquam famulus convaluit ex vulnere, incidit in morbum, ac deinde obiit. Dubitatum est, an obiisset ex vulnere, an ex morbo, eoque (ut subintelligendum puto) aliunde contracto independenter à vulnere. Quæsitum proinde est, quid agendum? Responsio Pontificis continet duas partes. Prior pars nititur duobus principiis, altero circa factum, altero circa jus. Quoad factum dicitur: *Quia verò, utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur.* Quoad jus assumitur tanquam per se notum principium, quod modò nobis objicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Ex his infert decisionem: *Vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret: injuncta tamen pœnitentia congruenti sibi, poterit is concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus.* His duobus ita absolutè constitutis circa majores, & minores ordines juxta tenorem præmissæ narrationis; subjungit deindè conditionatè alteram partem responsionis: *Si verò ille ex alia infirmitate obierit, poterit* (Presbyter) *sicut erat solitus, divina officia ministrare.* Posterior ista pars conditionata ostendit clarè dubitationem propriè talem circa facti qualitatem ex narratione substantialiter defectuosa, & consequentem inde ejusdem rationis dubitationem practicam circa jus, seu potius circa extensionem juris ad casum. Si enim Oratores adhibuissent diligentiam, quanta par erat, quoad facti qualitatem, & circumstantias, easdemque prænarravisse, prout oportebat; perperam subjunxisset Pontifex conditionem ostensivam animi suspensi circa factum, nilque eatenus judicare potentis, dicens: *Si verò ille ex alia infirmitate obierit.* Indubitatum igitur est sermonem ibi esse de dubio propriè, & strictè tali.

Art. CLXXVI. Confirmatur, quia præsumi non debet insinuationem ulterioris diligentiæ, & spem ulterioris notitiæ circa factum contentas in conditione; *Si verò ille ex alia infirmitate obierit*, directas fuisse ad notitiam eatenus facti physicè, aut etiam moraliter certam. Quia credi non debet Pontificem supposuisse tantam in Oratoribus stupiditatem, ac ineptitudinem, ut in re prorsus utcumque indubitata, ac certa fluctuarent, & agnoscerent se indigos recursus ad Sedem Apostolicam. Fuit igitur contentus nova disquisitione, & nova inde suborta notitia facti, qualis sufficere solet ad fidem humanam non temerè, ac insipienter, sed prudenter concipiendam, id est, (quod favet scopo nostro principali) fuit contentus probabili facti eatenus notitia, ut Presbytero permitteretur libera, sicut prius, divinorum officiorum ministratio. Fuit igitur infra ejusmodi notitiam, infra quam sola superest dubitatio propriè talis; notitia communicata Pontifici. Confirmatur rursus, quia axioma, de tutiori in dubiis, eligenda non docet, ac statuit Pontifex ex professo tanquam utcunque verum, sed supponit obiter tanquam indubitatum, & lippis, ac tonsoribus quasi per se notum, ut dicebam: *Cum in dubiis, &c.* Unde hoc axioma sensu, quo effertur à Pontifice, non erat ejusdem Pontificis, & sacrorum Canonum auctoritate comprobandum, sed supponendum potius ex humani generis consensu. Nemo autem sapiens dixerit potuisse ita supponi obligationem eligendi tutiorem in probabilibus, seu in dubiis etiam latè sumptis, & quatenus complectentibus sub se etiam probabilia; quandoquidem contradicunt axiomati in hoc sensu tot, tantique Doctores verè sapientes, doctrinæ fama celeberrimi, & clara insignis probitatis laude venerabiles. Sermo igitur est de solis dubiis,

biis, propriè talibus. Aliquid demum eodem confert, quod regula de tutiori in dubiis eligendo suadebat remotionem illius Presbyteri ab exercitio non solùm sacrorum ordinum, & animorum. Nam & hoc tutius pariter erat. Et tamen Pontifex temperavit rigorem quoad ordines minores. Hujusmodi autem temperamentum adhiberi solet ex æquitate in dubiis propriè talibus, contrahentibus post se nocumentum proximi.

ART. CXXVII. Dederant jam pridem solutionem istam de dubiis strictè talibus D. Antoninus relatus *art.* 165. & post ipsum posteriores omnes sententiæ nostræ patroni, atque inter alios vir sacrorum Canonum peritia locupleti, sincera interpretatione, & profunda intelligentia celeberrimus, nec minus eximia totius vitæ sanctimonia clarus Thomas Sanch. *lib.* 2. *de matr. disp.* 41. *n* 9. §. *Dixi autem*, cum D. Antonino, Sylvest. Ang. Navar. Gutter. Henriq. Cumque rationes ita intelligendi sint usque adeò claræ, & concludentes, ut vidimus, mirum sanè est, quod nunnulli pergant adhuc insistere iis textibus adversus usum licitum opinionis verè probabilis, licet minus probabilis, & minus tutæ. Mirabilior autem multò est is conatus quoad eos, qui jam diu adsunt in Romana curia, & intersunt Congregationibus Romanis, ubi dubia, qualia dixi intercessisse in duobus nostris textibus, sunt frequentissima pro casibus matrimonialibus, irregularitatis, simoniæ, Ordinis sacri, professionis religiosæ, &c. Causa hujusce admirationis hæc mihi est specialis. Qui ob difficultates in his materiis occurrentes, & ad dissolvendos laqueos, quibus se sentiunt innodatos, recurrunt ad Sedis Apostolicæ benignitatem, ad Sacram Pœnitentiam, ad sacras alias Congregationes, antequam porrigant libellum supplicem, solent adire Theologos, ut sciant, quid, quomodo, & sub qua facti, necnon petitionis expressione aggredi possint pro securitate conscientiæ in perurgendo negotio, & pro ejusdem tranquillitate, cum concluso, seu expeditū illud fuerit. Narrativæ autem, ut dicitur, quas proponunt, & à quarum inspectatione dicitur initium consultationis, transmittuntur huc, à partibus præsertim remotioribus, tam defectuosè quoad circumstantias specificas, ac præcisè necessarias (de hujusmodi defectu conqueritur Inn. 3, *cap. Fraternitatis* de frig. & malef. ut plerumque sit inevitabile adigere consulentes ad tutiorem, nullum relinquente aditum probabilitati partis minùs tutæ defectuosa casuum expositione. Ita sæpe mihi accidit, ita aliis, cum quibus desuper alloquutus sæpè sum. Pronum igitur erat per se, versatis præsertim in hac Romana Curia, credere rem ita se habuisse, sicut diximus in textibus nostris, nec proinde eos ad opiniones probabiles ulla ex parte pertinere, idemque dico de textibus aliis concordantibus, qui habentur in glossa, & accumulantur singillatim ab adversariis nostris, ac singuli haberent aliquid particulare, indigum specialis expositionis. Qui velit videre plura diligenter observata circa præmemoratum *cap. Iuvenis*, quæ tamen ad punctum controversiæ nostræ directè, & formaliter non pertinent, adeat P. Sanch. *tom.* 1. *in Dec. lib.* 1. *cap.* 10 *n.* 15. Nobis enim abunde sufficit ad præsens, textus istos canonicos non agere de probabilibus Doctorum opinionibus, nec ad earum probabilitatem rejiciendam, aut negligendam ulla ex parte pertinere, sed agere solùm de factis defectuosè relatis, propterea que propriè, & strictè dubiis. Cujusmodi sanè dubietas eminet multò maximè in *cap significasti sec. tit. eo. de homic.* quod objici similiter contra nos solet, & continet quatuor particulas manifestè implicantes animum suspensum, & propriissimè dubitans: *Nos in præsenti casu*, ait, *credimus distinguendum, utrum constare possit, quod præfatus Sacerdos: Et eodem si hoc ita se habet, quod ex eo forsan posset oriri: Quod si discerni non possit, ex cujus tetu; si verò quemadmodum per hibetur Sacerdos iste prius ab illo percussus fuerit legio, mox eum cum ligone in capite &c.* Potuitne significantius exprimi dubitatio propriè, & strictissimè talis?

ART. CLXXVIII. His igitur dimissis, quæ ad rem nil pertinent, venio ad *cap. Inquisitioni de sent. excom.* quod pertinet quidem ad controversiam præsentem, quatenus non agit de solo dubio, sed descendit etiam ad opinionem probabilem; nil tamen suffragatur sententiæ oppositæ, licet soleat pro ea citari, sed potius nostræ. Post contractum bona fide matrimonium, alteri conjugum innotuit impedimentum inter eos, altero negante illud adesse. Quæsitum est quid juris circa petitionem, & redditionem debiti conjugalis? Respondit Pontifex distinguendo: *si afferens intercedere impedimentum, certam de illo notitiam habet, debet potius excommunicationis sententiam* (& quodvis aliud malum) *humiliter sustinere, quam, per carnale commercium, peccatum operari mortale, quamvis impedimentum apud Ecclesiam probare non posset.* Si notitia non est certa, subdistinguit Pontifex: *Vel credulitas est levis, ac temeraria*, & tunc *ad sui pastoris*, (vel alterius ad id idonei) *consilium, illa exposita, licitè potest non solùm reddere, sed & exigere debitum conjugale.* Atque huc usque nulla est controversia, nec agitur de re nostra. Si autem conscientia impedimenti sit probabilis; sub hac conditione, quæ tangit formaliter punctum quæstionis nostræ, Pontifex determinatisse: *Rarum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet; nec in alterutro, vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.* Ponderant adversarii si usus opinionis probabilis esset licitus, adeoque opinio ipsa probabilis de honestate operationis excusaret à peccato, nulla committeretur offensa in hoc casu, negando debitum petenti. Quia opinio probabilis de impedimento matrimonii interesse includit in se opinionem probabilem, quod redditio debiti sit fornicatio, quæ honestissimè vitatur, & non committitur sine peccato. Imò quia ex tali probabili una parte contradictionis, pars quoque opposita est probabilis, neque petendo ulla committeretur offensa. Peteretur enim cum probabilitate veri, vereque subsistentis matrimonii adeoque cum probabilitate, quod talis petitio esset ulla legitimus juris conjugalis. Sed opponitur ponderatio similis in contrarium: Si usus opinionis probabilis esset illicitus, adeoque opinio ipsa probabilis non excusaret à peccato, non solùm petitio, sed etiam redditio fuisset illicita. Quia habens opinionem probabilem, quod intercesserit impedimentum retinens, ac proinde matrimonium fuerit nullum, consequenter opinatur, cum eadem probabilitate, copulam non esse futuram conjugalem, sed fornicariam, quam sicut nemo licitè petit, ita nemo ulli petenti licitè permittit.

ART. CLXXIX. Huic difficultati enodanda multa dicuntur à DD. quæ luculenter refert, & tam prosequitur Sanch *de matr lib.* 3 *disp.* 41 *à n.* 45 & præsertim, & formaliùs ad textum tota *disp.* 44. Ego omnibus non assentior Adriano sic dicenti *quodl. q.* 2. *punct.* 3. ad

ad 1. *Textus loquitur in casu, quo conjux habens conscientiam probabilem potest eam per contrarium actum deponere ex præsumptione bonitatis, quam habet de altero; firmiter scilicet tenens, quod nollet peccare mortaliter. Ergo si exigat, cum credat non exacturum, nisi certus esset causas, ex quibus hæc conscientiam format, falsas esse, sam credit esse matrimonium.* Et quidem necessariam esse, pro licita redditione, dispositionem opinionis ejus probabilis de nullitate matrimonii, satis constat ex dictis suprà universaliter circa hoc punctum. Et confirmatur, quia in priori parte nostri textus, nec petitio, nec redditio permittitur, seu declaratur honesta, nisi deponatur conscientia impedimenti concepta ex credulitate levi, & temeraria. Multò autem manifestior est necessitas deponendi credulitatem probabilem, & discretam, seu opinionem assertivam impedimenti innixam gravi, & magno fundamento, quam leviter, ac temerariè conceptam, quia illa majorem, & manifestiorem, quam ista, ligandi vim obtinet. Itaque qui credit opinione probabili, & fundata matrimonium fuisse nullum, ideò non potest incipere petendo, quia supponitur habere fundamentum credendi nullitatem, & nondum habere fundamentum sufficiens, ut possit credere valorem; ac proinde ita assentiri nullitati, ut licet possit hunc assensum suspendere, nondum tamen possit assentiri valori, & consequenter nec honestatiactus conjugalis; qui tamen assensus est omninò necessarius, ut licitè petat. Ideò autem ille ipse, qui assentiebatur nullitati matrimonii ex credulitate probabili, & discreta, potest nihilominus reddere superveniente petitione alterius consortis negantis nullitatem, quia supponitur habere eo ipso sufficiens fundamentum, ut possit, aut etiam ut debeat deponere priorem opinionem. Quod dupliciter fieri potest. Primò ità ut non solùm suspendat priorem assensum nullitatis, & consequenter copulæ futuræ fornicatiæ, sed etiam assentiatur valori matrimonii, & consequenter honestati copulæ. Movente scilicet ad istam opinionis permutationem (ultra dispositionem animi reciprocè benevolam) præsumptione bene fundata in probitate consortis petentis antecedenter præcognita, futurum minimè fuisse, ut is peteret cum incursu peccati lethalis, si ipsa non adessent fundamenta validitatis matrimonii, quibus accommodari assensus, & sua in contrarium fundamenta posthaberi meritò possent, ac deberent. Quæ ferè est sententia, & rationabilis conjectura Adriani, ut vidimus, & aliorum, licet non usque adeò distinctè, & clarè, apud Sanchez nuper indicatum. Alter depositionis modus est purè negativus, seu suspensivus, nec nullitati matrimonii assentiens, ut priùs, nec validitati, ut pars petens, quatenus neutrius partis fundamenta agnoscuntur de facto majora, ac meliora, quam fundamenta contraria omnibus hinc, & inde consideratis. Superaddita autem huic suspensioni consideratione, vitari jam minimè posse periculum, vel fornicationis, si consentiatur petenti, vel injustitiæ conjunctæ cum ulteriori periculo incontinentiæ, & iræ, & rixarum, si repellatur; atque ex duobus malis eligendum esse minùs, juxta *cap. mala 13. dist.* Concluditur obligatio consentiendi petenti, ac debiti reddendi, quatenus posterius malum est manifestè majus, & periculum, posita prædicta suspensione judicii, utrimque agnoscitur æquale. Inter istos duos modos deponendi priorem nullitatis opinionem, hoc in posterum discrimen intercedit, quod juxta priorem modum, de transitu ab opinione probabili nullitatis ad opinionem, seu assensum probabilem validitatis, non solùm reddere licet, & repellere non licet, verum etiam petere deinceps licet, uti deducit optimè Adrianus. Quia dum assentit assensu verè probabili validitati matrimonii, assentit utique similiter honestati petitionis, & totius ultrò, citroq; usus matrimonii, ac proinde petitio erit ex fide, seu juxtà dictamen conscientiæ legitimæ conceptum, ideoq; peccaminosa minimè erit. At juxtà posteriorem modum suspensivum assensus, & dissensus, circa validitatem; ad quem potissimum modum apparet respexisse Pontificem, & respiciunt plerique auctores apud Sanch. solùm licet reddere, tum prima vice, tum deinceps. Quia exorto dubio circa malitiam operationis, quamdiu illud durat, solùm licet exequi talem operationem propter vitandum majus malum, quatenus creditur, quod est minus malum secundum se, comparatione majoris mali esse nullum malum. Majus autem malum adest solùm in non reddendo, ut dictum est, cum in non petendo nullum sit malum. Circa ea, quæ hic, seu diximus, seu insinuavimus, ac mox etiam subinferemus quoad depositionem, ac mutationem opinionis, oportet consulere, quæ superiùs discussa sunt de libertate opinandi.

Art. CLXXX. His ita constitutis quoad intelligentiam textus, in quo Pontifex quoque ipse conjecturando procedit circa factum, concludo nil indè derivari posse pro scopo adversariorum. Quia quod præcipuè, atque omninò distinctè habetur ex textu, est opinantem assensu probabili operationem aliquam esse peccaminosam, non posse, retenta ea opinione, eam operationem exequutioni mandare absq; peccato. Id quod usque adeò ego non nego, ut ex professo probaverim suprà esse verissimum, idemq; tenent indubitanter omnes alii auctores asserentes usum licitum opinionis cujusvis practicæ verè probabilis, dum sermo est de opinione practicè practica, seu circa operationem in individuo, & hic, & nunc; atque ejusmodi esse opinionem, de qua loquitur textus, constat clarè ipsum intuenti. Quod secundo loco habetur ex eodem textu, est, superveniente novo motivo posse, aut etiam (juxtà qualitatem motivi, & rei) debere deponi priorem opinionem probabilem assertivam malitiæ in operatione, & sic reddi licitum, quod prius non licebat. Atque de hac re sub his terminis nulla est, nulla potest esse controversia, Quoad modum depositionis in casu proposito, si amplectare interpretationem illam de depositione purè suspensiva, seu negativa, jam eatenus nulla ibi est opinio sive probabilis sive probabilior, atque electio redditionis præscribitur per regulam de vitando majori malo, quæ rursus non est opinio, seu probabilis, seu probabilior, sed axioma certum. Si autem adhæreas interpretationi alteri de depositione positivâ per transitum ad opinionem contrariam assertivam valoris matrimonii; adhæreas jam eo ipso necesse est nostræ sententiæ, tum de libertate physica opinandi, tum de honestate operationis sub opinione probabili, tametsi non constet, eam esse moraliter certam, aut etiam utcumque probabiliorem. Nam, ut petitioni consortis tenentis pro matrimonio, conjunctæ cum existimatione de probitate ejus, tribuatur sufficientia ad concipiendum assensum probabilem assertivũ valoris rejecta prioti nullitatis opinione, sufficientia tamen ad ejusdem assensus assertivi certitudinem moralem, aut etiam majorem probabilitatem, attribui rationabiliter non potest, sed tantum pro libito, & absq; sufficienti fundamento attribueretur ad tuendum positum; cum gradus probitatis insignis ad id sufficien-

sufficientis non sit in conjugatis ex ferè semper, aut etiam plerumque contingentibus. Itaque illud. *cap. Inquisitioni*, secundum unam ejus intelligentiam, nil habet prorsus pro præsenti controversia, & secundum alteram est potius pro nobis. Ad rationes utrimque initio propositas patet satis ex dictis, qua occurrendum sit distinctione opinionis retentæ, vel depositæ, & sic, vel sic depositæ.

Illustrantur tres alii textus Canonici tangentes opinionem probabilem.

ART. CLXXXI. INdidem facilè intelliguntur textus alii duo valde affines, præcedenti *cap. Dominus, de sec. nupt.* & *cap Cum per bellicam 34. quæst. 1. & 2.* & *in cap. Dominus.* Cavetur ne quis migret ad secundas nuptias, quin constiterit de prioris conjugis morte, ac deinde subditur: *Si verò aliquis, vel aliqua id hactenus non observavit, & de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit, debitum non denegetpostulanti; quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* Ratione utique, & sensu superius explicatis quoad utramque partem, nisi quoad hæc verba, quoad debitum non denegandum, magis inclinare videantur ad interpretationem fundatam in obligatione vitandi majus malum, quatenus id non præscribunt pro prima tantum vice, sed potiùs permanenter. Recolatur annotatio præmissa, *art. 179. sub finem.* In *cap. Cum per bellicam.* Hoc specialiter habetur post præscriptum reditum ad priorem conjugem, quo existimato mortuo initum erat secundum matrimonium, si is deinde compareat. *Nec tamen culpabilis judicetur*, inquit Leo Papa, *& tanquam alieni juris pervasor, qui personam* (uxorem) *eius mariti, qui jam non esse existimabitur, assumpsit.* Et rursus paucis interjectis: *Si viri post longam captivitatem reversi, ita in dilectione suarum conjugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium; omittendum est, & inculpabile iudicandum est, quod necessitas intulit* (transitus ad secundas nuptias) *restituendum quod fides poscit.* Habes in his bis repetitum, irreprehensibilem esse transitum ad secundas nuptias factum sub existimatione, tametsi falsa, de morte prioris conjugis, qui deinde comparuit exigens jura conjugii. Ea autem existimatio non potuit esse omninò certa, cum falsitas repugnet totali certitudini. Potuit verò esse probabilis, cum probabilitati non repugnet similiter falsitas, ut patet inter alia ex Innoc. III. *cap. Fraternitatis, de frig. & malef. ad med.* ibi: *Sententiam devortii per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam.* An ea probabilitas esset absolutè major, quàm probabilitas partis oppositæ, an minor; an solus excessus secundum quid esset certus, ac manifestus ex utralibet parte supra alteram, cum ancipiti incertitudine quoad excessum utriusvis simpliciter, & absolutè? cum nil eatenus dicatur, aut specialiter insinuetur in textu: Videtur non alium probabilitatis gradum subintelligi rationabiliter posse, quam qui communiter reputatur sufficiens ad fidem humanam non leviter, ac temerè, sed discretè, ac maturè concipiendam; ita videlicet ut mors prioris conjugis credatur cum fundamento ex plerumque non fallentibus, & cui insit excessus aliquis saltem secundum quid supra fundamentum, si quod adsit in oppositum, atque ratione talis excessus pertrahat de facto ad assensum. Eodem sensu accipiendum est, *cap. in præsentia, de sponsal. & matr.* ubi consultationi de secundis nuptiis mulierum, quæ certificari non poterant de vita, vel morte contingum jamdiu absentium, respondet Clemens III. ut non permittantur ad secunda vota convolare, *donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Intelligunt minimum certitudo, qualis exigi, ac reperiri solet in ordinario rerum humanarum commercio, id est, qualis exposita à nobis modo est, atq; ita intelligit ibi glossa meritò reponens verisimile pro certo, his verbis: *Vbi tamen verisimiliter præsumitur de morte, si mulier nubat, excusatur.* Unde nil, aut parum profectò refert, an certus nuncius, an certum nuncium exigatur in testu, circa quod controvertunt nonnulli apud Sanch. *suprà.* Utrovis namque modo intelligitur commodè testimonium inductivum certitudinis, qualis, & quanta inesse communiter solet, ut dictum est, fidei humanæ conceptæ, *ex credulitate probabili, & ignara*, ut paulò prius idem Clemens loquebatur.

Exponitur Clement. Exivi.

ART. CLXXXII. VIderi demum potest specialiter indigere discussione textus *ex Clem. Exivi, de verb. signif.* ubi præmissis dubiis FF. Minorum circa ea, quæ ex vi regulæ, & professionis obligant, vel non obligant sub lethali, eorundemque supplicatione pro Pontificia desuper declaratione, subjungit Clemens V. *Nos itaque, qui in sincera horum conscientia delectamur, attendentes quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitanpos graves remorsus consentire periculosior est tenenda; dicimus, &c.* Ponderant Advertiti, sub præmissa dubiorum voce, sermonem hic procul dubio esse de probabilibus hinc, & inde opinionibus, Quia in Ordine Seraphico nunquam defuerunt, & tunc maximè temporis florebant plurimi doctrina, & pietate præclari viri, quorum & auctoritas, & argumenta ad veræ, ac legitimæ probabilitatis gradum promoverentur partem; tum affirmativam, tum negativam obligationis gravis quoad ea, circa quæ erant divisi, *quibusdam dicentibus*, ut præfatur ibi paulò priùs Pontifex circa punctum principale, quod *ad omnia; aliis autem asserentibus, quod ad sola illa tria, &c.* tenerentur. Ergo in dubiis etiam latè, ac impropriè talibus, iisdemque verè, ac propriè probabilibus opinionibus, *pars securior est tenenda* ex praxi pro Pontificio. Et confirmatur, quia si omnes, aut etiam plerique omnes viri docti, & pii, & graves Ordinis Franciscani fuissent concordes quoad obligationem vel non obligationem gravem circa singula puncta proposita, nec totus Ordo motus fuisset ad postulandam declarationem Pontificiam propter paucissimorum, aut ineptorum rergiversationes manes, nec Pontifex illam exhibuisset, prout exhibet accuratissimam valdè locupletem, & longam. Erant igitur auctores controversiarum, quales ad probabilitatem opinionum abundè sufficerent & quarum proinde auctoritas se sola tolleret, juxta nostram ietentiam, omne periculum peccandi lethaliter contra regulam, nec ultra illam quidquam desiderari, providerive debuisset ad sinceras, & teneras conscientias tranquillitate donandas, & tamen aliter consuere, & Ordo petendo, & Pontifex indulgendo declarationem prædictam.

ART. CLXXXIII. Duo circa hunc textum exponere oportet, sensum axiomatis Pontificii, quod objicitur, & necessitatem Pontificiæ declarationis, quæ

quæ ponderatur in contrarium. Quoad primum expedit imprimis, considerare, quid Pontifex ipse operè præstiterit sub norma illa agendi sibi proposita, quatenus sensus antecedentis ex consequenti bene illato, & verbi directivi, seu regulæ ex opere fideliter correspondenti certò innotescit, & clarè, sicut natura causæ ex causato. Adversarii per partem securiorem, quæ tenenda prædicitur, intelligivolunt sententiâ rigidiorem, & assertivam, ac inductivam obligationis probabiliter utrimque controvertis. At Pontifex è contra orditur suam declarationem amplectendo sententiam laxiorem, & negativam, ac exclusivam obligationis, de qua inter alia controvertebatur. Cum enim prætulisset verba illa. *Non attendentes, quod in his, quæ animæ salutem respiciunt, pars securior est tenenda*, immediatè subjungit sic: *Dicimus, quod licet Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur: Expedit tamen, &c.* Quod autem circa hoc punctum præextitisset controversia, idemque punctum simul cum aliis propositum fuerit Pontifici, ut ab eo declararetur, liquet ex his ipsius verbis paulò priùs insertis propositioni controversiarum. *Item quia non nulla verbo imperativi modi negativè, vel affirmativè apposito inseruntur* (in regula) *hactenus extitit dubitatum, an tenerentur ad ista, ut ad habentia vim præcepti.* Ad hoc dubium juxta regulam de securiori sumpta pro rigidiori, & assertiva obligationis, seu quæ, ut dicitur à nonnullis, stat pro lege contra libertatem, aclibidinem, respondendum procul dubio erat, ad ea omnia teneri Fratres, ut ad habentia vim præcepti. At Pontifex è contra respondet, non ad omnium ejusmodi, sicut ad præceptorum observantiam teneri Fratres. Ergo pars securior non est Pontificis eadem, ac sententia affirmans, & indicens obligationem, seu quæ dicitur stare pro lege. Idem clarè apparet ex toto contextu antecedenti illius Bullæ. In omnibus namque punctis controversiarum, aut ferè omnibus distinguit Pontifex, & partim consentit affirmantibus obligationem, & obligationis gravitatem, partim negantibus alterutram, vel utramque. Produco ex. gr. primum, ac principale punctum controversum, ex §. *Cum igitur imprimis, &c. Fuit hæsitatum*, inquit Pontifex, *an Fratres ejusdem Ordinis ad omnia tam præcepta, quàm consilia Evangelii, ex professione suæ regulæ, teneantur: Quibusdam dicentibus, quod ad omnia; aliis verò asserentibus, quod ad sola illa tria, videlicet, &c. obligantur.* Responsio autem Pontificia procedit distinguendo, ut dixi, & prima pars negativa, ac exclusiva obligationis incipit sic: *Vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti hujusmodi ad ea consilia Evangelica, quæ in regula non ponuntur.* Alteram partem assertivam, & inductivam obligationis exprimit his verbis: *Sed etiam tenetur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ regula ipsa ponit.* Hæc porrò pertinentia ad tria vota subdividit rursus in duas similiter partes, atque benigniori præmissa transit ad strictiorem simili modo ab illis verbis: *Nec tamen putandum est, quod B. Franciscus professores hujus regulæ, quantum ad omnia contenta in regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa intenderit æqualiter esse obligatos, quin potiùs aperte discrevit, &c.* Idem proportionaliter perspiciet in toto Bullæ progressu, qui voluerit eam legere, & observare. In omnibus namque punctis controversis procedit Clemens distinguendo, & declarando, quæ, & quatenus observare teneantur, & non teneantur Fratres, & quæ sub gravi, quæ sub levi. Quod profectò faciendum minimè fuisset, nec facere licuisset, si sensus particulæ de tenenda securiori fuisset intimativus obligationis ad sententiam tutiorem, seu affirmativam legis, ac obligationis. Non inquam, licuisset in sensu composito voluntatis, quæ in contextu Bullæ apparet, ac eminet quàm clarissimè, nil ulla ex parte derogandi regulæ S. Francisci, sed eam in suo vigore quoad omnes suos apices retinendi, & confirmandi. Hoc enim præsupposito, & addito insuper, non solòm in dubiis, sed etiam in omnibus probabiliter hinc, & inde controversis teneri Fratres, juxta Adversariorum interpretationem, ad sententiam rigidiorem, & assertivam obligationis etiam gravis opere complendam, non solùm nulla ampliùs opus erat declaratione, ut ex se satis pateat; sed præterea erat illicitum facere declarationem declinando partim in sententiam mitiorem, & libertatem ab obligatione saltem gravi, partim in rigidiorem, & subjicientem obligationi etiam gravi. Quia qua parte declinat in mitiorem, quoad singula seorsim puncta, contradiceret priori declarationi universali de rigidiori, seu tutiori, ubique exequutioni necessario mandanda, ac proinde Fratres simul tenerentur, & non tenerentur ad aliqua in conscientia, ut patet considerati. Patet verò multò clariùs ejusmodi implicationem conscientiarum esse intrinsecè malam.

ART. CLXXXIV. Sensus itaque legitimus axiomatis de tenenda parte securiori, prout hic usurpatur à Pontifice, est purè consiliativus, & non præceptivus, seu intimativus obligationis præcepti. Voluit nimirum ea omnia Clemens, prout decebat zelum Summi Pastoris, & eximiam ejusdem erga Ordinem Seraphicum charitatem, quam inibi insigniter præ se fert, hortari Fratres, ut ubicumque occurreret aliqua ratio dubitandi, seu difficultas, an regula obligaret in conscientia, & an obligatione gravi, an levi, perindè se gererent in operando, arq; si obligatio esset certa, eaque gravis, ut sic prospicerent perfectæ animorum suorum tranquillitati, & paci spirituali. Hic sensus, & hæc intentio apparet ultra ea, quæ dicta sunt, ex contextu immediato. Pontifex enim cum prætulisset saluberrimum axioma de tenenda parte securiori, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, ac deinde subjunxisset, cum particula *licet*, declarationem exclusivam obligationis præceptivæ, aut quasi præceptivæ ad omnia, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula; de quo puncto fervebant opiniones contrariæ inter Fratres, prout retulimus; superaddit denique hæc verba: *Expedit ipsis fratribus ad observandam puritatem regulæ, & rigorem, quod ad ea, sicut ad æquivalentia præceptis, se noverint obligatos, quæ hic inferius annotantur.* Ergo quoniam exceptio firmat regulam in contrarium, ii exceptis, quæ ibi inferius notantur, quoad cætera, non expedebat Fratribus, ut se similiter noscerent obligatos, tametsi sub verbis imperativi modi essent similiter posita in regula, propterea que una pars eorumdem Fratrum censeret uniformem, & prorsus eandem, quoad ejusmodi omnia, obligationem existere. Cum dubitari minimè possit, quin hæc pars assertiva uniformis universaliter obligationis esset, sitque etiam nunc tutior in exequutione, & stans, ut dicitur, pro lege: dubitari profectò minimè debet, quin axioma prædictum de securiori parte tenenda in iis, quæ animi salutem respiciunt, non sit accipiendum (sub ea universalitate, sub qua effertur) tanquam obligans ad tutiorē,

sed

sed solùm tanquam stimulans, & adhortans ad eandem.

Art. CLXXXV. Et quidem sensum prædicti axiomatis non esse assertivum obligationis ad tutiorem, eandemque rigidiorem inter utrimque verè, ac propriè probabilia, prout contendunt Adversarii, eorumdemque unicè interest; satis superque constare videtur ex dictis, accedente præsertim observatione jam iterum superiùs ponderata, quod ejusmodi axioma non potuisset in eo sensu tradi, uti ibi traditur, obiter & per modum suppositionis, tanquam indubitatum ex unanimi omnium consensu, cum de ejusmodi obligatione ad tutiorem extiterit magna, & olim, & nuper controversia cum maxima ratione dubitandi, ac negandi. Cæterum quod idem axioma assumitur à Pontifice, tanquam purum consilium stimulans, ac adhortans ad tutiora, & meliora, ut nos suggerimus, non caret difficultate. Quanquam enim sententia axiomatis in hoc sensu sit certa, & meritò supponenda, ut indubitata apud omnes, & præterea congruat optimè fini, qui præfertur, vitandi graves remorsus conscientiæ; nihilominus eadem sententia in eodem sensu evadit enervis, ac inutilis pro parte affirmativa conscientiæ, quam indè deducit Pontifex. Deducit enim, ut vidimus, debere Fratres se agnoscere obligatos tanquam ad præcepta, ad ea, quorum Catalogus ibi subnectitur. Manifestum autem est ex consilio stimulante ad aliqua tanquam ad tutiora solùm, ac meliora, non posse legitimè inferri debitum agnoscendi obligationem ad eadem, aut partem eorum tanquam ad præcepta, aut præceptis æquivalentia; cum obligatio præcepti transcendat limites consilii. Hac ego de causa non dixi absolutè sensum axiomatis esse purè consiliativum, sed cum hac modificatione, si accipiatur cum ea universalitate in ordine ad opus, quam intendunt adversarii, & sine qua nil hinc tentare ipsis liceat; atque hoc, quod omninò sufficit pro mea responsione, est clarè demonstratum. Loquendo autem absolutè, & sine modificatione, seu conditione, censeo sermonem esse Pontifici de securitate, seu majori securitate non tam in agendo, quàm in docendo, declarando, ac præcipiendo. Differentiam, & magna ex parte contrarietatem inter securitatem, quoad doctrinam, & doctrinalem declarationem, omnemque legislationem ex una parte, & quoad agendum, ac operandum ex alia, paulò post speciali seorsim observatione expositurì nos sumus, dicemusque sæpè contingere, ut sit tutissima, practica in agendo conformitas cum aliqua opinione, cujus ejusdem opinionis suffragatio doctrinalis sit nihilominus valde periculosa, & illicita; & præterea non usque adeò licere obsequi unumquemque, & conformare se judicio, & auctoritati aliorum in dicendo, ac præcipiendo, & utcumque disponendo auctoritativè, atque licet in agendo, magnumque quoad hoc intercedere discrimen quoad prudentiam monasticam, œconomicam, & politicam. Dico igitur prædictum axioma protulisse, ac suæ circa propositas controversias declarationi prætulisse Pontificem, non tanquam normam, juxta quam fratres agere tenerentur in illis rebus controversis, quam videlicet normam ipse Pontifex erat mox delineaturus, atque illa ipsa periodo accingebatur ad delineandum; sed protulisse, ac prætulisse tanquam regulam certissimam, juxta quam ex natura rei ipse Pontifex teneretur declarare, ordinare, ac præcipere circa easdem controversias, in quem videlicet scopum ea prælocutio dirigebatur immediatè, & non nisi mediatè in modum agendi, quem Pontificia declaratio erat directura immediatè, uti apparet clarè inspicienti præsertim ultimam Bullæ illius clausulam. Quapropter dum dicitur, *securior pars est tenenda*, non intelligeratur pars tutior in agendo, seu ea, juxta quam quæ agationis in ea contentæ, sed intelligitur pars verisimilior, rationabilior, & ad legitimam intelligentiam regulæ proximius accedens. De hujusmodi etenim securitate intelligentiæ agebant immediatè prædentes fratrum controversiæ, atque in eandem & finiter stabiliendam, & uniformiter in toto ordine inducendam erat intentus Pontifex, ut patet et tota Bulla; & præterea eadem securitas congruit optimè omnibus, quæ paulò priùs attigimus circa illam partis securioris interpretationem. Cum igitur hujusmodi securitas intelligentiæ, declarationis, & legislationis distet quàm longissimè à parte tutiori in agendo intenta per Adversarios nostros, quin imò eidem opponatur ex parte, ut modo dicebam, & postea magis declarabitur; appareat rursus clarè, ut hinc eosdem Adversarios habere, aut interitare posse.

Art. CLXXXVI. Altera pars proposita de necessitate declarationis Pontificiæ circa lites fratrum Minorum controversias expediri facilè, & brevi potest juxta nostram sententiam de usu opinionum probabilium. Notum imprimis est, quàm sit necessarius pro regimine cujusvis communitatis Religiosæ (maximè verò tam numerosæ, & usquequaque diffusæ, ac est, & semper fuit Ordo Seraphicus) unanimis, ac certus consensus quoad obligationem conscientiæ circa ea omnia, quæ pertinent ad eamdem conservantiam regularem, ut nil hoc circa ponderare, aut probare necesse sit. Notum turpis est ex Bulla ipsa, in qua versamur, tum exitiosa malus, & magnas controversias inter Fratres Minores circa intelligentiam suæ regulæ, tum easdem pertinaciter exteriorem observantiam regularem. Notum denique est controversias ejusmodi sopiri, & contrarium unanimem, ac firmam consensionem omnium induci, aut nullo modo potuisse, nisi interposita declaratione Pontificia, aut certè tam commodè, & tam efficaciter, ac per eandem, obtineri tantum, & tam necessarium Religionis beneficium minimè potuisse. Erat igitur necessaria ea declaratio, eò vel maximè, quia licet singuli Fratres haberent suas quisque hinc, & inde opiniones probabiles, ordo tamen ad determinatè opinabatur, sed inter affirmantes, & negantes fluctuabat, atque hærebat miserè in labrico dubitationis, irrequieta contrariarum in singulis opinationum reciprocatione, suspensæ, eoque propter jure suo postulabat declarationem, quæ haberet efficaciam, & robur ad stabiliendam firmiter unam partem, & ad alteram deprimendam, ac opprimendam circa unumquodque punctum. Hæc porrò declaratio, ut hoc iterum suggeram, si vera esset sententia Adversariorum nostrorum, uno verbo potuisset, imò & debuisset petici, declarando Fratres in omnibus rebus controversis hoc ipso, quod essent controversiæ, atque in neutram partem adeliti, nec agnoscerentur certitudo moralis, teneri ad eorum rem, eademque rigidiorem sententiam, & præcipiendo, ut illam opere completent in omnibus, & quoad omnia ejusmodi. Neque opponi contra, aut prætexi ullo modo potuisset aliquod conscientiæ periculum quoad hoc, quandoquidem est manifestè tutissimum operari juxta tutiorem. Sola ergo falsitas

falsitas eius doctrinæ obsisterè potuit hujusmodi declarationi. Verùm neque fieri potuit, ut Pontifex similiter uno verbo declararet è converso, licere omnibus Fratribus, & toti Ordini operari circa omnia controversa juxta mitiorem, seu laxiorem opinionem. Quialicet opiniones hinc, & indè contrariæ essent probabiles, quod concedo probari bene ratione dubitandi, ejusque confirmatione propositis, *art.* 182. Essent, inquam, probabiles apud auctores cujusque in unaquaque controversia opinionis, & apud eorum asseclas, seu qui eorum authoritati potissimum deferebant; non tamen erant probabiles eædem opiniones saltem omnes apud auctores contrarium respectivè opinionum, utpotè adhærentes sententiis suis usque adeò firmiter, ac tenaciter, ut sententias oppositas reputarent improbabiles, & nonnullis earum graves prætereà censuras inurerent, ut apparet inter alia ex iis ejusdem Bullæ verbis versus finem, ubi circa unum ex punctis controversis dicitur sic: *Dicere autem, sicut aliqui asserere perhibentur, quod hæreticum sit tenere, usum pauperem includi, vel non includi sub voto Evangelicæ paupertatis, præsumptuosum, & temerarium judicamus.* Dictum autem est superius, dum ageremus de libertate opinandi, non esse licitum usum opinionis apud aliquem, vel aliquos probabilis, nisi etiam sit probabilis apud ipsum utentem, idemque eidem assentiri proximè possit, & quoquo demum modo assentiatur reipsa. Concluditur itaque declarationem Pontificam, juxta nostra principia, & necessariam omninò fuisse, & oportuisse, ut eo modo fieret, quo peracta de facto est, nempè seligendo verisimiliora quæque, & rationi, ac legitimæ intelligentiæ regulæ magis consona, atque assentiendo partim rigidioribus, partim mitioribus; cum si opposita nobis doctrina vera esset, oppositum fieri debuisset, ut ostensum nuper fuit. Ac proinde Clem. *Exivi*, cum nil habeat adversus doctrinam nostram, eandem potiùs fovet, quam oppositam.

Diruitur paritas periculi traducta ex dubiis ad probabilia.

ART. CLXXXVII. OMitto plures alios textus petitos ex Jure Canonico, quos nonnulli Adversariorum congerunt magno numero, quia ii, quos exposuimus, omnium judicio præcipui reputantur, nec cæteri vim ullam habent specialem, cum sint illorum, ut dicitur concordantes, ut patet ex glossis ad eosdem illos textus, præsertim *ad cap. Iuvenis, de spon.* & *cap. Ad audientiam, de homic.* Ubi confertim alii similes recensentur. Verum oportet considerare universalem aliam Adversariorum ponderationem omnibus ejusmodi textibus communem, quæ hoc enthymemate continetur. In dubiis tutior pars est eligenda. Ergo etiam in probabilibus. Antecedens usurpatur in juribus prænotatis, & alibi sæpè tanquam axioma indubitatum. Probatur consequentia. Primò, quia in Jure Canonico, & Civili sub voce dubiorum comprehenduntur promiscuè, omnia utcumque controversa; tametsi utrimque probabilia sint, & adsint DD. sive pauci, sive multi invicem pugnantes, uti productis multis, & magnis testibus, ac primùm ex lexicographis Bertachino, Spiegelio, Schardio, Kahlio, *verb. Dubium.* Ostendit post alios P. Gobat in clypeo, *sect.* 5. *num.* 67. Secundò, quia ratio antecedentis est communis consequenti. Ratio enim, ob quam in dubio de peccato, vel non peccato non licet agere, nisi quod tutius est, tota desumitur ex periculo transgrediendi legem Dei, cui periculo se exponit, qui id agit, de quo dubitat, an sit peccatum, eique periculo se exponendo, ut assequatur suam, vel delectationem, vel utilitatem, eo ipso non satis revereretur legem Dei, sed quasi pro nihilo illam habet, dum præeligit certitudinem percipiendæ delectationis, aut utilitatis temporalis, contingentiæ transgressionis legis Dei, eamque contingentiam devorat, nil curans, an hæc transgressio insit, vel non insit. Ejusmodi autem periculum adest similiter in utrimque probabilibus, & viget in eisdem ut minimum æqualiter. Quia in quæstione ex. g. an omissio Missæ, aut labor servilis hodiernus, sit peccatum, necne? sive adsit utrimque dubitatio, sive probabilitas; perinde altera pars est omninò tuta, nempe audire Sacrum, & abstinere à labore servili. Ergo est etiam perinde periculosa pars opposita, nempe omittere Sacrum, & laborare serviliter. Necesse nimirum est, ut ubi tantumdem adest securitatis pro una parte contradictionis, tantumdem supersit periculi pro parte opposita. Accedit eandem prorsus esse comparationem nullius fundamenti cum nullo fundamento contrario, ut in dubio negativo; fundamenti levis cum levi fundamento contrario, ut in dubio positivo; fundamenti gravis cum gravi fundamento contrario, ut in utrimque probabili. Ubique enim datur eadem prorsus unius partis ad alteram æquiponderatio, ac proinde datur ubique eadem ratio periculi ex una parte, & eadem securitatis ex altera. Idem porrò dicendum est, ut patet, de plus, & minus quoad levitatem, & gravitatem alterutrius partis contradictionis sub un formi utrobique proportione partium contradictionis. Constat igitur eandem inesse omninò rationem periculi alteri parti contradictionis, tam in probabilibus, quàm in dubiis.

ART. CLXXXVIII. Libenter ego, & plenè subscribo antecedenti hujus argumenti sensu, quo communiter apud Theologos effertur, nempè loquendo de dubiis imprimis propriè, & strictè talibus absque ullo in alterutram partem determinato assensu, vel dissensu; & deinde practicis, & hærentibus circa licitum, & illicitum; peccatum, & non peccatum respectu imminentis actionis, vel omissionis; ac demum intelligendo de tutiori parte eligenda, non solùm per modum consilii, & supererogationis, sed etiam de necessitate præcepti naturalis prorsus indispensabilis. Verissimum namque, & certissimum puto id, aut agentem, aut omittentem, de cujus aut omissione, aut commissione adhuc dubitat, an sit peccatum, cùm certò sciat in oppositio nullum esse peccatum, eo ipso peccare, atque peccatum evadere ejusdem generis, cujus esset, si adesset certa notitia de ratione peccati, de qua actualiter dubitatur. Id quod Adrianus inter alios, *quodlib. 2. art. 1. in 3.* ratione dubitandi merito assumit tanquam principium indubitatum, & dicit esse *communem omnium Doctorum maximam*, atque ut talem sæpè supponit, ac exprimit in progressu totius eius quodlibeti, maximè verò in decisione articuli prædicti, seu potiùs in prima ad dicendum substructione: *Regula*, ait, *magistralis est: Quicumque agit id, de quo dubitat, an sit mortale, peccat mortaliter, discrimini se exponens.* Paulò post adducit in eius rei confirmationem testimonium D. Thomæ, ex ipsius *quodl. 8. quæst. 13.* seu ut nunc habetur, *quæst. 6. art. 13.* & insinuat plus deferendum esse auctoritati D. Thomæ in quod-

libetis, quam alibi, quod non credo, nec creditur communiter. Verba D. Thomæ, post alias disjunctiones, seu divisiones casus de habente plures Præbendas sub contrariis circa id magistrorum opinionibus, sunt hæc: *Aut non habet* (habens plures Præbendas) *conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: Et sic si manente tali dubitatione plures Præbendas habeat, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Non debeo circa hæc dissimulare mei tarditatem ingenii non valentis cointelligere, atque invicem compaginare tres illas initiales particulas; 1. *aut non habet conscientiam de contrario*; 2. *sed certitudinem*, nempe de eodem contrario; 3. *sed tamen in quandam dubitationem inducitur.* Videtur namque particulam mediam, quatenus adversativè positam, cum neutra ex particulis extremis cohærere. Non cum prima: Quia cum conscientia dividatur non solùm in veram, & falsam, sed etiam in incertam & certam; Videtur perinde esse, contraponere conscientiæ certitudinem, atque si diceretur; non est vivens, sed sensibile; non est animal, sed rationale. Sed cohærentia cum altera particula extrema videtur adhuc difficilior. Qui enim fieri potest, ut habens certitudinem de aliquo, inducatur nihilominus in quandam circa idem, dubitationem. Dubitationem, inquam, & non solùm assultum subitaneum rationis dubitandi, quæ repellatur ab ipso certitudinem habente, quali ferè distinctioni acquiescit Adrianus in eodem loco paulò inferius circa effatum quoddam simile Doctoris subtilis. At D. Thomas loquitur de dubitatione deliberata, & completa sufficiente scilicet, ut ratione ipsius operatio subsequens evadat peccaminosa. Certitudo autem circa aliquid perinde est incompossibilis cum ejusmodi dubitatione circa idem, atque est incompossibilis claritas lucis cum obscuritate contraria circa idem, vel certè sicut amor erga aliquem est incompossibilis cum neutralitate affectus erga eundem. Video, quid ad hæc oretenus dici possit, & quæ à nonnullis dicuntur de subintelligentiis ampliativis, restrictivis; at quod reipsa quietet intellectum, occurrit nil. Hac igitur parte, quam non capio, dimissa, atque intelligentiori interpreti commissa, arripio duo alia facile obvia, omnisque ambiguitatis expertia, quæ deindè subjungit S. Doctor. Primum, quod pertinet immediatè ad punctum præsens, est, id agentem, de quo dubitat, an sit peccatum, certissimè peccare, si agat illud permanente, seu nondum deposita ritè dubitatione: *Et sic si manente tali dubitatione plures Præbendas habeat, periculo se committit, & sic proculdubio peccat.* Alterum pertinens ad scopum totius nostræ, & appendicis, & quæstionis est, fieri posse, ut quis in materia controversa, & de qua extant contrariæ Magistrorum opiniones, operetur juxta opinionem laxiorem, quin propterea patiatur dubitationem arguitivam peccati, & quod caput est, quin peccet; *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Hoc postremum, quod in eo articulo D. Thomæ est planum, ac dilucidum, & facit pro nostra, eademque communi sententia, prætermittitur à PP. Mercoro, & Gonet, aliisque nonnullis Adversariis nostris, & priorem partem, quæ non est usque adeo pervia, ac perspicua, ad se trahunt renitente expositione, ac limitatione D. Antonini, quam exhibuimus *suprà*, *art.* 158. & confirmavimus, *art.* 162. atque confirmat eodem modo valde efficaciter, & ex professo Sylvester, *verb Opinio*, subscribens D. Antonino, quem refert cum aliis in eandem rem. Verùm hoc obiter, & ingredior ad punctum præsens.

ART. CLXXXIX. Rationem, ob quam necesse est peccare operantem sub dubio de peccato, dum eligit eam partem, quæ sic actualiter dubia est apud ipsum, indigitat optimè D. Thomas, quatenus post illud; *& sic proculdubio peccat*, subjungit: *Puta magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.* Nempè dubitans, an actio, vel omissio, de qua exquutioni mandanda deliberat, sit peccaminosa, & nihilominus illam exequens, non potest amare formaliter honestum, sed solum jucundum, aut utile cum vilipendio honestatis, & conformitatis cum voluntate Dei. Incompossibile siquidem est dubium de malitia actionis, idemque dico de omissione, cum judicio determinato de honestate ejusdem actionis. Quia hoc judicium per seipsum formaliter est depositio, & abjectio illius dubitationis, utpotè consistentis ex suo conceptu in suspensione judicii circa objectum præapprehensum, secundum eam rationem formalem, secundum quam de eo dubitatur. Impossibile autem rursus est, ut voluntas feratur in effectu saltem deliberato, & efficaci ad objectum sub ea ratione formali, sub qua nil de illo judicat. Quia nil volitum, quin prægnitum. Quod utique principium verificatur ex communi omnium consensu de prægnitione judicativa, ac deliberata respectivè saltem ad volitionem efficacem, ac deliberatam, de qua sola hic agitur. Impossibile igitur est, ut operans, cum dubio de malitia suæ operationis, habeat pro motivo bonum honestum, seu conformitatem cum lege Dei; ac proinde necesse est, ut moveatur, vel utili, vel delectabili, utque hoc amet ratione illi, atque interim negligat, & pro nihilo habet honestatem, & conformitatem cum lege, de qua dubitat. In hoc autem neglectu, & paruipensione honestatis, ac legis divinæ ad eam adstringentis, consistit tota malitia operantis cum notitia etiam certa inhonestati, & oppositionis cum lege, ut diximus ex communi, & expositimus, *lib.* 3. *Curs. Theol. quæst.* 25. *art.* 5. coincidque confert tota inibi *quæst.* 29. Necesse igitur est, ut ejusdem generis malitia insit actioni operantis cum dubio, ac ineat actioni operantis cum certitudine de eadem malitia actionis ejusdem, nisi quod in hoc posteriori malitia est intensivè major propter majorem voluntarietatem ex majori cognitione malitiæ, si nempe cætera sint paria. Alia longè ratio est de operante cum opinione probabili circa honestatem suæ operationis. Quia qui probabiliter opinatur de honestate suæ operationis, credit magno nixus fundamento eandem operationem esse licitam, ac honestam, & conformem legi Dei, ac proinde movetur potest ad operandum ex honestate operationis, eademque conformitate cum lege Dei, nec hanc legem negligit, ac paruipendit, qui cum tali fundamento credit illam non adesse. Discrimen istud inter dubium, & opinionem redditum superius fuit indubitabile, *art.* 85. Ac deinceps; atque de conditione speciali opinionis probabilis dictum est satis quoad punctum præsens ab *art.* 152.

* * *

Quæsti-

Occurritur rationi paritatis à dubiis ad probabilia.

ART. CXC. COncesso itaque antecedenti argumenti propositi *art.* 187. nego consequentiam. Ad primam eius probationem concedo dubium usurpari promiscuè in jure; tum pro dubio strictè tali, nempè pro suspensione omnis judicii directi circa objectum, vel neutraliter, vel sui; sivè, sivè in alterutram, sivè in utramque partem præapprehensum; tùm pro dubio latè, ac impropriè tali, nempè pro enunciatione determinata unius partis contradictionis absque certitudine de ejusdem veritate, & cum, vel sine ratione aliqua in contrarium. At admitti nequaquam potest eandem dubii vocem semper, & ubique in jure præsertim canonico supponere pro opinabili, vel solo, vel inopinabili quoque simul comprehenso; id est, nunquam usurpari in stricta, atque omnino propria sua significatione. Hoc enim cum sit sponte incredibile respectu maximè Legislatorum, de quorum munere est, ut loquantur juxta planum, & quantum fieri potest, proprium verborum sensum; observatum præterea, atque ostensum à nobis est *art.* 174. & 175. ac deinceps in textibus canonicis, qui solent induci circa præsentem controversiam, dubium supponere pro eo præcisè, quod propriè, ac strictè tale est, quod sufficit pro re nostra. Universim dici potest vocem, dubium, supponere in jure, saltem ut plurimum, pro opinabili, ubi sermo est directè de intelligentia, ac interpretatione legum; at non nisi pro dubio propriè, ac strictè tali, seu suspensivo animi totaliter, ubi sermo est directè de incertitudine facti, & narrationis, ac probationis eius, atque indirectè de extensione, aut restrictione legis circa idem factum. Ratio est, quia vix unquam contingit excitari dubium circa intelligentiam legis, ejusdemque secundum se, vel ampliationem, vel restrictionem, quin interpretes reperiant protinus rationes desumptas ex contextu, ex scopo, & fine, ex qualitate materiæ, ex simili, ex contrario, &c. quæ ad probabilitatem alterutrius, vel utriusque partis sufficiant, eò vel maximè, quia leges ratione constant, ac vigent; cum facta sæpè sint irrationabilia, ideoque ratio nil quoad ea perducere ad probabilitatem possit. Qua de causa jure optimo P. Gobat. tota illa sect. 5. applicat ad probabilia textus præscribentes partem benigniorem in dubiis, seu incertis circa legum intelligentiam; ac interpretationem; sicut nos restrinximus ad dubia strictè talia textus adigentes ad tutiorem in dubiis, seu incertis, utpotè talibus ex incertitudine facti. Verum hoc obiter, & paulò post plusculum eadem de re aliquantò explicatius suggeretur.

ART. CXCI. Ad alteram ejusdem consequentiæ probationem, dico imprimis comparationem non esse instituendam inter paruas, & magnas hinc, & inde rationes, seu fundamenta, sed inter dubitantem, & opinantem; ac deindè comparandum similiter non esse periculum cum periculo, prout est in rebus secundum se precisè, sed prout apparet operanti. Quia argumentum ducitur ex dubiis ad probabilia, & ex qualitate operis electi sub dubio, ad qualitatem operis electi sub opinione probabili. Materialiter autem se habent magnitudo, & parvitas rationum, seu fundamentorum ad differentiam dubium inter, & probabile; nec electiones specificantur ex rebus, ut sunt in se, sed ex eisdem, ut apparent in intellectu, & proponuntur voluntati. Sicut ad homicidium nil refert, an magnum, an parvum vulnus inflictum sit, & an stylo, an gladio, vel lancea; an fune, an funiculo peracta sit suffocatio; sed an vulnus fuerit lethale, aut lethalis compressio fauc:um; ita ad dubium nil refert, an aliquæ rationes occurrerint, an nullæ; an parvæ, an magnæ, seu an facilis, an difficilis secundum se solutionis; sed an suspensivæ fuerint, an inductivæ judicii, & enunciationis alterutram determinatè partem amplectentis actu, vel rejicientis. Similiter qui furatur gemmam credens esse vitrum, parvum eatenus peccatum furti committit; magnum verò si credit è converso; & nullum, si accipiat rem alienam credens bona fide esse suam; & sic de opposito; periculum etiam in bello, quod re ipsa est magnum, ac insuperabile, prudenter aggreditur, & laudabiliter, qui cum bono fundamento credit esse superabile, & concipit bonam spem superandi; & sic de opposito è converso. Concedo igitur ita comparari magna fundamenta cum magnis fundamentis contrariis sicut parva cum parvis, & nulla cum nullis, si nil præterea specialiter adsit ex alterutra parte, vel utraque; eaque de causa, dum agerem superius ex professo ab *art.* 123. de elisione mutua, & non mutua motivorum invicem pugnantium, nullam rationem habui magnitudinis, vel parvitatis eorum. At concedi minimè debet nullum esse, aut etiam esse parvum discrimen opinantis cum probabilitate, licere, quod agit, à dubitante, an sit illicitum, vel, quod ejusdem ferè rationis est, à suspicante, aut leviter, ac temerè opinante esse licitum. Magnum namque discrimen intercedit inter hæc duo extrema quoad cautelam in operando, quoad timorem Dei, & quoad amorem, vel odium periculi circa transgressionem legis Dei. Quia qui opinatur cum probabilitate licitum esse, quod agit, credit re ipsa, se non esse transgressurum legem Dei, tametsi id agat, & concipit bonam spem non transgrediendi, idque credit innitens fundamento magni momenti, & quod sibi persuadet tale esse omnibus hinc, & inde diligenter consideratis, atque invicem collatis; quantum pertinet ad unumquemque, ut consideret, atque conferat juxta dicta, & exposita superius in locis nuper indicatis de conceptu probabilitatis, & de differentia valentium per se ipsos, & non valentium discernere momenta, & æquiponderantiam, aut præponderantiam fundamentorum hinc, & inde pugnantium. Hoc autem nec formaliter, nec æquivalenter verificatur, ut per se patet, & ex nuper dictis est manifestum, de dubitante, dum hæret in dubio, qualiacunque demum sint fundamenta, & rationes dubitandi; idemque dicitur, quoad prænotatam rationem differentialem probabilitatis, de suspicanti, aut leviter, aut utcunque improbabiliter opinanti. Perspicuum porrò est magnam esse differentiam quoad amorem, aut odium periculi peccati, quoad desidem neglectum, & effrænem despicientiam, ac deglutitionem, aut diligentem circumspectionem, & timoratam præcautionem transgrediendi legem Dei, quod est punctum, de quo agitur. Perspicuum, inquam, est magnam quoad hoc intercedere differentiam inter operantem cum assensu usque adeò benè fundato de honestate suæ operationis, & cum spe usque adeò bona non transgrediendi legem Dei, & inter operantem absque tali assensu, & spe. Quia qui operatur cum eo assensu, & spe, quatenus assentitur honestati operis, potest moveri ad operandum ea ipsa honestate prægnita, & credita; quatenus autem assentitur cum fundamento magni momenti; & cui inest, undè præferatur iis,

quæ militant in contrarium, idque omnibus hinc, & inde diligenter consideratis, non patitur remorsum conscientiæ, & fluctuationem de non adhibita diligentia, quanta congruit conditioni naturæ, ut nunc est, humanæ, deque neglecto, aut non magni habito negotio salutis æternæ; ac demum quatenus præhabeat spem benè fundatam non transgrediendi legem Dei, non potest dici amare, aut nihil facere, seu parvi pendere periculum transgrediendi. Omnia hæc desunt dubitanti de malitia sui operis, nec non leviter opinanti de ejusdem honestate, ut liquet ex nuper præmissis. Patet igitur nullam esse paritatem ex dubiis, aut etiam opinabilibus, sed leviter tantum, ac temerè, ad probabilia, seu opinabilia cum magno fundamento, & ex iis legitimè deducto, qualia plerumque non fallunt.

ART. CXCII. Nec obstat opinanti probabiliter sæpè obversari in animo, atque adesse in mente fundamentum itidem magnum in contrarium, cum apparentia etiam excessus, & majoritatis ex hac ipsa parte contraria: Quia oportet videre, an fundamenta utrimque apparentia sint invicem homogenea, ac similia, an heterogenea, ac dissimilia. Si enim sint invicem similia, nihil refert magnitudo illorum, aut parvitas. Perinde namque hæret dubius judex, sive adsint centum testes ex una parte, & centum ex alia, sive adsit unus pro una parte, & unus pro alia, sive nullus adsit pro alterutra parte, dum nil specialiter favet alterutri partium; & sic accidit unicuique in re sua. Si autem fundamenta sint invicem dissimilia, uti necesse est esse, quando subsequitur determinatus in alterutram partem assensus, datur excessus saltem secundum quid unius partis supra aliam, eumque excessum accipit tanquam excessum simpliciter, & absolutè præponderantem, quicunque de facto realiter opinatur alteram partem determinatè sub tali fundamentorum conflictu mutuo, atque hanc eandem partem præfert omnibus in contrarium occurrentibus. Quæ quia sunt exposita ex professo, atque in rem præsentem accuratè applicata in prædictis *art.* 123. & 152. ac deinceps, nil necesse est hic denuò eatenus superaddere.

ART. CXCIII. Hoc solùm animadvertam præterea opportunè, quòd motiva utriusque partis invicem dissimilia sunt majora, ac urgentiora secundum se, eò esse majorem excessum secundum quid fundamentorum utriusvis partis supra fundamenta partis alterius, ac proindè eò etiam esse majorem apparentiam excessus simpliciter eorundem supra eadem. Quia utralibet fundamenta nanciscuntur ejusmodi mutuum excessum secundum quid per totam, & solam rationem suam differentialem specificam, quam patet esse majorem, seu majoris perfectionis in unoquoque fundamento, quo ipsum fundamentum est majus secundum se, seu majoris perfectionis, ac proinde excessum secundum quid utriusvis partis supra partem oppositam esse similiter majorem sub eadem proportione, utpotè constitutum formaliter adæquatè per totam, & solam perfectionem differentialem cujusque fundamenti; Opinabilis autem, ac fallibus apparentia excessus simpliciter in utrisvis fundamentis supra fundamenta oppositа oritur ex reali, ac infallibili excessu secundum quid in iisdem supra eadem, ac proindè illi justè commensuratur, ut patet consideranti. Quia verò quicunque opinatur, eò magis, ac firmius adhæret illi parti, cui assentitur, quo excessus fundamentorum, ob quæ assentitur supra fundamenta oppositа, apparet sibi, atque omninò videtur esse major; concluditur auctores contrarium invicem opinionum eò constantius suam quemque opinionem tueri, & amplecti plenius, atque oppositam vehementius reprobare loquendo per se, & ex sola tendentiæ directæ, quo fundamenta utriusque partis sunt majora, ac dignora seorsim, ac secundum se, ut usu venire videmus omnes in celebertimis quibusque controversiis, & conjicere quivis facile potest multiplici indicio, institutа comparatione inter eos, qui invicem pugnant argumentis petitis ex locis analyticis, aut ex principiis revelatis, quæque solis sapientibus negotium sibi invicem facessunt; atque idem unusquisque certius observare experimentaliter potest, si seriò reflectat supra gradum adhæsionis suæ non solùm affectivæ, sed etiam intellectualis ad ea, quibus assentitur ob argumenta prioris generis, nempè graviora, & ad ea, de quibus persuadetur ob argumenta generis posterioris, nempè leviora, tametsi consistat sibi sit adhiberi pro parte quoque oppositа argumenta ejusdem proportionaliter generis, eaque non minus consideraverit, quam argumenta, quibus credit. Mea certè de me experientia talis circa hoc est, qualem universaliter esse asserui. Nec diffido, quin hæc observatiuncula valitura non parum sit apud perspicacem, attentum, ac minimè protervum Lectorem, ut firmiter credat, quod dicebam, non ita compati magna cum magnis fundamentis, sicut parva cum parvis, aut etiam nulla cum nullis, si simul cum magnitudine, & parvitate adsit, & consideretur mutua hinc, & inde dissimilitudo, ac differentia specifica, nec contineatur intellectus in perspiciendo, & conferendo confusè magnum, & magnum, parvum, & parvum ut sic, & præcisè in genere absque ratione specifica ultimâ hinc, atque hinc dissimilari, ut semper, ac necessariò evenit ex dictis superius respectu cujusvis opinantis de facto. Quæ equidem oportet benè considerare.

Conciliatur cum dubio, & opinione certitudo requisita ad operandum honestè.

ART. CXCIV. Sciscitabere tu interea cum admiratione, qui fieri possit, ut cohæreat certitudo, qualem asserimus, boni, & malitiæ respectivè, cum dubio de malitia operis, & cum opinione de bonitate ejusdem; atque ut ex dubio de peccato, subinferatur quod est mirabilius certitudo de eodem peccato, & similiter subinferatur certitudo de bonitate operis ex opinione de eadem bonitate. In confesso nimirum esse apud omnes, dubitationem circa aliquid esse prorsus incompossibilem cum certitudine circa idem in eodem intellectu; atque in confesso pariter esse apud nos, & alios plures ex dictis *lib. 6. Curs. Theol. quæst. 13.* similem incompossibilitatem opinionis cum qualibet notitia certa de eodem objecto in eodem intellectu. Ellevero in confesso ex firmiori etiam, ac unanimi omnium consensu; Consequens non posse evadere certum, quam fuerit suum antecedens, nullumque certitudinis gradum obtingere illi posse, ubi nulla inhæret certitudo prævit. Scrupulus iste biceps tollitur, adhibita duplici observatione, seu distinctione manifestativa duplicis æquivocationis.

ART. CXCV. Observandum itaque primo est, aliud esse considerare bonitatem, & malitiam electionis cujusque relatè ad eius objectum secundum se, aliud relatè ad dispositionem animi præsentem

tem ex parte subjecti, seu relatè ad præcognitionem de eodem objecto secundum se, quæ de facto inest ipsi eligenti. Cum enim unumquodque objectum, ejusque bonitas, & malitia secundum se distinguatur realiter ab eodem objecto, ejusque bonitate & malitia, ut præcognitis sic, vel sic; fieri profectò facilè potest, ut cognitio directa de bonitate, aut malitia objecti alicujus secundum se, non sit omninò certa, aut sit valde incerta, aut propriè, & strictè dubia; & nihilominus cognitio reflexa de eadem bonitate, aut malitia prout sic, vel sic determinatè representata per cognitionem directam, seu potius de bonitate, aut malitia electionis hic, & nunc, & sub tali determinatè cognitione directa, sit nihilominus certa, aut non usque adeò incerta. Quia nil obstat quominus cognitiones diversitatis, aut etiam contrarietatis ejusmodi mutuæ componantur invicem in eodem intellectu, & circa idem, sed non secundum idem adæquatè, aut non sub eadem ratione formali. Dubitatio autem, & opinio probabilis, de quibus disseruimus, & quas invicem contulimus, sunt cognitiones tendentes directè ad objectum electionis, secundum se; cum dictam in ultimum conscientiæ, & actus postremus præceptivus prudentiæ, vel maximè proprius, cujus in alterutram determinatè partem, certitudinem asseruimus sub dubio, & opinione, sit cognitio reflexa judicans de objecto prout subest prædictæ cognitioni directæ, deque ejusdem objecti electione faciendâ, vel omittendâ hic, & nunc, & sub eadem cognitione directa. Nulla igitur est in dictis à nobis, iisdemque communibus assertis contradictio. Adde majoris claritatis gratia, si quæ adhuc desideratur major, eadem ratione fieri facilè posse, & sæpè accidere, ut cognitio directa de objecto, quod sit bonum, vel malum, eligendum, aut rejiciendum, quæ est postremum consequens totius prudentialis consultationis directæ, sit falsa, & nihilominus sit verum ultimum conscientiæ dictamen immediatè regulativum electionis, tametsi idem affirmet, aut neget. Nam si quis directè indicet levare festucam, quod est exemplum Divi Thomæ esse peccatum lethale, cognitionem eatenus habet proculdubio falsam, & nihilominus est cognitio certissimè vera, quæ reflexè affirmat levare festucam stante ejusmodi præjudicio directo, secundum ipsum perseverat, esse peccatum lethale. Similiter fallitur, qui judicat directè se teneri mentiri ad tuendam vitam innocentis; & tamen non fallitur, quatenus judicat se ad id ob eum finem teneri manente ejusmodi persuasione directa, & sic de similibus. Sic ergo & in re nostra proportionaliter.

ART. CXCVI. Observandum rursus consequenter est enunciationem directam de bonitate, aut malitia cujusque objecti non comparari cum ultimo dictamine reflexivo conscientiæ, quod ad eam cognitionem directam subsequitur, tanquam antecedens cum suo consequenti, sed tanquam materiam, & objectum partiale cum cognitione, & consideratione sui. Nempè duæ istæ cognitiones dependent ex principiis longè diversis, & inferuntur per discursus pariter diversos. Cognitio namque directa dependet ex prædicatis intrinsecis cujusque rei, & operationis, & infertur per discursum comparativum mediorum secundum se, cum eorundem fine secundum se. Dictamen autem reflexium conscientiæ dependet ex prædicatis intrinsecis cognitionis eius directæ, adeoque extrinsecis objectis cognitionis ejusdem, & infertur per comparationem cujusque cognitionis practicæ particularis cum cognitione practica universalissima, & per se nota, aut certa. Unde cognitio directa practica præiens ad unamquamque electionem regulatur his principiis: *Declina à malo, & fac bonitatem: Quod tibi non vis, alteri ne facias*, & similibus, & considerat conformitatem, & disconformitatem cujusque agibilis cum prima regula objectiva morum juxta ea, quæ dixi de ipsa *lib. 3. Curs. Theol. quæ. 20. & 21.* Ultimum verò dictamen reflexium conscientiæ regulatur per illud Apostoli. *Quod non est ex fide, peccatum est*, & per id, quod huic Apostolico documento subjungitur in *cap. Litteras de rest. spol.* post med. *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam*; & per similia; atque considerat conformitatem, & disconformitatem prioris cognitionis directæ, nec non sui ipsius cum prima, ac universalissima regula formali, & proxima morum juxta ea, quæ imbi dixi *q. 22. 23. & 24.* quæque in toto isto opusculo prosequimur. Mirum igitur non est, certè non est impossibile, quod ex duabus cognitionibus usque adeò invicem diffidentibus materia, & scopo, principiis, ac regulis, licet altera, quæ præit, sit utcunque incerta, aut prorsus dubia, ac suspensiva; altera nihilominus, quæ deindè subsequitur, evadat certa, aut minus incerta, ac decisiva.

Superadditur ulterioc declaratio certitudinis, & incertitudinis prudentiæ humanæ.

ART. CXCVII. CErta, inquam, aut minus incerta. Quia non est conditionis humanæ pro infelici isto naturæ lapsæ, & corruptæ statu, ut veritatem, & certitudinem prorsus infallibilem veritatis circa singula agibilia perpetuò assequi ullo pacto possit, sivè quoad cognitionem directam de honestate, aut inhonestate objectiva cujusque agibilis secundum se, sive quoad cognitionem reflexam de sufficientia, aut insufficientia cujusque ejusmodi cognitionis directæ ad bonitatem, aut malitiam moralem electionis hic, & nunc faciendæ. Id quod redditur manifestum, ac innegabile; quoad cognitionem quidem directam ex innumerabilibus controversiis Theologorum moralium circa licitum, & illicitum, honestum, & inhonestum, nec non circa magnitudinem, aut parvitatem utriusvis hujus extremi; quoad cognitionem verò reflexam ex hac ipsa ingenti controversia universali; in qua versamur. Manifestum siquidem, ac innegabile est, in utroque genere controversiarum alios ex auctoribus sibi invicem contradicentibus decipi, alios non decipi, & nemo certificari omninò potest se esse in numero eorum, qui non decipiuntur potius, quàm de oppositio, præsertim quoad prius illud genus controversiarum innumerabilium. In quo nimirum nulli uni contingit, ut aut nunquam, aut semper decipiatur, uti quivis sponte credet, & ostendi à priori facilè potest, servata proportione, ex iis, quæ pro re simili disseruí *lib. 4. Curs. Theolg. quæst. 5.* Dictamen autem ultimum reflexivum conscientiæ licet sit necessario verum, ac evidens, quatenus approbat, vel reprobat electionem tantum ex suppositione prioris opinionis probabilis, cui ipsum supervenit, tamen secundum conceptum absolutum subest eidem periculo falsitatis, cui suberat illa ipsa opinio; & siquidem hæc fuit falsa, illud quoque necessario evadet falsum. Si quis enim judicat probabiliter, id est, adhibita debita diligentia, & invento magno fundamento, levare festucam esse peccatum morta-

le; evidens est voluntatem levandi festucam stante eo judicio fore lethaliter peccaminosam & similiter fore laudabilem eandem voluntatem stante similiter actuali judicio probabili, quod honestum sit ex se levare festucam. Cæterum secundum conceptum absolutum eadem est falsitas dictaminis reflexi, & opinionis directæ. Quia veritas rei in se semper est in contrarium, & quod est verum tantum ex suppositione falsa, est falsum absolutè. Rursus si idem dictamen reflexivum erit conceptum dependenter ab opinione, quam quisque tenet in præsenti controversia; evadet ex hoc etiam capite specialiter incertum, ac fallibile apud plerosque saltem omnes. Quia in ista controversia usque adeò ferventer utrinque agitata utralibet pars contradictionis est probabilis, incerta, ac fallibilis apud plerosque omnes, & vix est unus aliquis, si tamen est ullus, qui certificari possit se habere demonstrationem pro ea parte, quam tenet. Est autem incertum, quod dependet à principio incerto.

ART. CXCVIII. Nec vacat dicere, eum, qui operatur juxta sententiam de tenenda tutiore, esse omninò certum de veritate sui dictaminis, & de rectitudine sui operis. Non, inquam, vacat hoc dicere, quia dupliciter eligere quis potest, quod tutius est. Primò quia tutius præcisè est, & evidenter constat esse tutius, estque majoris perfectionis eligere, quod est tutius. Atque hoc non est formare dictamen dependenter à sententia, quam quis sequitur in præsenti controversia. Quia de consilio, & de majori perfectione sequendi tutiorem, nulla unquam fuit controversia; & de præcipuis auctoribus negantibus obligationem sequendi tutiorem adversus verè probabilem, minùs tamen tutam, constat per indicia haud obscura, semper nihilominus in rebus controversis operatos fuisse juxta tutiorem. Neque, id est, valdè difficile seorsim, & ex se præcisè, seu respectu observantis de cætero constanter, & exactè totam legem quoad ea, quæ sunt omninò manifesta, & extra omnem controversiam. Quia in iis comprehenduntur difficillima quæque, utpotè expressa distinctè in legibus divinis, & humanis, uti adnotabam iterum, & ex majori parte manifestavi superiùs *art.* 38. Modus alius eligendi tutius est, dum eligitur ipsum tutius, non præcisè quia tutius est, & quia electio tutioris laudabilior est, magisque perfecta, sed quia urget obligatio eligendi tutius, & quia electio oppositа, aut omissio prioris electionis est peccaminosa. Et tunc concipitur quidem ultimum dictamen conscientiæ dependenter à sententia adversariorum nostrorum in præsenti controversia, certè congruit illi sententiæ, sed subest secundum suum conceptum absolutum eidem incertitudini, cui subest hæc ipsa sententia, ut patet ex dictis, & ex se est satis manifestum; & si eadē adversariorum sententia est falsa, electio ejusmodi nō vaccabit gravi incommodo materialiter, uti quoad utramque partem paulò inferiùs demonstrabitur, idemque dico proportionaliter de judicante, & operante dependenter ab hac nostra præsenti opinione.

ART. CXCIX. Concluditur igitur nullam cognitionem directivam electionis esse posse totaliter certam, & expertem omnis prorsus incertitudinis secundum suum conceptum absolutum in materia opinabili, qua opinabilis apud unumquemque est hic, & nunc. Undè rursus consequitur non pertinere ad prudentiam humanam, & ad modum agendi humanitus prudentem, ut in omni materia etiam controversa, & utrimque probabili adinveniatur certitudo totalis, cumque eadem, & non aliter eligatur unumquodque. Quia non pertinet ad prudentiam, quod est impossibile, nec congruit homini obligatio, quæ non potest ab homine expleri. Certitudo igitur requisita ad electionem prudentem, & absolutè laudabilem est, qualis convenit assensui concepto ex fundamento absolutè, & comparativè magno omnibus hinc, & indè diligenter consideratis, uti superiùs exposuimus. Cui proindè fundamento ita acquiescat intellectus, ut plus recedat à fluctuatione, & suspensione propriè, ac strictè dubitantis, quàm à firmitate, ac immobilitate propriè, ac strictè scientis, aut credentis fide divina; sicut è converso accedit magis ad lubricitatem dubitantis, quàm ad stabilitatem scientis, aut credentis, qui suspicatur, qui leviter, aut temerè opinatur, qui voluntariè conjecit se in falsitatem, seu ignorantiam pravè dispositionis, estque adhuc sibi aliqualiter conscius, ac memor voluntariæ ejusmodi præceptionis intellectus sui. Ac demum ea certitudo credenda est sufficere ad honestatem electionis in ejusmodi rebus ad salutem animæ pertinentibus, qualis in temporalibus, ancipitis exitus rebus, atque negotiis contenti esse solent homines sui, rerumque suarum temporalium minimè negligentes, nec imprudentes, ac stulti habiti in sæculo, seu in conceptu filiorum hujus lucis. Utrobique nimirum incidit sæpè falsitas prudentiæ humanæ, seu propriæ hominis mortalis, & multò sæpiùs falsitatis necessaria, sed non necessario mutua comes incertitudo quoad bonitatem, & pravitatem absolutam objectorum in se, & electionum per se. Hinc *Sap.* 9. 14. dicitur: *Quæ enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.* Et *vers.* 16. urgetur comparatio mox à nobis attacta. *Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælo sunt, quis investigabit?* Sermo autem est ex professo de notitia practica, & directiva electionum, ut patet ibi-rè ex toto contextu antecedenti, & subsequenti. Aristoteles etiam, cujus aliqua hanc in rem testimonia didimus *art.* 102. non tam demonstrat, tametsi & hoc facit, quàm supponit, ut per sentum, prudentiam esse opinabilium, & incertorum, atque conclusiones consultationis prudentialis esse fallibiles, ut videre licet *lib.* 1. *Eth. toto cap.* 3. & *toto ferè lib.* 6. maximè verò *cap.* 10. & 11. Et quidem ratio merè naturalis circa ea, quæ pertinent ad legem naturalem, qua naturalis præcisè est, estque adeò incerta, ut Aristoteles in prædicto *cap.* 3. eruperit in hanc sententiam, quæ luce Evangelica illustratis hominibus mirabilis merò videri posset, & accidat inexpectata. *Honesta autem, & justa, inquit, de quibus civilis considerat, tantam differentiam, tantumque errorem in se habent, ut lege, non naturâ esse videantur.* Et D. Thomas ibi *lect.* 3. sub initium universaliter sic pronunciat: *Materia autem moralis, quæ ipsa est tota materia prudentiæ) talis est, quod non est ei conveniens perfecta certitudo.* Cumque eadem universalitate Aristoteles dicto *lib.* 6. *cap.* 9. sub finem statuit sic: *Cum autem duæ sint animæ partes, quæ rationes capaces sunt (scientifica & opinativa) prudentia alterius virtus esse videtur, ut est, opinativæ. Nam circa id, quod aliter se habere potest, & opinio, & prudentia versatur.* Ibidem paulò priùs suppositerat, prudentiæ incidere fallitatem nolente etiam ipso prudente: *Atque in arte quidem, ut sponte peccat, magis eligendus est, minùs qui in prudentia idem facit, sicut etiam circa virtutes.* Hæc eadem tradit, ac sæpè supponit D. Thom. 2. 2. *tota quæst.* ac

ac præsertim *art.* 3. & nos plura diximus in quæstionibus de prudentia nondum edit is. Sed non expedit in re nimium clara nos amplius distineri.

ART. CC. Perfecta itaque certitudo, & totalis infallibilitas propria prudentiæ tota reducitur ad dictamen ultimum conscientiæ, qua reflexivum est, & præcipit talem determinatè electionem hic, & nunc faciendam ex suppositione præviæ consultationis diligenter institutæ, & concludentis, consideratis, quantum par est, omnibus hinc, & indè occurrentibus, hanc determinare electionem esse honestam, ac laudabilem. Qui quidem actus præceptivus est præcipuus, ac potissimus inter omnes actus prudentiæ, utpotè consistens in applicatione consiliatorum, & judicatorum ad operandum, ideoque propinquius accedens ad finem totius rationis practicæ, ac proindè prudentiæ, qui est recta operatio, & electio simpliciter laudabilis, remotius se habens, ut per se patet, non solùm ad consultationem, cujus est invenire media idonea ad finem, sed etiam ad conclusionem consultationis, cujus est judicare speculativè de inventis, ut loquitur D. Thom. *in quæst. illa* 57. *art.* 8. Ubi hæc omnia tradit iisdem ferè his ce verb s. Hic porrò actus præceptivus approbans, & indicens hâc determinatè electionem, ex suppositione diligentis, modo prædicto, consultationis, necnon judicii, quale nuper exposuimus, de bonitate ac honestate objecti in se sub his determinatè circumstantiis objectivis, est eatenus evidens, ac infallibilis, certissimusque. Cum enim electio quælibet specificetur ex objecto, non prout est in se, sed prout apparet in intellectu, atque ab eodem proponitur voluntati, ut sæpè diximus, & est ex se manifestum; fieri profectò minimè potest, ut, præmissa diligenti consultatione omnia circumquaquè occurrentia attentè considerante, atque invicem conferente, concludatur, ac reipsa judicetur hoc objectum sub his circumstantiis omnibus, tum ex parte ejusdem objecti, tum ex parte operantis, esse honestum, atque honestè eligibile, atque ut tale proponatur voluntati; & nihilominus electio tali judicio conformis evadat prava, & peccaminosa formaliter, ac imputabiliter, & quod rem ipsam distinctius declarat, digna specialis pœnæ immediatè ratione sui. Hoc inquam, est impossibile, quia impossibile manifestè est, ut quis sit vituperabilis, ac punibilis, quatenus operatur conformiter ad regulam suam proximam; id est, ut meritò vituperetur, ac puniatur; undè est laude potius dignus, & præmio. Evidens igitur, atque infallibile est dictamen ultimum reflexivum conscientiæ, qua reflexivum est, & præcipit, atque præcipiendo approbat electionem tantum ex suppositione prædicti judicii directi de absolutâ honestate objecti, & rectitudine electionis.

ART. CCI. Quod si post consultationem, qualem diximus esse necessariam, ut operemur honestè, utque probabiliter judicemus de honestate cujusque operis, prædictum judicium directum de honestate objecti, & de bonitate moralì electionis evadat nihilominus falsum; electio, quæ subsequetur eidem judicio conformis, erit materialiter tantum mala, formaliter verò bona, & laudabilis. Quia videlicet est inhonestum, in se re ipsa objectum materiale, ad quod fertur, seu materia, in qua versatur; motivum verò, ob quod fertur, ac versatur, est honestas ipsa realis proposita per idem judicium, ut pluribus exposuimus *lib.* 3. *Curs. Theol. quæst.* 24. atque apparet ex verbis, quibus Augustinus amicum, à quo ipse laudabatur, laudat simul, & repellit *Epist.* 126. *Tibi prodest*, ait, *ipsam diligere bonitatem, quam profectò diligit, qui eum diligit, quem credit bonum, sivè ille se ita, sivè aliter, quam creditur, habeat.* Uoi laudatur tanquam verus amator bonitatis realis, qui amat non bonum, quia credidit esse bonum. Eadem autem quoad hoc ratio est deceptione circa bonitatem personarum, & circa rerum bonitatem. Quia affectus perindè utrobique adhæret qualitati objecti, quæ creditur inesse, sivè insit reipsa, sivè non insit. Æqualiter proindè utrobique excusat ignorantia invincibilis, si judicium de honestate, aut inhonestate, licito, aut illicito feratur adhibita diligentia inveniendæ veritatis, quantam quisque credit adhibere se teneri, tùm circa rem, aut operationem, de qua eligenda agitur, cùm circa magnitudinem, & qualitatem ejus diligentiæ, quam adhibere quisque pro unaquaque opportunitate, & rerum dignitate tenetur. Diximus non pauca supra ab *art.* 20. *ad* 38. de ignorantia ejusmodi invincibili, deque ejus sufficientia non solùm ad excusandum à peccato, sed etiam ab bonitatem, & laudem electionum, quæ alioquin futuræ essent peccaminosæ. Proderit nihilominus, si id ipsum confirmemus ulterius à posteriori per exempla facilè obvia, & admodum frequentia, ac prorsus innegabilia. Proderit, inquam, id ad intelligendum distinctiùs, & firmiùs credendum gradum certitudinis, qualem diximus sufficientem ad bonitatem moralem, & veram laudabilitatem electionum humanarum.

Subinseritur opportune peccatorum materialium frequentia innocens.

ART. CCII. VT autem incipiam cum Augustino, propono primo loco multos illos, quorum iterum memini supra, exhibentes parentibus non suis, creditis tamen suis, pietatem, & obsequia filialia. Multos istiusmodi filios dixi, quia nemo nescit esse quam plures, qui decipiantur credendo maritum matris suæ esse suum patrem, ut nil dicatur de filiis concubinarum, meretricum, aliarumque non unius generis furtivè concipientium, deceptis à matre circa patrem, aut circa utrumque ab educatoribus suis. De iis ita pronunciat S. Doctor *lib.* de utilit. cred. *cap.* 12. sub initium: *Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit* (si nil credatur, nil agatur, nisi certò scitum) *Sanctissimum generis humani vinculum superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiam si non essent. Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minimè dilexerit, dum ne falsos diligat, metuit?* Hi nihilominus ita decepti filii, & ex vi deceptionis innocentes, imò & laudabiliter sic agentes duplici ex capite materialiter peccant, tum per excessum, quatenus officia filialia exhibent parentibus reipsa non suis, tum gravius per defectum, quatenus eadem negant verè suis. Nil porrò necesse est ponderare, quod est facilè considerare, quoties, & quanto tempore peccata ejusmodi purè materialia repetantur cum laude à sic deceptis. Facilè quoque perspicitur, si quis attentè consideret, & patienter supputare velit, quot, & quam enormium aliorum præterea peccatorum purè materialium fœcunda seges, ex eodem illo errore; & cum eadem sola ignorantiæ invincibilis excusatione, proveniat, atque cum auctario numeri ad

pleraſque poſteriores generationes magis, ac magis ſuccreſcat, propagetur que perpetuo ad finem uſque mundi. Quod equidem malum eminet multò magis, quoad poſſeſſiones bonorum materialiter injuſtas, ſingulis quibuſque ejuſmodi deceptis filiis, & filiis filiorum poſſidentibus titulo hæreditatis bona, ſi ſecludatur ignorantia invincibilis, non ſua, & aliis viciſſim poſſidentibus ſimiliter, quæ ſunt illorum. Adde, ſi placet donationes, alioſque innumeros contractus indidem injuſtos per ſe, ac nullos, ac præſertim contractus matrimoniales non paucos in gradibus jure poſitivo, & nonnunquam etiam naturali prohibitis initos. Atque totidem circa hoc caput leviter inſinuaſſe ſuffecerit.

ART. CCIII. Propono ſecundo loco cum eodem Auguſtino myriades, & myriadum myriades militum obſequentium, & cooperantium Principus in bellis utrimque, vel ex altera ſaltem parte injuſtis, aut injuſtè intentatis injuſtitiis, aut materialiter, aut etiam formaliter. Hi militis tametſi juſtitiam belli nullatenus perſpiciant, dummodo injuſtitiam ejuſdem nulla cognoſcant certa omnino notitia, nulli us ſunt rei peccati formalis, ſeu ſpeciali pœna digni immediatè ratione ſui, cum exequantur innumerabilia materialiter peccata homicidiorum, direptionum, vaſtationum, tranſlationis dominorum etiam ampliſſimorum à veris dominis ad veros prædones. Audiatur Auguſtinus *lib. 22. contra Fauſtum cap. 75.* Ubi præfatus initio: *Intereſt enim, quibus cauſis, quibuſque auctoribus homines gerenda bella ſuſcipiant; ordo tamen ille naturalis mortalium pacis accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes principem ſit, exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debent paci, ſalutique communi.* Concludit in fine: *Cum ergo vir juſtus, ſi fortè ſub rege homine etiam ſacrilego militet, recte poſſit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans, cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt: ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Quæ eadem habentur 23. q. C. *quid culpabitur*, & Adriano *quæſt. illa quodl. cap. 2. punct. 2. ad 1.* fuerunt occaſio, ut abſque ſufficienti, quantum aſſequor, cauſa, ac neceſſitate anxiè, & hæſitanter de legitima illorum intelligentia, deque eorumdem veritate diſquireret, ac demum audentius aliquid, dum de Auguſtino in re tanta loqueretur, inſinuaret. Sed de hoc alibi. Nunc enim conſtat, plurima ex hoc capite, & maxima peccata pulchè materialia perpetrari innocenter, & cum laude perpetrantium, judice Auguſtino.

ART. CCIV. Propono tertio loco judices utriuſque fori, interni, & externi perſæpè, & graviſſimè peccantes purè materialiter beneficio ſolus ignorantiæ invincibilis in materia non ſolùm juris humani, ſed etiam naturalis, & poſitivi divini. Notum nimis eſt in cauſis, & civilibus, & criminalibus adhiberi perſæpè (apud aliquos præſertim populos, eoſque non paucos ea propter ſpecialiter, ſolemniterque infames) teſtes falſos, & inſtrumenta falſa, ratione quorum adiguntur judices, nil aliunde conſcii, & nulla exiſtente exceptione idonea in contrarium, affligere innocentes in fortunis, in honore, in corpore, in vita quoque ipſa, & bona veris dominis ablata adjudicare non dominis, abſolvere è contra nocentes, & locupletare latrones, aliaque ſimilia quotidie exequi cum laude, tametſi materialiter iniqua ſint. Mitto dicere, quia, id eſt, controverſum, de judicibus aliundè certò conſciis de veritate pro innocente, aut vero domino, & quod ejuſdem rationis eſt, de judicibus, tametſi non certò conſciis de falſitate probationis juridicæ, nil tamen credentibus eorum, quæ ſunt juridicè probata in proceſſu, ſed vel ſuſpicionaliter probabilibus, & juridicè, vel non probatis, vel non probabilibus. Quod evenit paſſim. Dixi hoc poſterius genus, planè familiarius, eſſe ejuſdem rationis cum genere proximè præcedenti. Quia ejuſdem plus minus iniquitatis eſt condemnare, quem credis innocentem, aut verum dominum; & condemnare, quem non credis nocentem, aut incubantem, vel ſiphiantem alienis bonis. Iam quoad forum internum, nemo eſt in eo vel mediocriter expertus, qui neſciat Sacerdotes pios ſæpè impendere, cum merito coram Deo, abſolutiones materialiter ſacrilegas pœnitentibus non rite confeſſis, atque hoc ipſos ſæpè, & multipliciter efficere confeſſiones materialiter tantum defectuoſas, ac ſacrilegas ex ignorantia invincibili. Mitto repreſentate eleemoſynas quotidianas pauperibus fictis, & nunnullis aliequin etiam malè feriatis, & malè meritis de republica, laudabiliter, & meritoriè erogatas cum prodigalitate materialiter aſtos, & cum parti immiſericordia adverſus veros pauperes tantundem defraudatos. Mitto etiam collationes beneficiorum materialiter ſimoniacas, aut aliter illegitimas, nec non ordinationes ſacras multiplici ex capite ſimiliter ſacrilegas, quæ probis Eccleſiæ Præſulibus abſque ullo ipſorum ea tenus demerito, & etiam cum merito obrepunt ſæpè. Mitto, inquam, hæc, & alia ſimilia quamplura fuſius obtrudere, ne longum faciam, lectorique meo nimis moroſus exiſtam, & quia talia ſunt omnibus ubique obvia.

ART. CCV. Claudo itaque cum Auguſtino id agnoſcente, & contrarium quorundam conatum vehementer deteſtante in eodem illo loco, undè cœpit dicere nempè *cap. 12. deutilit. cred.* antè med. *Multa poſſunt aſſerri*, alt, *quibus oſtendatur nil omnino humanæ ſocietatis incolume remanere; ſi nil erroris ſtatuerimus* (in ordine præſertim ad ageadum, de quo immediatè erat ſermo) *quod non poſſumus tenere præceptum*: (notitia omninò certa comprehenſum, de qua nempè agit totus ille liber) Advertо me in hoc cenſu, ſeu exemplis nullam de novo metentium pœnam, & ſi nil obſtet aliud, etiam merentium laudem, & præmium, dum materialiter peccant, nil quoad præſens præcisè punctum curare; an qui ſic operantur, & impunè coram Deo, aut etiam laudabiliter peccata materialia committant, præhabeant, vel non præhabeant opinionem, ſeu magis, ſeu minùs probabilem, aut etiam moraliter, ſeu certam, ſeu incertam. Nec item curo quoad idem punctum, an ignorantia invincibilis iſtos ita operantes protegens, ſeu excuſans ſit ignorantia facti, an juris, & an juris naturalis, an poſitivi, atque hujus, an divini, an humani. Nil denique curo, an hæc eadem ignorantia proximè, ac immediatè invincibilis trahat originem ex ſolo peccato originali, an item ex aliquo antea acti temporis perſonali, atque ex perſonali, ſeu materialiter tantum, ſeu etiam formaliter imputabili, quoad eam ipſam ignorantiam, an verò proveniat ex ſola connaturali humanæ naturæ imperfectione, ac limitatione, prout ſubeſt propriæ imperfectioni divinæ, qualis eidem noſtræ naturæ ſecundum ſe connaturalis eſt id eſt, nil curo, an talis ignorantia ſit, vel non ſit pœnalis, & an ſic, vel ſic pœnalis, aut non pœnalis. Nil nimirum horum quidquam refert pro puncto doctrinæ, quod ſpectat

conſilia

confirmandum præfixi, atque de his ignorantiæ differentiis egimus satis supra loco nuper memorato, ubi & adhibuimus, firmavimusque distinctiones eatenus necessarias sublatis quorundam ea in re confusionibus, & æquivocationibus, & emandatis nonnullis loquutionibus non satis cautis, atque hoc maximè tempore haud mediocriter nocivis, de quaipsa realiquid adhuc supereſt clarius, atque innegabilius paulò post superaddendum. Solum igitur contendo, quod ex propositis notissimis, certissimisque exemplis irresistibiliter colligitur, non esse de conceptu prudentiæ humanæ totalem cognitionis ullius directæ, de honestate agibilium, ac eligibilium, certitudinem, seu physicam, seu metaphysicam, aut etiam moralem sumptam pro ea, cui nunquam, aut vix unquam subsit falsitas, & propè miraculum sit, si quando subsit. Quia in exemplis propositis manifestissimè apparent electiones formaliter bonæ, & laudabiles, necnon meritoriæ apud Deum, atque adeò prudenter exercitæ, quæ nihilominus feruntur ad objectum reipsa inhonestum, atque adeò nulla diriguntur cognitione penitus certa, & falsitatis prorsus experte, cum falsitati repugnet totalis certitudo præterquam purè affectiva, & propria hominis pertinacis, hæresibusque communis, quæ proindè impropriè dicitur certitudo, utpotè voluntaria, & non intellectualis. Quia verò ex eisdem exemplis constat æquè clarè easdem electiones formaliter bonas, & materialiter peccaminosas frequenter accidere, ac proinde frequenter falli prudentiam nostram quoad cognitionem directam honestatis objectivæ, & laudabilis eligibilitatis; concluditur cum eadem claritate, ne quidem certitudinem moralem quoad eandem cognitionem esse de conceptu prudentiæ nostræ, sumpta certitudine morali pro ea, quæ nunquam, aut vix unquam cum falsitate conjungitur.

Dividitur, & exponitur certitudo moralis, & qualis ea sit apud Cajetan. & Sylvestrum.

ART. CCVI. OPortuit me loqui de certitudine morali cum nota ejusmodi restrictiva, quia certitudo moralis non ab omnibus eodem sensu usurpatur, nec ab eisdem ubique, sed aliter, atque aliter apud alios, & alios, necnon apud nonnullos eosdem in alia, atque alia materia. Primum enim certitudo moralis sumitur pro ea, quæ communi, ac præsertim prudentum judicio petindè, aut ferè æstimatur infallibilis, atque certitudo Physica, aut Mathematica, aut Metaphysica. Hoc modo dicitur vulgò moraliter certum apud eos, qui non viderunt, existere urbes, Constantinopolim in Thracia, in Gallia Parisios, Londinum in Anglia, in Hispania Matritum, fuisse olim bellum Romanos inter, & Carthaginenses diuturnum. Similiter apud Theologos dicitur moraliter certum, hominem diutius manentem in statu peccati mortalis casurum esse in novum peccatum mortale; neminem cum auxiliis ordinariis gratiæ vitasse, aut vitaturum esse per annum ex. gr. omnia peccata venialia collectivè, aut sine illis omnia similiter lethalia ad longum tempus; atque hoc sensu Bresserus, *lib. 3. de conscientia, cap. 6. num. 75.* aliique dicunt moraliter certam sententiam, quam nos tuemur de usu licito opinionis cujusvis practicæ, verè probabilis. Eadem significatione pro re alia usus & ego sum, *art. 134.* utorque aliàs ordinariè. Secundò, certitudo moralis dicitur, quæ licet tanta non sit, ut non frequenter reperiatur conjuncta cum falsitate, tanta tamen est, quanta congruit moribus humanis, seu modò agendi humano. Priorem certitudinem moralem, concluſimus, non esse de conceptu prudentiæ quoad actus suos directos, seu non reflexivos, qua reflexivi non sunt, & nemo, quod sciam, eatenus contradicit; dico ex iis, qui aliquid hac de re intelligunt, & verba proferunt ex intelligentia rerum verbis significatarum, atque juxta eandem. Posterior certitudo moralis frequenti, aut non admodum raræ obnoxia falsitati, juxta exempla nuper proposita, apud Mercorum, Martinarium, Gonet, & paucos alios, est convertibilis cum majori probabilitate, & attribuitur soli opinioni probabiliori, quam sit opposita; atque eadem ab eisdem asseritur sub hoc sensu esse, ut minimum, necessaria ad prudentem, & laudabilem operationem. At apud Cajetanum, Sylvestrum, & quamplures alios eadem certitudo moralis est convertibilis cum qualibet vera probabilitate, & attribuitur cuivis opinioni verè probabili, juxta expositionem veræ probabilitatis superius à nobis exhibitam, eademque ab eisdem asseritur sub hoc sensu sufficiens ad prudentem, & laudabilem operationem. Alii plerique auctores, ut Suarez, Sanchez, Vasq. Layman, neque affirmando, neque negando utuntur communiter hac voce certitudinis moralis, sed sub vocibus majoris, & minoris probabilitatis, quibus & ego solis usus sum in mea quæstione, utorque modo, consentiunt reipsa Cajetano, & Sylvestro quoad sententiam ipsis à me attributam.

ART. CCVII. Expedit autem ostendere eam attributionem factam à me esse, non solùm ex sincero, ac firmo animi sensu, verum etiam cum magno, & urgenti fundamento deprompto ex utriusq; præclari auctoris summis, semper, & ubique jure optimo celebratissimis. Cajetanus *ver. Opinio, & Opinionis usus*, non dividit opinionem, ut jam vulgò fit, in magis, & minus probabilem, nec meminit istarum vocum, sed immediatè contraponit opinioni illicitæ certitudinem moralem, absque distinctione itidem majoris, & minoris certitudinis moralis. Unde arguitivè tantum induci potest in alterutram partem hodiernæ controversiæ. Opinionem autem triplici ex capite dicit illicitam: Primò, quia voluntaria est, nempe concepta voluntate trahente intellectum ad unam partem absque sufficienti ratione pro illa. Secundò, quia exorbitat à sua regulâ, nempe à sacra Scriptura, exposita ab Ecclesia Catholica, propterea que suspecta est communi Ecclesiæ, seu Apostolicæ Sedi. Tertiò, ex nimio cujusque affectu erga suam opinionem, dum probabilia accipiuntur, ut demonstrata ex nimio affectu ad nostra, & cum minore, quam opus foret, examine, resolutione, & judicio. Ex hac divisione, quandoquidem ponitur tanquam adæquata, videtur rectè argui omnem opinionem, quæ nulli ex his tribus vitiis subest, esse licitam apud Cajetanum. Nulla autem opinio verè probabilis subest, ex suo conceptu, ulli tali vitio, ut liquidò apparet ex sæpè inculcata à nobis veræ probabilitatis expositione. Incipit deinde agere de usu opinionis, his verbis: *Opinione uti, ut regula operum interiorum, & exteriorum, est quandoque licitum, & quandoque illicitum*; & protinus determinat ipsum *quandoque* cum distinctione inter credenda, & agenda. Quoad credenda dicit illicitum esse uti opinione, nisi ea submittatur regulæ superiori sanctæ

matris

matris Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis. In quo virtualiter continetur licitum esse uti opinione quoad credenda, submittendo opinionem eidem regulæ. Quoad agenda ponit hanc conclusionem. *In operandis verò, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuscumque assumere, ut regulam operis.* Probat autem conclusionem istam eodem prorsus quoad substantiam fundamento, quo nos probavimus *suprà art.* 189. ex communi, quemcumque non eligentem, ac agentem, quod tutius est, in dubio de peccato, peccare eo ipso genere peccati, de quo est dubium, idemque extendimus, *art.* 191. *sub finem*, ad suspicionem, & opinionem quamlibet levem, seu non probabilem, adjuncta ulteriori adhuc hujus rei expositione, & confirmatione, *art.* 197. *sub initium.* Cum ergo ratio dicendi, sit quoque ratio intelligendi dictum, intelligendum utique est apud Cajetanum sub nomine opinionis illud ipsum, quod significatum à nobis fuit, nomine tum dubii tum opinionis levis, minimeque probabilis, & plus habentis de dubitatione propriè, ac strictè tali, quam de certitudine simpliciter, seu de certitudine strictè tali. Idem colligitur ex priori illa alia conclusione, quod quandoque licet uti opinione tanquam regula. Nempè non utitur opinione, sed vel scientia, vel fide divina, vel intelligentia, qui eligit tutiorem partem præcisè, quia tutior est. Necesse igitur est, ut in posteriori conclusione, de usu illicito opinionis, licet efferatur absolutè opinio; subintelligatur nihilominus restricta ad infimam ipsius speciem pro eaque sola determinatè supponat, nempè pro opinione improbabili, & plus accedente ad dubitationem propriè talem, quàm ad totalem certitudinem.

ART. CCVIII. Confirmatur ex duabus periodis, quas interiicit Cajetanus suæ probationi; Quarum altera est: *Et quia præsupponitur, quod non eligatur tutior pars, consequens est, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati?* Altera vero est: *Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale, facere scienter operationem dubiam, an sit mortale.* Ergo nomine opinionis in prædicta secunda conclusione intelligitur regula ambigua, & dubia. Quæ quidem videtur esse clara nostræ intentionis expressio. Sed pro pleniori claritate attendatur hæc in fine totius probationis restrictio. *Et hæc intellige de opinione propriè dicta, ut diximus, quæ est cum formidine alterius partis, & per se loquendo.* Ubi nota particulam, *ut diximus*, non posse referri, nisi ad opinionem, quam dixerat illicitam, & exposuerat distribuendo illam in tres classes, ut retulimus. Nullam nimirum aliam opinionis expositionem, ad quam se referre posset, præmiserat. Observavimus autem, quod est manifestum, sub nulla ex illis tribus classibus opinionem, qualis à nobis dicitur probabilis contineri.

ART. CCIX. Consideretur jam altera pars de certitudine morali immediatè contraposita opinioni, an non ea coincidat cum vera apud nos probabilitate, eidemque congruat adamussim, sive sit de cætero major, sive minor probabilitas. Duplicem distinguit Cajetanus certitudinem moralem, alteram pro viris doctis valentibus per se ipsos discernere, ac librare momenta rationum, & hanc dicit certitudinem per se, alteram pro indoctis ad illud ipsum inidoneis, & hanc dicit certitudinem per accidens. De priori certitudine morali per se, dicit sic: *Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi Doctores contraria sentiunt. Quoniam cum hujusmodi contrarietate stat, quod una pars sit ratione sufficienti ad moralem certitudinem sulta; Et jam non est opinio apud capientes rationem illam; sed quia nesciunt noscam, omnia quodammodo locant sub opinionibus.* Videhic rationem in rebus controversis sufficientem pro una parte ad certitudinem moralem, adeoque ad operandum honestè, tametsi ea pars non sit tutior. Quæ videlicet nuper præscribebatur opinioni, opinio est, atque huic contraponitur eatenus certitudo ista moralis. Vides rursus rationem ejusmodi non necessariò debere esse demonstrativam, tum quia si talis esset, non esset controversibilis, tum maximè, quia alioquin certitudo ei rationi submixta non diceretur cum addito diminuenti moralis, nec contraponeretur certitudini mathematicæ, tanquam minor majori, id est, tanquam absolutè fallibilis absolutè infallibili. Hæc, inquam, vides, & tamen non vides in contextu ullam comparationem inter majorem, & minorem certitudinem moralem, & inter rationem unius illius partis inducitivam majoris probabilitatis, quam inducat fundamentalis ratio partis oppositæ, nullumque apparet vestigium apud Cajetanum necessitatis instituendi hujusmodi comparationem, ut electio recedens à tutiori sit honesta, seu non sit peccaminosa. Nil autem obstat, quominus existente, pro una parte controversiæ ratione ejusmodi sufficienti ad certitudinem moralem, simul adsit pro parte contraria ratio non minus quietans intellectum auctoris partis ejus contrariæ, eademque non minùs satisfaciens, ac proinde non minùs sufficiens ad eandem apud eumdem certitudinem moralem. Quin imò in omni controversia morali agitata inter auctores Catholicos, & pios sibimvicem contradicentes adsunt semper pro utroque parte ejusmodi rationes ac proinde adest utrinque certitudo moralis, vel vera, vel quod ad qualitatem operationis perinde valet, existimata omnibus hinc, & inde diligenter consideratis. Cum igitur Cajetanus nullam rationem habeat majoris, & minoris certitudinis, nec hujus distinctionis usquam meminerit; Consequens planè est, ut in qualibet morali inter auctores Catholicos, & pios controversia licitum sit operari juxta utramlibet partem contradictionis, sive sit magis, sive sit minus tuta, & magis, vel minus certa moraliter Licitum, inquam, sit auctoribus saltem utriusque partis, nec noviis omnibus, qui utriusvis eorum assensum suum bona fide accommodaverint.

ART. CCX. Et quid dicemus de illis multis, (verissimè multis, & quamplurimis, & quod aliquas saltem vagè controversias omnibus omnino) qui dicuntur *nescire discernere inter certitudinem moralem, & mathematicam*; propterea que *omnia quodammodo locant sub opinionibus?* Necesse sanè est, ut illi contenti esse debeant certitudine morali per accidens tali, ut que operantes conformiter ad illam sint tuti in conscientia non minùs, quam operantes conformiter ad certitudinem moralem per se, quam discernere valent, ut patet ex axiomate illo certo *Nemo tenetur ad impossibile.* Agnoscit id, & expressimit disertè Cajetanus in altera parte suæ limitationis circa præassertam obligationem ad tutiorem. Quæ limitatio sic habet: *Dixi quoque per se loquendo. Quia per accidens contingit, nescientes discernere inter notum opinione, & notum certa ratione morali, errare, & excusari credentes, absque formidine alterius partis, viris probis, & doctis dicentibus; sentio sic, quia potest licitè fieri.* Non dicit, magis probis, & doctis, aut aliquanto pluribus, sed tantum probis, &

& doctis, quidquid sit de reliquo. Reputat ergo sufficientem, ad certitudinem moralem, adeoque ad recedendum tuta conscientia à tutiori, auctor tatem virorum proborum, & doctorum, sive magis, sive minùs talium, sive pauciorum, sive plu.ium, cum hoc discrimen pensi non habeat. Constat igitur eandem, & rationem, & auctoritatem respectivè sufficere, & requiri apud Cajetanum ad certitudinem moralem, & per se, & per accidens, quæ apud nos itidem respectivè sufficit ad veram probabilitatem, tum ab intrinseco, tum ab extrinseco: Ergo certitudo moralis Cajetani est convertibilis reipsa, & prorsus eadem cum nostra vera probabilitate: atque ita censet, ac exponit Scholiastes ejus Gaugricus Hispanus ibidem in editione Duacensi an. 1613. necnon M. Labat. t. 3. *Theol. disp. 4. dub 7. §. 3.* Ubi paulo post, ut hoc obiter notem, refert, per auctores nostræ sententiæ licitum esse usum opinionis minus tutæ adversus probabiliorem agnitam, ut talem. Quam tamen postremam particulam posuit de suo, nec reperit apud eos auctores, atque impugnata à nobis fuit superius ex professo, *ab art. 152. ad art. 162.*

ART. CCXI. Clarius de more, ac distinctius, quam Cajetanus, tradit eandem doctrinam Sylvester, & quatenus ambo isti insignes Doctores fuere Synchroni, & ejusmodi Ordinis, utriuslibet tertius potest haberi loco glossæ, seu commentarii respectu alterius quoad significationem vocum. Igitur Sylvester, *ver. Opinio*, præfert imprimis declarationem opinionis ex D. Thom. quam, & nos retulimus, ac expendimus supra, & dicit opinionem esse, *cum intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam, idque cum dubitatione, & formidine alterius partis.* Et rursus: *Opinio verò*, ait verbis suis, *neque evidentiam, neque certitudinem habet; sed credulitatem fundatam in humana ratione insufficienti tamen, & non concludente necessariò, sed probabiliter pro una parte, & non pro alia.* Deinde proponit quæstionem primam: *Vtrum auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones, quarum scilicet altera necessariò est falsa, excusentur, si sequantur opiniones suorum Magistrorum?* Circa quod refert, & amplectitur doctrinam D. Thom, & Antonini, quam superius constitit nobis omninò favere; de D. Thom. *art. 162.* & de D. Antonino, *art. 165.* Cumque D. Antonin. & alios graves auctores, re, & verbis ipsi consentientes conciliasset, quoad rem ipsam, cum quibusdam aliis, qui videri poterant dissentiri; superaddit demum de suo hæc omnia, ut veram de re proposita sententiam, & prædictorum omnium Doctorum, & suam exponat clarissimè. *Et hoc intelligenon solùm, quando quis facit, quod in se est, ut intelligat veritatem: quia talis etiam in manifestè determinatis excusaretur, cum laboret ignorantia pro tunc invincibili. sed etiam cum quis in affectione ad suum Doctorem judicat probabiliter, ut sibi videtur, esse verum, quod est falsum. Nec obstat, quod in dubiis tutior pars est eligenda de sponsi. Irrenis. Quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem. Nec quod incertum dimittendum sit, & certum tenendum; de Pœnit. dist. 7. si quis. Quia tenet iste certum sibi moraliter; cum in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus secundum Philosophum 1. Ethic. Vnde si Ioachim tenuit contra fidem de Summa Trinit. Damnamus. Et non fuit hæreticus, quia talis articulus nondum erat per Ecclesiam damnatus, multò magis excusatur sequens opinionem Doctoris non reprobatam cum voluntate non adhærendi, si vera non appareret.* Faciunt hæc usque adeò manifestè pro nobis, & pro convertibilitate, atque reali identitate moralis, apud insignem istum Moralistam, & consequenter apud Cajetanum, certitudinis cum vera apud nos probabilitate, ut temporis jacturam facturus essem prorsus prodigam, ac inutilem, si Lectori meo molestus amplius esse vellem singulas resolutionis hujus partes cum singulis assertionis nostræ partibus componendo. Faciet id facilè prudens Lector, si placeat singula seorsim, & cohærentiam omnium seriò, ac sincerè considerare. Faciet verò facilius, si advertat istam ejusdem Sylvestri causalem, *ver. Probabile. Et secundum Cancellarium*, ait, *quod sic est probabile, dicitur certum moraliter. Quia certitudo moralis non contingit ex evidentia demonstrationis, sed ex conjecturis probabilibus, grossis, & figuralibus.* Quæ retulimus ex Sylvestro; vide etiam, si placet in paulò anteriori Sum. Ang. *ver. Opinio.* Adde, quoad Cajetanum, indiciolum minimè contemnendum, quatenus totum suum de opinione, deque usu opinionis discursum claudit hac periodo: *Non enim exigit Deus ab homine plusquam conditio hominis habet, quia divina sapientia disponit omnia suaviter.* Qualia sanè auctores nostræ sententiæ soliti sunt pro se passim usurpare, & nos paulò prius, sponte usurpabamus; Eadem verò minùs congruunt trudentibus ad inferos, quicumque in re gravi deserunt tutiora, ac rigidiora absque majori in contrarium probabilitate, & quin de hoc probabilitatis excessu prævie certificentur, ideoque auctores hujusce sententiæ usurpare pro se talia minimè solent.

ART. CCXII. Ex iis itaque omnibus apparet non esse de conceptu prudentiæ humanæ, certitudinem simpliciter, seu infallibilitatem, totalem quoad ullam cognitionem directam objecti eligibilis, ipsiusq; electionis; solumque actum ultimò præceptivũ ejusmodi certitudine universaliter gaudere, quatenus reflectitur supra cognitionem directam, de honestate objecti, vel omninò certam, vel saltem verè probabilem, aut ut alii loquuntur, moraliter certam; ac demum obligationem vitandi periculum, transgrediendi legem Dei, quod imminet formaliter, ex qualitate præviæ cognitionis directæ, solùm vigere, ac urgere sub cognitione, vel dubia propriè, ac strictè, vel leviter fundata, atque improbabili, seu non probabili de honestate eligibilis, & quod electio nõ sit peccaminosa, uti quoad singulas partes expositum hucusque est, & videtur sufficienter, efficaciterque confirmatum. Verùm recedere minimè debeo ab isto discursu suborto ex periculo transgrediendi legem Dei sub directione opinionis probabilis, quin expendam, & mittam in bilancem momentum hujusce periculi in doctrinis, & in operationibus, necnon necessitatem, atque obligationem seriæ, ac vigilis præcautionis quoad utrasque. Inde enim plurimum, ut spero roboris accedet doctrinæ hucusq; à nobis propugnatæ; & fiet, ut veluti aspersa, frigida intepescat, si non & frigescat, penitusque deponatur ardor ille vehemens nonnullorum ex Adversariis nostris.

Instituitur comparatio periculi inter opiniones strictas, & largas, vulgò tutiores, & minus tutas.

ART. CCXIII. DIgnum principio est, quod altè infigatur animo, semperque

perque præ oculis habeatur in controversiis, & delectu doctrinarum, documentum pulchrum, & solidum D. Bonavent. *tom.* 7. aut cujus alterius illi suparis, *lib.* 2. *comp. Theol. cap.* 52. *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta. Nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sæpè malum bonum, secunda è contra bonum malum. Item prima sæpè salvat damnandum, secunda contra damnat salvandum.* Hinc sequitur opiniones tutiores ex parte objecti, hoc est assertivas obligationis in conscientia, ideoque strictiores, eo ipso esse tantundem periculosas, tum ex parte effectus, quem aptæ sunt inducere, tum formaliter, & secundum se. Quia omnis opinio est exposita periculo falsitatis; atque in opinione tutiori ex parte objecti, hoc periculum est conjunctum, ex textu adducto, cum periculo generandi desperationem, dicendi malum esse, quod bonum est, & damnandi eum, qui alioqui salvandus erat. Qui enim affirmat obligationem aliquam ultra eas omnes obligationes, quas reipsa imponunt leges, quod est proprium opinionis tutioris, seu strictioris fallæ, impellit eatenus ad desperationem juxta illud: *Alligant onera gravia, & importabilia.* Tale namque onus est, quod superadditur oneri, quale ex judicio, & sapientia Legislatoris est justè proportionatum totis viribus subditorum. Idem consequenter sæpè damnat salvandum. Quia exponit speciali periculo damnationis eum etiam, qui alioqui salvandus erat, utpotè succumbentem oneri præcisè propter pondus superadditum toti justo ponderi. Quod autem ab eodem dicatur malum esse, quod bonum est, atque subtrahat, quantum est de se, liberæ hominum facultati, quod Deus eidem amanter concedit, ex se sponte patet. Quia in hoc formaliter consistit falsitas opinionis strictioris, seu ut vulgò dicitur, tutioris. Verum igitur est, quod inferebamus, opiniones strictiores, eâsdemque vulgò dictas tutiores esse tantundem periculosas, & secundum se, & quoad effectum sumpta ut quo strictiores sunt, eo sint periculosiores.

ART. CCXIV. Adde opiniones strictas esse periculosiores, seu expositas periculo majoris mali, quam opiniones largas. Quia cum ambæ, ex quo opiniones sunt, subsint æquali periculo falsitatis ex genere suo; periculo falsitatis strictarum inest periculum majoris ulterioris mali, quam periculo falsitatis largarum. Quia desperatio, quam inducit falsitas opinionis strictæ, est magis nociva, quam præsumptio, quam inducit falsitas opinionis largæ, uti perspici facilè potest ex doctrina D. Thom. de magnitudine malitiæ desperationis 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 3. ubi inter alia inducit glossam ad illud Prov. 24. *Si desperaveris Lassus, &c.* dicentem: *Nil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus hujus vitæ laboribus, & quod peius est, in fidei certamine constantiam perdit*; inducit, & axioma Isidori, *lib.* 2. *de sum. bono, cap.* 14. *Perpetrare flagitium aliquod mors animæ est; sed desperare est descendere in infernum.* Deterius similiter est damnare alioqui salvandum, quam salvare alioqui damnandum. Quia damnans salvandum videtur magis recedere ab indole, & voluntate Dei, *qui vult omnes homines salvos fieri*, & non vult *mortem peccatoris.* Nec deest ratio suadens deterius esse, quod bonum est, quam è converso. Quia bonitas cujusvis boni moralis prodest magis, quam noceat malitia opposita. Mensura enim bonitatis omnis, & malitiæ moralis, quatenus utilis, & nocivæ, est ultimus terminus, ad quem utraque perducit, nempè fœlicitas æterna, & æterna infœlicitas. Fœlicitas autem æterna prodest magis quam noceat æterna infœlicitas, uti demonstratum à me fuit, *lib.* 1. *Curs. Theolog. quæst.* 35. *art.* 4. Ubi etiam *art.* 7. invenies illationem circa hoc punctum pensens. Ergo falsitas negativa boni moralis, seu dicens malum esse, quod bonum est, est intentior, quam falsitas negativa mali moralis, seu dicens bonum esse, quod malum est.

ART. CCXV. Exiis, quæ quidem requiruntur vigilem, nec præproperum calculatorem, apparet ratio, ob quam Apostolus locis, quæ retuli *art.* 50. obtestatur doctrinas stringentes nimium, hoc est, strictas, simulque falsas, tanta cum vehementia zeli Evangelici, quantam nullibi reperitur adhibuisse adversus ullas nimis largas, hoc est, largas, simulque falsas. Subtexui autem ibidem similia ex Augustino, ex sacris Canonibus, & quod caput est, ex Christo Domino. Eadem ratione D. Thom. horret periculum doctrinæ non solùm nimis largæ, sed etiam nimis strictæ, nec minus illud, quàm illud præsertim, dum agitur de peccato mortali. Auctor *quod.* 9. *art.* 15. *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresè veritas habeatur, periculosè determinatur. Quia error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, consentiens non excusat à toto, licet forte à tanto. Error verò, quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex consentia ligat ad peccatum mortale.* Præcipuè autem periculosum est, *ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione audit.* Veram intelligentiam hujus testimonii quod excusationem non à toto, sed à tanto habuimus, *art.* 158. *post med.* ex D. Antonino ibi relato, eandemque stabilivimus ex ipso D. Thom. *art.* 162. Atque eadem intelligentia invaluit communiter apud Theologos. De cætero eundem errorem opinandi pro utraliber parte in quæstione de peccato mortali manifestat S. Doctor, *opusc.* 73. in fin. Exiis multis, qui pium hac in re imitantur accipe hos paucos, qui instigantur curiui nostro fundato in D. Bonavent. Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 2. *corol.* 1. inter alia plura pro eo scopo, hæc habet: *Incautum est, & malum affirmare aliquid esse peccatum mortale, quando non præstat sufficienti auctoritate, vel evidenti ratione.* Armilla *ver. Clericus, num.* 11. *in fine. Quia igitur sunt opiniones diversæ, judicare de mortali est periculosum.* Sanctom. 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap* 4. *num.* 8. *Affirmare non est peccatum mortale, nisi ubi ratio, aut lex exigit.* Idemque dicit *tract.* 3. *de charit. disp.* 7. *sect.* 3. *fin.* Aliquantò fortius Atag. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. *tit.* 3. *concl.* 3. *Certè videtur durum, & à Christiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quod peccet mortaliter, sine evidenti, & certa ratione.* Præjuerat his Venerabilis Cancellarius doctrina, & pietate clarus, ac valdè celebris Joan. Gerson. *part.* 3. *lib. de vita spirit. lect* 4. *corol.* 10. dicens: *Ex his elicio pro Doctoribus Theologis doctrinam sequentem, ne sint faciles asserere actiones aliquas, esse lubricum, ne sint faciles asserere actiones aliquas, esse omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub vera universali.* Ac deinde: *Fit præterea quandoque, ut per tales assertiones publicas nimis duras, generales, & strictas, præsertim in non certissimis, nequaquam deterruantur homines à luto peccatorum, sed in illud profundius, quia desperatius immerguntur.* Subscribit Gersoni observantissimus erga ipsum, eundemque dicens consolatorem animarum S. Antoninus verbis quæ retuli *art.* 160. & præsens opportunitas postulat, ut repetam. *Inter duram,* sit, *& benignam circa præceptum sententiam benigna est potius, cæteris paribus, interpretatio facienda*; Videri quamplura posse in

in hunc scopum diligenter, & luculenter collecta apud P. Georg. Gobat. in Clypeo clementium judicum utriusque fori tota ferè prima parte, nempe *à sect. 3. ad finem usque*.

ART. CCXVI. Quod si hæc ita se habent quoad singulas quasque opiniones de licito, & illicito, de peccato, & non peccato, ac præsertim de peccato lethali, & non peccato lethali; quid dicendum erit de opinione decisiva præsentis nostræ controversiæ, complectente sub se totam collectionem opinionum ejusmodi directarum, quarum apud unum Dianam dicuntur referri ad tria millia. Adversarii nostri uno ictu recidunt, ac reprobant omnes in qualibet materia opiniones negantes aliquid esse licitum, seu esse peccatum, aut veniale, aut lethale, & affirmant peccare, seu venialiter, seu lethaliter juxta subjectam materiam, quotquot, & quoties operantur conformiter ad easdem opiniones negativas peccati, seu venialis, seu lethalis, nec conformantur in opere opinionibus potiùs affirmantibus esse peccatum, seu veniale, seu lethale. Id quod hac sola mitigant limitatione non admodum miti: Nisi videlicet constiterit opinionem negativam peccati venialis, aut peccati lethalis esse probabiliorem. Unde ex sententia horum auctorum opinio affirmativa peccati, seu venialis, seu lethalis inducit reipsa obligationem in conscientia sub peccato, seu veniali, seu lethali, prout fuerit opinio directa, tametsi non constet eandem opinionem affirmativam peccati esse probabiliorem, quam oppositam. Sufficit enim, ut isti dicunt, quod non constet opinionem affirmativam peccati esse minus probabilem, quam oppositam. Constat autem id aperte in actu signato circa res controversas, de quibus loquimur, utpotè habentes pro, & contra auctores classicos, seu pios, & doctos, quos, & quorum rationes est difficile invicem librare, atque deducere præponderantiam absque scrupulis, & implicatissimis tricis conscientiarum. Unde non possum non laudare judicium P. Suar. viri sapientissimi pariter, ac piissimi, tenerrimæque conscientiæ, qui *tract. 3. in 2. a. disp. 12. sect. 5. n. 8.* & cum prætulisset conclusionem: *Quoties cumque est opinio probabilis hanc actionem non esse malam, vel prohibitam, vel præceptam, potest aliquis formare conscientiam certam, vel practicam conformem tali opinioni*; probat deinde inter alia dicens: *Quia esset onus intolerabile obligare omnes homines ad conformandas singulas opiniones.* Idem ferè habet *tom. 5. in 3. p. disp. 40. sect. 5. num. 15.*

ART. CCXVII. Sed redeo ad meam ponderationem. Si est periculosum in rebus singulis controversis affirmare peccatum, ac præsertim peccatum lethale, atque hoc est periculosius, magisque præcavendum, quam oppositum, cæteris paribus; si propterea sub eadem conditione benigniores opiniones sunt rigidioribus præferendæ; atque oppositum hujus subjacet magnis inconvenientibus in via Dei, & respectu salutis animarum, uti laudatissimi auctores optimè censuere. Si hæc, inquam, ita habent in unaqualibet controversia particulari, valdè profectò periculosum est, maximeque præcavendum in universali præsenti controversia tenere sententiam affirmativam obligationis, & peccati. Per quam videlicet determinantur, cæteris paribus, ad eandem partem affirmativam obligationis, & peccati, omnes controversiæ particulares de peccato, & non peccato, de peccato lethali, & non lethali. Juxta documentum igitur Gersonis, & D. Antonini, aliorumque modò præmissum cum fundamento immediatè ante à nobis præjacto ex D. Bonavent. nostra sententia negativa ejusmodi obligationis, & assertiva usus liciti opinionis cujusvis practicæ verè probabilis tenenda, ac tradeada à Theologis, atque ab omnibus confovenda est potius, quam opposita obligans universaliter sub peccato ad omnes opiniones tutiores, easdemque strictiores, præterquam ubi constiterit, & convincenter ostensum fuerit, easdem tutiores esse simul minùs probabiles, quam opiniones contrarias. Nostra, inquam, hæc sententia tenenda, ac confovenda est ratione multò maxima, ut liquet ex speciali nostra hujus articuli ponderatione; rejicienda verò, ac deprimenda est sententia opposita de tutiori, ac strictiori; dum non constiterit sententiam istam oppositam habere pro se majora, ac firmiora fundamenta, vel auctoritatis, vel rationis, vel utriusque quam nostram, ex quibus appareat illam esse veram, & istam falsam. Hoc autem usque adeò non apparet ex fundamentis hucusque per Adversarios adinventis, ac promulgatis, ut oppositum appareat abundè ex toto isto opusculo nostro. Ergo dum meliora alia fundamenta non producentur pro parte contraria, nostra potissimum sententia teneri, ac confoveri debet, utpotè tutior formaliter, seu minus periculosa ex genere suo, ut patet ex præmissis. Quam in rem addo loco sigilli, quod ab aliis vulgatum jam est. M. Barnaba de Gallego *in resol. moral. in Prologo ad tract. de consc.* ubi ex glossa ad Prologum constitutionum sui fulgentissimi Ordinis Prædicatorum *text. 1. §. 3.* circa illud: *Cum Ordo noster specialiter ob prædicationem, & animarum salutem*; refert hæc: *Declaramus, quod tria sunt præcipuè, quæ salutem impediunt animarum. Primum est, &c. Tertium est nimia austeritas in consiliis, & opinionibus. Terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant. Quapropter relaxanda est, quantum fieri potest, rigiditas, & auctoritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Quæ salubris, & discreta admonitio sapientissimorum S. Dominici filiorum urget, vel maximè in re præsenti. Quia pars rigida, ac austera circa præsentem controversiam universalem est fautrix omnium rigiditatum, & austeritatum possibilium in inopinabilibus universis, ut per se patet, & ponderatum jam est. Atque hæc de securitate, & periculo quoad opiniones.

Annectitur eadem comparatio periculi in agendo.

ART. CCXVIII. VEnio ad operationes, circa quas est opportuna, & optima animadversio Sylvestri, *ver. Confessio, 2. quæst. 2. n. 4. Licet sit tutius, aut, statim confiteri, quam differre; non tamen tutius est tenere, quod sic obligemur. Quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi.* Quæ ratio confirmat, quod dicebamus de opinionibus strictis. Verùm circa ipsum statim confiteri, atque in genere circa ipsum operari conformiter ad strictiorem, oportet distinguere de motivo sic operandi, necnon de electione, cujus causa est, & cujus causa non est opinio ipsa strictior. Si quis operetur conformiter ad opinionem strictiorem præcisè, quia prosequutio objecti, quod per eam proponitur amplectendum, confert ad mortificationem passionum, quia eadem est minoris perfectionis, & certiùs placet Deo, placetque magis; proculdubio est tutius hoc modo operari conformiter ad opinionem strictiorem, ut per se patet. Sed nunc opinio strictior, qua strictior, non est causa electionis, neque

hæc fit dependenter ab illa. Quia ejusmodi motivum manet integrum etiam credenti opinionem strictiorem esse minus probabilem, imò & esse falsam, & certissimè falsam. Quapropter sicut ex Apostol. 1. *ad Timoth.* 1. 9. *Lex justo non est posita*, quoad vim utique coactivam, seu comminativam; ita opinio strictior, qua strictior, nullam exercet positivè, neque quidquam eatenus refert, an vera, an falsa esse doceatur, & credatur, respectu operantis ex amore majoris perfectionis, majorisque gloriæ, & beneplaciti Dei. Quia is sub utravis opinione operabitur idem, utpotè operans ex motivo, quod sub utravis perstat idem, & æquè viget.

ART. CCXIX. At si quis operetur conformiter ad strictiorem præcisè, quia lex Dei obligat ad ita operandum, quia alioquin incidet in iram Dei, & decidet ad inferos, eritque servus, ac filius Diaboli; dico non esse tutius hoc modo operari conformiter ad opinionem strictam, seu strictorem, imò esse periculosius juxta nuper ponderata, certè non esse minùs periculosum, quàm oppositum, si cætera sint paria. Ratio est, quia non solùm leges reipsa latæ à Deo sunt sapientissimæ, sed etiam omissio earum, quas de facto non tulerit, est sapientissima; ac proinde non solùm omissio legum, quas de facto tulit Deus, sed etiam promulgatio earum, quas omisit de facto, fuisset insipientissima, utpotè opposita omissioni sapientissimæ, & quæ per infinitam sapientiam Dei judicata est congruens, atque omninò conveniens humano generi jam præexistenti. Conveniunt nempè, & disconveniunt naturæ rationali leges, & omissiones legum, sicut corporibus frigus, & calor, & privationes eorum. Eadem igitur ratione, qua opinio tam stricta, quàm larga est exposita periculo falsitatis, quatenus opinio est, & consequenter est exposita periculo; stricta quidem, affirmandi reipsa Deum esse auctorem legis insipientis, larga verò, affirmandi similiter reipsa Deum esse auctorem omissionis legislativæ insipientis. Eadem, inquam, ratione, qui operatur conformiter ad opinionem strictam modo prædicto, seu movente, ac determinante ad operandum opinione stricta; qua stricta est, est expositus æquali periculo, ut feratur ad Deum affectu suo tanquam ad legislatorem reipsa insipientem, utq; obsequatur, tanquam supremæ suæ regulæ, regulæ reipsa distortæ, ac insipienti; sicut idem dicendum est è converso proportionaliter, quoad omissionem legis, de operante juxta opinionem largam. Neuter igitur ex iis ita operantibus excusari potest à magno, fœdissimoque flagitio, nisi per ignorantiam invincibilem, quando contingit opinionem, qua dirigitur in agendo, esse falsam. Nisi enim ignorantia invincibilis interveniat, uterque tunc committit peccatum injuriosum Deo simile peccato jurantis falsò per Deum. Quia uterque ille constituit tunc Deum, quantum est de se, auctorem insipientis, seu legis, seu omissionis legis, perinde ac iste constituit Deum testem, & suffragatorem falsitatis.

ART. CCXX. Hæc causa est, ob quam tam severe, & toties, totque modis præcipitur nobis in Sacra Scriptura, ne addamus quidquam, vel demamus legi Dei, uti retuli *art.* 41. Nisi enim utrumvis horum induceret perversionem morum, & injuriosam Deo, & inordinativam nostri intra nosmetipsos, & cum proximis, non interesset multò magis addere, aut demere legi Dei, quàm addere, aut demere numero civium Romanorum, aut numero occisorum in pugna Cannensi. Eminet porrò, vel maximè veritas, & momentum hujus rei, nostræque totius hujus observationis in ingenti illa controversia, quæ acriter invicem commisit Principes Apostolorum Petrum, & Paulum, quæque deinde vehementer exarsit inter summos Ecclesiæ Doctores Augustin. & Hieronym. circa cibos lege veteri prohibitos, ut narrabit, & grata cum comprehensione enarrat D. Thom. lect. 3. *ad cap. 2. epist. ad Galat.* Parum sanè intererat, & etenim interest, secluso scandalo, quod quis abstineret, aut abstineat à cibis lege veteri prohibitis caussa facilitatis corporalis, aut spiritualis, aliove honesto motivo, & de facto Apostolus ipse usurpavit non semel legales veteres observantias, & præsertim circumcisionem, ut notat inibi D. Thom. & liquet ex actis. Interfuit tamen plurimum, ne Gentiles converti ad Christum *cogerentur*, ut loquitur Paulus, id est, ut exponit D. Thom. ne abstinerent credentes, & quæ credebant, propter exemplum S. Petri, se teneri in conscientia ad ejusmodi abstinentiam. Interfuit verò usque adeò, ut D. Paulus, prout habetur in *prædicto cap.* 2. ea de caussa restiterit in faciem D. Petro, eandemque eadem de caussa voluerit Spiritus S. manere inibi declaratum pro tota semper posteritate *reprehensibilem*, quæ est vox Apostoli, eaque intelligenda cum proprietate, & realitate, ut censet, & efficaciter probat D. Thom. cum, & ex Augustino. Est igitur valde periculosum operari conformiter ad opinionem strictam cum dependentia ab eadem opinione. Nota inconveniens ponderatum in materia juris divini tenere proportionaliter in materia etiam juris humani quoad ejus auctorem; formaliter verò tenet, si consideretur Deus, ut cooperator, & vindex legum humanarum, ut patet consideranti.

ART. CCXXI. Apparet primò ex dictis, opiniones strictas ex genere suo, seu cæteris paribus esse periculosiores occasionaliter, quam largas. Quia cum periculi falsitatis sit in utrumvis æquale, nec; dehoc dubitari posse videatur; inconveniens in moribus, quod ex opinionibus strictis falsis pronum est, ut subsequatur, est majus, ut innotuit jam, quam quod subsequitur ex largis falsis. Apparet rursus opiniones strictas tantumdem, ut minimum, aclargas periculosas esse, si formaliter, & secundum se præcisè considerentur, tum etiam si considerentur caussaliter, & effectivè, seu quoad usum utrarumvis proprium, ac specialem. Quia æqualiter prohibetur lege Dei additio, & diminutio legis Dei &, non minus est injurius Deo, qui affectu suo fertur ad Deum, ut auctorem legis, cujus non est auctor, quàm qui fertur ad eundem, ut non auctorem legis, cujus est auctor. Quorum primum facit qui deducit in opus opinionem strictam falsam; secundum, qui largam falsam. Ponderata præterea fuit ratio minimè contemnenda pro excessu opinionis strictæ, falsæ quoad utrumque etiam hoc posterius malum. Idem validè confirmat consilium, quod retulimus, D. Præsertim Antonum Gerson. aliorumque gravium, & piorum auctorum de cautela necessaria in tradendis opinionibus strictis, deque præferendis benigniotibus, ubi cætera sunt paria. Non enim commendarent documentum tale tales, & tanti viri, nisi inconveniens, cujus periculo subsunt opiniones strictæ, esset majus, ac diterius simpliciter, & absolutè, quàm cui sunt obnoxiæ opiniones largæ, seu benignæ.

ART. CCXXII. Quapropter quod opiniones strictæ dicantur tutæ, aut tutiores, largæ verò, seu benignæ dicantur è contra non tutæ, seu minus tutæ, est quid abusivum, ac impropriu m, & verificatur solùm ratione materiæ, quatenus est omninò, ac certissimè tutum id facere, quod opinio stricta dicit debere fieri,

fieri, effeque de necessitate salutis, ut fiat; & non est sic rutum facere oppositum, quod opinio larga, seu benigna dicit licere, ut fiat. Cæterum in sensu formali, & casuali utrumque genus opinionum est pariter periculosum, & magis periculosum genus opinionum strictarum, ut liquet ex dictis. Verùm de modo loquendi, cum de re constat, non est admodum curandum, & nos quoque pergemus loqui cum multis, & opiniones strictas, seu assertivas obligationis in conscientia dicere tutiores, minùs verò tutas opiniones largas, seu benignas. Manifestior quodammodo est abusus loquutionis eorum, qui dicunt opiniones strictas, seu rigidas stare pro lege contra commodum; largas verò, seu benignas pugnare contra legem pro commodo. Hoc enim perindè impropriùm, ac dissonum est, atque si diceretur opiniones largas seu benignas stare pro honestate contra peccatum; strictas verò, seu rigidas pugnare pro peccato contra honestatem. Nempè sicut opinio stricta dicit dari legem, & obligationem legis, ubi opinio larga dicit neutram dari; ita opinio larga dicit non esse peccatum, & esse honestum, quod stricta dicit non esse honestum, & esse peccatum. Unde tales duorum tantum, vel trium moderatorum loquutiones vitandæ, tanquam fucum facientes, & tanquam fomites contentionis, utpotè laborantes falsa suppositione, aut fallaci insinuatione suppositionis falsæ. Aliud namque est stare pro lege, quàm certum sit reipsa dari, aliud affirmare dari legem, de qua omnibus ritè consideratis, controvertitur, ac dubitatur, an reipsa detur; & similiter de peccato, & honestate, necnon de commodo purè temporali.

Concluditur utrumque genus opinionum rigidarum, & benignarum indigere sæpè, & & sub probabilitate etiam potiri excusatione per ignorantiam invincibilem.

Art. CCXXIII. QUoad rem ipsam prætereundum, aut oscitanter considerandum minimè est, quod ex præmissis infertur clarè, utrumque genus opinionum & rigidarum, & benignarum sæpè indigere, & quamdiu probabiles apud unumquemque sunt, tetiam potiri excusatione fundata in ignorantia invincibili: Indigere verò, & potiri, tum quoad ipsas secundum se, seu præcisè quoad assensum ipsum, vel dissensum intellectualem, tum quoad usum earumdem, seu quoad electiones, & operationes ex illis subortas. Nec solum quoad exclusionem peccati, & malitiæ formalis seorsim specialiter demeritoriæ, verùm etiam quoad inclusionem bonitatis moralis, & meriti, si nil aliud aliunde desit. Hæc, ut inferam, assumo duo principia certa, alterum juris, alterum facti.

Art. CCXXIV. Principium juris est: In iis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, tenere, maximè verò docere opinionem quamlibet falsam, est malum moraliter, & peccatum pœna dignum ratione sui, loquendo per se, & nisi excuset ignorantia invincibilis. Ita omnes Doctores, & patet ex dictis. Quia quoad mores quælibet opinio falsa addit, vel demit legi Dei: addit, si est stricta, & falsa; demit, si est larga, & falsa. Utrumque autem est prohibitum lege Dei, ut vidimus, ac proindè utrumque est peccatum per se. Idem dico quoad fidem. Quia quælibet opinio, aut doctrina falsa in rebus fidei addit similiter, vel demit revelatis à Deo, & revelationi divinæ; atque utrumvis est simili ratione deordinatum, ac turpe, & injuriosum Deo, atque reprobatum sæpiùs, & acriter in S. Scriptura. Imò opinari in iis falsò, aut docere falsa est deterius ex genere suo, quàm deviare à lege in agendo. Quia opinio, & doctrina tangit radicem, & serpit magis, hæretque diutiùs.

Art. CCXXV. Principium facti est trimembre. Prima pars: Dantur, semperque extitere in genere humano quam plurimæ opiniones falsæ, tùm speculativæ circa fidem, aliæ addentes, aliæ dementes veritatibus revelatis, tum practicæ circa mores, aliæ addentes, aliæ dementes legi Dei: Patet hoc manifestè ex controversiis innumerabilibus circa sensum literalem cujusq; loci S. Scripturæ, & circa bonitatem, & malitiam actuum humanorum, aliis affirmantibus, & aliis negantibus talem determinatè sensum esse verum, ac legitimum, aliisq; similiter affirmantibus, & aliis negantibus talem determinatam opinionem esse peccaminosam. Hujusmodi controversiarum, & contradictionum, ultrà millenas, & millenas, sunt pleni libri, & Commentatorum S. Scripturæ, & tractatorum rerum moralium. In ejusmodi autem controversiis, & contradictionibus totidem sunt opiniones falsæ, atq; veræ, cùm in omni contradictione altera pars sit vera, & altera falsa, ut sæpè diximus, & est per se evidens. Ex iis porrò opinionibus falsis, qualiter à nobis propositæ sunt, quæ sunt affirmativæ addunt, & quæ sunt negativæ demunt veritatibus revelatis, & legibus respectivè. Hæc igitur pars est palpabiliter, ut ità dicam, vera. Secunda pars: Quamplurimæ ex prædictis opinionibus falsis utriusque generis non solùm sunt expertes formaliter, ac imputabiliter omnis malitiæ moralis, ac demeriti immediatè, & ratione sui; verum etiam concipiuntur, & docentur cum laude, & merito speciali coram Deo. Probatur, quia controversiæ tales, & opiniones invicem contradicentes, auctores habent magna ex parte, præsertim quoad sensum legitimum Scripturæ, Sanctos Ecclesiæ Doctores, aliosque SS. PP. ut S. August. nominatim, & S. Hier. D. Thom. D. Bonavent. & maxima ex parte, ac ferè in totum viros alios piissimos, quorum conversatio in cœlis fuit, & intima, ac assidua cum Deo, deque divinis communicatio, & mores sine labe puri, si quæ fides historiis, & libris de Scriptoribus Ecclesiasticis, si quæ auribus, si quæ oculis habenda est. Legitur prætereà, & auditur, & prudèter creditur de nonnullis eorum, quod decesserint cum gratia baptismali. Dici autem non potest absque magna, ac impia, & temeritate, & vecordia, auctores tales non scripsisse libros suos cum laude, & merito coram Deo. Nec dici potest hanc illis prærogativam deferendam esse quoad ea tantum, in quibus veritatem attigerunt, ac tradiderunt, quandoquidem certum est, & hæc, & ea, in quibus decepti fuere, scripta ab illis fuisse cum pari assiduitate diligentiæ, ac bona fide, exque eadem sancta intentione gloriæ Dei, & salutis proximorum. Hoc potrò ipsum ita certum puto de omnibus ferè Scriptoribus Catholicis præsertim classicis, qui scripsere de pertinentibus ad fidem, & bonos mores, ut nemo prudens, ac timoratę conscientiæ sit id revocaturus in dubium. Est igitur, & hæc pars admodùm certa, ac prorsus innegabilis. Postrema pars evidens est: Ii, qui sine peccato formali, & cùm laude, ac merito tenuerùr, ac docuerunt prædictas opiniones practicas falsas (eademque est ratio de iis, qui illis similiter crediderùr, aut credunt) sine peccato itidem formali, & si nil offuit aliud: etiam cum laude, & merito eas-

dem opiniones deduxerunt in opus, atque juxta illas, & dependenter ab illis operati sunt, ac operantur. Patet hoc, quia proxima regula morum est propria cujusque conscientia, & juxta ipsam, atque ex ipsius testimonio judicandus quisque est. Fieri igitur minimè potest, ut quis sine peccato formali, & cum laude, ac merito judicet hoc hic, & nunc esse licitum, ac honestum, & nihilominus peccet interea formaliter, ac demereatur id eligendo, ac faciendo.

ART. CCXXVI. Arguo jam: Omnes opiniones falsæ in iis, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores sunt peccaminosæ per se, ac demeritoriæ, & neque teneri, neque doceri possunt absque peccato formali, ac demerito, nisi excuset ignorantia invincibilis; & similiter sunt peccaminosæ, ac demeritoriæ, nisi similiter excusentur electiones omnes, & operationes, quæ fiunt dependenter, dependentia formali, ab iisdem opinionibus falsis, qua parte sunt practicæ, & versantur in materia morum, ac proinde omnes tales opiniones, & electiones, atque operationes indigent excusatione fundata in ignorantia invincibili, ut evadant expertes malitiæ formalis, ac demeriti specialis. Sed tenentur de facto, atque docentur quamplurimæ opiniones falsæ in materia fidei, ac morum, & quæ sunt in materia morum, deducuntur in opus absque ulla malitia in formali, ac demerito speciali, imò cum laude, & merito, si nil obstet aliud; ac proindè potiuntur eadem, & opiniones, & electiones, atque operationes excusatione fundata in ignorantia invincibili. Ergo quamplurimæ opiniones tam rigidæ, quàm benignæ, & operationes ex illis procedentes indigent excusatione fundata in ignorantia invincibili, quò minùs sint formaliter peccaminosæ, ac demeritoriæ; eademque excusatione potiuntur de facto; ita ut evadant nihilominus laudabiles, ac meritoriæ coram Deo, si nil obstet aliud. Patet major ex principio juris, & minor ex principio facti, atque consequentia est reipsa evidens quoad partem propositi, quam complectitur consequens. Ut autem habeatur reliqua pars propositi, quæ est de sufficientia probabilitatis ad prædictam excusationem legitimè petitam ex ignorantia invincibili, sufficit advertere, quod est per se manifestum, nullam opinionem falsam posse esse certam certitudine, vel evidentiæ, vel fidei divinæ, cum nec cognitio evidens, nec fides divina possit esse falsa. Excluſa etenim hac utraque certitudine sola supereſt probabilitas, quæ ab aliis dicitur certitudo moralis, ut vidimus supra ab *art.* 207. ratione cujus prædictæ opiniones falsæ, & consequenter electiones, & operationes procedentes formaliter ex ipsis, nanciscantur prædictam legitimam excusationem petitam ex ignorantia invincibili.

Promovetur amplius, & concluditur eadem excusatio ex ignorantia invincibili.

ART. CCXXVII. Quia verò probabilitas non consistit in indivisibili, sed potest esse major, & minor, quatenus altera ex opinionibus invicem oppositis nititur majori, seu meliori, magisque suasivo fundamento, quam altera; & rursus majoritas, & minoritas potest esse tum controversa, & anceps, tum manifesta, & indubitabilis propter similem disparitatem fundamenti, & notitiæ: Oportet ulterius inferre, quod sufficiat ad excusationem ex ignorantia invincibili, quælibet vera probabilitas, sive sit reipsa major, sive minor, & utcumque talis appareat; dummodò excessus unius, & inferioritas oppositæ non sit manifesta, ac indubitata. Infertur autem hoc, quia ter pii, & docti interpretes Sacræ Scripturæ, dum ejus loca intelligentiam, & sensum illius tenent, ac docent passim opiniones invicem contradicentes, aut utrumque incompossibiles, quarum proindè alteruter sunt falsæ, excusantur ignorantia invincibili quoad falsitatem, dum in eam incidunt ut nuper partim supposuimus, partim suasimus. Habuere autem fundamenta suæ quisque opinionis reipsa disparia, ac inæqualia, alii reipsa graviora, alii leviora, siquidem fuere specie diversa. Neutri verò certificari potuere, aut tanquam certum credidere sua fundamenta esse meliora, seu graviora, quam opposita; Nam deceptis, & falsò opinantibus hoc repugnat, ac preterea est præsumptuosum, & nimiæ elationis, ut quis in rebus controversis, & utrimque opinabilibus sibi in animum inducat tanquam rem certam, etiam dum fallitur reipsa, sua fundamenta esse meliora, ac graviora. Ergo qui in talibus decipiuntur, ratione solius probabilitatis, & absque certificatione de majori probabilitate potiti sunt legitima, ut supra, excusatione petita ex ignorantia invincibili. Eadem autem est ratio de deceptis circa mores; tùm quia iis quoque simili omninò modo contingit contractoriè opinari; tùm quia eadem est ratio de doctrina, & falsitate doctrinæ, ejusdemque falsitatis excusatione in iis, quæ pertinent, & ad fidem, & ad mores, ut habuimus supra ex D. Thoma *quodl.* 3. *q.* 4. *art.* 10. tùm maximè quia omnis doctrina de moribus descendit apud catholicos ex doctrina circa intelligentiam Scripturæ, certè veritas, & falsitas quoad illam est inseparabiliter connexa cum veritate, & falsitate quoad istam, quandoquidem certum est omnem veram doctrinam de moribus contineri in S. Scriptura.

ART. CCXXVIII. In utraq; igitur materia æquè sufficit probabilitas opinionis ad legitimam falsitatis excusationem ex ignorantia invincibili, quidquid sit de majoritate, & minoritate probabilitatis incertæ, ac anceps per comparationem ad opinionem oppositam. Quippè quòd majoritas probabilitatis tenentis se ex parte opinionis oppositæ, si ea sit manifesta, ac indubitata, tollat opinioni minùs probabili excusationem petitam ex ignorantia invincibili (ut modo excipiebamus) abundè liquet ex dictis supra, & indicatis *art.* 152. ac deinceps, & confirmatur. Quia si quis, inter exponendum locum Scripturæ Sacræ, ex duobus interpretandi modis invicem incompossibilibus, eam interpretationem teneat, ac tradat, cujus fundamenta videt esse manifestè, ac indubitanter minora, ac debiliora, eam verò rejiciat, ac dedoceat, cujus fundamenta conspicit esse æquè manifestè, ac indubitanter meliora, & solidiora, is procul dubio aget stultè, ac impiè, & meritò reputabitur adulterget stultè, ac impiè, & meritò reputabitur adulterator potiùs, quàm legitimus interpres sacri textus. Dictum autem sæpè, ac verissimè est, eandem esse rationem opinionum licitè, vel illicitè seu tenendarum, seu docendarum in iis, quæ pertinent ad fidem, & veritates revelatas; quæque pertinent ad mores, & operationes. Tenet ergo similiter in materia quoq; moralium ea exceptio. Quam equidem nullus ex asserturum ea exceptio. Quam equidem nullus ex asserturibus usus liciti opinionis cujusvis practicè probabilis negat expresse, & omnes admittunt implicitè, utpote incluſam in conceptu adæquato veræ, ac solidæ probabilitatis, uti notabamus in loco proximè memorato. Quoad reliquam autem qualemlibet majoritatem, & minoritatem probabilitis, sive existimentem reipsa,

reipsa, sive apparentem utcunque, & quantumcunque, argumentum propositum est efficax, & totus ejus progressus convincit; quamlibet imprimis opinionem verè probabilem licitè, & absque ulla formali malitia morali speciali teneri ab unoquoq; posse in rebus tum pertinentibus ad veritates revelatas, tum pertinentibus ad operationes humanas, sive magis, sive minùs probabilis sit; ac deindè opinionem, quàm quisque tenuerit absque malitia formali, licitè similiter, & absque ullo itidem peccato formali, & docer aliis, & liquidem opinio practica sit, deduci etiam ad opus sub eadem amplitudine posse, ac demum consequenter assensum cujusvis talis opinionis, necnon ejus propagationem ad alios, & siquidem practica sit, usum quoque ejusdem, & operationem illi conformem excusari legitimè per ignorantiam invincibilem, quando contingit opinionem ejusmodi esse nihilominus reipsa falsam.

Art. CCXXIX. Ex iis jam omnibus, quæ diximus ab *art.* 213. comparando invicem opiniones omnis generis, tum quoad assensum ipsarum secundum se, tum quoad propagationem eorundem per doctrinam, tum quoad electiones, & operationes procedentes formaliter ex iis, quæ practicæ sunt; Concluditur ulterius universaliter, & in genere opiniones strictas, seu rigidas esse tantumdem ut nimirum periculosas materialiter, atque opiniones largas, seu benignas, si cætera sint paria; imò cum magno auctoritatis, & rationis fundamento dici sub eadem limitatione opiniones, strictas, seu rigidas esse materialiter periculosiores; formaliter verò utrasq; esse tutas, & æquè tutas, tum quoad assensum, & traditionem ipsarum secundùm se, tum quoad usum formalem, & praxim earundem, dum, & quatenus probabiles verè sunt, & tales ab unoquoque reputantur, omnibus hinc, & indè diligenter consideratis. Concluditur deinde in specie, pro præsenti controversia universali, opiniones istas duas reflexas, quarum altera, quam defendimus ut veram, & veram esse reputamus est benigna, seu larga, atque affirmat licitum esse usum opinionis cujusvis practicæ verè probabilis, sive sit magis, sive minus probabilis, & sive sit stricta, sive larga; altera verò est stricta, ac rigida, atque negat esse licitum usum opinionis practicæ benignæ, seu largæ, tametsi verè probabilis sit, nisi præterea constiterit eandem simul esse probabiliorem, seu meliori, ac solidiori fundamento innixam. Concluditur, inquam, opiniones istas duas ita inter se comparari, ut sententia adversariorum nostrorum stricta, seu rigida sit tantundem ut minimum periculosa materialiter, atque nostra larga, seu benigna, imò magno cum fundamento censeatur illa esse periculosior materialiter, quam ista, loquendo de periculo opinionis practicæ propriè, & strictè tali, seu, quoad conceptum, & usum ipsius proprium, ac specialem; formaliter verò utramque hanc sententiam esse æquè tutam, & quoad assensum, & quoad usum utriusque apud eos omnes, qui alterutri earum assentiri poterunt, assentienturque de facto omnibus hinc, & indè, uti par est, diligenter consideratis; assentiri verò poterunt, assentienturque vel immediatè, vel mediante aliqua alia reflexione, aut reflexionis, sive per se, sive per accidens, reflexione. Ita nimirum, ut quidquid sit de reliquo, seu de ratione propter quam, assentiantur reipsa opinioni huic, vel illi, dum operantur, simulq; credant, assensu intra terminos opinantis firmo, se ad nil amplius teneri, seu non teneri se ad ulteriorem indagandi diligentiam. Quapropter sententia adversariorum, si falsa est, indiget non minùs, quàm nostra, & valdè probabiliter plus etiam, quàm nostra, si hæc nostra falsa est, excusatione petita ex ignorantia invincibili (Utralibet verò petitur eadem excusatione, & evadit immunis à malitia formali, & à merito specialis pœnæ ratione sui, apud eos omnes, quibus probabilis videtur, atque illi de facto assentiuntur. Indiget verò, & potitur ejusmodi excusatione, tum quoad assensum sui, & suasionem respectu aliorum, tum quoad usum & praxim, uti universaliter dictum fuit priùs de omni, & quavis opinione probabili, seu stricta, seu larga. Duæ istæ hujus articuli illationes cum suis subillationibus sunt sufficienter manifestæ volenti bene considerare, quæ præmisimus, & valenti eadem bene comprehendere. Non volenti autem, aut non valenti nil sufficiet, & minus sufficiet, si plus superaddamus, propter conditionem doctrinæ reflexæ, & iterum reflexæ, quæ multiloquio progressivo redditur apud plerosque involutior, nempè apud prædictos non volentes, aut non valentes. Sed ostendamus jam demum nostram sententiam esse tutam argumento apud doctos, & indoctos, acutos, & habetes, intentos, & oscitantes peræque valituro.

Confirmatur postremò securitas nostræ sententiæ ex numero, & qualitate auctorum utriusque partis.

Art. CCXXX. In omni ancipiti deliberatione, præsertim circa agenda, momenti esse longè maximi numerum, & qualitatem suffragiorum, ut determinatio reputetur tuta, & tuta evadat actio, notum satis est, & in confesso apud omnes, & sumitur ex C. *In canonicis* 19. *dist.* exque aliis textibus inibi indicatis *in gloss.* ver. *Præponat* & ver. *Plures.* ubi tamen præcipua videtur haberi ratio pluralitatis, quam etiam ipsam cum prælatione commendat illud Theodosii Imperatoris *tit. de responsis: Ubi diversæ sententiæ proferuntur, potius vincit numerus auctorum, vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus eminet, qui ut singulos vincit, ita cedit duobus* In materia nihilominus doctrinali, saltem dum agitur de rebus abditissimis, & quarum perfecta intelligentia perpaucis pervia est, præstantissimorum qualitas auctorum attenditur magis, quam numerositas mediocriter peritorum. Est autem abditissima, & à paucissimis perfectè intelligitur præsens nostra controversia quoad omnia directè, & indirectè pertinentia ad ipsam, uti apparet ex toto hujus opusculi progressu, & distinctius innotesceret ex digressiuncula, quam mox subjungemus. Ut ut verò hoc habeat, certum est, & numerum, & qualitatem auctorum maximi faciendam esse in hac vel maximè quæstione, utpotè regulativa cæterarum omnium quæstionum moralium, quæque abditissima merito à nobis dicta est, & rationibus hinc, & inde cæteroqui ventilatur abstractissimis, atque multiplici obnoxiis æquivocationi, ut vidimus, & experti in superioribus sumus plus etiam, quam vellemus.

Art. CCXXXI. Auctores porrò circa quæstionem istam in duas dividuntur classes. Alii namque sunt dubii, & controversi usque adeo, ut iidem pro utraque parte controversiæ referuntur à diversis. Quia videlicet non sunt loquuti in terminis propriis, atque in re abstrusissima facilè est per ambages, & ambiguas cõsequentias bona, aut mala fide, volẽtes,

aut nolentes huc, atque illuc eos pertrahere. Istiusmodi auctores ego in præsenti prætermitto; tum quia propter eam ipsam subobscuram legitimi sensus qualemcumque ambiguitatem, apud paucos fidem facere possunt, eamque imbecillitatem; tum maximè, quia præcipuos D. August. imprimis, & D. Thom. & Scot. Gerson. S. Antonin. Adrian. Angel. à Clavasio, Cajetan. Sylvestr. à quibus, pro certo habetur cæteros, de quibus controvertitur minimè dissentire, expendi superius in loco quanta potui cum diligentia, cumque syncera omninò intentione, atq; ostendi eos omnes pro nobis potissimum stare. Superest igitur solummodo considerandus numerus, & qualitas eorum Theologorum, qui in terminis propriis probabilioris, & minus probabilis, tutioris, & minus tutæ opinionis loquuti sunt, de quorum proindè sententia, & sensu quoad punctum præcipuum, & de quo directè quæritur, nulla est controversia, nullaque, præterquam apud protervum, & vitilitigatorem, tergiversandi, ac ambigendi ratio esse potest.

Art. CCXXXII. Circa numerũ istiusmodi Theologorum vix quidquam dicere necesse est. Quia ipsi nostri adversarii dicunt nostram sententiam esse communem omnium ferè auctorum hujus postremi sæculi, id est, omnium ferè, qui agunt de ista quæstione sub prædictis terminis probabilioris, & minus probabilis, tutioris, & minus tutæ. Anteriori namque tempore quæstio ista comparativa opinionum nullibi explicitè, & formaliter reperitur, R. P. Julius Mercor. qui videtur præcipuus inter Theologos nobis contradicentes 2. *p basis art.* 26. proponit, per alphabetum, elenchos auctorum pro se, & pro nobis, atque pro parte nostra nominat auctores sexaginta, & potuit multo plures nominasse, omnes agentes in propriis terminis, pluresque postea prodiere, ut Gobat, Fabri, Scildere, Bardi in integris pro hac parte tractatibus, Meldula eadem de reagens ex professo *in 2. disp. 5. q. 2 art. 5.* aliique multi quotidie prodeunt pro eadem communi. In elencho verò, quem proponit idem Mercorus pro se, solos inferere potuit duos, vel tres Theologos ex certis, & indubitatis, quos involuit cum auctoribus controversis, & reipsa non pertinentibus ad eam partem, ut ostendimus supra quoad nuper nominatos. Postea autem prodiere, quod sciam, tres tantum, aut quatuor alii Theologi pro eadem parte. Ita videlicet, ut, quod ad auctores attinet certos, & agentes hac de re in propriis terminis singulis Theologis partis contrariæ respondeat decas, ut minimum Theologorum pro parte nostra, idque juxta supputationem ipsorum nostrorum adversariorum. Unde necesse est, ut nostræ potissimum sententiæ suffragetur, faveatque, quicumque assentietur, assentietur verò æquus quisque, & bonus vir, idiotismo summæ Angelicæ dicentis ver. *Opinio: Dicunt Doctores, quod in dubiis, & decisivis adhærendum est carrocinio Doctorum:* Præmiseratque immediatè ex variis juribus cum præclaris auctoribus *in causa dubii pro multitudine esse præsumendum.* Pro multitudine utique non rursus dubiorum similiter, ac incertorum, & per vim inductorum, sed sponte, clarè, certissimèque suffragantium.

Art. CCXXXIII. Quoad qualitatem, & pondus auctorum pro alterutra parte comparata cum altera, possent multa dici, sed debeo dicere perpauca, & vix quidquam propter periculum offensionis, cui est obnoxia omnis comparatio, ea verò maximè quæ est penes probitatem, & doctrinam, atque ingenium, judicium que, pretiosissimas humanæ naturæ dotes easdemque justam auctoritatis mensuram circa mores Audere tamen aliquousque fidentius possum ea auctores ordinis nostri tanquam domesticos. Professo usum licitum opinionis probabilis, tametsi nec probabilior, nec tutior sit, quam opposita, inter alios plures, sunt hi, Francisc. Suarez, Thom. Sanchez, Gabriel Vasquez, Gregor. de Valentia, Leonard. Lessius, tres Joan. de Lugo Cardin. S. R. E. Azorius, & Salas, Jacob. Granad. Adamus Tanner. Martin. Pecan. Henric. Enriquez, Paul. Layman, Valer. Reginald. Ferdinand. de Castro Palao, Vincent. Filliucius, Nicol. Baldell. & quem nuper mœrentes amisimus, Sfortia Card. Pallavicin. ultra jam nominatos, prius, & ultra Francisc. Cardin. Tolet. qui eandem sententiam tradit haud obscurè *lib. 3. cap. 20. fin.* Plerisque horum, ac ferè omnibus injuriam ego insignem irrogarē, si non contentus eos nominasse, encomiis inlitis per meis, aut longo, ac conspicuo alienorum de ipsis encomiorum relatu illustrare illos tentarem, & perinde id esset, ac splendorem Soli, humorem Oceano adjicere velle. Noti sunt Bibliopolis ex lucro, & viris doctis ex lucro pretiosiori, & omnibus ex celebritate, & fama clara. Notum est, quem locum auctoritatis Suarez præsertim, ac Sanchez obtineant ubique in tribunalibus quoque Ecclesiasticis, & secularibus, & non tantum in scholis. Reginaldum, qui tamen non est primæ classis, commendat ingeniter director ibus animarum S. Franciscus de Sales in sua ad Confessarios monitis *c. 9.* Atq; hæc tantum de doctrina, ingenio, & judicio, quæ ex libris eorum directè innotescunt.

Art. CCXXXIV. Qui scire volet, qualis iidem auctores probitatis fuerint, quam sublimis plerique sanctimoniæ, quam assiduæ, & altæ contemplationis, mortificationis quam austeræ, adeat inter alios Philippum de Alegambe in bibliotheca Societatis Jesu, scriptorem veracissimum, & indagatorem veritatis diligentissimum pariter, & candidissimum, cum quo nemo bonus, ac laudatus egit, à quo non valdè amaretur, multumque laudaretur, cujus amissi recordari ego nunquam possum absque magno dolore. Occurrent etiam non pauci ex iisdem inter vitos illustres Societatis Jesu in voluminibus, quibus est descripsit Eusebius Nierembergius, de quo locupletissimo scriptore, & asceta profundo, ac perutili nil attinet dicere. Verùm laudatissimi isti duo scriptores non solùm laudant ipsi prænominatos auctores nostros. sed etiam referunt laudes aliorum, & aliorum de iisdem omni exceptione majorum. Tu vide, si non credis; vide quoque si placet, & mirare compendia vitarum Suar. Sanch. Lessii, Granado, aliorumque, quæ circumferuntur seorsim.

Art. CCXXXV. Jam pro sententia contraria decente esse licitum usum opinionis probabilis, sed probabilior sit, aut tutior probabilior simul, & tutior, quam opposita, duo tantum sunt auctores ex Societate Jesu, iidemque fuere, quod sciam, primi qui illam certè, & expresè docuere, Paulus Comitolus, & Andræas Bianchi. Ambo fuere professi Societatis Jesu, & fuere viri boni, ac vitæ religiosæ, quales nimirum esse solent professi ordinis nostri. Bianchi docuit junior Philosophiam secundæ, aut tertiæ classis, reliquam vitam concionādo peregit, epigrammatis quoque conscribendis delectatus, libruli sui de opinione probabili edidit sub nomine ficto Candidi Philabeti prohibitus à præposito Generali, sub. Ordinisque nostri nomen opusculo degeneri prascribere. Comitolus, nec Philosophiam, nec Theologiam unquam docuit, exponendis, ac tradendis

casibus conscientiæ longam, ac laudabilem operam impendit, litteris prætereà humanioribus, quibus & Latinis & Græcis fuit insigniter excultus, aliquid interdum temporis indulgens. Neutrius libri admodũ teruntur, nec sunt admodum multi, qui sciant extarellos in rerum natura. I modo, & compone altis repentia biburna cupressis, pauca insuper, & arentia jam, multis, & semper, ac pro semper virentibus. Tum ego conscientiam requiro seriò, optime Lefior in negotio valdè arduo, & implicatissimo, & cujus fælix exitus tua plurimum interesset, his ne duobus potiùs dirigendum committeres te, quam illisomnibus, aut etiam, quam cuilibet eorũ omnium? Tale autem est hoc nostrum præsens negotium, ut jamjam expositurus sum, & est insuper utrimque periculosissimum, atque ex genere suo est periculosius pro parte istorum duorum, ut patet ex dictis ab *art.* 138. Atque hæc de nostris fidentius.

Art. CCXXXVI. Possum itidem verbulum unum tuto adjicere de auctoribus sanctissimi, & sapientissimi Ordinis Prædicatorum comparando illos inter se tantum, & cum nullo alio, placetq; loco verborum meorum referre verba M. Barnabæ Gallego, qui & ipse est Dominicanus, vir doctus, & magni meritò habitus. Hic in *tract de conscientia probabili dub.* 1. dicit sic: Secunda sententia quæ ut longè probabiliorm ihi magis placet, & pro nostra resolutione habenda est, docet licitum esse sequi opinionem minus probabilem, & minùs tutam, dummodò sit practicè probabilis, relicta probabiliori, & tutiori, &c. Hæc igitur secunda sententia communior est inter Thomistas. Eam docet Bartholomæus de Medina, Dominic. Bannez, Petr. Ledesm. Gregor. Martinez, Didacus Alvarez, Ludovic. Montesin. Petr. Cornelio, Petr. Arag. Michaël Salon, Joan. Malderus Episcopus, Marcus Serra. Hucusque M. Galleg. qui loca singulorum notat inibi diligenter, sicut, & eorum auctorum, quos in præcedenti nostrorum inspectione nominavimus. Licet autem miscuerit auctoribus sui ordinis nonnullos alios, sunt tamen illi satis noti per se, ac celebres, nec commendatione ulla egent adscitia, & ego eos retuli, ut referuntur, ne quid ponerem ex meo, ne quid demerem ex domestico.

Art. CCXXXVII. Pro sententia contraria, ex certis, & indubitatis auctoribus, seu loquentibus in propriis terminis sunt tres tantùm, quod sciam, Dominicani, Julius Mercor. in sua Basi totius moralis Theologiæ, Joan. Baptist. Gonet in sua dissertatione Theologica de probabilitate, & quidam alius pluribus in locis, satis notus ex Apologiis, quas adversus ipsum compulsi sunt edere Lucius Sanmarcus, & Amadæus Guimenius. Julius Mercorus est vir doctus, maximeque colendus, sed est inter alia auctor illorum duorum argumentorum, quæ tetuli initio ab *art.* 1. Joan. Baptist. Gonet ego libenter et laudo, quantum tibi placet, ut laudetur. De tertio nil dico, nec dixere satis prænominati apologistæ duo. Tu confer, ut libet, tres istos simul sumptos cum omnibus prænominatis pro nobis; & cum quolibet eorum seorsim, & tuam tu ipse conscientiam interroga, sicut ego te interrogabam circa nostros homines.

Art. CCXXXVIII. Adde auctores eos paucos, qui pugnant in propriis terminis pro obligatione ad probabiliorem, vel tutiorem, seu strictiorem in rebus omnibus controversis, quales, quales de cætero sint, subesse præterea suspicioni livioris, & animi perturbati propter acerbum, ac vehementem agendi modum, quo auctores hujus nostræ sententiæ, & plurimos, & clarissimos, & piissimos, atque de Ecclesia Sancta Dei optimè meritos, dicunt corruptores morum, Ethices Evangelicæ depravatores, laxones, palpones, & quid non? Quin R. P. Mercor. non est veritus tradere ex professo 2. *par. basis art.* 26. suam sententiam pertinere ad traditionem Apostolorum, & auctores sententiæ nostræ contradicere traditioni Apostolicæ; id est, stabilit antecedens, ex quo inferatur nos omnes, quatenus tenemus, & docemus opinionem, quam propugno, esse hæreticos, & hæresiarchas formales. Quia contradicere traditioni Apostolicæ est hæresis, & docere contra illam est archihæresis, atque catholici rerum theologicarum Scriptores tenentur scire traditiones Apostolicas, maximè dum scribunt de materia pertinente ad aliquam ex illis. Videtur ne tibi satis esse fundata suspicio? Si adhuc non videtur, vide tu probationes Mercori pro ea re, & suppleto tuo consequentias facilè obvias pro præmemoratis sui, & nostri Ordinis Theologis tot, & talibus. Tædet enim me in his amplius immorari, & ad finem festino, præmonito tamen me loquutum esse de solis Theologis, quos, & solos invicem comparandos proposui. Quia quæstio præsens versatur in materia juris naturalis, & divini. Nec enim subest placitis Pontificum, aut Imperatorum, ac Principum, cum qua quisque legis cognitione peccet, vel non peccet, mereatur, vel demereatur coram Deo. Quæ autem sunt juris naturalis, & divini pertinent ad Theologos, ad Juristas verò, seu Canonistas, & Legistas nonnisi quæ sunt juris canonici, & civilis, ut tradit Divus Thom. *quodl. 9. q 7. art. 15. corp. initio.*

Parergon illationibus limitatum: An doctrina moralis, seu practica sit difficilior cæteris paribus, quam speculativa; & universalior, quàm minùs universalis; & reflexa, quàm directa.

Art. CCXXXIX. Quæ à pluribus dependent, sunt difficiliora, cæteris paribus, quam quæ dependent à paucioribus, & similiter sunt difficiliora, quæ magis removentur à sensu, quam quæ minus. Doctrina autem moralis, quæ practica est, dependet à pluribus, quam speculativa, quia dependet ab ipsa speculativa in propria materia, & non è converso. Similiter doctrina universalior removetur magis à sensu, quam minus universalis; nec non reflexa, quam directa. Quia sensus est circa singulare, à quo plus distat universalius, quam minus universale; & cognitio intellectualis directa sumitur immediatè à sensu, reflexa verò mediatè; atque mediatum distat magis, quam immediatum à termino communi. Ergò doctrina moralis, &c. Et loquor de doctrina morali scientifica, seu procedente modo scientifico. Quia alioquin cætera non essent paria, & loquutus sum cæteris paribus.

Art. CCXL. Hinc apparet quæstionem istam fio-stram esse difficillimam, & abstrusissimam. Quia est summè imprimis moralis & practica, quatenus ejus resolutio est regulativa, & ultimò completiva omnium aliarum cognitionum practicarum, eisdemque omnibus cooperatur in ordine ad omnes electiones, & operationes humanas. Omnes namque aliæ opiniones, & qualescumque cognitiones practicæ adhibentur ad eligendum, & operandum sic, vel sic dependenter ab opinione, quam quisque tenuerit circa hanc quæstionem. Nempè sicut omnes aliæ opiniones practicæ considerant particulariter conditiones

tiones ad eligendum, & operandum honestè requisitas ex parte operis, & objecti secundum se; ita sententia, quam quisque tenet circa hanc quæstionem, considerat universaliter conditionem requisitam ad eundem finem ex parte operantis, seu ex parte operis, & objecti prout subest directæ de eodem cognitioni præexistenti in intellectu eligentis ipsius, ac operantis. Ac proindè quicumque deliberatè operatur ac moraliter, impellitur, atque ultimò determinatur ad eligendum, ac operandum sic, vel sic, juxta sententiam, quam sibi reipsa in animum inducit circà hanc quæstionem, uti perspicitur clarè ex dictis hucusque præsertim ab *art.* 194. *usque ad art.* 202. Eadem ratione redditur manifestius, quam ut probari, aut exponi ulterius debeat eandem hanc quæstionem esse, & universalissimam inter omnes quæstiones morales, & omninò reflexam, utpotè subalternantem, ac subordinantem sibi omnes alias, & singulas quæstiones practicas, & considerantem reflexè omnes, ac singulas resolutiones ipsarum. Est igitur ista quæstio difficillima, & abstrusissima inter omnes quæstiones de moribus seu speculativas, seu practicas.

ART. CCXLI. Ex quo ulterius spontè apparet, mirandum minimè esse, quod quamplures, & valdè pernicioſæ æquivocationes acciderint nonnullis hujus quæstionis tractatoribus, tum circa ipsam quæstionem secundum se, tum circà principia circumjacentia, ex quibus dependet ejus resolutio. Alii namque confudere opinionem probabilem cum dubio strictè tali, cum suspicione, & scrupulo; cum sententia improbabili, ac temeraria; cum errore, & hæresi. Alii confudere majorem, & minorem probabilitatem controversas, ac ancipites cum indubitatis atque omninò manifestis; Et rursus apparentes in apprehensione, aut suspicione tantum cum agnitis, atque firmiter in animum inductis enunciativè; nec non agnitas, ac enunciatas præcisè, prout apparet in eisdem seu apprehensionibus, seu suspicionibus cum judicatis, & agnitis secundum se, ac reipsa; quæ differentiæ sunt subtiles quidem, sed magnæ tamen, & valde magnæ, atq; observationis, ac discretionis oppidò necessariæ. Alii confudere opiniones speculativas cum practicis, seu eas, quæ enunciant de natura, & conditione physica cujusque operationis, & materiæ circa quam, cum iis opinionibus, quæ enuntiant de honestate, & inhonestate ejusdem operationis hic, & nunc de licito, & illicito; peccato, & non peccato. Alii confudere opiniones materialiter tantum tutas cum iis, quæ sunt tutæ formaliter; seu proponentes, quod tutò agitur, & certum est tutò agi, cum indicentibus obligationem id ipsum agendi, & ad quod est incertū, an obligemur; nec non eligentes, ac agentes, quod tutum est, præcisè quia tutum est, cum eligentibus, ac agentibus id ipsum, quia obligatorium est, & necessarium ad salutem animæ. Alii confudere probabile quoad nomen tantùm, & æquivocè, cum probabili reipsa, & univocè; atque theologicè probabile cum probabili academicè, rhetoricè, topicè. Alii confudere ignorantiam tum vincibilem, tum invincibilem, quarum altera absolvit, altera reprobat operantem sub opinione falsa, sive larga ea sit, sive stricta. Confudere, inquam, ignorantiam circa ea, quæ sunt de necessitate medii, cum ea ignorantia, quæ est circa necessaria necessitate præcepti tantum; & rursus ignorantiam circa ea quæ sunt, vel per se nota, vel evidentia per rationem naturalem, vel distinctè, ac manifestè revelata à Deo, cum ignorantia eorum, quæ sunt occultiora, atque ex prioribus illis deducuntur per consequentias difficiles, & ancipites ratiocinationes; neque adverterunt paremve necessitatem excusationis ex ignorantia invincibili pro opinionibus falsis, sive strictis, sive largis, atque pro operationibus directis formaliter per easdem falsi utriusque generis opiniones. Ac demum per istas, ac tantas æquivocationes effectum est, ut quamplurima omnis generis testimonia in locis non suis, proque adulterata inducerentur; nec non ut aliqui, iique non pauci agerent ferventer de hac quæstione, & de pertinentibus ad eamdem tanquam sibi revocem repugnantes, cum tamen nil reipsa dissentirent, ut animadvertit optimè pro sæculo anteriori Sylvester ver. *Opinio*, ubi sic habet: *Primò quæritur, utrum auditores diversorum Magistrorum tenentium diversas opiniones, quarum scilicet altera necessario est falsa, excusentur, si sequantur opiniones suorum Magistrorum? & dico quod de hoc videntur esse opiniones, & non sunt.* Quando id verificet, exhibuimus superiùs opportunè.

ART. CCXLII. Mirum dico non est, quod monstrositates istæ omnes, quas suis in locis adnotavi, & quanta potui diligentia removi, nonnullis irrepserint in difficillima, abstrusissimaque quæstione. Verum ego non tam pro aliena, quam pro mea potius excusatione propria in parergon propositum fecerit. Speravi nimirum fore, ut patefacta distinctius summa rei, de qua disserui, difficultate, facilius mihi condonarentur errata, quæcumque, & qualiacumq; ea inter differendum quoad substantiam, vel modum commississe deprehenderetur, quatenus errori difficillimè vitatur, facillimè condonatur. Suffragantur præterea mihi causæ aliæ duæ, altera ex utilitate, altera ex necessitate scribendi, ob quas promorem re ad veniam, & sperare possum, & experiri debeo. Utilitatem efficaciter persuadent comparationes, quas institui in genere, & in specie ab *art.* 213. *usque ad art.* 223. rationes, quas comparando mihi ponderavi, & consilium Gersonis, D. Anton. & institutionis Ord. Prædicatorum, quod exhibui *art.* 215 & 217. cum speciali circa hanc quæstionem animadversione observata cum Suar. *art.* 216. Necessitas, qua profectò gravissima compulsus ad respondendum, atque coactus fui, innotescit plus satis ex enormibus injuriis, quibus Sinnichius superius memoratus, aliique nonnulli turpissimè dehonestarunt, ob hanc sententiam auctores catholicos, & numero plurimos, & doctrinæ celebritate clarissimos, & pietate, morumque sanctimonia admodùm venerabiles. Atque horum defendendorum necessitati conserta insuper erat causa mea propria, quæ cum respectu mei esset levissima, pro justitia defensionis est gravissima. Quod caput est veritatem, quæ sola est justæ benignitatis, ac severitatis, omnisq; honestæ mensura, cujus propterea, & diligentissimè indagandæ, ac sinceriſſimè profitendæ, ac propugnandæ studiosissimè studium in hac potissimùm quæstione pernecessarium, honestissimumque esse communitatum superiùs *art.* 41. & 42. & quam denique huic nostræ inesse sententiæ, adhibita desuper omni pro virium diligentia, & accuratione, jam olim firmissimè credidi, atque in dies firmius semper, ac firmius credo. Veritatem, inquam, istam indefensam deserere, & non pro modulo meo tueri, ac confovere quod possem, religioni duxi. Faxit Deus, ut quam magno cum labore, sæpiusque repetito avidè quæsivi, saltem aliquo ex parte, liciter attigerim minima saltem aliqua ex parte, & siquidem attigi, ut te quoque tangant, quæ dixi.

* * *
* *

AD

AD SACRÆ CONGREGATIONIS INDICIS

Eminentissimos, ac Reverendissimos D.D.

S. R. E. CARDINALES.

SUPPLEX LIBELLUS,

Quem ad pedes pervolutus AMADÆUS GUIMENIUS exponit.

A SOCIETATIS *primordiis* (Eminentissimi Domini) *ea in illam fuit nonnullorum invidia, ut ubique terrarum, linguam, & calamum, nulli malæ arti parcentes ad calumnias exacuerint. Quod cum in non leve proximorum spirituale detrimentum vergeret, indeque præcipuè, quod adversus opiniones Morales Iesuitarum, non solùm Hæreticos, sed nonnullos etiam Catholicos, & Religiosos viros strepere, & malevolos commovere, publica fama ferret. Inexcusabile propterea prudentes, & timorati judicarunt, justa defensionis tutelam Iesuitas suscipere, ne silentium criminationes comprobaret, & animarum profectus, cumulus totus incumbunt, impediretur. Hoc Religionis ductus zelo Amadæus Guimenius, annis elapsis pro Iesuitarum vindicis Opusculum edidit, quo Adversariorum calumnias detexit, & diluit, omnibusque palam fecit, Iesuitarum opiniones justo laxiores non esse. Quod si hujus furfuris unam, vel alteram unus, vel alter, ab aliis traditam exceperit, alii communiter respuerunt. Opusculum Amadæi in Hispania viri doctissimi ferè per decennium inoffenso pede percurrerunt, & celebriores Complutenses laudarunt. Sed vix Lugduni, an. 1664. lucem vidit, quando tota in Amadæum Sorbona commota, omnes Iesuitarum gloriæ invidos ad libri confixionem extorquendam concitavit. Quod dum primum accepi, & ad Sacram Congregationem Indicis fuisse delatum; delationis capita sedulò indagans ad infrà subjicienda reduci reperi. Quibus in hoc Supplici Libello facere satis operæ pretium duxi, ut Eminentissimi, ac Reverendissimi D.D. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Sacræ Congregationis Indices, rei certiores facti, justitiæ, ut de more habent, consulant; & auditam partem, ut spero, absolvant, vel quod non timeo, condemnent. Ea mihi est in enervandis accusationibus repositæ spes.*

Ad tria capita reducuntur: Primum, quod Amadæus tot opiniones justo laxiores in variis libris dispersas, in uno ôpusculo congesserit.

Secundum: quod non reprobet opiniones plures scandalosas, quas recenset.

Tertium: quod Authorum loca, & præcipuè D. Thomæ fideliter non citarit, & tam ex illo, quàm ex aliis nonnulla perperam deduxerit.

Hæc (ut audio) accusationis capita Eminentissimos, ac Reverendissimos D. D. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Sacræ Congregationis Indicis integerrimos Iudices, ad Opusculi confixionem coegerunt. Quibus proindè si supplex hic Libellus satisfecerit, & in nullo Amadæum defeciisse constiterit, dignus planè erit, cui Sacra Indicis Congregatio novam libri editionem, animadversionibus, quas censuerit, adjunctis benignè concedat, utpotè, qui non unius, vel alterius Iesuitæ, sed universæ Societatis causam agit, & Familiæ de Ecclesia bene meritæ, & ad proximorum salutem necessariæ famæ consulit. Quam denigrare cum Adversarii malis artibus tentassent, oleum, & operam perdidere. Nam postquam Amadæi Opusculum evulgatum est; dentes eorum contriti sunt, linguæ coercitæ, & calami temperati: ita ut Iesuitis omnes congratulentur contra ipsorum opiniones neminem jam oblatrare, idque Amadæi opera obtentum; cum manifestum mundo fecerit, Iesuitas non laxasse conscientiæ habenas, nec novas circa mores opiniones induxisse, nec antiquatas, & rejectas suscitasse, sed à nimis strictis, & justo laxioribus declinasse, vel potiùs (ut jam alii notarunt) laxitates opinionum ab antiquis Theologis inductas coercuisse, & ad severiores regulas correxisse.

§. I.

Dilationis capita proposita diluo.

PRIMUM delationis caput est, *Quod Amadæus tot opiniones justo laxiores in variis libris dispersas, in uno opusculo congesserit.* Verum si antiquorum, & recentiorum Summæ evolvantur, quæ non tam quæstiones disputant, quàm authorum sententias compilant, omnes ferè eandem accusationem subire poterunt: quia unus earum scopus est, opiniones omnes, & earum auctores in fasciculum redigere, & præcipuus omnium fructus, ut brevi studio, & exiguo labore, quas in variis libris dispersas, magnis expensis, & multis vigiliis studiosi didici-

didicissent, summa brevi congestas facilè ebibant, & notitiam comparent, quidque de unaquaque opinione Theologi Morales sentiant, edisc ant; quid apud ipsos probabile, quid probabilius habeatur, ab authoritate saltem extrinseca discernant. Recolantur Summa Sylvestri, & Summula Patris Sà, Opera Dianæ, & eorum Compendium, & ferè nulla apud antiquos, & modernos Scriptores reperietur opinio, quæ in qualibet ex præfatis Summis non referatur. Et tamen non Censores Fidei confixione dignas judicarunt, nec judicabunt. Quia si opiniones illas docere, defendere, & typis dare, propriis earum authoribus permissum ast, cur eas, nec approbando, nec reprobando referre, sed ut ab aliis traditas, & in eorum libris contentas, & publicâ authoritate omnibus expositas exponere, damnabile erit? Si enim earum aliquæ doctrinam scandalosam, aut improbabilem, aliàve majore censura dignam contineant, deleantur ab authoribus, qui eas docuerunt, hoc exorat Amadæus. Noteniur in aliis, qui eas referunt, hoc exoptat: Hoc justissimum, & valdè expediens est. Idque ubique ipse observavit, nullam referens opinionem à Censoribus Fidei aliqua nota fœdatam, quam lectoribus non animadvertat, ut exauthorata opinio; si ex incuria, aut oblivione, à suo Authore forsan crassa non fuerit, nulli deinceps nocumento esse possit. Si verò opiniones tales fuerint, quæ nulla animadversione in suis auctoribus mulctentur, sed probabiles à principiis, ut ajunt, intrinsecis, vel authoritate extrinseca, censeantur, non infructuosus labor haberi debet, qui earum notitiam faciliorem reddat. Quod si hoc ita non est, ut quid tot Summistæ compilatores præla fatigare permittuntur? Cur eorum opera, præcipuè ad Compendium redacta non configuntur? Cum opusculo brevi omnes morales opiniones; etsi laxiores, uno quasi oculorum ictu percipiantur, unoque hausto deglutiantur.

Fuit ecundis Amadæo ratio, quæ pro aliis Summistis non militat; quia opiniones, quas, ut unius, vel alterius Jesuitæ refert, aut eis falso impositas evincit, non voluntate, sed necessitate coactus congessit. Nam cum omnes simul ad calumniam, & invidiam Jesuitis conflandam fuissent ab Anonymo, lib. uno præobjectæ, in varios dividi satisfactio non debuit. Alias autem opiniones, quas ab aliis Doctoribus laxiores, traditas superaddit, inculpatæ tutelæ susceptum munus referre coëgit, ut Jesuitas undique vindicaret, tum à novitatis nota; eorum qui easdem prædocuerant authoritate; tum à laxitatis, eorum testimoniis, qui laxiores. Nulli ergò vitio Amadæo vertendum, tot opiniones etiam justo laxiores, (nullam eis adscribendo probabilitatem, sed ut in suis extant authoribus) nulla infamiæ nota aspersas, in uno Opusculo, justæ defensionis causa, vel invitum congessisse.

Hoc maximi haberi debet. Et sanè apud Sanctum Hispaniarum Inquisitionis Tribunal tanti ponderis fuit, ut cum nonnulli Amadæi Opusculum anno 1658. ex præfato capite de multitudine opinionum laxiorum, configendum detulissent, idque totis viribus curassent, præmisso Doctissimorum S. Tribunalis rigoroso opinionum examine, à confixionis decreto supersedendum censuerit. Ni enim justæ defensioni detur locus, insolentiores, & audaciores Adversarii indies evadent, non levi Christianæ Religionis, & animarum salutis præjudicio. Præterquam quod cum Amadæus opinionum Relatorem, non Doctorem, egerit, nulliqué se adscribere voluerit, (ut expressè protestatur) quæ inter Doctores probatæ authoritatis, probabilis non sit; nulla ejusmodi opinio prohibenda venit. Aliorum verò, si in aliorum libris, qui eas defendunt damnabiles non sint, sed probabiles, & securæ censeantur: ex eo quod simili authoritate exuent. Cur ergò earum utilis notitia in uno libro abolenda? Si autem improbabiles: cur illarum nociva doctrina in pluribus absque nota linquenda?

§. II.

AD secundum delationis caput, nimirum *Amadæum non reprobasse plures propositiones scandalosas, quas recenset*, medicinam ipse paravit in prologo. Cùm enim solummodò intenderit ab impostora, & à censura novitatis, & laxitatis opiniones authorum Societatis vindicare, non Theologica disputatione (ad quam opinionum judicium pertinet) usus est; sed solis authenticis aliorum testimoniis: ut non solùm, quàm unus, vel alter ex Jesuitis, sed alias etiam laxiores opiniones apud graves Doctores reperiri constaret. Quas cum ipsi impunè docuerint, & doceant, & in eorum libris reperiantur, & in aliis cuique obviis permittantur, inde rectè concluditur, non esse cur in Jesuitis minùs laxæ condemnentur, & ob eas, ut novatores, & conscientiarum laxatores ab adversariis traducantur. A Censoris tamen officio Amadæus consultò abstinuit, quia rem, ut monui, disputativè non agebat, ideoque sui muneris non fuit, de unuscujusque veritate, aut falsitate judicium ferre, sed suis auctoribus restituere. Nullam verò eis probabilitatem adstruere voluit, ut expressè in prologo protestatur, dicens, se illas referre: *Non ut probabiles, sed ut Anonymi non simplex inde concitet animus, qui non eas, ut debuisset, sed quas unus, vel alterius Jesuitæ, & si inter alios communes in censuram vocavit.* Nec putavit licere liberiùs loqui reprobando, aut graviori censura illas notando (& si gravissima plures dignas censuerit) quod gravissimorum essent authorum, quibus modestia, dum Fidei Tribunalia parcunt, illum etiam parcere cogebat.

Quod si vitio id ei vertatur, correctioni locus est, & forsan gratiæ, quam exorat, meritum obtulit quarta editio Matritensis, anno 1564. in qua plures propositiones reprobat Amadæus, quarum syllabum subjicio.

1. Tract. de Peccatis, *Prop.* 10. reprobat opinionem asserentem, *Esse probabile non esse mortale, occidi, & amplexus habita ob delectationem carnalem, & seminem, quæ ex illis oritur.*

2. *Prop.* 11. Execratur opinionem. *Quæ in reatum admittit parvitatem materiæ.*

3. Tract. de Fide, *Prop.* 3. rejicit opinionem asserentem, *Prælatos Regulares posse in foro conscientiæ absolvere seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.*

4. *Prop.* 9. *num.* 4. reprobat opinionem asserentem, *Pœnitentem sollicitatam in confessione ad inhonestia, non teneri denuntiare Inquisitoribus Confessarium, si eidem suum peccatum confiteatur.*

5. Tract. de Justit. *Prop.* 1. *num.* 6. rejicit opinionem asserentem, *Licitum esse Clerico, vel Religioso occidere Regem, vel Principem, vel alium illuminatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione suspicantem, quando aliter defendendi modum non suppetit.*

6. *Prop.* 4. *num.* 6. reprobat opinionem, quæ asserit

asserit, *Non peccare maritum propria authoritate occidentem uxorem in adulterio deprehensam.*

7. *Prop.* 11. *num.* 5. plures rejicit opiniones. Aliam asserentem, *Quando litigantes pro se habent opiniones probabiles, posse Iudicem pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

8. Alteram adstruentem, *Non esse contra justitiam Beneficia Ecclesiastica, non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

9. Tertiam defendentem, *Electores ad Majoratum, vel ad Cathedram posse pretium accipere, ut unum præ alio eligant.*

10 Quartam idem tuentem, *Quando quis distribuit legatum, cum facultate eligendi personam cui applicandum sit.*

11. Tract. de Horis Canonicis, *Prop.* 1. *num.* 4. Rejicit propositionem asserentem, *Restitutionem à Pat. impositam Beneficiariis non recitantibus, non deberi in conscientia ante sententiam Iudicis.*

12. *Ibidem num.* 8. duas reprobat propositiones. Aliam adstruentem, *Habentem Cappellaniam collativam, & quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacere suæ obligationi, si per alium recitet.*

13. Aliam asserentem, prædictum Scholarem, *Non teneri ad restitutionem fructuum etsi in omissione Horarum graviter delinquat.*

14. De Sacrif. Missæ, *Prop.* 2. *num.* 7. rejicit opinionem, *Contendentem duplicatum stipendium accipere pro eadem Missa applicando petenti partem specialissimam fructuum ipsimet celebranti correspondentis.*

15. Et aliam asserentem, *Non esse contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, nec esse contra fidelitatem, etiamsi promiserit juramento, quod pro nullo alio offerret.*

16. Tract. de Jejunio, *Prop.* 6. *num.* 4. reprobat opinionem tenentem, *Quod frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.*

17. Tract. de usuris, *Prop.* 8. *n.* 8. cum aliis Jesuitis gravi censura inurit propositionem asserentem, *Licitum esse mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum terminum.*

18. *Ibidem, num.* 14. reprobat opinionem tuentem, *Posse aliquid suprà sortem exigi ratione alicujus tituli intrinsecè & essentialiter ad mutuum pertinentis.*

19. Tract. de pœnit. *Prop.* 8. reprobat propositionem asserentem, *Eum, qui bestialitatem, aut Sodomiam commisit, satisfacere si in confessione dicat procuravisse pollutionem.*

20. *Prop.* 13. rejicit opinionem tuentium, *Eum qui habet copulam cum soluta satisfacere confessionis præcepto, dicendo: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.*

21. *Ibidem, num* 3. reprobat opinionem asserentem, *Eum qui ex proposito propriis manibus procuravit pollutionem satisfacere, si hoc confiteatur, nec teneri explicare inde sequutam.*

Omitto alias, quas (sicut & omnes ferè suprà relatas, ut minimum, ut scandalosas à Sanctissimo N. Alexand. VII. damnatas) *tract de Baptismo, de Eucharist. & de Matrim.* Amadæus reprobat, pluresque gravi censura notasset, si Doctorum, qui eas sequuntur, authoritas, & quam ipse profitetur, modestia calamum non cohibuisset. Verùm cum id posteà à viris sapientissimis, & rectissimis Judicibus desideri perceperit, stylum vertere promittit, & quid de unaquaque censeat expressurum offert, si Eminentissimi D.D. Cardinales, ut sperat, & humiliter exorat, ad omnem suspicionem amoliendam, novam opusculi editionem concesserint, quæ hoc vitio purgata plausibilior, Societatis opiniones maledicentium linguas compescat, quæ aliter satis coërceri nequibunt.

§. III.

TErtium delationis caput, nimirum, *Quod Auctorum loca Amadæus fideliter non citarit, & quod ex D. Thoma, & aliis nonnulla perperam deduxerit,* gravissimum est, & quod libri confixionem (si verum esset) inevitabilem perpetuò redderet. Sed scio laborem hunc conferendi loca, & expendendi illationes à pluribus in Hispania susceptum Amadæum ab hac culpa immunem declarasse. Eundem ego post evulgatam delationem suscepi, aliis commendavi, Doctores etiam, & Eruditos Viros consului, & nullum in opusculo Amadæi, propria fide, citatum Authorem repetio, qui pro opinione, cui adscribitur, non militet, nullam consequentiam deductam, quam legitimam, cum doctissimis aliis non censeam.

Optabam præ manibus habere citationes, & illationes, quas falsitatis, & ineptiæ incusaturus adversarii, ut omnibus liquidò satisfacerem. Et votis annuit Vincentius Baronius Dominicanus, in libro novissimè edito adversus Amadæum, qui cum eo tendat, ut ejus opusculum elevet, & D. Thom. & Dominicanos ab opinionibus eis adscriptis, vindicet; credibile sanè est ad eum undique omnium suæ familiæ animadversiones, & notas ad Amadæum configendum confluxisse. Quapropter, si quas Baronius iste congessit, quibus de Amadæo actum putat, ego producam, & ut intendo, nulla falsa citatione, aut mala illatione Amadæi Opusculum claudicare, apertè demonstrem; tertium delationis caput penitùs evanescet, & pro Amadæo ultimam sententiam ferendam jure sperare potero. Ad rem ergo.

Legi, & perlegi, semel, & iterum Vincentii Baronii opus, in quo, si probra, & contumelias demas, nil contra Amadæum reperies, quia calumniæ, & impostura, quibus scatet, fidelitatem Amadæi in Authoribus citandis, & locis exscribendis commendant. Quod ut felicius evincam, præmittam verba, quæ præfatus Author, in Præfatione ad Lectorem, ad invidiam Amadæo conciliandam habet, oblongum, prolixumque objiciens syllabum locorum, quæ ab Amadæo falsata, & truncata blaterat. Quem claritatis gratia ejus verbis proponam, & singulis breviter satisfaciam.

Syllabus locorum ex D. Thoma, ejusque Discipulis, quæ à corruptelis Amadæi vindicare, Baronius jactat.

EXscribendus, (inquit Baronius) *totus liber, si singula, quæ ex Sancto Doctore & Thomistis mala fide loca refert adversarius, colligerem. Quia infinita*

nitæ sunt quibus scatet interpolationibus, &c. Enormia annotabo, & cum unica sit assequendæ veritatis ratio, mendaciorum verò nullus finis, aut modus, videtur nullum genus falsationum, in obscurandâ & traducenda nostra Theologia Morali omisisse adversarius. Multa scriptorum lacessit loca, plura ad suam causam asciscit, utrumque malis artibus tentat, eorum verba truncat, vel fraude depravat, vel præter ipsorum mentem ad suum sensum detortis interpretationibus trahit. Hactenus Baronius, quæ si probanda suis locis non suscepisset, vapulare facilè non posset; nam fides penes ipsum maneret, quæ inf:llibilis ad instar æmulis Societatis haberetur. Sed incautè tunicam exuit, dum locorum syllabum exscripsit, & defectus adnotavit, ex quibus ipsæ apertissimæ fraudis, & calumniæ convincendus venit.

CAPVT PRIMVM.

Occurritur locis de probabilitate, quæ ab Amadæo falsata objicit Baronius.

EORUM syllabum præmittit, remittens Lectorem ad operis paginam, ubi & locum adducit, & in quo falsatus sit, conatur ostendere.

Pag. 13. & 14. *Celebris locus D. Thomæ, Quodlib. 8. art. 13. falsatus, & præter ejus mentem explicatus.*

Pag. 16, *Mala fide relatus Sotus, & sequenti, perpetram reprehensus Cajetanus.*

Pag. 37. *Antoninus truncatus, & præter ejus mentem explicatus, sicut Albertus Magnus.*

Pag. 38. *Sylvester.* Pag. 40. *Alvarez truncatus*

Pag. 43. *Nunno extra mentem citatus,*

Pag. 44. & 45. *Ildefonsus truncatus.*

Pag. 47. *Martinez præter ejus mentem explicatus.*

Pag. 48. *Paulus de Blanchis extra Thesim citatus, & ibidem Ludovicus Lopez truncatus.*

Pag. 101. *D. Thomas, & Cajetanus depravati.*

Pag. 330. *Suppressus per fraudem insignis locus Cajetani de opinionis pro lege delectu.*

Hæc sunt loca, quæ de Opinionum probabilitate ab Amadæo falsata, & truncata Baronius objicit. Qua fide? expende, ex his, quæ subjicio.

In portu impegit Baronius. Infelix præsagium: Nam à *pag.* 21. usque ad 50. non disputat contra Amadæum, sed contra Patrem Dechamps in quæstione facti instituta in suis in Jansenium libris, ubi cum pro se adduxisset D. Antoninum, Albertum Magnum, Sylvestrum, Alvarez, Nuanum, Ildephonsum, Martinez, Paulum de Blanchis, & Ludovicum Lopez: hos omnes mala fide à Dechamps fuisse adductos, paginis citatis, contendit Baronius. An jure? meum non est; sed solum admonere Lectorem, ad horrorem ei incutiendum, tot falsarum citationum cumulo, in syllabo contra Amadæum, præfatos Doctores recensuisse; quasi nil faceret, citationes falsas ei imposuisse, ni Authores etiam imponeret. Hinc vellem bonam deinceps Baronii fidem, Eminentissimi Domini agnoscant: & ad alia observent.

Solum ergò contra Amadæum falsata, & depravata objicit D. Thomæ, & Cajetani loca, *pag.* 13. & 14. & *pag.* 101. & 330. & Sotum, *pag.* 16. Quæ figilliatim respondebo.

§. I.

CElebrem D. Thomæ locum de probabilitate ex *Quodlib.* 8. *art.* 13. falsatum, & præter ejus mentem explicatum, expostulat Baronius, dicens: Locus D. Thomæ ex *Quodlib.* 8. *art.* 13. *refert Amadæus tract. de Opinione probabili, num.* 6. *&c. Hinc fidem Guimenius appellat, qui locum D. Thomæ tacito exemplo, quod habet de ignorantia rerum facti, omninò corrupit,*

Locus autem D. Thomæ hic est. (Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur, per hoc, quod est secundum conscientiam, &c. Dicendum ergo est, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & ideo cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Hunc D. Thomæ locum *ex Quodlib.* 8. *art.* 13. falsatum, & corruptum, dicit Baronius, eo quod Amadæus tacuerit exemplum, quod ibi (inquit ipse jubet D. Thomas, *ab ignorantia rerum facti.* Sed unum verbo respondeo D. Thomam in toto *art.* 13. nullum exemplum adducere ab ignorantia rerum facti. Omnes qui legerint, in testes advoco. Videatur editio Veneta anno 1593. Addo nec ad eum, quam impertractat, exemplum illud facere, quia quæstio est de varietate opinionum circa legem: (*Verum, scilicet, qui habet plures præbendas peccet?*) In qua, cum hinc inde in varias opiniones circa jus divisi sint Doctores, respondet Angelicus Doctor; peccaturum, si contra veram (re ipsa) opinionem plures retineat. *Quia cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam.* Extra rem ergò omninò erat exemplum de ignorantia rerum facti. Quod proindè D. Thom. non adducit, & consequenter nec Amadæus tacuit. Nulla ergò fuit loci corruptio.

Instat Baronius fuisse præter ejus mentem hunc D. Thomæ locum explicatum. Sed quidem Amadæus è proprio penu nullam explicationem depromsit, sed eam adhibuit, quam celebres Dominicani, M. Fumus, M. Bartholomæus de Ledesma, M. Joannes Martinez de Prado, M. Martinus de Ledesma, & M. Joannes Nider, qui asserit. (Hæc verba D. Thomæ non posse intelligi nisi de illis, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quid sit contra legem Dei. Et non de illis intelligit, ubi illud non apparet, sicut se ipsum declarare videtur *Quodlib.* 3. *art.* 10. Alias enim sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.) Hanc explicationi adhæsit Amadæus. Quam etiam invenio apud D. Antoninum, & Sylvestrum, illum referentem, *verb. Opinio, quæst.* 1. ubi sic. (In spectantibus ad fidem, aut mores, S. Thomas dicit, quod rudes non excusantur in his, quæ sunt manifestè, & clarè determinata alicubi. Quo etiam modo (attende) secundum Archiepiscopū, intelligitur, cum dicit, quod in opinionibus, faciens contra verum, licèt non contra conscientiā, non excusatur à præcepto: puta habendo plures Præbendas, quia facit contra legem Dei, alias, inquit, contradiceret sibi in eodem libro, quod non est credendum: & est verum, quia in talibus non excusat ignorantia, Panormitanus verò, (qui allegat excusat

excusari à peccato, qui sequitur opinionem alicujus Doctoris, licèt postea appareat esse falsam (loquitur in obscuris, & est verum.) Sic Sylvest. *supr.* Videatur etiam *verb. Ieiunium, num.* 27. & *verb. Scrupulus* 1. & *verb. Matr.* 8. *quæst.* 13. Ex quibus evidenter constat celebrem D. Thom. locum, *ex Quolibet* 8. *art.* 13. nec fallsatum, nec corruptum, nec præter mentem D. Thom. ab Amadæo fuisse explicatum.

Locum alium D. Thomæ in confirmationem præfatæ explicationis adducit etiam Amadæus *sup. tract. de Opin. probabili, prop.* 1. *num.* 6. ex *Quodl.* 8. *art.* 15. ubi ait: Quod error conscientiæ habet vim excusandi, quando procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur, secus quando ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest. Quæ doctrina est verissima, & pluribus in locis ab Angelico Doctore tradita. In hoc ergo *art.* 15. in exemplum ignorantiæ excusantis à peccato, (quam invincibilem vocat alibi) adducit ignorantiam rerum facti, quia notior est, & passim obvia. (Ut si quis, inquit, intenderet accedere ad uxorem suam, & alia ei supponeretur, eo nesciente.) In exemplum verò ignorantiæ vincibilis non excusantis à peccato, (quia & ipsa propter negligentiam peccatum est) advocat ignorantiam rerum juris naturalis sub lethali prohibentis fornicationem, Mortaliter, inquit, peccaret: (Licèt crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale.) Est enim clarè, & expressè alicubi determinatum esse mortale, & secundum Ecclesiæ consuetudinem omnibus fidelibus sufficienter propositum. Non tamen propterea negat Angelicus Doctor, de apicibus juris naturalis, posse etiam dari ignorantiam invincibilem excusantem à peccato, ut constat ex his, quæ habet 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 11. ubi tria distinguens præceptorum Moralium genera, tertio loco ait: (Quædam verò, sunt quorum ratio non est adeo cuilibet manifesta, sed solum Sapientibus, & ipsa sunt præcepta Moralia superaddita Decalogo, tradita à Deo populo per Moysem, & Aaron.) In quorum exemplum adducit fornicationem, & usuram, cui consentit Vincentius Baronius *disp.* 4. *sect.* 1. *fol.* 134. Ubi totus est in probando contra Wendrockium dari posse ignorantiam invincibilem. (In remotissimas juris naturalis fimbrias, quales à Decalogo sepositas, Scriptura de usuris tradit.) Quod iterum cõtra eundem premit *fol.* 394. & 395. & 396. ex quibus constat juris etiam naturalis, quoad remotiores conclusiones, ignorantiam invincibilem possibilem concedere D. Thom. & ex illo Baron. Quos plures Theologi sequuntur. Lorca 1. 2. *tom.* 2. *disp.* 30. *de peccatis, memb.* 2. Vasq. 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 122. Diana 3. *part. tract.* 4. *resp.* 108. Sotus *de justit. lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 5. *in fine*, & alii.

In prædicto ergo D. Thom. loco, *ex art.* 15. citato, omisit Amadæus exempla, quibus Angelicus Doctor doctrinam universalem, circa ignorantiam vincibilem, & invincibilem tradidit, dicens hanc excusare à peccato, secus illam; quia alia est ejus, quod quis scire potest, & tenetur; alia vero ejus, quod scire non potest; quæ cum tam rerum juris, quam facti, juxta D. Thom. contingere possit: Ideò tam ad res facti, quàm juris, doctrina ejus generalis in hoc *art.* 15. & aliis locis tradita, ab omnibus Theologis extenditur. Si enim ignorantia invincibilis sit, fide sanctum est à peccato excusare, sive facti sit, sive juris. Idque intendit D. Thom. ut certum statuere, sicut & ignorantiam vincibilem, tam facti, quam juris non excusare, licet claritatis gratia in exemplum invincibilis, ignorantiam rerum facti, & in exemplum vincibilis, ignorantiam juris adduxerit. Quorum meminisse, nisi ad replendam paginam, non putavit necessarium Amadæus, contentus habere principium hoc inconcussum ex D. Tho. & omnium doctrina: quamcumque ignorantiam ejus quod quis scire non potest, seu ignorantiam inculpatam, excusare à peccato. Hanc autem Theologi cõmuniter intervenire asserunt, in concursu opinionum contrariarum probabilium, (quorum aliquos refert Amadæus, ubi *suprà*) sive opiniones sint facti, sive juris. Jam ergo in quo defecit Amadæus in locis D. Tho. citandis? In quo falsavit, & corrupit; aut præter mentem explicavit? Quandoquidem expressam Angelici præceptoris sententiam à peritioribus Thomistis explicatam proponit.

§. II.

SOtum mala fide relatum, *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 5. pro opinione asserente licitum esse amplecti opinionem probabilem inter Doctores probatæ authoritatis, expostulat Baronius, *pag.* 16. *Cum Dominicani*, inquit, *hoc dogma inconcussum habeant: Quod agitur contra legem* (hoc est re ipsa) *semper esse malum, nec excusari per hoc quod sit secundum conscientiam, quacumque probabilitate munitam.* Mirabile quidem dictu! cum ferè omnes Dominicani doceant, qui sequitur opinionem probabiliorem, (& secundum plures, etiam minus probabilem) semper excusari à peccato: & tamen non raro opinio probabilior, falsa est coram Deo, & consequenter operatio re ipsa contra legem. Addo ferè nullam reperiri opinionem faventem libertati, apud Amadæum, quæ unum, aut plures Dominicanos pro se non habeat; qui proinde dogma illud inconcussum non admittunt. Sed quidquid de his sit, Magistrum tamen Sotum pro dogmate illo stetisse, & solum asseriisse loco citato licitum esse adhærere opinioni probabili, si pro lege militet, non verò si pro libertate, contendit, sed frustra, Baronius. Quia ut constat apertè ex casu in controversiam ibi adducto, indiscriminatim loquitur M. Soto, tam de opinione probabili pro libertate, quam de opinione pro lege. Quæstio enim erat. (An Confessarius teneatur absolvere pœnitentem, qui non secum consentit volens manere in contractu, quem contra ipsius opinionem putat, non esse usurarium?) En pœnitens sequitur opinionem favent em libertati, Confessarius verò pugnantem pro lege. Et tamen in hoc casu, asserente Conrado, Sacerdotum ordinarium teneri præfatum pœnitentem absolvere, non verò Sacerdotem delegatum, Respondit M. Sotus: Nullum esse faciendum discrimen. (Sed hoc solum distinguendum, an opinio pœnitentis sit probabilis inter Authores probatæ authoritatis, necne? Si opinio, inquit, illa est probabilis, tunc Sacerdos, sive Ordinarius, sive delegatus tenetur eum absolvere) subjectens infra. (Quamvis Sacerdos existimet opinionem esse falsam, &c. Si quidem propter probabilitatem excusatur ille à culpa.) Quam doctrinam ipse explicat, & confirmat adducto, claritatis gratia, exemplo alio de opinione probabili militante pro lege, ut utriusque eandem esse rationem ostenderet, nullum constituens discrimen inter unam, & alteram opinionem probabilem, sive enim pro lege, sive pro libertate militet, hoc solum distinguendum putat. (An opinio sit probabilis inter Authores probatæ authoritatis, necne?) Ideoque si probabilis sit, tam in uno, quam in altero casu absolvendum tradit. Aliàs negasset posse pœnitentem absolvi, quando

vellet manere in contractu, quem contra opinionem Confessoris, pro lege, putat non esse usurarium, ut negavit Baronius, & qui cum eo senserunt, non licere amplecti opinionem probabilem faventem libertati. Est ergo evidens M. Sotum bona fide ab Amadæo citatum, & pro opinione, cui adscribitur, militasse.

§. III.

DIvum Thomam, & Cajetanum ab Amadæo depravatos, dicit Baronius fol. 101. In quonam? *Quod ex ipsis*, inquit, *intentet probare judicium probabile Synonimum esse cum certa, & firma credulitate.* Sed bona ipsius venia, infideliter refert. Ly enim *certa*, apud Amadæum non reperitur. Nec sine fundamento intendit probare, quod ibi proposuit: nam expresse id asserit M. Serra, & D. Thomam sic exponit. Amadæi verba, *tract. de Matrim. Prop.* 2 hæc sunt. (Firma credulitas idem est apud Thomistas, ac judicium probabile, ut videre licet apud Magistrum Serra. 2.2 *quæst.* 33. *art.* 7. ubi explicans illa D. Thomæ verba? *Nisi forte aliquis firmiter existimaret*, sic inquit. (Nisi forte existimaret firmiter, id est, prudenter, & probabiliter) Ergo, ut explicat M. Serra, firma credulitas, vel existimatio, idem est apud D. Thomam, ac judicium prudens, & probabile. In nullo ergo D. Thomas depravatus est. Idem prorsus de Cajetano dico, ex quo, vi argumenti, idem sentire intulit Amadæus: Docuit enim firmam credulitatem quandoque stare absque judicio assertive quid in corde determinante, unde aperte illam admittit compatibilem cum judicio formidoloso, sive prudenti, & probabili, sive imprudenti, & temerario. Quod autem cum imprudenti, & temerario firma credulitas compatiatur, tradit expresse in *sum. verb. Iudicium temerarium*, dicens? *Si autem judicat de peccato mortali, & non assertivè in corde suo determinat, quamvis credat firmiter, & temerarie, non peccat.* Potuit ergo potiori jure firma credulitas stare cum judicio prudenti, & probabili, quo assertivè, & certo aliquid in corde determinetur. Hoc utitur discursu Amadæus, ex Thomistarum Doctrina, ad exponendum Sylvestrum, ne sibi contradicat, dum jam firmam credulitatem, jam opinionem probabilem de morte conjugis, ad secundas nuptias exigit, quia firmam credulitatem prudentibus conjecturis innixam, cum opinione probabili, aut probabiliori confundit.

§. IV.

DEnique, fol. 330. conqueritur Baronius, suppressum per fraudem ab Amadæo, insignem locum Cajetani de opinionis pro lege delectu. Verum ibi exprimere, ad rem non erat; quia in conclusione Opusculi non agebat Amadæus de opinionibus eligendis, sed de alienis non prohibito reprobandis, pro quo adducit Cajetanum carpentemeos, qui nimis firmiter suis opinionibus adhærentes asserunt ut certum, & indubitatum, quod est intra latitudinem opinabilium. Quod incurrit Baronius, cum affirmet ut dogma certum, & inconcussum apud Dominicanos, opinionem pro lege, etsi minus probabilem debere ex præcepto anteponi opinioni probabiliori faventi libertati. A quo innumeros ex hac Familia, & in opinando dissentire, & in operando defecisse, notissimum est. Omitto Cajetanum in loco illo, quo Baronius putat tradidisse obligationem eligendi opinionem pro lege, non fuisse loquutum, quando contrarium esset probabilior. Imò nec quando probabilis, ut expresse dicit M. Acacius de Velasco, apud Amadæum *tract. de opin probab. Prop.* 1. (En realidad de verdad no habla Cajetano en este lugar de opinion probable, sino de qualquiera opinio, aunque no sea probable, lo qual es manifiesto,) Sic exponit Acacius Cajetanum dicentem: *In operando, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujusque sumere.* Ea ab Amadæo nihil suppressum.

Dedi loca, quæ de probabilitate opinionum falsata expostulavit Baronius, cujus fides ex dictis omnino elevata manet, ad alia non meliori objecta procedamus.

CAPUT II.

Respondetur locis, quæ ex Tractatu de Peccatis, ab Amadæo depravata, dicit Baronius.

Pag. 64. *Corruptus insignis locus D. Thomæ, & truncatus de alienæ mortis desiderio.*
Pag. 65. *Mala fide citatus S. Vincentius, Zanardus, & Serra.*
Pag. 70. *D. Thomas perperam citatus à Sanchez & Amadæo.*
Pag. 88. *Immanis corruptela principiorum D. Thomæ.*
Pag. 103. *Calumnia in Corradum, & Sylvestrum, truncatis illorum verbis.*
Pag. 121. *D. Thomæ locus de Electuariis perperam à Diana, & Amadæo lacessitus.*
Pag. 126. *Mens Cajetani malè explicata de præceptis Ecclesiæ.*
Pag. 140. *Calumnia illata Bannesio de aggressore proveniendo.*
Pag. 153. *Holcot malè lacessitus.*
Pag. 164. *Falsati D. Thomas, & Sylvester.*
Pag. 166. *Cajetanus.*
Pag. 168. *Bannez, & Soto falsò accusati.*
Pag. 175. *Soto illata calumnia ex Montepietatis.*
Pag. 178. *Cajetano.*

An expostulationibus his eadem, ac præcedentibus debeatur fides? Constabit legenti, si singulas perstringamus.

§. I.

COrruptum, & truncatum insignem D. Thomæ locum de alienæ mortis desiderio, conqueritur Baronius *Pag.* 64. An jure? Videatur Amadæus *tr. de peccatis, Prop.* 3. Ubi ex duplici Divi Thomæ loco: alio 2.2. *quæst.* 76. *articul.* 1. alio ex 3. *sentent. dist.* 30. *quæst.* 1. *artic.* 1. *ad* 4. contendit probare, licitum esse alienæ mortis desiderium propter bonum utile desideranti. Ad id que adducit verba D. Thomæ, *quæst.* 76. citata dicentis: *Si aliquis imperet, vel intentet malum alterius sub ratione boni; sic licitum erit* [illegible]. Hunc locum truncatum, expostulat Baronius, ea quod Amadæus omiserit verba, quæ in fine corpuscli subnectit D. Thomas, quibus mentem suam exemplo adjuncto explicat, v. g. *Cum quis optat peccatum patiendi ægritudinem, aut aliquod impedimentum, ut melior efficiatur, aut saltem, ut ab aliorum nocumento* [illegible] esse.

esset In quibus Angelicus Doctor, (ait Baronius) bonum utile non refert ad imprecantem, sed ad illum cui imprecatur. Sed his facile occurritur. 1. quia cessare à nocumento potest in utilitatem deprecantis mortem cedere: Ergo sub ratione boni sibi utilis, potest malum alteri imprecari. 2. quia exempla non tativè, sed demonstrativè adduci solent. 3. quia ex principio, cui innititur D. Thom. conclusio præfata rectè deducitur. (Si enim, inquit, aliquis imperet, vel optet malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere erit illicitum, & hoc est maledicere per se loquendo: si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.) Sic D. Thom. cujus verba æquè comprehendunt imprecationem mali, quando in bonum imprecantis, & quando in ejus cui imprecatur, refertur. Cum utrobique intentio dicentis, non ad malum, sed ad bonum feratur. Ergo conclusio inde deducenda, non est limitanda, licet exemplum limitatum fuisset. Ergo ex tacito exemplo locus D. Thomæ corruptus, aut truncatus dici non debet.

Expressius id evincitur ex loco alio *in 3. sent. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 4.* de quo similiter expostulat Baronius, sed pejori fide: quia in illo Angelicus Doctor mortis alienæ desiderium ad bonum utile deprecantis apertissimè refert. (Quia Charitas, inquit, ordinem habet. Et plus debet diligere quisque se, quam alium, propinquos, quam extraneos, amicos, quam inimicos, potest aliquis salva Charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum, quæ ipse patitur.) En D. Thomas concedit te posse malum alteri optare, salva Charitate, si malum alterius impediat tibi malum obvenire, quia plus te, quam illum teneris diligere: En ad bonum deprecantis, desiderium mali alieni refertur, & tamen licitum D. Thom. admittit. Conqueritur nihilominus Baronius hunc etiam locum truncatum fuisse; quia Amadæus dolo subticuit ultima ejus verba. Nam D. Thomas dixit, posse optari malum temporale alicui. (Quia est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ.) *Et hæc postrema verba*, (vel communitatis, vel Ecclesiæ,) (ait Baronius) *dolo subticuit Amadæus*. Mitor hominis captum. Amadæum contendebat, quod difficilius est, nimirum ob privatum imprecantis bonum, licitum esse mali alieni desiderium, & ad id probandum ea solum adduxit verba, quibus Angelicus Doctor illud expressit. Quod autem ob bonum utile communitatis, vel Ecclesiæ id etiam liceat, longè certius est. Nec de hoc ulla est quæstio. Si autem loca truncata vocat Baronius, in quibus verba, quæ ad rem non faciunt, omittuntur, manus illi frequenter, & libentissimè Amadæus dabit. Recolat, quæso, quæ D. Thom. in Catena, & meliora sapiet.

§. II.

Mala fide citatus sanctum Vincentium, Zanardum, & Serram expostulatio est Baronio, *pag. 65.* pro sententia nimirum D. Thomæ, §. *præcedenti* exposita, de desiderio mortis alienæ, ob bonum utile imprecanti. Verum non inficiatur pro ea militare Cajetanum, Joannem de la Cruz, & alios ibidem adductos. Solum objicit malè citari S. Vincentium, Zanard. & Serram. Sed ex his Amadæus non adducit S. Vincentium. Unde miror quod apud illum malè citatium invenerit. Zanardi autem verba expressa refert, quibus ait, nullum esse peccatum, quando alteri malum optatur ratione boni publici, vel privati. (Quia non est velle malum alicui sub ratione mali.) Bonum autem privatum, tam imprecantis malum, quam ejus cui imprecatur potest esse, aut utriusque, quale est, quod in exemplum ipse adducit. (Ut dum puella, inquit, à malo viro solicitata cupit, ut infirmetur, ne eam amplius vexet, & sic discurrendo.) Cujus ultima verba alios etiam casus comprehendunt, in quibus unius, vel alterius utilitas intendatur juxta D. Thomæ doctrinam supra explicatam. Quoad M. Serram, solum dicit Amadæus, non dissentire, quod jure dixit, quia Author iste, cum referat opinionem, non improbat, sed solum ait oppositum docere Navarr. En ejus verba *2. 2. q. 76. art. 1.* (Quidam recentiores, quos refert Diana *3. par. tract. 6. Misc. res. 84.* putant aliquem posse, absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de ejus morte naturali gaudere, illamque petere, & desiderare inefficaci affectu, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum inde sequutum, quia in tali casu, quis non gaudet de illa morte, quatenus proximo mala est, sed quatenus est causa sui emolumenti, & secundum hanc rationem, bona esse videtur, & appetibilis, &c. Alii dicunt licere matri mortem filiarum optare, si ob illarum causam male tractaretur à marito, &c. Horum oppositum docet Navarrus *cap. 15.*) Sic Serra nil ad fundamentum recentiorum enervandum adducens. Quapropter ei non dissentire merito scripsit Amadæus, cum enim in disputationem rem adduceret, impugnandi onus ei incumbebat, si displicuisset.

Pag. 70. (in syllabo) dicit Baronius S. Thom. perperam citatum à Sanchez, & Amadæo; legi, & perlegi, *pag. 70.* & à neutro citatur.

§. III.

De immani corruptela principiorum D. Thomæ expostulat Baronius, *pag. 88.* ex eo nimirum, quod P. Vazquez, vi consequentiæ, ex illis eruerit, furtum grave, ex suo genere, majus esse peccatum sodomia. Quod hoc syllogismo probavit. Majus peccatum est, quod majori virtuti opponitur, sed furtum ex suo genere opponitur justitiæ, quæ est major virtus, sodomia temperantiæ, quæ est minor, ergo furtum ex suo genere est majus peccatum sodomia. Consequentia videtur legitima, & utraque præmissa est D. Thomæ alia *2. 2. quæst. 66. art. 4.* alia *ibidem, quæst. 73. artic. 4.* Et quidem quod justitia major sit virtus, quam temperantia, fatentur cum D. Thoma omnes expositores *supr. q. 66. citata.* Quod autem ex suo genere majus sit peccatum, quod majori virtuti opponitur, constat apertè ex *q. 73. art. 4.* ubi gravitatem peccatorum tradit differre secundum dignitatem virtutum, quibus opponuntur. Ita scilicet, ut majori virtuti gravius peccatum opponatur. Ideoque ad 3. argumentum in oppositum tendens his verbis. (Charitas est major virtus, quam Fides, & Spes, odium autem, quod opponitur Charitati est minus peccatum, quam infidelitas, vel desperatio, quæ opponuntur Fidei, & Spei, ergo majori virtuti opponitur minus peccatum.) Ad hoc inquam argumentum respondit, negando minorem, scilicet, minus peccatum esse odium, infidelitate, aut desperatione: Quod inde probat esse majus, quia odium opponitur Charitati, quæ est major virtus Fide, & Spe.

(Ad 3. inquit, dicendum, quod Charitas non est quicumque amor, sed amor Dei, unde non opponitur ei quodcumque odium directè, sed odium Dei, quod est gravissimum peccatum.) Ergo cum furtum directè opponatur justitiæ, quæ est major virtus temperantia; furtum grave, ex suo genere, gravius peccatum est, quam peccatum grave contra temperantiam, ergo majus sodomia. Hanc consequentiam legitimam ex principiis Divi Thomæ, judicavit Pater Vazq. 1.2. *quæst.* 71. *art.* 4. *in Comment.* §. *ultim.* & talem censuit Amadæus, licet asserat Div. Thomam alibi aliter sentire.

Nec solus Vazquez, sed alii etiam doctissimi legitimam ex D. Thom. illatam censuerunt. Baptista Fragosus *tom.* 1. *Regiminis Reipublicæ, par.* 1. *lib.* 2. *disp.* 4 *num.* 230. *fol.* 230. *in edit. Lugd. ann.* 1641. post rem undique exagitatam, sic concludit: (Dicendum tamen est peccata luxuriæ contra naturam, etiam si magis turpia appareant, ex genere tamen suo, minora esse, quam peccatum furti, eo quod furtum justitiæ opponitur; peccata autem illa castitati contrariantur. Sic Vasq. 1.2 *quæst.* 72. *art.* 4 *in Commen.* §. *ultim.*) Hæc Fragosus. Quibus consentit F. Hieronymus Garcia Ordinis Hieronymi in summa Hispania, *tract.* 1. *diffic.* 2. *dub.* 9. *in fin. num.* 24. (Affirmamos (inquit) con Vasquez, que los pecados *contra naturam*, aunque mas feos, y graves sean, de suna turaleza son menores que el hurto, y otro qualquier pecado contra justicia, &c. porque los pecados contra justicia son mas graves que los que son contra castidad. Luego de primo ad ultimum venimos a concluir, que el hurto, y adulterio de suyo, son mas graves que la sodomia.) Cui facit Sylvester verbo (Perjurium) *quæst.* 2. ubi ex eodem principio probat, perjurium esse majus peccatum homicidio, dicens: (Secundo quæritur, utrum perjurium sit gravius peccatum homicidio? Et dicit D. Thomas in *quodl.* quod sic, &c. licet homicidium gravius puniatur in Ecclesia, quia magis nocet hominibus. Summa autem Angeli contra Supplem. tenet contrarium, quia homicidium charitati proximi, & perjurium latriæ opponitur, quæ est virtus minor, sed dico istam rationem esse ridiculosam, quia homicidium immediate opponitur justitiæ, quæ est minor latria.) Sicut ergo ex principiis D. Thomæ rectè concluditur perjurium esse majus peccatum homicidio, quia latria cui illud opponitur, major est virtus, quàm justitia, cui homicidium: ita similiter concludi debet, furtum ex suo genere esse majus peccatum sodomia, quia illud immediatè justitiæ opponitur, quæ major est virtus, quàm temperantia, cui sodomia.

Ideo consequentiam P. Vasquez firmam etiam esse tuetur sapientissimus Doctor Ludovicus Montesino *in Academia Complutensi Primarius Sacræ Theologiæ Cathedræ moderator, tom.* 2. *in* 1.2. *quæst.* 73. *art.* 4. *in edit. Complut. anno.* 1622. ubi postquam cum D. Thoma statuit (esse gravius peccatum, quod opponitur præstantiori virtuti.) Sic ait: (Sed dubium est, utrum gravitas peccati ita sumatur ex suo objecto, quod si sit unum peccatum minus grave ex objecto, possit crescere ejus malitia, ratione circunstantiarum taliter, quod adæquet, aut etiam superet malitiam alterius peccati, quod est gravius ex objecto? Partem affirmativam tenet Medina, quem sequitur Lorca *disp.* 19. *&c.* adducitque exemplum de peccato sodomiæ, quod est gravius, quàm homicidium, & furtum, & tamen objectum est minus grave, quoniam est objectum intemperantiæ, & objecta aliorum peccatorum sunt injustitiæ, &c. Contrariam sententiam tenet Vasquez, & alii recentiores Expositores hujus articuli, &c. In hac re vix potest esse controversia, nisi de modo loquendi, &c. Quoniam si circumstantia addat malitiam diversæ speciei, potest contingere, ut ratione ipsius, peccatum quod alias erat minus grave ex suo objecto, fiat gravius, quam alterum, v. g. furtum minus grave ex suo objecto, quam homicidium, tamen si furtum sit rei sacræ, sit gravius, quàm homicidium ratione circunstantiæ sacrilegii, quia sacrilegium pejus est quàm homicidium. Hinc colligitur peccatum mortale cujuscumque speciei gravius esse quolibet veniali, quantumvis hoc gravius sit ex objecto, verbi gratia, fornicatio gravius est, quàm furtum veniale tenue. Ratio est, quia peccatum mortale dicit quoddam accidens diversæ speciei à venial, scilicet aversionem à Deo ultimo fine, ratione cujus simpliciter est gravius peccatum, quàm veniale. Loquamur ergo de duobus peccatis mortalibus, aut duobus venialibus, facta comparatione inter se. Et certum est peccatum quod est minus grave ex objecto posse habere majorem malitiam accidentalem ex circunstantiis. Similiter est certum, peccatum, quod est pejoris objecti, habere majorem malitiam essentialem. Sed dificultas est, quod sit dicendum simpliciter, & absolutè gravius? Respondit D. Thom. *quodl.* 1. *art.* 18. quem sequitur Cajetanus 2.2. *q.* 144. *art.* 3. Sylvester verb. *Perjurium, num.* 2. Vasq. & cæteri Expositores citati, quod simpliciter est dicendum gravius peccatum, quod ex objecto est gravius: & ita inquit D. Thomas, perjurium esse gravius peccatum, quàm homicidium. Et ratio est, quia objectum perjurii est pejus, quia contra Religionem.) Hactenus insignis Doctor Ludovicus Montesino inter Hispanos celebratus, qui ex præiactis principiis deducit, fornicationem accidentaliter esse gravius peccatum, quàm furtum, non verò essentialiter, & ex suo objecto, idemque cum Vasq. de sodomia dicendum putat, *n.* 85. & 86. unde apertè sentit simpliciter, & absolutè loquendo, furtum ex suo genere dicendum esse simpliciter, & absolutè gravius. Impugnatque expositione quorumdam asserentium peccatum fornicationis, vel sodomiæ, ultra malitiam contra temperantiam continentiæ aliam contra justitiam, ratione injuriæ, quæ fit proximo producendæ, vel quæ produceretur. Quam quidem doctrinam debere necessario amplecti putant (apud Amadæum) Zumel, & Herrera, ut juxta principia D. Thomæ defendi possit, sodomiam esse majus peccatum furto, quod est apertè fateri legitime ex illis contrarium deduci, si soli intemperantiæ sodomia opponatur. Quod cum aliis Theologis communiter imponit Vasquez, ut notat Amadæus supra. Quo posito ejus consequentiam urgere, nemo negare potest. Et talem necessario sentit M. Lopez de Texeda in *Theolog. Moral. lib.* 2. *tract.* 3. quia certum ibi supponit, peccatum contra naturam soli castitati opponi, & alibi argumento à nobis supra facto de oppositione cum majori virtute utitur, ad probandum homicidium esse majus peccatum fornicatione, quod eadem vi probat furtum esse majus peccatum ex ipso genere, quàm sodomia. (Probatur, inquit, quia, ut docet D. Tho. peccatum eo est gravius ex natura sua, & specie, quod opponitur directè majori virtuti, ergo cum justitia cui directè opponitur homicidium, sit longè major, & perfectior virtus, quàm temperantia, cui opponitur fornicatio, longè levius est peccatum ad fornicationem inducentis, quàm fœminam occidentis,) Hæc Texeda *sup. contr.* 10. *dub. ultim. num.*

num. 137. Quæidem de sodomia, & furto evincunt, ut ex terminis patet. Ubi ergo illa principiorum D. Thomæ immanis corruptela?

§. IV.

De calumnia in Corradum, & Sylvestrum truncatis eorum verbis, expostulavit Baronius *pag.* 103. ex eo nimirum (alia non est causa) quod Amadeus *tract. de matrim. prop. 2. num.* 4. referat formalia illorum verba, quibus irreverenter loquutos dicit contra dispensationes à Summis Pontificibus factas in voto solemni Religionis. Cum enim præfati Doctores defendant Pontificem non posse in voto solemni dispensare, & valido in contrarium argumento ex facto Pontificum urgerentur, respondent: (Se vidisse Pontificem facientem majora cum scandalo totius Christianitatis.) Quos cum reprehendere debuisset Baronius, respondum laudat, vel excusat, dicens: *Quid peccavit Sylvester in Pontificem Romanum.* Et in unum Amadæum stomachatur, imponens verba fuisse ab illo truncata. Sed in quo? in eo, inquit, quod *ad invidiam, & per summam calumniam subticuit Amadæus, quam addit Sylvester distinctionem facti & decreti Pontificis, illud ait interdum damnandum?* Sed bona venia, mala in fide scribit: Quia Amadæus non de decreto, sed de solo facto loquitur, & hoc à Sylvestro, & Corrado damnatum, dicit his verbis: (Ad quæstionem de facto respondet Corradus, &c. Et ante illum Sylvester, &c.) Non ergo verba truncata refert.

§. V.

D. Thomæ locum de electuariis perperam à Diana, & Amadæo lacessitum, conqueritur Baronius *fol.* 121. & 122. dicens: *Notam uterque inurit fuisimam lachrymis eluendam; sic enim illum accusat, delatore Diana 1. part. tract. 14. resol. 60.* &c. *Si vera ex illo referat; nec enim licuit adhuc locum Dianæ consulere*: Sic Baronius, cui ni ipse non coactus diceret, non crederem. Quod alios Authores non legerit, non miror, quia ut ipse fatetur *pag.* 51. *Vix centesimam partem habuit librorum, quibus Amadæus abutitur ad suam causam.* Mirabile vero omnibus erit, hominem tanta librorum inopia laborantem, & tot occupationibus distractum, ut nec Dianam, qui præ manibus erat, consulere licuerit, ausum fuisse suscipere provinciam respondendi libro Amad. Guimen. qui non rationum pondere, sed solum Authorum testimoniis, quod intendit evincit? Quem proinde impugnare in quæstione facti, Authoribus non rejectis, & locis collatis, impossibile prorsus est; idque maximè Baronio, qui non solum libros non vidit, sed nec Authorum nomen audivit, unde & eos Amadæum finxisse, non solum præeruditionis inopia sibi suasit, sed & pro intrepidi animi audacia scribere non dubitavit, dicens: *Placuit etiam* (Amadæo) *confingere, qui nunquam scripserunt, nec usquam extitere.* Nullum verò hujusce modi Authorum, nec in locorum syllabo, nec in toto suo opere nuncupare voluit, ne ignorantiæ convinceretur: quia verè nullus apud Amadæum confictus reperitur, licet plures Baronio, & parum versatis in Theologia morali, penitus ignoti. Sed ad rem nostram.

Omitto Baronium, non solùm Dianæ locum ab Amadæo relatum, ut fatetur, non consuluisse, sed nec Amadæum legisse, alias non scripsisset, fædissimam notam lachrymis eluendam D. Thom. inurere. Quia ut videre licet in Opusc. *tr. de jejunio, prop. 6. num.* 2. Amadæus potius vindicat Angelicum Præceptorem à calumnia, tum Dianæ, tum Clerici Minor s Hurtado, qui verba ejus diminuta, & truncata adduxerat, & fideliter ipse exscribens verum, & legitimum D. Thom. sensum exprimit, & approbat: legat, qui dubitet. Non ergo ab Amadæo fuit lacessitus, ut finxit Baronius.

§. VI.

Cajetani mentem malè explicatam de præceptis Ecclesiæ dicit Baronius *fol.* 126. *Amadæus*, inquit, *contendit transgressionem legis jejunii, vel nullum, aut tantum peccatum veniale esse ex Cajetano in sum. verb. Ieiunium.* Verum Amadæus id absolutè à Cajetano traditum non contendit, sed solum fideliter ejus verba refert, *tract. de ieiunio, prop. 6. num* 3. dicens: (Sed circa præceptum jejunii laxiora reperies apud Cajetanum in summa, Venetiis edita *anno* 1584. *verb. Ieiunium*, ubi ait: *Quantum est ex jure scripto, nullum agnosco inveniri peccatum mortale in fractione ieiunii Ecclesiæ si desit contemptus,* Instat Baronius, perperam trahi in istam opinionem ex alio loco, quo ibidem ab Amadæo citatur ex *sum. verb. Clericus.* Cæterum sat erat; quod *in verb. Ieiunium*, Cajetanus id tradidisset. Sed nil Baronio condonandum. Idem iterum assero *in ver. Clericus* à Cajetano traditum, adjunctis quæ ex 2. 2. ex illo refert Amadæus ubi supra dicens: Cajetanus *ver. Clericus in fine*, ait: (*Nec naturalis, nec humani juris præcepta omnia obligant ad mortale, sed ea solum, quorum transgressio contra charitatem est.*) Quod autem transgressio præcepti jejunii contra charitatem non sit, tradit ipse Cajetanus 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. §. *Ad hujus evidentiam in fine*, his verbis: *Quod in præsenti constat non habere locum, quia hujusmodi ieiunium constat, nec ad Dei, nec ad proximi dilectionem esse necessarium.* Ex duplici igitur hac præmissa, alia *in sum. verb. Clericus*, alia ex 2. 2. per legitimam consequentiam sententia justo laxior, & omnino reprobanda excusans à lethali transgressionem jejunii, apertè deduci videtur. Alii judicent. Non ergo perperam ex his locis pro illa, quam *verb. Ieiunium*, tradit sententiam Cajetanus adducitur.

Duo etiam apertè falsa superaddit Baronius: Aliud, verba Cajetani superius adducta ex *summ. edita anno* 1584. *verb. Ieiunium*, ubi ait: Ex jure scripto se nullum cognoscere peccatum in fractione jejunii deficiente contemptu: non reperiri in aliis summis. Quod evidenter falsum est. Leguntur enim etiam *in sum. Parisiensi, anno* 1530. *& in Salmantina anno* 1571. & in aliis, quas viderim. Aliud, Cajetani verba *ex verb. Clericus*, solùm excludere à culpa lethali transgressionem præceptorum ab Ecclesia, non verò præcepta Ecclesiæ: *Nam ibidem* (ait Baronius) *accutissimè distinguit aliud esse præceptum Ecclesiæ, aliud præceptum ab Ecclesia., & non excusat à mortali, quæ in quinque præcepta Ecclesiæ graviter impingunt, sed qui leviora lædunt.* Cæterum hoc etiam Baronii commentum est, quia in nulla ex tribus editionibus supra relatis, *anno* 1530. & 1571. & 1584. nec in alia mihi nota, talis distinctio præceptorum Ecclesiæ, & ab Ecclesia reperitur: lectorem in testem advoco. Sed ibi postquam *Clericorum specialia peccata ex transgressione juris positivi*, recensuit, subnectit, *Verum horum, & huiusmodi transgressio, si temeritas, si contumacia, si contemptus desit, non est peccatum mortale,*

meo judicio, quantum ex præcepto juris positivi pendet. Et sequentem solummodo exceptionem adhibet, dicens: *Quod ideò adjunxi, quia non loquor de peccato quo res Ecclesiasticæ malè consumuntur, nec de peccato scandali, nec de avaritia, inani gloria, aut luxuria, & similibus immixtis, nec de peccatis quibus se irregulares reddunt constituti in sacris ex actu prohibito, aut excommunicationem quicumque Clerici incurrerent.* De cæteris autem Ecclesiæ præceptis non meminit, sicut nec distinctionis illius à Baronio confictæ inter præcepta Ecclesiæ, & ab Ecclesia; & universim de omnibus præceptis tam *juris naturalis*, quàm *divini & humani asserit, ea sola ad mortale obligare, quorum transgressio contra charitatem est*, ideoque ad hoc recurrendum juxta Cajetanum ad discernendum, quænam ex præceptis Ecclesiæ sub lethali obligent necnè? Et cum ipsemet affirmet transgressionem jejunii contra charitatem non esse, planè videtur ex his præmissis deduci, jejunii præceptum sub lethali non obligare, quod falsissimum est, & ut scandalosum novissimè damnatum à Sanctissimo nostro Pontifice Maximo Alexandro VII. *die 24. Sept. anno 1665. prop. 23.*

Non tamen propterea dicas, nec Amadæus alicubi dixit, Cajetanum absolutè negare obligationem gravem jejunandi; concedere enim videtur in *sum. ver. Jejunium* ex communi interpretatione Ecclesiæ, aut ex consuetudine, ut videre licet apud Amadæum *tract. de jejunio, prop. 7. num. 4.* ubi hæc ex Cajetano adducit verba: (Ex communi interpretatione videtur vinculum præcepti obligantis ad mortale transgressores ex inobedientia, vel contemptu: & hoc ego non audeo ex jure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse præceptum obligans ad mortale, non jejunantem.) Quod antea etiam tradiderat expressius 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. §. *Ad hujus evidentiam.*

Ex præfatis Cajetani locis quibus ex jure scripto nullum agnoscit præceptum sub lethali obligans ad jejunium, dixit Amadæus, argumentum validum desumi posse ad tutandam opinionem contendentiũ in jure scripto, nullum contineri præceptum sub lethali obligans ad abstinendum ab ovis, & lacticinis tempore Quadragesimæ. Nam præceptum, inquit, abstinendi à lacticiniis, & ovis, quatenus est ex jure scripto, non magis urget, quàm præceptum jejunandi: hoc autem non obligare ad mortale, tradit expressè Cajetanus in sum. ver. Jejunium. Hæc Amadæus. In quem sic invehitur Baronius: *Ovorum, & lacticiniorum usum carere lethali peccato, si eo vacet ipsius Quadragesimalis jejunii violatio, ita est, sed unde probas jejunium solvi citra lethale peccatum? Cajetani, inquit, verbis quæ nulla prorsus apud illum extant. Vide hominis odium in jejunium, advocat testimonium Cajetani quod desideratur, vel numquam extitit, vel saltem Ecclesiæ mandato sublatum est.* His Baronius Amadæum impetit. Qua fide? Lector judicet. Quia verba Cajetani expressa supra dedi, quibus ex jure scripto nullum esse præceptum jejunii, sub mortali obligans affirmat; in tribusque editionibus supra citatis continentur. Quo ergo jure asserit, apud Cajetanum non extare, & vel nunquam extitisse, vel Ecclesiæ mandato sublata esse? Quæ fides in posterum Baronio in his, quæ ad Amadæi authoritatem elevandam congerit? Validum ergo ex uno præcepto ad aliud, argumentum desumitur, & obligationem abstinendi à lacticiniis, & ovis, ex sola consuetudine sub lethali adstringere, non vero ex jure scripto, vi saltem argumenti, ex Cajetano deducitur. Videatur Amadæus supra *num.* 3. ubi Cajetanus id expressè alibi concedens adducitur, cui nil Baronius respondet.

§. VII.

De calumnia illata Bannesio de aggressore præveniendo, expostulatio est Baronio, *fol.* 140. sed ab illa vindicant Amadæum plures Doctores pro ea sententia Bannesium referentes, quos adducit *tract. de just. p. 1. num.* 2. Unum repetere sufficiat M. Joannem Martinez de Prado, *tom.* 2. *Theolog. mor. d.* 20. *q.* 4. *num.* 24. ubi sic: (Dico licitum esse occidere injustum aggressorem, qui in praxi vulneradere, ita Sotus, & communiter Thomistæ, &c. Imò M. Bannez 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 3. ait: *Hæc est communis doctrina Theologorum benè sentientium, & si quis aliter sentit, judicio nostro contradicit Sacræ Scripturæ.*) Hæc M. Prado ex Bannez: cujus alia verba adducit M. Serra, & ex utroque Amadæus *sup. num.* 4. Nulla ergo calumnia de aggressore prævenendo Bannesio illata. Addo falsam, & contra mentem expressam Mag. Bannez esse interpretationem, quam ei adhibet Baronius, quoad opinionem aliam de calumniatore occidendo, ad quod, cum expressè docuerit Bannes sub disjunctione, sufficere certam mortis, *vel infamiæ* inde proventuræ notitiam (uter illo effert M. Serra apud Amadæum supra) mortis ipse determinatè inde sequuturæ notitiam à M. Bannez exigi asserit, quasi certa calumniæ, & infamiæ prævisio non sufficiat. Quod contra mentem M. Bannez est, & contra expressa illius verba, quæ adducit Amadæus *sup. num.* 4.

§. VIII.

Magistrum Holcot malè lacessitum ab Amadæo, conqueritur Baronius *fol.* 150. sed cur? Cum Baronius ipse verba non inficians illum vindicare non fuerit ausus à duplici hæresi, quam ab illo notatam Amadæus refert, *tract. de justit. prop.* 10. *n.* 3. Aliam *Deum posse esse infidelem.* Aliam *non solùm posse falsum dicere, sed eum id aliquando dixisse.* Retorquet Baronius, Amadæum gravius errasse, quia Deo æquivocationem, & restrictionem mentalem concedit. Sed de his in toto Opusculo, nec verbum apud Amadæum. Ut omittam æquivocationis, & restrictionis mentalis usum ex causa plures Doctores defendere; mendaciorum verò nullum, ne hominul quidem nedum Deo.

Placuit hic adnectere querelam aliam Baronii, quam licet ipse in syllabo non excerpserit; habetur men in opere, *fol.* 152. dicens: Immeritò adducit Cajetanum pro opinione asserente non esse peccatum mortale scripturam publicam falsare, quando minimum inde sequitur nocumentum; quia Cajetanus, inquit, interpretandus non est de scripturis publicis, sed de privatis. Cæterum quod de utrisque loquatur, constat apertè ex ejus verbis in *sum. ver. Falsarius*, ubi sic scribit. (Falsarius tam monetæ, mensurarum, & ponderum, quàm scripturarum, seu litterarum, aut sigillorum, peccat proculdubio mortaliter, quia intervenit ibi factum pernitiosum ex suo genere. Posset tamen veniale tantùm intervenire propter imperfectionem actus, vel ratione minimi nocumenti.) En de scripturis publicis, sicut de monetæ, & publicis mensuris apertè loquitur. De privatis verò infra subnectit, excusari posse à lethali (cui jocus grata alieno nomine, quis fingit litteras) imò, & quandoque etiam

etiam à veniali, (Contingit quoque, inquit, sine omni forte peccato fingere alieno nomine litteras officiosè, dum utiliter agitur eius negotium, nec dubitatur, quod gratum erit illi, cujus nomine subscribitur. Etin hujusmodi privatis litteris alieno nomine fictis ratihabitio à falsitate excusat:) De mente ergo Cajetani, quoad publicas scripturas, sicut nec quoad privatas, dubitari non potest: has enim ratione joci à lethali excusat; imò & ratione utilitatis alterius, à veniali etiam, & à falsitate; illas verò à solo lethali, vel propter defectum deliberationis, vel ratione minimi nocumenti. Non ergo immerito, sed jure optimo pro hac opinione illum adduxit Amadæus.

§. IX.

D. Thomam, & Sylvestrum falsatos ab Amadæo, dicit Baronius *fol.* 164. ex eo quod *tract. de usuris, prop.* 1. ex illis probaverit, ratione periculi in recuperanda sorte, licitum esse aliquid ultra illam exigere. Pro qua opinione supra duodecim adducit Authores, inter quos Sylvestrum apud Magistrum Serta, qui illum sequitur, & eius ratione probat, dicens: (Probatur ratione sumpta ex Sylvestro.) Hoc cuique sufficeret ad vindicandum Amadæum à calumnia Baronii. Sed vindicem etiam ipsum et Sylvestrum advoco. Ipse enim *verb. Usura*, 1. *quæst.* 15. sic ait: (Quæritur, quid si quis mutuet navigranti, vel nundinas adeunti recepturus aliquid ultra sortem, pro eo quod suscipit in se periculum pecuniæ, aut mercium, si salvæ redierint? Et distinguit Archi post Lau. Joannem de Neapol. & Joannem Cal. *& summam Pis.* Quia est usura, si recipit ultra sortem ratione mutui tantùm, non obstante ratione periculi. Et est casus *in d. cap. naviganti.* Et si militer si ratione mutui, & periculi simul ea ratione, qua recipit ratione mutui attende.) Non autem est usura, si recipit ratione periculi tantùm, ut pretium periculi, quia etiamsi non mutuaret, & periculum navigantis vellet in se suscipere, licitè perciperet pretium, nec efficitur deteriotis conditionis per hoc, quod ei seruit mutuando. Et concordat etiam Lau. de Ridol. & ita etiam tenet summa Angeli, & Rosella. Supplementum autem vult indistinctè, quod sit usura, *per dict. cap. naviganti*, etiamsi quid recipitur ratione periculi, &c. Sed dico, quod iste non benè intellexit textum.) Quem ibipse explicat, dicens usuram non intervenire, *ubi liberaliter quis mutuet, & deinde, ut assecurator suscipiat periculum cum pretio.* Sic Sylvester. Quibus nec Baronium textum intellexisse demonstratur, alias non ausus esset dicere Sylvestrum ab Amadæo fuisse falsatum.

Quoad D. Thomam, Baronii fides melior non est. Ait enim: *Falsissimum est, quod addit Amadæus D. Thomam Opusc.* 73. *cap.* 10. *docere semoto titulo damni emergentis, posse aliquid ultra sortem mercium numerari ratione solius periculi incerti.* Hæc Amadæo imponit Baronius, quia deh s, nec verbum apud illum; solùm enim ait Patrem Salas adducere D. Thomam pro opinione nuper ex Sylvestro, & aliis relata: ex illis forsan verbis D. Thomæ, quæ in *fine cap.* 10. subnectit damnans lucrum ultra sortem (provemens ex natura temporis sine exercitio laboris, & sine dubio periculi probabiliter possibilis evenire,) ubi supponit, ratione periculi probabilis excusari posse. Idem quod D. Thom. & Sylvester, dicit Baronius *fol.* 166. sentire Cajetanum. Unde nescio, cur ab Amadæo falsatum dixerit. Maximè cum Amadæus pro dicta opinione illum non adducat, sed pro longè diversa, ut videre licet, *ubi sup. tract. de usur. prop.* 6. *num.* 6.

§. X.

SOtum, & Bannez falsò accusatos ab Amadæo, expostulatio est Baronio *fol.* 168. dicenti: *Calumnias calumniis cumulat, dum Sotum, & Bannez Patronos adcenset opinionis relatæ*; scilicet, asserentis, ratione periculi expensarum ad recuperandum pretium posse catiùs vendi. Pro hac opinione (quam omnes docere, ait Salas *tract. de vendit. dub.* 41. *num.* 5.) adducit Amadæus, Sotum, & Bannez; non pro alia asserente ratione etiam periculi in recuperando pretio: ut falsò ei imponit Baronius, *pag.* 167. *&* 168. Amadæi verba *num.* 5. sunt: *Et saltem quod ratione periculi expensarum ad recuperandum pretium, possit cariùs vendi credito, tradunt Sotus, & Bannez.* Pro hac, inquam, opinione illos adducit, & plures DD. refert, *ubi supr. tract. de usuris, prop.* 1. *num.* 3. inter quos M. Serra pro se referens Sylvestr. & Medin. Item M. Petr. de Ledesma, M. Conrad. M. Acacium de Telasco. Pro qua M. Joann. Martinez de Prado apud Amadæum in edit. Matritensi, anno 1664 *num.* 5. sic ait: (Quam sententiam hodie esse communem inter Doctores, docet Bartholomæus à Sancto Fausto,) & pro illa stare Mag. Sotum, dicit M. Serra 2. 2 *quæst.* 77 *art.* 1. *pag.* 689. ubi ait: (Quartam partem (conclusionis) de expensis, & molestiis recuperandam pecuniam, concedit etiam M. Sotus,) cui consonat Joannes Martinez de Prado *tom.* 2. *Theolog. mor. cap.* 27. *quæst.* 3. §. 3. verba Soti adducens, quæ subjicio, (ubi omni procul fraude (ait Sotus 6. *de just. quæst.* 4. *art.* 1.) bonis conjecturis timentur expensæ, nempè dum tuus debitor à tuo loco distat, nulla est iniquitas de expensis, & laboribus, pactum cum illo inire, constitutumque pretium recipere, etiam si nullos sit postea facturus. Nam etiam si esset plura expensurus, non posset ampliùs recipere, quàm fuit conventione firmatum.) Sic Sotus: quibus apertè concedit, aliquid supra sortem exigere ratione probabilis periculi expensarum ad recuperandum pretium, licet simul tueatur non licere recipere ratione periculi pecuniæ amittendæ, quem propter inconsequentiam rejicit M. Serra *ubi sup.* 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4. *dub.* 4.

Sententiam Soti, quoad utramque partem, sequitur M. Bannez loco ab Amadæo citato; scilicet 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 4 *dub.* 6. ubi duplici se conclusione explicat. 1. *Posse in pactum deduci expensas faciendas in recuperatione debiti*: 2. *Ratione periculi, & metus recuperandi pretium, nil posse exigi.* Quapropter pro sententia Soti citari solet; (quem (ait Salas *de contr. tract de usuris, cap.* 22. *num.* 4.) Sotus, & Bannez imitari videntur.) Sed mirum esse debet, Baronium adeo solicitum in excusandis Soto, & Bannez ab ista sententia, cum ipsemet partem etiam, quam illi negant, approbet, & Cajetano cum eius interprete attribuat *fol.* 178. *&* 179. sic excusans ementem minoris ius ad æs alienum (*Si subsit*, inquit, *aliquod periculum amittendæ summæ, & sortis, vel sint faciendæ expensæ in ea recuperanda, nil vetat, quod viliori pretio ematur ius ad illam, attentis expensis, & diminutione pretii compensandis.* Poterit ergo similiter res cariùs vendi credito, quoties simile fuerit periculum, vel pretium amittendi, vel expensarum in eo recuperando: quæ est opinio M. Serra, & aliorum. Quo ergo fundamento dixit Baronius falsò accusatos? Ut quid illos vindicandos suscepit, cum ipsi sententia placeat?

§. XI.

EX Monte Pietatis calumniam Magistro Soto ab Amadæo illatam, dolet Baronius fol. 175. sed quænam? non explicat: nec poterit. Nam Amadæus solummodo relativè adducit verba Soti, *lib. 6. de just. quæst. 1. art. 6.* ubi non obstante declaratione, & diffinitione Leonis Decimi, qua sacro approbante Lateranensi Concilio, decernitur. (Montes Pietatis antea statutos, & authoritate Sedis Apostolicæ approbatos, in quibus pro eorum indemnitate, aliquid moderatum, ob solas ministrorum impensas, ultra sortem, absque lucro eorum montium, recipitur, nec speciem mali præseferre; quinimo meritorium esse, & probari debere tale mutuum, & minimè usurarium esse.) Post hanc, inquam, declarationem, & diffinitionem M. Sotus *ubi sup.* contrarium ex instituto defendit, dicens: (Arbitror ejusmodi rationem Montis neutiquam ab usuræ sordibus eluì posse.) Quod multis suadere conatur: idque in causa fuit, ut à nonnullis immodestæ, & irreverentiæ reprehendatur, & ab aliis severiori censura notetur. Hæc cum certa sint, & nil ex propria pharetra contra Sot. deprompserit, nec in hujus verbis referendis fidelitati defecerit, calumniæ Amadæus incusari minimè potest. Posset tamen ipse in Baronium retorquere, quia non solùm Soti conclusionem audacter defendit. Sed per calumniam alios in subsidium advocat, dicens: *Adde Concilium Lateranense & Leonem Decimum, ut observat Suarez tom. 5. de censuris, disp. 23. sect. 7. approbasse Montes Pietatis, quatenus non dissentiunt à sacris Canonibus.* Verum deceptus est Baronius, quia Suarez id non asserit, nec refert, nec Montis Pietatis ibi meminit, sed aliam versans quæstionem, ait: (Censuras Concilii Lateranensis, ut Cajetanus, & Navarrus adnotant, non esse usu receptas.) Verba autem quæ Baronius imposuit Suario, apud Sotum, ubi supra legit, qui Cajetanum id advertisse in suo Opusculo contra Montes Pietatis post Concilium Lateranense inscripto, ibidem adnotat. In quo forsan deceptus est Sotus, sicut & in tempore, quo Opusculum scriptum dicit ut notat Baronius supra: (*Sed hac de re* (inquit) *deceptus est Soto, quod crediderit Opusculum illud de Monte Pietatis scriptum fuisse ab Authore post Concilium Lateranense; cum autem ad calcem libri annotatum sit, illud absolvisse ann. 1496.*

Dixi deceptum, quia limitatio nil favere potest sententiæ Soti, cum certissimum sit, Montes Pietatis, ut à Leone X. & à Concilio Lateranensi approbatos, & ut licitos declaratos non dissentire sacris Canonibus: & tamen illos ab usuræ labe eluì non posse, dixit Sotus. Quem aliunde authoritate Cardinalis Bellarmini excusare, etiam intendit Baronius, dicens: (*Bellarminus etiam lib. 2. de Concil. cap. 13. ait dubium esse, an ultimum Lateranense Concilium verè sit œcumenicum.* Sed in hoc etiam à veritate deviat: quia Bellarminus loco citato id non dicit, sed alios id dubitasse refert, dum aliam exagitavit quæstionem de potestate Pontificis supra Concilium. (De Concilio, inquit, Lateranensi, quod expressè rem definivit, nonnulli dubitant, an fuerit verè generale, ideo usq; in hanc diem, quæstio supereset inter Catholicos.) Sic ex aliorum mente ubi supra propriam verò exprimit *c. 17.* inquiens: (Ad hunc locum Concilii nil potest responderi, nisi vel non fuisse Concilium generale, vel non definivisse hoc, tanquam de fide, sed non fuisse generale, vix dici potest, nam etsi fuerint Episcopi paucissimi; nam ad centum non pervenerunt; tamen Concilium omnibus patebat. Et in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præsidebat. Quod vero Concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum fide Catholica tenendum, contrarium sentiunt, & à temeritate magna excusari non possunt.) Hæc Bellarminus. Ex quibus dicere poterit, qualiter Soto, & Baronio faveat. Si enim Montes Pietatis, ut supra à Concilio expositos, æquè certum sit ex vi definitionis esse licitos, ac est certum Pontificem esse supra Concilium: Videat Baronius, quæ probabilitas sententiæ, quam ipse cum Soto defendit.

Instat M. Sotus, licet jure naturæ illicitos censeat Montes Pietatis, in quibus pro alimentis, & ministrorum, aliquid ultra sortem exigatur (quæ declaratione approbati sunt à Concilio) existimare tamen pro obligatione mutuandi, qua Monspietatis adstrictus est, licitum esse tenuissimum aliquid supra sortem exigere. Cæterùm sub lite est, an hæc doctrina substineri modo possit; quia obligatio mutuandi, & obligatio non repetendi mutuum usque ad certum terminum in æstimatione morali æquivalere videtur: pro secunda autem aliquid supra sortem exigere non licet, & contrariam sententiam M. Petri de Ledesma, M. Serra, & aliorum, quos refert Amadæus *tract. de usuris, prop. 1. num. 7. & 8.* damnavit, ut minimum, ut scandalosam Sanctiss. Noster Alex. VII. die 24. Septembr. anno 1665.

§. XII.

DE calumnia Cajetano illata, expostulat Baronius *fol. 178.* eo quod *tract. de usuris, prop. 3. num. 7.* dixerit Amadæus, Cajetanum *in summa verb. Usura, in fine, §.* (Coger) defendere, debita solvenda post annum, etiamsi liquidissima, & absque difficultate, & labore exigibilia, posse anticipate minoris emi. Quod autem injusta hæc expostulatio sit, ostendam evidenter ipsius Cajetani verbis, ita docentis ubi supra, quæ legere poteris *in edit. Parisiensi anno 1530.* & *in Salmanticensi anno 1571.* & *in Venet. anno 1584.* (Nec hoc (*inquit*) quod diximus de venditione, & emptione juris pagarum ex monte Genuensi, est singulare in illo monte, quoniam hoc est commune omni alteri juri quorumcumque creditorum. Possum enim licitè emere ius tuum, quo tibi deberentur ab altero mille aurei, & licitè emendo, dabo tibi minus mille aureis, præsupposito debito liquidissimo, & absque difficultate, & labore exigibili. Quoniam ius recipiendi ad annum mille aureos, tanti est secundum rem, & secundum usum, & humanam æstimationem, quam mille aurei. Hæc Cajetanus, cujus sententia adeo aperta est, ut expositione non egeat, nec ab homine sanæ mentis negari possit. Quapropter turpiori vitio Baronio vertendum, quod per calumniam hanc sententiam Cajetano illatam expostulet, & simul audeat dicere principium supra jactum, *improbatum esse à reliquis Thomistis, nec ab ullo receptum*, cum tamen apud Amadæum probabile illud putent M. Serra, M. Joan. de la Cruz, & M. Fumus, quos Baronius non vindicat, nec potest. Eo autem admisso: Quot absurda inde sequantur? Quot consequentiæ usuris viam aperientes? Demonstravit Amadæus argumento, cui solutionem Baronius non invenit. Nec consequentiam illam, qua actum est de usuris, aliter vitari posse autumat, quam asserendo Cajetani sententiam locum habere non posse, *nisi quando subest aliquod periculum amittendæ summæ sortis, vel sint faciendæ expensæ*

intra recuperanda. Quod est apertissimè illam deserere (quod ab aliis etiam exoptat Amadæus) cum Cajetanus ius ad mille post annum solvendos minoris emi posse, sentiat, licet debitum liquidissimum sit, & absque difficultate exigibile, quale non esset, si periculum amittendi sortem, vel saltem expensarum, in eo recuperando daretur.

Libuit huic assuere querelam aliam Baronii, fol. 170. licet ipse in syllabo contra Amadæum non exceperit; ait enim illum: *Fraude punienda invertisse verba Cajetani (verb. Emptio) quæ refert continuata serie, quasita habeant apud Cajetanum; cum tamen prima aut media postremo loco reponat, & ultima primo aut medio, uno verbo Cajetanum crucet, excarnificet, ut ab invito eliciat, posse citra usuræ vitium redimi minoris à venditore, quod pluris eidem vendiderat.* Fateor Amadæum claritatis gratia non tam Cajetani formalia verba, & ordinem observasse, quam legitimum, & genuinum eorum sensum, qui ut supra expositus, in illis continetur, nec invitus Cajetanus propinat. En ejus verba: (Quarto (emptio est illicita) ex pacto de retrovendendo, si pretium, quo emitur minus est, quam res valeat; habet enim speciem mutui palliati sub nomine emptionis. Unde si pretium est justum, contractus licitus reputatur, & communiter fit.) Casus est. Mercator vendit merces pretio justo credito, cum pacto de retrovendendo, quas postea ipse emit. Hanc emptionem, dicit Cajetanus, fieri illicitam ex pacto de retrovendendo, si pretium, quo res emitur, minus est, quàm res valeat, si verò pretio justo ematur, contractum esse licitum. Hic est apertus verborum Cajetani sensus. Quem propterea sic expressit Amadæus dicens, Cajetanum tenere, quod *quando venditur aliquid cum pacto de retrovendendo, si pretium est justum, contractus licitus reputatur, & communiter fit, scius si pretium quo emitur, minus est, quàm res valet.* Expendat lector, an Amadæus sententiam imposuerit Cajetano? An eam, quam ipse docet, ei attribuerit? Licet verborum ordine non nil transmutato, ut sensus magis innotesceret. An denique ab invito elicuerit, posse citra usuræ vitium redimi minoris à venditore, quod pluris eidem vendiderat? *Si enim pretium est justum*, ait Cajetanus, *contractus licitus reputatur*, potuitne clarius dicere? Nulla ergo punienda fraus hic intervenit.

CAPUT III.

Expostulationibus Baronii in loca, quæ de Religione, & eius partibus ab Amadæo depravata jactat, satisfit.

Pag. 201. *Falsata loca D. Thomæ, D. Antonini, Paludani, & Sylvestri de Horis Canonicis.*
Pag. 203. Soto Pag. 204. *Iterum Sotus malè citatus.*
Pag. 208. *Falsò accusatus D. Thomas de Sacramento Matrimonii.*
Pag. 212. *Enormiter truncatus D. Thomas de intentione Ministri Sacramenti, & illatæ calumniæ plures de Martyrii Baptismo, & de Ordine Episcopatus. Item pluribus calumniis aspersi, Paludanus, Tabiena, Cano, Cajetanus.*
Pag. 222. *Enormis impostura ex Opusculo supposititio truncatis.*
Pag. 232. & 233. *Horribilis corruptela de incestu, & de speciebus, & circumstantiis peccatorum confitendis.*
Pag. 244. & 245. *Mala fide citati de jure eligendi confessarium Cajetanus, Serra, Sotus, & Sylvester.*
Pag. 253. *Calumnia in D. Thomam de institutione Eucharistiæ.*
Pag. 254. *Alia calumnia in D. Thomam de confessione facta Laico.*
Pag. 257. *Alia in Cajetanum captata accusatio de confessione præmittenda ante Communionem.*
Pag. 260. *de Sacramento, & de Sacrificio Missæ D. Antoninus, & Sylvester falsò citati.*
Pag. 268. *Male Cajetanus citatus de simonia.*
Pag. 270. *Perperam accusatus Sotus.*
Et pag. 271. *Falsò explicatus à Sanchez & Amadæo.*
Pag. 274. & 275. *De censuris Cajetanus falsò citatus de excommunicatione inferentis manus violentas in Clericum.*
Pag. 281. & 282. *De sollicitantibus mala fide relatus Serra.*

Horrorem lectori tot citationes falsitatis incusatæ incuterent, si Baronii ubique mala non esset fides, ut in sequentibus demonstrabo.

§. I.

FAlsata ab Amadæo D. Thomæ, D. Antonini, Paludani, & Sylvestri loca, expostulat Baronius, *fol.* 201. Loca, scilicet, de Horis Canonicis, eo quod Amadæus *in tract. de Horis, prop.* 1. eos adduxerit pro opinione asserente, Beneficiarium, qui Officium Divinum voluntariè distractus recitat, satisfacere præcepto, hoc est, non peccare mortaliter, licet interius divagetur. Verum cum Amadæus nullum eorum locum referat, sed aliena fide Illustrissimi, ac Rever. P. M. Acacii de Velasco, ex Ordine Prædicatorum, Episcopi Oriolensis, & Rever. P. F. Leandri à Sacram. Ordinis Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Ministri Generalis, prædictos Authores adducat, non alia quam Baroniana fide dici potuit, eorum loca ab Amadæo fuisse falsata. An ab Acacio, & à Leandro? Non credam. Et ne dubia quidem fides Baronii maneat; vidi Sylvestrum, quem se etiam prælegisse jactat (quod miror) & in illo clarè reperio præfatam opinionem, tum ab ipso, tum à D. Thom. & à Petro de Palude traditam. En eius verba ex editione Antverpiensi, anno 1569. *verb. Hora undecimo quæsito, num.* 3. (Hoc præceptum (inquit recitand. Horas) quidam sic intelligunt, ut sub præcepto sit dicere devotè, & studiosè, ut devotio ad intentionem, studiositas ad modum dicendi referatur. Sic sensit supplementum, sed male, quia attente orare in Horis Canonicis, non est de jure divino, ut credit, sed positivo, quod ius positivum ad interiora non se extendit per se, sed tantum in quantum colligantur exterioribus, ad quæ se extendit, secundum mentem D. Thomæ, & Petri de Paludè, & communiter Doctorum. Unde præcipiendo exteriora, præcipere potest interiora, sine quibus illa esse nequeunt; sicut præcipiendo accessum ad Missam, præcipit velle accedere, &c. Alii verò dicunt, quod sub præcepto ibi cadit Horas dicere; cætera verò, quæ in devotione consistunt, suadendo dicuntur, &c. Quem sensum videtur habuisse Hostiensis, Arch. & summa Rosel. Sed isti licet verum dicant

(attende)

(attende) quantum ad hoc, quod attentio non est sub præcepto; non tamen quantum ad hoc, quod ea quæ in devotione consistunt, suadeantur tantum, &c.

Et ideo dico ex mente D. Thomæ, & Petri de Palude, quod ibi præcipitur devotio quantum ad actum exteriorem, ut non dicantur Horæ operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter syncopizando, & faciendo hujusmodi, quæ hic reprehenduntur. Et similiter quantum ad actum interiorem, sine quo iste exterior haberi non potest, cujusmodi est velle satisfacere præcepto Ecclesiæ, & psallendo velle abstinere à prædictis; non autem attentio, sine qua prædicta esse possunt.) Quamvis autem sub præcepto Ecclesiæ attentio interior non cadat, subnectit, & bene Sylvester ex Petro de Palude, voluntariam distractionem interiorem absque veniali non evenire, quod alii Authores non negant. (Requiritur tamen, inquit, quod mens ab officio scienter non distrahatur, &c. Evagatio autem advertenter secundum actum interiorem solum, licet sit temeraria, & gravis forte, non tamen est mortale, nisi propter contemptum, quia Ecclesia non habet judicare de actibus interioribus merè.)

Sic Sylvester, qui hanc sententiam à Petro de Palude, & à D. Thoma traditam asserit, dicens: (Sanctus Thom. prædictum intellectum Petri de Palude dedit eadem distinctione per hæc verba: Quando quis mentem ex proposito distrahit ad alia in orando, sine culpa non est, præcipuè si in aliis se occupat, quæ mentem distrahunt, &c. Si autem sine hoc quod percipiamus, mens ad alia evagetur (attende) vel culpa caret, vel minima erit.) Hæc ex D. Thom. Sylvester, cum Petro de Palude. Ex quibus apertissimè habemus, non peccare mortaliter Sacerdotem, aut Beneficiatum, qui voluntariè distractus recitat. Qua ergo fronte dixit Baronius eorum loca fuisse falsata ab Amadæo, cum nec ipse referat, & alii quorum fide adduxit, expressam eorum sententiam tenuerint?

His non contentus calumniis Baronius, alias cumulat, dicens: Amadeum prædictam opinionem tutam facere: (*Addito tot testimoniis isto argumento, Ecclesia non potest præcipere actus internos qualis est attentio mentalis: ergo etiamsi desit, nil peccat, qui pensum Horarum solvit, & officio vaga mente de industria recitato, fructus Sacerdotii suos facit.*) Verum Amadæus tale argumentum non addit, nec illius meminit, ut videre quisque poterit, *tract. de Horis, prop.* 1. Fingere voluit hostem Baronius, quem impugnaret; non tamen indiguit, cum apud Sylvestrum, si legisset (ut jactat) facile invenisset; licet, & huic etiam consequentiam, quam non deducit, imponat, quia non infert, nil peccare, sed non mortaliter, aut sub disjunctione cum D. Thoma: *Vel culpa vacat, vel minima erit.* An Baronius è regione his opponatur? Docti judicent.

§. II.

LOcum Petri de Soto falsatum, conqueritur Baronius, *pag.* 203. dicens: Amadæum illi imposuisse, omittentem Officium Divinum, nisi in pœnam ei à Prælatis imponatur, non teneri per se ad restitutionem fructuum. Sed causa homo cadet. Adduxit Amadæus formalia verba Petri de Soto, id asserentis, *in lectionibus de institut. Sacerdot. tract. de vita Sacerd. lect.* 4. *pag.* 385. in editione Lugdunensi, anno 1586. Nec eius verba Baronius inficiatur, licet Authorem non legerit, quia Petrum de Soto cum Dominico de Soto confundit, & quod ex illo refert Amadæus, isti attribuit dicens, calumniam illatam: (Quia Soto, *quæstione citata, art.* 6. *sibi hoc statuit; omisso pensu horario, non esse omnes singulos eii proventus restituendos, si impleta fuerint alia onera, & munera adjuncta Sacerdotio, præter pensum officium pensandum.* Hæc Baronius, sed non ex Petro, sed ex Dominico de Soto, qui libros de Justitia in quæstiones, & articulos digessit. Petrus verò in tractatus, & lectiones, in quibus nec verbum similem sententiam, quam ex illo Amadæus adduxit.

Magistrum Dominicum de Soto male alibi citatum ab Amadæo, *tract. de Horis, prop.* 1. *num.* 9. expostulat cum illo Baronius, *pag.* 204. ex eo quod dixerit Sotum putasse probabile cœcos, aut ita oculis caligantes, ut legere nequeant, non teneri recitare, licet Horas memoriter proferre possint. (Quandoquidem tenacitas illa memoriæ accidentaria ut, licet tutius esset, quod se obligatos censerent.) Ita Soti verbis ductus præfatam sententiam ab eo probabilem judicari, scripsit cum aliis Amadæus. In jure? Docti judicabunt, sicut & de titulo, quo Amadæum carpit ex hoc capite Baronius dicens: *Sed nullus hic finis falsitatum est, exolut ab hoc vorem, qui legere nequeunt, licet memoriter possint Horas recitare, & eius indulgentiæ Sotum falso Authorem inducat.* Amadæus non exolut, sed exolventes refert: sicuti aliarum opinionum Authores.

§. III.

DIv. Thomam de Sacramento Matrimonii falso accusatum, condolet Baronius, *pag.* 208. eo mirum, quod Amadæus *tract. de matrim. prop.* 3. *num.* 1. ad excusandos M. Sotum, & unum, vel alterum ex Thomistis, quos (etsi cum formidine) sequutus est P. Sà asserentes non esse mortale accipere per procuratorem Sacramentum Matrimonii in peccato mortali, dixerit eorum assertum forte innixum opinioni aliquorum ex antiquis, qui senserè Matrimonii Sacramentum non conferre gratiam, quam probabilem judicasse videtur D. Thomas, cum contrariam, quam sequitur, probabiliorem vocarit. Juxta communem Theologorum moralium aream, sic nomina hæc comparativa exponens, Amadæum vera referre non inficiatur Baronius, sed male referre censet, quia ly *probabilior*, & *probabilius*, & ejusmodi verba, secundum regulas D. Thomæ interpretanda, inquit, sunt, *adversativè, non comparativè.* In quam ergo expositionem, ubique venterem, nil alibi nomen istud *probabilius* comparativè accipiam apud D. Thomam invenissem. Sed juxta subjectam materiam adversativè tantum usurpetur lubens admittam, ne sententiam hæreticam, ne ut probabilem quidem, etiam ante rei diffinitionem à D. Thoma judicatam, concedam. Quia in posterum solutione vindicari poterunt Doctores alii, quibus absurdissimæ sententiæ imputari solent; eo quod contrariam, quam sequuntur, modestè satis probabiliorem dixerint, cum omnino certam vocasse debuissent.

§. IV.

ENormiter truncatum D. Thomam de intentione Ministri Sacramenti, lachrymatur Baronius, *pag.* 212. An jure? Doctos in judices advoco, dum

pag.

prius causæ merita expenderint. Igitur Amadæus, *tract. de matrimon. prop. 2. num. 10.* duo Angelici Præceptoris adducit loca: Alium *ex 4. sent. dist. 6. quæst. 1. art. 2.* Alium *ex 3. part. quæst. 64. art. 8. ad 2.* In quibus Angelicus Doctor planè assentitur opinioni asserentium, deficiente intentione in baptizante puerum, Deum eam supplere, quantum ad ultimum effectum, conferendi scilicet gratiam, & salutem. Hanc opinionem cum referat Amadæus locis citatis traditam, Ex primo ex Sententiariis, hæc solum excerpsit verba: (*Si desit mentalis intentio in baptizante puerum, piè creditur quod Summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat.*) Quibus non contentus, quia libros sententiarum juvenis D. Thom. scripsit, subnectit Amadæus immediatè. (Quod iterum tradit *3. part. quæst. 64. art. 8. ad 2.* dicens: *Quidam dicunt quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in pueris supplet Christus; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio: Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis; sed quantum ad characterem, non videtur per devotionem accidentis posse suppleri.* Hactenus D. Thomas, quibus tam in uno, quàm in altero loco, aperte consentit opinioni asserentium, deficiente intentione Ministri, Deum supplere defectum, quoad ultimum effectum, conferendo pueris gratiam justificantem: quod ex D. Thomæ discipulis etiam defendunt M. Paludanus, M. Jabellus, M. Bartholom. ab Angelis, M. Zanard, & M. Viguerius, quos refert Amadæus, *tract. de Baptismo, prop. 2. num. 11.* in edition. Matrit. anno 1664. Quorum opinioni facit etiam alia ejusdem D. Thomæ *in 4. dist. 24. quæst. 1. artic. 2. quæst. 3.* ubi ait: *Quod si quis, non baptizatus Ordinem Sacerdotalem suscipiat, (Non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali, &c. Sed tamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, Summus Sacerdos suppleret defectum.* Quod igitur in hoc loco de absolutione à non Sacerdote tradit, id ipsum de Baptismo à non habente intentionem baptizandi, piè credendum asserit, id est, nullibi Sacramentum confici, & utrobique Deum gratiam justificantem conferre: sic in editione Veneta, anno 1593. His positis.

In quo ergo enormis illa D. Thomæ truncatio? Excipe ab ipso Baronio *supr.* ubi in Amadæum sic invehitur. (Divo Thomæ instruit insidias *ex 4. sententiarum dist. 5.* (*6.* voluit dicere) *artic. 2.* ubi referens aliorum opiniones, sic præfatur: *Quidam dicunt, si desit intentio mentalis baptizandi puerum, piè creditur, quod Summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat.* At Amadæus, punienda fraude, eraſis primis verbis: *Quidam dicunt*, reliqua refert, quasi dicta à D. Thoma ex propria mente, si desit intentio baptizantis suppleri à Deo. Nec contentus impegisse in hunc errorem, adjungit alterum de Baptismo Martyrii.) Multa hic ad trutinam vocanda: Primum, quod Baronius ausus fuerit dicere errorem opinionem, quam D. Thomas sustinet, *3. part. quæst. 64. citata*, verbis supra allatis. Secundum, quod illorum ex industria meminisse noluerit, cum apud Amadæum legisset: eo quod in illis non desiderentur ea verba, *Quidam dicunt*: quibus non obstantibus, ex propria mente, eorum opinioni suum suffragium D. Thomas adjunxit, & suppleri intentionem Ministri, quoad ultimum effectum gratiæ justificantis admisit. Nil ergo in D. Thomam peccavit Amadæus, ex eo quod in loco ex Sententiariis verba illa, *Quidam dicunt*, omiserit, cum in alio *ex 3. part.* expresserit, & nullibi opinionem imposuerit, sed quam D. Thomas utrobique amplectitur, deprompserit.

Sed ut loco beneficii reponat Baronius, quam enormem truncationem incautè vocavit; Duplicem solutionem, loco citato, *ex sentent. dist. 6. art. 2.* adhibet D. Thomas secundo argumento neganti necessitatem intentionis Ministri. Aliam deficiente intentione baptizantis, Deum conferre gratiam justificantem; Ministrum verò non conficere Sacramentum Baptismi. Aliam, & gratiam conferri, & Baptismum confici. Ex his duabus solutionibus primam tantum D. Thomæ attribuere voluit Amadæus, etsi utramque juxta eius mentem esse, non dubitarit. Quas hic per extensum referre cogor, ut Amadæum apertissimè vindicem ab impostura opinionis, quam errorem vocare, Baronius non timuit.

Argumentum igitur, quod ibi secundo sibi objicit D. Thomas, ejusmodi est: *Intentio hominis non est alicui certa, nisi sibi: si ergo requiritur intentio ad Baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus, nisi apud eum, qui baptizavit. Et hoc est inconveniens, quod homo sit in tanto dubio salutis.* Huic igitur argumento duplicem solutionem supra expositam tradit D. Thomas, his verbis: (Ad secundum dicendum, quod ad hoc, secundum diversas opiniones, respondetur. Quidam dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptismi; tamen in adulto supplet fides, & devotio defectum Baptismi, ut periculum ex hoc, baptizato, qui ignorat intentionem baptizantis, non proveniat, si autem puer, creditur piè, quod Summus Sacerdos, scilicet, Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat, &c. Alii dicunt, quod in Baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.)

En D. Thomas duplici solutione, secundum diversas opiniones, respondet, & utrique adhæret, & forsan magis secundæ, cum secundo loco reponat. Amadæus verò, obsequii ergo, primam tantum memoravit, ut distantiorem ab hæresi in Concilio Tridentino, *sess. 7. canon. 11.* damnata. (Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.) Certissimum enim est huic Tridentini definitioni minus repugnare asserentes, deficiente intentione Ministri, Baptismum non confici; Deum verò eius defectum quantum ad ultimum effectum gratiæ justificantis supplere; quam qui & Baptismum etiam confici asseruerint. Hanc enim doctrinam gravissima censura Doctores inurunt apud Amadæum in edit. Matrit.

Hæc igitur cum sic se habeant, cur tantus Baronio in Amadæum stomachus? Cur D. Thomæ insidias instruere dixit? Cur *pag. 217.* illum iterum carpit, dicens: *Adversarii calumniam deteximus revera severissimè castigandam, nisi atrox scelus majus supplicium esset qualibet pœna à nobis deposcenda: imò Deum precamur, ut quas commeruit, condonet.* Quorsum hæc Baroni? Quod Amadæus D. Thomæ sententiam referens ex duplici loco, alio ex Summa Theologica, alio ex Sententiariis, verba illa. *Quidam dicunt*, in uno suppresserit, tanto supplicio

dignus

dignus est? Hæccine est calumnia severissimè castiganda? Hocce atrox scelus? Apage.

Adde Baronium, solutionem, quam Amadæus D. Thomæ attribuit, non calluisse, nam cum primam, ut vidimus exscripserit, falso illi imponit, in patronum secundæ D. Thomam advocasse, nimirum asserentis Deum supplere intentionem Ministri ad validum Baptismum necessariam, ideoque Baptismum confici, licet intentio baptizandi deficiat. *Si Amadæo*, inquit, *fides ulla sit, ipse D. Thomas non omninò certus figit pedem, sed in hoc lubrico titubat, & cadit, cum supplementum aliquod intentionis ad validum Baptismum necessariæ repetit à Deo Summo Sacerdote.* Sed deceptus est Baronius, quia, ut ex dictis apertissimè constat, in illa prima solutione, quam D. Thomas admittit, & ei Amadæus attribuit, supplementum intentionis ad valorem Baptismi necessariæ, non à Deo repetit, sed solummodo ait, Deum supplere defectum intentionis, quoad effectum ultimum, id est, non confici Baptismum, Deum verò gratiam justificantem, non baptizato ex misericordia conferre. Hoc piè credi posse in prima solutione D. Thomas concedit. An verò in secunda, quam consulto prætermisit Amadæus, quod ei imponit Baronius, contineatur? Doctores judicabunt. Secunda enim solutio fuit ad conficiendum Baptismum, *non requiri intentionem Ministri, sed sufficere expressionem intentionis per verba ab Ecclesia instituta, dum nil exterius dicatur, quod intentionem contrariam exprimat.* Video hanc solutionem (quam iterum tradit 3. *p. quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 2.) Baronium errorem appellasse, dum ab Amadæo confictam censuit, dicens: *Nec contentus impegisse in hunc errorem, adjungit alterum de Baptismo Martyrii.* Ideo D. Thomam aliter, ac verba sonant, explicandum censeo cum Cajetano, & Soto apud Amadæum omnino videndum in editione Matritensi, *tract. de Baptism. prop.* 2. *num.* 10. *fol.* 235.

§. V.

EXpostulat etiam Baronius, ubi *suprà* (sed præcipuè *pag.* 218.) de pluribus illatis calumniis D. Thomæ, de Martyrii Baptismo, & de Ordine Episcopatus. Quoad martyrium verba nuper relata apud illum reperio, quæ non satis capio; quia nec Amadæus putat errorem, nec D. Thomæ quidquam imponit. Ejus enim formalia verba adducit *ex* 3. *part. quæst.* 66. *art.* 12. ubi martyrium sine charitate non habere rationem Baptismi asserit. *Ad secundum dicendum, quod effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate, ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis.* Hæc D. Thomas, quem Amadæus exponit de Baptismo sanguinis adultorum: nam parvulorum, ut Sanctorum Innocentium, certum est non includere Baptismum flaminis, utpotè carentium actu fidei, & dilectionis. In quonam, rogo, illata D. Thomæ calumnia? Ni forsan in eo contendat, quod Amadæus inquirat: cur adulti non disponantur sufficienter per attritionem ad Baptismum sanguinis, sicut & ad Baptismum aquæ? De hoc autem merito dubitavit, sicut & plures alii, qui contra D. Thomam attritionem, sufficientem dispositionem putarunt, inter quos M. Serra, *tom.* 1. *de Sacr. quæst.* 66. *art.* 12. *dub.* 1. *fol.* 183. cujus verba adducit Amadæus *in edit. Matrit. tract. de Bapt. prop.* 2. *n.* 15. *in fine.*

Quoad Ordinem Episcopatus, ait Baronius *supr. pag.* 218. *Venenosa magis est accusatio, quasi nolit D. Thomas nullam conferri gratiam consecratis Episcopis, sed mera calumnia est.* Verum Amadæus, *tract. de martyrm. prop.* 1. *num.* 6. ubi rem hanc attigit, id à D. Thoma nusquam dictum non asserit, sed vi consequentiæ deductum ex ejus opinione ibi relata; scilicet, quod *Episcopatus non est Ordo.* Et iterum: *Episcopatus non est Ordo, secundum quod Ordo est quoddam Sacramentum.* Episcopatum verò esse Ordinem distinctum à Sacerdotio. Imò (*& quemlibet horum duorum Ordinum verum esse Sacramentum certa fide habendum esse*, ut Petrus de Soto apud Amadæum. An vero negata distinctione horum Ordinum, ut Baronius negat, & affirmata sola extensione characteris Sacerdotii in consecratione Episcopi, non confertur novo, seu distincto Sacramento, novum gratiæ augmentum in tali consecratione ex opere operato conferatur? non est adeo exploratum, ut vi consequentiæ negari non possit. Quia non iterato Sacramento, gratiam Sacramentalem sic augeri, aut de novo conferri, nullibi definitum est, nec ratione adeo innititur, ut oppositum improbabile efficiat. Id vi argumenti ex D. Thom. opinione rectè deducit, putavit Amadæus.

Pluribus calumniis Paludanum, Armillam, seu (ut ipse vocat) Tabienam, Canum, & Cajetanum ab Amadæo aspersos, *prop.* 2. *de Bapt.* clamat ubi *supr.* Baronius, *fol.* 2. 4. sed nullo prorsus fundamento. Nam omnium verba fideliter exscripta (quod ipse non inficiatur) Amadæus refert. Imò Baronius ipse, licet Cajetanum deferat, & Paludanum intendat reponere, tamen opiniones Tabienæ, & Magistri Caniamplectitur, Armillæ verò nullam: putavitenim eruditus vir Armillam, & Tabienam eundem esse Authorem, cum sint valde diversi: quia Armilla summa est Magistri Bartholomæi Fumo, non Joannis de Tabiena, quem laudat Baronius, & allectionibus ibidem adductis consentit. Atque adeo adscribendus est opinioni Tabienæ asserentis: (Ad hoc quod aliquid determinatum ab Ecclesia, non possit esse falsum, requiritur, quod determinetur, ut pertinens ad fidem, dicendo contrarium esse hæreticum.) Et quod tenere contra determinationem Ecclesiæ, antequam sit, ut suprà determinatum (potest esse) ne hæresi, & sine peccato.) Quas propositiones gravi nota dignas censeo. Item adjungendus Baronius, Cano defendenti Pontificem posse errare in approbatione Religionis, & in canonizatione Sanctorum. Quod malè audit apud Doctores, quos adducit Amadæus, ubi *suprà*.

Deserit tamen, & merito Cajetanum asserentem parvulos, qui moriuntur in utero, salvos fieri absque Baptismo, sicut & illos, quibus baptizandis, aqua defecit. Quos benedictione, aut precatione pretium salvandos putat. Quod docuit etiam ex eadem familia Margarita Confessorum, quam refert Amadæus in editione Matritensi, anno 1664. Quos sequutus est Campanella, teste Baronio, *sup. fol.* 235. & 216. cui quoad sodalem fidem facit; non vero quoad subsidium, quod pro erronea ista opinione ab Eminentissimo Cardinali de Lugo mendicatum refert. Quia nullo testimonio comprobat, & aranea Doctore alienissima est.

Paludanum, ut prædixi, exponit Baronius, quod propositionem illam, quam fidei contrariam dixit Suarez apud Amadæum *supr. tract. de Bapt. prop.* 2. nimirum (in omni propositione nota per fidem infusam, semper Deus est subjectum, quantumcumque prædicatum sit non Deus.) Quid autem sit subjectum, quid prædicatum in propositione? adeo notum

horum tyronibus etiam est, ut pudeat explicare, licet Baronius cogat: quia nomine subjecti, & prædicati propositionis, non intelligit duo extrema, quæ media copula illam conflant, sed subjectum propositionis notæ per fidem, inquit, esse objectum formale, ratione cujus intellectus ad assentiendum propositioni movetur, & idem consequenter dicere tenetur de subjecto cujuslibet propositionis, sive per fidem humanam, sive per scientiam notæ. Quod primis rudimentis Logicæ contradicit. Hac violenta, & exorta vocum expositione Paludanum ab hæresi excusat Baroltus. Ab intentione laudandus.

§. VI.

DE enormi D. Thomæ impostura, verbis ex Opusculo supposititio truncatis, expostulatio est Baronio, *pag.* 222. Ex eo nimirum, quod Amadæus, *tract. de pœnit. prop.* 19. *in fine.* Ex Opusculo 65. D. Thomæ, §. (De cautela in confessione habenda) hæc fideliter scripserit verba: *Si infirmus petit pœnitentiam, & antequam Sacerdos veniat ad eum, fit mortuus, vel amiserit loquelam, Sacerdos habeat eum pro confesso, & post mortem absolvat eum.* Fatetur Baronius verba; conqueritur tamen de enormi impostura Opusculi, quod D. Thomæ non esse, totis nixibus conatur ostendere: & Amadæum carpit, quod D. Thomæ illud adscripserit: (*Non adeò perversi*, inquit, *aut obtusi criterii in recensendis Authorum libris Amadæus est, ut nisi excæcasset animum libido carpendi D. Thomam non posset facile agnoscere illud Opusculum, nec stylum, nec eruditionem, gravitatem, & modestiam Sancti Doctoris respere. Nam ut omittam infinita argumenta: Sancto Doctori omnino insolens est, quodcumque convitium, aut verbum asperius dictum, &c. At Sacerdotes, qui aliquid peccant in administrandis Sacramentis*, stultos, & furiosos *vocat Author illius Opusculi, quod à D. Thoma adeo alienum est, ut ne dicam Sacerdoti, sed nec etiam Atheo stultitiam notam voluerit inustam, contentus opinionem stultitiæ damnasse.*) Hanc D. Thomæ modestiam Amadæus in toto Opusculo imitatus est. Utinam, & Baronius, cujus liber tot in Amadæum dicteriis, probris, & calumniis scatet, ut vel ex hoc configendus venisset, nisi prævie vix prima luce potitum, dum adhuc sub prælo esset, velut in utero suffocasset prohibitio Sanctissimi Nostri Alexand. VII. in Bulla, *Cum ad aures*, expedita die 26. Junii anno 1665. propter censuram Sorbonæ, quam ibi laudatam, & insertam trahit, non veritus fulmen Apostolicum, quo in præfata Bulla feritur: *Neque in libris, aut etiam scripturis publicis, vel privatis illas allegare sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem nobis, ac Sedi Apostolicæ reservamus.* Et infra: *Insuper libros & opera, in quibus præfatæ censuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur, Apostolica authoritate prohibemus.* Quibus non obstantibus, nec opus prælo subtraxit, nec à divulgatione abstinuit. Hæc est illi in Sedem Apostolicam reverentia!

Congratulatur verò Amadæus Baronio, quod præfatum Opusculum 65. quod inter D. Thomæ opera circumfertur, alienissimum à D. Thoma divulget, & ab eius operibus abrasum non fuisse, doleat, quod jam præstiterat Amadæus in editione Matritensi, anno 1664. concludens: *Quapropter mihi suadeo illud Opusculum non esse D. Thomæ.* Sed unde? Ex eo nimirum, quod eius Author ad errorem comprobandum, duplici abusus est textu: alio *ex dist.* 1. *de pœnit. cap. multiplex*, in quo contrarium expressè decidtur, ibi: (*Quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.* Alio *ex cap. à nobis, de sentent. excommun.* qui omnino extra rem est, quia in illo tantum est sermo de absolutione ab excommunicatione, quæ etiam defuncto conferri potest. Ab hac autem non valet argumentum ad absolutionem à peccatis, ut omnes Theologi inconcussum habent. Quapropter jure optimo Amadæus in dicta Matritensi editione Opusculum illud 65. adulterinum D. Thomæ opus judicavit. Et sanè valde miror, quod vel ex hoc absolutionis post mortem delirio, inter tanti Doctoris volumina circumvolui, tot annis PP. Dominicani passi fuerint, & inter dubiæ fidei Sancti Doctoris opera, illud admiserint, cum citra omne dubium, ut intrusum excludere, & eradere debuissent.

Sed restat adhuc Baronio querela, quod Amadæus in editione Valentina, anno 1661. (quam postea mendis refertam Typographi Lugdunenses è suo prælo evulgarunt) omiserit textus supra adductos, *ex cap. multiplex*, & *ex cap. à nobis.* Fateor, sed non castiganda fraude præterit (ut temerè dixit Baronius) sed quia sententiam referre contentus de Authoris fundamentis, ut de more illi est, non curavit. Et quidem si is fuisset illi animus, quem per calumniam affinxit Baronius, nempè *insidias instruendi Angelico Præceptori*; non omisisset erroris subsidium à præcitatis juris capitibus petitum, cum ex illis potissimum, & novum insidiarum caput parare potuisset, non solùm sententiam erroris incusando, sed etiam inscitiæ arguendo, utpotè ex duplici juris capite depromptam; alio expressè contrario; alio extra rem adducto. Nullius ergo criminis accusari potest Amadæus: nullius impostura, nec truncationis loci: cum nec Opusculum, nec verba ex illo excerpta finxerit, nec errorem excusantia omiserit, sed quæ potius cumulabant.

§. VII.

DE horribili corruptela D. Thomæ, de incestu, & circunstantiis peccatorum confitendis expostulat Baronius, *pag.* 232. & 233. eo quod Amadæus, *tract. de pœnit. prop.* 4. adduxit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9. pro opinione asserente incestum esse unam determinatam speciem luxuriæ, & consequenter omnes gradus consanguinitatis, vel affinitatis, nec inter se, nec hos ab illis specie distingui. Unde cum Angelicus Doctor pluribus in locis teneat circunstantias aggravantes intra eandem speciem non esse de necessitate confitendas, planè ex his præmissis deduxit, in doctrina D. Thomæ eum, qui cum matre incestum habuisset, præcepto confessionis satisfacere, se accusando de incestu, occultando gradum. Quod tradunt apud Amadæum decem Doctores.

Nihilominus de horribili corruptela supra citati loci D. Thomæ, accusat Baronius Amadæum, his verbis: *Infœlicitatem reputo necessarium cum hoc homine certamen, cum non tam scholæ nostræ, quàm Religionis Christianæ causam ago. D. Thomam nego docere eo articulo quidquam eorum, quæ illi affingit per summam calumniam Amadæus.* Sic Baronius. Sed quo jure? Qua fide? Verba D. Thomæ sententiam ferent, cum præmisero pro eadem opinione, qua Amadæus, referre D. Thomam quàm plures gravissimos, tam domesticos, quàm extraneos Doctores, inter quos Bartholomæus à Sancto Fausto,

apud Dianam, *part. 5. tract. 14. resol. 56. §. Quæro sexto*, sic scribit: Quia juxta opinionem D. Thom. 2.2 *quæst. 154. art. 9.* & Cajetanum ibi, omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt ejusdem speciei in genere moris, sufficit, ut ille, qui cum matre, vel filia, aut sorore carnaliter peccavit, dicat: Commisi incestum semel, aut bis non explicando personam, cum qua peccavit. Et quamvis gravior sit incestus cum matre, vel filia, quàm cum sorore, vel consobrina; tamen quia ista gravitas auget malitiam intra eandem speciem, non est necessario confitenda.) Hæc Faustus apud Dianam *suprà*. Qui ejusdem sententiam tenet, tum ibi, tum 1. *part. tract. de circunstantiis aggravantibus, resol.* 31. dicens: *Et hæc opinio D Thomæ magis placet*, pro qua adducit Magistrum Nunno, *in Additionibus ad* 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. his verbis: (Dicendum est igitur cum Nunno, diversitatem graduum non facere diversitatem specificam in incestu, sed esse circunstantiam aggravantem, quam ego probabiliter puto, non esse in confessione necessario explicandam.) Et primam hujus sententiæ partem; nimirum omnes incestus esse ejusdem speciei, ultra Cajetanum, quem citatum 2.2. *quæst.* 154. *art.* 9. sequitur Bonacina, *tom.* 1. *quæst.* 4. *punct.* 16. tenent M. Canus, & M. Sotus, ut testatur Vasquez, *tom.* 4. *in* 3. *part. quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 10. §. *Tertio*, dicens: (Quod gradus incestus non differant specie, docent Canus, & Sotus, ubi *suprà*, & existimant esse sententiam Sancti Thomæ, & Cajetani 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 9.) Quos sequitur M. Joannes de la Cruz *in summ. præcep.* 6. *art.* 4. *dub.* 6. *concl.* 2. ubi ait: (Inter proximiores consanguineos, aut affines erit gravior incestus intra eandem speciem. Imò in primo gradu gravior erit incestus cum matre, aut filia, quam cum sorore.) Nihil ergo affinxit Amadæus D. Thomæ, dum ei adscripsit gradus consanguinitatis, & incestus, nec inter se, nec ab affinitatis gradibus specie differre. Nulla ergo, nedum horribilis, loci corruptela interfuit, cum hanc fuisse Angelici Præceptoris mentem, non solùm Doctores extranei, sed domestici etiam fateantur. Quos si evolvisset Baronius, inauditam sibi sententiam tantopere non exhorruisset. Nec si D. Thomam legisset.

Sententiam igitur, de qua est sermo, apertam esse D. Thomæ, licet Authores citati suadere sufficerent; eius tamen productis verbis probandum suscipiam. Disput. 2.2. *quæst.* 154. *art.* 9. *Vtrùm incestus sit determinata species luxuriæ?* Et conclusio est affirmativa. Imò supponens ut certum gradus consanguinitatis inter se non differre specie, nullum ex hoc capite contra conclusionem producit argumentum, sed tantummodo ex distinctione inter gradus consanguinitatis, & affinitatis. Quos specie distingui, primo intuitu dicendum videbatur, & consequenter incestum cum consanguinea ab incestu cum affini. Ideo argumentum contra hanc solum partem, sic sibi objicit. (Incestus est consanguineorum, vel affinium abusus, sed affinitas differt à consanguinitate; ergo incestus non est una species luxuriæ, sed plures.) Cui concessa majori, negat minorem; & inde consequentiam, inquiens: (Ad secundum dicendum, quod persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam, & ideo quia unum est propter aliud, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, & affinitas.) Sic D. Thomas. Quod tamen non tollit intra eandem speciem gravius peccatum esse incestum cum matre, quàm cum sorore, & hunc quam cum sorore uxoris. Quod adnotavit Cajetanus, Angelicum Doctorem sequutus *sup.* §. (Ad secundum vero,) ubi ait: (Verum est hujusmodi incestus differre secundum gravitatem absolute, quia gravius est secundum se peccatum incestus cum sorore, quam cum sorore uxoris, sed hoc non sequitur diversitas specifica: gravius namque est furari mille, quàm decem, & tamen non distinguuntur specie. (Et infra.) Et hinc habes, quod peccatum carnale commissum cum consanguinea ejusdem, est speciei cum commisso cum affini. (Itaque non oportet te in hujusmodi circunstantiæ diversitate sollicitari de necessitate.) Similiter ergo incestus cum matre, gravior est, quàm cum sorore, quia cum matre conjunctus est filius immediate, & se ipso, cum sorore autem ratione parentum, ex quod eadem sit utriusque origo. Unde personæ ita, ait D. Thomas *suprà*: (Cum non conjungantur per se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam.) Ac proinde peccatum incestus minus grave est cum sorore, quàm cum matre: & cum sorore gravius, quàm cum uxore fratris, quia uxori fratris non est conjunctus per ordinem ad ipsam, sed propter fratrem consanguineum sibi conjunctum. Unde provenit, & quod intra eandem speciem una indecentia minor sit alia, & quod eadem prorsus ratio, qua D. Thomas probat, incestus inter consanguineos, & affines non differre specie, potiori jure probet, nec incestus intra gradus consanguinitatis inter se, sicut neque etiam intra gradus affinitatis.

Hæc ex D. Thoma observat Cajetanus, ubi *sup.* §. (Ad evidentiam) *propè finem.* Quædam, inquit, est naturalis reverentia consequens per se, & immediatam conjunctionem carnalem personarum: & hæc est inter parentes, & proles. Quædam verò est, quæ consequitur conjunctionem carnalem non per se, & immediatam, sed media conjunctione in parentibus, seu filiis, & hæc est inter reliquas personas tam consanguinitate, quàm affinitate conjunctas; nam nullæ tales per se ipsas junctæ sunt, secundum carnem, sed mediante patre, aut matre, seu filio, aut filia, ut pater discurrendo.) Cum ergo conjungi immediatè, & mediante alio, seu conjungi per se, vel per ordinem ad alium, ad eandem speciem pertineat, in doctrina D. Thomæ; consequitur planè, incestus omnes intra gradus consanguinitatis inter se ejusdem esse speciei, non minus quam incestus intra gradus consanguinitatis, & affinitatis. Et sanè si ita non esset, falsa prorsus esset conclusio, *incestum esse determinatam speciem luxuriæ, & non plures.* Nam licet consanguinitas, & affinitas unam speciem conflarent; gradus tamen consanguinitatis inter se, plures species constituerent; quod est apertè contra D. Thom. quia, ut constat ex secundo argumento, eam negat consequentiam: *Ergo incestus non est una species luxuriæ, sed plures.* Sancti Doctoris mentem prolixius examinare libuit, ut ex his innotesceat bona illa Baronii fides, qua de horribili D. Thomæ corruptela Amadæum accusat, cum genuinam eius mentem cum aliis Thomistis, & non doctissimis expresserit.

Semel autem statuto incestus, omnes esse ejusdem speciei; cum in sententia D. Thomæ, non sit obligatio confitendi circunstantias aggravantes intra eandem speciem (ut tradunt celebriores Thomistæ, & apertis D. Thomæ testimoniis comprobat Amadæus, *tract. de pœnit. prop.* 17. *num.* 3. & *tract. de matr. prop.* 5. *num.* 2. & 3.) ex utraque præmissa evidenter deducitur conclusio, quam veluti D. Thomæ tuentur

tenuit plures, nempe eum, qui cum matre incestum commisit, satisfacere, se accusando de incestu occultando gradum. Unde concludo, nec de incestu, nec de circunstantiis peccatorum confitendis, Amadeum D. Thomæ quidquam imposuisse.

§. VIII.

DE alterius D. Thomæ loci corruptela, non mediocri fide expostulat Baronius *pag.* 232. ex eo scilicet, quod Amadæus *tract. de pœnit. prop.* 4. fideliter excerpta referat D. Thomæ verba ex opusculo sexagesimo quarto, §, (Complacentia habita in memoria peccati,) ubi Angelicus Doctor sic scribit: (Si autem rememorando mala præterita, quæ fecisti, non habes dolorem, sed potiùs delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem, non credo expedire, quòd specifices ipsa peccata rememorata, si alias integrè confessus es ea. Et si non habuisti aliud, quam delectationem in mente, sufficit dicere. Mihi venerunt in memoriam quædam vindictæ, vel injuriæ, quas feci; vel quædam peccata gravia, quæ commisi, de quibus non solum non habui dolorem, sed de his cum multa complacentia cogitavi.) Hactenus ibi. Quæ cum non inficietur Baronius in Opusculo citato reperiri, nec verbum aliquod suppressum, neque additum fuerit, nescio cur loci corruptelam in syllabo appellet? nec cur calumniam in libro: (*Sed quis*, inquit, *erit tandem calumniarum finis, frustrà id ab Amadæo sperem? Superiorem novâ cumulat ex falsissimo principio. Ubique obtrudit Opusculum sexagesimumquintum, adulterinum D. Thomæ opus, ut suprà demonstratum est, &c.* Do lubens Baronio falsissimum principium illud esse, utpote ex quo, nec species peccatorum confitendas deducitur. Et benè ipse paulò infrà ait: *Capitaliter adversari principio apud D. Thomam inconcusso, actus qualescunque ab eò quo tendant, objecto, speciem sumere.* Quapropter meritò Opusculum, in quo continentur, adulterinum vocat, & ab operibus D. Thomæ eradendum censet. Sed homo non advertit Opusculum non esse opusculum sexagesimumquintum (quod suprà non esse D. Thomæ à se demonstratum dicit,) sed sexagesimum quartum. Unde duo jam Opusc. quæ inter alia D. Thom. opera circunferuntur, ex Baronio habemus; nec ut dubiæ fidei habenda, sed radicitus evellenda, & abolenda esse. Sit ut velit. Dum in posterum non in Amadæum, sed in Authorem Opusculi, & in eos qui inter D. Thom. opera inseruerunt, virus evomat.

§. IX.

DE jure eligendi confessarium mala fide citatos Cajetanum, Serram, Sotum, & Sylvestrum, conqueritur in syllabo Baronius. Sed ex his Authoribus, nec Cajetanum, nec Serram refert Amadæus, nec eorum meminit. Imò nec Baronius ipse *fol.* 244. & 245. quo se remittit. Igitur Amadæus *tract. de pœnit. prop.* 16. pro opinione asserente Curatum ex Consuetudine posse simplicem Sacerdotem ab Ordinario non approbatum in confessarium eligere, adduxit Margaritam confessorum, Lesdesm. Panorm. tanum. & Vegam. Item Sylvestrum verbis ejus fideliter relatis, & Magistrum Dominicum de Soto *in 4. dist.* 18. *quæst.* 4. *artic.* 2. §. *Similiter & omnes*, ubi sic ait: *Curati consuetudine habent, ut possint sibi eligere confessores, præterquam in casibus reservatis. Quin verò & universi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, ut sibi promiscuè quemcumque eligant Sacerdotem. Quapropter, & cuicumque de Religiosis confiteri possunt, quamquam ejusmodi Religiosus nec sit expositus ab Episcopo, nec à suo Prælato.*) Et infrà. (Quod si quis nobis, contrà id quod de consuetudine diximus, *cap.* si Episcopus objiciat, ubi habetur: nullâ consuetudine induci posse, ut quisq; absq; licentia sui superioris confessarium sibi eligat: *Respondetur nudam consuetudinem contra illud prævalere posse.* Sic Sotus suprà in editione quatuor) Methymnæa Campi ann. 1579. Stetit ergò apertissimè Sotus, pro opinione, cui Amadæus, & alii Lectores adscribunt. Pro eadem adducitur ab Anonymo Gaspar Hurtado *disp.* 10. *de pœnit. different.* 12. sed non benè: quia ibi tantùm asserit Curatum, & alios Sacerdotes posse ex jure consuetudine introducto, eligere sibi confessarium, non verò ait, quod possint eligere simplicem Sacerdotem, sed sicut conceditur, inquit: *Accipientibus Bullam Crociata.* Et nullibi docet præfatam consuetudinem concedere prædictis facultatem eligendi confessarium absq; restrictione aliqua, quod necessarium erat, ut pro Soto stetisse diceretur.

Cæterum hæc sententia, cujuscumque fuerit, substineri non potest, & inanis esset decisio in *cap. Si Episcopus*, si consuetudine induci posset, ut quis, absq; licentia Superioris, confessarium eligere posset, cum id ipsum in eo capite negetur. Præterquam quod adversatur etiam Tridentino, *sess.* 23. *cap.* 15. in quo expressè decernitur, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, vel Episcopi approbationem: & privilegia, & consuetudines quæcumque etiam immemoriales revocantur. Quapropter præfatam sententiam, ut minimum tanquam scandalosam damnavit, & prohibuit S. N. Alexand. VII. *die* 24. *Septemb. anno* 1665.

§. X.

DE calumnia in D. Thomam de institutione Eucharistiæ, condolet Baronius *pag* 253. ex eo scilicet, quod Amadæus *tract. de Euchar. prop.* 6. *num.* 6. adduxerit verba D. Thomæ negantis Sacramentum hoc institutum fuisse post benedictionem panis, ibi: (potest, inquit, intelligi concomitantia, ut sensus sit: dum benediceret, frangeret, & daret, dixit hæc verba: *Accipite. &c.*) Cum tamen ex Tridentino constet: (Hoc tam admirabile Sacramentum Redemptorem nostrum instituisse; cum post panis, vini q; benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, & suum sanguinem, dissertis, & perspicuis verbis testatus est:) In his locis referendis, falsum non commisit Amadæus, nec minùs ex D. Thoma, quam ex Tridentino formalia excerpsit verba. Unde non est cur uni potius, quàm alteri calumniari dicatur. Licet D. Thomæ vitio verti non posset, quod ante Tridentinum, ut suprà opinatus fuisset; varias tamen & probabiles expositiones loco citato Doctores adhibent. Quibus suam adjungere non dubitavit Baronius, dicens: *In actu exercitò institutum & confectum fuisse Sacramentum hoc benedictione, & in actu signato fuisse præceptum se imitandi.* Cæterum cum institutio, & confectio Sacramenti actum exercitum involvant; & ex Concilio constet, post benedictionem panis fuisse institutum, non facilè percipitur, quomodo in actu exercito non post benedictionem, sed ipsa benedictione, institutum concomitanter dici possit, quin Concilio contraveniatur. Sed de his alibi.

§. XI.

DE alia calumnia in D. Thom. de confessione facta Laico (de qua sermo est apud Amadæum, *tract. de Euchar. prop. 1. num. 4.*) expostulat cum illo Baronius *pag.* 254. Verùm cum Amadæus formalia Divi Thomæ verba referat, nullaque fraus interveniat, nulla malitiosa interpretatio, nulla mendax informatio, capere non possum, cur Baronius veram, & fidelem verborum exscriptionem calumniam blateret. Sensus D. Thomæ apertissimus est, confessionem in casu necessitatis posse fieri Laico deficiente Sacerdote, & hujus defectum Deum supplere, non quoad valorem Sacramenti, quia Laicus absolvere non potest, sed quoad effectum gratiæ justificantis. Tribuit itaque huic confessioni, quod suprà retulimus, attribuisse confessioni, bona fide factæ non Sacerdoti ex defectu Baptismi, & quod Baptismo deficiente intentione baptizantis. Quod pietati, non rationi innititur.

Exponit D. Thomam, Baronius cum P. Nicolai, dicens: Non esse mentis D. Thomæ parem statuere necessitatem utriusque Sacramenti; videlicet, Baptismi, & Pœnitentiæ: quia Baptismus non solum adultis, sed etiam parvulis confertur, *qui cum remedium supplere nequeant ullo modo, quoad illos absolutæ est necessitatis, & ideò conferri potuit à Laico. Pœnitentia autem ad adultos pertinet, quam cum supplere possint interno dolore, non est par necessitas confitendi Laico, &c. Quamvis in signum quoddam Christianæ professionis, prædicta confessio fieri possit.* Fatcor discrimen, sed expositio non ad rem: quia nullibi Amadæus adscripsit D. Thom. quod parem utriusque Sacramenti necessitatem fecerit, nec quod necesse sit confiteri Laico, deficiente Sacerdote, sed quod confessio illi fieri possit. Quod admittit Baronius cum P. Nicolai; licet uterque omiserit, quod D. Thomas addit, Deum supplere defectum Sacerdotis. Quem sequitur Raynerius de Pisis, cujus verba adducit Amadæus *loco citato.*

Quod de confessione lethalis ante Communionem tradidit Cajetanus, omnibus notum est. Quod autem Amadæus justè illum accuset, *tract. de pœnit. prop.* 2. non inficiatur Baronius *fol.* 357. Sed Amadæo ad rem, quam ibi agebat, id non conducere, contendit. Sed quidem cum ille ostendere intendisset, laxiorem esse Cajetani opinionem negantem obligationem confitendi mortalia ante communionem, quam aliorum negantem obligationem confitendi peccata dubia, non fuit alienum ab hac quæstione alterius meminisse.

§. XII.

DE Sacrificio Missæ D. Antoninum, & Sylvestrum falsò citatos, clamat Baronius *pag.* 160. Mirabile dictu! Concedit D. Antonini, & Sylvestri esse verba, loco, & capite ab Amadæo citatis; & tamen falsò citatos dicit. Quis intelliget? Ad rem ergò. Imposuit Anonymus Pat. Layman opinionem falsam & scandalosam Amalarii dicentis, assistentem sacro ab Offertorio usque ad benedictionem (ac proinde nulli Evangelio) satisfacere præcepto. Vindicavit Amadæus Jesuitam, & impostura Anonymum incusavit. Et obiter *ibid. tract. de Sacrif. Missæ, prop.* 5. quæsivit. An saltem præcepto satisfaceret, qui omisso primo Evangelio assisteret ab Offertorio usque ad ultimum Evangelium inclusivè? Et postquam pro parte affirmativa adduxit M. Zanard. Faustum, Dianam, & alios, ait: Eis favere D. Antoninum, dum lethali excusat, non assistentem ultimo Evangelio, quia secundum M. Acacium, & alios, sufficit unum Evangelium audire, aut primum, aut ultimum. Quamvis cum formidine sequutus est Layman ubi supra, aum oppositum *durius cultum videri*, dixit (ad hanc enim opinionem verba ejus dirigunter, ut ex contextu colligitur.) In hujus igitur subsidium, vir argumenti, D. Antoninum & Sylvestrum Amadæus advocat, contendens ex illorũ principiis exigentibus ad mortale omissionem dimidiæ, aut tertiæ partis Missæ, gravatam opinionem legitimè deduci. *Nam qui audito post lectum Evangelium minus quam tertiam partem, aut quam ferè dimidium omittit, ac proindè ex Dominicarum lethalis culpæ accusari potest.* Sic arguit Amadæus, nil. Antoninum, & Sylvestrum ab ea sententia non fuisse alienos ostendat. Parvi fecit Baronius Dominicanos alios viros doctissimos, M. Zanardum, M. Acacium de Valasco, & M. Nunno, quos excusantes à lethali apud Amadæum paucis retrò lineis prælegat, & de Amadæo actum putavit, si D. Antoninum, & Sylvestrum vindicaret, non quidem à falsa citatione (ut falsò prædixerat) quia & locum, & verba Amadæus fideliter refert, sed à consequentia, quam expinio ab his jacto, pro aliis Dominicanis fieri accusse putavit, censens, & merito, post lectum Evangelium primum, ultrà duas Missæ partes, usquead ultimum inclusivè superesse. Devotu Sacerdotes judices sunto.

§. XIII.

DE simonia malè citatum Cajetanum 2. 2. qu. 100. *art.* querela est Baronio *pag.* 168 & verbis, quæ ex illo excerpta adducit Amadæus *tract. de simonia prop.* negat Cajetani esse. *Nullum*, inquit, *verbum habetorum, quæ ex illo refert Amadæus, sed diversa profus omnino, quæ statim adducam.* Promissis non stetit Baronius, nec potuit nisi verba fingeret, ideò maluit infideliter, quàm mendacii, apertè convinci. Incidit vero in Scyllam, dum in nullum verbum eorum, quæ Cajetano refert Amadæus, in illo reperiri ausus est dicere. Producam iterum, ut in editione Veneta anno 1599. continentur. Et claritatis gratia præmitto, quæ habentur apud Amadæum, ubi suprà esse: *An expacto expresso se obligare ad aliquid temporale pro spirituali, aspiritudine conferendum, sit simonia.* Negant plures, negatorum opinionem, vi consequentiæ, adduxit Amadæus Cajetan. ex verbis illis. (Expacto velle, non ob vendere spiritualia, quia pactum non inurat materiam actuum.) Quo principio probat Cajetan. (ut Amadæus) posse in pactum deduci, quod recipitur per modum stipendii, vel sustentationis, posseque similiter promere de illo, quod per modum liberalis doni. Hinc consequentiam deducit Amadæus, ex suprà datis Cajetani verbis: Quæ Baronius non formidavit negare, cum quæstio facti esset, & facilè convincipotuit. Recolat iterum, quæso, citatum locum, 2. 2. qu. 100. *art.* 2. in comment. & hæc invenier: (In *art.* 2. & 4. simul dubium occurrit, an stipendium sustentationis sub pacto ponere liceat Sacerdotibus, Prædicatoribus, Divinique cultus Ministris? Et licet non dubii, quia partem negativam omnia jura clamant, pacta ejusmodi exterminantia, & pœnitentia, &c. *Pro parte autem affirmativa*, inquit, *pugnat communis totius ab Ecclesia approbata. Ratio deinde suffragatur: quoniam velle stipendium sustentationis, non est velle temporale pro spirituali; ergo ex pacto velle tale stipendium*

non est vendere spiritualia. Prima consequentia patet; quia pactum non mutat materiam actuum, eadem namque est materia donationis, & venditionis, si vas argenteum donetur, vel venditur, & propterea si absolutè velle stipendium sustentationis, non est velle temporale pro spirituali: ergò velle idem ex pacto, non est velle temporale pro spirituali, quod esset vendere.) Hæc Cajetan. Ex quibus infert Amad. licere etiam, ex pacto velle aliquid temporale pro spirituali ex gratitudine conferendum (ex pacto scilicet amicitiæ nullam obligationem inducente, sed exprimente, quæ jure naturali inest (Nam si absoluta velle temporale aliquid per modum gratitudinis, ut omnes fatentur, non est simonia: (*Ergo velle idem ex pacto non est velle temporale pro spirituali, quod esset vendere.*) Quod probat Amadæus verbis formalibus Cajetani. (*Consequentia patet: quia pactum non mutat materiam actuum.*) Ex his duabus propositionibus unam conflavit, & tanquam Cajetani proposuit. (Ex pacto velle, non est vendere spiritualia, quia pactum non mutat materiam actuum.) Quæ duas præcedentes includit, & discrimen solum est, quod Cajetanus dixit: *Velle ex pacto.* Amadæus verò: *Ex pacto velle.* Ex quibus innotescit Baronii fides, ubi suprà dicentis, quod Cajetanus: *Nullum verbum habet eorum, quæ ex illo refert Amadæus.* Utriusque vide it expendat lector: judicet. M ror tamen valdè, cur de solo Cajetano vindicando, Baronius fuerit solicitus, & de Magistro Soto, M. Serra, & M. Joanne Martinez de Prado (quos pro eadem sententia Amadæus adducit) non curaverit.

§. XIV.

PErperam accusatum M. Sotum (ait Baronius *pag.* 270.) quod docuerit, licitum esse ad baptizandum puerum, cum alia via non suppetit, *emere ipsum sacramentum & gratiam sacramentalem.* Cujus sententiæ ex Suarez improbabilē vocavit Amadæus, *tract. de simonia Prop.* 9. Quos proindè Baronius reprehendit, dicens: *Vel nulla, vel certè levis est culpa Soti, ut non debuerit ejus opinio, ut improbabilis omninò, post Suarez damnari ab Amadæo. Imò Sotus illam probat validis argumentis contra Cajetanum quibus respondendum erat Amadæo.*) Verum cum Amadæus disputativè non egerit, ejus muneris non fuit, aliorum sententias argumentis refutare, sed ut ad scopum faciebant, referre. Præterquam quod satis hanc rejecit, dum ei opposuit D. Thomam expressè contrarium *in 4. sect. dist. 25. q. 3. art. 1. q. 1. ad 3.* ubi ait gratiam non posse ullo modo vendi. (Nec super hoc voluntas deliberata emptionis cadere potest.) Et expressius in terminis rem attingens *2. 2. quæst. 100. art. 2.* Ad 1. argumentum: Quod ejusmodi erat. (Licet, ut videtur, in aliquo casu dare pecuniam pro Baptismo, puta quando Sacerdos puerum morientem, sine pretio baptizare non vellet; ergò non semper est illicitum emere, vel vendere Sacramenta.) In hoc casu, quo Sotus dixit, licitum esse emere Sacramentum, negat expressè D. Thom. his verbis: (Ad primum dicendum, quod nullo modo est peccandum: pro eodem est habendum, si Sacerdos absque pretio baptizare non velit, ac si non esset qui baptizaret.) Non ergò perperam Amadæus Sotum accusavit, nec levis, aut nulla fuit ejus culpa in deserenda D. Thomæ sententia, quam vi juramenti, sicut & Baronius, sequi tenebatur.

* * *
* *

§. XV.

SOtum malè explicatum à Sanchez, & Amadæo, expostulat Baronius *pag.* 271. dicens: *Et Sanchez eximit à simonia eum, qui pretium dat, ut quis intercedat apud Collatorem Beneficii, quod tamen ipse conferre nequeat. Quidquid sit de propositione apud alios; certum est falsò illi advocari Sotum in patronum à Sanchez, cujus errorem secutus est Amadæus, cum debuisset corrigere.* Duo hic apertè falla, 1. Quia Sanh. nec ex illo Amadæus, eximit à simonia dantem alteri pretium, ut intercedat apud Collatorem Beneficii; sed tantum cuidam tertio, ut intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, neque eligere, nec præsentare: imò neque id Sanch. affirmat, etsi probabile putet: *Licet hoc* (inquit) *probabile sit, probabilius est oppositum.* Itaque neque pro intercessione mediata aliquid conferre, vel accipere per modum pretii, excusavit à simonia P. Sanch. nec ex illo Amadæus 2. Quia neuter, ne ut probabilem quidem admittit sententiam de pretio pro immediata intercessione apud Collatorem Beneficii, quam probabilem putasse M. Soto, dixit, etsi cum formidine P. Sanch. apud Amadæum, *tract. de simonia, prop. 2. n. 2.* eò quod contrariæ, quam sequitur, dicit se libentius assensum præbere. (Unde videtur, ait Sanch. probabilem reputare hanc sententiam.) Nec aliter in ejus patronum Sotus advocatur: certum est enim contrariam defendere, ut verba ipsa, quibus aliam probabilem innuit, præseferunt. Quod si velit Baronius comparativum illud *libentius* apud Sot. non comparativè usurpandum, sed adversativè; ac proindè authoritate Soti, nec ut probabile defendi posse, licitum esse pro intercessione immediata pretium conferre, vel accipere, libenter subscribam, dum hæc solutio Jesuitis, cum locus occurrat, suffragari etiam possit.

§. XVI.

CAjetanum etiam falsò citatum de excommunicatione inferentis manus violentas in Clericum, dolet Baronius *pag.* 274. & 275. & actum de Amadæo, utpotè de falsarii crimine apertè convictum, sibi blanditur, negans esse Cajetani verba quæ ex illo excerpta scribit, *tract. de censuris prop. 4. Quæ refert*, inquit, *ex Cajetano excommunicationem non esse latam, nisi ictus pertigerit ad Clericum fraude non caret: tractatio de excommunicatione est apud Cajetanum longissima, & diffunditur ultra summarium per 76. capita, nec locum, nec numerum annotat, quo extent verba relata, ne plagium deprehendatur. Certè si cubi hæc scripsisset Cajetanus, legerentur cap. 10. contra manus violentas: illud legi, & relegi & nihil horum verborum reperi. Ergò commenta sunt.* Doleo hominis ausum, & quod tam levi manu Authores etiam suos, & eorum Principem evolverit. Verba, quæ Amadæus adducit, sunt expressa, & formalia Cajetani *verb Excommun.* non verò extant *c. 10.* contra manus violentas, quod se legisse, & relegisse jactat Baronius, nec in ullo ex *76. capitibus*, per quæ tractatio de excommunic. diffunditur, sed inter ea, quæ ad omnia capita de excommunicatione communia, Cajetanus præmittit. Sic ibi leges. (Ante omnia circà intellectum excommunicationum, sive à jure, sive à judice sint, prænotanda sunt duo) Personam, scilicet, & actionem. (Oportet autem, inquit, scire quod ex parte termini actio excommunicationi subjecta intelligitur consummata. Itaque regulariter loquendo, nisi actio illa sit consummata, non est lo-

est locus excommunicationi. Post hæc igitur immediatè subnectit, quæ ex illo fideliter refert Amadæus. Attende. (Unde quantumcumque conetur aliquis percutere Clericum lancea, sagittis, lapidibus, nisi lanceæ, aut sagittæ, aut lapidis ictus pertingat ad Clerici personam, non incurrit excommunicationem latam contra percutientes Clericos; quia manus violentæ injectio non est consummata; consummatur enim tactione ipsius Clerici, & non aliter, & sic de aliis.) Hæc Cajetanus *in summ. verb. Excommun. in editione Parisiensi anno* 1530. *& in Salmanticensi anno* 1571. *& in Veneta anno* 1584. & in aliis quas viderim. Quid ad hæc Baronius? Obmutescat, vel linguam saltem coërceat, & nullum temerè lacessat. Inest, & formicæ, & serphobilis.

§. XVII.

MAlè citatum M. Serra pro opinione excusante, à denunciatione solicitantis, eum, qui non potest probare, asserit Baronius *pag.* 281. *&* 282. Sed oppositum constabit legenti Amadæum, *tract. de fide prop* 4. formalia verba Magistri Serra adducentem ex 2. 2. *quæst* 76. *art.* 3. in fine, ubi de denuntiatione, & de accusatione idem dicendum tradit: certissimum autem est neminem teneri accusare, si probare non possit. (quod diximus, inquit Serra, de accusatione, dicendum est de denuntiatione, nam denuntiatio debet esse justa, talis autem non est, si crimina falsa imponat, aut occulta propalet, quæ nullo modo probari possunt.) Et licet *quæstione* 68. *sequenti art.* 1. *dub.* 1. ex professo disputans: An idem de denuntiatione, & de accusatione sit judicium? In oppositum inclinare videatur; cum post secundam sententiam affirmativam multis probatam, concludat dicens: (Mihi tamen prima securior videtur.) Quamvis inquam, hæc ita se habeant (quibus innixus Baronius malè citatum ab Amadæo dixit) nil tamen obstant, nec Amadæus illa prætermisit, sed verbis his adductis, inconsequentiæ redarguit. (Quomodo inquit securior?) Si justa non est denuntiatio, quando delictum probari non potest? Quomodo securior? Nam ut ipsemet Serra eadem *quæst.* 68. *eodem art.* 1. dubio sequenti 2. de denuntiatione delicti loquens, ait: (Necessarium est, ut crimen probari possit; si enim crimen omninò esset improbabile, non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccaret, accusando, vel denuntiando læsorem, nam hoc ad nil aliud deservire posset, quàm ad infamandum læsorem. Hæc in M. Serra, & meritò ubi suprà Amadæus, ut indè ejus inconsequentia manifesta fieret. Nam licet ad illum pro contraria sententia referendum, satis esset *in quæst.* 67. præcedenti, illam tenuisse, & *in quæst.* 68. probabilem judicasse; dum alteram securiorem vocavit; nihilominùs, & inconsequentiam notare non prætermisit, ut ex professo ejus mentem indagasse ostenderet.

Sed modo locorum ordine attentiùs inspecto, & re melius considerata M. Serram excuso, quia supposititia judico verba illa (*Mihi tamen prima securior videtur,*) quæ post secundam sententiam ab ipso probatam adjecta forsan à revisore fuerunt. Moveor, quia in triplici loco suprà citato rem attigit, *quæst.* 67. *art.* 3. *q.* 68. *art.* 1. *dub.* 1. *& ibidem dub.* 2. in primo, & tertio loco apertissimè tradit non teneri nec posse denuntiare, quæ non possunt probari, & in secundo intermedio, dicit securiorem partem contrariam. Incredibile autem est tam brevi tramite sententiam retractasse, & in retractatam iterum abiisse: tum etiam, quia sententiam negantem in hoc secundo loco multis suasit, & ad argumenta contrariæ respondit, cui non benè cohærent verba illa in fine adjecta, quibus propriæ sententiæ locis aliis traditæ, & tradendæ contradicit. Sed quid immoror; cum hanc sententiam plures Dominicani apud Amadæum defendant, quos Baronius vindicare non curavit.

§. XVIII.

IN eodem tractatu de fide, falsò accusatos ab Amadæo, *prop.* 11. Nicolaum Jansenium, & Combefilium, dicit Baronius *pag.* 284. Amadæi crimen est, quod, cum adduxisset Nicolai Jansenii formalia verba asserentis: (D. Thomam electum esse, cui Spiritus Sanctus ad aurem insideret, cujus scholam ingrederetur Paulus) sic exposuerit, quasi Paulus, ut discipulus D. Thomæ scholam, & non potius Magister ingressus fuerit. Quod inquit Baronius: *Nescio an plus ineptiæ respiat, quàm malignitatis. Quasi Paulus D. Thomæ scholam dictus sit à Nicolao ingressus esse, potius ut discipulus quàm ut Magister.* Sit esto. Sed cùm esset dicere D. Thom. ingressum fuisse scholam D. Pauli, non è contra: impropriè enim diceremus D. Thomam ingressum Cajetani scholam, cumbat discipulus, ille Magister sit, solutionem hanc non ignorabat Amadæus, sed maluit (ut reor) ineptiæ, quàm amentiæ redargui. Si enim hujus florentissimæ scholæ Paulus Magister esset, opiniones omnes, quæ D. Thomæ adscribuntur, sententiæ D. Pauli adscendæ forent, eandemque operibus D. Thomæ, ac D. Pauli præstandam fidem, discipulos indè contenturos timuit. Hæc, & alia absurda cupientem vitare charybdim in scyllam incidere compulerunt. Sed utrumque monstrum vitandum.

Sicut & Jansenii verba, ita & Combefilii fideliter excerpta refert Amadæus, quæ non inficiatur Baronius: dixit enim Combefilius loco abillo citato: *Paulum unà cum Petro individuè, una formali, & per eamdem Cathedram, cujus successio sit penes Pontifices, esse patronum.* Quæ sententia alia non est ab ea, quàm Arnaldus quidam in Gallia tenuit, *de Sanctis Petro, & Paulo, duobus simul Ecclesiæ Capitibus.* Quam hæreticam damnavit Innocentius X. Non inficior ipsummet Combefilium ad finem sui operis, post Notas ad Orat. Demetrii, definitioni Pontificis inhærere, & se ipsum explicare contendere, ut Arnaudi sensum excludat. Ob quod laudandus venit, sive sententiæ retractatio sit, sive incongrua expositio. Extrà rem verò omnino est, quam Baronius adducit, dicens: Combefilium non fecisse Paulum *Petri consortem potestatis ordinariæ cui successerint Pontifices Romani, sed sapientiæ, & palmæ martyrii, atque illius gloriæ.* Conferto, quæso, Baronii verba cum relatis ex Combefilio, & sensum contradictorium reperies. Sic alibi alios exponit.

CAPVT IV.

Locis, quæ de charitate falsata objecit Baronius, fit satis.

Pag. 296. *De officiis charitatis crimination falsa Cajetani.*
Pag. 297. *De desiderio mortis alienæ Setus in alienum sensum detortus.*

Pag.

Pag. 299. *De scandalo ad peccandum dato, locus D. Thomæ enormiter corruptus:*
Pag. 300. *De calumnia ad defensionem, Bannez in pravum sensum detortus.*
Pag. 301. *De correctione fraternæ idem Banez præpostere correctus.*
Pag. 304. *De præcepto correctionis fraternæ, Sotus perperam explicatus.*
Pag. 308. *De correctione fraterna constitutiones Prædicatorum in alienum sensum explicatæ, & multo gravius Franciscanorum detortæ.*
Pag. 310. *De eadem correctione depravatio loci D. Thomæ.*

§. I.

DE timinatione falsa Cajetani de officiis charitatis, expostulat cum Amadæo Baronius *pag.* 296. sed finxit hostem referens Cajetani locum ex 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 9. cujus Amadæus non meminit, nec *in prop.* 10. *tr.* de charitate, Cajetani citationem ullam adducit, sed ad tractatum de peccatis, *prop.* 3. ubi eum citavit, lectorem remittit. Quæstio autem utrobique fere eadem est. An scilicet desideratelicear, & à Deo petere, ut inimicum è vivis tollat, si damna tibi inferenda nequeas aliter evadere? Affirmant plures, inter quos recensuit Amadæus Cajetanum, non 2. 2. sed in *summ. verb. Maledictio*, ubi sic scripsit: (Requiritur ad maledictionem, quæ sit culpa gravis, quod sub ratione mali, & non sub ratione honesti, & utilis desideretur homini malum: puta mors, infamia, damnum rerum, &c.) Cum ergo inimici mors tibi valde utilis sit, cum aliter imminentia damna evadere nequeas, non apparet ratio ulladubitandi, Cajetanum pro licito mortis naturalis desiderio militasse. Cujus sententiam expressam esse D. Thomæ putat, & merito Amadæus (quidquid contra Baronius garriat) sic iterum legens censeo. Quæso recolas 2 22. *quæst.* 76. *art.* 1. in corpore. (Si aliquis, inquit, imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per seloquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem aliquod malum dici imperando, vel optando, sub ratione duplicis boni; quandoque quidem sub ratione justi, & sic judex licitè maledicit, &c. Quandoque vero sub ratione utilis: puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem (attende) vel ut ipse melior efficiatur, vel ut ab aliorum nocumento cesset.) Ergo juxta expressam D. Thomæ mentem, licitum tibi erit, malum inimico optare, ut à tui nocumento cesset: ergo à Deo petere, ut eum è vivis tollat, si aliter tibi inferendum vitare nequeas. Quod expressius tradiderat D. Thom. in 3. *sent. dist.* 30 *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 4. ubi ex eo, quod secundum ordinem charitatis: (*Plus debet diligere quisque se, quàm alterum, amicos, quàm inimicos*, deducit quod, *potest salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.*) Ergo quoties mors naturalis inimici impedimentum tibi sit gravium malorum, cum pluris, quàm illum diligere tenearis, poteris juxta D. Thomam, salva charitate, malum hoc temporale illi optare, & à Deo petere. Hæc consequentia adeo aperta ex præmissis est, ut negari nequeat.

§. II.

PRo sententia de desiderio mortis alienæ, ut supra explicato adducit etiam Amadæus Magistrum Soto, ejus formalia referens verba; quem tamen in alienum sensum detortum, dicit Baronius *pag.* 297. nil curans de aliis Dominicanis M. Corrado, M. Zanardo, & Joanne de la Crux, pro eadem adductis. Verum quod Sotum frustra ab illa eximere tentaverit, constabit legenti *lib.* 5 *just. quæst.* 12. *art.* 1. ubi desiderium mortis alienæ, non solum ad commune Reipublicæ nocumentum vitandum (ut contendit Baronius) licitum putat, sed etiam ad privatum desiderantis. & utrumque verbis expressis complectitur. Primum, verbis illis: *Quin etiam & mortem alicui optare possumus, licet nobis constet viam perditionis ingressum ire, ut nostræ Reipublicæ mala caveantur, paxque, & tranquillitas contingit. Potest enim quisque Turcæ mortem, & clades omnes imprecari, ut ab ejus tyrannide liberemur.*) Secundum, in his, quæ subsequuntur: (*Quin vero, & Christianis hostibus, qui nos injuste persequuntur, quando alia non potuisset via licitum est id ipsum* (nempe mortem) *optare.*) Sic Sotus, cujus ultima verba cum aliquid speciale præseferant, quod in præcedentibus non contineatur, & in his desiderium mortis alienæ ad bonum commune retulerit, ut scilicet Reipublicæ mala caveantur, planè sequitur in sequentibus, ad particulare cujusque bonum respexisse, & cuilibet concedere, mortem inimico persequenti optare, quando alia non pateat via, ad gravia damna sibi imminentia vitanda.

Facit ad hæc locus alius ejusdem M. Soti in 4. sententiarum, quem adducit M. Joannes Martinez de Prado, *tom.* 1. *Theolog. mor. cap.* 15. *quæst.* 1. *§.* 3. *n.* 24. ubi ex Soto hæc verba excerpta refert. (Neque vero illa solum causa, nempe fruendi Deo, mors optabilis est, verum tanquam medium, ut homo à miseria hujus vitæ liberetur; videlicet, à periculis peccandi, dum maxima homini impendent. Imò & ab aliis ingruentibus malis, & incommodis, quæ hominem vehementer perturbant, qualia sunt morbus acerbus, gravis infamia, & honoris jactura.) Hæc ex Soto, M. Prado subnectens: [Quod proportionaliter loquendo, procedit de illo (attende) qui optat mortem proximi ob suam commoditatem.) Quibus favet M. Lorca, 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 28. *membr.* 3. dum ait: (Non oportet præferre majus bonũ proximi minori nostro, si illud alicujus momenti est, nam quanto præcellit bonum, tantum præcellit dilectionis propriæ meritum.) Ergo si inimicus te injuste est vexaturus aliquo ex modis suprædictis, poteris juxta mentem Soti, & M. Prado naturalem mortem sub conditione, si Deo placuerit, ei optare. Quæ conditio semper inesse creditur, licet non exprimatur. En aperte demonstratum ex mente Soti, non solum ex communi bono Ecclesiæ, sed ex privato etiam commodo, dum momenti sit, licitum esse inimici mortem imprecari. Id quod Div. Thomas, & ejus Discipuli supra citati nos edocent.

§. III.

DE scandalo ad peccandum dato, locum D. Thomæ enormiter truncatum expostulat Baronius *pag* 299. Casus est. Amadæus *tract. de charit. prop.* 9. inter Doctores, qui asserunt, offerentem alicui occasionem peccandi, ob bonum finem, non peccare; adduxit D. Thomam *q.* 13. *de malo, art.* 4. *ad* 19

ubi sic scripsit: (Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius, sed tamen pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere. [Hæc ex D. Thoma fideliter Amadæus: quæ Baronius non inficiatur, sed locum truncatum dolet. *Sed hic*, inquit, *solito enormiori fraude elegantißimum Div. Thomæ locum ex q. 13. de malo, art. 4. ad 19. corrumpit, truncatis verbis, quæ aperte sensum D. Thomæ interpretabantur, & fraudem Amadæi refellebant. Cur tacuisti quæ sequuntur verba? sic enim prosequitur Sanctus Doctor.* (Sicut si latro aliquem jugularet, & ad vitandum periculum, aliquis latroni thesaurum ostenderet.) *Vides ex D. Thoma non licere quamcumque occasionem, aut materiam peccandi præbere, sed tunc tantum, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio semovet, permißis eius arbitrio fortunæ bonis?*

His de Amadæo actum Baronius putat, quasi exemplum, quo usus est D. Thomas demonstret extra casum imminentis mortis, ad quam inimicus jam est accinctus, non licere, ex quocumque alio bono fine, materiam peccati illi præbere. Cæterum homo illusus est, quia licet D. Thom. claritatis gratia, exemplum adhibuerit in latrone jugulum minanti, cui ostendi posse thesaurum diripiendum, ad vitandum mortis periculum, in confesso apud omnes est; non tamen in hoc solo casu existimat licere materiam peccati proximo præbere. Imo potius eo exemplo utitur ad probandum, in aliis etiam casibus, etsi tanti momenti non sint, idem licitum fore. Ad quorum evidentiam, proponam argumentum, cui D. Thomas ibidem respondet, quod est 18. & 19. Et hujusmodi: (Ille, qui subministrat peccanti mortaliter, peccare videtur, sicut si quis mutuaret arma furenti, aut interficere volenti; si ergo usurarius mortaliter peccat mutuans pecuniam ad usuras; videtur, quod etiam illi, qui apud eos deponunt pecunias, mortaliter peccent. Sed dicendum, quod si absque necessitate apud usurarium deponat suam pecuniam, mortaliter peccat. Si vero ex necessitate, à peccato excusatur. Sed contra (inquit) necessitas non potest esse, nisi ad evitandum aliquod damnum temporale, sed pro nullo temporali damno vitando, debemus consentire, aut materiam ministrare alterius peccato; ergo pro tali necessitate non excusantur prædicti à peccato mortali.) Hoc est argumentum, apertissimè procedens de subministrante materiam peccato usuræ, & intendens excusari à peccato non posse, ex necessitate offerentis. Cui respondet D. Thomas ad 19. id negando. Quia licet (pro nullo, inquit, incommodo corporali vitando, debeat homo consentire in peccatum alterius. Sed tamen (attende) pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere.) En Baroni expressè concedit D. Thom. non in solo casu imminentis mortis, sed ad vitandum longè minoris momenti damnum, licitum esse subministrare, & præbere materiam peccati, ut pecuniam usurario. In cujus confirmationem adducit exemplum latronis aliquem jugulare volentis, cui thesaurus diripiendus ad vitandum mortis periculum, licitè ostenditur, ut hoc exemplo falsitatis convinceret principium, cui argumentum 19. innitebatur, ad negandum licere deponere pecuniam apud usurarium ex necessitate offerentis. Ex quibus evincitur, exemplum latronis non taxativè, sed demonstrativè à D. Thoma appositum, ut de more est apud Doctores. Levissimo ergo, & falso fundamento ductus est Baronius ad dicendum: *Ex D. Thoma tunc licere tantum materiam peccati præbere, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio semovet.* & non nisi per summam calumniam scribere potuit. *Enormiori fraude elegantißimum D. Thomæ locum, truncatis verbis ab Amadæo fuisse corruptum.* Cum genuinam D. Thomæ mentem expresserit, & nihil ad rem faciens suppresserit.

§. IV.

DE calumnia ad defensionem, in pravum sensum detortum M. Bannez, queritur Baronius pag. 300. Sed finxit hostem. Quia Amadæus *tract. de charit. prop. 7. num. 3.* refert formalia Magistri Bannez verba *ex 2. 2. quæst. 70. art. 3. dub. 2.* dicentis: (Solum esse peccatum veniale mendacii objicere crimen falsum testi iniquo, quando talis objectio prodest ad refutandum ejus testimonium.) Post hæc autem paulò infrà, *num. 4. in fine*, adnotat Amadæus, regulariter loquendo prodesse non posse, ideoque regulariter peccatum esse mortale crimen falsum testi iniquo objicere, idque tenuisse M. Bannez, & advertisse Cardinalem de Lugo. Hæc repetit Baronius, & nec verbum addit. Quapropter valde miror, cur in ipso labo locorum, quæ falsata traducit, imposuerit Amadæo in sensum pravum detorsisse Bannesium cum ejusdem verba, imo & expositionem, quam ipse Baronius, & Bañnesio, & Card. de Lugo adduxerit.

§. V.

DE correctione fraterna eundem Bannez præpostere correctum, dicit Baronius *pag. 301.* sed Amadæo imposuit, non levi doctissimi Theophili Rainaudi injuria, in quem ibi invehitur, eundem cum Amadæo, ubique falso sibi affingens, unde Authorem Opusculi jam Amadæum, jam Theophilum nuncupat: sed non meliori, quam in aliis fide. Res apud Hispanos, & Italos, & apud non imperitos Gallos notissima.

§. VI.

DE præcepto charitatis fraternæ, M. Sotum præperam explicatum, querelas fundit Baronius *pag. 301.* Non verò negat Soti verba, quæ ex illo excerpta adducit Amad. *tract. de charit. prop. 3. n. 1.* quæ hic repetere, ut casus innotescat, necessarium est. (Locus, inquit, Evangelii Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, ad hoc propositum (scilicet ad probandam prohibitionem usuræ) non illam habet exegiam, quæ vulgo æstimatur. Quapropter D. Thom. sacrorum sensuum oculatissimus perspector non usus est illo: agnovit enim non esse prohibitionem usuræ, sed consilium mutuandi sine spe humanæ compensationis.) Hæc Sotus (quibus utitur Amadæus ad explicandum locum Evangelii de correctione fraterna) quæ explicatione non indigent, nec illam Amadæus adhibuit. Unde nescio, ubi perperam explicatum Baronius invenit. Invenio tamen ego apud illum, nam cum Sotus expressè ex D. Thoma alleget, in verbis relatis Luc. 6. non contineri præceptum, sed consilium: oppositum tamen expressè Baronius dicit: *Quamvis hæc Christi verba, inquit, secundum totum, ut sic loquar, ambitum præcepti vim non habeant, certum tamen est, aliqua sui parte continere. Negat hoc Soto.* Expendat Lector, an Amad. an Baronius Sotum perperam explicuerit. Negat Sotus ea sua

& D. Thomæ mente in eo Evangelii loco prohibitionem usuræ contineri: Affirmat è contra Baronius, nec id negare Sotum dicit: Quasi id quod continetur in aliqua parte loci, in loco non contineatur, & quod in aliqua Evangelii, in Evangelio non contineri, liceat asserere. Talis est Baronii expositio, & tamen Amadæum de mala explicatione, licet nuda Soti verba adduxerit, carpere non dubitavit.

§. VII.

DE correctione fraterna, constitutiones Prædicatorum in alienum sensum ab Amadæo explicatas, & multo gravius Franciscanorum detortas, asserit Baronius, *fol.*308. sed non meliori fide. Quia Amadæus *tract. de charit propos.* 4. *num.* 10. prædictas constitutiones à Bernardino de Arevalo memoratas exscribit, non exponit, sed mere relative adducit, ut videre licet, ubi *suprà*. Et excerptis ex Arevalo verbis constitutionum Franciscanorum, adjungit verba Laurentii Portel, sic inde referentis: (Clarè patet statutum illud præciperè, ut omissa correctione fraterna, crimen occultum Prælato denuntietur, etiam antequam sciat, peccatum continuari.) Quod asserit etiam Bernardinus de Arevalo, loco ibi citato, verum per contrarium usum esse illi derogatum, notat Amadæus ibidem, adductis verbis ejusdem Portel, *in dub. regul. tom. 1. verb. Correctio, in fine, in Addit. num.* 5. ubi ait: Dico hodie, non esse in usu in Ordine nostro, sed per contrarium usum abrogatum.) Hispositis optarem à Baronio excipere, in quo Amadæus constitutiones Franciscanorum gravissimè detorserit, cum ipsorum verba proposuerit, & per contrarium usum statutum de correctione fraterna abrogatum cum Portelio scripserit?

Quod constitutiones Prædicatorum minus graviter deliquisse Amadæum, fatetur Baronius. Unde minus nihilo, si fieri posset. Quod ex ibi etiam adductis facilè ostenditur: quia Amadæus solum refert verba Arevali dicentis, idem, ac in Franciscanorum constitutionibus, in statutis Fratrum Prædicatorum haberi. Quod tamen Amadæus non approbat, potius in contrarium adducit Joannem Martinez de Prado asserentem, id nunquam in illis fuisse stabilitum, & istam esse indubitatam, & perpetuam totius Religionis praxim. Non ergo, nisi per summam calumniam, scribere potuit Baronius, Amadæum constitutiones Prædicatorum in alienum sensum explicuisse, & multo gravius Franciscanorum detorsisse. Utriusque Familiæ Doctores judices sunto.

§. VIII.

LOcum de correctione fraterna ex disput. D. Thomæ, *quæst.* 3. depravatum exclamat Baronius, *pag.* 310. pluribus suadere contendens, in doctrina D. Thomæ nunquam licère, admonitionem secretam omittere, quando spes fuerit emendationis, sed jure nullo. Quæ a Amadæus, *tract. de charitate, prop.* 4. plura congerit D. Thomæ loca. Alia quæ probant admonitionem secretam posse omitti, quando delinquens per Prælatum melius corrigendus speratur. Quod tradit. *Quodl.* 11. *art.* 13. ubi inquirens: (Utrum si aliquis sciat peccatum proximi, peccet mortaliter referendo illud statim Prælato suo?) Respondet: (Si ergo scio quod frater per me corrigetur, non debeo hoc denuntiare Prælato; si autem videtur quod hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licitè potest denuntiare sibi. Et tunc, inquit, non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato, sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendationem.)

Sic D. Thom. quem celebriores discipuli sequuntur, apud Amadæum *suprà*, *num.* 8. ubi alia insuper D. Thom. loca adducit, in quibus præceptum Evangelicum de admonitione secreta præmittenda; sic exponit, ut non de admonitione ante denuntiationem privatam, quæ Prælato, ut patri fit, sed ante publicam, quæ illi ut judici, seu Ecclesiæ est facienda, intelligatur. Ut videre licet 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. ubi inquirens (Utrum in correctione fraterna debeat ex necessitate præcepti admonitio secreta præcedere denuntiationem?) Non privatam, sed publicam intelligit: quasi ad illam de necessitate præcepti non esse præmittendam supponat, & solum ad publicam controversiam revocari existimet, idque indicant argumenta quæ sibi objicit eo solum tendentia, ut constat ex 2. 3. 4. & 5. ibi: (Non ergo est de necessitate præcepti, ut secreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.) (Ergo videtur, quod non sit de necessitate præcepti, quod secreta admonitio præcedat publicam denuntiationem.) Et similiter in aliis. Et quæstioni respondet, dicens: (Respondeo dicendum, quod circa publicam denuntiationem peccatorum, &c.) Et concludit. (Unde patet, quod potest esse de necessitate præcepti, quod secreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.)

Hac conclusione respondet D. Thom. quæstioni, in qua universaliter inquisivit: *An admonitio secreta ex necessitate præcepti debeat præcedere denuntiationem.* Quod æquivalet dicere: debet præcedere publicam, quæ fit Ecclesiæ, seu Prælato, ut judici; non verò secretam, quæ Prælato ut patri. Cujus ratio est: *Quia* (ut traditur *in Quodl.* 11. loco, & verbis citatis) *tunc non dicit Ecclesiæ.* Cui facit *q.* 33. *citata, art.* 8 ubi solum inquirit: (Utrum testium inductio debeat præcedere publicam denuntiationem?) Nil curans de secreta, quæ Prælato ut personæ privatæ fit. Quibus consonat 4. *sent. dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 1. ubi ait: (Dominus præcepit, ut secreta admonitio publicam denuntiationem præcederet.) Et *Quodl.* 11 *art.* 13 *suprà citato ad* 1. ubi loquens de omittente admonitionem secretam ante denuntiationem privatam, inquit: (Non facit contra præceptum Evangelii, quia non dicit hoc Ecclesiæ, sed personæ proficienti, ut dictum est.) Ex hoc igitur, & aliis locis, sic concludit Amadæus. *Constat ergo apertissimè ex D. Thoma, non esse contra præceptum Evangelicum non præmittere correctionem fraternam ante denuntiationem secretam, quæ fit Prælato ut patri, secus ante publicam, quæ illi ut judici fit.* An solide, ut censeo, an *ineptissime*, ut dicit Baronius, docti judicent.

Nulli ex prædictis locis respondet Baronius, contentus acrem verberare, dicens: *Mala omnino fide advocari D. Thomam.* Qua autem ipse? Constat ex D. Thomæ verbis suprà adductis. Unum verò dumtaxat D. Thomæ locum, *ex disput. quæst.* 3. de correctione fraterna, vindicandum assumit, & depravatum esse contendit, qua ex illo tantum Amadæus præfatam conclusionem, de correctione fraterna ad denuntiationem privatam non præmittenda, deduxisset. Nam D. Thomas, inquit, verbis ex illa quæstione suprà adductis, de sola inductione testium fuit loquutus.

loquutus, quos inducere ante denuntiationem secretam, quæ Prælato ut personæ privatæ fit, non censet de necessitate præcepti. (Sic autem dicere Prælato, ait D. Thom. (nempè non præmissa testium inductione) non est dicere Ecclesiæ, sed quando dicitur in publico, quasi in loco judicis residenti.) Cæterum non advertit Baronius correctionem fraternam duo ante denuntiationem importare, & admonitionem secretam, & testium inductionem; ideoque Amadæus duplici locorum genere usus est; alio, quod admonitionem secretam, alio quod inductionem testium præmittendam non esse de necessitate præcepti, ante denuntiationem privatam, comprobaret.

Ex loco autem, quem depravatum falsò jactat Baronius, *ex quæst 3. de correctione*, non intulit Amadæus, posse omitti monitionem secretam, sed inde fundamentum, cui utraque conclusionis pars inniteretur, verbis supra datis confirmans, ex illo, & aliis locis collectivè sumptis, per legitimam consequentiam deduxit, correctionem fraternam (tam admonitionem secretam, quam inductionem testium includentem) ante denuntiationem privatam non esse de necessitate præcepti. Idque à D. Thoma eodem fundamento de utraque fuisse probatum: & merito, quia Christus Dominus non magis præcepit præmittere admonitionem secretam, quam inductionem testium, sed hi non sunt de necessitate præcepti inducendi ante denuntiationem privatam, ergo neque admonitio secreta. Hic est Amadæi discursus ex pluribus D. Thomæ locis deductus, qui si Baronio displicuit, argumento satisfacere debuisset, non amadæi accusasse fidem.

CAPUT V.

Ad trutinam revocantur loca, quæ circa præceptum amoris Dei falsata contendit Baronius.

Pag. 312. *De speciali dilectione Dei mala fide relati Serra, & Bannez.*
Pag. 314. *Contra idem præceptum speciale charitatis fallax argumentum ex D. Thoma depromptum.*
Pag. 315. *De contritione intempestiva reprehensio Cajetani.*
Pag. 316. *Contra præceptum speciale charitatis pessime adnotatus D Thomas.*
Pag. 318 *Contra idem præceptum fraude relatus ex Thoma locus.*
Pag. 326 *In idem præceptum fallax consecutio ex D. Thoma deprompta.*

His claudit Baronius syllabum locorum, quæ in toto Opusculo Amadæi Guimenii falsata, truncata, aut in alienum sensum detorta expostulat.

§. I.

DE speciali dilectione Dei, mala fide relatos Serra, & Bannez, dicit Baronius, *fol.* 312 sed mala hæc fides Baroniana est. Refert Amadæus, *tract. de charit. prop.* 1. quotundam opinionem asserentem præceptum charitatis non esse speciale, sed generale, cui per aliorum adimpletionem satisfit. Quam Amadæus nullatenus sequitur (ut falso ei imponitur) sed potius exterminandam censet, & nullam defendere licet, tum quia prorsus falsa, nam charitatis speciale præceptum maximum omnium est, & pluribus Evangelii locis commendatum: tum quia Sanctissimus noster Alex. VII. die 24. Septembris anno 1665. propositionem negantem speciale præceptum charitatis, ut minimum ut scandalosam damnavit, & ejus praxim prohibuit. His præmissis.

Mirum sane erit legenti Amadæum, quod male relatus Serra dicatur. Quando quidem eius hæc mala verba pro vera, & tenenda sententia, ibi adducuntur, in quibus expressè dicit: (Certum esse præceptum charitatis obligare, ut pluries diximus vitæ actum dilectionis Dei, & proximi eliciat homo.) Unde ex incuria forsan Amanuensis male citatus dicitur: quod inde mihi suadeo, quia licet Baronius, *pag.* 312. falsò asserat Amadæum contra præceptum dilectionis Dei testimonia Thomistarum Serræ, & Bannez allegare; nil tamen de Magistro Serra vindicando curavit. Neque erat, quod vindicaret.

Quod Bannez frustra tentavit. Nam hic expressè asserit, satisfacere præcepto speciali charitatis, qui semel in anno dignè sumit Eucharistiam. Quæ sola confessione, ex attritione procedente, dignè sumitur; & præcepto tam divino, quàm humano secundum omnes satisfit, licet nullis specialis charitatis actus ad communionem præcedat; ergo juxta doctrinam Magistri Bannez, in lege Evangelica, qui post usum rationis, singulis annis nullo adhuc mortali communicaverit, satisfacit præcepto dilectionis Dei, licet nullum specialem actum charitatis eliciat. Hanc consequentiam evidenter deduci ex doctrina Magistri Bannez, nemo Logicus dubitare potest. Quapropter non incongruè dixit Amadæus: *Videtur M. Bannez commutasse præceptum speciale charitatis in præceptum sumendi Eucharistiam, quod sit aperte valenter illud negare.*

Instauratur Amadæi argumentum ex alio quo ipse M. Bannez impetit M. Sotum asserentem in Baptismo adimpleri præceptum, quo omnes tenentur diligere Deum super omnia, cum ad usum rationis pervenerint. Sic enim in illum insurgit 2. *quæst.* 44. *art.* 3. *dub.* 1. (Dicit Sotus, quod in Baptismo impletur illud præceptum; quia tunc dat homo nomen suum in militiam Christi. Sed tamen non video, quomodo tunc speciale præceptum charitatis adimpleatur; quoniam parvuli habitualiter amant, sicut & credunt. Adulti verò (attende) cum sola attritione digne suscipere possunt Sacramentum Baptismi, ergo in illis susceptione Baptismi non adimpletur speciale præceptum dilectionis Dei.) Hæc Bannez. Ex quibus ita in illum retorquet Amadæus. Adulti cum sola attritione digne suscipere possunt Eucharistiam, ergo in illis susceptione Eucharistiæ non adimpletur præceptum dilectionis Dei; ergo si ad illud aliter adimplendum non tenentur, evidens est, speciale præceptum charitatis in dignam communionem esse commutatum. Sane vel argumentum M. Bannez contra Sot. nullum est, aut Amadæi contra Bannez rem evincit.

Sed instat Baronius mala fide citatum Bannez: *Quia licet dicat satisfieri huic præcepto charitatem qui semel per annum dignè sumit Eucharistiam; tamen quasi huic responsioni diffisus addit, (quod non debuerat tacere Amadæus,) hujus præcepti omissionem nobis ignorantibus, posse ad peccatum lethale imputari.* Verum si hæc expostulatio justa foret, potuisset contra Magistrum Petrum de Ledesma eandem urgere, qui cum ex eadem familia

sit, non aliter citatum Bannez adducit: (La sexta sentencia (inquit) *tom. 2. sum. tract. 3. cap. 5. post. 6. conclus.*) es, que el que cumple con el precepto de la comunion, recibiendo dignamente el Sacramento del Altar, cumple con el precepto de amar a Dios sobre todas las cosas. Esta sentencia tiene el Padre Maestro Bannez en el lugar alegando. Esta manera de dezir, me parece muy dificultosa, porque el precepto del amor de Dios es muy diferente del de la Eucaristia. Luego con comulgar no cumple uno con el precepto de amar Dios.) Hæc Ledesm. à quo tamen mala fide fuisse citatum M. Bann. nec ipse Baronius dicet, cur ergo Amadæum calumnia impetit?

Et quidem neuter malæ fidei redargui potest, ex eo quod ultimam, circa præceptum amoris Dei, conclusionem omiserit, quia licet post supra traditam de adimpletione hujus præcepti per dignam singulis annis communionem. M. Bannez subnectat: (Tandem dico, quod fortassis nobis ignorantibus aliquando est omissio hujus præcepti, sicut etiam solet esse omissio orandi Deum:) non dicit esse peccatum mortale, nec ideo scripsit, quia alteri conclusioni diffisus fuerit; sed quia forsan pluries in anno per se obligat charitatis præceptum, cum plures intra annum casus occurrant, in quibus disputant Doctores, an sit obligatio eliciendi actum specialem amoris Dei, v. g. An quisque per se ad illum teneatur, quoties contritionem peccatorum habere tenetur, aut veram eorum detestationem extra Sacramentum? An quoties aliquem in Deum blasphemantem audit? An quoties beneficium magnum à Deo acceperit (An quando graves odii Dei tentationes instant? Et similes, in quibus omissio hujus præcepti fortassis nobis ignorantibus datur. Quæ quidem ignorantia esse potest inculpabilis, ut constat ex Granado 2. 2. *contr. 3. de charit. comment. in quæst.* 44. *tract.* 14. dicens: (Quonam tempore obliget hoc præceptum? Res est occulta, quod deserviet, ut facile admittamus invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa plures, qui hoc præceptum fortasse non impleverunt.) Hæc Granado universaliter de tempore obligationis hujus præcepti charitatis loquens, quæ potiori jure militant in sententia M. Bannez; quia licet præceptum amoris Dei per se sufficienter adimpleri existimet, digna sumptione Eucharistiæ, singulis annis; censet tamen fortasse, aliis etiam temporibus, per se obligare, &c. per ignorantiam omissionem inculpabilem contingere. Hoc autem eodem tenore verborum dicere potuisset, quamvis ad actum specialem amoris semel singulis annis per se elicendum obligasset, ut plures alii dicunt: sicut ergo, si hanc communem conclusionem præmisisset, non esset argumentum diffidentiæ, quam post illam adjungeret: (Tandem dico, quod fortassis nobis ignorantibus aliquando est omissio hujus præcepti.) Ita similiter, nec quod post doctrinam de adimpletione præcepti charitatis, per dignam susceptionem Eucharistiæ, adjecerit. Nihil ergo in M. Bannez peccavit Amadæus, sicut nec M. Ledesma, nec mala fide citasse dici potest, quod ultimam conclusionem nuper explicitam subticuerit. Hæc enim alteram in suo robore reliquit.

§. II.

COntra præceptum speciale charitatis fallax argumentum ex D. Thoma depromptum, condolet Baronius, *pag.* 314. Casus est, *tract. de charit. prop.* 1. *num.* 4. Supposita vera sententia de præcepto speciali actus charitatis refert, & à censura liberat Amadæus quorundam opinionem asserentium hoc præceptum per se non obligare extra articulum mortis, & hujus sententiæ indagans fundamenta, inquit: (Non deerit forsan, qui existimet de hoc præcepto, eodem modo philosophandum, ac de præcepto Baptismi, quod pro nullo tempore determinato ante finem vitæ obligare, tradit M. Martinus de Ledesma apud Leandrum, & est doctrina expressa D. Thom. *in Addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 5. in corp.* ubi ait: (*Ad Baptismum non est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum incurrat* Argumentum hoc idem tempus utriusque præcepti obligationi determinans fallax, & vitiosissimum Baronius appellat. Quia non est, inquit, idem judicium de utroque præcepto: *Nam præceptum charitatis ad finem pertinet, & Baptismi ad media.* Verum hoc fundamentum levissimum est, quia actus charitatis non cadit sub præcepto, ut finis aliorum præceptorum est, sed ut medium ad consequutionem gloriæ. Ut benè ait M. Bannez 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 1. *concl.* 3. (Actus, inquit, charitatis est etiam medium maxime necessarium ad assecutionem finis, & eatenus est de illo præceptum speciale; non ut habet rationem finis aliorum præceptorum, sed ut habet rationem ultimi, & perfectissimi medii ad assecutionem finis.) Ergo ex eo quod præceptum charitatis, ad finem aliorum præceptorum pertineat, & Baptismi ad media: cum tam actus charitatis, quàm Baptismus, ut media tantum sub præcepto cadant, insufficiens valde est disparitas à Baronio tradita, maxime ut ex illa argumentum fallaciæ convincatur.

Vitiosissimum etiam vocat, quia D. Thomam neutiquam docere putat, quod de Baptismi dilatione in loco citato illi adscribitur: *Nec potest,* inquit, *illi adscribi nisi per summam calumniam*, legi, & relegi D. Thomæ locum supra citatum *ex Addit. ad 3. p. quæst. 6. art. 5.* in editione Salmanticensi (qua utor) anno 1553. & verba quæ ex illo adducit Amadæus, fideliter excerpta reperio. Et claritatis gratia, antecedentia, & subsequentia subjungam. Disputat ibi D. Thomas: (Utrum peccator teneatur statim confiteri?) Et postquam statuit ratione communionis teneri. Sic prosequitur: (Alio modo obligantur aliqui ad confessionem per se: & sic videtur eadem esse ratio de confessione, & de Baptismo differendo, &c. Ad Baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habuit propositum Baptismi: (attende) *Nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum incurrat.*) Et infra. (Quia ea quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel Baptismum suscipiendum.) En aperte in his locis traditum à D. Thoma, nullum esse tempus ultra quod si Baptismum quis differat, peccatum incurrat, & in articulo mortis teneri suscipere. Cujus fundamento innixi Scotus, Durandus, Gabriel, Ricardus, Paludanus, Suarez, Valentia, Lugo, & alii apud Leandrum, *tom. 1. tract. 5. disp. 3. quæst.* 13. asserunt, secluso articulo mortis, & lege Ecclesiastica de confitendo semel in anno, non obligare per se divinum præceptum confessionis. (Quia præceptum, inquiunt, affirmativum per se non obligat, nisi in articulo necessitatis, qui per se loquendo, nullus est dabilis ante mortem.) Quod prædocuerat D. Thom. ubi *supr.* dicens: Præcepta affirmativa non obligant

ad

ad statim, sed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc, quod tunc commode impleri possunt, sed ex hoc, quod tempus urgentem necessitatem adducit.) Cum autem nullum sit tempus ante mortem, quod urgentem necessitatem ad Baptismi præceptum adimplendum adducat, cum nullum sit, ultra quod si quis differat, peccatum incurrat : & eodem modo de Baptismi, ac de confessionis præcepto discurrendum sit, plane sequitur ex mente D. Thomæ, extra articulum mortis per se non obligare præceptum Baptismi, sicut nec confessionis: attento dumtaxat præcepto divino; nam certissimum est præcepto Ecclesiastico dilationem utriusque prohibitam esse.

Faciunt discursui Amadæi, M. Bann & M. Soto, qui (ut testatur Baronius *sup. fol.* 312.) asserunt, quod nisi præcepto charitatis adultus, in primo instanti usus rationis teneatur. (Vix ullum præter articulum mortis assignari potest.) Ergo homini, qui in primo instanti usus rationis actum charitatis elicuerit, nullum tempus ante articulum mortis assignari potest, in quo ad actum alium charitatis eliciendum teneatur & consequenter omnes qui talem obligationem pro primo instanti usus rationis non agnoscunt, tenentur fateri, extra articulum mortis præceptum speciale charitatis non obligare. Adde quod omnes Thomistæ defendunt cum D. Thom. præceptum Baptismi non obligare in primo instanti usus rationis; ergo pro Bapt[ismo] juxta S[cotum], & Bannez, *Vix ullum præter articulum mortis assignari potest.* Ergo licet D. Thomas verbis supra datis, id non expressisset, hæc sententia vi argumenti illi adscribi posset. Non ergo vitiosum adeo fuit Amadæi argumentum. Nec falso D. Thomæ adscripsit verba, ut Baronius dixit, sed ex illo circa Baptismi dilationem fideliter excerpsit.

Instat Baronius D. Thom. ibidem addidisse: (Potest contingere, quod in dilatione Baptismi mortale erit peccatum, vel non erit, & hoc pensandum est ex causa dilationis. Unde si causa dilationis Baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum, vel aliquid hujusmodi, Baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale, aliàs non.) Fateor D. Thomæ hæc esse verba, quæ licet Baronius non adducat, referre placuit, ut ex illis apertius D. Thomæ sensus percipiatur : concedit Amadæus dilationem Baptismi ex contemptu, aut inobedientia posse esse peccatum mortale: contendit vero, vi consequentiæ idem prosus de dilatione actus charitatis dici posse; & ideo quod deficiente simili causa dilationis, sicut non peccat lethaliter omittens Baptismum usque ad articulum mortis (attento jure divino) ita neque qui actum charitatis. Ex nullo ergo capite Amadæi argumentum fallax, & vitiosissimum ostendit Baronius.

§. III.

DE contritione intempestive reprehensum Cajetanum, dolet Baronius, *pag.* 315. sed quidem laudi ei verteretur, si complacuisset. Sic res se habet. Secundum argumentum, quo Amadæus excusat asserentes præceptum amoris Dei differri posse usque ad articulum mortis, sumpsit à paritate præcepti contritionis, quod post peccatum commissum, non minus urget, quàm præceptum amoris Dei: quia contritio, secundùm communem Theologorum sententiam, est formaliter actus charitatis, & è contra, actus charitatis est formaliter, aut virtualiter actus contritionis, ut tradit D. Thom. *in 4. sentent. dist.* 17 *quæst.* 1. *ad* 4. *quæst.*... *ad* 1. (Dicendum, quod servus dilectionis de necessitate secum conjunctum habet odium contrarii.) Sed post peccatum commissum, potest differri contritio, usque ad articulum mortis, ergo & actus charitatis. Hæc consequentia gravis ponderis esse debet Cajetano, & aliis, qui hanc propositionem concedunt, & gravioribus pluribus Doctoribus, qui ante commissum peccatum, in primo instanti usus rationis, præceptum charitatis urgere negant. Postquam igitur Amadæus Cajetani verba pro dilatione licita contritionis usque ad articulum mortis fideliter exscripsit, subnectit alia ejusdem verba, quæ ibidem addit, dicens: (Scito quod ejusmodi vera contritio dupliciter reperiri potest; scilicet formata, vel informis, hoc est, cum gratia, & charitate, & sine illa.) In quem sic Amadæus : *Mirabile quidem dictu! Quomodo sine gratia, cum sit ultima dispositio ad gratiam? Quomodo sine charitate, si cum remissione peccati necessaria conjuncta est.* Hæc est acris illa reprehensio, quam Baronius adeo ægre tulit, cum Amadæi potius modestiæ congratulari debuisset: & in eum solum invehitur, etsi plures ibidem referat, quorum alii Cajetani opinionem parum tutam in fide, alii erroneam appellarunt. Sed Baronium excuso, quia præfatam sententiam, sibi non displicere significat, dicens: *Nolim, hæc ex Cajetano defendere, quamvis possem verosensu interpretari.* Hoc Baronio non concedam: bene tamen quod si vera contritio, cujus præceptum post lapsum per se non obligare, usque ad articulum mortis, dicit Cajetanus, posset esse sine gratia, & charitate; imbelle foret argumentum à paritate contritionis ad actum charitatis. Quapropter opus fuit Amadæo præfatam opinionem exterminare, & eam, quam *intempestivam*, abs relatis, Baronius vocavit, reprehensionem non prætermittere, ut illa rejecta, argumentum in suo rotundore maneret, & solutionem non pateretur.

§. IV.

CONtra præceptum speciale charitatis pessimè advocatum D. Thomam, expostulat Baronius, *fol.* 316. cui ut plene satisfaciam, in memoriam revocare oportet, Amadæum, *prop.* 1. *de charitate, num.* 7. adducere D. Thom. expresè asserentem dari speciale præceptum charitatis, ejusque transcripta referre verba *ex* 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. ubi sic ait : (Actus charitatis, secundum quod est quidam actus, per se cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur. Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum.) In quibus tam charitatis Dei quàm proximi speciale præceptum apertissimè docet. Quod iterum tradit 2. 2 *quæst.* 44. ubi duo hæc specialia præcepta ex professo explicat, & *art.* 7. modum dilectionis contentum illis verbis: *Diliges proximum sicut te ipsum*, exponit. Nec mihi de re hac dubium ullum est. Quia Christus Dominus, *Matth.* 22. eodem modo de præcepto amoris proximi, ac Dei loquutus est, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum, &c. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quapropter jure optimo D. Thom. ubi *supr.* de utroque actu speciale esse præceptum, nos edocuit.

Nihilominus non esse obligationem diligendi proximum actu interno, & speciali charitatis nisi casu, quo id esset necessarium ad vitandum odium, tradit ex Dominicanis tanquam D. Thom. sententiam, M. Acacius

Acacius de Velasco apud Amadæum, dicens: (Santo Thomas, y comunmente los Doctores ensennan, que no debemos amar al proximo con actos internos especiales, sino es en caso que fuesse necessario para euitar el aborrecimiento.) Ex quibus sic Amadæus: *Quid ergo? dicemus in doctrina D. Thom. neminem teneri amare Deum actibus internis specialis amoris, nisi cum opus fuerit ad evitandum odium? Expende vim consequentiæ.* Quod ut melius præstes: sic instauro argumentum. De utroque actu charitatis Dei, & proximi, datur speciale præceptum, sed speciale præceptum charitatis proximi non obligat ad actum internum, nisi cum opus fuerit ad vitandum odium; ergo neque speciale præceptum charitatis Dei. Hæc est consequentia illa, quam ex præmissis inferri putavit Amadæus, ideòque ad eam evitandam, jure censuit, illatum aliquam claudicare. Non majorem, ut aliqui, quos ibi citat, voluerunt, sed minorem. Nam cum speciale præceptum charitatis negari nequeat, & de utroque amoris actu, Dei scilicet, & proximi, specialiter detur, ut *ex Matth. 22.* constat, nequit consequenter asseri actum internum amoris Dei per se cadere sub præcepto, non vero amoris proximi.

Verum, utraque præmissâ concessâ, Baronius consequentiam ridet. Nec miror, cum præceptum speciale amoris Dei, & proximi, exponere non erubescat, illo proverbio, *Qui amat me, amat & canem meum.* Quasi præceptum amandi proximum ea ratione se habeat, respectu præcepti amandi Deum, ac præceptum amandi canem cum præcepto amandi proximum: & quasi proximi, & canis amandi, darentur duo specialia præcepta inter se connexa, sicut & amoris Dei, & proximi dantur. Unde concludit ridiculam esse argumentationem à præcepto speciali amoris proximi, ad amorem Dei speciale præceptum, dicens: *Canem amici non debeo singulari affectu prosequi, sed juri amicitiæ satisfacio, si habeam animum paratum ad canem diligendum, cum occurrerit occasio amico testandi affectum, eius cane non omnino neglecto.* Unde deducit, quod licet amoris proximi speciale præceptum non obliget ad actum internum amoris; nil inde concludi potest contra obligationem ad actum internum, & specialem amoris Dei; aliàs inquit, *satisfaciam præcepto charitatis in Deum, si illum eodem loco, quo canem reponam.* Verba hæc, cui vertam, nescio. Sanè si in obligatione amandi Deum, non alia amandi proximum contineretur, quam in præcepto amandi proximum, obligatio amandi eius canem: & præceptum amandi canem daretur simile præcepto amandi proximum, quod simile est præcepto amandi Deum, discursus Baronii irridendus non foret. Sed cum omnia secus se habeant, & ipse ignorare non possit, consequentiæ, & conscientiæ morsus fugere non poterit.

Etut res magis innotescat, sic formo argumentum: Ex eo quod Christus Dominus eodem modo de præcepto charitatis Dei, & proximi loquutus fuerit, inferunt Doctores, dari præceptum speciale divinum, & supernaturale charitatis proximi, quo ex charitate, & amore supernaturali tenemur proximum diligere (quod esse de fide dicit Trullenc. *lib. 1. Decalog. cap. 5. dub. 4. num. 4.*) ergo ex eo quod Christus Dominus eodem modo de utroque præcepto loquutus fuerit. Legitima hæc erit consequentia: *Actus internus supernaturalis charitatis Dei per se cadit sub præcepto, ergo & actus internus supernaturalis charitatis proximi*; ergo ab oppositio consequentis validum erit argumentum: *Sed actus internus, & supernaturalis charitatis proximi, in opinione D. Thom. per se* (ut ait Acacius) *non cadit sub præcepto, ergo neque actus charitatis Dei.* Ergo ex negata obligatione diligendi proximum actu interno charitatis supernaturalis, non inefficaciter arguitur contra obligationem amandi Deum actu interno charitatis. Non ergo ineptè vim consequentiæ expendendam commendavit Amadæus. Ad vitandum igitur absurdissimum istud consequens, satius fuisset Baronio explicare duo D. Thomæ loca, quæ *ex 2. 2. quæst. 25. art. 8.* & *ex Quodlib. 4. art. 24. ad 1.* adducit Amadæus, ex quibus Acacius de Velasco, & alii ei adscribunt, negasse obligationem diligendi proximum actu interno charitatis supernaturalis. Posset inquam explicuisse, juxta ea, quæ *2. 2. quæst. 44. art. 7.* dicit Angelicus Doctor, ubi explicans verba Christi Domini, Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, sic ait: Modus dilectionis tangitur, cum dicitur, *sicut te ipsum, &c.* Et hoc tripliciter: Primo, quidem ex parte finis, ut scilicet aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta, &c.) Diligere autem proximum propter Deum, nequit contingere absque actu interno charitatis supernaturalis proximi, qui proinde juxta D. Thom. *ibidem, art. 4.* sub præcepto cadit: & ideo aliquando per se debet obligare: nempe saltem semel in anno, ut cum Magistro Bannez tradit M. Petrus de Ledesm. ubi *supra tom. 2. sum. tract. 3. cap. 5.* & sic dicendum censeo, ut vi argumenti nequeat D. Thom. ullo modo advocari contra præceptum speciale actus interni charitatis Dei, quod alibi ut certum, & indubitatum supponit, ut *supra* notavi.

§. V.

COntra idem speciale præceptum charitatis Dei, fraude relatum D. Thom. locum, contendit Baronius, *pag. 318.* & in Amadæum (cui sententiam imponit) acriter invehitur: cum tamen ipse nullibi neget præceptum hujusmodi, nec D. Thom. negasse dixerit, sed pro affirmativa sententia, illius expressa verba produxerit; etsi Doctores negativæ non leve pro illa, apud D. Thom. fundamentum inveniisse pronuntiet. Tria igitur D. Thom. loca adducit Amadæus *tract. de charit. prop. 1. num. 9.* quibus prædicti Doctores inniti potuerunt. Primum *ex 2. 2. quæst. 44. art. 1. ad 3.* ubi cum sibi objecisset. (Si de charitate dantur aliqua præcepta, deberent poni inter præcipua præcepta, quæ sunt præcepta Decalogi, non autem ponuntur, ergo. Respondet: (Dicendum, quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi; & ideo præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur.) Ex quibus sic argui potest. Præcepta charitatis includuntur in aliis præceptis Decalogi, ergo & observatio præceptorum charitatis includitur in observatione aliorum Decalogi. Sed præcepta Decalogi observari possunt absque actu speciali charitatis Dei, & proximi, ergo & præcepta charitatis. Minor constat ex D. Thom. *1. 2. q. 100. art. 10.* & *2. 2. q. 44. art. 1. ad 1.* ergo.

Secundum præfatæ sententiæ fundamentum dedit locus alius D. Thom. ex eadem *quæst. 44. art. 4.* ubi præceptum diligendi Deum ex toto corde, sic exponit: (Ad secundum dicendum, quod dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, & ista est perfectio patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis

in Deum feratur; ita scilicet, quod nil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc est perfectio viæ.) Ex quibus sic arguitur: Qui diligit Deum ex toto corde, prout est perfectio viæ, verè observat præceptum charitatis Dei, sed qui habitualiter Deum diligit, nil contra Dei dilectionem agens, diligit Deum ex toto corde, prout est perfectio viæ, ergo. Cum autem habitualis hæc dilectio, & nil contra Dei dilectionem agere, absque actu interno amoris Dei contingere possit, servando scilicet Decalogi præcepta, & habendo animum præparatum ad dilectionem Dei, sicut de dilectione proximi tradit Angelicus Doctor 2.2. *quæst.* 184. *art.* 2. *ad* 3. (Sufficit, inquit, ut feratur in singulos habitualiter, & secundum animi præparationem.) Inde non leviter concludi nonnullis videtur, præceptum diligendi Deum ex toto corde, cui præceptum dilectionis proximi simile est, satis adimpleri juxta principia D. Thom. si voluntas in Deum habitualiter feratur, secundum animi præparationem, nil contra Dei dilectionem agens.

Tertium D. Thomæ locum huic parti faventem excerpsit Amadæus *ex* 2. 2. *quæst.* 184. *citata*, *art.* 3. *ad* 2. ubi ait: (Perfectio divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto; sed transgressionem præcepti evadit, qui quomodocumque perfectionem divinæ dilectionis attingit: est autem infimus dilectionis gradus, ut nil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur.) Et infra. (Non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat ad infimum.) Ex quibus sic. Qui nil supra Deum, aut contra Deum, at æqualiter, ac Deum diligit, adimplet præceptum dilectionis Dei: sed nullo actu charitatis elicito, verificari potest, nil supra, aut contra, aut æqualiter, ac Deum diligi; ergo & adimpleri præceptum.

Propter hæc præfatam sententiam non leve fundamentum apud D. Thom. habuisse, non renuit dicere Amadæus. Non dubito apud Dominicanos levissimum, & nullum omnino censendum: an vero tale sit, judicabunt alii. Etenim argumenta, quæ ex D. Thomæ doctrina conficiunt Jesuitæ ad probandum physicam prædeterminationem pugnare cum libertate, & illa requisita ad operandum, & independente à nostra potestate, ut à Dominicanis adstruitur, deficere auxilium sufficiens in eo, qui non operatur, ac proinde quicumque non operatur, non posse operari, & similia; levia vocant etsi efficacia senserint) adversarii. Cum tamen alii efficacissima censeant, & clament. Nil ergo mirum, quod præjacta Amadæi argumenta doctrinæ D. Thom. innixa nullius ponderis ab aliquibus judicentur, aliis forsan non levia erunt. Et, ut credo, graviora censebunt, qui Baronium vindicem legerint, quia post multa prolixe satis ad ea diluenda congesta, illibata fere reliquit. Non tamen propterea nego congruam, & valde probabilem solutionem admittere, quæ D. Thomam ab scandolosa illa doctrina excludat, non vero adeo apertam, & evidentem Amadæus censuit, ut præfatæ opinionis patroni; illius authoritate non leviter innixam Intendere nequiverint. Nec novum est Thomistis opinionem aliquam, ut expressam D. Thomæ defendere, & tamen contrariam in via etiam D. Thomæ probabilem esse, statuere: quarum plura possem adducere exempla, & ex locis forsan minus urgentibus deprompta. Hæc si expendantur, consequutio illa Amadæi, tum ex D. Thom. locis nuper adductis, tum ex aliis de dilectione proximi, non adeo fallax lectori videbitur, ut Baronio *supr. pag.* 326.

Conclusio ex præmissis.

OMnia D. Thomæ, & Thomistarum loca, quæ Vincentius Baronius in suo opere, edito Parisiis anno 1665. ab Amadæo falsata, & truncata, ad invidiam ei conciliandam in syllabo congesta objecit, sigillatim expensa, & ad trutinam vocata expolit, nullius rigorosum examen prætermisi. Et mirabile dictu! Cum tot ipsius, & aliorum industria, ad vindictas undique conquisita traxerit, nullum delictum, sed per fraudem, aut calumniam in Amadæum retortum demonstravi. Doctores judices adroga. Ea est veritatis natura, ut unde magis obtegitur, inde magis eluceat. Quapropter satis mirari non possum Vincentii Baronii ausum, dum Authores suæ familiæ ab opinionibus, quas, eorum expressis verbis, Amadæus refert, eximere tentavit. Cum enim facti quæstio sit, unusquisque facile, collatis locis, sententiam ferre poterit, & de falsitate convictum parvipendere. Omnes Hispani pro Amadæo tulerunt. Eius fidelitatem in Authoribus citandis, Almæ facultatis Parisiensis Doctores, & ex Carmelitana Familia viri doctissimi, in approbatione Opusculi die 7. Martii anno 1664. Lugduni commendarunt. *Fidem*, inquiunt, *facimus, Authorem libri, cui titulus est*, Adversus quorundam expostulationes, &c. *fideliter citare Authores percelebres, ac de Religione Orthodoxa bene meritos, qui eadem hic recensita opuscula tuentur.*

Unus Vincentius Baronius fidelitatem hanc arietare suo libro, molitus est. Sed ut ait Sanctus Gregorius Nyssenus *lib.* 7. contra Eunom. *Sufficiens refutatio vanitatis eorum, quæ dicuntur, est ipsemet liber ipse per se ipsum imbecillitatem sonora quasi voce patefaciens.* Sed quod mirabilius, cum totum oleum Baronius perdiderit, hanc confidenter pro suis contra Amadæum, *pag.* 334. sententiam profert. *Si vera sit hæc Amadæi accusatio, non deprecor quas commerentur pœnas hæc flagrans patiar libentissime nos diris omnium gentium devoveri, & flammis nos, librosque nostros absumi. At si falsa sint ea ex Dominicanis testimonia, si corrupta, si in alienum sensum detorta, si denique ad calumniam instructa, fatua lector, quid tot interpolationum artifex commeruit?* Ostendi jam falsa non esse ex Dominicanis testimonia, non corrupta, non in alienum sensum detorta, sed omnia vera, & fideliter, & in sensu ab eis intento producta, ideòque quod libentissime Baronius passurum offert; alii, ut credo, aqua ferent. Lectorem judicem statuo, ut Baronii, & Amadæi causâ cognitâ, suum ius unicuique tribuat.

O quantum meriti causæ Amadæi accresceret, si hic se locus daret exscribendi loca, quæ ex ipso Baronius, vel non calluit, vel in detortum, & contradictionem sensum voto finxit! Nullam fere opinionum singularem, ut ab aliis traditam refert Amadæus, cujus eum Baronius Authorem non traducat, & illi invito non adscribat; ut ex sui operis famoli contextu aperte constat. Plures Dominicanis imponit, se, ipse illi imponit, ut inde Sycophantiæ redarguat, prout in hac opella, collatis locis demonstravi. Quotiones quandoque permiscet, & irretitur, ut incautum lectorem deceptum in Amadæum provocet, & ipse victor appareat. Exemplo rem explico. Amadæus *tract. de pœnit. prop.* 7. plures refert Doctores, & nonnullos ex Ordine Prædicatorum, asserentes eum unica actione plures lædit personas, unum peccatum commit-

committere: inter quos M. Serra 2. 2. *quæst.* 76. cujus formalia adducit verba, quæ non inficiatur, sed reperit Baronius *fol.* 234. Nihilominus Amadæo insultat, dicens: *Quæ tibi fides impostorum Amadæe adeo aperte fraudis convicto?* Sed cujusnam? Quia suppressit, inquit, alia verba ejusdem Serra infra docentis: *Aperiendum esse in confessione, quot homines male dixerit.* Verba Baronius refert, sed extra chorum saltat. Quia quæstio, quam Amadæus ibi versat, non est an numerus personarum, quibus fit injuria, sit necne in confessione aperiendus? Sed an qui una actione plures lædit, unum peccatum committat? Et pro parte affirmante adduxit fideliter M. Serra, & alios Doctores, præscindens omnino à quæstione alia de modo confitendi ejusmodi peccatum, quæ longè diversa est, In qua præfati Doctores non conveniunt (licet gravius fateantur peccatum, quo plures fuerint personæ læsæ) sed alii numerum exprimendum affirmant, alii negant, juxta diversas opiniones circa obligationem confitendi circunstantias aggravantes, ut notat supra M. Serra, cui probabilius videtur aperiendum. Quem proinde Amadæus, quando, hanc secundam quæstionem exagitet, pro hac parte adducere promittit, & eius verba referre. Quando autem primam de uno, vel pluribus peccatis attigit, ad rem non erant, & ideo prudenter omisit. Qua ergo fronte aperte fraudis Amadæum convictum garriit Baronius? Omitto hujus generis alia.

Insuper quandoque, ut suæ familliæ Authores ab opinionibus, quas verè tradunt, eximat, in contradictorum sensum trahit, licet formalia eorum verba apud Amadæum prælegerit. Exemplum sit Propos. 16. de pœnitent. adducit Amadæus expressa Sylvestri verba (*confes.* 1. *quæst.* 8. *ex editione Antverpiensi, anno* 1559.) asserentis cum Petro de Palude, contra Hostiensem, Panormitanum, & Angelum, quod exempti habentes immediate supra se Abbatem, vel Generalem, & hujusmodi possunt communi jure eligere confessarium. Et tamen contrariam sententiam Sylvestrum tenere, audacter, & intrepide Baronius asserit *fol.* 245. dicens: *Quoad Sylvestrum attinet, adverto non bona fide referri; sic enim habet: prater exemptos, qui immediate subduntur Papæ, Prælatos qui habent supra se Abbatem General. vel ejusmodi, id est, Episcopum, eligere communi jure non posse quemlibet Sacerdotem in confessarium.* Hæc Baronius imponens Sylvestro sententiam, quam ab Hostiensi, & aliis traditam deserit. En Sylvestri verba: *Exempti habentes immediate supra se Abbatem, vel Generalem, & hujusmodi, eligere communi jure non possunt, secundum Hostiensem, quod ibi Panormitano placet, & hoc sequitur Angelus. Sed Petrus Palude* (attende) *tenet contrarium, dicens: Quod Prior si est Prælatus, & exemptus, licet subsit Abbati & Majoribus, hoc potest sine licentia eorum, quia hoc privilegium, inquit, de eligendo Confessorem æqualiter, conceditur Episcopis, & minoribus Prælatis exemptis. Hoc sequitur Archi. & hoc tene: quia constitutio est gratiosa, & late interpretanda.* Ecce apertissime Sylvester contradicit Baronio, quia aut cursim eum legit, & ideo sententiam quam rejicit, attribuit, aut ex malitia imponit, ut Amadæo calumniam inferat. Plura possem ad hoc argumentum congerere, quibus parco, ut brevitati non parcam.

Aliqualem ego, etsi prætensam, Baronio excusationem meditabar, ut à temeritatis nota, eius ausum eximerem, quod in quæstione facti sic scripserit, quasi ad nullius viri docti oculos, nec aures, eius opus perventurum esset, sed solum apud imperitos, & ignaros evolvendum, qui juxta ipsius dicteriorum, calumniarum, & convitiorum colluviem, causæ justitiam metientes, in Amadæum concitarentur. Sed jam neque apud istos Baronium fidem ullam facturum video, postquam illum inveni serio negantem in universo extitisse Reverendissimum Patrem Fratrem Luisium de Valentia ex Capucinorum Ordine, virum gravissimum, & in Hispania, præcipuè in Regnis Valentiæ, & Murciæ, doctrina, prudentia, & Religione notissimum, qui ex præscripto Vicarii Generalis Archiepiscopi Valentini, Amadæi opusculum anno 1660. ad prælum Valentiæ approbavit, ut in fronte operis præmittitur, his verbis: *Approbatio admodum R. P. Fr. Luisii à Valentia Ministri Provincialis semel, & iterum, Ordinis Fratrum Minorum Franciscidum Capucinorum, Provinciæ Sanguinis Christi, in Regnis Valentiæ, & Murciæ, Sacræ Theologiæ Antecessoris, ac Lectoris jubilati, & apud fidei judices sacros, in utriusque Coronæ Senatibus Consiliarii Qualificatoris.* Hujus ergo tanti viri (qui hoc anno 1666. paucis ab hinc mensibus plenus meritis natale solum cum cœlesti solio commutavit) non solum memoriam abolere, sed nec inter vivos usquam extitisse, Baronius suadere tentavit. Imo parum id censens, nec Capucinorum Provinciam Sanguinis Christi, in universo Ordine esse, nec fuisse testari, & comprobare ausus est (*pag.* 267. *disp.* 2. *sect.* 5. *ar. unic.*) *Plures, inquit, suspicabantur commentitium esse illud Capucini elogium, & fraude Authoris ingestum suo Opusculo. Ea opinione nil verius probant Capucinorum querimoniæ justissimæ & Præpositi Capucinorum Generalis omni exceptione majus testimonium, cui cum sui Ordinis res omnes sint notissimæ, nec Provincialium, aut celebriorum virorum nomen illum lateat, ut ab uno illustri Capucino accepi, sancte juravit, nullam extare hoc nomine Sanguinis Christi sui Ordinis Provinciam, nec ullum cognomento Luisium à Valentia Exprovincialem.* Hæc Baronius, & unus ille privatim asserere, nedum scribere, & typis mandare auderet. Quæ non solum Doctores, & viri Religiosi Universitatis Valent. & Vicarius General. illustrissimi Archipræsulis, ex cujus mandato approbatio ad prælum præcessit, sed & utriusque Regni Murciæ, & Valentiæ S. Tribunalis D. D. Inquisitores, imo & incolæ omnes, cum ad aures pervenerint, cachinnis excipient, & inde ortis præconiis Baronianam fidem, ut in proverbium maneat, commendabunt. Et veluti ex ungue leonem, ex hac quæstione facti, in qua tot testes, & judices falsitatis existunt, calliditatem hominis agnoscentes, in quæstionibus aliis facti, quas non omnibus examinare vacat, nec licet, non majorem sibi fidem arrogare debere, conclamabunt: ut Amadæus non solum ex Doctorum, sed ex infantium etiam, & lactentium ore laudem perficiat.

Testimonia ex Dominicanis ad calumniam instructa, nemo cordatus credet; Amadæi unus scopus fuit, suas unicuique opiniones restituere, & Jesuitas ab impostoris vindicare, non aliis imponere, non extraneos accusare, non illorum sententias mordere, sed eas relativè tantum in Jesuitarum subsidium adducere, ut vel sic accusatores novitatis, & laxitatis ab illis inductæ meliora sapientes, palinodiam decantare cogeret. Nullam enim opinionem ex Jesuitis refert, quæ vere, aut per impostoram præobjecta non fuerit, nullam ex extraneis, quam sui fide relatam ab Authore attente relecto, fideliter non exscripserit. Omnes de fide Orthodoxa benemeritos agnoscunt patronos, licet me judice, plures adhuc spongia indigeant. Quamvis enim illam supra viginti

propositionibus ab Amadæo, ex variis Authoribus excerptis, Sanctissimus noster Alex. VII. applicuerit, restant adhuc nonnullæ, quas Amadæum reprobare, & suum de singulis judicium ferre, valde oporteret. Nam cum illius Opusculi copiosæ quatuor editiones totam fere Europam repleverint, & nulli confixio libri singularum opinionum transumptum prohibeat, non solum apud se quisque retinere poterit, sed quascunque à Sede Apostolica, aut ab alio inferiori Tribunali fidei non damnatas docere: & cum exceptio regulam in contrarium firmare videatur, ex aliarum damnatione deducere, reliquas in Amadæi Opusculo ex variis Authoribus adductas, probabiles esse, & in praxi securas reputari debere. Vel è contra spargere, propositiones morales Jesuitarum in præfato libro contentas, eo confixo, corruisse, & damnatas fuisse, ut ignorantes nonnulli divulgarunt, non considerantes vix unam, aut alteram opinionem unius, vel alterius Jesuitæ, ex tot in Opusculo contentis fulmen Apostolicum percussisse, sed solum imposturas, à quibus Amadæus evidenter vindicat, & exterorum opiniones justo laxiores, quas inculpatæ tutelæ ius traducere coëgit.

Quibus, ut occurratur, & opportunè medicina paretur, Eminentissimos D.D. Cardinales Sacræ Congregationis indicis supplex exoro, ut novæ editioni Opusculi Amadæi Guimenij facultatem faciant, in qua notatis propositionibus à Sanctissimo nostro Alex. VII. damnatis, & prohibitis, aliæ judicio Authoris de singulis ferendo committantur, quo probabilitate destitutas ostendat, ut in Summistis passim repertæ, & à nonnullis traditæ nulli nocerent. Et sane cum nulla à proprio Authore eradenda puncta prohibitione, decursu temporis, memoria eorum dente; Moralium studiosi confixionis inscii, infinitis Authoribus, facile ebibent, quas in brevi, & tamen Opusculo notatas enixe fugient. Cui gravissimo damno nova editione præcavebitur, & fructum ab Amadæo intentum Jesuitæ colligent, cum et Opusculo edito manifestum fiat, non illos conscientias benas laxasse, sed opiniones medias inter nimis strictas, & laxiores tenuisse, & solum homines invidia obcæcatos in illos oblatrasse: *Quo circa* (ait Gregor. Nyssenus *sup. lib. 4. contra Eunom.*) *neque quæ nia, quod asserunt, everti possit, animadvertunt & quicquid ad ipsos venerit, absque ulla inquisitione arripiunt.* An Ironio id contigerit? Qui legerint judicent: licuit quas commentatur pœnas homo, qui tot probra, contumelias, calumnias & falsas criminationes ad veritatem obscurandam in Amadæum conglomeravit. Ego libentissimè condono. Utinam & ipse æniteat, & de crimine convictus resipiscat. Si autem Amadæus, his ponderatis, in aliquo defecisse, ad censeatur, correctioni Eminentiss. subjicio, & quam Opusculum commeritum fuerit, supplex hic libellus humiliter exorat.

* *
*

R.P.

R. P.

MATTHÆI DE MOYA

SOCIETATIS JESU;

IN COMPLUTENSI COLLEGIO, quondam sacræ Theologiæ Scholasticæ, & inde in Imperiali Matritensi pro Scholis Regalibus, facultatis Moralis Primarii Professoris, & Toletani Archiepiscopatus Synodalis Examinatoris;

SELECTÆ QUÆSTIONES EX PRÆCIPVIS THEOLOGIÆ MORALIS TRACTATIBUS;

DE OPINIONE PROBABILI. DE RELIGIONE. De Pœnitentia. De aliis Sacramentis. De Censuris. Et ex aliis Miscellaneæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO pariter, ac litteratiſsimo Domino Doctori. Domino Dionyſio Perez de Eſcoboſa, in cauſis olim adverſus perduelles fidei, Hiſpalis, & Murtiæ, integerrimo Vindici, Quæſitorique Apoſtolico Delegato. Glandomyrenſis poſtmodum, & nunc Sarabricenſis Eccleſiæ Meritiſsimo Antiſtiti, Regis Conſiliario, &c.

MEUS hic tibi ſiſtitur liber, Illuſtriſſime Dynaſtes, tanquam cliens Patrono, ut cauſa ſpectatiſſimo Judici, ut mendicus munificentiſſimo largitori, ut vernula hero, ut obæratus ampliſſimo Mecœnati. Appellavi meum, quem caligine deliteſcentem tua benignitas, ut videat lucem, requirit. Iacebat ut meus, uſque dum tui luminis mutuatus ſplendorem, veluti ſpiritum hauriret, & vitam. Effudi rudem, ut fingas; incomptum, ut comas; jacentem, ut erigas; elanguem, ut ſoſpites: nec meus jam, ſed tuus dici meritò poſſit, qui à me inanibus tantùm lineamentorum umbris donatus, de tuo gremio: (uti de ſummo jubare) pulcher, elegans, faſtigiatus aſſurgat, & vividùs. Meum dixi, ut potiori jure vendices tuum, qui te nil habere putas, niſi quod dederis. Meus igitur quantulus eſt hic labor, ſi à te prodiret, in pauperes exundaret, nec tuus jam, ſed pauperum diceretur. Æquum ergo eſt, ut ex meo pauperculi penu repetas, quæ ſint tua, qui te tuaquè omnia pauperibus erogaſti. Meum dixi, ut qui omnio ſim tuus. Meum dixi, ut quod nequirem munere, rependerem nomine, hoſque meos de te benemerendi conatus, dicendi arte, fallerem; quos rebus geſtis, quin de tuo accipiat, nulla virtus expl ebit. Litem tandem dirimat liber ipſe, qui transfuga meus in tuam ambit recipi clientelam, ut facto ipſo ſe vocitet, *tuus*, dum à labore fugit audire, *meus*. Nec ibo inficias, aleam ita ſubiiſſe potiorem, bonoquè adſpirante genio, ejuſmodi deſectũ inſtituiſſe, ut te patrono ea gauderet ſorte, quã nataliũ jus negaverat apud patrẽ.

Quantum ergo ex tuo patrocinio authoritatis, & nominis huic operi accreſcat, unus ille, qui te, tuaſquè dotes habuerit exploratas, affatim judex eſto. Erravi fateor, legem præſcripſi arduam, & inacceſſam. Quis enim tuarum laudum momenta ſummus quamvis, ſtudio perpendet? Quis vaſtiſſimum virtutum Oceanum, non dicam bolide pertentavit, ſed nec primoribus deguſtavit labellis? Evolvat Hiſpalis quantopere, Eminentiſſimo Archipræſule Spinula, Vicarias ipſius gerens, Eccleſiaſticam promoveris diſciplinam, vitia detriveris, amaveris æquitatem, conceptam de te ſpẽ, apud nimis religioſũ Princip ẽ, quam candidè ſuſtinueris, longèq; ſuperaveris. Haud prætereat Urbs eadem tuum pro religione tuenda tyrocinium, cum in ſacrum ibi-

dem tribunal cooptatus, advocati, acerrimiquè vindicis partes obieris, cruentum hæresi bellum intuleris, universam impietatem eliminaveris, sartam tectam Christianam veritatem asserueris. Nec Menralia (vulgò Murtia) subticeat, qualem ad sacrum fidei Senatum adlectus, in tanto munere exequendo te gesseris, quam nullo negotio tricas dissidentium exsolveris, quàm cordate jus dixeris, quàm eximia, usque ad miraculum, Cæsarei juris, Pontificiique peritia, doctissimorum etiam animos in tui admirationem abstuleris. Clamitet Glandomyrensis primæva tibi sponsa, buccinet Sarabricensis, quæ modo te Pastorem reveretur Ecclesia, excelsum animum adversis prophana surrectum, sibi pauperem, pauperibus divitem, comem majestatem, qua bonos allicis, improbos retrahis, afflictos erigis in spem, ac vitam.

Omnia hæc, licet maxima, minora profectò sunt virtute, ac magnitudine tua unde compertum habeo, æquum eis numquam posse contingere æstimatorem. Minax tamen hæc moles, inaccessus tuarum virtutum scopulus non mihi invidiam debet conflare, sed veniam, quæ audaciæ, & temeritatis opinione me exoneret, cum ex plurimis, pauca tua rudi contendi perstringere penicillo, quamvis aliquanto magnitudinis detrimento, nullo tamen dispendio veritatis. At vereor in silentio mendacium, cùm in veritatem idem ferè sit solœcismus, & silenda dicere, ac dicenda tacere: nec remissa secius, quam prætervolantia tela scopum non colliment. Hic tamen non despero te mihi & patronum, & mitissimum judicem adfuturum, qui ingravescenti huic veritatis vulneri, modestiæ tuæ pharmaco medearis, qui tibi parcitatem meam imputes, & in meo crimine tibi ignoscas: tibi, inquam, cui religionem propriæ laudes iniiciunt.

Strictim attigi, quibus sis perfunctus honoribus, quæ munera obieris. Honores? Munera? Imò labores, officia, quibus exhaustis interdum, vel præstitis, Regias urbes, præcipuos Hispaniæ Tractus demereueris. Duplici omnino, & judiciali, & Pastorica es potestate initiatus. Hæ tibi præcipuæ artes fuere: in eis ita integritatem judicis temperasti, clementia Pastoris; ut numquam non mulcendo æquitatis, & judicando semper misericordiæ memineris. O numinis proprium inventum! Stadium feliciter studiorum emensum, factumquè scientiarum omnium ex optimis quibuscumque litteris encyclopediam, te suum militem divina exornavit Pallas, ac omnium disciplinarum insulis instructum, cælestibus jam armis communivit. Induit tibi pro torace justitiam, & pro caside certum judicium induxit, ut in campum adversus vitiorum agmina invictus antagonista prodires. Nec justitiæ te depereunti, externum hoc armorum subsidium exhibere fuit satis: Nam ubi primum Astræa illa, quæ sordentes terras ob inulta flagitia reliquerat, te subsellia prementem inspexit, hilari statim fronte tuis finibus est illapsa, ibiquè ut in molli gleva ætherea virtutum condidit semina, uberrimos, in dies fructus paritura: manus quoque divina sua tanto muneri supelectile instruxit; stat eram lævæ, dextræ gladium inseruit, ut non justus modò, qui in vivos etiam ipsius justitiæ vultus, spiritu, ore, ac habitu ad unguem referas visus.

Quod monstrum auderet in pugilem sic armatum, nisi sensu exutum, vitamque pertæsum? Quænam de avernis latebris, acta diris, erumperet fera, quæ Herculeos tecum non formidaret amplexus? vel altius spem tanti certaminis figeret, quam tuæ gloriæ, suæ potiùs, adscribere, si, ut est fatale, succumbat? Nullum tibi æquitatis Alcidi periculum facessit effrænata habendi libido, immanis illa auri sacra fames, quæ veluti Mænalaica aeripes cerva aureis impetit cornibus, & ut pervigil draco Hesperidum pomis lacessit obrizis. Nosti equidem, & expertus es, quod beatitudo summa sit inopia cupiditatum. Ille prædives, qui desiderat nihil. Capax animus virtutum divitiis opplendus; læta alacris mens conscia recti. Hoc tu severioris philosophiæ tinctus oraculo voces illas Pithii consulentis Philippo

Tibi

Tela adhibe in bellis argentea, & omnia vinces.

ostendisti mendaces: nil enim aurum jus, vel roboris in te habuit, qui ea contentus es mediocritate, quam nec modestia respuere, nec integritas consueverit aversari. Unde nullum tibi jam certamen extimescendum, qui tot in una (Ceu Hercules Hydras) pullulantes jugulas cupiditates. Qui strenuè adeò

Scelerum matrem, quæ semper habendo
Plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis avaritiam.

Qui ad majora natus non dignitates ambis, sed te ipsæ ambiunt, religiosum Herculem, à quo cum avaritia ejus etiam

Fœdissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum,
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum,
Pulsa simul.

Quàm pulchrè integritas resonat tua Ciceronis illud plenum desiderii suspirium Catonem percupientis æmulari, cum ajebat. O te felicem, M. Porci, M. Porci, à quo rem improbam petere nemo audet! Nec enim feritate terreris, aut expectatione perliceris, ut vel metus, vel spes à te cum jure valeat extorquere pugnantia; sed illibatus, integer, non minis tantum, verum blanditiis, precibus, rimas omnes occluseris.

His monstrorum conculcatis horroribus, quid cætera percensere opus est? Sed quæ tibi iustructæ acies ad teterrima adeò ostenta devincenda opem præstitere? virtutes. Quæ arma? quæ vires? qui spiritus divinitus tibi ad tot victorias suffecti? virtutes. Quæ ex tot triumphis exuviæ? quæ spolia in trophæum reportata? Non alia profecto quàm virtutes, & quæ ex virtutibus fama diffunditur. Quæ tantis demum manent famæ præconia virtutibus?

Quæ nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.

Consulto igitur tuarum virtutum facinora, supervacaneum duxi, edere singillatim, ut quæ nulla olim ætas conticescet, & ab eo tantum cupiant sciri, à quo ambiant coronari.

Inter eas tamen præclaras tuarum virtutum dotes, longè illa benignitas, & quasi innatus tibi erga litterarum studiosos, sese amor extollit, ut ad hanc unam videatur te natura genuisse, exercuisse genius, fortuna servasse. Plura hic de peculiari tua in me animi propensione, & favoribus, gratus animus non inepte ad tutandam spem producere poterat; sed injucundum tibi auspicor fore, si ea sensibus tuis obiiciam, quæ obliviscaris, quam facis, beneficentius. Et si verum fatear, satis mihi, & hisce laboribus consultum, præstantique compensatos præmio judicabo, si meus hic, politis tuis, & limatis auribus, se probaverit liber. In eo quantumcumque est, quod præstiti, quod sentio quam sit exiguum, id omne tuæ in primis, Illustrissime Antistes, & eruditorum spongiæ permitto. Tibique ex Ecclesiæ bono, & studiorum votis id unum deprecor, ut olim adscribendus cœlestibus, quos merito augebis, tandiù superstes agas, quandiù

Iliacos æquare senes, aut vincere possis.

Illustrissimæ tuæ

Addictissimus Capellanus

Matthæus de Moya.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

AB incunte licet ætate, moralibus disciplinis enixe deditus, has tamen lucubrationes prælo committere, adhuc hærebam, assidua lectione edoctus, nullam ferè in Ethica quæstionem extricandam occurrere, nullam ex ejus principiis consecutionem eruendam, quam fœcundiora aliorum ingenia non præoccupaverint. Cæterùm cum Doctores in hoc florentissimo sæculo, in extrema declinasse animadverterem, alios in laxiora sæpè, alios in strictiora semper: indeque conscientiæ habenas, aut plus justo laxandas, aut nimium comprimendas. Ut utrumque vitium fugerem, & nonnullos scriptores de Ecclesia benemeritos, à laxorum, & novatorum infami nota ab aliquibus malignè, vel ignoranter inusta vindicarem, medium statui carpere viam, & selectiores disputationes, quæ aliarum basis, & fundamenta sint, in fasciculum colligere, gratius meo Lectori sic facturum ratus, quam si apud alios tritis, & passim obviis, paginas replerem, foliaque magis, quam fructus propinarem. Utque haud levi hoc officio, arctius mihi te obstringerem, authores ferè omnes hinc inde concertantes, in prolixis voluminibus sparsos, eorum fideliter excerptis verbis, in unum coegi, ut meum singulis veritatis scopum propinquius attingentibus, calculum maturius adjungerem, & in unaquaque controversia, quid tenendum, pro tenuitate mei judicii, definerem. Quæ ut æquo bonique consulas, in memoriam revocare libuit, Principis eloquentiæ sententiam, ex libro Rhetor. *cap.* 1. excerptam. Cujus vestigiis in Ethicis tradendis institisse, vitio non vertes. * Ut autem, inquit, dicendi præscriberemus, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissimè præcipere videbatur, excerpsimus; & ex variis ingeniis excellentissima quæque libavimus. Ex his enim, qui nomine, & memoria digni sunt, nec nil optimè, neque omnia præclarissimè quisquam dicere, nobis videbatur. Quapropter stultitia nobis visa est, aut à benè inventis alicujus recedere, si quo in vitio ejus offenderemus: aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bono præcepto duceremur. (attende) Quod si in cæteris quoque studiis, à multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent, non tantopere in vitiis perseverarent, aliquo ex inscitia levius laborarent. * Sic Cicero rethoricatur, sic & ego theologizare decrevi. Quamvis enim omnes, qui præcesserunt Scriptores tanti ubique faciam, ut eorum sententias venerabundus suspiciam, nulli tamen alicui certo me addicere volui, sed ab aliis benè inventa ita suscipere, ut si quæ minus vera deprehenderim, modestè deserere, vel explodere quiverim, memor consili Philosophi Cordubensis, *lib. de vita beata, cap.* 1. * Nil ergo, inquit, magis præstandum est, quam ne pecorum ritu, sequamur antecedentium gregem, pergentes non quò eundum est, sed quà itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt. Quorum exempla multa sunt. Neque ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur. Versatque nos, & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur à cœtu. * Hactenus Seneca.

Omnium igitur opiniones in re controversa referens, nec laxioribus collato studio adhærebo, ne ad rumorem componi, & ad similitudinem potius quàm ad rationem scriberem dear: Nec strictioribus, ex industria me addicam, ut vel sic minus in arrogantiam offendam, & aliquo ex inscitia levius laborem: sed quas veritati conformiores judicaverim, sive pro lege, sive pro libertate pugnantes, prout Doctoris munere adstringor, eligam semper. Quid quæque veri habeat, diligenter inquiram; & nulli parcens labori inventum docilis proequar. * Sin autem (ut cum Cicerone mea vota expromam) temere aliquid alicujus præterisse, aut non satis eleganter sequuti videbimur, docti ab aliquo facilè, & libenter sententiam mutabimus. Non enim parum cognosse, sed in parum cognito, stultè, & diù perseverare turpe est: propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum singulari mulcujusque vitio est attributum. *

Ne autem plagiarius habeat, Lectorem monitum velim, nonnulla me ex opusculo Amadæi Guimenii, & ex ejusdem supplici libello ad Emin. Cardinales, in has lucubrationes conflatum derivasse. Sed tamen necessarium prudentiores duxerunt, ut cujusdam Neotherici Scriptoris calumnias omninò multas diluerem, in fumumque & umbras abire facerem, quæ contra Amadæi Guimenii, in opinionibus restituendis, fidelitatem stylum exerens, declamatoremque agens passim jactat.

Anno igitur 1665. abortus est liber Pontificio fulmine in utero percussus ab Alex. VII. in Bulla *Cum ad aures*, edita die 26. Junii, ejusdem anni. In quo ejus Author Vincentius Baro- (quem cæteri Baronum; ipse verò Baronium æquivocè convertit) effræni licentia, opiniones omnes, quas ex variis Authoribus fideliter excerptas, justæ defensionis causa, Amadæus traduxe-

traduxerat, ipsimet per summam calumniam affingit. Insuper Doctorum verba consulto præteriens, ut infidelis citationis illum incuset, in contrarium sensum detorquet, aut alia à se conficta superaddit, & non rarò authoribus insalutatis, eorum verba intrepidè negat, omnemque in Amadæum lapidem movet. Sed infœlici exitu; quia nullum in toto opere emisit (mirabile dictu) qui in fundibularii caput, obliquo ictu, non ceciderit. Et ut ex uno crimine omnia discas, (quod omnem admirationem superat) doctissimi, & Religiosissimi viri R.P. Fr. Luisii de Valentia, censoris Opusculi Amadæi, elogium & subscriptionem callide elevare molitur, & his non quiescens, nec inter vivos illum unquam deguisse persuadere tentat. Quibus stupefactus Amadæus, in supplici libello ad Eminentissimos Cardinales, in hæc verba prorrupit. * Aliqualem ego, etsi prætensam, Baronio excusationem meditabar, ut à temeritatis nota ejus ausum eximerem, quod in quæstione facti sic scripserit, quasi ad nullius viri docti oculos, nec aures, ejus opus perventurum esset, sed solum apud imperitos, & igharos evoluendum, qui juxta ipsius dicteriorum, calumniarum, & convitiorum colluviem, causæ justitiam metientes, in Amadæum concitarentur. Sed jam neque apud istos Baronium fidem ullam facturum video, postquam illum inveni serio negantē in universo extitisse Reverendissimum P. Fr. Luisium de Valentia, ex Capuccinorum Ordine, virum gravissimum, & in Hispania, præcipuè in Regnis Valentiæ, & Murtiæ, doctrina, prudentia, & religione notissimum, qui ex præscripto Vicarii Generalis Archiepiscopi Valentini, Amadæi Opusculum anno 1660. ad prælum Valentiæ approbavit: ut in fronte operis præmittitur, his verbis. *Approbatio Admodum R.P. Fr. Luisii à Valentia, Ministri Provincialis semel, & iterum Ordinis Fratrum Minorum Franciscidum Capuccinorum Provinciæ Sanguinis Christi, in Regnis Valentiæ, & Murciæ, Sacræ Theologiæ Antecessoris, ac Lectoris jubilati, & apud Fidei Judices sacros in utriusque Coronæ Senatibus, Consiliarii Qualificatoris.* Hujus ergo tant viri, (qui hoc anno 1666. paucis ab hinc mensibus, plenus meritis natale solum cum cœlesti solio commutavit) non solum memoriam abolere, sed nec inter vivos unquam extitisse, Baronius suadere tentavit. Imò parum id sensens, nec Capuccinorum Provinciam sanguinis Christi, in universo ordine esse, nec fuisse, testari, & comprobare ausus est (pag. 267. primæ editionis, *disp. 2. sect. 5. art. unico*) *Plures*, inquit, *suspicabantur commentitium esse illud Capuccini elogium, & fraude Authoris ingestum suo opusculo. Ea opinione nil verius probant Capuccinorum querimoniæ justissimæ, & Præpositi Capuccinorum Generalis omni exceptione majus testimonium, cui cum sui Ordinis res omnes sint notissimæ; nec Provincialium, aut celebriorum virorum nomen illum lateat, ut abuno illustri Capuccino accepi, sanctè juravit, nullam extare hoc nomine sanguinis Christi sui Ordinis Provinciam, nec ullum cognomento Luisium à Valentia Exprovincialem.* Sic ludit Baronius; istoque emendicato R.P. Generalis Capuccinorum verè commentitio testimonio, armis ac nomine loricatus, insidiosa arte, in ultimam Amadæi stragem molitus est. Sed dum primum hæc fabella ad Hispanorum aures pervenit (ut præsagus Amadæus prædixerat) non solum Doctores omnes, & Religiosi viri Universitatis Valentinæ, sed utriusque Senatus Regnorum Valentiæ, & Murtiæ Domini Inquisitores, tam ingens commentum ex ullius hominis cerebello prodire potuisse, obstupuerunt: & debitis inde præconiis, fidem Baronianam, ut in proverbium abiret, commendarunt. Quæ non paucis stomachum movit, & ad tanti sceleris pœnam, calamum non cohibendum, sed stylum exerendum judicarunt. Verum hanc Baronii criminationem opus non est aliter retundere, quam mutuatis Tertuliani verbis ex capite sexto in Valentinianos. *Si ridebitur*, inquit, *materiis ipsis satisfiet. Multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Congruit, & veritati, ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura, &c. ubicumque dignus risus, officium est.*

Nihilominus tamen, quia Vincentius Baronius iterato luci dedit ejusmodi librum, cui titulus *Manuductionis ad Theologiam moralem pars altera, &c.* authoritate Apostolica in præcitata Bulla *Cum ad aures*, prima luce nondum potitum, sed præla fatigantem, prohibitum, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, contra legentes, aut penes se retinentes, aut locorum Ordinariis, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus non consignantes: ideò ab aliquibus quæstionibus in hoc opus deriuandis, justæ defensionis causa, abstinere nequibo: tum etiam ne Tyrones nonnulli, ut audio, in suo errore persistant, non percallentes scopum Amadæi non fuisse de opinionibus, quas refert, judicium ferre, sed eas authoribus restituere. Tametsi in quarta editione Matritensi, dissonantia ductus plures reprobaverit, pluresque gravi censura notasset, (ut in supplici libello testatur) si Tribunalium fidei judicium de ipsis ferendum non speraſſet, contentus in prologo prædixisse, *illas se referre, non ut probabiles, sed ut Anonymi non simplex inde innotescat animus, qui non eas ut debuisset; sed quæ unius, vel alterius Iesuitæ, etsi inter alios communes, in censuram vocavit.*

Ex quibus apertè intelligitur, non Authorum quorumlibet patrocinium Amadæum suscepisse, sed unius, vel alterius ex Jesuitis, ut ab impostoris Anonymi, & Gregorii Esclapes ejus pedissequi, strenuè vindicaret. Et quasdam tantùm opiniones, quas vitiligatores isti ad invidiam universæ Societati conciliandam; ut temerarias, scandalosas, & erroneas traduxerant, ab hac fœdissima nota luculenter purgaret: undè in coronide sui operis concludit, dicens: *Quomodo scandalosæ, & erroneæ? Ubi scandalum? Ubi error.* A quibus non exemit propositiones

nes per summam calumniam Jesuitis affixas, neque alias ex variis Authoribus jure defensionis excerptas, & traductas. Hunc autem fuisse Opusculi scopum, & exitum, satis comprobat præfatio Amadæi ad Lectorem, & rigorosum libri examen, authoritate Apostolica, viris doctissimis commissum. Quo diligenter præmisso, anno 1665. & 1666. Summus Pontifex Alexander VII. inter quadraginta & quinque propositiones ex variis Authoribus, quas ut scandalosas damnavit, & prohibuit, unam super viginti, expressam opusculo eas referente, deprompsit. Quarum vix una Jesuitam patronum agnoveras, ut constat ex ipso, ubi suis restituuntur Authoribus; & ex supplici ejusdem Amadæi libello ad Eminent. Cardinales & Sacræ Congregationis Indicis integerrimos judices, novam opusculi editionem ab ipsis recens confixi, exorantis, ut opinionibus, quas ex aliis refert, suum omnibus, prout desideratur, (ne indocti in aliqua offendant) judicium adjungat. Et nisi mea me fallit spes, res pro votis succedet, & fæliciori exitu. Quamquam sine Dario, clarus Alexander. Interim verò, dum opus prælo paratur, ex quæstionibus, quas Amadæus historicè tantùm, prout ad suam causam agebat, tetigit, in has disputationes, eas solum derivabo, vel in compendium radactas attingam, quæ venenoso morsui paratum antidotum exigunt. *Ne* (ut ait Cyprianus lib. uni. ad Demetr.) *difficultatis sit incipiat, quod tacemus, & dum criminationes falsas contemnimus refutare, videamur crimen agnoscere.* VALE.

Formalia Authorum verba, duplici asteriſco, ** continentur.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS Iesu in Provincia Toletana.

GEnesius de la Puente, Societatis Iesu in Provincia Toletana Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta à Reverendo Admodum Patre nostro Paulo de Oliva Præposito Generali, facultatem facio, ut liber inscriptus: Selectæ Quæstiones ex præcipuis Theologiæ Moralis Tractatibus, *P. Matthæi de Moya nostræ Societatis Theologi, & ejusdem Societatis gravium, Doctorumque hominum judicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Matriti in nostro Imperiali Collegio, die 3. Maii anno Domini* 1669.

Genesius de la Puente.

CENSURA REVERENDISSIMI PATRIS JOANNIS ANTONII VELAZquez Societatis Jesu, in Castellana Provincia semel, & iterum Provincialis: & in Regio Salmanticensi Collegio quondam sacrarum litterarum interpretis, & nunc pro cœtu Immaculatæ Conceptionis B. Virginis à Rege Philippo Quarto, & à Carolo Secundo deputati.

LIBRVM, cui titulus: *Selectæ quæstiones ex præcipuis Theologiæ moralis tractatibus Authore P. Matthæo de Moya Societatis IESV, olim in Collegio Complutensi Sacræ Theologiæ Scholasticæ Professore,* ex commissione D. D. Don Francisco Forteza, Toletanæ Diœcesis Vicario Generali, cui id juris est, ad censendum traditum accuratè legi, & attente pervolvi, eumque dignissimum censeo, qui publicam lucem aspiciat; cum nihil orthodoxæ fidei, nihil bonorum morum integritati contrarium contineat; quinimò sit ex optimorum Doctorum placitis, veluti ex variis floribus texta corona pulcherrima spirans; per quam suaviter, & salubriter ad veram, solidamque moralis doctrinæ cognitionem, & accuratam difficultatum difficultatum ad praxim spectantium solutionem: præsertim verò illud hoc in opere maximè laudandum censeo, quod cum hodierna tempestate valdè sit anceps, morales dissertationes pro dignitate conscribere, tum quod ea dere, *libros scribendi nullus sit finis*; tum vel maximè quod dimicent, plerumque ex utraque acie Scriptores; dum alii actum agentes communia, & vetera transcibunt, quin aliquid de suo addant; alii è contra nova, & crudita nullo

nullo Doctore, aut ductore prævio velint obtrudere, de quibus dixisse videtur Hypocrates: *Præceps, & labi facilis est nimia sui confidentia*: possimusque illis aptare, quod Comicus de novis sui ævi comœdiis cum novis nostri temporis nummis compositis, quibus minus pondus, & incertus valor est, opportunè dicebat

Hippocrates.

Nam nunc novæ, quæ prodeunt comediæ
multò nequiores sunt, quam nummi novi.

Plautus in Casinam.

Auctor quidem inter hos scopulos securè incedat: exprimens illud Quintiliani monitum, *ut nova communiter; communia noviter dicantur*: nam cum una ex parte vetera, & communia tangit (ut est in omnigenæ doctrinæ scientissimus, & in libris moralibus versatissimus.)

Uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, & maior collectis viribus exit.

Claudian. de Manlii Consulatu.

Majus siquidem pondus; lucidiorem claritatem, & majores, seu valentiores vires ab ipsius ingenio, & explicandi facilitate accipiunt, uti scribam doctum in Regno cœlorum monebat Vincentius Lyrinensis. *O Sacerdos! O tractator! O Doctor! si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione; doctrina i, esto spiritualis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, odorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem: intelligatur te exponente illustrius, quod ante obscuriùs credebatur: Per te posteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetustas non intellectum venerabatur.* Sed enim cum alia ex parte, novum aliquid ingenium ejus parturit, & ex propria pharetra depromit, sic se omninò gerit, ut eidem Vincentio adhæreat ibidem subjicienti: *Eadem tamen, quæ didicisti doce, ut cum dicas novè, non dicas nova*: eam nimirum rationum firmitatem, & similium ex aliis Doctorum placitis ratiocinationum soliditatem, suis opinionibus ingerens, ut velut altis radicibus innixæ subsistant: Jam verò si aliqui nonnulla ex his sub luce maligna aliquando esse voluerint; pro Auctore stabit illud septimæ Synodi. *Fuit apud nos quoddam prælium sine ferro, dum sermones iaciunt, & iaciuntur, sed triumphale habemus trophæum, veritatem, quæ non vincitur*: Ergo in usum, & fructum plurimorum, quam primum liber iste publicè appareat. Sic enim Cassiodori verbis censeo: *Neque enim fieri poterat, ut quem tantus Auctor, familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inveniret.* Matriti in hoc Imperiali Societatis Jesu Collegio, die decima Maii, anno 1669.

Vincent. Lyrinēs. Adversus prophanas hæresum novitates, cap. 17.

Septima, Synodus, actione 3.

Cassiod. lib. 9. ep. 22.

Ioannes Antonius
Velazquez.

Licentia del Ordinaria.

NOs el Doctor Don Francisco Forteza, Abad de San Vicente de la Sierra, Dignidad en la Sancta Iglesia de Toledo, y Vicario de esta Villa de Madrid, y su Partido, &c. Por la presente, por lo que à Nos toca, damos licentia, para que se pueda imprimir, y vender un libro, intitulado: Selectæ Quæstiones, ex præcipuis Theologiæ moralis Tractatibus, *compuesto por el Patre Mattheo de Moya, de la Compannia de Iesus, attento à que de la censura del Patre Juan Antonio Velazquez, de la misma Compannia, à quien le remittimos, consta no contiene cosa contra nuestra Santa Fè, y buenas costumbres. En Madrid à treze de Majo de mil y seiscientos y sesenta y nueve.*

Doct. D. Francisco Forteza.

Por su mandado

Juan Bautista Sanz Bravo.

APPROBATIO REVERENDISSIMI PATRIS Magistri Fr. Francisci Antonii de Isassi, Regalis Ordinis Redemptorum Beatæ Mariæ de Mercede in Provincia Castellæ Provincialis, Philippi Quarti, & Caroli Secundi Concionatoris

REgii Senatus jussioni obtemperans, selectissimum hoc opus Reverendissimi P. M. Matthæi de Moya Societatis Iesu, primi, meritoque Primarii Professoris, &c. ex præcipuis Moralis Theologiæ Tractatibus excerptum sedulo inspexi, ejusdemque solidissima dogmata introspexi, ex visceribus securioris doctrinæ deprompta, plenû iter animarum saluti parantia De quibus fas est impunè evulgare: *Omne tulit punctum, dum miscuit utile dulci.* Sanè augustissimi Authoris resolutio (ut cum Plinio *lib. 1. epist. 8.* loquar) mihi (imò & omnibus peritis) *pro ratione sufficit.* Quippè ejusdem suffragium in omni re literaria, uti sanctionem plaudent cuncti, amplectuntur Aulici consessus, subsequuntur præstantiores Theologi, omni hæsione avulsa. *Nil est enim* (fatur idem Plinius epist. 22.) *gravius, sanctius, doctius, quam peritus illa, & privati juris, & publici? Quantum rerum? Quantum exemplorum Quantum antiquitatis tenet? Nil est enim quod discere velis, quod ille docere non possit.* Cuncta hæc propalat opus hoc, mirabili Synopsi, quæ veraciter retuli, dilucidè continens. Adeò ut præstantissimi Doctoris fœtum se ipsum prodeat, scientiarumque Patrem, illius fuisse genitorem buccinet *Magna Doctorem nostrum* (prosequitur ipse lib. 2. epist. 3.) *fama præcesserat, maior tamen inventus est, summa namque in eo est facultas, copia, ubertas; proœmiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit optimum, ornat excelsè, postremò docet, delectat, adficit.* Annecterem plura tantum virum depingentia. Ne tamen assentatoris noxa videar conspurcatus, quæ cunctis patent, licet invitus silebo. Igitur quidquid in hoc opere edoctum, resolutum, opinatum, stabilitum, fidei & moribus apprimè consonum judico, & firmo. Salvo, &c. in Matritensi Cœnobio Regalis, Redemptricisque Familiæ Verbiparæ de Mercede, die 16. Junii, anno 1669. Deiceptionisque Virginis Matris ad nostri Instituti erectionem 451.

F. Franciscus Antonius de Isassi.

TRAC.



TRACTATUS PRIMUS
De Opinione Probabili.

CUM prudentiæ judicium proxima sit regula operationum moralium, tractatui de opinione probabili primum deberi locum non dubitavi, ut selectis quæstionibus ad mores pertinentibus, aliter præclusus aditus pateret. Si enim opinionum probabilitas, ad excusandos à peccato actus humanos, nil deservíat; oleum, & operam omnes Scriptores perdiderimus. Quia post rem undique sedulo, & maturè exagitatam, supra hominis ingenium est, in libertatis favorem, certæ veritatis sententiam elicere, aut ita invalescentis, ut pene nullam opinioni contrariæ probabilitatem relinquat; quam aliunde, naturæ lumine, ab omni peccati periculo prorsus alienam, quibusvis etiam rudibus, & illiteritatis notissimum est. Ne ergo labor in his lucubrationibus à me impensus (& qui à reliquis, qui nos præcesserunt) deinceps in improperium veniat, tractatum hunc præmittere, operæ pretium duxi.

QVÆSTIO PRÍMA.

Quid opinio probabilis? & quæ ad eam requirantur?

1. EXactibus humanæ cognitioni subjectis, pauci sunt, quorum honestas, aut malitia judicio metaphisicè, vel phisicè, vel moraliter certo cognoscatur; ni tales sint, quorum ignorantia invincibilis dari nequeat, aut quos ex fide Divina, vel Ecclesiæ traditione, aut unanimi Patrum consensu, malos, aut bonos esse apertè constet. Undè fit, judicium, quòd communiter efformare possumus de honestate actus, ex nullo ex prædictis capitibus nobis innotescente, non posse transgredi terminos assensus probabilis.

2. Quapropter opinio probabilis, ut ait M. Joannes Martinez de Prado, *tom. 1. quæst. moral. cap. 1. de conc. quæst. 1. §. 1.* * *Est assensus ad unam partem, cum formidine alterius, propter motivum probabile.* ** Priorem, inquit, partem, docet D. Thomas *1. p. quæst. 79. artic. 9. ad 4. & 22. q. 1. art. 4.* Ubi docet, quod quando intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quam in aliam; si hoc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio. * Et infertius, *quæst. 2. §. 3.* *Probabilitas opinionum intrinseca, nulla purè humana Doctorum auctoritate potest tolli, siquidem eo ipso, quod ipsa habeat rationem probabilem, vel textum, ex quo probabiliter inferatur, & nil in contrarium sit decisum, nec evidens adducatur ratio, quæ convincat esse falsam, semper manet probabilis. *Cui consentit M. Hyacinthus Donatus ejusdem instituti, *tom. 4. addit. ad practicam. tract. 12. q. 37. num. 5.* Inquiens. *Opinio, seu sententia probabilis est, quæ innititur rationi alicujus momenti, dummodo tamen pro opposita non sit aliquid convincens, utpotè textus clarus, vel ratio evidens. *Huic definitioni adhærent communiter Doctores, Thomas Sanchez *in sum. libr. 1. cap. 9. num. 6.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap 5. §. 1.* qui de communi testatur. Angelus Maria Verricelli *tom. 1. quæst. mor. tract. 2. quæst. 3.* Machado *tom. 1. discurso practic. de probabil. opin. artic. 2. §. 1.* dicens esse communem, & Caramuel. *in Apologemate pro doctrina de probabilitate Epist. 2.* Quod sequitur Frat. Franciscus Bonæ spei *in Apologemate retorto contra Caramuel. dub. 7. præsumpt. 4. num. 44. in fine*, dicens. *Opinio probabilis positivè inter Catholicos est, quæ (semper Sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ definitionibus, communi SS. Patrum consensu, & lege naturæ salvis) fundatur in auctoritate alicujus, vel aliquorum Doctorum in Ecclesia probatorum rationibus congruis, & solutione congrua fundamentorum oppositæ opinionis, cum formidine de hujus veritate. *Quibus consentit Magist. Arauïo *in decisionibus moral. ubi de statu civili, disp. 9. num. 1.*

3. Definitionem hanc opinionis probabilis prout à Thomistis citatis traditam, & ab aliis communiter,

muniter recepta, admittunt Jesuitæ ferè omnes cum Suarez. Cæterum F. Vincentius Baronius, ex præclarissimo Prædicatorum Ordine, in libro nuper edito, cui titulus est *Manuductionis ad moralem Theologiam pars altera, in qua D. Thomæ vera mens de singulis vitæ humanæ, & Christianæ officiis, inter rigidas, & laxiores opiniones, media defenditur, contra Amadæum Guimenium*, totus est in hac definitione opinionis probabilis evellenda: ideòque in eximium Doctorem Franciscum Suarez *disput. 1. sect. 1. §. 4. fol. 33.* Sic invehitur. *Primum fundamentum totius quæstionis, nempè ad conciliandam opinionum probabilitatem, duas ex Suarez conditiones requiri, ut scilicet nil contra illam convincens afferatur, deindè ut firmo aliquo nitatur fundamento. Mihi omninò suspecta est utraque conditio. Imò prima absolutè falsa est: nam si opinio non desinat esse probabilis, nisi contra se habeat aliquid convincens, in tuto erunt opiniones contra immortalitatem animæ, contra originem mundi è nihilo, aliasque fidei veritates, quæ cum ex Caramuele, & Nominalibus demonstrari nequeant, nil convincens afferri potest contra opiniones ipsis adversas; ac proindè, si ter prima conditio, verè probabiles erunt, & tutæ.* Hactenus Baronius, qui similia intorserat contra Caramuelem in opere contra illum inscripto, *Theologia Moralis adversus laxiores probabilistas, p. 1. disp. 2. sect. 1. exam. 2. epist. Caram. art. 2. §. 2.*

3. Cæterum huic objectioni satis occurritur explicatione illius primæ conditionis, prout à Fr. Francisco Bonæ Spei, *ubi suprà* cum aliis communiter. Opinio enim Lutheranî, aut Calvinistæ, & similes ab Ecclesia damnatæ congruis rationibus non innituntur, & habent contra se sacram Scripturam, Ecclesiæ definitionem, & Patrum consensum. Undè his, & aliis sectis deficiunt conditiones, ad probabilitatem requisitæ: & in hoc sensu verè dicitur, quod aliquid convincens contra se habeant, quia nomine *demonstrationis*, ut explicat Caramuel loco à Baronio citato, solùm intelligitur *conclusio syllogismi, cujus utraque præmissa ita est certa, ut neutra in dubium, aut quæstionem probabilem vocari possit.* In hoc inquam sensu, propositio dicitur certa, & indubitata, ut patet ex his, quæ tradit *in Apologemate de probabilitate. num. 309. & 311.* (ut bene advertit Fr. Franciscus in suo Apologamate retorto, *dub. 7. num. 35.*) ubi ait *certæ, & indubitatæ præmissæ sunt, de quibus nullus prudenter dubitat, nullus judicat esse improbabiles. Huc pertinent articuli Fidei, sive veritates determinatæ ab Ecclesia &c.* Hæc Caramuel, quæ benè ponderat Bonæ Spei *ubi suprà fol. 86.* Indè concludens contra Baronium *ista demonstratio Caramuelis fortior est ad convincendos Ethnicos, & impios, quam sit istius auctoris princ pium: standum scilicet, pro lege contra libertatem.*

4. Probabilitatis duo sunt principia, auctoritas docentis, & ratio, cui nititur. Quæ ab auctoritate proximè desumitur, dicitur probabilitas extrinseca, nam quod viris doctis, & piis videtur, non potest non probabile judicari. Quæ verò rationis pondere, intrinseca vocatur. Hinc opinionem probabilem à principiis intrinsecis nuncupamus, quando rationibus pro utraque parte accuratè perpensis, & nulla evidenti pro altera reperta, uni potius, quam alteri, ex imperio voluntatis determinatum assensum, cum formidine veritatis oppositæ, intellectus præstat. Undè quò fundamentum, seu motivum assentiendi majoris fuerit ponderis, eò major erit intrinseca opinionis probabilitas, sive pro lege, sive pro libertate. Opinio verò probabilior à principiis extrinsecis, seu à loco extrinseco dicetur, quando motivum proximum, & immediatum assentiendi majoris est auctoritatis: quando plures, numerum, qualitate, & numero Doctores, opinio profitentes. Dixi proximum, quia re benè inspecta, intellectus deò movetur ad assensum, quia supponit, Auctores optimis rationibus ductos fuisse ad sic opinandum, ut benè notavit Pat. Bardi *tract. de conscientia, disput. 4. cap. 1. num. 2.* Quia sine ratione, ita sensisse incredibile est; aliàs graves, pii, & docti non essent. Hinc autem rationis motivum ex aliena unius, vel plurium Doctorum fide, confusè cognitum, est revera quod intellectum movet ad assensum. Dixi, ex qualitate, & numero Doctorum, majorem sibi extrinsecam probabilitatem opinionem arrogare: quia non nisi Doctores (ut ait Seneca de vita beata) *sequuntur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed qua itur.* *Nullus enim veritatem indagare curavit, nec utriusque partis rationes, & motiva diligenter appendit. Unde pluralitas quandoque Doctorum nil probabilitatis opinioni superadidit, cum ea, qua pollet, qualis qualis fuerit, ad num. in cujus verba juraruntur, reducatur: Unde Magister Sotus *lib. 1. de Justit. quæst. 6. artic. 6. in fine*, prima conclusione.* Lepidè satis dixit: * Parum ad rem refert, quam sit numerosa citatio, ubi ratio non adhibetur nova.*

5. Sive autem probabilitas opinioni competat, à loco intrinseco, qualis communiter evenit opinioni respectu Doctorum, qui veritatem, appensis fundamentis, indagarunt; sivè ab extrinseco, ut communiter indoctis, & nonnumquam etiam doctis, qui sola auctoritate aliena ducti opinioni assentiuntur, parum ad rem facit, quia in ordine ad excusandum à peccato operantem, nullum Doctores constituunt discrimen: sivè enim probabilis sit ab intrinseco, sivè ab extrinseco, si probabilis practicè evadat, eamdem illi vim inesse concedunt, quoad securitatem conscientiæ.

QVÆSTIO II.

De opinione speculativè, & practicè probabili.

1. NOn conveniunt Doctores in explicatione divisionis opinionis in speculativè & practicè probabilem. Mag. Ataurus *in dissionibus moral. de statu civili, disput. 9. assert. 1. num. 7.* inquit, illam esse opinionem probabilem speculativè dumtaxat, quæ potest defendi & suaderi cathedra, propterea quod ratione fulciatur, illam verò probabilem practicè, quæ est de his, quæ ad mores spectant, & in humanis negotiis ad praxim reduci potest: indeque infert primam, sine secunda, inveniri posse. Explicat exemplo opinionis Cajetani *3. part. quæst. 66. artic. 5.* affirmantis valide baptizari sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque*: sic tamen licet hæc opinio (inquit) speculativè probabilis sit, non licet in praxi illa forma uti. Quo etiam exemplo utitur Joannes Martinez de Prado *tom. 1. quæst. moral. cap. 1. de conscientia. quæst. 2. §. 2. num. 7.* aliud subdens ex Mag. Joanne à S. Thoma *2. disput. 11. art. 1.* (quo item Vincentius Baronius, in opere contra Amadæum, rem hanc explicat.) Ut si veniret pro-

probabiliter, imò & probabilius opinetur, in nemore esse feram, quam hominem, non licet jaculare ad eam occidendum. Cæterum hæc & similia exempla non videntur ad rem: quia alia opinio versatur circa valorem Baptismi, alia circa licitum ejus usum, & similiter una circa existentiam hominis, vel feræ; altera circa jaculationem sagittæ. Et non est opinio probabilis, quæ asserat, licitum esse jaculare, quem probabiliter judices esse hominem, licet probabilius esse feram: nec est opinio affirmans licitum esse baptizare sub illa forma probabili, omissa certa, qua Ecclesia utitur. Quando autem venatori sit opinio probabilis, quod arcendæ sui mortis causa, ad quam jus habet cum periculo alieni damni, liceat sagitta impetere animal, quod probabilius, aut æquè probabiliter feram, ac hominem reputat *ex gravi, & probabili dubio, ne quod sibi apparet, ursus sit, aut latro, qui in se insurgant, nisi illos occupet. *tunc sagittam ex arcu emittere, à peccato immune Baronius ipse fatetur, ubi infra *disput. sect. 1. fol.* 47. Hoc igitur exemplo Authores citati abutuntur, siquidem quando opinio versatur circa operationem jaculandi, opinio speculativè probabilis, practicè etiam probabilis est.

2. Difficultas ergo solùm est, an quando opinio speculativo modo versatur circa operationem, verb. grat. Sit necne licitus hic contractus? Stare possit, intellectum probabiliter judicare absolutè, & secundùm se licitum esse, & tamen non esse probabile practicè, quod illum celebrare liceat? Cui difficultati affirmativè respondendum est; quia opinio speculativè probabilis est, quæ in communi, præscindendo à circumstantiis, quæ in praxi occurrere possunt, dictat, talem contractum licitum esse. Practicè verò probabilis, quando dictamen conscientiæ ultimo applicans voluntatem ad operandum, perpensis omnibus circumstantiis, judicat, hic, & nunc licitum esse operari. Certissimum autem est, posse contingere, intellectum judicare in communi, contractum aliquem, ejus natura considerata, licitum esse, & tamen, attentis circumstantiis concurrentibus, nequire, juxtà dictamen practicum prudentiæ, licè celebrari; vel propter legis humanæ prohibitionem, vel propter scandalum, vel quia in grave aliorum præjudicium cedit, &c. Quapropter negari non potest, opinionem illam asserentem contractum esse licitum, præscindendo à circumstantiis probabilem esse speculativè, non verò practicè, quia deficit dictamen prudentiæ ad operandum requisitum. Ut enim ad praxim deveniatur, aliæ circumstantiæ considerari debent, quæ in speculationem illam non venerunt. Idquè solùm intendunt Doctores asserentes, non omnes opiniones circa actiones humanas speculativè probabiles, esse practicè probabiles: plus enim exigitur ad probabilitatem practicam, quam ad speculativam, quia potest adesse ratio probabilis speculativa, & tamen, quia hic, & nunc adest aliquod inconveniens, quod in speculativam considerationem non venit, non detur, ut debet, practicum dictamen ad licitè operandum. Sic & benè explicant Magist. Joann. à S. Thom. 1.2. *disput.* 23. *artic.* 3. §. *Primum ergo.* Magist. Prado *ubi suprà, num.* 13. Thom. Hurtado *tom.* 2. *resolut. moral. tractat.* 10. *cap.* 3. *numer.* 27. & alii. Quibus convenit Vincentius Baronius 2. *part. Manuduct. disputat.* 1. *sect.* 1. *art.* 2. §. 5. *fol.* 46. dicens: Probabile practicè à probabili speculativè distingui, ex circumstantiis adjunctis, quas probabile excludit, attentis solum rei principiis. Probabile verò practicum porrigitur ad quascumque rei, de qua opinamur, accidentarias circumstantias. *Sic ille: & benè quidem.

3. Igitur si in considerationem speculativam omnes circumstantiæ, & inconvenientia, quæ in praxi posteà occurrent, devenerint, & tamen intellectus speculativo modo procedens, omnibus pensatis, judicaverit, contractum esse licitum, implicabit omninò opinionem speculativè probabilem, non esse probabilem practicè, quia nil de novo occurrit, quod judicium practicum discordare ab speculativo, efficere possit: ut benè advertit Thomas Sanchez *libr.* 2. *de Matrimon. disputat.* 41. *num.* 5. ubi sic: *Observandum tamen est, ex opinione speculativa, quàm quis habet, teneri simile judicium practicum formare, ut si speculativè, & in communi sciat (vel opinetur) aliquid esse usuram, tenetur practicè, & hic, & nunc idem scire. (vel opinari) nisi aliquid ratio specialis cogat, &c. Quia cognitio speculativa dirigit voluntatem ad opus: ergo tale debet esse judicium practicum, quale est speculativum. *In hoc sensu opinionem speculativè probabilem, esse etiam probabilem practicè, tradit Joannes Sanchez *in Selectis, disputat.* 44. *numer.* 63. & *disputat.* 54. *numer.* 11. dicens: *Impercepit bile esse, aliquam opinionem esse speculativè probabilem, (modo scilicet supra explicato) & in praxi tuto amplexari non posse. *Quem sequuntur M. Serra 1.2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. §. *Docent etiam.* Francisc. de Lugo *cap.* 3. *quæst.* 4. Leander à Sacram. Spinola, Joann. Henriq. Narbon. Aversa Machado, & plures alii apud Dian. 2. *p tract.* 13. *resol.* 5. & 12. & *p.* 9. *tract.* 6. *Miscel Resol.* 21. & *p* 10. *tract.* 11. *resol.* 47. 3. *nota verò.* Dominus Caramuel in Apologemate *Epist.* 4. *num.* 140. & strictius alii speculativam probabilitatem negant opinioni, si practicè etiam probabilis non sit. Quos sequitur M. Hyacinthus Donatus, ex Ordine Prædicatorum *tom.* 4. *Additionum ad practicam, tract.* 12. *var. resp. quæst.* 38. Ubi sic (An omnis opinio speculativè probabilis, sit etiam practicè probabilis? Negant Granado Suarez, Garcia, Sanchez Merola & alii plures. Oppositum tamen, quòd existimo de jure verius, docent Joann. Sancius, Pasqualigus, Pellizarius, &c.) & infra *num.* 5. (Quod si opinio speculativè probabilis nequit ad praxim reduci ob aliquam legem sibi resistentem, vel ob aliquod inconveniens ex praxi opinionis oriturum, (attende) signum est, quod neque sit speculativè verè probabilis, quamvis tale inconveniens in esse speculativo non cognoscatur. Quandoquidem non potest homo operari, secundum probabilitatem speculativam, nisi applicet tale judicium ad mensurandam, & dirigendam operationem, secundum regulas rectæ rationis, quod ex usu, & praxi talis opinionis, nemini fit injuria, nullum emanat exindè inconveniens nullíusvè conscientia læditur.) Hæc Mag. Donatus, quibus rem magis explicat.

4 Hinc jam amice Lector, magis miraberis Vincentii Baronii ausum, *in opere contra Amadæum* 2. *part. Man. disputat.* 1. *sect.* 2. §. 3. *fol.* 167. Ubi hunc Auctorem, vel ex eo, quòd prædictam opinionem referat, sic carpit. (Quoad illam consequutionem ab opinione speculativè probabili, ad practicè tutam, tantum abest esse necessariam, aut probabilem, ut falsissimam & periculosissimam esse, atque Atheismum invehere, multis locis, & argumentis demonstratum sit, superioribus disputationibus,) sic ille. Quem doleo in domesticos,

sticos, ita exarsisse, cum in vero, & legitimo sensu juxtà superius dicta, eos exponere potuisset. Præterquam quod, ut non nemo benè notavit; si intercurrant in praxi novæ circumstantiæ, quæ non fuerunt consideratæ speculativè, alius casus in speculatione proponitur, & alius exercetur in praxi. Variato autem casu, quid mirum sententias discordare, sicut & invariato non discrepare; cum probabilitas, quæ est in praxi, sit eadem met numero probabilitas, quæ est in speculatione, omnibus circumstantiis consideratis, ut concedit ipse Baronius verbis ex illo datis, num 2. Qua solum ratione, ab opinione speculativè probabili, ad practicè probabilem, consecutionem necessariam Doctores citati nos edocent, quibus ipse dissentire non potest.

QVÆSTIO III.

Vtrùm unicus gravis Doctor possit sibi opinionem probabilem efficere?

1. PArs affirmativa omnino tenenda videtur, si vir doctus sit, & prudens, & in Theologia morali, nõsparum versatus, qui proinde principia ab auctoritate, & à ratione, pro contraria, & communi sententia adducta, expendere, & argumenta probabiliter dissolvere possit. Ratio est, quia eorum, quæ ad mores pertinent, & nec Ecclesiæ definitione, vel traditione, nec aliquo decreto Pontificio nobis constat, ratione naturali veritas adquirenda est. Ergo si vir doctus nova m aliquã ab aliis non excogitatam adeo efficacem invenerit, ut in assensum determinatum partis contrariæ vehementer ferat, ex ejusque visceribus solutionem congruam, & probabilem argumentis contrariæ adhibeat, quibus nulla ductus novitatis affectatione, nec vanæ gloriæ appetitu, suam sententiam probabiliorem contraria censeat, non est, cur illam, sicut & alias quæ inter Doctores probatæ auctoritatis probabiliores communiter habentur, licitè, & laudabiliter sequi non possit. Idemque similiter dicendum, si ratio, cui communis sententia innititur, & quæ aditum probabilitati contrariæ, usque modo præcludebat, ad trutinã ab uno viro docto vocata minoris ponderis inveniatur; eo quod à magno aliquo Doctore primo excogitatæ, aliis, qui in ejus verba jurarunt, subscripserunt; & ex eisdem fundamentis, & motivis, quasi veritatem inconcussam potius supposuerunt, quam probarunt. Si ergo Doctor alius, omnibus expensis, probabili tantum fundamento contrariam, & communem sententiam innixam invenerit, rectè poterit, contra omnes, qui præcesserunt, opinionem propriam probabiliorem, aut saltem probabilem judicare, & ad praxim deducere.

2. Urgetur, quia nisi temerè, dici non potest; plures opiniones novas, quas D. Thom. contra omnes, qui ipsum præcesserunt scriptores, invenit, non fuisse ipsi sufficienter probabiles, ut ad praxim reducere posset. Et similiter, quas D. Bonav. quas Scot. quas Cajetan & alii viri Doctissimi validis rationibus comprobarunt, & ut probabiliores in Scholas induxerunt.

3. Confirmatur, quia si ab his, & similibus Doctoribus, & Theologiæ moralis magistris, de novo à se inventæ opiniones tales censerentur, ut ipsi absque lethali non possent illas sequi, neque docuisse, nec consuluisse, minusque typis mandasse, utpote occasionem spiritualis ruinæ illis præbentes. Est ergo evidens, virum doctum, prudentem, & in Theologia morali versatum, posse post diligentem contrariæ, & communis sententiæ fundamentorum discussionem, novam, & singularem sententiam contra omnes probabilem practicè sibi efficere, & juxta illam consilium præbere. Alias nullo tempore, opiniones modo antiquæ, novæ fuissent, ut ejus inventores graviter in earum evulgatione peccassent, donec aliorum consensus accessisset; quod dici non potest, necesse enim est aliquem sine illo in opinionem incidisse. Nec mirum, quod opiniones novæ non raro prodeant ab aliis Doctoribus non excogitatæ; ut ait M. Bannez 2.2. *quæst.* 1. *art.* 5 *dub* 4. §. *ad argum.* (Ad primum, quòd erat ex multitudine Doctorum. Respondetur, quòd in rebus moralibus obscuris, & difficillimis decidendis, non mirum est, si alicui viro docto sese offerat aliqua nova ratio, ut opinetur contra communem sententiam, merito, & non temerariè, & isto modo fuit introductæ plurimæ opiniones contrariæ aliis, quæ solebant esse communes.)

4. Probatur secundo. Quia doctrinæ morales, etsi ab omnibus Doctoribus unanimi consensu traditæ, non sunt evidentes (licet suis defensoribus quandoque tales appareant) plerumque enim probabiliores tantum sunt; quæ tamen ut indubitatæ supponuntur propter rerum inevidentiam, & intellectus imbecillitatem. Ergo vir doctus in Theologia Scholastica, & morali maximè versatus, rectè dentiam hanc cognoscere poterit, & contrariæ sententiæ probabilitatem ostendere. Præcipuè, quia ut ait Glossa *in cap. ad nostram, de consuetudine*, interdum revelatur minori, quod major nescit & ut inquit Cajet. 2.2. *quæst.* 141. *art.* 4. §. *ad primum*, (male cum humano ingenio actum esset, si nil scire possemus, nisi quod Aristoteles dixit.) Et bene quidem, nam ut scripsit Quintilianus *lib.* 10. *institutionis Oratoriæ cap.* 20.) Pigri est ingenii contentum esse his, quæ ab aliis inventa sunt. Quid futurum erat temporibus illis, qui sine exemplo fuerunt?) Denique probat M. Joannes Martinez de Prado, quia probabilitas opinionum intrinseca, nulla purè humana Doctorum auctoritate tolli potest, eo quod vel pro se habeat tionem probabilem, vel textum, ex quo probabiliter infertur, ideoque dum nil in contrarium irdecisum: (Nec evidens, inquit, adducatur ratio, quæ convincat esse falsam, semper manet probabilis.) Sæpè autem contingit, opinioni ab uno solo Doctore assertæ omnia hæc convenire. Non ergo est unde probabilitas negari illi debeat. Ideo hanc nostram sententiam communem esse credo Doctorum. Qui sequuntur Vazquez 1.2. *disp.* 62. *cap.* 2. M. Joannes Thom. 1.2. *disp.* 18. *art.* 3. §. *si vero.* Mag. Serra *quæst. art.* 6. *lib.* 4. §. *Si quæras.* Mag. Joann. Martinez de Prado *tom.* 1. *quæst. moral cap.* 1. *quæst.* 2. § 3. & plures apud illum.

QUÆS-

QVÆSTIO IV.

Utrum ad probabilitatem extrinsecam opinionis, sufficiat auctoritas unius gravis Doctoris?

§. PRIMUS.

Referuntur Doctores affirmantes.

I. SI opinio singularis procedat in casu ab aliis non ventilato, qualis ex varietate circunstantiarum occurrere solet, cui proindè non ex aliorum auctoritate, sed ex ratione, ex principiis Theologiæ moralis, respondendum sit, conveniunt Doctores, unius viri docti, & in Theologia morali versati, auctoritatem sufficere, ad conciliandam suæ opinioni eam probabilitatem, qua alii in praxi uti possint, quia tanti viri auctoritas non est fundamentum levis momenti; nec prudenter judicari potest, opinionem illam accuratè examinatam non fuisse, & argumentis, quæ contra illam fieri possunt, Doctorem illum, non satisfacturum. Imò addunt Vazquez *ubi suprà disp. 62. cap. 4. num. 8.* Thom. Sanchez *lib. 1. summ. cap. 9. & 10. num. 6.* & plures alii, imprudenter facturum virum doctum, qui alterius opinionem improbabilem statim judicaret, eò quod sibi videatur rationem aliquam contra illam habere evidentem, & insolubilem. Nam quisque prudens sui argumenti fallàciam jure timere potest, & alios facili negocio solutionem præstituros sibi suidere, ut non rarò contingit: ideoque superbiæ potiùs, vel ignorantiæ, firmitatem illam proprii judicii, quàm rationis evidentiæ vertere debet.

II. Difficultas ergò, & sanè gravissima, solùm est, an quando unius Doctoris opinio, in re morali, est contra omnes, qui illum præcesserunt, fiat nihilominus ex illius authoritate sufficienter probabilis, ut alii in praxi amplectantur? Affirmant quatuor supervigint Doctores, quos citatos sequitur Vericellitom. 1. *quæst. mor. tract. 2. singularium quæst. 5.* inter quos Sylvester, Angel. Navar. Vazquez, Sanchez, Villalobos, Clavis Regia, Molfesius, Pasqualigus, Rolandus, & alii. Quibus adde M. Serra t. 2. *quæst. 19. art. 6. fol. mihi* 365. Ubi sic. (Quamvis unus solus sit talis opinionis auctor, si tamen sapiens maximè cognitus, & probatus sit, sufficit ad illam probabilem efficiendam, nisi aliàs constaret ab omnibus improbari.) Et sequuntur M. Joannes Nider *in consolatorio timoratæ conscientiæ edito Romæ anno 1604. part. 3. capit. 11. §. tertio patet, in fine* ibi. (Item dicit idem Wilielmus, quod frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis, quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur.) & M. Hiacinthus Donatus *tom. 4. additionum ad pract. var. resp. tract. 12. quæst. 37.* ibi. (Ex quibus colligè auctoritatem unius Doctoris pii, probi, & docti, qui rem ex professo discussit, posse efficere unam opinionem probabilem, ex quo ejus auctoritas non est levis, sed alicujus ponderis, propter rationabile fundamentum, cui innititur.) Quod probat cum Sylvestro, *Verbo opinio, num. 2. quæst. 2. in fine, ex l. 1. C. de veteri jure enucl.* Ubi dicitur. (Sed nec ex multitudine auctorum, quid melius, & æquiùs est, judicato, cum possit unus, & fortè deterioris sententia multos in aliqua parte superare,) & favet, inquit, D. Thom. quodlib. 3. art. 10. Ubi ait. (posse quempiam amplecti opinionem, quam à suo magistro, docto scilicet, pio, & probo, audivit, in his, quæ ad mores pertinent.) Quibus adhæret Mag. Acatius de Velasco Episcopus Oreolensis *tom. 2. resol. mor. verb. opinio, resol. 316.* ibi (Muchos Doctores absoluta mente, y sin excepcion ninguna defienden, que solo un doctor que aya impresso, es bastante para hazer opinion probable, con tal, que la tal opinion no esté abrogada por alguna ley, ò Canon, ni tenga algun error, ni notada por los Superiores, a cuyo cargo esta, ni el Doctor padezca alguna nota en el buen nombre, y yo siento lo mismo con Sylvestro y otros.)

3. Sunt etiam pro hac sententia plures alii, Thom. Hurt. *tom. 1. resol. mor. tract. 4. cap. 8. resol. 8. num. 1018.* ibi. (Unius auctoris classici auctoritas sat est ad efficiendam opinionem probabilem, in praxi sequendam, ut tenent ferè omnes, & num. 911. (Unus Doctor classicus sufficit ad constituendam opinionem probabilem, ut tenent Sanchez, Valdellus, Vazquez, Montesinos, Martinez, Curiel, Arauxo, & innumeri, quos citat, & sequitur Pasqualigus, *decis. 360.* qui cum multis ex citatis, & aliis, quos ipse adducit, putat hoc esse verum, etiam si communiter contrarium sentiatur, si tamen unus Doctor firma aliqua ratione nitatur. Undè Castro Palao dicit, hoc nemini dubium debere esse.) sic ibi, & iterum, *tom. 2. tr. 10. cap. 3. num 33.* Bonacina *tom. 2. tractat. 2. disp. 2. de peccatis, quæst. 4. p. 9.* ibi. (Ad efficiendam opinionem probabilem non requritur multitudo Doctorum, sed sufficit auctoritas unius Doctoris valdè periti, & bonæ conscientiæ, modò non constet talem opinionem continere errorem, aut abolitam, & antiquatam fuisse.) Sic ille. Cui adjunge Solorcanum *de Iure Indiarum, tom. 2. lib. 3. cap. 1. in fine.* Ubi sic (Is qui opinionē probabilem sequitur, securus est in conscientia: & probabilis opinio dicitur, quæ unius, vel alterius docti & gravis viri authoritate innititur.) Sic ille, tredecim authores ibi referens, & plures, *tom. 1. lib. 3 cap. 2. num. 38.*

4. Sed quid si de mandato Sanctæ Inquisitionis expuncta sit? Respondet Caramuel *in Theolog. fundam. part. 1. fol. 17. in Epistol. dedicatoria ad Innocentium X.* (Scio communi Theologorum judicio, has inhibitiones habere tantùm vim opinionis probabilis, aut probabilioris, ut plurimum,) & *2 part. Theol. fundam fol 5. num. 12.* (Quando liber, inquit, vel sententia interdicitur, non asseritur esse improbabilis; sed jussa manere in gradu probabilitatis, in qua anteà erat, ob bonum publicum, vel privatum, nec dictari, nec defendi præcipitur.) Et audacius *1. part. Theol. fund. num. 182. & 259. & 285.* Totis viribus suadere contendit. (Quod non datur in mundo visibili authoritas condemnandi opiniones probabiles.) verum ejusmodi positiones non benè audiunt apud Theologos. Et contra ultimam acriter insurgit ex doctissima Dominicanorum familia M. Joannes Martinez de Prado in Academia Complutensi Primarius, D. Thomæ Cathedræ dignissimus Moderator, *tom. 2. Theol. mor. cap. 33. in appendice contra Caramuel, quæst. 2. §. 3. num. 22.* Ubi distinguens probabilitatem intrinsecam, ab extrinseca, quæ ex authoritate docentis desumitur, Caramuelis positionem de prima probabilitate verissimam putat, de secunda verò falsissimam,

mam, Verba ejus sunt. (Si ergò opinio sit intrinsecè probabilis, sicut nulla humana authoritate fieri potest, quod bonum sit malum, & quod lux sint tenebræ: ita nec fieri potest, quod probabile sit improbabile, Quando autem probabilitas est extrinseca, & apparens, quamvis per accidens deservire possit, ut operantes, & errantes invincibiliter excusentur à peccato; tamen per se loquendo, ad Papam primariò, & authoritativè, & ad Dominos Cardinales, & supremos fidei judices, pertinet declarare, quid tenendũ ad fidei & morum integritatem, & quid operandum. Et hac via videmus innumeras propositiones antiquitùs existimatas probabiles, hodiè declaratas improbabiles.) Hactenus Mag. Prado. Verùm cum opinio intrinsecè probabilis (utpotè firma ratione innixa) possit adhuc in re esse falsa, videat Martinez, quomodò potestatem id declarandi neget Pontifici in his, quæ ad mores pertinent. Quapropter censeo contrariam sententiam omninò veram esse, & apud Theologos communiter receptam; & hanc sustineri non posse; quia condere leges, declarantes, quid sit justum, pertinet ad potestatem collatam Petro, & ejus successoribus, *Matth. 16. & 18. Lucæ 22. Joann 21. cap. in novo dist. 21. cap. ita Dominus, dist. 19. cap. omnes, dist. 22. extravag. unam sanctam, de majorit. & obedient. cap. solitæ. eod. tit. cap. cum adveniant, cap. quodcumque 14. quæst. 1. cap. ad Apostolicæ de rejudicat. in 6. cap. novit. de judic. capit. per venerabilem. Qui filii sint legitimi.* Vide Navarr. *dict. cap. novit. notab. 6. in principio, num. 11.*

5. Ex quibus fit, non esse audiendum Cajetanum, *tom. 2. opusc. tract. 6. cap. 2.* ubi sententiæ Caramuelis fundamenta jecit; sic enim inquit, (Summi Pontificis judicio promissa est omnis veritas de necessariis ad salutem fidelium, & non omnis veritas naturaliter scibilis, aut moralis. Et infrà:) Et propter hæc, sicut in his, quæ sunt fidei, Summi Pontificis auctoritas omnibus præest rationibus; ita in his, scibilibus suprà tam ipsum, quam quemcumq; aliũ judicẽ, ratio naturali lumine roborata, locum obtinet; contrà quam sola authoris naturæ authoritas statuere, aut decidere aliquid potest.* Hæc Cajetanus. Quem omnes reprehendunt. Videatur M. Ambrosius Catharinus *in Annotationibus lib. 6. fol 562.* ubi adductis Cajetani verbis, illum carpit, dicens:* Quo in loco pernitiosè errat. * Sed contra Catharinum novissimè pro Cajetano militat Vincentius Baronius *2. p. contra Amadæum pag. 17.* dicens:* *Quid verius hoc asserto Cajetani, quid iniquius censura Catharini, quam refert, & sequitur Amadæus.* * Sed quidquid sit de censura Catharini: defendere Pontificem posse errare in his, quæ ad mores pertinent, gravi nota dignum censeo, cum pluribus, quos refero *in opusc. pro Iesuitis, tractat. de Baptismo.* Nec enim Deus Ecclesiæ suæ sufficienter prævidisset, ni veritatis moralis judicium illi reliquisset. Et sanè sicut fatetur ipse Baronius *1 p. disp. 2. sect. 4. fol. 141.** Quisquis negaret hanc propositionem (licitum est, & pium colere, & credere immaculatam Conceptionem Deiparæ) de hæresi vehementer esset suspectus, quod dubitaret de certa fide, nimirum de Ecclesiæ authoritate, emergentia circà religionem dubia dirimendi. * Cur idem non dicet de illo, qui Ecclesiæ authoritatem deneget dirimendi dubia emergentia, circà actus ad alias virtutes morales pertinentes? Consequentiam desidero.

(:†:)

§ II.

Singularis aliorum sententia.

6. His alii non contenti addunt, opinionem unius Doctoris contra communem, solâ ejus authoritate, fieri sufficienter probabilem, ut quilibet etiam doctus, possit licitè, & tuta conscientia juxtà illam operari, etiamsi à principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet. Ita docent Angelus Maria Verricelli *in quæst. mor. tom. 1. tract. 2. quæst. 5. in l. Ubi sic:* * Puto, posse me operari secundum opinionem unius gravis recentioris contra communem, & contra propriam opinionem, quamvis judicem illam esse falsam secundum principia intrinseca.* Pasqualigus *in decisionib. decis. 23. num. 2.* Arriaga *1. 2. tom. 1. disp. 24 sect. 3. num. 10.* & Tanerus *1. 2. disp. 2. de actibus humanis. quæst. 4. dub. 3. num. 34. & sequentibus.* Probant, quia vir doctus potest tanquam probabilem se gerere, & propriam judicium judicio viri docti submittere. Ergò, & illius opinionem amplecti. Secundò, quia potest sibi formare judicium, quod illa opinio probabilis sit, etiamsi probabilis sibi non videatur; sufficiens enim ad hoc motivum est authoritas Doctoris, quem credere non debet absque ratione motum; aliàs enim authoritas nil operaretur. Tertiò, nam quando pro opinione stant tres, aut quotuor Doctores, potest secundum illam operari, licet ipse à principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet, ut tenent Vazquez, Lessius, & Joannes Sanchez, quos citatos sequitur Verricelli *tom. 1. qq mor. tract. 6. sect. 14. n. 93.* Ergò probabilitas extrinseca sufficiens ad rectè operandum, stare potest cum judicio speculativo de improbabilitate, & falsitate opinionis à principiis intrinsecis: ita cum citatis tradit expresse Verricelli ubi suprà, & cum pluribus Joannes Sanchez *in select. disp. 41. num. 8.* adserentibus subditum teneri obedire superiori præcipienti, quantumvis judicet opinionem superioris esse falsam.

7. Favent huic sententiæ quotquot asserunt, confessarium teneri absolvere pœnitentem, quotiès probabilitatem existimet, opinionem confessarii sui à principiis intrinsecis falsam judicaverit: ita M. Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. ad 5. §. Unde ad argumentum.* ubi sic ait:* Quamvis sacerdos existimet, opinionem (scilicet pœnitentis) esse falsam, non tamen indè existimare debet, se non licere ipsum absolvere, siquidem propter probabilitatem excusatur ille à culpa. * Quo eandem ordine sequuntur M. Mercatus, de contractibus *cap. 15.* Mag. Candidus, & alii quos citatos sequitur Machado *tom. 1. in discurs. practico, de probabilitate opinionum artic. 6. & 7.* Quibus adde Bonacinam, & alios quos sequitur Bolliusp *1. tit. 1. §. 22. num. 209.* Joannes Sanctius *in select. disp. 41. num. 7. & 8. & disp. 44. num. 35. §. Qualiter autem.* Quamvis enim Doctores de opinione pœnitentis loquantur, quare do non ab uno tantum Doctore, sed ab aliquibus probatæ authoritatis defenditur; conveniunt tamen omnes licere, imò & debere confessarium juxtà opinionem alienam operari, quamvis à principiis intrinsecis falsam & improbabilem existimet. Quod à fortiori dicere tenentur, licèt unius tantum Doctoris, si tamen tantæ auctoritatis, ut probabilem efficere possit, ut de opinione quam superior doctus, & prudens in præcipiendo sequitur; docet Vazquez *1. 2. disp. 62. cap. 6. num 33.* Cui subditum obedire cogit, contra propriam opinionem: & tradit in genere Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 4. cap. 8. resolut. num. 87.* sic:

875. ibi. * Si opinionem pœnitentis alii sequuntur, vel si pœnitens est vir valdè doctus: potest confessarius per media extrinseca, assentiri opinioni pœnitentis, quam vis ipse per media intrinseca judicet improbabilem, & sic potest deponere judicium practicum, quo judicat esse improbabilem. * Hæc Hurtado ex Clericorum Minorum doctissimo cœtu.

§. III.

Auctoris judicium.

8 AUctoritas unius tantùm Doctoris, regulariter loquendo, non est sufficiens motivũ, ut ejus opinio singularis contra omnes Doctores, censeatur probabilis, ita ut eam contra propriã, quam verã omnes existimant, tuta conscientia sequamur. Ratio est, quia unius auctoritas levis momenti fundamentũ censeri debet, comparatione auctoritatis plurium Doctorum contrariã solidis fundamentis tuentium, quibus mihi non constat ab uno illo Doctore satisfactum. Hoc argumentum majoris ponderis erit, si perpensis unici Doctoris rationibus, quibus ad suã contra omnes opinionẽ ductus fuit, judicet vir doctus parvi momenti esse, & à principiis intrinsecis improbabilẽ: ut benè docent Vazquez 1. 2. *disp.* 62. *n* 17. & Thom. Sanch. *lib.* 1. *Sum. c.* 9. Ratio est, quia auctoritas docentis eatenus est fundamentũ prudens assentiendi opinioni contra omnes Doctores, quatenus quisq; sibi suadet, virum doctũ non potuisse moveri ad singularẽ illam opinionẽ, absq; ratione magni momenti, quæ, aliis etiam posteà expendentibus, talis videatur. Sed qui, ratione perpensa, à principiis intrinsecis falsam, & improbabilẽ adhuc censet, nec ab aliis approbatam novit, planè judicat nullius momenti ratione fuisse ductum: ergo sola illius auctoritas non est sufficiens motivum ad probabilitatem extrinsecam illi conciliandam.

9. Urgetur, quia licet plures ex antiquis opinionẽ aliquam defensaverint; si tamen posteà eorum perpensis fundamentis, omnes moderni tanquã falsam & improbabilẽ rejecerint; nemo, qui talem senserit, potest antiquatam illam opinionem amplexari. Si ergò nec plurium Doctorum auctoritas sufficit efficere extrinsecè probabilem opinionẽ, quam perpensis illius fundamẽtis, à principiis intrinsecis falsam, & improbabilem quis censet; & plurium etiam auctoritas nullius ponderis est, quando momenta abesse noscuntur, qui fieri potest, quod unius Doctoris auctoritas ad probabilitatẽ extrinsecam sufficiat? Ideò, ita & benè cum Vazquez, Thoma Sanchez, Garcia, & aliis, tradit Mag. Joan. Martinez de Prado *tom.* 1. *quæst. mor. cap.* 1. *quæst.* 2. §. 4. dicens esse rem per se notam.

10. Si verò fundamenta, quibus ille Doctor ad eam opinionẽ ductus fuit, examinare quis non possit, aliter discurrendũ videtur; si enim tantæ auctoritatis apud viros doctos habeatur, ut prudenter censeri nequeat, opinionem singularem contra omnes tenuisse, quin omnibus contrariæ, & comunis sententiæ fundamentis accuratè perpensis, probabiliter satisfecerit, & ratione de novo excogitata, vel antiqua novis confirmationibus roborata solidarit; ejus auctoritas, ut principium extrinsecũ, sufficienter movere potest, ut fidè prudenter quisq; maximè illiteratus, illi præstet, sibiq; suadeat opinionẽ illam gravi aliquo fundamento inniti, & ideò esse ita probabilem, ut possit licitè juxta eam operari. Idq; præcipuè locum habere poterit, quando Doctor ille ab omnibus æstimaretur tanti ingenii, tantæq; doctrinæ, prudentiæ, & probitatis; ut meritò judicaretur, ejus auctoritas æquivalere authoritati plurium: ut benè docent Angelus Bossius *tom.* 1. *tract. de conscientia, puncto* 1. §. 19. *nu.* 174. & Bresserus *de conscientia, lib.* 3. *c.* 3. *n.* 31: Nam in tali casu ex illius auctoritate potest prudenter deduci, non debile habuisse fundamentũ ad sentiendũ contra communem. Imò addo, tantæ auctoritatis posse esse Doctorem, ut quisq; prudenter suadere sibi queat, postquam ejus etiam fundamenta perpenderit, non illa percalluisse, dum levis ponderis censuit. Quapropter, ut indoctum respectu illius se gerere poterit, & illius judicio se submittere, indeq; alienam opinionẽ contra propriã amplecti: quia etsi à principiis intrinsecis improbabilem censeat, potest tamen judicio alieno tanti Doctoris, potiùs quam proprio fidere, ejusque sententiã extrinsecè probabilẽ habere, sæpè enim videmus aliquos recentiores damnare ut falsas aliorum opiniones, quæ de novo contra communem prodierunt, quas tamẽ posteà alii scriptores doctissimi communi calculo receperunt. Huic conclusioni non dissentiet P. Bardi *tr. de conscientia, disceptat.* 4 *c.* 5 *n* 4. Ubi ait: Si Parochus opinionẽ illam docens sit vir doctus, & prudens, & affirmet illam ex professo ponderasse, poterit alius vir, etiam doctus fidẽ illi præstare absq; alio examine; nam talis viri auctoritas valdè juvat ad suadendã illius opinionis probabilitatem: etsi obligationem ad examninandam opinionẽ imponeremus, vel ad alios viros peritos consulendos; nil auctoritati talem docentis opinionem deferremus: quod non videtur consentaneum, cum opinio illa non leve habeat fundamentum in doctrina hominis prudentis, & non parum in scientiis versati.

11. Rudes autem & illiterati, qui per se rationũ momenta expendere non possunt, si invincibiliter ignorent opinionem, quam vir doctus sequendã contulit; singularem esse, & contra omnes Doctores, certissimum est, licitè posse juxtà illã operari; quia sufficientem quisq; diligentiam præstitit ad notitiam veritatis adquirendã, dum virum doctum, & in re morali non parum versatũ consuluit, cujus proindè judicio prudenter stare potest. Alioquin in oppidis, ubi unus Parochus est, nullus posset juxta illius consilia operari, sed huc illuc peregrinari teneretur, vires doctos inquirens, ut sic nosceret, an aliis etiam opinio Parochi probabilis haberetur: quod rationi consentaneũ non est. Hæc conclusio videtur Sylvestri *verb. Opinio. q.* 1. Ubi sententiã eorum, qui censent, excusari à peccato sequentem opinionẽ sui Magistri, admittit in his, in quibus potest esse ignorantia invincibilis, id est, in quibus ipse ignarus est, & aliorum tantum consilio & judicio duci debet, ut benè explicat P. Vazquez eum sequutus *disp.* 62. *citata, cap.* 8. *n* 42. cum Henrico, & M. Conrado, quos ibi refert. Addo, idem dicendum, licèt vir doctus illiterato manifestaret, singularem; quam illi consulit, opinionem esse contra omnes Doctores, qui illum præcesserunt. Sic docent Azor, Villalobos, Torres, Lorca, Joannes Sanchez, & alii, quos citatos sequitur Verticelli *tom.* 1. *tr.* 2. *qu.* 5. *n* 6. & alii. Quod à fortiori tenere debent quotquot asserunt, discipulum posse tuta conscientia amplecti opinionẽ sui Magistri prob., & docti, nil inquirendo de probabilitate opinionis. Panorm. Imol. Scatia, Cagnol. Neviz. Azor. Villalobos, Bresserus, & alii; quos citatos sequitur Pasqualigus *decis.* 18. & ante illos D. Thomas *quodlib.* 3. *art.* 10. Quibus dissentire non potest P. Vazquez ubi suprà, ut constat ex ratione, qua conclusionem probat. * Nam si quisque doctus, & probus (monit) potest sequi opinionem suam relicta aliorum opinione, cur etiam non poterit juxtà eam operari illiteratus, qui doctrinæ illius, & moribus meritò fidere debet? Etenim quicumque illiteratus rectè advertit, Doctorem illum esse probum, & ru-

& tuta conscientia sequi eam opinionem in operando, & in præbendo aliis consilium; ergò etiam ipse illiteratus colligere potest inde singulare judicium, quo credat sibi etiam licere, quod judicat licitum esse probo, & docto viro.*

12. Nec deterrere debet operantem opinionis novitas, quando auctoritas docentis, & rationis pondus in illam, contra communem ferunt: prudenter enim potest credere, alios etiam doctissimos eidem opinioni subscripturos, ut novis etiam aliis non rarò contigit. Quod benè ponderat M. Gallego *tract. de conscient. probabili, dub.* 21.* Noster, inquit, Angelicus Doctor multa scripsit, & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt, & tamen ejus opiniones statim, ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles: tum propter maximã ejus auctoritatem apud omnes Theologos; tum, quia non levibus, sed rationabilibus fundamentis ductus est ad sic opinandum. * Quem, aliis etiam opinionibus Doctorum magnæ auctoritatis, eventum sperare debemus, nec statim improbabilitatis notam illis inurere: hoc enim utilitati communi non leve præjudicium pararet. Cui consulens Angelicus Præceptor *opusc.* 19. sic scribit: Utilitas communis non solùm debet procurari, ut sit quocumque modo, sed ut sit optimo modo, quo fieri potest. Quantò autem Doctores magis multiplicantur, tantò utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis crescit, quia uni manifestatur, quod alteri nondum notum est. Propter quod dicitur Sapientiæ 6. *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* *

13. Non ergò opinio improbanda, quod ab antiquioribus non fuerit tradita: ut benè advertit Villalobos *tom.* 1. *Sum. tract.* 1. *diffic.* 4. *n.* 17. * No por solo ser nueua la opinion se debe reprobar, que Santo Thomas, y otros Doctores graves dixeron muchas cosas, y buenas contra vexezes de antiguos. * Cui facit Caramuel *in Apolog. Epist.* 4. *n.* 163. *fol.* 95.* Angelici præceptoris doctrina, inquit, ant. qua est, nova fuit, an ideò debuit rejici? audiatur S. Antoninus 3. *p. Histor. tit.* 23. *cap.* 7. §. 5. Qui tantum abest, ut esse novam neget, ut potiùs illam ab ipsamet novitate commendet.* Cujus vestigiis insistens Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum disp.* 1. *sect.* 1. *fol.* 19. discipulos D. Thomæ commendat ob novas opiniones, quas ex ejus doctrinæ fonte scaturientes quotidiè hauriunt: * D. Thomæ, inquit, doctrina solida est, & quæ plus pateat introrsus. Qui præcesserè Interpretes Cajetanus, & alii, quasi fossionis metallicæ opifices, venas auri aperuerunt, non exhauserunt. Suprà discipulorum captum esse Magistri mentem probant, quæ ex illa nova quotidiè eruuntur, superioribus ignota & occulta. * Non ergò opinio, si nova, expungenda. Quia ut scripsit Tacitus Dialogo de Oratore 9. *Vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia in fastidio sunt.* Quod luculentius Hieronymus Epistola 108. *Quæritur ingenium probari, quasi vinum ab antiquitate.*

14. Ex quibus deduces, recentiorum opiniones, etsi contra Doctores antiquos, non ideò spernendas, sed ratione potiùs, quàm antiquitate appendendas. Nam ut jure notavit M. Arauxo *in Decis. Moral. disput.* 9. *de Statu Civili, assert.* 3. *num.* 14. * Quandoq; contingit in practicis, & moralibus, sicut in speculativis, opinionem minus communem, & paucorum Neotericorum, esse probabiliorem, propterea quòd efficacioribus fulciatur rationibus, quàm opinionem communẽ & à pluribus Doctoribus etiam antiquis, communiter receptam, & probatam, eò quod isti non ita accuratè inconvenientia, aut argumenta in contrarium perpenderunt, sicut juniores, tum experientia ducti, tum frequentia disputationum exercitati.* Sic ibi. Quos sequitur Pasqualigus, addens, cæteris paribus probabiliorem censendam opinionem recentiorum, quando concurrit cum opinione veterum.* Quia dum concurrit (inquit) auctoritas veterum, & recentiorum, debet præsumi, quod auctoritas recentiorum fundetur in meliori ratione, quia recentiores sciunt motiva veterum & ea expendunt, & scientia semper magis indies crescit: Veteres autem non habebant tantam notitiam, quantam habent recentiores, & ideò auctoritas recentiorũ præferenda est.* Sic Pasqualigus *decision.* 364. Ex quibus infer, eum, qui nequit ponderare fundamenta opinionum veterum, & recentiorum, debere ratione auctoritatis censere probabiliorem illam, quæ est recentiorum. Verùm id absolutè non approbo, quia ut ait Sylvester verb. *Opinio n.* 2. si ad auctoritatem attendamus, concurrentibus antiquis & modernis; antiquiores præponendi. * Quia temporis diuturnitas videtur aliquam auctoritatem attulisse.* Et longè majorem esse antiquorum, quàm recentiorum, benè ait P. Bardi in. *de conscient. discep.* 4. *cap.* 6. *n.* 7. Unde nisi appareat nova aliqua ratio, sive ex lege, sive ex decreto, sive alunde orta, quæ veteres latuerit, eorum sententia prætereuda est. Nec facilè credendum unius Doctoris opinionem, ni maximæ auctoritatis sit, extrinsecam probabilitatem sibi conciliare, quandò contrà communem antiquorum militat.

§. IV.

Corollaria.

15. EX dictis colliges primò, falsam & improbabilem esse sententiam asserentium, opinionem typis datam ab aliquo juniore, & moderno, eo ipso debere censeri probabilem, dum non constet ab Ecclesia fuisse rejectam. Ratio est aperta. Primò, quia rectè stare potest auctorem libri esse Doctorem gradu, non à doctrina; juniorem & modernum, non probum & prudentem, sed audacem, & vanæ gloriæ cupidum, & turpis lucri gratia scribentem. Non ergò opinio in ejus libro reperta statim probabilis censenda, licet à Sede Apostolica rejecta non fuerit. Secundò, quia, ut suprà diximus, majoris auctoritatis sunt auctores, quos antiquitas commendavit, quàm juniores; & tamen opinio in aliquo ex antiquorum libris inventa, non ideò à lectore probabilis statim censeri debet, ut eam tuta conscientia sequi possit, dum diligentiam non adhibuerit ad sciendum, an antiquata, & ab omnibus recentioribus, ut improbabilis, & falsa rejecta; ex aliqua nova lege, quam illi ignorarunt, aut ex aliqua Ecclesiæ declaratione, vel Pontificio decreto postea damnata. Idem ergò de opinione Doctoris moderni judicium ferendum est, quia forsan hæc ignoravit, aut levi fundamento, & solo innovandi pruritu ductus, eam opinionem typis dedidit, quam revisores librorum permittere non debuissent: quos ego aliquandò à lethali non excusabuissem: quos ego aliquandò à lethali non excusarem, vel quia onus approbandi suscipiunt, cui ineptos agnoscunt, vel quia libros ne prælibatos quidem approbant.

16. Hac ratione quotidiè experimur, opiniones plures ab antiquis, & modernis traditas, & typis datas, falsitatis, jure fuisse ab Ecclesia damnatas, quarum plures adduxi *in opusc. pro Iesuitis*, nulli verò suffragium ejungens, nec probabilitatem ullam adstruens, sed quæstionẽ facti pro Jesuitarum vindicis instituens, ut in-

ut impostúras aperirem, & à laxonum nota innoxios, auctoribus suis opinionibus restitutis, demonstrarem. Quantum ad viginti, quæ in præfato opusc. ex variis Doctoribus, justæ defensionis causa, fideliter excerptæ referuntur, ut minimum, ut scandalosas, inter alias, damnavit S.P. Alexand. VII. anno 1665. & 1666. & ferè omnes ipse reprobaveram in edit. Matritensi anno 1664. Quarum syllabum feci in libello supplici ad Eminentissimos S.R. Ecclesiæ Cardinales. Inter damnatas autem die 24. Septembris anno 1665. vigesima septima est, quam in præsenti rejicimus.* Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam improbabilem. Sic ibi.* Non ergò sufficit, quòd opinio in libro moderni reperiatur, nec quod ab Ecclesia damnata non fuerit, ut probabilis censeatur. Ecclesia enim Dei (ut nos prænonuit Augustinus *tom. 2. Epist. 119. cap. 19. in fine*) *inter multam paleam, multaque zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat.*

17. Colliges secundò, quanta diligentia, & quo examine debeant fideles in rebus dubiis, Theologos doctos inquirere, quorum consiliis tutè acquiescere possint. Sunt enim plerique, qui non viros doctos, & probos; sed magistros prurientes auribus quærant. Ex doctis verò communiter habitis, licèt cuique etiam docto plures consulere, donec excusantem ab obligatione inveniat: ut docet Illust. & Rever. M. Fr. Petrus de Tapia Archiep. Hispal. in sua Catena mor. *lib. 1. quæst. 8. artic. 14. n. 5. & 6.* Thom. Sanchez *lib. 1.* Decalogi *cap. 9. nu. 24.* Zumel, Castro Palao, Valdelus, Bresserus, & alii, quos sequitur Pasqualigus, *decis. 32. n. 4.* Verricell. *tom. 1. quæst. mor. tract. 2. qu. 39.* M. Candidus, & alii quos citatos sequitur Machado *tom. 1. disc. pract. art. 7. n. 9.* Quia unicuique licitum est suo jure uti, per licitum, & honestum medium, quale est varios Doctores consulere, sicut & varia volumina volvere, ad favorabilem opinionem inveniendam. Hoc enim recta intentione fieri posse indagandi veritatem, & firmo animo nil mali faciendi, dubium non est. Advertere tamen oportet, quod casu quo duo, vel tres, vel plures viri doctissimi nullum pronuntiaverint matrimonium, aut faciendam esse restitutionem; ut horum sententia, ab alio quamtumvis docto revocetur, necesse est, ut pœnitens, vel consulens voce, aut scripto ei referat rationes, auctoritates, & fundamenta illorum, ut hic ea confideret, & argumenta dissolvat: aliàs non erit tutus in conscientia, ut benè tradit Verricelli *suprà*, quia facilè potest iste decipi, si contraria fundamenta ignoret, cum tot viri docti contrarium docuerint.

§ V.

Qui Doctores consulendi?

18. Si autem inquiras; quinam ex Doctoribus consulendi? Respondet Magister Victoria in Relect. de Indis insulanis *prop. 1. fol. mihi 291.* In rebus dubiis, quilibet tenetur consultare illos, ad quos spectat hæc docere, aliàs non est tutus in conscientia, sive illa dubia sint in se licita, sive illicita (*& num. 3.*) Si post consultationem rei dubiæ, definitum sit à sapientibus, illud esse licitum, qui sequitur sententiam illorum est tutus, etiamsi aliàs sit illicitum.* Qui autem sint hi sapientes? Quando res non sunt examinandæ per leges humanas, sed per Divinas? Respondet.* Hæc determinatio non spectat ad Jurisconsultos, vel saltem non ad solos illos, quia Juristæ non sunt satis periti, ut per se possint ejusmodi quæstiones definire. *

16. Jam ex Theologis, qui consulendi? Respondet Verricelli *supr. quæst. 39. §. dico 3.* Debere consuli Theologum doctum, in quo sit æqualitas, aut major doctrina in Theologia morali: * Addidi, inquit, doctum in Theologia morali, nam scio frequentissimè evenire, ut magni nominis concionator magnæ doctrinæ reputetur, & sine difficultate ad eum, tanquam doctissimum confessarium recurratur, tamen ille in re morali, ac casibus conscientiæ minimè versatus, sit reverà indoctus; undè sæculares fallantur, putantes se doctissimum habere confessarium. *

17. Respondet Bresserus *lib. 3. de conscientia, cap. 3.* Nec virum doctum in sola Theologia Scholastica sufficere. * Constat enim multos insigni ingenio & Doctrina in Theologia Scholastica, parùm in Morali, ac casibus versatos. * Quem sequitur Pat. Bardi *de conscientia, disceptat. 4. cap. 4. num. 5.* * Non est satis, inquit, perfectè Scholasticam, & Speculativam Theologiam callere, si agatur de rebus ad moralem Theologiam spectantibus: frequenter enim agnoscimus nonnullos in speculativa peritos, jejunos tamen esse de conscientiæ casibus. * Quos sequitur Fr. Franciscus Bonæ Spei *in Apologem. retorto dub. 9. resolut. 2. fol. 142.*

18. Et omnium optimè Illustrissim. Archiepiscop. Hispal. Mag. Tapia ubi suprà *quæst. 8. art. 21. num. 7.* ubi ad Reges & Principes pro bono Regni, & conscientiæ regimine hanc monitiunculam dirigit. * Princeps in quærendis consiliis, & formandis, seu faciendis consultationibus pro securitate suæ conscientiæ; prudentem, atque cautissimam debet adhibere diligentiam, maximè in eligendis Doctoribus, seu consultoribus, &c. In consulendis igitur Doctoribus ad formandam conscientiam, & assequendam opinionem practicè probabilem, hæc observare debet. Primum, quærere Doctores pro materiis tractandis. Non enim omnes Doctores callent res, quæ aguntur: Si enim soli speculationi metaphisicæ dumtaxat sunt dediti, aut soli prædicationi incumbunt; quamvis in his ministeriis sint in populo, aut curia famosi, non sufficiunt ad res Moralis Theologiæ, aut regiminis expedlendas. Secundum debet attendere in consultore timorem Dei, qui placere ipsi, non hominibus quærat. Hinc tertiò caveat consultores ambitiosos, qui honores aucupantur, & ambiunt à Regibus, quibus propterea in opinionibus nimium placere desiderant, eorum gratiam, & favorem aucupantes.* Sic doctissimus vir.

19. Ex quibus inferes: quantum Regibus, & Principibus in confutationibus cavendum à Theologis, Episcopatus, & Dignitates ambientibus. Quibus proindè in memoriam revocare libet revelationem Sanct. Brigittæ *cap. 48.* Nimirum tres Reges apparuisse in conspectu Domini ad judicium vocatos; unumque ex illis ad inferni pœnas damnatum excusationem de suis peccatis allegare dicentem, se viros doctos, & litteratos Consiliarios, & confessarium consuluisse. Cui responsum est, nullatenus esse validam, aut proficuam excusationem, quia tam illi Consiliarii, quàm confessarius, erant passione affecti, utpotè à Rege muneribus, & dignitatibus subornati. Quæ planè confirmant, quæ de qualitatibus in Doctore requisitis, ad suam contra omnes opinionem probabilem efficiendam, superiùs diximus.

(:†:)

QUÆ-

QVÆSTIO V.

Utrùm sit obligatio eligendi tutiorem opinionem, etiamsi minus probabilem?

1. QUod sit obligatio, totis viribus contendunt nonnulli recentiores. Quorum mentem, ut accuratiùs proponam, aliqua præmittere oportet. Primò, quotiescumq; Doctores dissident, an aliquid operari sit licitum nec ne? opinio, quæ negat esse licitum, tutior dicitur: quia illi adhærentes, cum ab operatione abstineant, nulli discrimini operandi contra legem, adhuc materialiter, se committunt; ideoque omnes opiniones pro legis obligatione securiores dici solent. E contrà verò, quæ pro libertate voluntatis, vel pro commodo, sive privato, sive communi, pugnant, affirmantes actum esse licitum, minus tutæ dicuntur, quia earum usus periculum materialis peccati annexum important: forsan enim actus ille coram Deo re ipsa prohibitus est, licet nobis ignotum. Præmitto, 2. ex dictis *quæst.* 1. opinionem ab intrinseco probabiliorem dici, quæ majoribus à ratione fundamentis nititur, quod cum in indivisibili non consistat, & dispar sit ingeniorum conditio, non est facilè definire, quænam probabilior, quæ paris, aut minoris probabilitatis sit? Thomistæ suas probabiliores judicant, & his contrarias Scotistæ. Et inter opiniones quascumque, quæ apud auctores melioris notæ probabiles communiter habentur, nulla est, quam illius patroni probabiliorem non censeant. Quapropter illiterati omnes, qui opinionū momenta non à ratione, sed ab auctoritate extrinseca emendicant, eam opinionem sibi probabiliorem habere solent, quam à confessario, seu Theologo consultis acceperunt. Litteratis verò, & in Theologia morali non parum versatis aliter contingit, nam cum rationi, & fundamentis nitantur, ea probabilior apparebit, quam ipsi fundamentis perpensis, rationi magis conformem judicaverint.

2. Præfati igitur recentiores toti sunt in suadendo: quotiescumque varietas sit opinionum inter Doctores, omnes teneri sub præcepto tutiorem opinionem eligere, etiamsi aliàs minùs probabilem, & minùs rationi conformem judicent. Et quod magis, hoc fu[illegible]divi Thomæ placitum eruere tentant, *ex Quodlibe[illegible] artic.* 13. Ubi S. Doctor sic scribit: * Quando sunt [illegible]æ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, alteram esse falsam: aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum (utpotè habendo plures præbendas) facit contra veram opinionem. Et sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. Hæc D. Thomas. Quibus expressè damnare videtur non amplectentem opinionem tutiorem pro lege, nempè affirmantem illicitum esse plures habere præbendas, quamvis opinio contraria, & probabilis pro commodo, & libertate, licitum esse propugnet; imò & pluribus probabilior videatur. Quinimò (ut constat ex D. Thomæ verbis) idem sentire videtur, licet duas præbendas retinens certitudinem habeat, id esse licitum, si tamen ex contraria opinione pro lege, dubium aliquod ei suboriatur. * Aut non habet (inquit) opinionem, sed certitudinē (quod sibi licet habere plures præbendas.) Sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic, si manente tali dubietate, plures præbendas habet, periculo se committit, & proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficii temporale, quam propriam salutem. *

3. Ex quibus Rev. P. Fr. Julius Mercorus Cremonensis, Ordinis Prædicatorum, *in Base totius Moralis Theologiæ, p. 2. artic.* 21. Sic optimè deducit. † Non ex hoc textu non solùm non licere, secundum D. Thomam, sequi minùs probabilem affirmantem actum esse licitum, in concursu probabilioris oppositæ, sed etiam peccatum esse sequi magis probabilem asserentem actum esse licitum, in concursu minùs probabilis negantis, quando ex illa minori probabilitate potest oriri aliqua dubitatio, (attende) sicut non potest non oriri, quia medium probabile semper aliquo modo urget. Deducitur evidenter, quia si, secundum D. Thomam peccat, qui sequitur sententiam, de qua habet certitudinem, quando ex opposita inducitur in dubietatem; tantò magis peccabit sequendo probabilem, etiamsi majorem probabilitatem habet, dummodò ob oppositam aliquo modo probabilem, in aliquam dubietatem inducatur. * Sic Mercorus, quod ex verbis D. Thomæ, ut sonant, evidenter deducit.

4. Ideò eandem sententiam, quo ad rem principaliter controversam, defendit novissimè Vincentius Baronius ex eodem Prædicatorum Ordine, ex familia Tolosana *in lib. suprà citato, contra Amadæum Gimenium.* In quo liberalissimo cornu injurias, probra, & calumnias diffundit. In hoc igitur libello plurimis in locis, obligationem eligendi tutiorem etiam minus probabilem apertissimè docet. Quinimò agit fert ullum fuisse Dominicanum, qui ab hac sententia dissenserit, & si quem offenderit, ut degenerem à D. Thomæ doctrina Thomistam denegat. Videllum fol. 15. Ubi sic ait: * A Sancto Doctore, in cuverba jurant Dominicani, hoc dogma inconcussum habent: Quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quod sit secundum conscientiam, quacumq; probabilitate munitam, quæ certitudinem moralem nunquam sit evasura, quamdiu reclamabunt Doctores graves, & contradabunt rationum momenta. * Et fol. 55. ait: Nemisem magis sanctissimo Præceptore abhorruisse à licentia opinionum probabilium contra legem, quandoquidem nullam illarum, reipsa falsam, dissidentibus inter se Doctoribus; patitur in peccati excusationem trahi, quacumque probabilitate, & ignorantia. * Vide etiam illum, fol. 98. Ubi itidem sic: * Constans est sancti Doctoris sententia, falsam, & adversam legi opinionem (nempè reipsa, & coram Deo) nunquam excusare à peccato, si Doctores dissideant. * Et iterum Amadæum carpens, fol. 141. * Nos, inquit, ex D. Thomæ certissima regula nullam opinionem quantumlibet probabilem censemus tutam, si falsa sit (nempè reipsa) nec desit unus, aut alter gravis Theologus, qui reclamet. Amadæo tutam facit probabilem opinionem falsam, legi adversam, unus Doctor aliis reclamantibus: apud D. Thomam, nequidem mille, si unus adsit, qui pro lege pugnet: ergò mirabis cum Amadæo commune. * Et his non contentus, de obligatione eligendi tutiorem nos admonet, his verbis, fol. 356. * Necessarium est ad delectum opinionum moralium, ut tutioribus, etiam minus probabilibus adhæreamus, quod careant omni periculo peccati. * Et fol. 375. * Opinio pro libertate præter falsi commune, peccati etiam singulare periculum adjunctum habet, quo adversa pro lege omnino careret, & hoc nomine est anteponenda probabilior, ut omnes ex consilio concedunt, nos etiam ex præcepto necessarium contendimus. * Omitto plura.

Ita-

5. Itaque secundùm præfatos Thomistas, juxta D. Thomam, & ejus legitimam scholam, dissidentibus Doctoribus, opinio tutior ex necessitate præcepti amplectenda est, & contraria, etiâsi probabilior, nequit absq; læthali ad praxim reduci, eò quod forsan, re ipsâ (licet nobis ignotum) falsa, & legi Dei contraria sit; ideoq; periculum peccati, quo opinio contraria caret, necessariò adjunctum habeat. Hæc est horum recentiorum sententia, quam non solùm à D. Tho. sed abomnibus antiquis acceptâ blaterant, & oppositam hoc tempore cõmunem negantẽ obligationem amplectendi opinionem tutiorem, tanquam novam, & morum corruptelis viam aperientem reprobant.

§. I.

Iudicium Auctoris.

6. HAnc ego opinionem libenter amplecterer, nisi quâ isti recentiores in commune Reipublicæ Christianæ bonum, ego in totalem animarum perniciẽ vergere judicarem. Ex illa enim horrenda corollaria evidenter, & inevitabiliter deducuntur, quibus totam Respublicam Christianam turbari necesse est. Primò, in quacumq; materia morali, varietas sit opinionum, nulla D. Thomæ opinio, etsi probabilior, asserens aliquẽ actum esse licitum, poterit tuta conscientia ad praxim deduci, quia cũm pro lege sit opinio cõtraria, hæc tutior est, atq; adeò, etsi minus probabilis, ex necessitate præcepti anteponenda; undè cum ferè nulla sit, in moralib⁹, D. Tho. opinio (extra materiam rationi naturali demonstratam, ait Sacra Scriptura, vel decreto Pontificio firmatam) in qua omnes Theologi conveniant, sed hinc indè in varias contradictoriè oppositas frequenter abeant, quarum alteram veram, alterã falsam esse, necesse est; fit planũ ex opinionibus D. Thom. in re morali nullam libertati faventem, utpotè minus tutam contraria pro lege, posse ad praxim deservire, sed omnes sub læthali fugiendas, quia eas amplexari adjunctum habet singulare peccati mortalis periculum.

7. Secundo sequitur, quascumq; opiniones favorabiles asserentes aliquem actum esse licitũ (etsi in hoc conveniant D. Tho. & Scotus) inutiles prorsus esse ad praxim, & neminem posse illas tuto amplexari, si cõtraria unius, vel alterius gravis Doctoris pro lege militet: *Quia nec mille quidem Doctores (ait Baronius suprà) faciunt probabilem, & tutã opinionem faventẽ libertati: si unus adsit, qui pro lege pugnet. * Atq; adeò illa major probabilitas, quam D. Thom. & Scotus simul, eorumq; discipuli suis opinionibus cõciliarunt, non practica dicenda erit, sed speculativa: quia opinio practicè probabilis, ideſt, juxtà quam operari possimus, ea tantum est, juxta D. Thom. (ut ab his recentioribus expositum) quæ tutior, licet minus probabilis, vel quæ ita communis apud Doctores est, ut pro contraria nullus gravis Theologus militet, alias cum ex ista in aliquam dubitationem inducere cessarium sit (ut ex D. Thoma contendit Julius Mercorus supra) nemo, licèt certitudinem de veritate benignæ opinionis habeat, poterit juxta illam operari, nam periculo peccandi se committeret.

8. Tertiò sequitur, D. Thom. ferè ab omnibus suis discipulis passim deseri. Quia ferè omnes docent, licitum esse amplecti opinionem probabiliorem minus tutam, & plures minus etiã probabilem, quorum longum syllabum dabo infra. Quos proindè fatendum est, aut D. Thomæ mentem non assequutos, quæ his tantum recentioribus affulsit, aut contra præstitum ejus doctrinæ sequendæ juramentum defecisse.

9. Quartò sequeretur D. Thom. graviter deliquisse sequendo opiniones probabiliores minus tutas, & eas discipulis tradendo, relictis tutioribus pro lege ab aliis magistris traditis, quia occasionẽ fidelibus tribuit, tanti Doctoris auctoritate innixis, eas amplexandi, relinquendo tutiores Scoti, autaliorũ Docto. etsi minus probabiles, pro lege certantes. Hoc enim à peccato eximi non potest, si vera sit regula, quam præfati recentiores S. Doctori affingunt, & quam ut incõcussum apud Dominicanos dogma retineri, dicit Baronius suprà: quia *ubi unus inquit, gravis Doctor adsit, qui pro lege pugnet, nec mille possũt facere probabilẽ, & tutã opinionem negantem. *Et ex opinione pro lege, etsi minus probabili, non potest, ut ait Mercorus, nõ oriri aliqua dubitatio, quæ electionẽ opinionis minus tutæ illicitam reddat. Quapropter suos ipse cõmilitones, sic exhortatur. *Caveant ergo Thomistæ, & observent, dubium ex diversitate opinionũ secundum D. Tho. esse dubium practicum, quia qui operatur cum tali dubio peccat, dum cõmittit se periculo. *Quod autẽ D. Thom. plures opiniones minus tutas (etsi probabiliores) docuerit, & amplexatus fuerit, constabit ex infrà dicendis. Hoc argumentum urgent Fr. Luis de la Cruz *in exposit. Bullæ Crutiatæ nu.* 8. Et Illustriss. Episcopus Quitensis. D. D Alphonsus de la Peña, & Montenegro, in itinerario aureo pro Indorum Parochis *lib. 5. tra. 4. ses. 20. nu. 4. fol.* 558. dicens: opinionem obligantem ad electionem tutioris esse. *Contra toda razon, y equidad, por condenar contra toda razon a tantos hombres doctos, y pios, que ordinariamente ensennan opiniones probables, aunque menos seguras, y a muchos Santos, y Doctores de la Iglesia, que muchas vezes ensennan opiniones probables, las quales no son las mas seguras. Este fundamento, a mi juizio es bastante para la prueba de nuestra conclũsion. * Sic ille.

10. Quinto sequitur, mortaliter peccasse omnes Summos Pontifices, qui in voto solemni castitatis cũ Monachis professis dispensarunt, ut matrimonium contraherent. Alexandr. III. Honor. II. Celestin. III. Clem. II. & alii. Sequela est manifesta, quia amplexati sunt opinionem minus tutam, relicta tutiori pro lege naturali, & Divina, quam D. Tho. & plures ex discipulis sequuntur, atque adeo cum dubio practico, quod à peccato inexcusabiles reddit. Nec opinione probabili se protegere possunt, nam quod agitur cõtra legem, excusari non potest opinione, quacumque probabilitate munita, ut totis viribus contendit Baronius suprà. Sequitur similiter peccasse omnes Pontifices, qui in matrimonio rato, non consummato dispensarunt, Greg. VII. Martin. V. Eugen. IV. Paul. III Greg. XIII. Pius IV. Pius V. & alii quos adducit Caramuel in Apologemate, de probabilitate, *epist. 4. resol.* 11. cum amplexati fuerint opinionem minus tutam, (immo secundum Sotum *in 4. dist 47. quæst. 1. art. 4. vers.* His tamen) *nullam probabilitatis effigiem repræsentantem*, relicta tutiori, & probabiliori Scoti, Bonaventuræ, & aliorum gravium Doctorum, pro lege naturali, & Divina pugnantium. Sequelas has concedere, temerarium censent Doctores. Legas quæso Basilium Legionensem *de matrim. lib. 9. cap. 3. num.* 1. Ubi sic: * Illud tamen statuamus primum: quod ad praxim attinet, tuta conscientia Pontifices dispensare potuisse, &c. Ut enim tutâ conscientia faciant, sufficit probabilis Doctorum opinio, quam hactenus non damnavit Ecclesia, quæ asserit, dissolvi posse. Esset autem valdè temerarium asserere illos Summos Pontifices in eo evidenter erasse, ut docet Gregor. de Valentia *4. tom. disp. 10. quæst. 1. punct. 7.* *

11. Sexto sequeretur : graviter deliquisse Patres Concilii Lateran. & gravius Leonem X. qui * Sacro approbante Concilio declaravit, esse licitos montes pietatis, in quibus à singulis mutuatariis al quid ultra sortè exigatur, pro eorumdè montium indemnitate, ob solas ministrorũ impensas, absq; lucro dictorum montium. * Sequela est manifesta ; quia amplexatus est opinionem minus tutam, relicta tutiori pro lege naturali, quam tuebatur Cajetanus *tom.2 opusc.trac.6.* absoluto anno 1496. (ut ipse ad finem operis notat) & quam mordicus post concilium defendit Sotus *de just.lib.6.qu 1.art.2.* & sequitur Baronius ipse, ut infrà videbimus. Dixi, quod sequeretur peccasse Patres Concilii, quia præfatâ declaratione proximam fidelibus occasionẽ peccandi obtulerunt, opinionẽ minus tutam eis proponendo: sicut de facto, juxta receptiores citatos, peccant omnes, qui auctoritate Concilii Lateran. inn xi mõtes pietatis cùm conditione supra posita erigunt, aut eis inserviunt, vel ad eorũ conservationem cooperantur. Hi enim omnes contra opinionẽ Cajetani, & Soti, & ipsius Vincentii Baronii, pro lege naturali militantem operantur, & per consequens, si ejus notitiam habuerint, nequibunt periculo peccandi non se committere, tùm quia cum dubio practico, ut ait Mercorus; tùm quia nulla opinionũ probabilium re ipsa falsa, dissidentibus inter se Doctoribus, quacumque probabilitate, & ignorantia, in peccati excusationem trahi potest, ut ex D. Thoma, dicit Baronius, ubi suprà.

12. Septimò den q; sequeretur, omnes Summas, & libros de rebus moralibus tractantes debere jussu Pontificis ultricibus ignibus tradi, utpotè occasionẽ proximã peccandi offerentes. Quia vix ulla est in tota Theologia Morali pro libertate opinio, quæ non habeat contradictoriã probabilẽ, & tutiorem pro lege; cum autem omnes hanc teneamur, (ut supponuntadversarii) ex præcepto sequi, & alterã benignam, etsi probabiliorem fugere, nullusq; excusationem à peccato, ex eo quod probabilem, immo, & probabiliorem opinionem pro libertate sectatus fuerit, prætendere queat, nulla ex benignis opinionib° poterit absq; peccato ad praxim deduci. Undè libri omnes quibus continentur, nisi ad illaqueandas fidelium conscientias, in animarum perniciem, inutiles prorsus erunt. Quia occurrente dubio circa legem, omnes etiam illiterati naturæ lumine ducti securiorem partem agnoscunt: aliarum vero opinionum, faventium libertati, notitiam habere, & auctoritate graviumDoctorum munitas invenire, pernitiosum valdè est, & eò magis, quo Doctores majore auctoritate polleant, quia tanto majori fide ad praxim eas reducent. Ideoque facilius capientur, & sese in læthalia sibi occulta præcipites agent. Ut quid ergo hujusmodi opiniones, tàm gravi animarum præjudicio præla fatigãt? ut quid paginas replent? nisi ad laqueos fidelibus iniiciendos, & ad homines, velut hamo, ad æternum ignem capiendos? Quid ad hæc Vincentius Baronius, si unus, vel alter Doctor, (ut ipse sæpius inculcat) pro lege militans illicitum reddit usum contrariæ opinionis probabilioris pro libertate? Exhibeat quæso, vel unam libertati faventem, quæ contraria non impetatur?

§. II.

Baronii evasiones insufficientes demonstrantur.

13. NOnnullas tentavit Baronius; ne uno hausto tot absurda devoraret. Ad exempla opinionum minus tutarum, quas Summos Pontifices amplexatos fuisse, numero decimo ostendimus, respondet 1.*par.Theol.Moralis adversus laxiores probabilistas, & contra Caramuelẽ, disp.2.sect.5.fol.438. & 350.* Admũ de dispensatione voti solemnis castitatis, cũ Monacho professo ad contrahendum matrimonii, aut nullam ex cõtrariis opinionibus, quarum alteram affirmat, Pontificem posse dispensare, altera negat, tutam apparere: ideoq; adducto exemplo, nullatenus probari, ex facto Pontificum licitum esse amplectiopinionẽ minus tutã, relicta tutiori, nec huic principio innixas fuisse voti solemnis castitatis dispensationes, sed antiquæ, & certissimæ juris regulæ: nempè, cum dubia res est, & nulla pars tuta apparet, quia undique pericula impendent, eam partem eligendam, unde minus mali timeatur.

14. Sed contra manifestè: quia opinio tenens, Pontificem dispensare non posse, & quod inde elicitur, nempè, non esse licitũ Monacho professo ex dispensatione Pontificis, ad matrimonium trãire, non solùm est probabilior in Schola Thomistica, sed in omnibus est tutior, utpotè, quæ omne periculũ materiale etiam peccati removet, quo non caret opinio contraria cõcedens Pontifici potestatem dispensandi, & de Monacho facultatem contrahendi, ob probabilitatẽ valoris dispẽsationis. Hujus enim opinionis praxi inevitabile periculum subest faciendire ipsa contra votum, & contra sextum Decalogi præceptum, & re ipsa votum solemne, indispensabile sit, quod soli Deo notũ est: hoc igitur periculum subire, tam Pontificem dispensationem concedendo, ratione cooperationis ad peccatum alienum, quàm Monachum, illa utendo, ex terminis notũ est: quia neuter alio præcepto ad id constringitur, nec id in dubium aliquo hucusque Theologo vocatum est: nec Pontifices dispensasse dicuntur prætextu obligationis, sed potestatis ex justa causa. Falso ergo, & absque fundamento scripsit Baronius, nullam partem contradictionis tutam apparere, quandoquidem opinio pro lege voti, & castitatis, nullo occurrente incompossibili præcepto, certissimè tuta est.

15. Ad secundum exemplum de dispensatione in matrimonio rato, ut ad secundas nuptias tranitus fiat, respondet Baronius *fol.338.* certum esse, Pontifices posse dissolvere matrimonium ratum, non consummatum; & consequenter, sic dispensatũ, ex causa spesta, posse licitè aliud inire. Quia opinionẽ moraliter certam, etsi minus tutam, eligere licitum est: Legisquidem dictum, sed gratis. Nõ inficior valdè probabilem esse opinionem asserentem, Pontificem posse dispensare, seu dissolvere matrimonium ratum: hoc verò moraliter certum esse, firmiter nego: nam contraria opinio pro lege, ut ait Sanchez *de Matrim.lib.2. disp.14.n.1.* * Probabilissima est, & illam tenent communiter Theol. * Pro qua ex Thomistis refert Paludanũ, Victoriam, Petrum de Soto, Martinum, & Bartholom. de Ledesma, Tabienã, & alios: & (quod Baronium jugulat) adeò veram putavit M. Dominicus de Soto *lib.7.de Iust.qu.2.art.5 vers. Et licet peregre & in 4.dist.27.q.1.art.4.vers. His tamen nil obstantibus,* ubi 4. *dist.27.q.1.art.4.vers. His tamen nil obstantibus,* ubi tamen probabilitatis speciem habere dixerit opinionem alteram, quam certam Baronius jactavit. * Revera (inquit) opinio hæc, quamvis aliquibus sustentabilis appareat, mihi tamen, salva semper Ecclesiæ censura, nullam probabilitatis effigiem præsentat. * Cui consonat M. Petrus de Ledesma *de Matrimon.qu.67. art. 2.dub.1.* dicens: esse improbabilem. Et Ponticem neutiquam posse matrimonium ratum dissolvere, expressè tenent cum Scoto omnes Scotistæ & innumeri alii Doctores, tam ex Theologis, quam ex juris peritis,

peritis, apud Sanchez supra. Quæ si animadvertisset Baronius, non effutisset, oppositum esse certum; cum probabile ad summum sit, etiam juxtà sui instituti auctores. Quos cum aliis sequitur Leander à Sacram. *to. 2. tr. 9. disp. 5. q. 7.* Debet ergo Neothericus iste, vel invitus fateri, Summos Pontifices opinioni minus tutæ adhæsisse, & in praxi amplexatos fuisse, non ratione certitudinis, sed probabilitatis, & ex hoc capite excusandos à peccato, dum matrimonii rati dissolutionē concesserunt, sicut & illos, qui ex probabili opinione probitatis, ad secundas nuptias transierunt.

16. Est præterea validum argumentum ad hominē contra Baronium: quia ut ipse tradit ubi suprà *fol.* 383. cum Mercoro: quamdiu dissident opiniones Doctorum de re, licita sit, aut contra legem? numquam potest quis esse certo conscius, se nil mali agere, quia ex dissidio Doctorum suboritur aliqua suspicio, & formido erroris, ratione cujus periculo peccandi se cōmittit; ac proinde dissidentibus Doctoribus* (inquit) excusari nequit à peccato prætextu opinionis probabilis: ergo neq; potuerūt Pontifices, quos hæc Doctorū dissensio latere nō potuit, sicut neq; alii, qui ex opinione probabili valoris dispensationis ad secundum matrimonium transierunt: nullus enim potuit esse certo conscius, se nil mali agere: ergo vel tenetur Baronius, palinodiam decantans fateri, opinionē probabilem dissidentibus Doctoribus sufficere ad excusandum à peccato sequentes minus tutam; aut irreverenter pronunciare, Pontifices dissolventes matrimonium ratum, peccasse mortaliter, non minus, quam dispensatione tantum probabili utentes.

§. III.

Exemplis aliis Baronius convincitur.

17. Adalia fundamenta, quibus ostenditur D. Thomæ auctoritatem elevari, ejusque opiniones probitate ad securitatem conscientiæ insufficientes esse, si Scotus, vel alius gravis Doctor reclamet, solutionem veritati, & facto repugnantē Baronius paravit. Jactat enim, D. Thom. nullam opinionem minus tutam relicta tutiori probabili, sequutum fuisse.* Nulloque exemplo (inquit. 1 *part.* contra Caramuelem *disp. 2. sect. 6. §. ult. fol.* 401.) probari potest, hoc unquam à D. Thoma factum; nam ex omnibus Sancti Doctoris scriptis, auctor in Theologicis versatissimus (nempè P Ferrerius) nulla referre potuit, præter duo, de dilata confessione, & de unitate detestationis omnium peccatorum: at verò demonstravimus, minimè fuisse securas intra probabilitatis fines, sed inde extraxisse vi argumentorum, & in ordinem superiorem evexisse. * Quod est, dicere, D. Thomam nullam opinionem minus tutam, seu pro libertate, sequutum fuisse, nisi moraliter certam, cujus proinde contraria pro lege non sit probabilis, licet tutior.

18. Cæterum, plures opiniones minus tutas; quarum contrariæ tutiores pro lege probabiles sint, D. Thomam defensatum, tradit M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. Quæst. Moral. cap. 1. de conscient. quæst. 4. §. 2.* ex D. Antonino 1. *part. tit. 3. cap. 10. §. 10.* *Et exempla (inquit Prado) innumera possent proponi, ut asserit D. Antoninus.* Quibus probetur, D. Thomam sequutum fuisse, opiniones, quas probabiliores judicavit, relictis tutioribus, probabilibus. Quæstio facti est, ideòque Baronium exemplorum colluvie obruere, & apertæ falsitatis convincere, facile erit.

19. Primum sit. Plures Theologi tuentur, peccatum esse mortale alloqui, vel salutare excommunicato, in casibus non concessis; quos sequitur Sanctus Raymundus *lib. 3. Sum. §. 40.* & ibi M. Joannes de Friburgo ejus commentator *litt. C.* Cæterum Sanctus Thomas *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3.* contrariam opinionem minus tutam defendit. *Aliis probabilius (inquit) videtur, quod non semper peccat mortaliter, sed solum quando in crimine sibi participat, vel in contemptum Ecclesiæ.

20. Secundum. Quàmplures gravissimi Theologi defendunt, eum, qui confitetur absque dolore sufficienti ad remissionem mortalium, quæ clavibus subiicit, teneri iterare confessionem; nec satis facere, fictionem, seu defectum doloris confitendo: ut videre est apud Leandrum *tom. 1. tract. 5. disp. 7. quæst. 23.* & tamen sententiam contrariam minus tutam amplectitur D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæsti. 1. in corpore.* Ubi sic: * Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet: unde non tenetur iterare cōfessionem, qui fictus accedit, sed tenetur pro modum fictionem suam confiteri.*

21. Tertium. Opinio probabilis inter Doctores asserit, eum, qui peccat, aliàs non peccaturus, ex confidentia misericordiæ Dei de remissione obtinenda, teneri hanc circumstantiam confidentiæ in confessione explicare. Sic D. Bonavent. apud Navarr. *cap. 6. n. 3.* Cordub. *in Sum. quæst. 22.* & alii: & tamen contrariam opinionem minus tutam sequitur D. Thomas *2. 2. qu. 21. art. 2. ad 3.* dicens: * Peccare sub spe veniæ quandoque percipiendæ, cum proposito abstinendi à peccato, & pœnitendi de peccato, hoc peccatum diminuit, quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. * Quod proinde in confessione explicari non debet.

22. Quartum. Plures Thomistæ, Sylvester, Sotus, & alii, quos sequitur Ludovicus Lopez *quæst. 1. art. 2. dub. 2. pag.* 1064. probabiliter asserunt. Circumstantiam ingratitudinis peccantis post remissionem peccatorum, esse speciale peccatum in confessione explicandum: & tamen contrariam sententiam sequitur D. Thomas *2. 2. quæst. 107. & in secundo scripto super librum sententiarum dist. 22. art. 2.* * Ingratitudo (inquit) non trahit in aliud genus specialis peccati, ideò nec confitenda.*

23. Quintum. Probabilissima est opinio adstruens obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, quam ex Thomistis sequuntur plures, ut videre licet apud Dianam *tom. 1 tract. 7. de circumstantiis aggravantibus, res. 1. & par. 3. trac. 4. resol. 67.* quos referemus infra *trac. 5. de Pœnit. disp. 3. quæst. 1.* Nihilominus contrariam sententiam minus tutam tradit expressè D. Tho. *in 4. sentent. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. ibi.** Quidam dicunt, omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri: alii verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est.* Sic ibi. Et iterum *dist. 22. quæst. 1. art. 4.* & *opus. 12. quæst. 6.* & *alibi.*

24. Sextum. Satis probabilis, & communis est opinio asserens, pœnitentem, neq; ex licentia confessarii posse injunctā sibi pœnitentiam per aliū implere: quam tenent M. Nugnus 3, *part. qu. 14 art. 2,* Vazq. *de Pœnit. quæst. 94. art. 2. dub. 4.* M. Martinus de Ledesma *2. part. 4 quæst. 14. art. 4.* Et tamen contrariam minus tutam defendit D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1.*

art.2.ad 3 quæst. dicens:* Non est permittendū, quòd aliquis pro alio pœnitentiam faciat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quē sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandum.*

25. Septimum. Sententia inter Doctores valdè probabilis est, non licere confessario, etiā de licentia expressa pœnitentis, revelare peccata sibi confessa: quā tenent Scotus *dist.21.quæst.2.* & plures apud Navarr. *cap.Sacerdos n.154.* quos sequitur Ludovicus *quæst.7. art.2.dub.2.concl.1.pag.484.* Et tamen contrariam sententiam minus tutam sequitur D. Thomas *in 4. dist. 21.quæst.3.art.2.in corpore.* dicens: * Potest pœnitens facere, ut illud, quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit, dum eum licentiat ad dicendum & ideo, si dicat, non frangit sigillum confessionis: tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti reputetur.

26. Octavum. Valdè probabilis, & ferè communis est sententia asserens, non licere confessario uti scientia cōfessionis ad faciendum, vel omittendum aliquid, quod non esset facturus, vel omissurus, ut videlicet apud Sanchez *lib.3.de Matrim.disp.16.* & apud Dianam *3.par.tra.4.resol.76.* Nihilomnus sententiam oppositam minus tutam sequitur D. Thom. *in 4. dist. 21.quæst.3.art.1.quæst.1.ad 4.* dicens: * Ex multis aliis causis aliquis redditur indignus ad prælationis officium, quam ex peccato, sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi, & ideò qui contradicit, nec suspitionem de crimine facit, nec confessionem revelat.* Et iterum *quodl.5.quæst.6.art.13.* * Alia occasione accepta posset subditum sib confessum ab administratione removere.*

27. Nonum. Plures & graves Theologi probabiliter docent, laicum Baptizantem in casu necessitatis in peccato mortali, & excommunicatione peccare mortaliter; & similiter Sacerdotem, etiam sine solemnitate: quos sequitur Vazquez *3.part disp.136.cap.3.* Et tamen contrariam sententiam minus tutam amplectitur D. Thomas *in 4.dist.24.quæst.1.art. 3. quæst.5.ad 4.* ibi:* Quandocumque exhibet se, in aliquo jactu, ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat (nempè si in peccato mortali existat;) secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingeret, vel exequeretur in illo casu, in quo etiam laicis liceret; sicut si baptizaret in articulo necessitatis. * Et iterum *3. part.quæst.64.art.6.ad 3.*

28. Decimum. Graviſſimi Theologi tuentur, adultum, qui baptizatur, teneri habere contritionem peccatorum mortalium antea commissorum. Ita Navarrus *cap.1.n.37.* & *cap.11.n.7.* Victoria *quæst.23.* M. Baltanas *in Margarita confessorum, fol.33.* & M. Sotus *de Institutione Sacerdotum lectione 4. de Baptismo*, & plures apud Dianam *3.part.tract.4.resol.13.* Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thomas *in 4.dist.6.quæst.1.quæstiunc.1.ad 5.* dicens:* Ad hoc, quod homo præparet se ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.*

29. Undecimum. Subtilis Doctor Scotus *dist.7. quæst.2.* Petrus de Soto *lect.2.de Sacram. Confirmationis*, & plures alii probabiliter asserūt, baptizatos, ex præcepto divino, teneri hoc Sacramentum recipere. Nihilominus contrariam sententiam tuetur D. Thomas *3.part.qu.72.art.8.ad 4.* Nam, secluso contemptu, non recipientem à peccato mortali excusat, ibi:* Hugo de Sancto Victore dicit, omnino periculosum esse, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptū, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.

30. Duodecimum. Doctissimorum opinio est, peccatum mortale esse, accipere Eucharistiam post pollutionem voluntariam intra eamdem diem; etsi præcedente confessione. Sic Navarr. *de Pœnit.dist.6.cap.1. & in Manuali c.21.n.51.* Covarr. *in Clement. Si furiosus part.3.n.8.* & alii. Contrariam tamen sententiam nus tutam sequitur D. Thom. *3.p.quæst.80.art.7.ar. pore.** Ex necessitate (inquit) impedit hominem sh hujus Sacramenti perceptione, solum peccatum mortale.* Quo per confessionem ablato; ex quadam tutum congruentia, non ex necessitate, impedite assirit. Sic ibi ad secundum, & ad quartum.

31. Decimum tertium exemplum sit. Sacerdotes divites non posse licitè stipendium pro Missis celebrare, tradunt probabiliter Sylvester *verb Sacerdos q. 3*, & Graffius *lib.11.Decision.aurear c.96.* & alii apud Suarez *disp.86.sect.3.* Nihilominus contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thomas *quodlib.6.ar. 10.* ibi:* Reddere debitum, est actus justitiæ; & ideo ad hoc, quod alicui reddatur, quod ei debetur, nihil refert, utrùm sit dives, vel pauper. Naturalis autē ratio dictat, ut illi, qui pro populo in spiritualibus laborant, à populo stipendia suæ sustentationis accipiant.*

32. Decimum quartum. Promissionem meè utenam factam homini matrimonii futuri, obligare ad contrahendum, tradunt Martinus de Ledesma *2.par. 4.quæst.18.art.1.dub.13.* Molina *tom.2.de Just.disp.166.* & alii, quos refert Thomas Sanchez *lib.1.de Matrim. disp.3.n.4.* dicens, esse satis probabile. Nihilominus contrariam sententiā minus tutam defendit D. Thomas *2.2. quæst.88.art.1.in corpore*, ibi:* Obligat homo se homini ad aliquid quid per modū promissionis, &c. Sed promissio, quæ ab homine fit, homini non potest fieri, nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa. Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem.*

33. Decimum quintum. Probabilis sententia est, eum, qui post matrimonium bona fide contractum, incipit dubitare de obitu prioris conjugis, ex causa probabili, nō posse reddere. Quia majus est periculum in reddendo (est enim incontinentiæ contractatus, & contra prioris matrimonii justitiam, quam in non reddendo, in quo solum est injustitiæ periculum) ibi M. Petrus de Soto *lect.2.de Matrim.* Altisiodorensis, Adrian. Medina, & alii, apud Sanchez *de Matrim. lib.2.disp.41.n.43.* Et tamen contrariam minus tutam amplectitur D. Thom. *in 4.dist.38.in fine, in expos. litteræ*, ubi sic.* Si autem postea oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa. Si causa illa facit (tantum) probabilē dubitationem, debet reddere.* Quem sequuntur Thomistæ, & alii communiter; quos citatos laudat Sanchez *suprà n.45.*

34. Decimum sextum. Virginem defloratam, filia matrimonii promissione, teneri saltem defloratæ restituere, & de nuptiis providere, etiamsi notabiliter dignior sit, & indicia ficti consensus præbuerit, decent gravissimi Doctores apud Sanchez *de Matrim.* *1.disp.10.n.18.* Et tamen contrariā sententiam tuetur D. Thom. *in 4.dist.28.qu.1.art.2.ad 4.* ubi sic:* Sufficit, si ei de nuptiis providerit: & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit meretrix conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fecerit, quia præsumi probabiliter potest, quod ipsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.*

35. Decimum septimum. Peccatum esse mortale, consummare matrimonium, antequam recipiantur benedictiones Ecclesiæ, affirmat D. Antonin. *3.part. tit.*

1. *cap. 16. in fine.* Paludanus, Tabiena, & alii, apud Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 12. n. 2.* Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thom. *in 4. sentent. dist. 28. quæst. 1. art. 2. ad 3.* ibi: * Si sponsa sponsum admittat, excusatur à peccato. *

36. Decimumoctavum. Probabilis opinio est, Prælatum non posse secum dispensare in lege jejunii imposita à superiore, licet cum subditis possit. Quam tenent Paludan. Manuel Rodriguez, Azor, Miranda, & alii, quos refert Leander à Sacram. *tom. 3. in quinque præcep. Ecclesiæ, tract. 5. disp. 10. quæst.* 25. Et tamen contrariam sententiam minus tutam defendit D. Thom. *2. 2. quæst. 185. art. 8. in corpere*, dicens: Religiosum factum Episcopum secum posse dispensare in jejuniis ex præcepto regulæ observandis, modo, quo * etiam Prælati Religionũ in talibus secũ dispensant. *

37. Decimumnonum. In gravi necessitate proximi esse obligationem elargiendi eleemosynam de necessariis ad statum, docent valdè probabiliter Sotus, Cano, Victoria, & alii, quos citatos sequitur Bannez *2. 2. qu. 32. art. 2. dub. 4.* Nihilominus contrariã sententiam minus tutam sequitur D. Thom. *2. 2. quæst. 32 art. 5. ad 3.* Ubi, ultra evidentem, & urgentem necessitatem proximi, requirit ad obligationem gravem elargiendi eleemosynã, quod quis * habeat superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. * Et iterum *art. 6.* loquens de bonis necessariis ad statum propriæ personæ: * De hujusmodi ergo eleemosynam dare, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed consilio. *

38. Vigesimum deniqu; exemplum sit. Gravissimi Theologi docent, quemlibet teneri extremè indigẽti dare eleemosynam ex bonis simpliciter necessariis ad conservationem sui status, sine quibus omnino amitteretur quod esse certum, dicit Trullench *lib. 1. in Decalog. c. 5. dub. 8. n. 5.* & ut probabilius sequuntur Azor, Villalobos, Thomas Sanchez, Suarez, Vazquez, & plures apud Leandrum *tom. 6. tra. 5. disp. 2. quæst. 17.* Et tamen contrariam sententiam minus tutam tenet D. Thomas *2. 2. quæst. 32. art. 6.* ibi: * De hujusmodi enim eleemosynam dare, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Inordinatum autem esset, si aliquis tantum sibi de bonis propriis substraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitã transigere convenienter secundum proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. * Quæ D. Tho. verba excludere obligationem, subveniendi extremè indigenti ex bonis necessariis ad decentiam status, modo superius dicto, tradit M. Prado *tom. 1. Theolog. Moral. cap. 13. quæst. 3. n. 30.* & plures Theologi, quos referam infrà *tract. 7. quæst. 8. §. 5.* Quorum expositio firmatur verbis subsequentibus ejusdem Angelici præceptoris: * Quando occurrit (inquit) extrema necessitas alicujus privatæ personæ, &c. Laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret. * Quibus præceptum excludere, discipuli exponunt, & consequenter D. Thom. minus tutam opinionẽ amplexatũ fuisse. Quid plura? Aliis parco, ne lectoribus fastidium pariam: nam ut D. Antoninus, & M. Prado adnotarunt ubi suprà, innumera exempla possent proponi, quibus demonstretur, D. Thomam non tutiores opiniones, sed sibi probabiliores, etsi minus tutas, ubique amplexatum fuisse. Quid ad hæc Baronius?

39. Respondebit forsan pro omnibus, quod pro duabus *ubi supra*; nullam, scilicet, opinionem tutiorem à D. Thoma desertam, probabilem esse: quia minus tutas, quibus adhæsit, vi argumentorum in superiorem *certitudinis* ordinem evexit. Cui solutioni insistẽs *2. p. Manud.* contra Amadæum Guimenium *disp. 1. sect. 1 fol. 39.* cum in quandam subtilis Scoti opinionem tutiorem pro lege, contra minus tutam D. Thomæ pro libertate incidisset; respondet, ex opinione Scoti pro lege non oriri grave dubium, sed scrupulum deponendum, & contra illum operandum. * Scrupulus (inquit) esset, si ex opinione Scoti dubitaret. * Qua una solutione nos edocet, solas D. Thomæ sententias minus tutas licere nobis amplecti, deponendo scrupulos; quia hi tantum, & non vera dubitatio, quæ ab operando retrahat, ex Scoti, aut aliorum gravium Doctorum opinione tutiori pro lege, suboriri possunt. Lepidè quidem dictum! Sed quid, si Scotistæ de suis opinionibus idem dixerint? Licitum scilicet esse, Scoti opiniones contra D. Thomam, etsi minus tutas amplecti, & dubium ex opinione D. Thomæ pro lege subortum, non grave, sed scrupulum tantùm reputandum? Quid, si de aliis etiam opinionibus benignis alii scriptores graves, & docti idem pronuncient? Si concedas; oleum, & operam perdidisti: si neges; ostendas quæso, cur solius D. Thomæ opiniones minus tutæ hoc privilegio gaudeant? Omitto inconsequentiam Baronii redarguere, cùm apertè asserat ubi suprà: * Nec mille Authores sufficere, ad tutam efficiendã opinionem faventem libertati, si unus adsit, qui pro lege pugnet. * Ergo nec D. Thomas, nec Scotus, nec uterq; simul sufficiet, si Doctor alter sit, qui reclamet. Est evidens consequutio; quia ut ait Julius Mercorus *suprà art. 7. fol. 87.* * Motivum probabile contra aliquam sententiam semper causat dubium grave, & formale (scilicet practicum.) Ergo quousque intellectus stat in tali dispositione, semper est dubius. * Semper igitur erit peccatum lethale dissidentibus Doctoribus, opinionem D. Thomæ, aut Scoti libertati faventem, etsi probabiliorem amplexari, nullus Thomista, nullus Scotista concedet.

§. IV.

Corollaria.

40. EX dictis evidenter deducitur, aut omnia absurda superius adducta, uno hausta ab his Neothericis devoranda, aut D. Thom. immunẽ prorsus, esse ab impostura obligationis eligendi tutiorem opinionem. Insuper absq; ullo prorsus fundamento Baronium jactasse, apud D. Thomã, & Dominicanos dogma inconcussum esse ex præcepto eligendam tutiorem opinionẽ. Nam quod D. Thomæ id falso adscribatur, ostensum est suprà: quod autem aliis Thomistis; res adeo per se nota est, ut probatione non egeat. Testes advoco omnes viros doctos, & processũ præsento ex omnibus in re morali voluminibus conflatum, in quibus ferè nulla invenitur opinio pro libertate, quæ unum, vel plures ex Dominicanis patronos non veneretur. Et in terminis, non esse obligationẽ eligendi tutiorem opinionem, tradunt Mag. Victoria, cujus verba dedi sup. *quæst. 4. n. 18.* D. Antonin * Sylvest. Albert. Magnus, Joannes Nider. Wilhelmus Thomas Villar. Bannez. Candidus, Medina, Gregor. Martinez. Petrus de Ledesma, Ludovic. Lopez Marcus Serra. Joannes Martinez de Prado. Barnabas Gallego. Acatius de Velasco. Sotus. Tapia. Texeda, & alii, quorum verba dabo infrà.

41. Et quod mirabilius Baronius ipse pluribus in locis refert, à Theologis antiquis, & recentioribus Thomistis, id ipsum fuisse traditum. Vide illum *2. p.*

Manud. contra Amadæum Guimenium *disp.4.sect.1.§ 1.fol.345.* ubi hæc scribit.* Certum est D. Antoninum illos laudasse (nempè Sanctum Leonem, Albertum Magnum,& Thom.) & fuisse interpretatum, juxtà propriam sententiam,quæ omninò damnat delectum opinionis minus tutæ, nisi adversam probabilitate vincat,& eam fuisse mentem omnium antiquorum Theologorum,&recentiorum Thomistarum, Alvarez,Lopez,Greg. Joannis Martinez,& Baptistæ fusè probavimus.* En amice lector,ipso Baronio testante,non est apud Dominicanos inconcussum dogma ex præcepto eligendam tutiorem opinionem : potest enim minus tuta eligi,si probabilitate vincat. Quod & ipse Baronius,licet sibi contrarius palinodiam decantans in toto suo opere,intendisse,fatetur *fol.* 330. dicens:* Standum contendimus pro lege, quamdiu majori,aut pari probabilitate pollet contra commodum,& libertatem.*Non ergo quamdiu minori. Igitur saltem quoties opiniones minus tutas pro libertate,probabiliores quisque censeat,licitè poterit eas amplecti,relictis tutioribus pro lege.

42. Inficiari nequibit Baronius,quia & minus tutas ipsemet amplectitur,quando probabiliores putat Hinc 1 *part.Theolog.Moralis* contra Caramuelem *disp.2.sect.4.* negat divitibus obligationem redimendi captivos,apud Turcas redemptione maximè egentes, cum tamen tutior sit contraria opinio pro lege charitatis,quam tenent Cajetanus,Major, Azor, Filliucius, Villalobos,&alii,quos sequitur Leander à Sacram. *tom.6.tract.5.disp.2.quæst* 20. Insuper 2. *part. Manud.* contra Amadæum *disp.* 1. *sect.1.fol.95.* relicta tutiori quadam opinione Sancti Raymundi, sui instituti gravissimi Doctoris, contrariam minus tutam cum D.Antonino amplectitur,dicens:* Congressum verò sola voluptatis causa inter conjugatos, licet Sanctus Raymundus damnet peccati mortalis,verior tamen, & tuta D. Antonini sententia est, si nil prætermittatur,quod ad generationem conferat,veniale esse tantùm peccatum.*

43. O Baroni! Quo jure tuas opiniones contra legem pro libertate tutas vocitare audes,cùm re ipsa falsæ esse possint,& à sancto Doctore,in cujus verba jurant Dominicani,hoc dogma (ut asseris) inconcussum habeat; quod agitur cóntra legem semper esse malum, *nec excusari per hoc,quod sit secundùm conscientiam,quacumque probabilitate munitâ?* Nolo tamè tuis opinionibus,etsi minus tutis,securitatem negare. Fateor,tutas esse,& à peccato excusare. Sed quæso, deleas,quæ tibi non cóstans postea scribis *fol.* 141.* Nos (inquis) ex D.Tho. certissima regula nullâ opinionem quantúlibet probabilem censemus tutam,si falsa sit (nempè re ipsa,& contra legem) nec desit unus,aut alter gravis Theologus,qui reclamet.* Deleas etiam rogo,quod scribis *fol.*375. opinionem tutiorem anteponendâ probabiliori minus tutæ.* Quod nos (inquis) ex præcepto necessarium contendimus. *Hæc enim non cohærent cum doctrina, quam verbis,& exemplis nuper nos edocuisti,dum licitâ,& tutam merito concessisti electionem opinionis minus tutæ probabilioris contraria pro lege.

44. Maneat ergo Baroni in posterum stabilitum ex tua,& tui instituti Doctorum sententia, licitum esse uti opinione minus tuta ad gradum certitudinis non evecta,sed intra fines,probabilitatis contenta, dum probabilior sit contraria tutiori pro lege. Quo evelluntur omnia fundamenta,quæ contra electionē opinionis minus tutæ, paris,vel minoris probabilitatis contraria pro lege cōficisti; cum falsa quandoq; probabiliora sint veris. Et apertissimè falsitatis convincuntur omnia ex tuis scriptis fideliter excerpta, ut *suprà n.*41. quibus obligationē adstruere tentasti, eligendi opinionē tutiorē, etiamsi minus, probabilem. *Nullamq; re ipsa falsam dissidentibus inter se Doctoribus peccati excusationem trahi posse, quacumque probabilitate, & ignorantia, & ne quidem mille Authores tutam facere probabilem opinionem re ipsa legi adversam,si unus adsit, qui pro lege pugnet, necessariumque esse ad delectum opinionum moralium, ut tutioribus,etiam minus probabilibus adhæremus, quod careant omnino periculo peccati.* Quæ omnia modo jure quidem retractas,dum verbis suprà datis, & exemplo adhibito,liberam facultatem facis eligendi opiniones minus tutas, si probabiliores sint contrariis pro lege.

45. Ex dictis evidenter constat,mala omnino fide Baronium,ut inconcussum ex D.Thom. apud illustrati Authores,dogma jactasse,ex præcepto eligendam tutiorem opinionem pro lege. Necredo, ut Religiosus hæc protulisset,si tutam constitutionem memor esset. Illis enim hujus sanctissimi Instituti professoribus injungitur,ut in consiliis præstandis aboopinionibus austeris caveāt, quales,ut ex termino petet,illæ tantum esse possunt,quæ pro lege probabiter militant,pugnantibus aliis probabilius,aut æquè probabiliter pro libertate. Quarum constitutionum observantiâ Dominicani Scriptores in prologo rum operum religiosè promittunt. M. Barnabas Gallego.* In eligendis (inquit) opinionibus, tam apud me illud,quod in Glossa prologi nostrarum constitutionum adnotatum est. Ibi igitur *text.1.§.3.* ad illa verba: *Cum Ordo noster specialiter ob prædicationē, & animarū salutē, &c.* Sic habetur: *Declaramus,quod tria sit præcipuè, quæ salutē impediunt animarū,* & ānumeratis duobus primis sic habetur: *Tertiū est nimia austeritas in consiliis, & opinionibus: terrentur enim homines ex hac causa, ut salutē propia negligant. Quapropter relaxanda est (quantum fieri potest) rigiditas, & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Hactenus in nostris cōstitutionibus. Cū igitur hoc à tot,religiosissimisq; viris nostri Ordinis declaratū,& decretū fuerit: ego illis adhæredo nō rigidus,& austerus in eligendis opinionibus ero; sed benigniores,probabiles inter Thomistas,& alios Doctores amplectar. Judicanda ergo est benignior opinio illa,quæ conscientiā solvit,quā ea,quæ eam ligat.* Hucusq; Gallego. Et ante illū M. Barthol. Fumusi in Armilla,ejusdē constitutionis tenax *verbo, opinio,n.5.fol.mihi* 911.* Opinio,(inquit) quæ solvit,potius sequenda est,quàm ea,quæ ligat.*

46. Quos sequuntur M. Serra 2,2.*tom.3.in epist. lectorē,* ibi *Benigniores opiniones,aut amplector, aut earū probabilitatē non reficio,ne pluribus claudam cœlum,sed omnibus viā Domini faciliorem demonstro.* Et M. Joan. Martinez de Prado in Universitate Complutensi,Primarius olim Sacræ Theologiæ moderator,*tom.1.qu.Moral.Proœmio* : * Cum pro nostra parte (inquit) aliquid convincens,qua parte est veritas,affertur,curabo benigniores amplecti, vel earum probabilitatem indicare: cum ordo noster Prædicatorum ob animarum salutem ab initio noscatur institutus,& animarum salus impediatur, (ut notatur in Glossa constitutionum) nimia austeritate in consiliis,& opinionibus. * Sistas quæso paulisper amice lector,ut expendas quid cum his constitutionibus commune habeat Baronius? Potest ne major esse austeritas in consiliis,& opinionibus,quàm strictiorem semper consulere,& ex præcepto sequendam tractare,nullamque relinquere opinionem practicè probabilem faventem libertati,si unus sit Doctor, qui reclamet? Quid ad hæc?

QUÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrùm sit obligatio eligendi tutiorem opinionem, si probabilior sit quàm contraria? Et quid si paris probabilitatis?

§. PRIMUS.

Opinio affirmativa refertur.

1. CErtissimum est, diversum quid esse opinionem esse probabiliorem, & esse tutiorem, ut docent communiter Theologi, quos sequuntur Thom. Sanchez *tom.* 1. *Sum. lib.* 1. *cap* 9. *num.* 5. & Illustriss. ac Rever. M. Tapia Archiepiscopus Hispalensis *in Catena morali, q.* 8. *art.* 11. §. 1. *num.* 1. M. Texeda *tom.* 1. *controv. Theologiæ moral. lib.* 1. *tract.* 2. *controv.* 7. *num.* 3. Quia non ab eodem principio opinionum securitas, & probabilitas suboriuntur; probabilitas enim desumitur ex fundamentis probativis; securitas verò ex remotione periculi: quo fit, ut sæpè opinio minus probabilis sit magis secura, & è contra, opinio minus secura sit magis probabilis, v. g. opinio asserens teneri quem statim post peccatum commissum confiteri, securior est, minus tamen probabilis. Et è contra opinio id negans probabilior est, sed minus tuta. Semel autem statuto, non esse obligationem eligendi tutiorem opinionem, ut docent communiter Theologi, quia nullibi hoc præceptum, vel naturale, vel divinum, aut Ecclesiasticum invenitur. Quod inquirimus est, an si opinio tutior pro lege militans sit etiam probabilior, quàm contraria pro libertate, sit ex necessitate præcepti præferenda?

2. Prima, & communis antiquorum Theologorum sententia, teste Baronio (cujus verba habes, *supr. num.* 41.) partem affirmativam tuetur, ac proindè graviter peccaturum, qui opinionem probabilem faventem libertati sequatur, relicta tutiori, & simul probabiliori pro lege. Ita Sylvester *verb. opinio, num.* 1. *in fine*, & *verb. dubium, q.* 2. Conradus *de contractib. q. ult.* D. Anton. 1 *p. tit.* 3. *c.* 10. §. 10. *reg.* 4. Tabien. Paludan. Angel. Almain. Gerson. Cordub. & alii, quos refert Pater Salas 1. 2. *tom.* 1. *tr.* 8. *disp. unic. sect.* 5. *num.* 46. & *sect.* 6. *num.* 61. Cajetan. Armilla, Sotus, & alii quos citatos sequuntur M. Prado *tom.* 1. *tr.* 1. *q.* 3. § 2 *num.* 14. & M. Arauxo *in decisionibus moralibus disp.* 9. *de statu civili, assert.* 3. *num.* 19.

3. Addunt alii, idem omnino dicendum, licet opinio tutior probabilior non sit, sed paris probabilitatis cum contraria pro libertate. Quod adeo firmum apud Thomistas esse, jactat Baron. *in opere contra Amadæum, disp.* 1. *sect.* 1. *fol.* 48. & 49. ut nullum ex eis fuisse, qui contrarium scripserit, confidenter asserat. *Thomistæ, inquit recentiores, nunquam eo delapsi sunt, ut expressis verbis docuerint, opinionem pro libertate paris cum adversa pro lege probabilitatis, securam esse, seu practicè probabilem, &c. Quod præter citatos quatuor, aut quinque expressè docet Ludov. Lopez, &c. Quibus addo duos magni nominis Joann. Martinez de Prado, & Arauxo, quos sibi adversari Amadæus non diffitetur, *Sic Baronius. Quæ non levi admiratione scripta legi, cum Amadæus Joann. Martinez de Prado expressè reluctantem, eius transcriptis verbis, ibidem adduxerit, *tract. de opinione probabili, propos.* 1. Et M. Arauxo non meminerit. Verum ut morem ego amico gererem, utrumque consului, & Baronium ut de more habet in suum caput, deceptum apertissimè inveni. Igitur Arauxo *in decisionib. moral. disp.* 9. *citata de statu civil. assert.* 3. *num.* 12. *fol. mihi* 428. Sic scribit: *Pro hujus asserti declaratione, prænotare oportet. Primò, concursum, sive conflictum duarum opinionum probabilium posse contingere dupliciter: nimirum, aut quando ambæ sunt apud sapientes, & in scholis æquè probabiles, plus minusvè: aut quando una apud eosdem notoriè, & constanter est magis probabilis, quàm altera. Et quidem in primò eventu (attende) non tenemur sequi magis unam, quàm aliam, cujus ratio evidens est apud omnes Doctores, quia tunc utraque opinio æqua lance propendet: utraque pariter movet, & inclinat intellectum, & utramque proponit intellectus sub æquali probabilitate voluntati cum judicio indifferenti, cum autem judicium est indifferens, liberum, ac licitum est voluntati, quam libuerit sequi partem, ergo tunc quamlibet harum opinionum in praxi liberè, ac licitè potest amplecti voluntas, *Quid clarius?

4. Recolui etiam locum Mag. Joann. Martinez de Prado *tom.* 1. *quæst. mor. tract.* 1. *quæst.* 4. §. 3. *num.* 12. (ab Amadæo ibidem citatum) & idem prorsus sentientem invenio. Legas quæso: * Dico tertiò, inter duas opiniones æquè probabiles, licet eligere minus tutam. Sequitur ex dictis *q.* 3. *concluſ.* 1. Præterea probatur, nam qui inter opiniones æquè probabiles unam eligit in practica, habet certitudinem moralem, quod rectè operatur: quia inquisita veritate quantùm potuit, si in re erret, invincibiliter ignorat, & actus est formaliter bonus. Ergo in re, quamlibet tuto sequi potest. * Et infrà. * Non cadit sub præcepto, quod vitemus mala materialiter, quia homini hoc est impossibile, supposito, quod in multis habet ignorantiam invincibilem (nimirum, quia post adhibitam diligentiam, veritatem non invenit) ergo inter duas opiniones æquè probabiles, quælibet etiam minus tuta amplecti potest. Et hanc conclusionem tenent Authores primæ, & secundæ sententiæ quæstionis præcedentis. Sed ex his, qui nobiscum ibi sentiunt, tenent Mag. Soto, & Navarro. * Jam qui sint Authores illius primæ, & secundæ sententiæ, recole *quæst.* 3. præcedentem. Ubi sic: *Fuit, inquit, semper hæc conclusio communis, & in terminis, tenent S. Anton. Sotus, & communiter Thomistæ, & interpretes Div. Thomæ. * Hæc Magist. Prado suprà. Objectioni autem, quæ ex verbis Sylvestri, & sancti Anton. contra superius dicta fieri poterat, respondet ipse Mag. Prado *quæst.* 4. *citata num.* 14. * Sylvester exponi potest de dubitante, ut patet conferendo cum his, quæ docet, verb. *opinio, quæst.* 1. *in fine*, & attendendo intentum illius. Manifestè etiam de dubitante ad neutram partem determinato loquitur sanct. Anton. 3. *part. titul.* 14. *capit.* 19. §. 8. Undè non benè pro contraria parte refertur. Ad illud, quod objicitur de periculo, benè respondet Baptista *dub.* 4. *concluſ.* 7. *num.* 684. Quod est periculum mali physici, non mali moralis. Et hoc periculum potest subire homo sine ullo peccato, quia idem periculum est, cum sequitur opinionem probabiliorem (minus tutam) quia cum non sit infallibilis, potest in re esse falsa. * Hactenus Magist. Prado. Quæ fideliter transcribere placuit, ut vel ex his mi lector, Baronii fidem agnoscas, & apertissimæ falsitatis convictum doleas.

§. II.

Contrariæ sententiæ Auctores.

5. SEcunda sententia tenet, licitum esse amplecti opinionem minus tutam faventem libertati, non solùm probabiliorem, aut æquè probabilem, sed etiam minus probabilem contraria pro lege. Ita communiter Theologi, cum Mag. Bartholomæo de Medina, *cujus sententia* (ait Vasquez 1. 2. *disput.* 62. *capit.* 4. *num.* 14.) *Iam in scholis, & multò antea communis fuit.* Audiamus discipulos Div. Thomæ. Mag. Thom. Villar *in Summ. controversiar. in* 1. 2. *Div Thomæ tractat. poster. de conscientia*, 4. *part.* §. 6. inquirens, * Utrùm ex duabus opinionibus, quis probabilem, probabiliori relicta, sequi possit? * Respondet. * Partem affirmativam teneo cum Medina, Lorca, Martinez, Cornejo, Montesinos, & pluribus aliis. * Et infrà. * dices; esse quidem rectæ rationi conforme, tamen quia opinio probabilior est conformior, & securior; eam sequi obligamur. Contra, inquit Medina, quia nemo ad id, quod melius, & perfectius est obligatur. * Mag. Bartholomæus de Ledesma in summario, in editione Salmantina anno 1585. *tract. de pœnitent. difficult.* 14. *conclus.* 5. * Hæc conclusio est contra Adrianum *quæst.* 5. *de confes. dub.* 7. Ubi dicit, quod quis tenetur sequi tutiorem opinionem, & contrariam etiam probabilem omittere. Sed nihilominus nostra conclusio est verissima. Et probatur tùm ex usu universali omnium; tùm quia, si est probabilis, habet pro se graves Authores, urgentesque rationes. * Pro hac ipsa opinione non incongruè citari solet M. Soto *lib.* 6. *de justit. quæst.* 1. *artic.* 6. *in fine.* Ubi absque limitatione dicit: * Quando sunt opiniones probabiles inter graves Doctores, utramq; sequaris, in tuto habes conscientiam. * Quia, ut patet, nullum constituit discrimen inter probabilem pro libertate, & probabiliorem pro lege. Quod expressius tradit *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. *ad* 5. §. *Vnde ad argumentum.* Dicens confessarium teneri absolvere pœnitentem sequentem opinionem probabilem, contra propriam ipsius confessarii opinionem probabiliorem, & tutiorem. Cujus rationem reddit: * Siquidem propter probabilitatem excusatur ille à culpa. * Sic sentit Mag. Sotus loquens de pœnitente, qui vult perseverare in contractu, quem juxta probabilem opinionem doctorum probatæ authoritatis, licitum putat, contra aliorum tamen opinionem probabiliorem, & tutiorem, utpotè pro lege pugnantem. Sentit ergo apertè opinionem probabilem faventem libertati excusare operantem à peccato. quamvis minus tuta sit quàm contraria, & licet probabilitate vincatur.

6. Hac Soti authoritate oppressus Baronius illam obnubilare tentat, in opere contra Amadæum *disput.* 1. *sect.* 1. §. 2. *fol.* 16. Dicens falso pro hac parte Sotum ab Amadæo citari *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 5. * Quia eo loci tatum docet, licere adhærere opinioni probabili, cum stat pro lege, &c. non quando pro commodo. * Sed quidem nil à veritate magis alienum Baronius dicere potuit. Et ut clarè innotescat: En quæstionem, de qua ibi Mag. Soto. * An confessarius teneatur absolvere pœnitentem, qui non secum consentit volens manere in contractu, quem contra ipsius opinionem putat non esse usurarium. * En Baroni, pœnitens adhæret opinioni pro commodo asserenti contractum non esse illicitum. Econtra verò confessarius opinionem pro lege pugnantem sibi probabiliorem amplectitur. Et tamen in hoc opinionum conflictu, asserente Contrado confessarium ordinarium teneri pœnitentem absolvere, secus delegatum. Respondet M. Soto nullum esse faciendum discrimen: * Sed hoc solùm, inquit, distinguendum, an opinio pœnitentis sit probabilis inter authores probatæ authoritatis, necne? Si opinio illa est probabilis, tunc Sacerdos, sive ordinarius, sive delegatus tenetur eum absolvere. * Subnectens infrà id esse verum: * Quamvis Sacerdos existimet opinionem esse falsam, siquidem propter probabilitatem excusatur ille à peccato. * Est ergo indubitabile Mag. Soto sentire opinionem probabilem pro commodo, seu libertate excusare à peccato, quamvis contraria pro lege, non solùm tutior, sed & probabilior sit: ac proinde pœnitentem, qui inanimo opinioni probabili pro commodo nolit à contractu desistere, absolvendum esse. Cui apertissimè opponitur Vincentius Baronius, ubi suprà, dum censet, opinionem probabilem pro libertate non excusare à peccato. Quod non solùm est contra Mag. Soto ubi suprà, & in aliis locis, ubi plures sententias minus securas amplectitur, sed contra communem solitum tuti Auctorum sententiam, ut ex referendis magis constabit.

7. Eandem sequitur Mag. Acatius de Velasco Episcopus Oriolensis *tom.* 2. *verb. Opinion. probabil. resolution.* 316. *num.* 7. ibi. * Digo lo primero. Lamas comun, y recibida opinion de los Doctores es, ser licito, y seguro en conciencia, seguir la opinion probable, aunque sea dexando la mas probable. La primera parte se prueba, porque en siendo opinion probable, es conforme à razon, &c. La segunda parte se prueba, porque no ay obligacion de hazer siempre lo mejor, &c. Ademas, que sino fuera cosa licita, y segura el seguir la opinion probable, dexando la mas probable, y mas segura, sin duda aquepeccarian los Doctores, y Maestros, que enseñan opiones probables por la parte menos segura; porque daban ocasion para pecar a los que usan dellas. Y es muy ageno de equidad, y de razon, condenar en esta parte a tantos varones doctos, y pios, que enseñaron opiniones probables, dexando las mas probables, y seguras. Pruebase tambien, porque vemos, que los Sumos Pontifices, en las cosas de la Iglesia, que no estan determinadas, y difinidas, sino debaxo de opinion de Doctores, siguen las opiniones probables, y no siempre las mas probables, y mas seguras, &c. Y aunque parece, que Cayetano niega esta opinion, quando dize, *in summa, verbo. Opinio.* * In operandis, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujusque sumere. * Pero en realidad de verdad (attende Baroni) no habla Cayetano este lugar de opinion probable, sino de qualquiera opinion, aunque no sea probable, la qual es manifiesto, &c. De Sylvestro dizen tambien algunos, que tuuo la opinion contraria; pero se enganaron. * Sic Illustrissim. Par. Mag. Acacius, addens *num.* 10. *in fine*, plures, & graves Doctores pro hac sententia militare, pro qua in margine citatos refert Magist. Bannez 2. 2. *quæstion.* 10. *art.* 1. Mag. Candidum *disq.* 3. *art.* 20. *dub.* 1. M. Medinam 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. M. Ledesma *in sum tom.* 2. *tr.* 8. *cap.* 22. Salon, quos sequuntur M. Joann. Nider *ubi supr. part.* 3. *cap.* 11. §. 3. Ubi inquit hanc sententiam * patere ex antiquis satis tàm Theologis, quàm juris peritis, & ut ictoritatibus modernorum Theologorum famorum, * & M. Baptista, apud M. Prado *tom.* 1. *cap.* 1. *de conscientia*, *q.* 4. *num.* 10. ut constat ex fundamen-

tis

cis, quibus nititur, quæ, ut notat ipse M. Prado, non tantum probant licere eligere minus tutam probabiliorem, sed quamcumque probabilem.

8. Idem prorsus docet Mag. Barnabas Gallego, ex eodem instituto, *in tractat. de conscientia, edito Matriti anno 1648. ubi de consc. probabili, dub. 1.* ibi: *Inquirimus in præsenti, utrùm sit licitum relicta opinione probabiliori, & magis tuta, sequi opinionem probabilem, & minus tutam? In hac igitur re est prima sententia, quæ dicit non esse licitum, &c. Secunda sententia, quæ est longè probabilior, mihi magis placet; (& pro nostra resolutione habenda est) docet licitum esse sequi in praxi opinionem minus probabilem, & minus tutam, dummodo sit practicè probabilis, relicta probabiliori, & tutiori, &c. Hæc igitur secunda sententia communior est inter Thomistas. Eam docent Bartholomæus de Medina 1.2.q.19.art.6.dubio ante penultim.* Dominicus Bannez *2.2.quæst.10.art.1.corollario penultimo.* Petrus de Ledesma *in summa, tom. 2. tract.8. cap. 22. diffic.2.circa undecimam conclusionem.* Gregorius Martinez *1. 2.quæst. 19.ar.6. dub.6.* Didacus Albarez *1. 2. quæst. 19.disput. 80.* Ludovicus Lopez *1.part. instruct. cap.120. & 287.* Vincentius Candidus *tom. 1.disq. 3. art.20.* Petrus de Lorca *1.2.tract.1.disp.39.memb.2.* Ludovicus Montesinos *1.2. disp 29. quæst.5.§.3.* Petrus Cornejo *tom.1.tract.8.disp.3.dub.6.* Petrus de Aragon. *2.2. quæst. 63. art. 4. dubio penultimo.* Et ibi Michaël Salon *controvers. 2. conc. 4.* Joannes Malderus Episcopus *1. 2. quæst. 19.artic 5 disp.68.* Marcus Serra *1. 2. quæst.19. art.6. dub. 4.* Qui etiam conatur explicare Cajetanum, & Sylvestrum primam sententiam non docuisse. Hanc sententiam communiorem inter Thomistas sequuntur alii plures Authores. Hi sunt Suarez, Valentia, Vasquez, Azor. Thomas Sanchez, Joannes Sanchez, Diana, Saias, Nicolaus Vandelius, Petrus de Navarra, Layman, Sayro, Granado, Filiucius Bassæus, Navarrus, Becanus, Lessius, Henriquez, Reginaldus, Ludovicus de la Cruz, Basilius Ponce, Villalobos, Ludovicus de Torres, Joannes de Lugo, Sanctarellus, Nicolaus Garcia, Barbosa, Portel, Machado, Tannerus, Castro Palao, Francisc. de Lugo, & alii. *Hactenus Mag. Barnabas Gallego ubi supra, singulis suis citatis locis, quæ brevitatis causa omitto.*

9. His adde alios ex eodem ordine viros celeberrimos. Illustrissimum P. Mag. Petrum de Tapia Archiepiscopum Hispalensem *in doctissima sua Catena Morali, lib.1. quæst. 8. artic.12.* Ubi ait. *Opinio etiam minus probabilis, dum tamen sit probabilis practicè, potest eligi tuta conscientia, relicta probabiliori, & tutiori: ita Medina, Bannez, Ledesma, & alii plures. Et Mag. Franciscum Lopez de Texeda tom. 1. controv. Theologiæ Moralis, lib 1. tract. 2. controvers. 7. num. 9.* ibi: *Quando utraque pars est secura, & tuta, ut contigit, quando utraque pars est probabilis, benè potest sequi opinio probabilis; probabiliori, & securiori omissa; cum tuta, & secura sit: alias enim probabilis non esset. Quod iterum firmat controvers. 9.* dicens. *Opinio probabilis quodcumque malitiæ periculum, quod fortasis in ipsa re reperitur, aufert, & tollit. Idem sentiunt alii, quos refert Mag. Joannes Martinez de Prado ubi sup. cap. 1. quæst. 3. §. 2.* Qui licet hanc opinionem non sequatur, inquit tamen esse communissimam. Et non parum favet, §. 3. dum asserit sæpè in praxi licere sequi opinionem minus probabilem, nec se reperisse Authores, qui hanc conclusionem expressè negent. *Probatur, inquit, ratione Cajetani, quia sæpissimè sufficienti adhibita diligentia, latet non solum homines plebeios, sed etiam homines doctos, quæ sit opinio probabilior: Et sæpè falsa quoad rem ipsam, quoad nos sunt probabiliora veris.* Sic Prado. Quem cum latere non possit, opinionem quam viri docti probabiliorem censent, minus probabilem aliis Doctoribus videri, & è contra: Et Ignorare nequeat, indoctis aliud non esse fundamentum ad judicium majoris probabilitatis opinionis ferendum, quam Doctorum pluralitatem, quos numero, & qualitatis pondere metiri, est moraliter impossibile, videtur manifestum, tàm docto, quàm indocto sufficere ad securitatem conscientiæ, quamcumque maluerint eligere opinionem, ex his quæ inter Doctores probatæ auctoritatis probabiles habentur. Siquidem quacumque electa, semper verificatur, probabiliorem sibi, vel aliis Doctoribus eligere. Quemlibet autem posse operari juxtà aliorum opinionem, propria relicta, commune est apud Theologos.

10. En Baronî, quot, quantique Doctores ex familia Dominicana propugnent, & expressis verbis doceant, opinionem pro libertate, non solùm paris, sed etiam minoris, cum adversa pro lege, probabilitatis, securam esse, & practicè probabilem. En quot quantique tuum illud inconcussum dogma apertè concutiant.

§. III.

Authoris judicium.

11. CUm Doctoribus secundæ sententiæ pronuntio, licitum esse, opinionem minus tutam, minusque probabilem eligere, relicta tutiori, & probabiliori. Communem hanc sententiam, nullum ex fundamentis contrariæ deserere cogit. Immo cum communis antiquorum Theologorum, & Thomistarum teneat, licitum esse, opinionem probabiliorem, etsi minus tutam eligere, eorum vestigiis insistens, hanc ego amplector, quia probabiliorem judico. Quod proinde, qui senserint, tuta conscientia, juxtà communem Theologorum sensum, amplecti poterunt, & à peccati periculo immunes erunt.

12. Quod autem à principiis extrinsecis nostra hæc sententia probabilior sit, nemo in dubium vertere potest, ut ex numero, & qualitate Doctorum, quos pro ea congessi, evidenter evincitur. Quibus adde Fr. Franciscum Bonæspei Ordinis F. Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo *in Apologemate retorto contra Caramuelem pro doctrina Domini Prosperi Fagnani ad caput. * Neimitaris, *dub. 7. num. 287. & 298.* Fr. Patricium Sporer ex Ordine Minorum *in Tyrocinio Theologiæ Moral. cap. 3. assert. 8. §. 2. num. 42.* & alios ex variis familiis Authores, quos recenset Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum disp. 1. sect. 1. §. 5. fol. 49.* nempè Ludovicum Beja, Lezana, Urbanum, Petrum à Sancto Josepho, Maletum, Pelbartum, Hauceur, Caspensem, Gesualdum, Leandrum à Sacram. Hieronymum Garcia, Aversam, Pasqualigum, Marcum Vidal, Spinulam, Merulam, Guarzinum, & Januarium: & esse communem Doctorum omnes fatentur. Et docet novissimè Illust. D. D. Alphonsus de Monte negro Episcopus Quitensis, in Itenerario aureo *para Parochos de Indios lib. 1. tr. 4. sess. 20.* ubi ait. *Nuestra conclusion es cierta, y muy comun, tienenla muchissimos Authores, que ab extrinseco*

trinseco la hazen mas probable, y tambien lo es ab intrinseco. * Ergo hoc uno fundamento ductus unusquisque poterit opinionem minus tutam, minusque probabilem circa honestatem operationis, dissidentibus Doctoribus eligere. Formo sic argumentum, licitum est juxta communem Doctorum consensum, opinionem probabiliorem pro libertate, etsi minus tutam eligere, sed quando Doctores dissident, probabilior opinio asserit, licitam esse, quam malueris, partis electionem, ergo.

13. Confirmatur, quia nullum argumentum contra reflexam hanc demonstrationem fieri potest, quod æquè non militet contra Doctores directè asserentes, non esse obligationem eligendi tutiorem opinionem, si contraria pro libertate probabilior sit: æquè enim in uno, ac in altero casu exponitur operans periculo faciendi contra legem: aliud autem non est in amplectenda communi opinione de licito delectu minus tutæ, minusque probabilis, relicta tutiori probabiliori: ergo sicut in primo casu periculum solum est mali physici, non moralis, & ideò opinio probabilior de honestate actus eliciendi excusat operantem à malitia formali, & à peccato, ita similiter excusabit probabilior opinio reflexa de licita electione minus tutæ, minusque probabilis, relicta tutiori.

14. Secundò probatur, quia judicium de honestate actus eliciendi nequit à principiis intrinsecis probabilius esse omnibus operantibus, sed his tantùm, qui in re morali non parum versati, opinionum fundamenta excusserint, & rationibus undique perpensis, maturo consilio partem præferendam discreverint: rarissimi autem sunt, qui hoc judicium formare possint; ergo viros tantùm doctissimos in re morali lex illa eligendi probabiliorem opinionem ligare poterit, & hi tantùm licitè nequibunt pœnitentes in confessionario favorabili opinione juvare, & consulentes benigna opinione reficere; sed tenebuntur, juxtà quam, ipsi probabiliorem censeant, consilium præbere, aut si de majore probabilitate dubitent, differre, usque ad sufficientem adhibitam diligentiam. Quo quidem onere, alii confessarii & Theologi minus docti, quibus id moraliter; præ inopia doctrinæ, vel librorum, impossibile sit, non gravabuntur, sed dum primum pœnitentem, aut quemvis alium consulentem audierint, absque mora poterunt illi respondere, & opinione aliena pro libertate consolari, quam ab aliis Doctoribus, aliis etiam reclamantibus, probabiliorem censeri noverint. Nec ipsis majorem diligentiam adhiberi incumbet, ad probabilioritatem opinionis indagandam: quia neque à principiis intrinsecis; cum eorum vim non penetrent, neque ab extrinsecis, cum hæc ex Auctorum numero, & qualitate pendeat, quos ad lancem appendere nemo potest: imo & quandoque pauci pluribus prævalere debeant. Unde quæcumque opinio pro libertate ab Auctoribus probatæ auctoritatis defensata, jure poterit ab indoctis probabilior, aut saltem æquè probabilis judicari, quia minor probabilitas eis constare non potest. Jam, si hæc ita se habeant: Væ Doctoribus, quos strictissima hæc obligatio solum tenebit! Felices indocti, qui quam maluerint viam arripuerint, ad salutis terminum pervenient. Quis non videat, hæc irrationabilia esse? Ideò huic opinioni non assentior, de qua merito M. Bartholomæus de Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *quæst.* 6. dixit: * Hæc sententia cruciat animos timoratos, * & P. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 9. *num.* 14. * Intolerabile onus, & multis scrupulis expositum esset, si opiniones probabiliores investigare teneremur. * Maximè cum non rarò, quæ magis apparent vera, falsa sint; ut dixit Aristoteles, unde Cajetanus 2. 2. *q.* 100. *art.* 7. *in fine.* * Contingit aliquando magis apparere, percipi, satisfacere, & movere, argumenta falsa, quàm solutiones eorum. * Quis ergo inter opiniones probabiliorem discernet?

15. Tertiò probatur, quia in dubio melior est conditio possidentis: Quæ regula non solùm in materia justitiæ, sed in aliis etiam locum habet: itaque ratione possessionis libertatis, licitum sit practice deponere dubium speculativum, & contrarium operari, ut docent gravissimi Theologi, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 9. & *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 32. Suarez, Henriquez, Joannes Sanctius, Villalobos, Santarellus, & alii penes ipsos, quos citatos sequitur Diana 4. *part. tract.* 3. *resol.* 2. & cum Soto, Sylvestro, M. Baptista, M. Gallego, & aliis triginta, apud illum, defendit M. Prado *tom.* 2. *quæst.* 9. §. 1. *num.* 3. & §. 2. *num.* 10. Et meritò: nam ut lepidè scripsit Caramuel *in Apologem. epist.* 2. *num.* 83. *fol.* 36. * Plus inter se differunt monetæ aureæ, quæ uno grano præponderant, quam opiniones plus, & minus probabiles: illas autem nemo nudo oculis, nemo mente distinguit, libella illarum differentiam præcipimus, qua mens humana, nisi cautus adjuta, caret, ut probabilitates examinet. * Unde hæc est jam communis & vera. Fundamentum est: primo, quia ut pluribus probat M. Prado *ubi supra num.* 8. perfectè verificatur, quod voluntas possidet suam libertatem; ac proinde sicut in foro externo, cognita obligatione dubia, nemo ad illam cogitur, ita neque in interno. Cui facit *regul.* 11. *de Reg. Jur. in* 6. Ubi dicitur: Cum sunt partes juris obscuræ, reo favendum est potiùs, quam actori: Possessor autem (inquit Prado) semper est reus, quia ipse non postulat, sed ab ipso postulatur actor: ergo dum non licet certa obligatio, favendum est possessioni libertatis. Secundò, quia tota ratio, quare id valeat in materia justitiæ, non est ex aliquo peculiari talis materiæ, sed ex communi ratione dubii invincibilis, quod semper excusat, in quantum, scilicet, invincibiliter ignoratur malitia retinendi rem alienam, & obligatio eam restituendi, quæ tamen ignorantia eadem est, etiam in materia aliarum virtutum; sed opiniones contrariæ circa honestatem actus verè generant dubium, vel proprium negativum, nempe suspensionem actus, quando intellectus neutri parti adhæsionem actus, quando intellectus neutri parti adhæsionem actus, quando intellectus neutri parti adhæsionem præstat, vel positivum, ut quando uni determinatè assentitur cum formidine majori, vel minori veritatis partis contrariæ, (ut eruditè probat Dominus Fagnanus *in cap. Nemitaris, num.* 142.) ergo in dubio præcepti (quod semper manet speculativum, dum non fertur judicium moraliter certum,) licitè quis poterit practicè deponere dubium, & operari ratione possessionis suæ libertatis, qua per præceptum dubium superveniens spoliari non debet, sicut nec bona fide possidens, in materia justitiæ re possessa privandus propter dubium subortum, quod sit aliena. Nam dum id certo non constet, prævalet possessio cum judicio probabili, quod sufficit pro licentia actus, & allundè sit judicium probabile de eius honestate, operari licebit ratione possessionis libertatis.

16. Quapropter Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *num.* 36. ex Henriquez, & aliis ait: quoties dubium est, an impositum sit præceptum naturale, divinum, vel humanum, de aliqua re, eo non obligatur dubio tam

tans. * Quia donec constet de præcepto, possidet voluntatis libertas. * Quod tenet etiam Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 15.* Sà *verb. dubium num. 2.* Et plures alii; quia ante hoc dubium bona fide possidebatur libertas; & dubium supervenienss, quod solita diligentia vinci nequit, non tollit bonam fidem, ut probant Covarr. *Regula possessor. 2. part. §. 7. num. 4.* & Sarmiento *2. select. cap. 10. num. 5.* cum aliis, quos referunt. Quo principio ab obligatione voti excusant dubitantem de emissione, Mag. Sotus *lib. 7. de just. quæst. 3. art. 2. docum. 2.* Medina *lib. 1. sum. cap. 14. §. 7.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 45. §. dubitans de voto*, & plures alii. Ergo ni inconsequenter loquantur, dubitantem etiam de existentia præcepti, excusare debent ab obligatione.

17. Urgentius premo ex M. Soto *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. imò vero.* Ubi probat, conjugem dubitantem de valore matrimonii posse, post adhibitam diligentiam, debitum petere, ratione possessionis suæ libertatis. * Quod si arguas (inquit) illa facit contra dubium, ergo peccat. Respondetur ad antecedens, dubium esse duplex, scilicet speculativum, & practicum. Et quidem agere contra dubium speculativum non est peccatum, sed agere contra practicum. Dubitat autem illa speculativè, an ille sit suus, sed non indè sequitur, quod dubitet, reddendum esse debitum, aut petendum, quod est dubium practicum, imò per possessionem fit certa, quod utrumque potest. * Ergo licet speculativè quis dubitet, propter Doctorum diffidium, sit necne præceptum prohibens aliquam operationem; non sequitur, quod practicè dubitet licere sibi operari, quia per possessionem suæ libertatis fit certus, quod potest. Undè pro hac sententia stare debent omnes, qui cum Soto sentiunt, M. Martinus de Ledesma, & M. Ludovicus Lopez, & alii, quorum sententiam probabilem judicant M. Victoria, Cano, Penna, Gallo, Bannez, Henriquez, Manuel Rodriguez, & alii apud Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41.* Qui *disp. 44. num. 2. & 4.* rectè admonet, possessionem prævalere contra dubium, non solùm quando negativum est, nempè suspensivum actus, sed etiam quando positivum, scilicet, quando habet assensum opinativum utriusque partis, quo censeat, esse probabile, matrimonium esse validum, & esse probabile, validum non esse, quæ cum contradictoriænon sint, rectè compatiuntur in eodem intellectu. Imò idem dicendum putat, licet probabilius judicet, matrimonium esse invalidum, quod prædixerat *disp. 42. num. 8.* & sequitur cum Petro, & Martino de Ledesma, & cum Joanne Sanchez, & Villalobos, Verticelli *tom. 1. qq. mor. tract. 2. quæst. 25. num. 3.*

18. Non me latet Baronium *1. p. contra Caramuelem, disp. 2. sect. 5. art. 3. fol. 317. & 324.* totis nixibus contendere, & intrepidè affirmare, regulam illam juris: *in dubio melior est conditio possidentis*, apud juris civilis Authores, & Sacrorum Canonum interpretes, valere tantùm in foro judiciali, non autem in foro conscientiæ. Verum ut clarè constet, quàm falso, & sine fundamento id scripserit: Illi oppono ejusdem instituti Authorem virum doctissimum M. Joannem Martinez de Prado contrarium asserentem ex communi Doctorum *tom. 1. quæst. moral. cap. 1. quæst. 9. num. 3.* ubi sic. * Dico tamen primo, etiam in foro conscientiæ *in dubiis melior est conditio possidentis.* Ita expresè Soto *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. ad hujusmodi*, & *relect. de secreto, memb. 3. quæst. 2. §. & quamvis*, Sylvester *verb. præscriptio, 1. quæst. 3.* & Authores communiter: viginti quinque refert, & latè sequitur M. Baptista, *disput. 209. dub. 4. conclus. 1.* & triginta Doctores refert, & sequitur Gallego *de conscientia dubia, dub. 79.* * Hæc Prado, quæ Baronium obmutescere compellent.

19. Quarto aliter probatur, quia opiniones contrariæ, etiamsi inæqualis probabilitatis, verè generant dubium de honestate actus, sitne contractus licitus, necne? Ut tradit Aristoteles *1. Topicor. cap. 9. in princip.* * Sunt autem (inquit) problemata, de quibus contrarii sunt syllogismi: dubitationem enim habent, utrùm sic se habeant, an non, eo quod de utrisque sunt rationes suasibiles. * Et rem dubiam æstimari, secundum ius Canonicum, quando utrinque sunt opiniones probabiles, pluribus juris capitibus probat Dominus Fagnanus vir sanè doctissimus *in cap. Ne innitaris, num. 148. & 149.* Sed dubium, quod facta diligentia vinci non potest, ignorantiam invincibilem constituit; ergo qui post sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem de existentia præcepti naturalis, vel divini, vel humani, dubius adhuc manet, nequit in operando delinquere, quia ignorantiam invincibilem excusare à peccato, fide sanctum est. Quod autem eam generet ejusmodi dubium, si post factam diligentiam vinci non possit; constat ex D. Thoma *2. sentent. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Ubi ait: * Si talis sit ignorantia, cui nullo modo admisceatur ratio culpæ, ex eo, quod ignorantia est, sic excusat in toto, sicut ignorantia invincibilis, & ignorantia particularis, adhibita tamen debita diligentia. * Quem sequitur M. Sylvester *verb. Ignorantia, quæsito 4.* ibi: * Si sit ignorantia talis, quæ sit involuntaria, &c. omninò à peccato excusat ex D. Thoma *1. 2. quæst. 77. art. 3.* * Involuntariam autem ex D. Thoma dicit esse, quæ studio insuperabilis est: * Nulla (inquit) ignorantia invincibilis, id est, studio insuperabilis, est peccatum, quia non est voluntaria, nec imputatur ad negligentiam, si quis nesciat, quod scire non potest. * Sic etiam M. Prado *tom. 1. Theol. Moral. cap. 2. q. 12. §. 2. num. 5.* ibi: * Probat S. Thomas *1. 2. q. 76. art. 2.* quia ignorantia invincibilis dicitur; quia studio superari non potest, &c. D. Thom. sequuntur Sylvester, & omnes Thomistæ. * Et proximius ad nostram conclusionem *tom. de Pœnit. q. 3. de contrit. dub. 3. num. 23.* cum M. Petro de Soto. * Probabile, inquit, judicium cum bona fide, & diligentia debita, faciunt ignorantiam facti, vel juris, vel utriusque, esse invincibilem. * Quibus consentit M. Hyacinthus Donatus ex eodem Ordine Prædicatorum *in Addit. ad practicam tom. 4. tract. 7. quæst. 70.* Ubi ignorantiam invincibilem appellat, si * cum præcesserit cogitatio de re opinabili, & adhibita fuerit omnis diligentia ad inquirendam veritatem, non fuit inventa. * Sic ille ex Thoma Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. num. 46.* cum pluribus ex hoc principio defendentibus, conjugem post matrimonium bona fide contractum dubitantem de eius valore, posse post adhibitam diligentiam, veritate non assequuta, debitum petere. * Quia invincibilis (inquit Sanchez) ignorantia est, quæ sufficiente adhibita diligentia, vinci non potest. * Quod tenent apud illum alii Doctores: & expresè M. Sotus *lib. 4. de Iust. quæst. 5. art. ultimo ad finem*, & *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vers. Imò verò*, & *dist. 37. quæst. unica, art. 5. ad finem, vers. Dum vero conjugatus.* Ubi rationem reddit, quia post adhibitam diligentiam ad indagandam veritatem: * Jam est in bona fide: nam tunc vanum est, habere positivè assen-

assensum virum illum non esse suum. * Ergo similiter, qui post adhibitam diligentiam de existentia præcepti, de illo dubitat, in bona etiam erit fide possessionis suæ libertatis, & vanum illi erit, habere assensum circa existentiam præcepti prohibentis, sed liberè, & licitè, quem fortè habuerit, deponere poterit, & opposito adhærere. Et ita in terminis tradit novissimè ex Ordine Minorum Fr. Patricius Sporer *in Tyrocinio Theolog. Moral. cap. 4. num. 72.* * Lex (inquit) invincibiliter ignorata, & non sufficienter proposita, & intimata, non obligat, secundum omnes, atqui idem est de lege, post sufficientem inquisitionem dubitare, ac eam ignorare: Ergo in dubio juris non est obligatio ad tutiorem partem. * Sic ille. Quod pluribus probat Valdellus *in Theolog. Moral. lib. 4. disp. 8. num. 7. & 8. & disp. 9. num. 1.* Cum Suarez *de censuris disp. 40. sect. 5. num. 15.* Henriquez *lib. 8. de Eucharist. cap. 48. num. 3.* & Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 10. numero 32.*

20. Ex hoc capite, sequentes opinionem probabilem excusant à peccato M. Bartholomæus de Ledesma *in Sum. tract. de Pœnit. ubi de Confes. diffic. 4. §. Tertia conclusio.* ibi: * Aliquando propter ignorantiam invincibilem, quam quis habet, sequi potest opinionem, quæ tamen, re vera, est contra ius naturale, & divinum: nam quandocumque sunt duæ opiniones contradictoriæ de eodem, alteram veram, alteram falsam esse oportet: quia tunc non liquido constat, qui ejusmodi opinionem sequitur, excusatur propter ignorantiam illam. * Et M. Prado *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 33. in appendice* contra Caramuelem, *§. 3. num. 22.* ait, probabilitatem extrinsecam deservire posse; * ut operantes, & errantes invincibiliter excusentur à peccato. * Et *tom. 1. cap. 1. quæst. 4. §. 3. num. 12.* excusat à peccato amplectentem opinionem minus tutam æquè probabilem contrariæ: * Nam in practica (inquit) habet certitudinem moralem, quod rectè operetur, quia quæsita veritate quantum potuit, si in re erret, invincibiliter ignorat. * Et sequentem etiam minus probabilem ex eodem principio eximit M. Martin. de Ledesma *in 2. 4. quæst. 8. art. 4. fol. 68. in editione Conimbricensi anno 1560.* Ubi sic: * Ideò dico priùs, quod probabile est, sed parum, quod solum circunstantiæ mutantes speciem sunt confitendæ, quia hoc communiter dicunt Theologi, ut S. Thomas, Bonaventura, & alii: & ideò, vel hoc est verum, vel qui hanc sequuntur opinionem, excusantur ignorantia invincibili. * Sic ille (quem miror opinionem Div. Thomæ parum probabilem dixisse.) Quibus consentit M. Arauxo *in Decisionibus Moral. tract. de statu Civili, disput. 9. assert. 3. num. 16. & assert. 4. num. 22.* Ubi ex Sylvestro ex hoc capite excusat sequentem opinionem probabiliorem minus tutam. * Quia operatur (inquit) & procedit bona fide, hoc est, juxtà prudentem meliorem æstimationem; ac proinde ignorantiam invincibilem, & justam patitur, per quam ab omni culpa excusatur. * Idem autem contingit operanti ex opinione probabili, quia ignorantiam invincibilem non constituit major probabilitas, sed dubium, quod post adhibitam diligentiam, veritate non assequuta, remanet. Et ita fatetur ipsemet Arauxo *suprà assert. 3. num. 16.*: * Per accidens, & ratione ignorantiæ invincibilis, & justæ, posset excusari à peccato sequens opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ut benè Sylvester. *

21. Objicit Baronius *1. p.* contra Caraff. *disp. 5. sect. 1. art. 3. §. 2. fol. 155.* ignorantiam invincibilem tolli, aut resolvi in ignorantiam vincibilem, dubii, vel opinionis probabilis pro lege, ut colligitur ex Paulo ad Rom. *cap. 1.* Ubi inexcusabiles pronunciat antiquos Philosophos, quod cum Deum cognovissent ex creaturis, ut Deum minimè coluerint: Philosophi autem cognoverunt tantum probabilem de unitate Dei, & de eius existentia habuerunt. Respondeo, falsum supponere Baronium: habuerunt enim, aut evidentem, aut moraliter certam notitiam Dei, ut prudenter de eius existentia dubitare non possent. Quod satis expressit Paulus, inquiens: * Invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. * Quæ ponderans Sanctus Bernardus serm. 31. *in Cantica:* sic inquit: * Cum autem de eo, quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere, quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, ignorantem negligentia non excuset. Verum hoc videndi genus commune. In promptu enim est juxtà Apostolum, omni utenti ratione invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspicere. * Ideòque nullam nationem ita rudem, & hebetem fuisse, ut laborer ignorantia invincibili unius Dei, eruditè probat D. Solorcanus *tom. 1. de Iure Indiar. lib. 2. cap. 13. a num. 70.* ubi plures Auctores congerit.

22. Rogabis: quanta esse debeat diligentia ad veritatem comparandam adhibenda, per quam invincibilis reddatur ignorantia? Difficultatem hanc attigit P. Thomas Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 16. num. 56.* & cum Vasquez, & aliis arbitrio boni viri relinquendum dicit. Sed quidem, si Doctores dissidentes probatæ auctoritatis sint, idque vir doctus agnoscat, vel indoctus à peritiore Theologo, vel Parocho intelligat; sufficiens hæc diligentia censeri debebit: quia dubium, ex dissidio Doctorum, vincere, impossibile moraliter judicare potest: & ad diligentiam frustra adhibendam nemo tenetur; ut benè in alio simili tradit ipse Thomas Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. numero 47.* Undè Fr. Franciscus Bonæ Spei *in Apologemate retorto contra Caramuelem*, hanc fortè diligentiam cuilibet adhibere posse licensens, concludit, quemlibet posse suam ignorantiam invincibilem efficere: * Talem (inquit) ignorantiam esse in humana facultate positam, nemo est, qui dubitet. * Sic *dub. 7. num. 300.* Ad cuius probationem utitur verbis Domini Fagnani ex num. 212. negantis: * Esse suprà humanam facultatem habere moralem certitudinem de omnibus eligibilibus: * Quod Bonæ Spei sic intelligit: non esse suprà humanam facultatem, veritatem inquirere, qua non reperta, certitudinem quisque habet, posse licitè, quàm maluerit partem eligere: nam ut recte ait M. Victoria *in Relect. de Indis Insulanis num. 33.* * Ad ignorantiam invincibilem satis est, quod fecerit humanam diligentiam ad sciendum. * Hæc autem fides adhibetur, dum veritatem scirl non posse, ex Doctorum dissidio apertè constat. Quod videtur fatetur P. Salas *tom. 1. in 1. 2. q. 6. tr. 3. disp. 4. sect. 1. n. 8.* Et tradit apertè Verricelli *to. 1. qq. mor. tr. 8. q. 5.* * Certum inquit, est, quod ignorantia juris, ita quæ sunt opiniones hinc inde, excusat etiam juris peritum à dolo, culpa, & pœna: quia opiniones Doctorum facium

faciunt rem dubiam, & tantùm qu's est in culpa, quando articulus est indubitatus. Alexander *cons.* 19. *numer.* 11. *vers. Non enim debet vol.* 7. *Nec dubium speculativum, quod diversitas opinionum generat, potest obstare, ut ex dicendis magis constabit, dum de judicio practico certo: ratione possessionis libertatis, & ignorantiæ invincibilis efformando, infrà egerimus.

§. IV.

Objectio prima ex doctrina D. Thomæ deprompta, contra delectum opinionis pro libertate.

23. PRimam, & in hac materia principaliorem desumunt adversarii ex celebri loco D. Thomæ *quodlib.* 8. *art.* 13. Ubi hæc scribit: * Illud, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam, &c. Dicendum ergò est, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergò ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam. * Hæc D. Thomas: quæ si vera, ut sonant, væ operantibus ex opinione probabiliori, imò & moraliter certa, ni securiorem semper eligant, in qua nec periculum mali physici possit esse. Exponendus ergò est; nam, ut ipse ait in fine articuli, * si ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, non committit se discrimini, nec peccat: * Et tamen evidentissimum est, contingere posse, quod licet non dubitet, faciat reipsa, contra veram opinionem, & sic contra legem Dei. Ergò stare potest, quod faciat contra legem Dei, & tamen excusetur à peccato; nempè beneficio opinionis probabilis, quæ licet minùs tuta dubium practicum excludat. Explicari ergò debet D. Thomas de conscientia erronea dubia, aut ignorantia vincibili laborante, quando conscientiam non excusare, dixit. Et sic se explicat Angelicus præceptor *quodlib.* 3. *art.* 10. dicens: * In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, ignorantia non excusat. * Quando autem id contingat, exprimit infrà his verbis: * Qui ergò assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari. * Quid clarius? Ergò si hæc non concurrant, vel assentienti opinioni alicujus Magistri non occurrant; nec sit illi ratio ulla dubitandi studio, aut diligentia superabilis, excusabitur à vitio erroris. Undè M. Bartholomæus Fumus *in Armilla verb. Opinio, num.* 1. * Si non appareat (inquit) opiniones esse contra bonos mores, neque contra determinationem Ecclesiæ, neque contra sacram Scripturam, & sequitur aliquis tales opiniones, credens bene facere, & sine pertinacia, non peccat, etiamsi tales opiniones essent falsæ, imò hæreticæ, sed non manifestè. Undè nunc multa sunt hæretica condemnata, quæ anteà sine peccato poterant teneri secundùm D. Thomam 1. *part. quæst.* 32. *artic.* 6. quia manifestus error non erat. * Hæc M. Fumus. Quibus D. Thomæ loca optimè conciliantur.

24. Et sic exponunt D. Thomam Thomistæ antiqui, & recentiores, ut videre licet apud Sylvestrum *Verb. Opinio, quæst.* 1. Ubi sic: * In spectantibus ad fidem, aut mores S. Thomas dicit, quod tales non excusantur in his, quæ sunt manifestè, & clarè determinata alicubi. Quo etiam modo (attende) secundùm Archiepiscopum intelligitur, cùm dicit, quod in opinionibus, faciens contra verum, licet non contra conscientiam, non excusatur à peccato: puta habendo plures præbendas: quia facit contra legem Dei. Aliàs (inquit) contradiceret sibi in eodem libro, quod non est credendum. Et est verum, quia in talibus non excusat ignorantia. Panormitanus verò (qui asserit, excusari à peccato, qui sequitur opinionem alicujus Doctoris, licèt posteà appareat, esse falsam) loquitur in obscuris, & est verum. * Hæc Sylvester cum D. Antonino, quos sequuntur Magister Joannes Nider *in consolatorio timoratæ conscientiæ, part.* 3. *cap.* 11. Ubi adductis verbis D. Thomæ ex *Quodlib.* 8. *art.* 13. *Quando sunt duæ opiniones contrariæ, de eodem, &c.* sic ait: * Hæc verba D. Thomæ non possunt intelligi, nisi de illis, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi illud non apparet, sicut se ipsum declarare videtur *quodlib.* 3. *art.* 10. Aliàs enim sibi contradiceret in eodem libro, quod non oportet semper tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere. * Et infrà §. *Tertio patet in fine.* * Idem item Wilhelm. in materia de decimis, recitans duas opiniones, dicit: quod illa prima opinio, scilicet, quod antiquas decimas sine peccato in feudis retinere possunt laici, & quod ad hæredes transeant, benignior est, & ideò magis amplectenda. Item reperi in libris veteribus Ordinis nostri Prædicatorum responsa plura, quæ data esse videntur à Domino Alberto, quæ idem sonant, &c. (Et *cap.* 13. §. *Quarto patet.*) Concludendum est ex prædictis omnibus, quod probabilis certitudo sufficit in Moralibus, ut non exponat se quis periculo. * Hactenus M. Joannes Nider. Quibus, & mentem D. Thomæ exponit, & ab obligatione eligendi tutiorem opinionem excusat. Ergò secundùm D. Thomam, quod agitur secundùm conscientiam probabilem peccatum non est, quamvis aliàs, reipsa contrà legem Dei sit. Nec aliud periculum incurrit, qui ex opinione probabili operatur, ac qui ex probabiliori, aut sibi moraliter certa, minus tamen tuta: nam, ut constat ex superius dictis, cùm veritatem, dissidentibus Doctoribus, adquirere non possit, ignorantiam ejus invincibilem habet. Quam excusare à peccato, etiamsi juris naturalis, vel divini sit, est per se notum, & constat ex D. Thoma *quodlib.* 8. *art.* 15. Ubi ait * Error autem conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. * Et infrà. * Quandò verò error conscientiæ non habet vim absolvendi, est, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cùm procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest. * Hæc ibi, & *in* 2. *sentent. dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 2. *in corpor.* §. *His ergò visis, & de virtute, quæst.* 17. *artic.* 3. & 4. Cùm ergò, dissidentibus Doctoribus error conscientiæ procedat ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, planè sequitur, hunc errorem excusare à peccato: procedit enim ex ignorantia invincibili, *id est, studio insuperabili,* ut explicat Sylvester

verb. ignorantia quæst. 4. Et ex D. Thom. & communi Thomistarum tradit Prado *num.* 19. citatus. Dicere autem, dari non posse ignorantiam invincibilem contra jus naturale, vel positivum, quod scire nostra referat, quandiu dissentiunt inter se Doctores, omni prorsus caret fundamento; quia Doctorum dissidium solùm ingerit dubium speculativum de honestate actus, quod non tollit certitudinem judicii practici, quod non est regula immediata operationis. Judicium autem moraliter certum, circa licitum hic & nunc, involvit ignorantiam invincibilem malitiæ in operando: Sicut in opinione Domini Fagnani, & Baronii, opinio, seu judicium moraliter certum speculativum de honestate actus, seu de prohibitionis defectu, ignorantiam legis invincibilem continet, quæ forsan datur: à cujus transgressione ignorantiâ illâ excusamur.

25. Genuinam D. Thomæ expositionem, quam ex mente discipulorum celebri loco *ex Quodlib.* 8. *art.* 13. Nuper exhibui, acriter rejectam inventes à Vincentio Baronio, 2. *part. Manuduct. contra Amadæum Guimenium, disput.* 1. *sect.* 1. *art.* 2. §. 1. *fol.* 12. & 13. Ubi D. Thomæ locum falsatum, & præter ejus mentem explicatum expostulat, sic inquiens: * Cùm mens D. Thomæ lex sit ejus scholæ: & totius familiæ Dominicanæ, superfore disputatione demonstratum est, sanctum Doctorem adeò tenacem esse opinionis, à lege stantis, ut adversam, si falsa sit, (nempe re ipsa, & coram Deo) negret, quantacumque probabilitate polleat à peccato excusare, &c. Locum D. Thomæ *ex Quodlib.* 8. *art.* 13. refert Amadæus *tract. de opinion. probabili, numer.* 6. *&c.* Hic fidem Guimenii appello: locum Divi Thomæ tacito exemplo, quod habet ab ignorantia rerum facti, omninò corrupit. * Et infrà: * Hoc pro comperto, & confesso apud omnes ponit (nempè D. Thomas) ad culpam non imputari quamcumque ignorantiam, maximè rerum facti, quæ infinitæ sunt, sed earum tantùm, quas te scire referat, & possis, quales sunt juris naturalis omnes. * Hinc in Amadæum immisericorditer lectores concitat. * Ex uno (inquit) crimine disce omnia erudite lector. An putas, Amadæum bona fide, & sincerè quidquam facturum, cùm adeò illustrem Div. Thomæ locum, qui sit omnium controversiarum basis, & regula fallarit? * Hactenus in Amadæum Baronius, cujus fidem, jure, non injuria, appellare possemus, D. Thomæ locum ex *Quodlibet.* 8. *art.* 13. semel & iterum recolui, & nullum in eo adducit sanctus Doctor exemplum ab ignorantia rerum facti. Omnes, qui legerint, in testes advoco. Addo, nequead rem, quam ibi pertractat, exemplum facere, quia quæstio est de varietate opinionum circa legem: *Utrùm qui habet plures præbendas peccet?* Quapropter extra rem omninò erat exemplum ab ignorantia rerum facti, quod proindè nec D. Thomas adduxit, nec Amadæus tacuit. In quo ergò corrupit? In quo falsavit? Quorsum igitur tot inanium verborum strepitus, tot injuriarum, & calumniarum colluvies.

26. Sed Baronium excusatione non defraudo? forsan amanuensis incuria lapsus iste in concinnatum ejus opus irrepsit, sicut & alii passim, in quos incidit, imponendo Amadæo opiniones omnes, quas ab aliis traditas refert. Immò & quandoque Authores, quos non adducit: ut videre licet in syllabo locorum, quæ in fronte sui libelli ab Amadæo corrupta, & falsata falsissimè obtrudit, dicens: *Pag.* 37. Antoninus truncatus, & præter ejus mentem explicatus. Sicut Albertus Magnus *Pag.* 38. Silvest. *Pag.* 40. Alvarez truncatus, *Pagin.* 43. Nunno extra mentem citatus. *Pagin.* 44. & 45. Ildephonsus Truncatus: *Pagin.* 47. Martinez præter ejus mentem explicatus. *Pag.* 48. Paulus de Blanchis extra Thesim citatus, & ibidem Ludovicus Lopez truncatus. * Hæc de probabilium opinionum loca ab Amadæo falsata, & truncata. Et at Baronius, & ab illius correptelis vindicata promittit, quem ego, ut ab hoc onere levarem, et consulere opus non habui; dolui verò apud illum, ut frontel. libri contra Amadæum, scripta invenisse, quæ ex uno crimine omnia didici. Non advertit homo, ut debuisset, à pagina 21. sui operis usque ad quagesimam, non contra Amadæum Guimenium disputare, sed contra Stephanum de Camps, in quæstione facti instituta in suis in Jansenium libris, ubi cùm pro se adduxisset D. Antoninum, Albertum Magnum, Sylvestrum, Alvarez, Nunno, Ildephonsum, Martinez, Paulum de Blanchis, & Ludovicum Lopez, omnes mala fide à Patre de Camps inducti Baronius ipse contendit. Sit testo: Quid indè contra Amadæum? Sed forsan ad horrorem lectori incutiendum, tot falsarum citationum cumulo, præfatus Doctores Baronius congessit, quasi nil ficerem, citationes falsas ei imposuisse, ni Authores etiam imponerer. Hinc vellem Baronii fidem lectores agnoscant, & ad alia, quæ contra Amadæum objecit, obtendent. In portu enim impegisse, infelix prælegium est.

27. Locum alium Div. Thomæ, refert Amadæus *ex Quodlib.* 8. *artic.* 15. (& nos adduximus ubi suprà) in quo Angelicus Doctor errorem conscientiæ procedentem ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, dicit excusare à peccato: Secus si ex ignorantia ejus, quod quis scire tenetur, & potest. Quæ doctrina est verissima, & pluribus in locis ab Angelico Doctore tradita. In hoc ergò angulo decimo quinto, in exemplum ignorantiæ excusantis (quàm invincibilem vocat alibi) adducit ignorantiam rerum facti, quia notior est, & passimobvia: Ut * si quis (inquit) intendens accedere ad uxorem suam & alia ei supponeretur, eo nesciente. In exemplum autem ignorantiæ vincibilis, non excusantis à peccato, (quia & ipsa propter negligentiam peccatum est,) advocat ignorantiam rerum juris naturalis sub læthali prohibentis fornicationem. Mortaliter (inquit) peccaret, licet crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale. * Est enim clarè, & expresè alicubi determinatum, esse mortale, & secundùm Ecclesiæ consuetudinem fidelibus sufficienter propositum. Non tamen propterea negat Angelicus Doctor, de apicibus juris naturalis, immò & de fornicatione aliquando; dari etiam posse ignorantiam invincibilem, excusantem à peccato, ut constat ex his, quæ habet 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. Ubi tria distinguens præceptorum moralium genera, tertio loco ait: * Quædam verò sunt, quorum ratio non est adeò cuilibet manifesta; sed solum sapientibus, & ipsa sunt præcepta moralia superadditæ decalogo, tradita à Deo populo per Moysen, & Autor. * In quorum exemplum adducit fornicationem, & usuram. Et quod mirabilius, ipsemet Baronius 2. *part. Manud. disput.* 4 *sect.* 1. *fol.* 342. & *sequentib.* Totus est in probando contra Wendrockium. * Dari posse ignorantiam invincibilem in remotissimas juris naturalis fimbrias, quales à decalogo sepositas, scriptura de usuris tradit. * Quod iterum contra eundem premit *fol.* 394. & *sequentibus.*

Et re-

Et inferiùs *fol.* 407. §. 5. ignorantiam invincibilem malitiæ fornicationis possibilem esse, ex Div. Thoma, & Mercoro contra Wendrockium acriter propugnat. Quod defendunt plures alii Theologi, quos sequuntur Lorca 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 30. *de Peccatis, memb.* 2. Vazquez 1. 2. *disput.* 122. Sotus *de justit. lib.* 5. *quæst.* 1. *artic.* 5. *in fine*, Suarez, Coninch, Sanchez, & alii, quibus subscripsit Cardin. de Lugo *tom. de fide, disput.* 19. *sect.* 1. *num.* 2. & Mag. Arauxo 1. 2. *quæst.* 76. *artic.* 4. *dub.* 5. Ubi sic ait: * Alia denique sunt juris naturalis, quæ mediatè, & cum aliqua difficultate ex primis principiis deducuntur, cujusmodi sunt mendacium, propter liberandum innocentem, simplex congressus cum scorto, soluta mercede, & de his potest apud homines etiam Christianos, saltem indoctos, esse probabilem, & invincibilem ignorantiam, &c. Etiam potest dari ignorantia probabilis, & invincibilis juris divini scripti, & positivi, quantum ad necessaria ad salutem, ne dum inter infideles, sed etiam inter fideles. Hæc conclusio est expressa Div. Thomæ 2, 2. *quæst.* 110. *artic.* 2. & 3. *part. quæst.* 69. *artic.* 4. *ad secundum.* * Hæc Arauxo ubi suprà & iterum *quæst.* 64. *disput.* 2. *sect.* 3. *diffic.* 1. ubi plures citat. Quos cum Mag. Soto, Medina, Alvarez, Gregorio, Martinez, & aliis sequitur M. Prado *tom.* 1. *quæst. moral. cap.* 2. *quæst.* 19. §. 6.

48. In prædicto ergò Div. Thomæ loco, articulo decimo quinto, nuper citato, prætermisit Amadæus *in suo pro Iesuitis opusc.* omisi & ego, consulto exempla, quibus Angelicus Doctor doctrinam universalem circa ignorantiam vincibilem, & invincibilem tradidit, dicens: hanc excusare à peccato, secus illam; quia alia est ejus, quod quis scire potest, & tenetur; alia ejus, quod scire non potest. Quæ cùm tam rerum juris, quàm facti, juxtà Div. Thomam, ejusque discipulos, nec Baronio ipso, (licèt sibi contrario) excepto, contingere possit; ideò tàm ad res facti, quàm juris, doctrina ejus generalis, in hoc articulo decimo quinto, & aliis locis tradita ab omnibus Theologis extenditur. Si enim ignorantia invincibilis sit, fide sanctum est, à peccato excusare, sive facti sit, sive juris; idque intendit Div. Thomas, ut certum statuere, sicut & ignorantiam vincibilem tam facti, quàm juris, vim excusandi non habere, licet claritatis gratia in exemplum invincibilis; ignorantiam rerum facti; & in exemplum vincibilis, ignorantiam rerum juris adduxerit. Quorum meminisse, nisi ad implendam paginam necessarium non putavit Amadæus, contentus habere principium hoc inconcussum ex Div. Thoma, & omnium doctrina: quamcumque ignorantiam ejus, quod quis scire non potest, seu ignorantiam inculpatam excusare à peccato. Hanc autem intervenire in concursu opinionum contrariarum probabilium, sive facti, sive juris, est verissima sententia. Et huic principio maximè innititur communis Theologorum concedens delectum opinionis minùs tutæ, minusque probabilis. Ut ex suprà dictis satis constat.

(:†:)

§ V.

Secunda objectio de conscientia dubia.

29. NIl apud Theologos magis sanctum, quàm mortaliter delinquere operantem rem graviter prohibitam, cum conscientia dubia. Hanc igitur resultare, ex conflictu contrariarum opinionum probabilium circa honestatem actus, totis viribus, contendit D. Prosperus Fagnanus *in capit. ne innitaru*, quem sequitur Vincentius Baronius *in sua manuductione*, 1. & 2. *part. contra Illustriss. Caramuel. & Amadæum Guimenium*, ex quo principio ad tutiorem semper opinionem eligendam hi recentiores nos conantur adstringere. Igitur conscientiam dubiam ex contrariis opinionibus pullulare probant ex D. Thom. *Quodlibet.* 8 *art.* 13 *suprà citato*, ubi de Clerico habente certitudinem, quod sibi liceat plures habere præbendas, Sic scribit. * Si tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, si manente tali dubietate, plures præbendas habet, periculo se committit, & proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. * Ex quibus concludi videtur, dubiũ, quod ex contrarietate opinionum procedit, practicum esse, & conscientiam dubiam constituere: aliàs non esset, cur manente tali dubietate, nequiret operatio licita evadere. Sic discurrit Julius Mercorus *in Basetotius Moral. Theologiæ*, 2. *part. artic.* 21. *fol.* 161. Ubi ex verbis D. Thom. nonnulla valdè notanda deducit. Primum, certitudinem speculativam de honestate actus stare posse cum dubietate gravi, & practica de eodem objecto, ex diverso medio. Secundum: ex contrarietate opinionum probabilium, quarum altera pro lege, altera pro libertate pugnet, non posse non oriri dubium practicum efficiens illicitam electionem opinionis minùs tutæ, etsi probabilioris pro libertate: atque adeò operantem cum dubio circa honestatem actus, quod ex hujusmodi contrarietate opinionum nascitur, operari ex conscientia dubia, & proculdubio peccare. Undè concludit, * Caveant ergò Thomistæ, & observent, dubium ex diversitate opinionum, secundùm S. Thom. esse dubium practicum, quia qui operatur cum tali dubio peccat, dum committit se periculo. * Hæc Julius Mercorus. Cui consentit Vincentius Baronius 1. *part. Manuduct. disp.* 2. *sect.* 6. *fol* 383. dicens, neminem excusari à peccato contra legem, ex hoc, quod operetur secundùm conscientiam, id est, secundùm dictamen probabile, & opinativum. * Quandiu enim (inquit) dissident opiniones Doctorum de re, licita ne sit, aut contrà legem, nunquam potest quis esse certò conscius, se nil malì agere, quia ex dissidio Doctorum suboritur aliqua suspicio, & formido erroris. * Ac proindè cum conscientia dubia operabitur.

30. Cæterum quidquid sit de compatibilitate dubii practici cum certitudine de veritate objecti, quod non levem difficultatem alibi examinandam ingerit. Quod ex conflictu duarum opinionum, de quibus suprà, non oriatur necessariò dubium practicum, tradit expressè Div. Thom. ibidem. * Aut ex contrariis (inquit) opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non se committit discrimini, & non peccat. * Secundò,

quod cum dubietate speculativa orta ex contrarietate opinionum rectè compatiatur certitudo practica, qua licita evadat operatio; est communis omnium antiquorum Theologorum, & recentiorum Thomistarum sententia, quos referam infrà, & §. 6. Immò & ipsius Julii Mercori, *ubi suprà* asserentis dubietatem speculativam posse stare cum certitudine practica; non ergò necessaria illatione deducitur conscientia dubia, ex conflictu contrariarum opinionum; dubitatio enim ex illo procedens speculativa est, non practica.

31. Dices: dubium practicum necessariò subsequi ad speculativum. Respondeo, verum esse dubitantem speculativè rem aliquam esse licitam, debere per se loquendo dubitare etiam practicè, ut benè cum Thoma Sanchez, Bresero, Francisco de Lugo, & aliis, tradit Pater Bardi *de conscientia, disceptat. 5. capit. 2. numer. 3.* Quia ex dubio speculativo per se loquendo, oritur practicum, nisi circunstantia aliqua, vel motivum superaddatur ob quæ à judicio speculativo discordare possimus, censentes judicio moraliter certo posse contra dubium speculativum operari, ut in repræsenti propter rationes, & motiva suprà expressa nobis contingit. Quamvis enim ex solo voluntatis imperio nequeat deponi dubium practicum, quod ex dubio speculativo per se oritur, sed necessariò debeat esse causa aliqua rationabilis; talem verò existimamus, ex communi Doctorum, duo illa principia universalia suprà stabilita: aliud quod in dubio melior est conditio possidentis: aliud, quod ignorantia, quæ facta sufficienti diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili. Quibus positis, prudenter, & absque errore judicat homo sibi licitum, & honestum esse operari. Quod judicium immediatè directivum operationis est certum, & evidens, ut benè ait Lessius *de just. lib. 1. de prudent. dub. 1.*

32. Sensus ergò genuinus loci Div. Thomæ est, eum, qui ex contrarietate opinionum in dubitationem practicam inducitur, (vel quia suspendit omninò assensum, neutri parti contradictionis illum præbens, vel quia censens esse probabile peccare, & probabile etiam non peccare, non deposito primo judicio, ut potest, in actum prodit, absque alio judicio, certo superaddito) periculo se committere, & procul dubio peccare, quia operari absque illo assensu certo, de honestate actus, est illum velle, sive bonum, sive malum, & operari censendo probabiliter peccatum committi, etsi probabiliter etiam oppositum judicetur, æquivalet dicere: sive peccatum sit, sive non abstinere nolo ab operando. Imprudenter ergò, & temerè hoc judicio operabitur, ut solidè probat D. Fagnanus *in capit. ne innitaris, num. 98.* Secùs verò dicendum, si cum dubietate illa ex contrarietate opinionum suborta, conjungetur judicium aliud, certum practicum, circa licitum hic & nunc, ultimò applicans voluntatem ad operandum, quo intellectus certò moraliter judicet non peccare, ut contingit subdito obedienti præcepto superioris, perseverante dubio de honestate rei præceptæ: ut dubitanti de justitia belli. Juxta illud Augustini *libr. 22. contra Faustum, cap. 75.* * Justus si fortè, etiam sub rege homine sacrilego militet, rectè potest eo jubente, bellare, si quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel an si, certum non est. * Sic exponunt D. Thom. communiter discipuli Mag. Bartholomæus de Ledesma *tract. de Panitent. ubi de confes. diffic. 14.* * Stante (inquit) dubio speculativo de alicujus sententiæ veritate, potest nihilominus sic dubitanti practica, non tantùm illa uti, verùm etiam certum esse, quod illam sequendo benè faciat. * Mag. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. 98. Theolog. Moral. capit. 1. quæst. 4. §. 3. numer. 12.* * Inter duas opiniones æquè probabiles, licet eligere minùs tam; nam qui unam eligit, habet certitudinem, quod rectè operetur. * Et iterum *quæst. 8. num. 4.* Certum est, quod dubium speculativum, de certitudine operis non tollit, quod in praxi licitè absque dubio operemur, ut patet in illo, quiquitur opinionem probabilem. * Illustriss. ac Reverendiss. Mag. Didacus Alvarez, Archiepiscop. Tracensis *in 1. 2. quæst. 19. artic. 6. disput. 2. numer. 3. ad 4.* Respondetur sufficere, quod homo se applicet ad operandum, per cognitionem certam practicè, quæ habetur per opinionem practicè probabilem, nec est necessarium sequi regulam certissimam. * Quapropter Mag. Arauxo *in decisionibus Moral. de statu civili, disp. 3. n. 16. aff. 9. 16.* asserit, non obstare illam regulam juris *in certum est dimittendum, & certum tenendum, ex capit. si quis de Pœnitent.* * Quia iste (inquit) est sibi certus moraliter, cum in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus orta, secundùm Philosophum *libr. 1. Ethicor.* * Quibus facit Mag. Joannes Nider *ubi suprà, capit. 13. §. Quarto tenet*, ubi ait: * Quod probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo. * Nec obstat regula alia juris *in dubiis tutior pars eligenda*: quia ut ait Mag. Arauxo *disput. 3. citata, assert. 1. numer. 9.* * Non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem potius, quàm ad alteram. * Quod tenet etiam Sylvester *verbo, confessio secundo, quæst. 2.* Mag. Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. artic. 3.* & alii communiter ex Navarro *in Man. capit. 27. numer. 284.* Ubi ait regulam illam juris procedere tantùm in propriè dubio, quale non est, cùm sufficiente authoritate, aut ratione, altera pars creditur. Quam propositionem dicit Mag. Prado *capit. 1. quæst. 4. numer. 5.* esse Sylvestri *verb. opinio, quæst. 1. in fin.* * Et jam communem omnium. * Quos sequitur Verricelli *tom. 1. quæst. Mor. tract. 2. quæst. 10. num. 5.*

33. Ut omittam regulam hanc, nec in dubio proprio, & stricto, nempè quando intellectus haret, nulli parti assensum præbens, locum habere extra casus determinatos in jure, *ut capit. ad audientiam capit. significasti 2. de homicidio, & capit. super. de sponsalibus.* Atque adeò in aliis non esse de præcepto, sed de consilio: Sic Div. Antoninus, Sylvester, Navarro, Henriquez, Malderus, Moura, Villalobos, Mag. Candidus, Mag. Baptista, & alii apud Magistrum Prado *ubi suprà, capit. 1. quæst. 8. num. 9.* & apud Bardi *de conscientia cap. 3. disceps. 5 num. 2. & 3.*

34. Explicationem aliam nostris principiis valdè congruentem, tradit M. Baptista *disp. 209. dub. notab. 5. numer. 1081.* cujus meminit M. Prado *ubi sup.* nempè regulam illam juris, *in dubio tutior pars est eligenda*, non habere locum, quando restitio posset. Cujus rationem reddit. * Quia regula illa *de regul. jur. in 6. In pari delicto, vel causa potior conditio possidentis*, universaliter est. Unde possidens non tenetur sequi tutiorem partem. * Ergò cùm ille non tenetur sequi tutiorem partem. * Ergò cùm ille sidentibus Doctoribus circa honestatem actus, & prohibitionem legis, voluntas suam libertatem possideat, non tenebitur tutiorem sequi partem. Sed impugnat Baronius *1. part. Manuduct. contra Caramuel. disput.*

ſect. 5. fol. 327. eodem momento, quo rationis compos, & doli capax eſt homo, ligatur lege divina prior quocumque actu, aut peccato, & fortè datur lex, de qua dubitat, illum adſtringens, & Deus ſcit te ipſa ligatum: Ergò dubia, & fortè nulla eſt poſſeſſio. Reſpondeo libertatis poſſeſſionem ad operationes lege non prohibitas certiſſimam eſſe, qua per legem dubiam nemo ſpoliatur; nec Deus ſcit, hominem lege non ſufficienter propoſita ligari, ſed potiùs oppoſitum: taliter autem ſe habet lex, ſive naturalis, ſive divina, ſive humana, de qua diſſidium eſt inter Doctores probos, & doctos, an obliget. Addit Franciſcus Bonæ Spei, *in lib.* cui titulus *Noctua Belgica, dub. 8. num. 246. fol. 84.* * In caſu dubiæ poſſeſſionis ſtandum pro libertate, *quia in dubiis quod minimum eſt, ſequimur, odiaque ſunt reſtringenda, & favores ampliandi.* Quo funditùs evertitur fundamentum Baronii.

§. VI.

De ultimo judicio ad licitè operandum requiſito.

35. AN verò judicium moraliter certum neceſſariò requiratur ad honeſtatem actus eliciendi, an ſufficiat judicium practicum probabile quo quis licitum judicet, etſi cum formidine partis contrariæ hunc contractum hic & nunc celebrare? Non conveniunt Doctores. Nonnulli hoc ſufficere exiſtimant. Ita M. Petrus de Ledeſma *de matrimon. quæſt. 45. art. 1. in fine,* quem ſequitur Illuſtriſs. Archiepiſcopus Hiſpalenſis Petrus de Tapia *in Catena Morali, lib. 1. quæſt. 8. art. 12.* ubi ait: ad rectè operandum ſolùm requiri, quod quis retineat dictamen.* Sibi licere eligere quam maluerit opinionem, quamvis hoc judicium non ſit ſine formidine.* Quod tradit etiam Antoninus Perez *certamine 10 ſcholaſtic. cap. 2.* dicens: Sufficere judicium opinativum cum formidine, ſine ullo judicio certo, ut homo rectè operetur:* aliàs (inquit) nullus eſſet ſcrupulorum finis, nec terminus.* Et cum Gerſone, Paſqualigo, Baldello, & aliis tenet Verricelli *tom. 1. quæſt. tract. 2. quæſt. 11. à nu. 2.* & plures alii. Et ſic exponit D. Thomam *Quodlib. 8. art. 13.* M. Medina *1. 2. q. 19. art. 6. concluſ. 1.* dicens: Solùm contendere eum, qui propter varietatem opinionum dubitat de probabilitate ſuæ opinionis, non poſſe illam ſequi: ſecus qui de probabilitate non dubitat, licet cum formidine aſſentiat objecto. Videatur Vazquez *1. 2. diſp. 62. cap. 5. & 9.* & Salas *1. 2. tom. 1. tract. 8. diſp. unica ſect. 4. & ſeq. 16. num. 144.* Ubi cum pluribus tradit, ſufficere, quod probabiliter quis judicet, opinionem eſſe probabilem, & quod opinionem probabilem liceat ſequi.

36. Verùm contraria ſententia aſſerens, neceſſarium eſſe ad rectè operandum judicium practicum moraliter certum, eſt omninò tenenda. Hanc partem ſolidè probant omnia fundamenta, quæ congerit Dominus Fagnanus *in cap. ne innitaris, num. 98.* Cujus verba refert, & ſententiam, laudato auctore, ſequitur Fr. Franciſcus Bonæ Spei *in Apologemate retorto, dub. 7. num. 180. & reſol. 9. n. 283. fol. 199. & fol. 207. à n. 263* Et ante illos Cajetan. *tom. 1. opuſc. tractat. 31. reſponſ. 3. dub. 7.* Arriaga *in 1. 2. diſput. 13. ſect. 2. ſubject 2.* Granado *in 1. 2. controver. 2. tract. 11. diſp. 3. ſect. 34.* Bardi *de conſcient. diſcept. 1. cap. 9. num. 5.* Leſſius *de juſt lib. 1. cap. 1, dub. 1. nu. 5.* M. Prado, *ubi ſup. cap. 1. quæſt. 3. §. 1. num. 5.* P. Leſſius *lib. 1. de juſt. dub. 1.* & P. Suarez *in 1. 2. diſp. 12. ſect. 3. num. 2.* Ubi ſic ait.* Dicendum primò, ut voluntas ſit recta, neceſſarium eſſe, ut ſequatur judicium conſcientiæ practicè certum de honeſtate objecti, & actionis: ita Doctores omnes, Div. Thom. Cajetan. Adrianus, Navarr. Corduba. Ratio omnium eſt illud Eccleſiaſt. 13. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Ergò ut homo moraliter rectè operetur, oportet excludere omne dubium, & periculum malitiæ: hoc autem non fit, niſi judicio certo, ſaltem practico.* Hæc Suarez, à quo non diſſentire Doctores, qui pro contraria ſententia referuntur, aſſerit Oviedo *1. 2. tract. 5. de conſcient. controverſ. 1. puncto 2. num. 11.* illoſque benè exponit Bardi *de conſcient. diſcept. 1. cap. 9. num. 7.* Nimirum, non requirere ad honeſtè operandum judicium moraliter certum ſpeculativum circa honeſtatem objectivam rerum. Quod verum eſſe, omnes Theologi conveniunt, ſi unum excipias Dominum Proſperum Fagnanum, cujus fundamenta eò tendunt, ut probent, neceſſarium eſſe judicium moraliter certum de honeſtate actus ſecundùm ſe, excludens probabilem opinionem partis contrariæ.

37. Sed quidem, ut benè Joannes Martinez de Prado ex communi Doctorum aſſerit *cap. 1. de conſcient. quæſt. 3. §. 1. num. 6.* Duplex cognitio dirigit actum: alia remota circà honeſtatem actus ſecundùm ſe, cui cum formidine aſſentitur intellectus: alia proxima de actu hic, & nunc in his circunſtantiis juxtà regulas prudentiæ exercendo. Hæc practica ſimpliciter eſt; illa verò ſpeculativa; quia quaſi ſpeculativo modo procedit, & eſt remota actus regula non excludens formidinem partis oppoſitæ. Dominus verò Fagnanus cognitionem hanc ſpeculativam de honeſtate actus, totis viribus contendit, debere eſſe moraliter certam, ut vel ſic uſum opinionum, etiam probabiliorum, faventium libertati prorſus exterminet. Sed fruſtrà: quia ſtante formidine de bonitate actus ſecundùm ſe, poteſt ex aliis motivis, etſi probabilibus tantùm, judicium moraliter certum efformari, excludens periculum peccandi. Hic eſt ſcopus, quem omnia ejus argumenta, & conglomeratæ authoritates reſpiciunt, quem ſi alii Theologi attingant, cum probabili opinione formidoloſa de honeſtate actus, non erit cur ad cognitionem ſpeculativam moraliter certam adſtringantur. Quod autem judicium practicum certum moraliter rectè cohæreat cum judicio ſpeculativo aſſentienti cum formidine honeſtati actus ſecundùm ſe, tradit etiam Cajetanus *tom. 1. opuſc. tract. 17. reſponſionum, reſponſ. 13.* Ubi * ait: Formidinem ex parte intellectus modo ſpeculativo ortam ex contraria opinione pro parte tutiori, non tollere, quod quis credat abſque formidine partis oppoſitæ, quod ſibi liceat operari, hic & nunc, non obſtante formidine de oppoſita parte in univerſum conſiderata. Inſuper quod judicium practicum moraliter certum procedere poſſit ex principiis probabilibus, conſtat ex ipſo Fagnano, *ſup. num. 99.* Ubi ſic ait: * Si rationes probabiles ſint plures, & tanti ponderis, atque momenti, ut illis intellectus ſine ulla formidine acquieſcat, & judicet, rem ita ſe habere, hæc eſt moralis certitudo, quæ ſufficit ad rectè operandum. * Cum igitur ſtante formidine, ſeu dubietate de bonitate actus ſecundùm ſe, ex contrarietate opinionum proveniente, plures ſuperaddantur rationes probabiles à poſſeſſione libertatis, & ab ignorantia invincibili petitæ, quibus intellectus ſine ulla formidine acquieſcat & judi-

& judicet, licitum esse hic, & nunc operationem illam elicere, vel contractum celebrare, &c. Fateri tenetur Fagnanus, hanc esse moralem certitudinem, quæ sufficiat ad rectè operandum. Non ergò opus est, quod primum illud, & remotum judicium circa honestatem actus moraliter certum sit, & formidinem excludens; quandoquidem dubietas speculativa, & certitudo practica, (ut benè ex communi sententia tradunt Martinez, & Mercorus suprà) in eodem objecto rectè compatiuntur, quod Dominus Fagnanus inficiari non potest. Videatur Cajetanus loco suprà citato; ubi pluribus id probat, ut ex illo refert P. Vazquez 1. 2. *disp.* 62. *cap.* 5. *nu.* 21. & 22. Subnectens pro hac sententia stare, etiam Navarrum *in cap. si quis, de Pœnitent. disp.* 17. *num.* 61. 62. & 63. Quibus consentiunt Doctores omnes §. præcedenti citati. Et iterum Mag. Joannes Martinez de Prado *tom. de Pœnitent. quæst* 84 *dub.* 4. *de peccatis dubiis*, §. 6. *in fine fol.* 32. Qui habet (inquit) opinionem. * Formet judicium certum practicè, quod hic, & nunc non peccat, sicut in omni casu quo sequitur opinionem probabilem. Quia licè speculativè sit probabile, quod hoc facere est peccatum, in praxi est certum, quod prudenter elgitur; & tutum, quod est rectum solùm probabiliter. *

38. Ex quibus deducitur, omnia argumenta, & auctoritatum colluviem diligenter congesta, quibus probabilistas obruere tentavit Fagnanus, solùm militare contra unum, vel alterum recentiorem, qui judicium probabile practicum ultimo applicans voluntatem, existimarunt sufficere ad licitè operandum; non verò contra nostram, & communem Theologorum sententiam, qui solùm concedimus, licitum esse amplecti opinionem probabilem, adjuncto probabilitati opinionis judicio moraliter certo, de licito ejus usu: secus minimè, quamvis opinio minùs tuta probabilior sit tutiori. Nullum contra hanc conclusionem Dominum Fagnanum argumentum adducere, collatis locis, & ad verbum ex scriptis, luculenter ostendit Fr. Franciscus Bonæ Spei Carmelitanus *in Apologem. retorto, contra Caramuelem pro Domino Fagnano*, (quod, ut verum fatear, in Fagnanum potius contortum censeo) nam uno hoc verbo judicii practici moraliter certi, opinioni probabili adjuncti, omnia quæ Dominus Fagnanus contra licitum usum opinionum probabilium congessit, convelluntur, & inania prorsus ad scopum sui operis redduntur.

39. Et rebenè inspecta, hoc uno, quod subjicio argumento, omnibus ab eo confectis satisfit. Judicium moraliter certum de honestate operis, hic & nunc eliciendi, est sufficiens ad licitè operandum, ut fatetur ipse Domin. Fagnan. suprà, & omnes Orthodoxi indubitatum habent: sed judicium de licito usu opinionis probabilioris, aut etiam probabilis pro libertate, relicta tutiori pro lege, est judicium moraliter certum. Ergò licitum est, præfatum judicium, ut regulam immediatam, & proximam, secundùm prudentiæ leges, ad operandum assumere, & illi se conformare. Respondebit forsan D. Fagnanus, hoc judicium non esse moraliter certum; sed non facilè probabit, quia ut ipse docet ubi suprà.* Sufficit, quod certitudo oriatur ex probabilibus, id est (inquit) quæ generatur ex probabilibus conjecturis, & argumentis, &c. Quia etsi argumenta hujusmodi, seorsim considerata, non concludant omninò, nec sint evidentia, sed tantùm probabilia, tamen si simul jungantur, & sint multi ponderis, sunt apta nata generare talem certitudinem, ut virtus apprehensiva cognoscat, vel apprehendat absque ulla trepidatione rem ita se habere. Atque ita causæ sunt probabiles, sed effectus ex illis resultans est omninò certus, & infallibilis. Sic ille. Hæc autem concurrere de facto in judicio ultimo, & practico de usu licito opinionis probabilioris, aut etiam probabilis pro libertate, ratione duplicis motivi suprà memorati, possessionis favoris libertatis, & ignorantiæ invincibilis veritatis objecti, quando Authores probatæ auctoritatis circa honestatem actus dissident, est communis Doctorum sententia. Habent ergò omnes judicium moraliter certum, quo, & ipsi dirigantur, & alios etiam dirigere possint, omnimodam securitatem conscientiæ in opinionibus probabilibus sequendis referentes.

40. Ex quibus fit, eodem omninò fundamento, quo D. Fagnanus probat, posse ex probabilibus generari judicium moraliter certum speculativum de honestate actus, nos etiam probare, comparari posse judicium practicum moraliter certum, de usu licito opinionis probabilis. Nam, ut benè ait M. Joan. Martinez de Prado. * Hoc judicium practicum non sequitur adæquatè, & formaliter ex opinione speculativa admittente formidinem circa honestatem actus secundum se, sed sequitur ex certissimis regulis prudentiæ, quia ista non regulatur præsentid, quod in re est, sed quia adhibuit diligentiam, quam potuit, & sic semper est vera practicè, ut declarat M. Joann. à S. Thom. 1. 2. *disp.* 22. *artic.* 5. §. 2. *secundum probatur*. Et hanc certitudinem in ipso exercitio etiam rustici habent, per quæ facillimè argumenta corruunt. * Hactenus M. Prado *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 7. Et ante illum Suarez 1. 2. *disput.* 12. *sect.* 3. *num.* 3. Quibus fit satis Vincentio Baronio 1. part. *Manud. disp.* 2. *sect.* 2. *art.* 3. §. 2. *fol.* 174. Certitudinem judicii practici oppugnanti, quasi adæquatè deductam ex sola opinione speculativa probabili excludente formidinem circa honestatem actus. * Et illa (inquit) non potest deduci certa conclusio prudentiæ: quia repugnat manifestè certiorem, vel firmiorem esse conclusionem qualibet præmissarum, cum debiliorem sequi debeat. * Sic ibi, sed nihilum, quæ paulò antea, §. 1. *in fine, fol.* 172. scripserat, dicens: * Non potest negari, non licere subdito detrectare militiam, quamvis jus belli sit dubium. Sed inquies, quî fieri potest, ut conclusio certum habeat principio, cum quidquid habet necessitatis, aut veritatis à principio, unde oritur, mutuò accipiat? En Baronium eadem difficultate implicatum, à qua se facilè expedivit dicens: * Id verissimum est de progressu scientiarum, & assensu speculativo, jam monuimus, secus est de agendis, quorum judicium ex prudentia completum est, & omnibus attentis statuit, quid pro tempore facto sit opus. * Sic Baronius, & benè quidem. Solutionem quæ sententia retineat; & sicut cum jure belli speculativè dubietas, & cum lege speculativè dubia, conclusionis certitudinem componet.

41. Ex quibus manifestum fit, quàm longè fleti Doctores, qui usum probabilium opinionum concedunt, ab admittenda doctrina, quàm illis imponit D. Fagnanus *in cap. ne innitaris, num.* 175. Ubi ait * Hæc Theorica liberè profitetur, licitum esse operari cum conscientia absolutè dubia, contra manifestum Sacrorum Canonum testimonium, & contra unanimem Theologorum, & Canonistarum sententiam. * Sed quidem in nullius Theologi mentem id unquá venit: nullus enim probabilistarum somniavit licitum

licitum esse operari cum conscientia dubia; solum enim concedunt, licitum esse operari cum judicio speculativo probabili, circa honestatem actus, quod nos etiam admittimus, dummodo illi adjungatur judicium aliud practicum, moraliter certum, de licito usu opinionis probabilis, quod est dictamen conscientiæ certæ contradictoriè oppositæ conscientiæ dubiæ, quia ut ait Prado *ubi supr. capit. 1. de conscient. quæst. 3. num. 6.* * Hæc certitudo adest cum probabilitate opinionum, quia certum est, quod stante formidine de bonitate actus secundùm se, in praxi possum illum exercere, Hanc sententiam tenent Navarr. & esse communem testatur Suarez, & pro ea undecim Authores refert. M. Baptista. * Sic ille, & ego.

§. VII.

Tertia objectio de æquali securitate opinionum.

42. COntra superius dicta, objiciunt tertio nonnulli, si nostra sententia vera esset, sequerentur opiniones omnes probabiles pro libertate æquè tutas fore, ac probabiliores pro lege. Quod non solùm absurdum, sed incredibile prorsus est. Hoc consectarium ex dictis, necessaria consequutione deduci videtur; quia si certum est, virtute prædicti judicii practici, moraliter certi, nulli discrimini peccandi se committere sequentem opinionem practicè probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro lege, nulla opinio tutior erit alia. Quia ubi nullum est periculum, æqua est securitas.

43. Concedunt plures, & gravissimi Doctores sequelam, si de imputabilitate peccati sermo sit, quia licet negari non possit, opinionem pro lege materialiter tutiorem esse; quod nec mali physici periculum incurrere queat, qui illam sequatur; æquè tamen certum est, malum morale vitari, sequendo contrariam probabilem pro libertate. Undè si de opinionibus, quoad imputabilitatem ad culpam loquamur, tot Authores recensere debet sententia, quæ asserit, omnes opiniones probabiles esse æquè tutas; quot defendunt certissimum esse non peccare, qui sequitur opinionem probabilem, adjuncto judicio moraliter certo de licito ejus usu.

44. Et in terminis ita tradit Joannes Sanchez *in selectis disp. 42. num. 12.* Ubi sic scribit. * Si enim nullum est peccatum sequi opinionem probabilem, ut tenent multi probatissimi, non erit magis tutum unam sequi, quàm alteram quoad imputabilitatem. Nam si quis non peccat, minus tutam sequendo, non minus tutè, quam alius incedit quoad incurrendam culpam, quia non est dari magis, aut minus inter peccare & non peccare. * Et iterum *disp. 44. num. 66.* * Dum communiter inquiunt Doctores, inter opiniones probabiles dari unam securiorem, & tutiorem altera; non sic est intelligendum, quod majus periculum incidendi in culpam inveniri possit unam opinionem sectando, quàm aliam, &c. Solùm ergo in eo sensu, inquiunt Doctores, vel dicere tenentur, unam opinionem tutiorem esse alia, quod videlicet sequens unam contingat, non solùm non incurrere culpam formaliter, verum nec materiale peccati attingere: verb. grat. Dicat una opinio, hoc esse restituendum, & alia affirmet non esse restituendum, ille, qui juxta opinionem obligantem, restitutionem egerit, non solùm non peccat formaliter, verùm nec materialiter: cum dissonantia, nec etiam materialis inveniri nequeat in restituendo. In non restituendo tamen, fortè posset reperiri dissonantia materialis, &c. Undè concludimus inter opiniones probabiles non dari unam tutiorem alia, quoad imputabilitatem.*

45. Angelus Maria Verricelli *tom. 1. quæst. mor. tract. 2. quæst. 10.* postquam statuit licitum esse amplecti in praxi opinionem probabilem, omissa probabiliori, * etiamsi probabilior esset tutior. * Ad secundum contra hanc conclusionem argumentum; sic ait, Respondetur, quod sequens opinionem probabilem, nulli se exponit periculo, &c. Undè rectè ait Joannes Sanchez *in select. disp. 44. nu. 66.* quod inter duas probabiles opiniones, nulla datur opinio formaliter tutior, aut securior, quia cum securitas in eo sita sit, ut operans ex illa, nullo modo Deum offendat, quancumque opinionem probabilem sequens æquè rectus est, quia nullo modo Deum offendit.*

46. Joannes Machado *tom. 1. Discurso Practico, art. 4.* Entre opiniones probables; no ay mas certeza en el obrar, ni mayor riesgo de cometer culpa en elegir la menos cierta, siendo probable, &c. Porque ni la major probabilidad toca en certidumbre, ni la menor llega à declinar en duda, sino que ambas se quedan en una misma esfera de consciencia probable. De adonde se sigue claramente, que no està menos lexos de incurrir en culpa, el que sigue la una, que la otra, &c. Demanera, que quando los Doctores contrarios ensennan, que unas opiniones son mas seguras, que otras, no es creible, que fuesse su intento dezirlo del incurso, è imputabilidad de la culpa, sino solamente de lo material della. Que es dezir, que Pedro, que sigue la opinion mas probable, que le obliga à restituir, esta mas seguro, no solamente de cometer culpa formal, sino tambien material. Esta doctrina assi entendida ensennan gravemente Thomas Sanchez, Doctor Sanchez y Vazquez. * Sic Machado, quem citatum sequitur novissimè Illustriss. D.D. Alphonsus de la Penna & Montenegro, Episcopus Quitensis, *in Itinerario para Parochos de Indios, lib. 5. tr. 4. ses. 20. num. 7 fol. 559.* ibi: * Esto de ser mas segura, no se ha de entender en quanto à incurrir pecado, o imputabilidad de culpa, sino solo à lo material della.*

47. Caramuel *in Commentar. in regul. S. Benedicti, disp. 6. de opinione probabili, n 58 & 61. & in Theologia fundam. fundam. 11. de opinione probabili, n. 268.* * Omnes opiniones probabiles sunt per se æquè tutæ, & securæ, quia illa opinio est tuta, & secura in conscientia, quæ si juxtà illam exactè operetis, te liberabit à mortali, & veniali: at hoc æquè præstabit quæcumque probabilis opinio, ergo quæcumque est æquè tuta, & secura. * Quod intellige quoad imputabilitatem; nam ut ipse ait *in Apologemate de opinione probabili, epist. 4. n. 134. fol. 74.* Negari non potest unam esse alia tutiorem materialiter. * In materia, inquit jejunii, sicut multæ sunt opiniones benignæ, multæ etiam sunt duræ, & severæ, Athæ materialiter loquendo sunt tutiores.*

48. Pasqualius *in decisionibus moralibus, decis. 359. de Opinione probabili.* * Videntur, inquit, ferè omnes admittere unam opinionem esse tutiorem altera, dum passim dicunt hanc, vel illam esse eligendam, utpotè tutiorem, &c. Nihilominus ex probabilibus opinionibus unam non esse tutiorem altera, docent Henriquez *in proœmio Sum.* Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap. 9. nu 14.* Joannes Sanchez *in selectis, disp. 44. nu. 66.* Castro Palao *1. part. tract. 1. disp. 2. puncto 2. nu 3.* Et idem videtur sentire Azor *tom. 1. lib. 2. cap. 16. quæst. 2. circa finem.* Undè æqualiter unusquisque sequens opinio-

nem probabilem potest esse securus. Fundamentum est, quia quod opinio sit tuta dicit, quod operans secundùm ipsam certus sit, quod Deum non offendat, nec quantumvis sit tutissima, potest aliquid amplius supràhoc præstare. Hoc autem totum præstat quælibet opinio probabilis, quia operans secundum dictamen rectæ rationis, certus est, quod Deum non offendat: & quia inter operari secundùm dictamen rectæ rationis, & non operari secundum ipsum, non datur medium; ideò in hac certitudine non datur magis, & minus, & una opinio probabilis non reddit magis certum, quàm alia, quod Deus non offendatur.*

49. Rever. P. Fr. Leander à Murcia *in Disquis. Mor. in* 1.2. *D. Thom. lib.* 1. *disp. unica, resol.* 17. *n* 6. * Si sermo sit de securitate, quæ securum reddit operantem à peccato, omnes opiniones probabiles, quæ versantur circa honestatem, vel turpitudinem alicujus actus, vel opinantur, an sit licitus, vel illicitus? præceptus, vel non præceptus; sunt æquè tutæ, & non est una tutior alia. Ita Doctores 1. sententiæ, nempè Joannes Sanctus *ubi suprà*. Quintanaduennas *tom.* 2. *singularium ad* 3. *Ecclesiæ præceptum, tract.* 8. *singul.* 8. *n.* 6. Caramuel *ubi suprà*. Diana 2. *p. tract.* 13. Franciscus de Lugo, Joseph, Rocaphul, & Escobar de Mendoza *in Theolog. Moral. lib.* 2. *sect.* 1 *cap.* 2. *n.* 22. *fol.* 34. *Sic ibi. Et iterum *lib.* 2. *disp.* 1 *resol.* 16 *n.* 10. * Omnes opiniones practicè probabiles sunt æqualiter securæ quoad imputabilitatem & una non est securior altera.*

50. Hieronymus Garcia *in Sum. tract.* 1. *diffic.* 5. *dub.* 2 *n* 7. ibi: *De lo dicho colijo con ambos Sanchez, Vazquez, y Machado, que no estara menos lexos de incurrir en culpa el que sigue la una opinion, que la otra; demanera, que quando los Doctores ensennan, que son unas opiniones mas seguras, que otras, no es creible fuesse su intento dezirlo del incurso, è imputabilidad de la culpa, sino solamente de lo material della.*

52. Bernardus Stubrochius Theologus Vinensis *in Notis adversus Vvendrochium editis Coloniæ anno* 1659. *sect.* 3. *de probabilitate*, §. 2. ibi: *Dicendum mihi videtur, omnem opinionem verè probabilem certo tutam esse, &c. Ac proinde æquè tutam, imò cum esse tutam sit tantum peccatum excludere, peccatum excludi non potest magis, vel minus, quod scilicet in indivisibili positum est. Hinc eo ipso, quod aliqua opinio non est tuta, non est verè probabilis, & vicissim.*

52. Fr. Franciscus Bonæ Spei Carmelitanus *in Apologemate retorto* contra Caram. *de ignorantia invincibili, dubio* 7. *num.* 46. *Physicè, inquit, & moraliter non datur opinio tuta tutior, ut infrà n* 208. & *n.* 333, videbimus. *Et *num.* 208 *fol.* 191. *Unde puto, inter sententias tutas non dari unam tutiorem altera, benè inter certas, & probabiles, unam certiorem, & probabiliorem altera, quia hæc à motivis, illa à carentia omnis periculi peccandi talis dicitur. *Et *num.* 221. *fol.* 218. *Omnis opinio, quam licet sequi, est æquè certa, certitudine, quod illam sequendo non peccemus. *Addit vero, & benè, in se ipsa nullam opinionem probabilem, habere certitudinem hanc moralem, sed ex alio judicio adjuncto certificari intellectum de honestate actionis, & quod non sit peccatum illam elicere.

53. Et quod magis P Franciscus Suarez *de censuris, tom.* 5. *in* 3. *part. disp.* 40. *sect.* 5. *Dices de hoc ipso esse opiniones, an sit in jure expressa irregularitas necne? Ergo saltem quando probabilior sententia æstimat esse expressam, id satis est, quia illa est pars tior, quæ semper eligenda est, ut jura dicunt. Respondeo negando consequentiam, quia ipso quod contraria opinio est probabilis, sufficit ad assentiendum moraliter certum, & consequenter ad vitandum omne periculum, (attende) ac proinde non potest altera pars propriè dici tutior; utraque enim est omnino tuta. *Sic ibi, quod prædixerat 1.2. *disp.* 12. *sect.* 6. *nu.* 8. His verbis. *Quia tunc revera non est contraria pars tutior in ordine ad conscientiam, quæ ibi est aliquod dubium practicum, nec periculum. *Quo principio probat eximius Doctor, licitum esse amplecti opinionem probabilem negantem actionem aliquam esse prohibitam.

54. Ex quibus deduco, pro hac opinione reliqui posse omnes, qui periculum peccandi excludunt ab usu opinionis probabilis. Illustris. ac Rever. M. Lucat. de Velasco *tom.* 2. *resol. mor. verb. opinio, resol.* 320. *num.* 2. ibi: *En todas las materias, y en qualquier negocio, aunque sea de grande importancia, siguiendo opinion probable, aunque sea menos segura (nempè materialiter) se obra con toda seguridad de conscientia. *M. Texeda *to.* 1. *controvers. Theolog. moral lib* 1. *tract.* 2. *controv.* 9. *Opinio probabilis, quocumque malitiæ periculum, quòd fortassis, in ipsa re, reperitur, ab ea aufert, & tollit. *M. Pradotus in *Theolog. mor. cap.* 1. *quæst.* 4. §. 3. *num.* 16. *Ad illud, quod objicitur de periculo, benè respondet Bapista, quòd est periculum mali physici, non periculum mali moralis, & hoc periculum potest subitè homo sine ullo peccato, quia idem periculum est, cum loquitur homo opinionem probabiliorem, quia cum non sit infallibilis, potest in re esse falsa. *Thomas Hurtado *tom.* 2. *resol. mor. tract.* 12. *num.* 208. *Quando quis habuit rationes verè probabiles, quod non esset mortale, manifestum est, quod non committeret mortale. *M. Petrus de Lesma *de Panit. cap.* 13. *dub.* 3. Postquam nonnullas sententias contrarias recenset, concludit: *Esta ultima sentencia bien sevè, que es mas segura; pero todas ellas tienen su probabilidad, &c. y parece, que no ay peligro ninguno en seguir qualquiera destas sentencias. *Quem loquendi modũ observant Thom. Sanchez *tom.* 1. *Summ. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 14. *Quia sicut opinio probabilis, in quit, in speculativis est, quam absque deceptionis, & erroris periculo amplecti licet, ita in moralibus opinio probabilis est, quam absque peccandi periculo sequi licet, &c. Nec sequens opinionem probabilem agit contra conscientiam, nec se exponit periculo peccandi formaliter, id est, ita ut illi peccatum imputetur. *Sed materialiter, id est, admittendi id, quod à parte rei peccatum est. *Et P. Vazquez 1.2. *disput.* 62. *cap.* 9. *n.* 44. Ubi ait: *Hominem sequentem opinionem probabilem, non se exponere periculo peccandi, ita ut formaliter ipsi imputetur, sed tantum periculo faciendi id, quod, in re, forsan prohibitum est. *Qui quidem Doctores, licet expressè non asserant omnes opiniones probabiles esse æquè tutas, implicitè tamen dicunt, dum omne periculum peccandi formaliter ab earum praxi excludunt. Quibus faciunt omnes, qui opinionis probabilioris, etsi minus tutæ dentes, tutum concedunt, quem proinde omnis periculi peccandi expertem docent: ut videre licet apud M. Arauxo *in decis. moral. de Statu servili disp.* 9. *cas.* 6. *n.* 4. *Nec tunc (inquit) Petrus manet commissus alteri periculo exercendi ordines sacrilege. *Nempè, quia *etiam admisso, quod talis opinio in re sit falsa, eorum

coram Deo,& hominibus, liberatur per bonam fidem. *Quod ergo illi, de usu opinionis probabilioris,quoad imputabilitatem docent; id ipsum alii de praxi opinionis probabilis tradunt.

§. VIII.

Judicium Auctoris circa securitatem æqualem opinionum.

55. HÆC sententia, in sensu ab auctoribus citatis intento, est omninò certa,quam ultra rationem attactam, hæc efficaciter probat. Opinio favens libertati moraliter certa , circa honestatem actus,æquè certo excusat à peccato,ac opinio pro lege, ut omnes Theologi concedunt (& nec Fagnanus,nec Baronius ipse negare possunt,cùm ad tutiorem eligendam obligent,& tamen opinione pro libertate moraliter certa contenti sint.) Sed quicumque sequitur opinionem probabilem pro libertate, habet ex aliis motivis(possessionis libertatis,& ignorantiæ invincibilis) opinionem moraliter certam, seu judicium practicum moraliter certum de honestate actus,prout hic,& nunc,juxta regulas prudentiæ exercendi; ergo quancumque opinionem probabilem eligat pro libertate,æquè tutè quoad imputabilitatem operatur,ac si opinionem pro lege militantem eligeret.

56. Nihilominus licet hæc doctrina in hoc sensu verissima sit,non est cur voces *magis*, *& minus tuta opinionis* non retineamus,quandoquidem alia à periculo,tam mali physici,quam moralis removet, alia à periculo tantùm mali moralis , quæ proinde minus tuta materialiter jure dicitur. Nec est, qui dissentiat. Ut omittam quoad formale etiam posse, in aliquo vero sensu,unam alia tutiorem dici: quia , quando opinio materialiter est minus tuta , dictamen conscientiæ solum est moraliter certum , quod in ejus praxi non sit peccatum : quando verò materialiter etiam tutior est, est evidenter certum, quia lumine naturæ notum est, sequentem opinionem pro lege, omissa contraria pro libertate, non peccare: ergo in hoc legitimo sensu,opinio pro libertate minus tuta formaliter dici potest. Cæterum licet dictamen practicũ dirigens operationes pro lege,magis certos, & securos nos reddat de licito usu opinionis, & de vitando peccato , quam dirigens operationes pro libertate; & in hoc sensu omnes opiniones non sint æquè tutæ; tamen quoad imputabilitatem,si reflexio, ut potest,fiat suprà effectum moralis certitudinis judicii practici, evidens omnino cuique erit , sequentem dictamen moraliter tantum certum,non peccare. Quapropter reflexione facta omnes sunt æque tutæ,& æquè securum reddunt operantem.

57. Quòd sic facilè probo. Deus non jubet impossibilia; sed de omnibus agibilibus habere dictamen physicè,vel metaphysicè certum,est impossibile, ergo ad rectè operandum id habere non jubet. Ergo solùm exigit dictamen moraliter certum. Ergo qui eò ductus operatur,non peccat. Omnes istæ consequentiæ sunt evidentes, quia ex præmissis evidentibus deducuntur. Ergo evidens metaphysicè est,operantem cum judicio practico, solum moraliter certo de honestate actus, non peccare. Neque hoc Dom. Fagnanus, neque ipse Baronius inficiari potest. Undè inferes,quod licet certitudo dictaminis practici quoad operationem pro lege,major sit, utpotè metaphysica, quam certitudo dictaminis dirigentis ad operandum pro libertate, utpotè moralis tantùm, conclusio tamen illa ex præmissis certis,& evidentibus,ut suprà deducta, nempè, quod peccatum æquè evitet, qui sequitur dictamen practicum moraliter tantum certum de honestate actus, ac qui dictamen certum metaphysicè,æquè evidens est in utroque casu,& certitudinem metaphysicam continet: ideoque in hoc sensu omnes opiniones probabiles ratione judicii adjuncti , de quo suprà, æquè tutæ sunt. Nec aliud intendunt hujus opinionis patroni.

58. Ex dictis patet responsio ad ea , quæ Wendrochius *in Notis ad Epistol. 5. Provincialem Montaltii*, contra nostram sententiam , congerit argumenta. *Spondent (inquit) casuistæ,probabilem opinionem etiam falsam (scilicet re ipsa,& coram Deo)sequentibus omnimodam securitatem. Magnificum promissum,&c. Quæro igitur ex casuistis ; hoc ipsum dogma an omnino certum sit, an verò tantum probabiliter verum; Certum esse, si respondeant, pergam quærere, unde nam istam , ut ita loquar,certitudinem repetant? An ex scriptura? At multis Scripturæ locis impugnatur hoc dogma. An ex patribus? Quî possent hoc dicere casuistæ, qui nullum pro eo Patrum testimonium obtulerint, cùm manifestè à D. Thoma hoc commentum explosum fuisse, anteà patuerit. *Sic Wendrochius apud Franciscum Bonæ Spei *dub. 7. num.* 223. *&* 311. Sed his jam satisfactum est: hæc enim divina constat; invincibilem malitiæ ignorantiam excusare à peccato, & Deum impossibilia non jubere. Quæ duo principia lumine etiam naturæ notissima sunt, & pluribus scripturæ, & patrum testimoniis contra Jansenistas à non paucis comprobata. Præterea nos sæpè habere ignorantiam invincibilem malitiæ agibilium ; vel evidens nobis est,vel invincibiliter judicamus, ac proindè eodem prorsus modo res se habet, ac si ignorantia illa re vera invincibilis esset. Insuper evidens est,& ex definitis evidenti etiam consecutione deducitur, certitudinem tantum moralem de vitando peccato, quæ ex conjecturis,& probabilibus fundamentis generatur, sufficere ad licitè operandum; & ita expresse fatentur adversarii; in re autem præsenti pluta ejusmodi concurrunt ad apprehensionem suasivam talis judicii, ut constat ex argumentis pro licito usu opinionis practicè probabilis suprà confectis. Meritò ergo omnimodam securitatem juxta illam operantibus spondemus,sicut omnes Theologi antiqui spondent omnibus,qui opinionem probabiliorem, etsi minus tutam pro libertate amplectentur. Et sicut modo spondent Dom. Fagnanus,& Baronius, omnibus,qui opinionem moraliter certam cum tamen utraque re ipsa,& coram Deo falsa esse possit. Quibus non dissentire D. Thom. D. Anton num, D. Albertum Magnum, D. Bonaventuram, & alios Ecclesiæ Patres, Pontifices,& Concilia, cùm opiniones plures faventes libertati , relictis tutioribus pro lege , sequuti fuerint, evidentissimum est, & collatis locis suprà demonstratum.

§. IX.

§. IX.

Objectiones contra æqualem securitatem opinionum diluuntur.

9. OBjicies 1. In physicis, qui distat à fovea per quatuor passus, remotior est à periculo incidendi, quàm qui distat per duos, ergo in opinionibus magis distabit à periculo peccandi formaliter, qui sequendo opinionem pro lege restituit, quàm qui adhærendo opinioni contrariæ pro libertate non restituit. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia in physicis periculum materiale, & formale incidendi non distinguuntur, secus in moralibus, ubi materiale peccati à formali distinguitur. Sic & benè respondet Illustrissim. Episcopus Quitensis Montenegro in doctissimo suo itinerario suprà citato *lib. 5. tract. 4. resol. 20. numer. 9. fol. 559.* *Esta cercania (inquit) solo es de caer en culpa material, esto es, esta mas cerca de lo phisico del pecado, no de lo formal, porque comeste se regula por la conciencia que dicta, v. g. se puede no restituir: tan lexos està de pecar formal, y malicioſamente, como el que sigue la opinion mas probabile, que dize que restituya. *Quæ securior etiam est, nempe materialiter, ut supra explicui. Quod optimo exemplo ipse explicat dicens: *Como si Dios revelasse al que dista del rio ocho passos, y assi mismo al que dista solos dos, que ninguno dellos caeria en el; tan seguro estaria el uno como el otro, aunque phisicamente, mas cerca estaria el que dista dos passos. *Hæc est genuina hujus argumenti solutio, non ea, quam adhibet Joannes Sanchez *in select disp. 44. numer. 66.* dicens: Disparitatem esse. *Quod in Moralibus voluit Deus nullum periculum incidendi in culpam incurrere operantem juxta opinionem probabilem. *Sed non placet, quia non in promissionem Divinam, hæc immunitas à peccato reducenda: licet enim ex revelatis circa ignorantiam invincibilem, & circa præcepta ad possibilia tantum; per legitimam consequentiam hoc deducatur, ut vidimus: infertur tamen etiam evidenter ex eisdem principiis, prout lumine naturæ notis. Quæ moralis evidentia circa licitum hic & nunc à peccato prorsus excusat.

60. Objicit. 2. Baronius 1. *part. contra Caramuelem, disput. 1. sect. 2. artic. 3. §. 1.* * Opinio tuta ea est, quæ ab omni periculo salutis, & peccati est remota, atqui plures opiniones, & ferè omnes, quæ stant pro libertate contra legem licet sibi contrariis probabiliores, vix unquam carent periculo peccati: Ergò tutæ non sunt. Respondeo, opinionem tutam esse, quæ caret periculo peccati formalis, etsi à periculo materialis peccati remota non sit: aliàs non solùm ferè omnes, ut ait Baronius, sed nulla pro libertate opinio, etsi moraliter certa, tuta esset; quia omnes, etsi moraliter certæ, possunt, re ipsa, & coram Deo, esse falsæ; nam, ut ibidem Baronius benè inquit, *certissimum est Aristotelis dictum: falsum interdum magis speciem veri, quam ipsum verum habere. *Nulla ergò opinio, quæ stat pro libertate contra legem, caret periculo materialis peccati, quantumvis moraliter certa nobis appareat. Undè miror Fagnanum, & Baronium, aliosque recentiores, qui totis nixibus hac tempestate ad hanc opinionem introducendam conspirarunt, non animadvertisse, instari evidenter posse, pluribus exemplis, quibus demonstratur opiniones, quas Div. Thomas, Scotus, Cajetanus, & reliqui antiqui Theologi sequuti sunt pro libertate, periculo mali physici, seu materialis peccati carere non potuisse, & tamen certissimum est, innumeras opiniones hujus generis admisisse, & quidem, ut probabiliores tantùm. Quia ut ex eorum scriptis quisque facilè experiri poterit, nullus eorum suas opiniones moraliter certas vocat, & rarò posset, cum contrariæ pro lege probabilitate non careant: sententiæ ergo tutas esse licet moraliter certæ non sint, Doctores ergo auderunt aliud insinuare, nedum asserere, pronuntiare. Quinimò addit Caramuel *in apolog. de probab. epist.* v. 88. Unum valdè notandum nimirum non sc o esse verum opiniones probabiles omnes esse: è tutas, sed inter probabiles quæ benigniores, per accidens esse tutiores, quia fragilitati humanæ, facilius est benignam exequi, ergo per accidens opinio benignior & tutior. Confacit illud Sylvestri *verb. Confess. 1. num. 3. quæst. 2.* *Licet sit tutius, v. g. statim habita opportunitate confiteri, quam differre, non tamen tutius est tenere, quod sic obligemur. Quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi. Probat. a Quia ipso Baron. testante, *disp. 2. contra Caramuelem, sect. 1. artic. 3. fol. 136.* Tuta est sententia, quæ pro libertate negat necessitatem contritionis perfectæ ex præcepto, aut medii efficacia necessitatis ei, qui in articulo mortis sola attritione ad Sacramentum accedit. Insuper tuta est opinio, quæ stat pro libertate contra legem, negans, amissa per peccatum læthali gratia, illius reum debere statim per contritionem, vel confessionem à peccato exurgere. Et tamen ejusmodi opiniones remotæ non sunt ab omni periculo salutis, & peccati materialis; si enim falsæ coram Deo sint, qui sola attritione confessus decedat, damnabitur: & materiale peccatum, sicut & alias opiniones probabiles sequutus, operando contra legem (si ipsa existat) incurret. Ergo ut opinio sit tuta, non requiritur, quod ab omni periculo salutis, & peccati remota sit: hoc enim, nec moraliter certa foret.

61. Instat Baronius argumento, quod novum, validissimum, & demonstrationis vim habere, ait loco supra citato *fol. 26.* *multo tutius est, imò, & prorsus necessarium, è duabus opinionibus probabilibus eam eligere, quæ nullum habet dubitandi locum, seu cui nulla subsit suspicio, dicitam esse rem, quam probat, & hoc sit evidentissimum, atqui quoties una opinio probabilis stat pro lege, altera verò pro commodo, vel libertate, ab illa, evidens est lumine naturali, abesse omnem peccati dubitationem; ab ista verò nunquam tolli omnino potest: ergo prima tuta est, & eligenda; altera vero abjicienda, ut dubia, & periculosa. *Sed contra evidenter ad hominem, quia opiniones, quas ipse numero præcedenti, ut tutas eligit, tales non sunt, quæ nullum habeant dubitandi locum, & quæ nulli subesse possint suspicioni, illicitam esse rem, quam probant; nec nisi temere dici potest oppositum esse evidentissimum, cum gravissimi Doctores dissideant. Contra secundo: quia viginti opiniones D. Thomæ, quas *quæst. 5. §. 2.* (relictis aliis) in exemplum adduximus, tutæ sunt, eligique possunt absque ullo periculo peccandi, & tamen cum Doctore

alii reclament, nulla est, quæ dubitandi locum non relinquat, & cui aliqua non subsit suspicio de reillicita quam probat: Ergo ut opinio sit tuta, non requirit ejusmodi conditiones. Ex quo etiam apertè convincitur falsitatis definitio opinionis tutæ ab isto Neotherico conficta, tum ubi suprà, tùm *disp. 2. sect. 1. art. 3. §. 1. fol.* 142. Ubi ait: *opinionem tutam eam esse, quæ argumentis, quantùm materia moralis patitur, validis fulta, nulla aliundè ratione, aut opinione colliditur. *Hoc enim opinionibus D. Thomæ suprà memoratis non competit; & tamen tutas esse, nec Baronius ipse inficiabitur. Contra denique; quia nulla opinio moraliter certa pro libertate talis est, ut ab illa, evidens sit lumine naturali, adesse omnem peccati dubitationem, qua evidentissimum est carere opinionem pro lege; & tamen opinio illa pro libertate tuta est: non ergo abjicienda, ut dubia, & periculosa, & altera necessario præferenda. Neque ad excusandum à peccato quidquam facit excessus ille evidentiæ metaphisicè ad moralem, nec quod opinio pro lege evidenti certitudine à peccati etiam materialis periculo motissima sit; secus opinio pro libertate; quandoquidem utraque omne periculum peccati formalis excludit: ex quo capite quoad imputabilitatem æque tutæ dicuntur. Argumentum igitur Baronii, nec vim demonstrationis habet, nec validissimum est, sed imbelle prorsus.

62. Et ut luculentius pateat, in ipsum retorqueo, ex his, quæ tradit *disp. 2. sect. 1. artic. 3. §. 2. fol.* 153. Ubi ait: *Improbabiles pro lege opiniones magis sunt certæ honestatis, & securæ, quàm quæcumque à Caramuele, & à Diana probabilissimæ pro libertate invectæ. *Atqui opiniones probabilissimæ pro libertate tutæ sunt, secundùm communissimam Theologorum sententiam, & juxta ipsum Baronium, quando contrariæ pro lege sunt improbabiles: ergo in hoc saltem eventu æquè certum est, non peccare, qui illas sequitur, acqui improbabiles pro lege, licet tutiores: ergo cum periculo metaphisicè inæquali vitandi malum phisicum, seu materiale peccati, rectè cohæret æqualis securitas non peccandi, seu opiniones esse æquè tutas quoad imputabilitatem. Hanc ergo æqualem securitatem convenire asserimus cuicumque opinioni probabili circa licitum, ratione ultimi judicij moraliter certi de ejus licito delectu hic & nunc. Neque aliud contendunt Doctores, dum omnes opiniones probabiles circa licitum æquè tutas quoad imputabilitatem docent. Et miror Baronium aliter intellexisse ubi suprà, dùm recensitis quibusdam opinionibus pro lege, quas improbabiles esse dicit, concludit. *Audebit ne Caramuel suis pro libertate opinionibus eam securitatem asserere, quà vindicamus validè opinionibus pro lege stantibus? *O Baronii! sed nec tu audes, & tamen his contrarias pro libertate, quas ibi recenses, æquè tutas, quo ad imputabilitatem habes. Quid ad hæc?

QVÆSTIO VII.

Virùm Regii Consiliarii in imponendis tributis teneantur eligere probabiliorem opinionem?

1. QUæstionem hanc in terminis attigit Diana 1. *part. tractat. 3. de Parlamento, resolut. 20.* & partem negativam probabilem putavit, plures pro illa referens Moriam, Lorcam, Hurtado, Martinez, Alvarez, Delrium, & Hieronymum Garcia, quam etiam tenent Petrus de Navarra *de restitutione, lib. 3. cap. 1. num. 268. & 296.* & Mag. Barnabas Gallego *tract. de cons. probabili circa Regem, dub. 19.* ubi ait: *Si inquiras utrum Rex in imponendis tributis sequi possit opinionem probabilem? Respondeo affirmativè: quia non debet esse pejoris conditionis, quàm reliqui, qui possunt juxta probabilem opinionem operari. *Et pro hac sententia, plures stare; fatetur Joannes Sanctius *in selectis, disput. 44. numer. 48.* propè finem, quos retulisse, dicit *disput. 33. numer. 35.* ubi Cordova, Malderus, Antoninus, Vega, Salon, Moure, & alii. Et in genere idem sentit Mag. Acatius de Velasco, *tom. 2. resol. moral. verb. Opinio, resolut. 316. & 320. numer. 2.* Ubi sic: *En todas las materias, y en qualquier negocio, aunque sea de grande importancia, siguiendo opinion probable, aunque sea menos segura, se obra con toda seguridad de conciencia. *Et Pasqualigus *decis. 26. numer. 3.* *Censeo igitur universaliter, & semper licitum esse, sequi quamcumque opinionem, etiam minus probabilem, in quacumque materia, absque limitatione, ita ut quando est illicitum aliquid fieri, ideo illicitum sit, quia non adest opinio probabilis, quod sit licitum: quod debet intelligi, quando opinio se habet, ut regula operandi, nec transit in objectum electionis. *Sic ibi.

2. Hujus sententiæ fundamentum est, quia Regis Consiliarii sunt judices inter bonum commune, & vassallos Regis; atqui judex potest ferre sententiam, secundum opinionem probabilem relicta probabiliori circa jus partium: ergo in imponendis tributis non tenentur eligere probabiliorem opinionem. Hoc fundamento ductus Diana probabilem putavit hanc doctrinam, pro qua ultra supra citatos adducit omnes Doctores, qui asserunt, judicem in ferenda sententia non teneri amplecti opinionem probabiliorem circa jus partium. Quam ipsemet Diana pluribus in locis amplectitur, 2. *part. tract. 13. resolut. 3.* cum Lorca, Alvarez, Joanne Sanctio, Trivinno, & Delrio, asserente, esse communem consuetarum, *& part. 9. tract. 8. resolut. 62.* cum Francisco de Lugo, Dicastillo, & aliis, *& part. 11. tract. 2. resol. 60.* cum supra viginti aliis Doctoribus. Quibus adde Thomam Hurtado *tom. 1. tract. 3. capit. 6. resol. 441 num. 314.* ubi ait: *Ferè omnes convenire, *& Verricelli *tom. 1. quæst. tract. 2. quæst. 15.* Ubi plures.

3. Eandem tuentur viri alii doctissimi Mag. Serra 2. *tom. quæst. 67. artic. 3. dub. 2.* *Dicendum est septimo, posse judicem sententiam ferre secundùm opinionem probabilem, & non requiri, ut eam ferat secundum probabiliorem.*

4. Mag. Thomas Villar *in 1. 2. tract. poster. de cons. 4. part. 8. §. fol. 785.* *Judex in sententiis ferendis, sequi potest opinionem probabilem, probabiliori relicta, etiam contra propriam opinionem, dummodo probabilitas sit circa jus, non verò circa factum.*

5. Mag. Franciscus Lopez de Texeda Salmanticensis Sacræ Theologiæ Professor *tom. 1. controvers. Moral. Theolog. libr. 1. tract. 2. controv. 8. num. 7.* ibi: *Dico secundò, ex duabus opinionibus probabilibus ex parte juris, potest judex ad ferendum sententiam, probabiliori dimissa uti probabili, si re vera credat eam probabilem esse.

6. Mag.

6. Mag. Tapia Archiepiscop. Hispalens. *in Catena Moral. quæst.* 8. *artic.* 17. *num.* 7. *Inter opiniones autem inæquales, probabile est, quod judex potest eligere minus probabilem, &c. Quia si non posset sequi minus probabilem, non esset dicenda probabilis, atque adeo, nec minus probabilis, sed improbabilis.

7. Mag. Barthol. de Medina 1. 2. *quæst.* 19. *artic.* 6. *dub. penult. adultim.* *Quando sunt duæ opiniones in jure, altera probabilis, altera verò probabilior, licitum est judici probabilem amplecti,

8. M. Gregor. Martinez Segoviensis *tom.* 1 *in* 1. 2. *part.* 2. *quæst.* 29. *art.* 6. *dub.* 6. *conclus.* 2. *fol. mihi* 1067. *Etiam judex in sententiis ferendis potest sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam contrà propriam opinionem, dummodo probabilitas sit circa jus, non vero circa factum, quia circa factum tenetur sequi, quod probabilius est.*

9. Mag. Petrus de Ledesma *in sum. tom.* 2. *tract.* 8. *de just. commut. capit.* 22. *post* 11. *conclus. diffic.* 2. 2. *ibi:* *La segunda difficultad es mayor, quando una de las opiniones de derecho es mas probable, si es licito en tal caso, que el Juez siga la opinion probable, dexando la que es mas probable, &c. A esta dificultad se responde, ser mas probable, estando en derecho Divino, y natural, ser licito, que el Juez siga la opinion probable, dexando la mas probable. Esta sentencia tiene Medina, y Orellana, y otros muchos Autores, particularmente los discipulos de santo Thomas. *Hæc Ledesma.

10. Ex quibus evidenter deducitur, Regios Consiliarios, secundùm communem sententiam præfato principio innixam, in imponendis tributis, non teneri eligere probabiliorem opinionem, cum enim inter jus Regis, & vasallorum, judices constituantur quo ad justitiam tributi, si opiniones circa jus dissideant, poterunt communi sententiæ inhærentes, quam maluerint, etiam minus probabilem amplecti. Quapropter ad aliud principium recurrendum est, ut contrariam sententiam, ut probabiliorem tueri possimus.

11. Quidquid ergo sit de probabilitate præfatæ sententiæ, quando opiniones versantur circa jus, (cujus contrariam, scilicet, teneri judicem in conscinntia judicare secundùm probabiliorem tuentur Vazquez, Filliucius, Reginaldus, Valentia, Becanus, Torres, Layman, Azor, Tannerus, Thomas Sanchez, Sotus, Bannez, Sylvester, & alii apud Dianam 1. *part. tract.* 3. *resol.* 20. & apud Verricelli *tom.* 1 *quæst. Moral. tract.* 2. *quæst.* 15. Aficrendum nobis est, Ministros Regios in imponendis tributis teneri eligere opinionem probabiliorem circa justitiam illorum. Ratio est, quia diversitas opinionum circa justitiam tributi, non versatur circa jus, sed circa factum, an scilicet causa occurrens, quam Princeps repræsentat ad impositionem tributi, sit sufficiens ad illud imponendum, attentis circumstantiis boni communis, & facultatum vasallorum. Ergo si omnibus pensatis Ministri Regis, qui judices constituuntur inter bonum commune, cui Princeps consulit, & populum, probabilius judicent causam non esse sufficientem, vel facultates non suppetere, & ideo tributum fore injustum; tenentur opinionem, quam probabiliorem judicant, amplecti: sunt enim opiniones circa factum, in quibus judices non habent delectum, sed ad probabiliorem eligendam adstringuntur, secundùm communem Theologorum sententiam, cui Doctores supra citati suscribunt, constituentes, & merito discrimen, quando versantur circa jus, & quando circa factum, ut benè advertit Verricelli *tom.* 1. *tract.* 2. *quæst.* 19. *num.* 11. Ubi ita. *Advertendum denique, quod quamvis multi doceant, omissa probabiliori opinione juris, posse judicem secundùm probabilem ferre sententiam, at secus est in opinione facti, nam debet secundùm probationes probabiliores ferre sententiam in causa civili, etiam contra possessorem, &c. Ita Villalobos Garcia, Joannes Sanchez, Sayrus, Salas: tatio discriminis est, quia Respublica obligat judicem ad ferendam sententiam secundùm allegata, & probata quoad factum. At quoad jus committit judici doctrinæ, ac prudentiæ jurium interpretationem. *Quod esse manifestum, ait Joannes Sanchez in *Selectis*, *disput.* 44. *numer.* 51. 8. *in secundo statu.* Et hic omnes convenire, dicit Machado *tom.* 1. *libr.* 6. *part.* 2. *tract.* 1. *docum.* 6 *fol. mihi* 371. ibi: *Todos los Doctores convienen, en que està el Juez obligado, sin duda, a sentenciar en las causas civiles, por la parte, que en materia de el hecho, tuviere mas probable opinion en su favor, esto es, mas eficaz probanca, con que se probò el hecho. *Hoc principio solidius aliis, hæc sententia suaderi videtur: quam omnes Doctores Societatis tuentur, licèt ex diversis convicti, ut videre licet apud Bardi *tract. de bon. disciplin.* 4. *cap.* 25. & apud P. Andream Mendo *in dissima statera opinionum moralium, differt.* 6. *quæst.* 1. *num.* 13. Apud quos Pat. Vazquez, Pat. Azor, Pat. Layman, P. Busembaum, Pat. Regitaldus, Pat. Valentia, Pat. Dicastillo, Pat. Castro Palao, Pat. Bruerum, Cardin. de Lugo, & alii. Quibus adde omnes, qui asserunt, judicem semper in causa civili teneri eligere opinionem probabiliorem circa jus, non circa factum. Quam pluribus citatis docet Henriquez de Pontificis Romani dave, *lib.* 4. *cap.* 18. *nu.* 4. *Aliàs (inquit in Gloss. litt. H.) ferè semper licere judici sententiam ferre pro amico, & pretium offerente. Quo nil esset pernicicsius in praxi. *Et solidè probant Dicastillo *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 3. *dub.* 9. *num.* 94. Card. de Lugo *tom.* 2. *de justit. disp.* 26. *num.* 92. Pat. Bard. *ubi supra cap.* 17 *num.* 10. dicens contrariam sententiam (etiam si circa jus tantum opiniones versentur) *esse improbabilem. & falsam.* D. Thomas Sanchez, *in sum. tom.* 1. *lib.* 1. *capit.* 10. Nec hanc sententiam unquam retractavit, ut imputat M. Arauxo *in decis. Moral. de statu civil. disp.* 9. *dub.* 3. *num.* 2. dicens: *Hæc sententia sustinenda est cum Banneso, Maldero, Filliucio, Becano, Tanner. & Thoma Sanchez *in summa tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 10. licet postea (attende) in selectis, *disput.* 44. *num.* 50. à proprii sententia recesserit. *Sed miror virum doctum, & eruditum eò delapsum, ut Joannem Sanch. cum Thoma Sanchez confuderit. Selectas disputationes Joanni restituat, & Thomam nullibi contrarium habebit.

§. UNICUS.

Corollarium.

12. EX dictis inferes, omnino rejiciendam sententiam, quam probabilem putavit M. Sota 2. 2. *quæst.* 67. *artic.* 3. *dub.* 2. §. *dicendum est secundo.* Quæ sive opiniones versentur circa jus, sive circa factum, concedit judici liberum delectum opinionis minus probabilis: Sic enim scribit: *Non enim probabile, tàm in causis civilibus, quàm in

minalibus, posse judicem sequi ex opinionibus probabilibus ex parte juris, aut facti, quam maluerit; non solùm, si æquè probabilis sit, ut vult Bonacina *tom. 2. disp. 2. quæst. 4. p. 9. num. 15.* Sed etiam si sit minus probabilis: si tamen probabilis sit; quia quam maluerit opinionem sequendo prudenter agit, & opinio, quæ quibusdam videtur probabilior, aliis videtur minus probabilis, &c. Nec est verum, inquit, partem, pro qua stat opinio probabilior juris, aut facti, majora merita causæ habere, nam hæc non pendet ex hominum opinione, sed ex ipsa re; & quamvis unus melius probet factum, si tamen alius bene, & sufficienter probet, non propterea illa majora merita habet, cum possit factum solum bene, & sufficienter probatum majoris esse meriti ad causam, de qua agitur, quam factum illud probatum melius: * Sic M. Serra, cui obiter consensit Fr. Leander à Murcia *in disquisit. moral. in 1. 2. lib 1. disp. unica, resol. 17. num. 8.* ubi sic: licet sit probabilis opinio, quæ docet, posse judicem in judicando in rebus civilibus sequi opinionem probabilem circa factum, relicta probabiliori; sine dubio est securius, si sequatur probabiliorem opinionem, cum ex contraria immineat proximo grave damnum. * Quorum opinio communiter rejicitur; nihil enim apud omnes magis sanctum, quam judicem debere judicare secundùm allegata, & probata, merita causæ ponderando: ad hoc enim munus à Republica constituitur.

15. Adde, quod licet citati recentiores probabilitatem aliquam extrinsecam præfatæ contra communem opinioni conciliare possent (quod ego non admitto) nihilominus Ministri Regii illi adhærere non possent, quia judices contra communem sententiam judicantes, etsi opinionem unius, vel alterius patrocinio muniram sequantur, peccare mortaliter, & teneri parti restituere, tenent communiter Doctores, quos citatos sequitur Verricelli *tom. 2. quæst. Moral. tract. 2. q. 16.* Quod probat ex receptissima, & autorissima omnium Tribunalium consuetudine, quam habere vim legis, ubi deficit lex, tradunt Bald. *in cap. ne innitatur*, & alii communiter. Ex quo principio docent, judicem, contra communem sententiam ferentem puniendum in Syndicatu, & compellendum parti restituere, & præsumi per ignorantiam judicasse. Pro qua opinione Joannes Maria Corasius *in tract. de com. opin. lib. 3. tit. 8. n. 16.* infinitos Authores citat, dicens, hanc opinionem non habere contradictorem.

QVÆSTIO VIII.

An subditi habentes opinionem probabilem de injustitia tributi, à solutionis onere eximantur?

1. QUando certum est, tributa esse justa & utiliter expendi; communis sententia tenet, debere in conscientia solvi, etiam ante omnem judicis sententiam; ut patet ex illo ad Rom. 13. *Cui tributum, tributum, &c.* Quam adeo certam, ait Sanchez *in consiliis, lib. 2. cap. 4. dub. 1. num. 8. & 9.* * *Ut Castro contrariam errorem appellet.* * Undè fit omnino rejiciendos Angelum, Navarr. Bejam, Duardum, & alios apud Dianam *1 part. tract. 10. resolut. 19.* Item Sayrum, Faraonium, & Joannem Sanchez apud Bossium *1. part. §. 24. num. 290. & 296.* Qui oppositam sententiam amplectuntur, existimantes tributa, & vectigalia esse leges pœnales, quas in conscientia non obligare autumant, non advertentes Rempublicam ex contractu debere Principi congruum dignitatis subsidium.

2. Difficultas ergo solùm est: An quando non est certum tributa esse justa, teneantur subditi in conscientia solvere? Negant plures, quos citatos sequitur Verricelli *tom. 1. quæst. tract. 2. q. 32. num. 5.* Petrus de Navarra *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 267.* Salon *tom. 1. quæst. 5. artic. 4. controv. 2.* Malderus *2. 2. tract. 5. cap. 6. dubio 4. §. dico 6.* Et alii, quos refert Joannes Sanchez *in selectis, disp. 35. num. 35.* * Inter quos (inquit) est Angelus, Sylvester, Armilla, Cajetan. Aragon. Gabriel Rodriguez, id dicens de novis tributis, Villalobos, & alii. * Quibus adde Ludovicum Lopez, Vegam, D. Antoninum, & alios, quos citatos sequitur ipse Sanchez, *disput. citata*, asserentes, subditos habentes opinionem probabilem, quod tributum sit injustum, non peccare non solvendo, quos refert Joannes Martines de Prado *tom. 1. quæst. cap. 1. q. 7. §. 10.* Et sequitur Mag. Barnabas Gallego *tractat. de conscien. probab. circa Regem, dub. 19.* dicens: pro hac opinione stare D. Anton. & Ludovic. Lopez, & ei favere Cajetanum, Sylvestrum, & Armillam. & testr. Lessio *lib. 2. de justit. cap. 33. num. 67.* Est communis Doctorum, quibus ipse nonnullis citatis consentit. Plus addunt alii, nempè, dubitantes de justitia tributi non teneri solvere, ita cum Cajetano, & aliis Mag. Texeda *tom. 1. controv. tract. 1. diffic. 26. num. 3.* Et de novis tributis loquens tenet Molina *tom. 3. de justit. tract. 2. disp. 274.* & apud illum, Cajetanus, Sylvester, Gabriel, & Medina, quos sequitur M. Joannes de la Cruz *in direct. part. 1. quæst. 7. artic. 3. dub. 1. conclus. 2.* Ubi ad argumentum, quod in dubio præsumendum est pro Rege; respondet, hoc debere intelligi, quando non agitur de interesse ipsius Regis.

3. Cæterum, si opinionibus his standum esset, vix occurreret casus, quo obligatio solvendi tributa subditos teneret; quia vix ullam Gabellam esse justam, tradit Cajetanus, *verb. Vectigal. cap. 3.* Et omnes ferè dubias esse Mag. Fumus, *verb. Gabella, num. 16.* Et omnia nova vectigalia, & veterum nova incrementa; nisi constet de eorum justitia, præsumi injusta, ac proindè in conscientia non deberi, tradunt Cajetan. Sylvester, Fumus, Aragon, Gabriel, Driedo, & alii apud Lessium *lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 63.* & injustum esse tributum, quod imponitur solvendum ex rebus, quæ communiter ad usum vitæ humanæ emuntur, ut ex pane, vino, oleo, & carne, tuentur apud Lugo *tom. 2. de justit. disput 36. sect. 2. num. 24.* Cajetan. Tabiena, Sotus, Ledesma, Zanardus, & alii, quos refert etiam Diana *part. 2. tract. 3. resol. 28.* Undè, si probabilis opinio de justitia tributi, vel dubium circa justitiam, sufficeret ad eximendum ab onere solutionis; & sola certitudo justitiæ ad solutionem constringeret, vix, quoad nova saltem tributa, casus occurreret, quo vasalli constrictos se agnoscerent.

4. Dicendum ergo est, subditos teneri tributa solvere, nisi evidenter appareant injusta. Ratio est, quia impositio tributi se habet veluti sententia judicis pro bono communi contra vassallos; atqui privatus re sua per sententiam, tenetur ei parere, etiamsi probabile, imò & probabilius sibi oppositum appareat: ergo similiter in nostro casu. Sic cum Mag. Soto *de Iust. lib. 4. quæst. 6. artic. 4.* sentit P. Vasquez *opusc. de restit. cap. 6. § 3. dub. 5. num. 78.* Dicens teneri parere, * & standum judicio superioris, nisi præseferant vectigalia Tyrannidem. * Confirmatur ex doctrina communi Doctorum apud

Sanchez *in Sum. lib. 6. cap. 3. num 5.* quos ipse sequitur, asserentes, ut subditus teneatur obtemperare, sufficere non sciat evidenter esse injustum, & extra limites potestatis superioris, id quod jubetur. * Quæ (inquit) *sententia constat ex S. Augustino,* * & docent viginti alii auctores, quos ibi refert. Cujus ratio est, quia in casu dubii, melior est conditio superioris, utpote qui in possessione potestatis præcipiendi existit; qua spoliandus non est, nisi ubi constiterit, limites suæ potestatis excedere, rem injustam præcipiendo. Ergo, cum Princeps sit in possessione potestatis imponendi tributa, quando, juxtà probabiliorem Ministris opinionem, justa censeantur, nequ bunt subditi ab onere parendi eximi, dum evidenter non appareant injusta, & consequenter potestatem Principis excedere.

5. Denique hæc sententia probatur ex principio illo per se noto; bellum esse non posse justum materialiter ex utraque parte: ex quo evidenter deducitur, si certum fuerit, Principem, & eius Ministros posse imponere tributa, certum etiam fore, subditos ad solutionem obligari: aliàs inane, & ridiculum esset præceptum, cum vim obligandi non haberet: mandatum enim, & obedientia sunt correlativa. Cum ergo ex communi Theologorum sententia, sine controversia sit, Principem posse tributa imponere, si juxtà probabiliorem opinionem justa censeantur: eadem certitudine tenendum est, subditos ad sic imposita solvenda, adstrictos manere.

6. Secus verò esset, si Ministri Regii, opinione probabiliori omissa, minus probabilem, circa justitiam tributi, sequentes illud imposuissent: tunc enim cum probabile tantum esset, tributum imponi potuisse, locus maneret opinioni contrariæ ex parte subditi, quæ ab onere solutionis illum eximeret. Quam tuentur M. Gallego *de conscientia probabili, dub. 19. & de conscientia dubia, dub. 99.* Et pluribus citatis Diana *1. p. tract 3. de Parlam. res. 21.* Navarra, Lessius, Reginaldus, Megala, Salon, Malderus, Trullench Card. de Lugo, & alii, quos citat, & cum limitatione sequitur M. Prado *tom. 1. quæst. moral. cap. 1. de consc. quæst. 7. §. 10.* pro casu, scilicèt, quo magis probabile sit, tributum esse injustum; secus si æquè tantum probabile. Quamvis enim bellum justum materialiter ex utraque parte omninò repugnat, non tamen est inconveniens, quod stante opinione utrinque probabili, quia invincibiliter ignoratur, quæ sit in re vera, detur formaliter justum ex utraque parte. Unde Princeps suam opinionem probabilem sequens, justè probabiliter imponit (juxtà opinionem plurium, quos præcedenti quæst. adduximus) & subditi similiter contrariam, aut probabilem, ut plures volunt, aut probabiliorem, ut concedit Prado cum M. Ludovico Lopez, justè negant. Et in hoc sensu intelligendi sunt Doctores omnes, qui subditum habentem opinionem probabilem de injustitia tributi excusant ab obligatione solvendi. Supponunt enim Principem non certo jure, sed ex probabili tantum opinione, gabellam imposuisse.

7. Hinc deduces, quid censendum de censura Vincentii Baronii *in opere contra Amadæum, disput. 1. sect 1. §. 2. fol. 20.* Ubi has opiniones * periculosissimas * appellat; eo quod *justum bellum ex utraque parte accendant,* Sed vir doctus non advertit, Doctores omnes admittere, ex conflictu opinionum, dari posse justum bellum formaliter ex utraque parte, & solum negare justum materialiter, scilicèt sine eo quod ex parte aliqua sit error, sive ignorantia invincibilis veritatis. Ut videre licet apud Dianam *6. p. tract. 4. res. 24.* Et in re præsenti, negari non potest à Thomistis quæst. præcedenti citatis, qui ex opinione probabili, tributa justè imponi, defendunt: imò necabilis, qui exclusa probabiliori. Quia ex una parte concedunt Ministros Regios sequentes opinionem, quam probabiliorem judicant, circa justitiam tributi, posse illud imponere, & ex alia tuentur, subditos habentes sibi probabiliorem contrariam opinionem de injustitia talis tributi, posse non solvere. Opinionem, quæ probabilior visa est Ministris Regis, minus probabilis aliis viris doctis, & probis videri potest, & cum subditi possint suam probabiliorem opinionem amplecti, ab onere solvendi eximentur, ut cum M. Lopez, & aliis concedit M. Prado *ubi suprà.* Ergo asserit subditos ad solutionem non teneri, si non constet de justitia tributi: Quam ex Sylvest. Cajetano, Armilla, & aliis refert Joannes Sanchez *suprà disp. 33. num. 35.* Quia licet sit probabilior opinio de justitia tributi, respondere adhuc potest non constare de justitia. Et Baroni, in omnium opinione, bello justo ex utraque parte patet aditus. Unde planè deduces, aut omnes opiniones periculosissimas à te vocandas, aut suprà commemoratas ex non esse fædandas. Vide Joannem Sanchez in *Select. disp. 33. num. 42. §. Sed esto,* & *disp. 43. num. 12. §. Nec reputandum inconveniens,* & *disp. 44. num. 58. & 59.* Ubi plures citat admittentes bellum justum ex utraque parte, quando Princeps opinione probabili ducitur: * Alias, inquit, nunquam daretur casus belli justi ex opinionibus probabilibus. * Et tenent apud illum Victoria, Malderus, Covarr. Filliucius, Pesantius, & alii. Et est communis, ut benè expendit P. Granado *22. cont. 3. de Charit. trac. 12. disp. 4. sect. 3. §. 3. num. 36.* * Nec id est peculiare, inquit, in nostra opinione: nam secundum omnes Doctores, si uterque Rex putat esse certum, civitatem ad suum regnum pertinere, uterque juste bellaret formaliter, sed unus re ipsa falleretur, & ex parte eius esset bellum injustum materialiter. * An verò ad justum bellum requiratur certitudo moralis justitiæ causæ: Affirmant Vasq. Victoria, Sota, Molina, Villalobos, & alii, quos sequitur Vencelli *tom. 1. qq. mor. tr. 2. q. 14. num. 38.* Alii verò majorem probabilitatem sufficere asserunt. Ita Suarez, Valentia, Filliucius; quos sequitur Granado *ubi suprà num. 29.* sed de his alibi. Hic autem sufficit contra Baronium demonstrasse bellum justum formaliter, ex utraque parte, in nulla opinione vitari posse.

8. Ratio ergo, ob quam asserere debemus, Ministros Regios nequire minus, aut æquè probabilem opinionem amplecti in impositione tributi, petendi non est ex inconvenienti belli formaliter justi ex utraque parte, cum hoc parvi haberi debeat, & passim à Doctoribus omnibus admittatur, tàm in tractatu de bello, quàm de tributis: sed ex eo desumenda, quod Judex opinionem probabiliorem circa factum (imò & circa jus, ut opinor) amplecti teneatur: hoc [illegible] onere immunis judicis subit, ideoque persona, scientia, & prudentiâ prædita à Principe sufficitur, ut rectum possit exercere judicium: quæ quidem qualitates non desiderarentur, si aliorum probabilis opinio ad ferendam sententiam sufficeret. Hinc etiam pro obligatione certa solvendi tributum desumitur argumentum ex potestate certa, & indubitata superioris ad imponenda tributa, quæ justa, Ministris, & Theologis piis, & doctis consultis, probabilius appareant. Si enim certitudo justitiæ causæ ad eorum impositionem necessaria foret, cum hæc sæpè non concipiatur, bonum publicum aperto

aperto periculo frequenter exponeretur, quod privato subditorum præferendum est. Debet ergo haberi certa, & indubitata potestas hæc in Principe, & consequenter obligatio solvendi in subditis; quamvis opinio contraria de injustitia tributi aliis probabilior videatur, (quidquid contradixerit M. Prado supr.) nec constet de justitia tributi, ut alii dixerunt. Quorum opinio rejicienda est, quia bellum formaliter justum, ex utraque parte, nequit non accendere, cùm fere nunquam deficiat subditis opinio de injustitia tributi; vel raro constat de illius justitia, sed eos lateat opinio, cui Ministri Regis in eorum impositione steterint, an probabiliori de illorum justitia? an æquè, aut minus probabili? Undè tenendum est, quoties de injustitia tributi, vel de inutili distributione certo non constet, nullius opinionis præsidio, posse subditos à solutione excusari, quia certa secus manet Principis potestas ad obligandum.

9. An verò justæ gabellæ, ad quas in conscientia solvendas, subditi tenentur, solvi debeant, si ab exactoribus non petantur? Sub lite est. Thomas Hurtado *tom. 2. variar. tract. 8. cap. 1. resol. 9. num. 175. & 198.* Ex Thomistarum doctrina collatis locis, totus est in probando partem negativam. *Sententia, inquit, quæ asserit, non teneri in conscientia quemque solvere gabellas, etiam justas, nisi ab exactore, per se, vel per suos ministros exigantur (etiam si occultè, & secretò transvehat merces, & eas vendat) valdè probabilis est. Sic tenent Soto. Bannez, &c. Idem tenet Tabiena, &c. Undè satis benè Martinez de Ledesma 2. part. 4. q. 18. art. 3. conclus. 3. pag. 259.* Sic dicit: *Gabella, utnunc solvitur communiter, scilicet petita à publicano, & non aliàs, est tributum honestum, & moderatum, & tenentur cives solvere, &c. Adde etiam D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. ad 3.* Ubi loquens de decimis idem clarè docet. Quidquid dicat Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. cap. 37. num. 2.* D. Thom. sequitur ibi Cajetan. *Hactenus Hurtado. Ego verò, licet eos, qui bona fide, absque fraude, & dolo, non solvunt, probabiliter existimem, ab onere restituendi liberari, si tributa ab exactoribus non petantur, eo quod ita videatur constare ex usu, & consuetudine communiter receptis, quæ voluntatem Principis non aliter obligantis interpretantur; nunquam verò sentirem potero, excusandos, qui consulto merces occultant, ut ab exactoribus non petantur, & potiori jure, qui decimas non solvunt: quia fraus, & dolus nemini patrocinari debent, nec intentio Principis his favens præsumi potest: ut benè docent Palacios, Angles, Cordova, Menchaca, & alii, quos sequitur Thom. Sanchez *tom. 1. consil. lib. 2. cap. 1. dub. 10.* & M. Tapia in Carena *lib. 4. de legibus, q. 11. art. 13.* Ubi sic. *Dicendum est non posse tributarios, fraude, aut dolo occultare tributa justa, quamvis eorum solutio non obliget, nisi petantur, juxtà dicta articulo præcedenti. Quod si fraudaverint, tenentur ad restitutionem. *

QVÆSTIO IX.

Utrùm liceat opinionem minus tutam eligere circa Sacramenta?

1. OPiniones circa Sacramenta in duplici sunt differentia, aliæ versantur circa valorem, aliæ circa licitam administrationem. Contingitque non raro, dari opinionem probabilem de Sacramenti valore, sub hac vel illa materia, vel forma, & tamen eius usum illicitum esse, & graviter peccaturum, qui sub illis ministraret; aut propter Ecclesiæ prohibitionem, aut propter consuetudinem legitimè introductam, aut propter damnum (si fortè falsa sit opinio) proximo imminens: quod saltem ex charitate vitare tenemur. Hinc secundùm omnes Theologos, baptizare non licet *in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque*, tametsi probabilis valdè sit Cajetani opinio, & aliorum asserentium, ejusmodi baptismum esse validum. Similiter confici non potest cum aqua rosacea, vel distilata ex vite, cum adest naturalis, licet pro valore baptismi sub hac materia, sint qui suffragium ferant.

2. Difficultas ergo est, an quando circa licitam administrationem Sacramenti, opinio minus tuta probabilis est, liceat eam eligere, & ad praxim devenire, relicta tutiori? Pro parte affirmativa plures referri solent, sed non omnes hanc quæstionem versant. Quia præscindentes ab opinione præsuppositâ, circa licitam Sacramenti administrationem, hic, & nunc, sub hac materia, vel forma, inquirunt, an liceat amplecti opinionem probabilem minus tutam circa valorem Sacramenti, illudque administrare sub materia, vel forma tantum probabili, relicta certa? In qua quæstione, seclusa necessitate salutis proximi, id non esse licitum, est communis Doctorum sententia: illa verò urgente, ex præcepto charitatis administrari debere. Quia hoc præceptum præstantius est, quàm religionis de non frustrando Sacramento, ac proinde hujus periculum postponendum: ut benè adnotat Vincentius Baronius 1. *p. Theolog. mor. disp. 1. sect. 4. §. 1. fol. 39.* Cæterum extra casum necessitatis, probabili tantum Sacramento subvenire, quando certè valido potest, nequit non esse contra charitatem proximi, quem exponimus periculo carendi fructu Sacramenti. Quinimò & contra Religionem, propter Ecclesiæ prohibitionem, extra casus permissos, de quibus Doctores passim. His positis.

3. Quod inquirimus est, an quando valor Sacramenti non est certus, est tamen inter Doctores probabilis opinio, circa licitam eius administrationem, in his circunstantiis; liceat minus tutam amplexari? Negant moderni, qui ad tutiorem opinionem circa licitum eligendam obligant. Affirmant verò communiter Theologi, qui opinionem probabilem circa licitum, etsi minus tutam in quacumque materia à peccato omnino excusare defendunt. M. Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 2. tract. 1. de Fide, cap. 5. post 6. conclus.* * Tengo por regla cierta, que la opinion probable en las cosas morales, siempre se puede seguir de la manera que es probable, aunque sea en agravio de tercero, y en materia de Sacramentos, y esto so pena deno ser probable. * M. Acatius de Velasco *tom. 2. resol. mor. verb. Opinio, resol. 316. & 320. n. 2.* * En todas las materias, y en qualquier negocio, aunque sea de gran importancia, siguiendo opinion probable, aunque sea menos segura, se obra con toda seguridad de conciencia.*

4. Eandem scientiam (etsi plus contendere videatur) defendit M. Serra 1. 2. *tom. 2. quæst. 19. art. 6. dub. 4.* * In administratione, inquit, Sacramentorum, licitum est, omisso eo, quod tutius, sequi opinionem probabilem asserentem, sic vel sic validum, & non irritum fieri Sacramentum, aut eius effectum suscipi: si tamen Ecclesiæ usus, & consuetudo id permittat, & non prohibeat. Probatur, nam circa potestatem, & jurisdictionem Sacerdotis ad absolvendum pœnitentem, sine quibus nulla est absolutio, & pœnitentiæ Sacramentum est invalidum, multæ sunt

opiniones probabiles; qualis est, quæ asserit in articulo mortis simplicem Sacerdotem posse absolvere pœnitentem, etiam præsente Sacerdote approbato, vel proprio: & asserens approbatum in una Diœcesi, posse in altera audire confessiones habentium Bullam Cruciatæ, eosque absolvere; sed has licet sequi, quoties se obtulerit occasio, etiam si tutius esset, pœnitentem in articulo mortis absolvi à Sacerdote proprio, & habentem Bullam Cruciatæ absolvi ab approbato in Diœcesi, in qua est, & adquam pertinet. Ergo. * Sic M. Serra.

5. Pro eadem opinione militant Medina 1.2. *quæst.* 19 *art.* 6. *quæst.* 5. §. *Cæterum magna est pag* 308. M. Baptista *disp.* 208. *dub.* 12. & M. Prado *tom.* 1. *Theolog moral. cap.* 1. *quæst.* 6. *n.* 6. ibi: * In omnibus, & per omnia easdem opiniones practicè probables, quas tuto, & licitè sequimur in aliis materiis, tuto, & licitè eas amplectimur circa materiam, & formam Sacramentorum; & circa jurisdictionem, & usum, & ritus, & cæremonias. Sola est differentia, quod practica probabilitas à distinctis capitibus sumitur in hac materia, ac in aliis. Et quod facillimè circa Sacramenta contingit, aliquid esse speculativè probabile, & non esse practicè probabile. *

6. Quibus adde Card. de Lugo *tom. de Pœnit. disp.* 7. *sect.* 13. *n.* 273. ibi: * Regula illa, quod in operando liceat sequi sententiam probabilem, vera est in universum, si sermo sit de ultimo judicio circa licitum, vel illicitum hic, & nunc. Neque obstat illa alia regula, quæ dicit circa materiam, & formam Sacramenti Baptismi, & Ordinis saltem Sacerdotii, non licere sequi sententiam probabilem: nam ibi non est sermo de probabilitate circa licitum, sed circa valorem; verb. grat. materiæ, vel formæ. * Et *infrà num.* 275. * In quæstione practica, ubi agitur de obligatione practica hic, & nunc, licitum semper est amplecti sententiam probabilem. *

7. Probatur à priori, quia principium universale, quod probat, adhærentem opinioni probabili practicè versanti circa licitum, non peccare mortaliter, idem probat in quacumque materia; sicut principium quod universaliter probat, totum esse majus sua parte, idem in quacumque materia evincit. Opinio autè probabilis circa licitum, ut ex dictis in hoc tractatu apertissimè constat, constituit operationem conformem rectæ rationi, quia se illi conformans, habet judicium ultimum practicum certũ, quod hic, & nunc sibi liceat operari. Ergo qui opinioni probabili practicè circa licitam Sacramenti administrationem adhærens, hoc ultimo judicio ducitur; prudenter, & juxtà rectam rationem operatur, sive opinio minus tuta paris, aut majoris probabilitatis sit, ut vult M. Prado suprà, sive minoris, ut reliqui Doctores citati. Quia æqualis, vel major probabilitas supplere non potest valoris defectum, si Sacramentum ex sua institutione validum non sit, utpotè essentialiter requisitis non constans; ac proindè negata obligatione eligendi opinionem tutiorem circa licitum, vel illicitum, sicut excusatur à peccato, eliges minus tutam, paris, vel majoris probabilitatis, ita & qui minus probabilem, si verè probabilis supponatur.

8. Secundò à posteriori à nonnullis probatur, quia opinio asserens, ex dispensatione Pontificis licitam esse consecrationem Episcopi ab uno tantum confectam, est minus tuta, quam contraria: nititur enim opinioni speculativè probabili circa valorem talis consecrationis, cujus contrariam adstruentem tres Episcopos jure divino ex Sacramenti institutione requiri (ideoque consecrationem Episcopi ab uno factam invalidam esse) defendunt aliqui apud Stiestrum, *verb consecratio* 1. *num.* 1. * Ubi si conferrentur paucioribus nil ageretur secundum Glossam, in cap. Episc. de tempor. Ordinis, & secundùm Glossam Raymundi. * Hostiensis, Hugo Archidiaconus Parmitanus, & ferè omnes jurisperiti, ut ait Turrecremata, & ex illo refert Thomas Sanchez *tom.* 1. *consil. lib* 7. *cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 26. probabilem censent. Item Cajetanus, Coninch, Philibertus Marchinus, & plures, quos sequuntur Castro Palao *tom.* 4 *tract.* 25. *punct.* 14. *n.* 13. Diana *p.* 10 *tr.* 1. *ref* 29. Bernal *de Sacram. disp* 49. *sect.* 2. *n.* 5. Laurentius Brancatius *tom.* 1. *disp. artic* 4 *n.* 89. dicens: * *Neque pro Episcopo haberem, si ordinatum*, * & alii ex Aniceto Papa in Epistola differente de S. Jacobi minoris ordinatione in Episcopum Hierosolymitanum, ubi ait. * Patet profectò, eum formam, instituente Domino, tradidisse, non minus quàm à tribus Episcopis debere Episcopum ordinari. * Sic Anicetus explicans testimonium Anacleti *epist.* 2. *Decretali cap.* 2. Ubi hunc consecrationis modum se tradere dixerat, *prout Dominus tribuit*. Probant insuper ex Joanne Papa III. in Epistola, quæ habetur *tomo* 2. Conciliorum, dicente: * Omnia quæcumque maxima Concilia affirmant, illum nonesse Episcopum, qui minus, quam à tribus Episcopis, Metropolitani etiam auctoritate, fuerit factus. * Et tamen opinionem circa licitam consecrationem Episcopi, ab uno tantum confectam, etsi minus tutam, sequuntur frequenter Summi Ecclesiæ Pontifices, ut quotidianæ Episcoporum apud Indos consecrationes testantur, & plures Gregorii XIII. Pii V. & Alexandri VII. ex Henriquez *lib.* 10. *de Ordin cap.* 24. ex Machado *tom.* 2. *lib.* 4. *p.* 6. *tr.* 2 *docum.* 6. & Brancatio *ubi sup num.* 3. referuntur à D. Joanne de Caramuel *in apolog. quæ.* 4. *fol.* 83. *num.* 146.

9. Quod autem minus tuta sit opinio asserens, Episcopum ab uno tantum Episcopo validè consecrari (&, accedente dispensatione Pontificis, etiam licitè) est evidens ex apprehensione terminorum, quia ita vera, ex Christi institutione, ad eius valorem tres Episcopi requirantur, consecratio ab uno tantum nulla erit: Ergo ab uno consecratus, non erit Episcopus: ergo neque alii, quos ipse consecraverit: ergo neque erunt Sacerdotes, quos ordinaverit: ergo neque validæ absolutiones, quas isti impenderint. Et cum rarò ex Indis ad Europam Episcopi ab uno tantum consecrati revertantur, totius ferè orbis Episcopi, Sacerdotes, sacrificia, & consequenter Sacramenta Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, in dubium, seu priorem revocari necesse erit: quæ omnia periculo certissimè evitantur, si tres Episcopi in consecrationem concurrant. Ergo ex praxi Pontificum (cum ibi hoc definita non sit) apertè colligitur, licitum esse amplecti opinionem minus tutam circa Sacramenti valorem, & licitam eius administrationem, licet rissimum sit, probabilitatem opinionis defectum valoris Sacramenti supplere non posse.

§. I.

Effugium Baronii.

10. REspondet Baronius 1. *part. adversus Cutmuelem. disp.* 2. *sect.* 5. *fol.* 341. contrariam opinionem, pro valore consecrationis Episcopi ab uno tantum confectæ, probabiliorem esse; & per consequens, & quæ ex dispensatione Pontificis ejusmodi consecrationem licitam asserit, secus Pontifi-

ficem dispensare non potuisse. En eius verba? *Addo, non potuisse ab ullo dispensari hac in re, si probabilius constaret, jure divino, Episcopi consecrationem ea forma esse faciendam, quia in re sacramentaria, quæ sunt necessaria ad medii efficaciam, nulla possunt excusari ignorantia, aut probabilitate suppleri. *Sed contra manifestè ad hominem; quia nec major probabilitas supplere potest defectum valoris consecrationis, neque evitare damna innumera, quæ ex illo pullulare necesse est: ergo licet probabilius constet, Episcopi consecrationem ea forma validam esse, non potest à Pontifice dispensari, neque ullo modo fieri licitus talis opinionis, etsi probabilioris usus; sicut neque (ipso Baronio testante) opinionis Cajetani circa Baptismum sub ea forma *in nomine Genitoris, & Geniti, &c.* *Etsi probabilissima sit: *propter periculum relinquendi proximum sine Baptismo. Quod opinione alia tutiori relicta inevitabiliter imminet, quantumvis opinio circa valorem probabilior adstruatur. *Quia in re sacramentaria, quæ sunt necessaria ad medii efficaciam, nulla possunt excusari ignorantia, aut probabilitate suppleri.* Nequibit ergo Pontifex majori opinionis probabilitate excusari in electione opinionis minus tutæ, si aliàs ad tutiorem, etsi minus probabilem eligendam adstringatur, ut hic auctor totis nixibus probare tentat; ut constat ex testimoniorum colluvie, quæ ex illo adduxi *quæst.* 5.

11. Contra secundo: quia ipse Baronius sibi non constat: nam *disput. 2. citata sect. 1. art. 3. fol. 135.* Tradit opinionem tutiorem circa Sacramenta, quæ sunt necessaria ad medii efficaciam, ex præcepto eligendam, relicta contraria, quacumque probabilitate munita. *Consequitur (inquit) manifestè, cum de mediis ad salutem comparandam institutis lege naturali, aut positiva agitur, semotis quibuscumque probabilitatibus, quæ stant contra, semper tutioribus adhærendum.* Quod prædixerat *disp. 1. sect. 2. art. 3. fol. 24.* *Omnes (inquit) concedunt, dari interdum formam, & materiam Sacramenti probabilem, & longè probabiliorem sententia, quæ id negat; quæ tamen usurpari nequit, & adhiberi forma illa probabilissima, omissa communi, & solita, citra peccatum mortale, nisi urgeat necessitas, & periculum salutis illius, qui juvandus est Sacramento. *Ergo cum nulla in præsenti urgeat; & talis opinionis usus gravissimis periculis sit expositus, illicitus prorsus erit, adhuc admissa majore probabilitate opinionis pro valore consecrationis Episcopi. Quod magis constat ex his, quæ tradit *disp. 2. sect. 1 fol. 133.*

12. Contra denique tertio: quia dum opinionem minus tutam circa Sacramenta liceat amplecti, nemo titulo minoris probabilitatis ab eius praxi abstinere tenebitur; quia opinio Scoto minus probabilis, probabilior D. Thomæ videtur, & è contra: & ideò quam quisque doctus à principiis intrinsecis minus probabilem contraria censeat, poterit auctoritate extrinseca probabiliorem judicare, & certo certius poterit indoctus, cui major probabilitas est imperceptibilis. Ergo si opinionem minus tutam circa Sacramenta necessaria ad salutem, necessitate medii, seu necessaria ad medii efficaciam (qualem Episcopi consecrationem vocat Baronius) liceat amplecti, minus etiam probabilem Pontifici dispensanti, dum aliis probabiliorem, sequi licebit: Potuisset ergo Pontifex hac in re dispensare, etsi probabilius sibi non constaret, Episcopi consecrationem jure divino sub ea forma validam esse. Quibus Baronii solutio omni ex capite futilis ostenditur.

§. II.

Vera, & tenenda sententia.

13. Duplici conclusione clauditur. Prima est: quotiescumque fuerit opinio probabilis circa licitam administrationem Sacramenti hic, & nunc, sub hac materia, vel forma, intentione, vel jurisdictione; se illi conformans licitè ad praxim devenire potest, efformando ultimum judicium practicum certum, quod sibi liceat, juxtà illam operari. Id evincunt Doctores, & fundamenta communis sententiæ de electione opinionis probabilis circa licitum, etiamsi minus tutæ, minusque probabilis circa valorem Sacramenti. Cujus beneficio à peccato excusantur omnes, qui se illi conformantes operantur.

14. Secunda conclusio. Nequit esse practicè probabilis opinio circa licitam administrationem Sacramenti valoris tantum probabilis (secluſa necessitate) quoties ex eius usu, damni gravis periculum, cui proximus cedere non possit, probabiliter subsequi potest. Hanc conclusionem à principiis intrinsecis veram reputo. Moveor, quia nulla opinione, etsi probabiliori speculativè, si re ipsa, & coram Deo falsa sit: & nulla ignorantia, quantumvis invincibili ex dissidio opinionum suborta, vitabitur damnum salutis æternæ proximi, cujus etiam periculum sub læthali ex charitate vitare tenemur: ergo nulla opinio potest reddere licitam praxim sententiæ minus tutæ circa valorem Sacramenti in his circunstantiis: ergo à principiis intrinsecis nulla potest esse practicè probabilis circa licitum, quando damnum irreparabile, seu cui cedi non potest consecuturum est probabile. Confirmatur, quia opinio probabilis practicè, seu judicium ultimum circa licitam operationem hic & nunc, est assensus prudens rectæ rationi conformis: nemo autem potest prudenter judicare, licitum sibi esse administrare Sacramentum dubium, seu probabilis tantum valoris, relinquendo certo validum, & fructuosum, quando hoc adhiberi potest, & secus imminet probabiliter damnum irreparabile æternæ salutis proximi, sicut nullus medicus prudenter operabitur, qui applicet medicamentum, quod judicatur probabiliter proficuum, relicto certo, quo mors certissimè vitabitur. Hoc lumine naturæ notum. Ergo cum usus opinionis minus tutæ, etsi probabilioris, circa valorem Sacramenti, quando tutiori uti possumus, vergere possit probabiliter in gravissimum damnum proximi, cui ipsi cedere non potest, nequit esse practicè probabilis opinio circa licitum talis opinionis usum.

15. Secundo probatur, nam ex eo, quod lege justitiæ teneamur vitare homicidium, implicat, secluſa necessitate (ut ait Baronius 2. *part. disput. 1. sect. 1 fol.* 47.) esse opinionem probabilem circa licitam emissionem sagittæ ad occisionem animalis, quod venator à longe stans, probabilius censet, feram esse, quàm hominem; eo quod major probabilitas opinionis circa naturam animalis, nequeat vitare homicidium, si re ipsa præfatum animal fuerit homo: ergo cum lege charitatis teneamur, salutis spiritualis proximi damnum evitare, nequibit esse opinio probabilis circa licitam applicationem medii, quod periculum probabile æternæ damnationis importet; quia major probabilitas circa valorem Sacramenti, nequit vitare æternæ damnationis periculum proximi, qui certo Sacramento juvari poterat. Nequit ergo esse

probabilis opinio circa licitum usum opinionis minus tutæ, etsi probabilioris, circa valorem Sacramenti, relictâ certâ, & tutiori, ex qua nullum periculum imminet.

16. In hoc sensu veram existimo oplnionem asserentium, quod si solum attenderemus reverentiam debitam Sacramento, liceret quamcumque opinionem probabilem sequi, circa valorem, nisi obstaret usus, & consuetudo recepta Ecclesiæ: Si verò attendamus fructum Sacramenti, vel damnum proximo imminens ex defectu valoris, tenemur tutiorem amplecti. Ita Vasquez 1. 2. *disp.* 63. *cap.* 2. *&* 3. Thomas Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 9. *n.* 35. *& sequentibus.* Basilius Pontius *lib.* 4. *de Matrim. cap.* 25. *num.* 8. *&* 9. Villalobos *de conf. diffic.* 13. & alii. Et est conforme sententiæ D. Augustini *tom.* 10. *Homil.* 41. *de Pœnit.* Ubi loquendo de articulo mortis inquit: *Tene certum, & dimitte incertum.* Quapropter dissidentibus Doctoribus, circa valorem Ordinis Præsbyteratus, vel Episcopatus susceptl; debere dubitantes, iterum sub conditione ad eundem gradum promoveri, adidque ex lege charitatis, & justitiæ adstringi, ait Bard. *de conf. fol.* 310. *disc. cept. 6. cap.* 11. *p.* 6. §. 2. *n.* 6. *&* 8. Eo quod malum, quod timetur est irreparabile, & innotabile damnum fidelium vergat, nil prorsus adjuvante probabilitate opinionis: Si enim revera Ordo Sacerdotalis, vel Episcopalis invalidè susceptus fuerit; quot indè mala: expendat lector. Ideo cum Bardi sentiunt Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 47. 48. *&* 49. *& tract.* 14. *resol.* 64. *&* 6. *part. tract.* 8. *resol.* 19. Verricelli *tom.* 1. *qq. Moral. tract.* 2. *quæst.* 27. *n.* 11. Angelus, Suarez, Valentia, Granado, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacrament. *tom.* 1. *tract.* 1. *quæst.* 14. Et esse obligationem iterandi Sacramenta, quando prudenter dubitare possumus de eorum valore, ait Lugo *tom. de Fide, dis.* 1 *sect.* 13. *n* 321. & Quintanaduennas *tom.* 1 *sing.* 10. *fol.* 19.

17. Si autem damnum, quod ex opinione minus tuta pro valore Sacramenti, (si falsa esset) subsequi potest, tale sit, cui proximus queat cedere, locus manere potest probabilitati opinionis circa licitū eius usum, atque adeo si apud Doctores probabilis habeatur, licitè operabitur, qui ei se conformet. v. g. Est opinio probabilis circa jurisdictionem Sacerdotis ad absolvendum à reservatis: & similiter est opinio, quod liceat, jurisdictione hac probabili uti, & pœnitens rel conscius hunc eligit, relicto alio, in quo certa jurisdictio residet: in hoc casu licitè potest confessarius electus, illum absolvere, quia scienti, & volenti nulla fit injuria: licet enim contingeret, Sacramentum ex defectu jurisdictionis infructuosum esse, huic damno potest pœnitens ipse cedere, sicut & nolle absolutionem recipere. Periculo autè frustrationis Sacramenti, ex opinione probabili de eius valore, se exponere, nullum est peccatum contra Religionē, ut tenet communis Doctorum sententia, apud Machado *tom.* 1. *disc. curs. practico, art.* 5. Nam probabilis opinio negans prohibitionem administrationis, satis evincit, legem non esse sufficienter promulgatam, & propositam; ideoq; vim obligandi non habere: ex judicio autem prudenti se exponere periculo operandi contra legem non sufficienter propositam, non est periculo peccandi se committere, ut ostendi *quæst.* 6. §. 7. quia tunc, revera, non est contraria pars tutior in ordine ad conscientiam, neque ibi est aliquod dubium practicum. Sic in casu, quo opinio minus tuta probabilior sit, discurrunt plures, tam ex antiquis, quàm modernis. Et quando moraliter certa omnes fatentur, quamvis revera semper sit periculum efficiendi materialiter contra legem.

18. Rogabis, an quod diximus de jurisdictione Sacerdotis, procedat etiam in articulo mortis? Respondeo affirmativè, quia pro eo articulo omnibus Sacerdotibus in omnia peccata æqualis jurisdictio conceditur, ut probabo *tract.* 3. *de Pœnit. disput.* 7. *quæst.* 3. Indici debet, nullam esse opinioni contrariæ probabilitatem practicam, aut negare tenemur, simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis licitè absolvere, & adsit alius approbatus, neque hunc à casibus reservatis, si superior adsit: quia relinquere medium certum, & eligere minus tutum, licet probabilius, ex quo periculum æternæ damnationis proximi probabiliter imminet, est contra omnes prudentiæ, & charitatis regulas. Si enim re ipsa falsa sit probabilior opinio, quæ indiscriminatim cuicumque Sacerdoti, pro articulo mortis, æqualem jurisdictionem concedit, & aliàs pœnitens sola attritione confiteatur, cum probabilitas major communis opinionis defectum jurisdictionis ad valorem Sacramenti requisitæ non suppleat, pœnitens sic decedens absque dubio in æternum peribit: tenetur ergò propter periculum salutis, medium certum Sacerdotis approbati, etiam quod reservata, sibi eligere, & incertum, & probabile tantum relinquere.

19. Respondeo, moraliter certum esse, nullius Sacerdotis absolutionem ex defectu jurisdictionis in articulo mortis invalidam esse, quia certum moraliter est, piam matrem Ecclesiam ad vitandum talem æternæ damnum, ex diversitate opinionum imminens, æqualem omnibus Sacerdotibus jurisdictionem concessisse: & ut docent communiter Doctores, *ex l. Barbarius de offic. Prætoris*, error communis facit ad gestorum validitatem. Quod ad opinionem probabilem Doctorum, extendunt Thomas Sanchez *lib.* 1. *in decalog. cap.* 9. *num.* 35. & *lib.* 3 *de Matrim. disp.* 22. Basilius de Leon *lib.* 5. *de Matrim. cap.* 19. *num.* 2. & *cap.* 20. *num.* 7. Bonacina, Mag. Serra. Mag. Bapttll, Mag. Gregorius Martinez, & alii apud Joann. Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 1. *quæst.* 6. 2. *num.* 17, & cum pluribus Thomas Hurtado *tom.* 2. *resol. Moral. tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 205. dicens: *Esse unum certum.*

20. Dices, neque hoc probabilissimum fundamentum animum pacare; quia certum etiam moraliter est, attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ sufficere ad eius valorem, & fructum; & tamen in articulo mortis, ob salutis æternæ periculum, tenetur peccator actum contritionis elicere, ut tenent Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. sect.* 4. *num.* 18. Thomas Sanchez *tom.* 1. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 34. M. Nugnus 3. *part. tom.* 2. *quæst.* 2. *artic.* 4. & plures apud Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 98. & apud Leandrum à Sacram. *de Pœnit. disp.* 7. *quæst.* 8. Eo quod, cùm fides certum non sit, attritionem cum Sacramento sufficere, locus maneat periculo damnationis æternæ, quod ex charitate vitare tenemur, & à quo neque moraliter certa opinio, si re ipsa falsa sit, hominem liberet certa opinio, si re ipsa falsa sit, hominem liberet certa opinio, si re ipsa falsa sit, hominem liberet

21. Utrique difficultati eadem solutio respondet. Dico ergo, eum, qui attritione cognita confessus est, non habere obligationem eliciendi actum contritionis. Ratio est, quia nemo potest in hac vita adquirere certitudinem metaphisicam de statu gratiæ, sed solum moralem; ideoque cum ad impossibile nemo teneatur, dum hanc per Sacramentum Pœnitentiæ ex attritione cognita adeptus fuerit, ad aliud medium non tenetur. Confirmatur, quia nequit peccatori certius constare, elicuisse actum contritionis, quam adeptum fuisse gratiam per Sacramentum cum attritione susceptum. Ergo sicut qui certus moraliter esset de actu contritionis, in nulla opinione ad hunc iterandum teneretur, eo quod certus moraliter sit de statu gratiæ; ita qui certus moraliter fuerit de hoc statu per Sacramentum ex attritione susceptum, ad habendam contritionem, non tenebitur. Consequentia videtur irrefragabilis, quia re benè inspecta, magis certus moraliter quisque esse debet, quod Sacramentum cum attritione gratiam causaverit, quam quod actum contritionis elicuerit: illud enim ita certum est, ut oppositum sit dignum censura; secus istud. Ergo nec est obligatio eliciendi actum contritionis in articulo mortis, sed præcepto charitatis plenè satisfit, Sacramento Pœnitentiæ cum attritione cognita susceptо, ut benè docent Coninch, Becanus, Laym. Fagund. Philip. Faber, Turrianus, Salas, & plures alii, quos citatos sequuntur Cardinal. de Lugo *de Pœnit. disput. 7. sect. 13. num. 262.* Mag. Prado *ubi suprà, quæst. 5. §. 4. num. 14.* Diana, & Leander *loci citatis.*

22. Hinc ad argumentum de jurisdictione præsto est solutio, pro articulo mortis certam esse moraliter omnibus Sacerdotibus æqualem in omnia peccata jurisdictionem; secus Ecclesia sub opinione reliquisset salutem omnium, qui opinionem minus tutam circa jurisdictionem pro eo articulo ignorantia invincibili elegissent, credentes sine ulla hæsitatione à quolibet Sacerdote æquè validè, & licitè absolvi posse. Quod dicere, plusquam temerarium est: sed evidenter sequitur, si ex conflictu opinionum jurisdictio pro eo articulo incerta, & probabilis tantum relinqueretur. Ideo Sacerdotem absolventem ex quacumque opinione revera probabili intrinsicè, vel extrinsicè, circa jurisdictionem, validè absolvere, idque moraliter ita certum esse, ut oppositum sit improbabile, & falsum, tradit Verricelli *in qq. Moral. tom. 1. tr. 2. quæst. 25.* Ubi pluribus id probat, cui lubens subscribo.

23. Obiicies, contra nostram conclusionem, directè militare factum Pontificum de quo supra, qui opinionem minus tutam in consecratione Episcopi sequuti sunt, dispensationem concedentes, ut ab uno tantum Episcopo fieri posset, cum tamen à tribus ex necessitate Sacramenti, ut validè fiat, effici debere, validè probabile sit. Est ergo practicè probabilis opinio circa licitam administrationem Sacramenti valoris tantùm probabilis, etiamsi grave damnum proximi indè subsequi possit, aliàs graviter deliquisse, tàm Summi pontifices dispensantes, quam Episcopi consecrantes, & consecrati. Respondeo 1. Pontifices, & Episcopos dispensatione utentes, secundùm communem sententiam, excusari à peccato, quia id præstiterunt innixi opinioni contrariæ statuenti probabile esse practicè, licere uti opinione minus tuta in administratione Sacramentorum valoris tantùm probabilis, dum Ecclesiæ prohibitio deficiat, non obstante periculo damni aliis probabiliter inferendi. Quam tueri aliquos recentiores refert Vazquez 1. 2. *tom. 1. disp. 63. cap. 1. num. 3.* & tenent M. Bartol. de Medina 1. 2. *quæst. 19. artic. 6. §.* * *Cæterum,* * Cenedo *in pract. quæst 8. numer. 23.* Castro Palao *tom. 1. disp. 2. punc. 5. num. 8.* Ubi contra Vazquez, Villalobos, Anton, Perez, & utrumque Sanchez, inquit. * Nullus mihi se offert casus, in quo ob charitatem proximi tenearis uti sententia omnino certa * pro qua refert Montesinos, 1. 2. *disp. 29. quæst. 3. num. 232.* Huic igitur opinioni adhærentes ab omni peccati labe immunes severè pronuntio.

24. Cæterum cùm probabilitas opinionis, quantacumque sit, non possit reddere validam consecrationem, si deficiat Minister à Christo Domino constitutus, (ut in confesso est apud omnes,) quia sicut in Ecclesia nulla est potestas ad conficiendum Sacramentum Pœnitentiæ, v. g. si non sit Sacerdos, qui est ejus Minister: ita neque ad Sacramentum Ordinis Sacerdotalis, vel Episcopalis, si re ipsa non detur Minister ex institutione Christi determinatus. Ideo si Minister ex necessitate Sacramenti ad consecrationem Episcopi, sint tres Episcopi, nulla & invalida prorsus erit consecratio, si ab uno, vel duobus tantùm fiat. Ex quo tot, tam ingentiaque absurda sequuntur, ut me judice, nulla in universa Theologia morali quæstio sit, quæ sententia Pontificia, è Cathedra rem hanc definiente magis indigeat.

25. Interim verò, ad pacandos fidelium animos, dicendum existimo, Pontificem, qui primò, facto ipso dispensationis, declaravit (ut potuit) jus divinum circa Ministrum consecrationis Episcopi: & Ecclesiæ notum fecit, alium esse ordinarium, nempè tres Episcopos, alium ex commissione, seu delegatione, & hunc esse unum, vel duos Episcopos tantum; illum inquam, in re tanti momenti, matuto consilio processisse, prævio Theologorum examine, & auditis Eminentissimorum Cardinalium votis, & speciali Spiritus Sancti assistentia, qualis adres fidei est illi promissa, ne in consecratione Episcopi, ut potè in medio ad salutem animarum necessariò, ex cujus veritate, Sacramenta, & sacrificia dependent, error aliquis omnia cassa reddens immisceretur. Atque adeo post primam dispensationem Pontificis, canonizatâ mansisse sententiam, quæ docebat Ministrum ex cōmissione, consecrationis Episcopi, esse unum, vel duos Episcopos; ad eumque certitudinis gradum evectam, ut contraria nullam modo habeat probabilitatem. Moveor ad hoc assertum ex loco Div. Pauli ad Ephesios 4. ubi ait: * Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autē Prophetas, alios Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes, &c. * Ubi docet Apostolus, ut benè ponderat Bellarminus *tom. 2. lib. 4. cap. 8. de notis Ecclesiæ, §.* * *Sed ut vis,* *) Futuros Pastores in Ecclesia, usque ad diem judicii: tunc enim omnes occurremus Domino in unitate fidei. Quod autem Episcopi sint Pastores gregis Domini, constat *ex Act. Apost. 28.* ibi: * Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. * Ex quibus apertissimè constat, Ecclesiam Dei esse non posse sine Episcopis, & Sacerdotibus. Unde Hieronymus *in lib. contra Luciferianos.* Ecclesia (inquit) non est, quæ non habet Sacerdotes. *

26. Modo sic. Si Episcopus ab uno, vel duobus tantum consecratus, non esset verè Episcopus, non esset apud Indos Ecclesia, quia nullus ibi esset Episcopus; cum omnes, vel à uno tantùm consecrati, vel à pluribus, qui verè Episcopi non erant ex hoc defectu. Nulli Sacerdotes, quia non à vero Episcopo ordinati.

dinati. Quod probabile esse nsgare non poterit, qui post dispensationem Pontificiam, probabile adhuc judicaverit, consecrationem Episcopi nisi à tribus Episcopis esse invalidam. Si autem semel admittatur probabile, apud Indos non esse Ecclesiam, quia nec Episcopi, nec Sacerdotes, nec apud Hispanos inveniri, inferri indè quisque poterit; quia Episcopi ibi consecrati, & Sacerdotes ibi ordinati, quorum plures ad Episcopatum promoti sunt, totam fere Hispaniam repleverunt. Undè probabile foret in Hispania nullum esse verè Episcopum, quia nullus est à tribus verè Episcopis consecratus; nullum verè Sacerdotem, quia à nullo verè Episcopo ordinatum, ac proindè nec Ecclesiam, nec Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Ordinis, & extremæ Unctionis. Adde quod cum Pontifex possit ubique terrarum dispensare, ut ab uno Episcopo consecrat o fiat; si de facto dispensaret, relinqueret probabile, brevi tempore nullum in Ecclesia Dei Episcopum, vel Sacerdotem futurum. Quæ non solùm falsa, & improbabilia, sed ut hæretica declarari digna censerem, utpotè contra Pauli testimonium, supra citatum, ubi Christum Dominum quosdam dedisse Pastores, tradit: *Donec occurramus omnes.* Nempè usque ad diem judicii. Ergo principium, ex quo tot absurda deducuntur, plusquam falsum est, ac proinde post dispensationem Pontificiam dubitare non licet verè Episcopum esse, etsi ab uno tantum consecratum. Quia ut ait M Bannez 2.2. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub* 8. *conclus.* 4. * Non potest Summus Pontifex errare, ita ut approbet leges perniciosas, aut nocivas saluti animarum,* & oppositum dicere (inquit) esse hæreticum,* & ut benè Mag. Canus *lib.* 6. *de locis Proposit. secunda.* * Si Pascua salubris doctrinæ ovibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis, & perniciosis pascere; nimirum non esset à Christo Ecclesiæ provisum. * Sed qui perniciosior error, quam Episcopis, & Sacerdotibus Ecclesiam Dei orbare, ex quo tot, tantaque irreparabilia mala indies imminent? Nequit ergo Pontifex in præfata dispensatione errasse.

27. Secundò probatur à posteriori, argumento mihi efficacissimo. Communis Theologorum opinio est eum, qui probabiliter credit non esse baptizatum, teneri sub conditione baptizari, & eum qui probabiliter opinatur non esse Episcopum, vel Sacerdotem, obligari ad ordines sub conditione iterandos: videmus tamen experientia, omnes de baptismi valore probabiliter dubitantes, iterationem baptismi solicitè petere; nullum verò Episcopum ab uno tantum consecratum, vel Sacerdotem ab ejusmodi Episcopo ordinatum de obligatione iterandi scrupulis angi, nedum ordines iterum sub conditione recipere. Nec à viris doctis, & Religiosis suasione, & consilio ad iterationem conditionatam inducuntur, cum tamen ex defectu Ordinis Episcopalis, vel Sacerdotalis verè suscepti, tot absurda consequi certissimè videant. Signum ergo evidens est, omnes fideles, ea certitudine credere Episcopum ex commissione Pontificis ab uno consecratum, esse verè Episcopum, & ab illo sacris insignitos veros Sacerdotes, ac si à tribus Episcopis consecratus fuisset. Est ergo jam certissimum ad consecrationem Episcopi, ex commissione unum Episcopum sufficere, posseque Pontificem munus hoc uni, vel duobus delegare, & improbabile prorsus Episcopum sic consecratum non esse verè Episcopum. Et sanè quis dubitet Apostolos per varias mundi plagas dispersos, sic successores in Episcopos consecrasse? Ubinam ad manus habuit, D. Thomas Apostolus ad Indos pergens, in validissimis illis regionibus, tres Episcopos, qui secum navem ne licet Minister Ordinarius sint tres Episcopi, ut suadent testimonia, quæ contraria opinio allegat. Minister verò ex commissione unus Episcopus esse potest. Sicut duplex est Minister Baptismi, alius necessitatis, nempè Sacerdos, alius necessitatis, licet quicumque sæcularis.

28. Et sic olim in Ecclesia quandoque practicatum, suaderi putant non pauci ex Clemente Romano *lib.* 8. *Constitutionum, cap.* 27. Ubi dicitur * Quod necessitas coegerit ab uno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum. * Et ex D. Gregorio Magno, qui commisit D. Augustino Episcopo Cantuariensi, ut ipse solus Episcopos consecraret, quando alii non essent, ut habetur *in Responsione* 8. *ad interrogationes ejus D Augustini.* Cæterum horum authoritatem non ido, quia de libri Clementis authore non satis constat: & textum D. Gregorii mendosum esse, colligitur *ex lib.* 12. *Epistolarum registri in fine.* Quapropter ad dispensationes à Summis Pontificibus postea concessas recurrendum est: de quarum valore, minimè dubitare non licet: esset enim assistentiam Spiritus Sancti in his, quæ ad fidei conservationem necessaria sunt, in dubium revocare. Quod nefasest. Quapropter Veracruz *in speculo, 2 part. art.* 27. cum Sancto Antonino, Cajetano, & Armilla, jure optimo scripsit: * De Pontificis potestate postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii est, * esset enim Christo Domino quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiæ suæ providisset, ut benè adnotat Illustris. Montenegro Episcopus Quitensis, apud Indos *in nomenario, sess.* 26. *fol.* 506. Quod autem dispensatio ipsa vim quandoque habeat statuti, tradit Sylvester *voto* 4. *n.* 5. *in fine.* Ubi loquens de dispensatione voto solemni castitatis, quam Pontificem concedere posse negat, licet contrariæ opinioni innixum aliquando fecisse constet: Sic inquit. * Aliud est facere de facto, aliud determinate, quod ita possit fieri de jure. Quod si faceret Papa, ut Papa, id est, ut caput utens adjutorio membrorum, consultando fidum, & faciendo quod in se est, ut sciat veritatem, tali determinationi standum esset necessariò. * Quis autem credere poterit in re tanti momenti; ex cujus veritate dependet, Sacerdotes ritè initiatos esse, ac verum in multis Christianorum Provinciis Eucharistiæ nunc esse Sacramentum, Pontificem, ut talem non processisse? Facto ergo ipso quæstionem de Modo consecrationis Episcopi, à Summo Ecclesiæ capite solutam esse dubitare non debemus, nec possumus.

(*.*)

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS de Religione.

DISPUTATIO PRIMA.

De Voto, & Iuramento.

QUÆSTIO PRIMA.

An votum castitatis, vel Religionis emissum, à valdè proclivi in venerem, obliget ad abstinendum à matrimonio? & quid si fragilitas post emissum votum adveniat.

§. I.

1. QUoad primam quæstionis partem, negativam sententiam amplectuntur gravissimi Doctores asserentes, posse licitè matrimonium contrahere, ac si votum non emisisset. Sic M. Petrus de Ledesma *in sum. 2. p. tr. 10. de voto cap. 2. post 4. concl.* §.* Lo sexto, y ultimo digo.* *fol mihi 617.* * Si Pedro (inquit) se siente muy flaco, y con mucho peligro de ofender a Dios, no està obligado a cumplir el voto simple que haze de Religion, presumiendo desi, moralmente hablando, que la Religion por la imperfeccion suya, le ha de ser de mas dano, que provecho, &c. Mas si haze voto solemne de Religion, es valido el voto, y obligatorio. Esta doctrina se saca casi claramente de S. Thomas, y de Cajetan. 2. 2. *q.* 88. *ar.* 1. *ad* 3. Pruebase lo primero, en quanto a la primera parte. Solo el acto de virtudes materia de voto (como ya està declarado) y en nuestro caso el tal voto considerado en tal individuo, dexa de ser acto de virtud, y redunda en danno espiritual del que le haze, luego no es valido. Lo segundo se prueba. El voto se deve hazer de lo que es mas util, y provechonso al alma de el que le haze, como consta de su definicion, y de la doctrina de todos, y en nuestro caso no se halla esto. como consta de sus terminos: luego no es valido el tal voto.* Quid clarius?

2. Hanc doctrinam deducere sibi videtur Ledesma ex D. Thoma, & Cajetano, & benè quidem: quia abstinere à nuptiis non magis est materia voti, quam maceratio carnis per vigilias, & jejunia, sed hæc non ut cumque est materia voti: quia ut ait D. Thomas.* Non est Deo accepta, nisi in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis gravetur, & sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere. * Ergo idem dicendum de abstinentia à nuptiis, nempè solùm posse sub voto cadere, quando natura non nimis indè gravetur, secus si propter fragilitatem res aliter se habeat, & in præjudicium & periculum animæ voti observatio vergere videatur.

3. Ideo hanc opinionem, cum Ledesma, tenet Bonacina *tom. 2. circa 2. decalogi præcep. disput. 4. quæst. 2. punct. 1. num. 26.* dicens.* Octavo sequitur, invalidum esse votum castitatis, vel Religionis, vel non nubendi, factum ab eo, cui salubrius est matrimonium, ob incontinentiam, & lapsum in res venereas. Ita Petrus de Ledesma, & alii apud Sanchez *lib. 4. cap. 8. n. 9.* contra eundem Sanchez *num. 10.* Ratio est, quia votum debet esse de meliori bono; in tali autem casu, non est de meliori bono, cum melius, & salubrius voventi sit matrimonium quàm abstinentia à matrimonio. * Sic ille. Ejusdè sententiæ sunt Quintanaduennas *to. 1. Singul. tract. 9. Singul. 12. num. 6.* & alii quos citatos sequitur Leander à Murcia Capuccinus *in Disquisit. lib. 2. disp. 2. resol. 23.*

4. Et probabilem esse, dicit Homobonus de Bonis *in consult. mor. vol. 1. p. 2. resp. 28.* ut testatur Diana *part. 4. tract. 4. resol. 102.* Ubi sic:* An votum castitatis, vel non nubendi factum à proclivi sin venerem valeat? Hic casus potest frequenter accidere, & Homobonus de Bonis putat, probabilem esse sententiam, tale votum invalidum esse, cum ab eo sit factum, cui ob incontinentiam, & in carnis peccatum lapsum, matrimonium salubrius sit. Sed tu cogita.*

5. Quibus consentit Fr. Martinus de S. Joseph *in Monitis confess. tom. 1. lib. 1. trat. 41. de Matrim num. 6.* Ubi sic:* El que hizo voto de castidad, ô Religion, siendo cosa cierta, que le està mejor casarse, por la experiencia que tiene de suscaidas, y flaqueza en pecados de carne, ô presumiendo de si, con consulta de hombre prudente, y docto, a quien communicó sus caidas, que la Religion le ha de ser de mas danno, que provecho, es muy probable, que no le obligan estos votos: porque no son *de meliori bono* para el que votò, y contra el consejo de san Pablo, Corinth. 7. *Quod si non se continent nubant: melius est enim nubere, quàm uri.* * Sic ibi. Et probabilem etiam putat Trullench *in decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 18.* dicens:* Invalidum videtur votum castitatis, vel Religionis, vel non nubendi, factum ab eo, cui salubrius est, matrimonium ob incontinentiam, & lapsum in res venereas. Ita Petrus de Ledesma, & Bonacina; quia hoc votum non censetur de re meliori. Oppositum tamen tenet Sanchez, & fortè verius, ob idque talia vota emittentes, si contrahere velint, solent, & tenentur petere dispensationem à Pontifice, ut etiam primæ sententiæ Authores concedunt. Signum est ergo, talia vota esse valida.* Sic Trullech, qui sententiam Ledesmæ, & Bonacinæ probabilem putat, & ab illis solùm discedit ob inconsequentiam doctrinæ, quæ re ipsa videtur inevitabilis, ut modestè fatetur Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 9.* dicens:* Addit Ledesma, teneri hunc impetrare dispensationem: quod non intelligo: Si enim votum est irritum, non eget dispensatione, etsi eget, non est irritum.* Quod eodem jure potuisset contra Bonacinam, & alios contorquere. Quapropter Martinus de S. Joseph, ubi suprà, consequèter ad illorum opinionem, quàm ipse, ut vidimus, valdè probabilem putat, sic ait:* Y siendo assi, no parece necessario pedir dispensacion a su Santidad, pues don. de no ay voto no ay dispensacion del.* Et ad praxim petendi dispensationem respondet:* Que esto procede de no acabar de ajustar, si el casarse con las malas inclinaciones, y caidas dichas, es mas util: que ajustado bien esto, las razones en que se funda la primera sentencia, parece que no admiten solucion.*

6. Et sanè D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 3. in cujus auctoritate fundatur Ledesma ad exigendam dispensationem, non dicit, esse de necessitate, sed de congruentia.* Sed quia in his, inquit, quæ ad se ipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris

rioris sunt, vel servanda, vel prætermittenda. Ita tamen quod si observatione talis voti manifestum gravamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non debet homo tale votum servare.* Sic D. Thomas, quem ita exponit Cajetanus *ibidem ad 2.* * Nota, quod littera non dicit, quòd quando observatio voti est manifestè nociva notabiliter, requiratur recursus ad superiorem, etiam in promptu habitum, sed dicit, quod congruentius secundum superioris arbitrium, &c. Et ratio est, quia desinit in tali casu res promissa (scilicèt, abstinere) esse pro tunc materia voti, ex quo non est pro tunc actus virtutis talis maceratio corporis, ut in littera habes. * Hæc ille.

7. Propter hæc votum non nubendi, & castitatis (prout ad abstinendum à matrimonio refertur) non obligare in casu posito, valdè probabile mihi videtur. Quod sic ulterius ab oppositio probo. Votum contrahendi matrimonium est validum in aliquibus circunstantiis: ergo in eisdem votum non nubendi invalidum erit. Consequentia est evidens; quia votum nubendi ideò est validum, quia est de meliori bono in talibus circunstantiis: Si autem nubere est majus bonum, non nubere minus bonum erit: ergo in talibus circunstantiis votum non nubendi erit de minori bono, ac proinde invalidum. Igitur omnes Doctores, qui defendunt, votum nubendi aliquando esse validum, tenentur à fortiori dicere, votum non nubeudi in illis circunstantiis emissum invalidum esse.

8. Votum igitur nubendi validum esse, quoties ob fragilitatem, & frequentes lapsus vitandos, emittitur, tradit Eminentiss. Cajet. 2.2.*q.*88.*art.*2. ubi sic: * Quoniam status non semper consonat personæ, quoniam multi, sunt in statu continentium, qui non sunt continentes, quibus dicitur ab Apostolo: *Melius est nubere, quam uri, &c.* Sic opinor, votum nubendi factum, propter fornicationem vitandam, ab impotente se continere, propter suam fragilitatem, &c. esse validum.* Sic Cajetanus: cujus sententiã referens Arauxo *in decis. mor. 2. p. disp.* 11. *q.* 7. *num.* 5. ait: * Hæc est opinio Cajetani satis probabilis.*

9. Eandem cum M. Cano tuetur etiam M. Ludovicus Lopez 1. *p. instruct. cap* 44. dicens. * Votum absolutè ducendi uxorem, non valet absolutè loquendo, quia qui sic vovet, descendit ad imperfectiorem statum, secus si ob vitandam fragilitatem carnis, quam sæpè in se expertus est, sic vovet: quia hæc circunstantia facit magis bonum, quod de se est minus bonum. Ita Navarrus, & Canus contra Sotum.* Hæc Lopezius. Et consonat M. Zanardus 1. *p Sum. cap.* 48. *de Voto*, §. *Octavo dico* Ubi docet, quando que licitum esse vovere opera consiliis opposita, nimirum: * Si ista opera huic mala fuerint.*

10. Quibus consentit, plures referens, Thom. Sanchez *lib.* 1, *de Matrim. disput.* 4. *n.* 7. ibi: * Secunda sententia verior ait, id votum validum esse, ac obligare ad ducendam uxorem. Probatur primo, quia huic est melius, & consilium, ducere uxorem, juxtà illud D. Pauli *ad Corinth.* 7. *Melius est nubere, quam uri.* Ergo id votum tanquam de meliori bono firmum erit. Et confirmatur, quia ad honorem Dei, ut gratius aliquid sit, non refert, quid in universali, & in se consideratum præstantius sit; sed quid hic, & nunc præstat: (actus enim humani ex circunstantiis adjunctis, bonitatem, aut malitiam sortiuntur) sed huic est melius, attentis omnibus circunstantiis, uxorem ducere, ergo valet votum, &c. Et ideò hanc sententiam tenent Cajetanus, Bellarminus, Navarrus, Henriquez, Molina, Angles, Lopez, Philiarcus, Manuel, & communiter Juniores dicti.* Sic Sanchez. Quibus addet Azorium, Valentiam, Suarium, Filliucium, Layman, & alios, quos citatos sequitur Bonacina *tom.* 2. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *num.* 21. dicens: * Abstinentia à matrimonio, licet ex se sit opus consilii, nihilominus fieri potest, ut ob aliquam circunstantiam non sit opus consilii, & consequenter votum de contrahendo matrimonio validum sit. Propterea votum de contrahendo matrimonium factum ab eo, qui se cognoscit imbecillem ad resistendum tentationibus carnis, validum est, cùm attentis circunstantiis melius sit matrimonium, quam ejus omissio, & melius sit nubere, quam uri, ut inquit Apostolus.* Igitur in his circunstantiis votum non nubendi irritum erit, cum sit de minori bono. Ergo qui in illis votum castitatis emiserit, solum erit adstrictus ad abstinendum ab illicitis voluptatibus, non verò à matrimonio contrahendo, quia quoad hanc partem, irritum fuit tale votum, & proinde nulla eget dispensatione, quoad predictum effectum.

§. II.

Quid si fragilitas, & propensio ad venerem contingat post emissum votum?

11. SUspendetur ne obligatio abstinendi à matrimonio, ita ut licitè possis illud contrahere? Per legitimam consequentiam ex superius dictis hoc inferri, censent viri doctissimi. Thomas Sanchez in *Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 8. *n.* 9. dicens: * Hinc rursus potest inferri, tria hæc vota (nempè Castitatis, Religionis, & non nubendi) emissa ab hoc homine ante eum incontinentiam, non obligare ea supervenientè, sed huic tunc integrum fore absque dispensatione illa matrimonium inire, quia quando voventi constat, aliquid aliud esse melius, quam materiam à se promissam, potest propria auctoritate in id commutare. At huic constat, salubrius fore illi matrimonium. Secundò, quia, ut diximus, quod ante emissum votum efficit, ut res promissa sit inepta voti materia; id eo missio superveniat, tollit voti obligationem. Si ergo hæc, ante emissa hæc vota, contingentia irritarent illa, tollerent quoque obligationem supervenientia. Fateor, argumenta hæc fortissima esse, & speciosè persuadere intentum.* Hæc Sanchez. Quæ ad minimum evincunt, hunc Auctorem sentire, non esse magis probabile, votum nõn nubendi emissum à puero vi in venerem esse irritum, quam ejus obligationem suspendi, supervenienti postea fragilitate, & periculo incontinentiæ; cum unum ex alio necessariò inferri censeat, ut constat ex dictis.

12. Quod autem circunstantia adveniens posito tum emissum, quæ si ante adfuisset, irritum reddere tiejus obligationem, aut tollat, si est perpetua, aut suspendat, si temporalis; tradit cum omnium Magistro D. Thoma, M. Dominicus Baltanas *in Margarita Confessor. Hispalis edita anno* 1526 *fol.* 66. dicens: * Secundum Beatum Thomam, quidquid votum impediret, si prius esset, aufert obligationem, etiam voto facto. * Et idem de juramento docet *fo.* 135. Idemque tenet cum doctissimis Dominicanis P. Thomas Sanchez *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 23. dicens, D. Thomam, Sylvestrum, Tabienam, & plures Doctores hanc regulam tradere.* Id liberat, voti, aut juramenti obligationem,

tione, quod si à principio accidisset, impediret ea fieri.* Quæ quidem regula (inquit ipse) sic intelligenda est:* Ut sicut non valeret, quando materia esset ab initio mala, indifferens, aut majus bonum impediret, ita si quæ à principio erat legitima materia, efficiatur postea mala, indifferens, aut majus bonum impediat, efficiet, ut cesset obligatio, & ita explicant Cajetanus *in Sum. verbo Votum, cap penult. & 2.2. quæst. 88. artic. 3. col. penult. vers. Ad hoc dicitur, , quod de Voto.* Sotus *lib. 7. de Iustit. quæst. 2. art. 1. ad 3. vers. Ex his, quæ dicta sunt.** Hæc Sanchez.

23. Undè planè deducitur, Doctores, qui hæc duo principia simul defendunt: *Votum non nubendi emissum à proclivi in venerem est irritum: Et circunstantia, quæ advenit post votum emissum, quæ si ab initio esset, reddere territum, si postea eveniat, efficit, ut cesset obligatio*, non posse negare, quod si fragilitas carnis, post votum non nubendi emissum, adveniat, suspendatur obligatio talis voti. Abstinere enim à nuptiis, quæ anteà erat legitima voti materia, effecta jam est inepta; cum majus bonum impediat. Ex quibus infertur, huic opinioni dissentire non posse M. Petrum de Ledesma, quia, ut vidimus, votum non nubendi factum à propenso in venerem, dicit esse invalidum. Et simul *cap. 3 fol. mihi* 624. defendit, circunstantiam advenientem post votum validè emissum, eundem effectum caulare, ac si præcessisset. Verba ejus sunt.* La tercera duda en esta materia, y estima en orden, es, si ay algunos casos en que uno no quede obligado a guardar el voto simple de Religion, que de hecho fue firme, y valido? Respondo que si. El primer caso es, quando despues de hecho el tal voto, sobreviene algun impedimento.* Undè ex eo, quod senectus præcedens impediat valorem voti Religionis, infert ipse, votum emissum à juvene superveniente senectute, non obligare.* Corre (inquit) la misma razon, y se halla el mismo impedimento.*

24 Cui consentire etiam debet Bonacina *tom. 2. disp. 4. q. 2. punct. 1.* quia docet, ut vidimus, votum non nubendi esse nullum, quando propter fragilitatem, melius est voventi nubere: & simul defendit *punct. 7. n. 5.** Obligationem voti tolli, vel suspendi, quoties tempore adimpletionis voti, materia voti facta est impeditiva majoris boni.* Ergo si, post votum castitatis, vel non nubendi emissum, superveniat fragilitas carnis, suspenderetur obligatio voti, quia non nubere, quæ fuit materia primi voti, facta est impeditiva majoris boni, si quidem homini fragili melius est nubere: & fragilitas facit, sit jam de consilio Apostolico, juxta illud: *Melius est nubere, quam uri.**

25. Quapropter doctissimus P. Leander à Sacramento *tom. 2. tract. 9. disp. 23. §. 5 q. 2.* postquam tres opiniones retulit, aliam communem affirmantem prædicta vota Castitatis, Religionis, & non nubendi, etiamsi ab homine fragili emissa, esse valida: aliam nuper relatam Petri de Ledesma, & Bonacinæ id negantem: & aliam, inde inferentem, ob fragilitatem supervenientem voto, ejus obligationem suspendi, concludit, hanc opinionem esse probabiliorem speculativè, & id probare argumenta superius facta.* Quia certè, inquit, ut fatetur Sanchez fortissima sunt, & persuadent speculativè prædicta vota facta abeo, cui salubrius, & melius est ob incontinentiam antecedentem, aut supervenientem, matrimonium contrahere, esse irrita, & invalida, & consequenter posse absque ulla dispensatione matimonium inire.* An verò hæc sententia sit etiam practicè probabilis, & tuto amplecti possit: Discutit statim *quæst. 3.* & resolvit affirmativè, dicens.* Sed ego probabiliter respondeo, esse prædictam opinionem, practicè etiam loquendo aliqualiter probabilem, tutoque amplecti posse.* Sicille.

26. Quem citatum sequitur Leander à Murcia *ubi sup. n. 5.* dicens.* Ex hoc casu, & similibus colligitur cum communi Doctorum sententia, quod si post votum emissum materia ejusdem voti efficiatur inepta, vel impossibilis, fiet etiam votum irritum, & invalidum; etiam si prædictum votum simplex sit Castitatis, vel Religionis, dum tamen certo moraliter constet, materiam voti post emissum votum redditam fuisse, vel impossibilem, vel ineptam. Nec verum est judicandum, quod aliqui autumant: Votum debere esse de meliori bono in se, & non de eo, quod melius est voventi: tum, quia hoc est contra communem omnium sententiam; tum, quia manifestè est contra Consilium Apostoli, &c.* Sic Leander à Murcia cum Leandro à Sacramento. Probat uterque ex principiis sententiæ (de qua eg. *tract de opin. probab. q. 2.*) asserentis, opinionem speculativè probabilem, esse etiam practicè probabilem, quando, nempè, in praxi nil occurrit, quod in speculationem non venerit (ut in præsenti contingit) quam, ultra Joannem Santium, & Machado, tenent gravissimi Doctores, & Magistri apud Dianam *p. 10. tract. 11. resol. 47.* M. Serra, Spinola, Joannes Henriquez, Narbona, Aversa, & Franciscus de Lugo, Quintanaduennas, Escobar, Dicastillo, & al i. Quibus consentit M. Donatus, *tom. 4. addit. tract. 12. variar. resol. quæst. 38. nu. 4.* ubi sic:* Posterior verò opinio est vera, attendendo solum ad principia intrinseca probabilitatis opinionis: hoc enim modo considerata opinio, certum est, quod ea, quæ est speculativè probabilis, etiam in praxi est probabilis; quia praxis oritur ex speculatione, tanquam effectus à sua causa, & sequitur naturam illius, ut dixit Santius citato loco.* Monet verò, & prudentissimè Leander à Sacramento, cognitionem circa obligationem hujusmodi votorum, cum res gravissima sit; & in quibus, proprium semper judicium suspectum est, remittendam esse confessario docto, & cordato, qui omnibus circunstantiis perpensis, declaret, an votum fuerit validum; an vero ob supervenientem fragilitatem ejus obligatio suspendatur.

27. Fateor ingenuè, difficilè disparitatem reddi, inter eum, qui emisit votum præcedente fragilitate carnis, & eum, cui supervenit post votum emissum: quandoquidem votum desinit esse de majori bono. Quod suaderi videtur ex dictis, nam si quis fragilitate cognita post emissum votum non nubendi, emitteret contrarium votum nubendi; hoc secundum, juxtà sententiam Cajetani, Soti, Molinæ, Bellarmini, & aliorum, validum foret, cum esset de meliori bono, ut ipsi fatentur. Ergo votum non nubendi priùs emissum non obligaret, quia ad duo contradictoria voventem adstringi, impossibile est.

28. Jam si respondetur cum Sanchez suprà, & Valentia 2.2. *disp. 6. quæst. 6. punct. 2. diffic. 4.* majus bonum non judicandum relativè ad voventem, ut individuum particulare est, sed ut est pars Ecclesiæ, cui melior est status cælibatus, quam conjugii: non videtur solutio firma, tum propter dicta à Leandro suprà; tum, quia fidelis quicumque, ante ullum emissum votum, verè est pars Ecclesiæ; & tamen quia respectu illius, ut individui particularis, majus bonum est nubere, dicunt isti Doctores cum Cajetano, Soto, & aliis suprà citatis, votum nubendi validum esse, quia, ut ait Sanchez *lib. 1. de Matrim disp. 4. num. 7.** Ad honorem Dei, & ut gratius ei aliquid sit, non refert, quid in universali, & in se consideratum præstantius

stantius sit, sed quid hic, & nunc præstet, (actus enim humani ex circunstantiis adjunctis bonitatem, aut malitiam sortiuntur) sed huic est melius, attentis omnibus circunstantiis, nubere; ergo valet votum. * Quæ doctrina ut *n.* 2. notavi, desumitur ex D. Thom. & Cajetano 22. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 3. Ubi de voto macerationis carnis similiter discurrunt. Considerandum ergo est ad honorem Dei, & ut gratius aliquid ei sit, id, quod melius est huic individuo, secundùm se considerato, non ut est pars Ecclesiæ. Et ratio videtur manifesta, quia secundùm hanc considerationem, votum nubendi nunquam esset validum, quantumvis fragilitate carnis aliquis gravaretur, quia individuo, ut parti Ecclesiæ (ut ipsi tradunt) in quibuscumque circunstantiis, melius est non nubere; acinde quàtumvis ante votum emissum se fragilem cognosceret, validè castitatem voveret, quod ipsi negant.

19. Aliud verò dicendum de voto solemni castitatis, aut de voto etiam simplici in Societate Jesu, constituentibus statum Religionis, & ad hunc finem emissis, ut omnes fatentur: quod multis suadet Leander à Murcia *in disquisit. moral. lib.* 2. *disp.* 2. *resol.* 24. Unum modo sufficiat discrimen, quod in his circunstantiis (secundum omnes) locum habet principium illud Patris Valentiæ, & P. Sanchez numero præcedenti adductum, nempè, quod materia solemnis voti non consideratur, ut magis, vel minus bona individuo secundum se considerato, sed ut parti communitatis, cui majus semper bonum est à nuptiis abstinere propter perfectionem status, & vitanda scandala, & perturbationes ex oppositio oriunda. In hac parte omnes Theologi conveniunt, alias plures quotidie allegare possem, non esse Religiosos, & professionem fuisse nullam. Quod sufficit reddere practicè improbabilem contrariam opinionem. In votis verò simplicibus castitatis, & Religionis hoc inconveniens non reperitur, neque scandalum, aut Ecclesiæ perturbatio timeri potest, ex eo quod in prædictis circunstantiis invalida sint: ideoque opinandi locus relinquitur, & additus practicæ probabilitati, ut vidimus.

§. III.

Vera Sententia.

20. Quamvis opinio proposita, §. 1. valdè probabilis sit, contrariam tamen tenendam censeo, nempè votum castitatis, vel Religionis à valdè proclivi invenerem emissum, validum esse. Ita P. Thomas Sanchez ubi suprà, *lib.* 4. *sum. cap* 8. *num.* 10. Ubi ait: * Oppositum esse contra communem Ecclesiæ sensum.* Et P. Castro Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1 *punct.* 8. *num.* 14. Ubi ut indubitatum, apud Doctores supponit.* Stante, inquit, illa facilitate, & peccandi consuetudine, votum castitatis, & Religionis emitteres, quis auderet dicere invalidum esse votum, esto esset inconsideratum?* Probatur primò, quia matrimonium non est absolutè melius proclivi in venerem, sed ex suppositione, quod nolit aliis mediis orationis, abstinentiæ, & pœnitentiæ uti; ideoque absolutè, & simpliciter loquendo, status cælibatus perfectior illi est. Ergo qui post suam fragilitatem, & notam in venerem propensionem, castitatem vovet, sciens & volens se obligat ad non nubendum, & consequenter ad aliis mediis, ad sedandas tentationes, utendum: undè tale votum, etsi à valdè proclivi emissum, validum est, & consequenter absque dispensatione matrimonium inire nequibit. Secundo probatur, quia, ut benè ait Sanchez suprà, deperum cupiditas plurimos falleret falso existimantes se contopera, Ecclesiæque utilissima impedirentur.

21. Ad fundamentum contrariæ opinionis desumptum ex valore voti nubendi, emissi à proposvim conditionatam obligandi ex suppositione, quod nolit, qui emisit, aliis mediis ad castè vivendum conducentibus uti; atque adeò tale votum, hac voluntate durante, adimplere tenebitur: secus verò absolutè. & simpliciter loquendo, quia prosuorum alia media applicare potest, & sicin cælibatu permanere. Ita P. Suarez. *tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 12. Lessius *lib.* 2. *cap.* 40. *dub.* 7 *num.* 47. Coninch. 3. *p. tom.* 2. *disput.* 22. *dub.* 10. Layman. *lib.* 4. *tom tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 12. Quos sequitur Castro Palao *tom.* 3. *tract.* 15. *disp.* 1. *punct.* 8. *n.* 14. qui cum Soto, Aragon, & aliis probabilius putat, præfatum votum de matrimonio contrahendo invalidum esse, quia impedit majus bonum formaliter, nempè vitam cælibem, & Religionis statum; ergo adhuc posita illa facilitate, & peccandi consuetudine, non potest à Deo acceptari.

22. Si verò post emissum votum fragilitas carnis adveniat, specialis est difficultas, quia neque implicitè videtur vovens se obligasse ad media rigorosa abstinentiæ, & extraordinariæ pœnitentiæ: & forsan si propensio illa in venerem præcessisset, non emitteret votum, & quandoqueid certo moraliter judicat. Nihilominus cum hic casus non sit ex iis contingentibus, sed ex illis, qui diversitate occupationis, & ætatis evenire solent, & aliunde votum sit in possessione obligandi, prillo sententiam ferendam censeo; ideoque tenendum, vovetem implicitè se obligasse ad alia orationis, & pœnitentiæ media adhibenda, quibus à tentationibus carnis vehementibus liberetur, & melius sibi caveat à matrimonio abstinere, quam oppositum.

23. Rogabis, an prædicta Castitatis, & Religionis vota à propenso in venerem, sive ante, sive post fragilitatem cognitam, emissa, sint Pontifici reservata? Respondeo, partem negativam esse satis probabilem, quia Doctorum auctoritas, & argumenta contra eorum valorem, n. 1. & 2. adducta, efficaciter ostendent, non esse certam talium votorum obligationem; ac proinde non esse reservata, quia cum reservatio sit odiosa, ad sola vota, certo valida, restringenda est, ut tradunt Sanchez *in Sum. lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 26. *& cap* 44 *num.* 3. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *tract.* 10, *cap.* 26. *num.* 6. quos sequitur Machado *tom.* 2. *p.* 3. *tract.* 13. *docum.* 1. *n.* 4. dicens: * De este principio infieren Sanchez, y Suarez por doctrina, y regla general, que todas las vezes, que sobre el valor del voto se ofreciere alguna duda moral, ò sea de hecho, ò de derecho, ò la duda sea negativa por concturas, que no bastan para determinar el juizio, ò la positiva por las opiniones contrarias probables: semejante voto, aunque sea de qualquiera materia reservada, por el mismo caso que en si tiene duda, no se debe tener por reservado; y assi le pueden conmutar el Obispo, y el Confessor a probado por Bula.* Et confirmatur, quia sicut al qua vota reservantur Pontificisita & nonnulla peccata, sed reservatio peccati non extenditur ad peccata dubia, sed tantum ad certa, ut cum Suarez, Henriquez, Filliucio, & Hurtado defendit Lugo *de Pœnitent disp.* 20 *num.* 16. Et cum Sanchez, Bonacina, Trullench, & communi Doctorum contra Armillam, & Corduham, tenet

Diana

Diana *p. 4. tract. 3. fol* 4. ergo reservatio voti non extenditur ad votum dubii valoris, sed certi. Consequentia videtur legitima. Undè infertur, ejusmodi vota, cum Pontifici reservata non sint, posse etiam à Regularibus virtute suorum privilegiorum commutari, ut ex infra dicendis constabit. Idemque dicendum putat Henriquez *lib. 11. de Matrim. cap. 15. num. 8.* quando ab impuberibus, ex metu levi fuerunt emissa, quia non sunt perfectè voluntaria, & reservatio, utpote odiosa, restringi debet.

QVÆSTIO II.

Vtrùm votum Castitatis, vel Religionis possit aliquando commutari virtute Cruciatæ?

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

1. AD plenam hujus quæsiti notitiam suppono primo, per clausulam Bullæ Cruciatæ, concedi: *Vota omnia (Vltramarino, Castitatis, & Religionis dumtaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis, per Confessorem commutari.* Suppono secundo, votum Castitatis, quod hic excipitur, illud tantum esse, quod Summo Pontifici est reservatum: nimirum, votum perpetuum, perfectum, & absolutum omnimodæ castitatis: quod comprehendit omnes actus, tam internos, quàm externos, ad quos virtus castitatis extenditur. Nam cum reservatio sit odiosa, & juri Episcoporum deroget, strictè interpretanda est, ut docent communiter Doctores, quos citatos sequuntur Thom. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 9. n. 5.* & *lib. 4 Sum cap. 4. nu. 47.* Clavis Regia, Suarez, Trullench, & alii, cum Machado *tom. 1 lib. 2. p. 3. tract. 13. docum. 4. fol.* 280. Quibus adhæret doctissimus M. Barnabas Gallego *in Bulla cap. 9. p. 3. dub. 151.* Ubi sic scribit. *Preguntase, que se requiere, para que el voto de castidad sea propiamente reservado, de suerte, que no se pueda por la Bula commutar? Respondo: regula general es de todos los Doctores, que tratan esta materia, que el voto de castidad, que su Santidad exceptua en la Bula por reservado para si, se debe entender del voto de castidad perpetua, total, y perfecta. Porque en faltando alguno destos requisitos, le falta tambien, y cessa la caussa de la reservacion; y por consiguente puede legitimamente commutarlos el Confessor electo por la Bulla, pues ella le concede autoridad para ello,* excepto los dichos reservados. *Hæc ille, & est communis Doctorum sententia.

2. Adde ex Sanchez *lib. 8. de Matrim disp. 10. num. 4. & 5.* quem alii Doctores sequuntur, votum castitatis solum esse perfectæ castitatis, quando affectus in eam directè fertur: secus si in aliud, quod consequi optat; ideòque in hoc casu, cum deficiat à perfectione, vel conditionatum sit, non subjacet reservationi. Verb. grat. (inquit Sanchez) dum quis morbo oppressus, aut in alio periculo constitutus, promittit Religionem, si incolumis evaserit. Hujusmodi votum erit verè conditionale, quando animus voventis fuerit, quasi inire contractum innominatum cum Deo: faciam, ut facias, id est, si hoc mihi concesseris, ingrediar Religionem. Quia voluntas non fertur directè in Religionem, sed in consequutionem incolumitatis, ad quam obtinendam offertur Deo. Et talia communiter sunt ejusmodi vota: si sanavero, si incolumis evasero, Religionem, Castitatem, aut peregrinationem voveo, ut benè ait Sanchez suprà *n. 5. in fine.* Quæ doctrina est valdè observanda. Vide Dianam *p. 6. tract. 8. resol. 16.*

3. Ex qua inferunt ferè omnes, virtute Cruciatæ commutari posse vota omnia conditionalia, & pœnalia Castitatis, & Religionis, quia non ex affectu harum virtutum. Item votum non nubendi; votum non fornicandi, votum non petendi debitum, etiamsi communi conjugum consensu præstitum; & similia, quia neutrum illorum est omnimodæ castitatis, nec totale, sed partiale, utpotè quod non se extendit ad objectum adæquatum hujus virtutis, cùm plures sint actiones virtute castitatis prohibitæ, quæ nullo ex his votis comprehendûtur, Limitat verò, & benè P. Thom. Sanchez *lib. 8. de Matrim disput. 9. n. 2.* dicens, hoc temperandũ esse, dum in favorem tertii id petentis, cujus interest; votum, vel juramentum emissum non fuerit (ut si conjux à conjuge petat, ut sub juramento, vel voto se obliget ad abstinendum ab alio matrimonio) tunc enim sicut non potest Episcopus dispensare, ita nec virtute Cruciatæ queit commutari; eo quod conjugis illius interfit propter filiorum bonum, & ut ejus amor, honor, amicitiaque cum ejus consanguineis conservetur; ac proinde jus tertio adquisitum sit, cui Episcopus derogare nequit. Et ita etiam sentiunt Antonius de Escobar *in Moral. Theolog tract. 1. exam. 17. cap. 9. n. 144.* & cum Maldero, & Lessio, Diana *1. p. tract. 11. resol. 59.* & omnes debent.

§. II.

De voto virginitatis

4. CIrca votum virginitatis non conveniunt Doctores, an partiale, an totale castitatis sit? Et quidem cum hoc ex intentione voventis dependeat, ad illam recurrendum est. Si enim constet, ventem solum intendisse, se obligare ad integritatem corporalem, seu virginale claustrum servandum, non erit votum totale, sed partiale castitatis, utpotè ad primum solummodo actum, quo virginitas deperditur, vitandum obligans: quâ amissâ, subsequentes actus non erunt contra votum. Sic Doctores omnes.

5. Si verò hanc expressam intentionem limitantem non habuerit, dicunt communiter censendum esse votum totale castitatis, & perconsequens ab Episcopo indispensabile, & virtute Cruciatæ incommutabile. Sic M. Corradus *p. 1. Respons. quæst. 286* M. Candidus *disp. 25. art. 8. dub 10. & 11.* & est communis Doctorum, quos citatos sequuntur Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 9. n. 9.* & *disp. 15. num. 4. & in Sum. lib. 4. cap. 4. n. 65.* Leander à Sacram. *tom. 1. disp. 14. tract. 5. quæst. 123.* Diana *p. 1. tract. 11. resol. 60.* & plures.

6. Contra alii existimant, nunquam censendum esse votum totale castitatis, nisi quis habeat expressam intentionem vovendi absolutam, perfectamque castitatem, aliter verò votum in favorem voventis interpretandum, & de sola virginitate editum credendum esse. Sic videtur sentire Doctissimus Fr. Franciscus Pichon *in opere de Matrim. disp. 7. sect. 4 nu. 65. fol.* 445. dum ait; quod animus voventis virginitatem, *communiter interpretatur, quod

solùm fuit ad solam abstinentiam à primo actu venereo coitus *& disp. 6. cap. 2. sect. 3. n. 107* prædixerat, Episcopum posse dispensare in voto virginitatis: *Nisi (qui vovit) in animo habuerit servare castitatem simpliciter.* Cui alii consentiunt. Itaque discrimen inter hanc, & primã sententiam in eo stat, quod prima non exigit, quod expressè intendat, se obligare ad castitatem, ut ad eam obligatus maneat, sed sufficere, quod non habeat expressam intentionem limitatam ad primum actum, quo virginitas deperditur. Secunda verò exigit expressam intentionem se obligandi ad castitatem, ut ad hanc servandam teneatur, & aliter votum virginitatis interpretandum cum limitatione ad solum primum actum.

7. Ego vero majoris claritatis gratia sic distinguendum censeo. Aut vovens cognoscit differentiam inter votum virginitatis, & votum castitatis, aut non. Si primum, erit votum partiale ad integritatem solum corporalem servandam obligans, quia tale votum hoc tantum objectum respicit, & ideò ad hoc solum intendit se obligare. Si secundum: erit votum totale castitatis: nam cum nullum discrimen inter utrumque (ut juvenibus, & puellis communiter accidit (agnoscat, eandem intentionem utrobique exprimit, licet diversis vocibus, pro diverso statu, in quo reperitur. Virgines enim votum virginitatis dicunt se emittere; alii vero (cum eam amiserint) castitatis votum; quia illarum votum primum etiam actum virginitatis conservativum respicit, secus votum aliorum. Addo, eum, qui dubitat, an virginitatis votum, prout à castitatis distinctum, an votum absolutum castitatis emiserit, posse in suæ libertatis favorem resolvere; quia licet certum sit emisisse votum, ac proindè pro voto stet possessio in quantum ad existentiam voti ad unum, vel alterum extremum, hoc nisi aliud est, quam esse certum votum disjunctivè obligans. votum autem disjunctivum in quacumque materia relinquit liberam electionem cujuslibet extremi determinatè, quia respectu cujuslibet determinatè est dubium, & consequenter pro libertate stare debet possessio. Ex quo principio, satis commune est apud Doctores votum disjunctivum, cujus altera solùm pars est materia reservata (ut in præsenti contingit) non esse reservatum. Et ita in terminis docent Suar. Bonac. Sanchez. Rebell. Valent. & alii apud Dian. *3. p. tr. 6. Misc. res. 50.* Asserentes, certum de voto, & dubium de qualitate voti, posse eligere, quod sibi favorabilius fuerit, ut si vovit castitatem, & dubitet, an perpetuam, vel temporalem, non teneri ad perpetuam. *Ergo qui certus de voto dubitat, an totale, an partiale castitatis fuerit, non tenebitur ad totale, sed partem, quam maluerit, eligere poterit, & consequenter tale votum non erit reservatum, sed virtute Cruciatæ commutabile. Quod verum puto, etiam post electionem materiæ reservatæ, quia dum hanc determinatè posteà non voverit, solum devinctus manet voto disjunctivo, quòd commutabile est, ut diximus.*

(·:·†·:·)
(:†:)

§. III.

De Voto absoluto castitatis.

8. Difficultas solum est, an votum totale solitum, & perfectum castitatis, possit aliquo casu virtute Cruciatæ commutari? Et pro parte affirmativa efficaciter argui videtur. Nam confessio virtute Cruciatæ potest commutare omnia vota, quæ jure ordinario potest Episcopus dispensare, ut docent communiter Doctores. Sed Episcopus, jure ordinario, potest in aliquibus circumstantiis in prædicto castitatis voto dispensare, ergo eadem, virtute Cruciatæ, poterit confessarius illud commutare. Argumentum videtur concludere, si Episcopus aliquando jure ordinario id possit: potest autem, si tale votum in aliquibus circumstantiis non sit reservatum, quia secundùm communem Theologorum sententiam, vota omnia non reservata Pontifici potest Episcopus jure ordinario dispensare.

9. Ad rem ergo. Quod in aliquibus reservatum non sit, ostenditur ex verbis doctissimorum fidei tranſcriptis. Thom. Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp.* post quam numero tertio præmiserat: *Secluta reservatione, integrum esse Episcopis dispensare intra Diœcesibus, in omnibus votis, sicut Pontifici, toto orbe; ratione verò reservationis modo nequeat dispensare in absolutis castitatis, & religionis votis* post hæc, inquam, *n. 22.* sic scribit: *Hæc votorum servatio, non ita amarè, ac strictè accipienda est, quin liceat Episcopo dispensare in his votis castitatis perpetuæ, & religionis, quando magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet, præpaupertate, vel alia causa. (attende) Qui jure optimo credi potest, non esse mentem Pontificis velle in tali casu reservare sibi hæc vota, neque est verisimile, velle eum, ut animæ laqueis irretitæ tanto periculo versentur (& infrà.) Imò ob easdem rationes, idem dicendum est, quamvis non imminet periculum incontinentiæ ex mora, si aliud quodcumque grave periculum immineat, ut gravis infamia, vel magni damni tertiæ personæ. (Hæc Sanchez ubi supr. & iterum in Sum. lib. 4. cap. 40. n. 31. & 34. eidem reddens rationem: pro qua alios refert, dicens: *Hanc cum aliis doctrinis, & multis Doctoribus allegatis *lib. 8. de Matrim. disp. 9. n. 22.* tenent Lessius, Petrus de Ledesma, Suarez, &c.*

10. Vide Lessium *lib. 2. de Inst. cap. 40 de vot. dub.* ubi à *n. 125.* Casus nonnullos referens, in quibus Episcopus potest in voto integræ castitatis dispensare, ait: *Quartus, quandocumque est magnum periculum incontinentiæ, &c. & non sit facilis recursus ad Pontificem, vel ejus delegatum, tunc enim (attende) quia est necessitas, censetur Pontifex non intendere reservare, sed permittere Episcopo, ut sua potestate ordinaria, quam, sepositâ reservatione habet, utatur. Non enim vult, suam reservationem esse in vexationem, sed in ædificationem animarum.*

11. Quibus faciunt Hieron. Garcia et religiosissimo cœtu D. Hieron. *in Polit. regul. tr. 4. p. 2. disc. 1. dub. 6. n. 10.* *Puede el Obispo dispensar quando hay peligro en la tardança, y no se puede recurrir al Papa, (attende) porque no es de creer, quiera el Pontifice en estos casos, que esté reservado el tal voto.*

12. M. Rafael de la Torre Dominicanus *tom. 1. 2. 2. q. 88. art. 12. disp. 3. n. 24.* probat Episcopum ... quan-

quando in voto absoluto castitatis dispensare posse. *Quia jure divino, inquit, concessa erat facultas dispensandi super omnibus votis dispensabilibus, & hæc potestas Summi Pontificis auctoritate limitatur, ne in actum exeat respectu aliquorum. Sed credendum non est (attende) Summum Pontificem interdicere hanc potestatem super hæc vota dispensandi, ergo inest modo Episcopis talis potestas. Probatur minor, quia talis prohibitio esset in grave præjudicium Ecclesiæ, & in Christi offensam.*

13. M. Petr. de Ledesma *in Sum. p. 2. tr. 10. de voto. cap. 8 ad ult. argum. §. Digo lo quarto*, sic scribit: *Considerando solo el derecho divino, tienen los Obispos en sus Obispados, en orden à la dispensacion en los votos, tanta autoridad como tiene el Sumo Pontifice en toda la Iglesia, &c. y no lo pueden ora hazer sine special autoridad del Papa, por estar reservados los dichos cinco votos à la Sede Apostolica (attende,) y no es de creer, que el Papa en la tal reservacion pretendiesse limitar la dicha autoridad de los Obispos, aun quando no huviesse facil recurso a su Santidad, &c. Porque tal reservacion redundara en grave danno, y perjuizio de la Iglesia, y en ofensa de Christo, porque muchos tienen muy justa causa de pedir dispensacion en los dichos cinco votos, &c.*

14. Eandem sententiam, quando magnum periculum incontinentiæ imminet, & non est facilis aditus ad Pontificem præ paupertate, ex eodem principio tuetur Diana *p. 6. tr. 6. resol. 50.* *Quia non est, inquit; credendum, esse mentem Summi Pontificis velle in tali casu reservare sibi hæc vota, neque est verisimile, velle eum, ut animæ laqueis voluntariis irretitæ, in eo periculo sine remedio relinquantur. Et ita docet expresse Sanchez, Sylvest. &c.* *Et p. 11. tr. 8. resol. 49. defendit cum Dicastillo *tom. 2. de Sacr. tr. 8. disp. 11. dub. 17. n. 305.* Superiorem non reservare peccatum pro circumstantiis urgentis necessitatis, sic Doctores citati.

15. Ex quibus sic instauratur argumentum. Confessarius virtute Cruciatæ, aut jubilæi, potest commutare vota omnia reservata Pontifici; sed votum castitatis, aut religionis non est Pontifici reservatum, quoties ratione incontinentiæ est periculum in mora, aut est alia justa dispensationis causa, & non est facilis aditus ad Pontificem (ut docent omnes Doctores suprà citati.) Ergò in his circumstantiis virtute Cruciatæ, aut jubilæi poterit commutari.

16. Hoc argumento convictus totum concedit Pasqualigus *de jubilæo. q. 306.* verba ejus sunt. *Facultas commutandi vota concessa in jubilæo, se extendit ad omnia vota non reservata: vota autem castitatis, & religionis, quando substant talibus circumstantiis, ut possit Episcopus dispensare, non sunt Pontifici reservata. Ergo poterunt virtute jubilæi commutari. Minor probatur. Reservatio est tantùm in ædificationem, non autem in destructionem, ut habet Concil. Trident sess. 14. cap. 7.* & proindè ex sui natura non se extendit ad casus, ad quos si se extenderet, esset in destructionem: esset autem in destructionem, si se extenderet ad vota, in casu, in quo si non possent Episcopi dispensare, pateret, gravissimum damnum etiam spirituale esse, non autem utilitatem: ergo vota in talibus circumstantiis non erunt reservata, non quia subtrahantur à reservatione ex præsumpta voluntate Pontificis, sed quia reservatio ipsa non comprehendit. *Hæc Pasqualigus. Cujus opinionem probabilem putat Bossius *tr. de triplici jubilæo, sect. 2. casu 20. n. 25.* quia contrariam, quam sequuntur, vocat veriorem, & sustinent alii, quos suppresso nomine refert Rodriguez *in §. 9. Cruciata, num. 118.*

17. Et quod regulares in prædictis castitatis, & religionis votis dispensare, seu illa commutare possint, defendunt ex eodem principio non pauci viri docti. Quorum verba fideliter etiam ex scripta dabo, Crousers *in Regul. S. Franc. c. 7. lect. 29. fol. 85.* Dubitare, inquit, hoc loco aliquis poterit, quod non mendicantes dispensare possint in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, utrum sicut Episcopi dispensant in voto absoluto castitatis, & religionis, quando vovens taliter est constitutus, ut propter incontinentiam votum hujusmodi sit ipsi maximè periculosum, nec est facilis votum habenti recursus ad Pontificem, vel propter paupertatem, vel propter distantiam: utrùm inquam, in tali casu possint Mendicantes dispensare, vel commutare per privilegia sua? Negat Sanchez *libr. 4. Sum. cap. 43. n. 7.* Et ratio ejus est, quia in tali casu votum hujusmodi est verè reservatum, &c. sed per accidens potest Episcopus in illis dispensare, ex quadam benigna voluntatis reservantis interpretatione. Verum ego non video, quomodo per accidens tantum id possit Episcopus, quandoquidem ipsemet Sanchez *cap. 40. n. 25.* doceat, quod secluſa reservatione, sit integrum Episcopis dispensare in suis Diœcesibus in omnibus votis, sicut Pontifici in toto orbe. Restat ergo, ut dicamus, id posse Episcopos, quia ex modo reservationis rationi congruo constat, id Episcopis mansisse residuum ex antiquo jure, quod habebant dispensandi in omnibus votis per suas Diœceses, sicut Pontifex. Quæ cum ita se habeant, non video, quare Ordines Mendicantes per sua privilegia valentes dispensare in votis, sicut Diœcesanus in hoc, vel simili casu id non possint. *Hæc Crousers, qui potuisset de inconsequentia redarguere P. Sanchez, cum locis citatis ubi suprà asseruerit, Pontificem voluisse reservare hæc vota, in prædictis circumstantiis. Quæ proindè jure ordinario, sicut & alia non reservata, poterit Episcopus, & consequenter Superiores Mendicantes, per sua privilegia dispensare, & in inferiores commutare.

18. Dictis consentit Fr. Ludovic. à Concept. *in Examine veritatis, tom 1. tract. 1. de Matrim. cas. 30. fol. 102.* ubi sic. *Suppono in his, & similibus casibus, Episcopos ordinariam habere jurisdictionem ad dispensandũ, & non solùm per Epicheiã, ut quidam dicunt, vel ut alii existimant, ex commissione Summi Pontificis. Ita jure communi possunt in valdè probabili sententia Episcopi dispensare. *Ex quo principio sententiam Crousers, quam semper in corde retinuerat (ut ipse ibidem fatetur) in medium sic profert. *Ducor ex communi Theologorum, præsertim Regulariũ sententia asserente, posse Prælatos, imò & quoscumque Religiosos ab ipsis Prælatis, alias jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, deputatos, dispensare virtute privilegiorum, in illis omnibus, quæ jure communi, & ordinario ad Episcopos spectant: Cumque, in probabiliori sententia, prædictum votum (simplex castitatis perpetuæ, absolutæ, & ex omni parte perfectæ, & votum Religionis simplex, de quo etiam procedit quæstio) ad Episcopum jure communi, & ordinario pertineant, poterunt similiter vigore privilegiorum, non solùm Prælati, sed etiam subditi regulares ad confessiones sæcularium deputari, modo dicto, in talibus dispensare, prædictis in casibus.*

19. Pro eadem sententia ex eodem principio militat Rev. P. Leander à Murcia Capuccinus in Regul. Sanct. Francisci *c. 7. q. 7. §. 2. n. 56.* Ubi sic: *En quanto a los dichos voto (nimirum castitatis, & religionis, de quibus supra,) quando concurren las circumstancias de necessidad, y imposibilidad en la per-

sona que hizo el voto, de recurrir al Papa, los pueden dispensar los Obispos; es comun de los Doctores. Y q̃ queden reservados a los Obispos por derecho ordinario, se prueba: porque por derecho Divino tiene el Obispo en su Obispado tanta autoridad como el Papa en toda la Iglesia. Y assi cessando por las circunstancias dichas la reservacion del Papa, poterit Episcopus jure ordinario in illis dispensare. Luego si los Regulares pueden dispensar en todos los votos, que pueden los Obispos por derecho ordinario, por el mismo caso podran en los dichos casos. *Sic ille.

20. Denique ex recentioribus hanc sententiam a principiis intrinsecis veriorem existimat Fr. Franciscus Pichon, Ordinis Minor. *in tr. de Matrim. disp. 6. cap. 2. sect. 3. n. 136. fol. 396.* ubi sic: *Difficultas potest esse, utrùm Religiosi ex hac potestate delegata (per sua privilegia) possint dispensare in votis reservatis Pontifici, scilicet castitatis, Religionis, peregrinationis ad S. Jacobum, ad Romam, & Terram Sanctam, ratione necessitatis, in casu, in quo possunt Episcopi dispensare? Communis sententia negat. Suarez, Sanctius, &c. Quia in generali concessione non veniunt vota reservata, nisi in concessione exprimantur; sed contra hoc fundamentum potest objici: Episcopi in casu necessitatis possunt, ergo etiam Religiosi. Patet consequentia. In casu necessitatis illa vota non censentur reservata. Ergo suppositum fundamenti communissimæ sententiæ falsum omnino est, &c. Nec valet tunc dici, ex benigna interpretatione mentis Pontificis, Episcopum dispensare, per quod non desinunt talia vota esse reservata: hoc enim implicatorium est evidenter, si benigna interpretatio mentis Papæ non æquivaleat judicio, quo Episcopus judicet prudentissimè, quod non fuit mens Pontificis, ut votum esse reservatum in tali, & simili casu. In casu autem necessitatis, prædicta vota manent in terminis juris communis, & sic non sunt reservata stante tali necessitate. Undè cum Episcopi ordinaria potestate possint in illis dispensare, non est fundamentum sufficiens ad denegandum Religiosis talem potestatem. Quare (attende) ni auctoritas extrinseca Doctorum obstet, attendendo ad fundamentum rationis, verior videtur sententia opposita sententiæ communissimæ, & illam tuentur noster Crousers, & perdoctus Ludovicus de la Conception (locis suprà citatis.)* *Sic doctissimus vir.

21. En amice lector, quot quantique Doctores sentiant, vota castitatis, & Religionis non esse Pontifici reservata in casu urgentis necessitatis: ideoque Episcopum jure ordinario in illis posse dispensare: ac proinde & Prælatos Regulares, & confessarios ab illis deputatos, & consequenter omnes quibus ex privilegio id concessum fuerit, posse, in prædicto casu, illa commutare, cum habeant potestatem commutandi omnia vota non reservata. Undè videtur inferri, omnes Authores concedentes, Regulares posse virtute privilegiorum commutare votum castitatis, vel religionis, in casibus, quibus Episcopi jure ordinario id possunt; idem à fortiori dicere debere de confessariis virtute jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, quia vota castitatis, & Religionis, æquè excipiuntur in privilegiis regularium, ac in jubilæo, & Cruciata. Et utrobique de solis reservatis fit exceptio; qualia non esse prædicta vota in casu necessitatis, Doctores suprà citati contendunt.

§. IV.

Auctoris judicium.

22. Nihilominus contraria, & communissima sententia tenenda est, pro qua militant Sanch. Laym. Henriq. Rodrig. Mirand. & alii, quos citatos sequitur Lezana *in Sum. tom. 4. verb. votum, n.* 21. & plures alii. Probatur primò, quia omnes Doctores antiqui concedentes Episcopis potestatem dispensandi in hujusmodi votis, in casu urgentis necessitatis, ea negarũt Regularibus, & confessariis delectis virtute jubilæi, & Bullæ Cruciatæ: & qui concedunt, jure ordinario id competere Episcopis, quod pro tali eventu non censeantur reservata, negãt nihilominus id licere Regularibus, aut aliis virtute Cruciatæ, & hæc fuit communis omnium Theologorum, usque ad hanc tempestatem, certissima sententia. Undè infertur, exceptionem pati debere illud commune principium; *Regulares virtute suorum privilegiorum, & confessarii virtute Cruciatæ possunt commutare omnia vota, quæ Episcopus jure ordinario potest dispensare.* Cui innititur sententia contraria, quæ principium nullam admitteret exceptionem, non illùm probabilis, sed verissima foret. Limitatio igitur adhibenda, juxta communem sensum, hæc est: virtute Cruciatæ, aut privilegiorum, posse commutari omnia vota, quæ modò in quovis eventu, communiter, & regulariter potest Episcopus dispensare. Hanc limitationem adhibeo, quia apud antiquos omnes, & modernos, paucis exceptis, principium illud, sic receptum invenio. Et ideò præfato recentiorum argumento sic respondet Bardi *in Bulla, part. 2. trac. 7. cap. 2. sect. 5. n. 141.* ibi: *Respondeo, per Bullam dari facultatem commutandi omnia vota, quæ absolutè & per se non sunt reservata Pontifici, non autem illa, quæ per accidens, & quantum sufficit ad subveniendum necessitati fidelium non sunt reservata.*

23. Cujus ratio esse potest: quia virtute Bullæ Cruciatæ, solùm delegatur confessario facultas commutandi omnia vota, exceptis castitatis, Religionis, & ultramarino: ergo non delegatur facultas commutandi votum castitatis perfectum, & absolutum; atqui etiam in casu urgentis necessitatis, & quando non est reservatum Pontifici, vere retinet rationem voti perfecti, & absoluti castitatis, ergo adhuc in tali casu commutari nequit. Urgetur, quia virtute Cruciatæ id solummodo potest circa vota confessarius, quod ipsi in ea conceditur, sed circa voti absoluti, & perfecti castitatis commutationem, nil in Bulla conceditur: ergo in nullo eventu poterit virtute Bullæ commutare. Quæ quidem ratio æquè probat de regularibus virtute privilegiorum, cum in eisdem similis, exceptio reperiatur; & certissimum sit Pontificem posse sibi, & Episcopis reservare prædicta vota, & de facto reservasse, juxta communem Theologorum sententiam, Et sic omnino tenendum, alias latissimus pateret aditus ad prædicta cassanda, Religionisque vota commutanda, & facilè confessores, præcipuè indocti, urgentem necessitatem crederent, quæ verè talis non esset.

Qui-

QVÆSTIO III.

An juramentum, quod non cedit in utilitatem eius, cui præstatur, possit virtute Cruciatæ commutari?

1. CAsus est: juraſti Antonio, te auditurum Miſſam, vel non commiſſurum fornicationem, poteris ne virtute Cruciatæ, præfati juramenti commutationem obtinere? Negarunt nonnulli, ſuo judicio ea tenacitate adhærentes, ut contrariæ opinioni notam inurere non renuerint: Sed ego affirmat vam ſententiam cum aliis communiter ſuſtineo, quàm firmiſſimis principiis innixam cenſeo. Primò, quia virtute Bullæ Cruciatæ poteſt confeſſarius commutare omnia vota, quæ Epiſcopus diſpenſare, ut docent Thom. Sanchez, Sanctarellus, & alii, quos citatos ſequuntur Diana 1. *p. tr. de Bullareſol.* 56. & Machado dicens, eſſe communem *tom.* 2. *lib.* 4. *p.* 6. *tr.* 14. *docum.* 6. & conſtat ex ſuprà dictis: ſed juramenta omnia, quibus nullum jus hominiadquiritur (qualia ſunt ea, de quibus diſputamus) habent rationem voti ab Epiſcopo diſpenſabilis, ut tradunt Sylveſter *verb. Iuram.* 5. *q.* 3. & 4. M. Sotus *lib.* 8. *de juſtit. q.* 1. *art.* 9. *in fin.* M. Bart. de Ledeſma *tract de Matrim. dub.* 13. *poſt* 6 *concl.* Rodriquez, Trullench, Boſſius, & alii, quot citatos ſequitur Diana 4. *p. tr.* 4 *reſ.* 19 & 5. *p. tr.* 12. *reſol.* 56. Leander à Sacramento *tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 14. *q.* 102. & cum Aragon, Stunica, Vivaldo, Sayro, & aliis, Dicaſtillo *de juram. diſp.* 4. *dub.* 5. *n.* 86. Ergo virtute Bullæ Cruciatæ poſſunt commutari.

2. Secundò, quia juramentum, quod quis alteri præſtat de audiendo ſacro, cum non fiat principaliter gratia hominis, cui præſtatur, ſed in honorem Dei, in cujus obſequium res promiſſa cedit, judicandum eſt, non homini, ſed Deo ipſi præſtitutum, ut docent D. Thom. Felin. D. Antonin. Abulenſis, Angel. Sylveſt. Armilla, Tabiena, Driedo, M. Sotus, quos citatos ſequuntur Thom. Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 5. Suarez *lib.* 2. *de juram. cap.* 39. *n.* 5. & Dicaſtill. *tract. de juram. diſp.* 4. *n.* 39. Sed in Bulla Cruciata conceditur facultas commutandi juramenta, quæ ſoli Deo præſtantur, ut docent Henriquez, Stunica, Sa, Aragon, Vivaldus, Manuel Rodriquez, Suarez, Sayrus, Sorbus, & alii quos citatos ſequuntur Thom. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 2. *n.* 18. 19. *in Sum. lib.* 4. *cap.* 53. *n.* 8. Trullench *in expoſitione Bullæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2. Villalobos *tr.* 27. *clauſ.* 9. §. 3. *n.* 29. M. Ludovicus Lopez *cap.* 9. *de Bulla, pag* 845. *colum.* 1. Et ex Cajet. & Soto, Dicaſtillo *tr. de juram. diſp.* 4. *dub.* 5. *n.* 86. Quibus adde Molfeſium, Fagund. M. Candid. Boſium, Baſilium, Dian. & alios, quos ſequuntur Leander à Sacram. *tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 14. *q.* 100. & Thom. Hurtado *tom.* 2. *tr.* 12. *n.* 2212. *dub.* 6 *fol.* 47. Ergo in Bulla conceditur facultas commutandi præfata juramenta.

3. Hinc fit virtute Cruciatæ poſſe commutari juramentum, quo quis alteri jurat, ſe auditurum Sacrum, & ſimilia, quæ in ſolam utilitatem jurantis cedunt. Et ideo ita expreſsè tenent Anton. de Eſcobar *in Sum. tr.* 1. *exam.* 17. *n.* 144. & *in Theol. mor. tom.* 1. *lib.* 7. *ſect.* 1. *n.* 245. *fol.* 231. *Quia ejuſmodi inquit, juramenta magis inducunt rationem voti, quam juramenti, & per eam nullum jus homini, ſed tantum Deo paratur. *Et ante illum Trullench *in expoſit. Bullæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 2. *n.* 8. *Si juramentum, inquit, non cedat in utilitatem ejus cui præſtatur, ſed tantum in utilitatem jurantis, poteſt commutari per Bullam; quia tale juramentum poteſt diſpenſari (ab Epiſcopo) ut ſi juraſti Petro, te auditurum Miſſam, vel non admiſſurum tale peccatum, quia ejuſmodi juramenta magis inducunt rationem voti, quam juramenti, & per ea nullum jus homini, ſed tantum Deo paratur. *Sic ille; & uterque ex M. Corrado *p.* 1. *Reſponſ q.* 312. ubi ſic ait: *Quicumque per Bullam, vel privilegium poteſt commutare, aut diſpenſare vota, poteſt etiam, & ſimilia juramenta abſque præjudicio tertii, quia votorum, & juramentorum, quantum ad hoc par ratio eſt. *Quem ſequitur Thomas Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 20 *num.* 5. & 8. ubi poſtquam ſtatuit, juramentum, quod non eſt principaliter gratia alterius hominis, cui præſtatur, ſed principaliter in Dei honorem, &c. Non poſſe ab homine relaxari, nec remitti: ut ſi duo, inquit, ſibi invicem jurent, fore, ut in poſterum non furentur, aut audiant ſacrum in feſtis (quo exemplo utuntur D. Antoninus, Abulenſis, Driedo, Angelus Sylveſter, Tabiena, & alii apud Sanchez ſuprà) ſubnectit. *Hæc juramenta, quæ *num.* 5. diximus non poſſe ab homine, cui præſtantur, remitti, judicanda ſunt quoad commutationem, perinde ac ſi ſoli Deo præſtita eſſent. Ac proinde de poteſtate commutandi, & diſpenſandi in illis dicendum eſt, quod de juramentis ſoli Deo emiſſis, toto cap. præcedenti diximus. *Quod virtute cruciatæ commutari poſſe, tradit, tum ibi, tùm *lib* 4. *cap.* 53. *n.* 8. & 9. cum Suarez, Sayro, Sorbo, Ludovico Lopez, & aliis.

4. Ratio præcipua hujus ſententiæ eſt: quia in Bulla Cruciatæ conceditur expreſſa facultas commutandi vota jurata, ibi: *Podrà tambien el dicho Confeſſor commutar les qualeſquiera votos, aunque ſean hechos con juramento, &c. *Sed juramenta præfata, quibus duo jurejurando ſibi promittunt, vel alteri, auditurum ſacrum, vel quid ſimile, quod non cedat in utilitatem ejus, cui præſtatur, ſed in ſolam utilitatem jurantis, non continent promiſſionem homini factam, ſed Deo: homo enim (ut benè Suarez, & Dicaſtillo ſupra) tantùm eſt motivum, ſeu incentivum, vel, ut melius dicam, teſtis promiſſionis juratæ, quod etiam inter homines non raro contingit. Ergo ejuſmodi juramenta revera ſunt vota jurata, & nil aliud excogitabile in illis eſt, quia quatenus promiſſio Deo facta, inducunt rationem voti, & quatenus Deus adducitur in teſtem, ſeu fidejuſſorem deteſtando promiſſis, habent rationem formalem juramenti; ergo nil aliud continent, quam vota jurata, ſed hæc poſſunt virtute Bullæ commutari, ergo & juramenta, de quibus loquimur.

5. Confirmatur: quia Epiſcopus poteſt commutare, (imò & diſpenſare) omnia juramenta, per quæ nullum jus homini, cui præſtantur, adquiritur, ut tradunt D. Antoninus, M. Tabiena, M. Petrus de Ledeſma, Covarrub. Angelus, & alii, quos citatos ſequitur Thomas Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *diſp.* 32. *num.* 15. Ergò poterit commutare juramenta, de quibus præſens quæſtio eſt: quia cum homo non ſit perſona, cui fit promiſſio, ſed Deus, ut conſtat ex dictis, nullum jus homini adquiritur. Si autem Epiſcopus poteſt, à fortiori etiam virtute Cruciatæ commutari poterunt, quia virtute Cruciatæ poteſt confeſſarius commutare omnia juramenta, quæ poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut videre eſt apud Dianam *p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 19. & tradunt omnes Doctores ſuprà citati pro juramentis ſoli Deo præſtitis. Quod intellige juxtà dicta ſuperius quæſtione præcedenti, *num.* 22.

6. Ex quibus concluditur, virtute Cruciatæ non solùm commutari posse juramenta facta in confirmationem voti, ut si quis dicat: *Iuro me servaturum jejunium, quod vovi*, & quæ comitantur votum, ut si dicat: *voveo, & juro jejunium.* (in his enim casibus verè dicuntur vota jurata,) sed etiam quando juramentum, vel non continet votum, vel saltem non expressum, ut cum immemor voti dicit: *Iuro, me jejunaturum* Quia tota ratio formalis istius juramenti (nempè promissio, & advocatio Dei in fidejussorem) continetur in voto jurato, quo proinde commutato, & commutatur votum, & etiam juramentum soli Deo præstitum; ergo, & juramentum præstitum seorsim à voto commutari poterit, sicut & votum emissum seorsim à juramento; nam cum soli Deo obligationem pariant, æquiparantur in ordine ad dispensationem, & commutationem. Undè quoties votum de aliqua materia, virtute Cruciatæ commutari possit, poterit etiam & juramentum.

QVÆSTIO IV.

An reservato voto, maneat etiam reservatum juramentum?

1. CAsus est: juravit quis servare castitatem, vel ingredi Religionem, potuit ne virtute Cruciatæ ejusmodi juramentum commutari? Negant nonnulli existimantes, quoad reservationem, idem de utroque judicium ferendum. Sed contrarium sentiunt alii viri doctissimi, quos sequitur loquens de potestate Episcopi. M. Petrus de Ledesma *in Sum. tom. 2. tract. 11. de Voto, cap. 4. dub. 2. post. 5. conclus.* addens, oppositam sententiam, seclusa auctoritate, parum probabilitatis habere. Verba ejus sunt: *Cayetano tiene la parte negativa, porque pone esta regla: Todos aquellos juramentos estan reservados al Papa, los quales lo estuvieran, si fuerant votos; y pone exemplo en el juramento de perpetua castidad. Esta regla de Cayetano siguen comunmente los discipulos de Santo Tomas, &c. La sentencia afirmativa es mucho mas probable. Y si no consideramos la mucha autoridad de los Autores, que tienen la sentencia contraria, sino que procedieramos con solas razones, es muy poca, ò ninguna la probabilidad de la sentencia contraria.* *Sic Ledesma.

2 Quem sequitur M. Texeda *in Theolog. Moral. tom. 2 lib. 3. tract. 2 controv. 6. nu. 229.* qui licet, sicut Ledesma, de Episcopo tantum loquatur, idem ex eorum principiis planè evincitur, pro Bulla Cruciata, cujus facultas ad juramenta non reservata extenditur, ut constat ex superius dictis. De Episcopis igitur probat sic: *Et ratio est, quia Episcopi possunt relaxare omnia juramenta suorum subditorum, nullo excepto, dummodo non cedant in præiudicium tertiæ personæ: quæ propositio D. Thomæ est apud omnes certa. At huiusmodi potestas non est ablata eis iure aliquo, ergo, attento iure, manet apud illos. Et hæc videtur demonstratio. Hæc ille, & ante omnes M. Tabiena *verb. Iurare.* Cum autem iuramenta, quæ Episcopus relaxare, seu dispensare potest, possint virtute Cruciatæ commutari, ut vidimus, & insuper secundum M. Texeda, ex eo, quod votum castitatis sit Pontifici reservatum, non deducitur, quod juramentum castitatis reservatum sit; plane infertur ex illius sententia, Bullam negantem commutationem voti castitatis non negare commutationem juramenti, sicut licet de jure, vel consuetudine negetur Episcopis dispensatio, vel commutatio prædicti voti, non ideò negatur juramenti de eadem materia. Poterit ergo confessarius virtute Bullæ juramentum Castitatis, vel Religionis commutare. Et ita tenet Rocaful *in Praxi Theolog. mor. tom. 2. lib. 2. præcep. 2. Decalog. sect. 5. cap. 2. n. 289.* Et tant probabile Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. disp. 14. quæst. 106.* Diana *p. 4 tract. 4. resol. 70 & 110 vid.* 14. *resol.* 17. Machado *tom. 1 lib. 2. p. 3. tract. 9. docum. nu. 2. fol. 260.* Quintanaduennas *de Iubilæo duplex hebdom cap. 2. n. 18.* Trullench *in exposit. Bullæ lib. 3. cap. 3 dub. 5. num. 4.* Navarrus *consil. 1. de iuramento nn. 4. & 5.* referens Tabienam, & tenent alii Nyctherici apud Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp. 13. n. 1.* Et in terminis Jubilæi excipientis vota Castitatis, & Religionis, tradit expresè Alfonsus de Leon *p. 2. quæst. 13. sect. 1. num. 83.* ubi sic: *Quæritur primo, an possit Confessarius commutare juramenta Castitatis, & Religionis? &c. Videtur omnino affirmandum, quòd dicta juramenta possit Confessarius commutare virtute Jubilæi.* *Ergo & virtute Bullæ, cujus eadem est ratio,

3. Probant præfati Doctores, quia Bulla Cruciata, & Jubilæum solum excipiunt vota Castitatis, & Religionis, non verò juramenta, & cum materia sit odiosa, non est, ab uno ad alium extendenda, sed potius restringenda. Secundò, quia votum, & juramentum de eadem materia sunt vincula diversæ speciei, & obligatio voti major est, quàm juramenti, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 8. Ergo ex eo, quod in Bulla excipiatur votum castitatis, inferri nequit, quod juramentum eiusdem excipiatur: esset enim à majore ad minus in odiosis arguere, quod pessimum argumentum est; quia licet in Bulla negetur, quod est majus, non benè inde infertur, quod etiam id, quod est minus. Sic discurrunt præfati Doctores.

§. I.

Iudicium Auctoris.

4. VNum mihi in hac parte certissimum est: Si Episcopus in ejusmodi juramentis Castitatis, & Religionis dispensare possit, & nullum juramentum, ut citati Doctores contendunt, Pontifex sit reservatum, confessarii approbati ab Ordinario, etiam poterunt virtute Cruciatæ omnia ejusmodi juramenta commutare; tum, quia quidquid Episcopus jure ordinario potest circa juramenta, quoad dispensationem, conceditur confessario per Bullam commutare; tum, quia juramenta non reservata, & soli Deo præstita, juxtà communem sententiam, sub facultate virtute Cruciatæ concessa comprehendentur. Quæ proinde virtute etiam privilegiorum poterunt à Regularibus commutari.

5. Cæterum, præfatæ doctrinæ prorsus dissentio, quia juramentum servandi castitatem Deo factum, quia juramentum servandi castitatem Deo factum, verè est promissorium; ergo includit totam essentiam voti, ac proinde est votum juratum essentialiter. Hoc autem virtute Bullæ commutari non posse, certissimum est, quia in illa expresè excipitur. Confirmatur, quia juramentum homini factum de re ipsi utili, includit promissionem ipsi factam; ergo juramentum Deo præstitum de re ipsi grata, promissionem Deo factam includit. Urgetur, quia juramentum acceptatum ab homine, in cujus utilitatem præstatur, (si nullam turpitudinem, &

insuper

injustitiam contineat) nequit ab Episcopo, nec virtute Bullæ commutari, ex eo, quod jus homini ad rem promissam, eo præstitò, adquisitum fuerit, ut omnes Theologi concedunt, ergò includit vestam promissionem. Si enim assertorium tantummodò esset, nullum jus homini pareret: quale foret hujusmodi: *Iuro, me habere propositum tibi pecuniam conferendi.* Si ergò juramentum homini præstitum includit promissionem, cur Deo præstitum non includet? Ergò cùm juramentum servandi castitatem non sit assertorium, seu promissorium, quo, revera, castitas sub juramento in Dei obsequium, & honorem promittitur, non poterit rationem voti non induere, non solùm per regulam æquiparatorum in ordine ad commutationem, ut qui possit in votis, possit etiam in juramentis soli Deo præstitis, sed per formalem inclusionem voti, ut benè tradit D. Antoninus 2. *p. tit.* 11. §. 2. & alii viri doctissimi. M. Sotus *lib.* 8. *de Iust. q.* 1. *art.* 9. Rodriguez 2. *tom. sum. cap.* 100. & plures, quos refert, & sequitur Sanchez ubi infrà. Quibus adhæsit P. Mendo *in Bull. disp.* 26. *cap.* 6. *n.* 81.

6. Non me latet, P. Thomam Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 13. *n.* 5. *& lib.* 3. *Sum. cap.* 19. *num.* 6. respondere, hæc juramenta, licet ut plurimùm, & communiter includant votum jurejurando firmatum, ac proindè sint Pontifici reservata; id verò pendere ex intentione jurantis, qui vult castitatem Deo offerre in ejus obsequium; si autem id non intendat, sed solum Deum afferre in testem executionis futuræ, non includetur votum in tali juramento, tam ab Episcopo, quàm virtute Cruciatæ commutari poterit. Et ita etiam videtur sentire Dicastillo *tract. de juram. disp.* 4. *dub.* 5. *num.* 79. Et multis suadere conatur P. Bardi in Bullam *p.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *sect.* 2. *fol.* 380. Sed non placent. Primò, quia, ut istimet Doctores expressè concedunt, vota, & juramenta æquiparantur in ordine ad dispensationem, & commutationem, sed vota castitatis nequeunt virtute Bullæ commutari, ergò nec juramenta. Secundò, quia hæc distinctio, licet acuta, difficilis captu est, nam cùm ejusmodi juramentum sit rei pendentis in futurum, nequit esse purè assertorium, sed promissorium simul: hæc enim inter unum, & alterum est distinctio, ut constat ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *artic.* 9. *ad* 1. Ergò imperceptibile est, quod tale juramentum non includat promissionem rei Deo gratæ, & consequenter rationem voti: nam ut cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. & 2. docent omnes Theologi: votum est promissio Deo facta de meliori bono. Quapropter Basilius de Leon. *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 3. contra Sanchez, & Suarez, asserit non posse esse juramentum promissorium,* quod tamen non includat rationem voti.

7. Dices cum Patre Bardi: Hoc juramentum esse assertorium simpliciter, & promissorium secundùm quid. Nam, quatenus ostenditur propositum exequendi rem, est assertorium; quatenus verò est de re futura, est promissorium, non simpliciter, quia non est animus promittendi, sed exequendi. Sed contra est, quia nullus Doctor in divisione juramenti in suas species, designavit speciem juramenti circa rem futuram, quod promissorium simpliciter non sit. Ideò communior, & verior Doctorum sententia cum Cajetano, & communi Thomistarum tenet, hæc juramenta castitatis, & Religionis, sicut, & vota, virtute Cruciatæ commutare non posse.

8. Ex hactenus dictis facilè erit argumenta partis contrariæ dissolvere. Ad primum respondeo, quod Bulla Cruciatæ, cùm excipiat vota, à fortiori excipit vota jurata, utpotè quæ & voti rationem includunt, & simul respectum alium ad Deum, ut testem, & fidejussorem, superaddunt. Ad secundum respondeo, vinculum voti majus esse, quàm juramenti assertorii, non verò majus, quàm promissorii, cum illud in isto includatur, sicut pars in toto. Fateor tamen, quod si dari posset juramentum castitatis servandæ, quod assertorium tantummodò esset, non deberi reservatum, & id tantùm concludunt argumenta pro sententia Patris Sanchez, & D^{ni} castillo, quibus non dissentio, casu illo dato, sed casum non admitto, saltem regulariter loquendo, quidquid sit de possibili.

QVÆSTIO V.

An votum, vel juramentum de eroganda eleemosyna alicui pauperi determinato, possit, post ejus acceptationem, virtute Bullæ commutari?

1. TRullench. *lib.* 1. §. 7. *cap.* 3. *dub.* 8. *n.* 2. discrimen constituit inter votum, & juramentum: ait enim, non esse improbabile, eiusmodi votum posse commutari; secùs juramentum. Sed non placet, tum, quia ipse totus est in probando, vota, & juramenta Deo præstita omninò æquiparari in ordine ad commutationem; quia vinculum voti & juramenti votivi, licet in rigore metaphisico specie differant, non verò moraliter quoad effectum dispensandi, & commutandi; quia solum Deum, eiusque honorem respiciunt, solique Deo ex utroque obligatio paritur; ergò votum & juramentum, ex quibus Deo simul, & homini obligatio adquiritur, ratione promissionis utrique factæ, & magis principaliter Deo, quàm homini, æquiparari etiam debent in ordine ad commutationem; ac proindè, vel improbabile est, votum eleemosynæ à paupere acceptatum posse, absque eius consensu, virtute Bullæ commutari, vel probabile debet esse, quod etiam juramentum post acceptationem, similiter commutari possit.

2. Secundò, quia per promissionem votivam Deo, & homini factam, semel ab homine acceptatam, idem jus homini adquiritur, ac per juramentum, si ergò quia promissio votiva in Dei cultum principaliter fit, potest virtute Bullæ commutari, poterit similiter etiamsi jurata: quia juramentum erogandi eleemosynam, licet huic pauperi determinato fiat re vera est promissio jureiurando firmata, quæ licet pauperi præstita, in Dei obsequium principaliter fit.

3. Quapropter magis consequenter P. Fagundez *in præcept. decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 49. *n.* 11. tam iuramentum, quàm votum probabile putat, posse commutari; nam cùm æquè in hoc juramento, ac in voto, finis *cujus*, (qui principalis est) sit Deus, propter quem fiunt; ad hunc finem in commutatione attendi debet, non verò ad finem *cui*, seu ad creaturam, cui fiunt. Quia accessorium sequitur principale. Cùm igitur tota, seu præcipua ratio istius promissionis sit Deus, & jus determinato illi pauperi adquisitum dependeat à beneplacito Dei, propter quem, tanquam propter finem principalem, promissio voti & juramenti fit, & aliundè Deus suum majus obsequium semper habeat gratiùs, non est cur negari debeat, posse eiusmodi vota & iuramenta in me-

liùs commutari. Imò & propriâ auctoritate, ut quidam existimant, quia hoc fundamentum, vel id probat, vel nihil.

4. Huic sententiæ dissentire non poterit Petrus de Navarra *lib. 2. de Restit. cap. 1. in nova edit. dub. 3. n.* 14. ubi licet de voto sermonem instituat, idem de juramento, ratio, qui utitur, evincit, & etiam respectu Episcopi, quam Bullæ Cruciatæ vim retinet. Sic enim ait: * Cùm qui emisit votum dandi alicui pio loco certam quantitatem, etiam postquam acceptata est, posset Pontifex Romanus illam commutare in alium usum, (attende) quod principaliter ea donatio, seu promissio ortum habuerit ex religione voti, non ex lege justitiæ. Cùm non sit facta in gratiam & utilitatem personarum illius loci, sed principaliter in Dei cultum. Quare si quis sine voto illam promitteret, vel donatet, vel alio contractu, Ecclesia, vel pius locus adquisierit, nullo modo posset auferri. * Hæc ille: qui licet de voto, & de Romano Pontifice commutante loquatur, ratio verò, quâ ducitur (ut prædixi) idem probat de juramento, cùm ortum etiam habeat ex religione, & factum non sit in gratiam & utilitatem personæ, cui fit, sed principaliter in Dei cultum. Undè etiam deducitur, quod non solùm à Romano Pontifice, cùm non sit ex reservatis, sed etiam ab Episcopo, & virtute Cruciatæ possit commutari.

5 Facit ad hæc Eminentis. Cajetanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *vers. Ad hujus evidentiam,* Ubi docet, promissionem factam Deo, & simul homini acceptanti, in cujus utilitatem cedit, si principaliter fiat propter Dei cultum & honorem, posse dispensari, aut commutari, absque acceptantis consensu. Dixi, favere, quia ibi asserit, profitentem in aliqua Religione, licet non soli Deo se obliget, sed etiam Religioni, cui suas actiones tradit, ipsaque acceptat, posse Religione invita ad meliorem transire, ut constat, inquit, *ex cap. Licet de Regul.* quod fundamento suprà adducto, sic probat: * Et ratio cur quis potest in tali casu præjudicare Prælatis, & Religioni priori, est, (attende) quia non propter seipsos, sed propter Deum Prælatis, & Religioni data est Religiosi persona, & propter hoc solius Dei ratio habetur in ejusmodi commutatione. * Ergò secundùm Cajetanum, idem dici debet de quolibet alio voto, vel juramento promissorio homini propter Deum præstito, etiam post acceptationem, cùm eadem sit omnium ratio.

6. Nihilominus tam vota, quàm juramenta, quæ in alterius utilitatem cedunt, nequire post acceptationem commutari virtute Bullæ, nec ab Episcopo dispensari, tenendum est, quia licet promissio magis principaliter fiat Deo, quàm homini, sit tamen modo sufficienti, ut homini acceptanti paret jus ad rem promissam, cujus violatio est contra justitiam, ut adversarii etiam fatentur, ergò absque præjudicio tertii nequit commutari, & per consequens, neque absque ejus consensu. Ita tradit Thomas Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 9. num.* 12. dicens esse communem. Et iterum *lib. 4. Sum. cap.* 41. ubi sic: * Tandem dubitatur, an cum promissio facta Deo, & homini acceptanti, non fit propter ejus utilitatem, possit commutari? Affirmant aliqui, &c. Et hujus sententiæ videtur apertè Cajetanus, &c. Verùm hoc ita universaliter dictum non audeo dicere, quia Doctores omnes suprà relati sola promissione facta homini, & Deo; ac ab homine illo acceptata contenti sunt, ne liceat dispensatio, aut commutatio absque ejus consensu. Præterea, quia negari non potest, jus homini illi adquiri. * Sic Sanchez, & ante illum Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 15. n.* 7. dicens: * Regulariter non potest tale votum commutari sine consensu tertii, in cujus præjudicium cederet commutatio. Est communis assertio. Ratio est, quia cum voto conjungitur promissio humana, quam supponimus esse acceptatam, & consequenter debere jus, quo non potest quis privari per potestatem commutandi vota, sicut etiam de juramento promissorio dictum est. * Hæc Suarez: cui consentit Diana 1. *p. tract.* 11. *resol.* 47. Ubi postquam dixit, confessarium virtute Bullæ posse commutare votum emissum in favorem tertii, limitat, dicens: * Secus autem si hujusmodi votum fuerit à paupere acceptatum, nam ita adquisivit jus per acceptationem. * Quos sequitur P. Mendo in Bullam, *disp. 26. cap.* 1. (licet contrariam amplectentes se non damnarum asserat) & sequi videtur M. Barnabas Gallego in *Bulla cap. 9. dub.* 145. licet falsò, & absque ullo fundamento, pro sententia contraria referat Patrem Sanchez, Suarez, & Dianam, ut ex eorum verbis convincitur. Ex quo non nemo invidiam illi conciliare molitus est.

QVÆSTIO VI.

An quando est probabilis opinio, quod taxa alicuius rei sit iniusta, & propterea venditor falsis ponderibus, vel alias, iniustitiam compensat, possit postea à Judice interrogatus id totum iureiurando negare, subintelligendo se iniusta non fecisse?

DUplicem difficultatem hoc quæsitum involvit. Prima: An quis teneatur ad taxam observandam, quando probabilis opinio tenet, esse injustam? Secunda: An posito quod non teneatur, possit à Judice interrogatus negare delictum?

§. PRIMUS.

Quid de prima quæstionis parte?

1. QUoad primam, communis sententia negat obligationem servandi taxam probabiliter injustam, communi principio innixa, quod cuique licitum sit opinionem probabilem amplecti: quoties autem probabile est, taxam esse injustam, toties probabile etiam est, obligationem non inducere. Hanc sententiam sequuntur quotquot asserunt, non esse obligationem solvendi tributum, quando probabile fuerit esse injustum. Petrus de Navarra, Joannes Sanchez, Salon, Malderus, & alii, quos citatos sequitur Verricelli *tom. 1. tract. 2 singul. opinion. quæst. 32. num. 5.* & M. Barnabas Gallego *de consc. probab. circa fugam, dub.* 19 plures citans. Et tenent expresè Gordubensis, Araujo, & alii apud Thom. Hurtado *tom. 1. tract. 13. cap. 2. n. 74. fol.* 106. & esse communem Doctorum dicit Lessius *de Justit. lib. 2. cap. 33. dub. 8. n.* 67. Quam ultrà citatos sequuntur Vega, Moure, & alii apud Joannem Sanchez in Selectis *disp. 32. n. 35.* ubi ait * A fortiori hanc docere tenentur, qui asserunt vectigalia in conscientia non deberi, nisi constet de illatum

illorum justitia. Inter quos est Angelus, Sylvester, Cajetanus, Aragon, Gabriel, Rodriguez, Medina, Carbo, Villalobos, & alii. * Ergò cum idem prorsus dici debeat de taxa, ac de tributo, cum eadem sit utriusque ratio; sicut tributum probabiliter injustum, probabiliter ad solutionem non obligat, ita neque taxa probabiliter injusta ad sui observationem obligabit.

2. Confirmatur: Quia subditus nonn tenetur obedire, quoties probabile est, esse injustum, quod illi præcipitur, ut plures, & gravissimi Doctores tuentur. Sic M. Petrus de Ledesma *in Sum. 2 p. tract. del Estado delos Religiosos en commun cap. 4. fol. mihi* 82. ibi * La quinta dificultad es, quando ay diversas razones probables moralmente hablando por ambas partes, desuerte, que son probables al parecer de hombres doctos, y buenos. La dificultades, si en tal caso tiene obligacion el subdito de obedecer. A esta dificultad se hade responder, que no tiene obligacion el subdito de obedecer, sino que puede muy bien seguir la opinion que quesiere. En esta resolucion convienen comunmente los Doctores, que ensennan, que es licito seguir opinion probable, aunque sea dexando la sentencia mas probable. * Sic ille, cujus opinionem multis illustravit Joannes Sanctius *in Selectis disp.* 33. & probabilem putant Castropalao *tom.* 1. *disp.* 2. *puncto* 6. *n* 5. & Diana *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 10. & cum aliis amplectitur Dicastillo *de Iuramento disp.* 2. *dub.* 12. *n.* 349. Ubi cum sibi objecisset aliorum opinionem asserentem, in opinione æquè probabili, subditum teneri parere superiori, respondet, id negandum esse. * Saltem quando agitur de damno inferioris, seu de ejus interesse, quia in eo casu utraque pars utitur jure suo. * Et ita dicit respondere, in casu vectigalis, Petrum de Navarra, & Lessium. Ergò licet probabile sit, taxam esse justam, & superiorem posse illius observationem præcipere, si tamen probabile etiam sit injustam esse, subditus non tenebitur obedire, quia probabile similiter est, subditum non teneri, quoties probabile est, esse injustum, quod præcipitur. Hæc opinio probabilis est; quia nititur his præmissis: *In re injusta nemo tenetur obedire. Taxa hac est injusta.* Quarum prima est evidens, & secunda probabilis. Ex duabus autem præmissis una evidenti, & altera probabili nequit non inferri probabile consequens. Quod iterum sic confirmo. Quoties datur opinio probabilis asserens, subditum non teneri obedire Superiori, potest subditus in praxi illi non parere, ut docent Thom. Sanchez *in Sum. lib. 6. cap.* 3. *n.* 7. Sayrus *in Clavi Regia lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 6. Petrus de Navarra, Torres, Palao, Layman, & alii, quos sequitur Thomas Hurtado *tom.* 1. *Resol. Moral. tract.* 3. *cap.* 3. *resol.* 28. *n.* 151. *fol.* 113. Sed quoties res præcepta est probabiliter injusta, datur opinio probabilis, asserens, subditum non teneri obedire superiori, ut vidimus: ergò. Consequentia est evidens, & apertè suadet probabilè, non esse obligationem servandi taxam, quoties juxta opinionem probabilem fuerit injusta.

3. Adde plus contendere M. Petrum de Ledesma *ubi suprà*: nempè id etiam procedere, quando subditus dubitat de justitia præcepti. * Quando el subdito, inquit, duda razonablemente, si el Prelado justamente manda con precepto. * In quo eventu, si res præcepta in subditi præjudicium sit; judicat idem sentiendum in casu dubii, ac quando probabilis esset opinio, quod esset injusta. Sic enim ait: * La limitacion del Padre Maestro Gallo me parece muy bien, y es, que en caso de duda, parandole perjuizio, no tiene obligacion de obedecer. Porque entonces tiene verdad, que es mejor la condicion del que possee. * Verùm hanc partem non puto probabilem, tum, quia est contra torrentem Doctorum; tum quia latissima per hanc doctrinam aperitur via non solvendi tributa, & non servandi taxam, quia dubium de injustitia illorum frequenter occurrit, imò & omnes ferè gabellas dubias esse, ait M. Fumus, *verb. Gabella num.* 16. Tum etiam, quia debili nititur principio: Nam quando superior est legitimus, pro illo stat possessio, non pro libertate subditi: ergò in dubio de justitia rei præceptæ, pro superiore standum est; ac proindè asserendum, subditum teneri obedire. Quapropter audiendus non est M. Ledesma; sicut nec M. Texeda *tom.* 1. *controv. lib.* 1. *tract.* 2. *controv.* 14. *dub.* 4. *num.* 46. Ubi cum Cajetano asseruit, eum, qui dubitat de justitia tributi, non teneri solvere. Si enim hæc opinio probabilis esset, rarò daretur obligatio solvendi tributa, præcipuè cùm juxtà Cajetanum, *verb. vectigal.* Vix ulla gabella sit justa.

4. Est ergò dicendum, quod saltem dum non fuerit opinio probabilis de justitia tributi, vel taxæ, nemo potest probabiliter ab obligatione legis liberari. Secus si probabilis fuisset opinio, asserens non solùm esse injustam, sed non esse obligationem servandi taxam; nam cum cuique liceat opinionem probabilem amplecti, probabiliori relicta, ut alibi cum communi Doctorum diximus, cuicumq; etiam licebit eam sequi, & consequenter non servare taxam. Et ita docet Thomas Sanchez *in Sum. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 29 *in fine.* * Atque ad hoc, inquit, satis est, opinionem esse probabilem, eam taxam non obligare. * Quem sequuntur Escobar *in Moral. Theolog. tract.* 1. *exam.* 3. *cap.* 7. *num.* 34. Et Dicastillo *tract. de juram. disp.* 2. *dub.* 12. *nu* 364. quod ex præjacta communi doctrina per evidentem consequentiam infertur.

5. Credo autem non esse principium, ex quo evidenter deducatur, subditum posse non obedire, quando opinio solùm asserit probabiliter, esse injustum, quod præcipitur. Ideoque plures Doctores (inter quos Thom. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 6.) asserunt, subditum teneri obedire, quamvis judicet probabiliter esse malum, quod superior præcipit, & solùm excusari posse, quando detur opinio probabilis, dicens, in tali casu non teneri. Quia in casu de opinione probabili pro injustitia rei præceptæ, ut tractatu de opinione probabili, *quæst.* 8. diximus, stari debet pro superiore possidente, & habente potestatem præcipiendi, quod certò, vel probabilius justum fuerit: in secundo verò casu, cùm opinio probabilis dicat, non esse obligationem obediendi, libertatem relinquit subdito, ut eam sequendo non obediat. Nihilominus ex una ad aliam opinionem putant nonnulli evidenter argui. Nam quoties probabile fuerit, esse injustum, quod præcipitur, probabilis opinio asserit, non esse obligationem parendi, quam pluribus citatis tenet Joannes Sanchez *in Selectis disp.* 33. *n.* 32. *& seq.* cui innixus poterit subditus non obedire. Undè idem prorsus consequens proximè, vel remotè ex eisdem præmissis, videtur deduci. Sed de his alibi. His positis.

(:†:)

§. II

§. II.

Quid de præcipua quæstione?

6. SEcunda difficultas est: Utrùm in casu, quo juxtà opinionem probabilem, non sit obligatio servandi taxam, venditor, falsis ponderibus, vel aliter injustitiam sibi factam compensans, possit à judice interrogatus sub juramento id totum negare, subintelligendo, se iniustè non egisse? Et partem affirmativam verissimam, & communis sententiæ principiis conformem esse credo, quam in terminis tradunt Thomas Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 6. n. 29.* ibi: * Quando taxa alicujus rei est injusta, si pluris vendens, aut fraudans in pondere, aut mensura, ita ut sibi satisfaciat pro pretii injustitia, & reddat correspondentes merces pretio dato, potest hic rogatus à judice, an pluris vendiderit, vel defecerit in pondere, & mensura, id negare, asserereque pretio taxato vendidisse, & integrè pondus, & mensuram tradidisse, intelligendo hæc, ita ut pluris vendens, aut deficiens in pondere, & mensura non deliquerit. Quia absque delicto utrumque fecit, atque ita verè dicit, se integrè tradidisse, nempè quatenus tenebatur eo pretio accepto, neque excessisse delinquendo. Atque ad hoc satis est, opinionem esse probabilem, eam taxam non obligare. * Hæc Sanchez, & ex illo Antonius de Escobar, ubi suprà, quos eisdem ferè verbis sequuntur Dicastillo *tract. de Iuram. disp. 2 dub. 12 n. 364.* Diana *3. p tract. 6. resol. 30* & ante illos Portel. *in Addit. ad dub. Regul. verb. Iuram. n. 16* & alii.

7. Et in simili tenet Leander à Murcia *in Disquisit. Moral. lib. 2. disp. 6, resol. 11.* Ubi ex M. Tabiena, M. Medina, M. Soncinas, M. Soto, & aliis, *num. 11.* Sic ait: * Quapropter cùm in foro conscientiæ (secundùm probabilem prædictorum sententiam) non teneatur quis solvere tributum, si non petatur, & possit occultare merces, & contractum, in quo fundatur jus tributi, si post occultationem interrogetur ab exactore, vel à judice, an fecerit contractum vel occultaverit; etiam cum juramento, poterit id negare, utendo amphibologia, quia occultando merces, vel contractum in foro conscientiæ, usus est jure suo, & nemini fecit injuriam. * Sic ille in re sanè difficiliori, quàm taxa pretii.

8. Principium autem, cui hæc conclusio innititur, satis commune est, nimirùm: Quoties factum exteriùs contra legem excusatur à culpa ratione alicuius circunstantiæ, posse subditum rogatum juridicè, & sub juramento, tale factum negare, intelligendo de facto criminoso. Quia interrogatio judicis ex circunstantia interrogantis, & judicii, de eo solo facto intelligitur. Ita docent M. Bannez. *2. 2. q. 69. artic. 2. dub. penult.* Salon ibidem *controv. 11.* Sayrus *in Clavi Regia, lib. 12 cap. 17. n 26.* Lessius *lib. 2. de just. cap. 31. dub. 3. n. 14.* & cum illis Sanchez ubi suprà. Sed in casu quæstionis, qui falsis ponderibus, aut taxa non servata, merces vendidit, (ut supponimus) excusatur à culpa, quia probabile est, injustam esse, & non esse obligationem illam servandi: Ergò.

9. Huic opinioni facit M. Corradus *L. p. q. 21.* ibi: * Quæritur, an qui juravit judici dicere veritatem, si mentiatur, mortaliter peccet? Respondetur, quando juramentum accipitur de veritate dicenda, hujusmodi juramentum non cadit, nisi super his, de quibus, secundùm ordinem juris, respondere tenetur, &c. Et quia ad interrogantis intentionem respondere non tenetur; Navarrus, *in libello de responsi*, docet modum, quo quis respondere potest, ut non peccet, nec veritatem patefaciat: & hic est, vel fictum verbis tergiversando, vel respondendo ad se ipsum in corde suo, & non ad judicem. Sic Sotus, Sylvester, & benè omnes, præter unum tantùm, quem tacet libet. * Hæc M. Corradus.

10. Verùm licèt facilè percipiatur, causam, quæ adest ad excusandum à mendacio amphibologicum sermonem, sufficere etiam posse ad excusandum juramentum, ut docent Angelus, Sylvester, Navarrus, Azor, Valentia, Salon, Sanchez, Toletus, Manuel Rodriguez, Filliarcus, Suarez, Lessius, Martin del Rio, & alii, quos sequitur Joannes Sanchez *in scholia, disput. 46. num. 17.* non tamen facilè videtur exponi, quomodo in casu præsenti mendacium evitari possit. Licet enim verbis æquivocis plures habentibus significationes possimus ex causa uti, in eventu abutendi ab audiente non intelligendis, ut docent communiter Doctores; quando verò æquivoca non sunt, sed determinatam ex impositione hominum significationem sortiuntur, qui fieri potest, ut absque mendacii labe possit quis illis abutens respondere: *taxam servavi*, ea non servata; aut *non pluris vendidi, quam pretio taxato.* Cùm pluris vendiderit? Nonne hoc contra mentem ire est? Nonne exterius verba exprimere; contra id, quod interiùs latet?

11. Sed respondeo ex communi Doctorum, verba ex impositione hominum ratione circunstantiarum loci, temporis, officii interrogantis, aut respondentis, & obligationis eorum, varias significationes sortiri; ideoque mentem loquentis sufficienter exprimere, & illi conformari, quamvis rudes, & ignorantes decipiantur, aliud credentes, quam verba in illis circunstantiis prolata significent; quod quidem non vitio loquentis, sed ruditati, & inscitiæ audientis tribuendum est. Quod variis exemplis illustrant Doctores. Primò: cùm rogaris, an Petrum videris? Verè respondes, te non vidisse, quia licet videris, non tamen ita proximè, ut rationem reddere possis, ut à quærente inveniatur. Secundò si pœnitens in confessione rogetur à confessario, an furtum commiserit? Verè respondet, non commisisse, licet verè aliquando admiserit, & confessus fuerit. Quia verba hæc negativa, in his circunstantiis, determinantur ad significandum, quod in illis non significarent, ideoque mendacium non continent, licèt alibi continerent, Ad hunc ergò modum in aliis casibus discurrendum est.

12. Quapropter Doctores communiter tradunt, non intervenire mendacium, quoties restrictio mentalis implicitè significatur per verba exterius prolata, & hoc contingere (attende) quando interrogans non habet jus interrogandi, aut quando interrogatus ratione sui officii, aut ex alio capite non habet obligationem respondendi. Videatur Thom. Hurtado *tom. 2. resol. Moral. tract. 7. cap. 4. n. 41.* apud quem id tenent Joannes Malderus, Suarez, Castrenses, Salon, Reginaldus, Toletus, Barbosa, Navarrus, Lessius, Layman, Bonacina, Sylvius, Comitolus, Tannerus, Valentia, Azor, Filiucius, Clavis Regia, Rodriguez, Villalobos, Lublinus, & alii, quos ibi refert, & sequitur dicens: * Qui omnes pro certo habent, quod quando subest rationabilis causa, potest quis uti restrictione mentali (modo supra explicato) quia saltem implicitè datur intelligi ex circunstantiis talis æquivocatio, & mentalis restrictio-

restrictio. * Quæ sententia adeò certa est, ut ferè nulla in hoc sit controversia inter Doctores, teste Dicastillo *tract. de Iuram. disp. 2. dub. 12. num. 298.*

13. Cùm ergò intentio judicis interrogantis ea semper præsumatur, quæ debet esse, ac proindè secundùm regulas juris, & in ordine ad justitiam servandam, & subditorum injuriam avertendam, aut illatam resarciendam: fit indè, ut quoties interrogat sub juramento, an falsis ponderibus, vel aliter in pretio venditor, taxa non servata, defraudaverit; idem prorsus hæc verba significent, ac si rogaret, an in pondere, & mensura, vel pretio injuriam alicui fecerit: hæc enim est intentio debita judicis, & cui conformari debet responsio jurata. Cui sanè venditor conformem adhibet, etsi negativam, dicens: *Non defraudavi*, vel affirmativam, *taxam servavi*; quia hæc verba ratione circunstantiarum idem significant, ac *nulli in pretio damnum intuli*. Quod cum verissimum sit, non est undè juramentum falsitatem contrahat, imò nec ullam malitiam, seu deformitatem aliquam, cùm fiat ex causa justa propriæ utilitatis, vel damni vitandi. Quod autem hæc sit causa justa jurandi cum mentali restrictione; tradunt Navarrus, Bonacina, Clavis Regia, Filliarcus, Sanchez, & alii, quos sequitur Dicastillo suprà *num.* 324. dicens: * Tunc adest justa causa (occultandi veritatem etiam sub juramento, modo, quo suprà) quoties id necessarium est, aut utile ad salutem corporis, honorem & famam, vel res familiares tuendas: ac tunc universim nullum erit peccatum uti amphibologiis, aut occultationibus, etiam cum juramento, quoties quis ex non juraudo incurrit, aut prudenter timet damnum aliquod notabile. * Quod aliis verbis universalioribus tradiderat Sanchez. *lib. 3. Sum. cap 6. num.* 18. dicens: * Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, & res familiares tuendas: vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & virtuosa. Ita Navarrus &c.

14. Quibus consonat Magist. Corradus *1. part. quæstion.* 137. dicens: * Neminem, qui gratia salutis animæ, vel corporis, pietatis, utilitatis, vel alterius necessitatis, utitur ejusmodi amphibologia, mentiri, neque peccare peccato mendacii, etiamsi juramentum addatur. Hæc ait Navarrus ubi suprà, allegans pro hac parte Div. Hieronymum, Gregorium, D. Thom. Ricardum, Scotum, Paludanum, Sylvestrum, & multos alios, &c. Non tenebatur judici respondere, ut volebat, sed ut velle debebat, & huic rectæ voluntati satisfacit, respondendo, se illa non dixisse, subintelligendo animo, &c. Hactenus M. Corradus. Ex quo principio plures favorabiles resolvuntur casus, quos per otium videre poteris apud citatos Auctores.

15. Major esset difficultas, si judex exprimeret suam intentionem (licet iniquam) esse, ut venditor manifestet, an justè, vel injustè pluris, quam verba taxæ sonant, merces vendiderit: & hoc sub juramento extorqueat: an in hoc casu respondere venditor possit; non pluris vendidisse? Et ratio difficultandi est, quia cùm verba non sint æquivoca, & necratione circunstantiarum aliam significationem, nec implicitè, induant; non videntur à mal tia mendacii denudari posse, & per consequens nec juramentum à labe perjurii.

16. Respondeo, etiam in hoc casu sufficienter significari, saltem implicitè, restrictionem mentalem respondentis. Et sic intelligo M. Zanardum *p. 1. ubi de juram cap. 11. §. 8.* dum ait. * Octavò dico de illo, qui unum voce jurat, & aliud mente concipit, quod contra veritatem juramenti, quandoque peccabit, & quandoque non * nimirum (ait ibidem, §. *quarto dico*) * Quando non tenetur respondere ad mentem interrogantis. * Vide *fol.* 466. & 480. Et ratio potest esse, nam quoties ad mentem interrogantis respondere non tenetur, & aliundè expedit veritatem occultare, ad hoc quisque jus habet, licet sub juramento extorqueatur, quam cum tacendo occultare non possit, nec verba æquivoca sint, quivis prudens auditor sibi suadere debet ratione circunstantiarum occurrentium restrictionem mentalem verbis superadditam esse, & juxtà illam responsum mensurari. Undè fit, verba esse menti conformia, cùm illam implicitè saltem significent, quod ad veritatem orationis vocalis sufficere constat ex communi Doctorum, ut vidimus.

§ IV.

Quid de usu restrictionis mentalis?

17. UT difficultas superiùs proposita penitùs evanescat, addo secundùm plures, licitum esse ex justa causa veritatem occultare, mentali restrictione addita, etiamsi verba, neque ex sua significatione, nec ratione circunstantiarum, sensum verum admittant, sed rationi tantùm additi, quod mente proferentis omninò retinetur, etsi nec implicitè signo aliquo exteriori significetur; ut si quis v. g. juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se, non fecisse anno præterito, seu non fecisse, ut non manifestet, & similia. Et ratio est, quia ex oratione vocali, & mentali una conflatur oratio, licet diversa ab illa quam audientes concipiunt; & cum respondens jus habeat occultandi veritatem, quam exquirunt, permittere illis potest, errorem ex partiali oratione generandum. Ita Sylvester, Navarrus, Valentia, Salon, Toletus, Manuel Rodriguez, Filliarcus, Lessius, Suarez, & alii, quos citatos sequitur Thomas Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 6. num. 15. & seq.* Item Sotus, Paludanus, Adrianus, Richardus, Major, & alii apud Navarrum *in capit. humanæ aures, 22. quæst. 5. in quæst. 2. à num.* 10. Et plures quos citatos sequitur Dicastillo, *suprà n.* 300. Et quod, secundùm se, oratio, quæ falsa esset, sine restrictione mentali, possit esse vera, posita restrictione, licet externo signo, neque implicitè, neq; explicitè restrictio denotetur; tenent ultrà citatos Angelus, Tabiena, Pessantius, Raynaudus, & alii apud Thomam Hurtado *tom. 2. resol. Moral. tract 7. cap. 3. num.* 42. Quibus adde Dianam *2. part. tract. 1. Miscellan. resol 2. & 3. part. tract. 6. Miscellan. resolut.* 30. Et Gasparem Hurtado *tract. de justit disp. 4. de Reo, dific.* 8. Ubi sic, inquit, * Est tamen difficultas, an subditus possit licitè uti restrictione interius addita verbis univocis: v. g. non feci, non vidi, subintelligendo interiùs, seu mentaliter aliquid, quo verbum exteriùs fiat verum, nempè, vel ut dicam tibi, vel tali tempore? Sotus, Covarrub. & Aragon. dicunt, non posse. Bannez, & Salon, Lessius, Navarro, Valentia, Toletus, Suarez, & communiter Doctores dicunt, posse, & meritò, quia verba exteriora non proferuntur, ut integra propositio, sed ut pars.*

18. His consonat cum Paludano M. Corradus *1. p. q.* 137. Ubi sic: * Paludanus ait expresè, quod quando verum est, quod quis dicit secundùm suam inten-

intentionem, licet sit falsum secundùm intentionem audientis, non est mendacium, nec peccat, utendo illa amphibologia ex causa. Et fortè illi sic neganti, causæ multæ potuerunt adesse justæ, ergò iste perjurius non fuit.* Ex quibus ibidem, *fol.* 261. sic concludit: * Per hanc doctrinam singularem, vitare possumus innumera peccata, quæ passim aliquot negligentiores admittunt, negando, vel affirmando passim sine aliqua subintellectione, cum qua conjuncta essent vera, &c. Videlicet, subintelligendo aliqua quibus fiunt vera, quæ annuimus, vel falsa, quæ negamus: ut si quis respondeat petenti pecuniam, librum, &c. Non habeo, vel nescio illa, subintelligendo, ita ut teneat præstare, tradere, dicere, vel palam facere, quæ rei, quæ agitur, conveniat, ad hoc quod sit verum, quod affirmat, vel falsum quod negat. * Sic Corradus, & in idem recidunt verba ex illo exscripta supr. *n.* 14.

19. Quibus adde plures, quos citatos sequitur Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tr.* 8. *docum.* 10. Ubi negativâ sententiâ propositâ, sic ipse ait: * Pero otros muchos con mas probabilidad defienden, que auiendo justa causa, es licito usar de equivocacion en el juramento, con oracion ambigua, que haga perfecto, y verdadero sentido, cõ las palabras, que mental mente se annad eren; como el que preguntado por el Iuez, teniendo justa causa para no responderen juizio, dixesse, que no auia visto, o sabido tal cosa, annadiendo mentalmente *parade cirla*, & sic de cæteris, &c. Porque jura segun el sentido verdadero que èl pretende, ni haze agrauio al tercero, porq̃ no està obligado a hablar le a su mente, ni a declararle todo lo que interior mente siente. * Ergò qui hujc sententiæ se conformans, restrictionibus mentalibus ex justa causa utatur, nullius culpæ reus erit.

20. Et quidem cùm non rarò nonnulla tegere necessarium sit, & hominum convictus ad sui conservationem id exigat, si verba æquivoca non occurrant, nec silentio veritas occultari possit (cùm sic frequenter clariùs manifestetur) ex natura rei debet esse modus, ut regulam rationis non transgrediens possit quisque verbis absque mendacio, prout oportet, veritatem occultare: atqui nequit aliter congruenter fieri, cùm verba æquivoca non occurrunt, nisi non exprimendo verbis totam suam mentem, sed partem illius, etiamsi error in alio indè causandus sit; ergò hoc non esse contra rationem faciendum est. Quapropter in hanc tandem sententiam venit M. Sotus *lib.* 5. *de Iustit. quæst.* 6. *art.* 2. *concl.* 7. Ubi docet, quod si quis nulla alia evasione possit astuti judicis interrogation satisfacere, poterit, quando respondere ad eius mentem non tenetur, dicere, se nescire, subintelligendo, ut tibi dicam: quia verbum *Sciendi*, dicit relationem ad loquelam, ac proindè verè potest dici *nescio*, subintelligendo, ad dicendum. Petat verò, non posse respondere; *non vidi, aut non audivi*, subintelligendo ad dicendum: quia facta, inquit, non dicunt relationem ad loquelam. Quod mirabile quidem dictu est: quia licet facta non dicant ordinem ad loquelam, verba omnia quibus exprimuntur, hunc ordinem dicunt; imò partes loquelæ sunt. Et sicut notitia rerum potest verbis manifestari, ita & res ipsæ, & operationes; & sicut verba sunt signa conceptuum, ita & rerum, & operationum, quarum quis notitiam habet; quia in harum cognitionem non minùs, quàm illorum, per verba devenimus. Ergò sicut scientiam rei negare licitum est; subintelligendo ad manifestandum, ita & actiones, & operationes sub eodem sensu: ac proindè sicut respondere quis potest absque mendacio, nescio, subintelligendo, ut tibi dicam; quis in ordine ad hanc manifestandi, quando non tenetur, perinde ac si nesciret, ita similiter respondere poterit, non *vidi*, aut *non feci*, quia in ordine ad obligationem respondendi perindè est, ac si non vidisset, aut non fecisset.

21. Suadetur hic discursus efficaciter ex facta regina, in qua usus restrictionis mentalis, tàm per verbum sciendi, quàm per alia, quibus facta exprimuntur, à Christo Domino expressus continetur. Primum testimonium habes Marci 13. *De die illa nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.* Cujus propositionis veritas completur per aliquid aliud in mente Christi Domini retentum, v. g. *Neque filius scit, ut revelet, vel non scit ab humanitate*, juxtà varias Sanctorum Patrum expositiones. Secundum testimonium est, Joann. 7. *Ego non ascendam ad diem festum istum.* Quod Christus Dominus protulit, subintelligendo: *Non ascendam publicum, vel non ascendam publicè.* Ascendit enim postquam Apostoli ascenderunt, ut ait Evangelista: *Vt autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit, non manifestè, sed quasi in occulto.* Ex quibus planè constant, & restrictionis mentalis usum licitum esse, & non magis ad verbum *sciendi*, quàm ad alia verba quibus operationes significantur, applicari posse, cùm eas manifestare non oportet. Quod est argumentum hujus propositionis; contra quam plura congerit Thomas Hurtado ubi suprà, sed facilè ex dictis occurri potest.

22. Ex quibus concludo; rogatum sub juramento, quando veritatem manifestare non tenetur, posse licitè eam occultare verbis æquivocis, vel quæ ex circunstantiis implicitè veram significationem fortiantur, vel etiam aliis, quæ ex solo addito mentis, etsi exteriùs nullatenùs manifesto, verum significent, ut constat ex dictis. Quæ magis explicat Mag. Dominicus Baltanas in *Magar. Confessor. Hispalis edita anno* 1526. *fol.* 97. Ubi sic scribit: * Quando quis interrogatur de aliquo, quod dicere non expedit, dicere potest, se illud nescire, subintelligendo, ut revelandum, exemplo Christi, qui dixit, se nescire diem judicii, &c. Cavenda est ista cælatio: primò, quando posset esse scandalum. Secundò: in judicio ro & justo. Tertiò, ubicumque quis tenetur confiteri veritatem, de qua interrogatur. Quinto, quandò quis juraret extra judicium non coactus per superiorem contra ordinem juris, nec ab aliquo particulari per commutationem, sed ipsum jurat.* Hæc ille. Quæ ad praxim observanda sunt.

23. In æquivocationum, & restrictionum mentalium Autores, quasi novi inventi, acrius invehitur Baronius 1. *part. Theolog. Mor. disp.* 1. *sect.* 5. *art.* 3. *à fol.* 84. Sed in duos tantum, nempè Theophilum, & Tamburinum, jacula conjicit, quasi doctrinam execrandam docuerint, à D. Augustino. & & D. Prospero damnatam, contra Originem, Cassianum, & alios: Cæterùm hi Doctores non restrictiones mentales, sed mendacium ex justa causa licitum esse asserebant, ut videre licet apud Sylvum Senensem *lib.* 5. *annotat.* 105. & apud Cornelium à Lapide *in Epist. ad Galatas, cap* 2 *vers.* 11. Ubi D. Hieronymum, & D. Chrisostomum ab hac opinione vindicat. Est enim apertissimus error damnatus ab Innocentio III. *titul. de Vsuris, cap. super eo.* Unde non mirum Originem, & sequaces ab Augustino reprehensos. Instat Baronius, Leffium *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 8. & Tho-

& Theophylum *in lib. sub nomine Emonerii edito, cap.* 12. & 14. existimare, plerosque ex prædictis Patribus excusari posse, quod mendacium vocent etiam orationem habentem tacitam mentis limitationem. Fateor sed viri alii doctissimi ex quibus fuit Augustinus, de aperto mendacio, & simulatione ex causa legitima eos intellexerunt, ideoque acerrimè impugnarunt, quod secus fieret, si Lessii, & Theophyli piam interpretationem admisissent.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Horis Canonicis.

QUÆSTIO PRIMA.

An qui preces Deo fundit cum proposito actuali peccandi mortaliter, novum orando peccatum committat?

1. IN hac disputatione unum supponitur, & alterum discutitur; supponitur, ut indubitatũ, propositum actuale peccandi læthaliter esse peccatum mortale; dubitatur, an hujusmodi peccatum cõcomitans sit circunstantia vitians orationem, ita ut oratio ipsa sit peccaminosa? P. Thomas Sanchez *tom. 2. opusc. Moral. lib. 7. cap. 2. dub. 9.* doctè, ut assolet, rem hanc attigit, & resolvit. Primò inquirit: * An qui ex Ecclesiæ præcepto tenentur ad Horas, peccent, si in peccato mortali eas recitent? * Et in hac parte, cum communi Doctorum sententia, negat contra Adrianum *Quodlibeto octavo*: putat enim, & merito, nullam intervenire irreverentiam in eo, quod inimicus Dei, seu in peccato habituali permanens, oret, & beneficia impetrare intendat, à Deo offenso, licet posset ante orationem ad Deum converti, ut dignus ad orandum accederet.

2. Hinc ad aliam quæstionem à paucis attactam, gradum faciens, inquirit: * An saltem peccaret ipsamet oratione, & recitatione, si oraret, aut recitaret actu peccans, vel actuale propositum peccandi habens? * Et in hac difficultate Doctores dissident. Prima sententia affirmat, cum Joanne de Medina Doctore Complutensi *Cod. de orat. tract. 6. quæst. de modis, quibus oratio depravari solet*, ubi fol. 177. Sic scribit: * Si orans sit in peccato, scilicet, actu peccando, vel actu proponendo peccare, & Deum offendere, peccat, sic orando. Nam apertum est, eum magnam irreverentiam Deo facere, petendo beneficium, & gratiam ab illo, quem actu offendit, & offendere intendit: talis enim, non orare, sed contemnere videtur, orando, petens à Deo audiri, cui tamen ipse non vult obedire. * Sic Medina, qui tamen culpæ quantitatem non determinat. Sed Corduba *lib. 1. q. 10. in 3. & 4. punct.* dicit, esse peccatum veniale.

3. Contrariam tamen sententiam tenet Navarro *in Manual. de oration. & Horis Canonicis*, continente commentarium *in cap. Quando ſtamus, de consec. dist.* 1. Ubi *cap.* 20. *num.* 25. contra Medinam, quem ibi refert, sic ait. * Ambo asserimus cum omnibus aliis, orationem non fieri malam, eo quod oraus solum sit in peccato mortali: limitat tamen ipse, hoc non habere locum in peccatore, qui non abstinet, nec proponit abstinere à peccato, ob magnam irreverentiam, quam committit, petendo ab eo, cui non vult obedire. Quæ quidem limitatio non videtur nobis bona, tum ob illa, quæ supra *num.* 12. in aliud propositum allegavimus, &c. Tum quia, ut defectus propositi abstinendi à peccato, ita voluntas peccandi, & perseverandi, non repugnat voluntati recitandi, & orandi Deum, imò se mutuo compatiuntur, sicut actus virtutis compatitur secum peccatum mortale. * Et in margine: * non enim repugnant sibi mutuo, per ea, quæ tradit Div. Thom. 2. 2. *q. 24. art. 12. Pro quo text. in cap. pium. de Pœnit dist. 3.* Hactenus Navarrus.

4. Hanc sententiam tanti Doctoris patrocinio munitam amplexus est Thom. Sanchez *tom. 2. consil. libr. 7. cap. 2. dub. 2.* dicens: * Tertia sententia asserit, non peccare, qui recitat ex præcepto in peccato mortali, & cum proposito actuali peccandi mortaliter. Ratio, nam voluntas colendi Deum, & petendi aliquid ab eo stat cum actuali peccandi proposito: sicut stat, facere opus moraliter bonum, ut jejunare, cum actuali proposito peccandi. Ita tenet Navarrus reprobans sententiam Medinæ *cap. quando. cap. 6. & cap. 20. n. 25.* & hæc sententia est verior. * Sic Sanchez.

5. Idem sentit Diana contra Sylvium *part. 6. tract. 7. Miscellan. resol. 36.* Nam licet solùm intendat, statuere, non esse peccatum mortale, approbat tamen sententiam Navarri, & Patris Sanchez, dicens: * Sed quidquid asserat Sylvius, siquis orat, non solùm in peccato mortali, sed etiam cum proposito actuali, & voluntate peccandi mortaliter, non peccat: ut docet Thom. Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 9 n. 3.* & alii. *

6. Quorum sententiæ fundamentum est, quòd qui ob divinum testimonium credit, v. g. culpam gravem esse dignam pœna æterna, licet simul proponat committere adulterium; hoc propositum non vitiat fidem, nec peccat credendo: ergo similiter non vitiabit orationem, nec peccabit orando. Probatur: quia ut ex Angesto, notat Vazquez 1. 2. *quæst. 18. art. 3.* Circunstantia alicujus actionis dicitur. quæ eam aliquomodo respicit: * Si circunstantia, inquit, aliqua solùm comitetur actum, nec ipsum ullomodo afficit, non potest ad malitiam, aut bonitatem actionis pertinere; exemplum est, cum quis facit opus aliquod ex uno fine pravo, & simul aliud opus non ex illo fine: nam respectu hujus operis pravus finis non est circunstantia, sed respectu prioris: idem de aliis circunstantiis, eadem servata proportione dicendum est. * Ergò cum propositum peccandi læthaliter sit circunstantia, quæ solùm comitatur orationem, sicut, & actum fidei, & auditionem sacri, non est cur potius illam, vit et; quam alios actus: ergo non repugnat honestè velle Deo cultum per auditionem sacri, cum proposito adulterandi: sicut ergo oratio licita, & honesta cum illo pugnabit. Et sanè difficile creditu videtur, eum qui in discrimen adulterii se proicit, non posse licitè Deum simul orare, ut ab imminenti corporis, & animæ morte liberetur: & eum, qui præ fragilitate carnis, est in proposito peccandi, nequire licitè auxilia petere ad ingressum Religionis, ut deinceps se tutum reddat ab occasionibus libidinis. Nec parum his favet Magister Petrus de Ledesma *in Sum. tom. 1. de Sacram Eucharist. cap. 11. concl. 5.* Ubi docet, affectum actualem peccati venialis non vitiare susceptionem Eucharistiæ: * No peca (inquit) venialmente el que llega a este Sacramento con conciencia, y afecto de pecado venial, porq; no es contra precepto alguno, ni importa in-

ta irreverencia ninguna. * Cujus sententiam tenent Major, Adrianus, Curiel, Vivaldus, & alii, quos citatos sequitur Joannes Sanchez *in selectis disp. 22. num. 9.* ibi: * Cum peccato veniali, quod comitanter in ipsa perceptione Sacramenti committitur, ad Eucharistiam accedere, nullum peccatum, etiam veniale sacrilegii est peculiare, & novum, præter ipsum, in quo quis accedit. * Ergo similiter præter peccatum lethale, quod comitanter, quando quis orat, committitur, nullum peccatum, etiam veniale sacrilegii peculiare, & novum interveniet, quia eadem ad utrumque excusandum militat ratio ex principiis supra dictis petita.

7. Hæc sunt, quæ militant pro Navarri sententia, cui licet nulla in contrarium demonstratio obstet, nec aliquid contra bonos mores ex illa deducatur; nihilominus nunquam ei assentire potui: quia ex terminorum apprehensione, nescio quid peculiare ratione dissonans, in oratione, statim occurrit, quod ab irreverentiæ labe purgare, difficile sit. Imò nescio quandam contemptus effigiem præsefert, uno, & eodem tempore, Deum graviter offendere, & beneficia simul ab illo petere, quam alii virtutum actus ex consortio læthalis peccati non participant. Et ut magis innotescat, rogo, si dum quis, à creditore debiti remissionem oraret, eidem simul alapam infligeret, nonne talis deprecatio injuriosa etiam haberetur? Beneficium enim petere eo ipso tempore quo offensa irrogatur, ex duplici capite personæ vilipensio censetur; scilicet, quia non solùm alapa exterius percutitur, sed & petitione ipsa interius offenditur; eo quod tunc temporis beneficium petat, quo non solum accipiendo indignus sit, sed ab acceptis spoliari mereatur: confirmo alio exemplo, si mulier dum in adulterio actualiter deprehenditur, torquem aureum à marito peteret, quis negaret, petitione ipsa illum contemnere; ideoque, & novam offensam superaddere? ergo & in nostro casu idem dici debet, cum urgentior sit ratio, ob dignitatem infinitam personæ offensæ, & vilitatem offendentis. Licet ergo peccatum actuale alios virtutis actus non vitiet, eo quod respectu illorum non sit circunstantia: secus respectu orationis dicendum est, quia ex natura rei, peccatum actuale circunstantia illius est, & major longè, quàm distractio, quam peccati venialis communiter Doctores damnant. Hoc argumentum magni ponderis est.

8. Sed magis urget contra Sanchez, quia *eodem capit. 2. dub. 31.* asserit, orationem absque attentione requisita esse peccatum veniale. * Quia ipsa, inquit, ratio naturalis dictat, esse contra reverentiam Dei, cum quo agimus; sicut qui loqueretur cum Principe aliquo terreno, & non attenderet ad id, quod loquitur, faceret ei injuriam, & hæc sententia videtur mihi certa. * Quis autem dubitet, ipsam etiam rationem naturalem dictare, esse contra reverentiam Dei, beneficium petere, dum actu injuriatur. Ergo licet actus alii virtutum non inficiantur actuali peccato comitanter admisso; quia nulla ex conjunctione illa irreverentia contra Deum resultat; aliter de actu orationis dicendum est, ut ex apprehensione terminorum innotescit.

9. Rogabis, an qui ex præcepto Ecclesiæ ad Horas Canonicas tenentur, peccatum mortale committant, si absque attentione interna voluntariè distracti recitent? Respondeo, satis probabile esse non peccare mortaliter, si externè nil operentur cum attentione interna incompossibile. Quod tenent plures apud Dianam *2. p. tr. 12. res. 1. & part. 7. tr. 11.* & apud Leandrum *tom. 2. de Sacram. tr. 6. disp. 13. qu. 13. & tom. 6. tract. 8. disp. 4. quæst. 2.* Quos sequitur Joann. Valerius *in differ. utriusque fori, verb. Hor. Canonic. diffic. 1.* Ubi viginti Doctores refert. Quibus cum aliis adhæret Illustris. M. Acatius de Valle Episc. Oriolensis *tom. 2. resol. Moral. verb. Horæ, resol. 54.* qui pro hac sententia dicit stare, D. Antonũ, & Sylvestrum, eorum verba fideliter exscribens. Quæ ex ipsis à me excerpta in gratiam lectorum placuit hic assuere.

10. Igitur D. Antoninus *3. part. tit. 13. §. 7.* Sic scripsit. * Quæritur utrum attentio in Horis dicendis sit necessaria? Respondeo: quamvis aliqui dixerint, quod sic; ita quod in eis non habens cor ad Deum, sed ad exteriora mortaliter peccet, &c. Benignior tamen est sententia, quod in præcepto est Horas dicere. Sed alia quæ in devotione constituunt, suadendo dicuntur. Et hunc intellectum tenent, quia benignior est, &c. Assignat Umbertus aliam intentionem, quia scilicet, cum hoc sit præceptum de jure positivo, non refertur, nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt, & ista sunt, quæ exercentur per actus exteriores, non autem per interiores. * Et iterum §. 8. * Si evagatio, inquit, est advertenter, & solum secundum actum interiorem, licet temeritas, & gravis foret, non tamen mortale, nisi propter contemptum, sed si evagatio sit ex hoc, quod aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patiatur attentionem, videtur esse culpa mortalis. * Hæc D. Anton. Cui in hac parte consentit Sylvester *verb. Horæ, quæst. 11. num. 13.* ibi. * Ideo dico et mente D. Thomæ, & Petri de Palude, quod præcipitur devotio, quantum ad actum exteriorem, unde dicantur Horæ operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter fracipzando: Et similiter quantum ad actum interiorem, sine quo iste exterior haberi non potest, cujusmodi est velle satisfacere præcepto, aut psallendo velle abstinere à prædictis. Non autem attentio, sine qua prædicta esse possunt. * Sic citati Doctores, quos de Illustris. Acatii ex eodem institutore refert Amadæus *in opusc. tract. de Hor. Canon. prop. 1.*

11. Dices Vincentium Baronium pro opinione contraria hos authores stetisse contendere, & vel ex hoc carpere Amadæum, quod * contra illorum fide retulisse testimonia, noluit indicatorum libros, ratus, ut res erat, his lectis calumniam in ipsius caput casuram. * Et se legisse jurat D. Antonium, & Sylvestrum, quibus falso præfatus opinionem affingi dicit: Sic *disp 2. sect. 1. §. 2. fol. 20.* Sed hinc, amice Lector, bonam Baronii fidem agnosces: homo distractus legit. Nec miror, cum & Amadæum, cujus authoritatem elevare moliebatur, attentè legere, non vacaverit. Et ne longius abeam, in hac ipsa quæstione, plura sunt specimina. Primum quia illi affinxit pro sententia D. Anto. &c. Sylvestri adduxisse Cajetanum, & Sotum: cum tamen Amadæus eorum non meminerit. Secundum, quia impugnat usum fuisse communi illo argumento. Nempè * Ecclesia non potest præcipere actus internos, &c. * de quo nec verbum apud Amadæum. Tertium, quia cum apud eum legisset opinionem Petri de Soto *libr. de Institut. Sacerd. tract. de vita Sacerd. lect. 4. vers. Nec illud.* excusantem ab obligatione restituendi, recitantem sententiam beneficiarium, non recitantem Officium Divinum, in Amadæum Baronius insurgit. Sorum ab illa vindicare tentans, his verbis: * Quia Sotus (inquit) *in quæstione citata, articulo sexto, solum hoc statuit; omisso pensu Horario, non esse omnino fructu-*

hosa-

beneficii restituendos, si impleta fuerint alia onera, &c. Hæc Baronius, & verè quidem excerpta; sed non ex Petro de Soto, quem refert Amadæus, sed ex Dominico de Soto *libr. 10. de justit. quæst. 5. art. 6.* Dominicus enim fuit; qui libros de justitia in quæstiones, & articulos digessit, Petrus verò in tractatus, & lectiones (Qui in hac de qua agitur, cautè legendus: est enim novissimè, ut scandalosa damnata, & prohibita ab Alex. VII. die 24. Sept anno 1665.) Quartùm, nam cum Amadæus purum relatorem agens, duas traduxisset opiniones, aliam concedentem Beneficiario studio litterarum vacanti Officium Divinum suo nomine recitandum alteri committere. (Quæ jure etiam posteà damnata fuit ab Alex. VII. ubi suprà) Aliam, quæ oculis caligantem, ita ut legere nequeat, exsolvit ab onere: harum opinionum authorem, eo quod referat, illum fingit. Et quod omnem admirationem superat, post tot calumnias, quasi de tot in una quæstione triumphis reportatis, sibi plaudens, fol. 204. concludit: *Sed nullus hic finis est falsitatum.* O Baron: rectè judicasti, sed Amadæi causam egisti. Ex ore tuo te judico. Plures omitto, aliquid enim viro majoribus distracto condonandum. Hoc spicilegium, in uno ejus paragrapho feci, ut candidus lector inde colligat, quàm copiosam in aliis segetem messoribus relinquam.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Regulares satisfaciant præcepto recitandi Horas Canonicas, si mentaliter tantùm recitent?

1. SEntentia affirmativa plures habet patronos: quia ex privilegio Leonis X. id competere Regularibus, est apud doctissimos sanctum. M. Ludovicus Lopez 2. *part. inst. cap.* 102. §. *Tertio advertendum.** Si mentaliter dicant, cum soli recitant, prædicti Religiosi satisfaciunt, cum prolatio exterior sit, ut ab aliis intelligatur. Ubi suprà, *verb. Offic. Divinum concession. 9. in dict. compend. privilegiorum.* * Sic ille, quem sequitur Mag. Joann. de la Cruz *in Epitom. lib. 2. cap. 8. dub. 2.* ibi:* Prima conclusio: Religiosi possunt mentaliter, aut legendo intra se per librum recitare horas, & alia, quæ in officio Divino, utpotè in communitate celebrato, & in Missa, præcipiuntur dici secreto, sub silentio. Ita concessit Minoribus Leo X. inter viva oracula, *num.* 12. ut testatur Cardinalis Quatuor coronatorum.* Hujus privilegii verba adducit Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 42. art. 4.* dicens cum Navarro *de orat. cap. 29. num. 88.* dictum privilegium ibi contineri, quatenus dicit: sufficere, dicere mentaliter absque ulla voce secreta, vel publica.

2. Idem tradunt Fr. Sanctorus à Melsi *in comment. in const. Minor. stat. 2. dub. 3.* ibi: * Cum soli recitamus, possumus totum officium mentaliter dicere, cum prolatio verbalis, ut idem Pontifex dicit, sit præcipuè, ut ab aliis intelligatur.* Thom. Hurtado *tom. 1. variar. resol. Mor. tract. 3. cap. 1. resol. 9.* ibi:* Hoc privilegium referunt, & approbant Emanuel Rodriguez ubi suprà *artic. 4.* Villabos *in Sum. tom. 1. tract. 24. diffic. 10. num. 11.* Miranda *in Mannali, quæst. 37. art. 17.* dicens: hoc esse amplissimum privilegium valdè conducens pro scrupulosis fratribus.* Ex quibus, *num. 43.* concludit.* Igitur sententia Sanctorii *in comment. in constit. Minor. stat. 2. dub. 3.* quam præter citatos, tenet Navarrus *de orat. cap. 19. num. 88.* Quod regulares satisfaciant pensui officii Divini, ex vi hujus privilegii, probabile est, & in praxi securum, (quidquid dicant Cyprianus Capuccinus, & Lezana) non enim hoc privilegium revocatum est à Gregorio XV. & Urbano VIII. quia per Bullam confirmatum est à Pio V. sicut & cætera omnia vivæ vocis oracula ante ipsum concessa.* Hæc Hurtado.

3. Hanc sententiam esse probabilem multis suadere conatur perdoctus Fr. Ludovicus à Conceptione *in Exam. Verit. tract. 2 de Rest. cas. 6. num. 2. fol.* 133.* Licet per librum, inquit, visu non discurreret, sed memoriter tantum, & mentaliter, existimo adhuc implere præceptum de recitando officio.* Quod probat, quia non videtur, posse dubitari de tali privilegio.* Nec obstat, quod per Pontifices Gregor. XV. & Urbanum VIII. fuerint revocata vivæ vocis oracula, quia ante Gregorium XV. confirmata fuerunt privilegia vivæ vocis oraculo concessa, & hoc in scriptis, per quem modum confirmandi, desierunt esse vivæ vocis oracula, & in speciales, scriptasque concessiones transierunt.* Sic ille.

4. Ideò ut probabiliorem amplectitur ex eadem familia Rever. P. Fr. Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 6. disp. 13. quæst. 19.* ubi sic.* An saltem Regulares possint ex particulari privilegio privatim totum officium divinum recitare mentaliter? Negativè respondent Lezana, & Cyprianus Capuccinus, &c. Sed probabilius respondeo, posse Regulares, quando in particulari soli recitant, totum officium mentaliter recitare, & sic satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia hoc privilegium de facto fuit concessum à Leone X. vivæ vocis oraculo, ut docent etiam Lezana, & Cyprianus, & alii Doctores contrariæ sententiæ, & non est revocatum, &c. Quia dictum privilegium confirmatum est per Bullam Pii V. sicut & cætera omnia vivæ vocis oracula ante ipsum concessa. Ergo comprehendi nequit revocatione vivæ vocis oraculorum. Sic Sanctorus, cujus opinionem amplectuntur Rodriguez, Miranda, & Villalobos citati.* Sic ibi, & iterum *tom. 6 in Decalog. tract. 8. disp. 4. quæst. 45.* subnectens.* Quibus nunc addo Ascanium Tamburinum de jure Abbatum *disput. 10. quæst. 9.* & Thomam Tamburinum è Societate Jesu, quem refert Diana pro hac parte *p. 10. tract. 11. resol. 1.* & Perficum *de Horis Canonicis cap. 2. dub. 4.* * Hæc Leander.

5. His accedunt plures doctissimi, quos refert Diana *p. 9. tract. 7. resolut. 61.* & *p. 10 tract. 14. resol. 24.* & *p. 11. tract. 6. resol. 45.* asserentes, in revocatione oraculorum facta à Gregor. XV. anno 1622. & ab Urbano VIII. anno 1631. non comprehendi illa, quæ ante hos Pontifices fuerant confirmata per Gregorium XIII. & Paulum V. utpotè qui per Bullas speciales omnia privilegia Minorum confirmarunt, & innovarunt. Quod in terminis tenent Leander à Murcia Capuccinus, Franciscus de Lugo, Marcus Vidal, Pellizarius, Possentius, Stracius, Martinus de S. Joseph, & Joannes de Soria, & putat probabile Lezana *in Quæst. Regul. cap. 3. n. 21.* Qui proinde nequibit negare, probabile esse, præfatum Leonis X. vivæ vocis oraculum non esse modo revocatum, sed in suo tobore permanere, atque adeò omnes Regulares, qui privilegiis Minorum communicant, posse prædicto privilegio recitandi mentaliter privatim uti. Quod quidem habetur *in supplem fol. 59 concess.* 170. & refertur in Compendio *verbo*, *Officium divinum* §. 9. Adverte tamen Jesuitas eo uti non posse de facto: quia à Rev. P. Generali non est nobis communicatū,

prout in nostra Religione necessarium est, ut subditi privilegio isto, sicut & quovis alio frui possimus. Undè colliges, Tamburinum non in sodalium, sed in aliorum levamen, huic sententiæ subscripsisse. *Sic vos non vobis, mellificatis apes.*

6. Cæterum Doctores alii, ut Jesuitis etiam mellificent, addunt, omnes Clericos de jure communi satisfacere, si Horas Canonicas mentaliter tantum recitent, & sic declaratum esse (inquiunt) à Leone X. vivæ vocis oraculo nunquam revocato. Ita videtur sentire Sanctorus à Melfi ubi suprà *statuto 2. dub. 3.* Ubi citato Peyrino ait:* Non esse revocata oracula, quæ continent meras declarationes, & explicationes eorum, quæ priùs concessa erant, vel in jure communi continentur, &c. sed privilegium, inquit, recitandi mentaliter est declaratio juris communis *cap. dolentes de celebrat. Missar.* Ut probabiliter defendi posse, ait Navarrus, &c. Quia verba videntur requiri principaliter, quo alii audiantur. Quam explicationem à verbis concessionis accepisse videtur; reddens enim rationem Pontifex ait: *Cum probatio verbalis sit præcisè, ut ab aliis intelligatur.* Ergo. Quid enim necesse est, ut se audiat, qui solus recitat? * Sic Sanctorus.

7. Idem sentire debet Thom. Hurtado ubi suprà *tract.3.cap.1.resolut.9 num.43.* dum ait:* Hoc vivæ vocis oraculum est declaratio juris communis *cap. dolentes de celebrat. Missar.* Et vivæ vocis oracula declarativa juris communis, aut alicujus Bullæ, non sunt derogata.* Cui consentit Leander à Sacram. ubi suprà *tom.2.tract.6.disp.13.quæst.19.* alios referens, ibi: * Ut ipse Lezana concedit *tom.1.cap.3.num.21.* hujusmodi vivæ vocis oraculum est declaratio juris communis *cap. dolent. de celebrat. Missar.* At vivæ vocis oracula declarativa juris communis non sunt derogata.*

8. Ex quibus videtur inferri, (juxtà hos Auctores) omnes Clericos de jure communi, ut à Leone X. explicato, suæ obligationi satisfacere, si mentaliter tantum recitent. Quod citato Sanctoro à Mensi *ubi suprà*, ex illius verbis deducit Fr. Ludovicus à Conceptione *in Examin. Veritat. tract.2. de Redit. casu 6. fol.134.* dicens: * Secundùm istum auctorem, non solùm per privilegium, quo Regulares fruuntur, sed etiam absque ullo, poterunt omnes ad recitandum officium obligati, illud mentaliter recitare. * Quod secundùm omnes citatos, si consequenter loquantur, dicendum videtur. Et hoc ipsemet Ludovicus initio resolutionis expresè dixit:* Fundamento probabili non carere.* Imo plane tuetur, ut constat ex fundamentis, quibus id suadet à num. 10. ubi ait:* Sed dices, ergo qui Pontificum privilegiis talibus non gaudent, non poterunt mentaliter recitare, quod est contra superius dicta. Sed ad hoc dico multa, &c. * Et num.11. explicat omnia jura, & decreta, quibus officium divinum voce distincta, clara, devotaque recitari præcipitur, dicens solum habere locum, quando in Choro, vel cum sociis recitatur, & ad argumenta in contrarium respondet.

9. Hoc ipsum ante illum, probabile putavit Navarrus *de orat. cap.19. num.88.* & non dissentit Thomas Hurtado illum referens *ubi suprà num.45.* ibi:* Navarrus *nu.88. §. Sextum est*, dixit, posse sustineri, quod etiam jure communi, quis satisfacit, dicendo officium mentaliter, & sic quantum ad hoc non sit privilegium, tamen verius judicat, quod contineat privilegium dispensatorium, quod quis mentaliter possit dicere officium per se solus. * Sic ex Navarro, Thom. Hurtado, cujus sententiam probabilem etiam putat Leander à Sacram. ubi suprà, quia refert Patrem Sanchez *tom.2.consil.lib.7.cap.2.dub.8.* dicit. Subnectit:* Sed hoc durum mihi videtur, iterum repetit *tom.6.in Decalog. tract.8.disp.4. quæst.* 44. contra Suarez, & M. Prado) & illam esse probabilem, aperte insinuat Thomas Hurtado mox citandus.* Et talem reputat Brunus Cassang. *de Privil. Regul. p.2. tract.8. cap.4. prop.5.* ubi sic: * Quamvis hoc privilegium magnum sit, potest tamen aliquomodo dici non esse privilegium, sed juris communis explicationem. Ratio est, quia præceptum de recitando officio, est tantum de illo dicendo, sed ille, qui mente dicit, verè dicit officium; verba enim mentis sunt verba verissima; alioquin filius Dei non esset verbum Dei. Et certè S. Thomas videtur ejusdem esse sententiæ, cum 2.2. *quæst.88. art.12.* ait: Quod vocalis oratio non est necessaria, nisi quando ille debet innotescere toti populo; constat autem Horas pœnitentiales non debere sic innotescere, &c. Quocirca probabile est, quod aliqui putant, quos refert Emanuel Sà *verb. Hora §.11.* illum, qui sic dicit officium ob majorem devotionem, excusari à lethali peccato. Utrùm autem venialiter peccet? Lectori docto judicandum relinquo.* Hactenus Cassang.

10. Sed potuisset etiam ipse sententiam ferre, quia si Leo X. ut putant auctores citati, explicuit vivæ vocis oraculo, de jure communi non esse præceptum recitandi voce, sed solum recitandi cum pondere mentali recitatione satisfit, non est cur ab omni culpa immunis non sit, qui hoc modo recitat, licet fatentur, illa carere Religiosum, cui ex privilegio sic recitare conceditur.

§. Unicus.

Auctoris judicium.

11. IN hac controversia dificilè semper mihi fuit componere præceptum recitandi; quod actum externum necessariò refertur, absque obligatione ulla talem actum externum exercendi. Fateor, admisso privilegio, rectè stare, Pontificem dispensare cum eo, qui mentaliter officium divinum recitaverit, ut præcepto ulteriùs non teneatur ad vocalem, aut externam recitationem. Hoc autem ipsa nil aliud est, quam dispensare in præcepto recitandi in *cap. Dolentes* contento, liberum relinquendo Religiosis modum recitandi vocaliter, vel tantum mentaliter. Quæ ratione optimè explicetur privilegium pro Regularibus à Leone X. concessum. Secluso autem privilegio (quod absque ullo fundamento diceretur Clericis sæcularibus concessum) non video, cui principio niti possint Doctores ad asserendum, præceptum recitandi in jure contentum capax esse illius declarationis, quam à Leone X. adhibitam supponunt, cum prorsus repugnet, dari præceptum Ecclesiasticum circa actus pure internos, seu quod absque ullo actu externo adimpleri possit, ut tradunt communiter Theologi. Quapropter, ut Doctoribus citatis morem geram, asserendum puto, vivæ vocis oraculum Leonis X. continere privilegium, quatenus recitationem purè mentalem (& Religionibus reliquis consequenter) concedit, & solum admittere posse Fratribus Minoribus, & solum admittere posse esse explicationem juris communis *in cap. Dolentes*, quæ explicationem præcepto, qui sonus declarat Pontifex, satisfacere præcepto, qui solus recitat mentaliter, librum vero oculis sustinens. Relus

tione-

tionemque reddit,* cum prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab aliis intelligatur.*

12. Hanc igitur declarationem admittere posse *cap. Dolentes* suprà citatum, existimo valdè probabile, tum propter auctoritatem Doctorum, qui de illa testantur, tum quia ejusmodi recitatio est vera lectio, & actio externa sensibilis, in qua tota ratio legis locum habere potest, ut loquentes de lectione librorum hæreticorum, sub excommunicatione prohibita, docent Vgolinus, Graffis, Fagundez, Trullench, Bonacina, Rocaful, Duardus, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacramento *tom. 4. tract. 3. disput. 1. §. 5. quæst* 54. Et P. Thomas Sanchez *lib. 2. Sum. cap. 41.* dicens: * Quia vera lectio nullatenus verborum eget prolatione *arg. l. 2. §. Inspectio, ff. Quemadmodum testam. aperiantur.* * Et ante illum Suarez *de Fide, disp. 20. sect. 2. num. 18.* * Sufficit, inquit, legere, oculis percurrendo librum, etiamsi ore nil proferatur, quia illud revera est legere, & etiam actio sensibilis, in qua tota ratio legis locum habet. * Sic Suarez de lectione librorum hæreticorum; in cujus doctrina continetur ratio conclusionis, nimirum, *cap. Dolentes* suprà citatum, hujus explicationis Pontificiæ capax esse.

13. Sed an Pontifex eam de facto dederit? Hoc opus. Concedunt Doctores suprà citati, ego verò numquam concedam. Quia Leo X. dum oraculum edidit, non curavit de explicatione prædicti *cap. Dolentes*, sed de privilegio dispensativo Minoribus concedendo. Cujus hic tenor est apud Mirandam supra *art. 17.* * Leo X. (ut habetur *in supplem. fol. 59. concess. 70.*) concessit, *ut ne Fratres Minores mutuo se impediant in divino Officio, aut aliis sint fastidiosi, quod illa, quæ in ordinario jubentur dici secreto sub silentio, tam in Horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant, dicendo mentaliter, aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum. Et quod eodem modo possit facere, qui solus dicit officium per se, cum prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab aliis intelligatur.* Hæc Leo X. ubi suprà. In quibus privilegium Minoribus expressè concedit, ut non teneantur proferre vocaliter. Ubi planè supponit, ad id secluso privilegio, teneri. Hujus privilegii motivum duplex fuit, aliud, majoris devotionis ipsius recitantis, minorisque fastidii aliorum; aliud, quia prolationis verbalis præcipuus finis est, ut ab aliis intelligatur, ideòque quando ab aliis intelligendus non est, minor causa ad dispensationem præcepti recitandi vocaliter necessaria sit. Hæc est genuina explicatio hujus privilegii, in quo non explicationem juris communis, de qua non curavit Pontifex, sed solius privilegii dispensativi concessio continetur. Et ideo, qui verba non proferat, præcepto satisfacere non poterit, nisi Religiosus, juxtà superius dicta. Et sic declaratum est *in Concil. Basilienſi, sess. 21. §. 2.* Quapropter P. Sà *verb Horæ Canon. num. 11.* jure dixit, contrariam aliquorum, quos suppresso nomine refert, opinionem non esse tutam. Et P. Suarez *de Horis Canonicis.* Sanchez *in opusc. lib. 7. cap. 2. dub. 8. num. 4.* & Baldellus *in Theol. Morali tom. 1. lib. 3. disput. 35. num. 16.* inquiunt, esse practicè improbabilem & constat apertè ex Concilio Basilienſi. Ubi dicitur: quod sive soli, sive associati recitent divinum, nocturnumque officium; reverenter, verbisq; distinctis, debent peragere. Quibus evellitur solutio quorundam qui jura & decreta Canonica vocalem recitationem exigentia ex posuetunt pro Choro, vel quando cum sociis: secus aliter.

14. Quid autem necessarium sit, ut quis verè dicatur verba proferre? Non conveniunt Doctores. Plures enim existimant, ad prolationem requiri, quod quis seipsum audiat. Sed non assentior, quia auditio est effectus prolationis, non cujuscumque, sed prolationis cum sonitu, qui juxta majorem, vel minorem ejus intensionem, ad majorem, vel minorem distantiam, aliis non impedientibus, percipitur. Sicut ergo stare potest vera prolatio, quin ab aliis, etiam parum distantibus, percipiatur, ita & quin ab ipso proferente: quia prolatio consistit in sola motione linguæ, & labiorum, quorum motu respiratio frangitur, & vox proinde, licet summissa valde, necessariò efformatur, quod sufficit, ut quis dicatur vocaliter, & non solamente, aut ysu discurrendo, recitare. Sic cum Azor *1. p. lib. 10 cap. 11. quæst.* 4. tradunt Diana *2. p. tract. 11. resol. 11.* Verricelli *tom. 1. tract. 5 quæst. 6. num. 122.* & Caram. *in Regul. Sancti Bened. disp. 108 num. 138.* Sic etiam Trullench, Bonacina, Martinus de S. Joseph, Baldellus, Bassæus, Ludovicus à Conceptione, Leander à Murcia, & alii, quos sequitur doctissimus Leander à Sacram *tom. 2. de Sacram. tract. 6. disp. 13. quæst. 18. & tom. 6. in Decalog. tract. 8. disp. 4 quæst. 47.* Quibus lubens adhæreo, tum quia favorabilior scrupulosis, tum quia inter duas extremas media: scilicet, inter nuper rejectam de mentali recitatione, & aliam, talem prolationem requirentem, ut recitans, sibi à se ipso audiri possit.

QVÆSTIO III.

Vtrùm mutatio officii Divini in aliud brevius, verb grat. si loco officii de Feria, dicatur de Sacramento, vel de Beata Virgine, vel de Sancto, sit peccatum mortale? Vbi quid de officio Resurrectionis?

1. PRima opinio negat præfatam officii mutationem esse peccatum lethale. Hanc defendit Eminentiss. Cajetanus *in Sum. verb. Horæ cap. 2.* ubi sic: * Non est propterea reus peccati mortalis commutans qualitatem Horarum: puta solvens de Sanctis, quas deberet solvere de Feria: & similiter solvens juxtà ritum Romanæ Ecclesiæ, qui deberet solvere juxtà Monachalem, &c. Et horum, & similium ratio est, quia substantia præcepti consistit in hoc, quod Canonicæ Horæ dicantur, & non in qualitate, aut ordine. * Idem tradit Sylvester M. Sacri Palatii *in Sum. verb. Hora, num. 15.* ibi: * Duodecimo quæritur: Quid juris de his, qui officium mutant? &c. Qui ad libitum suum mutat officium consuetum, secundùm Summam Angel. peccat mortaliter, &c. Sed melius dico secundum Zab. post Lau. *in Cle. 1. de celebrat. Missar.* quod dicere hoc officium, vel illud non est in præcepto, cum diversi diversa dicant &c. Si verò fiat in fraudem, ut dicatur brevius, secundum Arch. non est absque gravi culpa, non tamen intelligas, quod sit mortale, quia determinatum officium non est in præcepto. * Quibus consentit M. Dominicus Baltanas *in Margarita confessor. in edit. Hispalensi, anno 1526 fol. 123.* ibi: * Secundùm aliquos peccatur mortaliter, quando officium Divinum non dicitur secundùm quod est in ordinario: sed

hoc non videtur; quia dicere hoc vel illud, non est in præcepto. Undè male facit, qui non servat ordinarium suum, satisfacit tamen præcepto, dicto quocumque officio, secundum veriorem opinionem. * Sic ibi, & iterum infra *fol.* 161. * Dicere Horas est de præcepto, non autem dicere has, vel illas determinatè. * Et probabilem putat M. Dominicus de Soto *lib.* 10. *de justit. quæst.* 3. *art.* 4. dicens: * Non prorsus contradicere ausim Cajetani sententiæ inquientis in sua Summ. non esse reatum mortalem, solvi officium de Sanctis, die, qua deberet de feria, neque solvi juxtà ritum Romanæ Ecclesiæ, dum deberet juxtà Monachale institutum. Haud tamen culpa omnino careret. * Sic ille, quæ sunt valdè notanda, quia paulo anteà prædixerat: * Monachi nigri duodecim Psalmos canunt, & alii octodecim, sed alii toto anni circulo tribus contenti sunt Psalmis. * Quibus notabilis excessus præfertur.

2. Eandem sententiam amplectuntur M. Fumus, M. Victoria, M. Tabiena, & innumeri alii Doctores, quos referunt, & sequuntur Leander à Sacram. *tom.* 2. *tract.* 6. *de Ordine, dis.* 13. *quæst.* 27. Diana 2. *part. tract.* 12. *resol.* 3. Caramuel *in Theolog. fundam. fund.* 53. *num.* 1108. Juniparus à Drepano *in Revocat. Vrbani VIII constit. vivæ vocis orac. disp.* 5. *quæst.* 2. *cap* 3. *num.* 1. M. Acatius de Velasco Episcop. Oriolensis *tom.* 2. *verb. Horas Canonicas*, *resol.* 58. Thomas Hurtado, ubi infrà, qui suprà viginti & sex Auctores refert, inter quos D. Anton. M. Barthol. de Medina, & M. Rafaelem de la Torre, dicens cum Azorio omnes ita fateri. Item Vega *in Summ. part.* 1. *cap.* 18. *cas.* 17. Ubi sic probat: * La razon es, porque el oficio determinado no està debaxo de precepto. Y esto es comun. * sic ille, & alii, quos sequitur Lessius *de justit. li.* 2. *cap.* 37. *num.* 77.

§. I.

Contraria sententia tenenda, præcipuè quoad officium Resurrectionis.

3. COmmuniorem tamen opinionem asserentem, citrà causam dedita opera, mutare officium, ut si loco officii ferialis recitetur de festo, esse peccatum mortale, omninò tenendam censeo; quam esse communem Patrum Societatis Jesu, testatur F. Franciscus Bonæ Spei *in Noctua, dub.* 24. *fol.* 726. Eam enim sequuntur Vazquez, Reginaldus, Bellarmin. Toletus, Filliucius, & alii apud Dianam *part.* 2. *tract.* 12. *resol.* 3. Et contrariam nuper expositam omnino reiiciendam, merito contendit Pat. Suarez *de Religion. tom.* 2. *cap.* 23. *num.* 14. Tùm quia præcepto Pii V. oppositam: tùm quia ex illâ plura sequuntur absurda. Quorum præcipuum est, posse etiam consequenter officium Feriæ commutari in officium Resurrectionis, & quotidie toto anno recitari, absque læthali, quod ipse Suarez putat improbabile. Verba ejus sunt: * Hæc autem sententia (nimirum Cajetani, & sequacium) & ejus ratio nunquam mihi probari potuit. Dico ergo, peccatum esse, mutare officium diei in recitandis Horis Canonicis, & ex genere suo posse esse peccatum mortale, &c. Quod probo primo, quia si quis vellet omni tempore dicere Paschale officium, quia brevius est, sine dubio graviter peccaret. Item, qui omnibus diebus diceret officium Feriæ tertiæ, quia brevius. Item, qui semper, & quotidie eodem modo recitaret, ut memoriter, & facilè diceret. Quæ omnia (attende) juxtà ptiotem opinionem possunt fieri sine peccato mortali. Quod mihi (inquit) nunquam persuadere potui, etiam si quàm longe sit à concedendo, posse recitari de Resurrectione loco Feriæ, vel alterius officii de Sancto, vel Dominica.

4. Hæc si animadvertisset Illustrissim. Joannes de Caramuel, non ausus fuisset adducere Patrem Suarez pro opinione, & praxi recitandi quotidie de Resurrectione, nec tanti fecisset fundamentum, quo ducitur *in Regul. S. Benedicti, disp.* 16. *num.* 1418. Ubi cum adnotasset, eximium doctorem fere omnibus diebus studio vacasse octodecim horis, & dubitaret, an sex residuis potuerit dormire, comedere, Missam dicere, & Horas recitare; Respondet. * Fortè singulis diebus legebat officium de Resurrectione. * Hæcille, sed non absque injuria tanti Doctoris. Quoniam de viro adeo præclaro, non minus sanctitate, quam doctrina florente, credere non licet, opinionem, quam improbabilem sensit, & scripsit, ad praxim quotidie redimisse. Hoc enim, nisi temerè, dici non posse, quis inficiabitur? Legas, quæso, Pat. Adamum Burgaber *Centuria 1. casuum consc. casu* 16. Ubi de hoc eximio Doctore sic scribit: * Addictissimum orationi fuisse, viderunt nostri Patres, & dicentem audierunt: *Malle se omnem scientiam perdere, quam unam horam ex regula ordinis quotidianæ orationi destinatam omittere.* Quomodo ergo (inquit) tot annis orationem canonicam ex gravi lege Ecclesiæ debitam, turpi, ac defectuosa mutatione declinavit? Quid plura? Vide etiam doctissimum Thomam Hurtado *tom.* 1. *de Resident. Sacra, tract. de Resid. Canon. resol.* 7. *sub resol.* 10. *num.* 22. *fol.* 327. Ubi Suarium à calumnia etiam vindicat, his verbis: * Undè sine fundamento affirmat Caramuel, P. Franciscum Suarez, ob illam continuam assistentiam ad studia, officium de Resurrectione perlegisse, aut omisisse recitationem officii. Ego nil horum existimo probabile de viro observantissimo, & valdè pio erga disciplinam Ecclesiasticam, ut ejus opera satis abundè monstrant. Quare recitationem officii ante omnia peragebat: & sic ita benedictum fuit ejus studium benedictione cœlesti, ut tot fructus in Ecclesia faceret, sicut vident etiam hæretici. * Hæc pro Summo Thomas Hurtado ex doctissima Clericorum Minorum familia. Et hæc satis.

5. P. Castro Palao *tom.* 2. *tract.* 7. *disp.* 2. *punct.* 2. vestigiis P. Suarez insistens impugnat etiam eumdem capite Cajetanum, Sylvest. & alios asserentes, præceptum recitandi quoad substantiam adimpleri, recitando de Sancto, die, quo de Feria recitandum erat, impugnat inquam ab absurdo, quod pro commutatione officii de Feria in officium de Resurrectione, videtur sequi. Sic enim inquit. * At mihi verius, & probabilius est, te non satisfacere præcepto, si omisso Feriali officio, recites de Sancto, &c. Alias non solùm non esset peccatum mortale illius omissio, sed neque veniale, quia non posset esse peccatum veniale, ubi non est materiæ præceptæ violatio, &c. Item si verum est, te tantum esse obligatum recitare secundùm quamlibet formam Breviarii Romani, & non secundum formulam communem quolibet die, satisfaceres præcepto recitandi, (attende) si officium dicas de Resurrectione, quolibet die Quadragesimæ, & Dominicæ per annum. Consequens autem durum videtur, cum totum

totum illud officium non æquivaleat matutinis precibus alterius diei : Ergo. * Sic Palao ubi supra, *num.* 18. Quem in modo arguendi, & inferendi, imitatur Pellizarius *tom.* 1. *Man. Regul. tract.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 11. *num.* 74. dicens : * Quod autem probabilius sit, mutare officium communiter non excusare à peccato mortali, probatur ; tùm quia Ecclesia non præcipit recitationem officii in genere, sed etiam in particulari, nimirum, ut tali die tale officium recitetur ; tùm quia aliàs posset quis toto anno dicere officium Resurrectionis. * Sic ibi.

6. Ex qua argumentandi forma deducitur, præfatos Doctores Suarez, Palaum, & Pellizarium, hanc consequentiam legitimam judicasse : officium Divinum unius diei potest commutari in aliud, etsi brevius, ergo potest commutari in officium Resurrectionis : quos sequitur Fr. Franciscus Bonæ Spei *in Nocha ad Aquilam ubi supra, dub.* 24. *num.* 72. & sequentibus : cum autem consequens durum, aut improbabile præsentiant ; sentire etiam debent antecedens, si inevitabiliter ex illo deduci judicaverint. Non tamen crediderim, improbabilitatis nota antecedens illud voluisse inurere, & ideo nec censuisse consequens ea certitudine, & evidentia deduci, ut antecedenti admisso, negari non possit. Quia Authores communiter consequentiam negant, (etsi in eorum opinione hujusmodi officii recitationem omnibus anni diebus licere, Suarez dixerit) & rationem discriminis conantur reddere inter officium Resurrectionis, & alia officia.

7. Neque aliud suprà adducta absurda concludunt, quam stare non posse Cajetani sententiam esse probabilem quoad mutationem officii in aliud brevius, ni supersit modus vitandi probabiliter consequentiam, quæ indè ad officium Resurrectionis protrahitur : & ideo illius sententiæ probabilitatem compleri per negationem præfatæ consecutionis, tanquam per unum ex constitutivis essentialibus illius. Adeum modum, quo probabilitas existentiæ physicæ prædeterminationis in causa libera, completur per negationem inevitabilis illationis contra libertatem indifferentiæ voluntatis creatæ. Si enim ejusmodi illatio necessaria, & inevitabilis foret, antecedens sustineri non posset, quia consequens est hæreticum, & ut talè damnatum ab Innocentio X. & ab Alexand. VII. contra Jansenium, & sequaces.

§. II.

Auctorum primæ sententiæ evasiones, quo ad officium Resurrectionis, enervantur.

8. IAm qualiter caveant sequelam pro recitatione officii Resurrectionis, Doctores admittentes, substantiam præcepti consistere in eo, quod septem Horæ Canonicæ dicantur, non vero in qualitate officii, seu in eo, quod hoc, vel illud determinatè à Pio V. pro singulis diebus præscriptum, recitetur. Unum pro omnibus dabo Doctissimum, & Illustrissimum Magistrum Acatium de Velasco Episcopum Oriolensem *tom.* 2. *resol. moral. verb. Horas Canonicas, resol.* 58. *num.* 5. Ubi sic : * La sentencia de Cajetano se atreue a negar Soto, y yo la tengo por la mas probable ; pero no me atreuo a admitir sin pecado mortal, que se pueda (attende) todo el anno rezar el oficio, como se reza en tiempo Pasqual en nuestra Religion de Predicadores, con solos tres Psalmos, y tres Lecciones en Maytines, &c. O que se pueda dezir el oficio de tres Lecciones, quando se ha de dezir el de nueue. Porque la substancia de el precepto de rezar el oficio Divino, parece que consiste en que se digan siete Horas Canonicas en aquel modo, y en aquella diferencia de tiempo, y solemnidad, que estàn instituidas. Y assi, si por aquel tiempo, ò solemnidad los Maytines estàn instituidos con tres Nocturnos, no parece que satisface al precepto el que rezare vn Nocturno solo. Y en orden a la transgresion de la Bulla de Pio V. digo, que si la transgresion redunda en la sustancia de lo que se manda, como de el culto que se pretende en las solemnidades, como si uno en dia de Navidad, ò de Corpus Christi, rezasse de san Francisco : ò defraudasse mucho de parte de la cantidad, como si uno en Domingo rezasse el oficio de Feria tercia, o de un Santo de tres lecciones, pienso que pecaria mortalmente, porque esto ya redunda en la sustancia de el rezo. * Hæc Magist. Acatius. Quibus forsan non satis quiescas : Imò nec ipse. Quia ex una parte sententiam Cajetani probabiliorem dicit, & ex alia manifestè illam deserit, ut limitationes adhibitæ præseferunt. Nec enim aliter loqui potuisset, si contra Cajetanum, sententiam Patris Suarez, & aliorum defendendam suscepisset. Undè infertur, Magist. Acatium retenta Cajetani opinione, modum vitandi consequentiam ad officium Resurrectionis non invenisse. Nam, quod possit dici de Sancto trium lectionum, quando dicendum erat de Feria, vel de Dominica, & quod dici possit de Feria tertia, quando deberet dici de Sancto novem lectionum, vel de Dominica, & quod modus officii non obliget sub lethali, est sententia communis Doctorum, qui Cajetanum sequuntur, & quam ipse probabiliorem asserit. Cum autem de officio Resurrectionis idem putet Acatius dicendum, ac de prædictis officiis, videtur planè recensendus inter Doctores, qui ex sententia Cajetani inevitabilem putant consequentiam ad officium Resurrectionis, quandoquidem hanc vitare non potest, nisi illam deserendo, quam cum probabiliorem esse dixerit, id quod ex illa inevitabiliter sequitur, negare nequibit.

9. His etiam consentire videtur Ægidius Trullench *tom.* 1. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 13. *num.* 12. & 13. Ubi postquam retulit sententiam Pat. Suarez, & Palao asserentium, contra Cajetanum, & Sylvestrum, commutationem officii ex genere suo esse peccatum mortale. * Eo quod aliter sequeretur non peccare mortaliter, qui quotidie recitaret officium brevius, v. gr. Resurrectionis, longiori relicto, quod non est conforme voluntati Ecclesiæ, nec admittendum, * post hæc, inquam, subnectit. * Hanc sententiam existimo probabiliorem, & in praxi sequendam, quia validiori fundamento fundatur. * Quibus illationem pro recitatione officii de Resurrectione ex contraria Cajetani opinione legitimam admittit : idemque judicium de antecedentis, & consequentis probabilitate videtur efficere.

10. Jam quale de antecedenti ferat : explicat ibidem subjungens : * Nihilominus tamen ille, qui contrariam sequendo sententiam (nimirum Cajetani) commutaret unum officium pro alio, excusari posset à mortali. Quia in rebus moralibus adhærens opinioni probabili non peccat ; fundatur enim opposita sententia in ratione probabili, & innititur gravissimorum Doctorum auctoritati. Præsertim, si semel, aut iterum, & raro fiat, & adsit justa causa, ut si

occurrat necessitas repentina studendi, vel prædicandi, vel legendi. Quibus limitationibus Sanchez *in Consiliis, part. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 25. num. 2.* approbat priorem sententiam; non vero communiter loquendo, & sine causa, qua existente, excusat hæc facientem semel, & iterum etiam à peccato veniali. * Hæc Trullench, qui cum ex una parte deferat sententiam Cajetani, eo quod ex illa sequatur, posse quotidie absque lethali recitari officium Resurrectionis, & ex alia doceat, eum qui prædictæ opinioni adhærendo commutationem officii faciat, excusari à peccato mortali, nullumque discrimen constituat inter officium Resurrectionis, & alia officia, nullaque limitatione adhibita præfixam conclusionem tenuerit, planè ex hoc deduci videtur, eum non damnare gravis culpæ recitantem de Resurrectione: maximè si non quotidie, sed semel, aut iterum, ut de aliis breviarii Romani officiis, ibi docet.

11. Quapropter Fr. Ludovicus à Conceptione *1. p. exam. verit. tr. 2. de Restit. cas. 6. nu. 13. & seq.* postquam pro opinione Cajetani adduxit Juniparum à Drepano referentem pro illa quindecim gravissimos Authores, & Leandrum à Sacramento, qui decem & septem. * Et implicitè (inquit) plures, ex Societate Jesu, & ex Dominicana familia. * Post hæc, inquam, sic sibi objicit: * Ergo, qui singulis diebus totius anni recitaret officium Resurrectionis, non peccaret mortaliter, nec ad ullam consequenter teneretur restitutionem. * Cui respondet: * Aliqui ita absolutè loquuntur, ut confusionem maximam pluribus offerant ad finem concedendi totum, quod à plurimis, & non indoctis sæpius audivi; nullatenusque admisi, sed omnino falsum, ut revera judico, reputavi. * Cæterum non omnino judicasse videtur, nam ut consequentiam vitet, Cajetani sententiam deserit, probans qualitatem officii cadere etiam sub præcepto. Undè planè convincitur, inevitabilem putasse consequentiam, si Cajetani sententia semel admittatur.

12. Ipse vero alter sententiæ ejusdem Cajetani innixus, asserentis, ad peccatum mortale contra præceptum positivum, necessarium esse, quod interveniat contemptus; existimat, posse aliquibus diebus, absque lethali, officium Resurrectionis recitari. Verum hoc principium intolerabilius est conclusione, ut expendenti constabit. Imò & damnatum ab Alexand. VII. Pontifice Maximo, die 24. Septembris, anno 1665. prop. 23. contra nonnullos ex hoc capite excusantes à læthali fractionem jejunii, ad quod tenentur.

13. Cæterum præfatus Author mentem suam magis explicat *num.* 22. Ubi post longam rei discussionem, sic concludit: * Undè à Paschate Resurrectionis usque ad Adventum exclusivè, & à Nativitate Domini, usque ad septuagesimam, qui recitaret bis in hebdomada officium Resurrection s (& excipio festa solemnia) non illum ad mortale peccatum condemnarem, nec similiter ad restitutionem aliquam obligarem. * Sic ille. Sed cur non etiam in Quadragesima, & Adventu? Quandoquidem, ut ipse ait, hæc consuetudo recitandi bis in hebdomada, non sufficit ad contemptum, ex quo tantum capite, malitiam gravem derivari censet. Non video solutionem, ni ad temporis solemnitatem recurrat. Quam, si solis Dominicis concedendam quis contenderet, haud facilè à suo sensu removeretur.

14. Ideo magis consequenter Juniparus à Drepano ubi suprà *num.* 21. & 22. perverso illi principio innixus de necessitate contemptus ad peccandum mortaliter, sic scripsit: * Respondeo, quod si quis eodem tempore vellet dicere Paschale officium, eo quod sit brevius, peccaret quidem mortiferè (attendo) non ex mutatione officii accidentali, sed quia id ex mutatus formalis præcepti Ecclesiæ includitur. * Sic ille. Quibus planè devorat, licere commutationem ejusvis officii breviarii in officium Resurrectionis, dicut in quodlibet aliud de Feria, vel de Sancto, & nunquam fieri cum peccato lethali, nisi ex mutatio fieret, eo quod mos iste inveterati officium, formalis quidam contemptus esset, quem ad peccandum lethaliter putat cum Cajetano necessarium.

15. Verùm si hoc principium tolerari posset, letissima opinandi pateret via: quia communis Doctorum sententia contra Angelum, ad contemptum non sufficere consuetudinem operandi contra præceptum, cum hæc, ut plurimum, ex humana fragilitate provenire soleat. Ut cum Div. Thom. Salas, Bonacina, Vasquez, & Azor, tradit Thomas Hurtado *tom. 1. de Resid. lib. 5. de Resid. Canon. relat. 7. subresol. 1. §. 6. fol. 314.* Et ante illum Div. Thomas *2. 2. quæst. 186. articul. 7 ad 5.* Ubi sic ait: * Tunc quis transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, aut regulam. * Quæ sic exponit Cajetanus: * Ad peccatum ex contemptu non sufficit, etiamsi esset perpetua, & millies resoluta deliberata consuetudo peccandi in tali commissione, sed exigitur, quod peccans peccet ex hoc, quod non vult subjici legi, seu Regulæ, & Prælato. * Ergo si contemptus esset necessarius ad peccatum lethale contra præceptum Ecclesiæ, non esset lethale toto anno de Resurrectione recitare, dum id non oriretur ex eo, quod quis nollet legi se subjicere, sed ex eo, quod brevius officium pro naturæ fragilitate quæreret.

16. Quapropter optimè deducit Leander à Sacrament. *tom. 6. in decalog. tract. 8. disput. 3. quæst. 11.* contra Ludovicum à Conceptione ejusdem instituti, * quod si non est mortale recitare bis in hebdomada de Resurrectione; nec erit profecto recitare sæpiùs. * Cujus sententiam loquens de mutatione officii in genere, tradiderat Diana *part. 2. tract. 11. resol. 3.* dicens: * Si non potest mutari frequenter sine reatu peccati mortalis, nec erit licitum, facere uno, vel altero die, nam pro quolibet die est præceptum distinctum, & officium cujusliber diei omnibus est, quod in allum non transit. * Et ante illum Vega *in Summ. part. 1. cap. 18. cas. 17.* ibi: * Dize Manuel Rodriguez, que él no tendra por pecado mortal la commutacion del rezo, una, ò dos vezes: à la qual digo, que sino la puede hazer, que tampoco la puede hazer una, ò dos vezes, pues cada dia ay precepto de rezar distinto uno de otro. * Quasi dicens, si potest uno, vel altero die commutare officium, quolibet die poterit, quia si fieri non potest commutatio, nunquam poterit: si autem potest, semper poterit.

17. Ex quibus deducitur, sententiam asserentem, non esse læthale quotidie recitare de Resurrectione, difficilè vitaturos, qui pro uno, vel altero die, aut bis in hebdomada, illam admittunt: ut Frat. Ludovicus à Conceptione, & Juniparus à Drepano ubi supra. Quibus annumerandus est Illustrissim. Magist. Acatius de Velasco, loco suprà citato. Ubi tamen opinionem Cajetani de mutatione officii, ut probabiliorem, amplexus fuisset, & vim consequentiæ ad

ad officium Resurrectionis præsentiret, sic scripsit: * Pero no me atreuo a admitir, que sin pecado mortal (attende) se pueda todo el anno rezar el oficio, como se reza en tiempo Pasqual. * Quibus planè concedit, quod si non toto anno recitaretur, non damnaret de lethali: præcipuè si extra solemnes festivitates. Verum ex hoc primo pio efficacius, quàm ex alio (de contemptu ad peccatum requisito) pro quotidiana officii Resurrectionis recitatione conficiturargumentum. Nam si ex eo, quod possit unum officium commutari in aliud, uno vel altero die, deducitur, posse uno, vel altero de Resurrectione recitari; ergo ex eo, quod possit omnibus diebus unum in aliud commutari (ut Cajetanus, & sequaces autumant) poterit etiam omnibus diebus officium Resurrectionis recitari. Videtur urgere consequentia.

§. III.

Doctores nonnulli inevitabilem, ex opinione Cajetani, consequentiam ad officium Resurrectionis censent.

18. IDeo doctissimus Leander à Sacramento ubi suprà *tom. 6. in decalog.* Evidentem, & inevitabilem præfatam consequentiam videns, idem judicium de consequentis, ac de antecedentis probabilitate ferendum tradit: * Respondeo (inquit) dicendum, quod, vel probabile sit dicere, solùm esse veniale communiter, & regulariter loquendo recitare, sine urgenti causa, officium Resurrectionis, ea die, qua juxtà Rubricas Missalis, recitandum erat de Feria, aut de Sancto, vel non sit probabile, quod possit quis absque mortali dicere officium alicujus Sancti loco Ferialis. Hanc responsionem docent Suarez, Palao, Pellizarius. * Sic ibi: quod etiam tradiderat *tom. 2. de Sacrament. tract. 6. de Ordin. disput. 13. quæst. 28.* Ubi rem hanc ex professo discutiens, plura congerit ad probandum, quod admissa Cajetani sententia, quam ipse probabilem putat, decem, & septem graves Authores pro illa referens, negari non possit præfatum consequens. * Undè mihi (ait) respondendum videtur, vel quod hæc argumenta habent vim faciendi hanc negativam partem probabilem (nimirum non peccare mortaliter, qui privatim officium Resurrectionis recitat, quando de Feria, vel de Sancto, vel de Dominica deberet) vel reddendi improbabilem alteram, quam quæstione præcedenti, ut probabilem cum Diana sequuti sumus, (& paulò antea) quod durissimum dictu est, cum illa tot, ac tam graves patronos habeat, & esse probabilem ex contrariis nonnulli doctissimi, ut Sanch. Filliuc. Trull. & alii concedant. * Ex quibus fit, hunc Authorem planè sentire, hanc sententiam de commutatione officii in officium de Resurrectione esse probabilem. Et ita concludit, dicens: * In facti contingentia non auderem, sic officium absque contemptu formali, vel virtuali permutantem, lethali culpa damnare; nec consilium præbere alicui de tali officii permutatione: nisi fortè illis, qui justè, vel injustè sunt valdè occupati, ideoque præmagnitudine officii Divini exterriti nullum recitant. * Hæc est sententia doctissimi Leandri, qui argumento convictus manus dedit.

19. Sed apertius, & absque ulla hæsitatione, vel limitatione hanc sententiam tenuit Illustriss. Episcop. Joann. de Caramuel *in Regulam S. Benedicti, disp. 109. num. 1387.* Ubi sic ait: * Respondeo, quod licet quisque dedita opera quærat officium totius Breviarii brevissimum, & semper illud recitet, illum adimplere præceptum, quoad substantiam, & deficere quoad modum, ac proindè peccare venialiter, non mortaliter. * Et nec venialiter peccaturum, si ex causa id fiat, tradit *disp. 116. num. 1438.* dicens: * Fortè singulis diebus legebat officium Resurrectionis, quod viri occupatissimi laudabiliter faciunt. * Sic Caramuel vir sanè occupatissimus, ut præstantissima eius opera præseferunt. Et deniq; *in Theolog. Fundam. fundam. 53. à n. 1100. à fol. 512. usque ad 523. in editione Francofurt, anno 1652.* quæstionem hanc iterum ex professo discutit, & similiter resolvit, posse absque lethali toto anno officium Resurrectionis recitari. Cujus rationem reddit, dicens: * Unum officium potest mutari in aliud, quotiescumque non mutetur substantia, sed modus, & hoc debet absque aliqua limitatione dici. At quando mutatur officium de Sancto, aut de feria in officium de Resurrectione, non mutatur substantia, sed modus: Ergo. * Sic ille, quod aliter etiam persuadet ex eo, quod substantia præcepti recitandi officium Divinum est, ut septem Horæ Canonicæ persolvantur, sicut substantia audiendi sacrum est, quod Missa audiatur. * Ergò sicut huic præcepto, inquit, satisfacit, qui Missam brevissimam audit, ita & alteri, qui officium brevissimum recitat, ergo absque lethali potest illud toto anno recitare: imò & absque veniali, si ex causa fiat; * causas autem à veniali excusantes enumerat ipse, tùm *in Regul. Sanct. Benedict. num. 1391.* tùm *in Theolog. Fundam. num. 1108.* * Ut si iter agens, inquit, legat officium, quod scit memoriter pro eo, quod non novit memoriter, aut etiam si studiosus lector, concionator, œconomus, aut alii, qui magnas habent occupationes. * Sic ibi.

20. Videatur etiam prædictus Caramuel *in fine Theolog. Fundam. Epist. ultim. fol. 768.* Ubi quæstionem itidem versat, & contra Dianam sic resolvit: * Non posse unum officium pro altero legi probabilissimè docent nonnulli, & etiam alii probabilissimè posse affirmant. Stando primæ sententiæ, legere officium de Resurrectione, aliocumque die, mortale peccatum est; non tamen stando secundæ. At Diana, nescio qua dialectica, secundæ adhæret, & interim à generali regula officium de Resurrectione excipit ob duas rationes. Prima est, quoniam est nimis breve. Secunda: quoniam est illi soli diei ab Ecclesia destinatum. Priorem illam rationem nullius esse momenti, rationibus multis evici, aut enim rejicienda est secunda sententia, & admittenda prima, aut quantitas non pertinet ad officii substantiam. * Sic ibi, & iterum in parte altera *Theolog. Fundament. num. 94. fol. 64.*

21. Eandem opinionem, etsi quadam adhibita limitatione, defendit Thomas Hurtado ex Clericorum Minorum familia *tom. 1. de Resident. Sacra, lib 5. de Resid. Canon. resol. 7. sub resol. 1. num. 7.* Ubi sic ait: * Si quis sine rationabili causa proponat per duos menses continuos recitare de Resurrectione, propositum illud respicit materiam gravem, & sic est mortale. Si verò quis (attende) sine hoc proposito, sed vel ex acedia, vel ut brevius dicat, judicans melius esse dicere officium breve, quàm nullum, uno die, ut post alio recitet, & sic deinceps ex passione, aut consuetudine ductus: judico, quod non peccet mortaliter, sicut qui uno die post alium sine proposito compræhendi totam quadragesimam, anteverrit sine causa

causa horam prandii: quia utraque circunstantia, ut est diei alligata, est modus, & conditio accidentalis, neque materia gravis respectu cultus Divini. * Hactenus Hurtado.

22. Jam si quæras: cur propositum illud mutandi officium pluribus diebus sit peccatum mortale, quandoquidem consuetudo ipsa mutandi uno die, & post alio, &c. Solùm est peccatum veniale? Respondet, quia tale propositum habet pro objecto materiam gravem * scilicet notabilem læsionem in disciplina Ecclesiastica, & divino cultu, à particularibus exhibendo in recitatione diaria divini officii, quam alterare proponit per nimis longum tempus, ratione cujus mensuratur gravitas materiæ. * Verum hæc limitatio parum placet Dianæ *p. 2. tr. 12. res.* 3. Et meritò, quia sicut non peccat mortaliter, qui initio quadragesimæ proponit, singulis diebus sumere materiam parvam, neque qui obligatus ex voto recitare singulis diebus quinquies Pater, & Ave, proponit illa omittere per totum annum, eo quod singulæ commissiones, vel omissiones sint peccata venialia, & materia diversorum præceptorum, quæ in se ipsis consideratæ non continuantur moraliter (aliàs deficiente proposito, unam materiam gravem constituerent, sicut in materia furti contingit,) ita similiter in proposito mutandi unum officium Divinum in aliud, multis diebus, intervenire non potest peccatum mortale, si singulis vale non sit. In quo ferè conveniunt Doctores, qui sententiam Cajetani de mutatione officii in aliud, etsi brevius, admittunt, (quam amplectitur ipse Hurtado *suprà resol.* 7. §. 2. & 3.) cum ergo alii plurimi limitationem illam non apponant, & à paucis appositam alii respuant, & aliunde non aliter de officio Resurrectionis, ac de aliis dicendum putet Hurtado, nequibit ipse negare, esse probabile id ipsum, in quo ab aliis discedit, ac proinde non solùm non peccare lethaliter, qui singulis diebus officium Resurrectionis recitat, (quod ipse concedit) sed neque illum, qui initio anni haberet propositum sic recitandi.

23. En amice Lector, quàm inevitabilis sit consequentia pro officio Resurrectionis, quotidiè recitando, si Cajetani sententiam de commutatione unius officii in aliud brevius amplectaris. Laborarunt viri doctissimi, & vi consequentiæ oppressi manus dederunt. Darem & ego, si illam sententiam amplecterer, quia modum vitandi evidenter hoc absurdum, post rem diligenter consideratam, non invenio. Illud autem devorare, improbabile, & temerarium puto, quia rationi dissonum est, ritus Ecclesiastici destructivum, & menti Pontificum repugnans.

24. Ideòque prædictam sententiam de commutatione officii de Feria, vel de Sancto in officium de Resurrectione, non esse probabilem sentiunt unanimiter omnes Doctores Societatis, apud Dianam *p. 11. tract. 1. resol. 26.* Qui multis citatis concludit: * Unde patet, quod nullus ex Scriptoribus Societatis ausus sit sententiæ Caramuelis adhærere. * Et contrariam ut inconcussam proponit Filliutius *tom. 2. tr. 23. cap. 7. num. 226.* dicens: * Si quis vellet omni tempore dicere officium Paschale, quia brevius, ex omnium sententia peccaret mortaliter. * Et licet Diana pluribus in locis quæstionem hanc versans, videlicet, *p. 5. tract. 5. resolut. 26. §. Notandum, & p. 7. tract. 11. resol. 7. & p. 10. tract. 11. resol. 16. & p. 11. tract. 1. resol. 26.* numquam ausus fuerit Caramuelis, & Leandri sententiam nota improbabilitatis inurere, id inde ortum habuit, quod Cajetani opinionem sequutus, difficultatem vitandi consequentiam præsenserit. Sed quidem sententiam Cajetani potuisse probare debuisset, quantam absurdum consequens probabile relinquere.

25. Quapropter novissimè anno 1666. die 18 Martii Sum. Pontifex Alexander VII. ad illius probabilitatem abolendam, hanc propositionem: *In diebus minorum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto*: ut minimum tanquam scandalosam damnavit, & eam quo planè deducitur, in aliis diebus, saltem solemnibus, præfatæ opinionis praxim minimè fuisse posse: eadem enim ubique ratio militat; & præceptum Ecclesiæ sic intelligendum necessaria consequutione deducitur ex propositione damnata, licet Pontifex non expresserit.

praxim in virtute sanctæ obedientiæ prohibuit. Et

§. IV.

Laxior opinio pro Monialibus admitti potest.

26. TOlerabile tamen videretur, quod asserit Thomas Hurtado *tom. 1. de Restitut. tract. 5. de Resid. Canon. resol. 7. sub resolut. 3. fol. 116.* numerum Moniales, (quamvis sub mortali ad Horas Canonicas teneantur, quod plures doctissimi negant) posse majore cum libertate mutare extra chorum officium longius in brevius. * In illis enim, inquit, est rationabilis causa: obligantur enim ex consuetudine, cui videtur satisfieri quocumque officio ex Breviario Romano, præcipuè cum ordinariè malè, & cum summa difficultate Latinè legant. * Unde est, secundum hunc Authorem, Moniales extra chorum recitantes quotidiè de Resurrectione, nevenaliter quidem peccaturas. Idemque à fortiori dicendum de Regularibus professis, nondum sacris initiatis propter eandem rationem, ubi ex consuetudine tantum, & non ex præcepto, aut voto, ad Horas teneantur.

27. Quod de Monialibus dictum est, dicit Hurtado, posse similiter asseri de Lectoribus, Prædicatoribus, Confessoribus, assiduis confessionibus, lectionibus Theologiæ, vel sacrorum Canonum, vacantibus, dum studiis ad suum munus rectè obeundum operam navant, & idem de Scriptoribus Regularibus. * Et ratio, inquit est, quia omnibus illis concessum est privilegium, ut satisfaciant divinoofficio dicentes septem Psalmos assignandos à Superiore, cum septem Pater noster, & bis Symbolum Apostolorum, &c. Quare ratio, quæ movit Pontificem ad tam magnum privilegium concedendum, sufficiens est, ut quilibet istorum propria auctoritate muret in brevius officium divinum, si non vellet privilegio. * Sic Hurtado. Unde secundum hunc auctorem hi omnes, quoties uti possint prædicto privilegio, poterunt, si velint, officium de Resurrectione recitare. Quia septem Psalmi cum aliis orationibus memoratis in quantitate non excedunt officium Resurrectionis.

28. De præfato privilegio à Clemente VII. Patribus Theatinis concesso, meminerunt Diana *3. tract. 11. resol. 8.* Miranda *in Manuali tom. 1. quæst. 37. art. 19.* Portel, Hieronymus Rodriguez, & alii, quos refert idem Hurtado suprà, *& resol. 8. sub resol. 10. num. fol. 370.* ubi illud explicat dicens: * Confessiones illum posse illo uti, temporibus illis, in quibus maximus est concursus pœnitentium, in quorum confessio-

fessionibus audiendis totum mane, & maxima pars vesperi intendunt, sive in consulendis, & gubernandis. Lectores verò toto tempore, quo insudant studiis ad legendum, & arguendum, præsidendum, & alia exercitia litteraria, quibus ex suis constitutionibus, usu, & consuetudine attendunt, vel intendunt. Scriptores verò toto tempore, quod in scribendis, corrigendis, & disponendis libris gravibus insumunt, &c. *Et infrà num. 11. *Quare etsi in rigore tempus superfit, ut commodè possint officium integrum recitare, tamen non tenentur, quia in subsidium laboris susceptí, hæc conceditur gratia à Summo Pontifice. * Et inferius, *num.* 16. adnotat, non esse necessarium, ut Psalmi designentur à superiore, quia licet in privilegio id dicatur. * Hæc, inquit, non est forma, sed solùm est modus: Undè licitè, & validè potest quis uti illo, etiamsi à superiore Psalmi non designentur, sed Lector, aut scriptor sibi designet, nec longiores, nec breviores. *Hæc ille pro Regularibus, sed non pro Jesuitis, quia hoc privilegium non est illis à Reverendiss. Patre Generali communicatum (prout opus est) ut constat ex Bulla Greg. XIII. expedita die tertia Maii, anno 1575. Quapropter eo uti non possunt, & consequenter, nec officium Resurrectionis loco alterius recitare. Imò ut existimo, nec Lectores, nec Magistri, neque scriptores aliorum ordinum in diebus solemnibus præfato privilegio uti poterunt, & per consequens, nec recitare de Resurrectione; quia simile privilegium pro solemnioribus festivitatibus Nativitatis, Corporis Christi, Dominicæ Palmarum, & similibus, concessum credere nequeo. Nec in generali concessione veniunt, quæ in specie verosimilius est, non fore concedenda. Videatur Thomas Hurtado *tom.* 2 *var. resol. tract.* 12. *cap* 1. *num.* 1178. Ubi refert privilegium à Paul. III. concessum Monialibus religiosissimi Conventus Hispalensis Sanctæ Mariæ de Gratia. Ut quæ pro tempore ægrotæ, aut aliqua occupatione detentæ fuerint, Pater Noster aliquoties dicendo, & recitando, debito Horarum Canonicarum, & officii Divini satisfaciant. Simileque privilegium jamdiù concesserat Innocentius Quartus, anno 1253. Monialibus degentibus sub cura Minorum, in Bulla, quæ incipit. *Solet annuere*, ibi: *His, quæ occasione rationabili, non possunt aliquando legendo dicere Horas suas, liceat, sicut aliæ sorores* (non dicatæ choro) *dicere Pater Noster.* * Quo privilegio per communicationem gaudere Moniales omnes, & Religiosos professos, non constitutos in Sacris, aliorum Ordinum, dicit Pellizarius *tom* 1 *Manu. tract.* 5. *cap.* 8. *sect.* 2. *num.* 129. & *tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 16. Leand. à Sacram. *tom.* 6. *tract.* 8. *disp.* 2. *quæst.* 32. & 33. & alii.

QVÆSTIO IV.

Utrùm Pensionarius teneatur ad officium parvum Beatæ Virginis recitandum, si pensio ad vitam sustentandam non sufficiat?

1. QUæstionem hanc exagitatam invenio apud Dianam *p.* 10. *tract* 16 *resol.* 95. ubi sic scribit: *Quæro quarto: An Pensionarius teneatur persolvere officium Beatæ Virginis, si pensio sit tenuis? Respondeo, quod Valerius Reginaldus in praxi fori Pœnit lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 4. *sect.* 3. (attende) colligit ex Navarro *de Orat. cap.* 7. *num.* 25. teneri Clericos ad preces B. Virginis, qui pensionem habent ad vitam sustentandam sufficientem. * Hæc sunt Dianæ verba, quæ si ita accipiantur, ut non teneantur recitare, nisi pensio sufficiat ad integram vitæ sustentationem, prorsus rejicienda est hæc sententia. Quam nec Reginaldus tuetur, nec ex Navarro deducit, ut jam ostendo.

2. Et quidem, quod Reginaldus, nec sentiat, nec ex Navarro colligat, sed recitativè tantum Navarri sententiam referat, constat expresè ex verbis, quæ fideliter ex scripta subdo: * Eos (Pensionarios) ad recitationem Horarum Canonicarum non teneri, consentiunt Auctores, &c. Ita Navarrus *in cap.* 7. *de Orat. num.* 25. Addens nihilominus, eos, qui pensionem Clericalem habent sufficientem ad vitæ sustentationem, teneri ad recitationem Horarum Beatæ Virginis sub eadem pœna, qua beneficiarii tenentur ad recitationem Horarum Canonicarum. *Hæc Reginaldus. Qui ex Navarro, ut videtis, nil sibi tenendum colligit. An verò eius mentem fideliter referat? Non disputo. Sed quidquid de illa sit, (in qua Valerius, & Diana non conveniunt) certissimum esse debet, in modo saltem referendi, Reginaldo Dianam imposuisse; quia aliud est, non teneri recitare, qui non habet pensionem sufficientem ad vitam sustentandam, quod falsissimum est; aliud, habentem pensionem sufficientem teneri; quod est certissimum. Hoc concedit Navarrus, non illud.

3. Et expresè Reginaldus negat, loco suprà citato, ubi ex professo contra M. Dominicum de Soto probat, Beneficium quantumvis tenue obligare sub lethali ad Horas Canonicas, & pro hac opinione refertur ab ipso Diana 2. *p. tract.* 12. *resol.* 9. ubi sic ait: * Communis sententia docet, Beneficium, quantumvis tenue, obligare ad Horas Canonicas. Ita Victorellus, D. Antoninus, Suarez, Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 3. *sect.* 1. *num.* 33. * Hæc est opinio Reginaldi, quam non solùm de beneficiariis, quoad Horas Canonicas, sed etiam de Pensionariis, quoad obligationem recitandi officium parvum B. Virginis, expresissimè tenet, *ubi suprà sect.* 4 *n.* 46. *Adverte, inquit, tertio: Quia Pius V. sua constitutione, pensionarium non recitantem officium parvum B. Virginis, ad restitutionem obligat, eadem ratione, qua beneficiarium non recitantem Horas Canonicas. Quæ de hoc quoad modum restituendi sunt dicta, ad illum extende. * Cum autem Beneficiarius, ut suprà ipse asserit, teneatur, etiamsi beneficium sit tenue, Horas Canonicas recitare, plane sentit, Pensionarium similiter ad officium parvum teneri, licet pensio sit tenuis. Ex quibus apertissimè constat, strictissimam omnium opinionum in hac parte Reginaldum amplexatum fuisse.

4. Verum, quam Diana à veritate prorsus alienam Jesuitæ attribuit, tradit ex suo Clericorum Regularium Ordine Angelus Maria Verricelli *tom.* 1. *quæst. moral tr.* 8. *quæst.* 47 *num.* 7. Ubi loquens de Beneficio quoad obligationem recitandi Horas Canonicas, (& per consequens de pensione quoad officium parvum, cum æquè ex utroque consurgat obligatio) sic scribit: * Ad obligationem Horarum Canonicarum requiritur sufficiens sustentatio ex redditibus beneficii. Qui enim altari servit, de altari vivere debet. * Quod tenent alii, quos suppresso nomine refert Suarez *lib.* 4. *de Horis*, *cap.* 21. Et Paulus de Palacios *ad Sum. Cajetani*, ibi: * Beneficium adeò tenue, quod non sufficiat ad sustentandum Ministrum, non est beneficium, nisi imperfectè. * Ita Cajetanus, quem

quem laudatum refert Thom. Hurtado *tom.1. de Resident. fol. 389.*

5. Sed plus addit ex Dianæ familia Marcus Vidal, *in Arca vitali Theol. Moral. tit. de Iudice inquis. 5. num. 45.* Pensionarium non teneri sub lethali ad recitandum officium parvum B. Virginis, licet pensio valdè pinguis sit, & ad vitam sustentandam superabundans. Verba eius sunt: * Respondetur primo, hanc Pii V. constitutionem obligantem Clericos Pensionarios ad officium Beatæ Virginis, pluribus in locis non esse receptam, &c. Insuper (attende) videtur non obligare ad sui observantiam sub mortali; tum quia nullum verbum præceptivum continet, tum quia odia sunt restringenda, & non amplianda, &c. Tum etiam, quia legis Ecclesiasticæ intentio est, non injicere laqueos animabus, sed ad ædificationem corporis mystici Christi Domini promovere, & ideo ut plurimum non obligat sub mortali. Ergo cum hæc Pii V. constitutio non sit ubique recepta, neque obliget sub mortali culpa; clarè deducitur, quod pensiones maneant, sicut in anteriori tempore, prophanæ, & temporales. * Sic Marcus Vidal, & ante illum nonnulli, quos suppresso nomine refert Aragon 2.2 *quæst. 63. artic. 2. propè finem in dubio de Pensionibus, vers. * An autem.* * Qui à fortiori dicere tenentur, Pensionarios non recitantes, ad nullam fructuũ restitutionem modò teneri, sicut nec antea tenebantur; cùm verba constitutionis Pii V. æquè ad recitandum, ac ad restituendum referantur.

6. Cæterum hæc opinio, cujuscumque sit, omninò improbabilis est, & gravi censura notanda: est enim expressè contra constitutionem Pii V. ut ab universis Christi fidelibus intellectam, quæ, quantum ad obligationem recitandi officium parvum B. Virginis, & restituendi fructus malè perceptos, æquiparat Beneficiariis Pensionarios, his verbis: * At quicumque pensiones, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, ut Clericus percipit, cum modo prædicto (de habente beneficium) ad dicendum officium parvum B. Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, retumque ipsarum amissioni obnoxium. * Quid clarius? Ideò ita communiter tradunt Doctores apud Palaum * *tom.2. disp.2. num.16.* & Bonacinam *de Horis Canonic. quæst.5. punct. 2. n.21.*

§. I.

Quid si fructus sint tenues?

7. DUbitant tamen, & meritò: An si fructus Beneficii, vel Pensionis tenues, & exigui sint, adeò ut ad bonam partem congruæ, & moderatæ sustentationis Clerici non sufficiant, teneatur recitare? Negativam sententiam, etsi nullo duce, amplexus est M. Sotus *libr.10. de Iust. quæst.5. artic.3.* quem hac tempestate non pauci sequuntur. Qui autem dicendi tenues fructus, & insufficientes ad obligandum? Hoc opus. M. Sotus ubi suprà de fructibus beneficii loquens respondet: * Dixerim tenuissimum, ut fere pro nihilo reputetur, nempè si his temporibus summam saltem octo ducatorum non attingeret; nam si ditius est, quamvis non sufficiat ad victum, si tamen pauperi Clerico (attende) bona esset pars sustentationis, non omnino possidens excusatur. De hoc ergo sapientium prudentia consulenda est. * Sic Sotus in editione Salmantina, anno 1553. quo tempore pretia rerum longè moderatiora erant. Ideo M. Petrus de Ledesma in Summa, quam postea scripsit *part.2. tract.9. cap.4. concl.5. dific.* 4. majorem quantitatem ad obligationem recitandi requirit. * A mi parecer (inquit) aunque el Beneficio sea de diez y seis ducados, y aun veinte, no le obligaria a rezar. * Sic ille. Imò & Sotum hanc sententiam partim tenuisse refert ex auditu Thomas Sanchez *in opusc. tom.1. libr.2. cap.2. dub.67. num.5.* Ubi ait: * Imò Pater Doctor Henriquez retulit mihi, quod consultus Soto de beneficio, cujus reddebantur decem, & sex nummi aurei, respondit, non obligare ad recitandum; & quidam maximè doctus recentior dixit, non minus, quam viginti aureos obligare. * Sic Sanchez referens M. Petrum de Ledesma suppresso nomine.

8. Post citatos scripsit Episcopus Maldens. *tract.10. de Virtutibus, cap.2. dub.3. vers. Nihilominus.* Ad obligationem recitandi requirit, quod beneficium sufficiat ad tertiam partem sustentationis Clerici vulgaris. Cui adhærent Quintanadvennas, & Escobar, quos refert, & sequitur Diana *part.9. tract.9. resol.8.* Imò Aragon testatur 2.2. *quæst.83. articul.12.* hanc esse communem sententiam recentiorum. Sed immeritò, ut observat Palaus infrà citandus. Fundamentum hujus opinionis est, quia secundùm M. Sotum necesse est, ad obligandum ad Horas, quod beneficium sufficiat ad bonam partem sustentationis Clerici pauperis: minor autem quantitas, quàm tertia pars, nequit dici sufficiens ad bonam partem sustentationis.

9. Verùm, si hæc opinio esset vera, beneficium non attingens triginta, vel quadraginta aureos, non obligaret ad recitandum Horas Canonicas: ut meritò dixit Castro Palao *tom.2. disp. 2. part.1. §.2. num.8.* * Et certè nisi tertiam partem attingat, dici non potest, attingere bonam partem sustentationis. Quapropter si hæc sententia (nempè M. Soti) vera esset, Beneficium, cujus redditus, hoc tempore, non attingunt triginta, vel quadraginta aureos, nequaquam dici potest, attingere bonam partem sustentationis moderatæ, ut benè notat Suarez *lib.4. cap.21. num.2.* Quibus enim decem tempore Soti non sufficiebant, modo triginta non sufficiunt. * Hæc Palaus.

10. Propterea Doctores alii, consentientes præmissis, absolutè asserunt, ad obligationem recitandi Horas Canonicas, requiri, quod Beneficii valor attingat quadraginta ducata. Ita Martinus de S. Joseph *tom.1. lib 2. tract.7. num.3.* & Leander de Sacramento *tom.6. in Decalog. tract.8. disput.2. quæst.112. & quæst.114.* Ubi subnectit, quod hæc quantitas debet computari ex solis fructibus, aut redditibus * qui supersunt (attende) deductis expensis in collatione illorum, & dempta eleëmosyna, quæ pro Missis datur, ad quas obligat Capellania. * Sic illum suprà referens pro hac parte graves Auctores, Sanchez, Quintanadvennas, Trullench, & Martinum de S. Joseph. Sic discurrunt Doctores, qui ad obligationem recitandi, valorem tertiæ partis congruæ sustentationis Clerici pauperis, seu moderati, exigunt.

11. Addunt alii, ad obligationem quotidianam recitandi Horas Canonicas requiri, ut Beneficium sufficiat ad dimidiam partem congruæ sustentationis. Sic tradit Hieronymus Garcia *in Sum. tract.2. de Horis, dub.2. num.11.* ubi sic: * Por muy probable tengo con Layman, Maldero, Lessio Molfesio, Trullench, y Diana, que quando no llega el Beneficio al medio sustento, que se cumplirá con rezar los dias de fiesta, y Domingos, ò rezar el oficio parvo de nuestra Sennora cada dia, en lugar del mayor, y lo ultimo es muy

muy en uso en Espanna, donde todos los hombres doctos, y timoratæ conscientiæ lo aconsejan. * Hæc Garcia, sed apertè fallitur. Et nullus eorum, quos citat, hoc asserit: sunt enim ipsimet Doctores, quos proaliis opinionibus refert, Diana *p. 2. tract. 12. resol. 9.* Posset verò pro se citare Thomam Hurtado *tom. de Resid. tract. de Resident. Canonica, resol 9. subresolut. 15. fol.* 389. Ubi laxiorem opinionem tradit, his verbis: * Si Beneficium majorem partem annuæ sustentationis fructibus suis non tribuat, non obligat ad restitutionem, quia non obligat ad solvendas quotidie Horas Canonicas. Ita Sotus ubi suprà, dicens, Recentiores Theologos communiter sequi hanc opinionem. Et Navarrus *de Horis cap. 7.* dicit, suo tempore multos viros pios, & doctos ita sentire. Patius *ad Sum. Cajetani*, ibi: *Beneficium adeò tenue, quod non sufficiat ad sustentandum Ministrum, non est Beneficium, nisi imperfectè.* Ita Eminentissimus tam ratione literaturæ, quàm purpuræ. * Hæc Hurtado, qui paulò infrà suadere contendit, onus annexum Beneficio imperfecto non esse, recitare quotidiè totum divinum officium.

12. Possetque ex doctrina M. Soti, pro opinione præfata, sic urgere. Plus valebant tempore Soti decem ducata in ordine ad usus humanos, quam modò quadraginta, ergò plus valebant decem, & sex, quam modo sexaginta & quatuor; quia sicut se habent decem ad quadraginta, nempè ut quarta pars, ità se habent 10. ad 64. Sed M. Sotus (ut testatur Henriquez, & ex illo Sanchez) Beneficium, cujus reddituserant 16. aurei, judicavit consultus, non sufficere ad obligationem recitandi; ergò idem modo judicaret, licet fructus essent sexaginta & quatuor, Fateor, consequentiam urgere, & potiori jure, si verum est, quod dicit Hurtado suprà num. 18. nempè fructus, qui olim sufficiebant ad majorem partem sustentationis, non sufficere hodiè ad octavam partem. Sed quidem, si huic opinioni standum esset, ut modò in Regno Castellæ rerum pretia se habent, centum ducata requirerentur, ut obligationem recitandi inducerent, quia bis centum ad congruam sustentationem Clerici pauperis vix sufficiunt, ut non semel à timoratissimis audivi. Quapropter nunquam concedendum est, requiri valorem dimidiæ sustentationis, ut docuit Garcia, & multo minùs majoris partis sustentationis, ut tenet Hurtado: sed ad summum tertiæ partis, relinquendo judicio Doctorum, pro locorum, & temporum diversitate, quænam quantitas ad tertiam partem sustentationis sufficiat. Et in hanc tandem sententiam venit Hurtado ubi suprà, sed inconsequenter quidem ad ea, quæ paulò anteà prædixerat.

13. Notandum verò hic est, si fructus non attingant tertiam partem sustentationis, Beneficiatum, seu Pensionarium non recitantem, non solùm non peccare, sed neque ad restitutionem teneri. Quia in hoc non facit contra præceptum Ecclesiasticum recitandi Horas. Obligatio autem restituendi fructus Beneficii, non oritur ex præcepto naturali, sed Ecclesiastico; ac proindè, hoc deficiente, non esse hujusmodi obligationem, docent suprà viginti Doctores apud Dianam *p. 11. tract. 1. resol. 7.* quos sequitur Garcia *de Beneficiis 3. p. cap. 1. num. 7.* Cui principio innititur communis Doctorum sententia, quæ Beneficiarios non recitantes primis sex mensibus, (etiamsi preces alias non fundant) ad restitutionem non obligat: nimirùm, quia præceptum Ecclesiasticum solùm adstringit ad restituendos fructus, non recitantem post primos sex menses à possessione Beneficii, ut constat ex constitutione Pii V.

14. An verò Beneficiarius, qui præcepto Ecclesiastico non ligatur ad Horas, ob tenuitatem fructuum Beneficii, modo suprà explicato, teneatur jure naturæ ad aliquas preces? Non conveniunt Doctores: negat Suarez *tom. 2. de Relig. lib 4. cap. 16. n. 4.* Affirmat cum communi sententia Thomas Hurtado *tom. 1. de Resident. Sacra, tract. de Residentia Canonicorum, resol. 8. n. 22. & 35. & resol. 9. n 3. & 4.* Ait verò, hanc obligationem jure naturæ inhærentem non esse sub mortali, sed sub veniali. Quod docet etiam Navarrus apud ipsum; quia solum oritur ex gratitudine, & oratio, quæ debet fieri, indeterminata est. Quod est valdè notandum, & mihi placet, quia nullus est contractus inter Beneficiarios, & fideles, ex quo obligatio justitiæ consurgat.

15. Si autem ad plenam quæstionis decisionem scire desideras, quid veniat nomine congruæ sustentationis? Respondet M. Corradus *2. p. Responsa. quæst.* 482. * Sustentationem intelligendam puto, scilicet, victus, vestitus, domus, & ei inservientes. * Et ante illum Cajetanus *2. 2. quæst. 100. art. 2. & 3.* ibi: * Sustentationis nomine non tantum venit cibus, & potus, sed quidquid est necessarium ad vitam, & vestitum sui, & eorum, quorum cura sibi incumbit. * Quibus adhæret Martinus de S. Joseph *lib. 2. tract. 7. de Orat. num.* 13. ibi: * Los frutos del Beneficio son para alimentos del Clerigo, y debaxo del nombre de alimentos, se entiende comida, y bebida, casa en que vivir, vestidos, cama, medicinas, y todo lo necessario para la vida, &c. y tambien criados, si los pide la dignidad, y calidad, y tambien los salarios, q̃ se les dan. Pues vease, si conforme a esto me alargo mucho en sennalar quarenta ducados para buena parte de sustento. * Hæc ille, & est sententia Thomæ Sanchez *in consiliis, lib. 2. cap. 2. dub. 67. n. 4.* Ubi ait: * Nomine sustentationis intelliguntur, non tantùm alimenta ad corpus, sed etiam moderatus victus, & vestitus, habitatio, & omnia alia hoc modo necessaria ad moderatam vitam (attende) ac si nil aliud haberet beneficiarius ad sustentationem, quia id esset per accidens. Ad quod considerandum necessaria est consideratio temporum, & locorum, quia diversis temporibus, & locis, carius valent res. Similiter decentia vestitus diversis in locis diversimodè consideratur. * Hæc Sanchez, quæ sunt valdè notanda.

16. Omnia superiùs dicta de Beneficiis intelligenda veniunt de Pensionibus, quia Pius V. in sua constitutione, quoad obligationem recitandi, & restituendi, eodem prorsus modo voluit manere obligatos Pensionarios, ac Beneficiatos; discrimen solum faciens inter officia recitanda. Et ita cum Suarez, Bonacina, Petro de Navarra, & aliis notat Palaus *tom. 2. disput. 2. p. 7. num. 16.* Ubi ait: * De Pensionariis non recitantibus officium parvum B. Virginis idem esse dicendum, ac dictum est de Beneficiatis; peccare, inquam mortaliter, post obtentam pensionem, si non recitent, & transacto semestri obligatos esse restituere integros fructus perceptos, quia nullum officium præter recitationem exequuntur, ratione cujus ab integra restitutione excusari possint. Sic obligantur ex suprà dicta constitutione Pii V. * Sic Palaus.

17. Verum alii mitiùs cum Beneficiariis, &

Pensionariis non recitant bus se habentes, ad solam tertiam partem fructuum dici correspondentium restituendam obligant. Ita viri sapientissimi apud Henriquez *lib. 13. de Excommunicat. capit. 13. nu.* 2. Ubi sic.* Praxis cum sapientum consilio rigorem decreti Lateranensis, & Pii V. ita temperat, ut Parocho, & aliis relinquatur quædam portio, quia cum titulo sustinent onera beneficio annexa (& in Gloss. lit. v.) ut Parochus, seu Episcopus quintam partem fructuum, quæ in die recitationi horarum respondet, restituat in pia opera, reliquas partes retinebit sibi. Ita Frat. Medina, Frat. Lopez, & in generali Soto. Recentiores in prælectionibus, & consulti Penna, Cueuas, Gallo, & colligitur ex Sylvestro, *& infrà lit. Z.* Addit. Frat. Medina, & Penna, & prædicti recentiores: Si Canonicus omittat Horas, satis est, ut restituat quartam partem fructus pro rata, alii Beneficiarii restituant tertiam partem. Sed de habente præstimonium solus Frat. Medina obligat restituere omnes fructus diei respondentes; & idem diceret de Pensionario, quia non habet aliud onus, aut officium præter recitationem. At quia onus recitandi his addtum videtur accessoriè, satis est, ut pro rata restituant tertiam partem, quia cum hac modertione praxis sapientum acceptavit novam, & rigidam constitutionem Pii V. Reliquas duas partes retinet Pensionarius ob titulum ex causa datum, ut ob sua, aut parentum benemeritam Ecclesiam. * Sic excitatis Henriquez. Quorum opinionem tutam, & probabilem esse ait Trullenh. *in expositione Bullæ Cruciatæ, lib. 3. casu 2. num. 3.* Et videntur tenere alii apud Dianam *part. 2. tract. 12. resol. 8.* & Thomas Sanchez *tom. 1. consil. lib. 2. capit. 2. dub. 84.* Quibus non dissentit P. Mendo *in Bull. disp. 34. cap. 2. num. 25.* Et novissimè probabilem esse, dicit M. Frat. Antonius Baco Augustinianus *in Summ. disp. 35. cap. 9.* Sed illam nimis laxam vocat Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 32. num.* 177. & improbabilem Palaus, ubi suprà *punct. 7. num.* 9. licet alii eam referentes non improbent.

18. Et quidem cum Beneficium sit propter officium, & hoc in prædictis Beneficiariis aliud non sit, quam horarum recitatio, quando hæc deficit, totum officium deficit; ergò & totum pro illa die Beneficium: ergò ad nullam partem fructuum diei correspondentem titulum habet, & consequenter omnes restituere tenentur. Idemque à fortiori de Pensionariis dicendum, quos Pius V. Beneficiariis quoad obligationem restituendi pares esse voluit. Non tamen audeo sententiam Patris Henriquez, & aliorum improbare, maximè cum lex Pontificia, ut ab eo explicatur, acceptata fuerit, & sapientum praxi confirmata, quia sicut leges non acceptatæ non obligant, ita nec aliter quam acceptatæ fuerint. Nec fides tantis Doctoribus negari debet.

19. Pro coronide advertendum est, Pensionarium non initiatum sacris, si efficiatur miles Ordinis Militaris D. Jacobi, Alcantaræ, aut Calatravæ, &c. cum indulto retinendi pensionem, satisfacere obligationi recitandi officium parvum B. Virginis, si orationes Dominicas, & Angelicas à sua Religione præceptas recitet. Quia Pius V. solùm obligare voluit, ad recitandum prædictum officium B. Virginis, eos Pensionarios, qui aliàs ad nullas preces adstricti erant. Sic docet Garcia *de Beneficiis, 3. part. cap. 1. num. 117.* cum Vega, Manuel, Rodriguez, & Petro de Ledesma, quos cum aliis sequitur Bonacina *disp. 1. de Horis Canon. quæst. 2. punct. 4. num. 2.* Quam doctrinam extendi ad Religiosos Societatis Jesu, recitantes orationes solitas in Societate, putat probabile Tanc redi *de Relig. tract. 3. lib. 4. quæst. 6.* Sed illi non assentior, quia hi Religiosi ad præfatas orationes adstricti non sunt. Neque aliis Doctoribus suprà citatis contradiam, nisi Militares, utpotè quibus officium Divinum in prædictas orationes auctoritate Apostolica commutatum fuit, ad eas recitandas sub lethali teneantur, quod negat Leander à Sacramento *tom. 1. tract. 8. disp. 2. §. 1. quæst. 22.* dicens, sibi esse fere certum, non teneri. Et saltem, ut audio, hæc obligatio, licet olim imposita, in desuetudinem abiit, vel ut minimum ab obligatione gravi immunes, communis ordinum militarium sensus sæculares equites conjugatos, quibus pensiones antea Ecclesiasticæ, titulo laicali, ex concessione Pontificia, conferuntur, & vulgò jam dicuntur *Cavalleratos*, non teneri ad officium parvum B. Virginis: & hunc esse effectum illius dispensationis. Sic à viro doctissimo in Curia Romana subscriptū legi. Sed verba dispensationis standum censeo: nec aliud esse potest principium, ex quo hujus casus decisio in favorem quintis conjugati, admitti possit.

DISPVTATIO III.
de Oratoriis.

QVÆSTIO I.

Utrùm virtute Cruciatæ possit quisque sine alio privilegio, in domo privata oratorium erigere, quod ab Episcopo designetur, & approbetur ad celebrandum? ubi an licentiam concedere queat Commissarius Cruciatæ?

§. PRIMUS.

Affirmativæ sententiæ Auctores referuntur.

1. PRivilegium Bullæ Cruciatæ adeò aliqui ampliarunt, ut asseruerint, cuilibet affluenti Cruciatam licitum esse in domo sua, oratorium erigere, & ab Ordinario approbatione obtenta, in eo celebrare, vel celebrari facere. Sic docuerunt nonnulli, quos suppresso nomine refert Trullench. *in expositione Bullæ, lib. 1. §. 3. dub. 4. nu. 6.* Ubi sic.* Quidam existimant, & insinuat Rodrigues, *§. 5. num. 4. in Addit. ad §. 5.* per illa verba Bullæ, *ut in oratorio privato possint celebrare, vel celebrari facere, &c.* duo concedere Pontificem habenti Bullam; & quod possit habere in domo sua oratorium designatum, & visitatum ab Ordinario, & quod in eo sic designato, & visitato per Ordinarium, possit celebrare, vel celebrari facere, etiam interdicti tempore: ita tamen quod facta ab Episcopo approbatione oratorii, non sit in ejus potestate impedire, quominus quocumque tempore, ratione Bullæ in eo celebretur.* Sic refert Trullench.

2. Hujus opinionis antesignanus fuit Doctissimus Mag. Dominicus de Soto *in 4. dist. 13. art 3.* Ubi postquam statuit, licere ex necessitate extra Ecclesiam celebrare, concludit:* Sed prætet necessitatem, sunt & privilegia: Prædicatoribus enim, & Minoribus indultum est, ut cum altari portatili possint, etiam sine licentia Episcopi, extra Ecclesiam celebrare: ut per

ter *cap. in his, de Privilegiis*. Jam verò modò (attende) per Pontificum diplomata, quibusvis concessum est, ut intra lateres proprios, Missas facere possint celebrari. Atque ubi aliqua necessitas incumberet, nil irreverentiæ tales concessiones haberent, &c. At verò quod universi, citra delectum, hujusmodi concessionibus utantur, re vera non potest non reverentiam Sacrosancti Sacramenti denigrare, & quandam præseferre contemptus effigiem. In primis ergò neque ex privilegio facere licet, nisi in loco decenti: in locis enim, ubi vel mensa, vel lectus sternitur, nisi ob gravem jacentis infirmitatem, ut communionem suscipiat, indecentissimum est, hujusmodi privilegiis uti. Imò ut sententiam meam proferam, nisi esset perillustris persona, mallem, ut cæteri, quando extra ad Ecclesias non possunt, die etiam festo, Missam non audirent, quam domi audirent. * Hactenus M. Sotus. Quibus ex una parte, ut certum supponit, virtute Bullæ Cruciatæ, quibusvis concedi privilegium habendi oratorium, & in eo celebrare, vel celebrari facere; & ex alia significat, quantùm ipsi ejusmodi privilegii usus, citra delectum personarum, displiceat. Sotum sequitur M. Ludovicus Lopez 2. *part. instruct. capit. 79.* §. * Superest jam nunc disserere de gratia concessa in Bulla Cruciatæ. * Ubi licet præfatam licentiam in Bulla contineri existimet, rationabilem tamen causam ad ejus usum requirit. * Et tunc locus ille inquit, mundandus esset, & ornandus, atque præparandus maximè. * De quo dubium non est, cum sit ab Ordinario approbandus, & designandus.

3. Horum sententiam sequitur Ludovicus à Cruce *in Bulla, disp. 1. cap. 5. dub. 1. num. 5.* & videtur tradere Diana *part. 5. tract. 10. resol. 76.* Ubi citato Ludovico, subnectit, cujus doctrina est valdè notanda, &c. * Et probabilem esse dicit Hieronymus Garzia *in Summ. tract. 3. diffic. 8. dub. 9. punct. 3.* ibi: * Los Autores desta opinion son muy graves, y Ludovicus à Cruce ademas de ser muy docto, fue Penitenciario del Romano Pontifice, y assi no se puede negar, sino que esta opinion es probable. * Et esse valdè probabilem dicit Thomas Hurtado *tom. 2 resol. moral. tract. 12. cap. 1. in Digressione de Bulla Cruciata, num. 142. fol.* 484. Ubi postquam argumenta communis sententiæ expendit, & ad illa respondit; sic pro contraria nuper posita concludit: * Fateor, hanc sententiam valdè probabilem esse, & tutam in praxi, si velint domini Episcopi illa uti, quia ut dicebam, Episcopi non dant licentiam habendi oratorium, sed solùm Sum. Pontifex, licet ipsi Episcopi approbent, & designent locum honestum, sicut suprà ex multis Authoribus ostendimus, quod regularibus non concedit Episcopus jurisdictionem, & licentias ad audiendas confessiones, sed solùm Summ. Pontifex, licet ut iste dicatur illas concedere, requiratur tanquam conditio necessaria posita de novo à Tridentino approbatio ipsius Episcopi. * Sic ille, etsi contrariũ amplectendum asserat, propter fidelium praxim, & consuetudinem.

4. Denique hanc sententiam tuentur viri alii doctissimi, quos sequitur Castro Palao *tom. 4 tr. 25. de Bulla Cruciatæ, disp. unica. p. 6 num. 2.* Ubi postquam Latinam clausulam ad verbum exscripsit, sic ait: * In hac clausula primò conceditur facultas habendi oratorium privatum; uti cum Henriquez, aliisque Neotericis notavit Joannes de Salas *in explicat. Bullæ Cruciatæ q. 19* Nam esto id in prædicta concessione non habeatur expressè, manifestè supponitur: tùm quia conceditur, ut in privato oratorio tempore interdicti celebretur: tum ex ilra dictione *etiam*, quam addit Bulla Latina, quæ casum difficiliorem, & magis dubitabilem exprimit, supponit tamen faciliorem, & minus dubitabilem, qualis extra tempus interdicti. Bulla ergò concedit habenti ipsam, ut possit habere privatum oratorium, & in eo Missas celebrare, vel celebrari facere, dummodò oratorium sit divino tantum cultui deputatum, & ab Ordinario designatum, juxtà formam in Tridentino præscriptam, & dum eo quis utitur, fundat preces pro unione Christianorum Principum, & eorundem contra infideles victoria. * Hæc Palao: pro cujus sententia, ultrà citatos adducit P. Henao *de Sacrific. Miss. disp. 23. à num. 143. & disp. 30. à num. 205.* Martinum de Ledesma, Alfonsum Vivaldo, & Hieronymum Llamas *in opere de Sacrific. Missæ, disp. 23. à nu. 143. & disp. 30. à n. 205.* Item Lezanam *in Summ. verb. Orator. n. 5.* & Pasqualigum *quæst. 638. de Sacr. novæ legis, n. 4.* & eam non improbat Quintanadvennas *tom. 1. Singular. tract. 7. singul. 33.* Et Henao, ubi suprà, *tom. de scientia media fol. 463.* dicit esse probabilem.

§. II.

Ejusdem sententiæ fundamenta.

5. PRimum & præcipuum desumitur ex verbis clausulæ Latinæ Bullæ Cruciatæ in qua conceditur: ut in privato oratorio ad Divinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, &c. celebrare, vel per alium celebrari facere. * Ex quibus sic conficitur argumentum. Hoc privilegium est omninò independens ab alio prævie concesso, vel concedendo, nec sumens Bullam alterius privilegii adminiculo indigeat ad hujus usum, ergò virtute Cruciatæ omni alio, circà oratoria, indulto secluso, potest Sacerdos in privato oratorio celebrare, vel celebrari facere? Atqui hoc est impossibile absque oratorio? ergò hoc illi implicitè conceditur in Bulla. Confirmatur, tùm quia concesso aliquo, intelliguntur omnia concessa, sine quibus impossibilis est illius usus: tùm quia Bulla non casu, sed à consilio utitur verbis illis de futuro, ab Ordinario visitando, & assignando: * quibus Ordinario expressè conceditur, ut visitet, & approbet (si decens invenerit) oratorium, ut in eo celebrari possit: ergò etiam si prævie ad hanc concessionem nullum esset privilegium ad oratorium erigendum, vi Cruciatæ posset quis in domo sua locum decentem extruere, & Ordinarium accersere, ut declaret, an ad Divinum cultum, & Missæ celebrationem idoneus sit; & in eo semel approbato celebrare, vel celebrari facere. Aliàs privilegium Bullæ nil operaretur, casu, quo illam assumens non invenisset oratorium virtute alterius privilegii prævie erectum, & approbatum ab Ordinario? & frustrà etiam uteretur Pontifex verbis illis de futuro: *Visitando & assignando*, cum potiùs advertenter dicere debuisset, *in oratorio jam visitato, & virtute alterius specialis indulti approbato, & designato*. Ut sic excluderetur excluſus casus, qui in præsenti controvertitur.

6. Secundò probatur, quia nullibi prohibetur Episcopis oratoria approbare, sed solùm concedere licentiam celebrandi in privatis oratoriis. Hæc enim est, quæ ab Episcopis, & Nuntiis per Paulum V. & Urbanum VIII. in specialibus Brevibus, hac super re editis, revocata, & ablata est. Ergò modo, sicut

anteà approbationem oratorii concedere possunt, quamvis licentias celebrandi non possint. Sicut licet nequeant concedere facultatem absolvendi à reservatis Pontifici, possunt tamen confessarium approbare, ut idoneum ad absolutionem, si ex privilegio aliunde facultas absolvendi illi concedatur. Ergò sicut confessario semel approbato, potest quis virtute Bullæ reservata Pontifici confiteri, ita oratorio semel approbato, poterit in eo per se, vel per alium virtute Bullæ celebrare. Confirmatur, nam qui habet privilegium eligendi pro reservatis confessarium approbatum, potest petere ab Episcopo, ut Petrum, v. g. aliàs virum doctum ad confessiones approbet; & Episcopus potest illum approbare, ut ei approbato subditus confiteatur: Ergò similiter, qui habet privilegium celebrandi in oratorio privato ab Ordinario designando, poterit petere ab Episcopo, ut privatum oratorium ei approbet, & designet, & Episcopus id efficere poterit, quia nullibi invenitur prohibitum.

7. Tertiò: Commissarius Cruciatæ potest concedere licentiam habendi oratorium privatum, & in eo celebrandi, ut constat ex publicatione facultatum Commissarii, quam fieri jussit anno 1642. Illust. ac Reverendiss. Fr. Antonius de Soto Major, Commissarius Generalis Cruciatæ, vir doctissimus ex Prædicatorum Ordine, & iterato publicarunt ejus successores Illustrissimi D. Petrus Pacheco, & D. Joseph Gonçalez, anno 1664. quæ Hispano idiomate circumfertur hoc titulo: * Facultades concedidas por su Santidad al Comissario General de la Cruzada, en todos los Reynos, y sennorios de su Magestad. &c.* Inter quas hæc continetur. Item, que podamos dar licencia para celebrar, y hazer dezir Missa en oratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario. * Et in fine: * Lo qual todo mandamos sacar de la dicha Bula original, y Breves, en favor della, por su Santidad concedidos, y en fee dello mandamos dar, y dimos la presente firmada de nuestro nombre, &c. * In quibus verbis clarè & evidenter contineri, Commissarium posse concedere licentiam habendi oratorium privatum, & in eo celebrandi, putant doctissimi viri. Videatur P. Andreas Mendo *in explicat. Bullæ, disp. 37. cap. 15. num. 106.* Ubi ait: Temerè, & absque fundamento judicaretur oppositum, & in re gravissima fides negaretur tanto viro. * Cui consentit M. Barnabas Gallego *in explicat. Bullæ, cap. 14. clauf. 14. dub. 182. fol. 199. & seq.* Ubi acriter carpit Antoninum Dianam, eo quod oppositum doceat *part. 9. tract. 1. resol. 24.* Et post ejus impugnationem concludit: * Esta nuestra resolucion, conviene à saber, que es cierta, è indubitable la dicha facultad, tienen comunmente los Autores que escriben sobre la Bula de la Cruzada, que han tocado este punto. (que no todos lo han tratado, porque lo suponiam) Estos, pues, son Alfonso Perez de Lara *en el Compendio de las. vres gracias, fol. 59.* Ægidio Trullench. *de Bulla, lib. 2. §. 5. dub. 3.* Andres Mendo suprà, y Juan Valero Monge Cartuxo, en las diferencias de ambos fueros, en la palabra Missa, en la diferencia 2. Yaora novissimamente el anno de 1651. el muy docto Thomas Hurtado, Clerigo Menor *tom. 2. variar. resol. tract. 12. cap. 1. §. 4* lo supone como cosa cierta. Y esta doctrina deuen ensennar todos los que sobre este punto escriuieren. * Hæc M. Gallego: Commissarium autem Cruciatæ non semel concessisse talem facultatem, evidentissimum est, & non pauci oculares testes deponunt.

8. Ex quibus ad rem nostram sic formo argumentum, ex eo quod Commissarius, ut ipse declarat, possit: * Dar licencia para celebrar, y hazer dezir Missa en oratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario. * Inferunt citati Auctores, quod si prædictam licentiam dederit, poterit quisque in domo sua oratorium erigere, & obtenta Ordinarii approbatione, in eo celebrare, vel celebrari facere. Atqui Bulla Cruciata hanc eandem, & ferè eisdem verbis licentiam sumenti Bullam concedit, ut constat ex clausula quarta Bullæ Hispanæ. * Que puedan, aun en tiempo de entredicho en oratorio particular sennalado, y visitado por el Ordinario, dezir Missa, ò hazerla celebrar, &c. * Ergo virtute facultatis, quam Bulla Cruciata concedit, item prorsus cuique licebit, quod virtute licentiæ, quam Commissarius Cruciatæ concessit. Confirmatur, quia Alfonsus Perez de Lara refertur à Gallego, Mendo, & aliis pro facultate Commissarii ad concedendum oratorium: cum tamen præfatus Lara solummodò dicat. * El Comissario General tiene facultad de dar licencia para dezir Missa en oratorio particular, siendo primero visitado por el Ordinario, y en altar portatil. * ergò cùm idem circa oratoria, Bulla Cruciatæ cuique concedat, re ipsa concessum habet, quod Commissarius concedere potest, & consequenter erigere oratorium.

9. Adde, Commissarium non aliundè prædictam facultatem habere, nisi ex citatis Bullæ verbis, utitetur Thomas Hurtado suprà: * Commissarius, inquit, virtute Bullæ habet potestatem dandi licentiam erigendi oratorium, ut praxis docet, sed non aliunde habet potestatem, nisi ex verbis relatis Bullæ. Unde illi credendum est, dum dicit, se posse id concedere. * Quod non improbat Trullench. *in expos. Bullæ lib. 2. §. 5. dub. 3. numer. 7. fol. 487.* dum ait. * Quæquidem facultas non continetur saltem expressè in Bulla Latina, attamen si Commissarius Cruciatæ utatur hac facultate, credendum est, id posse. * Nec fundamenti ullum habet, quod scribit M. Gallego, ubi suprà *fol. 201.* nimirum hanc facultatem Commissario competere, virtute Bullarum Apostolicarum, & aliorum Brevium. Nec quod affirmat Joannes Valerus, dicens: * Præfatas licentias celebrandi in privatis oratoriis concedi Commissario Cruciatæ ex speciali commissione Papæ. * Dixi, non habere fundamentum, quia ut à viro doctissimo accepi, nullum Breve, nec Bulla, nec specialis commissio à Pontifice facta, post diligentem inquisitionem in Tribunali Cruciatæ reperitur. Quod etiam ex testimonio Secretarii versatissimi in illius monumentis testatur à viro valdè gravi, & fidedigno accepisse eruditissimus Dan. Henao *in opere de scientia media, fol. 464. nu. 163.* Quapropter ex solius clausulæ Bullæ Cruciatæ verbis, hanc potestatem sibi competere Commissarius Cruciatæ censuit & præmisso, ut creditur, doctissimorum consilio, ne temerè illam sibi arrogaret, declarare censendus est. Ergò cum Bulla Cruciatæ id concedat sumentibus, quod Commissarius ejus virtute potest; vel negandum est, facultatem Commissarii sufficere ad erigendum oratorium, ut in eo approbato ab Ordinario celebretur; vel asserendum, licentiam per Bullam concessam ad id etiam sufficere.

10. Ex quibus concludi videtur, quod si habens Bullam Cruciatæ roget Episcopum, vel Vicarium, ut locum decenter ornatum in domo sua visitet, & designet, & aptum ad Missam celebrandam declaret: si Ordinarius votis annuat; poterit virtute Bullæ in eo celebrari, quia revera in tali casu

casu datur quidquid Pontifex ad usum hujus privilegii requirit. Nec quidquam ex præfata licentia contra bonos mores infertur, quod æquè non inferatur ex ea, quæ communiter Romæ ad oratoria erigenda conceditur, cum Ordinarius non credatur approbaturus, nec designaturus ad celebrandum, locum vel domum viri ignobilis, seu vilissimi officialis, sed eorum tantùm, qui absque indecentia ulla, vel personæ, vel loci, Missam domi celebrare, vel celebrari facere possint. Et hac ratione limitata concessione Bullæ Cruciatæ, & ejus usu, reverentia Sacrosancto Sacramento debita non videtur denigrari. Hanc opinionem sic explicatam tuentur non pauciviri docti: hac de re consulti, ut testatur Garcia ubi suprà *part. 3. num. 26.* ex quibus ipse concludit iterum. * Y assi no se puede dudar, sino que esta opinion es probable. *

11. Addit Ludovicus de la Cruz, & ex illo Diana, ubi suprà *part. 5. tract. 10. resol. 66.* quod si contingat, locum esse decentem, & idoneum ad arbitrium boni viri, & Ordinarius nolit eum approbare, nec facultatem concedere ad celebrandum, potest compelli ad concedendam: quia non potest defraudare subditum privilegio à Pontifice sibi concesso, habendi domi oratorium: privaret autem, noncedendo approbationem. Imò qui vellet, inquit, hujusmodi lites vitare, probabile satis videtur, quod licitè posset tunc uti prædicto oratorio, & in eo celebrare per se, vel per alium absque facultate Ordinarii, quia supposita decentia, & idoneitate loci ad arbitrium prudentis viri, licentia, seu approbatio justè petita, & injustè ab Ordinario negata, ipso jure intelligitur concessa à Papa. * Hæc ex Ludovico de la Cruz, refert, & amplectitur Diana *part. 5 tract. 10. resol. 76.* subnectens: * Cujus doctrina est valdè notanda; nam potest etiam deservire in casibus quotidianis, quando Papa concedit aliquibus licentiam habendi oratorium in domo pro celebratione Missæ. * Sic ille. Quibus partim consentit Palao ubi suprà *tom. 4. tractat. 25. disp. unica, punct. 6. n. 3.* dicens: * Quod si roges, quid operatur hoc Bullæ privilegium, si expectanda est Episcopi approbatio, visitatio, & designatio? Respondeo, multum operari, &c. Et præcipuè operatur, ut Episcopus sit obligatus, & cogi possit, approbationem concedere, si locus decens est divino cultui deputatus. * Et partim consentit Thomas Hurtado ubi suprà, nam cùm opinionem Ludovici de la Cruz, & Dianæ nuper positam referat, licet non sequatur, non rejicit, neque impugnat: Quod in hoc præcipuè Doctore signum approbationis est.

§. III.

Auctoris judicium.

11. Cæterùm, ut verum fatear, nulla ex opinionibus, quæ virtutæ Cruciatæ oratorum erigi posse, concedit, mihi unquam neq; ut probabilis arridere potuit. Et sanè prout à Ludovico de la Cruz defenditur, omnes rejiciunt. M. Barnabas Gallego in *Bullam Cruciatæ, cap. 4 diffic. 31.* dicit, esse manifestè falsam. * Y assi, inquit, se enganno Fr. Luis de la Cruz en su explicacion, *disp. 5 cap. 1. dub. 1.* donde dize que el que tiene Bula puede compeler, y obligar al Ordinario, y que sino quiere, basta averselo pedido (aunque lo niegue) para poder tener oratorio, y dezir Missa en el, y oirla. Pero esta doctrina es manifiestamente falsa. * Antoninus Diana sibi contrarius *part. 9. tr. 1. resol 23.* dicit: * Esse prorsus rejiciendam. * Hieronymus Garcia *ubi suprà num. 6.* valdè dissonam putat, dicens: * Pregunto, si el Pontifice dà facultada los seglares para esto, para que la niega a los Obispos, y a su Nuncio? De que ha de servir prohibirles, que dèn tales licencias, si los que las piden, pueden tomarse la justicia por sus manos? Si el abuso, ò por lo menos la latitud de dar estas licencias en los Obispos, y Nuncio, ha ocasionado al Pontifice para reprimirlas, y aun quitarlas? Como se puede entender, que pretende dar en la Bula este privilegio à todos los que la tomarè? * Hæc ille, cujus ratio evidenter evincit, fumentem Bullam Cruciatæ non posse cogere Ordinarium ad oratorii approbationem: Aliàs revocatio licentiæ Episcopis & Nuntio Hispaniæ facta, nullius roboris, & prorsus inanis redderetur: tum quia possent à subditis cogi ad approbandum oratorium: tum quia, si renuerent, posset quisque prudens sibi approbare: undè esset bellum justum ex utraque parte, altera justè petente approbationem, altera justè negante. Et majora inconvenientia indè pullularent, quàm timeri possent, si Illustrissimi Nuntius, & Episcopus has licentias concederent. Cum ex una parte oratoriorum numerus non minueretur, & ex alia dissensionibus, & litigiis frequens daretur occasio: facilè enim quisque in propria causa judex pro sui oratorii decentia, & decenti ornatu judicaret, nec Episcopi prohibitionem, censuraſque timeret, cùm se privilegio Pontificis, cui Episcopus derogare non potest, protectum existimaret. Ergò præfata opinio à Ludovico de la Cruz, & à nonnullis defensata, omni probabilitate destituta est: ac proindè habens Bullam Cruciatæ, dum oratorium ab Ordinario approbatum, & designatum non fuerit, nullatenus poterit in eo celebrare, vel celebrari facere, quamvis decenter ornatum habeat.

12. Majorem probabilitatis speciem habet opinio Clerici Minoris, Hurtado, prout suprà proposita, & propugnata, scilicet pro casu, quo Nuntius, vel Episcopus, aut alius Ordinarius approbaret locum, & ornatum Oratorii; & sufficientes ad Missæ celebrationem declararet, posse habentem Cruciatam in eo celebrare, vel celebrari facere. Non quidem virtute licentiæ à Nuntio vel Episcopo obtentæ, quam supponimus tanquam certum, eos non posse, post Breve Pauli V. concedere, sed ratione Privilegii in Bulla Cruciata contenti.

13. Unum ego in hac parte certum reputo; quod si Ordinarius, Nuntius, vel Episcopus hodie posset ejusmodi approbationem facere, ea facta, cuique habenti Cruciatam, liceret in oratorio sic approbato celebrare per se, vel per alium. Hoc enim privilegium expresse continetur in Bulla. Undè si Episcopus sequeretur opinionem asserentem, posse oratorium approbare, & illam ad praxim reduceret; posset quivis virtute Cruciatæ in illo celebrare. Ita Garcia ubi suprà, dicens, hoc esse probabilissimum, & praxi aliquando deservire posse. * Puede servir de consuelo para algun caso repentino importante. * Cæterum certissimum existimo; revocationem facultatum ad oratoria à Paulo V. factam, non magis comprehendere licentiam celebrandi in Oratorio, quàm illud approbandi, & declarandi aptum ad celebrandum. Moveor, quia in Hispania, & in aliis hujus Monarchiæ Provinciis, & Regnis, ubi concessio Cruciatæ locum habet; facultas à Nuntiis, &

Episcopis olim exacta, non requirebatur ad celebrandum in Oratoriis approbatis, & designatis, sed ad erigenda oratoria, & ut erecta approbarent, & ad divinum cultum designarent, quia ad alium effectum nemo illa indigebat. Sicut Regulares solam approbationem ad confessiones ab Episcopis exigunt; non licentiam, & jurisdictionem ad absolvendum, qua virtute suorum privilegiorum potiuntur: hanc enim ab Episcopis obtinere non curant, quia ea non indigent. Ergò si Paulus V. ad virtandam Oratoriorum latam licentiam, hanc facultatem approbandi non revocavit; oleum, & operam perdidit, cum facultatem reliquerit, cujus tantummodo usum habentes Cruciatam requirent; & obtinere curabunt, quia in Oratorio ab Episcopo approbato, possunt virtute Bullæ celebrare.

14. Urgetur, quia finis revocationis facultatum fuit, Oratoriorum numerum minuere, & ut Nobilioribus tantùm, vel ex causa infirmitatis concederentur: quod solius Sedis Apostolicæ judicio remittendum voluit Pontifex, ideoque ejusmodi concessionem sibi reservavit; quod frustrà fecisset, si ex una parte Nuntiis, & Episcopis facultatem approbandi Oratoria reliquisset, & ex alia omnibus sumentibus Bullam, licentiam concederet celebrandi per se, vel per alios in Oratorio approbato. Ergò ut reservatio Pontificis subsistat, unum è duobus necessariò asserendum est, aut quod Ordinariis, & Nuntiis revocata sit facultas approbandi Oratoria, aut quod in Bulla Cruciata privilegium celebrandi in Oratorio approbato non contineatur: hoc secundum dici non potest, cùm in Bulla sit expressum, ergò primum necessariò asserendum est. Non video solutionem. Ideò jure optimo P. Henao *in opere de scientia media historicè propugnata, fol. 463. n. 1676.* cum Pasqualigo tradit, post decretum Pauli V. fuisse impeditam potestatem designandi, & approbandi Oratoria, qua anteà Episcopi potiebantur. Et inferiùs *n. 1678.* subnectit, per decretum etiam Urbani VIII. ablatam esse, & ita Dominos Episcopos existimare.

§. IV.

Fundamentis contrariæ sententiæ fit satis.

15. EX dictis fit, virtute Bullæ, solùm licere celebrare in Oratoriis, in quibus alias, virtute alicujus privilegii, permissum erat, sicut & in aliis Ecclesiis, seu Monasteriis. Idque satis constat ex ipsius Bullæ Latinæ clausula, ibi: * Ut anno durante possint in Ecclesiis, in quibus alias divina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti celebrare, &c. * In quibus ly *permissum fuerit*: ad verba etiam subsequentia refertur: & forsan ex eo, quod utriusque partis orationis idem sit sensus, in Bulla Hispana illud *permissum fuerit* omittitur. Et solùm dicitur: * Que puedan, aun en tiempo de entredicho Apostolico en las Iglesias, y Monasterios, ò Oratorio particular sennalado, y visitado por el Ordinario dezir Missa, &c. b Ubi etiam notandum verba illa futuri tempori, *visitando, & designando* in Bulla Hispana à Commissario in præteritum verti: *sennalado, y visitado*, ut confusionem, quam generare poterant, auferret. Ideòque ex illa Grammatica, nil in favorem sententiæ contrariæ deduci potest, cùm idem patis verbis significare intendat Pontifex. Quapropter sicut ex eo, quod concedat Bulla facultatem celebrandi in Monasteriis, ineptè inferretur, concedere assumenti Bullam facultatem erigendi Monasteria; ita similiter ex eo, quod concedat, celebrare in Oratorio privato, inferri non potest, habenti Bullam concessum esse, Oratorium erigere, sed solummodo in jam erecto, & approbato; sive virtute specialis indulti in posterum designando, & approbando celebrare. Et forsan, quia ad designandaque, mens Pontificis extenditur, ideò Bulla Hispana verbis de præterito utitur, & Bulla Latina de futuro, ut utrumque tempus hanc concessionem respicere, modo suprà explicato denotaretur. Et dictis responsum manet primo argumento. Secundo verò jam satisfactum est, dum probavi, facultatem etiam approbandi Oratoria revocatam esse.

16. Ad tertium de facultate Illustrissimi Commissarii: respondeo, illum minimè habere potestatem concedendi licentiam habendi Oratorium, sed solum eam, quàm Bulla cuilibet assumenti concedit. Quod si aliquando Commissarii præcessoren illam concessere, id ex apparenti facultate, vel opinione aliquorum ducti, fecerunt. Sed reverà minimè possunt prædictam licentiam concedere. Edita declaravit Gregorius XV. anno 1622. in Epistola de quo mandato scripta per Eminentissimum Cardinalem Ludovisium ad Illustrissimum Nuntium Hispaniæ, ut Commissario Cruciatæ intimaretur, quæ ita in Hispanam fideliter versa, sic se habet: * Muy ilustre, y Reverendis. Sennor, Nuestro Sennor ha hechover, si el Patriarca de las Indies tiene facultad de conceder Oratorios particulares, despues de la revocacion hecha del Papa Paulo de feliz memoria, y se ha hallado, que en virtud de la Bula de la Cruzada, no se pueden conceder Oratorios particulares, y que esto mismo se intento tambien en tiempo del Papa Paulo. Mas estudiada diligentemente la controversia de orden del mismo Pontifice de buena memoria, del Cardinal Lanzeloto, del sennor Cardenal de Santa Susanna, y de Monsennor Maraldi, entonces Datario, se resoluiò, que no se podia. Lo mismo ha ordenado su Santidad, que escriua ora à V. S. para que haga entender à Monsennor Patriarca, (tunc Commissario Cruciatæ) que son ningunas las gracias que ha hecho, y que para en adelante se abstenga. Nuestro Sennor guarde à V. S. de Roma 20. de Mayo de 1622. de V. S. afectissimo, como hermano. Ludovico. * Hanc præfata Epistola, cujus transumptum ego vidi, & ex illo fideliter excerpsi.

17. Et novissimè hoc idem declaravit Sanctissimus noster Clemens Nonus in litteris, sub annulo Piscatoris, datis Romæ die 28. Octobris, anno 1668. ad Illustrissimum Dominum D. Antonium de Benauides, Commissarium Generalem Cruciatæ recens promotum. Ex quibus hæc fideliter excripsi. * Summa cum animi lætitia, nunc accepimus te, sapientissimo piissimæ Reginæ judicio, maximè dignum existimari, cui gravissimum Commissarii Cruciatæ munus obeundum committatur. Quod idem & Nos omninò censemus, & unicè probamus, pro certo nimirum habentes eximium, & pertectam virtutem tuam hujus officii tanti partibus omnibus egregiè satisfacturam esse, neque locum ullum inconvenientibus, & præjudiciis relicturam, quibus ex *Antecessoribus tuis nonnulli fines jurisdictionis sua pro-*

suæ pretergressi, Pontificiæ sollicitudini, causam justam exposulandi, non raro præbuerunt. Quæ ne temporibus tuis accidant, quamvis verendum non sit, tamen ut à te summopere petamus, cum rei gravitas, tum etiam debita Pastoralis providentiæ cura profecto facit. Sed omnia planius ex Venerabili Fratre Patriarcha Alexandrino Nuntio nostro coram intelliges. *Ex his autem, quæ prædictus Illustrissimus D. Commissarius Cruciatæ ab Illustriss. Nuntio coram intellexit, principale fuit, *ne in posterum Oratorii erigendi privilegium concederet.* Sic accepi ab ipso Illustrissimo Domino D. Antonio de Benavides, Commissario Generali Cruciatæ. Id ergo, in quo Domini Commissarii Antecessores *fines suæ jurisdictionis pretergressi*, censentur, & declarantur à Summo Pontifice, est concessio privilegii Oratorii. Quapropter hujusmodi facultate non potiri, omni dubio procul tenendum est.

18. Vide etiam Barbosam *de Iure Eccles. tom 2. lib. 2. cap. 8. n. 16. §. *In his privatis Oratoriis.* *Ubi adducit declarationem sacræ Congregationis Card. rescribentis ad Archiep. Bonon. sub die 10. Martii, anno 1615, licentias celebrandi in privatis Oratoriis, non nisi à Sede Apostolica esse concedendas, solique Romano Pontifici esse reservatas. Quapropter non levi fundamento, (etiam suprà adductæ Epistolæ Emin. Card. Ludovisii, inscii) hanc facultatem Commissario negarunt Quintanaduennas *tom. 1. tract. 7. singul. 31. n. 7.* & Diana *p. 8. tract. 1. resol. 24.* & dubiam esse scripserat M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. cap. 6. quæst. 4 n. 14.* *Quia non habetur, inquit, in Summario Hispano, nec Latino, nec profertur diploma Pontificis, in quo sit concessa. *Cæterum, ut ex dictis constat, non jam dubia, sed absque dubio, in Cruciata Commissario non concessa, aut jam revocata, si aliunde ei competebat, censenda est, quia certissimè sublatam esse, nobis constat ex litteris SS. N. Clementis Noni, suprà datis. Credo tamen, non levi fundamento dici posse, olim virtute Cruciatæ, Commissarium illam concedere potuisse, quia in Bulla Latina Pauli V. & Gregorii XIII. concedebatur habenti Bullam *celebrare, vel celebrari facere in Oratorio privato, dummodo sit approbatum ab Ordinario, & habeat facultatem Commissarii Cruciatæ. *Quæ verba in Bullis subsequentibus post revocationem licentiarum hujusmodi à Paulo V. factam, sublata sunt, quia illis forsan Theologi innixi facultatem Commissarii propugnabant. Per quæ satis intelligitur, non minus Commissario, quam Archiepiscopis, & Episcopis prædictam facultatem revocatam fuisse, & soli Pontifici reservatam.

19. Ex quibus concluditur, virtute Cruciatæ neminem posse Oratorium erigere, ut in eo approbato celebret, vel celebrari faciat, nec Commissarium Cruciatæ posse indultum concedere. Sed solius Summi Pontificis esse ejusmodi indulta impertiri. Quæ spero in dies non concedenda, nisi justis de causis per Ordinarium loci priùs examinandis, ut ni preces veritati nitantur, nulla sit concessio.

Aliter enim abusui aditum præcludere difficile censeo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm finito tempore, pro quo indultum Oratorii concessum fuit, liceat virtute Cruciatæ in eo celebrare, vel celebrari facere?

§. I.

Doctorum Placita.

1. QUæstionem hanc pauci attigere, & potiùs supponentes, quam disputantes Doctores communiter minimè licere putant. Nihilominus partem affirmativam, ut veram, nullo pro contraria auctore citato, defendit Thomas Hurtado ex Clericorum Minorum Familia *tom. 2. resol. moral. tract. 12. cap. 1. in digressione de virtute Bullæ, num. 2177. fol. mihi 472.* ubi inquirit: *An si Summus Pontifex, aut eius Nuntius concedat privilegium ad cerebrandum in Oratorio privato domus, si fuerit priùs examinatum de decenti ornatu, & approbatum; si moriatur persona, aut alio divertatur; maneat tamen Oratorium in eadem decentia, ac antea, possit quilibet Sacerdos habens Bullam Cruciatæ in illo celebrare, sine alia speciali licentia? *Ea in terminis casuum, cui post alia, circa Oratoria, respondet *à nu. 2243. §. 5.* per hæc verba: *In Oratorio sic semel approbato, semper inest approbatio & de illo dico, quod quamvis in domo, in qua situm est, habitent diversi moratores, quilibet potest, ratione Bullæ Cruciatæ celebrare, si sit Sacerdos; & si laicus, facere celebrare. Probatur primo. Quia licet privilegium habendi Oratorium privatum concedatur à Pontifice, & erigatur ab Ordinario, tanquam privilegium personale, &c. tamen approbatio semper manet, quæ primario respicit personam, cui concessum est privilegium, & secundario respicit locum approbatum, qui si maneat in eadem decentia, & non transeat ad prophana, semper manet dicatus divino cultui, ex vi prioris approbationis, & ita semper manet approbatum, nam approbatum semel, semper manet approbatum, manentibus circumstantiis, sub quibus approbatum fuit: *l. Pomponius, ff. de Negotiis gestis*; Glossa *cap. cum Virt. de elect. Verb. Admiserunt.* Sequitur Barbosa ibi *num. 3.* Surdus *consil. 351. n. 41.* & est axioma in jure communi. Quare solus Princeps potest reprobare, quod semel approbatur, quod si expressè non reprobet, censetur semper approbatum. *Hactenus Hurtado. Itaque juxtà præfatum Doctorem, cum in Bulla Cruciatæ concedatur absolutè, & absque limitatione celebrare, vel celebrari facere in Oratorio designato, & approbato ab Ordinario: & semper, ut ipse putat, maneat approbatum, dum in eadem maneat decentia, semper licebit virtute Bullæ Cruciatæ in eo celebrare, licet persona, cui privilegium Oratorii concessum fuit, mortua fuerit, vel domicilium mutaverit.

2. Hanc conclusionem, [illegible] ritate desumpta probat Hurtado, quia sicut [illegible] set approbatio Oratorii ab Ordinario, in ordine ad celebrandum, ita se habet approbatio Confessoris in ordine ad electionem pro absolutione reservatorum: eodem enim

tenore verborum loquitur Bulla in utroque casu. *atqui semel approbatus ad audiendas confessiones, quamvis mutet locum domicilii, & Diœcesis, manet semper eligibilis ab habente Bullam, &c. Consequenter ergo Oratorium semel approbatum potest eligi à quacumque persona habente Bullam, quamvis ad ipsius petitionem non approbatum, ut in illo celebret, vel faciat celebrare: quia privilegium celebrandi in Oratorio approbato sequitur personam habentem Bullam.* Sic ille.

3. Ideò hanc sententiam amplectitur, etiam Mastarennas *tom. 1. de Sacram. tract. 5. de sacrific. Missæ, disp. 5. cap. 5.* Ubi ex eisdem principiis illam suadere conatur: *Quod verò, inquit, possint sæculares clerici celebrare virtute Cruciatæ, patet. Quia supposita approbatione Oratorii facta ab Ordinario, concedit Pontifex in Cruciata facultatem celebrandi in illo Missam, quin aliquam apponat limitationem, ut tradit Diana p. 4 tract 4 resol. 76.* Trullench *in expositione Bullæ Cruciatæ. lib. 1. §. 3 dub. 4. n. 11.* Fr. Manuel Rodriguez *in Addit. ad Bullam Cruciatæ, §. 5. n. 4.* ergo cum Pontifex in Cruciata nullam apponat limitationem, sed solum requirat approbationem ab Ordinario factam, rectè requiritur, posse sæculares Clericos in tali Oratorio Missas celebrare. *Sic ille, supponens approbationem Oratorii permanere, etiamsi privilegium in illo celebrandi, (sive quia pro determinato tempore sit concessum, sive quia persona decesserit) finitum fuerit. Confirmatur, quia approbatio Oratorii est quasi sententia de loci decentia ad celebrandum, sicut approbatio Confessoris est quasi sententia de ejus sufficientia, & idoneitate ad confessiones audiendas, ut benè tradit Card. de Lugo tom. de pœnit. disp 21. num. 49. & sequentibus*: atque adeo sicut privilegium Cruciatæ sufficit ad eligendum confessarium approbatum, licet aliundè nullam habeat licentiam, seu jurisdictionem ad audiendas confessiones: sic privilegium Cruciatæ sufficiet ad celebrandum in quocumque Oratorio approbato ab Ordinario, licet nulla aliunde sit licentia celebrandi in illo, quia hæc conceditur habenti Bullam Cruciatæ, non minus quam illa; cum æquè, & eodem tenore verborum concedatur, ut dixit Hurtado suprà. Et urgetur, quia Sacerdos approbatus pro tempore determinato, potest etiam, eo transacto, eligi virtute Bullæ, ut docent Sebastianus de Acosta, & M. Petrus Fay, quos sequitur Diana 1. *p. tract. 11. de Bulla, resolut. 11.* ergo Oratorium transacto tempore præfixo. Hæc consequentia, admisso antecedenti, rem concludit.

4. Hanc sententiam videntur confirmare fundamenta, quibus Doctores alii propugnant, virtute Bullæ Cruciatæ posse celebrari in oratoriis privatis, etiam in diebus exceptis, quibus Summus Pontifex concedens indultum oratorii, id prohibet, v. g. in die Pentecostes, in Nativitate Domini, Epiphania, Ascensione, &c. ut constat ex illorum verbis. Doctissimus M. Barnabas Gallego *in explicati. Bullæ Cruciatæ, cap. 4. claus. 4. dub. 37. fol. 25.* Los senno res Obispos no podia licitamente prohibir à los Sacerdotes que tienen Bula, que no digan Missa en oratorios particulares la fiesta de Pentecostes, Natividad de nuestro Señor Jesu Christo, z otros que suelen exceptuar los privilegios Bulletos: ni tampoco a las personas que tienen B[illegible] que tales fiestas no oygan Missas en los oratorios dichos, visitados, ò sennalados por el mismo Ordinario. Y si a los unos, y a los otros se lo prohibieren, no tienen obligacion de obedecerles en concieotia, sino usar de lo que la Bula de la Cruzada les concede, lo qual como el Papa es quien lo concede, ninguno utro inferiora el puede prohibir que no se use, y se goze de lo en ella contenido, &c. Esta duda la tratan muy pocos Autores antiguos en propios terminos; y si se ponderan bien las palabras de la Bula, deben tener nuestra resolucion todos los Doctores, &c. Fr. Manuel Rodriguez toco esta resolucion *en las Adiciones à la Bula, §. 3. &c.* Tiene tambien nuestra resolucion en terminos propios Trullench *de Bulla, libr. 1. §. 3. dub. 4.* Luis de la Cruz *de bulla. disp. 1. cap. 5. dub. 1.* Bardi *de Bulla, tract. 1. cap. 6. dub. 2.* Diana *part. 4. tract. 4. resolut. 76* Quintanadoenas *tom. 1. tract. 7. Singular. 33.* *Hactenus M. Gallegio.

5. Eadem fere invenies, apud Ægidium Trullench ubi suprà *num. 1. & 2. ibi:* *Vigore indulti (nimirum concedentis oratorium) solum licet cum limitationibus, & conditionibus ibi contentis in oratorio celebrare, at supposita oratorii approbatione, & concessione, videtur concedere Pontifex per Bullam Cruciatam, ut possit in eo celebrari absque limitationibus supra dictis (ideest quocumque die anni illo excepto, ut cum Rodriguez, & Ludovico de la Cruz tenet ibidem, & constat ex ipsa Bulla Lateranensi eo quod talis licentia absolutè, & sine temporis, & personarum differentia, in Bulla concedatur. Sic etsi Parochus, ex vi suæ approbationis, solum possit suas oves absolvere, at suppositâ approbatione, is habente Bullam eligatur, potest alienas, non vigore suæ approbationis, (id est, jurisdictionis) sed quia suppositâ approbatione, Papa ex per Bullam jurisdictionem confert; sic in hoc casu, etsi nunc Oratorio approbato solum possit strictè, & limitatè celebrari, & audiri Missa virtute approbationis (ideest, oduiti Pontificis Oratorium concedentis) at suppositâ ea approbatione, per Bullam Papa de novo confert absolutè licentiam celebrandi, & audiendi Missam.*

6. Ægidii mutuatis verbis, idem tradit Diana 4. *tract. 4. resol. 76.* sic concludens: *Igitur, ut dictum est, licet in Oratoriis privatis approbatis ab Ordinario non possit celebrari, nisi cum limitationibus appositis à Pontifice in eorum licentiis, tamen supposita dicta approbatione, vigore dictæ licentiæ, poslit per Bullam Cruciatæ, absolutè in illis, quis celebrare potest, & Missam audire, quod est valdè notandum à confessariis.* Sic ibi: Quæ iterum repetit p. *tract. 1. de Oratoriis resol. 5.* Ubi refert, & sequitur Bardi ex eodem principio inferentem ex vi Bullæ, non solum unam, sed plures Missas à pluribus Sacerdotibus eadem die in Oratorio privato celebrari posse. Quia licet Breve Apostolicum, concedens Oratorium, limitet ad unam dumtaxat Missam, quælibet die (ex non exceptis) celebrandam, tamen ea non tollit, quin per aliud privilegium, quale est privilegium Bullæ Cruciatæ, in quo non reperiatur ea restrictio, possint plures eadem die Missæ celebrari. * Cui quoad utramque partem assentitur Quintanadoennas ubi suprà citatus à M. Gallego, dicens: *Licet ex virtute indulti à Papa, vel Nuntio concessi in privato Oratorio unica solum Missa quotidie dici queat, & nec unica diebus exceptis Pascha tis Resurrectionis, &c. nec à Regulari, sine sui Prælati licentia; omnia hæc ex Cruciata licent, eo ipso, quod supponatur Oratorii privilegium à Papa, vel ejus Nuntio concessum, & ab Ordinario approbatum: hoc enim non prohibetur in Cruciata, Sic Rodriguez, Henriquez, & Trullench.* *Quibus non contentis adhæret Dicastillo *tom. de Sacram. tract. 5. de sacrificio Missæ*

Missæ, disp. 5. dub. 4. n. 59. ubi ait: *Qui habet privilegium à Papa, ut contingit in Bulla Cruciata, etiam in diebus, qui excipi solent in concessionibus Oratoriorum, ut sunt dies Paschæ, Pentecostes, &c. licebit celebrare, & audire sacrum. *Sic ille, & est ferè communis sententia Doctorum.

7. Ex quibus pro Hurtado, & Mascarenhas instauratur argumentum. In concessione Oratorii ad celebrandum, non minus excluduntur dies ibi expressi, quam tempus subsequens mortem personæ, cui facta est concessio: sed quia in Bulla conceditur facultas celebrandi in Oratorio approbato ab Ordinario, licitum est in illo celebrare, etiam in diebus expressè exceptis: ergo licitum etiam erit in tempore subsequenti mortem personæ, cui concessum est.

8. Hæc sunt fundamenta, quibus Doctores citati nituntur, & quibus alii etiam doctissimi à me consulti hanc sententiam probabilem putarunt. Ex quibus infertur videtur, absque nova Ordinarii approbatione, licitum esse virtute Bullæ Cruciatæ, in loco pro Oratorio semel approbato celebrare, etiamsi ornatus, sub quo antea fuerat approbatus, defecerit: dummodo, qui denovo inducitur, & pro alio subrogatur, fuerit alibi ab Ordinario decens judicatus ad celebrandum. Nam cum locus, & altare ad usus prophanos non transierint, semper manent cum eadem approbatione, & designatione ad divinum cultum: reliqua verò paramenta, & ornatus de novo subrogata, cum alteri Oratorio ad ornatum inservierint &, ut decentia approbata fuerint, sufficientem approbationem retinent. Sic tenent expressè P. Quintana dvennas *tom. 1. tract. 7. singul. 32. n. 4.* & viri alii exprimis hujus sæculi, quos consului.

§. II.

Vera sententia.

9. Contrariam nihilominus sententiam communem inter Doctores propugno, quam adeò certam omnes judicarunt, ut in disputationem adducere neglexerint. Probatur primo ex communi fidelium praxi, qui finito tempore concessionis, seu mortua persona, cui licentia Oratorii facta fuit, aut novam requirunt, aut Oratoriis locum ad prophanos usus destinant, & eo in posterum ad celebrandum uti non audent.

10. Secundo probatur à priori, quia ut fatetur Hurtado suprà, Princeps potest reprobare, quod semel approbavit, ut constat *ex l. sed & reprobar. ff. de muneri. & honorib.* Sed Pontifex reprobat Oratorium finito tempore concessionis; quia solum approbat pro vita personæ, cui indultum concedit, ergo hoc tempore transacto, nequit virtute Cruciatæ in illo celebrari. Confirmatur, quia Bulla requirit, quòd Oratorium maneat deputatum, & designatum ad cultum divinum; atqui Pontifex, & ex ejus mandato Ordinarius, solum deputat, & designat pro tempore indulti, ergo eo elapso, nequit virtute Bullæ in eo celebrari.

11. Tertio probatur, paritate desumpta ab approbatione confessarii, cui præcipuè innititur contraria sententia. Nam approbatus ad confessiones cum limitatione ad tempus, non potest, eo transacto, confessiones excipere, ex defectu approbationis, ut docet communis sententia, quam tenent Suarez *in 3 p. tom. 4. disp. 28. sect. 7. n. 19.* Vazquez ibidem *quæst. 93. art. 3. dub. 5. n. 4.* Navarrus *in Sum. cap. 4. nu.* 10. & 11. Et Diana 3. *p. tract. 2. de Dubiis Regul. resol.* 25. Unde fit approbatum ad confessiones pro uno anno, eo elapso, non posse eligi virtute Cruciatæ, ut benè docent M. Ludesma, M. Nunno, Henriquez, Joannes Gutierrez, Ludovicus de la Cruz, & alii, quos citatos sequitur M. Barnabas Gallego *in Bulla, cap. 9. claus. 9. dub. 91. folio 76.* eo quod Bulla solum concedit facultatem eligendi approbatum. Ergo cum Pontifex solum concedat facultatem approbandi Oratorium pro tempore limitato, eo transacto, virtute Cruciatæ in eo celebrari nequibit. Consequentia est legitima. Quod autem ita approbetur, evidentissimum mihi est, quia Pontifex non magis extendit approbationem, quàm licentiam celebrandi, ut ex ejus tenore constat, nec aliam esse ejus voluntatem, potest verosimiliter præsumi: alias quodlibet Oratorium semel ex causa nobilitatis, & infirmitatis concessum, perpetuitatem quandam ratione Bullæ Cruciatæ sortiretur, quo ignobiles, & vilissimi quique pro libito, nulla requisita licentia, uti liberè possent, & brevi tempore, vilium etiam personarum domus in Ecclesias converterentur, non levi Christianæ Religionis, & divini cultus jactura. Quod juxtà Pontificis mentem esse, nunquam mihi suadere potero.

12. Ex his ad fundamenta contrariæ sententiæ respondeo. Ad primum falso niti principio, quia elapso tempore in indulto Pontificis expresso, non manet approbatum Oratorium, atque adeò virtute Bullæ solum est eligibile ad celebrandum intra tempus præfixum.

13. Ad secundum, concedo approbationem oratorii in ordine ad celebrandum eodem modo se habere, ac approbationem confessarii in ordene ad confessiones. Inde verò nil pro adversariis infertur, quia utraque potest esse pro tempore limitato, & talis de facto est, quæ in indulto oratorii conceditur.

14. Ad tertium, de facultate celebrandi virtute Bullæ in oratorio, in diebus in indulto exceptis; respondeo, pro his non limitari approbationem, alias novam posteà accederet, necessarium esset, sed solam licentiam celebrandi in tali oratorio approbato; ac proinde, diebus etiam in indulto exceptis, licitum esse virtute Cruciatæ celebrare, vel celebrari facere; nam cum approbatum maneat pro tempore præfixo, nempè ad vitam ejus, cui concessum est, toto eo manet eligibile virtute Bullæ: sicut confessarius ad annum approbatus, & habens licentiam limitatam confessiones audiendi, & absolvendi ab omnibus peccatis (exceptis reservatis) est etiam quoad hæc virtute Cruciatæ, toto eo anno eligibilis, quia toto eo durat approbatio. Facultas autem omnibus diebus celebrandi, conceditur in Bulla Cruciatæ, ut constat ex illa clausula: *Puedan aun en tiempo de entrevicho Apostolico, ò Ordinario, oir Missa en las Iglesias, Monasterios, ò oratorio particular, sennalado, y visitado por el Ordinario, ò dezir Missa, ò hazerla celebrar a otros en su presencia, y de sus familiares, y parientes. *Verba enim illa Bullæ Cruciatæ: *Puedan aun en tiempo de entredicho, *hunc sensum habent: concedimus, ut in tempore prohibito, etiam ratione indulti Apostolici, possint in oratorio approbato celebrare, vel celebrari facere; atque adeò absque limitatione ulla, omnibus anni diebus: sicut & verba illa de electione confessarii approbati. *El qual los pueda absolver de qualesquier pecados, aunque sean de los reservados a la Sede Apostolica, (hunc sensum reddunt: qui possit ab sol-

absolvere à reservatis cuicumque superiori, imò & à reservatis Pontifici; quia vim hanc continet particula *etiam*, in utraque clausula posita: *Etiam tempore interdicti: etiam Sedi Apostolicæ reservatis.* Ut cum Manuel Rodriguez, docet M. Gallego *in Bulla, cap. 4. claus. 4. dub. 37.* dicens: *Si se ponderan bien las palabras de la concession de la Bula, deben tener nuestra resolucion todos los Doctores. *Sic ille, & merito, quia ut pluribus citatis, ait Barbosa. *Implicativa est hæc dicto *etiam*, & exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem. *Sic ille, & omnes. Ergo ex eo quod virtute Bullæ liceat celebrare in oratorio, etiam diebus in indulto exceptis, non deducitur, elapso tempore concessionis, similiter licere.

15. Ex quibus concluditur, privilegium oratorii omnino exspirare cum persona, cui fuit concessum, & ideo nec virtute Bullæ posse in eo ulterius celebrari, sed novam concessionem desiderari. Adnotare verò non omittam, perdoctum M. Barnabam Gallego ubi suprà *fol.* 24 supponere expressam contineri in Bulla Cruciatæ exceptionem celebrandi in die Resurrectionis in oratorio; sed apertam æquivocationem patitur, quia Bulla solùm excipit hunc diem ad recipiendam Eucharistiam, ad implendum præceptum annuæ communionis: si verò anteà præcepto quis satisfecerit, vel proponat posteà satisfacere, nulli prohibetur ibi celebrare, si sacerdos; vel celebrari facere virtute Bullæ, si laicus sit. Et ita docent communiter Doctores.

16. Denique est adnotandum, non esse audiendum Pellizarium *in Man. Regul. tom. 2. tr. 8. cap. 2 sect. 2. n. 153.* asserentem, concessionem oratorii transire quandoque ad hæredes personæ, cui concessum est: *Si concessio, inquit, fiat his verbis: *Ac de ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, &c.* puto, talem concessionem durare, usque dum legitimè revocetur. Nec obstat, quod concessio ista est personalis, atque adeò debet cessare per mortem ejus, cui facta est, &c. Nam benè hoc limitatur à Palào *tract. 3. disp. 4. punct. 2. §. 1. num. 4* nisi in privilegii concessione addantur verba, quæ perpetuitatem, ac transmissionem privilegii ad posteros denotent, &c. Quæ limitatio videtur procedere in casu nostro, stante quod concessio oratorii sit ad arbitrium Ordinarii; quod potest durare post mortem illius, cui fit concessio, eoque durante durat concessio, ac proinde censeri debet, transmitti ad alios. *Hæc ille,

17. Verùm levi motus fundamento, nam cum pro vita personæ, cui fit concessio, possit limitationem admittere, ita ut si Ordinario videatur, cesset oratorium, etiam durante vita talis personæ, non est cur clausula extensionem facultatis, & non potius limitationem continere dicatur. Nec credibile est, Pontifices, qui oratoria minuere, & licentias concedendi Nuntiis Apostolicis, & Episcopis revocarunt, intendisse, illis concedere facultatem perpetuandi oratoria semel concessa, & concessionem, quam temporalem oratores petunt, Pontificis voluisse reddere perpetuam, si Ordinarius non revocet. Indè enim fieret, cum in forma consueta indultorum omnium, clausula illa veniat inserta, & oratoria semel approbata nunquam ab Oratorio reprobentur, omnia fore perpetua; quod incredibile prorsus est, & mihi improbabile.

18. Ex dictis rejicienda etiam venit opinio M. Soti *in 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 3.* asserentis, si absit contemptus, & scandalum, non esse mortale, etiam absque necessitate, dicere Missas extra Ecclesiam, Sic tradit suprà §. *Circa hoc*, ubi inquiens: *Utrùm celebrare in locis non consecratis, & benedictis, nempè extra Ecclesiam, sine Papæ, vel Episcopi facultate, sit peccatum mortale? *Sic sanctia Episcopi, etiam citra necessitatem, licitum esse. Item ex necessitate, etiam sine licentia Episcopi, & ita tenet Sylvester, *verb. Missa 2. §. 5.* quamvis licentia haberi possit, condecet, ut petatur. Quinimo non opus est magna necessitas, ut peccatum mortale excusetur, &c. Imò verò attende lector) ubi nullum est contemptus, vel scandalum, vix arbitror, posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam. * Sic ille. Cujus sententiam absurdam putat Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 81. sect. 3.* & cæteri communiter Doctores, Navarr. *cap. 23. n. 32.* & alii, quos citatos sequitur Diana *2. part. tract. 14. resol. 58.* & Leander *tom. 2 tract. 8. disp. 7 q. 15.* militatem contra præceptum Ecclesiasticum obligans sub mortali, ut Missa non celebretur extra Ecclesiam, vel oratorium ad divinum cultum dicatum, & ab Ordinario designatum. Quod *capit. Nullus* præcipitur sub commination depositionis: & *cap. sicut, de consec. dist. 2.* urgentissima necessitas exigitur; dicituremus non licere extra Ecclesiam celebrare, *nisi summa urgeat necessitas.* Cum autem materia gravissima sit, non est undè violatio præcepti à mortali excusari queat. Alias quilibet absque ullo privilegio, posset absque lethali in sua privata domo celebrare, vel celebrari facere: quod falsissimum, & valdè absurdum est. Imò cum Sotus asserat, ex necessitate hoc licitum esse, non venialiter peccaret, qui celebrari faceret, si propter infirmitatem domo exire non posset, quia ad excusandum à veniali major necessitas non videtur necessaria. Quod si semel concedatur, aut fruitra, aut ad tollendos tantum scrupulos, oratorium illud obtineretur, cum Pontifex pro hoc tantum casu, ut in plurimum illud concedat.

QVÆSTIO III.

Utrùm Regulares possint, in oratorio non approbato ab Ordinario, vel in altari portatili, in domibus privatis sæcularium, virtute suorum privilegiorum celebrare?

1. NOtissimum est privilegium Regularium ab Honorio III. indultum, quod habetur *cap. in his. de Privilegiis* Ubi sic eis conceditur: *Cum tribus Prædicatoribus, & Minoribus duximus concedendum, ut ubicumque fuerint, sine Parochialis juris præjudicio (nimirum quoad exactionem decimarum, & primitiarum) cum altari valeant manere, celebrare. *Idem privilegium concessit Paulus III. Societati Jesu, anno 1549. in Bulla, quæ incipit: *Licet debitum Pastoralis officii*, ibi: *Liceatque Præpositis, & de eorum facultate, universis fratribus, & sociis Societatis hujusmodi, in præsbyteratus ordine constitutis, in locis in quibus degunt, & eorum pro tempore morari contigerit, habere oratoria, & in eis, ac quocumque alio honesto

g

& congruenti loco, in altari portatili celebrare.* His positis.

2. Disputant Doctores, an præfatis privilegiis derogatum sit per Tridentinum ? Multi absolutè affirmant; plures tamen probabilius negant, asserentes, vim suam modo retinere, dummodo Episcopi celebrare non prohibeant, quibus lubens assentior: Quæ ex Tridentino nil aliud contra illa deducitur, ut ex dicendis constabit.

3. Hanc sententiam tradit M. Petrus de Ledesma *in Sum. 3. part. de Euchar. cap. 20. diffic. 4. post 2. conclus.* Ubi scribit: *En esta dificultad se ha de suponer, q̃ay privilegio para los Religiosos Predicatores, y para los de la Orden de san Francisco, (quibus alii Ordines per communicationem perfruuntur) que puedan dezir Missa fuera de la Iglesia en lugar honesto, y decẽte. Este privilegio refiere la Suma Angelica, y se haze mencio dèl en el derecho. Estosupuesto como cosa cierta, digo, que antes que el Obispo mande a los tales Religiosos, que no celebren fuera de la Iglesia, no pierden el tal privilegio, sino que pueden muy bien usar del; porque el Concilio Tridentino tam solamente manda a los Obispos, que no permitan, &c. Luego antes que lo prohiba el Obispo, pueden muy bien dezir Missa fuera de la Iglesia.*

4. Cum Ledesma sentit M. Ludovicus Lopez *2. 2. p. instruct. cap. 79. §. Caterum accessorium.* Ubi sic scribit. *Nihilominus tamen dicendum videtur, quod licet decretum Tridentini prædicto privilegio videatur derogare: tamen hoc est certum, quod antequam hoc Episcopus prædictis Religiosis prohibeat, mandans, aut statuens, ne celebrent extra Ecclesiam, non amittunt hoc privilegium; quia Concilium non annullat, antequam mandet Episcopus.* *Hæc M. Lopez.

5. Pro eadem militat M. Joannes de la Cruz *in Epit. lib. 1. de Privil. circa Euchar. cap. 5. dub. 7. conclus. 4.* Ubi ait: *Religiosi ubique, etiam in privatis domibus sæcularium, possunt Missas celebrare. Ita concessit Minoribus Sixtus Quartus, &c. Si objicias decretum Trident. ad hoc dico, quod Concilium aliquo modo revocatista privilegia. Licet enim Religiosi antequam ab Episcopo moneantur, possint uti prædictis privilegiis, non tamen post monitionem, quia in Concilio sic dicitur: Non patiantur Episcopi, quod Sacerdotes, etiam Regulares, in domibus privatis, & omnò extrà Ecclesiam, vel oratoria, &c. celebrent.* Ergo dùm Episcopi illud non vetant, poterunt Religiosi ibi celebrare: secus tamen erit post prohibitionem.* Sic M. Cruz.

6. Quibus adde Man. Rodriguez *tom. 1. Quæst. Regul. quæst. 43. art. 3. & 5.* Portell. *de Dubiis Regul. tom. 1. verb. Altare, num. 1.* Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 8. difficul. 33. num. 7.* Ludovic. de S. Juan *de Sacrament. Eucharist. quæst. 12. artic. 3. dub. 2. append. 1.* Cardinal. de Lugo *de Eucharist disput. 20. sect. 2. numer. 51.* Ubi addit: *Et ita senserunt Patres Dominicani doctissimi Salmanticæ consulti, & P. Joannes de Salas, & alii recentiores.* *Ita etiam tradit Diana *part. 6. tract. 8 resol. 39.* & plures apud illum. Quibus consentit Dicastillo *de Sacrament tract. 5 de sacrif Missæ, disput. 4 dub. 5 num. 104.* dicens: *Tridentinum non tollit privilegium, sed facultatem dat Episcopis prohibendi Regulatibus, ne celebrent extra Ecclesiam.*

7. Et post omnes, id magis explicans Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 12. cap. 1 num. 2221. & 2225.* Ubi sic: *Duplex est privilegiorum genus: primum, quo conceditur Regulatibus, ut etiam in Cameris sæcularium, in altari portatili, in loco decenti, & honesto, possint celebrare. Quæ privilegia confirmavit Honorius III. *cap. hìs, de privilegiis.* Et concessit iterum Paulus III. Patribus Societatis, anno 1549. Ethæc mihi videtur certius non esse derogata, sed eis non posse uti Regulares, si Episcopi contradicant. Quare sicut anteà inconsulto Episcopo id poterant, ita hodie ignorante Episcopo, seclùso scandalo. Ita Portel. Ledesma, Joannes de la Cruz, Marchinus, Rodriguez, Villalobos.* *Hæc Hurrado: cujus sententia, tàm à ratione, quam ab auctoritate valdè probabilis est.

8. Addunt alii, etiam prohibente Episcopo, posse Regulares modo, in altari portatili, ubique celebrare; eo quod à Pio V. revocatum fuerit præfatum Tridentini decretum. Sic refert, non reprobans M. Ludovicus Lopez ubi suprà, dicens: *Aliquibus peritis visum est, quod si post Bullam Pii V. de nova concessione privilegiorum, id statuant Episcopi, non ligant Mendicantes, quia ablata est eis potestas ligandi Mendicantes, non obstante Concilio Tridentino. Sed quia Gregorius XIII. Regulares omnes, etiam Mendicantes, dispositioni sacri Concilii Tridentini reducit; propterea, quod Episcopi modò, ut delegati Papæ, non possint statuere, quod Regulares non celebrent extra Ecclesiam; non est certum, nisi de novo id privilegium, non obstante hac sessione Concilii Tridentini, fuerit concessum; de quo mihi non constat.* *Hæc M. Lopez, qui satis innuit, contrarium esse probabile; dum contentus est dicere, hoc non esse certum.

9. Quod à fortiori sustinere debent, qui asserunt; præfatam Gregorii XIII. Bullam non fuisse promulgatam, neque intimatam. Navarrus *in Manual. cap. 27.* Manuel Rodriguez *in Addit. ad Sum. tom. 4 cap. 105.* & alii apud Henriquez *libr. 7 de Indulgent. cap. 24. nu. 8. in fine.* Quapropter Mag. Antonius de Hinojosa ex doctissimo Prædicatorum Ordine *in direct. decision. Regul. verb. Confirm. à fol. 121.* pluribus suadere contendit, Regularium privilegia eandem modo vim habere, ac ante Tridentinum: Verba ejus sunt.* Idem Pius V. motu proprio, anno 1570. die 18. Januarii, de novo concessit Ordini Prædicatorum omnia privilegia à suis prædecessoribus indulta; & voluit illa pro expressis haberi, non obstantibus aliis quibuscumque Apostolicis, ne non Provincialibus, vel Generalibus constitutionibus, &c. Ex quibus constat, nos reductos ad pristinum statum, quo ante Concilium Tridentinum privilegiis nostris in amplissima concessione potiebamur. Quia de novo conceduntur, non obstantibus constitutionibus generalibus, vel specialibus Apostolicis.* *Hæc Hinojosa.

10. Propter hæc forsan Mag. Serra *in 3. part. quæst. 83. art. 3.* asserit prædictum privilegium celebrandi extra Ecclesiam in Cameris sæcularium, vel in alio loco decenti; concessum esse aliquibus Religionibus post Tridentinũ, quo proindè reliquæ per communicationem frui poterunt. Quod an verùm sit? aliis judicandũ relinquo. Ego enim, dùm tale privilegium non ostendatur, suffragium non feram, quia apud nullam Religionem est in usu, nec facilè credam, ullum Regularem ausum fuisse, contradicente Episcopo, illo uti.

11. Quod verò possint Regulares in grangiis suis, & in cellis particularibus, in altari portatili, celebrare, etiamsi Episcopus contradicat; minus difficilè est. Et probabile putat Lezana *tom. 3. Quæst. Regul. verb. Altare, num. 14.* & ante illum M. Joannes de la

la Cruz, ubi suprà *lib. 2. capit. 5. dub 7. concl. 2.* Ubi ad locum Concilii respondet: *Dico, quod ibi tantum interdicitur, quod in domibus privatis non erigantur oratoria, &c. Secus in grangiis Monasteriorum, ut patet ex contextu, &c. Oratoria enim, & altaria portatilia in grangiis, & infirmariis Religiosorum ab istis erecta, non censentur esse omninò extra Ecclesiam, quia secundum Doctores communiter, nomine Ecclesiæ, Monasteria intelliguntur: *Sic ille, & idem sentiunt Peyrinus, & Rodriguez apud Lezanam suprà. Qui non solùm de infirmariis, sed de cellis etiam Religiosorum idem affirmat, dum morbo gravati non possint inde exire, ut sacrum audiant. Eo quod ejusmodi loca non sunt privatæ, & profanæ domus, sed decentia, & honesta. Quibus adde perdoctum Thom. Hurtado *tom. 2. resol. Moral tract. 12. cap. 1. num. 1222. fol. 480.* ubi asserit, concessum fuisse à Gregorio XIII. & ab Alexand. VI. in Bullis editis, ut regulares possint in propriis Grangiis, & domibus ruralibus, & in Monasteriis, in cubiculis particularibus infirmorum, erigere oratoria, ut etiam è lecto possint audire sacra, & communicare. *Quod inquit, certissimum est, non esse derogatum per Tridentinum. *Pro quo adducit Compend. Minorum, & Societatis, Rodriguez, Villalobos, Marchinum Ludovicum de S. Juan, & alios.

12. Addit Pasqualigus, Regulares virtute hujus privilegii à Gregorio XIII. post Tridentinum concessi, posse (Episcopo etiam contradicente) si infirmi sint, extra Ecclesiam celebrari facere in domibus sæcularium in suis cubiculis. Sic tradit *decision* 177. Et quamvis Hieronymus Garcia, & alii existiment, hoc privilegium non esse in usu, id parum refert, quia hujusmodi privilegia per non usum non deperdi, est doctissimorum sententia, quos citavi *opusc. pro Iesuitis, tract. de Iejun. prop. 7. num. 8. & 9.* Præterquam quod, ut ait M. Joann. dela Cruz *in Epitom. lib. 2. capit. 5. dub 2. conclus. 2.* *Privilegia etiam per non usum revocata, jam sunt per Paulum V. revalidata. *Ergo virtute prædicti privilegii de novo concessi post Tridentinum, poterunt Regulares infirmi extra claustra in domibus sæcularium facere celebrari, nec Episcopi poterunt id prohibere, etsi prohibeant, non ligabunt.

13. Ad hæc facit privilegium aliud Pii IV. qui post Concilium Tridentinum die 18. Maii, anno 1561. concessit Canonicis Regularibus sanctæ Salvatoris Lateranensis, ut possint erigere altaria in locis, seu cellis, ubi infirmi decumbunt, ut è lecto Missam audire possint. Quo Regulares alii per communicationem privilegiorum gaudent. Hujus privilegii tenorem vide apud P. Henao *in tom. de scientia moral. fol. 445.* & apud Pasqualigum *quæst. 471. de Sacram. nova legis, num. 7.* Propterea.

14. Hæc sententia probabilis est, & ad praxim sine scrupulo reduci potest. Addo Gregorium XIII. in Bulla, quæ incipit: *Dilecte fili*, anno 1579. die 1. Octobris concessisse etiam usum altaris portatilis ad Missiones Patrum Societatis, cujus suprà mentionem fecimus, & est tenoris sequentis: *Usum altaris viatici Societati vestræ à Paulo III. concessum, deinde à Concilio Tridentino universe sublatum, restituimus, ut inter Missiones, quæ à superioribus fiunt, presbyteri vestri, servata alias forma prædictæ concessionis, Missæ sacrificium licitè valeant celebrare super hujusmodi altare, ubique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia, & profana, tuta, & honesta sint, & Generalis, aut per eum Provinciales Præpositi eo utendum fore, judicaverint. *Sic ibi.

15. Ex dictis constat, Patrem Mascarenhasium *de Sacram. tract. 5. de sacrificio Missæ. disp. 5. cap. 5.* (à nescio quodam sugillatum) parum indulsisse Regularibus, dum asseruit, virtute suorum privilegiorum posse celebrare in oratorio erecto ex licentia Pontificis, cum approbatione Ordinarii, etiam eâdem tempore præfixo, (quod virtute Cruciatæ fieri posse docent plures citati quæstione præcedenti) cum illis concedere potuisset, tot Doctorum patrocinio munitus? posse absque nova licentia, & absque ulla Ordinarii approbatione erigere altare, & non contradicente Episcopo, in eo celebrare, & secundum plures, quandoque, ut vidimus, etiamsi contradiceret. Recole superius dicta.

TRAC

TRACTATUS TERTIUS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.
DISPVTATIO PRIMA
De integritate confessionis.

QVÆSTIO PRIMA.

In quo consistat confessionis integritas, & quæ causæ ab illa excusent?

1. SUppono ex Tridentino *sess. 14. cap. 5. & Canon. 7.* quemlibet teneri jure Divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoriæ occurrant. Qui *verò*, ait concilium, *secus faciunt, & scienter aliqua reticent, nil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Ex quibus omnes Theologi tanquam dogmatis fidei defenduntˌ illicitam, & sacrilegam esse confessionem, in qua pœnitens, absque legitima causa, scienter tacet in confessione peccatum aliquod mortale. Verùm cum aliquæ sint justæ causæ excusantes ab integritate confessionis, ad majorem hujus materiæ claritatem, duplicem integritatem in Sacramento confessionis, ex communi sententia, distinguere possumus, unam formalem, alteram materialem: Materialis est illa, in qua absolutè, & simpliciter omnia lethalia, quæ ab ultima confessione commissit, vel in ea oblita, quis confiteturˌ formalis verò integritas in eo stat, quod confiteatur omnia mortalia, quæ hîc, & nunc in hac confessione manifestare tenetur; cui non obstat relinquere aliqua per oblivionem, aut quæ ob aliquam justam causam tacere potest. Tenemur igitur ex præcepto Divino, confessionem formaliter integram efficere, nõ verò materialiter, existente legitima causa excusationis, ut docent omnes Theologi.

2. Jam quæ sint justè causæ ab integritate confessionis excusantes, passim apud Doctores reperies; & ex dicendis in hac, & sequentibus disputationibus clarè percipies: Nunc verò breviter dico ex communi Theologorum sententia plures esse; quarum aliæ ex parte confessoris, aliæ ex parte pœnitentis, aliæ ex parte proximorum desumendæ sunt. Quoties enim singulis eorum divisim, vel omnibus simul, aliquod damnum grave, sive temporale, sive spirituale timetur, & pœnitens nullum habet confessarium, cui integrè, & sine periculo talis damni confiteatur, tacere poterit peccatum, in quo tale periculum timetur, cum proposito tamen confitendi cessante causa. Ratio omnium est, quia præceptum divinum de integritate confessionis, non obligat cum gravissimo nocumento proprio, vel alieno. Tum quia hoc præceptum sic ab universa Ecclesia fuit semper intellectum; tùm quia præceptum divinum naturale charitatis fortius, & antiquius est: Ergo si unum cum alio concurrat, & utrumque servari nequeat, servandum est præceptum charitatis, ni alia detur rationabilis causa ab obligatione charitatis excusans, ut agentes de circunstantia manifestativa complicis ex professo examinabimus.

3. Ex his infertur primo; fœminam probabiliter timentem à confessario sollicitandam in confessione, aut extra illam, occasione confessionis, aut ab illo infamandam, aut futuram confessario gravem occasionem peccandi, si hoc, vel illud peccatum confiteatur, posse tacere in confessione tale peccatum cum proposito alteri confitendi, cum opportunitatem confessoris habuerit. Ita Pater Suarez *de Pœnitent. disput. 23. sect. 2. num. 1.* Toletus *lib. 3. Sum cap 3. num 4.* Et Henriquez *lib. 2. de Pœnitent. cap 12. num 5.* Secundo excusatur ab integritate materiali confessarius, qui alteri Sacerdoti confitetur, & probabiliter judicat, si ei declararet certum aliquod peccatum, aut circunstantiam, quam per confessionem scivit, statim venturum in notitiam peccatoris, quem in confessione audiverat, Ratio est, quia major est obligatio sigilli, quàm integritatis confessionis. Ita P. Suarez *disp. 34. sect. 2. num. 14.* Henriq. *lib. 2. de Pœnit. cap. 12. num. 7.* & alii apud ipsos.

4. Tertiò excusat impotentia physica pœnitentis, ut si, incepta confessione, vocem, aut sensum amittit. Sic Henriq. *lib. 2. de Pœnit. cap. 12.* Victoria *in relect. de Pœnitent. §. 151.* & plures alii. Quarto excusat necessitas aliqua urgens, ut in procella, vel prælio, vel tempore pestis; tunc enim sufficeret, quod multos alta voce unum peccatum, quod maluerint, confitentes simul absolvat Sacerdos, dicens: *Ego vos absolvo à peccatis vestris.* Ita Medin. Angel. Henriquez, Coninch, & alii, quos refert, & sequitur Diana *2. part. tract. 2. Miscellan. resol. 43.* & sequuntur Vasquez, Villalobos, Lugo, & alii, quibus subscribit Leander *hic disp. 5. q. 34.*

5. Quintò excusat ab integritate materiali probabilis timor, quod infirmus, sine absolutione discedat. Tunc enim audito uno peccato, debet confessarius absolvere, ut sic postea de cæteris, quantum infirmitas permiserit, ut benè P. Henriq. cum aliis *suprà.* Sextò excusatur ab integritate confessionis, qui, occurrente necessitate communicandi, quam non potest omittere absque nota, & scandalo, habet confessionem adeò prolixam, ut perfici non possit, & aliundè de sua contritione prudenter dubitat: quapropter non audet, sola contritione præmissa, communicare. Ita P. Granad. *in 3. part. controv. 7. disp. 5. sect. 3. num. 20.* Prædictæ causæ, & aliæ similes cuivis facilè obviæ ab integritate materiali confessionis excusant. Omnes enim minutim recensere, nimis molestum foret.

6. Non tamen omittam adnotare singularem opinionem M. Joannis Viguerii *in Sum. cap. 16. §. 4. vers. 17.* asserentis habentem plura lethalia, si causam habeat tacendi aliquod in confessione, posse urgente necessitate, communicare contritum, nullius confessione præmissa. Verùm contrarium est certum apud Theologos, quia nil est, quod ab aliorum confessione excuset. Ideoque hanc opinionem prorsus falsam censeo.

7. Ex dictis infero, omninò rejiciendum M. Soto *in 4. dist. 18. art. 5. §. Occurrit.* asserentem præceptum de integritate materiali confessionis strictius obligare, quàm præceptum de sigillo, atque adeò Sacerdotem, non solùm posse, sed teneri violare confessionis sigillum, quando necessarium fuerit, ne integritati materiali confessionis deficiat. Verba eius sunt. * Occurrit hic dubium nullatenus dissimulandum. Utrùm unam confessionem liceat revelare in alia? Exempli gratia, Sacerdos accessit ad sororem ignorantia vincibili, & probabili, ignorans esse sororem, & postea ipsa confitetur fratri se esse illam ad quam accesserat. Et Sacerdos non potest confiteri, nisi alii, qui scit unicam illi esse sororem: Utrùm debeat confiteri illi circunstantiam incestus, &c. Profecto res est dubia, & videtur veritas in hanc partem inclinare, quod non debeat illam circunstantiam confiteri, quia strictius est vinculum secreti confessionis, quam integræ faciendæ confessionis. Sic ajunt Scotus, Paludanus, Adrianus, & alii. Attamen ratio certè non usque adeo convincit, quia nescio, cur sit arctius vinculum servandi sigillum, quam integrè confitendi, quandoquidem obligatio sigilli ex obligatione confessionis emergat, &c. Revera utraque opinio est probabilis, & fortasse hæc probabilior, quod debeat confiteri. * Hæc Sotus. Sed miror virum doctum, tàm levi fundamento, in tam singularem opinionem delapsum esse, quando tot sunt ad excusandum ab integritate materiali confessionis causæ à Theologis omnibus approbatæ, & nulla harum usque ab ullo in casu revelandam confessionem. Et quidem, si aliqua excusare potest ab integritate, cur non & ista? Ego sanè etsi nullam excusantem adhiterem, hanc unam exciperem, quia præceptum confessionis ad solam integritatem formalem obligare, sanctum apud omnes est; sigillum verò confessionis, nec pro totius mundi salute, nec pro inferno toto expiando violari posse, & ex nullo fine honestabile esse, sicut nec odium Dei, est apud omnes Theologos inconcussum. Quapropter sententiam Soti improbabilem esse, jure inquit Thomas Hurtado *tom. 2. resol. mor. tract. 6. cap. 11. resol. 27. num. 131.*

8. Omitto, quod licet integritas materialis confessionis sub præcepto omninò indispensabili caderet, & strictius, quàm sigillum obligaret, utrumque in casu M. Soti observari posset, nempè se accusando de copula cum persona vincibiliter sibi ignota. His enim verbis tota malitia illius actus exprimitur ex se expositus incestui, sacrilegio, & adulterio. Unde inferes, quod si de solo incestu cum sorore per confessionem noto se accusaret (ut contendit Sotus) inexplicata maneret malitia illius actus, ideoque & sigillum confessionis violaret, & integritati confessionis deficeret; ni fortè sola species incestus in mentem venisset, & de hac solum dubia conscientia præcessisset. In hoc autem eventu sufficeret se accusare de copula, ignorantia vincibili, an consanguinitate, vel affinitate in gradu prohibito, esset sibi persona conjuncta, juxtà doctrinam Divi Thomæ, & discipulorum infrà tradendam *dub. 3. quæst. 3. cap. 2.* quæ omnes gradus incestus ejusdem speciei, constanter defendit. Cui Sotus ipse non dissentit, ut constat ex verbis *ibidem num. 21.* subrendis.

QVÆSTIO II.

An satisfaceret integritati confessionis, qui unum individuum physicum peccati pro alio subrogaret?

1. CAsus curiosus est, & apud neminem, quem viderim exagitatus. Habuit quis, verbi gratia, pollutionem, vel sodomiam cum puero, & satisfaciet ne confessionis præcepto (etsi levi alicui mendacio) confiteatur habuisse cum fœmina? Siquidem circunstantia maris, vel fœminæ in peccatis contra naturam, nec mutat speciem secundum quosdam, nec notabiliter aggravat, sed æquè grave peccatum est, ut nonnulli existimant. Similiter habuit quis rem cum Maria, satisfaciet ne, si dicat, habuisse eam Joanna? Occidit Petrum, satisfacit, si confiteatur occidisse Joannem? Hoc inquam mendacium erit, nec ne contra præceptum integritatis confessionis, in ordine hoc capite nulla, & invalida efficiatur? Hoc in præsenti inquirimus.

2. Pro parte affirmante confessionem esse nullam, ac proinde non satisfacere integritati, qui unum individuum physicum pro alio subrogaret, est argumentissimum argumentum. Quia ex præcepto confessionis, tenetur quisque confiteri illa numero peccata, quæ commisit, qui autem aliquo ex prædictis modis confiteretur, non explicaret peccatum commissum, sed aliud numero distinctum. Quapropter, si alium materiam absolutionis non adhibuisset, faceret sacramentum irritum ex defectu materiæ: ergo unum individuum physicum peccati nequit in confessione pro alio subrogari. Ita videntur supponere communiter Theologi, qui rem hanc, ut sine controversia ad disputationem non vocarunt. Ideò obiter Card. de Lugo *disp. 16. de Pœnit. sect. 2. n. 53.* * Si ille, inquit, qui occidit Petrum fratrem Confessarii, dicat se occidisse alium, nempè Joannem, ne confessarius suspicetur; non videtur sufficienter confiteri, quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud quod non fecit. * Quem sequuntur Tamburin. *in Methodo expeditæ confessionis, lib. 2. cap. 10. §. 2. num. 45.* Et Leander à Sacram. *tom. de Pœnit. tract. 5. disput. 5 quæst. 24.*

3. Nihilominus pro contraria sententia stat propria, quatuor suprà viginti ab hinc annis, cum tractatum de Pœnitentia è suggestu discipulis dictarem, valida fundamenta congessi, quapropter visa est illa mihi in publicis conclusionibus in celebri Academia Complutensi illam amplexati defensarum. Et licet tunc nullo duce hanc sententiam docuerim, posteà eam luci datam inveni à P. Arriaga *tom. de Pœnit. tract. 8. disp. 34. numer. 10. & disp. 35. num. 29.* Et novissimè illam tuetur Marcus Vidal in Arca foederis, typis data Venetiis, anno 1660. *in tract. de Sacr. Pœnit. Inquis. 7. num. 36.* dicens rationem hujus conclusionis esse claram. Pro qua etiam stare videntur nonnulli recentiores, quos suppresso nomine refert M. Petrus de Ledesma *in Sum. capit. 16. de Pœnit. dub. 1. post concl. 3.* asserentes, eum, qui decem vicibus subito

subripuisset quantitatem mille aureorum, non teneri explicare numerum actionum, sed satis esse, confiteatur, dicens: *Subripui quantitatem mille aureorum.* In hac enim confessione unus actus physicus, ut ex terminis patet, pro decem subrogatur. Favet etiam ipse M. Petrus de Ledesma *ubi suprà*, qui licet à prædictis recentioribus discedat (& merito) ratione verò, qua eorum sententiam rejicit, nostram confirmat: nimirum, quia major datur malitia in decem illis actibus, quam in uno. * La razon, inquit, es clara; porque un hurto cerca de la misma cantidad, nunca tiene tanta malicia, ni intensiva, ni extensiva, coino muchos hurtos multiplicados, acerca de la misma cantidad; y assi es necessario dezirlo al Confessor, para que juzgue bien. * Qua etiam ratione utuntur contra præfatos recentiores, doctissimus Pater Leander à Sacram. *tom. de Pœnit. tract. 5. disp. 8. §. 7. quæst. 7.* Et Ægidius Coninch *de Sacram. disput. 7. de integritate Confes. dub. 7. num. 61.* * Quia longè gravius, inquit, est, id decem actibus fecisse, quam unico, & hæc multum morale judicium mutant. * Ergo secundum hos Doctores, si peccatum gravius non esset, sed in sola pluralitate actionum physicarum esset discrimen, satisfaceret pœnitens subticendo numerum, & unam actionem loco omnium subrogando, dicens: *Subripui mille aureos.* Consequentia videtur legitima, quia non ex hoc capite, sed ex sola gravitate malitiæ, quæ in uno eventu major evadat, modus ille confitendi his Doctoribus displicuit. Quos ideo non incongruè pro nostra sententia vocare potuissemus.

4. Ratio à priori desumenda est ex his, quæ docet Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 22. sect 2 num. 2.* Ubi sic scribit. * Cum Concilia, & Patres in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur, ut peccata sunt, atque adeò, ut ad mores pertinent. * Unde infert *num. 6.* * Distinctionem physicam actuum non referre ad confessionem, sed moralem. * Cujus sententiam defendunt communiter Theologi, ut eos laudans testatur M. Texeda *tom. 1. lib. 2. tract. 3 controv 10. num. 97.* * Addo, inquit, cum Soto, Cajetano, & Ludov. Lopez, & communi, non esse necessariò confitendam diversitatem physicam peccatorum, sed solum moralem. * Itaque duplex in quolibet peccato consideratio fieri potest, alia in esse physico, quæ ad confessionem non refert, alia in esse moris, seu in ratione malitiæ, & hæc est, quæ ad confessionem pertinet: ac proinde quando diversa est malitia contracta, ab ea, quam quis confitetur, non satisfacit integritati confessionis; dicitur autem diversa, non ex eo quod actio physica, cui inest, distincta sit, sed ex eo quod major, vel minor inest malitia, qualis est, quæ ex majori, vel minori quantitate objecti, vel ex majori, vel minori duratione actus, & similibus: hæc enim est, quæ distincta peccata constituit, & quæ confusè saltem in confessione dici debet; & de hac differentia individuali in esse moris loquuntur Concilia, Patres, & Theologi, quando unumquemque obligant confiteri idem peccatum, quod commisit, ut constat ex dictis.

5. Ex quibus sic argumentum conficio. In casibus supra enumeratis, licet individuum physicum peccati, quod pœnitens confitetur, sit physicè diversum ab illo, quod commisit, non tamen est diversum numero in esse moris, quia non differt moraliter in ordine ad malitiam, nec judicium humanum variat. Quod enim occiderit Petrum, vel Joannem, vel quod cum Maria, vel Joanna rem habuerit, eadem est malitia in esse moris, sicut, & quod quantitas subrepta sit à Petro, vel à Joanne, aut quod argentum, vel aurum fuerit. Hæc enim tantum est circunstantia pertinens ad esse physicum actus, quæ proindè physicè tantum potest individuum peccati variare, non verò moraliter, cum neque augeat, neque minuat eius malitiam. Ergo in esse moris idem peccatum semper subjicitur, sive unum, sive aliud objectum physicum habuerit, sive unam, sive alteram actionem physicam exprimat, ergo cum peccatum sit totum quoddam morale, & obligatio tantum sit confitendi idem individuum moraliter, non idem physicè, verè satisfaciet præcepto confessionis, qui unum individuum physicum pro alio in confessione subjiciat: in qua ad summum leve mendacium solum modo interveniet, ni aliundè æquivocatione, aut restrictione vitetur, juxta diversas opiniones alibi examinandas.

6. Confirmatur primò. Nam quoties duplex species physica peccati est una, & eadem in esse moris, non est obligatio explicandi species physicas in confessione, nec distinguendi unam ab alia, ut de peccato bestialitatis, docet cum Cajetano, Diana *1. part. tract. 7. resol. 2.* Quod adeò certum est, inquit Suarez *supra*, ut nulla ratio dubitandi circa rem hanc apparear. * Quia confessor non debet ferre judicium de speciebus entis, seu naturæ, sed de moribus. * Quam esse communem doctrinam, inquit Coninch *de integrit. confes. disp. 7. num. 2. num 8.* Undè qui cum peccasset cum mula, se accusaret de peccato contra naturam cum equa, confessionis præcepto, etsi levi mendacio interjecto, absque dubio satisfaceret: quia licet actus diversam speciem physicam haberet, tamen in esse moris una, & eadem est species, & hanc pœnitens confessus est, de qua sola debet ferre confessor judicium, non de speciebus entis, seu naturæ. Atqui de individuis in esse physico, non magis debet ferre judicium, quam de speciebus, ergo sicut non est contra integritatem confessionis unam speciem physicam pro alia subrogare, ita neque unum individuum physicum pro alio.

7. Urgeo, non est major obligatio confitendi idem individuum peccati, quam eandem speciem, sed quando species solum differunt in esse physico, & sunt eadem in esse moris, non est contra integritatem confessionis unam pro alia in confessione subrogare; ergo neque quando individua solum differunt in esse physico, & sunt idem in esse moris. Confirmatur secundo. Subrogata una specie physica pro alia, satisfit præcepto integritatis, ut tradunt communiter DD. sed quoties hæc subrogatio fit, sufficitur à fortiori unum individuum physicum pro alio: quia individua diversæ speciei physicæ non possunt non individualiter physicè distingui, sicut individuum hominis, ab individuo equi. Ergo si una species physica potest pro alia subrogari, etiam poterit unum individuum physicum pro alio.

8. Secundo probatur hæc sententia ab inductione, pluribus illustrata exemplis, quibus, licet ad alia utantur Doctores, nostram, velint, nolint, sententiam incidenter tuentur. Primum depromo ex communi sententia apud Lugo *sup. tom. de Pœnit. disp. 16. sect. 2.* asserente, eum, qui peccatum luxuriæ confessus, oblitus est circunstantiæ voti, satisfacere præcepto, si in alia confessione se accuset de violatione voti in re gravi, non explicato iterum peccato luxuriæ, quod jam confessus fuerat. Ex qua doctrina sic arguo. Diversus in esse physico est unicus voluntatis actus terminatus ad luxuriam contra votum, à duplici actu, quorum alter ad luxuriã, alter ad vio-

lationem voti terminetur, & tamen in communi sententia in subrogatione duplicis actus pro unico, ut in casu adducto contingit, non fit contra integritatem confessionis, ergo neque in subrogatione unius pro alio physicè distincto.

9. Urgetur ex doctrina P. Suarez *disp. 22. de Pœnit. sect. 2. num. 9.* asserentis, adhuc in eadem confessione, posse pœnitentem à confessario, eundem actum physicum, ut duos realiter distinctos subjicere, dicendo, verb. grat. *Commisi semel fornicationem*, & post aliqua, *violavi semel votum in re gravi*. Quod cum Angelo, & Navarro defendit: nam cùm duæ illæ malitiæ explicari possint, non explicando connexionem earum in eodem actu. * Satis, inquit, erit illas dicere per modum plurium peccatorum. * Cui consentit Thom. Sanchez *in Sum. lib. 4. cap. 11. num. 24.* dicens: * Si votum fuit non fornicandi, aut non furandi, optima esset confessio dicendo: Toties admisi fornicationem, vel furtum, & toties fregi juramentum, vel votum rei gravis: quia quando malitia peccati, & circunstantiæ, sunt separata, possunt seorsim, tanquam diversa peccata in confessione exprimi, ut benè ait Henriquez. * Quibus accessit Tancredi *in quæst. disp. 6. de Pœnit. quæst. 22.* & Caram. *in Theologia Fundam. fundam. 35. cap. 4. num. 557. fol. mihi 233.* Qui citato doctiss. F. Angelo Manrique primario olim Salmantino, & postea Episcopo Pacensi, asserit eidem principio innixus, eum, qui commisit adulterium, satisfacere, si confiteatur: * Commisi simplicem fornicationem: & post alia interjecta peccata addens: intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante, cui satisfaciam, si potero. * Ex quibus sic argumentum instauro. Peccatum contra votum idem numero est in esse physico cum peccato contra castitatem, sed in præfato modo confitendi, significatur fuisse numero distinctum, cum exprimatur actio interna, & externa contra votum, ut distincta numero ab actione interna, & externa contra castitatem, ergo in ista confessione, pro uno individuo physico peccati, duplex subrogatur; & tamen non fit contra integritatem confessionis, ut omnes citati asserunt. Ergò. Consequentia est apertissima, ideòque, ut illam vitaret Tamburinus, negavit antecedens, *in Method. exped confes. lib. 2. cap. 1. §. 13. num. 83.*

10. Urgeo 2. Exemplo alio, quod expressum reperio apud Card. de Lugo *suprà disp. 16. citata, sect. 16. num. 660.* Ponamus hominem unico voluntatis actu intendisse duos homines occidere: hic inquam, juxta ipsius, & communem opinionem nuper relatam, potest se priùs accusare, dicens: intendi occidere unum hominem: & post alia interjecta addere: me etiam accuso de intentione occidendi alterum hominem: sed in isto casu, ut patet, ipso modo confitendi significat, habuisse duos voluntatis actus, (neque enim alio modo posset confiteri si duos habuisset) ergo pro uno individuo physico peccati duplex realiter subrogavit. Ergo unum pro alio subrogare non est contra integritatem confessionis.

11. De exemplo autem alio de adulterio adducto à Caramuele, non curo, quia censeo cum Sanchez, & aliis ultra duas malitias contra castitatem, & contra justitiam, dari aliam in adulterio contra statum matrimonii, & fidem illi debitam ob bonum commune: aliàs enim consentiente marito, sola maneret malitia simplicis fornicationis, quia scienti, & volenti non fit injuria: quod dicere nemo audebit. Ac proinde non faceret satis integritati confessionis, se accusando de simplici fornicatione, & postea de injuria gravi, tertia persona interveniente, cuipiam illata: quia hæc est circunstantia scandali, & refert adhuc in explicata alia species contra fidem debitam matrimonio, quæ adulterio non explicato, subjici confessioni non potest.

12. Tertio probatur à posteriori nostra sententia: nam ex oppositâ sequeretur, debere iterari confessionem, quoties pœnitens ex oblivione, aut inadvertentia, aut etiam à consilio, judicans parum ad rem facere, unum individuum physicum pro alio subrogasset: ac proinde iterandam in caliburquentibus. Primò, si quis furatus fuisset à Petro centum aureos, & in confessione dixisset, fuisse à Paulo. Secundò, si cum fuisset argentum, dixisset aurum. Tertiò, si commisisset bestialitatem cum mula, & dixisset cum equa. Quartò, si cum percussisset hominem sinistra, dixisset cum dextra, vel cum occidisset gladio, dixisset globulo: & in similibus, quæ risum movent. Quod autem teneretur iterare confessionem, si contrario opinio esset tenenda; patet, quia non confessus est peccatum, quod fecit, sed aliud in esse physico diversum, quia diversa actio physica est, quæ ad diversa objecta, & quæ cum diverso instrumento fit, ut in exemplis positis contingit, ac proinde cum peccata, revera commissa, non fuissent clavibus subjecta, teneretur iterum confiteri. Quam quidem obligationem nemo, ni fallor, quantumvis scrupulosus, pœnitenti imponere somniavit.

13. Denique, quod hæc sententia sit prorsus tenenda, mihi suadeo: quia licet sit inter Philosophos opinio asserens actus individuari à circunstantia temporis, in quo fiunt; nihilominus si quis mane peccasset, & in confessione diceret peccasse vesperi, nemo eum obligaret ad iterandam confessionem illius peccati, explicando non mane, sed vespere fuisse commissum. Nec mihi suadere possum Cardinalem de Lugo aliter in praxi censurum, quamvis defendat actiones, à tempore individuari. Et tamen certum est, juxta hanc opinionem, unum individuum physicum peccati pro alio subrogari, Ergo ejusmodi subrogatio non est contra integritatem confessionis, & cum aliàs mendacium, quod intervenit, leve sit, & substantiæ præcepti non opponatur, non faciet Sacramentum irritum.

14. Hæc sunt fundamenta, quæ jam diu hanc sententiam mihi probabiliorem reddiderunt, ex qua nil contra mores deduci posse credo, sed potius magna aliquando fore utilitatis, ut pœnitentes individuum physicum peccati occultari posse agnoscentes, à confessione non retrahantur, nec invalidam, subticendo aliquod peccatum, efficiant. Caveant verò, ne illis abutantur. Nam quoties major malitia datur in uno individuo, quam in alio, cum jam sit moralis distinctio, non potest unum individuum physicum pro alio subrogari. Ut si furatus est centum, non satisfaciet dicens quinquaginta, & sic de aliis.

* * *

QUÆ-

QVÆSTIO III.

Utrùm peccata sic debeant in confessione explicari, ut confessarius percipiat post ultimam confessionem fuisse commissa?

1. CAsus frequens, & curiosus est. Vult pœnitens, quod confessarius non intelligat certò quoddam peccatum post ultimam confessionem fuisse commissum; poterit ne ita illud explicare, ut confessarius id non percipiat, sed potius sibi suadeat, fuisse jam ab illo in altera confessione absolutum? Hoc in præsenti inquirimus.

§. PRIMUS.

Negativæ sententiæ Authores, & fundamenta.

2. PRima sententia tenet, pœnitentem non habere obligationem ita explicandi suum peccatum, ut confessarius percipiat, fuisse post ultimam confessionem commissum, seu non fuisse in alia ab illo absolutum, sed tantum ad integre confitendum eo modo, quo omnem peccati malitiam specificam manifestet, etsi confessarius decipiatur, censens in alia confessione, fuisse ab illo absolutum; sic docent Bonac. *disput. 5. de Sacram. quæst. 5 sect. 2. puncto 2. §3 diffic. 4 num. 5.* Diana 3 *p. tract. 4. resol. 162. & 4. p. tract. 3. resol 65.* & apud illum Busembaum, Longus, Palquiligus, Martinus de S. Joseph, P. Amicus, & alii, quos citatos sequitur *p. 11. tr. 6. Misc resol. 22.* & tuentur R. P. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnit cap. 17. dub. 42.* Verricelli *tom. 1. tract. 5. quæst. 5. num. 20.* Homobonus *in consultat casuum, volum. 2. p. 5. resp. 132.* Leander *tract. 5. de Pœnit. disput. 5. quæst. 23.* Cardin. de Lugo *disput. 16. sect. 2 num. 47.* Tamb. *in Method. expedita confes. lib. 2. cap. 1.* Dicastillo *tom. de Pœnit. disput. 9 dub. 2. §. 6. à num. 144. & dub. 7. num. 294.* & alii. Citantur etiam ab his auctoribus pro hac parte, Pater Thom. Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 10. nu. 71.* Pater Suarez *disp. 22. de Pœnit. sect. 9.* & P. Coninch *disp. 17. dub. 8. num. 69.* Sed immerito, ut constabit ex infrà dicendis.

3. Fundamentum omnium est, quia peccatum idem est, sive antea fuerit clavibus subjectum, sive non, nec diversa malitia explicatur declarando non fuisse antea confessum: circunstantia enim temporis præcisè sumpta non addit novam malitiam; ergo non est obligatio illam explicandi. Unde sumitur pro hac sententia efficax argumentum. Nemo tenetur in confessione explicare circunstantias, quæ speciem peccati non mutant, ut posteà dicemus, sed peccatum fuisse commissum post ultimam confessionem, non est circunstantia, quæ mutet speciem (supponimus enim pœnitentem non variasse statum, sed explicare omnem malitiam, quam peccatum habet) ergo nemo tenetur explicare illam circunstantiam. Imò licet esset obligatio manifestandi circunstantiam aggravantem notabiliter intra eandem speciem. * Nemo, inquit Lugo, teneretur istam explicare. * Quia hæc circunstantia non se habet ex parte peccati, sed ex parte pœnitentis, ac proinde eius malitiam non aggravat, & consequenter, ex tacita, explicatur peccatum secundum omnes circunstantias aggravantes. Cui consentit Verricelli *ubi suprà num. 20. citato.*

4. Quod autem pœnitens ex modo confitendi videatur implicitè indicare peccata illa fuisse jam iterum clavibus subjecta, & judicata, parum refert (ait Lugo) nam pœnitens verè habet animum loquendi de peccatis novis, & de illis loquitur, licet desideret, quod confessarius intelligat esse peccata antiqua jam iterum absoluta: intentio autem absolvendi non regulatur existimatione privata confessarii; ipse enim absolvere intendit à peccatis, quæ pœnitens detulit ad judicium, quæcumque illa sint. Confirmat Lugo hoc exemplo: Si quis afferret infantem baptizandum, dicens esse filium suum, cum talis non sit, sed supponat unum pro alio, adhuc infans esset baptizatus, qu a Minister intendit baptizare, non eum, quem putat esse, sed eum, quem præsentem habet, qu icu nque ille sit, ergo à simili in nostro casu.

5. Imò non solùm non obstat confessioni, quòd confessarius judicet peccata illa fuisse jam in alia confessione judicata, sed idem tenendum videtur, licet pœnitens per mendacium ita expressè affirmaret. Ut suadet exemplum adductum pueri baptizandi; quia illud mendacium est circunstantia valdè extrinseca, & non facit, quod pœnitens non explicet in confessione idemmet peccatum, quod fecit: nec quod ab illo non absolvatur, licet confessarius decipiatur, existimans non esse distinctum ab alio in præcedenti confessione expositio. In hanc sententiam manifestè inclinat Cardin. de Lugo *ubi suprà num. 52.* quamvis asserat non posse dici peccatum esse commissum anno præterito, in opinione constituente durationem actus indistinctam ab ipso actu tempori determinato affixo, quam ipse tenet contra communem Philosophorum; verum poterit dici in opposita, & communi, ut apertè colligitur ex dictis. Igitur ex eo quod per mendacium dicat pœnitens peccatum in hoc anno commissum, fuisse commissum in præterito, non desinit confiteri idem peccatum, quod fecit. Præter quam quod etiam in opinione Cardin. de Lugo poterit dicere esse peccatum vitæ præteritæ, nullum determinando tempus, quantumvis confessarius decipiatur, existimans fuisse jam in alia confessione absolutum: quia hoc non opponitur cum doctrina, quam circa durationes actuum tenet ipse Lugo.

6. Imò fortè etiam à confessario interrogatus posset pœnitens, sine mendacio (cum restrictione aliqua mentali) dicere, peccatum illud fuisse jam in alia confessione subjectum clavibus, id est, virtualiter, in ordine ad notitiam, quam de hoc peccato illi præbere debet: juxtà doctrinam Joannis Sanchez *in Selectis, disp. 9. per totam*, ubi ait, habentem consuetudinem peccandi, posse interrogatum à confessario respondere æquivocatione, se non habere talem consuetudinem; nam posito, inquit, vero proposito emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem; ut autem confessarius suo officio fungatur rectè, nihil conducit scire, habeat ne pœnitens consuetudinem, vel non habeat: ergo eodem modo in nostro casu posset aliquis dicere, pœnitentem interrogatum à confessario posse cum æquivocatione respondere, jam fuisse peccatum illud clavibus subjectum, & absolutum, nam ut confessarius suo munere fungatur, nil conducit scire, an peccatum fuerit post ultimam confessionem commissum, an non: Cum pœnitens sit alias rectè dispositus,

ut supponimus, & omnem specificam peccati malitiam in confessione manifestet.

7. Denique potest suaderi hæc sententia, quia si propter aliquam rationem teneretur pœnitens manifestare, peccatum non fuisse antea confessum, seu non indicare, jam esse absolutum, cum verè non sit; maximè ut confessarius posset imponere pœnitentiam, magis vel minus gravem, pro majori, vel minori gravitate peccati: quando enim sibi suadet fuisse jam in alia confessione judicatum, parum de pœnitentia curat, cum supponat, à se, vel ab alio confessario fuisse jam in alia confessione sufficientem adhibitam. Hæc tamen ratio, quæ urgentior videtur, parum habet ponderis, tum quia plures Doctores post Trident. docent, non esse obligationem acceptandi pœnitentiam, inter quos Navarr. & alii, quorum sententiam putant probabilem Sotus, Joann. de la Cruz, Villalobos, Faber, Vega, & alii, & non improbat Diana 2. p. *tract.* 1. *Miscel. resol.* 52. & 5. p. *tract.* 4. *resol.* 51. Tum quia pœnitens, licet de obligatione acceptet pœnitentiam (ut ego certum existimo) poterit ipse levem à confessario injunctam in aliam evidenter meliorem commutare, juxtà sententiam, quam cum Portel, & Villalobos tenet Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 53.

8. Omitto pœnitentem non teneri ea omnia in confessione explicare, quæ si confessarius sciret, graviores pœnitentias imponeret, aliàs teneretur declarare circunstantias notabiliter aggravantes, v.g. An peccatum nimio affectu fuerit commissum, an multo tempore continuatum, & alia hujusmodi, quæ verior, & communior sententia negat, ut videbimus infrà. Ergo ex hoc cap. nihil contra hanc opinionem potest concludi, si ergo pœnitens confiteatur omnem malitiam peccati à se commissi, confessario habenti jurisdictionem, nec sit in proxima occasione peccandi, quam sub mortali vitare teneatur, deindè habeat verum dolorem, & propositum non peccandi, non videtur præcepto confessionis teneri ad ita manifestanda peccata, ut confessarius percipiat fuisse post ultimam confessionem commissa: Sed posse saltem verbis æquivocis indicare jam iterum clavibus subjecta, & judicata fuisse, licet verè non fuerint, & confessarius decipiatur.

§. II.

Contraria, & vera sententia.

9. SEcunda sententia, quæ ut indubitata supponitur à Doctoribus, oppositum asserit. Quam adeò veram putat P. Luisius Turrianus *in Opusc. Theolog. censura* 4. *dub.* 7. ut dicat oppositam non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus. Et licet hunc authorem excessisse in censura sine fundamento, dicat Lugo supra, & ego de illius censuris non esse multum curandum existimem; quia nimius in hoc munere solet esse, eius tamen sententiam veram existimo cum Castro Palao *tom.* 4. *tr.* 23. *punct.* 10. *num.* 7. & 8. ubi sic. * Graves Doctores affirmare videntur integritati confessionis non obesse, quod indices peccatum mortale quondam fuisse commissum, & jam ab eo esse absolutum, cum tamen nec longè ab ea confessione commissum fuerit, nec alia vice fuerit absolutum, &c. Cæterum prædictæ sententiæ acquiescere nunquam potui. * Neque ego potero: adeo enim ingentia absurda in morali Theologia ex ea evidenter inferri video, ut illi adhærere non audeam, ne non hausto ea devorare cogar. Optarem sanè illorum trònos consulere, quia rationes allatæ vehementer movent, & absurda asserenda vehementius terrent.

10. Primum absurdum, juxtà illam opinionem est, non solùm posse pœnitentem dicere confessario, se velle confessionem generalem facere, & hoc prætextu inter alia peccata jam confessa, novam quandam post ultimam confessionem commissa, immiscere, non distinguendo, fuerint necne in alia confessione judicata, quod expressè admittunt Doctores citati, & fundamentis allatis probant; sed ultra sequitur, posse pœnitentem singulis hebdomadis graviter peccantem in materia castitatis; verè grat. se accusare de venialibus, & imperfectionibus, & confessionem concludere dicendo: me etiam accuso de mendaciis, & juramentis vitæ præteritæ, & præcipuè de una, vel pluribus pollutionibus, seu fornicationibus, quas jam religiosus, vel conjugatus habui? Quis autem audebit dicere per hanc confessionem sufficienter adimpleri præceptum confitendi lethalia, in quæ frequenter pœnitens misere laberetur. Quod autem ex fundamentis suprà jactis hoc sequatur, videtur mihi luce meridiana clarius: recole quæso fundamenta, & applica: nimirum quia peccatum idem est, sive explicetur ita, ut confessarius percipiat esse denovo commissum, sive non, solum enim tacetur circunstantia temporis, quæ non tribuit novam malitiam, nec mutat speciem peccati: imò nec notabiliter aggravat, ut inquit Lugo. Quod autem pœnitens modo confitendi indicet implicitè, illud peccatum sit idem, quod in præcedenti confessione judicatum fuerat, nil refert, juxta adversarios, nam ipse vere habet animum loquendi de peccato novo, & distincto ab alio, licet desideret, ut confessarius non intelligat. Deinde confessarius intendit absolvere à peccatis ad judicium delatis, quæcumque illa sint. Ergo, &c. Si autem dicas illo confitendi modo non tantum implicitè, sed explicitè significare peccata illa jam esse in alia confessione judicata, nil interest, ut suprà vidimus, quia mendacium non tollit explicari integrè malitiam peccati, & idem in ea mortis peccatum commissum. Ergo ex illa opinione manifestè sequitur per hanc confessionem sufficienter declarati peccatum, non teneri pœnitentem aliter illud exponere.

11. Secundum absurdum est, reservationem peccatorum, qua utitur Ecclesia, ut medio valdè utili ad arcendos homines à peccatis; de qua inquit Tridentinum *sess.* 14. *capit.* 7. *Magnoperè ad Christiani populi disciplinam pertinere*: Et quod in religionibus unum ex præcipuis mediis habetur; omnino inutile, & frustraneum reddi; poterit enim subditus, qui in reservata lapsus fuerit, suo superiori, seu alteri habenti jurisdictionem confiteri, & se accusare de venialibus, & de minimis imperfectionibus, ut bonam de illo existimationem habeat, concludendo confessionem, verbis illis consuetis: * de mendaciis, & juramentis vitæ præteritæ me accuso, & præcipuè de pollutione, seu fornicatione, quam jam religiosus habui. * Hoc manifestè sequi contraria opinione, & ex fundamentis pro illa adductis, est mihi evidens: sed quis audebit hanc sequelam ad praxim deducere!

12. Duplicem istam illationem ad minus improbabilem, & temerariam, & scandalosam seu per judicavi, contra bonos mores, & contra præ- puum remedium à Christo Domino inventum, & in-

institutum ad peccatores coercendos: si enim hæc ita essent, tota confessionis machina, & institutio in animarum medelam, funditus everteretur, & penitus evaneſceret. Vulnus enim, quod à medico sanũ judicatur, medicina non curat: rueret ergo fundamentum Tridentini *sess.14.capit.5.* ad definiendam confessionis integritatem. *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Quis autem non videat ignorari vulnus à medico, qui neque illius quidem cicatricem permanere judicat: ergo æquè irritat Sacramentum, palliare peccatum præsens, ac illud tacere.

13. Deinde quo modo hæc cohærere possunt cum definitione Trident. *eadem sess.14.cap.5.* * Necessum est omnium mortalium veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere: * nam quo modo erit aperta confessio, quæ ita est palliata, ut confessarius judicet nil sibi virtute clavium remittendum proponi? & quomodo verecunda, in qua pœnitens implicitè, vel explicitè protestatur, se non jam peccatorum veniã à Deo quærere, sed novũ gratiæ augmentum ad majorem vitæ spiritualis profectum? Insuper quomodo vera essent illa Concilii verba: * ipsa vero ejusdem confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, ni tot commodis levaretur. * Cum nulla difficultas, verecundia nulla, in ejusmodi confessione reperiatur? Urgetur *ex cap consideret, de Pœnitent. dist.5. quod est Augustini de vera & falsa pœnitentia. cap.14. & de visitatione infirmor. capit.2.* Ubi de peccatis loquens: sic ait. * *Hæc omnia si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam jugulant.* Quæ autem magis palliatè dici possunt, quàm quæ ita judicium confessoris pervertunt, ut justum existimet peccatorem, & non jam culpatum doleat, sed valdè timoratum veneretur.

14. Insuper quis neget, quod magis innotesceret confessario status pœnitentis, si tanquam de re nunquam judicata se accusaret, dicens: sæpius peccavi in materia castitatis: quam si de venialibus se accusans imperfectionibus, addereret in fine, se etiam accusare de tribus fornicationibus vitæ præteritæ, jam iterum clavibus subjectis; cum tamen de novo, & quotidie in ea peccata miserè laberetur, & confessarius decipiatur judicans peccata illa, quæ hodie confitetur esse eadem, à quibus heri, & nudius tertius illum absolverat. Quis inquam inficiabitur? Sed modus ille primus confitendi est damnatus à Concilio, eò quod per illam confessionem peccata illa judicibus non satis innotescant: ergò & secundus confitendi modus damnatus etiam censendus est, cum directè opponatur motivo definitionis integritatis confessionis.

15. Urgetur ex eodem Concilio *ibidem.* Ubi eam notitiam peccatorum confessario tribuendam, inquit, quæ sufficiat, * ut æquitatem in pœnis injungendis servare possit. * Sed si peccatum novum possit, ut antiquum, & ut jam clavibus iterum subjectum confiteri, non tribuetur confessario prædicta notitia, cum nullus possit prudenter, peccatis jam remissis, & judicatis, eandem pœnitentiam injungere, ac si irremissa, & nunquam ad judicium delata fuissent; ergò non est sufficiens ea peccatorum notitia, qua confessarius sibi suadet, fuisse jam in alia confessione judicata, cum verè non fuerint. Accedit Trident. *sess.14.cap.2.* definire, Christum Dominum eos, qui post Baptismum crimine aliquo se contaminaverint, * ante hoc tribunal tanquam reos stisti voluisse, ut per Sacerdotis sententiam à peccatis liberentur, * Sed qui explicat in confessione peccata, ut jam in alia remissa, non se sistit, nec præsentat tanquam reum, ut à peccatis liberetur; ergo non adimplet præceptum Divinum confessionis. Ergo ita debet pœnitens confiteri, ut confessarius non decipiatur, existimans peccatum illud fuisse jam in alia confessione remissum.

16. Denique efficaciter, illationis absurditas convincitur. Primò, nam si pœnitens plura peccata in eadem confessione ad eundem judicem deferens, ita palliatè explicaret, ut confessarius non plura, sed unum tantùm peccatum sibi proponi judicandum perciperet, non esset confessio integra, ut omnes fatentur. Ergo quando plura peccata in diversis confessionibus ad eundem judicem deferuntur, ita tamen palliata, ut judex non plura, sed idemmet peccatum ad judicium hoc deferri existimet, & suprà idem delictum sententiam pronuntiari, non erunt confessiones integræ; nam planè constat, peccata illa, ut plura judici non innotescere, nec in hoc tribunali fuisse, ut plura judicata. Secundò, quia hoc Sacramentum, ut definit Tridentinum, *suprà,* est institutum per modum judicii, in quo pœnitens est reus, accusator, & testis. Sacerdos verò judex: sed in judicio fori externi nulla esset sententia absolutoria, si præcedente accusatione delicti, reus falsis testibus probaret tale delictum fuisse jam in alio tribunali æqualis jurisdictionis judicatum, & pœna sufficienter imposita, per sententiam latam, ab illo fuisse absolutum. Ergo, & in hoc judicio pro foro interno conscientiæ à Christo Domino institutò, nulla erit sententia absolutoria, interveniente eadem fraude.

17. Ex dictis mihi suadeo prædicta absurda à nullo Theologo concedi posse. Quomodo autem vitanda: juxtà principia primæ sententiæ ejus patroni videbunt, qui sequelam ingeniosè negabunt, & ita repetio negasse Leand. *ubi sup.* Nam licet *disp.5.q.23.* asserat cum Lugo, Bonac. Homobon. & Dian. eum qui facit confessionem generalem, non teneri explicare quæ peccata fuerint post ultimam confessionem commissa; neque obstare, quod pœnitens peccata recens commissa, implicitè videatur indicare esse peccata antiqua, & iterum confessione subjecta, nec quod confessarius decipiatur, ita judicans. Quamvis, inquam hæc ibi doceat; nihilominus *quæst.* 24. inquirens, an liceat pœnitenti expressè confiteri peccata nova, ut antiqua? Respondet, quod licet Cardinal. de Lugo videatur indicare sustineri posse partem affirmativam, sibi tamen certissimum esse, non licere: * & credo, inquit, esse communem omnium Theologorum. * An consequenter? Alii viderint, quia ratio, qua movetur ad hoc negandum, est ea, quam ex Card. Lugo adduximus *suprà*, quæ parvi ponderis est.

18. Propter hæc existimo, præceptum manifestandi peccata confessario, ut judici, tùm ex Sacramenti institutione, & traditione Ecclesiæ, tùm ex Trident. obligare ad ea ita exprimenda, ut si verè non fuerint in alia confessione judicata, id confessarius percipiat, aut saltem non proponantur, ut anteà clavibus subjecta, cum primùm ad judicium deferuntur; quia aliter variaretur judicium in modo substantiali ipsius. Si verò semel judicata fuerint, non erit necessarium id exprimere, si iterum confessioni subiiciantur. Nam ex eo, nullum sequitur absurdum contra bonos mores, nec contra finem, & integritatem hujus Sacramenti. Quod si quis ita idem mortale singulis confessionibus subiiceret, ut confessarius intelligeret semper esse peccatum di-

ſtinctum de novo commiſſum, fortè aliquis ſentiret eſſe illicitum, eò quod graviter ſe infamaret apud confeſſarium habentem illum pravis moribus imbutum, & conſcientia diſtractum.

10. Ex dictis fit malè adduci pro contraria opinione Pat. Suarez, & Coninch, locis ſuprà citatis, quia ipſi tantum aſſerunt, illum qui ſe accuſat de confeſſo, non teneri explicare jam iterum confeſſum fuiſſe, quod nos libenter fatemur; nam aliud eſt confiteri peccatum antiquum jam remiſſum quaſi novum, aliud confiteri peccatum novum, quaſi antiquum, & jam remiſſum, in hoc enim deficit pœnitens integritati, ſecus in illo. Inſuper malè adducitur Pat. Thom. Sanchez *ubi ſuprà*, quia ipſe tantùm aſſerit, eum qui dubitat fuerit ne confeſſus peccatum aliquod, ſatisfacere, explicando totam malitiam illius peccati, quin explicet tempus quo commiſit, nimirum an poſt ultimam confeſſionem, vel ante illam, & approbat opinionem P. Suarez, ut ſuprà relatam. Ex hoc autem principio non benè deducitur, pœnitentem non teneri ſaltem implicitè in confeſſione indicare peccatum illud non fuiſſe in alia confeſsione directè abſolutum: potius id ſemper implicitè dicit, & ita confeſſarius intelligit, dum verba accuſationis aliud non indicent, prout contingit in illationibus ſuprà deductis. Licet autem pœnitens non teneatur dicere, ſe in alia confeſſione ſubjeciſſe peccatum, quod modo confitetur, tenetur tamen peccatum novum non ita palliare, ut confeſſarius decipiatur, exiſtimans fuiſſe olim clavibus ſubjectum, & abſolutum.

§. III.

Argumentis negantis ſententiæ fit ſatis.

20. ARgumenta contrariæ ſententiæ unico verbo diſſolvo. Reſpondeo ergo, confeſſionem debere eſſe integram quoad ſubſtantiã, & quoad modum, quia ad utrumlibet, confeſſionis præceptum obligat, ut ex traditione Eccleſiæ, ex Tridentino, & ex motivo ad integritatem definiendam conſtat. Integritas quoad ſubſtantiam in eo ſtat, quod omnia peccata quoad ſpeciem, & numerum clavibus ſubjiciantur: integritas autem quoad modum exigit, quod ita hæc ſubjecto fiat, ut confeſſarius, qui primus ſententiam tulerit, agnoſcat pœnitentem ante hoc tribunal tanquam reum ſiſti, ut beneficio abſolutionis veniam peccatorum conſequatur, & quod pœnitentis ſtatus iſta confeſſario innoteſcat, ut pœnam, quam opportet, pro peccatis poſſit imponere, ut definit Concilium: ad quod requiritur, quod non decipiatur judex in modo ſubſtantialiter variante judicium. Argumenta autem contrariæ ſententiæ ſolùm probant confeſſionem illam fore integram quoad ſubſtantiam; quod non inficior. Hoc verò non ſufficit, quia deficit integritas quoad modum, quæ etiam requiritur ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis: aliàs daretur deceptio gravis in modo, & ordine iſtius judicii, ſicut in judicio humano contingeret, ſi reus fateretur delictum, falſis tamen teſtibus probaret, fuiſſe jam ab alio judice ejuſdem poteſtatis judicatum, & pœna debita punitum.

21. Fateor nihilominus caſum illum à præfatis Doctoribus admiſſum de eo, qui in confeſſione generali, omnia ſua peccata permixtim confiteretur non explicans, fuerint necne aliqua poſt ultimam confeſſionem commiſſa, longè minus diſſonantem habere, quam illationes ex principiis ſuprà jactis à me factas: quem propterea admittit Tamburin. in *Method lib. 2. cap. 1. §. 1.* cum Henriquez, & aliis, quos ſequuntur Dicaſtillo *tom. de Pœnitent. diſput. 9. dub. 6 à num. 144. & dub. 7. num. 294.* & Cardinal. debitò ſuprà: quia pœnitens in ea confeſsione generali non magis indicat in alia fuiſſe remiſſa peccata, quæ verè de novo confitetur, quam de novo eſſe commiſſa, quæ verè in alia confeſsione ſubjecerat; ac proindè confeſſarius, ex qualitate peccatorum, & pœnitentis ſtatu, ſatis percipere poſſe videtur, plura ex illis fuiſſe jam abſoluta, alia verò de novo ſubjecta. Cæterum quia confeſſarius non percipit, quæ, & quot hæc fuerint, adhuc exiſtimo non ſatisfieri integritati, quin ea declarentur. Et ita tradit Fr. Ludovicus à Conceptione *tom. 1. examin. verit. tract. 5. de Pœnitent. fol. 440. num. 19. & 21. in 2. caſu reſolutionis.* Ubi ait contrariam ſententiam * A principio intrinſeco eſſe improbabilem. *

22. Undè fit omninò rejiciendum Martinum de San Joſephin Monit. confeſſor. *tom. 1. lib. 1. tract. 3. de Pœnitent. num. 11.* Ubi latiſſimam ſententiam tenet: ibi enim, ſic ait: * Uno cometio un pecado grave y para ocultar al confeſſor, que era de la confeſsion preſente, confeſsòſe generalmente, y entre los pecados de la vida paſſada confeſsò el ultimo. Es muy probable, que pudo hazerlo aſsi, porque no ſe hallo obligado à dezir, que los pecados que confeſsò los cometidos deſpues de la ultima confeſsion, ſino es que interuenga alguna particular circunſtancia, que no ſe dè a entender, ſino es diziendo, que el pecado es reciente. Sic Bonacina *de Sacrament. diſput. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct 2. §. 3. difficult. 4. num. 5.* que cita à Sanchez, y à Coninch, y los cita, y ſigue Diana *3. part. tract. 4. reſolut. 62.* Y lo miſmo me parece ſe entende, aunque los pecados que parece ſe encubren, ſe confieſſen en otra qualquiera confeſsion particular, como ſe digan con todas ſus circunſtancias; porque milita la miſma razon, & deſimilibus, ſimile ad judicium, * ſic ille. Quem alii recentiores, quod ultimam etiam partem concluſionis ſequuntur, quibus favet Delgadillo *tom. de Pœnitent. capit. 17. dic.* tenet expreſsè Marcus Vidal *in Aurea ſalutari, tractat. de Sacrament. Pœnitent. Inquiſit. 7. num. 34.* Quorum doctrinam ſe approbare non valere, ait Tamburin. *in Method. lib. 2. cap. 1. §. 1. num. 6.* & ego ab ſcholis relegari vellem: & ſpero, quia nulla opinio pernicioſior.

* * *

QVÆSTIO IV.

Vtrùm, qui habet judicium probabile pro utraque parte, teneatur confiteri, saltem si in peccatum commissum magis propendeat?

1. PArtem affirmativam nonnulli tuentur, quam Mag. Barnabas Gallego *tract. de conse. probab. dub* 8. non solùm communem, & veram appellat, sed nullum pro contraria stetisse Authorem dicit. Cæterum vir doctus deceptus est, & miror plures pro contraria non invenisse: Est enim probabilior, & inter Doctores communis, ut testantur Cardinal. de Lugo *disput. 16. de Pœnitent. sect. 2. num. 58. & 68.* & Mag. Joannes Martinez de Prado *tom. de Pœnitent. q. 84. dub. 4 §. 6. fol. 31. n. 44.* eam tenet Sylvest. *verb. Confessio secundo, q. 2.* Ubi sic. * Notandum est ex doctrina Div. Thomæ, & communiter omnium, quod aliud est scire, aliud opinari, & dubitare. Quia *scire*, habet certitudinem sine hæsitatione de opposito; opinari verò non habet certitudinem sine hæsitatione, sed habet assensum, vel credulitatem de aliquo cum formidine de oppositò: dubitare vero non habet assensum, vel credulitatem alicujus, sed propriè dicitur, quando aliquis aliquam sententiam, nec credit, nec decredit, sed est in æquilibrio, non declinans magis ad unam partem, quam ad aliam, saltem notabiliter, etiamsi aliqualiter conjecturet leviter sine probabili ratione de altera earum. Qui ergo opinatur (attende) probabili ratione de aliquo, quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri. * Sic Sylvester. M. Sacri Palatii.

2. Quem, cum aliis citatis, sequitur Thom. Sanchez *tom. 1. Summ. cap. 10. num. 79.* ibi. * Dicendum est, non teneri hunc fateri peccatum, quod probabili opinione credit non esse mortale, quia potest quilibet operari, sequendo probabilem sententiam (ut satis probavi *cap. præced. num. 14.*) atque ita docent Rosella, Sylvest. Gerson, Henriquez, Suarez, qui optimè ait, hoc esse verũ, etsi hic judicet tanquã probabilius illud esse peccatum mortale, quia non tenetur quis sequi probabiliorem opinionem, sed satis est probabilem. Atque eadem ratione idem est dicendum, quando pœnitens probabiliter opinatur, se id peccatum confessum fuisse, quamvis probabilius credat oppositum; sic Suarez, quod non obscurè etiam docuit Navarrus. * Hactenus P. Sanchez.

3. Idem sentit Diana *part. 3. tract. 4. resol.* 107.* Difficultas, inquit, est, quando pœnitens probabilius judicat, se peccasse mortaliter, vel non esse confessum tale peccatum. In hoc casu Coninch, & alii docent illud peccatum debere confiteri, &c. Quia nisi confiteatur, potest se exponere periculo mortaliter peccãdi, &c. At hæc sententia mihi non placet. Non enim possum intelligere, quomodo pœnitens sequendo opinionem probabilem, etiam probabiliori, & tutiori relicta, exponat se periculo peccandi mortaliter, &c. Et ita nostram sententiam docent Sanchez, Sylvius, & alii. * Sic Diana.

3. Quibus adde plures, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. disp. 5. quæst.* 28. dicens esse communem, ibi: * An qui probabiliter opinatur se non peccasse mortaliter, aut mortale à se admissum, esse confessum, teneatur illud confiteri? &c. Respondeo non teneri, quia liberum est unicuique sequi opinionem probabilem, quæ sicut in aliis materiis, sic etiam in hac sufficit ad observandum præceptum. Sic Sanchez *loco citato, num. 76.* Suarez *disp. 22. sect. 9.* Granodo *tr. 9. disp 7. num. 1.* Diana 3. *part. tract. 4. resol.* 107 Lugo *disp. 16. num. 58.* & communis. Nec oppositum docent Victoria, & Sotus pro opposita sententia citati, quia solùm loquuntur de peccatis omninò dubiis. Imò & Navarr. in nostram inclinat sententiam, ut advertit Sanchez. Sic etiam Filliucius, Bonacina, & alii, quos sequitur Machado *1. part. Sum. lib. 2. part. 4. tract. 5. doc. 3. in fine.* * Et *quæst.* 29. asserit idem dicendum, licet probabilius judicet se peccasse mortaliter, vel non esse confessum, pro quo ferè omnes citatos refert.

4. Cum his sentit P. Leand. à Murcia *in disquisit. unic. resol. 8. n. 1.* ubi ait tenere Sylvium, Sylvestrum, & Meratium, & addunt, inquit, Meratius, Sylvius, & Caramuel id verum esse, licet probabilius quis judicet, se peccasse, aut non fuisse confessum. * Eandem opinionem tenent Pitigianus, Mercerus, & alii, quos citatos sequitur Angelus Maria Verricelli *tom. 1. tract. 2. quæst. 28.* * Quia homo, inquit, in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem, omissa oppositaprobabili, velprobabiliori, quãdo in reb⁹ ipsis non imminet aliquod periculũ. * Et clarius infrà *n.* 10. * Qui probabiliter credit, se non peccasse, non tenetur confiteri, neque in articulo mortis: (attende) & ad Sacram Eucharistiam, nulla prævia confessione, aut contritione accedere potest Fagund. *præcept. 2. lib. 3. cap. 4. num. 6.* Probatur quoad primam partem; quia qui in mortis articulo tale peccatum non confitetur, nulli se exponit periculo, cum per aliorum peccatorum confessionem, aut contritionem gratiam sit consequutus. Probatur quoad secundam partem, quia non peccat contra Religionem, seu reverentiam debitam Sacramento, qui juxta probabilem opinionem illud recipit, aut ministrat, ut dixi suprà *quæst. 26.* * Sic ille, qui *quæstion. 26. citata* duodecim Auctores pro hac parte refert, inter quos Salonium, Sayrum, Villalobos, Basilium, Ponc. Antonium Perez, Lorcam, & Mag. Bart. de Medina, quos sequitur Mascarenhas *tract. 4. de Sacram. Euchar. disp. 4. cap. 4. num. 242. fol. 227.* Et tenet novissimè Fr. Franciscus à Jesu Maria, Carmelita excalceatus *part. 1. Cursus Theologiæ Moral. tract. 4. de Sacram. Euchar. cap. 7. numer. 29.* apud quem Sylvest. Rosella, Gerson, Henriquez, Sanchez, Dicastillo, Bonacina, & Filliucius.

5. Notant verò, & meritò Verricelli, Fagundez, Sanchez, & Henriquez *libr. 2. de Pœnitent. cap 4. num. 5.* Aversa, & alii quos sequitur M. Prado suprà *num. 47.* eum, qui probabiliter credit non peccasse, aut esse confessum, teneri nihilominus elicere actum contritionis in articulo mortis, nisi præcesserit aliorum peccatorum confessio, aut contritio; imò, & teneri confiteri, si dubitet de sua contritione, casu, quo sola contritio præcesserit. Quia licet opinio probabilis excuset à præcepto divino integritatis confessionis, non supplet medium necessarium ad salutem, qualis est remissio peccati, si fortè fuerit commissum. Ergo ne quis se exponat periculo damnationis, tenebitur medium assumere, quo suam justificationem certam faciat, ac proinde, vel aliorum peccatorum confessionem præmittere, qua indirectè remittatur peccatum (si forsan commisit) quod ex opinione probabili definit confiteri, vel actum con-

contritionis elicere, in quo includitur votum conditionatum confitendi, si aliquando ei innotuerit, illud peccatum fuisse commissum, & non confessum.

6. Dices, si probabiliter judicans non peccasse mortaliter, nulla præmissâ confessione, nec perfectâ contritione, solâ attritione, Eucharistiam in mortis articulo susciperet, licet re vera in statu peccati mortalis esset, justificaretur virtute hujus Sacramenti, quod primam gratiam conferre bona fide accedenti, est sententia expressa D. Thomæ, & Thomistarum. Ergo qui probabiliter judicat non peccasse; nec in articulo mortis tenebitur aliorum peccatorum confessionem præmittere, neque actum contritionis elicere, sed sat illi erit, Eucharistiam attritus suscipere. Respondeo opinionem D. Thom. non esse certam, licet probabiliorem, quæ si falsa sit coram Deo, medium necessarium ad salutem supplere non non poterit. Quapropter ea nemo contentus debet esse in articulo mortis; sed medium certum non omittere, quale est actus contritionis (secundum fidem) aut aliorum peccatorum confessio, nam quæ ex justa causa, vel ex oblivione omittuntur; in eadem confessione quoad remissionem inclusa intelliguntur, ut ex Concilio Tridentino constat.

QVÆSTIO V.

Vtrùm sit obligatio confitendi peccata dubia?

§. PRIMUS.

Doctorum sententiæ referuntur.

1. QUæstionem hanc nostra tempestate celebrem, & ad conscientias exonerandas utilissimam, ut rem non dubiam potius supponebant, quam probabant Theologi. Verum, ut cum P. Vazquez, Azor, Villalobos, & Sayro, rectè admonet Joannes Sanchez *in select. disp.* 29 *num.* 7. negare non possumus aliquando turbam Doctorum amplecti unam opinionem absque delectu rationum, aut saltem non tam exactè rationibus ponderatis, contra quos Doctor alius opinionem aliquam mature excogitatam in scholas introducere potest. Pro hoc igitur dubio de peccatis dubiis, non mediocribus studii impensis jam diu laboravi.

2. Est igitur controversia. An dubius de peccato, teneatur illud sub tali dubio confiteri? Dubium autem hoc dupliciter potest esse, vel negativum, ut cùm quis dubitat, an peccaverit, ita ut pro neutra parte contradictionis possit assensum præbere: vel positivum, ut si quis certus se peccasse, dubitat, ut suprà, an venialiter, an mortaliter? Et in utroque dubio: Prima, & communissima sententia est, peccatorem teneri, sub tali dubio confiteri. Ita plures, quos ad quadraginta referens sequitur P. Thom. Sanchez *in Summ. libr.* 1 *cap.* 10. *num.* 66. & 67. P. Suarez *de Pœnit. disp.* 22. *sect.* 9. *num.* 7. P. Granado *cont.* 7. *de Pœnit. tract.* 9. *disp.* 7. dicens: *Esse certum omninò* P. Henriq. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 3. §. 7. & *cap.* 4. §. 5. & *de Pontif. Rom. Clave, lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 3. *prope fin.* Cardin. de Lugo *disput.* 16. *num.* 63. Leander *disp.* 5. *quæst.* 25. & 26. & alii communiter.

3. Secunda sententia in dubio negativo oppositum tenet. Ideoque asserit, eum qui dubitat, an peccaverit, non teneri confiteri. Ita expressè P. Reginus Coninch, *tract.* 2. *de Sacram. disp.* 7. *dub.* 8. *concl.* 2. ubi sic ait: * Ad hoc, ut peccatum teneat confiteri, requiritur, ut saltem probabiliter possim judicare me peccasse. * Hanc opinionem amplectitur P. Joannes Præpositus. *tom.* 2. *in* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. *in fine*, & semper esse visam sibi speculativè probabilem cum P. Lessio, & aliis, quibus eam communicavit, affert *tom.* 3. *in* 3. *p. quæst.* 5. *de integrit. confess. dub.* 3. quamvis hoc loco addat, in praxi non esse à contraria recedendum. Et in casu æqualis dubii, defendunt Philibertus Marchinus *de Sacram. Ordin. tr.* 2. *p.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. & plures alii, qui eodem modo philosophandum putant in dubio peccati, quoad obligationem confitendi, ac in dubio voti, quoad obligationem adimplendi. Quibus dissentire non potest Fagundez ille, *in Quinque præcepta Ecclesiæ, præcep.* 2. *cap.* 1. *num.* 9. Ubi reddens disparitatem, cur dubius de voto non teneatur adimplere, & dubius de peccato confiteri teneatur: Respondet: * Disparitas est, quia in secundo casu constat, peccatum fuisse commissum, in primo vero non constat votum fuisse emissum, & ideò diversa est ratio utrobique, quia quando expresè non constat, votum fuisse emissum, manet homo possessor suæ libertatis, & ideò melior est conditio possidentis; at vero peccator non est legitimè possessor suæ conscientiæ, cum certo sibi constet de peccato à se commisso, & non sibi constet, fuerit ne mortale, an veniale. * Hæc ille. Ex quibus manifestè colligitur, quod, si peccatori non constet de peccato à se commisso, erit legitimè possessor suæ conscientiæ, sicut, & qui dubitat, an votum emiserit, ac proinde non tenebitur ad confessionem, sicut neque ad votum: In hoc enim casu nulla esset disparitas. Stare etiam pro hac sententia Layman, & Granado infrà citandi, & Auctor casuum conscientiæ Bononiæ *impressu* 3 *fol* 83. & probabilem putat Martinus de S. Joseph *in Monitis confess. tom.* 1. *lib.* 1. *de Pœnit. tract.* 6. *num.* 1. Et pro scrupulosis defendunt Oviedo 1. 2. *tract.* 4. *controv.* 1. *punct.* 2. *num.* 27. & 29. Azor *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *quæst.* 7. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 10. *num.* 82. Castropalao *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 4. & alii, quos sequitur Vercelli *tom.* 1. *quæst. moral tract.* 5. *quæst.* 2. *n.* 6. & cum Suarez, Becano, Granado, & aliis certissimam putat Taburinus *in Methodo exped. confess. lib.* 2. *cap.* 1. §. 3. *num.* 16. quia scrupulosi debent præsumi non peccasse mortaliter. Quam rationem pro omnibus etiam non scrupulosis militare tradit Speculum conscientiæ, *tract.* 1. §. 9. *folio* 122. * Si tu (inquit) dudas, si consentiste en tal vicio, ô pecado, es sennal, que no, y por consiguiente no pecaste mortalmente. * Sic ibi cum to D. Thoma 2. 2. *q.* 36.

4. Tertia verò sententia in discriminatim asserit, non esse obligationem confitendi peccata dubia: Doctores aliqui apud Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *fol.* 492. Inter quos malè pro hac parte refert Partem Suarez *disput.* 22. *de Pœnit. sect.* 9. quia ibi contrariam sententiam apertissimè tenet. Probabilem tamen putat P. Layman *in Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 4. *n.* 37. Ubi sic habet. * Si in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur, tacto illo, de quo post diligentem excussionem dubitat, an commiserit? vel an fuerit mortale? tunc probabile apparet non incumbere ejus confitendi obligationem. * Hanc opinionem speculativè veram dicit Bauni *tom.* 1. *tract.* 4. *de Pœnit. quæst.* 17. Licet ipse contrariam invitus, ut ibidem fatetur, sequatur. Et amplectuntur Illust. Caramuel *in Theol. mor. lib.* 3. *de conscientia*

scientiæ dictamine, & apud illum Pater Amicus, & Theses Lovanienses in Collegio Societatis Jesu. Et item *in Theolog fundament. à num.* 1322. *fol.* 671. & *fol.* 691. §. *Object.* 3. ubi inquit.* A ratione non solùm esse probabiliorem, sed moraliter certam.* Et sequuntur Joseph de Januario *in resolut. Theolog. mor. tom.* 1. *resolut.* 2. *per totam.* Joannes Martinon *in Theologia scholastica tom.* 5. *disp.* 50. *sect.* 8. *à n.* 91. Ferrantinus *de Scandalo, quæst.* 77. *à n.* 31. Petrus Marcantius *in Tribunali Sacram. tract* 4. *tit.* 6. *quæst.* 5. Et cum Jesuaido à Bononiis, & Scipione Paulutio, defendit novissimè D. Franciscus Verde *in opusculo pro Caramuele, quæst.* 12. *p.* 1. §. 1. *n.* 547. *fol.* 145. & 146. & supponit M. Aruaxo *in decision. moral. de statu civili, disp.* 9. *casu* 11. *n.* 9. *fol.* 455. ubi sic.* Ecclesia non præcipit confiteri hoc, aut illud in particulari, sed in communi cuncta peccata mortalia, certo talia, & alias non confessa.* Et probabilem putant Castro Palao *tom.* 4. *de Poenit. tract.* 23. *punct.* 9. Quia contrariam, quam sequitur veriorem vocat, & Angel. Bossius *tom.* 1. *à num.* 1754. Et hanc opinionem esse practicè probabilem, tenuerunt plures Doctores Romani à P. Carolo Musarat Societatis Jesu consulti, & plurimi ex Doctoribus Complutensibus, & in eadem Universitate sacræ Theologiæ publici Professores, eximique Theologi, quos à se consultos refert R. P. Leander à Murcia *in Disquis. lib.* 1. *disp. unica, resol.* 8. *n.* 26. & 27. Et hanc sententiam probabilem esse, suo calculo firmarunt Revisores Societatis, ut testatur P. Ferrantinus ubi suprà *tit. de scandalo q.* 77. *à n.* 31. Ubi hæc ex illis refert verba* Opinionem de peccatis dubiis negativè (mirum de quibus non fertur judicium, quod non fuerint commissa) judicavimus olim non debere permitti in Societate, cum vix reperiretur unus scriptor, qui illam tueretur. Modo verò cum jam apertè, & ex professo in suis scriptis tueantur, præter Ægidium Coninch, Petrus Marchantius, Caramuel. Josephus de Januario, & Joannes Martinon: & alii multi scriptores judicent probabilem, censemus posse jam in scholis Societatis permitti.* Eandem opinionem in ordinead recipiendam Eucharistiam amplectuntur. P. Granado *in* 3 *p. controv.* 6. *tract.* 1. *disp.* 7. *n.* 13. P. Sà *verb. Eucharist n.* 23. & tanquam probabilem admittit Leander à Sacram. *de Euchar. tract* 7. *disp.* 7. *quæst.* 11. & Mascarennas *tract.* 4. *de Eucharist. cap.* 4. *n.* 242. Et in dubio æquali consentiunt Paulibertus Marchinus *de Sacram. Ordin. tract.* 2. *p.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. & M. Paulus de Blanchis *in disceptat. cas. conscientiæ, disp.* 3 *in lit. C fol.* 1, 6. ubi sic.* Si ille, qui vult accipere Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, non cognoscit, nec vehementer suspicat se esse in mortali, non est necesse, ut confiteatur ante sanctissimam communionem.* Hæc ille.

5. Exant quis hanc sententiam tenu isse Paludanum, D. Antoninum, & Tabienam, quando dubium est æquale, refert P. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 45. *in glos. lit. P.** Addunt, inquit, Paludanus, Antoninus, & Tabiena id verum esse (nempè teneri confiteri peccata dubia) quando magis declinat id fuisse peccatum mortale, aut non fuisse illius confessionem, alias in dubio æquali, ut non tenetur ad votum, & onus præcepti, tanquæ ad confessionem illius. Contra Gerson *Alphabeto* 41. *lit. F.* qui obligat in æquilibrio, &c. At revera hic (ait Henriquez) potest practicè deponere dubiam conscientiam, & sic exsistatur à præcepto, sed in mortis articulo expediet confiteri, si facilè non habeat contritionem, aut aliud Sacramentum, ne se exponat periculo damnationis.* Hactenus Henriquez, quem immerito nonnulli calumniantur, hos Doctores pro hac sententia adduxisse; eos recolui, & planè in veni illi faventes, quia obligationem confitendi peccata dubia de probabili tantùm dubio intelligendam tradunt, nempe quando quis probabiliter putat se peccasse. Ita D. Antoninus apud Tabienam *verb. Confessio, 2. num.* 12. Ubi loquens de prædicta obligatione, sic inquit.* Secundum Archiepiscopum Florentinum debet intelligi de dubio probabili.* Cujus sententiæ adhæret ipse Tabiena *ibidem*, & expressius *num.* 14. dicens:* Tenetur iterare confessionem, quando advertenter tacet aliquid, quod est mortale, vel credit, vel probabiliter dubitat, esse mortale.* Quibus consentire videtur Mag. Zanardus 1. *part instruct de Sacram. Pœnit de dubiis pro confessione*, §. 8. *Quæritur, fol. mihi* 213. qui obligationem confitendi non agnoscit, dum quis non judicat probabiliter se peccasse. Licet in casu æqualis pro utraque parte probabilitatis, ad confessionem obliget.* Octavo, inquit, quæritur, an ad integritatem confessionis spectet confiteri peccata dubia? Respondetur, quòd pœnitens tripliciter potest dubitare peccatum esse commissum, & non confessum. Primò, probabiliter tenendo peccatum esse commissum, & non confessum, & tunc tenetur. Secundò: habendo rationes probabiles pro utraque parte, & tunc etiam tenetur confiteri. Tertiò: habendo rationes probabiliores pro confessione facta, & sic debet omnes scrupulos reiicere.* In quibus, ut patet, solùm comprehendit casus judicii probabilis de peccato commisso, & solùm obligat ad confessionem peccati dubii eum, qui probabiliter tenet se peccasse, dùm oppositum non sit ipsi probabilius, eum verò qui judicium suspendit, neutriparti assensum præstare potens, obligatione adstrictum non agnoscit.

§. II.

Tertiæ sententiæ fundamenta, ejus probabilitatem ostendunt.

6. NEmo negare potest hanc sententiam à loco extrinseco valdè probabilem esse, id enim Doctorum, quos congessi, auctoritas apertissimè evincit. Nec ab intrinseco negare audeo, habet enim efficacissima fundamenta, quæ improbari non possunt.

7. Probo 1. efficaciter ex Concil. Tridentin. *sess.* 14 *cap* 5. ubi totam materiam necessariam hujus Sacramenti explicans, sic definit.* Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excussierit, ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Ex quibus sic formo argumentum. Ille tantum tenetur confiteri, qui meminit mortaliter offendisse Deum, sed qui dubitat, an peccaverit mortaliter, non meminit mortaliter offendisse Deum: ergo qui dubitat, an peccaverit mortaliter, non tenetur confiteri. Consequentia est legitima, major est de fide, minor indubitata apud Theologos, & mille exemplis demonstrabilis: nam qui meminit de solutione debiti, non tenetur solvere, secus qui dubitat. Qui meminit de recitatione officii, non tenetur recitare, secus qui dubitat. Qui meminit se confessum fuisse, non tenetur confiteri secundum omnes, secus qui dubitat. Rursus nemo potest jurare se meminisse de illo, de quo dubitat: ergo qui dubitat, non meminit. Ergo qui dubitat, an mortaliter

taliter peccaverit, non meminit mortaliter offendisse Deum; sed Ecclesia, ut fides docet, nil aliud exigit à pœnitentibus, nisi quod ea peccata confiteantur, quibus Deum suum mortaliter offendisse meminerint: ergo non exigit confiteri peccata dubia.

8. Confirmatur ex Aristotele *lib.1 de memoria, & reminiscentia*, & ex D. Thoma *ibidem lect* 1. Ubi explicans cum Philosopho, quid sit, *meminisse*, inquit, * semper, cum anima memoratur, pronuntiat, se vel priùs audivisse aliquid, vel sensisse, vel intellexisse. * Sed, qui de his dubitat, non pronuntiat, se audivisse, vel intellexisse; sed dubium esse, an audierit, & an intellexerit: Ergo qui dubitat, non memoratur: ergo qui dubitat, an peccaverit lethaliter, non meminit mortaliter offendisse Deum: ergo non tenetur confiteri. Urgetur: Quia dubius ab ignorante non distat, *l. Manifestissimi, §. Sin autem nescius. Gaen. Lusita. decis. 91. num. 1. in princip.* Imò comparantur ex Surdo *decis. 265. num. 17.* Sed qui ignorat, non est memor, ergo nec qui dubitat.

9. Secundo probatur, quia omnia jura clamant, in dubio delicto reum esse absolvendum, & consequenter esse liberum ab obligatione, quam ratione delicti subiturus erat. A qua regula juris, utpotè rationi consona, inquit Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 10. num. 48.* non est recedendum absque textu expresso. Accedit, quod in dubio non debet præsumi delictum: & in nullo foro aliquis accusari debet de delicto, quod commisisse, ita ostendi non potest, ut data indicia, & conjecturæ assensum non generent. Ergo nemo tenetur se accusare de peccato dubio. Hac ratione ducuntur auctores pro secunda sententia citati: verum si alicujus ponderis est, qui hanc sententiam amplectuntur in dubio negativo, debent etiam in positivo amplecti, ne inconsequenter loquantur: nam rationes allatæ, & afferendæ, vel in utroque præstant, vel in neutro: nam si delictum præsumi non debet, potiori jure, licet constet de delicto, non debebit præsumi grave. Deinde materia necessaria accusationis est delictum grave: ergo si nemo accusari debet de delicto, quod non sit probabile, nemo tenebitur accusari de delicto gravi, quod probabile non sit. Ergo vel in utroque dubio affirmandum, vel in utroque negandum. Et ita sentit Cardin. de Lugo *disp. 16. sect. 2. n. 61.*

10. Tertiò probatur: quia præceptum confessionis, tam jure Divino, quàm humano, solum est præceptum confitendi mortalia: ergo dubitare, an culpa sit mortalis, est dubitare, an contineatur sub præcepto: Sed quando constat de præcepto, & dubitatur, an res aliqua sub illo contingatur, nemo illo tenetur, ut docent P. Thom. Sanchez *in Sum. cap. 10. num. 32.* & P. Salas *1.2. quæst. 11. tract. 8 disp. unica. sect. 25. n 258.* Et cum Filiucio, & Alphonso de Leon, Marcus Vidal *ubi infrà num. 4.* Ergo qui dubitat, an peccaverit mortaliter, non tenetur præcepto confessionis. Urgetur, quia ut ex P. Henriquez probat Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 41. num. 36.* idem est dubitare, an hæc culpa contineatur sub præcepto, ac dubitare, an sit præceptum de illa confitenda. Sed quando quis dubitat, an sit præceptum, non tenetur illo, ut fatentur prædicti Doctores, quos sequitur P. Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 40. sect 5. n. 15.* & P. Sà *verb. Dubium num. 2.* Medina, Sotus, Valentia, & alii, quibus consentit Marcus Vidal *in Arca salutari.* Ubi *de dubiis, inquis. 2. fol. mihi 39.* Ergo qui dubitat, an hæc culpa contineatur sub præcepto confessionis, illo non tenetur; sed qui dubitat, an sit mortalis, dubitat, an contineatur. Ergo, &c.

11. Premo iterum, nam ut colligitur ex Palud. *punct. 34. de cons. num. 4. & 8. & punct. 35. n. 2.* (quod à Theologis communiter supponitur) omne dubium facti pertinentis ad materiam præcepti, reducitur ad dubium juris, in quo dubio nemo tenetur, ut docent communiter Theolog. Hinc dubitans, an sufficientem diligentiam, an hodie sit dies festus, vel an dies festus, vel an vigesimum annum expleverit, nullo præcepto ligatur abstinendi à carnibus, audiendi sacrum, vel jejunandi: quia materia horum præceptorum est abstinentia in die veneris, audire sacri in die festo, & jejunium anno vigesimo primo completo, ac proinde de prædictis dubitare, est dubitare de præceptis, eo quod sit dubium facti pertinentis ad materiam præcepti, quod proinde ad dubium juris reducitur. Sed peccatum mortale est materia præcepti confessionis, ergo dubium de peccato mortali est dubium facti pertinentis ad materiam præcepti, ergo ad dubium juris reducendum, in quo neminem teneri, cõmune est apud Doctores.

12. Insto clarè ad hominem contra Thom. Sanchez *in Sum. cap. 1. nu. 48.* nam ibi manifestè docet, dubium juris esse, quoties dubia est res, seu actio, ex qua jus aliquod, seu lex nascitur: quod sentit etiam expresè P. Arriaga *1.2 disp. 25. sect. 3. n. 15. & 18.* dum inquit.* Quandocumque dubium est circa actionem, qua primo quasi incurrit quis obligationem; tunc standum pro libertate homini. * Insuper ipse Sanchez ibidem cum Suarez *suprà sect. 6. n. 8.* Salas, Navarro, & aliis, docet, in dubio facti posse homicidium, neminem censendum esse irregularem, eo quod in dubio facti pro solo homicidio est in jure præscripta irregularitas: (partialis mirum, quia hæc irregularitas tantum privat usu ordinum majorum, non receptione, nequereddit inhibitum ad beneficia, ut benè probat P. Bresser, *lib. 1. de cons. cap. 8.* Imò si factâ diligentiâ, maneat quis in æquali dubio, non censeri irregularem tradit P. Henriquez *lib. 14. cap. 14. num 3.*) Sed quidquid sit de hoc, omnes Doctores citati apertè sentiunt in dubio facti, ex quo lex aliqua nascitur (excepto dubio homicidii) neminem ea lege obligari: sed peccatum mortale est id, ex quo nascitur ipsa lex cõfessionis, ergo in dubio peccati mortalis, nemo tali lege ligabitur.

13. Respondent Sanchez, & Lugo, in jure esse præceptum confitendi peccata certa, & dubia. Verum hæc responsio est ipsissima adversariorum conclusio, quam non supponere, sed probare deberent, afferentes caput aliquod juris, ubi id expresè præscriberetur, quod non afferunt, neque possunt, quia nullibi reperitur. Ergo si irregularitas, quæ est præceptum abstinendi ab ordinum actibus non obligat in dubio facti præter homicidium, quia in aliis dubiis non invenitur expressum in jure, ut fatetur P. Sanchez: Ita præceptum confessionis non obligat in dubio facti lethalis, quia hoc nullibi reperitur expressum, & ut constat *ex l. quidquid adstringendæ, §. de verb. obligat.* Quidquid adstringendæ obligationis causa dictum est, id nì palam exprimatur, omnibus esse censendum est. Et ut constat etiam *ex cap. ad hæc de jurando, lib. 6.* Ubi agitur de obligatione inducenda, interpretatio debet esse mitis.

14. Quartò probatur, nam ex eo, quod Trident. *sess. 14. cap. 5.* doctrinaliter agens de circumstantiis necessariò confitendis, definiat, mutantes speciem necessariò confitendas esse, & nihil dicat de notabiliter aggravãtibus; communior, & probabilior sententia, ut infrà videbimus, defendit, has non esse necessariò confitendas: quam illationem esse claram ex Tri-

dent.

dent. tùm quia de circumstantiis aggravantibus tacet, tùm quia doctrinam ibi tradens de necessariis ad confessionem, subjungit, *nil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, *docet cum pluribus Leander *tract. 5. disp. 8. §. 1. quæst 3.* Ergò, quia Trident. doctrinaliter agens de materia necessaria confessionis, solùm definit confitenda peccata mortalia, quorum quis conscius, & memor est, nil dicens de peccatis dubiis, sed potius subjungens, *nil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi.* eadem probabilitate tenendum est, peccata dubia non esse necessariò confitenda. Videtur argumentum convincens, cui non dissentit Pat. Vazquez *de Pœnit. quæst. 91. art. 1. dub. 2. n 8.* ubi inquit: *qui ea tantum confitetur, quæ Concilii explicavit esse explicanda, satisfeciſſe præcepto credendum est. *Nec dici potest argumentum hoc esse tantum negativum, non enim purè negativum est, cum Concilium de mortalibus confitendis agens, semper positivè limitet ad ea, quæ memoriæ occurrunt, sicut limitat circumstantias ad eas, quæ speciem peccati mutant.

15. Urgetur, quia confessionis præceptum, rigidum, & valdè onerosum est, & obligatio confitendi peccata dubia, utpotè plurimos afferens scrupulos, valdè est odiosa: ergo præceptum confessionis non est extendendum ad peccata dubia, sicut ob eandem rationem, non extenditur ad circumstantias notabiliter aggravantes, sed potiùs restringendum est, juxtà regulam juris: odia sunt restringenda, & favores ampliandi. Præterquam quod, ut habetur in jure *cap. grave 22. quæst. 3.* injustum est pro culpis dubiis certam adhibere pœnam: non posset autem, non adhiberi pro peccatis dubiis, si materia necessitatis foret. Omitto ipsammet confessionem peccati dubii esse pœnam non exiguam peccati, ut nemo non experitur, ergo non est pro culpis dubiis imponenda.

16. Respondet P. Thom. Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 10. n. 66. & 78.* præceptum confessionis esse favorabile, & ideò extendendum. Quia confessio, inquit, est medicina peccatum sanans, ac præservans à lapsu in similia peccata dubia. Benè quidem; sed non benè indè deducit, confessionem non esse pœnalem. Primò, quia rectè componitur idem esse medicinam, & pœnam, ut de satisfactione Sacramentali definit Trident. *sess. 14. cap. 8.* dicens: *Debere talem esse, ut non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem. *Secundò ad hominem contra ipsum Sanchez: nam de excommunicatione loquens, ita docet apertè *lib. 9. de Matrim. disp. 32. n. 13.* per hæc verba. *Quia ex una parte, inquit, excommunicatio est medicinalis, & ex altera est pœna. *Tertiò, quia reservatio peccatorum est medicina ad præcavendum in posterum, ut tradit Lugo *disp. 20. sect. 2. n. 11.* & non dissentit ipse Sanchez *suprà num. 18.* Et tamen reservationem esse etiam odiosam, & pœnalem, ideòque restringendam, ut non extendatur ad casus dubios, tradit ipsemet Sanchez *in Sum. cap. 10. citato.* Ergo rectè cohæret præceptum confessionis esse medicinam, & simul esse odiosum, & pœnale, ac proinde restringendum, ut non extendatur ad peccata dubia. Fateor institutionem hujus Sacramenti esse favorabilem, & ideò extendendam, quo verò præceptum medicinam valdè pœnalem inficiari non possum, adeo enim grave onus est, ut plures Doctores existiment, supra Ecclesiæ potestatem esse, illud imponere, ea saltem integritate, qua de facto impositum est. Vide Cardin. de Lugo *disp. 15. sect. 6.* Igitur præceptum confessionis extendi non debet, sed tantum confessionis institutio, nam ut benè docet Sanchez *de Matrim lib. 1. disp. 1. n. 4.* cum Glos. Panormit. Bartolo, Baldo, & aliis; constitutio, quæ simul est favorabilis, & pœnalis, extendenda est quatenus favorabilis; & restringenda quatenus pœnalis. Ergo confessio quoad præceptum, utpotè pœnalis restringenda est, & confessio quoad institutionem, utpotè favorabilis amplianda. Unde consequenter fit, peccata dubia non esse materiam necessariam confessionis, sicut nec circumstantias aggravantes, nec peccata venialia, licet confessionis institutio, quia favorabilis, ad hæc omnia extendatur.

§. III.

Alia ejusdem sententiæ præsidia.

17. QUinto probatur nostra conclusio. Semel posita reservatione peccati, præceptum confitendi tale peccatum reservatum, est præceptum illud confitendi Superiori: sicut semel posito peccato mortali, est præceptum confitendi Sacerdoti approbato: sed in dubio an sit reservatum, cessat obligatio confitendi Superiori, ut docent P. Suarez *tom. 5. in 3 p. disp. 40 sect. 6.* P. Thom. Sanchez *suprà n. 74.* & alii communiter: ergo in dubio an sit mortale, cessat obligatio confitendi Sacerdoti approbato.

18. Respondet Sanchez, reservationem esse odiosam, & ideò non extendi ad casus dubios. Fateor, sed consequentiam doctrinæ non capio. Primò, quia ex eo confessio, juxtà Sanchez, est favorabilis quoad præceptum, quia est medicina ad peccata in posterum præcavenda; sed etiam reservatio est medina ad præcavendum in posterum, ut satis innuit ipse Sanchez *libr. 9. de Mat. disp. 32 n. 18.* & docet expresè Card. de Lugo *hic disp. 20 sect. 2. n. 11.* & supponitur à Trident. *sess. 14. cap. 7.* Ergo vel reservatio extendenda est ad casus dubios, vel confessio non est extendenda ad peccata dubia. Secundò, quia ut ait ipsemet Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 10. num. 66.* & probat *lib. 1. de Matrim. disp. 39. n. 5.* cum Bartolo, Covarrub, Azebedo, & aliis: Lex quantumcumque pœnalis, & odiosa amplianda est, quando est in animarum favorem ad vitanda peccata; sed lex reservationis talis est juxtà communem Theologorum sententiam: ergo in doctrina Thomæ Sanchez, non est restringenda, sed amplianda. Genuina igitur ratio, ob quam peccati reservatio, in principiis hujus Doctoris, licet in animarum favorem ad vitanda peccata, non extenditur ad casus dubios, ea est, quam ex ipso Sanchez, & aliis suprà adduximus: nimirum, dubium juris esse, quoties dubia est res in qua lex nascitur, & cum lex reservationis oriatur ex peccato; eo ipso, quod peccatum sit dubium, dubium juris erit, & consequenter nemo illo tenebitur, juxtà communem sententiam. Hæc autem ratio æquè militat in lege confessionis, quæ ex peccato mortali similiter nascitur, ut expendi.

19. Sexto probatur: Qui certus de voto à se emisso dubitat, an post septennium emiserit, non tenetur illo, secundum Malderum, imò idem docet Alphonsus de Leon, quando di[illegible]; an habuerit intentionem se obligandi: & [illegible] tenent Sotus, Veja, Castro Pal. & alii, quand[illegible]oto post septennium emisso, dubitat, an tunc habuerit usum rationis:

quorum opinionem, auctores citans, non improbat Diana 4. *p. tract. 3. resol.* 10. & 11. Ex quibus sic formo argumentum. Certus de voto, & dubius de qualitate, ratione cujus inducitur obligatio, non tenetur adimplere: ergo certus de peccato, & dubius de qualitate, ratione cujus inducitur obligatio, nempè, an sit mortale, vel veniale, non tenetur confiteri. Hujus consequentiæ probabilitatem negare non poterunt plures Doctores suprà citati, qui eodem modo philosophandum putant in dubio peccati, ac in dubio voti.

20. Septimo: Dubium, quod facta diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili, ut docet Thom. Sanchez *lib. 1. de Matrim. disp.* 41. *n.* 46. *§. 2. probatur.* Ergo dubium de peccato lethali, quod facta sufficienti diligentia vinci non potest, æquivalet ignorantiæ invincibili de culpa mortali: sed tacere in confessione culpam, quæ ex ignorantia invincibili non existimatur mortalis, non opponitur præcepto confessionis, ut omnes fatentur, ergo tacere in confessione culpam mortalem, cujus dubium facta sufficienti diligentia, vinci non potest, non opponitur præcepto confessionis.

21. Tandem potest suaderi hæc sententia, quia ad minus dubitari non potest cum auctorisatem Doctorum, quos suprà citavi, tum fundamenta in superioribus jacta, valdè dubiam reddere obligationem confitendi peccata dubia; in dubio autem de obligatione, probabilior sententia docet neminem teneri. Hæc fundamenta majoris mihi ponderis sunt postquam, ut jacent, demandato Rever. P. Joan. de Pinna, Provincialis hujus Provinciæ Toletanæ, examinata fuerunt à plurimis doctissimis viris, & omnes huic opinioni, tanquam probabili subscripserunt.

22. Ex dictis constat, quam incautè, & sine fundamento Diana 4. *part. tract. 3. resol.* 5. dixerit, hanc sententiam esse improbabilem, cum ex una parte tot pro illa militent Doctores, & ex alia, æquè solidis, imo, & solidioribus nitatur fundamentis, quam opiniones aliæ morales, quæ communiter inter Doctores probabiles reputantur. Quibus passim ipse adhæret. Constat etiam, quam audacter Thom. Hurtado Clericus Minor *tom. 2. de Resol. Moral. tract. 12. cap 1. dub. 8.* jactaverit, *esse temerariam, eo quod nullum habeat fundamentum, & sit contra omnes, qui ante, & post Concilium scripserunt. *Sed illi parco, quia nec Authores citatos vidit, nec fundamenta superius jacta perpendit. Quapropter ejus censura improbabilis prorsus est. Nam ut ipsemet *tract. 10. cap. 7. num.* 130. inquit (contra quemdam Neothericum dicentem esse improbabilem opinionem asserentem chocolatum non frangere jejunium) *prorsus improbabile est, dicere, esse improbabilem opinionem, quæ tot patronos, tot defensores, & tot fundamenta habet.* Plures autem, & plura habet nostra opinio pro peccatis dubiis, quam sua pro Chocolato.

23. Caveant tamen pœnitentes, ne semetipsos facilè decipiant, judicantes peccata dubia, quæ certa peccata sunt: v. g. Si Religiosus, vel conjugatus, qui contra castitatem deliquit dubitet, an adverterit ad circumstantiam status: & universaliter si aliquis in quacumque materia delinquens dubitet, an adverterit ad offensam Dei, quam advertentiam ad rationem peccati mortalis requiri, & non sufficere, quod cognoscatur actionem esse contra rationem, defendit cum pluribus Cardin. de Lugo *tract. de Incarn. disp. 5. sect. 5. & 6.* qui inquam, aliquo ex prædictis modis dubitaret, non posset prudenter peccata illa reputare dubia: quia licet forsan prædictas circumstantias explicitè non advertit, semper tamen advertit implicitè, quatenus illam culpæ fœditatem concipit, quam sæpè cogitaverat contrahi ex pluribus illis malitiis, ac proindè supponitur, & præsumitur, pœnitentem fuisse sufficienter recordatum, non solùm in opere externo, sed etiam in desiderii, & implicibus delectationibus, ut benè notat Lugo *ibi. n.* 100. & 103. ac proindè quoties dubitationi accesserit præsumptio juris pro aliqua contradictoria parte, hæc non dubia censenda est, sed probibili saltem, ut rectè cum Soto, Aragon, & aliis docet Sanchez *in Sum. cap.* 10. *citato num.* 13.

24. Nostra autem doctrina solùm procedit de peccatis verè dubiis, de quibus nequit pœnitens accusare, nisi addat se dubium esse, an peccaverit, an verò mortaliter. Nam sialiter se accusare confitendo dubium, ut certum, peccaret mortaliter; ut cum Div. Thom. Paludan. D. Anton. Cajetan. Soto, Sodesma, Sylvestro, & aliis tenet Sanchez *supra num.* 5. Quod adeò certum est, inquit, ut nullus de hoc dubitet, quia alias valdè confessionis judicium varium. Valdè enim diversum judicium ferendum est de peccato dubio, ac de certo. Hæc igitur peccata dubia, quæ nequeunt in confessione absque prædicto addito, explicari, probabile est, posse in confessione taceri, ut omnia, quæ pro hac parte congessi, apertissimè evincunt.

§. IV.

Objectionibus fit satis.

25. POtissimum contrariæ sententiæ fundamentum desumitur ex usu, & praxi totius Ecclesiæ, quæ præceptum confessionis mortalium ita interpretatur, ut ad peccata dubia etiam extendatur. Fateor consuetudinem confitendi peccata dubia; hæc tamen non convincit: nam etiam in una vel Ecclesia est usus, & consuetudo confitendi tempore quadragesimæ, ut ait Trident. *sess. cap. 5.* & tamen non obligat præceptum pro hoc tempore determinato. Præterea est usus, & consuetudo confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, & tamen quæ verba præcepti confessionis majorem latitudinem admittunt; plures Doctores hanc obligationem probabiliter negant. Ergo licet usus, & consuetudo fidelium sit confitendi peccata dubia, tamen quia præceptum confessionis lethalium majorem latitudinem præfefert, possumus probabiliter asserere non inducere obligationem confitendi peccata dubia. Unde fit, quod licet consuetudo communiter dicatur optima legis interpres; nihilominus, quia multoties non in verborum legis proprietate, neque in præcipientis intentione, sed in scrupulo, vel ignorantia, vel majore partis securitate fundatur, non reddit omninò certum legem obligare eo modo quo usu, & consuetudine est recepta.

26. Hinc quotidie videmus Theologos contra usum, & praxim in Ecclesia communiter receptam opinari: pluribus id posset exemplis demonstrari: unum, vel alterum præstabo. Lex præscribens Beneficiariis obligationem recitandi, ita ab initio fuit communiter intellecta, & usu recepta in Ecclesia, ut Beneficium, quantumvis tenue, sub mortali obligaret ad recitandum, & tamen doctissimus Sotus, ut vidimus *tract. 3. de Religione,*

Religione, ubi de Horis Canonicis, quæst. 4. numer. 7. Considerans hanc interpretationem præcepti, non tatione, sed timore fundari, prædictam obligationem negavit. Quem plures posteà sequuti sunt, quorum alii ad obligationem recitandi requirunt, quod valeat vigintiaureos, ut Ledesma *in Sum part. 2. tract. 9. cap. 4. conclus. 5.* Alii, quod Beneficium sufficiat ad tertiam partem sustentationis Clerici ordinarii, ut Malderus apud Dianam 2. *part. tractat. 12. resolut. 9.*

27. Præterea præceptum abstinendi à lacticiniis tempore quadragesimæ, quod latum est *in capit. denique, distinct. 4.* communiter fuit ab omnibus usu receptum, & intellectum de obligatione gravi, & tamen P. Fagundez *præcept. 4. Eccles. lib. 1. c. 2. n. 11.* maturè perpendens prædicti capitis verba adeò strictè non obligare, oppositum his temporibus asseruit. Cui subscripserunt Doctores Academiæ Conimbricens. Eborens. Salmant. & Complutens. quos nominatim citat in sua Apologia, qua prædictam opinionem ad Inquisitionis Tribunal delatam, à multorum calumnia vindicavit, auctoritate, & ratione probans ex sola consuetudine teneri fideles sub mortali à lacticiniis, & ovis in qua dragesima abstinere : Ergo licet consuetudo, & usus confitendi peccata dubia, ita præceptum confessionis exposuerit, & receperit, non inde rectè convincitur, esse certam ejusmodi obligationem. Cum prædicta consuetudo, & interpretatio, non in ratione, & proprietate verborum legis, sed in scrupulo. & majori partis appositæ securitate fundata fuerit. Et ut benè Pat. Vasquez *supr. q. 91. art. 2. dub. 2. n 2.* *Opinio, licet tuti[orem], non ideo est magis animabus expediens, quando est causa multorum scrupulorum.*

28. Objicies 2. Ex Card. Lugo : Tribunal Sacerdotum, cum sint Christi Vicarii, debet extendi ad omnes causas, ad quas extenderetur divinum Tribunal Christi, si visibile aliquod Tribunal in terris erigeret, sed ad Tribunal Christi deferri deberent peccata dubia, non solùm ex charitate propria, ne pœnitens se exponeret periculo damnationis, sed etiam ex charitate erga Deum, qua tenetur in ejus gratiam, & amicitiam redire, & eam procurare. Ergo ad Tribunal Sacerdotum ex eadem obligatione deferri debent. Hæc verò objectio facilè infringitur. Primò, quia licet Divinum Tribunal esset erectum visibile à Christo Domino, non esset unde ex charitate propria teneretur pœnitens confiteri peccata dubia, nam eo ipso quod alia certa confiteri teneretur, à dubiis indirectè absolveretur, & consequenter omnia illi remitterentur. Secundò, quia ex fundamento Cardin. de Lugo, manifestè deducitur, teneri etiam, saltem in articulo mortis, confiteri peccatum, etiamsi probabile sit non fuisse commissum, ne se exponat periculo damnationis, si fortè commisit. Scio Cardin. de Lugo admittere sequelam, sed absque necessitate, quia hoc periculum omninò evitatur confitendo aliqua venialia, vel mortalia jam clavibus subjecta, vel actum contritionis eliciendo : Nec enim charitas propria ad aliud obligare potest, quam ad medium aliquod eligendum, quo periculum damnationis nullum sit, & similiter, nec charitas erga Deum : quia per nuper dictam aliorum peccatorum confessionem, seu contritionem, amicitia Dei procuratur, & in ejus gratiam, si fortè amissa fuerat, pœnitens restituitur. Et ideò ita expressè cum Henriquez, tenet Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 10. num 7.*

29. Urgebis. Pœnitens debet ad hoc tribunal recurrere per confessionem, eo modo quo anteà ad Deum tenebatur per contritionem. Atqui etiam habentes peccata dubia, tenebãtur ad Deum recurrere per contritionem Ergo & modò per confessionem ad hoc tribunal. Sed nescio quo fundamento ad hoc recurras. Quia Christus Dominus potuit hoc Sacramentum ita instituere, ut de peccatis tantum certis debeamus in hoc tribunal judicari. Quod verò sic de facto instituerit, videtur non obscurè inferri ex Tridentino, ut probavi suprà *num. 170.* Omitto, quod ante hujus Sacramenti institutionem tenebatur pœnitens conteri de illis etiam peccatis, quæ probabiliter judicasset fuisse commissa, etiamsi oppositum probabilius sibi esset, ne fortè periculo damnationis secus se exponeret. Et tamen, ut communis sententia fert, non tenetur de his peccatis in hoc tribunali se accusare. Ergo non debet ad illud recurrere per confessionem, eo modo, quo olim ad Deum per contritionem. Hoc tamen non tollit præceptum charitatis de illorum contritione includente votum conditionatum confitendi, cum constet certo fuisse commissa, vel de aliorum saltem venialium confessione, casu quo peccator moraliter certus non redatur de sua contritione. Quia licet opinio probabilis excuset à præcepto divino confessionis, non tamen supplet medium necessarium ad salutem, & remissionem mortalium, si fortè commissa fuerint. Ac proindè non solùm de peccatis dubiis, sed etiam de probabiliter, imò & probabilius non commissis, teneretur in articulo mortis confiteri, si nulla alia commisisset, vel confitenda non occurrisset, secus minimè : quia per Sacramentalem aliorum, etiam venialium confessionem potest certam facere suam justificationem, cum dolore, scilicet, ex motivo universali ad omnia etiam oblita se extendente, & proposito implicito conditionato confitendi, si memoriæ certò commissa aliquando occurrerint, prout opus est, ut virtute clavium remittantur.

30. Objicies. Tridentinum *sess. 14. c. 5.* definit *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui excussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri,* sed qui dubitat, an mortaliter peccaverit. habet conscientiam dubiam peccati mortalis; ergò tenetur confiteri peccatum dubium. In hoc principio nititur contraria, & communis sententia. Sed rogo cur eodẽ fundamento non asseris, teneri etiam ad confessionem qui probabiliter judicat peccasse, licet oppositum etiam probabiliter, imò & probabilius censeat? Nam sicut qui dubitat habet conscientiam dubiam peccati, ita qui opinatur, conscientiam peccati probabilem habet. Respondeo, ergo verba illa: *Quorum conscientiam habent*: explicanda per ea quæ subnectit ibidem Concilium, dicens: *Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, &c* & infra dum inquit : *Nil aliud à pœnitentibus exigi, nisi, ut quis ea peccata confiteatur, quibus Deum suum mortaliter offendisse meminerit.* Quod iterum, Canone septimo, ubi definitionem doctrinæ capitis quinti recopilat, magis exprimit, dicens: *Debere confiteri omnia peccata, quorum memoria habeatur.* Cum igitur dubitans de peccato mortali, ejus memoriam non habeat, ut ex terminis notum est, non obscurè deducitur ex Concilio, non esse obligationem confitendi peccata dubia.

31. Ad hæc facit, quod verba illa capitis quinti: *Quorum conscientiam habent*, nil aliud important, quam ut ea quisque lethalia confiteatur, quorum conscius fuerit. His enim terminis, ut Synonymis utitur Concilium *sess. 13. cap. 7 & Can 11.* Nam loco eorum *Quorum conscius fuerit*, usus est post. à in Canone.

Quos conscientia talis peccati gravat. Dubitans autem non est conscius, ut tradunt Doctores suprà citati. Quibus facit Eusebius Nerenbergius in libro, cui titulus *de la Diferencia entre lo Temporal, y Eterno, lib. 4. cap. 13. §. 1.* ibi: No lo sabe, porque no estudo cierto de el consentimiento, sino q̃ quedo dudoso. *Quia ut inquit Bernardus *lib. de conscient. Conscientia est quasi cordis scientia.* Ergò peccatorum, quorum non est scientia, non est conscientia. Quapropter Bald. *consil. 398. volum. 1.* *Conscientia, inquit dubia, non dicitur conscientia, & in dubio possessor potius debet ipsi favere, quam dissuadere. *Ergo verba illa Concilii, *quorum conscientiam habent*, non inducunt obligationem confitendi peccata dubia, quia solùm habet conscientiam peccati, qui illius conscius, & memor est. Quibus ductus Pat. Sa, *verb. Eucharistia, num. 23.* excusat ab obligatione præmittendi confessionem, quando quis dubitat, an mortaliter peccaverit, quia *non dicitur (inquit) cum conscientia peccati accedere, qui dubitat quidem, sed non putat, *& post illum Granado *tr. 10. de Euchar. disp. 7. n. 13.* In vero dubio, an habens peccatum mortale (dicit Henriq.) posse accedere ad Eucharistiam, sine confessione deponendo dubium, & videtur colligi ex Tridentino dicente confessionem esse præmittendam, quando quis est sibi conscius peccati mortalis, dubitans enim non est conscius. *Quod probabile censent Diana *p. 9. tr. 3. res. 6.* Lorend. à Sacram. *de Euch. tr. 7. disp. 7. q. 11.* Regin. *tom. 2. lib. 29. c. 6. q. 1. n. 99. in fine.* Qui omnes aperte sentiunt, dubitantem speculativè de peccato commisso, posse practicè deponere dubium, nempè formando judicium, quod cum dubio speculativo circa peccatum commissum, licet sibi, non præmissâ illius confessione communicare, eliciendo scilicet actum contritionis, vel aliorum peccatorum confessionem, ne se exponat periculo communicandi indignè.

32. Hæc expositio non leve fundamentum habet in jure Canonico, ut constat ex his quæ tradit P. Molin. *tom. 1. de just. tr. 2, disp. 63. n. 9.* ubi probans continuare præscriptionem, qui post sufficientem adhibitam diligentiam, dubitat an res, quam possidet, sit aliena, utitur argumento desumpto ex Concilio Lateranensi, *cap. ultim. de præscript.* *Ubi (ait Molin.) ad continuandam præscriptionem solùm exigitur, ut qui possidet, in nulla temporis parte conscientiam habeat rei alienæ. *Ergo qui dubitat an res, quam possidet, sit aliena, non habet conscientiam rei alienæ. Ergo similiter qui dubitat, an mortaliter peccaverit, non habet conscientiam peccati mortalis. Discursus videtur legitimus. Si enim dubium rei alienæ conscientiam constitueret, non continuaretur præscriptio in dubitante, ut ex terminis patet; quia in aliqua temporis parte conscientiam habuisset rei alienæ, per quam desinet continuari præscriptio juxta Concilium Lateranense, ubi suprà.

§. V.

Judicium Auctoris.

33. PRopter fundamenta superius jacta, per triginta abhinc annos hanc sententiam valdè probabilem existimavi, & non semel è suggestu discipulis tradidi. Unde Compluti ab anno 1652. (quo tempore Vespertinam Sacræ Theologiæ Cathedram moderabar) inoffenso pede sub præsidio insignium Doctorum celeberrimæ hujus, ubique terrarum, universatis, frequenter defensatur. Nihilominùs maturius considerata, standum censeo pro communi sententiâ, adstruente obligationem confitendi peccata dubia. Ad quam hoc unico fundamento ducor. Quia Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino institui potuit cum hac obligatione: quod autem ita instituerit, suadet communis Catholicorum sensus, & traditio à tempore Apostolorum usque ad nostra continuata, ratione cujus velut inconcussum dogma præceptum confitendi peccata dubia, æquè ac certa, non tam probatum, quàm supposuerunt Doctores, à quorum sensu recedere non licet absque expressa alicujus Concilii definitione, vel argumento convincenti, qualia præsenti non sunt. Nam omnia à ratione superius petita facilè corruunt ex sola traditione, qua docemur præceptum confessionis ex Christi Domini institutione, peccata dubia, æquè ac certa comprehendere. Nam ut ait Augustin. *lib. 4. contra Donatistas.* *Quod universa tenet Ecclesia; nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur. *Quapropter ad illud infirmandum, nullum desumi potest argumentum ex his, quæ circa alterius generis dubia Doctores tradunt; sicut ex eo quod in jure sit irregularitas certò imposita in dubio homicidii, nequit opponi tum allegari, quod secus in aliis dubiis contingit. Quia expressa juris decisio, & determinatio nullum argumento locum relinquit.

34. Ad fundamentum verò, quod ex verbis Trid. *n. 7.* desumitur. Respondetur intentum Concilii, ut ex toto *cap. 5. sess. 14.* apertissimè constat, solum esse revincere hæreticorum nostri temporis delirum, asserentium confessionem, qua ratione præcipitur, esse impossibilem, & conscientiarum carnificinam, qua nemo teneri potest confiteri peccata, quorum non recordatur. Ad quam eliminandam, & suppositum falsitatis convincendum, Concilium fideles instruit de obligatione confitendi ad rem tantum possibilem terminata; eos edocens, ad ea solùm lethalia confitenda, præceptum adstringere, quæ memoriæ occurrunt, id est, quæ potest pœnitens confessioni subjicere. Hic est Concilii scopus. In hæreticorum autem mentem nunquam venit, nec venire potuit, pœnitentem non posse subjicere peccata dubia, sed ea quæ nullo modo memoriæ occurrunt, ad quæ tamen confitenda præceptum confessionis, ex Catholicorum mente, ligare, ideoque de re impossibili esse, garriebant. Contra hos igitur definit Concilium, sola mortalia, quæ memoriæ occurrunt, se extendere. Atque adeò, *impium esse confessionem, qua hæreticus præcipitur, impossibilem dicere*, quod ut dixi non asserebant, nec poterant, de confessione peccatorum, quæ ut dubia memoriæ occurrunt, sed eorum, quæ nullo modo, ut per se notum est. Ab his igitur confitendis eximi fideles Concilium definit, secus ab aliis, quæ licet non ut certa verè subjici possunt. Unde constat opus non fuisse Concilio de peccatis dubiis mentionem facere, nec aliquid, quoad illa indulgere, seu declarare intendisse, quia de his nulla erat cum hæreticis controversia, sed solùm statuere nil pertinens ad impossibile præcipi, quandoquidem ea de quibus nulla est memoria, seu quæ nullo modo illi occurrunt, confiteri non obligat. Nec in ejus mentem venit peccata dubia excludere ab obligatione confessionis, qui nimò materiam esse necessariam ibidem supponit, dum sola venialia libera declaravit. Nam pro quam *omnia mortalia, quorum conscientiam habent*, à pœnitentibus in confessione recensenda definivit, pro-

prosequitur dicens: *Nam venialia quibus à gratia Dei non excludimur taceri citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Ergo cum per peccata dubia, si verè commissa fuerint, excludamur à gratia Dei, nec aliis remediis, quam potestate clavium remittenda sint, necessarium est, juxtà Concilium, ut dubia in confessione recensere.

35. Ex quibus deducitur, verba quibus in hac contra hæreticos definitione, utitur Concilium, juxtà ipsius mentem esse limitanda. Mens enim magis attendi debet, quam verba, *l. labeo in fin. ff. de supellect. leg. l. nominis, & rei. §. verbum, ff. de verb. signific.* Amendat. *in Proemio addit. ad Recop. legum Navar. n* 16. Sigism. Scac. *de appel. q.* 4. *num.* 21. & sæpè alibi: & plures apud Barbos. *Axioma* 148. ac proindè licet verba illa: *Quorum meminerit, & memoria, & conscientiam habeat.* latiorem significationem sortiantur; in præsentitamen strictius usurpantur, in sensu nempè à Concilio intento contra hæreticos, qui ad peccata, quorum nulla est memoria, præceptum confessionis extendi fingebant. Qubus plenè opponitur Concilium oppositum definiens. Cùm his verò rectè cohæret obligatio confitendi peccata dubia, quia ex mente etiam hæreticorum, confessio illorum non est impossibilis, ideoque sub præcepto cadere potest, ut probat textus *in capit. intelligentia. 6. de verb signific.* ubi ita Pontifex. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermo res, sed rei est sermo subjectus.* Et *in cap. propterea* 8. *eodem titulo.* Ubi ita Gregor. *Rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatu amittitur.* Textus *in cap. Marchio* 1. *q.* 1. Azebedo *consil.* 16. *n.* 17.

36. His tamen non obstantibus, scrupulosi cogendi non sunt, peccata de quibus dubitant confiteri, ut docent Doctores *nu.* 3. citati. Quia ut benè observat Card. de Lugo *to. de Pœnit. in prolog. ad Lectorem*: *In ejusmodi personis, non sunt reputanda dubia, nec putandi sunt in dubio obligari, quando alii ratione dubii obligandi essent.* *Quinimò scrupulosis consuli solet, ut omittant confessionem peccati dubii, supponimus enim pro certo non esse peccatum; quia scrupulosi sunt, qui putant esse peccatum, quod tale non est, aut dubitant, an sint confessi peccata, quæ ex circumstantiis, quantum recordantur, constat esse confessa.

37. An verò qui certus de peccato commisso dubitat de ejus confessione, ad illam teneatur? Negant absolutè non pauci. P. Sà, *verb. Confessio, n.* 42. ad obligationem requirit, quod pœnitens certus sit non fuisse confessum. *Nec pœnitens, inquit, debet quidquam confiteri, ni certus sit, illud nunquam fuisse confessum. *Quem sequi videtur Caramuel *in Theol. fundament. fol.* 691. & tenent expresè apud illum, *fol* 688. Theses Viennæ defensatæ, & à tota facultate Theologiæ approbatæ; cujus fundamenta proponit ipse Caramuel ibidem & ad opposita communis sententiæ, respondet, à *num.* 1324. *fol.* 690 in nulla tamen quiescit, ut constat ex his quæ scribit, *fol.* 695. putat enim non teneri in vita confiteri, secus in articulo mortis, si adhuc maneat dubius de confessione. Quod clarius tradit *object.* 7. §. Respondeo, *fol.* 694. Sed absolutè numquam teneri, docet novissimè Doctor D. Franciscus Verde in Opusculo pro Caramuele, *quæst.* 12. *part.* 4. §. 12. *fol.* 161 *nu.* 606. ibi *Dubius an confessus sit peccatum, non debet confiteri, quia præsumitur confessum, cum unusquisque præsumatur facere res benè, & sit bonum examen. Ex quo principio, §. 11. cum Homobono asserit eum, qui dubitat, an recitaverit, non teneri repetere. *Nam factum in dubio præsumitur, quotiescumque quis facit opus ad quod tenetur. *Eandem sententiam partim tenent Paludanus, Tabiena, & D. Antoninus, apud Henriq. *de Euchar. cap.* 45 *in Gloss. litt. P.* Asserunt enim sic dubitantem teneri confiteri, si magis inclinet jam fuisse confessum, secus si in dubio æquali versetur. Quod probant pariter voti, quæ si esset ad rem, nec si magis inclinaret, teneretur: sicut ne qui magis inclinat votum fuisse emissum, ad illud tenetur, ut docet communior DD. opinio, quam sequitur Sanchez *in Sum. t. 1. lib. 1. cap.* 10. *n.* 36. & cum aliis Diana 3. *p. tr.* 6. *Misc. res.* 50. Imò addit Salas 1. 2. *tr.* 8. *q.* 91. *disp unica, sect.* 25. *num.* 254. Ut votum obliget exigi rationes, ita convincere emissum fuisse, ut nulla maneat formido partis oppositæ. Ergo si de præcepto, & obligatione confessionis peccati commissi philosophandum foret, sicut de obligatione voti, de cujus emissione certò non constat, nemo teneretur confiteri, nisi certus esset non confessum fuisse.

38. Cæterum paritas hæc nulla est, quia licet ex dubio voto ad dubium præceptum rectè valeat, quoad vim obligandi, non tamen est paritas inter dubium votum, & certum præceptum, quale est confitendi mortalia commissa. Undè qui certus de præcepto dubitat, an adimpleverit, adimplere tenetur, qui præceptum possidet vim obligandi, qua per dubium superveniens privari non potest, nec præcepto certo fit satis adimpletione dubia, idemque omninò dicendum, quando votum est certum, & quis dubitat, an impleverit, propter eandem rationem. Et hæc est communis sententia Doctorum, quam tenent Suarez *disp.* 22. *sect.* 9. Egidius *disp.* 7. *dub.* 8. *n.* 68. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 16. *n.* 59. *& alii.* Quapropter qui dubitat, an confessus fuerit peccatum commissum, tenebitur illud confiteri.

39. Secus verò [illegible]endum censeo, si dubitans sit scrupulosus, hic enim confiteri non tenebitur ni certò sibi constet non fuisse confessum, ut cum Cajetano, Medina, Navarr. Henriquez & aliis tradit Thomas Sanchez *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 18. Quem cum Rodriguez, Becano, Reginaldo, & aliis sequitur Joannes Sancius in selectis *disp.* 41. *n.* 18. Quorum ratio est, quia in scrupulosis moraliter incredibile est, quod peccata recens commissa memoriæ non occurrerint, post mediocrem diligentiam tunc adhibitam, & quod post multum temporis transacti, nunc occurrant. Ac proinde in ejusmodi personis eo ipso quod dubitent, credendum est adimpleviſse confessionis præceptum, nec verum esse dubium, sed purum scrupulum: & ut ait Sanchez suprà cum Patre Sà *in Sum. verb. Dubium.* Scrupulis nimis vexatus, non solum potest credere probabiliter obligationi confessionis satisfeciſse, dum contrarium non certò sibi constiterit, *sed non debet fateri nisi quæ potest jurare esse mortalia, & se nunquam ea fassum fuisse. *Qui rectè etiam monet, ne confessarius ullis scrupulosi precibus quantumvis importunis acquiescat, ut eum admittat ad ea confitenda, de quibus ipsi scrupuloso dubium supervenit, an ea confessus fuerit, quando mediocri diligentia, eum confessum esse constat. Hoc enim maximè conducit ad obviandum scrupulis. Hæc & alia reperies, apud Sanchez ubi suprà *à num.* 81. salubertima sanè consilia pro scrupulis vincendis.

QVÆSTIO VI.

An qui peccatum, ut dubium confessus est, teneatur, dubio cessante, ut certum confiteri.

§. PRIMVS.

Authorum sententiæ.

1. DOctores omnes, qui difficultatem istam attigerunt, partem affirmativam tanquam certam, & sine controversia definiunt. Ita Thom. Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 10. num. 69.* Luis. de Torres *de Pœnit. quæst. 9. art. 2. disp. 29. dub. 6.* Diana *3. part. tract. 4. resol. 91.* & *4. part. tract. 3 resol. 5. in fine*, Gaspar Hurtado *disp. 9. de Pœnit. diffic. 7. §. Observandum.* Escobar *in Sum. tr 7. exam. 4. cap. 2. num. 112.* Aversa *quæst. 10. sect. 2. §. Quod si*, Martinon. *tom. 5 disp. 50 sect. 8. num. 95.* Oviedo *12. tract. 5. controv. 4. part 7. num 58.* dicens esse omninò certum: & iterum Diana *part. 10. tract. 16. resol. 79.* Et alii communiter. Secus verò esset, si peccatum confessus fuisset ut certum, & post confessionem dubitaret, an commiserit, vel an fuisset mortale: quia iterum confiteri, ut dubium, solùm deserviret ad se excusandum, & non est materia quam in confessione dare teneatur; quia negatio notitiæ certæ non est materia accusationis: sicut neque error commissus in priori confessione, cùm in eo non intervenerit peccatum. Idemque, propter eandem rationem, dicendum est de illo, qui dixisset in confessione plures actus peccaminosos, quam revera commiserat, ut benè docent Bonacina *disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. punct. 3. num. 3.* & Diana *2. part. tract. 3. Miscel. resol. 25.* cum Megala, & aliis contra Hyrivarnem.

2. Quamvis autem hæc sententia asserens obligationem iterum confitendi, ut certum peccatum sub dubio antea confessum, sit adeò inter Theologos certa, & licet communi praxi totius Ecclesiæ præceptum confessionis sic fuerit expositum, nihilominus tamen Cardin. de Lugo pluribus, & efficacibus rationibus contendit probare contrarium. Concluditque *disp. 16. sect. 2. num. 92.* *Aliquos viros doctos id probabile judicasse, in quibus Rever. P. Nicolaus Richardus, Sacri Palatii Magister.* *Addit tamen *se nolle in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. *Verùm jam sine formidine amplectuntur Merolla, & Leander, illum citans *disp. 5. quæst. 27.* Martinus de S. Joseph. *in Monitis confessor. tom. 1. lib. 1. tract. 8. num. 9.* Marcus Vidal *in Arca Theol. Moral. tom. 1. tract. de Pœnit. inquisit. 5. à num. 33.* Caramuel *in Theol. Moral. libr. 3. disp. 4. num. 539.* & iterum *in Theol. fund. fol. mihi 699.* & putant probabilem Pellizarius *in manuali Regularium, tom. 1. tract. 5. cap. 3. sect. 1. nu. 56.* Tamburin. *in method exped confession. lib. 2. cap. 1. §. 4. n. 24.* Angel. Mar. Vercelli *in quæst. mor. tom. 1 tract. 3. quæst. 6. num. 22.* & Fr. Joseph Rosell. Carthus. *in tract. de deponendo conscientiam in dubio, cap. 19. num. 14.* & tuentur Fr. Sebastianus Sachus *in Fasciculo Flor. lib. 1. tract. 4. cap. 3. de consc. dubia, num. 35.* R. P. F. Christoph. Delgadillo *tom de Pœnit. cap. 14. dub. 10.* Ferrantinus *in disp. practicis, q. 78.* Tancredi *in qq. moral. disp. 6. de Pœnit. q. 2. fol. 102.* & Antonius Perez *in manuscripto de Pœnitentia.* Et non improbabilem putat Paterbuser *de Conscientia, lib. 4. cap. 18. n. 197.* Addens, idem dicendum, etiamsi dubitatio procedat circa speciem peccati: quod negat Card. Lugo *sect. 14. n. 387. & 388.*

3. Inter alia fundamenta, quæ pro hac firmanda sententia congerit Lugo; Primum, & præcipuum est hujusmodi. Qui in confessione se accusavit, dicens: *Perjuravi decies, plus minusvè, *si postea recordetur perjurasse duodecies, non tenetur iterum confiteri; quia illa verba *Plus minusvè*, ea duo peccata comprehendunt, ut docent P. Suarez, Vazquez, Cominch, Ledesma, Villalobos, Sotus, & alii, quos citat Lugo *suprà sect. 2. n. 78.* Sed, qui se accusavit, dicens: Perjurasse decies, plus minusvè: non confessus est ut certum undecimum perjurium, sed tantum ut dubium, imò decimum videtur etiam, ut dubium dixisse per illam particulam *minusvè*. Ergo qui confessus est peccatum ut dubium, non tenetur, dubio cessante, iterum ut certum confiteri. Fundamentum hoc tanti apud se ponderis esse, inquit Lugo, ut infringi aliter nequeat, nisi dicendo, eum, qui se accusavit perjurasse, decies, plus minusvè, si postea recordetur fuisse undecies, debere hoc, ut certum confiteri: ut affirmat Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp. 9. diff. 5.* Verum alter Hurtado ex Ordine Clericorum Minorum *tom. 2. tract. 22. cap. 1. dub. 9 num. 107.* argumentum Card. de Lugo irridet, dicens esse infirmum. Sed certè ipse omninò jejunus à difficultate discessit; ut legenti constabit. Nullum enim neque apparens, (quamvis dicat sibi esse evidens) discrimen reddit inter unum, & alterum casum. Quare R. P. Delgadillo ubi suprà asserit *debere eam defendere quotquot affirmant sufficientem, & tutum esse modum illum confitendi: decies, v. g. plus minusvè peccatum commissi. *Quem ferè omnes Doctores admittunt; supponentes esse obligationem confitendi peccata dubia, ac proinde numerum dubium; & tamen à numero posteà, ut certo cognito subjiciendo excusant. Ex quo ad peccatum singulare dictum ut dubium, consequentiam urgere, cùm Lugo autumat.

4. Secundò probat Lugo ratione à priori: quia suprà peccatum dubium cadit absolutio directè. Sacerdos enim absolvit ab illo directè sub conditione implicita, si fuerit commissum: ad quid ergo iterum ad judicium deferendum? non ad absolutionem directam, quia jam pœnitens est ab illo absolutus, & quidem directè: ergo repugnat, quod obtinuerit absolutionem directam à tali peccato, & quod adhuc sit obligatus illud iterum ad judicium deferre, pro absolutione obtinenda.

5. Cæterum, si hæc fundamenta aliquid probant, manifestè etiam evincunt, eum, qui de nullo peccato dubitans; sub conditione se accusaret, dicens: *Decies falsum juravi, sed me accuso de omnibus aliis juramentis falsis, si fortè alia commisi.* Hunc, inquam, non teneri ultra confiteri; licet posteà recorderit, se fuisse falsum jurasse. Quod mordicus negat Card. de Lugo *suprà num. 87.* cum communi Theologorum sententia, & merito quidem. (quamvis non recte) concedere Vivald. apud Dianam *3. p. tract. 4. resol. 94.* Quod ipse Diana, neque approbare, neque improbare ausus est; sed viris doctis judicandum reliquit) Sequela probatur: nam qui peccatum ut dubium confessus est; ideò, advenientes notitia certa, non tenetur iterum, ut certum confiteri, ut ait Lugo, quia jam de illo sub conditione se accusaverat; quid enim aliud est peccatum sub dubio confiteri, quam se de illo accusare sub conditione, si fuerit, quam

rè commissum. Sed hoc idem contingit in casu, in quo de nullo peccato perjurii dubitans, se accusaret, ut suprà: ergò non tenebitur iterum confiteri, licet postea recordetur, vigesies, vel trigesies juràsse.

6. Urgetur primò retorquendo fundamentum Cardinalis. Ideò supra peccatum dubium cadit directè absolutio, quia Sacerdos sub conditione implicita directè absolvit, ergò suprà illa juramenta, de quibus pœnitens sub conditione se accusavit, cadet etiam directè absolutio, quia Sacerdos absolvit ab illis directè sub conditione, quod fuerint commissa; ad quid ergò iterùm ad judicium sunt deferenda? non ad absolutionem directam, quia jam pœnitens fuit ab illis directè absolutus, non ut aliam notitiam tribuat confessario, nam quævis notitia debet esse in ordine ad absolutionem, quæ jam non indiget, cùm sit directè absolutus: ergò repugnat, quod obtinuerit absolutionem directam ab illis juramentis, & quod adhuc sit obligatus iterum ad judicium deferre pro absolutione obtinenda. Respondet Lugo, eum, qui non dubitat, nullo modo se accusare de illis juramentis; sed non satisfacit: quia ipsemet pœnitens explicitè dicit, se accusare de illis, si fortè commiserit. Se autem sub conditione accusare rectè compatitur, cum ignorantia invincibili peccati commissi, juxtà illud Psalmi: *Ab occultis meis munda me Domine.*

7. Urgetur secundò, quia eadem materia subjicitur clavibus ab eo, qui dubitat, & ab eo qui non dubitans se accusat sub conditione: in utroque enim casu potest contingere, ut nullum peccatum commiserit: solumque est discrimen, quod in dubitante præcedit dubium de peccato, secus in altero: materia autem, quæ subjicitur externè, non est suspensio actus, nec judicium, sed objectum illius, scilicet peccatum, de quo sub conditione se accusat. Sed etiamsi non dubitet, potest sub conditione peccatum clavibus subjicere: ergò ubique eadem materia, & eodem modo subjicitur: ergò vel in utroque casu tadit directè absolutio suprà illam, vel in neutro.

8. Urgetur tertiò, si aliquis de excommunicatione non dubitans, sed ratione solius possibilitatis incursionis, peteret ad cautelam absolutionem illius, etsi postea certò comperiret, prædictam censuram incurrisse, non indigeret novâ absolutione, ut fatetur Lugo, quia nova illa notitia nil aliud esset, quam comperuisse, positam fuisse conditionem, sub qua absolutio collata fuerat. Ergò similiter si quis se accusaret sub conditione de peccatis, de quibus nullo modo dubitaret; sed ratione solius possibilitatis commissionis, non teneretur certior factus iterum confiteri, quia notitia illa de novo adveniens, nil aliud est, quam certò cognovisse positam fuisse conditionem, sub qua absolutio data fuerat.

9. Vidit difficultatem Card. de Lugo, & respondet, non esse paritatem à possibilitate censuræ ad possibilitatem peccati: quia Pontifex potest sub conditione tollere censuram, non præcedente accusatione; at verò Sacerdos nequit in Sacramento tollere directè peccata, etiam sub conditione, nisi ut judex, & præcedente accusatione. Ille autem, qui solùm proponit peccata, ut possibilia, nullo modo se accusat, ac proindè non subdit ea judicio, & potestati Sacerdotis: secùs qui proponit, ut dubia. Sed contrà primò; censura possibilis est materia absolutionis provenientis à potestate jurisdictionis, licet nulla præcedat dubitatio ex parte petentis absolutionem, quia ad hujus effectum sufficit reipsa incursam esse, licet de illa non dubitetur, sed possibilis tantum agnoscatur. Ergò similiter peccatum possibile notum, & subjectum clavibus sub conditione, si fortè fuerit commissum, erit de se materia sufficiens absolutionis provenientis à Sacerdote, ut judice; licet ex parte pœnitentis nulla dubitatio præcedat, dummodò reipsa commissum fuerit.

10. Contra secundò, quia de peccatis, de quibus pœnitens dubius non est, potest in oratione veniam petere sub conditione, si fortè commiserit, ut diximus suprà, juxtà illud Psalmi 18. *Ab occultis meis munda me Domine*; quæ ad peccata penitùs oblita, & de quibus ne dubitationem quidem aliquam Regius Vates habebat, referenda sunt, juxtà communem hujus loci expositionem, & Trid. mentem *sess.*14.*c.*5. Ergò de peccatis, de quibus ne dubius quidem est, potest se accusare sub conditione, si fortè commiserit. Ergò sicut à peccatis dubiis, de quibus conditionatè se accusavit, absolvitur directè conditionatè, ita & à peccatis occcultis, de quibus conditionatè se accusaverit. Confirmatur, quia juxtà doctrinam Card. de Lugo quæstione præcedenti adductam, eorum potest quis per confessionem in hoc tribunali veniam quærere, quorum per contritionem posset; si Sacramentum Pœnitentiæ institutum non fuisset, sed tunc posset per contritionem veniam quærere sub conditione de peccatis penitùs oblitis, de quibus nullam haberet dubitationem. Ergò & modò per confessionem sub conditione potest.

§. II.

Vera Sententia.

11. PRopter hæc, cum communi Theologorum sententia tenendum est, omnia peccata sub dubio, vel sub conditione clavibus subjecta, debere iterum cessante dubio, ut certa confiteri. Ita Doctores citati *num.* 1. & alii communiter, quos sequitur Card. de Lugo *tomo de Sacram. Pœnit.* luci dato priùs, quam ad purpuram fuisset assumptus *disp.* 16. *sect.* 2. Ubi postquam fundamenta pro contraria proposuit, concludit, dicens: * Hæc faciunt pro hac parte, propter quæ aliqui viri docti probabile judicarunt, non teneri postea pœnitentem confiteri ut certum, quod priùs sub dubio confessus fuerat, prout tunc revera sibi erat. In quibus erat R. P. Nicolaus Ricardus sacri Palatii Magister, cum quo privatim rem hanc contuli, & ipse privatim etiam respondit, valdè probabile sibi videri non adesse talem obligationem, id quod alii etiam judicarunt. Cæterùm, quia in re morali non est facilè recedendum à communi sensu, & quia nullum invenio Scriptorem pro ea parte, &c. nolo ego in hoc puncto aliquid definire, sed securiorem partem consulere. * Sic eminentissimus, tunc scientia, in cujus verbis ly *securiorem* non comparativè, sed adversativè accipio, ut apud Div. Thomam, & ejus discipulos non rarò usurpari monet Vincentius Baronius in opere contra Amadæum, pluribus in locis: & argumenta, quæ pro contraria confecit, disputandi gratia, non proprium sensum aperiendi producta credam. Hanc igitur communem sententiam amplectitur Card. Lugo ubi suprà, & expressius *n.*78. dicens (magis quidem consequenter aliis) eum, qui se accusavit: decies plus minusvè pejerasse, teneri postea duo alia perjuria confiteri, si certò noscat fuisse duodecim. Quod, ut jam monui, tuetur Gaspar Hurtado *num.* 3. citatus.

12. Aliorum rationibus omissis, sic ego conclusionem probo. Pœnitens, ut constat ex Trid. tenetur ea peccata confiteri, quibus Deum suum graviter offendisse meminerit, sed qui peccata sub dubio, vel sub conditione confessus est, non est confessus peccata, quibus Deum suum graviter offendisse meminerit, ergò non satisfecit obligationi præcepti. Hoc argumentum rem evincit, negata obligatione confitendi peccata dubia, ea verò concessa, instaurandum sic: Peccatum reverà commissum sequitur per se obligatio, ut tale confitendi, à qua dubium subortum per accidens partim excusat, sicut oblivio in totum excusaret: ergò sicut cessante oblivione, rediret per se integra obligatio, ita & cessante dubio, in integrum restituetur: ergò reviviscit obligatio confitendi peccatum reverà commissum ut tale; obligatio enim ista non fuit extincta, sed suspensa per dubium subsequens: Ergò adveniente postea certa notitia, tenebitur iterum confiteri (sicut ab initio tenebatur) ut directè nunc absolvatur à peccatis absolutè, à quibus directè conditionatè absolutus fuerat. Sicut enim adversarii cum communi sententia benè asserunt, neminem ab onere confessionis liberari, ex eo præcisè, quod à peccatis fuerit absolutus: Ita ego ex eadem Theol. sententia assero, neminem ab onere confessionis eximi, ex eo præcisè, quod fuerit directè absolutus, sed ex eo quod directè absolutè; Quod omnes docere tenentur, ne in Vivaldi opinionem omnibus exosam abire cogantur. Quibus ni fallor manifestè occurritur rationi à priori, quam adducit Card. de Lugo.

13. Ex dictis mihi evidens est, verba illa, *plus minusvè*, de more addita in confessione, non addi ad subjiciendum clavibus peccatum aliquod peculiare, de quo pœnitens dubitat, an commiserit. Nam idemmet Doctores, qui defendunt, eum, qui se decies plus minusvè perjurasse, confessus est, non teneri, dubio cessante, undecimum perjurium confiteri; mordicus simul defendunt, eum, qui peccatum, ut dubium confessus est, teneri dubio cessante, iterum ut certum confiteri. Ergò nullus Theologus accepit illa verba *plus minusvè* in sensu, quem Cardin. de Lugo supponit. Nequit igitur ex communi Theologorum sententia fundamentum desumi ad singularem contra omnium opinionem firmandam. Qui enim recordaretur decies perjurasse, & dubitaret de aliquo alio perjurio in particulari, non sufficienter se accusaret dicens, decies plus minusvè perjurasse, sed teneretur juxtà communem sententiam dicere: decies perjuravi, & de alio perjurio dubito. (secus in negante obligationem confitendi peccata dubia; in hac enim solum tenetur ad numerum mathematicè, vel moraliter sibi certum) Unde fit dubium designatum per illa verba, *plus minusvè*, longè diversum esse ab illo, quod vocare solemus peccatum dubium, vel sub dubio confessum.

14. Explicationis igitur gratia; duplex dubium distinguendum est. Primum circà peccatum aliquod in particulari, quod ita memoriæ occurrit, ut nequeat Pœnitens judicare determinatè, an commiserit vel non. Secundum; circa numerum peccatorum in generali, eo quod nequeat ad certum numerum commissa reducere: quod rectè contingere potest, (ut experientia testatur) absque dubio occurrente circà substantiam alicujus peccati in particulari. Hinc facilè possunt conciliari Doctores, si dixerimus, peccatum dictum, ut dubium, cadente dubio suprà substantiam alicujus actus in particulari, debere (juxtà omnes Theologos antiquiores) cadente dubio, ut certum confiteri: secus verò, si dubium tantum cadat suprà numerum, eo quod nequeat pœnitens ad numerum mathematicè determinatum reducere. Ratio est, quia obligatio confitendi numerum, magnam habet latitudinem, ut bidicemus. Hæc namque obligatio, juxtà communem Theologorum sententiam, solum est ad explicandum numerum mathematicè, vel moraliter determinatum, quod fit per illa verba *paulò minusve*, ut confessarius verosimiliter percipiat multitudinem peccatorum, & statum pœnitentis. Ut docent P. Granad. *in 3 p. controv. tract. 9. difficult. 10. n. 8.* P. Fagundez 2. *præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. n. 3.* Dian. *1. p. tract 6. resol. 39 & 4. p. tract. 14. resol. 55.* Et cum Cajetano, & Soto, M. Prado *to. de Pœnit. q. 84. 87. dub. de peccatis dubiis nu. 58. fol 33.* Et fatetur Card. Lugo *disp. sect. 14. n. 587. & 588.* Ubi expresè cognoscit differentiam inter dubitationem, quæ versatur circa numerum, & quæ circa quam speciem peccati in particulari. Cui consentit Leander suprà. De hoc igitur dubio cadente tantum suprà numerum loquuntur Doctores, dum excusant ab obligatione iterandæ confessionis, eum, qui cum se accusasset decies plus minusvè perjurasse, recordatur postea fuisse duodecies. Sic respondet M. F. Petrus de Tapia Catena *mor. lib. 4. quæst. 15. artic. 9. folio mihi* 447. apud quem post hæc scripta gratulabundus inveni. Unde ex ipsorum doctrina inefficax sumitur argumentum ad probandum, peccatum dictum ut dubium, cadente dubio suprà substantiam actus, non debere, illo cessante, ut certum confiteri.

§. III.

Dubiolum occurrens.

15. ROgabis: Quantum se extendant illa verba *plus minusvè*? Aliqui putant tantùm extendi ad quartam partem summæ, cui adjiciuntur, v. g. si dicas: Octo plus minusvè, verificatur in sex, & in decem. Alii addunt, si quis se accusaverit; decies plus minusvè pejerasse; si postea recorderetur de aliis tribus, vel quatuor vicibus, non teneri illas confiteri: ita cum Filiucio, & aliis Diana *3. part. tract. 4. resol. 94. & 4. part. tract. 4 resol.* 204. Ubi cum Navarro putant, quod si quis confiteretur centum plus minusvè, non amplius teneretur confiteri, licet postea recordetur, fuisse centum, & decem. Ego verò cum Vazquez apud Dianam *suprà*, arbitrio prudentis relinquendum censeo, juxta peccatorum summam, cui illa verba *plus minusvè*, superaddantur: & ita videtur sentire M. Trexeda *tom. 1. lib. 2. tract. 3. controv.* 10. Ubi indistinctim asserit. * Si postea confessione finitâ, recordetur illorum peccatorum, quæ confessus est, majorem esse numerum, non teneri iterum confiteri, quia illa confessio cum sufficienti examine facta, moraliter loquendo, comprehendit, & claudit totum peccatorum numerum, & illâ particulâ à pœnitente adjecta æquivalet omnibus aliis, & per illam confessa rius satis devenit in cognitionem status pœnitentis. *

16. Imò addit Delgadillo *ubi sup. cap. 17 dub. 34.* idem prorsus dicendum, licet numerum certum, & determinatum confessus fuisset. v. g. *Decies peccavi*, non addendo particulam: *plus minusvè*. Quia implicitè, inquit, & interpretativè videtur inclusus (magis

nume-

numerus) in quavis confessione: * sed non acquiesco, quia determinatio illum excludit. Et multò minus opinioni Vivaldi *in Candelabro Aureo, de confessione, tract. 7. §. Sed dixi. fol. 106.* asserentis, eum qui confessus fuit, centies plus minùsve juravisse, verè satisfecisse, nec teneri iterum confiteri, licet posteà recordetur *fuisse* 200. Quod putat etiam probabile Verricelli: *tom. 1. quæst. mor. tract. 5. q. 6. nu. 23.* Verùm hæc opinio omninò mihi improbabilis est, imò, & quam sequitur ipse Verricelli *tract. 1. quæst. 8.* dicens illa verba *plus minùsve* addere, quoad confessionem, mediocritatem suprà summam expressam, ita ut qui confessus est centum plus minusvè, non teneatur iterum confiteri, licet reperiat fuisse centum, & quinquaginta. Sed hæc nullam, ut dixi, probabilitatis speciem habent, quia ex communi modo loquendi, particula adjecta longè minorem summam significat, ideòque major ille numerus non clauditur moraliter in illa confessione.

QVÆSTIO VII.

Utrùm sit obligatio confitendi lethalia in confessione oblita?

§. PRIMUS.

Singularis sententia refertur, & rejicitur.

1. REmhanc in dubium revocarunt, paucis ab hinc annis, recentiores nonnulli, adulterantes Concilii Trident. Sanctiones, & Theologorum sententias. Quam propterea in disputationem adducere opere pretium duxi, ut Recentiorum fundamentis explosis, veritas, me judice, ad fidem pertinens omninò firma, & inconcussa maneat.

2. Igitur doctissimus Leander à Murcia ex Capuccinorum Ordine, apud quem primò in controversiam rem istam deductam & typis datam invenio, *lib. 2. disquis. moral. in 1. 2. D. Thom. disp. 4. resol. 25.* nonnullos suppresso nomine refert asserentes, neminem teneri confiteri peccata lethalia, quæ ex inadvertentia, seu oblivione in confessione Sacramentali omittit. Cujus delirii fundamenta per extensum ipse proponit, & argumenta communis sententiæ in contrarium dissolvit: & quamvis singularem recentiorum ipse non sequatur; sic illam recitat *nu. 9.* * De hac opinione vidi ego, dum essem Neapoli tractatum integrum à quodam docto Religioso nostri Ordinis, cui subscripserunt plures quàm duodecim viri doctissimi ejusdem Civitatis, & Regni Neapolitani, quorum subscriptiones ego vidi, & posteà dum Romæ essem, alius vir doctus de ea me consuluit, ipsamque tanquam veritissimam tuebatur. Sic refert Leander à Murcia. Sed tamen ipse, & meritò contra concludit, dicens: * Sed his non obstantibus, hæc opinio nullatenus sustineri, aut defendi potest in praxi; tum quia nova, & à nemine hucusque in lucem edita, tum quia contrarium tanquam certum docet communis opinio; tum quia eadem communis tutior omninò est, & totius Ecclesiæ praxi confirmata: tum quia hæc opinio ex aliqua parte (nempè quoad confessionem obliti ante communionem præmittendam) expungi mandata est à sancta Inquisitione, cujus judicio in rebus fidei, & morum standum est, contrariis non obstantibus quibuscumque. * Hactenus Leander. Apud quem nollem adeò benignam censuram inveniisse, cùm non solùm improbabilis sit, & ut minimum scandalosa (& novissimè, ut talis damnata à Sanctissimo nostro Alexandro VII. die 24. Septemb. anno Domini 1665.) sed, ut ego opinor, erronea.

3. Moveor communi Catholicorum sensu in Trident. expresso *sess. 14. cap. 5.* ubi adeò apertis verbis proponitur, ut mirum sit in mentem viri docti contrariam venire potuisse. Expende Concilii verba definientis. * Institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis, jure Divino necessariam esse. * Et infrà. * Cùm universi, mortalia, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere. * Et inferiùs *Can. 8.* * Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut traditionem humanam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus fideles, anathema sit. * Hactenus in Tridentino.

4. Ex quibus sic argumentor. Omnes Christi fideles tenentur omnia mortalia commissa confiteri; sed qui in aliis confessionibus oblitus est peccati, cujus modò memoriam habet, non est confessus omnia mortalia commissa, ergò tenetur ea, quæ non est confessus, cùm eorum memoriam habeat, confiteri. Hæc est conclusio Theologica, ex majori de fide, & ex minori lumine naturæ nota. Est ergò certum teneri confiteri, non minùs quàm eum, qui debens centum, sed ex oblivione quinquaginta tantùm solvit; teneri posteà memorem ad alia quinquaginta solvenda. Premo sic: de fide est, omnes Christi fideles teneri * ad omnium peccatorum confessionem, qualem Ecclesia servat: * Sed confessio omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, est, ut oblita, cum in memoriam venerint, omnes confiteantur, ergò de fide est, oblita confitenda, cùm in memoriam venerint, Res adeò clara est, & fidei principiis innixa; imò & in definitis expressa, ut me judice, à nullo vetè Catholico in dubium verti possit.

§. II.

Enervantur contrariæ sententiæ fundamenta.

5. SEd, ut dogma istud magis innotescat, diluam sophismata, quibus recentiores, à Leandro memorati, in illum errorem ducti fuerunt. Primum efformant ex verbis Tridentini *sess. 14. citata cap. 5.* asserentis à pœnitentibus nil aliud exigi, quam * omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri. * Quod iterum Concilium exprimit ibidem, dùm ait. * Constat nil aliud à pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentiùs sese excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorarit, ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Ex quibus sic adversarii malè inferunt: Ergò Concilium docet, pœnitentes non debere confiteri illa peccata, quorum post diligentem sui excussionem, conscientiam non habent, seu quibus non meminerint

nerint Deum suum graviter offendisse. Futilis illatio, & viro Theologo, imò & Catholico indigna. Distinguo consequens: non debere confiteri, dum conscientiam, seu memoriam illorum non habent, concedo: quando illam habuerint, nego. Et hæc est Catholicorum omnium intelligentia, quia pœnitens, cùm posteà recordatur lethalis non confessi, urgente præcepto annualis confessionis, verè habet conscientiam lethalis commissi, & non confessi, & verè meminit eo peccato Deum suum graviter offendisse, & nunquam in confessione recensuisse, nec illius veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quæsisse. Ergò cum de fide sit debere confiteri omnia mortalia, quorum conscientiam habeat, & omnium veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere, de fide etiam est, teneri posteà peccatum oblitum, cùm memoriæ occurrit, confiteri. Confirmatur: quia, ut omnes etiam adversarii concedunt, & salvâ fide inficiari non possunt; pœnitens tenetur peccata alia, ex justa causa in confessione omissa, ea cessante, confiteri, ergò & oblita, cessante oblivione, quia eadem est utriusque ratio.

6. Instant adversarii, diversam esse rationem de peccatis oblitis, ac de aliis, quæ ex justa causa pœnitens non est confessus, quia Concilium de oblitis loquens, sic ait. * Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur. * Id est inquiunt ipsi) pro confessis habentur, ergò cùm confessa intelligantur peccata, quæ memoriæ diligenter cogitanti non occurrunt, non tenebitur posteà, etsi memoriæ occurrant, confiteri. Quod indè (subnectunt) magis suaderi videtur, quia Concilium ibi non loquitur de absolutione indirecta, & remissione peccatorum, sed de obligatione confitendi peccata, & de peccatis, quæ quilibet fidelis tenetur confiteri: Ergò ex verbis Concilii, inquiunt, apertè colligitur, non esse ulterius obligationem confitendi ea lethalia, quæ ex oblivione omissa fuerunt. De aliis verò, quæ ex causa, pœnitens memoriam habens non est confessus, nil determinat Concilium.

7. Respondeo primò, non magis certum esse, quod peccata ex oblivione, quam quæcumque alia, ex justa causa excusante ab integritate materiali confessionis, omissa, in eadem etiam inclusa intelligantur. Et tamen fide sanctum est, manere obligationem istà confitendi, quando urgente præcepto confessionis, causa tacendi cessaverit, eò quod præceptum est confitendi omnia mortalia. Ergò, & illa.

8. Respondeo secundò: Definitionem Concilii procedere contra Hæreticos impiè asserentes confessionem, ut ab Ecclesia præceptam, impossibilem esse, & conscientiarum carnificinam. Quod hoc argumento suadere tentarunt. Ad remissionem peccatorum necessarium est omnia lethalia confiteri: hoc autem impossibile est illi, qui omnium non recordatur; deindè ei, qui aliquod confiteri omittit, nullum remittitur, ergò hoc præceptum (garriebant Hæretici) est de re impossibili, & conscientiarum carnificina. Hanc igitur hæresim, ut extirparet Concilium, duo definit. Primò: præceptum non obligare, nisi ad confessionem peccatorum, quæ memoriæ occurrunt, atque adeò non esse de re impossibili. Secundò, ad remissionem peccatorum virtute clavium obtinendam, non esse necessariam eorum, quorum quis, post diligentem sui excusionem, non recordatur, confessionem; atque adeò non esse conscientiarum carnificinam. Falsum enim profitus nullum remitti, quando ex causa, aliquod in confessione omittitur, nam per gratiam Sacramentalem virtute absolutionis obtentam, omnia mortalia, etiam oblita, aut ex justa causa omissa remittuntur, utpotè cum quolibet incompossibilem, ideoque omnia in eadem confessione quoad effectum remissionis, inclusa intelliguntur: Hoc est, quod intendit Concilium statuere, non quod ulterius maneat obligatio illa confitendi, licet in memoriam veniant, quia de hoc non erat controversia: Verba Concilii sunt: * sed impium est, confessionem, quæ ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: (attende causalem) constat enim nil aliud ab Ecclesia pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, &c. ea peccata confiteatur, quibus Dominum, & Deum suum graviter offendisse meminerit: reliqua autem, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum in eadem confessione inclusa esse intelligantur. * En apertè Concilium ad eliminandam hæresim asserentium confessionem, ut ab Ecclesia præceptam, esse impossibilem, & nullum peccatum remitti, si alicujus memoria non habeatur, ideò de oblitis specialiter sermonem instituit, ejus tamen ratio, de aliis etiam et justa causa omissis, æque procedit: aliàs in his argumentum Hæreticorum urgeret. Possent enim illi instaurare in hunc modum. Id possumus, quod non possumus, ergò qui ex causa aliqua nequit licitè confiteri aliquod peccatum, nequibit omnia confiteri, & per consequens omnia irremissa manebunt. Ecce recrudescit hæreticorum argumentum, quo confessionem de re impossibili esse, & conscientias potiùs dilacerare, quam sanare blaterabant. Eadem prorsus inconveniens sequitur, si peccata, sive ex oblivione, sive ex justa causa in confessione omissa, in eadem non intelligantur inclusa. Ergò licet Concilium de oblitis tantum mentionem fecerit, eo quod Hæretici hæc solùm peccata in exemplum adducebant, de omnibus æquè definitio procedit, dum declarat, jure Divino integram omnium peccatorum confessionem necessariam esse, & omnes fideles teneri ad omnium mortalium, qualem Ecclesia servat confessionem. Ex quibus apertè constat, Recentiorum sententiam, nullum ab auctoritate Trident. habere præsidium.

9. Nec à ratione ullum habet, quia ejus patroni præcipuum fundamentum desumunt ex opinione adstruente, peccata in confessione oblita, virtute absolutionis collatæ, manere directè absoluta; quam novissimè tuetur Leander à Murcia in suo erudito opere suprà citato *Disquisit. Moral. lib. 2. disput. 4. solut. 365.* Verum unum Leandrum illam cuem existimo, quia apud alium non inveni; Doctores eam quos ipse profe adducit, eam non docent, sed vel contrariam, vel longè diversam, ut collatis locis demonstrabo.

(:†:)

§. III.

§. III.

Fundamentum ab auctoritate petitum, pro absolutione directa oblitorum, apertissimè evellitur.

10. PRo singulari hac sententia refert Leander ubi suprà Pat. Henriquez *lib. 1. de Pœnitent. capit. 13. numer. 8.* Sed falsò: quia Pat. Henriquez in hoc loco de peccatis oblitis idem censet, ac de aliis, quæ ex justa causa in confessione, aut ab inferiore Sacerdote, non habente jurisdictionem absolvuntur; quorum absolutionem expressè dicit esse indirectâ, eò quod tam hæc, quàm oblita remittantur ratione absolutionis aliorum, seu ratione gratiæ intuitu confessionis illorum collatæ, quæ cum omnibus incompossibilis est. Etideò cessante causa, tradit expressè, omnia debere in confessione explicari. * Absolutio, inquit, non solùm peccata, quæ quis expressè confitetur tollit, sed ea, quorum post diligens conscientiæ examen, homo oblitus est, vel quæ, causa excusante, silet, ut ne proximum infamet & tamen post, à cùm oblitorum sit memor, aut cum cessat causa, confitenda sunt. Secundò quandoque peccata quæ superiori reservantur, absolvit, urgente causa inferior, cùm aliis indirectè, ita tamen, ut superveniente Prælato sint confitenda, ut directè absolvantur, *infrà lib. 3. capit. 15.* * Hæc ibi. *Cap.* autem *15. citato*, quo se remittit, sic scribit. * A reservatis potest interdum confessarius expositus absolvere indirectè, si modò confiteatur huic omnia peccata, tenetur tamen sic absolutus statim præsentari Superiori, & jure Divino tenetur huic, aut cui commiserit, iterùm confiteri reservata, ut ab illis directè absolvatur, nec enim potuit inferior absolvere, nisi indirectè cum tali onere. *

11. Ex quibus sic conficio argumentum. Henriquez primo loco suprà citato, solùm dicit absolutionem tollere etiam peccata oblita, & ea quæ homo ex causa silet. Sed hæc non tollit directè, ergò neque illa. In secundo verò loco, (& etiam in primo) ubi de reservatis inferiori Sacerdoti confessis loquitur, expressè dicit, illa absolvi *indirectè*, ergò ex verbis Pat. Henriquez, nullum pro absolutione directa oblitorum fundamentum desumi potest. Imò addo absolutionem indirectam ex illis apertè convinci. Nam si quis confiteretur Sacerdoti inferiori bonâ fide lethalia non reservata, & simul reservata aliqua, quæ memoriæ occurrerint, omissis aliis ex oblivione, non aliter, nec magis ab oblitis reservatis absolutus maneret, quàm à reservatis, quæ confessus fuit: sed ab his, dicit Henriquez, absolvi indirectè, ergò & ab aliis quorum fuit oblitus. Consequentia est evidens, quia imperceptibile est, quòd absolutio cadat directè super reservata oblita, & indirectè suprà expressa.

12. Adducit secundò Leander pro absolutione directa oblitorum eundem Patr. Henriquez *libr. 3. capit. 16.* & plures ab hoc Doctore *ibidem* citatos: verba Leandri sunt * verùm Navarrus, Paludanus, Gabriel, Adrianus, Canus, Ledesma, Angles, Antoninus, Sylvester, Armilla, Angelus, Gerson, Covarrub. Corduba, Penna, Gallo, Guevara, Rosella, Manuel, Rodriguez, quos refert, citat, & sequitur Henriquez *de Sacrament. Pœnitent. lib. 3. capit. 16. numer. & ibi in Comment. lit. D.* docent absolutionem ab oblitis esse directam, & peccata ipsa oblita, directè fuisse clavibus subjecta. * Hæc Leander. Sed ejus venia, neque hoc ibi tradit Henriquez, neque author ullus ex citatis, sed illos pro longè diversa opinione refert. Pro illa nimirùm, quam communiter docent Doctores, scilicet, eum qui tempore jubilæi confitetur Superiori, (seu alteri habenti facultatem absolvendi) ipso facto ab excommunicatione, & à reservatione liberum manere, quamvis confessionem invalidam fecerit ex defectu doloris, vel integritatis; quia à prædictis excommunicationis, & reservationis pœnis directè absolvitur à confessario habente jurisdictionem, etsi à peccatis tam confessis, quam oblitis, nec directè, nec indirectè maneat absolutus, cùm fuerit invalida confessio. En Pat. Henriquez verba loco, & capite à Leandro citatis. * Durante Jubilæi tempore, si quis animum habeat præstandi, & supplendi necessaria, licèt incontritè, vel etiam dimidiatè, præ pudore, à principio confiteatur, absolvetur directè ab excommunicatione, & à reservatione peccati etiam oblati. * Hæc Henriquez, qui pro hac opinione *in Gloss. lit. D.* refert Authores, quos recenset Leander ubi suprà: nullus verò dicit pœnitentem manere directè absolutum à peccatis oblitis; imò neque à confessis, (si confessio, ut ponimus, invalida fuit) sed solùm à pœnis excommunicationis, & reservationis, quia has intendit confessarius tollere; vult enim in quantum potest eum liberum relinquere ab excommunicatione, & ab onere comparendi coram Superiore, ut possit confessario inferiori peccata, usque ad illud tempus commissa confiteri. Et hoc præstat absolutio illa, licet confessio sit invalida, & per consequens, nec directè, nec indirectè fuerit à peccatis absolutus. Nullibi ergò docet Henriquez, quod peccata in confessione oblita directè absolvantur, nec ad tam singularem opinionem ei attribuendam, ullum fundamentum præbuit.

13. Adducit insuper Leander pro hac opinione Joannem Valerum in Different. utriusque fori, *verbo, Nullitas, different. 5.* & quoad speciem, & corticem verborum, benè quidem, quia in editione, quæ communiter præ manibus habetur, sic ait. * Ego puto probabile esse, talia peccata oblita, (cum jam sint directè absoluta in prima confessione) posse postea absolvi à quocumque etiam non exposito, seu approbato. * Hæc Valerus. Quibus verbis (ait Leander) dicit esse probabilem, & ut talem amplectitur opinionem asserentem peccata oblita manere directè absoluta in prima aliorum confessione. Verum Joannes Valerus ibi de hac re non agit, sed quæstionem aliam longè diversam exagitat; an scilicet Sacerdos non approbatus, sicut potest absolvere à venialibus, possit etiam à mortalibus in confessione oblitis? Et partem affirmativam dicit esse probabilem, cujus rationem obiter, in parenthesi posuit, dicens: * Cùm jam sint directè absoluta in prima confessione. * Sed quidem, ut benè notavit Thomas Hurtado *tom. 2. variat. resolut. tractat. 12. capit. 1. dubit. 6. numer. 2081.* * Forsan voluit dicere indirectè. * Quod ego omninò certum puto, quia incredibile est, quod tam singularem doctrinam, qua non indigebat, ad suam conclusionem, & quam nullus usque ad hæc tempora in dis-

in disputationem adduxit, ut principium inconcussum supponeret, ut indè, quam intendebat opinionem probabilem esse, suaderet. Quapropter dicendum est per errorem Typographi, vel Amanuensis scriptum fuisse Ly * directè * pro *indirectè*. Quod in originali author habebat. Et ideò pro hac parte citat Valerum Machad. *tom. 1. lib. 1. part. 1. tract. 2. dist. 3. numer. 4.* * Es tambien, inquit, muy probable, que no solamente de los pecados venialeS, y mortales ya confessados, sino de los mortales olvidados en otras confessiones, puede absolver qualquiera simple Sacerdote, porque semejantes peccados (attende) estan indirectamente absueltos en las demas confessiones (& in margine) tenet Valerus *in different. utr. fori, verb. nullitas, difficul. 5. numer. 3.* * Hæc Machado, qui ut patet pro absolutione indirecta oblitorum refert Valerum, & in ea uterque suam opinionem fundat, undè constat malè pro parte contraria à Leandro de Murcia referri *ubi suprà, resol. 28.* cum potiùs Typographi errorem advertere, quàm illo ad suam causam abuti, debuisset.

14. Denique ad hominem contra Leandrum ex ipsius principiis demonstro, peccata in confessione oblita non manere directè absoluta. Ipse enim in eodem opere *Disquis. Moral. lib. 1. disp. unic. resol. 9. numer. 11.* ad probandum peccata sub dubio confessa, debere iterum, cum memoriæ, ut certa occurrant, in confessione, ut talia explicari, eo nititur, quod non fuerint directè absoluta: Sic enim arguit. * Si simul cum certo peccato, illud dubium, & incertum confiteatur, (attende) jam directè non absolvitur ab illo pœnitens, sed indirectè ratione peccati certi, quod confessus est, & ideò illud peccatum non est directè subjectum clavibus Ecclesiæ: * Sic ille. In quibus duo expendo. Primò, quod in hoc loco pro eodem videtur usurpare peccatum esse directè absolutum, ac non esse obligationem iterum confitendi, cum tamen aliundè totus sit in probando, peccata oblita esse directè absoluta: undè horribilis illa consequentia, scilicet, non esse obligationem confitendi peccata oblita (quam ipse non admittit) evidenter deducitur. Secundò, quod peccata sub dubio confessa [illegible] non absolvi directè, eò quod ratione oblivi[illegible] non fuerunt subjecta, ut certa, & determ[illegible] Ex quibus modò sic: sed peccata, quæ ex [illegible]ne omnimodo in confessione omissa fuerun[illegible]on fuerunt confessa, ut certa, & determinata, [illegible] * jam directè non absolvitur ab illis p[illegible]nitens, [illegible]d indirectè ratione peccati certi, quod confessus est. * Recognosce tuam consequentiam.

§. IV.

Objectionibus fit satis.

15. OBjicit Leander: Intentio Sacerdotis est absolvere ab omnibus peccatis in seipsis, & verba absolutionis: *Absolvo te à peccatis tuis*, extenduntur ad oblita, & directè in illa tendunt, quia indefinita propositio, sumitur pro universali, ac proindè æquivalet huic: *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis.* Ergò peccata oblita manent directè absoluta. Respondeo primò retorquendo argumentum; in peccatis sub dubio confessis, quæ tamen ipse Leand. concedit, non manere directè absoluta, ut nuper vidimus. Deindè in peccatis, quæ ex justa causa in confessione omittuntur, quæ non manere directè absoluta inconcussum est apud omnes, ergò vera absolutionis, licet indefinitam propositionem, & universali æquivalentem constituant, non respiciunt directè omnia peccata, sed ea solum, quæ clavibus subjiciuntur. Ergò non extenduntur directè ad oblita, nec in illa directè tendunt. Quid ad hæc?

16. Respondeo secundò: de ratione judicii esse, quod causâ cognitâ à legitimo judice sententia proferatur, & ideò peccatum esse directè absolutum, duo necessariò importat, & quod fuerit clavibus subjectum; & quod confessarius habuerit jurisdictionem ad absolvendum ab illo. Undè quovis deficiente, dicitur indirectè absolvi. Atque adeò quoties ex oblivione, vel ex justa causa peccatum aliquod mortale in confessione omittitur, vel licet exprimatur, non habet confessarius jurisdictionem ad absolvendum ab illo, sed ab aliis, quæ simul pœnitens confitetur, in tali casu peccata oblita, vel ex justa causa omissa, vel non habenti jurisdictionem confessi, absolvuntur indirectè, quia remittuntur ratione confessionis aliorum, quæ pœnitens confitetur, & ad quæ jurisdictio Sacerdotis extenditur. Ex quibus apertè colligitur, absolutionem esse directam, vel indirectam, non dependere ex intentione Sacerdotis, sed ex jurisdictione circa peccata subjecta, & ex confessione peccatorum, quæ ab illo absolvenda proponantur: hæc enim tantummodò absolvuntur directè, reliqua verò sicut remittuntur ratione aliorum, nempè ratione gratiæ inunctæ absolutionis aliorum collatæ, utpotè cum omnibus incompossibilis; ita & ratione aliorum absolvuntur; atque adeò indirectè.

17. En, amice Lector, omninò diruta fundamenta, quibus Recentiores illi præcipuè nituntur, ad asserendum non esse obligationem confitendi peccata oblita, quæ si quid probarent, planè evincerent, nec esse obligationem confitendi peccata, quæ ex justa causa in confessione fuerunt omissa: æquè enim omnia remissa manent, & indirectè absoluta. Undè huic principio nemo innititur potest ad tollendam obligationem confitendi peccata oblita.

18. Addo nec sufficere illa confiteri Sacerdoti non approbato (quidquid dixerint Valerus, & Machado *sup.* Delgadillo *de Pœnitent. capit. 19. dub. 13. numer. 41* & alii) quia absolutio indirecta non minuit obligationem pœnitentis, nec vim restitutionis; aliàs, quacumque peccata lethalia, etiam restitutis, ex oblivione omissa, aut ex causa legitima, præsentibus postea à simplici Sacerdote absolvi, quod evidenter falsum est, & quod ni fallor, Authores citati devorare non audebunt. Ergò peccata esse indirectè absoluta, non efficit, quod possint deinceps à non habente jurisdictionem, seu à simplici Sacerdote absolvi. Et ratio est, quia dum manent materia necessaria confessionis, necessariò requiritur ad absolutionem approbatio, & jurisdictio in confessore, ut constat ex Trident. *sess. 14. capit. 7.* Atqui peccata indirectè absoluta, semper manent materia necessaria confessionis, cum sit obligatio sub lethali ea confitendi, ut fide sanctum est, ergò Sacerdos infipiex non approbatus ab Ordinario, & non habens in talia peccata jurisdictionem, nequibit ab illis absolvere.

19. Quanta autem certitudine hoc tenendum sit lege Tridentin. ubi supra sic decernens, * Perfunctum semper

semper in Ecclesia Dei fuit, & verisimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. * Vide etiam *sess. 23. capit. 15. de reformation.* Ubi: * Decernit sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nisi aut parochiale Beneficium, aut ab Episcopis approbationem obtineat. * Quæ directè comprehendere omnes confessiones mortalium, quæ materia necessaria confessionis sunt, seu omnia mortalia ex obligatione confitenda, universa Ecclesia semper intellexit. Ideò cum nullum sit fundamentum ad excipiendam confessionem peccati obliti, potius quàm aliorum, quæ ex justa causa fuerunt omissa, aut quæ Sacerdoti non habenti jurisdictionem confessa sunt (simul cum aliis non reservatis) cum omnia indirectè absoluta sint, nequit probabilitatem ullam sortiri opinio Joannis Valeri pro peccatis oblitis. Et me judice, aut de oblitis negandum, aut pro omnibus indirectè absolutis concedendum. Nam ubi est eadem formalis ratio, idem formaliter concludere necessum est? ergo si mortalia oblita, quia indirectè sunt absoluta, possunt desinceps à simplici Sacerdote non approbato, & non habente in illa jurisdictionem, directè absolvi, reliqua etiam ex justa causa omissa propter eandem rationem ab eodem Sacerdote absolvi poterunt. Quod concedere nefas est. Quapropter fatendum est, ex absolutione indirecta nil posse concludi pro valore absolutionis lethalium à simplici Sacerdote collatæ, ut malè cum Valero Doctores citati intulerunt.

§. V.

Consectarium.

20. AN verò ex absolutione directa alicujus peccati, rectè deducatur non esse obligationem illud confitendi? Magis controversum est. Video plures Doctores legitimam consequentiam existimare, cui principio innixi docent, eum qui sub dubio aliquod peccatum confessus est, non teneri postea dubio cessante, ut certum confiteri, quia jam est ab illo directè absolutus. Pro qua adduximus suprà *quæst. 6.* Pellizarium, Tamburinum, Merollam, Leandrum à Sacrament. Martinum à S. Joseph. Marcum Vidal, Caramuelem, Verricelli, Rotellam, Sebastianum Sachum, Christophorum Delgadillo, & Ferrantinum. Qui omnes, veluti tuentur, vel saltem probabile dicunt. Quod suo calculo firmarunt recentiores, quos suppresso nomine refert Leander à Murcia, dum hoc principio, (licet falsò applicato) probare conentur, non esse obligationem confitendi peccata oblita.

21. Caterum ego præfatum principium nunquam probavi, & contra illud multis egi, ubi supra. Et clarè determinari oppositum in Concilio *sess. 14. capite. 5.* dicit Thom. Hurtado *tom. 2. tract. 12. capit 1. num. 2091.* Quod licet ab auctoritate clarum non sit, à ratione tamen sic ostendo. Si quis in casu urgentissimæ necessitatis, in qua ex causa, nec species, nec numerum peccatorum confiteri posset, se in genere accusaret, dicens: peccasse mortaliter: posset à confessario absolvi, ut docent communiter Theologi, & ab omnibus lethalibus, maneret in tali casu absolutus, & ab omnibus directè, quia absolvi indirectè ab aliquo peccato non contingit, nisi aliud sit, à quo directè absolvatur, ratione cujus ab alio dicatur indirectè absolvi. In præfato autem casu, cum nullum in particulari subjiciatur clavibus, sed omnia æqualiter, & confusè, omnia æqualiter absolverentur, ac proindè omnia directè: nam cum non absolvatur unum, ratione alterius, nec sit major ratio, ut absolutio cadat directè super unum, quam suprà aliud, omnia directè absolvi, & remitti dicendum erit: & tamen, quia non sunt explicitè dicta in confessione, manet obligatio posteà confitendi, ergo quod peccata sint directè absoluta, non infert, non debere iterum in confessione explicari.

22. Undè concluditur, quod licet daremus adversariis, peccata oblita manere directè absoluta in prima confessione, non ideò cogeremur concedere, non esse obligationem illa confitendi, dum memoriæ occurrant: Sicut nec concedit Leander à Murcia ubi supra, sed absolutionem directam admittens, obligationem confitendi non negat, judicans & meritò, consequentiam non esse legitimam, ab affirmata absolutione directa, ad negatam obligationem confitendi. Qui verò contra senserint, nullatenus admittere poterunt peccata oblita (sicut nec alia ex justa causa omissa) manere directè absoluta, utpotè principium, ex quo improbabilis, scandalosa, imò & erronea consequentia deducitur.

23. Dices: Si peccata essent directè absoluta, & remissa in præcedenti confessione, ad quid essent iterum confitenda? Non ad absolutionem directam, quia supponimus fuisse directè absoluta non ut pœnitens det confessario notitiam peccati, quia talis notitia debet esse in ordine ad absolutionem, qua jam non indiget, cum sit directè absolutus, ergo repugnat, quod quis obtinuerit absolutionem directam alicujus peccati, & quod teneatur ad judicium illud deferre. Respondet Magist. Paulus de Blanchis Dominicanus *in discept. casuum conscientiæ disput. 4. in litt. C. casu 5. dub. 2. fol. 226. §. Theologus.** Quod pœnitens tenetur confiteri oblita, dum in memoriam venerint, ut Sacerdos pro illis assignare possit pœnitentiam satisfactoriam, & de novo ab illis absolvat, ut tutior sit in conscientia. * Sed contra, primò, quia pœnitens (ut hic Author tradit *ibidem, fol. 223. § tertia pars Sacramenti*, & docent doctissimi Thomistæ, quos refero *in Opusc. pro Iesuitis, tr. de Pœnit. Prop. 5.* (licet ipsis omninò dissentiam) non tenetur acceptare pœnitentiam (saltem sub lethali,) ergo ex hoc capite non tenebitur sub lethali ad confitenda oblita. Contra secundò, quia virtute absolutionis, ex confessione aliorū, tutus omnino est in conscientia, quod remissa sint. Ergo si aliud non sit caput obligationis deferendi ad judicium peccata directè absoluta, non erit obligatio saltem gravis confitendi oblita, quod erroneum est.

24. Respondeo ergo, dicendum, omnia peccata secundùm speciem, & numerum, quibus pœnitens Deum suum graviter offendisse meminerit, debere ex præcepto Divino in confessione explicari. Cùm autem huic præcepto non satisfecerit, qui peccata, quorum modò meminit, non est confessus; vel quia in prima confessione oblitus fuit, vel quia secundùm speciem, & numerum, ex justa causa, explicare non potuit; fit planum, debere iterum ad judi-

judicium deferre ad implendum præceptum confessionis à Christo Domino fidelibus impositum. * Qui (ut ait Trident. *sess.* 14. *c.* 5.) Sacerdotes sui Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judiciũ hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem in pœnis injungendis servare, si in genere dũtaxat, & non potius in specie, & sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Itaque præcepto Christi Domini nondum est satisfactum, donec super omnia peccata in specie, & sigillatim confessori declarata, utre vera patrata fuerunt, sententia remissionis pronuntiata fuerit, ac proinde non sufficit, quòd aliter subjecta, & ad judicium delata directè absoluta fuerint. Sicut nec sufficeret, quod per Divinam revelationem constaret, fuisse remissa, quia sententia sensibilis super illa, ut nuper exposita, ex præcepto Christi Domini desideratur. Quod benè notavit M. Blanchis *ubi supra*, *fol.* 273. *in fine*, *casus primi*, dicens: * Dato, quod quis per revelationem haberet certitudinem de sua contritione, scilicet, quod fuerit talis ac tãta, ut totam pœnam, ac culpam solverit, vel abstulerit, tenetur etiam ad ipsam confessionem, ut satisfaciat præcepto Ecclesiæ de confitendo semel in anno, (adde & Christi Domini de omnibus peccatis modo exposito confitendis) alias peccaret contra tale præceptum.* Hæc est genuina ratio, cur absolutus, etiam directè (præfata confessione cum expressione requisita non præcedente) præcepto confessionis teneatur. Et quæ planè etiam evincit obligationem confitendi oblata, licet gratis adversariis detur, fuisse directè absoluta in confessione aliorum. Quod falsum esse ostendimus.

QVÆSTIO VIII.

An qui scienter ex verecundia tacet in confessione peccatum mortale, teneatur aliorum confessionem iterare?

§. PRIMUS.

Quid nonnulli senserint.

1. RÉm hanc in disputationem adduco, quia nonnullos de certitudine communis sententiæ affirmativæ dubitantes audivi, etsi quorũdam Thomistarum principiis infrà jaciendis non leviter ductos. Quã licet desererenon audeat Quintanadvennas *tom.* 2. *Singular. tract.* 13. *à Singular.* 25. *usque ad* 27. ex modo tamen referendi, in contrariam valdè inclinare videtur: Sic enim, inquit, *ut ingenuè fatear, non levem difficultatem pro utraq; parte inveni, licet semper tutiorem viam sequens, hujusmodi confessiones iterari feci. Sed re perpensa, non ex quibus ponderis fundamenta apparere videntur ad investigandum prædictam confessionem esse validam, informem tamen sine Sacramenti fructu, gratia nempè sanctificante: ac proinde iterationis onere eximi, probabiliter forsan videri posse pœnitentes, qui ita sunt confessi, &c.* * Sic ille *sing.* 23. & infra post rem undique exagitatam, *singul.* 27. *num.* 6. concludit:* Hæc, & alia, quæ brevitatis ergo omitto, sine fundamenta, quibus innitl posse videtur hæc sententia (negativa) illa sapientes attentè perpendant, discutiantque, an ob hæc fundamenta à communi ferè praxi discedere liceat. Omnes enim Confessores repetere adstringunt; licet unum, vel alterum non vulgari in Theologia morali sapientia prædituin à hac repetitione pœnitentes exonerare audivi. Unam Doctores hanc quæstionem ex professo, ac expresse exagitantes haberemus, quorum calculo libenter ego assentirem, sed nullum adhuc inveni, ac proinde hæc potiùs proponendo, quam resolvendo prodo. Negativæ autem, & communi reperendejusmodi confessiones, adhæreo.* Sic ille *n.* 6. sed nomen illicò, quod desiderabat, invenit *num.* 7. Nam partem affirmativam apud illum tuetur Joannes Baptista Possevinus Mantuæ Archipræsbiter in libro *officio Curati*, *cap.* 7. *num.* 28. ubi sic scribit:* Quæritur, an qui verecundia confessionem dimidiat, sciens quidem malè agere, sed nesciens confessionem non valere, teneatur omnia repetere, vel sola relicta? Respondeo. Si iste credebat peccatum quidem, sed non mortale, credo sufficere, si confiteatur sola relicta, &c. Deducitur ex Soto, etiam ex Lopez, ubi admittit ignorantiam inculpatam excusare ab integrare confessionis. Posses dicere: Doctores supra citati concedunt talem ignorantiam excusare, sed non in casu posito, cum iste tacens verè sciat mortaliter delinquere, licet sciens omissum non reddere confessionem invalidam. Respondeo vera esse ista; at sicuti primus excusatur ignorantia inculpabili, & nulla alia ratione, sic, & hic secundo, cum utrorumque eadem sit ratio. Posito tamen, quod iste faciens verè credat, si non teneri ad validitatem confessionis peragendam, omnia confitens sub mortali: quia si sciviſſet, integram omnium peccatorum fecisset.* Sic Possevinus.

2. Cui consentit Fr. Luis de S. Juan in Summ, cui titulus * Tratado de la administracion de los Sacramentos * ubi de la Penitencia, *num.* 52. Ibi enim hanc interrogatiunculam facit:* Si callò el pecado, sabiendo que hazia mal, mas no sabia, que la confession no era valida, estara obligado à repetir todas las cosas, que confessò? ò solas las que dexò de confessar? * *& num.* 53. ratio d fficultandi, inquit, est. * Porque este que calla, sabe verdaderamente, que peca mortalmente, aunque no sepa, que lo quarden a de dezir, haze que la confession no sea valida. * En casum in strictioribus terminis. Respondet; idem prorsus de isto esse judicandum, ac de filo, qui ex ignorantia inculpabili omisisset confiteri, ac proinde non teneri peccata jam dicta repetere. Reddit rationem:* Porque assi como al primero le escusa la ignorancia inculpable, y no alguna otra razon, assi la ignorancia inculpable, y no alguna otra razon, assi de la misma manera à este segundo; porque la misma manera à este segundo; porque la misma razon es del uno, que del otro, como crees verdaderamente, no està obligado, para hazer que la confession sea valida, a confessar todos sus pecados, sino de todos los pecados mortal; porque si lo supiera, hiziera la confession enteramente de todos los pecados. Suarez *tom.* 4. *disput.* 25. *sect.* 2. *num.* 2. Possevinus ibi num. 28.* Hactenus Fr. Luis de S. Juan: sed nescio, quo fundamento pro hac opinione referat P. Suarez, quia ibi contrariam, & communem expressè tuetur, imò *num.* 4. inquit.* Certum esse, & receptum apud Theologos in eo casu confessionem esse nullam.* & per consequens iterandam, prout communiter omnes ex hoc principio deducunt.

3. Favet autem plurimum citatis Ferrantinus *de Scandalo, disp. 1. quæst. 79. à num. 14.* qui licet eam non sequatur, ei aliquando placuisse significat, dicens:* Nunc solum proponam rationes, quibus antea persuasus existimabam, non esse repetendas confessiones sacrilegas. Itaque non esse necessarium, ut sigillatim, ac speciatim repetantur peccata jam dicta (etiamsi confessarius sit diversus) sed ad summum in communi, explicando tamen in specie, ac numero alia non dicta: verb. grat. *Peccavi centies mortaliter in specie furti, millies in specie detractionis*, & sic de cæteris, quæ nunquam dicta fuerunt in confessionibus præcedentibus, sive culpabiliter omissa, sive postea commissa. Rursus feci quinque confessiones sacrilegè, & tandem accuso me generaliter de omnibus mortalibus, quæ in hujusmodi confessionibus præcedentibus dixi, vel accuso me de omnibus mortalibus totius vitæ.* Sic ille.

4. Cui etiam favet Navar. *de Pœnit. dist. 5. cap. Confideret, §. Cautus*, ubi ait, nulla ratione necessariò concludi posse, integritatem confessionis esse necessariam omninò ad ejus valorem. Et Joannes de Medina *Cod. de Confessione, quæst.* 8. & nonnulli Catholici, qui ut testatur Suarez *tom. 4 in 3 p. disp. 22. sect. 1. num. 3.* asserunt, non posse sufficienti ratione colligi, integritatem formalem confessionis esse de necessitate Sacramenti, seu ad ejus valorem requisitam. Nullus vero ex antiquis ausus est dicere, confessionem non integram formaliter esse validam; atque adeo Doctores omnes, si diverso confessario fiat, iterandam esse docuerunt, eaque expressione, ac si nunquam ea peccata dicta fuissent in præcedentibus confessionibus sacrilegis. Quibus indubitanter adhæreo.

§. II.

Recentiorum fundamenta.

5. Cæterum, disputandi causa, Recentiorum (quibus ego nunquam assentiar) fundamenta producam, ut doctiores judicent. Quod, ut fœlicius præstem: Suppono integritatem confessionis aliam esse materialem, quæ in eo consistit, quod omnia lethalia commissa, & clavibus non subjecta, pœnitens confiteatur. Et hæc, ut fatentur omnes, non requiritur ad valorem confessionis, neque ad ejus effectum; quia non rarò, aut ex oblivione, aut etiam ex causa rationabili, possunt aliqua scienter omitti, absque præjudicio valoris, & fructus confessionis. Alia verò est integritas formalis, quam omnes Theologi antiqui, & communiter moderni, ut indubitatum usque modò supponebant esse de necessitate Sacramenti, ita ut ea deficiente, confessio sit invalida, & ideò iteranda.

6. Hanc igitur integritatem ad valorem confessionis non requiri, sed solum modo ad ejus effectum, pluribus suadere contendunt Recentiores citati. Primò, quia integritas formalis confessionis consistit in eo, quod fiat de omnibus peccatis, quæ moraliter loquendo, hic, & nunc pœnitens confiteri tenetur: sed hæc non requiritur ad valorem confessionis, sed tantum ad ejus effectum. Ergo, syllogismus concludit, si præmissæ constiterint. Maiorem tuentur D. Thom. Henriquez, Bellarm. Molfesius, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 1. tract 5. disp. 5. quæst. 2.* & consentit Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 23. sect. 4. num. 3.* ubi ait:* Eam tantum esse integritatem formalem, in qua homo nil omittit peccando mortaliter, sive scientia, sive ignorantia, & negligentia culpabili, &c. tenent Cajet. Petrus de Soto, Navarr. & Medina.* Hæc cum citatis Suarez, & novissimè M. Joann. de Prado *in opere posthumo, de Pœnit. quæst. 2. de integrit. confess. dub. 3. num. 1. fol. 658.* ubi ait, confessionem formaliter integram, tunc contingere.* Quando explicantur omnia quæ moraliter explicari possunt, quia si aliqua reticeantur, est cum justa, & rationabili causa. * Unde infertur non esse formaliter integram confessionem, in qua, non ex oblivione, nec ex aliqua justâ causa, peccatum mortale omittitur.

7. Quorum sententia desumitur ex Concilio Trident. *sess. 14. cap 5.* Ubi confessionis integritatem (quam ad valorem exigit) in eo consistere dicit, * quod à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseantur.* Peccata autè, quæ ex negligentia graviter culpabili omittuntur, non sunt à pœnitentibus diligenter discussa, & consequenter eorum omisio necessariò integritati formali confessionis opponitur. Cujus rationem tradit Vazq. *tom. 4. in 3. part. quæst. 92. art. 3. n. 4. & 5.* dicens.* Et ratio meo judicio est manifesta, quia in confessione non integrè facta ex ignorantia culpabili mortaliter, peccatum, quod committitur, ejusdem naturæ est, ac si ex industria fieret, aut ex ignorantia nimis crassa. Peccata enim quorum malitia consummatur in actu, vel omissione exteriori, ejusdem speciei sunt, sive scienter, sive ignoranter fiant, ergo aut neutrum vitiat Sacramentum, & irritat, aut utrumque idem facit.* Sic Vazquez. Cujus principium est satis cõmune apud Theologos. Quod sustinet Illust. ac Rever. M. Tapia, Archiep. Hispal. in sua doctissima Catena Mor. *lib. 3. quæst. 9. art. 8.* dicens: * Peccatum ex ignorantia vincibili non affectata est ejusdem speciei cum peccato facto ex certa scientia circa idem objectum.* Et tenuit ante illum, M. Ledesma *in Sum. 1. p. de Sacram. Pœnit. cap. 19. concl. 3.* & plures apud Salas *1. 2. tract. 13. disp. 8. sect. 4. n. 71.* * Et ita generatim, inquit, docent Vazq. Azor, Sayro, Valentia, & al. i cõmuniter.* Ex quibus concluditur cum Vazquez *suprà*, aut neutrum, aut utrumq; peccatum vitiare Sacramentum, quia æquè unum, ac alterum integritatem formalem confessionis evertit.

8. Unde sic instauratur argumentum. Integritas formalis consistit in eo, quod pœnitens nihil omittat in confessione peccando mortaliter, ut ex Trident. & auctoribus citatis probatum manet. Sed omittere in confessione peccatum lethale ex ignorantia graviter culpabili, ac proinde peccando mortaliter, non reddit confessionem invalidam, ut fatentur M. Sylvest. M. Sotus, M. Palud. M. Victoria, M. Ledesma, & alii Thomistæ, apud Quintanadvennas suprà, & apud Leand. à Sacram. *quæst. 70 & 75.* & cõcedit cum aliis Diana *p. 1. tract. 17. resol. 31.* Et quod mirabilius, ipse M. Prado suprà, ubi postquam integritatem formalem, ut auctores citati, definivit, sic ait:* Si oblivio, & ignorantia fuerint culpabiles, cõfessio erit valida, sed informis.* Ergo integritas formalis non requiritur ad valorem confessionis, sed solum ad ejus effectum: atque adeò licet non fuerit formaliter integra, non erit obligatio illam iterandi, sed solum peccatum omissum, & integritatis defectum explicandi, sicut de reliquis confessionibus validis, licet informibus, docent communiter Theologi. Huic discursui difficilè dissentiet M. Prado, quia *tomo de Pœnit. citato, quæst 3, de contrit. dub. 3. fol.*

3. *fol.* 625. *n.* 24. concedit cum Suarez, & Lugo, quod *oblivio inculpabilis alicujus mortalis non tollit formalem integritatem confessionis, secus si culpabilis. Quæ doctrina, inquit, evidens est. *Sic Prad., licet inconsequenter. Sentit ergo validam esse confessionem, etsi formaliter non integram, utrumque locum conferto.

9. Hujus argumenti robur viros doctissimos latere non potuit, ideòque ad illud enervandum, majorem præfati syllogismi negant, asserentes integritatem formalem confessionis non esse, qualem suprà descripserunt Doctores citati, sed in eo præcisè consistere, quod scienter nullum peccatum omittatur in confessione, ex illis, quæ pœnitens confiteri tenetur: Hoc gratis dicitur; sed tamen quia falsitatis convincere facilè non est, ideò secundum argumensum sic efformo.

10. Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. 4. *&* 5. æquè definit, attritionem includentem detestationem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cætero, esse quasi materiam hujus Sacramenti, ac integram peccatorum confessionem, sed confessio scienter facta, absque prædicta attritione, est valida, & non iteranda, ergo & scienter facta absque prædicta integritate. Major constat ex Concilio *cap.* 3. ib: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, &c.* Et cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Et cap. 5. *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jàm explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem.* Et definitio Concilii æquè declarat, qualis debeat esse contritio; & qualis confessio. Ergo si Sacramentum possit validum consistere; absque contritione, ut à Concilio explicata, inconsequenter negabitur validum esse posse, absque formali integritate.

11. Confessionem autem scienter factam absque præfata detestatione peccati (cum sola displicentia) & absque proposito non peccandi de cætero, validam esse, atque adeò non iterandam (si peccator de tali defectu doloris, & propositi se accusaret, casu quo agnoscat in hoc mortaliter delinquere) docent Cajetan. M. Canus, M. Ledesma, Covarr. Thom. Hurtado citans Capreolum, & D. Thom. D. Anton. Paludanus, Sylvester, & alii, quos referam infrà *disp.* 5. *q.* 2. Quibus adde M. Paulum de Blanchis ejusdem Prædicatorum Ordinis *in discept. casuum conscientiæ, disp.* 4. *in litt. C. casu* 5. *dubio* 1. *fol.* 221. ubi sic. *Quartus defectus ex parte contritionis est, quando non habet dolorem sufficientem, & non confitetur talem defectum, confessio ex tali fictione est nulla, cum non sit integra; quia insufficientia illa imputatur ad peccatum. Si verò confitetur illam, & absolvitur, satisfacit præcepto Ecclesiæ, & non tenetur iterare confessionem, nihilominus pro tunc non consequitur gratiam sacramentalem: sed recedente fictione, tunc pœnitens incipit accipere fructum absolutionis. *Et est expressa sententia D. Thomæ *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3 *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. ubi hæreticum, *quem confessarius inducere nequit, ut desistat à corruptione plebis*, ac proinde sine dolore, & proposito confitentem, validum Sacramentum recipere docet, & rationem reddit. * Sicut enim (inquit) Baptismus est Sacramentum, quamvis quis fictus accedat (id est, sine dolore, & proposito) ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille, qui confitetur, emendationem non proponat. Sic D. Thom. Quod satis prædixerat *dist.* 17. *quæst.* 3 *art.* 4. *quæst.* 1. *corp.* ubi ait: * Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, &c. & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione, percipere incipiet. * Cujus verba ponderans M. Blanchis *suprà*, §. *Difficultas. fol.* 222. sic ait: * Inter Thomistas est controversia de intelligentia verborum D. Thomæ, de illo, qui accedit ad confessionem non attritus, qui pro illo tunc non accipit fructum Sacramenti, accipit tamen recedente fictione, ut accidit in Baptismo, & in aliis Sacramentis. M. Dominicus de Soto dicit, quod Angelicus Doctor loquebatur secundùm opinionem communem, quod dictum in Summa correxit, &c. Capreolus, Cajetanus, & alii Thomistæ oppositum tenent: dicunt sententiam veram esse, & quod non esset retractanda, sed solita manere. * Sic M. Bianchis pro D. Thoma, quibus supra citatis, non solùm videtur admittere Sacramentum Pœnitentiæ validum absque sufficienti dolore, sed etiam absque ullo.

12. Ideò ejus auctoritate ductus Fr. Christophorus à S. Josepho *tom.* 1. *opin. moral.* 2. *de Sacram. Pœnit. dubio* 1. non renuit dicere, confessionem scienter factam absque ullo prorsus dolore, etiam ab illo, qui benè novit esse lethale, sic accedere, validam esse, & non iterandam. Quod probabile putavit Durand. *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 13. *nu.* 7. & non esse improbabile ait R. P. Delgadillo *tom. de Pœnit cap.* 10. *num.* 44. Contendens pro hac sententia militare Richard. Cajetan. Canum, Ledesmam, & Covar. & pro illa citari Paludanum, D. v. Anton. & Sylvest. & *indubitatam D. Thomæ sententiam in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 4. *quæst.* 1. *in corpore* ab illo nullo modo retractatam. Quibus à fortiori consentire tenetur Major, Almainus, & alii, apud Henriquez *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 26. *num.* 7. *in Glos. lit. V.* asserentes, dolorem non esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, sed requiri ut dispositionem ad ejus effectum. Cui negatur integritas formalis confessionis non magis negatur à Trident. quam dolor, seu detestatio peccatis, cum proposito non peccandi de cætero, & æquè de utraque parte definiat, esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ: necessariò inde concludendum videtur, aut utramque, aut neutram esse partem essentialem illius, ut Sacramenti. Et sanè si obstante Concilio detestationem peccati contrariam cum proposito non peccandi, esse quasi materiam Sacramenti, solùm definit (ut exponunt adversarii) esse partem Sacramenti, ut remissivi peccatorum, at verò Sacramenti, secundum se consideratè definiente similiter integram peccatorum confessionem esse quasi materiam Sacramenti, eandem prorsus expositionem admittere poterit. Aut reddas, quæso apparentem disparitatem?

13. Urgetur primò. Quia si ob aliquam rationem confessio formaliter integra esset necessaria ad valorem Sacramenti, maximè, quia ita videtur declarare Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. dum ait: * Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri studeant, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secus facit, & scienter aliqua retinent, nil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. * Atqui verba hæc solùm evincunt, prædictam integritatem esse requisitam ad effectum Sacramenti, non verò ad ejus valorem. Ergo. Minorem, inquam vero difficul-

difficultas, probo. Primò, quia pœnitens, qui ex ignorantia graviter culpabili omittit confiteri aliquod lethale, nil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit, & tamen, juxtà communem Thomistarum opinionem, confessionem validam, & non iterandam efficit. Secundò, qui scienter confitetur sine sufficienti dolore, & proposito (ut omnes supra citati defendunt) validum etiam Sacramentum efficit, cùm tamen nil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponat. Ergo verba Concilii non magis cogunt nos asserere confessionem formaliter integram esse necessariam ad valorem Sacramenti, quàm dolorem efficacem, & propositum non peccandi: sed hæc, ut Thomistæ relati tuentur, solùm requiruntur ad effectum, non ad valorem. Ergo & illa.

14. Urgetur secundo, quia Trident. *sess.* 14. *Can.* 4. eodem tenore verborum definit necessitatem doloris, & integritatis confessionis, & utriusque solùm adstruit in ordine ad remissionem peccatorum. *Si quis, inquit, negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres partes pœnitentiæ dicuntur, &c. anathema sit. *Ergo si ex hoc Canone inferre licet, dolorem, de quo loquitur Concilium *cap.* 3. solum esse necessarium ad effectum Sacramenti, non verò ad valorem; idem evidenter inferre licebit de integritate confessionis. Cui etiam facit, quod *Canone* 7. Ubi de sola integritate sermonem instituit, solum definit esse necessariam ad effectum Sacramenti. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, anathema sit.* Cum ergo nullibi definiat Concilium integritatem confessionis esse necessariam ad valorem Sacramenti, sed ad remissionem peccatorum; & aliunde non magis definiat integram peccatorum confessionem, quam eorum detestationem & propositum esse partes Sacramenti Pœnitentiæ; planè deducitur, ex definitis non magis convinci formalem integritatem esse de necessitate Sacramenti, quàm attritionem includentem detestationem, & propositum.

15. Urgetur tertio. Quia quantum ex Concilio colligere licet, tam requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ dolor integer peccatorũ, quæ quis confitetur, quam integra peccatorum confessio; sed qui scienter haberet dolorem unius peccati, & non alterius (si de hoc defectu se accusaret) faceret confessionem validam, & informem, juxta communem Thomistarum sententiam, asserentium ex defectu integritatis doloris ad omnia peccata, posse dari Sacramentum validum, & informe, ergo & absque integritate confessionis. Ergo vel

utraque ad valorem Sacramenti
requiritur, vel
neutra.

(***)

§. III.

Iudicium Auctoris.

16. IDeò utramque integritatem doloris, scilicet, & confessionis, sicut, & attritionem includentem detestationem, & propositum, esse necessariam ad valorem Sacramenti, semper existimavi, & firmiter nunc teneo. Censeo enim, à principiis intrinsecis non esse magis probabilem opinionem negantem præfatæ attritionis necessitatem ad valorem Sacramenti, quam quæ integritatem formalem confessionis ad ejus valorem necessariam negat.* Nam, ut suprà probavi, unam & alteram æquè definit Concilium esse partem Sacramenti, & utramque ad remissionem peccatorum æquè necessariam esse sub anathematè decernit. Quapropter de utraq; eodem prorsus modo Theologizandum judico.

17. Addo teneri etiam confessionem iterare, qui certus de peccato in confessione omisso dubius est, an ex verecundia, an ex justa causa omiserit. Quia revera, dubius est de valore confessionis: atque adeò de adimpletione præcepti. Certus autem de præcepto, & dubius de ejus adimpletione, adimplere tenetur. Quapropter aud endus non est Carolus de Baucio, qui *in Miscel. tom. 1. quæst.* 474. oppositum videtur asserere, his verbis:* Salvo meliori judicio, si post diligens examen pœnitens dubitat, an revera tacuerit peccatum mortale in confessione ex verecundia, assero, quod non tenetur repetere confessionem illam, in qua dubitavit tacuisse ex verecundia, etiamsi magis inclinet, quod non sit confessus, &c. Idem dicendum est, si magis inclinat pœnitens, quod ex malitia tacuerit peccatum; nempè non teneri repetere confessionem, sed tantum confiteri peccatum omissum, de quo est dubius, an aperuerit in confessione, &c. Ita mecũ sentiunt docti, & pii viri, quibus hunc casum communicavi.* Hæc Baucius. Sed non placet, propter rationem nuper attactam, quando certus est non fuisse confessum, & dubitat, an ex verecundia, an ex justa causa omiserit.

18. Ex dictis concluditur, quod sicut pœnitens nequit absque justa causa, tacere in confessione peccatum aliquod lethale, ita nec confessarius potest, nisi omnibus auditis, absolutionem impendere, quia uterque ex præcepto Divino ad confessionem, & absolutionem formaliter integram tenetur, quæ sicut ex parte pœnitentis exigit, ut omnia, pro quibus tacendis non est causa, recenseantur, ita ex parte confessarii, ut omnibus auditis, absolutione m largiatur. Unde fit primò, audiendos non esse M. Sotum M. Paludanum, D. Antoninum, Navarr. M. Ledesm. & alios, apud Dicastillo *de Pœnit. disp.* 11. *dub.* 18. *num.* 315. asserentes, superiores, pro suo nutu, posse pœnitentem à sol s reservatis sacramentaliter absolvere, & pro absolutione aliorum lethalium ad inferiorem confessarium remittere. Hoc enim, absque urgente causa, propter rationem supra adductam, fieri non potest, ut benè docet M. Paulus de Blanchis Dominicanus *in disceptat. casuum conscientiæ, disc.* 4. *disput.* 4. *in lit. C fol.* 179. & communiter Theologi; quia si pro libito confessarii, dimidiari posset confessio, pro libito etiam pœnitentis posset, quia non est major ratio unius, quam alterius.

19. Fit secundò, omnino reiiciendum M. Baltanas *in Margarita Confessorum folio mihi* 44. ex præfata

opinione (quam etiam ipse cum commilitonibus tuetur) sic deducentem:* Ex quibus, inquit, infero, quod quando quis facit longam confessionem durantem per plures dies, posset in qualibet partiali confessione absolvi, quia non videtur major ratio in casu superiori, quam in hoc.* Sic ille. Quod licet consequenter dictum, à veritate prorsus alienum est (extra periculum mortis) quia confessionem dimidiare est contra præceptum Divinum, quod nisi urgente causa occurrente, suam semper obligandi vim retinet. Secus autem esset, si pœnitens vellet confessionem generalem facere de omnibus lethalibus jam iterum ritè confessis, nam cum ejusmodi peccata sint materia libera confessionis, poterit, pro suo nutu, quæ voluerit omittere, & per consequens eorum confessionem dimidiare, ut exterminè notissimum est.

20. Fit tertiò, minimè sustinendam sententiam quamdam præcitati M. Pauli de Blanchis *ubi suprà fol.* 180. §. *Observandum*, qui putat probabile, eum, qui de omnibus peccatis Sacerdoti inferiori confessus, gratiam sacramentalem virtute hujus confessionis accepit, si postea superiori reservata iterum confiteatur, & sacramentaliter ab illis absolvatur; non recipere augmentum gratiæ per absolutionem sacramentalem à superiore collatam. Verba ejus sunt.* Observandum igitur est, quod per absolutionem primi absolvens, sive sit inferior, sive superior, confertur sacramentalis gratia, unde secunda confessio, & absolutio, est prioris perfectio, (attende) & ideò potest sustineri, quod per secundum Sacramentum non augeatur sacramentalis gratia, quia fuit data (in primo) virtute ambarum absolutionum. At verius tamen est, sive sit unum, sive duo Sacramenta, quod per secundam absolutionem augetur gratia.* Sic ille, cum M. Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5 §. *Digladiantur*, ubi ait:* Secunda confessio, & absolutio est prioris perfectio, & ideò potest dici unius Sacramenti, & sustineri, quod per secundum Sacramentum non augetur sacramentalis gratia, quia prior fuit data in virtute ambarum absolutionum, attamen sive sit unum, sive duo Sacramenta, verosimilius est, quod per secundam absolutionem augetur gratia.* Quibus M. Sotus contrariam sententiam probabilem putat. Sed hæc doctrina sustineri non potest: quia ubi est distincta eorundem peccatorum confessio, cum dolore, seu dispositione requisita à Trident; & nova Sacerdotis absolutio, datur verum, & distinctum Sacramentum pœnitentiæ rite susceptum quod gratiam sacramentalem conferre, certissimum est, & me judice, fide sanctum. Videatur idem Paulus de Blanchis *disput. de Contrit. fol.* 300. & 301. ubi ex D. Augustino, & D. Thoma, hanc conclusionem certissimam esse constat; ac proinde oppositam, in ejus etiam principiis, reiiciendam prorsus.

21. Pro coronide hujus disputationis observandũ est, præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis non satisfieri per confessionem voluntariè nullam; quia Ecclesiæ præceptum est modificativum divini, quod tempore ab Ecclesia determinato ex hujus præcepto adimpleri debet. Præceptum autem divinum non adimpletur, ni verum Sacramentum pœnitentiæ recipiatur. Undè fit, omninò exterminandam opinionem asserentium, per confessionem non integram, omittendo voluntariè aliquod mortale, etsi invalidam, satisfieri præcepto annuæ confessionis. Quam tenuerunt Sylvester, Paludanus, Cano, Ledesma, & alii, quos refert Leander à Sacramento *tom.* 1. *tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 3. *quæst.* 52. Idemque propter eandem rationem tenendum: hæc confessio sit integra; si tamen nulla, & invalidem defectum omninò internum; doloris v.g. pœnitentiæ: quidquid contradixerit Mag. Victoria *quæst.* 8. *art. diffic.* 2. *pag.* 498. Qui addunt, idem prorsus dicendum, etiamsi ejusmodi confessionem non subsequatur absolutio.* Qui confitetur (inquit Victoria) de omnia peccata sua, etiamsi non habeat dolorem, si confiteatur hoc ipsum, quod non habet dolorem, sive absolvatur, sive non; credo, quod satisfacit præcepto Ecclesiæ: ego certè non damnarem illum.* Cui consentit M. Can. *in relect. de Pœnit. p.* 5. *fol.* 43. §. *Alterum jam patet.* ubi ait:* Imò crediderim ego, quod cum peccator se sistit Sacerdoti, etiamsi non recipiat absolutionem, implet præceptum Ecclesiæ. Quæ censuræ, si quæ fulminentur adversus eos qui eo anno non sunt confessi, hujusmodi peccatores impœnitentes non tangunt.* Cæterum nulla ex præfixis sententiis sustineri potest: quia præcepto recipiendi verum Sacramentum, eo voluntariè non sufficeret, nemo satisfacit. Et contraria assertio damnata est ab Alexandro VII. die 24. Septembris anno 1665. ubi inter alias propositiones, ut scandalosam ut minimum, damnavit hanc: *Qui facit confessionem voluntariam nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Quæ censura potest jure jurando singulari opinioni M. Domin. Baltasin Margaritæ *confes. fol.* 44. *in edict. Complut. anno* 1534. ubi ait:* Si quis haberet solum peccata cordis, videtur quod posset differre confessionem, usque ad mortis articulum, cum de illis Papa nil habeat judicare.* Quam sententiam omnes authores reiiciunt, in illamque Thom. Hurt. *to.* 1. *de Resid. Sacra, res.* 8. *de Resid. Can. subsect.* 1. *n.* 20. *fol.* 345. ex principiis veræ Theologiæ, sic concludit:* Manet ergo temeraria, & improbabilis sententia Margaritæ, quæ ante porcos, non ante fideles, & Catholicos prolici debet.* Quia fides sanctum est præceptum Divinum confessionis ad omnia peccata mortalia, tàm interna, quàm externa subjicienda obligare: ut definit Trid. *sess.* 14. 5. Ecclesia autem tempus ad ejusmodi præcepti adimpletionem determinavit, semel in anno. Undè semel singulis annis, tenentur fideles præceptum Divinum confessionis adimplere, nec aliter Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. Qui autem peccata cordis mortalia fatentur semel in anno, vel qui confessionem invalidam efficiunt utpotè aliqua parte essentiali contradicentem, non adimplent præceptum Divinum confessionis, tempore ab Ecclesia determinato, in quo consistit violatio præcepti Ecclesiæ, urbenè M. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *conc.* 6. Suar. *de Pœnit. disp.* 31. *sect.* 2. *n.* 2. *& sect.* 7. *n.* 3. Vivald. Adrian. Navar. Medina, Petr. de Soto, Paul. Comitol. quos citat, & sequitur P. Fagund. *secundo præcept. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 5.

DISPVTATIO SECVNDA
de distinctione numerica peccatorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Undè sumatur distinctio numerica in peccatis merè internis?

§. PRIMUS.

Auctorum sententiæ.

1. Distinctio numerica peccatorum alia physica est, moralis alia: Distinctio physica ad confessionem parum refert, ut benè tradit P. Suar. *disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 6. Licet enim Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *Canon.* 7. definiat, necessarium esse, omnia peccata sigillatim confiteri, id intelligi debet, non de omnibus sigillatim physicè, sed moraliter. Sicut licet præcipiat, omnes species confiteri, non de omnibus physicis, sed moralibus intelligendum est: Ut ibidem cum utroque Soto docet P. Suar. quem sequitur Card. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 104. Verùm cum difficilè sit cognoscere, quando plures actus physici, non plures moraliter, sed unus censendi sint: hoc in præsenti indagandum aggredimur. Et primum de actibus, & peccatis merè internis, undenam sumenda sit distinctio numerica in his peccatis?

2. Prima sententia asserit, plures voluntatis actus, circa idem objectum, non efficere plura numero peccata, nisi per pœnitentiam, aut actum contrarium interrumpantur. Ita Canus apud Vasq. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. Quam sententiam, licet Vasq. falsam appellet; & incredibilem apparere dicat Suar. *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 9. plures tamen Doctores amplectuntur, inter quos Ludovicus Lopez *tom.* 1. *cap.* 31. Martin. Delrio de Magia *lib.* 6. *cap.* 1 *sect.* 3. Arag. 1. 2. *q.* 62. *art.* 8. *ad primum*, Garcia *de Benefic.* 3. *p. cap* 1. *num.* 138. Petr. de Ledesma *in Sum. lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 37. Petr. Fai, Filiarc. Joann. de la Cruz, Pitigian. & alii, quos congerit Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 95. & Marcus Serra 2. 2. *quæst.* 62 *art.* 8. §. *dicendum* 3. *& dicendum* 4.

3. Omnium fundamentum est, quia ad distinctionem numericam moralem, requiritur, inter voluntatis actus, interruptio moralis, quoties autem hæc non fit per pœnitentiam, aut actum contrarium, non est interruptio moralis, sed tantum physica: ergo non est distinctio numerica moralis. Minorem probant. Nam quando aliquis habuit voluntatem aliquam, & eam non retractavit, censetur moraliter in illa perseverare: ergo quamvis sæpius eandem voluntatem iteret absque prædicta retractatione, eamdem voluntatem moraliter censebitur habere, & consequenter idem numero peccatum committere; ideoque confessioni satisfaciet, si pluralitatem illam physicam actuum per modum unius peccati confiteatur: Dicens; accuso me de uno peccato desiderii fornicationis.

4. Doctrina ista confessonario aptissima est, Cathedræ verò difficillima. Primo, quia ex eo precisè, quod peccator voluntatem præteritam non retractaverit, non potest dici moraliter perseverare in actuali peccato, sed habitualiter tantùm; semel enim præterita voluntas non magis durat, quam perjurium semel præteritum duraret in eo, qui doloris actum non elicuisset: dicemus ne moraliter in actuali perjurii peccato perseverare, & perjurium aliud novum, circa eamdem materiam post mensem commissum, idem numero peccatum cum præcedenti constituere? Absit. Ergo hæc non retractatio non sufficit, ut plures actus physici unum peccatum constituant; aliàs, qui singulis mensibus voluntatem fornicandi habuisset, de qua nunquam pœnituisset, unicum tantum peccatum committeret, quod ex terminis videtur absurdum. Secundò: Illi actus physici distinguuntur numero moraliter, qui malitias morales numero distinctas habent; sed actus, qui propter temporis interruptionem physicè distinguuntur, tales sunt; ergo distinguuntur numero moraliter. Minor probatur, quia malitiæ morales distinguuntur in subjectis, quibus insunt, sed insunt actibus numero distinctis: ergo numero distinguuntur moraliter; quo cessat fundamentum contrariæ sententiæ.

5. Eminentiss. noster Lugo *disp.* 16. *sect.* 14. *num.* 361. sententiam Cani, & aliorum ingeniosa quadam limitatione defendit. Docet igitur plures voluntates physicè interruptas unum peccatum constituere; quoties ita inter se comparantur, ut una ab alia dependeat. Explicat, ut inquis v. gr. cogitans de homicidio eodem, absque nova aliqua deliberatione, memor voluntatis, seu deliberationis præcedentis, illud iterum desideret, seu de illo delectetur. Ratio est, inquit, quia illæ voluntates physicè interruptæ verè habent inter se aliquem ordinem, cum una influat, & determinet ad aliam. Si enim intentio physica determinans ad electionem medii hodie faciendam, unum cum illa constituit peccatum, quamvis heri habita fuerit, cur intentio eadem determinans hodie ad aliam intentionem, seu complacentiam circa idem objectum, non constituet unum peccatum cum illa? Secus autem, ait Lugo dicendum, quando una voluntas in aliam non influeret, sed viso objecto, de novo quis se determinaret ad illud desiderandum. Tunc enim illæ voluntates, si notabiliter inter se distarent, plura numero peccata constituerent. Ad hanc cogitationem ansam arripuit ex P. Vasquez *suprà dub.* 5. *num.* 10. ubi Canum impugnat; * quia nullam, inquit, continuationem video in his voluntatibus, cum una ex alia non dependeat. * Et ex Suarez *suprà sect.* 5. *num.* 11. ubi refert ex aliorum opinione, actus moraliter continuari, ex eo quod reditus ad similem actum, quasi naturaliter fit, sine nova deliberatione.

6. Non inficior Card. de Lugo, intentionem unam ab alia, non minus quam electionem dependere posse. Cæterum hoc non videtur sufficere ad unitatem peccati, in ordine ad confessionem constituendam: aliàs, qui modo haberet intentionem efficacem accedendi ad fœminam, & post annum memor hujus intentionis cogitans de eodem objecto, absque nova deliberatione, illud iterum desideraret, seu de illo delectaretur, non committeret novum peccatum in confessione explicandum. Insuper si post oscula, & tactus, ex intentione operantis ad copulam ordinata, occasionis defectu, ad plures dies differretur, idem cum illa postea subsequuta constituerent peccatum. Quod nemo concederet. Ergo quod una voluntas ab alia dependeat, sive tanquam electio, sive tanquam intentio, vel unitas ordinis inter duos actus valdè

distantes, non plenè suadet unionem moralem sufficientem ad illorum confessionem per modum unius peccati: aliàs explicatâ copulâ, & nulla facta mentione de osculis, & tactibus, in prædicto casu, præcepto confessionis satisfieret, quod Cardin. de Lugo non admittet.

7. Secunda sententia tenet, quamcumque physicam interruptionem internorum actuum, sive voluntariam, sive involuntariam, utpotè ex distractione naturali, vel somno provenientem, sufficere ad multiplicitatem numericam peccatorum. Probant: quia illi actus interrupti talis naturæ sunt, ut quilibet suam malitiam moralem habeat, quorum malitia nequit una fieri, absque aliqua continuatione; sed nil intercedit, in quo tales actus continuentur, cum nil mediet, ratione cujus, possit homo dici actualiter peccare. Ergo, &c. Secundò: quia postquam cessavit prima voluntas, jam homo actu non peccabat. Ergo quando repetitur, incipit actu peccare. Ergo est unum, & aliud actuale peccatum: ergo sunt re ipsa plura peccata. Ergo, ut plura confitenda. Quia præceptum confessionis, suppositâ distinctione, quam inter se peccata habent, ad illa declaranda obligat: aliàs idem esset, peccata distingui numero moraliter, quod distingui in ordine ad confessionem: ac proindè committeretur circulus: nimirum ideò distingui moraliter, quia sunt ut plura confitenda, & ideò esse ut plura confitenda, quia distinguuntur moraliter. Hanc sententiam tenent P. Vasq. *q. 91. art. 1. dub. 5. à num. 10.* quem sequitur Merat. *disp. 16. dub. 3.* & argumenta convincere re esse veram, ait P. Suar. *suprà num. 17.* Alii verò, licet existiment cum P. Vasq. per quamcumque cessationem, sivè voluntariam, sive involuntariam, interrumpi peccata interna, addunt tamen, ultra hoc requiri, quod cessatio sit per aliquod temporis spatium, nempè unius diei, ut ait Ochagavia *tr. 2. de confes. q. 15.* aut saltem dimidiæ horæ, ut cum Fagund. & aliis putat probabile Leander *disp. 8. §. 7. q 6.* dummodo non retractetur propositum per pœnitentiam, aut actum contrarium.

§. II.

Nonnullis prænotatis, propria sententia stabilitur.

8. DEdi superius de numerica distinctione duplicem sententiam, quarum primam, ut nimis laxam, non admisi, & secundam, ni fallor, ut nimis strictam rejeci. Quapropter mediam aggrediendo viam, aliquid de utraque sententia assumam. Quod ut fœlicius præstem, suppono primò: rectè stare posse, quod peccata sint in se, & coram Deo distincta, quin numero distinguantur in ordine ad confessionem. Quidquid contradicat P. Suarez *supr. num. 15.* Ipse enim velit, nolit, admittere tenetur, ut exemplis, ab ipso, & à communi sententia admissis, manifestè convincitur. Nonnulla specimina præsto. Conveniunt Doctores, oscula, & tactus antecedentia copulam, & ad illam ordinata, unum numero peccatum, cum ea subsequuta, constituere: quod, ea præcisè explicata, sufficienter explicatur, licet resita evenire possit, ut aliquando tactus impudici præcesserint, aliquando non. Modò sic: certum est, oscula, tactus, & copulam sigillatim suas habere singulares malitias: ergo inter se distinguuntur, non solùm in esse physico, sed in esse morali, seu in ordine ad Deum: est enim quodlibet eorum suo objecto peccatum mortale; quod autem ad copulam, ut dispositiones antecedant, non tollit eorum malitiam, & multiplicitatem numericam, ut benè advertit P. Fagundez *2. præcepto Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 14.* Sunt igitur ejusmodi oscula, & tactus plura peccata in se, & coram Deo, & tamen non sunt tantum distincta in ordine ad confessionem, ut docent communiter Doctores: Ergo in omnium opinione admittendi sunt aliqui actus in ratione peccati distincti in se, & coram Deo, qui tamen in ordine ad confessionem non sint moraliter distincti censendi. Immediata enim successio duplicis malitiæ numero distinctæ, non facit, quod ex utraque unum numero peccatum conflatur: ut constat in duplici fornicatione sine interruptione physica.

9. Urgetur, in opinione strictiori, quam admittimus ex P. Vasq. & Suar. asserentibus, plures voluntatis actus tunc unum peccatum constituere, quando voluntas prima manet in aliquo actu, seu operatione, qui sit illius effectus. Tunc enim, inquiunt, licèt actu cesset prima voluntas, manet in effectu illamet numero malitia moralis, quæ antea erat in voluntate. Undè cum postea voluntas repetitur, eadem prorsus malitia continuatur; quia voluntas repetita non causat in actione aliam malitiam numero distinctam. Ex hac doctrina argumentum concicio. Malitiæ, ut expresè fatetur P. Suar. *sup. num. 14.* distinguuntur numero moraliter, si insint actibus numero distinctis; sed actus voluntatis, qui modò existit, est numero distinctus à præcedenti; ergo habet malitiam numero distinctam. Confirmatur, quia duplex actus amoris Dei immediatè elicitus, habet duplicem bonitatem moralem: ergo duplex actus odii immediatè elicitus habet duplicem malitiam. Ergo illa peccata interna numero distinguuntur, non tantùm physicè, sed etiam in ordine ad Deum, & tam ad displicentiam, quàm ad pœnam: & tamen omnes Doctores affirmant, non debere, ut numero distincta explicari. Ergo, &c.

10. Urgetur secundò aliis exemplis in hac, & aliis disputationibus enodandis v. g. confessarii expertis confessiones multorum in statu peccati mortalis: & illius qui pluries perjuravit, seu blasphemavit, seu verba injuriosa uno continuato sermone protulit: quorum singula, manifestum est, coram Deo esse peccata numero distincta, & tamen in ordine ad confessionem non sunt talia, ut expresè fatetur cum aliis P. Fagundez *2. præcepto. Ecclesiæ, lib. 3. cap. 5.* Ergo, &c. Hæc fundamenta mihi probant in omnium opinione tenendum, peccata posse esse distincta in se, & coram Deo, quin tamen in ordine ad confessionem distincta censeantur.

11. Suppono secundò, distinctionem numericam moralem, aliam esse moralem in rigore metaphysico, aliam moralem humano modo. Distinctio moralis metaphysica reperitur, quoties actus distinctis in ea physico distinctas malitias habent: quales sunt omnes in præcedentibus relati, & alii, quibus non adhærenit malitia ex intentione operantis, sed ex se ipsis habent. Li sunt: horum enim quilibet suam habet distantiam ad naturam rationalem, & quilibet independenter ab alio dissonat: sive inter unum, & alium detur interruptio, sive non. Quapropter non videtur cur in esse morali, rigore methaphysico loquendo, non distinguantur. Distinctionem moralem numericam humano modo eam voco, quæ in prudentium hominum æstimatione talis reputatur. Hanc autem non causat quælibet physica interruptio, sicut nec quæ-

quælibet distinctio actuum in esse physico, & malitia morali, ut exempla suprà adducta satis demonstrant. His positis.

12. Dico primò: Quando Tridentinum obligat omnia peccata figillatim confiteri, non obligat confiteri omnia, distincta moraliter metaphysicè, sed distincta moraliter humano modo. Hæc mihi suadent rationes allatæ, & innumeri casus à Doctoribus admissi, quorum plures in discursu hujus disputationis dabo, in quibus continuationem sufficientem ad unitatem moralem peccati, in ordine ad confessionem defendunt: Et tamen evidens est, metaphysicè loquendo, plura numero peccata intervenire. Dicendum igitur est, ea tantum peccata esse plura numero in ordine ad confessionem, quæ humano modo, seu in prudentum æstimatione plura reputantur; sic enim hoc Sacramentum, quoad obligationem confitendi, à Christo Domino fuisse institutum, intellexerunt communiter Theologi, & sic intelligendum Concilium: Et ita sine dubio sentit P. Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 14. & 20. ut testatur P. Oviedo infrà citandus.

13. Dico secundò, distinctionem numericam humanam, seu juxtà prudentum æstimationem, non invenitur in actibus voluntatis circa idem objectum iteratis, quoties interruptio actuum nimis brevis, & naturalis fuerit, absque speciali advertentia facta. Ita expressè P. Granado *controv.* 6. *de peccatis, tr.* 2. *disp.* 5. *num.* 4. P. Ægidius *de Sacram. Pœnit. disp.* 7. *n.* 31. P. Henriq. *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 5. §. 2. & in illam tandem venit P. Merat. *disp.* 26. *sect.* 3. *nu.* 2. ubi ait, probabilem esse, tutamque in praxi eorum opinionem, qui censent ea solùm peccata recensenda, ut numero diversa, quæ non possunt moraliter secundùm prudentem, & communem hominum æstimationem pro uno computari. Et P. Fagund. 2. *præcept. Eccles. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 14. asserens ad novum peccatum requiri physicum quoddam spatium, & physicam temporis interruptionem, arbitrio prudentis faciendam, quam ipse putat dimidiæ horæ. Nec dissentiet Card. Lugo *supr. sect.* 14. *citata*, ubi asserit, duas voluntates, quarum una influat in aliam, tunc plura peccata constituere, quando notabiliter inter se distant. Quod etiam tenet P. Salas 1. 2. *tom.* 2. *tr.* 13. *disp.* 5. *sect.* 8. *n.* 81. Cajetan. Navarr. & Graffius, apud P. Oviedo. 1. 2 *tr.* 6. *de peccatis, controvers.* 5. *punct.* 5. *n.* 103. qui *nu.* 109. eorum sententiæ assentitur. Nec aliud sentit Tamb. *in Method. lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. *nu.* 34. ubi ait peccata multiplicari numero, quando tanta est interruptio actuum, ut nequeat moraliter censeri persistere eandem voluntatem, ac proinde debere explicari tempus durationis, si fuerit notabile, secus si breve. Quibus consentit P. Bauni *tom.* 1. *tr.* 4. *q.* 15. *dub.* 9.

14. Fundamentum hujus asserti est, quia talis interruptio non variat morale judicium humanum; ergo humano modo, & juxtà prudentum æstimationem perindè res se habent, ac si nulla physica interruptio daretur. Secundò, quia quoties distractio talis est, ut voluntas ratione prioris commotionis, quasi naturaliter actum repetat, absque speciali voluntatis deliberatione; certum est, quod minus graviter peccet, quam si absque distractione aliqua per horam integram in turpi delectatione duraret: cur ergo majore obligatione tenebitur? Tertiò, quia interruptio physica, quæ in hoc casu intervenit, talis est, ut in prudenti æstimatione quis dicatur non cessasse per integram horam à turpi delectatione: ergo ratione eius interruptionis non multiplicantur numero peccata moraliter humano modo, licet metaphysicè multiplicentur. Igitur illi actus iterati circa idem objectum censendi sunt veluti partes ejusdem peccati, quod aliquando minus, aliquando magis patet, ad eum modum, quo docet P. Vasquez *suprà* de tactibus, & osculis copulam præcedentibus, quæ in confessione, in omnium opinione, explicari non debent, & tamen certum est, quòd plures distractiones reales frequenter in illis reperiantur.

15. Dico tertiò: interruptionem voluntatis habitam absque expressa intentione interrumpendi, sed quasi naturaliter, ratione alicujus negotii, aut alterius cogitationis occurrentis, aut sumptionis cibi, aut somni, &c. quibus actionibus transactis, statim ratione prioris commotionis, iterum ad eamdem quis redit voluntatem; non constituere plura numero peccata. In hac parte convenio cum Card. de Lugo, & Doctoribus citatis pro prima sententia, & consentire debent omnes pro nostra conclusione nuper allati. Ratio est, quia prima determinatio voluntatis in prudentum æstimatione non dicitur cessasse; potius dicere solemus, hominem perseverare in suo pravo proposito, ergo interruptio per somnum, vel occurrentiam alicujus negotii divertentis alio cogitationem, non constituit pluralitatem numericam moralem in ordine ad confessionem: ac proindè, juxtà dicenda in sequentibus disputationibus, satisfaciet pœnitens se accusans de una delectatione morosa; vel de una voluntate efficaci explendi libidinem; quia duratio temporis non debet in confessione explicari, juxtà infrà dicenda de circunstantiis aggravantibus.

§. III.

De distinctione numerica in peccatis externis.

16. PAter Vasquez *suprà dub.* 5. *citato*, & Pat. Merat. *disp.* 26. *sect.* 3. suis inhærentes principiis, contendunt, actus externos peccaminosos toties discontinuari, & plura numero peccata constituere, quoties voluntas finis non perseveret, vel formaliter in se, vel virtualiter in medio ex illa procedente, ratione cujus continuo absque interruptione aliqua physica, verè, & in toto rigore metaphysico sit homo actualiter peccans; ac proindè undecumque proveniat, quod in aliquo instanti actualiter peccare desinat, ut distractione, vel somno, &c. indè multiplicitas, & distinctio peccatorum proventura. Quapropter si actiones externæ non habuerint inter se ordinem medii, & finis, semper efficient, juxtà horum Doctorum sententiam, plura numero peccata. Alii verò è contra; unitatem peccati externi desumendam ajunt ex voluntate præterita non retractata. Ita Joannes de la Cruz *in direct. part.* 2. *de Sacram. pœnitent. quæst.* 2. *dub.* 3. Homobon. *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 13. *q.* 83. Pirigianus, Petrus Fai, & alii apud Lugo infrà *num.* 538. Apud quem Coninch, & Henriquez asserunt, non obstare unitati peccati externi interruptionem per somnum; stabunt etiam pro hac sententia omnes Doctores *suprà* citati, pro unitate in peccatis internis.

17. Ego verò universaliter pro omni peccato externo duplicem regulam generalem statuo. Prima sit, consequutio finis pravi, & exequutio mediorum ex vi intentionis præcedentis, idem numero peccatum constituunt, quoties actus interni voluntatis non discontinuatur moraliter, juxtà dicta paragrapho

pho precedenti: & media, quæ assumuntur ex se, mala non sint, vel si mala fuerint, ad finem naturâ suâ ordinentur, & malitiam specie diversam non contineant. Exemplum prioris sit, eius, qui ex intentione occidendi, inimicum quærit; ensem præparat, &c. Exemplum secundæ: colloquia turpia, oscula, & tactus, quibus ad copulam pervenitur. Hanc regulam universalem trado ex doctrina Pat. Suarez *disput. 22. sect. 5. num. 24.* & P. Vasquez *quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 3 & 7.* Uterque enim ex communi Doctorum sententia ait ex fine, & mediis unum in genere moris resultare, & ex his omnibus unum consummatum peccatum coalescere, quia omnes isti actus interni, & externi ad unum opus ordinantur, & ex illius intentione procedunt. Et trait P. Suarez, ex metaphysica, unitas numerica etiam in actionibus non est semper ejusdem, vel æqualis rationis: nam aliquando ex simplici entitate; aliquando verò ex collectione plurium cum aliqua artificiosa compositione resultat. Ad hunc ergo modum, inquit, omnes illæ actiones, censentur esse partiales, & componere moraliter unum peccatum, quia omnes ordinantur ad unum consummatum opus. Sic etiam ante illum discurrit M. Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. post 8. argum.* ubi ait: *Notandum est, quod quando sunt plures partiales actiones ad unam integram concurrentes, satis est, finalem illam confiteri. Quæsivit quis arma, ut hominem occideret, armavit se, & exploravit, ubi esset inimicus: omnia quidem sunt peccata; sed tamen, si tandem occidit, satis est dicat, occidi hominem, & eodem modo, qui patratam fornicationem confitetur, non opus habet suavia, & alios tactus confiteri: *Sic Sotus.

18. Hinc fit, quod utrobique sufficiat explicare in confessione finem obtentum, non explicatis mediis, ut cum P. Suarez, & Navarro docet Coninch. *disp. 7. dub. 7. nu. 58.* (nisi forte peccatum tale sit, quod non sufficienter explicetur, non explicito aliquo medio, ut quando per mediatricem, quis fœminam sollicitat.) Si verò finis non obtineatur, necessarium erit fateri intentionem, & saltem in genere se accusare, aliqua adhibuisse media ad eius consequutionem, ut ait Coninch supra. Imò, quando media ex se mala sunt, putat ipse, debere omnia sigillatim explicari, dicendo: toties fœminam fuisse osculatum, toties tactus inhonestos cum illa habuisse. Verum hoc non judico necessarium, sed satisfacere, si dicat; se illam osculatum fuisse, vel tactus inhonestos habuisse ex intentione copulæ, non explicato numero; quia omnes ejusmodi actiones sunt unus actus in genere moris, sicut de pluribus injuriis respectu ejusdem personæ, & de pluribus per jurisdictionem continuato sermone prolatis, docet cum Zanardo Diana *1. part. tract. 7. resol. 51. & 3. part. tract. 4. resol. 163.* & cum Azor, & alius tenet Lugo *supra num. 561.* Quod si unius medii exequutio distet ab exequutione alterius, adeò, ut censeatur à distincta numero moraliter intentione procedere, eo quod interruptio notabilis intervenerit: & non solùm naturalis, ex his quæ frequenter in actibus humanis reperiri solent, per prandium, per somnum, per diversionem brevem ad alia occurrentia, &c. non constabitur unum peccatum ex obtentione finis, & exequutione mediorum, ac proindè tenebitur pœnitens, juxtà veriorem sententiam, ut peccata numero distincta in confessione explicare, si verò media ex se mala non sint, sed ex fine tantum malitiam sortiantur, censet Vasquez *1. 2. disp. 76. num. 18.* necessarium non esse in confessione illa explicare. Sed satis, inquit, videtur si dicat, habui intentionem occidendi inimicum * cui consentit Pat. Salas *tom. 2 in 1. 2. quæst. 73. dub. 5. sect. 8. numer. 17.* Sed non assentior, quia accipere ensem & indutus arma ex intentione occidendi inimicum, vera sunt peccata, quæ inexplicata relinquuntur, per solam expressionem pravæ intentionis occidendi; debet ergo in genere se accusare de mediis adhibitis, nec speciem, vel numerum explicare necesse non sit, quorum distinctio physica tantum est.

19. Secunda regula sit: quotiescumque plures actus externi in prudentum æstimatione reputantur partes integrantes unius actionis humanæ, unum numerum peccatum constituunt, sive ordinem mediis, & finis inter se habeant, sive non. Ita tenet Cardin. Lugo *disp. 16. sect. 14. à numer. 540.* Et stare debent pro hac sententia omnes Doctores, §. 2. pro nostra sententia allati, & P. Fagundez suprà, qui hanc unitatem moralem ex pluribus actionibus confiatam magis explicat, dicens: in peccatis momentaneis, ut in blasphemiis injuriis, contumeliis, perjuriis, detractionibus, requiri aliquando ad distinctionem numericam inter capedinem, unius quadrantis, aliquando minus. In successivis verò, qualis, inquit, sunt peccata odii, & amoris, requiri dimidiatam horæ, plus minusvè intercapedinem. Et *num. 15.* inquirens, quot numero peccata committat, qui illicitis amoribus involutus, sollicitat fœminam, & eam potitur; respondet, spatium temporis notabile, & sufficiens ad multiplicanda numero peccata, esse, si per dimidiam horam plus, minusvè, ab exteriori persequutione mulieris cessaverit. Et sic tenent eprosè Bauni *suprà §. 3. Assertio.* Candidus *de confes. dis. 24. articulo 22. dubio 10.* & Tamburin. *in Methodo, lib. 2. cap. 1. §. 8.* Hujus regulæ ratio petenda est ex dictis §. præcedenti; scilicet, quia una actio humana externa, unum peccatum externum est. Ergo quotiescumque plures actiones in prudentum æstimatione unam, veluti ex partibus conflatam efficere censeantur, non plura numero peccata moraliter erunt, sed unum moraliter, licet in rigore metaphysico plura numero reperiantur.

20. Quando autem plures actiones una actio humana censendæ sint; ex prudentum judicio dependet: quapropter non ratione, sed variis exemplis adhibitis demonstrabo. Una dicitur recitatio officii, licet quis inter unum, & alterum Psalmum, aliquo temporis intervallo, dormiret; vel occurrenti aliquo negotio Horam interrumpat. Et una dicitur commestio sacramentalis, licet Sacerdos, postquam communionem suam, der Eucharistiam mille personis; & postea sumat particulas relictas, ut beneficiis; & postea sumat particulas relictas, ut beneficiis; & postea sumat particulas relictas, ut benefici

rum opinionem, non fracturum jejunium, qui cum aliqua ex prædictis interruptionibus unam comestionem efficeret, & consequenter semel tantum peccaturum, qui in die veneris, prædictis interruptionibus, carnes ederet: nam cum moraliter una censetur comestio, ex pluribus partibus conflata, unum tantum erit peccatum in ordine ad confessionem. Horum tamen Doctorum aliqui nimis laxè loquuti sunt; quapropter eorum opinioni non adhæreo, ni modica fuerit interruptio.

22. Secundo: Omissio restitutionis per plures dies non constituit plura numero peccata, ni voluntas retinendi per contrariam voluntatem fuerit interrupta, quia non restitutio singulorum dierum moraliter censetur pars unius omissionis ex pluribus conflatæ; ac proinde unum tantum peccatum in genere moris, etiamsi voluntas non restituendi fuerit pluries repetita. Ita docent Navarra *lib. 4. de restitut. cap. 4. num. 9.* Tanner. 2. 2. *disp. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 425.* Card. de Lugo *disp. 16. sect. 14. num. 549.* Aragon, Malderus, Rodriguez, & Sayrus, quos refert, & sequitur Diana 2. *p. tract. 1. Miscel. resol. 25.* Neque obstat, quod interrumpatur per impotentiam restituendi: nam cum quis dormit, est pro tunc impotens, & tamen moraliter censetur una omissio, ut benè advertit Lugo.

23. Addit Lugo *num. 551.* posse fortasse aliquando stare unitatem actionis, & peccati non restituendi, etiamsi voluntas retinendi revocata fuerit per contrariam voluntatem, seu propositum restituendi: probat; nam si in die jejunii proposuisset quis in fine prandii non plus comedere, & priusquam à mensa surgeret, novum aliud ferculum ei offeratur, potest comedere, non obstante proposito illo, quia continuatio illa ratione loci, & temporis sufficit ad continuandum illud prandium, ut docent Lessius, Layman, Villalobos, Filliuc. & Diana, apud Lugo *suprà*: Ergo idem prorsus dicendum est de omissione restitutionis ratione temporis continuatæ. Ex quo exemplo infert Lugo, eum, qui, prædicta interruptione per contrariam voluntatem facta, carnes ederet in die prohibito, unum tantùm peccatum commissurum; nam quando statim mutatur animus, eadem videtur comestio moraliter, ac si per contrariam voluntatem non fuisset interrupta. Hæc doctrina est valdè notanda, quia singularis, & casus frequenter occurrens. P. Gran. apud Diana 5. *p. tract. 14. resolut. 55.* licet non conveniat cum Lugo in unitate peccati omissionis restituendi, existimat tamen cum Navarro, & Reginaldo, eum, qui aliquoties doluerit de culpa, & proposuerit restituere, non teneri explicare interruptionem actuum, sed sufficere explicare tempus detentionis voluntariæ.

24. Tertiò: tactus, & oscula libidinosa subsequentia copulam, unum peccatum cum illa constituunt, nec debent in confessione explicari; sed sufficit confiteri copulam. Ratio est, quia licet in se mala, & turpia sint, & secum afferant delectationem prohibitam, tamen in genere moris ex copula, & ex tactibus, & osculis subsequentibus, unus congressus, & una actio humana inhonesta coalescere reputatur: ejusmodi enim actiones, & tactus se habent, ut complementum copulæ. Ita contra P. Suarez *disp. 22. sect. 5. num 26.* & contra Vasquez *quæst. 91 dub 5. n. 33.* docent P. Gran. 1. 2. *controver. 6. tract. 2 dub. 5. n. 11.* P. Salas 1. 2 *tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 9.* P. Fagundez 2. *præcep. Ecclesiæ lib 3 cap. 4. n. 4.* Card. Lugo *suprà num. 554.* Henriquez, Navarro, Azor, Sanchez, & alii, quibus subscripsit Diana 1. *p. tract. 7. resol. 42.*

25. Idem docet Navarro *in Manuali Confessorum cap. 6. num. 17.* de reliquis accessoriis substantiæ peccati, ut si quis delectetur de copula habita, aut verbis, vel factis demonstret sibi placuisse: hic enim, inquit, satisfaceret confitendo præcisè fornicationem. Et in fine addit, hoc esse verum, licet inter præambula, & subsequentia ad substantiam peccati, sit aliqua notabilis interruptio, quod etiam tradit Joannes Sanchez *in select. disp. 6. num. 9.* intelligendum tamen ait, quando is, qui fornicationem commisit, ad alia negotia agenda neutiquam se divertit, sed in eodem situ, & statu, quo peccavit perseverat, detinens fœminam ad deosculandum, & colloquendum. Vel si fortè fœmina discesserit ex utriusque conventione, expectet reditum ad iterum deosculandum, & colloquendum. Vide Leandrum *disp. 8. §. 6. quæst. 8. & 9.* ubi totam hanc doctrinam amplectitur.

QVÆSTIO II.

An tactus, & oscula, quæ præcedunt absque intentione copulæ, si hæc posteà subsequatur, debeant in confessione explicari?

1. SI ex intentione copulæ procedant, conveniunt communiter Doctores, ut suprà diximus, non debere, sed copula tantùm explicata, præcepto confessionis satisfieri. Difficultas igitur solum est, quando ejusmodi tactus, & oscula absque intentione copulæ, solo animo in illis sistendi, habita fuerunt, & tamen copula fuit postea subsequuta. Doctores, qui in hanc dubitationem inciderunt, communiter affirmant debere explicari, & non sufficere copulam tantum confiteri. Ita P. Vasquez *suprà dub. 5. num. 27.* P. Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp. 9. disc. 6.* Lugo *suprà num. 556.* & Diana 4. *part. tract. 4. resol. 20.*

2. Contrariam verò sententiam tenuit quidam recentior, quem suppresso nomine refert Diana suprà, & tuetur Leander *disp. 8. §. 6. quæst. 10.* addens ita etiam sentire recentiores aliquos à se consultos. Quos sequitur R. P. Delgadillo *tom. de Pœnitent. cap. 17. dub. 83. numer. 194.* & assentitur P. Oviedo 1. 2. *tr. 6. controvers. 5. de peccatis, punct. 3. num. 63.* licet non sit ausus clarè asserere. Sed ego probabiliter assero, non debere explicari, & efficaci ratione probo. Quia, ut omnes Theologi fatentur, tactus & oscula ex sua natura magis ordinantur ad copulam subsequentem, quam ad antecedentem: imò ad istam plures ordinari negant: sed licet ex intentione operantis non ordinentur ad copulam antecedentem, sed in delectatione ex ipsismet actibus percepta sistatur, non faciunt distinctum numero peccatum à copula, nec debent in confessione explicari, ut suprà probavi. Ergo licet ex intentione operantis non ordinentur ad copulam subsequentem, sed in eorum delectatione sistatur, si tamen postea copula subsequatur, non constituent diversum peccatum, nec debebunt in confessione explicari. Quibus, ni fallor, enervatur fundamentum, quoad aliter sentientium motus est Card. de Lugo; nimirum tactus secundum se, quando in ipsis sistitur, habere malitiam specie distinctam à copula. Sed quidem mirum foret, non esse distinctæ speciei, quando in ipsis sistitur, & copulam, ut concedit ipse Lugo *suprà num. 554.* & ratione

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

distinctæ speciei esse quando ante illam. Præterquam quod, ut ait P. Vasquez *suprà num.* 28. tactus, & oscula totam malitiam habent ex copula, ad quam natura sua ordinantur, licet aliquando ex voluntate operantis, quia ipse ibi sistit, non ultra procedant. Ergo eamdem habent malitiam, ac si ex intentione operantis ad copulam referrentur: ordinatio enim extrinseca non est in diversa specie à relatione intrinseca. Quibus satis favet Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7.* dum ait: * Amplexus, & oscula ob delectationem habita, suaptè natura, & intrinsecè ordinantur ad copulam, tanquam circunstantiæ illius, &c. At circunstantiæ intrinsecæ actus participant eandem ipsius malitiam: quare talis delectatio est inchoatio copulæ carnalis. * Ergo inter virum, & fœminam malitiam copulæ participant, licet in ipsis sistatur: sicut inter duos viros, aut duas fœminas malitiam sodomiæ; quia ad hunc negandum concubitum ordinantur: ut cum Gersone, Nieva, & aliis docet ipse Sanchez *num. 8.* Quæ expressius tradit *num. 10.* dicens: * Satis esse, ut malitiam copulæ participent, ad illam ordinari. *

3. Deinde sibimet contrarius videtur Cardinalis de Lugo: nam ut eadem *disp. 16. sect. 5. à num.* 238. & præcipuè *num.* 242. expresè tenet: malitia tactus, prout est de delectatione ex contrectatione illicita, & turpi, non distinguitur specie à malitia copulæ, prout est etiam contrectatio illicita, & turpis (licet, in eius sententia, aliam malitiam superaddat copula.) Ergo explicata malitia copulæ, nulla malitia specie distincta manet inexplicata. Deinde est moralis continuatio inter tactus, & copulam: ergo quod copula superaddat malitiam specie distinctam, non probat, tactus, & oscula debere in confessione explicari; sed debere explicari copulam, ne aliqua species malitiæ inexplicata maneat.

4. Confirmatur exemplo; quod cum communi sententia admittit Lugo. Si fœmina haberet votum solius virginitatis, quod violatur per copulam, si post eam immediatè continuaret tactus libidinosos, hi tactus non haberent malitiam contra votum, quia hoc cessavit per copulam, per quam amisit virginitatem, & tamen non debent in confessione explicari, quia faciunt idem peccatum contra castitatem cum copula præcedenti: ut docent Henriquez *lib. 5 de Pœnit. cap. 5. num. 5.* & Diana plures referens *1. p. tract. 7. resolut. 42. & 3. p. tract. 4 resol. 67.* & tenet ipse Lugo *suprà à num.* 239. Ubi reddens rationem, inquit, * Quia tactus subsequentes faciunt idem numero peccatum cum copula, in quo peccato, licet quoad aliquam partem sui, non habeat malitiam sacrilegii, sufficit, quod eam habeat, quoad aliam. * Hæc Lugo: & benè quidem. Sed quare idem in nostro casu non dixit: nempè tactus, & oscula constituere unum moraliter cum copula, etiamsi ex illius intentione non procedant. In quo peccato, licet quoad aliquam partem sui, non sit illa malitia distinctæ speciei, quàm adstruit Lugo in copula, est tamen quoad aliam. Præterquam quod reliqui Doctores eam negant: quia oscula, & tactus totam speciem malitiæ copulæ habere videntur; unde tactus dicuntur fornicatio inchoata, ut ait P. Vasquez *quæst. 91 dub. 5. num.* 33.

5. Tandem probatur: nam qui absque intentione peccandi se exposuit periculo, non tenetur, subsequuto peccato, confiteri periculum, cui se exposuit, nisi inter unum, & alterum notabilis mora intercesserit, ut docet ipse Lugo *disp. 16. sect. 4. §. 7.* San[illegible] Villalobos, Aragon, & alii, quos citatos sequitur Diana *1. p. tract. 7. resol. 44.* Sed qui habet oscula, & amplexus absque intentione copulæ, imposuit periculo illius; ergo eâ subsequutâ non erubitur oscula, & amplexus in confessione explicare. Dicendum igitur est prædictos tactus, & oscula præcedentia absque intentione copulæ, sufficienter, si subsequutâ, explicari, copulâ præcisè explicatâ: secus verò si non subsequatur: ut omnes Doctores docent, etiam in casu, quo ex intentione copulæ procedant, ut suprà docuimus.

QVÆSTIO III.

An plures copulæ, absque interruptione morali, unum numero peccatum constituant?

§. I.

Affirmantis sententiæ Auctores, & fundamenta.

1. EX dictis in præcedentibus dubitari potest an plures copulæ, ratione continuationis moralis, idem numero peccatum in genere moris efficiant? Partem affirmativam tuetur Manardus *1. p. Directorii de Sacramento Pœnit. cap. 18. circa dubium pro confessione, & circunstantiis, §. 5. fol.* mihi ubi sic. * Non solùm dico tactus, & oscula ante copulam unum constituere peccatum cum copula; sed etiamsi accidant post copulam, & non simplici ad novam copulam ordinentur. Et si post illa sequeretur nova copula, & esset deliberata antea, quia quando ivit dormitum cum illa multere, determinavit per totam noctem delectari cum ea carnaliter, tamen formaliter acciperentur per modum unius deliberationis, & peccati continuati formaliter. Et idem dico de eo, qui deliberavit tres viros occidere, & postquam unum occidit, alterum interfecit, & deinde tertium: vel ivit dormitum cum duabus solutis, cum animo cognoscendi carnaliter utramque. Nam quamvis in confessione sint explicandæ personæ occisæ, & cognitæ, ad hoc ut cognoscatur gravitas peccati in eadem specie: per hoc tamen non efficitur, quod ista sint multa peccata homicidii, vel fornicationis formaliter, quia eadem remanet voluntas, deliberatio, & finis, quæ actiones specificant, & distinguunt formaliter. * Hæc ibi. Quem sequitur Mauritius Antonius Verarduzius sacræ Theolog. Doctor in *Summa Corona Confessorum 1. p. cap. 2. de circunstantiis, num. 19. in fine.* In summa, inquam, Italicè conscripta. * Tradotta di Latino in vulgare, & ampliata dallo istesso Authore, edita Venetiis anno 1590. ibi ergo ille ait: * Qui se fa dubio, si un huomo dormendo una notte con una cortigiana conoscesse quella tre, & quatro volte, sara forse bisogno, dir al Confessore, tante volte li ho conosciuta in una notte? Navarro dize chesi: perche son atti distinti, & uno non è ordinato all' altro. Sylvestro dize il contrario. Ma per accommodare questi duo Dottori potremo dire, che si uno conoscendo una donna non pretendeba usar piu di una volta: è doppo fattone delibera di novo, tanti peccati distinti sarano quanto nove deliberationi sarà. Ma si propone dormir con quella, è tutta la notte goderla, quanto puo, se la conoscesse trevolte, è un peccato, perche tutti

tutti insieme considerati son ordinati ad un fine. Chesara goderla tutta la notte.* Hæc ibi.

2. Ejusdem sententiæ est Archangelus Rubeus *dist. 16. fol.* 189. apud Leandrum de Sacram. *tom.* 1. *de Pœnit. disp.* 8. §. 7. *quæst.* 8. Quia it, hanc sententiam judicasse probabilem quosdam Recentiores, quos ipse consuluit. Et videtur ipse adhæsisse *tom.* 4. *de Censuris, tract.* 1. *disp.* 3. *quæst.* 44. ut constat ex indice: ubi verbo *fornicatio*, sic habet. * Fornicationes plures successivè absque temporis interruptione unam post alteram committens, unum solùm mortale committit. * Sic ibi. Licet in corpore quæstionis, tanquam quid certum oppositum statuat, discrimen constituens inter plures occisiones successivè (quas unum peccatum constituere, quæstione præcedenti statuerat) & plures fornicationes: dicens unicâ actione plures occidi posse, sicut, & unicâ absolutione plures absolvi; non verò posse unicâ actione ad plures fœminas, sicut nec pluries ad eamdem accessum contingere: quia * repugnat, inquit, omninò, quod actio fornicationis efficiat, quidquid sequentes efficiunt, aut earum effectum attingere, & ideò hæ actiones nequeunt ita conjungi inter se, ut pro unica adhuc in genere moris reputentur, benè tamen aliæ assignatæ. * Sic ille. Sed mens non plenè quiescit; quia ut ipsemet Leander defendit *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 8. §. 8. *quæst.* 18. Sacerdos qui in peccato mortali existens pluribus administrat Eucharistiam (dato lethaliter delinquere) unicum peccatum mortale committit. * Quia in genere moris, inquit, unica est illa actio. * Et tamen manifestum est, quod unica actione non potest pluribus Eucharistia ministrari, & quod prima administratio non facit, quidquid sequentes efficiunt. Igitur id non impedit, quod plures actiones unicâ in genere moris reputentur. Quapropter Dicastillo *tom.* 2. *de Sacram. tract.* 8. *disp.* 9. *dub.* 2. *num.* 79. * Si ratione, inquit, agamus, opinio Zanardi tam probabilis est, atque doctrina de occisione trium in eodem conflictu, seu pugna. * Cui accedit Cardin. de Lugo *tom. de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 14. *num.* 557. Et P. Ouiedo 1. 2. *tract.* 6. *controv.* 5. *part.* 5. *num.* 115. eodem modo philosophandum putat de habente plures copulas successivè, ac de illo, qui plures confessiones audit in peccato mortali. De quo infrà.

3. Ideò sententiam Zanardi multis suadere conatur Caramuel *in Theolog. fund. in* 1. *editione, fundam.* 29. *fol. mihi* 213. ubi ait: * Si quis unico luxuriæ impetu ad multas fœminas accederet, & à fortiori, si pluries ad eamdem, unicum peccatum committeret. * Et infrà: * Sicut de perjuriis, & blasphemiis, ita de homicidiis, & fornicationibus in hac materia est philosophandum. * Hæc Caramuel, & ante illum Rever. D. Marcus Scarsella de Tolentino in Summa Italicè scripta; cui titulus, *Giardino di Sommisti* 1. *p. cap.* 125. *n.* 11. ubi sic ait: * Si domanda? Uno dormi con una donna, è la conobbe tre, ò più volte; se commise tre, ò più; ò pur un sol peccato? * Respondetur: * Quando propose veramente, è determinatamente tutta la notte conoscerla, senza determinare una, ò più volte, haver commesso un sol peccato, per la indeterminatione: ma se con animo deliberato di conoscerla molte volte, tante volte pecco, &c. Onde un sol peccato saria ad un vecchio per due volte sole, che quella hauesse conosciuta, quanto ad un giovane, che diece volte. Percioche sul'intentione, è la voluntade conoscerla tutta la notte il vecchio, & il giovane. *

4. Hujus sententiæ fundamentum est, quia si ob aliquam rationem una copula non constitueret unum peccatum cum alia, maximè, quia singulæ sunt actiones completæ & totales; hanc autem rationem nil probare, pluribus suaderi videtur. Primò, quia singula perjuria sunt actus completi, & totales, & tamen si uno continuato sermone ter, vel quater quis perjurasset, non teneretur numerum in confessione explicare, quia idemmet peccatum perjurii constituunt, ut docent Lugo *disp.* 16. *sect.* 14. *num.* 561. Azor & alii, quos citat, & sequitur Diana 3 *p. tract.* 4. *resolut.* 163. Præterea quælibet blasphemia est actus completus, & totalis, & tamen plures blasphemiæ ratione unius impetus, & continuationis uniuntur moraliter in ordine ad constituendum unum peccatum, ita ut plures una censeantur, ut ait Diana cum Fagundez, & Trullench. 6. *p. tract.* 8. *resol.* 38. & tenet Lugo cum Molina suprà: ergò licet singulæ copulæ sint actus completi, & totales; si tamen uno continuato accessu, vel uno impetu committantur, unum peccatum mortale constituent, neque opus erit numerum in confessione explicare; nulla enim videtur esse ratio, cur eadem occasio sermonis possit unire moraliter perjuria, & blasphemias, & una conversationis occasio non possit fornicationes unire.

5. Secundò: Confessarius, qui in peccato mortali confessiones multorum excipit, unum tantum mortale committit, nec tenetur personarum numerum in confessione explicare, ut cum Rodriguez tenet Diana 1. *p. tract.* 7. *resol.* 43 Cardin. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *& sect.* 14. *nu.* 558. Fagundez 2. *præcepto Ecclesiæ lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 9. Leander à Sacramento *disp.* 8. §. 8. *quæst.* 19. Escobar *in Sum. tract.* 7. *ex.* 4. *cap.* 7. *nu.* 38. Bauni *tom.* 1. *tract.* 4. *q.* 15. §. *Dubitatur quarto*, & putat probabile Tambur. *opusc.* 1. *de conf. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 55. Et tamen quælibet absolutio est actio completa, & totalis, & tot sunt absolutiones, quot personæ. Ergò. Respondet Lugo ubi suprà absolutiones continuari intentione absolvendi omnes subditos, & irreverentia contra Christum. Benè: sed cur idem non dicit de pluribus actibus fornicationis. Nimirum continuari intentione peccandi cum fœmina quantum possit, & in oppositione contra eamdem virtutem? Quapropter magis consequenter P. Ouiedo *suprà* eodem modo in utroque casu philosophandum tradidit.

6. Tertiò: Plures actus externi completi, dum ab eadem voluntate procedant, idemmet numero peccatum constituunt; ergò idem de pluribus actibus fornicationis dici potest. Antecedens tradit M. Paludanus, quem refert, & sequitur M. Dominicus Baltanas *in Margar. Confess. fol. mihi* 136. ibi: * Nota, quod in voto negativo non bibendi vinum, toties est mortale quoties agitur contra illud, si iteretur actus interior, & exterior; non autem si solùm actus exterior, secundum Paludanum, quia peccatum per se est in actu interiori: Undè si unico actu voluntatis vult furari plura, quoad Deum unum peccatum committit, licet plura furetur, secundum judicium hominum. * Cui forsan principio innixi Recentiores quidam apud Ledesma *in Sum. de Pœnit. lib.* 1. *cap.* 16. *dub.* 1. *post tertiam concluf.* asserunt, eum, qui decem vicibus surripuit quantitatem mille aureorum, non teneri explicare in confessione numerum actionum, sed quantitatem furatam, nimirùm, quia uniuntur in unica volitione, qua fuerunt volitæ, & ex qua processerunt, ut complementum: sicut &

plures omissiones restitutionis, etsi in se completæ, dum ab eadem voluntate, continuantur, & unum peccatum constituunt. Ergò similiter plures actus fornicationis eadem ratione uniri poterunt.

7. Quartò: Prima copula, & oscula illam subsequentia sunt idem numero peccatum in genere moris, ut cum pluribus suprà docuimus: Deindè hæc eadem oscula, utpotè antecedentia ad secundam copulam unum moraliter peccatum cum illa constituunt; ergò, & copulæ ipsæ inter se. Hæc consequentia valdè urgere videtur, quia si secunda copula est idem peccatum cum osculis præcedentibus, & hæc eadem oscula idem cum prima copula, quam subsequuntur; quæ sunt eadem unitertio, sunt eadem inter se. Ergò prima, & secunda copula, utpotè idem moraliter peccatum cum osculis intermeditis, idem moraliter peccatum sunt. Hanc illationem esse legitimam, & necessariam ex opinione asserente, oscula subsequentia ad copulam idem cum illa peccatum constituere, tradunt P. Vazquez *quæst. 91. art. 1. dub. 5. n. 31.* & P. Suarez *disp. 22. sect. 5. n. 26. in fine.*

§. II.

Negativa, & vera sententia.

8. Nihilominùs contraria omninò sententia tenenda est. Quam certissimam jure vocant Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. de Pœnit. disput. 8. §. 7. quæst. 8.* Et Castro Palao *tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 1. in fine.* ubi ait: * Unum tamen est omninò indubitatum apud omnes, coitum unum non esse viam ad alium, ac proindè etiamsi mox post alium sequatur, necessariò est peccatum distinctum in confessione manifestandum. * Quos sequuntur Card. de Lugo *tom. de Pœnit. disp. 16. sect. 14. n. 557.* & cum Vazquez, Bonacina, & aliis P. Oviedo ubi suprà. Diana *3. p. tract. 4. resol. 67.* & communiter Theologi. Ratio est, quia communi omnium persuasione plures copulæ non solùm physicè, & metaphysicè distincta numero peccata sunt, sed moraliter, & humano modo; ac proindè nullum est caput excusationis, cum non reputentur partes ejusdem actionis humanæ, sed actiones totales diversæ. Quod aliter contingere in exemplis allatis, docent Doctores, qui pro illis militant, quibus dissentire debent, qui in opinione, & discursu de multiplicitate peccatorum in ordine ad confessionem nobiscum sentiant. Adde si fundamenta superiùs allata aliquid suaderent, idem probarent de pluribus copulis cum diversis fœminis, dum ab eadem voluntate, quia absolutiones, etiam conferuntur diversis, & tamen ut Adversarii contendunt, non ideò tollitur unitas moralis ex intentione agentis; sicut nec pluribus convitiis uno continuato sermone; licèt alia sint contra Deum, alia contra Sanctos; unum enim numero peccatum constituunt in ordine ad confessionem, ut cum Cajetan. Valentia, & Azor, tradit Diana *1. part. tr. 7. resol. 50.* Ergò, quod plures copulæ cum diversis fœminis haberentur, non impediret unitatem moralem peccati. Quod sanè valdè absurdum est, & à nemine concedendum.

9. Idem consequenter dicendum censeo contra Zanardum, & F. Leand. à Sacrament. quæstione præcedenti citatos, & contra F. Ludovicum à Concept. *in exam. veritatis, tom. 1. tract. de Pœnit. casu 5. num. 15.* asserentes plures occisiones successivè, eadem continuata actione, unum esse peccatum. Cujus ratio est, quia singulæ occisiones sunt actus completi, & totales, & unus non est via ad alium; nec ullam unitatem inter se habent in æstimatione morali, sed unusquisque actus peccatum consummat; ergò finito unus post alium succedit; ita & unum peccatum post aliud. Temporis autem continuatio, unire non potest in esse morali actiones, in suo ordine absolutas completas, & adæquatas, & à diversis actibus voluntatis executioni mandatas; licet ab unica intentione procedentibus: id enim actibus etiam diversæ speciei contingere potest; ut si unico actu, quis intenderet fornicationem, homicidium, & furtum, & successivè hæc executioni mandaret. Et tamen nemo audebit dicere unum ex illis resultare peccatum in individuo, ad plures pertinens species. Quid verò tenendum, quandò non plures actus externi occisionis plurium, sed unus interveniat, quæstioni sequenti indagabimus.

10. Ad fundamentum solidiùs pro contraria sententia, responderi potest, secundam copulam esse idem peccatum cum osculis præcedentibus, diversum verò ab illis, ut subsequentibus, quia secundum diversas rationes ad distinctas actiones humanas pertinent. Sunt enim aliqui externi actus habentes certos terminos, in quibus consummantur; & tales est fornicatio, in communi sententia, ut omittam per plures fornicationes, plura inferri damna proli, aut in morali æstimatione peccata multiplicant in ordine morali. Sicut, & quando plura lædunturjura, licet aliàs in esse physico, & metaphysico, idem peccatum censerentur; quod secus in præsenti contingeret plura esse, etiam metaphysicè, utpotè plures actus, suos singulos habentes malitias, dubitari non potest.

QVÆSTIO IV.

Utrùm, qui unica actione pluribus injuriam infert, ut si unico ictu ducem occidat, unicum tantùm peccatum committat?

§. PRIMUS.

Affirmantis sententiæ Auctores.

1. PArtem affirmativam defendunt James Pontius, Ordinis Minorum *in cursu Theologico, disp. 45. quæst. 7. conclus. 2. nu. 53.* Martinus de S. Joseph. *in Monitis, tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Pœnit. num. 4.* Constantinus de Castro *in Collatione Theologiæ moralis, tract. 1. cap. 6. art. 3. sect. 3.* Quorum verba adducit Diana *part. 11. tract. 3. resol. 3. & 4. resol. 64.* Ubi dicit esse probabilem; & jam dixerat *1. part. tr. 7 resol. 17. & 29. & 5. part. tract. 3. resol. 59.* eamdem sequuntur Remigius *in Summ. tract. 2. c. 5. §. 6.* & Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. de Pœnit. disp. 8. §. 3. quæst. 20. 21. & 22.* & iterum *tom. 4. de sanct. §. 3. quæst. 20. 21. & 22.* ubi concludit, dicens: * Et quidem illam esse probabilem satis apertè, & expressè affirmant, & probant Alterius Baltæus, Canedoli, & Cornejo. * Et tenet apud illum Bonacina *disput. 1. quæst. 1. punct. 5. num. 7.* Pro eadem sententia militant Mag. Bannez *2. 2. qu 62. de jure, art. 8. in Commentario, art. in dubitat. circa conclusionem, in responsione ad 3. arg.* & Mag. Navarrus *cap. 23. num. 41.* ubi sic: * Ad tertium, ut respondeamus, multa necessario

NOTO

trò nobis dicenda sunt. * Et post pauca: * Dicimus quartò, quod qui uno posito expresso, vel interpretativo, retinet rem alienam, unum tantùm peccatum committit. Ratio est, quia unus actus numero est moraliter loquendo, quando unica voli tione sequitur effectus etiam multiplex, præsertim si illa multiplicitas non est specifica, v. g. Si uno ictu occidat quis multos homines, unicus actus est moralis æquivalens in gravitate mult s. * Sic ille.

2. Ejusdem sententiæ sunt M. Serra 2. 2. *quæst. 76. artic. 3.* ibi: * Si quæras, an qui plures homines simul malediceret, mortem eis optando, unum vel plura peccata committeret? Respondetur, de hoc sicut de voluntate occidendi plures homines simul, varias esse sententias. Mihi probabilius videtur (attende) unum solùm numero esse peccatum, tàm physicè, quàm moraliter. * Mag. Acatius de Velasco *tom. 2. resol. mor. verb. golpe, resol. 2. num. 5.* ibi: * Es probable, que con un golpe, o una percussion hiriendo a dos, ò muchos Clerigos, no se incurre mas de una descomunion, porque absolutamente solo ay una transgression, y un solo pecado: y lo mismo digo de el que con una sola accion hurtados vasos de plata de diversos duennos. Ni obsta, que de aquella accion se sigan muchos dannos, supuesto que no ay muchos pecados, sino muchos efectos de un mismo pecado. * Quem sequitur Mag. Tapia *in Catena Morali, lib 3. quæst 4. art. 3. num. 9.* Et Mag. Arauxo 1. 2. *quæst. 73. art. 10. dub. 2.* * Illa, inquit, occisio plurium hominum unico ictu, non est multiplex, sed unum dumtaxat peccatum æquivalens pluribus. * Quos sequuntur Fr. Ludovicus à Conceptione *in examine veritatis, tom. 1. tract. 5. de Pœnit. casu 5. illatione 7. fol. mihi* 444. ibi: * Infero septimo, occidentem plures ejusdem rationis homines unico actu, vel ictu, unico tantum peccare peccato. Sic à me consulti plures tenent Salmanticenses Magistri. * Et Rev. Pat. Fr. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnit. cap. 17. dub. 64. num. 142. & iterum dubio* 80.

§. II.

Duplex in Baronium animadversio.

3. Cum tot, ex doctissimis etiam Magistris Ordinis Prædicatorum, pro hac parte militaverint, & omnes fideliter Amadæus citavisset: de aperto tamen falsitatis crimine *fol.* 234. eum Baronius accusat, quod Magistrum Bannez, & Mag. Serram pro opinione præfata adduxerit. Verba ejus sunt: *Bannez quo citatur loco, quæst. 62. artic. 8. nil eorum prorsus habet, quæ illi adscribit Amadæus, concl. 4. Tria illum articulum instituit dubia. Primò, nullam distinguit conclusionem. Secundum sex conclusiones habet. Tertium quatuor; sed nullibi lego illud.* * Dicimus 4. Qui uno proposito expresso, &c. * Hæc Baro. Sed mirum nemini esse debet, homini majoribus distracto commilitonem legere non vacasse. Est tamen omnibus, quod adeò confidenter loquatur: & mirabilius, quod Bannesium citatum affingat *concl.* 4. cum Amadæus non conclusione 4. sed §. *dicendum* 4. citatum adduxerit. Deceptus homo est, idem reputans apud Bannez paragraphum & conclusionem. Recolat quæso, pacato animo, articulum 8. citatum, in quo (ut ipse benè advertit,) tria tantùm dubia M. Bannez excitat: Et in primo, in quo *nullam distinguit conclusionem*, in responsione ad 3. argumentum verba, quæ ab Amadæo conficta falsò jactavit, fideliter exscripta reperiret. Sic enim M. Bannez ait, ibi: Ad tertium, ut respondeamus, multa necessariò nobis dicenda sunt. Primò dicimus parum referre ad mores, &c. Nihilominus dico secundo, &c. Dico tertiò, &c. * (& posteà §. immediato) *Dicimus quartò, quod qui uno proposito expresso, vel interpretativo retinet rem alienam, unum tantùm peccatum committit, &c* En amice lector, Baronium de prima falsa accusatione convictum.

4. Nec est major illi fides in secunda, fol. 234. Ubi post memorata M. Serra verba, quæ ipse inficiari non potuit, Amadæo nihilominùs insultat dicens: * Quæ tibi fides in posterum Amadæe, adeò apertæ fraudis convicto? * Sed cujusnam? * Quia quæ sequuntur verba suppressit, (nempè quia sentiebat illis suam causam jugulari. * Quia tamen multis numero distinctis æquivalet (ait Serra) aperiendum est in confessione, quot homines maledixerit. * Vera Baronius refert, sed extra chorum saltat; quia quæstio, quàm Amadæus hic versat, non est, an numerus personarum, quæ uno ictu læduntur, sit nec ne in confessione aperiendus? Sed, an unica actio plures lædens unum sit peccatum? Et pro parte affirmante (ut ipse etiam Baronius fatetur) adduxit fideliter Magist. Serram, præscindens omninò à quæstione alia, de modo confitendi ejusmodi peccatum, quæ longè diversa est: In qua præfati doctores non conveniunt, sed alii personarum numerum exprimendum negant; alii affirmant: quod probabilius videtur M. Serra. Quem proindè Amadæus, quando hanc secundam quæstionem exagitet, pro hac parte (licet contrariam censeat probabilem) illum adducere promittit, & ejus verba referre. Quando verò primam de uno vel pluribus peccatis attigit, ad rem non erant, ideòque prudenter omisit: non ergò *quia illis suam causam jugulari sentiret*, ut sua vota eleganter expromens, jactavit Baronius. Nullo igitur jure apertæ fraudis Amadæum convictum garrit. Quinimò in ipsius caput calumnia cecidit.

§. III.

Authoris Judicium.

5. Prima conclusio. Qui unica actione plures lædit personas, ut si uno ictu decem occidat, unum tantùm peccatum, metaphysicè loquendo committere, evidens ex terminis est, in sententia Thomistarum asserentium repugnare in eodem actu plures malitias solo numero distinctas, quod ex D. Thoma tradunt Cajetanus *tom. 1. opusc. 31. resp. 25.* Mag. Nunno *in additionibus ad 3. part. quæst. 92. artic. 2. diffic. 2.* M. Serra 2. 2. *quæst. 76. ar. 3.* Suarez, Filiucius, Layman, Duardus, Megala, & alii apud Dianam *3. part tr. 4. de Sacram. resol. 164.* Quos sequitur Verricelli *tom. 1. q. mor. tract. 8. quæst. 17.* Hujus conclusionis ratio apertissima est; nam ubi unica tantum est malitia, & unicus tantùm actus, impossibile est multiplex esse peccatum, sicut & multiplex esse concretum, ubi nec forma, nec subjectum multiplicatur. Undè augetur admiratio anxietatis Baronii, in prætensa excusatione Mag. Bannez ab opinione, cui nec ipse, neque alius verè Thomista, nisi Angelicum Doctorem deserat, dissentire potest.

6. Secunda conclusio: licet plures numero malitiæ in eodem numero actu compatibiles admittantur, unum tantùm peccatum in una actione pluribus injuriam inferente continetur. Hæc conclusio est expresè contra Pat. Azor. *tom. 1. lib. 2. capit. 4. §. Secunda circunstantia, & lib. 4. cap. 4. quæst. 5. & 6.* Ubi ait: * In altero à Navarro dissentio, quod puto, plura esse peccata, si uno ictu vulneraret, vel occideret plures. * Cujus rationem reddit *quæst. 6.* dicens: peccata plura numero fieri, tametsi unus sit actus propter respectum ad objecta numero differentia. * Quem sequuntur Vazquez, Hurtado, Henriquez, Clavis Regia, & alii quibus consentit Diana *3. part. tract. 4. res. 164.* Conclusionem tamen nostram defendunt Card. de Lugo *tom. de Pœnit. disp. 16. n. 134. sect. 3.* Leander à Sacram. *tom. 1. de Pœnit. t. 5. disp. 8. §. 3. q. 19.* Tamburinus *in Methodo expeditæ confess. lib 2. capit 1. §. 9. numer. 59.* & Tancredi *in qq. Moral disp. 6. de Pœnit. quæst. 7. fol. 105.* Et in rigore veram esse docet Vazq. 1. 2. *disp. 74. cap. 2. num. 7.* & consentit Pat. Quiedo *1. 2. tract. 4. controv. 8. punct. 2. num. 26.* Probatur: quia peccatum est concretum accidentale ex actu, & malitia; & concreta accidentalia, non multiplicantur per formas, sed per subjecta, licet autem multiplicetur malitia, non multiplicatur subjectum, quod est actus, non ergò erit multiplex peccatum, sed unicum, habens plures malitias; sicut unus est artifex, unus Dominus, unus Pater, licet plures artes, plures subditos, aut plures filios habeat. Secundò probatur exemplis in præcedentibus allatis, in quibus plures malitiæ, in diversis etiam actibus repertæ, unum tantùm peccatum constituunt, eò quod plures illi actus pro uno moraliter reputentur, v. g. In osculis, & copula subsequuta, in pluribus blasphemiis eodem continuato sermone, in pluribus absolutionibus successivè collatis, & similibus. Ergò potiori jure plures malitiæ in eodem actu physico repertæ, idem peccatum constituent. Si enim in diversis physice actibus adunantur, eò quod omnes illi actus una actio humana censeantur; quantò magis unientur in eadem actione physica?

7. Denique suadetur, quia ex hac sententia, nil contra bonos mores inferri potest, quod æquo jure non inferatur ex opinione Div. Thomæ, ejusque discipulorum, asserentium plures numero malitias non posse in eodem actu reperiri, cùm expresè defendant unicam esse, licet plura numero objecta respiciat, quorum quodlibet seorsim ad actum graviter peccaminosum constituendum sufficeret. Ergò sicut in re morali nullum sequitur absurdum ex eo, quod unus actus externus, pluribus injuriam inferens, unicam malitiam contineat, ita neque ex eo, quod plures malitiæ simul admissæ unum peccatum constituant.

(:†:)

QVÆSTIO V.

Utrùm ad confessionem quidquam referat, unum, vel plura peccata in una actione pluribus injuriosa reperiri?

§. PRIMUS.

Vincentii Baronii placitum.

1. PArtem negativam tuetur Vincentius Baronius *in opere contra Amadeum, disp. 1. sect. 3. fol. 223.* & in hoc omnes convenire audebo pronuntiare non renuit: * Conveniunt, inquit, omnes idem esse juris, quoad praxim, & confessionem, id est, sincerè aperienda esse confessario, tum uno actu odii optavimus, aut intulimus, vel uti diversa vel eadem pluribus damna & mala.

2. Sed quidem homo cui, nec Dianæ operam præ se alibi fatetur, consulere licuit, non mirum, quod nullum auctorem discrepantem invenerit. Dissentiunt verò plures, quod nec Baronium ipsum latuisset, si vel Mag. Serra celebrem sui instituti auctorem consuluisset. Legat illum quæso *loco supra citato, 2. quæst. 76. artic. 3.* & hæc inveniet: * Quamvis autem unum sit peccatum (pluribus nimirum simul maledicere) hoc tamen gravius est, quàm si unus homo malediceretur, undè, qui dicunt, circunstantias gravantes notabiliter esse necessariò aperiendas in confessione, asserunt, in eâ exprimendum esse, quot fuerint homines maledicti; qui verò docent, solum esse necessariò confitendas mutantes speciem (extendas rogo Baroni) dicunt satis esse confiteri maledixisse, & non esse opus exprimere, quot homines maledixerit. * Didicisti jam ex tuo commilitone, non omnes convenire, si unum tantum peccatum actiona plures lædens involvat, idem esse juris quoad praxim, & confessionem, Sed tot contrarios sum assertum habere, quot negant obligationem confitendi circunstantias notabiliter aggravantes. Quorum longum syllabum dabo infrà.

§. II.

Aliorum sententiæ referuntur.

2. SI plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu repugnent, non esse obligationem explicandi in confessione numerum personarum, quibus unicâ actione infertur injuria, tradunt Mag. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. mor. verbo, sacramonio, num. 5. in fine,* ibi: * Bastara que se acuse, que ha echado una maldicion, sin explicar a quantos hombres maldixo en ella. * Et Fr. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnitent cap. 17. dub. 64. num. 12.* ubi ait: Eum, qui eodem actu vult occidere decem homines, imò, & qui eodem actu illos occidit, non teneri explicare numerum objectorum. * Et rum *dub. 80.* * idem dicendum de illo, qui unica persuasione inducit multos ad peccandum. * Et gitimam illationem, ex principiis Div. Thomæ, Thomistarum, censet P. Quiedo *1. 2. tract. 6. de peccatis, controv. 5. punct. 6. num. 122. & sequentibus.* Et probabile id esse, fatetur Vazquez *tom. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

part. quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 8. Ubi postquam docuit, plures malitias, & ideò plura peccata contrahere, qui unico ictu plures homines percuteret, ac proindè teneri ad numerum in confessione explicandum; subnectit: * Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu esse posse duplicem malitiam solo numero differentem, cujus contrarium non existimo improbabile, & secundùm illam tenentur, qui eam sequuntur, dicere, eam circunstantiam non esse necessariò explicandam. * Sic Vazquez, cui adhæret Dicastillo de Sacram. *tom. 2. tract. 8 disp. 10.* & sequitur Megala *part. lib. 5. cap. 12. num. 4.* ubi expresè adversùs Azorium probat, quod si quis unico actu voluntatis decem homines occidat, non tenetur numerum in confessione explicare. Cujus sententiam legitimè deduci ex opinione Div. Thomæ, & aliorum, fatetur cum Vazquez, Diana *1. part. tract. de circunstantiis aggravantibus, resolut. 17.* dicens: * Ex hac secunda opinione apparet, objecta diversa numero non multiplicare peccata, sed tantùm aggravare, & ideò secundùm illam dicendum, talem circunstantiam non esse in confessione aperiendam, ut rectè notavit, licet contrariam sententiam teneat Vazquez, ubi suprà. * Et iterùm *resol. 29.* Inquirens; an sit necessarium explicare in confessione numerum personarum, quibus fit injuria? respondet: * Resolutio hujus casus pendet ex illa quæstione, utrùm in eodem actu possint dari plures malitiæ solo numero distinctæ? Suarez asserit confitendum esse necessariò numerum personarum, sed magis consequenter loquitur Vazquez. * Scilicet, dum negat obligationem explicandi numerum personarum, juxtà sententiam asserentem circunstantias notabiliter aggravantes, non esse necessariò aperiendas in confessione.

3. Et loquentes de illo, qui unico voluntatis actu vellet plures homines occidere, aut ad plures fœminas accedere, non teneri in confessione explicare numerum objectorum; tradunt Verricelli, Martinus de S. Joseph, & alii, quorum opinionem probabilem esse dicunt Trullench. *lib. 5. in Decalogum, disput. 3. part. 3. num. 7.* & Diana *part. 11. tract. 7. resol. 34.* Subnectens: eum, qui dum sepelluit, plures habuit, pro objecto delectationis conjugatas, satisfacere, si in confessione dicat, habuisse pro objecto conjugatam: hoc inquam probabile dicit ex Martino de S. Joseph *in Monitis confessor. tom. 1. lib. 1. tract. 11. num. 9.* Qui sic scribit: * Quando uno tuvo polucion con objeto de muchas casadas, no tiene obligacion a dezir el numero: y aun es probable que complirá con dezir, que tuvo por objeto muger casada, porque los objetos, que solamente son diversos en numero, no multiplican los pecados, sino solamente los agravan. * Quibus favent quotquot asserunt eum qui unico actu rem plurium dominorum furatur, non teneri numerum personarum, quibus damnum infertur explicare, ut Mag. Serra *2. 2. quæst. 76. artic. 3. in fine, fol mihi 655.* Qui licet probabilius censuerit, numerum occisorum, uno ictu, in confessione explicandum, id tamen negat de numero damnificatorum uno furto. Rationem autem disparitatis reddit: * Nam hic formaliter, & expresè solùm vult summam illam pecuniæ accipere, injuriam verò, quæ fit Dominis solùm implicitè. * Quod censet etiam Pat. Vazquez *1. 2. disput. 146. capit. 2. & tom. 4. in 3. part. quæstion. 91. articul. 1. dub. 3.* & alii ex ejus discipulis. Et absolutè defendunt Diana *part. 11. tractat. 7. resolut. 34.* Martin. de S. Joseph. *ubi suprà*, Verricelli *in quæstion. Moral. tom. 1. tract. 8. quæst. 17. numer. 2.* Quia unicus actus, sive internus, sive externus pluribus injuriam inferens, unum est peccatum: quod quidem licet pluralitas objectorum gravius constituat, non tamen est circunstantia speciem mutans: circunstantiæ autem aggravantes intra eandem speciem, non sunt de necessitate confitendæ, ut *disput. 3.* dicemus: Ergò nec numerus personarum, quibus damnum infertur. Syllogysmus videtur rectè concludere, si præmissæ constiterint. Quarum simultatem D. Thomas defendit, ut constat partim ex dictis, partim ex dicendis *disp. sequenti, quæst. 1.*

4. Addunt alii idem prorsus dicendum, licet plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu reperiri possint. Ita Cardin. de Lugo *tom. de Pœnit. disp. 16. sect. 3. num. 135. & 139. & 141.* Leander à Sacrament. *tom. de Pœnit. tract. 5. disp. 8. § 3. quæst. 20. & 26.* & Tamburinus *in Methodo expeditæ confess. lib. 2. cap. 1. § 9. num. 59.* Probant. Quia plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu unum tantum numero peccatum constituunt: ut diximus *quæst. 4. num. 6.* præceptum autem confessionis solùm obligat confiteri species, & numerum peccatorum, non malitiarum: de hoc enim explicando non invenitur præceptū. Deindè probatur, quia præceptum confessionis non obligat ad explicandā distinctè totam malitiam individualem peccati, ut fatentur omnes, qui negant obligationem confitendi circunstantias notabiliter aggravantes: pluralitas autem malitiarum in eodem actu, cùm peccata non multiplicet, ut suprà probavi, solùm potest idem aggravare intrà eamdem speciem; undè ad rationem circunstantiæ aggravantis reducenda est, ut de quantitate furti loquentes tradunt Doctores infrà citandi; & de intensione actus ferè omnes fatentur; & de peccato ex mediorum exequutione, & finis intenti consequutione conflato, unanimiter docent Theologi. Cujus ratio à priori est, quia juxtà meliorem philosophiam, species est tota essentia metaphysica individui, ac proindè explicato clarè peccato quoad speciem, explicatur clarè quoad suam essentiam. Non est ergò undè teneamur totam malitiam indirectè individualem explicare, & sic tradit D. Thomas *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. ad 2. Quantitas* (inquit) *culpæ, quæ est ex specie peccati, debet innotescere Sacerdoti per confessionem, non quæ ex circunstantiis quibuscumque.* Non est ergò obligatio explicandi in confessione numerum personarum, quibus unico ictu injuria infertur.

5. Et quod mirabilius; Doctores etiam qui unum peccatum ex pluribus actibus externis ab uno voluntatis actu imperatos, resultare censent, similiter asserunt, non esse obligationem explicandi in confessione numerum actuum externorum. Sic Mag. Zanardus *1. part. Directorii, capit. 18. quoad circunstantiam.* * Quando. * *fol. 204. §. 5. loco*, ubi sic: * Similiter, qui per noctem cum amasia dormivit, non est opus, ut dicat, ego eam per tot vices cognovi, sed feci, quod potui; dummodò non habuerit interruptionem mentis, vel operis. * Quem sequitur Archangelus Rubeus *distinct. 16. fol. 169.* apud Leandrum *tom. de pœnitent. disput. 8. §. 7. quæst. 8.* inquiens, quod licet quis cognoverit fœminam tribus aut quatuor vicibus in una nocte, satisfacit, si in confessione dicat: * se habuisse unâ nocte rem cum muliere. * Quam sententiam ait Leander, judicasse probabilem Recentiores quosdam, quos

ipse consuluit. Et tenet Maurus Antonius Verardectius Sacræ Theologiæ Doctor *in Summ* Corona confessor. 1. *part. cap.* 2. *de circunstantiis, numer.* 19. cujus verba dedimus *supr. quæst.* 3. *numer.* 1.

6. Ex opinionibus relatis liquet, quantùm ad rem moralem referat quæstio illa metaphysica de uno, vel pluribus peccatis in eodem actu, seu in pluribus exteris ab uno actu voluntatis procedentibus, & quot, quantique Magistri ex hoc principio quoad praxim, & confessionem diversum jus adstruxerint. Quapropter minùs benè scripsit Baronius suprà, *omnes convenire idem esse jus*, sive unum, sive plura peccata in unico actu pluribus injurioso concedantur.

§. III.

Propria sententia duplici conclusione explicatur.

1. SIt prima. Integritati confessionis non satisfacit, qui peccatū non explicat vocibus confundentibus saltem totam malitiam individualem illius. Ratio est, quia præceptum confessionis obligat ad subjiciendum clavibus idemmet moraliter individuum peccatum commissum, cui non fit satis, dum aliquid pertinens ad substantiam individui peccati dicitur, quod illi non conveniat; vel quod aliud esse indicet: v. g. Si quis furatus fuisset centum, & se accusasset quinquaginta subripuisse, non confiteretur peccatum, quod fecit, quia verba hæc aliam quantitatem significant & alium voluntatis actum; ac proindè nec confusè subjiceret peccatum, quod fecit, sed aliud longè diversum. Quapropter, secundum omnes, confessionis integritati deficeret. Undè fit omninò rejiciendum Remigium ex Clericorum Minor. familia, qui *in Sum. tract.* 2. *cap.* 2. §. 6. sermonem instituens de illo, qui unico ictu decem occidisset, asserit, nec numerum, nec pluralitatem objectorum teneri in confessione explicare, sed satisfacere, * si se accusset de uno homicidio. * Hoc enim prorsus falsum est, quia unum homicidium, significat occisionem unius hominis, & cum fuerit plurium, non confitetur adhuc confusè peccatum, quod fecit.

8. Fit secundò, falsam esse sententiam, quam cum Verricelli, & Martino de S. Joseph. putavit probabilem Diana *part.* 11. *tract.* 7. *resol.* 34. asserentem, eum, qui toto anno statuisset non jejunare, vel non audire sacrum, &c. sufficienter confiteri, si dicat: habui propositum non jejunandi, non audiendi sacrum, &c. Et similiter, eum qui habuit, pro objecto delectationis, plures conjugatas, satisfacere, si dicat, conjugatam habuisse. Hoc inquam falsum est, quia Sacerdos intelligeret actum voluntatis ad jejunium, vel omissionem sacri unius diei, & similiter ad unam tantùm conjugatam delectationem respexisse; ac proindè, nec ille confusè diceret, nec confessarius perciperet, individuum peccatum commissum, sed diversum, nempè voluntatis actum ad unum tantùm objectum terminatum, cùm ad plura se extenderit. Quapropter Leander suprà *tract. de Pœnit. disp.* 8. §. 3. *quæst.* 20. & 21. Card. de Lugo *tom. de Pœnit. disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 141. & Tamburin. *in Method. lib.* 2. *cap.* 2. §. 4. *num.* 13. & alii, qui objectorum, ad quæ actio terminatur, numerum, vel personarum, quibus injuria infertur, explicare non obligant, dicunt tamen, pluralitatem explicandam, v. g. Occidisse aliquos, vel infamasse, vel scandalum eis præbuisse: & similiter statuisse non jejunare pluribus diebus, vel plures omittere Sacrum. Quia, sub hac universalitate vel individua peccata commissa comprehenduntur. Quod mihi in hac sententia omninò tenendum videtur, quia verba alia pluralitatem objectorum, aut plurimum, non confundunt, sed alia individua indicant, v. g. Si de homicidio se accusaret, cum plures eodem ictu occidisset, vel de animo habendi copulam cum soluta, cum plures copulas intendisset. Confessarius enim in his, & similibus, unius homicidium, & unam tantùm copulam intentam perciperet, quia juxta communem modum loquendi, quando pluralitas non exprimitur, unitas peccati determinatur.

9. Secunda conclusio: quoties unica actione plures læduntur, vel unico actu plura attingunt objecta, quorum quodlibet ad peccatum grave sufficeret; tam personarum, quam objectorum numerus in confessione explicari debet. Hæc est communis Theologorum. Cujus ratio desumenda est, ex doctrina à nobis suprà tradita de distinctione numerica peccatorum *quæst.* 1. *num.* 10. *& sequentibus.* Ubi distinctionem numericam moralem divisimus in moralem, rigore metaphysico, & moralem in prudentum hominum æstimatione, & de hac tantùm loquitum Tridentin. diximus, dùm omnia peccata significatim confiteri obligat: quod pluribus exemplis demonstravimus. Sicut ergò ut exibi dictis constet, plura peccata in rigore metaphysico, censeri posse unum & idem peccatum in morali prudentū acceptione: ita similiter contingere potest, quod unum peccatum metaphysicè loquendo, sit plura moraliter in prudentum morali æstimatione. Undè cum hanc, & non illam pluralitatem Concilii attenderit, cùm ad numerum peccatorum explicandum obligavit: planè deducitur, hanc in confessione explicari debere. Talem autem peccatorum pluralitatē contineri in actione una pluribus injuriosa, seu plura respicientē objecta, modo suprà explicato, quantumvis in rigore metaphysico unum sit peccatum, multiplicatur omnium fidelium praxis, & unanimis consensus ad hæc tempora Theologorum confirmatus, qui occidentem tres homines, etsi unico ictu, ad numerum occisorum in confessione explicandum, ex diversis principiis, obligarunt. Alii, quia plures malitias, & plura peccata in illo actu considerarunt, ut Vazquez, Hurtado, & Henriquez. Alii, quia circunstantias notabiliter aggravantes necessariò explicandas censuerunt. Alii, quia judicant tres consummationes peccati reperiri, licet eodem voluntatis actu, & uno ictu, tres occidantur. Alii, licet unum, pluribus tamen æquivalens, ut suprà exponendum putarunt, ut M. Sanchez, M. Arauxo, & M. Bannez locis suprà citatis.

10. His Thomistis ultimo loco relatis ego libens consentio, modo suprà explicato. Quemquidem hæc scripta reperi apud Rever. P. Fr. Franciscum à Jesu Maria Carmelitam Excalceatum bis Definitorem Generalem ejusdem Ordinis *in Curs. Theologiæ moral. p.* 1. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnit. cap.* 2. *puncto* 4. *n.* 69. Ubi cum Dicastillo, Palao, Molina, Fagundez, & aliis, contra Salas, Vazquez, & alios probat, in peccato furti, numerum dominorum in confessione declarandum: * Non quia ibi, inquam, sint plures numero tantùm distinctæ malitiæ physicè, vel metaphysicè acceptæ, ut putant plures ex his Authoribus: accidentia enim solo numero distincta physicè, vel metaphysicè, nequeunt esse in eodem subjecto, ut sæpè dictum est: sed quia in eodem illo fur-

illo furto multiplicatur numero moraliter, in acceptione morali, malitia injustæ damnificationis unius personæ in bonis fortunæ à malitia injustæ damnificationis alterius: sicut in unico actu detractionis, vel occisionis plurium personarum, multiplicatur numero moraliter, in acceptione morali, malitia injustæ damnificationis. *Quæ magis explicat *punct.1.nu.*5. & sequentibus: dicens, inter alios, id docere eruditissimum Petrum de Tapia *in Catena Moralitom.2.lib.3. de vitiis, & peccatis, quæst.4.art.*3 ex quo principio obligat ad explicandum in confessione numerum occisorum, sive unico, sive pluribus actibus exterioribus, res evenerit. *Sunt enim, inquit, plura peccata moraliter loquendo, secundum acceptionem moralem. *Qua etiam ratione ex doctrina D.Thomæ & Salmanticensium, plures malitias morales non physicè, vel metaphysicè; sed moraliter acceptas, in eodem actu, tam interno, quàm externo, solo numero distinctas reperiri posse & ab omnibus admittendas, optimè ibi probat.

§. IV.

Corollaria.

11. EX doctrina superius tradita infertur, conjugatum peccantem carnaliter cum conjugata únicum peccatum adulterii committere: est enim unicus actus, etsi duplici matrimonio injuriam inferens: & similiter religiosum cum religiosa delinquentem, unicum tantum peccatum sacrilegii contrahere, utriusque voto contrarium. His illationibus dissentire nequeunt Doctores supra citati *§.4.n.*1. & 2. qui unico actu plures lædentem unum committere peccatum, constanter defendunt. Et in terminis tradunt M. Zanardus *in Directorio* 1.*p.*2. *in explicatione sexti, & novi præcepti, cap.*3. ibi: *Adulterium dupliciter committitur. Primò inter duos matrimonio junctos, quia vir adulter habet uxorem; & mulier uxor habet virum; & hoc est propriè adulterium, sed unum, quia una malitia intervenit; etsi duæ injuriæ concurrant materialiter, id est, ratione personarum. *Idem sentit Martin. de S. Joseph *in mônita Confessor. tom.*1. *lib.*1. *tract.*11. *de Pœnit. n.*16. *No pecan mas de un pecado numero el casado, que adulterò con muger casada; ni el Religioso, q̃ pecò con Monja; porque pecar con persona del mismo estado, agrava dentro de la misma especie. *Quibus addeFr. Ludovicum à Conceptione *in exam. veritatis, tract.*5. *de Pœnit. casu*5. *nu.*10. *fol. mihi* 444. ubi ait: *Infero sextò, conjugatum rem cum alia conjugata habentem, unum tantum committere adulterium. Quem alii infrà citandi sequuntur.

12. Restat verò difficultas circa modũ confitendi ejusmodi peccata adulterii. Nonnulli existimant, sufficere de peccato adulterii, vel sacrilegii se accusare, non explicando, an ex parte unius, an utriusque conjugum, vel votum se habeat. Moventur; quia ex una parte peccatum est unum in utroque eventu, utpotè unicus actus externus, qui vel unica tantùm malitia inficitur, vel si pluribus, non multiplex idcò peccatum fit, juxtà superius dicta. Unde, quod uni, vel duobus injuriam inferat, vel duplici voto opponatur, solùm est circumstantia notabiliter aggravans, quàm in confessione explicari non debere, est ferè communis Doctorum sententia, ut ex infrà dicendis constabit. Deinde, voces istæ *Adulterium*, & *Sacrilegium*; non solùm personarum, & objectorum numerum, sed pluralitatem etiam confundunt, ut ex terminis liquet. Ergo individuum peccatum commissum comprehendunt, & sufficienter confusè significant, prout ad integritatem confessionis requiritur.

13. Ideò in terminis sic tradunt P. Sà *verb. Confessio, num.*30. Ferrantinus *in Practicis Disp.quæst* 66.*n.*121. & ut probabilem admittit Vazquez *tom.*4.*in*3.*part. quæst.*91.*art.*1.*nu*3. & 8. Ubi dicit, debere eam amplecti omnes asserentes, in eodem actu reperiri non posse duplicem malitiam, solo numero distinctam: Cui consentit Fr. Leander à Sacram. *disput.* 8. §.3. *quæst.*54. & legitimam illationem ex principiis Suarez, & aliorum, putat Oviedo 1.2.*tract* 6.*de Peccatis, controv.*5. *punct.*6. *num.* 121. Quibus adhærere videtur Diana 3.*p.tract.*4.*resol.*164. ubi postquam dixit esse probabile, posse reperiri in eodem actu plures numero malitias; subnectit: *Consequenter in hac opinione debere explicari conjugatum cum conjugata, aut Religiosum cum Religiosa deliquisse. *Ergo sentit esse probabile in contraria opinione non debere. *Quod (inquit Leander suprà) docere debent, qui affirmant, circumstantiam duplicati adulterii, aut sacrilegii esse tantùm aggravantem, si aliàs sentiant circumstantias aggravantes; non debere in confessione explicari. *Idque tanquam probabile admittit ipse Diana *p.*9. *tract.*9.*resol.* 55. utpotè conclusionem deductam ex principio, quod fatetur esse probabile: *Ex eodem, inquit, principio videtur inferri, Religiosum habentem rem cum Religiosa, unum tantum committere peccatum contra religionem, & sufficere, si in confessione dicat, commisisse fornicationem sacrilegam; seu contra votum castitatis: nec aliquam video disparitatem inter circumstantiam conjugii tenentis se ex parte utriusque, & voti ex parte eorumdem se tenentis. *Videatur idem Diana 1.*part.tract.*7.*resol* 29. ubi cum Vazquez sentit apertè, quod in opinione, quàm ipse probabilem judicat, negante plures malitias solo numero distinctas in eodem actu, non est necessariò, explicare in confessione numerum personarum, quibus fit injuria. Ideoque 3.*part. tract* 4. *resol.*164. contrariam opinionem, quoad numerum malitiarum amplectitur, ut ex illa probet in peccato conjugati cum conjugata, & Religiosi cum Moniali, duplicem contrahi malitiam, & pluta numero peccata in confessione explicanda. Verùm quod unum tantum, licet notabiliter gravius intervenial, tradunt ultra citatos M. Petrus de Ledesma *in Sum.*2.*part. tract.*27.*cap.*12. in D.D. Francisco Verde in opusc. pro Caramuele *quæst.*4. §.37.*fol.*41. & §.93.*fol.*57. & plures apud illum.

14. Nec dissentiet Doctoribus citatis M. Acatius de Velasco; cum ex una parte unum tantum peccatum intervenire fateatur in una actione plures lædente personas, ut vidimus suprà; & ex altera eum, qui pluribus maledixit; asserat satisfacere, si in confessione de una maledictione se accuset, non explicato personarum numero, ut videre licet *tom.*1.*resol. mor. verb. falso testimonio, num.*5. Quapropter præsentem difficultatem versans, verb. *Luxuria, resol.*206. proposita parte negativa concludit: *Con todo ay algunos Doctores, que sienten no se debe declarar esta circumstancia en la confession, &c. Deben de ser los que juzgan, que en un acto individuo no se pueden dar muchas malicias numero distintas. *Quorum opinionem ipsemet Velasco quoad malitiarum numerum, ni D. Thom. adversetur, tenere

debet: neque aliter *ubi suprà. verbo, Falso testimonio;* excusare posset à numero personarum, quibus illata est injuria, in confessione explicando. Si autem in maledictione pœnitens excusatur, nulla congrua reddi potest ratio, cur in adulterio excusari non debeat.

15. Nihilominus contraria omninò sententia, quæ communis est inter Doctores, tenenda est, cum Vazquez, Salas, Navarr. & aliis quos citat, & sequitur Palaus *tom.1. tract.2. disp.3. punct.3.* Quibus adde Suarez, Lugo, Fagundez, Lessium, Candidum, Bonacinam, Trullench, & alios apud Leandrum *tract.5. de Pœnit. disp.8.* & Thomas Sanchez, cum Petro Ledesma, & Lopez *lib.9 de Matrim. disp.15.* Cujus ratio petenda est ex superius dictis. Quamvis enim unum peccatum, vel unicam tantum malitiam physicè, & metaphysicè illi adulterio, vel sacrilegio concedamus; moraliter verò loquendo, duplex peccatum, duplexque malitia moraliter, & in acceptione morali, numero diversa negari non potest. Quapropter jure Thom. Sanchez *lib.9. de matrim. disp.15. n.6. propè finem* scripsit, de conjugato peccante cum conjugata, idem dicendum, quod de illo, qui duos eodem ictu percussit. Quorum numerum in confessione explicandum, constat ex dictis *sup. numer.9.*

DISPVTATIO TERTIA.

De circumstantiis peccatorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm circumstantiæ notabiliter aggravantes, intra eamdem speciem, debeant in confessione explicari?

1. SUppono primò ex Concilio Trident. *sess.14. cap 5. & Canon.7.* debere in confessione explicari circumstantias, quæ speciem peccati mutant: tales sunt juxtà D. Thomam *in 4. dist.16. q.3. art.2.* quæ habent speciatem repugnantiam cum ratione, diversam ab ea, quæ est in ipso peccato. Vel, ut ait Scotus *in 4. dist.17.* quæ speciali prohibitione prohibentur. Unde quoties eadem actio ex motivo duplicis virtutis prohibita est, ut occisio Clerici ex religione: vel ex eadem virtute sub diversa ratione formali, præcipitur, ut actio ex voto, & ex juramento debita, tunc dicitur in peccato commissionis, vel omissionis contineri circumstantia, quæ speciem peccati mutat, & consequenter ex obligatione explicanda in confessione.

2. Difficultas solum est de aliis, circumstantiis, quæ speciem peccati non mutant, sed intra eamdem speciem malitiam aggravant. V. grat. in peccato furti, quod quantitatis sit viginti aureorum, vel decem tantum; quod delectatio venerea per horam, vel per quadrantem duraverit, & similes. De his igitur circumstantiis, etiam notabiliter aggravantibus, quærimus, an debeant in confessione explicari?

3. Prima sententia affirmat, quam tenent Alensis, Altisiodor. Dom. Soto, Canus, & alii, quos sequuntur Suarez hic *disput.22. sect.3.* Henriquez *de Poenitentia libro 2. cap 7. n.6.* Fagundez *lib.4 in quinque præcepta Ecclesiæ, præcep.2. nu.10.* Thom. Sanchez *lib.2. in Summam. 32. n.39 & libro 4. cap.11. num.24.* Petrus de Ledesma *de Sacram. Pœnit cap.19.* Joannes à S. Thoma *2. disp.18. disput.10. artic.3.* Llamas, Coninch, Joannes de la Cruz, Petrus Fai, Sylvius, & plures alii, apud Leandrum *tom.1. tract.7. de circumstantiis aggravantibus sect.1. & p.3. tract.4. resol.67.* & apud Leandrum *tract.5. de Pœnit. disput.8.* quos sequitur M. Arauxo *3. p. quæst.3. art.5. dub.3.*

4. Secunda, & verior sententia negat, quam tuentur D. Thomas, infra citandus, Scotus, Valentia, Durandus, Paludanus, D. Bonaventura, D. Antoninus, Turrecremata, Joannes Viguerius, Sylvester, Tabiena, Armilla, Zanardus, Medina, & innumeri alii, quos citat, & sequitur Diana ubi supra, *p.3. tract.14. resol.56.* Quibus adde Lessium *lib.4. de Just. cap.3. dub.12. n.8.* Meratum hic *disp.27.* Vazquez *eod. 91. art.1. dub.2.* Lugo *disp.16. sect.3.* Dicastillo *disp.3. dub.3. n.180.* Palao *tract.23. disp.unica p.9.* Et probabilem vocant ex adversariis Henriquez, Fagundez, & Suarez *ubi suprà sect.3. n.13.* & innumeri alii quibus assentior.

5. Probo primo auctoritate D. Thomæ, qui plurimis in locis, adeo expressè id tradit, ut mirum fuerit, de ejus mente aliquem dubitasse. *In 4 sentent. dist. 16. q.3. art.2. quæstiunc. 5.* *Quidam dicuntones circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri, sine moriæ occurrant: alii vero dicunt, quòd non sit de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt, & hoc probabilius est. *Et *dist.22. quæst.1. art.4.* *Ad secundum dicendum, quòd quantitas culpæ, quæ est ex specie peccati, debet innotescere Sacerdoti per confessionem, non tamen oportet de quantitate, quæ est ex circumstantiis quibuscumque, ut suprà dictum est. *Et iterum in secundo scripto super *lib. sentent. dist.16. art.3.* *Circumstantia, quæ novam rationem peccati mortalis addit, de necessitate est confitenda, aliæ autem non. *Quæ autem debeat esse nova hæc ratio peccati mortalis, explicat ad 2. dicens: *Sufficit cognoscat Sacerdos quantitatem quæ ex nova specie contingit. *Et ad quintum: si talis circumstantia non trahit in aliud genus mortalis, non est confitenda. *Quæ rum tradit in eodem secundo scripto *dist.22. art.2.* *Ingratitudo, inquit, non trahit in aliud genus peccati, ideo nec confitenda. *Et infrà ad secundum argumentum, quod erat ejusmodi: *Vel confessionem debet Sacerdoti manifestari quantitas culpæ, &c.* *respondet sic: *Ad secundum dicendum, quod verum est de quantitate, quæ contingit ex nova specie peccati, non de quantitate, quæ est in circumstantiis quibuscumque. *Denique hanc sententiam tenet D. Thom. *opusc.12. quæst.6.* ubi respondens cuidam Lectori Bisuntino, ficart. *Hujusmodi circumstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod sit quis teneatur confiteri. *Et infrà. *Quod autem dixi circumstantias, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non esse de necessitate confitendas, non est referendum ad numerum, quem aliquis confiteri teneatur, potest, quia jam non est unum peccatum, sed multa.

6. Tot ex D. Thoma congessi loca, ut evidenter appareat, dubitari non posse, secundùm ejus mentem, circumstantiam, non esse obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, sed eas solum, quæ peccati speciem mutant. Adeò enim expressè loquuntur

inficiari audeant. Quorum primus M. Domin. de Soto in 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. §. *Aliæ autem*, sic scribit: *Aliæ autem circumstantiæ sunt, quæ aggravant peccatum; sed tamen speciem non mutant, ut si quis furatur vel decem, vel centum, vel mille; & deinde istis sunt opiniones diversæ. Quidam enim opinantur, solas circumstantias mutantes speciem esse de necessitate confessionis: atque hujus opinionis fuit D. Thom. & Bonavent. & Durandus, & est ferè communis opinio. *Idem alii ex eodem instituto fatentur. M. Canus *relect. de Pœnit. 6. p.* §. *Sed enim gravissimum*. *Divus Thomas (inquit) expressè tenet solas circumstantias, quæ speciem mutant, esse confitendas. *M. Prado *tom. de Pœnit. q. 2. de integ. confes. fol. 646. n. 6.* *Dico primo, expressa sententia Sancti Thomæ est, quod per se loquendo, circumstantiæ notabiliter aggravantes, dum non mutent, aut addant aliam speciem, non sunt de necessitate confessionis. *Sic ille pluribus D. Thomæ expressis testimoniis comprobans, quam jam diu amplexus *tō. 2. Theol. Moral. quæst. 5. §. 3. num.* 31. M. Serra *1. 2. tom. 2. quæst. 73. artic. 7. fol.* 111. *Secundam sententiam, quæ D. Thomæ videtur probabilior, (nempè non esse obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem) tenent Navarr. *cap. 6. nu* 7. & alii innumeri ex recentioribus. *Quam propterea sequuntur ex discipulis D. Thomæ, D. Anton. Palud. Sylvest. Viguerius, Turrecremata, Armilla, Tabiena, & alii suprà citati *num.* 4. Quibus adde M. Actium de Velasco *tom. 1. resol. moral.* verb. *Confession, resol. 186. num* 4. *&* 9. ubi sic ait: *Esta sentencia tengo por mas verdadera, assi por las razones con que se prueba, como por que la tienen expressamente dos Doctores tan grandes de la Iglesia, como S. Thomas, y S. Buenaventura, y otros muchos muy graves. *Quibus adhæret Marcus Vidal *in Arca salutari, tract. de Sacram. Pœnit. inquis. 13. nu.* 31. dicens: *Ita cum Div. Thoma affirmare plures graves Doctores. *

7. Hæc cum à D. Thoma, & ab ejus antiquioribus, & peritioribus discipulis expressè tradita lego, non possum non mirari quorumdam recentiorum Thomistarum ausum, qui Div. Thomæ, & discipulorum sententiam acri censura fœdare non erubuerunt. Vide M. Joann. de la Cruz in director. *2. part. de Pœnit. quæst. 3. de confess. dub. 5. concl. 3.* & M. Petrum de Ledesm. *in Sum. de Pœnit cap. 17. concl. 4.* & expavescès asserentes hanc opinionem esse improbabilem, & (quod horrent aures) Mag. Texeda *tom. 1. Theol. Moral. lib. 2. tract. 3. controv. 10. num.* 43. inquit: *Sententiam esse omninò improbabilem, repugnantemque definitioni Concilii Trident. *sess. 14. cap. 5.* *Alii verò, ut à censura D. Thomam liberent, violentam adhibent expositionem, dicentes loquutum de circumstantiis; quæ se ipsis sejunctæ ab aliis partibus non sufficiant novo mortali constituendo, ex quibus est Vincentius Baronius *in opere contra Amædæum, disp. 2. sect. 3. fol.* 235. *&* 238. Verùm hæc expositio apertissimè opponitur menti, & verbis D. Thomæ; ideoque omnes ejus discipuli nuper adducti eam rejiciunt; tùm quia D. Thom. expressè excusat ab obligatione confitendi circumstantias, *quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt.* Quæ autem se ipsis non sufficiunt novo mortali constituendo, notabilem quantitatem non addunt. Tùm quia ab obligatione confessionis excludit quantitatem culpæ, *quæ non consurgit ex nova specie peccati*, & circumstantiam quamcumque, *quæ novam speciem peccati non addit, seu in aliud genus peccati non trahit.* Ergo explicatio Baronii, utpotè D. Thomæ apertè repugnans, ab Schola Thomistica omninò aliena est. Et ut talè explodit M. Joannes Martinez de Prado *tom. de Pœnit. q. 2. citata, fol.* 646. ubi sic. (Quidam, inter quos Joannes à Cruce *de Pœnit. q. 3. concluf. 2. in fine* respondent, quod (D. Thomas) loquitur de circumstantiis parum, non de aggravantibus notabiliter. Sed ut appareat, quod expositio est contra textum, oportet ipsius verba referre, &c. *His M. Prado Baronii expositionem exsufflavit. Unde constat in dubium revocari non posse D. Thomam, pro secunda sententia negante obligationem confitendi circumstantias notabiliter, intra eamdem speciem aggravantes, stetisse: quantumvis se ipsis, sejunctæ ab aliis partibus, novo mortali constituendo sufficerent.

8. Hanc secundam sententiam secundò probo. Quia confessio circumstantiarum, etiam notabiliter aggravantium intra eamdem speciem, neque est præcepta jure Divino, neque humano: ergo nullo. De secunda parte antecedentis non est dubium. Primam sic probo. Ea circumstantiarum confessio præcipitur ab Ecclesia, quæ jure Divino à Christo Domino est præcepta: sed confessio, quæ ab Ecclesia præcipitur, tantum est circumstantiarum, quæ speciem peccati mutant, ut decernitur in Trident. *sess. 14. cap. 5. Can. 7.* Ergo explicatio circumstantiarum jure Divino præcepta, tantum est earum, quæ speciem peccati mutant. Secundo probatur, quia vel ex Verbis Christi Domini infertur evidenter ejusmodi obligatio, vel non: primum, dici non potest, quia incredibile est, D. Thom. D. Bonavent. & Scotum, totque, ac tantos DD. qui pro parte contraria militant, hanc evidentiam latuisse. Et à fide alienum, PP. Concilii Tridentini ad explicandam hujus Sacramenti materiam congregatos, evidentiam sic non vidisse, & diminutè processisse in assignanda materia necessaria pœnitentiæ. Si ergo evidenter non infertur, cur onus adeo grave fidelibus imponendum eo quod probabiliter videatur inferri, cum probabilius oppositum inferatur?

9. Confirmatur primò: nam Concilium Trident. materiam necessariam confessionis sic determinat, ut circumstantias, etiam notabiliter aggravantes positivè excludere videatur. Quoties cumque enim agit de circumstantiis in confessione explicandis, semper addit particulam illam restrictivam, *quæ peccati speciem mutant.* Ergo decernit manifestè, vel innuit probabilius, esse circumstantias non mutantes speciem, non esse materiam necessariam confessionis. Confirmatur secundò à simili: nam ex eo, quod Concilium præcipiat confiteri semel in anno, inferunt communiter Theologi, non esse jure Divino obligationem confitendi bis intra annum: quia aliter Ecclesia suo præcepto occasionem tribuisset errandi, divinum sic proponens, ut quilibet cordatus suadere sibi posset, ad majorem confessionis frequentiam non teneri: ergo ex eo, quod Concilium præcipiat, eas circumstantias confiteri, quæ speciem peccati mutant, debent similiter Theologi inferre, non esse materiam necessariam circumstantias alias, quæ speciem peccati non mutant, ne Ecclesia declaratione sua occasionem errandi tribuisse censeatur.

10. Tandem probatur, quia ex opposita sententia sequeretur, quemlibet teneri sua peccata pluries confiteri. Sequelam probo: quia circumstantia ingratitudinis notabiliter agravat peccatum, sed hæc non potest explicari, non iterata confessione peccatorum, quæ in aliis confessionibus fuerunt remissa: ergo,

ergo, &c. Minorem probo. Quia gravitas ingratitudinis eo major est, quo majora quis recipit beneficia, sed qui in aliis confessionibus à pluribus, & gravioribus peccatis fuit justificatus, majora recepit beneficia: ergo iterum peccans eò magis erit ingratus: ergo, ut confessarius percipiat hanc majorem ingratitudinem, cognoscere debet peccata remissa, ex quorum remissione gravitas ingratitudinis augetur. Tenebitur ergo pœnitens peccata jam confessa, & remissa iterum confiteri. Quod in nullius mentem venit.

11. Objicies primò Ratio, qua utitur Concilium ad inferendam obligationem confitendi circumstantias mutantes speciem, æquè probat de notabiliter aggravantibus intra eamdem speciem: ergo idem de utrisque dicendum est. Antecedens probatur. Nam Concilium *sess. 14. cap. 5.* obligationem illam eo deducit, quod sine illis *Peccata ipsa, nec à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis imponere pœnitentibus. *Sed non explicatis circumstantiis notabiliter aggravantibus, nequeunt confessarii pœnam, quam oportet, imponere, nec de gravitate criminum rectè censere; cùm eorum gravitas ex ejusmodi circumstantiis notabiliter augeatur; imò unum peccatum majori pœna dignum sit, quam duplex absque tali circumstantia commissum, ut patet in eo, qui unam delectationem morosam continuasset per duas horas, vel duplicem delectationem discontinuam in duplici quadrante habuisset: Ergo ratio, qua utitur Concilium, æquè probat de circumstantiis aggravantibus, ac de illis, quæ speciem peccati mutant.

12. Respondeo rationem Concilii id non probare. Quinimò tam longè fuit ab imponenda obligatione confitendi circumstantias aggravantes intra eandem speciem, ut verbis immediatè præcedentibus talem obligationem excluserit, ut jam probavi. Gravitas igitur criminum, de qua censere debent confessarii, juxta Concilium, non est gravitas individualis, sed specifica, juxtà quam, & peccatorum numerum, debent pœnitentiam imponere: suprà hæc enim tantùm sunt judices à Christo Domino constituti. Sic respondet D. Thomas *suprà in 2. scripto super 4. sent. dist. 16. art. 3 ad 2.* *Sufficit* (inquit) *cognoscat Sacerdos quantitatem, quæ ex nova specie consurgit.* *Quia tantum est præceptum de mortalibus, & de substantia, & specie, & numero peccatorum. *Nec hæc limitatio (ait Prado *sup. fol. 651. § ad 2.*) est voluntaria, sed sumitur ex natura rei, quia non est idem judicium de essentia, & de accidentibus * Nec omissio circumstantiæ etiam notabiliter aggravantis variat morale judicium confessarii quoad essentialia, & substantialia, sed tantum quoad accidentalia, de quibus non magis, quàm de venialibus præceptum confessionis datur. Et confirmari potest, quia si confessarii de gravitate individuali judicare deberent, tenerentur pœnitentes explicare circumstantias, etiam minuentes malitiam individualem peccati. Sequela videtur clara, quia earum notitia valdè necessaria est ad formandum judicium de majori vel minori gravitate individuali peccati; cum ex illis notabiliter decrescat, vel augeatur, & diversum valdè judicium, quoad quantitatem culpæ, in Sacerdote causent. Hoc autem neque adversarii concedunt, alias teneretur pœnitens sua peccata excusare, quod ut quid imperfectum, & malum rejiciunt D. Thom. Bonav. & alii. Dicendum igitur est confessarios non fuisse constituros judicem super gravitate individuali, sed super specifica peccatorum, ac proindè juxtà istam tantùm debere in pœnis injungendis æquitatem servare.

13. Objicies secundò: plura inconvenientia ex hac opinione necessaria consecutione deduci. Respondeo, nullum absurdum subsequi in admissis, quæ ex illa evidenter inferantur, nec inconveniens id censendum, quia Christus Dominus sine præcepto, licet potuisset, noluit ad difficiliorem confessionem nos adstringere; sicut nec ad confitenda venialia, nec ad lethalium confessionem non differendam. Quæ ex quæstionibus subjiciendis magis constabunt.

14. Sententiam hactenus stabilitam, & à D. Thom. expressè traditam limitat ex ipso M. Joannes Martinez de Prado *ubi supr. dub 2. num. 14. fol. 649.* dicens: Circumstantias notabiliter aggravantes esse necessitate confessionis indirectè, nempè quando circumstantia non expressa, *scirinon potest debitum judiciendi modus*, ut ait Thomas *de circumstantiis, quæstionis, in 4. dist. 2. 2 quæst. art. 4. in corp.* Ex quo principio infert Prado plerumque debere explicari, sed pro libito jam obligat, jam ab onere confitendi excusat: ut suis locis adnotabo. Qui proindè audiendus non est.

QVÆSTIO II.

De circumstantia, Quis.

PLures sunt circumstantiæ, de quibus inter Doctores valdè controversum est, an sint aggravantes tantùm, an speciem peccati mutentque propter operæ prætium duxi, brevi calamo dilucidiores percurrere. Peccatorum circumstantias septem numerari solent *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando*: ex quibus, scitu digniora delegemus, & majoris claritatis gratia per capita digesta propinabimus.

CAPVT PRIMVM.

Vtrùm habens castitatis votum, debeat in confessione illud explicare, si peccato alterius speciei, seu consilio fuerit causa, ut alii non habentes votum contra castitatem delinquant?

1. PAt. Thom. Sanchez *in Summ. lib. 3. cap. 6. n. 1.* respondet, habentem votum castitatis non peccare contra votum, etiamsi aliorum peccata contra castitatem procuret. *quia Religiosus (inquit) per votum solùm promisit castitatem suam, non alienam. *Huic sententiæ adhæret Card. de Lugo *disp. 16 sect. 4. nu. 156.* Sed ex alio fundamento. Nos mirum, quia procurare peccatum alterius contra castitatem, non est (inquit) in specie luxuriæ, sed alterius vitii accipientis suam speciem ex ordine ad obligationem indirectam castitatis obligantis indirectè alios. Undè *n. 152.* arguit inconsequentiæ P. Thom. Sanch, eo quod *in Sum. lib. 1 cap. 6. n. 3. &* docuerit peccatum scandali pertingere ad eamdem speciem peccati

peccati, ad quam proximus inducitur. Probat inconsequentiam Lugo, quia in illa opinione, qui absolutè promisit castitatem, peccare videtur contra ejusmodi promissionem, quoties contra virtutem castitatis graviter delinquit.

1. Ego verò doctrinæ inconsequentiam non video, quia vovens castitatem, tantùm intendit se obligare ad abstinendum ab omni delectatione veneris, & ab operatione, quæ suæ castitati opponatur: Votum autem nequit ultra voventis intentionem obligare. Undè licet qui pravo suo exemplo, vel consilio ad peccatum contra castitatem inducit, delinquat contra virtutem castitatis, non ideò opus est, ut contra proprium castitatis votum deficiat; ad plura enim se extendit virtus castitatis, quàm votum. Confirmatur, nam per votum castitatis non magis vovet religiosus castitatem, quam per votum paupertatis, paupertatem: sed qui consulit alteri furtum, non peccat contra votum paupertatis, ut supponunt communiter Theologi: ergo qui consulit peccatum contra castitatem, non peccat contra votum castitatis. Minor probatur, quia reservato in Religione peccato contra votum paupertatis, si quis consuleret alteri Religioso peccatum grave contra paupertatem, nemò diceret tale consilium esse casum reservatum: Signum igitur evidens est, voventem paupertatem non teneri ex voto ad non consulendum peccatum contra paupertatem. Cur ergo id non dicemus de vovente castitatem? Hæc sententia videtur mihi tenenda propter fundamentum Pat. Thom. Sanch. Et propterea, eam tenent P. Ovied. 1. 2. *tr 6. de peccat. controv. 2. punct. 6.* n. 100. Caram. *in regul. S. Benedict. disp. 66. concl. 4. n. 986* Castr. Palao *to. 3 tr. 16. disp. 3. punct. 1.* & putat probabilem Leand. hic *disp. 8 q. 10.* Dian. *p. 7. tr. 11. resol. 27.* Pellizar. *in Manual. Regul. tom. 1. tr. 4 cap. 3. sect 4. nu. 91.* & Tamburinus *in Methodo expeditæ confess. lib. 2. cap. 7. §. 5. num. 32.*

CAPVT II.

An, qui violavit votum solemne castitatis, v. g. Religiosus, vel Sacerdos, aut sacris initiatus, & cum his carnaliter se commiscentes, teneantur in confessione explicare solemnitatem voti?

3. PRima sententia affirmat. Ita Laym. Azor, Coninch, & alii apud Dianam *1. p. tract. 7. res. 3. & 4.* Quibus subscripsit Card. Lugo *disp. 16. sect. 4.* Probant, quia sicut conjux per matrimonium dedit dominium sui corporis alteri conjugi: Ita Religiosus per votum dedit religioni, & Sacerdos, vel sacris initiatus dedit Ecclesiæ: Sed conjux præter malitiam contra castitatem, contrahit aliam adulterii cõtra alterum conjugem: Ergo Religiosus, vel Sacerdos, &c. præter malitiam luxuriæ, & sacrilegii contrahit aliã contra fidem datã Religioni, vel Ecclesiæ.

4. Sed contra est; quia si alia esset malitia in peccato Religiosi, vel Sacerdotis, maximè injustitiæ Religioni, vel Ecclesiæ illatæ, sicut in peccato conjugis est malitia injustitiæ contra alterum conjugem: Sed hæc non datur: Ergo nulla. Minorem probo. Quia per votum, etiam solemne, nemo intendit se obligare ex justitia, sed ex religione tantum erga Deum, & ad summum ex fidelitate erga homines, ut ex communi omnium intentione facilè constat. Sed obligatio ex fidelitate sub veniali tantùm conscientiam ligat, ut tradunt Lessius, Henriq. Fumus, Petrus de Ledesma, & alii quos citat, & sequitur Diana *2. p. tr. 3. Miscell. res. 9. & 3. p. tract. 5. Miscell. resol. 116. & 4. p. tr. 4. resol. 122.* Qui hoc fundamento innixi asserunt, promissionem externam legitimè ab alio acceptatam non obligare ex justitia, nec sub mortali: Ergo & peccatum luxuriæ contra votũ solemne castitatis non habet malitiã specie distinctam ab ea, quæ reperitur in peccato contra votum simplex. Ergo nullum est caput, undè quis teneatur, solemnitatem voti in confessione explicare. Urgetur: nam Religio per votum non acquirit majus dominium corporis religiosi, quàm dominus corporis mancipii per emptionem: sed mancipium contra castitatem delinquens, nullam infert Domino injustitiam, ergo nec religiosus Religioni. Omitto, Religiosos per votum, non ut mancipia, sed ut filios haberi respectu Religionis.

5. Denique suadetur hæc sententia, quia votum solemne castitatis non distinguitur specie à voto simplici, ut cum Scoto, & aliis tradit Sanchez *lib. 8. de mat. disp. 25. n. 2.* dicens ejusdem sententiæ videri omnes qui asserunt votum solemne castitatis ex solo jure Ecclesiastico dirimere matrimonium, quos ad septuaginta refert *disp. 26. n. 2.* Quo principio efficaciter probatur, Pontificem posse in illo dispensare, quod tenent ferè centum Auctores, quos citatos sequitur *lib 8 disp. 8. n. 7.* Quorum plures testantur Pontifices variis vicibus dispensasse. Non inficior alios Authores potestatem dispensandi Pontifici negare. Et ut refert Amadæus *tr. de Matr. prop. 2.* *Ad quæstionem de facto respondet Mag. Corrad. 1. p. q. 311. *Quidam dicunt Papam sic fecisse de facto, &c. Dico, quod etiam vidi Pontificem facientem majora cum scandalo totius Christianitatis. Undè aliud est facere de facto, aliud determinare, quod ita possit fieri de jure.* Hæc ille, & ante illum Sylvest. M. Sac. Palatii, *ver. votum, 4. §. Quinto quæritur,* ex quo fideliter transcripsit Corrad. sed irreverenter quidem. *Hactenus Amadæus. In quem propterea, pro commilitonibus vindicandis Baronius stomachatur, *fol.* 103. dicens: *Quid peccavit Sylvester in Pontificem Romanum?* & ut illius causam agat, Amadæo imponit verba truncasse. In quonam? in eo, inquit, *quod ad invidiam & per summam calumniam subticuit Amadæus, quam addit Sylvester distinctionem facti, & decreti Pontificis, illud aut interdum damnandum.* Verum nil horum subticuit Amadæus: recole ejus verba nuper adducta, & distinctionem hanc expressam invenies, qua Sylvest. & Corradus abutuntur, ut ad quæstionem de facto dispensationis in voto solemni castitatis, respondeant: Nil ergo *ad invidiam, & per summam calumniam* subticuit Amadæus. Hæc est Baronio fides.

6. Propter hæc existimo, non esse obligationem explicandi in confessione solemnitatem voti, sed sufficere se accusare de peccato contra votum castitatis in hac, vel illa specie luxuriæ, Ita P. Thom. Sanch. *lib. 7 de Matr. disp. 27 & in Sum. lib. 5. cap. 6. n. 14.* Filliuc. & Llam. quos citat, & sequitur Dian. suprà, apud quem probabilem sententiam vocant Fagund. Henriq. & Villalob. Et probabilissimam, & tutam in praxi affirmat Lugo ubi supr. Adde non esse obligationem explicandi, an votum ex parte pœnitentis, an ex parte complicis se habeat; dummodo explicetur peccatum sacrilegii contra votum: nam quod ex parte unius, vel alterius se habeat, non mutat speciem peccati.

7. Audiendi verò non sunt Doctores alii, apud Sanch. *lib. 7. de Matr. disp. 27. n. 20. & 21.* Asserentes, non solũ celari posse circumstantiã solemnitatis voti, sed & ipsũ votũ. Putant enim fornicationẽ Sacerdotis,

tis, aut Monachi non addere circumstantiam speciè diversam à simplici fornicatione, necessariò fatendam: quos sequitur M. Joan. de Tabien. verb. *Votum* 1. *n.* 3. *notab.* 2. Verba eius sunt: *Votum illius rei, ad quam tenemur, non est propriè votum, sed confirmatio illius, ad quod tenemur, & per consequens, non trahit ad aliam speciem, & non est de necessitate confessionis. Sed tamen Archiep. Florentin. dicit, quod mutat speciem, &c. Ut si quis voveat non fornicari. Sed quia D. Thom. dicit generaliter, & clarè, quod non est propriè votum, ideò dicendum simpliciter, quod non mutat speciem, ut dictum est: gravat tamen, quia non solùm facit contra præceptum, sed contra suam bonam deliberationem. *Hæc Tabiena: cujus opinionem prorsus rejiciendam dicit Thom. Sanch *lib.* 7. *Matr. disp.* 27. *n.* 20. & erroneam, & à veritate alienam appellat Castro *de lege pœnal. cap.* 10. *col.* 5. quem in censura imitatur Illust. ac R. P. F. Petrus de Tapia, Archiep. Hisp. *in sua doct. Caten. mor. lib.* 3. *q.* 3. *art.* 3. *n.* 4. dicens: *Non solùm esse improbabilem, scandalosam, & temerariam, sed eroneam. *Et ante illum eadem censura notavit M. Corradus 1. *par. Resp. fol.* 554. *col.* 1.

7. Neque admitti potest excusatio, quam trahit Baronius *in opere contra Amadæum, disp.* 1. *sect.* 1. §. 11. *prope finem. fol.* 99. dicens: *Tabiena autem non favet propositioni, quia negat esse votum castitatis, & simplex tantùm propositum admittit. *Sed hic esset error pejor priori. Nam, quòd Religiosus votum castitatis emittat, absque errore in fide negari non potest. De sæcularibus vero Sacerdotibus, vel sacris initiatis, licet certa fide tenendum sit, posse votum castitatis emittere, ac proindè illius rei, ad quam tenemur, esse propriè votum: fateor tamen dubium esse, an de facto emittant, an ex solo Ecclesiæ præcepto ad continentiam teneantur, ut tenent plures apud Sanchez *suprà num.* 9. quos citatos sequitur Fr. Leander à Murcia *in disquis. moral lib.* 2. *disp.* 2. *resol.* 15. Ex quo principio, pluribus citatis, tanquam probabile defendit Sacerdotes sæculares, & sacris initiatos solam malitiam simplicis fornicationis contrahere. Cæterum gratis admisso, non ex voto, sed ex solo præcepto teneri, (quod negant communiter Theologi cum Div. Thom. *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 1. *art.* 1. *in corpore, ex cap. cum olim, de Clerico conjugato. Et ex cap. unico de voto in* 6. *& ex extravaganti antiquâ, Ioannis* 22. *de voto, & ex Concilio Toletano* 2. quod refertur *cap. de hîs, dist.* 28. In quibus votum continentiæ Ordinibus sacris annexum dicitur) tenendum adhuc est, fornicationem fore sacrilegam, quia præceptum illud ad religionem pertinet, eo quòd castitas ab Ecclesia præcipiatur Clericis, ob reverentiam ministeriorum sacrorum, quibus vacant: ac proindè ejus violatio sacrilega est. Quod satis constat, ex Concilio Toletano 2. citato: ubi expressè Clericos fornicantes, tanquam sacrilegii reos, ab Ecclesia rejiciendos decernitur. Et ita sentiunt M. Sotus *lib.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 2. *colum.* 4 *vers. de tertia propositione*, Gutierrez *quæst. Canonic. lib.* 2. *cap.* 7. *nu.* 3. Azor *lib.* 13. *instit. moral. cap.* 12. *quæst.* 6. *ad finem*, & plures, quos sequitur Sanchez ubi suprà *num.* 19. Ergo in quacumque opinione Sacerdotes, & sacris initiati suum statum, aut fornicationem sacrilegam in confessione explicare tenentur.

8. Non tamen inficior Doctores sequentes opinionem negantem obligationem ex voto in Sacerdotibus sæcularibus, & sacris initiatis, probabiliter excusare à malitia sacrilegii simplicem delectationem morosam, nam ad hujusmodi actus internos prohibendos Ecclesiæ præceptum non extenditur, sed ad eos tantum, sine quibus externi subsistere possunt: secus verò erit, si ex voto castitatis teneantur, ut docent communiter Theologi, contra Bonarentem *in decisionibus mor. de statu Religioso. decis.* 6. Ubi sic dubium proponit, & dissolvit. Si el pecado de la delectacion morosa milita contra el voto de castidad? Respondo, que no milita de derecho contra el voto, si bien se considera, porque no ay voluntad de que brantarle, v. g. Si un Religioso se deleytasse delectando en si, en pensar en cosas venereas, pero non tiene voluntad, ni consiente en ellas; sino solo se recrea con imaginarlas, ò pensarlas, peca mortalmente con pecado, que sella ma delectacion morosa, pero yo no dirè, q̃ es sacrilegio contra el voto de la castidad, pues tiene intento de guardarle. *Hæc ille: Verùm hæc sententia, ab errore Tabiena, rum distat, & ut improbabilem meritò respuit Ludovicus de Torres *in select. p.* 2. *disp.* 16. *dub.* 2. & ab omnibus Theologis rejicitur; quia votum castitatis absolutæ, quale à Religiosis explicitè, & ab aliis Sacerdotibus implicitè saltem emittitur, omnem talem actum internum sub se complectitur; ac proindè non potest non mortalem, specialem malitiam, contra virtutem Religionis, præter malitiam luxuriæ derivare, ut benè P. Vazquez 1. 2. *disp.* 111. *cap.* 2. *n.* 8. & Arriaga *in cursu Theologico tom.* 3. *disp.* 47 *sect.* 4. *n.* 8. Secus verò dicendum esset, si aliquis vovisset servare castitatem solo opere exteriori: hoc enim votum non esset castitatis absolutæ, & totalis; sed partialis, delectationes morosas non comprehenderet, imò ex intentione voventis planè excluderet.

9. An verò, qui votum juramento confirmatum violavit, teneatur in confessione utrumque explicare, an alterum sufficeret? Respondeo, circumstantiam juramenti omitti non posse, quia tale peccatum ultra malitiam contra votum, specialem contrahit contra obligationem non adducendi Deum in testem falsi, ut benè cum Henriquez, & Azor, addit P. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 27. *n.* 26. quos sequitur Card. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *n.* 169. An voto possit circumstantiâ voti omittere, explicato juramento? Non conveniunt Doctores. Negant supra citati. Cæterùm opposita sententia mihi probabilior videtur. Nam juramentum Deo factum frequenter includit in se ipso promissionem Deo factam, ut diximus *tract.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 4. *num.* 5. non enim adhiberi solet ex solo fine se in proposito confirmandi; ac proinde, ni de speciali non promittendi intentione deliberaverit, delinquens contra juramentum id contrahit malitiam contra fidem Deo debitam, & malitiam contra obligationem non adducendi in testem falsi. Ergo sive pœnitens in confessione votum explicet, sive non, verè declarat omnem malitiam specificam sui peccati: votum enim additum juramento, aliam vim non habet quam renovationis voti, quod ex intentione jurantis ipsi juramento inest.

CAPUT

CAPVT III.

An qui pravo suo exemplo, vel consilio, inducit habentem votum castitatis ad peccandum contra castitatem, teneatur in confessione explicare votum proximi, cui scandalum dedit?

10. PRima sententia tenet. Volentem directè, seu consulentem peccatum contra castitatem, teneri explicare votum proximi, secus eum, qui directè non induxit ad peccatum, sed tamen fecit actionem aliam, quam prævidet futuram proximo occasionem peccandi contra castitatem: hic enim nec tenetur explicare votum alterius, nec speciem peccati, ad quam illum induxit; sed satisfaciet se accusando de circunstantia scandali. Ita Card. Lugo *ubi suprà num.* 157. Navarr. *in Sum. cap. 6. num.* 19. P. Suarez *disp. 10. de charitate, sect. 2. num.* 9. Coninch *disp. 32. de charitate, num. 46. & disp. 28. num.* 12. Quibus accedit P. Salas *tom. 2. 1. 2. tr. 13. sect. 15. num.* 128. *&* 134. Ubi asserit inductionem indirectam non esse in specie fornicationis, sed in specie scandali, quod cum Lessio, & aliis, putat valdè probabile Pat. Oviedo suprà *puncto 6. num.* 96.

11. Quod autem is, qui consulit rem alias prohibitam, contrahat malitiam oppositam speciali virtuti, contra quam consulit, putat sine controversia Lugo *supr. num.* 155. contra Caramuel, apud Diana *p. 7. tr. 11. res.* 17. quia si solùm esset in tali consilio malitia scandali, eo quod sit causa ruinæ spiritualis proximi, sequeretur, nullum esse peccatum inducere alium positivo consilio ad rem prohibitam, quando ille ex oblivione, seu ignorantia invincibili non attendit ad prohibitionem; quia in tali eventu nullum damnum spirituale pateretur ex consilio: undè liceret consulere, & inducere ad mendacium eum, qui invincibiliter ignoraret, hoc esse illicitum: quod nemo concedet.

11. Verùm hanc sequelam admittere non recusat Thomas Hurtado, ex Clericorum Minor. familia *to. 2. variar tract. 12. cap. 1. num.* 172. ubi sic ait: * Quando quis inculpabiliter ignorat aliquid esse prohibitum legehumana, vel divina, possum consilium dare, quod illud exequatur, nisi sit contrarius tertij, maximè si ex apertione ignorantiæ sequitur contra jus alicujus, etsi fundatum sit in illa ignorantia, * cui facit sententia Bordoni *tr. Misc. decis.* 294. sic scribens. * Non damnatem de peccato mortali eum sacristam, qui ut effugiat incommodum faciendi consecrare calicem dissecratum, exponit illum Sacerdoti insscio, ut ex consecratione vini fiat consecratus; ratio est, quia celebrans insscius non peccat: ergo cum ex ejus expositione non sit causa peccati in celebrante, non videtur ita peccare. * Hæc Bordonus: qui propter eamdem rationem, idem de consulente dicere tenetur. His non parum favent, Dicastillo *tom. de juram. disp. 2. n.* 389. & Hurtado de Mendoza 1. 2. *disp.* 173. *sect.* 15. *n.* 199. Diana *5. p. tr. 7. res.* 10. asserentes, eum qui sciens rem aliquam esse falsam, simul scit aliquos putare veram, posse ab illis exigere, ut sub juramento illam affirment. Probant primò: nam cum aliter deceptus putet esse verum, ab eo petitur materia hic, & nunc non mala. Secundò, quia quando actus prævidetur nullum damnum spirituale allaturus proximo, non addit circunstantiam scandali. Undè idem Hurtad. *sup. sect. 9. n.* 85. existimat, consulentem peccatum contra castitatem, non peccare contra castitatem, sed contra charitatem; & contra bonum prolis; quia lex inquit, castitatis tantùm me obligat ad temperantiam in meis actibus, non verò in alienis. Ex quibus infert, quòd si quis amenti consuleret peccatum contra castitatem, solùm peccaret contra bonum prolis: cum his tamen componit consulentem furtum peccare contra charitatem, & contra justitiam.

12. Secundam suæ conclusionis partem probat Lugo, quia castitas obligat me indirectè, ne alios inducam ad luxuriam, non tamen ut positivè procurem, alios esse castos. Undè licet peccet contra castitatem, qui proximo luxuriam consulit, non tamen peccat contra castitatem, qui proximi luxuriam non impedit. Similiter votum castitatis obligans alium directè ex religione ad servandam castitatem, obligat me indirectè ne removeam illum ab observatione voti, non tamen obligat, ut ejus observationem procurem, sed virtus charitatis est, quæ ejusmodi obligationem inducit, quia scandalum indirectum non videtur habere aliam malitiam, nisi quatenus opponitur charitati erga proximum, cujus detrimentum spirituale impedire debemus, cum commodè possimus. Ergo sicut omittens correctionem fraternam, non tenetur explicare speciem peccati, quod in proximo non vitavit, ita qui ex sua actione prævidit proximum accepturum occasionem peccandi, non tenetur explicare speciem peccati, ad quam induxit, sed satisfaciet, si de peccato scandali se accuset.

13. Cæterum fundamentum hoc levissimum est: nam si attentè res inspiciatur, aliud est positivè procurare suasione, vel Consilio, ut alius sit castus, aliud non efficere actionem, ex qua proximus prævidetur accepturus occasionem peccandi. Ad primum non obligat castitas, sed correctio fraterna. Secus verò ad secundum. Nec firma aliqua ratione oppositum suadet Lugo.

14. Ideò secunda, & vera sententia affirmat, tàm qui Consilio, quàm qui actione quavis alia habente speciem mali, inducit habentem votum castitatis ad peccandum contra castitatem, teneri explicare in confessione circunstantiam voti alterius. Ita P. Thom. Sanchez suprà, & P. Vasquez ubi suprà *num.* 20. *in fine*, & cum Bonacina, Azor, Coninch, & aliis, tradunt Diana 3. *p. ar.* 4. *resol.* 114. *& part.* 5. *tract.* 7. *resol.* Hurtado de Mendoza 2. 2 *disp.* 173 *sect.* 8. *num.* 61. & P. Oviedo *suprà puncto 6. num.* 96. Et debent tenere quotquot asserunt, pravum consilium, & actionem inducentem ad peccandum, si non intendatur directè ruina spiritualis proximi, non habere malitiam contra charitatem, sed contra illam virtutem ad cujus violationem inducunt. Quod tenent Albertus, Durandus, Angelus, & alii, quos sequitur P. Vasquez 1. 2. *disp.* 102. & Thom. Sanchez *lib.* 1. *Sum. cap.* 6. *num.* 3. Fundamentum est, quia quælibet virtus, sicut mihi prohibet, ne aliis ejus violationem consulam: ita etiam, ne aliis sim causa ejus violationis: sed qui facit actionem externam, quam prævidet futuram proximo occasionem peccandi contra castitatem, & contra votum; verè est causa moralis violationis castitatis, & voti; ergo verè delinquit contra castitatem, & votum: ergo tenetur ejusmodi circunstantiam in confessione aperire.

15. Ex dictis infertur primò. Consulentem alteri peccatum, teneri explicare in confessione speciem peccati, quam consulit. Conveniunt Doctores utriusque sententiæ. Infertur secundò: eum, qui suo peccato externo est occasio, ut alii in specie distincta delinquant:

quant: v. g. Si peccans contra castitatem induceret proximum ad furtum, teneri explicare speciem peccati ad quod induxit, si ejusmodi inductionem futuram præviderit. In hac parte conveniunt omnes Doctores secundæ sententiæ contra primam.

8. Hæc tamen illatio limitanda est, quando scandalum patientes adeò pravis moribus sunt imbuti, ut aliorum pravum exemplum eos non moveat, vel ita faciles sint ad peccandum, ut non censeantur moraliter inducti. Ita Thom. Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 6. n. 7.* Card. de Lugo *ubi supr. num. 163.* Tambur. *in Method. lib. 2. cap. 1. §. 17. num. 103.* & cum Salas, & Alphonso de Leon, Diana *5. p. tr. 7. res. 3.* & Joann. Sanctius *in select. disp. 46. num. 11.* & alii, quos refert Palao *tom. 1. tr. 6. nu. 7.* De consilio autem alia est ratio; licet enim proximum non moveret, participaret speciem peccati, quod consulit, utpotè per ipsum directè volitum, & procuratum. Limitat secundò Navarr. *in Sum. Latina, cap. 14. num. 3.* dicens: ad hoc, ut imputetur scandalum, debere esse probabilem existimationem de aliquo in particulari scandalizando, & non sufficere existimationem scandali futuri in universum à quo non dissentit P. Vasquez *in opusc. de scandalo, dub. 2. n. 19. & 28.* Sed mihi non placent, quia lex charitatis ad hunc etiam casum extenditur: parum enim ad rem facere videtur, quod hic determinatè, vel quod hic, vel ille disjunctim scandalizandus prænoscatur.

16. Fateor Doctoribus primæ sententiæ, volitionem peccati proximi, sive directam per consilium, & suasionem, sive indirectam per actionem aliam, quæ prævidetur futura occasio peccati alieni, habere malitiam contra charitatem. Quod ultra citatos tenent Petrus de Soto, Valentia, Lorca, & alii, quos sequuntur P. Hurtado de Mendoza *supr. sect. 6. num. 33.* & P. Oviedo *supr. punct. 5. num. 73.* Fundamentum est, quia imperceptibile est, quomodo virtus charitatis, quæ me obligat ad vitandum peccatum proximi, si commodè possim, potiori jure non obliget ad non consulendum, & ad non eliciendam actionem, quæ proximum ad peccatum inducat? Dices: ergo qui consulit peccatum contra castitatem gravius peccat, quàm qui exequitur. Probatur: quia consilium, ultra oppositionem cum virtute castitatis, habet aliam contra charitatem. Sequelam plures Doctores concedunt: sed non est necesse pro omni casu concedere; quia ratione involuntarii ita potest decrescere malitia, ut gravius sit peccatum contra unam virtutem, quam contra duas, & communiter loquendo concursus moralis minorem habet malitiam, quam physicus.

10. An verò qui suo pravo exemplo est causa moralis, ut alius in eadem specie delinquat, teneatur in confessione explicare circunstantiam scandali? dubitari posset: eo quod unum peccatum, & non plura in unico actu externo intervenire posse, plures Doctores, quos alibi citavimus, constanter asserant. Juxta quorum opinionem circunstantia scandali, cum speciem non mutet, non videtur necessario in confessione explicanda. Cæterum omnes Doctores conveniunt inducentem alterum ad peccandum, aliquo modo ex dictis, teneri hoc expresè, & distinctè confiteri; nec in his dissidere, ait Diana *par. 5. tr. 7. resol. 2.* cum Ægidio, Lorca, Azor, & aliis. Quibus ego meum calculum lubens adjungo, quia varietas opinionum in re præsenti, ut reor, parum ad praxim conducere potest, nam licet unica tantum reperiatur malitia (in rigore metaphysico loquendo) in una actione externa inducente ad peccatum ejusdem speciei; cùm tamen pœnitens teneatur saltem confusè malitiam individualem confiteri, non sufficiet, se simpliciter, & publico, seu coram aliis peccasse, prudenter timendo quos scandalizandos, quia peccatum habens circunstantiam scandali longè diversum est ab illo, quod verbis istis significatur: *Commisi fornicationem, vel adulterium.* Sicut de circunstantia inducendi mediante, omnes docent, quia nec confusè dicitur, solo formalitatis actu explicato. Imò non sufficit pluralitatem explicare, sed tenebitur, numerum, in quantum possit, exprimere; ut benè Diana *part. tract. 4. resol. 114. & part. 5. tract. 7. resol. 4.* cum communi Doctorum. Et constat ex supra tradita *disp. 2. de distinct. numer. peccatorum, q. 5. num. 7. & seq.* Quia moraliter loquendo tot sunt peccata, quot personæ, quibus scandalum datur, sicut in actione plures lædente, tot reperiuntur, quot personæ, quibus injuria infertur. Quæ proindè in confessione necessariò explicari debent. De sententiis aliorum, *num. 11.* relatis, Doctores judicium ferent, à quo ego adhuc abstineo, quia prolixiori indigent calamo, licet nunc lectorem remittere ad Eminentissimum Cardin. de Lugo *tom. 2. de justitia, disp. 35. sect. 8. num. 91. & 92.* ubi pro certo statuit, non licere peccare alio, nec consulere rem materialiter malam, & quam facere licitè non potest, ni propter ignorantiam: hæc enim cùm ex parte consulentis non se habet, neque illum à culpa excusare.

CAPUT IV.

An confessarius, qui pœnitentem carnalem cognovit, teneatur hanc circunstantiam in confessione aperire? & an possit à peccatis, quorum fuit ipse complex, absolvere?

17. QUoad primam partem dubii, affirmat Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrim. disp. 9.* Coninch *disp. 32. num. 23.* P. Sà, verb. *Confessio, num. 26. in Summa antiqua*, Viguerius, Sum. Tabiena, Armilla, Ludovicus Lopez, & alii apud Sanchez supra, & apud Dianam *1. part. tract. 7. resol. 12. & 56. & part. 2. tr. 3. Miscell. resol. 11.* Quia circunstantia illa mutat speciem, vel saltem valdè aggravat.

18. Verùm contrariam sententiam absolutè amplectuntur Basilius de Leon, *de impedimento matrimonii, causa 30. capit. 24. §. 2.* Joannes Sanctius *in Addit. disp. 11. num. 5.* P. Sà *in Sum. correcta, nu. 26.* P. Azor *lib. 10. cap. 24. q. 2.* Filiucius *tom. 2. tract. 8. cap. 3. num. 169.* Navarrus *in Manuali, cap. 14. num. 3.* Dicastillo *de Pœnit. disp. 8. quæst. 6 dissic. 5.* quos sequitur Bassæus

19. Pars negativa mihi placet, quod attinet ad malitiam ex prohibitione Ecclesiastica proveniente, cum Cardin. Lugo *disp. 16. sect. 6. numer. 359.* Probatur: quia si ob aliquam rationem daretur specialis malitia in peccato confessarii cum pœnitente, maximè, quia ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ contracta fuisset cum illo affinitas aliqua spiritualis: Sed hæc non fuit contracta, ergo, &c. Minorem probo ex decreto Bonifacii VIII. *in cap. fin. in fine de Cognatione in 6.* Ubi decernit ex aliis Sacramentis præter Baptismum, & Confirmationem, nullam oriri cognationem spiritualem. Undè licet adversarius demus, talem cognationem fuisse olim jure Ecclesiastico inductam, ut videtur colligi *ex cap. omnes 30. quæst. 1.* Ubi inquit Simachus Papa, *Quos in pœnitentia accepimus, ita filii nostri sint, ac in Baptismate susceptí.* Hodiè tamen tam consuetudine, quam Pontificio decreto, lex ista Simachi est abrogata. Quapropter M. Sacri Palatii Victorellus contrariam Patris Sàopinionem correxit, & oppositam ei injunxit, ubi suprà.

20. Si verò sermo sit de malitia proveniente ex prohibitione divina naturali, existimo cum Lugo suprà, confessarium teneri hanc circunstantiam aperire, quoties prætextu, & occasione Patris spiritualis, cum pœnitente delinquit, maximè si ex præterita confessione fragilitatem eius cognoverit, indeque ad sollicitationem ansam arripuerit. Si enim hæc ita contingant, nemo inficiari poterit, confessionem valdè odiosam reddi pœnitenti, magnumque detrimentum in Sacramentum redundare: removerentur namque fideles ab eius usu, & frequentia. Ergo erit specialis irreverentia, & peccatum sacrilegii. Neque enim ob aliam rationem docent Theologi communiter, fractionem sigilli jure naturæ Divino prohibitam esse. In hunc sensum trahi possunt plures ex Doctoribus contrariæ sententiæ, qui in peccato cum filia confessionis, non incestum, sed sacrilegium agnoscunt. Secus autem dicerem, si alio titulo, quam confessoris, pœnitentem suam inviseret, neque audita in confessione possent prudentis arbitrio occasionem præbere sollicitationi: dum tamen ejusmodi lapsum alii non intelligant, vel si intellexerint, suspicari non possint ex occasione confessionis provenisse: aliter fœminæ aliæ honestæ à Sacramento Pœnitentiæ retraherentur.

21. Secunda difficultas, sub titulo quæstionis comprehensa, est; An possit confessarius sui complicis peccati confessionem excipere? Quæ in idem recidit cum illa: An possit pœnitens suum peccatum confiteri eidem confessario, quo cum illud commisit? Affirmant Joannes de Medina *Cod. de confessione, cap. de circunstantiis mutantibus speciem.* Jacobus Graffius *1. p. decis. lib. 1. cap. 20. num. 30.* Qui supponentes, ut licitam sine controversia ejusmodi confessionem, docent; sua peccata confitenti Sacerdoti, qui eorum particeps fuit, satis esse, dicat: *Peccavi in his, quæ tu nosti*, dummodo alia peccata non commiserit. Et ita expressè tenet Joannes Sanchez *in Selectis disp. 11. num. 16.* dicens: nullum ibi crimen intervenire, & ita censere S. Thom. licet ab aliis pro contraria sententia adducatur. Quibus adde Marcum Vidal *ubi sup. nu. 12.* cum Diana *p. 5. tract. 14. resol. 110.*

22. Hanc sententiam libenter amplector, pro casu, quo non sit periculum novi consensus, & committendi sacrilegium, quia his seclusis, cum pœnitens sit rectè dispositus, & confessori nullibi sit prohibitum, illum absolvere, validè, & licitè efficere poterit. Et cum hac limitatione defendunt D. Thom. Sorus, Sylvester, Ledesma, & Victoria, apud Henriquez *de Pœnit. lib. 3. cap. 13. num. 9. in Glos. litt. Q.* Et consentit Basilius suprà, qui prædictum periculum novi consensus ex parte solius confessarii videtur admittere, & non semper; sed quando frequenter cum pœnitente rem habuerit, ejusque veluti concubina sit. Et quod ex parte solius confessarii se teneat, supponit etiam D. Thom. *in additionibus ad 3. p. quæst. 20. artic. 2. ad primum*, ubi ait, fœminam non debere illi confiteri; tum propter periculum, tum quia est minor verecundia: * Si tamen inquit, absolveret, absolutio valeret. * Quam doctrinam dicit esse verissimam Card. Lugo *disp. 16. sect. 6. num. 362.* Vera autem esse non posset, si periculum se haberet ex parte pœnitentis; nam cum pœnitens scienter poneret obicem, non posset validè absolvi: Præfatum autem periculum in eo consistere videtur, ut ex Basilio Poncio docet Lugo, quod confessarius adhuc in peccatis cum pœnitente perseveranti, confessione criminis, eius memoria renovatur, & ex ipsa confessione, cognoscit iterum affectum pœnitentis erga ipsum, cui periculum lapsus est annexum.

23. Verum hoc periculum relativum est ad ætatem, & complexionem confessarii: atque adeò, qui ætate, & complexione attentis, non haberet periculum novi consensus, poterit absque culpa confessionem suæ concubinæ excipere: imò aliquando id expedire putant aliqui, cum Joanne Sanchez, & Marco Vidal ubi suprà: ne apud alium confessarium diffametur, vel ut citius à peccato liberetur, vel ut conscientiam illius melius cognitam commodius reconciliet. Quod de confessario dictum est, de concubina dictum reputa: poterit enim sine scrupulo confiteri, dummodo talis confessio ipsi concubinæ non sit occasio permanendi in periculo proximo peccandi, nec probabiliter timeat periculum aliquod consensus ex parte confessarii.

24. Totam hanc doctrinam supponit Thom. Hurtado *tom. 1. resolut. moral. tract. 4. cap. 6. resol. 8.* & ea posita, valdè inclinat, vel potius apertè sentit, pœnitentem sollicitatum à confessario ad inhonesta, in ipsa confessione, non teneri denunciare Inquisitioni confessarium, si eidem sua peccata confiteatur. * Quia confessarius, inquit, utpotè habens jurisdictionem, potest illum absolvere, & aliunde non tenetur imponere onus, ut ipsum denuntiet, cum nemo teneatur facere, quod alius denuntiet ipsum, ac proinde poterit pœnitens absolvi sine onere denuntiandi. * Quæ est doctrina singularissima, & valdè notanda, quam putarunt probabilem Trimarchius, Franciscus Maria de Agrifoliis, Freitas, Lorca, Ambrosius Roman, & Emanuel de Avila, omnes viri doctissimi, apud Hurtado suprà, & alii DD. Complutenses ab ipso consulti. Verum nec doctrinæ consequentiam, nec probabilitatem capio: quia fœmina, aut vir sollicitatus in actu sacramentalis confessionis tenetur ex præcepto Pontificis, & ex mandato Inquisitionis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, denunciare confessarium sollicitantem, ut tradit ipse Hurtado *suprà cap. 8. resol. 47. numer. 361. & 367.* Ergo quamvis in tali casu confessarius non teneatur imponere onus ut ipsum denuntiet, pœnitens tamen tenebitur denuntiare. Hæc sententia est omnino tenenda, & contraria Thom. Hurtado, & aliorum non solùm est improbabilis, sed ut minimum, *ut scandalosa* damnata, & prohibita est ab Alexandro Septimo, die 24. Septemb. anno 1665.

QVÆSTIO III.

De circunstantia Quid, seu circa Quid.

EGimus de circunstantia personæ peccantis, & complicis sui peccati, vel in effectu, vel in affectu efficaci, qui secundùm omnes ejusdem speciei est cum objecto. Modò agendum nobis est de circunstantia *Quid*, seu *circa quid*, ad quam reducuntur, tam quæ se tenent ex parte personæ, ad quam affectus inefficax, seu simplex delectatio terminatur, quam quæ ex parte rei volitæ, ut in furto quantitas, in copula virginis defloratio, in odio qualitas mali desiderati, & similia.

CAPVT PRIMVM.

An in peccato furti, quantitas expressè in confessione declarari debeat?

§. PRIMVS.

Notabilia præmitto.

1. PRo decisione noto 1. furtum dupliciter considerari posse: primò, ex suo objecto præcisè, independenter à quolibet alio damno extrinseco proximo proventuro. Secundò, quatenus est causa, vel occasio alterius damni exttrinseci, ex ablatione rei provenientis, ut sartori, v.gr. ex ablatione acus. Si hoc secundò modo consideretur, non est propriè grave peccatum furti, licet grave inde damnum proximus patiatur. Sed peccatum grave injustæ damnificationis, quæ quidem in specie furti non est, neque enim usurpatio acus grave furtum, nisi valdè impropriè nuncupari potest, ut benè Fagundez *in decalogum, lib. 7. cap. 2. num. 2. & 3.*

2. Præmitto 2. furtum ex suo objecto præcisè consideratum non opponi tantum justitiæ commutativæ: quod sic facilè probo. Potest esse culpa gravis in specie furti, quin graviter violetur justitia commutativa: ergo gravitas furti non desumitur tantum ex oppositione cum justitia commutativa. Consequentia est legitima. Antecedens probo. Nam si aliquis centum regalia à centum personis, unicum à quolibet usurpasset, graviter peccasset in specie furti; & tamen justitia commutativa non esset graviter violata. Quia, ut ex communi DD. tenet Vasquez *opusc. de restit. cap. 9.* ad peccandum mortaliter contra justitiam commutativam, necessarium est, ut alicui fiat injuria gravis, & grave patiatur damnum, sed in casu posito nulli fit gravis injuria, & nullus est, qui grave damnum patiatur, cum à quolibet seorsim unicum tantum regale usurpatum fuerit: ergo in hoc casu reperitur malitia gravis furti, absque violatione gravi justitiæ commutativæ. Gravitas igitur hujus peccati in specie furti ex oppositione cum alia virtute desumenda est.

3. Propter hæc existimo, furtum, ex suo objecto consideratum, esse peccatum oppositum justitiæ legali: de qua agit S. Thom. 2. 2. *art. 5.* & Aristoteles *lib. 5. Ethicor. art. 1.* Cujus virtutis munus est, velle, & procurare Reipublicæ bonum: in quo specialis honestas, & laudabilitas reperitur; hujusque virtutis debito quilibet civis respectu Reipublicæ tenetur, quia pars est propter totum, & bonum partis propter bonum totius. Huic, inquam, virtuti asserto, oppositum furti opponi ex suo objecto. Quod probo primò à sufficiente partium enumeratione. Quoniam hoc peccatum grave in omnium opinione virtuti justitiæ opponitur, non distributivæ, ut omnes supponunt, non commutativæ tantum, ut probavi: ergo legali. Nulla enim alia species justitiæ datur, cui opponi possit. Secundò, quia negari nequit esse commodum commune, & rectam Reipublicæ gubernationem, quod homines sine rationabili titulo diripiant, & quantitatem alienam sine titulo usurpent: daretur enim occasio latrociniis, miserique homines laborari incumbere nollent, sed modicas quantitates singulis usurpantes, vitam degere curarent: quod quidem Reipublicæ maximè adversatur bono, & contra rationem omninò est. Ergo furtum ex hoc objecto justitiæ legali opponitur. In hanc tandem opinionem, aliis rationibus non quiescens, videtur mihi venisse P. Lessius *lib. 2. de Iust. cap. 10. dub. 7.* ubi ait: *Hanc rationem furandi, remque suam augendi valdè repugnare Societati humanæ, & in omni Republica bene ordinata valdè exosam esse: ac proinde tanquam rem valdè contra hominum Societati, censeri prohibitam sub peccato mortali.* Hoc tamen non tollit, quod ratione damni alicui individuo illati, justitiæ etiam commutativæ opponatur, ut ex dicendis constabit.

4. Pro hac sententia videtur apertè stare Joannes de la Cruz *in direct. 1. p. præcep. 7. quæst. 2. de furto, dub. 2. concluſ. 3.* ubi sic ait: * Ad peccatum furti imperans est damnum alteri illatum, alias non pecaret mortaliter, qui à Rege furaret mille aureos, cum parum illum lædat, neque etiam qui à multis furaret unum assem, veniret ad materiam mille ducatorum, cum parum damnum singulis inferat. Consequens tamen est falsum: nam etsi singuli sint parum læsi, omnes fur habet in suis bonis plus notabiliter, quam debet habere, quod etiam cavetur à virtute justitiæ. * Hæc ille. Quibus nostram sententiam explicat, & confirmat. Cui consonat P. Oviedo *1. 2. tract. 6. de peccatis, cont. 3. p. 6. n. 97.* dicens esse lethale: *Quando nulli personæ in particulari damnum inferatur, illud infert Reipublicæ. *Unde infero, quantitatem furto ablatam duplici justitiæ speciei opponi, legali videlicet, & commutativæ; ac proinde furtum duplicem malitiæ speciem contrahere. Quod est valdè notandum.

§. II.

De quantitate ad peccatum mortale requisita.

5. SEd curiosus inquires: Quænam quantitas sit gravis in ratione furti, vel damni publici, & quænam gravis ratione damni privati? De hoc aliàs egi. Verum quia plena hujus quæstionis notitia in ordine ad confessionem tradi aliter non potest, respondeo, furtum in ratione furti, seu damnificativa boni publicum, non esse peccatum mortale, nisi quantitas usurpata attingat quadraginta regalia. Moveor, quia minor quantitas non videtur graviter opponi bono communi, & rectæ gubernationi Reipublicæ. Etenim, ut benè advertunt Valquez *1. 2. disp. 158. num 60.* & Sanchez *tom. 1. Sum. lib. 1. cap. 4. n. 6.* ad gravitatem, & levitatem non est materia præcepta secundum se solum inspicienda, sed inspe-

inspecto etiam fine, ad quem ordinatur. Unde licet quantitas assignata respectu cujuscumque personæ sufficiens sit ad mortale, prout justitiæ commutativæ opponitur. Minor tamen illa, in prudenti æstimatione, graviter opponi non videtur in ordine ad bonum commune.

6. In hanc sententiam pro me advoco DD. aliquos, apud Petrum de Navarra *tom. 2. de restit. lib. 3. cap. 1. nu. 33.* asserentes, furari centum regalia, & aliquid amplius, non esse peccatum lethale ex natura rei, & ex objecto. Quam opinionem ait Navarra se audivisse à pluribus, qui illam defendebant. Quam etiam refert ex aliis M. Texeda *tom. 1 Theolog. moral lib. 2. tr. 2. controv. 18. num. 11.* dicens: * Unde recedendum est à sententia Navarri *in Man. cap. 17. num. 33.* & Aragon 2. 2. *quæst. 66. art. 6. dub. 3.* asserentium, nec etiam numerum centum argenteorum, vel aureorum quantitatem absolutè loquendo dicendam esse ex natura rei, & ex objecto peccati mortalis materiam, nisi quando ex tali furto, quis grave damnum pateretur. * Qui quidem nulla alia ratione duci potuerunt, quam bono communi graviter non opponi, quod ejusmodi quantitatem sine titulo quis possideat, quando nullus est, qui ea usurpatione grave damnum patiatur.

7. Secundò probatur, quia juxtà communem doctrinam desumentem malitiam furti ex oppositione cum justitia tantum commutativa Fagundez *in 7. præceptum Decalogi lib. 7. cap. 1. num. 18.* duo, vel tria ducata requirit ad culpam gravem respectu Regis, aut hominis ditissimi. Quam opinionem ante illum docuerunt M. Sotus *de Iust. lib. 5. quæst. 3. art. 3. ad 3.* ubi ait: * Duo, tresvè aurei ducati, etiamsi à Cæsare subripiantur, crimen est, * nempè lethale, ut prædixerat. Et M. Serra 2. 2. *quæst. 66. artic. 6. dub. 1. fol. mihi* 442. * Duo, inquit, aurei ducati, & ad summum tres respectu omnium, etiam Regis, sunt materia gravis. * Quos sequuntur Aragon, & Navar. apud Texedam suprà. Et Rodriguez *in Sum. tom. 1. cap. 149. num. 6. fol. mihi* 258. in editione Salmantina anno 1610. ait, esse notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos. Quam opinionem in ordine ad opulentos, tenent Angelus *verb Furtum num. 34.* Sylvester *ibidem p. 2. num. 5.* & Sotus *ubi suprà*. Duo autem aurei valorem longè excedentem hodiè habent. Si igitur id putant aliqui probabile, quando ex ablatione ejusmodi quantitatis persona aliqua privata damnificatur, cur nos non dicemus, quantitatem non attingentem quadraginta regalia non sufficere ad culpam gravem, quando nullus in particulari damnum patitur. Confirmatur, quia minus damnum patiuntur quadraginta homines, à quorum singulis unicum regale usurpatum fuerit, quàm Rex, ex usurpatione viginti, aut triginta; sed hæc quantitas respectu Regis non sufficit ad culpam gravem: Ergo neque illa respectu quadraginta hominum.

8. Favent huic discursui contrariæ sententiæ DD. nam expresè asserunt, in furtis minimis, eo majorem quantitatem requiri, quo plures fuerint domini, eo quod damnum in plures dividatur. Ita Sanchez *in Sum tom. 2. lib. 7. cap. 21. numer. 27.* Lessius *de justit. lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 46.* & Diana 1. *part. tract. 6. resol. 34. §. dico* 3. ubi inquit, in his furtis minimis, duplo majorem requiri quantitatem, quàm in aliis: quod etiam de furtis respectu ejusdem personæ, docet Lessius *suprà*: quando non ex industria, sed ex occasione, & magnis temporis intervallis subtrahitur quantitas.

9. Urgetur ex doctrina P. Rebelli *lib. 3. de just. quæst. 15. sect. 5. concl. 3.* qui licet putet duos argenteos, ab una persona ablatos sufficere ad culpam mortalem furti, addit verò, si à pluribus leves quantitates accipiantur, requiri unum aureum, qui valorem longè excendentem habet. Ergo quantitas quadraginta regalium à nobis assignata, ut requisita ad culpam gravem, quando à pluribus, leve damnum singulis patientibus, usurpatur, non debet judicari excedens juxtà prudentem æstimationem, sed potius longè minor, quàm juxtà aliorum principia designari posset.

10. Tertio probatur, nam si juxtà communem doctrinam asserentem, furtum justitiæ tantum commutativæ opponi, designanda esset quantitas ad mortale requisita, latissimus pateret campus, quia ad gravem hujus virtutis violationem, opus est, quod alicui fiat injuria gravis, & notabiliter sit invitus, damnumque grave patiatur; minus autem damni paterentur, minusque essent inviti mille homines mediocriter divites, à quibus mille argentei, singuli à singulis ablati fuissent, quàm Rex ex ablatione viginti: sed hæc quantitas non sufficit ad culpam gravem respectu Regis, ergo neque illa sufficiet respectu mille hominum.

11. Hoc argumentum adeò malè egit DD. contrariæ, & communis sententiæ, ut propter illud, aliqui non dubitaverint asserere, non esse peccatum mortale minutis furtis subripere à pluribus personis quantitatem quantumvis notabilem, dummodo à nulla seorsim gravis quantitas usurpetur. Ita docent Angestus *in moral. cap. 9.* Joannes Henriquez *in quæst. pract. sect. 9. quæst. 7. num. 12.* Aragon apud M. Texeda *num. 6.* citatum. Navarrus *in Sum. Latina cap. 17. num. 130. & 140.* ut videre est apud Vasquez *suprà num. 82.* licet, inconsequenter ad sua principia, existimet teneri sub mortali restituere; cum tamen alibi requirat culpam gravem intervenisse in acceptione, ad obligationem gravem restitutionis. Sententiam Angesti putavit probabilem Petrus de Navarra 1. *p. de restit. lib. 3. cap. 1.* dicens: * Aliquibus non videri improbabilem. * Et, quod magis, P. Vasquez *opusc. de rest. cap. 9. §. 1. num. 76.* inquit, se fateri, præfatum argumentum * difficillimum esse, & probabilem forsan Angesti opinionem efficere. * Illamque defendit Medina *Cod. de restitut. quæst. 10. in fine*, quando ille, qui sic acciperet, esset pauper, & non faceret in fraudem legis, sed quia non habet unde domum suam possit alere. Quam sententiam, ut à Medina explicatam, vocat piam Luis Lopez, apud Tannerum *de Iustit. disp. 6. dub. 9. num. 274.* In nostra autem sententia, detumente etiam malitiam furti, per oppositionem ad justitiam legalem, prædictum argumentum nullius ponderis est: quia solum convincit, in ejusmodi furtis minimis non esse malitiam gravem contra justitiam commutativam: secus verò contra legalem, quæ bonum commune intendit, & ad rectam Reipublicæ gubernationem ordinatur. Et sic omnes tenentur respondere: quia sententia Angesti, & aliorum sustineri non potest. Est etenim Reipublicæ bono apertè repugnans; quod bono particulari præponendum, ratio naturalis nos edocet.

12. Major est difficultas determinare quantitatem requisitam ad culpam gravem furti ratione damni singulis illati; in quo tot capita, quot sententiæ. Communiter tamen Doctores videntur convenire, nullam certam quantitatem respectu omnium determinandam, sed diversam requiri ad constituendum mortale respectu pauperis, & hominum communium, ac respectu Regis, vel hominis ditissimi. Ratio est manifesta, quia furtum secundùm

hanc considerationem, constituitur in esse culpæ gravis ratione damni; sed quantitas, quæ respectu unius reputatur grave damnum, respectu alterius est leve. Et utait D. Thom. *in opusc. de erud. Principis, lib. 7. cap. 8.* *In amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quàm unus multum dives gravaretur in mille marcis: * Ergo ad culpam mortalem diversa quantitas respectu diversorum assignanda erit. Quapropter judico, unum aureum sufficere ad culpam gravem respectu cujuscumque, etiam Regis: octo regalia respectu hominum mediocriter divitum, qui ex proprio labore non aluntur. Quatuor respectu eorum, qui ex diurna mercede sustentantur; quales sunt officiales, fossores, &c. Denique respectu hominis pauperrimi, qui, mendicatis fidelium eleëmosynis, vitam degeret, duo saltem regalia, & fortè unum erit materia sufficiens ad culpam gravem. Sed de his alibi. De modo confitendi nunc agendum.

§. III.

Quæsito principali duplici conclusione respondetur.

13. SIt prima. In opinione, quam defendo, asserente, peccatum furti duplicem malitiæ speciem contrahere, contra justitiam, scilicet, commutativam, & legalem; pœnitens tenetur quantitatem usurpatam sic explicare, ut confessarius percipiat, an soli justitiæ commutativæ, an etiam legali graviter opponatur: aliàs species aliqua malitiæ gravis inexplicata maneret. Quapropter, ni quantitas ablata exprimatur, difficilè erit præcepto confessionis satisfacere, præcipuè illiteratis, & rudibus, qui hæc distinguere nesciunt, & quantitatem in unaquaque specie mortale constituentem ignorant. Imò juxtà superius dicta, & qualitatem personæ, à qua fuit ablata, exponere debebunt, ut confessarius agnoscere possit, an veniale, an mortale commiserint, & ad restitutionem juxtà culpæ quantitatem obligare. In quo confessarii graviter deficere possunt, dum pœnitentes hæc manifestare non adstringunt. De viris autem doctis, qui speciem peccati, & quantitatem ad grave constituendum requisitam benè norunt, longè alia est ratio, quæ magis ex subjiciendis constabit.

14. Secunda conclusio. Juxtà opinionem communem, quæ unicam in furto speciem injustitiæ adstruit; illius quantitas, utpotè circunstantia tantum aggravans, per se non est necessariò in confessione explicanda: ac proinde qui mille aureos furatus fuisset, præcepto satisfaceret, se accusans, subripuisse quantitatem gravem. Hanc sententiam tenet expressè D. Thom. *in 4. distinct. 16. quæst. 3. artic. 2. ad 3. quæstiunc.* ubi sic ait. *Quod autem accipiat multum, vel parum, talis circunstantia aggravat (& quæst. 5.) quidam dicunt, omnes circunstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri. Alii verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ, nisi circunstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt; & hoc probabilius est.* * Et iterum *dist. 22. quæst. 1. art. 4. ad 2.* * Quantitas culpæ, quæ est ex specie peccati, debet innotescere Sacerdoti per confessionem, non tamen oportet de quantitate, quæ est ex circunstantiis quibuscumque. * Quæ rursus confirmavit *in secundo scripto super librum sententiarum lib. 4. dist. 16. art. 3. ad secundum.* * Sufficit, cognoscat Sacerdos quantitatem, quæ ex nova specie consurgit. * Et sic alibi. Quæ sententia ibi expressa est D. Thomæ, ut M. Sotus *in 4. dist. 18. qu. 2. art. 4. in 8. argum.* nullam congruam expositionem admittere animadvertens, hoc unum effugium invenerit ad contrariam absque illius injuria defendendam. * D. Thomas (inquit Sotus, licet fuerit locutus in quarto sententiarum cum communi opinione, fortasse in summa sententiam mutasset. * Quamobrem 1. 2. q. 73. art. 7. * Addunt (inquit) Sotus, & Canus, quod D. Thom. suam sententiam retractasse, & tertiæ parti extremam manum imposuisset. * Idnè (ait P. Henriquez *lib. 2. de Pœnit. cap. 7. num. 5.* & *Sa litt. R.*) * non mutasset: quia D. Thom. in 2. *quæst. 88. art. 5. & 2. 2. quæst. 110. art. 4. ad 5.* generaliter negat circunstantiam gravare infinitè, nisi mutet speciem. *

15. Præfixam conclusionem negari non posse Doctoribus, qui ex D. Thoma defendunt, non dari obligationem explicandi circunstantias notabiliter aggravantes (traduntinnumeri, quos laudat & sequitur M. Serra 1. 2. *quæst. 73. art. 7 fol mihi* 111. * Secundam, inquit, sententiam, quæ D. Thomæ videtur probabilior, tenet Navarr. *cap. 6. num. 7.* & alii numeri ex recentioribus, quibus non videntur inconvenientia, quæ authores primæ sententiæ inferunt, nempè satisfacere suæ obligationi illum, qui furatus est mille aureos, dicendo in confessione: furatum rem notabilem. * Hæc Serra. Quibus suppono, consequentiam ex Div. Thom. doctrina ita urgere, ut negari non possit, quin deseratur D. Thomæ sententia: ideò pro illa etiam militant *Sylv. verb. Confessio 1. n. 10. quæst. 9.* & probabilem putat M. Petrus de Soto *de integritate confess. lect. 9.* Ubi postquam dixerat cum Sylvestri, non esse per se necessarium manifestare quantitatem furti, subnectit. * Nos verò putamus potius esse, ut cum certa est quantitas, manifestetur. Ita amplectitur Mag. Zanard. *in Director. 1. part. de Sacram. Pœnit. cap. 18. §. Notandum tamen venit*, ubi ait: * Sed circunstantia non aggravet in infinitum (ideò non mutet speciem, ut exponit M. Conradus 1. *part. qu. 27.*) Sed tantum notabiliter in eadem specie, non simpliciter, & de præcepto, sed benè de consilio confitenda, nisi haberet reservationem annexam, quale g. furtum decem aureorū sit casus reservatus. * Quæ sequuntur Giptius, Megala, & Cerol. quos citat & sequitur Diana 1 *part. tract. 7. resol. 14.* Thom. à Jesu, Archangelus Rubeus, Hurtado, Turrianus, Granad. & alii. Quibus consentit Fr. Leander à Sacram. *disp. 3. quæst. 2.* Tamburinus *in Method. expedita Confess. lib. cap. 8.* Navarro *in cap consideret, n. 12.* Meratius *disp.* Card. de Lugo *disp. 16. sect. 3.* Et probabilem putat Lessinacina *tom. 1. de Sacram. Pœnitent. disp. 5. quæst. 5. dub. punct. 2. §. 3. diffic. 3.* Et noviſſimè tenet Joannes Martius, Ordinis Minorum *disp. 45. quæst. 7. concl. 2.* ubi dicens: * Sufficere, quod dicat furatus sum quantitatem mortaliter peccaminosam, * & Rev. P. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnit. 17. dub. 17. ibi.* * Notes, an qui furatus est mille aureos, satisfaciat in confessione dicendo; subripui materiâ peccari mortalis, aut rem notabilē. Respondeo affirmativè: Quia circunstantia non mutat speciē. * Mazuchellus *de casibus reservatis, disp. 21. cap. 4. diffic. 5. numer. 28.* * Gravem peccatum est furtum mille aureorum, quin rectum, & tamen quantitas non est explicanda in confessione; sed satis est dicere: subripui quantitatem notabilem. * Quos sequitur Fr. Franciscus à Jesu Maria in cursu Theologico *tractat. 6. de Sacramen. Pœnit. capit. 8. punct. 2. num. 28. & 30.* Hanc sententiam amplec-

amplexus est P. Vazquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 91. artic. 1. dub. 3.* Cum limitatione tamen, quam adhibent Sylvest. & M. Zanardus ubi supra. Nimirum quantitatem furti explicari debere, ratione excommunicationis, vel reservationis, quoties ita res se habeat, & quando, quantitate non expressa, Sacerdos scire non potest, quid sit facturus.

16. Ex dictis amice lector, valdè miraberis audaciam Magist. Texeda, qui *tom. 1. lib. 2. tract. 3. controv. 10 num. 33.* non renuit dicere hanc sententiam * esse à veritate alienam, * & *num. 75.* * non esse probabilem, & animabus laqueos parare. * Sed audacior Vincentius Baronius in opere contra Amadæum *disp. 2. sect. 3. §. 2. fol. 236.* non renuit, illam Amadæo affingens, errorem vocare. * Thomistas, inquit, in sui erroris patrocinium advocat, sed invitos, & reluctantes, maximè Sylvestrum, *verb. confessio 1. num. 10. quæst. 9.* * Et paulò suprà: * Quo sensu explicanda sit mens Div. Thomæ satis constat ex regula à nobis constituta. * Cæterum Sylvestrum pro hac parte militare, est communis Theologorum sensus, qui illum in ejus subsidium advocant, & pro illa refertur à Mag. Petro de Soto supra. Et constat apertè ex ipsius Sylvestri verbis: * De aggravantibus, inquit, in eadem specie sunt opiniones; sed secundum S. Bonaventuræ communior, & secundùm S. Thomæ probabilior est, quod eas confiteri necessarium non sit, sed laudabile tantùm, &c. Opinio verò Altisiodorensis, quod necessario sunt confitendæ, sicut quod ei, qui furatus est misse aureos, non sufficit dicere, se furtum admisisse: (attende) non est veraregulariter, sed quando tales sunt, quod eis non scitis, Sacerdos scire non potest, quid sit facturus, vel ratione jurisdictionis, vel ratione damni dati: quia alioquin hoc oportet scire, ut sciatur modus imponendæ restitutionis, & ut sciatur, an talis quantitas sit Episcopo reservata. Undè in talibus dico idem de ista circunstantia, (nempè quantitatis furti) sicut de peccatis jam confessis in recidivante: quia tenetur quis eam dicere indirectè, in quantum sine ea aliquando non potest bene scire debitus satisfactionis modus. * Hactenus Sylvest. Ex cujus verbis apertissimè constat, tùm cum Div. Thoma sentire, tum per se non esse obligationem confitendi quantitatem furti, sed in eo tantum casu, quo Sacerdos, ea non expressa sciree non potest, quid sit acturus, vel ratione reservationis, vel ratione modi imponendæ restitutionis, undè quoties ad ejusmodi rectè obeunda quantitatis explicatio necessaria non sit, non tenetur pœnitens, secundum Sylvestrum, illam confiteri.

17. Quod autem Div. Thom. idem senserit, ejus expressa verba, quæ *num. 14.* transcripta dedi, apertè demonstrant. Et Magist. Sotus, Mag. Canus, & alii expressè testantur: * Atque hujus opinionis (inquit Mag. Sotus *loco suprà citato, artic. 4. §. Aliæ autem.*) Fuit Div. Thomas, & Bonaventura, & Durandus, & est fere communis opinio. * O Baron! Hæc apud Amadæum legis, & errorem vocas! Alius tecum contendat. Exponit Div. Thomam, locutum de circunstantia quantitatis, quæ superaddita sufficienti ad peccatum mortale, levis sit, & seorsim considerata, seu ab alia sejuncta, non nisi veniale constitueret. Verùm hæc expositio violenta prorsus est, & jam explosa ubi suprà *quæst. 1. num. 7.* ubi adduxi Mag. Prado dicentem *esse contra textum Div. Thomæ*, tum quia levis quantitas non est notabilis, ut ex terminis patet: D. Thom. autem circunstantiam etiamsi *notabilem quantitatem* superaddat, dicit expressè non esse necessario confitendam, tùm quia quantitas culpæ *quæ non consurgit ex nova specie peccati*, non est necessario in confessione explicanda, ut inquit D. Thom. illa autem, qualis qualis fuerit, non mutat speciem: Ergo secundum D. Thomam, circunstantia illa quantitatis furti, licet sejuncta ab alia ad mortale sufficeret, explicari necessariò non debet: *Nisi quando ea non explicata scire non potest debitus satisfaciendi modus.* Ergo licet propter satisfactionem vel reservationem sit, quando opus fuerit explicanda. * Non tamen (inquit Prado *suprà quæst. 2. fol. 654. numer. 27. in fine*) quia sint tot peccata, quot committi possent, si paulatim, & actibus interpollatis mortalibus, illa auferretur. * Unum enim est peccatum, licet gravius intra eamdem speciem, non ergo ex necessitate, quantitas explicari debet, si pœnitens non ignoret debitum satisfaciendi modum: Sicut nec quando confessarius illius expressione, ad munus suum rectè obeundum, non indiget. Quod, si pœnitens vir doctus sit, frequentissimè evenit.

18. Et suadetur à posteriori, quia si quantitas furti decem aureorum, v. g. explicari deberet in confessione, eo quod singulæ partes, etsi ab aliis sejungantur, idoneæ sint peccatum lethale numero distinctum conficere, aut de veniali trahere ad mortale unum, aut plura (ut explicat Baronius Div. Thomam ubi suprà fol. 234. & 235.) sequitur apertè, eum qui una continuata actione in die proh bito libram carnis ederet, teneri hanc quantitatem in confessione aperire: æquivalet enim pluribus actibus vetitis, quorum singuli, etiam ab aliis sejuncti, peccatum lethale numero distinctum conficerent: & singulæ quantitatis partes adjunctæ peccato, tantæ gravitatis sunt, ut de veniali trahere possint ad mortale. Ergo vel quantitas furti non est explicanda, vel quantitas cibi proh bit exprimenda est. Sequitur secundò; declarandas esse circunstantias durationis, & intensionis, ut benè expendit Lugo *disp. 16. sect. 3. num. 111.* nam si declarandi est quantitas furti, eo quod furtum viginti aureorum æquivaleat pluribus furtis, quorum singula ad lethale sufficerent; sic odium intensum, ut octo declarari deberet; æquivalet enim pluribus actibus odii remissis, quorum quilibet lethale constitueret. Item odium per quadrantem horæ durasse, cum æquivaleat quatuor, vel pluribus actibus odii graviter peccaminosis. Atqui nullus qui à circunstantiis aggravantibus confitendis excusat, hæc confiteri obligat, ut colligitur ex Magistro Prado ubi suprà *fol. 664. num. 29.* ubi à durationc ejusdem numero actus explicanda omninò excusat: (imò nec Baronium ipsum adstricturum credam) ergo in communi sententia unicam injustitiæ speciem in furto agnoscente, & aliundè negante obligationem confitendi circunstantias notabiliter intra eamdem speciem aggravantes, necessaria consecutione deducitur, non esse obligationem explicandi in confessione quantitatem furti, dum sufficientem fuisse ad mortale pœnitens manifestet. Quidquid inconsequenter dixerit Magist. Prado, *suprà numer. 27.* ubi contendit explicandam necessariò, ut indè confessarius cognoscat *quid, qualiter, & cui, & quomodo est restituendum.* Quod cum rarò ignoret pœnitens, rarò tenebitur explicare, ut docent communiter Doctores supra citati, qui nec directam, nec indirectam obligationem explicandi in confessione quantitatem furti, in omni eventu agnoverunt. Insuper, si pœnitens jam restituisset, & de peccato suo se accusaret, ut quid confessarius scire indigebit, *qualiter, &*

cui, & quomodo est restituendum? Nonne instantia ista rem evincit? Perperam ergo causatur Baronius, ab Amadeo, per summam calumniam Thomistis ubi suprà citatis hanc opinionem affixam. Omitto aculeata dicteria, & morsus cruentos hujus Neoterici, erroris notam inurentis opinioni tot tantorumque doctorum patrocinio munitæ. His enim respondere mei muneris non est.

CAPUT II.

Vtrùm, qui cum matre coitum habuit, satisfaciat, si in confessione dicat; commisisse incestum?

19. Affirmant Giptius, Megala, Cælestinus, Bartholomæus à S. Fausto, Joannes de Soria, Remigius, Joannes Henriquez, Mattinus de S. Josepho, Marcus Serius, Mazuchellus, & alii, quos citatos sequitur Diana *part. 5. tract. 14. resol. 56. & part. 11. tract. 7. miscellan resol. 34. §. & tandem nota.* Probant, quia omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt ejusdem speciei in genere moris, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 9.* Undè incestum fuisse cum matre, tantùm est circumstantia aggravans intra eamdem speciem. Atqui ejusmodi circumstantiæ notabiliter aggravantes non sunt necessariò in confessione explicandæ, ut docet idem D. Thom. in locis suprà citatis: Ergo.

20. Argumenti difficultatem Baronius præsensit, & cùm facilè posset evadere, negando ut suprà minorem, juxtà suam explicationem, quæstione præcedenti Div. Thomæ adhibitam, quia adstructa obligatione confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, nulla ex Divi Thomæ principiis esset consecutio. Nihilominus in hac interpretatione (quia violentam forsan recognovit) noluit persistere: deòque totus est in neganda majori, & de horribili corruptela Div. Thomæ expostulat *pagin. 232. & 233.* contra Amadæum, eo quod *tractat. de Pœnitent. prop. 4.* Div. Thomam adduxerit pro opinione asserente, omnes incestus esse ejusdem speciei in genere moris. *Infœlicitatem (inquit) reputo necessarium cùm hoc homine certamen, cùm non tàm scholæ nostræ, quàm Religionis Christianæ causam ago. Div. Thomam nego docere eo articulo quidquam eorum, quæ illi affingit per summam calumniam Amadæus, &c.* Quis non videat ex mente Div. Thomæ plusquam specie morali differre copulam cum parentibus, & cognatis, & non solùm specie, sed etiam plus quam genere, & tantum analogia convenire? &c.* Sic Baronius. Sed quo jure? qua fide? verba Div. Thomæ sententiam ferent, cum præmisero pro eadem opinione, qua Amadæus, referre D. Thomam plures gravissimos, tàm domesticos, quàm extraneos Doctores. Quod expressis eorum verbis ostendam.

21. Magister Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. articul. 4. argument. 17.* ibi: * Septimo: incestus inter affines, & inter consanguineos non differunt specie, ut Div. Thom. 2. 2. *quæst. 154. artic. 9.* Author est.* Magist. Joannes de la Cruz *in Sum. præcepto 6. artic. 4. dub. 6. conc. 2.* * Inter proximiores consanguineos, aut affines, erit gravior incestus, intra eamdem speciem. Imò in primo gradu gravior erit incestus cum matre, aut filia, quàm cum sorore.* Cajetanus 2. 2. *quæst. 154. art. 9. citato, §. Ad secundùm verò,* ibi: * Verùm est hujusmodi incestus differre secundum gravitatem illutè, quia gravius est secundum se peccatum incestus cum sorore, quàm cum sorore uxoris, sed ex hoc non sequitur diversitas specifica: gravior namque est furari mille, quam decem; & tamen non diversuntur specie.* Magist. Conradus 1. *part. quæst. 4.* ibi: * Item si quis fuerit in cogitatione moroli per horam, vel per diem, multum interest, in gravitate, tamen eadem species est. Ita etiam de incestu, eadem species est, si sit cum matre, & cum affine in quarto gradu.* Quibus adde Mag st. Nugnum Cabezon, apud Dianam infra citandum, & Magist. Joannem Martinez de Prado *tom. de Pœnitent quæst. 2. de integritat. confess. dub. 2. fol. 655. num. 30.* ibi: * Ad quintum respondetur, quod probabilis est illa sententia Cajetani, & fundamentum habet in Div. Thoma. * Idem tenet Magist. Canus, ut refert Vazquez *tom. 4. in 3. part. disp. 11. num. 12.* ubi de gradibus consanguinitatis loquens, ait * probabilius esse non mutare speciem peccati, ut latè Cajetanus 2. 2. *quæst. 154. artic. 9. & tom. 1. opuscul. tract. ultim. resp. 5.* Soto, & Cano supr. * Patricius Sporer, ex Ordine Minorum, in Tyrocinio Theolog. Moral. *part. 2. capit. 2. §. 3. fol. 112.* * Diversitas gradus, & lineæ non adfert diversitatem peccati specificam, uti contra Navarr. *capit. 7. numer. 4.* probabiliter docent alii.* Antonius Diana *1. part. tract. 7. resol. aggravant. resol. 31.* * Dicendum est, cum Nugno additionibus *ad 3. part. tom. 2. quæst. 9. artic. 2. dub.* diversitatem graduum non facere diversitatem specificam in incestu, sed esse circumstantiam aggravantem.* Bonacina *tom. 1. tract. de lib. quæ pertinent ad usum matrimonii, quæst. 4. punct. 16. numer. 6.* * Tertio inquit, sententia, cui tanquam probabiliori adhæreo, est Cajetani 2. 2. *quæst. 154. artic. 9.* & nonnullorum recentiorum asserentium, omnes gradus, & omnes incestus esse ejusdem speciei. Ratio est, quia isti gradus differunt tantùm secundum magis, & minus, sicut major quantitas relabitæ in forte respectu minoris quantitatis: magis autem, & minus non variant speciem, ut est commune axioma.* Et quod hæc sententia sit Div. Thomæ, ultra citatos, dicit Diana suprà *resol. 31.* ibi:* Et hæc opinio Div. Thomæ magis placet.* Et Bartholomæus à S. Fausto *in Sacram. Pœnit. tom. 1. libr. 4. q. 96.* * Juxtà opinionem D. Thomæ 2. 2. *q. 154. art. 9.* & Cajetani ibi omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis sunt ejusdem speciei in genere moris.* Quid plura?

22. Nil ergo affinxit Amadæus Div. Thomæ, dum ei adscripsit, gradus consanguinitatis, & incestus, nec inter se, nec ab affinitatis gradibus specie differre. Nulla ergo, nedum *horribilis*, loci corruptela interfuit, cum hanc fuisse Angelici præceptoris mentem, non solùm Doctores extranei, sed domestici etiam fateantur. Quos si evolvisset Baronius, nec auditam sibi opinionem tantoperè non exhorruisset.

23. Sententiam igitur, de qua est sermo, apertam esse Div. Thomæ, licet authores citati Baronio non suspecti suadere sufficerent: ejus tamen fidei res est, quam scriptis verbis, probandum suscipiam. Disputat Angelicus Doctor 2. 2. *quæstion. 154. artic. 9. Vtrùm incestus*

sit determinata species luxuriæ ? Et conclusio est affirmativa. Imò supponens, ut certum gradus consanguinitatis inter se non differre specie, nullum ex hoc capite contra conclusionem producit argumentum, sed tantummodo petit ex distinctione inter gradus consanguinitatis, & affinitatis. Quos specie distinguì, primo intuitu dicendum videbatur, & consequenter incestum cum consanguinea ab incestu cum affini. Ideò argumentum contra hanc solum partem sic sibi objecit.* Incestus est consanguineorum, vel affinium abusus, sed affinitas differt à consanguinitate; ergo incestus non est una species luxuriæ, sed plures. * Cui concessa majori, negat minorem: & indè consequentiam, inquiens: * Ad secundum dicendum, quod persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguinitate conjunctam; & ideò quia unum est propter aliud, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, & affinitas.* Sic Div. Thomas. Quod tamen non tollit intra eamdem speciem gravius esse peccatum incestus cum matre, quam cum sorore, & hoc gravius, quam cum sorore uxoris, ut benè adnotavit Cajetanus, Angelicum Doctorem sequutus ubi supra. Quia Filius cum matre immediatè, & seipso conjunctus est, cum sorore verò, ratione parentum, eo quod eadem sit utriusque origo. Undè personæ istæ ait D. Thom. supra * cum non conjungantur per seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam. * Atque adeo, sicut peccatum incestus cum matre gravius est, quam cum sorore: ita & cum sorore est gravius, quàm cum uxore fratris, quia uxori fratris non est conjunctus per ordinem adipsam, sed propter fratrem consanguinitate sibi conjunctum. Undè provenit, & quod intra eamdem speciem una indecentia minor sit alia, & quod eadem prorsus ratio, qua Div. Thom. probat incestus inter consanguineos, & affines non differre specie, potiori jure probet, nec incestus inter gradus consanguinitatis inter se; & similiter neque inter gradus affinitatis.

24. Hæc ex Div. Thom. observat Cajetanus ubi suprà, §. *Ad evidentiam prope finem,** Quædam, inquit, est naturalis reverentia consequens per se, & immediatam conjunctionem carnalem personarum: & hæc est inter parentes, & proles. Quædam verò est, quæ consequitur conjunctionem carnalem non per se, & immediatam, sed media conjunctione in parentibus, seu filiis, & hæc est inter reliquas personas, tàm consanguinitate, quàm affinitate conjunctas: nam nullæ tales per se ipsas junctæ sunt, secundùm carnem, sed mediante patre, aut matre, seu filio, aut filia, ut patet discurrendo.* Cum ergo conjungi immediatè, & mediante alio, seu cojungi per se, vel per ordinem ad alium, ad eamdem speciem pertineat, in doctrina Div. Thomæ; consequitur planè, incestus omnes intra gradus consanguinitatis inter se, ejusdem esse speciei, non minus quàm incestus intra gradus consanguinitatis, & affinitatis. Et sanè si ita non esset, falsa prorsus esset Div. Thomæ conclusio, *incestum esse determinatam speciem luxuriæ, & non plures.* Nam licet consanguinitas, & affinitas unam speciem conflarent: gradus tamen consanguinitatis inter se plures species constituerent: quod est apertè contra Div. Thom, quia ut constat ex secundo argumento, eam negat consequentiam. *Ergo incestus non est una species luxuriæ, sed plures.* Sancti Doctoris mentem prolixius examinare libuit, ut ex his innotescat bona illa Baronii fides, qua de *horribili*, D. Thomæ corruptela Amadæum accusat, cum genuinam ejus mentem cum aliis Thomistis, & viris doctissimis expresserit. Cur ergo illi magis, quàm aliis succenset, cur immisericorditer proscindit, & exenterat?

25. Semel autem posito, incestus omnes juxtà Div. Thomam esse ejusdem speciei implicitè fatetur Baronius, argumentum nullam admittere solutionem; quia ex capite circunstantiæ aggravantis, illam noluit agnoscere. Undè sic de novo in illum instauratur. Circunstantia gradus proximioris, vel remotioris, in peccato incestus, est tantùm notabiliter aggravans intra eamdem speciem, ut cum Div. Thom. tradunt omnes Thomistæ suprà, citati. Sed hujusmodi circunstantias, (ut ex Div. Thoma etiam supponimus, testimoniis expressis comprobatum suprà *quæst.* 1. *num.* 5.) nemo tenetur in confessione explicare. Ergo nec quod incestus fuerit cum matre, vel sorore, vel persona distantiori gradu constituta; nec consanguinitatem ab affinitate distinguere, sed sufficiet se accusare de incestu, nil aliud explicando, ut docent omnes Authores suprà citati *num.* 1. Quibus adde Cajetanum 2.2 *quæstion.* 154. *artic.* 9. §. *Ad secundum verò*, ibi:* Et hinc habes, quod peccatum carnale commissum cum consanguinea ejusdem est speciei cum commisso, cum affini. Itaque non oportet te in hujusmodi circunstantiæ diversitate, solicitari de necessitate.* Cujus ratio potiori jure probat de diversitate graduum consanguinitatis inter se. Et ita expresè docet Magist. Corradus *part.* 1. *Summæ, qu.* 49. ubi sic:* Sed in eodem capite Navarrus asserendo, quod gradus consanguinitatis, & affinitatis differant specie, & quod de necessitate sit confitendum in quo gradu fuerit commissum: hoc non mihi quadrat, cum nusquam invenerim eos specie differre, & sanctus Doctor hoc dixisse, non invenitur, ut allegatur. Fateor tamen bonum esse id explicare, quia in genere moris gravius est miscuisse se cum sorore in primo gradu, quàm secundo, tertio, & quarto. Sed quod specie differant, non admittitur. * Sic perdoctus Thomista: quæ jam prædixerat *quæst.* 47. ubi de incestu loquens ait: * Eadem species est, si sit cum matre, & cum affini in quarto gradu. * Quos sequitur Bartholomæus à S. Fausto *de Sacrament. Pœnitent. tom.* 1. *libr.* 4. *quæst.* 96. ubi ait:* Quia juxtà opinionem Div. Thomæ *quæst.* 154. *artic.* 9. & Cajetani, ibi, omnes gradus consanguinitatis sunt ejusdem speciei in genere moris, sufficit ut ille, qui cum matre, vel filia, aut sorore, carnaliter peccavit, dicat: commisi incestum semel, vel bis, non explicando personam cum qua peccavit: & quamvis gravior sit incestus cum matre, vel filia, quàm cum sorore, vel consobrina, tamen quia ista gravitas auget malitiam intra eamdem speciem, non est necessariò confitenda. * Eamdem sententiam eisdem ferè verbis tenuit Dianæ 1. *part. tract.* 7. *de circunstant. aggravant. resol.* 31. subnectens:* Et hæc opinio Div. Thomæ magis placet. *

Quorum opinionem probabilem esse in praxi, dicit Trullench *libr.* 6. *in Decalogum, cap.* 1. *dub.* 6.

§. UNI-

§. UNICVS.

Iudicium Authoris.

26. FAteor, hanc sententiam, necessaria consequutione, ex his præmissis deduci: de illius tamen veritate valdè dubito, propter specialem deformitatem, quæ in incestu cum matre, ex apprehensione terminorum apparet. Quapropter juxtà principia superius à me jacta excusantia cum Div. Thoma ab obligatione confitendi circunstantias notabiliter aggravantes, intra eamdem speciem illationem vitari non posse censeo, nisi Vincentio Baronio concedam, *incestum non esse unam determinatam speciem luxuriæ, sed plures*: tantâ enim reverentiâ parentes præ aliis prosequi debemus, ut incestus cum parentibus execranda sit turpitudo, quadam tantùm similitudine, & analogia (ut loquitur Boronius) in cognatos redundãs. Ac proindè non solùm specie, sed plusquam genere ab incestu cum aliis differre videtur.

27. Dico ergo primò. Inter incestus cum consanguinea, & cum affini, diversitatem esse specificam, ac proindè necessariò in confessione explicandum, an cum matre, an cum noverca. Ita Pat. Granado *tract.9.de Pœnitent.disp.9.num.19.* Gaspar Hurtad. *disp.9 diffic.4* Fagundez *libr.6.in Decalogum, cap. 6. num.23.26.& 27.* qui pro hac parte refert Navarrum *capit.16.numer.7.* Filiucium, Valentiam, Azorium, & Lessium: item Vazquez, Suarez, & alii, quos refert, & sequitur Palao *tract.23.disp.unica, punct.9 numer.8.* & Dicastillo *disp.9.dub.6.num.272.* Quibus adhæret cum Trullenc. Ochagavia & aliis Fr. Franciscus à Jesu Maria, Carmelitanus Excalceatus *in cursu Theolog.mor.1.part.tract.6.cap.8.punct.2.num.31.* Probatur ex Granado, quia modus conjunctionis est valdè diversus, nam consanguinei ab eadem stipite descendunt, affines verò non. Dico secundo, incestum cùm consanguinea in linea recta, & transversali, ut cum matre, & cum sorore, specie distingui, quia filius cum matre ratione sui conjungitur; cum sorore verò ratione parentum, eo quod eadem sit utriusque origo, undè non satisfaciet se accusans; commisisse incestum in primo gradu, ut benè contra Bauni *tom.1. tract.4.* docent Henriquez, & Cardin. de Lugo, quos citatos sequuntur Leander *disp.8.§.3. quæst.41.* & cum Lessio, & Palao, Fr. Franciscus à Jesu Maria, ubi suprà.

28. Dico tertiò. Incestus in primo gradu lineæ rectæ, specie videtur distingui ab aliis, in gradibus remotioribus ejusdem lineæ: arctior enim reverentia parentibus debetur; tùm etiam, quia immediata conjunctio cùm prima stipite est diversi ordinis à remota, cùm hæc propter illam sit: eodem modo discurrendum censeo de primo gradu lineæ transversalis respectu aliorum, cùm Lessio, Palao, Leandro, & Fr. Francisco à Jesu Maria, loco suprà citato. Quoad alios verò gradus absque absurdo admitti potest specie non distingui, ac proindè non debere in confessione explicari, an secundus, an tertius, an quartus, &c. ut cùm Lessio, Vazquez, Dicastillo, Palao, & Leandro, bene docet Fr. Franciscus à Jesu Maria. Quia extra gradus in quibus matrimonium jure naturali prohibitum est, præceptum Ecclesiasticum, ex eodem motivo, congressum cum consanguineis, & affinibus prohibens, diversas species incestus non constituit; licet intra eamdem propter naturalem conjunctionem, aut majorem propinquitatem, unum peccatum incestus gravius sit alio, de quo inter doctores non est controversia, ideòque in opinione ligante circunstantias notabiliter aggravantes confiteri, exprimendus est gradus incestus, secundum nostra.

29. Adnotare hic non omittam M. Prado tom. 4. *Pœnit. quæst.2. de integrit. confess. dub.2. fol. 655.* nam conatum esse explicare D. Thomam, quasi tantum voluerit dicere speciem unam incestus esse, sed interim non infimam, sed subalternam sub se habentem plures infimas. Verùm cum hanc expositionem contra textum esse agnosceret. In quo pro conclusione statuitur, *incestum esse unam determinatam speciem luxuriæ, & non plures*: huic solutioni parum fidens addit. * Secundo dicimus, quod esto illa peccata sint ejusdem speciei, circunstantia aggravans hic est necessario confitenda, quia distinctum remedium exigit accessus ad matrem, & ad consobrinam uxoris. Et pœnitens debet confessori explicare, undè ipse cognoscat, an occasiones sint proximæ, vel remotæ. Scille. Sed quid si semel tantùm incestum commiserit? Quid si in eadem domo omnes commorentur, nec separari possint? Quid si omnes complices diversis domibus habitent? Ad quid complicis diuturni confessori explicanda? Quodnam distinctum remedium pro incestu cum matre non iterando exigibile est, quod incestu cum consobrina uxoris vitando deservire non possit? ergo ex hoc capite nulla esse potest necessitas explicandi circunstantiam personæ, si incestus sint ejusdem speciei; debemus ergo dicere oppositum,

CAPVT III.

An peccata contra naturam in consanguinis, vel affinibus habeant malitiam gravem incestus.

30. PRima sententia asserit, ejusmodi peccata in primo gradu, non habere malitiam incestus, & consequenter, non esse necessarium in confessione explicare circunstantiam consanguinitatis, vel affinitatis. Ita cum Megala, & Ziprio, docet Diana *3.part.tract.4.resol.101.& part.7.tract. 12.resol.18.* ubi citat Aversam, Trullench, & Mazuchellum, &c. *9. tr.9.resol.20.* ubi refert Candid. Et sequitur Machado *tom.1.libr.2.part.3.tract.19.docum.8.* & Reginaldus *in Sum.tract.2.cap.6.num.21.* Item Floronus, Fenelus, & Januarius, apud D. Franciscum Verdeyen. Caramuele, *quæst.4. de incestu, §.60. fol.49.* Quibus adde Bellochium, & Homobonum, quos citat, & sequitur Leander à Murcia *in disquis. moral. lib.2. disp.3. resol.19.num.5.* Alii verò limitant, dum non sit consanguinitas, vel affinitas, in primo, vel in secundo gradu, Ita Bonacin. *de matrimon.q.4.punct.11.num.7.* & Azor *tom.3.libr.3.cap.18 quæst.5.* Qui *cap.20.* idem dicendum putat, licet peccatum contra naturam committatur cum fœmina consanguinea, vel affini extra primum, vel secundum gradum.

31. Meum tamen in hac controversia judicium est, omnem actum carnalem inter consanguineos, in gradibus illis, quibus jure naturæ est inter eos prohibitum matrimonium, prohibitum etiam eodem jure naturali: ac proindè continere novam speciem incestus distinctam à malitia contra castitatem in confessione explicandam. Fundamentum est, quia eadem est utriusque prohibitionis ra-

rio: Si enim reverentia conjunctioni sanguinis debita, ex virtute speciali, jure naturæ graviter prohibet copulam inter consanguineos, quo fundamento dici poterit, non prohibere peccata contra ipsam naturam, cum majorem hæc difformitatem contineant? Hæc conclusio est contra Dianam, Megalam, & alios num. præcedenti citatos: sed meo judicio est omnino certa, lumineque naturali nota. Quis enim dicet, minus opponi conjunctioni sanguinis sodomiam cum sorore, quàm copulam?

32. Dico secundò. In gradibus, in quibus jure naturæ non est prohibitum matrimonium, sed solo præcepto Ecclesiastico, non datur in peccato contra naturam, sive, cum mare, sive cum fœmina (quidquid contra hanc secundam partem dicat Tancredi cum aliis *in Quæstionibus moral. disp. 6. de Pœnit. quæst. 27.*) specialis aliqua malitia incestus in confessione necessariò explicanda. Hæc est sententia expressa P. Azor, cui partim consentit Bonacina suprà, ut putat probabilem Lugo ubi supra *num.* 350. quia contrariam, quam ipse amplectitur veriorem vocat. Et in simili eam tenent Basilius de Leon *de impedimento cognationis spiritualis, causa* 30. §. 2. Acunna *tract. de confessario sollicitante, quæst. 5. num.* 33. Probatur: quia, ut ait Azor, jus humanum prohibens matrimonium inter cognatos, & affines, solum prohibet expressè coitus ordinarios, qui fiunt servato sexu, & vase naturali. Ergo talis prohibitio non est extendenda ad coitus extraordinarios, seu peccata contra naturam, cum enim lex ista odiosa sit, potius restringenda est, quam extendenda.

33. Ex dictis fit, in peccatis luxuriæ contra naturam, solum reperiri malitiam gravem incestus, quando fuerint cum consanguineis in primo gradu lineæ rectæ; nam in reliquis gradibus, ultra primum in recta linea consanguinitatis, non est irritum matrimonium jure naturæ, sed validum, etiam in primo gradu affinitatis, ut videre est apud Sanchez *lib. 7. de Matrim disp. 51. n. 20. & disp. 52. n. 7. & disp. 66.* Addit verò Sanchez cum Ledesma, in aliis gradibus, seu affinitatis, seu consanguinitatis, venialem quandam indecentiam continere copulam, seu matrimonium cum consanguinea, vel affine, quod à fortiori tenendum est de peccatis contra naturam.

34. Objicit Lugo *suprà n.* 346. Eadem ratio prohibendi matrimonium militat ad prohibendum etiam contactū illicitum: ergo omnis contactus illicitus inter consanguineos, vel affines, est jure humano prohibitus: nego consequentiā. Quia lex pœnalis non est ex identitate rationis ad alios casus extendēda, ut docent Salas, Pottel, Bonacina, Sayrus, Suarez, & Valentus, apud Dianam 1. *p. tr. 10. resol. 26.* Unde licet concedamus eamdem prohibitionis rationē militare in copula naturali, & cōtra naturam, hæc tamē de facto nō invenitur expressè ab Ecclesia prohita, secus illa.

35. Objicit secundo, qui consanguineam, seu affinem in tertio, vel quarto gradu turpiter tangit, debet in confessione explicare circunstantiam personæ sanguine, vel affinitate conjunctæ, ut ex communi Doctorum tradit Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. num.* 18. ergo à fortiori tenebitur explicare, si habuerit concubitum sodomiticum cum tali fœmina. Cæterum, hæc ratio nihil probat de peccato contra naturam cum masculo, unde turpiter illum tangens, non tenebitur eam circunstantiam aperire, juxta opinionem asserentem, peccata contra naturam, extra gradus ad matrimonium jure naturæ prohibitos, non continere specialem malitiam incestus. Et ideò in sodomia cum viro (non verò cum fœmina) nostram sententiam tenet Tancredi *in Quæstionibus moral. disp. 6. de Pœnit. quæst. 27. fol.* 154. citans Bellochium, Homobonum, Dianam, Alphonsum de Leon, & putat probabilem apud illum Card. de Lugo.

36. Respondeo secundò, tactus illos cum consanguinea, vel affini etiam in 3. & 4. gradū debere in communi sententia explicari, quia tactus cum fœmina habent malitiam copulæ, licet non procedant ex illius intentione, ut pluribus citatis tradit Sanchez *suprà num.* 12. ac proinde eodem jure prohibiti censentur, ac ipsa copula. Quod si adhuc contendas, prædictos tactus, absque intentione copulæ, diversæ esse speciei ab illa, ut existimat Lugo *disput. 16 sect. 14. num.* 556. poteris consequenter respondere, circunstantiam consanguinitatis non esse necessario explicandam in tactibus impudicis, absque periculo consentiendi in copulam; ut benè tradit D. Franciscus Verde, opulc. pro Caramuele *quæst. 4. §. 60. fol.* 49. dicens, sufficere se accuset * osculatus sum: *tetigi turpiter fœminam.* Omittō, rationem superius adductam ad probandum Ecclesiastica prohibitione copulæ non censeri prohibitum peccatum contra naturam, manifestè etiam probare, non esse prohibitos tactus impudicos, si in illis tantum fistatur, absque animo progrediendi ad copulam, & absque ejus periculo: ut in simili docet Joannes Sanctius *in Selectis disp. 11. num. 11. & 13.* Nam juxtà hanc sententiam ad speciem sodomiæ inchoatæ reducuntur.

CAPVT IV.

An in peccatis contra naturam opus sit in confessione explicare circunstantiam bestialitatis, vel sodomiæ, vel pollutionis? an sufficiat dicere: peccavi contra naturam in materia castitatis?

37. VT principali quæsito satisfaciam, necessarium est præmittere doctrinam, ex qua illius congrua ratio petenda est. Omnia peccata contra naturam esse ejusdem speciei infimæ, & per consequens ejusmodi circunstantias esse tantum aggravantes intra eamdem speciem (quas non esse ex necessitate confitendas sæpè diximus) affirmant plures, quorum opinionem tenuisse D. Thomam 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. & 12. contendunt non pauci, quos citatos sequitur Illust. Caramuel *in Theolog. Fundam. num.* 1199. *fol mihi* 580. inter quos numerat M. Bartolomæum Fumum in Armilla *verb. Luxuria, num.* 5. ubi sic ait. * Vitium contra naturam, licet sit una species secundùm D. Thom. multis tamen modis exercetur, * & quotquot cum D. Thoma ejusmodi vitium contra naturam, non in plures species, sed in varios peccandi modos, licet alios aliis graviores dividunt. Omnes inquam, contendit Caramuel, pro sua stare sententia adstruente, omnia peccata contra naturam esse ejusdem speciei infimæ. Pro qua adducit Navarrum, Graffium, Matthiam Pheliphium, & Mag. Andream à Turri Dominicanum, Sacræ Theologiæ professorem, & decem alios, ex variis Religionibus Magistros Lovanienses.

Eam-

Eamque refert approbasse Universitatem Pragensem: vide etiam illum *suprà fol. 752. & 760. & in Theol. Moral. num. 1607. & in Regul. S. Benedicti, num. 983.* & in Synthesibus, quæ extant sub fine ejusdem commentarii, & denique *in 2. part. Theol. Fundament. præcept. 6. num. 91 fol. 74.* ubi sic ait: * Video pro probabilitate opinionis distinctionem negantis (nimirum specificam inter peccata contra naturam) stare triginta Scriptores, vel plures, stare academiæ Pragensis facultatem Theologicam. * Et probabilem putant Diana *3. part. tract. 4. resol. 159.* Trullench *in Decalogum, tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 8.* & Machado *tom. 1. lib. 2. part. 2. docum. 8. num. 4.* ubi sic ait: * Demas, de que como afirma Filucio, es muy probable, que todos los pecados contra naturaleza son *unius speciei infimæ, & non subalternæ.* * Quibus consentit Fr. Ludovicus à Conceptione *in exam. veritat. tract. 5. de Pœnit. casu ult. fol. 459. & tom. 2. examinis in lit. L. verb. Luxuria, illat. 1. num. 3 fol. 239.* Et sequuntur Astensis, Navar. M. Joann. Nider, Ludovicus Carbo, & ferè triginta Doctores, apud doctissimum Fr. Leandrum à Murcia Capuccinum *in disquis. in 1. 2. D. Thom. lib. 2. disp. 1. resolut. 17.* Qui asserit, hanc opinionem esse probabilem. Et favet Angelus, *verb. interrogationes, num. 1.* dicens: * Confitetur mulier, quod fuit cognita extra vas debitum, non quærat postea confessarius, in quo loco: vel quomodo & hujusmodi, sicut faciunt quidam, qui potius sunt contaminatores quam confessores. * Quem sequuntur Cajetanus, Armilla, Sylvester, & Raynerius, apud Henriquez *tom. 1 lib. 11. capit. 16. numer. 6.*

38. Et quod magis: eam expressè tuetur M. Canus *Relect. de Pœnit 6 part. §. & quidem in re vehementer ambigua*, citans Cajetanum (sed non benè) ex hoc principio probare contendens, circunstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, debere in confessione explicari, quia aliter circunstantiæ sodomiæ, & bestialitatis possent celari: verba ejus sunt: * Peccata contra naturam non videntur specie discriminari, quod Cajetanus confirmat; at non satis esset confitenti: effudi semen contra naturam, circunstantias verò illius peccati celare. *

39. Cæterum id satis esse, admisso antecedenti, est aperta sententia D. Thomæ, ut testatur ipse Canus *relect. de Pœnit. 6 p. §. Sed enim gravissimum*, ubi sic ait: * D. Thom. expressè tenet, solas circunstantias, quæ speciem mutent, esse confitendas. * Ergo si circunstantiæ sodomiæ, & bestialitatis speciem non mutent, satis erit confiteri: effudi semen contra naturam. Ideò hanc sententiam mordicus defendit Caramuel *in Theolog mor lib. 4. num. 1607.* & *in Theolog Fundam. n. 1192.* Ubi ait expressam esse D. Thomæ: cui favet M. Fumus suprà, ubi postquam dixit, vitium contra naturam esse unam speciem secundùm D. Thom. multis tamen modis exerceri; monet confessarium, ut dum circa luxuriæ peccata interrogat, * Tangat species, non autem ad actus, & modos singulares descendat. * Et supponit Diana *p. 8. tract. 7. resolut. 86.* Ubi loquens de illo, qui sodomiam commisit, inquit: * Satisfaceret, dicendo: peccavi contra naturam. * Ex quo Antonius Cotonus *in Sum. Dianæ, verb. Confessionis modus.* * In confessione non est aperienda circunstantia sodomiæ (nisi propter reservationem) si cum fœmina, vel masculo illam commisit: sed satis est dicere: peccavi contra naturam. * Quibus adde D. Franc. scum Verde in defensione Caramuelis *quæst. 6. §. 1. fol. 73.* ubi ait: * Pendet veritas (hujus assertionis) & controversia, an in uno actu possit esse multiplex numero malitia? * Quæstione autem *4. §. 37. num. 168. fol. 41.* facta probabile putat in eodem actu, duplicem malitiam non posse reperiri: quod æquivalet dicere, sufficere, accusare de peccato contra naturam. Unde semel posito mollitiem sine socio, vel cum illo, & sodomiam non distinguì specie (ut docent auctores suprà citati) dicendum erit; sodomiam esse gravius peccatum contra naturam, propter participationem peccati alterius; non verò multiplicari numero peccata alterum; fornicatio unum numero peccatum est, licet earum personarum concursu fiat. Ideò Caramuel in *Theolog. moral. lib. 4. num. 1607.* eum, qui bestialitatem, aut sodomiam commisit, inquit, satisfacere, si in confessione dicat, * procuravisse pollutionem * quia tantùm occultat circunstantias notabiliter aggravantes. Alii vero qui malitias ex hoc capite multiplicari sentiunt, id exprimendum in confessione censent. Quapropter Fr. Ludovicus à Conceptione ubi suprà, licet cum aliis probabile existimet, omnia peccata contra naturam esse ejusdem speciei infimæ, advertit committentem sodomiam teneri in confessione dicere: *Peccasse contra naturam cum socio*, quia secus inexplicatum relinqueret numerum peccatorum.

40. Verum peccata contra naturam esse diversæ speciei infimæ, ac proinde circunstantias titulo quæstionis expositas debere in confessione explicari, certissimum est. Sic communis Theologorum, & contrariam, jure optimo, intolerabilem omninò vocat P. Oviedo *1. 2. tract. 6. controv. 5. punct. 3. n. 7. num. 54.* Ubi benè advertit illi non suffragari D. Thomam, nec Armillam, aut alium ex antiquis Doctoribus: quia intelligi debent de specie subalterna, & nequaquam trahendi ad singularem sententiam discrepantem à communi Doctorum consensu. Probatur primò. Quia notabilis distinctio objectorum sufficit ad constituendam diversam speciem; at omissio Officii Divini, & omissio sacri diversam peccati speciem efficiunt, in confessione explicandam: & comedere lacticinia, vel carnes mutè prohibito, diversam fundant peccati speciem, secundum omnes; propter notabilem objecti distinctionem, etsi ab eadem virtute abstinentiæ, adjunctis Ecclesiæ præcepto, prohibeantur: Ergo similiter bestialitas, sodomia, & pollutio, utpotè, quæ prudentum judicio, notabilem distinctionem involvunt, diversas peccati contra naturam species in esse naturis constituent.

41. Secundo probatur, quia, ut apprehensione terminorum constat, diverso modo rationis distinguant; & judicium variant, licet omnia conveniant in exercendo actu venereo, quem sequi non possit generatio: quod solum probat, præditas circunstantias genus peccati contra naturam continere ad species infimas. Confirmatur, quia motivum legis naturalis, ejusmodi vitia prohibentis, diversum est; v. g. pollutionem prohibet, quia illâ pervertitur semen à natura ad generationem destinatum; sodomiam, quia ulterius addit usum vasis indebiti, & bestialitatem, quia superaddit suppositum alienæ naturæ; & denique gravius cæteris committitur cum dæmone, quia ultra has dissonantias secum trahit impietatis titionem involvit. Ergo nequaquam dubitandum est de veritate hujus sententiæ, ab omnibus Theologis, si unum, vel alterum ex recentioribus excipias, communiter receptæ.

CAPUT

CAPVT V.

Corollaria.

41. EX dictis evidenter deducitur, eum qui bestialitatem commisit, non satisfacere, si se accuset, peccasse contra naturam, ut docent omnes auctores Societatis, quos sequitur Amadæus Guimenius *in opusc. tract. de Pœnit. prop. 8. num. 3.* contra Caramuelem ubi suprà, dicens: *Imò nec satisfaciet, si dicat, peccasse contra naturam, omittendo circumstantiam bestialitatis, aut sodomiæ. *Cui consentit Vincentius Baronius *in opere contra Amadeum, disp. 2. sect. 3. §. 3. num. 328.* ubi ait. *Omnes ad unum convenire.*

43. Non tamen possum, non adnotare apertam Baronii calumniam, qui cum apud Amadæum verba superius scripta reperisset, quibus secum consentientem invenit, in eum tamen hostem fingens, invectus est, & sententiæ contrariæ, quam ibidem expressis verbis rejicit, auctorem facit, *fol.* 239. dicens: *Indetandem assensus singulorum principiis, contra omnes concludit (Amadæus) nullam harum circumstantiarum esse pœnitenti aperiendam, nec congressus cum bruto adjuncti peccato contra naturam: ita *prop.* 8. *Sic Baronius. Sed quæ illi fides adeò apertæ falsitatis convicto?

44. Infertur secundò, improbabilem esse opinionem Caramuelis relatam, asserentis, eum, qui bestialitatem, aut sodomiam commisit, satisfacere si se accuset *procuravisse pollutionem.* Hæc enim conclusio, etiam admisso falso illo principio non distinguente, specie infima, peccata contra naturam, sustineri non potest, quia nec confusè quidem confiteretur peccatum, quod commiserat, sed aliud minus grave non commissum. Ex quo fundamento similiter rejiciendus venit Angelus Maria Verricelli *tom. 1. qq. moral tract. 4. q 27. sect. 8. n. 57.* Ubi asserit fœminam solutam se polluentem, licet mortaliter delinquat, non verò formali peccato mollitiei; ac proindè satisfacere, si in confessione se accuset dicens: *in honestè me tetigi.* Idemque de Frigis, & Spadonibus, & de pueris incapacibus habendi veram pollutionem, sed distillationem quamdam asserit *sect.* 13. Quod est apertè falsum: nam consequuto fine, non satis est media tantùm in confessione manifestare. Actus enim externus, quo peccatum consummatur, necessariò explicandus est. Nec obstat, quod horum semen prolificum non sit, quia non ideò ejus emissio voluntaria extrahitur à malitia peccati consummati delectationis mollitiei, quæ utriusque humoris effusionem includit, secundùm omnes Theologos. Quapropter sententiam Verricelli ea censura dignam censeo, quam nupet opinioni Caramuelis inussit Summus Pontifex Alexand. VII. die 24. Septemb. Anno 1665. Qui illam ut minimum ut scandalosam damnavit, & prohibuit. Quod præstiterat Amadæus loco suprà citato, ut benè observat Baronius ubi suprà fol. 240. inquiens: *Non est etiam alia laude fraudandus Amadæus, quod Caramuelis singularem, & audacissimam opinionem damnet, & similem Verricelli. *Sic ille.

45. Sed labiis honoravit, ut recoctam calumniam hoc melle conditet. In eodem enim Paragrapho, *fol.* 237. in Amadæum invehitur, ei affingens opinionem aliam Caramuelis, quam ibidem Amadæus similiter damnaverat: *Quis enim* (inquit Baronius) *neget naturam hominis conspurcari magis congressu cum bestiis; undè oriri possit monstrum in probrum naturæ, &c. Et post illa ex Caramuele & ex Amadæo, hic execrandus congressus satis confessariò aperietur, ut habet rationem communem peccati contra naturam.* Sic iterato Baronius Amadæo imponit, sed calumniam ex scriptis Amadæi verbis detexi *suprà num.* 47.

46. Opinionem aliam huic non dissimilem damnavit ibidem Amadæus asserentem eum, qui bestialitatem commisit, satisfacere si confiteatur commisisse sodomiam. Quam ex eodem, quo præcedentem principio, jure explosit: & à calumnia vindicabit Dianam, cui nescio quis sicophanta imposuerat, referre à quodam Jesuita acceptam 1. *part.* 7. *res.* 2 Quod apertissimè falsum esse, transcriptis Dianæ verbis Amadæus ostendit: *Anonymus, inquit, non legit, aut non benè intellexit Dianam: hanc unam excusationem habet: hic enim non dixit talem opinionem fuisse à Jesuita traditam, imò nec illam refert. *Et inferius *num. 5. in fine*, Nullus, quem viderim, admittit eum, qui commisit bestialitatem, satisfacere si dicat; *commisisse sodomiam.* Quia nec confusè quidem confiteretur peccatum, quod commisit, sed aliud minus grave non commissum. Imò nec satisfaceret, si diceret, procuravisse, vel habuisse pollutionem, propter eamdem rationem; quidquid senserit Caramuel. *Hactenus Amadæus, quibus nil clarius ad utramque opinionem explodendam scribere potuit. Nihilominus ea est Baronio calumniandi libido, ut oppositum omninò Amadæum scripsisse, ipsi affingere non erubuerit, *fol.* 237. dicens: *Propositione octava, hominem cum mula, aut qualibet alia specie brutorum coeuntem liberat à pudore hanc circumstantiam confitendi, nisi communi nomine *sodomiæ*, *O Baroni! quo jure hoc delirium Amadæo imposuisti, cum Anonymum, & Gregorium Esclapes de apertissima calumnia ab ipso convictos ibidem legeris? Quid ad hæc? Apprime in te quadrant Augustini verba contra Julianum *lib 4. cap. 8. Tu autem vir honestus, & verax abstulisti verba quæ dixi, & dixisti, quæ finxisti, redde verba mea, & vanescet calumnia tua.*

47. Infertur tertiò, rejiciendum esse periculosam quorumdam sententiam asserentium circumstantiam congressus sodomitici incepti absque animo ibi consumandi, sed intra vas naturale, non esse necessariò in confessione explicandam, sed sufficere de copula se accusare: putant enim ejusmodi tactum posticum ejusdem esse speciei cum aliis in reliquis corporis partibus. Ex quo principio à lethali inter conjugatos illum excusant Navarrus, Ovandus, & alii, apud Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp* 17. *n.* 4. Angelus, Zerola, Graffius, & alii, apud Dianam 2. *p. tract.* 3. *Misc resol.* 37. *& 3. p. tract.* 4. *resolut.* 204. Quos sequitur M Zanardus *part. 1. direct. tract. de Matrim. cap.* 41. §. 10. *fol. mihi* 900. Ubi ita inquit: *Tentare copulam vase indebito ad excitandam copulam, aliqui dicunt non esse mortale, quia est actus tantum excitativus copulæ, sicut tactus manus. Ego autem dicerem esse mortale: Primò, si fiat cum animo ibi consummandi, quamvis posteà mutetur voluntas: Secundò, si adsit periculum pollutionis ibidem ex experientia: Tertiò, si ex hoc multum turbatur uxor. Cæterum quando non interveniunt supradicti casus, erit veniale. *Hæc M. Zanardus.

48. Verum contraria sententia est vera omninò, & communis inter Theologos, quam

cum Basilio Pontio, Rodriguez, & aliis tenet Diana *resol.* 204. *citata*, & cum viris doctissimis à se consultis amplectitur Sanchez *ubi suprà n.* 5. Fr. Fagundez *in sextum Decalogi, cap. 3. n.* 19. P. Castro Palao *tom. 5. disp 3. punct. 4. §. 2. n.* 6. & alii innumeri. Ratio est, quia tactus posticus ex sua natura ad sodomiam ordinatur, & est medium improportionatum ad copulam, ac proinde alterius ordinis luxuriæ ab illa, & ab aliis tactibus ad eam ordinatis. Ergo debet in confessione explicari, utpotè, qui ex fine operis, etsi non ex fine operantis, ad peccatum contra naturam refertur, cujus proinde speciem participat. Hæc doctrina certissima est. Quapropter jure optimo Vincentius Baronius *ubi infrà*, contrariam sententiam falsam, & periculosam vocat, & Magistrum Michaelem Zanardum à D. Thomæ Schola, hoc loco, transfugam haberi vult.

49. Hoc verò præmisit, ut liberius in Patrem Thom. Sanchez descenderet, & falsæ citationis incusaret, quod Doctorem Navarrum pro contraria sententia adduxisset. *Temerè, inquit, inculpatur à Sanchez Navarrus, huic propositioni assentiri, quod dixerit peccatum esse tactus impudici: quasi ex Navarro omnis tactus impudicus careat lethali culpa, & sit tantùm venialis. Hoc enim falsum est, & indignum tanto authore. *Cæterum si Baronius Navarrum legisset, Patrem Sanchez temerè non inculpasset. Videat ergo illum loco à Sanchez suprà citato, nempè lib. 5. consil. tit. de Pœnit. & remiss. consil. 7.* Ubi Doctor Navarrus inquirit: *An actus ille sodomiticus inceptus ab uxorato cum sua uxore, citra animum illum perficiendi, sit peccatum mortale. *Attende. *Respondetur, quòd in casu illius, videtur tantum esse peccatum tactus illiciti.* En Navarrus apertissimè tradit non esse peccatum mortale inter conjugatos. Jure ergo & non *temere* pro hac sententia illum Sanchez adduxit. Ex qua evidenter deducitur, ejusmodi circumstantiam non pertinere ad speciem peccati contra naturam, juxtà Navarrum, & Doctores supra citatos, alias nec inter conjugatos potuissent à culpa mortali excusare, ut certa fide tenendum est: sicut contraria, & vera sententia non excusat; ac proinde in confessione necessariò explicandam, utpotè, quæ speciem peccati mutat, nequit in dubium verti.

CAPVT VI.

An defloratio virginis sponte consentientis contineat novam speciem malitiæ in confessione explicandam?

50. Affirmant omnes, qui existimant, in ejusmodi defloratione, ultra speciem luxuriæ; reperiri malitiam aliam injustitiæ, quæ stuprum appellari solet. Ita Cajetanus *in Sum. verb. Stuprum*, Victoria *de confes n.* 126. Navarrus *in Sum. Hispanic. cap. 16. num. 3.* Henriquez *lib. 5. de Pœnit. cap. 6. num. 3. litt. T. & cap. 8. n.* 2. Toletus *lib. 3. Sum. cap. 18. nu.* 2 Luis Lopez, Llamas, Angles, Gutierrez, Gratian, Alensis, Abulensis, Corduba, uterque Ledesma, Alcozer, Medina, Manuel Rodriguez, & alii, apud Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 14.* & apud Dianam 1. *p. tract. 7. resol.* 11. Probant: quia licet in illa defloratione non reperiatur injustitia contra personam virginis, nam scienti, & violenti non fit injuria, est tamen injustitia contra finem naturæ, cui non potest fœmina, utpotè non domina, sed ministra sui signaculi, renunciare; ac proinde sicut peccat tens abscindi sibi manum, peccaret, ita in simili rationem consentiens.

51. Alii verò præfatam sententiam limitant, & injustitiam solum admittunt in casu, quo virgo defurata adhuc esset constituta sub potestate parentum, qui b' dedecori, & ignominiæ id verteretur, & additem augendam, aut innuptam alendam cogerentur. Ita D. Antoninus, Angelus, Tabiena, Sylvest. Armila, & alii, apud Sanchez suprà *n.* 4. Unde plures consequenter existimant, stuprantem teneri restituere parentibus, quantum damni inde patiantur, quamvis virgo sponte consenserit, sic Bernardus Diaz, Lus Lopez, Salcedo, Cordoba, Valentia, Manuel Rodriguez, & alii, quos refert Sanchez suprà *num.* 11.

52. Verior tamen, & hac tempestate communi sententia tenet, defloratione virginis sponte consentientis, sive sub cura parentum constitutæ sit, sive non, non differre à simplici fornicatione; ac proinde, per se loquendo, non superadderenovam speciem malitiam in confessione explicandam. Ita Petrus de Navarra *lib. 2. de restit. cap. 3 p. 4 de adentem corporis, dub. 1. in nova editione.* Molfessius, Trullench, Bellegala, quos citat, & sequitur Diana 1. *p. tract.* 7. *resol.* 21. & alii, quos refert 2. *p. tract* 3. *Miscell. resolut.* 11. & 3. *p. tract.* 4 *resol.* 67. Mazuchellus *de casibus reservat. disp. 21. cap. 4. diffic. 5 nu.* 28. Ludovicus à Sancto Raymundo 1. *p. tract. 1. resol. 11. n.* 220. D. Franciscus Vide *in opusc. pro Caramuele, quæst. 4. §. 64. folio 90.* Leander à Sacram. *tom. 1. de Pœnit. tract. 5. disp 8. quæst. §. 2.* Rever. P. Delgado *tom. de Pœnit. cap. 17 dub 6.* Joannes Sanchez *in Selectis, disp. 29. nu.* 7. & apud illum M. Sotus, & alii. Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp 9. diff. 4.* Tamburinus *in Methodo lib. 2 cap. 8. §. 8.* Quibus adde Card. de Lugo *tom. de Pœnit. disp. 16. sect. 1. nu.* 218. apud quem Sotus, Suarez, Vazquez, Lessius, Coninch, Tannerus, & alii. Et plures, quos sequitur Thom. Sanchez *lib. 7. de impediment. matrim. disp. 22. §.* & probabile putat. Fr. Franc. à Jesu Matamora *Theol. tract. 6 cap. 8. punct. 4. n. 57. fol. 426.*

53. Hanc sententiam amplectuntur ex Ordine Prædicatorum M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral, verb. Doncella, resol.* 172. ubi sic: *Si la doncella libre, y voluntariamente consiente, aora esté, ó no esté, baxo la cura de sus padres, no es estupro el primer acto, en que pierde la virginidad, sino de simple fornicacion; y assi esta circumstancia no tiene obligacion de confessarla. *Hæc ille, citans Sotum, & alios. & iterum *verb. Luxuria resol* 204. Quem sequitur M. Paulus de Blanchis *in disceptation. cas. conscient. disput. 4. in lit. C. fol.* 137. & putat probabile M. Cornelius *in respons. cas. 1. p. quæst. 47. in addition. & §.* 34. Ante omnes suprà allegatus M. Dominicus de Soto *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4 conclus. 13. S. Deinde* sic ait: *Non clarè video, saltem si puella, quæ est sub cura parentum, sua sponte vult virginitatem perdere, quod sit distincta species luxuriæ à simplici fornicatione: peccat enim peccato luxuriæ, non tamen injustitiæ, imò sicut homo est dominus oculorum ad videndum, ita & illius partis ad illum actum, ut citra injustitiam id possit facere, &c. Imo forsan licet esset sub cura parentum, licet illis aliquam injuriam faceret, non mutaret speciem. Si quis ergo habeat contrariam opinionem, abunde suo sensu; sed tamen ego arbitror, hanc esse probabilem, & ideo non debet confessa-

tus

rius tantùm puellas facere puellas, interrogando, an sint virgines, vel corruptæ. *Hæc ille. Unde Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 1. cap. 16. de Pœnitent. dub. 5.* ait: *Algunos Doctores, y entre ellos el Padre Maestro Soto, sienten, q̃ este pecado no es distincta especiede la fornicacion. *Ejusdem sententiæ videtur Mag. Bannez 2. 2. *quæst. 22. artic. 2. dub. 7. in confirmat. 1. conclus.* ubi sic ait: *Cæterum existimo, quod mulier est domina usus illius membri, sicut, & aliorum, & quia talis usus non est sine corruptione, non peccat illa contra justitiam, si amittat virginitatem. *Et infrà: *Ergo etiam qui admiserit stuprum cum illa volente, non peccat contra justitiam, neque ipsa, neque stuprator, sed contra castitatem. *Hactenus M. Bannez Soti vestigiis insistens. Quapropter utrumque prohac sententia refert, & meritò Pat. Thom. Sanchez *libr. 7. de Matrim disp. 14. num. 5. propè finem*, dicens: *Hanc sententiam tenet Sotus, &c. Ejusdem videtur apertè Bannez. *Semel autem posito, hanc circumstantiam non mutare speciem, necessaria consequutione deducitur, juxta nostram ex D. Thoma sententiam, necessarium non esse, in confessione illam explicare, imò ex Doctoribus, qui obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, affirmant, Magist. Sotus, Sanchez, & Navarra, hanc de necessitate confitendam; negant: putant enim notabiliter non aggravare: videatur Sanchez suprà, ubi Sotus, inquit esse consilium, ut eam explicet, *& Navarra *non esse necessariò confitendam. *Cæterum, quoties grave indè dedecus in parentes resultaverit, si timeri prudenter potuit explicanda erit: ut constat ex dictis.

§. I.

Animad-versio in Baronium.

54. PRopterea valdè miratus sum, Vincentium Baronium *sect. 3. artic. 2. fol.* 240. ausum fuisse Amadæum carpere, quod Magist. Sotum & Bannez pro hac opinione adduxerit: *Falsò, inquit, confirmat suffragio Soti, & Bannez. Nam primus scribit, non ita certum esse mutari speciem, &c. Bannez verò assentit Cajetano, & aliis Thomistis, qui virgini saltem si sub cura patris sit, negant liberum usum illæsa justitia, sui corporis, extra matrimonium. *Sic Baronius. Sed quidem vir doctus majoribus distractus neutrum consuluit. Quia Magistrum Sotum pro ista sententia stare, constat apertè ex ipsius verbis suprà datis, ideòque omnes authores tam domestici, quàm extranei eum pro illa referunt. Magistri autem Bannez eam confirmare, dubitare non poterit, qui legerit, sicut nec quod Baronius sententiam contrariam ei affinxerit. Verba recole fideliter excerpta ex loco suprà citato, ubi nec ullam Cajetani mentionem facit, nec malitiam stupri à simplicis fornicationis malitia distinguit, nec ullam per se injustitiam in usu corporis extra matrimonium agnoscit.

55. Sed novum non est Baronio authorum verba negare, vel alia ipsis affingere, cum ad suam causam agit. Quod mirabile dictu est, cum tot contra se habeat judices, quot lectores. Hujus furfuris plura possem exhibere specimina; aliqua tantum, ne longior, quam oportet, sit digressio, in hoc loco, justæ defensionis causa traducam. Primùm desumo ex communi Doctorum opinione asserente, licitum esse occidere injustum aggressorem honoris, quando aliter defendi nequit: pro qua plures militant Doctores, quos refert Amadæus Guimenius *in Opusculo, tract. de justit propositt. 1.* Ex quibus Cajetanus *in Sum. verb. Homicidium*, sic ait: *Licet alterum occidere tuendo necessaria ad vitam & virtutem, ne perdat res suas, & aliorum, & 2. 2. quæst. 64. artic. 7. §. Ad hoc. dub.* Est, inquit, sententia Div. Thomæ, & Augustini, Augustini authoritas loquitur, non solùm de vita corporali; sed de aliis, quæ inviti perdere possumus, sub quo ordine ponit honorem, & divitias. *Quem sequitur Magist. Prado *tom. 2. Theolog. Moral. capit. 20. quæst. 4. numer. 24.* ubi sic. *Dico licitum esse, occidere injustum aggressorem honoris, qui in praxi vult lædere. Ita Sotus, & communiter Thomistæ. *Quorum plures adducit Amadæus suprà, eorum verba fideliter excerpta & scribens, inter quos Magist. Bannez 2. 2. *quæst. 64. art. 7. §. Dubitantur 4.* Ubi ei qui certò novit, quod ab alio erit injustè *occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia*, concedit, §. *Secunda conclusio*, posse licitè *occidere illum defendendo se, vel sua, si aliter non potest.* Quod pro conclusione statuerat, *dub. 2.* dicens; licitum esse injustum invasorem occidere, *pro defensione rerum temporalium, & honoris*, subnectens. *Quæ sententia est consensus philosophorum, & fere omnium Theologorum.*

56. His tamen nil obstantibus, Vincentius Baronius *ubi suprà, disput. 1. sect. 2. fol.* 146. falsæ citationis Amadæum inculat, & verba Magist. Bannez præteriens audet dicere, hunc authorem in solius vitæ defensionem concedere alterum occidere, *si adsit certa sequuturæ mortis notitia.* Et alios sui instituti authores non curans, contrarium ipse, ut principium apud Div. Thomam, & ejus discipulos inconcussum falsò jactat, eaque tenacitate defendit, ut inquirenti, cur sicut in defensionem vitæ, licet injustum invasorem occidere, non liceat etiam in tutelam honoris? respondet fol. 148. *Dum ita quæris, videris ignorare omninò, quod latere possit neminem; sicut vitæ, & honoris, ita utriusque defensionis diversam esse omninò rationem, &c. Ergò ineptè quæritur, cur ex priori pugna pro vita consequatur mors, & ex posteriori fieri nequeat? Dignior esset carnifici, quam Theologo objectio. *Hæc Baronius, Quem fervore disputationis abreptum, extra fines Christianæ moderationis excurrisse, mirum tibi non accidat. Modestia ei parcere jubet, qui illi pepercit. Aliis fortan styli effrænis debitas dabit pœnas. Mea tantum refert illius fidem in autho um verbis, & sententiis vindicandis animadvertere.

57. Eadem arte negandi verba, quando congrua solutio ei non occurrit, utitur Baronius in casu altero in materia simoniæ. Pactum amicitiæ de dono ex gratitudine, obtento Beneficio, conferendo, quod gravissimi Doctores licitum putant apud Amadæum *tract. de simonia, prop. 1.* confirmavit ipse ex Doctrina Cajetani 2. 2. *quæst. 100. artic. 2.* inquientis id quod recipitur per modum sustentationis à Ministris Ecclesiæ, Sacerdotibus, & Prædicatoribus, posse in pactum deduci: Nam *ex pacto velle tale stipendium, non est vendere spiritualia: quia pactum non mutat materiam actuum.* Quo principio (subnectit Amadæus) posset Cajetanus similiter probare in pactum amicitiæ deduci posse id, quod recipitur per modum liberalis doni. Hanc consecutionem, ut vitaret Baronius, eò delapsus est, ut negare ausus fuerit Cajetani verba, dicens: *Nullum verbum*

habet eorum, quæ ex illo refert Amadæus, sed diversa prorsus omninò, quæ statim referam. Promissis verò non stetit: maluit enim infidelitatis, quàm falsitatis apertè convinci. Sed in utramque miserè impegit. Quæstio facti est. Quam malueris editionem elige: & loco citato, in commentario, quod incipit *: in articulo secundo, tertio, & quarto, dubium occurrit *verba Cajetani reperies.

58. Insuper *tract. de censur. propos.* 4. à temeritatis, & erroris nota vindicans Amadæus quorundam sententiam asserentium, quod si duo Clerici gladiis districtis se invadant, animoque hostili invicem digladientur, nullus tamen ictus adversarii personam attingat, neuter excommunicationem incurret: subnectit. Et videtur amplecti Cajetanus *in Summa, verb. Excommun.* ubi inquit: *Quantumcumque conetur aliquis percutere Clericum, lancea, sagittis, lapidibus, nisi lancea, sagitta, aut lapidis ictus pertingat ad Clerici personam, non incurret excommunicationem latam contra percutientes Clericos: quia manus violentæ injectio non est, consummatur enim tactione ipsius Clerici, & non aliter, & sic de aliis.* *Hæc ex Cajetano fidelissimè excerpta adducit Amadæus ubi supra. In quem tamen cæco Marte Baronius irrumpit, sic exclamans: *Sed quis non videat hanc interpretationem manifestàm esse Canonum corruptelam, & à scopo, quem spectant, enormem exerrationem, confirmatam falsò ascitis Cajetani verbis. *Et iterum infrà. *Quod refert ex Cajetano, excommunicationem non esse latam, nisi ictus pertigerit ad Clericum, fraude non caret. Tractatio de Excommunicatione est apud Cajetanum longissima, & diffunditur ultra summarium, per 76. capita. Nec locum, nec numerum (Amadæus) adnotat, quo extent verba relata, ne plagium deprehendatur. Certè si cubi hæc scripsisset Cajetanus, legerentur capite decimo contra manus violentas. Illud legi, & nil horum verborum reperi; ergo commenta sunt. *Hæc Baronius *disp. 2. sect. ultima, folio* 274. & 275.

59. Sed ego apud illum semel legisse dolui: quia virum Religiosum justo pudore suffusum tristitia cumulare cogor, & stylo suo æquè nunc ferreo, ac eleganti mente acervius pungendum, cruciandumque video, quam si lanceæ, sagittæque ictus ipsiusmet viscera penetrarent. In quacumque enim editione, verba Cajetani superius ab Amadæo adducta reperies, loco ab ipso citato, nullo tamen capite, nec numero designato, quia non licuit. Non enim extant in ullo ex 76. capitibus, per quæ ultra summarium diffunditur tractatio, sed in ipso summario, quod ad capita de excommunicatione Cajetanus præmittit, dicens: *Ante omnia circa intellectum excommunicationum, &c. prænotanda sunt duo, &c. oportet autem scire, quod ex parte termini, actio excommunicationi subjecta intelligitur consummata, &c. Unde quantumcumque conetur aliquis percutere Clericum lancea, sagittis, lapidibus, nisi lanceæ, sagittæ, aut lapidis ictus pertingat ad Clerici personam, non incurrit excommunicationem, &c.* Quid ad hæc Baroni? commenta ne sunt?

60. Hujus furfuris plura, quibus Baronii libet scater, traducere possem. Hæc modo sufficiant, ut candidus lector hominis fidem agnoscat, nec miretur, quod in præsenti, verba M. Soti, & M. Bannez contrariam sententiam illis affingens prætereat; licet ex ipsis apertè constet.

§. II.

Quæstionis decisio.

61. PRæfixa igitur sententia probatur. Quia virgine consentiente, nec ipsi fit injustitia, nec natura ordinanti claustrum, ut fiat aptior matrimonio; nam fœmina usus illius membri, sicut, & alterum, domina est. Ex eo autem quod natura, non matrimonium, usum ejus non concesserit, non infertur esse peccatum contra temperantiam, propter indebitum usum, non verò contra justitiam, sicut neque istud infertur, ex eo quod corrupta queat licitè extra matrimonium suo corpore uti. Neque obstat, quod minus apta reddatur matrimonio; alias non ei liceret emittere votum solemne castitatis, per quod magis inhabilis ad matrimonium redditur; potest enim abstinere à nuptiis, vel ita desponere, ut vir non percipiat, esse corruptam, vel suum ei defectum aperire, vel esse paratæ pertulit molestias ex defectu celato imminentes.

62. Deinde per se loquendo, non fit injuria parentibus; ergo nulli. Antecedens probo. Primò, quia ipsa virgo sponte consentiens, ut utitur corpore, cujus est domina. Ergo non peccat contra injustitiam: ergo neque vir, qui ex ejus consensu eo utitur, ut bene dixit Bannez suprà. Secundò, quia parentes non habent majus dominium corporis filiæ virginis, quam corruptæ; sed cognoscere corruptam sponte consentientem, non continet specialem malitiam injustæ contra parentes: ergo neque cognoscere virginem. Quod autem se exponat periculo manendi inoptam, non obstat; quia absque parentum injuria, potest ipsa pro suo nutu innupta manere. Ergo per loquendo in defloratione virginis sponte consentientis non intervenit malitia distincta à simplici fornicatione, in confessione explicanda.

63. Potest tamen aliquando per accidens specialis malitia intervenire in fornificatione, sive virginis, sive corruptæ, ut benè observat Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 10. dub. 1. nu. 5.* Nam si occultè non fiat, id publicè, vel in his circumstantiis, quibus publicatum iteratur, ex indeque parentibus dedecus magnum, & ingentem mœrorem ob familiam dedecorum superventurum prævideatur, non potest non contenere malitiam contra pietatem parentibus debitam, quam à fortiori contrahet tàm ipsa, quàm qui in prædictis circumstantiis virginem defloravit, seu cum corrupta deliquerit. Ac proinde ad hoc rem, in quantum possit, parentibus restituendum tenebitur, ut benè tradit M. Bannez *ubi supra* citat Sanchez, & alii, non acquiescant.

64. Assentiri tamen non possum sapientissimo Leandro *disput. 8. §. 2. quæst. 29.* asserenti cum aliis centoribus, quod Sanchez *in Selectis disput. 29. num. in fine*, stuprantem virginem per vim satisfacere confitendo: commisisse simplicem fornicationem per violentiam. Non inquam, placet; nam cum femina per violentiam virginitatem amittit, plures hac injuria patitur damna, quam, si semel jam corrupta violenter cognosceretur; ergo respectu virginis non potest prædicta doctrina sustineri: injuria enim virgini illata novam injustitiæ malitiam continet distinctam ab ea, quæ jam corruptæ per violentiam inferretur, ac proinde necessariò in confessione explicanda est.

65. Objicies primò, Specialis malitia stupri non datur

datur in virgine consentiente. Ergo nec specialis malitia adulterii in peccato nuptæ, quæ ex consensu mariti cum altero copuletur. Respondeo negando consequentiam. Quia licet in tali eventu non fieret injuria marito, atque adeo deficeret hæc injustitiæ species; fieret tamen contra statum matrimonii, & fidem illi debitam, ob bonum commune, cui non potest conjugatus renuntiare: sicut nec Clericus privilegiis ob statum Clericalem sibi concessis. Unde colliges, in adulterio, dissentiente viro, triplicem malitiæ speciem reperiri; aliam contra justitiam, aliam contra fidem debitam statui, aliam contra castitatem; ac proinde si injustitia ratione consensus viri deficeret, teneretur pœnitens in confessione explicare, ne confiteatur malitiam, quam non contrahit, sicut tenetur dicere, non esse conjugatum, quem confessarius talem existimat, ut benè notat Thomas Sanchez *sup. num.* 15. Non me latet nonnullos, quos, citato Illustriss. Fr. Angelo Manrique Episcopo Pacensi, sequitur Caramuel *in Theologia Fundam. fundam.* 35 *cap.* 4. *numer.* 537. *fol.* 230. duplicem tantùm malitiam in adulterio cognoscere, aliam contra castitatem, alia contra justitiam. Unde inferunt, satis confiteri, qui diceret: *Commisi simplicem fornicationem:* Et post alia interjecta peccata, subnecteret: *Intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante.* Sed non placent: tum quia consentiente viro, sufficeret se accusare de simplici fornicatione, quod nullus concessit; tum quia eo modo confitendi duplex numero peccatum in esse moris pro uno individuo ad duplicem speciem pertinente subrogaret, ac proinde diversum peccatum in esse moris ab eo, quod commiserat, confiteretur.

66. Objicies secundò. Virginitas est virtus specialis distincta à castitate. Ergo vitium virginitati oppositum specialem habet malitiam contra castitatem. Respondeo, virginitatem tantùm distingui à castitate accidentaliter per extensionem ad plura objecta, nimirum ad delectationes, etiam licitas; id autem, quod opponitur virginitati, ut condistinctæ à castitate, non est vitium, alias matrimonium esset illicitum. Præterea, cùm virginitas deperdatur per quodlibet peccatum contra castitatem, si circumstantia virginitatis adderet novam speciem malitiæ, teneretur virgo in simplices delectationes consentiens explicare virginitatem amisisse per tale peccatum. Imò quælibet fœmina in habitu virginis incedens teneretur, quoties actu interno contra castitatem deliquisset, dicere in confessione, esse, vel non esse virginem. Nam cùm talis appareat, si confessarius ejus conscientiam ignoraret, apprehenderet malitiam contra virginitatem, quæ fortè non esset. Unde confessarius non teneretur de virginitate interrogare, si pœnitens taceret, & puella teneretur respondere; & per consequens manifestare suum defectum, jam iterum in aliis confessionibus deciaratum. Rursus, non solum fœmina, sed quilibet barbatus teneretur in confessione explicare suæ virginitatis florem per tale peccatum amisisse, quod est contra omnium fidelium praxim. Ergo circumstantia virginitatis non mutat speciem peccati, & per consequens, non debet in confessione explicari.

(·:·†·:·)
(:††:)

CAPVT VII.

Vtrùm in delectatione morosa de re turpi, explicari debeat circumstantia status personæ, quæ peccanti objicitur, an consanguinea, an nupta, vel voto castitatis adstricta?

67. Affirmant Cajetanus, Lorca, Azor, Thomas Sanchez, & alii apud Dianam 1. *part. tract.* 7. *resol.* 48. Quibus accedunt D. Antoninus, Tabiena, Navarr. & Montesinos apud Hurtad. Complut. 1, 2. *tract. de Peccatis, disp.* 4. *diffic.* 10. & tenere videntur Doctores asserentes, malitiam delectationis simplicis; sicut & efficacis, desumendam esse ab objecto.

68. Ex quo principio non pauci deducunt, licere non conjugatis sperantibus uxorem ducere, morosè delectari de copula habenda tempore conjugii, quia talis copula non est mala. Ita Victoria, quem refert, & sequitur Medina 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *dub* 3. Zumel ad eamdem quæstionem, *disp.* 4. *dub.* 3. & quidam Neotherici, ut refert Corduba *in Quæstionario libr.* 1. *quæst.* 23. *dub.* 15. & ipse clarè sentit esse probabile. Idem tenent loquentes de sponsa de futuro, Curiel, Herrera, & alii apud Dianam 3. *part tract.* 5. *Miscellan. resol.* 2. & Magist. Arauxo ubi infra, qui eadem ratione nixi asseruut, licere viduis morosè delectari de copula præterita, cum proprio conjuge habita; quod ultra citatos tuentur Cajetanus, Rosella, Sylvester, Armilla, Angelus, Tabiena, Pedraza, Valentia, Nieba, Medina, Zumel, Sa, & alii apud Thomam Sanchez *de Matrim. libr.* 9 *disp.* 47. *n.* 3. Quos sequuntur Lorca 1. 2. *disp.* 28. & Montesin. ibidem, *disp* 7. *q.* 6. M. Serra 1. 2. *q.* 64. *art.* 8. M. Arauxo 1. 2. *q.* 74. *art.* 10. *dub.* 3. *n.* 48. & alii. Quod à fortiori tenetur dicere, etiamsi ad secundas nuptias transierit.

69. Addunt alii apud Cordubam suprà (& ipse putat probabile) non esse mortale, solutos delectari morosè de copula cogitata sub conditione, si adesset matrimonium; nam cum objectum sub ea conditione apprehensum non sit turpe, non est unde talis affectus malitiam gravem sortiri possit, si alias supponatur ex parte subjecti capientis delectationem, non intervenire votum castitatis, ratione cujus teneatur ab illa delectatione abstinere. Quidquid contradicat jam al bi citatus, & rejectus Euseb. de Herrera *in suis decisionib. moralibus, decis.* 6. §. 9. ubi tradit, per votũ castitatis non prohiberi delectationem morosam. Limitant tamen prædicti Doctores doctrinam suprà traditam, dum non sit periculum pollutionis, vel consensus in aliquod peccatum mortale. Si enim hoc adsit, nequibit à mortali excusari.

70. Verior tamen sententia oppositis insistens principiis docet, in delectatione venerea, & morosa de copula cum consanguinea, conjugata, vel monacli, non reperiri malitiam specie distinctam à delectatione cum soluta: ac proindè pœnitentem non teneri, prædictas circumstantias in confessione explicare. Ita Pat. Vazquez 1. 2. *disp.* 111. & 112. & 114. Quem omnes ejus discipuli sequuntur, Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *punct.* 10. §. 4. & cum Angelo, & Pesantio, Hurtado Complutensis suprà *disp.* 4. *diffic.* 10. Diana 1. *p. tract.* 7. *res.* 48. & 2. *p. tr.* 3. *resol.* 34. & 3. *part. tract.* 4. *resol.* 67. pro qua citat Reginaldum,

Sayrum, & alios, & probabilem putant Salas, Azor, Filliucius, Bonacina, Lessius, & alii apud Dianam, & pluribus citatis defendit Oviedo 1.2. *tract. 6. controvers. 4 puncto 7. num. 57.* & Tamburinus *in Methodo expeditæ confess. lib. 2. capit. 7. §. 1.*

71. Ad probationem hujus sententiæ noto primo ex communi Doctorum, delectationem non dici morosam à mora temporis, sed à mora culpabili detentionis: hoc est à libertate in detentione; postquam quis advertit esse prohibitam. Noto secundò cum Pat. Vazquez 1.2. *disput. 112. cap. 2. num. 4.* quem sequuntur Salas 1.2. *tom. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 6. numer. 60.* Palaus suprà *puncto 10. §. 4. num. 41.* Lugo *disp. 16. sect. 6. num. 390.* Lessius *libr. 4. cap. 3. num. 112.* Oviedo 1. 2. *tract. 6. controv. 4. punct. 7. num. 54.* & omnes (quos viderim) delectationem morosam intra speciem luxuriæ semper habere eamdem malitiam cum opere, quatenus est contra castitatem. Ratio est, quia talis delectatio eodem modo, ac opus virtuti temperantiæ opponitur, & eamdem habet dissonantiam ad rationem. Undè sicut diverso modo opponitur virtuti castitatis simplex fornicatio, & peccatum contra naturam; ita etiam diverso modo opponitur delectatio de fornicatione, & de peccato contra naturam. Cùm enim virtus castitatis non minus, neque alio modo moderetur delectationes internas, quam externas, eàdem videtur intervenire species peccati in una ac in altera delectatione intra speciem luxuriæ.

72. Prædicta tamen doctrina limitanda est, quoties delectatio capiatur de copula cogitata cum fœmina, cum præcisione an sit, vel non sit propria; cùm enim ejusmodi copula præscindat à licita, & illicita, delectatio de illa capta non erit ejusdem speciei cùm opere, quod habet pro objecto. Alias cùm opus non opponatur virtuti castitatis, sed ab oppositione præscindat, non opponeretur delectatio, sed ab oppositione præscinderet, quod non falsum prorsus est. Erit igitur in tali eventu malitia alterius speciei innominatæ contra castitatem, seu malitia copulæ illicitæ, cùm eodem modo opponatur virtuti, ac ipsa copula.

73. Ex dictis assentiri non possum Bonacinæ *de Matrimon. quæst. 4. punct. 8. num. 15.* & Palao *tom. 1 tract. 2. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 9* Quibus consentire videtur Thomas Sanchez, *suprà nu. 4.* asserentibus, malitiam delectationis venereæ desumi ex effectu, quem secum affert, nimirum vehementem commotionem appetitus, & spirituum genitalium subservientium generationi. Nam ut benè expendit Lugo, ex hoc principio apertè sequitur, delectationem morosam captam de lodomia ejusdem esse speciei, cum delectatione capta ex copula, quod est contra omnes Doctores: Imò & contra ipsum Bonacinam *loco citato, num. 8.* & contra Sanchez *in Sum. lib. 2. cap. 2.* distinguentes specie delectationem circa solutam, & circa conjugatam, cùm tamen omnes eumdem effectum causent.

74. Noto tertio, illam delectationem dici veneream, quæ in ipsa carne sentitur, cum commotione spirituum subservientium generationi circa partes libidinosas. Ita Cajetan. Armilla, Tabiena, & alii, quos citatos sequitur Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 64.* dicitur delectatio venerea, ut inquit Sanchez, ad differentiam delectationis, qua placet tactus proprii, vel alieni corporis sine ulla libidine, ob solam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, seu visus: quilibet enim tactus rei blandæ, & visus rei pulchræ, organa, visus, & tactus naturaliter delectant. Delectatio igitur morosa in re venerea ex parte voluntatis, nihil aliud erit nisi affectus quidam simplex, quo quis ex advertentia tionis sibi complacet in delectatione illa venerea, quæ ex cogitatione objecti turpis in carne sentitur, & in potentia appetitiva sentitur. Hæ positis.

65. Negativam sententiam Pat. Vazquez sic probo: Delectatio morosa venerea non habet malitiam sumat, nisi vel ex objecto, vel ex opposito ne cum virtute castitatis prohibentis omnem delectationem veneream extra statum matrimonii; quomodocumque res se habeat, delectatio venerea non sortitur diversam malitiam, ex circumstantia status personæ, quam habet pro objecto: Ergo non debet in confessione explicari. Quod ratione oppositionis cum virtute castitatis non sortiatur malitiam specie distinctam ab ea, quæ reperitur in delectatione de copula cum soluta, conveniunt omnes. Quod autem neque ratione objecti malitiam aliam contrahat, probatur. Quia objectum, quòd neque rectè terminat affectum voluntatis, nequit malitiam aliquam in illum derivare, sed injuria contra matrimonium, v.g. quæ in copula cum nupta reperitur, neque directè, neque indirectè terminat simplicem delectationem veneream, ergo, &c. Non directè quia delectatio venerea, non capitur de injuria, sed de concubitu cum fœmina, qui media suà præscindente ab statu fœminæ, delectationem illam causat; non indirectè; quia una ratio potest seorsim ab alia simplicem delectationem terminare, licet nequeat una sine alia executioni mandato dare. cut si fœmina pulcra, & nupta sit, potest quis complacere, quod pulchra, & displicere, quod nupta.

76. Est itaque magnum discrimen inter delectarium & simplicem complacentiam, illud enim tendat in executionem objecti, & copula cum nupta nequeat in executione separari ab injustitia, nequit saltem indirectè ad illam non terminari, ut communiter docent Theologi contra Augustinum verb. *luxuria, num. 2.* asserentem: desiderium esse fornicationis cum soluta, & cum conjugata ejusdem speciei, cujus proindè sententia expunsa fuit de mandato Sanctæ inquisitionis in Expurgatorio anno 1640. Simplex verò delectatio cum non tendat tribuendam existentiam objecto, benè potest ratione nam rationem terminari, quid ad aliam illo modo terminetur: ac proinde potest quis delectari de copula cum nupta, allectus à delectabili, quod est copula, & non à delectabili, quod in injuria, & consequenter quin delinquat contra justitiam: quia tus justitiæ non prohibet delectationem de objecto injusto, quando non capitur de illo, prout injustum est: ut ex communi Doctorum tradit P. Oviedo *tract. 6. controvers. 4. punct. 5.* Ergo nullum est unde delectatio venerea diversam malitiam tur ratione diversi status personæ, quæ peccans citur. Sufficiet ergo se accusare de una, vel plurib delectationibus morosis, inexplicato pen status.

77. Confirmatur, nam delectatio de copula moniali habita ab eo, qui votum non emisit, non contra votum illius, qui delectationem capit, quia hoc non subsistit, nec contra votum monialis, quia materia hujus voti tota est posita in actibus monialis, quorum nullum talis delectatio indu nec ei ullo modo cooperatur. Similiter delectatio habita à soluto de copula cum conjugata, ad nullum actum conjugis ordinatur etiamsi ut objectum

illum respiciat : ergò cùm non conjungatur cum objecto, fidei conjugii non opponitur. Ergò non est undè à conjugio malitiam sortiatur.

78. Idemque dicendum de delectatione habitâ cum consanguinea, quia licet circunstantia consanguinitatis se etiam teneat ex parte personæ capientis delectationem, nequit malitiam refundere ni ex parte objecti se habeat. Quia ex reverentia sanguini debita tantum prohibetur commixtio seminum, ad quam non ordinatur simplex delectatio, sicut ordinatur desiderium efficax. Ergò ni delectatio capiatur de copula cogitata cum consanguinea, ut tali, non contrahet malitiam incestus.

79. Tota hæc doctrina confirmatur exemplo, cui nemo dissentire potest, nec discrimen inter actus efficaces, & inefficaces differi : Si quis audiat inimicum occisum esse in loco sacro, & de illius morte delectetur, ex displicentia personæ, peccatum odii committet, non verò sacrilegii : ergò delectatio non secùm trahit malitias omnes in objecto repertas. Ergò similiter, nec in casu quæstionis, cùm eadem prorsùs militet ratio.

80. Quamvis autem hæc ita sint, consultum erit confessario, rudes, & mediocriter doctos de circunstantia objecti interrogare : tum quia tales inter affectus efficaces, & inefficaces nesciunt distinguere ; tum quia eamdem in omnibus malitiam concipiunt, & consequenter contrahunt.

§. Unicus.

Cujusdam novum placitum refertur, & refellitur.

81. Post hæc olim à me scripta, in lucem prodiit recentior quidam, qui doctrinam superiùs traditam extendit ad omnes simplices delectationes intrà genus castitatis, etiamsi objecta terminantia specie distinguantur : ac proindè ejusdem putat speciei delectationem morosam de copula Sodomitica, ac de fornicatione. Nam malitia delectationis, inquit, excusso consensu absoluto in copulam, solùm potest provenire ex vi causativa motuum turpium, & pollutionis de præsenti ; aut ex eo quod statui matrimonii derogare videatur. Ex primo autem capite malitiam specie diversam non contrahit, constat ex superiùs dictis, quia omnes delectationes morosæ eumdem effectum causant. Quod autem neque ex secundo, probat ex eo, quod sive delectationes sint de hoc, sive de illo objecto, non propterea statui matrimoniali magis derogant, nisi fortè quatenus sunt magis intensæ, & vehementiores, quod non pendet ab eo, quod sint contra naturam.

82. Cæterum doctrina hæc substinenda non est, eodem enim fundamento asserere potuisset, sodomiam, & fornicationem non distingui specie ; quia non magis una, quam altera statui matrimonii derogat, nisi fortè quatenus intensiorem, aut vehementiorem delectationem inducunt, qua ratione ad circunstantiam aggravantem earum differentia pertineret : imò gravius indè peccatum fornicatio evaderet, quam sodomia ; quam minus naturæ appetit, & à qua potiùs per se abhorret. Secundò, quia objectum, quod delectationem terminat, & à quo nullatenus præscindit, nequit, si malum sit, malitiam in actum non derivare : ergò objecta specie distincta intra genus castitatis, à quorum malitia actus non præscindit, non possunt, non specie distinctam in delectationem refundere. Confirmatur, quia simplex delectatio de vindicta, & de fornicatione non aliundè specie distinguuntur secundùm omnes, nisi quia ad objecta specie distincta terminantur : ergò.

83. Objicies : oppositum constare ex D. Thoma, *opusc. 64. §. Complacentia habita in memoria peccati* : * Ubi excusat ab explicanda in confessione specie peccati commissi, de quo memoriæ occurrente capitur delectatio. Quod verum non esset, si objecta specie diversa malitiam diversam specie in actum refunderent. En D. Thomæ verba. * Si autem rememorando mala præterita, quæ fecisti, non habes dolorem, sed potiùs delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis moram ibidem ; non credo expedire, quod specifices ipsa peccata rememorata, si aliàs integrè confessus es ea. Et si non habuisti aliud, quam delectationem in mente ; sufficit dicere, mihi venerunt in memoriam quædam vindictæ, vel injuriæ, quas feci, vel quædam peccata gravia, quæ commisi, de quibus non solùm non habui dolorem, sed de ipsis cum multa complacentia cogitavi. * Hæc D. Thomas. Quem secutus est P. Sà, *verb. Confessio, nu. 16.* dicens : * Qui delectatus est de peccatis præteritis aliàs confessis, id solùm oportet confiteatur, non autem exprimere, quæ illa fuerint peccata. Vide D. Thom. *opusc. 64.* *

84. Respondeo, principium, quod ex verbis præfati opusculi sexagesimi quarti, obtruditur, capitaliter adversari aliis principiis doctrinæ D. Thomæ asserentis, actus qualescumque ab eo, quo tendunt objecto, speciem sumere. Quapropter opusculum, ex quo præobjecta verba fideliter excerpta sunt, adulterinum D. Thomæ opus esse, jure admonet Vincentius Baronius, in opere contra Amadæum *disp. 2. sect. 3. §. 2. fol. 233.* Et ideò opinio illa, quam (auctorem opusculi credens D. Thomam) secutus est P. Sà illùm citans, expuncta fuit postea per Mag. Sacri Palatii in editione Romana : & in eam sic jure invehitur M. Texeda *tom. 1. Theol. mor. lib. 2. tract. 3. contr. 7. n. 23. & seq.* * Adversatur (inquit) Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5.* Nec video, quo is auctor utatur fundamento, nisi tantùm velle doctrinam novam, & laqueos animarum introducere. * Sic ille, & meritò : quia unum, cui P. Sà innixus est, fundamentum, ab auctoritate, tum auctoris opusculi sexagesimi quarti, quod inter alia D. Thomæ opera circumfertur ; tùm eorum, qui incautè inter ejus opuscula inseruerunt ; nullius momenti judicare debuisset, imò & erroris insimulare ; utpotè ex quo singularis, & omninò improbabilis doctrina, & Concilio Tridentino apertissimè repugnans evidenter deducitur : Ni fortè non de delectatione, de peccato commisso, sed de sola jactantia intelligendus veniat. In hoc enim peccato, tota malitia in eo consistit, quod offensa Dei assumatur, ut medium ad laudem ; undè omnia peccata sub eadem ratione formali ad jactantiam pertinent, & quoad hunc actum eorum differentiæ specificæ per accidens se habent ; ut cùm Navarro tenet Diana *3 p. tract. 4. resol. 161.* & cùm Soria *p. 11. tract. 7. Def. 36.* Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. disput. 8. §. 3. q. 12.* Castro Palao *tom. 1. tract. 2. disp. 2. p. 11. n. 5.* & probabile vocat Lugo *disp. 16. sect. 5. n. 268.* Si verò jactantia sit conjuncta cum complacentia, & approbatione peccati commissi, v. g. adulterii, vel vindictæ,

&c. nequit in dubium verti obligatio confitendi objecta terminativa specie diversa, sicut nec obligatio confitendi numerum & species peccatorum. Æquali enim certitudine ad hæc explicanda adstringimur.

85. Non verò omittam hic adnotare Baronii negligentiam in operibus D. Thomæ evolvendis. Secus contra Amadæum invectus non fuisset, dicens: * Ubique obtrudit opusculum sexagesimum quintum adulterinum D. Thomæ opus, ut suprà demonstratum est. * Sed homo non advertit, opusculum, nuper allegatum, non esse sexagesimum quintum (quod non esse D. Thomæ à se demonstratum dicit) sed sexagesimum quartum, quod non ubique, sed in hoc tantùm loco ab Amadæo allegatur. Undè Baronii calumnia hoc unum operata est, quod duo jam opuscula, quæ inter alia D. Thomæ opera circumferuntur, nec dubiæ fidei habenda, sed radicitus evellenda, abolendaque, ex ipsius Baronii testimonio habeamus. Sit esto: dum in posterum non in Amadæum, sed in auctorem opusculi, & in eos, qui inter D. Thomæ opera inseruerunt, virus evomat.

CAPVT VIII.

Corollaria ex dictis.

86. INfertur primò, non esse admittendam, sed ab scholis relegandam opinionem asserentium, consensum formalem, & expressum voluntatis in delectationem veneream, seu, quod idem est, simplicem delectationem morosam, non esse culpam mortalem, cessante periculo consentiendi in pollutionem, vel in opus, de quo capitur delectatio. Quam tenuit Martinus de Magistris *tract. de temperantia, quæst. 3. de luxuria*; & clarius, *quæstione de pollutione post probationem quartæ conclusionis*, & alii ex antiquis apud Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæst.* 74. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 4. *n.* 38. ubi ait: * Fertur, Victoriam dixisse, opinionem illam esse probabilem, * & talem fuisse tempore D. Thomæ, testatur Salas referens pro illa Adrianum. Et putat probabilem Antonius de Corduba Ordinis Minorum *lib.* 1. *quæst.* 23. *dub.* 11. §. *Igitur*, dicens esse sententiam D. Augustini, & nonnullos eam docuisse: & consentire videtur M. Tabiena Ordinis Prædicatorum, *verbo Cogitatio morosa num.* 2. Utrùm delectatio morosa sit peccatum mortale? Alii tenent, quod non est peccatum mortale, sed veniale tantùm; alii verò dixerunt, quod est peccatum mortale, & hæc secunda opinio est communior, & verisimilior, & est communis opinio modernorum, & securior. * Sic Mag. Tabiena ex D. Thom. *in* 2. *sent. dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 4. *in corpore*, ubi ait: * Delectatio morosa mortale peccatum est, ut Magister dicit, & verba Augustini sonare videntur, quamvis quidam in hoc, Magistro contradicant. Sed opinio Magistri valdè probabilior est, & securior. *

87. Verum opinionem istam, non solùm non esse probabilem, sed neque ferendam, dixit Zumel apud Salas ubi suprà, & P. Vazquez 1. 2. *disp.* 109. *cap.* 3. pluribus Patrum testimoniis illam refutat, & & licet in hac disputatione nullam illi censuram inurat, infrà tamen *disp.* 111. *cap.* 5. *nu.* 20. *in fine*, ut errorem expresè damnat, & in expurgatorio S. Inquisitionis anno 1612. & 1640. relatis verbis suprà citati Antonii Corcubensis, dicentis: * Igitur utraque opinio probabilis est, * sic notate: Appone in margine: secunda opinio (nempè, quæ negat, esse mortale) nec tuta, nec probabilis est. Nec D. Thomas probabilem censuit, dum communiam, & communem probabiliorem securioremque vocavit: ejusmodi enim verba non comparativè, sed adversativè accipienda sunt, quoties apud Angelicum Præceptorem, aut alium gravissimum Doctorem, opinioni dissonæ adjecta reperiuntur, ut in præsenti contingit: certissimum enim est, & auctoritate Sanctorum Patrum comprobatum, virtutem castitatis, extra statum matrimonii, tam delectationes internas, quàm externas prohibere, accedente consensu voluntatis.

88. Infertur secundò. Non licere viduis, neque sponsis de futuro morosè delectari de copula præterita, vel futura tempore matrimonii. Quamvis objectum externum actus non sit illicitum, attamen illicita delectatio præsens voluntatis, utpote virtuti castitatis opposita, deficiente matrimonio, quod illam posset honestare. Ita P. Vazquez 1. 2. *disp.* 114. *n.* 3. Tannerus 1. 2. *disp.* 4. *quæst.* 3. *n.* 2. Basilius *de Matrim. lib.* 10. *cap.* 16 §. 2. *n.* 10. & n. Donacina, Palao, Villalobos, & alii, quos sequitur Diana 3 *p. tract.* 5. *Miscell. resol.* 2. Thom. Sanchez *lib.* 2 *de Matrim. disp.* 47. *nu.* 4. & 5. & Joannes Sanchez *in Selectis disp.* 21. *n.* 27.

89. Infertur tertiò, neminì licere delectationem voluntatis captam de objecto apprehenso sub conditione auferente ab eo malitiam, v. gr. de concubitu cum tali fœmina, sub conditione, quod esset uxor. Quia (quidquid dixerit P. Sanchez *in Sum. lib.* 1. *cap.* 12. *num* 33. imaginativa etiam pontia conditionem ex parte objecti apponere posse, ut benè cum Salas 1. 2. *tom.* 1. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 30. *num.* 189. tradit Palao *tom.* 1. *tract.* 2. *de Virtut. disp.* 2 *p.* 10. *nu.* 6. Undè non sola voluntas, sed eorum appetitus posset tendere in objectum, sub conditione auferente malitiam, quo morosis delectationibus castitatem laxarentur habenæ. Præterquam quod delectationem appetitus cohibere, dum delectatio voluntatis adesset, paucis datum credam, adeòque ob periculum saltem, à noxa lethali excitare non potest. Et improbari prorsus debet opinio illa, quam probabilem censuit Corduba *sup. n.* 87. asserentem, non esse mortale delectari morosè præcise voluntatis, & appetitus de copula sub conditione, quod esset cum propria uxore. Hæc enim opinio in ordine ad mores, idem præjudicium parit, ac quæ delectationem morosam à culpa mortali eximit. Quid enim cuique faciliùs, quàm apprehensionem conditionatam hujusmodi efficere, qui sensi positâ, gravis malitia delectationis dicitur deficere? Quapropter opinionem istam jure rejicit Palaus *suprà punct.* 10. *n.* 9. & me judice, eadem censura notanda, ac quæ morosam delectationem à mortali culpa liberat. Quam ut diximus num. 87. errorem vocat Vazquez, cui lubens assentior.

(*)

CAPUT

CAPVT IX.

Utrùm in peccato odii, sit in confessione explicanda qualitas mali proximo desiderati, vel conjunctio personæ, cui desideratur.

90. SUppono ex communi DD. damna proximo illata in divitiis, in fama, & in vita, diversæ speciei esse contra justitiam; ac proindè voluntatem efficacem lædendi proximum in divitiis, distinctam specie malitiam continere à voluntate efficaci lædendi in honore, vel in vita: & consequenter qualitatem mali efficaciter voliti, debere in confessione explicari. Difficultas igitur solum est, quando non efficaciter, sed ex odio tantùm, quis desiderat, ut ea mala abundè proximo eveniant, seu quod evenerint, gaudet, quia mala illius sunt.

91. Qualitatem mali voliti declarandam esse, affirmat P. Suarez *disp. 6. de Charitate, sect. 2.* Sylvius, & alii, apud Dianam 1. *p. tract. 7. resol. 30.* Negant verò ipse Diana cum Ledesma, & Bonacina. Lorca *de Charitate, quæst. 34. art. 3.* Lusius de Torres ibidem *disp. 91. dub. 1. in fine.* Card. de Lugo *disp. 16. sect. 3. n. 260.* Homobonus, Valentia, & alii, quos sequitur novissimè Leander *disp. 8. § 3. quæst. 8.* & Tamburin. *in Method. lib. 2. cap. 6. §. 3. n. 9.*

92. Ego autem utriusque sententiæ Auctores facilè concilio. Assertio sit. Communiter loquendo non debet in confessione explicari qualitas mali voliti ex odio. Probatur; quia mala volita ex odio sistente in mero desiderio inefficaci; quo quis vellet proximo ea mala aliundè evenire, ut in plurimum solum attinguntur formaliter per hunc affectum, quatenus mala proximi sunt. Ergò cùm omnia sub eadem ratione formali attingantur, non constituent diversam speciem: nam in ordine ad istum affectum valdè materialiter se habent differentiæ specificæ mali voliti: In hoc sensu verum habet secunda sententia. Si verò (ut benè advertit Lugo) quis desideraret ex odio ea mala, quatenus talia sunt, nempè quatenus in divitiis, in honore, vel vita; contrarium prorsùs tenendum est, juxtà dicta cap. 7. nam affectus inefficaces, ut ibi diximus, distinguuntur specie, quando rationes formales motivæ, & terminativæ illorum distinguuntur specie; sed injuria proximi, ut in divitiis, distinguitur specie ab injuria, ut in honore, vel vita. Ergò qui complacet de malo proximi, seu inefficaciter desiderat, ut in divitiis; habet affectum inefficacem distinctum specie ab eo, quem haberet, si complaceret in alio damno proximi, ut in honore, vel in vita: ergò in tali casu tenebitur circunstantiam mali voliti declarare.

93. Confirmatur: quia diversæ speciei est deprecari alicui mortem temporalem, quia malum materiale illius est, ac optare, & implorare, quod à dæmone rapiatur, quia malum spirituale illius est: sed non alia ratione distinguuntur species, nisi quia voluntas tendit in hæc objecta sub diversa ratione formali, nimirum, quatenus tale malum est: ergò quoties affectus inefficaces habuerint pro objecto motivo, mali voliti qualitatem, tenebitur pœnitens in confessione ejusmodi qualitatem explicare: & ità tradit P. Suarez *de fide tract. 3. disp. 6. sect. 2. num. 3.* Ubi de damno spirituali loquens, dicit de hoc dubitandum non esse, quod tenet etiam Joannes Sanchez *in Select. disp. 6. n. 1.* & ego verum puto, dùm non terminet affectum sub ratione communi damni præscindentis à materiali, & spirituali.

94. Circà conjunctionem personæ, cui ex odio malum desideramus, communis Doctorum sententia tenet, in odio parentum explicandam esse circunstantiam personæ. Ita Navarr *in Manuali cap. 14. n. 11.* P. Sa *verbo Confessio, n. 23.* Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 2.* Card. Lugo *disput. 16. sect. 6. n. 303.* qui addit, idem fore dicendum in peccato odii parentum in filios, uxoris in virum, & viri in uxorem. Ratio est, quia peccata odii in his personis militant directè contra pietatem, seù reverentiam conjunctis debitam; ac proindè specialem dissonantiam habent, oppositionemque cùm alia virtute à charitate: & ità tenendum.

95. Ex dictis in hoc capite, alia venit decidenda quæstio præcedenti similis. An scilicet qualitas contumeliæ, v. gr. quod appellaveris aliquem furem, vel hæreticum, vel sodomitam, &c. explicanda sit in confessione? Affirmant Filliucius *cap. 9. num. 322.* & Joannes Sanchez *in Select. disp. 6. n. 2.* Verum contraria sententia est nobis tenenenda cùm Azor *tom. 3. libro 13. cap. 5. dub. 1.* Fagund. *2. 2. præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 5. n. 3.* Card. Lugo *suprà sect. 5. n. 265.* Cajetan. Reginald. Sà, Molina & aliis, quibus consentit Diana 1. *p. tract. 7. resol. 28.* Ratio est, quia omnes contumeliæ eo tendunt, ut lædant honorem; sicut omnia furta, ut lædant divitias: ergò sicut diversus modus furandi non constituit furta diversæ speciei; ità nec diversus modus lædendi honorem constituet contumeliam diversæ speciei.

96. Idem propter eamdem rationem dicendum est de detractionibus, & de judicio temerario; sufficiet enim se accusare; toties in materia gravi temerè judicasse; & toties detraxisse; non explicatâ materiâ, ut benè Lugo & Diana suprà; quibus, licet sibi non constans, consentit Joannes Sanchez. De blasphemiis non hæreticalibus, docent similiter aliqui non debere explicari, an fuerint in Deum, vel in Sanctos. Ita Azor, Nazarius, Homobonus, & alii, quos citatos sequitur Diana *suprà resol. 50.* Sed contrarium tenent cùm Suarez, Filliucius *tom. 2. tract. 25. cap. 1. nu. 26.* Sanchez *in Select. disp. 6.* & plures alii. Et hoc est probabilius, quia cultus & adoratio, quæ Deo debentur, diversæ sunt species, ac quæ Sanctis; ergò & vitium, quo inhonorantur. Imò blasphemiam in B. Virginem specie distingui à blasphemia in alios Sanctos docent Thom. Sanchez *in Sum. lib. 2. cap. 32. num. 39.* & Aragon 2. 2. *quæst. 13. art. 1.* & quidem consequenter.

CAPVT X.

An judicium temerarium, & detractio distinguantur specie in ordine ad confessionem?

97. RAtio dubitandi sumitur ex eo, quod bona existimatio propria, seu bona opinio de proximo, quæ per judicium temerarium apud judicantem deperditur, ejusdem sit speciei cum ea, quæ per detractionem læditur; unde tantum videtur consistere diversitas in modo lædendi famam, ac proindè, quod ejusmodi sint species in genere moris: & ita tenere videtur Diana cum Fausto 5. *part. tract.* 1. *resolut.* 16. qui existimat, ejusdem speciei esse infamare proximum dicendo falsum, ac verum dicendo: & consequenter opus non esse ejusmodi circunstantiam in confessione aperire. Stat expressiùs pro hac parte Joannes Sanchez *in Selectis disp.* 5. *n.* 10. Ubi inquit ejusdem speciei infimæ esse lædere famam internè per judicium temerarium, & externè per detractionem, aut contumeliam. Idemque tradit Tamburin. *in Methodo expeditæ confess lib.* 2. *cap.* 9. §. 1. *n.* 5. atque adeò in confessione non esse necessariò declarandam ejusmodi differentiam.

98. Verùm hæc doctrina difficultate non vacat: nam si ejusdem speciei sunt judicium temerarium, & detractio, neque in illis alia reperitur malitia, quam læsionis famæ: & aliundè infamare proximum, imponendo falsum testimonium, non distinguitur specie ab infamare, manifestando delictum verum, quod occultum erat; manifestè deduci videtur probabiliter sustineri posse judicium temerarium, aut falsum testimonium, apud unum non esse peccatum mortale. Sequelam probo, quia læsio famæ proximi apud unum, vel alterum, non est culpa mortalis, juxtà multorum opinionem asserentium, non esse mortale revelare crimen proximi occultum, uni vel duobus, qui rem secretò tenebunt: putant enim hoc famæ detrimentum esse leve. Ita Cajetanus *quæst.* 73. *artic.* 2. *dub.* 1. Navarra *libro* 2. *cap.* 4. *nu.* 335. Cord. *de Detractione quæst.* 2. *conclus.* 5. Navarra *cap.* 18. *n.* 33. Reginald. & Graffius. Quibus consentit Diana 2. *p. tract.* 3. *Miscell. resol.* 22. & 3. *p. tract.* 5. *Miscell resol.* 33. & 6. *p. tract.* 7. *resolut.* 9. apud quem probabilem putant Tanner. Joannes de la Cruz, Zambran. & alii. Ergò cum per judicium temerarium tantùm lædatur fama proximi apud unum temerè judicantem; probabile erit, non esse peccatum mortale, cum sit probabile, detrimentum in fama apud unum non esse culpam gravem. Aliundè autem, ut ait Diana suprà, ex eo quod fama lædatur per impositionem falsi criminis, seu per manifestationem veri occulti, non mutat speciem, sed tantum est circunstantia aggravans. Ergò secundùm probabilem opinionem, non est, undè judicio temerario, aut falso testimonio, gravis malitia possit advenire. Sequelam istam nemo concedere audebit: est enim contra omnes Doctores. Vide Lessium *de Iust. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 2.

99. Propter hæc dicendum existimo, gravitatem judicii temerarii, seu falsi testimonii, ad aliam speciem malitiæ contra justitiam reducendam esse; & consequenter esse obligationem distinguendi in confessione judicium temerarium à detractione criminis veri: secùs autem à falso testimonio quod unum tantùm, à quo materialiter tantùm distingui videtur per distinctionem subjectorum. Sed priori desumenda ex diversa habitudine ad bonum, quam omnes Theologi cognoverunt. Posse insuper suaderi paritate desumpta ex furto. Nam in præsentia domini contra ejus voluntatem res auferatur, superadditur, ratione modi auferendi, nova alia species malitiæ, ratione injuriæ, contra bonorem, quæ appellari solet rapina, ut cum D. Thoma, & Cajetano docet Lessius *lib.* 2. *de Iust. cap.* 12. *dub.* 2. *n.* 8. Ergò ratione modi auferendi famam per judicium temerarium aut falsum testimonium, nova etiam malitiæ species distincta à læsione famæ superaddenda est: & hoc, ni fallor, est communis sententiæ fundamentum.

100. Est tamen advertendum, judicium temerarium non semper intervenire, quando ex levibus, & insufficientibus indiciis de proximo malè judicatur: ultrà hoc enim requiritur, quod ex plena deliberatione fiat, & absque formidine partis oppositæ: entes enim cum formidine judicatur, non est judicium temerarium, sed suspicio, quæ licet ex levibus, & insufficientibus indiciis orta, non est culpa mortis, ut docent Joannes de la Cruz *in Direct. p.* 8. *quæst.* 1. *dub.* 2. *conclus.* 2. cum Rosella, Armilla, & alii, & cum Fausto, Layman, & Navarra, tenet Diana 1. 3. *tract.* 5. *Miscell. resolut.* 31. Ratio desumitur ex D. Thoma asserente, nullum judicium citra certitudinem esse peccatum mortale; quia non videtur per illud gravis injuria proximo irrogari, cum talis soleat esse quoddam judicium imbecillum cum notabili timidine de oppositio.

101. Ex quo Cajetan. *In Sum. verb. Iudicium temerarium.* *Si autem judicat de peccato mortali, & non assertivè in corde suo determinat, quamvis valdè firmiter & temerariè, non peccat mortaliter, cum non diffinitivè judicat, * id est, non judicio certo, quia remanet formido de oppositio, ut exponit Gutericus ibidem. Ex quibus obiter observa, firmam credulitatem non esse idem, ac judicium certum, ut falsò censet Baronius, *folio* 101. & 181. contra Amadæum, dicens eum, dum negat, * controversiarum Scholæ Thomistæ se prorsus ignarum produnt. *Sed vir religiosus excessit, quia Amadæus ibi negatur M. Serra 2. 2. *q.* 33. *artic.* 7. sic exponentem D. Thomam: & ita docet Cajet. sup. ubi firmam credulitatem non excludere formidinem de oppositio supponit, & cum opinione temeraria componit. Qui enim suspicatur, vel opinatur, simul putat tacite, vel expressè, se posse facilè decipi. Imò ut in plurimum ex levibus indiciis non suspicamur malum de proximo, nisi ex errore intellectus, quo apprehendimus illa signa, tanquam sufficientia ad suspicionem: si autem ex se sufficientia sint, aut talia prudenter reputentur, non solùm non erit judicium temerarium, sed suspicionis etiam culpæ omninò expers erit, ficut & opinionis temerariæ.

102. Si verò ut insufficientia apprehendantur, & ita nequibit intellectus ad suspicionem moveri, fieri potè ex malevolentia, & pravo affectu voluntatis ergà alterum: voluntas enim efficere potest ut intellectus rationes levis aliàs momenti, vehementius operetur, illisque moveatur ad judicandum, aut apprehendat, illisque moveatur ad judicandum, non solùm cum formidine, sed etiam certò esse verum. Ita benè Coninch de Fide *disp.* 14. *dub.* 2. *num.* 8. Ubi concludo cum Diana suprà, omni odio, & pravo affectu secluso, rarò vel nunquam judicium temerarium contingere, si enim suspicio, & opinio, etiam

meratiæ, ex suo genere, mortalia non sint, ut ait Cajetanus *suprà, & 2. 2. quæst. 60. art. 3.* judicium absque formidine de oppositio, difficilè his deficientibus, admittam.

103. Adnotare hic oportet Baronium ubi suprà, impositisse Amadæo, quod ex Div. Thoma, & Cajetano * intenter probare judicium probabile Synonimum esse cum certa, & firma credulitate, * verum ly *certa* ex suo cerebello Baronius addit; Amadæus enim solùm dixit cùm Magist. Serra 2. 2. *quæst. 33. art. 7.* firmam credulitatem, prudenti principio innixam, esse judicium probabile, juxtà Div. Thomæ verba ibi, excusantis à denunciando qui *firmiter existimaret* (correctionem profuturam) *id est*, inquit Serra *prudenter & probabiliter*. Undè constat firmam credulitatem, secundum D. Thom. prout à Mag. Serra explicatum, aliquando esse idem cum opinione probabili, aliquando verò cùm opinione temeraria, seu improbabili, ut à Cajetano usurpatur. Quæ si animadvertisset Baronius, à convitiis abstinuisset. Sed omissis nugis.

104. Temerè de aliquo judicare, esse spurium, vel illegitimum, vel Judæum, excusant à mortali Lessius *lib 2. de just. cap. 29. dub. 2. num. 14.* Navarr. & Azor, & putat probabile Diana illos citans *5. part. tr. 5. resol. 68.* dummodò proximo aliud non eveniat damnum. Verùm Hispanis adeò infame est à Judæis originem ducere, ut hæc injuria nequeat levis judicari, cum ægriùs communiter ferant, quàm si aliud quodvis malum grave ipsis falsò impingeretur, ut benè Escobar *de Nobilitate, 1. part. quæst. 8. §. 2. num. 33.* Quapropter existimo, culpam mortalem in ejusmodi judicio temerario, sicut, & in falso testimonio, apud unum intervenire: de quo nemo dubitat.

105. Tandem advertendum est, injuriam in parentes, specialem habere malitiam contra pietatem in confessione explicandam, ut benè Bonacin. *de Pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. diffic. 3. n. 15.* Quod de pecato detractionis loquens tradit etiam Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 5.* idemque dicendum est cum Lugo suprà *sect. 6. n. 307.* de gravi infamatione fratris, de vulneratione gravi, seu fratricidio, de quibus dubitari nequit, continere specialem deformitatem contra amorem fratribus debitum. Ex quibus concludo, judicium temerarium, seu falsum testimonium contra parentes, seu fratres, novam ex hoc capite contrahere malitiam, quæ utpotè specie distincta debet in confessione declarari.

QVÆSTIO IV.

De circunstantia Vbi.

CIrcunstantiam loci per adverbium *Vbi* designamus, quæ cum aliquando speciem peccati mutet, & aliquando intra eamdem aggravet, opus erit in præsenti hoc examinare. Peccata prohibita intuitu loci sacri sunt tantùm quatuor, furtum, homicidium, seu gravis effusio sanguinis, effusio voluntaria seminis, & violatio immunitatis Ecclesiæ. Ita omnes Doctores.

(·†·)

CAPVT I.

De furto commisso in loco sacro.

1. SUppono ex communi Doctorum consensu, furtum rei sacræ, sivè fiat in loco sacro, sivè non, novâ continere speciem sacrilegii ratione specialis prohibitionis ex motivo religionis. Sic Henriq. *lib. 2. de Pœnit. cap. 6. n. 5. in Gloss. lit. N.* Turrecremata, Tabiena, Angelus, Sylvest. Fumus, & Fagundez eos citans *2. præcept. Eccles. lib. 4. cap. 4. n 9.* Et ita decisum judico à Joann. Pap. VIII. *in capit. quisquis inventus 17. q. 4.* Scio oppositum tenere M. Lopez, & Lublinum, quando res sacra, v. gr. Calix, non est alicujus Ecclesiæ, quod putat probabile, eos citans Leand. *hic disp. 8. §. 4. q. 21.* Sed mihi non placent; quia verè est furtum rei sacræ, licet nullius sit Ecclesiæ, sed alicujus personæ particularis.

2. Difficultas igitur solùm est, an furari rem non sacram in loco sacro, contineat speciem sacrilegii? Ratio dubitandi sumitur ex prædicto *cap. quisquis*: Ubi Pontifex, inquit, committit sacrilegium auferendo non sacrum de sacro. Et ideò affirmativam partem sustinent Sylv. *verb. sacrileg. §. 2.* Navarr. *in Sum. Latina, cap. 6. n. 4.* Suar. *lib 3. de Relig. cap. 5. n. 7.* Laym. *lib. 4. tr. 1. ca. 7. n. 18.* Vazq. Nugn. & alii, quos refert, & sequitur Bonac. *1. præcept. Decal disp. 3. q. 6. punct. unic. n. 17.* Rebell. Regin. & Ledesm. apud Dian. *1. p. tr. 7. res. 27.* qui omnes existimant, quodcumque furtum, in loco sacro commissum, continere novam sacrilegii speciem in confessione explicandam.

3. Cæterùm probabiliùs est oppositum, nisi casu, quo res non sacra, seu profana, dicata, vel commodata sit cultui Ecclesiæ, vel sub speciali ejus custodia; ita ut Ecclesia de illa teneatur. Itaque ad hanc speciem malitiæ contrahendam requiritur, quod res non sacra sit aliquid loci sacri. Sic tenent Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. ar. 4.* Henriq. *de Pœnit. lib. 2. cap. 6. n. 5.* Cajet. Luis, Lop. & Palat. quibus citatis, consentit Fagund. suprà, & cum Lessio, Coninch, Joan. de la Cruz, & aliis tradunt Lugo *disp. 16. sect. 10. n. 460.* & Leand. *disput. 8. §. 4 q. 18.* Ratio est, quia verba illa Pontificis: * *Non sacrum de sacro* * restringenda sunt, ita ut minùs extendantur, quàm si dixisset, *non sacrum in loco sacro*: strictè autem accepta indicare videntur ad sacrilegium incurrendum opus esse, quod res profana sit aliquid loci sacri.

4. Hinc fit primò, juxtà præfatos Doctores, non esse sacrilegium, & consequenter nec circunstantiam in confessione explicandam, si quis in Ecclesia furetur crumenam, etiam à Sacerdote, vel scamna, tapetia, & similia, non concurrentibus, quæ nuper diximus, ad sacrilegium contrahendum requisita. Fit secundò contrà Cordub. *in Sum. q. 13.* & contra Fagund. *supr. cap. 4. n. 11.* eum qui, dum confitetur, furaretur à confessario rem modicam, non peccaturum mortaliter, quia furtum illud leve concomitanter se habet ad confessionem, sicut quodlibet aliud veniale, quod eodem tempore committeretur: cum his autem benè componitur recta dispositio ad absolutionem, ut benè Lugo suprà *sect. 4. n. 474.* Si verò confessio assumeretur, ut medium ad furtum leve, videtur sentire Lugo cum Fagudez, intervenire culpam gravem sacrilegii: sed oppositum verius judico: nam assumere confessionem, ut medium ad vanam gloriam non est mortale, ut tradit ipse Lugo *sect. 5.*

contra

contra Sylvest. Angelum, & alios. Ergò neque assumere, ut medium ad furtum leve: finis enim utrobique venialiter tantùm malus est; ac proindè reddere nequit graviter peccaminosam actionem de se levem.

5. Rogabis, an qui rem sacram de loco sacro furaretur, teneatur in confessione explicare utramq; circunstantiam rei, & loci? vel satisfaciat dicens, furatum esse rem sacram, non explicando locum sacrum? vel furatum esse rem de loco sacro, non explicando esse sacram? Non teneri utramque circunstantiam manifestare, sed uno, vel altero modo ex dictis, satisfacere, tenet Fagundez *de Præcept. Eccles. lib. 4 cap. 5. n. 21. in fine*, quod tractan dum remiserat *cap. 4. n. 12.* consentit etiam Diana *1. p. tr. 7. resol. 22.* Probant, quia utraque circunstantia ad eamdem rationem formalem virtutis religionis spectat, nec multum variat judicium confessarii. Sed contra primò, quia ut isti Doctores fatentur, quando votum castitatis se habet ex parte utriusque delinquentis, non satisfacit quis in confessione declarans proprium votum, & excludens alienum, licet utraque circunstantia voti ad eamdem rationem formalem virtutis religionis pertineat. Contrà secundò, quia hæc non cohærent cum his, quæ docet ipse Fagund. *sup. cap. 4. n. 9. in fine.* Ubi ex communi Theologorum sententia defendit, esse tres species sacrilegii. Primam, furari rem sacram de loco non sacro. Tertiam, furari rem non sacram de loco sacro: ergò juxtà ipsius doctrinam, si non explicetur circunstantia loci sacri, non manifestatur prima species sacrilegii, quam contraxit, sed secunda. Et similiter si non explicetur circunstantia rei sacræ, sed tantùm loci, non prima, nec secunda, sed tertia species sacrilegii explicabitur. Ac proindè, vel dicendũ est, unicam tantùm dari speciem infimam sacrilegii in his furtis, vel necessariò confitendas circunstantias rei, & loci sacri: ut cum Alcozer existimant Lugo *sup. n. 471.* & Quiedo *1. 2. tr. 6. controv. 5. punct. 3. n. 32.* Ego verò judico, non tres, sed unicam esse speciem sacrilegii, ut sentit Diana, & non satis sibi constans Fagund. nullum enim caput invenio ad distinctionem specificam constituendam. Cæterùm si juxtà hæc principia duplex numero malitia, vel saltem una duplo major in eo peccato reperiatur, ut supponunt communiter Doctores, tenebitur pœnitens, ut illud satis explicet, voce aliqua uti, quæ confusè peccatum commissum significet, & non aliud longè minoris malitiæ, v. g. *commisi furtum sacrilegum.* Sic enim nulla malitia inexplicata manebit. Vel ut ego verius reputo consequenter ad superiùs dicta *disp. 2. q. 5. n. 9 & seq.* utraque circunstantia explicari debet, quia licet specie non distinguatur, constituit duplex peccatum in morali prudentum acceptione, sicut de circunstantia duplicis voti diximus ibi, *num. 16.*

CAPVT II.

De effusione seminis vel sanguinis in loco sacro.

6. SUppono primò per textus *in cap. unico, de consecr. Eccles. in 6. cap. Eccles. de consecr. dist. 1. cap. fin. de consecr. Eccles. capit. significasti de Adulter.* & aliis juribus, statutum esse Ecclesiam violari per effusionem sanguinis, vel seminis, ac proindè non posse in eis, donec reconcilientur, celebrari. Undè proven t, prædictam sanguinis, vel seminis effusionẽ sacrilegam esse, utpotè sanctitati loci oppositam, & ex motivo religionis ab Ecclesia prohibitam, ut docent communiter omnes, tam Theologi, quam Canonistæ. Suppono secundò, Ecclesiam non pollui, nec violari per sanguinis, vel seminis effusionem, nisi notoriæ sint, ut docet Vazq. 1. 2. *disp. 98. cap. 3. n.* 2. & Card. de Lugo *disp. 16. sect. 10. num. 46.* quam verissimam ferè omnium sententiam sequitur Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 10.* & com. Navarr. & aliis Fagund. 2. *præcept. Eccles. lib. 4. cap. n. 24.* quam tenet cum aliis M. Joan. de la Cruz *direct. de sacrific. Mis. q. 3.* ubi sic: * Violatur Ecclesia pollutione voluntaria, & publica, non per pollutionem, aut coitum occultum, etsi à duobus, vel utriusque sciatur, dum non publicatur, ita Palud. *in 4. sb. 2. n.* & Sotus *dist. 13. ar. 3.* & sequitur M. Acosta de Velasco *tom. 2. verb. Iglesia, res. 77. n. 6.* ubi ait: * Advierten los Doctores, q̃ las tales acciones deben ser públicas, porque si son ocultas, comunmente afirman, que por ellas no queda poluta la Iglesia. * Imò adhuc alii, non sufficere delictum esse notorium, sed illud requiri, quod per sententiam judicis declaretur Ecclesiam esse pollutam: Ita Diana *6. p. tr. 5. Miscel. sol. 27.* apud quem probabile putant Suarez, & Figuerdez, & Martinus de S. Joseph. *in Mon. tom. 3. tract. 15. de Euchar. num. 7.*

7. Difficultas est, an quando Ecclesia non violatur, eo quod sanguinis, vel seminis effusio sit occulta, contrahatur malitia sacrilegii in confessione explicanda, sive effusio seminis per pollutionem, sive per copulam conjugalem, vel per illicitam contingat? Affirmant Fagundez supra *cap. 4. Suarez tom. 3. de Religione, lib. 3. cap. 7. nu. 4.* Bonacina *de Matrim. q. 4. punct. ult.* Card. de Lugo ubi supr. Palud. D. Anton. Adrian. & Navarr. quos citatos sequitur Sanchez *lib. 9. de. Matrim. disp. 15. n. 11.* Eorum fundamentum est, quia per talem seminis, vel sanguinis effusionem ex natura facti, & per se pollitur Ecclesia: si enim ille actus fieret posteà publicus, Ecclesia polueretur, & reconcilianda foret, ut decidit rursus *in significasti, de Adulteriis*: ergò à principio fuit sacrilegus, & contra Ecclesiæ prohibitionem, quia non incipit esse contra illam, quando posteà publicatur: ergò ab initio malitiam illam contraxit, licet veniat, neminem teneri abstinere à celebratione in Ecclesia, dum talis actus permaneat occultus.

8. Hoc fundamentum non multum habet puderis, quid enim prohibet, quod Ecclesia contemplata polluta, & violata, dum primùm sanguinis, vel seminis effusio fiat publica & notoria, & tamen, quod in prædicta effusione occultè facta, nulla intervenerit sacrilegii culpa? Nonne ita potuit per sacros Canones sanciri, ut sola effusio notoria, & publica fieri, ex motivo religionis sit prohibita? Si igitur Ecclesia, quæ posita seminis, vel sanguinis effusione non erat adhuc polluta, incepit posteà talis esse absque novo actu, & absque nova culpa, ubi primùm prædicta effusio publicata fuerit, ut inquit Sanchez, cur dicere non poterimus, Ecclesiam pollui, & violari posse absque culpa aliqua, sacrilegii idque evenire, quoties sanguinis, aut seminis effusio occulta contigerit, & posteà publicetur; ac proindè prohibitione canonica tantùm esse prohibitos prædictos actus publicè, & notoriè patratos.

9. Propter hæc secunda, & favorabilior sententia tenet, seminis, vel sanguinis effusionem intra sacra, si occultè habeantur, non continere malitiam sacrilegii, & per consequens circunstantiam loci sacri esse necessariò in confessione explicandam. Sic M. Zanard. *p. 1. Direct. de Sacr. Matrim. cap. 41. fol. mihi 898.* dicens: * Non erit peccatum mortale (nempe sacrilegii) si copula, sive licita, sive illicita, sit secreta, quia tantum propter publicam pollutionem seminis vel san-

vel sanguinis, Ecclesia ut polluta reconciliatur. * Quem sequuntur Eman.Rodriguez *tom.1. cap.* 243. *n.*19.Fr.Basil.de Leon *de Matr.lib.*10.*cap.*10.*nu.*15. M. Victorell.Graffius,& Sayr. apud illum , & alii viri doctissimi apud Dicastillo *de Pœnit.disp.*1.*dub.* 8. *nu.* 61.Item Caspens.Trull.Basæus, Caram.& alii apud Dian.*p.*9.*tr.*9.*res.*5.& probabilem ipse putat.*p.*1.*tr.*7. *resol.*25.*&* 26. *&p.*2.*tr.*3.*Miscell.res.*13 *&p.*7.*tract.*11. *re.*1.Sicut,& Naldus,*verb.sacrileg num.*12. Leand. à Sacram.*tom.de Pœnit tr.*5.*disp* 8.*q.*9.& Machad. *tom.* 1.*lib.*2.*p.*3 *tr.*4.*docum.*3.*n.*11.& novissimè amplectitur Rev.P.Delgadillo *tom.de Pœnit.cap* 17 *dub.*77.& doctissimus P.Fr.Francisc.Pichon *in tr.de Matri. disp.*7. *sect.*5.*n.*150.ubi sic:* Nisi defectum effusionis seminis sit publicum,non polluitur Ecclesia. Undè si effusio seminis sit occulta,etsi sit graviter peccaminosa,non contrahit malitiam sacrilegii. Ita communis sententia Avila,Azor,Toledo,Ponce. *Hanc sententiam esse satis probabilem dicit Vazq.1.2.*disp.* 98. *cap.*3,*nu.*6.Cui consentit Hurtad.Complut. *de Matrimon.disp.*10.Lugo ubi supr.& Tambur. *in Method. exped.confess.lib.*2.*cap.*7. § 5.*n.*35. Pro eadem militant Barbosa,& alii,quos citatos sequitur Sachus ex Ordine Minorum,in Fasciculo Flor.*lib.*1.*tract.* 3. *cap* 3. *dub.*10.& D.Francisc.Verde in Opusculo pro Caramuele *quæst.*4.§.89 *fol.*56.

10. Eamdem opinionem,loquentes de concubitu conjugali occulto,tuentur Angles.Man.Rodrig. Vega,& alii apud Sanchez *supr.nu.*10.& favet M.Sotus *in* 4.*dist.*32.*ar.*3.ubi sic:* Quando talis concubitus est sic occultus,ut in publicum venire non possit, tunc fortè non est conjugibus peccatum mortale: nam ut *dist.*13.*q.*2.*art,*3.scripsimus, nisi de violatione legitimè constiterit,non est à celebratione abstinendum,ob idque injuria non est adeò attrox censenda. *Sotum sequitur Mag.Ludovicus Lopez 1.*part.instructorii,capit.*82.§.*at verò*, bi:* Si tamen sit secretus talis concubitus,quia secundum Scotum, & Theologos non indiget reconciliatione Ecclesia,fortè, inquit Sotus,non est peccatum mortale , cui ego assentior,& infrà.* Dum talis concubitus cum uxore est secretus,excusatur à mortali ratione non tantæ irreverentiæ,& quia per talem actum non violatur locus sacer.* Sic Lopez cum Soto ubi suprà. Quorum ratio,aut nullius ponderis est,aut æquè probat, eximendas esse à malitia sacrilegii,pollutionem , & simplicem fornicationem,si occultè fiant , ut benè notavit Sanchez supr.*num.*10.* Ex ratione, inquit, hujus sententiæ apertè colligitur,fornicationem occultè admissam in loco sacro , non habere malitiam lethalem sacrilegii,atque ita loci circunstantiam non esse necessariò tunc confitendam , quia ut probavimus *num.*4.tota sacrilegii mortalis deformitas ex loci sacri pollutione petenda est.At cessat pollutio, ubi est fornicatio occulta.* Quod autem malitia sacrilegii ex loci sacri pollutione proveniat, aut ex eo,quod Ecclesia violetur,tradunt apud Sanchez suprà Palud.Sotus,Cajetan.Armilla,Victoria , Joannes Nider,Petrus de Ledesma , & plures alii, & approbavit Ludovicus Lopez loco citato: indeque infert *cap.*33.Concubitum conjugalem publicum habere malitiam sacrilegii,* cum per illum violetur locus sacer.* Igitur quicumque alius concubitus,si secretè fiat,malitiam sacrilegii non habebit:Undè inconsequenter de non conjugatis aliter sentit alibi author iste, ut jam diu notavi. Hæc consequentia ex principiis jactis legitima est , & hoc syllogismo breviter demonstratur. Effusio sanguinis, vel seminis in loco sacro , eatenus est sacrilegium, quatenus per illam locus sacer violatur; sed nulla effusione seminis occulta violatur,ut omnes citati docuerunt.Ergo nulla effusio occulta est sacrilegium. Ut omittam juxtà M.Sotum *in* 4.*dist.*32 *q. unica,ar.* 3.*suprà citato*,violationem loci sacri occultam fortè non sufficere ad peccatum lethale sacrilegii,eo quod Ecclesia solùm prohibet celebrare in Ecclesia violata,* quando violatio est publica,nam si sit occulta, nec opus est missas,& sacrificia suspendere , neque Ecclesiam reconciliare,& est,inquit , opinio communis,ut Sylvester refert. * Si ergo concessa violatione Ecclesiæ,non est adhuc sufficiens fundamentum ad gravem culpam effusionis,si occultè contingat,quantominus,si propterea ad violationem insufficiens adstruatur?

11. Ego verò ex utriusque sententiæ fundamentis,medium carpens viam existimo,malitiam sacrilegii tunc intervenire,quando vel prædicti actus publicè fiunt,vel in his circunstantiis, ut prudenter timeri possit publicandos:secus verò minimè Moveor,quia ut fatentur Doctores secundæ sententiæ, eatenus illi actus malitiam sacrilegii participant, quatenus locus sacer per illos profanatur,ejusq; benedictio tollitur;sed per tales actus,licet secretò habitos, adveniente postea publicatione,locus sacer profanatur,ejusq; benedictio tollitur. Ergo si secretò faciés non sibi suadeat probabiliter non esse publicandos, jam quatenus est exte,habet voluntatem violandi, profanandiq; locum sacrum,& consequèter non potest non delinquere contra religionem:nec aliud, ni fallor,probant argumenta primæ sententiæ,nec fundamenta secundæ aliud suadent.In hanc sententiam, ut à me explicatam,voco M.Sotum *verb. suprà datis, in* 4.*dist.*32.*art.*3.excusantem à malitia sacrilegii conjugatorum concubitum in loco sacro * quando est sic occultus,ut in publicum venire non possit.*

12. Non me latet Vincentium Baronũ ægrè ferre,M.Sotũ in hujus opinionis patrocinium advocari,ut videre licet in opere contra Amadæum *disp.*2. *sect.*3.*ar.*2.§.3.*fol.*240.ubi non solùm negat, vel subdole tacet verba nuper adducta,ex M.Soto, sed alia contraria illi affingit;dicens M. Sotum loco ab Amadæo citato (nempè *in* 4 *dist.*32 *q.unic.ar.*3.) de cõjugatis sermonẽ instituendo affirmasse;tàm exigere, quàm reddere in loco sacro esse peccatum mortale, eo quod locus sacer violetur,& sacris celebrandis ineptus fiat:*Quapropter ejusmodi effusio sacrilegium est, sive clam,sive publicè fiat,dummodo sit voluntaria.* Ita (inquit Baronius) habet Sotus,* sed homo non solum hostem finxit;sed verba,quia illa *sive clam, sive publicè fiat*,apud Sotum non inveniuntur,sed ex unico figuli cerebello ortum habuere:præterquam quod , & verbis M.Soti superius adductis expresè contradicunt,& etiam aliis ejusdem *in* 4.*dist.*13.*q* 2.*art.*3.*vers. Ait.*4.infrà referendis.Et forsan,ut calumniã occultaret Baron.affinxit Amadæo,citasse Sotum *dist.*33. *q.*2.*art.*3.cùm tamen Amadæus non *dist.*33.sed 32. nec *quæst.*2.(quia unica tantùm in hac dist. continetur, Sotum refert.Addit Baronius,malè omninò in nostræ opinionis patronum advocari Cajetanum.*Nã Cajet.inquit,falsò citatur ab Aquila *tom.*1.*tr.*17. *res.* 12.quia nil habet eo tractatu, sed 31. *resp.* 12. *sed miror Baron.ignorasse *tr.*17.*resp.to.*1.*Opusc.*Cajet.ẽdem esse cũ 31.In cujus fidem,ne curiosus lector hæreat,duos omni exceptione majores testes advoco, Sanchez *lib.*9.*de Matrim.disp.*15.*num.*21.ib :* Ut optimè,inquit,docet Cajetanus *in Opusc.tom.*1.*tr.*17.*resp. qui est trigesimus primus, respons.*12.*dub.* 2. * & Rev. Candid.M.Sacri Palatii *tom.*2.*disquis.*24.*art.*23.*dub.*

41. ibi:* Videatur Cajetanus *in Opusc. tom. 1. tract. 17. respons qui est, 31. resp. 12. dub. 2.* * En Baroni mala citation s fides tua est, cùm unus, & idem sit locus, & à Sanchez, & M. Candido pro opinione præfata allegatus. Sed quidquid in hoc loco Cajetanus tradiderit (à quo ego pro ea citando, consulto abstinui) credo tamen, multum favere 1. 2. q. 7. *in commentario*, ubi sic ait:* Circunstantia sacri loci illa sola ad sacrilegii speciem trahit, quæ sanctitati loci directè opponitur, aut annexa immunitati, ut effusionis sanguinis, aut seminis humani (attende) quæ impediunt, exhibendum ibidem Divinum cultum. * Cum autem, si occultè fiant, Divinum cultum non impediant, ut tradunt communiter Doctores suprà citati, sequitur apertè, Cajetanum non incongruè in patronum nostræ sententiæ advocari.

§. UNICVS.

Quid de concubitu conjugali?

13. MAjor est difficultas, an concubitus conjugalis, extra casum necessitatis, sit prohibitus in loco sacro? Negant non pauci, qui proindè per illum etiam publicum, Ecclesiam non violari, nec sacrilegii malitiam contrahi defendunt. Ita apud Sanchez *supr. num. 7.* tenent Glossa, Hugo, Laurent. Gandulf. Archidiacon. Henricus, Rosella, Gerson: quos sequitur Basilius de Leon *lib. 10. de Matrim cap. 10. n. 13.* ubi, his, & aliis citatis. Sic ait:* Horum accedo sententiæ, hac inductus ratione. Quia actus maritales in loco sacro non habent labem sacrilegii ex naturali, aut divino jure, sed tantum ex constitutione Ecclesiastica, quæ statuit nonnullis actibus Ecclesiam violari, & reconciliandam esse, ut dicebam suprà. Videamus ergo an jus Ecclesiasticum statuat, maritali effusione seminis locum sacrum pollui. Si enim non statuit, non est cur dicamus, actum maritalem in loco sacro, etiam extra casum necessitatis, esse sacrilegum, imò neque culpabilem, si scandalum absit. Adducitur ergo textus *ex cap. significasti de Adulteriis.* At ibi est sermo de copula Clerici cum alterius uxore. *In cap. Ecclesiis dist. 68. & de consecrat. dist. 1. quod desumitur ex Concilio Niceno*, tantùm dicitur violari Ecclesiam, si cujuscumque hoc est, sive viri, sive fœminæ pollutione maculetur. Eo autem verbo non significatur maritalis actus. Atque idem dico *de capit. fin. de consec. Eccles.* Debet ergo esse illicita seminis effusio. Actus autem maritalis ex se non est illicitus, & ex jure non ostenditur illicitus. Ergo non est, undè dicamus esse illicitum, & sacrilegum in loco sacro. Quod etiam à simili ostendi potest in effusione sanguinis, quæ quàdo justa est, non habet speciem sacrilegii. Restat ergo, ut tantum effusione seminis ex se illicita, & quæ cum peccato mortale sit, polluatur Ecclesia, & illa sola commissa in loco sacro, habeat speciem sacrilegii.* Hactenus Basilius.

14. Hanc sententiam, etsi cum formidine, tenuit etiam M. Sotus *in 4. dist. 11. q 2. art. 3. §. ait 4. S. Thom.* ubi sic:* Violatur Ecclesia per quamcumque illicitam seminis effusionem in vigilia, ut habetur *cap. significasti de Adulteriis.* De qua etiam effusione seminis, & sanguinis, habetur etiam *de consecr. dist. 2. Canone Ecclesiis* Et *de consecr. Eccles. vel altaris, cap. fin.* tametsi de conjugali concubitu dubium sit inter Doctores: Et forsan per illum concubitum non violatur; nam pœnæ sunt restringendæ.* Sic Sotus, cujus opinionem absque formidine sequuntur Martinus de S. Joseph. in monitis Confess. *tom. 1. lib. 1. tr. 50. de Matrim. num. 2.* Mascarehnas *tom. 1. de Sacr. tr. 5. num. 199. lib. 4 de Sacrific. Missæ, diffic. 7.* F. Francisc. Pichon *tom. Matrimon. disp. 7. sect. 5. num. 147.* D. Francisc. Venant Diana *part. 11. tr 8. resol. 34.* Dicalbillo *de tot. tom. 3. tr. 10. disp. 9 dub. 5. num. 57.* M. Serra *in 3. p. q. artic. 3. §. Tertius est fol. mihi 541.* & M. Acarus de Velasco *tom. 2. verb. Iglesia, resol. 77. num. 8.* dum inquit:* Pero ortes con mas probabilidad.* Et sequitur Martin. Perez *de Matr. disp 49. sect. 4 n. 7.*

15. Pro hac sententia adducit Vincentius Bonnius *ubi suprà*, Amadæum Guimenium *tract. de pœnit. prop. 11.* cum tamen ipse *ibidem num. 5. in fine*, oppositam expressè teneat, dicens.* Cæterum contrarium est communis inter Theologos, & omninò tenendum *ex cap. fin. de consecr. Eccles. & cap. Ecclesiis, dist. 68.* Nec potuit clarius dicere. Addit insuper calumniam Amadæi Baron * Mala est consecutio, quam urget Amadæus à conjugatorum occulto, ad publicum loco sacro congressum,* cum tamen Amadæus illam consecutionem non urgeat; nec proinde Doctorem aliquem referat: omnes enim, quos adducit, ex diverso principio id tenent; nempè ex eo, quod sola copula illicita contra castitatem sit in loco sacro à sacris Canonibus prohibita, secus coniugium, ut constat ex superius dictis. Affingit pretea Baronius, Amadæum ex conjugatorum occulto congressu licito, deducere similiter non esse sacrilegium, *solutorum quemcumque in loco sacro congressum*, quasi publicum etiam à sacrilegii malitia inter solutos exemerit. Quod nec in Amadæi, nec alterius ex Doctoribus, quos refert, mentem, venire potuit. Quinimò, nec ex occulto conjugatorum coitu, occultum solutorum à sacrilegio excusandum dedixit, sed utrumque ex eodem principio infulit, nempè quia per occultum, sive licitum, sive illicitum, non violatur Ecclesia, nec reconciliatione indiget, ut docent communiter Doctores. Lectorem jam adveo. Sed his omissis, quia calumniarum nullus est finis.

16. Nostra sententia est, per concubitum conjugalem, extra casum necessitatis, in Ecclesia habitum, nisi occultè exerceatur, Ecclesiam pollui, reconciliatione que indigere, ac proindè speciali sacrilegii malitia infici. Ratio est, quia *cap. Ecclesiis, de consecrat. dist. 2. & cap. Ecclesiis, dist. 68.* desumptus ex Concilio Niceno, dicitur generaliter, Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione: atqui per effusionem sanguinis licitam, judicis ministerio factam, locus sacer polluitur. Ergo, & per effusionem seminis ex se licitam. Neque his obstat Basilii *suprà*, explicatio, quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quapropter hanc sententiam amplectuntur ferè centum Doctores, quos recenset sequitur Thom. Sanchez *lib. 10. de Matrim. disp. 11. n. 7.* & M. Sotus sibi contrarius *dist. 32. quæst. unic. art. 3. conclus. 3.* ut certam supponit, *§. hanc autem conclusionem*: tametsi, ut verum fatear, contraria haud facilè possit falsitatis convinci. Cùm juxtà communem Doctorum sententiam, quos citatos sequitur Diana *part. 11. tract. 2. resol. 58.* si effusio sanguinis (extra judicialis) à peccato mortali excusetur, quacumque de causa, nec erit sacrilegium, nec violabitur Ecclesia. Cur ergo idem non erit de effusione seminis? Sic quidquid de actu publico sit, secus dicendum, si de occultè habeatur: tùc enim idem cubitus conjugalis occultè habeatur: tùc enim idem cubitus conjugalis prorsus de illo, quod de copula illicita, & pollu-

ctus

tione occultè habitis,juxtà superius dicta , dicendum erit:Et potiori jure, ut ex terminis patet. Undè cùm hæ malitiam sacrilegii non contrahant,eo quod secreto factis,locus sacer non violetur, ita nec concubitus conjugalis.

17. Dubitant nihilominus Doctores , an in casu necessitatis,v.g.quando conjuges diu sunt intra Ecclesiam inclusi , nec patet aditus ad cameram adiacentem , possint in eodem toro publicè accubare.Negant plures apud Sanchez suprà *num.* 9.Affirmant Albertus Magnus *in* 4.*dist.*32.*artic.*11.*ad secundum*,Sylvester *quæst.*3.*num.* 5. Joann. Nider *in Summ.præcept.*6.*cap.*4.Margarita Confessor. 6. *præcap fol.*86.Petrus de Ledesma *de Matrim quæst.*64 *art.* 7.*concl.*1.*&in Summ.tract.de Eucharist.cap.* 20. *diffic.* 1.*circa modum, quo polluitur Ecclesia semine, vers. Dicolo primero*, & viginti alii Doctores, quos citatos sequitur Sanchez ubi suprà, *num.*12. Quibus lubens assentior,quia credibile non est,Ecclesiam cum tàm manifesto incontinentiæ periculo,quod attenta humana fragilitate,moraliter prorsus inevitabile est, voluisse conjuges tamdiu ad continendum obligare. Si autem quæras,quod tempus dicatur longum, quodnam breve, ut casus necessitatis reputetur? Pater Thom.Sanchez unum mensem longum tempus existimat:alii verò diuturnam obsidionem reputant decem , aut quindecim dies:alii verò quatuor, aut quinque,ut videre licet apud Fagundez, 2. *præcept. Eccles.lib.*4.*cap.*4.*num.* 24.Imò addit Sanchez *numer.* 13.*prope finem*, posse statim conjuges coire in Ecclesia,si constet,fore,ut ea obsidio diu perseveret, quia jam adest urgens causa,& necessitas prædicta.

18. Est tamen advertendum pro omnibus superius dictis, notorium,sive publicum illud tantum esse,quod sex personis notum est,ut ait Sà,*verb.Manifestum*: Septem verò requiri , docent Mascardus, & Martinus Antonius loquentes de percussione Clerici notoria: in quadecem testes exigit Adrianus. Sed plus addit Avila,ex Navarro,& Soto;approbatque Diana omnes citans 2 *part.tract.* 2. *Miscellan. resol.*14.percussionem clerici in magna civitate coram decem,vel duodecim,non esse notoriam: secus si in oppido parvo,vel Collegio ; quæ quidem ad nostrum casum applicanda sunt. Verum laxius Fagundez *secundo Ecclesiæ præcepto,libro* 4.*cap.*4.*num.* 24. ut copula,seu seminis,vel sanguinis effusio publica sint, requirit, quod majori parti Parochiæ , vel viciniæ nota fuerint. Quem alii sequuntur, & sunt valdè observanda ad ea,quæ diximus *num.*9. melius intelligenda.

CAPUT III.

Verùm tactus impudici,& turpes in Ecclesia, habeant malitiam sacrilegii in confessione explicandam?

19. PLures Doctores negativam sententiam tuentur,cessante periculo pollutionis : pro qua stant Alcozer apud Sanchez supra: & Cajetanus, & Navarrus apud Fagundez *in Decalogum lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 13. Quibus adde Bonacinam , & Homobonum,quos citatos sequitur Diana 1.*p. tract.* 7. *resol.* 25.*&* p.2.*tract.* 13. *Miscellan resol.*23. & Leander à Sacram. *tom.* 1.*de Pœnit.tract.*5.*disp.*8.§.4.*quæst.* 13. addens Jesualdum 1.*p.Summ.tract.*19.*cap* 4. *quæst.* 14. *num.* 23. & viros alios doctissimos; & tenet M. Zanardus 1.*p.director. de Matrimon. cap.* 41. *pag. mihi* 898. ubi sic ait. * Non erit peccatum mortale , (nempè sacrilegii) primo quoad cogitationes, locutiones,& tactus impudicos, citra periculum pollutionis seminis: quia propter hanc causam haberent circunstantiam mortalem. * Et novissimè amplectitur Reverend. Candidus , Magister Sacri Palatii *tom.* 2.*disq.*24.*art.*23. *dub.*41. ubi sic. * Aspectus, nutus,verba inhonesta , tactus turpes in Ecclesia, absque pollutionis periculo , non habent circunstantiam sacrilegii aperiendam necessariò in confessione. Videatur Cajetanus *in opusc. tom.* 1.*tract.*17. *resp.qui est* 31.*resp.* 12.*dub.*2. * Quos sequitur M. Acatius de Velasco *tom.* 2.*resol. Moralium, verb. Luxuria*, 208.*num.*2. ubi ait : * No es circunstancia el desear en la Iglesia tener acto carnal, que se ha de executar fuera della; y lo mismo es de los tactos,osculos,&c. que se hazen sin peligro de polucion. * Quod putat probabile Corduba *quæst.* 190.& me citato, sequitur D. Franciscus Verdem opusc.pro Caramuele *quæst.* 4.§.88.*fol.* 59. addens Tabienam,Caramuelem , & M. Serram 1.2. *quæst.* 72.*art.* 6.*dub.* 1. §. *Hinc colligitur* , & ante illum Villalobos *in Sum.tom.*2.*tract.*40.*diff.*14. ubi de desiderio rei turpis ait: * No tiene particular deformidad, que no es irreverencia contra el lugar sagrado,y lo mismo de los tactos, que se hazen sin peligro effusionis seminis. * Eandem sententiam , quoad aspectus,nutus, & verba inhonesta, tenent Canus, Ludovicus Lopez, & Ledesma, apud Sanchez *suprà num.* 20. Et pro omnibus stant *tex.in cap. final. de consecrat.& tex.in cap Ecclesiis de consecrat. dist.*1. *& tex.in cap. Ecclesiis, dist.* 68. & reliqui,in quibus tantum dicitur:* Ecclesiam pollui seminis, aut sanguinis effusione. * Non ergo tactibus , quantumvis impudicis , seclusa pollutione. Et ita cum Vazquez, Sanchez, Henriquez, & Fagundez tradit Oviedo 1.2.*tract.*6.*controvers.* 5.*p.*3.*n.* 65.& sequitur Sebastianus Sachus ex Ordine Minor.*in Fasciculo florum lib.*1,*tr.*3.*cap.*3. *dub.*10.*n.*93.ubi ait, hanc sententiam tenere Magistros Candidum,Serram,item Bonacinam,Merollam,& alios.

20. Pro hac sententia militare debent Sotus, & Ludovicus Lopez alibi citati , qui circunstantiam loci sacri, tunc in confessione necessariò aperiendam putant,quando actus inhonestus, in eo admissus impedit ibi posse divina celebrari, quod tenent etiam Cajetanus,& Navarrus supra memorati.Prædicti enim tactus id non impediunt , quia illis non violatur Ecclesia. Nec est violationis periculum, cum absque pollutionis periculo contingant,ut ponimus.

21. Adde,quod si ejusmodi tactus secreto fiant, etiamsi cum periculo pollutionis occultæ , non habebunt malitiam sacrilegii,juxtà Doctores cap. præcedenti citatos asserentes, nec pollutionem ipsam, nec simplicem fornicationem , si occultæ fuerint, prædictam malitiam contrahere , ut benè advertit Leander *ubi suprà disp.*8.§.4.*q.*13. Ideò R.P. Delgadilo *tom.de Pœnit.cap.*17.*dub.*22.postquam id de pollutione statuit,sic ait: * Unde à fortiori deducitur, neque per tactus turpes,aut aspectus occultè factos in Ecclesia,violari Ecclesiam,imò,neque per fornicationem occultam: & consequenter , quando est secreta , non est necessarium aperire hanc circunstantiam in confessione. * Et sequitur Franciscus Pichon *ubi suprà num.*115.dicens: * Ex dictis sequitur, non esse sacrilegia,cogitationes,desideria,& tactus, inhonesta. Ita necessariò fateri debêt Authores suprà citati

citati *num.* 150. & sequitur noster Emanuel, qui solum excludit tactus impudicos in partibus verendis, quod etiam ego dico, dum sequatur pollutio notoria; secus aliter. * Imò M. Serra *in 3. p. de Sacram. q. 83. art. 3. fol.* 540. §. *Tertius est.* Existimat, Ecclesiam non violari per pollutionem, nisi copiosa sit. * Copiosa, inquit, esse debet, sicut effusio sanguinis: unius enim, vel alterius guttæ emissio, quæ accidit turpia cogitantibus, non sufficit ad polluendam Ecclesiam. * Quod est valdè notandum.

22. Consentio Doctoribus citatis, quoad tactus turpes in loco sacro occultè habitos: dissentio verò omnino ab aliis, qui etiam publicè factos à malitia sacrilegii eximunt. Moveor, quia licet ex speciali statuto Ecclesiæ nullibi inveniantur prohibiti, secluso periculo effusionis seminis (ac proinde locus sacer per illos, sive occultè, sive publicè habeantur, non violetur; & propterea, nec reconciliatione indigeat, nec opus sit Missas, & sacrificia suspendere) nihilominus ejusmodi tactus impudicos in Ecclesia publicè fieri, tanquam indecentissimos sanctitati loci, jus divinum naturale prohibet; ideòque sacrilegii malitiam subeunt. Ita tradit P. Tambur. *in Method. libr. 2. cap. 7. §. 5. num.* 37. & à fortiori Ortiz *in Sum. notabili 5. in fine, circa 6. præceptum.* P. Salas 1. 2. *tom. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 22. num.* 150. & P. Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 3. cap. 7. n.* 11. ubi cum Cardinali, Sylvestro, Lopez, Rodriguez, & Ledesma, asserit, hos actus impudicos in Ecclesia factos, esse mortalia sacrilegia, ex vi legis naturalis, quia prudenter reputantur materia gravis, & sufficiens ad gravem irreverentiam loci sacri: quos sequitur M. Raphael de la Torre 2. 2 *tom. 2. quæst. 99. art. 4. disp. 7.* Quorum sententiam approbo, quando publicè fiant: secus si occultè, propter superius dicta.

23. Hoc etiam fundamento non incongruè defendi potest, concubitum conjugalem publicum in loco sacro, extra casum necessitatis, malitiam gravem sacrilegii contra jus divinum naturale contrahere, etiam gratis dato, nullo jure Ecclesiastico fuisse prohibitum, ut contendunt Doctores, quæst. præcedenti, *num.* 13. & 14. citati. Ex quibus solum inferri poterit, Ecclesiam non manere violatam, nec reconciliatione indigere, non verò malitiam sacrilegii vitari.

CAPVT IV.

Quid veniat nomine loci sacri, quoad furtum, & sanguinis, vel seminis effusionem?

24. Respondeo, tantùm venire Ecclesiam, vel locum consecratum, aut benedictum: & ultra requiri, quod sit ad officia divina, aut fidelium sepulturas deputatus. Ita P. Henriquez *lib. 9. cap* 27. & *lib. 5. de Pœnit. cap. 6. num. 9 in Gloss. lit. H.* Sanchez *lib. 9. de Matrim. dub.* 15. *num.* 24. Fagundez 2. *præcep. Eccles. lib. 4. cap. 4. num.* 32. cum Rodriguez, Navarro, Capua, & aliis. Undè constat, nomine loci sacri venire etiam cæmiterium benedictum ad fidelium sepulturam, ut contra Sotum *in 4. dist.* 32. *quæst. unica, art.* 3 *conclus.* 3. docent communiter Theologi, quos citatos sequuuntur Fagundez, *suprà numer.* 34. & Thom. Sanchez *num.* 40. & constat *ex capit. unico, de consecrat. Eccles. in* 6.

25. Ex dictis colligitur, non contrahere malitiam sacrilegii copulam, vel sanguinis, vel seminis effusionem, in cameris Ecclesiæ adhærentibus, vel in sacristia, vel in turri, ubi cimbala pulsantur. Ita Fagundez, & Sanchez suprà cum pluribus: neque habitationes in tribunis ad sacrum audiendum ex adverso aræ quæ dificatas, quia istæ addivina officia celebranda non deputantur, sed sunt quasi cameræ distinctæ, Ecclesiæque adhærentes, ut benè Sanchez suprà fecerat in choro, quia est intra Ecclesiam ad divina officia deputatus, ut ex Sanchez tenet Fagundez suprà.

26. De confessionariis est major difficultas, an veniant nomine loci sacri, & dicendum est non venire, quoties confessionarium fuerit intra concavum parietis à parte externa Ecclesiæ, quæ ad cæmiterium non pertineat. Idem dicito, quoties fuerit constitutum confessionarium intra ipsius parietis concavum, dummodo parieti aliquo tenui extrinsecus ducto, vel tabulis, vel panno cerato dividatur, & solùm per crates, aut foramina confessionis excipiantur: tunc enim pars illa, quæ ad confessionem spectat, non est locus sacer, secus ea, quæ seminæ ad confessionem accedunt. Ita Sanchez, & Fagundez suprà cum aliis apud ipsos.

27. Claustra Religiosorum, & oratoria, si benedicta sint, & officiis divinis, aut mortuis sepeliendis destinata, certum est, venire nomine loci sacri: secus verò minimè. Idem dicendum est de reliquis Religiosorum habitaculis, & officinis, quoad præcipuum effectum, tametsi omnia Ecclesiastica immunitate gaudeant. Vide Sanchez *suprà num.* 42. & Fagundez *num.* 39. Henriquez *libr. 2. de Pœnit. cap. 6. num.* 3. & alios apud illos, penes quos plura de hac materia. Idem tradit cum Sanchez, Fagundez, & Diana, Leander *disp.* 8. §. 4. *quæst.* 25. de pollutione, seu copia habitis in Oratorio alicujus domus, in quo dele gatia Ep. scopi Missæ celebrantur: hujusmodi enim locus non est benedictus; namque Oratorium, ad nutum fundatoris, potest ad usus redire prophanos: deficit ergo conditio necessaria, ut malitia sacrilegii refundi posset.

QVÆSTIO V.

De circumstantia Quomodo.

CAPUT I.

An pœnitens teneatur in confessione explicare consuetudinem peccandi?

1. Affirmant Fagundez, Henriquez, Tabiena, Resella, Sotus, & alii. Sed melius negant Suarez, Vazquez, Bonacina, Reginald, Zerola, & alii, quos citatos sequitur Diana *par. 1. mal. 7. resol. 15. & 55.* Ratio est manifesta; quia neque præcepto divino, neque humano tenetur pœnitens idem peccatum bis confiteri: ergo qui semel confessus, non tenetur iterum peccans se accusare de incidentia, ergo per se loquendo non tenetur explicare consuetudinem; aliàs deberet pluries se accusare de eodem peccato. Si autem consuetudo erumpat ex occasione proxima peccandi, non aliter tenetur illam explicare, quam opus sit ad occasionem proximam declarandam. 2. Sed

2. Sed quid,quando consuetudo fuerit causa eliciendi similes actus sine advertentia, & sufficienti deliberatione?(ut contingere solet habenti consuetudinem jurandi,vel blasphemandi , qui quidem falsitatem rei;vel rationem injuriæ , ut in plurimum non advertit) tenebitur ne se accusare de omissione auferendi prædictam pravam consuetudinem ? Affirmant Reginaldus,Suarez, Layman , & alii cum Diana 3.*p.tract.5. Miscell.resol.62.* Thom. Sanchez *in Sum,lib.3.cap.5.num.13.& 14.* Lugo *disp.16.sect.4.§. 6.* putant enim,juramenta ex illa consuetudine orta, etiam sine advertentia, esse peccatum læthale.

3. Cæterum secunda, & verior sententia tenet, prædicta juramenta,neque in se, neque in causa esse peccatum lethale;ac proinde, neque esse obligationem gravem auferendi consuetudinem , ex qua sequuntur , neque explicandi illam in confessione. Ita Joannes Sanchez *in Selectis, disp.20.num.5.* & non improbat Diana 3. *p. tract.5. Miscellan.resolut.62.* Neque Lugo *suprà num.*206.Probatur: quia verba juratoria absque intentione , animoque jurandi prolata,non habent perjurii rationem,neque gravis offensæ Dei,ut plures Theologi docent, sed qui inadvertenter jurat,seu blasphemat, intentionem jurandi non habet:ergo verba juratoria ab eo prolata non habent rationem perjurii:ergo consuetudo jurandi non est causa perjurii; ergo non est occasio, nec periculum gravis peccati. Deinde non est,unde probetur obligatio gravis vitandi juramenta materialia,& materialiter tantum falsa:Ergo non est unde oriatur gravis obligatio vitandi consuetudinem. Secundo probatur , quia nemo tenetur vitare in causa actiones, quas in se ipsis non tenetur vitare; sed nemo tenetur sub lethali vitare in se ipsis verba juratoria, absque animo jurandi prolata ; ergo neque in causa tenebitur: ergo neque auferre consuetudinem. Patet consequentia, quia hoc nihil aliud est,quàm velle in causa proferre verba absque animo jurandi.

4. Obiicit Lugo:verba perjurii, etiam inadvertenter prolata,perjurium sonant, & in hoc sensu ab auditoribus accipiuntur : ergo omnino vitari debent,tam in se,quam in causa.Sed contra,quia ex eo quod perjurium sonent , dum illud non continent,non inducunt obligationem gravem ad ea vitanda,ut patet in eo,qui jurat,utendo æquivocatione,præcipuè,quando verba ex se ambigua non sunt, sed ex solo addito in mente jurantis in verum sensum detorquentur.In hoc inquam casu, verba juratoria perjurium sonant,& in eo sensu ab audientibus usurpantur,&tamen malitiam gravem non continere docent P.Sanchez *in Sum tom.1.lib.3.cap.6.num.22.* Bonacina *de legibus,disp.4.q.1 punct.12.* Filliuc. *tom.2. tract.25.cap.11.num.331.*& plures,quos citavi *tract. 2. de Relig.disp.1.q.6.num.17.& seq.* Si igitur verba juratoria advertenter prolata non continent in se ipsis culpam gravem,neque inducunt gravem obligationem ad ea vitanda,cur si inadvertenter proferantur, dicenda sunt continere in causa ejusmodi malitiam,& obligationem ? Confirmatur : quia ex eo, quod juramenta, & verba cotumeliosa in ebrietate,vel somno prolata non habeant rationem juramenti,vel contumeliæ , non continent malitiam gravem,neque in se, neque in causa , etiamsi proferenda prævideantur, ut ipsi adversarii fatentur, sed verba juratoria absque advertentia prolata ab homine rationis compote,non habent rationem juramenti,ut ex communi Doctorum supponimus:ergo neque in se,neque in causa malitiam gravem continere possunt.

5. Dices:in habente usum rationis continere quamdam turpitudinem objectivam, ratione cujus in sua causa vitari debent. Verum non satis capio: nam Cardinalis de Lugo aliam assignare non videtur,quam,illa verba,exterius sonare perjurium , & hunc sensum apud audientes generare. Lege illum suprà *à num.*211.Hoc autem non sufficere ad culpam grauem jam supra confeci. Fortasse verò propter scandalum,& inductionem ad falsa juramenta, poterit in aliquo casu id esse mortale ; quod quidem, propter eamdem rationem,dicendum est de illo,qui amphibologicis verbis utens juraret. Quæstio autem præsens ab his præscindit,illisque seclusis,inquirit de obligatione vitandi consuetudinem.

CAPUT II.

An saltem rogatus à confessario teneatur pœnitens aperire consuetudinem peccandi?

§. I.

Negativæ sententiæ Authores,& fundamenta.

6. PAttem negativam non pauci Doctores tuentur,post Joannem Sanchez *in Select.disp 9 n.* 6.ubi totus est in probando,confessarium jus non habere ad interrogandum de consuetudine peccandi;ac proindè,nec pœnitentem interrogatum teneri illam manifestare.Cujus fundamentum apud gravissimos Doctores fixum invenio , M. Texeda *tom.1.Theol.Moral.lib.2.tract.3.controv.10.num.32.* ibi: * Id, quod pœnitens interrogatus tenetur declarare; tenetur ipse dicere,etiamsi non interrogetur. *Sed non interrogatus non tenetur dicere consuetudinem peccandi,ut constat *ex cap.præcedenti.* Ergo interrogatus non tenetur declarare , Pat. Suarez *tom.4.in 3.part.disp.22.sect.3.nu.10.* * Interrogatio confessoris non addit obligationem, sed illam potius supponit,ideò enim confessor justè interrogat,quia pœnitens habet obligationem confitendi. * Angelus Maria Verricelli *in quæstionibus Moralib. tom.1.tr.8.quæst.18.** Quidquid ex se pœnitens non tenetur confiteri , neque interrogatus fateri tenetur.* Filliucius *tom.1.tract.7.num.88.* * Interrogatio non addit novam obligationem, sed supponit * Fr. Franciscus Bonæ Spei *in Noctua Belgica,dub.16. rel.3. num.468.* * Pœnitens non tenetur respondere , nisi ad ea, aut saltem in ordine ad ea , quæ per se, & non interrogatus fateri tenetur. In hac enim sola obligatione fundatur legitima interrogatio Sacerdotis. * Cùm igitur pœnitens,ut quæst.præcedenti diximus,& ex D.Thoma tradit M.Canus *relect de Pœnit.part.5.fol.mihi 36.* non habeat obligationem confitendi consuetudinem peccandi, videtur apertissimè inferri,per se loquendo, neque interrogatum teneri.

7. Ideò hanc sententiam tenet Rev. Pat. Leander à Sacram.*tom.1.de Pœnit.tr.5.disp.8.§.7. quæst.21.* ubi sic:* An saltem teneatur pœnitens confiteri consuetudi-

suetudinem peccandi, si à confessario de illa interrogetur? Affirmant Diana 1.*part.tract.*7.*resol.* 15. & clarius *resol.*55. Vazquez, Henriquez, Reginaldus, & alii. Et iterum contra me Diana *part.*9.*tract.*9. *resol.* 66.in fine, addens contrariam opinionem à sacra Congregatione Indicis fuisse deletam ex operibus Sancti. Sed probabiliter respondeo, adhuc in hoc casu non teneri, si aliàs pœnitens verè sit dispositus, quia pœnitens non tenetur, ut vidimus, talem consuetudinem confiteri. Ergo nec confessarius habet jus ad hoc interrogandum. * Hæc Leander, qui *disp.* 8.*in fine*, sensum prohibitionis sacræ Congregationis Indicis exponit, modo infrà referendo.

8. Leandro consentit Joannes Poncius ex Ordine Minor.*in cursu Theologico, disp.*45.*conclus.*2.*num.*32. ibi:* Quæri solet, an pœnitens teneatur confessario interroganti, an habuerit consuetudinem committendi peccatum, quod confitetur, respondere, quod sic, si eam habuerit? Joannes Sanchez negat, Card. de Lugo affirmat, &c. existimo non teneri quem confiteri lapsus antecedentes, quamvis utiliter posset, si vellet. Sed non placet modus eludendi interrogationem per æquivocationem (ut Joannes Sanchez putat) melius esset absolutè dicere: Pater, hoc non spectat ad rem. Quidquid sit de hoc, jam spero cum gratia Dei cavere lapsum in posterum. * Sic Poncius.

9. Ejusdem sententiæ videtur Illust. M. Acatius de Velasco *tom.*1 *resol.moral.verb.Confession, resol.*188. *num* 8.*fol.mihi*376. ubi inquit. * Algunos Doctores dizen, que por lo menos, si el Confessor pregunta de la costumbre, está obligado el penitente à confessar la, y que podrá el Confessor, confessada la costumbre, diferir, y alargar la absolucion, como le pareciere. Lo contrario dize Sanchez en sus Selectas disputaciones, &c. Prueba esto con autoridad de muchos Doctores. * Dixi, M. Acatium hujus sententiæ videri, quia eam ultimo loco posuit. Nam ut ait M. Fumus *in Armilla, verb. Opinio, num.* 5. * Doctor referens plures opiniones, videtur sequi ultimam, quando aliam non firmat, secundùm Hostiensem *in cap.*1.*de Privilegiis, lib* 6. * Cui regulæ adhæret Sanchez *de Matrim.lib.*2.*disp.*36.*num.*3. *& alibi.* Id quod M. Acatius, tenet Machado *tom.*2.*lib.*7.*p.*2. *tract.*3. *docum.*2.*fol.mihi* 605. ibi: * Muchos Doctores sienten, que el penitente está obligado à confessar la costumbre ordinaria, que tiene, de reincidit en un mismo pecado (attende) y que por consiguiente el Confessor tiene derecho à preguntarle por ella, y èl está obligado à responder, &c. Si bien otros muchos sienten, y defienden ex professo lo contrario, si no es en caso, que la costumbre naciesse de la ocasion proxima del pecado.* Et expressius tradit Tancredi *in Quæstionib. Moralib.disput.*3.*quæst.*23.*fol.*62. dicens cum Joanne Sanctio, posse pœnitentem utendo æquivocatione dicere: * se non habere consuetudinem talis peccati.*

10. Et loquendo generaliter de obligatione confitendi circunstantias notabiliter aggravantes, hanc sententiam tenet Diana *p.*5.*tract.*14. *resol.* 100. ubi probans, circunstantiam copulæ cum confessario, vel pœnitente, non esse necessariò in confessione aperiendam, ait:* Est enim circunstantia aggravans, quæ quidem non est necessario confitenda, etiamsi de illa pœnitens interrogetur à confessario: non enim habet jus confessarius ad interrogandum de circunstantiis aggravantibus, unde nulla ei irrogatur injuria, si occultentur. * Quem sequitur Leander à Sacram. plures citans *tom.* 1. *de Pœnit. tract.* 5.*disp.* 8.§.8.*quæst.*26. * Quia confessarius, inquit, non potest pœnitentem obligare ad id, quod non decessarium ad confessionem. Unde optimè potest le respondere Confessori, sejam declaraste, qui sufficit, quia ex Doctoribus, & ratione novit, se non amplius teneri; & tunc confessarius ei se debet accommodare. Sic Henriquez, Granado, Navarrus, Sylvester, Hurtado, & posteà Baunius.* Quibus ad. de Joannem Poncium Ordinis Minorum in Curs *Theologico, disp.*45.*quæst.*7. *conclus.* 2. ubi loquens de quantitate furto sublata, sic ait:* Si confessar no sabe quantitatem, ipse potest dicere; non tenetur à hoc confitendum. Et consentiunt Frat. Ludovicus Conceptione 2.*p.exam.verit.tract.*3.*de peccator.simul in præludiis notabili* 3. dicens:* nemo tenetur confiteri respondere, de aliquo non necessitatio interrogati.* Et, Dicastillo *de Pœnit.disp.*9.*num.*147. ubi:* Pœnitentem, etiam interrogatum à confessario de circunstantiis aggravantibus posse illas non fatri, licet non neget, & respondere confessario, se non obligari ad declarandum. * Quibus adde M. Joannem Martinez de Prado *tom.de Pœnit.q.*2. *dcunq. confes.dub.*2.*de circunst.*§.3.*folio* 651.§.*Ad secundam confirmat.* ubi sic:* Si tamen sit casus, quo circunstantia nullo modo sit sub præcepto (nempè nec directè, nec indirectè) de necessitate confessionis, etiam interrogatus potest veritatem occultare, sicut ù interrogaretur de venialibus.*

11. Sic loquuntur præfati Doctores; quorum fundamentum, si aliquid probat, idem evincit de consuetudine peccandi, quæ ad circunstantiam solùm aggravantem reduci potest. Probat Joannes Sanchez conclusionem; quia idem prorsus est circa confessarium habere jus ad interrogandum de consuetudine peccandi, ac illud habere ad obligandum pœnitentem, ut idem peccatum bis confiteatur; sed ad istud jus nullum habet; ergo neque ad illud. Confirmatur, quia Sacerdos tantum est judex constitutus super species, & numerum peccatorum, quæ ejus subjecta non fuerunt: hoc enim vulnus, & non aliud, ex medici munere, curare debet: ergo solum habet jus ad interroganda, quæ necessaria sint ad cognitionem peccatorum, secundum speciem, & numerum: sed sine expressione consuetudinis, hæc pœnitens explicare potest, ergo confessarius jus non habet ad interrogandum de consuetudine. Urgeo, quia interrogatio confessoris, ut constat ex Auctoribus supra citatis, non addit obligationem, sed lam potiùs supponit: ideò enim confessor judex interrogat, quia pœnitens non satis exprimit, quæ ejus fiteri tenetur; sed non tenetur ex se confiteri consuetudinem peccandi, ergo nec post interrogationem confessarii.

12. Nec obstat, quod diversam pœnitentiam confessarius injungeret pro peccato reincidentiæ, quam pro semel commisso, quia pœnitens non tenetur manifestare peccatum, his circunstantiis vestitum, ea major pœnitentia injungenda sit, sed solum interprimendum peccatum secundum gravitatem specificam illius. Ergo si hæc declarari possit absque ulterius peccati jam confessi expressione, nullum habet fundamentum, ut confessario competat jus ad interrogandum de præteritis: unus enim confessarius, ut medici, solum est curare infirmum à peccato præsenti clavibus antea non subjecto, minimè verò ad alias, per quorum absolutionem præcedentem, illud jam effectus fuit; aliàs idem peccatum bis, & plures puniendum foret.

§. II.

§. II.

Affirmativa sententia in aliquo sensu omninò tenenda explicatur.

13. CContrariam tamen sententiam, quæ affirmat, teneri pœnitentem rogatum à Confessario consuetudinem peccandi ei aperire, tenent communiter Doctores. Pater Vasquez *de Pœnit. quæst.91 art. 1.dub.3* Henriquez *lib.5.cap.8.* Sylvester, Sotus, P. Sà, Luis Lopez, Tabiena, Angelus, & plures alii apud Joannem Sanchez *in select.disp.9.num 3.* Tamburinus *in Method.expedit.confess.lib.2 cap.1.§.1.numer.3. in fine.* Erita certam putat Lugo *tom. de Pœnit.disp 14 sect.10.* ut oppositam dicat * esse contra omnes Theologos. * Probatur, quia ad absolutionem impertiendam, non satis est, quod pœnitens benè dispositus accedat, sed oportet, ut confessario id constet. Ergo si ipse, ut hujus dispositionis certior fiat, interroget de consuetudine, tenebitur pœnitens illam aperire; non quidem præcisè, ut integra sit confessio, sed ut innotescat confessario dispositio pœnitentis, & se posse licitè, & validè absolutionem impertiri; ut benè cum Vasquez docet Dicastillo *tom.de Pœnitent.disp.9 dub.3. num.195.* Undè licet pœnitens non interrogatus non teneatur consuetudinem peccandi confiteri, eò quod eâ celatâ, speciem, & numerum peccatorum exprimit cum debita dispositione, tamen positâ interrogatione confessarii, quâ cognoscit illum dubitantem de requisitis ad licitam validamque absolutionem, tenetur certiorem reddere, veritatem aperiendo, vel directè confitendo, consuetudinem, ut tradunt DD. citati, vel aliter, si fieri possit, ut ego opinor: si enim pœnitens vir doctus sit, & confessario notus, qui sua authoritate illius dubitationem excutere possit, & hic benè noscat, confessarium ad munus suum rectè exercendum consuetudinis notitia non indigere, rectè poterit celare, & eius manifestationem necessariam non esse confessario exponere, qui prudenter poterit, & debebit docto pœnitenti credere, & majori expressione non extortâ, illum absolvere. Secus si pœnitens illitteratus, & rudis esset.

14. Sic explicatam communem sententiam videntur mihi tenere gravissimi Doctores, & nonnulli pro contraria citati. Legas quæso Patrem Dicastillo *de Pœnit.disp.6.dub.21.num.377.* ubi benè explicat, quid veri contineat Joann. Sanctii sententia, & quo casu sustinenda, quo rejicienda sit. Concedit, & benè, non teneri pœnitentem, etiam interrogatum, fateri consuetudinem, si ipsi constet (utpotè viro docto) rem esse in eo statu, ut nulla ordinatio ex parte confessarii sit requisita, nec major notitia, quàm ex peccatorum confessione adquisita. (Hoc enim evincunt fundamenta Joannis Sanctii, & aliorum.) Ideoque censet in tali casu admitti posse eius doctrinam de usu æquivocationum ad occultandam consuetudinem: in praxi verò, ait Dicastillo, omninò sequendam contrariam sententiam, * nisi evidentissimè constet, confessarium frustra interrogare. * Cui absque dubio consentit Verticelli ubi suprà, dum loquens de circunstantiis docet, teneri pœnitentem, præsertim interrogatum fateri circunstantiam, etiam non aggravantem. * Quando id necessarium esset ad cavendum recidivum, & medicinalem pœnitentiam imponendam, aut ad salubre consilium reciendum: regulariter tamen loquendo, inquit, non tenetur pœnitens fateri interrogatus, quod non interrogatus tacere posset. *

15. Sic etiam temperat Joannis Sanctii sententiam Gaspar Hurtado *de Pœnitent.disput.9.diffic.4.* ubi de circunstantia *Quid*, dicens: * Nec pœnitens tenetur respondere de consuetudine peccandi, si ipsi constet, non indigere directione confessarii ad cautionem in futurum; nec confessarius poterit illi negare absolutionem, quia non respondet; (attende) si alias reddatur de eo moraliter securus. * Quem sequitur Baunius *in Theolog.Moral part.1. tract.4. de Pœnitent quæst.15 dub.12.pag.137.* ubi ait in hoc sensu probabiliorem esse opinionem Joannis Sanctii, & in praxi sequendam. * Quia confessarius, inquit, jus non habet interrogandi pœnitentem de consuetudine peccandi, nisi eius rei causam gravem habeat, quæ rarò accidit. * Et ita etiam limitat suam sententiam Leander à Sacram. suprà *tom.1 tract.5 disp.8.* ubi relatis Patris Hurtado verbis, ait: * Sic Hurtado, & sic postea Baunius: secus autem dicendum casu, quo pœnitenti constet indigere directione confessarii ad præcavendum peccatum in futurum. * Addo ego, vel saltem dubitet de hujusmodi indigentia; quia si dubitans non respondeat, se exponet periculo peccandi, quia ex conscientia practicè dubia veritatem occultat. Quapropter, ni certus sit pœnitens, non indigere confessarii directione, & dispositionem requisitam satis illi per confessionem innotescere, quod viris tantum doctis contingere potest, consuetudinem interrogatus confiteri tenebitur, quia pro confessario, utpotè judice, & superiori, stat præsumptio juris.

16. Undè fit, sententiam Joannis Sanctii, ut ab ipso explicatam, rusticis, & indoctis, qui proprio judicio fidere non possunt, circa necessitatem directionis confessarii, minimè ad praxim deservire posse: hujusmodi enim interrogati, cum ipsamet interrogatio dubium saltem ipsis ingerat obligationis, (quod in his communiter practicum est) consuetudinem peccandi fateri tenentur; secus viri docti, qui æquè, ac ipse confessarius, & quandoque magis rem penetrant, quibus proindè constare potest, nulla confessarii directione indigere, illumque certiorem possunt reddere, nullum desiderari ex requisitis ad licitam, validamque absolutionem. Quæ, si Joannes Sanctius distinxisset, eius opinio à sacra Indicis congregatione deleta non fuisset. Quia, ut benè advertit Leander suprà, *disp.8. in fine*, prohibitio sacræ Congregationis Indicis intelligenda est, * casu quo pœnitenti constet (adde vel dubitet) indigere directione confessarii ad præcavendum peccatum in futurum, aut quando fortè eius explicatio necessaria sit, ut ex peccati iteratione sumat argumentum confessarius pœnitentem non accedere animo contrito. * In hoc enim eventu opinio contraria prorsus rejicienda est. Quam meritò Cardinal. de Lugo suprà *disp 14. sect 10.* dixit esse * contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti * Quod dictum est de consuetudine peccandi; dicendum est de circunstantiis notabiliter aggravantibus; si confessarius interroget; quandoque enim earum notitia (ut in quantitate furti non rarò contingit) necessaria esse potest confessario ad directionem pœnitentis, juxtà dicta *quæst.3. num.17. in fine.*

17. Ad argumenta in oppositum respondeo facile ex dictis, confessarium directè non habere jus obligandi ad iteratam ejusdem peccati confessionem: Secus indirectè, cum aliter certior reddi non possit

de dispositione pœnitentis, de qua ipsi ad absolutionem constare debet: & in hoc casu dicimus teneri interrogatum consuetudinem aperire. Nec mirum, quod in hoc eventu peccata jam clavibus subjecta exprimere teneatur, id enim in aliis etiam casibus contingit, ut benè expendit Lugo suprà; nam qui post confessionem peccati cum consanguinea, ad propriam uxorem accessit, non obtenta dispensatione, nequit explicare peccatum accessus ad propriam uxorem, quin simul declaret accessisse ad consanguineam uxoris; quod tamen iterum confessus fuerat. Ad primam confirmationem respondeo, confessarium utpotè judicem, & medicum spiritualem, teneri pœnitentem dirigere, & de pœnitentia medicinali ex præcepto naturali applicanda admonere; ac proindè ea illi notitia debetur, qua indigenti directione, & monitione subvenire possit. Ad secundam fateor confessarii interrogationem non addere, sed supponere obligationem pœnitentis, non quidem proximam, sed remotam supplendi quidquid ultra peccatorum confessionem necessarium fuerit ad pœnitentis directionem. Undè, si ex præcisa peccatorum confessione non satis confessario id innotescat, tenetur pœnitens, quod desideratur, supplere, prout ex interrogatione confessarii illi constiterit: per quam veluti per conditionem, constituitur obligatio proxima aperiendi consuetudinem, vel certiorem aliter reddendi confessarium, nihil aliud requiri, ut muneri suo satisfaciat.

CAPUT III.

Quomodo se accusare debeat, qui habet consuetudinem peccandi?

18. AB hac quæstione facilè se expedirent Canonistæ aliqui cum Archidiacono, opinantes, satis esse ad præceptum confessionis adimplendum, peccatorum numerum confusè dicere, v. gr. sæpius peccavi in furto, sæpius juravi, &c. quam sententiam non esse improbabilem, quamvis contraria sit secutior, docuit Angelus *in Summ. verb. Confessio, numer.* 1. & rem esse incertam dicit Sylvester *verb. Confess. num.* 11. Sed quidem immeritò, quia contrarium est omninò certum, ut benè tradit Suarez *disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 1. ex communi Theologorum, colligiturque expresè ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. & *Canone* 7. ubi omnia peccata sigillatim confitenda præcipit, quæ sanè verba, juxta omnium Theologorum sensum, significant numerum peccatorum, plus minusvè, si id fieri possit, determinandum esse: ut observat etiam Lugo *disp.* 16. *sect.* 4. *num.* 535.

25. Nihilominus id non tollit, quod si peccata nimis frequentia sint (qualia sunt meretricis, & eorum, qui ex consuetudine cum advertentia pejerant, & blasphemant) possit adimpleri præceptum integritatis confessionis, confusa quadam peccatorum explicatione, cum expressior alia moraliter sit impossibilis: neque enim pœnitens ad exactissimum examen, sed ad humanum tantum obligatur, & tale, ut ex hoc capite non reddatur Sacramentum valdè onerosum, ut advertit Lugo suprà. Hinc communiter Doctores asserunt, peccatorem consuetudinarium satisfacere confitendo tempus, sive peccati durationem, v. gr. meretrici sufficiet dicere, per mensem, vel per annum fuisse cuilibet accedenti expositam. Similiter concubinario satis erit, accusare se usum fuisse concubina more uxoris per unum, vel duos menses. Ita de meretrice docent Navarrus *Manual. Latino, cap.* 6. *num.* 15. Toletus *lib.* 3. *sum. cap.* 9. *num.* 2. Henriq. *lib.* 2. *de Pœnitent. cap.* 5. *num.* 5. Fagundez 2. *præcept. Ecclesiæ, lib.* 3. *cap.* 5 *num.* 11. Cajetan. *part. tract.* 4. *resol.* 89. ubi cum Suarez, Villalobos, & Doctoribus citatis addit, id etiam procedere in quolibet peccatore non potente numerum designare: de concubinario, idem tenent Henriquez, & Fagundez ubi suprà, quibus accessit Lugo *disp.* 16. *sect.* 3. *num.* 575.

26. Verùm benè advertit Vasquez *de Pœnit. quæst.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. *numer.* 3. debere à prædictis excipi principales peccatorum species, quas possint, ut cum conjugatis, cum Clericis, vel consanguineis, quia de his, cum non tàm frequenter occurrant, facilè poterunt recordari, & de illis paulò plus, imò vè, se accusare dicendo, v. gr. singulis hebdomadis, tot Clericos, vel conjugatos, seu consanguineos misisse: quod etiam tenet Fagundez suprà cum Valdo, & Henriquez locis citatis, licet Tolet. & Navarrus, hanc limitationem non admittens, absolutè, sufficere asserant, explicare se fuisse cumque expositam. Verùm sine fundamento id asserunt, quia præceptum integritatis confessionis obligat ad numerum, & speciem peccatorum, in quantum fieri possit explicanda.

DISPVTATIO QVARTA
De obligatione iterandi confessionem invalidam.

QVÆSTIO PRIMA.

Quando, & quomodo sit iterandi confessio?

1. CErtum est apud omnes, confessionem debere iterari, quoties ex defectu alicujus requisiti fuerit invalida, hic autem valoris defectus provenire potest, vel ex parte confessarii non habentis jurisdictionem, vel intentionem absolvendi, vel non ritè proferentis formam; aut ex parte pœnitentis, quia sine dispositione, vel non integrè confessus est, ut alibi diximus. Undè consequenter fit, ut quoties ex culpa gravi omissum fuerit in confessione peccatum quod mortale, ex defectu examinis conscientiæ, & judicio prudentis, requisiti, iteranda sit talis confessio, ut pluribus citatis tradunt Meratius hic *disp.* 19. *num.* 7. & Diana 3 *part. tract.* 4. *resol.* 63. contra Henriquez, Sotum, & Canum, existimantes, hoc tantum esse verum, quando omittitur peccatum ex negligentia, aminis affectata, seu nimis crassa. Ratio nostræ conclusionis est, quia ad valorem confessionis requiritur integritas formalis, quæ in eo consistit, quòd pœnitens omnia ea peccata confiteatur, ad quæ tenetur legitimam excusationem non habet; ut tradunt communiter Doctores ex Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 5. & constat ex dictis *disp.* 1. *quæst.* 8. *num.* 6. & *seq.* Secundò, quia ad valorem confessionis requiritur dolor excludens voluntatem peccandi, ut definit Concilium, hunc autem non habet, qui actualiter peccatum ad confessarium accedit.

2. Est tamen notandum, quod si pœnitens confessionem invalidam non iteraret, sed ex oblivione, vel ignorantia invincibili, in sequentibus confessionibus defectum illum taceret, licet postea recordetur talis defectus, non tenebitur reliquas intermedias repetere, sed illam tantum, quæ fuit invalida, & defectum in illa commissum; reliquæ enim interpositæ validæ fuerunt, utpote in quibus nullus intervenit defectus, ut benè cum Vasquez, Sanctio, & aliis tenent Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 118. & Cardin. Lugo hîc *disp.* 16. *sect.* 15. *num.* 599.

3. Quo ad modum iterandi confessionem invalidam, non levis est difficultas, an teneatur pœnitens omnia & singula peccata in prima confessione subjecta, iterum distinctè repetere? Et quidem si confessio iteranda sit cum diverso confessario, affirmativè respondeo cum Suarez *dis.* 22. *sect.* 6. contra Delgadillo *de Pœnitent. cap.* 19. *dub.* 51. *numer.* 155. Quia ei sunt peccata sigillatim, & distinctè proponenda, qui ut judex, causâ cognitâ, sententiam absolutionis est prolaturus. Ut constat ex Tridentino, & ex ipsa ratione judicii. Si verò cum eodem confessario, qui de peccatis in confessione invalida auditis recordatur, sufficiet, omnia unico verbo illi confiteri, defectum supplendo. Hæc apud omnes certa. Difficultas ergo solùm est, quando Sacerdos est idem, sed de peccatis in confessione invalida subjectis, jam est oblitus. In qua varia sunt Doctorum placita.

4. Aliqui absolutè asserunt, memoriam Sacerdotis non esse necessariam ad absolvendum, ac proindè opus non esse, repetere distinctè confessionem. Ita Medina *Codice de confess. quæst. de circunst. mutantibus speciem*, & Adrianus *quæst.* 4. *de clavibus*, & pro casu, quo confessarius in confessione invalida imposuerit satisfactionem; admittunt Sylvest. Antonin. Paludan. & Navarr. apud Suarez *suprà num.* 6. Ipse verò illis consentit non absolutè, sed pro eo tantum casu, quo invaliditas confessionis proveniat ex defectu formæ ritè prolatæ: sed magis universaliter Lugo *ubi supr. à num.* 632. verum putat, quoties invaliditas non provenerit ex defectu jurisdictionis: Si autem ex hoc capite putat necessarium esse, habeat saltem confessarius memoriam confusam præteritæ confessionis. Imò P. Suar. accusationem omnium peccatorum de novo distinctè fieri requirit, sicut, & quando ex defectu doloris, vel integritatis fuit invalida.

5. Cæterum P. Vasq. hic *q.* 92. *art.* 3. *dub.* 3. apertè docet, quocumque ex cap. fuerit invalida confessio, non esse opus distinctè confiteri, dummodo confessarius recordetur status pœnitentis, aut pœnitentiæ, quam imposuit, cui dissentire nequit M. Joan. de la Cruz *in direct.* 2. *p. de Pœnit. q.* 3. *dub.* 9. *tom* 1. ubi loquens de his, quibus à confessario differtur absolutio, inquit * dilata absolutione injunge statim pœnitentiam, ut hac postea nota, & confessione non repetita absolvas pœnitentem, etsi non recorderis peccatorum. Ita Henriq. Sylvest. Navarr. cum aliis. * Si verò de pœnitentia injuncta neuter recordetur; confusam aliquam peccatorum notitiam confessario tribuendam, sentit cum Valentia, Fausto, & Navarro, Diana 4. *p. tr.* 4. *resol.* 203. quos sequitur Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp.* 8. *disc.* 8. ubi addit, quod si pœnitentia non fuerit injuncta, nec de pœnitentis statu confessarius recordetur, nec pœnitens in memoriam illi revocet, non esse adhuc necessarium de omnibus peccatis distinctè se accusare, sed sufficere confusam aliquam peccatorum notitiam confessario tribuere, quæ sufficiat ad pœnitentiam prudenter taxandam, nam postquam peccatorum confessio fuit distinctè facta, & à confessario distinctè percepta, sufficit notitia confusa ad pœnitentiam imponendam, qualis post longam confessionem solet confessario relinqui.

6. Denique P. Granad. *in* 3 *part. controvers.* 7. *tr.* 9. *disp.* 12. *num.* 5. absolutè, & sine aliqua limitatione docet, pœnitenti iteranti invalidam confessionem cum eodem confessario sufficere, si in generali se accuset, dicens: accuso me de omnibus peccatis, quæ in ea confessione invalida tibi confessus fui, & de sacrilegio in ea commisso: & confessarium posse validè, & licitè eum absolvere, quamvis nec confusam peccatorum notitiam habeat, nec pœnitentiæ, quam injunxerat, recordetur. Hanc sententiam amplectitur Leander *tract.* 5. *disp.* 5. *q.* 81. ubi pro illa citat Adrianum, Medinam, D. Antoninum, & P. Thom. Sanchez, & sat s probabilem sibi videri, inquit Diana 5. *p. tr.* 14. *resol* 51. & planè sequitur *part.* 11. *tr.* 6. *res* 49. item Delgadillo *ubi supr. cap.* 19. *num.* 53. Verricelli *in qq. Mor. tr.* 5. *q.* 6. *num.* 35. & Tamburinus *in Method lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Fundamentum horum Doctorum est, quia absque repetitione peccatorum in speciali, & sigillatim, verificatur pœnitentem omnia, & singula peccata distinctè confessum fuisse, & confessarium illorum notitiam habuisse. Si autem de præsenti talis notitia in speciali ad aliquid requireretur, maximè ad pœnitentiam proportionatam imponendam: ad hoc autem non requiritur, quia supponimus, in confessione illa invalida fuisse injunctam. Præterquam quod pœnitentia non est cum tanto rigore proportionanda peccatis, ut nequeat ex justa causa minorari, quæ autem magis rationabilis, quam aliam jam impositam super eisdem peccatis adimpletam fuisse. Confirmatur: nam si pœnitens confessionem generalem faceret durantem per multos dies, & confessarius singulis diebus, non collata absolutione, pœnitentiam aliquam imponeret, non esset necessarium, ut in fine confessionis, cum licitè absolveret, quod recordaretur omnium peccatorum, nec quod de pœnitentiis injunctis interrogaret. Ergo.

§. VNICVS.

Propria sententia.

7. IN hac controversia certum inprimis existimo, ad valorem Sacramenti sufficere bona fide se accusare in generali de peccatis in confessione invalida subjectis, quocumque ex capite, valoris defectus provenerit; quia ut postea probabimus ex communi Theologorum sententia: peccata sic universaliter dicta, sunt materia sufficiens absolutionis; imò in casu naufragii, pestis, & similium, omnes Doctores ejusmodi confessionem consuiere solent. Difficultas igitur tantum esse potest: an pœnitens, si possit, teneatur majorem præbere notitiam, & an ea non data, possit confessarius eum licitè absolvere? Et respondeo, non posse, nisi eam notitiam de statu conscientiæ pœnitentis retineat, quæ solet communiter remanere in confessario paulò post audita peccata sigillatim quoad numerum, & speciem. Et hæc nil fallor, est mens P. Vasquez, & Hurtad. supià.

8. Hanc, sententiam judico evidenter inferri ex Trident. *sess* 14. *cap.* 5. ubi ad absolutionem impertendam exigit eam cognitionem causæ, quæ ex hujusmodi peccatorum narratione sigillatim facta, generetur. Sic enim, inquit, *constat, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque æquitatem,*

rem, in pœnis injungendis, servare, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent: ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, &c. Ergo ex mente Concilii non solùm ad taxandam pœnitentiam, sed etiam ad absolutionem impertiendam opus est prædicta notitia. Ergo per se loquendo non potest confessarius licitè absolvere, quin statum conscientiæ pœnitentis agnoscat, ea notitia, quæ ex narratione omnium peccatorum sigillatim facta solet communiter remanere. Undè si confessarius illa careat, tenebitur pœnitens prædictam notitiam ei conferre, ni aliundè ex impotentia morali excusetur. Hanc sententiam tenere debet Cardin. de Lugo *disp. 17. sect. 1. num. 12.* ubi inquit, omnes debere dicere hoc judicium per se loquendo, & ut debito, & exacto modo fiat, exigere notitiam de speciebus, & numero peccatorum omnium. Verùm si notitia, quam hic, & nunc retinet confessarius, parum magis confusa esset, quàm ea, quæ à concilio exigitur, tantùm foret venialis culpa, non iterata confessione peccatorum in particulari, pœnitentem absolvere; imò, & nulla, si ex rationabili causa fieret.

9. Ex dictis colligo primò contra Leandrum, Paludanum, Sylvestrum, & alios, parum ad rem conducere; quod in confessione invalida fuerit injuncta pœnitentia, si modo confessarius non recordetur peccatorum: quod verum etiam puto contra Vasquez, & Hurtado, quamvis pœnitens injunctæ memoriam habeat; nam si peccatorum, & conscientiæ pœnitentis notitia ex memoria injunctæ pœnitentiæ comparata, sufficeret ad absolutionem impertiendam, quilibet fortè sacerdos posset absolvere à peccatis, invalidè alteri confessis, si in genere tantùm, & confusè ipsi subjiciantur, dummodo pœnitens simul declaret pœnitentiam, quæ in Confessione invalida fuit sibi injuncta; quod nullus Doctorum debet concedere. Ergo pœnitentiæ injunctæ memoria eam non tribuit notitiam, quam exigit concilium ad hoc judicium exercendum. Ratio à priori est, quia solent ai quando confessarii pro gravissimis delictis leves injungere pœnas, vel quia pro tunc judicant expedire bono pœnitentis, vel quia aliis principiis, & opinionibus ducuntur. Undè cum eadem pœnitentia, quæ pro culpis levibus soleat quandoque pro gravibus injungi, non potest ex pœnitentia injuncta sufficienter colligi status conscientiæ pœnitentis.

10. Dico secundo: quando confessio fuit invalida ex defectu jurisdictionis confessarii, repetenda est distinctè, & in particulari. Hæc conclusio est contra Pat. Vasquez, & Hurtadum; sed illam tenet Pat. Suarez suprà, & desumitur ex Adriano, & aliis, quam sic probo. Pœnitens jure divino tenetur omnia sua peccata distincte quoad speciem, & numerum Sacerdoti, ut judici declarare, ut constat ex Tridentino loco suprà citato; sed qui confessus est non habenti jurisdictionem, v.gr. Sacerdoti non approbato, vel excommunicato denuntiato, non declaravit sigillatim sua peccata Sacerdoti, ut judici: ergo invaliditas confessionis ex defectu jurisdictionis proveniens, suppleri non potest, nisi confessio distinctè, & in particulari repetatur. Consequentiam probo, quia licet de peccatis in genere posteà se accuset coram eodem Sacerdote, jam habente jurisdictionem, non verificatur, quod confessarius ut judex, omnia, & singula peccata distincte perceperit. Ergo per accusationem peccatorum in genere non suppletur defectus prioris confessionis; debet igitur pœnitens distinctè, & in particulari omnia confiteri: ni fortè sacerdos de omnibus, & singulis peccatis recordetur, ita ut per illa verba: *Accuso me de omnibus, quæ in prima confessione audisti*, omnia, & singula, prout notitia supposita, hic, & nunc sufficienter declarentur. Ex quibus fit, non satis sibi constare Cardinal. de Lugo, dum his principiis insistens ait *num. 632.* tradit sufficere, quod confessarius aequirat memoriam confusam præteritæ confessionis.

11. Dico tertiò: si confessio fuerit invalida ex defectu doloris, vel integritatis, & confessarius recordetur de statu conscientiæ pœnitentis, ea notitia, quæ paulò post audita peccata remanere solet, ut prædiximus, sufficiet pœnitenti de peccatis in genere, in confessione invalida subjectis, se accusare. In hac parte convenio cum Vasquez, Hurtado, & Lugo contra Suarez. Et facilè probo, quia eo ipso, quod nunc eliciatur actus doloris, qui in prima confessione defuit, vel explicentur peccata ex malitia omissa, simul cum fictione, nil est, quod desideretur ex parte materiæ ad absolutionem requisitæ, cum verò processerit confessio omnium peccatorum, distincta Sacerdoti, ut judici, & vera illorum attritio: ergo neque ex parte pœnitentis deficit aliquid ad impletionem præcepti divini, neque ex parte confessarii, ad rectè fungendum suo munere.

QVÆSTIO II.

An rustici, qui in culto modo confessi sunt, non potentes distinguere species, neque numerum peccatorum, teneantur, si posteà possint, ad confessiones iterandas?

1. CArdinal. de Lugo *disp. 16 sect. 14. num. 581.* existimat, partem affirmativam amplectendam necessariò ab omnibus asserendo, peccatum confessum, ut dubium, debere cessante dubio, ut certum confiteri. Ipse verò, cum opponitur putet probabile, probabiliter etiam contendit, rusticum ab hoc onere liberare, dummodo peccatorum tantùm numerum confusè fassus fuerit: secus, inquit, si species. Ita loquitur *suprà num. 588.* sed necio, an consequenter: nam qui se accusat, dicens, dubium esse, an peccatum adulterii commiserit, non est, cur dubio cessante, teneatur ad confitendum illud, ut certum (juxtà ipsius principia) nullum enim assignabile est discrimen inter dubium de individuo, & dubium de specie peccati.

2. Respondet Lugo, eum qui se accusaret, dicendo, certum esse de peccato contra castitatem, de dubium tamen, an fuerit circa solutam, vel conjugatam, non fuisse directè absolutum à differentia specifica peccati; ac proindè teneri, cum postea recordetur, differentiam illam, ut certam confiteri, ut absolvatur rectè absolvatur. Sed contra est: nam ut ipse fatetur *14. citata, num. 583. & sectione secunda*, jam docuit, absolutio directè cadit suprà individuum sub dubio dictum, eo quod absolvitur sub conditione, quod fuerit commissum: Ergo directè etiam cadet suprà speciem, seu differentiam specificam dictam ut dubiam, quia absolvitur ab illa sub conditione, quod illam incurrerit: ergo nulla inveniri potest disparitas inter individuum confessum ut dubium, & inter

speciem. Quapropter P. Bresserus *de conscientia, lib. 4. cap. 18. num. 197.* tàm in uno, quàm in altero casu opinionem Card. de Lugo probabilem putat: Ergo si principium, quo nititur Lugo, aliquid probat, concludit etiam, esse probabile, rusticum nunquam teneri confessiones, agresti modo factas repetere, licet, nec numerum, nec species peccatorum distinctè confessus fuerit.

3. Nos verò licet existimemus, ut constat ex dictis *disp. 1. de integritate confessionis, quæst. 6.* peccatum dictum ut dubium, debere dubio cessante, ut certum explicari, adhuc ex alio principio, asserimus probabile, ejusmodi rusticos communiter non teneri præfatas confessiones repetere. Ita Henriquez *de Pœnit. lib. 2. cap. 3.* cum Guerrero, & aliis viris doctis, à se consultis. P. Sà *verb. confessio, num. 41.* Fagundez 2 *præcept. Eccles. lib. 3 cap. 5. num. 11.* Diana 3 *part tract. 4. resol. 89.* & cum Marchantio iterum *part. 5. tract. 13. resol. 84.* Quibus consentit Tamburinus *in Method. lib. 2 cap. 1. §. 4. num. 29.* & cum Fabro, tenet Leander *tr. 5 disp. 5. quæst. 72.* licet restringat eo modo quo Card. de Lugo suprà. Moveor, nam cum prædicti rustici uniformem vitæ modum communiter habeant, ex confessione unius anni, conjicere potest prudens confessarius, quot numero peccata, & in quibus speciebus, reliquis annis commiserit. Si autem ex confessione unius anni nequiret prudenter de anteacta vita judicare, & aliundè ejusmodi rustici, ut ponimus, in reliquis confessionibus ita se accusaverint, ut confessarius plus minusvè, peccatorum numerum, & species non percepisset, tenerentur sub mortali omnes confessiones dum postea possent repetere, determinando certum numerum moraliter, vel mathematicè. Quidquid contradixerit Leander ex Lugo, quod prius docuerant Veja 1. *part. casu* 2. & P. Sà *ubi supr.*

DISPVTATIO QVINTA

De dolore, & dispositione, quæ peccatorum absolutionem debet præcedere.

QVÆSTIO PRIMA.

An ad effectum hujus Sacramenti requiratur vera contritio? an sufficiat attritio?

1. SUppono primo ex communi Theologorum, attritionem sufficere ad valorem Sacramenti, & distingui à contritione, per ordinem ad diversa motiva: contritio enim est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: attritio verò est dolor de peccato propter eius turpitudinem, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, seu carentia beatitudinis conceptus. Suppono secundo, valorem hujus Sacramenti in eo stare, quod habeat partes essentiales; effectum verò illius esse gratiam habitualem reddentem hominem sanctum, maculamque mortalem expellentem. His positis.

2. Prima sententia asserit, veram, & perfectam contritionem ad hunc effectum requiri, taliter, ut si re ipsa non habeatur, non conferatur gratia habitualis. Ita docuere M. Bonavent. Hugo, Richard. Alensis, Gabriel, Major, Medina, & Adrianus, apud Suarez *de Pœnit. disp. 22 sect. 1.* Verum hanc sententiam periculosam vocat Vasquez *hîc quæst. 92. art. 1. num. 2.* Et hoc Sacramentum habere virtutem ad justificandum peccatorem, per solam veram attritionem dispositum, adeò certum est, inquit Suarez *suprà num. 10.* ut non possit *absque errore* negari. Probatur ex Tridentino *sess. 14 cap. 4.* ubi de attritione loquens, sic ait: *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se perducere peccatorem ad justificationem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.* Ecce ex Tridentino attritio, quæ sine Sacramento ad justificationem non sufficit, in illo tamen sufficienter disponit, ac proinde proximè, ut benè expendunt P. Suarez *suprà*, Vasquez *art. 1. citato, dub. 2.* & Card. Lugo *disp. 5 sect 9. num. 143.* quia si in Concilio tantum esset sermo de dispositione remota, malè assignaret discrimen inter attritionem cum Sacramento, & sine illo; concedendo attritioni in Sacramento, quod extra illud negat; quandoquidem attritio, etiam extra Sacramentum, ad justificationem remotè disponit. Præterquam quod, cum Concilium intendat ex professo explicare dispositionem, quæ ad effectum, & fructum Sacramenti requiritur, eam nobis tradere, & proponere debuit, quæ per se esset sufficiens ad talem effectum consequendum, absque consortio alterius doloris ex perfectiori motivo provenientis, aliàs diminutè processisset.

3. Deinde probatur ratione: quia si contritio perfecta requisita foret ad effectum hujus Sacramenti, jam essent mortalia remissa, quando absolutio conferretur, ac proinde non remitterentur virtute clavium, quod erroneum, & contra fidem est, ut notat P. Vasquez *q. 84. artic. 3.* Est enim contra Concilium Florentinum *sess. ultima* in decreto Eugenii de Sacramento Pœnitentiæ, ubi definit: *Rem illius* (id est, effectum) *esse remissionem peccatorum.* Est etiam contra Tridentinum *sess. 14. capite 5.* ubi ait: *Sanè res, & effectus hujus Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliare est cum Deo.* Quæ quidem, ut patet, vera esse non possent, si contritio esset requisita ad Sacramenti effectum, nam cum contritio absolutionem præcedere deberet, Sacramentum non remitteret peccata (ut ait Florentinum) quia jam supponeret ante absolutionem remissa: nec reconciliaret cum Deo (ut dixit Tridentinum) quia jam supponeret peccatorem cum Deo reconciliatum. Hoc argumentum urget subtilis Scotus *in 4. dist. 14 q. 4. litt. E.* per hæc verba. * Alioquin, inquit, non apparet quomodo Sacramentum Pœnitentiæ sit secunda tabula, si nunquam per ipsum, ut Sacramentum possit recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per contritionem, tanquam per dispositionem completivam. * Ergo omninò certum esse debet, ad effectum hujus Sacramenti veram contritionem non requiri; sed sufficere attritionem, quæ imperfecta contritio dici solet. Hæc veritas me judice inter fidei dogmata numeranda esset.

4. Dices contritionem perfectam, non semper habere conjunctam remissionem peccatorum, sed solum in casu necessitatis, quando quis nequit ni si difficillimè confessarium adire: quando verò potest, non remittuntur peccata quantumvis contrito ante receptionem Sacramenti. Sic respondet Franciscus Sylvius *in quæst. 5. supplementi D. Thomæ, art. 1.* cum Molano, & Joanne Estio discipulis Michaëlis Baii. Cæterum hanc sententiam esse erroneam, ait Ægidius

dius *q.* 68. *art.* 2. *num.* 30. & esse contra sententiam Cathol cam, inquit Vasquez *tom.* 2. *in* 3. *p. disp.* 152. *numer.* 3. & jam diu damnata est à Pio V. & Gregorio XIII. in Bulla contra Michaëlem Bajum. Ubi inter alias, damnatur propositio hæc: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

5. Unde fit, omninò rejiciendam sententiam Cajetani *in Summa, verb. Contritio*, §. *Itaque*, ubi ait. * Scito, quod ejusmodi vera contritio dupliciter inveniri potest, scilicet, cum gratia, & charitate, & sine illa. * Quem ideò acriter reprehendunt Catharinus *in Annotat. lib.* 5. *fol. mihi* 432. & M. Sotus, *in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5. Est enim sententia valdè affinis, relatæ ex Francisco Sylvio, ut ipsemet jactat: & est expressè contra D. Thomam loco citato *ex* 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 3. *quæst.* ubi inquit. * Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet. * Cujus rationem tradit *quodlibeto* 1. *artic.* 9. dicens; * Quia contritio non potest esse sine charitate per quam omnia dimittuntur peccata. * Et iterum 3. *p. q* 89. *art.* 2. *in corpore.* * Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam. Undè in eodem instanti est gratiæ infusio cum prædicto motu liberi arbitrii, ut in 2. *p.* dictum est. * Ergo vera contritio, utpotè ultima dispositio ad gratiam sem. per conjuncta cum illa est, ac proinde cum remissione peccatorum: ergo ante absolutionem, peccatorem cum Deo reconciliat. Et ita multis suadet M. Prado *tom. de Pœnitent. q.* 1. *de contrit. dub.* 3. § 2. *fol.* 494. ubi fic. * Asserendum est, in omni eventu contritionem quamlibet perfectam, quolibet quantumvis minimo charitatis actu, afferre statim, & semper remissionem peccatorum, & oppositam sententiam, non solùm esse periculosam, & parum in fide tutam, sed & temerariam, & scandalosam. * Sic ille. Et me judice; hæc conclusio definita est in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. ubi dicitur contritionem charitate perfectam, *hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur.*

6. Propter hæc secunda sententia asserit, per se loquendo necessariam esse contritionem, accidere autem posse hominem bona fide accedentem sola attritione justificari. Itaque juxtà hanc sententiam, sola attritio re ipsa est sufficiens dispositio ad effectum hujus Sacramenti; opus tamen est, ut invincibiliter existimetur contritio: nam aliter, inquit, obicem peccator poneret Sacramento, utpotè, qui faceret contra præceptum accedendi cum contritione. Sic docent Victoria, Sotus, Ledesma, Vega, & alii, apud Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 7.

7. Cæterum attritionem, ut talem cognitam sufficere, benè ait P. Suarez *sup. num.* 9. esse omninò verum. Et *num.* 20. esse hoc tempore *practicè certum.* Idem ante illum dixit Scotus *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. Et oppositum esse *improbabile*, inquit Lugo *disput.* 7. *sect.* 13. *num.* 73. subnectens à multis censura notari. Et Mag. Joannes Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 1. *quæst.* 5. §. 4. dicit: Post Tridentinum esse certum certitudine morali, ita ut oppositum *non sit opinabile*, & esse apud Theologos *improbabile*, ait Vincent. Baron. 1. *part. Theol. Moral disp.* 2. *sect.* 1. *artic.* 3. *fol.* 136. & 153. & falsum, *temerarium, & erroneum*, vocat Vericelli *in qq. Moral. tom.* 1. *tract.* 2. *quæst.* 38. *numer.* 8. quibus facit P. Henriquez *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 26. *num.* 5. dicens: Salmanticæ, ita defendisse Mag. Penna, Gallo, & alios viros doctissimos, & ita certum illos putasse, *ut sine temeritate, vel errore*, negari non possit. Sed quidquid de censura sit. Hæc est communis doctorum sententia, quam cum D. Thom. Capreol. Durando, Antonino, & Sylvestro, tenet Suarez loc. *num.* 9. Vasq *quæst.* 92. *ar.* 1. *dub.* 2. & alii quos citando quitur Leander *tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 9.

8. Probatur primò, quia ut constat ex Tridentino, Sacramentum Pœnitentiæ, est Sacramentum mortuorum, institutum à Christo Domino ad vificandos homines culpa mortali post Baptismum infectos, eosque cum Deo reconciliandos: ergo non licit injustam Sacramento, qui sciens esse mortuum per peccatum, accedit ut vivificetur, & beneficus Sacramenti Deo reconcilietur: non est ergo necessarium, quod se existimet, antequam actu suscipiat, justificatum, & Deo reconciliatum. Confirmatur, quia licitè potest pœnitens intendere per confessionem consequi effectum, ad quem hoc Sacramentum fuit institutum, nemo autem potest prudenter, & efficaciter intendere consequi gratiam, & peccatorum remissionem, quin probabiliter eatem credat esse in peccato, ergo licitè potest ad Sacramentum accedere, & absolutionem recipere, licet sibi suadeat non esse contritum, sed sola attritione ad gratiam obtinendam dispositum.

9. Probatur secundò: quia ex vi præcepti recipiendi Sacramentum, solùm tenetur pœnitens ad dolorem, quem ex Tridentino benè novit dispositionem esse proximam ad illius effectum: esse autem dispositionem sufficientem, & proximam, non tertur in existimationem humanam: id enim erit illi competit, ut adversarii supponere videntur. Ergo attritio, ut talis cognita est sufficiens dispositio ad gratiam in Sacramento obtinendam. Necullum est fundamentum in Scriptura, & Concilis ad hunc dum præceptum illud rigorosum accedendi cum contritione, quod proinde nullatenus admittendum est.

10. Ex dictis concluditur, contritionem perfectam (quæ nomine *contritionis* per antonomasiam venit) non esse necessariam ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ: quinimò istud, contritionis loco, ob illius difficultatem ex perfectione motivi inhoctam, à Christo Domino subrogatum est, * ut perdocorum sententiam (ait Tridentinum) non sumi, sed quoties ab admissis peccatis, ad ipsos pœnitentes confugerint, possent liberari. * Ex quo loco, & aliis numero 3. transcriptis, evidenter deducitur practica conclusio. Quam, me judice, definitam tradit Concilium *sess.* 14. *cap.* 4. dum postquam declaravit perfectam contritionem, si absolutionem præcedat, hominem Deo reconciliare, *priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*, subnectit; * illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solùm esse, & Spiritus Sancti impulsum, quo pœnitens adhuc tus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem pervenire nequeat, tamen eum ad Dei gratiam (attendo in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam dispositi, &c. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre. Quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. * Hactenus Tridentinum. Si ergo attritio Sacramento disponit ad Dei gratiam impetrandam, aliter

aliter ac extrà, ac proindè proximè; & est bonus ille motus suscipientis, quo Sacramentum Pœnitentiæ gratiam confert; apertissimè declarat Concilium, attritionem esse dolorem illum, qui est pars hujus Sacramenti, & proxima dispositio ad gratiam, & remissionem peccatorum illius virtute obtinendam. Quam Sacramentum non causaret, si contritio perfecta præcessisset, cùm hæc priusquam actu suscipiatur, hominem cum Deo reconciliasset. Est ergò certâ fide tenendum, contritionem imperfectâ, quæ attritio dicitur, sufficientem esse ad valorem, & effectum hujus Sacramenti. An verò dolor, qui gradum attritionis nuper à Concilio expositæ non attingat, sit sufficiens? constabit ex dicendis quæstione sequenti.

QVÆSTIO II.

Utrùm ad effectum hujus Sacramenti sufficiat, bona fide, confiteri lethalia, cum desiderio veniæ, aut cum eorum displicentia?

1. QUod ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat confiteri cum desiderio recipiendi Sacramentum & ejus effectum, sentiunt nonpauci, qui asseruot formalem dolorem, non esse partem essentialem hujus Sacramenti. Major, Gabriel, & Durandus, apud Suarez *disp. 20 de Pœnitent. sect. 3. nu. 7.* Quibus adde Sylvestrum, *verb. Confess. 1. §. 21.* ubi sic. * Aliquibus videtur, quod cum actus interior sit pars essentialis hujus Sacramenti, sine pœnitentia non valet; sicut nec matrimonium tenet ejus, qui vult contrahere matrimonium, sed non vult consentire. Sed ista non stant cum dictis Sancti Thomæ: nec eorum ratio concludit, quia pars est contritio aliquando futura; sicut aliquando satisfactio præcedit, * sic ibi, & iterum *Quæsito 12. in fine.* * Si nondolet de præterito, & de futuro cavere non vult, & tamen ista fictio non occurrit sibi ut confitenda, consequenter perindè est, ac si peccatum fuisset per negligentiam oblitum; & est verum Sacramentum. Hactenus Sylvester. Qui hanc sententiam non solùm defendit (ut benè adnotant Suarez *disp. 20. sect. 1. n. 2.* & Granado *cont. 7. tract. 3. disp. 3. sect. 1. nu. 3.*) sed juxtà mentem D. Thomæ esse testatur. Cujus forsan auctoritati innixi Recentiores aliqui infrà citandi non dubitant dicere *esse indubitatam sententiam D. Thomæ in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 1.* ubi ait. * Potest quis non contritus peccata sua Sacerdoti innotescere, & clavibus subjicere; qui quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut est in aliis Sacramentis, undè non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit. * Sic D. Thomas.

2. Ideò hanc sententiam tenuit Bernardus de Gannaco *in impugnationibus Godofredi, quodlib. 5. q. 14.* & cum Capreolo probabilem esse dicit M. Martinus de Ledesma *2. p. 4 quæst. 8. art. 1. dub. 3. fol. mihi 54.* ubi sic scribit. * Qui sine dolore confitetur, & sine proposito cavendi in futurum, & est adeò ignarus, ut non advertat ad dolorem, vel si advertat, non advertit, quod est peccatum: sed putat, quod ad hoc, quod sufficienter confiteatur, non debet aliud facere nisi confiteri peccata, & quod absolvatur à Sacerdote etiam ignaro. Tunc Bernardus de Gannaco dicit, quod est vera confessio. Et Capreolus licet non recipiat eam opinionem, dicit tamen quod est probabilis. Major *in 4. dist. 17. q. 9.* dicit, quod talis confessio est nulla, & dicit hanc esse opinionem D. Thomæ. Sed ego nescio ubi ipse invenerit hoc in Sancto Thoma. Opinio Bernardi de Gannaco habet hanc probabilitatem: quia aliqui dicunt, quod de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, solùm est confessio, & absolutio. Ergò probabile est, quod dicit Gannacus. * Hæc Mag. Ledesma. Huic sententiæ subscripsisse Scotum refert Cajetanus *3. p. q. 90. artic. 1.* & Sylvester *ubi suprà quæsito 21. nu. 24.* Et ex Recentioribus eam defendunt F. Christophorus à S. Joseph *tom. 1 Recept. opin. 2. p. de sacr. Pœnit. dub. 1. n. 8. fol. 350.* F. Ludov. à Concept. *in Exam. verit. tom. 1. tract. 5. de pœnit. q. 2. nu. 25.* & R. P. Delgadillo *tom. de pœnit. cap. 10. n. 5. & dub. 8. n. 44. & cap. 16. n. 31. & in Quæst. moral. de frequentia confess. n. 37.* Quibus hanc sententiam magis explicans accessit Thomas Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. ult. resol. 10. §. 2. nu. 499.* dicens. * Quam rationem manifestâ esse judico: quia hæc clavium subjectio non fit sine aliquo dolore peccatorum imperfecto, & virtuali. Nec enim quis se subjicit alteri emendandus, & judicandus, nisi aliquem dolorem habeat, & pœnitudinem eorum à quibus absolvi desiderat. * Sic Hurtado suprà: qui *num. 501.* addit hac ratione posse probabiliter defendi opinionem Bernardi de Gannaco, & aliorum quos suprà dedi. * Cujus, inquit, sententiæ probabilitas, quæ multum potest ad praxim pertinere, potest deprehendi, si dicamus, quod in confessione vera, facta à peccatore de peccatis commissis, imbibitur dolor de peccatis sufficiens, ut sit materia proxima pœnitentiæ, ad hoc, quod Sacramentum sit validum, sed informe. Nec alius expressus dolor videtur requiri à Tridentino ad validitatem Sacramenti, benè tamen ad ejus effectum consequendum. * Et est juxtà mentem Sylvestri ubi suprà *quæst. 21. nu. 25.* qui sine displicentia virtuali, nequire Sacramentum validum coalescere, expressè ibi docet.

3. Addunt alii confessionem scienter absque ullo expresso, vel formali dolore factâ, validam esse, licèt pœnitens benè noscat esse peccatum mortale sic accedere, dum tamen de ejusmodi peccato se accuset, & absolvatur. Ita Fr. Christophorus à S. Joseph. ubi suprà, & probabile putat Durandus *in 4. dist. 17. quæst. 13. num. 7.* & non esse improbabile, ait Delgadillo *tom. de Pœnit. cap. 10. num. 44. Et cap. 16. in fine*, concludit cum præcitato Fr. Christophoro, *esse indubitatam sententiam D. Thomæ, ubi suprà.* Quod censuit etiam Arriaga *tom. 7. tr. de Sacram. in genere, disp. 13. num 2.* Et quidem semel concesso doloris actum formalem, & expressum, præcedentem sacramentalem absolutionem non esse partem essentialem Sacramenti, sed absque illo validum, licet informe subsistere, solâ confessione, & absolutione, hæc sententia necessaria consecutione deducitur. His positis, de quibus quæstione sequente judicium ferendum.

4. Quod in hac quæstione inquirimus est, an qui bonâ fide accedit absque ullo actu expresso doloris, solâ voluntate suscipiendi Sacramentum, & ejus effectum, mortalium remissionem, collatâ absolutione obtineat? Affirmant Angelus, & Rosella apud Vazq. *de Pœnit. quæst. 92. art. 1. dub. 1.* & Almainus *in 4. dist. 14. quæst. 4.* Et quod caput, ita tenuisse Scotum asserit Mag. Sylvester, verb. *Confess. §. 21.* ibi * Scotus tenet in 4. quod ad consequendam gratiam per hoc Sacramentum non requiritur attritio; sed sufficit voluntas suscipiendi hoc Sacramentum,

sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto in ultimo instanti absolutionis, in quo est vis hujus sacramenti. * Sic refert non refellens Sylvester. Cui expressiùs consentit Mag. Dominicus Baltanas in Margar. Confess. fol. 45. dicens: * Secundum Scotum ad consequendam gratiam, per hoc Sacramentum, sufficit non ponere obicem, quod est minus quàm attritio; quia secundùm ipsum sufficit voluntas suscipiendi hoc Sacramentum sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto in ultimo instanti absolutionis. Obex actualis dicitur, si quis actu tunc cogitaret aliquod mortale non relinquere. Et ferè hæc est mens D. Thomæ, cum dicit, quod confessio potest esse informis. * Quibus in attribuenda Scoto præfata sententia, convenit M. Petrus de Soto *lect. 7. de confess. informi*, ubi in Scotum & Gabrielem invehitur, inquiens. * Non verentur dicere, quod sine omni bono motu animi, sola susceptione voluntaria Sacramenti, remittatur peccatum. *

5. Verùm ab hac calumnia Scotum vindicat P. Vazq. ubi suprà, efficaciter probans nullibi id docuisse. Et ut benè ait P. Suarez *disp. 20. sect. 1. n. 1.* Scotus solùm ait: Quod licet homo accedat parum attritus, justificabitur. Scoti verba sunt. * Parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere Sacramentum Pœnitentiæ, recipit effectum istius Sacramenti ex pacto Dei assistentis. Sic *in 4. dist. 14. q. 4. litt. E. & dist. 16. q. 2. litt. F.* Et quod magis ab impostura Petri de Soto Scotum vindicavit, Tridentinum *sess. 14.* ubi postquam statuit *cap. 4.* attritionem, quæ voluntatem peccandi excludat, disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam, subnectit. * Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. * Longè ergò fuit Scotus Catholicorum scriptorum facilè Princeps à sententia, quæ ipsi assingitur. Et sanè cujuscumque sit, rejicienda prorsùs est, & gravi censurâ digna. P. Vazquez ubi suprà dicit esse erroneam; & P. Suarez esse temerariam, & videri apertè damnatam in Tridentino. Quod & ego censeo: quia contritionem imperfectam, seu attritionem illam, quam inter actus pœnitentis definit esse quasi materiam, *sess. 14. cap. 3.* declarat posteà, *Canone 4. Ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri.* Quapropter nequit absque errore in fide asseri, formalem & expressum dolorem de lethalibus, aut alium bonum motum necessarium non esse ad justificationem virtute absolutionis obtinendam.

6. Restat verò difficultas, an sola displicentia ad hunc effectum sufficiat, absque efficaci dolore, & proposito? M. Canus *in Relect. de Pœnit. part. 5. ad 2. principale folio mihi 41. in edit. Complut. anno 1563.* existimat esse ex se insufficientem dispositionem, tamen accedentem ignorantiâ invincibili insufficientiæ, verè justificari. Ideòque postquam statuit displicentiam aliqualem de peccatis, vocari etiam attritionem, sic quæstionem proponit. * Si quæras, quando ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti? Respondeo id primùm evenire quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat sese præstitisse, quod necessarium erat; ignoratque invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem. Quia is non ponit obicem, sed bonâ fide accedit ad Sacramentum. Quo fit, ut omnia Sacramenta ex ejusmodi attrito contritum faciant. Quod D. Thomas docuit tradit *3 p. q. 79. art. 3. & in comment. super lectum cap. 11. in illud.* solvite eum. * Hæc M. Canus. Quem sequuntur Vega *in Trid. lib. 13. cap.* 36. & Marcus Vidal *in area vitali, tract. de Pœnit. mihi* 420. & videtur aperta sententia Scotina adductis suprà datis.

7. Laxiorem sententiam tenent alii, existimantes nim, ejusmodi displicentiam ex se esse sufficientem dispositionem (ac proindè dicere debent etiam cognitam sufficere ad effectum Sacramenti, sin Sylvester, *verb. Confess. 1. §. 21.* ubi ait. * Sufficit velle habere displicentiam, & à Deo gratiam cavendi imposterum, quia talis est attritus virtualiter, id est, displicentiam habet, cùm nulli placeat displicentia ut placitæ, & habeat etiam voluntatem cavendi, licet imperfectam. Unde in absolutione virtute clavium justificatur, nisi obicem ponat: quia de attritis dicunt contritum secundùm doctrinam Sanctorum, maximè D. Thomæ. * Hæc Sylvester. Quem fere eisdem verbis sequitur M. Baltanas *in Margarita confessorum fol. mihi* 45. Quibus consentiunt M. Montanus de Ledesma. M. Victoria. Cajetanus. M. Dominicus de Soto. Paludanus, & Navarrus, quos refert P. Henriquez *de Pœnit. lib. 1. cap. 23. in fine Gloss., litt. Q.* subnectens. * Propter quas auctores, & congruas rationes est sententia probabilis in praxi. *

8. Contrariam verò utrique è regione oppositam veram omninò existimo, nec in re tanti momenti à communi Doctorum sententia, absque gentissimo fundamento recedere licet. Quod in præsenti non est, cùm hujus rationem ex ipsis haurire debeamus: & præcipuè ex his, quæ in Tridentino continentur. Ex illo autem *sess. 14. cap.* nobis constat attritionem, quæ in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatorum remissionem, & gratiam impetrandam disponit, includere *detestationem peccati cum proposito non peccandi de cætero*, & talem esse debere, *quæ voluntatem peccandi excludat.* Atqui displicentia de peccato commisso talis non est, ergò ex se non est sufficiens dispositio ad effectum hujus Sacramenti. Nec per ignorantiam invincibilem insufficientiæ, hic defectus supleri potest, quia ignorantia solùm potest vitare peccatum, non verò efficere sufficientem dispositionem, quæ ex se talis non est. Quapropter licèt dicere Sacramentum esse validum (de quo posteà) illud tamen informe, quia non solùm peccatum actuale est obex gratiæ, sed etiam habitualem non sufficienter retractatum, ut benè ait Suarez *disp. 7. sect. 4. §. Tertio dicendum in fine.* Undè falsum prorsùs est dicere, Sacramentum Pœnitentiæ causare gratiam in non ponente obicem peccati: est enim gratiæ, nempè defectus dispositionis, quem cumulore sufficiente ad valorem Sacramenti compensatur.

lem esse, docent communiter Thomistæ, & quotquot Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris admittunt.

(:†:)

QUÆSTIO

QVÆSTIO III.

Utrùm ad valorem Sacramenti requiratur vera attritio? an sufficiat existimata?

1. HUjus quæstionis decisio ad praxim valdè conducit, quia confessionem validam iterare nemo tenetur, quantumvis sibi certus sit informem fuisse; id est, effectu gratiæ, & remissionis lethalium carentem. Igitur attritionem necessariam non esse ad valorem Sacramenti, etiamsi demortalibus fiat confessio, docent auctores citati quæstione præcedente. qui ut ex eorum verbis constat, Sacramentum Pœnitentiæ validum, absque ullo formalis doloris actu, sola peccatorum confessione, & absolutione coalescere existimant. Verum hancego sententiam post Concilium Florentinum, & Tridentinum, defendere non auderem. Quia ut utrumque constat, *sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsum pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio.* Ex quibus satisfactionem esse partem integrantem, contritionem verò, æquè ac confessionem esse de essentia, est communis, post Concilia, Theologorum sententia: æquè enim repugnat, esse Sacramentum pœnitentiæ, sine pœnitentia, ac confessionis; sine confessione. Et hæc est sententia expressa D. Thomæ *in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 4. Quæstiunc. 2.* ubi ait: *contritio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ.* Quod iterum tradit *in 3. part. quæst. 90. artic. 2. in corp.* Quibus in locis, vel retractavit opinionem, quam docuerat *in 4. dist. 17. quæst. 8. art. 4. quæst. 1.* ut nonnulli censent. Vel ut ego certum reputo, nullibi eam tenuit; sed solummodò tradidit, ad valorem Sacramenti non requiri attritionem seu contritionem imperfectam, quæ ad effectum etiam sufficiat. Quod evidenter mihi inferre videor, ex eadem *distinct. 17. quæst. 3.* Nam in articulo tertio, quæstiuncula secunda ad primum, prædixerat: *Quod est de essentia Sacramenti contritio, & confessio,* ergò dum statim articulo quarto sequenti asserit eum, qui *non contritus confitetur,* Sacramentum validum, & non iterandum efficere, non intelligit de carente omninò contritione; aliàs sibi apertè, in eadem quæstione, articulo immediato, contradiceret, sed de non habente eum contritionis gradum, qui in Sacramento pœnitentiæ ad gratiam, & remissionem lethalium obtinendam sufficiat. Cum D. Thoma, ejus mutuatis verbis, sentiunt Cajetanus *in Sum. verb. Confessio 12. & de confessione iteranda.* Paludanus *in 4. dist. 13. quæst. 4. art. 2. & dist. 17. quæst. 8. concl. 1. num. 16.* S. Antoninus *3. part. tit. 14. cap. 19. §. 5.* & M. Canus *in Relect. de Pœnit. 5. part. fol. 40.* Qui eodem sensu, quo D. Thom. loquitur, *fol. 41.* dum de contritione dicit, non esse partem essentialem Sacramenti; nempè in gradu requisito per se ad ejus effectum. Quapropter omnes hi authores immeritò pro sua sententia à Rev. P. Delgadillo, & ab aliis citantur. Eos ego legi, & relegi, & expressè reluctantes inveni.

2. An verò Recentiorum sententia sit aliqua censura notanda? aliis remitto. Cajetanus *in 3. part. quæst. 90. art. 1.* referens sententiam Scoti, qui solam absolutionem pro essentia Sacramenti constituit, & Durandi, qui ex confessione, & absolutione tantùm coalescere existimavit, inquit: *S. Matris Ecclesia doctrina monstrat, tàm Scoti, quàm Durandi opiniones defivere.* Et paulò antea, contrariam Divi Thomæ opinionem, post Concilium Florentinum, *Canoniæ tam esse,* dixerat M. Sotus *in 4. dist. 17. q. 3. artic 2. §. Inter Catholicos,* adductis Tridentini verbis concludit: *Post hos igitur Sacros Canones non est fas negare, tres esse partes pœnitentiæ; sed veritas hæc tanquam Orthodoxa est veneranter amplectenda.* Bellarminus *lib. 1. de Pœn. cap. 17.* asserit, quod sententia D. Thom. est Theologorum communis, & certissima: *Neque jam amplius in dubium revocari potest, cum in Conciliis Oecumenicis, Florentino, & Tridentino, dissertis verbis legamus.* Et acriùs Magister Canus *in Relect. de Pœnit. part. 5. §. Quintum fundamentum,* contrariam sententiam Durandi errorem insimulat, dicens: *Durandus in eadem erroris navi versatur,* cùm dolorem negat esse partem essentialem Sacramenti, sed dispositionem præviam. Sic loquuntur gravissimi Doctores citati de sententia, quàm Recentiores, jam antiquatam, suscitare moliti sunt. Illâ ergò rejectâ.

3. Quod in dubium vertere licet, solum est, an vera attritio, nempè includens detestationem efficacem de peccato lethali commisso, & propositum efficax non peccandi de cætero, requiratur ad valorem Sacramenti? Prima sententia asserit, ejusmodi veram attritionem per se requiri, per accidens verò sufficere existimatam, licet in re talis non sit, sed displicentia tantùm simplex de peccato, sive pœnitens ex ignorantia invincibili, sive ex graviter culpabili, veram existimet. Ita Paludanus, Capreolus, Ricardus, Durandus, Sylvester, Sotus, Canus, Navarrus, apud Suarez *disput. 20. sect. 4. num. 3.* Item Cajetanus, Toletus, Valentia, Victoria, Granado, & alii quos citatos sequitur Quintanaduennas *tom. 2. singul. tract. 3. singul. 26. num 3.* & plures apud Amadæum, in editione Matritensi, *tract. de Matrim. propos. ultim. à num. 22.* Quibus pro casu quo ignorantia sit invincibilis, seu inculpabilis, subscribit Thomas Hurtado *tom. 2. variar. resol. tract. ultimo num. 502.* & putat probabile Filliucius *tract. 7. de confess. cap. 6. numer. 151.* Probant, quia non sunt obligandi fideles ad iterandas confessiones, ubi non constat evidenter de tali obligatione, deberent autem iterare, si attritio existimata non sufficeret ad valorem. Quia nunquam possent conscientiæ securitatem habere.

4. Cæterùm contraria sententia docens ad valorem Sacramenti necessariam esse veram attritionem, & non sufficere existimatam, vera mihi est. Eamque pluribus citatis tuetur P. Vazquez *in 3. p. quæst. 92.* Ægidius *disp. 4. dub. 11.* Layman *tract. 6. cap. 9. num. 9.* Card. de Lugo *disp. 14. num. 70.* Suarez *disp. 20. sect. 5.* Filliucius *tract. 7. quæst. 11.* Hujus sententiæ fundamentum unicè desumitur ex revelatis, & præcipuè ex his quæ nobis innotescunt, ex Trident. explicante quidditatem, & essentiam Sacramenti pœnitentiæ: quod ex materia, & forma, sicut & alia Sacramenta, essentialiter coalescit. Igitur Tridentinum post *sess. 14. capit. 3. & 4.* contritionem, quæ est materia hujus Sacramenti, sic definit: *Animi dolor est, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Ergò hoc dolore, ac detestatione deficiente, non erit Sacramentum validum: patet consequentia, quia nullum compositum subsistere potest absq; suis partibus essentialibus. Ignorantia autem invincibilis, seu bona pœnitentis fides, partis essentialis defectum supplere non potest: aliàs Sacramentum, deficiente etiam absolutione, validum esse posset, si pœnitens bonâ fide se absolutum existimaret.

5. Confirmatur. Quia ut *eodem cap. 3. de confes-*

sione, & contritione, quæ est materia hujus Sacramenti, definit Concilium: * Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur; hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. * Atqui contritio, seu attritio vera (nempè quatenus est dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero) ex Dei institutione requiritur ad peccatorum remissionem, per hoc Sacramentum obtinendam, ut docent communiter Doctores pro contraria sententia citati; ergò secundùm hanc rationem, est pars materialis Sacramenti pœnitentiæ, ac proindè de illius essentia. Ergò quoties defecerit dolor requisitus ad peccatorum remissionem, deficiet pars essentialis Sacramenti, & per consequens, & Sacramentum. Ergò ad ejus valorem non sufficit attritio existimata, & reverà non est.

6. Imò nec sufficiet attritio ulla, quæ non sit ex motivo universali ad omnia lethalia detestanda; quia cum tota hac extensione requiritur ad remissionem peccatorum ac proindè cum minori extensione motivi, non erit attritio pars hujus Sacramenti. Quidquid contradixerint Suarez, & Lugo suprà, qui ex hoc capite Sacramentum validum, & informe contingere defendunt. Sed nullum in Concilio fundamentum invenio. Quia propositum non peccandi de cætero, utpotè quod ad omnia lethalia vitanda extenditur, nequit non habere motivum universale omnia comprehendens. Et ut benè observat P. Vazq. suprà, nullum in Conciliis vestigium reperitur ad asserendum dolorem, qui est pars essentialis Sacramenti, non esse simul dispositionem sufficientem ad ejus effectum. Quinimò Concilium definit esse partem *quatenus ad hunc requiritur*, ut diximus; atque adeò, qui ad illum non sufficiat, nequit esse pars hujus Sacramenti. Quapropter neque Sacramentum queit esse validum, & informe, ex hoc capite, neque ex eo quod attritio existimata (licet reverà talis non sit) ad valorem sufficiat.

7. Secundò probatur nostra sententia ab absurdo. Quia si definiente Concilio attritionem esse partem Sacramenti, posset intelligi de attritione existimata, posset etiam cùm de contritione charitate perfectâ loquitur, de existimata interpretari. Et consequenter possemus dicere hominem extrà Sacramentum justificari per contritionem veram, aut existimatam. Quod hæreticum est. Ergò sicut contritio existimata non sufficit ad justificationem, ita neque attritio existimata ad rationem partis essentialis Sacramenti. Confirmatur, quia aqua existimata, etiam invincibiliter, non est sufficiens materia baptismi, si vera aqua non sit: ergò attritio existimata non erit sufficiens materia pœnitentiæ, si vera attritio non sit. Urgetur iterùm, quia si tota materia Sacramenti datur absque attritione vera, tota etiam dabitur, licet pœnitens clarè noscat non habere hunc dolorem, & foret validum Sacramentum, licet advertenter, & scienter absque illo accederet.

8. Hæc assertio apertior est, quando pœnitens ex ignorantia graviter culpabili sibi suadet, habere veram attritionem, quia verè accedit cum actuali culpa gravi in Sacramenti susceptione commissa, quæ secundùm communiorem, & veriorem sententiam, non minùs impedit valorem, quàm si scienter accederet sine dolore, aut si ex verecundia taceret aliquod peccatum lethale: nam ut benè inquit Suar. non potest dici, non continere intolerabilem errorem sententiam illam, quæ actu graviter peccantem absolvit, ac proindè non potest non esse nulla, ita quæ diximus de integritate confessionis, *disp. quæst. 8. num. 15.*

9. Ex dictis fit, sententiam judicis in hoc non esse validam ex ordinatione Christi Domini, si in pœnitentem rectè dispositum feratur, ac proindè deficiente verâ attritione, intolerabilem errorem continere, utpotè defectum partis, seu materiæ essentialiter requisitæ: in foro autem externo aliter contingit; quia ut leges disponunt, intolerabilem errorem non continet sententia, quæ fertur secundùm allegata, & probata, bonâ fide. Undè patet non esse audiendos Canum, & Cajetanum, asserentes validum fore Sacramentum, si pœnitens accedat de peccato non habendi dolorem, quorum sententiam improbabilem dicit Suarez *disp. 20. sect. 3. num. 2.*

10. Ad fundamentum adversationum, respondeo, concedendo, non esse obligandos fideles ad iteradas confessiones, ubi non constet evidenter de nil obligatione, cùm autem de illa non constet, quoties pœnitens invincibiliter se existimat attritum, ne possit moraliter constare, verum dolorem defecisse nunquam ex hoc capite proveniet obligatio iterandi confessionem, nec ad moralem securitatem conscientiæ aliud requiritur; quàm ad dolorem concipiendum, eam adhibuisse diligentiam, quâ prudenter quis judicet, esse attritum; quod si reverà attritus non sit, Sacramentum non erit validum, tenentur verò peccata indirectè per subsequentem confessionem, cum vero dolore factam, Nec hujusmodi mentum esse potest ad anxietatem conscientiæ, tollere posset, sufficeret etiam ad hunc effectum possibilitas defectus jurisdictionis, aut intentionis Sacerdote absolvente, quæ quidem nulli cordato dictam anxietatem inferre solet.

QVÆSTIO IV.

Ex quo motivo debeat esse attritio, ut sufficiat ad effectum Sacramenti?

1. SUppono ex Tridentin. sufficere quodlibet motivis capite primo relatis: est tamen difficultas, an sufficiat dolor de peccato ob timiam, vel pœnam corporalem, aut pecuniam, quâ peccator damnandus est?

2. Respondeo, dupliciter posse pœnam hanc temporalem timeri. Primò, ut infligendam a judice humano. Secundò, ut à Deo in peccati vindictam. Si primò, non sufficiet ad eliciendam attritionem, ad Sacramenti valorem, & effectum requisitam. Tum quia dolor ex hoc motivo conceptus, non potest minem à peccatis internis avertere, quæ à judice humano puniri non possunt, ac proindè non excludet voluntatem peccandi, quod necessarium est, ut sit infrà dicemus; tum quia hoc motivum purè humanum est, & non facit hominem converti ad Deum, sed ad judicem, quem timet. Si verò secundò modo res se habeat, sufficiet tale motivum ad veram attritionem, requisitam ad volorem, & effectum Sacramenti, quia timor mali temporalis, ut à Deo, ad pœnam peccati infligendi, avertit hominem ab omni peccato, & aliundè cùm ex timore Dei procedit, est conversio quædam ad Deum, licet non amore, ex timore concepta: & confirmatur, quia pœna temporalis purgatorii in alia vita luenda, est sufficiens mo-

motivum veræ attritionis, quia respicitur, ut infligenda à Deo in pœnam peccati: ergò pœna temporalis in hac vita solvenda, erit etiam sufficiens sub eodem respectu.

3. Probatur insuper ex Tridentin. *sess.* 14 *capit.* 4. ubi metum pœnarum à metu gehennæ distinguit, adducitque exemplum pœnitentiæ Ninivitarum, quæ concepta fuit ex metu excidii suæ Civitatis, quod Deus comminatus fuerat: ergò pœna temporalis hujus vitæ, ut à Deo in peccatorum ultionem infligenda, sufficiens motivum est ad attritionem, quæ à Concilio Tridentino, ut pars, & dispositio ad peccatorum remissionem, in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, adstruitur.

4. Propterea hanc sententiam gravissimi Theologi tuentur. Pat. Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 8. disparitatem constituens inter motivum pure naturale vitandi infamiam apud homines, ibi sistendo, & motivum vitandi gehennam; hoc admittit, illud verò, ut insufficiens ad veram attritionem rejicit. * Quia intentio, inquit, vitandi infamiam coram hominibus per se solum continet hominem ab exteriori actu, quia per hunc infamia contrahitur, & illo ablato vitatur, etiamsi in interiori affectu perseveretur; at verò motivum vitandi pœnam apud Deum, corrigit etiam interiorem affectum, nam hunc etiam Deus corripit, & punit, * & expressiùs *infrà num.* 15. dolorem ob malum temporale, ut suprà explicatum, sufficientem esse dispositionem ad gratiam in sacramento obtinendam, concedit cum Vega *lib.* 13. *in Trident. cap.* 14. Quia * quamvis pœnæ, inquit, temporales sint; si tamen considerentur, ut inflictæ à Deo, & ut nobis indicant iram ejus, & quodammodo inchoant divinum supplicium, nisi emendemur, sub ea ratione possunt movere ad supernaturalem attritionem. * Ex quibus constat, malè pro contraria sententia referri ab Escobar *in Summ. tract.* 7. *examine* 4. *cap.* 7. *numer.* 21. quamvis enim *disp.* 20. *sect.* 2. *nu.* 10. scripserit ad attritionem non sufficere motivum temporale, & humanum, quia tale motivum non avertit voluntatem ab effectu peccati loquitur de motivo humano, in eo sistendo, in sensu ab eo explicato *disp* 5. *sect.* 2. *citata*, quo in hoc loco se remittit dicens, * ut suprà latè declaravi. * Si verò motivum temporale, & humanum consideretur, ut malum inflictum, vel infligendum à Deo in pœnam peccati, illud non excludit Suarez à motivo sufficienti ad attritionem; sic enim à cujusvis peccati affectu voluntatem avertit.

5. Ideò hanc sententiam tenet Lessius 3. *p. D. Thom. q.* 1. *Quid sit contritio, dub.* 5. *n.* 18. ubi sic: * Dico 5. Satis probabile est, sufficere, si malum illud temporale, propter quod dolet, apprehendatur tanquam à Deo infligendum: secus verò si apprehendatur, ut malum purè naturale. * Cujus rationem reddit, * quia hic dolor (scilicet primus) sequitur ex fine providentiæ, & justitiæ divinæ, & ex timore Dei tanquam ultoris peccatorum. * Idem sentiunt Gasp. Hurtad. quem citatum sequitur Pat. Escobar ubi suprà, Granado, Leander, Coninch, Ochagavia, Llamas, Tamburinus, Reginaldus, Varinus, Josephus Augustinus, & alii, quos citatos sequuntur Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 193. & *p.* 9. *tr* 9. *resol.* 5. & *p.* 11. *tr.* 8. *resol.* 43. *Notandum*, Card. de Lugo *disput.* 5. *sect.* 9. *à num.* 137. & gravissimi Doctores, Aversa, Mag. Candidus, & alii, quos citatos sequitur M. Joannes Martinez de Prado *tom. de Pœnit. quæst.* 1. *de contrit. dub.* 8. *n.* 48. & M. Paulus de Blanchis *in disceptt. casuum cons. disp. de contrit. litt.* C. *fol.* 271. *dub.* 2. ibi: * Attritio est dolor de peccatis ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium. * Et M. Corradus 1. *p. quæst.* 65. *in addition.* ibi: * Mihi videtur sufficere, si quis doleat de præteritis peccatis cum proposito in futurum cavendi, etiam propter pœnas inferni, vel alia incommoda. * Qui duo Authores in sensu à nobis explicato intelligendi sunt, ut eorum opinio sustineri possit.

§. UNICUS.

Quorumdam sensus omninò rejiciendus.

6. IN alio autem sensu illam reprobat sapientissimus Pat. Suarez ubi supr. *disp.* 20. *sect.* 2. in eo scilicet, quo eam tenuit Mag. Sotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 5. §. *& confirmatur ratione*, * & expressiùs *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. asserens, ad effectum hujus Sacramenti sufficere attritionem naturalem solis viribus naturæ elicitam, sive sit ex motivo æterno, & honesto, sive ex motivo naturali, & indifferenti, ut vitare infamiam apud homines, ibi sistendo, vel aliud temporale detrimentum secundùm se consideratum, & non prout à Deo in ultionem & pœnam peccati immissum.

7. Quod autem hæc fuerit opinio Soti, constat apertè ex ejus verbis *dist.* 18. citata. * Scio, inquit, quosdam nec sine probabilitate de ejusmodi attritione distinguere, quæ si sit propter pœnas inferni, sufficit cum Sacramento, quia illic Deus timetur, ut ultor, & inflictor illarum pœnarum. Cum tamen dolor ex timore detrimentorum temporalium nascitur, ut timore honoris, aut infamiæ, aut mortis, aut jacturæ bonorum, ajunt, neque cum Sacramento sufficere ad gratiam, tametsi confessio sit valida. At verò probabiliùs fortasse dicitur, quod cum ille timor sit bonus, quia illa sunt verè mala, & à Deo, licet per causas naturales inflicta, illa attritio, dummodò existimetur contritio, adjuncta Sacramento sufficit. * Hæc ibi. Et prædixerat *distinct.* 17. *quæst.* 2. *art.* 5. ubi sic: * Contritio est dolor de offensa Dei propter Deum; attritio verò dolor peccati ob timorem inferni, vel aliorum nocumentorum temporalium, &c. ex qua differentia subsequitur, quod attritio potest ex viribus naturalibus elici, quia non est ultima dispositio ad gratiam, sed potest esse simul cum peccato: contritio verò nasci nequit, nisi ex auxilio speciali Dei supernaturali prævenienti, * & anteà. * Nomine attritionis solùm illam detestationem intelligimus, quæ per se non sufficit ad delendum peccatum; sufficit tamen cum Sacramento. *

8. Cum Soto sentit Magist. Canus *in Relect. de Pœnit.* 3. *part. fol. mihi* 13. & 14. in editione Complutensi anno 1563. ubi triplex genus attritionis distinguit: * Primum, inquit, est, cum quis dolet de peccato propter humana, naturaliaque motiva, ut quia turpe est, & contra rationem, vel quia induxit infamiam, &c. Secundum genus imperfectæ displicentiæ est, quæ oritur à timore pœnarum; pœnas verò intelligo spirituales & æternas, quæ lumine fidei cognoscuntur, &c. Tertium imperfectæ displicentiæ genus invenitur, cum quis dolet quidem de peccato, quâ ratione offensa Dei est, sed ex velleitate, non ex voluntate absoluta & efficaci: habet enim desiderium imperfectum placendi Deo, & vitandi peccata, &c. Ad contritionem requiritur auxilium Dei speciale, cum sit actus supernaturalis. Attritio verò (atten-

de) solis viribus naturalibus haberi potest, nisi attritio secundi generis (nempè quæ oritur ex timore pœnæ spiritualis, & æternæ) quæ tam ex parte intellectus, quam voluntatis, auxilio speciali opus habet, &c. Ad alias verò attritiones ex parte voluntatis nullum auxilium speciale requiritur. Nam illa primi generis, cum naturale objectum habet, solis naturæ viribus nititur; illa autem postremi generis, suppositâ fide beatitudinis supernaturalis, haberi potest sine auxilio Dei speciali, sicut desiderium inefficax, & imperfectum beatitudinis. * Sic ibi: Postea verò *part.* 5. §. *Ad secundum principale.* Sic habet. * Et si quæras, quando ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti? Respondeo, id primum evenire quocumque attritionis genere homo sit attritus, si existimat, se præstitisse, quod necessarium erat, ignoratque invincibiliter se non habere sufficientem dispositionem, quia is, non ponit obicem, sed bonâ fide accedit ad Sacramentum: Sacramentum autem in non ponente obicem, suum semper habet effectum. Quo fit, ut omnia Sacramenta ex hujusmodi attrito, contritum faciant. Quod D. Thomas dilucidè tradit 3. *p. q.* 79 *ar.* 3. *& in comment. super Ioannem, cap.* 11. in illud *solvite eum.* * Itaque secundùm M. Canum attritio propter humana motiva, naturaliaque, nimirum (ut ipse dixerat.) *Quæ ex timore infamiæ proficiscitur, vel cujusque mali temporalis, ut qui detestatur peccatum, & proponit confiteri, ne ejiciatur ab Ecclesia, vel ne mulctetur pecunia, &c. Hæc, inquam, attritio viribus solius naturæ absque speciali auxilio Dei elicita sufficit juxtà hunc Doctorem ad gratiam in Sacramento obtinendam, si invincibiliter judicetur à pœnitente sufficiens: secus aliter.

9. Et sanè, hanc esse horum Doctorum sententiam, refert ex eadem Illustrissima familia M. Ludovicus Lopez 1. *p. instruct. cap.* 8. ubi adductis verbis M. Cani, ut suprà, asserentis, pœnitentem fieri ex attrito contritum virtute Sacramenti * quocumque genere attritionis sit attritus; si existimet se præstitisse, quod necessarium erat. Sic ex illis infert: * Cùm autem aliquod genus attritionis, scilicet, quod est de peccato, quia induxit infamiam, vel nocumentum temporale, ex viribus naturæ haberi possit, & communiter habeatur, sequitur sensisse Canum, cum tali attritione ex viribus naturæ elicita, accedente Sacramento in re, posse hominem justificari, si ignoret invincibiliter, se non habere sufficientem dispositionem. Sed quid, si sciat, talem dolorem insufficientem dispositionem? tunc ait, sic attritus non fit ex attrito contritus virtute Sacramenti, id est, non accipit gratiam. Ita Canus. Ex cujus dictis colligitur, quod ad justificationem attritio ex speciali Dei auxilio elicita, non est necessaria cum Sacramento: quia cum attritione habita ex viribus naturæ, quâ quis dolet propter infamiam, si pœnitens recipiens Sacramentum ignoret invincibiliter insufficientiam istius dispositionis, potetit justificari, & ejusdem sententiæ puto fuisse Sotum. * Hæc Lopez, qui paulò infrà planè fatetur, esse etiam sententiam M. Soti, dicens: * Sotum *in* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 5. non solùm concedere, validum efficere Sacramentum attritionem per vires naturæ elicitam, ut cum quis dolet de peccato propter infamiam, sed superaddit contra nostram conclusionem: quod per Sacramentum, tali attritione attritus fit contritus, & recipit gratiam, quia Deus per causas naturales, ut ipse Sotus alibi ait, invehit hæc mala, quatenus displicentiam peccati generant in peccatore. * Hæc M. Lop. qui ubi infrà pro sententia M. Cani refert etiam M. Barthol. de Medina. Pro qua M. Paul de Blanch. ubi sup. *dub.* 2 *fol.* 271. adducit Cajetan. dicens. * Etsi Cajetan. dicat, quod ex parte naturalibus possumus habere ultimam dispositionem ad gratiam, decipitur. * Cum Soto, & Cano consentit. *in* 4. *tom.* 1. *dist.* 4. *q.* 4. *art.* 3. *conc.* 3. apud Dic. 3. *p. tr.* 4. *res.* 13. §. *sed plus.*

10. Est tamen valdè notandum discrimen inter assertionem Mag. Soti, & Cani: quod Sotus attritionem ex viribus naturæ absque speciali Dei auxilio elicitam, nunquam dicit esse sufficientem dispositionem secundùm se, sed tantùm quando ex ignorantia invincibili existimatur contritio, M. verò Canus concedit, attritionem viribus naturæ elicitam, etsi non existimatam contritionem, esse sufficientem dispositionem. Hoc discrimen adnotavit M. Ludovic. Lopez suprà *cap.* 9. *fol* 30 * Dissident (inquit) & non satis conveniunt inter se nostri præclari Thomistæ Sotus, & Canus. An attritio cognita, quam peccator scit, se non dolere de peccatis, quia offendit Deum, sed propter infamiam indè incursam, vel alia bona temporalia indè amissa, sufficiat ad condonationem peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ, Canus in sua relectione *par.* 5. relectionis pœnitentiæ affirmat sufficere; ei subscripsit Medina Salmanticensis in sua Summula Hispanica *fol.* 294. *p.* 1. & 2. *fol.* 1. & 2. At negativam sententiam tuetur Sotus in 4.

11. Cæterùm opinionem præclarorum Thomistarum Soti, & Cani de attritione viribus naturæ elicita ob infamiam, vel malum temporale, quæ ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ disponat; veluti omnino falsam omnes meritò rejiciunt, severisque censuris notant M. Pet. de Ledesm. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 1. *pœn. concl.* 4. *fol. mihi* 195. * La primera manera de attricion nempè ut ait, conclus. 2.) porque ha incurrido en alguna enfermedad, ò en alguna infamia por el pecado, ò por otro motivo natural, quales la fealdad, ò torpeza del pecado) que es meramente natural, por motivos naturales, y que no procede de auxilio de Dios sobre natural, no es bastante para que por ella se dè la gracia del Sacramento. Esta conclusion es certissima entre todos los Teologos: estan cierto, que lo contrario es grande temeridad, M. Serra *de Sacrament. quæst.* 69. *art.* 9. *fol.* 233. * Dicendum est, ut prædictum effectum recipiendum non sufficere attritionem naturalem, etiam si quis probabiliter existimet, se habere supernaturalè. Prima pars (attritio) patet ex Trident *sess.* 6. *Can.* 7. ubi definitur: * Si quis dixerit, sine prævenienti Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. * Loquitur enim Concilium de omni justificatione, etiam de ea, quæ virtute Sacramenti fit, ut legenti constabit.

12. Et esse de fide docent præstantissimi alii Thomistæ, M. Tapia *in Caten. Morali, lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* * Dispositio, inquit, ad justificationem impii est duplici differentia: alia proxima, alia remota. Dispositio remota sunt actus supernaturales, quos convertunt hominem perfectè ad Deum. Quando adultus, ut justificetur à Deo, debet se præparare proprios actus liberos. Hujusmodi actus, quibus se disponunt, debent esse supernaturales ex auxilio gratiæ Dei, &c. Duæ assertiones præcedentes desumuntur ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. 3. *& quæst.* 113. *art* 3. *& sequenti.* Et sunt de fide Catholica, ut constat ex sacris litteris, & Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 5. *&* 6. & sæpè *in Arausicano* 2. & D. August. *in tom.* 7. *in pluribus libris contra Pelagianos.* *

13. Idem

13. Idem sentit M. Corradus 1.p.*Resp.quæst.*178.*in addition.* *Hæc sunt argumenta Pelagii, quibus probat, hominem ex facultate naturæ, se posse ad gratiam præparare. Sed hæc sententia est hæretica, & contra scripturas, & Concilia: veritas Catholica est, quod nemo se valet ad eam præpare sine auxilio speciali. *Sic Corradus: quem sequitur Thomas Hurtado *tom.*2. *variar. resol. num.*504. Sic enim ait: *Si disponeret ad gratiam, Pelagianum esset asserere, quod sufficiebat esse ex viribus naturæ. *Et apertam hæresim sapere, dicit novissimè Vincentius Baronius, Ordinis Prædicatorum in opere contra Amadæum *disp.*3. *sect.*2. *art.*1. §.2. *fol.*316. ibi: *Nonnulli ausi sunt propugnare hanc thesim: attritionem naturalem, ex metu alicujus temporalis commodi, Sacramento junctam, peccatorem justum facere, quod apertam hæresim sapit. *Hæc ille, in Authores Societatis hanc opinionem tentans regerere, sed nullum pro illa nuncupat, nec poterit.

14. Dices Mag. Tapiam, & Corradum adeò acrem censuram opinioni Soti, & Cani inurentes, intelligendos esse de dispositione ad justificationem extra Sacramentum, hanc enim absque auxilio gratiæ haberi non posse, fide sanctum est, secus attritionem, qua ad gratiam in Sacramento obtinendam, peccator disponitur. Sed contra est, quia eorum fundamenta locis suprà citatis, de hac etiam justificatione, & dispositione præcedente ad gratiam virtute absolutionis obtinendam, procedunt, ut expressè tradit M. Corradus 2.*p. quæst.*57. Ubi sic: *Quæritur, an cum attritione orta solum ex viribus naturæ, simul cum Sacramento confessionis, possit pœnitens justificari? Respondeo, (inquit) si secundum Sotum, & quosdam alios tenendum esset; sententia esset affirmativa; sed tamen contrarium asserendum ex definitione Concilii Trident. dicentis, quod attritio, quæ cum Sacramento pœnitentiæ sufficiens est ad consequendam gratiam, ex viribus naturæ solius haberi non potest. Hæc conclusio est ipsius Concilii certissima *sess.*14. *cap.*4. ubi de attritione loquens ait: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, declarat donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem habitantis, sed tantum monentis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justificationem parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Ecce quid clarius. *Hactenus M. Corradus. Sentit ergo apertè esse de fide attritionem, quæ in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam disponit, esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, atque adeò non ex viribus solius naturæ, sed ex speciali Dei auxilio elicitam. Cui consonant Thom. Hurtado ubi suprà, qui contrariam assertionem Pelagianam esse dicit. Ex quibus refellendus etiam venit M. Paulus de Blanchis *in Disceptat. casuum, disp. de contrit. litt. C. dub.*2. ubi de attritione loquens ait: *Attritio est dolor de peccatis ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium, &c. Potest elici ex viribus naturalibus, cum non sit ultima dispositio ad gratiam. *Et alterum *folio* 272. *Attritio ex sui natura est semper sine charitate, quia ex viribus naturæ procedit. *Cujus sententia æquè repugnat Concilio Tridentino: ejusmodi enim attritio ob timorem inferni in Sacramento Pœnitentiæ ad Dei gratiam impetrandam disponit, & donum Dei esse definit Concilium.

15. Quapropter Joannes Martinez de Ripalda *tom.*2. *de ente supernaturali, lib.*6. *disp. ult. n.*537. sic scripsit. *Nostri instituti non est veritatem istam modò illustrare, sed supponere, esseque certam de fide, putant Valentia, & Curiel: & absque errore negari non posse Zumel. *Sic Doctores contra Soti, & Cani opinionem.

16. Adnotare tamen non desinam, plures Thomistas defendere, attritionem viribus naturæ elicitam, licet non sit dispositio sufficiens ad gratiam in Sacramento obtinendam, sufficere tamen ad valorem Sacramenti. Ita apud Henriquez *lib.*1. *de Pœnit. cap.* 26. *n.*2. *& in Gloss. litt. D.* tenent Canus, Sotus, Paludanus, Capreolus, Durandus, Cajetanus, Sylvester, Victoria, Mantius, & Penna. Quibus adde Magist. Ludovicum Lopez 1.*p. instructorii, cap.*8. §. *Sed ego*, ubi ait: *Crediderim attritionem ex viribus naturalibus de peccato, propter inductam infamiam, vel jacturam bonorum temporalium ex perpetrato peccato, licet non idonea sit ad cum Sacramento conferendam gratiam, tamen ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ sufficientem esse, si pœnitens ignoret ejus insufficientiam invincibiliter. *Sic Lopez, & alii, quos citatos sequitur Thom. Hurtado *tom.*2. *variar. resol. moral. tract. ult. nu.*504. *& sequenti*, exemplum adhibens. *Ut quando quis, inquit, dolet de peccato propter motivum naturale, quia est contra rationem naturalem, ob turpitudinem naturalem peccati, aut quia ex ipso contraxit infirmitatem, aut infamiam. *Hanc, inquam attritionem, dicit sufficere ad valorem, non verò ad effectum. *Si enim (ait *num.* 504.) disponeret ad gratiam, Pelagianum esset asserere, quod sufficiebat esse ex viribus naturæ. *Verum hæc sententia cum hac etiam limitatione non est sustinenda, & est expressè contra D. Thomam, ut ait M. Petrus de Ledesma 1.*p. Sum. cap.*7. *conclus.*6. *fol. mihi* 195. ubi de prædicta attritione loquens ait: *No es sufficiente para constituir verdadera essencia de Sacramento, aunque informe. Esta conclusion tienen todos los discipulos de S. Thomas con el mismo Santo 3.*p. *quæst.*84. *art.*1. *ad primum.* *Ratio hujus assertionis in nostra sententia est manifesta, quia dolor, qui est pars essentialis Sacramenti, est etiam dispositio ad gratiam, ut infrà dicemus. Ergo ex viribus naturæ elicitus insufficiens prorsus est ad illius valorem.

17. Denique advertere oportet, apud Theologos dissidium esse, an attritio ad valorem, & effectum Sacramenti Pœnitentiæ requisita debeat esse supernaturalis, quoad substantiam, an sufficiat quoad modum; nempè ex gratia per Christum elicita, licet [en]titativè naturalis sit? qualia sunt opera virtutum moralium meritoria vitæ æternæ in opinione valdè communi Theologorum. Card. de Lugo *disp.* 5. *de Pœnit. sect.*9. Suarez *disput.*5. *sect.*1. *& disp.*20. *sect.*2. *nu.* 7. Coninch. *disp.*20. *dub.*5. *n.*4. & alii existimant esse debere supernaturalem quoad substantiam; qualia in eorum opinione sunt omnia bona opera, quæ ex gratia eliciuntur. E contra verò Pater Vazquez 1.2. *disp.* 194. *cap.* 4. Hurtado *disp.*6. *de Pœnit. diffic.*6. Bonacina *disp.*5. *q.*5. *sect.*1. *p.*3. *n.* 12. *& q.*3. *p.*2. *n.*9. & alii asserunt sufficere attritionem supetnaturalem quoad modum, seu ex gratia per Christum elicitam. Nam cum ejusmodi attritio ad meritum gratiæ, & gloriæ sufficiat, non est, cur sufficienter non disponat, si cum spe veniæ conjuncta sit, ad gratiam virtute clavium obtinendam. Hæc sententia admisso principio, cui innititur, valde probabilis est, de

quo alibi. Modò sufficiat animadvertere, nullum ex his Theologis somniasse dicere, attritionem viribus naturæ elicitâ sufficere, ut aliqui eis falsò imponunt: aliud enim est entitativè, licet ex auxilio gratiæ, esse naturalem, aliud viribus naturæ elicitam absque auxilio gratiæ per Christum. Illam enim meritoriam esse, & ex gratia provenire, valdè probabile est, istam verò meritoriam dicere, est hæreticum. Unde cautè legendi auctores, qui terminos concallentes, attritionem viribus naturæ elicitam vocant, quæ quoad substantiam supernaturalis non est, licet revera talis sit quoadmodum. In quo miserè delabuntur, non levi gravissimorum injuria: qui attritionem viribus naturæ elicitam constanter excludunt à meritò, & dispositione ad gratiam. Ut viderè licet in Vazquez 1.2 *disp.* 94 *cap.* 4. *nu.* 34. ubi ait. *Quo circa Sotus *in* 4 *dist.* 12. *q.* 2. *artic.* 5. post medium, perperam docuit hanc attritionem, quæ concipitur ex metu inferni & turpitudine peccati, esse ex propriis viribus, & nihilominus esse dispositionem ad justificationem cum Sacramento, ut suo loco notavimus. *Nil ergo commune sententiæ Patris Vazquez cum opinione Soti.

QVÆSTIO V.

An quando de solis venialibus fit confessio, sufficiat accedere cum eorum displicentia, aut desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum?

§. I.

Variæ Doctorum sententiæ.

1. AD valorem, nedum ad effectum confessionis, quando de mortalibus fit, hoc non sufficere, ostendimus ex Tridentino *supr. q.* 2. *&* 3. Restat verò grave inter Doctores dissidium, anidem dicendum, quando de solis venialibus fit confessio, aut de mortalibus jam confessis? In quo prima sententia tenet, solam displicentiam esse sufficientem dispositionem, non solùm ad valorem Sacramenti, sed etiam ad ejus effectum; gratiam, scilicet, & venialium remissionem obtinendam. Ita recentiores aliqui apud Lugo *de Pœnit. disput* 24 *sect.* 8. *num.* 105. Quos sequ tur P. Granado *controv.* 7. *de Pœnit. tract.* 4 *disp.* 1. *n.* 9 pro qua refert P. Ignatium Yannez, P. Ildephonsum Rodriguez, P. Alvarez, P. Castillio, & alios, & putat probabile P. Præpositus *in* 3. *p.* ubi *de Pœnit quæst.* 2. *de contrit. dub.* 7. contrarium vocat verius.

2. Addunt alii, in confessione venialium non requiri formalem displicentiam, sed sufficere virtualem, quæ continetur in voluntate confitendi venialia, (sine actuali eorum complacentia) seu in desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum. Sic Tamburinus *in Methodo expeditæ confess. lib.* 1. *cap.* 3 §. 1. subjectens: Hanc sententiam Præpositus vocat non improbabilem, citatque pro ea Suarium *de Pœnitent. disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 9. Additque idem Præpositus, hanc opinionem alii sequuntur, juxta quam, si quis se dirigat, non peccabit, & fortè consequetur Sacramenti effectum. Eamdem sententiam sequitur Rosella, 2. *Confess. num.* 2. §. 1. & Sylvest. *Confessio, quæst.* 11. Et veram esse mihi dixit Patricius Quiros nostræ Societatis Jesu *in Theol. non parum versatus. *Hactenus Tamburinus. Quem sequitur P. Tancredi *in quæstionibus Mor. lib.* 4. *q.* 10. *fol.* 97. Pro quorum sententia stare tenemur quotquot *quæst.* 2. *&* 3. citavimus asserentes, dolorem Sacramenti pœnitentiæ (etiam quando confessio est de mortalibus) sufficere displicentiam eorum, imò, & solam voluntatem suscipiendi Sacramentum, utpotè virtualem pœnitentiam includentem; nam licet de confessione mortalium, ea opinio falsa sit, propter ibi dicta; quando verò de solis venialibus ab homine justo fit, semel posito valore Sacramenti, non est undè ejus effectus, gratia scilicet habitualis, & venialium remissio impediri possit, ut ex dicendis constabit.

3. Ideò consequenter satis ad sua principia, prædictam sententiam sustinet R. P. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnit. cap.* 16. *dub.* 12. dicens, eidem assentiri D. Thom. & alios Quia semel statuto, sine dolore, aut displicentia peccati mortalis confessi, dari verum Sacramentum Pœnitentiæ, etsi inferre necessariò fatendum est, dari prædictum Sacramentum cum suo effectu in homine justo, confitente veniale sine dolore de illo. Cum ex una parte detur verum Sacramentum, & ex alia in confitente non sit obex, aut aliquod mortale, à quo impediatur influxus gratiæ sanctificantis, quam quodlibet Sacramentum necessariò causat, quando in recipiente non reperit obicem, seu culpam mortalem; igitur pronùncianda tentia (asserente non requiri dolorem formalem in confessione venialium) adducendi sunt D. Thom. Ricardus, Durandus, &c. *Sicille.

4. Quod si ei objicias Trident. *sess* 14. *cap.* 3. *Can.* 4. exigere attritionem, saltem ad effectum Sacramenti pœnitentiæ. Respondet, Concilium non fuisse loquutum de confessione, in qua sola venialia aut lethalia jam ritè confessa iterum subjiciuntur Contrationem reddit: quia *cum iste effectus (remissionis venialium) non impediatur in justo, quamvis non eliciat attritionem, aut dolorem, sit ut in confessione venialium, quam facit, non requiratur, & consequenter prædicta doctrina Tridentini (inquit) est intelligenda de illo, qui confitetur mortalia: & meritò; quia Ecclesia intendebat adscribere modum reconciliandi peccatorum cum Deo (ut supponit *tota sess.* 14. præcipuè *ex cap.* 1. *& ex tota sess.* 6. ubi prescribitur modus justificationis impii) Qui verò habet peccata venialia, est amicus, & non egens reconciliatione, *ficibi.

5. Addit Delgadillo, confessionem de solis venialibus non solum validam, & fructuosam esse, absque dolore formali, factam, *sed etiam cum actuali complacentia de illis, &c. Sicut enim (inquit) pœnitens venialis complacentia non destruit gratiam sanctificantem, sic non impedit effectum Sacramenti, &c. Hoc autem non contingit in confessione mortalium jam ritè confessorum: quoniam complacentia peccati mortalis est peccatum mortale, & consequenter dabitur obex. Non tamen asserit remitti venialia, quorum quis complacentiam habeat; necid dicit est, quia licet complacentia de venialibus non sit mortale, & consequenter, nec obex gratiæ sit aliquis de dentur partes essentiales Sacramenti) est tamen obex illius venialis remissioni, cujus est complacentia, cum impediat virtualem saltem dolorem illius, qui

qui secundùm omnes ad venialium remissionem necessarius est, ideoque ultra voluntatem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, carentiam complacentiæ de venialibus ad eorum remissionem exigunt.

6. Hujus sententiæ præcipuum fundamentum est. Quia ad remissionem venialium, cum de illis tantum fit confessio, non requiritur dolor ille, seu attritio, de qua Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. Nam cum hæc juxtà communem sententiam, extra Sacramentum sufficiat ad remissionem venialium, in homine justo, nunquam remitterentur virtute clavium illa venialia, quæ cum dolore essentialiter requisito ad valorem Sacramenti subjicerentur. Absurdum autem videtur id asserere, quia aliàs dicere liceret, Sacramentum Pœnitentiæ, non habere virtutem remittendi peccata venialia, quæ cum dispositione à Trident. requisita pœnitens confitetur, sed ea tantummodo, quæ absque dolore requisito ad valorem Sacramenti subjiciuntur.

7. Urgetur primò, quia sententia asserens contritionem perfectam esse requisitam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ideò ab omnibus rejicitur, & acribus censuris à non paucis notatur, quia ex illa sequitur virtute clavium non remitti mortalia, cùm jam supponantur per contritionem prævium remissa, & impossibile sit Sacramentum ex gere, tanquam partem & dispositionem ad suum effectum, quod ejus consequutionem virtute Sacramenti impossibilem reddit, ut contingeret, si contritio perfecta deberet absolutionem præcedere. Ergo à simili in nostrò casu. Si enim quando confessio ab homine justo de solis venialibus fit, deberet attritio absolutionem præcedere, Sacramentum exigeret, ut partem, & dispositionem ad suum effectum, quod ejus consequutionem virtute speciali clavium impossibilem redderet, cum ante absolutionem ratione attritionis prævæ supponantur remissa. Ergo eadem ratio, quæ probat contritionem perfectam non esse partem Sacramenti, nec dispositionem requisitam, quando confessio est de mortalibus, etiam evincit, non requiri attritionem, quando de solis venialibus ab homine justo fit. Quapropter cùm nec ad valorem Sacramenti, nec ad venialium remissionem virtute absolutionis Sacramentalis obtinendam, requiratur dolor ille, seu attritio, de qua Trident. quando partes hujus Sacramenti, sermonem instituens de justificatione impii, designavit: videtur inferri, minorem dolorem sufficere, qui proinde, vel erit displicentia de venialibus, vel virtualis ille dolor, qui in voluntate recipiendi Sacramentum, & ejus effectum continetur.

8. Urgetur secundò, quia Sacramentum Pœnitentiæ, quando confessio de solis venialibus fit, est Sacramentum vivorum: hoc autem inter pœnitentiæ, & Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonii, & Extremæ unctionis, discrimen est, quod hæc vivorum tantum Sacramenta sunt, cum statum gratiæ in suscipiente requirant; & si quandoque primam gratiam bona fide accedentin lethali conferant: Sacramentum verò Pœnitentiæ, etsi Sacramentum mortuorum sit, eo quod ad justificationem impii est primario institutum, & ideò non prærequirat in suscipiente statum gratiæ; cæterum cum iterabile sit, & peccata lethalia jam remissa, aut sola venialia hominis justi in confessione iterum, atque iterum absolvenda subjici possint; in tali eventu rationem Sactamenti vivorum participat, quia ejusmodi confessio non ad impii justificationem, sed ad novum gratiæ augmentum, & ad justificatum à venialibus expiandum ordinatur. Ergo non levi fundamento dicetur Sacramentum, in hoc eventu, cum dolorem exigere ad sui valorem, & effectum, quem ad augmentum gratiæ, & remissionem venialium, reliqua vivorum Sacramenta requirunt. Atqui rel'qua non exigunt dolorem efficacem, sed inefficaci peccatorum dolore, seu displicentia, imò, & virtuali incluso in desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum, contenta sunt; ergo idem prorsus de Pœnitentiæ Sacramento, quando de solis venialibus, aut mortalibus jam remissis fit confessio, non incongruè asserere possumus.

9. Jam, quod in Sacramentis aliis, imò, & pœnitentiæ, semel validè, & fructuosè susceptis, remittantur venialia absque dolore efficaci, sola displicentia, aut dolore virtuali suprà exposito, est communis Doctorum sententia, quorum verba fideliter dabo, ut viri timorati, ad eorumdem etiam venialium frequentem confessionem iterandam moveantur, & ne timore irritandæ confessionis, à tam fructuoso Sacramento arceantur.

§. II.

Quam dispositionem requirant Doctores ad remissionem venialium virtute Sacramentorum?

10. MAg. Martinus de Ledesma 1. *p.* 4. *quæst.* 28. *artic.* 3. §. *Unde sequitur*, sic scribit. *Unde in perceptione cujuscumque Sacramenti, remittuntur venialia: tum quia perceptio cujuscumque Sacramenti est virtualis displicentia, vel formalis, vel est cum formali displicentia peccatorum. Quia si ille erat extra gratiam Dei, requiritur formalis dolor de peccatis; si autem erat in gratia, requiritur aliquis motus liberi arbitrii in Deum, ergo est displicentia virtualis, quia per illum motum in Deum, vult ille placere Deo, & virtualiter vult non displicere. *Et infrà de Eucharistiæ Sacramento loquens, sic ait: *Ad argumentum, quo quærebatur, quare Eucharistiæ sumptio dicitur virtualis displicentia venialium? Dico, quod ex hoc ipso dicitur virtualis displicentia, quia est voluntaria susceptio illius, quod est institutum in remedium contra peccata, & omnia sacramenta sunt in remedium contra peccata, ergo omnia remittunt de se venialia peccata. *Hactenus Mag Ledesma.

11. Mag. Petrus de Soto *de institut. Sacerdot. lectione* 18. *de Pœnit.* *Ad venialia asserimus eam sufficere (pœnitentiam virtualem) quod non sint perfecta peccata, nec illis indicatur specialior pœnitentia, ille verò actus virtualem continet pœnitentiam venialis peccati, quo posito, si peccatum veniale occurreret, displiceret (& infrà.) Putat tamen D. Thom. satis quidem rationabiliter, semper in infusione gratiæ, vel augmento, remitti peccata venialia, non quidem omnia, sed ea duntaxat, quorum est virtualis pœnitentia. *Cum autem voluntas recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ sit displicentia virtualis, eorum saltem venialium, quæ quis confitetur: sequitur apertè, secundùm D. Thom. & M. Petr. de Soto, ad eorum remissionem idoneam esse dispositionem.

12. Mag. Dominicus de Soto *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 2. *art.* 3. *Crediderim ego, quod per omne Sacramentum (attende) remittantur omnia venialia, solo illo actu

actu concurrente, quo quis illud suscipit, quamquam non concurrat alius actus dilectionis: & ille est usus gratiæ. Nam si per sumptionem aquæ benedictæ, quia per illum actum homo reveretur rem divinam, suscipit remissionem venialium, multò efficacius per actum, quo suscipit Sacramentum.*

13. Expressiùs pro Sacramento Pœnitentiæ eamdem sententiam cum Div. Thom. Soto, & Ledesma defendit Suarez *de Pœnit. disp. 12. num. 9.* ubi sic: *Satis est, quod pœnitens accedat, sine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate, & desiderio recipiendi Sacramentum, & ejus effectum. Ita etiam sentiunt Soto, & Ledesma, &c. Quia ad hunc effectum nempè remissionis venialium) non potest Sacramentum postulare, & exigere attritionem: aliàs postularet ipsum effectum jam factum. Ergo nil aliud potest cogitari, nisi illa carentia complacentiæ cum prædicta voluntate, quod etiam docet D. Thom citatis ih locis. Addunt præterea Soto, & Ledesma, illam voluntatem circa Sacramentum, & effectum ejus, esse retractationem quamdam virtualem peccati venialis, quatenus homo vult medicinam illius assumere. Et ideò, si accedat Sacramentum, & non inveniat complacentiam formalem, vel virtualem, tollit illud.* Hæc Suarez cum citatis. Quem sequuntur Montesinos *tom. 2. in 1. 2. disp 36. n 6.* Bonacina *tom. 1. disput. 5. q. 6. sect. 2.* Trullench *lib. 4. praxis, cap. 2. dub. 1.*

14. Idem sentiunt viri alii doctissimi M. Zanardus de *Pœnit. cap. 46. folio mihi 422.* *Sufficit non ponere obicem, id est, non complacere sibi in illis.* Cui consentit P. Tancredi *in Quæstion. Moralib disp. 4. quæst. 10. fol. 97.* Et semel admisso Sacramento valido, & informi, absque formali dolore, solo illo virtuali contento in voluntate suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quale (etiam quando confessio fit de mortalibus) admittunt Thomistæ *quæst. 2.* citati: videtur hæc sententia omnino tenenda, ut colligitur ex P. Granado *tom. 5. in 3. p. contr. 7. tract. 4. disp. 1. num. 5. & 9.* Qui ex eo tantum ei dissentit, quia putat formalem dolorem saltem inefficacem esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ; censens apertè sustinendam in opinione oppositum sentiente.

§. III.

Quæ venialia remittantur in confessione?

15. SI autem inquiras: an omnia venialia remittantur in confessione? Respondent gravissimi Doctores illa remitti, quæ quis confitetur (licet in confuso nullum determinando, ut cum Dicastillo tradit Diana *p. 11. tract 5. res. 24.*) dummodo eorum complacentiam non habeat. Ratio est, quia, ut suprà ex Suarez diximus, ad remissionem venialium virtute Sacramenti Pœnitentiæ, non requiritur attritio, seu dolor ille, de quo loquitur Trident. *sess. 14. cap. 3.* Nam cum dolor ille in homine justo, seipso, per modum condignæ satisfactionis, peccata venialia delere sufficiat (juxtà communem Theologorum sententiam) non possent remitti virtute clavium peccata illa, quæ cum dispositione à Trident. requisita clavibus subjiciantur: non ergo requiritur attritio ad valorem, & effectum hujus Sacramenti; sed ille tantum dolor, quem Sacramenta vivorum ad augmentum gratiæ, & remissionem venialium requirunt; hic autem (ut constat ex dictis) virtualis tantum, seu in voluntate suscipiendi Sacramentum contentus sufficit.

16. Rogabis: an etiam remittantur venialia non vel ex oblivione, vel ex industria in confessione omissa? tuntur? Respondent nonnulli, hæc etiam remitti, si illorum complacentia deficiat. Ita tenent Doctores infrà citandi. Et partim Suarez *sup. num. 12.* *Satisfactus, inquit, remittet peccata, de quibus homo non est actualiter attritus, maximè si sint oblita, & non voluntariè omissa, quia quatenus est ex se, omnia illa subjicit clavibus, & quia illud Sacramentum habet vim tollendi peccata etiam oblita, si non inveniat obicem. At verò de aliis peccatis, quæ homo voluntariè non subjicit clavibus, non est res adeò certa, & fortasse major aliqua dispositio circa illa requiritur.* Sic Suarez.

17. Verum M. Sotus, & M. Ledesma, quos ipse refert *num. 10.* planè censent, semper tolli omnia venialia, quibus homo non est actualiter affectus, & hunc effectum ab omnibus Sacramentis præbet. Quibus non dissentit ipse Suarez, dicens: *Etiamsi concedendo, quam vis hæc res mihi dubia videatur, & incerta; nullum absurdum, vel inconveniens sequi video, quamquam efficaci fundamento sustendi non possit, præsertim de omnibus Sacramentis.**

18. Pro eadem sententia partim militat? Granado *ubi suprà num. 7.* *Necesse est, inquit, ut pœnitens aliquod veniale confiteatur, cujus dolorem habeat, ne alioquin irritum sit Sacramentum, eo enim dolore posito, non est cur cætera venialia, sive confessione explicata, sive tacita, sive oblita, non remittantur, si justus non habeat complacentiam in illis, sicut tolluntur virtute aliorum Sacramentorum, quæ tamen nullius venialis dolorem formalem exigunt: quia confessio cum dolore non pertinet ad materiam illorum.* Sic discurrit Granado: existimat enim formalem aliquem dolorem, non voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum esse necessarium, veluti partem essentialem illius, aqua adeò eo posito, licet unius tantum venialis (vel cujus mortalis jam confessi) reliqua venialia, etiam voluntariè omissa, virtute hujus Sacramenti remitti. Alii verò Doctores, ut vidimus, nullum formalem dolorem requirunt ad valorem, & effectum Sacramenti, quando de solis venialibus fit confessio, quæ posito, illis non dissentit Granado. Undenec venialiter peccaturum, qui sicad Sacramentum accederet, putat Rever. P. Delgadillo *ubi suprà cap. 16. in Pœnit. dub. 14.* *Imò addo, inquit, non occurrere caput, unde asseratur, esse peccatum veniale, etiam quando est totalis materia confessionis, accedens sine dolore, aut displicentia illius.* Nimirum, quia sine dolore formali, ut ipse cum pluribus tradit, datur materia essentialis Sacramenti, & non ponitur obex augmento gratiæ, & venialium remissioni. Cui favet Granado *tom. 5. in 3. p. cont. 7. tract. 4. disp. 1. n. 2.* ex eo probat licitè accedere ad confessionem, qui cum dolore inefficaci. *Quia eo ipso dat materiam essentialem Sacramento, & aliunde nullum obicem ponit, ergo consequitur augmentum gratiæ, & remissionem venialium, ac proinde nullo modo peccabit accedendo ad pœnitentiam.* *Cum igitur in opinione, quam à quibusdam Thomistis traditam defendit Delgadillo, nullus formalis dolor requiratur ad valorem, & effectum Sacramenti, quando de solis venialibus fit confessio, sed virtualis contentus in desiderio suscipiendi Sacramentum sufficiat; [illegible] bonam

bonam inde consequentiam deducit, sic accedentem, eo ipso dare materiam essentialem Sacramento: & cum aliunde nullum obicem ponat, consequuturum augmentum gratiæ, & remissionem venialium, ac proinde nullo modo peccaturum.

§. IV.

Judicium Auctoris.

19. Hæc sunt, quæ pro hac sententia, satis quidem pia, congerere potui. Quam si amplectaris, nullo vexaberis scrupulo in confessionibus venialium iterandis, cum ipsa voluntas confitendi includat dolorem requisitum ad valorem, & effectum Sacramenti, & nulli periculo irritandi, saltem culpabili, te exponas. Verum sententiam contrariam veriorem reputo; quia licet omnia Sacramenta vim habeant remittendi venialia, accedenti cum eorum displicentia (etsi velis cum dolore tantum virtuali in voluntate suscipiendi contento) ad hunc vero præstandum effectum, supponitur aliunde ad esse Sacramentum ex omnibus suis partibus essentialibus coalescens. Ac proinde non dubito, si semel statuatur Sacramentum validum, & absque obice ad gratiam conferendam, quod ejus virtute remittantur venialia; prout in aliis Sacramentis, ex generali ratione Sacramenti, contingit: in quo ducem habeo Patrem Granado, & P. Suar. *tom. 2. de gratia, capit. 24. numtr. 5.* & alios Doctores. Dixi, *absque obice ad gratiam*, quia in opinione admittente Sacramentum validum, & informe ex defectu alicujus requisiti ad gratiam, nullum veniale remittetur. Quia horum remissio absque gratiæ infusione non contingit, & multò minus non remisso mortali ex defectu dispositionis: similiter requiritur non ponere obicem remissioni venialis culpæ: si enim in confessione ipsa, leve quis peccatum mendacii, aut vanæ gloriæ committeret, non obtineret remissionem talis peccati, ut ait Suar. supr.

20. Aliundè ergo supponere debemus Sacramentum pœnitentiæ validum, & suis partibus essentialibus constitutum, & absque obice ad gratiam, ut indè evincere possimus, venialia ejus virtute, ex generali, aut speciali ratione Sacramenti, remittenda. Et sanè non dubium est, potuisse Christum Dominum instituere Sacramentum pœnitentiæ, ex dolore efficaci coalescens, quando confessio est de mortalibus; & ex inefficaci formali, vel virtuali, quando de venialibus: quod proindè unum, vel alterum dolorem, efficacem, vel inefficacem, formalem, vel virtualem pro materia exigeret, & non efficacem formalem determinatè. Hoc mihi de possibili certum est. Sed quidem cum ad institutionem de facto præstitam respiciendum sit, non ad eum, quæ fieri potuit; & de facto ex Conciliis nobis constet, Sacramentũ pœnitentiæ à Christo Domino institutum habere pro materia dolorem, qui *detestatio sit de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*, ut definit Trident. *sess. 14 cap. 4.* ideo debemus ejusmodi dolore, poscere deficiente, non dari Sacramentum pœnitentiæ, sive confessio sit de mortalibus, sive de venialibus tantum: ac proindè nullum veniale fore remittendum: ita Pat. Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 6. num. 2.* Card. de Lugo *disp. 14. nu. 106.* & Leander *disp. 7. q. 24.* dicens esse certissimam, & communem omnium Theologorum: non quia, si alias staret valor Sacramenti in homine justo, non sufficeret displicentia formalis, aut virtualis, quæ cum susceptione alterius Sacramenti effectum remissionis operaretur, sed quia istud, ex ratione speciali Sacramenti Pœnitentiæ, requirit, ut partem sui essentialem dolorem efficacem, seu detestationem peccati, saltem alicujus commissi, & clavibus subjecti. Hoc autem posito, reliqua venialia remittenda, de quibus displicentiam formalem, aut virtualem, in desiderio suscipiendi Sacramentum, & ejus effectum contentam habeat, non inficior; quia ad ea, quorum non est complacentia, sufficiens dispositio reputari debet in in hoc Sacramento, quæ in aliis talis haberetur.

21. Si autem semel admittatur cum Thomistis, Sacramentum Pœnitentiæ validum, absque detestatione peccati, cum sola displicentia formali, aut, ut alii contendunt, cum sola virtuali; inficiandum non est, ab homine justo susceptum, fore fructuosum, & venialium remissionem operaturum: quia ad hunc præstandum effectum, quilibet, etiam virtualis, eorum dolor sufficiens est, non minus quam in reliquis Sacramentis; idque evincunt fundamenta pro prima sententia adducta, quibus in quantum nobis adversantur, ex superius dictis, satis superque responsum est. Ideò hanc nostram sententiam tuentur P. Suarez *disp. 20. sect. 6.* Filliucius *tract. 7. cap. 6. nu. 168.* Card. de Lugo *disp. 14. sect. 8.* & plures alii, & à fortiori Cajetan. *3 p. quæst. 87. art. 1. ad 2.* Henriquez *lib. 4. de Sacr. Pœnit. c. 15.* D. Bonav. Scotus, Gabriel, Medina, & alii, apud Dianam *p. 11. tract. 5. resol. 32.* asserentes pœnitentiam, seu propriæ voluntatis actum necessarium non esse ad remissionem venialium, sed sufficere liberum arbitrium non repugnare.

22. Objicies, Sacramentum Pœnitentiæ, etiam quando justus sola venialia confitetur, coalescit tanquam ex parte essentiali, ex detestatione peccati: ergo ad suum effectum prærequirit aliquid, quod ejus consequutionem impossibilem reddit. Probatur consequentia: quia prærequirit peccatum veniale remissum, cum exigat ejus detestationem, quæ in homine justo ante absolutionem Sacramentalem, remissionem venialium operatur. Hoc est præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum. Respondeo, Sacramentum Pœnitentiæ de solis venialibus non ordinari ad remissionem eorum, quæ cùm dolore sufficienti ad remissionem extra Sacramentum, pœnitens confitetur; nec hunc dicendum effectum hujus Sacramenti, sed solum augmentum gratiæ habitualis, & eorum venialium remissionem, quæ absque dolore sufficienti ad remissionem extra Sacramentum, clavibus subjiciantur: hæc enim (semel aliunde posito ejus valore) virtute clavium remittuntur, tum ex ratione generali Sacramenti, tum ex speciali pœnitentiæ, non exigentis ad hunc effectum, æqualem dolorem, ac ad sui constitutionem. Nec mirum, quod cum Sacramento, ad remissionem venialis, sufficiat minus perfectus dolor, quam extra. Attritio enim cum Sacramento, mortalis remissionem operatur, secus vero extra. Semel ergo statuto valore Sacramenti ratione detestationis alicujus venialis, vel mortalis jam confessi, non incongruè dicitur, ad aliorum venialium remissionem, sufficere eorum displicentiam formalem, aut virtualem, & consequenter remitti omnia, quorum complacentiam non habeat, quia ad omnium

num remissionem est sufficienter dispositus. Diversimodè tamen id præstat, quia ad ea, quæ confitetur est dispositus, ut ex virtute speciali Sacramenti Pœnitentiæ remittantur: ad reliqua verò, quæ ex oblivione, vel etiam ex industria omittit: ut ex ratione generali Sacramenti (sicut in aliis contingit) remittantur per augmentum gratiæ, quod confertur. Quia ut benè ait Emin. Cardin. de Lugo *tom. de Pœnit. disp. 9. sect. 3 num. 54.* legibus amicitiæ consentaneum est, ut quoties aliquis admittitur ad majus, & strictius amicitiæ vinculum, offensæ leves omnes, vel ex parte condonentur.

23. Instabis: ergo ad nil deservit venialium confessio. Sequela probatur. Quia ea, quorum detestationem justus habet, remittuntur extra Sacramentum, reliqua vero, licet voluntariè omittantur, remittuntur virtute Sacramenti: ergo eorum confessio nullius prorsus utilitatis est. Huic argumento diversimodè occurri potest. Primò ex doctrina Cardin. de Lugo *tom. de Pœnitent disput. 9. sect. 11.* asserentis, attritionem ratione sui, non afferre extra Sacramentum omnium venialium, ad quæ se extendit, remissionem, sed alicujus, vel aliquorum tantum, juxta regulam divinæ ordinationis, quam in hoc, inquit, nullo modo possumus certò definire: exigit enim pro gravioribus venialibus minus perfectam; posita autem attritione in tali gradu, non remittentur venialia, quæ perfectionem requirunt, sed ea tantum, quæ eo attritionis gradu contenta sunt; atque adeò virtute Sacramenti remittentur alia, ad quorum remissionem attritio insufficiens fuit. Sic Lugo. Hunc dicendi modum probabilem putat Suarez, sed eo non quiescit *disput. 11. numer. 26.* Et merito, quia, ut benè ponderat Ripalda *tom. 2. de ente supern. disput. 97. sect. 4. à numer. 63.* Attritio, quæ extenditur ad omnia venialia, ad omnium remissionem extra Sacramentum sufficiens est, quia non minorem virtutem habet attritio in homine justo ad omnium venialium remissionem, quàm in peccatore contritio ad omnium lethalium: ergo æquè certum erit, omnia venialia per attritionem in quocumque gradu remitti, ac est certum, omnia mortalia per contritionem remittenda, ergo semel admisso, cum communi sententia, attritionem, seu detestationem venialium in homine justo esse condignam eorum satisfactionem, omnia ante absolutionem supponentur remissa, dum attritio ex motivo universali de omnibus habeatur.

24. Ideò dicendum existimo cum Suarez *disput. 20. sect. 6. numer. 18.* argumentum planè convincere, quod ad venialium remissionem non est necessaria eorum confessio, cum per attritionem, & multis aliis modis remissio obtineri queat, rectè tamen, ut utiliter in confessione dicuntur, ut definit Trident. *sess. 14. cap. 5.* quia licet præcedente attritione, ex motivo universali, omnia supponantur remissa, multum tamen confert eorum confessio ad pleniorem remissionem quoad pœnam, & ad specialem gratiam remissivam, & præservativam retinendam, quod etiam sentit Palao *tom. 4. de Pœnitent tract. 23. disput. unica, p. 7. numer. 15.* Præterea cum non raro contingat, attritionem non esse ex motivo universali, sed speciali ad aliquam speciem venialium se extendentem, propter specialem dissonantiam: reliqua ante absolutionem irremissa manebunt, & virtute aliqua eorum dis-

plicentia formali, vel virtuali, quæ major, vel minor esse potest. Et forsan ea tantum peccamenialia, quæ quis confitetur, remittentur; ex eorum displicentia, & confessione, dispositio requisita coalescit, ut virtute Sacramenti remittantur: non vero alia quæ voluntariè omnem cum omnia Sacramenta, juxtà unusquisque dispositionem majus gratiæ augmentum, & majorem venialium remissionem operentur, & gradus hujus dispositionis ad omnium venialium remissionem nobis sit ignotus; rectè quidem, & utiliter venialia in confessione dicuntur, nec eorum confessio superfluit, quia forsan exilla dependet multorum venialium remissio, quæ ea deficiente ex defectu dispositionis irremissa manerent. Quia sententia quæ asserit, omnia remittenda, quorum pœnitens complacentiam non habeat, sed solam displicentiam, seu retractationem virtualem, quatenus vult Sacramentum recipere, & ejus effectum (ut benè ait Suarez *disput. 12. numer. 12.*) non est adeò certa, licet satis pia, ut de certiori remissione curarenon debeamus.

25. Quod inde magis suadetur, quia Sacramentum Pœnitentiæ respectu venialium, quæ clavibus non subjiciuntur, non habet majorem virtutem remissivam, quam Sacramentum Eucharistiæ, sed hoc plura, vel pauciora venialia remittit, juxta majorem, vel minorem dispositionem recipientis, ut docent Div. Thom. Bonac. Richard. Gabriel, Alensis, Div. Antoninus, & alii, apud Suarez, ergo idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ, ergo juxta majorem, vel minorem displicentiam eorum, quæ quis confitetur; & majorem, vel minorem devotionem, & humilitatem, qua eorum confessionem accedit, plura vel pauciora remittentur ex illis, quæ ex oblivione, vel etiam voluntariè omittit.

26. Ex quibus concluditur venialium confessionem valdè utilem esse, tum propter augmentum gratiæ, & remissionem pœnæ temporalis, tum quia quæ per attritionem non supponuntur remissa, remittentur in Sacramento subjecta, cum displicentia, seu dolore inefficaci, tum quia quò devotior, & humilior fuerit eorum confessio, eo plura ex oblitis, & etiam ex voluntariè omissis remittentur, ex generali ratione Sacramenti, ut constat ex dictis.

27. Adde nonnullos existimare, ad valorem Sacramenti, & venialium remissionem; quando ut illis tantum fit confessio; sufficere hunc actum: doleo toties peccasse venialiter: nolo iterum totvenialia committere: propono majorem curam & diligentiam adhibere, ut minuam tot mendaciorum, tot otioforum verborum multitudinem. Qui quidem doloris, & propositi actus facilius elicitur in confessionis fructus consequitur. Ita Verricelli *in mor. tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 10.* ubi citat D. Thomam cum Cardin. de Lugo *disp. 14. sect. 9. nu. 133.* defendunt Tambur. *in Methodo lib. 1. cap. 3. §. 3.* & Tamburi *in qq. mor. disp. 4. q. 10. fol. 97.* Cæterum cum hic actus nullius venialis in particulari detestatio dicatur sit, & non tam culpam, quam multitudinem habeat pro objecto; forsan deficit à perfectione illa, quam ex præcepto Christi Domini adhibendam docent Concilia. Præterquam quod cum dolor ille, de tot mendaciis commissis, propositum mentiendi non excludat, sed numerum; non videtur attingere gradum attritionis, quem ad valorem Sacramenti requi-

rit.

nitentiæ Concilium requirit: veluti omnes dicere debemus de dolore, de multitudine mortalium, qui voluntatem peccandi non excludat. Nostra sententia secur.or est.

QVÆSTIO VI.

An pœnitens teneatur sub mortali habere dolorem efficacem de omnibus venialibus, quæ confitetur?

1. EUm qui de venialibus confitetur, teneri si aliam materiam non adhibeat, de uno saltem veniali dolorem efficacem habere, constat ex dictis *q.5.nu.*20. ideò in præsenti solum inquirimus, an talis dolor efficax, & detestatio de omnibus, quæ quis confitetur, esse debeat? an de uno veniali sufficiat? Prima opinio asserit, esse obligationem sub mortali ad concipiendum dolorem efficacem de omnibus venialibus in confessione subjectis. Ita docent multi suppresso nomine citati à P. Suarez *disp.*20. *sect.6.n.*7. Probant, quia absolutio cadit suprà omnia venialia; ergo in omnibus debet esse vera, & effectum habere. Sed talis esse non potest, nisi de omnibus dolor concipiatur: ergo, &c. Secundò, quia confiteri aliquod veniale absque dolore efficaci illius, est offerre pro materia Sacramenti, quod revera materia non est: hæc enim solum est confessio dolorosa; talis autem non est narratio peccati absque prædicto dolore.

2. Contraria tamen sententia est omnino tenenda, quæ est Theologorum communis. Suarez supra, Gasp.Hurtado *de Pœnit disp.6.diffic.*10. Granado *suprà tom.*2. *in* 3.*p.contr.*7. *tract.*4. *disp.*1. Diana 4 *p.tract* 4. *resolut.*193. Henriquez, Fagundez, & alii, quos refert, & sequitur Lugo *suprà disp.*14. *n.*118. Probatur, quia eo ipso, quod apponatur dolor efficax de aliquo peccato, quod in tali confessione subjicitur, non irritatur Sacramentum; nec verba Christi Domini frustra, & irritè proferuntur, nec defectus doloris aliorum venialium ponit obicem effectui Sacramenti, cum non impediat collationem gratiæ, imò nec remissionem venialium, etiam eorum, de quibus non est dolor, dummodo complacentia non habeatur, juxtà superius dicta: ergo nullum est caput ad assentendum, pœnitentem sub mortali teneri concipere dolorem de omnibus venialibus, quæ confitetur. Adde, neque graviter peccaturum, licet aliquorum complacentiam haberet, ut benè Hurtad. & Diana suprà, quia, ea posita, adhuc manet validum, & fructuosum Sacramentum, ratione aliorum, quæ cum vero, & efficaci dolore subjiciuntur. Secus si de omnibus complacentiam haberet, quidquid dixerit Delgadillo *quæst.præcedenti nu.*5. *citatus*, quia hæc non compatitur cum efficaci detestatione alicujus, quæ est pars essentialis Sacramenti.

3. Neque obstat, quòd pœnitens se accuset de aliquo, quod ex defectu doloris non sit materia confessionis; de more namque est apud pios, & religiosos se accusare de imperfectionibus, & defectibus, qui peccata venialia non sunt: ergo non omnia, de quibus se accusant, debent esse materia confessionis: admixtio enim alicujus partis, quæ non est materia Sacramenti, non est culpa mortalis, ut constat in aliis Sacramentis: nam in baptismo, cum aqua admiscetur pars quædam olei benedicti, quæ non est materia Sacramenti baptismi. Et in Eucharistia vinum consecrandum miscetur aqua, quæ materia consecrationis non est. Ergo à simili in nostro casu, nulla erit culpa, veræ materiæ pœnitentiæ adjungere peccata aliqua venialia, seu mortalia jam confessa, licet ex defectu doloris materia Sacramenti non sint. Tandem potest nostra sententia suaderi ex eo, quòd peccata venialia sunt materia libera confessionis, cum licitè possint pro libito omitti: si ergo peccatum veniale omissum non obstat valori, & effectui Sacramenti, cur peccatum insufficienti dolore expressum obstabit?

4. Dices, qui offerret Sacerdoti decem hostias consecrandas, quarum aliquæ non essent triticeæ, peccaret mortaliter: ergo qui offert Sacerdoti pro materia absolutionis decem venialia, quorum aliqua ex defectu doloris materia absolutionis non sint, peccabit mortaliter. Hæc objectio instatur evidenter in eo qui confitetur imperfectiones, quæ peccata venialia non sunt, & in exemplis de Baptismo, & Eucharistia suprà adductis. Respondeo igitur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas sumitur ex intentione Sacerdotis, & verborum significatione communiter recepta: etenim in primo casu de omnibus, & singulis hostiis distributivè affirmat absolutè, illud esse corpus Christi: sicut qui plures homines ex occasione occurrenti simul absolvit, dicens: *Ego vos absolvo*; de omnibus, & singulis distributivè loquitur. Ac proinde aliqua hostia triticea deficiente, sicut & aliquo homine absque ullo prorsus dolore se accusante, non potest non irritari aliquod Sacramentum: ipsa enim forma, licet una quoad voces, virtualiter tamen est multiplex: Secus autem in nostro casu contingit, quando imperfectiones, & alii defectus, seu peccata venialia, de quibus non est dolor, explicantur: hoc enim Sacramentum non est multiplex: sed Sacerdotis intentio, & sensus verborum absolutionis est: ego in quantum possum, juxtà allegata, & vera tua accusatione probata, remitto tibi peccata tua, quod quidem verum est, licet ex defectu dispositionis aliqua non dimittantur.

5. Ex dictis colligitur: sanum semper fore consilium omnibus, qui venialia tantum confitentur, se accusare de aliquo peccato vitæ præteritæ, de quo verum, & efficacem dolorem habent: sic enim valor Sacramenti, & fructus gratiæ nullum periculum subire possunt. Et aliunde (ut diximus suprà) si nullam de venialibus, etiam voluntariè omissis complacentiam habeant, ut tradit expresè P. Granad. *suprà num.*7. vel saltem aliquam displicentiam, ut magis inclinat Suarez, eorum remissionem virtute Sacramenti consequuntur.

QVÆSTIO VII.

De proposito requisito ad valorem, & effectum confessionis de venialibus.

1. SUppositis, quæ de qualitate doloris statuimus, non erit difficilis resolutio. Dico igitur, ad valorem confessionis de venialibus, & ad eorum remissionem virtute Sacramenti obtinendam, non requiri propositum vitandi omnia venialia, sed sufficere propositum (quod semper implicitè reperitur) non committendi illa, quæ cum efficaci dolore pœnitens confitetur. Ita Card. de Lugo *disp.*14. *sect.*9. *n.*227. Suarez hic *disp.*20. *sect.6.n.*7. *in fine*. Coninch *de effectu*

gratiæ, dub. 14. num. 130. Palao *tom. 4. tract. 23 disp. unica, punct. 2. num 16. & punct. 6. num. 7.* Diana *3. p. tract. 4. resol. 117.* & desumitur ex D. Thoma *q. 87. art. 1. in solut. ad primum.* Et debent tenere omnes quæst. præcedenti citati pro nostra sententia; quia, ut vidimus, concedunt, ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non requiri dolorem de omnibus venialibus subjectis; & expressius Diana, & Hurtado, qui hæc componunt cum affectu, & complacentia circa aliqua.

2. Hujus conclusionis ratio desumitur ex differentia peccati venialis, & mortalis: mortale namque remitti nequit, quin omnia mortalia remittantur; neque unius remissio stare potest cum affectu adhuc virtuali erga aliud. Unde provenit, quod detestatio peccati commissi, & propositum non peccandi omnia ad mortalia extendi debeat. Econtra verò, cum unum veniale possit remitti sine alio, imò, & existente affectu erga aliud, non est, cur ad remissionem unius requiratur propositum vitandi omnia. Confirmatur, quia propositum efficax non magis requiritur ad valorem Sacramenti, quam detestatio peccatorum, sed quia venialia sunt materia libera confessionis, non requiritur omnium detestatio: ergo neque propositum efficax vitandi omnia. Adde, juxtà opinionem quæst. præcedenti relatam, non requirentem ad valorem, & effectum Sacramenti dolorem efficacem de aliquo veniali, consequenter tenendum est, non requiri propositum efficax vitandi al quod. Cui opinioni, videtur aliquibus, assentiri P. Suarez *lib. 7. de gratia, cap. 24. n. 7.* ubi ad obtinendam remissionem venialis *fortasse*, inquit, *non requiritur propositum efficax non committendi simile veniale, sed satis esse poterit, habere displicentiam commissi cum desiderio, & petitione veniæ.* Sed intelligendus cum grano salis, nam quod requiratur implicitum efficax circa aliquod veniale, non dubitat Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 20. sect. 6. n. 3.* alias Sacramentum esset invalidum. Semel autem in suo valore constituto sufficiet ad aliorum venialium remissionem habere eorum displicentiam, juxtà superius dicta.

QVÆSTIO VIII.

An ad singulas confessiones requiratur novus actus doloris?

1. IN duplici tantum casu, præsens quæstio locum habere potest. Primò, quando pœnitens de omnibus peccatis universaliter doluit, oblitus tamen est, confiteri aliquod lethale, de quo post absolutionem recordatur, & statim confitetur. Secundò, quando eadem peccata, sive mortalia, sive venialia jam confessa, vult iterum denuo confiteri. Et in utroque communis Doctorum sententia tenet, ad novam absolutionem recipiendam, debere elici novum actum doloris. Fundamentum est, quia dolor est pars, & materia proxima Sacramenti, non minus, quam confessio; sed cum eadem confessione nequit duplex confici Sacramentum, ergo nec cum eodem dolore. Longè verò alia est ratio de peccatis: hæc enim sunt materia remota, quæ proindè duplici Sacramento, sicut eadem aqua duplici baptismo deservire potest. Ita sentiunt P. Vasq *q. 92. ar. 2. dub 5. n. 1.* Filliuc. *tr. 6. de contrit cap. 3. num. 77.* D an. *3. p. tr. 4. resol. 116.* & Joann. Sanch *in selectis, disp. 1. num 22.*

2. Cæterum P. Henriq. licet conveniat cum communi sententia, quoad secundũ casum; negat tamen quoad primum. Ait igitur *lib 1. de Pœnitent. cap. 15. num. 7.* cum, qui peccatum oblitum in prima confessione, statim confitetur, non teneri novum dolorem elicere, sed virtute prioris absolvi posse, & gratiam Sacramentalem recipere: secus verò, si in nova confessione repeteret peccatum, à quo in alia confessione fuit directè absolutus. Movetur ad definendum constituendum, ex eo quod dolor ille universalis oblita extensus, *non fuit per primum Sacramentum directè informatus, quatenus ad oblita terminatur.* Quia diceret, dolor ut terminatus ad oblita, non fuit per Sacramenti in prima confessione, ac proindè utrum poterit esse pars, & materia proxima in secundo. Secus verò contingit, quando in nova confessione objiciuntur eadem peccata, à quibus in alia fuerat pœnitens absolutus; nam cum dolor, ut ad illa terminatus, fuerit pars proxima primi Sacramenti, non potest ad secundum deservire.

3. Hanc doctrinam, quatenus ponit discrimen inter unum, & alterum casum, multis everterem. Card. de Lugo *disput. 14. sect. 3. num. 3.* contendens, dolorem, ut terminatum ad oblita, fuisse etiam potestem essentialem, & materiam proximam primæ confessionis. Verum sibimet contrarius, sententiam, quam impugnat, statim amplectitur *sect. 7. n. 91.* ubi loquens de dolore ut terminato ad oblita, licet; posse tamen dolor, prout terminatur ad illud peccatum, quod non confitetur, non esset materia Sacramenti, neque pars illius, quia non fit sensibilis per aliud peccatorum confessionem. * Quod tenet etiam Suarez *disp. 20. sect. 4. num. 24.* Imò in hoc primo maximè nititur Lugo, ad astruendum Sacramentum validum, & informe. Consequenter igitur P. Henriq. juxtà sua principia, absque exigentia novi doloris primum casum admittit, in quo non eadem materia proxima, sed diversa diversò deservit Sacramento, per quod vitatur absurdum, quod communis sententia fugere contendit; & negat secundum, in quo aliter contingit, eo quod dolor, ut terminatus ad hæc peccata quæ iterum confitetur, fuerit jam pars, & materia proxima in alia confessione.

4. Verum decisio hujus quæstionis non dependet ab his principiis, nam licet Doctores, qui tenent non dari Sacramentum validum, & informe, asserant consequenter dolorem, ut terminatum ad oblita, esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, nihilominus, si pœnitens post absolutionem recordetur alicujus peccati obliti, & statim confiteatur, curare non tenetur, nec confessarii admonent, de novo dolore eliciendo (quamvis sanum semper foret consilium propter majorem securitatem valoris.) Insuper omnes Theologi Morales tanquam rem indubitatam supponunt, prædicandum, qui propter instantem mortem, non potest omnia sua peccata lethalia confiteri; posse eligere audito, absolvi, & deindè confessionem ejus, qui novas recipiendo absolutiones novis expiat peccatis: nec ullus est, qui novum doloris actum pro singulis absolutionibus requirat. Imò id inculcant communiter, & ferè impossibile foret. Omnes igitur communiter sentiunt, eumdem dolorem duplici Sacramento deservire posse, etiamsi utrobique tanquam pars, seu materiæ proximæ fungatur. Ergo in uno, quam in altero casu debent hanc sententiam amplecti, ac proindè non solum illum, qui de oblitis tantum confitetur, ut vult Henriquez, sed etiam illum, qui se accusat de peccatis jam confessis, non teneri novum actum doloris elicere, sed virtute primi moraliter perseverantis pluries absolvi posse.

5. Hujus assertionis ratio est, quia ad diversum [illegible]

cramentum non requiritur, quod tota materia proxima sit diversa, sed sufficit, quòd materia per se sensibilis diversa sit. Idque debent fateri omnes: nam Corpus Christi Domini est materia proxima, & pars essentialis Eucharistiæ, eo modo, quo est materia proxima attritio, & pars essentialis pœnitentiæ. Constat enim speciebus, & Corpore Christi, quod per illas sensibile sit, sicut Sacramentum pœnitentiæ confessione, & dolore, qui per illam sensibilis redditur; ut ex PP. Hieronym. Am. bros. Theod. Tertul. & aliis probat P. Vasq. *de Euchar. disput* 167. *cap.* 5. & 6. Sed idem Corpus Christi est materia proxima, diversis numero Sacramentis, ut benè tradidit ipse Vasq. *sup. disp.* 178. *cap.* 2. Ergo eadem materia proxima inadæquata, & quæ per se sensibilis non est, potest pluribus Sacramentis deservire.

6. Quod potest efficaciter suaderi, quia ad novum Sacramentum conficiendum, solum tenetur pœnitens adhibere materiam, ex qua nova accedente absolutione, novum Sacramentum coalescat: sed eo prec sè, quod materia proxima per se sensibilis diversa sit, resultat diversum Sacramentum, ut constat in Eucharistia. Ergo ad novum Sacramentum conficiendum, solum tenetur novam confessionem efficere, non vero novum eorumdem peccatorum dolorem elicere. Cum enim Sacramentum dicatur, ex eo quod gratiam sanctificantem significet, eo precisè, quod dentur plura significantia gratiam, plura consurgent Sacramenta. Et sicut ad multiplicitatem Sacramenti Eucharistiæ sufficit, quòd plures species idem Corpus Christi significent; ita ad pluralitatem Sacramenti pœnitentiæ sufficiet, quod plures confessiones eumdem dolorem sensibilem reddant.

7. Propter hæc, mihi semper arrisit hæc sententia, illamque expresè tenent viri doctissimi, M. Pet. de Ledesma *in Sum. cap.* 4. *de Pœnitent. concl.* 8. *dub.* 2. ibi: * La segunda duda es, si bastará repetir la confession vocal de los mismos pecados, para poderse iterar la forma, ò si será necessario tambien repetir el dolor? &c. Algunos hombres doctos, discipulos de S. Thomas, enseñan, que para repetir la forma sobre los mismos pecados, no basta hazer nueua confession, sino que es necessario repetir el dolor, y tenerle de nueuo, y de otra manera seria pecado, y sacrilegio. A esta duda, mi parecer es, que aunque esta sentencia referida tenga alguna probabilidad, la contraria es mas probable, y mas comun entre los Doctores, en el lugar que tengo citado (nempè 3. *p. quæst.* 84. *artic.* 3 *ad ultimum*,) y esto se ha de seguir.*

8. M. Joann. de la Cruz *in direct. de Sacram. Pœnit. q.* 1. *dub* 6. * An verò sufficiat, repetere vocalem confessionem eorumdem peccatorum remissorum, sine novo dolore? Probabile est, quòd non sufficiat, nam materia proxima pœnitentiæ, non est sola confessio, sed & contritio, & satisfactio; ergo totum est repetendum. Sed probabilius est oppositum. Ita Ledesma. Nam repetita sola confessione vocali, repetitur materia proxima, etsi non totaliter, & hoc satis est, ut repetatur forma. Et sic patet argumentum oppositum. Præterquam quod repetita confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor, in ordine ad confessionem vocalem. Si arguas. Num etiam satis erit repetere dolorem eorumdem peccatorum, sine nova confessione vocali, cum contritio, sicut & confessio sit pars Sacramenti pœnitentiæ? Ad hoc nego antecedens. Nam confessio in ratione partis Sacramenti est præcipua, imò contritio non est pars, nisi in ordine ad confessionem vocalem, cum non sit signum sensibile, nisi in quantum per confessionem manifestatur. Et sic, si non repetitur confessio, etsi repetatur contritio, non repetitur materia proxima sensibilis. *

9. Remigius *in Sum. tract.* 5. *cap.* 5. §. 14. ibi: * Quando uno se cõfiesa solo de pecados ya confessados, no está obligado à hazer particular acto de contricion, ò atricion, para ser absuelto; porque por el mismo caso que repite la confesion, repite tambien la contricion, y dolor de los pecados ya confessados. Con que se abre puerta para sossegar à muchas personas de temerosa conciencia, que se confiessan à menudo, y de los mismos pecados, y nunca acaban de creer, que tienen dolor de sus culpas. *

10. Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 5. *disp.* 7. *quæst.* 4. * An quando quis iterum confitetur eadem peccata, à quibus jam directè fuerat absolutus, teneatur habere novum dolorem eorumdem peccatorum? Affirmant Henriquez, Filliucius, Vasquez, Bonacina, Bernal. Sed æquè probabiliter respondeo, non teneri ad habendum novum dolorem formalem, &c. quia repetita confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor præcedentis confessionis, perseverans adhuc moraliter, & virtualiter. *

11. Dicastillo *tom. de Pœnitent. tract.* 8 *disp.* 6. *dub* 12. *fol.* 286. inquirens: * An pro nova confessione novus actus doloris requiratur? * Postquam fundamenta jecit, concludit *num.* 160. * Ex tota hac doctrina asserendum est, non solum casu illo assignato ab Henriquez, quando novum peccatum quis confitetur, quod oblivione non dixerat, sed quando eadem omnino peccata novæ confessioni subjiciuntur, sufficere antiquum dolorem, vel physicè, vel moraliter manentem adhuc. Ratio est, quia potest idem dolor per novam confessionem novæ absolutioni subjici, &c. * Sic ille.

12. Insuper hanc sententiam probabilem putavit Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 116. & *p.* 9. *tract.* 9. *resol.* 51. & *p.* 10. *tract.* 16. *resolut* 30. & absolutè illam amplectitur *p.* 11. *tract.* 5. *resol.* 21. & tanquam probabili subscribit Tanczedi *in Quæstionib. Moralib. tract* 1. *p.* 2. *de Sacram. Pœnitent. quæst.* 6. *sol* 93. dicens: * Non improbabile puto, unum dolorem non retractatum sufficere ad plures confessiones eorumdem peccatorum. * Et Verricelli *tom.* 1. *Quæstionum Moral. tract.* 5. *quæst.* 5. *numer.* 20. ibi: * Probabiliter multi docent, quòd si accederet pœnitens in præsenti confessione, cum nullo prorsus dolore, sufficit illa peccata esse in alia confessione detestata, &c. Ratio est, quia sufficit repetere materiam proximam (id est, per se sensibilem) nempè confessionem, ut repetatur forma. *

13. Quibus accedunt Card. de Lugo, & alii, quos refert *disp.* 14 *sect.* 3. *num.* 34. ubi sic: * Joannes de Salas in manuscriptis *de Pœnitent. quæst.* 84. *art.* 10. relata sententia aliquorum recentiorum, qui dicebant, requiri novum dolorem, sicut novam confessionem, ad valorem Sacramenti, ipse dicit, contrarium verius esse; & sufficere, quod partes sensibiles novæ sint, &c. Eamdem sententiam indicavit obiter quidam alius M. Salmanticensis, dicens, illam non videri improbabilem. Clarius autem, & expresè illam docuit Petrus de Ledesma, & Joannes de la Cruz. Apud alios nil invenio pro hac parte, nec etiam contra illam, quam quidem ego non audeo reprobare. * Hæc Lugo.

14. Denique hanc sententiam tenent Josephus de Januario *in Resol. moral. p.* 1. *resol* 30. *num.* 1. & *sequent.* Fr. Luis de San Juan *in Sum. de Sacram. Pœnitent. quæst.* 1. *artic.* 14. *dub.* 3. & Rever. P. Fr. Christophorus Delgadillo *tom. de Pœnitent. cap.* 14. *dub.* 8. ubi sic: * Petes octavo, an quando quis iterum confitetur peccata

cata jam ritè confessa, teneatur elicere novum actum displicentiæ? Respondetur negativè, quia, posita nova confessione, perseverante antiqua displicentia peccati, id est, non retractata, variatur, seu multiplicatur proxima materia Sacramenti, ergo super illam poterit cadere nova absolutio. * Sic ibi: & iterum *in Quæst. moral.* Hispano idiomate cusa Matriti anno Domini 1660. cui subscripserunt celebriores Doctores, & Magistri Universitatum Salmanticensis, & Complutensis, quos sigillatim *ibi* cum approbationibus refert. Unam pro omnibus adducere placuit, doctissimi & amicissimi Doctoris D. Joannis Zafrilla & Azagra, Majoris Divi Ildephonsi Complutensis Universitatis olim Collegæ, atque Rectoris, & Primariæ Sacræ Theologiæ D. Thomæ Cathedræ moderatoris, & inde Toletanæ Ecclesiæ Canonici meritissimi, qui huic opinioni subscribens, sic inquit: *Quando en estas segundas confessiones no huuiere dolor expresso, es muy probable, que se haze valido, y fructuoso el Sacramento de la Penitencia con el dolor passado, &c. Y que un dolor baste para muchos Sacramentos de la Penitencia, lo ensenna Henriquez, Ledesma, Cruz, Salas, Leander, Remigio, el Eminentiss. Card. de Lugo, &c. Esta opinion la da por probable Diana, & novissimè el Padre Maestro Matcho de Moya, Catedratico que fue de Vísperas en este Colegio de la Compannia de Alcala, y aora de Prima en el Imperial de Madrid, en su materia de Penitencia *disput.* 15. *cap.* 12. adonde dà razones tan eficazes, que haze mas que probable la parte. * Eamdem sententiam sequitur Tamburinus *in Methodo lib* 1. *cap.* 2. §. 5. cum hac tamen limitatione: *Dummodo antiquus ille dolor non sit, ita tempore disjunctus ab hac confessione, ut moraliter unum quid cum hac facere non censeatur.* Quæ autem conjunctio requiratur, dicemus ex professo quæstione sequenti.

15. Objicies: eadem accusatio, etiamsi diversos dolores significaret, non sufficeret ad diversa Sacramenta: ergo neque idem dolor sufficiet, etiamsi per diversas accusationes significetur. Respondeo negando consequentiam: & argumentum retorqueo in Eucharistia, ubi ad pluralitatem Sacramenti requiritur multiplicitas materiæ proximæ per se sensibilis, non verò materiæ, quæ per se sensibilis non est; imò neque id concludit: hujus enim unitas, vel multiplicitas non facit esse unum, vel plura significantia gratiam justificantem, & consequenter non facit, esse unum, vel plura Sacramenta. Cum igitur ex parte materiæ in Sacramento Pœnitentiæ sola confessio sit per se sensibilis, ex illius tantum unitate, & pluralitate unitas, vel pluralitas Sacramenti desumenda est. Unde fit, quod licet eadem accusatio significans diversos dolores, deservire nequeat ad diversa Sacramenta; idem tamen dolor per plures accusationes significatus sufficiat. Respondeo secundò ex Card. de Lugo, peculiarem in hoc Sacramento inveniri rationem: nam cum per modum judicii institutum sit, non potest secundo exerceri absque nova accusatione: nequit enim judex super eadem causa iterum sententiam ferre, nisi nova accusatio, & novus processus fiat: totum autem hoc absque novo dolore potest consistere; nam diversa peccatorum narratio, licet eumdem dolorem connotet, diversa est accusatio, utpotè diversum concretum accidentale more adjectivorum significans.

* *
*

QVÆSTIO IX.

Quanto tempore possit dolor confessionem præcedere?

1. AD præcedentis quæstionis complementum restat modo examinare, quænam conjunctio requiratur inter dolorem, & confessionem? Si enim nullus designetur terminus, potent peccatum initio anni, v. gr. habere dolorem de aliquibus peccatis jam confessis, & virtute illius; dum modo peccatum mortale non fuerit retractatus, confiteri singulis diebus aliquod ex his, de quibus dolet, cum venialibus occurrentibus, prout libuerit. Sequela inevitabilis videtur, quandoquidem, ut quæ præcedenti probavimus, idemmet dolor pluribus sacramentis deservire potest: nec novo indiget dolore, qui peccata jam confessa tantum debet pro materia, & aliunde eorum dolorem nunquam retractavit.

2. Ex Doctoribus, qui novum dolorem ad novam eorumdem peccatorum confessionem non requirunt, Salas, Ledesma, & Joannes de la Cruz absque limitatione aliqua, præfixiam cenitionem defendunt, nec de conjunctione inter eam rem, & confessionem meminerunt. Lugo tamen *suprà num.* 35. moralem aliquam unionem requirit, ad quam, ait, tempus aliquod debet ab omnibus taxari, intra quod debeat esse dolor, ne fiat propter longam distantiam non posse esse moralis inter partes. Ipse verò nullum tempus determinat, nec explicat, quænam esset longa distantia. Præpositus *in* 3. *p. quæst.* 2. *dub.* 1. *numero* 10. moralem conjunctionem intervenire putat, si quis sperè attritionem habuerit, & sequenti die absque novo dolore confitearur. Idque tanquam verum supponit Lugo *suprà disput.* 14. *sect.* 4. *numero* 46. & ex D. Thoma tradit Diana 5. *p. tract.* 14. *resol.* 12. sequitur Tamburinus *opusc.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2 §. 4. *numero* 3. qui addit, dolorem per quatuor, aut quinque dies antea conceptum sufficere, concludique, dicens * Longiorem temporis extensionem nondum invenit quoad Theologos, si quis inveniat, vel longiorem satis esse autumet, hic oro subscribat. * Sicule. Sed alii longiorem invenerunt, quos inter rum eruditum latuisse.

3. Dicastillo *tom. de Pœnitent. disp.* 6. *num.* 167. *in finem*, inquit, eum, qui, confessione audita, distulit aliqua causa absolutionem, (v. gr. ob frenesim firmi) posse post multos dies illum absolvere. Id etiam, inquit, potest quilibet alius Sacerdos casu necessitatis, si de priori confessione, etiamsi alios, habuerit notitiam. P. Tanredi *in quæstiones Moral. disp.* 4. *quæst.* 7. *fol.* 94. dicit: * Communiter facere dolorem mense antecedenti elicitum de peccatis, si nunquam fuerit retractatus, & aliquando plus attentis circunstantiis. *

4. P. Granado *in* 3. *p. controvers.* 7. *tract.* 3. *disp.* 3. *num.* 7. asserit, ad moralem conjunctionem necessitatem dolorem moraliter, seu virtualiter, perseverare: tandiu autem, inquit, sic perseverat, quandiu pœnitens interrogatus, cur doluerit, possit sine mora deliberatione respondere, se doluisse, ut confitetur, & non retractasse dolorem, quia vult confiteri. Probabat paritate intentionis Ministri, quæ tandiu dicitur virtualiter durare in ordine ad conficiendum Sacramentum.

mentum, quandiù interrogatus de fine illius ritus externi, sine nova deliberatione respondet, quia vult conficere Sacramentum.

5. Verum si ex intentione ministri desumi posset paritas, nimia sese daret opinandi licentia. Nam intentio suscipiendi ordines, absque nova alia formali intentione (dum nunquam habuerit contrariam) reputatur ab aliquibus sufficiens ad consecrandum, & absolvendum. Ita Sotus *dist. 1. quæst. 5. & 8. ad tertium.* Navarro *cap. 25. num. 91.* Henriquez *de Sacrament. in genere, lib. 1. cap. 10. num. 2.* Et saltem, ut ibidem ait Henriquez, si ante annum, quis habuisset intentionem baptizandi, absolvendi, vel consecrandi, & illam non revocasset, sufficeret ad conficienda Sacramenta. Igitur juxta hæc, si ante annum habuisset dolorem ex animo confitendi singulis diebus eadem peccata, non erit necessarius alius dolor pro singulis confessionibus.

6. Addee ex eodem Henriquez *de Pœnitent. lib. 1. cap. 10. num. 4.* & de *Sacrament. in genere, libr. 1. cap. 9. num. 11.* cum Soto, Ledesma, & Navarro, posse interdum absolutionem dari, quamvis multis retro diebus præcesserit confessio. Probant, tum quia censetur manere moraliter præsens confessario, qui peccatorum recordatur, tum quia, *ut cap. 11. num. 6.* cum Sancto Thoma, & aliis tradit ipse Henriquez, humanus actus, nisi revocetur, durat præsentia morali. Si igitur peccatorum recordatio facit confessario moraliter præsentem confessionem, quare recordatio doloris non faciet pœnitenti moraliter præsentem dolorem? Insuper, si confessio non retractata est moraliter præsens ad absolutionem, cur dolor non retractatus non erit moraliter præsens ad confessionem? Nec enim major unitas requiritur inter partes materiæ Sacramenti, quam inter eius materiam, & formam.

7. Unde Gaspar Hurtado *disp. 1. de Sacrament. in genere, difficult. 11.* Hanc moralem unionem existimat intercedere, licèt multo tempore post dolorem fiat confessio. Probat primo, quia tandiu manent moraliter actus pœnitentis, quandiu non retractantur; neque expresè, neque implicitè. Secundò, quia hoc Sacramentum est institutum ad modum judicii: in forensi autem judicio, absolutio, vel condemnatio fieri solet, multò postquam causa discussa fuerit. Hanc sententiam putat probabilem Diana *5. p. tract. 14. resol. 67.* & sequitur *p. 9. tr. 9. res. 51.* Et amplectitur cum Candido, Fr. Leander hic *disp. 7. quæst. 6.* dicens, favere Sotum, & Suarium: & sequitur Remigius *in Sum. cap. 5. §. 14. num. 10.* & non improbat Tancredi *in quæstionib. Moral. disp. 4. quæst. 6. fol. 94.* & *quæst. 7. fol. 96.* & expresè tenet Christophorus Deigadillo, *tom. de Pœnitent. cap. 16. dub. 5.* ubi ait, dolorem unius confessionis sufficere ad valorem, & effectum alterius: * Quamvis longo tempore præcesserit dolor, dummodo per voluntatem contrariam non fuerit interruptus: quæ quacumque temporis intercapedine intercedente, habet perseverantiam moralem sufficientem ad Sacramentum conficiendum: sicut illam habet, in ordine ad matrimonium conficiendum, consensus conjugis, cujus matrimonium fuit nullum, defectu consensus alterius conjugis. * Hæc ille.

8. Pro qua faciunt omnes Doctores asserentes, voluntatem peccandi non retractatam, censeri moraliter perseverare, quos citavimus, *disp. 2.* hujus tractatus, *q. 1. num. 2.* Favent etiam, qui putant, dolorem non esse partem essentialem hujus Sacramenti, sed requiri, ut dispositionem; ac proinde confessionem sine dolore factam, validam esse, & non iterandam. Hi sunt Major *dist. 17. quæst. 73.* Almainus *quæst. 4.* & videtur Scoti, Gabrielis, Durandi, ut notat Henriquez *de Pœnitent. lib. 1. cap. 26. num. 7. in glos. in fin.* Quæ sententia, inquit, licet falsa, servit tamen proposito, tum quia eadem dispositio potest deservire duplici Sacramento, ut pœnitentiæ, & baptismo: tum quia licet multo tempore post confessionem sequatur dolor, eumdem effectum dispositivè causat: * Ergo è contra licet multo post dolorem sequatur confessio, eumdem etiam effectum causabit.

9. Hæc sunt, quæ apud Authores invenire potui; nec facilè quidem est in re morali ad prudentis tantum judicium deducta, prudens semper judicium ferre. Video etenim moralem aliquam unionem, inter dolorem, & confessionem, utpotè ejusdem Sacramenti partes, necessariam esse, sed non est facilè distantiam impedientem taxare. Nam satisfactio, seu pœnitentia Sacramentalis est pars integralis hujus Sacramenti, & tamen si tempus à confessario non præscribatur, posse per annum differri, docent Antonius Fern. *1. p docum 4 num 5* & Diana *p. 2. tract. 1. Miscell. resol. 53.* & *p. 5. tract. 5. resol. 15.* & non est dubium, posse confessarium imponere pœnitentiam intra quatuor, vel octo annos adimplendam.

10. In hac controversia meum judicium est, dolorem peccatorum, & confessionem sufficienter uniri moraliter in ordine ad idem Sacramentum, quoties pœnitens ex odio præcedenti peccatorum, & desiderio obtinendi veniam, in memoriam revocatis, movetur ad eorum confessionem, vel primo efficiendam, vel iterandam. Moveor, quia nihil aliud requiritur ad constituendam accusationem dolorosam: igitur distantia illa, quæ prædictam motionem impedire non possit, nequit moralem conjunctionem partium in ordine ad absolutionem tollere. Confirmatur primo, nam dolor duabus, vel tribus horis ante confessionem habitus, sufficiens est secundum omnes ad confessionem; quia licèt physicè non existat tempore, quo fit confessio, eam tamen dolorosam constituit, utpotè, ex peccati odio, & detestatione præhabitis, procedentem. Ergo quoties ex peccati odio ad memoriam revocato, excitetur, & deliberet pœnitens de confessione talis peccati efficienda, verè talis confessio dolorosa erit, sive breve, sive longum tempus inter dolorem, & confessionem interfluxerit; cum semper interveniat eadem ratio formalis constituens peccatorum narrationem in esse dolorosæ accusationis. Confirmatur secundo, quia plures voluntatis actus, physicè interrupti, habent unitatem sufficientem ad constituendum unum peccatum mortale, quando voluntas memoria unius actus præhabiti excitatur ad habendum alium, ut vult Lugo *disp. 16. sect. 14. num. 561.* de quo nos supra. Ergo eodem modo de peccatis sufficienter uniretur confessioni in ordine ad unam materiam pœnitentiæ constituendam, quando voluntas memoria doloris peccatorum præhabiti, ad eorum confessionem excitatur.

11. Probatur secundo ex doctrina Suarez *de Pœnitent. disp. 20 sect. 4. num. 29.* & ex Lugo *disp. 14. sect. 4. num. 37.* & *38.* asserentibus, ad veram confessionem sufficere, doloris signum præbere in ordine ad absolutionem obtinendam; sed qui ex memoria odii, & detestationis peccatorum non retractatæ excitatus, peccata sua semel, vel iterum confitetur, verè perhibet signum doloris in ordine ad absolutionem obtinendam: ergo habet quidquid requiritur ad veram confessionem. Stat, me judice, pro hac sen-

sententia Reginaldus *in praxi, lib. 5. num. 54.* & dissentire nequit Tamburinus *in Method. exped. confess. lib. 1. cap. 2. § 4. num. 5.* ubi ait dolorem posse confessionem tanto tempore præcedere: *Quantum moraliter potest censeri unum actum imperari ab alio.* Remotè enim imperatur moraliter, quando ex unius memoria ad alterum excitatur.

12. Ex dictis infertur, pœnitentem timoratum nulla culpa mortali post ultimam confessionem infectum, posse, memoria doloris præhabiti excitatum, confiteri singulis diebus peccatum aliquod, de quo jam doluit, quin teneatur de præsenti dolere, & nullam esse distantiam, quæ unionem sufficientem impedire possit: nec enim est major ratio unius hebdomadæ, quam unius anni, nec unius, quam duorum. Quia sola doloris retractatio unionem moralem impedit.

13. Animadvertendum verò est, dolorem, & propositum vitandi venialia, & mortalia ex motivo universali conceptum, non intelligi retractatum per aliquod veniale postea commissum, ut tradunt Dicastillo *tom. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 6. dub. 18. num. 322.* Eminentiss. Card. de Lugo *de Pœnitent. disp. 14. num. 144.* Diana *p. 11. tract. 5. resol. 25.* & P. Sfortia Pallavicinus *in Assertionib. Theologic. lib. 7. cap. 29. dub. 290.* Unde ex hoc capite nil adduci potest contra repetitas venialium confessiones sub eodem dolore moraliter perseveranti. Hujus ratio, ut benè, ait Cardin. de Lugo supra, desumenda est ex eo, quod dolor, licet sit universalis de omnibus peccatis, inæqualiter tamen ad illa, juxtà eorum inæqualitatem, terminatur, ita ut magis mortalia, quàm venialia detestetur. Undè licet per veniale commissum post dolorem, & ante absolutionem, retractetur dolor, prout ad venialia illius speciei terminatus, perseverat tamen moraliter, prout ad lethalia, vel ad graviora venialia se extendit. Quod satis est, ut sine scrupulo possit quis, non iterato doloris actu, novam confessionem efficere.

14. Animadvertendum est secundo, non esse necessarium, quod dolor peccatorum processerit ex intentione confessionis, neque ad illam relatione aliqua antecedenti ordinatus fuerit, ut benè ex Suarez probat Lugo supra, contra Bonacinam, & Palaum *tom. 4. tract. 23. disp. unica puncto 7.* Quia sine hac relatione verificatur, ad esse totum, quod exigit Concilium ex parte pœnitentis, nimirum confessionem cum vero dolore. Unde qui de peccatis doluerit, nil de confessione cogitans, poterit postea doloris præhabiti memoria excitatus ad eorum confessionem accedere. Et ita cum Reginaldo tenet etiam Fr. Leander hic *disp. 7. quæst. 7.* Josephus de Januario *in Theolog. moral. p. 1. resol. 29.* & Tamburinus *in Methodo lib. 1. cap. 2. §. 3.*

QVÆSTIO X.

An dolor ad Sacramentum requisitus, debeat præcedere confessionem?

1. Affirmat Coninch *disp. 4. dub. 6.* & cum Laymann, Castro Palao *de Pœnitent. tom. 4. tract. 23. disp. unica, puncto 7. numer. 11.* Negant, & meritò Suarez *disp. 20. sect. 4. num. 31.* Filliucius *tract. 7. numer. 158.* Canus, Vasquez, & alii, quos sequitur Hurtado *de Pœnit. disp. 6. diffic. 10.* Navarrus, Henriquez, Fagundez, & alii, quibus accessit Lugo *disp. 14. sect. 2.* quos sequitur novissimè Josephus de Januario *resol. Theolog. moral p. 1. resol. 29.* Bauni *tom. 1. de Sacram. tract. 4. quæst. 12.* & Tamburinus *in Methodo lib. 1. §. 4.* Probatur ex communi praxi fidelium, confessariorum, qui post audita peccata solent ante solutionem exhortari fideles ad dolorem: ergo nes supponunt, dolorem subsequentem confessionem sufficere. Ratio à priori est, quia partes essentiales hujus Sacramenti sunt attritio, & confessio, sive attritio antecedat, sive subsequatur confessionem, verè dantur ex parte pœnitentis attritio, & confessio: ergo verè datur quidquid ex parte sua requiritur ad valorem Sacramenti.

2. Objicies, dolor, qui est pars Sacramenti, debet fieri sensibilis per confessionem, sed dolor subsequens confessionem fieri non potest sensibilis per illam: ergo nequit esse pars essentialis Sacramenti. Probatur minor. Quia non potest confessio effectum doloris, nisi ex dolore procedat: significat enim dolorem tamquam sui causam. De veritate, & genuina intelligentia majoris propositionis non nulla prælibavimus alibi. Etenim, juxtà mentem Theologiam, negantem Sacramentum validum, si informe, dolor, ut terminatus ad oblita, sit pars essentialis Sacramenti; & tamen ut talis non reputatur sensibilis à Theologis. Igitur ad valorem Sacramenti non requiritur, quod secundùm omnem formalitatem sibi intrinsecam sensibilis sit, nec quod possit ex notitia per sensus habita judicari de entitia Sacramenti. Unde fit, Sacramentum esse, & dici signum sensibile in eo sensu, quo homo est, & dicitur rationalis, denominatione desumpta ab una parte sibi intrinseca. Ita, ut sensus sit, Sacramentum esse totum continens rationem signi sensibilis gratiæ sanctificantis; quòd quidem verum est, licet nondùm aliquid sui sensibile non sit.

3. Verum admissa majori, ad probationem minoris respondeo primo, dolorem illum sufficienter sensibilem ictu pectoris, vel verbis pœnitentis, dum absolvitur, asserentis se dolere. Respondeo secundo, confessionem, quoad rationem talis, & ut accusationis, semper provenire à dolore in genere causæ formalis. Respondeo tertiò, non requiri, dolorem significari tamquam confessionis causam in alio genere: id enim nullo fundamento probari potest, sufficit namque, ut benè Lugo supra, quod significetur tamquam habitus, vel habendus ante absolutionem; idque semper significatur eo ipso, quod pœnitens de peccatis se accusat in ordine ad absolutionem, & eorum veniam obtinendam. Cum enim absque prævio dolore, non sint à Deo remissa, eo ipso, quod per confessionem significat efficaciam missionis desiderium; sic etiam se habere, velare absolutionem habiturum dolorem requisitum: nec qui vult efficaciter finem, vult etiam omnia ea quæ sua requisita ad eius consecutionem.

4. Hæc ratio, eo mihi magis arridet, quod pellam facilis aperitur via ad defendendum, dolorem etiam ut terminatum ad oblita, fieri aliquomodo sensibilem per confessionem, ac proinde Sacramentum sensibile esse secundum omnem formalitatem sibi intrinsecam. Nam cum mortalia in confessione expressa remitti nequeant sine oblitis, & hæc tamen non possint sine dolore ad illa terminato; fatemur eo ipso, quod confessio significet dolorem motivi, eo ipso, quod confessio significet dolorem efficax remissionis, non potest non significare, adesse jam, vel ante absolutionem ad futurum adesse, dolorem, oblita comprehendentem. Confirmatur, quia confessio est signum sensibile gratiæ justificantis (id

(id enim est de ratione essentiali Sacramenti,) sed de existentia gratiæ judicare non potest, qui ignorat, dispositionem requisitam existere ad mortalium, etiam oblitorum, remissionem: igitur in omnium sententia per confessionem debet aliquo modo fieri sensibilis talis dispositio, seu dolor, prout ad oblita terminatus. Dices, non esse de ratione Sacramenti, quod ita faciat sensibilem gratiam, ut ejus existentia affirmari possit. Sed cur rogo, idem non asseris de confessione respectu doloris, quia non est potior ratio unius, quam alterius.

5. Rogabis, quanto tempore post confessionem possit subsequi dolor, quin deficiat conjunctio moralis ad unionem Sacramenti requisita? Responsio quidem difficilis est, & in qua eodem modo philosophatur Hurtado supra, ac quando dolor confessionem præcedit. Ego verò ex principiis quæstione præcedenti jactis respondeo, sufficere ad moralem conjunctionem, quod ex memoria prahabitæ confessionis peccatorum, excitetur pœnitens ed eorum dolorem; dummodo alias confessarius eam peccatorum notitiam retineat, quæ paulò post audita peccata, de statu conscientiæ pœnitentis remanere solet. Ut diximus *disp.4. quæst.1.* Unde communiter loquendo minor distantia sufficit ad impediendum licitum usum absolutionis, quando confessio præcedit dolorem, ac è contra, quando dolor confessionem. Quia in primo casu, potest confessarius omnino oblitus esse de peccatis; secus in secundo, cum statim post confessionem absolvat.

QVÆSTIO XI.

Quale debeat esse propositum ad valorem, & effectum Sacramenti?

1. CIrca propositum non peccandi de cætero, est difficultas. An sufficiat virtuale, illud nimirum, quod in dolore de peccatis commissis includitur? An requiratur formale, & expressum? Prima sententia asserit, ad valorem Sacramenti nullum propositum requiri. Ita aliqui apud Suarez *disp.20. sect.4. nu.* 32. & ex D. Thoma *in* 4. *dist.21. quæst.3. art.1. quæstiunc.1. ad primum*: tradit Thom. Hurtado *tom. 2. var. resol. mor. tract. ult. n.*501. D. Thomæ verba sunt. *Confessio non definit esse Sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat.* Quem sequutus est Sylvester *verb. Confes. 1. q.22.* ibi: *Si non dolet de præterito, & de futuro cavere non vult, &c. est verum Sacramentum.*

2. Alii verò è regione oppositi, ad valorem, propositum formale, & expressum requirunt. Ita Alensis, quem sequuntur Medina, *Codice de confessione, quæst. de facta iteranda*, & Toletus *lib.3 Sum. cap.* 4. §. *quinta pars est.* Et quod ad effectum Sacramenti requiratur, asserunt Bellarm. Canus, & Sotus apud Dianam *3. p. tract.4. resol.*119.

3. Tertia sententia tenet, propositum saltem virtuale, nempè inclusum in detestatione efficaci peccati commissi, ad valorem Sacramenti requiri. Ita Suarez supra *num.*33. Filliuc *num.*159. Villalobos *tom. 2. tract.9. diffic.19. num.*8. Sylvius *in additionibus ad 3. p. quæst.1.* addunt verò hi Doctores per se loquendo, necessarium esse propositum formale, quia vera pœnitentia sine tali proposito non reperitur, ut tradere videtur D. Thomas *3. p. quæst.9. art.* 4. Ac proinde si pœnitens sciens tale propositum non habere, vellet recipere absolutionem, peccaret mortaliter, & consequenter faceret irritam confessionem. Secundo probat Suarez à posteriori, nam qui cognoscit, se non habere propositum formale, & tamen non vult elicere, signum est, nec virtuale propositum habere; nam hoc habito, facilè ei foret, habere formale, & expressum. Subjungit tamen, quod si quis non adverteret ad formale propositum, sed ita omitteret, ut in ejus omissione non peccaret, futurum Sacramentum validum ratione propositi virtualis in dolore inclusi. An verò gratiam habitualem reciperet? non determinant hi Authores.

4. Quarta, & vera sententia tradit, tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti sufficere propositum virtuale, in dolore inclusum, dummodo talis sit dolor, ut saltem implicitè extendatur ad omnia mortalia, etiamsi pœnitens unum tantum commiserit. Ita sentit Coninch *disp.4. de Pœnit. dub.5.* & adduci potest Gran. *in 3.p controver.7. tract.10 disp.3. sect. 1. nu.6.* Et magis explicatam videtur amplecti Lugo hic *disp.14. sect.5* Et mihi videtur magis conformis Tridentino, si semel supponatur, dolorem de peccatis præteritis separari posse à proposito formali, & expresso in eo, qui de futuris cogitat; quod supponunt Doctores tertiæ sententiæ, & negat Vazquez hic *ar. 2. dub.4.* Probatur, quia Tridentinum *sess.14.* doctrinaliter agens de dispositione ad effectum hujus Sacramenti requisita, definit, attritionem, *si voluntatem peccandi excludat*, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere: sed absque proposito formali, & expresso, ut ponimus, potest dari attritio, quæ voluntatem peccandi excludat; ergo tale propositum, nec ad Sacramenti valorem, neque ad ejus effectum requiritur: sed sufficit virtuale in attritione contentum; quia eo ipso, quod attritio talis sit, ut peccandi voluntatem excludat, incompossibilis est cum illa, & consequenter est virtualis voluntas non peccandi, ut benè tradunt Suarez supra *sect.2. n.* 3, & Filliucius *n.*159.

1. Rogabis, quæ detestatio peccati, seu dolor, talis erit, ut ad omnia peccata morralia, non solum præterita, sed futura etiam extendatur? Card. Lugo acutè, ut assolet, sic explicat. Duplex potest esse motivum detestationis peccati, uel universale, vel particulare, v.g. ob turpitudinem propriam peccati furti, aut fornicationis, quod quis confitetur. Dolor, seu detestatio ex hoc motivo non excludit voluntatem peccandi contra religionem per juramentum falsum, seu fractionem voti? rectè enim compatitur detestatio unius peccati ob specialem ejus dissonantiam, cum proposito committendi aliud diversæ speciei, ut videre est, in eo, qui peccatum sodomiæ detestatur ob specialem hujus vitii deformitatem, & tamen ad fœminam accedere proponit. Dolor igitur, seu detestatio ex speciali motivo non est sufficiens, neque ad valorem, neque ad effectum hujus Sacramenti; quia talis non est, ut voluntatem peccandi excludat. Si verò motivum doloris universale sit, v.grat, ob turpitudinem peccati, ut peccatum est, vel ut Dei offensa, vel ut inductivum pœnarum: talis dolor, seu detestatio ad omnia peccata extenditur, & voluntatem peccandi excludit: implicat enim offensam Dei efficaci odio habere, & simul velle, illum offendere. Hunc ergo dolorem, utpotè virtuale propositum includentem asserimus ex Tridentino, ad effectum Sacramenti sufficere.

6. Addo, ad ejus etiam valorem detestationem istam ita requiri, ut non sufficiat alia ex speciali motivo

tivo habita, nisi conjuncta sit cum formali proposito de cætero non peccandi mortaliter; quia attritio illa, quæ est pars hujus Sacramenti definitur à Tridentino: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Sed totum hoc neque implicitè reperitur, quando dolor, & detestatio ex motivo speciali procedunt; ergo in tali eventu deficiet Sacramenti valor, ni talis dolor cum proposito formali non peccandi mortaliter conjungatur. Advertò tamen contra Vazq. *q.92 art.1. dub.3.* & contra Hurtad. *disp.6 dif.5.* non requiri attritionem, habentem motivum æternum, sed sufficere temporale, v. grat. ob metum purgatorii, ut benè cum Lugo *disp 5. num.137.* tradit Leander *disp.7. quæst.13.* Sicut sufficit ob metum pœnæ in hac vita in vindictam à Deo infligendæ, ut diximus supra, *quæst.4.* cum pluribus ibi citatis, & tradit Suarez *disp.5. sect.2. num.13.*

7. Ex dictis in hoc capite constat, non esse audiendos recentiores quosdam, quibus accessit P. Gaspar Hurtado *disp.6. de Pœnit. diffic.7.* (quamvis in fine dicat, contrarium esse secundùs, & persuadendum fidelibus) asserentes, ad valorem, & effectum hujus Sacramenti non requiri propositum, adhuc implicitum, vitandi omnia mortalia, sed sufficere propositum non reincidendi in commissa, cum carentia propositi actualis peccati. Probant: quia propositum tantum debet esse correspondens dolori, in quo includitur. Verum si dolor non sit ex motivo universali, est apertè falsum, ut constat ex dictis, & ita cum Ægidio, & Lugo tradit Leander hic *disp.7. quæst. 28.* & Palao *tom.4 de Pœnit. tract 23. puncto 2. num. 16. & puncto 7. num. 6.* & tenet Ochagavia apud Hurtadum supra, & credo esse commune Theologorum.

8. Fundamentum desumitur ex Trident. ex quo attritio ad Sacramentum requisita, talis esse debet, quæ ratione sui voluntatem peccandi excludat; dici autem non potest excludere, si secum compatiatur voluntatem peccandi mortaliter in alia specie; quia absolutè non excludit voluntatem peccandi, sed peccandi in tali specie. Probatur insuper ratione: quia ad valorem hujus Sacramenti requiritur, quod quis efficaciter tendat ad reconciliationem cum Deo: omnis enim amor efficax alicujus boni implicitè continet detestationem mali contrarii: ergo ad valorem, & effectum Sacramenti implicitè saltem requiritur propositum vitandi omnia mortalia. Patet consequentia: quia quodcumque mortale est malum oppositum cuilibet reconciliationi cum Deo: igitur non sufficit propositum vitandi commissa, cum defectu propositi actualis peccati; quia juxta hanc considerationem, non attritio, sed defectus propositi excluderet propositum peccandi.

9. Est tamen advertendum, rectè stare posse propositum requisitum ad valorem, & effectum Sacramenti, licet quis probabiliter timeat futurum, ut aliquando ratione suæ infirmitatis mortaliter delinquat. Ita Coninch *de Pœnit. disp.2. dub.6. n.39.* Præpos. *in 3. p. quæst.88. art.1 dub.6 num.31.* Cardin. de Lugo *disp.14. sect.9. num.137.* dicens, esse communem Theologorum. Quam sequuntur Henriquez, Suarez, Navarr. & alii, quibus citatis assentitur Diana *3 p. tract. 4. res.117 & 5. p. tract.14. res.66.* Quod bene explicat Ripalda *tom.2. de Ente supernatur. disp.97. sect.4. n.62.* quia dum talis est dolor, ut, eo retento, non possit admitti peccatum, verè excludit voluntatem peccandi, & consequenter pœnitens rectè dispositus accedit, licet credat peccaturum in iisdem circumstantiis, in quibus antè peccaverat, quia peccaturus creditur in sensu diviso detestationis præsentis, cum quo judicio rectè stat præsens dispositio abhorrendi opposita peccato actuali in sensu composito, quavis non in diviso, quod necessarium non est ad veram pœnitentiam. Alias Deus nunquam dimitteret peccatum homini, quem prævideret relapsurum, quod prorsus falsum, imo & erroneum est.

10. Obicies primo contra primam, & præcipuam conclusionem. Concilium Tridentinum non tantum meminit detestationis, & doloris peccandi, sed etiam propositi non peccandi de cætero: ergo omni eventu uterque actus formaliter, expressè necessarius est. Respondeo, Concilium solum intendere de valorem, & effectum Sacramenti, non quamcumque detestationem sufficere, sed illam, quæ cum proposito absoluto non peccandi de cætero conjuncta sit, sive propositum sit actus distinctus à detestatione, sive cum illa identificatus, seu virtualiter in ea intellectus: de hac enim actuum distinctione, seu identitate non egit, nec curavit Concilium: & quidem sufficiebat, sufficere virtuale propositum, dum in fine eiusdem capitis, non meminit proposîti, sed solùm attritionis excludentis voluntatem peccandi. Undè merito Concilii, idem sonant verba illa: *Detestatum proposito non peccandi*, ac detestatio excludens voluntatem peccandi. Existimo tamen, in eo, quæ cogitat de vitandis peccatis in posterum, fieri semper propositum formale conjunctum esse cum actu detestationis, ut benè tradit Hurtado *supra citato*, quia ex uno actu ad alterum communiter excitatur volùntas, & quamvis physicè unus sine altero reperiri possit; moraliter tamen rarò continget. Si tamen peculiari studio, & industria vellet quis non elicere formale propositum, judicans virtuale sufficere, quod inclusum cognoscit in efficaci detestatione, non est, cur inde inferatur, neque propositum virtuale inesse; nam si ex natura rei unus actus connectatur cum alio, uterque simul reperiretur: si verò non connectatur, non potest ex unius defectu, alterius negatio inferri: ergo ex defectu propositi formalis, numquam deducit P. Suarez defectum doloris.

11. Obicies secundo ex Lugo, si quis committeret hoc peccatum: *Si esset necessarium eligere pœnas infernas ad vitandum peccatum, ego potiùs peccarem, quam infernum eligerem.* Propositum vitandi hoc peccatum dat propositum eligendi infernum, potius quam peccatum, quia in illa hypothesi non aliter potest peccatum vitari, quam eligendo infernum; sed mentiri ferri, seu voluntas illum fugiendi, non potest morere ad eligendum infernum: ergo neque ad propositum vitandi prædictum peccatum; ergo dolor ex metu inferni conceptus, utpotè qui non est ex motivo universali ad omne peccatum, non est sufficiens ad valorem, & effectum hujus Sacramenti.

12. Respondeo, secundùm præsentem providentiam, ipsammet electionem inferni esse medium illum vitandum; ac proinde ex metu inferni benè potest quis proponere, prædictam electionem facere, & de peccato præterito dolere, sicut quisque, quod eligendo mortem, & se ad illam offerendo, vitare potest ex metu mortis illam eligere, & se ad eam offerre. Ita ergo contingit in eo, qui ex metu inferni imperat hunc actum, eligo infernum potius, quam offensam Dei. Si autem è contra quis fieret, obligationem istam fore à Deo acceptandam, & adimpletionem istam fore à Deo acceptandam, & adimplendam promissionem infallibiliter projiciendum, prædicta oblatio non esset medium ad vitandum infernum, ac proinde non esset medium ad vitandum infernum, ac proinde non posset. De facto autem ex hujus metu eligi non posset. De facto autem ut dixi, hoc non contingit, ac proinde secundum

præ-

præsentem providentiam, metus inferni est sufficiens motivum ad vitanda omnia mortalia, & ut tale proponitur nobis à Trident. videatur Lugo ubi supra.

QVÆSTIO XII.

An sufficiat propositum formale non peccandi de cætero absque detestatione formali peccati prateriti?

1. DIximus in præcedentibus, non requiri propositum formale, sed sufficere virtuale inclusum in detestatione peccati: modo verò è contra inquirimus, an requiratur detestatio formalis, an sufficiat virtualis in formali proposito non peccandi inclusa? Ratio difficultandi sumitur ex Trident. *sess.14 cap.4.* ubi de attritione loquens, ait, *non solum vitæ novæ propositum, sed veteris etiam odium continere.* Difficultatem hanc apud aliquos exagitatam invenio; in eam incidit Card. de Lugo supra, cui duo respondet. Primùm, propositum formale efficax, & absolutum non peccandi continere implicitè detestationem de peccato præterito, magis necessario includere propositum, quam è contra; nam propositum formale non secum affert necessario detestationem implicitam peccati præteriti: potest enim voluntas præscindere peccata præterita à futuris; & complacere de præteritis vel saltem de illis non curare, proponendo firmiter omnia futura vitare, ad eum modum, quo senes proponunt castè vivere in futurum, licet eis non displiceat juventutis lascivia. Ego vero existimo, detestationem, & propositum in omnibus æquiparari; ac proinde titulo quæstionis affirmativè respondeo: sicut enim datur detestatio formalis, in qua, utpotè ex motivo universali, includitur virtuale propositum omnia lethalia vitandi, & datur detestatio, tale propositum non includens, eo quod ex motivo speciali procedat; ita similiter datur propositum formale vitandi omnia mortalia ex motivo universali ad omnia, tam præterita, quàm futura, & in hoc proposito includitur virtualiter omnium mortalium detestatio: daturque propositum ex motivo speciali, in quo talis detestatio non continetur. Explico exemplo: Proponat quis castè vivere, ex turpitudine peccati contra castitatem motus; in hoc proposito non includitur adhuc virtualiter detestatio furti; sed solius luxuriæ; sicut in detestatione peccati luxuriæ ex prædicto motivo, non continetur propositum implicitum non furandi, sed non committendi luxuriam. Proponat vero quis in nulla specie peccare ex motivo vitandi infernum, vel ex odio peccati, ut est Dei offensa; in hoc proposito continetur detestatio virtualis omnium mortalium; sicut è contra in detestatione formali ex eodem motivo, virtuale propositum vitandi omnia.

2. Ratione probo. Ideò detestatio ex motivo universali includit virtuale propositum non peccandi, quia talis detestatio nequit componi cum voluntate peccandi ut ex Suarez, & aliis supra notavi. Sed propositum formale non peccandi ex motivo universali conceptum, non potest componi cum complacentia peccati præteriti: ergo includit virtualem detestationem illius. Confirmatur: ideò in detestatione peccati præteriti includitur virtuale propositum vitandi futura, quia ratio odibilitatis peccati præteriti, reperitur etiam in futuris; sed ratio odibilitatis peccati futuri reperitur etiam in præteritis: ergo in proposito formali non peccandi de cætero ex motivo universali includitur detestatio virtualis peccati præteriti. Confirmatur secundo ex doctrina ipsius Card. de Lugo. Qui diligit Deum super omnia, & ex hoc motivo proponit servare mandata, eo ipso dicitur habere contritionem virtualem, quia in illo actu continetur implicitè peccati præteriti detestatio, quantumvis homo putet, se non offendisse Deum. Ergo, qui ex metu inferni concipit odium peccati, & proponit omnia vitare, eo quod ei peccatum displiceat, ut damnationis æternæ inductivum, eo ipso tale propositum, seu odium implicitum peccati præteriti detestationem continet: ergo, tam ad valorem, quàm ad effectum Sacramenti, sufficit propositum formale nō peccandi de cætero absque detestatione formali peccati præteriti. Hanc sententiam *magna probabilitate defendi posse*, inquit M. Victoria *in Relect. de potest. Ecclesiæ num.7. in fine, fol. mihi* 40.

3. Ad authoritatem Concilii respondeo, idem esse dicere, *non solum vitæ novæ propositum, sed veteris peccati odium continere*, ac dicere, esse detestationem peccati cum proposito non peccandi: idem enim incurso ordine verba ista significant: sed hæc intelliguntur à Doctoribus cap. præcedenti citatis de proposito implicito in detestatione formali inclusō: ergo illa intelligi possunt de detestatione implicita in proposito formali inclusa: ergo ex verbis Concilii nil potest contra hanc sententiam inferri, quod æquè non militet contra quæst. præcedenti traditam. Concilium igitur tantum intendit, attritionem continere odium efficax veteris peccati, sive distinctum, sive indistinctum à proposito formali, de quo non curat. Dices, Concilium consulto addidisse particulam illam *non solum*, per quam videtur denotare, debere esse actus distinctos. Respondeo cum Lugo supra *n.56. in fine*, non ad hoc additam fuisse, sed ad significandum, non qualecumque propositum vitæ novæ sufficere, sed absolutum, & efficax, quod cum detestatione veteris peccati conjunctum est, sive per identitatem, sive per actum diversum.

4. Ad exemplum senis proponentis castè vivere, respondeo, quod si ex odio turpitudinis peccati contra castitatem id proponat, jam implicitè detestatur luxuriam præteritam: si verò propositum aliunde oriatur; v. gr. ex metu amittendi salutem corporalem, eo quod jam ex corporis abusu vires debiles experiatur, non mirum, quod in vita præterita complaceat, quia in tali casu, ratio odibilitatis luxuriæ futuræ non reperitur in luxuria vitæ præteritæ.

(*_*)

DISPVTATIO SEXTA.

De forma absolutionis.

QVÆSTIO PRIMA.

An moribundus, qui in absentia confessarii, confessionem petiit, aut vera signa pœnitentiæ dedit, si testis sit qui deponat, absolvi possit?

1. QUando in Sacerdotis præsentia hæc pœnitentiæ signa eveniunt, in controversiam absolutionem non voco. Et licet M. Soto *in 4. dist. 18. q 2. art. 5.* parti negativæ tenaciter adhæserit, dicens: *Enim verò nisi aliquod delictum in particulari, nutu saltem designet, non est Sacramentaliter absolvendus. Et est res certior, quam ut cujuspiam authoritate indigeat:* Quem sequuntur M. Cano, M. Martinus de Ledesma, M. Ludovicus Lopez, M. Corradus, M. Alvarez, M. Franciscus Davila, M. Coquecius, M. Petrus Fay, & M. Candidus, quos referunt Diana 3. *p. tr. 3. res. 1. & 4.* & M. Prado *tom de Pœnit. q. 3. de qualit. confes. dub 2 fol. 671.* Nihilominus contraria sententia affirmans moribundum, qui in præsentia confessarii confessionem petit, vel vera doloris signa exhibet, nullo peccato in particulari, nec voce, nec nutu designato, absolvendum esse, est communis Doctorum. Quam multis sanctorum Patrum, præcipuè S. Augustini S. Leonis, & D. Thomæ, omninò veram, & practicandam, efficaciter probat M. Prado supra *dub. 2 §. 2. à n. 8.* Et à sacris Canonibus definitam censet Vazq. *1. 2. disp. 62. cap. 7. n. 40.* & multis illustratam amplectitur Joannes Sanchez *in selectis, disp. 44. num. 34.* dicens esse *ferè definitam* in Concilijs Carthaginensi 4. *cap* 76. & Arausicano 1. *cap.* 3 Et sequuntur apud illum D. Antoninus, Sylvester, Angelus, Medina, Corduba, Suarez, Salas, Toletus, Valentia, Bellarminus, Zambranus, Thom. Sanchez, Pesantius, Pitigianus, Henriquez, Penna, Mancius, Bonacina, Basilius de Leon; & alij, quos ultra citatos refert & sequitur Diana 3. *par. tr. 3 res. 1.* Et quod caput, ita declararunt vivæ vocis oraculo duo Summi Pontifices Clemens VIII. & Paulus V. ut videre licet apud Sanchez supra.

2. Hujus sententiæ fundamentum est, quia infirmus in præsentia Sacerdotis doloris signa exhibens, aut per se, vel per alium confessionem, & absolutionem petens, signo hoc exteriori fatetur in genere se peccasse, & de commissis se dolere significat: peccatum autem in genere expositum, sufficientem esse materiam absolutionis, est verissima Theologorum sententia, quia quod est materia sufficiens contritionis, & quandoque necessaria, nequit non esse materia sufficiens absolutionis. Ille autem, qui in articulo mortis, se mortaliter peccasse meminisset, licet speciem peccati fuisset oblitus, teneretur, secundùm omnes, actum contritionis elicere, quod deficiente confessario, fide sanctum mihi est: Ergo si in ejus præsentia id confiteretur, absolvi posset. Præterquam quod, ut ipsemet M. Soto ait ubi supra, satis est uti materia & forma dubia, imo & ultra tutis præcepto adhiberi debet, ad arcendum fere periculum quando certa non suppetit. Ergo nisi præsenti, pœnitens tenebitur peccatum in genere licet materiam demus dubiam, confiteri, & confessarius, formæ etiamsi dubiæ, illum absolvere. Ubi mittam conditione adhibita *si possum*, nulli per eo frustrationis exponi: ut ex infra dicendis magis constabit. His positis.

3. Duplex restat enucleanda difficultas. Primo An quando in absentia confessarii, signa præfatæ doloris fuerunt exhibita, sufficiat ad absolutionem quod testis aliquis, in utriusque præsentia, confessarii scilicet, & moribundi, de illis deponat? Secundo, an ejusmodi depositio debeat sic fieri, ex necessitate Sacramenti, vel an sufficiat, quod in absentia ubi fiat, ut confessarius postea accedens illum possit præsentem absolvere? De prima nuncagemus, de secunda in quæstione sequenti.

4. Quoad primam, Thomistæ omnes superiori suis persistentes principiis, partem negativam tenentur, affirmant enim, ut refert M. Prado *supra nullo casu, sine confessione explicita peccati in genere, posse dari absolutionem Sacramentalem.* Cæterum contraria sententia est communis apud Theologos sequitur D. Thomam *opusculo sexagesimo quinto, § de Extrema-unctione, in fine.* Ubi sic ait: *Si autem infirmus, qui per Vnctionem, amisit notitiam, vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum; nihilominus ungat eum Sacerdos. Qui in tali casu* (attende) *debet etiam baptizari. & postea absolvi* (Mirum si baptismum vel absolutionem petierit) *ut Extravag. de baptismo, & eius effectu, cap. Majores.* Hæc D. Thom. Quem ex antiquis ejus discipulis sequuntur D. Antoninus 3 *p. tit. 10. cap 2.* Sylvester *verb Confes. 3 n. 16.* Paludanus *dist. 21. q. 2. ar. 2. concl.* & ex recentioribus M. Joannes de la Cruz *in dist. p. 2. de Sacr. pœnit. q. 3. dub. 8. concl. 2.* M. Barnabu Gallego, & M. Salas infra citandi, & alijs quibus subscribit M. Prado *sup. dub. 2. §. 5. & q. 2. dub 3. fol. 619* Quorum opinio inquit Diana *sup. res. 4.* *Est communis in schola Patrum Societatis Jesu.*

5. Et, quod maximo cumulatus gaudio hic scribo, communis etiam jam est in schola Patrum Dominicanorum; adeò ut M. Casalas ex eodem instituto, in libro cui titulus *Candor lilii, seu Ordo Prædicatorum à calumniis vindicatus* edito Parisiis anno 1664. præmissa approbatione R. P. Vincentij Baronij, contrariam sententiam tamquam ab schola Thomistica degenerem traducat, quinimo & à nullo Dominicano unquam traditam suadere, & persuadere conetur. * Consentiunt, inquit, Cyriachi (id est Dominicani) rum de quo peridoneos testes constat, peritos confessarium, signaque doloris edidisse, licet vocem, & nutus amiserit, dum præsens sit Sacerdos posse & debere absolvi, nec sub his conditionibus unquam Suario adversatos reperies. * Sic Calasius *suo candore, §. 142. in resp. fol. 573.* Ubi contra Petrum à Valle clausa pro contraria sententia refert sententiatum; Canum, Petrum Fai, Coquetium, & alios quos pro ea ferunt Diana, & M. Prado ubi supra, divehitur. * Debueras Authores, & loca signare, ut convictum mendacij lector exsufflasset. * Utinam nec M. Prado ea signasset, ut vel sic fidem salem Dianam Casalas faceret. Sed hac laude fraudinduere est. Tentavit utramque scholam in re tanti momenti conciliare. Hæc enim est sententia illa, quam expressit Suarez *tom. 4. de decretum* Clem. VIII. tradidit Suarez *tom. 4. Pœnit. disp. 21. sect. 4.* cujus expositioni subscripsit Ca-

dello

din. Toletus, *lib. 2. Sum. cap. 8. num. 2.* dicens esse *expressam sacrorum Canonum sententiam*, & Summus Pontifex Clemens VIII. interrogatus, respondit præfatum moribundum *absolvi posse*, neque aliter se facturum, neque id unquam suo illo vetuisse decreto. Cujus oraculi testes auriculati fuerunt Bellarminus, & Armachanus, ut refert Ægidius *de Sacr. pœnit. disp. 7.* Et ut in ipsius Patris Francisci Suarez vita refertur *tom. 1. de gratia*, Sanctissim. Paul. V. ab illo coram interrogatus, quid in hac re sentiri deberet? ait nempè an liceret confessum in absentia Sacerdotis, in extremo necessitatis articulo, ab ipso jam præsente absolvi, si de pœnitentiæ signis ex astantium testimonio constaret? Respondit Pontifex: *Licere ei pro sua pietate, atque doctrina, quæ potior videretur, sententiam sequi.* Idque vivæ vocis oraculum Suarius ipse multis aperuit. De cujus fide nemo prudenter dubitare potest.

6. Hujus ergo communis jam sententiæ ratio desumitur ex Concilio. Ita enim decernitur in Concilio Arausicano 1. cap. 3. *Subito obmutescens (prout statutum est) pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Idem habetur in Concilio Carthaginensi 3. *In cap. Ægrotantes de consecratione dist. 4.* & in Carthaginensi 4. *cap. 76.* & in Leone Episcopo ad Theodorum Epist. 89. prout refertur *26. 9. 6.* Et ita ordinatur in Rituali Romano Pauli V. edito anno 1615. *in Ritibus de Sacram. Pœnit.* Ubi sic: * Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat &c. si desiderium confitendi sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. * Quid clarius? Dubitare ergo non licet de veritate nostræ sententiæ. Quæ etsi ratione tantum Theologicæ standum esset, æquè mihi certa foret, ac quæ peccatorum ingenere confessionem per interpretem factam ad absolutionem Sacramentalem sufficere docet: quam omnes Theologi (paucis exceptis, quos à contraria laudabiliter tentavit eximere Casalas supra) certissimam censent.

7. Neque audiendus est M. Coquetius *in dissert. Theolog. de confes. per litteras, cap. 7. num. 42.* Qui authoritatem Ritualis Romani Pauli V. (quo suam jugulari sententiam animadvertit) elevare maluit, quam ab ea discere, dicens: * Manuale seu Rituale illud privati Doctoris opera confectum esse, & illius authoritatem non excedere. Neque consensus Pontificis, aut jussio, ut conscriptum fuerit, & evulgatum, confert aliquod pondus rebus, quæ in eo præscribuntur; quia non præcessit serium, ac sufficiens Theologorum examen, * sic ille. Sed contra expressa verba Pauli Quinti in Brevi dato Romæ *die 17. Junii anno* 1614. In quo testatur dictum Rituale à Congregatione plurium Cardinalium specialiter ad id deputatorum compositum fuisse: ordinatque ut omnes Episcopi, Archiepiscopi, &c. ab omnibus Parochis faciant inviolabiliter observari. Hæc est Ritualis Romani authoritas, & obligatio standi rebus quæ in illo præscribuntur; & præcipuè, quando tanti ponderis sunt, ut secus operando, periculum animarum immineat, quale in præsenti est.

8. Est etiam hic advertendum, ad absolutionem in isto casu impertiendam, sufficere unius testis fidem testantis infirmum pœnitentiæ signa dedisse. Ita Raymundus *in Sum. ubi de sepult. in principio*; ubi inquit, sic censere ferè omnes authores. Quem sequuntur Joannes Sanchez *in Sum. lib. disp. 44. n. 35.* & Grasius, & Felinus apud illum; & cum Zambrano, Reginaldo, & aliis Diana *3. p. tr. 3. res. 5.* Quinimo & ferè omnes addunt, testem etiam infidelem, & hæreticum sufficere, quia de his præsumi non potest falsum dicere, ut fiat Sacramentum.

QVÆSTIO II.

Quid si testis deponat in absentia?

1. MAjor est difficultas, si testis in absentia infirmi notificet confessario pœnitentiæ signa ab illo data, possitne postea adveniens sensibus destitutum inventum absolvere? Prima & communis inter Thomistas sententia negat, quia Sacramentalis confessio Sacerdoti absenti facta, illicita, & invalida est. Et contrariam sententiam à Clem. VIII. fuisse damnatam *die 20. Junii, anno* 1602. docent non pauci apud Donam *sup. res. 7.* Pontifex enim in suo decreto, tanquam falsam, temerariam, & scandalosam hanc propositionem damnavit. *Licet per litteras, seu internuntium confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Cujus quamlibet etiam partem divisivè damnatam fuisse, contendunt.

2. Secunda tamen & verior sententia affirmat, talem confessionem esse validam, & in casu moribundi licitam. Ita P. Valentia *tom. 4 ubi de Pœnit. disput. 7. q. 1. p. 1.* Filliucius *tom. 1. tract. 7 cap. 1. nu. 122.* Bonacina *de Sacram. disp. 5 q. 5. sect. 2. punct. 2. n. 10.* Zambranus *de casibus temp mortis, cap. 4. sect. 5. num. 31.* P. Henriq. *lib. 5 cap. 2. n. 7.* P. Bardi *in Select. moral. lib. 10. quæst. 13.* Possevinus *de officio Curati, de Pœnit. cap. 7. num. 38.* Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 9 de Poenit. diff. 37. à num. 6.* Aversa, Gamachæus & Pontius, apud Bardi supra. Tamburinus *in Methodo lib. 2. cap. 10. §. 1. nu. 13.* Philibertus Marchinus, Cardin. de Lugo, & alii, quos citatos sequuntur Dicastillo *tom de Poenit. disp. 9. dub 9. num. 840.* Diana *p. 11. tract. 7. resolut. 31.* cum Leandro à Sacram. & Martino à Sancto Joseph. Quibus adhærent F. Franc. à Jesu Maria, Carmelita Excalceatus, *in cursu Theol. mor. p. 1. tract. 6 cap. 8. p. 6. num. 144.* Trullench *lib. 4. cap. 6. dub. 7. nu. 11.* & alii apud ipsos. Videatur etiam Diana *3. p. tract. 3. resol. 7. & p. 5. tract. 14. resol. 40.* ubi Mancinum Kellisonium, Cælestinum, & alios refer.

3. Eamdem sententiam tuentur, ex præclarissimo Ordine Prædicatorum, M. Joannes de la Cruz *in direct. 2. p. de Poenit. q. 3. dub. 7, conc. 3. §. Nec est idem*, ubi sic eam probat: * Quia etsi confessio facta sit in absentia Confessoris, absolutio fit in præsentia, & confessor tunc habet moralem notitiam de statu pœnitentis, & præsentem pœnitentem absolvendum. * Sic ille. Cui, citato etiam M. Joanne à Sancto Thoma virodoctissimo, consentit M. Barnabas Gallego *tract. de conscient. probab. dub. 7. §. Ex ultim. verb.* Et Illust. Episcop. Oriolensis, ejusdem instituti, *tom. 1. verb Absolutio, resol. 13. nu. 4.* ubi: * Digo lo tercero. Con mucha probabilidad puede el Confessor, hallandose presente, absolver al dicho enfermo, en virtud de la noticia que el le dió de sus pecados, quando le escrivio la carta. Porque en este caso, aunque la confession se hizo al Confessor ausente, con todo despues la absolucion no la da, estando ausente, sino presente, &c. Y si un Sacerdote puede absolver al que halla fuera de sentido, si ay testigos que dizen, que pidio confession, porque està presente el Sacerdote, quando absuelve; tambien podrà hazer lo mismo en nuestro caso, pues milita la misma razon. Esta opinion tiene Henriquez con otros muchos, y muy graves Doctores; y assi siento, que es muy probable, y que se puede se-

de seguir con mucha seguridad. * Sic M. Acatius. Et non solùm posse ad praxim deduci, sed debere, tradit novissimè doctissimus M. Prado *tom. de Pœnit. quæst. 3. de Qualit. & modo Sacram. confess. dub. 2. num. 51.* dicens:* Pro tam extrema necessitate sufficit quævis probabilitas, ut non solum liceat, sed teneamur animæ favere, & per nutus, & in absentia exprimentem signa confessionis absolvere, &c. Cui hæc non placuerint, poterit sequendo solutionem datam *num. 42.* non absolvere, nisi coram infirmo sint, qui testificentur de ejus petitione. Sed mihi hoc nimis durum videtur.* Hæc M. Prado. Cum citatis videtur consentire Sylvester *verb. Confess. 3 quæst. 13. in fine*, qui absolutè dicit sufficere, quòd unus testis de petitione confessionis deponat; nec innuit hoc debere fieri in præsentia infirmi. * Si ista, inquit, contingant, postquam æger Sacerdotem petiverat, puta, quia loquelam perdit, aut furiosus efficitur, ad nutum pœnitentis, vel ad testimonium eorum, qui audiverunt illum pœnitentiam, vel presbyterum petere, debet ei quidquid potest humanitatis impendere, absolvendo, scilicet, generaliter, & Euchar stiam præbendo, si id sine periculo potest. Et in hoc sufficit unus testis, cum nulli fiat præjudicium.*

4. Hanc sententiam, cui ut probabiliori à principiis intrinsecis adhæreo, probo prima ratione à priori. Quia valor hujus Sacramenti non deficit ex parte materiæ remotæ, quandoquidem petitio confessionis, & doloris signa in absentia confessoris exhibita, si fides Magistro Casalas adhibenda sit; secundum omnes Thomistas, quin ullus dissenserit, sunt materia sufficiens absolutionis: neque ex parte materiæ proximæ; quia confitetur per interpretem exponentem confessario materiam remotam: neque ex parte conditionis essentialiter requisitæ; quia quod interpres loquatur in præsentia moribundi sensibus destituti, vel in absentia, nil ad rem facit, nam moraliter absens est, qui sensu caret. Ergo sicut potest absolvi, quando in ejus præsentia testis deponit de signis pœnitentiæ, ita & quando in absentia. Confirmatur: quia Christus Dominus solum exigit à pœnitente, ut suam conscientiam Sacerdoti aperiat, quantum, & qualiter possit; ergo si non possit in præsentia illi confiteri, dum ab eodem præsente absolvatur, validum erit Sacramentum. Nam ut optimè ait M. Prado *tom. 1. Theol. mor. cap. 1. q. 6. n. 10.* * Quia Sacramenta instituta sunt in favorem susceptientium, & propter eorum utilitatem, ideo, quod fuerit magis accommodatum saluti animarum, hoc debemus credere fuisse voluntatem Dei, & Christi authoris Sacramentorum.*

5. Secundò probatur, quia licet confessio explicita, & integra omnium peccatorum, sit necessaria per se loquendo ad absolutionem, non tamen est necessaria simpliciter: urgente enim necessitate possunt aliqua omitti. Ergo licet confessio explicita in præsentia Sacerdotis sit per se loquendo necessaria, poterit tamen ex urgente necessitate per litteras, vel internuntium Sacerdoti absenti fieri. Nec leve id fundamentum habet in Conciliis Arausicano, & Carthaginensi suprà citatis, & in Rituali Romano Pauli V. in quibus ad validam, & licitam moribundi absolutionem, solum exigitur, quod Sacerdos desideriit confitendi testimonium habeat. Quod ut patet ex terminis, verificatur, licet in absentia infirmi hujusmodi testimonium exceperit. Et ita videtur declaratum ab ipso Clem. VIII. Archiepiscopo Armacano, de hoc casu illum consulenti, ut constat ex ejusdem Epistola ad P. Ægidium Coninch *in opusc. de Absolut. moribundi.*

6. Adduntalii idem prorsus dicendum, loquentes de signis pœnitentiæ in absentia infirmi, ex ipsi non viderint, sed ex aliorum narratis ut ibi rant. Ita cum Card. de Lugo tradunt Dicastillo *Pœnit. disp. 9. dub. 9. num. 840.* F. Franciscus à Jesu Maria Carmelitanus *in cursu Theol. moral. p. 2. tract. 8. Sacram. Pœnit. cap. 8. n. 146.* Leander à Sacram. *tract. 5. disp. 5. q. 44.* Martinus de S. Joseph. Bassibaum, & alii, quos refert, & sequitur Diana *p. 2. tr. 7. Misc. resol. 31.* Quorum ratio est: quia debitum confitendi per se, vel per alios ostendit, licet per alios, qui à videntibus audierint, & relata referant. Et mihi placet:* quia (ut benè ait M. Prado *supra num. 12.* ex Mag. Baptista viro doctissimo sui ipsius) fortè in re apponit materiam sufficientem, ne injuria non ministrando illi Sacramentum, sine quo fortè condemnaretur. * Quod fundamentum magni ponderis est; & præ oculis in hac materia semper habendum, & juxtà hanc regulam operandum, ut docet Montesinos *1. 2. disp. 29. q. 2. ar.* cum illo Joannes Sanchez *in Selectis disp. 44. num. 9.* Quibus consonat Vincentius Baronius *in Theol. mor. 1. p. disp. 1. sect. 4. artic. 1 fol. 39. & aliis locis*, cujus ipsa verba dabo *infrà quæst. 6.*

7. Cardinalis de Lugo, licet totam hanc doctrinam authoritate Conciliorum, & Pontificum convictus veram censeat, nihilominus eam limitat *disp. 17. sect. 5. nu. 83.* dicens sustinendam solum esse, quando notitia confessario data tantum est de voluntate, & proposito confitendi, secus si per litteras, vel per nuntium sua peccata illi absenti referret, ut ipso adveniens præsentem absolveret. Quia Concilia non de confessione stricta, sed de late sumpta loquuntur, quando absenti Sacerdoti factam, videlicet, & licitam declarant. Verum hæc doctrina unde mihi difficilis est: quia confessio latè sumpta, id est, voluntas confitendi signo exteriore confessionis in absentia explicata, est sufficiens materia absolutionis, ut ponimus; qui autem per litteras, vel internuntium peccata sua explicitè confiterur Sacerdoti absenti, verè habet voluntatem confitendi signo exteriori illi manifestatam, ergo materiam sufficientem absolutionis adhibet, ergo si confessarius postea adveniens sensibus destitutum inveniat, posset, & tenebitur Sacramentaliter absolvere. Hæc ratio me judice intentum convincit. Mirum enim esset voluntatem confitendi expressam, sine actuali confessione, ad absolutionem sufficere, & tanquam actuali peccatorum expressione conjunctam insufficientem esse! Ergo incredibile prorsus est discrimen à Cardin. de Lugo constitutum. Et potest jure, quod Clemens VIII. declarare intendentem validam confessionem explicitam absenti factam, cum tamen latam, & implicitam, ut ipse Cardin. de Lugo fatetur, approbaverit!

8. Respondent aliqui, posse animum pœnitentis mutari, vel nuntium falsa referre, & ideò confessionem explicitam, in qua peccata figillatim specificantur numero exponuntur invalidam esse. Verum hæc responsio frivola est. Quia idem dici posset, quando notitia sola confitendi innotuisset confessario per litteras in absentia, quinimò, & in præsentia infirmi, nisi prius in absentia, quinimò, & in præsentia infirmi, nisi prius sensibus destituti, & tamen valida est confessio, & absolutio.

9. Unum ego inter unam, & alteram confessionem invenio discrimen, quod moribundi per nuntium, vel litteras, expressis peccatis, vel sola voluntate confitendi, valida quidem, & licita est; alterius vero, qui absque urgente causa, per litteras, vel internuntium

tium Sacerdoti absenti confiteretur, posteà ab eo præsente absolutionem obtineret, illicita est, & sacris Canonibus prohibita, *cap. quem pœnitet, cum similibus de pœnit. dist. 1.* & *cap. omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Et ita suadet universalis Ecclesiæ consuetudo præceptum confessionis sic exponens, expedit enim, ut confessarius ante absolutionem examinet conscientiam, & dispositionem pœnitentis, & quantum fieri possit, de illa certificetur.

10. Hanc tamen conclusionem ego limitarem, si posteà adveniente confessario, se pœnitens accusaret, dicens: Accuso me de omnibus peccatis, quæ per litteras, vel internuntium tibi declaravi. Ducor, quia notitia confessarii, extra confessionem adquisita, sufficiens est ad absolutionem, additis coram ipso verbis accusationis, ut docent communiter Theologi, teste Suarez *disp. 22. sect. 6. nu. 5.* Nec dissentire possunt Vazquez *q. 91. art. 4. dub. 4.* & Card. de Lugo *disp. 15. sect. 5.* cum asserant pœnitentem posse confiteri peccata, quibus confessarius præsens fuit, dicendo. Accuso me de peccatis heri commissis, quæ tu benè nosti. In his enim circumstantiis ratio legis omnino cessat, quia per signa externa in præsentia exhibita, confessarius moraliter certus redditur de præsenti dispositione pœnitentis. Addo; si pœnitens extra casum necessitatis bona fide per litteras, vel internuntium Sacerdoti absenti confiteretur, & hic posteà adveniens, absque novam præsentia accusatione, præsentem illum absolveret, Sacramentum validum fore. Quia ejus valorem solum poterat impedire mortale pœnitentis peccatum in actuali susceptione commissum, quo quidem bona ejus fides non compatitur, sive confessarius bona, sive mala illum absolvat.

11. Ad decretum, seu declarationem Clem. VII. ab adversariis ubi suprà objectam, damnat is propositionem illam: *Licere per litteras, vel internuntium confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Respondet Aversa, quem citatum sequitur M. Joannes Martinez de Prado *tom. posthumo de Pœnit. q. 3. de qualit. & modo Sacram. confes. dub. 2. nu. 49.* Clementem VIII. solum intendisse damnare copulativam, & absolutionem absenti collatam: confessionem vero divinum confessario absenti factam, non pro omni casu, sed tantum, quando nulla urgente necessitate, fit. Alii verò inquiunt Pontificem non damnasse propositionem illam in sensu divisivo, utramque ejus partem determinatè attingente, sed in copulativo, propter absolutionem absentis. Hanc expositionem primus adhibuit P. Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 21. sect. 4. num. 10.* Quem sequuti sunt Filliucius, Villalobos, Becanus, & tanquam probabilem eos citatos admittit Diana *3. p. tract. 3. resol. 7.* Castro Palao *tom. 4. de Pœnit. tract. 23. punct. 5. num. 8. & punct. 8. nu. 9.* pro se referens Cerolam, Valentiam, & Reginaldum. Quibus adde Marcum Vidal *in Arca vitali, tract. de Pœnit. n. 19 fol. mihi 427. & num 61. fol. 430. & à nu. 88 fol. 450.* Martinum de S. Joseph *in Monit. Confes. tom. 1. lib. 1. tract. 6. de Pœnit. num. 6.* Ludov. Caspensem, & alios. P. Bardi *in Select. mor. lib 10. q. 13. num. 39. & 40.* Tambur. *in Methodo exped. confess. lib. 2. cap. 10. §. 1. n. 13.* Dicastillo *de Pœnit. disp. 9. dub. 8. nu. 840.* & in eamdem veniunt Aversa, & Prado *sup. dub. 2. n. 49.*

12. Dices præfatam expositionem jussu Clementis VIII. expunctam fuisse in P. Suarez, ergo, & in reliquis, qui post illum scripserunt, expungenda est, non defendenda. Respondeo Clementis decretum non ob illius falsitatem, sed ob aliud longè diversum motivum prodiisse: quo proinde lapsu temporis cessante, expositio primo adhibita invaluit, & in novis editionibus fuit restituta. Quodnam fuerit? Non conveniunt Doctores. Quidam censent expositionem illam eò expungi mandatam, quod Pontifex ægrè tulerit nostrum Suarium ipsius decretum, statim, eo vivente, interpretatum fuisse. Ita cum aliis Bardi *in Selectis lib. 10. q. 13. nu. 39. & 40.* Alii, quia Suarez tentavit suadere expressionem voti confessionis, aut contritionis, nullo peccato expresso, sive per litteras, sive testimonio proprio, vel alieno, Sacerdoti absenti factam, esse materiam omnino certam, urgente necessitate, cum tamen dubia sit. Ita Vincentius Baronius *1. p Theol. mor. contra Caram. disput. 1. sect. 4. §. 2. & ult fol. 40. & 45.* (Sed quidem nullum apud Suarez hujus omnimodæ certitudinis ab eo adstructæ argumentum reperitur, nec ille suam sententiam, ut omnino certam, sed ut sibi probabiliorem edidit.) Alii, quia nonnulli mentem Suarez non callentes, præfatam confessionem extra casum etiam necessitatis licitam ab illo existimari, falsò injungebant: quapropter Pontifex, dum res magis non explicaretur, suo decreto comprimi oportere censuit. Ut refert Aversa teste Baronio, *fol. 44.*

13. Cæterum genuina ratio prohibendi expositionem Patris Suarez, qua Pontificem in sensu copulativo, non in divisivo propositionem illam damnasse, interpretatus est, alia non fuit, quam quorumdam temerarium ausum cohibere, qui hac expositione permissa, contendebant, ex illa evidenter, aut saltem valdè probabiliter deduci, singulas propositionis copulativæ partes divisivè defendi posse, non obstante decreto Clementis: ac proinde nulla censura affectam fuisse aliquorum opinionem, quos referam *infrà q. 7. n. 4.* asserentium, licitum esse in casu necessitatis absentem absolvere, si in præsentia confessus fuerit: sicut licet absenti confiteri, dum in præsentia absolutio conferatur: & validam esse absolutionem ab absenti collatam, sicut & confessionem absenti factam. Quam quidem opinionem æquè damnatam declaravit Pontifex, ac quæ integrum Sacramentum inter absentes confici posse defendebat. Cui dum primum innotuit P. Suarez non contravenisse, quia absolutionem in absentem in nullo casu licitam, imò nec validam post decretum Clementis admisit, ejus expositio communi plausu recepta fuit, & in communem utilitatem operibus restituta, & ab aliis, ut probabilior admissa.

14. Hæc si paccato animo omnes legissent, nil in eximio Doctore, quod morderent, invenissent; sicut nec in aliis, qui hanc expositionem amplexati sunt: quam eisdem ferè verbis tradit Filliucius *tom. 1. tract. 7. de Sacram. Pœnit. cap. 1. q. ult.* Cui tamen novissimè doctrinam damnatam enormiter imposuit Neothericus quidam, apud Ludovicum à Concept. *tom. 2. exam. disp. 1. sect. 1. litt. A. num. 9.* Sed à tanta calumnia ipsemet Filliucius expressis verbis se purgavit, in eodem *tract. 7. cap. 5. n. 122.* ubi loquens de casu necessitatis, inquit: *Ut diximus cap. 1. q ult.* in tali casu, satis est confessio in absentia, modo absolutio sit in præsentia. *Quod expressius tradiderat *tract. 5. cap. 4. num. 80. & 81.* dicens: *Non posse absolutionem Sacramentalem fetri in absentem, & contrariam sententiam esse falsam, & improbabilem. *Quid clarius?

§. UNICUS.

Confectarium cum animadversione in Baronium.

14. PRo hujus gravissimæ quæstionis coronide rogabis, an moribundum, qui confessionem in absentia confessarii petiit, si hic postea accedens mortuum inveniat, possit adhuc à peccatis Sacramentaliter absolvere? Non defuit, qui partem affirmativam sustinuerit innixus authoritati D. Thomæ petitæ *ex Opusculo sexagesimoquinto de Officio Sacerdotis, §. De cautela in confessione habenda*, ubi sic dicitur. *Si infirmus petit pœnitentiam, & antequam Sacerdos veniat ad eum, fit mortuus, vel amiserit loquelam, Sacerdos habeat eum pro confesso, & post mortem absolvat eum.* Verum contraria sententia est omnino certa *ex cap. Multiplex, dist. 1. de Pœnit.* ibi: *Quod manens in corpore non receperit, consequi exutus corpore non poterit.* Et ex Tridentino *sess. 14. Can. 9.* *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem non esse actum judicialem anathema sit. *Unde Caramuel *in Theol. Fund. in secunda editione Romana nu. 1878.* *Conclusio, inquit, hæc anima separata à corpore non potest à peccatis absolvi, est certa apud Catholicos.* Vide Amadæum *tract. de Pœnit. propos. 19. in fine*, ubi pro valore confessionis absentis, verbis ex præfato opusculo fideliter excerptis utitur.

15. Cæterum hujus loci allegatione, quasi Oestro percitus Baronius in Amadæum irrumpit *disp. 2. sect. 3 fol. 22. & 223.* & de enormi impostura præfati *Opusculi* 65 expostulat, illum carpens, quod D. Thomæ, tanto Doctore indignum, opus adscripserit. *Non adeo, inquit, perversi, aut obtusi criterii, in recensendis authorum libris, Amadæus est, ut nisi excæcasset animum libido carpendi D. Thomam, non posset facilè cognoscere illud opusculum, nec stylum, nec eruditionem, gravitatem, & modestiam Sancti Doctoris resipere. Nam ut omittam infinita argumenta: Sancto Doctori omninò insolens est quodcumque convicium, aut verbum asperiùs dictum, &c. At Sacerdotes, qui aliquid peccant in administrandis Sacramentis, *stultos, & fatuos* vocat Author illius opusculi, quod à D. Thoma adeò alienum est, ut ne dicam Sacerdoti, sed neque etiam Atheo, stultitiæ notam voluerit inustam, contentus opinionem stultitiæ notasse.* Hanc Divi Thomæ modestiam Amadæus in toto suo opusculo imitatus est: utinam & Baronius, cujus famosus liber totus in Amadæum probris, & calumniis scatet, ut vel ex hoc configendus venisset, nisi prævidè, vix primâ luce potitum, dum adhuc sub prælo esset, velut in utero suffocasset prohibitio Summi Pontificis Alexandri VII. in Bulla, *Cum ad aures*, proprio motu expedita die 26. Junii, anno 1665. propter quasdam censuras, quas laudatas, & insertas sibi trahit, non veritus fulmen Apostolicum, quo in præfata Bulla feritur, ubi sic: * Nec in libris, aut etiam scripturis publicis, vel privatis illas alleget, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cujus absolutionem nobis, ac Sedi Apostolicæ reservamus, &c. Insuper libros, & opera in quibus præfatæ censuræ quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur, Apostolicâ authoritate prohibemus.* His tamen non obstantibus Vincentius Baronius, nec opus prælo subtraxit, nec à divulgatione abstinuit. Hæc fuit illi in Deum Apostolicam reverentia!

16. Laude verò fraudandus non est quod protatum *Opusculum sexagesimum quintum*, quod inlia Angelici Præceptoris circumfertur, alienum à D. Thoma pronuntiet, & ab ejus operibus rasum non fuisse doleat. Quod jam præstitit madæus in editione Matritensi, anno 1664. ubitentiæ dissonantiam expendens concludit: *Quapter mihi suadeo illud opusculum non esse Divi* Quod efficaciter probatur ex eo quod ejus author ad errorem comprobandum duplici abusus est textu, alio *ex cap. Multiplex, dist. 1. de Pœnitent.* ubi rium expresse decidituir, verbis suprà dictis: *manens in corpore non receperit, consequi exutus corpore non poterit.* Alio *ex cap. Anobis de sent. excommun.* extra rem omninò est, quia in eo tantùm est de absolutione ab excommunicatione, quæ defuncto conferri potest. Sed ab ista non valet argumentum ad absolutionem à peccatis, de qua Author opusculi loquitur, ut evidens legenti erit. Ita non datur locus violentæ expositioni, quam tentat repugnantem Baronius adhibet, *fol. 224.* Quapropter melius, veritate compertâ, Opusculum illud sexagesimum quintum adulterinum D. Thomæ opus judicavit, & ne inter dubiæ fidei Sancti Doctoris opera admittendum, sed ut certissimè spurium excludendum, credendumque. Sic censet Baronius, licet contra regulam, quam eximpe effudimana statuit Paulus Nazarius *in Opuscula de spu D. Thomæ Aquinatis, folio 12.* dicens: * Inter Opula Divi Thomæ, ea quæ minoribus excusa sunt racteribus, tanquam dubia recipienda.*

17. Sed restat adhuc Baronio querela, quod madæus in editione Valentina, & in Lugdun. ann 1664. omiserit Textus *ex cap. Multiplex, & an nobis.* Fateor, sed non *castiganda fraude prædicta*, temerè dixit Baronius. Sed quia sententiam rebus contentus, de authoris fundamentis, ut ad cujus quam ibi agebat, de more illi est, non curavit. Enimverò, si is fuisset illi animus, quem affinxit Baronius *fidelias instruendi Angelico Præceptori*, non omisisset eris subsidium à præcitatis juris capitibus petitum, cùm ex illis potissimum, & novum insidiarum arcu parare potuisset; non solùm errotis sententiam mulando, sed insciliæ quoque arguendo, utpote duplici juris capite petitam, alio expresse contra alio extrà rem adducto. Nullius ergò criminis accusari Amadæus potest, nullius impostura, nec cationis loci. Quia nec opusculum affinxit, nec ba diminuta excerpsit, nec errorem exculantia ossit, sed quæ potiùs cumulabant. Non ergò inde instruxit.

18. Sed novum non est Baronio Amadæum diarum instructorem fingere, etiam ubi aliunt calumniis D. Thomam vindicat. Quo fatis dit, nec Amadæum impugnaturum legisse. Quni alios authores! Unum modo in exemplum ducam. Amadæus Guimenius *tract. de Jejunio p. 6.* fideliter refert Dianæ verba *p. 10. tract. 14. 60.* sic scribentis. * Ex dictis à fortiori patet relidam esse opinionem D. Thomæ, Divi Antonini, brielis, & Richardi, quos citat & sequitur Sylvebverb. Jejunium, q. 3. nu. 2.* asserentium licitum ele mere in die jejunii electuaria ex sacharo condita, solam delectationem. * Sic Diana. In quem propreà, tanquam in relatorem infidelem opinionis D. Thomæ; & in Thomam Hurtado ejusdem crimina reum *tom. 2. variar. resol. tract. 10. cap. 7. num. 16.* invehitur à

tur Amadæus *ubi suprà*, Divi Thomæ verba, pro ipsius vindiciis, illi opponens: *Diminutè (inquit) refert D. Thomæ verba, præcidit enim ultima, quo non paucis occasionem errandi præbere potuit. Nam cum D. Thomas scripsisset electuariorum usum jejunium non solvere, illicò subjunxit: *Nisi in fraudem jejunii quis sumeret, aut si eis, quasi aliis cibis uteretur, ad famen extinguendam.* Hæc Amadæus in obsequium Angelici Præceptoris. Quis, rogo, his prælectis, Amadæum laudibus à Baronio cumulandum non speraret? Sed referre pudet: Calumnias, calumnis cumulat. Et cum Dianam, & Hurtado, D. Thomæ verba truncantes carpere debuisset, Hurtado incolumi relicto, in ejus locum Amadæum suffecit; ut eum æquè, ac Dianam immisericorditer proscinderet, *disp.1. sect.1. fol* 122. *Notam, inquit, uterque Divo Thomæ inurit fœdissimam, lachrymis eluendam. Sic enim illum accusat Amadæus, delatore Diana, si vera ex illo referat: Nec enim licuit adhuc Dianam consulere, &c. Si vera sit Dianæ, & ex illo Amadæi accusatio, non potuit attrocius flagitium impingi Divo Thomæ, &c. Si verò temerè, & falso totius Ecclesiæ Præceptor incusatus sit quasi palpo, & voluptatis illicitæ Magister, judicet Christianus Lector, par ne unquam calumnia instructa sit, & audita. *Et his non contentus, *folio* 124. Divi Thomæ verba, prout apud Amadæum ipsius vindicem, fideliter excerpta invenit, exscribens sic iterato exclamat. *Hic tuum Lector judicium appello: num Diana, & Amadæus iniquissimam Divo Thomæ calumniam instruxerint? *O Baroni! alius tecum contendat: tam ingrati animi labem quis ferat?

19. Sed morsus cruentos lubens condono, & Christiani Lectoris judicium ad aliqua ex dictis ponderanda voco. Primum, quod, ni Baronius ipse ultrò fateretur, nequiret absque temeritate judicari; ipsi scilicet, *adhuc non licuisse Dianam consulere.* O Macte humilitate virum! Quod alios authores non legerit, mirum mihi non acciderat, quia copia caruit, ut ipse testatur, *fol.* 51. *Vix centesimam,* inquit, *habui librorum, quibus Amadæus ab utitur ad suam causam.* Unum verò omnibus mirabile fuit, hominem tanta librorum inopia laborantem, & tot occupationibus distractum, ut nec Dianam, qui præ omnium manibus est, consulere licuerit, ausum fuisse suscipere provinciam respondendi Opusculo Amadæi Guimenii, qui non rationum pondere, sed testimoniis tantum Doctorũ fidelissimè excerptis, copioso, & gravi testium numero, quam agebat, causam comprobavit. Quem proinde, in quæstione facti, impugnare, authoribus non relectis, & locis non collatis, impossibile prorsus erat: & maximè Baronio, qui, ut ipse testatur, libros necà tergo viderat. Quinimò (ut ex ejus testimonio apertè intelligitur) quam plurium eorum, nec nomen audiverat; ideòque Amadæum illos confinxisse, præ eruditionis copia, stomachosus evomuit. *Placuit etiam, inquit, *Amadæo, confingere, qui nunquam scripserunt, nec usquam extitere.* *Nullum verò hujusmodi authorem, nec in syllabo, nec in toto suo famoso opere ausus est nuncupare, ne de aperta falsitate convinceretur. Nullus enim apud Amadæum confictus invenitur, licet plures Baronio, & in Theologia morali parum versatis prorsus ignoti.

20. Alterum notatu dignissimum est, quod Baronius ea calumniandi libidine æstuaverit, ut Amadæum, Divi Thomæ accusatorem traducat, ubi advocatum, & ab aliorum calumnia vindicantem repetuit. Verba illius recole. Quid ad hæc Baroni? Nec Amadæi locum tibi consulere licuit? Vel concedas, vel ex ore tuo clamabo: *Parem unquam calumniam instructam, & auditam non fuisse. Nec potuisse attrocius flagitium Amadæo impingi.* Nullam ergo calumniam, nedum *iniquissimam* Divo Thomæ Amadæus instruxit. An Baronius Amadæo: *Hic tuum Lector judicium appello.*

QVÆSTIO III.

An moribundus, qui non audiens, neque loquens, dubia doloris signa exhiuet, absolvendus sit?

1. SI doloris signa constiterit fuisse exhibita, in ordine ad claves, constat ex dictis absolvendum. Difficultas solum est, de aliis doloris signis, de se indifferentibus. Ut si, v.gr. moribundus pugno pectus pulset, oculos ad cœlum tollat, vel aliquam imaginem devotè respiciat, præsente Sacerdote, vel aliis testificantibus.

2. Moribundum prædicta doloris signa exhibentem non esse absolvendum, tradunt Bonacina, Joannes Franc. Suarez, & Thom. à Jesu, apud Dianam *3.p.tract.3.resolut.2.* & consentire videntur P. Suarez *disp.23.sect.1.n.12.* Filliucius *tract.7. cap 5.num.120.* & Vazquez hic *quæst.91.artic.2.dub.1.nu.1.* Qui asserunt, infirmum, quamvis contritionis signa præbentem, absolvi non posse, si nullam fecit mentionem confessionis, eam petendo, seu vocando Sacerdotem, saltem nutibus, seu ipsi confessario dicendo, se dolere de peccatis. Eorum fundamentum est, quia ea signa, de quibus suprà, non videtur exhibita in ordine ad claves, quæ relatio est omnino necessaria ad absolutionem. Nam ut definitum est in Tridentino, *sess 14. Can.9.* sine confessione nequit esse absolutio: ergo cum illa signa rationem confessionis habere non videantur, nequibit moribundus absolvi virtute illorum.

3 Contraria tamen sententia probabilior est, in praxique omnino tenenda, cum Layman *lib. 5. tract. 6.cap.8* Henriquez *lib.3.de Pœnit.cap.10.n.7.& 8.* Lugo *disp.17.sect.2.nu.29.* Zambrano, Pharaonio, & aliis; quos sequitur Diana *3. p.tract.3.resol 2.* Probatur primò optima ratione, quam ex Layman desumpsit Lugo. In mortis articulo quilibet præsumitur desiderare optimum suæ animæ remedium. Ergo signa doloris, & pœnitentiæ, in eo articulo exhibita, censeri debent relata à pœnitente ad Sacramentalem absolutionem. Confirmatur, quia neque adversarii negare possunt in his circumstantiis dubium saltem generare, an fuerint exhibita in ordine ad claves? In dubio autem, an sit materia sufficiens absolutionis, absolvendus est moribundus, ut benè Lugo *suprà nu.31.* Et ita tenet M. Texeda *tom.1.Theolog.moral libr.2.tract 3.controvers.10.nu.9.* *Quod adeò, inquit, verum est, ut si dubitetur de sufficientia signorum pœnitentiæ, in mortis articulo constituti; adhuc tamen pœnitens absolvendus est, ne maneat suæ spiritualis salutis remedio destitutus: & alias pœnitens ratione dubii est in possessione, ut absolvatur, saltem sub conditione. *Et nequit dissentire Vincentius Baronius, ut pluribus ex illo exscriptis, probabo quæst. sequente *numer.* 39.

4. Secundò probatur, nam quando dubitatur, an signa oriantur ex contritione de peccatis, an ex an-

gustia mortis, & morbi mœrore, absolvendus est sub conditione infirmus, ut tradunt Joannes Sanchez, & alii, quos citatos sequitur Diana 3. *p. tr.* 3. *resol.* 3. Ergo quando dantur veræ contritionis signa, & tamen est dubium, an fuerint exhibita in ordine ad claves, poterit infirmus absolvi sub conditione. Patet consequentia, quia idem est dubitare, an signa oriantur ex contritione, ac dubitare, an fuerint in ordine ad claves. Imò non solùm poterit, sed debebit absolvi; nam quoties potest, ad id charitas graviter obligat, ne ex omissione, & incuria confessarii æterna moribundi salus periclitetur, ut cum Vazquez, Suarez, Montesin. Coninch, & aliis communiter docent Diana *suprà resol.* 9. Lugo *disp. citata, sect.* 1. *n.* 20. *& sect.* 5. *n.* 87. Henriquez *de Pœnit. lib.* 3. *cap.* 10. *nn.* 8. Joannes Sanchez *in Select disp.* 44. *n.* 32. & cum Dicastillo, F. Franciscus à Jesu Maria, Carmelita Excalceatus, *in Cursu Theolog. Moral tract.* 6. *cap.* 8. *punct.* 6. *num.* 138.

5. Occasione hujus doctrinæ posset aliquis inquirere, an Sacerdos, qui dicta confessione generali, ut de more est, in principio Missæ, sensibus destituitur, & periculum mortis subjicit, absolvi possit virtute prædictæ generalis confessionis, nullo alio doloris signo edito? Negant cum Layman, Lugo *suprà disp* 17. *sect.* 1. *n.* 23. & Diana *tr.* 3. *citato, resol.* 2. *&* 4 *p. tr.* 4. *resol.* 92. *in fin.* contra Philibertum Marchinum oppositum asserentem. Verum tempore pestis, cum omnes in mortis periculo versentur, probabile mihi est, non solùm Sacerdotem, sed ejus etiam ministrum virtute prædictæ confessionis absolvi posse sub conditione, quia confessio illa, & contritionis signa in his circumstantiis prudenter censeri possunt in ordine etiam ad claves exhibita, vel dubium saltem de ista relatione generant, quod sufficit ad absolutionem sub conditione.

QVÆSTIO IV.

An moribundus, qui nec confessionem petiit, neque ulla signa contritionis dedit, possit absolvi?

VT quæstionem hanc in animarum favorem enucleare possimus, certa ab incertis sunt separanda. Sacramentum Pœnitentiæ non posse dari sine confessione, tradunt *in Trident. sess.* 14. *cap.* 6. *& Can.* 9. Unde constat, omnino exterminandam opinionem contrariam, quam tenent Corduba *lib.* 5. *q.* 27. *post propos.* 7. apud Henriq. *lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 9. *in Glos. litt. I.* & nonnulli moderni suppresso nomine citati à Coninch *disp.* 3. *dub.* 1. *n.* 2. Quibus facit Jacobus Bajus Lovaniens. *institutione Religionis Christianæ, lib.* 2. *cap* 91. ubi asserit, in casu moribundi non requiri confessionem, quia in tali casu potest impendi absolutio per modum suffragii: accusatio enim, inquit, solum est necessaria, quando conferenda est per modum judicii.

2. Verum hæc distinctio Baji temeraria omnino est: ne errorem, vel hæresim dicam. Nam absolutio Sacramentalis est actus judicialis, etiam respectu moribundi, & sine confessione esse nequit: utrumque enim definit Trident. suprà. Temerè igitur dixit Bajus, absolutionem conferri posse per modum suffragii, non præcedente confessione, aliàs conferri posset non subdito: imò, & mortuo, sicut applicari potest indulgentia: neque esset necessaria jurisdictio ministro absolvente, ut benè expendit Lugo *disp.* 16. *n.* 42. Casus autem necessitatis essentiam absolutionis mutare non potest, atque adeò si extra illum subsit accusatione est invalida, à fortiori etiam erit in casu necessitatis. Igitur absolutio Sacramentalis conferri non potest, non præcedente accusatione, aliisvè signis contritionis confessario notis, quibus confessionis ratio conveniat. Hæc est verissima, & communis sententia, quam tenet Vazquez *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 1. *n* 1. dicens, nullum esse, qui contrarium doceat. Henriquez, Coninch, & Lugo suprà. Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 13. Joannes Sanchez *in Selectis, disp.* 44. *n.* 3. Nec de ejus, ut jacet, veritate, salva fide, dubitari potest, cum expressè definita sit in Trident. suprà. Quamodestè nimis Pater Coninch *disp.* 7. *n.* 96. taxaverit, illam sententiam non videri probabilem, eamque eroneam, vel hæreticam vocare debuisset.

3. Hoc præjacto fundamento, solum potest esse difficultas, an ægrotus, qui in eo periculo nullum prorsus doloris signum dedit, nec confessionem petiit, possit Sacramentaliter absolvi virtute aliarum actionum antecedentium, quæ confessionis nomine venire possint. Ut si, verb. grat. Christiano modo vivens, Sacramenta frequentaverit, & fidelis, atque habitus fuerit? Negant absolutè Vazquez *suprà*, Diana 3 *p. tract.* 3. *resol.* 8. ubi citat Layman, Malderum, Turrianum, & alios, quos iterum sequitur 3. *tr.* 6. *resol.* 20. quibus accessit Lugo *ubi suprà*, cum Suarez, Coninch, & Reginaldo, addens, nullum ex doctoribus Societatis, qui sua scripta prælo mandaverit, oppositum docuisse, nisi fortè paulò antè præcesserit doloris signum, seu confessionis petitio, ut pœnitens verb. grat. dixerit, se ex tunc absolutionem petere pro mortis articulo, si in illo posteà versetur, & ita sentit ipse Lugo *nu.* 40. cui alii consentiunt.

§. I.

Sententia magis pia ab authoritate comprobatur.

4. NIhilominus moribundum, de quo supra, qui nec confessionem petiit, nec doloris, nec contritionis ulla signa dedit, posse Sacramentaliter absolvi, virtute actionum antecedentium, quas prædiximus, videtur sententia expressa S. Antonini, prout refertur in Sacerdotali Romano antiquo, *tract. de Sacram. Pœnit. cap.* 26. ubi hæc ex illo habentur verba. *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat, ut bonus, & fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, quam vigentabat confessionem, & communionem, quam vigentabat petierit Sacramenta, quia ex insperato talia accidunt, debet præsupponi contritus, & faciente alium confessionem generalem pro eo sicut fit in populo. Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, a peccato. *Hæc ibi. Et hanc opinionem approbat Gregorius XV. cum esset Archiepiscopus Bononiensis *in Memoriali Confess. cap.* 1. *de forma Sacram.* Pont. *n.* 16. *fol.* 215. Si enim inquit. *Licet absolvere moribundum, etiamsi nullum pœnitentiæ signum de se præsentia confessarii; si tamen aliquis testetur, eum ostendisse confitendi desiderium. Ita docet Rituale Pauli V imò addit Sacerdotale Romanum, *pag.* 62. ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolvi moribundum assuetum frequentare confessionē, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit. Neq; solum potest confessarius in his dubiis casibus

casibus absolvere, sed etiam debet, quia contingere potest, moribundum esse tantum attritum, unde damnetur, nisi absolvatur. *Sic ibi.

5. Ideò hæc sententia est hodie ferè communis inter Theologos, quorum syllabum, eorum verbis fideliter excerptis, visum est itidem, ne in re tanti momenti aliquis deficiat, ob oculos ponere. Eam tenent Molfesius *in Sum. to. 1. tr. 7. cap. 5. nn. 48.* ubi sic ait: *Hanc opinionem, ut mihi retulit noster D Gabriel Lotterius, vir magnæ eruditionis, Romæ sequuti fuerunt ipse, & Franciscus Suarez, & P. Salmeronis Societatis Jesu, & P. Luppus Capuccius; & audivi etiam, quod dum casu cadebat Romæ quidam, ex fatica S. Petri, & repetiebatur ibi Clemens VIII. Pontifex Maximus, vir sapientissimus; & vidisset illum cadentem, quod dedefit ei absolutionem, dicens: Si es capax absolutionis, absolvo te à peccatis. *Et infrà n. 49. *Non est ratio convincens, cur id fieri non possit sub conditione, quando hic talis signum non dedit, & aliàs devotus erat ad Sacramenta, &c. Itaq; prodesse; non autem nocere potest, nec fit injuria Sacramento, & est opinio satis pia. *Sic ille.

6. Homobonus in examine Ecclesiæ *p. 1. tr. 7. cap. 18. q. 84.* *Prudenter aget Parochus, si favorabiliori illi opinioni adhæreat, quæ sentit absolutionis beneficium moribundo impendi posse, etiamsi nullum confessus sit peccatum, nec confessarium petierit, necindicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis vel attritionis argui possit; modo talis in mortis articulo constitutus Christiano more vivere soleret, & bonus, ac fidelis homo æstimaretur. Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clementem VIII. Quæ sententia, illa sanè ratione confirmatur, quod in necessariis ad salutem, tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est. Et ut reverentiæ Sacramenti, vel sacrilegii periculum, tum conditione apposita, tum auctoritate Doctorum hanc opinionem tuentium, cessare dicatur.*

7. Antonius de Litteratis in Sum. edita Romæ cum approbatione Mag. sacri Palatii, anno 1611. *p. 1. de Conf. cap. 33. nn. 7.* *Respondeo, quòd si infirmus loquelam amiserit, vel si in freneum conversus fuerit, Sacerdos debet considerare, an talis infirmus benè, fidelis, ut bonus Christianus vivebat, & singulis annis confitebatur, & se communicabat, & hujusmodi, licet Sacramentum non petierit, quia talia ex inspecto acciderunt, &c. Talis præsupponitur contritus: ideò Sacerdos absolvat eum ab omnibus censuris, casibus, & peccatis.*

8. Bartholomæus à Sancto Fausto *in Theolog. mor. lib. 4. q. 204.* *Quia si potest, inquit, dari absolutio sub conditione, quando dubitatur, an pœnitens habeat usum rationis; vel an sint peccata, nulla est ratio convincens, cur id fieri non possit similiter sub conditione, quando talis hic nullum signum dedit contritionis, & aliàs devotus erat, & frequentabat confessionem, & communionem. Nam potest esse, prout in dubio præsumitur, ut quis sit memor salutis æternæ, & quod interius habeat aliquam efficacem attritionem, qua rectè dispositus sit, recipere Sacramentalem absolutionem, & de attrito fiat contritus. Præsertim, quia nulla fit injuria huic Sacramento, quando sub conditione impertitur absolutio, unde si non reperiatur dispositus, absolutio habetur pro non data, & sic prodesse, non autem nocere potest.*

9. Victorianus Præmol. *in Memoriali Clericorum p. 4. cap. 1. n. 14.* *Licet absolvere moribundum, etiamsi nullum pœnitentiæ signum dederit in præsentia confessarii, si tamen aliquis testatur, eum ostendisse confitendi desiderium. Ita docet R. tuale Pauli V. & etiam suprà diximus. Imò addit Sacerdotale ex doctrina D. Antonini, posse etiam absolvi moribundum assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit. Neq; solum potest confessarius in his duobus casibus absolvere; sed etiam debet: quia contingere potest, moribundum esse tantum attritum, unde damnetur, n. si absolvatur, ut de priori casu dicit Suarez.* *Sic ille.

10. Pellizarius *in Man. Regul. to. 1. tr. 5. c. 3. sect. 1. n. 60.* *Cujus, inquit, opinionem puto defendi posse ob doctrinam tradendam, nimirum posse absolvi illum, qui sensibus omnino destituitur, & nullo pacto petit confessionem, si constet illum fuisse tr. 8. cap. 3. sect. 2. n. 114.* *Respondeo, videri non omnino improbabile, quod absolvi possit saltem sub conditione. Moveor, tum ex principio extrinseco, nempè ex authoritate plurium Doctorum opinionem hanc sustinentium; qui sùt Molfesius, Homobonus, Litteratus, &c. Suarez, qui ex authoritate gravium virorum, talem doctrinam privatim tradidit; Baldellus, & Naldus, à me per litteras consulti; aliique docti recentiores à quibus non omnino videtur dissentire S. Augustinus. *& n. 116. in fine.* *Ergo ex charitate tenemur eam sequi: tantùm abest ut non possumus eam practicè sequi.*

11. Rever. P. Leander à Sacram. *to. 1. de Pœnit. tr. 5. disp 5. q. 46.* *An confessarius possit absolvere sub conditione moribundum sensibus destitutum, qui nec confessionem petiit, nec signum pœnitentiæ dedit? Mihi, in hoc difficillimo puncto, sic respondendum videtur. Quod scilicet, quamvis prima sententia negans, speculativè sit longè verior; longèque probabilior secunda: hæc tamen, quia non caret probabilitate (ut ipsemet Diana merito fatetur) in praxi observari debeat, & practicari (quod ego Romæ in occurrenti casu, semel, & iterum feci, nec pœnituit) ut ex statim dicendis constabit.*

12. R. P. Fr. Christophorus Delgadillo *to. de Pœnit. cap. 13. dub. 18. & 19.* tradit: *Non solum posse, sed teneri absolvere sub conditione, quia vixisse more, & modo Catholico sufficit pro signo sensibili doloris, in articulo mortis, requisito de peccatis, sicut sufficit, ut prudenter judicet, prædictum moribundum hic, & nunc habere intentionem, seu voluntatem requisitam ad validam, & fructuosam receptionem aliorum Sacramentorum, scilicet, Eucharistiæ, & Extremæ unctionis.*

13. Illustris. ac Rev. P. M. Acatius de Velasco *to. 1. resol. mor. verb. Absolutio, res. 12. n. 4.* *La tengo por probable, por la autoridad de los Doctores tan graves, que la tienen. *Et infrà. *En particular, si el moribundo es hombre bueno, del qual se puede prometer, que todos los dias haria acto de contricion, y daria alguna sennal de dolor. *Et to. 2. verb. Sacramento, res. 403. n. 7.* *Muy probable es, que à un hombre que se esta muriendo, sin poder, ni averdado materia alguna por camino alguno, el Confessor le debe absolver con condicion. *Et latius M. Zanardus *in Director. 1. p. 2. de Pœnit. §. 9.* dicens: *Posse absolvi, si non erat in mortali noto.*

14. Antoninus Diana *3. p. tr. 3. resol. 8.* *Unde ego saltem ex principio extrinseco, puto hanc sententiam probabilem esse, & ita illam tenent aliqui Patres Societatis Jesu, & nostræ Religionis, & dici potest, quod in hoc casu adest aliquo modo materia; quæ per testificationem, & famam probitatis dicti moribundi, efficitur præsens.*

15. Doctissimus Episcopus Joannes Caramuel *in*

Theol. Fundam. 1. *p. fundam.* 6. *n.* 195. *fol. mihi* 92. testatur, hanc opinionem, tanquam probabilem approbatam esse ab Universitate Vienensi, in Thesibus, quibus præfuit R. P. Turkovich Societatis Jesu. Et ipse, ubi supà, & *n.* 1311. *fol.* 660. mordicus illiam defendit, plures pro ea Doctores referens, tum ex Societate, tum ex Franciscanis, & *in* 3. *edit. fol.* 533. *usque ad* 541. ubi de hac quæstione ait; pro hac parte stetisse Stephanum Bauni, & Carolum Musart Societatis Jesu, & alios, qui in voce id docuerunt in Universitate Viennensi. Quibus adde Jansenium, apud Lessium *in* 3. *p. q.* 9. *art.* 2. *dub.* 2. *n.* 20. Laurentium Longum *in Tabulis Sacram. Tab.* 2. *cap.* 24. *nu.* 8. Theophilum Raynaudum *de Martyrio, p.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. Bassæum, *verb. Absolutio, n.* 13. *in* 3. *editione*, & Philippum Servium *in Annunt. fidel. p.* 3. *cap.* 1. Favet Aversa *de Pœnit. q.* 10 *sect.* 8. & inclinat Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 4. *docum.* 5. *n.* 4. & plures infrà citandi. Et cum Vivaldo, Carolo de Baucio, Sancto Fausto, & aliis tenet Barbos. *in Collect. ad Trid. sess.* 14. *cap.* 5. *n.* 2. dicens: *Si pœnitens nullum peccatum confiteatur, nec petiit confessionem, nec signa, vel nutus contritionis exhibuit, & sit vir bonus, & devotus ad Sacramenta, poterit sub conditione absolvi in hunc modum: Si tu es capax absolutionis, ego te absolvo à peccatis tuis. *Et in Belgio hanc opinionem practicari in bello à multis confessariis, testatur se audivisse Cardin. de Lugo *tom. de Pœnit. disp.* 17. *sect.* 3. *n.* 33. Quibus facit fundamentum, quo pro Eucharistia freneticis, & amentibus conferenda utitur M. Texeda *to.* 1. *tr.* 2. *cont.* 18. *dub.* 5. *n.* 47. Denique hanc sententiam probabilem putant plures, quos citatos sequitur F. Franciscus à Jesu Maria *to* 1. *Curs. Theol mor. tr.* 6. *cap.* 8. *punct.* 6. *nu.* 148. *fol.* 450. *& seq.* Apud quem *n.* 148. pro eadem militat Gabriel à S. Vincentio *de Sacram. Pœnit disp.* 7. *q.* 2. & hanc sententiam, *Sic explicatâ (inquit F. Francisc. à Jesu Maria *punct.* 6. *in fine*) probabilem esse sentimus, & sic ad praxim deducendam: cum nulla fiat injuria Sacramento, impendendo in eo casu absolutionem sub conditione, & ex praxi possit salus æterna pendere moribundi. *Sic doctus Carmelitanus Excalc.

16. Propter hæc Tamburinus *in Methodo exped. confess. edito Romæ, anno* 1647. *lib.* 2. *cap.* 10. §. 1. *num.* 11. *Nonnulli, inquit, Doctores putant, ejusmodi moribundum satis superque petere confessionē, per mores Christianos, tota vita sensibiliter peractos. Itaque ideò putant absolvi posse; saltem sub conditione: si est capax absolutionis. Idcircò in praxi censeo, posse absolvi sub conditione dicta: imò, propter tam urgentem instantis mortis necessitatem, etiam debere. Ratio est, quia propter conditionem cavetur injuriæ Sacramenti, & ex alia parte, consulitur; quantum fieri potest, saluti moribundi; quia in tali articulo præsumi saltem attritus potest. Quid si fortè ita, actualiter peccando, subito destituatur sensibus, ut non possit humanitus loquendo aterir? Respondeo, tunc non esse præsumendum attritum, atque adeò, nec absolvendum docent communiter. Sèd ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem: quia rarissimè evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem. *Sic ille.

17. Addunt alii prædictam sententiam pro quolibet peccatore Catholico sustinendam esse. Joannes Poncius *in cursu Theologico. decis.* 46. *concl.* 4. Quamvis etiam possit conjici, ex ante acta vita; quod si habuerit tempus, habuerit etiam internam dispositionem, tamen illa conjectura non sufficit, nisi ad absolutionem conditionatam, qualis si possit dari, posset etiam ei, qui antea scelerate viveret, quando solent dolore de peccatis, & petere confessionem, quando sunt in periculo vitæ: de quibus, non eo modo, quantum ad hoc discurrendum esse, sentiunt Doctores, qui oppositum conclusionis tenent. Quantum ad me attinet, non video, cur non possit dari tali absolutione, & non sit evidens, nec certum de fide, quod non possit prodesse. *Sic ille, qui ad argumenta in contrarium respondet.

18. Petrus Marchantius *in Tribunali Sacram. tom.* 1. *tract.* 4. *tit.* 4. *dub.* 7. *Sed ad primam partem hujus quarta responsionis, in favorem animarum, inclinamur, in qua dixit: quod quando peccator Catholicus ita opprimitur; ut nullum appareat signum pœnitentiæ, aut desideratæ, sive postulatæ confessionis, nihilominus possit sub conditione absolvi; sive absolvendum esse.*

19. Fr Martinus de S. Joseph *in Monita, tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 16. *n.* 2. *Juzga Diana, que es probable, y lo mismo han tenido hombres doctissimos; porque todos dizen, que en aquel punto, aun los hombres desalmados se convierten de ordinario, y se piden misericordia à Dios, pesandoles de sus ofensas; y cuida de su salvacion eterna, y que por lo menos en lo menos carezca de attricion, con que ayudado con el Sacramento se salve. A la verdad yo juzgo, que dicha opinion es probable, por principios extrinsecos; en caso semejante, pecará contra caridad el Sacerdote, que no absolviesse al tal enfermo, debaxo de la condicion dicha.*

20. Torreblanca *lib.* 14 *Pract. cap.* 11. *n.* 14. *pag.* 401. *Moribundo enim sensibus destituto, quamvis peccatum nullum pronunciaverit, nec signa contritionis dederit, potest, & debet confessarius eum absolvere, saltem sub conditione: Si es capax, absolvo.*

21. Remigius *in Sum. tr.* 5. §. 11. *n.* 5. *Esta tambien opinion probable, q̃ el Confessor puede absolver al moribundo destituido de sus sentidos, aunque no aya pedido confession, y exercitar la caridaden este tan peligroso, en que cada uno la desearia para si en medio.*

22. Fr. Ludovicus à Concept. *in examine veritatis tr.* 5. *de Pœnit. q.* 1. *per totam, præcipuè n.* 19. hanc conclusionem sic probat. *Tum quia de nullo debet malum præsumi, & præsertim finale, nisi expresè de illo constiterit, cum ergo neque expresè de hoc constare possit in casu posito, tenebitur de omnibus similibus in tali casu posito, tenebitur de omnibus similibus in tali casu judicare malum. At qui in simili casu tenentur omnes suæ saluti exequi necessaria, inter quæ unum, & facilius est, contritionis signa præbere, confessionem, vel signo aliquo postulare. Ergo hoc de illis possumus prædicare (scilicet, quamvis non viderimus) proindeque illis absolutionis beneficium, sub conditione impendere.*

23. Lezana *in Sum. qq. Regul. tom.* 3. *verb. Confess.* *Ego verò, licet hanc secundam sententiam (sumpsi negativam) probabiliorem credam; primam tamen non reputo omnino improbabilem, eo vel maximè, quod existimem, omnes fideles in eo periculo constitutos, si vel per modicum tempus, sui compotes existant, non solum actu interno confessionem detestari, non solum actu interno confessionem detestari, sed externo actu id desiderium semper manifestare, quod virtualis quædà confessio, pro absolutione conditionatè concedenda. Sed alii judices sunto.*

24. Illustrissimus Joannes Caramuel *in* 2. *p. Theol. Fund. cap.* 1. *n.* 50. *fol.* 35. *Quia universitas Vinensis sententiam, quæ

quæasserit, *moribundum Catholicum sensibus destitum, qui nullum signum doloris dedit, posse saltem sub conditione absolvi*, judicavit probabilem, hanc eamdem opinionē probabilem esse pronuncio,* & *cap. 7. n. 120 de pœnit.* * Probabilis, inquit, est sententia, quæ docet Catholicum moribundum sensibus destitutum, qui nullum signum doloris dedit, posse absolvi saltem sub conditione, * Et idem tradiderat *in Theolog. moral. lib. 3. disp. 4. n. 1542.* dicens: Confessarium teneri hanc sententiam practicari. Verba ejus sunt. * Non posse absolvi, qui nullum signum dederit, quo videatur actualiter petere confessionem, sentis quidem probabilissimè: tibi enim viri doctissimi consentiunt. Et tamen te peccaturum esse mortaliter, si non mutes dictamen asseto: cum moribundo omnibus sensibus destituto, qui nullo signo externo confessionem petiit, non accurris. Ratio est clarissima. Ille enim est in extrema necessitate constitutus, in periculo æternæ damnationis, & jure fraternæ charitatis teneris eum adjuvare, si potes. Ergò & teneris ipsum absolvere, id enim potes; quia tametsi non possis operari contra tuum dictamen, potes illud prudenter mutare, & opinioni probabili subscribens illi absolutionem concedere.*

25. Angelus Maria Verricelli *in quæstionib. moral. tom. 1. tract. 6.* per totum, multis suadere conatur. * Moribundum Catholicum, quantumcumque perditæ vitæ, nullo dato pœnitentiæ signo, sub conditione absolvendum. * Ita *ubi suprà sect. 12.* quamvis hæc disputandi gratia dicta esse velit. Et *sect. 14. num. num. 44.* suum judicium declarans ait: * Dubium mihi est, an hæc opinio probabilis sit ab extrinseco, & ego non auderem asserere hodie esse probabilem, non tamen condemnarem, tanquam sacrilegii reum, qui dubitans, an hæc opinio sit saltem per principia extrinseca probabilis, absolveret sub conditione moribundum, nulla præbentem signa doloris.* Hæc ibi, & *num. 100.* & facit ejus doctrina *tract. 2. quæst. 36. num. 5.*

26. Militant etiam pro hac sententia Doctores alii. Illustr. DD. Alphonsus de la Penna & Montenegr, Episcopus Quitensis, in Itinerario pro Indorum Parochis, *lib. 3. tract. unico, sess. 2 fol. 280.* ubi sic: * Digo, que es opinion muy probable, que en caso, que uno aya caido de una torre, y del golpe quedò tan aturdido, y molido, que no pudo dar sennal de dolor alguno, ni aun de pedir este Sacramento, se debe absolver *sub conditione*, diziendo: *Si capax es, ego te absolvo.* E M. Acacius de Velasco *tom. 2. verb. Sacram. resolut. 403. n. 7.* ubi post verba *suprà num. 17.* fidelitet excerpta subnectit. * Luego constando, como consta, que la tal absolucion (nempè, sub conditione) no puede ser mala por camino alguno, y que puede servir al enfermo de un tan grabien espiritual, qualquier Confessor puede, y debe absolverle en la dicha forma.* Sic ille universaliter pro omni Catholico moribundo discurrit. Quibus addendi asserentes, agoniam Catholici esse probabile signum, tum contritionis tum voluntatis confitendi; nam ita frequenter contingit inter Catholicos, ut ait Verticelli *tom 1. tract. 6. quæst. unic. à nu. 12.* Et videtur de mente D. Augustini *tom. 6. lib. 1. de Adulterinis conjugis, cap. 28.* ubi ait: * Adulterum, in adulterino conjugio, mortis periculo præoccupatum, quamvis nulla posset dare suæ voluntatis signa, tamen baptizandum esse, si catechumenus erat (attende) & si baptizatus, reconciliandum: talis enim tunc intrinsecè pœnitens credendus est. * Et *cap. 26.* prædixerat: * Si voluntas ejus incerta est, multò satiùs est nolenti dare, quàm volenti negare. * Hæc Augustinus. Propter quæ P. Dicastillo *de Pœnit. disp. 9. dub. 9. n. 854.* non dubitavit dicere. * Hæc sententia videtur pro se habere Augustinum.* Et expressè, illam docuisse Augustinum, dicit Verricelli *suprà num. 14. & 74.*

27. Hæc opinio quoad Catholicum, qui Christiano modo vixerit, ob auctoritatem saltem extrinsecam tot, tantorumque Doctorum implobabilis mihi non est, licet pietate magis, quàm ratione, suaderi possit. Verùm cùm hoc Sacramentum in animarum favorem institutum sit, ea nobis opinio eligenda est, non quæ Sacramento, sed quæ pœnitenti magis faveat. Sacramentum enim, inquit Joannes Sanchez *in Select. disp. 44. nu. 35.* * Juri suo cedit, & (ut ita dicam) periculo irritationis exponi non ægrè fert, eò quod salus spiritualis proximi magis tuta relinquitur. * Cui facit Baranius in opere contra Caram *1. p. disp. 1. sect. 4. artic. 1. §. 1. fol. 39.* ibi * Cùm enim Sacramenta instituta sint ad salutem animarum, nil mali est, si aliquod periculum irriti Sacramenti incurras, ne damnetur anima, in cujus gratiam à Deo est institutum. * Omitto periculo irritationis non exponi, si absolutio sub conditione impendatur, ut ibidem docet Joannes Sanchez, & tenet Suarez *disp. 3. sect. 1. in fine.* Quibus consentiunt plures ex suprà citatis. Ergò cum administratio Sacramenti in nostro casu, non possit ei obesse, & possit prodesse infirmo, si hæc opinio fortè sit vera, ideò illam, quam ex charitate judico, debere omnes confessarios amplexari (ut ferè omnes Doctores citati exprimunt) aliquibus fundamentis stabilire, & explicare, Deo gratum facturum judicavi.

§. II.

Sententia magis pia triplici ratione stabilitur.

28. IGitur moribundum, qui nec confessionem petiit, nec ulla contritionis signa dedit, absolvi posse, si Christiano modo vixerit, suadetur. Primò, quia voluntas confitendi peccatum manifestata confessario per signum aliquod exterius, sufficiens ad absolutionem, saltem sub conditione, ut docent communiter Doctores: quod procedit, etiamsi post multos dies absolutio sit impertienda, ut constat ex Henriquez *de Pœnit lib. 1. cap. 10. & 11. num. 6.* & ex Hurtado Complut. *de Sacram. in genere disp. 1. diffic 11.* Sed fidelem Christiano modo vixisse, & Sacramenta frequentasse, est signum exterius, per quod manifestatur confessario voluntas confitendi futura in articulo mortis: ergò licèt pro tunc non petierit absolutionem, nec signum aliquod doloris in eo periculo edere potuerit, datur materia sufficiens ad absolutionem. Probo consequentiam: moraliter certum est, prædictum moribundum in eo vitæ discrimine constitutum habere voluntatatē confitendi, & hæc sufficienter manifestatur, & fit sensibilis per supradicta signa antecedentia; omnes enim per illam venimus in notitiam, quod si posset, pro eo articulo absolutionem peteret; ergò.

29. Confirmatur: dolor de peccatis sufficienter fit sensibilis ad absolutionem per confessionem illum præcedentem, ut tradit Lugo *disp. 14. sect. 2.*

cum Henriquez, Fagundez, Navarr. & aliis: ergò voluntas confitendi in articulo mortis sufficienter redditur sensibilis per signa illa antecedentia. Urgetur: sicut dolor constituitur in esse materiæ Sacramenti per confessionem: ita voluntas confitendi constituitur in esse confessionis, per signum illam manifestans; sed confessio antecedens dolorem potest illum constituere in esse materiæ Sacramenti: ergò signum antecedens voluntatem confitendi potest illam constituere in esse confessionis: æquè enim certum moraliter est, eum, qui benè vivit, & Sacramenta frequentat, habiturum in mortis articulo voluntatem confitendi, ac est certum, eum, qui sua peccata confitetur, habere, vel habiturum ante absolutionem dolorem de peccatis: ergò dum confessarius per se, vel per aliorum testimonium constiterit, de anteacta vita pœnitentis, non solùm poterit, sed tenebitur illum absolvere, quia in omni rigore verum est, desiderium confitendi per se, vel per alios ostendisse: quod sufficere ad absolutionem impertiendam habemus ex Paulo V. in Rituali Romano.

30. Dices: ergò saltem, si infirmus non solùm vocem, sed & sensum amiserit, non poterit absolvi, quia in tali casu non datur in eo voluntas confitendi, cùm rationis compos non sit. Respondeo primò: ex privatione usus sensuum externorum, non deduci evidenter usum rationis ita defecisse, ut non potuerit habere dolorem, ac proindè in casu dubii, debere absolvi sub conditione. Respondeo secundò: licet constaret, repentè amisisse usum rationis, absolvi etiam posse, non ratione voluntatis, quam tunc habeat, cùm supponamus non habere, sed ratione alterius voluntatis præteritæ. Explico simul, & confirmo: Ipse rectè vivendi modus, & Sacramentorum frequentatio, utpotè orta ex desiderio placendi Deo, & obtinendi beatitudinem, non solùm sufficienter significat, pœnitentem habiturum confitendi voluntatem in mortis articulo, si sui compos fuerit, sed ex nunc desiderare confessionem pro eo articulo, & absolutionem Sacramentalem pro eo petere, eo modo, quo potest, juxtà infrà dicenda. Hoc enim desiderium confessionis implicitè continetur in voluntate illa præterita rectè vivendi, & frequentandi Sacramenta ad consequendam beatitudinem: quæ quidem voluntas per hæc bona opera sufficienter significatur: ergò si de tali voluntate implicita, & præterita confessario constiterit, poterit, & tenebitur infirmum absolvere, quia ad absolutionem nil aliud exigit Concilium Arausicanum primum, *cap.* 11. ibi: *Subitò obmutescens, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium, verbis aliorum, habeat.*

31. Quod autem voluntas hæc, & desiderium confessionis exteriùs manifestata, multo tempore antecesserint articulum mortis, non obstat ad absolutionem, nam ut suprà diximus ex Henriquez, & Hurtado, & latiùs *disp. præcedenti, quæst.* 10. absolutio potest conferri, quamvis multis anteà diebus præcesserit confessio, dummodò non constet, pœnitentem voluntatem retractasse per culpam mortalem. Imò addo in casu præsenti licet id constaret, absolvendum sub conditione: nam cùm aliundè certum non sit, moribundum adeò subitò usum rationis amisisse ut spatium ad voluntatem confitendi, & attritionem de peccatis concipiendam non habuerit, posset confessarius in ejus favorem prudenter judicare; ac proindè virtute prædictæ voluntatis præsumptæ, & per anteactam vitam sufficienter justificatæ illum absolvere sub conditione. Quia sic collata salvabitur, qui secus in æternum perit.

32. Suadetur secundò: quia eadem confessio Sacramentalis eorumdem peccatorum, si extensione pœnitentis ad plures Sacerdotes dirigatur, sufficiens est ad plures absolutiones à pluribus obtinendas, ad novumque, & distinctum Sacramentum, cum novo gratiæ augmento, conficiendum, ut benè tradit Lugo *suprà disp.* 13. *sect.* 7. *num.* 61. Quia confessio iterabilis est, & licet prædicta materialiter, & physicè videatur una, moraliter tamen & virtualiter est multiplex, quia æquivalet: *Confiteor tibi, Petre, & confiteor tibi, Paule*; sicut forma hæc: *Ego vos absolvo*: æquivalet, *absolvo te, & absolvo te.* Igitur si ab uno Sacerdote fuisset pœnitens absolutus, posset postea virtute ejusdem confessionis absolvi ab alio, qui de confessione præteritâ notitiam haberet. Ergò occurrente mortis periculo non solùm posset hic Sacerdos, sed deberet illum absolvere.

33. Præfatus discursus, admisso antecedente, videtur legitimus. Jam verò, quod nullus sit pœnitens, qui uni Sacerdoti confiteatur, qui ex intentione saltem implicita non dirigat confessionem ad alios Sacerdotes, ut ejus virtute possit, pro articulo mortis, à quolibet absolvi, si aliam efficere, & alia doloris signa edere non potuerit, videtur probabilissimum: nemo enim est, qui ad unum confessarium accedens, rogatus non respondeat, se velle, & desiderare iterum à quolibet Sacerdote in articulo mortis, virtute illius confessionis absolvi: ergò quilibet pœnitens, quando confitetur explicitè uni Sacerdoti, confitetur implicitè, & in genere, libet alteri advenienti in articulo mortis, qui petit, vel per alios de ejusmodi confessione notitiam habeat, quæ quidem moraliter perseverat, dum in memoria confessarii, vel alterius interpretis vicem gerentis conservatur. Ergò virtute istius confessionis absolvi poterit.

34. Et procedit juxtà superiùs dicta, licet constaret, pœnitentem in novum mortale post illam confessionem incidisse, dummodò Sacramenta frequentaverit, eamque conscientiam habuerit, ut reddat sufficienter sensibilem dolorem concipiendum de peccatis, post talem confessionem, commissis. His enim concurrentibus, nil desiderari videtur ad absolutionem sub conditione, cùm vere, licèt multò anteà præcesserit confessio, interveniat moralis præsentia confessionis huic Sacerdoti factæ, modo, quo explicui, & per illam, ut conjunctam cum frequentia Sacramentorum, & conscientiæ cum fiat sufficienter sensibile, pœnitentem ante mortem habiturum dolorem de peccatis, si forè aliqua post confessionem contraxerit. Ubi autem intervenit peccati, saltem in genere, confessio, sufficiens datur materia absolutionis validæ, & fructuosæ, ut suprà docuimus.

35. Suadetur tertiò, quia ad minùs hæc fundamenta dubium generant, an ejusmodi infirmus sit capax absolutionis, qui dubium saltem est, an detur materia sufficiens voluntas illa confitendi, quæ habetur in articulo mortis per anteactam vitam bene acta, vel an possit in eo articulo absolvi virtute confessionis priùs factæ, vel virtute præteritæ voluntatis obtinendi absolutionem, & in dubio de materia sufficienti, impertienda est sub conditione, ut ex Layman, Sanchez, Diana, & aliis diximus quæstione præcedenti, & ex communi Doctorum pro-

bat late

bat latè Lugo *disp. 8. de Sacram. in genere, sect. 9.* Ergò in casu, quo moribundus, nec confessionem petierit, nec ullum doloris signum dederit, absolvi poterit sub conditione. Et Sacerdos ex charitate gravitèr ligatus erit, si concurrant, quæ in superioribus suppositimus. Melius etenim est subvenire proximo cum Sacramento dubio, quàm sine ullo Sacramento relinquere: &, ut ex communi Doctorum tradit Leander *suprà quæst. 47.* Sacerdos, non solùm potest, sed debet absolvere moribundum in casibus, in quibus ex opinione probabili aliorum potest, quamvis ipse contrariam sequatur, potest enim alienæ adhærere, & ideò tenetur suam deponere, ne æternæ damnationis periculo proximum exponat.

§. III.

Objectionibus communis sententiæ fit satis.

36. OBjicies primò cum Emin. Cardinali de Lugo: Accusatio de peccato debet esse post commissum peccatum, ergò voluntas nunc habita accusandi se de peccato posteà committendo, non est sufficiens, ut virtute illius in mortis articulo absolvatur. Concedo totum, sed nihil contra me. Ego enim tantùm assero, absolvi posse, vel virtute voluntatis confitendi, quam habet in articulo mortis sufficienter jam significatam, & sensibilem factam per anteactam vitam Christiano modo, & cum Sacramentorum frequentia: vel virtute confessionis de aliis peccatis commissis, utpotè quæ uni Sacerdoti explicitè & in particulari, aliis verò implicitè, & in genere facta fuit, ut in mortis articulo posset à quolibet, virtute illius, impendi absolutio: sive prædicta confessio sit expressa (ut dixi) sive implicita in recto vivendi modo, & frequentia Sacramentorum imbibita; quæ quidem ex nunc est petitio quædam absolutionis à peccatis usque modò contractis, & significat dolorem de aliis, si fortè committantur, concipiendum: neque enim, ut ab omnibus absolvatur, in casu necessitatis opus est, de omnibus præcesserit accusatio.

37. Objicies secundò. Decreta Pontificum, & Conciliorum agentia de absolutione moribundi, semper addunt, *si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, vel si desiderium confitendi per se, vel per alios ostenderit.* Ergò non sufficit Christiano modo vixisse, Sacramenta frequentasse. Respondeo, negando consequentiam: quia, ut constat ex dictis, in toto rigore hæc decreta in nostro casu verificantur; addunt tamen, & meritò prædictam limitationem; quia possunt esse aliqui homines, adeò pravis moribus imbuti, ut eorum vita, nec implicitè significet, in articulo mortis habituros confessionis desiderium, sed potiùs de misericordia Dei desperaturos; qui proindè nec virtute voluntatis confitendi, per anteactam vitam significatæ, nec virtute alterius confessionis, sive explicitæ, sivè implicitæ possunt absolvi, cùm nil horum interveniat. Quapropter eorum opinioni non acquiesco, qui contrarium ubi suprà docuerunt, & à principiis intrinsecis nullam censeo probabilitatem habere. Vel si mavis respondè, limitationem illam additam fuisse à Conciliis, quia potest contingere confessarium nullam de anteacta vita moribundi habere notitiam, nec esse testes, qui deponant: his autem deficientibus, nequit absolutionem ei impertiri, quia nulla datur confessio. Et in omnium sententia formam Sacramenti, etiam sub conditione, proferre, ubi nec dubia materia reperitur, grave peccatum est. Alias equus, & mulus possent sub conditione baptizari, vel absolvi.

38. An verò à principiis extrinsecis sufficiens probabilitas opinioni nuper relatæ insit, ad absolvendum quemcumque Catholicum in articulo mortis constitutum, quem talem esse confessario constiterit; difficilè satis est. Sed quia illa opinio in animarum favorem cedit, & aliundè non est omni authoritate destituta, censeo confessarium, etsi parùm probabili, posse illi adhærere, quia ut ait P. Thom. Sanchez *lib. 2. de matrimon. disp. 36. num. 8.* quamvis opinio parum probabilis sit, ratione periculi magni, quod ex opposito imminet, sustineri potest. * Quod aliàs (inquit) non judicaretur probabile, facit tale esse urgens necessitas, & periculum, quod ex opposito sequeretur, ut optimè docet Sotus *de secreto 3. memb. quæst. 2. concluf. 3.* Quos sequuntur Baldellus, Navarrus, Suarez, Valencia, Reginaldus, & alii, quibus citatis subscribit Thomas Hurtado *tom. 1. variar resol. tract. 3. cap. 3. resol. 13.* & non parùm favet Joanes Martinez de Prado *tom. de Pœnit. q. 3. de qualit. confes. dub. 2. nu. 31.* dum ait. * Pro tam extrema necessitate sufficit quævis probabilitas, ut non solùm liceat, sed teneamur animæ favere. * Ergò & probabilitas aliqualis à principio extrinseco sufficiet. Cùm autem in præfata opinione deserenda gravissimum contineatur periculum relinquendi proximum omni remedio destitutum, & periculo æternæ damnationi expositum, qui fortè, absolutione sub conditione collata, salvabitur, credulitatis speciem præ se ferret, præfatam opinionem non amplexari, cum absque ullo peccato possimus. Cujus ratio à priori est, quia inter duo mala disiunctivè necessaria, minus est eligendum, ut constat *ex cap. duo mala, & cap. Nervi, dist. 13.* Cùm igitur minùs malum sit periculum frustrationis Sacramenti, quàm æternæ salutis moribundi; quia illud religioni, istud charitati opponitur, primum à fortiori eligendum. Et quidem casu, quo utrumque præceptum observari non possit, charitatis præferendum, cum Montesino tradit Joannes Sanchez *in selectis disput. 44. n. 35.* & certissimum apud omnes est. Omitto nulli periculo frustrandi Sacramentum se exponere, ut cum Suarez, Sanchez, & aliis suprà diximus; quia absolutio impenditur sub conditione, *si es capax*, quâ non subsistente, non confertur: ergò nil fit contra religionem. Insuper suadetur nostra conclusio: quia confessarius tenetur absolvere pœnitentem pro se habentem opinionem, quæ apud Doctores probatæ authoritatis probabilis habeatur, licèt ipse à principiis intrinsecis falsam, & improbabilem censeat. Ut docent M. Sotus, M. Marcatus, M. Candidus, & alii quos citavi *tr. 1. de opin. probabili, quæst. 4. num. 7.* Ergò potiori jure in casu extremæ necessitatis.

(†)

§. IV.

§. IV.

Animadversio in Baronium

39. EX his rejiciendus venit Vincentius Baronius, qui 2. *part. Manuduct. contra Amadæum, disp.* 2. *sect.* 3. *fol.* 222. confidenter asserit, nec moribundo, qui Christiano modo vixerit, licere absolutionem impendere, etiam sub conditione: nisi præter interpretativam voluntatem adsit signum præsentis contestatæ petitionis confessarii, aut doloris sensu, gemitu, vel verbis expressæ. * Sed non placet. Quia, ut constat ex superiùs dictis, non solùm potest, sed ex præcepto charitatis (quæ obligat ad remedium dubium, quandò certum extremè indigenti applicari non potest) absolvere tenetur. Quod insuper argumento, ut ajunt, ad hominem, evinco; quia, ut ipse Baronius testatur 1. *part. Theolog. mor. contra Caramuelem, disp.* 1 *sect.* 5 *fol.* 79.* Nullum est certiùs falsi argumentum, quam à se ipso dissentire. * Quod autem ipse secum non conveniat, probo ex his, quæ tradit infrà *disp.* 2. *sect.* 2. *fol.* 171. & 172. Ubi, dubia materia, & forma Sacramenti utendum esse, docet, quandò certa deficit, nec aliud medium suppetit ad salutem morituri. * Dubiis (inquit) & incertis, omni dubitatione semota, utendum est, quia certum est prudentiæ judicium. * Et ita in terminis tradiderat *disp.* 1. *sect.* 4. *art.* 5. §. 1. *fol.* 39. cujus verba dedi *sup. num.* 27. Quæ iterùm firmat, *fol.* 49. ibi:* Ex mente nostra responsum est, adhibendum Sacramentum absolutionis, licet dubium, ratione periculi salutis, quod amovendum est, etiam cum aliquo periculo irritum faciendum Sacramentum. * Quod tertiò repetit *disp.* 2. *sect.* 1. *fol.* 146. dicens: * Charitas, imò & justitia Ministrum ex officio urgent, ut puero, & adulto extremo periculo laborantibus succurrat, etiam cum probabili opinione, aut dubio, ne irritum sit Sacramentum, quia tunc urget regula ex duobus malis ingruentibus arcendum majus, & minus excipiendum. *

40. Idemque in simili contestatur 2. *part. Manud. disp.* 1. *sect.* 1. *fol.* 46. Ubi de materia Baptismi loquens, sic ait: *Nil improbabilius, seu magis dubium aqua rosacea, aut ex sale expressa, in materiam Baptismi assumpta, & tamen istius materiæ improbabilis speculativè, usus practicè probabilis est, atque omninò adhibendus puero morituro, si desit aqua elementaris. * Et infrà: * Cùm hoc Thomista (scilicèt Gregorio Martinez) concedimus, licere opinionem nullius, aut minimæ probabilitatis speculativè eligere, & usurpare, dummodò practicè probabilis sit, id est, stet pro lege, & subindè careat omni periculo peccati, hac ad minus excusatione, quod necessaria sit ad majus vitandum malum. * Ergò cùm opinio delicita absolutione, sub conditione, moribundi, stet pro lege charitatis, & subindè careat omni periculo peccati, cùm necessaria sit ad majus vitandum malum, ejusque usus æquè forsan necessarius sit moribundo, ac opinionis de aqua rosacea ad baptismum pueri, aliter sine illo decessuri: licèt materia speculativè improbabilis sit, usus tamen ejus practicè probabilis erit, atque adeò omninò adhibenda absolutio, si desit materia certa. Facit etiam ad hæc doctrina ipsius Vincentii Baronii suprà 1. *part. Manuduct. contra Caramuelem disp.* 1. *sect.* 2. *art.* 2. §. 1. Ubi sic scribit: * Non probabilitates omninò profligamus, qui etiam dubia ad sua revocanda docemus, videlicet, cum duo discrimina imminent, nec graviùs amoveri potest, nisi dubia, & minùs probabili adhæreas sententiæ, ut tuta sit certissima. * Quod iterum tradit *sect.* 3. *fol.* 350. dicens, * id esse tenendum ex certissima & communi juris regula. * Ergò cùm duo in præsenti discrimina immineant mala, nempè aut periculum profanationis Sacramenti, (ut asseris) aut damnationis animæ: nec istud, quod graviùs est, amoveri possit, nisi dubiæ, & minùs probabili adhæreamus sententiæ certissima sit, in opinione Baronii, hæc ipsa opinio quam minùs probabilem absolutè loquendo damnamus. Ergò in hujus Doctoris principiis certum est, præfatæ opinionis usum licitum esse.

41. Hunc si semel nobis concedat, de obligatione facilè convincetur, ut docent communiter Theologi apud Dianam 3. *part. tract.* 3. *resol.* 9. & apud Leandrum *tom.* 1. *de Pœnit. tract.* 5 *disp.* 5. *q.* 11. enim legitima hæc consequentia: *Possum administrato extremè indigenti subvenire, ergo teneor.* Minor cum absque ullo meo incommodo possim. Quod ut lumine naturæ notam, loquens de baptismo infantis non est Baronius ipse diffiteri. Quia, *par. disp. sect.* 1. *fol.* 46. ut suprà animadverti, expressè affirmat, *omninò adhibendum puero morituro* baptismum aquæ rosacea, si desit elementaris. Quod jam tradiderat 1. *part. disp.* 2. *sect.* 2. *fol.* 172. Cujus rationem à priori dedit, quia * si avertenda sint gravia mala; dubiis & incertis, omni dubitatione semota utendum est, quæ nisi excuset necessitas, illegitimo vix carerent. * Ergò in casu urgentissimæ necessitatis moribundi aliter absque Sacramento in peccato mortali decessuri, confessarius contritatem graviter delinquet, si absque absolutione relinquat, cum gravissimorum authoritati non licitè possit illam impertiri. Ita cum Vazquez, Suarez, Lugo Dicastillo, & aliis tradit Fr. Simon à Jesu Maria Carmelita excalceatus in *Jesu Theolog. part.* 1. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 138. Qui cum licitè (inquit) possit Sacerdos eum absolvere, & hoc prodesse possit ægroto ad æternam salutem, tenetur ex charitate subvenire illi eo modo, quo potest, nefortè habens attritionem solam damnatus, qui cum beneficio absolutionis salvus fieret. * Idem ille. Ergò opinione propria deposita, contrariam amplectenti moribundo quicumque confessarius in peccato adhærere tenetur. Nec Baronium ipsum secuturum credam, ni doctrinam tot locis tradtam attractet.

42. Rogabis: An in præcedenti, & similibus casibus teneatur Sacerdos non aliter, quàm sub conditione, absolutionem impendere? Communiter Doctores non teneri exteriùs exprimere conditionem. An debeat mente concipere? Dubitant P. Vazquez *quæst.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 39. Tamen Sanchez *in selectis disp.* 44. *n.* 32. Lugo suprà *num.* 31. & Diana 3. *part. tract.* 3. *resol.* 10. exstimant, & meritò, non debere, sed posse absolutionem absolutè impendere, quoties fuerit opinio probabilis de valore Sacramenti: si verò probabilis opinio non sit, dubitet de existentia materiæ, seu defectu Sacerdos dubitet de existentia materiæ, seu defectu subjecti, inquiunt Lugo, Sanchez, & Diana, decitate subjecti, inquiunt Lugo, Sanchez, & Diana, debere absolutionem impertiri, sub conditione mentem saltem concepta, quia in tali casu non potest formam judicium dictans absolutionem validè conferre. Et ita in casu præsenti tenendum, tradit Leander *de 5. quæst.* 48. dicens, absolutionem deberi sub conditione impendi, quoties opinio non est, quod pœ-

abso-

absolutè dari, sed tantùm quod possit dari sub conditione. Verùm ego de lethali non damnarem non concipientem expresè conditionem, quia certum est, ut supponit Lugo suprà, semper adesse conditionem implicitam, cùm nemo intendat dare absolutionem impossibilem, sed illam quam potest; ac proindè in casu dubii de valore absolutionis non videtur gravis irreverentia non exprimere in mente conditionem, quia Sacramentum non exponitur periculo frustrationis ratione conditionis implicitæ. Propterea fortasse Doctores docentes, in casu dubi debere absolutionem impendi sub conditione expressa, non determinant quantitatem culpæ, sicut neque nos suprà.

QVÆSTIO V.

Utrùm moribundus, de cujus petitione confessionis, testis deponat, possit etiam in absentia, sub conditione absolvi, si prudenter timeatur, aliter sine ullo Sacramento discessurus?

1. QUæstionem hanc in medium produco, non animo disputandi pro usu licito Sacramenti pœnitentiæ inter absentes, sed magis solidandi doctrinam ab universa Ecclesia receptam, post decretum Clementis VIII. editum die 19. Julii anno 1602. Ubi propositionem hanc: *Licere per litteras, vel internuncium, confessario absenti Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*; damnavit tanquam ad minùs falsam, temerariam, & scandalosam; & prohibuit, ne unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, & ad praxim quovis modo deducatur, idque sub excommunicationis pœna latæ sententiæ: addens, quòd si quis illam doceat, aut etiam de ea disputativè tractaverit, *nisi fortè impugnando*, aliis pœnis arbitrio infligendis subjaceat. Vide doctissimum, & amicissimum Leandrum *disp. 2. de Pœnit. quæst. 28.* Ubi decretum ad verbum adducit.

§. PRIMUS.

Partis affirmantis fundamenta.

2. AD impugnandam igitur sententiam asserentium, ante decretum Clementis, licitum fuisse in casu necessitatis absentem absolvere, & ad solidandam communem, & verissimam, tuentem, post decretum Clementis, in nullo casu etiam extremæ necessitatis, id esse licitum, sed pro quocumque, forè omninò illicitum, rationem difficultandi, à quodam Magistro, paucis ab hinc annis, objectam, proponam; cujus solutionem congruam desiderans, plures viros doctissimos consului, quibus multum negotii facessit: aliis nil respondentibus, aliis diffuto calamo. Argumentum ergò quod pro valore, & usu licito absolutionis in ter absentes in casu extremæ necessitatis, etiam post decretum Clementis VIII. recentior conficiebat, hujusmodi est.

3. Probabile est per principia extrinseca, post decretum Clementis, absolutionem à confessario absenti collatam esse validam ex sua institutione; sed absolutio valida nullo præcepto Ecclesiastico potest reddi illicita pro casu extremæ necessitatis: ergò probabile est modo per principia extrinseca, absolutionem à confessario absenti collatam esse validam, ac proindè licitam in casu extremæ necessitatis. Discursus est legitimus, si præmissæ constiterint, & talem reputat Card. de Lugo *disp. 17. sect. 5. num. 64.* ubi, ut illum infringat, totus est in probando, majorem propositionem esse falsam. Et similiter P. Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp. 5. diffic. 6.* cujus rationem reddens, inquit: * Quia si non esset nulla absolutio, verè esset licita in aliquo casu. * Et ante illos P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 19 sect. 3 num. 16.* ibi: * Nam si ex lege non licet, ideò est, quia Sacramentum non potest ita perfici.* Et ita etiam respondérunt gravissimi Recentiores à me consulti, asserentes vitari non posse efficaciam discursus, concessa majori.

4. Quod autem concedi debeat, probat sic. Ante decretum Clementis probabile erat, à principiis extrinsecis, absolutionem absenti collatam ex sua institutione validam esse, sed per tale decretum præfata opinio non est facta improbabilis: ergò. Consequutio est legitima: Major probatur transcriptis verbis Authorum, qui eam opinionem defendebant. D. Antoninus *3. part. tit. 14. cap. 19. §. 9.* post relatam contrariam & communem sententiam, sic concludit: * Dicit tamen Petrus de Palude, quod, cùm est claudus pœnitens & ire non potest, nec Sacerdos ad eum venire, quia fortè infirmus, licèt ei scribere peccata sua, si vult, & numerum dare; & Sacerdos illi rescribere, & mandare absolutionem: sed non tenetur ad hoc, imò aliquando posset esse scandalum, quia posset charta ab aliis reperiri, undè non multum consulendum secundùm Richardum.* Et iterum *tit. 17. cap. 12.* & *cap. 21. §. 3.* inquirens, quid facere debeat confessarius, qui absolvit sæcularem, quem non potuit absolvere? Respondet: * Collatio facta fuit de hoc cum multis notabilibus Doctoribus Theologiæ in Concilio Basiliensi: quidam dixerunt, quod debet authoritatem à superiore impetrare, absolvendi eum; & si sine magno scandalo fieri potest, vocare non absolutum; vel si magnum scandalum timeretur, absentem absolvat, si ab ultima confessione speratur esse in gratia. Adhuc autem, & aliis placuit, si magnum timeretur, summo Deo Sacerdoti committat.* Sic D. Antoninus. Hanc sententiam, quoad utramque partem sequitur Sylvester *verb. Confessio. 1. quæst. 15. num. 16.* Ubi post adductam contrariam sententiam D. Thomæ, subnectit: * Dicit tamen Petrus de Palude, quod ubi præsentiam Sacerdotis habere non potest quis, licet non teneatur confiteri scripto, tamen hoc potest, & Sacerdos similiter scripto absolvere, licet hoc non sit multum consulendum ratione scandali possibilis accidere.* Et paulò infrà ad finem; Scotum contrarium asserentem impugnat, his verbis: * Tertiò dicit, quod absenti non licet confiteri per scripturam: contra quod arguitur; quia ut ipsemet testatur, sic confessus est Sanctus Thomas Cantuariensis, non tamen quis ad hoc tenetur. * Quod autem sic confessus fuerit, & Romam pro absolutione miserit, vulgò fertur. Et denique *verb. Confessor. 3. num. 1.* asserit cum D. Antonino, quod confessarius, qui eum, quem non poterat, absolvit; petitâ postea authoritate, si præsentem non habeat, vel propter scandalum absolvere nequeat; * absolvat absentem, si ab ultima con-

confessione adhuc creditur perseverare in gratia, &c. Et adde, quod sufficit credulitas probabilis dictæ perseverantiæ in gratia, secundùm istam opinionem, cum certa haberi nequeat, etiam de eo, qui præsentialiter confitetur. * Citatis consentire videtur M. Tabiena, *verb. Confessio. 2. nu. 37.* Ubi Paludani sententiam referens, non rejicit, dicens: * Quando Sacerdos non est præsentialiter, non debet (pœnitens confiteri) per litteras ad absentem, quamvis possit Sacerdoti præsenti, & secundum Petrum de Palude etiam absenti. *

5. Eamdem sententiam tenuit M. Dominicus Baltanas Provincialis Beticæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum; in summa, cui titulus *Margarita Confessorum, fol. 43.* Ubi sic: Quamvis confiteri clerico absenti per scriptum liceat, & absolvere similiter, quando tamen timetur scandalum fieri non debet. * Et favet M. Dominicus de Soto *de secreto. memb. 3. q. 4. concl. 4. dub. 4. vers. Ad hoc,* ibi: * Nullo modo licet absolvere absentem, saltem ignorantem, an absolvatur, &c. Dixerim *absentem & ignorantem*, nam forsan posset pœnitens absenti Sacerdoti mittere confessionem scriptam, & Sacerdos rescribere absolutionem, ut ait Paludanus *in 4. dist. 17. quæst. 2.* de quo alibi. * Et apertè sequitur M. Petrus de Soto *de institut. Sacerdotum, lect. 11. de secreto confessionis.* Ubi sic scribit: * Ad necessitatem hujus Sacramenti sufficit per interpretem, vel nuncium, aut scripto confiteri, & eodem modo nuncio, vel scripto absolvi. Tenent etiam hoc plures nostrûm, Petrus de Palude, Adrianus, Sylvester. * Quibus adde ex eodem instituto M. Mantium, & Penna, apud Henriquez infrà. Armillam, Reynerium, Petrum de Tarantasia, & alios, quos refert Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 19. sect. 3. n. 2.* dicens, eam indicare Turrecrematam *in cap. quem pœnitet de Pœnit. dist. 1. art. 2.* nam cum dixisset, non esse necessarium confiteri Sacerdoti absenti, subjungit: *si quis tamen vellet hoc facere, esset opus supererogationis. * Et hanc sententiam fuisse communem multis, antequam sedes Apostolica oppositum decerneret; testatur M. Casalas *in candore lilii, §. 64. fol. 294.* Ubi admittit pro illa stetisse Palud. Petr. de Soto, Antoninum, Sylvestrum, Friburgo, Fumum, Tabienam, & Raynerium. Ob quorum authoritatem concludit Suarez *numer. 15.* se ante decretum Clementis ausum no fuisse aliam censuram præfatæ sententiæ inferre, *præter eam, quæ ex communi, & vera sententia infertur, scilicet esse falsam.*

6. Ex aliis eam tenuerunt. Navarrus, Palacios, Major, Joannes de Medina, Alexander Alensis, Taperus, & probabilem dicit Richardus, & alii, quos referunt Suarez ubi suprà, Vazquez *de Pœnit. quæst. 91. art. 4. dub. 2.* & Henriquez *tom. 1. lib. 2. de Pœnitentiæ Sacramento, cap. 2. num. 7.* subnectens: * Addit Penna, & quidam Recentiores, ut saltem absolvat sub ea conditione, si possum quando præsens haberi non potest. * Videatur etiam Fagundez *2. præcept. Eccles. lib. 2. cap. 10.* Ubi postquam alios citavit, concludit; * omnes esse numero præexiguo, comparatione eorum, qui sunt ex Augustissima familia D. Dominici, qui primi hujus opinionis authores, & defensores fuerunt: & sicâ quibus orta, & adulta fuit hæc opinio in eorum etiam sinu extincta fuit, & consepulta. * Oppones Vincentium Baronium *in Theolog. morali adversus laxiores probabilistas, part. 1. disp. 1. sect. 3. art. ult.* contra Theophilum Raynaudum jactare, * illud compertũ omninò esse, nullum Thomistarum clarè asseruisse, integrum Sacramentum licitè, & validè confici inter absentes. * Respondeo, hanc esse Baronii fidem, eorum verbo cole.

7. dictis apertè constare videtur, ante decretum Clem. VIII. probabilem fuisse à principiis extrinsecis sententiam asserentem, absolutionem absentis validam ex Christi institutione validam esse. & ita supponit Suarez *1. 2. disp. 12. sect. 6. n. 11.* Ubi ait quod licet ante decretum Clem. VIII. probabilis fuerit, *& mihi* (inquit) *certum* absolutionem absentis necessitate fuisse nullam, & consequenter non exercendam: *tamen quia probabile videbatur non posse esse validam, & hoc absolutè erat utilius proximo; idcirco tum erat illa uti.* Quibus manifestè supponit, opinionem pro valore absolutionis in absentia à principiis extrinsecis, tunc temporis probabilem fuisse. Nec illius ponderis est, dicere, Doctores & Thomistas suprà citatos non vidisse authoritatem *Tridentini sess. 14. cap. 2.* dicentis, eos, qui post baptismum crimine quo se contaminaverint, * Christus Dominus ante hoc tribunal sisti voluit, ut per Sacerdotis sententiam possint à peccatis liberari. * Licet enim verbilli *ante tribunal*, idem significent, quod se præsentare, ut patet ex toto titulo, *ff si quis cautionibus*, & tantùm probat, dari præceptum confessionis, & absolutionis in præsentia; non verò esse invalidam absenti collatam. Nec credibile est, tot, tantosque Doctores Christi Domini præceptum ignorasse, & Tridentini locum eos latuisse. Et sanè, si in Concilio fineretur necessaria præsentia pœnitentis ad valorem absolutionis, Clemens VIII. non solùm, ut fatim, temerariam; sed ut hæreticam damnasset propositionem asserentem: *Licere absentem absolvere*, ut extremis patet. Ergò post Concilium Tridentinum ut decretum Clementis, probabile adhuc erat principiis extrinsecis, absolutionem absenti collatam validam esse.

8. Quod autem hæc opinio per ejusmodi decretum non fuerit reddita improbabilis, probat Nestecus ex eo, quod Pontifex in suo decreto non damnavit propositionem asserentem, absolutionem absentis esse validam, sed *esse licitam*, ut tradunt expressè Villalobos *in sum. tom. 1. tractat. 9. diffic. 37. n. 6.* Filgidius Coninch *in responsione contra Choquatum n. 17. & 18.* Philippus Gamacchæus *in 3. p. de Pœnit. cap. 11. §. 4.* dicens: *Esse probabilem admodum sententiam* quam refert, & non improbat Diana *5. part. tract. 14. resol. 60.* Undè Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral. cap. 4. resol. 30. n. 169.* aliquibus non displicuisse, notat. Quibus consonat Censor Romanus apud Commuelem *2. part. Theolog. fundament. nu. 23. fol. mihi* qui huic dubitationi: * Valida ne sit absolutio data ad absentem, post Clementis VIII. declarationem? * Respondet: * Congregationon egit de doctrina, sed jussu Pontificis prohibuit actiones ipsas legislativâ, quo præcepto Ecclesiæ extante, jam illa non sunt certè illicita. * Hæc apud Caramuel *supra*. Quibus faciunt assertiones Theologicæ Pragæ defensæ anno 1650. quas refert ipse Caramuel *in secunda edit. Romana, num. 300. fol. 107.*

9. Idem tenet expresè P. Joannes Præpositus *in 3. part. quæst. 4. de qualitate confess. dub. 3. num. 78.* eò quod ipsemet Clemens VIII. Cardinali Bellarmino postea declaravit, hanc fuisse suam mentem in præallegato decreto: ista testatur *supra* eadem hæc verba: * Nil decernit Clemens VIII. de validitate absolutionis, quod ipsemet declaravit Cardinali Bellarmino, & Cardinalis significavit Leandro die 29. Aprilis anno 1608. addens, se idem sentire, scilicèt in prædicto decreto non agi de validitate, seu

seu invaliditate absolutionis, quia solùm dicit, *non licere.* *Si igitur Pontifex, nil decernit circa valorem absolutionis; in eadem, quam ante decretum habuit, probabilitate; modò persistet: non enim censurare debemus propositionem, quam Pontifex, re undique exagitata, damnare non intendit.

10. Dices cum doctissimis recentioribus, Pontificem damnando propositionem illam: *Licere per litteras, &c.* approbasse tanquam veram sententiam asserentem, confessionem, & absolutionem in absentia invalidas esse: invaliditas namque Sacramenti fuit motivum, cui unicè, vel maximè innixus est Pontifex ad definiendam, ut temerariam, falsam, & scandalosam propositionem asserentem: *Licere absentem absolvere:* Ut ait M. Prado *tom. 3 de Pœnit. quæst. 3 de qualit. confes. num. 20.* Ergo absque temeritatis, & scandali nota affirmati nequit, esse validum Sacramentum inter absentes. Quia hoc esset negare fundamentum, quo Pontifex ductus est ad definiendum: quod quidem negari non potest, quin ipsi definitioni contraveniatur: nam Spiritus Sanctus non solùm assistit Ecclesiæ, ne erret in suis definitionibus, sed etiam ut nequeat in iis, quibus ad definiendum ducitur. Possentque prædicti recentiores pro se referre Vazquez 1. 2. *disp.* 169. *cap. 2. num.* 17. Ubi sic ait. *Cùm aliquid præmittitur tanquam unicum fundamentum definitionis, talem certitudinem habere debet, ut meritò illud suscipere, atque suscipere debeamus, & absque nota negare non possimus.*

11. Cæterùm hæc objectio facilem habet solutionem, ex ipso Vazquez peritam ubi supra; nempè solùm habere locum, quando Pontifex expressit rationem unicam, qua motus est ad definiendum: secùs quando nullam, & plures sunt, quibus moveri potuit: tunc enim quælibet seorsim absque nota ulla negari potest. Præterquam quod in re præsenti declaratio ipsius Clementis postea facta cohærere non potest cum hoc determinato motivo: si enim invaliditas Sacramenti motivum hujus definitionis fuisset, aliquid circa invaliditatem Sacramenti decrevisset, quòd tamen ipse negat in declaratione Cardinali Bellarmino facta. Urgetur: quia si totum, vel præcipuum motivum Pontificis ad illam propositionem condemnandam fuisset invaliditas Sacramenti ex Christi institutione, cùm Doctores, qui asserebant, confessionem, & absolutionem inter absentes licere, fundarentur in valore Sacramenti, non esset cur Pontifex non damnasset propositionem hanc: *Valida est confessio, & absolutio inter absentes:* hæc enim unicè condemnata, præcludebatur omninò aditus controversiæ. Ab hoc autem tam longè fuit Pontifex, ut potiùs consulens in casu dubii respondit, nil in suo decreto circa valorem decernere. Ergo motivum damnandi propositionem illam: *Licere per litteras, &c.* non fuit invaliditas Sacramenti, sed præceptum divinum, quod tum ex Tridentino, tum ex Ecclesiæ traditione constare videtur, juxtà regulam Augustini, *lib. 5. de Baptismo, cap. 24.* asserentis; indicium juris divini esse, quando aliquid ab Ecclesia universa observatur, quod neque ab aliquo Pontifice, neque à Concilio præceptum est,

12. Ut omittam sententiam M. Dominici Gravina ex Ordine Prædicatorum, *tom. ult. præscriptionum, controvers. ult. de infallibilitate Romani Pontificis in decretis morum a nu. 299. usque ad 303.* quem citatum sequitur M. Joannes Martinez de Prado, *tom. 2. Theolog. mor. cap. 31. de voto, q. 3. num. 38. & 39.* Ubi sic ait: *Rationes assignatæ in decretis Pontificum non habent eamdem certitudinem cum ipsa conclusione: quòd inductione patet. In septima Synodo, quæ est Nicæna 2. actione 2.* definitur, Angelos pingendos, quia circunscribi possunt, & ut homines apparuerunt; & tamen, cum hæc ratio sit infirma, & unicè ibi assignata, definitioni nullus Catholicus dissentire potest. Et universaliter Cano. 5. *de locis, cap. 5. q. 2. fol. 171.* asserit. *Porrò, quæ in Conciliis, vel Pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter, & in transcursu, præter institutum præcipuum, de quo erat potissima controversia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt Catholicæ fidei judicia,* quæ doctrina veritissima est. * Hucusque Prado.

13. Propter hæc gravissimus quidam recentior à me consultus expressè respondit, esse probabile, etiam post decretum Clementis, validam esse absolutionem absenti collatam, & ita sentire videtur P. Præpositus *in 3. p. q. 6. de forma Sacramenti*, dum contrariam sententiam, quam sequitur, vocat veriorem: & aliquibus non displicuisse refert Hurtado suprà *num.* 170. Unde juxtà præfatam sententiam, si modo aliquis Sacerdos, sive bona, sive mala fide, absentem hujus decreti ignarum absolveret, valida foret absolutio. Hæc enim consequutio legitima est, concessa probabilitate sententiæ adstruenti valorem absolutionis in absentia, ut benè probat Suarez ubi suprà *disp. 19. sect. 3.* Quia essentia Sacramenti semper est eadem; ac proinde si absolutio essentialiter non requirat præsentiam, quacumque ratione feratur in absentem, etiam sine necessitate valida erit, & efficax, si pœnitens excusetur à culpa per bonam fidem, & attritus existimet, se illo modo rectè confiteri. Quia malitia ministri impedire non potest essentiam, vel effectum Sacramenti, dummodo intentio conficiendi non deficiat. Et ita expressè concedit Philippus Gamacheus, *ubi sup. in 3. part. cap. 20. de Pœnit. §. 4. fol. mihi 606.* Ubi ait: *Si pœnitens bona fide procedat, ignorans prohibitionem Ecclesiæ; talem absolutionem esse validam, esse probabilem admodum sententiam, donec Ecclesia aliud non decreverit.* * Sic ille. Quæ sunt valdè notanda.

§. II.

Absolutio valida nequit esse illicita pro omni casu.

14. Admissa majori syllogismi, scilicèt, probabile esse modò, post decretum Clement. VIII. absolutionem absenti collatam esse validam; solùm restat probanda minor; nimirum nullo præcepto Ecclesiastico posse reddi illicitam pro casu extremæ necessitatis, quod videntur supponere tanquam certum Card. de Lugo, Hurt. & Suarez supra citati *num. 3.* aliàs non rectè ex valore Sacramenti inferrent, licitum fore usum pro aliquo casu. Et ita sentiunt doctissimi recentiores, quos consului. Et novissimè tradit Fr. Franciscus à Jesu Maria, *in cursu Theolog. tom. 1. tract. 6. ca. 3. puncto 3. num. 25.* ibi: * Quod enim validè, sed illicitè fit, in aliquo casu, & validè, & licitè, necessitate urgente, fieri potest, &c. * Quibus cõsentit M. Joañes Martinez de Prado, *tom. de Pœnit. q. 3. de qualitate Sa-*

cramentalis confessionis, num. 20. ibi: * Si In aliquo casu esset valida talis confessio, & absolutio, non potuisset prohibitione Pontificis reddi illicita in universum pro omni casu, * Et Aversa *quæst.* 10. *sect.* 17. * Si absolutio sic data ullo casu valeret, non potuisset à Pontifice prehiberi, pru tali casu necessitatis extremæ spiritualis.*

25. Et probatur, quia præceptum divinum prohibens absolutionem in absentia, non obligat in casu extremæ necessitatis. Ergo nec præceptum Ecclesiasticum. Consequentia est legitima: antecedens probo. Primò, quia, ut suprà vidimus; in Trident. proponitur tale divinum præceptum, & tamen plures Doctores post Trident. defensabant (ante decretum Clementis) licere talem absolutionem; & semel admisso valore absolutionis * licitum fuisse illa uti, quia id utilius erat pro nimo, * scripsit P. Suarez ubi suprà. Secundò, quia præceptum divinum non magis est de absolutione in præsentia, quàm de confessione, & tamen plures Doctores, suprà citati existimant, præceptum confessionis in præsentia non urgere in casu extremæ necessitatis. Quos cum Aversa sequitur M. Prado *tomo de Pœnit. quæst.* 3. *de qualit. Sacram. confess. dub.* 2. *num.* 49. Tertiò, quia, ut ait P. Vazquez 1. 2 *disp.* 161. *cap.* 2. *num.* 12. ea, quæ sunt de jure divino circa Sacramenta, non obligant cum periculo vitæ: ergo multò minùs cum periculo damnationis æternæ: si ergo præceptum divinum non obligat in casu extremæ necessitatis, quo jure præceptum humanum Ecclesiasticum obligabit?

36. Probatur secundo: quia si ob aliquam rationem præceptum Clementis comprehenderet casum extremæ necessitatis, maximè quia ut tur rigidis illis, & universalibus verbis, *ne unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur; neque ad praxim quovis modo deducatur.* Sed hæc verba non possunt comprehendere casum extremæ necessitatis; ergo, &c. Minor probatur à paritate ex decreto Pii V. quod incipit: *Decori* edito anno 1569. quod ad verbum adducit P. Azor 1. *part lib.* 1. *cap.* 8. in quo Pontifex prohibet Monialibus à Monasteriis exire, *quavis alia ratione, & prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, & aliter quam ut præfertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, ipso facto excommunicat.* Ecce Pontifex expressè prohibet, ne aliquo casu, præter à se assignatos, *quavis occasione, & prætextu, quomodocumque, &c.* quæ quidem verba æquè premunt, ac illa decreti Clementis: *Nunquam tanquam aliquo casu probabilis, quovis modo, &c.* Ut ex terminis liquet: & tamen his non obstantibus, posse Monialem à Monasterio exire in casu extremæ necessitatis, docet P. Azor suprà cum Navarro *Comment.* 4. *de regulis num.* 48. Cujus, inquiunt, ratio est, quod humanæ leges, & jura nos non tam severè tenent, & obligant, ut mortis periculum subire cogamur. si ergo decretum Pii V. quia Ecclesiasticum, & humanum est, non obligat cum periculo vitæ temporalis; cur decretum Clementis VIII. quod nec majorem rigorem, nec strictiora verba continet, obligabit cum vitæ æternæ detrimento?

37. Accedit P. Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrim. disp.* 17. *num.* 3. Ubi explicans decretum Trident. *Sess.* 14 *cap.* 1. reddentis personam omninò inhabilem ad contrahendum sine Parocho, & testibus, sentit apertè ex vi solius præcepti Ecclesiastici non posse prohiberi matrimonium clandestinum cum vitæ æternæ periculo. Ex quo sic instaurare argumentum: Matrimonium ex sua natura valide nequit præcepto Ecclesiastico reddi illicitum casu extremæ necessitatis, seu cum periculo salutis æternæ: ergo absolutio ex sua natura valida, nequit præcepto Ecclesiastico reddi illicita, pro casu extremæ necessitatis.

38. Urgetur, quia licet P. Thom. Sanchez, & alii communiter existiment, Ecclesiam, prout ab cit solemnitatem substantialem contractui matrimonii, posse reddere inhabilem ad contrahendum etiam cum periculo salutis æternæ, eo quod poss inhabilitate, ut inquit Sanchez; obligatio esset ratione legis Ecclesiasticæ, quasi obliget in extra necessitate, sed ratione legis naturalis, & divinæ nihilominus alii Doctores difficultate oppressi dicant, nullaratione posse Ecclesiam inhabilitare cum periculo salutis æternæ: ac proinde in casu eventu posse validè contrahi matrimonium sine Parocho, & testibus: imò addunt alii, posse etiam in aliis casibus magnæ necessitatis. Ita tiunt Vega, Veracruz, Capua, & in articulo tis probabile putat Azevedo apud Sanchez *num.* 3. idque tenet Graffius apud Dianam 3. *tract.* 4. *resol.* 234. Et dicit esse practice probatæ Villalobos, *tom.* 1. *tract.* 13. *de matrim. diffic.* 17. Ergo semel posito probabiliter valore absolutionis absentia, probabile erit, Ecclesiam non posse ejus prohibere in casu extremæ necessitatis. Cui doctrinæ Merceri apud Dianam 4. *part. tract.* 4. *sol.* 202. asserentis, nullum jus humanum posse prohibere usum opinionis probabilis in casu necessitatis. Cui consentit Lessius in 3. *part. D. Thom. quæst.* 11. *de sigillo confessionis, artic.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. Ubi ait: * Nec jus humanum potest efficere, ut sententia probabili non possimus uti, quando id necessarium est, ad ingens malum impediendum.*

39. Tertio denique, quod Ecclesia nequeat prohibere absolutionem in absentia in casu extremæ necessitatis, si aliàs valida sit, probatur, quia Pontifex non potest auferre ab ullo Sacerdote jurisdictionem absolvendi in articulo mortis, ut asserunt plures Doctores: Nam si id posset, non satis providisset Christus suæ Ecclesiæ, ut inquiunt Vazquez *quæst.* 93. *artic.* 1. *dub.* 3. & Card. de Lugo *disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 17. Vel saltem si Pontifex potestate hâc uteretur, gravissimè delinqueret, ut ait P. Hurtado de fide, *disp.* 84. *sect.* 8. §. 139. & 140. Et inculcabilem errorem committeret, ut inquit P. Suarez *Pœnit. disput.* 26. *sect.* 4. *num.* 8. Sed idem inconveniens sequitur ex prohibitione absolutionis in articulo mortis, & in casu extremæ necessitatis; ac ex abstione jurisdictionis: ergo sicut absque intolerabili errore, & gravissimo peccato, nequiret Pontifex ferre jurisdictionem pro casu extremæ necessitatis ita neque prohibere absolutionem, aliàs validam: go si semel ponatur, absolutionem in absentia dam esse, nequibit illam prohibere pro casu extremæ necessitatis.

40. Ex quibus videtur inferri, stante declaratione Pontificis asserentis, *se nihil decernere* invaliditatem *absolutionis*; & per consequens manente modo in sua probabilitate opinionem serente, absolutionem absenti collatam esse lidam) interpretandam esse prohibitionem casibus absolutionis, ita ut tantum procedat in humanæ prohibitioni subjectis; non verò in extremæ necessitatis, qui prohibitioni humanæ subjectus non est. Cui expositioni plus justo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

vent Marcus Vidal, *tract de Pœnit. numer. 19. fol. 427.* dicens prohibitionem Clementis procedere in eo, qui aliter confiteri potest, *secus in moribundo, qui alia via confiteri, & absolvi non potest.* Et Bonacina *tom. 3. disp. 2. quæst. 3. par. 33. nu. 4.* Ubi postquam statuit confessionem absenti factam divisivè æquè esse damnatam à Clem. VIII. ac absolutionem à Sacerdote absenti collatam, excipit casum extremæ necessitatis. *Quia nullus (inquit) ad impossibile obligatur, & multa in extrema necessitate permittuntur, quæ aliàs non permitterentur. *Ergo si esset infirmus in eo periculo, quod, si adventum confessarii expectaret, decederet sine absolutione; posset, imo teneretur Sacerdos (si conscius esset per internuncium de dispositione infirmi, & de voluntate confitendi) absentem absolvere: quia hic casus non probatur comprehensus in decreto Clementis, neque pro illo prohibetur praxis, nec quod prædicta opinio probabilis defendatur.

21. Quod autem admisso valore Sacramenti, admittenda consequenter foret hæc decreti expositio, judicarunt non pauci Doctores à me consulti; quapropter toti sunt in negando valore. Quod vero posito valore, & usu licito per principia extrinseca probabili, teneretur confessarius ex charitate moribundum absentem sub conditione absolvere, constat ex dictis quæst. præcedenti, & est communis Doctorum apud Dianam 3. *part. tract. 3. resol. 9.* quos sequitur Fr. Franciscus à Jesu Maria, *fol. 447. num. 138.* Hæc sunt fundamenta, quæ pro antiquata sententia, etiam post decretum Clementis urgere, recens quidam contendebat. Quibus profundè satisfacere, & ea omninò diluere, necessarium judicavi, ne res in Ecclesia universali, decreto Pontificio sancita, ne levi quidem nebula, obscurata relinquatur.

§. III.

Stabilitur vera sententia negans licere absentem absolvere, etiam in casu extremæ necessitatis.

22. TRiplici propositione conclusionem Catholicam stabilio. Prima est, *absolutionem absenti collatam ex natura sua, & ex institutione Sacramenti invalidam esse.* Secunda: *Post decretum Clementis VIII. nullam, neque extrinsecam probabilitatem habere sententiam contrariam.* Tertia: *Definitam esse ab Ecclesia propositionem asserentem, non licere absentem absolvere in casu extremæ necessitatis.*

23. Primam probo, authoritate ferè omnium Theologorum, qui ita tradunt post decretum Clementis. Vide Card. de Lugo *disp. 13.* Ubi plures citans, inquit *non posse jam de hac re dubitari,* quod, aliis citatis, dicit etiam P. Vazquez *quæst. 91. art. 4. nu. 2.* Probatur primò, quia forma hujus Sacramenti, sicut & aliorum, (excepto matrimonio) ex Christi institutione, consistit in verbis, quæ materiam præsentem significant, ut patet ex illo pronomine demonstrativo personæ pœnitentis *absolvo te*: ergo ad veritatem absolutionis, & Sacramenti valorem, requiritur pœnitentis præsentia.

24. Secundo probatur, quia de ratione hujus formæ est, quod verbis proferatur: de ratione autem verborum, quod ad præsentem dirigantur; ergo & de ratione hujus formæ. Consequentia est legitima, & de minoris veritate dubitari non potest: cùm tanquam primum principium inter Summularum rudimenta supponatur. Major probatur ex Concilio Florent. in decreto Eugenii, ubi de Sacramento pœnitentiæ loquens sic ait: *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert:* Ubi, ut benè expendunt Suarez *disp. 19. sect. 1.* & Card. de Lugo *disput 13. sect. 1.* proferre, & dicere, indicant proprietatem verborum, & locutionis humanæ, ex communi sensu Doctorum.

25. Tertio probatur à paritate. Sacerdos nequit panem absentem consecrare, eò quod signum *hoc* demonstrativum in forma consecrationis contentum, ex vi suæ significationis, rem præsentem demonstrat, ad illam que dirigitur: atqui signum demonstrativum *te*, contentum in forma absolutionis rem præsentem demonstrat, & ad præsentem dirigitur: ergo nequit Sacerdos pœnitentem absentem absolvere: ergo sicut consecratio panis absentis ex sua natura, & ex Christi institutione invalida est; ita absolutio pœnitentis absentis.

26. Secundam propositionem, nimirum, *post decretum Clementis, nullam, neque extrinsecam probabilitatem habere sententiam contrariam*, probo. Quia ex una propositione definita, & ex altera moraliter evidenti, per bonam consequentiam deducitur, absolutionem absenti collatam non esse validam: ergo non est modo probabile adhuc per principia extrinseca talem absolutionem validam esse. Consequentia est legitima, quia propositio oppositæ conclusioni, quæ manifestè infertur ex talibus præmissis, est error in fide, ut inquit P. Oviedo *tract. de fide controvers. 12. puncto 4. num. 59.* Antecedens patet: quia, ut infrà probabo, hæc est definita ab Ecclesia, (in gradu in censura Pontificis contento) *nunquam licet absentem absolvere.* Deinde hæc est evidens in communi Theologorum consensu, *si absolutio absenti collata est valida, aliquando licet*: sed ex his duabus præmissis deducitur per legitimam consequentiam esse invalidam: ergo, &c. Minorem probo; quia hic syllogismus rectè concludit: *si absolutio in absentia valet, aliquando licet: sed nunquam licet, ergo non valet.*

27. Dices: majorem propositionem istius syllogismi non esse moraliter evidentem; quia benè stat, absolutionem absentis esse validam, & tamen nunquam licere ex præcepto aliquo Divino omnino indispensabili: ac proinde, qui simul defenderet, esse validam, nunquam tamen licitam, nihil affereret contra Ecclesiæ definitionem. Ita recentior quidam, & à censura, ut vidimus, eam liberat Thomas Hurtado suprà citatus *tom. 1. resol. mor. tract. 3. cap. 4. resolut. 30. num. 168. & seq.* Fateor, eum, qui has duas propositiones simul defenderet, nullum errorem committere. Cæterum improbabiliter, & sine ullo fundamento adstrueret ejusmodi præceptum divinum indispensabile. Quis enim suadere sibi poterit, Sacramentum ex sua institutione validum, & à Christo Domino institutum in animarum (præcipuè ex hac vita decedentium) favorem, tanto rigore ab ipso proh beri, pro momento, à quo dependet æternitas; & in circunstantiis, quibus moraliter certum est, pœnitentem damnandum, si in absentia non absolvatur? Quapropter P. Vazquez suprà citatus meritò oppositum docet. Et doctissimi alii recentiores hoc præceptum Divinum omnino indispensabile absque ullo prorsus fundamento confingi, jure optimo judicant, censentes non posse absolutionem

absentis reddi illicitam pro omni casu, nisi ex defectu valoris: quia neque ex præcepto Divino indispensabili, ut dixi, neque ex præcepto purè Ecclesiastico, ut evincunt fundamenta suprà jacta. Fatendum igitur est, per bonam, necessariamque consequentiam deduci, absolutionem absenti collatam esse invalidam; ex eo quod definitum habeamus ab Ecclesia, nunquam licere: & quod certum moraliter sit, quod si valeret, aliquando liceret: ac proinde propositionem oppositam non esse probabilem. Ideò utramque propositionem, in eodem gradu, damnatam esse, ait Suarez *sup. tom. 4. in 3 disput. 19. sect. 3. nu. 16.* * Tum quia in hoc Sacramento hæc duo non separantur; tum quia hic erat cardo controversiæ; nam si ex se non licet, ideò est, quia Sacramentum non potest ita perfici.* Quem sequuntur Vazquez, & Fagundez suprà citati, & communiter Doctores, qui post decretum Clementis scripserunt, ut videre est apud Toletum *lib. 3. Sum cap. 6.* Coninch *disput. 4. dub. 10. nu. 89.* Valentiam *3. p disp. 7. quæst. 11. p. 1.*

28. Jam verò quod hæc propositio: *nunquam licet absentem absolvere*, quam tertio loco probandam posuimus, sit ab Ecclesia definita, probatur: quia opposita est damnata, ut falsa in decreto Clementis VIII. Neque obstat, quòd Pontifex in suo decreto, ut definitivo tantum dicat, damnare propositionem hanc; *licerere absentem absolvere*: Quamvis enim non dicat, damnare asserentem, *aliquando, seu in aliquo casu licere*; hic est sensus propositionis damnatæ, quia ejus defensores non dicebant, semper, & pro omni casu licere, sed aliquando. Sicut quando Ecclesia definit, non licere mentiri, nec fornicari, definit, nunquam licere. Quod autem sensus prædictus sit, qui continetur in propositione definita, probo efficaciter, duplici fundamento. Primù est, intentionem Pontificis fuisse comprehendere in suo decreto omnes casus, etiam extremæ necessitatis; quia inter casus, in quibus Doctores, ante Clementem, tuebantur, licere absolvere absentem, præcipuus erat casus extremæ necessitatis, & tamen * auditis votis PP. (inquit decretum) & re, cum Illustriss. Cardin. contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, maturè, & diligenter considerata, præcepit, ne unquam prædicta propositio, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, neque ad praxim quovis modo deducatur: * ergo verbis expressis intendit Pontifex illam propositionem, ejusque usum, quovis modo, & pro omni casu, etiam extremæ necessitatis, prohibere: si enim id non intendisset, gravissimè quidem deliquisset, rigidisve deò, & universalibus verbis utens; quia per illa omnibus Ecclesiæ Doctoribus, Episcopis, & fidei tribunalibus occasionem errandi tribuisset, in re gravissima, in perniciem animarum vergente. Dubitabile enim non est, quòd prædictum decretum innumeris Christi fidelibus suam damnationè attulisset, qui sub conditione saltem in absentia absoluti, salvi forsan facti fuissent, & absolutionis defectu miserè perierunt.

29. Imò non solùm Clemens VIII. sed ejus successores gravissimam contraxissent culpam, & in posterum contraherent, si communem hanc totius Ecclesiæ existimationem DD. altè insitam non abolerent; ne deinceps plures alii occasione hujus ignorantiæ perirent. Quæ quidem omnino intolerabilia, & scandalosa sunt. Ergo evidentissimum est, Pontificem intendisse quamcumque absolutionem Sacramentalem in absentia, quovis modo, sive absolutè, sive conditionatè, quovis casu, etiam extremæ necessitatis, prohibere; idque successores Clementis, etiam post ejus declarationem à nobis relatam adductam, tanquam omnino firmum, & indubitatum habuisse.

30. Et sanè si casus extremæ necessitatis excipiendus foret, eo quod non videatur humanæ prohibitioni subjectus, alii etiam casus excludi possent, ut si, verb. grat. negari non posset absolutio ob vitæ dispendio, aut alio gravissimo damno contrarii, vel pœnitentis: idque planè convincunt, & quæ probant, ea quæ ex decreto Pii V. & aliis, adduximus suprà §. 12. Neque congrua ratio reddi potest, cum hæc Pontificia lex in aliis casibus graviores necessitatis obliget. Nam licet verum sit, legislatorem humanas posse aliquando obligare cum vitæ detrimento; unde probabimus ejusmodi legem esse non oppositum suadetur ex Vazquez suprà etiam adhærente, ea, quæ sunt de jure Divino circa Sacramenta non obligare cum periculo vitæ. Quomodo igitur obligabunt, quæ de jure tantum humano sunt? Ergo vel casus extremæ necessitatis in decreto Clementis comprehenditur, vel alii etiam casus excipiendi sunt.

31. Secundum fundamentum, quo, cum doctissimis recentioribus à me consultis, moveor ea quæ legitima, definitivaque condemnatio Clementis, qua tanquam ad minus falsam, temerariam, & scandalosam partem oppositam censuravit, sustinique ulla exceptione toti Ecclesiæ propositæ, & universis ejus Pastoribus, & Tribunalibus fidei, & omnibus Doctoribus, etiam ab illis, qui nostram declarationis posteà editæ habuerunt, ab omnibus, inquam, his per annos ferè septuaginta fuit universaliter intellecta, & qualibet exceptione positiva exclusa, nemine reclamante indubitanter accepta. Quapropter in Indice expurgatorio Inquisitionis Hispaniæ jubetur, ut in margine Doctorum, quibus ea sententia ante decretum Clementis deputabant, scribatur, *illam esse prorsus, seu omnino reprobatam, atque damnatam.* Quæ quidem verba se extendunt ad omnes casus, quos illi Doctores locis ibi notatis expresserant: quorum præcipuus erat casus extremæ necessitatis. Nequit igitur modo prædicta Clementis condemnatio probabilem aliquam exceptionem admittere; aliàs tota Ecclesia longo tempore erraret, intelligendo casum extremæ necessitatis fuisse damnatum, cum re vera damnatus non esset, sed ut hac censura adeò distaret, ut in illo præceptum obligaret ad absolutionem in absentia conferendam. Quis autem audebit propositionem adeò dissonam, & Catholicarum aurium offensivam proferre! Hinc fit eodem sensu, & rigore intelligendam, & intellectam fuisse ab universa Ecclesia definitionem illam Clementis, *non licet absentem absolvere*, ut illam: *non licet fornicari*, aut *mentiri*: ac proinde sicut hæc nullam pati potest exceptionem, ita neque illa.

32. Cæterum, in animarum solatium notandum est: non quamcumque distantiam confessarii sufficere, ut absolutio dicatur conferri absenti; sicut confessarius in ea sit distantia, ut videat pœnitentem, aut alio sensu illum percipiat, non est absens, sed moraliter præsens, ut bene advertit Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 19. sect. 3. nu. 13.* ibi.* Illa ergo propinquitas, quæ sufficit ad sensibilem designationem, & relationem cum alio, ad hujusmodi formam absolutionem, & efficaciter conferendam satis est. * Ac proindè, & efficaciter conferendam satis erit. * Ac proindè, licitèque poterit illum per internuntium de validè, licitèque poterit illum per internuntium confessionem exigentem, aut signa doloris exhibentem absolvere. Ita etiam Ochagavia *tract. de Confess.*

41. *num.* 8. Diana 5 *p. tract.* 13. *resol.* 50. Benzon. *de fuga pestis, q.* 5. Molfessius 1. *p. Sum tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 59. Quibus consentit M. Prado *tom. de Pœnit. q.* 3. *de qualitate confes. dub.* 1. *num.* 8. & Leander à Sacram. *disp.* 2. *q.* 10. Imò nonnulli docti recentiores, ab eo consulti judicarunt, sufficere ad præsentiam moralem, quod confessarius sit in ea distantia, ut videat domum mobundi, in qua continetur, quod putat probabile ipse P. Leander *quæst.* 31. licet longè multò probabilius judicet oppositum, cum sapientissimo Patre suo Provinciali Fr. Francisco à S. Juliano, & P. Gasp. Hurt. quos consuluit. Quod mihi certum videtur, quia pronomine demonstrativo designari nequit persona, quæ nullo sensu percipitur, ideòque non sufficit, quod domus in qua habitat videatur: aliàs si tubo optico à longè perspiceret, absolvere etiam posset. Quod nemo dicere audebit.

§. IV.

Fundamentis partis oppositæ, & objectionibus aliis satisfit?

33. AD fundamentum partis oppositæ, quod hoc syllogismo continetur: *Probabile est modo absolutionem absentis esse validam, sed absolutio validè nulla prohibitione Ecclesiastica potest reddi illicita pro casu extremæ necessitatis; ergo probabile est modo, absolutionem absentis esse licitam pro casu extremæ necessitatis.* Respondeo: post decretum Clementis nullam, neque extrinsecam probabilitatem habere opinionem adstruentem valorem absolutionis in absentia, ut constat ex dictis §. præcedenti, *num.* 25. Quapropter dicendum est, verba declarationis Clementis factæ Card. Bellarmino, in qua Pontifex dixit: *Se nihil decernere de validitate, seu invaliditate absolutionis* restringenda esse, ita ut nil aliud significent, quam nil decernere directè, seu non condemnare directè absolutionis valorem, sed tantum indirectè. Ratio est, quia valor Sactamenti inter absentes, & ejus usus illicitus pro omni casu cohærere non possunt, ut docent communiter Theologi; idcòque vel restringenda sunt verba decreti è Cathedra Pontificia tot Ecclesiæ matura consideratione proposita, & nulla restrictione recepta; vel limitanda sunt verba privatæ declarationis Pontificis. At qui decreti verba restringi non possunt, cum Pontifex expressè intenderit comprehendere casum extremæ necessitatis, ut universalis Ecclesia semper intellexit: ergo verba privatæ declarationis restringenda sunt: cui facit, quod verba decreti majorem rigorem, & proprietatem præseferunt. Et sanè quis non videret verba clarissima, universalissimaque decreti authentici, Pontificia authoritate, & matura consideratione pronunciata, restringi, ut verba privatæ declarationis (quam nullum esset crimen negare) in omni universalitate, & extensione possibili verificentur?

34. Pontifex, igitur solum declaravit Bellarmino, in suo decreto non condemnasse propositionem asserentem, Sacramentum inter absentes validùm esse, nam esse damnatam aliquam propositionem propriè loquendo, idem sonat, ac esse directè oppositam alicui expressæ damnationi: hæc autem non extat, cum tantum dicat Pontifex: *non licere*: ac proinde nil aliud declarat, quam, quod jam aliqui recentiores notaverant (ut Coninch, Villalobos, & alii) ipsius decreti verbis manuducti, quorum opinionem declaratio Clementis confirmavit; quæ id solum ad summum operari potest, ut cuique absque ulla censuræ nota, licitum sit defensare valorem Sacramenti inter absentes, dummodo simul defendat, ejus usum illicitum esse pro omni casu; sicut esset prohibitus, si Pontifex condemnasset valorem.

35. Ad minorem concedo Pontificem non posse, vi sui præcepti prohibentis, reddere illicitam, pro casu extremæ necessitatis, absolutionem alias validam. Respondeo tamen decretum Clementis non reddere illicitam absolutionem absentis pro casu extremæ necessitatis, quatenus, præceptivum est, sed supponere quatenus definitivum, declarans & definiens, ut falsam, doctrinam asserentem, id licere, quæ tam ex subjecta materia, quàm ex sensu totius Ecclesiæ, nullius casus exceptionem admittit. Quapropter ex eo quòd Ecclesia nequeat suis præceptis ligare cum periculo damnationis æternæ, nil deducitur contra veram, & Catholicam sententiam, quam nos defendimus, asserentes absolutionem absenti collatam in nullo casu licere, & consequenter invalidam esse. Nec Clemens VIII. excludere potuisset in suo decreto omnem casum, itaut confessarius nullo modo in aliquo casu absentem absolvere posset, nisi supponeret, id esse illicitum ex natura rei; nam si ex natura rei in aliquo casu liceret, posset esse casus, in quo ex præcepto naturali confessarius teneretur absolutionem absenti conferre, quod proinde humano præcepto prohiberi non posset. Id ergo censetur Pontifex supponere, dum pro omni casu illicitam declarat, & præceptum prohibens cum tanta amplitudine imponit. Quo discursu ad alios casus utuntur Dicastillo *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 8. *disp.* 12. *dub.* 7. *nu.* 14. & Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. disp.* 23. *nu.* 94. & Thomas Hurtado *tom.* 2. *resol. mor. tract.* 6. *cap.* 11. *resol.* 32. §. 13. *nu.* 187. Quia lex, aut prohibitio, inquit, non obligat, nec prohibere potest, medio ex se non illicito uti * quando intervenit alia major, & stricior obligatio juris naturalis. * Quod in casu præsenti contingeret, si absolutio in absentia non foret invalida ex natura rei.

36. His, ni fallor, plenè satisfactum est rationi dubitandi pro parte contraria. Cui potest etiam brevius responderi, permittendo, aut concedendo, utramque præmissam seorsim, & divisivè probabilè esse post decretum Clementis, non tamen esse probabile conjunctum ex utraque, utpotè ex quo deducitur conclusio opposita propositioni definitæ ab Ecclesia: sicut probabile est, bonum opus morale naturale esse meritorium: & rursus probabile est, opus morale bonum naturale posse fieri sine gratia, & tamen non est probabile posse fieri opus meritorium sine gratia. Cujus ratio est, quod licet singulæ præmissæ seorsim sint probabiles, non tamen est probabile conjunctum, eo quod inferat conclusionem oppositam propositioni definitæ: quapropter affirmare tenemur probabilitatem unius præmissæ compleri in esse talis per falsitatem alterius. Quod valdè observare oportet.

37. Obicies, eodem tenore verborum damnat Pontifex confessionem absenti factam, & absolutionem absenti collatam: & tamen plures sunt Doctores asserentes, in casu urgentis necessitatis licere cõfiteri Sacerdoti absenti, ut illis citatis docuimus suprà: ergo Pontificis definitio non est universaliter intelligenda, quoad absolutionẽ absentis, ita ut in nullo casu liceat; sed potiùs ad casus illos restringenda, qui urgentissimæ necessitatis non sint. Respon-

deo primò: Doctores sentientes Pontificem definire, etiam divisivè: *non licere confiteri absenti*, sentire etiam debere consequenter in nullo casu licere: ac proinde talem confessionem invalidam esse. Alios verò, qui sentiunt id licere, in casu necessitatis; teneri dicere consequenter, Pontificem non damnasse, ut falsam, propositionem asserentem: *licere confiteri absenti*, sed asserentem, *licere ab eodem absenti absolutionem obtinere*, ratione cujus damnata fuit copulativa illa in decreto Clementis contenta, ut ex suprà dictis *q.* 4. *num.* 14. satis constat. Quod si dixeris, hanc decreti expositionem fuisse rejectam ab ipso Clemente VIII. & à Paulo V. anno 1605. ut refert Lugo *de Pœnit. disp.* 17. *sect.* 4 *num.* 63. Respondeo, hoc non favere absolutioni in absentia, sed si aliquid probat, evincere, nec confessionem absenti factam ullo in casu licere. Respondeo secundò: post Clementem, & Paulum V. plures Doctores oppositum docuisse de confessione in absentia, quod signum est, Pontificem solum damnasse expositionem illam, nimirum: *Copulativam tantum esse prohibitam*, quatenus innuit, neutram illius partem seorsim esse damnatam: & bene quidem, alias posset quis ab absente absolvi si eidem præsenti confessus fuisset. Et in hoc sensu verissimum est, non tantum copulativam esse damnatam, quia aliqua ejus pars divisivè etiam sumpta damnata fuit, imò, & propter illam complexum. Non me latet Averfam *q.* 10. *de Pœnit. sect.* 17. §. *Quinto tandem*, aliter explicare decretum Clementis, nimirum intendisse damnare utramque partem divisivè, absolutionem nimirum pro omni casu, confessionem vero extra casum necessitatis tantum: sed gratis hoc dicitur. Si enim utrumque membrum propositionis in decreto suo expressè Clemens damnavit cum ipse prohibeat, *neque unquam aliquo casu ad praxim deducatur* Averfæ expositionem explosit.

38. Obicies secundò. Pontifex solum damnat propositionem asserentem, licere absentem absolvere, quæ quidem damnatio, utpotè odiosa, de absoluta tantum absolutione intelligenda est, non de conditionata: ergo saltem sub conditione licebit absentem absolvere in casu extremæ necessitatis, ut asseruit Penna citatus *suprà num.* 6. cum aliis recentioribus, apud Henriquez. Huic sequelæ multum favere videtur Villalobos *in Summ. tom.* 1. *diffic.* 37. *n.* 7. ubi loquens de confessione absenti facta, existimat, quod in opinione docente æquè fuisse à Clemente damnatam, ac absolutionem absenti collatam, potest nihilominus in absentia confessus absolvi postea sub conditione à Sacerdote præsenti: cujus rationem reddens, inquit.* Porque allí no determina el Papa, que la confesion hecha en ausencia, no es valida, sino solo dize, que no se siga tal opinion, y no obstante podrá ser verdadera delante de Dios: aunque yo no creo, que lo es, y por esso digo, que le podrán absolver debaxo de condicion.* Hæcille: cujus ratio, si quid probat, idem planè evincit de absolutione absenti collata; nimirum posse conferri sub conditione, quia ibi, juxta hunc Doctorem, non decernit Pontifex absolutionem in absentia esse invalidam, sed tantum prohibet ejus praxim: debet ergo addere, quod hoc nonobstante, posset esse vera coram Deo; & consequenter posse absolvi sub conditione. Ac proinde dum Author iste *diffic.* 6. *n.* 8. dicit non licere absentem absolvere, juxtà præfatam solutionem, si consequenter loquatur, intelligendus videtur: nimirum non licere absolvere absolutè, non verò non licere absolvere sub conditione.

39. Favet etiam Joannes Sanchez *in Select. disp.* 44. *num.* 31. dicens: Sacerdotem existimantem falsam opinionem asserentem, sufficere ad absolutionem, quod pœnitens per nutus, vel signa eam pœnituerit, teneri adhuc absolutionem impertiri;* num non possit, inquit, pœnitens salvari, si à parte rei forte esset Sacramentum validum, periculo frustrandi Sacramentum, tenetur se exponere confessarius ob pœnitentis salutem, quia magis obligat Charitas quam Religio. * Si igitur cum periculo frustrandi Sacramentum, tenetur confessarius ex præcepto Charitatis pœnitentem absolvere, propter commentiam illâ, quod forte à parte rei ens validi, licet ipse falsum existimet, quantò magis tenebitur absolvere sub conditione infirmum absentem in ultimo vitæ discrimine constitutum: quandoquidem absolvens sub conditione nullo periculo frustrandi Sacramentum exponitur? Ergo licet decreto Clementis coactus judicet falsam opinionem de valore Sacramenti, inter absentes, tenebitur absolvere sub conditione.

40. Urgetur ex P. Thom. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 36. *num.* 8. asserente, quod opinio, quæ non judicaretur probabilis, facit esse talem urgens necessitas, & periculum, quod ex opposita sequeretur; pro qua citat Sotum, & Navarrum, & adducit exemplum moribundi, qui absente Sacerdote, signa contritionis ostendisset; quam opinionem, ait, ratione periculi sustineri posse, licet parum probabilis sit, pro quo argumento plura diximus *q. num.* 39. & 40. Ergo licet opinio asserens, licere sub conditione absentem absolvere, alias non judicetur probabilis, facit talem esse urgens necessitas, & periculum, quod ex opposita sequeretur. Opinio enim, quæ Sacramento nocere non potest, & infirmo potest prodesse, non est cur aliis omnibus non præferatur, ut probat Joannes Sanchez *suprà num.* 31. Ergo potest Sacerdos sub conditione absolvere moribundum absentem, imò, & tenetur; nam quatenus potest, ad id ex Charitate adstrictus est, ut docent P. Vazquez, Suarez, Coninch, Joannes de la Cruz, Sylvius, & alii communiter, quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 3. *resol.* 9. melius enim est cum Sacramento dubio succurrere infirmo, quam absque illo relinquere, ut sæpè diximus.

41. Nihilominus, quod sub conditione licet absentem absolvere, nullatenus sustineri potest: nim expressè prohibitum in decreto Clementis per illa verba: *neque ad praxim quovis modo deducatur*. Nam qui sub conditione absentem absolveret, jam aliquo modo ad praxim opinionem deduceret. Et quidem fundamenta, quæ pro communi, vel sententia adduximus, vel id evincunt, vel nil probant: tum quia omnis absolutio habet implicitam conditionem, *si possum* ex communi prudentum restrictione; ac proinde nil operaretur Clementis decretum: tum quia Doctores aliqui quamtatis de absolutione absentis sub conditione loquebantur. Et decretum Pontificis ab universa Ecclesia sic intellectum fuit, ut absolutionem etiam sub conditione comprehenderet: cum igitur ex definitione Ecclesiæ certum habeamus, prædictam absolutionem sub conditione, in quovis casu, esse illicitam; & consequenter improbabile sit, esse validam; omninò præcluditur aditus ad illam conferendam. Ac proinde non magis licebit absolvere sub conditione hominem absentem, quam non rectè dispositum, vel quam animal irrationale præsens.

42. Nec rationes dubitandi efficaces sunt: non primo

prima; quia Villalobos id expressè negat de absolutione: ex quo rectè arguitur inefficacia, & inconsequentia suæ rationis pro confessione in absentia. Non secunda, quia judicans opinionem falsam, nequit juxtà illam operari, nisi probabilis judicetur ab aliis probatæ authoritatis, quibus judicium submittat, utbenè docet Joannes Sanchez *disp.44.num.31.* & tradunt communiter Doctores. Non tertia, quia nequit necessitas probabilem facere opinionem, quæ etiam pro casu extremæ necessitatis est ab Ecclesia condemnata. Concludendum igitur est in nullo casu, nulloque modo, neque absolutè, neque conditionatè, licere absentem absolvere; & oppositum esse ad minus falsum, temerarium, & scandalosum.

43. Ex dictis deduces, acriori censura inurendam aliorum opinionem, qui non solùm absentem absolvi posse docuerunt, sed etiam per scriptum: utbenè notavit P. Henriquez *lib.1. de Sacram. in genere, cap.8. num.5. in Glos. litt. L.* ubi sic scribit: * Paludanus *dist. 3. q.1.* Petrus de Soto *tit. de confessione, sect.11.* Navarro *cap.21. num.36.* Fr. Mancius *in prælect.* (nempè *quæst. 80. art.6.*) ajunt, valere absolutionem peccatorum perscriptum, vel nutus, sicut valet sententia judicialis, &c. Quæ sententia est periculo plena, quia forma Baptismi, & Pœnitentiæ ex scriptura Matthæi 28. Joannis 20. colligitur à Conciliis Florentino, & Tridentino, *sess.7. Can.4.* & *sess.14 cap.3. Can.9.* & traditio approbat, Christum instituisse in vocali oratione. Sotus *dist.4. quæst. unica, art.4. col.10.* & recentiores dicunt, oppositum esse hæreticum contra communem Ecclesiæ consensum, & Conciliorum, excepto solo matrimonio. * Idemque repetit *lib.1. de Pœnit. cap.11. num.6. in Glos. litt. M.* ubi ait, communem sententiam esse certam, * & oppositum esse errorem. * Videas quæso, M. Dominicum de Soto *in 4. dist.1. q.1. art.6.* ubi disputat, * utrùm in significatione Sacramentorum, requirantur verba? * Cui hac conclusione respondet: * Quod Sacramenta rebus, & verbis constent, veritas est Catholicæ fidei, cujus proinde negatio hæresis esset manifesta.*

§. V.

Qua nota dignus esset, qui contra censuram Clem. VIII. opinaretur.

44. Si autem inquiras, qua censura notandus, qui affirmaret non esse falsam, temerariam, & scandalosam propositionem asserentem, licitum esse in aliquo casu absentem absolvere? Respondeo, ad minus esse errorem in fide, vel errori proximum, quia talis assertio opponitur conclusioni deductæ ex una præmissa de fide, & altera evidenti. De fide enim est (secundum plerosque Theologos) Ecclesiam errare non posse in his censuris statuendis. Ita Malderus hic *q.11. art.2.* cujus sententiam valdè probabilem esse, dicit P. Coninch *disp.18. dub.8. num.134.* & Verricelli *tom.1. quæst. moral. tract 4. q.16. num.4.* & insuper evidens est, præfatas censuras assertioni de licita absolutione absentis, Clementem VIII. statuisse. Cui faciunt Doctores asserentes, esse de fide, Pontificem toti Ecclesiæ quoad mores legem proponentem errare non posse. S. Antoninus *3. part. tit.12. cap.8. §.12.* Joannes de Neapoli *quodlib* 11. Cano *de locis Theologicis lib.5. cap.5.* Molina *de Justitia tom.2. disp.325.* Suarez *de Fide, disp 5. sect.8. num.7.* Turrianus 2 2 *disp.16. dub.2.* Castro Palao *tom.1. tract.4. disp.1. puncto 5 §.3.* nam alioquin tota Ecclesia in errorem induci posset: lex autem prohibens absolutionem absentis, & esse illicitam declarans, etiam in casu extremæ necessitatis, ad mores, & ad Religionem pertinet, & toti Ecclesiæ proposita est: ergo Ecclesiam in ea ferenda errare non potuisse, fide sanctum est. Unde, qui præfatam assertionem his censuris afficiendam non esse pertinaciter assereret, errorem in fide admitteret, vel errori proximus esset. Dixi ad minus hac censura afficiendum, nam re benè inspecta hæresim incurreret, quia sentiret, Ecclesiam posse errare, & de facto erraße in qualificatione propositionum, & in legibus toti Ecclesiæ in his, quæ ad mores, & Religionem pertinent, statuendis; quod hæreticum censeo: est enim contra illud Joannis 14. *Qui docebit vos omnem veritatem*, ubi infallibilis assistentia Spiritus Sancti promittitur.

45. Si verò aliquis solum assereret, licitum esse, absentem absolvere ex natura rei, & ex Sacramenti institutione, non esset hæreticus, quia propositio contraria non est definita, ut ad fidem pertinens: esset verò temerarius, & scandalosus, & falsum dicens: quapropter M. Bannez, Malderus, & Coninch, quos refert, & sequitur Lugo *tom. de Fide, disp.20 sect.3. numer.108. & 113.* advertunt, gravius errare, qui dicit, Ecclesiam errare posse, vel errare in his censuris, quam qui solum assereret, esse veram propositionem ab Ecclesia judicatam temerariam, & scandalosam.

46. Restat tamen adhuc mihi scrupulus in re præsenti, quia Pontifex declarat & definit, esse falsam propositionem asserentem, licere absentem absolvere; atqui Ecclesiæ judicium infallibile est, ergo vel fide certum est, præfatam absolutionem non esse licitam: vel saltem absque errore in fide aliud asseri non potest. Quia in his censuris statuendis errare non posse, ita certum est, ut oppositum, ut minimum, sit erroneum, vel errori proximum, ut ait M. Bannez in præsenti *q.11. art.2. in fine*, quem sequitur Cardin. de Lugo *suprà num.109.* & Turrianus *tom. de Fide, disp. 55. dub.5. §. Deinde in aliis*, & *disp. Select. p.1. disp.30. dub. 3.* Nam qui tuetur propositionem; quam Ecclesia, ut falsam, damnavit, cogitur per evidentem consequentiam ad dicendum, Ecclesiam deceptam fuisse in ea censura. Difficultas hæc me cogit asserere, Pontificem dum ut falsam damnavit propositionem asserentem, *licitum esse absentem absolvere*, eius contradictoriam declarasse, & definisse ut veram, ad eumque gradum certitudinis evexisse, ut opposita, quæ ante decretum Clementis falsa, temeraria, & scandalosa ab ipso fuit declarata, sit jam post decretum in eo gradu constituta, quod qui eam defenderit, vel hæresim, vel errorem incurrat, utpotè sentiens, & docens Pontificem errare posse, & de facto erraße in censura inferenda: decretum enim hoc etsi in Congregatione sanctæ & generalis Inquisitionis Romanæ) editum fuit * assistentia & mandato Vicarii Christi, cui est facta à Christo promissio, ut non possit deficere in tradenda doctrina, è Cathedra. * Sic M. Prado *tom. de Pœnit. q.3. de qualitate confes. Sacram. dub.2. num.41.* qui etiam *dub.1. num.20.* ait. Pontificem è Cathedra absolutionem absentis damnasse; tametsi sacræ Congregationis generalis Inquisitionis nomine prodierit.

47. Secus verò dicendum, si Ecclesia non ut falsam; sed ut temerariam, vel scandalosam, vel malè sonantem illam propositionem damnasset: tunc enim, qui his censuris affectam, veram esse verbis affirmaret, non cogeretur dicere, Ecclesiam deceptam fuisse in illis inferendis: rectè enim stare potest, aliquam propositionem non esse falsam, & tamen esse

contra communem sensum Doctorum, & Patrum; ideòque temerariam: & similiter occasionem ruinæ spiritualis auditoribus præstare, eos ad peccata inclinando, vel ab exercitio virtutum avocando, ideòque scandalosam; & tamen sensum Catholicum continere, licet voces frequentius in hæretico accipi soleant, ideòque malè sonantes, & piarum aurium offensivæ sint. Qui ergo aliquam propositionem ejusmodi censuris affectam adhuc veram affirmaret, non ideò cogeretur fateri Ecclesiam in illis inferendis deceptam fuisse: respondere enim posset, se affirmare propositionem temerariam, vel scandalosam, &c. Si verò talem esse negaret, erroris aperti convinceretur; affirmaret enim, Ecclesiam errasse in qualificatione propositionum.

48. Rogabis, quænam culpa esset, veram sentire, & affirmare propositionem præfatis censuris affectam? Respondet Suarez *tom. de Fide, disp. 19. sect. 6.* hos assensus, & assertiones non carere peccato, cum ab Ecclesia, & Conciliis damnentur, & graviter puniantur, nec possint sine imprudentia admitti. An verò sit mortale, vel veniale? Non determinat. Asserit verò *num. 5.* malitiam quasi intrinsecam hujusmodi actuum, nempè quam ex vi objecti habent distinctam ab accidentali malitia, quæ ex circunstantiis oriri potest, pertinere ad vitium curiositatis, in materia supernaturali, oppositum virtuti studiositatis, juxtà illud Pauli ad Romanos 12. *Non plus sapere, quod oportet sapere,* & Ecclesiast. 3. *Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus Dei noli esse curiosus.* Peccatum autem curiositatis per se, & ex suo genere solum esse veniale, tradit P. Lessius *lib. 4 cap. 4. dub. 11. num. 83.* & videtur sumi ex D. Thom. *2.2. q 167. art. 1.* Ex circunstantia verò grave potest esse peccatum, & aliis virtutibus oppositum. Quandoque enim erit contra fidem, ut si ex prolatione propositionis malè sonantis periculum sit, quod auditores in suspicionem hæretici sensus à proferente intentum devenlant, vel inde ipsi in errorem aliquem inducantur: Quandoque contra justitiam, vel religionem, si per scandalosam propositionem, occasionem aliis præbeat peccandi in his materiis, & sic in aliis.

49. Est tamen maximè notandum discrimen inter censuras: si enim quis interius sentiret veram esse propositionem, quam Ecclesia ut temerariam damnavit, si nulla de novo ratio hucusque à nemine producta accessisset, non posset non errorem contra fidem incurrere; quia talis actus involvit judicium de gravi fundamento sufficienti ad prudenter assentiendum: quod non extitisse, declaravit Ecclesia, dum propositionem, ut temerariam damnavit; quapropter, qui veram modo illam sentit, & suum assensum prudentem censet, apertè judicat non esse temerariam, & per consequens Ecclesiam errasse in qualificatione propositionis (si censura eum non lateat.) Quod absque hæresi, vel errore in fide non evenire, constat ex superiùs dictis. Secus verò esset, si propositio, neque ut falsa, nec ut temeraria, sed solum ut scandalosa, vel piarum aurium offensiva damnata fuisset. Quia rectè compatitur judicium de veritate propositionis cum assensu de scandalo, & offensione, si in actum externum prodeat. Qui autem scandalosam non negaret, decreto Pontificio non opponeretur. Vide alia *infrà disp. 8. quæst. 5. à num. 32.*

* * *

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Ministro hujus Sacramenti.

QVÆSTIO PRIMA.

Utrùm solus Sacerdos sit Minister idoneus? & quid ultra ex parte illius ad valorem absolutionis requiratur?

1. DIco primò solum Sacerdotem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi peccatorem: est dogma fidei ex Tridentino *sess 14. cap. 6. & Can. 9 & 10.* Sicut & in sui ordinatione potestatem absolvendi à peccatis accipere, licet sola hæc ad valorem absolutionis non sufficiat, ut *capite 7.* Concilium diffinit, dum inquit: *Nam ministri absolutionem eam esse debere, in quem Sacerdos ordinariam, aut delegatam jurisdictionem habet.* Ergo omnes Theologi evidenti consecutione deducunt, stare posse Sacerdotem absque ulla jurisdictione, & consequenter absque proxima potestate absolvendi, saltem à lethalibus alias non confessis. Quia ablatæ virtute absolutionis sunt directè remissa, licet & à venialibus, utpotè materia libera confessionis, omnes Sacerdotes ex vi suæ ordinationis jure divino posse absolvere, sentiunt P. Ludan. Capreolus, Captanus, Sotus, & alii, apud Vasquez hic *quæst. 93. art. 1. dub. 6.* Quos sequuntur Coriolanus *de casib. reserv. p. 1 sect. 3. num. 8.* & Molfesius *tract. 7. cap. 15. num. 66.* Et saltem ex jure Ecclesiastico, & piæ Matris Ecclesiæ concessione, Sacerdotes omnes hanc potestatem habere, est communis Theologorum sententia, & consuetudine comprobata, sicut & nullatenus omnibus concessam ad absolvendum à mortalibus non confessis.

2. Quapropter quorumdam antiquorum sententiam, quæ omnibus Sacerdotibus, ex vi suæ ordinationis sufficientem jurisdictionem ad absolvendum ab omnibus peccatis (eius tamen usum ab Ecclesia de facto esse prohibitum) concedebat; post Tridentinum, esse erroneam, dicit Fagundez *2. præc. Eccles. lib. 7. cap. 1. num. 11.* & hæreticam censet Vasq. *quæst. 93. artic. 1. cap. 2.* Quæ quidem censura potuit jure inurenda aliorum sententiæ, quos refert Thom. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 22. nu. 27.* & Machado *tom. 1. lib. 1. p. 2. tract. 1. docum. 8.* asserentium validam confessionem, quam ex communi errore quis faceret, cum non Sacerdote, imò, & cum laena: quasi Ecclesia posset supplere defectum potestatis ordinis, & tollere impedimenta juris naturalis, & divini: aut communis error jurisdictionem ad absolvendum à peccatis in laicum, etiam fœminam, derivare potuisset. Quod ipsi putant, non minoris dementiæ, quam erroris.

3. An verò; licet laicus à peccatis absolvere nequeat; ut fide Sanctum est, queat tamen in casu necessitatis vicem Sacerdotis supplere, ut ei confessio fieri possit? quæstio longè diversa est. Quam attigit D. Thomas *in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæst. 2.* & affirmativè respondit verbis, quæ subnecto. * Ad tertium

dum

dam quæstionem dicendum, quod sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem qui est, vel (ut in antiquioribus editionibus legitur) quia est Sacramentum necessitatis, habet duplicem Ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit: alium, cui ratione necessitatis, baptismi dispensatio committitur. Et ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui confessio facienda est ex officio, est Sacerdos: sed in casu necessitatis (attende) etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri posset. * Et iterum infrà, luculentius effectum gratiæ sanctificantis, qui ex Dei misericordia ejusmodi confessionem subsequitur, sic explicat. * Defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet: & confessio laico ex defectu Sacerdotis facta Sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis. * Hactenus D. Thom. quæ iterum repetit *Opusc. 65. de officio Sacerdotis*, §. *Decautela in confessione habenda.*

4. D. Thomam sequitur M. Raynerius de Pisis *in Sum. seu Pantheologia, verb. Confessio, cap. 17.* ibi: * Dico, quod in casu necessitatis, scilicet, quando imminet periculum mortis, sufficit laico confiteri. Et summus Sacerdos, scilicet Deus supplet Sacerdotis defectum, & hoc propter desiderium pœnitentis. Et quamvis ille confessus laico in necessitatis articulo, sit misericordiam consecutus à Deo, eò quod mandatum Dei, sicut potuit implevit, non tamen adhuc est reconciliatus Ecclesiæ, ut ad Sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi priùs absolvatur à Sacerdote. Hæc D. Thomas *in 4. dist. 17. art. 3. q. 2.* * Sic Raynerius. Quæ si vera, sufficiet ad justificationem in articulo mortis, quod laicus peccatoris confessionem audiat, licet absolvere nequeat (ut fide Sanctum est) siquidem per confessionem laico factam peccator reconciliatur Deo supplenti Sacerdotis defectum, quoad effectum gratiæ.

5. Cæterum in opusculo pro Jesuitis cum Soto, & aliis communiter, ostendi hujusmodi sententiam, pietati solum innixam esse; quia de lege ordinaria nemo extra Sacramentum justificari potest, absque actu contritionis. Confessio autem laico facta non est Sacramentum, & contrarium dicere esset aperta hæresis. Videatur M. Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4. vers. Hoc autem*, ibi: * Quo circa, inquit, non dubito, quin Sanctus Thomas in Summa, nunquam tale verbum dixisset. Est enim dicere, quod Deus peccatorem sine Sacramento, & contritione justificat, quod esset manifestarius error. * Sic ille.

6. Omittere verò non possum adnotare Baronium, ut de more habet, Amadæum, D. Thomæ verba referentem, *tract. de Eucharist. prop. 1. num. 4.* acriter carpere, & de calumnia in D. Thomam expostulare *disput. 2. sect. 4. art. 2. §. 2. fol. 234.* Verum cum Amadæus formalia D. Thomæ verba referat, nullaque fraus interveniat, nulla malitiosa interpretatio, nullamendax informatio, capere non possum, cur Baronius veram, & fidelem verborum exscriptionem calumniam blateret. Sensus D. Thomæ apertissimus est, confessionem in casu necessitatis posse fieri laico, deficiente Sacerdote, & hujus defectum Deum supplere, non quoad valorem Sacramenti, quia laicus absolvere non potest, sed quoad effectum gratiæ justificantis. Tribuit itaque huic confessioni; quod *distinct. 6. quæst. 1. art. 2.* attribuerat baptismo, deficiente intentione baptizantis. Quod pietate magis, quam ratione nititur. Ut tradunt communiter ejus discipuli, de quo plura *tract. 4. de Sacr. q. 3.*

7. Exponit D. Thomam Baronius ubi suprà cum P. Nicolai, dicens: * Sed P. Nicolai huic venenoso morsui antidotum apposuit eruditis notis ad illam quæstiunculam: non esse mentis D. Thomæ parem statuere necessitatem utriusque Sacramenti (Baptismi, scilicet, & Pœnitentiæ) neque enim, inquit, baptismus adultis, sed parvulis dumtaxat confertur; quia cum remedium supplere nequeant ullo modo, quoad illos absolutæ est necessitatis, & ideò conferri oportuit à laico. Pœnitentia autem ad adultos pertinet, quam cum supplere possint interno dolore, non est par necessitas confitendi laico, &c. Quamvis in signum quoddam Christianæ professionis prædicta confessio fieri possit. * Sic Baronius. Fateor discrimen, sed expositio superflua: nec contra Amadæum, quia nullibi imposuit D. Thomæ; quod parem utriusque Sacramenti necessitatem fecerit, nec quod deficiente Sacerdote, dixerit necessarium esse confiteri laico; sed quod confessio illi fieri possit: quod D. Thom. expressè tradit, & Baronius cum P. Nicolai admittit, licet uterque consulto omiserit, quod D. Thomas ibi addit; nempè, Deum Sacerdotis defectum supplere, & iterum *dist. 24. q. 1. art. 2. quæst. 3. ad 2.* ubi de non baptizato, ad ordines tamen promoto, sic ait. * Non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali. Sed tamen piè credi potest, quòd quantū ad ultimos effectus Sacramentorū, summus Sacerdos suppleret defectū. *

8. Non inficior, licitum, & fructuosum esse in articulo mortis, deficiente Sacerdote, peccata in genere coram laico explicare, ad ostensionem doloris, & desiderium Sacerdotis, ut hic posteà adveniens, infirmum, licet sensibus destitutum, ex astantium testimonio, absolvere possit. Imò, & ad signa contritionis exhibenda, si de illa certus non sit, ex charitate propria teneri. Quod asserere debent omnes, qui moribundum sensibus destitutum, qui nulla signa contritionis dederit, absolvi non posse, defendunt. Et in hoc sensu admitti potest sententia M. Sententiarum *in 4. dist. 17. cap. 4.* dicentis, confessionem in casu necessitatis non solùm posse, sed debere fieri laico. Videatur Henriquez *tomo 1. lib. 6. cap. 2. n. 7. & in Glos. litt. O.* ubi causas refert, propter quas laicus confessionem alterius audire possit, sed nullo modo, inquit, est præceptum, licet utile sit. * Primò, ut laicus peccata audita referat Sacerdoti supervenienti, nomine infirmi: secundò, ut juvet, ad contritionem excitandam, & ad consilium, aut restitutionem faciendam. (Pro qua refert Victoriam, Ledesmam, Armillam, Navarrum, Mantium, & alios) Tertiò, ut in articulo mortis Clericus absolvat ab excommunicatione, etiam reservata, aut conferat indulgentias. * Sic ille.

8. Addunt alii, in articulo mortis, deficiente Clerico, laicum posse ab excommunicatione validè absolvere. Ita sentiunt Joannes Sanctius *in Selectis, disp. 44. num. 7.* Bartholomæus de Ledesma *de excommunic. dub. 4.* D. Antoninus *3 p. tit. 17. cap. 4. casu 7.* Joannes de la Cruz, Tabiena, Joannes Valerus, & alii, quorum sententiam probabilem putat Leander *disp. 11. quæst. 7.* Addit Thom. Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 13. n. 13.* non solùm posse, sed debere laicum, in prædicto casu, impertiri absolutionem ab excommunicatione, cui consentit Leander, eo quod Doctores citati, & plures alii probabiliter doceant, posse. Quod est valdè notandum. Sicut & quod, aliis citatis, tenet Quintanadvennas *tom. 1. singularium, in appendice ad tract. 9. in Jubileo pro mortis articulo, dub. 4.* nimirum, posse etiam laicum, deficiente Clerico, applicare moribundo indulgentias concessas pro mortis articulo, si requi-

requiratur applicatio (quam ipse, nunquam requiri, censet, & probat ubi suprà *dub.* 3.) Harum assertionum ratio est, quia pia mater Ecclesia in eo articulo constitutis, quidquid beneficii impendere potest, deficiente Sacerdote, per laicos, conferre censetur, dum illorum capacitatem non excedat. Monet verò Sanchez, ut absolutus ab excommunicatione à non Sacerdote, absolvatur iterum ab illo post mortem, ut certus sit valor absolutionis, ne exponatur periculo carendi suffragiis publicis Ecclesiæ, quæ excommunicato non prosunt.

9. Assentiri tamen non possum M. Victoriæ *in Sum. de confessione, nu.* 142. concedenti laico facultatem absolvendi à venialibus per modum cujusdam Sacramentalis: verba eius sunt: * Imò ipse Sacerdos, cum celebrat, absolvitur de venialibus à laico in confessione generali, auctoritate Ecclesiæ, quæ habet potestatem suprà venialia, sicut per tunsionem pectoris, vel aquam benedictam, quia licet talis confessio non sit Sacramentum, est tamen quoddam Sacramentale. * Licet enim concedatur, quod ipse confessioni attribuit, nempè, quod ipsius virtute, ut actus pœnitentis est, venialia remittantur; nullum est fundamentum ad asserendum virtute absolutionis à laico impensæ, aliqua remitti, quia, neque ut actus jurisdictionis, cum laicus sit illius incapax, neque ut actus Sacramentalis, quia Ecclesia talem non instituit. Quapropter hæc sententia omni prorsus fundamento est destituta.

10. Dico secundò: ultra jurisdictionem Sacerdotis opus esse ad valorem absolutionis, quod eam approbationem ipse habeat, quam definit Trident. *sess.* 23. *cap.* 15. dicens: *Nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen; si illis videbitur esse necessarium; aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Ex quo inferunt communiter Doctores, absolutionem sæcularis à non approbato collatam esse nullam. Quamvis contrarium absque fundamento ullo defendat Crousers *in Regul. S. Franc cap.* 7. *lect.* 3. *fol.* 498. ubi censet solum esse à Concilio prohibitam, non verò invalidatam. Verba enim illa *non posse* nullitatem actus important. Nec audiendus est Barbosa *in Collectan. ad Trident. sess.* 23. *cap.* 15. ubi citatis Molfesio, Coroliano, & Joanne Valero, inquit, ignoranter Confessum non approbato, manere coram Deo absolutum. Id enim gratis dicitur, si sola mortalia confiteatur.

11. In articulo autem mortis, quosliber Sacerdotes, etiam non approbatos, imò, & degradatos, irregulares, & excommunicatos, posse validè, & licitè, aliis deficientibus, absolvere à quibuscumque peccatis, & censuris, constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. Nec benè Navarrus *cap.* 26. *nu.* 26. & Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. de Sacerdote hæretico negant. Quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec credibile est, cum periculo salutis æternæ animarum, usum Sacramenti in earum favorem institutum, prohibitum esse, nedum invalidum. An verò simplex Sacerdos licitè possit absolvere, quando adest approbatus, vel etiam superior, cui peccata reservata possunt subjici? sub lite est apud Doctores. Sed pars affirmativa probabilior mihi videtur. Quia Tridentin. ubi suprà expresè, nulla adhibita limitatione, sic definit. *In articulo mortis omnes Sacerdotes quosliber pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Amplissima ergo hæc concessio non est à nobis coarctanda.

12. Adde; gravissimos Doctores, ex hoc Tridentini loco deducere, jure novo in eo contento, absolutum ab excommunicatione reservata in articulo mortis, non teneri, eo cessante, comparere coram superiori, prout olim tenebatur *ex cap. Eos qui, de sent. excommun.* Ità P. Sà *verb. Absolutio ab excommun. n.* 6. Petrus Marchantius *tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 4. *q.* 7. *concl.* 3. & Millardus *in Sum. Paroch. de Pœnit. cap* 97. *n.* 10. Quod limitant alii ad casum, quo censura non sit deducta ad forum contentiosum, sic Cælestinus, & alii apud Dianam *p.* 5. *tract.* 14. *resol.* 59. *& p.* 10. *tract.* 14. *resol.* 63. ubi pro hac opinione refert Januarium, & Bl. Texeda: vel quando excommunicatio non habet onus satisfaciendi causæ, ob quam incurritur, ut Navarrus *cap* 26. *n.* 27. Avila *de Censuris, p.* 2. *cap.* 7. *dub.* 4. *concl.* 1. Quod putat probabile Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 13. *cap.* 7. *n.* 151. Sed quidquid de his sit. Certum est non esse imponendum pœnitenti onus comparendi, quando in articulo mortis, vel extra illum absolvitur à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi, alias privilegium nil operaretur, ut benè Thom. Sanchez *in Sum. lib* 2. *cap.* 13. *n.* 21. Joannes Sanctius *Selectis, disp.* 12. *num.* 5. Trullench *in Bull. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 20. *dub.* 5. *n.* 12. & alii apud ipsos. Id autem locum non habet in hæretico; nam Bulla nil circa hæresim concedit, ut advertunt Doctores citati. Quia in generali facultate, semel in vita, & iterum in articulo mortis, absolvendi à reservatis etiam in Cœna Domini, excipitur, in Bulla Hispana, hæresis crimen, ex speciali concessione Gregor. XIII. facta in quodam motu proprio, qui incipit *Officii nostri partes*, anno 1576. lib. de Bulla, nec pro articulo mortis, quidquam concedit circa absolutionem ab hæresi, sed Tridentinum tantum concessioni standum est. An etiam extendi à Doctoribus citatis adhibitæ? Suppremum sanctæ Inquisitionis Tribunal consulere oporter. Ego interim onus comparendi hæretico externo injungo, non omitterem. Nec assentiar principio, ex quo oppositum inferatur.

QVÆSTIO II.

Utrùm Parochi extra casum necessitatis possint sibi eligere confessarium? an etiam non approbatum ab Ordinario?

1. Duplex sub hoc titulo exagitatur quæstio: Prima, an Parochi possint in confessarium eligere, quem maluerint Sacerdotem approbatum ab Ordinario, sed alias carentem jurisdictione? Secunda, an etiam ab Ordinario non approbatum? Duplex hæc quæstio à nonnullis confunditur, sed immeritò: valdè enim diversæ sunt, quia non compatitur, Sacerdotem esse approbatum; & non jurisdictionem ad absolvendum non habere; unquam ad reservata contingit; à quibus ex defectu solius jurisdictionis Sacerdos, alias approbatus, absolvere nequit. Cujus distinctionis ratio à priori est, quod approbatio nil est aliud, quam quædam publica intentia, seu Ordinarii judicium de sufficientia Sacerdotis ad audiendas confessiones: jurisdictio autem est quædam gratia, quam liberaliter facit Pontifex, vel Episcopus, vel Parochus, dum suas illi oves judicandas committit. Hoc posito.

2. Primò certum est, *ex cap. ultimo de Pœnit. & remiss.* Episcopos, & inferiores Prælatos exemptos habere facul-

facultatem eligendi confessarium; cujus concessionis rationem exprimit textus, ibi? *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, ut, etiam prater sui Superioris licentiam, providum, & discretum, sibi possint eligere Confessorem.*

3. Est tamen non levis difficultas, an Parochi, in præfato juris capite, comprehendantur sub illa particula *Prælati minores*, ac proinde validè, & licitè non minus, quam Episcopi, extra casum necessitatis, pro suo nutu, in aliena Diœcesi, vel Parochia Confessorem providum, & discretum eligere possint, etsi aliàs carentem jurisdictione? Affirmant nonnulli, quorum sententiam probabilem innuit P. Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 28. sect. 2. num. 7.* dicens: * Ita sentiunt Sylvester, & Angelus, cum Panormitano; sed in rigore, probabilius videtur contrarium. * Sylvestri verba sunt *verb. Confessor. 1. quæstion. 8.* ibi: * Qui possint eligere confessorem? Et dico, quod sunt Episcopi, & Prælati Superiores, & similiter Prælati inferiores exempti, ut Abbates, & hujusmodi. Notandum tamen, quod ut eligere possint prædicti inferiores, requiritur primò, quòd sint Prælati, capiendo largè Prælatos, etiam pro Sacerdotibus Curatis, ut dicit Panormitanus *in dicto cap. finali*, qui largè dicuntur Prælati. * Quibus facit Margarita Confessorum, *fol. 156.* ubi ait: * Dicendum est igitur, quod Curatus largè dicitur Prælatus, & aliquomodo etiam strictè, quia in certis casibus habet jurisdictionem in foro contentioso. Unde secundum Sanctum Thomam *in 4. dist. 18.* potest excommunicare pro furto, & rapina, & similibus: & secundum Panormitanum possunt eligere Confessorem, sicut Episcopi, ficit *cap. tua de Clerico agrotante.* * Hactenus M. Baltanas, quem refert, & sequitur Vega *1. part. Sum. cap. 75.* ubi sic: * Segun Panormitano, puede el Cura elegir Confessor para si, ni mas, ni menos, que el Obispo, ut est in jure, y esta opinion tuuo tambien Margarita Confessorum. * Quibus consentit Pasqualigus *decis. 105.* & alii.

4. Verum contraria omnino sententia tenenda est cum Suarez *ubi suprà*, quem sequuntur P. Granados *tract. 10. disput. 5. num. 4.* & Molfessius *tract. 7. cap. 15. num. 38.* ubi ait, hanc esse responsionem omnium. Ægidius *disp. 8. num. 61.* & plures alii. Quorum ratio est, primò, quia Parochi nunquam in jure simpliciter, & absolutè dicuntur Prælati, quin potiùs in Clementina *Dudum de sepulturis* fit apertè distinctio inter Parochos, & Prælatos. Secundò, quia licet nomine Prælatorum Curati venire possint, non ideò præfato juris privilegio frui possent, quia solis Prælatis inferioribus exemptis conceditur. Curati autem non sunt exempti ab Episcoporum jurisdictione. Quod si forte aliquis exemptus sit, & immediatus Pontifici Summo, in hoc tantum locum habere poterit opinio Panormitani, Sylvestri, & aliorum; quia ut benè ait Suarez suprà: verba textus probabiliter ei accommodari possunt, propter rationem, cui innititur, *ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum*; quia non est facilè, Pontificem adire: Unde si Sacerdotem, aliàs jurisdictione carentem, eligere posset, non satis illi provisum fuisset, ut animæ periculum vitaret. Et, me judice, pro solis Parochis exemptis adduci potest Sylvester *ubi suprà*; ait enim; ut hujusmodi eligant. * Secundò requiritur, quod sint exempti; quod in Episcopo, & Superioribus, non requiritur secundum Panormitanum, ibi: * Ergo Curatis non exemptis, non concedit Sylvester facultatem eligendi Confessorem, sed exemptis tantum.

5. Quoad Prælatos verò Regulares, ut Provinciales, Ministros, Priores, Guardianos, Rectores, & alios Superiores locales, conveniunt ferè omnes, posse ex jure eligere sibi confessarium; quia verè sunt Prælati, & exempti, licet aliis Prælatis majoribus subsint, ut Generali, vel Abbati. Ita contra Hostiensem, Panormitanum, & Angelum, tradunt Suarez ubi suprà *disp. 27. sect. 2. nu. 10.* Lugo *disp. 19. n. 4. & disp. 20. n. 67.* Vasquez *quæst. 93. artic. 2. dub. 4.* Diana *3. part. tract. 2. resol. 1.* & *part. 4. tract. 4. resolut. 1.* & plures, quos citatos sequitur Pasqualigus *decis. 96. n. 2.* Et ante omnes Sylvester, *verb. Confessor. 1. quæst. 8.* quem refert Amadæus Guimenius *in opusc. pro Iesuitis, tract. de Pœnit. prop. 16.* ubi eius formalia verba adducit.

6. Unde valdè miror desidiam Vincentii Baronii *in opere contra Amadæum disp. 2. sect. 3. fol. 245.* ubi non solùm contrariam sententiam Sylvestro attribuit, sed enormis impostura Amadæum insimulat, dicens: * Quoad Sylvestrum attinet, adverto, non bona fide referri, sic enim habet: Præter exemptos, qui immediatè subduntur Papæ, Prælatos, qui habent suprà se Abbatem, Generalem, vel ejusmodi, id est, Episcopum, eligere communi jure non posse quemlibet Sacerdotem in confessarium. * Hæc Baronius, quibus Sylvestro & verba, & sententiam imponit, nempè, quam ab aliis traditam refert, & deserit. En eius verba: * Exempti habentes immediatè suprà se Abbatem, vel Generalem, & hujusmodi, eligere communi jure non possunt, secundum Hostiensem, quod ibi Panormitano placet, & hoc sequitur Angelus. *Sed Petrus de Palude* (attende) *tenet contrarium, dicens: Quod Prior, si est Prælatus, & exemptus, licet subsit Abbati, & Majoribus, hoc potest sine licentia eorum, quia hoc privilegium* (inquit) *de eligendo Confessorem æqualiter conceditur Episcopis, & minoribus Prælatis exemptis. Hoc sequitur Archi. & hoc tene: quia constitutio est gratiosa, & latè interpretanda.* * Ergo apertissimè Baronius contradicit Sylvestro, & sententiam, quam ibi rejicit, attribuit; & ex industria imponit, ut Amadæo calumniam inferat. Maneat ergo omninò certum, juxtà opinionem Sylvestri, Prælatos inferiores exemptos posse communi jure confessorem eligere, licèt *supra se habeant Abbatem, vel Generalem, & hujusmodi.* Quod ut negaret Baronius, verba à se ficta Sylvestro affingere coactus est.

7. Restat verò non levis difficultas, an Curati extra suam Parochiam, licet non ex jure, ex consuetudine tamen, habeant facultatem eligendi confessorem, nempè, al às approbatum ab Ordinario, sed jurisdictione carentem? Affirmant plures ex antiquis; Hostiensis, Raymundus, Astensis, Gerson, & alii apud Suarez *disp. 27. sect. 3.* quos post Tridentinum sequuntur Navarrus *in cap. placuit, num. 30. & sequentibus.* M. Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. §. Similiter & omnes.* Ubi sic scribit: * Curati consuetudine habent, ut possint sibi eligere confessores, præterquam in casibus reservatis. Quin verò, & universi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, ut sibi promiscuè quemcumque eligant Sacerdotem. * Idem tenent M. Ledesma, & alii, quos sequitur Vega ubi suprà *1. part. Sum. cap. 75.* ibi: * Dize bien Ledesma, que los Curas, por la costumbre que ay, pueden eligir para si Confessores, los quales los pueden absolver, fino es de los casos reservados. * Quorum sententia, si rectè explicetur, sustineri potest, ut benè ait Suarez.

8. Sit igitur prima conclusio: Ex sola consuetudine nullus habere potest facultatem eligendi confessarium, aliàs carentem jurisdictione. Sic P. Suarez ubi

ubi suprà, Vasquez *tom. 4. in 3. part. q. 93. art. 2. dub. 2. num. 5.* Cajetanus, & alii communiter. Probatur *ex cap. si Episcopus de Pœnitent. & remission. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. definit, nullâ consuetudine introduci posse, ut aliquis, præter superioris licentiam, confessorem sibi eligere possit. Undè probant communiter Theologi, jurisdictionem esse jure divino necessariam, & à solo Pontifice, aut Episcopo, vel Parocho in proprias oves communicabilem. Juri autem divino nulla consuetudo derogare potest: esset enim corruptela, non consuetudo, ut docent communiter Theologi. Undè infero, eradenda esse verba Magistri Soti loco supra citato ex editione Methynæ à Campi anno 1579. Ubi cum sibi objecisset præcitatum caput, *si Episcopus*, respondet: **Nudam consuetudinem contra illud ius prævalere posse*, * quod sustineri non posse, censeo; quia aliàs innanis prorsus esset Pontificis decisio. Quapropter mihi suadeo, verba illa non esse Magist. Soti, sed per errorem Typographi irrepsisse, ly *nudam*, cum deberet dicere *nullam*. Quòd non obscurè colligitur ex subsequentibus, quæ congruam capitis explicationem præseferunt: & ipsemet expressit inferius *art. 3. §. * In introitu.**

9. Dico secundò: si videntibus, & tacentibus Pastoribus, alicubi introducta fuerit consuetudo eligendi confessarium, poterunt tuta conscientia Curati, etiam extra suam Parochiam, & alii Sacerdotes illi stare; quia Prælati censentur jurisdictionem electis conferre, dum videntes silent; ideòque jurisdictio hæc non ex consuetudine, sed ex legitima concessione Prælati promanat, & ex vi talis concessionis à successoribus non revocatæ continuatur. Undè consuetudo, si propriè loquendum sit, non dat facultatem eligendi confessorem, sed est signum concessæ, & virtute consensus taciti superioris perseverantis. Ex quibus consequenter deducitur, Prælatum, ex cujus tacito consensu continuatur consuetudo, posse pro suo libito, contraria expressa voluntate, illam abrogare, & penitus abolere, quin præcedens consuetudo allegata ullo modo prævalere possit. Hac ratione explicanda est consuetudo, quam Curati, & alii omnes Sacerdotes sæculares obtinuerunt, eligendi confessarium, de qua testantur M. Sotus ubi suprà, P. Vasquez, *quæst. 93. citata art. 1. dub. 4. num. 2. in fine.* P. Gaspar Hurtado *disp. 10. de Pœnitent. diffic. 12.* Suarez *disp. 27. sect. 3.* Vega, & alii. Quibus consentit Vincentius Baronius 2. *par. Manuduct. disp. 2 sect. 3. fol. 245.* Et sanè quod Parochus in sua Parochia possit, videtur certum, quia quem subditis potest, sibi eligere non prohibetur. Potest autem pro subditorum confessionibus quemlibet approbatum exponere.

§. I.

Quid de electione confessarii non approbati, post Tridentinum?

10. GRavior est difficultas, utrùm habentes facultatem eligendi confessarium aliàs carentem jurisdictione, possint post Tridentinum (ubi receptum fuerit) eligere etiam non approbatum ab Ordinario? Ad cujus decisionem præmittere oportet Tridentini verba *sess. 23. cap. 15.* ubi: * Decernit sancta Synodus; nullum etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alioquin judicetur, &c. Privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. * His positis.

11. Omnes ex jure habentes facultatem eligendi confessarium posse, etiam post Tridentinum, eligere non approbatum ab Ordinario, asserit Thomas Hurtado *tom. 1. variar. quæst. resol. tract. 3. cap. 1. resol. 12.* cum Villalobos, Joanne de la Cruz, Miranda, & aliis quos refert. Quos sequitur Pasqualigo *de seu Curati possint; affirmat decis. 105. numer. 6. in* * Existimo, posse eligere etiam non approbatum ab Ordinario. * Probat, quia per Tridentinum non revocatur privilegium Parochis concessum, *cap. de Pœnitent. & remission.* utpotè in corpore juris positum, cujus privilegia non revocantur per clausulas generales, & sicut non revocatur quatenus fuit regentibus, quia Tridentinum specialem mentionem de ipso non fecit, ita neque in ordine ad eligendum ob eamdem rationem: cùm Pasqualigo convenire debent, qui asserunt idem quod Episcopis privilegium, ex jure Parochis competere. Panormitanus, Vega, & Baltanas citati *num. 3.*

12. Huic sententiæ dissentire non possunt M. Gallo, M. Joannes de Orellana, & doctissimi alii Magistri, quos citatos sequitur ex eodem instituto M. Petrus de Ledesma *in Sum. tom 1. de Sacram. Pœnitent. cap. 12. conclus. 5. §. La segunda sentencia.* Et Ludovicus de S. Juan, *quæst. 6. de Pœnitent. art. 2. diffic. 12.* Quorum sententiam probabilem putat M. Joannes de Cruz *in direct. part. 2. de Sacram. Pœnitent. quæst. 5. dub. 5. num. 2.* & amplectitur Thomas Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. 12. cap. 1. num. 2024.* Hi inquam, dissentire nequibunt, quia asserunt, Parochum, post Tridentinum, posse Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario, exponere ad audiendas illorum Parochianorum confessiones. Quod ante illorum ortum novit M. Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. artic. 3. resp. mum dubium.* Parochus enim potest, Sacerdotem, quem subditis exponit, sibi eligere: namut ex D. Thoma, D. Antonino, & aliis tradit M. Joannes Martinez de Prado *tom. 2. quæst. moral. cap. 21. §. 6. numer. 64.* * Potest Prælatus uti licentiis, quas subditis concedit, & concedere confessario, ut eum absolvat, & cum illo dispenset, sicut potest communicare dispensare cum alio. * Quæ sententia est expressa D. Thomæ *in 4. dist. 21. q. 1. art. 5. quæst. 4. ad 1.* * Enimverò quæ authoritate jurisdictionis dantur alicui, potest etiam Prælatus uti, tam in temporalibus, quam in spiritualibus. * Et est communis opinio Doctorum apud Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 3.* Et ejus necessaria consequutio ex una opinione ad aliam; ac proinde Parochum posse confessarium non approbatum sibi eligere, quem suis ovibus exponat potest.

13. Urgetur ex doctrina Ludovici à Cruce, *cap. 2. dub. 23. num. 20.* asserentis, Eminentissimos Cardinales posse ex sibi subditis, & commensalibus eligere confessorem non approbatum à Diocesano, *cujus egregiam rationem* (inquit Thomas Hurtado) *reddit Naldus, verb. Cardinalis, num. 2. nempè quia certum est, Cardinales esse proprios Sacerdotes familiæ, & per se, vel per alios posse hoc munus Parochi illos exercere.* Sed apertiùs loquitur Naldus, ibi: * Nam si possunt (inquit) hanc facultatem supradictæ familiæ, ut suprà, concedere, non erit ambigendum, posse eos ipsos uti eadem authoritate. Atqui certissimum est Parochum in subditos, & Parochianos illum

exer

exercere posse: ergò non minùs, quàm Domini Cardinales, confessarium, quem subditis exponere, sibi eligere poterit. Idem ergò judicium de utraque opinione ferendum est: atque adeò si ex jure, post Tridentinum, potest pro subditis non approbatum designare, (ut pluribus suadere contendit Thomas Hurtado ubi suprà) poterit etiam ex jure non approbatum sibi eligere.

14. Ex quo principio Parochum posse suâ jurisdictione alteri Parocho communicata validè, & licitè uti, & beneficium absolutionis, sicut & subditos, abillo obtinere, tradunt Henriquez *lib. 6. cap. 8. num. 2.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 4.* Navarrus *cap. placuit, num. 4. 9. de Pœnit. dist. 6.* Suarez *disp. 28. sect. 4. nu. 18.* Coninch. Fagundez, & plures alii, quos citatos sequuntur Bossius *de Iubilæo, sect. 5. casu 2. §. 4 num. 126.* Leander à Sacram. *tom. 1. de Pœnit. tract. 5. disp. 11. quæst 34.* Et Thomas Hurtado ubi suprà *tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 2026.* Ergò si Curatus post Tridentinum possit simplici Sacerdoti, & non approbato ab Ordinario suam jurisdictionem pro suis subditis delegare; poterit etiam ab illo absolvi: habet enim potestatem ordinis, & jurisdictionis. Ergò vel necessariò dici debet, jurisdictionem non esse post Tridentinum delegabilem non habenti approbationem in Concilio stabilitam, vel posse Parochum post Tridentinum Sacerdotem non approbatum in confessarium sibi eligere. Cujus ratio à priori est, quia Prælatus potest quoad se, quod potest quoad subditos: duas enim personas repræsentat, aliam superioris, secundùm quam jurisdictionem delegat; alteram hominis, vel partis communitatis, secundùm quam jurisdictioni subjicitur: expedit enim, ut hi, qui aliis, sibi etiam facultatem facere possint, ne sint pejoris conditionis quàm subditi. Quod desumitur ex D. Thoma, Cajetano, Soto, Tabiena, Sylvestro, D. Antonino, Suarez, Salas, Molina, Azor, & aliis, quos sequuntur Pasqualigus *dcis. 86.* & alii communiter.

15. Denique ex alio capite probant nonnulli, Curatum posse eligere confessarium non approbatum ab Ordinario; nimirùm ex consuetudine legitimè introducta. Ita videntur sentire Vega *1. part. Sum. cap. 75.* Ubi sic: * Dize bien Ledesma, que los Curas, por la costumbre que ay, pueden elegir para si Confessores, los quales los puedan absolver, fino es de los casos reservados. Y yosè auer puesto en practica un Cura doctissimo la opinion de Margarita, y de Panormitano (*sup. num. 7.*) fundandose en esta costumbre, que dize Ledesma que ay. * Et expressè hanc sententiam, non solùm quoad Parochos, sed quoad alios etiam Sacerdotes, tenet M. Dominicus de Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. §. Similiter & omnes.* Ubi ait: * Curati non sunt Prælati, & ideò in proprium Sacerdotem habent solum Episcopum, quamquam consuetudine habeant, ut possint sibi eligere confessores, præterquam à casibus reservatis. Quin verò & universi simplices Sacerdotes eâdem gaudent facultate, ut sibi promiscuè quemcumque eligant Sacerdotem; quapropter & cuicumque de Religiosis confiteri possunt, quamquàm hujusmodi Religiosus, nec sit expositus ab Episcopo, nec à suo Prælato. * Sic post Tridentinum M. Sotus in editione Methymnæ à Campi, quâ utor, anno 1579. Cui consentit novissimè Vincentius Baronius ejusdem instituti *in Manuduct. ad Theolog. moral. par. 2. contra Amadæum Guimenium, disput 2. sect. 3. fol. 245.* Ubi sic. * Absit, ut Curatis jus auferam, quod illis revera confert Panormitanus, & Soto relatus ab Amadæo, apposita tamen hac, quam tacet, conditione; si Episcopi videant subditos promiscuè sibi eligere confessarios, & sileant. Hoc enim silentio, additâ consuetudine, censentur consentire, & facultatem permittere. * Sic ille, sed immeritò Amadæum reprehendit, quod conditionem à Soto appositam tacuerit: non enim conditionaliter loquutus fuit Soto, sed absolutè: * *Cùm præfecti (inquit) superiores videant subditos promiscuè sibi eligere confessarios, & sileant, connivere censentur, eamdemque permittere facultatem.* * Concedit ergò illam Parochis, quia superiores vident, & silent; quo silentio consuetudo firmatur, & facultas eligendi non approbatum, non ex nuda consuetudine, sed ex tacito consensu Episcopi continuatur. Omitto Baronium testari, se cum Panormitano sentire: hunc autem concedere Parochis ex jure facultatem eligendi confessarium, quæ Episcopis competit, constat ex dictis suprà *num. 3. & 15.* quapropter nec tacitum Episcopi consensum desiderare debet, sicut nec Panormitanus desiderat. Nec dissentiret conclusioni M. Sotus, si antecedens concederet, quia *dist. 18 q. 4. art. 3. vers. Postremum dubium,* expressè asserit eos, qui habent facultatem eligendi confessarium idoneum, sivè per Pontificium diploma, sivè à Parochiali Sacerdote, posse eligere quemcumque Sacerdotem etiamsi nec beneficium Parochiale habeat, *nec per Episcopum sit expositus.* Quod post Concilium Tridentinum à tanto Doctore assertum miror. Nec potest de tempore dubitari, quia comprobatur testimonio ipsius, *dist. 15. q. 1. artic. 2. vers. Et ad majorem.* Ubi Tridentinam Synodum refert, ejusque authoritate se protegit.

16. Quod autem Sacerdos sufficienter censeatur approbatus ad confessiones audiendas, per licentiam tacitam Episcopi, est communis Doctorum sententia; & ratio est efficax, quia, ut constat ex superiùs dictis, consensus tacitus superioris est sufficiens dare jurisdictionem: ergò & approbationem: consequutio est evidens, quia hæc est de jure humano, post Tridentinum introducta: illa verò ex divino, ut inferunt communiter ex *cap. si Episcopus,* suprà citato: ergò si Episcopus videat, vel sciat Curatos, vel simplices Sacerdotes eligere confessarium non approbatum, & eis non contradicat, cùm facilè possit; eo silentio, electum sufficienter approbat, & judicium de sufficientia confessoris eligenti committit; nam qui tacet in his, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, consentire videtur, ex regula juris 10. *in 6* Sic Sylvester, Soto, Becanus, Henriquez, Homobonus, Toletus, Fagundez, & alii, quos citatos sequitur Diana *3. part. tract. 4. resol. 68.* Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 35. nu. 20. & 21.* Joannes Sanctius *in Selectis, disp. 44.* & plures alii, quos citat, & sequitur Bossius *de Iubilæo, sect. 3. casu 2. §. 4. num. 135.* Bardi *in Bullam, tract. 5. cap 1. sect. 9. à num. 120.* & P. Mendo *in Bullam, disp. 22. cap. 11. num. 113.*

17. Difficultas ergò solùm est, an de facto talis existat consuetudo: illa enim, quæ ante Concilium Tridentinum extitit, per ipsum fuit revocata, illis verbis: *Privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus.* Ergò si post Tridentinum de novo inducta non fuerit, nequibunt Curati ex hoc capite excusationem prætendere: ac proindè ex nullo.

(:†:)

§. II.

Iudicium Authoris.

18. NUllus sæcularis, licèt Sacerdos, aut Parochus, potest post Tridentinum eligere confessarium non approbatum ab Ordinario. Ita P. Gaspar Hurtado *de Pœnit. disp.* 10. *diffic.* 13. Ubi postquam *diffic.* 12. recensuit eos, qui vel ex jure, vel ex consuetudine possunt sibi eligere confessarium absque licentia proprii, inter quos numeravit Parochos, & omnes alios Sacerdotes, etiam simplices; statim sequente, *diffic.* 13. citata, inquiri; * an habentes facultatem eligendi confessarium, possint eligere Sacerdotem simplicem, & non approbatum? * Et respondet negativè; his verbis. * Certum est post Tridentinum, non posse à pœnitente sæculari eligi in confessarium nisi Sacerdotem, qui vel sit Parochus, quamvis aliàs alienus, vel qui sit approbatus ab Ordinario: quia in Tridentino *Sess.* 23. *cap.* 15. decernitur, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi approbarum ab Ordinario, vel habentem Beneficium Parochiale. * Sic Hurtado, à quo decreto solum excipit Religiosos, circà quorum confessiones, nil Concilium innovavit, ideòque cuicumque Sacerdoti non approbato ab Ordinario, nec Beneficium Parochiale habenti, possunt modo, sicut ante Concilium, de licentia tantùm suorum Prælatorum validè, & licitè confiteri, ut docent communiter Theologi. Suarez *disp.* 28 *sect.* 4. *num.* 5. Vazquez *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. Lugo *disp.* 21. *num.* 2. Diana 3. *part. tr.* 2. *res.* 3. & 30. & *part.* 8. *tr.* 1. *res.* 86. Thomas Hurtado *tom.* 2. *resol. mor. tr.* 12. *cap.* 1. §. 2. *dub.* 5. *num.* 2071. & plures alii, quos citatos sequitur Leander à Sacramento, *tom.* 1. *tr.* 5. *disp.* 11. *q.* 45.

19. Hanc exceptionem extendunt aliqui ad Equites militares D. Joannis, D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. Sic Leander *ubi suprà* cum Joanne Santio *in Selectis, disp.* 49. *num.* 10. 11. & 13. subnectens *quæst.* 47. ita debere sentire omnes, qui affirmant prædictos milites esse verè Religiosos. Et in terminis posse sine scrupulo confiteri sæculari Sacerdoti non approbato per Episcopum, ait Thomas Hurtado *sup. num.* 2072. Et ita docere Ricium, Vidal, Novarium, & Martinum à sancto Josepho, refert Diana *part.* 10. *tr.* 16. *resol.* 76. Quorum opinionem de jure veram esse, licet consuetudo sit in contrarium, dicit ipse Diana *ubi suprà*, & prædixerat *par.* 8. *tit.* 7. *res.* 95. cui subscripsit P. Amicus *tom.* 8. *disp.* 15. *sect.* 3. *n.* 97.

20. Sed quidquid de his sit, nullum Sacerdotem, etiam Regularem, posse sæcularium etiam Sacerdotum confessiones, post Tridentinum excipere, quin Beneficium Parochiale habeat, aut Episcopi approbationem, ut omninò certum supponit Gaspar Hurtado *ubi sup. diffic.* 13. citata; & esse in Tridentino definitum, ait P. Vazquez *tom.* 4. *in* 3. *part, quæst.* 93 *art.* 2. *dub.* 5. *num.* 5. * Post Concilium inquit, jam certissimum est, neque ex generali, neque speciali commissione, concedi posse licentiam eligendi confessarium non approbatum ab Episcopo: quod definitum est in Tridentino *Sess.* 23. *decreto de reformat. cap.* 15. *&c.* eâ ergò deficente (approbatione) definit Concilium non esse ullum Sacerdotem idoneum ad judicandum, & absolvendum in hoc Sacramento. * Sic Vazquez quem sequutus est Gaspar Hurtado verbis ex illo datis *n.* 18.

21. Quapropter animadvertere hic non omittendum recentiores quosdam quæstiones diversas confundentes, Doctori Gaspar Hurtado imposuisse sententiam asserentem, Parochum post Tridentinum posse sibi eligere in confessarium Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario: cùm ille præsè contrarium certissimum esse docuerit; & ex consuetudine solùm concesserit facultatem eligendi carentem jurisdictione, non verò non approbatum: æquiparat enim ibi Parochos habentibus privilegium Bullæ Cruciatæ, quoad electionem confessarii, pro non reservatis. Ideòque *diffic.* 12. primam facultatem ex consuetudine illis concedit, secundam verò expresè negat *diffic.* 13. non solum Parochis, sed quibusvis etiam Prælatis, & Episcopis sæcularibus; quibus *ex cap. Nepro dilat. de Pœnit. & remiss.* facultas eligendi confessarium privatum, & *discretum* conceditur. Quia post Tridentinum nullus talis censetur nisi ab Episcopo approbatus, ut Beneficium habens Parochiale. Quod docent Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 7. Card. de Lugo *disp.* 21. *sect.* 1. *num.* 3. Navarrus, Ricius, Barbosa, Filliucius, Azor, Fagundez, & plures alii, quos citatos sequitur Diana 3. *part. tr.* 2. *resol.* 3. Pasqualig. *disp.* 66. & Leander *ubi sup. q.* 28.

22. Quâ verò certitudine id tenendum? Certè est difficultas. Sed quoad Parochos novissimum decisionem habemus ab Alexandro Septimo die 12. *Sept. anno* 1665. qui hanc propositionem: *qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in confessum simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*, damnavit ut minimum ut scandalosam, & injuriosa excommunicationis prohibuit. Undè nemini in posterum similem confessarium eligere licebit, nec prætextu alicujus privilegii ex jure sibi competentis; nec ex consuetudine tacito superiorum consensu continuata. Et quidem, ut à viris doctissimis accepi, nunquam post Tridentinum in Hispania talis consuetudo viguit.

23. Ex quibus infertur primò, falsam esse opinionem M. Petri de Ledesma, & aliorum, quos secutus est Thom. Hurtado *ubi sup. num.* 12. asserens posse Parochum post Tridentinum ad confessiones subditorum excipiendas, simplicem Sacerdotem, ab Ordinario non approbatum exponere. Ratio est aperta: quia si aliis posset, illum sibi eligere videret, ut in confesso est apud omnes; sed sibi eligere non valet, ut constat ex decreto Alex. VII. ergò idem sententiam præfatam Petri de Ledesma, jam dictam improbabilem rejecerunt P. Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. *num.* 11. dicens: * neque tutam, nec practicè probabilem sibi videri, * & apertiùs P. Fagundez, *Præceptum secundo lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 43. Joannes Sanctus *in Selectis disp.* 48. *nu.* 11. Cæspensis *in cursu Theologico, tom.* 3. *tr.* 24. *disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 64. Martin. de S. Josepho *in monitis confes. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 24. *de Pœnit. num.* 5. Quos citatos sequitur Diana 3. *par. tr.* 4. *res.* 146. & *par.* 10. *tr.* 16. *res.* 75. & Petrus Fay *in Addit. ad* 3. *p. S. Th. tr.* 3. Ubi adducit declarationem Eminentissimorum Cardinalium Concilii interpretum. Cui insistens nostrorum Parochis, *lib.* 1. *tr.* 7. *Sess.* 1. *num.* 3. *fol.* 58. dorum Parochis, *lib.* 1. *tr.* 7. *Sess.* 1. *num.* 3. *fol.* 58. de Illustrissimus Dominus D. Alphonsus de la Peña & Montenegro, in aureo suo itenerario pro bonis præfata M. Ledesmæ opinione loquens, ait: * Y assi se puede seguir esta opinion, ni ponerla en practica, despues que los Ilustrissimos Cardinales dezidieron

tatòn, que no tienen los Curas facultad para aprobar Confessores en sus Beneficios.* Et quidquid sit de præfata declratione, sit nec ne authentica, conclusio certissima haberi debet, utpotè necessaria consecutione deducta ex decreto Alexandri VII. ut suprà expendimus. Quapropter sustineri ulteriùs non potest opinio M. Soti suprà citati *num* 15. *in fine.* ubi habentem facultatem à suo Parocho ad confitendum alteri, docet posse eligere non approbatum ab Ordinario. * *Et ratio,* inquit, *est, quia ad absolutionem solùm requiritur potestas ordinis, & jurisdictionem.* * Quod apertè falsum est, nam post Tridentinum non est capax jurisdictionis, qui Beneficium Parochiale non habet, vel approbationem ab Ordinario, ut definitur *Sess.* 22. *cap.* 5.

24. Infertur secundò, facultatem concessam Parochis *in cap. Placuit, & cap. Omnes utriusque sexus, de Pœnit. & remiss.* exponendi pro subditorum confessionibus, quemlibet Sacerdotem prudentis judicio idoneum, absque alia approbatione, vel abrogatam esse per Concilium Tridentinum, etsi illius mentionem non fecerit. Vel ut alii asserunt, id necessarium non fuit ad novum hoc jus instituendum, quia Parochis non est ablatum privilegium, & facultas, quam habebant delegandi jurisdictionem Sacerdoti idoneo, sed Concilium declaravit, quis in posterum per confessarium idoneum (*seu providum, & discretum,* ut in textu dicitur) habendus sit. Quâ declaratione semel positâ, nequit de cætero alteri jurisdictio delegari.

25. Præter quam quod, ut benè adnotat Cardin. de Lugo *disp.* 21. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 6. hoc Tridentini jus potissimum fuit inductum, ne Parochi sua potestate abutentes, oves suas ineptis confessariis traderent, ut nonnulli fecerunt. Undè Concilii declaratio exceptionem hanc non patitur, alias inconvenientibus non occurrisset. Quapropter nullatenus audiri debet Thomas Hurtado *ubi sup. tr.* 12. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 2028. dum ait; Concilium Tridentinum solùm intendisse declarare, quid intelligatur per confessarium idoneum in Bullis, & privilegiis, quibus Summus Pontifex concedit facultatem eligendi confessorem idoneum, non verò quid intelligendum in jure canonico, quando in illo similis facultas concessa reperitur. Hæc enim interpretatio est omninò voluntaria, & extorta, & verbis Tridentini repugnans, quia universaliter decernit, nullum ad potestatem jurisdictionis, quoad sæcularium confessiones etiam Sacerdotum excipiendas, idoneum in posterùm reputari, nisi approbationem ab Episcopis obtinuerit, ergò post Concilium nullus est capax accipiendi jurisdictionm delegatam, neque ex jure, neque ex Bulla, aut privilegio, si præfatâ approbatione careat. Ex quibus fit rejiciendam prorsùs sententiam asserentem Religiosos injustè reprobatos ab Episcopo posse confessiones excipere. Quam post Trident. ausi sunt defendere Joannes de la Cruz *de stat. Relig. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. & Thom. Hurt. *tom.* 2. *qq. moral. tr.* 12. *cap.* 1. *num.* 1887. & 1896. ex M. Soto *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art* 3. Quam Dian. *par.* 6. *tr.* 7. *res.* 60. testatur *inter Doctores inclytæ Sorbonæ esse communiter receptam*; cæterum sustineri in posterum non potest; quia ut scandalosa damnata, & prohibita est, ab Alex. VII. *die* 24. *Sept. anno* 1665.

26. Cum his verò rectè cohæret potestas Parochi, ad exponendum, pro suis ovibus, quemcumque alium Parochum, vel Sacerdotem approbatum, etsi alias jurisdictione carentem. Est communis Theologorum sententia; quia ad delegationem jurisdictionis acceptandam, quilibet prædictorum sufficientem habet approbationem, nec ad inconvenientia vitanda, major alia requiritur. Ita tradunt Suarez *disp.* 28. *sect.* 4. M. Candidus *disquis.* 24. *art.* 65. *nu.* 10. Filliucius, Toletus, Henriquez, Ægidius, & alii, quos pro valida, & licita expositione alterius Parochi, refert Leander *tract.* 5. *disp.* 11. *quæst.* 58. item Navarrus, Trullench, Henriquez, Joannes de la Cruz, quos pro cujusvis approbati expositione, sivè ab Episcopo Diœcesano, sivè ab alio quopiam Episcopo, refert & sequitur Leander *ubi sup. quæst.* 59. Quorum sententia valdè probabilis est, non verò certa, quia circà Episcopum à quo habenda sit approbatio, gravissima est inter Doctores controversia, de qua alibi.

QVÆSTIO III.

Dubia nonnulla occurrentia circà approbationem confessarii.

1. CUm certum nobis sit ex Tridentino, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire; neque ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, aut aliàs idoneus judicetur; dubitari potest, an Prælati Regulares, & superiores locales, Priores, Guardiani, Rectores, & similes ipso jure censeantur habere approbationem à Tridentino requisitam, ita ut absque alia Episcopi Diœcesani, sæcularium confessiones virtute Bullæ Cruciatæ excipere possint? Partem affirmativam sustinent, ex præclarissimo Dominicanorum cœtu, M. Mancius, M. Gallo, M. Medina, & M. Bannez, quos refert Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 2. *in gloss' litt.* E. & F. Ubi sic: * Quartò addunt Mancius, Gallo, Fr. Medina, Bannez, & alii Dominicani, Prælatus Monasterii æquatur habenti Parochiale beneficium, & est jure Ordinarius, & eligibilis per Bullam à sæcularibus, sine approbatione Episcopi. Hæc tamen in praxi sunt magis cogitanda. * Hæc Henriquez ubi suprà, & iterùm *lib.* 7. *de indulgentiis, cap.* 12. *in gloss. litt. K.* Quorum doctrina innititur opinioni Cajetani *in sum. verb. Excommunicatio, cap.* 72. Ubi ait: Prælaturam Regularem * esse Officium Ecclesiasticum, quod Beneficio æquiparari videtur. * Cui consentit Vincentius Baronius 2. *part. Manuduct. contra Amadæum, disp.* 2. *sect.* 5. *fol.* 272. Indeque cum Cajetano contendit, pecunia data ob prælaturam regularem, & simoniam contrahi, & pœnas contra simoniacos in collatione Beneficii à jure impositas: consulto verò omittit Baronius illationem à præclaris Thomistis, ut suprà deductam, quoad electionem confessarii virtute Cruciatæ, forsan quia legitimam agnovit.

2. Quibus adde M. Barnabam Gallego *in Bullam Cruciatæ cap.* 9. *dub.* 84. Ubi sic ait: * No puedo dexar de confessar, que me agrada mucho la opinion del P. M. Fr. Diego Nunno *in addit. ad* 3. *p. q* 8. *art.* 5. *dub.* 8. *en la solucion del nono argumento*; el qual dize, que tiene para si por evidente, que si se concede, que el Parocho, solo por serlo, sin otra aprobacion del Ordinario, es eligible por virtud de la Bula (lo qual no admite la Maestro Nunno) se hade conceder tambien, que los Prelados de las Religiones, solo por serlo, sin otra aprobacion del Ordinario, pueden ser eligidos por la Bula. Y ansi lo ensennan los PP. MM. Man-

cio, Gallo, Medina, Bannez, y Juan Valero, Monge Cartujo (*in differ. utriusque fori, verb. Nullitas, diffic. 5.*) lo tiene expressamente.*

3. Eamdem sententiam Hieronymus de Llamas *1. p. Methodi, cap. 6. §. 6. & 7. pag. 63.* Ludovicus de S. Juan. *q. 6. de pœnit. art. 6. dub 4. pag. 467.* Brunus Cassaing. *de Privileg. Regular. p. 2. tract. 5. cap. 2. prop. 1.* Rever. P. Delgadillo *tom. de pœnit. cap 19. dub. 34.* Et probabilem putant P. Salas *in manuscriptis.* Ludovicus à Cruce *in expositione Bullæ, disp. 1. cap. 2. dub. 11. n. 8.* Angelus Bossius *tract. de Iubilæo, casu 2. §. 2. nu. 53.* Martinus de S. Joseph *in monitis confes. tom. 1 lib. 1. tract. 24. de pœnit. n. 19.* Zespedes *de exemptione Regularium. cap. 6. n 141.* & Diana *5. p. tract. 12. res. 52.* Et valdè probabilem, & securam in praxi vocat Thomas Hurtado *tom. 2. resol. mor. tract. 12. cap. 1. res. 34. dub. 2. n. 1868. & sequentibus.* Quorum ratio est, quia ex Tridentino approbatus est ad sæcularium confessiones, qui habet Beneficium Parochiale : Prælati autem Regulares, utpotè curam animarum habentes, Beneficium Parochiale habere censentur : poterunt ergò eligi virtute Cruciatæ, non minùs, quàm alii Parochi extrà suam Parochiam.

4. Cæterùm contraria omninò sententia tenenda est, quam cum Rodriguez, Fagundez, Tamburino, & Cardinali de Lugo, defendit P. Quintanaduenas *de Iubilæo duarum hebdomadarum, cap. 1.* P. Suarez, *de Pœnit. disp. 28. sect. 4. n. 21.* Carrillus *disquisit. 24. art. 64. n. 5.* P. Mendo *in Bullam, disp. 22. c. 2. n. 30.* Petrus de Ledesma *cap. 13. de Pœnit diffic. 4. & 6. post 1. conclusionem*, & alii communiter. Probatur, quia Prælatura Regularis, etsi curam animarum habeat, & subditis Sacramenta administret, non tamen est Beneficium Parochiale : hoc enim ex communi Theologorum sensu, est jus percipiendi reditus propter officium administrandi sæcularibus sibi subditis Sacramenta, & sepulturam, ex jurisdictione ordinaria in ipsos. Undè Parochus definitur, *qui authoritate Episcopi alicui Parochiali Ecclesiæ est præfectus, ut plebi, seu populo, sacrum divini verbi, & Sacramentorum pabulum, ad pascendos animos, subministret.* Quæ definitio Prælatis Regularibus non convenit, ut ex terminis patet. Undè quamvis Parochis æquiparari dicantur, eò quod in Regulares sibi subditos eam curam habeant, quam Parochi in populum sibi commissum, seu in sæculares suæ Parochiæ ; non ideò ex hoc principio deduci potest, eam ex Tridentino approbationem, quoad sæcularium confessiones ipsis competere, quæ Beneficium Parochiale habuerunt, sed jam non habent, possunt adhuc eligi virtute Cruciatæ, eò quod approbatio, quæ Parocho simul cum Parochiali Beneficio concessa fuit, adhuc perseverat, & sola jurisdictio cessavit (ut docent Manuel Rodriguez *in addit. ad Bullam, §. 9. nu. 4.* Villalobos *tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 1. n. 4. & tract. 9. de Pœnit. diffic. 55. n. 4.* Et Basilius de Leon, quem refert, & sequitur P. Mendo *in Bullam, disp. 22. citata, cap. 2, n. 34.* Acosta *in explicat. Bullæ, q. 39.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. disp. 3. concl. 4. ad 3.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 12. cap. 1. resol. 34. dub. 3. nu. 1878.* Et putat probabile Joannes de la Cruz, *part. 2. de Pœnit. quæst. 5. dub. 8. conclus. 4.* ita similiter Prælati Regulares, qui semel superiores locales alicujus Conventus extitissent, possent de cætero, postquam suo munere functi sunt, ubique eligi virtute Bullæ Cruciatæ, quod in nullius viri docti mentem venire potest.

5. Secundò probatur, quia si Prælati, vel superiores locales Regularium venirent nomine habentium Beneficium Parochiale, in decreto Tridentini, eò quod Parochis, quoad animarum subditorum curam, æquiparentur, eodem prorsus fundamento dici deberet, sub Episcoporum voce, à quibus Concilium approbationem obtinendam statuit, venire etiam Generales, & Provinciales Religionum ; quia, ut Theologi communitèr fatentur, ejusmodi Prælati Episcopis æquiparantur : atqui nemo, nisi temerè, dicere audebit, Generales, vel Provinciales Religionum posse post Tridentinum sibi subditos approbare quoad sæcularium confessiones : ergò quoad rem hanc, sicut isti non veniunt in Concilii decreto, Episcoporum nomine, ita neque illi, Parochorum.

6. Tertiò probatur, quia si superiores locales ipso censerentur habere approbationem, quæ habentibus Parochiale Beneficium ex Tridentino competit, sequeretur manifestè, ejusmodi Prælatos absque nova Episcopi approbatione, sæcularium confessiones audire posse, etiamsi pœnitentes nullo privilegio per Bullam Cruciatam, vel Jubilæum sibi concesso, quoad electionem confessarii potirentur. Ratio est aperta, quia Regulares approbatis juxtà formam Tridentini summi Ecclesiæ Pastores jurisdictionem in omnes Christi fideles delegarunt : ergò ejusmodi superiores locales, cum nec approbatio sufficiens, nec jurisdictio delegata deficiat, poterunt ubique absque alia approbatione sæcularium confessiones audire. Consequutio tenet, est necessaria, quam ideò, juxtà sua principia, tenuerunt ex Doctoribus suprà citatis M. Mancius, Gallo, Medina, Bannez, Joannes Valero, & puram probabilem Martinus de S. Joseph, Thomas Hurtado, Zespedes, & Diana.

7. Verùm horum Doctorum sententia sustineri non potest, maximè post Bullam Innocentii X. in causa Angelopolitana edita die 9. Maii anno 1648. in qua in responsione ad nonum dubium, sic habetur. * Nonò, utrum Regularis quicumque, etiam societatis Jesu possit administrare Sacramentum Pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, si in aliena Diœcesi approbatus sit ? Respondetur, Regulares, etiam societatis Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos, ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diœcesani. * Et quæ bus verbis per legitimam consequentiam duo inferuntur : Primum, superiores locales conventus in Diœcesi Toletana, nequire in alia Diœcesi, absque Episcopi approbatione confessiones sæcularium audire, quod est contra Doctores suprà citatos. Secundùm, Regulares nullibi posse eas excipere absque Episcopi Diœcesani approbatione. Atqui Prælati majores Generales, & Provinciales, qui superiorem localem constituunt, & electione ipsa adeò animarum subditorum curam idoneum declarant, non sunt Episcopi Diœcesani : ergò præfati superiores locales non habent approbationem requisitam, ut jurisdictio ad sæcularium confessiones excipiendas a Pontifice delegata censeatur.

8. Dices pro adversariis, Bullam Innocentii X. non obstare, quia ejus mens solùm fuit, non Regulares quemcumque in una Diœcesi approbatum, posse virtute suorum privilegiorum, in alia absque nova Diœcesani approbatione, seu licentia, sæcularium confessiones audire, ut constat ex dubio proposito verbis

verbis illis. *Vtrùm Regularis quicumque*: rectè autem cohæreret, non quemcumque Regularem id posse, sed Prælatos tantùm. Respondeo decisionem dubii nullum Regularem excludere; quod facilè ex illa evincitur, quia superior localis unius conventus ex visu muneris majorem approbationem habere nequit, quam quicumque alius doctus Regularis ab Episcopo approbatus, sed hic non potest in alia Diœcesi absque nova Episcopi Diœcesani approbatione, vel licentia, sæcularium (qui privilegio Bullæ Cruciatæ non fruantur) confessiones audire, ut decernit Innocentius X. ergò neque ille. Roboratur ex Tridentino *sess.* 23. *c.* 15. ubi nullum Regularem absque Episcopi approbatione ad sæcularium confessiones idoneum reputari decernit: quod cum nullum excipiat, nec discrimen inter Prælatos, & alios Regulares constituat, eadem pro omnibus statuta est lex. Ideò nullum Regularem, cujuscumque gradus, & dignitatis existat, posse sæcularium confessiones excipere, absque Diœcesani approbatione, est communis Doctorum sententia, quam tenent Suarez, Rodriguez, & alii, quos referunt, & sequuntur Diana *2. p. tract.* 16. *res.* 46. & *p.* 8. *tract.* 1. *res.* 86. Card. de Lugo *disp.* 1. *sect.* 1. *nu.* 10. Granado *tract.* 10. *disput.* 5. *n.* 5. P. Bardi *in Bullam, tract.* 5. *cap.* 2. *sect.* 1. *n.* 6. P. Mendo *in Bullam, disp.* 22. *cap.* 2. *n* 30. & alii.

§. III.

Quid de Graduatis in Theologia, vel in jure?

9. ROgabis, an Concilium Tridentinum in suo decreto de approbatione ab Episcopis requisita pro sæcularium confessionibus, comprehendat Sacerdotes graduatos in Theologia, aut jure Canonico? Negativè respondent doctissimi PP. Magistri Salmanticenses ex Ordine Prædicatorum, Mancius, Gallo, Medina, Bannez, apud Henriq. *lib.* 6 *cap.* 6. *n.* 2 *in glos. litt.* E. & F. quos sequutus est Llamas 1. *p. Method. cap.* 7. §. 7. Et Thom. Hurt. eorum sententiam probabilem vocat, imò & valdè probabilem *tom.* 2. *res. moral tract.* 12. *c.* 1. *dub.* 1. *n.* 1866. & *seq.* Cujus ratio (inquit Hurtado) est; * nam quamvis non possit eligi, nisi approbatus ab Episcopo, vel *qui aliàs ab eo judicentur idonei*; eo tamè ipso, quod Episcopo constet, talem esse laurea Doctoratus insignitum, judicatur ab eo idoneus, & si non eo ipso conferatur jurisdictio. * Ex quo principio cum præcitatis Magistris censet, præfatos laureatos (imò & lectorem Theologiæ, aut egregium Prædicatorem publicum, ut inquiunt Dominicani citati) absque Episcopi approbatione posse eligi in confessarios virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi. Pro qua opinione refert Emanuel Rodrig. *in addit. ad Bullæ explicationem*, §. 9. *n.* 4 *vers. A la qual duda*, Gutierrez *lib.* 1. *Canonicarum, cap.* 27. *n.* 22. *usque ad* 27. Henriq. *lib.* 6. *de Pœnit. c.* 6 §. *Variis modis*, Ludovicum à Cruce, *disp.* 1. *c.* 2. *dub.* 6. Trullench *in expositione Bullæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 4 *n.* 5. & Valerum *in differ. verb. Nullitas, differentia* 5. *num.* 3. *vers. Sexto fallit in fine.*

10. Sed miror Thomam Hurtado ausum fuisse, hanc sententiam valdè probabilem vocitare *in prima editione Lugdunensi anno* 1651. cùm ignorare non potuisset, per sanctum Inquisitionis Tribunal expunctam fuisse ex Hieronymo de Llamas in Expurgatorio, anno 1640. Præter quam quod est contra Bullam Pii V. expeditam anno 1571. octavo Idus Augusti, in qua decrevit, & declaravit, decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium ad audiendas sæcularium confessiones ab Episcopis facienda * observari debere in omnibus Regularibus, etiamsi sint Doctores, aut in Theologia ex superiorum licentia graduati, vel promoti. *

11. Ideò contraria prorsùs sententia tenenda est cum communi Doctorum. Ita Suarez *disp.* 28 *sect.* 4. *n.* 3. Petrus de Ledesma *cap.* 12. *post* 5. *concl. pag. mihi* 419. Filliucius, Lugo, Layman, Bossius, Tamburinus, Lezana, Barbosa, Molfesius, Machado, Bassæus & alii, quos referunt, & sequuntur M. Barnabas Gallego *in Bullam, cap.* 9. *dub.* 92. Leand. à Sacram. *tom* 1. *tract.* 5. *disp.* 11. *q.* 48 & 50. & M. Hyacinthus Donatus *tom.* 4. *addit. ad practicam, tract.* 4. *q.* 3. Et oppositam sententiam esse improbabilem dicunt Fagundez 2. *præcept. Eccles. lib.* 7. *cap.* 2. *n* 67. & P. Mendo *in Bullam Cruciatæ, disp.* 22 *cap.* 10. *n.* 109. quorum censura mihi placet. Ratio est aperta, quia ad confessiones sæcularium excipiendas, est conditio, sine qua non, quod Sacerdos per examen, aut aliàs ab Episcopo judicetur idoneus: stare autem potest, aliquem esse Doctorem, vel insignem Prædicatorem, & tamen idoneum ad confessiones ab Episcopo non judicari: tum, quia non omnes graduati, ut ait M. Donatus suprà, sunt Doctores, quamvis dicantur Doctorati; tum, quia aliud est, esse Doctorem in Theologia speculativa, & aliud in casibus moralibus. Tum, quia licet quis in doctrina non deficiat; pravis tamen moribus imbutus esse potest. Secundò probatur, quia judicium Episcopi (vel jurisdictionem Episcopalem habentis) de idoneitate Sacerdotis sæcularis, vel Regularis, ad sæcularium confessiones, debet exteriùs verbo, vel scripto manifestari: est enim velut sententia latæ sufficientia confessarii, qua, licet injustè, negata nullus Sacerdos sæcularis (ut fatetur Thom. Hurt.) reputatur ad confessiones idoneus: ad hoc enim requirit Concilium, quod de idoneitate * approbationem obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. * Doctorati autem sæculares, nec virtute privilegii, unquam potuerunt absque approbatione Ordinarii confessiones sæcularium excipere: Regulares verò, jure antiquo, approbatione injustè denegata, eo ipso approbati censebantur. Videatur Leander ubi sup. *disp* 11. *q.* 83. ubi communis contra communem. Post Tridentinum res aliter se habet, ut dixi sup. *q.* 12. *n.* 15. ubi contrariam gravium Doctorum sententiam, ut scandalosam damnatam notavi. Tenendum ergò est tanquam omninò certum, post Concilium Tridentinum, nullum Sacerdotem, etsi graduatum in jure Canonico, vel Theologia, posse eligi virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi ad sæcularium confessiones, quin ab Episcopo D. œcesano, ut suprà dictum est, approbationem obtinuerit, quia Concilium omnes comprehendit.

12. Nec Doctores, quos pro contraria sententia (quam valdè probabilem putat) adducit Thom. Hurt. suprà, fideliter refert: illi enim, quos mihi consulere licuit, oppositum expresè asserunt. Et in primis P. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 6. §. *Variis modis*, quo citatur ab Hurtado, nil de hac re numero autem secundo præcedenti, ubi quæstionem attigit, sic ait: * Nec potest vir, quantumvis habeat testimonium spectatæ doctrinæ, sæcularis, aut Regularis, etiam Doctor, aut Prælector Theologiæ, & Canonum, sine

prædicta approbatione Episcopi censeri idoneus, & eligibilis ab alio Parocho per Jubilæum, aut Bullæ privilegium. * Hæc Henriq. quibus ut patet contra Hurtado apertè pugnat. Pro ejus verò sententia *in glos. dict.* E. Patres Dominicanos suprà citatos, & Doctores alios adducit, dicens: * At Mancius, Gallo, Fr. Medina, Bannez, Sebastianus Perez Episcopus Oxomensis, Doctor Petrus Martinez Complutensis ajunt, idoneum esse jure Licentiatum in Theologia, aut Canonibus, quia Academia jam nomine Papæ examinavit, & Lector Theologiæ, aut egregius Prædicator publicus. * Insuper infideliter etiam refert Hurt. pro sua sententia Ægidium Trullench. *in expos. Bullæ lib.* 1. §. 7. *cap.* 1. *dub.* 4. *n.* 5. quia ibi nil de hac quæstione. Illam verò exagitat *dub.* 1. *nu.* 6. & ab impostura se purgat apertissimis verbis, dicens: * Concilium expressè requirit approbationem factam ab Episcopo, ita ut non sufficiat, quod quis sit Doctor in Theologia, vel jure Canonico; aut quod communi consensu judicetur ad istud munus idoneus, quia voluit Concilium talem approbationem ex jurisdictione, & judicio Episcopi pendere, sicut pendet Parochorum institutio, omnemque exceptionem excluſit, cùm simpliciter dixerit: *Nullum etiam Regularem, &c.* adeò ut nemo ratione doctrinæ, aut sanctitatis, aut dignitatis cujuscumque excipiendus videatur, nisi habeat Parochiale Beneficium. * Hæc Trullench.

13. Denique non nisi per summam calumniam pro sua sententia adduxit Thomas Hurtado, Emanuel. Rodriguez *in addit. ad Bullam Cruciatæ*, §. 9. *n.* 4. ibi enim solùm asserit, approbatum ab Episcopo ut idoneum, non cenceſsâ jurisdictione, posse eligi virtute Cruciatæ, vel Jubilæi, quidquid alii contradixerint. Verba ejus sunt: * A la qual duda se responde, que basta la dicha aprobacion, como lo dize Cano, al qual sigue Gutierrez, y otros hombres doctos, porque la Bula, y el Concilio Tridentino solamente pidê, que el Confessor sea aprobado: y el juzgara uno por idoneo, y apto para confessar, es una muy verdadera aprobacion: por lo qual el aprobado desta manera puede por virtud de la Bula confessar, ò por virtud de otro privilegio, ò costumbre de jurisdicion actual. * Hactenus Manuel Rodriguez de approbato ab Episcopo, non commissâ Episcopali in suas oves jurisdictione; ubi nec verbum de quæstione præsenti pro Doctoratis in jure Canonico, vel Theologia, quos neque hic, neque alibi, jure ipso approbatos, & per Bullam Cruciatæ eligibiles tradidit. Authores alios, quos pro se allegat Hurtado videre non licuit, forsan non meliori fide illos citat. Nec ejus sententia sustineri potest, sed potiùs ex ipso, sicut ex Llamas juxtà præscriptum Expurgatorii indicis expungenda est.

(:†:)

QVÆSTIO IV.

Utrùm confessarius, qui ex ignorantia vincibili, seu graviter culpabili, non præmonet pœnitenti restitutionem, ad eam, ille non restituente, maneat obligatus?

1. NEgativam sententiam defendit Gaugerus Hispanus *in addit. ad sum. Castam alia Duaci anno* 1613. *verb. Restitut. fol.* 607. *&* 608. *quitur* M. Marcus Serra 2. 2. *q.* 62. *art.* 7. *dub.* 1. *fol. mihi* 227. *in editione Valentina anno* 1643. Ubi: * De confessariis, qui tacent, & non præmonent pœnitentibus ut restituant, quæ restituere tenentur, &c. si tacent ex ignorantia crassa, & affectata, inquit Navarrus, manere obligatos ad restituendum. P. Lessius hoc limitat ad eos, qui ex officio curam habent animarum, ut sunt Episcopi, & Parochi: nam Religiosi non tenentur, &c. Sed neque hos neque illos ad restitutionem teneri, etiamsi culpabiliter omiserint obligare pœnitentem ad restituendum, multorum est sententia, quos refert & sequitur Diana 1. *p. tr.* 2. *misc. res.* 1. Nam confessarius tenetur ex justitia prospicere temporalibus restitutionibus, cum ab eis mercedem non accipiat: sed licet tenetur ex charitate, & religione, procurare bonum spirituale pœnitentis, quod si negligat, non obligando illum ex ignorantia vincibili ad restitutionem, peccabit quidem contra religionem, sed non contra justitiam, sicque non tenebitur ad restitutionem, nisi fortè ille consulat ut non restituat, nam tunc si consulens ad restitutionem tenebitur, juxtà dicta conclusione secunda. * Hæc M. Serra. Hujus sententiæ fundamenta paulò antè ipse jecerat, contra nonnullos asserentes, ex violata charitate, oriri obligationem restituendi, eò quod indirectè fiat causa injustæ damnificationis proximi. Quos rejicit, transcriptis verbis M. Soti 4. *de justitia, quæst.* 7. *art.* 2. Ubi sic: *Melius tamen Scotus, & reliqui id negant,* (scilicet Soto ubi suprà) *persistendum namque est in illa superius asserta regula, quod sola contaminata charitas, nisi justitia violetur, necessitatem restitutionis non induat.* Hæc Sotus: quem sequitur Serra, ubi suprà dicens, causam indirectam injustæ damnificationis non teneri restituere, nisi ex justitia sit obligata * ad impediendum. * Ex quo principio, ut vidimus, confessarius non obligantem pœnitentem, ab onere restituendi eximit: cujus proindè sententiæ, Doctores omnes præmissis inhærentes assentiri debent. Ideòque sustentuntur Suarez, Rebellus, Gaspar Hurtado, Lessius, Thomas Sanchez, & alii, quos sequuntur Diana *par. tr.* 16. *res.* 1. & Leander à Sacramento *tom.* 3. *tr.* 1. *de Pœnit. disp.* 11. *quæst.* 138. Quibus adde Filliucium *tom.* 1. *tr.* 7. *cap.* 12. *quæst.* 7. *num.* 634. Ægidium Trullench. *tom.* 1. *cap.* 12. *quæst.* 7. *num.* 634. Ægidium Trullench. *de sacram. disput.* 8. *dub.* 17. *num.* 144. Bonacinam *de sacram. disp.* 1. *quæst.* 2. *puncto* 11. *num.* 13. Malderum 2. 2. *q.* 62. *cap.* 3. *dub.* 24. Reverendiss. P. Delgadillo *tom.* 2. *Pœnit. cap.* 19. *dub.* 43. Et Fr. Franciscum à Jesu Maria Carmelitanum Excalceatum, & sui Religionis Ordinis bis Diffinitorem Generalem 1. *part. Curs. Theologiæ Moralis tr.* 6. *de Pœnit. cap.* 12. *punct.* 4. *fol.* 581. quos sequitur Marcus Vidal *in Arca salutari, tr.* 10. *de Sacr. pœnit. inquis.* 12. *num.* 7. & 8. dicens esse communem

2. Quo

2. Quorum unum est fundamentum ex doctrina subtilis Scoti, M. Soti, & aliorum ubi suprà peritum, & à M. Serra probatum, nempè obligationem restitutionis solum oriri ex violatione justitiæ contra personam damnificatam, confessarius autem ex officio, vel nulli ex justitia, vel soli pœnitenti tenetur, non illius creditoribus, quia non temporalibus istorum bonis, sed spiritualibus illius, ex officio prospicere debet. Et sic in terminis tradit Card. de Lugo *disp. 22. sect. 3. num. 67.* dicens: *Quod est communis jam sententia*; & plures pro illa refert

§. I.

Animadversio in Baronium.

3. His prælectis, Vincentius Baronius in opere contra Amadæum, *disp. 2. sect. 3. fol. 244. in fine*, in illum invehitur, dicens: *Immeritò præsidia quæsisse ex M. Serra, & ex Gaugerico Cajetani interprete, quia hi authores eam non tuentur. *Sed apertè fallitur: ut constabit legenti verba M. Serra supra data, *num. 1.* Et quæ ex Gaugerico, ubi supra citato subnecto. *An ergo, inquit, confessarius non injungens pœnitenti restitutionem, ubi debet, teneatur ipsemet restituere, &c. Navarrus affirmat sequutus Rosellam, & Angelum. Idem Toletus: sed videtur distinctione opus esse. Vel enim confessarius habet se merè negativè circa restitutionis injunctionem, sicut mutus: & sic non videtur obligari per illam taciturnitatem, etiamsi sponte, & ex malitia omittat consulere. Quia mutus, ut hic docet author (nempè Cajetanus) non tenetur restituere, nisi quando debet consulere ex officio, sive (quod idem est) ex justitia. Confessarius autem etiam si aliquando teneatur admonere pœnitentem ex justitia, tamen justitia illa non est respectu tertii, qui damnum patitur, sed duntaxat respectu pœnitentis. *Sic ibi. Quoad hos ergo authores non potuit apertiùs Baronius de falsitate convinci. In reliquis autem sic insurgit. *Incredibilis esset temeritatis, & audaciæ, futilibus nescio quibus distinctionibus, unde onus restitutionis repetatur, ab illo liberare Sacerdotem, quod soli pœniteuti, quoad bona spiritualia sit ex officio adstrictus, etiamsi suo (attende) non solum silentio, quòd satis grave peccatum est, sed etiam suo consilio, causa sit damni à pœnitente illati aliis, &c. Quis neget confessarium hujus consilii authorem, si inde pœnitens credat se ab hoc onere restitutionis exemptum, ut non sit à Sacerdote monendus sui officii, vel restitutio, loco pœnitentis à confessario facienda? Qui hoc negaverit, nescio an ullum sit admissurus jutis naturalis principium. *Sic Baronius.

4. O felix homo, nullus tibi hostis. Ubi apud Amadæum citatum invenisti authorem ullum asserentem, eum qui suo consilio eximit pœnitentem ab onere restitutionis, ad quam teneri censet; seu quempiam alium, qui sic est causa damni aliis illati, non manere ejus loco adstrictum restituere? Nullibi profectò: quia hoc delirium in nullius mentem venit. Et quod in Baronii, valdè miror, cum ipsemet *ubi supra* opinionem ab Amadæo ex aliis excerptam referens, sic scribat. **Eximit ab omni restitutionis onere confessarium, qui ex ignorantia vincibili, pœnitenti non injunxerit restitutionem bonorum, quæ injustè possedit.* Non ergo de confessario consulente omissionem restitutionis, sed de non præcipiente pœnitenti restitutionem, ad quam tenetur, quæstio procedit. Hunc autem ab omni restitutionis onere exemptum esse, docent M. Serra, Gaugericus, & reliqui Doctores citati, ut eorum collatis locis apertissimè constat. Omnes verò uno ore, & calamo uno, confessarium consulentem pœnitenti, ne restituat, si ex ignorantia culpabili errorem commiserit, ad restituendum, ejus loco, obligant, utpotè justitiæ violatorem. Aliud enim est consulere damnum, aliud non impedire: illud contra justitiam esse, omnes fatentur, ideòque & obligationem restituendi. Istud verò in non obligato ex justitia ad impediendum (ut in hoc casu, secundùm citatos authores, contingit) soli charitati, aut religioni opponitur. Quo semel statuto, constans est apud ferè omnes conclusio, in cujus præsidium, ut verbis, fideliter exscriptis, ostendi, meritò vocati sunt M. Serra, Gaugericus, & reliqui supra citati. Qui ergo Baroni, authores illi sunt, quos *incredibilis temeritatis, & audaciæ* insimulas? Qui, quos criminaris, quod *futilibus distinctionibus* ab onere restitutionis liberent Sacerdotem, *qui non solùm silentio, sed etiam suo consilio causa sit damni à pœnitente illati aliis*? Nulli profectò. Ut quid ergo hostem finxisti? Ut calumniam instrueres? Apage.

§. II.

Probabilior sententia.

5. Quamvis valdè mihi probabilis sit opinio M. Serra, & aliorum eximentium ab omni restitutionis onere, confessarium, qui ex ignorantia graviter culpabili solo silentio est causa indirecta damni illati, seu non impediens, cum posset admonendo pœnitentem de obligatione restituendi, qua tenetur: nihilominus contraria sententia probabilior videtur, quam tenent M. Nugnus *in Addit. ad 3. part. tom. 2. q. 8. art. 4. dub. 4.* Zanardus *in direct. præcept. 7. cap. 26. dub. 3.* Sylvester, *verb. Usura 7. q. 2. in fine.* Ubi ait teneri ad restitutionem confessarios absolventes eos, qui tenentur restituere, *si ex denegatione absolutionis fuisset facta restitutio.* Et Navarrus *in manuali, cap. 17. num. 22.* Qui ait confessarium tacentem ex ignorantia crassa, & affectata, manere obligatum restituere, si pœnitens non restituat. His aquiesco, nam quando ex circumstantiis constat pœnitentem ignorare, vel dubitare de obligatione restituendi; silentium confessarii æquivalet consilio, seu sententiæ eximenti pœnitentem ab onere restitutionis: se etenim habet, ac si expressè diceret: *Non teneris restituere*, & indocti omnes ab obligatione restituendi æquè se liberos credunt, sive silentio, sive consilio, confessarii judicium ipsis innotescat; ergo non aliter sentire debemus de confessario tacente, quando tenetur admonere pœnitentem de obligatione restituendi, ac de consulente ut non restituat, seu dicente non esse obligatum. Ideò hanc sententiam ultra citatos jure tuentur Navar. Medina, Clavis Regia, Salon, Aragon, P. Molina, & alii apud Bonacinam *ubi sup. num. 15.* P. Layman, *tom. 1. sect. 5. de just. tract. 2. cap. 2. num. 4.* Toletus *lib. 3. cap. 16. n. 13.* Rosella, Angelus, Petrus de Navarra, & alii apud Lessium *lib. 2. de just. cap. 13. dub. 10. n. 77.* Qui optimè tradit *cap. 7. num. 3.* cum Joanne de Medina confessarium Theologum, vel juristam, qui ex ignorantia graviter culpabili dixerit *contractum quempiam esse licitum*, qui revera est illicitus, teneri ad restitutionem damni sequuti, nec aliter Magistrum, vel confessarium eximi posse ab hoc onere, quam habendo evidentiam moralem, (aut probabi-

lem opinionem) quod licitè possit pœnitens restitutionem omittere, aut quidpiam aliud efficere, ex quo damnum proximo videt imminere; quia cuilibet est jus, ne in ejus præjudicium alter decipiatur, cui principio innixus Marcus Vidal, ubi supra, suam sententiam limitat, dicens: Confessarium, qui malitiosè non admoneret pœnitentem de obligatione restitutionis, ad hanc teneri, quia dolus ex natura sua est injustus ei, in cujus præjudicium cedit, & ideò ut causa indirecta damni facit contra justitiam. Unde ni opinione probabili ductus confessarius, vel doctor, procedat, non solùm graviter delinquet, in consilio, vel doctrina tradendis, vel omittendis, sed ab obligatione restituendi eximi non poterit, nisi fortè pœnitentem potentem restituere postea doceat, quid debeat facere, & de errore in confessione commisso, vel in consilio præstito admoneat. In hoc enim casu soli pœnitenti, & non confessario imputabitur, si ille restitutionem omittat, ut benè ait Lugo *disp.* 22. *sect.* 3.

QVÆSTIO V.

An confessarius muneri suo satisfaciat, interrogando pœnitentem, an doleat de peccatis, & affirmanti credere debeat?

1. REm hanc in disputationem adduco, quia Theologaster (nescio quis) opinionem affirmativam eximii Doctoris Francisci Suarez *tom.* 4. *in* 3 *par. disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 2. autus est fugillare. *Quando pœnitens, inquit Suarez, non habet sufficientia signa doloris, potest, & debet confessarius interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum? Cui affirmanti credere tenetur, & hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam peccandi, sed solum communis, & generalis obligatio non peccandi de cætero. *Sic ille supra, & iterum *tom.* 2 *de Relig. lib.* 3. *cap.* 8. *nu.* 7. ibi: *De proposito credendum est pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti frequentia, & inconstantia ejus, quia sicut potest mutari in malum, ita etiam in bonum, & ipse est sui accusator, defensor, & testis. *Hæc est sententia P. Suarez innixa principio apud Theologos indubitato, scilicet, in rebus merè spectantibus ad forum conscientiæ, pœnitenti pro se, & contra se credendum esse.

2. Quapropter ejusmodi sententiam pluribus in locis tenuit apertè D. Thomas, ut jam ostendo. *Quodlibeto* 1. *art.* 12. *Respondeo, dicendum, quod in foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se. *Et ad secundum. *Dicendum, quod spiritualis pastor vultum pecoris sui debet diligenter agnoscere, considerando exterius vitam ejus, sed per modum confessionis non potest diligentius scrutari, sed oportet, quod credat ea, quæ sibi à subdito dicuntur. *Idem tradiderat *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *quæstiunc.* 5. *ad secundum*, ibi: *Quantum ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius; unde in foro confessionis creditur homini pro se, & contra se. *Hæc D. Thom. quem sequuntur communiter discipuli, Turrecremata *cap. Quem pœnitet de Pœnit. dist.* 1. *n.* 18. M. Bartholomæus Fumus *in Armilla, verb. Absolut. nu.* 30. M. Tamburina *ibidem quæst.* 2 4. *nu.* 45. & alii, quos citatos habetur Joannes Sanctius *in Selectis, disp.* 8. *n.* 1. *& disp.* 9. Quibus adde Fill ucium *tom.* 1. *tract.* 7. *num.* 550. & Dicastillo *de Pœnit. disp.* 10. *dub.* 29. *n.* 571. ubi ait: *Pœnitenti affirmanti, se habere retractationem, standum positum non peccandi credendum est. *Et Henriquez *lib.* 6. *cap.* 20. *& cap.* 26. *§.* 4. quos sequitur Leander à Murcia, dicens esse communem, in disputatione *in* 1. 2. *D. Thomæ, disp.* 1. *resolut.* 10. *lib.* 2. ibi: *Pœnitenti fides habenda est de vero proposito emendandi, standum de aliis, quæ contra se, & pro se dicit, ut docuit D. Thom *Opusculo* 26 *art.* 6. Henriquez *supra*, & communiter Doctores. *Cui consonat Machado *tom.* 1. *lib.* 7. *par.* 2. *tract.* 3. *docum.* 2. *fol.* 606. ubi ex communi sententia Doctorum, quos ibidem refert, concludit: *Todas las vezes, que el penitente tuviere verdadero dolor de sus pecados, no debe ser excluido del beneficio de la absolucion. Acerca de lo qual se ha de estàr à lo que èl dixere, y debe darle el Confessor credito, como en todas las demas cosas, que contra si en su favor dixere.*

3. Hanc communem sententiam omnino veram censeo, tum propter rationem D. Thomæ nuper adductam; tum quia, ut ait Thomas Sanchez *lib. Matrim. disp.* 45. *n.* 2. nemo ita saluti suæ immemor præsumitur, ut quærens Deo reconciliari, in interno foro falsum deponat, *& ita, inquit, fatentur omnes. *Dictis consonat M. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 1. *vers. At postquam de confessarii interrogatione*, ubi ait: *Respondetur, & est notandum, quod officium per se confessarii non est interrogare, sed audire pœnitentem, *& inferius. *Igitur prudentia Sacerdotis sit, ubi pœnitens cordatus apparet, neque tantæ cina peccatorum onustus, dicitque se diligentem fecisse pro sua virili, & judicio suo, nullius sic oblitum delicti, nil amplius interrogare. *Si verò tam prudentia præditus non appareat, nec tanta suæ conscientiæ curam gerere. *Ea, inquit, prorsus interroget, quæ secundum suum statum, & officium verisimile est incurrisse, citra molestam minutiarum enumerationum. *Quæ observare oporteret confessarius, ne pœnitentibus molesti sint.

4. Rogabis, an etiam debeat confessarius credere pœnitenti offerenti relinquere occasionem proximam peccandi, & ejus proposito contentus absolvere? Ut respondeam, suppono, eam dici occasionem proximam peccandi, quæ ex suo genere talis est, ut frequenter homines similis conditionis peccatum mortale indicat, vel experientia constet, in hoc homine talem effectum habere: potest enim contingere, ut respectu unius occasio proxima sit, quæ respectu alterius talis non est. Videatur Suarez *disp.* 32. *sect.* 1. *n* 4. Hinc aliqui apud Card. de Lugo *disp.* 16. *sect.* 10. occasionem proximam peccandi definunt: *Qua nunquam, vel fere nunquam utitur homo, absque peccato*: & ita cum Sanchez *de Matrim. libr.* 9. *disp.* 5. *num.* 6. Navarro, Suarez, Corduba, Trullench, & aliis, eos citans explicat Leander à Sacram. *hic disp.* 6. *q.* 32. Utramque explicationem approbat Card. de Lugo ubi *supra*, & credo esse satis conformem communi Doctorum sensui: quamvis Navarrus *in Sum. cap.* 3. *num.* 10. & 11. asserat, neminem, quem ipse vidit, occasionem proximam pro dignitate deseruisse. His positis.

5. Prima sententia asserit, habentem occasionem proximam absolvi non posse, nisi prius eam relinqui-

erit, nec ejus proposito fidendum. Ita Rodriquez. *tom. 2. Sum. cap. 46. n. 19.* Navarro *cap. 16. nu. 20.* Margarita Confess. *fol. 30.* & Capeavila *de casibus reservatis in fine, fol. 486.* Contrariam verò sententiam tuentur viri doctissimi, Suarez *disp. 32. sect 3.* Joannes Sanctius *in Sectis, disp. 10. num. 4.* Tabiena *verb. Concubinatus, n. 2.* Quam veriorem censeo: quia ut pœnitens absolvatur, non debet priùs exequi, quidquid facere tenetur, sed sat est doleat de omissione culpabili præterita, & habeat propositum efficax non peccandi de cætero; in quo continetur intentio efficax ejiciendi. V.g. concubinam, & relinquendi occasionem quamlibet aliam proximam peccandi, utpotè quæ, se ipsa, si voluntaria, est peccatum mortale; ratione proximi periculi reincidendi. Qui enim sic dispositus accedit, sufficientem habet dispositionem, ut confessarius absolutionem ipsi impendat. Quapropter cum, qui anteconfessionem, cum posset, non restituit, absolvendum esse, si verum habeat propositum restituendi; docet Sylvest. *verb. Confessio, q. 12.* Imò, & quod durius est, pœnitentem etiam antequam denuntiet confessarium, qui ad inhonesta in confessione solicitavit, absolvi posse, si firmiter proponat, quam primum possit denuntiare, putant Sanctarellus *de hæresi, cap. 9. dubunico, nu. 16* & Navarrus apud ipsum testans de praxi sacræ Pœnitentiariæ, Freitas *q. 21. n. 23.* Ortiz *in Sum. cap. 29. n. 9.* Quod admitti tantum potest, urgente necessitate communionis, vel vitandi scandali, maximè, quando Minister Tribunalis sanctæ Inquisitionis longè distat. Sic enim hujus mandatum, & quod continetur in Bulla Gregorii XV. quæ incipit *Universi Dominici gregis* exponunt communiter Doctores, apud Leandrum à Sacram. *tom. 2. tract. 5. disp. 13. q. 48.*

6. Major est difficultas, an si pœnitens aliquoties proposuisset concubinam ejicere, vel injustè ablatum (prout potest) restituere, & virtute hujus propositi fuisset à confessario absolutus, possit ter, vel quater, si promissis non steterit, retenta concubina, vel restitutione non præcedente, à peccatis absolvi? Respondet affirmativè Joannes Sanctius *ubi supra n. 24.* pro se adducens Medinam, Cordubam, Angelum, Sylvestrum, Tabienam, Armillam, Cajetanum, D. Antoninum, & Suarez: & novissimè cum Candido, & Graffio, Granado, & aliis, idem tradit Leander *disp. 7. q. 25. & 51.* Probant, quia ex eo quod ter, vel quater fregerit propositum, non est grave indicium defectus dispositionis præsentis: aliquid enim fragilitati humanæ tribuendum est.

7. Verum quando nulla justa causa, saltem pœnitentis judicio, ad non relinquendam occasionem proximam peccati, adfuisset; si semel & bis absolutus proposito defecisset, ego tertio non absolverem, nisi obligationi, qua adstringitur, ejiciendi concubinam, vel solvendi debita, quæ potest, priùs satisfeciisset. Neque enim prudens judicium de ejus firmo proposito non peccandi concipere posse: & experientia didici occasionem raro relinquere, qui ad confessionem sic accedit. Nec audiendi sunt nonnulli Neotherici, qui asserunt confessarium posse absolutionem impendere, licet sibi certò constet aliunde pœnitentem non esse rectè dispositum, quod in hoc foro semper stari debeat ejus dictis, & secundum allegata, & ejus testimonio probata, sententia absolutionis, vel retentionis sit ferenda; sicut in foro externo ex testium depositione, licet judici contrarium constet. Sed hæc sententia est falsa omnino, & contra omnes Theologos: nec paritas quidpiam probat, quia in foro externo, juxta opinionem D. Thom. contra Scotum, ad rectam Reipublicæ gubernationem, notitia tantum publica judicem uti, maximopere oportet: in foro autem conscientiæ, cum bono animæ ipsius pœnitentis tantum consulat, nèquit confessarius, qui judex, & medicus simul est, venenum ei, loco medicinæ, applicare, quale esset indispositum absolvere, novo ejus peccato cooperando, & Sacramentum irritum administrando, quod à gravi culpa nullatenus potest eximi. Ideòque confessarium, qui ex aliis circumstantiis judicat pœnitentem non habere dolorem, & propositum, quantumcumque ipse affirmet se dolere, non posse illum absolvere, docent Suarez, Reginaldus, Sanchez, quos citatos sequitur Granado *contr. 7. tract. 10 disp. 9.* Henriquez *lib. 4. cap. 24. nu. 4.* Lugo *disp. 14. numer. 166.* & alii communiter. Id autem contingit, quando non relicta occasione proxima, tertiò post absolutionem relapsus, ad confessionem accedit.

8. Aliud verò esset, si pœnitens, qui bis absolutus concubinam tamen non ejicisset, modò reprehensus à Confessario, denuo eliceret extraordinarium aliquem dolorem, & efficacissimum propositum relinquendi statim occasionem, ex quo posset confessarius prudenter judicare, executionem non differendam. Nam cum pœnitens expertus non sit fractionem propositi adeò efficacis, potest prudenter censere ei staturum, & confessarius ita se habere, ac si numquam talis pœnitens de occasione proxima domi retenta se accusasset, & consequenter fidem illi præstans absolvere. Quia licet sæpè proposito minus efficaci defecerit, non verò intensissimo, quo ex Dei auxilio affectum in his circumstantiis se agnoscit. Ita cum Layman, & Navarra tradit Bauni *tom. 1. de Sacram. tract. 4. de Pœnit. q. 15.* Imò addo posse in prædicto casu pœnitentem absolvi ratione propositi non peccandi de cætero, licet non proponat ejicere, quam ut concubinam habuerat. Pro hoc asserto me judice militat Card. de Lugo *disp. 14. sect. 10. num. 151.* ubi ex communi Doctorum asserit, extraordinarium dolorem, & propositum non peccandi cum fœmina domi retenta, facere, quod hæc retentio non censeatur in posterum occasio proxima peccandi: *Quia homo, inquit, sic armatus, fortior multò est, quàm erat priùs, ac proinde probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, à quibus antea semper superabatur.* *Ergo cum voluntate non ejiciendi concubinam (si aliunde non sit scandalum, ut notant communiter Doctores) compatitur dolor efficax, & propositum non peccandi, quod in habente occasionem proximam voluntariam non invenitur. Unde, quæ antea talis censebatur, desinit esse talis. Hæc enim est vis, & efficacia fervorosissimi doloris, & propositi non peccandi. Ideò citato Cardin. de Lugo, id jure tradit Tamburin. *in Methodo, lib 3. cap. 3. §. 3. n. 6.* Qui addunt idem dicendum, quando occasione proxima non relicta, pœnitens proponeret efficaciter alia media de novo adhibere, quibus positis prudenter censeri posset non futuram deinceps peccandi occasionem. Quod à fortiori verum etiam erit, quando ob aliquod inconveniens, vel impedimentum, quod de novo supervenit, occasio proxima desinat esse. Ut cum Graffio, Lopez, Fernandez, & Sanctio tenet Leander *disp. 7. quæst. 4.*

9. Similiter, si pœnitens nullam occasionem proximam extrinsecam haberet, sed ex fragilitate carnis sæpius laberetur. V.g. juvenis, qui in pollutiones voluntarias frequenter reincideret, posset toties quoties absolvi; si cum vitæ præteritæ pœniteret, & proponeret efficaciter, auxilio Dei, non peccare de cætero.

cœrero. Est enim ad absolutionem rectè dispositus, nilque ex obligatione, & necessitate Sacramenti, ad ejus receptionem permittere adstringitur præter id, quod valor, & effectus Sacramenti, & præviam dispositionem, juxtà declarationem Concilium, exigunt. Ita P. Thomas Sanchez *tom.1.Sum.lib.2.cap.32. n.45.* ubi loquens de habente consuetudinem blasphemandi, inquit. *Secundò dico, quando nil curæ apposuit ad emendam, admonitusque est sæpè in aliis confessionibus, posse adhuc in rigore loquendo statim absolvi; si verè doleat de præteritis, & in posterum emendationem firmiter proponat, quia nullam occasionem extrinsecam habet, ut vel sic necessario impediatur absolutio, sed ex fragilitate carnis, sicut in alia vitia, &c. Sic ibi, & iterum *lib.3.cap.5.n.18.* Et in terminis (ut ajunt) tradit M. Zanardus *p.1.cap.2. de fornic. fol. mihi* 812. ib.: *Sicut absolvimus blasphemos, gulosos, ac alios sæpèsæpius eisdem peccatis peccantes; ita etiam possumus absolvere illos, qui ex fragilitate carnis, sæpè meretricantur, dummodo promittant, Deo adjuvante, pro possibili ab his abstinere. *Hos sequuntur Castro Palao *tom.3.tract.14. disp.1.punct 9.n.6.* Bauni *in Theol mor.tract.4.q.15. fol.* 96. Leander à Sacram. *tract.5 disp.7.q.36.& q 49.* ubi pro se refert Henriq. Suarez, Reginald. & Azorium. Idem docet Leander à Murcia Capuccinus *in disquis. mor.libr.2.disp.1.* apud quem M. Sotus, Valentia, Ægidius, Sà, Joannes Sanctus, & alii. Quibus subscribit Thomas Hurtado *tomo 1.resol.moral.tract.1. cap. 1. & cap.3.resol.2.nu.36.& 37.* Ubi ex verbis Christi Domini, *Luc.*17. ut à Chrysostomo, D. Augustino & ab aliis SS. Patribus expositis, sic infert: *Ex quibus tale colligo, meo judicio, validum argumentũ. Christus dicit, quod si peccaverit quis in die *septuagies septies*, si pœniteat, debeat absolvi. Ergo quamvis sæpissimè cadat, si speret auxilio Dei non cadere in futurum, potest concipere propositum emendandæ vitæ, & dolorem de præteritis. Consequentia est evidens, quia Christus id non putat impossibile, siquidem id præcipit Petro. Atque ita si Petrus tenetur dimittere, &c. poterit Confessor absolvere illum, qui est in occasione proxima peccandi venialiter; imò, & mortaliter, si occasio fiat ei involuntaria (& iterum *cap.5. numer.9.*) Quare de illo idem judicium debet ferri, ac de alio, qui habet consuetudinem peccandi, unde etsi *septuagies septies* cadat, toties debet absolvi.*

10. Quibus faciunt plures alii Doctores, qui de consilio tantum putant, differre absolutionem habenti consuetudinem peccandi, quos citatos sequitur ipse Hurtado *tom.1.resol.mor.tract.1.cap 6.nu.206.* dicens: *Communis sententia est ferè omnium Doctorum asserentium, saluberrimum consilium fore, denegare ad tempus absolutionem irretitis, aut consuetudine peccandi, aut occasione proxima (nimirum, quam non tenetur vitare.) Sic Suarez, Sanchez, Ledesma, Rodriguez, Ludovic. Lopez, Sayrus, Villalobos, Henriq. Azor, Gaspar Hurtado. Quos omnes iterum vidi, & loquuntur de habente consuetudinem, vel jurandi, vel blasphemandi, vel occasionem proximam, à qua, quia sui juris non sunt, separari non possunt. *Si ergo de consilio tantum est absolutionem differre, poterit confessarius peccatores hujusmodi statim absolvere; quia recta dispositio præsens rectè compatitur cum consuetudine præterita, & cum omissione diligentiæ ad eam extirpandam: & ut rectè cum M. Soto, & Valentia, ait Joannes Sanctius *in Selectis, disp.9.n.6.* *à peccato omissionis non vitandi pravam consuetudinem, tunc aliquid desistit, quando dolet de peccatis, & de mala consuetudine præterita.*

11. Addit Sanctius *num.*11. non solùm posse Confessarium in his casibus statim absolvere, sed tenere, nec posse absolutionem differre, si pœnitentem vero dolore, & proposito affectum censeat. Cui consentit Moure *in Sum.3.p cap.6.n.25.* dicens esse communem, & tenent Sotus, Ledesma, Navarrus, & alii, apud Henriq. *lib.6.de Pœnit.cap.26.n.5.in Glos. litt.Z.* Quos cum Illustriss. ac Rever. P. M. Fr. Petro de Tapia, sequitur M. Acatius de Velasco, Episcop. Oriolens. *tom.1.resol.mor.verb. Absolutio*, & iterum *resolut.* 19. *folio* 390. dicens: *El oficio recto del Confessor prudente es que aviendo oido de confession, llegando el penitente bien dispuesto, le debe absolver, pena de pecado mortal. Assi lo enseñna el Illustrissimo y Reverendissimo Fr. Pedro de Tapia. *Quos, aliis citatis, sequitur Fr. Leander à Murcia *in disquis.lib.2. disp.1. resol.14.fol.158.num.3.& seq.* *Hæc sententia, inquit, mihi semper arrisit, quia, ut experientia docet, non quilin confessionibus audiendis exercentur; differre absolutionem, regulariter non est remedium sed potiùs medium, quo in desperationem ruant, vel quo odiosa reddatur eis confessio, &c. Hanc experientiam, quam ego habeo, & multi graves viri, qui confessionibus audiendis frequenter vacant, similiter habuisse retulerunt. *Hæc ille cum citatis. Quam sententiam pluribus comprobat P. Dicastillo, tom.1. *de Sacram.tract.*8.*disp.*10.*dub.*29. *num.*57. Quæ tamen valdè notanda à confessariis pro hujus Sacramenti praxi, ne peccata in futurum multiplicent, dum procavere intendunt. Prudentis tamen medici judicium remittendum censeo, an aliquando absolutionem differre expediat; aliqui enim sunt pœnitentes, quibus hoc remedium saluberrimum fore, prudentiùs conferi potest. Unde Confessarius, licet judicis munere præcisè consideratò, teneretur absolutionem impendere, cum tamen medicus simul sit, qui ad præcavendum in futurum, debet etiam ex omnes attendere, non est, cur illicitum dicatur, hanc medelam applicare, quæ sibi convenientem judicaverit. Quinimò & debeb[illegible]at bene ait Cardin. de Lugo *disp.*14.*sect.*10.*num.* 1. dicens esse communem sententiam experientia comprobatam.

DISPVTATIO OCTAVA,

De Ministro in ordine ad casus reservatos.

REservatio peccati nil aliud est, quam ablatio jurisdictionis à reliquis Sacerdotibus inferioribus; ita ut à solo reservante, vel ab superiore, vel de eorum licentia, possit ab alio Sacerdote directè absolvi, neque aliter cessare potest obligatio confitendi, qua jure divino peccatores adstringuntur.

QUÆ-

QVÆSTIO I.

Qui, & quot sint casus reservatæ

1. CErtum est primò apud Doctores, nullum peccatum veniale esse de facto reservatum, licet lato saltem modo reservari possit, auferendo jurisdictionem ad absolvendum. Certum est secundò, peccata mortalia interna reservari posse, ut cum Cajetano, Soto, Coninch, Bonacina, & aliis docet Trullench *in praxi Sacram. cap. 10. dub. 1. num. 4.* De facto tamen nullum mortale internum reservatum est, sed solum externum; imò non quodcumque, sed illud tantum, quod secundùm quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, constat certo esse mortale. Ita Henriquez *de Pœnit. libr. 3. cap. 14. n. 6. in Gloss. litt. H.* ubi plures pro hac sententia adducit. Eam etiam tenent Granado 2. *tract. 15. disp. 13. n. 14.* Thomas Sanchez *in Sum. lib. 2. cap. 8. n. 7.* Suarez *tom. 4. de Religione, lib. 2. cap. 18. n. 12.* Lugo *de Pœnit. disp. 20. sect. 2. n. 13.* & Diana 4. *p. tract. 4. resol. 163.*

2. Ex hac doctrina valdè notanda, inferunt Doctores citati, reservato peccato externo contra castitatem (ut in Societate reservatur) necessarium esse ad incurrendam reservationem opus aliquod externum, quod ex se mortale sit ut oscula, verb. grat. & tactus impudici; nam si actio externa de se levis sit, ut visio curiosa, tactus manus, &c. non erit casus reservatus, quamvis actus internus, seu intentio, ex qua procedit, sit graviter peccaminosa. Ex eodem fortè principio docent alii, pollutionem ex turpibus cogitationibus ortam, quamvis peccatum mortale sit, non esse reservatum; quia effusio illa, inquit, est actio, vel passio de se non mala, sed indifferens; ac proinde ut sit reservata, opus est, quod procuretur per medium aliquod externum, quod de se peccatum mortale sit. Ita cum Coriolano, & Giorgio Kienensi tit Diana 4. *p. tract. 4. resol. 61.*

3. Si autem solum reservetur lapsus carnis voluntarius opere consummatus (qualiter in aliis Religionibus reservatur) non erit reservatum quodlibet peccatum mortale externum contra castitatem, sed illud tantum, quod in sua specie consummatum fuerit, ut fornicatio, pollutio, sodomia, & bestialitas. Ita Suarez suprà, à quo non dissentit Lugo *num. 13.* Ex quo poterit aliquis fortasse inferre, ruptionem vasis fœminei absque seminis effusione, non esse casum reservatum in aliis religionibus extra Societatem, quia non est actus consummatus in specie fornicationis, ad hoc enim opus est, ut docet Lugo *disp. 16, sect. 5. n. 238.* quod cum affectu inferatur damnum proli: hoc autem absque effusione seminis non magis per hunc actum, quam per alios tactus impudicos infertur.

4. Jam quot sint casus reservati, longum foret figillatim recensere, cum diversi in Diœcesibus reservari soleant; vide Palaum *to. 4. de Pœnit tract. 23. punct. 15,* ubi minutim refert, & explicat. Hoc modò dicere sufficiat: omnes casus Episcopis reservati, virtute Cruciatæ absolvi possunt: Præterea omnes casus Pontifici reservati, dummodò occulti sint, reservationem Pontificiam amittunt, & Episcopis jure communi Tridentini reservati manent. Quapropter toties quoties absolvi poterunt. Ita P. Thomas Sanchez *in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. n. 37.* Quem sequitur Diana *p. 1. tract. 5. resol. 2. & p. 8. tract. 7. resol. 67.* duodecim Authores pro hac parte adducens: quos ad vigintiquinque deducit Thomas Hurtado *tom. 1. resol. mor. tract. 5. cap. 4. resol. 17. §. 2.* & alii, apud Leandrum, *tom. 4. de Censuris, tract. 2. disput. 27. quæst. 45. & 46.* Quamvis quoad casus contentos in Bulla Cœnæ, sub lite sit, an per ejus publicationem, facultati Tridentini derogatum fuerit. Videantur Leander à Sacramento, & Diana *ubi suprà.*

5. Insuper observandum, Episcopum non solùm in foro interno, sed etiam in externo absolvere posse directè ab omnibus Pontifici reservatis, etiam non occultis, mulieres, pueros, senes, valetudinarios, aliasquè personas Pontificem adire impeditas, ut tradit Palao *suprà §. 4.* cum Suarez *disp. 30. sect. 3.* juxtà textus *in cap. Mores, cap. Noscitur,* & aliis, ex identitate rationis, qua in illis probatur, posse absolvere ab excommunicatione ob percussionem Clerici, nimirum, ut animarum periculũ vitetur, quod esset, si nimium absolutio differri deberet. Imò Parochum etiam posse suos subditos directè absolvere à reservatis Pontifici, vel Episcopo, si eos adire non possint, & instet necessitas communicandi, vel celebrandi, quæ omitti non possint, sine scandalo, aut infamiæ nota, tradit Palao *ex text. in cap. Nuper, de sententia excommunication.* Monet tamen cum Soto, Cano, & Ledesma, pœnitentem sic absolutum manere cum obligatione comparendi coram Pontifice, vel Episcopo, aut eorum delegato, cum commodè possit. Et sanè, qui ejusmodi onus negaverit, tenebitur consequenter ad superius dicta asserere, omnes casus Pontifici, vel Episcopo reservatos, amittere reservationem, eòipso, quod ab impeditis superiorem adire committantur; nam ut ait Sanchez suprà, casus Papales, desinunt esse tales per generalem constitutionem, concedentem eos in perpetuum cuicumque Episcopo, quod à fortiori dici deberet de concessis in perpetuum cuivis Parocho, ni aliàs pœnitens cum onere comparendi maneat; quod est valdè notandum, pro dicendis *quæst. 4.* ubi de hoc onere disputabimus. Vide Dianam *part. 9. tract. 7. resolut. 9. 10. & 11.*

7. Casus, qui in Religionibus ex decreto Clementis VIII. reservari possunt, & non plures, nisi de consensu Generalis Capituli, aut Congregationis Provincialis, sunt undecim. Primò: veneficia, incantationes, sortilegia. Secundò: apostasia à religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii fiat. Tertiò: nocturna, ac furtiva à monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta. Quartò: proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. Quintò: juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo. Sextò: procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non subsequuto. Septimò: falsificatio manus, seu sigilli officialis Monasterii, aut Conventus. Octavo: furtum de rebus Monasterii, seu Conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Nono: lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Decimo: occisio, aut vulneratio, aut gravis percussio cujuscumque personæ. Undecimo: malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores.

7. Ultra hos casus reservantur etiam in Societate. Primò, peccatum mortale, (nempè exterius, quod de se manifestè tale sit) contra aliquod ex tribus votis, vel contra alia vota, quæ professi emittunt,

tunt. Secundò: perjurium, vel falsum testimonium. Tertiò: furtum. Quartò: seditio in superiorem, vel divisio à capite cum gravi damno Religionis. Quintò: detractio, & discordiarum seminatio inter Fratres. Sextò: accipere, vel mittere furtim litteras, materiam peccati mortalis continentes. Septimò: tacuisse impedimentum aliquod excludens à Societate, vel mentitum esse in examine ad ejus ingressum in grave Societatis incommodum. Octavo, quodlibet peccatum habens annexam excommunicationem in Bullis, aut decretis Societatis. Quæ omnia sigillatim explicat Palao *ubi suprà*: alia verò, quæ in Ecclesia Pontifici, aliisvè Prælatis reservantur, poterunt per otium apud Doctores videri.

QVÆSTIO II.

Vtrùm, qui ignorat reservationem, illam incurrat?

1. DUplicem reservationem apud Theologos invenio, aliam, quam pœnalem in odium peccati vocant; aliam, quam medicinalem, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem infertur. Quoad primam, multorum opinio est, non incurri ab illam ignorante. Ita Thomas Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32. nu. 18.* talemque esse reservationem Sixti V. contra malè promotos ad ordines, & probabile putat Lugo *de Pœnitent. disp. 2. nu. 11.* P. Petrus Hurtado *2. 2 tom. 1. disp. 84. sect. 1.* & ex Molina, & Ledesma videtur tenere Fagundez *2. præcep. Ecclesiæ, libr. 8. cap. 1. n. 28.* Fundamentum desumitur ex probabili Doctorum sententia asserente, nullam pœnam incurri ab ignorante, etiamsi conscio prohibitionis actus, cui est imposita. Quam cum Henriquez, Suarez, Navarro, Lopez, Vega, & Rodriguez tenet Thomas Sanchez *suprà num. 13.* Imò ab incursione pœnæ excusare ignorantiam, etiam mortaliter culpabilem, dummodo non sit ex malitia affectata, vel ex nimia negligentia, & tali, quæ dolo æquiparetur, tenet ex Portel, Sanchez, & aliis, Diana *3. p. tract. 5. Miscellan. resol. 13.*

2. Quoad reservationem verò aliam, quæ non pœna, sed medicina dici solet, communis Doctorum sententia affirmat, incurri etiam ab eo, qui illam ignorat. Ita Sanchez, Lugo, & Fagundez suprà, & contrariam sententiam vocat improbabilem P. Petrus Hurtado loco citato. Probant, quia reservatio ista non est pœna, sed limitatio jurisdictionis ad absolvendum, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem valdè conducit; ignorantia autem pœnitentis non potest tribuere jurisdictionem confessario.

3. Secunda sententia supponit, omnem reservationem esse pœnam. Ita sentit Paludanus *in 4. dist. 34. quæst. 2 art. 1.* Jacobus de Graffis *tom. 1. lib. 5 de adultis, consilio 3. nu. 13.* Velochius *de casibus reservatis, p. 2. quæst. 1 num. 203. & quæst. 17. num. 66.* & alii, quos nomine suppresso, refert Hurtado *ubi suprà*, quos sequi videtur Diana *2. part. tract. 1. Miscellan. resolut. 1.* Qui proinde tenentur dicere non incurri ab ignorante: & ita tradit ipse Diana *part. 10. tract. 14. resolut. 63.* dicens esse satis probabile, pro quo adducit Navarrum, Grafium, & Januarium. Et novissimè apertè illam tenet Quintanaduennas *in singul. tract. 3. de Pœnitent. singul. 11.* ubi inter alias observationes pro reservatis, sic inquit: *Omitto plures, quia perviæ inter Doctores. Quarum prima erat, quod ignorantia reservationis, sive juris, sive facti, etiamsi culpabilis sit, sed non crassa & probat *tom. 2. tract. 4. singul. 8.* Quibus partim consentit Thomas Hurtado *tom. 2. resolut. Moral. tract. 11. cap. 1. num. 1123. folio 323.* ibi: *Diana *part. 6 tract. 8. resolut. 42.* sentit esse probabile, id quod ego quoque sentio, idem esse dicendum, de casuum reservatione, à qua liber est ignorans invincibiliter. *Nec longè sunt ab hac sententia qui reservationem, ad bonam Ecclesiæ gubernationem ordinatam, vocant pœnalem, & odiosam, ut Thomas Sanchez in Sum. lib. 5 quæst. 7. punct. 5. §. 4. num. 1.* Reginaldus *tom. 1. cap. 11. nu. 113.* Coriolanus, Chapeavila, Naldus, Homobonus, & alii, apud Dianam *6. p. tract 6. resolut. 41.* Imo etiam Ledesma apud Fagundez, suprà, qui reservationem absolutè vocat pœnam. Stant apertius pro hac sententia omnes, qui asserunt, nullam pœnam incurri ab ignorante illam, quod defendunt Navarrus, Sylvester, Angelus, & alii, apud Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 32. numer. 20.* & ipse putat probabile, *numer. 21.*

4. Suadetur hæc sententia, quia formalitas medicinæ non destruit rationem pœnæ: istæ enim formalitates rectè in eadem entitate compatiuntur, ut patet in pœnitentia Sacramentali, quæ pœna, & medicina simul est, juxtà Tridentin. & in excommunicatione, quæ, ut ait Sanchez *n. 13.* *ex una parte medicina, & ex altera est pœna: *ergo benè hæc reservationem esse medicinam ad Ecclesiæ rectam gubernationem conducentem, & simul esse pœnam. Unde argumentum sic conficitur. Excommunicatus quia rationem pœnæ participat, non incurritur ab ignorante illam, licet simul includat rationem medicinæ conducentis ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Ergo reservatio, quia rationem pœnæ participat, non incurretur ab ignorante, licet simul includat rationem medicinæ conducentis ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Nec contrariæ sententiæ fundamentum premere videtur, & in adversarios retorqueri potest, quia omnis reservatio, etiam illa, quæ abusis adstruitur ut pœna, verè est ablatio jurisdictionis absolvendi; & tamen ignorantia ejusmodi reservationis efficit, quod absolutio sit valida, impediens ablationem jurisdictionis, ut ipsi fatentur, eò quia talis ablatio fuerit in pœnam: ergo idem de omni reservatione, etiam medicinali dici poterit: quia omnis reservatio, ut ex dictis constat, rationem pœnæ participat. In hanc sententiam valdè inclinat Diana *suprà resol. 42. citata*: verum quia contraria, inquit, est communis, fatetur, se non audere ab illa recedere.

5. Cæterum licet præfata sententia probabilis, probabilius tamen existimo, reservationem simpliciter factam, quæ ad bonam Ecclesiæ gubernationem & populi Christiani disciplinam refertur, incurri quolibet, etsi invincibiliter illam ignorante. Juveor, quia oppositæ sententiæ solum fundatur in probabilitate opinionis asserentis, ignorantiam purgare ab ejus incursione excusareque quidem opinio, ut videre est apud Doctores, solum procedit in pœna, cui primario convenit ratio pœnæ, & secundario ratio medicinæ, & non è contrà. Pœna enim & punit delicta præterita, & præcavet in futurum, ne alia committantur: reservatio autem, etsi pœnæ rationem contineat, non ramen primariò, sed secundariò, ut ferè universi Doctores fatentur apud Sanchez *in Sum lib. 2. cap. 4. num. 4.* & tenet expresè Fagundez *suprà num. 28.* qui [illegible] primæ

primaria reservationis non est, ut puniat delicta, sed ut medeatur in posterum, ad quod necessarium est, ut medicina à prudentiori medico applicetur, idque ad prudentem Ecclesiæ gubernationem maximè conducit.

6. Sed nondum plenè exhausta videtur difficultas, nam juxtà communem Doctorum sententiam, ut videre est apud Suarez *disput. 29. sect. 2. num. 8.* Sanchez *in Summ. lib. 2. cap. 8. numer. 5.* & Card. Lugo hic *disput. 20. sect. 2. num. 15.* Pontifex ferè nunquam reservat peccatum sine excommunicatione, & peccatum ratione censuræ reservatur. Unde non levis insurgit difficultas, nam si censura tantum est, quæ reservatur, non verò peccatum nisi ratione censuræ, ut volunt Durand. & Cajetan. apud Suarez *suprà*, & tenet expressè Trullench *in praxi Sacramentorum, lib. 4. cap. 10. dub. 2.* eo ipso, quòd pœnitens habuerit ignorantiam censuræ, nullam reservationem incurret, ac proinde à quolibet approbato poterit à peccato absolvi. Si verò non solùm censura, sed etiam peccatum per se, & immediatè reservatum sit, ut existimant Thomas Sanchez, Suarez, & Lugo, parum ad rem facit, nam ut omnes Theologi fatentur, ita inter se connexa sunt peccatum, & censura, ut illud sine ista minimè reservetur, ita ut sublata excommunicatione cujuscumque peccati Pontifici reservati, possit quilibet confessarius approbatus ab illo absolvere: ergo si pœnitens ignoraverit censuram peccati hæresis, verb. grat. non erit peccatum hæresis reservatum, quia licet pœnitens in tale peccatum inciderit, non tamen reservationem incurrit, utpotè censuram ignorans.

7. Sequela ista videtur mihi omnino tenenda, eamque de hæretico loquens (quod est valdè notandum) tenet expressè Thom. Sanchez *lib. 2. Sum. cap. 8. numer. 5. in fine.* Et cum Henriquez amplectitur Trullench *suprà cap. 10. citato, dub. 2. num. 2. in fine.* Ubi planè fatetur, eum, qui ratione ignorantiæ non incurrit censuram, non incurrere reservationem peccati. Et cum Vasquez, & aliis idem tradit Palao *tom. 4 tractat. 23. punct. 15. §. 2.* Et cum Ægidio, Granado, Layman, & Hurtado tenet Leander *disput. 12. quæst. 16.* Addit Crousers apud Dianam *6. part. tract. 6 Miscellan. resolut. 61.* ob hæresim occultam non incurri excommunicationem; ex quo planè deducitur, juxtà superius dicta, hæresim occultam non esse casum reservatum, sed posse à quovis approbato absolvi. Verum hæc doctrina Crousers est omnino falsa, & contra communem Doctorum; & gravi censura notanda.

8. Advertendum tamen est, inadvertentiam, seu oblivionem actualem excommunicationis, seu pœnæ, etiam excusare ab illarum incursione, ut benè à paritate de ignorantia, probat Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 12. num. 18.* & ex illo Diana *3. p. tract. 5. resol. 41.* Oblivio enim, inadvertentia, & ignorantia invincibilis, sicut æquiparantur in ordine ad excusandum à culpa, ut cum Suarez, Azor, & aliis Theologis communiter tradit Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 16. num. 8.* ita etiam in ordine ad excusandum à pœna, quod est maximè observandum ad plurium casuum resolutionem. Hinc conjux incestuosus cum consanguinea uxoris in primo, aut secundo gradu, excusatur ab incursione pœnæ privationis petendi debitum, non solùm ob ignorantiam; sed etiam ob inadvertentiam, aut oblivionem actualem talis pœnæ, ut cum Portel, & aliis tradit Diana *3. p. tract. 5. resol. 12. & part. 4. tract. 2. resol. 36. & 85.* Et putat probabile Sanchez *lib. 9. de Matrimonio, disp. 32. num. 50.* Hinc etiam, quicumque sibi imponens pœnam sub conditione, si actionem aliquam efficiat, vel præceptum transgrediatur, excusatur à pœna, si eius immemor delinquat, ut tradit Sanchez *libro 4. Sum. cap. 22. citato.* Hinc denique pro nostro casu consequenter infertur, oblivionem, seu inadvertentiam reservationis, etiamsi conjunctam cum notitia prohibitionis actus externi, excusare ab incursione reservationis, in opinione suprà relata, universaliter asserente, ignorantiam pœnæ, quæcumque illa sit, excusare ab eius incursione. Quod notare oportet pro reservatione censuratum, cujus notitia erit etiam necessaria juxtà hanc opinionem.

QVÆSTIO III.

An dubium de peccato reservato tollat eius reservationem? & quid, si post absolutionem cesset dubium?

1. Suppono ex communi Doctorum, in Ecclesia esse potestatem reservandi peccata dubia, vel quia potest auferre ab inferioribus Sacerdotibus jurisdictionem ad absolvendum, qua etiam ratione reservari possunt venialia, & mortalia semel confessa, vel quia potest obligare pœnitentem ad subjicienda clavibus peccata dubia coram superiore. Quod tenent communiter Doctores existimantes ejusmodi peccata esse materiam necessariam confessionis. Qua opinione suppositâ (licet nos contrariam probabilem esse docuerimus *disput. 1. quæst. 5. de integritate confessionis*) inquiri solet, an in dubio maneat casus reservatus.

2. Duplex potest esse dubium, vel facti; ut cum quis dubitat, an commiserit peccatum, quod habet annexam reservationem; vel juris, ut cum certus de peccato commisso, dubitat, an sit reservatum. De utroque dubio quæstio procedit. In dubio juris, eam proponit Thom. Sanchez *lib. 1. Summ. cap. 10. numer. 73.* & respondet, in ejusmodi dubio non censeri casum reservatum, pro quo citat Suarez, & Henriquez, & tanquam certum tenet cum Bonacina, Trullench *in praxi Sacramentor. cap. 10. dub. 9. num. 3.* & supponit Quintanadvennas *tom. 1. tract. 3. de Pœnitent. singul. 11. & 18. num. 9.* In dubio autem facti proponitur à Cardin. de Lugo *disput. 20. num. 16.* & respondet similiter, in tali dubio non censendum casum reservatum, pro quo ultra Suarez, & Henriquez adducit Filliucium, & Hurtado, pluresque alios, quos refert Diana *4. part. tract. 3. resolut. 4.* Quibus cum Sanchez, & Bonacina consentit Trullench *suprà*, & est communis Doctorum sententia contra Frias, Armillam & Cordubam.

3. Probant communiter Doctores. Primò, quòd reservatio est odiosa, atque adeò ad casus tantum certos restringenda. Secundò, quia reservato voto castitatis, intelligitur de voto certo, & non de dubio, ut benè Sanchez *lib. 4. Sum. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3.* ergo reservato peccato mortali, intelligitur de peccato certo, & non de dubio. Præfata ratio non solùm probat in dubio facti, sed etiam in dubio juris, quia pœnitens de peccato mortali certus, suam possidet libertatem ad confitendum cuilibet Sacerdoti, in mortalia jurisdictionem habenti. Ergo possessione certa privari non potest per dubium superveniens,

niens, ut docent communiter Doctores: ergo si facta sufficiens diligentia, dubius adhuc maneat, an peccatum sit reservatum, poterit à quolibet approbato absolvi, quia melior est conditio possidentis. Hæc sententia quoad utramque partem mihi placet.

4. Major est difficultas, an qui post confessionem peccati mortalis sub dubio, cognoscit certo, fuisse mortale reservatum, teneatur pro eius absolutione ad superiorem recurrere? Ratio dubitandi est, quia pœnitens verè commisit casum reservatum, & si casus habeat annexam excommunicationem reservatam, illam contraxit: ab his autem nondum est à legitimo superiore absolutus; ergo veritate postea comperta tenebitur pro absolutione ad illum recurrere. Card. de Lugo ubi suprà *num* 20. & ex illo Leander *disput.* 12. *quæst.* 12. respondent, non teneri, quia pœnitens, dum casus manebat dubius, verè fuit ab eo directè absolutus per Sacerdotem habentem jurisdictionem delegatam à reservante, vel à Pontifice, qui in illis circumstantiis cuilibet approbato eam committit: sed directè absolutus à peccato, seu excommunicatione reservatis, non tenetur pro absolutione iterum ad superiorem recurrere: ergo, &c. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quia vis reservationis in eo sita est, quod superior impediat, ne alius confessarius de hoc, vel illo peccato judicet: si autem semel in his, vel illis circumstantiis concedat alteri Sacerdoti facultatem absolvendi ab illo, non potest obligare ad illud iterum sibi confitendum, quia pœnitens jam plenè satisfecit præcepto divino confessionis.

5. Hæc ratio intentum convincit, in opinione asserente, peccatum confessum ut dubium, non deberi dubio cessante, ut certum confiteri, quam alibi impugnavimus. Verum in nostra parvi ponderis est; nam, cum non obstante prima absolutione directa, utpotè conditionata, teneatur jure divino pœnitens, cessante dubio, iterum confiteri peccatum, ut certum, potuit superior sibi reservare jurisdictionem ad absolutionem directam absolutam. Ergo, sicut quando pœnitens confessus est peccatum, ut dubium, tenetur, dubio cessante, iterum confiteri ut certum Sacerdoti approbato; ita si comperiat, fuisse reservatum, tenebitur coram superiore comparere: nullo enim fundamento dici potest, Pontificem substulisse reservationem, manente obligatione, se iterum de illo accusandi.

6. Si verò dubium non caderet suprà peccatum, sed suprà reservationem, seu censuram: ut si quis, verb. grat. se accusasset de peccato certo, & quia dubium erat, an reservationem, vel excommunicationem haberet annexam, absolutus fuisset ab inferiori Sacerdote, existimo cum Card. de Lugo, in tali eventu non teneri pœnitentem, dubio cessante, coram superiori comparere. Probatur ex doctrina, quam ex Sanchez *in sum. lib.* 4. *cap.* 44. *num.* 10. adducunt Lugo *disp.* 20. *sect.* 3. *nu.* 22. & Trullench *in Decalogum, tom.* 1. *lib.* 2. *dub.* 33. *nu* 24. Nam qui in dubio, an votum esset reservatum, obtinuit dispensationem illius, non tenetur, veritate postea detecta, ad Pontificem pro dispensatione recurrere, eo quod dispensatio obtenta, dum erat dubia reservatio, non fuit conditionalis, nec eius valor à futuro eventu dependens: ergo à simili in nostro casu, qui in dubio, an peccatum fuisset reservatum, absolutionem obtinuit à potente directè, & absolutè in illis circumstantiis absolvere, non tenebitur, veritate reservationis postea detecta, ad superiorem pro alia absolutione recurrere, quia prima non fuit conditionalis, sed absoluta, & à futuro eventu independens, talque naturæ, ut nullum neat in pœnitente obligatio iterum confitendi peccatum, utpotè, quod non ut dubium, sed ut certum confessus est.

7. Quod diximus de reservatione peccati, dubio, dicendum est etiam de reservatione censuræ: licet possit Ecclesia concedere facultatem absolvendi à censura dubia sub onere reincidendi, si non compareat coram superiore, dum primum illi constet, fuisse reservatam: non tamen constat Ecclesiam de facto ita statuisse. Et ut bene notat Lugo *ibi prò*, non potest absolvi ad reincidentiam, nisi casibus à jure expressis, qualis præsens non est.

QVÆSTIO IV.

An possit superior concedere facultatem absolvendi à reservatu sub onere comparendi coram illo?

1. EX vi præcisè reservationis, seu juris reservandi peccata, non posse; ac proinde, non manere onus comparendi, casu, quo superior prædictam facultatem concessisset, si ex alio non obligatio comparendi non oriatur, docent cum P. Vasquez *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *à n.* 11. ub, tenet communis error, tertia sententia, quam sequuntur *quæst.* 91 *art.* 1. *dub* 6. 7 & 8. Et cum Navarro Portuno, & aliis, Joannes Sanchez *in Selectis, disp.* 12. *num.* 3. Quibus novissimè accessit Lugo *disput.* 15. *sect.* 4. *num.* 115. An verò sit aliud caput, ex quo obligatio comparendi possit oriri? negant moderni quidam apud Suarez *disp.* 30. *sect.* 5. *num* 7. & veram sententiam Durandus, & tenent Holchot. & Carthusianus apud Suarez, & alii, apud Trullench *in praxi Sacramentor. lib.* 4. *cap.* 10. *dub.* 9 *numer.* 16. Item Croiset *in Regula Sancti Francisci, cap* 7. *lect.* 22 *fol.* 697. & Thomas Tamburinus ubi infrà.

2. Veri tamen, & communis Doctorum sententiæ oppositum tenet. Conveniunt igitur, superiorem posse concedere licentiam, sub onere comparendi, si subditum manere sub mortali constrictum ad comparendum. Ex quo autem capite hæc obligatio oriatur; non omnes eodem modo explicant. Aliqui existimant, oriri ex solâ voluntate superioris: Inferes apud Joannem Sanctum *suprà nu* 2. Illi autem negant, cum Vasquez, ipse impugnat; quia superior non habet jus ad applicandam, vel substrahendam materiam, id est, ad concedendam, vel negandam Sacerdoti inferiori jurisdictionem ad absolvendum: non verò applicatâ, seu concessâ jurisdictione, subditum potest, quia jam est collata materna sententia, ipse pœnitens non tenetur bis confiteri idem peccatum.

3. Ideò alii ajunt, onus comparendi coram eo, quòd superior concedit confessario facultatem absolvendi à reservatis cum condition, ut injungat in pœnitentiam subdito, ut coram ipso compareat. Verum, ut benè tradit Vasquez *quæst.* 93. *artic.* 1. *dub* 6. *num.* 12. hoc onus comparendi firmum non est, quia prædicta pœnitentia potest ab alio confessario commutari, imò, & ab ipso pœnitente, ut ait Lugo, lucrando indulgentiam quam plenariam. Omitto, Joannem Sanctum *suprà num.* 6. existimare, superiorem non posse dare

dere facultatem absolvendi cum conditione, quod ejusmodi pœnitentia injungatur, ac proinde, ea non injuncta, validè absolvi pœnitentem, & ab onere comparendi manere liberum.

4. Alii verò putant, onus comparendi provenire ex voto, vel juramento, quod pœnitens efficiat: potest enim superior non aliter concedere facultatem, nisi juramento, vel voto ad comparendum se adstingat. Cæterum, neque hic dicendi modus firmior est præcedenti; quia ejusmodi votum, & juramentum possunt virtute Cruciatæ commutari: & saltem quoties superior non concedat facultatem sub onere emittendi tale votum, seu juramentum nec à pœnitentibus emittatur, ut de facto contingit, non erit obligatio comparendi.

5. Propter hæc communis dicendi modus est, subditum manere obligatum ad comparendum, ex vi cujusdam pacti, quo per usum facultatis eligendi Confessarium pro reservatis, se obligat ad comparendum coram superiore. Ita Pater Vasquez *suprà num.* 13. Joannes Sanctius *num.* 3. *citato*. Lugo *suprà num.* 115. & cum Navarro, Henriquez, Ægidio, & aliis, Castro Palao *tom.* 4. *tract.* 23. *punct.* 15. §. 5. *num.* 15. & alii communiter. Probatur, quia superior potest non concedere facultatem absolvendi aliter, quam dependenter à consensu subditi, se obligantis ad comparendum, illum quidem non cogens ad istam obligationem subeundam, sed liberum relinquens usum prædictæ facultatis, quasi uti velit, teneatur comparere. Si verò nolit, habeat se tanquam non habens copiam confessarii, ut benè Suarez *disp.* 30. *sect.* 5. *num.* 12. & Lugo *ubi suprà*.

6. Et sic declaravit R. P. Mutius Vitteleschius, Præpositus Generalis nostræ Societatis, anno 1617. intelligendam concessionem pro nostris iter agentibus factam: ait enim, obligationem illam, nimirum comparendi coram superiore, esse conditionem, sine qua nullo modo Socieras concedit facultatem; ideòque, qui non habet animum acceptandi, vel implendi, non posse uti illa facultate, & in usu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis, qua subditus se obligat. Et hanc obligationem comparendi coram superiore sub mortali esse, declaravit R. P. N. Generalis Claudius Aquaviva, ut testatur Suarez *tom.* 4. *de Religion. tract.* 10. *lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 1. Ex quibus constat, in nostra Societate, ex usu prædictæ facultatis, contrahi obligationem gravem comparendi, etiam ab ignorante tale onus annexum; nam qui efficaciter vult actionem aliquam validè exercere, eâdem efficacitate, saltem implicitè, vult, quæ ad eius valorem necessaria sunt. Cum autem valor absolutionis stare non possit absque jurisdictione, à superiore delegata; & hæc non delegetur, nisi sub conditione obligationis comparendi, non potest non efficaciter illam velle, qui vult efficaciter validè absolvi.

7. Unde, saltem in Societate, non potest locum habere doctrina, quam ex Vasquez, & Gaspare Hurtado *disput.* 11. *diffic.* 12. adducit, & sequitur Diana 4. *p. tract.* 4 *resolut.* 119. asserens, subditum sub onere comparendi absolutum, non teneri comparere, si ante absolutionem ignoravit onus, ut benè cum Ægidio tradit Palao *suprà num.* 16. & Leander *disput.* 12. *quæst.* 68. licet oppositum putet etiam probabile: secus forsan erit in aliis Religionibus, ubi superiorum mens non fuerit, sicut in Societate, declarata. Imo fortè validè absolvetur subditus, licet fictè simulet, acceptare obligationem comparendi, dummodo aliàs bona fide existimet, non teneri ad illam acceptandam, quia non conceditur facultas dependenter à vera acceptatione ex vero animo adimplendi, sed dependenter ab acceptatione externa. Et ita intelligendus est Suarez *suprà nu.* 19. Est tamen advertendum, quòd si quis ex Societate sit tanquam hospes in aliquo Collegio, si diu ibi moraturus sit, (puta spatio unius, vel alterius circiter mensis) potest, si in reservatum incidat, imò, & tenetur, coram superiore talis Collegii comparere, ac si esset proprius eius subditus, sine obligatione comparendi coram alio superiore: secus verò, si minori spatio sit moraturus: in tali enim eventu eodem modo est de illo philosophandum, ac de reliquis iter agentibus. Ita decisum est in instructione de reservatione, *cap.* 6. *num.* 6.

8. Verum, nec istum dicendi modum videtur putare firmum P. Vasquez *quæst.* 91. *art.* 3. *dub.* 7. *nu.* 28. ubi ait, quod licet ipse ex contractu supra dicto onus illud comparendi obligans sub mortali, oriri posse existimet, videri tamen alicui posset, non esse materiam contractus. Primò, quia promittens Petro, se ei confessurum omnia peccata, quæ antea fuerat confessus, non tenetur ex justitia stare promissioni, sed potest absque culpa gravi mutare voluntatem, & non adimplere promissum. Secundò, quia contractu & mutua voluntate, nequit quis superiori obligari, nisi in his, quæ respiciunt materiam justitiæ, cedendo juri suo: secus in alia materia: hæc autem promissio non versatur circa materiâ justitiæ; nec refert, inquit Vasquez, quod superior concesserit sub conditione licentiam, & cesserit juri suo reservandi peccatum illud, & quod subditus promiserit comparere, quia revera illam promissionem non observare, non esset contra justitiam, sed contra fidelitatem, quæ, in opinione plurium, obligationem gravem non inducit. Hæc Vasquez, quæ satis indicant, ipsum putare probabile, ex prædicto pacto, non posse gravem comparendi obligationem consurgere. Cui cum aliis consentit Dicastillo *de Pœnit. disput.* 11. *à num.* 209.

9. Quod efficaciter suadetur ex his, quæ ipse Vasquez posteà docet *q.* 93. *art.* 1. *num.* 17. nam cum facilè posset virtute prædicti pacti defendere (ut multi defendunt apud Henriquez *lib.* 2. *de Pœn. cap.* 16. *num.* 4.) constitutionem quamdam Cistertiensem, (quæ jam est revocata à Clemente VIII. ut cum aliis tradit Leander *disp.* 3. *q.* 51.) in qua Monachis præcipitur, ut peccata, quæ confessariis deputatis à superiore intra annum confitentur, teneantur iterum Abbatibus in fine anni confiteri: talis pacti non meminit, sed absolutè asserit, illam constitutionem, non alia ratione potuisse obligare, quam ratione voti, & juramenti. *Sixtus enim IV. eam confirmavit secundùm opinionem quorumdam, repugnantibus viris doctis. * Hæc Vasquez, quibus satis innuit, se non quiescere præfato communi dicendi modo. Quapropter nonnulli, quos suppresso nomine refert Suarez *suprà* absolutè docuerunt, etiam admisso hoc genere pacti, & obligationis, subditum non peccare mortaliter non comparendo. Sed quid immoror? Ita expresè docuit P. Vasque in manuscriptis de Pœnitentia, quæ in Bibliotheca nostri Collegii Complutensis observantur, *quæst.* 91. *citata*, *art.* 3. *dub* 7. in quibus sic lego. * Quis non videat, esse ridiculum asserere, hanc esse materiam contractus, ut quis superiori se obliget, & cur si nolit posteà comparere, reus erit mortalis saltem. *Et novissimè multis argumentis id probat Thom. Hurtado *tom.* 1. *resolut. moral. tract.* 5. *cap.* 5. *resol* 23. & licet concludat, se Ecclesiæ judicio, & sapientiorum submittere, apertè sentit, ex prædicto pacto non manere subditum obligatum sub mortali ad comparendum.

10. Ni-

10. Nihilominus à communi dicendi modo recedere non audeo; & contrariam opinionem esse improbabilem, dicit Suarez *suprà*. Est enim, in illo pacto, contractus quidam onerosus, facio, ut facias, cedo juri meo, ut te obliges ad comparendum: qui quidem contractus verus est, & in re gravi Ecclesiasticæ disciplinæ, & juri Prælatorum graviter conducens, cujus violatione grave illis inferretur damnum; ac proinde non pertinet ad nudam fidelitatem. In quo deficit paritas de promittente alteri confessionem, quin aliud interveniat. Nec est, cur tes spirituales excludantur à materia contractus, alias duo Sacerdotes non manerent mutuò graviter obligati ad faciendum sacrum, licèt pactum inissent de mille pro totidem celebrandis. Existimat Trullench *in praxi, lib. 4. cap. 10. dub. 9. nu. 16.* prædictam obligationem comparendi coram superiore, non esse ad confitendum denuò Sacramentaliter peccata reservata, sed ut pœnitens reddat rationem peccati commissi, & satisfactionis impositæ, acceptando aliam, si superior imponere voluerit. Sed oppositum ipse docuerat, *cap. 2. dub. 4. n. 10.* cum Bonac. & aliis. Ego verò arbitrio superioris remittendum censeo. Nam cum subditus sit jam à peccato reservato directè absolutus, obligatio ex contractu superaddita, sicut ex voluntate superioris ortum habuit, ita pro eius nutu cessare potest.

11. Addo, subditum judicantem non teneri ad comparendum, non posse virtute prædictæ concessionis, à reservatis absolvi, quia superior non intendit concedere facultatem eligendi confessarium pro reservatis subdito, non manenti obligato ad comparendum: si verò semel absolutus opinionem mutet, ab isto onere probabiliter excusabitur.

QVÆSTIO V.

Utrùm Regulares, post decretum Urbani VIII. anno 1628. potuerint absolvere à casibus contentis in Bulla Cœnæ?

§. I.

Notabilia præmitto.

1. AD plenam hujus quæstionis intelligentiam suppono, casus in Bulla Cœnæ contentos plures esse. Quorum summam hic referam, relicta brevitatis causa explicatione, quam apud authores hac de re scribentes quisque facilè inveniet. Igitur casus reservati in Bulla Cœnæ sunt. 1. Hæretici cujusque sectæ, eorum fautores, libros hæreticos legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici. 2. Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores. 3. Piratæ atque eorum receptatores, & fautores. 4. Naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona, etiam in littoribus inventa subripientes. 5. Imponentes nova pedagia, & gabellas, vel eas augentes. 6. Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes. 7. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos; & ad reipublicæ Christianæ statum pertinentia isdem in damnum Christianorum nuntiantes. 8. Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt. 9. Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua aut aliorum opera lædentes, & sine jurisdictione vexantes in Curia commorantes. 10. Romipetas, ac peregrinos etiam in Urbe commorantes, vel abeuntes lædentes. 11. Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos. 12. Ad Romanam Curiam pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios lædentes. 13. Appellantes à gravamine, vel à futura executione litterarum Apostolicarum ad hanc potestatem. 14. Executionem litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes. 15. Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbantur; 16. Impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur; quique illorum, & delegatorum judicantes ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium. 17. Illaqueantes Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum jurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes. 18. Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Monasteriis, aut eorum fructibus. 19. Judices sæculares, qui se interponunt in causis criminalibus contra Ecclesiasticas personas. 20. Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictionem usurpantes. Hi sunt casus Bullæ Cœnæ Pontifici reservati, à quibus (si quamor excipiam, nempè hæreticum relapsum, schismaticum, item Apostolicas falsificantem, & ad infideles prohibitis deferentem) poterant olim Regulares absolvere concess. Urbani IV. & Sixti IV. ut notant communes Doctores. Sunt & plures alii extra Bullam Cœnæ Pontifici reservati, de quibus non disputo, quæ certissimum est absolvi posse à Regularibus virtute privilegiorum. Et ita supponitur, vel, ut potiùs dicam, exprimitur in ipso Urbani VIII. decreto.

2. Præmitto secundo casus Episcopis reservatos, alios esse ab homine, nempè quos ipsis insos Diœcesibus reservant, qui pro singulis non iidem sunt, alios esse à jure. Quorum novem recensentur in *c. 1. extrav. sup. Cathedram de sepulturis, verb. à jure.* Et horum quinque exprimit M. Hyacinthus Donatus *addit. ad pract. tom. 4. tr. 4. q. 38.* Quos omitto: quæ ut ipse asserit cum Suarez *tom. 4. in 3. p. disput. 29. sect. 3. num. 6.* Secluſa consuetudine, ex solo jure communi nullum peccatum est Episcopis reservatum. Quod efficaciter probat Suarez per singula discurrendo. Et ut cum Ludovico à Cruce, & Lezana dicit Donatus, nullus est in jure textus, quo dicantur reservari, sed tamen dicuntur reservata à jure consuetudinis, quia olim communiter reservabantur, quibus virtute privilegiorum Urbani IV. & Sancti Eugenii IV. Julii Secundi, & Pauli Tertii potuerunt Regulares, quoscumque absolvere, ut videntur apud Quintanadvennas, *tom. 1. sing. 16.* sive ab homine, sive à jure reservarentur.

3. Cæterùm jure novo Concilii Tridentini, *sess. 24. de reformat. cap. 6.* omnes & quicumque cathedrales occulti, etiam hæresis crimen, Episcopi reservantur, vel ut ait P. Henriquez, *lib. 6. de Pœnit. cap. 14. num. 7. ad finem*, de hac Tridentini concessione loquens: *Restituit Episcopo sublatam olim jurisdictionem, quam habebant jure communi, aut divino.* Quam et jure ipso annexam esse dignitati Episcopali, retent plures apud ipsum *sup. in gloss. litt. K.* Et post Trullench *dub. 4. n. 10.* quia jurisdictio non annexa personæ, sed perpetuò dignitati, vel officio delegata, sed ordinaria, & potestas ordinaria non est

narlæ jura habet, ut docent Bart. Bald. Immola, Sylvest. Covar. Passarel. & alii, quos citatos sequitur Thom. Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 40. numer. 14.* Undè omnes casus Pontifici reservati, si occulti sint, Papalem reservationem amittunt, & consequenter manent de jure Episcopis reservati, à quibus proinde toties quoties absolvere poterunt, quicumque privilegium habeant absolvendi à casibus Episcopis reservatis. Ita P. Thomas Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. numer 2.* Aversa & alii, quos citatos sequitur Diana *3 part tom. 2. resol. 13. §. Nota quarto. Et in additionib. resol. 17. & p. 8. tract. 7. resol. 71.* Bassæus *in florib. Theol. mor. verb. Hæresis, num. 18.* Thomas Hurtado *tom. 1 resol mor. tr. 5. cap. 4. resol. 16. num. 127.* Marcus Vidal *in arca vitali de cas. reserv. inquis. 1. à num. 121.* P. Mendo *in Bull. Cruc. disp. 23. cap. 5. num. 61.* Leander à Sacram. *tom. 4. tr. 17. quæst 84.* apud quem Trullench *in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. num. 5.* Crousers, Marcellus, Oliverius, Macuchellus, & Joannes de Soria, & alii, quos sequitur Illustriss. M. Acatius de Velasco, *tom. 1. resol. mor. verb. Absolucion, resol. 5. num. 11.*

§. II.

Quæstionis resolutio.

4. QUamvis casus Bullæ Cœnæ occulti sint casus Episcopales de jure, Episcopis post Tridentinum reservati, ut putant omnes qui censent facultatem in Concilio illis concessam, ubi suprà, non fuisse posteà revocatam per Bullam Cœnæ (quod tenent supra triginta Doctores, quos referunt Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 5 cap 14. resol. 17. §. 2.* Diana *1. par. tr. 5. resol. 2.* & Leand. *tom. 4. tr. 2. disput. 17. quæst. 45. & 46.*) nihilominus tenendum est Regulares post decretum Sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. die 17. Nov. anno 1628. non posse absolvere sæculares à casibus occultis Bullæ Cœnæ. Ratio est, quia ut in præfato decreto declaratur, per Bullam Cœnæ revocantur quotumvis Regularium privilegia, si quæ habebant ad absolvendum ab ejusmodi casibus, ibi: *Quemadmodum, nec* (revexisse) *indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, utpotè per annuam ipsius Bullæ publicationem sublata.*

5. Dices per Bullam Cœnæ solum revocari facultatem absolvendi, quando casus sunt publici, secus quando occulti. Sic Diana *part. 4. tr. 4. resol. 239.* Bassæus *in Flor. verb. Hæresis, num. 18.* Leand. à Sacram. *tom. 4. tr. 2. disput. 17. quæst. 85.* & alii quos sequitur M. Texeda, *tom. 1. lib. 2. tr. 1. cont. 18. num. 14.* ibi: * Cum clausula Bullæ Cœnæ possit explicari de revocatione facultatis concessæ absolvendi à casibus reservatis publicis, & notoriis, de illis revera, & non de occultis explicanda est. * Undè per Bullam Cœnæ non derogari Regularium privilegiis, sustinent M. Soullam *Bull. cap. 23. disput. 10. concl. 7. num. 13.* Peyrinus *de privil. Minim. tom. 1. Const 4. Sixti IV.* Baunt. *tom. 1. tr. 4. de Pœnitent. quæst. 32 & tom. de censur. disput 3. de absolu tr. 2. quæst. 26.* M. Hinojosa *in director. decis. Regul. verb Confirm gratiæ.* Leander à Murcia *cap 21 in 7. Regul. S. Franc.* Crousers *ad cap. 7. ejusdem Regulæ*, & M. Candidus *tom. 1. disq. 22. art. 49.* qui sua opera luci dedit, decem post annos, postquam decretum Urbani prodiit: ut adnotat Leander à Sacram. *sup. q. 78 in fine.* Respondeo horum Doctorum sententiam forte sustineri non posse, post novissimum Alex. Septimi decretum die 24. Septemb. anno 1665. ex quo nobis constat Ecclesiam non tollerare expositionem illam Bullæ Cœnæ pro casibus tantum publicis. Inter alias enim propositiones, quas uti scandalosas damnat, & prohibet; tertia est: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulii, in consistorio sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa, & tolerata est.* Licet enim censura, & prohibitio solùm afficiat directè hujus propositionis prædicatum, seu testimonium asserentis visum, & toleratam fuisse à sacra Congregatione expositionem illam Bullæ Cœnæ pro solis delictis publicis; tamen indirectè cathegoricam inclusam, saltem quoad Regulares, comprehendit; aliàs non esset, cur ut scandalosa rejiceretur falsa testantis assertio.

6. Secundo exploditur, quia ibidem damnatur expressè, ut scandalosa sequens propositio: *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Nec facilè caput aliud hujus notæ invenies, quam esse casum in Bullæ Cœnæ Domini contentum, à quo proinde Regulares absolvere sæculares nequeunt, etiam concesso casum Episcopalem esse, quod hactenus asserere damnatum non est. Fateri ergo debemus post decretum sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. per annuam Bullæ Cœnæ publicationem derogari privilegiis Regularium ad absolvendum à casibus occultis in ea contentis: aliàs Sum. Pont. Alex. Septimus, ut scandalosam non damnasset opinionem Doctorum contrarium asserentium. Undè in locis, ubi Bulla Cœnæ recepta est, quantumvis certum supponatur, casus occultos in ea contentos esse Episcopales, nequibunt Regulares virtute privilegiorum, & confirmationum, quæ hucusque obtinuerunt, vel in posterum obtinebunt, ab illis sæculares absolvere, nisi novum Bullæ Cœnæ derogans privilegium impetrent. Quod si in eo non exprimatur, nunquam concessum intelligi debet.

7. An verò Prælati Regulares virtute Tridentini possint sibi subditos ab ejusmodi casibus etiam hæresis absolvere? extra regna, & Provincias Inquisitionis Hispaniarum suppremo Tribunali subjecta? Quæstio longè diversa est à duplici principio dependens: nempè, quod Episcopi erga sibi subditos, id modò possint, virtute facultatis in Tridentino eis concessæ; & quòd Prælati Regulares, v. gr. Generalis, & Provincialis, sub nomine Episcoporum in clausula Tridentini veniant. Et utrumque principium est probabile, pluresque recensent authores, quos refero *in opusc. pro Iesuitis, tr. de fide Prop. 2.* & tenent alii apud Leandr. à Sacram: *sup. q. 41. 45. & 46. q. 72.* Quibus adde M. Hinojosa *in direct. disquis. regul. verb. Absolutio. 1.* ubi ait: * Absolutio à quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, quæ in foro conscientiæ licet Episcopis per Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* licet etiam Prælatis ordinariis, Provincialibus, Prioribus, &c. ex declaratione juris Concilii. * Sic ibi. Addit hic recentior Pium V. declarasse, Concilium, nomine Episcoporum, quoad absolutionem, comprehendisse omnes Prælatos Religionum etiam superiores locales, nequehis derogari, dum facultas Episcopis in Tridentino concessa non revocetur: quod multis suadere contendit, *verb. Confirmatio gratiæ, fol. 111.* sed me judice à veritate deviat. Quia Pius V. Concilium non declaravit: *Sed ne*, inquit, *Priores conventua-*

les, & alii superiores deteriores conditionis sint, quam laici, & clerici, concedimus eis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in sibi subditos, quod possunt Episcopi in clericos, & laicos sibi subjectos, quoad absolvendum, & dispensandum, & alia ibidem (nempè in dicto cap. 6.) *concessa*, ubi notandum ly *concedimus*: quòd privilegium à Pio V. de novo indultum impertat. Quo proinde utpotè per decretum sacræ Congregationis revocato, & extincto, æquè ac aliis; nequibunt Priores, & alii superiores locales subditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ. Nec audiendus est M. Hyacinthus Donatus 1 *par. praxis, tr.* 13. *de revoc. privil. quæst.* 17. *num.* 25. dum ait: * Tam prædictum novissimum decretum Urbani VIII. quam consimiles declarationes præfatæ Congregationis debent intelligi respectu sæcularium, & quando delicta sunt publica, non autem in ordine ad Regulares * pro hac parte referens Molfess. Naldum, Vegam, Sousam, Portellium, & Peyrinum. Non inquam placet, quia virtute privilegiorum, nil possunt Regulares quoad casus Bullæ Cœnæ, etiam circa religiosos, ut constat ex illius decreti verbis: *Non posse quempiam absolvere; ac si secus egerint, absolutiones irritas fore.* Quapropter ad jus commune in Tridentino contentum pro Generalibus, & Provincialibus, quoad sibi subditos, recurrendum est.

QVÆSTIO VI.

An Regulares post decretum Urbani VIII. die 17. Nov. anno 1628. potuerint absolvere à casibus, quos Episcopi sibi reservarunt?

1. NOn disputo, an modò absolvere possint? Quia post novissimum decretum Alex. VII. die 24. Septemb. anno 1665. damnantis ut scandalosam hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta eorum ad id facultate*, non licèt in controversiam id vocare, sed certissimè tenendum, virtute suorum privilegiorum neutiquam ab ejusmodi casibus absolvere posse. Qui autem in singulis diœcesibus reserventur, prolixum esset hic transcribere; quapropter cujuscumque diœcesis statuta spectanda sunt: qui communiter reservari solent, ut refert Barbosa *alleg.* 50. eum consule. Ego eos tantum exscribam, qui in hac Toletana reservantur. 1. Contra Parochos, & Beneficiatos, qui fideles ex aliena Parochia ad suam transmigrare cogunt, vel inducunt. 2. Contra occupantes, vel retinentes Ecclesiarum bona, aut impedientes exactionem reddituum Ecclesiasticorum, aut extractionem fructuum. 3. Contra non adimplentes Ecclesiæ præceptum, tempore ab ipsa præscripto, & constitutionibus Synodalibus designato. 4. Contra habentes copulam carnalem cum religiosa professa, cum consanguinea, vel affini in primo, vel secundo gradu, aut cum filia confessionis. 5. Contra peccatum nefandum, aut bestialitatem perpetrantes. 6. Contra jurantes falsò in alterius præjudicium. 7. Contra blasphemantes publicè. 8. Contra beneficos, incantatores, & superstitiosos. 9. Contra falsificantes quodcumque instrumentum publicum. 10. Contra injicientes manus violentas in patrem, vel matrem. Ab his igitur delictis nullus Regularis virtute privilegiorum potest absolvere, & contrarium asserere, est prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ.

2. Quæstio ergo præsens solum est, utrùm ejusmodi Alex. VII. decretum, post constitutionem Urbani VIII. anno 1628. editam, potuerint Regulares ab illis absolvere? Affirmarunt plures Manuel Rodriguez, Bauni, Quintanadvennas, & alii, quos citatos sequuntur Leander à Sacramento *tom.* 4. *tract.* 2. *disput.* 17. *quæst.* 79. *in fine.* Thom. Hurtado *tom.* 1. *resol. moral. tract.* 5. *cap.* 4. *resol.* 16. *num.* 127. M. Acatius de Velasco Episcopus Ortolensis *tomo* 1. *resol. moral. verb. Absolutio, resol.* 8. P. Mendo in *Bull. Cruc. disput.* 23. *cap.* 4. & M. Candidus *decens. disquis.* 22. *artic.* 1. Sed non omnes ex eodem fundamento. M. Acatius de Velasco sacræ Congregationis decreti vim enervat, dicens: * Pero aunque este, y otro qualquier decreto de las sagradas Congregaciones tienen grandissima autoridad, y sin urgentissimas razones, y causas, no se deben dexar de observar, singularmente en los que priuan de jurisdicion, como el referido (nempè jussu Urbani VIII. editum) con todo no faltan Doctores, que dezen, que los tales decretos aprobados por el Papa, y mandados observar por su Santidad, que no tienen fuerça mas que de opinion probable, desuerte, que qualquiera queda con facultad de seguir lo contrario. * Et iterum infrà num. 4. * Siento, que no tienen fuerça de ley, ni que es necessario el seguirlas, sino que podrà libremente seguir lo contrario el que tuuere bastante fundamento para hazerlo, y con el podrà con seguridad apartarse de la declaracion de los Eminentissimos Seuores Cardenales arriba referidos. * Sic sentit M. Acatius de Velasco de supra adducto decreto sacræ Congregationis, demandato Urbani VIII. edito, & ab eodem approbato; subnectens *num.* 6. *in fine.* * Y se ha de advertir, que la confirmacion Pontificia deste, y de los demas decretos, no annade a la declaracion de los Eminentissimos Cardenales, mas que confirmar su probabilidad. * Sic ille. Cui consonat Brunus Cassaing ex Ordine Minorum *de Privilegiis Regul. p.* 1. *tr.* 5. *cap.* 2. *prop.* 2. dicens: studuisse decretum esse sententiam Doctorum à Pontifice approbatam, quæ non magis obligat, quàm sententia aliorum Doctorum, cum non sit lex, nec publicata admodum legis, nec habeat clausulam revocatoriam, quæ necessaria est ad dicta Regularium privilegia revocanda. Sic Brunus, & alii, quibus contradit Delgadillo *tom. de Pœnit. cap.* 21. *dub.* 21. dicens prædictas declarationes jussu Clementis, & Urbani VIII. editas * esse magnæ authoritatis, non tamen sufficere ad tollendam probabilitatem sententiæ, quam complurimi authores docent, & Ecclesia non prohibet. *

3. Cæterùm hoc fundamentum omninò mihi displicet, utpotè quo, omnia sacræ Congregationis decreta hucusque edita ad abroganda Regularium privilegia ad absolvendum à casibus Episcopo reservatis, etiam intra Italiam, penitus elidentur, quod concedi minimè potest. Altàs Summus Pontifex Alex. VII. non damnasset ut scandalosam opinionem concedentem Regularibus, post decretum Clementis VIII. & Urbani VIII. potestatem absolvendi à prædictis casibus, cum nullum ex eiusmodi scandalum subortum, supponatur. Ergo necessariò fatendum est, suprà adductum sacræ Congregationis decretum, & similia à Pontifice approbata, & ab omnibus, ad quos pertinent, observari data, non esse meras Eminentiss. Cardin. declarationes, de quibus loquuntur Sanchez, Diana, Ledesma, & Vil-

& Villalobos, quos pro sua singulari opinione malè adducit Acatius) sed vim legis obtinuisse; ac proinde ubicumque terrarum, saltem ubi legitimè promulgata, & intimata fuerint, debuisse omnino observari; nec oppositum ullam potuisse probabilitatem sortiri.

4. Ideò alii ex alio capite difficultatem fugere conantur, respondentes, decretum sacræ Congregationis jussu Urbani VIII. editum, vim non obtinuisse ad abrogandam facultatem Regularium. Quia sacra Congregatio solum declaravit: * *Per confirmationes privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica, post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta absolvendi à casibus Episcopis reservatis.* * Privilegia autem Regularium, ad hujusmodi absolutionem, nunquam fuerunt à Concilio Tridentino sublata, ut docent Henriquez, Medina, Corduba, Petrus de Soto, Rodriquez, Ludovicus à Cruce, Quintanaduennas, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. quæst. 79.* Ergo virtute talium privilegiorum idem possunt modò, quod ante Tridentinum: sed anteà, ut omnes concedunt, poterant Regulares absolvere à casibus Episcopo reservatis: ergo & modò. Sic discurrunt Quintanaduennas *tom. 1. singularium tract. 3. singul. 14.* & Leander à Sacram. *ubi suprà quæst. 77.*

5. Sed non placent, quia authores asserentes, non fuisse revocata per Tridentinum Regularium privilegia ad absolvendum à casibus Episcopis reservatis, scripserunt ante declarationem sacræ Congregationis de mandato Urbani VIII. in qua oppositum expressè continetur, & à Tridentino extincta fuisse, declaratur, & per ipsum etiam decretum extinguuntur: quapropter Quintanaduennas, & Leander verbis decreti Urbani VIII. innitens, illorum authoritatem elevare debuissent, non ea se protegere. Ideòque eorum authoritas nil deservire potest ad probabilitatem, adhuc extrinsecam, huic opinioni conciliandam.

6. Instant Quintanaduennas & Leander; licèt concedatur prædicta privilegia fuisse sublata, & extincta per Tridentinum, & posteà per sacræ Congregationis declarationes, & decreta: nec revivisce-re per confirmationes privilegiorum factas, faciendasque; possunt tamen revivisce per novam oranium privilegiorum concessionem, quia oppositum nullibi declaratur: atqui plures Pontifices de novo illa concesserunt, ut Pius V. anno 1567. Clemens VIII. anno 1582. Sixtus V. anno 1587. (quorum verba ex Bullis excerpta referunt.) Imò & ipse Urbanus VIII. anno 1625. in Bulla, quæ incipit: *In plenitudine potestatis*, cujus tenorem refert M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral. verb. Absol. resol. 7.* privilegia omnia Ordini Prædicatorum concessa innovavit, & de novo concessit; & ut ait Acatius * Pretendiò por ella su Santidad de Urbano VIII. revalidar, no solo los privilegios no revocados por los Sumos Pontifices ptedecessores suyos, sino tambien los que realmente fueron revocados, porque esto significan las palabras: *Innovamus, & de novo concedimus*, como esta dicho arriba. * Ex quibus *num. 8.* colligit: * Que està noy todos los privilegios de los regulares puestos en la misma fuerca, que tenian antes que los revocassen. * Ergo licet virtute confirmationis privilegiorum Regulares non posint ut priùs extinctis, & sublatis per Tridentinum; poterunt tamen vi novæ eorumdem concessionis ab aliis Pontificibus posteà emanatæ.

7. Imò addit cum aliis M. Donatus ex eodem Prædicatorum Ordine; & per novas confirmationes *ex certa scientia* factas revivisce re: sic tradit *in 3. part. praxis resolutor. rerum Regularium tract. 11. quæst. 17. in fine*, ibi: * Illud denique advertunt, *ly privilegia Regularium semel sublata, & extincta*, per subsequentes confirmationes nequaquam revivisce, (ut dicitur in dicto decreto Urbani VIII.) procedere de confirmatione facta in forma communi, secus autem si fieret ex certa scientia, ut constat ex decisis 1. *part. tract. 9. claus. 3. num. 6.* ibi: * Clausula ex certa scientia posita in confirmatione privilegiorum, restituit privilegia revocata, &c. quia habet vim novæ concessionis, ut pluries decisum refert Rota Romana. Et *tra. 11. de confirmat. privilegior. quæst. 2. num. 10.* * Hinc, si Dominus Papa confirmaret Regularium privilegia *ex certa scientia*, absque alio superaddito, & sine ulla limitatione, revivisceret, atque revalidarentur omnia alia privilegia, tam per generalia concilia, quàm per suos prædecessores revocata, & annullata. * Quòd autem clausula *ex certa scientia* in nonnullis confirma, tionibus privilegiorum Regularium concontineatur, notat Quintanaduennas *ubi suprà singul. 17. num. 5.*

8. Sed nec hoc fundamentum solidum est, quia sacra Congregatio per ly *confirmationes privilegiorum obtentas, & obtinendas*; intendit etiam comprehendere novam concessionem in genere; aliter diminuta, & cassi foret declaratio; cùm Eminentiss. Cardinales latere non potuerint præfatæ privilegiorum post Tridentinum, novæ concessiones. Ergo dum in specie facultas absolvendi à casibus Episcopis reservatis denovo non concedatur, nequibunt Regulares virtute privilegiorum, quæ ante, & post prædictam declarationem sacræ Congregationis obtinuerunt, ejusmodi absolutionem impendere.

9. Omitto, in Bullis Pii V, Clementis VIII. & Sixti V. de novo concedentibus Regularium privilegia, expressè contineri clausulam, *dummodo Tridentino non contrarientur*; atque adeò nec vi confirmationis ex certa scientia, nec vi novæ concessionis revivisce potuerunt, cum exceptionem contrarietatis ad Tridentinum omnes novæ concessiones, aut confirmationes contineant. Quòd autem per Tridentinum sublata, extinctaque fuerint, declarat sacra Congregatio Cardinalium, quam ab omnibus observari Pontifex præcipit. Nec aliud credi potest Urbanum VIII. intendisse in Bulla, *In plenitudine*, (quâvis Tridentini non meminerit) dum omnia Ordinis Prædicatorum privilegia restituit, & de novo concessit: aliàs virtute hujus novæ concessionis, etiam intra Italiam, non obstantibus decretis Clementis VIII. & Urbani VIII. & declarationibus Eminentiss. Cardinalium, potuissent Regulares à reservatis Episcopis absolvere, quod apertè militat contra novissimum Summi Pontificis Alex. VII. decretum, in quo ejusmodi doctrinam, ut scandalosam, damnavit. Ut omittam, in generali concessione non venire, quæ in specie non concederentur, ut in præsenti contigisse, adversarii fateri tenentur.

10. Instant secundo. Privilegium Regularium, ad absolvendum à casibus Episcopis reservatis, insertum esse in corpore juris, ut ex Clementina *dudum*, & extravaganti *inter cunctas*, docent D. Antoninus Tabiena, Armilla, & communiter Doctores, ut testatur, eos sequens, Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. Regularium, quæst. 66. art. 2* In generali autem privilegiorum derogatione non comprehenditur insertum in corpore juris, ut cum pluribus, quos

citat, tradit Sanchez *tom. 2. Consil. lib. 7. cap. 1. dub. 21.* Ergo cùm Tridentinum in derogatione privilegiorum absolvendi à peccatis, jus commune non expresserit, in suo antiquo robore manebit; atque adeò licèt Regulares virtute privilegiorum, quæ aliunde habuerint, nequeant à reservatis Episcopis absolvere, poterunt tamen ex vi juris communis, quòd non est propriè privilegium, ut notat Sanchez suprà.

11. Hoc fundamento convictus Eligius Bassæus, *verb. Casus reservatus, nu. 37. in fine*, totum planè concedit quoad Patres Ordinis Prædicatorum, & Minorum, quibus ex jure communi id competit. * Dici potest, inquit, quòd hi Patres possunt à dictis absolvere, quamvis aliorum Regularium privilegiis sit derogatum virtute prædicti (nempè Clementis VIII.) decreti. * Hæc ille. Quæ sunt valdè notanda, quia etiam intra Italiam prædictis Religiosis concedit, absolvendi facultatem, quam reliquis denegat.

12. Cæterùm intra Italiam audiendus non est, quia in declaratione primi decreti sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. facta anno 1602. die 26. Novembris, abrogantur omnia Regularium privilegia ad absolvendum intra Italiam à reservatis Episcopo, & à contentis in Bulla Cœnæ, cum hac clausula: *Etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis specialis specifica, expressa, & individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, seu alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, & forma in illis tradita servata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresè derogamus, contrariis quibuscumque non obstantibus.* Sic ibi, quæ postea innovavit, & confirmavit sacra Congregatio anno 1617. de mandato Pauli V. cujus declarationem adducit M. Donatus 3. *part. praxis. tract. 11 quæst. 17.* Quibus privilegio inserto in corpore juris, sacram Congregationem de mandato Clementis VIII. intendisse derogare, videtur mihi certissimum. Alias oleum, & operam perdidisset; idque constat ex pluribus, quæ congerit Thom. Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 44.* Præterquam quod Diana *part. 9 tr. 6. resol. 51.* cum Lezana, & Castro Palao, inquit, in jure non contineri privilegium, quod supponitur, sed absolvendi ab his, à quibus possunt Parochi.

13. Respondent alii præjactam doctrinam intra Italiam locum habere posse, pro qua decretum Clementis editum fuerat; secus in Hispania, quam sola sacræ Congregationis declaratio jussu Urbani edita comprehendit. Hæc enim in Hispaniæ Provinciis promulgata non fuit, prout opus erat, ut Regularium privilegia ad absolvendum à reservatis Episcopo, revocata manerent: sic tradunt non pauci; Quintanaduennas *singul. 15. num 3.* Mendo *in Cruc. disp. 23. ca. 4.* M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral. verb. Absolutio. resol. 8. numer. 8.* * Tengo por cierto, que el sobredicho decreto, ò declaracion de la Sacra Congregacion dicha (nempè ex mandato Urbani VIII.) no està aceptado en los Reynos de Espanna, como constat del uso contrario, y por consiguiente no obliga. * Leander à Sacramento *tom. 4. tract. 2 disp. 17. quæst. 78. §. Tertiò probo.* * Quia sicut lex non obligat ante sufficientem, & authenticam promulgationem: ita nec revocatio privilegii, cum sit quædam lex; sed hæc privilegiorum revocatio non est Regularibus sufficienter intimata, aut promulgata, &c. ut firmant omnes Religiosi, ac Prælati: ergo. * Sic ibi, & iterum *quæst. 79. §. Rursus.*

14. Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral. tract. 4. cap. 4. resol. 16. num. 127.* * Sed an sit in Hispania promulgatum, usuque receptum, maximè dubito, quare ad minùs in foro interno mihi probabile est, posse Regulares uti in hac parte suis privilegiis. * Eligius Bassæus, *verb. Casus reservatus, num. 11.* * Sacra Cardinalium Congregatio de speciali mandato Clementis VIII. edidit decretum 9. Januarii anno 1602. quo pro Italia constituit, ut Regulares non possint absolvere à casibus reservatis Episcopo, per quam restrictionem *pro Italia* satis indicatur, posse extra Italiam non obstante alio decreto ejusdem Sacræ Congregationis in contrarium edito ex mandato Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. anno 1628. die 17. Novembris, quod in Belgio nostro promulgatum non est. * Et inferiùs *num. 38.* post adductum ad verbum Urbani VIII. decretum, concludit: * Undehodie hoc decretum à privilegiatis servandum est, ubi authenticè publicatum, & usu receptum est. * Eodemodi autem decreta ad sui obligationem exigere, ut in singulis Diœcesibus, & Provinciis promulgetur, tradunt M. Bartholomæus de Medina, M. Sotus, M. Victorellus, Angelus, Molina, & alii quamplurimi quos sequitur Diana *1. p. tract. 10. de legibus, resol. 1.* apud quem probabile putant Leyman, Becanus, Hurtado, Simobonus, Lessius, Vazquez, & Granado, & sequitur Trullench in Cruciatam, *lib. 1. §. 7. dub. 9. num. 10.* Quintanaduennas *tom. 1. singular. tract. 3. sing. 15. num. 3.* Miranda, Sa, Conradus, Ludovicus à Cruce, & alii quos referunt.

15. Insuper suadetur hæc sententia, ex his quæ doctissimus P. Mendo addit *in Bullam Cruciatæ, disp. 23. cap. 4. num 49. & seq.* nimirum Gregorium XIII. in Bulla prima ipsius, quæ incipit *aquam nephtamus*, cujus meminit Diana *tom. 7. tract. 10. resol. 29.* concessisse Religiosis Societatis, ut nullius privilegii revocatio eis præjudicet, nisi sit illis intimata per trinas distinctas litteras eumdem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus, ut intelligunt graves Doctores apud ipsum Dianam *suprà.* Revocatio autem privilegii absolvendi pœnitentes à peccatis Episcopis reservatis non est sic intimata Societati nisi semel post decretum Urbani VIII. saltem in Hispania; ut omnes nostri (inquit) fatentur.

§. UNICUS.

Vera sententia.

16. VNum in hac parte, ut probabilius supponi debet, quod etiamsi præfata sacræ Congregationis decreta essent ubique authenticè promulgata; potuissent adhuc Regulares absolvere à casibus de jure communi Episcopo reservatis, quamvis intra Italiam à Clemente VIII. neque extra Italiam ab Urbano VIII. est sublatum Regularibus privilegium absolvendi à casibus de jure Episcopis reservatis, sed ab illis, quos Episcopi sibi reservarunt, aut in posterum reservabunt, ut loquens de Clementis VIII. decreto, tradit expresè Diana; *part. tract. 2. resol. 12. §. Nota quarto.* Et in terminis decreti Urbani VIII. tenet cum Averla *part. 8. tract. 7. resol. 7.* Quem sequitur M. Hyacinthus Donatus *in Addit. ad prax. tom. 4. quæst 30. num. 3.* Ubi sic. * Quibus item addi quod

quod cum in dictis decretis dicitur, quod Regulares, in vim suorum privilegiorum, nequeant absolvere à casibus Episcopo loci reservatis, non debet intelligi de casibus, qui de jure dicuntur, & sunt Episcopis reservati, de quibus infra: sed de his qui expressè ab eisdem Episcopis locorum reservantur. Quod diligenter adverte, ne in praxi contingat errare; ut benè notant Ludovicus à Cruce *in expositione Bullæ Cruciatæ, disp. 1. cap. 3. dub. 5.* Lezana, *verb. Casus, num. 5.* Et Zespedes *de exemp. Regul. cap. 6. dub. 112.* *Sic ibi. Quibus consentiunt Marcus Vidal *in Arca vitali de casibus reservat. inquis. 1. à num. 121.* Leander, Quintanaduennas, & alii supra citati. Ergo non obstantibus decretis Summorum Pontificum Clementis, & Urbani VIII. Regulares ubique poterunt absolvere à casibus de jure Ordinario Episcopis reservatis, quales juxtà communem Theologorum opinionem, sunt omnes Papales occulti. Dixi *communem*, quia eam defendunt supra triginta Doctores, quos refert Thomas Hurtado *tomo 1. resol. moral tract. 5. cap. 4. resol. 17. §. 2. & tom. 2. tract. 12. cap 1. num. 1036.* & alii quos sequitur M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral. verb. Absolutio, resol. 5. & 7.* Diana *tract. de Bulla, resol. 28. & 3. part. tom 2. resol. 13. & in Addit. post 3. part. resol. 17.* item Bardi, Crousers, Marullus, Bassæus, Oliverius, Mucuchellus. Joannes de Soria, & alii quibus citatis adhæsit Leander à Sacram. *tom. 4. tract. 2. disp. 17. quæst. 84.*

17. Discursus iste legitimus est, vimque suam retinet, etiam post novissimum decretum Alexandri VII. damnantis ut scandalosam hanc propositionem: *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta eorum ad id facultate.* Quia Summus Pontifex solum damnat ut scandalosam opinionem, cui Regulares inixi, non obstantibus decretis Clem. VIII. Pauli V. & Urbani VIII. authenticè promulgat. s, adhuc privilegiorum prætextu, à casibus, quos Episcopi sibi reservaverant, absolvebant non verò damnavit opinionem, quæ Regularibus concedit posse absolvere à casibus de jure Ordinario Episcopis reservatis, quales de facto sunt omnes Papales occulti, utpotè in Tridentino in perpetuum Episcopis concessi (si contentos in Bulla Cœnæ excipias, ab his enim, & si occultis, nequibunt Regulares virtute privilegiorum absolvere, ut diximus quæst. præcedente.) Tota hæc doctrina confirmatur ex decreto Sacr. Congreg. jussu Urbani VIII. supra citato; in quo postquam sublata declaratur facultas absolvendi à casibus contentis in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis, ait Sacra Congregatio. *Ab aliis verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam esse eisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis, jussu sanctæ memoriæ Clem. VIII. * Quæ quidem facultas cum nec jussu Urbani VIII. sublata fuerit, poterunt extra Italiam Regulares ab omnibus casibus Papæ reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & quæ Episcopi sibi reservarunt sæculares absolvere, ut benè tradit Lezana 1. p. *Sum. cap. 19. num. 16.*

18. Est tamen hic advertendum, Regulares virtute suorum privilegiorum absolvere posse ab omnibus casibus Pontifici reservatis supra memoratis, non solùm quando occulti sunt, sed etiam si publici. Undè etiam dato ejusmodi casus occultos non esse Episcopales, sed semper mansisse Papales; ideòque virtute Cruciatæ semel tantum in vita, & semel in morte absolvi posse; virtute tamen privilegiorum religionis, tam publici, quàm occulti toties quoties absolvi possunt, ut patet ex privilegio Pauli Tertii Jesuitis concesso in Bulla, quæ incipit *Dilecti filii*, expedita anno 1545. ibi: *Nec non illis ex vobis, qui præsbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad vos undecumque accedentium confessiones audiendi, & ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, &c. * In hoc enim privilegio nulla ponitur limitatio, pro casibus non contentis in Bulla Cœnæ; ac proinde tam à publicis, quàm ab occultis facultas absolvendi conceditur, sicut & à pœnis, & censuris ex illis resultantibus.

19. Secunda conclusio. Quamvis in hoc privilegio facultas contineatur absolvendi à casibus, quos Episcopi sibi reservarunt, in illis nempè verbis *etiam Sedi Apostolicæ reservatis*, quæ inferioribus prælatis reservata concedunt, ut docent communiter Theologi; hæc tamen facultas revocata est per sacram Congregationem decreto supra dato, cui nulla solemnitas deficit ex requisitis, ut vim obtineat, etiam in Hispania; quidquid cum aliis dixerit P. Mendo *suprà* ad revocationem privilegii Jesuitis concessi, non requiritur modò solemnitas illa intimationis, sufficit enim quòd de Societate expressa mentio fiat, ut constat ex stylo curiæ: prout re melius considerata tradit Diana *p. 10. tr. 13. res.* 22. Præterquam quod, ut ipsemet refert *p. 11. tr. 2. res. 9.* Urbanus VIII. *die 5. Novemb. anno 1631.* declaravit omnes constitutiones Apostolicas comprehendere omnes Regulares, nisi expressè excipiantur, nec ipsis prodesse clausulas quascumque in contrarium suis privilegiis superadditas. Idque verum esse supponit Alex. VII. dum ut scandalosam damnavit, & prohibuit opinionem asserentem posse modo Regulares absolvere à casibus, quos Episcopi sibi reservarunt, aut in posterum reservabunt.

20. Dices præfatum Alexandri decretum non esse in Hispania authenticè promulgatum, nec Regularibus intimatum; ergo in Hispania res manent modò sicut antea. Respondeo primò objectionem istam falsum principium supponere, nempè necessitatem promulgationis authenticæ in singulis Provintiis, ut decreta sacræ Congregationis jussu Pontificis edita obligent. Dixi *falsum principium*, quia ita expressè à posteriori colligitur, ex hoc novissimo Alexandri decreto. Quia non obstante, quod decretum Urbani VIII. revocans facultatem absolvendi à casibus Episcopis reservatis, quo poterant Regulares, non fuerat in Hispania authenticè promulgatum (ut apud Doctores Hispanos indubitatum est) damnavit ut scandalosam præfatam opinionem, quæ ex hoc capite, usum privilegiorum, quoad absolutionem ab ejusmodi casibus, licitum illis concedebat, quæ quidem damnatio, vel in Hispania locum habere nequit: vel necessariò dicendum, eamdem indirectè, & implicitè inuri opinioni asserenti non sufficere ad obligationem inducendam, decreta Pontificum, vel sacræ Congregationis Cardinalium, eorum jussu edita, ad valvas S. Petri fuisse affixas. Primum dicere nefas esset, alias decretis Alexandri damnantis ut scandalosam prædictam propositionem, extendi non posset ad Provincias in quibus decreta

creta aliorum Pontificum non fuissent authenticè promulgata: utpotè in quibus ex defectu conditionis ad obligationem legis, nullum ex non observantia scandalum suboriri potuisset. Ergo necessariò dicendum secundum.

11. Respondeo secundo, quòd licèt decretum Alex. VII. ut prohibitivum praxis contrariæ opinionis, nequiret vim legis obtinere, in singulis provinciis, quin in eisdem promulgaretur, (ut putant plures Doctores, quos citatos invenies apud Dianam *p. 1. tr. 10. res* 8. contra plures id negantes) tamen ut est declaratio Pontificis, in materia doctrinæ ad mores, vel ad fidem pertinentis, & qualificatio, & censura propositionum, qua ut scandalosæ, temerariæ, vel erroneæ notantur, ut locum ubique terrarum habeat, majorem publicationem non exigit, quam si graviori alia nota, v. g. hæreseos fuissent affectæ, cum ab eadem potestate omnes notæ promanent: ideòque undecumque certa moraliter notitia decreti Pontificis habeatur, omnes obligat, nec ulli licet dubitare talem esse propositionem, qualis à Pontifice declaratur, juxtà notam inustam.

22. Rogabis, qua certitudine tenendum, Ecclesiam & ejus caput errare non posse, in ejusmodi, & similium propositionum qualificatione, & censura? Hanc difficultatem attigi, *sup. disp. 6. quæst. 5. num. 42. & seq.* & juxta ibi dicta. Respondeo id ita certum esse, ut alii errori proximum, alii erroneum, alii hæreticum oppositum pronuntienti, ut videre licet apud Card. de Lugo *tom. de Fide, disp. 20. sect. 3. num.* 108. Quamvis enim defendere propositionem contradictoriè oppositam illi, quam Ecclesia ut scandalosam damnavit, contingere possit, absque errore in fide; secus verò tueri non esse scandalosam; quia id esset asserere Ecclesiam in suo judicio errasse: quòd, ut prædixi, aut errorem aut hæresim sapiat. Undè qui post decretum Summi Pontificis Alex. VII. affirmaret Mendicantes posse ubique à casibus Episcopis reservatis absolvere; unum è duobus sentire necesse est; aut se defendere propositionem scandalosam, aut Ecclesiã errasse. Verùm cùm hoc ultimum determinatè concedere non cogatur, nil affirmaret ex quo evidenter posset erroris convinci: tametsi non levem suspicionem contraheret.

23. Dices hoc verum esse, quando Ecclesia, vel Pontifex, ut ejus caput, è Cathedra propositionem aliquam damnat, & infami nota inurit, secus quando non ut Ecclesiæ caput, sed ut Doctor particularis, seu ut præsidet alicui Dominorum Cardinalium Congregationi, ut in præsenti contingit. Quadraginta enim, & quinque propositiones, *anno* 1665. & 1666. damnatæ ut scandalosæ (quarum duodecima est, de qua d sputamus) non in Bulla Pontificia, sed in decreto sacræ Congregationis Generalis sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis prodierunt. Quas Sanctiss. Alex. ut illius Præses, post earum examen, pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus, commissum, re maturè considerata, decrevit, ut minimũ tanquam scandalosas damnandas, & prohibendas, *sicut eas damnat, & prohibet.* Quæ quidem damnatio, & prohibitio non à Sede Apostolica, sed à Supremo sanctæ Inquisitionis Romanæ Tribunali prodiisse censenda est: ac proinde longè minoris authoritatis habenda, utpotè non à Pontifice ut ab Ecclesiæ capite: Audio nonnullos hoc distinguere, sed apud me non benè audiunt. Nam quod Summus Pontifex Emin. Card. consilio, præmisso examine, auditis votis in doctrina morum declarat, non video cur non pari reverentia suscipiendum, & æquè venerandum, ac si in Bulla speciali, & [Motu proprio, ut] suppremo Ecclesiæ capite. Adde pro hac parte hoc universam Theologorum phalangem, quia pro mile decretum Clementis VIII. sub eadem forma datum in Generali sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis, in qua die vigesima mensis Junii, anno 1602. opinionem asserentem licere absolvere absentem *ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit.* omnes uno ore fatentur, de hac re dubitare non licere: & tanquam à Sede Apostolica, & à suppremo Ecclesiæ capite id declarante, in universa Ecclesia, hæc damnatio, & prohibitio recepta est: & licèt in Tribunali Romanæ Inquisitionis, & in ejus decreto evulgata, nihilominus eam referens Palao *tom. 4. tr. 23. disp. un. p. 5.* hoc decretum *Motum proprium*, vocat dicens: *sed jam de hac re dubitare non licet, quia Clemens VIII. in Motu proprio, &c. & è Cathedra* Pont ficem id docuisse; ait Erdo *tomo de Pœnit. q. 3. de confes. num.* 20. Nullumergo inter hæc agnoscunt discrimen. Res sanè gravissima est, & digna, quæ Ecclesiæ judicio expresè deferatur; secus ob nullius Doctoris authoritatem absolutè dimovear.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm validè absolvatur, quibus fide confitetur casum reservatum Sacerdoti non habenti iurisdictionem?

1. P. Joannes Præpositus *in 3. part. quæst. 9. de reservat. casuum, dub. 7. num.* 38. respondet, quemodi absolutionem videri validam, sive pœnitens ignoret, casum esse reservatum, sive id sciat; ignoret tamen, Sacerdotem non posse ab illo absolvere. Addit verò, sic absolutum manere cum onere comparendi, si postea cognoscat, fuisse defectum jurisdictionis. Cui consentit Diana *p. 9. tract. 8. resol. 25.* Hoc verò secundum non probat Præpositus, sed supponit. Primum autem suadere conatur, quia Ecclesia hic & nunc tacitè dat jurisdictionẽ in favorẽ annuãrũ, alioquin innumeri manerẽt anxii de suis cõfessionibus, cum plerique Sacerdotes ignorent casus reservatos, nec proprium sit pœnitentium, eos scire, ne Sacerdotis potestatem investigare: ergo sive Sacerdos peccet, sive non, valida erit absolutio, si pœnitens bona fide procedat. Quid ego in hac parte sentiam, triplici dabo conclusione. Sit prima.

2 Si pœnitens, simul cum reservatis confiteatur alia peccata non reservata, circa quæ confessarius jurisdictionem habeat, valida erit absolutio: manet tamen pœnitens cum onere comparendi coram superiore, pro absolutione reservati, si postea cognoscat defectum jurisdictionis. Ita sentiunt Lugo *disp. 19. sect. 2. num.* 31. Suarez *disp. 31. sect. 3. num. 3. & in* qui sic intelligit verba illa Tridentini, *nil possunt culpabus reservatis.* Non enim dixit Concilium, nil posse absolvere personam habentem casus reservatos. Probatur propositionem, quia ut benè Lugo suprà, idem est non recordari alicujus peccati, & ignorare inculpabiliter obligari alicujus peccati, & ignorare inculpabiliter obligari Sacerdotis sed quia motionem illud cõfitendi alter talium oblitus, venialia tantum confiteatur simpliciter

Sacer-

Sacerdoti, validè absolvitur (quòd adeò certum est, ut Suarez suprà *n.*10. asserat, oppositum esse falsum, & improbabile) ergo qui ignorans obligationem confitendi alteri Sacerdoti, confitetur casum reservatum non habenti jurisdictionem, validè etiam absolvetur, si bona fide peccata alia non reservata subticiat.

3. Confirmatur, quia sicut aliqua lethalia sunt reservata superiori, sic omnia mortalia sunt reservata Sacerdoti approbato ab Ordinario: sed qui simul cum venialibus confitetur bona fide mortalia simplici Sacerdoti, validè absolvitur: ergo qui simul, cum reservatis confitetur aliqua non reservata non habenti jurisdictionem, validè etiam absolvetur. Discursus est legitimus. Minor, in qua est difficultas, traditur expresè à Leandro *disp.*11.*q.*14. pro qua citat P. Suarez *disp.*31. *sect.*2.*n.*8. P. Fagundez *lib.*1. *Decalogi cap.*16 *n.*12. & Trullench ibidem *cap.*3. *dub.* 7. Probatur ex doctrina P. Sanch. *in Sum. lib.*2.*c.*13.*n.*15. & expressius *lib.*1.*c.*9.*n.*55. Ubi sic inquit.* Quoniam in confessionibus semper quisquam fatetur aliqua venialia cum mortalibus, & quilibet Sacerdos certam in venialia jurisdictionem habeat; ideo cum pœnitens non ponat obicem, & sit certa jurisdictio, in aliquam materiæ partem, erit certus confessionis valor. * Eandem sententiam tenent Joannes Santius *in selectis disp.* 44. *n.*4. Diana 1.*p.tract.*13.*resol.*1. & Lugo *disp.* 19.*n.*28. asserens, illam tenere Bonacinam, Granad. Castro Palao, Turrian. Lessium, Malderum, & alios, qui ex hoc fundamento efficaciter probant, Sacerdotem posse licitè, & validè absolvere à mortalibus, quoties fuerit opinio probabilis circà jurisdictionem in mortalia, quia si pœnitens venialia simul confiteatur, omninò certus erit confessionis valor; ergo si pœnitens simul cum reservatis confiteatur alia, in quæ Sacerdos certam jurisdictionem habet, licèt nullam habeat in reservata, absolutio erit valida.

4. Adde, juxta præfatam doctrinam non solum fore validam absolutionem, quando Sacerdos ex ignorantia invincibili judicaret, habere jurisdictionem, sed etiam quando ex malitia absolutionem impenderet. Ratio est, quia totus Sacramenti valor subsistit ratione jurisdictionis certæ in peccata venialia: hæc autem non tollitur per notitiam confessarii circa defectum jurisdictionis in mortalia: ergo accedente bona fide pœnitentis, cui mala Sacerdotis fides obstare non potest, valida erit absolutio à mortalibus, etiamsi à simplici Sacerdote collata. Ita in terminis P. Suarez *disp.*26.*sect.*6.*num.*9. & P. Præpositus, ubi suprà. Quibus non dissentiet Egidius *disp.* 8.*dub.*13.*n.*103.*in fine.*

5. Assero secundo, contra Præpositum; ex ejus principiis deduci, non esse obligandum pœnitentem ad iterum comparendum, licèt posteà cognoscat, defectum jurisdictionis interveniss: quòd ipse negat, & meritò. Sequela probatur: quia in principiis hujus Doctoris absolvitur directè à casibus reservatis à Sacerdote jurisdictionem habente, ex concessione Ecclesiæ pro illis circunstantiis. Ergo nullum manet onus comparendi. Consequentiam probo à paritate; nam confessio facta coram Sacerdote absolvente, ex opinione tantum probabili jurisdictionis, non est iteranda, licet pœnitens posteà cognoscat, confessarium, re ipsa, aliunde non habuisse jurisdictionem. Cujus ratio est secundum Doctores, quia in tali casu, Ecclesia supplet jurisdictionem, quam confessarius re ipsa non habebat: sicut supplet, quando est error communis. Ita Suarez, Sanchez, Henriquez, Lessius, Ægidius, Poncius, Villalobos, Vazquez, Sancius, Salas, & alii, quos citat, & sequitur Diana 3.*par.tract.*2.*resol.*3. Bossius *tom.* 1. *de Conscient.nu.*384. & Leander *disp.*5, *quæst.*83. Sed, juxta principia Patris Præpositi, pœniteus in nostro casu absolvitur directè à reservatis à Sacerdote jurisdictionem habente pro his circunstantiis, ex concessione Ecclesiæ: ergo licèt posteà certò cognoscat, talem Sacerdotem aliunde non habuisse jurisdictionem, non tenebitur ad iterum comparendum coram superiore. Patet consequentia, quia nullum aliàs intervenit votum, juramentum, seu pactum: sed hoc est contra omnes Theologos: ergo opinio P. Præpositi non sibi constat. Propter hæc.

6. Assero tertiò: si pœnitens sola reservata confiteatur Sacerdoti non habenti jurisdictionem, absolutio erit nulla. Fundamentum est, quia nulla alia materia subjecta, idem est, nil posse in reservata, ac nil posse in personam casus reservatos habentem, cum nulla detur materia, circa quam confessarius jurisdictionem habeat, & ratione cujus, reliqua indirectè remittantur. Hanc sententiam supponunt Suarez, & Lugo *suprà*, & Sanchez *in Sum.lib.*1.*cap.*8.*à nu.* 5. Et probatur, quia licèt error communis tribuat jurisdictionem, ut cum Diana 3.*p.tract.*4.*resol.* 122. & cum Molfessio, & Poncio, tradit Thom. Hurtado *tom.*2.*resol. mor. tract.*12.*num.*2018. non tamen error particularis unius, vel alterius, sicut è contra, scientia privata pœnitentis de defectu jurisdictionis confessarii non obest, ut ab eo absolvatur, si alias sit error communis circa jurisdictionem, ut ex Sanchez, Bonacina, & aliis notat Leander *disp.* 5. *quæst.* 79. dummodo inducendo confessarium, non peccet mortaliter, quod continget, quoties confessarius non delinquat graviter in administratione Sacramenti. Ratio est, quia si bona fides, licet privata, pœnitentis, facere posset, quod Ecclesia jurisdictionem conferret, nulla absolutio ex defectu jurisdictionis invalida foret. Ex quo sequeretur, simplicem Sacerdotem posse etiam validè absolvere à mortalibus, licèt nulla alia adhiberetur materia. Quod nullatenus sustineri potest.

QVÆSTIO VIII.

An teneatur confessarius se conformare opinioni Regularis exigentis absolutionem à reservatis virtute Cruciatæ?

1. RAtio difficultandi sumitur ex pluribus declarationibus Pontificum, quibus clausulam Cruciatæ, in qua omnibus Christi fidelibus conceditur facultas eligendi confessarium pro absolutione reservatorum, explicuerunt, seu limitarunt, declarantes suæ mentis nõ esse Regulares quoad hunc articulum comprehendere. Inter alias, duæ extant, novissimæ: Alia Clementis VIII. alia Urbani VIII. ille etenim constitutione perpetuò valitura declaravit: *Facultatem, & concessionem sanctæ Cruciatæ, aliorumque indultorum, quantum ad prædictum articulum eligendi confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, non habere locum cum fratribus, & sororibus quorumcumque Ordinum, &c.* Et Clementis vestigiis insistens Urbanus, die 19. Junii, anno 1630. in Bulla, quæ incipit: *Innovatio constitutionis felicis*

licis recordationis Clementis Papæ VIII. Post memoratam prædictam constitutionem, ait: *Nihilominus sicut nobis non sine animi molestia innotuit, nonnulli Ordinis Prædicatorum, prætextu eiusdem sanctæ Cruciatæ, Confessarium huiusmodi, qui eos, ut præfertur* (nimirum à reservatis) *absolvat, eligere posse prætendant. Nos præmissis obviare volentes, præfatæ Clementis declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innovantes, ac quatenus opus sit ampliantes, motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, perpetuò declaramus, concessionem sanctæ Cruciatæ, aliorumque indultorum quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus quorumcumque Ordinum, locum minime habuisse, nec habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse.*

2. Hæc Pontificum decreta, si benè expendantur, planè convincunt, per Bullam Cruciatæ non concedi Regularibus privilegium ad eligendum Confessarium pro absolutione reservatorum: & consequenter non posse ejus virtute absolutionem exigere, nec Confessarium eos absolvere.

3. Nihilominus, quia his decretis, & constitutionibus non obstantibus, extant adhuc opiniones circa usum Cruciatæ pro Regularibus, quoad articulum eligendi Confessarium, posset aliquis pro parte affirmativa Regularibus favente sic arguere. Confessarius, semel audita confessione, tenetur se conformare opinioni pœnitentis, licet ipse falsam, & improbabilem existimet, dummodo inter Doctores probatæ auctoritatis probabilis reputetur (ut docent Sotus, & Valentia, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *in Sum. libr. 1. c. 9. n. 30.* Joannes Sanctius *in Select disp. 44. n. 31. & 35.* Diana *2. p. tract. 13. resol. 11.* & cum Henriquez, Bassæo, Candido, & aliis Machado *tom. 1. disp. pract. artic. 6.* & Marcado *de controvers. cap. 15.* addens, debere se illi conformare, si opinio pœnitentis non sit error; quæ quidem obligatio adeò stricta est, ut sub mortali teneatur, si de mortalibus fuerit confessio, ut existimant Joannes Sanchez *disp. 35. n. 54.* Thomas Sanchez *suprà num. 24.* Diana *suprà resol. 11.* & ex Suarez, Lugo *disp. 22. sect. 2. num. 48.* Tamburinus *in Methodo expedit. Confess. lib. 3. cap. 9. §. 1. num. 3. & 4.* contra Vazquez, Montesinos, & Salas, apud Dianam existimantes, sub veniali tantum teneri. Sed opinio pœnitentis regularis circa usum Cruciatæ pro absolutione reservatorum reputatur probabilis inter Doctores probatæ auctoritatis: ergo licet Confessarius falsam, & improbabilem existimet, tenebitur se illi conformare, & absolutionem impendere.

4. Vidit fortasse Lugo discursus difficultatem, quare ad illam fugiendam statuit doctrinam communem asserentem, Confessarium debere se conformare opinioni pœnitentis, non habere locum, quando opinio versatur circa jurisdictionem, quia jam non agitur de permittenda pœnitenti sua opinione, sed de amplectenda illa in operatione propria, quod facere non potest, nisi judicet, esse probabilem. Hunc dicendi modum desumpsit ex Valentia *2. 2. disp. 5. quæst. 7. punct. 4 in fine*, & ex Thoma Sanchez *suprà num. 3.* Illumque amplectitur Sanctius *in Selectis*, nam licet *disp. 44. nu. 35. §. Qualiter.* Existimet, quæstionem esse de nomine, an sit dicendus Confessarius permittere opinionem pœnitentis; an verò eam sequi: quia permittere nil aliud videtur esse, quam illam sequi per principia extrinseca. Nihilominus *eadem disp. num. 10. §. Sed valdè notandum*, asserit, quod licet communis doctrina defendat, Confessarium teneri sequi opinionem pœnitentis: * tamen verum non est, quando obid non absolvit, qui putat non habere jurisdictionem. * Et infrà, eamdem in terminis attingens, ait: * Exquo deducitur constrictum non esse Confessarium sentientem, Bullam Cruciatæ non prodesse Regularibus, confessionem excipere Regularis, oppositam sententiam amplectentis. * Quem sequuntur Pontius de Matr. lib. 4. cap. 25. Castro Palao *tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 2. num. 4.* & Verricelli *tom. 1. qq. mor. tract. 2. quæst. 28. n. 3.* Et non licere uti jurisdictione probabili, sententia, multis suadent Marchantius, Oviedo, & Bossi, apud Dianam *p. 9. tract. 7. resolut. 59.*

5. Verum hæc doctrina difficultate non vacat. Primò, quia inter Doctores asserentes, Confessarium teneri sequi opinionem pœnitentis, si ab aliis Doctoribus probabilis reputetur, Vazquez *1. 2. tom. 1. disp. 62. cap. 7.* exemplum adhibet in casu, quo opinio pœnitentis circa confessarii jurisdictionem versatur. *Ut si Confessarius*, inquit, *existimet, talem casum esse reservatum: contra verò pœnitens oppositum cum aliis Doctoribus probabiliter censeat.* Quapropter in quocumque casu teneri confessarium se conformare opinioni pœnitentis, tradit cum Vazquez Oviedo *2. tract. 5. controvers. 3. punct. 6. num. 73. & 74.* & nulla adhibita limitatione id tenent apud ipsum, Suarez, Salas, Azor, Bonacina, Ægidius, Torres, Sayrus, Filliuc. Sanctus, Montesinos, Granado, & alii.

6. Secundò, quia licitum est sequi, & amplecti, in operatione propria opinionem, quam per principia intrinseca judicat confessarius improbabilem & falsam, si tamen per principia extrinseca probabilis sit, ut tradunt ipsemet Lugo *disp. 25. de Pœnit. sect. 6. num. 109.* & ex Vazquez. Lessio, Salas, Aspidio, & Sayro, Joannes Sanchez *in Selectis, disp. 41. n. 7.* quibus consonat Machado suprà cum Doctoribus, quos citat. Quo fundamento nixi obligant confessarium ad absolvendum moribundum in plurimis casibus, licet improbabilem à principiis intrinsecis judicet opinionem.

7. Jam verò, si respondeas, neque extrinsecè esse probabilem contrariam, post decretum Urbani VIII. Contra esse videtur: quia, ut in simili ait Vazquez *1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 17. Si difficultatem ortam eximat, & decreto, recentiores aliqui notarunt, & conati sunt eam dissolvere, non debemus existimare, illorum opinionem carere probabilitate, ut eam sequi non possimus.* Igitur cum hæc in præsenti reperiantur, & recentiores auctoritatem difficultatem ex decretis Clementis & Urbani VIII. subortam, poterit confessarius per principia extrinseca judicare probabilem opinionem pœnitentis Regularis, & consequenter juxtà illam operari. Ergo tenebitur sub mortali, auditâ confessione, illum absolvere. Nam, ut ex communi Doctorum sententia tradit Sanctius *in Selectis, disp. 33. num. 9. in fine*, quoties confessarius potest licitè benignam absolutionis impendere, ad illud exigendum habet jus justitiæ pœnitens: licitè autem potest, quando pœnitente est opinio extrinsecè probabilis circa jurisdictionem confessarii. Ergo si absolutionem non impendat, faciet contra justitiam, vel saltem contra charitatem: grave enim onus esset obligare pœnitentem ad sua crimina alteri detegenda. Igitur si nulla citatas constitutiones Clementis, & Urbani VIII. sit adhuc extrinsecè probabile, privilegium Cruciatæ prodesse Regularibus, tenebitur confessarius eam virtute pœnitentem absolvere, licet ejus opinionem improbabilem, & falsam existimet, juxtà superius dicta.

§. Nec-

8. Nec obstat, quòd opinio hæc minus tuta, minusque probabilis sit. Quia ut docuimus *tract. 1 de opin probab q. 5 per totam*, licitum est tutiori, & probabiliori relicta, minus tutam, minusque probabilem, dum probabilis sit, amplecti: pro qua plures ibi adduximus, & sexaginta auctores pro hac parte refert Bardi *in Selectis lib. 1. quæst. unica.* *Qui, inquit, cujuscumque hominis intellectum rectè dispositum movere possunt: & ideò non solùm tutam, & probabilem, verum etiam moraliter certam opinionem hanc reddunt, & probabilitatem oppositæ ita minuunt, ut hodiè post talium Doctorum sensum, parum probabilitatis involvat: imò pensatis rationibus, quas prædicti auctores adducunt, videtur ipsa sententia oppositi constituta veluti in confinio improbabilium. *Hactenus P. Bardi. Ex his planè constat, hujus quæstionis decisionem ad hunc cardinem devolvi, an post decretum Urbani VIII. sit saltem extrinsecè probabile, Bullam Cruciatæ prodesse Regularibus quoad articulum eligendi confessarium? Sed quia plures opiniones hac de re extant, eas obiter referre, forteque judicium, opus erit.

§. I.

Referuntur, & expenduntur opiniones pro Regularibus quoad electionem Confessarii virtute Cruciatæ.

1. QUatuor apud Doctores reperio. Prima asserit, Regulares virtute Cruciatæ, posse à quolibet Sacerdote ab Ordinario approbato absolvi à peccatis mortalibus non reservatis. Ita expressè post decretum Clementis VIII. Manuel Rodriguez *in Sum. tom. 3. cap. 7. nu. 2. in fine*, dicens, sic judicasse multos Doctores Salmanticenses, quibus consentit Diana *1. p tract. de Bulla, resol. 14.* Eamdem sententiam post decretum Urbani defendunt F. Leander à Sacramento *tom. 1. tract. 5. disp. 12. q. 62.* & cum Ludovico à Cruce, Quintanaduennas *ad Pœnitentiæ Sacramentum, tract. 3. singul. 18.* ubi ait: Plures doctissimos recentiores hanc partem indubitanter tueri, Barnabus Gallego, Martinus de S. Joseph, Thomas Hurtado, & alii, apud Dianam *p. 1 tract. 11. resolut. 14 & p. 9. tract. 6. resol. 10 in fine & p. 11. tract. 6. Miscellan. resol. 38.* P. Escobar *in Theolog. moral. lib. 7. Problem. 33. nu. 560.* & non parum favet P. Castro Palao *tom. 4. tract 25. punct. 8. §. 3.* dum ait per constitutionem Urbani VIII. id non prohiberi; secus per Clem. VII. & Gregor. XIII. constitutiones. Quod aliis non placet, item Ludov. à Cruce, & Man. Rodriguez, quos citatos sequitur, & multis illustrat doctissimus P. Mendo *tom in Bull. Cruciatæ disp. 24. cap. 18. & 19. & in appendice disp. 1. cap. 10. & in statera opin. mor. differt 14. q 7.* Et quod possit eligere ex confessariis sui Ordinis, tradit Delgadillo *de Pœnitent. cap. 21. dub. 14.* Et plures ex scriptoribus id supponere ut certum, testatur Trullench *in expositione Bullæ, lib. 1. § 7. cap. 1. dub. 9. n. 25.* per hæc verba: *Hoc videtur certum posita constitutione Urbani, & Clementis VIII. posse Regulares eligere Confessarium ex approbatis etiam extra Religionem, si non habeant peccata reservata Sedi Apostolicæ, ac suis superioribus, ut tenet Rodriguez, & supponunt Doctores citati: nam solum loquuntur de peccatis.* Hanc opinionem latè probat Quintanaduennas, contra Lugo ex proœmio constitutionum Clementis, & Urbani VIII. quas supra retulimus.

10. Ad alia verò indulta, quæ adducit Lugo, ex Gregorio XIII. Clemente VIII. & Gregorio XV. in quibus Regularibus Societatis Jesu in speciali prohibetur, uti facultatibus Cruciatæ publicatæ, vel publicandæ, respondent Quintanaduennas *nu. 9.* & P. Mendo *in Bulla, disp. 24. cap. 9 nu. 213.* eodem modo explicanda, nimirum, quoad reservatorum absolutionem: non verò quoad alia. Quod non leviter suadetur ex eo, quòd in 6. Congregatione Generali tantum prohibetur defendere, Bullam Cruciatæ prodesse nostris, quoad absolutionem à casibus reservatis. Addit verò Quintanaduennas *nu. 14.* *Praxim oppositam in nostra Societate credo esse, & huic standum planè censeo. *Ita ille, & ego, quia non est satis exploratum, quod possint uti Cruciata, quoad non reservatos, & oppositum docent cum Suarez, Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 8. §. 3. num. 3.* & Cardin. de Lugo *disput. 20. sect. 9 à n. 194.* Quorum sententiam verissimam esse ait M. Joannes Martinez de Prado *supr q. 6. §. 2.* & aliis omissis probatur: Quia Clemens VIII. in Motu edito pro omnibus Regularibus expressè inquit: *Suæ mentis fuisse, quod Fratres, & Moniales quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint.* Quam constitutionem Urbanus, inquit, se innovare, & ampliare. Illa autem universaliter interdicit usum Cruciatæ quoad absolutionem, sive peccata sint reservata, sive non: ut constat ex illius constitutione, in illis verbis, Quod Regulares; *quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis administrationem, ordinariæ Prælatorum suorum dispositioni subjecti sint. *Super quorum intelligentia testatur Cardinalis de Lugo *ubi suprà* se consuluisse Illustrissimum D. M. A. Maraldum, à quo ex præscripto Urbani ea constitutio fuit constructa, disposita, & subscripta; & hunc sensum approbasse, & miratum fuisse, quod in alio hæ voces ab illo intelligerentur. Non ergo admittenda quorumdam expositio, qui ad reservata hæc Urbani verba limitant: sicut etiam constitutionem Gregorii XV. in qua eis prohibetur: *Confessarium sibi eligere virtute Cruciatæ.*

11. Secunda opinio asserit, Regulares posse virtute Cruciatæ eligere Confessarium pro absolutione eorum reservatorum, quæ non Prælatis Religionis, sed Pontifici reservantur. Ita novissimè Quintanaduennas *suprà singulari 26. numer. 3. & 4.* Probat ex Proœmio Bullarum, quia Clemens VIII. ait, quod prædicti Religiosi prædictis facultatibus uti præsumebant in detrimentum Regularis disciplinæ. Et Urbanus VIII. *Nos præmissis, quantum nobis ex alto conceditur obviare, atque directioni consulere volentes, præfataque Clementis præcessoris nostri declarationi inhærentes, &c.* Ex quarum proœmio constare videtur, Pontifices solum prohibere usum Cruciatæ, quantum ad illos casus, qui pro Regulari disciplina observanda, Prælatis Regularibus reservantur. Igitur à reliquis casibus, qui in generali pro Christianæ vitæ reformatione reservantur, ut in tota Ecclesia à Papa, & in Diœcesibus ab Episcopis, rectè possunt utriusque sexus Regulares virtute Cruciatæ absolvi.

12. Verum hæc doctrina difficultate non vacat, quia Urbanus VIII. in suo decreto expressè declarat, concessionem sanctæ Cruciatæ, quoad prædictum articulum eligendi Confessarium, *& absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis*, cum Regularibus locum non habere. Igitur non solùm prohibet usum Cruciatæ, quoad casus Præ-

latis Religionis, sed etiam Summo Pontifici, pro bono Ecclesiæ regimine, reservatos. Et ita supponit Trullench *suprà*, & tenet Delgadillo *de Pœnitent. cap. 21. dub. 25.* & expressè tradit P. Mendo *in Bullam, disp. 24. cap. 19. num. 198.* & mihi etiam placet, quia mens Urbani VIII. est, quòd Regulares quoad reservata Sedi Apostolicæ, eidem maneant subjecti, quin virtute Cruciatæ eximantur, ut constat ex verbis illis: *Nostræ intentionis fuisse, & esse, quod Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata subjecti sint.* Ergo opinio Quintanaduennas sustinenda non est.

13. Tertia opinio asserit, Regulares posse eligere Confessarium pro reservatis suis Prælatis, dummodo eligant ex Confessariis domus, illis nimirum, qui pro subditorum confessionibus sunt deputati. Ita post Clementem VIII. docuit ut probabile Villalobos *in Sum. tract. 27. clausula 9. §. 2. n. 12.* Ubi inquit, ita sensisse viros doctissimos Alphonsum Curiel, Antolinez Augustinianum, Cornejo Carmelitanum, & Hernandez de Campo Franciscanum, omnes primarios sacræ Theologiæ Lectores in Academia Salmantina, & PP. Collegii Societatis Jesu ejusdem Civitatis. Putat etiam probabile Joannes de la Cruz *lib. 1. cap. 9. dub. 12.* asserens, ita judicasse Henriquez, Bannez, Vincentium, Lunam, & alios. Et hanc sententiam post decretum Urbani VIII. tenet novissimè Ludovicus de S. Juan, asserens, nonnullos ita docere, & putat probabilem Diana illum citans 4. *p. tract. 4. resol. 43.* & Leander à Sacram. *disp. 12. quæst. 60.* quia contrariam, quam sequitur, vocat multo probabiliorem, & non esse improbabilem dicit Thomas Hurtado Clericus Minor, *tom. 2. tract. 9. cap. 12.* licet plus contendere videatur, dum inquit: *Urbanum tantum prohibere, eligere Confessarium extra Religionem. *Et novissimè hanc sententiam refereus, non improbat M. Joannes Martinez de Prado *in Theolog moral. cap. 6. q. 5. §. 6.* Quod in hoc præcipuè Authore, sufficiens signum approbationis est.

14. Hanc opinionem verbis, quæ sequuntur, probat Villalobos *ubi suprà*. *Porque à todos lo concede su Santidad à todos los Christianos, que tomaren la Bula, y no obstan los fundamentos de la parte contraria. Porque al primero se responde, que los Sumos Pontifices no pueden atar las manos à sus successores; y assi por las antiguas. Y vimos, que despues de todas las antiguas, fue estilo en la religion aprovecharse de la Bula quanto a esto, hasta que vinieron los Breves de los Padres Dominicanos, y Carmelitas (nimirum constitutiones Pii V. & Clementis VIII.) a las quales responde esta opinion, que no derogaron esto, sino el poder elegir Confessor de fuera de la Religion, que absuelua de los casos reservados, como consta de la relacion, que en ellas se pone al principio, entendiendola bien en aquellas palabras: *Et illorum prætextu eligunt Confessorem aliquando, præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt; quod aliquando in speciale eorum vergit detrimentum.* Y assi las entienden los Padres, que citamos por esta sentencia, y aviendo Bula nueva, seria esto mas llano, porque se responderia como a las antiguas. *Hæc Villalobos. In qu bus duo expendenda sunt. Primò, vivente adhuc Clemente, putasse hunc Doctorem suam opinionem probabilem, propter fundamentum desumptum ex citato proœmio constitutionis. Secundum, existimare, per novam concessionem Bullæ à novo Pontifice factam revocari omnia decreta, constitutiones, & declarationes à prædecessoribus edita, quibus usus Cruciatæ pro absolutione reservatorum Regularibus prohibetur.

15. Verum præfata opinio est omnino improbabilis. Primò, quia falsò nititur fundamento: non proœmium illud, licet cum ea restrictione (nimirum *præter eos, qui à suis Prælatis eorum confessionibus deputati sunt*) reperiatur in Bulla Pii V. pro Dominicanis, ita (quam ad verbum adducit Manuel Rodriguez post explicationem Cruciatæ) & in Bulla pro Clementis VIII. pro Carmelitis Excalceatis: Similis autem restrictio non apponitur in proœmio Bullæ Clementis, postea editæ pro omnibus Regularibus mendicantibus, cujus hic tenor est: *Quod cum bulla Cruciatæ, & aliis privilegiis, detur facultas eligendi Confessarium idoneum ab Ordinario approbatum, qui possit à reservatis absolvere. Nonnulli prædictis facultatibus ut præsumebant, in detrimentum eorum regulare disponi.* Quod ad verbum repetitur, & innovatur in constitutione Urbani VIII. Igitur illa opinio, ex proœmio constitutionis Clementis, nullum habet fundamentum.

16. Jam verò, quod nullam probabilitatem sortiri possit, ex alio principio apud patronos Cruciatæ valdè familiari, nempè, per novam Bullæ concessionem à novo Pontifice, omnes antiquis revocari, constabit planè ex infrà dicendis, in impugnatione quartæ opinionis.

§. II.

Quarta, & laxior opinio pro Regularium cum fundamentis proponitur.

17. QUarta opinio absolutè, & sine ulla restrictione asserit, posse Regulares virtute Cruciatæ, etiam repugnantibus Prælatis, eligere pro reservatis quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum. Sic ante Urbani VIII. decretum, docuerunt Joannes Valerus *in different. utriusque for., vide Bulla different. 1. concluſ. 5.* Ægidius Trullench *in positione Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 9. in 1. editione*; ubi pro se citat Clarum, & Rum de Mendoza, Ludovicum Lopez, & Sotum. Alphonsus Perez de Lamo *lib. de tribus gratiis, fol. 27.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. ad 1.* Ludovicus Lopez *2. p. instruct. cap. 8. 5. Preterea hic, fol. mihi 822.* Freitas *in Memoriali de hac parte, Ebredius de Herrera Augustinianus in decisionibus moralibus decision. 9 per totam.* Joannes de la Cruz *lib. 1. de statu Religioso, cap. 2. dub. 12.* plures citans, Joannes Sanchez *in Selectis, disp. 44. n. 10 & 13.* Basilius Poncius *de Matrim. lib. 5. cap. 20. n. 7.* & præcipuè *lib. 8. cap. 19. §. 2. n. 13. & 14.* & latius *in manuscriptis de Pœnitent.* ubi hanc sententiam tenuille M. Bannez, Joannem Vincentium Lunam, & Antolinez. Et quondam venit P. Thom. Sanchez *in manuscriptis*, ut constat ex his, quæ ex illo adducit Quintanaduennas *tom. 2. singul. 7. num. 4.* & ita declaravit Comissarius Cruciatæ Lusitaniæ, die 7. Martii, anno 1650. & hanc opinionem esse probabilem indicat Cuniba *de indulgentiis, quæst. 49.* & pro aliis Religiosis Societatis Jesu, Castro Palao *tom. 4. tract. 23. disp. unica, punct. 8. §. 2.* & ea utentes, se non audere condemnare, dicit Manuel Rodriguez *in expositione Bullæ, §. 9. fol. 86. §. Lo sexto digo, & tom. 1. quæst. regular. quæst. 21. art. 8. fol. 215.* & probabilem esse reputant

derunt multi Doctores Salmanticenses hac de re consulti, pro qua doctus Machado *tom.1. lib.1.fol.24.* citat Candidum pro se adducentem Patrem Henriquez: sed hunc malè, quia *lib.7.cap.22.in Glos. litt. X.* tantum dicit, hoc fieri ex consuetudine per superiores tolerata. Unde non pro omnibus Regularibus, sed in aliquibus Religionibus usum Cruciatæ à superioribus permissum concedit.

18. Denique post Urbani VIII. decretum prohibentis Regularibus usum Cruciatæ quoad reservata, prædictam sententiam non esse improbabilem, tradunt Ludovicus à Cruce *in expositione Bullæ, disp.1.cap. 1.dub 12.n 2.* & Petrus de Leon, apud Dianam *in additione ad 3.p. resol.9.* & se non audere nota improbabilitatis inurere dicit Diana *p.11.tract.6 resol.37.* Et non carere probabilitate, si constitutio Urbani VIII. non sit à subditis acceptata, inquit Trullench *in 2. editione Bullæ Cruciatæ lib.1.§.7.cap.1 dub.9.n.19.* quem sequitur Thomas Hurtado *tom 2.resol moral. tract.9. cap.5.n.74.* & probabilem putat M. Candidus, apud Dianam *p.8. tract.7. resol.78.* & Leander à Sacramento *tom.1. tract.5. disp.12. quæst.58.* ubi ait. *De præfata Urbani Bulla fuisse eidem supplicatum per Commissarium Generalem de ordine, & mandato Regis Philippi Quarti. Qui, inquit, supplicatione posita, dum contrarium non constet de responsione Pontificis, non renuam concedere esse probabilem. *Cui facit doctrina M Serra 1.2.q.95 art.3. §. Nunc ergo,* ubi ait, dum ab aliqua lege Pont ficia supplicatur, *interim ejus obligatio suspenditur, & non peccat, qui illam non servat; legislator autem supplicatione, etiamsi nil respondeat, sed taceat, censetur consentire, & legis obligationem tacitè auferre. *Et absolutè sequuntur Remigius *in Sum.tract.5.cap. 5.§.2.nu.8.* & iterum in novo appendicè. Junipatus à Deprano *de casibus reservatis, p.3.disp.7.q.5.cap.3. & sequentibus,* ubi ex diversis Religionibus in confirmationem suæ sententiæ adducit subscriptionem quatuordecim Qualificatorum Tribunalis sanctæ inquisitionis Regni Siciliæ, M. Acatius de Valesco *to.1.resol.moral.verbo Bullæ, resol.128.n.15.* in editione Valentina, anno 1656. ubi sic ait, *Todos los Regulares, licita y validamente pueden sin licencia de sus Prelados, en virtud de la Bula de la santa Cruzada, elegir siempre que quisieren Confesor aprobado por el Ordinario, el qual los pueda absolver de todos los casos reservado, aunque lo estèn à sus Superiores, y al Papa, de la manera que los seglares. *Sic Illustris. Acatius. Quem sequitur ex eodem instituto Antistes alter M. Arauxo *in decisionibus moral.tract.1.q.8.num. 28.fol.51.* & probabilem putat M. Joannes Martinez de Prado *tom.1.quæst.mor. cap.6. de Bulla, quæst.5.* addens, pro hac sententia militare omnes Doctores suprà citatos, & qui ante decretum Urbani post Clementem VIII. scripserunt: *Quia in substantia, inquit, idem decreverant alii Pontifices, & præcipuè Clemens XIII. cujus constitutionem innovat Urbanus. Unde quoad hoc, opinio, quæ illo tempore erat probabilis, modo eamdem retinet probabilitatem. *Quibus adde Mag. Barnabam Gallego *in Bullam Cruciatæ, capit.12.clausula 12.fol.178.* Ubi post adducta Urbani VIII. decreti verba, concludit: *No obstante esto, en eviendo nueva concession de la Bula de otro Pontifice, sino declarare, que no es su intencion, que les valga à los Religiosos, quanto à la absolucion de los casos reservados à sus Prelados, parece, que el Religioso que tuviere la Bula, se podra conformar, si quiere, con la opinion de los que dizen, que pueden los Religiosos ser absueltos de los casos reservados à sus Prelados, teniendo la Bula de la santa Cruzada. *Denique hanc sententiam novissimè multis tuetur M. Fr. Antonius Baco Augustinianus *in Sum. Hispano idiomate cusa Majoricæ, anno 1661. disp.36.cap.21.* & probabilem putant Fr. Christophorus à Sancto Josepho *tom.1.recept.opin.1.p.fol.130. à nu. 7.* & Ludovicus à Concept. *tom.2. exam. tract.1. §.2.verb.Bulla, illatione 1.n.5.*

19. Plura sunt, quæ ad illam firmandam congerunt citati Doctores, quæ videri possunt apud Trullench, Leandrum, & Lugo *disp.20 sect.9.* seligam præstantiora. Primò, quia Commissarius Cruciatæ, ex delegatione Pontificis, ante promulgationem Bullæ, singulis annis, absolutè derogat omnibus privilegiis ejus expeditioni contrariis: talia autem sunt superioribus Religionum concessa à Clemente, & Urbano VIII. ne eorum subditi possint pro reservatis Confessarium eligere. Secundò, quia semel promulgata, & assumpta per Regulares Bulla Cruciata, non potest revocari privilegium in ea contentum eligendi Confessarium, nisi Pontifex jusserit, uniculque restitui eleemosynam contributam: nam cum sit privilegium concessum per modum contractus, non potest aliter revocari, ut docent Matienzus, Gregorius Lopez, & alii, quos sequuntur Thom. Sanchez *de Matrimon lib.9. disp. 33. num.9. & 10.* & cum Henriquez, Manuel Rodriguez, Bonacina, & Salas, Castro Palao *tom 1.tract.3. disp.4. punct 21. §.2.* & Quintanaduennas *tom.1 singul. tract.8. appendicis ad Iubilæum anni Sancti, singul.14 num.2.*

20. Tertiò, quia suprà dicta Religionum privilegia, post Bullæ Cruciatæ promulgationem, quando singulis annis fit, non sunt ad instantiam Prælatorum per Papam revalidata, & post revalidationem, à superioribus subditis notificata, & per notificationem à subditis acceptata, quæ omnia ad eorum obligationem requiruntur, juxtà opinionem Soti, & Medinæ, quos adducit Manuel Rodriguez *in explicatione Bullæ, §.9.n.24.* Quartò, quia ut suprà diximus ex Villalobos, & tradit Trullench, loco citato, Pontifex solum declarat suam intentionem pro Bullis à se concedendis, & concessis: non verò pro concedendis à suis successoribus: ergo isti, saltem post novam Bullæ concessionem (quæ singulis sexennis fit) derogant intentioni, & declarationibus à prædecessoribus factis. Igitur mortuo Pontifice, qui suam intentionem declaravit, poterunt Regulares, virtute Cruciatæ à novo Pontifice concessæ, eligere Confessarium pro reservatis.

21. Et ita planè videtur sentire Diana *in additionibus post 3.p.resolut.9.* ubi postquam de verbo ad verbum retulit decretum Urbani, sic concludit: *Ex suprædicta Bulla apparet, saltem dum vivit Urbanus, non posse Regulares virtute Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium extra ordinem pro casibus reservatis. *Sentit igitur esse probabile, quod eo mortuo possint eligere. Et expressè ita sentiunt Trullench *in 2.editione, lib.1.cap.7.* & Candidus, apud Leandrum *suprà quæst.61.* ubi pro se adducit Henriquez, & alios, & ipse Leander consentire videtur; & aliquo modo favet Palao *suprà tr.25.punct.8. §.3.num.3.* Quibus adde Joannem de la Cruz *de statu Religioso, lib.2.cap 6.* ubi postquam *dub.12. concluſ.1.* prædixerat, in aliquibus Religionibus speciali Papæ concessione cautum esse, ne Religiosi utantur privilegiis eligendi Confessarium pro reservatis, sine licentia suorum Prælatorum: *concluſ.3.* sic ait: *Proba-

Probabile est, prædicta privilegia suspendi per Bullas concessas ab aliis Pontificibus, & sic Religiosi sumendo Bullam Cruciatæ possunt eligere Confessorem, & absolvi à reservatis juxta tenorem ejus. Ita Henriquez. & Antolinez, & fertur tenuisse Bannez, Joannem Vincentium, Lunam, & alios. Hæc M. Cruz cui consentit Gallego *ubi suprà*, & cum Mag. Candido *tom. 2. disquis. 24.* probabile putat Ludovicus à Concept. *tom. 2. examinis veritatis, tract. 1. verb. Casus reservati, §. 3. num. 1.*

22. Quintò, quia verbis legis standum est, secundum interpretationem juris, etiamsi legislator extra legem dicat, se aliter intellexisse, ut sentiunt P. Sa, *verb Lex. n* 15. Bonacina *tom. 2. disp. 1. de legibus, punct. 8. n. 1* Salas, Navarro, & alii. A Papa quidem Innocentio IV. declarante suam mentem à se antea factam, recessit Hostiensis, & cum eo alii Doctores, ut refert P. Sà suprà; sed verba Bullæ Cruciatæ comprehendunt Regulares, quoad artilulum eligendi Confessarium pro reservatis: ergo verbis Bullæ standum est, quantumvis Pontifex Bullam dixerit se aliter intellexisse.

23. Sextò, quia Pontifex, quando vult, Regulares nō cōprehēdi in aliquo indulto Cruciatæ, in ipsamet Bulla illos expressè excludit, ut cernere licet in indulto lacticiniorum tempore quadragesimæ, in quo excipit Regulares ante sexagesimum annum: sed in indulto eligendi Confessarium pro reservatis, non excipiuntur; ergo comprehenduntur: patet consequentia: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Nec obstare possunt declarationes Clementis, & Urbani VIII. in oppositum adductæ: istæ enim ad terrorem potius, quam ad revocationem privilegii Cruciatæ editæ videntur. Nam ad quid, inquiunt, tanto tam prolixoquè decretorum, & Bullarum processu opus erat, quando unico tantum verbo Bullæ Cruciatæ inserto, poterat facillimè Pontifex ab indulto eligendi Confessarium regulares excludere, sicut excluſit à lacticiniorum indultò? Hoc argumentum urget M. Martinez de Prado *ubi suprà tom. 1. cap. 6. q. 5. de Bulla n.* 31. inde concludens. *Et suspicor, quod medium unicum & facilè, ad tollendam probabilitatem oppositæ opinionis, esset, in summario Bullæ Hispanæ id exprimere. Et dum (Commissarii Cruciatæ) non expresserint, vel decipiunt Regulares in re gravissima, vel opinio est probabilis authoritate, & ratione.* Sic ille.

§. III.

Bullam Cruciatæ Regularibus non prodesse, pro absolutione reservatorum, vera, & communis sententia est.

24. HAnc tenent innumeri Theologi, vel ut sanctius dicam, exceptis pro contraria citatis, omnes ut omnino certam defendunt. M. Martinus de Ledesma *2. p. 4. q. 9. artic. 2 conclus. 2.* M. M. Joannes Gallus, Bartholomæus de Medina, & Petrus Bannez, quos refert Vivaldus *de absolut. n.* 25. M. Petrus de Ledesma *de Sacram. Pœnit. cap. 13 conclus. 1. dub. 15.* M. Joannes à S. Thoma *in explicatione Doctrinæ Christ. 2 p notat. 2. procasibus reservatis.* Miranda *tom 2. Manual. Prælator. q. 34. art. 15. conclus. 2.* citans Cordubam, Collectorem, & Passerellum, Portel *tom. 2. Respons. casu 3. 4. & 5. & in Dubiis Regul. verb. citata, num. 1.* Hieronymus Rodriguez *resol. 3. num. 25.* cum Emmanuele Rodriguez *tom. 3. addit. Sum. cap. 7. num. 2.* Nicolaus Garcia *de Beneficiis 2. p. c. 3. nu. 64.* Lezana, Becchius, Coriolanus, & alii, apud Dianam *p. 11. tr. 6. resol. 37.* quos ipse, cum Diana, cum aliis in locis sequitur.

25. Ex Authoribus Societatis omnes ad unum P. Suarez *de Relig. tom. 4 tract. 9. lib. 2. cap. 16. n. 3.* Reginaldus *in Praxi tom. 1. lib. 8. cap. 3. sect. 3. nu 37.* Castro Palao *tom 4 tract. 25 punct. 8. §. 2. nu. 2.* Lugo *de Pœnit. disp. 20 sect. 9. à n. 153 usque ad 194.* P. Bardi in *Bulla Cruciatæ p. 1. tract. 2. cap. 5. sect. 2.* P. Mendo in *Bullam, disp. 24. cap. 12. & 13. usque ad 18. in appendice disp. 1. cap 9 & in statera dissertat. 14. q. 6.* Fragosus *tom. 2. n. 2. lib. 2. disput. 7. n. 16. & 25.* Escobar de Mendoza *lib. Problemate 32. n. 359.* & alii, quos, ne lectori fastidiam pariam, jubens omitto.

27. Hujus communis sententiæ fundamentum firmissimum est, utpotè innixum constitutioni Urbani VIII. quam anno 1630. ad omnes opiniones pro Regularibus funditus evertendas, in tota Dei Ecclesia publicari jussit, ex qua sic evidens conficitur argumentum. Regulares non possunt eligere Confessarium virtute Cruciatæ, nisi comprehendantur in clausula universali Bullæ, per quam omnibus Christi fidelibus hoc privilegium conceditur; sed Pontifex auctoritate Apostolica declarat, Regulares non comprehendi in tali clausula; ergo dum cæteribus aliis verbis non exprimantur, non poterunt ejus virtute à reservatis absolvi. Major est evidens, & à nemine dubitata. Minor probatur ex decretorum vissimo Urbani VIII. qui, ut opinandi licentiam cohiberet, alta mente perpendens, quod mortuo Clemente VIII. qui aliorum Pontificum declarationes privatas, ad omnes Regulares extenderat, præsentibant adhuc privilegium Cruciatæ quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis, ipsis ipso de esse auctoritate Apostolica, & de plenitudine potestatis, constitutione perpetuo valitura, declaravit, concessionem sanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, cum Fratribus, & Monialibus quorumcumque Ordinum *locum non habuisse, neque habere, neque illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse.*

27. Ex quibus per evidentem consequentiam convincitur apertæ falsitatis, tam opinio asserens, mortuo Clemente, per novam Bullæ concessionem, ejus declarationem abrogari, quàm opinio defendens, per novam Cruciatæ publicationem, revocari omnia privilegia, & declarationes ejus expeditioni contraria: qualia sunt Prælatorum Regularium, ne subditi virtute Bullæ absolvantur, utpotè impedientia Regularium contributiones, & eleemosynas pro Bulla Cruciatæ assumenda. Illatio, inquam, est evidens, quia auctoritate Apostolica regula infallibilis veritatis nobis constat, Bullam Cruciatæ non fuisse suffragatam Regularibus mortuo Clemente, nec per novam concessionem successoris, nec per novam Cruciatæ publicationem, fuisse revocatam declarationem priùs à Clemente factam: quandoquidem ante decretum Urbani innovantis constitutionem Clementis, jam præcesserat nova ab ipso Urbano Cruciatæ concessio, & publicatio. Imò & eorum aliorum Pontificum, qui post Clementem, Urbanum præcesserunt, nempè Leo XI. Paul. V. & Gregor. XV. quorum nullus pro omnibus Religiosis privilegium Cruciatæ, & tamen Regularibus nullo modo suffragari potuisse, auctoritate Apostolica Urbanus declarat.

clarat: ergo præfatæ opiniones post decretum Urbani VIII. nullatenus sustineri possunt, sed tanquam omninò improbabiles rejiciendæ sunt.

28. Hæc si expendissent recentiores, nullus forsan ausus fuisset asserere, Bullam Cruciatæ prodesse posse Regularibus, ne mortuo quidem Urbano, id enim planè convincit discursus à nobis factus. Quapropter eorum incuria (quorum syllabum ad hanc conclusionem eruendam, omnibus prælectis, protraxi, *num.* 18.) in præfatis decreti verbis, prout ad præteritum referuntur, expendendis, omnem recentiorum auctoritatem penitus elevavit, ita ut eorum opinioni nulla, neque extrinseca probabilitas subesse possit, quia nullus hucusque directè respondit citatis decreti verbis ad præteritum relatis, specialiterque adjunctis ad debellandas, funditusque evertendas omnes opiniones causas Regularium agentes, quoad absolutionem reservatorum. Hæc est communis opinio omnium timoratorum, & contrariam *non esse securam* dicit M. Joannes à S. Thoma *suprà*; & esse *improbabilē omninò* dicunt Mendoza, Fragosus, & alii locis citatis; & *neque extrinsecè probabilem esse* ait P. Mendo. Et se non videre, quomodo jam opinio illa *possit amplius sine gravioris censuræ nota sustineri*, inquit Lugo *suprà n.* 168. & non solùm est *manifestè falsam, sed non immeritò à nonnullis temerariam ad minus censeri*, dicit Bardi *loco citato n.* 59. ubi pro hac censura adducit Portelium *tom.* 3 *Respons. moral. casu* 50 *nu.* 17. & sexta Congregatio Generalis Societatis Jesu, *decreto*, 5. prohibuit, *ne ullus ipsorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam sententiam tenere*, quod & præceperunt Rever. P. P. Generales, & ab omnibus inviolabiliter observatur.

§. IV.

Adversariorum fundamenta enervantur.

29. AD primum respondeo Illustrissimum Commissarium Cruciatæ post decretum Urbani, non posse derogare privilegiis Prælatorum Regularium, ne subditi virtute Cruciatæ à reservatis absolvantur, nec posse aliter explicatè, seu interpretari Cruciatam; quia hæc facultas expressè aufertur ab illo per Urbanum VIII. his verbis: *Sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, declarando irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.*

30. Ad secundum juxtà hæc facile respondetur, in falsa suppositione fundari. Nulli enim Regularium post assumptam Bullam Cruciatæ revocatur privilegium eligendi Confessarium pro reservatis; sed ex vi ejus constitutionis, tale privilegium nulli Regularium postea concessum fuit, in Bulla Cruciata. Præterquam quod constitutio Urbani non fuit revocatio alicujus privilegii concessi Regularibus per Cruciatam, sed quædam juridica declaratio prædictæ Bullæ, & indulti in ea contenti: ac proinde opus non fuit, quod eleemosyna contributa singulis restitui juberetur. Nec quod modò assumentibus Bullam restitui jubeatur, ut à privilegio eligendi Confessarium pro reservatis, excludantur. Omitto, nonnullos sentire, privilegium onerosum revocari posse ex justa causa, etiam non soluta compensatione. Vide Palao *suprà tom.* 4. *tr.* 25. *punct.* 8.

31. Ad tertium respondeo, revocationem privilegii nulla Regularium acceptatione indigere, quia non versatur circa actiones subditorum, sed circa actionem legislatoris, declarando suam voluntatem in concessione privilegii, ut bene tradunt Palao suprà, & Garcia *de Beneficiis* 2. *p cap.* 5. *nu.* 68. ideòque tantùm requiritur, ejusmodi revocationem in Curia Romana publicari; & quod in notitiam privilegiati perveniat, ut docent Suarez *de legibus, lib.* 8 *cap.* 40. Vazquez, Azor, Tann. Ponc. Lorca, Filiuc. Granado, Salas, & alii duodecim Doctores, quos citatos sequitur Diana 1. *p. tract.* 10. *resol.* 8. & pro nostro casu ita expressè decernit Urbanus in sua Bulla dicens: *Has litteras sic publicatas (nempè Romæ) omnes, & singulas personas, ubique existentes ita afficere, ac si omnibus personaliter intimatæ essent.*

32. Ad quartum constat ex dictis, per constitutionem Urbani redditas fuisse improbabiles opiniones asserentes, per novam Bullæ confessionem, vel publicationem, revocari declarationes Pontificum antea factas circa clausulam eligendi Confessarium. Alias falsò dixisset Urbanus, post novam ab ipso, & ab aliis Pontificibus concessionem, & publicationem mortuo Clemente factam, Bullam Cruciatæ Regularibus *suffragari potuisse*; & simulatè etiam dixisset, *non sine animi molestia sibi innotuisse*, Regulares prætextu ejusmodi opinionis uti facultatibus Cruciatæ.

33. Dices: ante constitutionem Urbani VIII. præcesserat constitutio Clementis VIII. declarans, Bullam Cruciatæ non prodesse Regularibus quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis; & tamen plures, & gravissimi Doctores suprà citati defensabant, posse eligi virtute Cruciatæ postea publicatæ, vel de novo ab eodem Pontifice concessæ, vel saltem ab ejus successoribus: sed eadem, quæ tunc fundamenta modò extant post decretum Urbani: ergo & eadem probabilitas extrinseca & intrinseca. Respondeo breviter Sum. Pontificem Urbanū VIII. non solùm declarasse Bullam Cruciatæ non habere locum cum Regularibus, ut fecerat Clemens, sed *neq; habuisse, nec suffragari potuisse* post declarationem Clementis, sublata Commissariis facultate revocandi declarationem: Per quæ verba apertè declarat, prædictam opinionem fuisse falsam, omnique fundamento destitutam. Quod quidem satis expresserat Clemens VIII. ni adversarii cæcutire vellent, appellans præsumptionem, & prætextum usum Cruciatæ, postquam alii sui prædecessores oppositum declaraverant. Et magis hoc urget quoad Religiosos Societatis, quia Gregor. XIII declaravit, non esse, nec fore unquam mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, Cruciatam illis prodesse quoad prædictum articulum. Verbum enim illud *Sedis Apostolicæ* comprehendit Bullas à successoribus concedendas, ut benè expendunt Lugo, Mendo, Leander, & alii, ni oppositum ab illis exprimatur.

34. Nec fundamentum quod adducit Leander, de supplica Urbano facta per Commissarium Generalem Cruciatæ, potest vim nostri discursus labefactare. Primo, quia de illa non constat authenticè, nec majus fundamentum habet, quam ipsum affirmare, ita accepisse ab Illustriss. Arauxo. Secundò, quia illa admissa propter auctoritatem tanti viri non suffragatur opinioni contrariæ, quia vel facta fuit, ut revocaretur decretum Urbani jam publicatum, & vim obligandi habens, quale de facto extitit ex communi consensu Theologorum, vel ut non publicaretur, & sic ejus vis obligandi impediretur? Et neutrum obtinuit Commissarius, ut ejus silentium comprobat,

aliàs revocationem, vel suspensionem decreti Urbani publicasset, ut Regulares, ad subsidium suis eleemosynis ferendum bello, contra Ecclesiæ inimicos, excitarentur, & nullus in posterum ab usu Cruciatæ retraheretur.

35. Ad quintum respondeo, esse improbabile verbis legis standum, licet legislator extra legem dicat, se aliter intellexisse, si aliàs, ut in præsenti contingit, per aliam novam legem declaret priorem. Omitto opinionem illam in quocumque casu esse satis difficilem, quia, ut benè P. Suarez *de legibus, lib. 6. cap. 1. n. 16.* mens legislatoris utcumque sufficienter cognita est verbis legis præferenda: anima enim legis, intentio legislatoris est, ut docent communiter Theologi, & jurisperiti.

36. Ad sextum, omissis solutionibus P. Suarez, Cardin. de Lugo, & P. Bardi *suprà cap. 5. sect. 2. §. 3. nu. 55.* fateor, me congruam rationem non invenire, cur Pontifex, cum id facilius esset, non exceperit expressè in Cruciata Regulares, quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis. Hoc tamen removere nos nequit ab opinione præfixa, nec quis cordatus aliud sentire potest, ni imprudenter, & temerè asserat, Pontificem fideles decipere in re gravissima ad mores & animarum salutem pertinente, dum Apostolica auctoritate declarat, Bullam Cruciatæ quoad prædictum articulum Regularibus *suffragari non potuisse, nec posse*. Hæc enim propositio, & declaratio à perniciosissimo mendacio excusari nequiret, si Bulla Cruciata Regularibus suffragari potuisset, & posset. Quis autem Catholicos talia proferre audebit?

37. Maneat igitur omnino certum, decreta, & constitutiones Sedis Apostolicæ circa clausulam Bullæ Cruciatæ, aliorumquè indultorum in generali concedentium facultatem eligendi Confessarium pro reservatis, Regularibus nullo modo suffragari posse, ut sua constitutione perpetuo valitura Sedes Apostolica declaravit. Quapropter, si posteà Pontifex intendisset, Regularibus concedere privilegium Cruciatæ quoad prædictum articulum, deberet illos exprimere, ut de ejus intentione sufficienter constare posset; & ita videmus exprimi in Jubilæo anni Sancti, quod singulis 25. annis, & jam frequentius ex aliqua urgentissima Ecclesiæ causa concedi solet (& Religiosis omnibus, etiam Societatis suffragatur, ut benè notat Mendo *suprà sect. 15. n. 170.* quia in eo derogatur privilegiis quibuslibet Religionibus concessis.) Ex quo etiam planè colligitur, Pontificem non intendere Regulares comprehendere, dum eorum in specie non meminerit: quando enim aliud intendit, eorum expressam mentionem facit. Quibus non parum favet regula illa juris *in 6. cap. 2. de pœnitentiis, & remissionibus*. Sub clausula generali non comprehenduntur particularia, quæ non esset quis verosimiliter in specie concessurus.

38. Ex omnibus hucusque dictis concluditur, nullum Confessarium, etiam deputatum à Prælato pro subditorum confessionibus, posse absolvere Regularem exigentem virtute Cruciatæ absolutionem à reservatis. Quodsi aliquis ejus virtute absolutus fuerit, tenebitur confessionem reservatorum iterare, utpotè quæ, saltem directè, in præcedenti, remissa non fuerunt. Nec audiendus Joannes Martinez de Prado *ubi suprà*, dum *nu. 28.* ait: Dico tertiò, propter prædictas Pontificum constitutiones, ego nulli Regulari consulerè, quod uteretur Cruciata, quoad absolutionem à reservatis; tamen si de facto illa fuisset usus, non cogerem confessiones repetere, quia illam opinionem esse improbabilem penitus, non audeo asserere. *Sed falsò ut probavi. Et sibi non constare quia in eodem tom. 1 cap. 1. de Consentia, quæst. 10. nu. 18.* ex professo probat, & defendit per solidissima *non licere sequi opinionem minus probabilem, & manutenentem* inconsequenter ergo modò asserit, licere pœnitenti opinionem *non penitus improbabilem*, & mentutam amplexari.

39. Est tamen advertendum, quemcumque Confessarium, semel auditâ peccatorum confessione, teneri sub mortali quantum in se fuerit, impetrare superiore facultatem ad absolvendum (ni aliunde pœnitens non ægrè ferat alteri confiteri) nam cum Confessarius possit, obtenta facultate superioris, Regularem absolvere, grave illis onus injungeret, obligando, ut alteri confiteatur. Advertenter dixi *audita confessione*, nam aliter ad id non tenetur, nisi forte ea Religione, & cum eo confessario, cui idem esse dicere, indigeo tibi confiteri, ac in reservatum incidi: in tali enim eventu, ex charitate saltem teneretur, quia eadem videretur militare ratio, ac si confessionem excepisset.

QVÆSTIO IX.

An Confessarius possit credere pœnitenti dicenti se habere licentiam à Superiore, ut à reservatis absolvatur?

1. CAsus curiosus, ejusque resolutio communi plausu recipienda, quia communis Doctorum sententia affirmativè respondet. In Abbas, Bonifacius, Stephanus, & Immola in Clement. 1. *de Privilegiis*. Henricus *cap. Omnis de Pœnit. & remission. n. 25.* Angelus *verb. Confess. 3. n. 32.* Sylvest. ibidem *1. q. 17.* Armilla *ver Absol. nu. 2.* quos sequitur Thom. Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 37. num. 1. & 2.* Fundamentum est, quia pœnitenti in foro confessionis, pro se, & contra se credendum est, ut ex eodem Sanchez, Henriquez, & aliis docet Sanctius *in Select. disput. 7. numer. 1. & disp. 9. numer. 7.* & patet ex dictis *disp. 7. q. 51.* juxta mentem D. Thomæ, & aliorum. Poterit igitur Confessarius credere Regulari, vel cuivis alteri asserenti, habere à superiore licentiam, ut absolvatur à reservatis; & consequenter absolutionem impertiri. Addo, auditis peccatis, adhuc mortali teneri, juxtà dicta quæstione præcedente: nam quoties Confessarius potest licitè absolutionem impendere, ad illam exigendam habet pœnitens jus, ut alibi diximus ex communi Doctorum, quæ sequitur Sanctius *in Select. disp. 33. in fin.*

2. Hanc doctrinam ego limitarem in Societate, si qua alia est Religio, in qua non sit in usu committere subditis facultatem, ut pro libito eligant Confessarium pro reservatis. In his enim moraliter certum est, pœnitentem non habere licentiam à Superiore Religionis, sed opinioni Bullæ Cruciatæ innixum absolutionem exigere; quam quidem opinionem, cum Confessarius ex Pontificio decreto sciat, audita confessione, ex principiis extrinsecis probabilitatem adhuc habere, non poterit virtute Bullæ absolutionem impendere, sed tenebitur, ignorantiam pœnitentis, quantum possit, auferre, & declarare, si non possit, [illam]

lum absolvere. Quod si de licentia pœnitentis dubitans, intendat, ut debet, in quantum possit absolvere: & Sacramentum validum sit, eò quod pœnitens inter reservata confitetur simul, bonâ fide, alia peccata, ad quæ confessarii jurisdictio extenditur, tenebitur pœnitens, veritate compertâ, coram superiore, seu ejus delegato comparere. Quia indirectè tantùm à reservatis absolutus est.

QVÆSTIO X.

An confessarius, qui opinionem Bullæ Cruciatæ probabilem existimaret, posset absolvere Regularem eiusmodi privilegii omninò ignarum, vel eo uti nolentem.

1. CUm aliqui sint Confessarii, proh dolor! qui aliorum, quos doctos reputant dictis inhærentes, probabilem à principiis extrinsecis judicent opinionem Cruciatæ pro Regularibus quoad articulum eligendi Confessarium pro reservatis. Restat adhuc singularis difficultas, an ex suppositione, quod talem opinionem probabilem existimaret Confessarius, posset absolvere Regularem penitus, se habere privilegium ad eligendum Confessarium, quod contingere posset, vel quia revera pœnitens non assumpserat Bullam, sed Confessarius pro illo omninò inscio, vel quia licèt Regularis Bullam susceperit; putat tamen improbabilem opinionem, sibi faventem: vel si probabilem judicat, non tamen vult adeò anticipati privilegio absolutionem obtinere. In his ergò circumstantiis præsens difficultas procedit, quam apud nullum exagitatam reperio.

2. Pars negativa suaderi videtur. Primò, quia privilegium non prodest privilegiato, priusquam de illo notitiam habeat, ut asserunt communiter Doctores, quos refert & sequitur Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 36. n. 2.* & quando privilegium non conceditur ad instantiam privilegiati, sed motu proprio, vel alio pro ipso exigente; est res magis certa, quam cum Sylvestro tenet Vazquez *1. 2. disp. 156. cap. 4. n. 33.* & supponunt Angelus, Sotus, Veracruz, Lopez, & alii, apud Sanchez *suprà nu. 1.* Suadetur secundò, quia Pontifex nulli communicat jurisdictionem ad absolvendum virtute Bullæ, nisi media voluntate pœnitentis, cujus hoc privilegium eligendi proprium est; nam privilegiatus non cogitur uti suo privilegio, & multò minùs, quando ejus usus in aliquod ipsius detrimentum verti posset. Ergò dum Confessarius non eligitur à pœnitente virtute Cruciatæ, nullam accipit à Pontifice jurisdictionem: sed pœnitens privilegii Cruciatæ ignarus, vel eo uti nolens, non eligit Confessarium virtute Cruciatæ ad absolutionem reservatorum: ergò nequit Confessarius ejus virtute à reservatis illum absolvere: & ita tradere videtur Suarez *lib. 8. de legibus, cap. 25 n. 10. & 23.* cui cum Joanne Sancto, & Gaspare Hurtado consentit Oviedo *1. 2. tract. de cons. cont. 3. p. 4. n. 43. & 44.* ratione periculi, cui pœnitentem exponit.

3. Nihilominùs pars affirmativa non videtur improbabilis; ac proindè si confessarius judicaret probabilem opinionem pro Regularibus, posset licitè virtute Cruciatæ pœnitentem ejusmodi privilegii omninò ignarum, vel eo uti nolentem à reservatis absolvere. Probatur primò, quia probabile est, privilegium prodesse privilegiato illud ignoranti, ut docent Archidiacon. Zinus, Alvericus, Paulus, Bonifacius, & alii Juristæ apud Sanchez *suprà num. 1.* Et de privilegiis remuneratoriis, quale est privilegium Cruciatæ, tradunt Sanchez *suprà num. 3.* Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 3. punct. 3. n. 15.* & alii apud ipsos. Præterquam quod, quicumque præsumitur acceptare Cruciatam à quovis alio pro ipso, licet inscio, assumptam, & per consequens saltem in genere, & implicitè omnia indulta, quæ in illa continentur.

4. Probatur secundò, quia eo ipso, quod pœnitens subditur confessario absolvendus, implicitè saltem vult efficaciter, eum habere jurisdictionem ad talem actum requisitam, & consequenter in quantum potest, vult ad illam concurrere, & quantum in se fuerit, eo modo, quo possit, confessario conferre, ne confessio fiat invalida: Ergò saltem implicitè vult acceptare, & uti quocumque privilegio, vel medio ad hunc finem consequendum requisito: ergò si privilegium Bullæ, etiam per alium assumptæ, possit ipsi prodesse, efficaciter desiderat, ejus virtute absolvi, casu, quo confessarius certiorem aliam jurisdictionem non habuerit. Patet consequentia, quia habens voluntatem alicujus actionis validè exercendæ, vel suscipiendæ, eo ipso habet voluntatem implicitam eorum, quæ ad prædictum actum validè exercendum, vel suscipiendum requiruntur, ut pluribus probat Lugo *disput. 15. de Pœnit. sect. 6. num. 119.*

5. Tertiò tandem probatur, quia si ex aliquo capite id non liceret confessario, maximè, quia se exponeret periculo irritandi Sacramentum; sed hoc non sequitur, ergò, &c. Minor probatur: quia eo ipso quod pœnitens simul cum reservatis confiteatur alia non reservata, certus est confessionis valor, eò quod Sacerdotis jurisdictio in aliquam materiæ partem certa sit: ergò si aliundè ex probabili jurisdictione circà reservata ab illis absolvat, omninò certa, & tuta erit absolutio, ut docent Suarez, Bonacina, Diana, Granado, Palao, uterque Sanchez, Turrian, Lessius, Malderus, & alii, quos sequitur Lugo *disp. 19 sect. 2. nu. 18.* Quod autem Sacerdos ex opinione probabili absolvens, non solùm non delinquat contra Religionem, sed nec contra Charitatem, benè probat cum pluribus Lugo *suprà num. 30. & 33.* Et hoc procedere, quamvis minus probabilem, minusquè tutam sequatur, tradit Leander *disp. 11. q. 79.* & tenent apud illum Sanchez, Vazquez, Villalobos, Salas, Bonacina, & alii. Imò addit Suarez *disp. 26. sect. 6. n. 9.* absolutionem fore validam, licèt confessarius certò sciret, se non habere jurisdictionem in reservata: sed in hoc casu graviter peccaret absolvens. Nihil igitur est, quod obstare possit, seu impedire valorem absolutionis, neque illam, modo quo suprà collatam, reddere illicitam.

Fundamenta partis oppositæ, ex dictis, sufficienter soluta manent.

(*)

QVÆSTIO XI.

An petitâ, & non obtentâ facultate absolvendi à reservatis, possit Confessarius ab illis directè absolvere?

1. SI hæc licentia negetur Confessario domus, pro subditorum confessionibus deputato, certum est, eum posse pro illa vice pœnitentem absolvere: ita enim expressè decernitur ab Urbano VIII. & habetur *in 4. tom. Bullarii, folio* 237. & prius decreverat Paulus V. cujus decisionem refert Malderus *in Sum. verb. Relig. num.* 44. An verò clausula ea *pro illa vice* intelligenda sit pro una vice tantùm? Respondet Alphonsus de Leon apud Dianam *p. 3. tract. 2. resol.* 126. hoc non esse certum, & probabile esse pro pluribus vicibus valere, docet novissimè F. Ludovic. à Concept. *tom. 2. examin. tract. 1. §. 1. litt. A.* Sed melius Tamburinus, apud Dianam oppositum tenet, quia respectu ejusdem pœnitentis hæc videtur Pontificis mens, saltem si longum tempus non interfluxerit: si enim quinque, aut sex menses, non aliter de hoc pœnitente, quam de aliis nunquam absolutis, ex vitalis indulti judicandum existimo.

2. Procedit igitur difficultas, quando licentia ad absolvendum petitur per alium, qui domus confessarius non est: an inquam petita, & non obtenta, possit à reservatis absolvere in casu necessitatis communicandi, aut celebrandi, quando nimirùm, absque infamia pœitentis hæc opera omitti non possent.

3. Prima sententia negat: quia iniquitas superioris negantis licentiam, non concedit jurisdictionem in reservata. Ita Suarez *disp. 27. sect. 4. conclus. 2.* Alens. Llamas, Navarra & alii, quos sequuntur Layman, *lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 3.* & Cardin. Lugo *disp. 20. num.* 148. Quapropter Doctores aliqui hujus sententiæ existimant, idem judicium ferendum esse de tali pœnitente, quod de non habente copiam confessarii; ac proindè urgente necessitate communicandi, vel celebrandi, posse contritum Sacramenta recipere, vel administrare. Ita expressè D. Thom. *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. ad 3.* per hæc verba: *Si licentiam habere non potest, quia illam superior negavit, idem est judicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis.* Quem sequitur Sotus, Cajetanus, Marsilius, Sylvester, Panormitan. Henriquez, Rodriguez, Candidus, & Bonacina, quos sequuntur Fagundez *infrà num.* 17. & alii apud Leandrum *disp. 12. quæst. 66.*

4. Secunda sententia affirmat, petita, & negata licentia pio, docto, & Religioso confessario, ad absolvendum à reservatis, posse ab illis directè absolvere, instante necessitate communicandi, vel celebrandi. Ita Henriquez *de Pœnit. lib. 3. cap. 13. nu. 4. & 6. & cap. 15. num. 6.* Manuel, Rodriguez *tom. 1. Sum. cap. 55. nu.* 10. Trullench *lib. 1. Cruciatæ, §. 7. cap. 2. dub. 2. nu. 5.* Naldus, *verb. Religios. num.* 44. Diana *3. p. tract. 2. resol.* 126. Quintanadvennas *tom. 1. singul. tract. 3. singul. 11.* Ludovicus à Concept. *2. part. examin. tr. 1. §. 1. litt. A.* & probabilem censent Leander suprà, & Fagundez *3. præcepto Ecclesiæ lib. 3 cap. 9. num. 17. in fine.* Imò Quintanadvennas, etiam extra casum necessitatis, probabiliter detur putare. Sic enim inquit: * probabile videtur id; tum maximè si ex præcepto, vel regula urget necessitas communicandi, * Particula enim maximè hoc planè indicat: sed malè pro hac parte adducit Henriquez, & alios, quia ipsi expressè loquuntur in casu necessitatis. Addit Quintanadvennas, hanc opinionem procedere, etiamsi superior concedat facultatem cum obligatione comparendi coram ipso: putat enim posse absolvere, quin subditus maneat obligatus ad comparendum, idemque remedium, inquit, quoties superior aditi nequit, & instat necessitas communicandi, pro qua citat Henriquez, Trullench, & alios

5. Probant hi Doctores, quia in prædicto casu illi superiores majores, nimirùm Generalis, vel Papa, censentur concedere facultatem ad absolvendum à reservatis. Ratihabitio autem de præsenti æquivalet concessioni, ut docent communiter Theologi apud Henriquez suprà *cap. 12. num. 13. & in glos. litt. S.* Urgetur, quia in casu necessitatis, & periculi animarum in mora, censetur Pontifex concedere Episcopo facultatem ad dispensandum in voto castitatis reservato. Ergò urgente periculo infamiæ pœnitentis, & scandali aliorum, si communionem omittat, censebitur etiam licentiam concedere, ut pius, & doctus confessarius ejusmodi Regulam absolvat, ne reservatio, quæ in bonum subditorum ordinatur, in eorum convertatur perniciem.

6. Probatur secundò, quia injustè negatur licentia in casu necessitatis, quando petitur per virum prudentem & doctum, sed licentia injustè negata habetur in jure pro concessa, ut cum Magistro, & D. Thoma docent communiter Doctores apud Henriquez suprà *cap. 13. num. 4. & in glos. litt. E.* Ergò. Propter hæc fundamenta, ultrà citatos hanc sententiam tenent plures apud Leandrum suprà, & probabiliter putat Trullench *in praxi lib. 4. cap. 9. dub. 8. num. 1.* etiamsi casus habeat annexam excommunicationem. Faciunt etiam pro hac parte Doctores absolutè & sine restrictione asserentes, superiorem teneri concedere facultatem subdito per alium petenti, licet nullum damnum extrinsecum timeat ex confessione talis peccati suo Prælato facta, sed solum eluctari conetur confiteri ob erubescentiam, vel timorem amittendi apud ipsum bonam famam, quod tenent Sotus, Ledesma, Sylvester, Angelus, Victoria, Navarr. & D. Thom. apud Suarez *de Pœnit. disp. 3 sect. 4. num. 4.* quia si tenetur concedere facultatem, injustè negat.

7. Quis autem ad prædictum effectum, censendus sit confessarius pius, prudens, & doctus, non omnes conveniunt. P. Fagundez *3. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 9. num. 17.* cum Sylvestro respondet illum esse, qui approbatus est, & expositus ad confessiones audiendas. Idem sentiunt Diana *3. part. tract. 2. resol. 26.* & Trullench. *in praxi, lib. 4. cap. 10. dub. 9. nu. 11.* Probat Fagundez, quia prædictus confessarius sufficit ad expediendas litteras Apostolicas, quarum inscriptio est: *Pio, & docto Magistro, vel Theologo.* P. Quintanadvennas suprà *tract. 3. singul. 11.* virum prudentem, religiosum, & doctum illiteratum censendum existimat, qui in Regulatium confessariū eligi valeat à Prælato, licet de facto non ab ex designatis, cui consentit P. Tancredi *in qq. moral. disp. 3. quæst. 41. in fine.*

§. UNICUS.

Proprium placitum exponitur.

8. ASsertio prima sit: opinio secunda, ut hic proposita, disciplinæ Religiosæ valdè perniciosa est; nam si quilibet Religiosus approbatus ab Ordinario ad confessiones exterorum, ut supponunt Fagundez, Diana, & Trullench, posset absque licentia Prælati, ea priùs petita, & non obtenta, à reservatis absolvere, non minor Religiosæ observantiæ jactura ex hujus opinionis praxi immineret, quam ex usu Bullæ Cruciatæ, cùm rarissimè inveniatur in Conventu, vel Collegio, Religiosus Sacerdos, qui approbatus non sit ab Ordinario ad confessiones: nullus igitur erit, qui petitâ, licèt non obtentâ facultate, non possit Regulares à reservatis absolvere. Jam verò, si omnibus id licet, ad quid concessio illa, & singulare privilegium confessario domus concessum à Paulo V. & Urbano VIII. ut petitâ, & non obtentâ licentiâ, possit *pro illa vice* à reservatis absolvere? Non est igitur fundamentum ad præsumendam facultatem Pontificis, neque aliorum superiorum Religionis ex eo præcisè, quod Prælatus inferior pio, & docto confessario licentiam denegaverit.

Assertio secunda: difficilis mihi est sententia expressa S. Thomæ, Sylvest. Bonacinæ, & aliorum suprà asserentium, deficere copiam confessarii, quando superior Regularis non vult concedere prudenti, & docto confessario licentiam, ut subditum à reservatis absolvat, ac proindè in tali eventu posse urgente necessitate, non præmissâ confessione, celebrare, vel communicare contritum. Hoc, inquam, capere non possum, quia superior jure potest cogere subditum, ut coram ipso pro absolutione compareat, vel facultatem petat per alium Sacerdotem, de quo superior majorem habeat satisfactionem: hoc enim importat, peccatum esse reservatum superiori; non posse ab alio absolvi, nisi ab ipso, vel ab eo, cui suam ipse deleget jurisdictionem. Cur igitur dicendum est, non esse copiam confessarii, quando adest superior, vel alius Sacerdos, quibus absque ullo extrinseco damno, potest pœnitens confiteri?

10. Urgetur ex decreto Clementis VIII. *de casuum reservatione*, §. 2. ubi sic ait: *Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte ab eis id petierint.* Supponit igitur Pontifex, superiores posse audire confessionem subditi habentis reservatum, licèt subditus non sponte velit: ergò supponit ex vi reservationis posse cogere subditum, ut coram ipso compareat, pro absolutione reservatorum: ergò ex eo, quod superior neget facultatem pio, & docto confessario, non ideò censendus est subditus non habere copiam confessoris, ut possit contritus communicare, sed tenebitur, vel confessionem præmittere, vel communionem omittere: idque tenendum saltem quoties superior justè licentiam negat, ut alteri confiteatur, vel ne illi, per quem de facto licentia petitur. Undè nescio, quo fundamento dixerit Fagundez apud Lugo *disp.* 20. *sect.* 4. Clementem VIII. prohibuisse, ne superior audiat confessionem subditi habentis casum reservatum: quod benè impugnat Lugo *num.* 41. & est apertè falsum.

11. Pro resolutione igitur hujus quæstionis, notandum est ex duplici capite provenire posse, quod facultas petita denegetur injustè. Primò, ex eo, quod subditus habeat ex parte sui rationabilem causam excusantem à præmittenda confessione casus reservati coram superiore, vel alio confessario, cui ipse committit: qualis esset, si grave damnum extrinsecum confessioni timeret; v. gr. quòd eam revelabunt, vel ejus notitiâ abutentur in damnum ipsius pœnitentis. Secundò, ex eo, quod licèt hæc deficiant, ac proindè maneat subditus jure divino obligatus confiteri superiori, vel alteri ab eo delegato; nihilominùs præ verecundia, & propriâ fragilitate adeò detinetur, ut superior prudenter timeat grave detrimentum spirituale subditi, si facultatem petitam deneget, v. gr. quod tacebit peccatum in confessione, vel nimiùm illam differet, vel licentiam peccandi capiet. In hoc, inquam casu, injustè negatur facultas, ut cum D. Thom. Sylvestro, Navarro, & Filliucio docet Trullench *in praxi, lib.* 4. *cap.* 10. *dub.* 9. Nam licet subditus sit sibi causa hujus damni, superior tamen ex suo munere debet illud impedire, & non abuti potestate, & jure reservationis, quæ ad bonum pœnitentis, & non ad ejus destructionem ordinatur.

12. Hæc autem superioris obligatio ex secundo capite orta non opponitur cum obligatione, quam jure divino habet pœnitens confitendi superiori, vel alteri, de ejus licentia; aliàs sola verecundia, solusque timor amittendi bonam opinionem, apud confessarium, excusaret subditum à confessione ante communionem præmittenda cum superiore, vel alio, cui ipse commiserit: quod prorsùs falsum est. Subditus enim, ut benè docent Suarez *disput.* 30. *sect.* 5. *nu.* 10. & Vazquez *quæst.* 93. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. & est *text. in cap. si Episcop. de Pœnit. & remiss. in* 6. tenetur jure divino confiteri proprio pastori, si ipse nolit suam jurisdictionem alteri committere: à quo præcepto non excusat verecundia, aliàs in exiguo oppido, ubi unus tantùm est Sacerdos, omnes ferè Parochiani, non præmissâ confessione, possent communicare, quoties absque scandalo communionem omittere non possent; rari enim sunt, qui hac verecundia, & timore amittendi bonam opinionem apud confessarium non afficiantur.

13. Imò poterunt facere confessionem non integram, omittendo peccatum, de quo erubescunt, quia non magis urget præceptum de integritate, quàm de præmittenda confessione ante communionem, valdeque familiare est apud Theologos, ut in eisdem casibus, quibus alii docent, posse pœnitentem non præmissâ confessione mortalis, communicare; docent alii, posse omittere in confessione prædictum peccatum. Rectè igitur stat, superiorem peccare mortaliter, si nolit, facultatem absolvendi alteri concedere; & tamen quod subditus teneatur proprio pastori confiteri, ac per consequens, quod graviter delinquat, si habeat propositum non confitendi, si superior talem facultatem deneget.

14. Ex his assero tertiò: quoties superior negat injustè, hoc secundo modo, licentiam absolvendi subditum à reservatis, potest confessarius, ex præsumpta de præsenti facultate aliorum superiorum, illum absolvere. Convenio in hac conclusione cum secunda sententia, propter fundamenta ibi adducta.

Et pro-

Et procedit etiamsi superior committat alteri facultatem absolvendi, quia irrationabiliter obligat pœnitentem, ut alteri se prodat, cùm possit alius confessarius, utpotè probus, & doctus æquè, & benè saluti spirituali subditi prospicere. Idemque dicendum est, licet facultas petereturper confessarium juvenem, & non benè moratum, seu talem, qui non posset ad confessiones subditorum deputari, casu quo superior certior factus de verecundia, & nimia difficultate pœnitentis prudenter timere possit, licentiam negatam, in damnum potiùs, quàm in subditi spirituale commodum vertendam. In hoc enim eventu, eadem, quæ suprà, militat ratio, ad licentiam aliorum Prælatorum præsumendam.

15. Assero quartò, si superior probo, & docto confessario neget injustè licentiam absolvendi subditum, aliàs excusatum à præcepto divino confitendi superiori propter damnum extrinsecum, quod timet, & confessarius nolit illum absolvere; poterit urgente necessitate communicare, vel celebrare contritus. Et fortè nil aliud contendunt D. Thom. & sequaces. Ratio est, quia nequit omittere sine nota communionem, & non habet copiam confessarii. Si autem Sacerdos velit illum absolvere, poterit eidem confiteri, imò, & tenebitur ei, vel alteri, quem superior designaverit, si nullum ab eo damnum extrinsecum timeat. Nec aliter poterit communicare, cùm nequeat elicere actum contritionis, in sensu composito cum proposito non confitendi cum aliàs teneatur.

16. Hæc ratio planè etiam evincit, non posse urgente necessitate communicare, non præmissâ confessione, subditum, cui superior non habenti legitimam causam excusantem ab obligatione comparendi coràm superiore, vel ejus delegato, nolit, etsi injustè, concedere facultatem confitendi alteri: nam cùm subditus sub mortali teneatur confiteri; non potest actum contritionis elicere, non adimplendo præceptum, atque adeò si confessarius noluisset illum absolvere, teneretur, vel omittere communionem, quantumvis urgente necessitate, vel suo Prælato parere; quod si Prælatus cognitâ pertinaciâ, & obstinatione subditi, fragilitati humanæ, ut debet, condescendat, facultatem concedendo, ut absolvatur; curet confessarius, eum ritè disponere, exhortando ad concipiendum dolorem de peccato pravæ intentionis non confitendi Prælato, nec alteri, cui ipse commiserat, & ad propositum saltem generale de cætero non peccandi.

17. Debent autem superiores in ejusmodi concessione facultatis se faciles præstare, ut ex communi Doctorum tenet Trullench suprà, & aliter peccare mortaliter, docent Henriquez, Sylvester, Panormit. Rodriguez, & alii, quos sequuntur Fagundez suprà, Sotus, Angelus, & Armilla apud Turrianum *disp. 31. de Pœnit. dub. 38.* Audiant, obsecro, modestissimum P. Suarez apud Fagundez suprà: *Crudele*, inquit, *Tyrannicum, & plenè periculosum est velle, & ordinare superiores antecedenter, ut subditi ipsis confiteantur.* Et infrà asserit, id velle & ordinare, * quando moraliter cogunt subditos, ut sibi præsententur, vel confiteantur. * Quibus verbis, ait Fagundez, clarè supponit Suarez peccare mortaliter superiores eam licentiam denegando.

18. Sed ne aliquis existimet, superiorem nunquam posse absque peccato, licentiam denegare; assertio quinta sit. Superior potest justè negare facultatem subdito, ut alteri confiteatur, vel ne confessario, per quem licentiam petit; quoties id bono pœnitentis expedire judicaverit. Ita expressè P. Suarez *disp. sect. 4. num. 4. & 11.* Sylvester, Sotus, Filliucius, Nacina, Coninch, & alii, quos citatos sequitur Trullench *in praxi, lib. 4. cap. 10. dub. 9.* quibus consentit P. Henriquez *cap. 13. citato num. 6.* dicens: quod interdum, si frequentior esset reincidentia, posset prudenter negari: dubitari enim non potest, quin totiès posse Prælatos prudentissimè timere, concessionem hujusmodi facultatis non futuram melem pœnitenti, sed potiùs occasionem scandali, & reincidentiæ in similia peccata, Idque tunc maximè, quando facultas per confessarium, qui nec pro subditorum confessionibus deputatus est, nec pro ætate, & moribus capax, ut deputetur.

19. Addit Suarez suprà *num. 8.* superiorem non solùm posse, sed debere negare facultatem, quando hoc necessarium fuerit ad aliorum perniciem, & grave damnum vitandum, etiamsi subditus male usurus sit tali medicinâ; quia tunc tenetur subditus suam conscientiam ei aperire, qui sibi, & aliis prodesse potest, & non obesse; ac proindè si aut, non est sufficienter dispositus ad confessionem; nec facultas alteri confitendi potest ei utilis esse.

QVÆSTIO XII.

Utrùm inferior Sacerdos possit, nulla urgente necessitate, absolvere reservatis, cum onere comparendi coràm superiore?

1. Quæstio procedere potest, vel de absolutione directa, vel de indirecta. Absolutio directa à reservatis ea dicitur, quæ ex jurisdictione à superiore delegata confertur, sive absolutè, sivè cum onere comparendi: ita ut nullatenus habita materia, præter reservata, possit subditum illis absolvi; ut ex communi Doctorum tradit Henriquez *lib. 3. de Pœnit. cap. 15. num. 2.* Absolutio vero indirecta dicitur, quæ impenditur à Sacerdote non habente jurisdictionem in reservata, sed in alia peccata, à quibus directè pœnitentem absolvit, & consequenter à reservatis, eò quod unum mortale sine alio remitti non possit. Undè fit, reservata in alia confessione subjecta non aliter per eam absolutionem remitti, quam peccata mortalia oblita, & per consequens, debere ex præcepto divino iterùm legitimo judici confiteri. Si de absolutione directa quamur, certum est apud omnes, non posse ab inferiori Sacerdote, non urgente necessitate, impetri; aliàs per reservationem non tolleretur jurisdictio in reservata, sed solùm limitaretur ad absolutionem sub onere comparendi; quod manifestè repugnat Tridentino dicenti, Sacerdotes inferiores non posse circà reservata, ut constat *ex Sess. 14. cap. 11. can. 11.* Ubi anathemate percutit dicentes: *Quemvis reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat.* Difficultas igitur solùm procedit de absolutione indirecta; nempè quando peccatum simul cum reservatis alia peccata confitetur, in quibus aliis deficientibus, certa est Sacerdotis jurisdictio, & dubium tamen ratione concurrentiæ veritur, an tem quoad licitum ejus usum. His positis,

2. Pri-

2. Prima sententia asserit absque ulla necessitate, & rationabili causa, absolvi posse à Sacerdote approbato cum onere, ut pœnitens sola reservata superiori, aut ejus delegato postea confiteatur. Ita sentiunt Toletus, Sylvester, & alii, quorum sententiam referens, non improbat Diana 3. *part. tract.* 4. *resol.* 8. Et pro illa stare videntur D. Thom. Ledesma, Paludan. Richard. Gerson, & alii apud Henriquez *lib.* 3 *cap.* 12. *in gloss. litt. T.* quia non exprimunt, requiri causam; sicut neque plures alii, quos adducit Suarez *disp.* 31. *sect.* 2. *nu.* 1. Item Henricus, Medina, Viguerius, Angelus, & Gabriel apud Luisium *disp.* 31. *de Pœnit. dub* 3. & hanc opinionem, quando pœnitens non est adstrictus excommunicatione reservata, amplectuntur Navarr. *de Pœnit dist.* 5. §. *Captus, nu.* 12. & 13. Cajetanus *in Sum. verb. Confessio, condit.* 10. & alii apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *puncto* 5. *num.* 5. & putat probabilem Trullench *in praxi, lib.* 4. *cap.* 10. *dub.* 8. *num.* 2. Hujus opinionis aliud fundamentum non reperio, quam per hujusmodi absolutionem indirectam non tolli, nec cessare reservationem peccati, cùm adhuc maneat pœnitens cum obligatione comparendi coram superiore; & aliunde aliam adhibeat materiam, suprà quam directè cadat absolutio, ne frustretur Sacramentum.

3. Verùm si probabilis esset alia opinio, quam ex Cornelio, & aliis retulimus, *tract.* 4. *de Sacram. quæst.* 5. *num.* 2. asserens, absolutum indirectè à mortalibus posse ad communionem accedere; multum ex praxi præsentis opinionis, jurisdictioni superiorum derogaretur, & non levi religiosæ disciplinæ jactura; quia per integrum annum posset subditus absque ulla causa confiteri reservata inferiori Sacerdoti cum onere comparendi in fine anni coram superiore aut ejus delegato. Sequela probatur, nam ex una parte præceptum confitendi proprio pastori semel tantum per lebligat in anno, & ex alia ad communionem solum tenetur pœnitens suam justificationem certam facere per confessionem, quod in præsenti eveniret. Nec obstat, Sotum, Ledesmam, & Henriquez suprà citatos asserere, sic absolutum teneri statim, ac commodè possit superiori præsentari: quia id gratis dicitur, nam ut suprà cum pluribus docuimus, laicus, qui solâ contritione præmissâ in aliquo casu communicavit, non tenetur, quamprimum possit confiteri: ergò idem dicendum est de illo, qui per confessionem aliorum peccatorum justificatus ad communionem accessit. Propter hæc.

4. Secunda & vera sententia negat, Sacerdotem inferiorem posse licitè, sine licentia superioris, absolvere à reservatis, etiamsi cum onere comparendi, non existente rationabili causa, nempè celebrandi, aut communicandi, quando absque scandalo, & infamiæ nota, omitti non possent. Ita cum Soto, Cano, Durando, & aliis sentit P. Suarez *disp.* 31. *sect.* 2. *num.* 3. dicens, sic intelligi debere Doctores in contrarium adductos, & oppositam opinionem non posse cum probabilitate, & securitate in praxi servari. Probatur: quia confessio jure divino debet esse integra: ergò debet esse accusatio omnium peccatorum coram legitimo judice; sed illa confessio, de qua loquimur, magna ex parte non esset accusatio coràm legitimo judice, cum Sacerdos, ut ponimus, non habeat jurisdictionem in omnia peccata sibi subjecta: ergò sicut absque causa urgente nequit confessio fieri non integra, ita neque coram Sacerdote, non habente jurisdictionem in omnia peccata.

5. Confirmatur, quia aliàs posset etiam confiteri sola non reservata, tacendo reservata, ut posteà superiori confiteatur. Quod licèt probabile putent Alensis, & Petrus de Soto apud Suarez suprà, reverà non est, ut benè Suarez *num.* 5. tametsi Doctores isti consequenter ad sua principia loquantur, quandoquidem idem est confiteri reservata non habenti jurisdictionem, ac non integrè confiteri. Confirmatur secundò, quia aliàs pœnitens habens venialia, & mortalia posset confiteri simplici Sacerdoti non approbato cum onere comparendi coram approbato pro absolutione mortalium. Et similiter posset ei confiteri sola venialia cum proposito, & onere confitendi mortalia, etiam reservata legitimo superiori, quod prorsùs falsum, & inauditum est.

6. Si autem fortè pœnitens reservata simul cum non reservatis bonâ fide confiteatur, judicans sibi sufficere propositum comparendi coràm superiore, valida foret absolutio, quia ex una parte, ratione bonæ fidei, esset confessio illa formaliter integra, & ex alia Sacerdos habet jurisdictionem in aliquam partem materiæ, ac proindè etiamsi mala sui fide, absolutionem conferat, valida erit. Ita Suarez suprà cum Navarr. & Cajetano, dicens, esse sententiam communem, quam tenent plures apud Henriquez *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 1. quandò peccatum non habet annexam excommunicationem reservatam. Vide, quæ diximus *sup quæst.* 5.

7. Sed quid si illam habeat? Aliqui Doctores existimant, nullo modo posse, quantumvis urgeat necessitas communicandi, absolvi indirectè à peccatis, posse verò ad vitandum scandalum communicare, vel celebrare contritum. Ita Sotus, Valentia, & alii apud Bonacinam *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 7. *puncto* 5. §. 3. *num.* 8. & est ferè communis inter Theologos, quorum plures refert Joannes Santius *in Selectis, disp.* 32. *nu.* 11. Eorum fundamentum est, quia non ablata excommunicatione, pœnitentis absolutio à peccatis est invalida.

8. Verùm contraria sententia probabilior est, quam tenent Henriquez *suprà num.* 7. Suarez *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 6. Coninch *disp.* 8. *dub.* 13. *num.* 106. Bonacina suprà, & putat probabilem Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 104. *in fine.* Probatur, quia etiamsi peccatum habeat annexam excommunicationem reservatam, potest pœnitens in casu necessitatis, ut concedunt adversarii, præmissâ tantùm contritione, communicare, vel celebrare: ergò, eâdem urgente necessitate, poterit confiteri Sacerdoti inferiori cum onere comparendi coràm superiore pro reservatis. Consequentia videtur certa; quia si scandalum vitandum excusat à præcepto divino confessionis præmittendæ ad communionem, ut ipsi volunt, cur non excusabit à præcepto divino confitendi proprio Sacerdoti, præsertim cùm maneat onus comparendi? poterit ergò non solùm indirectè, sed directè à reservatis absolvi. Secundò probatur: quia ratione urgentis necessitatis censetur Pontifex concedere facultatem absolvendi à reservatis cum onere comparendi coràm legitimo judice: ergò, eadem urgente, censebitur etiam concedere ad absolvendum à censura reservata sub eodem onere. Tertiò, quia valdè probabile est, excommunicationem se tenentem ex parte pœnitentis, bonâ fide accedentis, non invalidare absolutionem à peccatis, ut tradunt Navarr. Sotus, Covarruv. Cajetanus, Suarez, & alii apud Santium *sup. num.* 11. *citato.*

9. Addit Trullench *lib.* 1. *Cruciatæ*, §. 7. *cap.* 2. *dub.* 2.

dub. 2. num. 5. posse cum prædicto onere absolvi, quamvis non sit alia necessitas, quam utilitas magna communicandi, vel celebrandi in festis, in quibus solet ex speciali devotione. Quod deficiente excommunicatione, tenet etiam Henriquez cum Ledesma & aliis *lib. 3. cap. 12. num. 5. in glos. litt. Y.* Addunt alii seclusâ necessitate communicandi posse subditum non valentem recurrere ad superiorem, confiteri cum inferiore, exprimendo, vel subticendo reservata, ne multùm differat confessionem, aut communionem. Ita cum Suarez *de Pœnit. tom. 4. in 3. par. sect. 2. num. 7.* & cum Granado *in 3. p. controvers. 7. tract. 9. disp. 5. sect. 3. nu. 22.* tenet Diana *5 p. tract. 13. resol. 8.*

10. Sed quid si superior in crastinum adiri possit? P. Mendoza *2. 2. disp. 84. sect. 7. §. 190.* Videtur posse, nec debere hominem noctu ad sonum accedere in peccato mortali, sine confessione. Nihilominùs non audet decernere. Mihi verò sufficiens causa videtur ad præsumendam voluntatem superioris, ut absolvatur cum onere comparendi, & ita expressè tenet Caramuel *in Theologia fundament. in prima edit. num. 1301. fol. mihi 651.* & iterùm in secunda *num. 1856.*

11. Addit Marchantius apud Dianam *par. 9. tract. 7. resol. 11. §. ex quibus* habentem reservata, & non potentem adire superiorem, posse per inferiorem Sacerdotem directè ab eis absolvi in omni casu, ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat animarum. Quòd satis probabile, & tutum in praxi putat Diana suprà, quorum opinionem cum limitatione defendit Dicastillo *de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 11. dub. 17. num. 305.* quando scilicèt confessarius habet potestatem absolvendi à non reservatis. * Quia in casu, inquit, urgentis necessitatis, prudenter præsumi potest superior nolle pro eo esse reservata, quæ aliàs talia sunt. * Sic ille: cujus sententiam satis probabilem vocat Diana *part. 11. tract. 8. resp. 49.* Adverte tamen, peccaturum mortaliter subditum, qui ex industria differret confessionem usque ad horam, quâ prævider, præ angustiis temporis, aut aliis circunstantiis, confessarium non valiturum adire superiorem ad impetrandam facultatem absolvendi; quia ante communionem tenetur jure divino confiteri superiori, vel alteri de ejus licentia, atque adeò non se impotentem reddere ex industria.

12. Objicies: ergò qui habet venialia, & mortalia poterit, urgente aliquâ necessitate ex dictis, confiteri simplici Sacerdoti cum onere comparendi coràm approbato pro absolutione mortalium. Concedo sequelam, in quam valdè propendet Suarez *disp. 31. sect. 3. num. 9.* & satis probabilem videri, inquit Ægidius Coninch *disp. 8. dub. 13. n. 107.* Quamvis autem præfati Doctores certum putent, fore validam prædictam absolutionem, si bonâ fide pœnitentis conferatur; nihilominùs judicant verosimiliùs; esse illicitam, quia usus, & praxis Ecclesiæ ita videtur observare: non enim concedit facultatem confitendi simplici Sacerdoti, dum adest conscientia peccati mortalis. Si autem inquiras, cur concedat potestatem confitendi reservata Sacerdoti approbato, non habenti jurisdictionem in illa, cum onere comparendi coram superiore, & non concedat sub eodem onere facultatem confitendi mortalia simplici Sacerdoti? Id probat Suarez aliquibus conjecturis, quibus consentit Henriquez, *lib. 3. de Pœnit. cap. 12. n. 4.* sed me judice parum probant, ac proinde non satisfacit judico probabile. Undè in casu necessitatis poterit pœnitens confiteri mortalia simplici Sacerdoti cum onere comparendi coràm approbato, vel communicare contritus ob scandalum vitandum, juxtà diversas opiniones.

13. Non desinam hic adnotare singularem sententiam, quam tenet Crousers *in Regulam D. Francisci, cap. 7. lect. 22. fol. 697.* Ubi asserit, absolutum indirectè à casibus reservatis excusari ab obligatione iterùm confitendi, per ratihabitionem subsequentem superioris, id est, per factam approbationem, quæ quidem, ait, sufficiens est ad effectum tollendi obligationem confitendi iterum talia peccata. Cui consonare videtur Trullench *in praxi, lib. 4. cap. 10. dub. 9. n. 16.* Verùm oppositum docent communiter Doctores, & merito; quia per illam confessionem, utpotè non factam cum legitimo judice, & per absolutionem indirectam, non adimpletur præceptum divinum confessionis. A quo nequit superior subditum eximere.

14. Ex dictis in hoc capite, decidenda veniunt quæstiuncula alia legentibus non ingrata. An licèt habens casus reservatos, & non habens bullam Cruciatæ, nullâ urgente necessitate, posse confiteri Sacerdoti approbato cum onere assumendi Bullam, & eâ assumpta, coram illo, vel alio, quem maluerit ex approbatis, comparendi? Affirmativè respondere debent (quod est valdè notandum) quotquot asserunt suprà, licitum libitò pœnitentis, nullâ urgente necessitate, confiteri inferiori cum onere comparendi coram superiore, vel ejus delegato, pro absolutione reservatorum. Nos verò contrarii principiis inhærentes, oppositam sententiam consequenter defendimus. Asserimus verò cum Thom. Sanchez *tom. 1. Sum. lib. 2. cap. 13. n. 32.* absolutum ab aliquo reservato cum onere se præsentandi, si postea vel ejusdem, vel alterius indulti, iterùm absolvatur, manere liberum ab illo onere, nec teneri superiori se præsentare. Quia jam est directè absolutus per legitimum superiorem à Summo Pontifice delegatum.

(⁂)

QUÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An, qui reservata potest confiteri inferiori Sacerdoti, ad id teneatur ante communionem?

1. NOn disputo cum Doctoribus asserentibus, habentem casus reservatos, in nullo eventu, posse absque licentia superioris, nec directè, nec indirectè absolvi; sed tantùm posse in casu necessitatis, contritione præmissa, communicare, vel celebrare. Quod tenent Adrian. Richardus, Durandus, & alii, quos sequitur Vazquez *tom. de Pœnit. quæst.91.art.3.dub.9.n.27.& 28.& tom de Euchar. disp. 208.cap.2.num.7.* & alii apud Santium *in selectis, disp. 32.n.10.*

2. Procedit igitur quæstio cum his tantùm Doctoribus, qui nobiscum admittunt, licere in casu necessitatis confiteri Sacerdoti inferiori, cum onere comparendi, sive absolvatur directè à reservatis, ex præsumpta licentia superioris, ut sentiunt plures: sive indirectè tantum, ut vult Suarez *disp. 31. sect.3.* Rursus præsens quæstio solum procedit, quando non patet aditus ad superiorem, vel (quod perinde est) quando non potest illi fieri confessio reservati, sine gravi periculo, aut detrimento; quia si absque his incommodis possit à superiore peti absolutio, vel facultas confitendi alteri, nulla potest esse necessitas, ob quam inferior Sacerdos possit absolvere à reservatis, etiamsi cum onere comparendi, ut constat ex dictis *q.præced.* His positis: duo inquirimus. Primùm, An occurrente necessitate communicandi, vel celebrandi, si ad superiorem non possit recurrere, teneatur pœnitens habens reservata confiteri inferiori Sacerdoti? Secundùm: An etiam ipsa reservati, cum onere tamen comparendi? Videatur Machado *tom.1.fol.381.num.4.*

2. Prima sententia utrumque affirmat. Ita Henriquez, Suar, Fill uc. Bonac. quos citans sequitur Trullench *in praxi, lib.4.c.10 dub.8.n. 6.* quibus accedunt Vega, & alii apud Dianam *3.p.tract.4.resp.104.* Probat Trullench, quia jure divino præmitti debet ad communionem confessio omnium mortalium, quãdo talis confessio possibilis est, sed in præsenti, ut ponimus, est possibilis: ergo.

3. Secunda sententia asserit, pœnitentem, licet possit, non teneri confiteri reservata, sed sufficere, quod mortalia non reservata confiteatur. Ita Alex. Petrus de Soto, Angelus, & alii, quos sequitur Joannes Sanch. sup. Gerson, Victoria, Ledesmà, & alii apud Henriq. *lib 3.de Pœnit. ca 15.n.5.in glos. litt.I.* Et hãc sententiam esse probabilem & tutam in praxi, tenet cum pluribus Diana *2.p.tr.14.resp.65.* Quibus accedit Fill uc. in *tom 1 tr.4 c.6 n.213.* & plures Doctores, quos novissimè citat, & sequitur Fr. Leander hic *disp. 12.q.13.* apud quẽ illam tenent expresè Castro Palao, & Torreblanca, & putat probabilem cum Salas, & alis, Card. de Lug. *to.de Euch disp.14 sect.5.*

4. Assertio prima sit contra primam sententiam. Nullus tenetur confiteri peccata reservata cum onere comparendi coram superiore, vel ejus delegato. Ratio est, quia aliter obligaretur pœnitens bis confiteri idem peccatum, quòd nec jure divino est præceptum, nec humano præcipi potest, juxtà communem Theologorum sententiam. Ex quo fit, quod quando in Religionibus conceditur iter agentibus facultas eligẽdi confessarium pro reservatis cũ onere comparendi, nemo obligatur prædicta facultate uti, ut ex Suarez, & Lugo docuimus *sup q.4.n.5.in fin.* & cum Filliucio tenet Diana *resp.65.* Quapropter DD. affirmantes, subditum in prædicto casu teneri ad cõfessionem reservatorum, debent consequenter dicere, in casu necessitatis præsumi licentiam de præsenti concessam ad absolvendum directè à reservatis absque ullo onere comparendi: & ita, me judice, sentiunt aliqui, quos suppresso nomine refert Henriq *lib.3.c.13.n.9.* quod ipse non improbat: licet *n.10.in fine* asserat, in his, & aliis casibus se nil definire, contentum aliorum sententiam monstrâsse.

5. Et quidem inficiari non possum esse probabile, posse pœnitentem directè absolvi à reservatis absq; onere comparendi, quoties talis fuerit necessitas, ut posset contritus, nullo adstante Sacerdote, celebrare, vel communicare. Et ita expresè tenet D. Franciscus Verde in utroque jure Doctor *in opusc. pro Caramuele, q.12 p.7.§.40.n.633.fol.170.* dicens: * Hinc cum reservatio sit de jure humano, non potest prævalere integritati de jure divino requisitæ, & consequenter ut servetur integritas, cessat reservatio: Ex quo jam cognosci, quòd quotiescumque quis potest fateri peccata confessario, confessio non est dimidianda ob reservationem, sed directè est absolvendus, reservatione cessante, nam debet cessare, vel integritas. vel reservatio; non integritas, ergo reservatio.* Sic ille, cujus opinionem docuerat Dicastillo *tom. 2. de Sacram. tr.8.disp.11.dub.17.n.305.* Ubi asseruit, quòd si valdè difficilè sit adire superiorem, vel urgeat necessitas, peccatum non est reservatum. Et putat probabile Diana *p.11.tr.8.res.49.* Fundamentũ est, quia non est minor ratio ad præsumendã de præsenti licẽtiam superioris ad absolutionem in isto casu conferendam absq; ullo onere, quàm ad eam præsumendã à Generali, vel Pontifice delegatam, quando petitur, & non conceditur pio, & docto confessario à superiori locali. Ergo vel utrobique, vel nullibi præsumenda; sed in secundo casu præsumitur, secundùm plures *q.10. citatos*: ergo & in primo. Et ideò in utroque casu idem dicendum tenet Quintanaduennas *in sing. ad pœnitentiæ Sacramentum, tr.3.sing.11.n 7.* citans Henriquez, & Trullench. Sed parum fideliter. Contrarium verò tenendũ est; tum ne à communi sententia discedamus; tum præcipuè, quia id videtur intendisse Cõcilium, cum dixit, Sacerdotem inferiorem nihil posse in reservata extra articulum mortis, quod saltem de absolutione directa absque ullo onere comparendi verificari debet.

6. Assertio secunda contra primam sententiam. Pœnitens habens reservata, potest in casu quæstionis sola non reservata confiteri. Conveniunt Doctores secundæ sententiæ. Probatur: quia Sacerdos, ut ponimus, non est judex respectu reservatorum: ergo non est obligatio se dellis accusandi coram ipso, etiam ex suppositione, quod alia peccata possit, aut teneatur confiteri: vera enim accusatio, nisi coram legitimo judice esse non potest. Nunc est igitur in præsenti aliud judicium ferendum de reservatis, quam de aliis peccatis mortalibus, quæ pœnitens posset in hac confessione ex justa causa tacere: atqui ex eo, quod occurrat causa excusans à confessione unius mortalis, non ideò impeditur quis confiteri reliqua legitimo eorum judici: ergo. Quòd autem defectus jurisdictionis in Ministro sit sufficiens causa omittendi reservata, constat ex Tridentino *Sess. 14. cap.5.* Ubi confessionis integritatem ex eo probat,

quod Sacerdotes sint judices, ideòque incognitâ causâ, judicium exercere non possint, nec æquitatem in pœnis injungendis servare. Cùm autem Sacerdos non habens jurisdictionem in reservata eorum judex non sit, non est cur pœnitens ea confiteri teneatur, & non possit sola non reservata, quorum præsens est judex, subticere. Ex his ad rationem in contrarium respondetur: quod, ut confessio integra obliget, non sufficit, sit utcumque possibilis, sed requiritur, quod, ut Sacramentalis, id est, quod Sacerdoti, ut judici omnium peccatorum possit integrè fieri: quòd in præsenti non contingit. Unde infertur, juxtà principia P. Hurtado *quæstione præcedenti citati*, posse subditum confiteri sola non reservata, licèt superior possit adiri in crastinum, & non sit alia causa, quam voluntas non permanendi in peccato. Et laxius M. Cano *Relectione de Pœnit. p. 5. fol. mihi 51.* Ubi sic ait: * Si pœnitens sit in oppido, quod à civitate, in qua est superior, tribus milliaribus distet, tunc ego non censerem, hujusmodi pœnitentem copiam confessoris habere. * Cujus sententia latam opinandi viam aperit; vel ad omittenda reservata, vel ad celebrandum, non præmissa confessione aliorum, juxta dicta *q. 13. num. 3.*

7. Obstet, licèt confessarius, ut ponimus, non sit judex reservatorum, tamen ut pœnitens possit directè absolvi à non reservatis, opus est, ut sit rectè dispositus circa omnia mortalia, quam dispositionem habet jus cognoscendi confessarius, ac proinde totam causam, & conscientiam pœnitentis: ergo vel tenetur confiteri etiam reservata, vel omnium, etiam non reservatorum confessionem omittere. Hæc ratio parum urget, facilèque infringi potest in pœnitente habente peccatum aliquod, non reservatum, quod ratione damni extrinseci, quod timet, potest in confessione omittere, confitendo reliqua. In hoc, inquam, casu, ut pœnitens possit absolvi ab his, quæ confitetur, opus est, ut sit rectè dispositus circa omnia; & tamen non ideo habet jus confessarius, ut omnia sibi confiteatur. Ratio igitur adducta falso nititur fundamento: confessarius enim solum habet jus cognoscendi dispositionem requisitam per peccata, quæ pœnitens tenetur confiteri, qualia, ut probavi, non sunt reservata.

8. Assertio tertia. Habens casum reservatum, in casu, de quo loquimur, tenetur, ante communionem præmittere confessionem non reservatorum. Convenio in hac parte cum Doctoribus primæ, & secundæ sententiæ. Pro qua stare videtur Santius *in selectis, disp. 32. n. 10.* & cum aliis tradit apertè Leander *sup. q. 33. citata.* Ratio est, quia pœnitens jure divino tenetur ante communionem justificationem suam certam facere per confessionem, ut alibi probavimus, sed habens casum reservatum, id potest, confitendo peccata non reservata: ergo ad ea confitenda tenebitur. Minor probatur ex assertione præcedenti; tum etiá, quia ad valorè Sacramenti non requiritur jurisdictio super omnia peccata, quibus pœnitens ligatus est: aliàs si oblitus reservati cõfiteretur Sacerdoti approbato, invalida foret absolutio: idemque contingeret, si oblitus mortalis culpæ, venialia tantùm confiteretur simplici Sacerdoti, quod falsum, & improbabile vocat Suarez *disp 31. de Pœnit. sect. 3. n. 10.*

9. Assertio quarta. Potest pœnitens, si velit, confiteri etiam reservata cum onere comparendi, est communis sententia. Probatur primò, quia ad majorem humilitatem, & propriam confusionem licet exponere confessario defectus, & imperfectiones, supra quas non potest cadere absolutio: ergo & peccata reservata, licet ex defectu jurisdictionis tantùm confessarius de illis directè judicare. Secundò, quia probabile est, in casu necessitatis concedi superiore facultatem absolvendi directè à reservatis cum onere comparendi; quia per talem concessionem non minuitur jurisdictio superioris & ab ipso subvenitur necessitati subditi, meliori modo, & congruentiori naturæ, & integritati Sacramenti. Igitur, si pœnitens velit cum tali onere confiteri reservata, non est, cur confiteri non possit.

10. Major difficultas est, an qui præter reservata, solum habet venialia, teneatur, urgente necessitate communicandi, & non patente aditu ad superiorem, venialium saltem confessionem præmittere. Negat Castro Palao *tom. 4. tract. 23. disp. unica punct. num. 8.* si probabiliter credat esse confitendum, quamvis est legitimus judex, qui confessionem excipiat illorum, quæ pœnitens confiteri tenetur: negativa etiam obligatione confitendi reservata cum onere comparendi, venialia non adstringitur confiteatur proinde solum tenetur præcepto naturali divino non accedendi in mortali ad Eucharistiam, quo non habens copiam confessoris teneretur, cui ultrò contritionis actu satisfit. Cæterùm si desit contritione probabile saltem judicium non haberet, cum communicare non possit in peccato, à fortiori tenebitur confessionem venialium, ut minimum præmittere, quo suam justificationem attritione adjuncta certam faciat.

11. Rogabis, an teneretur confiteri reservata, qui virtute Bullæ Cruciatæ, potest confessarium provrũ absolutione eligere, an verò posset ita legere, ac si eam non assumpsisset? F. Ludovicus à Concretione loquens de præcepto confitendi semel anno, inquit habentem reservata non teneri adhuc observantiam, si non sit superior, cui confiteatur. Sic tradit *in exam. verit. tom. 2. tract. 5. de Pœnit. fol. 419.* * Nam probabilis, inquit est sententia dicentium habentem Bullam non teneri audire suum tempore interdicti, licèt possit: ergo probabile erit, non teneri habentem Bullam, quatenus possit aliàs idoneum illi confiteri. * Ergo similiter non tenebitur ante communionem confiteri habens tantùm reservata, licèt virtute Bullæ possit alteri Sacerdoti approbato confiteri. Quamvis quidem eadem militat ratio, minimum quod nemo ante privilegio uti teneatur. Ideò si aliquos censere, ut Leander à Sacram. *disp. 7. de Eucharist. in edit. Lugd. disp. 29.* addens Filliucium innuere id esse probabile: esse verò contrarium dicit esse certissimum, & Diana *p. 9 tract. 3. res. 13.* Cum M. Nugno *3. p. tom. 1. sub art. 4. dissit. 2.* asserit oppositam sententiam esse probabilem. Nec pariter de præcepto audiendi sacrum, à quo habens Bullam tempore interdicti excusatur, (ut docent plures apud eumdem *p. 2. n. 11. res. 21.*) qui quam probare autumant, quia hoc præceptum humanum Ecclesiasticum, illud verò divinum.

12. Sed quidem solutio non satisfacit, quatenus interdictum in tantum excusat ab obligatione audiendi Missam, in quantum ponit impedimentum illam, ita reservatio eatenus excusat ab obligatione confitendi reservata, quatenus ponit Sacerdoti jurisdictionem ad absolvendum. Ergo sicut habens Bullam non tenetur audire sacrum, licèt impedimentum tollatur virtute Bullæ, possit præceptum Ecclesiasticum adimplere, ita nequaquam confiteri tenebitur, licèt virtute privilegii confiteri possit. Nec enim minùs esset impe-

impedimentum interdicti, quàm defectus jurisdictionis; ac proinde vel utrumque præceptum suam obligandi vim retinet, vel neutrum. Congruam disparitatem non invenio. Nec consequutionem aliter vitari censeo, quam negando practicè probabilem esse opinionem excusantem ab obligatione audiendi sacrum habentem Bullam Cruciatæ, tempore interdicti: ut cum Navarro Soto, & aliis negat Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 88. sect. 6. §. Solet etiam.* Nec in his casibus, ut benè ipse ait, cogitur quis uti privilegio; sed hoc supposito, cogitur servare præceptum, sive divinum, sive humanum, hoc enim discrimen per accidens in præsenti se habet: est siquidem quasi effectus formalis privilegii tollere inhabilitatem, & impedimentum, & hunc, in primo casu interdicti, necessariò habet, & absque alio usu tollitur excusatio, & consequenter manet obligatio præcepti. Longèque certior esse debet pro illo conclusio, quàm pro confessione reservatorum: quia ultra Bullam requiritur, quòd pœnitens positivè aliquid efficiat, nempè electionem Sacerdotis, ut jurisdictio ad reservata à Pontifice illi conferatur. Estque manifesta disparitas inter hunc casum, & illum de privilegio interdicti; nam in illo oblato impedimento, nulla posteà dispensatio fit in jure, quod in casu confessionis secus fit. Quapropter authores, qui primum casum practicè probabilem admittunt, nequeunt secundo consequenter dissentire, ne dum improbabilem dicere.

TRACTATUS QUARTUS
MISCELLANEVS, DE ALIIS SACRAMENTIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm peccet mortaliter Sacerdos administrans Sacramentum in peccato mortali?

1. PRæsens quæstio omnibus Sacramentis communis est; ideòque illam ad omnia in sequentibus dicenda, præmittere operæ pretium duxi. Ad cujus accuratam decisionem suppono primò, ex communi Doctorum sententia, contrà Adrianum, & Marsilium, Ministrum Sacramenti conscium peccati mortalis, non teneri ad conficiendum, seu ad ministrandum, confessionem præmittere, sed satis esse, quod actum contritionis eliciat. Solùm etenim, ad recipiendam Eucharistiam, extat præceptum Christi Domini, procurandi statum gratiæ per confessionem, ut constat ex Tridentino *Sess. 13. c. 7.*

2. Suppono secundò, quæstionem procedere de administrante, & simul conficiente Sacramentum; v. gr. Pœnitentiæ, aut Baptismi, non verò de administrante jam confectum, ut Eucharistiam: de hoc enim levior est difficultas. Suppono tertio, confessarium à contritione etiam præmittenda excusari, si extrema necessitas pœnitentis ita urgeat, ut nequeat moraliter se præparare ad contritionem eliciendam: hac enim necessitate occurrente, excusatur ratione impossibilitatis moralis se justificandi absque periculo damnationis æternæ pœnitentis, ut ex communi Doctorum sententia tradit Gaspar Hurtado *de Sacram. in genere, disp. 4. diffic. 9.* & cum Lugo, & Ægidio Leander *disp. 11. q. 104. & 105.* Idem ego dicerem in aliis casibus, si præ angustia temporis non posset confessarius ad contritionem se disponere, & aliàs nequiret differre absolutionem, absque gravi sui nota, & infamia apud pœnitentem, qui in notitiam pravi status confessarii devenire posset.

3. Suppono quarto, ex triplici tantum capite posse consurgere obligationem administrandi Sacramenta in statu gratiæ, nimirum ex præcepto divino naturali, semel posita institutione Sacramenti, vel ex præcepto divino positivo, vel ex humano Ecclesiastico. His positis. Difficultas est, utrum quando Minister Sacramenti potest moraliter actum contritionis elicere, seu per confessionem justificari; teneatur unum ex his præmittere, ut possit licitè Sacramentum conficere, seu administrare?

§. I.

Authorum sententiæ.

4. PRima, & communis Theologorum sententia affirmat, teneri sub mortali, talemque obligationem consurgere ex præcepto divino naturali. Ita Vazquez *tom. 2. in 3. p. disp. 136. cap. 1.* ubi ait, esse constans, & indubitatum apud Scholasticos, quemlibet ministrum consecratum, qui in statu peccati mortalis Sacramentum conficit, peccare mortaliter. Et P. Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect. 3. §. ultimo reddenda est ratio.* Ubi inquit, dubitari non posse, esse in Ecclesia præceptum prohibens ejusmodi administrationem, in peccato mortali. Et Ægidius Coninch *de Sacram. q. 64. num. 24. art. 6.* dicens in hoc fere omnes convenire. Et contrariam sententiam esse improbabilem, inquiunt Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 1. disp. 4. quæst. 9.* Petrus de Ledesma, Turrianus, & Diana eos citans *p. 10. tract. 16. resol. 27.*

5. An verò ultrà præceptum naturale divinum, detur etiam positivum divinum, vel humanum? Non conveniunt Doctores, Vazquez, & Suarez ubi *suprà* affirmant, dari etiam præceptum humanum in jure Canonico contentum: è contra verò Coninch, loco allegato ait: *Fere convenire inter Docto-*

res, hanc obligationem consciendi Sacramenta in statu gratiæ non oriri ex aliquo præcepto positivo : nullum enim tale extat. Idem sentit Hurtado *disp. 9. citata.* Ubi ait: *Non esse prohibitum jure aliquo positivo humano, aut divino.* Et quod tale præceptum non sit divinum positivum, docet etiam Vazquez suprà *cap. 2.* dicens, esse indubitatum apud omnes Scolasticos.

6. Secunda sententia absolutè asserit, nullum esse præceptum, nec naturale, nec positivum, divinum, vel humanum obligans administrare, seu conficere Sacramentum in statu gratiæ, ac proinde Sacerdotem administrantem, seu conficientem in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter. Ita expresse Crousers in Regulam *Sancti Francisci, lect. 21. fol. 680* quem adducit Diana *6. p. tract. 6. Miscell. resol. 53.* & quidam vir doctus, quem tacito nomine refert Navarrus infrà citandus, & alii apud Turrianum *in selectis*, & apud Ludovicum de San Juan, *quæst. 5. de Sacrament. in genere, art. 1. dub. 1. conclus. 1.* Ubi de hac sententia loquens, ait: * Sè que anda muy valida en algunos. * Illam sequuntur Llamas *1. par. suæ methodi cap. 1. §. 5. pag. 4. & p. 2. cap. 2. §. 12. pag. 160.* Ortiz *in Sum. cap. 19. de 4. præcept. communibus*, §. *3. fol. 183.* Ubi ait: * El consagra reste Sacramento, y el darle à quien le recibe, si estas obras haze el Sacerdote en pecado mortal, no peca mortalmente. * Et Ludovicus de San Jean, *quæst. 8. de Pœnit. art. 1 dub. 1. disp. 2. pag. 503. & 504.* retractans, quod dixerat *quæst. 5. de Sacram. in genere, art. 1. dub. 1. conclus. 1.* ibi enim hanc opinionem vocavit. * Cosa harto miserable, y digna de llorar. * Et tamen posteà *quæst. 8. citata*, dicit: * Administrar Sacramento en pecado mortal, no perdonado por la confession, ò contricion, no es pecado mortal. *

7. Hanc sententiam esse probabilem, responderunt consulti viri doctissimi. Et novissimè dicit esse probabilem Marcus Vidal *in Arca vitali, tit de Ministro Sacramenti, inquisition. unica, num. 69. & 75.* Ubi cum contrariam sequatur, concludit: * Attamen oppositam etiam mihi probabilis videtur, quam apertè docet Crousers apud Dianam *part. 6. tract. 6. resol. 13.* legite illum, qui ad objecta in contrarium docte respondet. * Hæc Vidal, cui faciunt Fr. Christophorus à Sancto Josepho infra citandus, & alii recentiores, & plures Doctores apud Dianam *part. 5. tract. 13. resol. 63.* asserentes, Episcopum conficientem chrisma, aut consecrantem Ecclesiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Tenuerunt etiam hanc sententiam (ut refert Sayrus *de Sacramentis, lib. 2. cap. 7. art. 2.*) Ledesma *1. par. quæst. 5. art. 6.* & Henricus de Gandabo *in quodlibeto 6. quæst. 30.* affirmantes, posse Sacerdotem existentem in mortali ministrare, sine novo peccato, alia Sacramenta præter Eucharistiam, etiam extra casum necessitatis, dum tamen commodè alius haberi non possit qui loco illius illa ministret.

8. Et saltem quod non sit præceptum naturale, innuit esse probabile Ægidius suprà, dum ait: Ferè omnes in partem contrariam convenire. Particula enim *ferè* aliquos excludit. Et Suarez id manifestè sentit, quia partem, quam sequitur, ait, esse verisimiliorem; ac proinde contrariam judicat verisimilem juxtà communem Theologorum sensum. Rursus, non esse expressum præceptum, quo prohibeatur administrare Sacramenta in peccato mortali, docent Navarrus *de Pœnit. disp. 6. num. 10. §. Ad secundum*, & Granado *tract. 6. disput. 15. nu. 7.* cujus hæc sunt verba: * Quod Minister peccet mortaliter in administrandis Sacramentis cum conscientia peccati mortalis, non est adeò explanatum, attenta efficacium rationis, licèt certum sit propter authoritatem. *

9. Horum tamen aliqui existimant, Ministrum existentem in mortali, licet non teneatur se justificare ad conficiendum Sacramentum, teneri tamen elicere aliquem actum displicentiæ de peccato. Ita Christophorus à S. Josepho *tom. 1. recep. opusc. dub. 18. de Sacram. num. 2. fol. 304.* Ubi ait: * Temperanda est opinio hæc, quod Sacerdos debeat habere aliquem dolorem suorum peccatorum, quem si non habeat, non erit nisi venialiter administrare, non verò mortale, ut novissimè docet Crousers. * Sic ille, retractans, quòd dixerat *de justismo, dub. 12. num. 9. & 10.* ubi hanc opinionem improbabilem esse scripsit, *fol. 58.* Idem sentit Ludovicus de S. Juan supra *quæst. 8. citata*, ubi post alia ait: * De lo dicho se sigue, que aunque el dicho Ministro no sea obligado à tener contricion, à lo menos lo està à no tener complacencia actual, y tener algun proposito de arrepentirse. * Alios supprello nomine refert Leander à Sacramento *tom. 1. tract. 1. de Sacram. in genere, disp. 4. q. 9.* ubi asserit, aliquos recentiores, quos ipse in suis manuscriptis legit, asserere, non esse omninò improbabile, non peccare mortaliter Ministrum solemnitatis, ministrando in peccato Sacramenta, dummodo priùs eliciat (si tempus non urgeat) actum attritionis, aut habeat aliquem displicentiam peccati à se commissi. Quod sensisse fertur Doctor Joannes Sanchez vir doctissimus, & in Selectis disputationibus satis notus. Verum, si res admittatur, non requiri contritionem, nec confessionem, per quam ad statum gratiæ restituatur, tum apparet fundamentum ad asserendum subgratia præcepto, necessariam esse attritionem, & non sufficere, carere complacentia actuali de peccato. Et ita sentiunt viri doctissimi à me consulti, & non excedere culpam venialem dixit Christophorus à Sancto Josepho *ubi suprà.*

§. II.

Non datur præceptum positivum humanum prohibens Ministro conficere Sacramentum in statu peccati mortalis.

10. PRæceptum prohibens administrationem solemnem Sacramentorum, in mortali, non est divinum positivum ex sola Dei voluntate impositum, ut indubitatum apud omnes Scholasticos ponit (ut diximus) Vazquez *suprà disp. 136. ca-* Cum enim tale divinum præceptum nullibi expressum sit, nullusquè sit Scripturæ locus, ubi contineatur, aut in quo Patres, & Concilia detineverint, contineri; absque fundamento adstruxerunt. Tota igitur difficultas de præcepto humano versatur: & licet, teste Ægidio, ferè commune sit inter Doctores, non extare humanum præceptum, operæ pretium tamen duxi, examinare decreta, in quibus adversarii illud adstruere conantur.

11. Ex jure igitur Canonico præceptum positivum humanum probant primo Suarez, & Vazquez *suprà ex cap. ultimo de temporibus ordinationum.* Ubi Gregorius IX. sic habet: *Sacerdotes, vel alii Clerici, qui per*

ratum

reatum adulterii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiæ rectæ perdiderint: respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam, injam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri; qui si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis etiam ordinibus, non ministrent.

12. Verum quis non videat, verba prædicta non convincere intentum: in illis enim Pontifex non loquitur de Sacerdotibus, sed de aliis etiam Clericis, ut constat: inquit enim, *Sacerdotes, vel alii Clerici*, & hos omnes ait Pontifex, *obtestandos sub interminatione divini judicii, ut in testimonium suæ damnationis, in susceptis ordinibus non ministrent.* Ergo si ex his verbis colligitur, Sacerdotes graviter delinquere in administratione Sacramentorum, planè etiam convincetur, alios etiam Clericos non Sacerdotes graviter delinquere, si in statu peccati mortalis, in susceptis ordinibus ministrent: & consequenter Diaconos, & Subdiaconos peccaturos mortaliter canentes solemniter Epistolam, vel Evangelium in statu peccati mortalis; quod mordicus negant Suarez *suprà sect.* 3. & Vazquez hic *cap.* 4. & 5. Villalobos, Valentia, Coninch, & alii, quos refert, & sequitur Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 195. Imò nec venialiter peccare, contendunt Suarez, & Vazquez locis suprà relatis. Item Ostiarii, & alii Clerici minorum Ordinũ, graviter etiam peccarent, si, in statu peccati mortalis suo munere fungerentur, quod, ut benè Coninch *suprà dub.* 1. *n.* 41. videtur incredibile.

13. Propter hæc fortasse Vazquez *suprà cap.* 4. *n.* 49. fatetur, prædictum Gregorii decretum valdè difficilè esse. Quapropter illud ita explicare contendit, ut Sacerdotibus prohibeatur ministratio, aliis verò ascensus ad alios ordines. Verum hæc explicatio omninò violenta est; quia de Sacerdotibus, & aliis Clericis loquitur Pontifex, cum inquit: *Ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Ergo omnibus æquè prohibetur ministratio in statu peccati, ergo vel omnibus graviter vel nemini.

14. P. Suarez *disp.* 16. *sect.* 3. §. *De aliis verò duobus ministris*, respondet, præfatum juris textum non condere novam legem positivam, sed tantum explicare naturalem. Benè: sed si id ipsi demus, malè quidem ex hoc textu, contendit probare præceptum positivum humanum. Rursus lex naturalis per talem textum explicata, æquè comprehendi Sacerdotes, & alios Clericos, ut ex ejus verbis constat: sed hos non obligat sub mortali, ut concedit Suarez; ergo neque illos. Igitur, ex hoc capite juris, nulla obligatio gravis, nec naturalis, nec humana induci potest.

15. Melius igitur Coninch *ubi suprà* absolutè negat, in prædicto textu contineri præceptum. Nihilominus, inquit, jure optimo Pontifex addidit verba illa: *Ne in testimonium suæ damnationis ministrent*, quia cum ipso suo ministerio, profiteantur sanctitatem, testantur malè viventes, se dignos esse condemnatione. Sicut communiter dicere solemus, religiosum malè viventem à suo habitu condemnari: qua phrasi usus est *Apost. ad Rom.* 2. dum ait: Se ipsos condemnare, qui faciunt, quæ in aliis damnant. Facit ad hæc, pœnitentiam exactam à Pontifice, ut Sacerdotes peccatores in suis ordinibus ministrent, non esse cõtritionem, seu dolorem de peccatis, sed pœnitentiam injunctam, ut explicat ibi Glossa. Ex hoc igitur textu desumi nequit argumentum, ad probandum præceptum positivum humanum administrandi in statu gratiæ Sacramenta.

16. Secus dò probant Vazquez, & Suarez ex *cap. ultimo de cohabitatione Clericorum, & mulierum.* Ubi Gregorius IX. dicit: *Quemlibet Sacerdotem pro mortali peccato, quoad se ipsum esse suspensum.* Quod, ait Suarez, non contingit, quia speciali Ecclesiæ censura affectus, seu impeditus sit; sed quia ratione sui status, & peccati impeditus est. Cæterum in hoc capite, ut ex terminis liquet, non imponitur præceptum, sed ad summum supponitur. Pontifex enim sic ait: *Verum, & si quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum constet, esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari.* Hæc autem verba, qualemcumque insinuent obligationem, non eam de novo imponunt, sed supponunt. Peraperam igitur adducuntur, ad probandum præceptum positivum humanum ibi injungi.

17. Respondeo secundò, in hoc capite tantum esse sermonem de Sacerdotibus celebrantibus, non de administrantibus alia Sacramenta, ut constat ex contextu. Casus enim sic se habet. Aliqui Clerici prolapsi fuerant in fornicationem: quæsitum fuit à Pontifice, utrùm eorum officium esset audiendum, antequam pœniterent? Et Pontifex respondit: *Verum, & si quemlibet pro mortali peccato quoad se ipsum constet, esse suspensum, non debet tamen in officiis evitari.* Istud enim officium, de quo interrogatur Pontifex, an sit audiendum ante pœnitentiam, non potest aliud esse, quam officium, seu sacrificium Missæ; quia de nullo alio potest propriè dici, quod audiatur à fidelibus, & quod existens in peccato sit quoad se ipsum suspensus ad illud ministrandum. Ergo quod in hoc capite decernit Pontifex, est, Sacerdotem existentem in mortali non posse celebrare; si verò celebraverit, non debere ejus officium Missæ vitari, sed posse à fidelibus audiri.

18. Unde Lugo *de Sacramentis, disp.* 8. *sect.* 9. *nu.* 146. rectè notavit, utrumque textum à Vazquez adductum, pariter contra ipsum Vazquez pugnare: ac proinde respondet, fortasse in his textibus sermonem esse de toto officio, & exercitio Clericorum, quod etiam in non Sacerdotibus non poterat totum esse absque culpa gravi, quia, juxtà antiquos Canones, Ministri saltem altaris communicabant in Missa solemni; ut multis probat Suarez *de Eucharist. disp.* 69. *sect.* 3. Quo casu verum est, (ait Lugo) quod per quodlibet peccatum mortale erant Ministri suspensi ab exercitio completo, & integro suorum ordinum. Probat tertiò Suarez pluribus Patrum testimoniis, quæ lubens omitto, quia illis optimè respondet Vazquez *suprà*, convincens, non agere de digna Sacramentorum administratione.

19. Ex dictis clarè constat, nullum in jure Canonico contineri præceptum, prohibens Ministris consecratis Sacramentorum administrationem, in statu peccati mortalis.

(***)

§. III.

Quid de præcepto naturali Divino?

20. NEgant tale præceptum Doctores omnes pro secunda sententia citati. Fundamentum fortasse erit, quia non est certum ex Ecclesiæ declaratione, ejusmodi præceptum existere, & aliunde nulla adducitur ratio in contrarium, cui non respondeatur probabiliter: ergo probabile est, non dari præceptum naturale divinum. Discursus videtur legitimus: antecedens probatur discurrendo per singulas.

21. Prima est Cajetani, quam amplexantur Suarez suprà, & Thom. Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 6. n.* 4. qui existimat, præceptum naturale graviter obligans ad conficiendum Sacramentum in statu gratiæ inde consurgere, quod Minister sit per aliquod Sacramentum consecratus ad illud munus obeundum. Hanc verò rationem latè impugnat Vazquez *disp. 136. citata, cap. 2.* nec video, quomodo Suarez in illa quiescere possit. Quia consecratio Ministri non inducit obligationem jure naturæ, ut patet: nam Diaconi, & Subdiaconi sunt consecrati ad cahendum solemniter Evangelium, & Epistolam: & tamen ipsemet Suarez, cum aliis, ne venialiter quidem peccare existimat, licet in statu peccati mortalis canant. Secundo, quia Sacerdos in sua ordinatione non magis consecratur ad baprizandum solemniter, quam ad baptizandum sine solemnitate: solemnitas enim est purè juris Ecclesiastici; obligatio autem ministrandi Sacramenta in statu gratiæ, quæcumque illa sit, oritur per se, & intrinsicè ex substantiali ritu, ipsiusque Sacramenti sanctitate. Et sanè incredibile videtur, quòd solemnitas accidentalis juris Ecclesiastici omnino extrinseca Sacramento postulet per se Ministri sanctitatem, quam Sacramentum ipsum per se non exigat: sed Sacerdos in peccato mortali baptizans sine solemnitate non peccat mortaliter, ut tenent Durandus *in 4. dist. 5. q. 2. art.* 1. Valentia *de Sacramentis in genere, disp. 3. q. 5. punct. 3.* & cum S. Thoma, Richardo, Sylvestro, Cajetano, Soto, & aliis docet Suarez *disp. 16. citata, §. Nihilominus.* Ergo ex eo, quod Minister sit consecratus ad aliquod munus obeundum, non benè deducitur gravis obligatio, jure naturæ ministrandi in statu gratiæ. Et ita expressè tradit Castro Palao *tom. 4. de Pœnit. tract. 18. disp. unica, punct. 5. n.* 11.

22. Secunda ratio est Sancti Thomæ, qua utuntur Vazquez *suprà cap. 3.* & Meratius *tract. de Sacramentis, disp. 8. sect. 2.* qui præceptum naturale ex eo probant, quòd Minister Sacramenti debet conformari sanctitati ipsius Sacramenti, quod conficit, & ejus primario Auctori, cujus, ut principalis agentis, instrumentum est, ejus nomine agens, & vice fungens: ad hoc autem requiritur status gratiæ, cum tam Deus, quàm Sacramentum sanctum sit. Verum hæc ratio facilè etiam infringitur ex dictis, quia Sacerdos baptizans sine solemnitate, est minister Sacramenti, & justificationis; & tamen non tenetur sub mortali se conformare sanctitati Sacramenti, neque ejus primario agenti, cujus est Minister, instrumentumque, ut docent Doctores numero præcedente citati. Igitur ratio conformitatis non sufficit ad inducendum præceptum naturale, de quo disputamus. Urgetur ex D. Thoma *in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 2. ad qu.* 4. Ubi non ut certum, sed tanquam probabile tradit, Ministrum Baptismi debere esse in statu gratiæ. Ad quartam inquit, quæst. dicendum, quod quamvis in peccato mortali existens exhibet se Ministrum Ecclesiæ, etiam in quocumque spirituali, peccando secundum quorumdam opinionem satis probabilem, & ideò Sacerdos baptizans cum solemnitate Ministrum Ecclesiæ se exhibens peccat mortaliter. Quibus videtur relinquere probabile contrarium.

23. Secundò impugnatur: quia laicus baptizans in casu necessitatis est minister baptismi ex institutione Dei, ejusque auctoritate instructus ministrare, ut ipse Vazquez faretur *suprà cap. 3. num. 31.* & tenet D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 1.* dicit: *Baptismus, qui est Sacramentum necessitatis habet duplicem Ministrum.* * Et tamen laicus non tenetur sub mortali se conformare sanctitati Sacramenti, & ejus primario agenti, cujus est instrumentum, ut præter Doctores pro Sacerdotibus citatos, tenent Granado, Henriquez, Præpositus, Cabrera, & alios quos refert, & sequitur Diana *5. p. tract. 3. resol. 13.* Ergo ex eo, quòd Sacerdos sit Minister Sacramenti, non infertur, debere esse in statu gratiæ ad illud ministrandum, seu conficiendum. Nec Vazquez negare poterit, hoc esse probabile, cum tot, tantique Doctores docuerint. Denique prædictæ rationis robur enervatur in Sacramento matrimonii, in quo conjuges sunt ministri talis Sacramenti, & justificationis, & tamen quatenus administrant in peccato mortali, non peccant mortaliter, ut cum Soto, Ledesma, & aliis docet Thomas Sanchez suprà, & ibi Suarez, Bonacina, & Coninch, putat probabile Palao *ubi supr.* (secus, quatenus in peccato mortali illud fuisse putant, quod improbabiliter negarit aliquis apud Sa *in Sum. antiqua, verbo Sacramentum, n.* 1. ut notatur in Sum. correcta per Victorellum.) Manet igitur probabile, Ministrum Sacramenti, eo, quòd gratiæ sit, non teneri sub mortali se conformare Sacramento, nec ejus auctori, ac proinde ex hoc capite non probari, debere conficere in statu gratiæ.

24. Tertia ratio est Cardin. de Lugo *disp. 8. de sacram. sect. 9. num.* 141. qui totam obligationem demendam ait ex gravitate & sanctitate actionis, qua Sacramenta conficiuntur, & qua minister operatur in persona Christi, mediante qua, operatur gratiam habitualem. Verum, rationem istam non sufficere ad inducendam obligationem gravem, affirmant omnes, qui excusant à mortali culpa Sacerdotes, & alios administrantes baptismum in mortali, etiamsi possint commodè actum contritionis elicere. Item omnes, qui excusant à mortali conjuges administrantem Sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis: in utroque enim casu concurrit gravitas, & sanctitas actionis, qua Sacramenta conficiuntur, & qua Minister operatur in persona Christi gratiam habitualem; & tamen non inde oritur obligatio gravis. Inficiari igitur non poterit Lugo, esse probabile, non colligi ex hoc fundamento gravem obligationem conficiendi Sacramenta in statu gratiæ.

25. Quarta, & ultima traditur à Coninch *de Sacramentis, art. 6. num.* 32. ubi ait, obligationem ministrandi Sacramentum in statu gratiæ, oriri primum ex sanctitate, & dignitate ipsius Sacramenti; quatenus ejus minister merita, & sanguinem Christi dispensat; idque in persona Christi, quâ immediatè sanctificat; ideòque in persona Christi, quâ immediatè sanctificat; ita ut sit unum agens cum ipso. Secundario verò, inquit, oriri ex eo, quòd Minister sit singulariter deputatus ad aliquod Sacramentum conficiendum. Nec Congestit Coninch utramque rationem, quia unam sine altera non judicavit sufficientem ad obligationem

nem gravem inducendam, ut constat ex doctrina, quam tradit *suprà num.* 37. Sed facilè impugnatur; quia hæc secunda ratio est omnino diversa: ergo quod ex unaquaque seorsim per se colligi non potest, neque ex utraque simul colligetur. Ita in simili argumentatur Vasquez *disp.* 136. *citata, cap.* 2. *num.* 17. Præterea dispensans Eucharistiam antea consecratam, dispensat realiter corpus, & sanguinem Christi: & consequenter Christi personam in munere sustinet, & exercet actum, ad quem specialiter est consecratus, ut expressè fatetur Coninch; & tamen administrans Eucharistiam in mortali, non peccat mortaliter, ut docent Vasquez *suprà cap.* 3. *num.* 39. Meratius *de Sacrament. disp.* 8. *sect.* 2. *num.* 8. Joannes de la Cruz, Henricus, uterque Ledesma, Cabrera, & alii, quos sequitur Diana 2. *p. tract.* 3. *Miscellan. resolut.* 13. Ergo ex duplici ratione allata, simul sumpta, non deducitur gravis ministrandi obligatio, seu Sacramenta conficiendi in statu gratiæ. Denique impugnatur, quia Sacerdos baptizans sine solemnitate dispensat merita Christi; idquè in persona Christi, & singulariter est consecratus ad tale munus, ut etiam concedit ipse Coninch, & tamen non peccat mortaliter ministrando in mortali, ut plures suprà citati docent. Ergo hæc secunda ratio insufficiens est, ad obligationem gravem inducendam.

26. Quæ hucusque congessimus, videri possent alicui efficere probabile, non esse præceptum naturale graviter obligans ministrare, seu conficere Sacramenta in statu gratiæ; nam cum præceptum naturale sit ipsa ratio naturalis obligationem inducens, & probabile sit, nullam esse rationem naturalem, quæ talem obligationem inducat, ut singulas expendentes probavimus; probabile etiam erit, nullum esse præceptum naturale. Tum maximè, quia ubi non constat de præcepto, non est facilè imponenda obligatio sub mortali, ut benè advertit Suarez *suprà disp.* 26. *sect.* 3. §. *De aliis vero.* Ulterius, negari non potest, dubium saltem ex dictis effici tale præceptum naturale, sed in dubio, an sit præceptum, nemo illo tenetur, ut docent Sanchez *in Sum. cap.* 10. *num.* 32. Salas 1. 2. *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unica, sect.* 2. *num.* 258. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 40. *sect.* 5. *num.* 15. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia, cap.* 45. *num.* 3. *in Glos. litt.* P. P. Sà *verb. Dubium, num.* 2. Ergo probabile est, ex præcepto divino, & naturali neminem sub mortali teneri administrare Sacramenta in statu gratiæ. Quod autem tale præceptum naturale sit dubium, præter dicta, suadet auctoritas Navarri, & Granados: illius, dum ait, *non esse expressum*; & hujus, dum inquit, *non esse adeò exploratum, attenta efficacitate rationis*, licet certum putet propter auctoritatem: fortè aliud dictus, si auctoritatem expendisset, quam pro contraria sententia adduximus. Denique hujus sententiæ probabilitas muniri videtur ex doctrina Verricelli *tom.* 1. *quæst. moral. tract.* 2. *q.* 3. *num.* 4. dicentis: * Signum probabilitatis intrinsecæ esse, quando Doctores communis sententiæ discordantes sunt in probanda sua opinione, & alii aliorum rationes, & fundamenta evertunt; quia tunc signum est ea fundamenta non convincere, & sic admitti posse probabilitatem oppositæ sententiæ. * Auctores autem non convenire in probanda communi sententia adstruente gratiæ statum necessitate præcepti requisitum ad Sacramentorum administrationem, sed alios aliorum fundamenta evertere, constat ex hactenus dictis; & magis constabit ex solutione argumentorum, quibus communis sententia nititur.

§. IV.

Objectionibus fit satis.

27. Objicies primò, Augustinum *lib.* 2. *contra Epistol. Parmeniani, cap.* 10. *post medium.* Ubi inquit: *Omnia Sacramenta cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Igitur supponit Augustinus, dari præceptum naturale ministrandi, conficiendique Sacramenta in statu gratiæ. Verùm, quod ex Augustini verbis, suaderi non possit gravis obligatio, probatur: quia solum dicit obesse indignè tractantibus, non verò obesse graviter: ergo non est, cur nos id asseramus. Dices, id deduci ex gravitate materiæ. Sed contra argumentor à paritate. Quia licet Nicolaus Papa *in cap. ultim.* 25. *quæst.* 8. dixerit, *adulterum Sacerdotem ministrando Sacramentum Eucharistiæ, se tantummodo lædere, & unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium præbere*; nihilominus plures Doctores, quos suprà citavimus, docent, talem Sacerdotem non peccare mortaliter; & tamen dubitari non potest, materiam esse gravissimam: igitur idem in primo casu dicere tenentur. Si enim verba illa Pontificis: *se lædere, sibi dispendium præbere*: non inducunt obligationem gravem; quare illam inducent illa Augustini. *obesse indignè tractantibus*: majoris enim ponderis non est verbum *obesse*, quàm *lædere, & dispendium præbere.*

28. Præterea si verba Augustini aliquid probant, planè etiam convincunt, tam Sacerdotes, quàm laicos administrantes Baptismum in peccato mortali, peccare mortaliter (imò de hujus Sacramenti administratione loquebatur Parmenianus in sua Epistola, contra quam scripsit Augustinus) & tamen laici in statu peccati mortalis, seu indignè hoc Sacramentum tractantes, non peccant mortaliter, ut cum Div. Thoma, Cajetano, & Soto fatetur Suarez *disput.* 16. *citata, sect.* 4. §. *Nihilominus.* Igitur ex testimonio Augustini non benè infertur obligatio gravis ministrandi, seu conficiendi Sacramenta in statu gratiæ.

29. Testimoniis igitur Augustini, & Nicolai Papæ responderi potest; vel ipsos loqui de ministrantibus in peccato mortali actuali (ex hac enim administratione novam culpam mortalem contrahi, docent plures hujus sententiæ patroni, ut infrà videbimus.) Secus verò de ministrantibus in peccato habituali, in quo longè minor indecentia reperitur. Vel si mavis, respondere poteris, (juxtà sententiam quorumdam suprà relatam, asserentem, *bonam conscientiam ministri non esse debitam Sacramento, nisi secundum quamdam decentiam*) solum intervenire culpam venialem in tractatione indigna Sacramenti, quando indignitas tantum provenit ex defectu gratiæ habitualis ministri: licet enim ministratio Sacramenti sit materia gravissima in ordine ad effectum gratiæ, quam confert suscipienti, non verò talis est in ordine ad exigendum statum gratiæ ex parte ministri, ut constat in administratione Baptismi à laico, & patet ex dictis.

30. Objicies secundò plura scripturæ loca, in quibus naturale præceptum contineri videtur, ut Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Levitici 21. *Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideò sancti erunt Deo suo.* Et cap. 22. *Omnis, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Et Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos.* Cæterum in his,

& similibus locis interdum esse sermonem de immunditia, & sanctificatione legali, seu ceremoniali, fatetur expresè Suarez *suprà sect 3. citata*, eademquè videtur esse de omnibus ratio, qua fortè ductus Vasquez eis non utitur ad suam conclusionem probandam.

31. Objicies tertiò. Administrare Sacramenta in statu peccati actualis; verb. grat. cum proposito, seu affectu actuali peccandi, est peccatum grave sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam: ergo & administrare cum peccato habituali, non remisso per confessionem, seu contritionem. Respondet Crousers *ubi suprà* negando consequentiam. Quia in primò casu intervenit gravissima irreverentia, in secundò verò levis. Quam quidem sententiam, me judice, tenent omnes Doctores *suprà citati num. 3.* qui aliquam displicentiam peccati requirunt ad ministrandum Sacramentum, quo manifestè indicant, affectum peccati actualis, dum actu administratur, importare gravem irreverentiam; quod secus judicant de administratione facta cum peccato habituali; proindequè exigunt aliquid incompossibile cum peccato actuali, non curantes de forma incompossibili cum habituali. Secundò respondeo per instantiam, & amicè rogo: cum Sacerdos, seu laicus administrat Baptismum in peccato mortali actuali, vel delinquit graviter, vel non? Si primum: ergo benè stat, esse irreverentiam gravem administrare in peccato mortali actuali; non verò in habituali. Si secundum: ergo nunquam peccabit mortaliter Sacerdos, etiamsi cum solemnitate ministret.

§. V.

Judicium Auctoris.

32. HÆc omnia disputationis gratia dicta sint: contraria enim, & communis sententia omnino tenenda est, utpotè comprobata auctoritate sanctæ Inquisitionis in Expurgatorio anni 1640. (in quo expungi mandatur ex Llamas opinio negans obligationem gravem se justificandi, ad conficiendum Sacramentum) & roborata certo, & firmo consensu Theologorum ex D. Thom. *3 p. quæst. 64. artic. 6. in corpore*, ubi sic ait: * Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent, & quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale. * Quod prædixerat *in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. quæstiunc. 5.* ibi: * Quicumque homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè; quod justum est, injustè exequitur; & contra præceptum legis facit, ac per hoc mortaliter peccat. * Quapropter, licet omnia principia ad hanc conclusionem labefactandam sebrsim sumpta probabilia sint; non tamen sunt comprobabilia, utpotè ex quibus propositio improbabilis deducitur. Unde omnes tenentur uni, vel alteri rationi inhærentes, adversariorum fundamentum dissolvere, vel saltem conclusionem, ut certam admittentes, planè fateri, nulla ratione convincenti ad illam adduci.

34. Est tamen advertendum, his non obstantibus, probabilissimum esse, Confessarium non peccare mortaliter audiendo totam confessionem in peccato, dummodo habeat propositum præmittendæ contritionis ante absolutionem, ut docent Henriquez *lib. 6. cap. 18 num. 6. in Glosslite. F.* Cardin. dello go *disput. 21. num. 69.* Diana *1 p. tract. 7 resol. 43.* quia irreverentia in eo consistit, quod Minister non det gratia, quando illam operatur: hoc autem præstat quando absolvit, ac proinde sufficit, quod tunc gratiæ statum consequutus fuerit.

QVÆSTIO II.

Utrùm ob gravem metum liceat uti simulatione, in administratione Sacramentorum?

1. COmmunis Doctorum sententia negat; quin adeò certam putat Palaus *tom. 1. tract. 1. disp. 1. p. 13. num. 8.* ut contrariam, non temerè dicere, audaciam, & temeritatem videri redolere.

2. Verum aliis rigida valdè hæc censura visa est, & talem putavit Antonius de Escobar *tom. 1. Theolog. moral. lib. 1. sect. 2. Problem. 26. fol. 27.* * Mihi certè, inquit, mei amicissimi Patris Ferdinandi Castro Palao vocantis primam sententiam audacem, & temerariam, nimium rigida censura videtur, dum legimus Doctores, affirmantes in quibusdam eventibus licere hostiam non consecratam pro consecrata porrigere, quæ proculdubio major est simulatio. * Sic ille, vel ideò ab imperito Neotherico sugillatus.

3. Quapropter duplex in præsentiarum enucleanda venit difficultas. Prima, an in aliquo casu liceat hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto ad vitandam infamiam porrigere? Secunda, an, hoc negato, liceat nihilominus in administratione Sacramentorum simulationem uti?

§. I.

De subrogatione Hostiæ non consecratæ, quid nonnulli senserint?

4. PRimam difficultatem versat M. Petrus de Ledesma *1 p. Summ. capite 12. de Eucharist. folio mihi* 27. Ubi licet negativam partem amplectatur, plures tamen, & graves Doctores pro affirmativa militantes refert. * La septima duda (inquit) es, si es licito en algun caso comulgar a uno con hostia, que no es consagrada? En esta duda algunos tienen, que si, assi lo tiene Altisiodorense. Y San Buenaventura dize, que es licito, si se haze con consentimiento del pecador. Y lo mismo ensenna Adriano. * Cum quibus sentit M. Christophorus Jabellus *tomo 1. Philosophiæ Christianæ, p. 5. tractat. 4. capite 6. num. 50.* Ubi postquam statuit, peccatori fictionis initio, hostiam non consecratam porrigere non licere; ait: * Sacerdos autem esset, si ipse peteret, sibi dari hostiam non consecratam, ne indignè sumat corpus Domini: tunc enim sibi dari posset, ita tamen quod talis hostia ponatur seorsim à consecratis, ne Ecclesia decipiatur dando ei non consecratam, ac si esset consecrata. * Hactenus ibi. Et ante illum Albertus Magnus apud Suarez *in Eucharist. disputat. 67. sect. 4.* Quos sequitur Villalobos *in Summ. tom. 1. tractat. 7. diffic. 38. num. 7. fol. mihi 170.* ubi sic: * No es licito darle la hostia no consagrada, por el peligro que ay de idolatria, como notò Ledesma. Mas si la forma que le ha de dar, la truxesse consagrada, demanera, que los fieles no la pudiessen adorar, con

con consentimiento del pecador, será licito darsela, para euitar algun grande escandalo, pues alli no avia peligro de idolatria, como dize San Buenaventura, Adriano, y Angles.*

5. Eamdem sententiam tuetur Ludovicus de San Juan *in Summ. tomo 1. quæstione 7. de Eucharist. artic. 8. difficult. 3.* dicens: * Será licito dar al pecador oculto una hostia no consagrada, con su consentimiento, para que no se infame, con quien viere, que no comulga, porque no se comete sacrilegio en la comunion, ni se infama al proximo; y como es licito dar la absolucion cautelosa, tambien lo es dar la comunion. Pero esto no se ha de practicar, sino en raros casos, con sabiduria del pecador, y proponiendole delante otra hostia consagrada, que el, y el pueblo adoren. * Sic ille, & alii, quos refert Diana *3. part. tractat. 6. resolut. 83. & 4. part. tractat. 4. resolut. 47.* qui licet hanc opinionem non sequatur, probabilem tamen putat, quia contrariam probabiliorem vocat, & hanc censura afficere non audet, dicens: * Non tamen audeo sententiam affirmativam nota improbabilitatis inurere. * Et noviſſimè amplectitur Franciſcus de Lugo *in principiis Theolog. Moral. part. 2. cap. 6. quæſt. 7.* Pro eadem ſententia refert Joannem Sanctium Caſtro Palao *in opere morali, tom. 1. tractat. 2. diſputat. 1. punct. 13. num. 10.* Sed illum ab ea eximit Diana *reſolut. 84. citata*, dicens Sanctium numquam dixiſſe. * ut patet ex tota *diſputat. 35. num. 6. & 10.* licere Sacerdoti in aliquo caſu miniſtrare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. Unde immeritò adverſus illum inſurgit doctus Palaus. * Sic Diana pro amiciſſimo ſuo Sanctio. Et benè quidem ut conſtabit ex dicendis *num. 10.* ubi eius ſententiam ipſius verbis exſcribemus.

6. Itaquè Doctores citati non agnoſcunt peccatum in præfata fictione adminiſtrationis Euchariſtiæ, ſecluſo periculo idolatriæ, quod præcaveri ſufficienter putant, ſi hoſtia non conſecrata ſeorſim ponatur, & ita ſecreta exiſtat, quod populus eam adorare non poſſit. Quibus favere videtur D. Thomas *opuſc. 65. de Euchariſt.* Ubi ob deluſionem populi, hoſtiam non conſecratam porrigendam non eſſe, docet. * Caveat, inquit, Sacerdos, ut numquam porrigat ſano, vel infirmo hoſtiam non conſecratam pro corpore Chriſti, quia non debet populum deludere. * Ergo, ſi nec peccator, utpotè rei conſcius, nec populus, utpotè cui hoſtia non conſecrata non exponitur adoranda, ſed ſeorſim, & ſecreto cuſtoditur, non deludatur; licitum erit, eam peccatori occulto porrigere. Ceſſat enim idolatriæ periculum, quod unicè obſtare videtur, ſecundum præfatos auctores.

7. Verum hoc fundamentum communiter rejicitur: quia periculum idolatriæ inevitabile eſt. Primò, quia forſan aliqui adorabunt illammet hoſtiam, quam ſumit peccator: nam ut ait Cajetanus *3. part. quæſt. 80. artic. 6.* * Præſentes indiſtinctè adorant, vel adorare poſſunt quamlibet hoſtiam, quam deferri, vel dari conſpiciunt. * Ad actum enim adorationis non requiritur determinatè, quod illam videant; nam quando communio fidelibus confertur, etiam longè adſtantes adorant, licet hoſtiam oculis non percipiant: idemquè non raro contingit, quando in Miſſa levatur. Secundò, quia actus ſumendi reverenter, & ſimiliter miniſtrandi, qui propter præſentes ex parte ſuſcipientis, & miniſtrantis excuſari non poſſunt; verè ſunt cultus externus, & adoratio, quæ Euchariſtiæ ſolet, & debet adhiberi: à quibus materialem idolatriam ſeparari, impoſſibile videtur, ut tradit D. Thom. *3. part. quæſtione 80. artic. 6. ad 2.* ibi: * Hoſtia tamen non conſecrata nullo modo debet dari loco conſecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idolatrare illos, qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſive alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem. *

8. Si autem reſpondeas ex Vaſquez *tomo 1. in 3. part. diſputat. 110. cap. 5. & tom. de Euchariſt. diſputat. 209. capit. 1. num. 41.* non eſſe periculum idolatriæ, licet ſpecies non ſint conſecratæ, quia affectus ſummiſſionis internæ fertur in ſolum Chriſtum, ideòquè licet ibi verè non exiſtat, ille adoratur, & eſt terminus interni affectus, non ſatisfacis: quia idolatria externa, & ficta nequit in hoc caſu non intervenire, utpotè quæ, juxtà communem Theologorum ſententiam, in ſolis externis ſignis ſummiſſionis conſiſtit. Ergo etiam in ſuſcipiente, vel miniſtrante, licet intima ſummiſſio deficiat, cum noverint hoſtiam conſecratam non eſſe, idolatria vero externa non deficiet. Secundò: quia præfatum fundamentum æquè probat, etiam ignorantes hoſtiam non eſſe conſecratam, externè illam adorantes, idolatriam non committere, quia in his etiam affectus ſummiſſionis verè fertur in ſolum Chriſtum Dominum; & hic eſt, qui adoratur, licet ibi non exiſtat. Quod non negavit, ſed expreſſit ipſe Vaſquez *diſputat. 209. citata de Euchariſt. capit. 4. num. 41.* dicens: * Idolatria non committitur ſine expreſſa intentione adorandi pro Deo id, quod revera non eſt, ac proinde, qui adoraret hoſtiam non conſecratam apprehendens cognitione ſua ibi Chriſtum, idolatriam non committeret. * Ergo licet hoſtia non conſecrata porrigenda peccatori populo exponeretur, nullus idolatriam committeret, quandoquidem omnes cognitione ſua ibi Chriſtum apprehenderent, & illum adorarent; nulluſquè haberet expreſſam intentionem adorandi pro Deo id, quod revera non eſt. Ergo licet hoſtia non conſecrata non ponatur ſeorſim ab aliis conſecratis, nec ſecreto cuſtodiatur; idem prorſus teneris dicere, ſi ob ſolum periculum idolatriæ, fictionem iſtam condemnes: periculum enim iſtud, quovis ex dictis modis res contingat, aut ſemper occurrit; ut videtur tradere D. Thomas ſuprà, aut numquam, ut probat ratio nuper attacta ex P. Vaſquez.

9. Hic diſcurſus videtur aliquibus concludere, aut fundamentum Patris Vaſquez firmum non eſſe, aut Jabelli, & aliorum falſum exiſtere. Quia hoſtiam non conſecratam, veluti conſecratam populo exponere, peccatum eſſe, & quidem gravius ſacrilegio, conſtat ex deciſione Innocentii Tertii *cap. de homin. de celebrat. Miſſar.* ubi loquens de quodam præsbytero, qui, eo quòd eſſet in ſtatu peccati mortalis, Miſſam celebrabat abſque intentione conſecrandi, dicit gravius peccaſſe, quam ſi ſacrilegè conſecraſſet, & Euchariſtiam ſuſcepiſſet. * Cum falſa, inquit Pontifex, ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is, qui pro ſui criminis conſcientia purat ſe indignum, peccat graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud (ſcilicet, ad conſecrandum, & communicandum;) gravius tamen videtur offendere, qui ita fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare: (attende) cum ille in ſolius miſericordis Dei manum incidat, iſte verò non ſolùm Deo (quem illudere non vetetur) ſed etiam populo, quem decipit, ſe obſtringat. * Hæc Innocentius. In quibus gravius peccatum declarat, hoſtiam non conſecratam, veluti conſecratam adorandam exponere, quam conſecrare, & communicare in peccato mortali, quia iſtud ſolum eſt contra Deum;

Deum; illud verò contra Deum, & homines. Ergo porrigere peccatori occulto hostiam non consecratam, quam externè tantum ipse peccator, & minister, & alii assistentes adorant, gravius peccatum est, quam consecratam ei communicare, quia in hoc casu solum contra Deum delinquitur: in illo autem contra Deum, & homines. Ergo vel solus cultus externus, & ficta adoratio (saltem, quæ ex errore intellectus procedit) habet rationem idolatriæ, quod evertit opinionem Patris Vasquez; aut sola simulatio, quæ in consecratione intervenit absque periculo idolatriæ, sufficit ad constituendum peccatum mortale gravius, quam sacrilegium. Hoc secundum censet Pater Vasquez *ubi suprà*, idquè putat efficaciter probabile ex decisione Innocentii Tertii supra commemorata. Cæterum cum Pontifex gravitatem peccati in casu supra adducto de Sacerdote fictè consecrante, desumpserit ex injuria facta populo assistenti sacro, & nulla injuria fiat, quando occulto peccato, de eius consensu, secretò hostia non consecrata separatim ab aliis posita porrigitur, non videtur hic casus in decisione Innocentii comprehensus, sed aliunde resolutionem deducendam, quia non loquimur de fictè celebrante deludendo populum, sed de occultè ministrante: in quo casu, si periculum idolatriæ non est (ut fatetur Vasquez) fictionem, & simulationem hanc non sufficere ad culpam, quando famæ peccatoris conservandæ causa fit; docent Doctores omnes, quos suprà citavi.

§. II.

Vera sententia.

10. SEd omnino tenendum, numquam licere hostiam non consecratam, veluti consecratam peccatori occulto porrigere. Sic cum D. Thoma 3. *part. quæst.* 80. *artic.* 6. *ad* 2. docent communiter Theologi apud Joannem Sanctium *ubi infrà num.* 3. quibus adhæreo. Moveor, quia licet periculum idolatriæ non adesset, ut contendit Vasquez, & fictio in Sacramentis ex causa justa admitti possit; ut D. Bonavent. & alii existimant; numquam tamen occurrere potest ejusmodi causa. Primò: quia peccator occultus potest actum contritionis elicere, (si confessionem præmittere non possit) & hostiam consecratam suscipere, quo famæ consulat, vel mortem non communicanti imminentem eviter. Si autem nolit, eius malitiæ tribuendum est, & sua culpa damnum incurret; vel spirituale, si indignè communicet, vel temporale, si (ut debet) à communione sacrilega abstineat. Secundo: quia licet peccator adeò esset obstinatus, ut potius eligeret sacrilegam communionem, quam à proposito peccandi desistere, & aliunde, ni communicaret, mors illi immineret, posset Sacerdos simulare se Eucharistiam in os illius immittere, ut benè docet Henriquez *libro* 8. *cap.* 33. *num.* 3. ubi sic: * Sacerdos non debet hostiam non consecratam dare peccatori occulto, ob eius finem, ne eius peccatum detegatur, quia hostia prius proponitur adoranda, quam sumenda: urgente tamen casu posset simulare se horam prius monito ministrasse, cum tamen occultè recondat hostiam in custodia. * Quem sequuntur Joannes Sanchez *in Selectis, disput.* 35. *num.* 9. Diana 4. *part. tractat.* 4. *resolut.* 47. & Leander *tom.* 2. *tractat.* 7. *disputat.* 7. *quæst.* 61. Casum autem occurrentem proponit Sanctius: * utsi maritus, inquit, natus esset mortem uxori, nisi communicaret, videns illam communicantem, suspicionem, quam adversus illam conceperat, deponeret; aut si non notum esset, maritum in Ecclesia illam observare, an communicet, vel minus, ad confirmandam contra eam suspicionem conceptam: nam cum maritus non habeat jus ad cogendum uxorem communicare, sicut licet vim vi repellere, ita & fictam contundere, retenta in mente æquivocatione. * Sic Sanctius. Hic enim casus cum Sacramenti fictionem non contineat, nec idolatriæ periculum præferat, sed Sacerdos præcisè concurrat ad continuandum defectum communionis, ob eventum spirituale, vel temporale peccatoris nocumentum, causam justam Sacerdoti offert ad præfatæ simulationem utendum. Idemquè dicendum puto communi Sanctium casu, quo urgente præcepto communionis, peccator non esset rectè dispositus. Nec est, quod in hoc casu ea uti prohibeat; quandoquidem non dissimilis simulatio in administratione Sacramenti Pœnitentiæ frequens satis est Confessariorum, qui pœnitentem, quem præ indispositione absolvere non possunt, simulant signis externis absolvere propter adstantes; & absque absolutione dimittunt: quo eius famæ prospiciunt, & sacrilegam irritæ absolutionis evitant. Cum igitur uno, vel altero modo ex dictis, famæ proximi, & cuiusvis alterius damno gravi imminenti occurri possit, quo opus sit, hostiam non consecratam loco communionis porrigere, inde fit, ad ejusmodi fictionem nullam causam nunquam adesse, atque adeò hoc semper illicitum fore.

§. III.

Quid de simulatione in Sacramento conficiendo.

11. HInc ad secundam difficultatem, supra positam, gradum faciens inquiro: utrum in aliquo casu liceat simulatione uti in confectione, vel administratione Sacramentorum? Affirmant Div. Bonavent. S. Albertus Magnus, Altisiodorensis, Adrianus, Angles, Mag. Sabellus, Villalobos, Franciscus de Lugo, & alii suprà citati, qui hostiam non consecratam veluti consecratam aliquando porrigere, licitum putant, quod supra rejecimus. Affirmant etiam alii, licet prædictum assumum, de hostia non consecrata, non admittant. Joannes Sanctius *in Selectis, disputat.* 35. *citata, num.* 2. Ludovicus de S. Juan 1. *part. Summ. tract. de Eucharist. quæstione* 7. *artic.* 8. *diffic.* 4. *folio* 67. Joannes Praepositus *in* 3. *part. quæst.* 2. *de Sacrament. Matrimon. dub.* 2. *numer.* 37. & 38. Diana 3 *part. tract.* 6. *Miscellan. resolut.* 83. Antonius de Escobar *ubi suprà*, & alii. Quos consentio.

12. Ad hujus sententiæ probationem supponendum est, simulationem in præsenti latè sumendam esse, & non ea stricta significatione, qua utuntur D. Thom. 2. 2. *quæstione* 111. *artic.* 1. ubi ait: * Simulatio propriè est mendacium quoddam in exterioribus signis factorum consistens. Non refert autem utrùm aliquis mentiatur verbo, vel facto, vel quocumque alio, ut suprà habitum est; unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens est etiam, quòd omnis simulatio sit peccatum. * Si enim simulatio in hoc stricto sensu accipiatur, certissimum

mum est, numquam ea uti licitum esse, sicut nec mendacio. Est igitur tantummodo quæstio, an sicut ex justa causa in aliis materiis, licet uti æquivocatione in verbis, & factis, quæ latè dicitur simulatio, (dissimulatio potiùs dici deberet) liceat etiam in administratione Sacramentorum. Et quidem quod in aliis materiis, aliquando æquivocatione, & amphibologia uti liceat. * Adeo certum est (inquit Thom. Hurtado *tom. 2. tractat. 7. cap. 1. numer. 8.*) quod sit error in fide id negare, constat enim manifestè ex sacra pagina. * Difficultas igitur solum est, an in re nostra locum etiam habere possit? Et affirmativè cum cæteris respondeo. Quia simulatio ex justa causa, ratione æquivocationis, aut restrictionis, quæ in mente retinetur, aut ratione alterius implicitæ significationis ex circunstantiis desumptæ, in aliis materiis à labe mendacii immunis est, ut probavi *sup. tract. de Religione, quæst. 6. de Juram. §. 4.* ergo, & in Sacramentis. Deinde non fit irreverentia Sacramento, nec proximo injuria quando ob reverentiam Sacramenti, aut ob proximi nocumentum vitandum, justa interveniente causa, æquivocatione utimur. Ergo non est cur in aliis, & non in Sacramentis, ex justa causa, simulatione uti possimus.

13. Quapropter hanc sententiam ultra citatos probabilem putat perdoctus Angelus Maria Verricelli *tom. 1. tractatu 1. quæstione 10. & 11. num. 3.* * Probabile, inquit, est, licere metu mortis simulare Sacramentum Pœnitentiæ, vel alia, obmutmurando verba, vel proferendo sine intentione absolvendi. Probatur: quia quando non est, neque materia, neque forma Sacramenti, tunc non dicitur Sacramentum irreverenter tractari; neque dicitur irritari. Hoc fatentur ipsi adversarii agentes de Sacramento matrimonii, de quo omnes asserunt non committere sacrilegium contrahentem invalidè ex metu gravi; etiamsi exterius proferat verba, quibus contrahi solet matrimonium. Ratio est, secundùm ipsos, quia cum materia Sacramenti matrimonii sit contractus legitimus, qui tunc ob gravem metum non adest, idò tunc non est materia Sacramenti, & cum non sit materia Sacramenti, neque cogitent conjuges de confectione Sacramenti, sed de contractu; consequenter non adest Sacramentum, quod irritetur, aut irreverenter tractetur, &c. Ergo adversarii idem docere tenentur in casu nostro, cum Sacerdos metu mortis simulat, se absolvere proferendo verba absque intentione absolvendi, quia tunc non adest materia proxima, cum pœnitens sit indispositus, neque habeat dolorem: neque adest forma: tunc enim tantùm est forma, quando profertur intentione absolvendi; ut docent Pontius, Valentia, & Castro Palao: ergo non debet dici in hoc casu Sacramentum irreverenter tractari, aut irritari. * Hæc ille. Ex quibus concluditur, quod existente justa causa excusante à labe mendacii æquivocationem in verbis, quibus confectio, vel administratio Sacramenti simulatur, non est cur ob metum saltem mortis, non liceat simulatione hujusmodi in omnibus Sacramentis uti.

14. Hinc si hæreticus (non in odium fidei) minaretur mortem Sacerdoti, nisi omnem panem in foro existentem consecraret, posset ille consecrationis verba profetre absque intentione consecrandi, absque ullo peccato contra Religionem, vel justitiam, & absque ulla mendacii labe: habet enim justam causam utendi æquivocatione. Sic Joannes Sanchez *in Selectis, disputat. 35. num. 3.* * Nec obstat, inquit, aliquos adorare talem panem, tanquam consecratum, erit enim solum idolatria materialis, quam Sacerdos in illo casu vitare non tenetur: gravius namque esset consecrare, & multas particulas perire. * Sic ille. Non tamen inde inferas, licere malum operari ad gravius malum vitandum: hoc enim in hujus auctoris mentem venire non potuit; sed intentum illius est, non esse malum in his circunstantiis non evitare materialem idolatriam, quam ex justa causa permittere, licitum putat. Et quidem si ratione fictionis, vel simulationis, peccatum in præsenti casu non committitur, dissentire nequibit Vasquez *ubi suprà*, quia, ut vidimus, idolatriam non judicat, absque expressa intentione adorandi pro Deo, quod non est; ideòque de hac ratione vitandi idolatriam materialem; quam ipse non videtur admittere sine formali, parum curavit. Cui ego non assentior. Nam Gentiles, qui Jovem, aut Lunam, vel Solem adorabant, omnes Patres vocant idolatras, & tamen ipsi adorabant, quam ibi existimabant, ex errore, adesse veram divinitatem: ergo cum in casu prædicto fideles adorassent contentum sub speciebus panis, quod ex errore ipsi putarent esse Christum, verè materialem idololatriam committerent, licet à culpa propter invincibilem ignorantiam excusarentur, vel propter gravius malùm vitandùm, ut ait Sanctius suprà, cui plures dissentiunt.

15. Quapropter melius responderi posset, in tali eventu fideles ex circunstantia metus injustè illati Sacerdoti, ad consecrandum omnem panem in foro existentem, debere prudenter dubitare de intentione Sacerdotis; ideòque solum posse adorare sub conditione, quod vera consecratio præcesserit, & hanc esse expressam omnium voluntatem, & talem præsumendam: qua omnis idolatria etiam materialis vitatur. Ad hanc enim requiritur error, quod divinitas vera ibi lateat, quo deficiente, idolatria materialis non est: sicut ad formalem requiritur expressa, vel implicita intentio adorandi pro Deo id, quod non est, & cum hic error in casu præsenti non adsit, sed vel purum dubium, vel suspicio; & magis debeat quivis inclinare, quod non fuerit consecratio; dicendum est, signa ipsa externa adorationis procedere ex voluntate conditionata, quæ ad materialem etiam idolatriam constituendam non sufficit. Ideò hanc conditionem adhibendam esse, quoties fuerit ratio sufficiens ad prudenter dubitandum (ut in præsenti contingit) benè docet Suarez *tom. 3. in 3 part. disputat 65. sect. 2.* Cum igitur Sacerdos, qui ex gravi metu verba consecrationis absque intentione profert, ad voluntatem tantum conditionatam occasionem præbeat; non est dicendum, quatenus est ex se, facere alios idolatrare, sed ad summum dubitare de consecratione. Ratione cujus expressam conditionem adhibere debent, qua posita, omnis idolatria, etiam materialis, vitatur. Hac solutione uti poterit, cui à Joanne Sanctio præfata non placuerit, licet planè non videam, cur admitti non possit, quia nec rationi dissonat, nec est, cur cum mortis periculo, teneatur Sacerdos materialem aliorum idolatriam vitare, quando nec fidei, nec eorum saluti nocet. In aliis autem Sacramentis, simulationem admittere minus dissonat.

16. Et quidem in Sacramento Pœnitentiæ licitum esse simulatione uti, proferendo verba absolutionis absque intentione absolvendi, ob fugiendam mortem Sacerdoti aliter à pœnitente indispositio commi-

comminatam, haud difficilè percipitur. Et ita concedunt Ludovicus de S. Juan 1. *p. Sum. tract. de Eucharist. q. 7 art. 8. folio 167.* Diana 3. *p. tract. 6. Miscell. resol. 83.* & Joannes Sanchez *ubi suprà disput. 35. num. 7.* * Tunc enim, inquit, justa adest causa utendi æquivocatione: sicut ille, cui minata fuit mors à latrone, nisi juret, se daturum centum aureos, poterit verba juratoria exterius proferre absque intentione.*

17. Quoad Sacramentum matrimonii ferè omnes conveniunt, hanc doctrinam esse admittendam, etsi in aliis Sacramentis non admitteretur. Quod tradit cum Navarro, & aliis Thom. Sanchez *lib. 1. de Matrim. disputat. 11.* ubi gratiâ vitandi magni scandali existimat, posse proferri verba, æquivocatione mente retenta, absque intentione contrahendi. * Æquivocatione, inquit, uti, ubi justa causa subest, communis sententia habet: ut si intelligat: Accipio te in meam, si ad id teneor; sicuti in simili asserunt Sylvester, Angelus, Navarrus, Ludovicus Lopez, &c. Quod si opponas irritum reddi Sacramentum. Dico cum Heurquez, diversum esse in hoc Sacramento, & in aliis sentiendum: cum enim ultra Sacramenti rationem, contractus naturam induat, potest ea ratione, qua contractus est, absque Sacramenti injuria, irritum reddi, quando causa justa ad id cogit. * Quod iterum cum Petro de Ledesma tradit *lib. 4. disp. 16. num. 1.*

18. Verum licet conclusioni consentiam, rationem non probo: quia existimo, eamdem, quæ in aliis Sacramentis, in matrimonio militare; & ideò ad objectionem, quam sibi opponit Sanchez, omnino negandum censeo, irritum reddi Sacramentum, quia ad hoc necessarium erat, quod adhiberetur forma Sacramenti, & tamen non resultaret ex ea ob defectu; quod in præsenti non contingit: quia verba absque intentione contrahendi non habent rationem formæ, ut cum Basilio de Leon, Valentia, & Palao docet Verricelli *ubi suprà tom. 1. tract. 1. quæst. 10. & 11.*

19. Addo rectè stare posse intentionem efficiendi contractum matrimonialem, absque intentione efficiendi Sacramentum, ut contingit, quoties inter absentes contrahitur, juxtà opinionem Cajetani, Victoriæ, & Cani, quos citatos sequitur Franciscus Sylvius *in 3. p. quæst. 42. art. 1 quæsito 3. concl. 2.* aut saltem quando contrahentes non intendunt facere Sacramentum, ut docent Villalobos *in Sum. tom. 1. tract 13. diffic. 6. num. 4.* Basilius de Leon *tom. de Matrim lib. 1. cap. 9. num. 3.* Vasquez *tom. 2. in 3. p. disput. 138. cap 5.* Hurtad. Rebellus, & alii, quos sequitur Diana 3. *p. tract. 4. de Sacram. resol. 255.* Ergo si quis ex justa causa (verb. grat. quia urget contrahere per procuratorem, & quia excommunicatus est, nequit licitè Sacramentum matrimonii recipere) haberet intentionem efficiendi contractum, non verò Sacramentum, non fieret Sacramentum, non tamen redderetur matrimonium irritum, quatenus contractus est: sed nulla fieret injuria Sacramento. Ergo ratio adæquata, cui innititur, posse dari simulationem in Sacramento matrimonii non est, quia, ut contractus, possit irritum reddi, ut volebat Sanchez. Nam optimè stat, quod maneat validum, ut contractus, & tamen quod ex justa causa non adhibeant contrahentes formam Sacramenti; nempè verba ex intentione faciendi, quod facit Ecclesia; qua deficiente, cum desit forma, non redditur irritum Sacramentum. Sicut Pœnitentiæ Sacramentum non dicitur irritum reddi à Sacerdote, qui postquam peccatoris rectè dispositi confessionem excepit, eum tamen ex justa causa (nempè, quia jurisdictionem sen non habere mentit) absque absolutione dimittit; quia licet non fuerit materia, defecit forma, qua non adhibe se celebratum, in quo, quando justa adest simulandi, utendo æquivocatione, nulla inest irreverentia.

20. Ex quibus concludo, in omnibus Sacramentis licitum esse ex justa causa simulatione uti, proferendo verba formæ absque intentione requisita, et hanc conclusionem longè veriorem esse, quam de communione in hostia non consecrata peccatori occulto conferenda, & omnino ab illa dependentem, ut constat ex supra dictis, quamvis ex illa ad istam optimè valeat consequentia, multò à difficiliori, ut benè expendit Escobar ubi suprà.

QVÆSTIO III.

An Sacramento invalido, ex defectu intentionis Ministri, gratiam sollo-minus sanctificans à Deo conferatur?

1. INtentionem Ministri necessariam esse advertem Sacramenti, definit Tridentinum *sess. 7. can. 11.* ubi eius qualitatem simul exponit. Idem *dixerit in Ministro, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, qua facit Ecclesia, anathema sit.* Hoc posito, difficultas est, an deficiente valore Sacramenti Baptismi, et defectu ejusmodi intentionis Ministri, certum sit, juxtà præsentem providentiam, infantem absque baptismo decedentem ad salutem æternam non perventurum?

2. Prima sententia est, in tali eventu, Deum supplere defectum baptismi, quoad eius effectum, conferendo scilicèt gratiam sanctificantem, & remissionem peccati originalis: ac proinde puerum decedentem baptismo discedentem gloriam obtenturum. Ita Div. Thom. *in 4. sent dist. 6. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2.* Ubi ait: * *Si deest mentalis intentio in baptizante puerum, piè creditur, quod Summus Sacerdos, suppleat defectum suppleat, & salutem ei conferat.* Quod iterum tradit 3 *p. quæst. 64. art 8. ad 2.* ibi: *Quidam dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quæ deficit, non perficitur Sacramentum, sed hunc defectum in puero supplet Christus: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & devotio. Sed hoc satis posset dici, quo ad ultimum effectum, qui est sanctificatio à peccatis. Sed quantum ad characterem, non videtur per devotionem accedentis posse suppleri.* Hæc D. Thomas, quæ ex illo fideliter excerpta refert Andræus Guimenius in opusculo pro Jesuitis *de Baptismo, prop 2, num. 10.* Quam sententiam, ex discipulis D. Thomæ sequuntur Sylvester, Summa Confessorum, Chrysostomus, Jabellus, Barthol. mæus ab Angelis, Zanardus, Viguerius, Graffius, Omnes referens tradatur ex eodem instituto R. M. Joannes Martinez de Prado, olim Primarius Complutensis *in 3. p. q. 64. dub. 7. §. 6. n. 76.*

3. Eidem pietatis fundamento insistens M. Sylvester, *verb. Baptismus 2 quæst. 5.* idem consequenter asserit; licèt defectus valoris baptismi ab intentione proveniat. * *Si subtrahatur, inquit, aliquid de forma*

formæ baptismi; creditur quod suppleat Summus Sacerdes: ut si moriatur puer ante formæ perfectionem. Idemque tradit infrà *q.* 7. si defectus valoris proveniat ex corruptione verborum, ibi: *Sicut dictum est*, §. 5. *de substractione, ita & de corruptione dicendum; scilicèt, quod si non sit facta ex malitia, etiamsi sensum tollat, si moriatur puer, Deus supplet; si autem vixerit, baptizabitur sub conditione.* Sic ubi suprà, *& verb. Baptismus* 4. *quæst.* 10. *num.* 8. Quem sequitur M. Joannes Baptista Corradus 2. *par. q.* 84. etsi uterque hanc partem sustineat contra D. Thomam, ut fatetur ipsemet Sylvester illo citato.

4. Idem prorsus docent alii, quando parvuli absque Sacramento Baptismi decedunt, eò quod eis applicari non potuit. Ita Cajetanus, ut refert M. Sotus *in* 4. *distinct.* 5. *quæst. unica, art.* 2. §. *Gravius autem.* Ubi sic: *Ad hæc accedit modo opinio Cajetani, quod parvulos sine Sacramento, dum applicari non potest, Deus ab originali liberabit. Idemque dicturus est infrà art.* 11. *de illis, qui in utero moriuntur.* Ab hac sententia non longè distat M. Dominicus Baltanas *in Margarita Confessorum, fol. mihi* 199. *in editione Complutensi anno* 1554. ibi: * Quæritur utrùm sine baptismo, qui possit salvari? Dicendum, quod secundùm legem communem damnabitur; secundùm D. Thomam piè tamen creditur, quod si Mater prægnans faciat aliquod speciale obsequium Deo pro salvatione pueri. Si contingat aborsus, vel infans ex defectu aquæ, sine baptismo moriatur, quod non damnabitur, sed ex Dei misericordia valebit ad remissionem originalis, &c. Imò aliqui tenent, quod si quis Christianus faciat aliquid pro salute puerorum infidelium, quod salvantur, quia talis tenet locum Ecclesiæ, & parentum. Non tamen hoc est certum. * Cui consonat ex eodem instituto M. Campanella, qui ut refert Vincentius Baronius 2. *par.* Manuductionis contra Amadæum Guimenium *disp.* 1. *sect.* 2. §. 3. *fol.* 139. *& iterùm disp.* 2. *sect.* 2. *fol.* 216. affirmat: * Parvulos, dum deest aqua ad baptismum salvos fieri posse Sacramento legis naturæ, id est benedictione paternâ, aut aliâ simili cæremoniâ, quæ magis sit in promptu, quàm aqua. * Sic discurrunt Doctores citati.

5. Cæterùm de fide est, baptismum esse necessarium ad salutem, quod definitum habemus in Tridentino *Sess.* 7. *can.* 5. his verbis: *Si quis dixerit baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* Necessarius autem non esset, si eo, in re, & in voto deficiente (ut parvulis sine illo decedentibus contingeret) salvi possent fieri. Ideòque nullum salvari possesine baptismo, definit *Sess.* 6. *c.* 4. ubi de justificatione ait esse translationem ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ. * Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest. sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. * Hæc est Catholicorum sententia, quam tradit cum Augustino (*tom.* 3. *lib.* 7. *de origine animæ, cap.* 9.) D. Thom. *quodlib.* 6. *q.* 3. *art.* 4. Ubi sic: * Manifestum est, quod in pueris nondum habentibus usum rationis non potest esse motus fidei, & dilectionis, & ideò non possunt salvari, nisi per baptismum aquæ, vel per baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur, ut Augustinus dicit de innocentibus. * Sic Angelicus Præceptor. Ubi ut adnotat R. P. Antonius de la Parra & Arteaga, ex Religiosissimo Clericorum Minorum instituto, vir doctissimus, & in D. Thomæ operibus versatissimus, *tomo de Sacramentis tr.* 2. *de Baptismo, disp.* 2. *q.* 2. *art.* 2. *fol.* 126. * D. Thom. sibi opponit, & respondet ad argumenta Cajetani, ut pateat, quam oppositus sit in hac parte, Magistro commentator. * De sententia autem, quam cum D. Thoma ipse amplectitur, *fol.* 125. inquit. * Hæc resolutio ita certa visa est authoribus communiter contra Cajetanũ, ut plures damnificent Cajetani sententiam, jam ut hæreticam, jam ut erroneam, jam ut temerariam, ut videri possunt apud Aversam, *q* 66. *par.* 2. *concl.* 2. * Sic ille, & meritò. M. enim Sotus, ubi suprà eam explodit, dicens: * Fateor me non intelligere, quomodò valeat *citra errorem defendi*, & apertius, §. *At verò*, pluribus Divi Augustini testimoniis illam confutat. M. Cabrera de Sacram. *quæst.* 64. *art* 8. *disp.* 1. §. 6. *n.* 65. *&* 66. inquit, *esse temerariam, & erroneam.* Denique quod secundùm præsentem providentiam Deus suppleat defectum Sacramenti Baptismi in pueris conferendo gratiam, ita incertum ait Sotus *in* 4. *dist.* 1. *q* 5. *art.* 8. *ut sit temerarium credere:* * Quod, inquit, ubicumque locus occurrerit, admonere non cessabo. * Et promissis steterit *dist.* 3. *q unica, art.* 6 *concl.* 1. ubi locus occurrit, dicens esse *temerarium asserere.* Qualitatem censuræ judicio Ecclesiæ relinquo. Quia propositioni universali definitæ, circà necessitatem baptismi ad salutem, & adstruenti impii justificationem, post promulgatum Evangelium, *sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse*, immediatè opponitur, quæ asserit pueros sine baptismo decedentes salvos fieri; negat enim baptismi necessitatem ad salutem. Quapropter ab hæreseos nota eximere non audet M. Joannes de la Cruz *in direct.* 1. *par. q.* 3. *de Baptismo, dub.* 7. ibi: * An pueri sint baptizandi ut salventur? * Conclusio affirmativa definita est in Tridentino: & proximiùs *quæst.* 3. *dub.* 1. * An possit quis salvari sine baptismo? Conclusio negativa definita est in Tridentino *sess.* 7. *can.* 5. * Vide Sotum *sup. dist.* 1 *q.* 5. *art.* 8. §. *Gravius tamen; & dist.* 24. *quæst.* 1. *art.* 4. *vers. Ad* 1. *igitur.*

§ I.

Animadversio in Baronium.

6. AD hæc iterum inculcanda, & crambem recoctam apponendam invitum me trahit Vincentii Baronii vitiligatio, in opere contra Amadæum, *disp.* 2. *sect.* 2. §. 2. *fol.* 212. *&* 217. Ubi enormiter truncatum blaterat D. Thomæ locum de intentione Ministri, *ex* 4. *sent. dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. Cujus verba cum Amadæo fideliter excerpta adduxi, ubi suprà. In quem tamen ipse immisericorditer sic invehitur. * Divo Thomæ instruit insidias ex 4. *sent. dist.* 5. (lextam leg) *art.* 2. ubi referens aliorum opiniones sic præfatur. *Quidam dicunt: si desit mentalis intentio baptizandi puerum, piè creditur quod Summus Sacerdos, scilicèt, Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat.* At Amadæus punienda fraude, erasis primis verbis: *Quidam dicunt*, reliqua refert quasi dicta à D. Thoma ex propria mente, si desit intentio baptizantis suppleri à Deo. Nec contentus impegisse in hunc errorem, adjungit alterum ad finem secundæ propositionis de baptismo Martyrii. * Sic Baronius, *fol.* 212. Quibus non contentus, de Amadæo apertæ calumniæ convicto, plausum quærens, concludit *fol.* 217. * Adversarii calumniã deteximus reverà severissimè castigandam; nisi atrox scelus majus supplicium esset quaeliber

libet pœna à nobis deposcenda. Imò Deum precamur, ut quas commeruit, condonet.* Hactenus Baronius in Amadæum.

7. Sed quem hostem petis mi homo? Tuæ eloquentiæ Bullæ facilè diffluntur, & quod doleo: cecidit obliquo ictu in fundibularii caput emissus lapis. Igitur ut loco beneficii, quam enormem loci D. Thomæ truncationem incautè declamasti, gratus reponas, ejus contextum, argumentum, & solutionem ob oculos ponam, ut quæ in ipso Angelico præceptore legere non vacabit, modo coactus perlegas. Argumentum quod loco citato ex 4. *sent.* sibi objicit D. Thomas, contra necessitatem intentionis Ministri, est hujusmodi. * Intentio hominis non est alicui certa, nisi sibi, si ergò requiritur intentio ad baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus, nisi apud eum, qui baptizavit. * Huic igitur argumento (quod iterùm proponit 3. *part. q.* 64. *art.* 8.) Duplicem solutionem adhibet D. Thomas ubi suprà: Aliam Deum supplere defectum baptismi, quoad ejus effectum, conferendo scilicet gratiam sanctificantem, & remissionem peccati, non verò confici Sacramentum. Aliam utrumque absque Ministri intentione coalescere, & Sacramentum validum, & formatum. En Angelici Præceptoris verba, *ex* 4. *sent. dist.* 6. *art.* 2. * Ad secundum dicendum, quod ad hoc, secundùm diversas opiniones, respondetur. Quidam dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum baptismi, tamen in adulto supplet fides, & devotio defectum baptismi, ut periculum ex hoc, baptizato qui ignorat intentionem baptizantis, non proveniat. Si autem puer; piè creditur, quod Summus Sacerdos, scilicet Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat, &c. Alii dicunt, quod in baptismo, & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum externum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideò si forma servatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. * Hæc D. Thomas *in* 4. *sent. dist.* 6. *art.* 2 *q.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2.

8. Ejus Baronii liberum harum solutionum delectum tibi facio, quam malueris elige ex propria mente à D. Thoma exhibitam. Primam à consilio ei attribuit Amadæus, * & nos cum illo suprà (& si primo loco positam) utpotè distantiorem ab hæresi in Concilio Trid. *Sess* 7. *can.* 11. damnata. Manifestum enim est minùs repugnare ejus definitioni requirenti ad valorem Sacramenti *intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia*, opinionem, quæ asserit, deficiente intentione Ministri, baptismum non confici, sed quoad effectum gratiæ sanctificantis, Deum illum supplere; quam quæ & baptismum etiam perfici defenderit. Illud prima solutio adstruit, hoc secunda; quàm ideò censuris suprà datis, Doctores inurunt, & quam non esse juxtà D. Thomæ opinionem, jure conantur adstruere M. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 8. & Cajetanus 3 *par. quæst.* 64. *art.* 8. est enim in Concilio expressè damnata, ut ait P. Vazq. *in* 3. *par. tom.* 2. *disp.* 138. *cap.* 3. & ante illum M. Victoria in Summa, *ubi de Baptismo, fol.* 27. *num.* 34. ibi: * Secundùm fidem ita tenendum; & opposita assertio est hæresis, ut definitur in Concilio Tridentino *sess.* 7. *can.* 5. & idem fuit definitum in Florentino sub Eugenio Quarto. Secunda ergò ex solutionibus, qua ex aliorum mente, ad argumentum secundum solvendum usus est D. Thomas, vel ut potiùs dicam, quam ibi refert, tamquam ab ejus opinione alienissima explodenda est. Ex prima tantùm ex proprio marte adhibita ei est attribuenda. Hoc *stiganda fraude*, ex loco citato erasimus verba illa *dam dicunt*, sed quia ad solutionem ex propria mente D. Thomæ exscribendam, non conducebant, mò confundebant, & non primam, sed secundam illum amplexari innuebant. Quæ si Baronius advertisset, vel si D. Thomæ locum consuluisset, sibi non serè delapsus non esset, ut nulli verborum fumum, nulli fraudi parcens, solutionem à D. Thomæ exhibitam errorem incautè appellaret, dicens: *Baronius tentus impegisse in hunc errorem. &c.*

9. Adde; non solùm non vacasse Baronio Divi Thomæ locum *ex* 4. *sent.* consulere; sed, quod omnem admirationem superat, nec Amadæum, quem enormiter truncasse locum D. Thomæ causatur, hostem fingens quem impugnaret. Ubi nim immediatè proximè, nullâ factâ interpellatione, post verba quæ Baronius ab Amadæo truncata jactat (nempè quod omiserit illa, *quidam dicunt* subjunxit Amadæus locum alium D. Thomæ ex p verbis. Quod iterùm tradit 3. *p. q.* 64. *art.* 8. ad 2. D bi ait: * Quidam dicunt, quod requiritur mentis intentio in Ministro, quæ si desit, non perficit sacramentum, sed hunc defectum in pueris supplet Christus, &c. Sed hoc satis posset dici, quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis, quantum ad characterem, non videtur posse supponi. * Hæc ex D. Thoma fideliter excerpta, in eodem paragrapho, post locum *ex* 4. *sent.* addunt Amadæus. Quorum meminisse noluit Baronius, sed silentio præterit, ne calumnia, quam Amadæo impingit, deregeretur: cum expræfato loco ex 3. p. dicit innotescat verba illa, *quidam dicunt*, ex illo eruditi, ne leviter quidem, innuere D. Thomam eorum solutioni non consentire: refert enim, quosdam dicere, deficiente intentione Ministri, Deum supplere defectum Sacramenti quoad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis, ipsique suum calculum adjungit. Itanè verò? Nil ergò peccavit Amadæus, cùm solutionem ex proprio D. Thomæ sensu adhibitam retulit omissis iy *quidam dicunt* (*ex* 4. *sent.*) Quinimò & laudi vertì deberet silentium, quo vi Thomæ sententiam expressit, & ab aliis imposturis purgavit. Undè graviter Baronius peccavit dum ex hoc capite calumniam illi instruxit, deprehendi facilè convinci posset. Ubi ergò Baronius *punienda illa fraus*? Ubi *enormis truncatio loci*? Ubi *adversarii calumnia severissimè castiganda*? Ubi *scelus*? Inceptas quæso preces absque interruptione prosequere, nos enim tecum *Deum precamur, quas impostor commeruit pœnas condonet.* Tum *fama ago.* Verùm si probris, & contumeliis dolorem sensum demulcere, & lenire conaris; evomegò & uno semel flatu expectora recoctum contrarius in Amadæum Guimenium. Miserationi Deum ipse dabit, non iræ.

10. Cæterùm ne in posterùm fraudi tua reum condemnes; & erroris notam, ignoto autore, ejus sententiæ inuras, siste paulisper, & ad quæ scribis animum adverte, ne dum elegans tua vota expromis, res pro votis non succedat. ne deterius quid tibi contingat, monitum te lim D. Thomam non solùm ad baptismum, sed lia etiam Sacramenta ex defectu Ministri invalida supplementum à Deo Summo Sacerdote, pietati innixum, quoad effectum gratiæ sanctificantis petivisse. Sic in eodem libro 4. *sent. dist.* 24. *q.* 3. *art.* 2.

art. 2. quæst. 3. ad 2. ibi: * Ad secundum dicendum, quod talis, (nempè qui baptizatus non est) si ad Sacerdotium promoveatur, non est Sacerdos; nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali: undè secundùm Canones debet baptizari iteratò, & ordinari: etsi etiam in Episcopum promoveatur, illi quos ordinat, non habent ordinem. Sed tamen (attende) piè credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, Summus Sacerdos suppleret defectum. * En Baroni, quem aggrederis Pygmæus Herculem, Tersites Achillem. Cur ergò Amadæo, vel ex eo quod referat, succenses? Quo æstro percitus in eum furis?

§. II.

Altera Baronii calumnia detegitur.

11. EX superiùs dictis satis constat primam solutionem, quam ex duobus D. Thomæ locis fideliter exerptam, & ex propria ejus mente adhibita argumento, contra necessitatem intentionis Ministri, sibi objecto, selegimus, non admittere Sacramentum Baptismi confici deficiente intentione Ministri; hoc enim dicere nefas est, sed Deum ejus defectum supplere quoad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis. Nihilominùs Vincentius Baronius Amadæũ hostem appetens, ei imponere non dubitavit solutionẽ nefandam, tanquã ex propria mente adhibitã D. Thomæ adscripsisse: nempè deficiente intentione Ministri, validum etiam confici Sacramentum: *Si Amadæo*, inquit *fides ulla sit: ipse D. Thomas non omninò certus figit pedem, sed in hoc lubrico titubat, & cadit; cum supplementum aliquod intentionis ad validum baptismum necessariæ, repetit à Deo Summo Sacerdote.* Hæc Baronius, nullo tamen Amadæi testimonio obsignata: quod ex solo figuli cerebello ortum habere poterat. Quia Amadæus *ex 4. sentent.* hanc solutionem, etsi secundo loco positam, consultò referre omisit, censens & meritò omninò alienam ex mente D. Thomæ. Et *ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* sententiam oppositam ipsius verbis ex scriptis refert, quibus Angelicus Doctor concedit defectum intentionis Ministri suppleri à Deo Summo Sacerdote, quantum ad ultimum effectum Sacramenti, non verò quoad ejus valorem. * Hoc, inquit, satis posset dici quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis, sed quantum ad characterem non videtur per devotionem accedentis posse suppleri. * Hæc ex D. Thoma refert Amadæus. Ex quibus agnosces, quàm citò Baronius suæ maleficentiæ meritas dedit pœnas. Indulgentiæ tamen, non vindictæ, ideò subjiciendus; viro enim occupatissimo, tam D. Thom. quam Amadæum, à limine tantùm salutare licuit.

12. Hinc ortum habuit altera calumnia, quam ibidem Baronius affinxit, dicens * Nec contentus (Amadæus D. Thomam) impegisse in hunc errorem, adjungit alterum ad finem secundæ propositionis de baptismo Martyrii. * Cùm tamen ad finem hujus propositionis, nullum D. Thomæ locum Amadæus citaverit; nec pro opinione de baptismo Martyrii (quo ad infantes etiam in utero existentes) alium authorem præter Sotum adduxerit (in editione scil. Lugdunensi, quæ præ manibus fuit Baronio. Licèt posteà in Matritensi, superaddiderit M. Cotrado *2. p. q. 62.* M. Serra *3. p. q. 66. art. 12.* & M. Prado *eadem quæstione, dub. 12. num. 65.* dicentem esse ferè communem) Nullum ergò errorem, nec D. Thomæ, cujus non meminit, nec aliis authoribus, quos refert, Amadæus adjunxit. O Baroni! sic operam, & atramentum perdis? Sic ad calumnias paginas reples? Doleo.

§. III.

Quænam intentio ad valorem Sacramenti, ex mente D. Thomæ sit necessaria?

13. GRavis inter Doctores est difficultas, in enodanda mente D. Thomæ, circà intentionem in Ministro requisitam, ad conficiendum Sacramentum. Dubium suboritur ex duplici Angelici Præceptoris loco suprà citato: Alio *ex 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. quæst. 1. ad 2.* Alio *ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* In primo enim loco quorumdam opinionem refert, nec refellit asserentium: *Quod in baptismo, & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum externum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta; & ideò si forma servatur, nec aliquid interius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* Quam solutionem secundò adhibitam cuidam argumento oppugnanti necessitatem intentionis Ministri ad valorem Sacramenti, ostendimus suprà, prodire non potuisse ex propria mente D. Thomæ. Recrudescit verò difficultas ex alio loco *ex 3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* Ubi exposita aliorum sententia existimantium, deficiente intentione Ministri, validum nihilominùs Sacramentum baptismi perfici, eò quod Deus supplet defectum quoad parvulos; & fides, devotione adjuncta, quoad adultos: concludit D. Thomas. *Ideò alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ; cujus est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, recipientis Sacramentum.* Ergò ex mente D. Thomæ licèt desit mentalis intentio in Ministro, validum tamen conficitur Sacramentum ratione intentionis Ecclesiæ, quæ verbis formæ exprimitur, dum contrariam Sacerdos externè non manifestet, quantumvis internè retineat. Quod videtur coincidere cum solutione secundo loco posita in præcitato loco *ex 4. sententiarum.*

14. Cæterùm ut benè ait Cardinalis de Lugo *tom. de Sacram. disp. 8. sect. 4. num. 64.* cum Cajetano *3. p. q. 64. art. 8. ad 2.* Incredibile est D. Thomam, in his locis, sensisse Sacramentum posse validè conferri absque intentione interna Ministri. Quod ex ipsomet Angelico Doctore omnium optimè ostendit P. Suarez *tom. 3. in 3. p. q. 64. art. 8.* Quibus ego lubens assentior: primò quia statim *art. 10.* ejusdem *quæst. 64.* contrarium supponit dicens: *Cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, talis perversio tollit veritatem Sacramenti: præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Quibus apertè tradit derisionem internam, quæ nil aliud est, quàm defectus intentionis, vel voluntas non conficiendi Sacramentum, ejus valorem tollere, id verò multò certiùs est, si præfata voluntas, seu defectus intentionis exteriùs manifestetur. * Ly enim *præcipuè* (quod Divus Thomas subdidit) exprimit

casum minùs dubium, & alium magis dubium includit, *ut optimè cum aliis tenet Barbos. *dictione* 274. Secundò probatur, quia in eodem *art.* 8. *ad* 3. explicans habitualem intentionem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, subnectit: *Puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circà baptizandum, quod facit Ecclesia. Undè si postea in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.* Per quæ explicandus venit, in his, quæ ad 2. dixerat. Tertiò probatur, quia ibi æqualem intentionem requirit ex parte Ministri conferentis ac ex parte adulti suscipientis, & æquè utriusque defectum veritatem Sacramenti tollere affirmat, *Si exterius exprimatur.* Et tamen si internè ex parte recipientis deficiat, licèt nullo actu externo manifestetur, non perficitur Sacramentum, ut tradit *q.* 68. *art.* 7. *ad* 2. dicens: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus.* Ergò licèt in Ministro internè tantùm deficiat intentio, non perficietur Sacramentum; & mens D. Thomæ alia non est, quàm id certiùs esse, quando intentionis defectus externè exprimitur. Quartò probatur, quia *q.* 64. *art.* 8. *citato in corp.* expressè asserit requiri intentionem Ministri, qua ablutio aquæ, de se indifferentis ad munditiam corporalem, determinetur ad Sacramentalem effectum. Et infrà ad 1. *Et ideò*, inquit, *requiritur ejus intentio, qua se subjiciat principali agenti, ut scilicèt intendat facere, quod facit Christus; & Ecclesia.* Quid clariùs!

15. Solutionem verò argumenti, quod sibi objecit D. Thomas, fateor difficilem: illius enim vis in eo posita. Si mentalis intentio Ministri necessaria sit ad valorem baptismi, cùm ipsi tantùm sit nota, nullus certus esse poterit, quod baptismum susceperit: ac proindè omnes erunt semper dubii, & anxii, an ritè baptizati sint. Respondet Vincentius Baronius *ubi sup. fol.* 217. *Hujus argumenti vim D. Thomam infringere, intentione Ecclesiæ, verbis Ministri expressa, quæ tantæ est efficaciæ, ut privatum Ministri errorem corrigat. * Sed quidem cum fide sanctum sit intentionem Ministri, *saltem faciendi, quod facit Ecclesia* necessariam esse ad valorem baptismi: si hanc ille non habeat, intentio Ecclesiæ defectum non supplebit: aliàs nisi exteriùs exprimatur, nunquam valor Sacramenti deficere poterit ex defectu intentionis Ministri, quod hæreticum est. Intentio ergò Ecclesiæ in eo tantùm eventu privatum Ministri errorem corrigere poterit, quando iste habuerit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quam tamen ipse internè irridet, puramque ceremoniam ad illudendos homines inventam judicat. Ergò cùm Minister carere possit intentione faciendi, quod facit Ecclesia (quinimò & contrariam internam habere, si illa necessaria sit ad valorem baptismi; & illius incerti simus, dubietas & anxietas baptismi non vitantur. Recrudescit ergò argumenti difficultas, non evacuatur, solutione Baronii.

16. Aliter explicat D. Thomam Cajetanus 3. *p. q.* 64. *art.* 8. *ad* 2. dicens: * Ad certitudinem nostram de susceptis Sacramentis, intelligendum est, sufficere intentionem Ecclesiæ per verba Ministri expressam, nisi per Ministrum, aut suscipientem contrarium exprimatur. Ità quòd non intendit Author, quod hæc sufficiant ad perfectionem Sacramenti simpliciter, sed ad perfectionem ejus secundùm humanam certitudinem. Per hoc enim evitatur inconveniens, quod quilibet incertus possit esse de susceptis Sacramentis. * Sic Cajetanus, quem alii Thomistæ communiter sequuntur. Sed non quiescit animus. Quia si deficiente Ministri intentione, ut concedit Cajetanus, intentio Ecclesiæ non supplet, ut perficiatur Sacramentum: cum homines certitudinem non habeamus de intentione Ministri, undè illam habere poterimus de valore baptismi? Quod si dixeris ad hujusmodi certitudinem sufficere, quod exterius defectus intentionis non exprimatur: non facilè id persuadebis baptizatis à perversis Ministris, hæreticis, Mauris, & ab aliis dubiis in casu necessitatis. Præterquam quod D. Thomas asserit, quod si defit mentalis intentio in Ministro, perficitur nihilominùs Sacramentum, ob intentionis Ecclesiæ, quæ exprimitur in verbis Ministri, dum contrarium exteriùs ab illo, vel à suscipiente non exprimatur. Eam ergò certitudinem de suscepto baptismo cuilibet ritè baptizato concedit D. Thomas, quæ ex intentione Ecclesiæ, dari dubitare non licet, desumi potest. Hæc autem certitudo tanta est, quanta ex intentione interna Ministri per revelationem nota pullularet. Ideòque Angelicus Præceptor ad omne dubium, & anxietatem expellendam; solam intentionem Ecclesiæ, *in verbis Ministri exprimitur*, dicit sufficere *ad perfectionem Sacramenti*, Aliàs enim Ministri intentionis incerti semper dubii, & anxii essemus, an baptizatismus, nec ne?

17. Propterea, inquit Cardinalis de Lugo *suprà*, * non pauci censuerunt D. Thomam in eam sententiam inclinasse, quod sufficeret intentio faciendi exterius, quod facit Ecclesia: & mirum non esse, cum scripserit ante definitionem Concilii Florentini, & Tridentini. * Ab hac tamen nota eum ipse vindicat, & meritò; & ejus verba supra adducta *ex* 3. *p. q.* 64. *artic.* 8. *ad* 2. *& ex* 4. *sent. dist.* 6. exponit dicens, D. Thomam *in utroque loco solum agere de necessitate intentionis internæ expressæ, & explicitæ*, quæ si requiriretur, videretur posse reddi dubium valorem Sacramenti, saltem apud illos, qui ignorent, an Minister talem specialem intentionem habuerit. * Cæterùm neque hæc solutio mihi arridet primò, quia ad incertitudinem baptismi satis esse requiratur ad valorem Sacramenti intentio interna, nam cum hæc soli Ministro sit nota, requirit accedentia ad Sacramentum *esse notum, quod Sacramentum susceperit, & ita non poterit habere certitudinem salutis.* In quo sita est vis argumenti, quod objecit D. Thomas. Ergò solutio illi adhibita videre debet, ut excludat incertitudinem de valore baptismi, quin obstet incertitudo, quam accedentia ad Sacramentum habet de interna intentione Ministri. Ad illam autem excludendam quidam recurrebant ad Summum Sacerdotem, scilicet Deum, & ab illo supplementum intentionis Ministri necessariæ ad valorem Sacramenti repetebant: quorum sententiam D. Thomas rejicit; & aliorum approbat, qui intentionem Ecclesiæ in verbis, quæ Sacerdos profert, expressam, ajunt sufficere ad perfectionem Sacramenti, dum exterius defectus intentionis Ministri, vel suscipientis Sacramenti non exprimatur. Quorum solutione admissâ, nulla dubitationi de valore Sacramenti locus relinquitur, & consequenter argumenti difficultas funditus exhauritur. Quæ secùs integra perseverat: si intentio interna Ministri requiratur, cum non sit undè certitudinem de illa habere possimus. Secundò displicet responsio Cardin. de Lugo, quam tactam relinquit difficultatem subortam ex solutione Divi Thomæ ad 2, nempè intentionem Eccle-

Ecclesiæ sufficere ad perfectionem Sacramenti, si nil contrarium à Ministro exprimatur. Quæ secum patitur defectum intentionis internæ in Ministro, imò & contrariam, ut ex terminis constare videtur.

18. Ideò, post rem maturè excogitatam, duplici conclusione respondeo: Prima sit, D. Thomæ solutionem nullatenus eo tendere, ut suadeat, deficiente intentione interna Ministri, Sacramentum perfici intentione Ecclesiæ, quæ illius verbis exprimitur. Ratio est evidens, quia conclusio contradictoria est expresè ipsius D. Thomæ *in eodem artic.* 8. & non semel aut bis, sed ter: nempè in corpore, & in solutione ad 1. ad 3. undè nisi temerè dici non potest, ibidem ad secundum sibi contradicere. Dico secundò D. Thomam non curasse solutionem adhibere, quæ evidenter certum baptizatum relinquat, de Sacramento suscepto, sed quæ animo paccatum. Ad conscientiæ autem quietem sufficit, non posse prudenter dubitare de intentione necessaria ex parte Ministri. Quod contigit, si nil aliundè in contrarium exprimat, dum verba ab Ecclesia instituta profert: quia sic exprimit se habere, in illo actu ablutionis, eam intentionem, quam habet Ecclesia, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, quantumvis ipse ignoret sanctificationem, quæ sub illis latet. Et sic explicanda veniunt verba illa D. Thomæ; quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, in cujus Ministri verbis *exprimitur intentio Ecclesiæ* sufficiens ad perfectionem Sacramenti. Hoc autem sufficere ad moralem certitudinem de valore Sacramenti suadetur exemplo pœnitentis cum attritione accedentis ad Sacramentum pœnitentiæ, qui licet evidentiam non habeat de Sacerdotio confessoris, cùm ejus baptismus, & ordo Sacerdotalis non sint ipsi evidentia, eam tamen moralem certitudinem de his habet, ut prudenter dubitare nequeat. Et in hoc sensu accepta expositio Cajetani, & Thomistarum verum continet. Si verò de intentione Ministri dubitetur, quia infidelis Judæus, vel Mahometanus, iterandus erit sub conditione baptismus, ad incertitudinem, & anxietatem expellendas

§. IV.

Enormis Baronii impostura in Cardinalem de Lugo.

19. CUm sententiam ex Cajetano, Sylvestro, Margarita Confessor. & ex Campanella *nu.* 4. relatam, & rejectam, à gravissima nota eximere Baronius non auderet, & nullum ei effugium occurrisset, eam derivare tentavit in Eminentissimum Cardinalem de Lugo, *fol.* 216. dicens: Campanellæ opinionem Cardinalis de Lugo munitam fuisse suffragio, qua ait, Parvulos si desit aqua ad baptismum, salvos fieri Sacramento legis naturalis, id est benedictione, aut precatione paternâ. Quod pro de Lugo, (inquit) respondebit Amadæus, ego reponam pro Cajetano, & Sylvestro. * Sic Baronius. Cæterùm ab hac, & aliis calumniis, quas Cardinali de Lugo affinxit Campanella, se ille purgavit, *tomo de fide, disp.* 20. *sect.* 3. *nu.* 130. *fol.* 562. his verbis: * Prudenter faciet censor, si numquam nisi in scriptis censuram propositionis ibidem scriptæ proferat, imò & apud se exemplar propositionis, & censuræ retineat, quo convincere possit, sive propositio, vel censura postea alterata referatur. Inveni non semel responsa, vel censuras à me petitas, non eisdem verbis relatas, & editas; ita ut necesse fuerit mihi, pro meis non agnoscere. In quo (attende) aliquis querelæ scrupulus mihi remansit erga Patrem Thomam Campanellam, qui in suo opusculo de Prædestinatione, & Reprobatione, statim initio aliquos suos articulos refert, meo nomine subscripto, & à me simpliciter approbatos, sine ulla restrictione, vel explicatione: quos tamen ego quantum meminisse potui, non ita absolutè probavi, sed cum explicationibus, & limitationibus addendis, quæ ibi desiderantur. * En Cardin. de Lugo à suffragio, quo suas opiniones Campanella munire tentavit, se in tuto posuit. Secus verò contigit Doctoribus, & Magistris, quorum verba fideliter excerpta dedi. Utinam hæc Baronius pro Cajetano, & Sylvestro reponere potuisset.

QVÆSTIO IV.

An præcepto annuæ communionis satisfaciant fideles, qui in Ecclesiis Regularium tempore Paschatis Eucharistiam suscipiunt?

1. QUod, excepto primo die Paschatis Resurrectionis, possint fideles, in cæteris diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, præceptum communionis in Ecclesiis Regularium adimplere, tradit Navarrus *cap.* 21. *num.* 52. Ubi sic ait: * El Papa Leon X. concediò à qualquier Sacerdote de la Orden de Fray les Menores, que en qualquiera dia del anno pueda administrar la Eucharistia à los seglares, excepto solo el Domingo de la Resurreccion, y por consiguente à los Dominicos, y à todos los otros, que participan de sus privilegios, lo qual tambien sabemos estar particularmente concedido, y con mucha razon, à los Padres de la nueva, y por ello muy provechosa Compannia de Jesus. Y aunque por algunos respetos puede parecer à algunos, que esta excepcion del dia de la Resurreccion se entienda de toda Comunion, con que se cumple el precepto de comulgar la Pasqua. Parecenos empero, que se hade entender de la Comunion de solo el dia de la Pasqua, ora ella se tome para cumplir con el precepto, ora no. Porque el dicho Papa Leon parece averlo declarado assaz por las palabras que annadiò à las de Nicolao V. que concediò antes este privilegio, y por otras razones. * Sic ille. Quem pro opinione solum primum diem Paschatis excludentes ad præcepti adimpletionem exponunt nonnulli, & sequitur P. Sá, *ver. Eychar. nu.* 10.

2. Quorum explicationem genuinam supponis Manuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 56. *artic.* 3. §. *Ad hanc objectionem*, ex privilegiis Leonis X. Martini V, & Sixti IV. id Regularibus concedentibus, præterquàm in die Paschatis, vel in die Resurrectionis. Quod de solo primo die Resurrectionis intelligunt, Quibus Navarrum explicans consentit M. Ludovicus Lopez 2. *p. Instruct. cap.* 6. *de Bulla fol. mihi* 803. Ubi sic scribit: * Excepto die Paschatis, ex privilegio Leonis, Religiosi Mendicantes possunt communionem impendere laicis ad satisfaciendum præcepto communionis, ut insi-

insinuat Navarrus *in Sum. cap. 21. n. 52.* * Sic ille, qui benè subjungit, oportere, non obstante hoc privilegio, quod ad satisfaciendum præcepto * laicus ad communionem recipiendam à suo Parocho remittatur. * Quod advertit etiam P. Tamburinus eum sequutus *opusc. de Commun. cap. 4. §. 4. num. 51.*

3. Addunt alii, Mendicantes nullo excepto die, posse in suis Ecclesiis Eucharistiam sæcularibus, undecumque confluentibus, ministrare in Paschate, ut satisfaciant præcepto annuæ communionis. Ita M. Joannes de la Cruz *in Epitom. Privileg. lib. 2. cap. 5. dub. 4. conclus. 3.* Ubi sic: * Licet Religiosis ministrare fidelibus in suis Ecclesiis Eucharistiam in Paschate, etiam ad implendum præceptum communionis, quia concessit Patribus de Guadalupe Nicolaus V. & Julius Secundus, ut habetur in compendio istius Ordinis, §. 2. & 6. * Sic ille, in cujus sententiam valdè inclinat ex eodem ordine M. Antonius de Hinojosa, *verb. Eucharist. fol.* 229.

4. Hanc opinionem tenet etiam Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. 56. artic. 3. §. Quantum ad secundum, & seq.* Ubi affert privilegia Nicolai V. Pauli III. & Julii II. ex quibus id possunt omnes Mendicantes per participationem privilegiorum, addens, hoc privilegium, licet non sit in usu, vim suam retinere: * Nam ut suprà (inquit) latè probavimus, privilegia Minorum, & per consequens aliorum mendicantium, fuerunt confirmata à Pio IV. & ab aliis Pontificibus cum clausula *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, quæ clausula confirmat etiam privilegia, quæ sunt per non usum abrogata. Et ibi etiam adjecimus Sixti V. confirmationem, &c. Et non solùm confirmavit dicta privilegia; sed etiam de novo concessit, & per consequens de novo concessit ipsis Minoribus, per viam communicationis, privilegium Nicolai V. & Antonii Cardinalis (nimirùm Pauli III. Monasteriis Ordinis D. Hieronymi, & privilegium Julii Secundi concessum Fratribus Minimis. Quæ cùm sint tam recenter concessa, non potest contra ea allegari non usus; præsertim cum non usus minimè præjudicet ignorantibus, & talis non usus in Religionibus ex ignorantia privilegiorum fuerit introductus. * Pro eadem opinione militat Brunus Cassaing. *de Privileg. Regul. part. 2. tract. 8. cap. 2. per totum.* Ubi ait: * Quod licet Regularibus Eucharistiam in die Resurrectionis Dominicæ, sæcularibus porrigere, etiam ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant * Idque multis suadere conatur, & ad decretum sacræ Congregationis respondet. Vide illum.

5. Eamdem sententiam cum Rodriguez, & M. Joanne de la Cruz, tenent Beja, & Sorbus, quos citatos sequitur Diana *part. 2. tract. 14. resol.* 37. Ubi in terminis quæstionem pertractat, inquirens: * An Sacerdos Regularis, tempore Paschali, possit ministrare Eucharistiam sæcularibus, ut adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis? * Cui sic: * Negativè respondent Suarez, Portel, Gaspar Hurado. Sed affirmativam sententiam non ignobiles authores docuisse constat: hi sunt Joannes de la Cruz, Beja, Rodriguez, Sorbo, & alii, & hoc ex privilegio, &c. Undè ex dictis remanet probabilis ista sententia. Sed ego consulerem, ut Regulares in tali casu faveant Parochis, & talem sententiam in praxim non deducant. * Sic ille. Quod etiam consulit P. Baum *in Theolog. Moral. part. 1. tract. 5. quæst* 19. Ubi adductis privilegiis Martini V. & Pauli III. concludit: * Non videtur negari posse, fideles satisfacturos præcepto de communione annua, cum eam, quocumque die à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, in Ecclesiis Mendicantium acceperunt. Sed id ego illis, ut dicam, non sum author ob scandalum. *

6. Idem sentit Martinus de San Joseph *in Direct. confessor. tom. 1. lib. 1. tract. 5. de Eucharist. num. 14.* dicens: En rigor pueden los Religiosos en sus Conventos dar à los seglares la Comunion Pasqual, por privilegio de Nicolao V. concedido al Monasterio de N. Sennora de Guadalupe, y estendido por Pio IV. à todos los Conventos de la Orden de San Geronimo, de que participan todos los Mendicantes, y yo juzgo tambien, que es probable. Aunque acordes, que en el tiempo de Pasqua, se abstengan los Religiosos deste Privilegio. *

7. Denique hanc sententiam ultrà citatos tenet Ludovicus de S. Juan *in Sum. quæst. 8. de Eucharist. art. 3. dissc. 3.* Bartholomæus à S. Fausto *de Eucharist. l. 1. q. 280.* Joannes Henriquez *in quæst. moral. lib. 11. p. 2. tract. 1. sect. 1. d. 7. §. Circa ministrum.* Et Lumbier à Sacram. *tom. 2. tract. 7. disp. 3. quæst. 19.* dicens: * Tamundez addit, hanc sententiam non posse licitè amplecti; sed hoc additum non placet, quia vera est probabilis, ut benè Diana loco citato. * Quibus consentit Machado *tom. 2. lib. 5. p. 2. tract. 6. docum. 5. n. 2. fol. mihi* 330. Et Remigius *in Praxi Confes. tract. 3. cap. 3. §. 1. n. 6.* inquiens id esse probabile privilegio Julii Secundi, & Nicolai V. * Y para esta sentencia dada en favor de los Padres de San Francisco, en confirmacio deste privilegio contra los Obras, como refiere Fagundez apud Dianam. Mas no conviene, que esto se haga, sino raras veces, con mucha prudencia, y cautela, por evitar escandalos, y discordias. * Sic Remigius.

8. Non me latet, hanc sententiam retractasse Dianam *p. 9. tract. 9. res. 27.* & insuper contra supra dicta militare declarationem Cardinalium in epistola ad Archiepiscopum Neapolitanum, *dicto. Mart. anno 1638.* quam ad verbum adducit Diana *p. 6. tract. 7. Miscell. resol. 58. in fine.* Verùm ad illam respondet Martinus de S. Joseph ubi suprà, * Nise debe dar credito al Padre Diana, quando trae declaracion de los Senores Cardenales en contrario, pues como probare abaxo, para que hagan se estas declaraciones han de parecer autenticas, y firmadas del Secretario Cardinal Presidente de la Sacra Congregacion, y legalizadas del Secretario della, y demas desto han de ser promulgadas con los requisitos, que las demas leyes. * Quas conditiones non habere practam declarationem, constat ex Diana ubi supra. Quapropter Tamburinus *opusc. de Com. cap. 4. num.* 54. ubi illam sibi objiciens; respondet: * Dicha declaracion non constat authenticè. Secundò non est directa Religiosis, sed Archiepiscopo. Tertiò est Epistola particularis pro Diœcesi Neapolitana, ubi fortè aliquod peculiare suboriebatur inconveniens. * Præterquam quod Sacra Congregatio non intendit derogare privilegiis Mendicantium, nec illorum ullam mentionem facit, prout necessarium erat ad eorum revocationem. Ideò Leander ait, erat ad eorum revocationem. Ideò Leander ait, suprà, non obstante hac sacræ Congregationis declaratione, cujus ipse meminit, præfatam sententiam probabilem esse dixit, ægrè ferens, quod Fagundez asserat, non posse securè amplecti.

9. Propter hæc illam improbare non est ausus Tamburinus loco suprà citato, & multominùs aliam suprà relatam, quæ in cæteris diebus excepto primo

primo die Paschatis, Eucharistiam ad satisfaciendum præcepto in Ecclesiis Regularium ministrari posse, concedit. Cæterùm ipse neutram practicè probabilem admittit, & meritò. *Has duas, inquit, opiniones relatas n. 51. & 52. non possum vocare saltem speculativè probabiles, siquidem probabilibus rationibus nituntur, bonosque habent authores. Et quidem prior (nempè quæ excipit primum diem Paschatis) videtur expeditior, ita tamen, ut neutram in usum deducendam censeam, ne detur occasio, vel admirationis in populo, vel querelarum in Prælatis. *Sicille. Cujus insistens vestigiis, neutram probabilem existimo, nec credo, privilegia allegata ad praxim unquam reducta fuisse, quia eorum usus omninò impediret Pastores cognoscere vultum pecoris sui, & funditus everteretur medium, quo fideles ab Ecclesia per Parochos compelluntur ad præceptum annuæ communionis adimplendum.

10. Ex quibus fit, potiori jure audiendum non esse M. Joannem de la Cruz *in Epit. lib. 2. cap. 5. dub. 5. concl. 2.* Ubi ait, Regulares posse etiam Viaticum ministrare sæcularibus in periculo mortis constitutis. Verba ejus sunt. *In sententia (quam ipse tuetur) asserente, licere Religiosis ministrare fidelibus Eucharistiam in Paschate, idem videtur dicendum de ministratione Eucharistiæ in articulo mortis. *Sic ille, quem citatum sequuntur Brunus Cassaing. *in Privil. Regul. p. 2. tract. 8. cap. 2.* & Portel *in Addit. ad verb. Sacramentorum administratio.* id probantes ex privilegiis Nicolai Quinti, & Sixti Quarti, Minoribus concessis. Sed his abundè respondent P. Amicus *in Curs. Theolog tom. 7. disp. 31. sect. 3. num. 57.* & Card. de Lugo *de Pœnit. disp. 18. sect. 2. n. 52. & 53.* omninò videndi, ne illorum prætextu singularis hæc opinio, jure Parochorum valdè derogans, ad praxim unquam deducatur.

11. Unum hic adnotare oportet. Joannem Machado *tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 7. docum. 1. num. 6. fol. mihi* 379. existimare, virtute Bullæ Cruciatæ, posse fideles, in quacumque velint Ecclesia, adimplere præceptum annuæ communionis. Quam opinionem dicit, tenere Patrem Vazquez *in 3. p. tom. 2. disp. 219. cap. 5. num. 47.* & Dianam, qui illum citatum sequitur, *p. 1. tract. 11. resol. 20.* Verba Machadi sunt: *Es tambien dudoso entre los Doctores, si con la Bula de la Cruzada pueda comulgar el que la tuviere, donde quisiere, y con esso cumpla? Suarez defiende la parte negativa, a quien sigue Nunno, &c. Vazquez, y otros juzgan pur probabilissima, y segura en practica la parte infirmativa. *Verum apertè fallitur Machado, & non levi P. Vazquez injuria, quia de hoc non est dubium inter Doctores, nec author ullus partem affirmativam docuit. Sed solus ipse deceptus authoritate Doctorum, quibus obiter lectis (ut aliquando huic authori contingit) id falsò imposuit. Quia P. Vazquez ubi supra, postquam adduxit verba Bullæ Latinæ, in qua conceditur *Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere: *Sic ait: *Triplex autem conceditur facultas, &c. Tertia est, ut Eucharistiam, & Sacramenta omnia, præterquam in die Paschatis recipere possint. *Et infrà: *Tertia facultas non intelligitur pro solo tempore interdicti, sed pro omni tempore, etiamsi non sit interdicti. Idque tribus rationibus probari potest. Prima est, quia in Bulla, Hispano sermone transcripta; cum agitur de receptione Sacramentorum, dicitur: *Y reciperel Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (salvo el dia de la Pasqua) aunque sea tiempo de entredicho, &c.* Per diem autem Paschatis, (attende) ut capite præcedenti notavimus (ait Vazquez) intelligi debet totum tempus Paschale intrà quod præceptum Eucharistiæ implendum est: nempè ut favore Parochorum, hæc communio, qua impletur præceptum, ipsis reservetur, (quod tenent communiter Doctores apud Dianam *sup. p. 9. tract. 9. res. 27.*) Neque Religiosus virtute suorum privilegiorum alicui Eucharistiam tribuendo, efficere possit, ut præceptum illud impleatur. Neque laici sæculares virtute Bullæ Cruciatæ de manu alterius communicantes, idem præceptum implere possint. *Sic Vazquez, qui non potuit clarius dicere; nec apertius de impostura Joannes Machado convinci, cum non solum virtute Cruciatæ, sed nec privilegiorum Religionis, asserat expresè, præceptum annuæ communionis extra propriam Parochiam adimpleri non posse.

12. Insuper Machado apertè etiam fallitur, dum ait, Dianam ex Vazquez sententiam illam defendere. Quia Diana ubi supra loquitur etiam excipiendo diem Paschatis: rogat enim sic: *An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Eucharistiam (attende) præterquam in die Paschatis, de manu simplicis Sacerdotis sine licentia Parochi? * Cui respondet: * Nullus ergò eorum opinionem illam docuit; atque adeò nec impostor pro illa impositorum citandus erit; nam ipse eam solum refert, malè à se intellectam: & quod authores citati, ipse sentit, nilque de novo addit. Illis verò in mentem non venit Bullam Cruciatam continere privilegium communicandi extra Parochiam ad adimplendum Ecclesiæ præceptum, ut constat ex dictis.

QVÆSTIO V.

Vtrùm, qui ad celebrandum, vel communicandum confessus est, si posteà recordetur lethalis in confessione obliti, teneatur ante communionem confiteri?

§. I.

Doctorum placita.

1. NEgativam sententiam imposuit Patri Reginaldo doctus Trullench *de Sacr. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 13.* & quod valdè miror, diligentissimus etiam scriptor Fr. Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 7. disp. 7. quæst. 21.* dicens: *An qui confessionem præmisit, & posteà antequam ad altare accedat, recordatur alicujus peccati non confessi, teneatur illud confiteri priusquam communicet? Negarunt aliqui, quos suppresso nomine refert Cornejo, & expresè Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 6. quæst. 4. sect. 1. numer. 105.* Verum Reginaldus, nec illam docuit, nec probabilem innuit, sed potius impugnat, & contrariam, ut veram, & communem amplectitur. Verba ejus sunt: *Qui ante communionem præmisit confessionem integram omnium mortalium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt: & posteà antequam ad communionem accedat, recordatur alicujus

jus peccati adhuc à se commissi, de quo non est confessus, (attende) tenetur per se loquendo, & exclusis circumstantiis, quæ excusare possunt, illud confiteri, antequam communicet; quia præceptum, de quo agimus, obligat non tantum ad confitendum ante communionem, simpliciter ad confitenda omnia peccata mortalia, quorum quis sibi conscius fuerit. Nec refert, quod tale peccatum oblitum jam sit remissum in confessione legitimè facta, quia non obstat remissio, quin debeat supponi clavibus, ut satisindicat Concilium Tridentinum, cum in citato capite, nec contritum quidem, & per consequens, nec consequutum remissionem suorum peccatorum mortalium, vult liberum esse à facienda eorum Sacramentali confessione, antequam ad sacram communionem accedat. *Quid clarius? Subjungit verò cum pluribus infra referendis: *Attamen ad vitandam irreverentiam illam, quæ erga Sacramentum ipsum committeretur, recedendo indecenter coram aliis, quando ipsum administratur, ille, qui cum cæteris communicare paratus adstat ad sacræ communionis linteum, non tenetur statim recedere ad confessarium, ut absolvatur directè à peccato, cujus est oblitus in sua confessione, & tunc recordatur. Pro quo aliquot authores affert Henriquez *in sua Sum. lib. 8. cap. 46. §. 3. in margine litt I.* notatque, id locum habere, secluſa etiam infamiæ nota, & scandalo. *Hæc Reginaldus *in 1. edition. Lugdun. anno 1616.* loco, & capite à Trullench, & à Leandro supra citatis: qui ut ex ejus verbis fideliter exscriptis patet, opinionem illi attributam neutiquam defendit, sed potiùs contrariam, (sicut & P. Henriquez ubi suprà) & solùm videtur admittere opinionem P. Henriquez de Pœnitente jam communicaturo ad linteum altaris coram aliis adstante, de qua infra judicium feremus.

2. Verum, quam hi authores imposuerunt Reginaldo, probabilem putavit, de Sacerdote loquens doctissimus Fr. Petrus Cornejo *in 3 p. tract. 4. quæst. 80. disp. unica, dub 3.* Ubi sic: *Quæritis, an iste teneatur confiteri illud peccatum, (nempè oblitum in confessione) antequam celebret? Quidam negant; tum quia iste revera non habet conscientiam peccati mortalis, cùm illud jam ei fuerit per absolutionem remissum, quamvis teneatur confiteri tempore, quo præceptum confessionis obligat per se semel in anno: tum quia ideò præcipitur confessio ante communionem, quando est conscientia peccati mortalis, quia probatio requisita ab Apostolo, non debet reperiri judicio proprio, sed confessoris. Alii verò affirmant, quia judicant, hoc præceptum amplè esse accipiendum, &c. Mihi videtur utraque sententia probabilis, sed hanc posteriorem video amplecti à viris timoratæ conscientiæ. *Hactenus Cornejo de Sacerdote celebraturo. Cujus sententiam de mandato suppremi Tribunalis Sanctæ inquisitionis Hispaniæ expunctam esse, jure notat Thomas Hurtado ex Clericorum Minorum familia, *tom. 1 variar resol. tract. 3. cap. 1. resol. 14. nu. 58. fol 105.* *Quæ sententia, inquit, defendi jam nullo modo potest, quia expuncta est à suo authore, judicio suppremi Tribunalis Sanctæ Inquisitionis: Quod quidem (attende) verissimum est, si loquamur de Sacerdote, qui iterum celebraturus est ante tempus annuæ confessionis. *Sic Hurtado.

3. Cæterùm pro laico, videtur ipse amplecti opinionem, quam pro Sacerdote traditam à Cornejo, expunctam refert; imò laxiorem: putat enim, laicum qui urgente necessitate, non præmissa confessione contritus semel communicavit, non teneri confiteri ante tempus annuæ confessionis, sed posse iterum, atque iterum, atque iterum, non præmissa confessione communicare, dum posteà in novum peccatum mortale non inciderit, quod Sacerdoti non conceditur, sed celebraturum ad confessionem adstringit. Vide illum *sup. num. 70.* Ubi sic scribit: *Respondeo secundò: si sit casus, in quo laicus possit communicare non præmissa confessione, cum sola contritione non tenetur peccatum confiteri, & clavibus subjicere, nisi tempore annuæ confessionis (attende) quando, nisi novum peccatum committat, accedere ad communicandum. *In quibus plus Hurtado concedit, quam Cornejo; nam ei, cui semel ex causa nullius peccati confessione præmissa, communicare concuit, concedere videtur, si in novum posteà peccatum non reincidat, sæpiùs communicare, licet peccata illa non confessa, quorum contritionem habuit, non confiteatur: putat enim, non teneri ante tempus annuæ confessionis. Verum cum hanc doctrinam à nullo Theologo sustineri posse, animadverterit, ideò (licet ipse, eam adhibuisset, dum dixit, *Respondeo Secundo*) subjungit, & meritò, *sed hanc non placet: quia si iste laicus habet copiam Confessarii, tenetur confiteri: quia non est certus de sua contritione, & tenetur se probare quis ante communionem, ut moraliter certus accedat ad corpus Christi. *Quod ego probabilius reputo, licet de sua contritione certissimus esset; etiam per revelationem. Quia præceptum divinum non ideò cessaret: aliter verbis Tridentini id probari non posse contendit. Arriga infrà citandus, eo quòd Concilium illum asserat teneri, *quantumvis sibi contritus videatur, & contritum existimet, sess. 1. cap. 7. & Can. 11.* quia non ex revelatione se contritum noscere, his terminis non videtur comprehendi, quia hæc nostra longè excedit. § etiam sentiunt Rubio, & Palacios apud Amicum *tom. 7. disp. 26. n 11.* sed nostra sententia et probabilior, quam tenet Henriquez *lib. 4 cap. 4.* & plures alii.

4. Sed quid, si laicus confessus esset, & aliquo læthalis fuisset oblitus: potestne, confessionem illum non præmissa, communicare? Respondet affirmativè Hurtado suprà, ubi postquam dixit, & meritò, neri confiteri, qui nullam præmiserat confessionem, quantumvis contritus communicaverit, sic ait: *Quod secus est, si obliviscatur alicujus peccati mortalis, quod (inquit) non tenetur confiteri ante tempus annuæ confessionis, quia jam per confessionem illud dimissum est, & ipse sanè fertur. *Hæc Thomas Hurtado, in quibus aperte concedit, laicum, qui in confessione oblitus est alicujus læthalis, posse accedere ad communionem, non præmissa illius confessione, licet ante communionem recordetur; eo quòd jam, per confessionem aliorum peccatum oblitum est dimissum, & accedens ad sanctissimam, mediante aliorum confessione sanctificatus est. Cur autem Sacerdoti neget, quod laico concedit? non video. Timore forsan incidendi in manus sanctæ Inquisitionis, calamum cohibuit. Quia præceptum Tridentini, quo præcipitur Sacerdoti statim confiteri (non verò laicis) quando non præmissa confessione mortalium celebraturus, solum procedit, ut ipse *ibidem nu. 63.* fatetur: *Quando sacerdos, necessitate urgente, cum non sit copia Confessoris existens in peccato mortali celebrat, non vero in aliis casibus oblivionis, aut malitiæ, &c.* Casus autem, de quo loquitur Cornejo, talis oblivionis est. Unde non ex eo, quod urgeat necessitas, neque

ex eo, quòd non sit copia Confessoris, sed ex eo, quòd à peccato oblito indirectè absolutus, sit jam sanctificatus virtute Sacramenti Pœnitentiæ, asserit Hurtado, posse, non præmissâ obliti confessione, dignè communicare: ergo vel Sacerdoti hoc concedere tenetur, maximè cum jam semel celebraverat, vel laicò negare: nam eadem utrobique militat ratio.

5. Ideoque utrique ind sriminatim probabiliter concedi posse, tradit M. Franciscus Arauxo in Universitate Salmanticensi olim primarius sacræ Theologiæ Cathedræ moderator, & postea Episcopus Segoviensis *tom. 2. in 3 p. quæst.* 80. *art.* 4. *n.* 30. *in impressione Salmantina, anno* 1656. ubi sic: *Si roges, an si quis post sumptam debitè Eucharistiam, recordetur peccati mortalis nondum confessi, an teneatur illud confiteri, priusquam iterum ad communionem accedat, vel non? Respondeo, utrumque esse probabile, sed affirmativam partem potiùs consulerem. *Verum etsi hæc semper consulenda; negativam posse ad praxim deservire, cum Magistro Arauxo consequenter ad principia jacta concessit Præpositus *in* 3. *p. quæst.* 80. *art.* 5. *dub.* 3 *n.* 15. dicens: *Si aliquis sit legitimè confessus, qui in confessione ex oblivione, vel justa de causa aliquod peccatum non explicavit, non tenetur elicere contritionem de illo. Quo casu potest communicare, antequam præmittat confessionem illius peccati, quia per præcedentem confessionem, illius peccati remissionem est consequutus, quamvis indirectè, est què in statu gratiæ. *Sic Præpositus, quem sequutus est Ferrantinus *de scandalo, disp.* 1. *quæst.* 80 *n.* 2. cujus verba extant apud Dianam *p.* 11. *tract.* 8. *resolut.* 40 *folio* 513. Et hanc opinionem probabilem putare Hieronymum Garcia *in Sum. tract.* 3. *diffic.* 5. *dub.* 1. *p.* 5. *num.* 50. dicit Diana *p.* 9. *tract.* 3. *resol.* 4. *Unde hanc, inquit sententiam probabilem, putat Hieronymus Garcia. *Sed ego apud illum hanc non inveni, sed longè diversam, ex qua si ad istam valeret consequentia, plures pro ea recensere potuisset Auctores. Vide Fr. Leandrum à Murcia *in disquisit. in* 1. 2. *lib.* 2. *disput.* 4. *resol.* 25. *n* 15. *fol.* 361. Ubi pro hac sententia refert etiam Henriquez, Tamburinum, Reginaldum, & Hieronymum Garcia, sed isti Auctores id non docent, ut constabit ex dicendis, ubi eorum opiniones proponam. Favet autem Pasqualigus *in praxi de Iubilæo, quæst.* 64. *n.* 3. ubi ait: eum, qui post confessionem recordatus est peccati obliti, posse, si confessarii copia non sit, communicare, ne omittat lucrari Jubilæum.

6. Hujus opinionis fundamenta primus jecit M. Dominicus Baltanas in Summa, quam suppresso auctoris nomine luci dedit Hispalis, anno 1526. *in Margarita*, inquam, *Confessorum. fol.* 170. Ubi licet communem sententiam sequatur, hanc tamen probabilem sentit: verba ejus sunt: *Qui verò confessus est, & post paululum accedit ad communionem, & ibi recordatur de aliquo mortali, non peccat mortaliter communicando, proponens post communionem confiteri: (attende) Præsertim, si jam est positus in loco communionis, vel si non potest tunc commodè confiteri. *Ly enim *Præsertim* apertè denotat, quod possit communicare, non præmissa obliti confessione, licet quando illius recordatur, non sit positus in loco communionis; verius autem esse, quod possit, quando jam est in communionis loco. Sic cum communi Doctorum exponit adverbium illud *Præsertim* Barbosa *diction.* 277. *folio* 751. ubi sic: *Hæc dictio (*Præsertim*) ponitur comparativè, & importat idem quod *Maximè*, & *Præcipuè*: unde exprimit casum minus dubitabilem, & implicat magis dubitabilem.

7. Faciunt ad hæc alii, qui in præsenti casu, cum M. Baltanas *ubi suprà*, ex levi causa, à præmittenda læthalis obliti confessione excusant. Henriquez *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 46. *Laicus, qui ad linteum altaris adstat, paratus communicare cum aliis, & confessionem præmiserat, excusatur propter reverentiam Sacramenti, ne statim redeat ad confessarium, ut directè absolvatur à peccato, cujus fuerat oblitus, etiam secluso nota, & scandalo, cum jam accedat justus, & probatus per confessionem. *Hæc Henriquez ibi, & *in Glos. litt. I. & K.* ubi pro hac opinione refert Victoriam, Angelum, Tabienam, Rosellam, Aureolum, Cordubam, & alios. Et cum Henriquez, ejus mutuatis verbis, sentit Bauriusin *Miscell. casuum conscientiæ, quæst.* 537. *fol.* 347. Quibus dissentire non videtur Martinus à S. Josepho *de Eucharist. tract.* 7. *n.* 13. & putat probabile Bonacina *tom.* 1. *de Eucharist. disp.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *nu.* 17. *§. Sicontrarium.* Et hæc est opinio, quam putant probabilem Hieronymus Garcia, & alii, quos citatos sequitur Diana 3 *part. tract.* 4. *resol.* 77. non verò aliam, quam ei imponit ubi suprà. Quibus novissimè adhæsit Tamburinus *in Methodo expeditæ communionis, cap.* 1. § 8. *n.* 63. ib.: *Solum eos liberandos à præmittenda confessione talis peccati obliti censeo, qui vel actu celebrant, vel ante ad linteum communicaturi expectant; hos enim, etsi nullam notam infamiæ incurrant, non obligo ad recedendum, quamvis brevi reversuros, qui a ex una parte irreverenter se gererent, inchoatam quasi actionem sine necessitate relinquendo, &c. Et ex alia parte non apparet clara necessitas, quia hic jam est justus, benequè dispositus propter absolutionem indirectam talis peccati. *Hæc ille.

§. II.

Auctoris Judicium.

8. EX hac secunda opinione (*si probabilis admittatur*) validissimum pro prima, suprà adducta (ex Magistro Arauxo, Thoma Hurtado, Præposito, & Cornejo) argumentum desumitur ad probandum, non esse præceptum confitendi, ante communionem, peccatum in prævia confessione oblitum: Argumentor sic: Laicus adstans communicaturus cum aliis, si non sit nota, aut scandalum, potest licitè ab altari discedere, & confessione obliti præmissa, communicare; & tamen, secundum Henriquez, & alios, ad confessionem præmittendam non tenetur: ergo non est præceptum divinum confitendi ante communionem peccatum, quod in præcedenti confessione fuit oblitum: patet, quia aliàs nulla ratione excusaretur pœnitens à confessione obliti præmittenda. Dicere autem, præceptum non obligare in his circumstantiis; absque fundamento jactatur. Quia præceptum præmittendi confessionem læthalis ante communionem, magis urget, quàm præceptum præmittendi jejunium naturale, cum hoc humanum, illum divinum sit; sed qui, dum adstat altari communicaturus cum aliis, recordatur, non esse jejunum, tenetur discedere, sit posit, sine nota, & scandalo. Imò & Sacerdos, si ante consecrationem, se non esse jejunum recordetur, tenetur dimittere Missam inceptam; ut tradunt D. Thom. Sotus, Ledesma, Victoria, & alii discipuli D. Thomæ, quos cum Angelo, & Majolo sequitur ipsemet Henriquez *suprà n.* 3. *in Glos. litt. H.* Et est communis sententia Theologorum, quam cum Diana, Sylvestro, Azor, Hur-

Hurtado, Philiberto, Machado, & aliis defendit Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 7. quæst. 21.* Ergo si detur prohibitio communicandi, non præmissa læthalis obliti confessione; tenebitur, ab altaris linteo discedere, si laicus sit; vel si Sacerdos, Missam inceptam ante consecrationem dimittere, quoties absque nota, aut scandalo discedere queat. Consecutio videtur necessaria: ergo vel dicendum est, non dari præceptum divinum confitendi ante communionem peccatum, quod in præcedenti confessione ex oblivione, vel alia justa causa fuit omissum: aut tale præceptum obligare, quoties absque nota, & infamia adimpleri possit. Si enim irreverentia, quæ in recessu ab altari consideratur, non excusat non jejunum à præcepto Ecclesiastico non communicandi; quî fieri potest, ut excuset à præcepto divino non communicandi absque præmissa peccati obliti confessione? Numquid præceptum divinum minus urget, quàm humanum? Si verò ex alio capite excusetur; nempè, quia jam accedit justus, & probatus per confessionem. Hoc idem evincit, licet ad altare nondum accesserit, ut ex terminis patet: ergo, vel in utroque eventu, vel in neutro, ad obliti confessionem ante communionem tenebitur. Hæc consecutio est mihi evidens.

9. Propter hæc numquam assensum præbere potui secundæ opinioni, quam cum doctissimis Thomistis, & aliis suprà citatis defendit Henriquez: quia ex illa per necessariam consequentiam deducitur, primam esse probabilem, quam à Cornejo exmandato suppremæ Inquisitionis expunctam diximus, licet posteà ex Doctoribus Hispanis eam intrudere non formidaverit Thomas Hurtado, censens de laico aliter, ac de Sacerdote judicandum, cùm tamen ex uno ad alium evidens sit consequentia. Ideòque utraque sententia æquè prohibita haberi debet à suppremo Inquisitionis Tribunali, atque adeò improbabilis censeri; quidquid contra senserit Caramuel *in Theolog. moral fundamentali, fol. 17 in epist. dedicat. ad Innocentium X. & in 2. p. Theol. fund. num 12 fol. 5. & fundamento 13. num 229. & 233.* Ubi contendit opinionis probabilitatem non deperdi per prohibitionem in Expurgatorio Romano, & Hispano ab utraque suppremâ Inquisitione factam. Quod prorsus falsum est: Nec Thomas Hurtado hoc putido principio se protexit. Quapropter, ejus sententiam expungendam esse, & omnino rejiciendam puto, quia etsi accedens post confessionem, in qua ex oblivione læthale aliquod omisit, verè sit justus, & probatus per confessionem; non tamen accedit probatus per omnium læthalium confessionem. Et ut definit Tridentinum, *sess. 13 cap. 7.* *Ecclesiastica consuetudo declarat; eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. *Qui autem læthale, quod commisit, non est confessus, verè est sibi conscius peccati mortalis, quamvis sibi suadeat, virtute confessionis aliorum esse remissum; sicut verè esset conscius peccati mortalis, licet moraliter certus esset, imò etsi per revelationem agnovisset, remissum fuisse per actum contritionis, aut per Eucharistiam bona fide ab attrito susceptam: Quia esse conscium peccati mortalis, nil aliud importat, quàm scire, fuisse commissum, & clavibus non esse subjectum, ut universa Ecclesia semper intellexit. Quod inde suadetur, quia præceptum confessionis jure divino obligat confiteri omnia læthalia, quæ memoriæ occurrunt: ergo præceptum divinum confitendi ante communionem, obligat confiteri omnia, quæ ante illam memoriæ occurrerint. Nemo ergo potest ad sacram Eucharistiam accedere, non præmissa obliti confessione, si tempore opportuno meminerit.

10. Quapropter Tamburinus *ubi suprà num. 12.* benè dixit, solo primo aspectu videri, non esse obligationem ad præmittendam confessionem in praedicto casu: *Cum præmittatur, ut dignitatem gratiæ communicaturus adquirat, & jam per confessionem prædictam gratiæ ornatum obtinuerit. Et ex alia parte præceptum de præmittenda confessione ante communionem jam observaverit. Ac prout (inquit) ex vi argumenti ita dicendum esset: observamen praxis fidelium, ex qua colligimus, præceptum de præmittenda confessione ante communionem, non esse solum de præmittenda confessione integra formaliter, sed etiam materialiter, *Sicille. Cui consentit P. Arriaga *tom. 7. in 3. part. tract. de Euchar. disp. 46. sect. 3. subsect. 2.* ubi *num. 21.* dixit, stando tamen videri valdè probabile, per se non teneri confessionem peccati obliti præmittere ante communionem: pluraque congerit, *quæ (inquit *num. 22.*) speculativè loquendo faciunt eam sententiam probabilem; tamen non censeo, absolutè defendi posse, sed stando communi, &c. *Quod probatur ex praxi fidelium, quibus suadetur, Christum Dominum præcepisse confessionem omnium mortalium, quorum ante ipsam communionem homo meditatur: Sed quidem vim præcepti non solùm in praxi fidelium, cum hæc in securiori opinione fundi debeat, sed ex verbis Tridentini, ut ab Ecclesia communiter receptis, & intellectis, efficaciter petitur, indubitanter affirmo. Prohibetur enim communio, non præmissa confessione omnium læthalium, quæ memoriæ occurrunt, seu quorum quis conscius est. Unde contrà prohibitionem faceret, qui, non præmissa obliti confessione, communicaret. Et ita communiter tenendum contra M. Arauxo, Hurtado, Propositum & M. Cornejo. In quos ferè Theologi irruunt, Suarez *tom. 3. in 3. p. disput. 66 sect. 4. 5.* Sed vide Filliucius *de Euchar. cap. 8. num. 215.* Mercerus *in 3. p. q. 80. art. 4 dubit. 2.* Aversa *de sacr. Euchar. q. 8. sect. 3.* Castro Palao *tom. 4. tract. 21. disput. unica, punct. 12. n. 4.* Coninch *de Sacr. q. 80. art. 4. dub. 2.* Leander à Sacram *tom. 2. tract. 7. disp. 7. q. 21.* & alii communiter.

11. Ex dictis concluditur, potiori jure rejiciendam esse opinionem aliorum asserentium, eum etiam, qui nullam præmiserat confessionem, excusari à præmittenda, si jam communicaturus in linteo altaris adstet; etiamsi absque ulla nota, & scandalo discedere possit; atque adeò posse in tali eventu contritione priùs elicita, communicare. Sic tenuit M. Victoria *in Summ. ubi de Euchariſt. num. 79.* dicens *Qui sunt ibi parati ad recipiendam Eucharistiam, si ibi recordati fuerint alicujus mortalis, fecisse sunt communicare, etiam ante confessionem, propter reverentiam Sacramenti; nec debet dimittere. *Idem docuit M. Martinus de Ledesma *2. p. 4. tract. quæst. 20. art. 3 post. dubium 3.* ubi de laicis sic ait: Qui quam jam sunt parati ad recipiendam Eucharistiam, si esto recordentur alicujus peccati, doleant de illo, & proponant, quod posteà confitebuntur, & hoc propter reverentiam communionis, & mensæ Dominicæ. *Idem sentit M. Lublinus, & alii, quos refert Bonacina *de Sacram. disp. 4 q. 6. p. 1. num. 17.* & ut ingenuè

Mach-

Machado *tom.1.lib.2 p.4.tract.8.doc.3.num.3. fol.* 381. *mas de diez y seis Autores lo afirman, *quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom.2.tract.7.disp.7.q.18.* inter quos refert Dianam *p.5.tract.14 resol.6.* sed Dianà ibi contrarium tenet. Refert etiam illum *p.9.tract. 3.resol.8.* sed hic excusat ratione scandali. *Nam difficilè (inquit) videtur in tali scandalum vitari posse. *Casu autem quo nullum prudenter timeatur, id ibi non tradit.

12. Cæterum 3.*p.tract.4.resolut.*77. de Sacerdote, qui statim post introitum recordatur peccati mortalis, id tenet cum Soto, Victoria, & aliis; quos refert, & sequitur Leander *suprà quæst.* 16. Quod *quæst.* 7. extendit ad Sacerdotem existentem in altari, si antequam inchoet Missam, recordetur culpæ mortalis. *Quia si laicus, inquit, potest Eucharistiam sumere, casu quo jam sacræ mensæ communicaturus assistens recordetur alicujus mortalis non confessi, etiam præcisa omni nota, & periculo infamiæ, ut statim dicemus; Quare hoc idem nequibit Sacerdos, si hoc illi accidat, jam in altari ad sacrificium celebrandum existenti? Sic debent à fortiori sentire Scotus, & Granados locis citatis, ubi absolutè dicunt, quod si Sacerdos Sacerdotalibus vestibus indutus, recordetur peccati mortalis, & non habeat in promptu Confessorem, possit celebrare. *Sic Leander, & consequenter quidem.

12. Sed huic ego opinioni assentiri numquam potero, quia, ut prædixi, secluſa nota, & scandalo, non est sufficiens excusatio à præcepto divino præmittendi confessionem læthalium ante communionem. Et ita sentiunt communiter Doctores cum D. Thoma 3.*p.q.*83.*art. 6.ad* 2. ubi sic ait: *Si ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor (nempè aliquid comedisse, vel bibisse, vel peccatum aliquod commisisse) tutius reputatem, maximè in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur. *Nec video (ut suprà animadverti) cur Sacerdos, si ante consecrationem recordatur, non esse jejunum, teneatur Missam cæptam dimittere (ut ex communi sententia tradit ipse Leander) ratione præcepti non communicandi, non præmisso jejunio naturali; & non teneatur recedere ab altari, quando absque nota & scandalo potest, si recordetur non esse confessum, ratione præcepti non communicandi, non præmissa læthalium confessione: cum hoc divinum fortius, & antiquius præceptum sit? Non me later, Eminentissimum Cajetanum, M. Fumum, M. Paludanum, & M. Baltanas olim tenuisse, præceptum præmittendi confessionem ante communionē non obligare sub mortali. Verum hæc sententia falsissima, & perniciosissima est contra D. Thomam, & omnes Theologos, & à Tridentino explosa; imò & ut hæretica damnata. Ut ait ex eodem instituto M. Joannes Baptista Corradus 2.*p.q.* 469. licet alii ab hac nota immunem esse contendant, Petrus de Soto, Victoria, & Canus, apud Amadæum *tract.de Eucharist.prop.3.n.8.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Sacerdos, qui non habens copiam Confessoris, urgente necessitate celebravit, non præmissa mortalium confessione, teneatur posteà quamprimum confiteri?

1. CONvèniunt ferè omnes Doctores, quod si ex malitia, habens copiam Confessoris noluerit confessionē præmittere, non tenetur posteà quam primum confiteri. Ratio est, quia præceptum Tridentini *sess.*13. *c.*7. hunc casum non comprehendit: solum enim ait, *quod, si necessitate urgente (deficiente copia Confessoris) Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. *Ergo quando, absque necessitate, habens copiam Confessoris, non præmissa confessione, celebravit, non ligatur præcepto Concilii. Sic tenent M. Nugnus *de Sacram. tom.*2. *quæst.*80. *art.*4. *diffic.*4. *concl.*3. ubi sic: *Laicus non habet tale præceptum; atque adeò non tenetur confiteri in præsenti casu: neque Sacerdos, quando celebravit sine confessione ex malitia, vèl negligentia, vel quia non est recordatus peccati mortalis, quando celebravit. *Sic M. Nugnus, quem sequitur Illustris. P. M. Arauxo Episcopus Segovienſis *in* 3.*p.q.*80.*art.*4.*nu.*29. ibi: *Si ex malitia extra illos casus sine prævia confessione celebret, non debet statim confiteri, aut si non cælebret, sed laicorum more communicet; & idem de laicis dicendum est, etiam in prædictis casibus, in quibus licet, non præmissa confessione, communicare. *Hæc M. Arauxo.

2. Idem tenet Thomas Hurtado ex Clericorum Minorum Familia *to.*1.*tract.*3.*cap.*1.*resol.*14.*n.*62. Ubi citatis pluribus concludit: *Conveniunt omnes isti Doctores citati, Concilium loqui solum, quando necessitate urgente, cum non sit copia Confessoris, existens in peccato mortali Sacerdos celebrat: (attende) non verò in aliis casibus oblivionis, aut malitiæ, & similibus. *Sicille.

3. Et hanc sententiam esse communem testatur illam defendens Leander à Sacram.*to.*2.*tract.*7.*quæst* 51. & sequitur plures citans Dianap.9. *tract.de Confes. ante Eucharist.resol.*26. ubi inquirit: *An Sacerdos si voluntariè non confessus celebret, teneatur quam primum confiteri? *Cui sic respondet. *Ego puto, negativam sententiam tenendam esse; & ita tenet, me citato, Leandrus, Stephanus à Sancto Gregorio, Suarez, Mercerus, Granado, Arauxo, Filliucius, Nugnus, & alii communiter. Probatur, quoniam nullum est tale præceptum, nisi impositum à Tridentino, sed in illo tantum fit mentio de Sacerdote celebrante sine confessione, urgente necessitate, ergo in aliis casibus non est talis obligatio. Patet, quoniam præcepta pœnalia non sunt extendenda magis, quam sonant. *Sicille. Quibus adde Joannem Sanctium *in Selectis, disp.*32. *nu.*12. *in fine.* Villalobos *in Sum.tract.*7. *diffic.*37. *num.*9. Franciscum de Lugo *de Sacr. lib.*4. *cap* 6. *q.* 8. *num.*70. & ante illum, fratrem ejus Eminentissimum Cardinalem de Lugo *de Sacram. Eucharist. disp.*14. *sect.*7 *num.*150. *Quia Concilium, inquit, apertè loquitur de illo, qui, necessitate urgente, celebrat, & in his præceptis positivis non debemus

debemus arguere de uno casu ad alium. *Sic ille. Et antea Bonacina *de Sacram. Eucharist. disp. 4. quæst. 6. p. 1. num* 38. dicens: *Hinc primò colligitur, Sacerdotem, qui ex sua malitia celebravit in peccato mortali, non præmissa confessione, non teneri quamprimùm post celebrationem confiteri: Hic enim non dicitur celebrasse urgente necessitate, sed ex malitia: Tridentinum autem loquitur de Sacerdote celebrante ex necessitate, absque præmissa confessione.* Sic loquuntur Doctores, quos sequitur Mascarenhas *de Sacram. tract. 4. de Eucharist. disp. 5 cap. 6. nu* 212. *fol.* 236. Quem Theologaster nescio quis ob hanc opinionem sugillavit.

4. Sed ex dictis non solùm deducitur, opinionem Patris Mascarenhas esse communem, sed illationes ex eodem principio satis favorabiles admittendas. Cum enim Concilium *sess. 13. cap. 7.* solum declaret, necessarium esse, *ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacramentum Eucharistiæ accedere debeat, &c. modo non desit illis copia Confessoris (& præcipiat.) *Quod si necessitate urgente Sacerdos, absque prævia confessione, celebraverit, quamprimum confiteatur.* *Ex his, inquam, ultimis verbis apertè procedentibus de Sacerdote sibi conscio peccati mortalis, non habente copiam Confessoris, & ideò, necessitate urgente, absque prævia confessione celebrante, deducunt Doctores, non esse præceptum *quamprimùm* confitendi, quæcumque ex dictis conditionibus deficiente. Quia lex pœnalis non est de uno casu ad alium extendenda.

5. Unde infertur primò, non ligare hoc præceptum laicos, nec Sacerdotes non celebrantes, sed more laicorum communicantes; nec illos, qui peccati mortalis conscii non fuerint, licet ex culpa gravi, ex defectu examinis id evenerit: nec qui habentes copiam Confessoris non præmittunt confessionem, antequam celebrare incipiant; nec qui, dum celebrant, recordantur peccati mortalis, non confessi, quod vel ob vitandum scandalum, vel aliqua probabili opinione ducti (licet possint tunc confiteri) licitè omittunt; nec eos qui absque urgente necessitate, non præmissa confessione celebrant. Videatur Diana *p. 9. tract. 3. resolut. 24. & seq.* Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 7 disput. 8. quæst. 48. & seq.* & Bonacina *ubi infrà de Sacram. disput. 4. quæst. 6 p. 1. à num.* 37. Qui pro his illationibus plures Auctores congerunt.

§. I.

Tridentini præceptum qualiter à nonnullis explicetur.

6. EST tamen gravis difficultas, quando Sacerdos non habens copiam Confessoris necessitate urgente, non præmissa læthalis confessione, celebravit; qua ratione intelligendum sit præceptum Tridentini, *quamprimum confitendi*? Nonnulli censuerunt, ibi solum præcipi, quod confiteatur suo tempore, seu antequam iterum celebret. Sic Molfesius *in Sum. tom. 1. tract. 3. cap. 10. nu.* 38. & ante illum Petrus Binsfeldius *in Enchirid. Theolog. Pastoral. cap. 5.* Quorum opinionem esse probabilem, saltem per principia extrinseca, dixit Diana eos citans *2. p. tract. 14. resol. 60.* licet posteà *p. 9. tract. 3. resolut. 23.* dixerit cum Aversa, rejiciendam esse, nec probabilem existimandam.

7. Idem, quod Molfesius, tenet Thomas Hurtado *tom. 1. variar. quæst. tractat 3, cap. 1. resol. 14.* his: *Sacerdos, qui ex justa causa, vel injusta, omissa Sacramentali confessione, celebravit, tenetur statim post Missam confiteri; sed sufficit ante primam celebrationem exequatur. *Quod magis explicat in corpore resolutionis, dicens: *Sacerdos qui ex carentia confessarii, ad evitandum scandalum in peccato mortali celebravit, *solum obligatur confiteri antequam iterum celebravit. Et infra num. 64. Tridentini mentem explicans, sic ait: *Solum est difficultas, quid denotent verba illa: quamprimùm: Quibusdam asserentibus, significare, quamprimùm fuerit commoditas, & copia Confessoris. Sic Suarez, Vazquez, Sayrus, Sylvius, Nunnus, Corrola, Marchinus. Alii verò intelligunt illa verba *Quamprimùm*: hoc est, priusquam celebrent. Sic Lugo, Fagundez, Binsfeldius; Molfesius, & alii quibus assentior. *Unde infert Hurtado, quod Sacerdos *qui necessitate urgente, sine prævia confessione celebravit in mortali, si priusquam secundo celebret, etiamsi sit post annum, non confiteatur, duplicique peccati est reus: *quia agit (inquit) contra duo præcepta; aliud divinum, quo obligatur, non accedere peccato, aliud Ecclesiasticum latum in Tridentino de confessione facienda ante celebrationem secundam. *Sic Hurtado cum aliis.

8. Quibus adde Homobonum, quem citat, & sequitur Barbosa *de officio Parochi 1. cap. 20. n. 37.* dicens: *Novissimè Homobonus de Bonis *in Resolut. quæst. moral p. 2. responsi. 52.* subdit, illud *quamprimùm* meritò arbitrio boni viri intelligendum esse, docetque primum iterum celebraturus est, ut post Regnaldum, Valentiam, & Suarez, resolvit Bonacina *Sacram. dis. 4. quæst. 6. p. 1. nu. 22.* *Sic Barbosa, sed nullè pro hac parte adducit Jesuitas citatos, quia nullus eorum id asserit, imò nec Bonacina id resolvit, sed contrarium *num.* 37. dicens ibi, teneri *quamprimùm* confiteri. Quod *num.* 41. explicat, id est, teneri *quamprimùm* confiteri, post celebrationem. *Nec auctorem aliquem contra refert. Unde credo in Barbosæ citationem, Amanuensis incuria errorem irrepsisse.

9. Pius addunt alii, nimirum, in verbis Tridentini nullum contineri præceptum, sed solum consilium *quam primum* confitendi. Sic M. Petrus de Ledesma in Universitate Salmantina primarius Theologiæ Cathedræ moderator *in Summ. 1. p. tract. de Eucharist. cap. 11. ante conclus. 9.* ubi sic scribit: *Algunos ensennan, que el que cumulgò, sin que precediesse confession, està obligado por precepto, luego en viniendo copia de Confessor, à confessarse. Y esto parece que significa el Concilio en el lugar citado, y esta sentencia es probable, hablando de los Sacerdotes, de los quales habla el Concilio. Pero à mi me parece cosa muy mas probable, lo que tienen otros, que no es precepto. Porque no es precepto divino, como es cosa notoria, ni tampoco es precepto humano. Porque el Concilio tan solamente dize, que tal luego en pudiendo comodamente se confiesse*: aquella palabra *Se confesse*, no tiene fuerça de precepto, sino de consejo. *Sic M. Ledesma. Cujus opinionis fundamenta jecit Cajetanus 2. 2. q. 180. art. 1. in responsi. ad 2.* ubi sic ait: *De modo verò loquendi puta, quia lex utitur imperativo modo, clarè inquit, quod non inducit vinculum præcepti, modus enim hujusmodi imperium Grammaticè denotat, non theologicè.* *Quem sequuntur alii apud Dianam *p. 1. tract. 6. Miscell. resol. 74.* ubi inquirens: *An verbis imperativi modi præceptum contineant? *Respondet: *Pluribus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ma opinio negat, supradicta verba imperativi *facite, curare* (attende) *abstineant, nemo audeat, &c.* præceptum continere. Ita Castrus *de lege pœnali, lib.1. cap.5. docum.4.* Cajetanus 2.2. *quæst.*166. (lege 186.) *art.*4. (lege 9. *circa solutionem ad* 2. Carbo *de legibus lib.*7. *disp.*4. *ad finem*, & alii.*

10. Ideò sententiam Petri de Ledesma amplectitur Villalobos *in Sum. tom.*1. *tr.*7. *de Eucharist. diffic* 37. *num.*7. ubi sic: * El Sacerdote, que dixo Missa sin confessarse, por necessidad urgente, y no tener copia de Confessor, no esta obligado à confessarse luego, en aviendo oportunidad. Esta conclusion tengo por probable, y en practica se puede seguir. Tiene esta Ledesma con otros. El fundamento es, porque aunque el Concilio Tridentino dize, *Quamprimum confiteatur*, estas palabras no son de precepto, sino de consejo. Y por lo menos no lon de precepto claro, lo qual es necessario, para que nos obliguemos a pecado mortal. Y assi en practica se puede muy bien seguir esta opinion. * Quibus adde Ludovicum de S. Juan *quæst.*7. *de Eucharist. art.*7. *dub.*2. *fol.*264. & probabilem putare videtur Diana 2. *p tract* 14. *resolut.*60. ut constat ex modo referend. Et esse probabilem innuit Cornejo *tract. de Eucharist. quæst.*80 *art.*4. *dub.*3. *p.*409. ut dicit Leander à Sacrament. *tom.*2 *tract.*7. *disputat.*7. *quæst.* 46. & ipse clarè probabilem judicat, quia solum ait: * Longe probabilius est, contineri in dictis verbis præceptum. * Et consentit, ut probabili Trullench *lib* 3. *cap.*6 *dub* 4. *num.*27. *in fine.* Et, quod magis rabilius, hanc sententiam, ut magis communem refert, & sequitur Machado *tom.*1 *lib.*2 *part.* 4. *tract.*8. *dub.*3. *in fine, fol. mihi* 382. dicens: * Si bien Navarro afirma lo contrario, fundado en el Concilio Tridentino, que dize: *Quam primum confiteatur*, palabras, que el juzga induzen precepto, assi à Sacerdotes, como a legos, y en quato à los Sacerdotes la sigue Suarez. Pero la comun, como hemos dicho, es, que en unos, y en otros, son de solo consejo. * Sic ille citans Bassæum *verb. Communio, num.*39. sed apertè fallitur, dum communiorem dicit.

§. II.

Vera sententia.

11. Cæterum ejusmodi opiniones sustineri minimè possunt. Non secunda, quia negare verba Concilii *quam primum confitendi*, continere præceptum de novo impositum Sacerdotibus, ex urgente causa, deficiente Confessario, non præmissa confessione celebrantibus, est contra communem Doctorum sententiam, & omnino rejiciendum. Verbis enim legis standum est, juxtà communem Doctorum interpretationem. Hæc autem de præcepto ab omnibus fuisse intellecta, testatur P. Suarez *tom.*3. *in* 3. *p. disp.*66 *sect.*7. * Ex tenore, inquit, verborum constat, quia ita sunt ab omnibus Doctoribus intellecta. * Ergo de mente Concilii præceptum imponere intendentis, dubitare non licet. Sic docent Vasquez *tom.*4 *in* 3 *p. q* 90 *art.*3. *dub.*3. *num.*8 Hurtado *disp.*9 *de Eucha. diss.*7. Henriquez *cap.*41. *n.*4. Lugo *disput.*14. *n.* 135. Filliucius *tom.*1. *tract* 4. *nu.*221. Diana *p.*9. *tract.*3. *resol.*22. & alii communiter. Quapropter novissimè Summus Pontifex Alexand. VII. tanquam scandalosam damnavit, & probibuit die 18. Martii 1665. hanc propositionem: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate, cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, & non præceptum.* Ex quibus constat, prorsus corruisse opinionem Petri de Ledesma, & Villalobos negantium præceptum.

12. Jam semel statuto, in verbis illis præceptum contineri; omni prorsus fundamento destituta est opinio Thomæ Hurtado, & sequacium asserentium, ejusmodi præceptum solum esse, confitendi ante aliam celebrationem. Si enim ita esset, parum vel nil operarentur verba Concilii, nec novum imponerent præceptum. Certissimum enim est (& ex verbis præcedentibus ejusdem capitis septimi constat) eum, qui à mortalibus absolutus non est, quantumvis contritum teneri, antequam celebret confiteri, si copia Confessoris non desit. Verbis ergo subsequentibus: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur*; frustra novum præceptum imponeretur, si nil de novo sub præcepto injungeretur. Ergo, *quamprimum confiteri*, quod specialiter Sacerdotibus præcipitur, aliquod involvit, quod, in verbis antecedentibus, Christianis omnibus, ut necessarium declaratum, non præcontinebatur. Hæc consequentia est evidens; & in posterum de eius veritate nemini dubitare licet: post decretum Alexandri VII. suprà memoratum, in quo ut scandalosam etiam damnavit, & prohibuit hanc propositionem: * *Illa particula quam primum intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.* * Unde corruit opinio contraria *num.*7. relata.

13. Si verò inquiras, quam latitudinem admittat dictio illa: *Quam primum*? Joannes Sanchez *in Selectis, disp.*12. *nu.*14. existimat, illico finita Missa, Sacerdotem teneri confiteri, pro qua citat Suarez, & Vasquez. Verum dictio *illico*, cui ly *quam primum* æquivalere dicitur; majorem latitudinem admittit, ut videre licet apud Barbossam *in Dictionario, dict.*149. ubi sic ait: * Interdum illud dicitur *illico fieri*, quod infrà triduum fit, ut per textum *in l infrà decem dies, C. Quomodo, & quando Iudex. & in l. fin. C. de indict. viduit. tollend.* tradunt Mascardus *de Probat concl.* 1084. *num.* 10. Gonzalez *ad Regul* 8. *Cancell. glos.*43. *nu.* 1. Intelligitur *ipso jure, ut in l. ult. C. de judiciis*, notant Socin. *regulâ* 160. *in* 2. *fallent.* Cremen. *sing.*7. Tiraq. *in l si unquam, verb. Revertatur, num.*115. *C. de revocandis donat.*

14. Imò si Barbossam consulamus de propria significatione dictionis. *Quam primum*, respondet *dict.*302. * Importat hæc dictio spatium trium mensium in magnis, & duorum in parvis, ut *in l. fraudem*, §. *Fiscalibus, ff. de jure fisci.* Alberic. *in suo Dictionario in verb. Quam primum*, & Specul. *de allegat. & disput.* §. *Post hoc autem, num.*9. *in fine.* *

15. Cæterum hæc expositio in re præsenti admitti non potest: est enim latissima, & menti Concilii repugnans. Raro enim Sacerdos per duos, vel tres menses celebrare differt, unde hæc latitudo æquè odiosa est, ac opinio concedens verba *quam primum* solum obligare confiteri ante aliam celebrationem. Quod longissimè est à mente Concilii intendentis, quod statim Sacerdos ille confiteatur. Non tamen ideò immediatè, finita Missa, tenebitur, quia ut benè ait P. Sanchez *lib.*1 *de Matrim. disp.*51. ex Hostiensi, Joanne Andrea, & Auchart. *statim* intelligitur fieri, quod intra triduum fit. * Quia in jure, inquit, dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum fit, *l. fin. Cod. de errore advocatorum*, ubi: In continenti, id est, triduo; *& l. final. C. de judiciis*, ubi: Illico autem, id est, intra triduum. Et confert doctrina Baldi, & Felini *cap. veniens el* 2. *de testibus nu.*15. *in fin.* Ripæ *lib.*4. §. *Condemnatum, ad finem, ff. de re judicata.* Mandosi *de Monitoriis, q.*31. *numer.* 8. ubi docent, dici in continenti

probari, quod intra triduum probatur. * Quorum sententia ad genuinam Concilii explicationem deservire potest, quia eam sequentes, rigorosum verborum sensum retinemus, & aliunde, nec conscientiæ habenas laxamus, nec Sacerdotes nimis gravamus. Et ita expresè tradunt M. Candidus *tom. 3. disquis. 2. art. 22. dub. 56.* P. Coninch *de Sacram. disput. 25. dub 2. num. 3.* Trullench *de Sacram. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 26.* Pellizar. *in Man. Reg. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 1. numer. 116.* & alii.

QVÆSTIO VII.

An qui sacrilegè pluries communicavit, si actum contritionis posteà eliciat, vel attritus confiteatur, recipiat simul omnes gradus gratiæ, quos accepisset ex opere operato, si dignè semper communicasset?

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

1. SUpponendum est primò, pro eodem usurpari in præsenti, dignè suscipere Eucharistiam ac sine obice peccati mortalis: nam indignè suscipere, idem est, ac reum esse corporis, & sanguinis Domini. Unde qui ita accedit, ut illius reus non sit, dicitur dignè suscipere, quamvis devotione, aliisquè actibus dsponentibus ad majorem gratiam suscipiendam careat.

2. Cæterum minimum gratiæ habitualis recipiet, qui mundus à mortali, nulla positiva dispositione Eucharistiam suscipiat; nam qui minima dispositione accedit, minimum gratiæ recipere, congruum est. Ut benè tradit M. Serra *3. p. quæst. 62. art. 1. dub. 4.* ibi: * Quamvis non sit omnino certum, probabilissimum tamen est, in his etiam, si absque alia dispositione accedant, Sacramenta gratiam causare, nam nullum obicem ponunt, & Sacramenta non ponent bus obicem gratiam conferunt, &c. (& ad 2.) In non ponentibus obicem sine dispositione propria actuali, Sacramentum non operatur quantum potest, sed minimum, quod potest. * Nimirum, quod operaretur ab infante susceptum, ut explicant Theologi: ex quibus Dicastillo *de Eucharist disp. 8. tract. 4. dub 4 n. 3.* * Asserendum (inquit) est, dispositionem, ac devotionem actualem procurari quidem debere in tempore sumptionis hujus Sacramenti: ad effectum tamen quendam communem, qui videlicet etiam in infantibus effici posset, prædictam dispositionem non esse simpliciter necessariam, sed potiùs ad talem effectum sufficientem esse gratiam habitualem, & intentionem supradictam suscipiendi Sacramentum. Ita D. Thomas, Gabriel, Sotus, Victoria, Vasquez, Suarez, Coninch, Bonacina, Lugo *disp. 14. num. 16.* * Quod multis suadet Arriaga *tom. 7. disp. 45. de Euchar. sect. 3. num. 16.* dicens: * Habet autem universalis hæc doctrina fundamentum in Conciliis, quæ ad horum Sacramentorum dignam susceptionē, non aliud requirunt, quam statum gratiæ; & specialiter de hoc Sacramento videtur ita loqui Tridentin. *sess. 13. cap. 3* solum ex Paulo requirens, quod probet se homo per confessionem, si in mortali sit. * Et quod caput, ita intellexisse D. Thomas *3. p. q. 79. art. 8. in corp.* testimonio contraria, quam tenuit *in 4. dist. 12. q. 2. art. 3. q.* Ut notat M. Petrus de Soto *de inst. Sacerd. de Euchar. fol. 83.* ubi sic scribit. * De venialibus in ipsa sumptione Sacramenti committuntur, quia est mentis evagatio, quod procul dubio impedit fructum Sacramenti, est sententia D. Thomæ *dist 12. q. 2. artic. 1. ad 3. q.* putat enim, peccatorem manente non augeri charitatem. Cæterum ipse D. Thom. posteà, *3. p. quæst. 79. art. 8.* asserit hoc proventum evagationis animi, sicut non opponitur habitui gratiæ, & charitati, ita neque impedire augmentum eius. * Hæc Sotus.

3. Præmittendum est secundò, dissidium inter esse inter Theologos, utrùm Sacramentum Eucharistiæ, quod ratione obicis peccati mortalis, non contulit gratiam, tempore susceptionis; eam posteà contulisset, quando peccatum ratione contritionis, vel sacramentalis confessionis remittitur? Quæ eadem quæstio de aliis etiam Sacramentis proponi solet, his terminis, *An omnia causent gratiam, ponenti fictione?* Et quamvis de Baptismo, propter auctoritatem Augustini, omnes affirmenti; de aliis verò Sacramentis non pauci negant, & de Eucharistia plures, videre licet apud Leandrum à Sacram. *tom. 1. tract. 2. Sacram. in genere, disp. 5. quæst. 7.*

4. Verum, quod de Baptismo nos docuit Augustinus, tradit de Eucharistia D. Thomas locum citando, cui consentit Cajetanus *tom. 1. opusc. tract. 5. §. Communi*, ibi: * Augustinus primus inter ea Baptismo, D. Thomas de aliis Sacramentis: eorum id nos sentiemus etiam de illis? * Unde concludit: * Non oportet sapere plus, quam decet. * D. Thomæ verba reperies *in 4. sentent. distinct. 17. quæst. 3. art. 1. quæst.* Ubi sermonem instituens de illo, qui non contritus confitetur, sic loquitur: * Et quamvis sumendo percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione, percipere incipiet; (attende) sicut etiam in aliis Sacramentis. *

5. Nec obstat, quod *dist. 4. quæst 3. art. 2. quæstiun. 3. ad 3.* disparitatem constituerit inter Baptismum, & Eucharistiam; & hunc videatur negare, quod illi concesserit: longè enim alia fuit eius mens; neque enim tendit negare, alia Sacramenta, præter Baptismum, recedente fictione, gratiam causare; sed distinctè ostendere inter Sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, rationem cujus, etiam gratis dato, Eucharistiam recedente fictione, non causare gratiam, nunquam Baptismo, necessariò negandum fore. * Quia Eucharistia, inquit, non imprimitur character, quo virtute possit aliquis virtutem Sacramenti percipere recedente fictione, & ideò non est simile. * Petrus autem non intendit D. Thomas, necessarium dicere quod Sacramentum characterem imprimat, ut recedente fictione, causet gratiam; aliàs aperte illum contradiceret *dist. 17. citata*, ubi expresè asserit, contritionem informem, recedente fictione, effectum gratiæ causare, sicut & alia Sacramenta: quandoquidem Sacramentum Pœnitentiæ characterem non imprimere, utpotè quod iterabile est, dubitari non potest.

6. Ideò pro opinione asserente, Eucharistiam sumpthali susceptam, causare gratiam recedente fictione (id est, peccato per pœnitentiam sublato) militant Cajetanus *ubi suprà*, M. Serra *de Sacrament. quæst. artic. 1. dub. 2. fol. mihi 85.* & M. Joannes de la Cruz *Direct. 2. p. de Pœnitent. dub. 30 fol. 183.* ubi sic: * Omnia Sacramenta, etiam non imprimentia characterem, causant suos effectus, ablato impedimento

ita D. Thomas, Cajetanus, Paludanus, & Ledesma. * Quibus adde Margaritam Confessor. à M. Dominico de Baltanas editam Hispalis, anno 1526. *folio* 46. ubi sic: * Cum nostra Sacramenta gratiam conferant, non effectivè, sed dispositivè, quæ non imprimunt characterem, imprimunt similem dispositionem, quæ dicitur ornatus, * & infrà: * Ad omnem formam sufficienter disponentem ad aliquem effectum, sequitur effectus, sublato impedimento, & remota fictione: In Baptismo sequitur gratia à charactere. Sed ornatus sufficienter disponit ad gratiam, ergo sublato impedimento fictionis, sequitur inde gratia. * Sic ille, qui licet de Sacramento Pœnitentiæ loquatur, idem ob eamdem rationem de Eucharistia dicere tenetur, cum utrumque Sacramentum similem ornatum imprimat, non characterem.

7. Eamdem sententiam tenent M. Petrus de Soto *deinst. Sacerdot. lect. 4. de Baptismo in fine*, ibi: * Augustinus rationabiliter asseruit *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas*, quod recedente fictione incipit Sacramentum operari, &c. Hoc dicimus in Eucharistia, hoc in cæteris omnibus; nec opus est, inquirere, qua virtute Sacramenti, hoc fiat. * Et pro hac stare Capreolum, & Paludanum, colligitur ex his, quæ tradit M. Dominicus de Soto *in 4. dist. 18. quæst. 3 art. 3. in fine*. Hanc sententiam, dicens, esse D. Thomæ, amplectur Thomas Hurtado *tom. 2. variarum resol. tract. ult. resol. 10. n. 529.* ubi ait: * Quare mihi non placet sententia Martini de Ledesma asserentis, quod Sacramentum Eucharistiæ, recedente fictione, non causat suum effectum, qui alterabile est. Hoc inquam mihi non placet, cùm omnium Sacramentorum æqua sit ratio, quantum adistam rationem. * Eamdem amplectitur, & multis suadet, esse probabilem Cabrera *de Sacram. quæst. 69. art. 10. disp. 4. nu. 9.* quem citatum sequitur Diana *3. p. tract. 4. resol. 15.* P. Arriaga *tom. 7. de Sacram. in genere, disput. 14. sect. 4. fol. 156.* P. Mascarenhas *disp. 4. cap. 5. nu. 211. fol. 49.* & Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 5. diffic. 21.* ubi inquirens: * Si los demas Sacramentos, fuera del Baptismo, recibidos con ficcion, tienen sus efectos, quitada la ficcion? * Respondet: * En esta question no ay cosa cierta. Lo que tengo por mas probable es, que todos los Sacramentos, quitada la ficcion, tienen su efecto. * Sic ibi, licet posteà *tract. 7. diffic. 32.* sibi constans, oppositum de Eucharistia dicat.

8. Et novissimè hanc sententiam, pluribus pro ea citatis, valdè probabilem putat M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. de Sacram. 3. p. quæst. 69. num. 9.* ibi: * Rursus, alii id tribuunt omnibus Sacramentis, nempè causare gratiam recedente fictione, &c. Demum alii hoc privilegium omnibus tribuunt, excepto Sacramento Eucharistiæ, &c. Hæc sententia videtur reliquis probabilior, & conformior D. Thomæ; non tamen negamus, penultimam sententiam esse valdè probabilem. * Cæterum hanc penultimam conformiorem esse D. Thomæ, constat ex auctoribus suprà citatis. Quibus non dissentit M. Sotus *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8.* dicens: * D. Thomas videtur hoc generaliter omnibus Sacramentis tribuere, & certè id videtur consequi ex ista solutione ad primum argumentum; quia quodlibet est opus Dei. * Ideòque tanquam D. Thomæ sententiam, aliis citatis, illam defendit Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 1. disp. 5. q. 7.* ubi ait: * Probabilius respondeo, omnia Sacramenta fictè suscepta, ablata fictione, suum effectum conferre, sic D. Thomas, Cajetanus, Petrus de Soto, Bonacina *disp. 1. quæst. 6. p. 3. nu. 3.* Henriquez *lib. 1. cap. 24. & 25.* & alii, quos sequitur Palaus *tom. 4. tract. 18. p. 9. à num. 4.*

§. II.

Quæstionis resolutio.

9. EX Sacramenti Eucharistiæ reviviscentia, & ex virtute à Christo Domino concessa ad causandam gratiam recedente fictione (id est, remisso peccato lethali, quod fuit gratiæ infundendæ obex) infertur planè, eum, qui pluries sacrilegè communicavit, dum primum per contritionem, aut veram confessionem pœnituerit, recipere saltem eos gradus gratiæ, quos percepisset, si dignè (id est, sine mortali) nulla positiva dispositione præcedente, communicasset: sicut ille, qui pluries Sacramentum Pœnitentiæ fictè, seu absque dolore sufficienti percepit, dum primum cum dolore debito confitetur, recipit saltem eos gradus gratiæ, quos Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato causasset, si non adfuisset obex tempore susceptionis, nempè minimam gratiam, quam hoc Sacramentum ex opere operato causare potest. Ut cum Suarez, & aliis tradit Arriaga *de Sacramentis in genere, disput. 15.* & tenent non pauci infrà referendi.

10. An verò in majori mensura conferenda sit gratia, recedente fictione, in Eucharistia, vel pœnitentia, aliisvè Sacramentis? colligendum est ex doctrina D. Augustini pro Sacramento Baptismi; nam quod ille de Baptismo asseruit, dicit D. Thomas censendum de pœnitentia, de aliisquè Sacramentis, ut videre est apud M. Petrum de Soto *ubi suprà*, cujus hæc sunt verba: * Augustinus rationabiliter asseruit *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas*, quod recedente fictione, mutata videlicet voluntate illa, cum qua quis in peccato accessit ad Baptismum, incipit Sacramentum ipsum operari, non inquit ille (nempè Augustinus) quam si cum susciperetur, adesset illa pœnitentia. Quam piam quidem, & dignam Dei misericordia sententiam tota Ecclesia sequitur, &c. Et quamquam hæc sententia in reliquis omnibus Sacramentis non sit ita recepta, potest tamen rationabiliter credi, cum sit in omnibus eadem ratio. Ita ut nullus sine spe consolationis doleat de amissa gratia Sacramenti, sed credat, quod etsi cum susceperit, non satis fuerit dispositus, numquam tamen exclusus est à fructu ipsius, quamdiu illum defectum supplere potest. Hoc dicimus in Eucharistia, hoc in cæteris omnibus. * Hactenus ille. Ex quibus duo nobis liquidò constant. Primum, quòd D. Augustinus (juxtà mentem Petri de Soto) planè sensit, Baptismum reviviscere ad eum gradum gratiæ, quem contulisset, si pœnitentia, quæ nunc habetur, adfuisset tempore susceptionis Baptismi. Secundum, quod M. Petrus de Soto sentit apertè, eodem modo philosophandum de Eucharistia, ac de Baptismo; ac proinde eamdem gratiam conferendam ex opere operato, quando, recedente fictione, Eucharistiæ Sacramentum reviviscit, quæ collata fuisset, si dolor, & dispositio, quæ modò est, præcessisset tempore susceptionis Eucharistiæ.

11. Hanc sententiam loquens de Baptismo defendunt plures Thomistæ, quos refert, & sequitur M. Joannes Martinez de Prado *to. 1. de Sacram. 3. p. quæst. 69. dub. 4. nu. 29.* ubi postquam pro contraria, & negativa retulit Patrem Suarez, Coninch, Castrum Palao, M. Serram, & Aversam, sic ait: * Affirmativa sententia est communior, & vera, & ideò in eam magis inclinat Nunno, tenentquè Cabrera *quæst. 69. art. 10. disp. 1. num. 10. & 27.* Candidus *disquis. 16. art. 9. dub 10.* & admittit Vasquez *disp. 159. cap. 5.* (& etiam *cap. 4. n. 48.*)

*num.*48.) stando in ea opinione, quæ docet, Baptismum, recedente fictione, conferre gratiam ex opere operato, idem probat Lugo *disp.9.de Sacram.in genere, sect.5.dub.2.num.73.**Sic ibi. Quos sequitur Dicastillo *de Sacrament, Baptismi, tract.2. disp.2. dub.15. num.176.* Et ante omnes M.Bannez 2.2.*q.*24.*art.*6.*dub.*6.*concl.* 4. loquens de reviviscentia Sacramentalis gratiæ, ubi ait: * Cum ergo diximus gratiam Sacramentalem restitui pœnitenti, intelligendum est in ea quantitate restitui, quæ daretur illi, si cum præsenti dispositione accessisset ad præterita Sacramenta.*Sic ex illo refert M.Prado *tom.de Pœnitent q.*89.*dub.*4.*n.*2. *&* 3. illiquè subscribit, dicens: *Sic Bannez, & meritò. *Quorum præcipuum fundamentum est, quia gratia Sacramentalis datur adultis inæqualiter juxtà uniuscujusque dispositionem, ut tradit Concilium Tridentinum *sess.*6.*cap.*7. cum autem attritio, seu contritio, qua tollitur fictio, verè sit dispositio ad gratiam virtute Baptismi antea suscepti recipiendam (quia Baptismus eam non operatur sine dispositione recipientis) sequitur inde, juxtà præsentem dispositionem, gratiam esse conferendam, & consequenter eamdem, quæ si tempore susceptionis Baptismi, hujusmodi dispositio præcessisset. Quod de aliis etiam Sacramentis dici debet.

12. Eamdem sententiam defendit Thomas Hurtado *ubi suprà num.*535. dicens:*Colligitur tertiò contra Suarez, quod gratia remissionis peccatorum, quæ causatur, recedente fictione, virtute Sacramenti, datur juxtà mensuram præsentis dispositionis, ita loquens de Baptismo tenet Granado, & ratio est, quia omnia Sacramenta valida, quando sunt informia conservant suam virtutem, & efficaciam respectu sui effectus; atqui Sacramenta exerunt suas vires, juxtà dispositionem recipientis, ut est apud omnes indubitatum, & videtur definitum in Tridentino *sess.*6. *cap.*7. *&c.* Quare actus, quo tollitur impedimentum (attende) non est dispositio ad Sacramentum, quod jam antea erat susceptum, sed ad recipiendum effectum Sacramenti, qui proportionatur præsenti dispositioni. * Hæc Thomas Hurtado, cui accedit M. Joannes de la Cruz *ubi suprà*, dicens: * Sacramentum præcedens operatur modo, ac si esset præsens.*

§. III.

Consectaria.

13. EX dictis evidenter deducitur, Doctores omnes, qui sentiunt, privilegium reviviscentiæ concessum esse omnibus Sacramentis, nullo excepto, non posse negare Sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum, recedente fictione, causare ex opere operato, saltem gradum illum gratiæ, quem contulisset, si absque obice fuisset susceptum. Unde pro hac parte necessariò stabunt Cajetanus, Mag. Serra, M.Petrus de Soto, Cabrera, Arriaga, Diana, Mag. Nunno, Candido, Hurtado, Joannes de la Cruz, qui opinionem istam sequuntur, & Mag. Prado, qui, valdè probabilem esse, dicit, illos referens ubi suprà. Qui consequenter inficiari non possunt sequelam illam, quæ nonnullis mirabilis visa est: scilicet, pœnitentem eo majorem gratiam, oblato obice, susceptum, quo pluries antea fictè communicaverit; quæ evidenter ex his præmissis deducitur. Nam quo pluries fictè communicavit, eo plura numero Sacramenta reviviscunt; & cum eorum quodlibet causet ex opere operato distinctum gradum gratiæ, necesse est, quòd omnia simul majorem gratiam, oblato obice, ut sent, quam quodlibet seorsim cum minima dispositione susceptum.

14. Hæc illatio adeò evidens est, ut ob eam vidam, non pauci negaverint Eucharistiæ, quod Sacramentis, recedente fictione, concesserunt. Diana *p.*11.*tract.*7.*resolut.*48. §. *Itaque* dicendum. * Alioqui Sacerdos, qui cum dignitate sibi nota contra jus, & fas celebrat, gravissimis criminibus, furis innodatus, sæpius etiam quotidiè per longum vitam; reciperet in fine vitæ contritus gratiæ cumulum ingentem, ex tot sacrilegiis horrendis, quod apparet satis absurdum. * Hæc Diana, & ita etiam cum aliis M. Joannes Martinez de Prado *ubi suprà num. fol.*625. *Demum inquit) alii hoc privilegium omnibus tribuunt, excepto Sacramento Eucharistiæ, in Suarez, Coninch, Filliucius, Lugo, Layman, Ledesma, Villalobos, Bonacina, Trullench. Exceptionem movebant, primò ab inconvenienti; quia ex opposito quæreretur, Sacerdotem scienter toto vitæ cursu in mortali peccato celebrantem, si in mortis articulo conteratur, vel cum attritione confiteatur, recipere ingentem gratiæ cumulum correspondentem omnibus Missis præteritis, in quibus celebrando ingentia sacrilegia commisit. Unde fieret repente sanctissimus, & eo sanctior, quo plura fuissent sacrilegia, & multo sanctior, si singulis diebus contra legem Ecclesiæ celebrasset decies, vel centies, quod incredibile apparet, &c. *Hæc Prado, cui tamen sequela istorum dissonat, quia infrà de contraria, quam ipsum opinione, inquit: * Hæc sententia videtur tutior, probabilior, & conformis D.Thomæ. Nostram negamus, penultimam, & primam esse valdè probabilem, & ideò unusquisque in hoc puncto potest a suo sensu abundare. * Sic ille. Qui cum, ut ex his patet, illationem præfatam inevitabilem censeat, juxtà sententiam concedentem Eucharistiam, recedente fictione, gratiam causare, & aliunde concedit, eadè probabilem esse sententiam istam penultimam, ex qua id necessariò sequitur; planè convenit, conclusionem æquè probabilem putare, ac principium; & consequenter valdè probabilem: eo enim concesso, nemo illam negare potest. Quapropter jure admittit Mascarenhas ubi suprà *disp.*4.*qq.*208. 211.*fol.*49.

15. Deducitur secundo ex dictis, in opinione tenente, juxtà mensuram præsentis dispositionis, qua peccati obex tollitur, gratiam conferendam; necessariò dicendum esse, omnes Eucharistiæ sumptiones in peccato lethali prius factas reviviscere pleno quoad effectum ex opere operato causandum, ad eas gratiæ gradus, quorum causa fuissent, si hæc numero dispositio, quæ modo datur, singulas communiones præcessisset. Hæc illatio majorem admirationem excitat; nequeunt tamen illi dissentire Doctores supra citati, qui admissa reviviscentia Eucharistiæ, recedente fictione, (sicut, & Baptismi) quoad effectum gratiæ; juxtà mensuram præsentis dispositionis habitualem tradunt. Undè pro hujusmodi gratiam habitualem tradunt. Undè pro hujusmodi fictione ultra alios necessariò stare debent Petrus de Soto, Cajetan. Thomas Hurtado, Joannes de la Cruz, possentque non incongruè citari M.Nunno, M.Candidus, Card. de Lugo, Vasquez, Dicastillo, & alii, & pro illius probabilitate M.Prado, Cabrera, Diana, & alii, qui, ut vidimus locis supra citatis, Sacramentum Eucharistiæ, sicut & Baptismi, recedente fictione, gratiam conferre, probabile existimant.

16. Neque ideò dicendum, peccatorem habere commodum ex fictione, qua suscepit Eucharistiam:

fit, ob

fictio enim per accidens se habet, & commodum solum habetur ex Sacramento Eucharistiæ validè susceptо, quod pluries repetitum majorem gratiam causat, recedente fictione : sicut qui pluries Sacramentum pœnitentiæ fictè susceperit, majorem posteà gratiam, recedente fictione, reciperet, & eo majorem, quo pluries validè cum fictione, seu cum obice ad infusionem gratiæ, confessus fuisset. Imò & de illo etiam verificaretur, si fictio fuisset graviter peccaminosa, quod eo sanctior evaderet, quo plura sacrilegia fictè confitendo commisisset. Et tamen in hoc concedendo, nullum datur absurdum in opinione communi Thomistarum, eo quod peccatum fictionis per accidens se habeat, & fructus major non ex peccato, sed ex Sacramento sæpiùs iterato proveniat, & ut ait cum Scoto, M. Prado supra *num.* 27. de Baptismo fictè susceptо loquens: * Potiùs habet detrimentum ex fictione, quia tempore, quo susceperit, & sequenti usque ad pœnitentiam, qua auferetur fictio, est filius gehennæ, & omnia opera eius mortua sunt. Si autem non fuisset fictus, fuisset tunc, & usque ad lapsum filius Regni, & opera eius viva, quibus meruisset augmentum gratiæ, & gloriæ; ideòque id cedit in commendationem pœnitentiæ, & divinæ largitatis, qui tantam vim contulit Baptismo (adde, & Eucharistiæ) ut vim habeat operandi ablato obice, ac si tunc conferretur. Et ita omninò est asserendum. * Hæc Prado.

17. Sicut igitur, per se loquendo, melioris conditionis est, qui Baptismum susceperit dignè cum attritione, ut duo : quàm qui indignè susceperit, licet posteà, ablata fictione per attritionem, ut quatuor, majorem gratiam virtute Baptismi recipiat, quam antea recepisset dispositus per attritionem, ut duo; & licet per se loquendo melioris est conditionis, qui initio vitæ baptismum susceperit, quam qui culpabiliter differt usq; ad articulum mortis, licet isti afferat remissionem omnimodã omnium peccatorum totius vitæ, etiam quo ad pœnam, quem fructum non consequitur, qui multis retro annis baptizatus est; ita similiter in nostro casu dicendum est. Idemque contingeret, absque ullo absurdo, in Sacramento pœnitentiæ valido, fictè tamen susceptо. Per se enim loquendo, melioris est conditionis, qui absque fictione dispositus attritione, ut duo, sæpè recipit Sacramentum pœnitentiæ, quàm qui fictè totidem recepisset; licet hic postea, fictione ablata per attritionem, ut quatuor, majorem gratiam, virtute iterati valoris Sacramenti, ex opere operato recipiat, & eo sanctior evadat, quo plura sacrilegia commiserit, & multò, sanctior, si singulis diebus ter, vel quater validè, sed cum fictione Sacramentum pœnitentiæ susceperisset : eo quod totum hoc augmentum per accidens eveniat ex fictione; per se verò ex virtute Sacramenti, quod hac dispositione ut quatuor accedente, juxtà illam, gratiæ effectum modo causat, ut docent Theologi supra citati : ergo similiter de Sacramento Eucharistiæ fictè susceptо discurrere debemus, si consequentiam servare velimus. Dissonantia enim,

quoad augmentum gratiæ, reperiri nequit
in uno Sacramento magis,
quam in alio.

***

QVÆSTIO VIII.

An, qui habuit voluntariam pollutionem, possit, præmissa peccati confessione, eodem die communicare?

§. I.

Probabilior sententia ab authoritate suadetur.

1. PArtem affirmativam tuentur gravissimi Doctores, quo citatos sequitur P. Mascarenhas *tom. 1. de Sacram. tract. 4. cap. 7. fol. 239.* dicens : * Ita tenet Sylvester, *verb. Eucharist. 3. §. 10. num. 12.* Navarrus retractans se in ultima editione *in Manual. cap. 21. n. 51.* & cum multis Joannes Sanchez *in selectis, disp. 23. n. 30. & 31.* Item Hurtado, Azor, Suarez, Layman, &c. * Quibus adde D. Thomam *3. p. quæst. 80. art. 7.* & alios, quos suppresso nomine refert M. Serra, *ibidem fol. mihi 457.* quorum sententiam probabilem ipse existimat. * Si pollutio, inquit, fit peccatum mortale, quod non est per legitimam pœnitentiam deletum, à sumptione Eucharistiæ impedit ex necessitate præcepti, & sub ratione peccati mortalis; si verò reatus culpæ mortalis esset à pollutione ablatus per contritionem, & confessionem, non hoc modo impediret, sed solum eo modo, quo impedit pollutio, quæ est sine peccato, vel cum solo peccato veniali, ut colligitur ex solutione quarti argumenti : de qua pollutione dicit D. Thomas non impedire ex necessitate. Quod quidam intelligunt sub nullius peccati, etiam venialis reatu impedire, cum necesse sit, peccatum veniale vitare, & numquam liceat illud committere. Undè de conjugatis dicit sanctus Doctor hîc ad secundum cum D. Gregorio, eos, qui paulò ante communionem conjugalibus vacavere amplexibus, suo judicio relinquendos esse, ut scilicèt, si velint, ad communionem accedant : quia coitus conjugalis solum impedit secundùm congruentiam, & non secundum necessitatem. Ex quo apertè colligitur, non impedire ex necessitate, idem esse, ac sub nullius peccati, etiam venialis reatu impedire, &c. Hæc intelligentia, & doctrina mihi probabilis videtur, sed probabiliorem, & conformiorem esse D. Thomæ judico, impedire sub peccato veniali, quæ præsertim inter Thomistas, communis est. * Hactenus M. Serra.

2. Sed, me judice, apertè fallitur, dum opinionem, quam probabiliorem esse putat dicit, esse conformiorem D. Thomæ; nam loco ab ipso citato, nempè *3. p. quæst. 80. art. 7.* D. Thomas expressè asserit, emissionem seminis provenientem absque peccato lethali, non impedire ex necessitate, sed ex congruitate. Quibus non solum peccatum mortale, sed etiam veniale excludere, constat ex ratione, qua utitur : * Ex quadam verò (inquit) congruentia impedit quantum ad duo, scilicet quia in illa reperitur quædam fœditas corporalis, &c. & oritur evagatio mentis. * Et ob hanc causam, in responsione ad secundum, asserit, impedire communionem ex congruentia coitum conjugalem, quando est sine peccato, * scilicèt, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. * Et paulo post : * Sed quia hoc, secundum congruitatem, & non secundum necessitatem,

est intelligendum, Gregorius dicit, quòd talis est judicio suo relinquendus. * Igitur D. Thomas (sicut & D. Gregorius) nullam culpam agnoscit in eo, qui cum immunditia corporali, & mentis distractione, in statu gratiæ, ad Eucharistiam accedit; alias judicio suo non esset relinquendus. Atqui præfati solùm effectus remanent, quando pollutio cum peccato mortali contingit, ut fatetur D. Thomas ibidem ad quartum, his verbis: * Dicendum, quòd licet per contritionem, & confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & distractio mentis ex pollutione consequuta. * Ergo post confessionem, ex congruentia tantum debet à communione abstinere, sicut & post coitum conjugalem. Ergo sicut in hoc casu, ita & in illo, judicio suo est relinquendus: poterit ergo licitè communicare.

3. Propter hæc, sententiam, quam probabilem dixit M. Serra, probabiliorem ego puto, cùm Mascarenhas supra, & aliis Doctoribus, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 7. de Eucharist. disp. 6. quæst. 3.* Ubi sic ait: * An saltem sit peccatum veniale, accipere Eucharistiam absque aliqua justa causa, post pollutionem mortalem, etiam confessione præmissa? Affirmant Valentia, Joannes de Cruce, Victoria, Granado, Lugo, &c. sed probabilius respondeo, adhuc non esse veniale peccatum ob rationem ex Tridentino traditam, (nimirum, quia confessio de peccato commisso, aufert omnem indecentiam, ob quam quis à susceptione Eucharistiæ impediri posset) sic Santius *in selectis, disp. 23. n. 30.* & apud illum D. Thomas, & Gabriel locis citatis, Azor *lib. 10. cap. 30. quæst. 14.* Navarrus, Paludanus, Sylvester, locis citatis, Ægidius *quæst. 80. art. 7. num 42. vers. Secundo potest.* Filliucius *tract. 4. num. 224.* Lazarius, & Chamerota apud Bonacinam, Hurtado *disp. 9. de Eucharist. diffic. 13. in fine.* * Sic Leander. Cui cõsentit Hieronymus Garcia *in Sum. tract. 3. diffic 5. dub. 1. nu. 90. & dub. 2. n. 16. & seq.*

4. Eamdem sententiam tuetur, cum Vasquez, Dicastillo *de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 9. dub. 14. nu. 245.* ubi postquam rationes contrariæ proposuit, sic ait: * Hæ tamen omnes rationes ad summum probant, congruum quidem esse, non verò obligatorium; nam qui jam confessus, & purificatus accedit, justus, & amicus Dei, nullam facit irreverentiam, accedendo, nec censetur, ad mensam tanti Principis, venire pollutus, &c. Aliquos refert Vasquez, expressè docens, nullum esse peccatum, etiam veniale, qui post nocturnam pollutionem cum peccato, vel sine peccato, vel post quodcumque aliud peccatum, accedit ad celebrandum, deleto peccato per confessionẽ. Eamq; sententiam probabilem putat Bonacina *disp. 4. quæst. 6.* quamvis absolutè asserat, esse peccatum veniale celebrare, quoties non adest justa causa. * Sic Dicastillo, quem sequitur Bernal *de Sacram. disput. 43 sect. 1. num. 1.* & Bauni *tom. 1. tract. 10. quæst. 33. fol. 457.*

5. Militat etiam pro nostra sententia, unus pro mille, sapientissimus P. Franciscus Suarez *tom. 3. in 3. p. quæst. 80. disp. 66. sect. 8.* Ubi sic scribit: * Dicendum est, per se loquendo, nullum esse peccatum paulò post commissum peccatum mortale, communicare, præmissa confessione debita. Hæc est sententia D. Thomæ *hic art. 7. ad 4.* Ubi dicit: solùm peccatum mortale durans in anima impedire ex necessitate communionem hujus Sacramenti, atque in hunc modum explicat doctrinam in corpore articuli traditam. Clarius *dist. 9. in art. 4. quæst. 3. ad 2.* dicit, consulendum esse ei, qui peccavit mortaliter, ut non statim accedat ad communionem, etiamsi confessus sit, nisi magna necessitas urgeat, ubi cum dicit, consulendum esse, plane sentit, non esse præceptum, sed consilium; atque Idem sentit ibi Paludanus, Major, Gabriel, Almain, Sylvester, Cajetanus, *verb. Communio*, Cordubensis *quæst. 7.* qui in specie loquitur de illo, qui nocturnâ pollutione, vel fornicatus est, vel mortaliter pollutus fuit. Idem tandem docuit Navarrus *in Sum. cap. 21. num. 15.* Ratione probatur, quia nulla est lex positiva divina, vel divina, quæ hanc obligationem imponat, nec generatim de omni peccato, neque specialiter de quo. Deinde ex sola ratione naturali colligi non potest, &c. Tandem olim erat consuetudo in Ecclesia quotidiè communicandi, & tamen non est verisimile, neminem eorum, qui quotidiè communicabant, solitum esse aliquando mortaliter peccare, aut necesse erat, ut multi communicarent eodem die, qui mortaliter peccaverant, mutato tamen affectu, & deleto peccato mortali. Et ita Augustinus cum illis, nec laudate, nec vituperate eum, qui quotidiè communicat, solùm ab eo requirit, ut confessio peccati mortalis non graveret, ut videre licet *Epist. 118. & de Ecclesiast. dogmat. c. 53. & in cap. quotidie non secer. dist. 2. &c.* Cajetanus, & Adrianus sentiunt, non solùm esse consilium, sed etiam semper esse contra peccatum veniale, non interponere hujusmodi tempus (nempè diem) præcipuè si peccatum, quod processit, carnale fuit; tum quia est nonnulla indecentia, tum quia semper ejusmodi homo accedit sine convenienti præparatione, ac devotione. Et hoc fortè, mortaliter loquendo, ita frequentius accidit. Attrò intrinsecè, & ex objecto non est intrinsecè malum in ejusmodi actu, etiam levis, ex sola brevitate temporis interpositæ inter peccatum, & communionem. Et ideò si ex cæteris circunstantiis præsentibus contingeret actus, poterit nullum esse peccatum, * sicut quem sequitur Card. de Lugo *disp. 13. sect. 1. Rutten de Eucharist. disput. 9. diffic. 13. Arriaga tom. 1. disp. 44. de Eucharist. sect. 1. num. 3. & seq.* & alii.

6. Pro hac etiam sententia novissimè pugnat Omnius Velasquez Pinto in libro aureo, cui titulus *Tesoro de los Christianos* * pluribus in locis, præcipuè in 368. ubi probat: * Que comulgar sin confessarse de cada pecado mortal, es comulgar con gran reverencia, y santidad. * Et *fol.* 375. * Desta costumbre (inouy universal de la Iglesia, y de la de dar tambien la comunion quotidiana a los recien bautizados, se haze evidente argumento, que aquien está sin conciencia de pecado mortal, ò si le tiene se confiessa dèl, está digna, congrua, y loablemente dispuesto para recibir este divino Sacramento cada dia. Y no solo en los tiempos primitivos de la Iglesia, sino en todos, hasta tumbre universal de la Iglesia declara, y manifiesta esto mismo, como ensennan los Concilios, y Pontifices. * Sic ille, cui consentiunt alii apud Dianam *p. 3. tract. 7. resol 15. de communione quotidiana.* Qui autem Augustinus *serm. 88. parum à medio, tom. 10.* quem refert D. Thomas 3 *p. quæst. 83. art. 2. in corp.* dicens: si panis quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? accipe quotidiè, quod quotidiè tibi prosit. *

7. Ideò Joannes Sanchez *in selectis, disput. 30.* idem expressè tenet, dicens: * Quinpublicam consuetudinem, seu coštum incidit, post talis facti confessionem, non est à communione excludendus, licet peccatum veniale esse, concedant Nugnus, & Octavius non credo. Imò quanam ratione id Concilio Tridentino adversari non videatur, percipietur difficultate. Ait enim *Sess. 13. cap. 7.* illum dignè, & sanctè Eucharistiam suscipere, qui nullius criminis mortalis est sibi conscius, aut sit sit conscius, dignè accedit, si per

seper confessionem probando, ergo asserere, deleto jam peccato per confessionem, adhuc fidelem non esse dignum Eucharistiæ suscipiendæ, quia si suscipiat, peccatum veniale sit committurus, adversari Concilio videtur manifestè, cum sequatur, eum non accedere tunc sanctè, ac dignè cum actionem exerceat, ex mente horum Doctorum, intrinsecè malam, & culpabilem: nec obstabit distractio, licet habeatur, cum per pœnitentiam, sit causa (à qua ortum habuit) interrupta, & distractio peccatum non erit, dum faciat quis, quantum in se est, ad expellendam illam. * Hæc Santius, quem cum Hurtado, & aliis sequitur Diana 3 *p. tract. 4. resol. 30.* Nec dissentiet M. Baltanas *in Margarita Confess. fol* 195. dum ait:* Secundum Cajetanum gravius peccat, qui post continuata peccata mortalia, die, quo de ipsis conteritur, & confitetur, communicat, quam qui post pollutionem ipso die communicat.* Quod autem de aliis peccatis contritus, & confessus possit eodem die communicare, est communis sententia, quam cum D. Thoma, Navarro, Suarez, & aliis defendit Garcia *in Sum. tract. 3. disp. 5. dub. 1. n. 9.*

§. II.

Alia ejusdem sententiæ fundamenta.

8. INsuper probatur hæc opinio ex communi Doctorum, asserentium, conjugem, post habitam copulam conjugalem, posse absque ulla, etiam levi culpa, nec Sacramenti irreverentia communicare. Quam tenent Angelus, *verb. Eucharistia, num.* 30. Navarrus, Ægidius, Hurtado, Joannes Sancius, Dicastillo, & alii, quos sequitur Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 7. disp. 6. q.* 4. Quibus adde M. Victoria *in Sum. de Eucharist. num.* 81. ubi ait:* Breviter dico, quòd accedere ad Eucharistiam post legitimum concubitum, non est peccatum. *Ex quibus sic conficio argumentum. Confessio Sacramentalis non minus tollit, & extinguit, post copulam illicitam, reatum culpæ mortalis, quam status matrimonii illum impedit: ergo vel in utroque casu potest absque veniali Eucharistia suscipi; vel in nullo: consequentia premit, quia tam in uno, quàm in altero, invenitur hebetudo mentis, seu distractio & indevotio, quæ ex delectatione venerea præhabita naturaliter consequitur. Ut tradit D. Thomas supra 3. p. quæst. 80. art. 7. in corpore.* Hic discursus apertè convincit, aut quamcumque effusionem seminis, cum delectatione carnis contingentem, æquè impedire sub veniali communionem intra eamdem diem, aut nullam, confessione præmissa: ablato enim peccato, reliqui effectus à delectatione præterita dimanantes, utpotè naturales, non magis retrahere possunt, ac si nulla culpa præcessisset. Ergo sicut pollutio involuntaria, & copula conjugalis non impediunt, etiam sub veniali, communionem, ut docent Doctores citati; licet effectus naturalis distractionis, & hebetudinis mentis permaneant; sic nec copula illicita, post confessionem Sacramentalem.

9. Neque his consequenter dissentire potuit M. Sotus in 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 7. *p.* 2. ubi, ni fallor, omnia superius dicta hoc discursu corroborat; sic enim inquit, * Secundo probatur; quia ex pollutione, sublatâ culpâ, non remanet, nisi corporalis immunditia, & mentis distractio, hæc autem, ut hic ait D. Thomas, solum ex congruitate & decentia impediunt &c. & confirmatur, quia illæ sordes & mentis distractio tanta, emergitur ex pollutione licita, scilicet ex conjugali opera, quanta ex adulterio, ergo deletâ culpâ, non est cur magis quantum ad necessitatem impediat secunda, quàm prima * Atqui post copulam conjugalem absque ullo peccato veniali habita, v. g. causa prolis, nulla est culpa, ad Eucharistiam accedere, ut cum D. Thoma. D. Gregorio, D. Bonaventur. Alberto Magno, Paludano, Turrecremata, D. Antonino, Martino de Ledesma Ludovico Lopez, Barth. De Ledesma, & aliis tradit. Thom. Sanchez *lib. 9. de Matrim. Disp. 13. num.* 5. quem innumeris citatis sequitur Doctor Frutos Ayala in Apologia sacra de la commun. freq. § 8. *num.* 72. *fol.* 28. ergo nec post confessionem pollutionis.

10. His, ut dixi, dissentire non poterit M. Sotus, quia doctrinæ traditæ pro conjugatis consentit ubi supra *art.* 7 *prope finem*: dicens,* quorum pridie quam communicandum est, vel saltem illa nocte irreverentia est, debitum petere, num quam tamen mortalis: imo (attende) forsan nec venialis, si fiat procreandi causa; nam facere contra consilium, ex genere suo non dicit culpam;* Sic M. Sotus, quem eisdem verbis sequitur M. Paulus Blanchis in discept. casuum consc. *in litt. P. fol.* 56 *prop.* 5. ergo idem prorsus dicendum post pollutionem, sublatâ culpâ, nec major mora, vel interc[illegible] exigi debet, ut absque ulla culpa, ad Euch[illegible]am, præmissa confessione, quis accedat, quam si alterius generis peccatum commisisset; & quod mag s, Ludovicus Lopez 2. *par. cap.* 76. *fol.* 215. licet fateatur, esse irreverentiam aliquam post coitum conjugalem procreandi causâ, ad Eucharistiam accedere; putat tamen, non sufficere ad culpam venialem, dicens * nec erit venialis, nam facere contra consilium, suo genere non dicit culpam.* Sed non bene irreverentiam appellat, si nulla est culpa.

11. Addunt alii, nec esse contra consilium, præmissa confessione, communicare post concubitum illicitum, aut pollutionem voluntariam, si quantum in se est, quis fecerit ad reddendam mentem quietem; quia si id non consequatur, distractio non erit voluntaria, ac proinde nec peccatum, sed effectus peccati, qui non impedit (nec sub consilio) Eucharistiam sumere. Ita cum Palacios & Marcilla, tradit Joannes Santius *in selectis, ubi infra num.* 22. & 26. Potius ego consulerem, ut illo die communicaret, præhabito maximo dolore, & præmissa cõfessione, ne gratiâ Sacramenti, & aliis effectibus careat; atque ut quietis, & animi tranquillitatem adipisceretur. Quod tenent Azor & Filliucius &c.* & defendit M. Corradus 2. *p. quæst.* 348. *in fine*; si magna devotione dispositus accedat; dummodò non illicò post confessionem. Sed plus addit Joannes Sanchez ibidem *disp.* 23. *num.* 26. dicens:* nostra tamen sententia, licet non curet distractionem abigere, peccatum veniale non erit communicare, erit tamen sanum consilium quietem procurare, contra quod agit non procurans, & non aget contra consilium communicando, cum adhuc existente illa voluntaria distractione, illi sit melius communicare, quam abstinere* *Sic ibi & num.* 11. inde petitam, quod licet sit veniale, nolle distractionem illam repellere, accedendo tamen ad Eucharistiam cum tali distractione, non committitur novum peccatum veniale, ac proinde nec de consilio esse non communicare: cum altius detur consilium de communicando, quoties licitè, & absque ulla culpa fieri potest. Sic opinatur Joannes Santius, qui n. 19. pro hac sententia refert P. Vasquez & M.

Curiel, quam probabilem putat Doctor Frutos De Ayula *ubi* supra, §. 8. *n.* 78. *fol.* 38.

12. Cui facit Leand. à Sacram. *Tom.* 2. *Tract.* 7. *disp.* 6. *quæst.* 5. *ubi sic:* * dicendum, quod licet consulendum sit conjugatis, ut nocte præcedente communionem à copula abstineant, dato tamen quod non abstinuerint, non est consulendum illis, quod non communicent, si alia non adsit causa, quia suscipere Eucharistiam illo die, quo habita est copula, nullum est peccatum (etiamsi voluptatis causâ) sic Santius, Medina & Marcilla &c. * quod suadet Santius, quia etiam est illis consulendum, ut abstineant à copula, ut vacent orationi, & tamen si non abstinuerint, non ideò consulendum, ut orationi non vacent, sed potius oppositum. Ergo similiter, ut ad Eucharistiam accedant.

13. Ex quibus infert Santius *num.* 40. non fore validum votum emissum ab uxorato abstinendi à communione die habitæ copulæ, nam majus bonum est eo die communicare, quam à communione abstinere. Quia licet abstinere ob reverentiam sit actus virtutis, est tamen impeditus actus perfectioris virtutis. Idemque propter eandem rationem dicendum putat de voto non suscipiendi Eucharistiam, die habitæ copulæ fornicariæ præ[illegible] confessione, & vero dolore, quem sequitur M[illegible]caren has ubi supra. *Tract.* 4. *cap.* 7. *fol.* 239. & Doctor Frutas de Ayala in Apologia, §. 8. *num.* 106. *fol.* 38. quæ sunt valde notanda, & valdè probabilia, quia votum debet esse de meliori bono: in illis autem circumstantiis, in quibus nullum est peccatum communicare, majus bonum est, ad Eucharistiam accedere, quam abstinere. Unde semel statuto, licitum esse confessione præmissa, communicare; difficile suaderi poterit, melius esse oppositum, quia inter hæc duo extrema, discrimen & distantia notissima sunt, circumstantiæ verò, quæ extremum exsse minus bonum, vel indifferens, majus bonum Eucharistiæ sumptione constituant, difficile determinantur.

QVÆSTIO IX.

Utrum non baptizatus, baptismo aquæ, possit validè Ordinari, & sacerdotium recipere?

1. MIrum videbitur rem adeo inter Catholicos certam, in Disputationem adducere. Nam quod sine baptismo nullum Sacramentum possit valide recipi, videtur definitum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino post ultimam sessionem, ubi de Baptismo ait: primùm omnium Sacramentorum locum tenet, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ, & constat etiam ex *cap. veniens de presbytero non baptizato*, & ex cap. *si quis eod. tit.* ubi sine baptismo ordinatus percipitur baptizari, & ordinari, ibi: si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Unde videtur certum, non baptizatum incapacem esse Ordinis sacri, alias iterum ordinari non posset, quia Sacramenta, quæ characterem imprimunt, ut baptismus, confirmatio & Ordo, iterari non possunt, ut fide sanctum est. Jam si hoc Sacramentum sine baptismo recipi non potest, idem de aliis dicendum erit, ac proinde non baptizatum, nullius capacem esse. Hoc indubitabile videtur, & ita cum D. Thomâ communi Doctorum ex Conciliis Florentino & Trident. tradit Henriquez *lib.* 1. *de Sacramentis in genere cap.* 10. *num.* 4. *& in gloss. litt.* X.

2. Verum cum baptismus aliis aquæ, aliisve minis sit, dubitari non in congruè potest, de quonam baptismo Patres, & Concilia loquantur, quando ad reliqua Sacramenta necessariò requisitum prædicant. Rem hanc pauci attigerunt, sed dispertam invenio apud M. Corradum 2. *p. resp. quæst.* 72. ubi docet, baptismum flaminis sufficere ad valide recipiendum Sacramentum Ordinis. Verba ejus sunt: * si sit adultus credens se esse baptizatum, & vivit ut Christianus, hic baptismo flaminis est baptizatus, & moriens, sine peccato mortali obligatur; & si ille ordinetur sacerdos, & Episcopus illum consecraret, ordinaret, & absolveret. * Sicilla.

3. Verùm hæc sententia sustinenda non est, tum quia contra communem Theologorum sensum, & contra textum *in cap. veniens*, supra citatum, ubi non baptizatum baptismo aquæ, baptizari, & iterum ordinari præcipitur: tum quia est expressa contra Angelicum Præceptorem in 4. *dist.* 24. ad 3. *quæst.* ubi docet, illum baptizatum ad valide suscipiendum Ordinem requiri, qui characterem imprimit: baptismum autem flaminis non imprimere, certo certius est, cum irrebilis sit. * Per characterem baptismalem, inquit, efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum suscipere potest, & character Ordinis, baptismalem characterem præsupponit. * Et infra loquens de non habente characterem baptismi, ait: * Ad secundum dicendum quod talis, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentiali; undè secundum Canones debet baptizari iterum, & ordinari. * Quæ itidem tradit *ad* 4. *quæstionem* dicens: * De necessitate Sacramenti præexigitur, quod ille, qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus, quod competit ei per baptismum, & ideò character baptismi præsupponitur de necessitate Sacramenti; in quò sine eo Sacramentum ordinis præferri non potest. * Ergo juxtà D. Thomam certissimum est, baptismum aquæ, utpotè qui unus characterem imprimit, necessariò præire debere ad ordines vide de suscipiendos. Cui consentiunt omnes Theologi. Vide Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 11. *sect.* 3. *Tertio.* Ubi rem sine controversia censet *ex cap. si quis ex cap. veniens de Presbytero non baptizato.* Et rursum *sect.* 3. §. *Responderi ad hæc omnia potest*, dicens: Nullum Sacramentum posse habere valorem, neque effectum in subjecto non habente characterem baptismalem.

4. Adde M. Corradum, sibi ipsi contrarium, ubi expressè posteà docere in 2. *part. Respons. quæst.* 4. ibi: * Quæritur, an ordo sumendus præ requisito liquem characterem? Respondetur ex D. Thom. quòd quilibet ordo præsupponit characterem baptismi de necessitate, cum baptismus sit janua omnium Sacramentorum. * Et iterum *infra quæst.* 475. explicans, quid sit character, inquit: * Est quoddam signum indelebile, quod in anima imprimitur, & est quædam spiritualis potestas, per quam homo efficitur capax ad recipiendum, & administ-

ad miniſtrandum Sacramentum. In baptiſmo autem homo accipit poteſtatem accipiendi alia Sacramenta, cum ea omnia præſupponant characterem baptiſmalem. * Ex quibus conſtat, hunc Doctorem ſibi non conſtare, ſed in hoc loco ſui oblitum, jure retractaſſe ſententiam, quam *quæſt.* 72. tradiderat. Cum certiſſimum ſit, baptiſmum flaminis non imprimere characterem, ut conſtat ex Tridentino *Seſſ.* 7. *Can.* 9. & ex D. Thoma 3. *part. quæſt.* 63. *artic.* 6. Quia, quæ characterem imprimunt, iterari non poſſunt, ut definit Concilium ſuprà: baptiſmum flamen autem aminis iterabilem eſſe, nemini dubium eſt. Ergo baptiſmus flaminis non ſufficit, ſed de neceſſitate Sacramenti, requiritur baptiſmus aquæ ad validè recipiendum Sacramentum ordinis.

5. Veritas hæc valido ſuadetur argumento ex Conciliis. Quia ut definit Florentinum, Sacramentum baptiſmi eſt janua Sacramentorum: ſolus autem baptiſmus aquæ eſt Sacramentum. Ut benè tradit D. Thom. 3. *part. quæſt* 66. *artic.* 11. *ad* 2. * Alia verò baptiſmata, inquit, (nempè ſanguinis, & flaminis) conveniunt cum baptiſmo aquæ, non quidem quantum ad rationem ſigni, ſed quantum ad effectum baptiſmatis, & ideò non ſunt Sacramenta. * Ergo ſolus baptiſmus aquæ eſt Sacramentorum janua: ergo qui hunc non ſuſceperit, alia Sacramenta ſuſcipere non poterit. Veriſſimum hoc eſt, & tenendum cenſeo, licet de aliquo conſtaret fuiſſe, in utero ſanctificatum, ut benè tradit D. Thom. *in* 4. *diſt.* 6. *quæſt.* 1. *artic.* 1. ibi: * Dicendum, quòd ſanctificatus in utero debet baptizari. Primò propter adquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quaſi deputetur ad percipienda divina Sacramenta. * Quòd iterum docet 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 1. *ad* 3. Quem explicans M. Joannes Martinez de Prado *tom.* 1. *de Sacramentis, quæſt.* 68. *dubio* 1, *num.* 10. inquit: Sanctificatis in utero neceſſarium fuiſſe baptiſmum aquæ: * ut eſſent capaces recipiendi alia Sacramenta. * Unde conſequenter ibidem tradit, cum Cajetano, non baptizatis aquæ baptiſmo, nequire pœnitentiæ Sacramentum miniſtrari.

6. Ex dictis concluditur, non baptizatum non poſſe validè ordinari; ac proinde prorſus reiiciendum M. Corrado, ſuprà relatum, & quorumdam opinionem, quam probabilem putavit Sylveſter verb. *Baptiſmus* 9. *num.* 3. ubi ſic: * Utrùm non baptizatus, ſi ordinetur, recipiat characterem ordinis? Dicit Sanct. Thom. *in* 4. *diſt.* 24. quòd non baptizatus non poteſt ordines recipere, nec conficere, nec abſolvere, &c. Albertus tamen putat talem, ſi ordinetur ad Sacerdotium, conficere, non virtute ſua, ſed Eccleſiæ, quod Summa Angeli ſequitur & falſo attribuit D. Thomæ, ſed primum eſt verius. * Cum Alberto, & Angelo videtur conſentire *Gloſſ. in cap. Apoſt.* licet pro diverſa allegetur à Barb. *de Poteſt. Epiſ. p.* 2. *alleg.* 2. *n.* 9. ubi ſic: * Non baptizatum, qui ſe baptizatum credit, Sacerdotio inſignitum conficere non in virtute ſua, ſed Eccleſiæ putat Angelus verbo *Baptiſmus* 7. *num.* 12. Gloſſa verò final. *in cap. Apoſtol. de Præsbitero non baptizato*, arbitratur, non eſſe Sacerdotem, neque conficere, ſed benè quoad ſe, & quoad alios idem credentes, tanquam verum Sacramentum conficere, ſibique, & recipientibus prodeſſe. * Dixi Gloſſam non diſſentire ab Angelo, & Alberto, quia neutra opinio Sacerdotem non baptizatum credit, ſed altera admittit Sacramentum à non baptizato confici, virtute Eccleſiæ, altera Deum ejus defectum ſupplere, quoad ultimum effectum gratiæ. Quod piè credi poſſe, tradit D. Thom. ubi ſuprà his verbis: * Non baptizatus non poteſt ordines recipere, nec conficere, nec abſolvere, neque ordinare. Piè tamen credi poteſt, quòd Summus Sacerdos ſuppleat, quoad ultimos effectus Sacramentorum. * Sic D. Th. & cum illo Sylv. & Corradus *ſup.*

7. Cæterùm hæc doctrina valdè diſplicet M. Soto *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. unica, art.* 2. §. *Gravius autem.* * Ubi ſic in illam invehitur: * Hæc autem Dei ſupplementa, ubi Sacramentum, vel quidquam ejus eſſentiæ deeſt, adeò mihi nunquam perſuadere potuerunt, ut ſi ingenuè, quod ſentio, dicere mihi liceat, ſemper fuerim arbitratus, non ſolùm temerè, & abſque ulla prorſus ratione aſſerta, imò præter ſententiam Catholicam, & nonnumquam contra. Et quo omnia ob oculos ponam, & ſimul eorum error pateſcat, gradatim illa referam. * Et iterum *infrà diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 4. §. *Hoc autem*, ait, nullum habere fundamentum, quod Deus ſuppleat defectum, & conferat gratiam. * Quo circa, inquit, non dubito, quòd S. Thom. in Sum. numquam tale verbum dixiſſet. Eſt enim dicere, quòd Deus peccatorem ſine Sacramento, & contritione juſtificat, quod eſſet manifeſtarius error. * Hactenus M. Soto. Vide plura apud M. Joannem Martinez de Prado *tom.* 1. *de Sacram. q.* 68. *dub.* 2. §. 2. ubi cum M. Soto, M. Nuno, M. Candido, Vazquez, & Suarez, aſſerit: * Quòd de nullo in particulari poteſt affirmari, quod receperit gratiam, deficiente Sacramento, niſi divinando, & temerariè loquendo, abſque ſpeciali revelatione divina. * Sed de hoc ſatis diximus *ſuprà q.* 3.

8. Rogabis, an ſit de fide non baptizarum baptiſmo aquæ non poſſe validè ordinari? Reſpondeo rem hanc, ut controverſam referri *in cap. veniens ad Apoſtolicam Sedem de Præsbitero non baptizato.* In quo Innocentius III. poſt rem maturè excogitatam, & apud Doctores ventilatam, quorùm aliqui negativam partem ſuſtinuerunt, aſſerentes non baptizatum poſſe validè ordinari; eò quod non ſolum per Sacramentum baptiſmi, ſed per fidem etiam efficiatur quilibet membrum Chriſti, & poſſit recipere Sacramentum conjugii, & Euchariſtiæ; poſt hæc, inquam, Summus Pontifex rem non definivit, ſed ſolummodo ut ſecuriorem partem affirmativam obſervari præcepit, dicens: * Nihilominus, quia in Concilio, apud compendium, legitur conſtitutum, quòd ſi quis in Præsbiterum ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Nos in dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes, mandamus, quatenus ipſum per ſingulos ordines, uſque ad Sacerdotium, promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum, nec malè de Sacramento ſentitur, cum illud non religionis contemptus, ſed articulus neceſſitatis excludit. * Unde inferri videtur, non eſſe de fide, quòd non baptizatus non poſſit validè ordinari, tum quia ibidem ſupponitur: * Quòd Sacramentum conjugii, & Euchariſtiæ à non baptizatis recipi poteſt. * Tum quia Pontifex, ut ſecurius, non ut certum decernit, iterum ordinandos. Cæterùm de fide eſſe mihi ſuadeo poſt Florentinum, cujus verba dedi ſuprà, & ita tradit Quintanaduennas *tom.* 1. *ſingul. tract.* 1. *ſingul.* 10. & ſupponunt Doctores.

QUÆS-

QVÆSTIO X.

An qui, ob probabile dubium baptismi, ordinem Sacerdotalem iterum sub conditione recipit, possit eodem die omnes ordines, omissis etiam solemnitatibus, suscipere?

1. AD hujus dubii decisionem præmitto, eum, qui certus est non esse baptizatum, debere in iterata susceptione ordinum servare tempora, & interstitia, & solemnitates omnes de jure requisita: quia non est unde lex Ecclesiastica limitari possit.

2. Præmitto secundo: ex justa causa, licitum esse Episcopo in interstitiis dispensare, imò & minores ordines simul cum Subdiaconatu, eadem die conferre: aut quia ex consuetudine juri communi est derogatum, ut tradunt Navarro, Miranda, Sayrus, Rodriguez, Philiberto, Machado, Villalobos, Sanchez, Dicastillo, & alii, quos refert, & sequitur Leander à Sacram. *tom. 2. tract. 6. de Ordine, disp. 1. q. 13.* aut quia nullo id jure prohibitum est, ut putant Gutierrez, Molfesius, Vazquez, Diana, Hurtado, & Palaus eundem. Quibus consentit Dicastillo *de Ordine disp. 23. in fine.*

3. Præmitto tertiò: ex *cap. de eo, de tempor. ordinat.* *Ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut in Sabbatho Sancto, vel in Sabbatho ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici licere aliquos ordinare.**

4. Præmitto 4. ex *cap. litteras, & ex cap dilectus eodem tit.* Episcopis prohibitum esse, *uno, & eodem die ad tres sacros ordines promovere.* Quòd iterum statutum est in Tridentino *Sess. 23. cap. 17. lib.*: * *Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur: privilegiis quibusvis, ac indultis concessis, non obstantibus quibuscunque.** Unde audiendus non est M. Joannes de la Cruz *in Epitom. lib. 2. c. 8. dub. 1.* Neque Brunus Cassaing. cum aliis asserens, Regulares, post Tridentinum, ex privilegio posse omnes ordines majores uno, & eodem die recipere. Vide illum *de Privil. Regular. fol. 283.* His positis.

5. Affirmativè respondeo quæsito. Itaque assero; quotiescumque ordines sub conditione iterantur, sive ob dubium baptismum, sive ob aliam rationem, ut quia vinum in præparatione calicis defecit, vel quia prudenter de requisito ad valorem ordinum dubitatur, posse Episcopum omnes ordines, etiam majores, eodem die, omissis etiam solemnitatibus conferre. Moveor, quia textus omnes juris Canonici, qui tempora, & ordinum solemnitates præscribunt, apertè loquuntur de absoluta ordinum collatione, non de conditionata, quæ jam absolutam, omnibus solemnitatibus servatis, confectam supponit: ergo cum lex ista à jure promanans odiosa sit, non debet ad casum in ea non comprehensum extendi, sed potiùs restringi, & intra limites juris divini, & naturalis contineri, ut de aliis legibus pœnalibus tradunt communiter Doctores.

6. Confirmatur: quia de jure divino non est prohibitum Episcopis ordinem sacrum extra tempora conferre, nec omnes ordines eodem die: ergo lex illis prohibens coarctat potestatem Episcoporum ergo strictè interpretanda, ergo cum tantum prohibere, & intelligi possit de absoluta ordinum collatione, non de conditionata, de illa tantum intelligenda est; nisi aliunde oppositum constiterit, quod in præsenti non contingit. Ergo quando ordines non absolutè conferuntur, sed sub conditione, non adhibetur Episcopus observare tempora, nec solemnitates à jure præscripta.

7. Urgetur ex doctrina communi Theologorum, apud Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 9. n. 3.* ubi cum aliis tradit, dispensationis reservationem esse restringendam: quòd secula reservatione, possit Episcopus in sua Diœcesi, quidquid Pontifex in tota Ecclesia (ut cum pluribus ipse docuit *disp. 61. n. 3* & tenent alii apud Amadæum *in Opusc. de matrim prop. 2.*) Undè restringendam recte concludit: * Quòd juri, inquit, Episcopus derogaret, & ideo odiosa sit, quod fatentur omnes Doctores.* Ex quo principio plures, quos citatos legunt Diana *3. p. tract. 5. Miscel ref. 25. & 6. p. tract. 8. ref. 18.* deducunt, reservationem voti castitatis, solum religi de voto absoluto, non de conditionato, & alii inferunt, reservationem peccati non deprecato dubio, sed de certo intelligendam. Ergo cum Episcopi jure divino possint omnes sacros ordines, uno & eodem die, extra tempora, & non servatis solemnitatibus conferre, reservatio de illis, ut supra confertis, cum juri Episcoporum deroget, & ideò odiosa sit, restringenda est, atque adeò solum intelligenda de absoluta ordinum collatione, non de conditionata: illa enim solummodo comprehensa, & reservatio subsistit, & regula de odiis restringendis, apprimè observatur, quæ non minùs in re præsenti, quam in aliis suum locum habere debet.

8. Urgetur secundo: quia ex eo, quod lex indecens irregularitatem rebaptizantibus sit odiosa, & ideò restringenda; inferunt Doctores non comprehendere rebaptizantes sub conditione, sed absolutè: ergo ex eo, quòd lex reservans Pontifici ordinum collationem, non servatis temporibus, & solemnitatibus, odiosa sit, & restringenda, non comprehendat Episcopos ordinantes sub conditione, sed absolutè. Ergo poterunt Episcopi eodem die omnes ordines sacros, etiam non servatis solemnitatibus, eodem conferre. Non levia hæc.

9. Ideò hanc sententiam viri nonnulli docti sustinentur. Quintanaduennas *tom. 3. singular. tract. 3. singul. 1. numer. 6.* * Propterhæc, inquit, ego etiam censerem licere eodem die omnes ordines, tam minores, quàm majores simul iterare, licet consuluerem minores cum Subdiaconatu uno die, & duobus sequentibus Diaconatum, & Sacerdotium suscipere, ne aliquod scandalum, aut incommodum notabile ex hoc oriretur, quod quidem vitandum erit: & maximum esset in publicitate, & interstitiis, videre eumpè, quem Sacerdotem cognoverunt omnes, non sacris initiari. (& infrà) Deinde solemnitates omnes, quibus Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, vel alii minores ordines conferuntur, non ita necessariò adhibendas, in hac conditionali ordinum susceptione, existimo, sed solùm præcisè iterandas, quæ requiruntur ad valorem Sacramenti. * Pro eadem sententia militat P. Granado *controv. 9. de ordine, tract. 2. disp. 3.* & alii recentiores, qui centent in supplendo defectu substantiali in susceptione ordinum commisso, solum iterandas esse, quæ omissa fuerunt,

vel

vel de quibus dubitatur: v. gr. contactus instrumentorum, vel manuum impositio simul cum prolatione formæ. * Probabile est, (inquit Granado) quòd viri docti à me consulti opinantur, quovis tempore licere defectus prædictos supplere. Etenim propriè loquendo, supplere ejusmodi defectus, non est ordines celebrare, sed potiùs perficere id, quod tempore ordinationis, imperfectè præstitum est; nec enim repetendæ sunt cæremoniæ omnes, aut Sacramentum ministrandum, sicut in diebus ordinum ministrari solet, sed præcisè iteranda saltem sub conditione ea cæremonia, quæ omissa est, v. gr. iterandus contactus instrumentorum, aut quid simile, quod potiùs est appendix ordinum præcedentium.* Hæc Granado, cujus sententiam referens Diana *p. 5. tract. 14. resol. 63.* inquit: * improbabilem esse non audeo dicere.*

10. Quibus favent Doctores asserentes in revalidatione matrimonii, quod in facie Ecclesiæ celebratum fuit, sufficere supplere defectum substantialem, & non esse necessarium solemnitates alias adhibere; v. gr. iterum celebrare coram Parocho, & testibus. Quod in matrimonii revalidatione magis videtur urgere, eo quod Parochi, & testium præsentia, ad ejus valorem requirantur, secus tempora, Missæ celebratio, vestes Pontificales, & similes solemnitates ad validam collationem ordinis sacri. Nequit ergo negari valdè probabile esse, tam tempora, quàm solemnitates omitti posse, in iterata sub conditione celebratione ordinum, supplendo præcisè defectus substantiales, repetendo nimirum sub conditione materiam, & formam Sacramenti: reliqua verò cum ex solo præcepto Ecclesiastico adhibenda sint, & hoc tantum inveniamus expressum pro absoluta ordinum collatione, non levi fundamento, collationem conditionatam non comprehendere, asserere possumus.

11. Rogabis. An, qui ex dubio probabili sui baptismi, iterum sub conditione baptizatur, & ordinatur, teneatur omnes ordines sacros iterum sub conditione recipere? P. Granado *tract. 1. de Sacram. disp. 4. num. 7. & controvers, 9. de Ordine, disp. 6.* Leander *tom. 1. tract. 1. q. 14.* & Diana *p. 5. tract. 13. resol. 55.* existimant non esse necessarium alium ordinem iterari, præter Sacerdotium & Episcopatum, quia à reliquis non iterandis opinio probabilis de eorum valore sufficienter excusat, & ordo Sacerdotalis, aliis non præmissis, validè suscipitur, ut docent Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 11. sect. 3. §. Tertio de charactere ordinis.* Coninch *de Sacram. Ordinis, disp. 20. dub. 10. concl. 4.* P. Sà, *verb. Ordo, num. 25.* Verricelli *in quæstion. moral. tract. 2. q. 27. num. 11.* Diana *p. 5. tract. 13. resol. 55.* M. Sotus, Sanchez, & alii cum D. Thoma *quæst. 33. art. 5.* asserentes, Sacerdotem ritè ordinatum, licet alios ordines non susceperit, posse omnium ordinum functiones validè exercere, quia in eo virtualiter continentur, ut refert Quintanaduennas *supra num. 6.*

12. Cæterùm licet probabilius existimem cum citatis, Sacerdotium validè suscipi, aliis ordinibus non susceptis, & solum ex præcepto Ecclesiastico, & divino alios Ordines præmittendos. Nihilominus cum hoc definitum non sit, & forsan character aliorum ordinum, ex ordinatione divina, ut prævia dispositio necessariò requiratur ad characterem Sacerdotii, sicut character baptismi ad characterem Ordinis (quòd si ita evenire contingat, necessariò consequitur nullitas ordinis Sacerdotalis, non præmissis aliis ordinibus, quantumvis opinio probabilior pro valore militet) ideò dicendum censeo, omnes sub conditione iterari debere, quoties ex probabili dubio baptismi iterari contigerit, ut benè Quintanaduennas *ubi suprà*. Vide *tract. de opinione probabili, q. 10. §. 2. num. 16.* ubi ordinem Sacerdotalem, vel Episcopalem, cujus valor sub opinione sit, iterandum ex præcepto docuimus, ad evitanda inconvenientia ex defectu valoris: quem major etiam probabilitas opinionis, si re ipsa vera non sit, supplere non potest. Unde pro nobis contra Granado, & Dianam ubi suprà militant P. Bardi, Verricelli, Suarez, Valentia, Leander, & alii, imò & ipsi Granado, & Diana ni inconsequenter loquantur, dissentire non possunt. Ut constat ex dictis loco citato pro iteratione ordinis Sacerdotalis, cujus valor probabilitatis terminos non transgrediatur.

QVÆSTIO XI.

An absolutè loquendo, omittere Sacramentum confirmationis sit peccatum veniale? & quid si ordines suscipiendi?

1. AFfirmant plures, & graves Doctores: negat verò P. Mascarennas cum aliis *tract. 3 de confirm. disp. 4. c. 3. n. 72. fol. 152.* Quibus adhæreo. Quia eorum sententia innititur communi Doctorum asserentium, nullum dari præceptum recipiendi hoc Sacramentum. Videatur M. Joannes Martinez de Prado, *tom. 1. de Sacram. 3 p. q. 72. dub. 9. num. 15.* ubi sic ait: * Asserendum est, nullum dari præceptum, neque divinum, neque humanum recipiendi confirmationem. Ita sumitur ex D. Thom. *quæst 65. ad 3. & q. 72. art. 1. ad 3. &c.* Idem docet, & quinque rationibus probat Sotus *in 4. dist. 7. quæst. unica. art. 8.* & Serra dicit esse communem, Suarez novem authores referens: alios decem refert, & sequitur Aversa, triginta authores refert Leand. *tract. 3. disp. 1. q. 5. & 6.* & alii communiter.* Sic Prado.

2. Hoc posito, sic discursum efformo. Per se loquendo nullum datur præceptum sumendi confirmationis Sacramentum, sed ubi nullum datur præceptum, nullum est peccatum, ergo nec veniale. Discursus est legitimus. Ideò hanc sententiam tradiderunt viri doctissimi M. Petrus de Ledesma *in Sum. 1. p. cap. 8. conc. 3.* ubi sic: * No es pecado venial no recibir este Sacramento, aun quando ay oportunidad. Esta conclusion es contra Cayetano, y contra el P. M. Soto, en los lugares citados, la razon es, porque no ay precepto divino, ni Eclesiastico de recibir este Sacramento, como queda ya determinado, luego no serà pecado venial no le recibir. Porque no se haze contra ley ninguna. Esto se confirma, porque de ser util, y provechoso el recibir este Sacramento, no se colige ser pecado venial el no le recibir. Porque el comulgar en cierto dia, quando no ay precepto, es cosa util, y provechosa, y con todo esso no es peçado venial el no comulgar.* Sic Ille contra M. Sotum, quem de inconsequentia arguere potuisset. Nam ex argumento, quod urget, contra nonnullos contendentes, omissionem confirmationis esse peccatum mortale negligentiæ, planè etiam deducitur, non esse veniale. Verba Soti *in 4. dist. 7. quæst. unica, art. 8. §. Et ideò*, hæc sunt. * At verò isti principium

cipium petunt: quoniam negligentia numquam est crassa (attende) nec culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere: deberent ergo prius constabilire esse præceptum, quàm negligentiam ostendere esse culpatam. Nam quacumque quis negligentia in die profesto non audiat sacra, non est illi peccatum, quia non tenetur. *Ergo cum nullo præcepto (secundum ipsummet Sotum, & communem sententiam) quis teneatur hoc Sacramentum suscipere, ejus omissio non erit culpabilis. Et ita ipse, ut consequenter loquatur, dicere tenetur.

3. Quapropter hanc etiam opinionem tuetur doctissimus M. Serra *in 3. p. quæst. 72. art. 8. dub. 1. fol.* 263. ibi: *Dicendum est secundò ad recipiendum hoc Sacramentum confirmationis, neminem teneri sub præcepto, per se directè ad hoc obligante. Docent hoc communiter Theologi, præsertim M. Sotus, ubi suprà. Et hoc colligitur ex D. Thoma hic ad 4. &c. Probatur secundò ex authoritate Melchiadis Papæ, &c. Tertiò, ad recipiendam confirmationem non tenentur fideles præcepto divino, &c. Nec præcepto Ecclesiastico; nam Ecclesia non cogit, nec determinat tempus ad confirmationis susceptionem; ergo nullo. Hinc sequitur (attende) per se loquendo nullum esse peccatum, etiam veniale, nolle confirmari, nam ubi nullum est præceptum, nullum potest esse peccatum.*

4. Quibus consentit M. Nunno Cabecudo *in 3. p. quæst. 72 art. 8.* dicens: *Quarta Conclusio. Per se loquendo non est peccatum, etiam veniale, non velle suscipere hoc Sacramentum. Patet ista conclusio, quia ubi non est lex; neque prævaricatio; sed ut constat ex præcedentibus, nullum est præceptum in hac parte, ergo. *Et partim consentit M. Prado suprà *num. 22. & 23.* Ubi authores affirmantes committi veniale, cum citatis concordare, contendit admittens, ut veram propositionem asserentem per se, & abstractè considerando, non esse peccatum veniale, regulariter tamen id quando tale peccatum intervenire. Verum qua parte dissentit, claudicare videtur, quia, nullum dari præceptum recipiendi confirmationem ipse tradit *art. 8.* cum M. Soto, ejus referens verba, quòd *negligentia numquam est culpabilis, nisi quando homo tenetur aliquid facere *ergo nec venialis regulariter loquendo erit.

5. Quod probabile putat Leander à Sacram. suprà *tom. 1. tract. 3. disp. 1. quæst. 6.* referens Ludovicum de S. Juan, *quæst. 1. art. 6. concl. 3.* & Granadum *tract. 4. disp. 1. num. 4.* verba ejus sunt. * An saltem sit peccatum veniale, hoc confirmationis Sacramentum solum ex negligentia omittere? Negant Petrus Ledesm. & Ludovicus de San Juan suprà. Et per se loquendo, inquit, hoc ipsum docent Suarez *disp. 38. sect. 2.* Torreblanca *lib. 2. pract. cap. 6.* qui etiam pro hac parte refert Sotum, Henriquez, Navarrum, Bonacinam, Ægidium & alios.*

6. Denique pro nostra sententia non levi fundamento adduci potest D. Thom. nam quamvis in terminis non disputet, an sit veniale confirmationem omittere, videtur tamen, dum negat esse de necessitate præcepti, planè sentire, esse tantum de consilio, & ad solum augmentum perfectionis requisitam. Vide illum *3. p. quæst. 72. art. 1. ad 3.* Ubi de confirmatione, eodem modo, ac de Sacramento ordinis, & matrimonii loquitur: * Omnia Sacramenta, inquit, sunt aliqualiter necessaria ad salutem: sed quædam sine quibus non est salus: quædam verò sunt, quæ cooperantur ad perfectionem salutis: & hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, *ut art. 8. ad 4.* loquens de omittente confirmationem non dixit peccare, sed quod *detrimentum patietionis pateretur.* Quæ verba, ut ex terminis loquentia dici possent de Sacramento ordinis, & de Eucharistia confessionis, & communionis; & tamen certum est, hæc Sacramenta, aut eorum frequentiam ad perfectionem salutis cooperari, & illa omittentem detrimentum perfectionis pati; illa verò omittere, non veniale quidem peccatum esse: Ergo idem dicendum est de confirmatione.

7. Unde facilè diluitur fundamentum adversorum, esse peccatum veniale, eo quod, sit prodigalis quædam prodigalitas, se privare tanto fructu ejus Sacramenti, quando quis commodè percipere potest. Quæ quidem ratio nimium probat, ac proinde nihil, quia eodem modo militat contra omittentem Sacramentum ordinis, & contra non frequenter accedentem ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quando commodè percipere possunt. Cum se privent horum Sacramentorum fructu, qui magnus est, & forsan major. Sicut ergo in his omittentes non dicitur esse prodigalitas spiritualis, nec veniale adesse culpa, eo quod omissio solum est contra consilium, non contra præceptum; sic in Sacramento confirmationis dicendum est.

8. Nec obstat Canon *omnis de consec. dist. 5.* ubi dicitur, *quòd omnes fideles hoc Sacramentum accipere debent.* Nam ut respondent M. Serra, & Soto ibi suprà. * Canon citatus, *omnis*, non habet formam præcepti, sed solùm determinat jus divinum, quod est ut non sit simpliciter necessarium, sed unile. Et hoc significat verbum istud *debent*, non præceptum. * Hæc Serra ex Soto, cui consonat M. V. Gotti *in tract. de confes. num. 143. fol. 118.* ubi ait: *Hoc verbum *debet*, non dicit præceptum. * Et expresse M. Nunno *ubi sup. concl. 3.* dicens: *Hæc verba (nempe debent suscipere) non important præceptum secundùm se: *ergo solum consilium, quod omnes datur non se privandi fructu spirituali Sacramentorum, quando commodè percipere possunt. Ex quibus concludo, secluso contemptu, nullum dari peccatum, etiam veniale, omittere Sacramentum confirmationis, quòd tum ab authoritate Doctorum id defendentium, tum à ratione superius allecta efficaciter suadetur.

9. Major est difficultas, an sit præceptum, sub lethali obligans suscipere confirmationem, ad recipiendos ordines? Nam Trident. *sess. 23. cap. 4.* expressè decernit, quod *prima tonsura non imponatur, qui Sacramentum confirmationis non susceperint. * Ex quibus non pauci deducunt esse lethale ordines saltem majores, ante confirmationé recipere, quia verba Concilii continent prohibitionem recipiendi ordines, non præmissa confirmatione.

10. Nihilominus contraria sententia mihi arridet, quam tenent plures, & graves Magistri, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tract. 3. disp. 1. q.* 8. dicens: * Sed probabilius respondeo, non peccare mortaliter, sed venialiter tantum, qui non facit contra aliquod præceptum ad mortale obligans. Non in verbis Concilii præcipitur imitandis, sed percipiuntur Episcopis, quod facere debent. Sic Soto, Victoria, Bartholomæus de Ledesma, &c. * An vero Episcopus graviter delinquat: Negant plures apud Leandrum tum ibi, tum *quæst. 9.* asserentes, necnon Episcopum ordines conferentem nō confirmatis, peccare

care mortaliter, inter quos M. Sotus, Navarrus, Torreblanca, Victoria, & alii, quos sequitur Diana *p. 8. tract. 1. resolut. 47. & p. 10 tract. 11. resol. 14. & p. 11. tract. 2. resol. 17.* Quibus adde M. Serra *ubi suprà fol. 265.* dicentem: *Ita sentire Navarrum, & alios recentiores, & ad verba Concilii, inquit, respondent, ibinil præcipi initiandis, sed præscribi Episcopis, quod facere debeant, quamvis nec stricta aliqua obligatio imponatur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur. *Idem sentiunt plures alii. *Quæ omnia (inquit M. Prado *suprà num. 26.*) probant in hoc puncto, quemlibet posse in suo sensu abundare.*

11. Sed rogabis, an saltem sit peccatum veniale? Et ratio difficultandi est, quia, ut fatentur auctores citati, in Concilio non est præceptum, nec ex alio capite adducitur, ergo qui ordinatur non confirmatus, nullum frangit præceptum. Ergo nullum committit peccatum. Videtur discursus evidens ex suprà dictis; nam ex eo, quòd non detur præceptum confirmationis per se loquendo, inferunt non esse venialem ejus omissionem, Petrus de Ledesma, M. Serra, M. Nunno, Ludovicus de S. Juan, & plures alii suprà citati: ergo ex eo quòd nullum detur præceptum prohibens recipere ordines, non præcedente confirmatione, infertur similiter non esse veniale ante confirmationem illos recipere. Ideò hanc partem consequenter supertus dicta defendit Granado *tract. 4. disp. 1. n. 9.* Et non improbat illum referens Leander à Sacram *suprà quæst. 8.* Nec potest, me judice, aliter negari, quam asserendo peccatum mortale committi, quia si in Concilii verbis continetur præceptum non recipiendi ordines, non præmissa confirmatione; cum materia sit gravis: nequit non sub læthali obligare: si autem verba Concilii consilium tantum contineant, nullum erit peccatum adhuc veniale, quia agere contra consilium, ne veniale quidem est. Dicere autem dari præceptum, sed materiam esse levem, non video, quo fundamento dici possit; quia res prohibita gravissima est, nempè ordinis susceptio, quæ quidem, admisso præcepto, prohibetur non præmissa confirmatione, sicut non præmissa contritione, seu confessione peccati læthalis. Nec apparet cur accipere ordines majores, non susceptis minoribus, sit materia secundùm omnes, non verò ordines suscipere, non suscepto Sacramento Confirmationis: cum utrobique (ut ipsi contendunt) sit præceptum prohibens; & insuper sit de fide, confirmationem esse Sacramentum, quod de ordinibus minoribus plures negant. Dicendum ergo est, aut nullam esse culpam ordines, etiam majores suscipere, non præmissa confirmatione, aut esse gravem.

12. Unum hic adverte M. Martinum de Ledesma *tom. 1. in 4. sentent. quæst. 13. artic. 12.* existimare non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, quod unctio adhibeatur in fronte, ibi: *Nota, quod puto, non esse de necessitate Sacramenti Confirmationis, ut in fronte conferatur. *Cui consentit M. Victoria *in Summ. de Confir. q. 18.* Verum hanc opinionem esse plus quàm temerariam, & oppositam esse de fide, dicit Basilius de Leon *in Prælectione de Sacram. Confirmationis, p. 2 cap. 5. nu. 5.* Quia apertissimè constat non solùm ex usu Ecclesiæ, & ex auctoritate PP. sed ex Innocentio III. *in cap. unico de sacra Vnctione*, & ex Concilio Florentino *decreto de Armenis*, ibi: *Ideò in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus injungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum. Propter quod crucis signo signatur.* Et ita tradit D. Thomas *3. p. q. 72. art. 9.* & communiter Theologi. Quapropter Suarez *3. p. to. 3. q. 72. art. 4. disput. 33 sect. 3.* dicit, oppositam sententiam non solùm esse falsam, sed valdè temerariam. Quod Bellarm. *cap. 8. Prop. 4.* ex pluribus Summis Pontificibus, & Conciliis comprobat, & sequuntur Ægidius, Filliucius, Valentia, Layman, Nugnus, Sotus, & alii, apud Leandrum *tom. 1. tract 3. disp. 3. q. 5.*

QVÆSTIO XII.

Vtrùm ætas ad ordines requisita computari possit à die conceptionis?

§. I.

Authores & fundamenta partis affirmativæ.

1. ÆTatem ad ordines statuit Trident. *sess. 23. cap. 12.* ubi ad Subdiaconatum vigesimum secundum, ad Diaconatum vigesimum tertium, ad Præsbiteratum vigesimum quintum (inceptum, scilicet) annum exigit, ut communis Theologorum sententia, & Episcoporum praxis exponit. Difficultas ergo est, à quo tempore ætas hæc computari debeat.

2. Non defecere Doctores, qui à die conceptionis (id est, animationis fœtus) computari posse existimarint, quos suppresso nomine refert P. Joannes Præpositus *in 3. p. de Sacram. Ordinis, quæst. unica dub. 17. nu. 166.* Quam sententiam P. Thom. Sanchez *tom. 2. consil. lib. 7. cap. 1. dub. 33. n. 8.* attribuit Glossæ, & Mandosio, dicens: *Nota, quod Glossa *regula 17. Cancellaria*, dicit ætatis annos computandos esse à die conceptionis, si id utile sit ei, de cujus ætate agitur, &c. Idem Mandosius *de ætate minor. cap. 1 nu 25.* *Et eam tenet Sfortias Oddo *tract. de restit. in integrum, p. 1. quæst. 2. art. 7. n 48.*

3. Probant primò. Quia jure civili à die conceptionis computatur: ut multis evincit Mandosius *ubi suprà.* *Ex quibus concludit *num. 441.* *Conceptus, quoad commoda pro nato generaliter habetur. *Et confirmatur *ex l. qui in utero 7. ff. de statu homin.* ubi Jurisconsultus sic habet: *Qui in utero est, perinde est, ac si in rebus humanis esset: custoditur, quoties de commodis ipsius partus quæritur. *Sunt etiam aliæ leges huic similes, *l. qui in utero 26. ff. eod. tit. l. quod dicimus 231. ff. de verb. significat, l. 2. §. Qui autem, ff. de excusat. tutorum, l. cum quidam 30. §. 1. vers. Et in eo ventre, de adquirend. hæred.* *Quibus, & aliis juribus apertè probatur, in utero existentem pro nato haberi, quoties de ejus utilitate agitur. *Sic Didacus Yannez Faxardo *in tract. de legitim. per subsequens matrimonium, fol. 18. num. 33.*

4. Secundò probatur *ex tex. in l. nuper, C. de nat. liber.* ubi dicit Imperator. *Hoc favore facimus liberorum, ut editionis tempus statuamus esse inspectandum; (attende) exceptis his tantummodo casibus, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas expostulat. *Ergo universaliter hæc regula observanda est, ut ait Faxardo *ubi suprà.* *In quibus verbis, inquit, demonstravit, quod homo dum in utero est, pro nato habetur, in rebus sibi utilibus.*

5. Tertio suadetur ex tex. *in l. & servorum* 5. §. *Ingenui, ff de stat. homin. princ. instit vers. Sufficit, de Ingenuis.* Quibus probatur, conceptum ex muliere libera liberum nasci, etsi mater in tempore nativitatis sit jam in servitutem redacta. Cujus legis rationem expendens Antonius Faber *lib.* 20. *Conjectur. cap.* 1. sic ait. *Cujus ratio est, quia iste talis in sibi utilibus (qualis erat libertas omnibus rebus favorabilior & pretiosior) pro nato haberi debet. *Sic Faber. Quem refert, sequitur Alphonsus à Carrança *in suo tract. de legitimat. part. designat. cap.* 2. §. 4. *num.* 19.

6. Ex quo principio ætatem à die conceptionis computandam ad dignitates sæculares, & honores, docent plures apud Narbonam *in Annal. anno* 25. *quæst.* 64. *n.* 1. & 2. Hinc in utero existenti legari, & donari, posse, & tutorem dari, docent communiter juris periti. Quibus ejusmodi computatio ætatis à die conceptionis satis familiaris est, quoties de commodis alicujus agitur.

7. Ex quibus sic pro re nostra formari potest argumentum. Pro computanda ætate, ad ordines suscipiendos, determinat Concilium juri civili oppositum, sed supposito modo communi computandi, decernit annorum numerum; sed modus communis computandi in favorabilibus est à die conceptionis, ut ex jure civili constat; ergo hic quoad computationem in jure Canonico est servandus, dum oppositum ab illo non declaretur. Confirmatur primò. Quia quoad computationem numeri dierum unius anni, non discrepat utrumque jus, sicut nec quoad modum computandi naturalis anni initium, & finem: ergo neque quoad numerum annorum, neque quoad modum computationis discrepare debent. Ergo eadem omnino regula, quæ jure civili servatur in favorabilibus, servari debet jure Canonico; atque adeò, sicut tibi à die conceptionis, ita & hic computandi sunt.

8. Confirmatur secundò ex Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 24. *n.* 20. ubi argumentum admittit ex jure civili, ad computationem ætatis, in favorabilibus, quæ sunt de jure Canonico, efficiendam. Ideoque censet, quoad professionem Religionis, diem inceptam non esse habendam pro completa. *Quia favor ipsius est, ut in ea ætate, religionis status assumatur, qua plenior est deliberatio. *Confirmatur tertio. Quia ideò jure Canonico annus computandus, quoad ordines, solum constat ex 365. diebus, quòd jure civili, in favorabilibus sic computetur; ac proinde licet annus bissextilis diem aliam huic numero superaddat, tamen quia in favorabilibus non computatur, jure civili; ideò nec Canonico ad ordines suscipiendos est computandus; sed annus ex 365. tantum, & non ex majore dierum numero coalescere debet. Quod tradit Sylvester *ubi suprà*, & putat valdè probabile Martinus de S. Joseph *in Monit. Confess. tom.* 1. *lib.* 1. *tract.* 6. *de Ordine, num.* 22. sic enim ait: *Para la edad de las ordenes legitima, se ha de incluir en ella el dia del anno del bissiesto, como lo tiene Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 24. hablando de la profession, y lo mismo es para la edad de las ordenes: y se prueba, porque el dia del bissiesto es complemento de los quarto annos precedentes, que faltava para el circulo del Sol por el Zodiaco y porque el dia veinte y ocho, y veinte y nueve de Febrero se computan por uno. Pero tengo por muy probable la opinion contraria de Sylvestro, *verb. Ætas, n.* 5. de Panormitano *in cap. quærenti, de officio delegati*, que dize, que en las cosas odiosas, no se ha de computar el dia del anno bissiesto, sino solamente se ha de computar el anno de 365. dias, caiga bissiesto, ò no caiga, porque esto se determina en la ley *Cum hæres* 5. *Stichus de statu lib.* *Idem tenent apud Dianam *p.* 10. *tract.* 11. *resol.* 67. Didacus de Narbona, Ricius, & Augustinus & alii apud Leandrum à Sacram. *tomo* 2. *tract.* 6. *disp.* 6. *quæst.* 20. & Pellizarius *tom.* 2. *Manual. tract.* 3. *cap.* 1. *sect.* 3. *n.* 170. *in fine*. Et expresè Henriquez *lib.* 10. *cap.* 19. *n.* 2. *litt. K.* ubi sic: *Pro ætate ordinis non computantur dies bissexti, quia favor est; nec ad professionem, Sylvester *verb. Ætas*, §. 3. *Et Barbosa *de testest Episcopi, alleg.* 101. *Ad professionem in Religione anno bissextili satis est ad probationem complevisse dies 365. ita Sylvest. Henriquez, Ricius, Barb. & Sancto Fausto.*

9. Jam quod pro computationem ætatis juridicè requisitæ, exclusione facta diei superadditi in anno bissextili, militet expresè Sylvester; fatetur ex eo, quod licet (ut constat *ex tex. in l. cum hæres, §. Stichus suprà citato)* ubi à jure civili dacur annus, intelligitur ex 365. diebus continuis: id tamen cum Panormitano ibidem ipse limitat, dicens: *Quod si terminus statuitur per numerum annorum, numerium secundum opinionem glossæ, distinguimus inter favorabilia, & odiosa, quia in odiosis annus intelligitur de 365. diebus, licet eo anno contingat bissextus, secus in favorabilibus. *Cui principio innexus P. Thom. Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 24. *num.* 18. sic infert. Unde suspensus per mensem, hinc puta mensis Februarius bissextilis, poterit celebrare ultima Februarii die. *Nimirum, quia cum suspensio sit odiosa, non computandus est dies superadditus propter bissextum: pro quo refert 18. Doctores. Quos brevitatis causa non refero.

10. Ex quibus pro opinione asserente ætatem computandam ad ordines à die conceptionis, argumentum multipliciter instauratur. Primò, quia ex eo, quod jure civili, *l. cum hæres suprà citata*, annus intelligatur de 356 diebus, contendunt auctores citati computandum jure Canonico ad ordines suscipiendos: ergo ex eo, quòd jure civili ætas computari soleat, in sibi utilibus, à die conceptionis, eodem modo computanda etiam erit ad ordines. Secundò, quia jure Canonico annus computandus est in odiosis de 365. diebus, licet constet ex 366. in anno bissextili, non alia ratione, nisi quia utilius ita ordinando. Ergo primus annus fœtus computandus est à die conceptionis, quia hæc computatio utilior est. Tertiò in spacio 24. annorum completorum, superadduntur sex dies bissextiles, atque adeò ætas claudit 24. annos completos ex 365. diebus, & alios insuper sex dies, & consequenter ille, cui tantum dies deficiant ad complendos 24. annos (ut vulgò computantur) verè complevit 24. annos 365. diebus; & ideò poterit, eis sic computatis, ascendere ad sequenti ad ordinem Præsbiteratus ascendere: non obstante, quod vulgariter non dicatur habere 24. annos, quod vulgariter non dicatur habere 24. annos, quis plures annos habere, quam qui à nativitate numerantur; illi hilominus hoc non impediet, quo minus, quibus in utero animatus extitit, computentur, quia attenta juris civilis computatione, magis certum est, hos dies in ea claudi, quàm bissextus excludi: tametsi tam inclusio, quàm exclusio pro commodo, & utilitate concedatur, cui utrumque jus inniti tur, ut constat ex dictis.

11. Hæc sunt, quæ pro ætate à die conceptionis computanda, magis urgere videntur. Quam opinionem referens, non improbat Sanchez *ubi supra*, sed

sicut nec Bonacina *tract. 3. de suspensionibus in particulari, disp. 3. quæst. 1. p. 1. n. 6.* Imò in modo impugnandi, non ei displicere, satis innuit: solum enim ait: *Quod ego dixi, substinendum videtur (scilicet, à die nativitatis esse computandam ætatem) contra Sfortiam, & alios arbitrantes à die conceptionis esse computandam. *Quæ fundamenta cum anno 1643. ego congessissem, & proposita fuissent viris Doctissimis, & Primarius sacræ Theologiæ Magistris in Universitate Complutensi; nonnulli responderunt, aut nullam opinionem ex his, quæ communiter probabiles habentur, talem esse, aut hanc probabilem esse debere. Sic mihi testati sunt viri alii fide digni.

12. Denique illam multis illustratam novissimè levi dedit doctissimus Fr. Ludovicus à Conceptione *in examine Theolog. tom. 1. tract. 1. de Matrim. sexto casu*; ut licet suffragium illi ferre non audeat, omnia vero proponit fundamenta, & difficultates omnes dissolvit. Concludens: *Sic se habent fundamenta pro secunda ad casum resolutione posita. Modò an sit probabilis, judicent docti. Per me enim probabilis non fiet.*

§. II.

Novum ejusdem sententiæ præsidium.

13. PRoduxi ego fundamenta præcipua, ut consulto prætermisi argumentum, quòd, à computatione ætatis Christi Domini ante Baptismum, Fr. Ludovicus *ubi suprà* adducit. Quod hujusmodi est. Christus Dominus trigesimo anno baptizatus fuit, ut dicitur *p. 1. Decret. distinct. 78 Can. 4.* tradunt PP. Augustinus, Chrysostomus, Euthimius, Ambrosius, & alii, sed ætas Christi Domini non potuit ullo modo stare triginta annorum, nisi ætatis computatione facta à die conceptionis ejus (ut videre est apud Henriquez *in Sum. de fine. Homin. cap. 23. num. 7.* cum glossa) ergo juxtà jus commune ætas est computanda à die conceptionis: cui juri cùm Tridentinum non derogaverit, conformare videtur. Juris enim communis correctio vitanda est, dum expressè illi non derogatur, omnes Doctores fatentur.

14. Hoc inquam argumentum, quo utitur perdoctus P. Fr. Ludovicus à Conceptione, ego consulto prætermisi, quia ut lego apud Henriquez *suprà num. 6. in glos. litt. Y. & Z.* Si ætas ad ordines computari posset, ea ratione, qua, in Christo Domino, ætas triginta annorum ad Baptismum computatur, latissima opinandi pateret via. Quia in Christo Domino numerantur triginta anni ad Baptismum, eo sensu, quo triduum mortis, ad resurrectionem. Sic enim à PP. computatio fit. Primus annus Christi Domini continet septem tantum dies, nimirum à die 25. Decembris usque ad diem 31. hujus mensis. Et trigesimus annus assumit sex tantum dies, post 28. annos intermedios completos. Quapropter juxtà computationem annorum, ut à nobis communiter fit, ait Henriquez *suprà*. *Quod Lucæ 3. dicuntur 30. anni, erat annus vigesimus nonus, inceptus per tredecim dies. *Scilicet, septem ex primo anno, & sex ex ultimo, & 28. anni intermedii. Unde si computatio, quæ fit in annis 30. Christi Domini, quoad Baptismum, ad ordines suscipiendos accommodari posset, nimis strictè opinatus fuisset Fr. Ludovicus à Conceptione, cum ætatem, ex hoc fundamento, à die conceptionis computari posse scripsit, nam longè minori ætate pro ordine suscipiendo concludere posset, & deberet; quia ætas Christi Domini à conceptione etiam computata, non sufficit ad 30. annum attingendum, sed ad 29. inceptum per novem menses, & 30. dies, cum solum addat hæc computatio novem menses, quibus Christus fuit in utero B. Virginis suprà ætatem ab Henriquez computatam. Nam Christus Dominus, quando baptizatus est, solum modo habebat à die incarnationis 29. annum inceptum per novem menses, & 13. dies; quæ quidem ætas non attingit 30. annos inceptos.

15. Unde duo sequuntur contra doctissimum Ludovicum. Primum, ad rem non facere, quod ætas Christi computetur à conceptione, ad numerandum 30. annum ante Baptismum, quandoquidem sic etiam computata, non attigit Christus Dominus 30. annum. Secundum ex computatione ætatis Christi Domini à PP. facta, ut refert Henriquez, nullum argumentum desumi posse pro ætate ad ordines computanda, quia si aliquod planè evinceretur, eum, qui natus est anno 1665. die 25. Decembris; ordinem Præsbiteratus suscipere posse post viginti & tres annos completos, & aliquos dies assumptos ex anno sequenti, quiá iste diceretur habere 25. annos, ea proprietate, quia Christus dicitur habuisse triginta, quando baptizatus est; haberet enim 24. inceptum per 13. dies, septem ex primo anno, & sex ex ultimo, & 23. annos completos intermedios, quod ad verificandam prædictam propositionem sufficit, juxtà superius dicta, & juxtà computationem tridui mortis Christi ab omnibus admittendam. Ergo vel computatio 30. annorum Christi Domini nullum præbet argumentum ad quæstionis præsentis decisionem, aut evidenter evincitur, eum, qui non habet 24. annum inceptum (computatione etiam facta à die conceptionis) ad Sacerdotium promoveri posse, quæ evidenter falsa sunt. Præterquam quod, licet in Christo Domino computaretur ætas à conceptione, nullum inde, pro aliorum computanda, fieri posset argumentum: est enim peculiaris ratio in Christo Domino; ut observat Henriquez *ubi suprà*, dicens: *In solo Christo, quia in conceptione fuit statim perfectus vir, cum pleno, & permanenti rationis usu, meritò computantur anni ab incarnatione integri. *Sic *ubi suprà cap. 23. in gloss. litt. S.* Unde fit ex annorum computatione jure communi pro ætate Christi Domini facta, nil firmum desumi posse, pro ætate, à die conceptionis, ad ordines in aliis computanda.

§. III.

Negativa sententia tenenda.

16. PRo communi sententia negante ejusmodi computationem ad ordines, stant communiter Doctores. Quibus assentior, quia ex jure Canonico nullum argumentum solidum pro contraria desumitur: illud enim, quod de computatione dierum anni bissextilis suprà efformavi, à peritioribus Theologis non admittitur. Ex jure enim civili ad Canonicum argumentum non valere autumant, quando communis Doctorum expositio aliter intellexit, ut in præsenti contingit. Hinc omnes, tam Theologi, quam Canonistæ ætatem ad ordines, ad beneficia, ad professionem, ad matrimoniam, & alia,

ad quæ jus Canonicum ætatem determinatam exigit; semper computant à nativitate, & solum disputant, an completa, an incepta sufficiat, quod ex verbis Canonum elicere curant, (etsi de matrimonio loquentes latius opinentur nonnulli apud Dianam *p.3. tract.5 resol.16.* in aliquo casu etiam pro ordinibus: Videillum *2.p.tract.2.resol.29 & p.9. tract 9. resolut.50.* & Leandrum *tom.2.disp.6. de Ordine, q.7.*) Nemo autem dubitat, fore invalidam professionem ejus, qui decimum sextum annum compleret ex mensibus, quibus fuit in utero, licet ipsi utilius id esse moraliter certum haberetur. Ergo similiter nec dubitari debet, illicitè promovendum ad ordines, & beneficia, qui annorum numerum à Tridentino requisitum, à conceptione computaret. Quia non tam utilitatem personæ, quàm Ecclesiastici status respicere debemus: sicut & religioni consulimus, quando de ætate ad professionem requisita disputamus. Quapropter Thomas Sanchez *in consil. tom.2. lib.7. cap.1.dub.33.* licet contrariæ sententiæ censuram non inusserit, satis sibi censuram placere ibidem ostendit, dum ea opinione proposita, subnectit, *sed Covarr. 4.Decretal.2.p.cap.4.n.3.* dicit, „nil hac re falsius dici posse: & P. Joannes Præpositus *ubi suprà*, inquit, *omni carere probabilitate.*

17. Ego verò licet eam non amplectar, à censura cum Sanchez abstineo, tum propter fundamenta suprà jacta, tum ob auctoritatem Doctorum, qui à principiis intrinsecis probabilem judicarunt. Fuerunt enim viri doctissimi, Doctor Torrexon Primarius sacræ Theologiæ Cathedræ moderator, in celeberrima Universitate Complutensi. Reverendissimus P. Fr. Leander à Sacram. diligentissimus scriptor, & suis operibus notissimus, & Magistri alii celebriores, quos justis de causis nuncupare omitto.

18. Verum quamvis prædictæ opinionis praxis nulli sit consulenda; si tamen aliquis, mala fide, ea usus fuisset, deservire poterit ad excusandum illum à suspensione, quia Pius Secundus, qui suspensionem imposuit *Clericis* suscipientibus ordines majores, ante legitimam ætatem, usus est verbo *Præsumpserit*, quod scientiam peccati susceptionis ordinis importat, ac proinde non solùm bona fides, sed ignorantia etiam crassa, dum non sit affectata, à suspensione incurrenda excusabit; ut docent communiter Doctores, quos citatos sequitur Leander *tract. 6. de Ordine, disp.6.quæst.12.* Insuper præfata opinio ei, qui bona fide Præsbiteratum suscepisset, computatione ætatis à conceptione facta, deservire poterit, (secundum aliquos) ut semel ordinatus, absque scrupulo celebrare possit, quia ut cum Navarro docet Machado *to.2. Sum.lib.4.p.1.tract.7.doc.4.n.6.* *Este tal, estando legitimamente ordenado, tiene derecho de exercitarse en el orden, que recibio, y por consiguiente no peca en ello.* Quorum sententiam probabilem putant Petrus de Ledesma *in Summ.cap.7. de orat.vers. La tercera duda, post 1. conclus.* Ludovicus de S. Juan *quæst.6. de Ordine, artic.1 diffic.3 & dub.3.diffic.7.conclus.3.* & alii, qui absolutè hanc partem tuentur, etiamsi in quacumque ætatis computatione, legitimam ætatem non habeat. Quorum opinio, licet aliàs mihi parum probabilis sit, (quia ejus fundamentum æquè probat de illo, qui mala fide ordinatus suspensionem non incurrit, ratione ignorantiæ, vel ab incursa per Bullam Cruciatæ absolutus est, quia cum verè ordinatus sit, poterit etiam dici jus habere celebrandi) nihilominus adminiculo alterius opinionis de computatione à die conceptionis, sustineri potest, & ea utentem non damnarem.

19. Advertendum verò hic est, Mag. Antonium de Hinojosa *in director. decision Regularium, litt. O. fol.* 326. cum Armilla, & Tabiena, contra omnes Doctores, & Ecclesiæ Romanæ praxim, docere impientem ordines majores ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel sine litteris dimissoriis, non incurrere suspensionem: putat enim ex Armilla in Secundi extravagantem non fuisse receptam. *Sed Armilla (inquit) verb. Irregularitas, §.82.* dicit, quod non fuit recepta hæc extravagans. Quorum omnium subscribendum videtur. *Sed uterque fallitur, ut praxis contraria, & curiæ stylus evincunt. Et prædicta constitutio non solùm Clericos sæculares (de quibus expressè procedit) sed etiam Regulares comprehendit, ut videre licet apud Barbosam de potest. Episc p.2. Alleg.16.n.25.*

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm Religiosi possint ordinari ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam?

§. I.

Quid de jure antiquo?

1. CErtissimum est olim potuisse Quialmo Innocentius VIII. dispensavit cum toto Ordine Fratrum Minorum, ut postquam vigesimum tertium annum attigerint, dum tamen sufficientes sint, *possint promoveri ad Sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante jure, extenso in contrarium facientibus *Ita refert Brunus Cassaing. in Privilegiis Regul.p.2.tract.7.prop.2.subnectens fuisse etiam Provinciales Minorum dispensare cum Fratribus sui Ordinis (attende) ut in vigesimo secundo anno incepto, ad Sacerdotium ascendant, ex privilegio Joannis Vigesimi secundi concesso Conventui domus Chartusiæ Sanctæ Trinitatis. Qui concessit: *Vt omnes Monachi, & Clerici domus vestræ, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, vigesimum secundum eorum annum attingentes possint ad Præsbiteratus ordinem promoveri.* *Quod quidem privilegium, cum Prælatorum dispensatione requisita, concessit Julius Secundus Fratribus Minimis cum revocatione juris communis, in Bulla edita anno 1506. quæ incipit: *Dudum ad sacrum Ordinem.* Ubi eis indulsit: *Quod Fratres Ordinis Minorum hujusmodi, in vigesimo secundo anno suæ ætatis, tunc & pro tempore constituti, ad Presbiteratus ordinem, aliàs tamen rite, se promoveri facere possint.* Quo privilegio omnes alii Ordines Regulares ante Trident. per communicationem frui eorum annum attingentes possint ad Præsbiteratus ordinem promoveri. *Quod quidem privilegium, cum Prælatorum dispensatione requisita, concessit Julius Secundus Fratribus Minimis cum revocatione juris communis, in Bulla edita anno 1506. quæ incipit: *Dudum ad sacrum Ordinem.* Ubi eis indulsit: *Quod Fratres Ordinis Minorum hujusmodi, in vigesimo secundo anno suæ ætatis, tunc & pro tempore constituti, ad Presbiteratus ordinem, aliàs tamen rite, se promoveri facere possint.* Quo privilegio omnes alii Ordines Regularium ante Trident. per communicationem frueretur, ut apertè probatur ex Bulla Leonis X. & aliorum Pontificum apud Brunum Cassaing. *tract.1.in prop.1.fol.38.* *Et constat etiam ex his, quæ in tradunt Mag. Joannes de la Cruz *in Epit. privil. Ord. cap.9.dub.4.* Mag. Raphael de la Torre, Lez. 20. Coronymus Garcia, & alii, apud Dianam *p.10. tract.2. resolut.49* & apud Leandrum *tom.5 tractat.6. de decim. disputat.6.quæst.46.* Et est communis sententia, ut cum Rodriguez, Sorbo, & Miranda ait Brunus *suprà.*

§. II.

§. II.

Quid post Tridentinum nonnulli senserint.

2. Difficultas solum est, an ubi Concilium Tridentinum receptum est, ut in Hispania, hæc modò privilegia subsistant: nam *sess. 23. cap. 12. de Reformat.* revocata fuisse, tradunt communiter Doctores, ex verbis illis: *Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem, ante vigesimum secundum, ad Diaconatum, ante vigesimum tertium, ad Præsbiteratum, ante vigesimum quintum promoveatur, &c. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. *Ex quibus videtur evinci, Regulares post Tridentinum, non posse ante legitimam ætatem, ut suprà staturam, ordinari.

3. Nihilominus eisdem omnino privilegiis, quibus ante Tridentinum, Regulares modò gaudere; sunt, qui asserant. Idquè ex duplici capite. Primò, quia verba illa Concilii: *Privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*: non sufficiunt, (ut ipsi putant) ad revocanda Regularium privilegia, quod multis suadere contendit Brunus *tract. 2. cap. 5. prop. 4. folio* 49. dicens: *Privilegia Regularium non revocantur per generalem revocationem privilegiorum, licet apponantur verba generalia, & geminata. *Privilegium contrarium penitus derogatu, & exclusis*: constat ex Mari magno Minorum, ex concessione Eugenii Quarti facta Prædicatoribus, & ejusdem Eugenii, & Leonis X. privilegio concesso Benedictinis. *Quod non possit derogari illorum privilegiis, nisi de ipsorum ordine, & de hujusmodi litteris fiat de verbo ad verbum expressa mentio.* Sic Rodericus cum his, quos citat *tom. 1. quæst. Regular. artic. 6.* *Hæc Brunus *ubi suprà*. Varia adducens privilegia, quibus similia verba non habere vim revocandi Regularium privilegia suadere tentat. Secundò, quia Regularium privilegia se habent, ut in corpore juris inserta; hæc autem per illam clausulam non censeri revocata, docent plures apud Brunum *suprà*.

4. Tertiò, quia etiamsi per Tridentinum fuissent revocata, ut communis sententia tenet, fuerunt postea revalidata à Summis Pontificibus, & ad suum pristinum vigorem restituta, ut docet M. Antonius de Hinojosa ex doctissimo Prædicatorum Ordine *in direct. decis. Regul. verbo Confirmatio à folio* 121. Quod sic probat. *Nam licet Pius IV. (qui decreta omnia Trident. confirmaverat) ex certa scientia, & potestatis plenitudine, confirmaverit omnia Fr. Minorum privilegia, cum restrictione; exceptis, scilicet, contrariis Tridentino: postmodum tamen, absque ulla modificatione, confirmavit omnia privilegia Ordinis Sanctissimæ Trinitatis (nimirum concessa Conventui domus Chartusiæ) cum quo communicant Ordines Mendicantes, licet ipse non sit de numero Mendicantium. *Ergo cum Fratribus prædicti Conventus concessum fuerit, ut vidimus, quod vigesimum secundum annum attingentes ad Præsbyteratus ordinem ascendere possint; id modo poterunt aliorum Ordinum Regulares.

5 Suadet insuper idem Hinojosa ex alio privilegio Pii V. Fratribus Prædicatoribus concesso, non vivæ vocis oraculo, nec pro foro conscientiæ tantum, quale Fratribus Minoribus concesserat, (de quo Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 6. & in Glossa, litt. R.* sed Motu proprio, & absque ulla restrictione. Verba ejus sunt: *Pius V. vivæ vocis oraculo Fratribus Minoribus omnia prædecessorum privilegia, absque ulla restrictione, vel obstantia Concilii Tridentini, in foro conscientiæ tantum, concessit die 13. Martii, anno 1578 Et idem Pius V. Motu proprio *anno 1570. die 12. Ianuarii*, de novo concessit Ordini Prædicatorum omnia privilegia à suis prædecessoribus indulta, & voluit pro expressis haberi; *Non obstantibus aliis quibuscumque Apostolicis, necnon Provincialibus, Generalibus, vel specialibus constitutionibus.* *Ex quibus, inquit, constat, nos reductos ad pristinum statum, quo ante Concilium Tridentinum, privilegiis nostris, in amplissima forma, potiebantur. Quia de novo concedimur, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus generalibus, vel specialibus Apostolicis. *Et insuper aliam refert concessionem paulò infrà dicens: *Idem adhuc Pius V. die 27. Septembris, anno 1571. omnia, & singula privilegia, indulta, concessiones, prærogativas, & alias quascumque gratias Ordini nostro (Prædicatorum) & ejusdem pro tempore existenti Ministro Generali, Fratribus, ac Monialibus, approbavit, confirmavit, innovavit, omniaquè & singula perpetuam obtinere firmitatem, absque ulla restrictione, decrevit. *Hactenus Mag. Hinojosa. Extat etiam alia Bulla Pii V. priùs edita anno 1567, in qua non solùm confirmat, sed de novo concedit omnia, & singula privilegia Mendicantibus à suis prædecessoribus concessa, ibi: *Necnon privilegia, facultates, indulta, favores, & gratias tam temporales, quàm spirituales, &c. modo, & forma etiam per viam communicationis, & extensionis, activè, & passivè inter se, & alios quoscumque ordines respectivè, de novo concedimus, ac si de verbo ad verbũ, nullo pœnitus ommisso exprimerentur. *Sic refert Quintanavennas *tom. 1. sing. tractat. 3. sing. 17.*

6. Quapropter Regulares modò posse ordines suscipere ante ætatem à Tridentino præscriptam, tradit expressè cum aliis Brunus Cassaing. ex Ordine Minorum *de Privileg. Regul. p. 2. tract. 7. cap. 2. prop. 2.* Quod probat ex privilegiis præfatis Innocentii VIII. Joannis Vigesimisecundi, & Julii Secundi, nuper adductis. *Ex quibus, inquit, manifestè patet, Fratres Minores, qui etiam in hoc ultimo privilegio (Julii Secundi pro Fratribus Minimis) participant, & consequenter alios, habere facultatem dispensandi super ætate constituta à jure ad ordinem Præsbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus suscipiendos. Confirmatur, quia ante Tridentinum Prælati poterant suos subditos dispensare, & facere, ut assumerent Subdiaconatum in decimo octavo anno, Diaconatum in vigesimo, & Præsbyteratum in vigesimosecundo completo, ac etiam in vigesimosecundo inchoato: ergo etiam nunc, illa facultate uti possunt, cum illud privilegium sit validum etiam post Tridentinum, ubi illud receptum est. Ac sic tenet Emanuel Sà, *verb. Relig. num.* 56. Christophorus à Cap. Font. proximè citatus, &, ut advertit Portel, subscribere debent Rodericus, Henriquez, & Sorbus. *Sic Brunus. Bullam aliam Urbani VIII. refert Mag. Acatius de Velasco *tom. 1. verb. Absolut. resolut. 7.* ex qua sic infert: *De lo dicho se infiere manifiestamente, que estàn oy todos los privilegios de los Regulares (aun los revocados per los Pontifices) de nuevo confirmandos, y puestos en la misma fuerca, que tenian antes, que los revoca-

ran, y revalidados de nuevo por la Santidad de Urbano Octavo.*

7. Ex his auctoribus, expresè id tenet Sà *ubi suprà*, & Hieronymus Sorbo *in Compend. Privil. Mendic. tit. Dispensatio, num.* 15. qui asserit modò vigere privilegium Innocentii VIII. quo concessit, ut Generalis, vel Provincialis Ordinis Minorum possit cum Fratribus sui Ordinis, completo anno vigesimo secundo, ad Sacerdotium dispensare. Quamvis autem ex privilegio Joannis XXIII. & Julii II. concessis Conventui domus Chartusiæ, & Fratribus Ordinis Minimorum, ut in 22. anno inchoato, nulla requisita Prælatorum dispensatione, possint Fratres Minores per communicationem privilegiorum, in suprà dicta ætate ad Presbyteratum ascendere, tamen in Capitulo Generali Burgensi 1. *cap. Statutorum* prohibentur, nisi quibusdam circumstantiis concurrentibus auctoritate Apostolica adhibitis, ut notat Brunus suprà: statuti verba sunt. *Ad Sacerdotium non promoveatur quis antequam 25. annum ætatis suæ attigerit, & quintum Religionis, *nisi Minister Provincialis cum consilio discretorum aliter judicaverit faciendum.* Cui statuto Fratres Minores extra Galliam, & Hispaniam stare debent.* Hujus statuti meminit P. Vazquez *tom. de Eucharist. disput. 246. cap. 4. num. 43.* adnotatquè concessionem Innocentii VIII. factam fuisse vivæ vocis oraculo, & privilegia sic concessa à Capitulo Generali suspendi posse, ac proinde prædictum privilegium limitatum fuisse in Capitulo Burgensi, quam limitationem pro toto ordine ubiquè terrarum factam supponit. Sed de his alii. Nobis sufficiat adnotare privilegia suprà exscripta Joannis XXII. & Julii II. & Pii IV. non vivæ vocis oraculo, sed Bullis specialibus fuisse concessa Ordini Minimorum, & Conventui Charthusiæ SS. Trinitatis, quibus per communicationem, (si modo subsistant) Minores etiam uti poterunt: si solum concessiones vivæ vocis oraculo factæ à Capitulo Generali suspendi possint; & hæc de qua loquimur, absque recursu ad Sedem Apostolicam, suspensa fuerit; ut supponitur.

8. Insuper, quod Regulares modò possint ante ætatem à Tridentino præscriptam ordinari, virtute concessionis Pii Quarti, *suprà num.* 4. memoratæ, confirmantis, absque ulla modificatione, omnia privilegia Conventus Chartusiæ Sanctissimæ Trinitatis; probatur auctoritate Doctorum celeberrimæ Universitatis Salmantinæ, quam adducit M. Hinojosa *ubi suprà* his verbis: *Hac confirmationis Bulla ostensa, tunc Academiæ Salmantinæ affirmarunt DD. tum Theologi, tum utriusque Jurisprudentes, posse Mendicantes vi hujus privilegii, non obstantibus recentis Concilii decretis, uti omnibus privilegiis sibi jam dudum concessis. Et hæc subscriptio cum authentico præfatæ Bullæ servatur Mexici Indiarum Occidentalium, in Collegio S. Pauli Augustiniano. Hoc stante (inquit) stetisse videntur integra nostra privilegia, ac in antiquum robur restituta, in Pontificatu Pii Quarti, cui successit Pius V. *Hactenus M. Hinojosa, qui ut suprà vidimus, ex Motu proprio Pii V. omnia sui Ordinis privilegia antiqua, & per Tridentinum revocata, in suo etiam robore nunc existere, mordicus affirmat.

9. Nec contra superius dicta militare putant Bullam Gregorii XIII. quæ incipit *in tanta rerum mole* edita Kalendis Martii, anno 1573. reducentis ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini tres constitutiones à Pio V. pro Ordinibus Mendicantibus, aliisque rebus editas. Primò, quia Gregor. XIII. non revocavit constitutionem Pii Quarti adductam. Secundò, quia valdè dubium est, an revocaverit Motum proprium Pii V. de quo suprà; solum videtur revocare constitutiones aliàs Pontificis, quibusdam aliis de rebus, quàs dimorat. Tertiò, quia non revocat vivæ vocis oracula. *Quia oracula non dicuntur constitutiones,* ait Henriquez; & revocatis privilegiis, non intelligitur oracula revocata, nisi in specie revocentur; ut cum pluribus tradit Mag. Hyacinthus Donatus *tract. 11. de Confirm. privileg. quæst. 17. numer. 17. fol.* Unde, saltem pro foro conscientiæ, viorum fratribus Minoribus concessi, & postea per Bullas Apostolicas confirmati, posse Regulares uti suis privilegiis per Tridentinum revocatis, tradit Henriquez *lib. 6. cap. 6 litt. R & lib. 7. cap. 24. n. 8.*

10. Insuper efficacius intentum hoc finitur. Quia hæc Bulla Gregorii XIII. non fuit promulgata, aut saltem non fuit Regularibus intimata, ut affert Navar. *in Manual. cap. 27. in fine.* Cui consentiunt Peyrinus, Henriquez, Thomas à Jesu, & Hieronymus de Llamas, apud Dianam *p. 3. tract. 2 resolut. 107.* Item Rodericus, Sorbus, Medina, Portel, Cochin. Augustinus de Bellis, & alii, quo citatos sequitur Brunus Cassing. *tom. de privilegiis, tract. 11. cap. 5. punct. 6. fol.* 50. Ergo Bulla Gregorii XIII. obstare non potest.

11. Denique difficultas ex hoc capite objecta dilnitur, quia licet præfata Gregorii XIII. Bulla promulgata fuisset, & recepta; tamen postea idemet Gregorius eam revocavit, confirmando privilegia Minorum amplissima confirmatione, cum clausula derogatoria suæ antè dictæ constitutionis, & aliarum prædecessorum, quæ eorum privilegiis obstare possent, sub datis die 25. Maij, ann. 1573. in Bulla, quæ incipit *Ex benigna*, cujus clausulam derogatoriam ad verbum refert Brunus *ubi suprà fol. 51. punct. 6. in fine.* Quapropter dum aliundenon evincatur, privilegia antiqua Regularium per Tridentinum revocata, numquam fuisse restituta, & falsam profitetur allegationem Antonii de Hinojosa, quoad Bullas Pii Quarti, & Pii V. difficilè satis videtur, opinionem Bruni, pro ordinandis Regularibus ante ætatem à Tridentino præscriptam, improbare.

§. III.

Judicium Auctoris.

12. VEruntamen suffragium illi ferre, nec ut probabili, possum. Tum quia non est mihi apud Regulares, quem sanè non amisissent, si quod ipsos fixum non esset, præfatum privilegium non esse post Tridentinum: tum quia Bullæ allegatæ à Pio Quarto, & Pio V. quibus præcipuum, imò, & totum præfatæ opinionis fundamentum innititur non extant in Bullario: (semel enim, & iterum evoluto, non reperio) Tum quia Doctores, qui modò disputant, an post Tridentinum privilegia Regularium ei contraria subsistant? non intelligunt pro foro externo, sed pro solo conscientiæ foro. Hanc enim restitutionem fecisse Pium V. vivæ vocis oraculo Fratribus Ordinis Minorum, constans est apud Theologos, & passim ita referuntur: illa verò Bulla Pii Quarti, & de Motu pro-

pro

prio Pii V. ab Hinojosa allegatis, pauci pro foro externo suffragari meminerunt. Insuper restitutionem privilegiorum Regularium à Gregorio XIII. factam, (de qua Brunus *ubi suprà*) P. Vazquez, ex declaratione sacræ Congregationis Concilii, asserit, pro solo conscientiæ foro factam fuisse. Vide illum *tom. de Eucharist. disputat. 246. cap. 4. num. 43.* ibi: * Ut testantur Cardinales Congregationis Concilii Tridentini, postea idem Greg. XIII. hæc privilegia Mendicantibus contra Concilium Trident. restituit in foro conscientiæ. * Sic Vazquez, cui consonat Henriquez *lib. 6. cap. 10. litt. B.* dicens. * Quidam Regulares habent confirmatum post Concilium Trident. privilegium de supplemento ætatis, & fruuntur pro foro conscientiæ privilegiis per Tridentinum derogatis, ut concessit Pius V. *sup. cap. 6. litt. R.* *Quod tradit etiam P. Sà, *verb. Relig. num 56.* dicens: *Pius V. voluit Mendicantes uti gratiis suis, & privilegiis in foro conscientiæ, non obstante Concilio Tridentino. Et quamvis ejus Bullam, ubi eis multa concessit, revocaverit Gregor. XIII. tamen postea revalidavit, ut testatur Congregatio Concilii.* Hæc ille.

13. Non inficior Patrem Sà indè deduxisse: *Quarevidentur posse ordinari ante legitimam ætatem, *cui favet Henriquez *suprà*, dum concedit habere confirmatum post Tridentinum * Privilegium de supplemento ætatis. * Hæc tamen doctrina, si pro solo conscientiæ foro, Regularium privilegia sint restituta, difficilis visa est Patri Vazquez *ubi suprà n. 44.* & Dicastillo *de Sacram. Ordinis, tractat. 6. disput. 1. dub. 21. num. 302.* Nam absque litteris dimissoriis, nullus Regularis ordinari potest, cum autem in illis veritas exprimi debeat, nequibit Provincialis testificari, subditum habere legitimam ætatem ad ordines; cum hoc falsum sit, & in privilegio non concessum, quia nequit intelligi privilegium, ut falsitas in litteris contineatur. Si verò Regularis, veritate expressa, ordinari posset virtute hujus privilegii, jam illi suffragaretur in foro externo, contra id, quod supponimus. Sic authores citati discurrunt. Cæterùm, fialiundè præfata sententia improbanda non esset, his facilè occurri posset cum Doctoribus aliis, qui, admissà privilegiorum restitutione, existimant ad ordines etiam suffragari, & litteras dimissorias veritatem continere, si superior testetur, habere legitimam ætatem, quia legitima est pro Regularibus; quam Pontifices ex privilegio talem admittunt, quamvis non attingat ætatem jure communi à Tridentino requisitam. Quapropter illam non improbavit P. Vazquez *ubi suprà*; nonnullos pro ea militare, suppresso nomine, referens.

14. Sed ut omnis opinandi aditus præcluderetur, novissimè prodiit decretum sacræ Generalis Inquisitionis Romanæ, in quo Sanctissimus noster Alexander VII. die 18. Martii, anno 1666. prohibuit, ut scandalosam hanc propositionem, * Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. Undè à posteriori apertè intelligitur, privilegia ejusmodi, quæ aliquandò fuerunt revalidata, fuisse tamen postea pro utroque foro revocata. Ac proindè modo improbabile prorsus esse, ordinari posse Regulares ante legitimam ætatem. Et ut refert M. Donatus *p. 1. tract. 12. de Confirm. privil. quæst. 17. fol. 134. n. 23.* jam erat in specie expressè prohibitum à Sixto V. *anno 1588. constit. 91.* quæ incipit *Sanctum, & salutare, folio 651. Bullarii.* Quod iterum repetit *p. 3. tr. 11. fol. 196.* cui prohibitioni absque dubio innititur censura Alex. VII.

15. Addit tamen Donatus ibidem, esse probabile, Regulares quoad forum conscientiæ, & quietem animarum subditorum posse uti privilegiis à Concilio revocatis. * Quoad absolvendum à censuris, & dispensandum in irregularitatibus contractis. * Sed post præfatum Alexandri VII. decretum, hoc dici non potest: & ipse sibi non constat, quia *tom. 4. tract. 3. quæst. 17.* ait, oraculum Pii V. sub anno 1566. die 13. Maii, quo declaravit, Patres Minores in foro conscientiæ posse uti omnibus gratiis, & privilegiis per antecessores Pontifices sibi concessis, etiam quoad illa, quæ fuerunt abrogata per Concilium Trid. fuisse per Sixtum V. revocatum in constitutione prædicta, quæ incipit: *Sanctum, & salutare.* Quam revocationem Clemens VIII. confirmavit, anno 1595. in constitut. quæ incipit: *Romanum Pontificem.* Quibus omninò standum est: ergò opinioni contrariæ nulla in posterùm remanet probabilitas, maximè post decretum Sanctissimi nostri Alex. VII. nuper adductum, quo præfatæ revocationes privilegiorum, etiam pro foro conscientiæ nobis innotescunt, quas ipse confirmavit, dum opinionem Theologorum contrarium asserentium, ut scandalosam damnavit, prohibuitque.

QVÆSTIO XIV.

Utrùm ad incurrendum impedimentum criminis dirimens matrimonium, notitia impedimenti requiratur?

§. PRIMUS.

Præmittuntur nonnulla.

1. CRimina, quæ matrimonium subsequens dirimunt, possumus ad duo reducere. Primum est adulterium cum machinatione mortis alterius conjugis, effectu subsequuto. Secundum est adulterium cum promissione de contrahendo post conjugis mortem, vel cum contractu matrimonii de præsenti cum adultera.

2. Ad contrahenda ejusmodi impedimenta aliquæ conditiones requiruntur, ut videre licet apud Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 78. & 79.* in quibus assignandis Doctores non conveniunt, sed in opiniones dividuntur: verb. grat. An incurratur impedimentum criminis, quando uxor occidit maritum ad contrahendum cum adultero? Quod negant M. Victoria, M. Petrus de Ledesma, & alii, sed contra communem Doctorum. Qui aleges non magis probant de marito occidente uxorem, quàm de uxore occidente maritum. Item, an sufficiat, absque adulterio mortis machinatio, quandò non solus conjux alterius conjugis mortem machinatur, sed alter etiam cum quo est contrahendum? Negant nonnulli asserentes, hoc impedimentum absque adulterio numquam contrahi. Sed hoc etiam est contra communem, quia quando uterque machinatus est mortem, non requiritur adulterium, sed quando alter tantùm, ut ex variis juribus deducitur. Item, an conjugis interfectio requiratur fieri ex intentione contrahendi? Quod desiderari ad contractionem hujus impedimenti, negant Cajetanus, Petrus de

Soto, Armilla, & alii. Sed contra D. Thomam, & communem Theologorum, & Canonistarum sententiam. Quia jura statuentia hoc impedimentum ad hanc intentionem respiciunt. Item, an promissio matrimonii ficta, & oretenùs sufficiat cum adulterio, an vera, & ex animo facta requiratur? & hanc requiri docent Henriquez, Sà, & alii. Sed contrà plures, quia in ordine ad extorquendum adulterium, ipse futuri matrimonii, post mortem conjugis, æquè facit promissio ficta, alteri ignota, ac promissio vera: ac proindè eadem est utriusque ratio. Item: an promissio debeat præcedere adulterium? Affirmant M. Ledesma apud Joannem de la Cruz *in director. 2. p. de Matrim. quæst. 4. con. 4.* Sed absque fundamento. Cùm ex jure, adulterium, adjuncta promissione, matrimonium dirimat, quod utique verè datur, sive promissio antecedat adulterium, sivè subsequatur. Insuper sub opinione etiam est, an promissio debeat esse mutua? An juramento etiam firmata? An adulterium utrique delinquenti notum? Et denique, an quod vir intrà vas adulteræ seminaverit? Hoc enim requiri, ait M. Corradus *in Respons. cas. quæst. 142.* dicens: ita fuisse declaratum Romæ, quia viro non seminante, non est adulterium in sua specie completum, nam talis copula, neque ad consummationem matrimonii, neque ad impedimentum affinitatis contrahendum est sufficiens. Quæ quidem ratio æquè probat, similiter requiri, ad hoc impedimentum contrahendum, quod fœmina eam seminaverit, quia eâ non concurrente, non sufficere seminationem viri ad consummandum matrimonium, nec ad impedimentum affinitatis contrahendum, est probabilis multorum opinio, ut videre licet apud Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 21. n. 11.* & apud Dianam *3. p. tr. 5. resol. 19. & in addit. resol. 21. & 4. p. tract. 2. resol. 43. & 5. p. tract. 13. resolut. 54. & alibi.* His positis.

§. II.

Doctorum sententiæ.

2. QUod in præsenti inquirimus, est; an ad incurrendum criminis impedimentum, sit necessarium scire, tale crimen matrimonium contrahendum dirimere? Negant communiter Doctores cum D. Thoma, apud Mag. Serram *tom. 2. in 2. 2. quæst. 96. artic. ad tertium*, & apud Dianam *p. 10. tract. 13. resol. 51.* Quorum fundamentum est, quia impedimentum criminis non est purè pœna delicti, sed principaliter est inhabilitas ad contrahendum, sicut & reliqua impedimenta. Ergò sicut alia ab ignorante incurruntur, ita & istud.

4. Nihilominùs contrariam sententiam tenet M. Paludanus *in 4. sent. distinct. 34. quæst. 1. num. 17.* dicens; requiri scientiam impedimenti criminis, ex parte utriusque delinquentis, nec sufficere ex parte unius. Verba ejus sunt.* Item requiritur in his duobus casibus, quod uterque sciat impedimentum, *de concess. præben. cap. 1.* Nam altero ignorante non dirimit, ut *extrà eo tit. propositum*, &c. & *cap. veniens extra. de sponsa.* cum in Apostolica. * Sicille. Et absolutè requiri scientiam, licèt non explicet, an ex parte utriusque, docet Fernandez *in Medulla cas. conscient. p. 3. cap. 16. sect. 5. in fine*, subnectens: pro hac sententia stare etiam Majorem *quæst. 2. dist. 37. quæst. 1. artic. 4.* & esse communem opinionem. Eamdem amplectitur Baucias *in Misc. cas. conf. tom. 2. opusc. 1. quæst. 176.* Et novissimè defendit doctissimus Fr. Leander à Murcia *in disquis. in 1. 2. D. Thomæ lib. 2. disp. 4. resol. 10.* dicens: * Pro illa stare omnes, qui asserunt, irregularitatem, & alias pœnas per leges Ecclesiasticas impositas non incurri ab eo, qui illas ignorat, ignorantiâ vincibili, & culpabili, dummodo non sit crassa, & supina, id est, dummodo non sit ita vincibilis, ut eam vincendam, nulla, vel ferè nulla diligentia adhibita sit, Navarrus, Sylvester, Navarrus, quem refert, & sequitur Sanchez *lib. 9. de Matrim. disput. num. 31. & 34.* * Hanc opinionem referens non improbat Diana *p. 10. tract. 13. resolut. 51.* Et tamen adhærere non audet, dicens: se circà supràdictam opinionem habere difficultatem, & nolle opinionis hujusmodi cit, tàm præjudiciali sacris Tribunalibus Pœnitentiariæ, & Datariæ Romanæ calculum suum apponere. * Nam si hæc opinio, inquit, esset admissa, plures in contrahendis matrimoniis non agerent dispensatione. * Consequentia Dianæ est apertè falsa, sed si aliundè fundamentum ex quo deducitur, non evertat, oleum & operam perdidit. Alias plurimus in casibus, abolendæ forent opiniones circà dispensationes: omnes enim negativæ Tribunalium Pœnitentiariæ, & Datariæ Romanæ præjudicant, cum plures dispensationes non esse necessarias docent, ut passim apud Doctores reperies.

5. Suaderi potest sententia Paludani, & aliorum pluribus petitis argumentis, ex doctrina P. Thomæ Sanchez *in libris de Matrimonio.* Primùm desumitur ex his, quæ de impedimento criminis tradit *lib. 7. disput. 5. num. 7.* ubi apertè docet, imponi illi pœnam delicti commissi, & ad præcavendum in posterum. * Dupliciter, inquit, interdicit Ecclesia matrimonium inter aliquos: priori modo ob speciem motivum virtutis, posteriori modo in delicti admissi pœnam, aliquodque præcavendum damnum. Ex quo principio deducit, copulam habitam cum fœmina, cum qua ratione impedimenti criminis, nequit iniri matrimonium, non habere circumstantiam in confessione explicandam. * Quia in ea, inquit, delicti ratio prohibitionis matrimonii, nimirum pœna delicti admissi, & ne detur ansa captandi mortem conjugis, ad contrahendum cum adultera. * Hæc ille.

6. Ex quibus patroni opinionis Paludani sic arguunt. Impedimentum criminis est pœna delicti commissi, & simul medicina ad alia præcavenda; sed nulla pœna, (licèt simul habeat rationem medicinæ) incurritur ab ignorante illam. Ergò neque impedimentum criminis. Minor in qua est difficultas traditur ab ipso *libro 9. de Matrimon. disput. 32. num. 10. & sequent.* ubi universaliter de omnibus pœnis id asserendum asserit, *ex cap. 2. de constitutionibus in 6.* Inquit, propositione indefinitâ, quæ universali æquivalet, statuitur: *Ignorantiam excusare ab incursione pœnæ*; proindè ab omni pœna, ut ipse probat *libro 3. disput. 44. num. 2.* sic exponens indefinitas juris propositiones. Ergò impedimentum criminis, utpote, quod pœna delicti est, non incurritur ab ignorante, id requiritur illius notitia, quia non videtur rationi consonum, quod tantum sibi quis detrimentum inferendum ignorans subeat.

7. Confirmatur primò ex doctrina, quam probabilem, & piam vocat ipse Sanchez *lib. 7. cap. 4. num.* ubi loquens de impedimento dirimente, quod ad contrahendum, mortuo marito, contrahit ejus uxor si licentiam ei dederit, vel dissimulaverit, ut ad ordinem sacrum promoveretur, sic ait: * Temperanem quidam Doctores volentes, ut tunc matrimonium eundo reddatur inhabilis uxor promotioni con-

tenta

tiens quando fuit conscia juris reddentis eam inhabilem, & adhuc consensum præstitit, sive cum voto, sive absque voto. Non enim rationi consonat attendere uxorem hujus sibi detrimenti subsequuti ex illius licentiæ concessione insciam illud perpeti. Et ita docent Hostiens. Goffredus, Astensis, & Gaeta. Et est opinio pia, ac probabilis.* sic ille. Si ergò scientia hujus impedimenti requiritur probabiliter ad illud contrahendum, cur potiori jure id in nostro casu non eveniet? In quo impedimentum criminis rationem habet pœnæ, ut fatetur ipse Sanchez suprà, & tradit expresse Vazquez 1.2. *tom* 2. *disp.* 168. *c.* 3. *n.* 10. *dicens: *Impedimenta ex crimine profecta verè sunt pœnæ, quale est impedimentum, quod vocant uxoricidium cum machinatione ad mortem.* Quare ergò de hoc impedimento, quod de præcedenti non est asserendū? Quare de hac pœna negandum, quod de reliquis, tradunt Vazquez, & Sanchez, & passim Doctores, quos videre poteris apud Dianam 3. *p. tract.* 5. *Miscel. resol.* 13. *& 67. & tract.* 6. *Miscel. resol.* 7. *&* 41.

8. Confirmatur secundò ex ipso Sanchez *lib.* 9 *disp.* 32. *nu.* 18. ubi sic scribit. * Adde annullationem actus, quando non est solemnitatis defectu, sed in delinquentis pœnam, non incurri à legis ignaris, ut benè advertit Anton. *cap. de constitution. num.* 19.* Benè: sed annullatio matrimonii coràm Parocho, & testibus celebrati est annullatio actus, non solemnitatis defectu, sed in delinquentis pœnam à lege Pontificia proveniens, ergò à legis ignaris impedimentum criminis incurri non poterit.

9. Urgetur ex doctrina, quam, pluribus citatis, defendit etiam Sanchez *suprà n.* 49. ub probat, ignorantiam juris humani, statuentis pœnam privationis debiti conjugi habenti copulam cum consanguineis alterius conjugis in 1. & 2. gradu, illum eximere ab hac pœna, eò quod in reliquis pœnis hæc ratio locum habeat, ac proindè in hac privationis debiti, eumdem habere debeat. Ergò à simili in nostro casu dicendū.

10. Secundum pro hac sententia argumentum desumitur ex alia doctrina ipsius Sanchez *lib.* 9. *disp.* 32. *citata, n.* 13. ubi rationem reddens, cur excommunicatio non incurratur ab ignorante, sic ait: * Quia ex una parte excommunicatio est medicinalis *cap.* 1. *de sent. excom. in* 6. Et ex altera est ultima pœna, quâ Ecclesia punit, teste Augustino, de correctione, & gratia cap. 15. attende) At non esset medicina, sed potiùs obesset, si ignorata incurreretur.* Expendas quæso iterùm rationem: ex illa enim argumentum ad hominem sic conficitur. Impedimentum criminis est pœna delicti commissi, secundum quam rationem non incurritur absque notitia, & simul est medicina ad præcavendum aliquod damnū, ut tradit ipse author *supr. lib.* 7. *de matrim. disp* 5. verbis suprà datis. Atqui non esset medicina, si ignoratum incurreretur: ergò nequit incurri ab ignorante. Nam de impedimento criminis, non aliter, ac de excommunicatione sentiendum est, cum eadem utrobique militet ratio: sicut enim excommunicatio ignorata nequit esse medicina ad vitandū crimen, eò quod ignorata nequeat delinquentem retrahere à crimine patrando, ita similiter impedimentum propter crimen nequibit ignoratum esse medicina ad illud vitandum, cùm certissimum sit, neminem ejus, quod ignorat, memoria, aut timore coërceri posse. Ac proindè sicut de excommunicatione dicit Sanchez, quod ex eo quod est medicina, potiùs obesset, quam prodesset, si ignorata incurreretur: idem de impedimento criminis, si consequenter procedat, dicere debebit. Ex utroq; enim capite, medicinæ, & pœnæ; ignorantiam, ut incurri possit, excludit.

11. Tertiò probatur, quia si propter aliquam rationem impedimentum criminis incurreretur ab ignorante, maximè quia licèt sit pœna, est tamen simul, & præcipuè inhabilitas ad contrahendum. Sed hæc ratio parum probat; quia ipsamet inhabilitas est in pœnam criminis statuta, atque adeò quod requiritur ad incurrendum pœnam, est etiam requisitum ad inhabilitatem incurrendam. Quod exemplis evincitur. Irregularitas ex delicto, verb. grat. ex homicidio, est inhabilitas quædam ad ordines suscipiendos, & ad utendum susceptis, & tamen quia in pœnam delicti statuta est personæ particulari propriâ authoritate occidenti, non incurritur ab ignorante, ut alibi, pluribus citatis, ostendam. Et loquentes de aliis irregularitatibus ex delicto (v. gr. ex eo quod quis censurâ ligatus celebravit, ut si excommunicatus, suspensus, vel interdictus alicujus ordinis sacri actum exercuit, vel ex eo quod scienter rebaptizavit) tenent plures Doctores, quos citatos sequuntur Thomas Sanchez *lib.* 9. *disp.* 32. M. Cornejo *disp.* 6. *de irregularit. dub.* 3. Leander à Sacram. *tom.* 5. *de irregularitate tract.* 1. *disp.* 4. *quæst.* 6. Portel *in dubiis Regul. verbo, Ignorantia. nu.* 19. Reginaldus, Peregrinus, & alii, quos citatos sequitur Diana, *p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 67. Ergò licèt impedimentum criminis, sit inhabilitas ad contrahendum, cùm hæc sit statuta in pœnam criminis, non incurretur ab ignorante. Secundò excommunicatio, quæ & pœna, & medicina est, sicut impedimentum criminis, est etiam inhabilitas ad actus jurisdictionis exercendos: & tamen quia hæc inhabilitas est in pœnam, requirit ad sui incursionem, notitiam legis positivæ, eam imponentis; ergò. Tertiò: reservatio peccati est ablatio jurisdictionis ad absolvendum, atque adeò, reverà, reddit inhabiles inferiores Sacerdotes ad absolutionem impertiendam: & tamen quandò in pœnam delicti statuitur, non incurritur ab ignorante talem esse reservationem, ut tradit Sanchez suprà *disp.* 32. *citata, n.* 18. dicens: * Hinc deducitur, dum in nova constitutione reservatur absolutio alicujus peccati in odium illius, ut fecit Sixtus V. contrà malè promotos ad ordines, ignorantem invincibiliter eam constitutionem, non incurrere hanc reservationem, quamvis se delinquere norit, quia ea reservatio est pœna statuta in odium delinquentis, &c. * Quod de omni reservatione docent plures, ut alibi diximus, quos cum Diana *p.* 6. *tract.* 6. *resol.* 42. sequitur Thomas Hurtado *tom.* 2. *variar. resol. tract.* 12. *cap.* 1. *n.* 1123. *fol.* 323. Ergò licet impedimentum criminis sit inhabilitas ad contrahendum, non benè hinc deducitur, non exigere scientiam, ut incurratur: nam cùm ipsamet inhabilitas sit nonnumquam statuta in pœnam delicti, sicut deficiente delicto non incurritur; ita nec deficiente notitiâ legis, in pœnam delicti, illam statuentis; quia ut incurratur in pœnam, æquè requiritur notitia pœnæ, ac ipsum delictum: juxtà doctrinam, quam modò supponimus, de scientia requisita ad incurrendas pœnas, & præcipuè medicinales, qualis est impedimentum criminis, ut de irregularitate, & excommunicatione, & aliis, quæ simul inhabilitates quædam sunt, diximus suprà.

12. Itaque sicut duplex genus est irregularitatum, aliæ enim purè inhabilitates sunt: ut ex defectu natalium, ex defectu lenitatis, & ex defectu corporis: ad quas incurrendas non requiritur scientia legis: eas statuentis; aliæ verò sunt in pœnam delicti statutæ, ut irregularitates omnes ex delicto, ad quas incurrendas notitia legis statuentis irregularitatem necessaria est, juxtà plurium Doctorum opinionem, quos dedi suprà: ita similiter duplex est impedimentorum matrimonii

trimonii genus: quædam enim sunt purè inhabilitates ad contrahendum, ut impedimentum affinitatis, ex copula licita, aut etiam ex ignorantia consanguinitatis illicitè habita, cognatio spiritualis, quæ contrahitur baptizando filium communem, etiam in casu necessitatis, & similia. Quæ quidem impedimenta cùm non fuerint imposita in pœnam delicti, sed propter alios fines, suis locis examinandos, sunt purè inhabilitates ad contrahendum; ac proindè non requiritur earum notitia, sed prorsùs ignoratæ incurruntur. Alia verò impedimenta sunt, quæ non purè inhabilitates, sed pœna etiam sunt, & in criminis punitionem statuta, quæ sicut, & irregularitates ad sui incursionem notitia legis indigent: & hujusmodi censetur esse impedimentum criminis.

13. Ex dictis; videntur sibi Doctores citati enervasse fundamenta, quibus nititur Diana, cum aliis, ad contrariam sententiam suadendam; nempe ab exemplis petita ex lege Canonica, & civile, in quibus statuitur, ne testamenta condantur absque certo numero testium; nec professio emittatur, nisi completo integro anno novitiatus, & post annum decimum sextum: & tamen si quis (inquit Diana) ex ignorantia has conditiones omitteret, nec testamentum, nec professio valerent. Sed quidem, me etiam judice, argumentum Dianæ leve est: quia utitur statutis quæ rationem pœnæ non continent, nec inhabilitatem in delicti punitionem inducunt. Ac proindè cùm nulla sit paritas, disparitatem reddere non cogimur. Sicut nec in alio simili, quod adducit, de illo, qui cum cognovisset carnaliter matrem, contraxit postea bonâ fide cum filia impedimentum affinitatis ignorans. Nam hoc impedimentum, ut prædixi, cùm sit purè inhabilitas, non requirit scientiam, ut incurratur: eodem enim prorsùs modo incurreretur, si absque ulla culpa existimans invincibiliter esse propriam uxorem, matrem cognovisset; quod secùs contingit in impedimento criminis, quod in pœnam delicti statutum est, quod proindè sicut deficiente delicto incurri non potest, ita nec deficiente notitiâ pœnæ, si aliundè oppositum non probetur.

14. Denique non est dubium, potuisse Ecclesiam impedimentum criminis, etiam materialis instituere, ita ut quamvis formalis adulterii malitia, aut decisionis deficeret, maneret inhabilitas ad contrahendum, tamen de facto non instituit. Similiter certum est statuere potuisse, ut etiam ab ignorante incurreretur; cæterùm dum non ita instituisse constiterit, non est cur de hoc impedimento criminis, sicut de aliis, quæ in pœnam non imponuntur, discurramus.

§. III.

Iudicium Authoris.

15. Dedi fundamenta, quæ pro Paludani sententia congerere potui, sed contraria, & communis tenenda est. Quia sicut affinitas, & consanguinitas, & cognatio spiritualis sunt ab Ecclesia instituta impedimenta dirimentia, ne occasione conversationis, & nimiæ familiaritatis, quæ ex illis generari solet, actibus inhonestis, spe matrimonii contrahendi, daretur occasio; ita similiter ut adulteriis, & homicidiis, spe matrimonii futuri, omnis præcluderetur aditur, hanc inhabilitatem impedimenti criminis statuit Ecclesia, quam ab omnibus delinquentibus, sivè scienter, sivè ignoranter contrahi voluit, sicut & cæteras, de quibus suprà, quarum eadem est ratio: licèt hoc impedimentum, delictum præsupponat, cujus punitionem secundariò, & minùs principaliter intendit Ecclesia. Hoc verò non obstante vim inhabilitatis aliis impedimentis communem habet, deoque majorem impedimenti notitiam Ecclesia non exigit.

16. Secundò probatur, quia si impedimentum criminis non incurreretur ab ignorante esse ejusdem delicto; nec etiam contraheretur ab illo, qui ex inconsideratione naturali, & inculpata, seu ex inadvertentia, & oblivione, tempore commissi delicti, non recordaretur esse impedimentum. Nam ratio dandi ad excusandum à pœna; inadvertentia, oblivio, & ignorantia omninò æquiparantur, ut docet Thom. Sanchez *in Sum. lib. 4. cap. 22. num. 18.* Sanchez *tom. 5. in 3. p. disp. 4. sect. 8. num. 11.* Diana *3. part. tr. 5. fol. 41.* Puente, Hurtado *2. 2. to. 1. disp. 83. §. 4. n. 1.* Bardi apud Dianam *p. 9. tract. 6. ref. 13.* dicentem, qui ex inadvertentia non recordatur censuræ, nec censuram, nec peccati reservationem incurrere (Quæ doctrina, ait Hurtado, magnâ consideratione indiget, quia non rarò hæreticus agit hæreticè, accipiatâ consideratione censuræ) ergò sicut cùm censuram ignorat, nec censuram, nec peccati reservationem incurrit, (ut tradunt Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 1. n. 5. in fine*, & cum Vazquez de aliis Palao *tom. 3. tract. 23. punct. 15. §. 2.* & cum Ægidio, Granado, & Lorca tenet Leand à Sacram. *tom. de pœnit. tract. 5. disp. 11. n. 16.*) ita nec cùm peccat ex oblivione, seu inadvertentia ad censuram. Et consequenter si impedimentum criminis non incurrit, qui illud ignorat, ita neque qui ex ejus inconsideratione crimen admittit. Sequelam hanc nemo concedere audebit, nec admissis principiis eam facilè vitare poterit. Ergò concedendum à fortiori est incurrendum impedimentum criminis, non esse necessariam illius notitiam.

17. Ad argumenta in contrarium facilè ex dictis respondetur. Ad primum, & secundum dic, excommunicationem primò, & principaliter esse in pœnam delicti, & secundario in medelam. Quod est decisum ex cujusvis alterius pœnæ, in cujus impositione, & taxatione legislatores bonum reipublicæ regendi attendunt, quam pœnarum timor, & præmissa spes conservat. Secùs verò contingit in impedimentis matrimonii instituendis, quæ tuo contra primario non delictorum punitionem, sed alios fines respiciunt. Aliter enim affinitas ex copula fornicaria, quia delictum supponit, & ideò rationem pœnæ continere dicitur, non contraheretur ab ignorante ex tali copula impedimentum oriri, quod nullus ex contrariæ opinionis authoribus concederare debit. Ad tertium dic, inhabilitatem non esse impedimentum criminis primariò institutam, sicut nec affinitatem ex copula fornicaria, & ideò non considerandis, quæ ad rationem pœnæ, sed quæ ad inhabilitatem contrahendam requiratur notitia. Et cum nullum desiderari ex Ecclesiæ praxi, ex communi Theologorum nobis constet; his stare debemus.

(:†:)

TRAC-

TRACTATUS QUINTUS
DE CENSURIS.

QVÆSTIO I.

Utrùm incurratur irregularitas ex homicidio omninò occulto?

1. HOmicidium omninò occultum voco, quod adeò occultum est, ut nullâ ratione probari possit in judicio, neque in notitiam hominis devenire, nisi ex confessione homicidæ. Hoc posito.

2. Prima sententia asserit, ex ejusmodi homicidio irregularitatem non incurri. Ita aliqui ex antiquis apud Sylvestrum *verb. dispensatio num.* 12. ubi Vervecillus docet, in occultis non requiri dispensationem, propter depositionem vitandam, * quia occulta (inquit) peccata non habent vindictam, sed quia de eo, super quo dispensatum est, quis accusari non potest. *Et expressiùs Vincen. qui ait, * quod homicida omninò occultus celebrare potest & ordinibus uti, si egit condignam pœnitentiam, quia iste non est obnoxius Ecclesiæ, cum peccatum sit occultum. * Sic ex illis refert Sylvester *ubi suprà, & verb. Homicidium* 3. *num.* 11. *quæst* 8. Quos sequitur M. Joannes de Tabiena *verb. irregul.* 5. *nu.* 3. ubi in summatio hæc habet. *Homicidium si sit omninò occultum & homicida egit pœnitentiam, non indiget dispensatione. Et licet in explicatione hujus conclusionis dispensationem cum aliis exposcat, non sibi contradicit, quia non eam exigit, quando certum est, homicidium esse omninò occultum, ut constat ex principio, quo ducitur, nempè dispensationem esse necessariam; secundum Laurent. Joannem, Archidiaconum, & Panormitan. * ne quis constituat se judicem in causa propria, existimando omninò occultum, quod non est. *Si ergò certum sit, homicidium esse omninò occultum, tam ipse Tabiena, quàm authores, quos refert, negare consequenter debent, necessariam esse dispensationem.

3. Eamdem sententiam tenet cum aliis Manuel Rodrig. *to.* 1. *quæst. reg. q.* 24. *art.* 11. ubi sic ait *Scio, communem esse opinionem, quod vera contrahitur irregularitas ex homicidio occulto primo modo; (id est omninò occulto) nullam tamen video rationem, neque authoritatem, quæ id efficaciter probet; imò omnia jura, quæ huic videntur suffragari sententiæ, omninò refragari existimo. Ideò statuitur conclusio probabilis, quod per homicidium occultum, nulla contrahitur irregularitas. Hanc opinionem tenet noster doctissimus Castro, &c. Et eam opinionem primò probat decretalis expressa *in cap. ex tenore, de tempor. ordin.* in qua sic dicit Alexand. Tertius: *Verum tamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.*

4. Cum citatis, id esse probabile, sentit ex eadem Minorum familia Fr. Ludovicus de Miranda *in Manual. tom.* 2. *quæst.* 8. *art.* 12. *fol. mihi* 89. ubi de argumento ex superiori textu effformato, inquit. Hoc certè argumentum est fortissimum pro hac parte, ad probandum, quod irregularitas non contrahitur per peccatum, sive delictum omninò occultum. Nihilominùs contrariam sententiam ex fundamento infrà examinando, ipse defendit, dicens: * & hoc sufficit ad hoc, ut propter hanc solam rationem, prædicta opinio videatur probabilior, & tenenda. * Hæc Miranda, in quibus, licet contrariam sequatur, nihilòminùs opinionem excusantem ab irregularitate homicidam omninò occultum, probabilem fatetur, neque in conscientia damnandum, qui eam fuerit amplexus. Quem sequitur ex eodem ordine Brunus Cassaing. *de Privil. Regular. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *prop.* 1. *fol. mihi* 243. §. *Verùm non levis*, dicens. * Qui tam respondent, per tale homicidium omninò occultum non induci irregularitatem: hæc sententia est multum probabilis, sed quia contraria est probabilior, & communior, &c. * Quibus subscripsit Anselmus Gomez Benedictinus in Thesauro scientiæ moralis *cap.* 20. & 41 *fol.* 103. Et probabilem esse fatentur etiam P. Sentius *Recollect. quæst. Mor. Misc. pro regularibus sub sect.* 3. *num.* 16. Machado *tom* 1. *lib.* 1. *p.* 3. *tract.* 16. *docum.* 7. *num.* 2. *fol. mihi* 138. & P. Mendo *in Cruciatam disp.* 37. *cap.* 6. *n.* 7. quia contrariam, quam sequitur vocat veriorem, & communiorem. Et multis cum Rodriguez probat P. M. Fr. Antonius Baco *in sum. disp.* 30. *cap.* 10. cui planè assentitur. Denique, probabilem esse, clarè sentit Pellizarius *in Manual. Regul. tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 3. *sect.* 4. *num.* 140. ubi ait, esse probabile, non incurri irregularitatem per homicidium omninò occultum, quod scilicèt nullâ ratione probari possit in judicio, neque in notitiam hominis devenire, nisi ex confessione ipsius occisoris. In quo sensu homicidium omninò occultum usurpatur à ferè omnibus authoribus citatis, dum defendunt, vel probabile dicunt, non inducere irregularitatem.

5. Dixi ferè ab omnibus, quia M. Tabiena ubi suprà, per homicidium omninò occultum intelligit, quod non potest probari in judicio, dicens: *Est omninò occultum prout occultum distinguitur contra probabile. * Et in hoc sensu usurpat Panormitanus apud illum. Quod est valdè notandum,

dum, quia tunc dicitur, non esse probabile in judicio, secundùm M. Joannem à sancto Thoma 2. 2. *quæst.* 64. *disp.* 23. *art.* 2. * Quandò non potest juridicè probari, quia nullus exstat testis, nec acceptione major, nec sunt indicia, nec clamorosa insinuatio. *

§. UNICUS.

Judicium Auctoris.

6. Dico primò: sententia M. Tabienæ in hoc sensu sustineri non potest: & omnes suprà citati contrariam certam existimant, quia non est omninò occultum, quod duobus notum est, ut ex terminis liquet; magis enim occultum est, quod uni tantùm, quod próindè omninò occultum propriè dicitur. Quapropter, nisi termini à propria significatione alienentur, sententia Tabienæ falsa prorsùs est, & in re gravissima contra omnes, qui ex homicidio, etsi in judicio probabile non sit, si tamen in notitiam hominis, absque occisoris confessione devenire possit, irregularitatem incurri: certum existimant.

7. Dico secundò: idem dicendum ex communi Doctorum, etiamsi homicidium omninò occultum sit, in sensu stricto suprà exposito. Probant nonnulli, quia ita videtur decisum à Gregorio IX. *in cap. final. de tempor. ordinat.* ubi rogatus Pontifex, an Clerici, qui committunt adulterium, perjurium, homicidium, aut falsum testimonium, permitti debeant in susceptis ordinibus ministrare? ait: * *Respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii post pœnitentiam in jam susceptis, vel excipiendis ordinibus impediri.* * Verum hic textus rem non evincit, quia ex eo solùm constat, homicidas esse irregulares, licet homicidium non sit ordine judiciario comprobatum, nec notorium. An verò sufficiat, esse commissum, licet omninò occultum sit? Non determinat Pontifex, in hoc capite. Quidquid dicat Glossa. Rectè enim stat homicidium; etsi nec in judicio comprobatum, nec notorium, exercitium ordinum impedire; & tamen secùs dicendum, si omninò occultum sit.

8. Perquæ satis explicatur *cap. ex tenore* ab Alexandro III. priùs editum, in quo, non de homicidio, sed de aliis delictis, sermo est. Quæ si comprobata, aut notoria non sint, peractâ pœnitentiâ, non impediunt ordines suscipere; nam ut cum Navarro, Martino de Ledesma, Castro, & Corduba tradit Henriquez, *lib. 7. de indulgentiis, cap. 13 num. 5.* * Ob nullum crimen occultum, etiam nefandum sodomiæ, (excepto unico homicidio) incurritur immediatè ulla irregularitatis pœna. *

9. Efficaciùs igitur probatur ex eo, quod homicidio est in jure imposita irregularitas: sed homicidium, quantumvis occultum, est verè homicidium, & actus externus consummatus sub irregularitate prohibitus: ergò quantumvis occultũ irregularitatẽ inducit. Confirmatur, quia occidens Clericũ omninò occultè, incurrit excommunicationem, ergò & irregularitatem: æquè enim sub utraque pœna est prohibitum tale homicidium. Confirmatur secundò, quia excommunicatus celebrans, etiamsi omninò occultè, irregularitatem contrahit, secundum communiorem sententiam; ergò & qui alterum occidit, quantumvis occultè. Consequentia est evidens. Ideò contrà Castrum *lib. 2. de leg. pœnal. ult. conclus. 3.* & alios Doctores, oppositum tenentem acriter invehitur Suarez *disp. 40. sect. 3. num. 2.* eorum opinionem improbabilem dicens, ex communi sententia Glossarum, & Doctorum. Quod probaverat *disp. 31. sect. 1. num. 67.* Cui ego adhærens, qui non solùm censuræ incurruntur, etiamsi delictum sit omninò occultum, ut patet de excommunicatione, & suspensione, sed in pœnis inhabilitantibus aliquem effectum idem contingit, nam qui cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu habuit, privatur jure petendi debitum, quamvis occultum sit delictum; & qui propriam uxorem occidit, ut cum altera contrahat, est inhabilis ad contrahendum, etsi uxoricidium omninò occultum sit, ut omnes Doctores fatentur: ergò sive irregularitas sit censura, sive tantùm pœna inhabilitans ordines, à fortiori incurretur, quamvis delictum sit omninò occultum. Ideò, re meliùs consideratâ, sententiam mutavit Castro in secunda editione, & mecum alios in illa perstitisse.

10. Addunt nonnulli, post Concilium Tridentinum, negari absque errore non posse, ex homicidio omninò occulto irregularitatem incurri, quia ità tant definitum *sess. 14. cap. 7. de Reformat.* & *sess. 24. cap. 6.* sic Leander à Sacramento *tom. 5. tract. 2. disp. 10. quæst. 5.* verùm cùm plures post Concilium, ut vidimus, vel negaverint, vel saltem probabile oppositum judicaverint, non ausim dicere, ibi definitum, imò nec credo argumentum ex illo efficax deduci. Quia Concilium *sess. 14. cap. 7. citato*, occultum homicidium vocat, *quod nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum.* Et de illo definit, quando voluntarium est, irregularitatem Pontifici reservatam inducere: nil verò de omninò occulto, etsi voluntario, decernit. In *sess.* autem *24. nu. 6.* supponit Concilium, irregularitatem incurri ex delicto occulto, & ejus dispensationem Episcopo committit, dummodò non sit homicidium voluntarium. An verò incurratur ex delicto omninò occulto? Non explicat, nec supponit Concilium: ergò aliundè id probandum erit, quia totum decreti robur subsistit, dum delicta alia non omninò occulta inducant irregularitatem ab Episcopo dispensabilem; secùs verò homicidium voluntarium: hujus enim irregularitas non est ab Episcopo dispensabilis, sed per Concilium Pontifici reservatur. In quo stat discrimen hujus delicti, ac aliis occultis, quoad dispensationem irregularitatum ex illis provenientium. Et sic exponunt Concilium plures Doctores citati, & citandi. Quapropter aliundè probari debet, ex homicidio voluntario omninò occulto irregularitatem incurri. Quod non ex alio capite, ut suprà diximus, nisi quia homicidio est imposita à jure irregularitatis pœna, ad quam incurrendam sufficit actus externus consummatus, cui quantumvis occulto, certissimum est, Ecclesiam posse irregularitatem imponere; & quod delicto imposuerit, suadet stylus curiæ, & praxis universalis Ecclesiæ.

(†)

QUÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrùm Episcopi, & alii jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possint dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omninò occulto?

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

1. QUæstione præcedenti statuimus, ex homicidio omnino occulto irregularitatem incurri. Inquirimus modò: An si voluntarium sit, ejus dispensatio sit Pontifici reservata? Homicidium voluntarium in præsentiarum strictissimè accipitur pro eo, nimirum, quod per insidias, aut per industriam fit: quod Hispanè dici solet: *de caso pensado*: ac proinde quando non ex consilio, matura deliberatione factum, licet in se volitum sit, & ex animo directo accidendi, ut contingit, quando ex repentina ira, vel rixa perpetratur, aut quando excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, non dicitur voluntarium, sed casuale; quia licet metaphisicè voluntarium sit, moraliter vero, prout usurpatur à Concilio, dum concedit Episcopis facultatem ad dispensandum in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, *excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, *strictiùs accipitur. Quod colligitur ex illis Concilii verbis: *Eum, qui per insidias, aut per industriam occiderit proximum, de altari evelli debeat, &c.* Et ex illis: *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, &c.* Et ita docent Avila, Rodrigez, Peyrinus, Coninch, Machado, Marchinus, Hieronymus Garcia, Antonellus, Squilante, Angelus, M. Donatus, quos refert Diana *p.12. in resol. Miscellan. fol.* 217. & probabilem esse putat, tum hic, tum *p. tract.* 15. *res.* 21. & amplectitur *p.7. tract.* 2. *res.* 32. Et expressè tenent Henriquez, Perez, Plaza, Salzedo, Fr. Franciscus à S. Juliano, & alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom.5. tract* 2. *disp.*10. *q.*12. Quapropter de solo homicidio voluntario, ut supra explicato, præsentem modo instituam quæstionem; suppositi veritatem aliis examinandam remittens.

2. Cum autem concessio generalis Episcopis in Concilio facta ad dispensandum in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, favorabilis sit, quòd sit Principis privilegium, ac proinde amplè interpretandum, ut docet Thom. Sanchez *lib. 8. de matrim. disp.*2, & sola excipiatur irregularitas ex homicidio voluntario, & hæc exceptio, utpotè odiosa, strictissimè sit interpretanda, ea scilicet ratione, qua minus concessioni favorabili deroget: scire maximopere oportet, quod nam dicatur à Concilio delictum occultum. Plures asserunt, occultum in hoc Concilii loco dici, quod verè in judicio probari non potest: ac proinde occultum accipiunt, prout opponitur probabili. Sic Garcia *de Beneficiis p.2. cap.*11. *n.*46 Gutierrez *lib.*1. *Canonic. quæst. cap.*13. *n.* 27. Rodriguez *in Addit. ad Bull.* §. 9 *in fine*, & alii apud Dianam *p* 7. *tract.*2. *resol.*15. Alii verò communiter asserunt, occultum in præsenti dici, quod non est publicum, & etiamsi ab aliquibus sciatur; atque adeò si ad forum contentiosum deductum non sit, posse Episcopum dispensare in irregularitate ex illo suborta. Ita Doctores communiter apud Dianam supra, ubi sexdecim refert, & sequitur. Quibus adde M. Hyacinthum Donatum *p.*2. *tract.*4. *de violata clausura quæst.* 32. *fol.* 66. & plures apud ipsum: & alios, quibus citatis, consentit Dicastillo *de censuris tract.*10 *disp.* 4. *sect.* 2. *n.*98. dicens, esse communem sententiam. Quia Concilium committit Episcopis dispensationem, quando delicta occulta sunt, & ad forum contentiosum non deducta, ergo ex eo quod deduci possint, nil inde contra Episcopi potestatem inferre licet, quia verificatur nihilominus adesse quidquid requirit ur à Concilio, ut Episcopus possit dispensare, nempè delictum esse occultum, & non esse deductum ad forum contentiosum: atque adeo in magna civitate quatuor, quinque, aut sex vidisse testes, ait Diana, non sufficiet impedire Episcopi dispensationem, quia verè delictum dicitur occultum, prout distinguitur à notorio, & publico, quod docent etiam Henriquez, Sayrus, Sanchez, & alii, quos ibidem adducit.

3. Addit, cum Navarro, & Portel, Donatus *supra nu.6.* * Si delictum contingat committi in magna Congregatione, & sciatur immediatè, & evidenter ab octo, vel decem illius, etiamsi sint viri magnæ auctoritatis, non dicitur simpliciter notorium, cum factum ignoretur à majori parte illius congregationis. Navarrus, & Portel ubi supra. * Hactenus M. Donatus ibi: Et ipse 2. *p. tract.*13. *quæst.*30. *fol.*278. latiùs discurrit, dicēs *n.*6.* Quòd si Pater blasphemaret coram centum filiis, & sic de similibus quæ fiunt privatis domibus, non possunt dici notoria, quia deest loci qualitas.* Pro qua citat Graffium.

4. Plus addunt alii; Episcopum vigore Tridentini posse dispensare in irregularitatibus ortis ex delictis etiam notoriis, & publicis, dum non sint deducta ad forum contentiosum, quia in Concilio idem significat, delictum esse occultum, ac non esse ad forum contentiosum deductum. Ita doctissimus P. M. Fr. Joannes à Sancto Thoma 2.2. *quæst.*64. *disp.*23. *n.*2. Ubi sic ait: * Universaliter intelligitur (nempè in decreto Trident.) delictum occultum, quod non est deductum ad forum contentiosum, etiamsi probari possit juridicè, & notorium sit in civitate. * Quem sequitur Anselmus Gomez *in Thesauro scientiæ moral. cap.*40. *fol.*99. dicens: * Serà oculto no estando en tela de justicia.* Cui facit Diana supra *p.7. tract.* 2. *resol.* 31. Ubi cum Marchino, & alijs existimat, probabile esse, Episcopum posse dispensare in homicidio casuali publico. Quod (si non sit deductum ad forum contentiosum) tenendum necessariò est in sententia M. Joannis à S. Thoma, ut ex ejus verbis constat, & tradit expressè Brunus Cassaing. *tom.*1. *Privil. Regular. tract.*4 *cap.*1, *proposit.*5. *in fine fol. mihi* 169.* ubi sic:* Adjunge præmissis rationibus, quod irregularitates semper censentur occultæ, donec ad forum contentiosum devenerint.* Sic ille de irregularitate ex homicidio voluntario sermonem instituens, quæ sunt valdè notanda. Dicitur autem delictum deductum ad forum contentiosum, quando jam judici est delatum & parti intimatum, ut docent Sayrus in Thesauro, *lib.*4. *c.*17. *nu.*21. & P. Enriq. *lib.*14. *de irregu. c.*20. *à n.*4. & juxta Barbosſ. *de potest. Epis. alleg.*39. requiritur ut lis sit jam contestata. Vide Leand. à Sacram. *tom.*4. *tract.*17. *qu.* 47. His positis.

§. II.

Quæstionis resolutio.

5. CErtum est apud Authores omnes, Episcopum dispensare posse in irregularitate proveniente ex homicidio casuali occulto, quia id Episcopis conceditur in Tridentino, dum sola irregularitas ex homicidio voluntario occulto excipitur. Ex quo capite censeo contra Dianam, & Marchinum, nullatenus posse dispensare, si homicidium casuale sit publicum, quia nullibi talem facultatem concessam invenio. Existimo etiam contra M. Joannem à Sancto Thoma, *num.* 4. citatum, delictum dici publicum quoad hunc effectum, licet non sit deductum ad forum contentiosum: hic est enim communis peritorum, & interpretum Concilii Tridentini sensus, & ut credo, non solum stylus curiæ, sed totius Ecclesiæ praxis.

6. Præsens igitur quæstio solum est, an attenta explicatione præfata Tridentini, possit Episcopus dispensare in aliqua irregularitate proveniente ex homicidio voluntario? Quod autem de Episcopo dixerim, dictum puta de aliis jurisdictionem Episcopalem habentibus.

7. Conclusio sit: posse Episcopum dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omniuò occulto, id est soli homicidæ noto. Moveor, quia Concilium solum excludit homicidium voluntarium ab illis delictis, super quorum irregularitate, dispensandi facultatem Episcopis ibi concedit; atqui nil ipsis indulget circa homicidium omninò occultum (quia de omninò occultis non est illi sermo,) ergo nullam quo ad hoc exceptionem facit. Ita ex antiquis M. Tabiena *verb. irregul.* cum Panormitan. & aliis, & Angelus *verb. homicidium*, *quæst.* 1. Et post Tridentinum tenent plures apud Hyacinthum Donatum *part.* 3. *tract.* 11. *quæst.* 9. *num.* 8. Ubi sic.* Covarru. multis allegatis, Miranda, Angelus, Lezana, & alii viri gravissimi probabiliter tenent, Episcopum posse dispensare super omni irregularitate proveniente ex crimine omninò occulto, & quod nullis potest testibus probari, neque aliter, quam per propriam confessionem sciri, &c. * Idem tenet M. Texeda *tom.* 2. *lib.* 3. *tract.* 3. *num.* 188. Ubi sic scribit: * Potest Episcopus dispensare in irregularitate ex homicidio (voluntario) omninò occulto orta, dummodo ita sit occultum, ut nullus alius sciat, id delictum fuisse commissum à tali persona, nisi solus ipse homicida, &c. Probatur ista sententia, quia Concilium Tridentinum non aufert ab Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio omninò occulto, ergo sicut Episcopi ante Concilium poterant dispensare in prædicta irregularitate, id etiam possunt post Concilium jure communi.* Et infra: * Obijcies: Concilium Tridentinum in prædicta *sess. cap.* 7. expressè asserit, quòd in homicidio voluntario, etiamsi fuerit occultum, non liceat dispensare. Respondeo, Concilium non loqui de homicidio omninò occulto, sed aliquomodo, scilicet de illo, quod in judicio probari non potest. Quibus ego addo, (attende) quamvis alias sciatur aliunde, si judicio probari non possit. * Hæc M. Texeda, cui consentit M. Bannez 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *dub.* 4.

8. Eamdem sententiam cum Alphonso de Castro Covarr. & aliis defendit Miranda *tom.* 1. *quæst.* 10. *conclus.* 1. dicens: * In supradicta irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omninò occulto, Ep. Scopi dispensare possunt, cum sibi subditis. Hanc conclusionem tenent expressè Covarr. in *Clem. si furiosus, de homicid.* 2. *p.* §. 5. *num.* 4. & probat ex multis Doctorum authoritatibus, quos refert, & sequitur: & præcipuè ex Abbate *in cap. ex tenore*, & eam etiam tenet, & probat tanquam nimis probabilem P. Alphonsus de Castro, & Angelus. Hi omnes asserunt, quod in irregularitate proveniente ex homicidio omninò occulto, & quod nullis potest testibus probari, neque aliter, quàm per propriam confessionem sciri, potest Episcopus dispensare.* Et infra ad difficultatem, ex textu Concilii desumptam respondet, non obstare verba, quæ hinc haberi tur:* Nam Concilium intelligendum est de homicidio occulto, quod quamvis actu non sit deductum in judicium, neque ad forum contentiosum, est tamen ex se probabile, quamvis actum judicio ordinario non sit probatum; non autem de homicidio omninò occulto, de quo in præsenti loquimur, quod probari nullo modo potest. Nostra conclusio verissima, & probabilissima est.* Hæc ille cum citatis. Qui laxius, quam Texeda loquuntur.

9. Quibus adde Brunum Cassaine, in *Pract. Regul. part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 4. *prop.* 1. *fol. mihi* 244. Ubi sic ait: * Respondetur, posse confessarium ante dictum dispensare super irregularitate primo modo occulta (id est ex homicidio voluntario ita occulto, ut à nemine possit in notitiam hominum adduci, nisi à solo occisore) quorum Episcopus potest super illa dispensare, ut tenent Covarr. Abbas, Castrensis, Angelus, Bannez, Valdus, & alii. * Et ita etiam tenet cum Abbate Manuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regul. quæst.* 24. *art.* 11. Ad difficultatem vero ex Concilio subortam respondent:* Concilium loqui de homicidio, non omninò occulto, sed tantum de illo, quod ad judicium, & notitiam hominum deduci potest, & probari.* Sic Brunus, quæ sunt valdè notanda, quia passim occurrentia.

§. III.

Consectaria.

10. EX dictis sit, Prælatos Regulares, Generales, nimirum, & Provinciales posse cum subditis in prædicta irregularitate ex homicidio voluntario omninò occulto, vigore Concilii Tridentini dispensare. Ratio est, quia nomine Episcoporum comprehenduntur in decreto Concilii, ut docent Manuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst. Regular. quæst.* 61. *art.* 9. Bartholomæus à Sancto Fausto *lib.* 3. *Thesauri Relig. quæst.* 125. Oliver. P. Delgadillo *tom. de Pœnit. cap.* 21. *num.* 9. & alii duodecim Doctores, quos citatos sequitur Thomas Hurtado *tom.* 1. *Res. Moral. tract.* 5. *q.* 4. *num.* 128. *fol.* 285. & plures apud Dianam *p.* 7. *tract.* 2. *resol.* 5.

11. Ideò præfatam conclusionem in terminis defendit Miranda *ubi suprà art.* 10. *conclus.* 2. dicens: * Generales Ministri, & Religionum Prælati, Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, benè possunt dispensare cum subditis in irregularitate, proveniente ex homi-

cidio

cidio omninò occulto: (nempè voluntatio.) Hæc conclusio colligitur ex supradictis, nam Episcopi, ut supra dictum, id possunt, &c. * Et ut probabilem refert Lezana *in Sum. tom. 1. cap 18. num. 44.* * Quando homicidium, inquit, etsi voluntarium, & illicitum, est ita occultum, ut nullo modo sciri, aut probari possit, probabile est apud aliquos, posse Prælatos Regulares in irregularitate propter illud contracta dispensare, quia etiam est apud illos probabile, posse Episcopos, &c. Exponunt etiam Concilium de homicidio voluntario occulto, quod aliquo modo probari potest, &c.*

12. Hinc sententiam itidem tenuit Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 24. art. 11.* ubi ait: * Numquid poterit Prælatus Regularis dispensare cum subdito, qui cum esset sæcularis, vel dum esset Monachus, fuit homicida omninò occultus? Respondeo affirmativè, nam secundum sententiam, quam sequitur Covarr. cum multis authoribus, quos refert, & sequitur; prædicta irregularitas non est Papæ reservata, sed Episcopis. Ac proinde sicut Episcopus potest cum suis subditis dispensare, ut supra dictum est, ita & Prælatus Regularis habens jurisdictionem quasi Episcopalem. Neque obstat Concilium Trident. ut obstare putavit Navarrus. Nam id intelligendum est in homicidio occulto, quod tunc est probabile in judicio, & non de homicidio omninò occulto, quod probari non potest. Nam Concilium evidenter innuit, quod non procedit, nisi in homicidio, quod licet ordine judiciario non sit probatum, potest tamen probari. Verum tamen est, quod contrariam opinionem tenent viri docti, quam ego quoque in nostra summa Cõfessorum sum sequutus, scilicet, quod necessarium sit recurrere ad Papam ad hujusmodi dispensationem impetrandam. At modò cum videam contrariam opinionem solidoniti fundamento eam libenter amplector. * Sic Rodriguez supra retractans opinionem, quam in Sum. docuerat *cap. 178. numer. 3.* Ubi de homicidio omninò occulto loquens dixerat: * Tambien en este caso es necessario recurrir al Papa por dispensacion, siendo el homicidio voluntario. * Et cum citatis sentit, imò ait, esse communem, Hieronymus Garcia *in Politica Regul. tom. 2. tract. 10. difficult. 6. dub. 5. num. 29.* dicens: * Es comun opinion, que en el homicidio omninò occulto dicho (nempè voluntario) pueden dispensar los sennores Obispos, y los Prelados de la Religion. * Sic ille, sed non benè, quia communis opinio est in contrarium, quando homicidium fuit voluntarium, & authores, quos ipse refert, non omnes de voluntario, sed de casuali loquuntur. In quo nulla est difficultas, quandoquidem plures supra citati idem asserunt, etiam si publicum sit, dummodo non deductum ad forum contentiosum.

13. Concludendum igitur est, tam Episcopos, quàm Prælatos Regulares habentes, quasi Episcopalem jurisdictionem, posse cum subditis in irregularitate ex homicidio voluntario omninò occulto dispensare, quia potestas dispensandi, cum favorabilis sit, potius extendenda, quàm restringenda est. Et Concilio Tridentino probabiliter, ut supra, respondetur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Prælati Regulares, etiam locales, possint cum subditis dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario non omninò occulto?

1. PArtem affirmativam graves Doctores, (quibus subscribo) sustinent ex privilegio Prælatis Regularibus concesso. Ita sentit Reverendiss. M. Candidus sacri Palatii M. *tomo Disquis. moral. disquisit. 24. artic. 61. dub. 8.* Ubi sic: * Dico: Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis in irregularitate contracta ratione homicidii voluntarii, occulti tamen, &c. vi privilegii Martini V. (Priori Monasterii S. Benedicti Vallisoleti concessi) in quo communicant Religiones Mendicantium, non solum Generales, & Provinciales, sed etiam Præpositi, & Rectores locales, &c. Nec obstat Concilium Trident. *sess. 24. cap. 6.* de reformat. &c. Nam licet non possint ex facultate Concilii Tridentini: possunt tamen virtute privilegii Martini V. concessi Benedictinis, & virtute privilegii concessi Prædicatoribus, &c. & Julii Secundi, dispensare cum subditis in irregularitate contracta ex homicidio voluntario.* Hactenus M. Candidus.

2. Idem tradit M. Joannes de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. de voto obedientiæ cap. 6. dub. 19.* ubi sic: * Dicti Prælati Regulares possunt ad omnia dispensare cum suis subditis in irregularitate homicidii injusti, alias occulti, & dicitur occultum secundum Navarrum, quod non est notorium, ita quod à multis sciatur, licet in judicio probari possit. Et patet conclusio, quia Martinus V. concesit, &c. * ficille, & alii, quos sequitur M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. moral. verbo, Absolution, resol. 2. num. 2.* ibi: * Los Prelados de las Religiones pueden dispensar à sus subditos en la Irregularidad, que nace de homicidio voluntario oculto. En este dicho convienen muchos, y muy graves Doctores. * Quibus consentit Portel *in Dubiis Regul. verb. Dispensare num. 8.* dicens: * Possunt Prælati, etiam Conventuales dispensare cum suis subditis super irregularitate orta de homicidio voluntario, si sit occultum, non vero si sit publicum. * Quem sequuntur Sigismundus à Bononia, Baunius, Bassæus, Crousers, Palaus, & plures, quos citatos sequuntur Leander *tom. 5. de irregularit. tract. 2. disp. 27. quæst. 32.* & alii apud Dianam *p. 3. tract. 2. resol. 45. & p. 7. tract. 11. resol. 41.* ex prædicto privilegio Martini V. quod ad verbum refert Miranda ubi supra: in quo vivæ vocis oraculo concesit Priori prædicti Monasterii, (& posteà omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monasteriorum) quod in foro conscientiæ cum Monachis *super omni irregularitate, etiam in illis casibus, in quibus Papa sibi vicem reservat, (morte videlicet, & in membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione) valeat dispensare, dum tamen aliquod horum trium non sit notorium, & hoc propter scandalum.* Ergo licet homicidium voluntarium non sit omninò occultum, dummodo non sit notorium, poterunt Prælati omnes Regularium cum subditis in irregularitate ex illo proveniente dispensare.

3. Ideò

3. Ideò ita cum Crousers, Bassæo, Miranda, Hieronymo Rodriguez, Vega, & aliis, sentit Thom. Hurtado *tom. 2. resol. moral. tract. 12. cap. 1. num.* 1166. Nec dictis obest revocatio oraculorum vivæ vocis facta à Gregorio XV. anno 1622. & ab Urbano VIII. anno 1631. quia in illa non comprehenduntur oracula olim concessa, & confirmata per Bullas speciales Pontificum, quæ proinde non jam vivi oraculi, sed privilegii vim per Bullam Apostolicam concessi obtinuerant. Quod tenent plures apud Dianam *part. 9. tract. 7. resol. 61. & p. 10. tract. 14. resol. 24. & part. 11. tract. 6. resol.* 45. Videatur Hurtado ubi supra, qui eruditè, & latè de hac materia. Quando autem delictum censendum sit notorium, constat ex superius dictis *quæstione præcedenti*, §. 1. *num.* 2. Ubi plures Authores adduximus id explicantes, quos sequitur Fr. Antonius Baco Augustinianus *in Sum. disp. 30. c. 13.*

§. UNICUS.

Quid si homicidium voluntarium sit publicum?

4. Affirmant adhuc plures, idem posse Regulares, ac in occulto, dummodo ad forum contentiosum deductum non sit. Ita M. Antonius de Hinojosa *in direct. decis. Regul. verb. Dispensatio, fol.* 184. Ubi ex concessione Eugenii Quarti Monachis Benedictinis facta, sic ait: * Imò cum Apostolica concessio expressè dicat, quod in irregularitatibus ad Sedem Apostolicam pertinentibus, dispensare possint, absque specifica restrictione; absolutè concedi videtur irregularitas in genere ad Sedem Apostolicam quomodolibet pertinens, etiamsi ex homicidio voluntario proveniat, &c. dummodo ad judicium contentiosum non fuerit deductum, &c. Prædictum privilegium maximè notandum est, quoniam excedit plurimum concessionem Martini V. * Hæc M. Hinojosa, ex cujus ultimis verbis, ut benè advertit Leander à Sacram. *tom. 5. tract. 27. quæst. 33.* * Clarè constat, (quidquid posteà limitet) posse Prælatos Regulares dispensare cum suis subditis, vi privilegii Eugenii IV. in irregularitate orta ex homicidio voluntario publico.*

5. Et ita expressè tenent non pauci ex alio privilegio Pauli III. eisdem Monachis S. Benedicti concesso, ubi Prælatis indulget cum subditis, singulis annis, prima die Lunæ Quadragesimæ, *super quibusvis irregularitatibus, pro tempore quavis occasione, vel causa contractis, dispensare, ita ut, si præinserta concessio revocetur, iterum reintegrari, vel restitui censeatur.* Sic ibi. Super qua concessione videndus omninò Machado *tom. 2. lib. 5. p. 3. tract. 2. docum. 6.* ubi ait: * Y assi muchos Doctores afirman, que por este privilegio pueden los Prelados de las Religiones dispensar con sus Religiosos en qualquiera irregularidad, que ayan incurrido, como quiera que sea, por defecto de mansedumbre, indecencia, ò por delicto, aunque sea homicidio voluntario, y publico. * Idem sentiunt Manuel Rodriguez, & Portel apud Dianam 3. *p. tract. 2. resol.* 45. & putat probabile Leander à Sacram. ubi supra dicens: * Probabiliter certè respondeo, posse Prælatos Regulares dispensare cum suis Religiosis subditis, in irregularitate contracta ex homicidio volutario, etiam publico, quia probabile est, ad id habere privilegium minus revocatum. Nam Paulus III. concessit Benedictinis, &c. * Sic ille referens Rodriguez, Portelium, Dianium, & Machado, & tenet apertè Brunus Cobarruvias, ubi supra *tract. 4. cap. 5 prop. 9.* * Quia cum verò sunt interpretanda, nec nos restringere debemus. * Et improbare non audet Diana ubi supra sed illorum judicio remittit.

6. Nec obest, ut advertimus §. præcedenti, prætatas concessiones inter vivæ vocis oracula computari, quæ revocata fuerunt à Gregorio XV. anno 1622. & ab Urbano VIII. anno 1631. Nam cum Gregorius XIII. & Paulus V. per Bullas speciales omnia privilegia Minorum antè à confirmaverint & innovaverint, ideò non jam vivi oraculi, sed privilegii vim per Bullam Apostolicam concessi retinent, ac proinde revocata non sunt; sicut neque sunt vivæ vocis oracula ante hos Pontifices concessa, ut docent communiter Doctores, quos addit in specie *pro Iesuitis tract. de Iejunio prop. 7. numer. 8.* Licet præfatæ concessiones factæ fuerint Benedictinis, tamen per participationem fratribus eiusdem Ordinis Minorum competunt: quòd sufficit, non confirmatione, & innovatione privilegiorum Ordinis Minorum, comprehensa intelliguntur. Et expressè docet Brunus ubi supra *tract. 5. cap. 4. prop. 1. fol.* 243. dicens: * Bulla, *& si mendicantium*, & Paulus V. anno 1609 illa absolutè confirmavit, cumque omnia confirmaverint, & illa, quæ immediatè Minorum Ordini sunt concessa, & illa quæ per participationem possident, cum sint eadem illorum privilegia, sine dubio utraque confirmarunt. * Ergo omnia privilegia supra adducta pro Prælatis Regularibus quoad dispensationem irregularitatis ex homicidio voluntario, sive occulto, sive publico, verè hodie subsistunt, ac proinde illis, absque ullo scrupulo, cum subditis uti poterunt Prælati. Sic censeo, probabiliter dici posse, dum in prædictorum privilegiorum revocatione aliunde non constet.

7. Rogabis, quid si homicidium voluntarium publicum Religiosi foret deductum ad forum contentiosum, & ab eo ex defectu probationis fuisset reus absolutus? posset ne Prælatus in tali eventu irregularitate ex illo proveniente dispensare? Respondeo, in hoc casu idem dicendum, quod Doctores communiter loquentes de potestate Episcopi, quoad alias irregularitates, quarum dispensatio ei committitur, quando delicta, deducta ad forum contentiosum, probata non fuerint. Putant eum non posse dici deducta ad forum contentiosum cum effectu, si probata non fuerint, etiamsi medijs deperditis absolutionem à delicto reus obtinuerit, atque adeò posse dispensari, non aliter, ac si deducta non fuissent. Vide plures, quos citatos sequitur Diana *p. 7. tract. 2. resol. 18.* pro Episcopis; & eorum doctrinam ad Prælatos Regulares, quoad dispensationem in irregularitate homicidii voluntarii, prudenter applica.

(* *)

QUES-

QVÆSTIO IV.

Vtrùm confessarii Regulares possint dispensare cum sæcularibus, in irregularitate ex homicidio voluntario omninò occulto?

1. AFfirmativam partem sustinent non pauci ex duplici privilegio, alio Eugenii Quarti per Bullam concessio Monachis S. Benedicti in compendio Mendicantium insertam. Alio Sixti Quarti per Bullam Minimis concesso, quod habetur in libro, cui titulus, *Monumenta Ordinum.* Primum Eugenii IV. (ut videre est in citato compendio, verbo, *Absolutio*, quoad sæculares 2. *num.* 9.) concedit facultatem absolvendi: * *A quibuscumque suspensionum, excommunicationum, & interdicti sententiis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis, quas à jure, vel ab homine satisfactione injuncta, incurrisse, quomodolibet censebuntur.* * Nomine autem pœnarum, venire irregularitates ex delicto provenientes, est multorum sententia, quam tenet Thom. Sanchez *in Sum. lib. 6. cap. 5. num.* 178. & alii, quos refert Suarez *tom. de Censuris. disp. 40. sect. 3. num.* 3. & *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 21 num.* 16. ubi benè tradit, verbum *Absolvendi*, pro verbo, *Dispensandi*, sæpè solere sumi.

2. Et ut nulla posset dubitandi ratio manere, utroque utitur Sixtus Quartus in Bulla citata, in qua * *concessit Fratribus Ordinis Minorum facultatem ad confessiones audiendas, & ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & super quacumque irregularitate Ordinario, tam à jure, quàm ab homine reservatis, toties, quoties opus fuerit, absolvendi, dispensandi, ac vota quæcumque commutandi, sicut potest Diœcesanus.* * Simile privilegium concessit etiam Julius Secundus, ut refert M. Hinojosa ubi infrà.

3. Ex quibus sic formo argumentum. Omnes confessarii Regulares, utpotè qui privilegiis Minimorum participant, possunt cum sæcularibus dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus potest Episcopus: sed Episcopus potest dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario omninò occulto, nempè quod nec probari potest in judicio, nec in notitiam hominis devenire, nisi ex confessione occisoris, ut suprà *q* 2. *num.* 7. probatum est: ergo & confessarii Regulares. Consequentia est evidens ex præmissis. Et ideò ita expresè tenet M. Antonius de Hinojosa *in director. decis. Regul. verb. Dispensaria in sæculares. fol.* 187. ubi ait: * Dispensare possunt fratres Confessores cum sæcularibus in quacumque irregularitate, super qua Ordinarius dispensare potest. Cōcessit Sixtus Quartus, & Julius Secundus. * Et ex eodem privilegio idem tenent Portel *in respons. tom. 1. cap. 3. num.* 1: & 2. & Corduba *in Sum. verb. Absolut. casu* 43. Quos sequitur Brunus Cassaing. *in Privileg. Regul. tract. 5. cap. 4. prop. 1.* ubi sic: * Verum non levis difficultas est, si confessarius Regularis potest dispensare (cum sæcularibus) super irregularitate homicidii voluntarii omninò occulti? (nempè, quòd ita occultum est, ut à nemine possit in notitiam hominum adduci, nisi à solo occisore.) Respondetur, posse Confessarium ante dictum dispensare super dicta irregularitate, quoniam Episcopus potest super illa dispensare, ut tenent Covarr. Abbas, Castrensis, Angelus, Bannez, Vivaldus, & alii. Sed Confessarius Regularis eadem, quoad hoc facultate pollet, ergo id similiter potest. *

4. Eamdem sententiam tenent Rodriduez, Joannes de la Cruz, Caspensis, Bassæus, Pellizarius, Martinus de S. Joseph & alii, apud Dianam omnino videndum *p. 11. tract. 4. resol. 3.* Quos sequitur Rever. P. Leander à Murcia Capuccinus *in Quæst. Regul. cap. 7. quæst. 8. n.* 92. dicens: * Pueden dispensar en todas las irregularidades, en que dispensa el Obispo, no solo por derecho comun, sino tambien en las que dispensa por derecho especial del Concilio Tridentino. * Sic ibi cum aliis.

5. Hæc opinio, ni aliunde privilegia revocata ostendantur, videtur valdè probabilis: ad idquè judicandum, non parum movet auctoritas sapientissimi Patris Magistri Arauxo, Episcopi Segoviensis, *in Decis. Moral tract. 2. q. 11. num.* 13. ubi sic scribit: * In materia favorabili, qualis est ista de dispensando in irregularitatibus, non requiritur intrinseca probabilitas, sed sufficit extrinseca virorum non infimæ notæ, ob quorum auctoritatem non potest evidenter convinci contrarium. *

6. Dices, hoc privilegium non esse in usu. Verum cum pro solo conscientiæ foro concessum fuerit, & ideò ejus usus secretissimus sit, quis poterit cum fundamento affirmare, non esse in usu, apud doctos, saltem Regulares, peritosquè; licet apud ignaros, & facultatem, quam habent, ignorans, in usu non fuerit? Ut omittam, privilegia omnia per non usum revocata, revalidata fuisse per Paulum V. ut tradit Joannes de la Cruz *lib. 2. cap. 5. dub. 2. conclus. 2.* dicens: * Ut privilegium per non usum revocetur, requiritur notitia talis privilegii, & non usus centum annorum juxtà dicta *cap. 3. dub. 2.* tum etiam quia juxtà dicta *dubio 5.* privilegia etiam per non usum revocata, jam sunt per Paulum V. revalidata. * Et Eugenius Quartus (ut refert Diana *3. p. tract. 2. resol.* 88.) concessit Benedictinis, quòd possint uti suis privilegiis, etiamsi contra illa habuerint contrarium usum: quo privilegio per communicationem omnes Regulares fruuntur. Ergo ex non usu præfati privilegii gratis concesso, nil contra nostram conclusionem deduci potest. Quod multis probat Martinus de S. Joseph *in Regul. Sancti Franc. in declaratione Brevium, verb. Dispensare, folio* 575. Nequibunt verò Religiosi Societatis simili privilegio uti, quia non est eis communicatum à Rever. Patre Generali, prout in nostra Religione ad cujusvis privilegii participationem necessarium est, ex concessione Gregor. XIII.

7. Cæterum, quamvis, me judice, negari prudenter nequeat, præfatum privilegium à Sixto Quarto concessum fuisse; propter auctoritatem tot, tantorumquè Doctorum id testantium; semper tamen Regularibus consulerem, ut eo non utantur. Nam usus talis privilegii odiosus est Episcopis, quia raro ad illos erit sæcularium recursus pro dispensatione irregularitatis. Si enim Regulares dispensent cum sæcularibus, in quacumque irregularitate possint Episcopi, & hujusmodi privilegio utantur, dispensare poterunt, ut benè expendit Diana suprà, quoties opinio probabilis Pro Episcopo inveniatur; ac proinde in irregularitate veræ Bigamiæ, quoad ordines minores, & simplex beneficiū. Secundo, super irregularitate occulta ex defectu natalium. Tertiò, in irregularitate ex defectu lenitatis. Quartò, in irregularitate ex mutilatione alicujus membri. Quintò, in

irregularitate propter delictum deductum ad forum contentiosum, judicio finito, punitum. Sextò, in irregularitate occulta hæresis. Septimo, in contracta in bello justo. Octavo, in proveniente ex homicidio casuali occulto, imò etiam publico, & in ex repentina rixa orto, etsi directè volito, & ita (concludit Diana) videtur dicendum in aliis casibus, in quibus Episcopis (nempè jure ordinario) licitum est, super irregularitate cum sæcularibus dispensare. Nam in his posse Confessarios Regulares dispensare vigore privilegii Sixti Quarti, Julii Secundi tradiderunt Doctores superius adducti. *In suprà enumeratis autem posse Episcopum dispensare, est opinio Doctorum, qui videri possunt apud illum *p.4.tract.2.in resolut.64.69 71.72.97.& inp.7.tract.2.resolut.25.27. 29.31.& 32.* Quos sequitur Frat. Antonius Baco *in Sum.disp.30.cap.12.*

8. Quapropter usus prædicti privilegii omnino dissuadendus est Regularibus, ut merito consulunt Portel, & Diana *ubi suprà*. Imò & Prælatis idem consulerem; & quod subditis, sub præcepto, præfati privilegii usum prohibeam: tantæ enim potestatis usus non expedit omnibus Confessariis Regularibus, sed ad summum Prælatis, & viris aliàs doctrina, & morum integritate vigentibus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ possit absolvi, seu dispensari irregularitas ex delicto, quæ est purè pœna peccati?

1. AFfirmativa sententia est communis Thomistarum, quos refert, & sequitur M. Barnabas Galleo ex Ordine Prædicatorum *in Exposit.Bullæ,claus.9.p.2.c.9.dub.139.* ubi sic:*Respõdo pues, que la irregularidad contrahida por pena de delito, es verdadera, y propia censura, y assi se puede absolver por virtud de la Bula, que concede, pueda el Confessor electo por ella absolver de qualesquiera pecados, y censuras. Esta doctrina es constante en la Florentissima Escuela del Angelico Doctor Santo Thomas de Aquino. * Et iterum *infrà folio* 140. *Esta nuestra doctrina es comun entre los Doctores de la Escuela de Santo Thomas. Enseñanla el Maestro Ledesma, el Maestro Soto, el Maestro Bartolomè de Medina, el Maestro Banncz. Los Maestros Miguel Salon, y Pedro de Aragon, el Maestro Nunno, los Maestros Fray Melchor Cano, y Fray Juan de Orellana. El Maestro Alvarez, el Maestro Coinejo, el Maestro Cabrera, y el Maestro Fray Juan de Santo Thoma se inclina a esta sentencia, y Fray Juan de la Cruz en el Directorio dize, que es probable, y que es comun de los Thomistas. *Hactens M. Gallego *ubi suprà*, qui, ultra citatos, refert Cordubam, Moure, Carrillo, Joannem Gutierrez, Naldum, & Rodriguez. Unicum hujus sententiæ fundamentum est, quod irregularitas, quæ est purè pœna delicti, est censura: cum ergo per Bullam possit absolvi à censuris reservatis Episcopis toties quoties, & à reservatis Pontifici semel in vita & semel in morte, sequitur evidenter posse similiter absolvi ab irregularitate, quæ est purè pœna delicti.

2. Secunda verò sententia, omnino tenenda, negat irregularitatem, quæ est pœna delicti, posse solvi, seu dispensari virtute Cruciatæ, imò novæ contrariæ improbabilitatis notam inurunt, dicentes Gomez *in Bullam Cruciatæ ad dictum Sotum*, dicit, Sotum in hac re *miserè erravisse* fuisse. Et contra Sotum, & communem Thomistarum militant, ex eadem Florentina Schola, Martin de Ledesma *2 p.tom.4.quæst.de Irregular. in Regul.4.* & Ludovicus Lopez *in Instruct. consc.q.2.cap.92.* Citantur etiam Mantuus, Petrus Soto, Penna, & alii, & ex aliis docet expresse Navarrus *in Sum. cap.27.num.193.& 250.* & est communis inter Doctores Societatis, adeò, ut contraria vocatam probabilem ab uno Patre Sà, M. Sacrista latii expungendam illicò judicavit: sic compertum *Non est ullo modo tenenda sententia quorumdam dispensantium. Quia in contrarium est praxis Romanæ Curiæ &c.* Quapropter Gibalinus *de Irregularit. tract.4.q.* 5. justè conqueritur de Magistro Sacri Palatii, eo quòd in indice librorum expurgatorio hanc sententiam expunxerit, & damnaverit in uno Emanuele Sà, cum eam sui Thomistæ ferè unanimi consensu sequantur. Et Dicastillo *de Censuris,tract.10.disp.2.num.86.* miratur,* id potiùs in Emanuele Sà vocatum fuisse, expedire corrigi, cum tamen per centum annos in Soto, & aliis ea sententia priùs fuisset promulgata.* Unde in illo, inquit, potuit esse error è domestico, & ejusdem doctissimæ Dominicanæ Familiæ Correctore, ut ea ratione *inceperit judicium à domo Dei.**

§. I.

Secunda sententia efficaciter suadetur.

3. HUic igitur secundæ sententiæ negantí, irregularitatem ex delicto posse absolvi virtute Cruciatæ, lubens adhæreo; cujus fundamenta apud Doctores passim reperies. Unum ego superadam, quod contrariam omnibus invisam reddat. Nempe, aut illam non esse probabilem, aut probabile esse, virtute Cruciatæ absolvi, & dispensari posse irregularitatem ex homicidio provenientem.

4. Ratio dilematis est, quia irregularitas ex homicidio est purè pœna peccati, ergo si irregularitas, quæ est purè pœna, possit absolvi, seu dispensari virtute Cruciatæ, negari id nequibit de irregularitate ex homicidio. Quod autem hæc purè pœna sit, apertis evincitur argumentis. Nam Doctores, qui purè pœnam esse, negant, in eo fundantur, quòd omplex irregularitatis species in irregularitate ex homicidio contineatur: alia, quæ est in pœnam delicti, alia ex indecentia, seu ex defectu lenitatis: his enim vocibus, seu ex defectu lenitatis, seu ex defectu significationis, eadem species significari solet, quam, simul cum pœna delicti, in prædictam irregularitatem confluentem concurrere, putant auctores, qui asserunt, irregularitatem ex homicidio non esse purè pœnam, videre licet apud Magistrum Gallego *ubi suprà*, apud Bart. de Medina *in Summ.lib.1.cap.11.§.9.* apud Henriquez *tom.2.quæst.8.art.10.* apud Mandandam *tom.2.quæst.8.art.10.* apud Henriquez *dulgent. lib.7.cap.13.num.5.in Glossiit.A.* apud Rodriguez *tom.1.Quæst.Regul, q.24. art.1.* & apud Dianam *p.4.tract.2.resol.85.* Itaque si ostendamus irregularitatem ex defectu lenitatis (quæ aliis verbis dicitur, ex indecentia, ut ex defectu significationis)

provenire ex homicidio injusto, seu propria auctoritate commisso; evidenter probabimus, irregularitatem ex homicidio esse purè pœnam delicti; ac proinde vel hanc posse per Bullam absolvi, vel nullam, quod intendit argumentum.

5. Ad rem ergo: probo, ex homicidio injusto propria auctoritate commisso, non incurri irregularitatem ex defectu lenitatis. Primò, quia hæc irregularitas contrahitur absque ulla culpa occisionis, ut docent omnes Theologi apud Leandrum *tom. 5. de Irregularit. tract. 2. disput. 7. quæst. 1. ex cap. Clerici, & ex cap. sentent. sangui.* & ex aliis juribus. Ex homicidio autem nulla irregularitas contrahitur absque culpa, saltem veniali, imò neque absque mortali, ut docent communiter Theologi M. Sotus, M. Bannez, M. Ludovicus Lopez, & alii, quos citatos sequitur M. Joannes de la Cruz *in Sum. p. 1. præcep. 1. in fine de Irregul. dub. 12.* & tradit Leander *suprà disput. 1. quæst. 7.* cum Navarro, Henriquez, Suarez, Avila, M. Bartholom. de Ledesma, Navarra, Salon, Filliucio, Ægidio, Reginaldo, Layman, Palao, Valdello, & aliis, quos sequitur Diana *2. p. tract. 2. Miscell. resolut. 20.* En verba ex Navarra *lib. 2. de rest. cap. 1. num. 45.* qui ait: * Colligo secundò non incurri irregularitatem ex homicidio, ob levissimam culpam. Quia non est æquitate positum, ut tanta pœna (pœna enim est semper irregularitas ex homicidio privatæ personæ) ob levissimam culpam incurratur, imò, neque certè ob levem. * Sic ille. Et Thom. Sanchez *de Matrim. lib. 9. disput. 32. num. 34.* dicens: * Hinc deducitur, minus benè aliquos sentire, sufficere levem culpam ad contrahendam homicidii irregularitatem. * Ergo ex homicidio non contrahitur irregularitas, ex defectu lenitatis, sed tantummodo irregularitas, quæ est pœna peccati (quidquid contra senserit ipse Sanchez *lib. 8. disput. 21. num. 22.*) Aliàs ex homicidio nulla culpa commisso aliqua species irregularitatis incurreretur.

6. Secundò, quia irregularitas ex defectu lenitatis incurritur ab ignorante invincibiliter illam, quia sufficit efficere opus, cui imposita est, ut docent communiter Doctores, quos citatos sequitur ipse Sanchez *lib. 9 de Matrim. disput. 32. num. 15.* * Quia sive data opera, inquit, sive ignoranter id fiat, cui est annexa, æquè tollitur significatio, cujus defectu incurritur. * Sed irregularitas ex homicidio nulla incurritur ab ignorante invincibiliter homicidio esse impositam à jure, ut docet M. Cornejo *disp. 6. de Irregul. dub. 3. conclus. 3. num. 3.* ubi contra Dianam *4. p. tract. 2. resol. 85.* dicentem cum Merolla, in tali casu ignorantiam invincibilem solum excusare ab irregularitate, quæ ponitur in pœnam homicidii, non verò ab alia, quæ in defectum lenitatis; respondet dicens: * Stare contra hoc, quod ejusmodi irregularitas est specie diversa ab ea, quæ propter homicidium peccaminosum incurri debet, & solum incurritur (attende) propter licitam hominis occisionem, quod non potest in hoc casu nostro verificari. * Hæc M. Cornejo, quem citatum sequitur Leander à Sacrament. *tom. 5. de Irregul. tract. 1. disp. 4. q. 6.*

7. Et tenet expresè Portel *in Dub. Regul. verb. Ignorantia, num. 19.* dicens: * Præmittendum est, aliam irregularitatem consurgere ex delicto, *ut ex homicidio*, ex celebratione in excommunicatione, &c. in pœnam delicti. Alia verò est irregularitas, quæ non ponitur ob delictum, sed indecentia, vel defectu significationis, & comitatur non culpam, sed indecentia, qualis est bigamia, & irregularitas contracta à judice sine culpa damnante hominem ad mortem justè. Et quidem certum est apud omnes, hanc irregularitatem secundi generis certo contrahi, etiam si operans operetur ex ignorantia invincibili. Est ergo sola quæstio de irregularitate primi generis orta ex delicto, an ista, quæ pœna est, & similes incurrantur ab operante, invincibiliter ignorante? Sotus, & Ledesma affirmant, Sanchez vero negat probabilius. * Sic ille, quem refert Machado *lib. 1. p. 3. tract. 15. docum. 3. num. 3.* ubi postquam sententiam contrariam proposuit, hanc probabilem indicat, dicens: * Si bien Portel, y otros defienden, que no se incurre la irregularidad del homicidio culpable, quando se comete con ignorancia della. * Et universaliter nullam irregularitatem ex delicto incurri, ubi adest ignorantia juris positivi eam imponentis, tradunt plures Doctores, quos citatos sequitur Sanchez *ubi suprà n. 17.* & expresè de irregularitate homicidii, id esse probabile, ex Suarez, & aliis, putat Hieronymus Garcia *in Politica Regul. tract. 10. diffic. 6. punct 1. num. 2.* Quibus consentit Verticelli *tract. de Mission. tit. 25. quæst. 280. num. 7.* quos refert Diana *p. 12. in fine, fol. 216.* Imò & ignorantiam juris etiam invincibilem, dummodo non sit crassa, & supina excusare ab irregularitate homicidii incurrenda, docent Navarrus, Sylvester, Navarra, & alii, quos citatos sequitur Rever. P. Leander à Murcia Capuccinus *in Disquisit. in 1. 2. D. Thomæ, disput. 4. resolut. 17.* & est juxtà mentem Patris Sanchez, & aliorum, quos refert *disp. 32. citata, num. 34.*

8. Ex quibus sic instauro argumentum. Si irregularitas ex indecentia, seu ex defectu significationis, vel lenitatis incurreretur ex homicidio; nulla ignorantia juris positivi, seu pœnæ, ab ea incurrenda excusaret, ut constat ex communi Doctorum. Atqui, ut omnes citati concedunt, ignorantia saltem invincibilis excusat. Ergo ex homicidio privata auctoritate commisso non incurritur irregularitas ex defectu lenitatis.

9. Tertiò, quia irregularitas ex defectu lenitatis solum incurritur ab his, qui, ut Ministri justitiæ, ad mortem concurrunt, ut tradunt triginta Doctores, quos propriis nominibus, & citationibus expressis refert, & sequitur Diana *p. 11. tract. 2. resolut. 63.* & alii, quos adduxerat *3. p. tract. 5. Miscellan. resol. 79.* dicens: * Igitur secundum Vasquez, Turrianum, & Hurtado nullum jus imponit irregularitatem privatis personis ex defectu lenitatis, sed jurà, in quibus supponitur hæc irregularitas, loquuntur tantum de Ministris justitiæ, & his, qui concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ executionem. * Sic ille, & alii, quos sequuntur M. Serra *tomo 2. 2. quæst. 64. artic. 8.* & Leander à Sacram. *tom. 5. de Irregul. tract. 2. disput. 7. quæst. 35.* & alibi. Ergo qui auctoritate privata alterum occidit, non incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, sed tantummodo provenientem ex delicto. Et ita expresè dicit Lessius *de Iust. lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 73.* * Occisio, inquit, privata auctoritate facta non inducit irregularitatem ex defectu lenitatis, sed ratione culpæ. *

10. Quartò, quia Baptismus non tollit irregularitatem ex indecentia, seu ex defectu significationis, seu lenitatis, ut docent Archidiaconus, Hostiensis, Joann. Andreas, Butrius, Ancarranus, Villadiego, Ricardus, & alii, quos refert Verticelli *tom. 1. Quæst. Moral. tract. 1. quæst. 19.* Et est communis apud Henriquez *tom. 2. lib. 13. de Irregul. cap. 17. num 2.* ubi explicat, quo modo id eveniat, nimirum, quia eliciens ante baptismum operationem, cui ab Ecclesia imposita est inter fideles irregularitas ex defectu significatio-

nis, * habet radicem, ex qua post baptismum subjaceat irregularitati. * Atqui ex homicidio propria auctoritate ab infideli commisso, nulla post baptismum pullulat irregularitas, ut cum Armilla, Sylvestro & aliis tradit ipse Henriquez *suprà in Glos. litt. L.* dicens id provenire * ex generali regula, quod baptismus tollit omnem pœnam ex culpa, etiam homicidii, provenientem. * Cujus sententiam ut communem refert, & sequitur Villalobos *in Sum. tom.1. tract.21. diffic.7. num.2.* * La tienen casi todos, y consta de un texto. Esta es la mas probable, y se ha de seguir en practica. * Ergo ex homicidio sola contrahitur irregularitas ex delicto: si enim aliam speciem ex defectu significationis, seu ex indecentia contineret, hæc post baptismum pullulasset ex homicidio ante illum commisso, quia Baptismus solum aufert irregularitatem, quæ est pœna delicti, ut ait Henriquez supra: non verò impedit speciem aliam ex radice ante baptismum posita, post illum susceptum subortam, qualis est irregularitas ex indecentia, seu ex defectu significationis, vel lenitatis. Ut omittam, quod quando indecentia oritur ex delicto, ei, cujus facultati subest irregularitas ex delicto; subest etiam indecentia, ut loquens de facultate Commissarii Cruciatæ ad dispensandum in irregularitate proveniente ex homicidio casuali docet P. Bardi *in Bull p.3. tract.2 fol.441.* * Quando indecentia, inquit, oritur ex delicto, eam quemadmodum irregularitas ex delicto subest facultati Commissarii, ita & indecentia resultans ex eodem delicto. * Cui sermonem instituens de illegitimi dispensatione consentit Machado, quem citatum sequitur Diana *p.7. tract.2. resolut.24.* Ergo si irregularitas ex delicto sit dispensabilis virtute Cruciatæ, indecentia ex illo proveniens ejusdem facultati subjicietur.

11. Quintò, Episcopus, secundum omnes, potest dispensare, ex concessione Trident. in Irregularitate ex homicidio casuali occulto, sed Episcopus nequit dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis, ut docent communiter Theologi, ex quibus supra viginti refert Diana *4.p tract.2. resol.69.* & alios Leander à Sacram. *tom.5. tract.2. quæst.134.* Quos sequitur M. Candidus. *Disquisit.17. art.14. dub.3 num.5.* * Cùm Episcopus, inquit, tantum concessa sit facultas dispensandi irregularitate contracta ex delicto ex Concil. Trident. *sess.24 cap.6. de Reformat.* * Ergo ex homicidio casuali occulto non provenit irregularitas ex defectu lenitatis, sed tantummodo irregularitas, quæ est pœna delicti. Quid plura?

§. II.

Conclusio ex præmissis.

12. EX quibus argumentum, contra communem Thomistarum sententiam asserentem irregularitatem, quæ est pœna delicti, posse absolvi virtute Cruciatæ, sic urgeo. Irregularitas ex homicidio est purè pœna peccati, ut probabiliter saltem suadent quinque argumenta proposita, & Doctores suprà relati: ergo vel probabile est, hanc irregularitatem posse virtute Cruciatæ dispensari, vel improbabile esse debet, irregularitatem, quæ est purè pœna, esse censuram virtute Cruciatæ dispensabilem. Non video solutionem. Et re benè inspecta, à sequela concedenda non longè abesse videtur M. Arauxo *t.2. quæst.76. art.4. dub.4.* ubi sic. * Hinc colligitur aliud discrimen inter hujusmodi irregularitates, ad homicidium justum, vel injustum sequutas, quod ab illa, quæ est pœna, possimus solvere Confessarii virtute Bullæ Cruciatæ, secus ab illa, quæ est purè inhabilitas ratione indecentiæ vel significationis, ut tenet Cano, Soto, & Lonez, licet opposita sententia mihi verior sit, nonne censuræ in Bulla Cruciatæ solum intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Irregularitatem autem ex homicidio injusto non esse purè inhabilitatem, certo certius est. Est enim pœna, secundum omnes: poterunt ergo Confessarii illa absolvere, virtute Cruciatæ, si censuræ annexæ veniat.

13. Ideò doctissimus in re morali Fr. Ludovicus Conceptione non audens improbare Thomistarum sententiam *in 2.p. Examin. verit. tract.2. verb. Casus solutio.* vehementer inclinat, virtute Cruciatæ, ab irregularitate ex homicidio absolvi posse. * Cur nulla, inquit, alia hic excogitari irregularitas possit, præterquam ex delicto, juxta probabiliorem mihi sententiam asserentem, irregularitatem enim significatione, aut ex defectu lenitatis, in solis publicis personis, & ministris locum habere. * Quod tenent omnes Doctores suprà citati, & præcipuè Diana pluribus in locis, licet sibi non constans *n.4. tract.2. resol.85.* cum Merolla dixerit: * Quod irregularitas ex homicidio, licet videatur esse ex delicto, includit tamen præcipuè defectum lenitatis. * Ad quod principium recurrunt Dominicani, & alii, qui sentiunt, irregularitatem ex delicto esse censuram dispensabilem virtute Cruciatæ, attamen irregularitatem ex homicidio excipiant. Veram hanc limitationem rejicit Joannes Gutierrez apud vilam *de Censuris, p.7. disput.10. dub.4.* qui loco citato sic scribit. * Dubitatur quartò, utrum irregularitas contracta ex peccato possit dispensari per Bullam Cruciatæ? Prima opinio est affirmativa, ita Soto, Medina, Corduba. Hanc autem sententiam limitant Soto, & Medina (attende) quando irregularitas contrahitur tantùm propter peccatum, nonnamen quando contrahitur etiam ex defectu significationis, ut quando quis injustè occidit hominem: hic enim est irregularis, non solùm propter peccatum, sed etiam ex defectu significationis; undecunt, hanc irregularitatem non posse per Bullam absolvi. A qua limitatione omnino longè differt Joannes Gutierrez *Canonicar. Quæst. cap.3.* * Sic ex illo refert Avila, quibus satis innuit, limitationem prefatam adhiberi non posse, nec excipiendam homicidii irregularitatem, si virtute Bullæ absolvi possit irregularitas, quæ est pœna peccati. Quod tenet Joannem Gutierrez, refert M. Gallego *ubi supra*, & benè, quia si limitatio à Soto adhibita illi non placet, consequens uno haustu planè devorat. Rejicit conclusionem probabilem denique censuit F. Ludovicus à Conceptione *tom.2. tract.1. §.12. verb. Quæres 1. num.16.* dicens: * Ergo absolvi potest ab irregularitate orta ex voluntario homicidio, quæcumque illa sit. Probabiliter constat hæc ultima consequentia. *

14. Neque huic sententiæ dissentire potest Leander à Murcia, quia *in Quæst. Regul. cap.7. quæst.8. num.62.* cum aliis asserit, virtute Cruciatæ posse Confessarium absolvere ab irregularitatibus, à quibus Confessarii Regulares, virtute suorum privilegiorum, possunt sæculares absolvere. Et ibidem firmat asserit, quod prædicti confessarii Regulares * Pueden dispensar en todas las irregularidades, en quanto pœnâ

spensa el Obispo, no solo por derecho comun, sino tambien en las que dispensa por derecho especial del Concilio Tridentino. * Ergo auctor iste sentit apertè, virtute Cruciatæ, absolvi posse ab irregularitate ex homicidio casuali occulto, id est, non publico, vel notorio, aut (ut alii explicant) non deducto ad forum contentiosum, etsi aliàs publico. Consequentia est evidens, quia in hac irregularitate posse Episcopum dispensare vigore Tridentini, & per consequens Confessarios Regulares virtute suorum privilegiorum, est hujus auctoris sententia, & aliorum.

15. Adde, si vera esset Thomistarum sententia, non solùm posset virtute Cruciatæ absolvi ab irregularitate ex homicidio casuali occulto, sed etiam ex voluntario omnino occulto; quia in hac posse Episcopum dispensare, docent non pauci, quibus suprà adhæsi. Imò & posset etiam absolvi ab irregularitate ex homicidio voluntario, licet publico, ut videtur innuere Fr. Ludovicus à Conceptione *ubi suprà*, quod horribile est dicere: sequelam probo, quia Bulla Cruciatæ nullam irregularitatem ex delicto excipit, ergo ab omnibus eius virtute absolvi poterit. Hoc autem omni probabilitate destitutum esse, pater, tum quia Confessarius electus virtute Cruciatæ haberet potestatem, quam Concilium Tridentinum denegat Episcopis: tum quia majorem, quam Commissarius Cruciatæ. Commissarius enim non potest dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario; quia inter irregularitates ex delicto, quas illi dispensandas concedit Pontifex, hanc expressè excipit: cujus exceptio non solùm denegat dispensationem in foro externo, sed etiam in interno, ut communiter exponunt Theologi (quamvis hæc ratio parvi fiat à Trullench *in Bullam Cruciatam, lib.* 1. §. 7. *cap. dub.* 15. *Quia hæ duæ facultates*, inquit, *distinctæ sunt, & à diversis non fit illatio.*) Ergo non subjacet opinioni, quod virtute Bullæ possit absolvi irregularitas ex homicidio, quantumvis occulto, & casuali, ne dum voluntario. Ex quibus concluditur, nullam irregularitatem ex delicto esse virtute Bullæ dispensabilem: aliàs difficile esset, absurdum illarum evitare. Quod omnino fugiendum est: quidquid contra senserint Authores citati.

QVÆSTIO VI.

An, qui abortum procuravit, dubitat vero, an fœtus esset animatus, irregularitatem incurrerit?

1. PArtem negativam probabilem esse, censuit Antonius de Escobar *in Moral. Theol. tract.* 4. *exam.* 6. *cap.* 5. *num.* 161. sed gravis contra illum insurgit difficultas, ex duplici textu juris Canonici, *cap. Ad audientiam, & cap. significasti de homicidio* in quibus expressè decernitur, in dubio homicidii irregularitatem incurri. Quod secus est in aliis delictis. Verum cum in hac materia sit axioma ab omnibus receptum, irregularitatem non incurri, nisi in casibus in jure expressis, opere pretium erit, enucleare, de quo dubio loquantur hi textus, ut inde judicium de præfata quæstione ferre possimus.

***

§. I.

Notabilia.

2. DUbium homicidii multiplex potest esse. Primò, an reipsa fuerit homicidium: quod dupliciter contingere potest, aut quia dubium est, an fœtus esset animatus; aut si constiterit de animatione, dubitatur, an occisus fuerit. Secundò, quando licet certum sit, homicidium commissum, dubitatur tamen de homicida: aut quia non constat, quis vulnus inflixerit; aut si constat, à quo fuerit inflictum; dubitatur, an ex vulnere, an ex aliquo excessu subsequuto, an ex incuria medici, mors provenerit?

3. Jam de quo dubio homicidii procedat decisio textuum juris Canonici, non levis controversia est inter Doctores. Plures doctissimi sentiunt, ex prædictis juris capitibus non posse argumentum desumi, ad probandum, in dubio de animatione fœtus, irregularitatem incurri, quia expressè, inquiunt, illam decernunt non pro omni dubio homicidii, sed pro aliquo tantum dubio, nimirum, quando constat de morte alicui illata, & dubitatur, à qua causa, aut persona provenerit. Ac proinde in dubio, an homicidium sit sequutum, non incurritur irregularitas. Sic tenet expressè Joannes de Escobar Jurista *tract. de utroque foro art.* 1. *nu.* 74. ubi sic: * Dubio manente, an homicidium sit sequutum, nulla aderit irregularitas: sicut enim dubitans, an damnum intulerit, vel homicidium commiserit, ad restitutionem non tenetur, quæ jure naturali divino provenit, multo minus irregularitati subjicitur, quæ juris positivi est, &c. Textus autem *in dicto cap. ad Audientiam* contra nos non est, cum in eo maneat certa mors famuli, circa culpâ præsbiteri, & certum vulnus, contra quem est juris præsumptio, nempè mortem ex vulnere ab eo illato sequutam fuisse. Quamvis vertatur in dubium circa circunstantiam homicidii, nempè an ex vulnere, vel ex infirmitate, vel ex incuria medici, vel excesso vulnerati mors fuerit sequuta. Nam certo vulnere extante, & morte vulnerati, dubium incidens non debet attendi, ne certum pro incerto omittatur, &c. Nec quidem contrarium habemus textum *dicti cap. significasti*. In quo etiam habemus certum occisum, ex certo vulnere, & à certo inflicto vulneranti, habemusque certam eius culpam, cum cooperatus fuerit in occisionem, & ita habemus certum effectum, id est, irregularitatem ex certo facto, & ex certo jure procedentem. * Sic ille. Eamdem adhibet explicationem Dicastillo *tract.* 10. *de Censur. dub.* 3. *num.* 62. *fol.* 420. ubi sic: * Accedit, quod jura citata, quæ dicunt in illo casu homicidii debere abstinere à susceptione, & usu ordinum, loquuntur in casu, in quo constat de homicidio simul cum actione adhibita, quæ ex se possit influere, & juvare: in hoc autem casu non constat de homicidio. *

4. Eodem modo explicat textus citatos doctissimus Gibalinus *tom. de Irreg. cap.* 4. *num.* 17. ex quibus hanc regulam statuit. * Quoties constat de homicidio commisso, dubiumque tantum existit de persona committente, censenda est irregularis, ex peculiari juris dispositione in hac materia: Quod si dubitaretur de ipso homicidii actu, an nempè fuerit aliquis occisus, in nullo foro censendus erit quis irregularis, donec veritas commissi homicidii reperiatur. Probatur,

batur, inquit, prima pars *ex cap. significasti* : ibi enim constabat, maleficum illum, qui Eucharistiam, & altaris ornamenta asportaverat, occisum fuisse: sed dubitabatur, an interisset ex vulnere, quod in eius caput Sacerdos impegerat? an verò ex aliis vulneribus, quibus eum Parochiani conciderant? &c. *In cap. quoque ad Audientiam eod. tit.* Clemens Tertius eodem modo pronunciat habendum irregularem præsbiterum, qui dum corrigeret domesticum suum, illum suo cingulo percussit, & cum interisset, dubium erat, an ex eo vulnere? an ex alio quopiam morbo? In his casibus, ut vides, dubium erat de homicida, non de homicidio, &c. * Ergo solum contrahitur irregularitas, de qua loquimur, quando homicidium est certum, & non quando dubium est de ipso homicidio. Probat consequentiam Gabalinus *nu.* 22. * Quia certum est, inquit, irregularitatem in dubio homicidii non incurri, nisi ex peculiari juris dispositione, & in casibus ab illo expressis: atqui jus non loquitur, nisi quando certum est homicidium, & hominem revera interisse, sed dubitatur, an vulnus lethale fuerit? an ex alio quopiam vulnere ab alio illato? aut medici incuria, aut denique alia quapiam de causa interierit, &c. Igitur in hac materia debemus stare principiis universalibus, & duabus illis regulis generalibus: nempè numquam contrahi irregularitatem, nisi in casibus jure expressis. Secundò, neminem in dubio facti censendum esse irregularem in ullo foro, præterquam, ex singulari juris dispositione, in dubio homicidii, in casibus expressis ab illo: atque ita necessariò dicendum est, in dubio ipsius homicidii, & cædis, & non homicidæ, nullam incurri irregularitatem. * Hactenus Gibalinus.

§. II.

Conclusio ex dictis.

5. PRopter hæc sententia asserens, eum, qui fecit abortum, sed dubitat, an fœtus esset animatus, non incurrere irregularitatem, valdè mihi probabilis est. Eam tenet Emanuel de Moura *opusc. de ensal. & incantationib. sect. 3. cap. 1. n. 27.* ubi sic. * Non incurrit irregularitatem ille, qui cum certus sit, iniquè concurrisse ad abortum, dubitat vero, an proles per abortum occisa fuerit, seu jam animata anima rationali. *Quem sequitur Joan. Præpos.: *p. q. 5. de Irregul. dub. 8. nu. 58.* * Quia non est, inquit, censendus irregularis ex eo, quòd in dubio homicidii aliquis debeat se habere tanquam irregularem, quia si benè perpendantur jura statuentia, advertetur, ea non comprehendere præsentem casum, cum omnia supponant subjectum capax mortis; nam agunt, quando constat de morte alicui illata, & dubium est, à quo ex variis concurrentibus sit illata. In præsenti verò causa dubium versatur circa conditionem subjecti, an scilicet viveret, nec ne: unde dispositio juris non intelligitur de nostro dubio, & proinde non satis constat, an in præsenti casu irregularitas jure sit illata, & per consequens non est dicenda incurri. * Sic Præpositus.

6. Pro hac opinione consequenter ad sua principia suprà jacta militat etiam Gibalinus *ubi suprà num.* 26. * Quia jus, inquit, statuens irregularitatem, in dubio homicidii, loquitur tantum in eo casu, in quo certum est fuisse commissum homicidium, & dubitatur, an Titius, qui percussit, etiam occiderit: hic autem cum dubitetur, an fœtus viveret, dubitatur, an fuerit commissum homicidium: cum igitur de eo casu jus non agat, in illo non contrahitur irregularitas. * Ex illo, cui adhæret Franciscus Bardi *tom. de Cens. lib. 6. cap. 7. §. 4. n. 2. & 3.* ubi, postquam opinionem communem proposuit, sic ait: * Nihilominus est probabilis contraria opinio. * Et rationem conclusionis reddit: * Quia dispositio illa juris *in cap. ad Audientiam*, &c. In illis capitibus suprà citatis, &c. intelligi debet, quando constat de corpore delicti, licet dubitetur, an dubitans habuerit influxum in illud delictum, &c. At in casu nostro non constat de corpore delicti, cum dubium sit, an fœtus fuerit animatus, nec ne: an fuerit homo? & cum dispositio illa sit pœnalis, restringenda erit. Proinde nisi constet de homicidio, judicandum est, delictum illud non esse comprehensum sub tali dispositione, &c. Etsi attentè legatur textus juris Canonici, videbitur decisio supponere homicidium jam peractum. * Quibus factum Doctores alii asserentes, in dubio facti homicidii nullam judicandum esse irregularem pro foro conscientiæ, sed pro foro tantum externo, post latam judicis sententiam; pro qua nonnullos refert Leander à Murcia *in Disquisit. in 1. 2. lib. 1. disp. unica, resol. 7. num. 34.* dicens, esse probabilem.

7. Præterea hanc sententiam defendunt Palliarius *tom. 2. tract. 7. cap. 5. nu. 25.* D. Franciscus Verde *pusc. pro Caramuele q. 12. p. 2. §. 6. nu. 569. fol. mihi 91.* & Machado *tom. 1. lib. 2 p. 3. tract. 17. docum. 10. n. 3.* ubi sic. * La segunda questiones, si el que està conduda, si la criatura, que por su causa se abortò, estava animada, o no, se deba tener por irregular? La mas comun, y recibida opinion es, que si. Fundase, en que el que fue causa del aborto, està en duda de si cometiò, ò no homicidio, y en caso de tal duda, expressamente el Despueso por el derecho Canonico, que se debe tener por irregular. No obstante, que la contraria opinion defienden Doctores de no poca autoridad: El fundamento que tienen es, porque por sola razon de duda no queda irregular, el que haziendo hecho de su parte lo que buenamente pudo para salir de la duda, se quedò todavia con ella. Ni tampoco el tal queda irregular por la disposicion del derecho referida, &c. Porque si bien se consideran los dichos textos, no comprehenden este caso, pues presuponen el sugeto capaz de muerte: y assi si la duda entonces no viene à ser sobre si era vivo, ò no el sugeto, sino de si el muerto, ò no el que està dudoso. Mas la duda de si la criatura estava animada, ò no, es acerca de la condicion del sugeto, conviene à saber, si estava vivo, ò no, con que viene à ser, que ya la irregularidad dispuesta por derecho en caso de duda del homicidio cometido, no aya lugar en la duda de si la criatura estava animada, ò no, por ser principio, que el mismo derecho no ofenna, que la irregularidad, que no estuviere expressamente, no se debe admitir. * Sic ille, qui in margine citat Gomezium *de Delict. cap. 3. in rubrica de homicidio, n. 11.* Bajardum *in Addit. ad Iulium Clarum, quæst. 68. num. 1.*

8. Hanc opinionem probabilem putat Diana *p. 2. tract. 2. resol. 16.* ubi citatis pro illa Moura, & Præposito, sic ait: * Hanc sententiam videntur approbare Gomez, & Bajardus (suprà) ubi tenent, quòd homicidio fœtus præsumi debet animatus. Hæc opinio est probabilis. * Et talem etiam reputat Leander à Sancto Sacramento *tom. 5. de Irregularit. disp. 11. tract. 2. quæst. 10. num. 4.* docent Thom. Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 10. num. 4.* contrariam, quam sequitur, solum vocat probabilem. Suarez *de Censuris, disp. 40. sect. 5. nu. 1.* apud quem Navarr[illegible]

varro, Villadiego, & Covarr. Quibus adde Franciscum de Lugo 1.p. *dec.quæst.26.num.*150. & Leandrum à Murcia *in Disquisit.lib.*1.*disp.unica,resol.*7.*nu.*39. apud quos communiter Doctores, eo principio ducti, quod irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis: nullum autem est jus, quod incurri decernat in dubio juris. Unde cum in casu præsenti in dubio juris versemur, eo quòd plures, & gravissimi Doctores, ut vidimus, textus juris Canonici exponant, non comprehendere casum, in quo non constet de facto homicidio, qualis est, qui modo ventilatur: necessaria consequutione deducitur, in eo irregularitatem non incurri.

9 Secundò probatur ex regul. juris *semper in obscuris*. Ubi statuitur, pro illa parte præsumendum esse, pro qua evitatur pœna, ut exponit Alciatus *regul.*3. *præsump.*45. ergo in dubio de animatione fœtus præsumendum est, non esse animatum: cum agamus de evitanda irregularitatis pœna. Quo fundamento viri doctissimi censent, in dubio, an fœtus sit mas, vel fœmina, præsumendum esse fœminam: ac proinde non esse animatum ante 80. diem, juxtà communem opinionem asserentem, mares animari die 40. à conceptu, fœminas vero die 80. ut cum Aristotele, Plinio, & aliis tradunt Theologi apud Dianam *p.*7.*tract.* 5.*resol.*6.

10. Confirmatur, quia non est irregularis qui consuluit homicidium, dum non constiterit, fuisse commissum, * quia si hoc non constat, (ait Sanchez *ubi suprà num.*44.) nulla est possessio, & præsumptio contra consulentem, sed factum manet omnino dubium. *Ergo saltem consulens abortum, non incurret irregularitatem, quando est dubium de animatione fœtus. Quia dum hoc dubium adest, verè factum est omnino dubium, cum non constat de homicidio facto. Et ita à fortiori tenere debet Sanchez *ubi suprà*, cui consentit Merolla *tom.*1.*disput.*3.*cap.*3.*dub.*2. & expressè docet P. Thesaurus 1.*p.cap.*16. dicens: in dubio facti de homicidio, vel abortu, si quis applicuit media fallibilia ad procurandum abortum, vel homicidium, verbi gr. si solum mandavit, vel consuluit, vel si prægnanti fecit venæ sectione sanguinem emitti, & postea non potest certiorari, an res habuerit effectum: tunc in dubio non est censendus irregularis, quia non proceditur contra quemdam ad pœnas, nisi constet de corpore delicti, *l.*1.§. *Item illud sentiendum, ff.ad sen.cons Syllan.* Menochius *de arbitr.casu* 452.*n.*20. & procedit tam pro foro externo, quàm interno. Sanchez *in Decalog.cap.*10 *nu.*44 *lib.*1. Navarrus *cons.*47. *de homicidio.* Quaranta §. *Nota per hanc.* Barbos. *allegat.* 51.*n.*139. * Hæc Thesaurus, cujus ratio vel nil probat, vel planè evincit, quoties non constat de homicidio sequuto, non esse locum irregularitati, quia non constat de corpore delicti. Ergo in dubio an fœtus sit animatus, non erit irregularis, qui procuravit abortum, quia non constat de homicidio sequuto, in quo consistit corpus delicti, cui irregularitas est annexa.

11. Et hanc sententiam tenet novissimè doctissimus & Illustris. M. Acatius de Velasco Episcopus Ortolensis ex Ordine Prædicatorum *tom.*2.*verb.Homicidio, resol.*48.*num.*5.*post medium*, ubi sic ait: * Ni tampoco el que está con duda, de si la criatura, que por su causa abortò, estava animada, ò no, se debe tener por irregular: entiendese aviendo hecho de su parte, lo que buenamente pudo para salir de la duda, y queda todavia con ella. Presumese, que la criatura tiene alma, quando tiene claramente distintos sus miembros. * Addit Gibalinus *de Irregul. cap.*4. *quæst.*1. *consult.*11. *num.*32. quod dubitans, an mandatum, vel consilium suum influxerit in homicidium, hoc etiam sequuto, non esse irregularem in foro conscientiæ, licet in exteriori, si de consilio constaret, declararetur incurrisse. Plus addunt alii, dubium de homicidio à se patrato, videlicet, an mors injusta sequuta fuerit ex vi suæ, an vero alterius tantum actionis, non esse sufficiens, ut dubitans existimetur irregularis. Sic P. Henriquez *lib.*14 *cap.*13.*n.*2.*in fine.* Ubi ad incurrendam irregularitatem requirit, ut probabilius reputet, ipsum occidisse. Cujus sententiam non putat omnino improbabilem Suarez, Salas, Rebellus, & alii, quos refert P. Bardi *in explication.Bullæ Cruciat p.*3.*tract.*2.*sect.*5.*n.*51. Qui auctores ad capita prædicta juris Canonici dicunt, sermonem ibi esse pro foro externo, quorum sententia in dubio abortus fœtus animati eumdem locum habere debet.

12. Adnotandum hic est, M. Candidum *tom.*1. *disquis.*18.*art.*16.*dub.*9.*nu.*8. existimare, irregularem non esse incapacem beneficii adquirendi: atque adeò posse beneficium post irregularitatem obtentum alteri cedere, atque permutare. Cui consentiunt Doctores, quos refert, & sequitur Leander à Sacram. *tom.*5.*de Irregul.tract.*1.*disput.*3.*quæst.*12. & 19. Et licet hæc sententia opponatur stylo Curiæ, & pluribus sacræ Rotæ decisionibus, (ut videre licet apud Dianam *p.*4. *tract.*2.*resolut.*37. & 79. & *p.*11 *tract.*5.*Miscell.resolut.*1.) eam tamen sequuntur 17. Doctores, quos ipse ibidem refert, existimantes stylum Curiæ obligare in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ, & fundari in probabilitate alterius sententiæ, sed non tollere probabilitatem contrariæ. Et saltem in dubio homicidii irregularem non esse incapacem retinendi, & adquirendi beneficia, est communior, & verior sententia Theologorum, quam tenent Sayrus, Suarez, Salas, Molina, Sanchez, Coninch, Hurtado, & alii, quos citatos sequitur Palao *tom.*6.*de Cens.disp.*6.*punct.* 3.*num.*8. §. *Notanter dixi.* Quod est valdè notandum.

QVÆSTIO VII.

An adulter, qui in vita suæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, maritum invasorem occidit, fiat irregularis?

1. COmmunis Doctorum opinio negat, Sylvest. *in Sum.verb.Homicidium* 3. §. *Quarto quæritur dicto* 3. ibi: * Qui occidit, aut mutilat, aliter evadere non potens, sed ad hoc ex illicito opere deductus: puta, quia noctu deprehensus est cum muliere, &c. videtur irregularis, per regulas supradictas, quia dabat operam rei illicitæ. Quam opinionem credo veram (attende) ubi iste licitè impugnaretur, ut quia capitur justè à Ministris Justitiæ pro maleficio: sed falsam, ubi impugnaretur illicitè, & consequenter licitè se defenderet, quia jura excipientia, ab irregularitate homicidii voluntarii, se defendentem, de licita defensione intelligenda sunt, &c. * Quod autem adulter invasus licitè se defendat, constat ex ipso Sylvestro ibidem §. *Secundo quæritur, dicto* 6. & *verb. Bulla*, §. 3. & 5. & docet expressè M. Bannez *de Iust. quæst.* 64. *artic.* 7. *conclus.*3. his verbis: * Licitum est, occidere invasorem, etiamsi ille, qui invaditur, fuerit in culpa prius, ut alter aggrederetur ipsum. Etenim, verb. grat. adulter ex injuria, quam facit marito, non amittit jus naturæ defen-

defendendi propriam vitam, &c. * Sic ille. Quem transcriptis verbis sequitur Mag. Paulus de Blanchis *in disceptat. cas. consc. verb. Homicid. casu 5. dub. 1. conclus. 3. folio* 447. & Mag. Petrus de Ledesma *in Sum. p. 2. cap. 18. post octavam conclus. diffic. 3.* dicens: * Esta resolucion tienen todos los Theologos en el lugar citado. * Sic ibi, & meritò: ex quo principio opinionem præfatam tenuit Sylvest. suprà, & tenent communiter doctissimi alii Patres Magistri sui Ordinis.

2. M. Sotus *lib. 5. de Iust. quæst. 1. art. 9. §. Intertia autem conclusion.* sic ait. * Si Clericus in adulterio comprehensus invaditur, & cum moderamine inculpatæ tutelæ, invasorem occidit, quamvis operam daret rei illicitæ, non debet irregularis censeri, quia homicidium illud non est tunc voluntarium. Nam quamvis adulterium fecerit voluntarium, non tamen fuit per se causa homicidii, sed vulneratio, quæ non fuit voluntaria. *

3. M. Fumus *in Armilla verb. Irregul. num.* 42. * Si Titius inveniatur cum uxore Petri, & invasus à Petro, defendendo se Titius interficiat Petrum, &c. non fit Irregularis, quia aliter non poterat evadere, & sic jus disponit. Et hanc tenet opinionem, nam irregularitas non respicit peccatum, nec meritum. *

4. M. Ludovicus Lopez *2. p. instruct. cap. 25. de Irreg. §. Præterea.* * An Clericus adulter cum adultera comprehensus à marito adulteræ, & ab eo invasus, si causa defendendi vitam propriam, occidat illum, fiat irregularis? Corduba tenet affirmativam partem. At verò Sotus *lib. 5. de Iustit. quæst. 1. circa explicationem tertiæ conclusionis*, negativam partem tuetur. Dicendum puto, quod opinio negativa Soti, scilicet, quod talis Clericus occisor mariti adulteræ, ob sui necessariam defensionem, non est irregularis, probabilior est, & verosimilior, &c. Huic opinioni Soti videtur patrocinari Covarr. &c. Probatur primò ratione Soti; tum etiam probatur ratione elicita ex quodam fundamento Covarr. dicentis, quod quando in hac controversia irregularitatum, dicitur in regula generali, quod, is eam incurrit, qui dat operam actui illicito, ex quo sequitur mors: per actum illicitum intelligendus est ille actus, qui prohibitus fuit ratione hujus periculi, scilicet, mutilationis, & mortis (ut colligitur *ex cap. tua nos de homicidio*) secus si non ratione periculi, sed ex alia causa esset talis actus prohibitus, quia tunc hujus prohibitionis transgressio abesset à culpa homicidii, quæ requiritur ad irregularitatem incurrendam: sed sic est, quod adulterium commissum cum adultera non est actus prohibitus ratione periculi mortis inde potentis procedere, sed ex alia causa: ergo. * Hactenus M. Lopez.

5. M. Michaël Zanardus *1. p. ubi de homicidio, cap. 2. §. Sexto dico, & seq.* ibi: * Imò occidens Clericum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem, &c. (& inferius.) Quintò etiam valet in eo, qui dabat operam rei illicitæ, ut fuit ille, qui deprehensus est à marito, cum uxore sua. *

6. M. Joannes de la Cruz *2. p. Direct. ubi de Irreg. dub. 5. conclus. 1. fol. mihi* 245. ibi: * *In Clement. si furiosus de homicidio*, liberatur ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem. Et intelligitur, etiamsi aggressus daret operam rei illicitæ, ut si capitur cum uxore invasoris. Ita Soto, Ludovic. Lopez, Henriquez, cum Sylvestro, Armilla, Saludano, Victoria, Cano, Mantio, Penna, & Medina contra Navarrum, & alios Canonistas indistinctè asserentes, quod qui dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur mors, fit irregularis. * Sic ille, & alii ejusdem familiæ, quos refert Henriquez *de Irreg. lib. 14. cap. 3. numero* 4. *in Gloss. in 2.*

7. Eamdem sententiam tuentur viti alii doctissimi, quos citatos sequitur Rever. P. Leander à Sancto *tom. 5. tractat. 2. disp. 12. quæst. 32.* ubi sic probat: * Licet quamvis adulter cautam al quam dederit occasionem, committendo adulterium, & maritum adulteræ, facto ipso, provocando, tamen justè se defendens, & licitè, cum maritus illum illicitè privare vitate velit occidere. Ergo prædictus adulter, licet absolutè in ordine ad adulterium sit nocens, tamen in ordine ad hanc defensionem innocens est, ergo ita tanquam innocens se justè potest defendere cum morte injusti invasoris. Ita Fagundez, Lessius, Salon, Beja, Petrus de Navarra, Mercado, Sylvest. Cabassus, Ovandus, Hurtado, Cornejo, Bordonus, Pelizarius. * Quibus adde Sayrum *de Censuris, lib. 1. cap. 17. num.* 18. ubi decem auctores adducit, & Avilam *de Censuris ubi infrà dub. 1. §. Sed petis*, qui sic inquit: * Et benè probat Mercado, quia ista injuria non debet auferri jus, ut se vindicaret propria manu. *

§. VNICVS.

Judicium Auctoris.

8. OPinionem istam communem, tam propter auctoritatem tot sapientissimorum, quam propter fundamenta supra jacta, lubens amplector cum Antonio de Escobar *in Moral. Theolog. tract. 1. exam. 6. cap. 5. num.* 166. cujus opinionem nec ipse Neothericus notare non erubuit. Sed ad penuriam libri, authores retulisse sufficiat.

9. Addunt alii, quibus assentior, idem profitendum, licet adulter prævideret periculum occisionis mariti occasione adulterii futurum. Sic Vivaldus illos referens *tract. de Irregul. num.* 211. ibi: * Covarr. *in Clement. de homicidio, p. 3. num. 4.* limitavit, si adulter sit irregularis, quando prævidit periculum. Sed secunda parte tenuit contrarium, quod aliter probabile, alii probabilius, dixerunt esse; id est, non incurrere irregularitatem, si moderamen inculpatæ tutelæ servaverit, se defendendo. Ita Sotus *lib. 5. de Iust. quæst. 1. artic. 9.* ubi rationem, quæ mihi satisfacet, assignat: scilicet, quod etiamsi adulterium non omnino voluntarium, homicidium inde sequutum non sic. Ita tenuit Victoria, & Canus in public. *lect. 12. q. 73. artic. 8.* & Mag. Mantius, & alii 2. 2. *q. 64. art. 8.* Castro citat alios. Sed quia Majestas Curia Romana in facti contingentia responsum suum esse, talem egere dispensatione, tutius, & securius illam impetrare. * Hæc Vivaldus, qui, ut confitor dictis, tutam, & securam censet præfatam opinionem. Imò & à principiis intrinsecis magis in eam inclinare videtur cum Doctoribus, quos citat.

10. His consonant plures, quos refert Avila *de Censuris, 7. p. de Irregul. disput. 5. sect. 3. dub. 3.* ubi sic: * Probabilius est, quod non manet irregularis. Ita Sotus, Medina, Henriquez, Navarra, Sylvester, Tabena, Mercado, & alii juniores. Et intelligitur casu, quamvis Clericus (adulter) prævideat periculum. Probatur, nam licet peccaverit adulterando, tamen posteà invasus, licitè se defendit: ergo non fit irregularis. (& infrà) Ipse aggrediens censetur causa mortis, cum cessando ab aggressione, ad quod tenebatur in foro conscientiæ, posset illam vitare. Ita respondent quidam juniores, & referunt, sic respondisse Sotum consultum de hoc. * Hæc ille.

10. Hujus sententiæ ratio est, quia adulter præ-

deus

dens periculum invasionis à marito adulteræ proventuræ, & necessitatem indè emanaturam se constituendi in periculo patiendi, aut inferendi mortem marito, non tenetur ex justitia, sed ad summum ex charitate à prædicto discrimine abstinere, quia adulterium non est causa per se mortis mariti, sed causa per accidens, quam sola charitas removere obligat. Irregularitas verò ex homicidio non contrahitur ab illo, qui malitiam homicidii non contrahit, ad quam contrahendam requiritur delictum contra quintum Decalogi præceptum. Sic tradit, & benè cum Sylvestro, & aliis Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 21. *disput.* 22. *num.* 16. *El que no impide, inquit, el homicidio, si peca solo en esso contra caridad, no queda irregular, assi lo tiene Sylvestro, Navarro, Suarez.* Quibus adde Dianam cum aliis *p.* 11. *tract.* 6. *resolut.* 29 & plures apud Bonacinam *de Censur. disput.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 8. *num.* 37. quos sequitur M. Joannes de la Cruz *in Direct.* 2. *p. ubi de Irregul. dub.* 10. *concluſ* 3 *fol. mihi* 248. citans D. Antoninum, Navarrum, & Ludovicum Lopez. * Dixi, inquit, ex justitia, nam si ex sola misericordia tenearis, non fis irregularis. * Quapropter prædictam Vivaldi, & aliorum sententiam probabilem putat Diana 4. *p. tract.* 2. *resolut.* 2. *in fine*, & Portel *in dubiis Regular. verb. Homicidium, nu.* 32. & plures omninò, quos brevitatis causa non refero.

11. Ex quibus fit, prorsùs rejiciendum Majolum *lib.* 5. *de Irregul. cap.* 48. §. *Tertia declaratio*, asserentem, adulterum invasum, injustè se defendere. Cujus rationem reddit: * Quod hic adulter sese injecit in eam necessitatem, ideò cùm justè, inquit, invadatur, injusta est defensio. * Verum hoc principium falsissimum est, & contra omnes, & ex illo evidenter deducitur, fore licitam occisionem aduteri in flagranti comprehensum (quod ut scandalosum damnavit Alex. VII. die 24 Septemb. anno 1665.) Si enim maritus justè invadit adulterum, justè etiam occidere poterit, quia invasio, & occisio eamdem in foro externo excusationem habent, ob defensionem honoris. Dicendum igitur est, maritum injustè invadere, & adulterum invasum à marito justè se defendere: atque adeò, si vim repellendo, ipsum occidat, non fieri irregularem.

12. Dices cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. *ad tertium.* * Quod irregularitas consequitur actum homicidii; etiamsi sit absque peccato, ut patet in judice; & propter hoc Clericus, etiamsi se defendendo, interficiat aliquem, irregularis est, quamvis non intendat interficere, sed seipsum defendere. * Fateor, sic olim scripsisse D. Thomam, sed respondet Eminentiss. Cajetanus ibidem: * Quod novo jure *in Clement. unica de homicid.* statutum est, quod is, qui aliter mortem evitare non valens, suum occidit invasorem, irregularis non est, quæ lex, si tempore auctoris stetisset, non scripsisset hoc auctor. * Sic Cajetanus. Imò addunt alii, nec secundum jus antiquum manere irregularem. Et Glossa *in Clement. si furiosus*, refert Hostiensem asserentem, quod suo tempore Clemens Quartus, & curia sic tenebat.

13. An verò maritus occidens adulterum in flagranti repertum fiat irregularis? Major est difficultas, cùm verissimum sit, illicitè occidere, ut contra nonnullos docui in opusculo pro Jesuitis *tractat. de Iustitia. prop.* 4. Nihilominùs P. Mendo *in statera Dissert.* 3. *ad* 3. *Decalogi præceptum, quæst.* 2. *nu.* 27. cum Fagundez *in quinque præcepta Ecclesiæ. lib.* 3. *cap.* 10. censet, non incurrere irregularitatem, quia *text. in cap. Si verò alicujus*, occidentem adulterum deprehensum cum uxore, vel cum matre, sorore, vel filia, æquiparat, quoad immunitatem, à pœna excommunicationis, occidenti alium, ut justè se defendat: ergò idem dicendum quoad irregularitatem, quod Doctores communiter quoad excommunicationem, quam non incurrere, sicut nec alias pœnas juris civilis, omnes docent. Vide Molinam *tom.* 3. *de Iustit. tract.* 3. *disput.* 55. *num.* 6. *disp.* 99. *n.* 15. ubi citatis Antonio Gomez, & Julio Claro, concludit dicens, esse communem Doctorum sententiam.

14. Rogabis, an adulter possit permittere sui occisionem, ne maritus invasor illam patiatur? an potiùs teneatur, hunc occidere, si aliter evadere non possit? Respondet Villalobos *in sum. tom.* 2. *tract.* 12. *de homicid. diffic.* 10. ibi: * Quando uno no puede defenderse su propia vida, sino es matando al proximo, no està obligado para defenderla, à matarle. Assi lo dizen comunmente los Doctores. Hase de limitar (attende) en caso que no este en semejante peligro espiritual, porque si se sintiesse en pecado mortal, (ut est adulter in flagranti comprehensus) no le avia de sufrir por el peligro de la salvacion. * Putant alii, idem asserendum, licet invasus non habeat conscientiam peccati mortalis. Sic M. Zanardus 1. *part. ubi de homicidio cap.* 2. *fol.* 749. ubi sic: *Septimò dico, quando aggressus est persona publica, & multum Reipublicæ necessaria, & aggressor non, &c. tenetur aggressus se tueri; nec potest voluntariè pati mortem, non resistendo aggredienti, &c. Si sint æqualis conditionis, dico, quod aggressus peccat, nisi se defendat, undè non potest pati mortem, nollendo aggredienti resistere, quia magis tenetur propriæ vitæ, quàm alienæ, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. * Sic ibi. Et ante illum Abulensis super Josue *cap.* 11. *quæst.* 11. Imò & quemque teneri injustum invasorem, vitæ, honoris, & bonorum proximi, interficere, si aliter non possit illius damna impedire, tradit Joannes Pontius, cui citato consentit Diana *part.* 11. *tract.* 6. *res.* 52. §. *Nota*, sed quidem non credam charitatem, cum tanto unius dispendio, alteri proximo subvenire, nos obligare.

QVÆSTIO VIII.

Utrùm damnati ad Triremes sint irregulares?

1. SI pœna executioni mandata fuerit, affirmativè respondent Navarrus, *consil.* 43. incipit. quærit. 1. *n.* 2. sub titulo *de temporib. ordinand. in novis.* Card. Thuscus, *verb. Infamia concl.* 111 *n.* 5. Lezana *in sum. quæst Regul. cap.* 16. *n.* 32. Molfesius *in sum. tract* 6. *cap.* 8. *nu* 14. Campanil. & alii, quos sequitur Barbosa *de Potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 42. *num.* 15.

2. Negant Riccius *p.* 1. *decis. Neapol. decis.* 119. Homobonus *in consult. cas. consc. vol.* 1. *p.* 4. *respon.* 158. Antonius de Escobar *Mor. Theol. exam* 6. *cap.* 5 *nu.* 168. & Diana *p.* 4. *tract.* 2. *res.* 83. Probant, quia neque infamia, neque irregularitas incurritur, nisi in casibus expressis à jure, qualis hic non est. Quia numquam legitur condemnatum ad remigandum, contrahere infamiam, ex Borello *consil.* 52. & aliis. * Quæ omnia inquit, Diana notent confessarii, nam hi casus sæpè in praxi accidunt. * Idem repetit *p.* 10. *tract.* 11. *res.* 26. §. *Sed quid*, ubi se magis explicans hanc sententiam moderatur, dicens. * Licet ego olim docuerim,

damnatos ad triremes non esse irregulares, modò existimo cum Thesauro *in praxi p. 1. cap. 33.* si fuerint ad Triremes damnati, ex causa famosa, dictam pœnam inducere infamiam, & irregularitatem. * Sed quidem nullo fundamento, pœnæ triremium infamiam, quæ irregularitatem inducat, attribuit, cùm potiùs delicto famoso attribuere debuisset. Si enim ex ipsa pœna oriretur infamia, qualecumque fuisset delictum, licet ex se famosum non esset; dicta triremium pœna infamiam, & irregularitatem induceret, ut ex terminis notum est. Nullum ergò quoad hoc discrimen est, inter hanc & alias pœnas, quandoquidem, nulla adhibita ex delicto præcisè considerato, si infamiam annexam habeat, irregularitas incurreretur, secùs si famosum non sit, quamvis triremium pœna puniatur. Eodem sensu, quo Diana, videtur loquutus Barbosa ubi suprà, sic intelligens Doctores quos pro prima sententia refert. Sic enim *num. 14. & 15.* scribit. * Requiritur sententia declaratoria de crimine famoso, quod infamet, ut quis dicatur infamis infamiâ juris, per *l. furti. ff. de his qui notant. infam.* Resolutum fuit *in Antonio Bonon. testam. die 1. Iunii anno 1552.* coram *Augustino*, relata per Caputaquen. *decis. 90. infamia. p. 2.* Homobonus *de exam. Ecclesiast. tr. 12 cap. 3. quæst. 7. suppl. 2.* Sigismundus à Bononia *de elect. dub. 86. nu. 6.* Et ideò (attende causalem) qui virgis cæsus fuit, præcedente judicis sententiâ, aut ad triremes damnatus in eis stiterit, ad Ordines promoveri non valet, ut consuluit Navarrus, &c. * sentit ergò apertè requiri sententiam declaratoriam, quod crimen, propter quod ejusmodi pœnæ inflictæ fuerunt, sit famosum, & quod infamet, ut quis dicatur infamiâ juris notatus, & ideò ad Ordines promoveri non valeat.

3. Pro decisione hujus gravissimæ quæstionis, aliqua apud Theologos, & Canonistas communiter recepta, præmittenda sunt. Primùm, nullam irregularitatem incurri, nisi in jure sit expressa, ut constat *ex cap. is qui de sentent. excommunic. in 6.* Secundùm, ad infamiam, de qua in præsenti agimus, irregularitatem inducentem, necessariam esse aliquam juris dispositionem, vel Canonici, vel civilis. Quæcumque enim delicta, quibus à jure civili, vel per sententiam judicis pœna infamiæ annexa est, eam jure etiam Canonico annexam habent, dum per istud ablata non fuerit. Sic communiter Doctores, Bernardus Diaz, Graffius, Filliucius, Avila, Henriq. Farinacius, Tamburinus, & alii, quos citatos sequitur Barbosa *ubi suprà num. 2.* Quia ut benè ait Suarez *tom. 5. in 3. p. disp. 48. de censur. sect. 2.* dum infamia, per jus civile inducta, non revocatur per Canonicum, ab ipso acceptatur expressè, vel tacitè, ideòque verè dicitur infamia Canonica, eosdemque effectus habet, ut constat *ex cap. omnes 6. q. 1.*

4. Tertiò supponendum est, infamiam aliam esse juris, aliam facti: infamia juris dicitur, quæ à jure ipso Canonico, vel civili (acceptato ut suprà) expressè imponitur. Infamia facti, quæ ex delicto aliquo commisso provenit, cui licet à jure infamiæ pœna non sit imposita, nec per judicis sententiam illata, propter illud tamen, delinquens apud bonos & graves, communiter notatur, & ejus opinio denigrata manet. Sic Barbosa suprà, & Thomas Sanchez *tom. 2. consil. lib. 6. cap. 3 dub. 4.* ex communi Doctorum; & Felinus, Ugolinus, Sylvester, Henriq. Candelab. aureum, Toletus, & alii, quos citatos sequitur Garcia *de beneficiis, p. 7. cap. 8. n. 12.* His positis,

5. Difficultas præsens non est, an damnati ad triremes sint irregulares, quando delictum propter quod ejusmodi pœna fuit illata, habet annexam infamiam juris, certissimum enim est, in tali eventu esse irregulares. Solùm ergò in dubium vocamus ratione pœnæ, irregularitas incurratur, tametsi delicto nulla ex jure sit infamia injuncta? Et in hoc sensu idem est, ac inquirere, an infamia Canonica, quæ solam irregularitatem inducit, ut ait Suarez *sect. 2.* sit annexa pœnæ triremium? Partem negativam sustinent Doctores pro secunda sententia orti. Quibus in facti contingentia, his diebus, subscripserunt celebriores viri in hac Matritensi curia degentes. R. P. M. Fr. Franciscus de Urrea ex Ordine Prædicatorum, olim primarius Sacræ Theologiæ professor. R. R. Fr. Antonius de Figueroa, & Fr. Ludovicus Henriquez Regius concionator, Augustinian. R. P. Fr. Hieronymus Cannada ex Ordine S. Dom. Supremi Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Qualificator. R. P. F. Blasius Fostado Carmelitanus, olim primarius in Universitate Toletana, Regius concionator, & Supremæ Sanctæ Inquisitionis Tribunalis Qualificator. R. P. Benedictus Remigius ex Clericorum Minorum familia, & R. P. Fr. Ludovicus à Conceptione ex Ordine Excalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, & alii, quos consului. Quibus egomet calculum adjunxi.

6. Probatur hæc sententia, quia in toto jure Canonico, & civili, nulla invenitur lex, qua pœnæ triremium irregularitatem, aut infaminiam jungat, ut constat ex Borello ubi suprà, ex Miralo *irregul. lib 3. cap. 1.* ex Thoma Sanchez *Consil. lib. 1. cap. 3. dub. 6.* ex Barbosa *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 2.* ex Leandro à Sacram. *tom. 5 disp. 26. q. 8.* & cæteris referentibus omnia crimina, & casus, quibus ex Canonico, vel civili infamiæ pœna est injuncta, & ex quibus infamia Canonica contrahitur. Hæc autem notatio, vel infamiæ irrogatio non fit nisi à lege. ut constat *ex l. Palam, §. Qui in adulterio ff. de nuptiarum*, cum aliis congestis per D. Franciscum Amat. *in l. unica, Cod. de infamibus, lib. 10. num. 3.* irregularitas non est inducenda, nisi ubi est expressa in jure, *cap. is qui de sentent. excommun. in 6.* Urgente quia in pœnis ad notam infamiæ incurrendam, potiùs causa, quam ipsa pœna venit attendenda, propter insigne illud Marcelli responsum *in l. actiones ff. de his, qui notantur infamia.* Ubi: * Quod actionum infamiam non importet, sed causa propter quam id pati meruit, si ea fuit, quæ damnato infamiam irrogaret. * Ergò si delictum, cujus causa delinquens fuit ad triremes damnatus, infamiam non irrogaverit, ejus modo pœna triremium infamiam non importabit.

7. Dices consuetudine receptum esse, quod ejusmodi pœna inter ignominiosas, & irrogantes infamiam annumeretur. Quapropter nobiles familiæ non esse plectendos, declaravit Magnæ Curiæ Vicaria Neapolitanæ, teste Grammatico *decis.* tenet Covar. *lib. 2. variar. cap. 9. num. 4.* & pania ita observari testatur Gomez Arias Tauri, *num. 34.* Quem & plures id attestantes fuetudine refert Julius Clarus *in praxi crimin. q. 60. vers. Et ideò, de consuetud.* Gutierrez *lib. q. 16. num. 6. & 7.* Mastrillo *decis. 261. à num.* Respondeo primò, infamiâ, quæ ex pœna triremium se ipsa considerata oriri potest, non esse juris, facti; infamia autem facti ablq; administratione legum est infamia legalis, & Canonica, quæ ad irregu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ritatem inducendam requiritur. Ut docet P. Suarez *tom. 5. disp. 48. sect. 2.* Ubi sic * dicendum est irregularitatem incurri per omnem infamiam Canonicam, & per solam illam. Pr or pars constat, &c. Posterior patet, quia hæc irregularitas est impedimentum Canonicum: item quia debet esse in jure Canonico expressa, & consequenter annexa tali infamiæ ex vi ejusdem juris: & hoc est infamiam esse Canonicam. * Sic ille. Quem sequitur Thomas Hurtado *tom. 2. var. resol. mor. tr. 12. cap. 1. num. 508. fol. 363.* * Irregularitas, inquit, Canonica, & juridica, quæ solùm facit ipso facto inhabilem beneficio curam animarum habenti, non incurritur, nisi exprimatur in jure, *cap. is qui de sent. excom. in 6.* Atqui quod infamis infamia facti incurrat irregularitatem juridicam, nullus est textus. * Idem sentiunt alii, Bonacina *tom. 1. tr. de censuris, disp. 7. de irregul. q. 3. p. 1. num. 5. in fine.* * Infamia ipla præcisè (nempè facti, quod infame apud graves, & honestos viros censetur) non impedit exercitium ordinum susceptorum, nisi crimen tale sit, ut impediat etiam exercitium susceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale est homicidium. * Sic ille pro se citans Toletum, Azorium, & Suarez. Quibus adde Villalobos *in Sum. tom. 1. tr. 21. diffic. 30. num. 3.* ibi* Quanto à la infamia facti, se debe advertir, que para que sea legal, no se induce por solo que los hombres tengan noticia de algun delito, sino es que aya algun adminiculo de derecho, esto es, que aya ley, que mande, que el tal delito sea de los que hazen à los hombres infames, porque esta es pena legal, que no se incurre sino es en los casos en que está puesta en derecho, &c. Verdad es, que quando los delitos son publicos, pierden los hombres la opinion, y quedan infamados, mas esto no es por via de pena legal, è impedimento Canonico. * Sic ille, ex Suarez suprà *disp. 48. sect. 1. num. 3. in fine, & num. 11.* Nec dissentire potest Nicolaus Garcia *ubi sup. p. 7. cap. 8. num 64.* Ubi sic ait: * Ad tertium de irregularitate respondetur, infamem, maximè infamia facti, non esse propriè, simpliciter & absolutè, strictèque irregularem, * & laxiùs *p. 11. cap. 3. num. 113.* Ubi sic. * Respondeo veriorem videri sententiam Covarruv. *in Clementina si furiosus, p. 1. §. 1. n. 5.* qui indistinctè ait non esse irregularem notorium, seu manifestum peccatorem, & sic intelligendum textum in dicto capite finali, *de tempor. ordin.* * Ex quibus deducitur per infamiam facti irregularitatem non incurri, nisi Canonica fuerit, qualis non est, infamia extremium pœna procedens, utpotè quæ nec in jure est expressa, nec ex vi juris irregularitas est illi annexa.

8. Ex dictis concluditur infamiam facti, quæ incurritur ex pœna tremium, obscurare quidem personæ æstimationem, & aliquomodò vilem illam reddere ex hominum judicio, & apprehensione, non verò privare usu ordinum susceptorum, nec ad superioris ascensum impedire: id quod in Hispaniæ Regnis longè verius est, in quibus speciali Philippi Quarti schedula declaratum est, pœnam tremium non inducere infamiam. Sic à Regiis Ministris accepi.

(:†:)

QVÆSTIO IX.

An sit improbanda consuetudo, qua, quibusdam in locis, Catholici sunt Patrini filiorum Hæreticorum, Ministro Hæretico baptizante?

§ I.

Præmittuntur nonnulla.

1. EXtrà controversiam est, quod Ministro Catholico filium hæretici baptizante, possit Catholicus esse Patrinus. Difficultas igitur solùm est, quandò Minister Baptismi est Hæreticus. Et ratio difficultandi sumitur ex cooperatione, & participatione in sacris cum Ministro Hæretico; quæ ex duplici capite peti solet; vel ex eo, quod Minister Hæreticus sit notorius excommunicatus, vel ex eo, quod Sacramentum Baptismi in peccato mortali solemniter administret.

2. Igitur, ut dilucidè procedamus, præmittenda est constitutio Concilii Constantiensis, in Basilienssi sub Martino V. recepta, in qua ad consulendum timoratis conscientiis, indultum est universis Christianis, ut possint cum quolibet excommunicato communicare, tam in sacris recipiendis, quàm extrà sacra, duobus præcisè exceptis casibus, videlicet, si aut nominatim excommunicatus sit, aut manifestus Clerici percussor, qui nullâ possit tergiversatione celari.

3. Præmittenda etiam est communior Theologorum opinio asserentium, hæreticos, licet excommunicatos notorios, non ideò esse nominatim excommunicatos; atque adeò non esse obligationem illos vitandi; sed de illis, sicut de aliis excommunicatis tolératis discurrendum. Sic M. Petrus de Soto *de instit. Sacerd. lect. 3. de excommun. fol mihi 223.* * Generaliter, inquit, excommunicatis, & hæreticis, & similibus non prohibemur participare. * Et M. Petrus de Ledesma *in sum. p. 2. tr. 3. c. 12. post conclus. 12. diffic. 4.* * La quarta dificultades, si es licito comunicar con los scismaticos, que son notorios descomulgados, sino estan descomulgados por sus proprios nombres. La misma dificultades de los Hereges notorios. La razõ de dudar es, porque ya estos tales son notorios descomulgados (Por la Bulla de la Cena del Sennor, y por el capitulo *excommunicamus de Hæreticis*) Luego no es licito, tratar, y comunicar con ellos. En contrario haze el uso de los fieles, donde ay Hereges manifiestos, &c. como se ve en Francia, y en otras partes, donde ay hombres doctos, y pios, que passan por el tal vio. A esta duda Navarro dize, que es dura cosa condenar tanta gente Christiana à pecado mortal &c. y assi dize, que les favorece la extravagante; desuerte, que se puede dezir probablemẽte, que los descomulgados notorios no se han de evitar, sino estan descomulgados por sus proprios nõbres, &c. Esta doctrina me parece a mi muy bien, &c. De lo qual se sigue, que probablemẽte se puede dezir con el mismo Navarro, que quando los Catholicos celebran sus fiestas, y viene alguna gente simple, y sincera de los Hereges y scismaticos à ofrecer algunas obligaciones, y a oir

los oficios divinos, los pueden dexar estar, y comunicar con ellos, porque no estan descomulgados por sus propios nombres. *Sicille, quem sequuntur Suarez, Azor, Toledo, Hugolinus, Sayrus, Zaballos; & alii, quos citatos sequitur Thomas Sanchez *in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. 5. *&* 10.

4. Et hanc sententiam esse communem inter Thomistas, & alios Doctores, constat ex Leandro de Sacram. *tom.* 4. *decensuris tract.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 6. Ubi ait: *Praxi totius Ecclesiæ esse approbatam, cum videamus apertè per totam Germaniam, Galliam & Angliam, Catholicos sine ullo scrupulo cum notoriis hæreticis, & consequenter cum notoriis excommunicatis communicare, & ideò sic tenent D. Antoninus, Cajetanus, Victoria, Sotus, Turrecremata, Ledesma, Bart. de Ledesma, Alterius dicens, nunc non esse authorem, qui ab hac sententia recedat.* * Sicille suprà, ubi quadraginta Doctores pro hac opinione refert. * Qui omnes, inquit, ut jam certum docent, nullum excommunicatum esse necessariò vitandum, quamvis certum constet, incurrisse excommunicationem, si non sit nominatim declaratus excommunicatus, aut publicus percussor Clerici. * Imò addit *quæst.* 8. idem dicendum, licèt nominatim fuerit aliquis declaratus hæreticus, quia ultrà declarationem criminis, cui constat, annexam esse excommunicationem, requiritur, quod expresè nominatim denuncietur excommunicatus. Nam decretum Concilii Constantiensis expresè determinat, neminem teneri vitare excommunicatum; nisi censura fuerit à judice denunciata contra personam specialiter, & expresè. Pro quo citat Santium, Navarrum, Graffium, Hurtad. Filliucium, Alterium, Baunium, Bonacinam, Reginaldum, Vivaldum, Machadum, Dianam & alios.

5. Ex quibus evidenter constat, ex vi excommunicationis non magis teneri Catholicum non communicare in sacris cum hæreticis nominatim non denunciatis, quam cum quolibet alio Catholico excommunicato tolerato: ac proindè idem esse in præsenti quærere, an Catholicus possit esse Patrinus Baptismi, quandò Minister baptizans est hæreticus, ac quando est Catholicus excommunicatus toleratus. Si igitur ratione excommunicationis nulli Catholico prohibeatur, esse Patrinum Baptismi, Ministro Catholico excommunicato tolerato baptizante, non prohibebitur, licèt Minister sit hæreticus. Consecutio videtur legitima.

6. Quod autem Catholico excommunicato baptizante, nulli prohibeatur esse Patrinum; probatur, quia nec ratione excommunicationis, cùm sit toleratus; nec ratione peccati Ministri, quia illi Patrinus non cooperatur, ut loquens de Parocho assistente matrimonio Catholici cum hæretico, docet Basilius de Leon *tom. de matrim. in appendice cap.* 9. §. 1. *num.* 5. licet in Parocho specialis sit difficultas, nam ejus assistentia, (ubi Tridentinum receptum est) ad valorem matrimonii est necessaria: secùs Patrini ad valorem Baptismi: ideoque licèt neuter sit Sacramenti Minister, major tamen est concursus Parochi. Ratio autem, quâ Basilius de Parocho probat, æquè favet Patrino: ait enim: *Non cooperari Parochum illicito matrimonii contractui, quia Parochus non assistit actui de se malo, sed quem culpa sua contrahentes pravè faciunt, cùm possent honestè facere. Ea autem, inquit, est regula generalis, & apud me certissima, quam multis demonstravi *lib.* 5. *de matrim. cap.* 18. Quoties vel peto actum, vel Ministro actui, quem posset alius benè præstare, & sua culpa hoc malè, non dicor ego cooperari peccato illius, sed culpa sum immunis omninò. * Hactenus Basilius. Cùm ergò hæreticus baptizans possit honestè ministrare, quia potest ad fidem Catholicam convertit, & contritionis actum elicere, quem suâ culpâ omittit, non dicetur Baptismi Patrinus ejus peccato cooperari.

7. Adde, nullum esse peccatum, petere absque necessitate Sacramenta à Ministro excommunicato tolerato, parato suâ sponte administrare, etiamsi in exercitio peccaturus agnoscatur. Ut tenent plures Doctores, & cum D. Thom. & aliis tradit Leander à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 9. & *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 17. dicens, ita tenere Vazquez, Vividum, Bonacinam, Henriquez, D. Thomam Juenem de la Cruz, & ex parte Cajetanum. Quibus adde M. Sotum *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. *propos.* 5. dic. * A quocumque per simplicem excommunicationem præciso, si non fuerit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor Clericorum, atque paratus Sacramenta ministrare, licet cuicunque tam in necessitate, quàm extrà, Sacramentum petere, perindè ac si non esset præcisus. * Quem plures alii sequuntur, id confirmantes exemplo petentis mutuum ab usurario parato, quamvis benè noverit, illum peccaturum mutuando sub usuris.

§. II.

Conclusio ex præmissis.

EX his, pro Patrino Baptismi, Ministro hæretico, aut excommunicato tolerato ministrante, vadum argumentum conficitur, quod mihi valdè probabilem reddit opinionem asserentem non esse improbandam consuetudinem quæ in aliquibus locis viget. Nam qui petit à Ministro hæretico, tolerato communicato tolerato, & parato, ut baptismum sibi administret, majorem concursum præstat, quam patrinus, siquidem iste præcisè levat ex fonte; illeque ò petit, & recipit baptisma; sed qui petit, & recipit etiam extrà casum necessitatis, non peccat eò quòd petendo, concurrit ad actionem ministrandi cum persona, quam ratione excommunicationis vitare non tenetur, & cujus peccato indignæ administrationis non cooperatur, sed actioni, quam licitè Minister efficere potest, & ad quam in peccato efficiendam paratus est: Ergò similiter baptismi Patrinus Ministro hæretico baptizante, in his circumstantiis non peccabit mortaliter.

9. Secundò suadetur. Quia concurrere Catholicum cum Ministro hæretico, ut omnis firmum sacramenti, quod uterque simul administret, & recipiat, non est peccatum: ergò neque concurrere ad Patrinum baptismatis, quod alter solus administret. Antecedens probatur: quia matrimonium Catholici cum hæretica licitum est in locis, in quibus hæretici cum Catholicis permisti sunt, ut in Germania, Gallia, & Polonia, ut cum Sanchez, M. Candido, Navarro, Azorio, Joanne Gutierrez, Hurtado, Henriquez, Lealao, & aliis, dicens esse communem tenet Leander Sacram. *tom.* 2. *tract.* 9. *disp.* 12. *quæst.* 7. Quibus addo Villalobos *tom.* 1. *tr.* 14. *diffic.* 13. *nu.* 4. Ubi ait: "In las tierras, donde los Herejes no estan denunciados como

como en Alemania, y Polonia es licito casarse los Catholicos Herejes: que estos matrimonios los sabe, y los tolera la Iglesia, con tal que se permita vivir los Catholicos en nuestra ley sin peligro de que se pervierta, * Et Fr. Franciscum Pichon *in opusc. aureo de matrim. disp. 5. sect. 9. num. 413 fol. 231.* Ubi sic: * Dico secundò: licitè, & sine peccato potest celebrari matrimonium inter Catholicum, & hæreticum, etiam sine conversione hæretici, & absque spe conversionis ad fidem Catholicam. Ita Navarrus, Azor, Reginald. Fillucius, Bellarm. Cornelius, Serario, Saliano, Salmeron, Sanchez, Basilius Ponce. * Et ad rationem difficultandi, respondet *num.* 420. * Quia quoties peto actum, vel Ministro actum, quem alius potest benè præstare, & sua culpa facit malè, ego non dicor cooperari illius peccato, sed immunis sum à culpa: aliàs petitio mutui ab usurario esset peccatum, quando est paratus usurarius, & similiter petitio Sacramenti ab excommunicato Parocho. * Sic ille. Pro cujus discursu stat apertè M. Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5 art. 6. prop. 1.* dicens: * Nullo modo cooperatur peccato alterius: solùm enim ille dicitur cooperari, qui ejus peccati causa est: in hoc autem casu, cùm conferens sit paratissimus, & suscipiens nullatenùs eum moveat, fit, ut neque ejus peccati simul causa sit. Et quamvis petens sciat, quod ille non sit contritionem habiturus, nil refert, quia alter sibi solus est causa, sicuti dum quis ab exposito usurario mutuum fœnerato petit. * Quibus facit sententia P. Granado *in 3 p. con. 3. tract. 5. disp. ult. n.* 10. Ubi cum Suarez & Henriq. asserit non esse peccatum ministrare Episcopo exercenti ordines in peccato mortali. * Quia hoc non est inducere ullo modo ad malum, sed juvare ad actionem per se bonam, quam tamen alius propter suam culpam malè exercet. * Ergò ob eamdem rationem, licitum erit Catholico Patrini munus obire, Ministro hæretico baptizante, cùm iste aliàs paratus sit, & suâ culpâ malè faciat actionem, quàm licitè efficere poterat; & quam ab excommunicato tolerato licitum est exigere, ut docent communiter Theologi, post decretum Concilii Constantiensis, quia ut tradit M. Sotus suprà *propos. 6.* * Si per internum motum animi conterantur, nullâ inficiuntur culpâ in excommunicatione ministrando Sacramenta. * Pro qua sententia plures citat, & sequitur Leander, dicens esse communem *tom. 4. de censur. tract. 2. disp. 6 quæst. 14.*

19. Addunt alii, quos referunt, & sequuntur Diana *p. 7. tract. 12. resol. 33.* & Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 1. disput. 5. quæst. 10.* Nullum esse peccatum, administrationem Sacramenti petere à Ministro iniquo, etiam non parato ministrare, licet nulla urgeat necessitas, nec major sit utilitas petentis. Cæterùm implicationem involuit, quia major est utilitas petentis, Sacramentum suscipere, quàm illius fructu carere. Ideò plures, quos pro hac parte adducit Leander, pro contraria citat *quæst. seq.* si alius sit probus Minister, qui Sacramentum administrare possit. Quos ipse ibidem sequitur dicens, esse peccatum lethale contra charitatem id petere à malo Ministro, qui nec commodior, nec utilior est petenti, si adsit alius probus Minister: eo nimirùm quod sit causa, * quod alius peccatum committat, aliàs non commissurus: sic Suarez, Sayrus, Granado, Navarrus, Sanchez, Vazquez, Valentia, & alii, quos citat, & sequitur Castro Palao *tom. 1. tract. 6. puncto* 10. Quorum opinio mihi placet. Sed ad rem nostram.

11. Sententia nuper tradita de Patrino Baptismi, minùs difficilis, & probabilior erit, si hæreticus sine solemnitate baptizet; quia in hoc casu non ut minister ex officio, sed veluti laicus, ac proindè absque lethali administraret, ut cum D. Thoma, Navarro, Victoria, Nunno, Bonacina, & aliis tuetur Diana *3. p. tract. 4. resol.* 10. & Leander ubi suprà *tom. 1. tract. 2. disp. 4 quæst. 29.* ac proindè potiori jure excusandus erit Patrinus, & in hoc solo casu admittendum nonnulli existimarunt.

12. Cæterùm Catholicum posse etiam esse Patrinum Baptismi, Ministro hæretico solemniter baptizante; si ritu, & modo Catholico baptizet, sentit cum aliis, & meritò, doctissimus Pater Thomas Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 9.* dicens: * Tandem deducitur, fas esse Catholico, in prædictis locis, filium hæretici de sacro fonte suscipere, si Baptismus ritu, & modo Catholico ministretur, secùs si ritu hæretico, aut schismatico. Quia nullo jure interdicitur Catholico esse Patrinum hæretici. Ita Navarrus, Azor, Petrus de Ledesma. * Addit M. Serra *tom. de Sacram. quæst. 67. art. 7.* cum Soto, quem ipse refert *in 4. dist. 4. quæst. unica art. 5.* neque hæretico esse prohibitum, esse Patrinum Baptismi Catholici: quod valdè mihi displicet, nam cum baptizatis Patrinus adhibeatur, ut nutricis, & pedagogi vicem suppleat, eos instruendo, & informando de his, quæ ad fidem, & Christianam vitam pertinent, nequit hoc munus hæreticus obire: secùs verò, Catholicus respectu filii hæreticorum, quia licèt baptizans sit hæreticus, non impedit, quod posteà infans possit instrui à Patrino Catholico in rebus fidei, imò tantùm distare videtur à prohibitione, ut potiùs consulendum videatur, ut quo fieri possit, Patrinus hæreticus, alioquin adhibendus, videtur: quia tacitè ille professurus erat, se in hæresi instructurum recenter baptizatum, ut benè notat Layman *lib. 5. tract. 2. cap 9. in fine*, qui benè subnectit: * Si tamen subsit periculum scandali, vel quod parentes hæretici, eâ intentione, adhibere velint Patrinum Catholicum, ut ad suam sectam se inclinantem eâ ratione ostendat, tunc Catholicus expressam protestationè præmittere debet, quod baptizatum suscipere velit, ut Patrinus Catholicus, quandò opus habuerit, catholicè etiam informaturus, quatenus possibile erit. * Sic Layman. Ex quo P. Escobar *in Theolog. Moral. tract. 7. exam. 2. cap. 4. n.* 63. consuetudinem hanc non improbandam dixit, quam nec ego improbabo, donec authoritas superiorum in contrarium accedat.

QVÆSTIO X.

Utrùm incidat in excommunicationem contra legentes libros hæreticorum, qui audit alium legentem, ipsò autem incitante, aut jubente, ut legat?

1. COmmunior opinio Theologorum pro parte negativa pugnat, quam tenet M. Sousa *in Bulla Cœnæ cap. 2. disp. 14. num. 2.* Ubi sic ait: * Ostenditur hæc conclusio. Hæc excommunicatio fertur tantùm in legentes, sed qui audit, quantumcumque lectionem persuaserit, in nulla verborum proprietate dicitur legere; ergò non excommunicatur. * Sic ille cum Ugolino, quem ibi refert. Idem prorsùs tradit Bonacina *de excommun. disp. 2. quæ. 5. puncto 4. num. 11.* ibi: * circà particulam *legit*

advertendum est primò ; ad incurrendam prædictam excommunicationem requiri, ut aliquis perse ipsum legat, hic enim propriè dicitur legere. Idcircò ab hac excommunicatione excusantur, qui à famulo, vel ab alio legi audiunt, (attende) quamvis audiens sit causa, cur famulus, vel alius sibi audienti legat. Nam Bulla loquitur de legente, non verò de audiente, vel consulente, qui non dicitur propriè legere, sicut nec dicitur legere, qui memoriter recitat. Ita Duardus, Sanchez, Navarro, Ugolinus, & alii apud Filliucium, & apud alios præfatos Doctores. * Sic ille.

2. Et hanc sententiam, ferè eisdem verbis tradit Portel *in Addit. ad dub. Regul. verb. Libri prohibiti, num.* 11. ibi : * Non incurrit censuram Bullæ, qui audit legere librum hæreticum ; audire enim non est legere, & verba legis pœnalis sunt accipienda in significatione propria, & stricta. Et hoc verum censeo, etiamsi is, qui audit legere, induxerit legentem, ut legeret. *

3. Et ferè communem esse constat, ex doctissimo Leandro à Sacram. *tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 1. §. 5. *quæst.* 58. Ubi inquirens : * An etiam ipse Dominus, qui ut audiat, famulo legere præfatum (hæretici) librum, jubet, eamdem quoque excommunicationem incurrat ? * Respondet. * Negant quamplures Doctores, eò quod in proprietate sermonis, audire legere, non est legere, & verba legis pœnalis in propria & stricta significatione sunt sumenda. Ita Ugolinus, quem citat & sequitur Sanchez, Filliucius, Santarellus, Scortia, Duardus, Fagundez, Trullench, Castro Palao, Ægidius, & alii : * Sic Leander, qui hanc sententiam æquè probabilem putat, ac contrariam ; pro qua alios Authores refert. Sicut & Diana *p.* 1. *tract. de Bulla Cruciat. resol.* 34. Quibuscum Sanchez, Palao, & Lugo consentiunt Oviedo *de fide controv.* 12. *p.* 2. *n.* 20. & Antonius de Escobar *tom.* 1. *Theolog. Moral. lib.* 7. *sect.* 1. *problem.* 59. omnes verò conveniunt, inducentem alium ad lectionem libri hæretici peccare mortaliter, ratione moralis cooperationis ad peccatum legentis, (si legens intelligat) & forsan etiam ratione periculi, cui audiendo errorem contrà fidem exponitur. Quorum sententia mihi placet.

4. Addunt alii, (falso tamen fundamento innixi) eum, qui non habet subversionis periculum, posse licitè hæreticorum libros, aut alios ab Inquisitione prohibitos, legere. Hanc propositionem esse probabilem, multis suadere conatur Illustris. Caramuel *in Theol. fundam. in editione Francofurtiensi anno* 1652. *fundam.* 12. *quæst.* 1. *fol.* 187. *& sequent.* Ubi, postquam in ejus confirmationem laboravit, concludit, dicens : * Sed neque hoc militat contra Inquisitionis authoritatem : hæc enim proposito : *Nemo potest legere libros prohibitos, etsi certus sit, sibi non obsuturum*, est doctissima, probabilissima, & prudentissima, & si Inquisitores omnia sua velint esse evidentia, esse volent sede ipsâ Apostolicâ digniores, nam præter articulos fidei, qui ad probabilitatem reduci non possunt, centena diebus singulis decreta à Pontifice emanant, quæ innituntur opinioni probabili. * Sic Caramuel.

5. Cui faciunt plures Doctores, asserentes, finem adæquatum Pontificis, & Sanctæ Inquisitionis, dum prohibent, retinere, seu legere ejusmodi libros, esse periculum subversionis : cessante autem fine adæquato legis in particulari, ejus obligationem cessare, est gravissimorum sententia. Quapropter majorem, in quâ est difficultas, multis suadet novissimè Doct. Franciscus Verde *in opusc. pro Caramuele* 8. *Corol.* 85. *fol.* 116. *num.* 441. Ubi sic : * Secundum legentium, atque habentium, esse finem adæquatum hujus prohibitionis, & sic non peccare, nec in censuram incurrere legentes, & retinentes sibi periculo libros hæreticorum, affirmarunt Felinus, Albertinus, Decianus, Mascardus, Sanchez *lib.* 1. *Decalog. cap.* 10. *num.* 51. ibi : *Cum finis hujus prohibitionis sit, ne legens imbibat hæresim* : & excusat legentes libros Græcos, & Latinos, quos non intelligit Castro Palao. Nec videtur posse dissentire Puteanus asserentem, non esse excommunicatum legentem libros hæretici, à quibus sunt abrasi errores, vel tractæ paginæ. Tamburin. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 36. Oviedo *de fide controvers.* 17. *punct.* 3. *num.* 4. Marchantius *tom.* 2. *tract.* 2. *sect.* 4. *quæst.* 2. *conclus.* 1. Pus *part.* 4. *lib.* 25. *dist.* 3. *tit.* 2. apud Caramuelem *Judament* 17. *n.* 640. qui *num.* 664. citat Carenam, Sayrum, & alios cum Bussembaum *in Medulla n. cap.* 4. *dub.* 3. *numer.* 6. * Hactenus D. D. Franciscus Verde.

§ I.

Vindicantur Iesuitæ, & vera sententia ratio traditur.

6. VErum Doctor Verde malè pro hac parte adducit Tamburinum ubi suprà ; quia licet probabile judicet cum pluribus legem non obligare cessante fine adæquato in particulari, & referat aliquos ex hoc principio tenuisse, eum, qui legens libros prohibitos, absque periculo subversionis, fandi, alteriusvè mali, non incurrere peccatum nec censuram (pro quo in margine citat Felinum, Albertinum, Mascardum, & Decianum apud Palao *tom.* 4. *disp.* 2. *p.* 10 §. 2. *n.* 8.) nihilominùs contrariam sententiam jure optimo ipse propugnat, ut ait cens. * Verum quia reverâ numquam deest laborantibus finis : difficilè enim videtur deesse periculum in re tàm lubrica, nec apparet periculum solum ex tantæ prohibitionis finem, est enim etiam hæreticorum contemptus ex eorum exterminatione librorum enascens, &c. Quia, inquam, adæquatus finis numquam deest, nullo modo aperienda est janua quâ ejusmodi libros impunè evolvere possis, * Ita Tamburinus.

7. Neque P. Oviedo docet sententiam, quam ei imponit D. Verde, sed prorsùs oppositam, non postquam illam retulit ab aliquibus traditam, inquit * oppositum, videlicet, in eo casu excommunicationem incurrere, docent Suarez, Sanctius, Azor, Ninch, Puente, Hurt. Toletus, Palao, &c. stultum nim, & superbum esset, hominem suo judicio in re fidere, & præsumere ab omni periculo se esse in materia ex se gravissima, & ingenti periculo posita ; est enim hæresis pessima, & contagiosa lues, quæ facillimè serpit, & maximè timendis his, qui se securos fingunt, &c. Quapropter manifestissimum est, neminem prætextu securitatis, posse prædictos libros legere, aut retinere, etiam causa futurandi errore. s * Hactenùs P. Oviedo. Falsò igitur illi imposuit Doctor Verde sententiam omninò exterminandam, & expungendam, utpotè quæ viam aperit contemnendi prohibitiones librorum constituendo unumquemquem judicem in ista causa, circà periculum subversionis ; quod sanè presumptum, circà periculum subversionis ; quod sanè presumptum, dent er quilibet timere potest, legendo libros hæ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ecorum, tum in se, tum in aliis, ad quorum manus fortè deveniant, qui facilè in sermone capientur, & labendi periculum, post lapsum, animadvertent. Præterquam quod, ut in plurimum subsistit finis alius prohibitionis librorum, nempè eorum Authores denigrare, vel tum ipsos, tum alios in posterum coercere, ne in præjudicium Religionis, vel morum, similes libros evulgare audeant, atque adeò nunquam cessat adæquatè finis legis.

8. Dices, & finem secundo loco positum, quandoque etiam cessare: imò Authorum librorum pœnam, eorum lectione non leviter augeri, nempè si sapientissimus aliquis eos legat, ut refutet, cum summa Authorum suorum confusione, & ignominia. Fateor, ideòque existimo, finem adæquatum istius prohibitionis, sicut & aliarum legum communiter, esse remotionem mali, quod legislator considerat communiter conjunctum cum lectione spectata secundùm substantiam, quam hic, & nunc prohibet, quod quidem malum, etsi respectu alicujus, & in particulari aliquo casu conjunctum non sit, hoc non efficit, quod communiter non sit conjunctum; id enim efficere, æquè impossibile est, ac quod unus homo, vel unus casus sint plurimi: Ergo in nullo particulari cessare potest finis adæquatus legis prohibentis lectionem librorum prohibitorum. Hæc solutio desumitur ex doctrina P. Vazquez 1.2 *disp.*163. *cap.*3. *num.*19. quem citatum sequitur Thomas Sanchez *in sum. lib.*4 *cap.*15. *num.*37. quam necessariò sustinendam censeo, ut vitentur innumera inconvenientia ex contraria pullulantia in lege naturali, & divina. Quò faciunt verba Jurisconsulti *in l.*19. *&* 20 *ff. de legibus.* *Non omnibus, quæ à majoribus constituta sunt, ratio adæquata reddi potest: rationesque eorum, quæ constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex iis, quæ certa sunt subverterentur.*

9. Hanc verò sententiam verissimam, & omninò tenendam, quoad librorum prohibitorum retentionem, limitavit Marchantius, *in Tribunali Sacrament. tom.*2. *tract.*2. *tit.*2. *disput.*4. *dub.*5. dicens, libros non absolutè prohibitos, sed cum clausula, *donec corrigantur, seu expurgentur*, posse retineri, donec opportunè eorum correctio, aut expunctio fuerit inducta. Cui consentit D. D. Franciscus Verde *in Opusc. pro Caramuele quæstion.*8. *corol.*86. *num.*447. *fol.*117. *in fine.* Sed nescio sanè, quo fundamento, cùm oppositum videatur clarè constare ex Bulla Gregorii XV. quæ incipit: *Apostolatus noster*, & pateat ex indice Expurgatorio Sacri Tribunalis Inquisitionis Hispaniæ, ubi hæc habentur verba. *Mandamos en virtud de santa obediencia, y so pena de excommunion, &c. que de aqui adelante ninguno sea osado a tener, ni leer libros los prohibidos en este indice, ò de los comprehendidos en las reglas generales dèl. *Quapropter Sanctissim. noster Alexander VII. ut huic opinioni aditum omninò præcluderet, eam ut scandalosam damnavit *die* 18. *Martii anno* 1666. & est 45. ex damnatis: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usq; dum adhibita diligentia corrigantur.* Quam docere, aut edere si fortè impugnando sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & sibi reservatæ, prohibuit.

(·.·†·.·)
(:†:)

§. II.

Quid de libris, non suspectis de hæresi?

10. NOn omnium librorum lectionem, aut retentionem esse prohibitam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, defendit Rever. P. Fr. Franciscus Bordonus, vir doctissimus ex tertio Ordine S. Francisci *in Sacro Tribunali, cap* 14. *quæst.*39. *num.*78. Ubi sic: *Quæres, an legens alios libros prohibitos, seu suspensos alia ex causa, quàm hæresis, aut ejusdem suspicionis, incurrat excommunicationem, aut aliam pœnam? Exemp. grat. An sit excommunicatus legens librum prohibitum propter obscœnitates, &c. Vel propter alios fines, ut Augustini Barbosæ remissiones super Tridentinum, & ejus Bullarium; item ad evitandas discordias inter aliquos de jurisdictione? &c. Respondeo, in his casibus nulla imposita est censura contra legentes ejusmodi libros, aut scripta prohibita, ut colligitur ex verbis subsequentibus in dicto Indice. *Qui verò libros alio nomine interdictos legeret, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè puniatur.* In edictis autem inquisitorum non comprehenduntur ejusmodi libri, quia ut patet ex verbis relatis, *quæst.*25. comprehenduntur libri tractantes de hæresi, aut de illa suspecti, & non alii. *Hæc Bordonus.

11. Cui, in terminis edicti Dominorum Inquisitorum præcisè stando, consentit Tamburinus *in Decal. lib.*2. *cap.*1. §. 7. *n.*38. Ubi sic inquirit: *Cum per edicta (Hispanæ Inquisitionis) præscribatur terminus infra octo dies ostendendi ejusmodi libros; inciditne in excommunicationem, qui vel post terminum, vel etiam numquam ostendit? Respondeo, salvo meliori judicio, nequaquam quoad libros numero præcedenti dictos (in quos certum est nullum errorem irrepsisse.) Ratio est, quia in edicto nulla apparet lata excommunicatio. Dices in fine edicti fulminatur excommunicatio. Respondeo, si attentè edicti tenorem legas, videtur hæc excommunicatio, cum sit tam rigorosa, cadere solum in hæresim, cæteraque gravia delicta superius allata, non vero in eos, qui dumtaxat à tali librorum ostensione se subtrahunt, si libri, vel aliàs ostensi fuerint, vel certè nil erroris contineant. Quidde peccato mortali.? Respondeo: quia illud verbum *præcipimus*: est nota in legibus peccati mortalis, quando materia est levis: In nostra autem materia, quando libri nil erroris continent, videtur res esse levis, ut modo *num.*57. dictum est. *Sic ille.

12. Quibus quoad censuram à Sancto Tribunali Inquisitionis impositam (de qua tantum ipsi fuerunt loquuti) nil videtur posse objici; cum id expressum sit in Indice Expurgatorio anno 1640. Ubi imposita censura sic declaratur: *Con declaracion, que los que tuvieren, ò leyeren libros, que se prohiben, ò expurgan, ò corrigen por contener heregia, ò sospecha della, *ipso facto* incurran en las censuras referidas. Pero los que tuvieren, ò leyeren (attende) libros prohibidos, ò expurgados por otras causas, ade mas del pecado mortal, que es cierto (que por la inobediencia ayran cometido) incurran en pena de excommunion ferenda. *En de facto non incurritur, sed comminatur, ut non obedienti post monitionem imponatur.

13. Quoad peccatum vero, clarè dicitur in Ex-

purgatorio, ut vidimus, certum esse, fore mortale propter inobedientiam, unde non est audiendus Tamburinus supra, dum veniale tantum existimat ex parvitate materiæ, sicut neque alii, qui idem suadere conantur ex alio principio desumpto ex doctrina Eminent. Cajet. *verb. Præcep. transgressio*, quem sequitur M. Serra 1.2. *q.96. art.4. fol.439.* qui docent, legem prohibentem, seu præcipientem sub pœna excommunicationis ferendæ, (qualis est hæc, de qua loquimur) non obligare sub mortali. Verba Cajetani sunt. *Siste tamen hic pedem, & adverte, quod inter excommunicationem latæ sententiæ, & comminatam excommunicationis pœnam, differentia est, etiam in quantum ad peccatum transgressionis, in hoc, quod transgressor præcepti cum lata excommunicationis sententia peccat mortaliter, &c. Transgressor autem præcepti sub comminata pœna, non peccat mortaliter, quousque transgressio non pervenerit, ad hoc quod ille dignus sit excommunicari. *Quod infra magis explicat, dicens: *Non peccat mortaliter, quousque monitus (generaliter, vel specialiter) perseveret, tunc enim utpotè excommunicatione dignus peccat mortaliter. *Sic Cajetanus, cujus verba referens Armilla *verb. lex num.4.* non dissentit, & videntur tenere alii apud Sanchez *in sum lib. 6. cap. 4. num.49.* Ubi ait: *Si excommunicatio sit ferenda, non constat inter Doctores, an talis lex ad mortale semper obliget. Nam D. Antoninus ait: quando à jure imponitur, esse signum obligationis sub mortali, verum quando ab homine dubium esse. Alii verò asserunt, non omnem legem hujusmodi obligare sub mortali, quia antequam excommunicentur transgressor, debet præcedere monitio, unde tunc incipiet esse mortale, quando post transgressionem legis admonitus transgressor, cessare non vult, quia tunc potest excommunicari. Sic Driedo, Armilla, Petrus de Soto, Valentia, &c. Et loquens de præcepto superioris sub hac pœna impositio, idem docet Angles *in floribus 2.p. quæst. unica de voto, art. 4. diffic. 16.* *Sic Sanchez, & Diana *p.3. tract. 6. Miscell. resol. 76.* Ubi inquirens. *An excommunicatio ferenda obliget ad peccatum mortale? *Respondet: *Alibi pro parte negativa adduxi Valentiam, cui nunc addo Sotum *lect.3. de excom. §. Primo igitur*, & Driedonem, quos citat, & sequitur ex Societate Jesu Castrus Palao *in oper. Morali, tom.1. tract.3. disp.1. punct.15. num.3.* Ubi ita asserit: *Si excommunicatio ferenda est, tunc plures Doctores affirmant, esse signum sufficiens transgressionis sub mortali. Et quidem si excommunicatio ulla alia monitione, & contumacia poller inferri censeo certissimum. At quia existimo cum censura annexa non est peccatum, indigere semper alia monitione, ut imponatur, ea de causa non est sufficiens signum mortalis obligationis.* Hactenus Dianus et Castro Palao.

14. Hæc sunt, quæ militant pro sententia Tamburini excusantis à læthali retentionem, & lectionem librorum, quando libri prohibiti, nec errorem, nec ejus suspicionem continent, sed obliviscuntur prohibentur. Verum contraria sententia asserens, prohibitionem sub censura excommunicationis ferendæ sub læthali obligare, est communior, & magis vera. Cui innixum Tribunal Sanctæ Inquisitionis, ita declarat verbis supra datis, dum ait: *Ademanda pecado mortal, que es cierto, &c. *Et sanè cum præceptum sit in virtute sanctæ obedientiæ, & mens legislatoris, ad culpam læthalem obligare, ut ex verbis supra datis id supponentibus, apertè deducitur, nequit ex excommunicatione ferenda contrarium inferri, & cum aliàs materia gravis sit, secundùm communem sententiam, nequibit præcedere relatio à culpa gravi liberari. Videatur Diana p.11. tract. 1. resol 5.* Ubi doctè rem discutit, & ratione, & authoritate probat, esse læthale, legere libros ab Inquisitoribus prohibitos, & adducit Turrianum dicentem, erroneum esse, contrarium asserere.

15. Addo, post decretum Sum. Pontificis Alexandri VII. supra adductum, non solum esse peccatum mortale, sed excommunicationem, ipso facto Summo Pontifici reservatam incurrere retinentes libros quacumque ex causa prohibitos. Nam si prohibiti, donec corrigantur, sub hac censura continentur, à fortiori absolutè prohibiti, ut ex terminis patet. Unde licet excommunicationem à Tribunal Inquisitionis non semper incurrant, ut benè Doctores citati, nequibunt in posterum deficienter à censura Apostolica incurrenda liberari. Nec id in dubium vertebit. Unde fit, potiori jure omnino reciendos Marchantium, & D. Franciscum Verde ab supra, dum ne veniale quidem peccatum intervenire contendunt in retentione, quando libri sunt prohibiti cum clausula, *donec expurgentur.*

TRACTATUS SEXTUS
MISCELLANEUS.

DISPVTATIO PRIMA, de Legibus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm acceptatio legis sit conditio necessaria ad ejus obligationem?

1. ACceptationem populi esse conditionem requisitam ad valorem, & obligationem legis, est communis Doctorum sententia apud Dianam *p. 1. tract. 10. resol. 1. & p. 11. tract. 1. resol. 5. & tract. 2. resol. 69.* Quorum ratio est, quia Principes, & Prælati, licet possint, non tamen intendunt, subditos obligare, independenter ab eorum acceptatione, ut ait Machado *tom. 1. lib. 5. tract. 5. p 4. docum. 2. num. 3.* ibi: *La quinta condicion, para que la ley obligue, es, que ella sea acceptada por los subditos, lo qual consta del Derecho, y comunmente lo afirman los Doctores Theologos, y Canonistas aunque la ley esté legitimamente promulgada. Y la razon es, porque las leyes se promulgan debaxo de condicion, si el pueblo las aceptare.* *Unde Illust. ac Rever. M. Tapia Archiep. Hispalensis *in Catena lib. 4. quæst. 3. art. 9. num 3.* Probabile est, inquit, in legibus civilibus, & sæcularibus valorem legis pendere ab acceptatione populi. Ita Felinus, & plures, quos refert Covarruv. Navarrus, Jason, Priedo, Armilla, Sylvester, Valentia, Becanus, & alii. *Idemque de legibus Canonicis dicit Cajetanus *in Sum. verb. Excommunicatio. 75.* *Nisi consensu utentium lex fuerit firmata, pro non lege habetur. *Et expressè V. Ilalobos *in sum. tom. 1. tract. 2. diffic. 16. num 6. conclus. 5.* ibi: *Tambien las leyes Canonicas, sino se reciben, no obligan. Esta conclusion tienen casi todos los Doctores sobredichos, que hablan generalmente, y se prueba con las mismas razones, y textos que la segunda conclusion, nimirum, que las da el Principe con esta condicion, si las acepta el pueblo; y assi quando la mayor parte del pueblo no las recibe, no obligan. *Sic ille, & alii, quos laudatos sequitur Diana supra, & est communis apud Valentiam infra citandum. Et ita de omni lege, tam civili, quàm Canonica, sustinet M. Joannes de la Cruz *in Epitome lib. 2. cap. 1. concluf. 2. §. Ad hoc dico.* Ubi sic: *Lex præceptiva, vel prohibitiva non obligat, dum non recipitur per majorem partem populi. *Idem tenent Glossa *in cap. vir de secundis nupt.* Felinus, Navarrus, Covarr. Valentia, Sayro, Azor, & alii apud Salas *disp 13 sect. 1. num. 6. §. Secundam partem, ex l. de quibus. ff. de legibus.* Ubi ita habetur: *Leges nulla alia ex causa nos tenent, nisi quia judicio populi receptæ sunt. *Usus enim voluntatem legislatoris sic interpretatur, ut quando lex non est à populo recepta, velit, obligationem ejus suspendi, ne detur peccandi occasio. Sic discurrunt Doctores, ut videre licet apud Dianam suprà.

§. I.

Gravis contra communem difficultas, ex decreto Alex. VII. suborta.

2. HÆc communis sententia, de probabilitate, suspecta videtur, post decretum sacræ Congregationis Inquisitionis Romanæ, in quo Sum. Pontifex Alexand. VII. hanc propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à principe promulgatam:* damnavit, ut minimum, ut scandalosam die 24. Septembris 1665. Quam antea cum Sylvestro tenuerant Navarrus, Dominicus Felinus, Bonacina, Diana, Megala, Montesinos, & alii infra citandi.

3. Dixi, suspectam reddi, quia propositio ab Alexandro VII. nuper damnata, & prohibita, tradebatur à suis Patronis, ut conclusio necessaria, consequutione deducta ex prædicta communi opinione. Quod, ne fides penes me maneat, eorum collatis locis, apertissimè evincam. Agmen regat doctissimus Sylvester, M. Sacri Palatii *verb. Lex, quæst. 6.* ibi: *Sexto quæritur, quæ, & quot requirantur ad hoc, quod lex habeat vim obligativam in se? Et dico, quod multa. Primò, quod sit justa. Secundo, quod sit publicè promulgata. Tertiò, quod elapsum sit tempus, post quod incipit obligare. Quartò, quod per inferiores sit suscepta, &c. Ex hoc nota pulchram Theoricam, quod ubicumque lex generalis recipitur in usu à certo genere personarum, ab alio vero non: non recipientes non peccant, saltem per longa tempora; secus si in eodem genere personarum major pars recipit, quia minor non excusatur. *

4. Eidem principio innixus fuit Doctor Montesinos Primarius Complutensis *in 1. 2. tom. 2. tr. de legibus disp. 13. quæst. 80. num. 137.* Ubi sic: *Sed quæres, peccentne, qui in principio legem non recipiunt, vel qui in casu dubii non recipiunt istam, ut obligatoriam in conscientia? Respondeo, non peccare, dummodo parati sint animo obedire, & recipere ut obligatoriam, si legislator aliter tolerare noluerit & dummodo ex tali non receptione non sequatur contemptus, aut vilipendium sanctionum, vel legum. *Sic ille.

5. Eodem modo discurrit Bonacina *tom. 2. de legibus, disp. 1. puncto 4. nu. 39.* Septimo dubium est, utrum, qui

qui absque sufficienti ratione sunt in causa, ne lex justa condita ob communem utilitatem usu recipiatur, eamque jam promulgatam non servant, aliquam culpam incurrant? Respondeo, duplicem in hac re sententiam assignari posse. Prima videtur Sylvestri, & nonnullorum aliorum, apud Doctores statim citandos, existimantium, per se loquendo non peccare, nisi grave incommodum reipublicæ, & communicati inde proveniat, ut propter tale incommodum vitandum, adstringantur ad legem acceptandam. Ratio est, quia deest acceptatio, quæ est conditio requisita ad legis obligationem, si ergo lex non acceptetur, non obligat, & consequenter peccare non videtur, qui legem non acceptat: cum legislator solum intendat, obligare sub conditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit. Mihi distinguendum videtur: vel legislator intendit obligare independenter ab acceptatione, vel dependenter. Si independenter ab acceptatione intendit obligare; censeo, subditos peccare, non acceptando; quia faciunt contra superioris voluntatem obligantis ad legem acceptandam: si verò intendit obligare dependenter ab acceptatione, non videntur peccare, quia nondum posita est conditio, sub qua legislator intendit obligare. Nobiscum videtur sentire Suarez suprà, & Palaus, Layman. *Cum igitur juxtà communem opinionem suprà expositam, quam ipse amplectitur *num.* 27. & 45. semper de facto intendat obligare dependenter ab acceptatione populi (& sub hac conditione si acceptetur) planè sentit Bonacina, eos, qui primi absque causa aliqua legem non acceptant, non peccare.

6. Nec alio fundamento ductus fuit Diana 1. *p. tract.* 10. *resolut.* 2. ubi inquiens: *An peccent subditi sine causa non recipientes legem à principio legitimè promulgatam? *Sic satisfacit: *Respondeo ad propositam quæstionem. Si contrarium ex conjecturis sufficienter non constet, videntur Principes semper promulgare leges dependenter ab acceptatione subditorum, neque illos intendere obligare, & ideò, eum, qui absque sufficienti causa legem non acceptat, aliquam culpam non incurrere, nisi grave incommodum Reipublicæ inde proveniat. Ratio est, quia acceptatio est conditio requisita ad obligationem, & Princeps intendit solùm obligare cum conditione, si lex acceptetur, nisi aliter expresserit, vel ut dixi: si contrarium ex conjecturis sufficienter non constaret. Et ita in terminis docet Megala *in* 2.2. *lib.* 2. *cap.* 6. *q.* 3. *n.* 115. & 117.

7. Quos videtur sequi Machado *tom.* 1. *lib.* 3. *p.* 4. *tract.* 3. *docum.* 2. *num* 5. ubi ait: *Aunque es la mas comun, y recibida opinion, que pecan los subditos, que sin causa no aceptan, ni observan la ley justamente promulgada. Con todo esto Sylvestro, y otros sienten lo contrario, si no es en caso, que de no acceptarle se sigviesse grave dano, ò incomodidad à la Republica, ò comunidad. *Sic Machado, qui cum Sylvestro sentit, juxtà communem regulam, quam alibi ex Sanchez tradidi, & quam expressit M. Fumus in Trimilla *verb. Opinio, n.* 3. dicens: *Doctor referens plures opiniones, videtur sequi ultimam, quando aliam non firmat secundùm Hostiensem *in cap.* 1. *de Privileg. lib.* 6. *Quod Doctores communiter adnotant.

8. Ideò propositionem nuper damnatam communem inter Doctores, qui existimant, acceptationem populi esse conditionem requisitam ad legem humanam, refert M. Serra 1. 2. *tom* 2 *quæst.* 95. *artic.* 3. *fol.* 401. ubi sic ait, *An populi consensus, & acceptatio sit conditio necessariò requisita ad leges positivam humanam? Duæ sunt de hac re Doctorum sententiæ. Prima est affirmans, quam his verbis refert Navarrus *cap.* 23. *n.* 41. *Antequam recipiatur lex per majorem partem universitatis, cujus patet transgressor, non ligat, quoniam promulgatur cum conditione, si recipiatur, saltem per majorem partem. *Citatque pro illa Dominicum de Soto, illamque tenet Driedo, & alii, quorum nonnulli eam limitant ad leges civiles. Nam quoad leges Pontificias, inquiunt, cum Pontifex jurisdictionem accipiat immediatè à Deo, & non à populo, ideò ejus lex non pendet quoad ejus obligationem à populi acceptatione (attende) ac perhoc peccare illam non acceptando. De legibus verò civilibus inquiunt, subditos sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam, non peccare: cum Principes, nisi contrarium ex conjecturis constet, semper promulgant leges dependenter ab acceptatione subditorum, neque illos contendunt alligare. Et ideò dum quis absque sufficienti causa legem non acceptat, aliquam culpam non incurrit, nisi grave incommodum Reipublicæ inde proveniat. Et ratio est, quia acceptatio est conditio requisita ad obligationem, ergo, si lex non acceptetur, non obligat, & consequenter non peccat, qui illam non acceptat, quia nondum purificata est conditio, sub qua legislator intendit obligare. *Sic M. Serra. Quibus conclusionem neget, quia existimat, consensum, & acceptationem populi non requiri ad obligationem legis: fatetur verò contrariam sententiam (ut patet ex ejus verbis) ex opposito, & communi principio per consequentiam legitimam deduci, & ella communem inter defensores talis principii.

9. Vim consequentiæ agnovit etiam Illustris. & Rever. M. Tapia *ubi suprà n.* 5. ideòque ad eam vitandam tuetur, probabilius esse, nullam legem egere acceptatione populi ad sui valorem. *Nam obligatio legis, inquit, oritur ex potestate superioris, & obedientia subditorum ad superiorem, sive Ecclesiasticum, sive laicum: (attende) Si autem liberum esset subditis dissentire, & resistere superiori legitimè, ac justè præcipienti, legesque ejus respuere, non tenerentur subjecti vinculo legis ex obedientia, ergo obligatio legis non potest pendere à voluntate, & acceptatione subditorum. Hoc enim esset ex obedientia, sed pro libito operari. *En planè concedit illas contrariæ, & communis sententiæ principia, subditos posse pro libito, ac proinde licitè leges superioris legitimè promulgatas non acceptare, quia proinde ipse dissentit.

10. Et ita etiam supponere videtur Valentia tom. 2. *disp.* 7. *de lege humana, quæst.* 5. *punct.* 5. *folio mihi* 348. ibi: *Sequitur quarta quæstio, utrùm necessarium sit legem humanâ acceptari, sive recipi à communitate, ut ipsam obliget? Videtur enim non esse necessarium; nam hoc ipso, quod superior præcipit subditis, ut legem exequantur, obligat eos ad recipiendam illam: ergo legis obligatio non pendet ab acceptatione subditorum, sed prior, & independens ea est. In contrarium est doctrina communis Theologorum, & Juristarum, ut patet apud Sylvestrum *in Lex, quæst.* 6. & Navarrum *cap* 23. *num* 41. qui docuit, legem non promulgari nisi sub conditione, ut tem tacita, si scilicet à communitate acceptetur: quæ nisi hæc conditio ponatur, lex neque post duos menses à promulgatione, neque ante obligabit. *Sic Valentia.

§. II.

§. II.

Judicium Auctoris.

11. FUndamenta superius adducta planè evincunt; aut opinionem communem manere virtualiter damnatam, & prohibitam, utpotè ex qua propositio ab Alexandro VII. damnata, necessaria consequutione, ab ejus defensoribus, deduci affirmatur; aut prædictam propositionem ex illa benè intellecta non deduci. Hoc ultimum suadere intendo, & facilè assequar, si animadvertas, communem opinionem, exigentem ad obligationem legis acceptationem majoris partis communitatis, duplicem possessionsum involvere. Alium probabilem, non inferentem propositionem damnatam; alium cum probabilitate incompatibilem, utpotè ex quo per necessariam consequentiam propositio ab Alexand. VII. ut scandalosa, damnata deducatur.

12. Hunc igitur duplicem sensum sic expono. Si Auctores illius communis opinionis intendant, obligationem legis suspensam esse, quousque à majore parte populi fuerit usu recepta; improbabilis prorsus erit, quia ex illa sic intellecta evidenter infertur propositio damnata. Nam quando primi sine causa legem non acceptant, certum est, non esse à majori populi parte usu receptam; ac proinde non peccarent. Si verò sensus communis opinionis sit, quod licet lex promulgata statim omnes obliget ad sui acceptationem, & consequenter non acceptantes, sine causa justa, graviter delinquant, ut docent communiter Doctores apud Bonacinam *suprà num.* 39. legislatorem tamen non intendere, obligationem legis perseverare casu, quo tempore sufficienti elapso à majore parte populi recepta non fuerit, verum continet. Quia communitatis resistentia, & legis transgressio judicium apertum est, ejusmodi legem populo non convenire, vel intolerabilem illi esse, aliamvè conditionem deficere ad justitiam vel obligationem inducendam, requisitam. Et casu, quod nulla desideretur, benignus superior non intendit, legem suam perseverare, cum experientia noverit, non in ædificationem, sed in scandalum evasuram. Si ergo communis opinio hoc solum intendat, probabilissima est, & in hoc sensu verè dicitur, acceptationem populi esse conditionem requisitam ad obligationem legis, nimirum, continuandam; non verò ad primo inducendam: ad subditos enim ad acceptationem cogendos, non prærequiritur acceptatio, ut ex terminis patet.

13. Ex quibus fit, falsam esse opinionem Illust. Joannis de Caramuel *in Regul. S. Benedicti, disp.* 52. *n.* 744. ubi non solùm supponit, non peccare mortaliter primos non acceptantes legem, sed asserit, non peccaturos mortaliter contra illam operando, etiam postquam à majore parte populi acceptata fuerit. Verba ejus sunt: *Sed hic occurrit difficultas. Utrùm lex illa obliget, si major pars communitatis illam acceptaverit? Respondeo, tunc obligari totam communitatem, & tam acceptantes, quàm non acceptantes posse cogi in communi ad observationem legis taliter acceptatæ. Addo (attende) si aliquis ex non acceptantibus frangeret hanc legem in particulari, secluso scandalo, non peccaret. Ratio est, quia ille acceptavit legem in communi, non in particulari, ad hoc enim sufficit, quod eam recipiant plures; ad illud opus est, ut ab ipsomet in individuo recipiatur. *Sic Caramuel. Sed nullo ductus fundamento, & in re gravissima contra omnes. Quia licet daremus, quod primi non acceptantes, ut ipse planè supponit, non peccarent, antequam à majore parte populi acceptata fuerit: hac tamen acceptatione à majori parte facta, planè intendit legislator omnes obligare independenter à singulorum consensu, quia iste non est conditio requisita ad obligationem legis, sed solus consensus, seu acceptatio majoris partis, ut in confesso est apud omnes, qui constituunt obligationem ab acceptatione populi. Nec video, quomodo opinio Caramuelis subsistere possit, cum ex illa sequatur, omnes non acceptantes in particulari, esse liberos ab obligatione legis. Quod dici non potest.

14. Si verò dubium esset, an lex sufficienter jam promulgata, congruoquè tempore elapso, à majori parte communitatis recepta fuisset? locum habere posset Caramuelis opinio; nam in hoc dubio legem non obligare in conscientia, si pœnalis sit; tradunt Azor, & Salas, quorum opinionem probabilem esse, *propter eorum auctoritatem, & rationem*, dicit Illustris. ac Rever. M. Tapia Archiep. Hisp. *in Catena lib.* 4. *quæst.* 15. *fol.* 444. cui consentiunt Diana *p.* 1. *tract.* 10. *resol.* 3. Escobar *in Theolog. Moral. lib.* 5. *sect.* 2. *Problem.* 14. *fol.* 160. Præpositus *in* 1. 2. *quæst.* 95. *disp.* 1. *dub.* 9. *n.* 31. nam in dubio, an lex fuerit usu accepta, præsumendum est, non esse, eo quod in pœnis mitior pars sit eligenda.

15. Et absolutè loquendo, id probabile putant alii, quibus adhæret M. Serra *ubi suprà fol.* 405. ibi: *Si quæras, an quando est dubium, sit ne lex usu recepta, præsumendum sit, esse acceptatam? Quidam affirmando respondent, sed alii probabile esse existimant oppositum: sicquè in foro conscientiæ licitum esse amplecti partem, quæ negat, legem usu receptam esse.*

16. Est tamen hic advertendum, quod licet verissimum sit, primo non acceptantes legem, mortaliter delinquere: non tamen inde deducitur, peccaturos, si executionem suspendant, supplicantes Pontifici super tali lege. Quia talis præsumitur voluntas superioris nil imprudenter, & contra rationem præcipere intendentis. Ideò hoc licitum esse, & interim, dum Pontifex non respondet, obligationem legis suspendi, docent communiter Doctores, Granado, Malderus, Salas, Suarez, Villalobos, & alii; apud Dianam 1. *p. tract.* 10. *resol.* 6. qui addit: *Quod si Summus Pontifex, audita communitatis supplicatione, taceat, & non respondeat dictæ supplicationi, præsumitur consentire, & legis obligationem tollere, nisi aliter ex conjecturis constaret.* Sic Diana, & ante illum Castro Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 13. *n.* 15. *fol.* 126. & Salas *de legibus disp.* 13. *sect.* 1. *n.* 6. ubi sic: *Dum expectatur responsum legislatoris, non peccabunt, qui legem non servaverint. Et tenet cum aliis, quos citat, Thomas Hurtado *tom.* 2. *tract.* 42. *cap.* 1. *resolut.* 29. *num.* 1814. *fol. mihi* 426. ibi: *Supplicatio facta à Summo Pontifice à sua lege, suspendit ejus obligationem, & effectum, quousque, non obstante supplicatione, adveniat secunda jussio. Ut in terminis tenent Villalobos, M. Sosa, Salas, Anguanus, Suarez, & alii plures, quos citat, & sequitur Salgado, &c. Quare si Pontifex taceat, & non confirmet legem, consentire videtur in ejus derogationem. Idquè semel, & iterum tradit Leander à Sacramento *tom.* 1 *tract.* 5. *disput* 12. *quæst.* 58. & M. Serra 1. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. §. *Nunc ergo*, cujus verba dedi *tract.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 8. *num.* 18.

QUÆS.

QVÆSTIO II.

Vtrùm qui ex justa causa dispensatur à Pontifice, absque ulla limitatione, ad non ieiunandum per totam vitam, possit tali dispensatione uti, si causa cessaverit?

1. AFfirmat Escobar *in Mor. Theolog. tract.* 1. *exam.* 16. *cap.* 4. *n.* 36. & nonnulli alii ex sententia quorumdam asserentium absolutè, dispensationem non cessare, cessante causa. Ex quo principio hanc sententiam probat P. Salas *de legibus disp.* 20. *sect.* 6. *n.* 64. & 65. ubi sic: *Est præsens dubitatio, an si Petrus esset dispensatus ad non jejunandum per totam vitam, propter aliquam, vel aliquas infirmitates, quæ à peritis, & expertis medicis judicabantur perpetuæ, si illæ causæ posteà omnino cessarent, an possit nihilominus Petrus licitè uti illa dispensatione? &c. Aliqui recentiores probabile putant, in dicto casu Petrum posse non jejunare. *Quæstioni autem ipse sic satisfacit. *Ego in hac re satis difficili dicerem primo, si valida fuit dispensatio in lege propria, vel inferioris, vel superioris, vel in his, quæ pertinent ad jus divinum, ut in votis, & juramentis, usus talis dispensationis contingens, post cessationem causæ, non est ex genere suo peccatum mortale, & probabile est, nec esse veniale, sed rem omnino licitam, &c. Secundò dicerem, cum quis absolutè dispensat in perpetuum in sua lege, vel sui inferioris, vel antecessoris, nulla appositâ conditione, vel restrictione, dispensatio quoad ipsam perpetuitatè est valida, etiamsi nulla subsit causa: si tamen vel nulla causa sit, vel insufficiens ad talem perpetuitatem, idquè ipse advertat, peccabit venialiter tantum. Idem est, si habeat ignorantiam, vel inadvertentiam culpabilem. *Ex quibus infrà in fine sectionis sextæ concludit contra Sanchez, non esse absurdum, dispensatum in perpetuum ad esum carnium propter infirmitatem, ea cessante, illis vesci, dicens: *Non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter, quia dispensatio retinet suum valorem, donec revocetur. *Hactenus P. Salas. Et ante illum id docuit Henriquez *de Pontif. Rom. Clave lib.* 4. *cap.* 15. *in fine.*

2. Cujus sententiam cum aliis, quos citat, tenet Diana p. 1. *tract.* 10. *resolut.* 41. ubi ait: *An cessante causa dispensationis, cesset ipsa dispensatio? Affirmativam sententiam sustinet Sanchez, & alii. Sed licet hæ sententia sit probabilis, contrariam probabiliorem esse judico, quam tuentur Pontius, Salas, Granado, Gutierrez, Sa, & alii apud ipsos, &c. Ratio est, quia per illam dispensationem verè relaxata est illa lex, ac ejus obligatio extincta, ergo non potest revivisscere eo quod causa cessaverit. Cæteras rationes vide apud Sanchez, qui licet contrariam opinionem teneat, ut diximus, tamen in fine *num.* 13. sic asserit: *Qui hanc sententiam amplecteretur, damnari non posset, cum graves pro se auctores habeat, nec rationibus destituta sit, nec oppositæ ita includant, quin solvi possint.* Unde ex his infertur, quod si quis (attende) esset dispensatus ad non jejunandum per totam vitam, si illæ causæ posteà omnino cessarent, posset uti illa dispensatione. *Hæc Diana: qui pro hac parte non benè citat Pontium, quia in nostro casu contrarium expressè tenet *lib.* 3. *de Matrim. cap.* 20. *num.* 8.

3. Idem prorsus sentit Auctor casuum conscientiæ decisorum Bononiæ anno 1638. *casu* 1. *fol.* 37. quærens: *An Sacerdos beneficiarius dispensatus ab onere horas Canonicas recitandi, ex infirmitate oculorum, si posteà convaluerit, teneatur sub mortali recitare officium? *Respondet negativè, cum communi sentit Zambellus *in Resp. Moral. verb. Dispensatio*, ubi ait: *Quod dispensatio habita pro necessitate, adhuc valet, & dispensatus illa transacta, adhuc valet, & dispensatus illa uti potest. *Et putat probabile Præpositus *in* 2. D. Thomæ *quæst.* 97 *dub.* 3 *n.* 31. ubi licet contrariam sententiam sequatur; concludit, dicens: *Aliqui tamen non improbabiliter censent, quod quando dispensatio facta est, eo quod judicio Medicorum infirmus censeatur futura perpetua, censeri possit absoluta, & non tenetur aliquis jejunare, quamvis valetudinem recuperet.*

4. Denique hanc opinionem esse probabilem tenent Caramuel *in Theolog. Regul. disp.* 52. *n.* 760. & Franciscus Verde *in opusc. pro Caram. quæst.* 3. *concl.* 101. *nu.* 473. *fol.* 124. ex qua infert: *Quod licet extrema paupertas, ratione cujus fuit obtenta dispensatio ad contrahendum matrimonium cum consanguinea, adhuc potest contrahi, &c. Et potest vesci carnibus, licet cesset infirmitas, qui ob infirmitatem habuit dispensationem ad comedendum carnes. Ratio hujus sententiæ est, quia jam per dispensationem non obligatur, nisi revocetur dispensatio. *Sic ille, qui has conclusiones deducit ex doctrina asserentium, dispensationem non cessare, cessante causa, quam tenent Antonius, Abbas, Tiraquellus, Gutierrez, Giulfa, Speculator, Archidiaconus, Cardinalis Alexandrinus, Bellamera, Henricus, Angelus, & Sylvester apud Sanchez *suprà num.* 13. quam probabilem ipse putat.

5. Cæterum contrariam probabiliorem ego censeo, quam sequitur P. Sanchez *ubi suprà*, & communiter Doctores. Quorum præcipuum fundamentum est, aditum præcludere conclusioni, de qua procedit quæstio, quam ex horum Doctorum opinione legitimè inferri, cum Thoma Sanchez judico: quasi dubium (inquit) videtur, ut is, cum quo est legitimè dispensatum ad esum carnium, ratione debilitatis diabiæ, & quæ ex se non excusabat, seclusa dispensatione, possit eis vesci, si integram, etsi miraculosè, valetudinem recuperaret. Et quamvis principium, ex quo hæc conclusio deducitur, improbare Sanchez non audeat, sicut nec Palao *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 4. *p.* 15. illam tamen jure vitare contendit, dicens, in tali casu cessare dispensationem, quia dependenter à causa futura fuit concessa, ut docent communiter Doctores. Quorum sententia, ut voluntati rationabili Pontificis conformior, omnino amplectenda est. Licet enim verum sit, Pontificem in his, quæ juris positivi sunt, posse, etiam nulla existente causa, validè dispensare, & secundum plures etiam licitè, & per consequens, si de ejus mente constaret, liberum omnino ab onere jejunandi futurum dispensatum, etiamsi causa quæ initio adfuit, posteà cessaret: hæc tamen voluntas præsumi absque fundamento non potest: Qui ut optimè scripsit Illustriss. ac Revet. M. Tapia *in Genesim tena libr.* 4. *quæst.* 22. *art.* 1. *n.* 4. etiamsi conditio (nempè si causa perseveraverit) non sit expressa, sed tantum tacita, seu implicita in ipsa materia legis, vel præcepti, cessante causa sub implicita conditione, cessat dispensatio sic concessa, quia in his actionibus moralibus implicitum, seu tacitum æquiparatur expresso,

presso, ut constat ex communibus juris regulis, & moralibus principiis.

6. Communis autem hujus nostræ opinionis ratio genuina, & optima est, quam attigit Basilius de Leon *libro 8. de Matrim. cap. 20. num. 8.* nimirum, quia dispensatio in hujusmodi præceptis recitandi, & jejunandi, quæ tractum successivum habent, licet videatur una, est tamen virtute multiplex, sicut & obligatio Quadragesimæ; unde cum perveniatur ad quemcumque diem, debet esse in illo causa, ut intelligere possimus, Pontificem pro eo die dispensare: est enim quasi alia dispensatio diversa à dispensatione præcedenti. Quando autem prima dispensatio ex causa facta est, nec constat de voluntate Pontificis ad dispensandum pro altero die, etiam deficiente causa, nullum est fundamentum ad hoc existimandum. Quia sicut sine causa concedi non solet pro uno tempore, ita nec credi potest pro alio sine illa continuari.

QVÆSTIO III.

An sitlicitum, uti dispensatione sine causa obtenta?

1. UNum supponimus, & alterum disputamus: supponimus, talem dispensationem datam à Papa, vel ab alio superiore, in lege sua, validam esse, ut docent Cajetanus 1. 2. *quæst. 97. artic 5.* Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrim. disputat. 17. num. 24.* ubi refert plures Summistas, & Jurisperitos, quos sequitur P. Suarez *libr. 6. de legibus cap. 19.* Quorum ratio est, quia lex pendet ex voluntate imponentis illam; ergo & eius conservatio: ergo ablata lege, eodem modo se habet subditus, ac si revera ei non fuisset imposita, licet fortasse superior peccet auferendo, sicut & peccasset, non imponendo, si bonum commune ea indigeret.

2. Disputamus, an subditus, qui absque justa causa dispensationem obtinuit, possit absque peccato, etiam veniali, præfata dispensatione uti? Partem affirmativam probabilem esse, dicit Antonius de Escobar *in Moral. Theolog. tractat. 1. exam. 6. cap. 4. num. 32.* Quem, vel ex hoc, à quodam Theologastro suggillatum lego. Quod mirabile quidem dictu est! Quia non solùm ut probabilem, sed ut veram viri doctissimi tuentur. Ancharr. Felinus, Gigas, Angelus, Sylvester, Navarro, Palacius, Stunica, Aragon, & alii, apud Sanchez *de Matrim. lib. 8. disput. 18. num. 10.* "Quod (inquit ipse) satis probabile est. "Quibus adde Innocentium, Cardinalem, Speculatorem, & alios simpliciter dicentes, sic dispensatum manere tutum in conscientia, quos in hoc sensu intelligit Felinus *in cap. ad Audientiam 2. de Rescrip. num. 4.* Et Panormitanum pro hac sententia stare, *in cap. non est de Voto*, testatur M. Victoria *in Relect. de Potest. Papæ, & Concilii, num. 15.* Quorum sententiam probabilem esse, dicit P. Salas *tom 3. de legibus, quæst. 97. tract. 14. disput. 20. sect. 5. num. 6.* ubi ait, Canonistas communiter affirmare, utentem tali dispensatione, non peccare, & tuta conscientia posse illa uti; & pro hac sententia stare Vivaldum, Summam Coronam, & Patrem Vasquez asserentem, ita tenendum, supposito, quod dispensatio sit valida. Quia tunc constat, nullum esse peccatum directè contra ipsam legem humanam; nec contra naturalem, quia lex naturalis non obligat validè dispensatum, ut se conformet cum aliis membris, nullam habentibus dispensationem.

3. Ideò hanc sententiam tenet M. Bart. de Medina *in Summ. §. 10. Del precepto del ayuno*, ibi: "El quarto modo, para que uno estè libre del ayuno es dispensacion, de lo qual sea la primera regla. Quando uno justa, ò injustamente tiene dispensacion para no ayunar, no està obligado à ayunar, aunque èl pecaria en pedir la tal dispensacion sin causa; pero si la alcanca, vale. La razon es, porque como sea esta ley humana, puede el Sumo Pontifice quitarla, ò otro, como abaxo se dirà. *

4. Eamdem sententiam, citans Emanuelem Rodriguez, sequitur M. Petrus de Ledesma *in Sum. 2. p. tract. 17. de abstinentia, cap. 2. post quintam conclusionem, folio mihi 744.* ibi: "La segunda dificultad es, quando el Papa, que puede dispensar en el ayuno, y en el precepto Eclesiastico, dispensa con uno sin causa razonable, si queda libre del ayuno, desuerte, que no estè obligado a ayunar. En esta dificultad Fray Manuel Rodriguez en el lugar citado absolutamente, y sin limitacion ensenna, que la dispensacion serà valida, y que no pecarà este tal dexando de ayunar. A esta dificultad digo lo primero, que si el Papa dispensa, entendiendo, que no ay razonable causa, ni suficiente para dispensar en el ayuno, sino que èl por su libre voluntad quiere dispensar, la dispensacion es valida, y no pecara el subdito no ayunando. Esto convence la razon de dudat (nimirum, quod sit valida dispensatio) y anssi se ha de entender Fray Manuel Rodriguez en el lugar citado. * Sic ille, qui, ut patet, ad excusandum à peccato usum dispensationis, solum exigit, quod sit valida: talem autem esse, est plurium Doctorum sententia. Sed ego apud Emanuelem Rodriguez non invenio, quod ei attribuit Ledesma: Quin potiùs *tom. 1. Quæstion. Regul. quæst. 22. artic. 4.* contrarium expressè tenet, dicens: * Nec utentes illa peccabunt mortaliter, sed venialiter, ut tenent doctissimus Sotus, & Navarrus, & Victoria, "sic ibi. Et iterum *tom. 2. quæst. 46. artic. 5. & tom. 1. Sum. in 2. edit. cap. 237. num. 1.* unde nescio, ubi contrariam, quam ei imponit, invenerit Ledesma.

5. Militant verò pro hac vir! alii doctissimi, quos citatos sequitur Illustris. ac Reverend. M. Tapia Archiepiscopus Hispalensis *in Catena Morali lib. 4. de legibus, quæst. 21. artic. 5. num. 3.* ibi: "Si dispensatio sine causa valida sit, & ultro à legislatore oblata, & concessa; probabilius censeo, subditum etiam scienter utentem hac dispensatione nullum committere peccatum, cum Navarro, Sylvestro, & aliis, quos citatos sequitur Suarez *lib. 6. de legibus, cap. 19. num. 14.* contra Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 18. n. 12. & 13.* Ratio autem est, quia tunc subditus utens dispensatione non cooperatur peccato dispensantis, nec agit contra legem, cum per dispensationem validam, sit ablata eius obligatio: ergo nullum committit peccatum. Quin etiam si subditus illicitè petat, non peccare utendo dispensatione illa, existimat Suarez ibidem, & satis probabiliter, quia peccatum petendi præterit, usus autem dispensationis est alia actio non prohibita, cum obligatio legis revera sit jam per illam ablata, & alia lege non prohibeatur usus illius dispensationis. "Sic ibi, & iterum *art. 6. n. 3* dicens: *Quamvis enim illicitè petat, non illicitè ea utitur, ut

diximus *art. præcedent. numer.* 4. &c. Cum ex vi usus non conservet eam, nec cooperetur ad voluntatem dispensatoris, nisi forte deceperit eum: tunc enim tenebitur in conscientia deregere fraudem dispensatori. Quod si, ea detecta, non revocaverit dispensator dispensationem, poterit deinceps dispensatus ea uti, quia nullo modo jam cooperatur pravitati dispensatoris. * Quid clarius?

6. Stant etiam pro hac parte Doctores alii, quos citatos sequitur Diana *p.* 8. *tractat.* 3. *resol.* 9. ubi inquirit: * An utentes dispensatione à superiore facta sine causa, peccent? * Cui sic respondet. * Peccare saltem venialiter, ait Amicus, &c. sed mihi magis placet contraria sententia, quàm tuentur Gordonus, Pontius, Suarez, Vasquez. Et ratio est, quia non peccat contra legem positivam, quæ jam non est, nec etiam contra naturalem, quia dispensatus non tenetur ex jure naturæ se aliis conformare: habet enim causam legitimam exemptionis, scilicet, dispensationem validam, etiamsi illicitè obtentam, &c. Nec etiam potest esse peccatum, quia cooperatur dispensationi iniquè à superiore concessæ, quia solum cooperatur, cum petit, petita jam, & concessa, utitur illa, qui usus non videtur specialiter esse prohibitus. * Sic ibi. Quod tradiderat etiam 1. *par. tractat.* 10. *resol.* 32. dicens. * In usu talis dispensationis sine causa obtentæ, nullam culpam, etiam venialem committeret. Et ita ego sentio contra Layman, & Sanchez, fretus auctoritate Malderi, Suarez, & aliorum. * Quod iterum etiam tradit *resolut.* 55. Sic Diana cum citatis. Et hanc sententiam tenere Sylvestrum, Angelum, Vasquez, Suarez, Salas, Basilium de Leon, Castro Palao, Aragon, Vivaldum, & Pasqualigum, testatur, eos citans, Leander à Sacrament. *tom.* 3. *tractat.* 5. *disputat.* 10. *quæst.* 26.

7. Quibus adde doctum Machado *tom.* 1. *lib.* 3. *p.* 4. *tract.* 4. *docum.* 7. *num.* 2. & 3. ubi sic scribit: * Si por lo menos peque el legislador en dispensar sus propias leyes sin causa, es question muy controversa entre los Doctores. La mas comun, y recibida opinion es, que peca, &c. Pero tambien defienden muchos la contraria de que no peca, &c. Con esta opinion se escusa de auerriguar, que pecado sea el dispensar sine causa (attende) y tambien si peca el que usa de la dispensacion concedida sin causa. Supuesto que tantos, y tan graves autores, como hemos referido, defienden, que ni el legislador, que sin causa dispensa en sus leyes, peca en manera alguna, ni el que usa de semejante dispensacion por ser licita. Porque Covarruv. y otros que sienten que peca, se fundan en que es ilicita la dispensacion concedida sin causa, segun la primera opinion referida. *

§. UNICUS.

Contraria, & vera sententia.

8. His tamen non obstantibus, sententia contraria magis mihi arridet, quam tenent Cajetanus 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad finem.* M. Soto *lib.* 1. *de Iust. q.* 7. *artic.* 3. *prope finem.* M. Serra 1. 2. *q.* 97. *artic.* 4. P. Salas *ubi suprà q.* 97. *tractat.* 14. *disputat.* 20. *sect.* 5. *num.* 60. P. Amicus *tom.* 5. *disputat.* 6. *sect.* 7. *num.* 109. Azor *lib.* 5. *instit. moral. cap.* 15. *quæst.* 3. *in fine*, & plures alii, quos citatos sequitur Thomas Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disputat.* 18. *num.* 11. batur: Quia legislator, etiamsi Princeps mus, peccat saltem venialiter, dispensando aliquibus in propriis legibus, ut docent comm ter Doctores cum D. Thoma 1. 2. *q.* 97. *artic.* 4. referens, sequitur Thomas Sanchez *supra* ducti argumento; quod ejusmodi dispensa ponitur juri naturæ dictanti, partem comm debere cum toto: ideòque non solum pecca spensationem concedendo, sed continuando netur enim, eam quoad usum futurum re sicut qui furatus est, dum potest, tenetur re re. Ergo similiter, qui absque justa causa sationem petivit, non solum peccavit petendo potè cooperans peccato concedentis, sed etia spensationi non renuntians, vel absque justa illa utens; quia secus tam uno, quam alter peccato superioris continuato cooperatur. Tra quam quod, manente lege in ordine ad alios, ratione est, quod absque justa causa ab illa gatione te eximas: offensionis quippè aliis præbes, quia dispensationis usus nonnullos, eius concessio in aliorum injuriam cedit: cum injustam reddat legem, inæqualem constituens, ut justa sit, æqualis omnibus esse debet. Et cum ad venialem saltem culpam constituendam sufficere negare non auderem. Quod intelligo, si delictum lum grave, aut notabile aliorum nocumentum enim sicut in legislatore dispensante lethale, ita tum esset, ita in usu talis dispensationis, propter dem rationem.

9. In hoc sensu intelligendus venit Victoria *lect. de Potest. Papæ, & Concilii, num.* 6. ubi, hæc scribens non renuit: * Papa dispensando in legibus, & decretis tam Conciliorum, quàm aliorum Pontificum, posse errare, & graviter peccare. Utinam licerent dubitare de hac conclusione: sed videmus quotidiè à Romana Curia tam largas, imò omnino dissolutas dispensationes profectas, ut orbis ferre non possit, nec mirum in scandalum pusillorum, sed majorum. * Sic ille. consuetæ, innatæque modestiæ immemor: fuit enim vir temperatissimus æquè, ac doctissimus.

10. Consulto non semel dixi peccaturum, utentem dispensatione absque justa causa: potest enim ea occurrere, quo liceat uti dispensatione, quæ obtenta fuit absque justa causa: quia licet tunc non adfuerit ad concessionem, modò adest ad justam continuationem, & consequenter ad eximendum à peccato in usum: sicut enim si ab initio præcessisset, concessionem dispensationis licitam redderet, & petentem ab omni culpa excusaret: ita similiter postea adventu continuationem licitam reddit, & talis dispensationis usum ab omni culpa immunem constituit. Quo licet dispensatio, & alia gesta ab initio nulla: quæ ant discussa temporis convalescere: ab initio men illicita, ex defectu causæ, possint illa accu talia esse desinere, ut apud omnes Theologos concussum est, variisque exemplis demonstrabile.

* * *

DISPU

DISPVTATIO SECVNDA,

De Peccatis.

QVÆSTIO I.

Utrùm habens voluntatem perpetrandi, omnia peccata venialia, solaquè vitandi mortalia, graviter delinquat?

1. NOn peccare mortaliter docent non pauci, quorum sententiam probabilem putavit Antonius de Escobar *tom.1. Theolog. Moral. lib.3. sect.2. cap.8. problem.1. fol.83.* quia contrariam, quam sequitur, probabiliorem vocat: renuit dicere certam, & merito, quia opposita plures doctissimos patronos habet. Eam tenet unus pro mille Illust. & Rever. P. M. Acatius de Velasco *tom.1. resol. moral. resol.188. n.4.* ubi contra Sanchez *lib.1. Decalogi, cap.5.* & contra Bonacinam *disp.2. de Peccatis, q.3. punct.5. nu.13.* asserentes, voluntatem committendi omnia venialia esse peccatum mortale, sic inquit: *Lo contrario tengo por mas verdadero, porque aunque los pecados venialesdisponen para los mortales, pero por ellos nunca se dispone proximè, &c.* Este parecer tiene tambien Castro Palao *tom.1. tr.2. disput.2. p.9. §.3.* y lo prueba con muchas razones. *Sic ibi, & favet Sylvester M. Sacri Palatii verb. Peccatum, q.4.* ubi inquirens: *Utrum peccatum veniale possit fieri mortale? Sic respondet. Petrus de Palud. intêdit, quod illud, quod secundùm se ex suo genere est veniale, potest fieri mortale huic, vel illi, quod verum est quatuor modis prædictis: non autem eo modo, quo dicit Glossa, scilicet, quasi ipse contemptus, & vilipensio venialium sit mortale, nisi fortè in Religioso, qui tenetur habere propositum proficiendi, quia nullibi est præceptum, quod dictam curam habeamus, sed consulitur tantũ. Sic ille, & benè quoad rem principalem; sed malè, & falsò quoad id, quod addit de consilio, cum verè sit de præcepto sub veniali, cura vitandi venialia.* Accedit M. Corradus *2.p. resp.q.494.* ubi quærens, *an qui vult permanere obstinate animo in peccato veniali, & in illo mori, possit salvari? inter alia, quæ pro parte affirmativa, quam tuetur, adducit, hæc habet: Quod autem voluntas obstinata peccandi venialiter non sit mortale, nec excludat à regno cœlorum, sed in purgatorio purgetur, expresè habetur ab ipso Sancto Doctore loco citato q.7. de Malo circa finem undecimi articuli. Si igitur voluntas obstinata peccandi venialiter non est mortale: cur tale erit nullum veniale vitandi? cum hæc non magis dissonet, quam illa.* Et ideò in terminis ita expresè tenent Joannes Franciscus Gitagus *de Regimine p.3. dub.44. concl.1.* & P. Oviedo *1.2. contr.3. tr.6 punct.6. num.81.* Granado, Palao, Gaspar Hurtado, Diana, Machado, Ludovicus à Concept. & alii infrà citandi.

2. Hujus doctrinæ (quæ mihi est probabilior) ratio à priori est, quia nullum vitare veniale, sed omnia occurrentia committere non est peccatũ mortale, ergo neq; voluntas nullum vitandi. Consequentia videtur legitima, quia malitia actus desumitur ex objecto.

3. Non me latet, Illust. Archiep. Hisp. M. Petrum de Tapia *in sua Catena Mor. lib.3. q.17. art.9.* qui oppositam defendit sententiam, præfato argumento respondere: *Propositum committendi omnia venialia, quotquot se obtulerint, esse mortale peccatum; non quidem propter ipsum objectum præcisè sumptum, nam omnia venialia simul collecta non habent secundum se, nisi venialem malitiam. Cæterum continent in illo universali proposito proximum periculum peccandi mortaliter.*

4. Verum hoc fundamentum solidum non est, quia proximum periculum ab illo proposito separabile est. Quapropter M. Dominicus de Soto *in 4. dist.15. q.2. art.1. §. Hic advertendum est,* illi omnino non est fidus; ideòquè ausus non est determinare, esse peccatum mortale. *Non auderem, inquit, ad peccatum mortale condemnare, nisi forsan ratione imminentis periculi, dum omnia venialia contemnerentur; nam ut ait in Regula Augustinus, qui minora contemnunt, in majora paulatim defluunt.* Sic M. Sotus Sed ex ratione, qua utitur, planè colligitur, in proposito aliud periculum non agnovisse, præter illud, quod invenitur in exercitio contemnendi minora, & proximum, & remotum potest esse, ut ex dicendis magis constabit. Et sanè, ut benè advertit P. Salas *1.2. tom.2. tr.13. disp.26. nu.84.* Auctores non inficiantur, propositum illud absolutum sæpe esse peccatum mortale, ratione periculi, sed eo semoto, per se loquendo, mortale non esse contendunt, sicut neque ipsam frequentiam, & vilipensionem venialium: licet aliquando ratione periculi proximi peccatum mortale sit. Itaquè quæstionis difficultas in hoc uno cardine vertitur: An voluntas nullum vitandi veniale imbibat, per se loquendo, periculum proximum peccandi mortaliter? Affirmat M. Tapia, ut vidimus.

5. Sed quidem ex nullo capite, illud involvere, tenent, ultra M. Acatium de Velasco, Sylvestrum, & alios supra citatos, Gaspar Hurtado *1.2. tract. de Peccatis, disp.3 diffic.6.* Diana *3.p tr.6. Misc. resol.24.* & cum Granado, & aliis Machado *tom.1. lib.2. p.1. tr.1. docum.5. fol. mihi 168.* ibi. *Si el que está con intencion de cometer todos los pecados veniales, que se ofrecieren, peque mortalmente?* Sanchez, y otros graves autores juzgan, que si; porque el que quiere cometer todos los pecados veniales se expone à pel gro de cometer algun mortal. Si bien la parte negativa de fienden el docto Granado *in 1.2. contr.6 de Peccat. tr.2. disp.2. sect.7.* Palao *tom.1. tr.2. disp.2. punct.9. §.3 nu.5.* y Diana la juzga por mas probable. Fundanse en que cometer todos los pecados veniales, aun quando esso fuera possibile, no fuera pecado mortal, porque por el mismo caso que son pecados veniales, la ofensa de suyo viene à ser venial, y no mortal. *Quæ doctrina videtur aperta D. Thomæ 1.2. q.88. art.4.* ubi disputans, *an peccatum veniale possit fieri mortale? Ad primum argumentum desumptum ex auctoritate D. Augustini, dicentis: Peccata minima, id est, venialia, si negliguntur occidunt. Respondet: Dicendum, quod Augustinus loquitur in illo sensu, quod multa peccata venialia dispositivè causant mortale. Quod de dispositione remota, & de periculo remoto intelligunt communiter Doctores, aliàs consuetudo venialium esset mortalis, siquidem esset periculum proximum peccandi lethaliter, quod est falsum,* & contra D. Thomam *ubi suprà,* qui semper negat, connectionem venialium esse mortale, solumquè admittit, ad illud disponere: dicere autem debuisset, consuetudinem ipsam peccandi venialiter esse peccatum mortale, si periculum proximum, per se, involvere sentiret.

6. Eamdem sententiam tuetur Fr. Ludovicus à Concept. 2.*p.examinis verit.tr.3.n.5.& 6.* pro se citans Sylvestrum *verb.Peccatum,q.4.* Salas *ubi suprà disput.16. sect.26.* & P.Granado 1.2.*tom.2. tr.2. disput.2. sect.7. de Peccatis*, subnectens; *nec desiderium omnia venialia simul committendi, (si id possibile foret) esse mortale, nisi fortè ratione periculi, quod etsi in actu externo possit dari, non tamen in interno, nisi quis illa desideraret committere, prout foret proximum ad mortale periculum. *

7. Addit Granado *ubi suprà nu* 59. hanc sententiam, non solum non esse contra D.Thom. sed colligi ex doctrina Cajetani: *Dicendum, inquit, est, non esse peccatum mortale, velle committere omnia venialia, quæ intra limites levis culpæ continentur. Hanc assertionem amplectuntur docti Juniores, & Sylvester *verb. Peccatum, q.4. &c.* Colligitur etiam ex Cajetano 2. 2.*q.186.art.2.§. Ad evidentiam horum.* *Ubi docet, intentionem non proficiendi in charitate, aut bonis operibus, sed solum præcepta divina servandi, esse quidem culpam, sed non culpam mortalem, quia infrà limites præceptorum, salvatur dilectio Dei super omnia, ubi *nomine præceptorũ* planè intelligit gravia præcepta, ac proinde vult intentionem servandi sola gravia præcepta, & nil amplius, non esse culpam mortalem. *Sicille, & benè, & juxtà mentem D.Thomæ, in qua versatissimus fuit; nam D.Thom. 1.2.*q.88.art.4. in corpore*, in uno tantũ casu admittit, id, quod ex suo genere est veniale, fieri mortale; nimirum, *in quantũ constituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum. * Quod non reperitur in eo, qui omnia venialia committere proponit, quia eius intẽtio ad ea dirigitur, in quantum intra limites venialis culpæ continentur. Quia ratione ultimus finis in illis non cõstituitur, neq; ad mortale peccatũ referuntur.

8. Quapropter meritò dixit P. Granado *ubi suprà* videri in ipsis terminis contradictionẽ involvi, dum dicitur, peccatum esse veniale, & esse proximum periculum mortalis. Quod omnium optimè expendit Castro Palao citatus à M. Acatio de Velasco *ubi suprà*. Tum quia illud periculum non consistit in aliquibus venialibus tantum, ut patet; neque in omnibus simul sumptis, cum numquam possit dari casus, in quo hæc committantur. Tum quia ex opposita sententia sequeretur, quemlibet esse obligatum sub gravi peccato vitare aliqua venialia, siquidem omnia (ut defendunt adversarii) sunt periculum proximum peccandi lethaliter. Tum quia nostra salus non consisteret solũ in observatione præceptorum obligantium sub veniali, siquidem vitatio venialis ad vitationem mortalis necessaria esset. Tum denique, quia rectè compati potest propositum non vitandi venialia, cum proposito firmo, & efficaci non peccandi lethaliter, quod fieri non posset, si primum esset mortale. Sic discurrit Palao, & benè quidem.

9. Ex dictis pro hac firmanda conclusione de proposito peccandi venialiter in qua cumq; materia, planè colligitur, idem à fortiori dicendum de proposito committendi omnia venialia in materia aliqua determinata, ut benè notat Granado suprà, nam qui committeret omnia venialia, v.gr. in materia luxuriæ, advertens hic, & nunc imminere sibi ruinam, & periculum proximum labendi jam ea committere, non esset veniale, sed mortale. *Si autem, inquit, faceret quidquid, attentis omnibus circunstantiis, est veniale in materia luxuriæ, non potest ullo modo esse proximum periculum mortalis. *Ac proinde mortale esse non potest propositum illa omnia committendi.

10. Quale autem peccatum sit, inducere alium ad peccatum veniale committendum: non conveniunt Doctores. Nam esse peccatum lethale, docet Vivius quam homicidium, tradit ex M. Soto, M. Conradus 1.*p.Respons.resp.*89.§. *Sequitur, fol.mihi* 176. ubi scribit: *Imò, & gravius est, inducere ad unum peccatum veniale, quam committere homicidium, quia majus damnum est, & major jactura unius peccati veniale committere, quam sit mors corporis, quæ causa dicitur, non esse peccandum venialiter, etiam pro vita totius mundi. Has assertiones Salas non admittit. Sed secundum Sotum admitti videntur. Unusquisque pro captu suo accipiet, quod placuit quadrat. *

11. Verum sententia hæc M. Conradi, & M. Soti est expressa contra D.Thomam 1.2.*q.73.art.8.ad 3.* ubi *Gravius peccatum esse homicidium, quam peccatum inducentis alium ad fornicationem, adulterium, delectationem, non attendendo ruinam illius. Id expressius ad rem nostram 2.2.*q.43.art.4.* ubi *Qui verò scandalum passivum sit per se, puta, cum quis dicit inducere alium ad peccandum, si intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale: Et similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis: sin verò intendat, inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale. *Quid clarius? Imò hoc etiam esse verum, si sit expressa intentione ruinæ venialis proximi, illum inducere; tradunt Cajetanus *in Sum. verb. Scandalum*, Armilla, & Angelus ibidem: & plures apud Salas *tom.2.tr.13.disp.5.sect.15 n.141.* ubi ficait: Inducere rectè ad peccatum veniale, tantum est veniale, ut docent Paludanus, Cajetanus, Armilla, Tabiena, Silvest. Angelus, Emanuel, Medina, Covarr. Henr. Azor, Zumel. *Quæ sententia ait Vasquez 1.2.q.87. art.8.disp.102.cap.7.* Fuit D.Thomæ 2.2. *quæst.43. art.* 4. si conferatur cum his, quæ docet in corpore.

12. Cæterum hæc doctrina difficilis usu est. Ait Vasquez: Quapropter, si intendatur expressè ruina spiritualis proximi, etsi venialis; existimat, hujusmodi intentionem peccatum esse mortale contra charitatem, & in hoc sensu veram putat sententiam Soti, & Conradi; quia damnum spirituale, cum directè intenditur, tribuit specialem malitiam, & non est dubium, majus hoc esse, quam quodcumque damnum corporale. Sic discurrit P. Vasquez: sed difficultas non vacat: si enim eius ratio aliquid probat, apertè convincit, neminem posse directè velle in venialem ruinam, quin gravem: magis enim se, quam proximum diligere tenetur. Sequelam autem admittere, communi sensui adversatur. Omnes ergo præfato argumento respondere tenentur; præcipuè, quia quamdamnificatio, si gravis sit, etiam indirectè inducit malitiam mortalem in actum derivat: ideoq; fatendùm omnes lethaliter peccat, qui fagitram alterius proficit, prævidens grave damnum proximi inde sequuturum: licet aliàs velit, quod nullum sequatur. Verum mihi est, quod Doctores adhibebant. Verior mihi est, quodcumque peccatum veniale sit majus malum quodcumque peccatum veniale sit majus malum proximo, quàm mors corporalis, tamen quia illud transiens, & liberum, & mediis facillimis reparabile, ideò majus peccatum est occidere proximum, quam parabiliter, quam levem eius ruinam spiritualem intendere, quando non ex odio, sed ex alio fine procedit. Et sanè, si difficultas, suborta ex ratione majoris mali, nos terrere deberet, majus esset peccatum etiam absque expressa, & directa ruinæ intentione

ne, inducere ad peccatum veniale, quam corporaliter occidere, quia illud majus homini detrimentum est, quàm mors corporalis, quod negat Vasquez cum communi Doctorum.

14. Aliam solutionem invenies apud Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 5. *nu* 25. ubi contra Navarrum asserentem, eum qui promisisset liberaliter unum sacrum animo se obligand, peccaturum mortaliter, si omittat, eo quod detrimentum spirituale ex omisso sacro, est magnum, graviusquè quocumque temporali; sic scribit. * Sed rigida, & minus vera est opinio: non enim damnum spirituale conferendum est cum temporali; aliàs promittens semel orationē Angelicam, & omittens peccaret mortaliter, & similiter consulens veniale: damnum enim illatum ex omissione illius orationis, & ex veniali admisso, cum spirituale sit, antefertur cuicumque temporali. Quare ad judicandum, an sit damnum grave, conferendum est temporale cum temporali & spirituale cum spirituali. * Hæc Sanchez, cui consentit Fagundez *in quinque præcep. Ecclesiæ præcep.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 12. *& sequentibus.* Cæterum hæc solutio, ni ad præcedentis fundamentum referatur, difficultatem non evacuat, cum nulla congrua reddatur ratio, cur damnum spirituale cum temporali comparari non debeat, ut inde eius gravitatem appendere possimus.

QVÆSTIO II.

Utrùm in re venerea detur paritas materiæ?

1. PArtem affirmativam tuentur Joannes Sanctius *in Selectis, disp.* 21. *nu.* 19. *in fine, & n.* 25. Navarrus *cap. si quis de Pœnit. dist.* 1. *n. ult.* Villalobos, & Malderus: & faciunt Freitas, Miranda, & alii, quibus citatis subscribit Caramuel *in Regul. S. Benedicti, disp.* 69. *à n.* 1502. & Bassæus *in floribus, verb. Luxuria, num.* 19. apud Caramuelem *in Theologia Fundamentali, fol mihi* 595. *nu.* 1213. dicens: * Ubi levis quædam distillatio, & spirituum commotio procuraretur, excusaretur à mortali id procurans ratione parvitatis materiæ, cessante pollutionis periculo. * Thomas Hurtado *tom.* 1. *variar. Resol. tract.* 4. *cap.* 8. *resolut.* 35. *num.* 399. ubi ait: * Negari non potest, valdè probabile esse, dari parvitatem materiæ in rebus venereis, * & pluries id repetit *resol.* 65. §. 2. *num.* 922. *&* § 3. *num.* 932. *&* 934. *&* 935. ubi sic: Ut autem id, quod sentio, dicam, supposita sententia probabili, quod detur parvitas materiæ, tum in materia luxuriæ, tum in materia sollicitationis, &c. * Portel *in addit. ad Dubia Regularium, verb. Sollicitare fœminas, num.* 4. ubi sic: * Habebit hic locum ad excusandum parvitas materiæ, sicut & in omni alia materia. Unde si Confessor dicat fœminæ verba levia, vel aliud signum, vel opus leve faciat indicativum amoris lascivi, quæ verba ad judicium prudentis viri, nec sint peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendum, credo, quòd talis Confessor non sit accusandus. * Quos sequitur Marchantius *in Horto past. cap.* 6. *respons.* 13. ubi de osculis loquens, inquit: * Si fiant in transitu, licet voluptas aliqua caperetur, &c. posse secundùm opinionem multorum veniale id judicari, ob parvitatem materiæ. *

2. Eamdem sententiam defendunt M. Soto *de Doctrina Christiana, fol.* 26. M. Samuel Lublinus *in Sum. verb. Osculum, nu.* 3. ubi ait: * Inter solutos, quamvis ejusdem sint sexus, mortale crimen est osculari, & tangere ob solam veneream delectationem ex hujusmodi actibus consurgentem, nisi parvitas materiæ excuset, * M. Zanardus *in Direct.* 1. *part. de Sacram. Matrim. cap.* 41. §. 28. ubi inquit: * Oscula, tactus, & verba obscœna non erunt mortalia inter solutos ex parvitate materiæ, vel consensus, quia levis est tactus, vel parva distillatio. * Pro eadem militat Illust. ac Rever. P. M. Arauxo Episcopus Segoviensis, ut restatur Diana *part.* 7. *tract.* 11. *resol.* 28. ubi alios Authores citans, concludit: * Hanc etiam sententiam, quod videlicet in rebus venereis detur parvitas materiæ, præter Authores à me alibi citatos, tenet novissimè contra me nominatim insurgens sapientissimus M. Franciscus Arauxo Dominicanus, sacræ Theologiæ professor in Academia Salmanticensi in suis eruditis commentariis in primam secundæ D. Thomæ. * Sic Diana: quam sententiam probabilem putat Bonacina *de Matrim. quæst.* 4. *punct.* 8. *nu.* 17. quia contrariam, quam sequitur, tutiorem vocat. * Secunda sententia, (inquit, affirmat, dari posse parvitatem materiæ in re venerea. Ità Armilla, Navarr. Sanchez. In praxi tamen tutior est, & consulenda prima sententia. Et infrà: * Ex dictis colligitur secundò, tutius esse in praxi asserere, quamlibet distillationem seminis voluntariam cum carnis commotione esse peccatum mortale, ut patebit ex dicendis *punct.* 10. *num.* 13. * Sic Bonacina, quibus opinionem, quam deserit, probabilem censuisse satis constat: quapropter pro illa eum adducit Bassæus *ut suprà*, cujus fide, illum citavit Amadæus *in opusc. tract. de Peccatis, prop.* 3. *nu.* 3. sicut & Dianæ, Magistrum Arauxo verbis suprà datis.

3. Sed ut minus bonam Vincentii Baronii, amicæ lector, non mireris, illius in Amadæum stomachum tibi aperiam, quem infidelitatis redarguens, sic impetit *disp.* 1. *sect.* 1. *fol.* 27. * Ex duobus (inquit) agnosce, qua fide reliquos citet. Bonacinam laudat *quæst.* 4. *de Matrim.* quo loco nil ad rem, &c. Quod verò refert ex Diana, contra se nominatim insurrexisse Franciscum Arauxum Dominicanum ex primo Salmanticensi professore factum Episcopum, quod videlicet, in rebus venereis negaret parvitatem materiæ; hoc omnem fidem superat, &c. Ab Arauxo fuisse hac de causa Dianam nominatim impugnatum, in hac ferè unica controversia, D. Thomam sequutum; quis credat de assertore D. Thomæ acerrimo, & fidissimo discipulo! *

4. Verum satius fuisset Baronio fidem Dianæ viro eruditissimo non denegasse, quam invidiam, tot in illum verborum strepitu, & jactantia, sibi conflasse: de mente Bonacinæ dixi satis, de sententia discipuli D. Thomæ dubitare non licet. Legas quæso Mag strum Arauxo 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 10. *dub. ultim. num.* 52. *fol.* 388. *in editione Salmantina, anno* 1638. & luce meridiana clarius invenies, Dianam, loco ab Arauxo citato, nempè 4. *part. tract.* 4. *resol.* 36. parvitatem materiæ in re venerea cum D. Thoma denegare. Econtra verò Magistrum Arauxo, etsi acerrimum, & fidissimum D. Thomæ discipulum, Magistri opinionem in hac parte deseruisse. Legas, rogo iterum, Magistrum Arauxo loco suprà citato, ubi postquam limitationem quandam laxiori aliorum opinioni, à Diana adhibitam, approbavit, sic ait: * Quam limitationem, & cautelam libenter admittimus: (attende) sed non illam, quam ipse reliquit, nimirum non esse admittendam in hoc genere peccati, scilicet, libidinis, parvitatem materiæ excusantem à mortali culpa. Mirum namque esset in omnibus aliis generibus peccatorum, scilicet, sacrilegii, mendacii, injustitiæ, furti, &c. dari parvitatem materiæ, &

non in genere libidinis, ut statim dicemus. * Et infrà §. *Secundum est*, de osculis loquens, sic scribit: * Possunt ejusmodi tactus esse leves, & leviter habiti, etiamsi eorum delectatio per se intendatur ab operante, & aliàs sit turpis, & libidinosa, tamen est modica, & levis materia in genere turpis delectationis: sed in aliis generibus peccatorum mortalium, ex objecto modica, & levis materia excusat actum à culpa mortali, ergo pariter in nostro casu. * Hactenus M. Arauxo Episcopus Segoviensis. In cujus sententia duo expendo. Primum expressè admittere parvitatem materiæ in re venerea. Secundum non solùm excusare à lethali tactum manus, & leviores alios actus ob delectationem veneream directè intentam, ratione parvitatis materiæ, sed etiam oscula leviter habita propter delectationem turpem, & libidinosam ex illis consurgentem.

5. Addunt alii, absolutè loquendo venereum delectationem, quæ ex osculis consurgit, etsi directè intentam, non refundere malitiam gravem, deficiente sinistra alia intentione, qualis esset, si haberentur ob delectationem copulæ, vel aliarum specierum luxuriæ. Cujus sententiæ fuerunt Martinus de Magistris, & Gabriel, apud Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. n. 6.* qui pro hac sententia refert etiam M. Umbertum quintum Generalem Ordinis Prædicatorum *in expos. Regulæ D. Augustini, cap. 7. sextæ partis de castitate*, & M. Chrysostomum Jabellum *lib. de Philosophia Christiana 2. part. tract. 7. cap. de impudicitia, nu. 20.* Quos sequitur M. Petrus de Ledesma *in Sum. to 2. tract. 27. cap. 19. concluſ. 4. ub.* sic: * Los osculos entre los solteros de suyo son pecado mortal, ordenados al acto carnal libidinoso. Dixe, ordenados al acto carnal; porque si no son ordenados à este acto, no son de suyo pecado mortal. La razon es porque los osculos, como ya queda dicho, tienen la mala calidad de la fornicacion; luego si se ordenan à ella son pecado mortal; y si no se ordenan à la fornicacion, no tienen razon de pecado, porque les viene el ser pecado de este fin. * Ejusdem sententiæ (inquit Thomas Sanchez *ubi suprà*) videntur D. Antoninus, Nider, Margarita Confessorum, Emanuel Rodriguez (& paulò ante) & clarè censet esse probabilem M. Sotus *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2 ad finem, vers. Ex quo fit.* * Soti verba sunt: * Non possunt lascivè se amplexari, aut impudicè tangere, aut carnaliter osculari, quia isti tactus, & oscula per se, ut verior habet opinio, sunt mortalia, nisi inter veros conjuges. * Et videtur assentire M. Victoria, ut testatur M. Joannes de la Cruz *in Director. 6 præcep. dub. 2.* & alii.

6. Ad hanc opinionem stabiliendam; præsidium vocare tentarunt ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 154. art. 4 in corpore.* Ubi postquam dixit, oscula, & amplexus secundum suam speciem, & rationem non esse peccatum mortale, subnectit: * Alio modo dicitur aliquid esse peccatum mortale ex sua causa, sicut ille, qui dat eleëmosynam, ut aliquem inducat in hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. * Quo exemplo videtur innuere, horum actuum malitiam gravem ab intentione operantis dependere. Quod clarius infrà explicat, dicens, hanc intentionem ferri debere in actum fornicationis, vel in talis actus (aut aliarum specierum luxuriæ) delectationem. * Dictum est (inquit) quod consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale; & ideò cum fornicatio sit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ species; consequens est, quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, & non solùm consensus in actum: & ideò cum oscula, & amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant; consequens est, ut sint peccata mortalia: & solum dicuntur libidinosa. Unde secundum quos libidinosa sunt peccata mortalia. * Ergo si non sint ob delectationem actus fornicationis, vel alterius specierum luxuriæ, mortalia non erunt.

7. Quibus facit explicatio M. Araujo *r. 2. quæst. art. 10. & ultim. n. 53.* Ubi ait: * D. Thomas tract. de quo la posse considerari in quantum ordinantur ad actum fornicationis, & in quantum ordinantur ad delectationem ejusdem actus fornicationis, vel alterius, vel concomitanter, & sic solum esse libidinosa. * Et consonare videtur ipse Angelicus Doctor in *scripto super libros sent. lib. 4. dist. 31. art. 4. ad 1.* Ubi: * Dicendum, quod consensus in delectationem mortale peccatum, non in quamcumque, sed in illam, quæ consequitur actum peccati mortalis. Cum tem oscula, & amplexus secundùm se non sint peccati mortalis, ut tradit ipse D. Thomas. Communis Theologorum sententia, videtur inde colligi, non fore lethalia, nisi extrinsecè ex præintentione operantis ordinentur ad delectationem fornicationis, vel alterius speciei luxuriæ, quæ sunt peccati mortalis; nec sufficere, quod ex se, & natura sua ad illam ordinentur. Quibus annuit videtur M. Araujo ubi supra, *quæst. 74. art. 10. num. 2.* Ubi: * Ex D. Thoma bonitas, & malitia actus resultantis pendet ex fine, quem operans intendit; sicut ergo hujusmodi tactus sunt actus de se indifferentes, ejus eorum bonitas, & malitia moralis pendet ex fine operantis. * Et infrà: * Dices, ordinari de se actum venereum, ut dispensationem prævium; ac proinde esse mortales ex fine, ad quem per se ordinantur. Sed huic objectioni respondetur, ordinari quidem actum venereum à natura remotè: proximè autem sola intentione operantis. Ex quo non effectus mortalis culpa, nisi aut ex tali fine adjuncto, aut proximo periculo in illum incidendi. * Sic M. Araujo. Quem occurrit hic author Cajetano, P. Thomæ Sanchez, & aliis, quos sequutus est Baronius *disput. 1. sect. 13. n. 86.* peccati mortalis damnantes hujusmodi oscula eo, quod licet ex intentione operantis non tendant congressum, non tamen desinunt eo referri, cum operis.

§. I.

Vera sententia duplici conclusione exponitur.

8. Sit prima: oscula, & amplexus libidinosi, etiamsi non fiant ob delectationem consummationis seu pollutionis, vel alterius actus luxurioſi, adeoque ob illam delectationem veneream, quæ ex iis consurgit, sunt peccatum mortale. Hæc conclusio omninò certa, & contraria nullam habet probabilitatis speciem, & nov ssimè damnata est, ut constat ab Alexandro VII. die 18. Martii anno 1666. & prius diu fuit reprobata à Clemente VIII. & Paulo V. Inquisitoribus fidei illam defendentes denunciantibus: ut refert P. Thom. Sanchez *lib. 9. de matrim. disput. 46. cap. 6. num. 12.* Ubi sic: * Unum advertendum, sententiam, quam *lib. 9. de matrim. disput. 46. num.* dixi esse verissimam, nempè amplexus, & oscula libidinosa, quamvis sola venerea delectatio, quæ ipsis sentitur, placeat, excluso alio ordine ad opus, esse mortalia, & contrariam ab aliquibus asserri temerariam, & erroneam; hodie approbatum esse à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. Qui Inquisitoribus fidei denunciari jusserunt.

assentem in illis non committi crimen lethale. * Hæc Sanchez. Et ante illum hanc opinionem gravi censura notarunt nonnulli, quos ipse refert *disp. 46. citata ex lib. 9 de matrim.* Ubi Navarra dicit, esse falsam, & forte temerariam: Corduba esse erroneam, & Tabiena, oppositam esse de fide.

9. Ad evidentiam igitur hujus veritatis, & communis sententiæ præmittere oportet, duplicem in osculis, & tactibus delectationem reperiri: aliam sensibilem, aliam veneream: sensibilis dicitur, quæ in sensu tactus percipitur ex contactu teneritudinis, & mollitiei objecti: quæ quidem delectatio semper conjuncta est cum ipsis osculis, vel tactibus, quia naturaliter, & proximè ex ipsis resultat, etiamsi propter benevolentiam, aut propter necessitatem fiant: & hæc delectatio non est venerea, sicut nec delectatio, qua placet visus proprii corporis, vel alterius quia tactus rei blandæ, sicut & visus rei pulchræ, naturaliter delectant organa visus, & tactus. Sic cum Tabiena *verbo Cogitatio, q. 8. num. 9.* tradunt Sanchez *lib. 9 disput. 46. num. 5. & 20.* Salas 1. 2. *tom. 2. quæst. 74. tract. 3. disp. 6. sect. 6 num. 19.* Et dicens, esse sententiam D. Thomæ Arauo 1. 2 *quæst. 74. art. 10. dub. ult.* pro qua citat ex sua familia Umbertum, Viguerium, D. Antoninum, & Sylvestrum; & est communis Thomistarum, illamque Vincentius Baronius in Armadæum, *fol* 83. 85. 108. & 109. (ex Carmelitanis Excalceatis Salmanticensibus *tom. 1. in 1. 2. disput* 10) fusè defendit, dicens, delectationem hanc diffundi per omnes sensus, & partes corporis, quatenus ex primis, & secundis elementorum qualitatibus, ex lenitate, & mollitie rerum sensibilium afficiuntur, prout ipsis conveniunt: * Hanc (inquit) vocamus delectationem naturalem per omnes corporis partes, nec secretioribus exceptis, diffusam, quæ ut monet D. Thom. 2. 2 *quæst. 154. art. 4*, expers est boni, aut mali moralis indifferens ad utrumvis, quæ indiscriminatim, & velut necessariò sensibus percipitur, admoto sensibili. * Hæc apud Baronium supra, qui subnectit; * Hanc delectationem, quatenus corporis partes excipiatur, innoxiam esse: in hil enim mali habet contrectatio cujusquam rei, quamlibet mollis, & teneræ, quacumque corporis parte, nisi accedat provocatio aliqua seminis, & periculum, aut appetitus illud spargendi extra conjugii usum. * Sicille.

10. Delectatio autem venerea, & libid nosa dicitur illa, quæ provenit ex seroso humoris, aut seminis, aut spirituum subservientium generationi, motu, quæ sentitur in carne circa partes libidinosas, seu in lumbis, & renibus, ut cum Salmanticensibus explicat Beronius supra, & cum Cajetano, & Tabiena, Thom. Sanchez *lib. 9. disp. 46. num. 5.* & alii, quos suppresso nomine refert Salas *ubi supra num. 141. in fine.* Et sumitur ex Cajetano *lib. 14. de usu partium, cap. 9. & 10.* Ubi ait: * Quod delectatio venerea est, quæ in carne consurgit ex motu humoris seroso incalescentis per commodionem spirituum generationi deservientium. * Cui consonat Augustinus *lib. 14. de Civitate Dei*, dicens, in re præsenti libidinem esse illam, *qua obscœnæ partes corporis excitantur.*

11. His positis: certissima sententia est, osculum, amplexus, & tactus, (etsi non turpiorum) si venerea, si libidinosa sint, esse peccatum mortale, etiamsi ab operante ad ulteriorem delectationem non referantur, quam ad illam, quæ ex ipsimet insurgit, per spirituum subservientium generationi motum. Ita docet Sanctus Thom. *in disputatis, quæst. 15. de luxuria, art. 2. ad 18.* Ubi sic: * Dicendum, quod tactus, amplexus, & osculum quantum ordinantur ad actum fornicationis, consequuntur consensum in actum: in quantum autem ordinantur ad solam delectationem, consequuntur consensum in delectationem, qui est peccatum mortale. * Ergo juxta D. Thomam delectatio venerea, quæ ex osculis insurgit, etsi sola intendatur, vel voluntariè admittatur, refundit in illa gravem malitiam. Nec ejus mentem percalluerunt, qui aliter exponere moliti sunt. Idem probat Cajetanus *ex 2. 2. quæst. 154. art. 4.* Ubi dum D. Thomas inquit, consensum in delectationem fornicationis, & non solum consensum in actum esse peccatum mortale, sub voce delectationis fornicationis, omnem venereum comprehendit. In quibus locis nullo modo sibi contradicit D. Thomas, nec sententiam mutat, vel retractat, ut etiam ponit M. Ludovicus Lopez 1 *part. instruct. cap. 295 §. igitur pro explicatione*, dicens: * Circa hanc quæstionem non omninò conveniunt Doctores, nam Cajetanus hic, atque Sylvester tenent partem affirmativam, nempè esse peccatum lethale, quam hic D. Thom. sequitur, ubi videtur mutasse, & retractasse sententiam contrariam negativam, quam tenuerat *in quæst. de malo, quæst. 15. de luxuria, art. 2.* Hæc M. Lopez: Quibus nil à veritate magis alienum, ut collatis locis constat. D. Thomam sequuntur communiter Theologi. Quos recensere otiosum est.

12. Suadetur primo ex Paulo ad Galatas 5. ubi postquam præmisit, opera carnis esse immunditiam, & impudicitiam, subdidit; *qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Sub impudicitia autem comprehendi osculum, amplexus, & tactus libidinosos, est communis Sanctorum Patrum, & Theologorum sententia, cum Lyra ibi, & D. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 1. ad 5.* & ita expressè tradunt Ambrosius, & Cyprianus, quorum verba referunt Sanchez, & Salas supra. Secundò probatur, quia osculum, ut venerea, sunt media à natura proximè ordinata ad motum seroси humoris, vel seminis, in quem vehementer influunt, tantamque in corpore voluptatem excitant, ut periculum pollutionis frequenter annexum habeant: ergo delectatio venerea, quæ ejusmodi operationes subsequitur, gravissima est, infra delectationem copulæ. Confirmatur, quia ut benè docet Cajetanus 2. 2. *quæst. 154. art. 5.* Præfata delectatio est principium, aut pars delectationis actus consummati: actus enim fornicationis, vel pollutionis est ros quoddam successivum, sicut & motus seroси humoris, qui effusione terminatur: ergo delectatio horum actuum, utpotè subsequens motum, verè successiva est; atque adeò cum ejusdem rationis sit pars illa delectationis venereæ, quæ primo excitatur, quando motus incipit cum altera, quæ ejus continuationem, & terminationem subsequitur, sit planum, delectationem venereum osculorum, & tactuum ejusdem esse malitiæ cum delectatione fornicationis; eamdemque esse delectationem continuam; solumque distingui sicut partem à toto homogeneo. Quapropter osculum, & tactus libidinosa communiter dicuntur fornicatio inchoata, ut rectè ait P. Vazquez *tom. 4. in 3 part. quæst 91. art. 1 dub. 5. num. 33 & 1. 2. tom. 1. disp. 75 cap. 2.* Et qui consentit in delectationem horum actuum, censetur consentire in delectationem concubitus. Ut Doctores omnes timorati jure tenentur.

12. Objicies: delectatio non est mala, ut sit malus fit operatio unde capitur, sed osculum, & amplexus, secundum

cundùm se, non sunt operatò mala, ergo non est mala delectatio, quæ ex ipsis captatur. Consequutio est legitima: minor expressa D. Thomæ, & discipulorum ejus, vbi supra. Majorem tradit expressè Angelus Præceptor *in 2. sent. dist. 24. quæst. 3. art. 4. in corpore*, dicens: * Unde si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & è contrario. * Et *in 4. dist. 31. q. 2. art. 3.* * Secundum Philosophum in 10. Ethicor. idem judicium est de delectatione, & de operatione, quia operationis bonæ est delectatio bona, & malæ mala. * Ergo cum oscula, & amplexus, operationes sint indifferentes, delectatio ex illis capta indifferens erit. D. Thomæ vestigia premunt discipuli Sotus *in 4. dist. 31. q. unica, art. 3 concl. 1.* * Delectatio (inquit) de se neque bona, vel mala est, nisi ratione operationis unde capratur: concubitus autem conjugalis de se non est operatio mala, ergo neque delectatio illi adjuncta: quare electio hujusmodi delectationis non est ex genere suo mortalis: * cui consonat Cajetan. 2.2. *qu. 154. art. 2. §. Quo ad secundum multi.* Ubi inquirens, cur in mulieribus seminatio voluntaria, extra concubitum naturalem, sit peccatum mortale: * Delectatio in bonitate, & malitia morali sequitur operationem, & ideò oportet, si delectatio sit mala moraliter, quod seminatio illa sit mala: ridiculum enim est dicere; quòd delectatio secundum se est mala. * Ergo cum oscula, & amplexus secundum se mala non sint, necessariò videtur inferri, nec delectationem subsequentem esse malam.

13. Hoc argumentum nonnullis multum negocii facessit. Respondet Baronius *ubi supra fol. 86.* oscula, & amplexus secundum se esse mala, cum quis delectationi, ad quam ex fine operis ordinantur, adhæret. Verum hoc est, principium supra jactum deserere, quia probat, operationem esse malam ex eo, quod delectatio mala sit: principium verò, quod ex Aristotele jecit D. Thomas, & cum eo alii Thomistæ (quorum verba supra dedimus) oppositum suadet, nempè delectationem esse non posse malam, quia operatio, quam consequitur, mala non est. Dicere autem delectationem secundum se esse malam; ait Cajetanus *supra* * esse ridiculum. * Præterquam quod responsio Baronii terminorum repugnantiam involvere videtur, nam si oscula, deficiente adhæsione voluntatis ad delectationem ex ipsis consurgentem, non sunt mala, verè secundum se talia non sunt. Unde ergo adhæsio illa voluntatis malitiam sortietur? Non explicat. Respondeo ergo cum Thom. Sanchez *lib. 9. de Matrim. disput. 46. num. 20.* ex principio Philosophi, & D. Thomæ solum inferri, delectationem sensibilem, quæ immediatè, & naturaliter consequitur osculum, & tactum, ortam ex propositione objecti sensibilis ad sensum, de qua egimus supra *num. 9.* non esse per se malam: quod tenent Illust. ac Reverend. P. M. Araujo Episcopus Segoviensis. M. Sousa, & alii, quos citatos sequitur Thomas Hurtado ex Clericorum Minorum Familia *tract. 3. cap. 3. resol. 27.* M. Candidus *tom. 1. disquisit. 11. dub. 2.* D. Antoninus 2 *p. tit. 5. cap. 1. §. 9.* M. Zanardus *in direct. 1.2. in explicat. 6. & 9. præcepti, §. 13. vers. Quinto deduco.* Ubi sic: * Quoniam omnis delectatio tactiva, ut tactiva, & sensitiva est, non convenit homini ut homo est, sed ut animal est, & sic ei non convenit peccare; ideò si quis delectetur in osculo pulchræ manus, faciei, vel gratiosioris, & similiter in tactu mollis carnis, cujuscumque sit partis, exclusis consensu expresso, interpretativo, & periculo consensus, (in delectationem scilicet veneream) non censeo peccatum; * Sic ille. Item Navarrus *in Manuali, cap. 16. num.* 11 Fr. Franciscus Pichon *in tom. de matrim. disp.* 325. Sylvius, & alii apud Dianam *4. part. tract. 4. resol.* 136. Quos sequitur Vincentius Baronius *in opus. tra Amadæum, fol. 108. & 109.* Verbis exillo supra citatis *num. 9.* ubi hanc delectationem sensibilem omnes sensus, & partes corporis diffundi asserit, si non esse veneream, sed naturalem, & quæ omni corporis parte excipiatur, innoxiam esse. Hinc sequitur talem esse admittimus, qualis sit operatio intra extra statum matrimonii: secus verò delectationem veneream, quæ remotè ex osculis, & tactibus oritur, & proximè ex operatione alia, nempè ex naturali ferosi humoris, & spirituum subservientium generationi: hæc enim delectatio operationem aliam extra statum matrimonii graviter prohibitam subsequitur; ac proinde nequit non illius gravi malitia imbui. Unde fit, argumentum *num. 12.* confectum solum concludere contra Cajetanum *tom. 1. opus. 14. quæst.* qui, delectationem illam sensibilem oscula, & tactus naturaliter subsequutam, dicit esse veneream: quem sibi non constans videtur sequi Vincentius Baronius *fol. 87.* dum ait: * oscula, & amplexus propter talem delectationem tactus cum non sua esse peccata mortalia. * Cum tamen *fol. 85.* prædixisset: * qui modum ratione afficeretur osculo mulieris, non daturum peccati * Quod iterum tradit *fol. 108. & 109.* ubi innoxiam pronunciat ejusmodi naturalem delectationem, ut ejus verba *num. 9.* data præseferunt.

§. II.

Consectaria ex prima conclusione.

14. EX hactenus dictis apertè constat, oscula, & amplexus libidinosa inter omnino solutos nequire à noxa lethali eximi. Restat verò examinandum, an eadem inter sponsos de futuro afficiantur malitia? Negant M. Bartholom. de Medina *Sum. cap. 14. §. 18.* M. Ludovicus Lopez *1. part. instruct. cap. 54.* M. Fumus *verb. Impudicitia, num. 2.* M. Bartholom. & Petrus de Ledesma, M. Tabien. Menochius. Veracruz. Filliarchus, & innumeri alii, quos sequuntur Thom. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 48.* Salas 1.2. *tom. 2. tract. 13. disp. 6. sect. 26.* Navarrus, Voletus, Sayrus, Aversa, Joannes de Cruce, & alii, quos refert Vercellensis *tom. 3. quæst. Moral. tract. 4. quæst. 23.* Bonacina, Reginaldus, Molfesius, Villalobos, & alii, quos refert, & sequitur Diana *4. tract. 4. resol. 131.* & est ferè communis opinio. Cajetanus antesignanus fuit Eminentiss. Cajetanus *in sum. Sponsorum peccata.* Ubi sic: * Oscula, & amplexus inter sponsos, si delectationis causa fiant, affectu mortali inchoante, absque impudicitia tamen, venialia sunt, quia sicut sponsa inchoativè est sponsi, ita delectatio venerea conjunctionis carnalis inter eosdem inchoativè permittitur inter eosdem. Constat enim oscula delectationis causa facta non nisi inchoatam delectationis venereæ importare. * Sic Cajetanum venereæ delectationis importare. * Sic Cajetanus ibi, & secunda secundæ loco supra citato, quem sequitur Navarrus *in Sum. Latina, cap. 16. num. 22.* censens: * Quæ singularis determinatio fuit Cajetani 2.2. *quæst. 154. art. 4.* * Ante Cajetanum enim (ait Rebellus *part. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 2.*) nemo ex Patribus, vel Scholasticis Doctoribus professus est, qui à peccato mortifero osculum, & tactus excuset, nerea delectatione captatos excuset. *

15. Moventur Authores citati ratione à Cajetano superius attacta, quia sponsalia sunt quædam matrimonii

choatio matrimonii: ergo sicut hoc eximit à lethali copulam, venereæ delectationis causâ habitam, ita sponsalia excusabunt oscula, & alios tactus, (dummodo turpiorum non sint) quæ sunt inchoatio copulæ, etsi venereæ delectationis causa habeantur.

16. Cæterùm contraria sententia sustinenda est, quam sibi contrarius tenuit Cajetanus *in sum. verb. Impudicitia*. Ubi sic scribit: * Impudicitia, qua homo tactibus, osculis, seu amplexibus vacat libidinosè, hoc est, delectationis sensibilis, quæ ibi sentitur, causa, etiamsi nullum intendatur aliud opus, &c. si horum aliquod sic fiat à non conjugibus, peccatum est mortale: dicente Apostolo ad Galat. 5. *Quod impudicitiam agentes Regnum Dei non consequentur.* * Et iterum, *verb. Osculum*, dicens: * Osculum benevolentæ bonum, & laudabile est, juxta morem patriæ: osculum verò libidinis, nisi inter conjuges, est peccatum mortale. * Ergo juxta Cajetanum oscula libidinosa inter sponsos de futuro sunt peccatum mortale: conjuges enim non sunt. Ideò ita expressè tenent Comitolus *lib. 4. respons. quæst. 20. num. 4.* Gaspar Hurtado *de matrim. disp. 10. diffic. 10. num. 48.* Rebellus ubi supra *part. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 2.* Paludan. Sotus, Corradus, Pedraza, & alii apud Salas supra, Rodriguez *tom. 3. sum. cap. 102. num. 1.* & plures alii.

17. Probatur primo ex Apostolo cap. 5. ad Galat. quo Cajetanus utitur ubi supra, quia omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in Regno Dei: immunditia autem, juxta communem Sanctorum PP. expositionem, oscula, amplexus, & tactus libidinosos inter non conjugatos comprehendit: ergo cum Apostolus universaliter loquatur, intelligendus est de omnibus non conjugatis, à qua universalitate sponsi de futuro excludendi non sunt. Secundò, quia delectatio venerea osculorum æquè est inchoatio delectationis copulæ, ac delectatio venerea tactuum impudicorum, quæ absque ejus periculo, aut ulterioris consensus, inveniri etiam potest. Atqui delectatio tactuum impudicorum, omni etiam periculo secluso inter sponsos de futuro, est peccatum mortale, ut tradunt communiter Theologi, & ipsimet Doctores supra citati, Cajetanus, Navarr. Luis Lopez, Graffius, & Bart. & Petrus de Ledesma, & alii, quos sequuntur Thom. Sanchez, & Salas locis supra citatis: ergo & delectatio venerea osculorum: quamvis enim horum delectatio minor esse dicatur, utraque tamen æquè participat prædicatum inchoatæ copulæ; ac proinde ratio ista utrique, vel neutri patrocinari debet, maximè cum Authores contrariæ sententiæ oscula libidinosa inter sponsos de futuro non ex parvitate materiæ, sed virtute contractus sponsalitii à mortali peccato excusent.

18. Tertiò, quia ut multis probat Cajetanus 2. 2. *quæst. 154. art. 4.* & ex illo refert, & approbat Baronius *fol. 87.* consensus in delectationem venereamosculorum, est consensus in delectationem fornicationis, quia licet ab eo, vero ejusmodi actus exercet, auferatur relatio ad congressum, & futuram illius delectationem; tamen osculum ipsum libidinosum ex se ipso ad illam ordinatur, & delectatio venerea osculorum est initium, & pars, & ejusdem ordinis moralis cum delectatione copulæ; atqui extra statum conjugii consentire in delectationem præsentem concubitus posteà futuri modo excogitati, est peccatum mortale, etiam sponsis de futuro, ut contra Victoriam, & Medinam docent Navarrus, Graffis, Ludovicus Lopez, Rodriguez, Vega, Corduba, & Vazquez, quos citatos sequitur Thom. Sanchez *supra disp. 47.* (quod respectu delectationis concubitus præsentis est de fide:) ergo oscula inter sponsos de futuro propter solam delectationem veneream sunt peccata mortalia. Confirmatur, quia ipso Cajetano testante (ut ait Baronius *fol. 87.*) * est expressa Sancti Doctoris mens, oscula, & amplexus propter solam delectationem tactus cum non sua esse peccata mortalia. * Ergo cum sponsa virtute contractus sponsalitii non efficiatur sponsi, nec sua dici possit, oscula inter ipsos, propter delectationem venereamà noxa lethali non eximentur. Confirmatur secundo, nam cui prohibitus est finis, prohibita etiam sunt media ex se ipsis ad illum ordinata, sed oscula libidinosa, ut fatentur Cajetanus, & Baronius supra, ex se ipsis ordinantur ad copulam sponsis de futuro prohibitam: Ergo hæc illis non licent, sed sub lethali æquè, ac copula prohibita sunt.

19. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondeo, levis ponderis esse ad tam singularem opinionem introducendam. Quia delectatio venerea osculorum penes magis, & minus distinguitur à delectatione copulæ, & hæc in illis continetur, ut finis in principio, vel ut totum successivum in prima sui parte, ut tradit Cajetanus ubi supra. Contractus verò sponsalium secus se habet respectu contractus matrimonii, ut est per se notum, atque adeo nequit ex illo argumentum desumi ad excusandas à lethali inter personas de futuro delectationes venereas osculorum, quas inter omninò solutos esse prohibitas dubitari non potest, & opposita assertio, ut minimum, ut scandalosa, ab Alexandro VII. ut supra diximus, damnata, & prohibita est.

§. III.

Iudicium Authoris de parvitate materiæ in re venerea.

20. SEcunda conclusio. In rebus venereis non datur moraliter, & practicè parvitas materiæ: physicè verò, & speculativè loquendo, negari non potest: Quia certum est dari quandoque ex parte objecti levem quamdam carnis delectationem veneream, qualis est illa, quæ ex tactu levi manus procedere solet; nam cum commotio spirituum quæ inde excitatur, levis ut in plurimum sit, gravem delectationem generare nequit. Præsens igitur controversia solum est, an illa delectatio, quantumvis modica, si deliberatè quæratur, vel admittatur gravem malitiam in actum voluntatis refundat? Quod ex duplici capite provenire potest, vel ex eo quod ratione sui graviter prohibita sit, vel ratione alicujus periculi annexi. In quo Doctores dissident: Julius Mercorus, quem citatum sequitur Vincentius Baronius *in Amadæum fol. 77.* existimat, delectationem venereamobjectivam, quantumvis modicam, ratione sui prohibitam esse sub lethali. Quæ doctrina difficilis est, aliàs levis, & gravis delectatio æquè prohibita forent, & consequenter sicut lex prohibens gravem delectationem, obligat sub mortali removere omnes causas ad luxuriam pertinentes, quæ notabiliter influant in gravem spirituum commotionem, prohiberet etiam sub mortali causas omnes, quæ in levem commotionem influxum efficacem præstarent: ut tactus manus, brachii vel-

chii vellicatio & similes, quas de culpa lethali damnare, quando levis illa delectatio venerea nec procuratur, neque voluntate admittitur, durissimum esset, nec ab illo, quem viderim, Theologo conceditur.

21. Dicendum ergo est, quamcumque deliberatam voluntatem circa delectationem venereamin carne, vel in appetitu sensitivo, quantumvis levem, esse peccatum mortale, non quidem malitia derivata à delectatione objectiva physicè levi, sed à periculo annexo propter moralem impossibilitatem distinguendi practicè, in re tam lubrica, materiam levem à gravi. Ita expressit N. Rev. P. Generalis Claudius Aquaviva in suo decreto, cujus sententiam omnes Doctores Societatis amplectuntur; qui constanter defendunt, non dari parvitatem materiæ in re venerea, neminemque ex hoc capite, si delectatio deliberatè quæsita, vel admissa sit, à peccato mortali excusari posse. Ita docent Rebellus de *Iust. part. 2. lib. 3. quæst.* 10 Lessius *lib 4 cap. 3 dub. 8. n. 58.* Filiucius, P. Layman, & alii, quos refert, & sequitur, Busembaum *in Theolog. mor. lib. 3. tract. 4. cap. 2. dub. 1.* Tamburinus *in Decalog. lib. 7 cap. 8. §. 1. n. 8.* P. Vazq. *1. 2. tom. 1. disp. 115. cap. 2. num. 5.* & reliqui Authores Societatis, quos sequuntur innumeri alii, quos citat, & sequitur Diana *p. 3 tract. 5. resol. 1. & 89. part. 4. tract. 4. ref. 136. §. Notandum, & part. 5. tract. 5. resol. 5. & 9. part. 7 tract. 11. resol. 28. & part. 11 tract 1. resol. 25. & tract. 6. resol. 53.* & contrariam gravi censura notant recentiores, P. Antonius de Escobar *in 2. edit. Lugdunensi Theolog. moral tract. 1. exam. 8. cap. 3. nu. 75.* inquit: * Esse falsam, improbabilem, & temerariam. * M. Lopez de Texeda *in controv. Theolog. moral. tom. 1. lib. 2. tract. 3. controv. 13. num. 66. fol. 173.* dicit. * Esse omninò relegandam à sana doctrina. * Verricelli *in quæst. Moral. tom. 1. tract. 4. quæst. 16. num. 4.* ait: * Esse omninò improbabilem, tam per principia intrinseca, quàm extrinseca, & esse falsam, temerariam, & scandalosam, & forte graviori censura dignam. * Et subnectit opinionem adstruentem, parvitatem materiæ in delectatione venerea esse damnatam in officio sanctæ Inquisitionis ex motu Clementis VIII. & ita referre Valdellum, Magistrum Texeda, & Dianam. Sed de hoc motu authenticè non constat, & forsan hi Doctores æquivocationem patiuntur, hanc quæstionem confundentes cum altera supra impugnata, & à Sum. Pontificibus damnata, nempè concedente oscula, & amplexus propter delectationem venereamex illis consurgentem, secluſa alia sinistra intentione, non esse peccatum mortale.

22. Cæterum, quamvis ab Ecclesia damnata non sit, cum Doctoribus hic citatis censeo omninò improbabilem, & ab scholis exterminandam. Quæ si aliquando arrisit Patri Sanchez *lib. 9. de Matrim. disput. 46. num. 9. & 17.* eam postea retractavit *in summ. tom. 2. lib. 5. cap 6. num. 12.* Et similem doctrinam Jesuitæ omnes execrantur, extatque in societate præceptum à Rever. P. Præp. Generali Claudio Aquaviva. * Ne ullus ex societate publicè, vel privatè, non modo ut veram, vel probabilem, sed nec ut tolerabilem quidem doctrinam ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut secundùm illam consilium cuidam det, scilicet, in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter levitatem materiæ excusari à peccato mortali. * Idque prohibet sub pœna excommunicationis, & privationis lecturæ, vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad quælibet officia. Cujus præceptum *in Cõgregatione, non à Generali in decreto* 24. renovatũ fuit, & extensum ad quamcumque minimam deliberationem veneream, non solum quæsitam, sed deliberatè admissam. Videatur P. Mendo *in flatera mor. disser. 5. ad 6. Decalogi præceptum*, ubi innumeros ex Societate Doctores pro hac sententia refert.

23. Ratio à priori hujus verissimæ opinionis est, quia delectatio venerea, quantumvis minima, voluntatis igne succensa, gravem spirituum commotionem frequenter excitat, & consequenter gravem delectationem venereamsur distillationes, ac titillatione carnis ex vehementissima combustione subortæ demonstrant. Ergo saltem ab effectu quem simul cum objecto, & appetitu sensitivo excitare solent, gravem malitiam subire necesse est. Secundò probatur ratione, qua, conclusione prima demonstravimus, delectationem ex oscult, & amplexibus libidinosis deliberatè quæsitam, grave peccatum constituere; nempè quia omnis delectatio venerea, & libidinosa natura sua ordinatur ad copulam, vel effusionem seminis: est enim illius inchoatio, initium, & pars; & ejusdem ordinis moralis cum delectatione actus consummati. Ergo sicut deliberatè velle copulam, vel seminationem illicitam, in quacumque etiam minima quantitate, semper est peccatum mortale; ita etiam & velle quantumcumque minimam delectationem veneream, seu partem commotionem, quam subsequitur.

24. Adde, delectationem objectivam levem, quæ sentitur in carne, & in appetitu sensitivo, cum eadem rationis sit cum delectatione copulæ, & illius pars, & initium, ut supra diximus, non posse non frequenter, propter affinitatem, comitari imaginationem delectationis actus consummati: hanc autem naturaliter subsequitur tam delectatio appetitus sensitivi, quàm cogitatio talis delectationis, alliciens, & trahens voluntatem in ejus consensum. Unde quando voluntas deliberatè consentit in delectationem illam, quæ levis ab operante censebatur, ob moraliter impossibile, non simul complacerat de gravi delectatione copulæ cogitatæ, vel de illa, quam appetitus sensitivus fruitur. Nemo ergo prudens dubitare potest, maximum labendi periculum in his discernendis subesse, & veluti anguem sub herba latere, & quam difficilè cuique sit, deliberatè quæsitam, vel admissa delectatione levi, à gravioris complacentia abstinere: præcipuè cum quævis venerea delectatio deliberatè admissa mentem aliqualiter perturbet, unde major accrescit difficultas gradum sistendi, & intra certos terminos illam cohibendi: et modica enim scintilla ingens non rarò constatur incendium: practicè ergo loquendo in rebus veneris concedi non potest parvitas materiæ. Et ita firmiter tenendum. Quamvis physicè, & speculativè levem quandoque contigere posse, inficiari nequeam. In quo sensu plures ex citatis pro contra sententia exponendi sunt, ne sin opinionem adeò absurdam adisse dicantur.

(*.*)

QUÆS.

QVÆSTIO III.

Vtrùm licitum sit intendere delectationem, quæ ex cibo, & potu non immoderatis captatur?

1. AD'decisionem suppono primo doctissimorum opinionem asserentium, posse dari actiones indifferentes in individuo, quam cum D. Bonav. Scoto, & omnibus Scotistis defendit Patritius Sporer Franciscanus *in Tyrocinio Theol. mor. p. 2. q. 2. n. 116.* & expressa D. Hieronymi, Greg. Nazianzeni, & aliorum Theologorũ, quos sequitur Vazq. 1. 2. *tom. 1. disp. 33. c. 2. &* 3 Suppono secundo, delectationem objectivam per se, in genere naturæ, bonam, & appetibilem esse, ut constat ex Arist. 10. *Ethic.* c. 2. *Neminem interrogas, cujus rei gratia capiat voluptatem, propterea quod per seipsam appetibilis est ipsa voluptas. *Quem sequitur D. Th. 1. 2. q. 2. art. 6. ad 1. dicens: * Delectatione esse propter se appetibilem, * & *in 4. dist. 49. q. 3 art. 4.* ubi ait: * Delectationem, ut delectationem significari, ut quoddam bonum. * Et est communis opinio.

2. Suppono tertiò: delectationem in genere moris, neq; bonam, neque malam esse, sed qualis fuerit operatio, cui est annexa. Sic ex Arist. tradit D. Tho. *in 4. dist. 31. q. 2. art. 3.* ibi: Secundum Philosophum *in 10. Ethic.* idem judicium est de delectatione, & operatione, quia operationis bonæ est delectatio bona, & malæ mala. * Quem sequuntur communiter discipuli Cajet. 2. 2. *q. 34. art. 2.* * Delectatio in bonitate, & malitia morali sequitur operationem, &c. ridiculum enim est dicere, quòd delectatio secundum se est mala. * M. Sotus *in 4. dist. 31. q unica, art. 3. concl. 1.* * Delectatio de se neque bona, vel mala est, nisi ratione operationis unde captatur. * Sic ille, & alii.

3. Ex quibus Salas 1. 2. *tr. 9. disp. 3. sect. 4. n. 4. in fine*, concludit, delectationem sumptam pro objecto delectante, interdum esse ex se honestam, ut patet in visione Dei delectante Beatos; interdum per se malam, ut mentiri, adulterari, fornicari; interdum indifferentem, ut patet de dispositione corporis, manente à visione, auditione, gustu, generatione, &c. Quòd ad delectationem affectus meritò extendit Vazq. 1. 2. *q. 4 ar. 2.* dicès: * Si sermo sit de delectatione pro affectu, & actu, dicendum est, esse aliquam delectationem moraliter malam, aliquam moraliter bonam; aliquam verò indifferentem in genere moris. * Quibus dissentire non potuit M. Texeda *tom. 1. Theol. mor lib. 2. tr. 3. controv. 8 n. 4. & controv. 9. n. 20.* Nam cum in primo loco cum Angelico Doctore statuisset, quod * eadem est bonitas, & malitia delectationis, & operationis, cujus habetur delectatio. * inde in secundo rectè concludit, quod * exire in agrum, vel deambulare propter ipsam delectationem, non est malum ex objecto, quod indifferens est.

4. Cum igitur Deus operationibus necessariis ad speciei, & individui conservationem, delectationem interuerit, ut eas appetibiles redderet; & aliunde comedere, & bibere (sicut & generare in statu matrimonii) non sint operationes malæ, sed bonæ, vel saltem indifferentes; sit planum, delectationes his operationibus adjunctas, non esse per se malas in genere moris; ac proinde aut bonas, aut indifferentes esse, sicut de delectatione ambulationis dixit Texeda supra. Ex hoc principio, voluptates, gustus æquè esse licitas, ac auditus, odoratus & aspectus; easque moderatas ex se indifferentes esse; tradunt plures doctissimi, quos adducit Bernardus Stubrokius *in notam. 3 ad epist. 9.* ubi in adversarios sic animadvertit. * Hanc doctrinam, inquit, turpissimam censes, quam tamen docuere D. Bonav. Scotus, Okamus, Almaynus, Major, Tabiena, Sum, Benedicti, Ludovicus Bail, & plures alii. * His positis.

§. I.

Pars affirmativa est probabilis.

5. LIcitum esse delectationem moderatam gustus (sicut & olfatus, & auditus) directè intendere, & propter illam captandam comedere, & bibere, docent non pauci, nec infimæ notæ Doctores. Quorum sententia probabilis mihi est. Joan. Major *in 4. dist. 31. q. unic. concl. 3.* * Si quis comedat plus, quã sibi sufficiat, non transcendit limites temperantiæ in cibo, ob solam voluptatem, non ponendo illic finẽ principalẽ, nam si quis pyrũ, vel pulchrum pomum comedat gratia voluptatis, nõ peccat. * Quẽ sequitur Joan. Sanch. *in select. disp. 2 n. 14.* ubi sic scribit: * Deficiente nocumento comedere, & bibere absq; necessitate, solũ ob delectationẽ captandã, scilicet ob frigiditatẽ potus, vel suavitatẽ cibi, neutiquã contra rationẽ erit; sed talis comestio, aut potatio, liberè fit, ut appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitũ delectari suis operationibus, quæ cõtra rationem non sunt, nullatenus peccatũ est, cum scelus reperire, sit impossibile, nisi cõtra rationẽ tendat operãs. Dicas quæso, quare contra rationẽ operatur edens, aut bibens absq; fame, dũ alàs esus, aut potus nocumentũ saluti non inferant? Nã si ob solam cibi delectationẽ gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatũ etiam esset, odorari res aromaticas ob solã delectationẽ capiendã boni odoris, & esset scelus res inspicere pulchras ob solam delectationẽ, quam visus in visione capit; & esset crimẽ audire musicã ob capiendam auditus delectationẽ. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum, ex eo, quod appetat cibum ob solam ejus delectationem, damnare erit fas: pejoris ne conditionis erit, quàm alii? * Hactenus Joannes Sanchez.

6. Hanc opinionem probabilem censet Bassæus *in floribus, verb. Gula*, quia contrariam, quam sequitur vocat veriorem. Et in eam inclinat Diana *3. p. tr. 5. res. 6.* & consentit Machado *tom. 1. lib. 2. p. 5. tr. 2. docum. 1. n. 6.* ubi hanc sententiam in ultimo loco posuit, nil contra determinans, & in margine refert pro illa Dianam ubi suprà. & novissimè amplectitur Martin. Perez *de matr. disp. 18. sect. 7. n. 9.* Et unus pro mille illam sequitur Illust. ac Rev. D. D. Alphonsus de la Pẽa, & Montenegro, Episcopus Quintensis, olim Collega in Majori, & veteri S. Barth. Salmant. Academ. in aureo suo itinerario pro Indorum Parochis *lib. 3. tract. 4. de Sacram. sect. 5 n. 10. & 11.*

6. Cui stare etiam debent omnes, qui asserunt, licitum esse conjugatis generationi vacare propter delectationem. Ex uno enim casu ad alterum est evidens consequentia, quia sicut generationi author naturæ annexuit delectationem, ut homines, & animalia alliciantur ad conservationem speciei, ita & operationibus comedendi, & vivendi, ut ad individui conservationem attenderent: & sicut delectatio comestionis est propter comestionẽ, & non comestio

mestio propter delectationem, ita delectatio generationis est propter generationē, & non ècōtra; & insuper hæc delectatio longè major est. Ergo si generationi vacare in statu matrimonii, liceat propter delectationē, à fortiori licebit comedere, & bibere propter delectationē. Vim illationis nemo dubitat, quia eadem prorsus est utriusque ratio, ut cum D. Thom. notat Ferrara 4. *contra gentes, cap.* 83. *n.* 7.

17. Licitum autem esse conjugatis copulam exercere propter ejus delectationem, docet expressè Almaynus *in* 4. *sent. dist.* 26. *q.* 1. *in fine.* Vbi sic: * Virtus, quæ est circa passiones, inclinat ad fugiendas passiones excessivas, & ad capiendum passiones mediocres. Nam qui nullo modo vellet passiones habere, esset insensibilis, &c. Ergo velle mediocres capere, cum quo oportet, & ubi oportet, talis actus non est malus, sed potius bonus, Item delectari uxore, non est malum, aliàs quilibet cognoscens uxorem peccaret, etsi non est malum, non est prohibitum, quod habeatur illa volitio, cum non feratur circa aliquod prohibitum. Ergo non est mala ex objecto, & non habet circunstantiam mali finis, quia suppono, quod non referatur in malum finem alium. Ideò non est actus malus, &c. Et per consequens non oportet necessariò, quod omnis actus, quo vult actum exercere cum uxore gratia delectationis percipiendæ, dummodo non constituat delectationem tanquam supremum finem, sit malus.* Hæc Almaynus. Jam quid sit, delectationē ultimum finē constituere, explicuerat paulò anteà, dicens:* Quantum ad aliud est major difficultas de illo, qui cognovit uxorē, referendo præcisè in delectationē. Dico, quòd si tanto impetu moveatur, quod æqualiter cognosceret aliā non uxorē, tunc talis actus est mortalis, sed si cognoscat affectu conjugali, quod si non esset, non vellet cognoscere, sed quia est uxor, vult percipere delectationem, eam cognoscendo, &c. non peccaret.*

8. Pro eadem sententia militat doctissimus Basilius de Leon, *lib.* 1. *de matr. cap. ult. num.* 7.* Ex genere, inquit, suo, non videtur esse aliquod peccatum in eo, quod velit expressè non cogitando expressè de alio, percipere delectationem, & voluptatem licitam. * Quem sequuntur Leand. à Sacram. *tom.* 2. *disp.* 25. *de debito conjugali, q.* 17. & Joannes Sanchez *in select. disp.* 23. *n.* 25. ibi:* Accedere, inquit, ad propriam uxorem hoc fine (nempè gratia captandæ voluptatis) peccatum veniale non existimo cum multis relatis à Sanchez *lib.* 9. *de matr. disp.* 11. *n.* 2. (nempè Almayno, Majore, & Zelaya, Palacios *in* 4. *dist.* 31. *disp.* 2. *fol.* 691. & docet Basilius de Leon suprà: & dicit esse satis probabile Veracruz 3. *p. speculi, art.* 16. *concl.* 2. *in fin.* adducens Albertum Magnum, Ekium, Martinum de Magistris, quos non vidi.*

7. Item Joannes Machado *tom.* 2. *lib.* 6. *p.* 7. *tract.* 2. *docum.* 18. *n.* 4. *fol. mihi* 445. ibi: * No es menos dudoso, y controverso, si sea pecado en los casados aprovecharse del uso del matrimonio por solo el deleite? Sanchez, y otros dizen, que es culpa venial, por la perversion del acto que aviendo de ser por la generacion, le exercita por solo el deleite. Si bien lo niegan F. Basilio de Leon y otros Autores clasicos, y dizen, que ninguna culpa se comete, y la razon es, porque como dixo Aristoteles: *Talis est delectatio, quale opus de quo est.**

10. Quibus adde Antoninum Dianam 3. *p. tract.* 4. *res.* 226. Ubi sic:* An conjuges utentes copula causa voluptatis peccent venialiter? Affirmativè respondet Sanchez, &c. Sed ego puto probabiliter, non esse peccatum veniale, &c. Quod & Gaspar Hurt. existimat verum, quando non fit ob nimiam delectationem. * Sic ille. Et cum Hurt. sentit doctissimus Pichotus *de matrim. disp.* 7. *sect.* 5. *n.* 114. Quibus consentit Basil. & Leand. suprà: nec credo, aliquem esse qui dissentire: si enim ob nimiam delectationem, quam utantur, jam erit appetitus inordinatus, quia venialis excusari non potest. Ideò sententiam sic explicant amplectuntur ultra citatos Martinus Perez *de matrim. disp.* 8. *sect.* 7. *n.* 9. & *disp.* 49. *sect.* 2. *n.* 5. Martinus del Joseph *in monit. confes. tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 49. *matrim. n.* Castro Palao *tom.* 5. *disp.* 3. *punct.* 3. *n.* 3. & Joan. Perez us Ordinis Minorum *in cursu Theolog. disp.* 49. *sect. concl.* 3. *n.* 10. ibi:* Sed non video, inquit, cur conjuges non possint coire ob voluptatem solam, quando non de non sequeretur præjudicium generationi, vel alteri usu alicujus obligationis. * Et tenent plures apud Dianam *p.* 11. *tr.* 2. *res.* 41. & *tract.* 8. *res.* 35.

11. Ad authoritatem Augustini, quæ contra hanc doctrinam objici solet, ex *lib. de bono conjugali, cap.* 6. respondet Poncius, dicens: * Augustinus debet intelligi de peccato, id est defectu consistente in minoris boni electione. * Sed melius exponit Almaynus suprà, dum dicit:* Sed frequenter est excessus in illo actu, & ideò Augustinus, & alii dixerunt, quodcunque veniale peccatum propter vehementem affectionem & excessum.* Quem sequuntur, Basilius, Leander, Hurtado, Martin Perez, & alii suprà citati.* Entiendese (inquit Martinus de San Joseph) quando se busca demasiado deleite, que el ordinario, como dezen, se sigue de la misma obra, que en si es lícita, y ordenò la naturaleza por la necessidad del fin honesto:* nempè propter conservationem speciei. Sic Doctores suprà citati. Quæ, ut patet ex terminis, nequè locum habent in delectatione moderata gustus usui ciborum annexa ad conservationem individui.

§. II.

Ex principiis D. Thomæ, probabilitas affirmativæ sententiæ ostenditur.

12. DEnique hæc sententia probabilis videtur etiam in via D. Thomæ, ut ex locis afferendis constabit, nam 2. 2. *q.* 141. *art.* 5. *in corpor.* hic inquit:* Circa delectationes gustus, vel olfactus, vel visus est temperantia, & intemperantia secundario. * Circa delectationes moderatæ olfactus, vel visus directè, & expressè intentæ, ut finis operationis visionis, & olfactionis, sunt licitæ, omnique culpa carent; ergo & delectationes moderatæ gustus. Quapropter optimè Cajetan. *in Sum. verb. Gula.* Sic scribit:* Gulæ peccatum consistit non in hoc, quod cibus delectabilis delectabiliter sumatur, quoniam hoc nullum peccatum est; nisi quis sit adeò insipiens, ut putet, omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum: sed consistit in hoc, quod inordinata delectatio cibi appetitur: puta, quia plus, aut prius, quam decet, delectatio cibi appetitur. * Quemadmodum, quam decet, delectatio cibi appetitur. * Quem sequitur M. Acatius de Velasco *tom.* 2. *res. mor. Gula. res.* 13. Ergo si tempore debito non plus, neque prius quam decet, moderatam cibi delectationem quis appetat, ut finem operationis, vitium gulæ non incurret.

13. Secundo D. Thomas 2. 2. *q.* 148. *art.* 4. *ad* 2. ad peccatum gulæ, requirit excessum in cibo: & non obscurè indicat, non sufficere solam concupiscentiam delectationis. En, ejus verba:* Sed hoc ipsum

lum, inquit, pertinet ad gulam, quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in eodem. *Ergo si hanc non excedat, sed quantitatem cibi competentem assumat, licet propter cibi voluptatem, non committet peccatum gulæ, dummodo concupiscentia nimia non sit, juxta superius dicta pro delectatione copulæ conjugalis. Roboratur ex his, quæ tradit ipse Angelicus Doctor ibidem *art. 2. in corpore*, dicens: *Vitium gulæ consistit in concupiscentia inordinata, &c. Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundùm ea, quæ sunt ad finem, utpotè quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, quod pro hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale. *Ecce nimias solum, seu immoderatas delectationes de culpa damnat D. Thomas. Quem sequutus est Cajetanus ibidem *art.* 3. dum gulam sic definit: *Gula consistit in immoderata delectatione cibi. *Quibus etiam facit, quod Sanctus Doctor *in quæst. de malo, quæst. 14. artic. 1. in corpore*, *Gulam consistere in sumptione cibi ex inordinata concupiscentia, nimirum illa, quæ transcendit regulam rationis. *Qualis autem sit hæc regula explicat *ad 1.* *Dicendum, quòd regula rationis hæc est, ut homo sumat cibum, secundum quod convenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis, & conversationi eorum, cum quibus vivit, ut dicitur *in 3. Ethic.* *Ergo quoties quis observaverit ejusmodi mensuram in cibo, vitium gulæ non incurret: servari autem potest, etiamsi propter delectationem cibi comedat.

14. Non me latet D. Thomam 4. *contra gentes, cap* 87. *num.* 7. planè asserere, inordinatum esse, cibis, & venereis uti propter solam delectationem, *Nam delectationes, inquit, quæ sunt in præmissis actionibus, non sunt fines actionum, sed magis è contra. Natura enim ad hoc ordinavit delectationes in istis casibus, ne animalia propter laborem ab istis actibus necessariis naturæ desisterent, quod contingeret, nisi delectatione provocarentur. Est ergo ordo præposterus, & indecens, si operationes propter solas delectationes exerceantur. *Sic D. Thom. quem ibidem sequitur Ferrariensis, & alii communiter.

15. Cæterum hoc non tollit, contrariam sententiam esse etiam probabilem in via D. Thomæ. Quod tam ex ipso, quam ex Ferrara suadetur ex his, quæ tradiderant; *tertio contra gentes, cap.* 2. Ubi Angelicus Doctor expressè docet, operationem ipsam esse etiam finem, quando propter ejus delectationem fit. *Actiones, inquit, ludricæ interdum sunt finis, sicut cum quis solum ludit propter delectationem, quæ in ludo est. *Ergo cum quis comedit propter delectationem quæ in comestione est, verè habet pro fine ipsam operationem, non igitur ordo præposterus est.

15. Vidit difficultatem M. Ferrara, *cap. 2. citato*, ubi Contra D. Thomæ verba sic objicit: *Delectatio, quæ est in operatione, est aliud ab actione ludrica, &c. si ergo aliquis ludat propter delectationem, quæ est in ludo, ipsa operatio ordinatur ad delectationem, tanquam ad finem & per consequens operatio ipsa non est finis. *Huic verò objectioni sic facit satis. *Respondetur ex doctrina D. Thomæ *in 4. sent. dist. 49. quæst. 3. art. 4. quæstiunc.* 3. quod delectatio consequens aliquam operationem, & ipsa operatio non sunt consideranda tanquam duo bona, sed tanquam unum, quia ex ipsis fit una operatio perfecta, sicut ex perfectibili, & sua perfectione. Et ideò loquitur hic D. Thom. de operatione, & delectatione tanquam de unico intento ab agente, non autem tanquam si duo intenta, quorum unum propter aliud intendatur, contra quem sensum procedit objectio. *Hactenus Ferrara. Ergo si quis utatur cibo propter cibi delectationem eo modo, quo ludo propter ejus delectationem, secundum D. Thomam, delectatio, & operatio comedendi considerabuntur tanquam unum bonum, non tanquam duo, & per consequens nulla erit inordinatio, eo quod in hoc modo tendendi, non considerentur tanquam duo intenta, & ideò operatio non ordinatur ad delectationem, tanquam ad finem, licèt quis verè comedat, seu ludat propter delectationem, quæ in comestione, & ludo reperitur.

16. Imò plus aliquis contendere posset ex doctrina D. Thomæ *in 2. dist.* 40 *art.* 5. ubi ait: *Ad virtutem pertinet non solum intendere bonum animæ, sed etiam corporis, in quantum non est contrarium bono animæ, & rationis. *Ex quo principio M. Texeda *tom. 1. Theolog. mor. lib. 2 tract. 3. controv. 9. num.* 19. & 20. efficaciter probat, exire in agrum, vel ambulare propter ipsam delectationem, esse actus bonos. *Quare, inquit, dicendum est, actus illos, qui licet non sint necessarii ad conservationem naturæ, tamen sunt commodi ad recreandum illam, cum quadam delectatione, sine ulla necessitate, aut utilitate debita, esse moraliter bonos, quia bonum est projicere, & repellere, quæ naturæ sunt nociva, & quærere & amplecti, quæ illam juvare possunt, &c. Unde (inquit) non requiritur ad bonitatem horum actuum, ut fiant causa alicujus virtutis certæ, sed sufficit, quod fiant gratia ejus, quod est naturæ commodum, ut vitandi ejus quod naturæ solet præjudicare, hujusmodi enim finis naturæ congruit. *Si ergo ambulare, seu ludere propter delectationem harum operationum, . . necessariæ non sunt ad conservationem naturæ, sed tantum commodæ ad illam recreandam, pertinet ad virtutem, cur comedere propter delectationem hujus actus, qui ad conservationem naturæ est necessarius, peccati damnandum est? Cur, si non virtuosum; opus saltem indifferens non erit?

17. Asserere ego non auderem, esse actum virtutis, licet ex præjactis à M. Texeda non leviter inferri videatur, & negare id non possit Joannes Sanchez *in selectis, disp. 23. num. 25. §. Si autem quis.* Ubi probat, esse actum virtutis in conjugatis copulam propter ejus delectationem exercere. Cujus rationem reddit: *Quia operans propter delectationem, operatur simul ob honestum finem ex parte operis, licet ex parte sua, id est operantis, operetur propter finem delectabilem. *Quod alii suadere conantur ex eo, quod non est dissonum rationi, velle delectationem annexam copulæ conjugali, quæ ex se est actus justitiæ; delectatio enim carnalis ex se verè est licita, sicut & actus conjugii. Et aliunde eo quod quis operetur propter ejusmodi delectationem, non deducitur, quod operetur absque fine virtutis; quia cum finem (inquiunt) ipsius operis non excludat, alterius boni temporalis consecutio, reputati debet non tam finis operis, quam motivum & excitativum illius. Quibus faciunt Cajet. Covarr. Gutierrez, & alii apud Palaum *tom. 5. de matr. disp. 1. punct. 10. & disp. 3. punct. 3.* asserentes, regulariter nullum peccatum committere contrahentem ob uxoris dotem, & pulchritudinem, & tamen hic non est finis, ad quem ordinatur matrimonium; nec vitiatur ex eo actus, quia finis iste, ut ipsi ajunt, est indifferens, & non excluditur alius intrinsecus, & bonus matrimonii. Ergo

licet delectatio operationis sit finis operantis in usu cibi, & potus; cum hic indifferens sit, & non excludatur finis intrinsecus operis, nempè conservatio individui, non erit cur, si non virtutis, saltem indifferens actus non sit: sicut de actu audiendi musicam propter delectationem philosophandum est: quorum finis intrinsecus non est delectatio, cum operatio non sit propter delectationem, sed è contra, ut tradit D. Thomas suprà. Sicut ergo in his, & similibus, inversio illa mediii, & finis non sufficit constituere venialem culpam; (imò nec ad extrahendum ab actu virtutis, ut vult Texeda) ita nec in operationibus gustus.

18. Ideò, de licitis tactus delectationibus loquens, ita expressè tenet Joannes Pontius ubi supra per hæc verba: *Dices cum Isamberto, quando in exercendo actu ex se bono, & licito, ordo ei debitus subvertitur, & solum, vel saltem primo intenditur, quod est ei annexum, non autem bonum ejus, & finis; tunc committitur peccatum aliquod, saltem veniale, &c. Respondeo primo negando voluptatem non esse finem aliquem copulæ maritalis. Respondeo secundo negando majorem, quando non tenetur quis intendere finem principalem ipsius, nec prohibetur ipsi illud, quod est annexum, nec ullus est actus, qui non possit haberi ob motivum quodcumque non prohibitum, absque peccato. Non tenetur autem conjugatus hic, & nunc intendere generationem prolis, nec prohibetur ipsi agere ob delectationem aliàs non prohibitam, qualis est delectatio orta ex copula maritali per se: ergo non inordinatè, nec peccaminosè agit. *Sic ille de voluptatibus licitis tactus, quæ potiori jure de gustus delectationibus procedunt.

19. An verò comedere absque necessitate pertineat ad vitium gulæ? Negant Joannes Major, & Joannes Sanchez ubi supra. Sed contraria sententia est tenenda, utpotè expressa D. Augustini *tom. 10. serm. 4. in die animarum*. Ubi sic ait: *Quoties aliquis in cibo, & potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit. *Quem sequitur D. Thom 1. 2. *quæst.* 148. *art.* 1. *ad* 2. Quia sicut transcendit regulam rationis, qui immoderatam delectationem quærit, & intendit, in cibo moderato, ita & qui cibum immoderatum, id est, plusquam convenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis: ut ipse inquit supra *quæst.* 4. *de Majo, art.* 1. *in corpore*.

20. Numquam verò miscebitur peccatum mortale, (ut cum D. Thom. 2. 2. *loco suprà*, & *quæst.* 14. *de Malo, art.* 2. docent communiter Doctores) nisi quis ponat ultimum finem in cibo, & potu: hoc est, paratus sit, præceptum divinum, aut humanum transgredi ad fruendum delectatione cibi: aut prævideat, cibum præ quantitate, aut qualitate, gravedamnum saluti propriæ, aut alienæ allaturum. In reliquis autem casibus, culpam venialem non excedit, ut docet Cajetanus *in Sum. verb. Gula*, ibi: *Tunc solum est peccatum mortale, quando delectationem cibi habet quis pro ultimo fine, &c. frequenter autem est veniale, & quandoque valdè grave (intra limites venialis) ut cum delectatio cibi allicit ad comedendum ad vomitum; & similiter cum inducit ad alia peccata, puta ad nimium sumptum, vel ad nocendum propriæ saluti, quæ secundùm se judicanda quanta sint. *Sic Cajetanus, quem sequitur *in Manual. cap.* 23. *num.* 125. & 127. ibi: *Si puso su ultimo fin en comer, ò beber, ò por esso traspassò, ò tuvo voluntad de traspassar algun precepto como si por esso hurtò, ò no ayunò, morta. Y de otra manera venial, puesto que (id est quamvis) huviesse comido hasta vomitar, aun advirtiendo, que vomitando tanto comiesse. Y aun con intencion de vomitar provecho, ni danno notable de la salud por lo qual dicho como lo siente Cajetano. Diximos sin embargo (attende) porque comer algo, ò mucho contra Medico para vomitar por salud, virtud no es pecado. *Sic ille, & cum illo M. Petrus de Ledesma *in Sum. part.* 2. *tract* 27. *cap.* 3. *de Gula*, & alii apud Vadellum *disp.* 28. *num.* 11.

QVÆSTIO IV.

An qui solicitat fœminam sine intentione executionis, ob solam ostentationem amoris, sciens certo, illam minimè ad assensum eliciendam, neque ad scandalum afferendam, delinquat mortaliter?

§. I.

Quid de ejusmodi verbis sentiant Authores?

1. EX triplici capite provenire potest malitia verborum turpium, vel ex delectatione turpi, quæ in proferente excitatur; vel ex his ipsis intrinseco, ad quem ex se; aut ab extrinseco, ad quem à loquente referuntur, vel ex ruina spiritus proximi, cui scandalum afferunt, & ad peccatum provocant. Unde apparet, quod si in casu aliqua verba, quæ communiter, *solicitationis*, dicuntur, e nullo ex his capitibus malitiam mortalem subeant, difficilè valdè erit, rationem aliquam evidentem devenire, qua opinio ejusmodi verba excusans à limbo improbabilitatis nota affici possit.

2. Igitur cum verba turpia, & inhonesta videat fœminam, rationem solicitationis, & inductionis ad peccandum, aut remotè, aut proximè indurent possint, quam nam ex his, in casu contingenti, contrahant, ex circumstantiis judicandum erit. Quod autem verba turpia ex se, & ex fine intrinseco, non omnia sint læthalia tradit Angelicus Doctor 2. 2. *quæst.* 168. *artic.* 3. Quem exponens Cajetanus ibi, sic ait: *Author exponit se ipsum, subjungendo illam determinationem restrictivam, scilicet, *quæ de se sunt peccata mortalia*, ita quod non dicit, quando quæruntur turpibus verbis, vel factis absolutè; sed cum restrictione subjuncta, *quæ de se sunt peccata mortalia*. *Cujus rationem reddit infra, dicens: *Apostolus enim non replicavit *ad Ephes.* 5. inter peccata excludentia à Regno cœlorum, turpiloquium, cum tamen illud inter alia connumeraret tunc peccamen illud inter alia connumeraret tunc peccamen illud inter alia connumeraret tunc pecc

Eamdem sententiam tenet Philiarcus, & videtur amplecti Alcozer. *Inferius verò *num.* 53. ex proprio penu sic respondet: *Turpia loqui ex quadam levitate, non gratia delectationis venereæ captandæ, sed cujusdam vani solatii, ob delectationem artificii, vel ob aliam vanam causam, est tantum veniale: quia non apparet aliqua gravis inordinatio; nec finis intentus, ex cujus malitia est metienda culpa, excedit limites venialis culpæ; & in hoc sensu est vera sententia *num.* 32. proposita. Et ita docent D. Antoninus 2. *p. tit.* 5. *cap.* 1. § 8. Navarr. *in Sum. Latina cap.* 16. *n.* 1. & *cap.* 14. *n.* 42. *vers.* 18. Graffis 1. *p. decision. lib.* 2. *cap.* 75. Idem sentiunt Corduba, Armilla, Sayrus, & alii, quos cum Cajetano, & D. Antonino citat, & sequitur Salas 2. 2. *tom.* 2. *quæst* 74. *tract.* 13. *disp.* 6. *sect.* 14. *n.* 162. dicens: *Turpia loqui ex scurrilitate, vanitate, vel levitate, vel ad ostentationem ingenii, aut ad delectandum curiosum auditorem, aut ad alium similem finem, qui non sit peccatum mortale, licet sit peccatum veniale, non tamen est mortale per se, & seclusò scandalo, & periculo. Idemquè est de auditione rerum turpium. Ita sentiunt Cajetanus, &c. *Quando autem verba turpia sint mortalia; explicat Sanchez *conclus.* 3. *nn.* 39. ibi: *Dicere turpia ob notabilem rei turpis delectationem cogitatæ, quæ cogitatio excitatur, & fovetur verbis illis, est mortale, &c. Et in hoc casu verificatur, quod ait D. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 3. nimirum, utentem in ludo turpibus verbis, vel factis, quæ de se sunt læthalia, peccati mortalis reum esse. Ubi Cajetanus advertit, non dixisse absolutè, utentem verbis, aut factis turpibus, sed cum addito, quæ de se sunt læthalia, ut significet, non semper id læthale esse, nisi aliunde adjungatur mortalis malitia. *Hæc Sanchez. Et sic explicat D. Thomam, Salas *suprà n.* 165. dicens: *Respondeo, non esse sensum D. Thomæ, quod verba turpia, secundùm speciem suam substantialem, sint peccata mortalia, sed ex specie accidentali, quatenus graviter provocant ad mortale, & ideò sunt in grave detrimentum animæ. Ita Cajetanus ibi, licet minus clarè. *Et Lessius *lib.* 4 *cap.* 3. *dub.* 8 *n.* 63. *Si turpiloquium fiat animo se oblectandi rebus ipsis narratis, &c. est peccatum mortiferum, sicut ipsa delectatio morosa, cujus causa fit. Similiter si animo excitandi se, vel alios ad turpia, vel cum periculo in illa consentiendi, etiamsi animus iste desit: si verò solum fiat ob voluptatem, quæ præcisè ex ipsa narratione capitur, absque ulteriori intentione, est peccatum veniale, ut docet Toletus *in Sum. lib.* 5. *cap.* 14. *

4. Itaquè gravis malitia verborum turpium desumitur, secundum hos Doctores, ex fine venereæ rei turpis cogitatæ delectationis, sive in proferente, sive in audiente procuratæ, vel cum periculo consentiendi in illam. Unde si proferens neque in se, neque in aliis eam delectationem intenderet, nec operis executionem & omni periculo, tam consensus, quàm perversionis cessante, ob solam vanam amoris ostentationem verba illa, quæ solicitationem sonant, proferret: difficilè de culpa læthali redargui poterit.

5. Propter hæc forsan Eminentiss. Cajetanus, ut fœminæ invitationem ad fornicationem, vel adulterium, culpæ mortalis damnaret, ad delectationem sibi, aut alis intentam recurrit, dicens: *Sunt turpia verba de se mortalia invitatoria verba ad mortalem lasciviam: nam si quis, ut aliis delectationem ingerat, mulierem invitet ad adulterium, aut fornicationem, tam locus quàm ludus, peccatum mortale esset. *Quasi diceret, sunt mortalia invitatoria verba, aut quia proferens intendit mortalem lasciviam, ad quam invitat, vel delectationem veneream rei turpis cogitatæ, aut si hanc sibi non intendit, illa saltem profert, ut aliis delectationem hujusmodi ingerat. Si enim verba illa invitatoria dicere, sufficeret ad peccatum grave, frustra adderet limitationem illam, *ut aliis delectationem ingerat. *quia licet nec sibi, nec aliis intendisset, peccaret mortaliter. Quod evidens signum est, Cajetanum sentire, si nec sibi, nec aliis delectationem veneream quis intendat, sed illa verba proferat ad vanum ostentandum amorem, & nullum periculum scandali timeat, invitatoria verba peccatum læthale non esse.

6. Quapropter Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tract.* 18. *docum.* 12. *n.* 5. de verbis turpibus loquens, hanc conclusionem, ut inter Doctores communem, statuit. *Acerca de las palabras des honestas dichas con liviandad, sin otro mal fin ò peligro de consentir en algun mal pensamiento, commumente ensennan los Doctores por regla general, que no exceden de culpa venial. *Et in margine citat, ultra alios, Magistrum Candidum *disquisit.* 11 *art.* 1. *num* 4. Idemquè ante illum docuit Villalobos *in Sum. tract.* 40. *tom.* 2. *diffic.* 9. *n.* 12 *fol. mihi* 759. ibi: *Las palabras des honestas communmente son pecado venial, quando cessa el mal fin, y el peligro de pecar mortalmente: assi lo siente Cajetano. Verdad es, que podrian ser pecado mortal por razon del escandalo, lo qual seria, si las mugeres las dixessen à los hombres, y tambien serian pecado mortal, quando en ellas huviesse notable delectacion del pensamiento de la cosa torpe, que se excita, y aumenta con aquellas palabras: assi lo tiene Navarro, Thom. Sanchez, y otros. *

7. Quibus consonant Verricelli *tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 4. ubi de verbis turpibus loquens, ait. *Totam malitiam habent à fine extrinseco, ad quem ab actu interno libidinoso ordinantur: *& Doctor D. Franciscus Verde *in defensione Caramuelis quæst* 4. *de Delectatione*, § 13. *fol* 34. *Dicere, & audire illa verba, in se non est peccatum mortale, quod intelligo remoto scandalo, & periculo consensus. *

8. Faciunt ad hæc Doctores asserentes, verba inductiva ad peccatum solum habere malitiam contra charitatem. Putant enim (seclusa delectatione venerea proferentis) ideò esse mala, quia alteri præbent occasionem ruinæ spiritualis. Sic Salas 1. 2. *tom.* 2. *quæst.* 73. *tract.* 13. *disp. sect.* 15. *n.* 134. ubi ait: *Dubitabis, an inducere ad fornificationem (nempè cum alio) non solùm sit peccatum scandali, sed etiam contra castitatem. Respondeo negativè, quia temperantia, cujus pars est castitas, non est ad alium, sed ad se ipsum, &c. Ergo inducere alterum ad fornicationem non est contra temperantiam. *Sic ille. Quem sequitur Caramuel *in Regula D. Benedicti, disp.* 66. *nu* 986. ibi: *Monachus, qui persuasione concurrit, ut alius vadat ad concubinam, peccavit quidem mortaliter; sed non contra suum votum castitatis, &c. imò neque contra sextum præceptum Decalogi, sed contra quintum: fuit enim illis scandalo, & occasioni, ut peccarent contra sextum. Præterea in hoc scandalo, seu suasione nulla voluptas sensualis reperitur, nulla venerea delectatio, neque in hanc assensus, sed solum reperitur malitia voluntatis animam alterius occidentis, & hoc est contra quintum. *Ex quibus patet, quod, secundùm hanc opinionem, in verbis invitatoriis ad actum fornificationis, secluso voluptate venerea invitantis, & pravo fine fornicationis, vel alterius speciei luxuriæ, solum reperitur malitia

litia mortalis scandali, ratione ruinæ spiritualis proximi, quam causant. Unde si in aliquo casu particulari hæc etiam malitia scandali deficiat, nulla remanebit mortalis. Hæc autem in præsenti casu manifestè deficit: quia supponimus, eum, qui fœminam absque intentione ad fornicationem invitat, certum esse, minimè ad assensum alliciendam, & nullatenus ad scandalum afferendam. Ergo inductio illa materialis malitiam contra charitatem non continet, nec contra quintum Decalogi præceptum, ut probavi, nec contra sextum, ut tradit Caramuel *suprà*. Ergo nullam graviter virtuti oppositam.

9. Hæc pars non leviter suadetur ex communi Theologorum, asserentium, actiones peccaminosas coram aliis factas, non induere malitiam scandali, quando audientes, vel videntes, ea virtute pollent, aut adeò pravis moribus sunt imbuti, ut nec ruinam, nec ejus periculum, earum occasione subeant, Sic ex communi Doctorum Machado *tom.1.libr.2.p.2.tract. 6.docum.14 num.2.* ibi: *La primera regla, que por cierta ensennan los Doctores, es, que nunca se comete pecado de escadalo, sino es que con efecto suceda la ruina espiritual del proximo, ò probablemente se crea, que ha de suceder. De adonde infieren comunmente, que los que pecan delante de otros, se escusan del pecado del escandalo, quando ellos son tan buenos, que de ninguna manera se mueven à pecar, por ver pecados agenos, ò son tan perdidos, que los pecados agenos tampoco los immutaran. *Sic Machado, & ante illum plures, quos sequitur Diana *p.5. tract.7.resolut.* 3. ubi sic ait: *An peccantes coram aliis excusentur aliquando à peccato mortali? Respondeo, plures coram aliis peccantes excusari à peccato scandali, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles; ut nullo modo peccatis visis, censeantur ad peccatum moveri, vel ita sunt deperditi, ut peccatum aliorum nil illos immutet. Ita Salas, Sanchez, Alphonsus de Leon, Castro Palaus, &c. *Cum ergo fœmina quoad speciem solicitata, de qua loquimur, eam in bono stabilitatem habeat, ut nullo modo verba inductiva ad peccatum illam movere censeantur, non videtur apparere caput, unde eorum prolatio formalis solicitatio dicenda sit, & non potius valdè materialis, cum nulla inficiatur malitia scandali. Ergo cum aliunde in proferente nulla sit voluntas venerea, nulla rei turpis executio intendatur, nullusquè graviter peccaminosis finis verba inficiat, siquidem solum ob vanitatem, seu ostentandum fœminæ vanum amorem proferantur, non erit, cur malitiæ mortalis condemnanda sint.

10. Ideò hanc opinionem singularem primus, quem sciam, tenuit Navarrus, quem citatum sequitur M. Ludovicus Lopez *p.2. Instructorii, capit.* 58. §. *De casu. folio mihi* 155. ubi sic scribit: *De casu satis dubio quæritur apud Navarrum, utrùm fuit occasio mortalis? quam gravis quidam vir præbuit cuidam honoratæ fœminæ, quando sine malo animo, urbano sermone, illi dixit: Vis, ut in eodem lecto, ò domina, nos metiamur? & puto cum Navarro, hanc occasionem non esse mortalem, quia licet hæc verba per se ad peccatum mortale dirigantur, tamen attenta qualitate personarum, modo dicendi, & carentia mali animi, & mali finis, non est occasio mortalis. Sicut nec illa, propter eamdem rationem, quam quidam magnates Hispaniæ sibi mutuo præbuerunt: dum alter alteram super mulam suam retro se ferret, dixit transeundo cum suo comitatu, per locum secretum aulice loquens: Qualis locus erat hic domina, si tu alia fuisses. At illa respondit: erat quidem aptus, si tu alius fuisses: impotentiæ eum insimulando. Sic Navarrus. *Hæc M. Lopez, quem cum limitatione subsequitur Antonius de Escobar *in Summa. tract. exam.8.cap.3.nu.89.* ubi ait: *Non peccare mortaliter, qui fœminam solicitaret, sine intentione mutationis, ob solam ostentationem amoris, si sciret eam illam minimè ad assensum alliciendam, & tam effrenatæ libidinis sit, qui solicitat, tantaquè jam indolis circa libidinem laboret, ut nullatenus fœmina ad scandalum afferenda sit.*

§. II.

Judicium Auctoris.

11. Cæterum cum verba de se, & ex sua natura inductiva ad culpam gravem, malitiam, ad quam inducunt, contineant, nisi aliunde circumstantiis, ad aliud significandum, extrahantur, imo, contrarium omninò tenendum, nisi casu, quo audientes ratione circumstantiarum, aliud, quam onant, intelligant; quod evenire posse non ebibium, cum ex impositione hominum significent. Ac proinde quando vel ratione subjecti proferentis, vel occasionis, in qua dicuntur, significationem aliam audienti notam inducre possint, solum materialiter inductiva erunt, & solicitationis rationem mutuentur, & ideò tunc à gravi noxa immunia reddi possumus. Aliter verò non auderem à culpa levi præfata verba excusare, secluso etiam periculo delectationis in se, & in alio excitandæ, quam cum spiritualis audientis. Et in hoc sensu vera est opinio Navarri, & Ludovici Lopez, quibus consensit Escobar *ubi suprà*.

DISPVTATIO TERTIA.

De Homicidio.

QVÆSTIO I.

An licitum sit, accusatorem falsum occidere? an etiam testem, & judicem? si oppressio innocentis aliter vitari non possit?

§. I.

Doctorum placita.

1. IN hanc controversiam obiter incidi *in opusc. pro Iesuitis, tract. de Iustit. Prop.1.num.4.* ubi pro parte affirmativa, quoad accusatorem falsum, adduxi Magistrum Bannez 2.2, *quæst.64. artic.7. num.* 4. ubi inquirens: *An habeat rationem defensionis, si quis occidat eum, qui vadit ad judicem, ut impugnat falsum testimonium, propter quod erit occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia? *Respondet: *Similiter dico, quod si ille, qui vadit ad judicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, potest

poterit is, qui injuriam patitur, occidere illum defendendo se, vel sua, si aliter non potest. *Sic Bannez, cujus sententiam amplectuntur M. Serra 2.2. *quæst.* 64. *dub.* 1. §. *Ex hoc sequitur*. Cujus verba dedi *ubi suprà*. Et consentit M. Paulus de Blanchis ex eodem ordine *in discrepat. casuum conscient. in litt. H. ubi de homicidio, casu 5. dub. 3. fol.* 450. qui ibidem adducit verba suprà exscripta M. Bannez.

2. Hanc sententiam (licet contrariam sequatur) probabilem putat M. Petrus de Ledesma *in Sum. tract. 8. de just. commutativa, cap* 18. ibi: *La tercera dificuldad es, en caso que uno acusa à un inocente delante del juez, por el qual delito le ha de condenar à muerte, si será licito matar al que me và a acusar? Cayetano enseña, que en tal caso el inocente se puede matar, y desafiarle. La misma sentencia tiene Bannez, &c. Muy mas probable es, que en tal caso no es licito desafiar al acusador, ni matarle. *Sic ille, qui, ut patet, contrariam probabilem censet.

3. Eamdem opinionem, non solùm quoad accusatorem, sed etiam quoad testes, defendit M. Paulus de Blanchis *ubi suprà*: *Si talis, inquit, occidatur, in culpa est oppressor ipse, qui ex sua malitia posuit me in tali litigio contra omnem justitiam, quæ justitia petit, quod falsi accusatores, & falsi testes occidantur, quando sunt circa res magni momenti. *Sic ibi, §. *Theologus, fol.* 450.

4. Idem sentit Joannes Franciscus Suarez *in Enchiridio cas. consc. lib. 7. verb. Homicidium*, §. 13. ibi: *Licet occidere testem eumdem ad testificandum falsum contra me, ubi agitur ad mortem: nil enim differt, armis, vel alia injusta via me invadat, si certo scio, gladio oris ejus me fore occidendum.* Cui consonat Stroverdorff. *in* 2.2. *D. Thomæ. quæst.* 64. *art.* 6. *concluf.* 5. & plures viri docti.

5. Addunt alii, idem prorsus dicendum de accusatore, licet crimen sit verum, si tamen occultum sit. Ita M. Bannez *suprà q.* 64. *art.* 7. *dub.* 4. ibi: *Sed rogat quis: quid agam ego, si quis vadit ad me accusandum de crimine vero, sed occulto, ex cujus accusatione mihi certum periculum creatur mortis, vel infamiæ? Respondetur, quòd si ille non habet jus ad me accusandum, neque procedit secundum justitiam legalem, ita me possum defendere ab illo, sicut ab imponente falsum crimen. *Sic Bannez, quem eisdem ferè verbis sequitur M. Paulus de Blanchis *suprà* §. *Ad instantiam fol.* 450. Quibus consonat M. Marcus Serta *quæst.* 64. *art.* 7. *dub.* 11. dicens: *Idem erit, si quis vadit ad me accusandum de crimine vero, sed occulto, ex cujus accusatione mihi certum periculum imminet mortis, vel infamiæ. *Sic ille &, sic alii.

6. En amice lector, Doctores docentes licitum esse innocenti, falsum accusatorem, & falsos testes occultè occidere. An verò iniquum etiam judicem, qui innocentem, ut suprà, injusta sententia mortis, aut infamiæ, opprimere intenderet, si aliter vitari non possit? subticuere Magistri citati.

7. Cæterum, in terminis, quod de falso accusatore, & falsis testibus, dictum est: de judice iniquo contra innocentem injustè procedente dicendum esse putat probabile Petrus de Navarra *lib.* 2. *de Restit. cap.* 3. *n.* 352. ubi sic ait: *Sed rogari potest, an liceat eumdem ad testificandum, contra me, falsum occidere? Sotus dicit, non licere, *quia, inquit, non licet invasorem occidere, nisi in præsenti aggressione, non autem in proximo.* Sed ratio frivola est, cum non loquatur consequenter: ipse enim fatetur, quod licet prævenire invasorem insidiantem, & arma parantem. Cajetanus videtur idem docere alia ratione. *Quia*, inquit, *defensio armata non licet, nisi contra invadentem armis, non tamen contra eum, qui in judicio calumnia utitur.* Sed certè non video, quid differat, armis, vel alia injusta via me invadi, si certo scio, gladio oris, me fore iniquè damnandum, &c. sive ergo testis falso deponens, sive accusator falso accusans, (attende) sive judex iniquè condemnans, verè sunt aggressores, & contra communem juris ordinem efficiunt. Quare aliter ego finiendam putarem hanc controversiam hac distinctione. Occidere prædictas personas publicè, non licet; privatim, atque occultè liceret. Quod occultè liceat, præter supradicta, ratio est, quia ut Cajetanus fatetur 1. 2. *quæst.* 95. nil refert, an aliquem occidas proprio gladio, an gladio judicis, vel carnificis. *Hactenus Petrus de Navarra.

8. Immò addunt sapientissimi Patres Magistri, idem prorsus dicendum, licet judex innocentem, secundum allegata, & probata, justè condemnet. Sic M. Joannes de la Cruz cum aliis ejusdem instituti *in Sum. præcep. 8. de injustitia rei, art.* 3. *concluf.* 6. *fol. mihi.* 121. ubi sic: *Sexta conclusio ex D. Thoma *artic.* 4. Non licet reo justè damnato ad mortem impugnare custodes carceris; benè verò injustè damnato: imò & innocenti (attende) justè damnato, juxtà allegata, & probata, licet, secluso scandalo, & damno communi, defendere se, etiam occidendo judicem, & ministros justitiæ, si necesse sit. Ita Victoria, & Bannez 2.2. *quæst.* 64. contra Sotum, & Ludovicum Lopez. *Hæc M. Cruz.

9. Quibus adde plures, quorum sententiam referens, verissimam censet Villalobos *in Summ. tom.* 2. *tract.* 16. *de Reo, cap.* 9. quamvis in praxi asserat non sequendam. Sic enim inquit: *Tercera conclusion. Aunque aya procedido juridicamente, si la sentencia, en hecho de verdad, es injusta, porque se fundò en falsa presuncion, ò falsa probança, no obliga en conciencia, Lo qual es comun de los Doctores, &c. Quarta conclusion: En el caso de la tercera conclusion, si pudiesse ser alguna vez sin escandalo, podria el reo defenderse por fuerça contra el Juez, y los Ministros, que quieren executar la sentencia. Esta opinion tienen Lucas de Penna, Paris de Puteo, Hypolito, y la tuvo el Padre Victoria, à quien siguen Bannez, y Ledesma, diziendo, que es comun de los discipulos de Santo Thomas, y particularmente de Orellana, y la tiene por probable Soto, &c. Y assi dize Bannez, que podria matar al juez, y Lucas de Penna, que podria matar las guardas, y huir. Esta sentencia tengo por verdaderissima, mas en practica no se puede seguir; porque como dizen los Doctores citados, siempre ay escandalo, quando el reo se defiende desta suerte por fuerça. *Sic Villalobos.

§. II.

Vera sententia.

10. COntraria omninò tenenda est. Primò, quia si calumniam passus potest suam innocentiam ostendere; alia erunt media, quibus se à calumniatore liberet: si verò innocentia demonstrari non potest, nequibit non ejusmodi occisio plura parere scandala, dum innotescat, hominem de calumnia non convictum per insidias occisum esse. Et, ut ait Lessius *lib.* 2. *de just cap* 9. *dub.* 8. *nu* 47. si sententia illa, vel scripto, vel ipso facto à viris doctis defendatur, sequitur facilè, multos persuasos sibi ab acto-

re injuriam, vel calumniam inferri, ad eundem è medio tollendum aggressuros, non sine maximo Reipublicæ detrimento: facilè enim credent, aliud ipsis effugium non manere, præter mortem accusatoris, vel testis, vel judicis. Unde infinitis homicidiis patebit aditus.

11. Non inficior, hoc fundamentum parvi pensum à M. Bannez; ideòque respondet, hæc incommoda non provenire ex ipsa doctrina, sed ex malitia litigantium, qui non prudenter examinabunt circumstantias, in quibus licitum est, falsum accusatorem, vel testem occidere. Verum cum nemo, in propria causa, bonus sit judex, opinandi aditus omninò præcludi debet, & ideò præfatam sententiam practicè improbabilem pronunciare debemus, propter absurda, & inconvenientia, quæ illam sequuntur. Addo, nec speculativè probabilem esse, quia ut benè ait Cardin. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 10. sect. 10. nu.* 189. ad probabilitatem etiam speculativam rei moralis oportet, quòd materia sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientia, quæ eam reddant illicitam.

12. Quapropter omnino displicet Illustris, D. D. Joannes de Caramuel *in Theolog. Fundament. edita Franco-Furti, anno* 1652. *fundam.* 51, §. 11. *num.* 172. *fol. mihi* 491. ubi aliam versans quæstionem, sic ait: *Porro hanc doctrinam, si reducatur ad praxim, esse pernicio sam, non nego. At non solùm probabilissimæ opiniones, sed & demonstratæ, & certissimæ sunt interdum nocivæ: quod alibi demonstrare me memini. Sæpè enim veritatem utiliter ignorare contingit: *Sic ibi: Et iterum de re nostra in terminis, *fundamento* 55. §. 6. *num.* 1150. *Hinc est, quod ego judicem, summa inconvenientia sequi ex multis opinionibus, quæ hodiè circumferuntur, nec tamen ideò illas improbabiles esse. Multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus: multa ex occultis compensationibus: multa ex licentia occidendi injustum judicem, aut testem, quam nonnulli concedunt: multa ex aliis, quibus tamen non obstantibus inconvenientibus, illæ sententiæ in terminis, quibus hodiè in scholis traduntur, sunt ut minimum probabilissimæ, & à nemine damnari possunt. *Hæc Caramuel. Quod prorsus falsum existimo, quia à posteriori, practica opinionis improbabilitas innotescit, nec in re ad mores pertinente, admitti debet, ut probabile principium, ex quo absurdæ, contra bonos mores, illationes sequantur.

13. Concludendum igitur est, tanquam omninò certum, præfatam doctrinam nullum habere posse locum, ob inconvenientia gravissima, quæ ex illius praxi pullulare possunt. Quapropter novissimè Sanctissimus Alexand. VII. die 24. Septembris, anno 1665. inter alias propositiones, hanc ut scandalosam ut minimum damnavit: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Et illam docere, defendere, aut edere, & de ea etiam disputare publicè, aut privatim tractare, nisi forsan impugnando, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata prohibet, & insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, ne ad praxim aliquis eam deducat.

14. Unde probabilitas saltem practica præfatæ opinionis tot Doctorum armata phalange, funditus corruit, sicut fundamentum Caramuelis, & aliorum, quos inconvenientia non terrent, ut probabilitatem practicam aliis opinionibus ejusdem furfuris non denegent.

QVÆSTIO II.

An licitum sit, occidere latronem, ut valoris accepta fugientem, quando aliter recuperari non potest?

1. NEgant nonnulli, quos sequitur Barcenis ex Ordine Prædicatorum, in opere contra Amadæum Guimenium infrà citando, imò nullum pro contraria militare Thomistam confidenter asserit. Sed miror hominis ausum, vel arrogantiùs dicam, librorum inopiam: quia affirmativa sententia adeò communis est, ut fere omnes eam defendant. Sylvester *verb. Excom. 6. quæst. 9.* ibi: *Si autem non me invadit, & tamen rem meam tenere nequit, nisi occidam, puta, quia fugit in equo meo, quem aliter habere nequeo, nisi illum sagitta occultè percutiam, &c. dici posset, in hoc casu, non esse contra legem Dei, aut naturæ illum occidere. Quia quandiè de licentia Principis moventur arma pro terminalibus; quod fieri non posset, si esset contra legem Dei, aut naturæ. *Et antea *verb. Bellum 1. quæst. 3.* ibi: *Si vis inferturrebus, injuria debet repelli incontinenti, id est, quam primùm quis poterit, licet interdum facta, quia non est vindicta, sed defensio quædam: quando dicatur in continenti? Hoc casu Gloss. *cap. significasti 2. de Homicidio*, dicit, quòd debet fieri cum citius poterit. Joannes Andreas, & Bostiensis dicunt hoc verum, ut licitum sit resistere cum armis ad recuperationem invasæ rei, si hoc fiat ante quam ad alia divertatur, alias esset guerra, & vindicta. Bartolus verò sentire videtur, quod hoc fieri debeat intra tres dies. Sed melius dicitur, quod est quam primum poterit, non divertendo ad alia, relinquendo arbitrio boni, rerum qualitate pensata. *Hactenus Sylvester, quem eisdem transcribimus, *ex verb. Excommun. 6. quæst. 9.* superius additis, sequitur M. Dominicus Baltanas *in Margarita Confessor fol. mihi* 82.

2. M. Sotus *de Iust. libr. 5. quæst. 1. art. 8.* ibi: *Refellendo citra dubium, licere furem etiam diurnum defensionem bonorum temporalium interficere, aliter illa eripi ab ipso nequeunt. Et ratio est, quia bona mea media sunt ad vitæ sustentationem, & status, atque honoris. Quapropter, sicut vita fundamentum est omnium bonorum, ita est, & eorum ultrix, &c. De tempore autem defensæ, quamdiu licet resistere? forte dubitas: nempè utrùm tunc tantum licet, iam tunc dum tuis rebus onustus fugit, licet cum armis insequi, etsi aliter deprehendi nequeat, iam jacto telo sternere? Respondetur, toto illo tempore flagrantis dicti licere vim vi repellere, quamdum fugit.*

3. M. Ludovicus Lopez *1. p. instruct. cap. 62.* ibi: *Qui rapinam, si illum raptorem non amisit à conspectu suo, quia adhuc invenitur cum furto, ut ajunt, manifestis, &c. tunc secundum Mercatum potest vi resistere, & in defensionem suorum bonorum passus illatæ rapinam, potest raptorem occidere, si aliter ab eo manibus nequeat prædam arripere.*

4. Mag. Corradus *1. p. Resp. quæst. 75.* *Quamverò ad res, si per viam justitiæ recuperari non possunt, omnes conveniunt in eam sententiam, ut

ceat percutere, & occidere. Sylvester, Cajetanus, D. Thomas, Sotus. Et hoc intelligendum, ut ibidem notat Sotus, si bona illa sint aliquanti pretii, &c. idque solùm fieri licet in flagranti crimine, & etiam dum fur fugit, sed post fugam si aliquo se recepit, non licet eum vi aggredi, sed tenere, quousque judex eum capiat. *

5. Mag. Zanardus 1. p. *ubi de Homicidio, cap.* 2. §. *Nono*, ibi: * Nono dico, licere pro rebus suis defendendis, & recuperandis alterum occidere, &c. Hoc idem licebit facere cum fure diurno, quando primò res furata sit alicujus momenti. Secundò, quandò ille, à quo subtractæ sunt res, dubius est, vel certus probabiliter, quod res suas aliter non recuperabit, nisi persequendo furem, & occidendo eum, si vellet ter furtivas defendere. *

6. M. Paulus de Blanchis *in Discept. casuum conscient. in litt. H. ubi de Homicidio, casu* 5. *dub.* 1. §. *Ad secundam impugnationem, fol.* 451. * Non excusamus oppressum, quandò potest repellere vim, quam patitur à raptore, vel fure, capiendo ipsum, vel quocumque alio modo recuperando sua bona, si occidit. Hæc de causa dicitur *Exodi* 22. *Si quis occiderit furem diurnum, reus erit homicidii*: quandò scilicet, illum capere potuit absque occisione: quandò autem non potest defendere vitam suam, vel res suas absque occisione, tunc occisor non est reus homicidii, & hoc est, quod intendimus in casu nostro. *

7. M. Joannes de la Cruz *in Sum.* 5. *præcept. art.* 1. *de Homicidio, dub.* 6. Conclusio affirmativa: itaque fugientem cum equo tuo, aut rebus aliquanti pretii, quæ aliter certo non recuperabis, licèt sagitta confodere. Ita Sylvest, Soto, Bannez, & Cajetanus, & communiter cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 46. *art.* 7. & patet *Exod.* 22. *

8. Reverendis. PP. Magistros suprà citatos sequuntur communiter Doctores. Villalobos *tom.* 2. *tract.* 12. *diffic.* 11. * Si es licito matar al ladron, quando no se puede defender por otra via la hazienda? Respondo, que si: siendo *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Assi lo tiene Cayetano, Aragon, Bannez, Ledesma, y es comunissima. Y dize Bannez, que consienten en ella los Philosophos, y casi todos los Theologos, &c. Por la misma razon tambien es licito perseguir al ladron, para que dexe lo que lleua Hurtado, y quando no huuisse otro medio, matarle por esso. Y tambien, quando no se puede recuperar por otro camino, porque si se pudiesse librar por justicia, no seria la muerte inculpable. *

9. Diana *p.* 5. *tract.* 4. *resol.* 17. postquam negativam sententiam retulit, sic ait: * Verum contrariam sententiam tenent communiter Doctores. Et ita docet Tannerus, qui citat Sylvestrum, Navarrum, Sotum, Valentiam, Aragonium, Bannez, & Lessium. Quibus ego addo Turrianum, Marchantium, Baldellum, Layman, Binsfeldium, Molinam, Azorium, & Filliucium, &c. contra Covatruv. esse licitum occidere, vel sagitta, vel catapulta furem, si cum re furata fugiat; quia invasio rei durat, donec se in tutum recipiat, ubi quietè possidere incipiat. Et quia nisi id licitum esset, defensio rerum maxima ex parte esset inutilis: possent enim fures quodlibet rapere, & statim fuga se propipere: in fuga enim, secundùm opinionem Covarruv. essent tuti. Ita Doctores citati. * Hæc Diana *ubi suprà*, & iterùm *p.* 8. *tract.* 7. *Miscellan. resolut.* 47. cum Card. de Lugo testante, hanc esse communem Doctorum opinionem *disput.* 10. *de Iust. sect.* 9. *n.* 179. Quibus consentit Leander à Sacram. *tom.* 5. *de Irreg. disp.* 13. *quæst.* 7. * Quia adhuc fure fugiente, inquit, invasio censetur adhuc durare. Sic tenent communiter Doctores, Molina, Sylvester, Sotus, Navarra, Lessius, Diana, Rodriguez, Reginaldus, Dicastillo, Lugo. Imò potiori jure occidi posse injustum invasorem facultatum, quam honris, multis ostendere conatur r F. Franciscus Bonæ Spei Carmelita reformatus *in lib.* cui titulus, *Noctua Belgica ad Aquilam, dub.* 20. *num.* 634. * Quia bona fortunæ per se ordinata sunt ad vitam conservandam; ideò qui illa aggreditur, in casu, quo facilè recuperari non possunt, nisi injustus aggressor occidatur, censetur possessoris vitam aggredi; & proindè contrà illum agi potest, tanquam contra vitæ aggressorem, &c. * Sic ille, ex illo principio, quod concesso uno, censentur concessa ea omnia, sine quibus non pervenitur ad ipsum, *l. 1. ff. de jurisdict. omn. judic. l. ad rem mobilē*, §. *Quis procurat.* §. *de Procurat. cap. præterea de officio delegati, & cap. ex his*, §. *Porrò de verb. signif.* quod verissimum esse ratio naturalis demonstrat, quandò media sunt unicè necessaria.

10. En amice lector, opinio illa, quam in Lessio *de Iust. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. & in Escobario *in Theol. Moral. tract.* 1. *exam.* 7. *cap.* 3. nescio quis censura notavit, communis est apud Theologos. Quapropter jure optimo Stubrokius in illum, & sequaces animadvertens, in suis in quorundam notas, *ad Epist.* 14. *fol.* 108. sic scripsit: * Omnes communiter censent, si paucos excipias, posse quemlibet defendere facultates suas, vel Patris, vel heri, etiam cum morte furis, si aliter servari, aut recuperari non possunt, & res notabilis momenti id postulet, Cajetanus, Sotus, Navarrus, Molina, Lessius, Vazq. D. Antoninus, Sylvester, Medina, &c. Vix ullum auctorem invenio ex innumeris ferè, qui de hoc argumento scripserunt, cujus calculo hæc sententia non donetur. *

11. Addit M. Sotus *ubi supra*, hanc doctrinam locum habere, licet res ablata per judicem recuperari possit, non tamen facilè. Verba ejus sunt. * Jurisconsulti inferunt, quod dum spes est, vi judicâ recuperandi furtum, non licet furem occidere. Et certè si spes esset certissima, quod facillimo negotio recuperari posset, verum apparet; ubi autem res esset dubia, posset liberum esse domino jure uti suo. *

12. Docent etiam alii, licitum esse occidere furem, quoties res, eo non occiso, custodiri non potest, etiamsi posteà recuperari possit. Ita Henricus Stroverdeff. apud Dianam *p.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 17. & antè illum Eminent. Cajetanus, & Sylvester, ut refert M. Joannes Martinez de Prado *tom.* 2. *Theolog. Moral. cap.* 20. *quæst.* 4. *num.* 7. Quos sequitur Trullench *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 6. Quorum ratio est, quia fur magnam mihi infert contumeliam, dum res meas, me præsente, capit, ac proindè vim vi repellere licet. Sic Doctores citati. Quibus consentiunt alii, quos noviissimè refert, & sequitur Hieronymus de Molina & Guzman *in novis veritatibus juris, verit.* 37. *num.* 20.

13. Addunt non pauci, licitam aliquandò esse bonorum recuperationem, vi adhibitâ, non solùm quandò fur, eis acceptis, fugit, sed etiam posteà, quandò jam res in tuto est posita. Sic tradit M. Corradus 1. *p. Respons. quæst.* 75. ibi: * Ultimò dicitur, quod si quis rem meam subripit, in continenti possum per vim eam eripere. Si autem statim non fiat, tunc per judicem recuperari debet: Alioquin (ar-

tende) si non potest, per judicem recuperari, ego dominus, in defectu judicis, eam violenter recuperare possum, non suadente diabolo, sed justitiâ tantùm. Ita ait ibidem Sylvester. * Hæc M. Corradus.

14. Idem sentiunt alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 5. de Irregular. disputat. 13. quæst. 8.* ubi inquirens: * An etiam licitè possit quis occidere furem, qui rem furatam habet positam in certo loco? * Respondet. * Negabit Covarruv. cui favere videntur S. Antoninus, Petrus de Navarra, & alii, &c. Sed probabilius respondeo, etiam posse licitè, & absque metu irregularitatis talem furem occidere, casu (ad minùs) quo invasus furem insequens in continenti illum occidat, si rem furatam non velit tradere, & nullo alio medio recuperari possit, quia tunc adhuc actus invasionis moraliter durat. Sic Fagundez, Sylvester, Joannes à Lignano, & alii. * Et inferiùs *quæst. 9.* inquit, posse quem ingredi domum, ubi rem furto captam in pacifica possessione fur retinet, & illum occidere, si resistat eam tradere eidem domino: * Dummodò, inquit, & remedium illi non suppetat recuperandi rem propriam per vires juridicas, & eadem res furata in individuo exstet apud furem, ut eadem torques, idem pallium. Ratio est, quia in hoc casu dominus rei non est aggressor, sed defensor rei propriæ, ob quam recuperandam licitum est illi, inferre vim invadenti. * Sic Leander, cui consentiunt Malderus 2.2 *tract. 3. cap. 1. dub. 13. §. Dico sextò.* Diana *p. 5. tract. 4 resol. 37.* & plures doctissimi apud illos, quorum sententiam probabilem putat Bonacina *disp. 2 de Rest. quæst. ultim. sect. 1. p. 10.* & tuentur alii apud Eminent. Card. de Lugo *tom. 1. de Iust disp. 10 sect. 9 num. 181.*

15. Denique doctrinam traditam de occisione furis, revaloris acceptâ, fugientis, extendunt D. Antoninus, & Cajetanus, quos citatos sequitur Lessius suprà ad Clericos, & Religiosos. Quibus cum Maldero, & Sylvio consentit Diana *p. 5. tract. 4. resol. 16.* & cum Soto, Petro de Navarra, Barbosa, & aliis tenet Leander à Sacram. *tom. 5. disp. 13. q. 3. & 4.* subnectens * Sic tenent ferè omnes Doctores pro nostris sententiis adducti. * Qui pro defensione rerum suarum idem putant licere Clericis & Religiosis, quod laicis.

16. Et ante illos docuit M. Victoria *in Relect. de jure Belli, n. 4.* ubi sic: * Etiamsi jure naturali non liceret occidere pro defensione rerum, videtur, quod jure civili factum sit licitum. Et hoc, reverâ, secluso scandalo, videtur licere, non solùm laico, sed etiam Clerico, & Religioso viro. * Verùm si jure naturali id non liceret, non video, quomodò jus civile posset licitum reddere Clericis. Melius ergò suadetur ex D. Antonino asserente, omnibus concessam esse defensionem rerum, quibus concessa est defensio vitæ. Quam omnibus, naturæ jure concessam, dicit Cajetanus *de potestate Papæ, cap. 17.* & scribere non recusavit: * Quod quilibet licitè possit occidere invasorem se defendendo. * Cui consentit M. Victoria illius verba referens *in Relect. 1. de Potest. Ecclesiæ ad finem,* & Sylvester *verb. Bellum 2. §. 2.* Verum horum doctrinam non laudo, & benè eam limitavit Fagundez *in quinque præcepta Ecclesiæ, lib. 5. cap. 3. n. 6. & 7.* dicens: non procedere, quandò Principes, seu Domini sunt tam utiles bono communi Reipublicæ, ut secundùm prudentiæ, & charitatis regulas, videatur teneri unusquisque potiùs injustam sui occisionem pati, quam invadentem se injustè, justè perimere.

17. Hæc scripsisse sufficiat, in præsidium communis & veræ sententiæ asserentis omnibus, etiam Clericis, licitum esse occidere invasorem bonorum facultatum notabilis momenti, quando aliter reperari non possunt. Quod insuper probari potest *ex cap. 6. de sententia excommunicationis in 6.* ubi etiam pro defensione rerum temporalium dicitur esse licitum, vim vi repellere, quando aliter defendi non possunt. Et sanè latissima latrocinii apertura esset, si bona propria defendere non liceret, etiam cum morte tentantis auferre: nec jus ad vitam perfectum esset, si ad media ad illam nobis necessaria deficeret. Ideò hæc opinio prorsùs tenenda est, quam non solùm Doctores suprà citati, sed Divus Augustinus, & D. Thomas propugnant, ut testatur Eminent. Cajetanus *in Sum. verb. Homicidium,* ubi ait. * Licet rerum occidere, tuendo necessaria ad vitam, & retutem, ne perdat res suas, & suorum, * & 2.2. *qu. 64. artic. 7. §. Ad hoc dubium,* inquit. * Est sententia D. Thomæ, & Augustini: quia Augustini auctoritas loquitur non solùm de vita corporali, sed de aliis, quæ inviti perdere possumus, sub quo continentur honores, & divitiæ. *

18. Quæ si animadvertisset Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum Gumenium disput. 1 sect. 1. artic. 1. §. 4. fol. 148.* scribere non auderet, (audeat ut principium apud D. Thomam, & ejus antiquos discipulos inconcussum jactare) occisionem hominis, ob solius vitæ defensionem, licitam esse. * Respondemus (inquit) rationem nos docere, sine auctoritate publicâ, homicidium licitum per se esse: à privata potestate numquam; sed ad summum nos illud pati, ut accidentario junctum vitæ nostræ defensioni, * & expressiùs *fol. 149.* Mortem, inquit, aggressoris * pati & ferre possumus, non eligere; ut adjunctam inculpatæ tutelæ salutis, non honoris. * Quòd nil à veritate magis alienum: honorem enim & divitias cum morte aggressoris defendere possumus, ut constat ex dictis; & ex communi Thomistarum sententia. Vide quæ addimus *sup. tract. 3. disput. 3. quæst. 3. cap. 6. num. 5. & folio 217. & 218.*

QVÆSTIO III.

An Proscriptum, seu Bannitum à Pontifice, aut ab alio Principe, liceat ubique occidere?

1. UNum supponimus, & aliud disputamus. Supponimus cum communi sententia, Principem posse concedere facultatem generalem cuicumque ad aliquem scelestum hominem occidendum, propter damnum Reipublicæ imminens, quod aliter vitari non potest. Hæc verò permissio, ut benè notat Molina *tom. 4. disput. 7.* non nisi ex gravissima causa concedenda non est, ne esset nocentissimus grassator, aut alius simulis pernicio sissimus Reipublicæ, qui facilè comprehendi non posset. Sic nonnumquam concedi solet facultas occidendi Bannitos, altosvè scelleratos, propositio etiam premio occisori, qui auctoritate publicâ executor sententiæ mortis constituitur. Difficultas ergò est: an bannitum, seu scelestum hominem, quem occidendi facultas cuivis à Pontifice concedatur, liceat ubique occidere?

2. Pro

2. Prima sententia asserit, non solùm bannitum à Pontifice, sed etiam à quolibet alio Principe, posse ubique, alterius Principis, in cujus territorio moratur, non requisitâ licentiâ, licitè occidi. Sic tradit M. Zanardus 1. *p. ubi de Homicidio, cap. 3.* dicens: * Hocidem, nempè facultatem occidendi malefactorem, potest Princeps concedere in terris alienis, quandò delictum adeò est immane, ut ad terrefaciendum alios, vel ad similia crimina vitanda, hoc expedire judicaverit. Nec hoc est perturbare statum alieni Principis, quia in eo non intendit jurisdictionem exercere, sed in eo subditum suum punire. Et inferiùs: Idem præstare valebit, quando timendum esset, ne ille bannitus in actu iterùm Rempublicam invadat, vel perturbet; quia unicuique Reipublicæ licet, ad ea media recurrere, quæ ad ejus quietem apta reperiuntur. * Hactenùs M. Zanardus *suprà. fol.* 758. & iterùm *fol.* 790 *cap.* 9. *de Bannitis.*

3. Eamdem sententiam defendit Jacobus de Graffis Monachus Cassinensis *in decisionibus aureis p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 62. *nu.* 57. *fol. mihi* 312. ubi sic: * Sed an statutum, quod banniti, seu forjudicati occidantur impunè, & occisores premium consequantur, habeat locum in occidente extrà territorium? Dic, quod sic. Casus est *in l.* 3. §. *final. ff. de ficariis.* Ubi transfugas, ubicumque invenisantur, interficere licet. Potest enim constitutio ligare personas etiam extrà territorium existentes, ut *in l. magis puto*, §. *Illud, ff. de rebus eorum, per l. si fideicommissum.* §. *Tractatum, ff. de judic.* Socinus *consil.* 74. *n.* 17. ubi potestas statuendi in subditos non arctatur territorio, & ideò ubicumque reperiuntur, sunt ligati, & illos occidentes, gaudent beneficio. Ita Baldus *in l. cunctos populos n.* 9. *C. de Sum. Trin. & Fide Cathol.* Hypolitus *singul.* 124. sequitur etiam opinionem Baldi Pissanelus *ad constit. Regni Neapol.* quæ incipit: *Pœnam eorum* Quod videtur satis rationabile; tum quia taliter occidentes gerunt actum permissum; & in factis privatorum non attenditur territorium, sed an faciant actũ permissum vel prohibitum: *text. in l. non solùm*, §. *Et, qui in testamento, & ibi Glossa in principio, ff. de excusat. tutor.* Tum quia Reipublicæ interest, tales ubicumque fuerint, perimi, ne revertantur; & ne Provincias cladibus, furtis, ac violentiis molestent. * Hæc Graffis, cui consentiunt, ultrà citatos, Lactantius, Finelius *de casibus reservat. casu* 4. *n.* 41. & Prosperus Farinacius *in practica criminali, p.* 3. *q.* 103 *n.* 213. loquens de illo, qui ob crimen læsæ Majestatis proscriptus, & bannitus est.

4. Verùm hæc opinio est contra communem Theologorum, quæ, non petitâ Principis territorii licentiâ, id minimè licere, defendit; & meritò, quia nullus judex potest, extrà territorium suum, jus dicere, aut sententiam exequi, ut constat *ex l. ultim. ff. de jurisdictione omnium judicum, & ex cap.* 2. *de const. in* 6. ubi Doctores id communiter notant, & tradit Escobar *in Theolog. moral. tract.* 1. *exam.* 7. *cap.* 3. *n.* 32. dicens, licitum esse, occidere bannitum: * Non tamen posse extrà territorium Principis, seu Reipublicæ concedentis occidi, nisi consensus saltem tacitus, vel rationabiliter præsumptus illius Principis, in cujus territorio invenitur, interveniat. * Quia extrà territorium punire, verè est illic jurisdictionem exercere. Quidquid auctores *n.* 3. citati contradixerint.

5. Hoc cùm certissimum sit, dubitat, & meritò Escobar: * Quid si proscriptus à Pontifice? Estnè forsan idem statuendum, & asserendum? * Et respondet negativè ex Filliucio *tom.* 2. *tr.* 28. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 24. Qui postquam sententiam communem, quoad alios Principes suprà stabilitam, recensuit; sicait: * Hinc deduci potest, si is, qui proscripsit, habeat jurisdictionem illimitatam, & per universum orbem, ut Summus Pontifex, hunc etiam posse mandare occisionem hominis à se proscripti in alieno territorio. * Subnectit verò, & prudenter: * Quamvis ad servandam cuique suam jurisdictionem, non soleant ejusmodi homicidia præcipi in alieno territorio. * Hæc Filliucius. Ex quo Escobar; & Diana *p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 24. ubi inquirens: * An liceat sine peccato occidere bannitum extrà territorium proscribentis? * Respondet cum aliis negativè quoad alios Principes, & affirmativè quoad Pontificem: & rationem quoad utrumque reddit: * Quia cùm sit, inquit, extrà territorium proscribentis, non extenditur ad illud ejus potestas, nisi adesset licentia expressa, vel tacita, vel rationabiliter præsumpta alterius Principis, in cujus jurisdictione moratur bannitus. Nisi reus esset bannitus à Summo Pontifice (attende) qui cum habeat jurisdictionem illimitatam, & per universum orbem, potest mandare occisionem hominis à se proscripti in alieno territorio. * Sic ille.

6. Hanc sententiam amplector. Sed quia non tam in conclusione, quam in ejus principio hærere forsan nonnemo poterit; ideò, ut mihi certum de fide, statuo Summum Pontificem in toto orbe habere potestatem indirectam in temporalibus, nimirùm, prout necessarium fuerit ad rectam in spiritualibus gubernationem. Hæc doctrina est communis inter Catholicos, qui contrà Hæreticos aliter sentientes acriter invehuntur. M. Victoria *in Relect. de Potest. Eccles. n.* 11. & 12. & *in Relect. de Indis insulanis, n.* 29. ibi: * Papa habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia, id est, quantum necesse est ad administrationem rerum spiritualium. Hæc etiam est omnium Doctorum, &c. Et certè nullus legitimè Christianus deberet negare hanc potestatem. * Sic Victoria. Quem sequitur M. Hyacinthus Donatus *p.* 2. *tract.* 11. *de successione Monasterii q* 15. *n.* 6. *fol.* 218. dicens: Romanus Pontifex de rebus temporalibus in ordine ad finem spiritualem * in universo mundo potest disponere absque ulla controversia, ut docent Catholici, & praxis observat. *

7. Eximius Doctor Franciscus Suarez *in Defensione Fidei contra Regem Angliæ, lib.* 3. *cap.* 23. pluribus sacræ Scripturæ auctoritatibus, & Sanctorum PP. testimoniis hanc veritatem demonstrat, concludens: * Docent hoc omnes Catholici Doctores, quos suprà enumeravi, & latiùs Bellerminus, estque non minùs certum, quàm cætera, quæ dicta sunt (nempè de potestate Pontificis ad excommunicandos Reges, quæ est de fide. Imò si ea ponderentur attentè, & dictum refutare errorem, & veritatem Catholicam, usu, authoritate, & ratione comprobatam defendere, difficilè non erit. * Et iterùm *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 27. Ostensum est, inquit, *lib.* 3. multa Concilia Generalia hanc potestatem in Summo Pontifice recognovisse, &c. Et sæpiùs Summi Pontifices cum Conciliis Generalibus illâ potestate usi sunt; ut Innocentius III. in Concil. Lateran. & Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi. Præterquam quòd communi Ecclesiæ traditione, & consensu, hæc veritas fundata est, neque in hoc puncto est dissensio inter Catholicos Theologos. * Hactenus Suarez.

8. Cujus

8. Cujus vestigiis insistunt, contra Hæreticos hujus temporis, auctores moderni. Diana *p.* 10. *tr.* 6. *resol. unica* * Pontifex secundùm omnes tam Canonistas, quàm Theologos, habet potestatem indirectam in temporalibus, de qua doctrina inter Catholicos non est disputandum. * Et *tract.* 17. *de potestate exauctorandi Reges, resolut.* 8. * In quadam, inquit, Congregatione Theologorum, cui ego interfui ex speciali mandato Sanctissimi Domini nostri Innocentii X. nunc fæliciter regnantis, determinatum fuit: Propositionem hanc: *Papam nullam habere potestatem in temporalibus, etiam indirectè*, esse hæreticam, saltem reductivè. * Et hanc censuram ei inusserat P. Adamus Tannerus ex Societate Jesu *in defensione Ecclesiæ libertatis, lib.* 2. *cap.* 8. Ubi multis probat, non posse absque errore in fide, imò nec sine hæresi, potestatem in temporalibus indirectam Romanis Pontificibus denegari. Quam sententiam doctissimè defendit M. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *artic.* 5. *conclus.* 5. his verbis: * Adhibetur quinta, eademque Catholica conclusio, contra eorum hæresim, qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem: Potestas quæcumque civilis est enùs est Ecclesiasticæ subjecta in ordine ad spiritualia, ut Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei, & Religionis exegerit, non solùm Ecclesiasticarum censurarum fulmine, adversùs Reges agere, eosque cogere: verùm, & cunctos Christianos Principes temporalibus bonis privare, & usque ad eorum depositionem procedere. * Hactenus M. Sotus.

9. Ex præfata igitur vera, & Catholica doctrina, sic pro opinione nostra efficaciter arguitur. Summus Pontifex habet in toto orbe indirectam jurisdictionem, & potestatem in temporalibus, prout necesse fuerit ad rectam Ecclesiæ in spiritualibus gubernationem: ergò si infensus aliquis esset hujus gubernationi, & spirituali fidelium bono, posset Pontifex illum proscribere, & mandare, ut ubicumque terrarum inveniatur, internecetur, & consequenter facere cuique licitum talem bannitum ubique occidere. Non facilè vitabis consequentiam.

10. Addunt alii, Summum Pontificem in toto orbe Christiano, non solùm indirectam, sed etiam directam in temporalibus potestatem habere. Sic Angularius, Comitolus, Pereira, Martha, Pessantius, & alii, & putat probabile eos referens Diana 1. *p. tract.* 2. *de immun. resolut.* 121. & ante illos tenuerunt alii, prout videre licet, apud Magistrum Joannem Martinez de Prado *tom.* 1. *Theolog. Moral. cap.* 3. *quæst.* 3. §. 3. *num.* 9. ubi sic ait. * Summum Pontificem habere directum dominium spirituale, & temporale in totum orbem, præcipuè in omnes Christianos, dicunt S. Antoninus, Sylvester, Albarus, Pelagius, Augustinus de Ancona, M. Ferrara, Thomas Bocio, Soto, Cano, Soletque tribui D. Thomæ. * Et hanc esse plurium Canonistarum sententiam fatetur M. Sotus *lib.* 4. *de Iust. quæst.* 4. §. *Sed in hac quæstione*, ubi sic: * Enimverò de Christo, qui rem superficie tenus cogitant, inficias ire non audent, quin fuerit in quantum homo, in temporalibus, orbis dominus, &c. Ex quo principio Doctores plurimi juris Canonici idem Summo Pontifici tribuunt temporalium dominium, & plenissimam potestatem. * Quam sententiam apud Victoriam *in Relect. de Potestate Ecclesiæ, num.* 2. *& in Relect. de Indis insulanis* tuentur plures: * Ita, inquit, tenet Hostiensis, & Archiep 3. *p. tit.* 22. & Angelus, Anchar. ita tenet Sylvester, qui multò etiam largiùs & benigniùs hanc potestatem tribuit Papæ. *

11. Si hæc doctrina esset vera, validiùs ex illa staurari posset argumentum superiùs factum pro nostra opinione asserente, bannitum à Pontifice quilibet licitè ubique occidi, cui proindè omnes Doctores nuper citati dissentire nequibunt. Verum principium hoc, præterquàm quod nullatenus verum est, ad præfatam conclusionem turandam non potestas indirecta sufficiat; valdè mihi displicet, & nullo fundamento stabilitur, ut benè probat M. Victoria *ubi suprà* qui errori notam illi inurit. * Et quod inquit, patet error multorum Jurisconsultorum, ut Archiepisc. Panormit. Angeli, Anchar. Sylvestri, & multorum aliorum, qui putant, quod Papa ex eo minus orbis propriè dominio temporali, & quod habet auctoritatem, & jurisdictionem temporum in toto orbe suprà omnes Principes. Hoc ego non dubito esse manifestè falsum, cùm tamen ipsi dicant esse manifestè verum. Ego puto, esse merum commentum in adulationem, & assentationem Pontificum. * Et infrà: * Glossatores juris hoc dominium dederunt Papæ, cum ipsi essent pauperes rebus, & doctrina. * Hæc Mag. Victoria, qui licet vir moderatissimus, nec sodalibus pepercit, tum quæ eorum opinio de potestate directa in temporalibus totius orbis Christiani, nullum in scriptura habet fundamentum, tum quia Innocentius III. Pontifex Maximus, & vir doctissimus *in cap. Per venerabil. Qui filii sint legitimi*: dicit, se non habere potestatem (nempe directam) in temporalibus super Regem Galliæ, & per consequens nec super alios Reges, ut videre licet apud M. Victoria suprà. Et ita docent Suarez *in defensione Fidei lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 8. & Bellarminus *2. lib.* 5 *de Romano Pontifice, cap.* 4. *& sequentibus*. Hæc obiter de potestate directa Pontificis præliba sufficiat: ut nemo deinceps odium concilietur præfatæ opinioni asserentium, habere potestatem, & jurisdictionem indirectam, ideòque à Pontifice bannitum posse licitè ubique occidi. Quod Theologus nescio quis censura notavit.

12. Ex hoc principio, & conclusione, singulare aliud dubium excitavit Jacobus de Graffis, *in suo p.* 1. *lib.* 2 *cap.* 62. *num.* 60. his verbis: * Sed quid decendum de muliere bannita, quæ ex forma fori potest occidi, num impunè posset adulterari? Moderni simpliciter asserunt, quod non: etsi Nevizan. *in tractat Banni. in* 2. *p. secundi temporis, quæst.* 46. contrarium affirmet, quia secundùm eum, si potest occidi bannita, ergò potest adulterari, cùm majus sit delictum homicidium, quàm adulterium. Facit tex. *in l. neque in ea, & ibi Bartol. ff. de adoption.* Sed tamen dictum Baldi, qui communiter approbatur, (ut ego) verius videtur, tum quia adulterium est de se malum, & in eo non habet Papa jus dispensandi. Sic ille, qui ut ex adductis constat, opinionem Nevizani, & Bartoli probabilem putat. Quæ quidem, si adulterium cum bannita licitum esse contendat, sicut & jus occisionem, aperta hæresis est. Si verò solùm contendat adulterii pœnam non incurrendam ab eo modi adultero, eò quod cum bannita, non multum contendam: quia jus humanum, quoad hoc, locum habere potest, sicut habet in excusando à pœna homicidii maritum occidentem uxorem in adulterio deprehensam. Nec credibile est, authores citatos aliud intendisse, etsi verba latius patere videantur.

13. Ex eodem principio de potestate indirecta Pontificis in temporalibus, in toto orbe Christiano Conclusionem aliam notatu dignissimam quoad bellum indicendum deducit M. Victoria *in Relectione de Indis*

de Indis insulan. nu. 29. fol. mihi 325. * Hac etiam ratione, inquit, discordantibus Principibus de jure alicujus Principatus, & in bella ruentibus, potest Papa esse judex, & cognoscere de jure partium, & sententiam ferre, quam tenentur recipere Principes, ne scilicet eveniant tot mala spiritualia, quod ex bello inter Principes Christianos necesse est oriri. Et licet hoc vel non faciat Papa, vel non sæpè faciat, hoc non est, quia non potest, ut dicit Dominus Durandus, sed quia timet scandalum, ne Principes putent, hoc facere per ambitionem, vel veritus rebellionem Principum à Sede Apostolica, & hac ratione potest aliquandò Reges deponere, & etiam novos constituere, sicut aliquandò factum est. * Hæc Victoria, cujus sententiam, pluribus pro ea citatis, sequitur, dicens, esse communem, M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. Theologiæ moral. cap. 15. quæst. 4. num. 16.* apud quem Lorca, Suarez, Molina, Bassæus, M. Sotus, Oviedo, Hurtado de Mendoza, & alii, quos sequitur Diana *p. 6. tract. 4. resol. 2. & p. 10. tract. de Princip. Christ. fœderibus cum Turcis, vel Hæreticis, resol. 7.* Quibus adhæsit Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 5. diffic. 4. num. 4.* ibi: * Quando fuesse la guerra contra Principes Christianos, y conviniesse a el bien espiritual, podria el Papa meterse en ello, y difinir, y compeler por censuras, ò por otro camino al rebelde. Aunque no convendria, que se hiziesse esto de ordinario, porque el Principe contra quien se sentenciasse, cobraria odio contra el Pontifice, pensendo que lo avia hecho por passion. * Sic Villalobos. Quamvis * in casu necessario (ait M. Prado suprà) debent hæc humana judicia contemnere, & censuris compellere Reges, ne fictis titulis bellum gerant, & totam Rempublicam Christianam perturbent; quod notat (inquit Bassæus, & alii multi, quos citat, & sequitur Diana, & jam diu tradiderat M. Soto *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. conclus. 4.* * Hæc M. Prado: quæ hic placuit adnectere, quia forsan alibi non se dabit occasio, & veritissimam doctrinam continent.

14. Et ne Ministri Regii in Consiliis ad bellum indicendum faciles sint, animum vellem advertant ad aliam æquè certam, doctissimi M. Francisci de Victoria sententiam, cui si Principes supremi, ut debent stetissent, Respublica Christiana tot non esset quassata malis, & forsan orbi universo jam diu dominata fuisset. * Nullum, inquit, bellum est justum, si constat geri majori malo Reipublicæ, quàm bono, & utilitate: quantumvis aliundè suppetant tituli, & rationes ad bellum justum. Probatur. Quia Respublica non habet potestatem inferendi bellum, nisi ad tuendum se, resque suas, atque se protegendum; ergò ubi ipso bello attenuatur potiùs, atque atteritur, quam augetur, bellum erit injustum, sivè à Rege inferatur, sivè à Republica. Imò cùm una Respublica sit pars totius orbis, & maximè Christiana Provincia pars totius Reipublicæ, si bellum utile sit uni Provinciæ, aut Reipublicæ, cum damno orbis, aut Christianitatis, puto eò ipso bellum esse injustum. Ut si bellum Hispaniarum esset adversùs Gallos, aliàs ex causis justis susceptum, & alioquin Regno Hispaniarum utile, tamen cum majore malo, & jactura geritur Christianitatis; puta quia Turcæ occupant interim Provincias Christianorum; cessandum esset à tali bello. Hæc Victoria. Quæ ut observentur maximoperè oporteret, omnes supremos in temporalibus Principes, exhortatione Summi Pontificis, fœdus inire, ne ullus adversùs alium, bellum movere possit, quin à majori ipsorum parte pro justitia causæ lata sententia præcesserit. Qui autem secus indixerit, si à Pontifice Summo admonitus non desistat, omnium arma in ipsum conversa illicò experiatur. Justissima lex hæc foret, sanctissimum fœdus, ut versatilibus probabilitatibus, in re tanti momenti aditus omninò præcluderetur. Bellare enim, *necessitatis, non voluntatis esse debet*, ut ait D. Augustinus *epist. 207. relatus in cap. noli 23. q. 1.*

QVÆSTIO IV.

Utrùm ad vitandum periculum vitæ, vel infamiæ puellæ prægnantis, licitum sit, procurare abortum fœtus inanimati?

1. PLures pro affirmante sententia, expressis nominibus, & collatis locis, adducit Diana *p. 6. tract. 8. resol. 37.* inter quos quemdam Jesuitam suppresso nomine, qui, ut verum fatear, dubiæ fidei mihi est, quia non ab eo excepit Diana (ut ipsemet refert) sed à quodam viro nobili, qui ei testatus est, Jesuitam à se consultum sic respondisse. Verba Dianæ sunt. * Non desinam hic adnotare, quod consultus de hoc casu à viro nobili, & fide digno, testatus est mihi, doctissimum Theologum Societatis Jesu, quem ego scio, respondisse, ut suprà dictum est, licitum esse pro salvanda vita, & honore puellæ prægnantis procurare ejus abortum ante fœtus animationem. * Sic Diana ex auditis à viro nobili: sed forsan hic licet alias fide dignus, non benè Jesuitæ responsum percepit: quod mirum non erit expendenti, non rarò viros etiam doctos decipi, referentes pro aliqua opinione unum, vel alterum Doctorem, ubi contrariam expressè defendit. Et, quod miraberis, id in præsenti contigit ipsi Dianæ, qui pro eadem opinione, adducit Bordonum *in Consiliis Regul. res. 45. quæst. 4. num. 4. in fine.* Et tamen hic author oppositum ibidem expressè docet, his verbis: * Quæres quartò: An pro conservando honore, seu vita puellæ, vel pro conservatione vitæ mulieris, possit procurari abortus? Respondeo, neutrum licitè fieri potest. * Quod iterùm tradit *in decis. Miscell. dec. 260. fol. 223.* Si ergò testis ocularis sic decipitur, quid mirum, quod vir ille nobilis testis ex auditu, & in rebus Theologicis parum versatus, Jesuitæ responsa non calluerit.

2. Præterquam quod Jesuita consultus respondere potuit, ex aliorum sententia. Eam enim defendunt nonnulli, quos suppresso nomine refert M. Zanardus *in direct. Confess. p. 1. de Sacram. Matrim. cap. 41. quæst. 17.* Quos sequitur Torreblanca *de Magia, lib. 2. cap. 43. num. 10.* ubi sic: * Quandò ex partu concepto evidens periculum apparet, vel quod puerpera soleat ad extremum deduci, (attende) aut fama ejus lædatur, aut aliter vitæ discrimen, vel existimationis possit subire, benè poterit periculum abortionis præbere, dum fœtus tamen non erit animatus. *

3. Et hanc sententiam esse probabilem tradunt viri alii doctissimi. M. Lezana Carmelitanus *in Sum. quæst. regul. tom. 3. verb. Abortus, num. 5.* ibi: * Peccatum grave est, procurare abortum, etiam in casu, quo fœmina nobilis, aut Monialis cum viro peccaverint, & timent mortem, vel infamiam, vel scandalum, si

gravi-

gravidæ fiant, &c. Dicit tamen Azorius oppositam esse opinionem aliquorum, quos non refert, quam credo probabilem solùm in eo casu, quo nullo alio omninò modo, nullavè via, impediri possit infamia, aut mors talis fœminæ; tunc enim non videtur intrinsecè malum, procurare abortum fœtus inanimati, aut impedire conceptionem ipsius. *

4. Trullench *in Decalogum tom. 2. lib. 5. dub 4 num. 1.* ibi: * Aliqui existimant, si aliud non suppetat remedium, licere procurare abortum fœtus tamen inanimati, ad evitandum periculum vitæ, vel infamiæ puellæ prægnantis, sicut diximus, licere ad evitandam mortem naturalem. Hæc autem opinio non placet Dianæ, & meritò quidem, non tamen videtur improbabilis. *

5. Doctor D. Franciscus Verde *in defensione Caramuelis contra Episcopum Placentinum, quæst. 4. de abortu, §. 3. fol. 30.* postquam authores asserentes, id esse licitum, recensuit, sic ait: * Quod mihi saltem ab extrinseco sit probabile. Neque ex textu *in cap. Si quis* potest improbari, in quo, ut patet intuenti, est secus de alio casu. *

6. Reverendis. P. Fr. Leander à Murcia Capuccinus, Regius Concionator *in disquis. in 1. 2. D Thomæ lib. 2. disp. 5. res. 31. num. 14. & 24.* * Aliqui Doctores contrariæ sententiæ, inter quos Bassæus, & Joannes Martinez citans Candidum, asserunt, istam sententiam esse improbabilem. Sed vellem doceri ab ipsis, cur improbabilis dicenda sit opinio, quæ tot firmis rationibus fulcitur, & tam graves patronos habet; quæ & adeò perspicuè, & solidè argumentis in contrarium respondet. Si enim opinio, quæ his fulcris nititur, dicenda sit improbabilis, nullam probabilem invenies. * Et infrà postquam utriusque partis fundamenta proposuit, concludit, dicens: hæc opinio * sufficienti probabilitate non caret. * Et iterùm *res. fol 32. num. 2.* Eamque esse sufficienter probabilem, ob allata fundamenta, mihi videtur. * Hæc Leander, qui pro hac opinione refert Zambellum *in Repert. mor. verb. Medicus, num. 11.* & Bordonum ubi suprà, quos etiam recensent Diana, & Doctor D. Franciscus Verde. Verùm, ut suprà ostendi, Bordonus oppositum tenet, Zambellum videre non licuit; ideòque illum non refero: fides sit penes citantes.

7. Hujus tamen sententiæ fundamenta breviter hic attingere placuit, ne quidquam in hoc loco desideretur, arguunt sic. Media, quæ licita sunt ad vitandam mortem, cùm ab intrinseco (nempè ab infirmitate) imminet; licita etiam sunt, quandò ab extrinseco (ut à Tyranno:) sed procurare abortum fœtus inanimati est licitum, quandò mors alitet ab intrinseco imminet, ergò & quandò ab extrinseco. Discursus concludit, si præmissæ constiterint. Minor est communis Doctorum, quos infrà dabo. Major suadetur. Primò, quia ex eo, quod ebrietas sit licita propter sanitatem, seu ad conservationem individui, (ut cum D. Thoma tenent Cajetanus *in Sum verb. Ebrietas, & 2. 2. quæst. 10. art. 2.* & M. Petrus de Ledesma *in Sum. p. 2. tract. 27. cap. 3. de gula in fine*) deducunt Villalobos, Lessius, Layman, Diana, Martinus de Magistris, & plures Doctores Lovanienses consulti, ut refert Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 4. num. 66.* & ex illo cum aliis Amadæus *in opusc. tr. 2. de peccatis, prop. 2.* licitam probabiliter esse ebrietatem, vitandæ sortis causa ab extrinseco imminentis, quandò aliter vitari non potest. Secundò, quia ex eo, quod Cajetanus *2. 2. quæst. 148. art. 2. §. Ad secundum verò*, tueatur, licitum esse in extrema necessitate vesci carne humanâ, ne quis fame pereat, cum aliunde suppetit cibus; deducit M. Victoria, idem posse dici debere, si mors ab aliis inferenda timeretur: hoc, inquit, in extrema necessitate est licitum, etiamsi timore Barbarorum cogeretur aliquis id facere. Nil enim facit, an timor sit ab intrinseco, an extrinseco illatus. * Quem sequuntur Thomas Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 8. num. 13.* & plurimi alii Diana *3. p. tract. 6. resol. 48.*

8. Tertiò, quia ex eo quod in extrema necessitate ad vitandum mortem, quæ ex defectu alimenti ab intrinseco timetur, licitum sit accipere rem alienam, inferunt non pauci (quos adduxi *in opusc. pra lectio, tract. de just. propos. 8.*) licitum etiam id esse, quando ex malitia aliquis tibi mortem minaretur, rem alienam arriperes, vel devastares. Quod videtur sentire D. Thomas, & Vazquez, & expresse Palaus ibi, & colligitur ex Thom. Hurt. *tom. 2. resol. moral. 12. cap. 1. num. 1419.* asserente: * Licitum esse evitandum magnum damnum accipere rem alienam. * Et ex M. Petro de Ledesma *2. p. sum tract. 4. q. 5. §. A esto se responde.* * La necessidad extrema es en dos maneras, una como intrinseca, que nace de adentro otra extrinseca, y que nace de la malicia de otro. * Ergò id ipsum, quod matri licet, quando ex malo intrinseco imminet, licebit etiam quando ab extrinseco.

9. Quartò: quia ex eo, quod liceat cuique nasum, brachium, aub pedem sibi abscindere ad conservationem individui, aliter ratione infirmitatis moriturì; inferunt M. Bannez, M. Ledesma, M. Sotus, M. Acatius de Velasco, M. Serra, Baldellus, (cum Lessio, Toleto, & aliis) quos citavi suprà, licitum etiam esse, manum, & brachium sibi abscindere, si Tyrannus juberet, & alioquin certam mortem injustè comminaretur. * Nam parum (inquiunt Acatius, & Baldellus) videtur referre, quod necessitas ex morbo sit inducta internecus, & necessitas Tyranno sit inducta extrinsecus, & per causas voluntarias, cùm semper ipsa necessitas sit intrinseca ipsi homini, cui indicitur. *

10. Quintò: quia ex eo quod fœtus inanimatus pars viscerum matris, deducitur, quod sicut alias individui partes, pedem, aut manum licet abscindere, liceat etiam, ad vitandum vitæ matris discrimen, ab orsum procurare, ut docent D. Antonius, Sylvester, Armilla, Margarita Confessor. Navarrus Cordub, Covarr. Graffis, Henriquez, Vega, Pallicus, & alli, quos citatos sequitur Thom. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 9.* dicens: hanc sententiam esse communem, nullumque se invenisse oppositam sentientem. Quibus adde doctissimum M. Avendaño ex Prædicatorum Ordine Episcop. Segoviens. *in Thesaur. moral. disp. 11. quæst. 4. num. 13.* Ubi sic: * Si fœtus nondum sit animatus, idque certò aut probabiliter constet, tunc ob vitam matris prægnantis tuendam [illegible] si aliud remedium non suppetat, licita est abortus procuratio, eò quod tunc fœtus, cùm non sit anima rationali informatus, censetur quædam pars vitalium, quæ ad bonum, & conservationem totius, ut licet individui, ordinatur, sicut de cæteris partibus integrantibus vera sententia philosophatur. Ut sicut ob vitæ conservationem individui, (attenta licet digitum, manum, aut pedem abscindere, ita licebit fœtum in eo statu expellere: maxime cum matre pereunte, fœtus ille numquam animabitur. Sic ille ex communi sententia; sed ut constat ex Doctoribus numero præcedenti citatis, licitum est

d 5

digitum manum, aut pedem abscindere, quandò aliter mors ab extrinseco, ex malitia Tyranni, imminet. Ergò similiter ob eamdem causam licebit abortum procurare.

11. Ideò præfatam consequentiam, concessis præmissis, inevitabilem esse, expresè tradit doctissimus Basilius de Leon *lib. 10. de matrim. cap. 13. num. 2.* ibi: * Si liceret evacuatio fœtus nondum animati ad evitandam mortem matris, & restituendam sanitatem, liceret etiam procurare abortum nondum animatum, cùm ad famam, & statum conservandum opus erit; casus enim potest se offerre adeò premens, ut nullo alio medio possit mulier eripi, nisi abortu fœtus nondum animati. Quod tamen Sanchez negat, sed nullo convenienti assignato discrimine. * Sic Basilius. Quem transcriptis verbis sequitur sapientissimus Fr. Leander à Sacram. *tom. 5. de irregular. tract. 2. disp. 11. quæst. 2. vers. Primo*: & P. Thomas Sanchez ubi suprà *num. 8.* refert Navarram expresè etiam id inferentem, scilicet, quod si liceret procurare abortum ad ipsius prægnantis salutem restaurandam, quæ aliter esset peritura * liceret etiam fœminæ nuptæ, aut virgini fornicanti idem efficere, quandò nullo alio quæsito medio consulere possent, necrimine detecto, famæ, vitæque jacturam facerent, quia nil refert, quod periculum ab extrinseco immineat. * Quibus facit Franciscus Galleti *in Margar. casuum conscient. verb. Necessitas in fine*, ubi sic ait: * Licet Sotus differentiam constituat inter primum casum, in quo periculum est ab extrinseco, & inter alium, in quo sit ab intrinseco, reverà tamen hoc idem etiam in primo casu procedit. Nil enim refert, an periculum sit ab intrinseco, an potiùs ab extrinseco, dummodò utrumque sit probabile, ad hoc, ut propria vexatio justè redimatur. * Ex quibus unum è duobus concludi videtur, aut omnes casus, de quibus suprà, negandos esse, aut præsentem de abortu concedendum.

12. Jam si admittas licitum esse aborsum fœtus inanimati ad vitandam mortem imminentem ab extrinseco, debere etiam admitti ad vitandam infamiam, suaderi potest: tùm quia authores indiscriminatim de utraque loquuntur: tum quia in jure, vita, & honor æquiparantur, & quandoque honori primus locus defertur. Ut multis probat D. Hieronymus de Molina, & Guzman in suo opere *Novarum veritatum juris, veritate 27.* Ubi suprà duodecim authores refert, dicens, penè infinitos numerare potuisse: & constat apertè *ex l. fin. tit. 13. part. 2.* ibi: * Porende pusieron los antiguos por mas estranna la ferida de la fama, que la ferida de la muerte, porque esta no es mas que una vez, è aquella es de cada dia. * Et *l. 2. part. 2. tit. 19.* * Ganarian ellos mala fama para siempre, que seria tan malo como muerte, ò peor. * Quibus facit, *cap. frequens, de restitutione spoliat.* ubi dicitur causæ bonorum, & causæ vitæ æquiparantur.

13. Hæc tamen fundamenta præfatam conclusionem mihi persuadere non possunt, qui aborsum fœtus inanimati directè procurare, in nullo casu licitum admitto; quia non aliter de ejectione fœtus inanimati, quam de effusione seminis philosophandum censeo. Nec video, cur fœtus pars viscerum dicendus, potiùs quam semen, nec cur materiam magis elaboratam, & informationi propinquiorem liceat ex aliqua causa voluntariè expellere; cùm nulla sit, quæ seminis effusionem honestare possit. Quapropter, sicut effusionem voluntariam seminis recepti, (licet absque ulla delectatione ejiciendi) nulla excogitabilis causa honestare potest, ut contra Fagundez benè tradit cum Leandro, Diana *p. 10. tr. 14. res. 55.* eò quod ejus dispensatio non ad individui, sed ad speciei conservationem ordinatur: ita nulla, ob eamdem rationem, inveniri potest, quæ fœtus inanimati intentam expulsionem honestet. Et potiori jure, cùm ille propinquior sit ad conservationem speciei. Quo principio argumentis in contrarium abundè satis fit.

14. Nec dicas, fœtum inanimatum esse aggressorem, ac proindè jure naturalis defensionis, quando vira matris periclitatur, posse expelli: quia si hæc ratio quid probat, etiamsi animatus foret, idem evinceret, (aut saltem non esset contra justitiam) quia innocentem aggressorem licet occidere; v. gr. amentem, quando aliter, mors ab illo imminens, evadi non potest, ut docent Corduba *lib. 1. quæst. 38. §. Sed ut semel.* Petrus de Navarra *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 347.* & Sayrus *in Clavi Regia, lib. 7. cap. 10. num. 23.* Ergò vel fœtus inanimati aborsus numquam licet, vel in aliquo casu admittendus, etiamsi animatus sit. Quod à peccato saltem contra charitatem nemo excusare potest.

15. Ut omittam, Doctores admittentes, licitum esse aborsum fœtus inanimati, quandò est medium unicè necessarium ad conservationem vitæ matris, non ideò cogi, asserere, licitum etiam fore, quandò ad honorem puellæ: quia vita pretiosior est honore, ac fama, ut benè probat Navarrus *cap. inter verba, conclus. 4.* alios citans, & ita docere omnes Doctores cum D. Thoma tradit Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral. tract. ult. num. 188. fol. 507.* Undè non benè deducitur, quod si licet aborsus ad conservandam vitam, liceat etiam ad honorem.

16. Nec quando mors ab extrinseco imminet, idem dicere coguntur, ac quandò intrinsecè à morbo; quia quandò intrinsecè ex morbo, à fœtu inanimato procedente, verè fœtus est quasi aggressor: undè neque erit contrà justitiam expulsio, cum jus inculpatæ tutelæ resistat, nec contra charitatem, cùm nullum indè damnum illi sequatur: nec contra temperantiam, cum hæc delectationem in venereis moderetur, à qua longè abest fœtus emissio; quæ proindè solt justitiæ legali opponitur, quæ bono publico, & generis humani conservationi prospiciens directè prohibet impedire generationem: quod proindè peccatum grave est, nisi fortè actus ratione circunstantiarum à malitia denudari possit, ut in re præsenti Doctores suprà citati autumant. Quibus ego non assentior propter superiùs dicta.

(:†:)

DISPVTATIO IV.

De Restitutione.

QVÆSTIO I.

An filius possit salarium exigere à patre mercatore, vel agricola, pro opera in illo officio ab ipso impensâ?

1. PAntonius de Escobar *in Moral. Theolog. tract. 3. exam. 9. cap. 4. num. 31.* affirmativam sententiam probabiliter defendi posse, censuit. * Quia illud lucrum, quatenus ex bonis patris, ex filii opera simul proveniens, videtur partim inter profectitia, partim inter adventitia adnumerandum. Si ergò pater totum sibi lucrum retineat, nec aliquid filio relinquat, tenetur illi salarium, quod præberet extraneo, exhibere. Saltem exigente filio. * Sic Escobar, & meritò. Est enim valdè probabile tàm à ratione, quàm ab authoritate Doctorum, ut constabit ex his, quæ subjiciam ad pœnam libri cujusdam Neotherici, qui immodestè in Escobarium insurrexit.

2. Hanc igitur opinionem probabilem esse (ne dicam veram, & communem) constat apertè ex pluribus, ac gravissimis Theologis, & Jurisperitis: tam enim tenent Angelus, & Navarrus apud Villalobos infrà citandum, & Antonius Gomez *in l. 19. Tauri, num. 14.* qui, ut refert Vazq. *opusc. de testament. cap. 7. §. 5. dub. 11.* ait, quod si ex pecunia patris, & diligentia filii, fuit lucrum adquisitum, revera est illud dividendum, & medietas pertinet ad patrem, & conferenda est; medietas verò est adventitia, & ita non est conferenda. * Undè primò sequitur (subnectit Vazquez) quod filius, qui administrat bona patris, eò quod ille non posset, & fratres essent minores, potest in conscientia, ut Gomez docet, habere præcipuum salarium, quod extraneo commodè daretur, deductis tamen, meo judicio, expensis, quas ipse facit, plusquam fratres sui. * Sic Authores citati. Quorum sententiam, ut communiorem inter Doctores, refert Molina *tom. 1. de justit. disp. 234.* ubi ex professo rem exagitans, postquam contrariam retulit, sic ait: Bartolus verò, Navarrus, Antonius Gomez, & communior Doctorum sententia, quam ipse, & Gregorius Lopez referunt, censent, bona, quæ filius suâ industriâ, ex bonis patris adquirit, esse quidem profectitia, quatenus bonis patris adquiruntur; at verò esse adventitia, & propria filii, quoad proprietatem, quatenus à sua industria emanant. * (Et infrà:) * Navarrus, & Antonius Gomez locis citatis, & plerique alii ex authoribus hujus opinionis addunt: quandò filius ita suâ industriâ administrat pecuniam, aut alia bona patris, ut commoda omnia, & damna sint patris (id quod regulariter fieri solet) posse ejusmodi filium post mortem patris exigere stipendium laboris, & industriæ appositæ, quantum tribuendum fuisset extraneo, qui eadem bona similiter administrasset, habenter ejusmodi stipendium præcipuum ultrà suos fructus. Hoc censet Navarrus limitandum, modò ei fuerit tacitè vel expressè protestatus esset, se eo animo bona illa administrare, ut competens accipiat stipendium, alioquin censeretur, amore, & gratitudine filialiid fecisse, atque adeò gratis, &c. & ideo nequit in conscientiæ foro posset quidquam accipere. * Hactenùs Molina, qui, licet contrariam sententiam tueatur, fatetur tamen, ut vidimus, hanc esse communiorem.

3. Et ut talem amplectitur M. Ludovicus Lopez, quem citatum sequitur M. Corradus *tom. 2. resol. moral. quæst. 110.* Ubi sic ait: * Filius sub potestate patris constitutus, qui suo labore, aut industria, et bonis paternis, aut in eisdem adquirit; tantum plus quam cæteri fratres debet habere de bonis paternis, in quanto plus quam illi in eis adquirendis laboravit suâ industriâ, ad augenda bona: aut certè (attende) tantùm, quantùm mercedis solvi deberet alii extraneo, qui tantumdem laboraret, &c. Hæc ex Navarri contra Sylvestrum. Colligitur ex doctrina Bartoli, & aliorum Doctorum. Ar hæc conclusio intelligenda venit esse vera, accedentibus duabus limitationibus. Prima est, quod filius sustentationem teneatur. Altera est, si protestatus sit tacitè, vel expressè, se eo animo servire, ut pater suam operam & laborem conferat ei tantùm, quantùm extraneo conferre deberet, si ei ipse filius non inservire: Ita ait Navarrus, &c. Hæc idem Lopez ibidem *cap. 2. secundæ partis.* * Sic Corradus.

4. Eamdem tenet Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 13. diffic. 6. num. 4. fol. mihi 245.* Ubi sic scribit: Quando el hijo trata los negocios del padre, puede tomar lo que auia de llevar otro, facando los gastos, que se hazen en sustentarle, sino es que quiera hazerlo de gracia, como tienen Angelo, y Navarro. Aunque para esto son necessarias tres condiciones que pone Lessio. La primera, que proteste, que quiere, que se pague, &c. Aunque si lo dexasse por mucho reverencial del padre, no parece seria estar obligado. Lo segundo, que conste, que el padre no podia hazer por si mismo, ni hallar otro, que sirviera de valde, ò por menor precio. Lo tercero, si no dade tomar para si el usufruto de la ganancia mientras el padre vive, ò no le emancipa, porque este es de su padre. *

5. Pro hac etiam sententia militat Diana *tract. 4. resol. 66.* Ubi inquirens: * An filius Caponis, mercatoris, &c. possit exigere salarium, quia patris bona administrat: Sic resolvit: * Negat, respondet Glossa, Petrus de Navarra, Molina, &c. Verùm ego contrariam sententiam probabilem, imò tutam in praxi existimo. Cùm enim in tali casu lucrum non tantùm ex bonis patris, sed etiam ex industria proveniat, ideò partim inter profectitia, partim verò inter adventitia bona numerandum videtur. Ex quo infertur, quòd si solus pater lucrum accipiat, nullamque ejus partem filio quærenti aetatis jure relinquat, tunc tantumdem salarium dare obligatum esse, quantum extraneo aliquid daret, saltem si filius exigat. Sin autem ob merum reverentialem peterenon audeat, vel probè sciat, petat, se repulsam laturum esse; dicendum est, filium clàm à patre accipere posse. Et hæc omnia cum Lessium, Navarrum, Lopez, & alios docet Layman, qui citat Lessium, Navarrum, Lopez, & Angelū. Undè in tali casu advertant confessarii, ne imponere pœnitentibus onus restitutionis, quæ

ultrà æstimationem laboris, ac industriæ suæ acceperint, computatis in dicta æstimatione expensis, quas pater facit in alendo. * Hæc Diana ubi suprà.

6. Pro hac sententia, ut constat ex nuper dictis, refertur etiam Layman, cujus authoritati nituntur Diana, & Escobar. Ille igitur *lib. 3. tract. 4. cap. 8. n. 12.* sic scribit: * Si filius familias ex bonis paternis, nomine, ac voluntate patris lucretur: v. g. filius Cauponis, mercatoris, neque consuetudo, neque jura permittere videntur, ut exindè salarium, vel partem lucri exigat. Ita docent Glossa, Sylvester, Petrus de Navarra, Diaz, Medina, &c. Contrarium tamen non improbabiliter post Bartolum docent Angelus *verb. Peculium, n.* 11. Navarrus *cap.* 17. *n.* 144. Lopez *p.* 2. *instruct. c.* 31. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 81. cùm enim lucrum non tantùm ex bonis patris, sed etiam ex filii industria proveniat, ideò partim inter profectitia, partim inter adventitia numerandū esse videtur. Ex quo Inferunt, si solus pater lucrum accipiat, &c. tunc tantundem salarii ipsi dare obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet, saltem si filius exigat: sin autem ob metum reverentialem petere non audeat, vel probè sciat, si petat, se repulsam laturum esse, consequenter, filium clam à patre accipere posse, &c. Porrò id certum est, atque omnes fatentur, si filius ex re patris non fructifera, suo periculo negotietur, ita ut propositum habeat, & rem ipsam, quam seu clam, seu mutuò accepit, & damnum, si quod patri indè evenerit, plenè restituendi; tunc lucrum omne ad filium pertinere, tamquam adventitium peculium. * Hactenùs Layman cum citatis, quorum sententiam probabilissimam censeo.

7. Sed quid dicendum, si filius incepisset hæc servitia obsequia gratis, & liberaliter patri præstare, absque animo compensandi? poteritnè salarium posteà exigere? Huic difficultati respondet in simili M. Serra 2. 2. *tom.* 2. *q.* 66. *art.* 5. *dub.* 2. *ad* 3. *fol.* 437. * Si famulus, inquit, coactus à Domino aliqua obsequia præstaret, ad quæ non tenebatur, compensationem sibi ex rebus domini facere posset, juxtà operis æstimationem: secùs si gratis ea præstaret; nam sic censeretur, mercedem condonare. Posset tamen mutare animum, & mercedem exigere, ab eo tempore, quo animum mutavit. Si est autem probabile, ut nonnullis videtur, (attende) illum, qui gratis aliquid donavit, aut obsequium præstitit alteri immemor debiti ex justitia, quo illi erat obligatus, posteà cùm recordatur debiti ex justitia, posse compensationem facere per rem donatam, aut obsequium, quia præsumitur, quod non fuisset tam liberalis, si debiti fuisset memor; videtur dicendum similiter de famulo, qui gratis aliquod obsequium, ad quod non tenebatur, præstitit ignorans, aut immemor, posse illud præstare animo mercedis: posteà, scilicet, cum hujus recordatur, posse sibi compensationem facere, quia similiter præsumi potest, quod non fuisset tam liberalis, si hujus memor fuisset. * Hæc M. Serra. Quæ pro filiorum obsequiis, ad quæ ipsi non tenebantur, æquè militant. Undè infertur, filium Cauponis, aut mercatoris, qui suo labore, & industria ex bonis patris lucratus est; ignorans tamen, aut immemor posse hoc obsequium præstare ex animo mercedis, licitè sibi compensationem posse facere, quoties præsumi queat, quod si notitiam haberet hujus doctrinæ, non gratis, sed mercedis animo præstitisset. Quod procedit, licet ab initio gratis incepisset, si posteà mutaturus animum, præfatæ opinionis conscius, jure præsumatur. Quod non rarò continget. Sententiam verò illam, quam ut probabilem supponit M. Serra, insufficientem puto ad extinguendam obligationem justitiæ, quando gratis donata non necessitati, sed luxui creditori deserviunt, quæ si in specie debita solverentur, secùs foret. Consecutionem verò, quam ad rem nostram deducit Serra, lubens admitto. Qua se protegere poterunt, qui de salario anteà non cogitarunt, vel de illo paciscì erubuerunt.

8. Restat adhuc difficultas quid in dubio dicendum? Præsumendum ne est filium, præstitisse laborem gratis, & liberaliter, an potiùs animo compensandi? Similem quæstionem excitat Diana *p.* 11. *tr.* 3. *res.* 19. Ubi inquirit: * An in dubio filius præsumatur, impensas factas pro patre animo donandi fecisse? * Et in partem negativam inclinat *ex l.* 12. *C. de negotiis gestis*, ex qua in *verb. Si donandi animo pecuniam dedit*; arguitur: * Filium in dubio non censeri, alimenta, pietatis causa fecisse. Sed quia opinio (inquit) affirmativa est communis, teste Surdo *de Alimentis, tit. 6. quæstion. 9. num. 7. in fine*: ideò tu cogita: nolo enim singularium opinionum authorem esse. *

9. Verùm huic opinioni plurimum favet fundamentum, quo Doctores probant, Ecclesiasticum posse recompensare de fructibus beneficii, quod de patrimonialibus in sui sustentationem insumpsit, dummodò non habuerit expressam voluntatem non faciendi compensationem. * Nam in casu dubio, inquiunt, præsumendum est, habuisse habitualem animum recompensandi, cùm nemo præsumendus sit, se velle jure suo privare. Sic Molina, Navarrus, Gratianus, Divus Thomas, & Cajetanus, Lessius, Palaus. * Hæc Leander à Sacramento omnes citans *tom. 6. in Decalog. tract. 5. disp. 3. quæst. 49. fol.* 119. Ergò à simili in nostro casu, filius poterit sibi compensare de bonis patris, quæ in salarium posset pro labore, & industria exigere, dum non habuerit expressam voluntatem non faciendi compensationem, quia in dubio nemo est præsumendus, se velle jure suo privare. Probabilis consequutio est, & opinio in praxi tuta.

10. Rogabis, undè conjectare poterimus, filium non animo donandi, sed sibi compensationem faciendi, negotia patris gessisse? Respondeo ex his quæ tradit ipse Diana ubi suprà, §. *Undè si filium*. Nam loquens de expensis factis à matre pro filiis, sic ait: * Difficultas est, quando colligatur, impensas factas pro filiis fecisse animo repetendi? Respondeo, quòd hic animus colligitur, si expensas in librum expensarum retulit. Secundò, si mater necessitate aliquâ rei suæ, vel temporis, aluit, non videtur maternâ pietate aluisse, & alimenta donare voluisse, &c. Item (attende) si mater negotia filii gerens, alimenta suppeditat, non censetur ex materna pietate subministrasse, nec donasse: quoniam administratio negotiorum filii suscepta matrem hæc facere cogebat; quæ ad tuendum filium, & res ejus pertinebant. Atqui hujusmodi necessitas animo donandi planè contrariatur, quia in necessitatibus nemo est liberalis, *l.* 18. *ff. de aliment. legat.* Bonellus 15. *comment.* 16. * Hæc ille. Ex quibus colligitur, quòd si filius bona patris sua industria, & labore administravit necessitate coactus (nempè, quia pater de rebus, & bonis suis parùm curaret, & nec per se, nec per alios diligentiam ad eorum augmentum adhiberet) administrationem susciperet, posset

posset salarium extraneo debitum exigere, aut occultè accipere; quia in tali casu non præsumitur liberalis donatio, ut constat ex dictis.

11. Rogabis secundò, quid dicendum, si scires, filium occultè sibi compensationem fecisse, & Episcopus suo monitorio sub excommunicationis pœna præciperet, bona occultè accepta, etiam titulo compensationis, manifestare? Respondeo cum Doctore D. Francisco Verde *in opusc. pro Caramuele, quæst.* 8. *coroll.* 15. *fol.* 94.* Si monitoria sint ad finem, ut restituatur ablatum, & ego sciam, justam esse retentionem acceptoris, puta compensationis, vel alio justo titulo, non teneor revelare, quia cessat finis monitorii. Ita Glossa, Suarez, Menochius, Lazarius. Quod cum aliis Doctoribus (*tract. de monitoriis, sect.* 1. *q.* 9. *num.* 2.) asserit, verum esse, etiamsi monitoria præcipiant, revelari detinentes titulo compensationis, nam intelliguntur de compensatione injusta. Ripa, Angelus, Comitolus.* Hæc Doctor Verde. Et antè illum cum pluribus sui instituti M. Corradus 2. *p. q.* 453. Ubi sic: * Sed si Episcopus, in litteris suis excommunicatoriis, jubeat, revelari eos, qui talem rem, etiam pro recuperatione suarum rerum acceperint; Sylvester ait, quod idem ferendum est judicium in hoc casu: scilicet, quod talis recompensator, atque ejus recompensationis conscii non revelantes, ad nil tenentur, neque excommunicatione ligantur, &c. Hæc idem præfatus Doctor Lopez noster; atque etiam Sotus *in* 4. *sent. dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. hunc casum ponit, & ita resolvit, ut suprà.* Hæc Corradus, quæ sunt valdè notanda, quia passim obvia, & valdè probabilia.

12. Rogabis tertiò, an cui ex sola gratitudine aliquid debetur, possit illud per modum compensationis ab ingrato clam usurpare? Diana *p.* 7. *tr.* 10. *res.* 19. pro parte affirmativa adducit Petrum de Navarra *lib.* 3. *de restit. cap.* 1. *n.* 375. & 393. & addit, eam non improbare Machado *tom.* 1. *lib.* 2. *p.* 3. *tr.* 23. *docum.* 5. *n.* 5. Cæterùm Petrus de Navarra solùm concedit compensationem ei, cui ex charitate, seu ex justitia, seu ex alia virtute sub peccato lethali res debetur; nec Machado pro alia opinione refert Navarram, ut constat ex verbis, quæ ex illo exscripsit Diana loco suprà citato. Videatur, quæso, allegatus Petrus de Navarra *in edit. Lugdun. anno* 1593. *lib.* 3. *citato, cap.* 1. *n.* 374. & 392. & constabit apertè, solùm intendere, non ex sola justitia debitum compensare licere, sed ex charitate etiam, vel Religione, vel fidelitate ad Deum, ad quorum solutionem potest proximus à judice cogi, vel ad pœnas dandas, si non impleat. Ad illud autem, quod ex gratitudine tantùm debetur; coactioni non est locus, ut ex terminis patet. Undè omni probabilitate destituta est opinio præfatis Doctoribus impacta, quia nec à principiis intrinsecis, cùm rationi non innitatur, nec ab extrinsecis, cùm nullus author docuerit, sed Diana deceptus referat.

(:†:)

QVÆSTIO II.

An acceptum pro injusta sententia, homicidio, vel adulterio, teneamur naturali, aut positivo jure restituere?

1. NEgat Lessius *lib* 2. *de just. cap.* 14. *dub.* 8. *n.* 56. ad quod probandum, supponit ei communi Doctorum, ante patratum maleficium peccatum esse mortale, tam accipere, quàm dare, aut promittere in hunc finem consequendum. Quod ex terminis patet; nam qui dat, vel promittit, vertit inducit ad peccatum, & qui recipit, vel acceptat promissionem, spondet maleficium; ac proinde, ante ejus exequutionem, contractus rescindi debet, & pretium acceptum domino restitui. Difficultas igitur solùm est, an maleficio contrà justitiam semper patrato, teneris pretium acceptum restituere?

§ I.

Quid de jure naturali, & divino?

2. QUod jure naturali, & divino nemo teneatur, est communis Thomistarum sententia, quam statuit doctissimus M. Petrus de Ledesma *in Sum. tom.* 2. *tract.* 8. *de justit. commut. cap.* 11. *conclus.* 6. Ubi ait: * Estando en solo derecho natural, y divino, aunque se gana con obras malas, y que son pecados, no ay obligacion de restituirlo, antes es de aquel que recibe la ganancia. El exemplo es, en lo que se da un por matar à otro, ò por herirle, ò porque de una tencia injusta, ò porque vote mal, y contra justicia. Esta conclusion enseñan todos los discipulos de Tomas en el lugar citado. Particularmente Cayetano, Soto, Bannez, Orellana, Medina, Penna, &c. la razon es, porque aunque estas obras sean pecados ro ninguno està obligado à hazerlas de valde, y estimables, y dignas de precio. Luego estando en recho natural, bien se puede quedar con el precio. Esta conclusion es certissima, aunque es contra algunos Doctores.* Sic ille. Sed non benè pro sectis Cajetanum quoad acceptum pro sententia injusta, ut infrà videbimus.

3. Cùm Ledesma sentit M. Corradus 2. *p. resp. quæst.* 87. ubi ex Salonio sic ait: * Accepit pecunia pro opere peccati, & ut merces pravi operis, cujuscumque generis sit peccatum illud, sive contrà justitiam, ut si judex accipiat, ut iniquè judicet; sive ut alium occidat; sive contra castitatem, ut mulier accipiens, ut fornicetur; stando in jure naturæ, non est restituenda, & accipiens illam ab eo, qui tuit, & voluit dare, retinere potest.* &c. Et infra Additionibus loquens de turpi lucro, inquit: * primò dicimus, turpe lucrum promissum obligat solvendum, &c. Nam benè stat, quod fuerit missio turpis, & tamen post causam subsequutam sit debita, & licita ejus impletio, scilicet data, & ceptio promissi. Et licet promissio sit turpis, & inducat obligationem adimplendi, tamen cessequuta, obligat ad servandam fidelitatem. Hæc sententia Cordubæ, Medinæ, & Sori, ex D. Thoma in conscientia observanda, non tantùm circa meretricem, sed etiam maritatam puellam, & matrem. Cujus rationem ex D. Thoma, Silone, & M. Sot reddit infrà *quæst.* 100. dicens: * Ratio est hæc: quia illud

illud pretium non accipitur ex ea parte, qua est peccatum, sed qua est actus naturalis, & licet culpam annexam habeat, non ratione culpæ, ut dictum est, sed ratione laboris, & periculi, & voluptatis naturalis, ut merces, & pretium: & eadem esset ratio (inquit) si vir à muliere pretium exigeret. Quin verò æquiùs esset; quia plus ille, quam illa, præbet laboris, & periculi. Undè Alexander, ut tunc moris erat, pretium petit à quadam muliere, ut secum rem haberet. * Sic M. Corrado. & ante illum M. Soto *lib. 4. de Iustit. quæst. 7. art. 1. ad 2.* dicens: Quapropter mulier, quæ sui corporis copiam facit, mercedem recipere potest pro voluptate, quam vir captat, sicut posset, ut prolem illi gigneret. Imò utraque ratione posset etiam masculus à fœmina pretium recipere, quin verò æquiùs, quia plus præbet. Sicut Alexander jure naturæ potuit à duce illa Amazona, quæ illum gratia recipiendæ prolis invisit; quod & prece, & pretio, ut fertur impetravit, &c. At verò, quia fœminis major inest pudor, ob idque rariores sunt, quæ illi turpitudini vacent, quam viri, pretium ipsæ justius recipiunt. * Sic M. Sotus. Sed his omissis.

4. Ad rem nostram, pro Thomistarum, quos adduximus, sententia, stare videtur D. Thomas *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. ad 2. quæstiunc.* Ubi ait: * Si lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito actu, tunc quamvis adquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, sicut cùm quis de lenocinio, vel meretricio lucratur, & ideò hæc retineri possunt. * Sic Angelicus Præceptor. Quem exponens M. Serra *2.2. tom. 2. q. 62.* sic ait: * Exemplum ponit D. Thom. de lenocinio, & meretricibus, (attende) & idem est de sicariis: licet enim pro nefario opere pretium accipiant, quia tamen acceptio talis pretii non est contra legem aliquam illam prohibentem, retineri potest tale pretium. * Similiter Cajetanus *2.2. quæst. 62. art. 5. ad 2.* licet D. Thomas, neque hic, neque *quæst. 32. art. 7.* neque *in 4. sent.* neque alibi, (ubi quæstionem tractat) de adulteris lòquutus fuerit, idem ac de meretricibus ex ejus mente dicendum putat:: Quando dare non prohibetur, sed causa propter quam datur, ut quando prohibetur fornicatio, adulterium, & hujusmodi, non prohibetur dare propter ista, undè homo propter accepta ejusmodi servitia, quamvis nefanda, tenetur dare, quod promittit. * Sic Cajetanus, & sic etiam M. Sotus, & M. Ludovicus Lopez *1. p. Instruct. cap. 105. §. Igitur circà quæst.* dicens: * Hæc est Cordubæ, Medinæ, Soti *q. 4. quarto libro.* ubi ait, quod meretricibus, imò & maritatis, in foro conscientiæ, post habitam cum eis copulam, tenetur solvere, quod eis promisit, &c. Hæc est D. Thomæ, cujus rationem affert. * Et ibidem *2. p. cap. 106. quæsito 7.* Nec parum ad has expositiones confert, quod ipse Angelicus Præceptor numquam excluserit à lucro licito, quod accipitur pro delictis contra justitiam patratis, * sed quæ ut rapina, usura, & simonia. * Sic *in 4. dist. 15. citata, q. 2. art. 4. ad 3. quæst.* ibi * Quandò lucrum ipsum (inquit) est lege prohibitum, ut rapina, usura, & simonia, non solùm dicitur turpe lucrum, sed iniquum. * Nimirum, quia in illis, aut deficit voluntas donandi, & ideò non transfertur dominium, ut in rapina, & usura contingit: aut quia res invendibilis est, & ideò jure naturali contractus nullus, ut in simonia: aut saltem quia lege Ecclesiastica redditur inhabilis ad adquirendum dominium pretii simoniacè accepti, ut alii docent. Quod secùs accidit in aliis delictis contrà justitiam in petentis utilitatem patratis.

5. Pro eadem sententia stat etiam Sotus *lib. 4. de Iustit. q. 7. §. Secundus ergò modus.* Ubi prædictas actiones contrà justitiam dicit esse pretio æstimabiles, (licèt aliàs jure positivo prohibitas putet.) * Non quidem, inquit, quia actio, pro qua munus offertur, non sit natura sua pretio æstimabilis, ut si litigator, aut judici, aut testi corrumpendo, munera offerret, aut assasino, ut hominem interficeret. * Idem sentit Trullench *in Bullam, lib. 3. casu 5. fol. 509.* Ubi pro hac sententia refert D. Thomam, Lessium, & Ludovicum à Cruce. Quam plures sequuntur Villalobos *tom. 2. tr. 11. diffic. 16. concl. 7. n. 13.* * Lo que se dà al juez para que de sentencia injusta a uno; para que mate à otro, &c. Estando en derecho natural no ay obligacion de restituirlo, sino solo el danno que se haze a la otra parte. Esta conclusion es de casi todos los Doctores citados. * Sic ille, & alii, quos sequitur Verricelli *to 1. tr. 3. q. 1. n. 16.* ibi: Infertur quartò, judicem, qui iniquam tulit sententiam ob pretium sibi datum, vel promissum, quamvis peccaverit iniquè judicando, non tamen peccare, nec teneri in conscientia ad restitutionem accipiendo pretium pro iniqua sententia. Ita Navarrus, Angles, Petrus Navarra, Valentia, Rebellus, Toletus, Lessius, Molina, Layman, Diana contra Cajetanum. * Sic ille, & pluribus citatis consentit Henriquez de Pontific. Rom. clave *lib. 4. cap. 25. n. 3. in fine.*

6. Quapropter Eminentiss. Card. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 18. sect. 3. n. 54.* jure hæc scripsit: * Communis Theologorum sententia est, attento jure naturæ, & nisi leges reddant inhabilem ad dandum, vel accipiendum, non debere restitui, facto jam opere criminoso, quod pro eo patrando, acceptum est. Ita Navarrus, Sylvester, Antoninus, Petrus de Navarra, quos refert, & sequitur Turrianus, Vazquez, Lessius, Molina, & alii communiter. Probatur ex his, quæ de turpi lucro meretricis dicta sunt; eadem enim est ratio de aliis peccatis, cum in his etiam accipiatur pro re aliqua emptori grata, & utili, ad quam venditor non tenebatur. * Hæc Lugo. Et hæc de jure naturali: Quibus probabilior sententia satis superque stabilita manet.

§. II.

Quid de positivo?

7. RESTAT adhuc difficultas, an jure positivo teneatur quis restituere acceptum pro injusta sententia, vel homicidio, aliisve delictis contra justitiam? Partem negativam defendunt S. Antoninus, Sylvester, & alii, quos citatos sequitur doctissimus Navarrus *in Manuali cap. 17. num. 33.* retractans, quod anteà scripserat: * Siempre, inquit, nos parecio mejor esto hasta aqui, (nempè pars affirmans) aora empero nos parece mejòr lo contrario, que tienen S. Antonino, Monaldo, Angelo, y Sylvestro. Lo primero, porque no ay ley, ni canon que mande esto generalmente. Lo segundo, porque las leyes, y Canones desta materia dizen, que lo que por delito se promete pedir, y no dizen que lo tomado se hade dar a otro, &c. Lo quinto, porque es teorica de Vervecillo recibida por S. Antonino, Angelo, Sylvestro, y otros, que la restitucion de lo que se hade dar à pobres, y no à la parte interessada, no se debe de precepto, sino de consejo, quandò nunca se debiò a persona, ni Colegio alguno, &c. Ni por ley preceptiva, ni sentencia especial

se les aplico. Y segun la comun, la restitucion en este caso se hade haxer à pobres, yno à la parte, a lo qual es consiguiente, que no se debe restituir de precepto. Finalmente haze, que no ay ley divina, ni humana que esto mande. Y assi concluimos, que el que toma algo por causa que es mortalmente mala, peca mortalmente (nimirùm ante maleficium commissum) y de precepto està obligado a restituir el damno, que por aquel mal hizo à otro, y tambien lo que tomò de quien la ley especialmente lo manda restituir, como en la simonia. * Hactenùs Navarrus.

8. Ejusdem sententiæ sunt communiter Thomistæ, quos sequitur M. Petrus de Ledesma *in Sum. p. 2. tr. 8. de just. cap. 11. conclus.* 8. Ubi contra Sotum, Manuel, Rodriguez, & Cordubam sicait: * A esta dificultad se responde, ser mas probable, que en el tal caso no ay obligacion de restituir el precio antes de la sentencia del juez. Esta sentencia tienen comunmente los discipulos de S. Thomas, y muy particularmente Orellana. La razon es, porque estando en derecho natural, las tales obras son dignas de precio, como es cosa notoria, y el derecho positivo en los lugares citados no haze inhabil, ni incapaz para recibir el tal precio, como consta de las dichas leyes, y derechos (pro parte contraria allegatis) luego estando en conciencia, antes de la sentencia del juez, no ay obligacion de restituir el tal precio.*

9. Ledesmam sequitur M. Serra 2. 2. *tom.* 2. *q.* 62. *art.* 5. multis probans, acceptum pro delictis contra justitiam retineri posse, & non debere restitui ante sententiam judicis spoliantis in pœnam delicti. * Pater, inquit, nam ita docent communiter Recentiores, illam etiam docuisse M. Orellana, refert M. Ledesma. Probatur deindè *ex l. 3. ff. de condict. ob turpem causam.* Ubi dicitur: *Vbi dantis, & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, ut malè judicetur, &c.* Ex his autem colligi, transferri dominium, etiam quando delictum est contra justitiam, & injuriosum; pretiumque pro illo datum fieri accipientis ostendo. * Et infrà ad secundum: * In sententia, inquit, injusta duo considerari possunt, & quod sit injusta, & quod sit actus utilis ei, in cujus favorem fertur, & laboriosa, & periculosa judici. Concedimus, quod ratione primi non est venalis sententia injusta, &c. si tamen aliquid acciperet pro actione iniquæ sententiæ, quatenùs ipsi est periculosa, & alteri utilis, non teneretur restituere, quia ut sic est pretio æstimabilis.* Hactenùs M. Serra suprà, ubi Cajetanum dicentem * subversionem justitiæ esse invendibilem, explicat, dicens: * Quod intelligendum est de justitia ut sic, seu quatenus est formaliter peccatum. * Et benè quidem, quia nulla prorsùs esse potest ratio, cur sit vendibile homicidium, vel adulterium, aliudvè delictum contra justitiam; non verò subversio justitiæ, ut ex terminis notum est. Omnia ergò hæc * materialiter sumpta, (inquit Serra) quatenus sunt quædam actiones humanæ liberè factæ, delectabiles, aut utiles uni, alteri verò laboriosæ, & periculosæ, pretio æstimari possunt. Ergò pretium pro illis opere consummato accipi potest, & acceptum retineri, nec tenetur restituere, qui illud accipit. *

10. Pro eadem sententia stat M. Bannez, quem citatum sequitur Villalobos *tom. 2. Sum. tract. 11. difficult. 16.* ibi: * Lo que tengo por mas probable, y verdadero es, que antes de la sentencia del juez, el que lo recibiò no està obligado à restituir à nadie, sino que lo puede retener con buena conciencia. Bonacinen Navarro, Lessio, y otros. El fundamento es, porque de ley natural no ay obligacion de restituir estas cosas antes de la sentencia, ni tampoco ay de derecho positivo, porque las leyes que quedan citadas, &c. no quitan la obligacion natural, sino ligan a que se restituya lo recibido antes de la sentencia del juez. Porque el que lo diò pudo transferir el dominio. * Sic Villalobos.

11. Idem sentit M. Ludovicus Lopez 2. *p. instruct. cap.* 106. §. *circa præditam doctrinam.* Ubi fit: * Illa doctrina D. Thomæ (circà simoniacè acceptum) videtur fundari in lege Ecclesiastica, quæ sic punit delinquentes contra legem divinam, ut uterque accepto, & dato simoniacè sit privatus, & ut pretium simoniacum in pauperum eleemosynas erogetur. Neque homicida, aut judex ferens iniquam sententiam eorum primus aliquid accipit pro obligatione occidendi, & secundus pro iniqua pronunciatione sententia, pro his accepti pretii dominio privatur, quia homicida potuit vendere actionem suam, laborem, & periculum ad occidendum, quamvis injusta fuerit promissio occidendi, & ille judex ferendo iniquam sententiam nullam injuriam fecit danti pro ea pretium, &c. Undè contrà Cajetanum facere injustum, non videtur invendibile.* Hæc M. Lopez, qui utpatet, hanc sententiam in hoc locum amplectitur, licet *p. 1. instruct. cap. etiam* 106. *dub. accep. rest.* probabilem tantùm dixerit, (excludens Hispaniæ judices) & contrariam, ut probabiliorem tenuerit.

12. Et novissimè multis illustratam defendit illustris. P. M. Araujo Episcop. Segoviensis *in decal. mor. disp. 7. part. 2. nu. 4.* Ubi citatis D. Antonino, Monaldo, Angelo, Sylvestro, Navarro, Bannez & Vasquez sicait: * Asserimus cum his authoribus, recipientem mercedem ob maleficium, neque jure naturali, neque jure aliquo humano teneri ante judicis sententiam ad restitutionem, si promissum maleficium implevit. * Cujus exemplum adhibet *num.* 2. v. g. Quod accipit judex ob ferendam sententiam iniquam, & quod accipit testis ob ferendum falsum testimonium, & quod accipit tabellio ob falsum scripturam. * Sic ibi, & iterum *num.* 12. Ubi rationem reddit, * quia hujusmodi contractus, aut non sunt absolutus, sed conditionatus, scilicet accipe decem, ut feras sententiam iniquam, aut facias talem falsitatem, aut injuriam alicui, quam si feceris, transfero in te dominium horum decem. Undè sequitur quod licet uterque peccet contra justitiam, recipiens vero non teneatur restituere, postquam adimpleverit promissum, sed anteà. * *

13. Ejusdem sententiæ sunt plures alii Doctores quos sequitur Trullench *in Decalog. lib. 7. sect. 3. cap. 9. dub. 6. num. 2. & in Bullam Cruciatæ, lib. 3. cap. 2. n.* quod leges à Doctoribus contrariæ partis adductæ, nec faciunt inhabilem accipientem ad contrahendum, parandum dominium, nec reddunt irritam receptionem. * Quare (inquit) non tenetur ad restituere acceptum ob homicidium, sententiam injustam, falsum testimonium, * & Angelus Monacelli Verricelli *tom. 1. quæst. moral. tract. 3. quæst. 1. num.* ibi: * Infertur quartò, judicem, qui iniquam sententiam ob pretium sibi datum, vel promissum, quamvis peccaverit, iniquè judicando, non ramen peccare, neque teneri in conscientia ad restitutionem, accipiendo pretium pro iniqua sententia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ita Navarrus, Angelus, Navarra, Valentia, Rebello, Toletus, Molina, Layman contra Cajetanum, & Covarru. *Idem tenet Diana alios citans p. 8. *tract. 6. resp. 110.* & Leander à Murcia *in disquis. moral. lib. 2. disp. 2. res. 31.* dicens, esse communem. Quibus adde Leandrum à Sacram *tom. 6. in Decalog. tract. 5. disp. 4. q. 11.* ubi ait: *Sic docent D. Thom. Lessius, Ægidius, Palao, Trullench, & omnes. * Quibus meum calculum adjungere tam ratione, quàm authoritate cogor.

§. III.

Novum ejusdem sententiæ subsidium.

14. PRo majore hujus sententiæ authoritate, & probabilitate, quam veram reputo, cum Lessio (à nescio quo Theologiæ moralis inopè ideò sugillato) superaddere non omittam verba doctissimi, ac Reverend. P. M Joannis Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. moral cap. 17. q. 5. num. 36.* *Ultima, inquit, opinio docet, quod etiam leges prohibeant acceptionem, dum tamen non declarent, esse irritam acceptationem, non est opus restituere accepta pro opere peccaminoso. Et addunt, quod jure communi non extant leges irritantes acceptationem, & ideò ante judicis sententiam non debent restitui. Ita Sylvest, Joannes de Friburgo, Orellana, Petrus de Ledesma, Bannez, Serra, Joannes de la Cruz, & probabiliter posse practicari, docuit Ludovicus Lopez, &c. Ultra Thomistas est jam inter alios satis recepta sententia, tenent enim Angelus, & Monaldus, Navarrus, Petrus de Navarra, Villalobos. Covarruv. Azor, Lessius, Vazquez, Molina, Bart. à Sancto Fausto, Bonacina, Trullench, & alii frequenter, &c. *Hæc ille. Qui tamen, licet à *num. 42.* multis suadere conetur contrariam sententiam esse D. Augustini, & D. Thomæ, dicens: *Videtur ferè expressa D. Augustini, &c. (& iterum) Quod hæc sit mens Augustini declarant verba, quæ subjungit, &c. Sanctum Augustinum, ut de more habet, sequitur S. Thomas *2. 2. quæst. 62. artic. 5. ad 2.* illis verbis: *Et quia etiam ille, qui accipit, contra legem accipit, non debet sibi retinere.* * Nihilominus ipse concludit pro opinione contraria, & communi Thomistarum, quam retulerat, dicens: * Ultima sententia est valdè probabilis in praxi, nec constat clarè, esse contrariam Sancto Augustino, aut Sancto Thomæ. |* Exponitquè cum Mag. Soto, D. Thomam intelligendum, quando lex civilis exprimeret non transferendum dominium, aut quod restituatur, si petatur. *Fundamentum prioris partis (inquit) est: quia hæc crimina etiam contra justitiam sunt pretio æstimabilia, quia non sunt quid spirituale, aut supernaturale, sed actiones liberæ in utilitatem ejus, qui dat pretium, & in periculum ejus, qui profert iniquam sententiam: ergo pactum inter ipsos est validum: leges verò, quæ reprobant conventiones prædictas, non faciunt inhabilem recipientem pretium, neque impediunt dominii translationem, quando res ipsa pecunia æstimabilis est. *Hactenus M Prado.

15. Verum hic auctor ad auctoritatem D. Augustini, quam contra suam & communem opinionem adducit, nil respondet. Posset tamen, mutuatis verbis sapientissimi Patris Gabrielis Vazquez in operibus D. Augustini evolvendis, & exponendis diligentissimus: qui *opusc. de restit. cap. 7. dub. 4. n. 28.* sic ei satisfacit: *Sed oportet respondere ad illud Augustini *in Epist. 54. ad Macedonium*, quod pro se citat Adrianus: & sanè legi Augustinum, nescioque, an aliquam dignè patiatur glossam, nisi quod ibi de consilio sanctus loquatur: aut si loquitur de præcepto, forsan loquebatur secundum leges positivas, si quæ erant de hac re suo tempore; sed intra limites juris naturalis ratio Navarri hanc suam opinionem probabilem fecit. *Sic Vazquez, & ex illo Eminent. Cardin. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 18. sect. 3. nu. 55.* & Illust. P. Mag. Arauxo *suprà num. 19.* ubi sic ait: *Augustinus aut loquitur non secundum jus naturale solum, sed secundum leges positivas humanas, quæ fortè eo tempore tales conventiones turpes irritas faciebant. Aut loquitur de obligatione restituendi, in foro judiciali.*

16. Hæc inquam auctoritati D. Augustini respondere potuisset M. Prado sequutus doctissimum Patrem Vazquez. Sed hunc obiter legisse, ex duplici capite, mihi suadeo. Primò, quia *num. 48.* illi imponit, asseruisse, *suam opinionem esse contra D. Augustinum, & gloriari, se ab isto recedere: *quod prorsus falsum est, ut vidimus. Secundò, quia auctoritas D. Augustini adducitur ab Adriano, & ab aliis (ut videre licet apud Lugo) ad probandum, jure naturæ debere restitui acceptum pro injusta sententia. Quod inde suadent, quia Augustinus paritate justæ sententiæ usus fuit, dicens: *Cum autem judicia, & testimonia (quæ nec justa, nec vera vendenda sunt) iniqua, & falsa venduntur, multo sceleratius pecunia sumitur, quia sceleratè etiam, quamvis à volentibus, datur. *Quibus non obstantibus, quod solo jure naturæ attento, pecunia accepta restitui non debeat, dicit ipse M. Prado videri certum *quæst. 5. citata num. 28.* *Secundò (inquit) videtur certum, quod solo attento jure naturæ, nulla ex hujusmodi conventione oritur obligatio restituendi. *Quod quidem verissimum est, post crimen patratum: secus antea, de quo solum casu loquitur Augustinus *ubi suprà*, ut docent communiter Thomistæ, & ejus verba præseferunt. Tum quia pro iniqua sententia jam lata, jure naturæ, nec datur, nec sumitur sceleratè pecunia, sicut nec pro adulterio, nec pro homicidio commissis. Tum quia restitutionem, quam ibi indicit Augustinus injusto advocato, cujus iniquâ operâ, injusta sententia lata fuit, non de præcepto, sed de consilio procedere, indicant ejus verba, quæ sequuntur. *Verumtamen (inquit) si justitia sincerius consulatur, justius dicitur advocato, redde, quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, &c. *Ubi cum hoc *justius* dicat, justum supponit esse contrarium, etsi ut perfectius advocato id consulat, sicut & judici consulendum. Nec obstat, quòd Augustinus dicat, quòd debet hoc facere: nam verbum *debet*, solum importare consilium, tradunt doctissimi Dominicani, ut alibi notabimus.

17. Non me latet, M. Sotum *libr. 4. de Iust. quæst. 7. artic. 1. §. Secundus ergo modus*, traditam hucusque doctrinam de pretio accepto pro aliis delictis defendentem, excipere illa. *Quæ habent annexam injuriam contra justitiam. Non quod actiones illæ (inquit) puta hominem occidere, aut sententiam in tuum favorem proferre, non sint natura sua pretio æstimabiles, sed quia actiones injuriosæ sunt, &c. Lex fecit eum inhabilem ad recipiendum, in odium delicti, quod est contra justitiam, & ideò nullum acquisivit dominium. Quando verò delictum non est injuriosum, optimè transfertur dominium. *Sic ille. Verum in hac parte non sibi constat, quia ibidem §. *Majus autem*, ipse defendit, acceptum ab adultera

non esse constituendum, cum tamen adulterium sit delictum injuriosum, & contra justitiam. Ex ejus verba: *Sed sunt puellæ, aut maritatæ, quæ semel, aut bis collabuntur, de his etiam est major apparentia, quod non possint precium recipere, sed teneantur ad restitutionem, &c. Nihilominus & illis quoque liceret, pretium recipere, tenebiturque in foro conscientiæ, qui illis promisit, solvere. Et ratio est eadem S. Thomæ; nam licet flagitia sint lege vetita, datio tamen nõ est prohibita, & ideò juri naturali standum est. Quo utiq; jure, concessio illa corporum æstimabilis est pecunia. Uxores autem in pœnam sui criminis prohibentur adquisito pretio: sed tamen ante condemnationem jure naturæ illis debetur. *Hactenus Sotus. Ex quibus deducitur, inconsequenter loquutum *ubi suprà*, dum dixit: delicta contra justitiam jure positivo reddere inhabilem ad adquirendum dominium, aliàs uxores, ante condemnationem tenerentur acceptum restituere: nec eis, semel posita lege (quam supponit M. Sotus) inhabilitante ad dominii adquisitionem, jure naturæ pretium promissum deberetur.

18. Præterea absque fundamento id asseruit: tum quia Doctores communiter contrarium tenent, ut vidimus: tum quia ipsemet Sotus, in his legibus exponendis, non majorem fidem sibi arrogat, quam in aliis, quas adducit *in 4. dist. 41. quæst. unica, art. 4.* circa hæreditatem relictam, seu donationem factam à patre filiis spuriis: quas quidem leges reliqui omnes Doctores semper intellexerunt, & receperunt absque ulla limitatione, ut inhabilitantes, & impedientes translationem dominii. Ipse tamen Sotus aliter explicat, dicens: non reddere inhabiles filios sæcularium, sed Clericorum, & Religiosorum tantum. *Discrimen est, inquit, inter filios ex adulterio sæcularium, & filios Clericorum, quod licet utrique priventur hæreditate, non tamen prorsus æqualiter fiunt inhabiles ad suscipiendum: & ideò si pater adulter sæcularis carens legitima prole relinquat bona sua filio spurio: quamvis fiscus possit adjudicare: nihilominus lex illa pœnalis est: & ideo quousque filius condemnetur, potest illa bona absque culpa possidere. *Hæc Sotus *ubi suprà* partim sibi contrarius, & retractans, quæ indubitata ex legibus Hispaniæ tradiderat *libr. 4. de Iustit. quæst. 5. ad 4.* nimirum filios spurios, etiam sæcularium, esse inhabiles per leges: *Ad succedendum jure hæreditario in bona paterna, &c.* non vero extra testamentum. *Ergo pater* (inquit) *extra testamentum bona sua donans, non facit contra rigorem legis, quia lex pœnalis tantum ad id obligat, quod sonat.* *Hæc Sotus, cujus sententiam *erroneam* esse dicit Rojas *in epitome succes. p. 6. num. 144. & 145.* Sed ego à censura abstinens hic urgeo: ergo sicut in his legibus exponendis Sotus audiendus non est, ita neque in aliis, de quibus suprà. Idcò quoad leges spuriorum; ejus explicationem excusavit M. Petrus de Ledesma *in Addit. ad 3. part. quæst. 68. art. 2. conclus. 2. prope finem*, his verbis: *Sed licet Sotus sequutus fuerit illam sententiam, non mirum est, quod in re, quæ pertinebat ad jus Cæsareum, & Regium erraret, non consulens Jurisperitos, & jus ipsum: *In nostro autem casu (etsi vice versa) idem ferè illi contigit; nam quem leges non reddunt inhabilem ad adquisitionem dominii, sua ille expositione reddere, tentavit.

19. Unum verò in hac parte certissimum est, tam judicem, quàm advocatum, vel testem injquum teneri resarcire parti læsæ damnum illatum, nisi clientem ad illud resarciendum inducat, & persuadeat. Quod melius fieri non posse, existimat Augustinus *ubi suprà*, quam *si suscepto suo dicere: recipe, quæ mihi, cum tibi malè adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod, me agente, iniquè ablatum sit.*

20. Hæc dixisse sufficiat, ad pœnam libri cujusdam Lessi fugillantis: & ut lectoribus innotescat, quia scientia, qua prudentia, qua eruditione polleat debeat, qui alienas opiniones censurare tentat.

QVÆSTIO III.

An Iudices, & alii Ministri publici teneantur restituere munera liberaliter à litigantibus donata?

§. I.

Doctorum sententiæ.

1. NEgativæ sententiæ invidiam conflavit M. Joannes Martinez de Prado *tom. 2. Theol. Moral. cap. 17. quæst. 5. §. 7.* ubi Patri Molinæ, Cardin. de Lugo, & aliis, non levi injuriâ, imponit, quod docuerint, leges Castellæ inhabiles reddere judices, & alios Ministros ad munera liberaliter ei oblata recipienda: non tamen teneri semel accepta restituere. Sed valdè miror, virum doctum, eruditumquè eos non legisse. Uterque enim expressim negat, leges Castellæ inhabiles reddere judices ad recipienda munera; indeque ab obligatione restituendi ante condemnationem eximunt, ut ex dicendis constabit.

2. Igitur doctissimus Pater Molina loco à M. Prado citato, nempè *tom. 1. de Iust. tract. 2. disp. 88.* supponit primò, ejusmodi donationes, seclusa etiam ingratitudine, quæ eas prohibeat, sæpè fieri, & acceptum peccato, vel propter scandalum, vel propter perversionis justiciæ, vel quia non habent tantum voluntarii ex parte dantis, quantum sarta tecta transferendum dominium. Interdum tamen (inquit) juri naturæ stando, *posse fieri, & accipi sine ullo peccato, ut quando ex amicitia datur aliquid ministro publico, etiamsi amicitia habuerit ortum ex eo, quod sit minister publicus: aut quando ex gratitudine, & gaudio rei justè obtentæ, aliquid ex mera liberalitate illis datur. In ejusmodi namque donationibus, nil vitii ex natura rei conspicio. *Hæc Molina.

3. Ex quibus fit; jure naturæ, seclusa lege positiva, quæ ministros reddat inhabiles adquirendi dominii, re ipsa illud adquirere, & consequenter ea sententiam judicis non teneri, munera liberaliter eis donata restituere: quia collocatio ejusmodi est vera donatio, & spectato jure naturæ, integrum cuique dominium rei suæ ponere in alterius translatum. Unde fit, ejusmodi donationes validas esse, & translativas dominii: si aliunde non constet, esse involutarias. Tales autem communiter reputari, quæ lite pendente fiunt, eo quod litigantes sibi suadent Judices, & officiales non præstituros, quod ex justitia tenentur, tradit Thomas Sanchez *lib. 3. consil. cap. unico, dub. 2. num. 24. fol. 404.* cum M. Soto, Sandoval, & Mercado. Ita etiam, & merito docent communiter Thomistæ, quos citatos sequitur M. Petrus de Ledesma *tom. 2. Sum. tract. 8. de Iust. comment. cap. 2. conclus. 11. §. Digo lo quarto.* Secus verò de donationibus

bus post finitam litem, tunc enim voluntariæ sunt. *Quando despues de acabado el pleito (inquit) y que no se espera, que ha de aver otro, se dà algo liberalmente à los tales officiales; la tal donacion es voluntaria, y valida, estando en derecho natural, desuerte, que no ay obligacion de restituir lo que les dieren. Esto ensenna Orellana, y comunmente los discipulos de Santo Thomas. La razon es, porque en tal caso cessa la razon de ser involuntaria la tal donacion; luego es voluntaria, y por consiguiente passa el dominio. *Sic M. Ledesma cum reliquis D. Thomæ discipulis, quos sequitur Molina *ubi suprà*.

4. Supponit secundò P. Molina, de facto judices peccare mortaliter, accipientes munera. *Quia propter mala, & damna (inquit) quæ ejusmodi donationes habere solent, adjuncta, jure optimo, lege positiva prohibentur: estquè in Principe potestas, ut ipso jure nullas eas reddat; (non dixit reddidisse, ut malè intellexit Prado) ita ut in foro conscientiæ teneatur accipiens restituere, quæ ita acceperit, nulla expectatâ sententiâ. *His ita constitutis, controversia est, inquit P. Molina, *utrum quæ accipiuntur, ejusmodi donationibus validis, spectato solo jure naturæ, obnoxia sint restitutioni in foro conscientiæ nulla expectata sententia, eo ipso, quod accepta sint contra præscriptum legis humanæ? *Hic est difficultatis cardo, in quo partem affirmativam nonnulli tuentur, quod in ea sint sententia, quod quando lex prohibet acceptionem aliquam, efficit accipientem incapacem rei, quam prohibet accipere, redditque collatorem talis rei inhabilem ad transferendum dominium. Sic à nonnullis traditum refert Molina, advertens multos Doctores, hanc sententiam tribuisse Soto: & eam amplexari Joannem de Medina Doctorem Complutensem, & M. Bart. de Medina Ordinis Prædicatorum.

5. Ipse verò Doctores citatos impugnat, & contrariam tuetur ex illo principio apud Theologos satis trito; posse, scilicet, acceptionem esse prohibitam, quin accipiens fiat inhabilis ad dominium adquirendum. Multisquè suadet, in re præsenti, id contingere. *Mihi, inquit, contraria sententia placet, nempè, quod licet peccent, qui contra præscriptum legum, ejusmodi donationes accipiunt, perjurique sint, si jure jurando ad eas non accipiendum se astrinxerint, ut in hoc Regno (Lusitaniæ) ministri publici se adstringunt, & judices omnes, ac Tabelliones in Regno Castellæ, &c. Nihilominus donationes, de quibus loquimur, esse validas, neque consurgere obligationem restituendi ante latam sententiam. Moveor, quoniam ejusmodi donationes, seclusa lege humana, validæ sunt, & c. In primis *lex non dubium, C. de legibus*, eas validas esse, non impedit, deinde leges Lusitaniæ non reddunt invalidas: etenim solum prohibent, ne judices ejusmodi donationes accipiant, &c. *Et inferius. *Leges etiam Castellæ non plus reddunt invalidas ejusmodi donationes in eo Regno, quam Lusitanæ leges in hoc: etenim *l. 5. 6 l. 3. novæ collectionis tit. 9.* solum prohibent, ne judices ejusmodi donationes accipiant sub pœna amissionis officiorum ipso facto, & ut solvant, quod ita acceperint, & duplum fisco regis, &c. Quæ pœna locum non habet ante latam sententiam. *Et infrà ad argumentum pro parte contraria adductum, negat prædictas leges efficere accipientem incapacem dominii rei, quam per ejusmodi donationes accepit: quia licet in Principe, inquit, sit potestas ad hunc effectum, *necesse est, ut constet, id sua lege intendisse. *Quod in præsenti non constare contendit. Ex quibus apertè constat de impostura M. Prado.

6. Patris Molinæ sententiam ex eodem fundamento defendit Villalobos *tom. 2. tract. 18. diffic. 5.* ubi loquens de his legibus, inquit *num. 11.* *Bannez, y Pedro de Ledesma dizen, que los presentes, y dadivas ay obligacion de restituir; porque con esta condicion tacita de que guarden el aranzel, les dàn el oficio, &c. Mas à esto se responde facilmente, que aqui no ay tal condicion, sino que le dàn el oficio, sujeto à las leyes del; pero no por esso le impiden la translacion del dominio, pues la ley no lo dize. *Et infrà: *Estas leyes no irritan lo que se haze, sino que sennalan la pena.*

7. Pro eadem militare videtur Vazquez *opusc. de restit. cap. 7. dub. 6. n. 60.* ibi: *Unde colligo, ut suprà diximus, quòd quando aliquis est inhabilis ad recipiendum munera, non potest acceptum retinere. Sed non facilè constat, an judices inhabiles sint ad dona recipienda: in legibus enim solum continetur prohibitio recipiendi, quæ non sufficit. Et in nostro Regno solum circa Secretarios, vidi legem, quæ ipsos inhabiles facit ad recipiendum munera, *l. 1. tit. 18. lib. 2. novæ Recopil.* imò & ad pœnæ solutionem (obligare ante sententiam) quamvis quoad hoc non observetur. *Et expressius *1. 2. disp. 164. cap. 3. nu. 17.* ubi sic ait: *In nostro Regno prohibiti sunt aliqui ministri Regis munera accipere, ex quibus eos solum (attende) ad restitutionem obligamus, qui ipsa lege inhabiles efficiuntur, ut recipiant: eos verò, qui solum prohibentur simpliciter absque decreto irritante, non obligamus ad restitutionem. *Et iterum rationem reddens *numer. 21. & 22.* *Quoties actus alicui certo generi personarum prohibetur, intuitu virtutis Religionis, aut liberalitatis contra avaritiam, vel alterius virtutis, quam justitiæ, actus firmus est, & adquisitum per illum non est obnoxium restitutioni, nisi lex aliud explicet, &c. Hujusmodi existimo esse leges, quæ prohibent, ne Clerici exerceant quædam genera negociationum, &c. Ejusdem rationis sunt (attende) leges, quæ prohibent, ne ministri Regis accipiant munera gratis oblata à certo quodam genere personarum, &c. *Quod probat, dicens: *Id, quod accipitur contra legem prohibentem hoc modo, non esse acceptum contra justitiam, ac proinde neque contra justitiam retineri. Quod autem non est acceptum contra justitiam, non est obnoxium restitutioni, ut manifestum est. *Sic P. Vazquez.

8. Hanc sententiam ex fundamento Patris Molinæ tenet etiam cum aliis Diana *p. 6. tract. 6 Miscell. resol. 59. in fine*, ibi: *Nota hic obiter, judices, & ministros publicos, accipientes munera sola lege positiva sibi prohibita, non esse obnoxios restitutioni in foro conscientiæ, nulla expectata sententia, quando data fuerunt ex mera liberalitate, aut ex gratia, & gratitudine. Ita docent Molina *tom. 1. disput. 88.* & Fagundez loco citato (nempè *in Præcep. Decalogi tom. 2. lib. 8. cap. 27. nu. 9.* Quidquid in contrarium afferant Sotus, & Sylvester. Quia hæ donationes, seclusa lege humana positiva eas prohibente, validæ sunt. Sed leges positivæ tam juris communis, quàm aliquorum Regnorum, licet illas prohibeant, non illas invalidant, ergo non tenentur judices illas ante latam sententiam restituere. *Sic Diana. Ubi ut patet ex ejus verbis, donationes (de quibus suprà) jure positivo prohibitas fatetur: atque adeò, dum asserit, judices posse recipere munera eis collata ad alliciendum animum ad justam ferendam sententiam, aut ex

mera

mera liberalitate (pro quo 3. *p tract. 6. Miscell. resol. 4.* adducit Joannem Franciscum Suarez, referentem Molinam, Medinam, & alios) intelligendus est de jure naturali, secluso positivo prohibente. Sicut & Molina, & Lessius loquuntur. Quibus tamen *tract. 5. Miscell. resol. 45.* imposuit, asseruisse, judicem posse licitè recipere munera, si dentur, ut majorem diligentiam adhibeat, quam tenetur: vel ut afficiatur magis ad expediendum intra justitiæ limites negocium in favorem dantis. Pater enim Molina, ut suprà notavi, expressè asserit, hujusmodi donationes, & acceptiones propter mala, & damna, quæ adjuncta habere solent *jure optimo lege positiva prohiberi. *Pater etiam Lessius loco citato à Diana *lib. 2. cap. 14. dub. 9. nu. 64.* solum excusat ab obligatione restituendi, non à peccato, ut advertit Card. de Lugo *tom. 2. de Justitia, disp. 37. sect. 11. num. 132. & seqq.* Quapropter, mala fide, ab Antonino Diana citantur pro opinione illos excusante à peccato, attento etiam jure positivo.

9. Cum Molina, & Vazquez sentit Cardin. de Lugo *suprà disp. 37. sect. 11. citata.* Putat enim, ejusmodi leges prohibentes receptionem munerum, & adjicientes pœnam, & obligantes in conscientia ad solutionem pœnæ, & ad restituenda munera (etiamsi addant ante judicis condemnationem) non obligare ante declarationem juridicam criminis. Sic cum aliis tradit *num. 134.* & ad argumentum contrariæ sententiæ, nimirum, quod *donatio illa facta contra legem prohibentem, est nulla, & per consequens non transfert dominium muneris in accipientem. *Respondet *n. 135.* negando antecedens, & exponendo cum Patre Molina *l. non dubium, C. de legibus*, ex qua id deducere conantur adversarii.

10. Hæc auctorum loca diligenter congessi, ut ex illis magis innotescat aperta impostura M. Joannis Martinez de Prado, qui, ut supra notavi, absque ullo prorsus fundamento illis impegit, quod docuerint, judices & alios ministros Regis, per leges, reddi inhabiles ad receptionem munerum, & incapaces dominii, & tamen simul defendant, ad restitutionem non teneri, quod, ut patet ex dictis, prorsus falsum est, quia, ut eorum verba clamant, incapacitatem, seu inhabilitatem ad dominium adquirendum negant, & ex hoc principio probant, non teneri jure positivo restituere ante sententiam judicis.

11. Doctores alii, quos sequitur Thomas Sanchez *lib. 3. consil. cap. unico, dub. 1.* leges (de quibus supra) exponentes, sic distinguunt. Sunt nonnullæ, quæ universaliter loquentes, dicunt: *Non reciban, no tomen por si, ni por otra persona: &c.* Et istæ, inquit, tantum prohibent receptionem, & illicitam reddunt. Sunt leges aliæ, quæ strictius loquuntur, dicentes: *No puedan recibir por si, ni por otra persona, &c.* Et hæ, inquiunt, reddunt recipientes inhabiles ad recipiendum, & dantes ad transferendum dominium, & ideò inducunt obligationem restituendi acceptum: quia actum reddunt ipso jure nullum, ut docent communiter Theologi, quos Sanchez refert *num. 26.* Hæ autem leges sunt *lib. 56. tit. 5 lib. 2. novæ Recopil.* ubi dicitur. *Que el Presidente, Oidores, Alcaldes de Audiencias, ò de Cortes, Alcaldes de los Hijosdalgo, Notarios, Juez de Vizcaya, Relatores, Escrivanos de Camara, Procuradores fiscales, y otros Escrivanos de los dichos juzgados, no puedan recibir por si, ni por interposita persona presentes, ni dadiva alguna de qualquier valor que sea, ni cosas de comer, ni beber, de Concejo, ni de Universidad, ni de persona alguna, que tratare, ò verisimilite se espera, que tratarà pleito ante ellos, durantes sus oficios, ni lo puedan recibir mugeres, ni hijos en poca, ni en mucha cantidad, directè, ò indirectè, ni los Letrados, ni Procuradores de pobres. *Idem decernitur Lata. *lib. 9. novæ Recopil.* de Quæstoribus Ærarii, Auditoribus, & aliis officialibus, ibi: *Ningun Contador mayor, ni menor, ni Oidores, ni oficiales de la dicha Contaduria, no puedan recibir dadiva, ni presente de ninguna persona, que tenga, ò se espere, que verisimilmente tendrà negocio ante alguno dellos, aunque sea cosas de comer y beber, y aunque sean ynocidos los negocios. *Reliquæ autem Hispaniæ leges, quæ cum hoc rigore non procedunt, licet absolute prohibeant judicibus, & aliis ministris, vetò, generatim Prætoribus ordinariis, & Rectoribus civitatum munerum receptionem, dicentes. *Noverint, &c.* non reddunt, inquiunt, inhabiles ad recipiendum: & licet contra prohibitionem receperint, non tenebuntur restituere. *Huic sententiæ (inquit Suchez) favent Covarruv. Sylvestro, Navarrus, Angelus, Palacios, Monaldo, Cajetanus, & Medina, Henriquez, & alii viri docti, quos ego consului. Est probabilis, & satis colligitur ex Navarra lib. 3. de rest. cap. 3. nu. 14. & 15.* Unde infertur, Auditores Regios, & alios judices non teneri restituere munera, quando ea receperunt ab his, qui modo lites non gerunt, nec gessere, nec in proximum creditur gessuros. *Hactenus Sanchez: quibus duas sententias oppositas suprà relatas maritare contendit.

§. II.

Auctoris judicium quoad obligationem restituendi.

12. Nihilominus, prædictas leges non continere inhabilitatem ad recipiendum, ideoque judices, & alios Ministros Regios, numquam teneantur ante judicis sententiam munera liberaliter ea donata restituere, mihi probabilius est, propter fundamenta Patris Molinæ, & aliorum, quos suprà citavi. Quibus adde Verricelli *tom. 1. quæst. moral. tract. 1. quæst. 4. n. 2.* apud quem Paludanus, Layman, S. Thomas, Petrus de Navarra, Reginaldus, Navarrus, Vaja, Henriquez, Angles, Perez, Fagundez, Diana, & alii. Probatur, quia quilibet, adquirit dominium liberè donatæ, nisi à lege fiat incapax ad adquirendum dominium. Judices autem, & alii ministri nulla lege incapaces fiunt, ut constat ex Molina. Subscribit Verricelli *ubi suprà*, & benè quidem: quod si lex ulla obliget ad restitutionem rei donatæ, etiam ante sententiam: id intelligendum ante sententiam, qua ad talem pœnam damnetur, non vero ante sententiam declaratoriam criminis, ut de similibus legibus docet Sanchez *in Sum. lib. 2. cap. 23. nu. 20.* Alius autem est, expressè fieri incapacem dominii ex donatæ. *Sed esto (inquit) jure aliquo municipali fieret expressè incapax: tamen ejusmodi leges fuerunt quam cum eo rigore fuerunt usu receptæ, atque eò quoad hanc partem censentur abrogatæ, non obligant in conscientia, ut rectè docet Salon. 2. quæst. 71. art. 4. in fine.* Lugo *de Just. disp. 37. n. 134.* Qui rectè ait, satis id patere ex communi praxi omnium judicum, etiam timoratorum, qui numquam ea munera restituunt, neque à confessariis ad id obligantur. *Hactenus Verricelli. Quæ sunt valdè notanda.

13. Quoad Secretarios verò major est difficultas, quia efficiunt juramentum solvendi pœnam legis impo-

impositam restituendi quadruplicatum, quod acceperint. Ergo ratione istius juramenti tenebuntur. Verba legis sunt *lib. 1. tit. 18 libr. 2. novæ Recopil.* *Mandamos, que ningun Secretario reciba dadiva, ni presente, ni agradecimiento de persona alguna, aunque sea cosa de comer, &c. sopena, que lo tornen con el quatro tanto la primera vez, y por la segunda no usen del oficio, y que juren de assi lo guardar, y pagar las penas, en las quales los condenamos desde agora (attende) por manera, que sean obligados in foro conscientiæ à pagarlas, sin que mas sean condenados en ellas. *Ex quibus duo videntur necessariò inferri, & peccare, si munera recipiant, ratione juramenti, & teneri ad ea restituenda modo dicto, ante sententiam judicis. Et ita cum pluribus tradit Thomas Sanchez *libr. 3. consil. cap. unico, dub 1. num. 5.*

14. Cæterum alii doctissimi, quibus adhæreo, censent, posse retinere donata usque ad sententiam declaratoriam criminis, quia lex non dicit, teneri restituere: neque ad id ex juramento, neque ad pœnæ solutionem se obligant, nulla expectata sententia, sed solum non expectatâ condemnatione, *sin que mas condenados à ellas.* Ergo ante sententiam declaratoriam criminis, nulla erit obligatio restituendi. Ita Suarez *de legibus lib. 5. cap. 7. nu. 8.* Rebello, Salas, Angles, Perez, Navarra, & alii, quos citatos sequuntur Card. de Lugo *de Iust. disp. 37. sect. 11. n. 134. & seqq.* Vercelli *tom. 1 tract. 3 quæst. 3.* Quibus faciunt, quæ congerit Diana *part. 11 tract. 6. resol. 47. & tract. 8 resol. 21. §. Sed ex his oritur pulchrum dubium*, & M. Hiacynthus Donatus *in praxi resolutoria rerum Regul. tom. 1. p. 2. tract. 15. quæst. 25.* Ubi probat, exceptis censuris, nullam pœnam incurri ante sententiam declaratoriam criminis. Quibus in simili facit P. Thomas Sanchez *libr. 4. de Matr. disp. 9. n. 2.* ubi sibi objiciens legem quandam sic respondet. *Lex ultima fine *tit. 14. p. 5.* dicens turpiter accipere aliquem ne accuset, subdit. *Por ende dezimos, que debe tornar lo que assi recibió*, sed dic esse pœnalem, quare solum subsequutâ sententiâ teneri recipientem restituere. *Sic Sanchez de extorquente pecuniam, ne alterum, quem justè poterat accuset, qui legibus restituere obligatur: sic & nos cum aliis, de Secretariis, qui lege ad quadruplum restituendum adstringuntur.

§. III.

Quid quoad culpam?

15. AN vero sint aliqui casus, in quibus non solum ab obligatione restituendi, sed etiam à peccato excusentur judices munera liberaliter donata recipientes? Respondet affirmativè Vercelli *supra q. 2. à nu. 6.* ubi plures authores recenset. Quibus adhærens excusat à peccato judices munera recipientes in sequentibus casibus. Primo, quando extraordinarium laborem, ad quem non tenebatur præstitisset. Secundo, quando reciperet non ratione officii, seu tanquam judex, sed ex amicitia, quamvis amicitia ex officio oriretur, ut ait Molina *supra nu. 6.* Tertiò quando donans ex dignitate suæ personæ meritò conquereretur, tanquam de injuria sibi facta, si donum recusaretur. Vel quando post sententiam, nulla tamen prævia promissione, ex gaudio, & gratitudine rei justè obtentæ, liberè donaretur. Quartò quando recipit esculenta, & poculenta, quæ grandia non sunt, id est, quæ paucis diebus consumi possunt, aut quæ, attenta qualitate dantis, & recipientis, non reputantur magna. Quintò, si humanæ leges, sive communes, sive municipales, receptionem munerum prohibentes, per contrariam consuetudinem sint abrogatæ, vel non sint usu receptæ à populo. Ut autem tanquam usu non receptæ non obligent, non requiruntur decem anni, sed sufficit (ait Vercelli) quod populus pluribus actibus legem non servet, ut duobus, vel tribus actibus, quamvis lex paulò antea publicata fuerit, sciente tamen, & tolerante Principe.

16. Ex quibus deducit, & meritò, ut in nostro casu lex prohibens munera dicatur non recepta, sufficere, quod major pars litigantium liberè offerat munera, & judices palam recipiant, neque puniantur. Nec obstare, quod officiales jurent, servare pragmaticam Regni. Juramentum enim intelligitur de usu receptis, seu quatenus sunt usu receptæ, non autem de aliis. Deniq; excusaretur judex munera recipiens, quando constaret, salarium, vel pretium à lege taxatum non esse justum. In his igitur casibus (ait Vercelli supra cum aliis, quos citat) nec ratione legis positivæ prohibentis, nec ratione juramenti, peccare judices munera liberè donata recipientes: quia juramentum est accessorium, & ideò sequitur principale. Unde quoties lex ex aliquo capite obligare desinit, cessat etiam juramenti obligatio, ut docent communiter Doctores apud Dianam *2. p tract. 3. Miscell. resol. 6.* & apud Sanchez *in Sum. lib. 3. cap. 14. nu. 8.* Verum nonnulli ex his casibus expresè prohibentur in legibus suprà citatis novæ recopilationis. Unde ni contraria consuetudine abrogatæ sint, vel aliunde non obligent, vim suam modo retinere, dubitandum non est.

§. IV.

Duplex obligationis effugium.

17. RAtiones dubitandi proponam, ut alii judicium ferant. Prima sit: leges istas fundari in præsumptione corruptionis, ut sentit P. Vazquez *opusc. de restit. cap. 7. dub. 4. n. 29.* ibi: *Cum leges prohibeant, munera dari judicibus, ne muneribus corrupti, justitiæ obliviscantur, *& *dub. 6. n. 59.* dicens: *Aliis ministris prohibetur recipere munera ab his, qui negocia habent apud ipsos, vel speratur habituros, (attende) ne vel modò, vel in futurum corrumpantur, quia alii ministri corrumpi possunt, ut iniquè officium exequantur, Advocatis prohibetur, ne recipiat à litigantibus munera in fraudem stipendii, non quia in illis timeatur corruptio, &c. *Ergo cessante præsumptione corruptionis, vel fraudis, poterunt liberaliter donata recipere. Ideò ita sentit Menochius *consil. 342. nu. 38. & in comment. de Præsumpt. lib. 5. præsump. 8.* dum tradit, judices post latam sententiam, posse recipere munera gratis oblata: *Quia recipiendo (inquit) munera post latam sententiam, cessat suspicio, & causa corruptionis. *Leges autem in præsumptione fundatas non obligare, si in aliquo casu præsumptio deficiat, tenent Sylvester, Sotus, Ricardus, Adrianus, Castro, Navarro, Covarruv. Baldo, Panormitano, Felinus, Decius, & alii apud Suarez *lib. 3. de legibus cap. 23. num. 1.* Quibus adde Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 37. num 9.* Salas *de legibus disputat. 10 sect. 4.* Item Valerum, Rodriguez, Homobonum, Lorcam, Vazquez, Valentiam, Montesinum, M. Arauxo, & plures, quos citatos sequuntur Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral. tractat. 4 cap. 8. resol. 57. num. 713.* &

Diana

Diana 1.p.tract.10.de legibus, resol.27. unde Molina disp.88.citatanum.12.licet peccatum mortale ratione jurisjurandi semper intervenire existimet.*Si tamen (inquit) jusjurandum secludas, quando peccatum læthale esset, aut veniale, expendendum esset ex periculo perversionis justitiæ, aut scandali, quod inde immineret, &c. *Quibus faciunt Doctores, qui explicantes clausulam illam *gratis ubique* in dispensationibus apponi solitam, qua prohibentur ministri munera recipere, asserunt: illa solum prohiberi, quæ animum judicis corrumperent. Ita Gutierrez *de Matrim.cap.*181 *num.*2. Homobonus, & alii, quos citatos sequitur Diana *part.*4.*tract.*4.*resolut.*84. Cujus ratio alia esse nequit, nisi quia tu aliis muneribus cessat legis præsumptio. Ergo in nostro casu quoties hæc cesaverit, prohibitio non subsistet.

18. Secunda ratio est, quia plures Doctores asserunt, cessante fine legis in particulari, legem cessare. Ita Scaccia *tract.de commerc.*§.1.*quæst.*1.*nu.*511. Navar. *in Rubrica de judiciis, nu.*74. Mexia *de taxa panis, con.*2 *à n.*29.*usque ad* 36. Henriquez *lib.*11.*cap.*17. *nu.*2. *& lit.*O Comitolus *lib.*7.*respons q.*1.*n.*10. Sousa *Clement.VIII. de largit.muner fundam.*3. Megala 2.2 *lib.*2.*cap.*7. *q.*22. *n.*55 Granados 1.2.*controv.*7 *tract* 3. *p.*1 *disp.*15.*sect.*2. quos citat, & sequitur Diana *p.*1.*tr.*10.*resol* 28. Quibus adde iterum ipsum Dianam *p.*7 *tr.*10.*resol* 33. Caramuel *in Regul. S.Benedicti, disp.*5 *n.*50. Machado *tom.* 1.*Sum.lib.*3.*p.*4.*docum.*4 *n.*2. Portel *in Responsa Moral.p.* 2.*casu* 21.*n* 8. & probat ex optimo textu *cap.cum cessante de Appellat.* Finem autem harum legum esse, vitare corruptionem judicum, tenet ultra citatos Thomas Sanchez *in consil lib.*3.*cap.unico, dub* 1.*nu.*20. ubi cum aliis docet, non esse condemnandos judices, qui à consanguineis sine fraude munera recipiunt. *Quia in hoc casu, inquit, cessat finis legis. *Ergo quando ex circumstantiis periculum corruptionis, & perversionis justitiæ non subsit, licitum erit judicibus, & aliis ministris justitiæ, recipere munera liberaliter donata

19. Ex alio etiam capite posset aliquis prædictarum legum vim infringere, nimirum, quod leges pœnales etiam mixtæ, quæ aliquid prohibent, pœnam imponentes transgressoribus, non obligant in conscientia: secundùm Navarrum, Gomez, Joannem Andream, Matthæum Metesilam, Scevolam, Decium, & alios; apud Villalobos *in Sum.tom.*1.*tract.*2.*dub.*22. *n.*6. & probabiliter putant Filliucius, & Azor; & cum Valentia, Diana omnes citans *tract.*10.*de legibus, resol.* 20 Leges autem istas esse pœnales, tradunt Molina *tom* 1.*tract.*2.*disp.*88.§.*Leges Castellæ in medio*, ubi sic: *Quod etiam dicunt aliqui ex Doctoribus, cum quibus disputamus, leges videlicet illas non esse pœnales, falsum profecto est, ut ex forma earum est manifestum. *Et absolutè leges prohibentes munera, esse pœnales, docent Gramm. Bocrius, Clarus, Amodæus de Castillo, & alii, quos citatos sequitur Menochius *tom.de arbit consil.*342. Ergo vel probabile esse debet, non obligare in conscientia sub peccato læthali, aut ostendendum aliquam saltem ex præmissis, ex quibus per bonam consequentiam id deducitur, claudicare.

20. Ideò hanc sententiam expresè ex hoc fundamento defendit novissimè Fr. Leander à Murcia Capuccinus *in Disquisit. Moral in* 1.2 *D.Thomæ libr.*2.*disp.*5. *resolut.*24.*num.*16. *& sequentibus.* ibi: *Sed quæres, an judices recipientes munera peccent, & teneantur ad restitutionem? In hac quæstione dictos judices (& idem asserunt de aliis justitiæ ministris) peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, docent Sotus, Sylvester, Navarra, Thomas Sanchez, & multi alii. Contrariam tamen sententiam quoad peccatum docent omnes, qui tenent, leges pœnales non obligare in conscientia, sed solum ad pœnam post judicis sententiam Navarro, Miranda, Villalobos, Reginaldus, probabilem putant Valentia, Azor, Filliucius, quos refert, & citatos sequitur Diana 1.*p.tract.*10.*de legibus, resol.* 17. Et licet aliqui contendant, prædictas leges esse conventuales propter juramentum, & ipsius fionem, &c. Nullatenus conventionales sunt, sed pœnales, & ideò standò in opinione Navarri, & aliorum suprà adductorum, non peccabunt mortaliter, nec etiam ratione juramenti, quia juramentum sequitur naturam actus, solumquè addit obligationem ex virtute Religionis, ergo si actus ex se non sit peccaminosus, juramentum illud peccaminosum non reddet. Quoad restitutionem verò non tenentur sententiam judicis, tenent Covarruv. Sylvester, Angelus, Gutierrez, Navarr. Palacios, Munaldus, Azorer, Navarra, quos omnes citatos refert Thomas Sanchez *tom.*1.*consil.libr.*3.*cap unico, dub.*1. *num.*21. & 29. qui tenent, prædictam sententiam esse saltem probabilem ex Navarra citato. Quia licet prædictæ leges prohibeant actum dandi subditis, & recipiendi judicibus, non tamen illum annullant. Ergo cum habeat in jure naturali, & secluſa prohibitione juris humani, illæ donationes, & acceptiones sint validæ, ante sententiam judicis non tenentur ad restitutionem prædicti judices, &c. Et novissimè hanc sententiam tuetur Fagundez, quem citat, & sequitur Diana *tom.*1. *tract.*6.*resol.*59. & utraque hæc opinio est satis probabilis. *Hactenus Leander, vir quidem doctus, eruditus, & pius, cujus opinio judicibus, & aliis justitiæ ministris ingrata non erit. Verum doctissimus P. Sanchez, & Doctores, quos *ubi suprà* adducit, huic aliter refert, quia non loquuntur, quando leges mutatur his verbis: *Non puedan recibir*: Sed quando: *No reciban*: ut videre licet apud Sanchez locis à Leandro citatis. Unde non eorum auctoritate, sed aliunde probabilitas hujus sententiæ ex superius dictis petenda est.

21 Dices, præfatum excusationis caput ultimo loco à nobis adductum, valdè infirmum esse, quia leges pœnales (saltem mixtas, quæ aliquid prohibent, & pœnam transgressoribus imponunt, (quales sunt quæ judicibus, & aliis ministris munera liberaliter donata recipere, vetant) non obligare in conscientia, est improbabile, & actiori censura dignum: juxta Mag. Sotum *lib.*1.*de Iust.quæst.*6. *artic.*5. ubi eruditus vulgi appellat: *Sed quia vulgus (inquit) nescit quo colore ait, legem, quæ obligat ad pœnam, non obligare ad culpam, necesse est, errorem hunc detestare. *Quem imitatur M. Texeda *tom.*1.*lib.*1. *tract.*2. *controvers.*16. ubi assertum Soti laudat, & contrariam sententiam non esse probabilem dicit.

22. Sed uterque fallitur. id, quod testimonio tori omni exceptione majoris comprobo; Illustriss. ac Reverendiss. M. Tapia Archiep. Hispalens. sanctitati, olim primarii Theologiæ professoris in Universitati, olim primarii Theologiæ professoris in Universitati Complut. Ille igitur *in sua doctissima Cursu Moral.lib.*4.*de legibus, quæst.*10. *art.*4.*num.*1. & 2. ait: *Modo inquirimus, an de facto omnes leges civiles, quàm Canonicæ imponentes pœnas temporales, obligent ad solam pœnam, an etiam ad culpam mortalem, aut venialem progrediendo ad culpam mortalem, aut venialem progredi? In hac re valdè notanda sententia Martini Navarri *in Manual. cap.*23.*num.*55. omnes hujusmodi leges pœnales humanas, etiam præceptivas, obligare ad solam pœnam temporalem impositam per ipsas, non ad pœnam æternam, neq ad culpam. Hanc sententiam docuit

prior

priùs Iassonem, & Ludovicum Gomez, testatur Suarez, eamque probabilem censet Valentia : & Azor ait, non esse omnino condemnandum, qui eam sequutus fuerit: & Diana probabilem etiam censet. Itaquè omnes hi judicant, probabile esse in praxi, non solùm leges purè pœnales, verum etiam pœnales mixtas ex præcepto, & pœna, quæ jubent, vel prohibent, hoc, aut illud fieri, imponentes pœnam transgressoribus, non obligare ad culpam, sed ad solam pœnam, nisi certo constet, velle legislatorem obligare ad culpam. Fundamenta hujus sententiæ sunt, &c. Propter tantorum Doctorum auctoritatem, & torrationum robur, hanc novam sententiam censet valdè probabilem in praxi Villalobos, & ego etiam non possum non fateri esse probabilem, & in praxi securam, donec Sedes Apostolica verum diffiniat, aut declaret. Huic enim opinioni non desunt principia practicæ probabilitatis, ut constat ex numero præcedenti.* Hæc M. Tapia de legibns pœnalibus mixtis, licet contrariam sententiam meritò probabiliorem judicet, qualem ego etiam reputo : contendo tamen, hanc esse probabilem, ideoquè ne causæ meæ suprà verum favere videar, fidem alienam Thomistis non suspectam interpellavi, & aliorum subjungam.

23. Nec dissentit M. Corradus 1. *p. q.* 180. Nec M. Serra 1. 2. *tom.* 2. *quæst.* 99. *art.* 4. *dub.* 2. *fol. mihi* 439. ubi sic scribit: * De lege, qua præcipitur aliquid sub pœna excommunicationis majoris non latæ, sed ferendæ sententiæ, quidam ad mortale obligare affirmant. Alii negant. Mihi satis probabile videtur, quod Cajetanus *in Sum. verb. Præcepti transgressor*, dicit: Transgressor præcepti sub comminata pœna non peccat mortaliter, &c. quousque monitus perseveret; tunc enim utpotè excommunicatione dignus, peccat mortaliter, &c. Hanc sententiam tenent alii discipuli D. Thomæ recentiores.* Sic ille, ex quibus validum conficitur argumentum. Nam si lex Canonica præceptiva, quando pœna spiritualis, licet gravis, est tantum comminata, non obligat sub lethali, cur obligabit civilis? quandoquidem omnes pœnæ temporales sunt comminatæ, & nulla est, quæ ipso facto ante sententiam saltem declaratoriam criminis incurratur?

24. Hanc sententiam multis, validisquè rationibus probat Navarrus *cap.* 23. *num.* 55. Quibus motus Villalobos *ubi suprà tom.* 1. *tractat.* 2. *dub* 22. *num.* 2. concludit: * Confiesso, que estas razones me parecen muy fuertes, y esta sentencia muy probable; y porque favorece à las animas, y la tienen tantos hombres doctos, se puede muy bien seguir en practica. * Eamdem expressè tenet ex eodem ordine Fr. Ludovicus de Miranda *in Manual. Prælator. tom.* 2. *quæst.* 25. *artic.* 18 *conclus.* 2. *fol. mihi* 259. * Nam Reges (inquit) & Principes sæculares numquam expresserunt aut interpretati sunt in suis legibus, maximè pœnalibus, mentem, aut intentionem suam esse, aut fuisse, obligare per ipsas sibi subditos ad culpam, nec consuetudo ipsa id unquam fuit interpretata, nisi simul cum eis, seu aliqua ipsarum effet aliqua lex divina, naturalis aut Evangelica, aut constitutio Canonica, ex qua id ipsum colligeretur.* Hæc ille.

25. Quibus consonat Thomas Hurtado *tom.* 2. *Resol. Moral. tractat.* 8. *cap.* 1. *resolut.* 9. *num.* 183. dicens: * His adjunge, valdè probabile esse, & tutum in praxi, quod lex pœnalis pura, aut mixta non obligat, nisi expressè id declaret legislator. Sic tenent Villalobos citans Navarrum, &c. Quibus adjunge Angelum, & Tabienam *verb. Pedagium.* Valentiam, & Salas *disputat.* 10. *de legibus, sect* 9 *num.* 7. *& disputat.* 15. *sect.* 1. *num.* 17. *& seqq.** Sic Hurtado.

26. Idem cum aliis sentit Antoninus Diana 1. *part. tract.* 10. *de legibus, resolut.* 20. ibi : * Dicendum est igitur, esse opinionem probabilem illam, quæ asserit, omnem legem pœnalem, sive puram, sive mixtam non obligare in conscientia. * Pro qua *resolut.* 18. refert Nicodemum de Florentia, & eam tenet Ludovicus Bexa 1. *responsi. casu* 13. & esse valdè probabilem, si pœna non est gravis, dicit Salon 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. *controv.* 7. *conclus.* 8. §. *Hæc opinio.*

27. Stat etiam pro hac opinione doctus Machado *tom.* 1. *libr.* 3. *p.* 4. *tract.* 3. *docum.* 7. Ubi citans Covarruv. Menchacam, Reginaldum, & alios, inquit: * Navarro, y otros muchos Theologos, y Juristas defienden absolutamente, que las leyes penales, como quiera que sean, en ninguna manera obligan en conciencia à pecado, sino solamente à la pena, que en ellas dispone el legislador, sino expressa lo contrario, &c. Y assi dize Navarro, que lo tiene interpretado la costumbre, y recibido con noticia de los legisladores, y segun principio de derecho, *consuetudo est optima legum interpres. Et tom.* 2. *lib.* 6. *p.* 2. *tr.* 1. *docum.* 8. *num.* 4. ait: * Los Doctores defienden mas comunmente, que las leyes penales no obligan en cõciencia, ni à mas que la pena, y essa despues de la sentencia declaratoria. * Ejusdem opinionis est Philippus de la Cruz *in Pract. de decimis*, §. 2. *num.* 5. *fol.* 41. ubi sic: * Tengo por cierto, que ninguna ley penal, su quebrantamiento obliga à culpa, sino à sus penas, y esso quando se las aplican, en qne vienen Castro, Cayetano, y Navarro, &c. Yaunque ay hombres doctos, que lleven la opinion contraria, pero yo no assiento à ello.* Pro hac sententia stant ex antiquis plures apud Henriquez de Pontificis Romani clave *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 2. *in Gloss. lit. L. & R.* Et post omnes hanc sententiam tenuit Antonius de Escobar *in Theolog. Moral. tom.* 1. *lib.* 5. *sect.* 2. *cap* 7. *problem.* 26. *pag.* 164. Cujus rationem ex aliis communiter reddit: quia legislator, qui ad pœnam temporalem, & æternam potest obligare, si solius meminit temporalis, non videtur intendisse obligare ad æternam. Imò & quando pœnæ spiritualis, & temporalis mentionem facit, ad solam temporalem obligare intendere, docent non pauci apud Henriquez *suprà.*

§. V.

Vera sententia.

28. COntrariam nihilominus tenendam censeo: ac proinde Judices, & Ministros Regios recipientes munera liberaliter donata graviter peccare, quoties præsumptio, aut finis legis non cessaverit : nec excusari posse ex eo, quòd leges prohibentes, sint pœnales, Ratio est, quam attigit P. Vazquez 1. 2. *disp.* 159. *cap.* 2. *num.* 10. quia legislator humanus potestatem habet obligandi in foro conscientiæ, ut contra Hæreticos pluribus sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum PP. testimoniis evincit *disp.* 152. *cap.* 2. Et naturæ lumine edocemur, contra rationem esse, parentibus, & superioribus in licitis, & honestis non obedire. Ergo si lex sub forma præcepti tradita sit per verba præcipiendi, vel æquipollentia : nil obstare potest pœna imposita, quominus vim præcepti habeat : siquidem legisla-

tor utrumque simul facere potest, nempè præcipere, & pœnam imponere: ergo sicut in conscientia ligat, quando verbis tantum præceptivis utitur: ita & quando pœnam superaddit, quia hæc non infert defectũ intentionis obligandi, sed legislatorem ardentius intendere legis adimpletionẽ. Ideò hanc sententiã tenent Becanus *in Sum. Theolog. par. 2. tr. 3. cap. 7. q. 2. n. 4.* Granado 1. 2. *controv. 7. tract. 3. part. 1. disp. 4. sect. 2. num. 7.* Thomas Sanchez *in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 4. n. 60.* Et communem, & veram esse, inquit Vazquez *suprà disp. 159. cap. 2.*

29. Non me latet, nonnullos Catholicos asseruisse, nullam legem humanam, seclusis contemptu, & scandalo, obligare sub lethali: quorum auctoritate ad suam tuendam sententiam, Navarrus se protexit *ubi suprà cap. 23. num. 55.* dicens: * Porque muchos Catolicos han sentido, que ningunas leyes, aunque no tengan penas temporales, en quanto son humanas, obligan à mortal al que las quebranta, sin menosprecio, y escandalo. * Pro quo in margine citat Immolam, Felinum, & Cajetanum, & tenent apud Caramuel *in Apologemat. Epist. 4. num. 273. & 74.* Martinus Cromerus, Joannes Ferro, & Servatius de Lairvelz, asserentes, legem Ecclesiasticam non obligare ad mortale, nisi expressè in ea asseratur, fractionem esse mortalem. Quod tenuit etiam Collectarius, ut refert Angelus *verb. Inobedientia.* Quibus consensit Philippus de la Cruz *in Practica de decimis, §. 2. num. 5. fol. 41.* quando lex Ecclesiastica pœnam temporalem imponit. Et de legibus potestatis sæcularis loquens, etiamsi nullam pœnam imponant, tradit ipse Philippus de la Cruz ibidem, & sequuntur Joannes Valerus *in Differentiis utriusque fori, verb. Ignorantia, different. 2.* Tapia *in jure Regni Neapolitani, libr. 1. titulo de legibus. §. Observentur, num. 18.* Quibus adde Almainum *de Potest. Ecclesiast. quæst. 1. cap. 10.* & alios, quibus non parum favet Machado, dum eorum opinionem non reiicit *tom. 1 lib. 3. part. 4. tract. 3. docum. 6. fol. 544.* ubi ait: * Gerson, Cayetano, y otros defienden, que las leyes civiles no obligan por si à pecado, ni tienen fuerca en el fuero interior, si no es quando declaran alguna ley divina; porque las leyes civiles, y humanas (attende) no pueden obligar à pecado, ni culpa en el fuero interior. Ni parece possible, que el legislador humano tenga potestad para poner por pona de su ley àlos transgressores della la eterna del infierno. * Hæc Machado. Quibus assentitur Menchaca 1. *controv. cap. 29.* dicens: * Principes sæculares, nec velle, nec posse suis legibus, & præceptis obligare ad pœnam æternam, seu ad culpam mortalem. *

30. Et quod miror, ex recentioribus, hanc sententiam negantem Principibus potestatem obligandi in foro conscientiæ tenet Fr. Philippus de la Cruz *ubi suprà*, ubi ait: * Y aunque es verdad, que ay hombres doctos, que llevan la opinion contraria, queriendo dar potencia al seglar para que assi obligue, yo no assiento à ello. * Et infrà: * Las leyes de los Principes no obligan à culpa, y essa potestad hasta agora no se la ha dado la Iglesia, ni se ha visto, que quando hazen las tales leyes, digan, mandamos esto pena de obediencia, ò de pecado mortal, &c. Luego conocen no tener facultad para ello, y assi se estienden à la que tienen. * Hæc ille.

31. Verum Catholica doctrina tenet oppositum, & non solùm Pontifici, sed etiam Principibus, & Regibus sæcularibus esse potestatem ferendi leges, quæ conscientias subditorum ligent. Sic P. Vazquez *ubi suprà disput. 152. cap. 2.* dicens: * Hanc veritatem luculenter tractant adversus Hæreticos Alphonsus de Castro, Driedo, Turrecremata, Torrianus, Dominicus de Soto, & alii, &c. * Et infrà: * De Catholica hæc potestas sæcularis (leges condendi) asserenda est, sicut etiam Ecclesiastica. * Et esse certum, secundum fidem, tradit M. Tapia *in tena Morali, libr. 4. quæst. 8. ar. 1.* Quod probat ex Vazquez ex illo *ad Romanos 13.* * Omnis anima subditis sublimioribus subdita est, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. * Et paulò post: * Ideo necessarium fuisti esse, non solùm propter iram (id est, propter timorem pœnæ) sed propter conscientiam. * Et quibus planè colligitur, in Principibus sæcularibus esse potestatem præcipiendi, & leges ferendi talias establere, non esset resistere Deo, ejusque ordinationi nec eis parere, & obedire necesse esset propter conscientiam. Est ergo certum secundùm fidem, prætam potestatem habere. Quapropter P. Sanc *legibus disput. 15. sect. 1. num. 7.* dicit jure scripsit: 'In superioribus patet, erroneum, aut fortè hæreticum esse, dicere, leges civiles non obligare, nec posse obligare in conscientia. * Cui adhæret Mag. Tenda *tom. 1. controv. Theolog. Moral. lib. 1 tract. 2. controvers. 14.* dicens: hanc conclusionem definitam esse in Concilio Constantiensi contra Joannem Wiclef: & in Bulla Leonis X. contra Lutherum *art. 33.* Allegat etiam Sotus pro hac Catholica doctrina decretum Concilii Viennensis, quod refertur *Clement. Ad nostram de Hæreticis:* In his verò locis non definiri apertè potestatem civilem, leges condendi, penes Principes sæculares esse, dicit Vazquez *disp. 152. citata cap. 2.* ex Scriptura tamen, & Ecclesiæ traditione non minus apertè probari. Et *disput. 159.* argumenta Navarri diluens, quibus intendit probare, legem pœnalem mixtam de facto non obligare in conscientia, respondet: * Ad primum dicimus, testra allegari à Navarro in confirmationem suæ sententiæ Authores, qui docent, nullam humanam legem conscientias obligare ad mortale: horum enim opinio non multum distat ab errore Lutheri. * Vide illos *suprà num. 29.*

32. Quamvis autem his censuris notari non debeat opinio tot Doctoribus superius munita, quæ supponens potestatem præcipiendi, negat intentionem obligandi in conscientia, quando legislator pœnam temporalem transgressoribus legis imponit: nihilominus, quia expositio ejus voluntati violentiam præfert, quandoquidem ex adjuncta pœna non defectus intentionis obligandi, sed ardentius desiderium inferri deberet: ideò asserendum est, legem humanam obligationem inducere gravem aut levem juxtà materiæ capacitatem, quotiescumque verba præcipiendi tradita fuerit.

33. Jam quæ verba legis vim præcepti continuant? Consulatur Diana *4. part. tract. 4. resolut.* apud quem de verbis modi imperativi negant Cajetanus, & alii, quibus ego adhærere non audeam, postquam Sanctus Pontifex Alexander VII. die 24. Martii, anno 1665. ut scandalosam damnavit vetustam opinionem asserentem, verba illa Concilii Tridentini *sess. 13. cap. 7. quam primum confiteatur* non continere præceptum. Videatur etiam Diana *p. 10. tract. 15 resolut. 45.* ubi refert alios asserentes cum Cajetano, in legibus civilibus non tradi præceptum, quando, in legibus civilibus non tradi præceptum, quando legislator utitur, his verbis: *Præcipio, mando, jubeo.* In Canonicis etiam hæc verba, *decernimus, statuo, volumus, intendimus, mandamus*, nisi aliud addatur

tur, non continere obligationem gravem, ait Azor *libro 5. cap. 6. colum. 380.* secus verbum *præcipio*, *jubeo*, *impero*. Tale etiam est verbum *prohibeo*, *inhibeo*, *interdico*, *veto*: quamvis Cajetanus apud Azor, de his etiam verbis dubitet. Unum verò advertam cum Mag. Tapia *in Catena lib. 4. quæst. 9. art. 2. num. 9.* quod in omnibus verbis ambiguis, [illegible] clarè non constat sensus eorum, mitior interpretatio est adhibenda. * Vide etiam Mag. Texeda *suprà controvers. 13. dub. 2. fol. 92.*

QVÆSTIO IV.

An qui paulatim modica usurpans, ad notabilem quantitatem pervenit, mortaliter delinquat, & ad restitutionem, sub lethali, teneatur?

§. I.

Quid de gravitate culpæ?

1. QUoad primam controversiæ partem certum est apud Doctores, si furtum, quo materia gravis completur, fiat cum ignorantia, vel inadvertentia furtorum præcedentium, non esse peccatum mortale: quia tale furtum per se est materiæ levis, & in voluntate operantis nullam cum præcedentibus unionem habet, ac proinde non est, unde notabilem gravitatem desumat. Solum ergò est difficultas, quando usurpans recordatur præcedentium furtorum, an illud ultimum, quo materia gravis conficitur, gravem malitiam contineat? Prima sententia asserit, tale furtum non esse mortale. Ita Navarrus *in Manual. cap. 17. num 140.* Toletus *lib. 5. cap. 16. num 4.* Verarducius *in Sum. Corona, p. 1. cap. 1. num 28.* Vega *lib 14. in Concilium Tridentin. cap. 11. in fine.* Graffius, Carbon, Lessius, & alii, quos refert Dicastillo *tom 1. de Iust lib. 2. tract. 2. disp 9. dub 3. nu 50.* & probabilem putant Filliucius, Rodriguez, Salas, & alii, quibus subscripsit Diana *1. p tract. de Paupertate Religiosa, resol. 34.* Quorum ratio est, quia præsens voluntas solum terminatur ad levem materiam præsentem, nec ipsa infert notabile damnum, sed partem, ex qua, & ex præcedentibus coalescit: ergo ex memoria præcedentium non potest malitiam gravem sortiri: memoria enim non mutat objectum voluntatis præsentis.

2. Ex Doctoribus hujus sententiæ nonnulli inferunt, eum, qui per minuta furta, absque peccato mortali, ad quantitatem gravem pervenit, non teneri sub lethali restituere, quia obligatio restituēdi de qua loquimur, sequitur culpā, ergo obligatio gravis culpā gravē, & levis levē, ergo nullus tenetur sub mortali restituere, quæ solum venialiter peccando, furatus fuit. Ita expresè tenet Navarrus *lib. 3. Consilior. in 1. edit. tit. de Regul. cons. 75. num. 27. in 2. tit. de statu Monachor. cons. 3 num 27. in ratione secunda*, & Berarducius *in Sum. Corona, p. 1. cap. 1. num. 28.* Ubi sic ait: Si actus furandi procedunt à voluntate intercisa, hoc est, dum homo furatur illud parum, non intendit furari majus, nec alio tempore, & posteà de novo subvenit alia occasio furandi similiter, tunc quantumcumque reiteret hujusmodi furta, sic conditionata, semper est veniale, nec tenetur de necessitate salutis restituere illa. Quia sicut multa peccata venialia, nunquam possunt facere unum mortale, quantumcumque simul sumpta: ita hujusmodi parva furta, voluntate intercisa, cum unum sint, quantumcumque simul sumantur, & aliqua quantitate considerentur, numquam facient unum furtum notabile mortale, & consequenter non parient obligationem; quia semper remanent in sua natura, hoc est, sunt venialia ratione parvæ quantitatis, sive furtum fiat semper eidem, sive diversis. * Quibus favet P. Sà *in Sum. verb. Furtum, num. 8.* Ubi ait: quosdam probabiliter existimare, non teneri sub mortali restituere, qui ab eodem minima furatur, etsi pervenerit ad magnam quantitatem. Et Diana ubi suprà *nu 34.* ubi hanc sententiam referens, non improbat, quin in ò ei adhærere videtur; & loquens de Religiosis furantibus res Monasterii, illam docet Fernandez *in Exam. Theolog. Moral. p. 1. cap 6. §. 2. n. 12.*

3. Cæterùm hæc sententia, cujuscumque sit, improbabilis est, & à veritate prorsus aliena, ut benè ait Thomas Sanchez *lib. 7. Sum. cap. 21. num. 3.* quia velle retinere furtum notabilis quantitatis, est manifestum lethale peccatum; sicut velle, illud committere; quia inesse moris, tetentio nil aliud est, quam acceptio continuata. Nec fundamentum partis contrariæ ullius ponderis est; nam si quis, absque ulla sui culpa, rem alienam magni momenti usurpasset, & modo retineret, veritatis certior, sub lethali, teneretur vero domino restituere: ergò à fortiori, quando culpabiliter, etsi venialiter tantum, accepit. Quapropter jure Navarr. sententiam superius traditam retractavit *in Sum. cap. 17. num. 140.*

4. Ideò alii præfatam sententiam temperant, asserentes, tunc illam quantitatem usurpatam esse sub peccato mortali restituendam, quando extaret, aut ex illa fur ditior factus fuisset. Secus aliter: quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cum nullo modo extet, nec ratione injustæ acceptionis, cum gravis culpa non intervenerit. Sic Diana ubi supra, pro se referens M. Lorcam, & Granado; hunc 1. 2. *controvers. 6. tract. 2. disp. 2. sect. 5. num 49.* & illum 1. 2. *tom. 2. disp. 60.* Cæterùm mala fide Patrem Granado pro hac opinione adducit: Ille enim expresè loquitur, quando *qui furatur ultimum obolum, non advertit illo modo, tunc impleri numerum, qui constituat magnam quantitatem*, & tunc non excusat ab obligatione gravi restituendi, sed solum dicit non esse certam: verba ejus sunt: * Si autem illam quantitatem consumpsisset, & ex illa non fuisset factus ditior, non est certum teneri sub mortali restituere; nam Henriquez *lib. de Irregul. cap. 3. § 1. litt. K.* satis probabiliter cum multis, quos affert, existimat, in foro conscientiæ non esse obligationem gravem restituendi pecuniam, ubi culpa mortalis non adest. Vide Ledesmam 2. *p. 4. quæst. 18. art. 6. ad finem, § Sed dubitas*, & Sotum *lib. 4. de Iust. quæst. 7. art. 2. ante solutionem argumentorum, §. Dubium autem est.* * P. vero Henriquez, Ledesma, & Sotus, sicut & plures alii, quos sequitur, loco suprà citato à P. Granado, non loquuntur de obligatione restituendi gravem quantitatem minutis furtis subreptam; sed de obligatione restitutionis ex damno aliquo gravi unica actione illato, absque culpa gravi inferentis. Cujus longè alia est ratio, ut ex dicendis constabit, quia plena libertas hi defecit, secus hic.

5. M. etiam Lorca non tradit, quod Diana illi imponit; loquitur enim de furtis minimis, sine continuatione morali commissis, quorum restitutionis obligatio non continuatur. *Addo (inquit) nec tunc esse obligationem mortalem restituendi, nisi materia in specie perseveraret, aut ditior ex ea factus esset, qui furatus est. Si enim consumpsisset minuta illa, sine continuatione morali accepta, non esset mortalis restitutionis omissio.* Ergo casu, quo acceptiones par væ moralem continuationem habuerint, utpotè non nimis distantes, seu interpolatæ, licet ultima peccatum mortale non sit; non inficiatur M. Lorca obligationem gravem restituendi, quantumvis quantitas prius accepta consumpta fuerit, neque ex illa fur ditior evaserit. Cujuscumque verò sit Dianæ sententia, nullatenus sustinenda est. Quia obligatio restituendi per minuta furta præcedentia contracta perseverans unitur cum obligatione restituendi ex ultimo furto levi resultante. Ergo ex utraque constituitur obligatio restituendi quantitatem gravem: hæc autem gravis obligatio est, & sub lethali adstringit, sive quantitas perseveret, sive non; nec fur ex ea ditior evaserit: sufficit enim, plena libertate acceptam fuisse, licet singulæ acceptiones ex parvitate materiæ à culpa lethali excusentur: à qua excusare non potest retentio, utpotè materiæ gravis, nisi ex alio capite, ut propter impotentiam restituendi, &c. juxtà principia communis sententiæ, de qua posteà. Similiter dicendum, si quis ignorantia invincibili valoris rei alienæ, adamantis, v. gr. christalum putans usurpasset, veritate comperta, teneretur sub lethali restituere; si verò ex eodem errore alteri donasset, cum dominium semper apud dominum maneat, & res in specie extet, post depulsam valoris ignorantiam, obligatio levis in gravem transiret, ac proinde, aut donationem revocare, aut saltem rei valorem restituere teneretur.

6. Propterea secunda sententia asserit ultimum furtum quantitatis levis, qua gravis completur, ut procedit à voluntate formali usurpandi levem quantitatem, non esse peccatum mortale, in quo convenit cum prima; secus verò ut à voluntate implicita retinendi quantitatem gravem ex hac, & præcedentibus coalescentem. Nam cum ille teneatur sub mortali illam summam restituere, non potest non mortaliter peccare, dum illam retinere intendit. Sic P. Lessius *lib. 2. de justitia, cap. 12. dub. 8.* Sayrus *lib. 2. cap. 13 num. 19.* P. Vazq. 1. 2. *disp. 146. cap. 2. & alii.*

7. Verum nec secunda hæc opinio omninò placet, quia non evitat absurda, quæ primam consequuntur. Nam si peccatum mortale non consistit in furto levis quantitatis, qua gravis compleri noscitur, sed in voluntate retinendi quantitatem gravem: à mortali culpa excusabitur, qui illam injustè non retineat; ac proinde, & quicumque non possit restituere leves quantitates anteà usurpatas, quia nec accipit alienum in quantitate notabili, ut ponimus; neque habet voluntatem expressam, nec interpretativam injustè retinendi quantitatem notabilem. Ex quibus infertur, hominem alioqui pauperrimum, aut Religiosum, qui per votum paupertatis non habet, unde restituat leves quantitates præcedentibus furtis subreptas; non peccaturum mortaliter, nec in furto, nec in voluntate retinendi, vel non restituendi ablatum. Ex quo sequitur, posse quem grave damnum inferre cum plena libertate, & tamen à peccato lethali excusari: quòd valdè absurdum est, ut benè ponderat Dicastillo ubi suprà *num. 55.*

8. Propter hæc, tertia sententia, cui stare debemus, absolutè asserit, eum, qui ultimum furtum committit quantitatis levis complentis notabilitate proximo illati. Hæc est communis Doctorum opinio, quam tenent Suarez, Valentia, Azor, Rebellus, Sotus, Petrus de Ledesma, & alii, quos sequitur Salas 1. 2. *quæst. 88. tract. 13. disp. 16. sect. 27. num. 6.* Luis Lopez 1. *p. instruct. cap. 93. colum. 2. quæst. 3.* Thomas Sanchez ubi suprà *lib. 7. cap. 21. num. 6.* Ratio est, quia scienter, & cum plena libertate proximum graviter lædere, est peccatum mortale; qui autem auferet quantitatem levem, qua ad notabilem furti quantitatem pervenitur, illius dominum graviter lædit, & magnum in suis bonis nocumentum patenter perfecta libertate constituit: nequit ergo à peccato mortali ultimum illud furtum excusari, etiamsi tunc non habeat commoditatem restarcendi præcedentia, vel absolutè sit impotens restituere. Quo præcluditur aditus exemplo suprà adducto de homine pauperrimo, vel Religioso paulatim modica ex occasione furante: impotentia enim restituendi præcedentia furtiola non tollit gravem damnificationem proximi ex omnibus furtis collectim sumpta conflatam, quam sub lethali quisque vitare tenetur. Nemo enim excusaret à lethali eum, qui levibus ictibus interpolatis proximum graviter læderet. Ergo nec qui furtis.

§. II.

Quando grave proximi damnum censeatur?

9. REstat vero difficultas, an grave proximi damnum censendum sit, eo præcisè, quòd gravis quantitas ultimo furto compleatur? Negant auctores secundæ sententiæ, qui constituentes peccatum mortale ultimi furti quantitatis levis, in retentum gravis ex illa, & præcedentibus coalescentis, aiebant, retentionem quantitatis gravis ad leve impus, etiam cum quis commodè restituere posset, non esse peccatum mortale; quia ut ait Salas ubi suprà *num. 88.* * sub mortali solum tenemur, non omnis restitutionem differre. * Ergo qui ultimum quantitatem subripuit, cum proposito non amplius differendi restitutionem quantitatis gravis, gravem proximo læsionem non inferret. Quia ut ait Vazquez 1. 2. *disp. 75. cap. 3. num. 14.* * Permittere detinere rem alienam, & usurpare: nam detentio non aliud est, quam usurpatio quædam continuata, nec usurpatio ideo est mala, quia ordinatur ad retentionem. * Ergo quoties retentio, juxta auctores secundæ opinionis, excusetur à peccato mortali, tunc levis damnificationis, poterit etiam usurpatio in eadem sententia excusari. Quibus facit Lessius 2. *de justit. cap. 6. dub. 7.* ubi loquens de Principe prohibente venationem, quæ necessaria esset ad cavendam damna, quæ feræ multiplicatæ possent agris vicinorum inferre, ad quorum restitutionem, si inferantur, tenetur; postquam statuit, non satis esse ad eos excusandos à peccato, si dicant, fevelle, sarciri damna, si quæ sequantur; quia aliud peccatum est inferre damnum, aliud nolle compensare illatum, subnectit sic: * Quamvis si verè paratus esset, totum damnum absque mora compensare, & diligenter ideo subinde inquireret, non putarem, peccare mortaliter,

tiferè, quia non inferret notabilem injuriam. *

10. Quibus adde Petrum Hurtado de Mendoza 2.2. *tom.2.tract.de charit disput.173.sect.* 10. *subsect.* 5.§.125. ubi ait: licere cooperari ad minus furtum cum latrone ad evitandum majus, etiam respectu diversæ personæ, quando ex cooperatione non est damna passurus: * Carere enim (inquit) bonis brevi tempore non est grave damnum. * Ex quo principio alter Hurtado Complutensis *disp.8.de restit.,disp.4.* excusat à lethali dilationem restitutionis, quando creditori aliud damnum non imminet, * quia tunc, inquit, ipsa dilatio non videtur gravis damnificatio, seu injuria contra creditorem. * Ex quibus infertur, non aliter de usurpatione rei alienæ, ac de retentione quoad illationem damni discurrendum esse: quòd nos edocet D. Thomas 2.2.*q.66.art.3.ad* 2. vbi ait: *Dicendum, quod detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet, cum acceptione injusta.* Et videtur traditum à P. Vazquez ubi suprà; & *quæst.*72 *art.*6 *num.*21. Ubi inquit, contra præceptum negativum esse peccatum retinendi alienum, sicut & accipiendi. * Retentio enim (inquit) quædam usurpatio est, imò usurpatio peccatum est propter retentionem, nam usurpare tantum, nisi sequeretur retentio aliqua invito domino, ut si aliquis statim redderet, quod accepit, non esset peccatum, eo dumtaxat animo facta. * Cui consentit P. Granado 1.2. *controvers.*6.*tr.*2.*disp.*2.*sect.*5.*num.* 51. * Quia acceptio rei alienæ (inquit) non est mortalis, quando fit animo restituendi illam ita cito, ut ratione dilationis non inferatur domino damnum alicujus momenti. * Ergo juxta præfatos authores quoties retentio gravis quantitatis alienæ à mortali excusetur, ratione levis damnificationis, utpotè ad breve tempus retinendæ; excusanda etiam erit acceptio animo citò restituendi, ita ut domino non inferatur damnum alicujus momenti. Hoc autem solum infertur per furtum levis quantitatis, gravem complentis, ratione voluntatis non restituendi statim, (ut diximus) vel ratione impotentiæ præinopia, ut contingit in Religioso per votum paupertatis, vel in homine alio qui paupertimo.

11. Tertia hæc sententia, cui calculum meum adjungo, maximè differt à secunda; quia secunda excusat à peccato lethali gravem damnificationem parvo furto completam, licet cum memoria præcedentium, committatur ab eo, qui absolutè non potest restituere, quòd jam consumpserit omnes quantitates leves, prius subreptas; dummodo habeat animum solvendi, si fortè aliquando pervenerit ad pinguiorem fortunam: sic cum Lessio tradit P. Salas ubi suprà *tract.*13.*disp.*16. *sect.*27.*num.*88. & M. Serra 2.2.*tom.*2.*quæst.*66.*art.*6.*dub.*2.*fol.mihi* 455. * Excusari (inquit) posset à peccato mortali, si proponeret efficaciter restituere, quod prius abstulerat, aut absolutè, si habet unde solvat; aut si non habet unde solvat; sub conditione, si fortè aliquando pervenerit ad pinguiorem fortunam, & habuerit, quo solvat. Tunc enim acceptio, & detentio talis oboli non continuatur cum acceptione, aut detentione præcedentium, cum sit retractata voluntas acceptionis, & detentionis præcedentium. * Quod putat etiam probabile P. Granado ubi suprà. Tertia verò sententia, quam defendimus, id non admittit; quia eum qui quantitatem levem, non sit potens citò restituere, non excusat à peccato mortali, ratione gravis damnificationis injustæ, quæ ibi intercedit: nam qui ex actu suo, etiam levi prænoscit, proximum passurum esse notabile damnum, & illud efficit; verè est causa moralis illius damni. Unde in nostra sententia aditus præcluditur absurdæ consequutioni, excusanti à peccato gravi religiosum, per minuta furta ex occasione, pervenientem ad quantitatem gravem, imò & gravissimam, quod in contraria opinione difficillimum est.

§. III.

Quid de restitutione quantitatis levis.

12. Rogabis, an ab onere restituendi sub lethali liberetur, qui levem quantitatem, gravem complentem restituat? Negat cum Medina Complutensi, & Corduba M. Texeda *tom.*1. *lib.*2. *tract.*2. *controv.*18.*dubit.*2.*n.*23.

13. Verum communis, & vera sententia in contrarium stat, quam tenet Bauni in Sum. lingua vulgari, cui titulus *som.despech.pag.*220.*edit.*6. & ex terminis notissima est, quia posito, quod octo regales, v. gr. sint necessarii ad constituendam quantitatem gravem, retentio septem, (sicut nec eorum acceptio) non est culpa gravis; ergo neque voluntas retinendi septem; sed restituto octavo, hæc solum manet; ergo. Est evidens consequentia, quia ante ablationem octavi regalis præcesserat acceptio, & retentio septem regalium, & tamen non tenebatur sub lethali eos restituere, eo quod quantitas retenta non erat gravis. Ergo nec post restitutionem octavi tenebitur, cum ad pristinum statum reducatur. Ideò hanc sententiam sustinent Thomas Sanchez *in Sum. lib* 7.*cap.*21. Vazquez *opusc.de restit.cap.*9.§.1.*num.*78. Alcozer, Rebellus, Sayrus, & alii apud ipsos, quos sequuntur *lib.*3.*de restit.cap.*1.*num.*60. Bassæus in Floribus, *verb.Furtum,*1.*num.*8.*fol.*393. Diana 1.*p. tract.de paup.res.*34. cum Megala, Aragon, & aliis. Machado *tom.*1. *lib.*2.*tract.*19 *docum.*2.*num.*2. cum Hurtado, & Fagundez. Remigius *in Sum.tr.*2.*cap.*7,§.1.*num.*5. M. Hyacinthus Donatus *in praxi,p.*2.*tom.*1. *tract.*15. *q.*21. M. Acatius de Velasco *tom.*2.*res.mor.verb.Hurto, res.*64. cum Reginaldo, & Azor. Et cum Molina, Granado, & aliis sequitur Card. de Lugo *tom.* 1.*de justit.disp* 16.*sect.*3.*num.*41. dicens: * Ratio autem est clara, quia si ad illiam summam non pervenisses, non peccares mortaliter retinendo priorem summam. Ergo restituendo partem, reducitur retentio ad eumdem statum, in quo non habuisset gravem malitiam; non est ergo unde illam habere possit. *

14. Adnotandum hic est, furta minima filiorum, aut Religiosorum, vel ancillarum in esculentis non pretiosis, sed ad communem usum deservientibus, non continuari ad culpam gravem: ut docent communiter Doctores, quia Pater, superior, & dominus esse non solent inviti quo ad substantiam rei acceptæ, quando nec ad vendendum, nec retinendum, nec ad usus illicitos, sed ad famis levamē usurpatur. Ac proinde licet damnum, quod decursu tēporis illis infertur, grave aliàs reputaretur, cum non fiat invito domino quoad substantiam, culpam gravem non constituit, nec ex ultimo furtiolo cum præcedentibus, obligatio gravis restituendi pullulat. Unde infertur filium, vel servum non peccare mortaliter, licet habeat animum paulatim committendi ejusmodi furta levia, quia objectum hujus voluntatis non esset usurpatio rei gravis alienæ invito domino quoad substantiam rei acceptæ. Ita docet P.

Thomas Sanchez *in Sum. lib. 7. cap. 21. num. 31.* quem sequitur Diana *1. p. tr. de paup. res. 35.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm peccatum mortale furti, ex suo genere, gravius sit, quàm sodomia.

1. PEccati furti gravitatem eam esse, ut ex suo genere, sodomiæ malitiam superet, non pauci viri docti tuentur. Quod hoc syllogismo probant. Majus peccatum est, ex suo genere, quod majori virtuti opponitur; sed furtum ex suo genere opponitur justitiæ, quæ est major virtus: sodomia temperantiæ, quæ est minor; ergo furtum ex suo genere majus peccatum est, quam sodomia. Consequentia videtur legitima, & utraque præmissa est expressa D. Tho. alia *1. 2. quæst. 66. art. 4. in corpore*, ubi ait: "Secundum hoc, nempè secundum suam speciem, & simpliciter, justitia inter omnes virtutes morales præcellit." Et infra: "Post fortitudinem autem ordinatur temperantia, scilicet in cibis, & venereis." Ergo secundum D. Thomam justitia major virtus est, quam temperantia. Alia autem præmissa non minus expressa est D. Thomæ *quæst 73. art 4.* Ubi inquirens, "utrùm gravitas peccatorum differat secundum dignitatem virtutum, quibus opponuntur?" Respondet: "Dicendum, quòd virtuti opponitur aliquod peccatum, uno quidem modo principaliter, & directè, & hoc modo oportet, quod majori virtuti opponatur gravius peccatum." Ideòque ad tertium argumentum in oppositum, quod his sibi verbis objicit: "Charitas est majus virtus, quam fides, & spes; odium autem, quod opponitur charitati est minus peccatum, quam infidelitas, vel desperatio, quæ opponuntur fidei, & spei: ergo majori virtuti opponitur minus peccatum." Ad hoc, inquam, argumentum respondet, negando minorem, scilicet, minus peccatum esse odium infidelitate, aut desperatione: quod inde probat, esse majus; quia odium opponitur charitati, quæ est major virtus fide, & spe. "Ad tertium (inquit) dicendum, quòd charitas non est quicumque amor, sed amor Dei, unde non opponitur et quodcumque odium directè, sed odium Dei, quod est gravissimum peccatum." Ex quibus P. Salas *1. 2. tom. 1. quæst. 73. tract. 13. disput. 5. sect. 3. num. 25.* sic concludit: "Quod peccatum nobiliori virtuti oppositum gravius sit, præter D. Thomam, Cajetanum, Conradum, Medinam, Zumelium, & alios Thomistas, docet Scotus." Quibus consentiunt plures alii, ut testatur M. Lorca *1. 2. disp. 19. de peccatis*, dicens, "hanc regulam esse in universum veram, non pauci Expositores S. Thomæ affirmant, & omne peccatum, quod digniori virtuti opponitur, esse gravius in genere moris, & secundum malitiam formalem." Quibus consonat M. Sotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 5.* Ubi sic: "Respondetur autem cum Cajetano, regulam D. Thomæ esse physicam, & verissimam, si intelligatur, ut debet, quod peccatum, quantum ad speciem suam, quantò est objecti majoris, est majus; sed tamen cum dicimus *ex genere suo*, insinuamus, quod peccatum minus ex objecto potest fieri majus ex circunstantiis: gravius enim est peccatum injustitiæ, quam intemperantiæ, quia justitia est præstantior virtus; & tamen peccatum fornicationis gravius est, quam furari unum argenteum." M. Sotus, cujus verba æquè evincunt, furtum *ex suo genere*, gravius peccatum esse, quam sodomiam, *quia gravius est peccatum injustitiæ, quam intemperantiæ*; locum tamen relinqui majori sodomiæ gravitati ex circunstantiis: de quo infrà.

2. His principiis D. Thomæ, & discipulorum innixi partem affirmativam, ut dixi, gravissimi Doctores sustinent, inter quos P. Vazquez *1. 2. quæst. 73. art. 4. in comment. §. ultimo.* Ubi sic: "Eadem ratione dicendum est, peccata luxuriæ contra naturam, etiamsi magis turpia appareant, & majorem infamiæ dignam sint, ex genere tamen suo, minora esse, quam peccatum furti; quia furtum justitiæ, illi autem peccata castitati opponuntur." Hoc principio probat M. Lopez de Texeda *in Theolog. mor. lib. 2. controv. 11. dub. ult. num. 173.* homicidium esse majus peccatum fornicatione, dicens: "Probatur quia, ut docet D. Thomas, peccatum eo est gravius ex natura sua, & specie, quod opponitur directè majori virtuti: ergo cum justitia, cui directè opponitur homicidium, sit longè major, & perfectior virtus, quam temperantia, cui opponitur fornicatio, longè levius est peccatum ad fornicationem inducens, quam fœminam occidentis." Hæc Texeda, cujus verba eodem pondere suadent, furtum ex suo genere gravius esse peccatum, quam sodomiam, propter eamdem omninò rationem: est enim consequens ex eisdem principiis necessariò deducta. Applica formam syllogisticam.

3. Eamdem viri alii doctissimi legitimam essentes, Patri Vazquez subscripserunt. Baptista Fragosus *tom. 1. Regiminis Reip. part. 1. lib. 2. disp. 4. num. 230. fol. 230. in editione Lugdun. anno 1641.* post eum undique exagitatam, sic concludit. "Dicendum tamen est, peccata luxuriæ contra naturam, etiamsi magis turpia appareant; ex genere tamen suo, minora esse, quam peccatum furti, eo quod furtum justitiæ opponitur: peccata autem illa castitati contrariantur. Sic Vazq. *1. 2. quæst. 73. art. 4. in comment. vlt.*" Hactenus Fragosus.

4. Fr. Hieronymus Garcia Ordinis S. Hieronymi *in Sum. Hispana, tract. 1. diffic. 2. dub. 9. in fine, num. 14.* "Afirmamos con Vazquez, que los pecados contra *naturam*, aunque mas feos, y graves sean, de su naturaleza son menores, que el hurto, y otro qualquier pecado contra justicia, porque los pecados contra justicia son mas graves, que los que son contra castidad. Luego de primo ad ultimum, venimos a concluir, que el hurto, y adulterio de suyo son mas graves, que la sodomia.

5. Sapientissimus Doctor Ludovicus Miranos in Academia Complutensi celeberrimus, & primarius sacræ Theologiæ Cathedræ moderator *tom. 2. in 1. 2. quæst. 73. art. 4. in editione Complutens. an. 1612.* postquam cum D. Thoma, & reliquis ejus expositoribus statuit esse gravius peccatum, quod opponitur præstantiori virtuti, sic ait: "Sed dubium est, utrùm gravitas peccati ita sumatur ex objecto, quod si fit unum peccatum minus grave ex objecto, possit crescere ejus malitia ratione circunstantiarum taliter, quod adæquet, aut etiam superet malitiam alterius peccati, quod est gravius ex objecto?" Partem affirmativam tenet Medina, quem sequitur Lorca *disp. 19.* &c. adducitque exemplum de peccato homicidii, quod est gravius, quam homicidium, & furtum, & tamen objectum est minus grave, quam objectum est objectum intemperantiæ, & objecta aliarum peccatorum sunt injustitiæ, &c. Contrariam tenentiam

tiam tenet Vasquez, & alii recentiores expositores hujus articuli, &c. In hac re vix potest esse controversia, nisi de modo loquendi, &c. Quoniam si circunstantia addat malitiam diversæ speciei, potest contingere, ut ratione ipsius, peccatum, quòd alias erat minus grave ex suo objecto, fiat gravius, quam alterum: v. gr. furtum minus grave est ex suo objecto, quam homicidium, tamen si furtum sit rei sacræ, fit gravius, quam homicidium, ratione circunstantiæ sacrilegii, quia sacrilegium pejus est, quam homicidium. Hinc colligitur, peccatum mortale cujuscunque speciei gravius esse quolibet veniali, quantumvis hoc gravius sit ex objecto: v. gr. fornicatio gravius est, quam furtum venale rei levis. Ratio est, quia peccatum mortale dicit quoddam accidens diversæ speciei à veniali, scilicet, aversionem à Deo ultimo fine, ratione cujus simpliciter est gravius peccatum, quam veniale. Loquamur ergo de duobus peccatis mortalibus, aut duobus venialibus, facta comparatione inter se: & certum est, peccatum, quod est minus grave ex objecto, posse habere majorem malitiam accidentalem ex circunstantiis. Similiter est certum, peccatum, quod est pejoris objecti, habere majorem malitiam essentialem. Sed difficultas est, quod sit dicendum simpliciter, & absolutè gravius? Respondet D. Thomas *quodlib.* 1. *artic.* 18. quem sequitur Cajetan. 2. 2. *quæst.* 144. *art.* 3. Sylvester, *verb. Perjurium* 2. Vasquez, & cæteri expositores citati, quod simpliciter est dicendum gravius peccatum, quod ex objecto est gravius, & ita inquit D. Thomas, perjurium esse gravius peccatum, quàm homicidium, & ratio est, quia objectum perjurii est pejus, quia contra Religionem. * Hactenus insignis Doctor Montesinos. Ex quibus infert, fornicationem accidentaliter esse gravius peccatum, quam furtum, non verò essentialiter, & ex suo objecto. Idemque de sodomia dicendum putat *num.* 85. *&* 86. Ex quibus convincitur, hunc Doctorem sentire, simpliciter dicendum, furtum gravius esse peccatum: *Quia simpliciter est dicendum gravius peccatum, quod ex objecto est gravius.*

6. Ad hujus illationis vim ex D. Thomæ principiis, faciunt verba Sylvestri loco supra citato à Montesinos, *verb. Perjurium, quæst* 2. Ubi eodem discursu probat, perjurium esse majus peccatum homicidio, dicens: * Secundo quæritur, utrùm perjurium sit gravius peccatum homicidio? Et dicit D. Thomas in quodlibetis, quod sic, licet homicidium gravius puniatur in Ecclesia, quia magis nocet hominibus. Summa autem Angeli tenet contrarium, quia homicidium charitati proximi, & perjurium latriæ opponitur, quæ est virtus minor. Sed dico, istam rationem esse ridiculosam, quia homicidium immediatè opponitur justitiæ, quæ est minor latria. * Ergo sicut ex principiis D. Thomæ rectè, & absolutè concluditur, perjurium esse majus peccatum homicidio, quia latria, cui opponitur, major est virtus, quam justitia, cui homicidium adversatur: ita similiter, & potiori jure concludi debet, furtum *ex suo genere* (quod est additum diminuens) esse majus peccatum sodomia, quia immediatè opponitur justitiæ, quæ est major virtus, quam temperantia, cui sodomia. Nec obstat, quod nefandum hoc vitium gravius puniatur in Ecclesia, quam furtum; sicut nec quod gravius puniatur homicidium, quam perjurium, ut ait Sylvester suprà.

7. Efficax aliud argumentum sumitur ex D. Thoma 1. 2. *quæst.* 73. *citata, artic.* 5. ubi cum statuisset, peccata spiritualia esse graviora, quam carnalia, sic sibi objicit: * Adulterium gravius peccatum est, quam furtum, sed furtum pertinet ad avaritiam, quæ est peccatum spirituale: adulterium verò ad luxuriam, quæ est peccatum carnale: ergo peccata carnalia sunt majoris culpæ. * Respondet. * Ad primum dicendum, quod adulterium non solum pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam ad peccatum injustitiæ, & quantum ad hoc potest ad avaritiam reduci. * Atqui sodomia solum pertinet ad peccatum luxuriæ: ergo cum tantum sit carnale peccatum, minoris erit culpæ, quam furtum. Hæc consequutio, concesso antecedenti, irrefragabilis videtur.

§. I.

Animadversio in Baronium.

8. CUm primam hujus difficultatis speciem, ex principiis D. Thomæ subortæ, Vincentius Baronius ex opere Amadæi Guimenii comparasset, atonitus hæsit, unumque Gabrielem Vasquez consuluisse fatetur. * In quo, inquit, argumentum, quod ex illo Amadæus refert, desidero in editione Antverpiensi, quicumque tandem fuerit, sive id numquam scripserit, sive pudor coëgerit eradere. * Nec mirum viro majoribus distracto id contigerit; cum in uno volumine Patris Vasquez, quo (ipse dicit) utitur, hoc nigrum theta paginam dealbaverit. Igitur ut his, qui causa cadunt, de more est, in verba prorumpit, & de immani corruptela principiorum D. Thomæ expostulat *in opere contra Amadæum, disput.* 1. *sect.* 1. §. 9. *fol.* 88. *& sequentib.* Et quasi unus hic Apologista illationis Author esset, cum tamen purum, & fidelem relatorem egerit, in eum acriter invehitur, nullique convitiorum generi parcit. Quæ ego, ne modestiæ parcam, silentio prætereo: & amicè rogo, an principia D. Thomæ superius jacta immaniter adulteraverit doctissimus Sylvester M. Sacri Palatii, dum ex illis, ubi suprà intulit, & absque addito illo diminuente *ex suo genere*, absolutè probavit, perjurium esse gravius peccatum homicidio? An M. Lopez de Texeda corruperit, dum eisdem innixus persuasit, homicidium esse gravius peccatum fornicatione? Uterque enim eodem argumento, eisdemque præmissis ex D. Thoma excerptis, suam conclusionem probat (ex oppositione scilicet cum majore virtute) quibus ad suam comprobandam utuntur P. Vasquez, Fragosus, Hieronymus Garcia, Montesinos, & alii. Cur, inquam, isti, & non illi de immani corruptela principiorum D. Thomæ damnandi sunt? Cur non omnes æquè immunitate gaudebunt? Cur non præcipuè Vasq. qui cum addito diminuente *ex suo genere* id asseruit? Candidus lector expendat.

9. Unum ego non præteream, Baronium in hac quæstione non solum principia, sed & conclusiones D. Thomæ deseruisse. Quod evidenter ostendo; quia D. Thomas expresse asserit, homicidium esse gravius peccatum sodomia, è contra autem Baronius, sodomiam gravius esse peccatum homicidio, quod indubitatum esse contendit, & ex principiis D. Thomæ se propugnare, jactat: en Baronii verba: * His ita constitutis, immanitatem nefandi peccati demonstrat D. Thomas discursu profundissimo. * Ex quo subnectit ipse: * Atqui nullum peccati genus istomagis exerrat à lege æterna, à synderesi, & ratione: ergo nullum est execrabilius eorum, quæ in jus naturale, & humanum incurrunt. * Et iterum fol. 92. * Non potest (inquit) negari citra cæcitatem, quin

nefandum illud peccatum præ cæteris, quæ jus naturale, & humanum lædunt, sit atrocissimum. * En amice lector, Baronius peccatum nefandum gravius esse asserit, quàm peccatum homicidii: quod adeò apertè ex principiis D. Thomæ deduci sibi suadet, ut in Amadæum sic retorqueat: * Nisi sophistam magis, quam Theologum agere, placeret Amadæo, non dissimulasset, quod ex D. Thoma retulimus, argumentum. * Sed quidem in D. Thomæ mentem numquam venit, peccatum nefandum gravius esse *cæteris, quæ jus naturale lædunt*: quia homicidium magis, quàm peccatum contra naturam, illi adversari, expressè tradit *tertio contra gentes, cap.* 122. per hæc verba: * Post peccatum homicidii, quo natura humana jam in actu existens destruitur, hujusmodi peccatum videtur secundum locum tenere, quo impeditur generatio humanæ naturæ. * En Baroni, citra cæcitatem negavit D. Thomas, peccatum nefandum esse gravius homicidio, & mirror te non negasse, cum expressa D. Thomæ verba nuper adducta apud Amadæum fideliter excerpta legeris. Quæ forsan ignorans Thomas Hurtado *tom.* 1. *resol. moral. cap.* 8. *resol.* 30. *num.* 325. (etsi juratus aliàs Thomista) ausus est, similiter docere, sodomiam gravius esse peccatum, quam homicidium: sed his omissis.

10. Ad argumentum ex principiis D. Thomæ ubi supra instauratum respondet Baronius, peccatum eo esse gravius, quo majori virtuti opponitur, nisi ex circunstantiis, quod inferiori virtuti adversatur, præponderet. * Aliàs peccatum, inquit, veniale furti, utpotè superiori virtuti adversum, majus esset peccato mortali ordinis inferioris, verb. grat. fornicatione; imò & sodomia, & bestialitate. * Responsio hæc difficultatem non evacuat, quæ ut supra diximus, solum procedit, facta comparatione inter mortalia; quando enim circunstantia est talis, quod ex veniali trahat ad mortale, benè docuit Montesinos ubi suprà, peccatum mortale furti ratione aversionis à Deo, quam includit, in esse moris, specie differre à peccato levi furti, licet inesse physico, grave, & leve ad idem genus reducantur; certissimumque est, circunstantiam addentem malitiam diversæ speciei posse gravius constituere peccatum, aliàs minus grave ex suo objecto, ut constat ex dictis *num.* 5. Cæterum vellem ego Baronius explicasset, quæ sit circunstantia illa, quodcumque peccatum contra naturam inseparabiliter comitans, ratione cujus peccatum mortale minus grave ex objecto, utpotè virtuti inferiori temperantiæ oppositum, gravius evadat peccatis aliis gravioribus ex objecto, utpotè justitiæ præstantiori virtuti adversis. Aliàs æquo jure Baronius posset impetere Sylvestrum ex D. Thoma asserentem, perjurium esse majus peccatum homicidio, quia superiori virtuti opponitur; & M. Texedam ex eodem etiam principio adstruentem, homicidium esse gravius peccatum fornicatione. Cur inquam in his casibus limitationem non patietur principium D. Thomæ, ex circunstantiis præponderantibus, ut ad argumentum Patris Vasquez enervandum fingit Baronius?

11. Omitto, hanc evasionem jam diù rejectam fuisse à sapientissimo Doctore Montesinos Primario Complutensi, verbis ex illo supra datis *num.* 5. Quam etiam impugnavit Primarius alter Sacræ Theologiæ Cathedræ M. in celeberrima Universitate Salmanticensi, D. Joannes Alphonsus Curiel D. Thomæ doctrinæ addictissimus 1.2. *q.* 73. *art.* 3. §. 2. Ubi sic scribit: * Aut quæstio est de re, aut de nomine: si sit quæstio de re, dico, non sufficere gravitatem alicujus peccati ex parte circunstantiarum, quæ non dant speciem, ut tale peccatum sit absolutè, & simpliciter gravius, quàm aliud, quod sit ex parte objecti grave. Probatur, quoniam quantumcumque primum peccatum crescat in gravitate, quæ sumitur ex circunstantiis, semper superabitur à posteriori in gravitate substantiali, & essentiali. Ergo semper erit simpliciter, & absolutè minus grave, quam posterius, antecedens patet: quoniam gravitas ex circunstantiis est accidentalis, & gravitas, quæ sumitur ex objecto est substantialis. * Hæc ille cum Montesinos. Quibus enervatum manet primum, & præcipuum fundamentum, quo Baronius vim illationis argumenti Patris Vasquez, & aliorum elevare tentavit.

§. II.

Solidius aliorum effugium proponitur, & impugnatur.

12. Doctissimus M. Curiel ubi suprà inevitabilem censens consequutionem Patris Vasquez, & aliorum ex principiis D. Thomæ, si peccata contra naturam soli temperantiæ opponantur, respondet, peccata luxuriæ non solum temperantiæ, sed justitiæ etiam adversari. Sic tradit *artic.* 4. §. 2. dicens: * Fornicationem esse peccatum gravius furto, non præcisè quatenus est contra temperantiam, sed quatenus habet aliquid injustitiæ admixtum. * Quæ prædocuerat M. Sotus *lib.* 5. *de justit. quæst.* 3. *artic.* 3. ait sic: * Fornicatio est quodammodo contra justitiam, quæ erga futuram prolem servanda est. Constituitur autem principaliter in specie intemperantiæ, quia non est contra personam actu existentem, sed contra illam, quæ est tantum in potentia. * Non mirum, quia impeditur generatio, si species peccati sit contra naturam: vel saltem regulariter loquendo instituitio, & nutritio prolis, si peccatum simplex fornicationis sit. Sed hic Author hoc dictum patris retractavit *in* 4. *sentent. dist.* 12. *q.* 1. *artic.* 5. *ter. Refellendum autem*: quia planè concedit, * peccatum luxuriæ ex suo genere gravius esse peccato fornicationis, & quod istud intemperantiæ, illud verò justitiæ, quæ præstantior est virtus, opponitur * ergo apertè admittit peccatum fornicationis ex suo genere non esse contra justitiam.

13. Verum sententia præfata Magistri Curiel, & Soti *lib.* 5. *de justit. suprà citato* est expressa D. Thomæ 2.2. *quæst.* 154. *art.* 3. ubi apertè asserit, fornicationem secundùm suam speciem, esse gravius peccatum furto. * Quia est (inquit) contra bonum hominis tuitui, & ideò est gravius peccatum secundùm suam speciem peccatis, quæ sunt contra bona externa, quale est furtum, & alia hujusmodi. * Quem sequuntur Cajetanus ibi. P. Azor 3. *part. lib.* 3. *cap.* 4. *fol. ultimo.* Zumel 1.2. *quæst.* 74. *artic.* 4. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 7. *num. fine.* Herrera 1.2. *disput.* 32. *quæst.* 4. & 6. P. Mendo *in statera differt.* 5. *quæst.* 23. & Vincentius Baronius *suprà fol.* 90.

14. Hæc doctrina, licet non paucis difficilis videatur, neque ab omnibus recepta, ut dicit Lorca 1.2. *disput.* 19. *de peccatis, memb.* 1. aptissimâ est ad præfatam difficultatem enodandam. Cæterum gravissimis aliis ex D. Thomæ doctrina suboritis implicatur. Primò, quia 1.2. *quæst.* 66. *artic.* 4. verbis ex illo supra datis *numer.* 1. justitiam constituit præstantiorem virtutis temperant â in veneteis, quod verum non est, si tem-

si temperantia includeret justitiam: Secundò, quia *quæst. 73. artic. 5.* ad injustitiam propriam adulterii recurrit, ut inde probet, esse majus peccatum furto, quod frustra fieret, si fornicatio simplex gravius furto peccatum esset. Tertio, quia tota ratio injustitiæ, quam præfati Doctores considerant, peccato contra naturam, vel fornicationis admixtam, desumitur ex injuria, quæ proli in potentia fit, & cui seminis mala administratio nocere potest. Hæc autem ratio malitiæ, in quolibet peccato carnali, ut opposito temperantiæ in venereis, reperitur, ut ex Cajetano 2.2. *quæst.* 154. *artic.* 4. tradit Curiel *ubi supra* §. 2. *in fine.* Ergo ratio hæc malitiæ est formaliter inclusa in peccato intemperantiæ ut tali; atqui peccatum nefandum, quatenus est contra temperantiam, non est gravius furto, ut ferè omnes citati fatentur; ergo absolutè, & simpliciter non est gravius, quia non est alia species virtutis justitiæ condistincta à temperantia, cui tale peccatum opponatur.

15. Quartò denique, quia si peccatum nefandum, vel fornicationis, ut est præcisè contra temperantiam, non est gravius furto, neque erit grave, ut est formaliter contra temperantiam, sed solum ex circunstantia injustitiæ trahentis in aliam speciem, nam propter solum damnum prolis est mortale peccatum. Quod dicere nefas est. Præterquam quod, sicut proles jus non habet justitiæ, ut generetur, ita nec ut generetur modo convenienti ad rectam educationem, nec ut non impediatur generatio. Ergo in peccato contra naturam, & in fornicatione, nulla continetur injustitia; aliàs delinquens teneretur ex justitia ad restitutionem damni, quod ex prole orta ex fornicatione, subsequeretur: quòd in nullius mentem venit. Si autem semel detur simplicem fornicationem non continere malitiam contra justitiam, sed intra metas intemperantiæ noxiam esse proli, idem à fortiori de peccato contra naturam dicendum erit. Unde difficultas argumenti P. Vasquez, & aliorum recrudescet, quia temperantia, cui ejusmodi peccatum opponitur, inferior est justitia, cui furtum. Quapropter ei succumbere tenetur M. Lopez de Texeda, qui omnia principia, quibus authores citati nituntur, absque limitatione concedit. Nam *lib. 2. tr. 3. controv. 7.* expressè tradit peccatum fornicationis, (& consequenter peccata contra naturam) solum opponi temperantiæ: & *controv. 11. dub. ult. num. 177.* inquit, justitiam, cui opponitur furtum, esse longè majorem, & perfectiorem virtutem temperantia, & peccatum, ut docet D. Thomas, eo esse gravius ex natura sua, & specie, quo majori virtuti opponitur. Ex quibus præmissis infert, homicidium, quia justitiæ adversatur, esse gravius peccatum fornicatione: unde & furtum gravius esse, consequenter infertur; & utrumque à fortiori majus esse peccatum sodomiâ. Aliàs eius argumentum nil concluderet.

§. III.

Vera, & tenenda sententia.

16. Licet Doctores supra citati, & fundamenta præjacta ab omni improbabilitatis, & alterius censuræ nota immunem reddant suam opinionem; contrariam tamen in sensu ab aliis Theologis communiter intento (nempè furtum secundum suam speciem esse peccatum minus grave sodomia) sustinendam censeo, quam tenuit D. Thomas *tertio contra gentes, cap. 102.* Ubi post peccatum homicidii, peccata contra naturam secundum locum tenere asserit. Et 2.2. *quæst. 154. art. 12.* ubi ait, peccatum contra naturam esse majus adulterio: adulterium autem majus est furto; ergo & peccatum contra naturam: imò & fornicationem ait *ibidem art. 3.* secundum suam speciem esse gravius peccatum furto. Unde dubitari non potest, juxta D. Thomam, furtum mortale, ex suo genere, levius peccatum esse sodomia. D. Thomam sequuntur communiter Theologi. Tannerus 1. 2. *disput. 4 quæst. 3. dub. 2. num. 29.* Valentia 1. 2. *quæst. 2. punct. 2.* Azor *lib. 4. cap. 19. quæst. 4.* Suarez 1. 2. *disput. 2. de essentia peccati, sect. 2.* Baldellus *lib. 2. de peccatis in communi, disput. 28. num. 4. vers. Ut tamen,* & Doctores omnes societatis. M. Sotus *lib. 4. de justit. quæst. 3. art. 3. & quæst. 10. art. 3.* Corradus, Medina, & cæteri Thomistæ 1. 2 *ad artic. 4. quæst. 73.*

17. Probatur primo *ex Genes. 3.* ubi sacer textus ait: *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram domino nimis.* Ubi septuaginta Interpretes sic legunt: *Peccatores in conspectu Dei vehementer*: quibus hujus peccati gravitas, & magnitudo denotatur. Secundò probatur ex Sanctis Patribus. Chrysostomus *homil. 4. super Epistol. ad Roman.* ibi: * Quodcumque delictum nominaveris, nullum huic peccato par dixeris, qui si facta sua sentirent, qui patiuntur, sexcentas utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur. Neque enim est hac injuria alia ulla nec gravior, nec rationis minus habens. * Similiter loquitur Augustinus *lib. de Adulterinis conjugiis, cap. 9.* & refertur 32. *quæst. 7.* * Adulterii malum (inquit) vincit fornicationem, vincitur tamen ab incestu: pejus enim est cum matre, quam cum alia uxore concurrere: sed omnium horum est pessimum, quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris ad hoc non concesso voluerit uti. * Ex quibus apertissimè constat juxta mentem Sanctorum Patrum, peccatum contra naturam gravius esse peccato adulterii; ac proinde gravius furto, quod ab adulterio superatur.

18. Tertiò probatur ratione. Quia illud peccatum censetur gravius secundùm suam speciem, per quod majus, & præstantius bonum læditur, unde quia Deus secundùm se est præstantius bonum, quam homo, & homo secundùm suam substantiam, quam bona externa: Ideò peccata, quæ immediatè sunt contra Deum, ut hæresis, odium, & blasphemia, graviora sunt, quam ea, quæ sunt contra proximum, ut furtum, detractio, & homicidium. Et inter ea, quæ sunt contra proximum, graviora sunt illa, quæ sunt contra eius substantiam, quam quæ contra bona externa; ut homicidium est gravius furto. Cum ergo peccatum contra naturam, contra melius bonum sit, nempè contra vitam, quæ est in potentia, quam furtum, quod est contra bona externa; nequit non majus, & gravius esse peccatum, quam furtum, ut benè dixit D. Thomas supra 2.2. *quæst. 154. art. 3.* Quem sequuntur M. Sotus, Zumel, Herrera, Sayrus, Azor, & alii supra citati, *num. 12. & 13.* & alii, quos sequitur Salas 1.2. *tom. 1. q. 73. tract. 13. disput. 5. sect 3. num.* 38. subnectens, ferè omnes ita docere. D. autem Thomas, dum ait, fornicationem secundum suam speciem esse gravius peccatum furto, clarè innuit, quod secundum quod opponitur temperantiæ, gravius furto peccatum est. Quod non aliunde probat, nisi quia est contra majus bonum: cujus argumentum magis urget in sodomia, & aliis peccatis contra naturam, quia quantum est ex ipsis, totaliter evertunt adæquatam rationem virtutis castitatis, & ad speciem radicitus evellendam tendunt.

19. Ex

19. Ex his difficilè non erit à difficultate ex principiis D. Thomæ suborta me expedire; & ut felicius, præmitto, virtutem justitiæ in tota sua latitudine triplex bonorum genus pro objecto habere: aliud eorum, quæ ad vitam, aliud, quæ ad honorem, & aliud eorum, quæ ad divitias pertinent. Temperantiam verò in venereis unum tantum bonorum genus respicere, nempè eorum, quæ ad vitam futuræ prolis. Unde fit primò, speciem justitiæ, quæ vitæ præsenti conservandæ consulit, melius bonum pro objecto habere, speciebus aliis justitiæ, quæ circa honores, aut divitias versantur; ac proinde præstantiorem cæteris esse. Præterea secundum hanc rationem præcellere etiam virtutem temperantiæ in venereis, quia temperantia vitam solum in potentia, quæ minus bonum est, quam vita in actu, pro objecto habet: quapropter homicidium majus peccatum est, quam peccatum contra naturam, ut ait D. Thom. *suprà tertio contra gentes, cap.* 122. verbis illis: * Post peccatum homicidii, quæ *num.* 9. fideliter excerpta dedi. * Fit secundò, justitiam, prout ad honorem, & divitias conservanda, vel restituenda terminatur, inferiorem esse virtute temperantiæ, quia hæc majori bono, nempè vitæ prolis in potentia consulit, atque adeò peccatum contra temperantiam gravius est detractione, & furto, quia vita hominis nascituri bonitate excellit honores, & divitias. Quapropter Div. Thom. *ubi supra quæst.* 154 *art.* 3. *citato*, jure dixit, fornicationem secundùm suam speciem esse gravius peccatum aliis, quæ sunt contra bona externa, sicut est furtum, & alia hujusmodi.

20. Hinc ad argumentum ex principiis D. Thomæ supra confectum facilè respondeo, & ut clarius, illud instauro * Peccatum eo est gravius, quò majori virtuti opponitur: sed furtum ex suo genere opponitur justitiæ, quæ est major virtus: sodomia temperantiæ, quæ est minor; ergo furtum est gravius peccatum, quàm sodomia. * Distinguo majorem, quò majori virtuti secundùm speciem, cui immediatè opponitur, concedo, secundùm genus tantum nego. Et similiter distinguo minorem: Justitia, prout respicit vitam præsentem proximi, est major virtus, quam temperantia, concedo, prout alia bona externa, nego: quia vita hominis nascituri, cui temperantia consulit, majus est bonum, quam honores, & divitiæ, quæ istæ species justitiæ habent pro objecto. His, ni fallor, enervatur omninò argumentum, in quantum oppugnat communem omnium apprehensionem circa gravitatem peccati, & magis roboratur vera, & communis sententia asserens, peccatum sodomiæ, secundùm suam speciem, gravius esse, quam furtum; quia licet genus justitiæ præstantius sit genere temperantiæ, & in hoc sensu verè dicatur peccatum injustitiæ *ex suo genere* gravius esse peccato intemperantiæ (quod tantum asseruit P. Vasq.), non incongruit, aliquam justitiæ speciem ratione differentiæ specificæ à perfectione temperantiæ superari, sicut in physicis contingit: cœlum namque Empireum perfectius est, quam musca, licet genus viventis, sub quo ista continetur, præstantius sit. Quis inquam negabit sodomiam crimen esse enormissimum flammis revera ultricibus expiandum! Rectè ergo cohæret ejusmodi peccatum absolutè, & simpliciter loquendo gravius esse, coram Deo, & hominibus, quolibet furto, quantumvis immani, & tamen secundum quid, & cum addito *ex suo genere* levius furto peccatum appellari. Quia per hæc solum significare intendunt P. Vasq. & sequaces, genus justitiæ, sub quo plures species continentur, perfectius esse, quam genus temperantiæ, quia illud habet pro objecto aliquod bonorum genus, nempè vitam hominis præsentis, longè excellens objectum temperantiæ. Quod verissimum esse nemo inficiari potest. Quapropter P. Arriaga *tom.* 3. *de virtut. & peccat. disp.* 42. *sect.* 3. *num.* 35. postquam de gravitate peccatorum egit, comparatione facta inter peccatum gravissimum & peccatum luxuriæ contra naturam, concludit cum Patris Vasquez sententia dicens: * Solum dicit ut genere suo esse gravius, quod nos non negamus: addimus tamen non obstante ea generis diversitate hoc individuum (nempè sodomiam) esse gravius illo (scilicet furto) quod ex genere suo altius est. * Quod veriſſimum esse satis constat ex dictis. Nec P. Vasquez unquam negavit, quamvis Hieronymus Garcia, & alii laxius loquuti fuerint, non benè probatum adducentes: cum advertere debuissent ex his *genere*, quo semper sententiam limitavit, locum requisse majori gravitati specificæ, & individuali quam communis Theologorum sententia, illam non curans, ut indubitatam, & lumine naturæ notam tenus astruxit.

QVÆSTIO VI.

Sitne usura, aliquid supra sortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus?

§. I.

Sententiæ negantis fundamenta.

1. REs sanè difficilis, & multis undiquè sanctis irretita, & in cujus enucleatione, aliis gratum, aliis ingratum facere, opus erit. Sed non ideò veritas tenebris involuta defenda. Pro parte negante, usuram esse, aliquid exigere pro nuda dicta obligatione, militant, quæ sequuntur.

2. Non repetere mutuum in fine hujus anni, id dilationem concedere, est virtualiter mutuare, ergo obligatio ad non repetendum est obligatio ad virtualiter mutuandum. Ex hoc principio sic arguitur: obligatio nunc facta non repetendi mutuum in fine hujus anni, est obligatio mutuandi in futurum, id obligatio mutuandi, est pretio æstimabilis, ergo id obligatio non repetendi mutuum. Consequentia est legitima, major per se nota: minor probatur ab authoritate; quia ea expresè tuentur D. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. Cajet. & Aragonibr: Salon, Bainez, Conrado, Sylvester, Medina, Palacios, Covarruvias, Tabiena, Armilla, Toledo, Molina, quos refert & sequitur Salas *tract de usura, dub.* 9 *num.* 2. Sed quid recensere immoror? ferè omnes Doctores, vi agmine facto, ducis vestigiis insistentes, in hoc conspirarunt. Ergo saltem authoritate extrinseca manet probabilis minor illa propositio. Ex majori autem evidenti, & minori, authoritate extrinseca, probabili, deducetur ne consequens improbabile?

3. Præterea. Minor illa propositio ratione etiam ponderè sic stabiliri potest. Obligatio ex justitia ad mutuandum in posterum adimit obligato suam libertatem, eumque quasi alteri subjicit; sed hominem se ipsum sua libertate privare in alterius obsequium ad

est pretio æstimabile : ergo obligatio ex justitia est pretio æstimabilis.

4. Ad rem igitur proprius accedendo, sic instauro argumentum. Obligatio ex justitia ad mutuandum est pretio æstimabilis, quia sic adstrictus privatur sua libertate ad non mutuandum, sed qui se obligat ad non repetendum mutuum intra certum tempus, privatur sua libertate repetendi : ergo obligatio ad non repetendum est pretio æstimabilis.

5. Confirmatur ex communi Doctorum sententia, quam tenent Aragon, Mascardo, Emanuel, uterque Medina, Lopez, Graffis, Angles, Navarro, & alii, quos refert, & sequitur Salas *dub.* 14. qui asserunt, usuram esse, mutuare cum pacto, ut mutuatarius postea conferat Ecclesiasticum Beneficium : & reddunt rationem, quia illa obligatio ad conferendum adimit libertatem collatori, ac proinde est pretio æstimabilis. Benè. Sed obligatio non repetendi mutuum intra annum adimit libertatem mutuanti, ergo est pretio æstimabilis. Ergo licebit aliquid supra sortem exigere pro hac obligatione : sicut & pro damno emergente, quia pretio æstimabile est.

6. Secundo argumentor ex P. Molina, Conrado, Soto, Armilla, Joanne de Medina, Lopez, Navarro, Aragon, & Toledo apud Salas *dub. 9. num. 4. §. Præterea.* Qui constanter tuentur, eum, qui mutuavit cum pacto, ut mutuatarius aliquid supra sortem redderet, non solùm teneri restituere acceptum, & damna, quæ mutuatario evenerint, verum etiam aliquid ultra ei conferre ratione obligationis, quam susceperat. His positis : sic insurgo. Illa obligatio, à mutuatario facta, non fuit vera, sed apparens, utpotè quæ nullum justitiæ jus contulit mutuanti, ut in confesso est apud omnes, & tamen pro illa est aliqua compensatio facienda, ut præfati Doctores asserunt; sed obligatio non repetendi mutuum intra annum, est vera obligatio, & non apparens : ea etenim ex justitia manet mutuans alteri adstrictus, verumquè, & strictum jus mutuatario confert : ergo pro obligatione non repetendi mutuum intra annum, aliqua compensatio potiori jure est facienda. Mirabile enim dictu esset; posse mutuatarium aliquid exigere pro obligatione ficta, & hoc non licere mutuanti pro obligatione vera! Quasi pejoris esset conditionis, quia beneficium contulit.

7. Dices cum aliquibus : eum, qui se obligat ad non repetendum mutuum, non manere adstrictum ad mutuandum formaliter, sed solum ad virtualiter mutuandum, cum non repetere, sit virtualiter mutuare. Unde licet pro obligatione ad mutuandum formaliter, possit aliquid supra sortem exigi : secus pro obligatione ad mutuandum virtualiter. Sed amice rogo, quid ad rem, mutuatio sit virtualis, an formalis ? cum realiter idem effectus resultet. Verum ne inde ullus pareat aditus, effugium tibi præcludo, à fidejussore repagulo accepto.

8. Fidejussio, ut docet Salas *supra dub. 11. numer. 2.* (& nullus, ut credo, inficiabitur) nil aliud est, quam obligatio ad virtualiter mutuandum, ut ex se patet : quia fidejussio est obligatio ad solvendum pro alio : solvere autem pro alio, est virtualiter illi mutuare. Modo sic. Fidejussio est pretio æstimabilis, potestque pro ea aliquid exigi, ut tenent Sotus, Salon, Navarra, Molina, Vega, Emanuel, Joannes de Medina, & alii : ergo obligatio ad mutuandum virtualiter est pretio æstimabilis : ergo discrimen à te assignatum omnino evanuit. Ergo licet obligationem repetendi mutuum intra annum, tantum adstringat ad mutuandum virtualiter, erit pretio æstimabilis, ergo poterit pro ea aliquid supra sortem exigi.

9. Urgetur primò. Fidejubere, alterius nomine, ad annum, pro mille aureis, verb. grat. est pretio æstimabile, licet in debitore nullum sit periculum, ut expresè fatentur Doctores supra citati : ergo mutuare cum obligatione non repetendi, erit pretio æstimabile : nam, ut benè ait Lessius *dub.* 14. hoc est difficilius, quàm illud : plures enim invenies, qui nomine tuo fidejubeant pro tanta summa, quàm qui eam tibi velint ad annum mutuare, ut experientia constat. Nam qui fidejubet, cum nullum est periculum, moraliter certus est, nullam à se pecuniam numerandam : quod si fortasse aliter contigerit, certus est, eam recuperaturum, imò potest eam statim repetere, & omne interesse. Qui verò mutuat, jam re ipsa numerat, & quidquid evenerit, non potest ante annum repetere : etsi aliquod interesse cessaverit, non compensabitur, nisi de eo expresè fuerit conventum : ergo difficilius, & æstimabilius est, mutuare cum obligatione non repetendi per annum, quam pro eadem summa fidejubere : sed pro hac fidejussione potest aliquid exigi; ergo & pro illa obligatione.

10. Premo, secundò : Fidejussio pro mille aureis est obligatio solvendi, si mutuatarius non stet promissis : solvere autem pro mutuatario est illi virtualiter mutuare, ut constat ex dictis : virtualiter verò mutuare, nil aliud est, quàm minùs habere in suis bonis eam summam, donec mutuatarius compenset. Ex quibus sic formo argumentum. Ideò fidejubere est pretio æstimabile, quia fidejubens quatenus est ex se, exponitur minus habere in fine anni eam summam in suis bonis, & ea invitus carere, donec mutuatarius compenset, sed qui mutuat cum obligatione non repetendi intra duos annos, exponitur quatenus est ex se minus habere in fine anni eam summam mutuatam in suis bonis, & ea invitus carere usque ad compensationem, ergo sicut illa fidejussio est pretio æstimabilis, ita & hæc mutuatio. Si enim, qui mutuat, in se suscipit onus fidejussoris; & hic potest aliquid pro tali onere exigere; quare mutuanti id non licebit? Nonne congruum erit, ut qui incommodum sentit, sentiat commodum ? Tantum ne crimen est mutuasse, ut ipso facto incurrat pœnam privationis lucri, quod alter eodem suscepto onere sibi pararet : ergo licitum erit aliquid supra sortem exigere pro obligatione non repetendi mutuum intra certum tempus.

11. Hæc sunt fundamenta, quæ pro hac sententia congeri possunt : quam absolutè defendunt Medina *Cod. de Restit. quæst.* 32. & M. Petrus de Ledesma *2. p. Summ. tract. 8. cap. 33. conclus. 4. diffic. 2. folio mihi* 546. in edit. Salmantina, anno 1614. ubi ait, esse communem inter discipulos D. Thomæ, verba eius sunt : * Si la obligacion de no volver à pedir es por mucho tiempo, se puede muy bien estimar en precio, y por razon de aquella obligacion se puede muy bien llevar el justo precio, sin usura ninguna. Esto ensennan todos los discipulos de Santo Thomas. La razon està clara, porque la tal obligacion es estimable con precio. * Sic ille. Quem sequitur M. Serra *2. 2. quæst. 78. art. 2. dub. 3.* ibi : * Dicendum est secundò, licitum etiam esse mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum terminum. Hujus oppositum tenent Lessius, & alii recentiores, &c. * Quibus adde M. Acatium de Velasco *tom. 2. Resol. Moral. verb. Usura, resol.* 455. *num.* 1. ubi sic : * Preguntan los Doctores, si por la obligacion, en que se puso, de no pedirsele hasta passado el anno, pueda llevar algo mas ultra sortem ? * Et

cita-

citatis pro parte negativa Jesuitis, Turriano, Molina, Salas, Layman, & Hurtado, respondet: * No obstante, que esta opinion es probable, siento, que la del Maestro Ledesma lo es tambien; y se puede seguir con mucha seguridad de conciencia, con que sea poco lo que se lleuare, como tres, ò quatro libras por ciento. * Et eam tuentur Cœlestinus *in Compendio Theolog. Mor. tractat. 11. cap. 5.* Caramuel *in Theolog. Fundamentali. Fund. 60. §. 1. à num. 1264. fol. mihi 623. & 636.* Fr. Philippus de la Cruz *tract. unico de interesse, fol. 9.* Diana *1. p. tit. 8. resolut. 48.* & probabilem esse dicunt Bertrandus Loth *in Resol. Theologicis, tract. 9. q. 1. art. 4. tit. 2.* & non esse improbabilem putant Trullench *lib. 6. in Dec. cap. 16. dub. 12. in fine.* Joannes Henriquez *in qq practicis, sect. 23. q. 4. num. 13.* & Bassæus *in Floribus, verb. Vsura, num. 9.*

§. II.

Contraria & vera sententia.

12. COntraria verò sententia omnino tenenda est. Sed ut jacula intorta retorquendo disjiciam; duo mihi stabilienda sunt: Primum, obligationem mutuandi in posterum, sive formaliter, sive virtualiter, non esse pretio æstimabilem (omni incommodo, & periculo secluso.) Secundum, etiam hoc gratis dato, non licere, aliquid suprà sortem exigere ratione prædictæ obligationis non repetendi mutuum. Ad primum igitur procedendo, sic argumentum conficio.

13. Obligatio non repetendi mutuum, est obligatio virtualiter mutuandi in posterum, sed pro obligatione mutuandi in posterum nil potest suprà sortem exigi: ergo nec pro obligatione non repetendi mutuum. Consequentia legitimè deducitur, major est certa, minorem probo. Primò ab auctoritate, quia ita tenent Adrianus *in 4. materia de Rest. quæst. de Vsur. §. Sed contra.* Almainus *in 4. dist. 15. quæst. 2.* S. Antoninus *2. p. tit. 1. cap. 7. §. 10.* Navarrus *cap. 17. numer. 120. & 123.* Angelo *verb Vsura 1. quæst. 4.* & Hostiensis apud illum. Salon hic *art. 2. cont. 3.* Emanuel *1. p. cap. 111. num. 2. & tom. 2. Sum. cap. 197. num. 5.* Vega *verb. Vsura, casu 76.* Aragon *hac quæst. 78. art 1. ad 3. pag. 668.* P. Salas *tract. de Vsuris, cap. 9. 10. & 17.* Favet etiam P. Sà *verb. Mutuum, num. 2.* Major, Joannes Andreas, Laurentius de Rodulphis citati ab Azor *p. 3 lib. 5. cap. 7. quæst. 1.* & probabilem putat Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 4.* Verum cum pro contraria sententia auctoritas etiam aliorum non minoris momenti militet; ad rationis pondera fideli lance libranda deveniendum est. Sic igitur minorem illam probo. Mutuare statim non est pretio æstimabile, ut fide sanctum est, & lumine naturali notum, ergo nec se obligare ad mutuandum post mensem. Consequentia patet, quia omni alio periculo, incommodovè secluso, molestius est statim mutuare, quam post mensem: plures enim invenies, qui se obligent ad posteà mutuandum, quam qui statim mutuent. Qui enim modo mutuat, modo privatur rei dominio, & in alium transfert, qui verò in posterum se obligat, toto intermedio tempore re sua potitur. Quare ergo erit pretio æstimabile, se obligare ad mutuandum post mensem, & æstimabile non erit, statim mutuare, cum hoc tibi molestius sit, & mihi commodius? Mirabile quidem esset, pluris valere spem beneficii, quam gaudium, & me teneri pecuniam tibi ut debitam tradere, quia beneficium conferre distuli-sti? sicut & te non posse pecuniam exigere, quia mihi tuo das, posse vero quia mutuo dabis?

14. Urgetur, nam si obligatio ad mutuandum sit pretio æstimabilis, stolidus sanè esset, qui lucrum e mutuo ob timorem culpæ non reportet: nam, ut benè notat Bannez suprà, quid facilius, quam petenti mutuum dicere: nolo mutuare hodiè, sed hodierno obligo ad mutuandum post mensem: & rationabilis obligationis pretium petere æquivalens alteri * In quo casu nemo (inquit) negabit, tale pactum usurarium esse. * Et merito: naturali enim ratione pugnat, quod laudi, & premio tibi vertatur, quod semel dederis: alteri vitio, & pœnæ, quia bis dederis, cum cito dederit. Nonne hoc injustitiam manifestam continere, luce meridiana clarius est?

15. Dices, magnum esse discrimen: nam qui se obligat ad mutuandum, privatur sua libertate, quæ est pretio æstimabilis: Benè. Sed qui modo tibi mutuat, privatur etiam sua libertatè: ergo si pro obligatione licet aliquid exigere, licebit etiam pro mutuatione. Probo antecedens: quia detentio mutui essentialiter est, dominium tradere pro aliquo tempore, arbitrio contrahentium determinato. Ergo qui statim mutuat, privatur pro aliquo tempore libertate re sua utendi, alteri mutuandi, in alio fovè ullo disponendi: Ergo vel pro actione mutuandi petet aliquid suprà sortem exigi, quod hæret cum eleuato obligatione mutuandi non potest. Utrobique enim privatio libertatis reperitur: si ergo hæc obligationem mutuandi pretio æstimabilem reddit, cur non redder mutuationem ipsam?

16. Ecce à posteriori evidens pro nostra sententia argumentum. Pro actione mutuandi nil potest suprà sortem exigi, ut fides, & ratio naturalis dorent. Ergo in actione mutuandi nil suprà sortem pretio æstimabile reperitur. Hæc consequentia est Theologica. Sed in actione mutuandi est aliqua privatio libertatis. Ergo privatio hæc libertatis non est pretio æstimabilis. Est evidens consequentia.

17. Dices secundò: hoc argumento manifestè convinci, obligationem ad statim, verb. gratia hebdomadam mutuandum, non esse pretio æstimabilem, ut docent Victoria *tract. de Vsuris, art. 2.* Navarra *de Restit. lib. 3. cap. 2. dub. 4. illatione 2.* allegans opinionem D. Thomæ. Corradus *in Sum. quæst.* P. Reginaldus *tom. 2. disput. 25. cap. 11.* P. Laymann *3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. num. 3.* P. Lessius *cap. 20.* secus obligationem mutuandi post mensem. Sed contra. Quia ideò obligatio mutuandi post mensem est pretio æstimabilis, secundum adversarios, quia secum importat privationem libertatis sed hoc non contingit in obligatione mutuandi post hebdomadam: ergo. Quod verò in uno casu detur major libertatis privatio, quam in alio, solum probat, æstimabilitatem non esse æqualem: non autem, nullam esse. Exemplo confirmo. Si conducas viam operam per hebdomadam, & alius per mensem: non inferna non esse mercede dignum, sed alterum majorem pro mereri: ergo ex eo, quòd privatio libertatis maioris fuerit tantum ad hebdomadam, non inferrit, pretio æstimabilem non esse; sed non esse æstimabilem tanti, quanti si ad mensem. Ergo vel dicendum obligationem mutuandi in posterum non esse pretio æstimabilem, vel non inficiandum, pro actione mutuandi, posse aliquid suprà sortem exigi.

18. Secundò argumentor paritate acceptâ à contractu emptionis, & venditionis. Et majoris claritatis gratia ponamus, domum tuam mille aureis mihi gratia ponamus, domum tuam mille aureis mihi lentem, ab altero emi, anticipata solutione. Illa-

rim numerat pecuniam, & tu obligaris post annum domum tradere: quod licitum esse, nullus est, qui dubitet. Probo igitur, hunc contractum esse injustum, si obligatio ad mutuandum sit pretio æstimabilis. Et procedo sic. Pecunia tradita, & valor domus tradendæ æquali lance librantur, ergo cuicumque addatur aliquid pretio æstimabile, inæqualitas constituetur: probatione non indiget. Sed ex parte vendentis additur obligatio tradendi post annum, quæ est pretio æstimabilis, utpotè privatio libertatis, ergo ut justitiæ æqualitas servetur, opus erit, ut qui anticipatè solvit, aliquid ultra pecuniæ, suprà domus æstimationem, numeret, pro obligatione à venditore suscepta: Quod risum movet.

19. Confirmatur exemplo ab adversariis admisso. Quivis potest, nolle mutuare pecuniam nolenti sibi triticum, verb. grat. mutuare; quia in hoc casu exigitur mutuum pro mutuo, in quo est æqualitas. Secus (inquiunt) si mutuum petenti dicas, mutuabo, si te ad mutuandum post mensem obliges: reddunt rationem, quia licet unum mutuum sit æquale alteri seorsim sumpto, non tamen ut conjuncto cum obligatione in posterum, cum hæc obligatio pretio æstimabilis sit. Benè. Ergo cum pecunia numerata sit æqualis valori domus seorsim sumptæ, non erit æqualis valori domus, & obligationi in posterum tradendi simul, cum illa obligatio pretio æstimabilis sit. Quid ad hæc?

20. Perpende quæso, dissonantiam sententiæ. Si venditor statim domum tradat, mille aurei tibi sufficiunt, si per annum protrahat, pretium augere teneris. Si statim alter tibi mutuet, nil pretio æstimabile facit; si beneficium differat, dignus est mercede. Inauditum sanè, ad aliquid ultra rei valorem me teneri, quia anticipatè pecuniam illi numeravi! Nonne hoc omni probabilitate destitutum, rationis lumine notum est? Ergo obligatio mutuandi non est pretio æstimabilis.

21. Tertiò sic argumentor. Si tibi debeam centum in fine hujus anni solvenda: possum modo tibi quinquaginta offerre cum pacto, ut alia non solvam ante biennium; ut ipsimet adversarii fatentur; sed hoc est dare mutuum implicitum cum pacto, ut vicissim implicitè remutues in fine anni, ut expresè tenet Lessius hic *dubit. 8. n. 59. & dub. 13. nu. 21.* Ergo obligatio in posterum mutuandi non est pretio æstimabilis, aliàs in prædicto contractu interveniret usura: sed obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus, est obligatio virtualiter mutuandi: ergo æstimabilis pretio non est.

22. Quartò, fidejussio est obligatio ad mutuandum virtualiter, & tamen non est pretio æstimabilis, si periculosa non sit: ut tenent Salon *art. 2. controv. 4. in fine.* Sylvester *verb. Usura 7. quæst. 6. verb. Fidejussor. quæst. ultim.* ubi Armilla *num. 15.* Tabiena *num. 16.* In idem inclinat S. Antoninus *2. p. tit. 1. cap. 7. §. 45.* cum Laurentio de Rodulphis. D. Bernardinus *tract. de Restit.* relatus a S. Anton. Cabailinus *quæst. 31. de Usuris, n. 251.* Covarr. Conrado, Gi... is, quos refert, & sequitur Salas hic *dub. 11.* Ergo obligatio prædicta non repetendi mutuum, non est pretio æstimabilis.

23. Verum quia alii contrarium tenent, sic retorqueo. Fidejubere, etiam secluso periculo, est pretio æstimabile in opinione adversariorum, quia fidejubens quatenus est ex se, exponitur minus habere in suis bonis eam summam, & ea invitus carere tempore præfixo, donec mutuatarius solverit, sed qui mutuat, eo præcisè exponitur, quatenus ex se minus habere in suis bonis summam mutuatam, eaquè invitus carere tempore præfixo, donec mutuatarius compenset: ergo actio mutuandi tanti æstimabilis est, quanti fidejussio; sed pro actione mutuandi nil potest exigi, ergo nec pro fidejussione, ergo nec pro obligatione virtualiter mutuandi, ergo nec pro obligatione non repetendi mutuū intra certū terminum.

24. Urgentius premo, fidejussio, etiam periculo secluso, est pretio æstimabilis? ergo si mutuans in se susceperit onus fidejussoris, poterit aliquid suprà sortem exigere. Cur quæso, mutuanti non licebit lucrari, quod aliis licet? quid enim repugnat, mutuantis, & fidejussoris munus ab eodem obiri. Sed eo præcisè, quod quis mutuaverit, in se susceperit quidquid oneris habet fidejussor, ut probavi: ergo quilibet mutuans poterit aliquid suprà sortem exigere rationę fidejussionis, quæ mutuandi actione reperitur: Quod hæreticum est.

25. Dices cum Navarro, Salon, & Salas *suprà dub. 11.* fidejussorem fictum, & in veritate mutuatorem, non committere peccatum usuræ, si pro fidejussione aliquid suprà sortem exigat, esse tamen injustitiam. Sed contra. Quia ex eo, quòd mutuans ipse fidejubeat, nullum damnum evenit proximo, quod, alio fidejubente, non eveniret, ergo ex eo, quòd idem mutuans, & fidejussor existat, nulla infertur proximo injustitia.

26. Et confirmatur ex doctrina adversariorum. Mercator omni pacto secluso, statim emens in fimo pretio merces, quas immediatè antea summo vendiderat, non facit injustitiam proximo. ut fatentur Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130.* Molina *tom. 2. disp. 310.* Azor *p. 3. lib. 8. cap. 11.* Bonacina *de Contractibus disp. 3. quæst. 3. puncto 3. num. 20.* Navarrus, Navarra, Homobonus, Regius, Summa Corona, Graffius, Angelus, Lopez, Vega, & alii, quos refert, & sequitur Diana *tract. 8. de contract resol. 58.* Et reddunt rationem, quia ex eo, quòd mercator vendiderit, non fit deterioris conditionis, quam alii, sed alii possunt vili pretio emere absque injustitia: ergo & mercator. Benè. Sed ex eo, quòd Petrus mutuo dederit, non fit pejoris conditionis, quàm qui non dederunt, ergo si alii possunt fidejubere, & absque injustitia aliquid exigere pro fidejussione, ergo & Petrus etiam poterit? Consequens est falsum, ergo & antecedens. Ergo pro obligatione mutuandi virtualiter non licet, aliquid suprà sortem exigere.

27. Ratio à priori hujus doctrinæ manifesta est: quia obligatio eatenus est pretio æstimabilis, quatenus alteri præbet jus ad rem, unde ex juris æstimabilitate, libranda est obligationis æstimabilitas. Jus autem ad rem non est pluris æstimabile, quam res, ut tenent communiter Doctores cum Bartol. *l. per diversas. C. mandati*, & Baldo, *leg. 2. C. ne lite pendente.* Ergo jus ad mutuationem non est pluris æstimabile, quam mutuatio: consequentia est evidens. Antecedens probo. Jus ad 10. valet 10, jus ad 5. valet 5. & sic in cæteris, ergo jus ad rem non pluris valet, quam res: ergo jus ad mutuationem non pluris valet, quam mutuatio; sed mutuatio non est pretio æstimabilis, ut fides docet, ergo nec jus ad mutuationem, ergo nec obligatio ad mutuandum, quæ accipit æstimabilitatem à jure, ergo licet obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus, sit obligatio ad mutuandum, non ideò tenendum esse pretio æstimabilem. Deinde mutuum essentialiter est traditio dominii pecuniæ pro aliquo tempore: ergo intrinsecè dicit obligationem non repetendi intra certum terminum;

sed pro mutuo nil potest suprà sortem exixi, ergo nec pro obligatione.

28. Verum enim verò, etsi gratis demus adversariis, obligationem mutuandi ratione sui esse pretio æstimabilem: adhuc non infertur, posse aliquid suprà exigi pro obligatione non repetendi mutuum. Et ratio est, quia quotiescumque ex parte mutuantis, & mutuatarii onera sunt paria, injustitia manifesta intervenit, si aliquid suprà sortem exigatur; sed ita res se habet in præsenti: ergo. Minorem probo: quia sors respondet sorti, & obligatio obligationi: obligatio enim mutuantis compensatur per obligationem mutuatarii reddendi sortem, etiamsi casu, & naturaliter perierit, ita ut omni eventu non mutuanti, sed ipsi mutuatario pereat, ergo cum utriusque onera sint paria, nequit absque injustitia aliquid suprà sortem exigi.

29. Ad fundamentum præcipuum, cui contraria sententia innititur, respondet Molina *tom. 2. tract. 2. disp. 308 n. 11.* apertè falsum esse: quia mutuare ad annum non est inducere super se obligationem aliquam, sed solum ex sua liberalitate concedere beneficium mutui in totum id tempus: sicut qui donat, traditque rem donatam, nullam inducit super se obligationem in futurum, esto, traditione ejus rei à se abdicet potestatem ea rede inceps utendi, aut fruendi: ergo qui mutuum dat ad annum, nullam in se inducit obligationem, sed solum exercet liberalitatem concessione beneficii mutui in totum id tempus: esto inde sequatur toto eo tempore, neque uti posse re, quam mutuo concedit, neque posse illam repetere. Huic autem obligationi intrinsecè inhærenti mutuo ad certum tempus, nil superaddit altera in pactum deducta non repetendi intra talem terminum: ergo sicut prima non sufficit inducere aliquid suprà sortem; ita nec secunda, ac proinde sicut illa sufficienter compensatur obligatione reddendi mutuum, sic & ista: alias sequerentur omnia incommoda, quæ ex usura sequi, docent communiter Doctores, & Scriptura, Concilia, & Pontifices damnant.

30. Propter hæc sententiam Ledesmæ, & aliorum, quos *num. 11.* citavi, gravi censura inurunt Doctores. P. Molina *ubi suprà num. 10.* inquit esse, *non solùm novam, & inauditam, sed etiam periculosam satis, & quæ viam aperit usuris.* Et infrà. **Est igitur ejusmodi opinio periculosa valdè in fide, ne quid amplius dicatur.** P. Amicus *in Cursu Theologico.* Similiter, inquit, *esse sententiam novam, periculosam, & expositam palliatis usuris.* Sic *tom. 5. disp. 20. sect. 8 n. 131.* & Palaus *tom. 7. tract. 32. p. 8. ad 5.* dicit, *esse sententiam valdè periculosam in fide.* Cujus rationem tradit Cardin. de Lugo *tom. 2. de Iust. disp. 25. sect. n. 17.* Nam si, seclusis damno emergente, & lucro cessante, opinio Ledesmæ vera esset. *Réduceretur uno verbo tota controversia de usuris ad quæstionem de nomine inutilem omnino ad forum conscientiæ; & nullus contractus esset usurarius re ipsa, sed solum propter ignorantiam contrahentium, qui nesciunt distinguere titulum lucri. *Quapropter sententiam, quam priùs tenuerat Diana *1. p. tract. 8. resol. 48.* jure retractavit *p. 8. tract. 7. resol. 63. & p. 11. tract. 1. resol. 25.* ibique libellum Philippi de la Cruz, ubi continebatur, à supremo Tribunali sanctæ Inquisitionis Hispanæ prohibitum refert. Quod observat etiam Amadæus *tr. de Vsuris prop. 3.* in edit. Matrit. anno 1664 *fol. 227.* Et novissimè Summus Pontifex Alexander VII. die 18. Martii, anno 1666. hanc propositionem: *licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non recipiendam sortem usque ad certum tempus*: damnavit, & prohibuit, ut scandalosam, ne ullus. mum. Quam nulli in posterum docere, defendere, aut edere, nisi ad eam impugnandam, liceat. Siquis enim prohibuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, Summo Pontifici reservatæ.

QVÆSTIO VII.

Sit ne simonia, pecuniam promittere ad consecutionem beneficii, quando non est intentio standi promissis?

1. CErtissimum est, grave peccatum esse mediis cii, & inductionis, vel cooperationis ad peccatum simoniæ collatoris beneficii. Difficultas verò solum est, an aliunde ex ratione sui intrinseca promissio ista simoniaca sit, & pœnas commissimoniacos inducat? Affirmant Navarrus, & alii citandi. Pro negativa plures militant, pro qua ego mihi probabilior, stare decrevi. Eam tenet Summist. Cajetanus *tom. 2. opusc. tract. 9 quæst. 12.* ubi inquirit: *Utrùm emens, & adquirens Episcopatum, non intendendo solvere promissam pecuniam, sit simoniacus? *Respondet: *In definitione simoniæ dicitur quod est studiosa voluntas emendi, aut vendendi &c. Ubi igitur deest omnino emendi voluntas, & emptio secundùm veritatem non est, sed emptionis tantummodò simulatio, &c. ubi autem neque emptio, nec venditio est secundùm veritatem, sed secundùm apparentiam, ibi nec simonia sed secundùm veritatem est, sed secundùm apparentiam totum. *Cajetanum sequitur M. Soto *lib. 9 Iustitia, quæst. 8. art. 1. §. Dubium hinc sum.* Ubi hanc quæstionem proponit: *Dubium hinc dissimulandum consurgit, utrùm sicuti contingit simonia mentalis sine reali; ita vice versa contingat realis possit absque mentali? Est, v. g. deceptor quispiam, atque impostor, qui pretium Episcopo pro cerdotio pollicetur, atque instrumento confirmat absque ulla tamen impiendi intentione. Apparet tunc ex una parte simoniam omni, quandoquidem hoc innotuisset Ecclesiæ, pœnis illis juris adigeretspoliareturque Sacerdotio. Ex altera verò nulla detur simonia, utpotè cum externa operatio ex tentione sit pensanda, à qua speciem sortitur. Dicendum ergo (attende) re vera, non esse simoniam, nec in foro conscientiæ præbendâ donatum teneri relinquere, ut Cajetanus ait *quæst. 10. 1. quadit.**

2. Cum citatis sentit M. Petrus de Ledesma *Sum. tract. 12. de Simonia, concl. 41. §. Para declaracion fol. mihi 717.* ubi sic: *Si uno exteriormente tiene cierta con el Obispo de comprar un Beneficio, y interiormente no tiene animo de comprarle, esta accion puede ser pecado de mentira, y escandalo, y communicar en la simonia del que vende el Beneficio. Pero en realidad de verdad no es simonia, porque no es compra, ni voluntad de comprar, sino voluntad fingida. Dest. simonia fingida se haze lo que non tiene fuerça ninguna para obligar à esta accion, ni en realidad de verdad està sujeta à las penas de la simonia.*

3. Hanc opinionem probabilem putat M. Ludovicus Lopez *tom. 1. Instruct. cap. 305. §. Igitur prædecisione, & cap. 307. fol. 970. colum. 1.* qua contra-

tum

rium dicit esse verosimilius. Et expresè defendit M. Arauxo *in Decis. Moral. p. 2. disp. 14. dub. 1. nu 6.* *Simoniæ, inquit, fictæ deficiunt conditiones ad humanum contractum requisitæ, ergo deficit vera ratio simoniæ.* Et infrà: *Dixi vitium simulatæ simoniæ, quia hujusmodi fictio aliis malitiis est affecta, qui enim fictè pro beneficio spirituali promittit alteri pretium, ad ejus mentalem simoniam operatur, ac proinde occasionaliter est via simoniæ alterius, incurritque peccatum scandali, quod in ejusmodi occasione ruinæ, exhibito pretio, consistit, teste D. Thoma *quæst. 43. artic. 1. & 3.* & peccat peccato pernicioso mendacii, ratione cujus se ipsum infamat, mentiendo, se esse simoniacum.*

4. Eamdem opinionem defendit Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 37. diffic. 1. nu. 14.* dicens: *El que promete a otro precio por el Beneficio, no con animo de pagarlo, sino solo con animo de engennarle, no es simoniaco, &c. La razon es, porque este no tiene voluntad de comprar, sino de engannar al otro, mintiendo: aunque peca, porque induze al otro à simonia, y haze obra, que exteriormente es simonia: de lo qual se sigue, que puede retiner el Beneficio, como dizen Cayetano, Soto, y Lessio.*

5. Idem sentit Petrus de Navarra *de Restit. lib. 2. cap. 2. nu. 411. diffic. 12.* ibi: *Et quidem dupliciter potest contingere conventionalis simonia. Primum, sine voluntate interiori emendi, sed tantum pacto exterius adjecto. Secundò, ita ut voluntate emendi exterior conventio informetur. Circa primum sunt nonnulli, qui non censent, eam esse simoniam, ac proinde, secundùm istos, nulla erit restituendi obligatio. Ratio est, quia simonia est studiosa voluntas, &c. Ubi igitur voluntas non est, verè simonia esse non potest, sed apparens, & diminuta; sicut homo pictus. Ita sensit Cajetanus *in tractat. de Simonia, quæst. 2. tom. 2. opusc.* Et sequitur Sotus articulo illo primo. Benè tamen fatentur hi Doctores, peccare mortaliter multiplici nomine. Primum, quia participat peccato simoniæ mentalis alterius, scilicet vendentis, ad quod dat operam efficaciter. Secundò, quia scandalizat malo exemplo proximum. Tertiò, quia mentitur, & se infamat, quod idem Cajetanus mortale peccatum esse censet. Verumtamen Navarrus contra existimat, esse peccatum veræ simoniæ, & obligare ad restitutionem adquisitorum, si ad traditionem ventum sit. Verum ego sententiæ Cajetani magis acquiesco.* Hæc Petrus de Navarra.

6. Quibus adde Bernardum Stubrokium Theologum Vienensem *in notis contra Wendrochium in not. 3. ad Epist. 12. fol. mihi 191.* ubi sic: Accusas denique simoniæ illum, qui pecuniam promittit sine intentione solvendi, sed multi dicunt, non esse simoniam, te, haud dubiè, longè doctiores, ut Cajetanus, Sotus, Toletus, Petrus de Navarra, Suarez. Nempè ille, qui fingit, non habet voluntatem emendi: igitur nec simoniam mentalem, ut vocant, solamente conceptam committit: igitur nec eam, quam dicunt conventionalem, seu pacto firmatam, quæ mentalem supponit. Quod dicis corrumpi judicem per promissum falsum, itemque illum, à quo, qui fictè promittit, accipit deinde Sacerdotium: utrumque verum est, sed non est simonia, quia non obtinetur beneficium per pecuniam, sed per promissum falsum, &c. Non tamen negabit quisquam, quin ille, qui fictè promittit, graviter delinquat, & mendacium sacrilegum cum maxima irreverentia committat. *Sic Theologus Viennensis.

7. Denique Machado *tom. 1 lib. 3. p. 3. tract. 3. docum. 5. num. 2.* huic opinioni, ut communiori inter Theologos, cum aliis, quos refert, assentitur, dicens: *Dudan los Doctores, si la promessa de dar cosa temporal por la espiritual, ò al contrario, sin voluntad de cumplir la promessa, pueda constituir verdadera simonia, &c. Navarro siente, que si: pero la mas comun, y recibida opinion es, que en tal caso no se comete simonia convencional. Bien es, que como dize Palao, este tal pecara en esto, pero no incurrirá en el fuero interior en las penas dispuestas en derecho contra ella, porque no es verdadero simoniaco, por defecto de la intencion.* Sic ille, dicens in margine. ita tenent: *Suarez, Aragon, Lessio, Valentia, & alii communiter, quos refert, & sequitur Palao *tom. 3. tract. 17. disp. 3. par. 6. nu n. 2.* Unde colliges, immeritò Cajetanum à Catharino reprehensum, quod hanc opinionem docuerit.

8. Hanc communem sententiam amplexatus est P. Escobar (à quodam Neotherico ideò sugillatus) *in Theologia Moral. tract. 6. exam. 2. cap. 1. n. 14.* dicens, *Simonia ficta committitur, dum quis exterius rem spiritualem pro temporali promittit: vel rem temporalem pro spirituali, absque animo tradendi, & se obligandi ad rem ipsam tradendam, & hæc non est verè simonia, sicut fictum aurum non est aurum.* Hæc Escobar, & plures, quos citatos sequitur Palao *tom. 3. tract. de Simonia, disp. 3. p. 6. num. 2.* *Communior (inquit, sententia est, & mihi probanda, non committi simoniam conventionalem in hoc casu. Ita tenent Cajetanus, Sotus, Toletus, Petrus de Navarra, Lessius, Suarez, Aragon, Manuel Rodriguez, & Valentia. Ratio est, quia carens animo donandi spirituale pro temporali, caret etiam animo emendi, vel vendendi: emptio enim, & venditio est datio, & commutatio unius pro alio.* Quod *punct. 4. nu. 5.* aliter explicuerat, dicens: Ad contractum emptionis, & venditionis necessariò requiri, dationem pecuniæ procedere ex voluntate commensurandi illam cum re spirituali, ac illam tanti æstimandi: secluſa autem hac voluntate, etiamsi detur temporale cum obligatione donandi spirituale, vel è contra, nullam esse propriè simoniam ex natura rei. Addit verò, & benè, jure Ecclesiastico quamlibet donationem cum pacto simoniam constituere: tametsi, ut explicat *suprà punct. 6.* ex parte fictè promittentis vera simonia non sit, sed tantum peccatum inductionis ad simoniam saltem mentalem, & opus externũ promissionis simoniacæ. Propter quod, inquit, *ut benè advertunt omnes suprà dicti Doctores, pœnas à jure inflictas simoniacis, non incurrit.*

§. III.

Quid si promissioni non animus, sed executio deficiat?

9. ADdo, promittentem ex animo, licet simoniam veram committat, si tamen postea promissis non steterit, non incurrere pœnas contra simoniacos. Vide Garciam *de Beneficiis tom. 2 p 8. cap. 16. nu. 19.* ubi pro hac opinione refert 28. Doctores, inter quos sunt Navarrus, Covarruv. Joannes Gutierrez, M. Bart Fumus *in Armilla verb. Simonia, nu. 4.* M. Viguerius *cap. 5. § 9.* Summa Corona Confessorum *3. p. tract. de simonia, nu. 9. & 35.* M. Ludovicus Lopez dicens æquiorem, & probabiliorem *tom. 1. instruct. cap. 305. & 307.* & est communis in Schola D. Thomæ, ut

testatur M. Petrus de Ledesma *in Sum. 2. p. tract. 12. ad finem*, ubi illam efficaci ratione probat. Sic enim scribit: *La dificultad es en caso, que uno entregò la cosa espiritual, pero no se entregò el precio, si en tal caso se incurren las penas puestas contra el simoniaco, y si las incurren los simoniacos, y mediatores? La razon de dudar es, porque las penas se incurren por la perfecta simonia, y vendicion; porque en entregandose la cosa es perfecta la venta. Luego incurrense las penas, que estàn puestas en derecho contra los simoniacos. Por la razon dicha algunos Doctores ensennan, que se incurren. Esto tiene Cayetano, y Soto. A esta dificultad se responde, ser muy probable, que no se incurren, si no es despues de entregada la cosa espiritual, juntamente con el precio. Esto ensennan Navarro, y alega otros Doctores, y esto tiene Casiodoro, y Orellana, y comunmente los discipulos del Angelico Doctor Santo Thomas. Pruebase del estilo de la Curia Romana, que no tiene por simoniaco, sino es que entregue la cosa espiritual, y el precio, y este estilo tiene fuerça de ley.* Sic ille.

10. Cui consonat M. Arauxo *in Decis. p. 2. disp. 14. art. 6. n. 19.* ibi: *Quando simonia non fuit utrinque consummata, quia scilicet, emens dedit pretium, sed nondum accepit beneficium, tunc pretium restituendum est ementi, quia stando in jure naturæ pretium est restituendum illi, à quò fuit iniquè acceptum, & aliàs Ecclesia, aut jus positivum non punit hujusmodi simonia incompletam.* Sic ille, qui paulò *suprà n.* 10. hanc sententiam ex professo probat, referens pro illa Navarrum, Malderum, Lessium, Suarez, & alios loquentes de simonia conventionali, & sequuntur plures apud Dianam *p. 10. tract. 16. resol. 15. & p. 11. tract. 6. resol. 30.*

11. Sed quid, si post obtentum beneficium, solvas Episcopo pecuniam, non quidem àte promissam, sed ab amico, propter beneficium tibi conferendum? Respondet Navarrus *lib. 5. consil. 10. de simonia.* *Te non peccare, & per consequens nulla contra simoniacos latam pœnam incurrere, si non contentias in factum alterius, ratum habendo contractum, sed solum ex amicitia solvas id, quod ipse amore tui dedit, vel promisit.* Sic ille. Cui ego assentior, nec existimo, esse contra D. Thomam 2. 2. *q. 100. art. 6.* Quia licet dixerit, in prædicto casu, non esse obligationem resignandi beneficium simoniacè collatum, *nisi fortè postmodum pacto consenserit, solvendo, quod fuit promissum.* Cæterum hoc intelligendum est, si solveret, ut debitum ratione contractus ab amico initi: secus si ad contractum non attendens, vellet ex gratitudinè aliquid conferre, quo sensu Navarrus *ubi suprà* loquutus est.

12. An verò restituendum sit pretium simoniacè acceptum in ordine, Beneficio, aut ingressu Religionis? Conveniunt Doctores, contra Vgolinum *tabul. 4. cap. 2. §. 1. n. 1.* in simonia in Beneficio, ante judicis sententiam restitui debere: quia in hoc casu, ipso jure, datur inhabilitas ad adquirendum illius dominium. Secus in simonia in ordine, vel ingressu Religionis. Est tamen difficultas, cuinam restituendum, illine, qui simoniacè dedit, an pauperibus? His debere restitui, tradit D. Thomas *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. ad 2. quæst.* ubi ait: *In simonia adquisitum non potest justè retineri, sed debet in eleemosynas erogari.* *Et iterum 2. 2. quæst. 32. art. 5. ad 2.* *De eo, inquit, quod est per simoniam acquisitum, potest fieri eleemosyna, quia non est debitum ei, qui dedit, sed meretur illud admittere.* Sic D. Thomas, quem ex discipulis sequuntur D. Antoninus *par. 2. tit. 1. cap. 5. §. 7.* M. Tabiena *verb. Simonia quæst. 76. & 77.* Cajetanus *de Restitut. cap. 4. & alii.*

13. Nihilominus contrariam sententiam tenet M. Sotus *lib. 9. de Iustit. quæst 8. art. 1. §. De Simonia*, ubi ait: *Si simonia executioni mandata sit, scilicet adhibium. Omnes enim in hoc consentire videntur, etiam D. Thomas in solutione quarti: quod restituatur pretii sit facienda vel Ecclesiæ, in qua simonia commissa est, vel pauperibus, &c. Attamen si respiciatur, distinguendum est. Etenim post condemnationem, extra controversiam, faciendam esse constat restitutionem Ecclesiæ, vel pauperibus, aut quemadmodum Papa jusserit. Quoniam & qui dedit, ob crimen mulctatur ære, quod dedit, & qui recepit, dominium non acquirit. Verumtamen dum crimen non est delatum, sed in foro conscientiæ latet, potui dere aliud mihi non possum, quam quod restituatur pretii facienda sit ei, qui dedit.* *Et infrà ad sextum Dixerim*, ait: *Mihi nullatenus sit probabile, posse Ecclesiam condemnare quemquam ad pœnam, aut condemnationem de crimine: & ideò nequeat illum, qui pretium dedit, privare suo jure potuit, quando ejus lateret crimen.* Sic M. Sotus, cujus sententiam amplectuntur etiam M. Bannez *2. 2. q. 32. art. 7. dub. 1.* & M. Bart. de Medina *in Sum. lib. 1. cap. 14. §. 22.* Quæ sequitur M. Arauxo, cujus verba habes *suprà n. 10.* Et hæc tenenda est, quia, jure positivo, recipiens pretium pro beneficio, non acquirit illius dominium, ergo qui pretium confert, dominium non transfert: inde ante sententiam judicis declaratoriam criminis non transfertur in pauperes, ergo verè manet in primo domino: ergo ex justitia, sicut res aliena debet tim illi restitui. Hoc fundamentum probabilium reddit hanc sententiam. Cui facit Navarrus *in cap. 17.* cujus verba dedi *tract. de Iust. q. 3. n. 7.*

14. Unum hic adverterenon omittam, minime audiendum esse Joannem Pontium dum, *in suo Cursu Theologico, disput. 56 quæst. 2. conclus. 10. n. 37.* asserit, habentem jus litigiosum in beneficio, possidenti aliquo intendenti tale jus, ut desistat, & hoc medio ipse evitet expensas, quas faceret, se defendendo: verba ejus sunt: *Difficultas est, an qui habet jus in beneficio, sed litigiosum, posset recipere ab alio prætendenti jus in eodem beneficio, vel dare aliquid, ut renuntiet suo jure? Sententia communis videtur, quod non possit: quia fieri absque simonia. Sed salvo meliori judicio, existimarem, non esse simoniam, si daretur aliquid tali pro beneficio, quod dans putaret, esse suum, sed evitaret expensas, quas deberet facere, ut defenderet jus suum: Nam procurare per decem nummos, ne quis exponeretur periculo perdendi centum nummos, quos in lite deberet expendere, nil prorsus habet malitiæ, neque enim quod dat, est spirituale, neque etiam illud pro quo dat. Dare quidem aliquid, ut alter renunciaret juri positivè, videtur esse simoniacum, quia jus illud est spirituale; dare verò aliquid, ut non moveat litem ad persequendum suum, & consequenter ad renuntiandum juri suo negativè, hoc est non persequendo ipsum, non apparet simoniacum, quia illa negatio prosequutionis juris non est spiritualis. Idem dicendum, si reciperet alterò aliquid, ut ipsemet non prosequatur jus suum.* Sic ille.

15. Qui his adhuc non contentus, subnectit: *Sed quid? an idem dicendum de eo, qui habens possessionem beneficii, vellet illud relinquere alteri prætendenti ob aliquod pretium ab illo receptum? Resolutio hujus casus videtur difficilior, quia hic dando possessio-*

possessionem beneficii, videtur dare rem spiritualem pro illo pretio. Respondeo tamen, mihi videri, quod possit hoc facere absque simonia, quia cum non sit certum, quod beneficium sit suum, sed propter probabilitatem, quam habet, quod sit suum, vellet in litigando expensas facere; nullo modo apparet simonia, ut vitet illas expensas, aliquid recipere, quia neque quod accipit, est spirituale, neque illud, pro quo accipit, hoc est expensæ, quas faceret in litigio. Itaque, si qui dat, non emit jus alterius, neque possessionem, sed solum det alteri ratione expensarum, quas faceret, ut probaret, jus alterius non esse bonum, non apparet ulla simonia ex parte ipsius. Similiter si recipiens, neque dat jus suum, neque possessionem positivè, sed negativè tantum promittendo, ut alter accipiat illam, sed solum recipiat aliquid, ne faciat expensas, defendendo possessionem suam, non committit ullam simoniam. Hactenus Pontius. Quæ si probabilia, non parum ad praxim deservirent. Sed revera, videtur hic contractus simoniam palliare, cum jus litigiosum, mediante pecunia certum fiat, & tam per illam, quàm per contractum ex justitia obligantem, via paretur ad beneficium, quod omnes Theologi, ut simoniacum reprobant, cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 2. *ad* 5. ubi sic scribit: *Antequam alicui adquiratur jus in præbenda per electionem, vel provisionem, seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere. Sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Sed postquam jus alicui adquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Sic D. Thomas, & omnes; ergo justa impedimenta ex dubio jure pullulantia per pecuniam removeri non possunt, esset enim *adversantium obstacula pecunia redimere.*

DISPVTATIO QVINTA, De Iejunio.

QVÆSTIO I.

An qui labore, sive ex bono, sive malo fine susceptо, ut ad aliquem occidendum, vel insequendam concubinam, defatigatur, excusetur à præcepto jejunii?

§. I.

Communis Doctorum sententia explicatur, & defenditur.

1. DUpliciter hoc evenire potest, vel prævidendo defatigationem, ex labore suscipiendo, fore incompossibilem cum jejunio, vel absque ulla prævisione. Si secundò: omnes fatentur, nullum intervenire peccatum contra præceptum jejunii, quia, semel posita causa, defatigatus verè est impotens moraliter jejunare, & in eius appositione, cum non præviderit periculum non jejunandi, nullum contra præceptum jejunii peccatum commisit, sed tantummodo contra alia Decalogi præcepta, nimirum contra quintum, vel sextum, juxtà intentionem operantis. Hæc conclusio est communis, pro qua unum pro omnibus dabo Magistrum Petrum de Ledesma *in Summ. p. 2. tract. 27. cap. 2.* ibi: *Digo lo primero, que es cosa cierta, y averiguada, que si no se avierte, que se pone impedimento para el cumplimiento del precepto del ayuno, ò no se debiò advertir, (nimirum, quia nulla dubitandi ratio occurrit) que no se peca mortalmente, quando se pone el tal impedimento. El exemplo es: Si uno por su recreacion se puso à jugar à la pelota, y no advirtiò, ni pudo advertir, que avia de quebrantar el precepto del ayuno, ni sentirse fatigado, ni cansado, desuerte, que no pudiesse ayunar. La razon es, porque en tal caso el que brantamiento del precepto no fue voluntario en si, ni en su causa, como es cosa notoria.* Sic ille, & omnes.

2. Si verò primo modo res eveniat, nimirum prævidendo laborem suscipiendum fore incompatibilem cum jejunio: dubium duplex examinandum occurrit. Primum. An posita defatigatione moraliter incompatibili cum jejunio, teneatur adhuc sic defatigatus jejunare? an potiùs à præcepto adimplendo maneat excusatus? Secundum: an in causa peccaverit assumendo laborem illum cum prævisione eventus? Primam dubitationem proponit Filliucius *tom. 2. tractat. 27. p. 2. cap. 7. num.* 123. ad utramque autem respondet, his verbis. *An qui malo fine laboraret, ut ad aliquem occidendum, vel ad insequendam amicam, vel quid simile, teneretur ad jejunium? Respondeo talem peccaturum ex malo fine, at secuta defatigatione, excusaretur à jejunio: nisi fieret in fraudem jejunii, secundum aliquos; sed melius alii. culpam quidem esse in apponenda causa fractionis jejunii, at ea posita excusari à jejunio.* Hæc ille, in quibus apertè admittit, dari peccatum contra præceptum jejunii, quando in eius fraudem, aut ex prævisione eventus labor assumitur, quod fatetur consistere in apponenda tali causa, negat verò, ea posita, etiamsi in fraudem, esse postea obligationem, jejunandi. Cuius sententia verissima est & evidenti ratione probatur; tum quia impotens moraliter jejunare, non tenetur præcepto: tum quia, posita causa impediens, seu moraliter impossibile reddens jejunium, ipsa jejunii omissio conjungi potest cum vero dolore, & contritione, & cum amore Dei super omnia. Quis enim dubitare potest, eum, qui malitiosè impedimentum apposuit jejunio, (quod auferre modo non potest, quia ad præteritum non datur potentia,) posse nunc verè dolere de peccato in causa commisso, & simul proponere ex amore Dei super omnia in posterum non peccare, & peccatum commissum confiteri, licet simul habeat intentionem eo die non jejunandi, eo quod rectè novit, sic defatigatum ad jejunium non teneri?

3. Ideò hæc sententia communis est inter Doctores, ut videre est apud Dianam *p. 10. tractat. 14. resolut. 11. §. Quare malè*, & apud Leandrum *in 5. præcepta Ecclesiæ, tractat. 5. disputat. 8. quæst. 157. & 158.* & illam cum Magistro Paludano defendit Sylvester *verb Iejunium* 24. dicens: *Et addit Petrus de Palude, quod si peregrinatio (nimirum incompossibilis cum jejunio) non est necessaria, peccat illam aggrediens indiscretè, id est, eo tempore, quo jejunandum est; eâ tamen aggressâ licet incompossibile*

jejunium frangere. *Sic ille, & omnes, utait Pasqualigus *decis.* 320. *Non peccat, inquit, quando non jejunat, quia tunc cum sit impotens ratione lassitudinis, non obligatur præcepto jejunandi, ut communiter omnes concedunt.*

4. Quapropter Bernardus Stubrokius Theologus Viennensis *in Notis, nota 2. in dissertationem Theologorum de Probabilitate, fol.* 91. in quemdam Jansenii sequacem, qui Filliucium ob præfatum assertum fœdissime denigrare non erubuit, sic invehitur: *Filliucium tanquam blasphemum, & hæreticum traducis, eo quod dixerit, eum ad jejunium non teneri, qui vel labore ob malum finem suscepto, vel alia sua culpa, talem infirmitatem, dispositionem, virium debilitationem contraxerit, ut sine gravissimo incommodo, & periculo jejunare non possit. Quamvis expresse dixerit, eum peccare, si laboret in fraudem jejunii ob oppositam causam solvendi jejunii; sed si re vera, ut dixi, moraliter jejunare non potest, ad jejunium non teneatur. Quid in hac doctrina tam nefandum, & horrendum sit, quod tam acres declamationes postulet, non video, &c. Sed tuas artes agnosco: teneri nempe vis etiam eum, qui præceptum implere non potest. *Impotentia illa, quæ culpâ nostrâ contrahitur, à culpa numquam liberat, &c.* Agnoscis, ni fallor, nativum Jansenii vultum. Nil effingo. *Et infrà. *Vis hominem penitus exhaustum, & semimortuum jejunii lege teneri? Vah charitatem Pharisaicam!*

5. Secunda verò pars sententiæ Filliucii, scilicet, quod in casu delinquat contra præceptum jejunii, qui peregrinationem non necessariam, aut voluntarium laborem assumit, verbi gratia, ludum pilæ, eo die, quo jejunare tenetur, prævidens, impedimentum fore jejunio, communior est inter Theologos, eam tenet Diana *part.* 10. *tractat.* 14. *resolut.* 11. *ubi suprà* viginti Doctores refert: *Qui omnes, inquit, asserunt, eum, qui in die jejunii, absque ulla honesta causa, sed merè voluntariè, & sua culpa ob laborem susceptum agendo iter, vel ludendo pila, vel venando, vel in sequendo amicam, ita defatigatus est, ut jejunium servare nequeat, & prævidit, quod ex tali labore omnino voluntariè, vel ad malum finem suscepto, secutura erat impotentia ad jejunandum, peccare contra præceptum jejunii (si non eo tempore, quò supposita jam impotentia, & necessitate frangit jejunium, quo tamen tempore multi tenent, eum peccare, ob malam voluntatem præcedentem) saltem, quandò dat antecedenter injustam causam impotentiæ, seu necessitatis fractionis jejunii. *Sic ille. Ubi inter alios Auctores, pro hac parte refert Filliucium loco à nobis suprà citato, & ita sentit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *artic.* 4. *in respons. ad tertium*, & ibi Cajetanus, & ferè omnes Thomistæ.

§. II.

Quid alii senserint?

6. COntrariam nihilominus sententiam tenet expresse M. Petrus de Ledesma 2. *p. Sum. tract.* 27, *cap.* 3. ubi sibi scribit. *La quinta dificultad es del que pone impedimento, con el qual no pue de cumplir con el precepto del ayuno, si el tal peca mortalmente, poniendo el tal impedimento, El exemplo es en uno, que de su voluntad juega à la pelota, de tal suerte, que queda despues tan cansado, que en ninguna manera puede ayunar. La dificultad es, si en tal caso pecò contra el precepto del ayuno, quando se impossibilitò, y se puso à jugar, aduirtiendo asto? En esta dificultad, entre los Doctores, ay diversas sentencias, y pareceres. La primera es, que en tal caso pecò mortalmente, quando puso el tal impedimento, advirtiendo, que seria de seguir el que brantamiento del ayuno, &c. La segunda sentencia es contraria à esta, que en el caso puesto no peca, poniendo impedimento al ayuno. Esto ensenna Medina en su Suma, *fol.* 99. y ponen emplo en los caminantes de à pie, aunque tomen el camino por su passatiempo; y dize, que esto viene verdad, aunque el camino se hiziesse por ver à la amiga, si despues quedan cansados, y fatigados. El tal pecarà contra otro precepto de no fornicar, pero no pecarà contra el precepto de ayunar, &c. Dize, que de ordinario, aunque la primera sentencia tenga probabilidad, mas probable me parece la segunda. Pruebase con la autoridad de los Doctores, que à tienen, y con la razon que se haze en su favor, que tiene mas probabilidad. Confirmase, porque el no jugar à la pelota, no es medio de si ordenado para el cumplimiento del ayuno; luego no està obligado à dexar de jugar a la pelota en orden al cumplimiento del precepto del ayuno. *Sic M. Ledesma, cum M. Bart. de Medina.

7. Cum his sentiunt alii Doctores: Bonacina *tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 1. *n.* 16. ibi: *Venator non peccat contra jejunii præceptum, dando se venationi, licet ob laborem ex venatione consurgentem jejunare nequeat. Id nonnulli Doctores extendunt ad eos, qui defatigantur in ludis, aut in quærendamere ce, prævidentes fore, ut postea nequeant jejunare. Quod limitandum est, modò non fiat in fraudem jejunii, seu modò non fiat intentione violandi præceptum jejunii. *Idem sentit Rocaful *in praxi Theologiæ Moralis tom.* 2. *lib.* 3. *de Præceptis Ecclesiæ, cap.* 9. *num.* & 154. *Et ratio, inquit, est, quia iste jus habet ad istum laborem suscipiendum, vel ad iter agendum, ad ludendum, ad venandum, quo non privatur ob jejunium servandum. *Cui consonat Joannes Henriquez *in Sum. sect.* 16. *quæst.* 29. *vers. Tandize Diana.* Et putat probabile Martinus de S. Joseph *in Mont. Confessor. tom.* 1. *libr.* 2. *tract.* 12. *de Jejunio, num.* 5. & hoc Bossius *in Disceptat. Moral. disceptat.* 4. quando ob honestam recreationem dat operam ludo, vel venationi.

8. Pro eadem sententia militat Leander à Sacramento *tom.* 3. *in* 5. *præcepta Ecclesiæ, tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 156. ubi inquirens: *An defatigatus ex labore assumpto ob quærendam concubinam, vel ob aliud malum finem, sit exemptus à jejunio, casu quo prævidit impotentiam futuram ad jejunandum? *Respondet. Negant esse exemptum à jejunio, ideòque peccatum peccasse in causa contra præceptum jejunii, ob quod prævidendo, quod talis labor foret causa non jejunandi, dedit causam. Ortiz, Homobonus, Joannes de la Cruz, Rodriguez, Sanchez, Trullench. Sed probabilius respondeo, esse exemptum, nec peccasse adhuc in causa contra præceptum jejunii. Sic Medina. Petrus de Ledesma, Diana 1. *p. tract.* 9. *resol.* 40. (Diana. 52.) Filliucius *tract.* 27. *punct.* 2. *n.* 133. Llamas 3. *p. cap.* 3. §. 21. Villalobos *in Sum tr.* 23. *diffic.* 4. *n.* 11. Joannes Sanchez *in Selectis. disp.* 54 *n.* 20. Sic Leander, & fere etiam Diana *resol.* 40. *citata*, ubi pro ea refert etiam Filliucium, dicens: *Hanc sententiam docet absolutè Filliucius, Medinam

dinam sequens. * Sed uterque malè Filliucium refert, quia expresè contrarium docet *ubi suprà*, ut ex ejus verbis fideliter excerptis constat. Nam licet semel positâ causâ, dicat non teneri jejunare: culpam tamen contrà jejunii præceptum, in causæ positione fatetur interveniſſe. * Sed meliùs alii, inquit, culpam quidem esse in apponenda causa fractionis jejunii, at eâ positâ excusari à jejunio. * Et ideò ipse Diana *p.* 10. *tractat.* 14. *resolut.* 11. pro contraria sententia Filliucium meritò refert, & ei cum Azorio, & aliis assentitur (retractans, quod 1. *p. tract.* 9. *resol.* 40. scripserat) dicens: * Sed in editionibus novissimis ego putavi, non esse recedendum à sententia Azorii, & prorsùs ei adhærendum existimo. *

9. Neque Llamas à Leandro adductus ejus sententiam tenet, sed quam communiter Doctores, & quam Filliucius *suprà*, nimirùm. * Quod postquam quis debilitatus est, & factus impotens ad jejunandum, etsi impotentia nascatur ex culpa propria, &c. ad jejunium non tenetur, sed sine peccato potest cœnare de novo. * Sic ex Llamas refert ipse Leander: hoc autem non est negare peccasse in causa contra præceptum jejunii, qui prævidendo impotentiam subsequendam, ejus causam eodem die appositi: quod modo disputatur.

10. Neque Villalobos pro contraria parte jure refertur, qui a expresè illi contradicit, loco à Leandro citato, nempè *tom.* 1. *tract.* 22. *diffic.* 4. *num.* 11. Sic enim scribit: * Hase de advertir, que el que tensa ya experiencia, que jugando a la pelora, o ocupandose en otro exercicio semejante, no puede ayunar, tiene obligacion a dexarle, como la tiene dedexar el camino, el que camina sin necessidad. *

11. Imò neque Joannes Sanchez potest pro illa referri, quia *disp.* 54. *num.* 20. à Diana, & Leandro citata, expresè loquitur de labore susceptо non in ipso die jejunii, sed in die antecedenti, ex quo prævidet ratione debilitatis, & lassitudinis, futuram impotentiam jejunandi pro die sequenti, quo præceptum urgebit. En ejus verba. * Liberos etiam à jejunio existimo, qui culpâ suâ ita defatigati redduntur, quod jejunare non valeant, ut qui defatigatus esset ludo pilæ, aut nimis esset deditus fœminarum commistioni; (attende) nam tales, die, quo præceptum obligat, impotentes sunt jejunare, die verò, quo ludunt, nondùm advenit. * Sic ille: juxtà quæ explicandus *num.* 14. ubi non ita clarè tempora distinguit.

12. Verùm pro sententia Petri de Ledesma, & Bart. de Medina, stat apertè Pasqualigus *decis.* 320. *num.* 6. quia non solùm asserit, eum, qui ex prævisione in potentiæ futuræ ad jejunium, assumit media laboriosa illicita, non peccare contra præceptum jejunii, sed neque illum, qui ex intentione non jejunandi assumit. * Et ita etiam (inquit Leander *suprà quæst.* 157.) tenet Rocafful. *in praxi tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. ubi citat pro hac parte Dianam, & benè. * Quorum sententiam putat ipse probabilem. Quæ quidem à fortiori tenenda, si media laboriosa licita fuerint, & ita tenet ipse Pasqualigus *ubi suprà num.* 3. *& sequenti*, quem refert Leander *quæst.* 158. subnectens. * Citat etiam Pasqualigus pro sua sententia Joannem Santium *in selectis, disp.* 54. *num.* 14. & 20. Dianam 1. *p. tract.* 9. *resol.* 52. & Guilinum *in Sum. verb. Jejunium, num.* 21. *&c.* Sed ex his Doctoribus, quos expresè pro se citat Pasqualigus, Diana oppositum sequitur. * Sic Leander, sed non benè; nam si Diana benè citatur à Pasqualigo (ut fatetur ipse Leander) pro mediis illicitis ex intentione non jejunandi assumptis; non dissentiet, quandò licita fuerint. Quia verisimile non est, Dianam sentire, non esse peccatum, contra jejunii præceptum, assumere media illicita incompatibilia cum jejunio, ex intentione non jejunandi; & peccatum contra jejunii præceptum esse, si media licita fuerint. Ergò aut Diana in utroque eventu affirmat, vel in utroque negat. Et sanè 1. *p. tr.* 9. *res.* 52. expresè loquitur de mediis licitis: & probat. * Quia jus, inquit, habet iste ad illũ laborem suscipiendum, v. g. ad iter agendum, ad ludendum pila, ad venandum, &c. quo non privatur ob jejunium servandum. Et hæc opinio procedit etiam, si in fraudem jejunii id ageret, nullius negotii causa itinerando, sed solo animo non servandi jejunium. Et ita docet Santius *in selectis, disp.* 54. *num.* 14. Hæc Diana.

13. Cæterùm hic author pro utraque parte satis confusè loquitur, quia non exprimit, an de assumptis mediis, eo ipso die, quo adest præceptum jejunii, an de die antecedenti, ejus opinio procedat; & in hoc solo casu videtur cum Joanne Sanchez, ubi suprà consentire, ut colligitur ex fine præfatæ *resol.* 25. ubi concludit his verbis: * Dicendum est igitur, quod non tenetur jeiunio, qui labore aliquo defatigatur, etiamsi id agat in fraudem jejunii, (attende) quia dum defatigatio adquiritur, non adest jejunii præceptum, dum verò jam adquisita, impossibilitas adest ad jejunandum. * Ergò expresè loquitur de labore assumpto die antecedenti præceptum, sicut & Joannes Sanchez, quem citatum sequitur. Juxtà quæ videtur intelligendus, dum initio resolutionis inquit, eum, qui darà operà, ut non jejunet, labore aliquo, quem commodè differre posset, defatigatur, excusari à jejunio, (nimirùm etiam in causa.) * Quia jus habet ad illum laborem suscipiendum: v. gr. ad ludendum pila, ad venandum, quo non privatur ob jejunium servandum, &c.

§. III.

Sententia Petri de Ledesma, & aliorum rejicitur.

14 Conatus sum explicare Doctores confusè loquutos in hac parte, & eorum minuere numerum, qui pro illa referri solent. Quia vellem sanè præfatam opinionem ab scholis relegare, & tamquam indubitatam contrariam, & communem stabilire. Nam, omissâ authoritate, si ad prima rationis principia deveniamus: quid firmiùs, quàm præceptum obligare ad media, quæ ad ejus impletionem sunt necessaria, & prohibere impedimenta cum adimpletione incompatibilia? Quid notiùs eum, qui tenetur ad finem, teneri ad illud, sine quo, obtineri non potest? Hinc præceptum restituendi te obligat ad quærendam pecuniam, si illa careas, & personam, quâ mediante restituas, si per te absque dedecoris periculo non possis. Hinc præceptum audiendi sacrum in die festo obligat abstinere à ludo, tempore, quo unicum celebrandum est: & ad non longè ab Ecclesia recedendum, ita ut hora celebrandi adesse nequeas; & ad non te inebriandum,

nec somnum capessendum, quando prævidetur impedimentum futurum. Item è lecto surgere, è domo exire, & viam ad Ecclesiam tendentem arripere: quæ si omittas, sacro assistere nequibis. Hinc qui tenetur Horas Canonicas recitare, non potest Breviarium in mare proijcere, nec lucernam noctu extinguere, si iterum accendi nequit, & similia. Quorum omnium eadem est ratio, nempè quia media sunt necessaria ad impletionẽ præcepti, sicut & impedimenta sunt cum impletione incompatibilia: & sicut præceptum obligat illa adhibere, sic & ista non opponere. Ergò similiter omninò in re præsenti dicendum est; quia ludus pilæ, venatio, & labores alii, quos quisque experientia novit cum jejunio incompatibiles, æquè adimpletioni præcepti jejunii repugnant, aut auditioni sacri, si tempore, quo celebrandum est, assumantur; & non minùs, quàm projectio breviarii, & lucernæ extinctio, & similia, recitationẽ Horarum; jejunium impediunt. Ergò eò tempore, quo jejunii præceptum obligat, nemo potest præfata impedimẽta opponere.

15. Nec satisfacis, si respondeas, unicuique suum esse ius ad ludum pilæ, aut venationem: hoc enim jus, quod alias foret, per superioris præceptũ impeditum est, sicut & libertas moralis, quæ ad non jejunandum, vel non audiendum sacrum cuique inerat, & qua extrà dies præcepti pro libito uti potest; quia superioris jus ad præcipiendum, prævalet contrà subditi jus; ideòq; illicitum reddit, quidquid justè prohibet: cùm autem præceptum jejunandi sicut & præceptum sacri prohibeat, cùm adest, opera alia exercere cum adimpletione incompatibilia, nullum manet subdito jus ad illa præstanda, sed potiùs ad eorum omissionem tenetur. Benè verum est, die præcedenti ad obligationem præcepti, licitum esse opera quæque aliàs honesta exercere, ut iter arripere, pilâ ludere, seu venationi vacare, licet prævideatur, die sequenti jejunium, aut sacrum impediendum, quia cùm hæc opera exercentur, nondum est præceptum, posteà verò cùm advenit, non ligat si adimpleri non potest, & in hoc tantùm eventu procedit ratio illa adversariorum, de jure, quod unicuique inest, quo per præceptum jejunii non privatur; idque etiam locum habere debet, licet opera illicita sint, ut si venereis ita homo fragilis detur, ut præ virium debilitate, jejunare, vel è lecto surgere non possit: quia ad non peccandum contra præceptum jejunii eadem utrobique militat ratio. Cæterùm eo die, quo præceptum urget, omnia impedimenta, sivè licita, sivè illicita cum adimpletione incompatibilia, præceptum jejunii æquè prohibet, ac proindè si eventus prævideatur, non potest non esse prohibitum illa opponere. Et sic plerique ex Doctoribus intelligendi sunt, qui pró contraria opinione communiter allegantur, ut constat ex supradictis.

16. Adde, aliqua esse præcepta adeò strictæ obligationis, ut non solùm pro tempore, quo opus directè præceptum exercendum est, sed pro antecedenti etiam ad præventionem ligent: v. g. qui elapso anno tenetur creditoribus solvere, non potest in præcedenti se impotentem ad solutionem reddere, & qui ratione status Clericalis tenetur quotidiè recitare, nequit hodie breviarium, postquàm recitavit, in mare proijcere, quo se in reliquum impotentem recitare constituat; quia præceptum justitiæ pro solutione debiti, & præceptum recitandi, ratione status Clericalis, strictius, quam jejunii & auditionis sacri præcepta obligant, & ad tempus etiam antecedens adimpletionem rei directè præceptæ extenduntur. Præcepta verò jejunii, & auditionis sacri ex communi interpretatione solùm exigunt, quod eo die, quo jejunandum est, & quo sacrum audiendum, prædicti non occupentur, quæ jejunium, & sacrum impediant, utpotè cum illis incompatibilia; nec enim Ecclesia ad aliud obligare intendit, nec fidelium obligationem agnoscunt.

17. Ex dictis fit, potiori jure rejiciendos nonnullos Doctores, qui opinioni Ledesmæ suprà positæ adhærentes; addunt, verum habere, licet quis ex intentione non jejuandi assumat in ipso die jejunii opus illo incompatibile, absq; ulla causa excusante. Quod licet consequenter dictum, sustinendum non est, ut ostendetur verò Pasqualigus ubi suprà, Rocaful, Joannes Santius, & Diana apud Leandrum *quæst. 15. & 16.* Refert etiam pro hac parte Doctores alios, nempe Suarez, Salas, & Sanchez, sed omnes malè, ut constabit ex infrà dicendis. Dixi omninò rejiciendam cum præcepto jejunii expressiùs opponitur applicitio, seu intentio expressa non jejunandi, quam applicita, seu interpretativa; qualis est voluntas adhibendi media, seu efficiendi opera, quæ ipsa noscuntur incompatibilia cum jejunio. Cùm igitur hæc adhibere in ipso die jejunii, ut probavi, peccatũ sit potiori jure tale erit intentio expressa non jejunandi. Existimo tamen contrà Leandrum ubi suprà, dari connexionem habere, ac proindè non posse unum negari admisso alio, quia si licet adhibere media incompatibilia cum jejunio, licet etiam non jejunare, ac proindè & id intendere: quia intentio neque ea mala, si nec media, nec finis prohibita sint: intendere enim finem per media, quibus licitè obtineri prohibitum non est. Et quidem, si, ut adversarii dicunt, adhibere illa media, est fugere obligationem præcepti; intendere non jejunare, illis adhibitis, erit intendere per illa fugere obligationem præcepti. Vel ergò utraque opinio est admittenda, vel nemo ut nos contendimus.

18. Dices: licitum esse obligationem præcepti fugere: v. gr. In die festo è proprio domicilio proficiscens in locum, ubi festum non obligat, & ibi servilia opera exercere: imò etiam intentione hac ex proprio domicilio discedere, & alio adire; ergò similiter licitum erit, fugere obligationem præcepti jejunii, & ubi intentione, ludo, aut venationi operam dare, qua factus impotens jejunare, à præcepto excusari. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam cum Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 2. cap. 13. num. 6.* & Thomas Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 12. num. 31. & sequenti.* Quia præceptum illud audiendi sacrum, ut supponimus, non obligat extra illum locum, ergò cum ex illo proficisci non prohibeat, potest quis illo exire, & intentionem habere exercendi servilia alio loco, ubi id non est prohibitum, quia nil facit, intendit contra præceptum festi sui oppidi. Præceptum autem jejunii obligat ad observantiam in illo die, & in loco ubi commoratur. Ergò efficere eadem voluntariè opera cum jejunio incompatibilia, seu intendere non jejunare, non est fugere obligationem jejunii, sed illud non observare, ubi & quando præceptum est, quod est frangere præceptum.

19. Addit Suarez ubi suprà *cap. 15. num. penultimo*, eum, qui proficiscitur ex loco, ubi dies festus est, tenerì manè audire sacrum, quamvis ad locũ, in quo festus futurus extrà limites oppidi, aut Parochiæ, in quibus est festum. Nam cum intrà præcepti tempus, vigens durante adhuc præcepti adimplendi cõmoditate, illic manè ad meridiem sit ab illo eximendus ratione loci

(in

(in quo licet celebraretur, non teneretur assistere) non est cur teneatur alibi prævenire sacrum.

20. Ex his autem nil pro adversariorum opinione inferri potest. (ut malè illorum aliqui intulerunt cum Joanne Sanchez *suprà num.* 14.) Quia ubi, & quandò præceptum non obligat, non est prohibitum apponere impedimenta incompatibilia cum opere præcepto, sicut nec intendere rem alibi præceptam omittere, ubi, & quandò præcepta non est: & ideò qui locum, vel tempus, in quibus non est prohibitio, ex industria quærit, dicitur fugere obligationem. Intendere autem rem non efficere, ubi, & quando præcepta est, seu incompatibilia cum ejus executione adhibere, non est obligationem fugere, sed violare. Undè fit, eum, qui in die jejunii intendit non jejunare, seu omninò voluntariè incompatibilia cum jejunio ponit, non posse à peccato contrà jejunii præceptum liberari, quia nec locum, nec tempus obligationis fugit, sed non observat.

21. Ex dictis fit primò. Peregrinationem, seu iter pedestre, vel equestre, quæ in alium diem commodè differri possunt, debere omitti in die jejunii, si cum jejunio compati non possint. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4 *ad tertium.* * Si peregrinatio, inquit, & operis labor commodè differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris status qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia præmittenda. * Quem sequuntur Sylvester *verb. Jejunium quæst.* 9. M. Paludanus *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 4. *nu.* 19. & plures alii contra M. Bart. de Medina *lib.* 1. *Sum. cap.* 14. §. 10. Joannem Santium *in select. disp.* 51. *num.* 21. Leandrum à Sacramento *tom.* 3, *in quinque præcept. Eccles. tract.* 5. *disp.* 8. *quæst.* 98. & alios apud ipsos.

22. Fit secundò, Adhibere ex justa causa media incompatibilia cum jejunio, etiam ex prævisione incompatibilitatis, non esse contrà præceptum; quia hæc prohibere non intendit Ecclesia, juxtà communem Theologorum interpretationem, & fidelium praxim. Justa autem causa reputatur, quando ad propriam, vel alienam utilitatem corporalem, vel spiritualem labor assumptus conducit. Hinc omnes artes valdè laboriosæ, etsi artifices ad sui sustentationem, in diebus jejunii, laborare non indigeant, & omnes peregrinationes ad sanctuaria permittuntur. Hinc etiam se flagellantes in die jejunii excusantur, etsi ob debilitatem jejunare non posse, experientia noverint; ut tradunt Filliucius, & Joannes Santius ubi suprà. Hinc denique quæcumque opera præstantiora, quam jejunium licet efficere in die jejunii, quamvis incompatibilia cum illo prævideantur: quia non intendit Ecclesia hæc impedire, sed tantùm præcipit jejunium illis, qui præfatis operibus ex causa elicitis, possunt jejunare. Et in his tantùm locum habet doctrina illa generalis, quam Ledesma, Medina, Leander, & alii suprà citati pro quocumque operum genere conati sunt stabilire, licèt frustrà, ut constat ex dictis.

* * * *
* * *

QVÆSTIO II.

Aliqua dubiola circa præceptum jejunii.

1. NOn leve inter Doctores dissidium est, ex quonam capite, gravis obligatio jejunii Ecclesiastici proveniat? Emin. Cajetanus constanter asserit, non provenire ex jure scripto. Ita *in Sum. verb. Jejunium.* Ubi inquirens, quale sit vinculum, quo tenemur ad Ecclesiæ jejunia? Sic respondet: * Ex communi interpretatione videtur vinculum præcepti obligantis ad mortale transgressores ex inobedientia; vel contemptu, &c. Et hoc ego non audeo ex jure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse præceptum obligans ad mortale non jejunantem: quamvis inveniatur præceptum, hoc est, statutum obligans. Hoc est, invenitur præceptum; ut distinguitur contra consilium, & non præceptum antonomasticè: quòd solum obligat ad mortale, ut *in verb. Præceptum* habes infrà. Et propterea quantum est ex jure scripto, nullum cognosco intervenire mortale peccatum, in fractione jejunii Ecclesiæ, si desit contemptus. * Hæc Cajetanus in Summa. Quæ etiam tradit 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 3. §. *Ad hujus evidentiam in fine.* Ubi post accuratam rei discussionem concludit. * Hæc dixerim, quia ex vi verborum, nullibi jejunium Ecclesiasticum inveniatur præceptum, loquendo de præcepto strictè. *

2. Idem omninò, quod Cajetanus docuit de obligatione jejunii, sentiunt alii de obligatione abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jejuniis Quadragesimæ, nimirùm non ex jure scripto, sed ex sola consuetudine ortum habuisse. Cujus efficax argumentum desumitur ex Cajetano. Quia textus unicus, qui de abstinentia ab his cibis in jure Canonico repetitur, *cap. denique, dist.* 4. non magis urget, quam alii textus, quibus ad præceptum jejunii Ecclesiæ ex jure probandum, utuntur Doctores, nempè *cap. non licet, cap. non oportet, de consec. dist.* 3. *cap. Quadragesima, de consec. dist.* 5. Sed in his non continetur præceptum obligans ad mortale, non jejunantem, juxtà Cajetanum. Ergò neque in illo continebitur præceptum obligans, ad mortale, non abstinentem ab ovis, & lacticiniis in jejuniis Quadragesimæ. Consequutio videtur evidens.

3. Et talem censuit Vincentius Baronius in operè contra Amadæum *disput.* 1. *sect. fol.* 128. Ideòque ut illam vitaret, aliud non inveniens effugium, ad consuetum asylum confugit, negans intrepidè apud Cajetanum reperiri verba, quæ circà obligationem jejunii, fideliter excerpta suprà dedi. * Nullum, inquit, & periculosum est, quod affert ad hanc immunitatem adstruendam Amadæus; ovorum, & lacticiniorum usum (scilicèt quatenus est ex jure *in capite denique*) carere lethali peccato, sicò vacet, (nempè quatenus ex jure scripto) ipsiusmet Quadragesimalis jejunii violatio. Ita est. Sed undè probas jejunium (quatenùs est ex jure) solvi citrà lethale peccatum? Cajetani, inquit, verbis. Quæ nulla prorsùs apud illum extant. Videhominis odium in jejunium. Advocat testimonium Cajetani, quod desideratur, & numquam extitit, vel saltem Ecclesiæ mandato sublatum est. * Sic argumenti vim fugere tentavit Baronius. Forsan credebat in nullius viri docti manus ejus scripta perventura, aliter enim hæc scripsisse non posset. Verba ex Cajetano ubi suprà, fideliter

fideliter ab Amadæo, & à nobis excerpta, in quavis ejus Summa, amice lector, reperies: in editione Parisiensi anno 1530. in Salmanticensi, anno 1571. in Veneta anno 1584. & sic in aliis. Quæstio facti est. Lectores omnes Judices sunto. Sed jam sæpè monui, familiare esse Baronio, authorum verba negare, quoties ad suam causam agit. Vide hujus furfuris alia *tract. 3. de Pœnit. disp. 3 q. 3. de circunst. Quid num. 62. & 63. & disp. 6. de forma absol. q. 2. num. 22. & infr. tr. 6. Misc. disp. ult. in fine.*

4. Cæterùm unâ Baronius excusatione defraudandus non est, quod præ gravioris momenti occupationibus, hanc quæstionem oculis lustrare non licuerit, sed alicujus tyronis relatione contentus, Cajetani patrocinium susceperit. Quod evidenter ex dicendis evincitur. Primò: quia Cajetani locum in quo, *ex jure scripto*, gravem ad jejunium Ecclesiæ obligationem oriri negat; (quem Baronius, ubi suprà, in Summa Cajetani desiderari dixit, & numquam extitisse, vel Ecclesiæ mandato sublatum esse) hunc inquam locum ipsemet, paulò infrà fol. 127. in præfata Summa existere recognoscit, & ad causam, quam ibi agit, illo utitur dicens: * Sed quamvis (Cajetanus) dubiter, an ex illo capite (scilicèt ex jure scripto) jejunium violetur, concedit tamen ita esse ex inobedientia contra consuetudinem communem, quæ vim legis habet, &c. (& inferiùs) Non curamus ex quo capite peccetur in legem positivam, dummodò impunitatis spe illarum transgressores non alliciantur, & lactentur. * Sic Baronius. A quo nec sententia, nec verbis, nec apice discrepant, qui obligationem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jeiuniis Quadragesimæ, non ex jure scripto, sed ex consuetudine provenire defendunt. Quinimò, ut vidimus ex doctrina Cajetani pro obligatione jeiunii, argumentum desumunt. Secundò, quia licèt Amadæus in hac propositione septima, numero quarto, semel & iterùm cum Villalobos, & Machado expresserit, Cajetanum non ex jure scripto, sed ex sola consuetudine gravem jeiunii obligationem subortam agnovisse, illi tamen Baronius imponit ex utroque capite illam negasse, idque ex Cajetano suadere tentasse. * Amadæus, inquit, contendit transgressionem legis jeiunii, vel nullum aut tantùm peccatum veniale esse ex Cajetano *in Sum. verb. Iejunium.* * Quod in Amadæi mentem non venit. Tertiò: quia cum Paulus de Palacios Cajetani interpres, ab Amadæo suprà citatus, obligationem abstinendi ab ovis, & lacticiniis, seclusâ consuetudine, & solo jure attento, non adstringere sub mortali, sed sub veniali tantùm; juxtà mentem Cajetani: in alterius tamen longæ diversæ opinionis patrocinium ab Amadæo advocatum Baronius supponit, & eam per calumniam illi affingit dicens: * Omitto Palatium falsò interpretari Cajetanum, quasi eximat à mortali culpa in totum, transgressores legis jeiunii; cùm tamen doceat, sin ex jure communi, saltem ex consuetudine, & inobedientia imputari ad grave peccatum. * Quod in hujus interpretis mentem non incidit, ut ex eius verbis notissimum est. Quid ad hæc Baroni? Fatearis, amabò, nec Amadæi opusculum te legisse, vel iterato illo Augustini gladio, quo ipse Julianum, *lib. 4. cap. 8.* te percutiam: *Tu autem vir honestus, & verax cum sis, abstulisti verba, quæ* (ex Cajetano) *dixi*, & (contra Amadæum, & Paulum de Palacios) *dixisti, quæ finxisti: redde verba mea, & vanescet calumnia tua.* Sed omissis nugis.

5. Conclusio sit: obligationem jeiunii Ecclesiæ, & abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima, non solùm ex consuetudine, quæ vim legis habet, sed ex jure scripto in præcitatis capitibus contento, provenire. Hæc est communis Theologorum, & Canonistarum sententia; & quod præceptum jeiunii, vix alium, præter Cajetanum reluctantem inveni: de præcepto autem abstinendi à lacticiniis, non est adeò certum, quia pro contraria militant graves Theologi, & celebres Universitates apud Amadæum *sup. tr. de Iejunio, prop.* Dominicus, Petrus de Alagona, Granatus, & Glossa, Fagundez, Pellizarius, D.D. Francisci Vende, Fr. Ludovicus à Conceptione, item Academiæ Regni Lusitani, Conimbricensis, & Eborensis, omnes ferò illius Episcopi, & celebriores Doctores, & Magistri Salmanticenses, & Complutenses. Et tamen certissimum, consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in jeiuniis Quadragesimæ obligare; ideòque Summus Pontifex Alexander VII. anno 1666. ut scandalosam, ut minimum damnavit hanc propositionem: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.* Cum autem hæc consuetudo universim in Ecclesia sit; & ut omnes tradunt Doctores, & citur *l. 37. §. de legibus*, consuetudo optima legum sit interpres; dubitare non debemus legem hanc tam, *in cap. denique, dist. 4.* pro abstinentia ab ovis, & lacticiniis in jeiuniis Quadragesimæ præceptum graviter obligans contineri, ut cum D. Thoma *2. 2. quæst. 147. art. 8.* docent communes Theologi.

6. Insuper à ratione efficaciter probatur. Quæ verba præcitati capitis *denique* importare præceptum (sub veniali tamen obligans) est communiter apud Doctores contrariæ sententiæ: atqui materia hujus præcepti est gravis, ergò obligatio levis esse non potest. Confirmatur: quia si decretum Alex. VII. statuentis, consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima obligare, quia non exponeret de obligatione sub veniali, audiri non esset, & ut menti Pontificis contraveniens improbari deberet; & tamen caput aliud non est, nisi pro obligatione gravi concludatur, præter materiæ gravitatem, ergò eadem expositio textui juris Canonici adhiberi debet. Tertiò: quia Augustini Anglorum Episcopi interrogatio continebat, an præceptum abstinendi à carnibus in Quadragesima, importaret etiam obligationem abstinendi ab ovis, & lacticiniis? Et respondet Pontifex, quod sic. Ut exponit Glossa ibidem, idque præferunt verba illa *par est*, seu æquum, & justum. Quæ jus novum non inducunt, sed antiquum abstinentiæ Quadragesimalis exponunt: quapropter verbis præceptivis Summus Pontifex ultus non est. Confirmatur, quia in aliquibus Provinciis, ut in Belgio, & Germania, in quibus consuetudo abstinendi ab his cibis non est, illorum usum excusant Doctores, ratione consuetudinis introductæ; ergo supponunt per illam præceptum juris esse abrogatum, aliàs non ad consuetudinem, sed ad defectum prohibitionis recurrere deberent.

7. An verò in Dominicis Quadragesimæ, ovis, & lacticiniis uti liceat? non conveniunt Doctores. Affirmant Llamas, & Antonius Gomez apud Dianam *3. p. tr. 6. Misc. res. 80.* & cum Anglet, & aliis P. Mendo *in Bullam, disp. 18. à nu. 16.* & *de jure academico, lib. 3. q. 47.* & *in statera opin. moral. disput. 14. quæst. 5.* & cum Corduba, Fagundez *in præc. cap. 5. num. 35. fol. 202.* Antonius de Escobar, Joan-

Joannes Henriquez, Machado, Martinus de San Joseph. Et saltem non esse improbabile, dicunt Villalob. & Trullench, quos refert Diana *p. 10. tr. 11. resol. 46.* Quibus adde Palacios, Ludovicum à Cruce, Pasqualigo, & alios, quos citatos sequitur Tamburinus *in 5. præcept. lib. 4. cap. 5. num. 27.* Quorum ratio, quia secundùm jus commune, ex quo obligatio abstinendi ab his cibis promanat; dies Dominici non appellantur dies Quadragesimales, utpotè qui numerum quadraginta dierum non complent.

8. Verùm secunda sententia extremè opposita negat ovorum, & lacticiniorum esum in Dominicis Quadragesimæ. Quæ ut probabilior mihi tenenda videtur, ratione consuetudinis, quæ sic interpretata est textum juris, & ubique observatur; quæ eamdem vim in diebus Dominicis, ac in jejuniis Quadragesimæ obtinet. Secundò probatur, quia Dominicis diebus, licet Quadragesimum numerum non complentibus, obligat præceptum abstinendi à carnibus, ergò & ab ovis & lacticiniis, quia ut suprà diximus ex glossa, Pontifex consultus respondit: his diebus, quibus à carnibus in Quadragesima abstinemus, ab ovis etiam, & lacticiniis, ex vi ejusdem præcepti abstinendum: verè enim in communi loquendi modo dicuntur Dominicæ Quadragesimæ, etsi numerum quadraginta dierum non compleant: quo etiam sensu dies Quadragesimæ vocantur. Ideò hanc sententiam tuentur, Pasqualigus in secunda editione retractans, quod dixerat in prima *decis. 72.* P. Bardi *in Bull. part. 2. tract. 3. cap. 2. sect. 6.* plures referens. Item P. Henriq. Vega, Villalobos, Sanchez, Santius, Rodrigez, Nugnus, Ludovicus à Cruce, Trulleneh, Moure, Corduba, Fernandez, Narbona, & alii, quos sequitur *Diana par. 3. tract. 6. Mis. res. 80. & par. 9. tr. 8. res. 68.* Quibus adde Lezan. *tom. 3. verb. Jejunium, num. 3.* & Castro Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 7. nu. 8.* & pro hac opinione stare declarationem Eminentiss. Cardinalium testatur Diana *p. 10. tract. 11. resol. 46.* Quamvis Tamburinus, *ubi suprà*, de illa non constare authenticè, respondeat.

§. UNICUS.

Corollaria.

9. EX hac conclusione inferunt non pauci, privilegium Bullæ Cruciatæ edendi ova, & lacticinia, illis tantùm suffragari, pro diebus Dominicis Quadragesimæ, quibus pro diebus jejunii prodest. Atque adeò Regulares, & alios in Bullâ Cruciata pro Quadragesima exceptos, neutiquam posse ejus virtute in diebus Dominicis, uti lacticiniis. Sic P. Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 10.* & cum Ludovico Lopez tenet Vega *in Sum. tom. 1. cap. 14. casu 29.* Cæterùm quoad Regulares aliter sentiendum est, quia hi solùm excluduntur in Bulla Latina à privilegio edendi lacticinia *in jejuniis Quadragesimalibus.* Dies autem Dominici non sunt dies jejunii Quadragesimalis, licet dies sint Quadragesimæ, ut suprà notavimus: non ergò limitatio privilegii ad dies expressè non exceptos extendenda est: nec frustrà ly *in jejuniis* superadditum credendum est. Ideò ita sentiunt P. Bardi *ubi suprà sect. 6, num. 61. & seq.* M. Nugnus *tom. 2. in 3. p. tract. de Bulla Cruciata, §. 8. dub. 5.* Corduba, Trullench. Barnabas Gallego, Castro Palao, Escobar, & alii, apud P. Mendo *in statera opin. mor. diff. 14. q. 5.* Quos sequitur Joannes Martinez de Prado *tom. 1. Theol. Mor. cap. 6. q. 8. §. 2. n. 7.* & Diana *p. 1. tr. 11. de Bulla, res. 5. & p. 9. tr. 8. res. 66.* Qui asserit non constare authenticè de quadam Pontificis declaratione in contrarium, quam allegat Rodriguez. Undè ait Prado. * Concludamus hanc sententiam esse probabiliorem, quousque illa declaratio Pontificis relata in contrarium juridicè constet, & publicetur. * Ergò Religiosi virtute Cruciatæ poterunt in Dominicis Quadragesimæ, ovis, & lacticiniis licitè uti. Secùs absque Bulla, aut alio privilegio propter superiùs dicta.

10. Notare hic non præteream amplissimum concessum fuisse privilegium Religiosis Ordinis Militaris S. Jacobi de Veles, & S. Marci Legionensis, ut tam ipsi, quam eorum familiares, & servitores possint* comedere in Quadragesima, & aliis diebus anni, de jure, consuetudine, aut aliàs quomodolibet prohibitis, butyrum, ova, & alia lacticinia. * Sic refert M. Joannes dela Cruz *de statu Religioso, lib. 1. c. 6. dub. 22. concl. 2.* à Leone X. concessum anno 1514. subnectens. * Quo communicant aliæ Religiones, juxtà dicenda *lib. 2. cap. 4.* & servatur Bulla in Conventu de Veles. * Cui à fortiori consentient Rodriguez *in qq. Regul. tom. 1. q. 55. art. 18.* & Miranda *tom. 2. Man. Prælat. q. 46. art. 7.* quia putant Regulares posse gaudere, & frui omnibus gratiis, privilegiis, & indultis, etiam particulari loco, vel domui concessis. Et in terminis sententiam Joannis de la Cruz se non audere improbare, ait doctiss. F. Ludov. à Concep. *2. 2. tom. 2. exam. lit. L. verb. Lacticinia, n. 8.*

11. Verùm hæc sententia nullatenus sustinenda est. Quia ut expressè deciditur *cap. in Capella de privilegiis* concessum uni Ecclesiæ, Provinciæ, vel loco, nequit trahi ad aliam Ecclesiam, Provinciam, vel locum. Secundò, quia communicatio privilegiorum non habet locum in exorbitantibus, & in his quæ rarò, & cum difficultate conceduntur, prout Rota Romana sæpiùs declaravit *decis. 14. 2 p. Recent. & decis. 55. n. 14. & 15. 1. p. decis.* Et in una Valentina decimarum 28. *Novemb.* 1603. coram Cardin. Lancelot. Et in una Toletana 6. *Nov. anno* 1605. & ideò ita censent Butr. *cons. 19. n. 9.* Navarrus *to. 2. tit. de privileg. cons. 13. n. 4.* & aliis citatis Diana *p. 11. tr. 3. res. 17. §. Falsum est*, & plures alii & est juxtà regulam 81. de regulis juris *in 6.* ubi dicitur, in generali concessione non venire ea, quæ quis verosimiliter interrogatus non esset in specie concessurus. Tertiò probatur, quia in Bulla Cruciata, quoad privilegium edendi ova, & lacticinia excipiuntur Regulares, nisi sexagenarii fuerint. Supponit ergò Pontifex hos non habere aliundè privilegium. Quartò denique, quia ipsemet Pontifex Leo X. qui Religiosis Ordinis Militaris Jacobæis Conventus de Veles, & S. Marci Legionensis, præfatum privilegium concessit, declaravit, & decrevit communicationem privilegiorum non intelligi de concessis quibusdam domibus, vel personis particularibus Ordinis, ut habetur, & notatur in supplemento ordinis Minorum *fol. 59. concess. 157.* Nec obstat concessio Pii IV. de qua in dicto supplem. *fol. 96. concess. 206.* qui privilegia concessa uni, vel quibusdam Monasteriis Ordinis D. Hieronymi, ad omnia & singula ejusdem Ordinis tam virorum, quàm mulierum extendit. Hinc enim magis conclusio nostra firmatur; cùm opus fuerit speciali privilegio, nec gene-

generalis privilegiorum communicatio ad id præstandum sufficeret. Ergò aliorum Ordinum Regulares per clausulam generalem communicationis privilegiorum, in bullis Pontificum insertam, nullatenus poterunt ovis, & lacticiniis uti in Quadragesima, prætextu præfati Leonis X. privilegii, Conventus de Veles, & Sancti Marci Legionensis olim concessi.

12. Ex quibus inferes, ejusmodi privilegium non solùm non communicari Regularibus aliorum Ordinum Monachalium, vel Mendicantium, sed nec aliis Fratribus Clericis, vel Equitibus aliorum Ordinum Militarium, propter rationem superiùs traditam: imò nec Equitibus ejusdem Ordinis Jacobæi, nec Clericis extrà Conventus de Veles, & Sancti Marci Legionensis commorantibus, & domicilium habentibus. Quia præfatum privilegium est mixtum, partim locale, & partim personale, & religiosis, ad quodlibet ex præfatis tantùm conventibus pertinentibus, seu qui eorum expensis aluntur, concessis. Atque adeò reliqui tam Equites, quàm Clerici Ordinum Militarium eo uti nequ unt. Bullæ autem Cruciatæ privilegio absque ullo scrupulo uti poterunt. *Quia sub ejus indulto* ut in Bulla Latinè dicitur) *vescendi carnibus, & ovis, & lacticiniis, comprehenduntur omnes cujusvis Militiæ regulares.* Clericos autem Fratres esse regulares Militiarum, est certò certiùs. Ut benè docent M. Barnabas Gallego *in explicat. Bullæ, dub.* 58. & P. Mendo *in Bullam, disp.* 18. *cap.* 3. *à n.* 17. *& tom. de Ordinib. Militar. disquis* 12. *à num.* 146. *& in statera opin. mor. dissert.* 14. *q.* 5. ubi efficaciter rejicit Magistrum Joannem Martinez de Prado contendentem, sub hac voce, *Regulares Militiarum,* non comprehendi expressè Clericos Fratres Militares, sed solùm Equites, & Commendatarios. Quod apertissimè falsum est, quia illos esse strictissimè regulares, sine controversia est apud Theologos: hos verò, cùm possint matrimonium inire, (cum quo secundùm D. Thomam 2.2. *q.* 186. *art.* 1. *&* 4. stare non potest propriè religio) propriè regulares non esse, plures docent. Ergò æquè ad minus certum est, Clericos Fratres Militares, ac Equites posse virtute Cruciatæ uti ovis, & lacticiniis in Quadragesima, & ita cum Gallego, & Mendo suprà citatis, tuetur Diana *p.* 11. *tract.* 2. *res.* 53. contra Bardi, & Antonium de Escobar.

13. Aliud privilegium vivæ vocis oraculo concessum à Paulo III. Minoribus de Observantia Sancti Francisci, adducit Manuel Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 21. *art.* 10. ad usum lacticiniorum in Quadragesima. * Modò Fratres Sacerdotes duas Missas celebrent, & Choristæ duos Psalmos Pœnitentiales, cum suis Litaniis, & quandò suspenduntur Bullæ, hæc omnia iterando. * Quam concessionem testatur se vidisse, & putat *non esse revocatam.* Verùm in nulla religione est in usu, quod mihi argumentum efficax est, Regulares omnes (exceptis Militaribus) illam non admisisse, vel renunciasse. Aliàs hodiè liceret tali privilegio uti, per ea quæ de revocatione oraculorum docent plures, quos refert Amadæus *tract. de Jejunio, prop.* 7. *num.* 8. *&* 9.

14. Pro cronide adnotare oportet, privilegia hactenùs concessa ad ovorum, & lacticiniorum esum in Quadragesima, solùm illa indulgere in prandio, non verò in collatione serotina, in qua, nec in jejuniis aliis extrà Quadragesimam, ova, & lacticinia, aut pisces licet sumere, sed illos tantùm cibos, quos consuetudo legitimè recepta, ex qua collatio serotina ortum habuit, singulis locis permittit. Quamvis jure dixit Amadæus *tract. de Jejun. prop.* 21. *n.* 2. contentiam contrariam esse contra communem Theologorum, & me judice, prorsùs falsam: licèt in collatione serotina, quantitatem, non qualitatem eborum attendi debere, dixerint Cajetanus *in Sum. tom. Jejunium.* M. Acatius de Velasco *tom.* 1. *res. Mor. tom. Ayuno, res.* 32 M. Nicolaus Moscensis in Tyrocinio *p.* 2. *præ.* 2. *n.* 22. *fol.* 97. & alii, quorum verba fidelitèr excerpta refert Amadæus *ubi suprà.* Et in terminis ovorum etiam esum extendunt Machaldo, Martinus Vidal, & Pasqualigus, quos ibidem adducit & Hieronymus de Llamas 3. *p. Methodi, cap.* 5. §. 24. prout referens M. Sotum his verbis. * Possunt & nimium studentes, & capite debiles, (qui malè non comedunt dormiunt) aliquantulo in hoc longiores esse: Quibus Soto usque ad paris ovorum esum concedebat, neque nobis videtur in hoc largus, cum sciamus jejunium cum illis omnibus servari posse, quæ ejus sententiæ, neque saluti, neque majori bono repugnent. * Sed in hac parte largior, quam refert Llamas, fuit Mag. Sotus, quem sequitur Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum, disp.* 1. §. *ultimo, fol.* 119. &, quod mirabile dictu est, illum de strictiori jejunii observantia, ideò enixè commendat. * Adeò, inquit, antiquæ disciplinæ tenax est noster Soto, ut ipse doctoribus, qui ad studium, capitis dolore, & infirmitate, inepti fiunt, (attende lector) permittat duo *ova ovorum,* nullo oleo, cibo, & vix pane adhibito. Sic Baronius cum Soto: quorum opinionem laxam nullam, in hac materia, hactenus inveni. Quamvis enim ova, frustulo panis quàmvis exiguo adjuncta, nequeunt non collationem serotinam non solùm in ratione qualitatis, sed quantitatis etiam, illicitam reddere. Et miror Baronium, ob collationem istam M. Sotum antiquæ disciplinæ tenacem appellasse, cùm ipsemet *largissimam* vocet illam, quam communis Doctorum modò *protrahit ad octo uncias citra peccatum ullum,* vel cum veniali (ut cum aliis, ait Diana *p.* 9. *tract.* 6. *resolut.* 15.) ad uncias decem communi cibi. Quam, inquit, nostri Thomistæ haberent quæ nuperum inventum sibi ignotum, & improbum, quasi quoddam helluationis, & potationis minutæ noxam jejunii, à mollioribus Theologis excogitatum genus. * Hic, studiose lector, tuum judicium appello: & ad examen bilancis Baronianæ te invito. Lances, sententias, & verba pondera: & simul imposturam ibidem fingentis Amadæum tradidisse collationem *ex cibis quibuscumque,* ad uncias decem posse usque lethali protrahi: cùm tamen neque ipse, nec alius ex authoribus, quos ibi refert, id asseruerit.

Curiosa alia invenies *sup. fol.* 288. *num.* 18. *&* 19.

* * *
* * *
* *

DIS-

DISPVTATIO SEXTA,

De præcepto Charitatis Dei, & proximi.

QVÆSTIO I.

An detur speciale præceptum actus amoris Dei super omnia?

1. EJusmodi præceptum dari, hominemquè teneri actum charitatis elicere, tam ex jure naturali, quàm divino ad virtutem charitatis pertinente, est communis Theologorum sententia, quam tenent D. Thom. 1.2. *quæst.* 100. *art.* 10. ubi sic: * Actus charitatis dupliciter considerari potest, uno modo secundùm quòd est quidam actus per se, atque ita cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet, diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum, &c. * D. Bonaventura, Scotus, Suarez, Azor, Sanchez, & alii, quos referunt, & sequuntur Puente Hurtado 2.2. *tom.* 2. *disput.* 174. *sect.* 4. P. Vasquez *tom.* 4. *in* 3. *part. quæst.* 86. *artic.* 2. *dub.* 6. *in fine, & quæst.* 90. *artic.* 1. *dub.* 4. *num.* 40. & 41. & alii communiter.

2. Probatur apertè ex Evangelio Matthæi 22. & Lucæ 10. ubi cum Christus Dominus interrogasset legis peritum, quodnam esset primum, & maximum mandatum in lege? ille respondit: *Diliges Dominum Deum tuum.* Cui Christus Dominus: *Rectè judicasti.* Si ergo inter omnia præcepta primum, & maximum præceptum charitatis est, dubitari nequit, ex verbis Christi Domini, certissimum esse dari tale præceptum dilectionis Dei, & ab aliis præceptis, & ab omnium collectione distinctum esse: quia omnium collectio non est primum, & maximum mandatum: ineptèquè respondisset Jurisperitus, si rogatus, quale esset primum mandatum, dixisset: *Collectio omnium.*

3. Deinde ratione probatur, qua utitur D. Thomas 2.2. *quæst.* 44. *art.* 1. De aliis virtutum actibus sunt præcepta, quia nos ducunt ad nostrum ultimum finem: sed actus charitatis immediatè, & proximè ad illum nos ducit: ergo. Confirmatur, quia dubium non est, dari præceptum actus interni fidei: quod esse certum secundùm fidem, ait Suarez *disput.* 13. *de Charit sect.* 1. *num.* 2. ex illo Joannis 3. *Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine filii eius*: atqui, ut constat ex Evangelio Matthæi 22. *Diliges Dominum Deum tuum, est maximum, & primum mandatum*: ergo eadem fidei certitudine tenendum est, dari præceptum actus interni amoris Dei. Urgetur, quia actus charitatis non minus necessarius est ad salutem, quàm actus fidei: sicut enim Scriptura *Marci ultimo*, dicit: *Qui non crediderit, condemnabitur*: ita Joannis 3. ait: *Qui non diligit manet in morte.* Ergo sicut actus fidei, quia in Scriptura præcipitur sub comminatione damnationis æternæ, obligat in omnium opinione, sub gravi peccato; ita & actus Charitatis. Secundò probatur, quia finis hominis est Deus, & opera virtutum sunt media ad finem hunc consequendum: atqui amor mediorum procedit ex amore finis, ergo hic primo loco nobis præcipitur, quia præceptum naturale consequendi nostrum ultimum finem, est præceptum amoris ejusdem ultimi finis, ex cujus fruendi desiderio aliarum virtutum actus imperantur, & diriguntur. Et sanè, ut benè inquit Baronius 2. *part. Manuduct. disput.* 3. *sect.* 2. §. 1. Si Deo ex præcepto credendum est, quod verax sit, & omniscius, nec fallere magis possit, quam falli: si in eo spes nostra ex præcepto ponenda est, quod nec facultas omnipotenti, nec voluntas summè bono desit ad benefaciendum; cur non eodem jure infinitæ bonitatis, ex præcepto est summè amandus?

4. Objicies: Præcepta charitatis includuntur in aliis præceptis Decalogi, ergo & observatio præceptorum charitatis in aliorum præceptorum observatione; sed præcepta Decalogi observari possunt absque actu speciali charitatis Dei, ut tradit D. Thom. 1.2. *quæst.* 100. *art.* 10. & 2.2. *quæst.* 44. *art.* 1. *ad* 1. ergo & præcepta charitatis. Prima hujus discursus præmissa constat ex D. Thoma *art.* 1. *citato ad* 3. ubi, cum sibi objecisset: * Si de charitate darentur aliqua præcepta, deberent poni inter præcipua præcepta, quæ sunt præcepta Decalogi, non autem ponuntur: ergo. * Respondet: * Dicendum, quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi, & ideò præcepta charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur. * Respondeo hujusmodi solutione innixus præcepta charitatis adeò apertè nobis esse, ut sicut præceptum de fide recta in Deum, & de spe in illo collocanda, ita de amando, non oportuerit in Decalogo evulgari. Sensus igitur solutionis D. Thomæ est, præceptum dilectionis Dei, & proximi in aliis Decalogi præceptis includi tanquam primum principium, ad quod omnia reducuntur; & similiter eorum actus: Qui enim Deum, & proximum diligit, totam legem implebit. Quod de eo, qui proximum diligit, nos edocuit Paulus ad Roman. 13. eo quod ad charitatem pertineat, qua proximus diligitur propter Deum: ut ponderant S. Augustinus *de Doctrina Christiana, cap.* 30. & S. Thomas *ad Roman.* 13. *lect.* 2. videatur Thomas Sanchez *lib.* 3. *in Decalogum, in proœmio.* ubi hanc expositionem ex ipso D. Thoma, Cajetano, & Navarro adducit. Et constat apertè ex 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *ad* 1. ubi ait: * Præceptum fidei præsupponitur ad præcepta Decalogi, sicut præceptum dilectionis. * Ergo quod non fuerint scripta in Decalogo, validius argumentum pro illis suppeditat.

5. Objicies secundò, locum alium D. Thomæ ex eadem *quæst.* 44. *art.* 4. ubi præceptum diligendi Deum ex toto corde sic exponit: * Ad secundum dicendum, quod dupliciter contingit, ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, & ista est perfectio patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet, quod nil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc est perfectio viæ. * Ex quibus sic arguitur. Qui diligit Deum ex toto corde, prout est perfectio viæ, verè observat præceptum charitatis Dei, sed qui habitualiter Deum diligit, nil contra Dei dilectionem agens, diligit Deum ex toto corde, prout est perfectio viæ: ergo. Cum autem habitualis hæc dilectio, & nil cõtra Dei dilectionem agere, absque actu interno amoris Dei contingere possit, servando scilicet Decalogi præcepta, & habendo animũ paratum ad dilectionem Dei (sicut de dilectione proximi tradit Angelicus Doctor 2.2. *quæst.* 184 *artic.* 2. *ad tertium.* * Sufficit (inquit) ut fe-

ut feratur in singulos habitualiter, & secundùm animi præparationem:) *Inde non leviter concludi videtur, præceptum diligendi Deum ex toto corde, cui præceptum dilectionis proximi simile est, satis adimpleri, juxtà principia D. Thomæ, si voluntas in Deum habitualiter feratur, secundùm animi præparationem, nil contra Dei dilectionem agens. Respondeo, perfectionem viæ consistere in observatione duplicis præcepti dilectionis Dei, affirmativi scilicet, & negativi: primo obligatur homo elicere actum amoris Dei, non quidem pro semper, hæc enim est perfectio patriæ, sed al quoties in vita, ut infrà dicemus. Præcepto verò negativo nil agendi, quod dilectioni Dei opponatur, semper, & pro semper obligatur: & sic se habens, dicitur homo habitualiter Deum ex toto corde diligere, quia nil contra Dei dilectionem recipere paratus est.

6. Objicies tertiò D. Thomam 2.2. *quæst.* 184 *art.* 3. *ad secundum*, ubi ait: *Perfectio divinæ dilectionis universaliter cadit sub præcepto; sed transgressionem præcepti evadit, qui quomodocumque perfectionem divinæ dilectionis attingit: est autem infimus dilectionis gradus, ut nil supra eum, aut contra eum, aut æqualiter ei diligatur. *Et infrà: *Non est transgressor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo attingat infimum. *Ex quibus sic: Qui nil supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter ac Deum diligit, præceptum dilectionis Dei adimplet: sed nullo actu charitatis elicito, verificari potest, nil supra, aut contra, aut æqualiter ac Deum diligi: ergo & adimpleri præceptum dilectionis Dei super omnia. Cui videtur facere Cajetanus 2.2. *quæst.* 186. *art.* 2. dum ait: *Infrà limites præceptorum communi modo servandorum salvatur dilectio Dei super omnia. *Respondeo, D. Thomam loco suprà citato supponere præceptum dilectionis Dei aliis locis à se traditum, & explicare gradum dilectionis ad illius adimpletionem requisitum: dicitque, infimum sufficere: ideòque non esse transgressorem præcepti, qui illum attingit, id est, qui eo actu dilectionis feratur in Deum, ut nil supra eum, aut æqualiter ei diligat. Qui enim creaturam plus, aut æquè, ac Deum diligeret, neque infimum quidem charitatis gradum attingeret, & multo minus, qui contra Deum aliquod eius præceptum frangeret; quia actus dilectionis Dei etiam infimus, cum ejusmodi creaturarum amore componi non potest. Itaque genuinus D. Thomæ loci sensus est, eum, qui eo actu fertur in Deum, qui secum non compatiatur alium dilectionis creaturarum supra Deum, aut contra Deum, aut æqualiter ei, non esse transgressorem præcepti charitatis, quia actus ille dilectionis, quo in Deum fertur, licet nec suppremum, nec medios perfectionis gradus, attingit tamen infimum.

7. Objicies quartò D. Gregorium *Homil.* 20. *in Evangel.* ubi ait: *Verè enim Deum diligimus, si mandata eius custodimus. *Et Augustinum *sermon.* 53. *de tempore*, ubi ait: *Dei verò dilectio in observatione mandatorum eius tota consistit. *Respondeo, inefficax ex his Patribus argumentum desumi: eorum enim verba solum evincunt à posteriori, & ab effectu rectè colligi, Deum diligere, qui mandata eius custodit, juxtà illud Joannis 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

* * *

§. II.

Consectaria.

8. EX dictis infertur, nullatenus sustineri posse opinionem asserentem non dari speciale præceptum actus charitatis, quod ex hac virtute procedat. Quam maximum errorem continet, dixit Lorca 2.2. *q.* 57. & ut minimum ut scandalosam damnavit Summus Pontifex Alexand. Septimus, die 24. *Septembris, anno* 1665. Interalias enim in Congregatione Generali sanctæ & Romanæ Inquisitionis damnatas, & sub pœna excommunicationis prohibitas, hæc extat. *Homo, nullo unquam vitæ suæ tempore, tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Unde deducitur ut scandalosam in posterum rejiciendam quorumdam opinionem asserentium, non dari speciale præceptum charitatis, sed generale, cui per alia præceptorum adimpletionem, satis fit.

9. Infertur secundò, ab scholis extremitatem sententiam eorum, qui obligationem ad actum charitatis, indirectam solum esse, defendunt, id est, non ortam ex vi præcepti divini ad hanc virtutem pertinentis, sed ad virtutes alias. Verb. gr. ex præcepto religionis; ut quando existenti in morti occurrit necessitas communicandi, vel celebrandi, vel conficiendi aliquod Sacramentum, & non habet copiam Confessoris.

10. Infertur tertiò, defensari ulteriùs non posse opinionem asserentium ad actum charitatis solummodo teneri, qui alia via justificari non potest. Aliàs quis in odio Sacramento Pœnitentiæ justificationem obtinere posset, nullo unquam vitæ suæ tempore teneretur elicere actum charitatis. Quod expresè damnatum est ab Alex. VII.

11. Infertur quartò, falsam prorsus esse opinionem quorumdam asserentium eum, qui semel in anno digne Eucharistiam sumat, adimplere præceptum charitatis præceptum. Quam tenuit Mag. Bannez in Universitate Salmantina Primarius D. Thomæ Cathedræ moderator 2.2. *q.* 44. *dub.* 1. *concluſ.* 3. §. *Alia dum* verba eius sunt. *Nihilominus dico secundò, quod absque scrupulo credi potest, quod qui digne sumit Eucharistiam semel in anno, adimplet simul præceptum charitatis. *Sicille, quem suppremo mine, refert, nec refellit M. Serra 2.2. *quæst.* 44. *in* ubi ait: *Certum est præceptum charitatis obligat ut pluries in discursu vitæ, actum dilectionis Dei proximi eliciat homo. Sunt nihilominus qui dicunt absque scrupulo credi posse speciale præceptum charitatis adimpleviſſe eum, qui semel, in anno quolibet, dignè Eucharistiam sumpsit. *Hæc inquam sententia neutiquam in posterum sustineri potest; nam cum Eucharistia semel in anno quolibet, digne sumpta possit, quin præcedat, comitetur, vel subsequatur charitatis actus, sola confessione prævia ex animo contrito procedente: sequitur manifestè hominem nullo unquam vitæ suæ tempore teneri elicere actum charitatis, ex vi præcepti ad hanc virtutem pertinentis. Quæ est propositio ab Alex. Septimo damnata.

* * *

§. III.

Animad-versio in Baronium.

12. QUamvis doctissimus M. Bannez sententiam nuper ex ipso fideliter excerptam tenuerit: & nec eius verba Baronius ipse inficiari audeat, nihilominùs suadere tentat, mala fide ab Amadæo citatum, & à præfata opinione fuisse prorsus immunem, sic *disput. 3. operis contra Amadæum, sect. 2. §. 1. fol.* 312. Quem ibi carpit, quod ex verbis Magistri Bannez, sic intulerit. * Videtur M. Bannez commutasse præceptum speciale charitatis in præceptum dignè sumendi Eucharistiam, quod est æquivalenter illud negare. * Quæ consecutio legitima est: & (ut notavit Dicastillo *de Pœnitent. disp. 3. num. 4. & 95.*) ex Bannez sententia infertur, præceptum speciale charitatis cessare in eo, qui aliunde est justificatus. Quod hodiè asserere, æquè nefas est.

13. Et ut præfatæ consecutionis robur magis innotescat: Amadæi argumentum in Magistrum Bannez retorqueo, & simul instauro ex alio, quo ipse M. Bannez impetit M. Sotum asserentem in Baptismo adimpleri præceptum, quo omnes tenentur, diligere Deum super omnia, cum ad usum rationis pervenerint. * Sic enim in illum insurgit *2.2. quæst. 44. artic. 1. dub. 1.* * Dicit Sotus, quod in Baptismo impletur istud præceptum, quia tunc dat homo nomen suum in militiam Christi. Sed tamen non video, quomodo tunc speciale præceptum charitatis adimpleatur, quoniam parvuli habitualiter amant, sicut & credunt. Adulti verò (attende) cum sola attritione dignè suscipere possunt Sacramentum Baptismi: ergo in susceptione Baptismi non adimpletur speciale præceptum dilectionis Dei. * Hæc Bannez: quæ in illum cum Amadæo, sic urgeo. Adulti cum sola attritione, dignè suscipere possunt Eucharistiam: ergo in susceptione Eucharistiæ non adimpletur præceptum dilectionis Dei: ergo si ad aliter adimplendum non tenentur, evidens est, speciale præceptum charitatis, aut cessare in eo, qui aliunde justificatus est, aut in præceptum dignè sumendi Eucharistiam esse commutatum. Ergo vel argumentum M. Bannez contra Sotum nullum est, aut Amadæi contra Bannez apertè concludit.

14. Instat Baronius, infideliter citatum M. Bannez, * quia licet dicat, satisfieri huic præcepto charitatis, cum quis semel per annum dignè sumit Eucharistiam: tamen, quasi huic responsioni diffisus addit, (quod non debuerat tacere Amadæus) hujus præcepti omissionem nobis ignorantibus posse ad peccatum lethale imputari. * Verum si hæc expostulatio justa foret, potuisset & debuisset Baronius, in Magistrum Serra, qui additamentum istud primò tacuit, primò invehi. Potuisset etiam contra Mag. Petrum de Ledesma id ipsum urgere, qui, licet ex eodem instituto, non aliter Magistrum Bannez citatum adducit *tom. 2. Sum. tract. 3. cap. 5. post 6. conclus.* Ubi sic refert: * La sexta sentencia es, que el que cumple con el precepto de la comunion, recibiendo dignamente el Sacramento de el altar, cumple con el precepto de amar à Dios sobre todas las cosas. Esta sentencia tiene el P. M. Bannez en el lugar alegado. Esta manera de dezir me parece muy dificultosa, porque el precepto del amor de Dios es muy diferente del de la Eucharistia. Luego con comulgar no cumple uno con el precepto de amar à Dios. * Hæc Ledesma: ab his tamen mala fide citatum Bannez, nec ipse Baronius dicet, cur ergo Amadæum impetit?

15. Et quidem neuter malæ fidei redargui potest, quod ultimam circa præceptum amoris Dei conclusionem omiserit, quia licèt post nuper traditam de adimpletione hujus præcepti, per dignam susceptionem Eucharistiæ, M. Bannez subnectat: * Tandem dico, quòd fortassis, nobis ignorantibus, aliquando est omissio hujus præcepti: sicut etiam solet esse omissio orandi Deum. * Non dicit, esse peccatum mortale, nec ideò hæc addidit, quia alteri conclusioni diffusus fuerit, sed quia forsan pluries in anno per se obligat charitatis præceptum, & nos ignoramus. Plures enim intra annum casus occurrunt, in quibus disputant Doctores, sit necne obligatio eliciendi actum specialem amoris Dei: verb. grat. An quisque ad illum per se teneatur, quoties contritionem peccatorum habere debet, aut veram eorum detestationem extra Sacramentum? An quoties aliquem in Deum blasphemantem audit? An quoties beneficium magnum à Deo acceperit? An quando gravis odii Dei tentationes instant? Et similes, in quibus omissio hujus præcepti fortassis, nobis ignorantibus, datur. Quæ proinde ignorantia ex diversitate opinionum probabilium suborta, à peccato, etiam veniali, ne dum mortali nos excusat. Quapropter consulto M. Bannez non dixit, *nobis ignorantibus posse ad peccatum lethale imputari*, ut Baronius illi affinxit, *sed fortassis, nobis ignorantibus, aliquando esse omissionem, sicut & orandi Deum.* De hac ergo ignorantia inculpabili ex varietate opinionum, circa tempus obligationis hujus præcepti, loquitur Magister Bannez *ubi suprà*, quia licet existimet, præceptum amoris Dei per se sufficienter adimpleri digna singulis annis, Eucharistiæ susceptione: censet tamen, & meritò, aliis etiam temporibus fortasse per se obligare, & per ignorantiam omissionem inculpabilem contingere. Hoc autem eodem verborum tenore scribere potuisset, quamvis ad actum specialem amoris singulis annis eliciendum obligasset, ut plures alii obligant. Sicut ergo, si hanc communem conclusionem præmisisset, non esset argumentum diffidentiæ, quod post illam adjungeret: *Fortassis, nobis ignorantibus, aliquando est omissio hujus præcepti*: ita similiter, nec quod post doctrinam de adimpletione præcepti charitatis per dignam sumptionem Eucharistiæ, adjecerit. Nil ergo in Magistrum Bannez peccavit Amadæus, sicut nec M. Ledesma, nec M. Serra: Solus ergo Magister Bannez defecit, vel si mavis, & Baronius dum illum defendit, erasis verbis tanti Magistri, & aliis ex suo penu suppositis.

§. IV.

An obligatio eliciendi actum charitatis Dei proveniat ex præcepto affirmativo hujus virtutis? An ex negativo?

16. NIL clarè determinatum habemus: ideòque controverti adhuc potest, an ex vi censuræ Alexandri VII. damnata etiam maneat opinio asserentium, solum dari speciale præceptum actus charitatis negativum, nempè, non habendi odio Deum? Et consequenter, neminem teneri ex vi præcepti ad hanc virtutem pertinentis actum

charitatis elicere, ni opus fuerit ad evitandum periculum succumbendi urgenti tentationi odii Dei.

17. Ratio difficultandi præcipuè desumitur ex obligatione eliciendi actum fidei, quæ non occurrente necessitate profitendi fidem, provenit, secundum plures, ex præcepto negativo non dissentiendi revelatis, seu non succumbendi tentationi contra fidem, ut videre licet apud Magistrum Prado *tom. 1. quæst Moral. cap. 7. de fide, quæst. 4. §. 4. num. 15. & sequentibus.* Quibus facilè consentient Doctores asserentes, pueros, cum ad usum rationis perveniunt, non adstringi præcepto dilectionis Dei. * Quia si tunc (inquit M. Prado *num. 14.*) non obligat præceptum positivum actus fidei, nunquam obligaret, quia non est major ratio temporis sequentis. * Imò nec in articulo mortis esse obligationem directam actus fidei, sed indirectam, nempè ex alia virtute provenientem, ad cujus actum debeat fidei actus præcedere, tradunt Sanchez, Trullench, Bonacina, Lugo, Granado, & alii apud Prado *suprà num. 17. & sequentib.* Ergo sicut, saltem extra primum instans usus rationis, obligatio eliciendi actum fidei, cessante necessitate illam confitendi, non oritur ex præcepto positivo hujus virtutis, sed ex negativo; ita similiter de obligatione eliciendi actum amoris Dei, sentire licebit.

18. Secunda difficultandi ratio, sumitur ex doctrina D. Thomæ, prout à M. Acatio de Velasco exposita *tom. 1. resol. Moral. verb. Amarial proximo, resol. 55. num. 4.* Ubi cum supposuisset Angelici Præceptoris doctrinam *ex 1. 2. quæst. 100. art. 10.* asserentis, actum charitatis, secundùm quod est quidam actus, per se cadere sub præcepto legis: * Quod de hoc (inquit) specialiter datur: diliges dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum. * Quibus, tam dilectionis proximi, quàm Dei speciale charitatis præceptum dari, apertissimè docet. Nihilominus M. Acatius ubi supra constanter defendit, non esse obligationem diligendi proximum actu interno, & speciali charitatis, nisi, ad evitandum odium, necessarium sit. Quam sententiam, ut D. Thomæ, & aliorum communem tuetur, dicens: * Santo Tomas, y comunmente los Doctores ensennan, que no debemos amar al proximo con actos internos speciales, sino es en caso, que fuesse necessario para euitar el aborrecimiento. * Ex quibus sic infert Amadæus. *Quid ergo? Dicemus ne, in doctrina D. Thomæ neminem teneri amare Deum actu interno specialis amoris, nisi cum opus fuerit ad evitandum odium? Expende vim consequentiæ.* Et ut luculentius. Sic instauro argumentum: de utroque actu charitatis Dei, & proximi datur speciale præceptum; sed speciale præceptum charitatis proximi non obligat ad actum internum amoris, nisi cum opus fuerit ad evitandum odium, ergo neque speciale præceptum charitatis Dei. Hæc est vis consequentiæ, quam Amadæus lectori expendendam commendavit, & quæ obligationem ad actum charitatis Dei ex solo præcepto negativo hujus virtutis provenire, concessis præmissis, apertè videtur concludere.

***

§. V.

Animad versio altera in Baronium.

19. COnsequutio præfata adeò exosa Baronio fuit, ut in Amadæum, (qui ei assensum præstitit, ut falsò supponit) sic exclamet *tom. 10. fol. 316.* * *Quis ista ferat? adeò præposterè ex doctrina D. Thomæ sanctissima, deduci consequentias impias, & absurdas?* * Sit esto: Ideò verò Amadæum ut illas vitaret, alteram ex præmissis claudicare, inficiatus fuit; non majorem, ut aliqui temerè dixerunt, sed minorem. Nam cum speciale charitatis præceptum de actu dilectionis Dei, & proximi detur, ut tradit D. Thomas ubi supra, & constat *ex Evang. Matthæi*, nequit consequenter asseri, actum internum amoris Dei per se cadere sub præcepto affirmativo, non verò actum amoris proximi.

20. Verum, utraque præmissa concessa, Baronius consequentiam irridet. Nec mirum, cum præceptum speciale amoris Dei, & proximi exponere noluerit, illo veteri proverbio: *Qui amat me, amat canem meum*: quasi præceptum amandi proximum ea ratione se habeat respectu præcepti amandi Deum, ac præceptum amandi canem, cum præcepto amandi proximum: aut quasi proximi, & canis amandi, darentur duo specialia præcepta inter se connexa: sicut & amoris Dei, & proximi dantur. Undeconcludit, ridiculam esse argumentationem à præcepto speciali amoris proximi ad amoris Dei, dicens: * Canem amici non debeo singulari affectu prosequi, sed amicitiæ satisfacio, si habeam animum paratum ad canem diligendum, cum occurrit occasio: amico testandi affectum, eius cane non omisso neglecto. * Ex his præmissis infert, quod licet amor proximi speciale præceptum non obliget per se ad actum internum amoris, nil inde concludi possit contra obligationem ad actum internum amoris ex præcepto affirmativo provenientem. * Aliàs (inquit) satisfaciam præcepto charitatis in Deum, si illum eodem loco, quo canem, reponam. * Verba hæc cui vertam, nescio. O Baroni! non tam imbellem illum fuit; ictum verò non sensisti. Et quidem si ista obligatione amandi Deum non alia amandi proximum contineretur, quam in præcepto amandi proximum obligatio amandi eius canem; aut præceptum amandi canem daretur simile præcepto amandi proximum, quod, jux: à Evangelium, simile est præcepto amandi Deum: discursus Baronii irridendus non foret. Sed cum omnia secus se habeant, & ipse negare non possit, consequentiæ, & consentiens amoris fugere non poterit.

21. Et ut res magis innotescat, sic formo argumentum. Ex eo, quòd Christus Dominus, eodem modo loquutus fuerit de speciali præcepto charitatis Dei & proximi, inferunt Doctores, dari præceptum speciale divinum, & supernaturale charitatis proximi, quo ex charitate, amore supernaturali teneamur proximum diligere (quod esse de fide certum docet Trullench *lib. 1. Decalogi, cap. 5. dub. 4. n. 4.*) Ergo ex eo, quòd Christus Dominus de utroque speciali præcepto charitatis Dei, & proximi eodem tenore verborum locutus fuerit: legitima hæc erit consequentia: actus internus supernaturalis charitatis Dei per se cadit sub præcepto affirmativo, ergo & actus internus supernaturalis charitatis proximi: ergo ab ipso posito consequentis validum erit argumentum: sed actus

actus internus, & supernaturalis charitatis proximi in opinione D. Thomæ (ut testatur Acatius de Velasco) per se non cadit sub præcepto affirmativo: ergo neque actus charitatis Dei: ergo ex negata obligatione diligendi proximum actu interno charitatis supernaturalis, ex vi præcepti affirmativi pertinentis ad virtutem charitatis, efficaciter arguitur contra obligationem amandi Deum actu interno charitatis, ex vi præcepti affirmativi; solumquè concedendam ex vi præcepti negativi spectantis ad hanc virtutem. Neque hoc argumento, ut falsò imponit Baronius ubi suprà, * contendit Amadæus ex D. Thoma, præceptum charitatis amandi Deum nullum dari speciale. * Sed non dari speciale affirmativum, si de amando proximo non detur: * Nam cum præceptum charitatis, inquit, de utroque amoris actu, Dei scilicèt, & proximi specialiter detur, juxtà illud *Matthæi 22. secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Aut utrumque sub præcepto (nempè affirmativo) cadere, aut neutrum formaliter dicendum est. Consequentiam desidero. * Hæc Amadæus, quibus, ut patet, speciale præceptum affirmativum amoris Dei non inficiatur, sed & proximi etiam concedendum intendit.

22. Quapropter meliora sapiens Baronius *fol.* 326. benè asserit, falsum esse, nullum dari speciale præceptum affirmativum dilectionis proximi, & contra expressa Christi Domini verba, Joannis 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Id verò traditum à D. Thoma *Quodlib.* 4. *art.* 24. *ad* 1. suadere tentat, *fol.* 327. ex quo loco oppositam conclusionem deduxit Acatius de Velasco. * Eo enim quodlibeto, & articulo ad primum (inquit Baronius) eruditè disserit D. Thomas, & varias refert Patrum sententias de adolescente Matthæi 19. &c. * Cæterum hujus testimonii explicatione, non eversam, sed instauratam Acatii assertionem censeo, quia obligationem ad actum internum amoris proximi, eo loci à D. Thoma traditam fuisse, Baronius ipse suadere contendit ex eius necessitate *ad observantiam præceptorum secundæ tabulæ, quo* (inquit) *amore sublato, cætera nutant, nec impleri possint, multominus collectim omnia, nisi præat veluti radix horum fructuum singularis ex charitate affectus in proximum. Si ea* (inquit) *sit necessitas, & efficacia specialis dilectionis in proximum ad servanda secundæ tabulæ præcepta, quid futurum putas de singulari amore in Deum, ut summum bonum ad servanda collectim omnia præcepta?* Hoc autem argumento solum evincit Baronius, juxtà D. Thomam, loco suprà citato, amorem Dei, & proximi cadere sub præcepto, ut necessarium ad aliorum præceptorum adimpletionem: quod est idem, ac dicere: dari obligationem ad ejusmodi actus internos ex vi præceptorum ad alias virtutes pertinentium, quando ad earum observantiam opus fuerit; quod nullus unquam negavit. Quodlibetum ergo quartum D. Thomæ *art.* 24. *citato*, ne leve quidem suppeditat argumentum pro speciali præcepto affirmativo amoris proximi, ad virtutem charitatis, & non ad aliam, directè reducendo.

23. Ex aliis ergo locis D. Thomæ, probari debet obligatio eliciendi actum amoris proximi ex vi præcepti affirmativi ad hanc virtutem pertinentis; quod nullibi à D. Thoma (quidquid Acatius dixerit) negatum invenio.

* *
*

§. VI.

Præceptum affirmativum amoris Dei, & proximi efficaciter probatur.

24. Quod detur obligatio eliciendi actum amoris Dei non solùm ex præcepto negativo, sed etiam ex affirmativo, ad virtutem charitatis pertinente: probant efficaciter fundamenta pro speciali præcepto hujus actus superius jacta: Charitatis enim præcepto, quod primum, & maximum est, id negare, quod aliis virtutum præceptis conceditur, valdè rationi dissonat, cum Dei dilectio totius vitæ Christianæ fundamentum sit: unde à Conciliis, universæ legis observantia dicitur: ergo sicut ex aliis virtutibus, quæ objecta longè inferioris ordinis habent, non solùm præcepta negativa, sed etiam affirmativa dimanant, ita ex virtutibus fidei, spei, & charitatis, quæ perfectiores sunt, & præcipuè ex charitate, quæ major omnium est. Cum igitur charitas specialis, & præstantior virtus sit, & eius actus ad salutem necessarius, nullo apparenti fundamento dici potest de tali actu speciale præceptum affirmativum non dari.

25. Urgetur, quia si ex solo præcepto negativo non succumbendi tentationi odii Dei, teneretur quis actum charitatis elicere, sequeretur, quod si homo nullo suæ vitæ tempore, ejusmodi tentatione urgeretur, nullo ad actum charitatis ex vi præcepti ad hanc virtutem pertinentis adstringeretur. Quæ est propositio ab Alexandro VII. damnata: ergo fatendum est necessariò, obligationem eliciendi actum charitatis, non solum ex præcepto negativo, sed etiam ex affirmativo hujus virtutis, aliquando directè provenire. Quod argumentum præceptum affirmativum fidei, & spei æquè comprobat.

26. Major est difficultas circa actum amoris proximi. Dicendum tamen est, similiter dari speciale præceptum affirmativum de actu interno supernaturali amoris proximi. Ita communiter Theologi, quos citatos sequitur M. Prado *tom.* 1. *quæst. Moral. cap.* 12. *quæst.* 4. §. 2. *num.* 15. Probatur primò ex verbo Christi Domini, Matthæi 22. & Marci 12. *Diliges dominum Deum tuum, est primum, & maximum mandatum. Secundum simile est huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et Joannis 13. vers. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quod præceptum secundùm communem Sanctorum Patrum, & Theologorum expositionem, est affirmativum charitatis supernaturalis, nos obligans diligere proximum propter Deum. Qui quidem actus nequit non esse simul charitatis Dei. Undè Apostolus ad Roman. 13. *Qui diligit proximum legem implevit.* Ex cujus verbis D. Augustinus *tom.* 9. *tract.* 9 *in Primam Joannis* 4. sic infert: * Necesse est ergo, ut Deum diligat, qui diligit fratrem. * Secundò probatur ex D. Thom. *ad locum Pauli ad Rom.* 13. *lect.* 2. ubi sic. * In dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa includitur in effectu. * Et 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. & 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 7. explicans præceptum Christi domini, Matthæi 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*: inquit: * Modus dilectionis tangitur, cum dicitur, *sicut te ipsum*, &c. Et hoc tripliciter, primò quidem ex parte finis, ut scilicèt aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet

debet diligere, ut sic sit dilectio proximi sancta. *Diligere autem proximum propter Deum, stare nequit absque actu interno charitatis supernaturalis proximi: hujus ergo præceptum nobis injunxit Christus Dominus loco supra citato. Ex hoc autem dilectionis actu præcepto, necessaria consequutione deducitur, nil contra proximum à nobis efficiendum, & illi subveniendum in necessitatibus corporalibus, sicut necessitatibus propriis: idquè tantum suadet authoritas D. Thomæ *ex quodlib. 4. art. 24. ad 1.* non verò, ut quidam volunt, non dari præceptum affirmativum actus specialis, & formalis amoris proximi. Quod negari quidem non potest, ex mente D. Thomæ, aliis in locis expressa.

QVÆSTIO II.

Quo tempore obliget præceptum speciale actus interni amoris Dei super omnia.

1. IN hoc puncto quot capita, tot sententiæ: nonnullas referam. Prima asserit, præceptum charitatis Dei per se, & directè tantum obligare in articulo mortis, ita nonnulli Theologi innixi authoritati D. Thomæ. Probant primo *ex 4. dist. 17. quæst. 3. ad quæstiunc. 4.* ubi ad similes quæstiones decidendas, hoc jecit fundamentum. *Præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum: non quidem ex hoc, quod tunc commodo impleri possunt, &c. Sed ex hoc, quod tempus necessitatem urgentem adducit. *Extra articulum autem mortis, per se loquendo, nullam necessitatem agnoscit D. Thomas ad ea, quæ sunt de necessitate salutis exercenda, ut videtur deduci ex his, quæ tradit de confessione, & Baptismo *in addit. ad 3. part. quæst 6. art. 5. in corpore,* ubi ait: * Quia quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere, ideò si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam, vel Baptismum suscipiendum. * Ex quibus M. Canus *in relect. de Pœnitent. part. 4. §. Secunda propositio,* ad obligationem amandi Deum speciali actu dilectionis, nullum tempus determinat, præter articulum necessitatis, in quo tantum hoc præceptum, sicut & reliqua affirmativa, obligare autumat. * Nec peccat (inquit) mortaliter, qui non diligit Deum, nisi necessitatis articulus intercedat. * Quapropter semel tantum per se in vita obligare, putat probabile Illust. M. Acatius de Velasco *tom. 1. resol. Moral. verb. Amor, resol. 53. n. 2.* dum hanc opinionem referens, inquit: * Con que se libran los fieles de muchos escrupulos. * Et sequitur Remigius *in Sum. tract. 2. cap. 1. de 1. præcep. Decalogi, §. 3* Et ab aliis traditam supponit M. Victoria *in relect. de obligat. pervenientis ad usum rationis part. 3. n. 11.* Ubi de tempore, quo amoris præceptum obligat loquutus, planè supponit, suo tempore sententiam fuisse communem: ait enim: * Nec videtur sufficiens solutio communis, quod tenetur semel in vita. * Cui consentiunt non ignobiles Magistri; quibus convenit Joannes Sanctius *in Selectis disp. 1. nu. 21. §. Nec frangitur.* Ubi hanc dicit, esse veriorem sententiam: * Nam supposito, quod nullum tempus determinatum signet Deus, quo debeat diligi, liberum relinquit hominem, ut tempore à se electo obligationem exequatur: & cum articulus mortis ultimum vitæ tempus sit, & aliud eligere nequeat, constringitur, in illo præceptum implere. *

4. Secundò probatur, quia præceptum contritionis non obligat per se ante articulum mortis: ergo nec præceptum actus charitatis. Antecedens est D. Thomæ *in add. ad 3. p. q. 6. art. 5.* ubi confessionem docet obligare, quando contritio obligat. Ad hanc autem teneri per se, neminem putat, nisi in articulo mortis, quia ex jure divino pro confessionis præcepto sibi concludit, ut constat ex numero præcedenti. Et est commune Theologorum cum Cajetano in Sum. *edit. Veneta, anno* 1584. *& in antiquiori Parisiens. anno* 1530. *verb. Contritio, §. Tempus autem,* ubi hac ait: * Quantum ad vitandum novum peccatum mortale, confessionis præcepti de contritione, tempus est determinatum ad articulum necessitatis, sicut in aliis affirmativis præceptis contingit. Prima necessitas est articulus mortis, quia tenetur homo in hac vita contineri. Secunda est susceptio, vel administratio Sacramenti, & universim exercitatio cujuscumque actus exigentis necessariò hominem sine peccato mortali. * Sic Cajetanus, quem sequuntur M. Canus allegatus §. 4. *Propositio,* & viginti DD. apud Leandrum *tom. 1. tract. 5. disput. 1. quæst. 37.* Diana *p. 5. tract. 15. resol. 35. & part. 11. tract. 8. res. 51. §. Dico itaque* Et novissimè, quod mirabile est, hanc opinionem falsam vocat, & simpliciter amplectitur Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum disput. 3. sect. 2. §. 2. fol. 315.* ubi sic ait. * Præceptum contritionis est quod posterius lapsu in peccatum; & *disp. 2.* probatum est, dilationem quamcunque non esse novum peccatum, nisi accedat negligentia, desiderio liberioris vitæ. * Ergo juxta Bonnium, qui non ex desiderio libertioris vitæ, contrahem usque ad articulum mortis differat, non peccabit contra præceptum pœnitentiæ, vel charitatis. Horum Doctorum sententia efficax videtur sumi argumentum pro licita dilatione amoris Dei usque ad mortis articulum. Instauro sic: post peccatum commissum non minus urget præceptum contritionis, quam amoris Dei; quia contritio, secundum communem Theologorum sententiam, est formaliter actus charitatis: & è contra actus charitatis formaliter, aut virtualiter actus contritionis, ut dit D. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 1. ad 4. quæstiunc. 2.* * Dicendum (inquit) quod fervor dilectionis necessitate secum conjunctum habet odium culpæ. * Ergo si post commissum peccatum potest contritio differri usque ad articulum mortis, poterit etiam actus charitatis Hæc consequutio videtur necessaria, concessis præmissis. Quod verò ante peccatum teneatur quisque actum charitatis elicere, non autem perpetrato, usque ad mortem iterare non stringatur, difficilè captu est.

5. Tertiò probatur ex authoritate Doctorum, quidum extremè oppositam sententiam defendunt: mirum, præceptum amoris Dei homines obligare dum primum instans rationis attigerint, quæ communis inter Thomistas: inde nonnulli ex proprio hujus Scholæ suam conclusionem probant: quod nisi adultus in primo instanti usus rationis præcepto charitatis teneatur: Vix (inquiunt) ullum puerum articulum mortis assignari potest. * Sic M. Banez & M. Soto, quos refert Baronius *in opere contra Amadæum, disput. 3. sect. 2. art. 1. §. 1. fol. 312.* & sequitur ipse tum ibidem, tum *1. part. Theol. mor. contra Caramuelem, disput. 2. sect. 1. art. 3. fol. 137.* ubi sic ait: * Quæstiunt instans primum rationis elabi, eoque non eximunt à præcepto amoris Dei, vix aliqua ratione verisimili possunt aliud tempus illi præcepto implendo designare, nisi ad finem vitæ, & mortis articulum devolvantur. * Sic Baronius, & auctor illum

Mag-

Mag,Prado *tom.1.quæst.moral.cap.7.quæst 5.§.4. n.14. & 15.* ubi ait:* Si tunc non obligaret (nempè usque ad articulum mortis) quia non est major ratio temporis sequentis. * Ex quibus sic arguitur: ergo homini, qui in primo instanti usus rationis actum charitatis elicuerit, nullum tempus ante articulum mortis assignari potest, in quo ad illum iterandum teneatur: Ergo omnes Thomistæ, qui huic obligationi fecerunt satis (ut suppono) non tenebuntur ad actum amoris Dei usque ad articulum mortis. Benè. Ergo reliqui Doctores extra Scholam Thomisticã, qui talem obligationem pro primo instanti usus rationis non agnoscunt, consequenter asserunt, præceptum speciale charitatis extra articulum mortis non obligare. Quod hæc consequutio sit legitima ex præmissis, fatentur omnes Thomistæ supra citat: atqui probabilissima est sententia negans obligationem eliciendi actum charitatis in primo instanti usus rationis, ergo nequit improbari consequutio, quæ ex illa necessariò deducitur.

6. Quartò probatur argumento desumpto ex D. Thoma *in addit. ad 3.part.quæst.6.art.5.in corpore*, ubi de præcepto Baptismi loquens sic ait.* Ad Baptismũ non est al quod tempus determinatum, ultra quod, si Baptismum differat, peccatum incurrat.* Et infra. * Quia quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideò si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam, vel Baptismum suscipiendum.* Ex quibus sic: Baptismus est fundamentum Christianæ vitæ, & tamen juxtà D. Thomam ante periculum mortis nullum est tempus ei suscipiendo determinatum, ultra quod, si adultus Baptismum differat, peccatum incurrat. Ergo idem de actu amoris Dei eodem fundamento dici poterit. Urgetur: quia huic principio innixi Scotus, Durandus, Gabriel, Richardus, Paludanus, Suarez, Valentia, Lugo, & alii apud Leandrum à Sacramento *tom.1.tract.5.disp.3. q.13.* asserunt, seclusa lege Ecclesiastica, præceptum confessionis non obligare extra articulum mortis. * Quia præceptum, inquiunt, affirmativum per se non obligat, nisi in articulo necessitatis, qui per se loquendo nullus est dabilis ante mortem. * Atqui præceptum amoris Dei est præceptum affirmativum, & aliundè nullum est ei tempus à Christo Domino, nec à jure naturali determinatum, ergo, ni ab Ecclesia determinetur, non obligabit absque ad periculum mortis.

7. Hæc sunt fundamenta, quæ pro hac sententia militant, quam proinde gravissimi Doctores secuti sunt, & videtur tenere doctissimus Navarrus *in Sum. cap.11.* ubi per omissionem amoris Dei, solum putat peccare: Qui dimisit amare Deum, tempore quo sub pœna peccati mortalis tenebatur ad cogitandam suam salutem spiritualem, veluti cum imminebat mortis periculum, vel necessitas se obtulit sumendi, vel administrandi Sacramentum. Sic Navarro pro se citans Mag. Tabienam, & Majorem.

§. I.

Animadversio in Baronium.

7. SEntentiam nuper relatam, *impiam, & absurdam*, vocat Vincentius Baronius *in opere contra Amadæum, disp.3.sect.2.art.1.§.1.fol.314.* & ultimum argumentum à paritate præcepti Baptismi desumptum, *fallax*, & *vitiosissimum* appellat. Quia non est (inquit) idem judicium de utroque præcepto: nam præceptum charitatis ad finem pertinet, & Baptismi ad media.* Verum hoc effugium nullum est, quia actus charitatis non cadit sub præcepto, ut finis allorum præceptorum est, sed ut medium ad consequutionem gloriæ, ut benè ait M. Bannez 2.2.q.44. *artic.1. conclus.3.* ibi:* Actus charitatis est etiam medium maximè necessarium ad assecutionem finis, & eatenus est de illo præceptum speciale; non ut habet rationem finis aliorum præceptorum, sed ut habet rationem ultimi & perfectissimi medii ad assequutionem finis. Ergo ex eo, quòd præceptum charitatis ad finem pertineat, & Baptismi ad media, insufficiens prorsus est disparitas à Baronio tradita, maximè, ut argumentum de fallacia redarguat, cum tam actus charitatis, quàm Baptismus, ut media tantum, ad assequutionem finis, sub præcepto cadant.

8. Vitiosissimum etiam nostrum argumentum appellat exclamans, numquam D. Thomam docuisse, quod de Baptismi dilatione, in loco supra citato illi adscribitur: * Nec potest (inquit) illi adscribi, nisi per summam calumniam.* Quis hæc apud Baronium legat, & fidem neget? Sed ut nullam huic Authori deberi, palam facerem: legi, & relegi D. Thomæ locum supra adductum *ex addit.ad 3.part. quæst. 6.artic.5.in editione Sulmanticensi* (qua utor) *anno 1555.* & verba, quæ ex illo adduxi, fideliter excerpta inveni: Nec in alienum sensum ab Amadæo detorta. Et charitatis gratia antecedentia, & subsequentia subjungam. Disputat ibi D. Thomas, * Utrum peccator teneatur statim confiteri? * Ergo statim quam statuit, ratione communionis teneri, subnectit:* Alio modo obligantur aliqui ad confessionem per se, & sic videtur eadem esse ratio de confessione, & de Baptismo differendo, &c.* Præceptum autem confessionis, jure divino, per se non obligare extra articulum mortis, docent Doctores citati *n.29.* & teste Suarez *tom.4.in 3.p.disp.35.sect.3.n.6.* est sententia D. Thomæ *dist.17.q.3.art.1.* Et de præcepto Baptismi exprimit D. Tho. *ubi suprà*, dicens: * Ad Baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim, postquam habuit propositum Baptismi, neque est aliquod tempus determinatum, ultra quod si Baptismum differat, peccatum incurrat. * Ab hac autem assertione statim excipit articulum mortis, subjungens: * Quia ea, quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere: ideò si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel Baptismum suscipiendum.* En apertè à D. Thoma traditum, nullum esse tempus extra articulum mortis, ultra quod, si Baptismum quis differat, peccatum incurrat. Quo ergo jure, id non posse illi adscribi, *nisi per summam calumniam*, scripsisti? Sed ut calumniam in posterum compescas, argumentum à paritate Baptismi desumptum in te retorqueo, & ex ore tuo te judico. * Si in primo instanti usus rationis homo eximeretur à præcepto amoris Dei, vix aliqua ratione verisimili posset aliud tempus illi præcepto implendo designari, nisi ad finem vitæ, & mortis articulum devolvatur. * Sic fatis *1.part Theologiæ Moralis disput.2.art.3.folio 137.* cum aliis tui instituti, quos supra dedi: Atqui omnes Thomistæ cum D. Thoma defendunt, præceptum Baptismi non obligare in primo instanti usus rationis, (quibus non dissentio) ergo vix aliqua ratione verisimili poterit huic præcepto implendo, aliud tempus designari, nisi ad finem vitæ, & mortis articulum devolvaris. Quid ad hæc?

9: Instat Baronius, D. Thomam ibidem addidisse:* Potest contingere, quod in dilatione Baptismi mortale erit peccatum, vel non erit, & hoc pensandum ex causa dilationis. Unde si causa dilationis Baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpotè si propter contemptum, vel aliquid hujusmodi, Baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale: alias non.* Fateor, D. Thomæ hæc esse verba, quæ licet Baronius non referat, excerpere placuit, ut ex illis D. Thomæ sensus apertius percipiatur. Concedo, dilationem Baptismi ex contemptu, vel ex alio pravo fine posse esse peccatum mortale: contendo verò, vi consequentiæ, idem prorsus de dilatione actus charitatis dici debere: & ideo deficiente simili causa dilationis, sicut non peccat mortaliter omittens Baptismum usque ad articulum mortis, (solo attento jure divino) ita neque qui actum charitatis. Stat ergò argumentum supra confectum: quod *fallax*, & *vitiosissimum* Baronius vocavit. Aliis solutionem remitto.

§. II.

Vera sententia.

10. EXtremas relinquo, aliam, quæ præceptum amoris Dei super omnia in primo instanti usus rationis obligare defendit: aliam, quæ solum in articulo mortis. Primam defero, quia hæc obligatio Authoribus tantum scholasticis est nota, qui ejus meminerunt: & moraliter videtur certum non omnibus inesse obligationem, quam nullus agnovit, omnes ignorant. Secundam reficio, quia præceptum dilectionis Dei est præceptum amicitiæ conciliandæ, conservandæque per totam vitam cum Deo: qui est finis, ex cujus amore, & fruendi desiderio cætera omnia dirigunturs & ministrantur. Incredibile ergo prorsus est, quod non obliget usque ad articulum mortis: si enim media ad consecutionem finis, in discursu vitæ, ex præcepto adhibenda sunt, qui fieri potest, quod amor finis ad finem usque vitæ differatur? Ideò hanc sententiam, quæ communis est inter Theologos, tuentur Sanchez *lib. 1. Summ. cap. 35*: Suarez & Valentia, quos refert, & sequitur Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 1 punct. 4 num. 4*. Sotus, Bannez, Lorca & alii, quos sequitur Montesinos *1. 2. q. 98. disput. 19. quæst. 2. num. 3.* & Mag. Prado *ubi supra à quæst. 3. num. 5. & 6.* qui constanter asserunt, extra articulum mortis dari obligationem eliciendi actum charitatis Dei, etiam his, qui in primo instanti usus rationis actum charitatis elicuerint.

11. Jam quo tempore præceptum hoc ex virtute charitatis obliget? Non conveniunt Doctores. Certum autem est, secùndum omnes, ex aliis virtutibus obligationem procedere, quoties occurrat obligatio se justificandi ad recipiendum, vel conficiendum aliquod Sacramentum. Et similiter ex præcepto negativo ipsius charitatis, quemlibet teneri, actum amoris Dei elicere, quoties ad vitandum odium, opus fuerit. Difficultas solum est de præcepto affirmativo. Respondeo ergo, aliis sententiis omissis, nullum determinatè assignari posse: certum autem esse dari obligationem aliquoties Deum amandi. In hac conclusione ferè omnes Doctores conveniunt. P. Suarez *de Charit. disputat. 5. sect. 3. num. 4.* sic ait: * Dico teneri hominem non prorsus cessare tota vita ab hoc amore. Quare, qui per multos annos non exercet hunc actum amoris, delinquit contra charitatem.* P. Riquez, quem refert, & sequitur Filliucius *tract. 25. cap. 9. quæst. 8. num. 290.* dicit:* Saltem quinto quoque anno, hoc præceptum ligare.* Magis limitat Castro Palao *ubi supra à puncto 4. numer. 10.* ubi ait:* Reputarem, dilationem trium annorum esse gravem.* Cui consonat P. Coninch *disputat. 24. dub. 5. numer. 53.* ibi:* Videtur omnino mortaliter peccare, si hoc præceptum quis ad tres, vel quatuor annos sponte differat.* Strictius alii, singulis annis per se obligare, tradunt, Ita Petrus Hurtado de Mendoza *2. 2. disputat. 174. sect. 6. §. 26.* Lorca *2. disput. 8. sect. 3. num. 8.* Mag. Petrus de Ledesma *in Summ. tom. 2. tract. 3. cap. 5. post. 6. concluf.* Alii verò nullum tempus determinare audent. Et fortè ante annum obligare, inquit Mag. Prado *tom. 1. Quæstion. Moral. cap. 12. q. 3. num. 10.* Quapropter P. Granados *2. 2. quæst. 44. controvers. 3. de Charitat. tractat. 14.** Aliquoties (inquit) in vita credendum est, obligari nos ad hunc amorem, sed diffinire tempus magis in particulari non possum.* Et ex hoc capite, ratione ignorantiæ temporis hujus obligationis, homines excusat à peccato dicens:* Quonam tempore obliget hoc præceptum, res est occulta, quod deserviet, ut facilè admittam invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa plures, qui hoc præceptum fortasse non implevere.* Sic P. Granados, cui lubens assentior.

12. Ad argumenta adversariorum respondeo. Ad primum desumptum ex authoritate D. Thom. *in 4. distinct. 14.* necessitatem urgentem ad præceptum amoris Dei adimplendum, non ex periculo mortis, sed ex vitæ Christianæ fundamento, & institutione taxandam esse: ac proindeadultum tenere elicere actum amoris Dei nimis non differendum, sed aliquoties in vita eliciendum, juxtà diversitatem opinionum, de quibus supra.

13. Ad secundum respondeo, post lapsum in peccatum æquè obligare præceptum contritionis, ac præceptum amoris: nego autem, contritionem deferri posse usque ad articulum mortis, si articulus iste differatur ultra tempus à Doctoribus, pro amoris eliciendo, designatum. Idque D. Thom. supponit loco ab adversariis adducto *ex addit. ad 3. part. quæstion. 9. artic. 5.* dum ficit:* Tunc tenetur aliquis ad propositum confitendi, quando ad contritionem tenetur, scilicet, quando peccata memoriæ occurrunt, quod præcipuè in articulo mortis contingit.* Ly enim, *præcipue*, idem importat, quod magis: ut ostendat majorem esse rationem de articulo mortis: exprimit enim casum minus dubium, aliisquè magis dubium includit, ut cum Bartol. Tiraquell. Burgos de Paz, & aliis tradit Barbosa *in Dictionar. juris, dict. 272.* Quapropter licet D. Thomas idem concludat, confessionis præceptum per se obligare in articulo mortis, tempusque aliud ex jure divino non designet, limitanda tamen est conclusio præcedentibus, nimirum, tunc *præcipue* obligare. Aliud verò tempus ad ejus adimpletionem urgens non negat: ideòquè aliquoties in vita ejusmodi præceptum, sicut & amoris, vel contritionis obligare, dicendum censeo.

14. Ad tertium desumptum ex authoritate Thomistarum, qui pro solo articulo mortis præceptum amoris obligaturum inferunt, si in primo instanti usus rationis non adstringat. Respondeo, illationem esse nullam, & cui ipsi etiam tenentur respondere admissa obligatione pro primo instanti usus rationis, quandoquidem eos etiam, qui hoc præceptum pro eo instanti adimpleverunt, obligant ad aliquoties

ties in vita actum amoris Dei eliciendum, extra articulum mortis.

15. Ad quartum, quod adducitur ex authoritate D. Thomæ pro licita dilatione Baptismi usque ad articulum mortis, respondeo, D. Thomam eodem modo de Baptismo, ac de confessione sentire: atque adeò ejus conclusio intelligenda est, juxtà superius dicta ad secundum argumentum, nempè susceptionem Baptismi *præcipuè* obligare in articulo mortis: non verò excludit obligationem ante hunc articulum. Nec congruè excludi potest, quia non solùm Baptismus in voto, sed in re susceptus, vitæ Christianæ fundamentum est. Quapropter Cajetanus *3. part. quæst. 68. artic 3. §. Et quamvis*, sic scripsit.* Dilatio tamen Baptismi usque ad mortis articulum licita non est: ut patet *de consecrat. distinct. 4. cap. quando quis.* *Cujus sententia est verissima: textus verò, quo utitur, rem non evincit, quia solum procedit de his, qui usque ad exitum vitæ suscipere Baptismum differunt, ut liberius peccent, spe Baptismi postea salvandi.

QVÆSTIO III.

Vtrùm maritus, qui uxorem adulteram suspicatur, possit ei occasionem offerre, ut in adulterio deprehensam corrigat?

1. PARTEM affirmativam tuetur Joannes Sanctius *in Selectis, disp. 35. num. 12.* qui universaliter asserit,* offerentem alicui occasionem ad peccandum, ut deprehensus in illo resipiscat, vel ob alium bonum finem, non peccare: qualiter excusantur Custodes nemorum se abscondentes, ut euntes ingrediantur liberè, & deprehensi caveant in futurum illuc redire. Illud enim non est cooperari ad peccatum, sed permittere unum committi, ut plura evitentur, ut tradunt Navarrus, Navarra, Corduba, Valentia, Molina, Manuel, Vega, & alii. *Et infrà: *Eàdem etiam ratione excusari parentes, & heros non auferentes, vel apponentes famulis, aut filiis occasionem furandi, cum eos ad furandum propensos norunt, ut sic in furto deprehensi resipiscant, censent Navarrus *in Sum. Hispana, cap. 28. addit. ad num 3. cap. 14. §. La decima.* Corduba *in Summ. quæst. 5. corollar. 4.* Navarra *libr. 3. de Restit. cap. 4. dub. ultim. in nova edit. num. 104.* Hactenus Joannes Sanctius. Quem sequuntur Guilinus *verb. Peccatum.* Layman *lib. 2. tractat. 3 cap. 13. num. 5.* Gaspar Hurtado *de Iustit. disputat. 2. diffic. 3. §. Ratio prioris est.* Quia peccanti ex malitia (inquit) potest licitè tribui materia peccati, quæ aliàs sit indifferens.* Diana *3. part. tract. 5. Miscellan. resolut. 18.* cujus rationem reddit.* Quia id non est formaliter cooperari ad peccatum, sed materiam, & occasionem peccati subministrando, illud permittere. Quibus faciunt asserentes, non esse peccatum mortale, subministrare materiam indifferentem ea abusuro. Petrus de Ledesma *tom. 2. tractat. 27. dub. 4.* & Cajetanus *2. 2. quæst. 147. artic. 4. in fine*, aliique plures ex hoc capite excusantes Tabernarios, & Caupones cibaria ministrantes solituris jejunium. Quia* si omnino cœnaturi sunt, (ait Cajetanus) & ego invito eos ad mecum cœnandum, non invito eos nisi ad locum, & societatem cœnæ, & ministro illis cibos. Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod. * Ergo si uxor adulteratura est, maritus occasionem offerens, verb. grat. solam relinquens, vel consulens, ut consanguineam visitet, non invitat nisi ad locum, & domum consanguineæ, ut adductis testibus possit de adulterio convincere, vel in adulterio deprehensam corrigere. In his ergo, juxtà doctrinam Cajetani, peccatum aliquod non apparet. Cui favent Doctores asserentes, non peccare mortaliter, qui petit aliquid indifferens, quo alter jam paratus est abusurus, quia hæc videtur levis cooperatio ad peccatum. Sic nonnulli apud Bonacinam *tom. 2. disputat. 2. de Peccatis, quæstion. 4. puncto 2. num. 21.*

2. Et quod caput, est sententia expressa D. Thomæ *q. 13. de malo, artic. 4. ad 19.* ubi sic scribit. *Pro nullo incommodo corporali vitando, debet homo consentire in peccatum alterius: sed tamen pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere.* Quid clarius?

§. I.

Animadversio in Baronium.

3. HUNC D. Thomæ locum, etsi fideliter excerptum, enormiter tamen truncatum expostulat Baronius *in opere contra Amadæum, disput. 3. sect. 2. §. 3. folio 298.* sic illum impetens:* Sed hic solito enormiori fraude elegantissimum D. Thomæ locum *ex quæst. 3. de malo* (13. voluit dicere) *artic. 4. ad 19.* corrumpit, truncatis verbis, quæ apertè sensum D. Thomæ interpretabantur, & fraudem Amadæi refellebant.* Et exscriptis, quæ à nobis supra, subnectit: * Curtacuisti, quæ sequuntur, verba? Sic enim prosequitur Sanctus Doctor: *Sicut si latro aliquem jugularet, & ad vitandum periculum, aliquis latroni thesaurum ostenderet.* Vides ex D. Thoma non licere quamcumque occasionem, aut materiam peccandi præbere, sed tunc tantum, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio semovet, permissis ejus arbitrio fortunæ bonis?*

4. His de Amadæo actum putat elegans Baronius, quasi exemplum, quo utitur D. Thomas, demonstret, extra casum imminentis mortis, ad quam jam inimicus est accinctus, licitum non esse, ex quocumque alio bono fine, materiam peccati illi præbere. Cæterum homo apertè fallitur: quia licet D. Thomas, claritatis gratia, in exemplum adhibuerit casum latronis jugulum minantis, cui ad vitandum mortis periculum, ostendi posse thesaurum diripiendum, in confesso est apud omnes: non tamen propterea existimavit, in hoc solo casu esse licitum materiam peccati proximo præbere. Quinimò eo exemplo, majoris claritatis gratia, utitur ad probandum, in aliis etiam casibus minoris momenti idem licitum fore.

5. Ad horum evidentiam, proponam argumentum, cui D. Thomas loco citato respondet, quod est decimum octavum, & decimum nonum his verbis objectum:* Ille, qui subministrat peccanti mortaliter, peccare videtur, sicut si quis mutuaret arma furenti, aut interficere volenti: si ergo usurarius mortaliter peccat mutuans pecuniam ad usuras: videtur, quod etiam illi, qui apud eos deponunt pecunias, mortaliter peccent. Sed dicendum, quod si absque necessi-

necessitate apud usuratium deponat suam pecuniam, mortaliter peccat: si verò ex necessitate, à peccato excusatur. Sed contra (inquit *argument.* 19.) necessitas non potest esse, nisi ad evitandum aliquod damnum temporale, sed pro nullo temporali damno vitando debemus consentire, aut materiam ministrare alterius peccato: ergo pro tali necessitate nō excusantur prædicti à peccato mortali. * En argumentum, quod sibi obiicit D. Thomas, apertissimè procedit de subministrante materiam peccato usuræ, quem excusari non posse à peccato, etiamsi pecunia deponatur, ex necessitate offerentis, probare intendebat.

6. Huic ergo respondet D. Thomas ad decimum nonum, id negando: redditquè rationem verbis à nobis supra fideliter excerptis: * Quia licet pro nullo incommodo corporali vitando debeat homo consentire in peccatum alterius: sed tamen (attende) pro aliquo incommodo vitando, potest homo licitè uti malitia alterius, vel materiam ei non subtrahere, sed præbere. * En Baroni, non solùm in casu imminentis mortis, sed ad vitandum longè minoris momenti damnum, concedit expresè D. Thomas, licitum esse subministrare, & præbere materiam peccati, ut pecuniam usurario. In cujus confirmationem adducit exemplum latronis, aliquem jugulare tentantis, cui, secundùm omnes, ad vitandum mortis periculum thesaurus diripiendus licitè ostenditur: ut apertissimo hoc exemplo falsitatis convinceret principium, quo argumentum decimum nonum nitebatur, ad negandum, licere deponere pecuniam apud usurarium, etiamsi ex necessitate offerentis.

9. Ex quibus evincitur primò, exemplum latronis, quo Baronius victoriam intempestivè, & per calumniam cecinit, non taxativè, sed demonstrativè à D. Thoma fuisse adhibitum, ut de more est apud Doctores. Levissimo ergo, & falso prorsus fundamento ductus est Baronius ad dicendum: * Ex D. Thoma tunc tantum licere materiam peccati præbere, cum quis vitam invadit, atque ab homicidio removet. * Obtrudo secundò, non nisi per summam calumniam scripsisse verba illa spongia digna: * Enormi fraude elegantissimum D. Thomæ locum trūcatis verbis ab Amadæo fuisse corruptum. * Cum genuinam D. Thomæ mentem Amadæus expresserit, & nil ad rem faciens omiserit. Et quod mirabilius, ipsemet Baronius, ut à nobis ex posita apertè consentit *disput.* 3. *sect.* 2. *folio* 299. dum ait: * Uti licere materia indifferente, unde alter peccandi occasionem arripiat suo vitio. * Poterit ergo Maritus uxorem, quam adulteram suspicatur, in domum consanguineæ deferre, vel consulere, ut eam visitet: utitur enim materia indifferenti, *unde uxor peccandi occasionem arripiat, suo vitio*: utiturquè ex necessitate consulendi honori, & vitandi damna, quæ ex adulterio noto sibi imminent, & cavendi in posterum plura peccata, quibus, ni principio obstiterit, serò medicina parabitur.

8. Cum D. Thoma *ubi suprà* sentiunt Valentia, Molina, Rebellus, & alii, quos sequitur Thomas Sanchez *in Summ. lib. 1. cap. 9. num.* 36. Nec sibi contrarius est Angelicus Doctor 2. 2. *quæst.* 78. *artic.* 4. *ad* 3. ubi deponentem pecuniam apud usurarium, peccati mortalis, damnat: in hoc enim loco, sermonem instituit de illo, qui absque urgenti causa pecunias apud usurarium deponit: in alio vero, quando ex necessitate, ut constat ex dictis.

§. II.

Vera sententia aliquibus conclusionibus exponitur.

9. Dico primò: numquam licet offerre occasionem uxori, eo fine, ut adulterium committat, licet ex adulterio comprobato, finis alioquin consequendus speretur, & intendatur. Ratio est mihi evidens, quia intrinsecè malum est, proximum peccatum intendere, licet simul alter etiam finis non malus intendatur, nempè deprehendam uxorem in adulterio convincere, ut resipiscat. Sic D. Thomas 4. *dist.* 19. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 3. ubi licèt: * Non tamen debet aliqua occasio præberi, ut peccatum iteret, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. * Et credo esse communem Doctorum.

10. Dico secundò: numquam licet occasionem peccandi non auferre, eo fine, ut proximus in peccato comprehensus resipiscat. Probatur ratione conclusionis præcedentis, quæ ejusmodi omittentem malitiâ etiam finis, infectam demonstrat: quia medium ad finem intentum immediatè conducens, est peccatum adulterii, vel furti, quod ipsamet intentione finis, explicitè, vel implicitè amatur. Tum etiam quia in æstimatione morali, non subtrahere occasionem peccandi, vel illam offerre, parum distant in malitia, cum ex virtute charitatis, aut ex alia, cui præstatum à proximo committendum contrariatur, illud evitare teneamur, si ab!que gravi incommodo possimus. Non autem evitat, qui peccandi occasionem, cum facilè possit, non aufert. Hæc conclusio est contra Sotum, Petrum de Ledesma, & alios apud Sanchez *de Matrimon. lib.* 10. *disput.* 12. *num.* 52. asserentes viro suspicanti adulterium uxoris, licere non auferre adulterandi occasionem, ut eam possit, adhibitis idoneis testibus, de adulterio convincere. Sed consequenter ad superius dicta tenenda mihi videtur, quia inter unum, & alterum casum non est aliquod discrimen, quam in uno peccatum omissionis, in alio commissionis intervenire. Quapropter Joann. Sanctius *in Selectis, disput.* 35. *num.* 12. *prope medium*, nullum in re morali differentiam constituit inter efficientem, & non auferentem occasionem peccandi bono fine: ideòquè Authores omnes de his loquentes ibidem confundit.

11. Dico tertiò: Quoties detrimentum alicujus momenti, ex actione indifferenti, vel ex omissione timeatur, vel alia ad fuerit causa sufficiens ad exigendum ab obligatione vitandi peccatum proximi, licitum cuique erit, non solùm non subtrahere occasionem peccandi, sed per actus indifferentes illam præbere, quamvis proximus prævidendus sit suo vitio peccaturus. Hæc sententia absque dubio est D. Thomæ *loco supra citato ex q.* 13. *de malo, art.* 4. *ad* 19. excusantis à peccato deponentem pecuniam apud usurarium, pro suo incommodo vitando. Quem sequuntur omnes Doctores §. præcedenti citati. Cujus rationem desumo ex P. Molina *tom.* 1. *de Just. disp.* 154. 8. ubi sic: * Licèt cooperari ad peccatum alterius, quando quod à cooperante fit, est intrinsecè malum, numquam liceat: cooperari tamen aliquando, quod indifferens est de se, dicendum est licere, justa de causa, & optimo fine: esto nequitia alterius ad malum, & peccatum ordinetur. * Quibus faciunt Doctores asserentes, non peccare mortaliter, qui præstat aliquid

aliquid indifferens, quo alter jam paratus est abuti. Rodriguez, & alii apud Bonacinam *tom. 2. disp. 2. de Peccatis, quæst. 4. punct. 2. n. 21.* Quibus consentit Vincentius Baronius ubi supra citatus, *fol. 299.*

12. Quæ autem sit justa causa utendi ejusmodi materia indifferenti, seu peccandi occasionem offerendi? Respondeo, judicio prudentis relinquendum, ut cum Valentia, Lessio, & Sanchez, tradit Bonacina *suprà num. 18.* Hinc Christianum se Tyranno manifestantem, & offerentem, quando scit ab illo occidendum, non peccare, licet occasionem illi det homicidii, est communis Doctorum sententia, si causa justa occurrat, ut tradit Cardinal. de Lugo *tom. 1. de Iust. disp. 10. sect. 1. num. 39.* Hinc, si marito inurbaniori vertatur, quod uxorem prohibeat in domum consanguineæ adire, posse ex bono fine vitandæ notæ, aditum non impedire, licet aliàs amasiũ ad adulterium eo advocatum credat, docent viri doctissimi. Tunc enim uxoris malitia ad bonum finem uti poterit, nempè ad eam in adulterio comprehensam corrigendam. Nec ideò ejus peccatum intendere putes: sed quod prævidit futurum ex oblatione rei indifferentis: ex suppositione quod committatur, (quod ipse nollet) intendit castigare, & corrigere, & peccandi occasionem radicitus evellere.

13. Unde fit, quod licet prorsus illicitum sit, occasionem uxori offerre eo fine, ut adulteretur, ut diximus suprà, & tradit P. Sa. *verb. Peccatum, num. 7.* & P. Thom. Sanchez. *lib 10. de Matrim. disput 13. num. 53.* dicens, se non videre, qua ratione id excusari valeat: ex alio tamen fine eamdem occasionem præbere, si finis talis sit, qui sufficiat ad excusandum ab obligatione vitandi peccatum proximi: non est cur peccati mortalis condemnari debeat. Confirmatur exemplo, quo utitur ipse Sanchez *suprà num. 52.* ubi ait. Quod quando custodes nemorum se abscondunt, quo illuc euntes ingrediantur liberè, solvatque pœnam, peccatum mortale committunt, ut benè docet Medina *Codice de Restitut. quæst. 12.* * At excusantur (inquit) à culpa, quando eo fine se abscondunt, ut semel deprehensi, caveant in futurum illuc redire. * Sic Sanchez pro se referens Navarrum, Cordubam, Valentiam, Navatram, Emanuelem Rodriguez, & Vegam. Quorum ratio alia esse non potest, nisi quia finis se abscondendi non est, ut alii delinquant, sed ut ex suppositione, quod nemus ingressi fuerint, comprehendantur, pœnamque debitam solvant. Ergo similiter si maritus domi se abscondat, non ut uxor adulteretur, sed ut ex suppositione, quod delinquat, de adulterio convincatur, & sic caveat in futurum, excusabitur à culpa: habet enim rationabilem causam ad uxoris peccatum non vitandum: actuque indifferenti utitur, unde uxor peccandi occasionem suo vitio arripiet.

14. Dico quartò: Non licet homini peccatum alterius permittere ex fine ignominiæ, vel pœnæ incurrendæ, quibus delinquens melior efficiatur. Hæc conclusio est contra M. Sotum *de secreto, memb. 2. quæst. 2. paulò ante 5. concluſ.* ubi inquirens. * An liceat, & expediat quandoque perditum hominem permittere, in pejora prolabi crimina, ut ignominiâ peccatorum confusus, facilius resipiscat, & emendetur: Respondet: * Licet nobis aliquando permittere, peccatorem ad tempus pejus cadere, ut cautius resurgat. * Cui ego dissentio. Moveor, quia charitas obligat, vitare peccatum proximi, dum causa rationabilis non excusat: finis autem pœnitentiæ, & emendationis, quæ soli Deo nota est, qui futura contingentia conditionata cognoscit, non est homini ad permissionem causa sufficiens: forsa enim proximus infamatus, vel in delicto comprehensus, pejor evadet. Præterquam quod si intentio hujus finis excusare sufficeret, quivis ejus prætextu à vitando peccato alieno se eximere posset, de proximo frequenter judicans peccati ignominia confusum facilius emendandum.

15. Adde, plures Theologos illicitum omnino reputare, permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ; ideòque ejusmodi permissionem Deo esse impossibilem: nam qui vult efficaciter finem, eadem voluntate vult media, sine quibus obtineri nequit: pœnitentia autem absque peccato esse non potest. Quod Deum velle, impossibile est: Ergo cum ignominia, vel pœna propter peccatum incurrenda illud necessariò supponant, qui peccatum ex ejusmodi fine consequendo permittat, nequibit non ipsummet peccatum velle, quod illicitum prorsus est. Præterquam quod rarissimè licet homini peccatum proximi permittere ex quocumque alio fine, ut benè notat Petrus de Navarra *lib. 3. de Restit. cap. 4. num. 127.* *Non enim (inquit) sicut Deus, ita & homo: ille enim obviare peccatis minimè tenetur, iste tenetur.*

16. Hujus quæstionis occasione rogat Sanchez ubi supra, *num. 54.* Num liceat viro, pactum cum uxore inire, ut amasio ejus castitatem violare tentanti conniveat, concedens tempus, & locum, non ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehendatur? Id culpa vacare, docent plures, teste Sanchez ibidem, & ex dictis supra conclusione tertia, necessaria consequutione videtur deduci, quia finis offerentis tempus, & locum, non est peccatum adulterii. Cæterum fundamentum, quo in quarta conclusione utimur, contrarium evincit; nam in crimine deprehendi, essentialiter involvit ipsum crimen: ergo qui efficaciter intendit, ut proximus in crimine deprehendatur, verè intendit peccatum illius: quod prorsus illicitum est. Ut omittam, verba illa conniventiæ in communi æstimatione esse veram inductionem ad peccatum, & in his circunstantiis non esse indifferentia, sed determinata ad significandum consensum in adulterium: quæ proinde graviter ad luxuriam amasium provocant, & illam deperire faciunt; atque adeò à malitia denudari nequeunt.

QVÆSTIO IV.

An divites Laici teneantur erogare proximo eleemosynam de superfluo?

§. I.

Quid in communibus pauperum necessitatibus?

1. AD hujus quæstionis enodationem præmittendum est primo. Triplicem considerari posse necessitatem. Aliam extremam, nempè, quando mortis periculum imminet, aut probabiliter timetur. Aliam gravem, cum aliquod incommodum notabile, ut periculum probabile incidendi in gra-

in gravem morbum, aut patiendi tamen, aut amittendi famam, libertatem, vel statum. Aliam communem, quam communiter pauperes patiuntur.

2. Præmittendum secundò. Ex bonis temporalibus alia esse necessaria naturæ, nempè, quæ ad vitam ut cibus, & potus, & hujusmodi: alia necessaria ad statum personæ, & familiæ, & dignitatem conservandam, quæ dicuntur superflua naturæ: alia verò sunt, quæ naturæ, & statui personæ superfluunt; quoniam tam status, quàm vita sine illis conservari possunt: & hæc sunt bona, quæ absolutè, & simpliciter superflua vocantur. His positis,

3. Prima sententia asserit, in communibus pauperum necessitatibus esse præceptum elargiendi eleemosynam de superfluo. Ita videtur sentire D. Thom. *in 4. sentent. distinct. 15 quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in fine corporis*, ubi sic.* Illud autem, quod necessarium reputatur ad aliquid, quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynam dispensari, & hoc cadit sub præcepto.* Sic ibi, quem plures pro hac parte referunt.

4. Secunda tamen, & verior sententia tenet, in necessitatibus communibus pauperum, neminem teneri erogandam eleemosynam, adhuc de superfluo status, seu personæ. Ita D. Antonious 3. *p. tit. 1. cap.* 24. M. Arauxo Episcopus Segoviensis 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 10. *dub.* 1. *concluf.* 3. referens Sylvestrum, & Armillam, cui consentit Cajetanus apud Sotum ubi infrà. Item M. Victorellus, Fernandez, Malderus, Covarruv. Gabriel, Alensis, Abbas, & alii, quos citatos sequitur Diana 2 *p. tract.* 15. *resol.* 32. *& tract.* 16. *resol.* 28. *&* 5. *p. tract.* 8. *resol.* 17. Probant. Nam si dives teneretur pauperibus in communibus necessitatibus erogare superflua, consequens esset, ut non posset ea donare cui vellet, aut ex eis pios aliquos sumptus ad divinum cultum facere, ut Ecclesiam, vel Collegium ædificare, quod absurdum est. Sic discurrunt DD. in quo non immoror, quia communis est sententia, & tenenda.

§. II.

Quid in gravi necessitate?

5. EST igitur duplex difficultas in hoc puncto examinanda. Prima. An in gravi necessitate sit obligatio erogandi eleemosynam etiam ex necessariis ad statum? Secunda. An saltem in extrema? De qua infra §. *Quintò*. Ad primam ergo deveniendo: Quod in gravi necessitate sit præceptum succurrendi proximo ex superfluis naturæ & statui, conveniunt omnes, ex lege charitatis cordi hominum naturaliter insitæ. Quod non sit obligatio subveniendi proximo ex necessariis ad statum, tradunt D. Antoninus 2 *p. tit. 1. cap.* 24. *ad finem*. M. Turrecremata *in cap. Sicut hi, dist.* 47. *con.* 3. Sylvest. *in Rosa aurea quæst.* 57. Cajetanus *in Sum. verb. eleemosynæ Largitio*. Ubi extra casum extremæ necessitatis non agnoscit obligationem gravem elargiendi eleemosynam, in non habente superflua ad statum. *Eleemosynam, inquit, non facere, est peccatum mortale in duobus tantum casibus. Primus est, si quis habet de superfluo naturæ & personæ. Secundus, cum apparet paupertatem in extrema necessitate constitutus.* Sic ille. Ergo si quis non habeat ejusmodi superfluum, nec appareat extrema pauperis necessitas, non erit mortale eleemosynam non facere. Ergo in gravi necessitate, non est obligatio elargiendi eleemosynam ex necessariis ad statum. Hæc est sententia Cajetani. Quam propterea cum aliis sequitur Diana 4 *resol.* 215. & est expressa D. Thomæ 2. *quæst.* 32. *art.* 5. *in corpore*, ibi: *Sic ergo, dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto, & dare eleemosynam qui est in extrema necessitate. Aliàs autem eleemosynas dare, est in consilio, sicut de quolibet melius bono dantur consilia.* Quod magis explicat subdens.* Est aliquod tempus, in quo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promptu, qui ei subveniat. Ex parte verò dantis, cum habet superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, quæ ut probabiliter æstimari potest. Et *art* 6. Loquens de bonis necessariis, ad statum propriæ personæ, & aliorum, quorum cura ei incumbit, ait: *De hujusmodi ergo eleemosynam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio: inordinatum esset autem, si quis de bonis propriis tantum sibi subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundùm proprium statum, & negotia occurrentia.* Sic Angelicus Præceptor, quem sequuntur Cajetanus ibi, & Matus *lib. 5. de Iust. quæst. 8. art. 1.* dicens: Cajetanus legitimè D. Thomã interpretatus, duos constituit casus præcepti eleemosynæ sub mortali, videlicet necessitatem extremam, de necessariis & gravem, de superfluis (nempè naturæ, & statui) in cujus confirmationem tractatum composuit de eleemosyna, dicit: Hoc autem verum est, quod in gravi necessitate non sit præceptum, nisi de superfluo.* Hæc sententia est hodiè communis, quam, ultra citatos, tuentur M. Martinus de Ledesma 2. *p. 4. quæst. 8. art.* 3. Navarr. *Man. cap.* 24. *num.* 7. Bonacin *disp. 3. quæst. 4. punct. num.* 11. Petrus de Navarra *lib. 3 de Restit. cap 1. n.* 33. & alii apud ipsos, quos sequitur Granado 2 2 *contro.* 3. *n.* 11. *disp.* 2. *sect.* 5. *num.* 32. Et mihi placet. Fundamentum est, quia unicuique jus est decenter vivere, & ad decentiam sui status conservandam, ergo dum quis non extrema necessitate oppressus non existit, non tenetur sub lethali ex necessariis ad statum ei advenire, sed tantum ex superfluis, ex quibus, cum absque magno sui incommodo gravem proximi necessitatem sublevare possit, lex charitatis illum graviter obligat.

6. Hanc communem sententiam amplectitur Gabriel Vazquez *opusc. de Eleemosyna, cap.* 3. Quam nescio quis minus sapiens ideò reprehendit, cum inopiam, Doctorum copia superius allegata ostendit. Quinimò strictius illis loquitur est P. Vasquez, quia communem sententiam ipse limitat, quando gravis necessitas versatur circa famam: ita hanc enim existimat, esse obligationem subveniendi proximo, non solùm ex superfluis, sed etiam ex necessariis ad statum.* Si alicui tamen, inquit, imminet periculum famæ amittendæ, quia illa est pretiosior omni, & statu, seu dignitate, tenetur quis cum detrimento sui status, & rei familiaris superfluæ naturæ, diminuto sui status, & rei familiaris superfluæ naturæ, diminuto gravis necessitas versatur circa famam: ita hanc enim existimat, esse obligationem subveniendi proximo, non solùm ex superfluis, sed etiam ex necessariis ad statum.* Si alicui tamen, inquit, imminet periculum famæ amittendæ, quia illa est pretiosior omni, & statu, seu dignitate, tenetur quis cum detrimento sui status, & rei familiaris superfluæ naturæ, diminuto sui status, & rei familiaris superfluæ naturæ, diminuto Verum lem necessitatem propellere, & sublevare.* Verum hæc limitatio nimis stricta pluribus visa est, & contra communem Doctorum sententiam: qui, ut videmus, absolutè, nullo què facto discrimine inter medium necessitatem gravem provenientem ex defectu bonorum fortunæ, vel famæ, obligationem sub lethali ad eam sublevandam non agnoscunt, quia cum tanto divitis detrimento, quale est, à status decentia deficere, charitatis præceptum graviter non obligat, & nulla

nulla obligatio gravis absquè urgentissimo fundamento authoritatis, vel convincentis rationis, adstruenda est. Ex quibus constat, in gravi necessitate proximi solummodò esse obligationem sub peccato lethali elargiendi eleemosynam de superfluo statui, & personæ, non verò de necessariis.

§. III.

Quæ sint necessaria statui?

7. SI autem scire desideras, quæ bona dicantur necessaria? quæ superflua statui, seu personæ? Respondet Cajetanus *in sum. verb. Eleemosynæ largitio* *Hoc esse judicandum consideratis sumptibus honorabilibus, etiam filiorum familia, status munificentia, magnificentia, communibus eventibus, hæredibus, & aliis hujusmodi; ita ut rarò videatur (attende) contingere, ut homo secundùm statum gloriosè vivens superfluum habeat.*

8. Respondet Navarrus *in sum. latina cap. 24. num. 6.* * Non enim tot sunt, quot putant, ejusmodi divites, quibus sit superfluum statui, cùm nec Reges, & magni Principes, qui habent thesauros ad bella, quæ probabiliter contra suas respublicas timent, aut quæ pro illis gerere debent, superflua habere censeantur. *Et in sum. Hispana cap. 23. num. 74.* * Sin pecado puede uno atesorar para comprar hazienda, rentas, ò señorio, y mudar su estado mas baxo, y peor, en otro mas alto, y mejor, por servir en el mas libremente, o mas à Dios, que le diò talento para ello, segun lo prueba el mismo Cajetano, ni por esto se dize (attende) tener superfluo para ser obligado de præcepto à las limosnas, à que los son los que lo tienen, de quien abaxo dirèmos.*

9. Respondet Petrus de Navarra *lib. 3. de restitut. cap. 1. num. 364.* * Necessaria status, ut benè D. Thomas *quæstione illa* 32. & Cajetanus *in Sum.* non in puncto consistunt. Nec necessitas alterius, qui accepturus eleemosynam, &c. Et ita judicium hoc relinquendum prudentiæ ipsius, qui res habet. Si enim augere statum, vel mutare vult, non ex libidine avaritiæ, aut in fraudem pauperum, sed quia sincerè judicat, sibi convenire ob aliquos honestos fines, majorem familiam habere, & opulentiùs vivere, aut ad altiorem statum conscendere, sola ejus determinatio sufficit, ut quæ ad hoc deserviunt, necessaria dicantur, & non superflua. Unde quia rari sunt, qui nolunt, vel statum majorem habere, vel in infimo opulentiùs vivere. Ideò, ut Cajetanus notat, rari sunt, qui de superfluo status teneantur, Quam ob rationem, ut suspicor, Dominicus Bannez censuit, de necessariis ad statum esse gravi necessitati succurrendum.* Hæc Navarra.

10. Respondet Manuel Rodriguez *in sum. cap. 197. conclus. 2.* * El rico no tiene que escrupulizar, porque todo lo que le es necessario para tratarse con mas pompa, y autoridad no es superfluo à su estado. Y como ay pocos, que no quieran acrecentar sus casas, ò vivir con mas autoridad para honra suya, y de sus hijos, assi ay pocos seculares, que estèn obligados a dar limosna en una grave necessidad de lo superfluo a su estado, como lo nota Cayetano.*

11. Respondet Diana *part. 2. tract. 16. resol. 28.* * Notandum est, quod bona, quæ conservantur ad adquirendum majorem statum pro se, & suis consanguineis, non dicuntur superflua status,* idem repetit *part. 5. tract. 8. resol. 20.* Ubi inter alios refert Malderum 2.2. *quæst. 32. art. 6. dub. 4.* qui docet * vix unquam contingere, ut quis habeat superfluum status, cùm possit quilibet cogitare de statu augendo, imò status cum divitiis crescat. *

12. Respondet Vazquez *Opusc. de Eleemosyna cap. 1. dub. 3. num. 26.* * Appello superfluum status, vel præsentis, vel futuri, quem ego licitè possum adquirere, & ad illum ascendere. Nec enim teneor ego meum statum, & dignitatem amittere, ut alius non amittat suum. Et simili ratione, non teneor ego ob similem necessitatem, futurum perdere statum, quem dignè poteram conquirere. Quod expresè sensit Navarrus, & Cajetanus 2.2. *& in summa loco citato*, qui licet sentiat, de superfluo quemlibet teneri ad eleemosynam, sed non existimat superfluum, quandò quis habet superfluum statui præsenti, illud tamen in futurum reservat, ut mutet in statum digniorem. Et ita (attende) vix aliquis tenetur, aut secundùm opinionem Cajetani, aut secundùm nostram, ad eleemosynam, quandò teneturtantùm ex superfluo status, (& iterùm *cap. 4. dub. ultim. num. 14.*) Laici, inquit, de bonis patrimonialibus possunt servare ad statum suum, vel consanguineorum mutandum. Undè vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. * Sic ex Cajetano, & aliis P. Vazquez, cujus consequentiam observat, & laudat M. Lorca 2.2. *disp. 39. sect. 3. num. 7.* §. *Addit præterea Cajetanus.* Ubi postquam recensuit, quæ Cajetanus necessaria ad statum appellat, concludit: * Sed si hæc sententia vera est, nil unquam erit superfluum.

§. IV.

Iudicium Authoris.

13. FAteor M. Lorca benè ubi suprà ex dictis intulisse. Ideòque numquam mihi suadere potui, inter necessaria ad statum numeranda, quæ non ad præsentem conservandum, sed ad altiorem pro successoribus adquirendum requiruntur. Et hanc fuisse antiquorum mentem, indè mihi efficaciter suadeo. Quia bona diviserunt in necessaria ad statum, & in superflua statui; quæ divisio de subjecto non supponente (ut dicunt Logici) foret, si præfata expositio sustinenda esset, cùm nulla sint bona, quæ ad statum majorem, & majorem adquirendum superflua sint. Et constat ex D. Thom. 2.2. *quæst. 32. art. 5. ad 3.* ub sic rem explicat, dicens: *Cùm habet superflua, quæ secundùm statum præsentem, non sunt sibi necessaria.* Si enim ad futurum adquirendum spectemus, inanis esset disputatio.

14. Quæstio igitur præsens agitanda est, supponendo alia esse bona necessaria ad statum, alia ei superflua: & cùm ex necessariis ad statum præsentem conservandum, conveniant ferè omnes, non esse obligationem saltem gravem, succurrendi proximo in gravi necessitate constituto; dubium solùm potest esse, an ex superfluis statui præsenti teneatur? Hoc verò in dubium verti non posse à principiis intrinsecis, olim mihi indubitatum erat. Quapropter valdè miratus sum, dum primum comperi authores non infimæ notæ pro parte negativa militare, existimantes in sola extrema necessitate hanc obligationem adesse. Ita sibi contrarius tenuit postea Eminentissimus Cajetanus 2. 2. *quæst. 71. art. 1.* ut notat M. Sotus *lib. 5. de Iustit. quæst. 8. art. 1.* Ubi sic scribit: *

Cajetanus in præsentiarum solam extremam necessitatem arbitratur secum afferre præceptum obligans ad mortale : distinguit enim tres gradus ; primum extremæ necessitatis, cui sub culpa mortali succurrendum est ; secundum necessitatis gradum, citrà extremam, cui non occurrere venialis culpa est. Levioribus autem succurrere consilium est, sed illas prætermittere, nulla est culpa. Mirandum est tamen quomodò sui ipsius fuerit oblitus. * Sic contrà Cajetanum M. Sotus.

15. Idem sentiunt Doctores alii, quos refert M. Lorca 2. 2. *disp.* 29. *memb.* 2. *num.* 19. Prima, inquit, sententia asserit, etiam ex superfluis (statui) non esse præceptum dare eleemosynam, nisi extremè indigenti, vel quasi extremè, communibus autem necessitatibus pauperum occurrere, etiam gravibus, non esse in præcepto, saltem ex ratione, ut peccatum mortale censeri debeat omissio. Pro hac sententia plures allegantur, sed qui eam docent in hac latitudine, sunt Panormitanus, Gerson, Rosella, Joannes de Medina. Et eidem sententiæ adhæsit posteà Cajetanus in his, quæ posteriùs scripsit, nempè infrà *quæst.* 71. *art.* 1. & *tom.* 1. *opusc.* 16. *quæst.* 6. immemor eorum, quæ priùs docuerat. * Hæc Lorca.

16. Cum Cajetano sentiunt alii viri doctissimi M. Dominicus Baltanas in Margarita Confessorum, *fol.* 169. ibi : * Notandum, inquit, quod sicut non tenetur quis dare eleemosynam sub præcepto, nisi existenti in articulo necessitatis extremæ, & quandò non apparet alius, qui velit providere, ita similiter facere eleemosynam spiritualem. *

17. D. Antoninus 2. *part. titulo primo, cap. vigesimo quarto,* §. *ultimo,* ubi non solùm eamdem sententiam tuetur, sed pro illa adduxit D. Thomam : dicens : * Esse mortale non succurrere patienti necessitatem extremam, cùm verò quis (inquit) de superfluo naturæ, & personæ (id est statui) non subvenit magnas necessitates patientibus, etsi non extremas sibi notas, hoc videtur esse quasi mortale, secundùm Durandum, sed non secundùm D. Thomam. *

18. Quibus adde Magistrum Serram 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 4. *tom.* 1. *fol.* 582. asserentem, hanc opinionem non carere probabilitate. * Præceptum, inquit, dandi eleemosynam de superfluo naturæ, & statui non obligare sub mortali, nisi necessitas sit extrema, tradit Cajetanus 2. 2. *quæst.* 71 *art.* 1. §. *Ad secundum.* Nam non tenetur, (ait Cajetanus) sub mortali peccato colligere hostem, qui dormiendo subdiù non morietur, nec similiter teneor sepelire mortuum, quem nullus sepelire curat, aut redimere captivum, qui propterea non moritur, &c. Et Sanctus Antoninus secundùm mentem D. Thomæ hoc esse dicit 2. *p. tit.* 1. *cap.* 24. §. 1. Ubi ait, eum qui de superfluo utrinsque necessitatis, naturæ scilicèt, & personæ, non subvenit magnas necessitates patientibus, &c. Sed hæc opinio, licet non careat probabilitate, mihi omninò non placet, * Hactenùs M. Serra. Vide etiam Antoninum Dianam *p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 26. ubi cum Gabriele, & Alensi opinionem Cajetani amplectitur. Et licet 5. *p. tract.* 8. *resol.* 14. sibi non constans contrariam teneat ; hanc tamen probabilem esse suadere contendit, qualem dicit putasse Malderum, Bonacinam, Covarruvias, Cordubam, & Joannem de Medina.

19. Cæterùm hæc opinio mihi omninò displicet, & prorsùs rejiciendam censeo, quod & ipse Cajetanus posteà meliora sapiens jure præstitit *tom* 2. *opusc. tract.* 5. *cap.* 6. Vbi ostendit esse contra communem Sanctorum PP. & Theologorum, *cap.* 1. opinionem, quam aliis locis tradiderat, non solùm retractans, sed dicit esse *erroneam, & procul ab humanis sensibus opinionem* ; & M. Lorca *disp.* 39. *num.* 23. asserit, Non manifestè adversari, non tantum torrenti Doctorum, sed etiam scripturæ, Patribus, & rationi evidenti. * Et improbabilem omninò esse, nec securam in conscientia, dicunt P. Suarez *disp.* 7. *de Charitate sect.* 3. *num.* 6. P. Granados *controvers.* 3. *de Charit. tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 4. *num.* 18. P. Petrus Hurtado de Mendoza §. 82. & alii. Ratio à priori est manifesta, ex communi illo principio naturali præcepti charitatis, quod unusquisque grave proximi damnum vitare tenetur, quandò potest absque sui detrimento. Cùm autem damnum grave non solùm in vita proximi, sed in honore, & bonis fortunæ contingere possit ; indè est, quod in his etiam ex præcepto charitatis, ac proindè sub lethali vitare teneamur, si absque gravi nostro incommodo possimus. Quod autem nobis non est, de superfluo status ei subvenire.

20 Secundò probatur ex D. Thoma in 4. *sent. distinct.* 15. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. ubi hanc esse communem sententiam docet. * Et ideò, inquit, dicitur communiter, quod dare eleemosynam de superfluo cadit in præcepto, & similiter dare eleemosynam ei qui est in extrema necessitate. * Quæ iterum tradit 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. *in corpore, & ad tertium.* Cujus rationem reddit 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 8. Ubi ex professo probabat, ordinem charitatis cadere sub præcepto charitatis ; autè ordo exigit, quod decentiâ status proximi superfluo nostri status præponamus. Ergò debet quisque ex superfluis ad statum tenetur proximo in gravi necessitate constituto, subvenire, si non adsit alius, qui eam sublevare velit.

§. V.

Quid in extrema necessitate?

HInc ad secundam difficultatem gradum facientem inquiro, an ex necessariis ad statum sit obligatio elargiendi eleemosynam, in casu extremæ necessitatis ? Prima sententia communior inter Theologos affirmat, ex fundamento infrà subjiciendo. Secunda verò negat ; pro qua stare D. Thomam 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. dicunt non pauci, ut testatur M. Lorca *disp.* 9. *art.* 9. *disp.* 39. *memb.* 1. *num.* 11. ubi adducit Thomæ verbis sic ait : * Hæc verba S. Thomæ intellexerunt multi, &c. Ut de necessario, non solùm naturæ, sed etiam statui, nulli teneamur eleemosynam dare, etiamsi extremè indigeat. Ita ponunt sententiam S. Thomæ, Sanctus Antoninus, Gabriel, Joannes de Medina, Summa Rosellæ, & alii locis infrà dandis. * Et expressè illam tenet D. Antoninus, ut notat M. Lopez 2. *p. instruct.* cap. 106. §. *jam circà fol. mihi* 669. & M. Serra 2. 2. *tom.* 1. *quæst.* 32. *art.* 5. *fol.* 578. ubi D. Antonini verba refert, & ejus sententiam probabilem putat, sic : * Dixi habenti superflua simpliciter : nam si solùm haberet superflua secundùm quid, quæ licet superabundent naturæ, non tamen statui. Probabile esse existimo, non teneri pauperi extremam necessitatem patienti subvenire. Undè Sanctus Antoninus 2. *p. tit.* 1. *cap.* 24. §. 5. ait : *Cùm quis sciens extremam necessitatem proximi non subvenit ei de eo, quod est sua necessitatis personæ, id est ad decentiam status sui, & familiæ & superfluum naturæ, non peccaret illud omittendo mortaliter.* Idem asserunt Recentiores nonnulli, hisque

hisque exemplis explicant.* Hæc Serra subnectens: * hoc secundùm mentem D. Thomæ esse, existimat D. Antoninus. *

22. Divi Thomæ sententiam esse, sibi suadent hi Doctores ex ejus verbis loco suprà citato, ubi postquam statuit, quod inordinatum foret, de bonis necessariis ad statum, eleemosynam facere; subnectit excipiendos casus aliquos.* Quando occurrerit, inquit, extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas reipublicæ: in his enim casibus (attende) laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret. * Hæc Div. Thomas, in quibus non de præcepto, sed de consilio putare videtur, erogationem eleemosynæ in casu extremæ necessitatis, ex bonis ad decentiam status pertinentibus, nempè de illis, quibus substractis, (ut ipse ibidem scripsit) * De residuo non posset vitam transigere convenienter secundùm proprium statum, & negotia occurrentia, * Et ità sentit M. Texeda *tom. 1. lib. 2. tract. 3. controvers. 10. nu. 70.* dicens: * Non tenemur cum magna nostra incommoditate temporali subvenire proximo existenti in extrema, vel gravi necessitate. *

23. Verùm D. Thomas exponendus est, ut infrà: Nam præceptum eleemosynæ obligare in extrema necessitate ad subveniendum proximo ex necessariis ad statum, etiamsi ex eo patiaris grave damnum in dignitate, & fastu externo, est communis Doctorum sententia, & verissima, ut benè docet M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 13. quæst. 3. nu. 33.* prosè referens M. Bannez dicentem: * Oppositam sententiam esse inhumanam. * Et Patrem Puente Hurtado de Mendoza asserentem, * non esse probabilem. * Et Valentiam, & Granadum, qui dicunt, oppositum * improbabile, & non solùm contrà communem opinionem, sed etiam contra rationem. * Quia damnum in dignitate non est proportionatum vitæ proximi: ergò ex præcepto charitatis teneris illud subire, ut proximo in extrema necessitate constituto subveniatur.

24. An verò hæc obligatio tanta sit, ut vi ejus tenearis subvenire extremam necessitatem tibi notam, patienti, etiamsi à tuo statu omninò cadere opus sit? Negat cum D. Thoma, & aliis M. Prado suprà, ibi: * Dico secundò de necessariis ad decentiam status, etiam in extrema necessitate, non tenetur quis sub præcepto eleemosynam dare, ita ut ab illo statu absolutè dejiciatur, aut omninò deprimatur. Ita S. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 6.* illis verbis: * *De ejusmodi ergo eleemosynam dare, est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. &c.* * Quem sic exponit M. Prado, & meritò. Eamdem sententiam tenent M. Bannez, Lorca, Aragon, Suarez, & Puente, Hurtado apud Prado. Et M. Petrus de Ledesma *in Sum. 2. p. tract. 4. cap. 3. conclus. 11. diffic. 1. pag. mihi* 245. ubi sic: * En resolucion, à esta dificultad se ha de responder, que los ricos, y que tienen grande hazienda, estan obligados debaxo de precepto a dar limosna de lo necessario para su estado en estas necessidades extremas. Pero hade ser desuerte que no se haga mal, y danno al bien comun, des haziendose de las haziendas necessarias para el bien comun, y desuerte, que quede lo necessario para su familia, y hijos.* Sic ille, & plures, quos citatos sequitur Leander à Sacram. *tom. 6. in Decalog. tract. 5. disp. quæst. 17.* apud quem Arriaga, Turrianus, Ægidius, Palaus, Hurtado Salmanticensis, Hurtado Complut. Molfessius, & Diana 2. *p. tract. 16. resol. 26. & p. 5. tract. 8. resol. 7.* & Machado, qui licet contrariam communem, & receptam sententiam esse dicat, *tom. 1 lib. 2. p. 2. tract. 6. docum. 6.* huic suffragium ferre videtur, dicens: * Pero no obstante esto, Autores de no poca autoridad son de parecer, que el rico con detrimento, y diminucion grande de su propio estado, no está obligado à socorrer al proximo, aunque esté apretado con estrema necessidad. Porque juzgan que es mas conveniente à la Republica, que los ricos conservan su estado, que no un hombre particular muera. * Hæc Machado. Et ex hoc fundamento eam tuetur M. Bannez 2. 2. *quæst 32. art. 6. dub. 2.* & ex illo M. Joannes Martinez de Prado ubi suprà.

25. Hæc sententia, tam ab extrinseco, propter authoritatem Doctorum, qui eam sequuntur, quàm ab intrinseco, ob rationes, & fundamenta, quibus innititur, probabilissima mihi est. Quam probo. Quia si propter aliquam rationem contraria verior esset, maximè quia ordo charitatis postulat, quod bona proximi cum proprio damno conservemus, quando proximi majus est: damnum autem proximi in vita majus est, quam nostrum in honore, vel divitiis, ut arguit Vazquez, & ex illo M. Araujo Episcopus Segovien sis 2. 2. *quæst. 32. dub. 1. num. 5.* ubi ut certam regulam statuit: * Quod quoties urgens necessitas proximi ad sui sublevationem exigit non majus, aut æquale damnum in sublevante, sed potest fieri cum minori damno, tunc obligat præceptum ad subveniendum indigenti, quia est rectus ordo, naturæ, & charitatis. * Hoc est contrariæ sententiæ fundamentum.

26. Verùm solidum non est, & evidentes patitur instantias. Nam rectus ordo charitatis à seipso incipit, & plus propriam vitam, quam alienam unusquisque conservare tenetur, & tamen, ut propriam conservet, non tenetur honorem amittere, nec omnes divitias expendere: potest enim ab inimico invasus non fugere, ut honoris jacturam non faciat, licet fuga extremum vitæ periculum vitaret: ut docent communiter Doctores. Potest etiam suæ gravissimæ infirmitatis curationem omittere, si omnes divitias in ea consumere necessarium esset; sicut & eas nolle tradere comminanti mortem, ut eam evitet. Si ergò propriam vitam cum tanto status detrimento non tenetur conservare, cur alienam tenebitur? Consequentia videtur aperta. Cujus ratio à priori est, quia ut ait Arriaga 2. 2. *disp. 43. sect. 3. subsect. 3. num. 38.* non semper quis debet minus suum malum postponere majori proximi. * Alioquin si necessum esset, ut proximus salvaret suam vitam, me amittere manum, aut brachium, deberem hoc permittere, quia minus suum malum est, me amittere manum, quam alterum vitam. * Undè rectè concluditur, ex necessariis ad statum neminem ita teneri, ut pro sublevanda extrema proximi necessitate debeat à suo statu, & dignitate omninò deficere.

27. Scio, nonnullos discussionem hanc metaphysicam potiùs, quàm moralem existimare, quia contingere, inquiunt, moraliter non potest, quod necessitas extrema proximi tot bonis, ut sublevetur, indigeat, ut necessarium sit tantum detrimentum pati. Do lubens id verum esse, si de necessitate ab intrinseco proveniente sermo sit; cæterùm cum extrema necessitas ab extrinseco etiam provenire possit, ut si Tyrannus mortem alicui mi-

naretur, ni tantam pecuniarum summam ei largiatur, quam si ad proximum à morte liberandum contribuas, à tuo statu dejici opus sit; ideò non solùm ad metaphysicam, sed ad mores etiam hæc disputatio utilissima est, ne divites timorati in laqueos injiciantur. Vide Dianam *p.* 5. *tract.* 8. *resol.* 7. §. *Nota.*

QVÆSTIO V.

Utrùm licitum sit desiderare alteri mortem, & de illa gaudere, non quatenùs illi mala, sed quatenùs desideranti utilis est?

1. NOn esse peccatum mortale colligitur ex Cajetano *in Sum. verb. Maledictio*, ubi ait: * Requiritur ad maledictionem, quæ sit culpa gravis, quod sub ratione mali, & non sub ratione honesti, vel utilis desideretur homini malum, putà mors, infamia, damnum rerum, &c. * Et sequitur M. Joannes de la Cruz *in director.* 1. *part. tract. de homicidio, dub.* 3. ibi: * An liceat, desiderare mortem, aut aliud malum proprium, vel alienum? (Respondeo) eam desiderare, ut à laboribus liberemur, quoddam genus pusillanimitatis præsefert, etsi non sit peccatum mortale. * Quibus adde Bonacinam *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 4. *punct. ult. num.* 7. ubi inquit: * A mortali excusatur mater, quæ mortem filiabus exoptat, quia occasione ipsarum malè secum agitur à marito, aut injuriis afficitur. * Et Joannem Sanchez *in selectis, disp.* 2. *num.* 9. Pasqualigum *decis.* 474. Angelum Mariam Verricelli *in quæst. moral. tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 64. & Leandrum à Murcia *in Disquisit moral. lib* 2. *disput* 3. *resol.* 2. *num.* 14. Quorum sententiæ non dissentit M. Serra 2.2. *quæst.* 76. *art.* 1. §. *Quidam Recentiores.*

2. Addunt alii, desiderium inefficax mortis alienæ, sicut & gaudium nullum esse peccatum, quandò non ex odio, sed ex motivo utilitatis propriæ, vel alienæ desideratur. Sic Mag. Conradus *part.* 1. *quæst.* 392. ubi ait: * Universaliter quotiescumque propter bonum malum precamur, non est peccatum. * Quem sequitur M. Michael Zanardus 2. *part. director. cap.* 6. *de maledictione*, ibi: Nullum quidem est peccatum, quandò alteri malum optatur ratione publici boni, vel ratione boni privati, ut dum puella à malo viro solicitata cupit, ut infirmetur, ne eam ampliùs vexet, & sic discurrendo, quia non est velle malum alicui sub ratione mali. * Quibus facit Franciscus Galleti *in Margarita cas. conscienti, verb. Desiderare*: * Desiderare aliquid possumus, non autem illud idem procurare: * quem ferè eisdem verbis sequitur M. Paulus de Blanchis *in disceptat. casuum conscient. litt. P. disp.* 5. *fol.* 563. §. *Theologos in fine.*

3. Et, quod caput, hæc sententia videtur expressa D. Thomæ, 2.2. *quæst.* 76. *art.* 1. ubi ait: * Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum. * Et paulò infrà: * Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni, quandoque sub ratione justi, quandoque sub ratione utilis. Et expressiùs *in* 3. *sentent. dist.* 30. *quæst.* 1. *artic.* 1. ad. ubi & conclusionem tradit, & rationem reddit. Prosperitas unius (inquit) inducit ad veritatem alterius. Undè quia charitas ordinem habet, & proximos, quàm extraneos; amicos, quàm inimicos, potest aliquis salvâ charitate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere (ut infrà) sed hoc non est de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo. *

§ I.

Animadversio in Baronium.

4. PRæfata D. Thomæ loca, ab Amadæo Baronio ter pro ista sententia excerpta, corrupta, & truncata fuisse, expostulat Baronius, *disput.* 1. *dist.* 3. *fol.* 63. & 64. dicens: * *Sed vix potest suspicio quidquam moliri Amadæus interpretatione, & correctione quæstion* 76. * Locum autem istum truncatum inferat ex eo, quod omiserit verba, quæ in fine loci Tho. subnectit. Licèt enim præmisisset: * Sub quo imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum. * Suam verò mentem, inquit, ibi explicat, adjuncto exemplo: verb. grat. * Cum quis optat, peccatorem pati ægritudinem, aut alterum impedimentum, ut melior efficiatur, aut saltem ut ab aliorum nocumento cesset. * In quibus (inquit Baronius) Angelicus Doctor * *bonum utile non refert in imprecantem, sed ad illum, cui imprecatur.* * Sed id facilè occurritur; primò quia cessatio à nocumento potest etiam in utilitatem deprecantis mortem cedere. Ergò sub ratione boni ibi utilis, potest malum alteri imprecari. Secundò, quia exempla non ut motivè, sed demonstrativè adduci solent. Tertiò, quia ex principio, cui innititur D. Thomas, conclusio præfata rectè deducitur. * Si enim (inquit) aliquis imperet, vel optat malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere erit illicitum, & hoc est maledicere per se loquendo: si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. * Sic D. Thomas, cujus verba æquè comprehendunt imprecationem mali, quandò in bonum imprecantis, ac quandò in ejus, cui imprecatur; cùm utrobique intentio dicentis non ad malum, sed ad bonum fertur. Quare, quòd Angelicus Doctor indè probat, licitum esse, quòd malum temporale ob spirituale desiderare, & de malo gaudere: * Quia hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo. Quintò, quia *quæst.* 36. *art.* 2. de trifftitia boni, fusiùs discurrit, ut *num.* 9. videbimus. Cùm igitur in casibus aliis idem contingat, id ei prorsus ratio Thomæ de omnibus probat. Ergò conclusio indè deducenda non est limitanda, licèt exemplum limitatum fuisset. Ergò ex eo, quod Amadæus verba rectum fuisset. Ergò ex eo, quod Amadæus verba rectum fuisset. Ergò ex eo, quod Amadæus verba rect

postulat, dicens: *Esse apertam, & non ferendam falsationem.* Sed pejori fide, quia in illo Angelicus Doctor mortis alienæ desiderium ad bonum utile deprecantis apertissimè refert, dum ait: *Plus debet diligere quisque se, quàm alterum.* Et inferiùs asserit posse quem salvâ charitate * *optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quam plus tenetur diligere.* * Ergò D. Thomas concedit, te posse malum alteri optare, salvâ charitate, in quantum malum alterius impediat, tibi malum obvenire: quia plus te, quàm illum teneris diligere. En, ad bonum deprecantis, desiderium mali alieni refert, & tamen licitum admittit: sicut *quæst.* 36. tristitiam de bono alieno ob bonum proprium conceptam.

6. Ex alio etiam capite D. Thomæ locum truncatum conqueritur Baronius ubi suprà, nimirùm, quia Amadæus aliqua subticuit verba; nam cùm Divus Thomas dixisset, posse optari alicui malum temporale, * quia est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ *hæc postrema verba*: * vel communitatis, vel Ecclesiæ, * (inquit Baronius) *dolo subtacuit Amadæus.* Sed miror hominis captum! Amadæus contendebat, quod difficiliùs est, nimirùm, ob privatum imprecantis bonum licitum esse inefficax mali alieni desiderium, & ad hoc probandum ea solùm usurpavit verba, quibus Angelicus Doctor id expressit. Quod verò ob bonum *communitatis, vel Ecclesiæ*, id etiam liceat, sub lite non est. Si verò loca truncata vocat Baronius, in quibus verba, quæ ad rem, de qua agitur, non faciunt, omittuntur, manus illi, & libentissimè dabo. Recolat quæso, quæ D. Thomas in Catena, & meliora sapiet.

7. Insuper malâ etiam fide ab Amadæo pro hac parte citatos fuisse Sanctum Vincentium, Zanardum, & Serram expostulatio est Baronio in syllabo locorum, quæ in fronte libri à corruptelis vindicanda proponit; ubi ad paginam 65. se remittit. Verùm ex his Authoribus Amadæus Sanctum Vincentium non adducit, undè miror, quod malâ fide citatum invenerit: Zanardi autem verba fideliter exscripta refert, qui ob bonum etiam privatum imprecantis malum, desiderium inefficax illius nullum peccatum continere affirmat, ut constat ex ratione, quâ probat, nimirùm, * quia non est velle malum alicui sub ratione mali, * & exemplo, quo confirmat, de puella, quæ à malo viro solicitata cupit, ut infirmetur: * Ne eam (inquit) ampliùs vexet, & sic discurrendo. * Cujus ultima verba, sicut & ratio, cui Zanardus innititur, alios etiam casus comprehendunt, in quibus unius, vel alterius utilitas intendatur juxtà Divi Thomæ doctrinam suprà explicatam. Quod attinet ad M. Serram, solùm dixit Amadæus, non dissentire, quod & nos suprà, quia Author iste, cùm referat opinionem, non refutat.

(:†:)

§. II.

Vera sententia proponitur.

8. Quamvis plures, & gravissimi Doctores sentiant, desiderium inefficax mortis alienæ ob utilitatem propriam, veb. grat. ob hæreditatem capiendam, vel ob alia motiva longè minoris momenti vita proximi, esse peccatum mortale (quos sequuntur Sayrus, Salon, & alii, quibus subscripsit P. Granados 2. 2. *controvers. 3. de Charit. tract. 6. disp. 2. sect. 4.* adjunctis, quæ tradit *disput. 3. num. 3.* & consentire videtur P. Azor, *tom. 3. lib. 3. cap. 24. §. Tertio quæritur.* Et tenent expressè Trullench *in Decalog. lib. 1. cap. 6. dub. 2. num. 11. & 13. & lib. 5. cap. 1 dub. 4. num. 14.* & M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 15. quæst. 1. §. 3. num. 21. & 22.* Nihilominùs contraria sententia est mihi probabilior. Primò propter authoritatem Doctorum, quos *num. 1.* citavi, qui illam amplectuntur: quibus adde Franciscum de Arias *de imitat. Christi, part. 1. tract. 7. cap. 8.* ubi ait: * Desiderium mortis esse quid indifferens, ac proindè non esse malum: * Patrem Salas 1. 2. *tract. 3. disput. 6. sect. 28. num. 191.* ubi de gaudio mali alieni loquens, inquit: * Licitum esse nobis delectari de occisione hostis, non ut fuit in vindictam, sed ut attulit hæreditatem, vel intulit alia commoda, & vitavit incommoda aliqua. * Quos, innixus principiis D. Thomæ, & discipulorum ejus, quæ *num. 1. & 2.* adduximus, sequitur Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disput. 4. punct. 1. num. 11.* Vbi sic scribit: * Credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum indè sequutum, &c. Quia non gaudes de illa, quatenus proximo mala est, sed quatenùs est causa tui emolumenti, & secundùm hanc rationem bona esse videtur, & appetibilis. * Quibus consentit doctissimus Pat. Mendo *in statera opinionum mor. dissert. 4. ad 5. Decalogi præceptum, quæst. 4.* dicens, hanc sententiam esse veram.

9. Ratio à priori desumitur ex doctrina D. Thomæ loco suprà citato 2. 2. *quæst. 76. art. 1.* ubi desiderium mali alieni sub ratione boni ideò licitum esse dicit; * quia principalis intentio non fertur ad malum, sed ad bonum. * Secundò ex his, quæ docuerat *quæst. 36. art. 2.* ubi de tristitia boni alieni. Sic discurrit: * Cùm aliquis dolet de bono alicujus, in quantũ ex eo timetur nocumentum (attende) vel sibi ipsi, vel aliis bonis; talis tristitia non est invidia, & potest esse sine peccato. * Eadem autem prorsùs est ratio de complacentia de malo alterius, ac de tristitia de illius bono ex eodem motivo, ut in simili tradit P. Vazquez 1. 2. *disp. 111. cap. 3. num. 14.* Ergò si ob nocumentum proprium, vel alienum vitandum licitum est de bono proximi tristari, licitum etiam erit de ejus malo ex eodem motivo gaudere, quia nec tristitiam capis de bono alterius, nisi in quantum tibi malo, nec gaudium de malo, nisi in quantum tibi bono: Ergò cùm eadem ratio formalis ubique militet, nequeunt non ejusmodi affectus à malitia gravi æquè denudari; nam ut bene expendit P. Vazquez ubi suprà *cap. 4.* ex doctrina D. Thomæ; qui delectatur de morte proximi, ob hæreditatem capien-

piendam, v. gr. non gaudet, quia fiat, quod proximo malum est, sed quia utilitate, vel commodo illius allicitur, & delectatur, quod non est delectari de objecto malo. Quapropter cum Vazquez, & aliis consentit Oviedo 1. 2. *tract. 6. controv. 6. n. 37.* dicens, Conclusionem hanc probare omnes rationes, quas adducunt P. Vazq. & ejus sequaces pro discrimine inter affectus efficaces, & inefficaces voluntatis constituendo. Qui omnes (inquit) asserunt, posse filium delectari de morte patris propter hæreditatem captandam, &c. Sic enim delectari de morte, non est delectari de objecto malo. * Sic ille, sed non omnes hoc exemplo rem explicant.

10. Quæ diximus de gaudio, vel complacentia mortis alienæ ob proprium commodum, æquè procedunt de inefficaci desiderio: tum quia uti unusquisque actus idem est objectum, tam materiale, quàm formale; tum quia desiderium inefficax non habet alium influxum in mortem proximi, quàm gaudium, licet illud antecedat, & istud subsequatur: tum etiam quia inefficax desiderium, ut ait D. Thom. 3. *sentent. dist. 31. art. 2. quæst. 2. quæstiunc. 2. Ad 3.* non est voluntas simpliciter, sed conditionata, vel velleitas quædam, ut quidam dicunt. * Quapropter P. Vazq. 1. 2. *disp. 115. cap. 2.* ipsum desiderium inefficax complacentiam vocat. Undè ex eo, quod licitum sit delectari ob salutem corporalem, vel spiritualem de pollutione, quæ in somniis accidit (prout cum D. Thoma *in 4. dist. 9. art. 4. quæst. 1. ad 5.* docent communiter Theologi) deducit Vazquez, licitum esse desiderium pollutionis eventuræ in somniis, aut vi solâ naturæ, propter utilitatem prædictam: * Dummodò (inquit) desiderium non sit causa pollutionis, sed simplex tantùm complacentia illius. * Sic ubi suprà *cap. 2. & 3.* citans Paludanum, D. Antoninum, Angelum, Armillam, Navarrum, & alios, quos referunt, & sequuntur Thomas Sanchez *lib. 1. Sum. cap. 2. num. 18.* Diana 3. *p. tract. 3. res. 87.* Oviedo 1. 2. *tract. 6. controv. 6. punct. 6. num. 52.* Et in terminis nostri casus sic rem explicat Pasqualigus *decis. 474.* ubi ait: * Quod quandò quis desiderat alicujus mortem propter proprium commodum, nil aliud ibi intervenit, nisi complacentia conditionata de ejus morte, ex suppositione, quod sit disposita à Deo. Desiderare autem, seu complacere conditionatè in eo, quod Deus disposuerit mortem alterius, eò quod medium tibi sit ad commodum aliquod consequendum, non videtur esse malum, quia nec finis, nec media mala sunt. * Sic ille.

11. Propter hæc ex Doctoribus citatis nonnulli, ut vidimus, existimarunt, ne veniale quidem peccatum intervenire, in desiderio inefficaci mortis alienæ propter hæreditatem capiendam, & ob alia motiva proprii commodi non magni momenti. Quibus egò non subscribo. Quamvis enim motivum utilitatis propriæ honestare possit, vel saltem à malitia eximere desiderium inefficax, vel complacentiam de morte proximi: id solùm admitto, quandò malum vitandum magni sit momenti, quo in casu, sibi etiam potest mortem inefficaciter quisque desiderare, verb. grat, quandò acerbus morbus, gravis infamia, & honoris jactura, ut exprimit Mag. Sotus *in 4. dist. 56. quæst. unica, artic. 5. post. 5. conclus.* vel ut alii dicunt, quandò maximus aliquis dolor, vel afflictio, vel magnum damnum temporale, ut explicat P. Granados *controvers. 3. de charit. tract. 6. disp. 2. sect. 4. n. 21. & disp. 3. n. 3.* Franciscus de Arias. Ildefonsus Rodriguez, & alii Recentiores apud illum, quos sequuntur Diana *part. 5. tract. 14., resol. 92.* & M. Joannes Martinez de Prado *tom. 1. mor. cap. 15. q. 1. §. 3. n. 24.* Secùs verò quando malum levis ponderis est.

12. Probatur *ex 3. Regum cap. 19.* ubi de Propheta Elia dicitur: *Petivit animæ suæ, ut moreretur:* pertæsus nimirùm vitæ calamitatibus plenæ, & ex Ecclesiastes *Melior est mors, quàm vita amara.* Quam ut vitare cupiens 3. *Reg. cap. 4.* semel, & iterùm exoptavit, & à Domino ob nimiam afflictionem petivit. Ideò mortem propriam, in pluribus casibus, licitum esse desiderare, rectè docent Franciscus Galleti, & M. Paulus de Blanchis suprà *num. 2.* citati. Et Diana 3. *part. tract. 6. Miscellan. res. 84.* Verricelli *tom. 1. tract. 2. punct. 66. n. 66.* & Joannes Santius *in selectis, disp. 2. num. 9.* ubi sic: * Hinc infertur, licere sibi, vel proximo optare mortem ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito seminæ inflictam, & alia hujus generis, dummodo desideretur mors, ut à Deo infligenda, non ab homine injustè, vel à dæmone: non enim digna est salus tanto dolore, & mors prolongata dicitur via miseriis repleta. * Quæ potiori jure probant de mortis alienæ desiderio ex eisdem motivis, quia secundùm ordinem charitatis, plus se, quàm proximum quisque diligere debet. Et ita concedit Granado suprà *disp. 3. citata.* Et M. Prado §. 3. *in fine* Illis adductis verbis M. Soti, & Patris Granado, concludit: * quod proportionabiliter loquendo, prædicta de illo, qui optat mortem proximi propter suam commoditatem. * Cujus sententiæ rationem reddit, quod ejusmodi mala vitanda ita gravia sunt, in morali æstimatione plus, vel tantùm noceant, quantùm æstimatur malum mortis temporalis propriæ, vel alienæ.

13. In casu verò, quo malum vitandum longè minoris momenti sit, ut ægritudo non gravis, jactura aliqua afflictio non nimis molesta, & similia, de his lè erit, desiderium inefficax mortis alienæ ab omni malitia liberare. Fundamenta enim omnia, quibus Authores suprà citati licitum esse, suadere tentant, solum evincunt, nullam ex objecto participare malitiam, quia nec mors naturalis malum morale sit, nec motivum propriæ utilitatis, vel commodi, e quo desideratur. Non verò probant, illum affectum non esse inordinatum ex parte moditendendi, & per consequens contra ordinem charitatis. Rectè enim stat, affectus inefficaces non habere malitiam distinctam ab objecto, & tamen per oppositionem ad virtutem, illam subire: ut contingit in delectatione morosa, quâ vidua delectatur, de copula consummati matrimonio habita, & aliis exemplis, quibus hanc doctrinam illustrat P. Vazquez ubi supra.

14. Propterea tenendum censeo, desiderium mortis alienæ propter hæreditatem capiendam, aut ob alia motiva longè minoris momenti vitæ proximi, peccatum esse veniale; quia etiam inefficaciter plus diligere bonum nostrum temporale levis momenti, quàm vitam proximi, quæ tanti est, inordinationem quamdam contrà charitatem præterea quam ego cum Doctoribus citatis *num. 1. & 8.* leves existimo. Primò, quia excessus boni vitæ proximi, quæ minùs amatur, partim suppletur excessu, quo quisque plus se, quàm proximum diligere debet, ut benè ponderat Lorca 2. 2. *disp. 28. membr. 3.* ubi sic ait: *Non oportet præferre majus bonum proximi minori nostro, si illud alicujus momenti est, nam quamvis præcellit bonum, tantò præcellit dilectionis propriæ meritum.* * Secundò, quia ut ait P. Suarez *tom. de Charitate, disput. 9. sect. 3.* etiam quoad effectum ellica-

efficacem, & appretiativum ordo charitatis, *quando non est magnus excessus, potest prætermitti sine mortali, & censetur res levis, & hoc (inquit) sibi voluit Augustinus, & D. Thomas. *Ergo licet secundùm ordinem charitatis major esse debeat inclinatio ad gaudium, & desiderium inefficax vitæ proximi, quam proprii commodi minoris momenti, non ideò contra hunc ordinem facere, peccati mortalis illicò damnari debet. Inordinatio enim ista levis censetur, quia nullum habet influxum in mortem proximi, neque impedit firmiorem dilectionem efficacem apretiativam illius vitæ, quam proprii commodi. Urgente enim necessitate, hoc quisque negligeret, ut extremè, vel etiam graviter indigenti subveniret.

15. Confirmatur primò, quia secundùm ordinem charitatis, plus tenetur quisque vitam suam appretiativè diligere, quam proximi; & tamen contra hunc ordinem operari non est peccatum mortale, sed ad summum veniale, ut tradit Suarez suprà, & alii Doctores cum ipso. Ergo licet secundùm ordinem charitatis teneatur inefficaci etiam affectu magis diligere vitam proximi, quàm proprium commodum, non erit mortale contra hunc ordinem facere, sed ad summum veniale. Cui facit D. Thom. 2. 2. *quæst. 26. art. 5. ad 1.* ubi sic ait: *Cum dicitur proximus magis diligendus, quàm corpus proprium, intelligitur quantum ad animam, quæ est potior pars ejus. *Ergo quoad alia bona temporalia excessus obligationis non est tanti æstimandus, ratione præstantioris objecti, ut etiam inefficaciter bona nostra minoris momenti plus diligere, læthalis culpæ sit damnandum. Confirmatur secundo, quia etiam inter cognatos in primo gradu, præceptum charitatis ordinem præscribit, ut tradit D. Thom. 2. 2. *quæst. 26. art. 8. & sequentibus*: & tamen, hunc ordinem inter Patrem & matrem, filios, & uxorem posse absque mortali prætermitti, tradunt plures, quos suppresso nomine refert, & sequitur Lorca ibi, *art. 11. num. 4.* & Puente Hurtado 2. 2. *disp. 154. sect. 5. §. 57.* ubi ait: *Nescio sanè, an iste ordo inter filios, & uxores graviter obliget? Inclinor in partem negantem. *Si ergo quoad amorem etiam apretiativum, & efficacem, ex cujus prælatione grave proximo nocumentum subsequi potest, charitatis ordo absque læthali queit aliquando prætermitti, cur non & quoad affectus inefficaces desiderii, & gaudii, ex quibus nullo in casu malum aliquod proximo imminet? Concludendum igitur est, desiderium inefficax mortis alienæ ob proprium commodum, etsi longè minoris momenti vita proximi, non esse peccatum mortale, sed veniale tantum contra debitum charitatis ordinem.

QVÆSTIO VLTIMA.

Aliarum compendium pro Amadæo Baronii vitiligationibus vindicando.

1. PLures his decreveram superaddere quæstiones, quas historicè tantum Amadæus Guimenius prælibavit, ut suam cuique authori conclusionem restitueret: Sed ne opus hoc longius quam par est, protrahatur, visum est à ventilatione abstinere, & brevi calamo eas tantum percurrere, quæ Amadæum ab omnibus Baronii ictibus incolumem evasisse, lectori notum faciant.

2. Prima illarum sit. Dissident Doctores, an liceat mutuanti aliquid ultra sortem exigere, ratione periculi (scilicet probabilis) cui in ea recuperanda exponitur? Affirmant sexdecim authores, quos adducit Amadæus *tr. de usuris, p. 1.* inter quos M. Serra 2. 2. *q. 77. art. 1 dub. 4.* Ubi doctissimus hic Thomista pro ea referens Sylvestrum *verb. Usur. 1. q. 35.* sic ait: *Probatur ratione sumpta ex Sylvestro. Quamvis enim usura sit, si quis recipit aliquid ultra sortem ratione mutui, non est usura, ut inquit Sylvester, si recipit ratione periculi tantum, ut pretium periculi.* Sic ille.

3. Hìs tamen Baronius non convictus, Amadæum carpit, & falsò pro hac sententia Sylvestrum adduxisse clamat. *disput. 1. sect. 2. fol. 164.* dicens: *Quod ad Sylvestrum attinet, quem suæ opinionis authorem sequi, ait Serra, apertæ usuræ damnat cum Pontifice (in cap Navigantì) eum, qui aliquid ultra sortem exigit, ratione periculi, nec excusari, etiamsi in sellud periculum recipiat.* Et infrà Sylvester quo loco citatur, *refellit Amadæi propositionem ex antiquorum omnium Theologiæ, & juris Canonici consultorum interpretatione in caput Naviganti.* Hæc Baronius in Amadæum, & in sui etiam instituti authores.

4. Cæterum ut omnes ego vindicarem, aut infidelis citationis reos incusarem; Sylvestrum consului, & semel, & iterum legi, incredibile censens Vincentium Baronium in quæstione facti, subortâ controversiâ, potuisse à rectò veritatis tramite deviare, & Sylvestro insalutato, contrariam sensui, & verbis sententiam affinxisse. Ipse igitur de se loquatur. *Quæritur. (inquit Syvester ubi suprà) quid si quis mutuet naviganti, vel nundinas adeunti, recepturus aliquid ultra sortem, pro eo quod suscepit in se periculum pecuniæ, aut mercium, si salvæ redierint? Et distinguit Archi. post Laur. Joannem de Neapoli, & Joannem Calder, & Sum. Pis. Quia est usura si recipit ultra sortem, ratione mutui tantum; non obstante ratione periculi; & est casus in dicto *cap. Naviganti.* Et similiter si ratione mutui, & periculi simul; ea ratione, qua recipit ratione mutui. Non autem est usura, (attende Baroni) si recipit ratione periculi tantum, ut pretium periculi: quia etiamsi non mutuaret, & periculû navigantis vellet in se suscipere, licitè perciperet pretium, nec efficitur pejoris conditionis per hoc, quod ei servit mutuando: & concordat Laurent. de Rodol. & ita etiam tenet Summa Angeli, & Rosella. Supplementum autem vult indistinctè, quod sit usura, per dictum caput *Naviganti*, etiamsi quid recipitur ratione periculi, &c. Sed dico, quod iste non benè intellexit textum. *Sic Sylvester, quem Baronius noluit intelligere, vel forsan, non legit: quia luculentius, quam textus, loquitur. Sentit ergo apertissimè Sylvester cum Doctoribus, quos refert, licitum esse mutuanti, aliquid supra sortem exigere, ratione periculi sortis, quod in se recipit. Et miror Baronium tanto conatu ab hac sententia Sylvestrum eximere tentasse, cum præter Serram, quem pro ea stare fatetur *ubi suprà*, eam ipsemet teneat cum Gaugerico interprete Cajetani: qui, ipso Baronio testante *folio* 178. & 179. asserit licitum esse minoris emere jus adæs alienum, *si subsit aliquod periculum amittendæ summæ, vel sortis.* Cujus sententiam Baronius ipse laudat, & Cajetano attribuit: ergo periculum amittendæ sortis subire, pretio æstimabile est: ergo aliquid supra sortem pro illo exigere, illicitum non erit: ut quid ergo Baronius à sententia, quam ipse defendit, authores vindicat?

5. Approbare tamen nullatenus possum singula-

rem opinionem M. Arauxo *in decis. Moral. de statu civili. disp.7.p.1.nu.12.* ubi omni periculo secluso, concedit esse licitum aliquid supra sortem exigere ab eo, qui pro alio mutuum petit. *Potest, inquit, recipere aliquod munus à Paulo rogante ipsum, ut mutuet Francisco, quin detur Paulo actio repetendi. Neque per hoc aperitur ostium arti iniquæ fœnerandi, cujus iniquitas solum in eo consistit, ut à mutuatariis aliquid ultra sortem recipiatur. Hæc ille, quæ si vera, actum esset de usuris. Quid enim facilius, quam nolle absque intercessore mutuare? Videatur Card. de Lugo *tom.2.de Iust.disp.37. sect. 11. num. 126.* Sed pro sententia M. Arauxo, facit principium, quo ad alias conclusiones utitur M. Prado *tom.2. Theol. Moral. cap.17.q.4.* cum pluribus Thomistis, apud Amadæum *tract.de Iustit.prop.11.num.4.* Nempè gratiam, quæ intercessori fit, esse pretio æstimabilem.

6. Secunda. Dissidium etiam est inter Theologos, utrùm vendens credito possit carius vendere, propter periculum in recuperando pretio? Affirmant plures, quos refert Amadæus suprà, inter quos M. Serra 2.2 *quæst.77.art.1 dub.4.* Sylvester, Petrus de Ledesma, M. Acatius de Velasco, & sexdecim Authores, quos adducit M. Joannes Martinez de Prado *tom.2. Theol. Moral cap.27.§.2. à num.6. ad 10.* Quorum verbis fidelitet exceptis, subnectit Amadæus *num 5.* *Et saltem quod ratione periculi expensarum ad recuperandum pretium, possit carius vendi credito, tradunt Sotus *6. de Iustit quæst.4.art.1.* & Bannez 2.2.*q.77.art. 4.dub.6.* quibus consentit M. Prado *suprà quæst.3.§.3.* *Hæc Amadæus. In quem propterea his insurgit Baronius *suprà fol.167.* & 168. *Obtorto colo, & falsis criminationibus trahit Bannez, & Soto* ad suam sententiam docentem, *legitimum esse lucrum supra sortem ex solo periculo* (nempè expensarum) *quod timetur, nullo addito damno, quod jam acciderit.* Et his non contentus, iterum Inferius in illum invehitur, dicens: *Calumnias calumnius cumulat, dum Sotum 6.de Iust.quæst.4.* Bannez 2.2. *quæst.77.artic.4.dub.6. patronos adjunxit opinionis relatæ.*

7. Cæterum M. Sotum pro nostra & communi sententia stare, constat ex Mag. Serra, & M. Prado eum pro illa referentibus *ubi suprà.* Et quod caput, ex ipsius M. Soti verbis, quæ fideliter excerpta adducit Prado, cui fidem adhibere debuisset Baronius, cum Sotum consulere, ipsi non vacaverit. Loco igitur suprà citato *quæst.4 art.1.post.3 argum.§.Supersuntè.* Sic M. Sotus scribit. *Ubi omni procul fraude, bonis conjecturis timentur expensæ, nempè dum tuus debitor à tuo loco distat: nulla est iniquitas de expensis, & laboribus, pactum cum illo inire, constitutumquè pretium recipere, (attende) etiamsi nullos sit posteà facturus. Nam etiamsi esset plura expensurus, non posset amplius recipere, quam fuit conventione firmatum.* Sic Sotus. Quibus apertissimè concedit licitum esse aliquid supra sortem exigere ratione probabilis periculi expensarum ad recuperandum pretium, & ex conventione statutum posteà recipere, etiam *nullo addito damno*, quod jam acciderit. *Quem* (inquit Salas *de contractibus, tract.de usur. cap.22.nu.4. Scotus, & Bannez imitari videntur.* Expendat ergo studiosus lector: An Amadæus *falsis criminationibus* usus fuerit, *& calumnias calumnius cumulaverit?*

8. Tertia. Merces ultroneas vilescere, commune apud Theologos, & Jurisperitos axioma est. Quanti vero, non conveniunt, licet circa earum definitionem nullus dissideat, eas nempè ultroneas dici, quas venditor emptorem non inveniens ultro tibi offert, & ab eo rogatus emis; Cajetanus, & alii, quos refert, & sequitur Diana 1.p.*tract.8.resol.53.* & Ludovicus Lopez *de contr.libr.1.cap.34.§.Respondetur*, allevare vilescere pro tertia parte. Quos ideò pro hac opinione adduxit Amadæus *tract de Usur.prop.2.num.4.* verbis Magistri Lopez, quæ subnecto, fideliter excerptis: *Secundùm Cajetanum, & axioma commune, merces ultroneæ pro tertia parte solent vilescere.* Cajetani verò cum consulere Amadæus non curavit, tanti Doctoris ejusdem instituti testimonio contentus. Cæterum lentium malè habuit Baronius, ideòquè *disp.1.fol.171.* qua potuit, per fas, vel nefas, occasione Amadæum invehitur, dicens: *Cur Cajetani locum tacuit, quo ista doceat adeò aliena ab his, quæ ex illo retulimus *verbo Emere*: tacuit, ne consuleretur, ejusquè fraus omnibus pateret.* *Hactenus ille. Cur morem ego gererem, Cajetani locum, (quem, si fr cassem, apud Ludovicum Lopez citatum ipse facile invenisset) sedulo perquisivi, & inventum indolui, quia vir religiosus unum è duobus cogitur fateri, vel Cajetanum sibi non constare, vel ejus mentem ipsum non calluisse. Cajetani locus extat 2.2.q.77.art.1.ad *evidentiam*, ubi sic: *Modus vendendi, scilicet ultro offerre, & quærere emptorem, manifestè, in æstimatione hominum, vilificat rem venalem. Ultroneæ namque merces, ut in proverbio dicitur, vilescunt pro tertia parte.* *Hæc Cajetanus. Legas, quæso, Baroni, ut calamum cohibeas. *Tacuit ne* Amadæus, ne vilesceret, *ejusque fraus omnibus pateret?* Quid ad hæc? Non ergo fraudi locum Cajetani non citatum dedæo vertere debuisti, sed fidei alienæ M. Ludovici Lopez tibi non suspectæ. Sed cui ego attribuam, neutrum reconsulere voluisse? Lectores indicent.

9. Subticere tamen non possum, Cajetanum non solùm præfatum pretium ultroneæ rei mercium æstum censere, sed ibidem subnectere: *Nec redditum injustum pretium ex causa puta quia necessitatis actus, ac per hoc non voluntariè vendidit, quia inopia, qua cogitur quis ad vendendum, non reddit redditionem involuntariam: alioquin etiamsi rigido pretio venderet, involuntaria redderetur venditio quod constat esse falsum.* *Hæc Cajetanus, quem aiquuntur M. Corradus *in Sum.1.p.quæst 130.* & Marius de Blanchis *in discept.cas.conscl.litt.E.disp.1.fol.* Quorum sententia est valdè notanda.

10. Quarta. Disputant Doctores, an debita immatura, id est, post annum, V.gr. solvenda, liceat anticipata solutione minoris emere, etiamsi debitum liquidissimum sit, & absque ulla difficultate, & labore exigibile? Negant communiter Doctores. D. Thomas *opusc.67.ad lectorem Florentinum, & quæst. de Usur.p.1.cap.8.* Joannes de Medina *Cod de restituendo, quæst.38. circa finem.* Bannez 2.2.q.77. *dub. art.4.dub.5.* Sotus *de Iustit.lib.6.q.4.artic.1.ad 3.* Lessius *lib.2.cap.21.dub.8.* & alii: & contrariam esse improbabilem dicit P. Molina *disp.361.* & cum M. Bannez, D. Salas *tract.de Usuris, dub.27.* Multaquè solida argumenta, ad eam improbandam, afferre Medinam *suprà*, ait Gaugericus Cajetani interpres *in Sum. tract. Usura in fine.* Quibus subscribunt M. Prado *tom.2. Theol Moral.cap.28.q.1.§ 3.nu.21.* & Baronius *ubi sup. fol.178. Nam si hujusmodi*, inquit, *emptio, aut commutatio æris alieni sit licita, sublatum est usurarum peccatum.*

11. Contrariam tamen sententiam amplexus est Emin. Cajetanus *in Summ. verb. Usura in fine, §. Cogit.* Cujus verba adducit Amadæus *tract de usuris, prop. num.7.* Quem Baronius *falsæ allegationis insimulat, & de calumnia Cajetano illata expostulat. fol.78.* Quo autem

autem jure? recole Cajetani locum, quem in quacumque editione invenies. Et ne differas bonam Baronii fidem agnoscere, En Cajetani verba. *Possum enim licitè emere jus tuum, quo tibi debentur ab altero mille aurei hinc ad annum: & licitè emendo dabo tibi minus mille aureis (attende) præsuppositò debito liquidissimo, absq; difficultate, & labore exigibili. Quoniam jus recipiendi ad annum mille aureos, minus est secundùm rem, & humanum usum, & humanam æstimationem, quàm mille aurei. *Hæc Cajetanus. Cujus sententiam probabilem esse dicunt M. Joannes de la Cruz *in direct. 1. p. præc. 7. de Usura, dub 6.* & M. Serra, 2 2. *q. 77. art. 1. dub. 5. §. Dicendum est secundo.* Addunt alii non solùm cuidam tertio, sed ipsi etiam debitori fas esse emere debitum, quod ab hinc uno anno debet, minori pretio, quam sit ipsum debitum. Sic Bernardinus de Bustos, Armilla, Conradus, Rosella, & alii apud Sanchez *in Consiliis tom. 1. lib. 7. dub.* 18. Ex qua sententia tot absurda sequuntur, tot viæ usuris aperiuntur, ut jure dixerint authores primæ improbabilem esse. Si enim centum aurei solvendi post annum possunt hodiè extingui nonaginta paratis, (ut cum Armilla dicit esse probabile Joannes de la Cruz *ubi suprà*, & ex principio Cajetani deducitur) qui nonaginta hodiè mutuat, poterit in fine anni centum recipere, nil enim supra sortem exigit, quia illa quantitas præsens tantum valet, quantum ista futura. Hoc argumentum contra Cajetanum urgent P. Salas *ubi suprà*, & Caramuel *in Theol. Mor. lib. 1. disp. 14. nu. 799.* Quod insolubile, admisso antecedenti, judicavit M. Prado *tom. 2. Theol. Moral. cap. 28. q. 1. §. 3 n. 21.* Et oneri etiam succubuit Baronius *sup. fol. 179.*

12. Adnotat verò hic Neothericus, ejusmodi debita post annum solvenda, seu jus ad illa, posse viliori pretio emi, si subsit aliquod periculum *amittendæ summæ, vel sortis, vel sint faciendæ expensæ in ea recuperanda.* Cujus sententia est verissima: in qua, ait P. Salas suprà, omnes conveniunt. Sed extremè opposita Cajetano, qui etiamsi debitum sit liquidissimum, & absque difficultate, & labore exigibile, ac proinde semoto periculo amittendi sortem, vel faciendi expensas, docet expressè jus illud minoris emi posse: ideò enim ejus sententiam plures improbant, ut diximus. Quapropter non capio, quæ superaddit Baronius, dicens: *Atque hac distinctione, & concordia opinionum evanescit argumentum, quod ex Cajetani principiis depromit Caramuel.* Nam cum Baronius sententiam contradictoriè oppositam opinioni Cajetani defendat: concordiam Baronianam penitus ignoro.

13. Quinta. Quæstio est inter Doctores, an usuræ, in novo testamento, à Christo Domino sub præcepto prohibeantur, *Lucæ 6.* verbis illis: *Mutuum date nil sperantes.* Affirmant communiter Doctores, quos sequuntur P. Salas *tract. de Usur. dub. 3. num. 2.* & Card. de Lugo *tom. 2. de Just. disp. 25 sect. 2. nu. 9.* & constat ex Urbano VIII *in cap. consuluit de usuris*, ubi ex hoc loco probat prohibitionem usurarum, & ex Leone X. in Concilio Later. *sess. 10.* qui ait: *Dominus noster (Lucâ Evangelistâ attestante) aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem sperare debeamus.*

14. Nihilominus, his non obstantibus, contrariam sententiam alii defendunt, quos sequitur M. Prado *tom. 2. Theol. Moral. cap 28. q. 1. §. 2. n. 9.* his verbis. *In nova lege, solum sunt præcepta naturalia, & Theologica, & Sacramentorum: & testimonium *Lucæ 6.* si per se solum sumatur, videtur indicare consilium, & non statuere præceptum. Sed prohibetur illo præcepto Decalogi: *Non furtum facies.* *Sic Prado. Pro cujus sententia adduxit Amadæus *tr. de Charit. prop. 3. num. 2.* Magistrum Domin. de Soto *lib. 6. de Just. q. 1. art. 1. concl. 1.* sed contra Amadæum, ideò invehitur Baronius *fol. 204.* & falsæ allegationis incusat, dicens: *Quamvis hæc Christi verba secundùm totum, ut sic loquar, ambitum præcepti vim non habeant. Certum tamen est, aliqua sui parte continere, neque hoc negat Soto. *Et iterum infrà. *Ut optimè observat Sotus, illa sententia Evangelica continet aliqua sui parte præceptum de lucro non optando ex pecunia, aut ulla re mutuata. *Hæc Baronius. Quibus nil à veritate magis alienum. Etenim ejus caput calumniam casuram evidenter ostendo, ex ipsius M. Soto verbis, quæ subjicio. *Locus autem Evangelii Lucæ 6. *Mutuum date nil inde sperantes.* ad hoc ipsum propositum adduci consuetissimum, profectò non illam habet energiam, quæ vulgo æstimatur. Quamobrem D. Thom. sacrorum sensuum oculatissimus perspector, non modò non usus est eo loco, ad asserendam conclusionem, verùm ex illo quartum argumentum contra eamdem objecit. Agnovit enim non esse prohibitionem usuræ, sed consilium mutuandi, sine spe humanæ compensationis (attende.) Quare inepta glossa est, quod priùs membrum sit consilium, posterius vero præceptum. *Hic Baroni tuum vultum agnosce. Progreditur Sotus. Nulla enim illic edicetur prohibitio injustitiæ usurarum, sed commendatio ut misericordiæ mutui. Ais verò rursus, Urbanus III. *cap. consuluit eo tit.* citat eumdem locũ *date mutuum nil inde sperantes*, ad confirmandam usurarum prohibitionem; Respondetur, quod Papa, non ubicumque citat testimonium sacræ paginæ, in aliquo sensu, intendit canonizare eumdem sensum, tanquam de fide, sed citat quandoque illum, ecundùm Doctorum opinionem. *En, amice lector, Mag. Soto expressissimè asserit, verba Christi Domini, *Lucæ 6.* in nulla sui parte continere præceptum. Quo ergo jure contrariam sententiam ei affinxit Baronius? ut Amadæo calumniam instruetet? Apage.

15. Ad authoritatem verò Concilii Lateranensis sub Leone X. nil M. Sotus respondit. Sed, ut mihi videtur, Baronius ipse meliora ex dictis sapiens, id pro Soto respondebit, quod, ut infra videbimus, ad aliam authoritatem ejusdem Concilii in casu non dissimili, pro eodem Soto respondit *fol. 175.* Nempè, circa Montes pietatis: de quibus, sic Leo X. in Concilio Latetan. *sess. 10.* *Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus, Montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & authoritate Sedis Apostolicæ hactenus approbatos, & confirmatos, in quibus pro eorum indemnitate, aliquid moderatum ob solas Ministrorum impensas &c. ultra sortem, absque lucro eorumdem Montium, recipitur: neque speciem mali præ se ferre, neque ullo pacto improbari. Quinimò meritorium esse, & approbari debere tale mutuum: & minimè usurarium esse, &c. Omnes autem Religiosos, & Ecclesiasticas, ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis, & sanctionis formam, de cætero prædicare, seu disputare verbo, aut scripto, ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, privilegio quocumque non obstante incurrere volumus. *Hactenus Concil. Lateranense.

16. Qua tamen definitione non obstante, M. Soto *lib. 6. de Just q 1. artic. 6.* post prædictam sanctionem, contrariam sententiam, ex instituto defendit, dicens: *Arbitror ejusmodi rationem Montis neutiquam ab usura foràbus elui posse.* Et ne ille, in hac lubrica, & periculosa

losa via, sine socio progrederetur, pedisequium agere, se accinxit Baronius *ubi sup. disp.1. sect.2. §.4. fol.175.* & crimen reputans, quod verbis M. Soti, Concilii definitionem Amadæus opposuerit: inquit esse *falsam, & iniquam accusationem.* Lector judicet. Igitur ad rem nostram: cum uterque authoritate Concilii urgeretur: respondit Baronius his verbis. *Bellarminus lib.2. de Conciliis, cap.13. ait dubium esse, an ultimum Lateranense Concilium verè sit Oecumenicum.* Quod æquivalet dicere, non fuisse Concilium Generale, ac proinde eos non cogere à sententia discedere, circa Montes pietatis,

17. Cæterum falsò id affingit Bellarmino, quia hic Doctor contrarium expressè tenet *cap.* 17. contra nonnullos, quos *cap.*13, dubitasse prædixerat. Ibi ergo probans ex Concilio Lateran. potestatem Pontificis supra Concilium, sic inquit. *Ad hunc locum Concilii, nil potest responderi, nisi vel non fuisse Concilium Generale, vel non definisse hoc tanquam de fide. Sed non fuisse Generale vix dici potest: nam etsi fuerint Episcopi paucissimi, (nam ad centum non pervenerunt) tamen Concilium omnibus patebat. Quod verò Concilium hoc rem istam non definierit propriè, ut decretum fide Catholica tenendum, dubium est. Et ideò non sunt propriè hæretici, qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt.* *Hæc Bellarminus. Et acrius Cajetanus 2.2 *q.1. artic.*10. ait, contrariam sententiam negantem Papæ potestatem supra Concilium, esse damnatam in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.*11. & M. Bannez 2.2. *q.*1. *art.*10 *dub.*2. *pag* 130. Penna, & Recentiores apud Henriquez de Pontificis Clave *lib.*3. *cap.*9. *num.*1. *in Glos litt.E.* dicunt *esse fomitem hæresium, & periculosam in fide.* An aliqua ex his censuris inurenda sit opinioni Soti? aliis ponderandum relinquo. Scio Angelum Maria Verricelli *tom.*1. *quæst. moral. tract.*4. *q.*16. *num.*5. *& tract.*8. *quæst.*24 *n.*8. sic scribere. *Contractus Montis pietatis à Leone X. licitus declaratus, de fide est, quod sit justus, Molina, Turrianus, Bellarminus.* *Et ita supponit Salas *tract. de Usuris, dub.*33. *num.*7. Sed mitius apud illum Cajetanus loquitur. Quid verò sentire debeat Baronius, etsi non solùm Magistro Soto, sed sibi etiam infensus, si consequentiam servet, apertè intelligitur ex his, quæ subnecto *ex* 1.p. *Theolog Moral. disp.*2. *sect.*4. *fol.*241. ubi sic. *Quisquis negaret* (licitum esse credere Immaculatam Conceptionem Deiparæ) *de hæresi vehementer esset suspectus: quod dubitaret de certa fide, nimirum de Ecclesiæ authoritate emergentia circa Religionem dubia dirimendi.* Sic Baronius. Cui consonat Fr. Joannes de Casales ex eodem instituto in Candore lilii, §.40. *fol.* 175. ubi ait: Hæreticum se probare, *qui negat D. Thomæ sanctitatem, quem Apostolica Sedes toti Ecclesiæ sanctum venerandum, & imitandum proposuit.* Sic Sodalis: benè quidem. Vellem tamen ab utroque edicere, sit ne in Ecclesia authoritas, dubia etiam dirimendi circa mores emergentia; Inficiari neuter poterit, ideòque neque obliquum ictum fugere. Vide Verricelli *sup. quæst.*24 *citata num.*8. *Quod Papa, inquit, toti Ecclesiæ leges quoad mores proponens nequeat errare, declarans esse bonum, quod malum est, & è contra, & id esse de fide, docent S. Antoninus, Joannes de Neapoli, M. Cano, Molina, Suarez, Turrianus, Castro Palao, Comitolus. Quid plura?

18. Sexta denique calumnia sit, quam molitur *disputat.*3. *sect.*2. *fol.*297. dicens Amadæum *fraudulentam, & sceleratam* tentare defensionem propositionis, & sententiæ quam tradidit Petrus Hurtado de Mendoza 2.2. *tom.*2. *de Charit. disput.*15. *sect.*4. *n.*1. ubi dixit: *Si inimicus injustè est me vexaturus, ego possum desiderare orare què Deum, ut eum è vivis tollat, si aliter ferenda mala vitari non possunt.* In Cujus prælidium, ut constat ex dictis quæstione præcedenti, adducit Amadæus *tract. de Charit. prop.*10. duplicem D. Thomæ locum: alium *ex* 2.2. *quæst.*76. *art.*1. alium *ex* 3. *sententiarum distinct.*30. *quæst.*1. *art.*1. *ad* 4. ubi has duas conclusiones Angelicus Doctor statuit. Primum: *Plus debet diligere quisque se, quam alterum.* Secundum: *Posse quem salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum alius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Ex quibus per necessariam consequentiam deducitur, te posse mortem inimico desiderare, & à Deo petere, si impedimentum sibi sit malorum: cum pluste, quam illum diligere teneris. Hanc sententiam jure adscribi D. Thomæ, fatentur discipuli, qui illum sequuntur. M. Joannes de la Cruz *in direct. p.*1. *tract. de Homic. dub.*3. *Licet, inquit, desiderare alteri mortem, aut aliud malum, non ut fic ex odio, sed sub ratione boni, ut cesset à peccando, aut ab aliorum damno, & sic possumus desiderare ista inimico injustè invadenti pro nostra defensione, si aliter non possumus ab eo liberari.* *Sic Cruz, & ante illum M. Sotus lib.*5. *de Justitia, quæst.*12. *art.*1. ubi sic. *Christianis hostibus, qui nos injustè persequuntur, quando aliter non patuisset via, licitum est id ipsum (nempè mortem) optare.* *Quem citatum, exscriptis verbis, sequuntur M. Serra 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 1. *fol.* mihi 61. & Mag. Joannes Martinez de Prado *tom.*2. *Theolog. Moral. cap.*25. *quæst.*4. §.1. *numer.*2. Quibus facem M. Zanardus, M. Corrad. & alii, quorum verba dedit Amadæus *ubi suprà.*

19. Ex his authoribus *fraude prorsus panienda* cautos D. Thomam, & M. Soto, alios non curans dicit Baronius *ubi suprà.* Quod ad D. Thomam attinet: jactat à se demonstratum alibi. Quoad Sotum sic modo traducit. *Nec minus, inquit, in Sotum peccat Amadæus, cum ad hujus propositionis præjudicium eo ex loco advocat, ubi docet licere Christianis hostibus, id est, Turcis regionem vastantibus, mortem imprecari.* Sic Baronius, qui tam D. Thomam, quam Sotum, non ex privato commodo, sed ex ipsius adversarii, aut ex communi bono Ecclesiæ, delerium mali aliter honestasse, suadere conatur. Et *hoc secundum, inquit, concedunt D. Thomæ, ejusque discipuli.*

20. Cæterum, quod D. Thomas, & aliquot discipulis, ex privato etiam commodo, id dicere potuerit, demonstravi satis quæstione præcedenti. Quod verò & M. Sotus id expressè teneat, constabit legenti locum ex illo citatum *ex* 5. *de Just. quæst.*11. *art.*1. *in fine*, ubi desiderium mortis alterius, tum ob commune Reipublicæ nocumentum, cum ob malum privatum ipsius desiderantis vitandum, licitum concedit. Primum tradit his verbis. *Quæritur etiam & mortem alicui optare possumus, licet nolim contingat, viam perditionis ingressum ire, ut nostra Respublica mala caveantur, paxque & tranquillitas contingat. Potest enim quisque Turcæ mortem, & cladis omnes imprecari, ut ab ejus tyrannide liberemur.* *Secundum horum sufficienter, in verbis sequentibus. *Quin tutò Christianus hostibus, qui nos injustè persequuntur, quando alia non patuisset via, licitum est id ipsum optare?* Hæc alia non patuisset via, licitum est id ipsum optare? Hæc tus. Cujus ultima verba, *Quin verò, &c.* cum aliquid

quid speciale præseferant, quod in præcedentibus non contineatur, in quibus desiderium mortis alienæ ad commune bonum retulerat : planè inde intelligitur, ad particulare cujusque commodum comparandum, seu grave nocumentum vitandum in his respexisse. Aliàs actum ageret. Ex quibus constat, Baronium Soti verba multifariam corrupisse : primò, subticendo adverbium illud, *Quin verò*, quo casuum discretio exprimebatur, secundò ex proprio penu alia superaddendo, quibus Magistri Soti verba in alium sensum detorsit: Sic enim exposuit, *Christianis hostibus*, *id est, Turcis regionem vastantibus. *Ita Baronius vertit latinitate longè excellens. In hoc tamen loco maluit cadere Grammatica, quam causa, Nec enim *Christianis hostibus*, sed Christianorum, si cum Baronio conveniret, elegans Sotus scripsisset. Cæterum Baronius ea fide Turcas Christianos fecit, qua Amadæum in opinionibus restituendis infidelem. *Ejusmodi est veritatis natura* (ait Chrysostomus *Homil. 57. in cap. 9. Ioannis*, ex editione anni 1570. apud Guillielmum Merlin.) *Unde magis oppugnatur, inde magis confirmatur, & quo magis obtegitur, eo clarior eradit, nisi enim facta fuissent, miraculum istud* (nempè illuminandi cæcum) *apud multos suspectum esse potuisset: nunc verò perinde, ac si studiosè agerent, ut veritatem manifestarent, ita omnia faciunt, nec aliter facere potuissent, si in Christi patrocinium omnia fecissent.*

(·.·†·.·)
(:†:)

GERMA-

GERMANA DOCTRINA R. P. THOMÆ TAMBURINI SOCIETATIS JESU,

Perspicuè refellens impugnationes R. P. VINCENTII BARONII adversus illam allatas.

OPUSCULUM

R. DOM. DON LUCII SANMARCO, Sacerdotis, & Caltanissettæ in Diœcesi Agrigentina Vicarii F.

Occasio scribendi, & Intentio Authoris.

1. PATER Vincentius Baronius in Theologia Morali, quam scribit adversus laxiores Probabilistas, præsertim contra Caramuelem, Anonymi nodos in Pat. Marconum, Theophilum Raynaudum, & Amadæum Guimenium, ut Theophilum carpat, inter cætera eundem reprehendit *Disp. 1. sect. 5. artic. 2.* quòd Opus in Decalogum R. P. Tamburini Concivis, & Præceptoris sui approbaverit, & commendaverit, præfixeritque dicto Operi impresso *Lovanii anno 1659.* & iterum *anno 1665.* hæc verba.

2. *Opus R. P. Thomæ Tamburini in Decalogum, post accuratam Theologorum recognitionem, annuentibus Majoribus in Italia cusum, dignum est iteratò cudi, ob doctrinæ soliditatem, & in explicandis nodis conscientiæ perspicuitatem, Idem videtur de Opusculis quibusdam moralibus Expositioni Decalogi attextis. Neque vero Author à sola doctrinæ soliditate, & res dubias exponendi dexteritate, in his lucubrationibus commendandus est; Sed etiam quia bonis moribus in eisdem exquisitè consuluit. Lugduni in Collegio S. Trinitatis 9. Febr. 1658.*

THEOPHIL. RAYNAUD, SOC. JESV.
CAROLUS DULIEV, SOC JESU.

3. In ipso vestibulo (da veniam, Lector, utid non taceam) adverto calumniam contra R. P. Theophilum: nam cur Baronius non attulit alias approbationes eidem Decalogo affixas? Nolo hic transcribere Commendationes Patrum Soc. Jesu, quos Jansenistæ suspectos omnes habent, sed viri eximii ex Minoribus de Observantia reform. dumtaxat, cujus testimonium datum Venetiis, ubi primò excusum est dictum opus in Decalogum, est hujusmodi; & in eadem pagina, in quâ refertur Theophili approbatio, rescriptum apparet, & tamen de eo magnum Baronii silentium; illud interim Theophili increpans totis bu-

JESUS MARIA.

Mandatis parens Reverendiss. P. Ambrosii Fracassi Quæsitoris Gen. Venetiarum, recognovi expeditam explicationem in præcepta Decalogi R. P. Thomæ Tamburini. Legendo, & electa perpendendo, animo sublevabar, animans Opusculum, paucis, plurima continens; quod nodos difficilia extricata; verum inutilibus rejectis, utilia quæque aliàs dispersa affluenter, & quod plurimi valet, succincta refert. Unde quæ corrigerem minimè, at, quæ discrem, utique excepi. Quapropter veluti opus solerter elaboratum, in nullo offendens, pluribus favens, omnibus conducens, & quo suum sapit Auctorem, dignum ut lucem obtineat, judico, assidero, & efflagito. Datum in nostro S. Bonaventuræ Venetiarum Cœnobio, ult. Aug. 1653.

Ego FR. ÆGIDIUS Z MELO, Minor de observ. Refor. Lect. Gen. S. Theol. Definitor, ac S. Officii Vener. Comiss.

5. Cur item non meminit Approbationis ratus initio ejusdem Decalogi reimpressi Insulis in Belgio anno 1660. quæ est breviuscula, & facile potuerat loco notari, cum illam, ex ea conjectura colligas quod ipse Baronius viderit, quia hujus Belgicæ impressionis Dedicatoriam citat *disp. 1. sect. 5. §. 2.* Approbatio autem est hujusmodi.

Hoc idem Th. Tambur. è Soc. Jesu Sacerdotis Opus omnium, perquàm utiliter imprimendum, censui.

MATTHIAS NAVÆUS Theol. Doct. Can. Tornac. libror. Censor. 20. Febr. 1660.

6. Verum encomia hæc, & plura alia, (utpote extra Institutum meum) neglegamus; Quod ego in hoc opusculo intendo, benignè Lector, non est, Theophilum sapientissimum inter nostri sæculi viros vindicare; aliis me sapientioribus id relinquo; sed meæ Præceptoris doctrinam tam injustè insimulatam, ut sua germana luce legentibus offerre, tenebras quas offundit prædictus Baronius, ab oculis meorum eruditorum (sapientes enim meo operâ non indigent) amovere. Nec per prolixas Disceptationes id facto mihi opus erit. Domi habeo, domique nascuntur, quæ rem expugnabunt. Omnia enim luce clariùs pa-

tebunt

rebunt,si conferam dumtaxat id, quod cavillatur Baronius cum eo, quod scribit Tamburinus. Admiraberis,prudens lector,qua fronte audeat quispiam aliquem carpere, quasi quid noxium is dixerit exscribendo partem, non vero totum) exlis, qnæreprehensus cum prudentissimis limitationibus, commodisque explicationibus docet; immo qua fronte addat subinde aliquid de suo,parum scilicet,in referendis sententiis, de necessaria fidelitate laborans. Non te diu morabor,jam absque longiore proœmio operam aggrediar.

Sed prius lege hic,probra & dicteria, quæ Baronius profert adversus innocentem præceptorem meum,ut scilicet,quo animo affectus is cum illo agat,ne sis nescius.

PROBRA, ET DICTERIA Baronii in Tamburinum.

A Pag.71.ad Paginam 83.in Titulo,& sæpe. *Laxitates Tamburini,laxitates Tamburini*,&c.

Disp.1.sect.5.art.2.pag.71. *Opus Tamburinii in Decalogum auctas exaggerataſque habet* OMNIUM *Authorum liberiores,& periculosas opiniones.*

Ibid.§.2.pag.73.*Ego sanè, si ita (ut Tamburinus) de abdicatis,aut ad minus diminutis divinæ legis præcipuis partibus sentirem,aut scriberem, vererer illam ex Scriptura sententiam,*Væ qui dicitis bonum malum.

Ibid.pag.eod. *Relatæ opiniones (Tamburini) adeo à sensu totius Ecclesiæ,ab æquitate humana,& à reverentia in legem divinam alienæ,ut ex Curatis (Parisiensibus unus doctissimus in illas librum meditaretur, titulo* ANTIDECALOGI *cum hoc versu.* Tempus faciendi,Domine, dissipaverunt legem tuam.

Ibid.Pag.74 *Cum Curati Parisienses obtinuerint prohiberi Apologiam Casuistarum,frustra fore monent tot Episcoporum censuras,& facultatis Parisiensium,summique Pontificis decreta quæ pernicioſissimos errores, quibus scatet ille liber,damnarunt,si pari audacia liceat, eosdem errores evulgare,& mutatis Authorum nominibus interpolare, id vero evenisse,editione Tamburini Operis in Decalogum Lugduni facta,cujus plura exemplaria Parisios delata sunt,nec solum damnatos Apologiæ errores eo libro contentos propugnari,sed addi atrociores,qui adeo ab omni æquitate, & pietatis sensu abhorreant,ut unus videatur scopus huic Authori (Tamburino) constitutus; nempe,comprobare,in quam cæcitatem devenire posit mens humana, ubi relicto Fidei, ac traditionis lumine,ac tramite,suis se permisit cogitationibus abripi. Conqueruntur (iidem Curati) non partem Religionis eo opere lacessitam, sed totam funditus everti,* &c.

Et paulo post.*illud etiam (iidem Curati conqueruntur) legibus Ecclesiasticis his maximè,quibus jejunia instituuntur,argutiis,pudendis,& ridiculis.* (Deus me adjuvet,Ubinam in graviſſimo opere Tamburini sunt hæc pudenda, & ridicula) *Denique principia constituiis corruptelis inducendis & excusandis,quæ adeo latè pateant,ut nullum sit scelerum genus adeo insolens, & horrendum, quod his regulis defendi, & honestari nequeat.*

Quare, ut moderatius, quam ferat rei atrocitas, loquantur, verissimè pronuntiant, hujusmodi Ethicem (Tamburini) tanto studio per totum orbem sparsam minimè Christianam esse, quandoquidem hominis Christiani bonam mentem extinguit,nec Hebræam, ac Pharisaicam, cum procul abiciat quam Iudæi summè colebant,legis litteram & externi hominis probitatem, quam Pharisæi præferebant;nec debere Philosophicam, & humanam dici, cum

insensa sit æquitati naturali,Fidei humanæ,& sensui communi,quibus Philosopia humana,ut certis regulis adhæret; nec Civilem,aut Politicam esse censendam, cum societatis humanæ fundamenta convellat,& quæ hujusmodi Ethicam admittent Regna,& Imperia,brevi,depulsa omni lege, & fide,mutuis Civium odiis,fraudibus,& cædibus sint peritura: Quare nullum aliud superesse, quo nuncupetur, nomen, quam illud Iacobi. Non est ista sapientia de sursum descendens,sed terrena,animalis. *Hæc Curati Parisienses de opere Tamburini.*

Ibid.ead.pag.*Summus Pontifex sua constitutione damnavit Apologiam (illam Casuistarum) quæ multo cautius, minusque licenter agit,quam Tamburinus.*

Ibid.pag.76.*Inde vides erudite Lector, quo tandem Tamburinus promoverit probabilitatum jura, & nullum Thologorum,saltem è Societate, probabilitatis leges extra omnes ne dum veritatis, sed etiam similitudinis veri fines, periculosius laxasse.*

Ibid.ead.pag.*Tamburinus aliorum consilia, & labores corrumpit.*

Ibid.pag.77.*Quid ad hæc Tamburinus? Nihil istos sui instituti Authores moratur: uno audaci ac præcipiti saltu transilit hos quatuor gradus ab illis accurate constitutos, & veluti aggeres ad legis, & salutis defensionem oppositos hominum cupiditatibus, uno impetu amolitur, & deturbat.*

Ibid.pag.78. *Quis non obstupescat, ista doceri tanta fiducia, & assecuratione, ut Tamburinus nihil dubitet certiora asserere, quam ut sua discussione indigeant, & habuisse laudatorem (Theophilum) qui scripserit,ea suæ Theologiæbasi exquisitè Tamburinum bonis moribus consulvisse.*

Ibid.pag.79. *Ne mireris Lector Tamburinum à cæteris omnibus in sua probabilitate constituenda, dissentire, cum nec secum conveniat. Nullum est certius falsi argumentum, quam à seipso dissentire. Non caret hoc vitio Tamburinus,& cum ferè omnes deseruerit, sibi ipsi repugnat,ut inde agnoscant omnes,quam periculosum sit, hunc ducem sequi.*

Eadem disp.1.sect.5.art.3.§.13.pag. 91. *Sed multo liberalior, & laxior Tamburinus. Videtur sane eo fine scripsisse, ut qui præsserant Authorum laxitates, omnes superaret.*

Et paulo post.*Nec dubito quin (Tamburinus) velit videri,quasi in laxandis conscientiis gloriam, & singularitatem affectasse.*

Hactenus Baronius falsissime,ut sequens opusculum legenti patebit.

Hæc autem volui simul colligere,ut si quid in consequentibus sese offerat severè à me dictum contra Adversarium,videat Lector,comparatione facta cũ iis,quæ ille contorquet,quam parce ego egerim cum ipso,quam libere ipse contra præceptorem meum.

CAPUT I.

Congeries sententiarum, quæ Tamburino imputantur.

1 VBi Baronius modò relatam Theophili approbationem damnavit,ut damnationis testimonium ostenderet,in medium profert,disput. 1.sect. 5. art.1.§.1.fol.71.propositiones non paucas, quasi à Tamburino in suo Decalogo scriptas,atque à Theophilo perperam approbatas.Et profecto eo modo, quo Baronius,ut plurimum,illas refert,censurandæ

omnino essent; verum, ut eas Præceptor meus docet, non nisi maximè commendandæ.

2. Afferamus ergo prius integrum Paragraphum, in quo veluti unico contextu ab Impugnatore illæ, prout ipsi placuit, hoc est infideliter traduntur; nam deinde eædem erunt à me separatim distinguendæ, & cum germana Tamburini doctrina conferendæ, quo pacto, studiosus, nullo negotio, unius veritatem, vel alterius falsitatem, assequetur.

Baronius d. §. 1. sub hoc tit. (*Notantur variæ laxitates Tamburini,*) sic eas proponit.

3. I. *In primis omnimodam securitatem asserit* lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. *cuilibet opinioni etiam tenuissimæ probabilitatis, quam sequeris unius Authoris suffragio fultus omissa tutiori, communi, etiam in articulo mortis.*

II. *Præcepta Charitatis, Fidei, Spei, Cultus Religionis, aliarumque Virtutum inter Christianas præcipuarum omnino tollit, aut quod perinde est, vim illis aufert, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designent, quo illi actus sint eliciendi, an vitæ Christianæ prima institutione, an illius progressu ad finem.*

III. *Et quam Christus vult esse perpetuam, & nunquam interruptam ad Deum Patrem orationis necessitatem, fere negat.*

IV. *Et inter orandum, liberam mentis distractionem permittit, etiam dum interest Sacro.*

V. *A quo eximit eos, qui avidius lucro inhiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.*

VI. *Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus divini?*

VII. *A Iejunii lege eximit omnes artifices, & forè conjugatos.*

VIII. *Officium colendi Patrem filiis remittit; si probabiliter putent, matrem conjugis fidem non admodum sanctè servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.*

IX. *Indulget etiam illis jus ineundi matrimonium cum disparі, Patre inconsulto, & invito.*

X. *Permittit vota paternæ mortis, ut vacuam hæreditatem adeant.*

XI. *Nec minus liberalis est in Reges, quam in privatos: dat illis jus belli si aliqua illis faveat probabilitas ex jure in eum, qui parem, aut majorem habet probabilitatem rei possessæ adjunctam.*

XII. *Habet etiam rationem subditi: eximit illum à vectigali, cuius non habeat compertam aquitatem.*

XIII. *Non sunt expertes ejus liberalitatis, & Beneficiorum Iudices. Quæ omnia profert ex inexhausto Probabilitatum Thesauro, & Promptuario.*

XIV. *Inde asserit, illis ius verum omnium, quarum lis apud ipsos movetur, ut visum fuerit, abdicationis, & adjudicationis; quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria?*

XV. *Qui adeo largus est in Iudices, non est parcus in fures & in Reos: permittit, instante gravi necessitate, cuique, non solum propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.*

XVI. *Si Reum vitæ, & carceris tædeat, potest illo, authore, sibi falsum crimen imponere, morte mulctandum.*

XVII. *Potest idem in testem iniquum, idque citra omnem injustitiam; immo citra culpam mortalem, & forte etiam venialem.*

4. Advertis, quantorum scelerum authorem facit Tamburinum Baronius? Si quis magnæ authoritatis vir, parisque virtutis in civitate aliqua degeret, ob multa in Reipublicæ bonum præclarè gesta, optimus omnibus, ac Summis, Mediis, Infimis suppetiarus: adesset autem inibi quispiam ejus illustris virtutis invidus æmulator (cujusmodi bonorum hominum oppugnatores deesse nunquam solent) quisnam esset urbem disseminaret, illum esse homicidam, adulterum, incestuosum? Quis, rogo, vel ex numero plebis, non sanctè juraret, hunc mendacem esse, & calumniatorem, quique in hunc fere modum non exclamaret: Ergo ne tantæ virtutis, atque innocentiæ vir, in quo tot annos, ne levem quidem vitæ labem animadvertimus, immo Angelicos mores admiratus sumus semper omnes, homicida, adulter, incestuosus audiet? Apage, tanta hæc scelera in virum optimum conjecta, esse nimis manifestè calumnias, putandum est. Profectò, simile quid de meo præceptore (date dimanti veniam, Lectores) sic proferam diserè.

Tamburinus adeo ab ipsis penè incunabulis puer, ut vix decimosexto ætatis anno cooptari in Religiosum Societatis Jesu ordinè obtinuerit; adeo doctus, ut Rethoricam, Philosophiam, Theologiam Speculativam, & Moralem per annos plusquam viginti Panormitano, ac Messanensi Collegio, atque in hac studiorum Præfectus, cum plausu docuerit; adeo prudens, ut ex Superiorum imperio Collegium Catanissettense, Montis-Regalense, Messanense, Panormitanum gubernaverit? Rursus adeo doctus, & prudens, ut à tota Sicula Provincia, ad gravissima negotia Congregationis Generalis Societatis Jesu Romæ pertractanda, electus fuerit; Præterea, adeo doctus, prudens, & pius, ut in Tribunali Sacræ Inquisitionis hujus Regni Qualificatoris, & Consultoris munere fungatur; Tamburinus, inquam, tantorum scelerum, quanta Baronius uno ferme sermone accumulat, Reus erit? Apage. Calumniæ hæ calumniatorem nimis apertè condemnant. Sed quæso, ut verbis, & amplificationibus exultemus: dividamus prædictæ impostura, &, ex uno multa facientes, singula Baronii dicta cum germana Tamburini doctrina conferamus.

CAPUT II.

De Qualitate Probabilitatum.

1. BARON. *In primis omnimodam securitatem asserit (Tamburinus) lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. cuilibet opinioni, etiam tenuissimæ probabilitatis, quam sequeris, unius Authoris suffragio, omissa tutiore, communi, etiam in articulo mortis.*

2. Vides, quam jejunè, quam indistinctè, & sine explicatione ulla hæc referat Baronius? Adinvenit Tamburinum, & ejus germanam Doctrinâ agnetis.

TAMB. n. 3. *Iam vero qui aliquid operatur (ait lib. 1. Decal. c. 2. §. 3. n. 3.) motus ex opinione probabili, bene operatur, & sine peccato; quia in humanis, ut cum prudentia ajunt, non est certa regula humanarum actionum, operantur, nisi probabilitas necessario requiritur. Id quod ita certum est, & ita à Doctoribus* Utroq; Sanch. l. c. Castrop. to. 1. tr. 1. d. 2. p. 1. Vasq. p. 2. d. 62. c. 4. n. 8. Meroll. tom. 1. d. 3. c. 4. d. 1. *& novissimè* Bardi contra Philater. de Confes. d. 4. c. 10. *comprobatum; ut nostra discussione non indigeat, etiam opinione probabiliore relicta ex* Cast. lo. cit. Jo. Sanc. d. 42. num. 12. *etiam omissa tutiore ex* ibidem ibid. *etiam Communi juxta* Castrop. l. c. n. 1. Thom. Sanch. l. 1. in Dec. c. 9. num. 9. *etiam in articulo mortis cum* Jo. Sanch. d. 19. n. 8. Pfalqual. Dec. 27. *quatenus*

prote-

probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, juxta Pasqualig. decis. 20. Brasser, Franciscum de Amico apud Bardil. c. cap. 13. *modò à probabilitatis finibus non exeatur, ut explicabitur mox* num. 11. fine *consisti, aliquid agimus, semper prudenter agimus. Neque obstat, quod in dubiis tutior pars sit eligenda, nam (præter alia) nos hic sumus in probabilibus, non in dubiis.*

4. Si hos Doctores hîc laudatos legit Baronius; ut certe legisse, puto, cur solum censuræ subiit Theophilum, qui Tamburinum laudat, præterit autem tot insignes Theologos, qui idem tradentes, Tamburini doctrinam approbant? & quod peius est, cur suggillat Tamburinum, perinde quasi ipse unus isthæc docuerit?

5. Rursus, Baroni, cur exscribis (*opinioni etiam tenuissimæ*) cum Tamburinus scribat (*tenui*) quamvis enim videatur alicui, parum inter hæc discriminis intercedere; tamen animadverto, ipsis primis cavillationibus aliquid de tuo te voluisse superaddere. Sed de hac tenuitate mox *num.* 8.

7. Præterea cur illud (*quam sequeris unius Authoris suffragio*) tam frigidè, & mutilatè retulisti? quod quidem sic diminutè dictum meritò damnandum est, quemadmodum SS. Pontifex Alex. VII. in decreto S. Congr. dato anno superiore 1665. damnat propositionem illam; *Si liber sit alicujus Innioris, & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apost. tanquam improbabilem.* At Tamburinus cautè loquitur, nec statim ac ab uno Doctore, sive Juniore, sive antiquiore dicitur aliqua opinio probabilis, censet illam putandam esse probabilem; sed ut sit probabilis, accedere debent multa additamenta, quæ brevitet sic enumerat.

7. TAMB. num. 5. *Tunc solum puto* (ait l. c. n. 5.) *sufficere unum, tametsi contrà innumeros Doctores is doceat, quando idem est* DOCTUS, rem EX PROFESSO *tractat firmamque* RATIONEM *pro se habet* (nota id, *Nec apparet contra ipsum aliquod convincens. Ita Azor. Vasq. & alii.*

8. De hac unius authoritate vide omnino, quæ docet Lezana, aliis multis Doctoribus, hanc doctrinam confirmans. Cons. 48.

Explicatur illud (tenuis probabilitas.)

9. Cur denique, Baroni, oculos non admovisti ad illud modò allatum à me *num.* 3. meo, quod Tambur. addit (*ut explicabitur mox num.* 11. *fine*) qui certe locus erat omnino videndus; & maximè notandus à Theologo, nam omnem invidiam avertit à legitimis propugnatoribus probabilitatum. Hi enim eam probabilitatem ad nostras actiones dirigendas sufficere docent, (ut colligere poteris ex Suario de Pœnitentia *disp.* 21. *sect.* 9.) quæ omninò constet, & nullo modo ab opposita parte deficiatur. Ecce locum Tamburini.

10. TAMB. num. 11. *Atque hæc ratio* (ait l. c. n. 11 fine) *allatam doctrinam probat, etiamsi altera pars sit probabilior, modo major probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut deficiat à probabilitate illam oppositam, quia tunc expulsa jam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus.*

11. Ex quibus, & ex toto contextu apparet, germanam Doctrinam nostri Authoris sanam esse, nec Baronii censuræ subdendam. Id quod item melius cognosces, Lector, mox, *num.* 16. & item quando legeris illa quæ afferam de hac tenuitate c. 20. & 23.

Quæ autem sint illa, quæ deficiant, vel non deficiant probabilitatem oppositam, cordate prosequitur Tamburinus *num.* 19. suo, qui immediate sequitur ad præcitatum *num.* 11.

12. Antequam verò ad reliqua progrediar, juvet audire aliquos Doctores ad pleniorem prædictorum cognitionem. Verum moneo, tum hos, tum alios, quos infra per alias occasiones produxero, non ideo à me illos afferri, quasi præceptor meus in illorum verba omnia juraverit; sed solum, ut cognoscatur doctrinæ punctum, de quo ibi disputatur, non esse adeo singulare, ut unus Tamburinus de novitate notetur. Id quod si iterum, iterumque monebo, ne te tædeat, Lector, hanc enim notam nimis sæpe obiicit, aerem tamen semper verberans, adversarius noster. Iam Pasqualigus *Decisione* 20. sic habet.

An quis possit sequi opinionem, quæ habet minimum gradum probabilitatis.

13. PASQUALIG. *Tradunt duos casus Doctores &c. At licitum est eam sequi, tenet Bresserus de* Consc. cap. 7. num. 77. *quæ sententia mihi magis placet, & puto, si rectè consideretur, non habere difficultatem.*

14. *Licet enim opinio habeat minimum gradum probabilitatis, adhuc tamen illam habet, & vere probabilis est, sicuti si in pariete sit minimus gradus albedinis, adhuc vere paries albus est, & si in anima sit minimus gradus gratiæ, vere sancta est, & justa. Ergo vere, & secundùm rectam rationem possumus eam tuta conscientia sequi, quia possumus eam amplecti, ut probabilem, atque adeo, ut rectam mensuram humanæ operationis. Opinio namque probabilis non facit, quod operatio sit honesta, quia habeat tantam vel tantam probabilitatem, sed quia probabilis est, atque adeo id præstat ratione probabilitatis, secundum speciem.*

15. *Atque hoc habet locum, etiamsi opinio, quæ habet minimum gradum probabilitatis, concurrat cum Opinione probabilißima, quia adhuc in comparatione illius retinet suam tenuem probabilitatem, ratione cujus adhuc est secundum rectam rationem, atque adeo etiam operatio per ipsam mensurata.*

16. Hoc postremum sic absolutè dictum noster Tamburinus non recipit, nam requirit semper illam nuper dictam exceptionem, hoc est, (*modo à probabilitate majore oppositæ partis non deficiatur.*) Id quod ipse explicare consueverat exemplo candelæ, vel stellæ, quarum lux, si efferatur coram Sole, statim elanguet. Ita enim sententia tenuis in probabilitate, si opponatur probabilitati magnæ, statim suam vim ita amittit, ut ne umbra quidem probabilitatis noscatur amplius in illa.

17. Atque hic per hanc occasionem duo diligenter nota. Primo (quod modò dixi *num.* meo 12.) multa, tum in hactenus allatis, tum deinceps afferendis Authoribus in hoc meo Opusculo, non recipi à Tamburino, à me tamen proferri pro ea dumtaxat doctrina, quæ cum ipso convenit.

18 Secundo nota, me scire ab adversariis Probabilitatum plura perinde negari in Tamburino, ac in alijs: nam propterea moneo lectorem, ut ex his, quæ affero, illa solum pro modo recipiat, quæ ad rem nostram, hoc est ad defensionem germanæ doctrinæ nostri Authoris confirmandam faciunt. Cæterum non deerunt alii, qui universalem propugnationem legitimarum probabilitatum molientur.

Explicatur magis illud [Instante morte.]

19. Illud de (instante morte) quod admirationem ab indocta plebe, si ea instruatur, amovebit, operæpretium est stabilire rationibus, & Doctoribus, (nec vero Jesuitis.) Audiamus ergo nunc solum duos, ne tædium fiat lectoribus. Jo. Sancium, & Pasqualigum; nam alios habebis *infra cap. 25. à num. 16. meo.*

Jo. SANC. d. 19. n. 8. *Opinio quæ in salute securam reddit conscientiam ad operandum, vel non, tutam quoque reddit in articulo mortis, cum in utroque tempore æqualiter constringatur homo Deum non offendere. Tum quia, ut dicemus d. 42. num. 12. inter opiniones in conscientia securas, revera una non est securior altera quoad imputabilitatem. Nam supposito, quod juxta quamlibet, nullum committit peccatum, non magis securus erit operans ex una, quam ex alia opinione, cum nulla detur major securitas, quàm non peccare, ut dicemus latius d. 44. num. ult. tum quia ut dicemus latius d. 44. num. 1. quoties fit comparatio unius opinionis probabilis ad alteram probabiliorem, liberum est cuique minus probabilem sectari ob rationem ibi adductam, &c.*

20. Hoc ultimum non usquequaque recipit Tamburinus, ut simile non recepit modo *num.* meo 16. Sed audiamus Pasqualigum, ex nobilissimo Ordine Theatinorum, *decis.* 27.

An etiam tempore mortis liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore.

21. PASQUAL. RESpondeo affirmative cum Ioanne Sanc. in selectis, disp. 19. num. 8. *quia non magis tenemur fugere tempore mortis offensam Dei, quam quocumque alio tempore. Unde si in alio tempore possumus sequi absque periculo offensæ Dei opinionem minus probabilem, poterimus etiam tempore mortis, quia sola obligatio vitandi offensam Dei, potest facere, quod non possimus sequi.*

22. *Deinde militat eadem ratio tempore mortis, quæ militat reliquo tempore; ideo enim possumus sequi opinionem minus probabilem, quia est conformis regulis rectæ rationis; in hoc enim consistit probabilitas. & ideo eam sequendo, honeste operamur: seu cum conformitate ad rectam rationem; hoc autem semper est licitum. cum ex genere suo dicat illum modum operandi, quo homo ordinate se habet respectu ultimi finis. Unde tempus mortis non potest excludere talem modum operandi.*

23. *Nec obstat, quod homo tempore mortis debeat habere majorem curam suæ salutis, & proinde sequi quod securius est, atque adeo probabiliores opiniones, quia hinc non sit, quod debeat amplecti probabiliores opiniones; nam eo ipso quod amplectitur probabiles, securus est, quod non peccet. Unde non minus curat propriam, quam si amplecteretur probabiliores. Imò cum opinio probabilior non sit certa, ipsa quoque continet idem periculum; præsertim quia ex se potest esse falsa, sicuti est minus probabilis. At verum est, quod nulla continet periculum, quia nulla operatio ex opinione probabili imputari potest, etiam ad minimum peccatum.* Hæc Pasqualigus.

CAPUT III.

De Præcepto Charitatis, Fidei, &c.

1. BARON. II. *PRæcepta Charitatis, Fidei, Spei, ubique Religionis, aliarumque virtutum inter Christianos præcipuarum omnino tollit, aut quod perinde est vim illis aufert, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis explicatis, & momentum non desiguant, quo illi actus sint eliciendi, an vitæ Christianæ prima institutione, an in progressu, an ad finem.*

2. Et potes cum conscientiæ securitate profiteri, tolli à nostro Authore, vel diminui harum virtutum actus? legatur ipse, & incipiamus à fide, lib. 2. de Deo. c. 1. à num. 8.

FIDES.

3. TAMB. n. 8. *Vel primo sermo est de actu fidei necessario necessitate salutis, & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modo vidimus, n. 3. (cum Sanch & aragon.) eliciendus autem est, ut primum propositi sufficienter sint articuli fidei.* Et paulo post. *Cum igitur actus fidei ex necessitate salutis eliciendus sit etiam, ut notant Theologi, ex necessitate præcepti, quia omnia obligamur facere, quæ necessario ad nostram salutem requiruntur, consequenter actum, quam primum scilicet possumus, id enim videtur requirere tanta necessitas) eliciendum obligabimur.*

4. Videigitur, Baroni, an tollat actum fidei, qui non solum ait, esse eliciendum ex necessitate præcepti, verum etiam de necessitate salutis, id est, (ut loquuntur Theologi) de necessitate medii, sine qua scilicet salus nullo modo obtineri datur? Sed pergimus ad reliqua.

5. TAMB. n. 9 *Vel secundò est sermo de actu fidei necessitate præcepti, quo scilicet obligamur credere ea, ut dicimus n. 5. Sane nondum obviam habui Doctori, qui explicando, mihi satisfecerint; unde omnibus perpensis, fatendo tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. judicio, puto per se, & directe nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria, nec implicitè, nec explicitè ex necessitatis præcepti fidei (nam medii simul, & præcepti, ut modò dictum est, qua ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sæpissimè vero obligari per accidens vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia ut dicimus in opusc. de exped. Sacrif. lib. 2. c. 2. §. 16. num. 5. nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur practicè esse completum, taleque sui præceptum Confessionis, ut item Communionis extra omnem articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus Paschale, ibidem ex Delugo de Euch. d. 16. sect. 1. num. 28. & de Pœn. d. 16. sect. 3. num. 39. At nunquam invenimus determinatum tempus esse, quo obligemur ad prædictum (præter illum de necessitate medii, de quo jam dictum est, num. 3.) actum fidei eliciendum, ut ex num. seq. patebit; ergo, &c. Ratio posterioris dicti est, quia toties occurrit, debere nos ad servanda aliqua præcepta elicere quosdam actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei; ergo tunc per accidens, ratione scilicet actu adjuncti, obligabitur Fidelis ad eliciendum prædictum actum fidei sine quo actus per se præceptus constare nequit, ut ex mox dicendis à num. 11. clarius intelligetur. Hinc videtur prudenter Christum Dominum præceptum per se de prædicto actu fidei non imposuisse, quia satis super me esse judicavit actum fidei ex necessitate. (hoc est medii, de quo sup.) salutis, & insuper alios necessario præquisitos in servando, ut dictum est, aliis præceptis.*

6. Num.

6. Num.10. *Confirmatur primò nostra sententia ex* Azor, p.1.lib.9.cap.4.q.1.in fine, *qui docet, Charitatis præceptum tunc solum obligare, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus; quia hoc præceptum non videtur obligare, nisi ut medium justificationis, vel ut dispositio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo, similiter dici posse de fidei actu. & consequenter de actu spei; ut cum de Charitate agam infra* cap. 2. §.1. num. 2. *huc me remittens, rursus innuam. & infra* cap. 3.§.2.num.2. *non teneri scilicet nos ad actum Fidei & Spei, nisi quando tenemur justificari per contritionem; & ego addo, vel per attritionem cum Sacramento, &c. atque adeo ratione alterius actus Virtutis, non autem per se.*

7. Num.11. *Confirmatur secundo discurrendo per aliqua tempora, quæ nobis contrarii Doctores assignare solent huius obligationis. Primum tempus, quo fideles per hos Doctores obligantur ad eliciendum actum fidei assignatur ab Azor* p.1.lib.8.cap.27,quæst. 8. *quando obligatur quis gratiam per peccatum amissam recuperare, tunc enim non poterit actum, v.g. contritionis, vel attritionis cum perceptione Sacramenti elicere, nisi credat ea, sine quibus constare hi actus nequeunt; nisi enim credat in Deum, spem veniæ ab ipso sperando, nisi credat pœnas Inferni, cuius timore, v.g. atteritur, nisi credat Sacramentum Confessionis, cuius perceptione liberari à peccatis intendit; contritionem, attritionemve dictam exercere non poterit.*

8. *Verum quis non videt, ut ipsemet Azor, vidit, & fassus est, fidei actum tunc non præcipi, nisi ratione contritionis, vel attritionis, non vero per se? nam propterea bene infert Sanch.* lib.2.in Decal.cap.1.num.3.in fin. *omittentem se tunc conterere, non peccare contra præceptum fidei, sed solùm contra præceptum recuperandæ gratiæ; id quod verum est in aliis casibus, quoties scilicet tale præceptum fidei ratione alterius actus, hoc est per accidens obligare, mox docebimus.*

Num.12. *Secundum tempus assignatur ex Valent.* 2.2. d.1.q.2.p.5. concl.4 *quando teneatur quis aliquid exterius facere, quod nequit commode præstare sine interno actu fidei, ut si teneatur ipsam fidem exterius confiteri. At ibidem idem Val. jam fatetur, tunc non obligare præceptum fidei per se, sed ratione præcepti adjuncti, nempe confessionis exterioris. Imò addo, si quis mere exterius tunc fidem confiteretur, præscindendo ab omni actu fidei interno, jam satisfacturum præcepto; id quod fortasse aliquibus Sanctis Martyribus accidit, quando toto animo intenti ad externam confessionem, & ad tormenta patienda; minus ad actum internum fidei eliciendum, & cum externa confessione conjungendum, attendebant.*

Num. 13. *Tertium tempus simile huic esse potest, quando quis ex Fidelibus obligatur jam factus capax rationis, scire prædicta mysteria, non enim commode scire ea poterit, nisi illis assentiatur, sed jam vides, id etiam esse per accidens ratione præcepti sciendi.*

Num. 14. *Quartum tempus ex Ledesma,* tom. 2. sum. tract.1.c.8.concl.4. *assignatur semel singulis annis, quando tempus præcepti Confessionis, & Communionis instat. Sed jam tunc non erit nisi ratione præcepti adjuncti, quod si aliud præceptum tunc agnoscat Ledesma, gratis agnoscit.*

Num.15. *Quintum assignatur à Val.*2.2.d.1.q.2.p.5. concl.4. *Articulus mortis, quia tunc se debet Fidelis fidei actibus contra Dæmones in tanta necessitate munire; sed recte Sanch.*l.2.in Dec.c.1.n.3. *id tempus reprobat, cum nulla ratione, vel textu comprobetur.*

Num.16. *Sextum assignatur ab eod. Sanch. ibid. quando quis gravem aliquam contra fidem tentationem patitur, tunc enim tempus est resistendi contrariis fidei actibus. Sed certe hoc etiam gratis dicitur. Primò, quia potest is, aliò v.g. mentem divertendo, tentationi non succumbere; ergo non habet necesse, per contrarium fidei actum ei tentationi obsistere. Secundò, quia nimis durum patienti tentationem fidei est, illum omninò sub mortali obligare ad contrarium actum. Certe tentatum ad odio habendum Deum non obligas ad contrarium actum amoris eliciendum, satis enim erit non consentire tentationi. Cur igitur obligabis in tentatione de fide?*

9. *Dices: Pone, aliquem non posse vincere tentationem contra fidem, nisi eliciendo actum contrarium, tunc is jam obligabitur ad actum fidei. Resp. tunc etiam esset per accidens, ratione subjecti sic affecti, vel certe ratione præcepti negativi de fide non abneganda, non vero ratione præcepti positivi de actu credendi, de quo hic signanter cum Doctoribus agimus. Adde primò, hunc casum fore tam rarum, ut vix posit in moralem considerationem cadere. Adde secundò, quomodo sciet tentatus, talem tentationem contra fidem non posse aliis remediis, aliisque virtutum actibus vinci, sed solùm actu contrario fidei? quis ei id revelavit? Ergo jam apparet, per tuam doctrinam scrupulos ingeri Fidelibus, & nil præterea. Meam vero in simili approbat Castrop.* tom. 2.d.1.de orat.p.8.num. 4. *qui loquens de necessitate orationis sic habet: Nota, te ab hac necessitate in supradictis casibus contingere, excusari, quia obligationis invincibiliter oblivisceris, cum nec cognoscas gravitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem,* Sic Val. Less. Suar. Hæc Castropalaus.

Num. 17. *Septimum tempus assignatur à Bannez,* 2.2. q.12. art.1. dub. 2. *quando adest gravis tentatio, etiam in aliis materiis; tunc enim recurrendum est ad Deum, quod non potest fieri sine motu fidei circa ipsum Deum, ad quem confugi non potest, nisi illi credatur. Sed jam vides, ut in superioribus dictum est, id esse ratione actus adjuncti.*

Num. 18. *Octavum denique tempus assignatur ab eodem Sanch. ibid. cum primum fides alicui sufficienter proponitur, quia cum actus fidei sit de necessitate medii, non est ratio, cur, quam primum non amplectatur. Sed hoc certè non negatur, ut* num.8 *vidimus, cum id sit ex necessitate medii; at vero hic loquimur de necessitate præcepti dumtaxat.*

Num.19. *Ex his duo illa* num.5. *dicta facile colligis, & sapissime per accidens urgere præceptum de actu fidei, & rationabiliter proinde præceptum per se, directeque exigens illum actum (præter illum ex necessitate medii dictum,* num. 3.) *fuisse impositum.*

Hactenus de Fide, legatur nunc, *lib.* 2. *cap.* 3. §. 2. ubi agitur de obligatione Præcepti Charitatis.

CHARITAS.

11. TAMB.num.1. *Laborant Doctores in assignando tempore, quo debet Fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum; variaque tempora, ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus, quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminate sumpta, ut saltem, semel, in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus specialiter Deo vacare. Quintum, tempus,*

quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odii Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.

12. Num. 2. *Mihi placet doctrina Azor.* tom. 1. lib. 9. cap. 4. quæst. 1. circa finem. *qui docet hoc præceptum Charitatis impositum fuisse ob justificationem impii; solum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, qua se justificet, nisi eliciat actum contritionis, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei super omnia dilecti involvit. Consequenter igitur, & indirectè ratione suæ justificationis ad actum charitatis Fideles obligantur. Vide* suprà, cap. 1. §. 1. num. 10. *Vbi idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actus Fidei, & Spei. Nam per ibidem dicta, & confirmabitur hæc Azorii doctrina, & impugnari poterunt tempora modo assignata* numer. præc.

Num. 3. *Confirmatur, quia licet communis sententia Doctorum doceat, dari præceptum speciale de amando Deo in illis verbis,* Diliges Dominum Deum tuum; *& alibi, tamen non ignobiles Doctores docent, hoc præceptum non esse speciale, & speciali tempore implendum, sed generale imbibitum in omnibus præceptis. Sicuti secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogi præceptis contentum; nam propterea dicitur,* in his duobus præceptis, *id est, in dilectione Dei, & proximi;* Universa lex pendet, & Prophetæ; &, qui habet præcepta mea, & servat, ille est, qui diligit me; &, Plenitudo legis est dilectio. *Si enim qui servat præcepta, diligit, quique diligit, servat; jam unum ex his continetur in alio, & consequenter præceptum Charitatis indirectè solum, & ratione alterius obligabit.*

13. Num. 4. *Probabilis ergo, & tutissima sententia est illorum, qui negant Fideles initio usus rationis,* (sic Castropalaus, tom. 1. tract. 6. de Charitate, d. 1. p. 4. nu. 2. cum Azor. Val. Sanch. Suar. Coninck. ab eodem cit.) *Et sine vitæ,* (sic idem ibidem, n. 9. cum Azor. & Sanch. ab eod. cit.) *obligari ad se convertendos ad Deum, illum amando. Ponere enim eiusmodi obligationem, quæ certe fundamento solido non innititur: nihil aliud est, nisi scrupulos ingerere, non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minus advertunt, sed doctioribus, &c.* Lege Castrop. Azor. Sanch. mod. c. 1. Hactenus Tamb.

14. Et sane, Baroni, quandoquidem præcitatos Authores absque dubitatione legisti, & legisti item alios Doctores ex Schola S. Thom. valde favere prædictæ doctrinæ, ne dicam, eam aperte docere, inter quos Cajetan. unus ex tuis sapientissimus Thomista docet 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 2. ad hunc modum: *Infra limites præceptorum communi modo servandorum salvatur dilectio Dei super omnia.* Et Jo. Henriq. Augustinianus, qui *in Sum. q.* 9. Hispane, sed in Latinum fideliter translatus, sic ait: *Probabilior, & magis litteralis intelligentia de amore Dei est, intelligi hoc præceptum debere transcendent aliter, respectu aliorum præceptorum, ita ut, quamvis sit ab aliis distinctum, tamen eius observantia includatur in custodia cæterorum.* Quandoquidem, inquam, hæc legisti, cur solum in meum Decalogi Authorem tam durus invecheris? Hæc de Charitate.

Legatur denique Tamburinus *lib. 2. in Decalog c. 2. §. 1. de obligatione actuum Spei.*

SPES.

15. Num. 1. *Spes virtus Theologica est, &c. Ita ne peccata commissionis contra ipsam, alterum per excessum, id est, Præsumptio, alterum per defectum, id est, Desperatio.*

Num. 2. *Dixi Commissionis, nam adest etiam contra ipsam peccatum omissionis: estque omissio sperandi Beatitudinem eo tempore, quo urget necessitas illam sperandi. Id quod quando sit, colligi potest ex dictis sup. c. 9. 1. à num. 8. de necessitate actus Fidei; cum fermè eisdem casibus, in quibus urget actus credendi, urgeat pariter, & sperandi, nimirum per accidens, & indirectè, nunquam autem directè, & per se.* Ita Layman. l. 1. tract. 4. cap. 2. n. 1. *Sanc.* in Decal. l. 2. c. 33. n. 3. *legatur Castrop.* tom. 1. tract. 5. de virtute Spei, p. 4.

16. Hactenus Tamburinus de necessitate actuum Fidei, Spei, & Charitatis; quæ cum dicit, tollitne virtutum exercitium, quandoquidem frequentius, quam alii, eos actus multiplicari, contendit? Absit te qui, indirectè id faciendum esse, moneri, dicit; illud non esse faciendum? & oro te, utrineas comparem actuum harum virtutum juxta sententias prædictorum Authorum, quorum quisque suum tempus assignat dictis actibus definit, & confer cum illo actuum numero, quos indigitat noster Author; nam certe longe multo plures essehos, quam illos.

Non alia igitur ratione illa omnia, quæ Baronius brevibus illis, atque incisis verbis attribuit Tamburino, quispiam refellet, nisi naviter perpendendo, quæ ex ipso excripsimus. Unde is merito potuit designare illas sive clausulas, sive verba effecte, quibus frequentissimos actus virtutum ipsum velle, manifestè ostenditur. *Sæpissime obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum.* (Item illa,) *quia multoties occurrit, debere nos elicere aliquos actus, qui necessariò supponunt praticum actum fidei.* Et illa (*ex his duo num. 9. dicta facile colligi*) quorum primum erat, *sæpissime per accidens*, nempe scilicet actus adjuncti obligari Fideles, &c. & illud (*de actu fidei ex necessitate medii &c.*)

Adverte autem, te non debere esse ita rudem, ut hoc *per accidens* intelligas, quasi contingenter, seu accidentaliter, & non necessario; sed eo modo, quo Author ipse, & doctissimus Azor, à quo desumpta est hæc doctrina, se explicant; juxta frequentissimum modum loquendi Doctorum, id est, per aliud, seu consequenter, seu in alio, seu ex necessitate, quia enim in alio continetur.

Præterea de Charitatis actu notentur illa verba (*Præceptum Charitatis est generale imbibitum in omnibus præceptis.*) Hoc, Baroni, est tollere, ponere nimirum illud imbibitum in omnibus? & illa ex Christo Domino (*qui servat præcepta diligit, quique diligit, servat; jam unum ex his continetur in alio;*) si ergo toties Fideles diligere ex vi Charitatis debent implere, legisti dicit, quoties alia præcepta debent implere, legisti me diligent, & fere in singulis horis, quia in singulis occurrunt non raro præcepta servanda.

Utramur item alia ratiocinatione, seu mavis explicatione. Aliud longe diversum est, asserere, illud præceptum, aliud, illud transferri. Tollit, qui nemem obligat ad eliciendum actum, quem aliquod præceptum requirit. Transfert, qui ad illum actum eliciendum me obligat quidem (unde non tollit) sed obligat, ut eliciatur occasione alterius præcepti, quod non posset compleri sine ullo actu.

Simi-

18. Imò si id, quod dicimus, rectè intelligatur, non est proprie transferre, sed designare tempus, & occasionem exercitii. Patet id ex Author.bus citatis modo à Tamburino; nam, dum Valentia vult, actum Fidei eliciendum esse, quando quis obligatur exterius Fidem confiteri, non tollit præceptum, sed assignat tempus executionis illius. Et quando Ledesma vult, eundem Fidei actum esse eliciendum, quando quis debet Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere, præceptum non tollit, sed definit tempus, & occasionem, in qua ille Fidei actus est exercendus, &c. Ita nos, cum dicimus actum Fidei eliciendum esse, quando obligamur servare alia præcepta, quæ sine actu Fidei exerceri nequeunt, non tollimus præceptum, sed assignamus tempus. Ex quibus vides, eum, qui censurat Tamburinum, censurare etiam debere Valentiam, Ledesmam, illòsque alios citatos, certe Theologorum lumina.

19. Dices hæc Propositio: Fideles non tenentur unquam vitæ suæ tempore elicere hos actus ex vi talium præceptorum, videtur male sonare. Nec male sonare tantum, sed etiam videtur tanquam scandalosa jam fuisse damnata à Sanctissimo Pontifice Alexand. VII. in decreto edito anno superiore 1665. die 4. Septemb. quo damnantur saltem ut scandalosæ, plures propositiones, inter quas, ipso primo loco, hæc damnatur.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentes.

Ergo non est defendenda.

Resp. Nec nos defendimus: Dicimus enim teneri Fideles sæpissime, hos actus elicere ex vi divinorum præceptorum Fidei, Charitatis, & Spei; sed tempus eos actus exercendi esse quando servanda sunt alia præcepta. Unde posito quod Deus præcepit, ut hi actus elicerentur, quando alia præcepta servanda erant, noluit præcipere, ut insuper separatim elicerentur ex præcepto. Excipe juxta suprædicta illum actum Fidei, qui est de necessitate medii.

Atque ad extremum dico, authoris nostri nomine, illum, pro sua in Sedem Apostolicam observantia, ei decreto se per omnia submittere: Quod si fortassis olim ante Decretum quidquam scripserit, quod, sive quoad rem ipsam, sive quoad modum loquendi, videri possit cum illo minus consentiens, illud non aliter, quam juxta ipsius Decreti mentem accipi & intelligi omnino velle.

Explicatur magis illud (*per se.*)

20. Dices iterum, hoc ipsum videri inconveniens, affirmare non per se, sed per aliud, seu in alio hoc præceptum obligare. Resp. Si nos diceremus, præceptum Charitatis, verb. grat. per se, simpliciter, & absolute non obligare, sane videretur inconveniens, sed nos cum S. Thoma mox proferendo, semper id dicimus cum addito, sic, (non per se, sed in alio) quo pacto includimus illud (per se) non excludimus; & sensus geminus est, quod ejusmodi præceptum per se in alio præcepto invenitur, ibique obligat. Sicuti præceptum attentionis in orando, per se obligat (in communiore sententia) licet obliget in alio, id est, in præcepto orandi; sic nos dicimus, quod præceptum Charitatis (sicuti etiam Fidei, & Spei) maximè obligat per se, sed in illis aliis præceptis, quæ impleri nequeunt sine actibus dictarum virtutum. Quare in substantia præcepti ab opinione communi non dissentimus, nisi forte in modo loquendi, qui tamen loquendi modus, sustinetur ab aliis Doctoribus, ut videbis mox *num.* meo 24. & 25. Et, cum etiam usurpetur à S. Thom. non est, nisi valde commendandus: sic enim habet Sanctus Doctor.

21. S. Thom. *Tertio Charitas,* (ait 2.2.q.44.) *est præcipua in omnibus virtutibus, ad quas ordinantur præcepta; si ergo de Charitate dantur aliqua præcepta, deberent poni inter præcipua præcepta, quæ sunt præcepta Decalogi, non autem ponuntur; ergo nulla præcepta sunt de Charitate danda.*

Et paulo post: *Ad tertium dicendum, quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi; & ideò præcepta Charitatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur.*

22. Quæsautem ex eo, quod præcepta hæc includuntur in aliis, colliget non adesse absolute, & simpliciter ejusmodi præcepta? Pari ergo modo ex eo, quod dicimus, hæc præcepta obligare, & item observari in aliis, quis colligere rectè poterit, ea absolute, & simpliciter non obligare, seu non observari, atque adeo (ut cavillatur Baronius) ea tolli?

23. Hic etiam idem confirmemus ex aliis Doctor.bus apud Leandrum *in decem Decalog. præcept. tract. 4. d. 2. quæst. 18.*

An præceptum dilectionis Dei obliget per se, cum quis contritionem peccatorum habere tenetur extra Sacramentum?

LEAND. *Affirmant communiter Doctores omnes, obligare quidem hoc præceptum toties, quoties quis contritionem habere obligatur, eo quod hæc sine actu Charitatis perfectæ obtineri non possit. Unde solum erit difficultas inter eos, an obliget tunc per se, an solum per accidens ratione contritionis.*

Negat tunc obligare per se Azorius, &c. quem citat & sequitur Thom. Sanch. Ita etiam Filliucius, Sylvius, Ægidius, Diana.

24. Et paulò post. *Alii contra dicunt, obligare quidem per se, non per accidens, eo quod tale præceptum institutum est, tanquam remedium ad justificationem impii. Ergo per se tunc obligat ad eliciendum actum. Addunt quod contritio est actus elicitus à Charitate; ergo quoties quis ad contritionem per se astringitur, etiam per se ad eliciendum Dei amorem. Ita tenet expressè Bonac. quem citat, & sequitur Trullench. sic etiam Navar. Cajet. Tolet. Sà, Valen. Philiarc. Granad & expressè Rocasul. qui Rocasul. addit rationem. Et ratio est, inquit, quia hoc præceptum includitur in contritione; & quamvis quidam asserant, tunc obligare per accidens; tamen verius alii dicunt, obligare per se, quia tunc per se est necessarium habere actum charitatis, quod per se includitur in actu contritionis. An tunc committeret quis duo peccata, non eliciendo actum contritionis, Sanchez. & Filliucius dicunt, non committere duo, quia non ratione sui, sed ratione alterius obligat actus Charitatis. Ego tamen duo peccata committere, existimo, quia agit contra duas virtutes Pœnitentiæ & Charitatis.*

Ita ex Rocasul. Leander, qui tamen hoc ultimum non approbat; sustinet enim ipse cum Sanchez, & Filliuc. committi unum peccatum, quia licet duo sint præcepta, sunt in ordine ad unum finem, &c.

25. Advertisti Lector, vel non esse novum prædictum loquendi modum, vel non esse magni momenti, si unum dicendi modum potius sequaris, quam alium?

26. Denique ne quis minus eruditus hæreat in aliquibus ex prædictis, audi quid multi Authores habeant apud eundem Landrum *in decem Decalog. præcept. tract. 4. d. 2. quæst. 11.* qui quamvis is eos non sequatur, faciunt maxime nihilominus ad institutum meum.

An hoc amoris præceptum obliget per se, pro aliquo determinato tempore?

LEAND. *Negabunt à fortiori Gaspar Hurtadus, Maldonatus, Iansenius, Io. Sanch. Vasq & Molina, qui, ut vidimus suprà. q. 2. nullam obligationem specialem eliciendi actum amoris supernaturalis agnoscunt. Negabunt & alii, qui id dixere, loquendo de obligatione, & præcepto eliciendi actum Fidei Theologicæ, de quo* tract. 2. de Fide, d. 2. quæst. 30. *& novissime id negat Remigius, &c.*

Et apud eundem *ibid. dict. quæst.* 2. sic habetur.

An etiam sit speciale præceptum de amore proprio Dei.

LEAND. *Negandum videtur primò, quia in Decalogo non continetur tale præceptum. Secundo quia, &c.*

Et paulo post. *Propter hæc ita tenet Gaspar Hurtad. qui citat pro se Maldonatum, Iansenium, & Io. Sanch. & penès illum Vasquez & Molina,* & D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. primo ad secundum. Hactenus Leander.

Hæc D. Thomæ verba modo ego deprompsi, *num. 21. & 22.* meis.

Explicatur magis illud (quando non est determinatum tempus implendi præceptum.)

29. Ad illud, quod notare videtur hîc, & fortasse alibi Baronius, hoc est, quando non est determinatum tempus, quo aliquod præceptum est actu observandum, non inducere illud obligationem, donec ab Ecclesia determinetur, alia responsio afferenda non est, nisi admonere Lectorem, ut legat Delugo, cujus omnibus perspecta est sapientia, & quem, quia illum Tamburinus hîc adducit pro sua hac doctrina, debuerat impugnator accuratè legere. Is ergo quærens, quandonam Sacerdotes obligentur Missæ sacrificium offerre juxta illud Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*; sic habet, *d. 20. de Euchar. num. 9.*

30. DELUGO. *Hoc argumentum retorqueri potest adversus P. Vasq qui late probat, præceptum Christi de confessione extra casum necessitatis fore omnino inutile, nisi simul præciperet Ecclesiæ, ut determinaret tempus illius præcepti divini eo quod, secluſa determinatione Ecclesiæ, nemo posset scire, quando, aut quoties obligaretur ad confessionem. Vnde infert,* num. 9. *Ecclesiam debere omnino determinare tempus præcepti divini. Similiter ergo præceptum Christi singulis Sacerdotibus impositum offerendi sacrificium, inutile foret, nisi ab Ecclesia singulis determinetur tempus, quo obligentur ad sacrificandum. Nemo enim scire poterit, secluſa tali determinatione, quando obligetur illud præceptum. Vnde primò sequitur, Ecclesiam debere omnino illud tempus determinare. Secundo, quando ab Ecclesia non determinatur, prout de facto adhuc non est determinatum, Sacerdotes singulos non obligari ex vi solius præcepti divini.*

Idem Delugo, *de Euch. d. 16. num. 28.*

31. *Hinc oritur dubium, quoties debet Eucharistiæ sumi ex præcepto Christi, præciso omni alio præcepto Ecclesiastico. Aliqui dicunt tertio saltem, vel quarto anno. Sanchez & alii. Melius alii, Christum non determinasse tempus, sed reliquisse determinandum ab Ecclesia, quando fidelium negligentia id exigeret.*

Idem de Pœnit. d. 15. *num* 39.

Extra mortis vero articulum videtur satis, juxta intentionem Christi, & juxta conditionem hujus præcepti Sacramenti Pœnitentiæ) esse, quod Ecclesia invigilet, & obliget subditos, ne diu negligant, aut differant confessionem. Cæterum immediatè, & per se non videtur præceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter quatenus voluit obligare pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirum, cum aliunde præceptum sit præmittendi confessionem ad Eucharistiam sumendam, jam ex hoc capite obligantur fideles ad confessionem præcepto divino, ut oportebat aliam obligationem seorsim adjungere in ordine ad confessionem. Hæc Delugo.

Vides, præter alia, quantum hæc doctrina sive modo loquendi Tamburini paulo ante explicata, quod nimirum aliud præceptum seorsim ferri non oportuit? Iterum tamen protestor, P. Tamburini nomine, illud, quod *sup. n. 19.* sum protestatus.

CAPUT IV.

De præcepto Orationis.

1 BARON. III. *Et quam Christus esse perpetuum, & nunquam interruptam orationis necessitatem, fere negat.*

Fere negat? Ubinam gentium sumus, ut tam manifestum insomnium proferatur? Et fuit, qui Censoribus hunc Baronii codicem approbavit? qui facultatem evulgandi concessit? qui distrahendi per Provincias permisit? Somnium hoc, eadem ratione discutietur, sicuti plura alia ejusdem Baronii, nempe oculis vigilantibus percurrendo germanam mentem Authoris doctrinam.

2. TAMB. num. 3. *Duplex est, ait,* (lib. 2. in Decal. cap. 4. §. 2. num. 3.) *Præceptum de orando, idemque est adorando Deum. Alterum naturale, quia ratio quæque præcepto Ecclesiæ tenemur bona, quæ sunt nobis convenientia, procurare, & mala removere: removere autem tentationes, multaque alia mala, & procurare bona, maxime supernaturalia; & præsertim perseverantiam usque ad vesperum; non possumus nisi ea expectando, & impetrando à Deo. Hoc naturale præceptum confirmatum fuit à præcepto Dei positivo.* Deut. 6. *ibi*: Dominum Deum tuum adorabis. *Et ibi*: Oportet semper orare, &c. *& alibi, Alterum præceptum est Ecclesiasticum, quo obligamur assistere Sacro diebus festivis; tunc enim omnes simul cumstantes unà cum Sacerdote offerunt Deo Sacrificium, illumque adorant, & orant per orationes, adorationesque ab eodem Sacerdote exhibitas.*

Doctr.

3. Docere, adesse Præceptum naturale expectandi, & impetrandi à Deo, & adesse præceptum Ecclesiasticum, quo obligamur assistere Sacro, &c. id, negare est, orandi præceptum? Sed pergit Tamburinus, *num.* 4.

At quandonam obligat prædictum naturale præceptum adorandi, vel orandi? Doctores modo citati varia tempora assignare conantur. Ego hic sentio, quod supra, cap. 1. §. 1. à num. 8. *dixi de præcepto Fidei, Spei, & Charitatis, non dari scilicet certum tempus, & determinatum, in quo directè obligat, sed esse illud, in quo obligat indirectè, quando scilicet urget necessitas alicujus boni acquirendi, vel mali, seu tentationis avertendæ, quæ acquirere, vel avertere sine Dei auxilio nos non posse, tunc animadvertimus. Vide ibidem dicta, quæ huc maxime faciunt. Unde sequitur, omittentem eo tempore orare, E. G. tempore tentationis gravis contra Castitatem, non peccare, nisi contra Castitatem; quia solum ex periculo violandi Castitatem, culpabilis est talis omissio Orationis.* Ita Lessius, *lib. 2. cap. 37. d. 3. fine, apud Castrop l. 1. num. 6.*

4. Dicit Tamburinus (*obligat, quando urget necessitas boni acquirendi, vel mali avertendi*) tu vero, Baroni, per negativam malignantis naturæ dicis, eam fere negare? Conjicio, te bonis valde esse cumulatum, te tentationibus non affligi, te nullum timere malum; ac propterea cum oratione non indigeas; putas, nec illa alios Fideles indigere. Sed pergit Author *eod. num.* 4.

5. TAMB. *Verum tametsi sentiremus, directè hoc Præceptum nos obligare, non est nobis in eo explicando diu immorandum, cum illud facilè ab omnibus impleatur; quis enim tam perditus est, ut aliquando* Pater, & Ave Maria *non recitet, vel alio modo auxilium à Deo non imploret?*

6. Vel à perditis Author dicit servari hoc præceptum, & est, qui dicat, illum ejusmodi præceptum negare?

CAPVT V.

De Distractione in orando.

1. BARON. IV. *Et inter orandum liberam mentis distractionem* (*Tamburinus*) *permittit, etiam dum interfis Sacro.*

Producamus germanam, integramque nostri Authoris doctrinam.

De Intentione, & Attentione in orando.

2. TAMB. num. 7. *Nisi intendas, orare,* (ait lib. 2. in Decal. cap. 4. à num. 7.) *licet orationem ore fundas, vel mente obvolvas, orationem Deo non porrigis; satis tamen est voluntas implicita, seu virtualis: quare si Breviarium legas, v. gr. ut studeas, non oras; at si Breviarium legas cum intentione orandi, etiamsi ab illa intentione actuali cesses, adhuc oras; quia remanet voluntas orandi nondum retractata in ipso effectu quo Breviarium legis.*

Requiritur item attentio sive interna, sive externa, quæ triplex est ex S. Thom. 2. 2. quæst. 83. à 13. ad Verba, ad Sensum Verborum, ad Deum.

3. *Cum nulla attentione voluntariè orare, an sit mortale dixi satis Opusc. de Sacrif. lib. 2. cap. 9. & infra cap. seq. repetam. Saltem autem esse veniale, omnes supponimus, quia irreverentia tandem aliqua est, cum Deo loqui, alio mentem voluntariè divertendo.*

Et de audiendo Sacro sic habet germana Tamburini doctrina.

4. TAMB. num. 19. *Nono* (ait lib. 2. in Decalog. cap. 2. §. 1. num. 19.) *desideratur attentio, estque communis quæstio cum attentione ad divinum Officium, necessariam esse attentionem internam, hoc est internam applicationem mentis ad Missam, vel Officium, sive ad verba sive ad verborum sensum, sive ad Deum, docent communiter Doctores, Vasquez, Sanchez, Suarez, innumerique alii citati à Diana, p. 3. de Horis Can. Resol. 2. vide etiam p. 3. tract. 4. Resol. 101. ubi de Missa. Oppositum, id est, solam externam satis esse ad evitandum mortale, docuerunt antiquiores multi, Sylvest. Durand. Medina, S. Anton. alique, quos refert Diana. Ex recentioribus Coninck. Gasp. Hurtad. Diana, & probabile vocant Less. Henriq. Victorel. Layman. Novissime denique Io. Delugo de Euchar. d. 22. sect. 2. num. 27. prædictos citans, optimis rationibus id confirmat. Unde & ego, sicut in Opusc. 3. de Sacrificio Missæ, lib. 2. cap. 3. ita hic idem probabile judico.*

Hæc autem externa attentio consistit in negatione distractionis externæ, id est, in negatione cujus negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se distractiva sit mentis ab auditione Missæ; quale esset, v. gr. velle Historiam legere, confabulari, ludere, depingere, scribere, & similia.

Ratio potissima hujus probabilis sententiæ est, quia falsum assumunt adversarii, dum contendunt actualem internam attentionem esse de substantia orationis; unde cum Ecclesia præcipiat orationem, necesse est, præcipere etiam dictam attentionem; falsum, inquam, id est, quia omnes fateri oportet, absque ea posse consistere orationem.

5. *Patet id in forma Extremæ Unctionis, quæ est substantialiter oratio, & tamen si Sacerdos sive voluntariè, sive involuntariè distrahatur, adhuc conficit Sacramentum; signum est igitur, substantiam orationis non dependere in suo esse ab actuali attentione. Patet iterum, quia orare, est loqui cum alio, at certe ego tecum loqui possum, licet non attendam; ut esset si ex scripto, vel verbis memoriæ traditis, tecum agerem; imò & cum Rege, & cum Principe, interim aliquid aliud cogitando. Patet denique in eo, qui ex scripto, vel sine interna mentis attentione loqueretur cum Excommunicato vitando, vel Professionem in Religione emitteret; nam & ille in excommunicationem incideret, & hic veram emitteret Professionem, si intendisset ille loqui, & hic emittere. Aliud enim est intentio interna, quæ omninò est necessaria, de qua locuti sumus* num. præc. *& sufficere virtualem diximus in Opusc. 3. de Sacr. Missæ, lib. 2. cap. 1. §. 2. aliud attentio interna* (*quam non esse sub mortali. esto sub venali, supr. lib. 2. cum de orat. &c. necessariam hic affirmamus.*) *Cum enim ex dictis attentio actualis interna non ingrediatur orationis essentiam; unde certo habes, Ecclesiam, quotiescumque orationem præcipit, præcipere & attentionem? Nisi certo habeas, non debes onus tam gravis legis certò Fidelibus imponere.*

Alia minutiora in hanc rem, præsertim vero oppositorum solutiones vide apud citatos.

6. Jam vero cum tot insignes Doctores hanc amplectantur sententiam (sed cum illa Additione de Atten-

Attentione externa, & item de peccato Veniali, quæ tamen, Baroni, alto præteris silentio, & non vides, libere non permitti, id quod sub peccato quamvis veniali, prohibetur) quorum aliqui sunt de tui præstantissimi Ordinis Familia, cur in unum Tamburinum, tamquam in unicum tuum feriendi scopum collimas? Miserum me, cujus Præceptor, quia extollitur à Theophilo æmulo, ut putas, tuo, in tam gravem incidit invidiam! Si Theophilus aliquid contra vestrum Ordinem deliquerit, ad me decernere, nequaquam pertinet. Pertinet vero toti Vestro Sanctissimo Ordini enarrare id, quod vestri venerabiles Patres, qui Caltanissettam Siciliæ Civitatem, Patriam mei Præceptoris, & meam, paucis ante annis, incoluerunt, satis norunt; quanto scilicet animi affectu Tamburini Parens, ejusque Familia in Patres Dominicanos ferebatur. Ea, nomine Agatha Tamburini, nobilis Matrona, neptis Baronis Niscimæ, relicta Vidua, pene juvenis, habitum Sororum S. Dominici assumpsit, eodemque humili, sed ipsi gratissimo vestimento induta, ejusdem Ecclesiam per annos fere triginta Patrum vestrorum familiaritate semper usa est, ac tandem in eodem habitu sanctè obiit. Quid ergo adversus eius filium, quem Thomam nominari in obsequium S. Thomæ Aquinatis etiam Mater voluit, tam severè agis, Baroni? id ne gratus tuus animus permittit? At dices. Hæc ignorabam. Respondeo. Ideo nullus tibi ignotus erat vulnerandus, ne incideres, ut imprudenter incidisti in illud S. Augustin. *in Ps.* 54. *Et plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.*

CAPUT VI.

De Die Festo.

1. BARON. V. A Quo (*Sacro audiendo*) eximit eos (*Tamburinus*) *qui avidius lucro inhiant, quod illis periret, si ad Missam accederent.*

Videamus nunc in Germana doctrina Authoris, quantum claudicet hæc Impugnatio, ut vel puero perspicuum esse possit.

2. TAMB. num. 5. *Tertio excusat à Missa (ait* lib. 4. in Dec. cap. 2. §. 2. num. 5.) *omne justum, ac probabile periculum notabilis mali, vel amissionis boni, sive timeatur damnum in vita, sive in honore, sive in bonis.*

3. Et paulo post. *Quod mihi contigit in Collegio Montis Regalis, cum eius Præfecturam gererem, ut Lectorem à seria lectione tantisper avertam, breviter enarrabo. Emerat Collegii Procurator, ut stabulo provideret, ex area cujusdam coloni non paucas palearum mensuras. Interim ergo, dum paratur mulio ad eas transportandas, incidit dies festus; quare à me Procurator exquisivit, an rusticus ille noster, quem ad paleas custodiendas addixerat, obligandus esset ad Missam audiendam. Ego, sive Religione Sacri tactus, sive damni securus, dixi, custodi indiceret, ut Sacro interesset. Addidi, tantum præceptum mihi videri non esse transgrediendum propter eas paleas, quamvis non exigui pretii, quæ difficulter, immo vix furto erant obnoxiæ, præsertim intra tam modicum tempus unius, vel alterius horulæ, quod in itu, reditu, Missaque consumendum erat. Ita igitur factum est. Verum quid inde est consequutum? Eo temporis momento, quo longe abfuit custos, ignis repente, nescio à quo loco vicino casu accensus, in aridas paleas incidens, tot augmenta, ita, ut cineres per aream sussusos, non jam paleas, sed vix palearum quidem paucula reliquias invenerit, vegetior custodiam post Missam famulus; qui statim me convenit, de infortunio docuit, factoque ipso me monuit, ne nimium difficiles, sed vero prudentes in similibus se exhiberem Confessarii.*

4. Consideret hîc Lector, an Tamburinus, quum religiosè jussit, famulum Missam non omittere, sit censendus (ut blaterat tam immerito Baronius) voluptatum Religionis, virtutumque exercitium omnino tollere, & Orationis necessitatem ferè negare. Ipse autem *num.* 7. *& seq.* Sic pergit.

TAMB. num. 7. *Sed redeo ad difficultatem posteriorem in titulo indicatam, an Missa omittenda sit ratione diei festo propter lucrum, quod mihi cessaret si Missæ adessem. Communis hæc mihi videtur quæstio cum ea, An in eodem die festo propter lucrum notabile, possit quis operibus servilibus vacare? & ut affirmative de ea respondemus infra c. 5. §. 2 num. 8. sic & affirmative propter eandem rationem in hac erit sentiendum. Rationem utriusque doctrinæ infra proferemus.*

6. Quoniam vero Author se hîc remittit ad ea, quæ infra dicturus est, ea nos, ne discedamus ante mysteria, hic tantisper sistamus, atque illa de re plus more proferamus, ut, quam solida sit eius doctrina pernoscatur.

TAMB. num 8. *An sicuti damni gravis timor (vide lib. 4. in Decal. cap. 3. §. 2. n. 8.) nobis concedit opera servilia, sic etiam concedat spes lucri notabilis. An scilicet, si non amittam vindemiam, possum die festo eam facere, si non possim vacare labori, quo notabile mihi lucrum comparam. De extraordinario lucro sermonem facimus, nam scio, cuilibet artifici pro diurna mercede integrum esse laborem, quod ex hoc præciso capite ei nequaquam concedi, certum est. Respondeo, quamvis Suarez loc. cit. c. 33. à num. 8. Castropalaus tom. d. unic. de fest. observ. p. 1. c. ... num. incliment in sententiam negativam, tamen affirmativam sententiam esse probabilem. Ratio est, quia ut notatis Diana p. 2. tr. 15. miscell. Resol. 34. fine. & Sanch. in comm. lib. 5. c. 2. dub. 19. notabile lucrum amittere, grave damnum est. Adde, non esse existimandum, piam matrem Ecclesiam velle obligare Fideles ad rem oppido difficilimam, qualis est ob abstinentiam servilium amittere centum, ducentos, mille, plures aureos, quod certè consequenter dicendum esset, si semel probabilitatem nostræ sententiæ largiremur.*

Favet denique Pontifex, qui cap. licet de Feriis concedit Halecum piscationem die festo (excipit festa solemnia, sed non sub mortali, ut monet Sanch in comm. l. 5. d. 2. n. 1. quæ certo anni tempore nostra maria exercent. Favent DD. Cajet. Navarr. Sotus, aliique apud Sanch. l. c. d. n. num. 5. qui ex paritate cum dicta Halecibus piscatione Tynnorum eodem festo, ne magnum lucrum amittant, concedunt. Scio, hanc concessionem ab aliquibus tractari necessitatem, seu utilitatem publicam, nervitiis communem hac deficiant, & ab aliis ad dispensationem; nam propterea ibidem Pontifex imponit piscatoribus, ut dent aliquam eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ vicinori. Verum ad eleemosynam pauperibus, vel Ecclesiæ vicinori. Verum ad dicti lucri necessitatem ab aliis probabiliter illam retineo, nullam ex præcepto, sed solum ex consilio dandam esse eleemosynam, etiam scio.*

7. Notasti verba illa (*Lucri notabilis. De extraordinario lucro sermonem facimus. Notabile lucrum amittere*

re damnum grave est. Centum, ducentos, mille aureos, vel plures amittere; Ne magnum lucrum amittatur.) & nihilominus Baronius audet reprehendere Tamburinum, quasi exemerit eos, *qui avidius lucro inhiant*, quæ certe verba ostendunt, quodlibet lucrum sufficere, cum avidius lucro inhiantes, vel paucos lucrari argenteos, affectent. Verum Baronius dum invidiam eventilat adversus hominem innocentem, ejusmodi pensitationes nil moratur.

CAPVT VII.

Repetitio aliquorum ex dictis.

1. BARON. VI. *Quid putas alia præcepta curaturum, qui parum pensi habet omnium maximum Charitatis in Deum, Orationis, & Cultus Divini?*

2. Hæc, ut in superioribus vidisti manifeste, ludibria falsa veri soporis sunt, ex iis videlicet, quæ à porta fugiunt eburnea: quæ tamen, quia, vera sunt jurgia contra Tamburinum intorta, patienter ab ipso ferri, ut eius vitæ probitas exposcit; pro certo habeto.

CAPVT VIII.

De Jejunio.

1. BARON. VII. *A Jejunii lege eximit omnes artifices, & fere conjugatos.*

Parcius isthæc, Baroni. Omnes artifices? conjugatos fere omnes? Certe nimis audacter loqueris. At, nelita loquaris, lege, quoad Artifices, unum verbum, quod addit Tamburinus, & tuam exaggeratam hyperbolem agnoscens, te ipsum pudebit imposterum dicere (omnes) D. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: Hanc igitur hastam (inquit) quam totis viribus misisti, de qua nobis minitaris, uno, (vo ajunt,) digitulo repellam. Simili quopiam dicendi colore efferam ego. Hanc hastam, quam misisti, &c. uno dumtaxat verbulo repellam. Et quod tandem illud est? En. (Laborantes) legamus Authoris doctrinam de Artificibus; nam mox de conjugibus.

2. TAMB. num. 18. *Officium, seu Ars* (ait lib. 4. in Dec. c. 5 §. 7. n. 18. *quam quis exercet, si sit ex se laboriosa, hominem per se liberat à jejunio, ita DD. citati, & passim. Et ita quidem, ut etiam si in illo exercitio quis inveniatur posse tolerare jejunium, adhuc ad illud non astringatur.* Ex declar. Eugenii IV. anno 1440. in Compen. Privil. Fratrum Minor. ver. Jejunium, num. 2. apud Fag. p. 1. Eccl. 4. lib. 1. cap. 8. num. 15. *quia semper aspicitur à lege id, quod est communiter, & per se. Quare posito quod lex universaliter omnes artem laboriosam exercentes excluserit, non erit hic includendus. Adde rationem, quia laboriosis artibus vacantes, frequenti indigent refectione, ne in debilitatem, quando minus putant, labantur: Hinc Arator, etiam robustus, patientissimusque inediæ* (contra Reg. lib. 4. cap. 16. num. 216.) *immo etiam ditissimus* ex declar. cit. *non tenetur ad jejunium, quia per se omnes Aratores excusantur: Et, ex alia parte, Ecclesia non intendit privare Fideles suo officio, modoque vivendi. Præterea, quamvis exercitia ex se non laboriosa obligationi jejunandi subjaceant: tamen si quis ita sit debilis ut suum officium aliis leve, ipsi sit laboriosum, à Jejunio, per accidens, hoc est, ratione suæ complexionis, excusabitur. Ita Thom. Sanchez,* in Const. lib. 5. cap. 1. dub. 6. num. 8. Reg. lo. ci. num. 219. *quia Mater Ecclesia cum tanto dispendio obligare Fideles non intendit. Hinc Scriptores, V. G. obligantur ad jejunandum, quia scribendi officium levis est laboris; & forte modice jejunans, melius scribet, ac facilius, quam cibo refertus; tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sine duplici refectione suum munus obire nequeat, certe excusabitur per accidens, ratione suæ complexionis.*

3 *Hæc Doctrina ante oculos in tota hac materia perdiligenter habenda est. Fit enim frequenter, ut in aliquo Doctore invenias, excusari quempiam à jejunio, sed per accidens, tu vero credas excusari per se, regulamque ad omnes alios minus legitime deducas. Nudius tertius fuit, qui referret, quemdam Theologum non vulgaris litteraturæ excusasse à Jejunio hominem, equo iter agentem; addebatque Theologus (ut idem referebat) rationem, quia succussans equus ita male hominem tractabat per integros dies, ut satis laboriosum fuisset illud iter equestre. Quibus verbis clare excusatio per accidens fuit, non per se; ille tamen, qui solutionem narrabat, acriter contendebat, Theologum in ea esse sententia, ut iter equo agentes, excusandi sint à jejunio. Cum ego inculcarem, ejusmodi excusationem nequaquam esse universalem, sed tali peculiari personæ addictam fuisse, nunquam constans vir, veritati manus dedit. Deus immortalis! quantum refert non apices rerum aspicere; Sed interiora earum viscera penetrare?*

4. *Si quæras, quænam sunt officia ex se laboriosa. Dico ea esse quæ exercentur cum magna agitatione membrorum corporis, tunc enim multi spiritus consumuntur, unde & eiborum auxilio opus est, & inedia, quæ magis corpus exedit, non est addenda.*

Porrò plura sunt exercitia clare laboriosa, plura denique, de quibus qualia sint, dubitatur, suo igitur ordine breviter singula delibemus, &c. Hæc omnia Tamburinus.

5. Quid hic mea notatione fit opus? cœcus intuebitur, qua enormitate falsum sit, à Tamburino omnes artifices à jejunio liberari, sed veniamus ad Conjuges, & videamus, an fallacia alia aliam trudat.

Declaratur illud (de Conjugatis.)

6. TAMB. num. 37. *Conjux non raro,* (inquit ibid. num. 37.) *excusatione ducta ab ipsa conditione conjugii, liberatur à jejunio.*

Liberatur autem primò in eo casu, quo non posit alteri reddere debitum, si jejunet. Ita D. Thom. Sanch. lib. 9. de matr. d. 3. num. 10. Less. l. 5. cap. 2. num. 44. Jo. Sanch. d. 54. num. 25. & alii. *Ratio est, quia jus Justitiæ prævalet præcepto Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore jejunium. Ita Ledesma* p. 2. quæst. 4. art. 2. ver. Ex prædictis colligitur, *quia faceret contra jus alterius, dum ad reddendum illi debitum, se notabiliter impotentem reddit. Tunc autem hic casus locum habet, quando conjux notabilem debilitatem contraheret ex eo, quod cum jejunio debitum redderet. Debitum, inquam moderate ab altero petitum, quæ moderatio attendenda est. spectata qualitate conjugum; juvenes enim, fortioresque sapius. senes, imbecilliores que rarius matrimonio uti convenit. Cum ergo quis non teneatur reddere, nisi juxta qualitatem suæ complexionis, ad quod solum, & non ad amplius virtualiter consensit conjux cum matrimonium contraxit; ideo solum tunc debitum conjugale conjugem à*

jejunio

jeiunio immanem reddit; *Quod si precibus, aliove modo posset conjux removere alterum à petendo debitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque adeo posset non jeiunare, & sic reddere. Ita* Thom. Sanchez lo. cit. *Ratio est, quia personalis obligatio est ex Iustitia, quæ non obligat, nisi ad reddendum personaliter debitum, non vero ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat.*

7. *Negligi item jeiunii præceptum non potest, ut potentior, seu etiam ut potens quis sit ad petendum debitum à conjuge. Ita* Thom. Sanchez ibid. *quia solum obligatio iustitia reddendi debitum excusat à jeiunio, at conjux non habet obligationem justitiæ petendi, sed solum reddendi debitum.*

8. *Scio quemdam concedere solutionem jeiunii ei conjugi, qui nisi comedat, est ineptus ad petendum debitum moderate; quia sicut faber dives, inquit, ne suum officium, ad quod jus habet, deserat, potest laborare, & consequenter non jeiunare; Sic conjugatus, ut suum officium usus matrimonii, ad quem Ius habet, non amittat, poterit non jeiunare, non quidem ut sit valentior, & potentior ad extraordinarias copulas, sed ut sit potens ad petendas copulas moderatas, ad quas Ius habet. Verum nulla ratione placet hæc concessio, non solum quia fere sic omnes conjugati liberarentur à jeiunio, siquidem pro omnibus est illud, sine Cerere, & Baccho friget Venus, idemque possent conjuges prætendere, quoad comestionem carnium, quod certe esset inauditum; verum etiam, quia cum usus matrimonii, quoad petionem sit liber in conjugibus, prævalet lex jeiunii, quæ est obligatus. Sicuti quia Fideles omnes tenentur interesse Sacro diebus Dominicis, non potest quis excusari ab illo, quia vult uti sua libertate, qua se conferat iisdem diebus Dominicis ad venandum, & sicut quia Sacerdotes omnes tenentur recitare Horas Canonicas, non potest quis aliquem Sacerdotem excusare, ab iis recitandis, quia is vult uti sua libertate, quâ Breviarium suum projiciat in mare. Et ratio horum omnium est, quia idem præceptum, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media proxima, & necessaria ad illum, & ne tempore, quo præceptum urget, ponantur impedimenta voluntaria ad eius executionem, ut alibi à nobis dictum est.*

Neque obstat paritas ducta ab Artifice divite, quia lex jeiunii absolute non obligat Opifices laborantes; Vnde non est mirum, quod eosdem non obliget, si divites sint; per accidens enim est, eos esse locupletes; at lex jeiunii obligat etiam per se conjuges: unde ii ob solam rationem conjugii nisi alia addatur excusatio, dictam legem à se non possunt excutere.

9. *Illud approbo, si advertat conjux periculum incontinentiæ in alio, posse petere, etiam si, ut petat, opus sit jeiunium frangere, quia tum illud periculum æquivalet petitioni; & petitio hujus redditioni, ad quam urget justitiæ ratio. Idem puto (non enim absimilis est ratio) si, nisi petas, ingeras malam suspicionem in altero, quod adulteraveris, vel aliam adamaveris.*

10. *Liberatur Secundo Vxor, si ex Ieiunio reddatur ita extraordinarie pallida, macieque confecta, ut timor rationabilis sit, ne à viro minus rationabiliter ametur. Ita* Sà ver. jejunium num. 9. Thom. Sanch. l. 9. de matr. d. 3. num. 11. Jo. Sanchez d. 54. num. 24. *præceptum enim jejunii quieto matrimonii statui, quem certo, sine debito amore, periclitari necesse est, obstare non debet.*

11. *Liberatur tertiò si eadem uxor ita prohibeatur à viro jeiunare, ut si jeiunet, rixæ oriantur, & notabiles discordiæ. Ita* Thom. Sanch. lo. cit. num. 13. alter Sanch. l. c. num. 26. Fag. p. 4. Eccl. l. 1. c. 9. num. 9. *quamvis enim peccet vir, si id sine sufficienti causa faciat; uxor tamen si obediat, non delinquet, propter rationem* num. præced. *dictam.*

12. *Liberatur Quartò uxor Catholica si prohibeatur à viro hæretico jeiunare, idque non in contemptum Ecclesiæ vel præcepti jeiunandi, sed ob alias causas, puta ob insuavitatem parandi cibos Quadragesimales, ob difficultatem eos emendi, vel quid simile. Ita* Azor. p. 1. lib. 7. cap. 11. q. 7. Fag. l. c. n. 10. Trull. l. 3. in Dec. c. 2. du. 7. n. 22. Rainer eadem vel fere eadem ac modo dicta.

13. *Liberatur Quinto (ut id hac occasione dicam) quæ nubere volens, si ex continuato jeiunio Quadragesimali, vel in jeiunio uno, vel altero, quod incidit intra annum, idne locum habere potest,) speciositatem faciei non adeò amitteret. Ita* Thom. Sanch. l. c. n. 12. *Ratio est, quia bellæ honestum matrimonium aucupanti notabile damnum infert speciei deperditio; Sed quod signum tanti jeiunii est? Quando ita colorem deperderet, maciemque contraheret, ut ea visa, statim de dicta macie extra suum morem staretur. Hactenus Tamburinus.*

14. Unum hîc à Lectore efflagito, ut omnes conditiones, & limitationes hac in re à Tamb. dilucidè explicatas expendat, & ita, inde colligat, an plerosque nes ferè conjugatos eximat à jejunio, & eos, quos eximit, an sine rationabili causa, & absque doctorum pisque Authoribus immunes reddat. Expedit hic audire alium à Tamb. Is sit idem Pasqualigus, quadoquidem innumeros alios Doctores inducit dis. 280 de Ieiunio.

PASQUALIG. *An conjuges excusentur, si non teneant, quando impedirentur, ne sibi invicem possent reddere debitum.*

15. *Communiter affirmativè respondetur. Ita Cajet. p. mill. Medin. Navar. Manuel. Ledesm. Valen. Angles, Villar. Sanch. Less. Molfes. Tolet. Reginal. Filliuc. Fagund. Laman. Bassæus, Sylvius. Bonac. Graff. Ludov. Tabien. Filliuc. & alii.*

Hæc sententia pro certa habenda est, quando tamen ignorantiam impediret, ne debitum posset reddi. Nam in hoc casu concurrunt duo præcepta, nempe præceptum justitiæ reddendi debitum & præceptum Ecclesiæ de Ieiunio. Tum quia obligatio justitiæ est strictior, & propter Ius alterius præfertur obligationi virtutis, qualis est abstinentia. Tum quia Ecclesia non intendit obligare ad jeiunium, quando impedit observantiam aliorum præceptorum, præsertim quæ connumerant justitiam. Tum quia præceptum reddendi debitum est naturale divinum, & ideo anteponendum præcepto humano, quale est præceptum Ieiunii.

15. Et paulo post. *Sed difficultas est, quando censeatur solutus ab obligatione jeiunandi, ut possit reddere debitum.*

Respondeo, tunc esse solutum ab obligatione jeiunandi, quando non posset sine notabili debilitate reddere illud debitum, quod tenetur reddere ex justitia. Tenetur autem ex justitia reddere debitum moderate, ut desumitur ex Div. Tho. 4. dist. 32. q. un. a. primo ad tertium & cum pluribus notat Sanch. l. c. disp. 3. n. 5.

17. Et paulo post. *Denique (ut notat Ledesma) ex prædictis colligitur, quod uxor peccat, si se ita jeiunio affligat, ut se impotentem faciat ad reddendum debitum. Et multo clara est, quia voluntarie ladit virum circa dominium corporis, quod ipse habet; Vnde deteriorem facere rem alterius in ordine ad quem ipse habet Ius, & ideo peccat contra justitiam.*

* * *

CAPUT

CAPVT IX.

De Filio erga Patrem.

1. BARON. VIII. *Officium colendi Patrem remittit filiis, si probabiliter putent, matrem conjugii fidem non admodum sancte servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.*

In primis id non esset patris colendi officio deesse, tunc enim jam non ut suum patrem Cajus V. G. Titium agnosceret, sed pro suo patre agnosceret adulterum. Quare tota difficultas in eo versari debet, quandonam Cajus V.G. poterit suæ matris Bertæ maritum negligere, & alium tanquam suum patrem revereri ? quam difficultatem mox explicavit meus Tamburinus.

Deinde displicet hic maxime, quod Baronius imputet Tamburino, quasi dixerit, posse Cajum negare Titio marito Bertæ reverentiam filii, ex eo, quod ipse Cajus potuisset, ex adulterio nasci. Profecto tantam stultitiam fuisse à quolibet indoctissimo prolatam, si Baronius mihi juraret, fidem ei habere non possem. Nam, sic, omnes quotquot homines sunt, fuerunt que, & erunt in mundo, essent probabiliter spurii, vel illegitimi, quia omnes partim potuerunt, partim poterunt, ex adulterio nasci. Sed jam video, quid vult dicere Baronius : vult enim iterum subintelligi illud (probabiliter) ita ut sensus sit, si probabiliter putent, matrem fidem non servasse, & se probabiliter ex adulterio nasci potuisse, &c. Verum, nec hoc mihi sedet, nam diserta locutio fuisset, dicere (*si putet se probabiliter natum esse ex adulterio.*) Ita quidē. At solemne est calumniatoribus, immiscere possibile cum actuali, & sæpe putare, immo, & pronunciare, se V.G. offensum esse ab adversario, quia ab eo offendi potuisset.

4. Venio nunc ad elucidandam veram Tamburini doctrinam. Nobile stratagema, in his sugillationibus educendis, latet in Baronio: Loca enim, in quibus de argumento Tamburinus tractat, religiosè tacet, nimirum ne (ut suspicor) statim, viso loco, mendacium larvam deponere cogatur. Cum autem difficile cuiquam sit, totum librum evolvere, ut Doctrina reprehensa inveniatur, constat, hæretque firmius Impostura. Id autem mihi nullum fecit negotium, siquidem ope cujusdam amici in mei præceptoris doctrina versatissimi, statim invenio quidquid invenire oporteat. Fateor nihilominus, quonam in loco de hoc puncto, quem præ manibus habemus, loquatur Tamburinus, fuisse difficillimum expiscari, quia ne umbra quidem ejus, quod illi imputat Baronius, in doctrina germana Authoris apparet. Locus autem, ubi hac de re loquitur, contrarium diserte habens, hic est, nempe *lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. ver. legitimus*, sed disertissime in alio loco mox asserendo *nu.* 10. meo,

5. TAMB. *Quando anceps (ait) es. utrum sis legitimus, an naturalis, cum certus sit, te esse filium V.G Bertæ, qualis eris reputandus ? Dico, esse reputandum legitimum.* Ita Delugo de Just. tom. 1. d. 15. sec. 2. num. 25. Meroll. Barbos. Baldelli. Franc. Delugo aliique quos citat, & sequitur Bard. d. de Cons. c. 7. §. 11. *quia culpa patris est dubia, pœna illegitimitatis infligenda tibi Filio esset certa, ergo, si esses reputandus illegitimus, pro culpa incerta Patris daretur pœna certa tibi Filio. Adde, quemlibet esse damnandum, quanto minus potest, nam propter eamdem rationem, si dubitetur an aliquis sit spurius, id est, ex coitu damnato, an naturalis, naturalis est reputandus.* Ita *Menoch.* lib. 1. præsumpt. 19. numer. 28.

Hinc expositi in Hospitali, possunt sine dispensatione ordinari, Beneficia acceptare, ad Prælaturas ascendere, &c. Ita iidem apud eumdem Bardi, quia cum nesciatur, an sint illegitimi, legitimi reputatur.

Illud adverto, quoad effectum acquirendi hæreditatem ab alio possessam, non posse hunc dubie illegitimum recurrere ad prædictam doctrinam. Ita Castropalao tom. 1. tractat. 1. d. 3. p. 5. à numer. 3. *Ratio est, quia ille alius est certus possessor, at dubius de facto præcedere certo possessori non debet.* Hactenus Tamburinus.

6. Ex hac igitur doctrina clarè colligitur, quod sicuti Cajus Filius Bertæ, quando anceps est, an sit legitimus, an naturalis, debet se pro legitimo habere, & consequenter Maritum Bertæ, hoc est Titium, pro verò Patre cognoscere ; ita si idem Cajus est anceps, an sit spurius ex adulterio matris, debebit se pro legitimo tenere, quia pari modo culpa matris, dubia ligitimati filii nocere non debet, atque adeò negare ipsi non licet, Titium esse suum Patrem, illumque reverentia debita non colere.

7. At dices, hîc sumus in dubio, quid si probabiliter putaret Cajus, se natum esse ex adulterio ?

Respondeo, de hoc non agit Tamburinus, sed certe affirmo, clare ex ipsius principiis colligi, etiam tum debere suam legitimitatem illæsam servare, seque Patre Titio, hoc est Bertæ marito observantem præseferre. Ratio est (quia ut in superioribus vidimus,) solennis Tamburini doctrina est, probabilitatem dirigentem actiones tunc adesse, quando contrarium non est certum, seu non est moraliter convincens. At in hoc eventu cum certum sit, Titium esse Bertæ maritum, certum item hoc matrimonium fuisse in facie Ecclesiæ celebratum ; certum etiam Titium cohabitasse in eodem tecto, & lecto cum Berta (erit etiam moraliter certum ; Cajum esse Titii Filium, & ita debere in utroque foro judicari, præsertim, quia delictum (matris) non præsumitur, nisi probetur, & consequenter quod is sit Filius ex adulterio, non erit proximè probabile : adde id, quod supra diximus ex Tamburino, quod hic, & alibi iterum, iterumque repetere non gravabor.

8. TAMB. *Atque hæc ratio* (ait lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. numer. 11. in fine,) *allatam doctrinam probat* (*id est, non posse sequi opinionem proximè probabilem*) *etiamsi altera pars sit probabilior ; modò major probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, ut dejiciat à probabilitate illam oppositam, quia tunc, expulsa jam probabilitate, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat intellectus.*

8. Quoniam ergo Titius Maritus Bertæ habet tantam probabilitatem de suo filio, (etiamsi ad certitudinem moralem non pertingeret) dejicietur jam illa probabilitas, quæ apparet in Cajo volente fortè negare, se esse legitimum, & Patrem Titium non revereri, Quare Caji probabilitas ; si qua esset de illegitimitate, vere probabilitas non est, nec minima, nec tenuis, quia à finibus probabilitatis est expulsa. Vides Baroni, sanam, solidamque mei Præ-

ceptoris dicto Cajo debere recognosci Titium Maritum Bertæ ut patrem, est in Tomo de Sacramentis &c. in Tractatu de Irregul. cap. 10. §. 2. his verbis.

Qua ratione dubitatio de illegitimo Natali remo-veatur.

Tamb. num. 1. *Qui natus est* (inquit) *ex Conjugata præsumitur legitimus, nisi contrarium clare appareat, siquidem possidet tunc, esse Filium ex matrimonio. Is enim in Iure Filius est, quem Nuptiæ demonstrant* l. quia Mater ff. de in jus vocando. *Et in dubiis (ut notant Menochius, Mascardus, Merolla) semper præsumitur id, quod honestum est. Hæc ibi.*

Si ergo Cajus, donec contrarium clare appareat, legitimum se tenere debet, non poterit ex germana nostri Thomæ doctrina, quacumque probabilitate positâ, Titium suæ matris maritum non revereri ut Patrem

CAPVT X.

De matrimonio Filii inconsulto Patre.

1. Baron. IX. *Indulget etiam illis (Filiis) Ius ineundi matrimonium cum dispari, Patre inconsulto, & invito.*

Quam aride id affers, ad excitandum odium? Verum lege quam plene & sapienter Tamburinus ratiocinetur ex S. Thomæ principiis. Tu vero, ut meum Thomam suggilles, nihil pensi habes, deserere tuum S. Thomam, quamvis ejus doctrinam sequi profitearis.

2. Tam. *Certum, exploratumque est* (ait l. 5. in Decal. c. 2. § 3. num. 2.) *si Filii invitis parentibus ineant matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare lethaliter: immo ne venialiter quidem, si prius modestè à parentibus facultatem petierint, tametsi nequaquam exoraverint. Ratio potissima est, quia in electione status, & maximè matrimonii, filii nemini subduntur.* Ita S. Thom. in 4. d. 29. q un. art. 4. Ita Sanch. lib. 4. de matr. d. 22. numer. 4. Ita cæteri.

Hinc regulariter non tenetur Filius implere sponsalia, quæ absque ejus consensu pater promisit, sic enim teneretur ad matrimonium. Agit de hac re dilucidè Sanch. ibid. d. 23. num. 3.

3. *Hinc etiam meritò Tridentinum* sess. 24. cap. 9. de refor. matrim. *ipso facto excommunicat impedientes matrimonia; quæ excommunicatio licet salum sit contra eos, qui cum habeant Iurisdictionem fori externi in subditos, eos à matrimoniis injustè impediunt, ut clare colligitur ex contextu Trid. quales sunt Episcopus, & princeps sæcularis (excipitur Rex, & Imperator, quia hos oporteret exprimi, excipitur item Parochus, quia fori æterni Iurisdictionem is non habet in suos) tamen tam rigida prohibito ostendit sensum Ecclesiæ nolentis, ut matrimonia impediantur. Et meritò, nam, independenter à lege positiva, ex se culpa mortalis est, impedire in re gravi Ius alterius. At vero, ut diximus, in status electione quilibet sui Iuris est, atque adeò nec à suis, nec ab alio si peccatum mortale is vitare velint, impediendus.*

Dixi (injustè) nam quando adest justa causa, ne vel matrimonium est indignum, vel quid simile, non possunt Princeps, vel amicus modis suavibus absque vi, prudenter impediens; ut est concors DD. sententia ipso Sanchez ibid. ne comprobata, leg Sanchez ibid. d. 22. numer. 7. Sufficultas igitur soluta superest, an cum indignis possint filii licitè contrahere, patre, vel genitrice dissentiente? Et quidem licet aliquibus videatur non posse, adque sic mortale, quod certè valdè probabile est. Ita Sotus, Covarruvias, Navarrus aliique Sanch. l. 4. de matrim. d. 23. num. 4. quibus adde Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 19. prop. 2. in fine. Fateor tamen probabile item esse, ac tutum, quod posint. Ratio præcipua est modo dicta, filium subjectum omnino liberum esse, nec alicui subjicisin hac re. Addit S. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. In iis, quæ ad propria corporis sustentationem attinent, omnes homines sibi pares, atque adeo, nec filios quidem in his duobus subjacere parentibus. Et rectè docet Sanchez, adeo filium liberum esse, ut etiam ante vigesimumquintum annum nubere valeat, etiam in digno, & sine patris consensu, ne alias matrimonii libertas impediatur, deturque puellis ansa occultè delinquendi.

5. *Illud adverto esse conveniens, ut saltem à Patre filium petatur, siquidem in re tanti momenti, congruum patris consilium explorare, licet sine obligatione sequendi: quamvis Sanchez loc. cit. arbitretur peccare mortaliter filios, si, in matrimoniis eligendis, à Parentibus ejusmodi consilium non exposcant; ego tamen, pace tanti viri, illi sententiæ non assentior. Vt quid enim tantum peccati tam talis onus? si eis tandem consilium patris vel petere accedatur? Adde primò, si non causa consilii sit, ut me docere de meo matrimonio debeo, posse fortasse me à prudentiore viro illud petere, & sic non indigne peterno.*

6. *Adde Secundo. Cum nos, & ipsemet Sanchez, agamus in præsentia de filiis volentibus contrahere cum dignis: si sub mortali obligaremus filios ad patris consilium exposcendum, illos regulariter conjecremus in periculum rixarum. Certum enim erit, Patrem consilium dicturum, cum agatur de sua familia decore; multo magis si constans supponitur filius in arrepto proposito contra patris apertum consilium, quam constanter facere sartam tectam servare posse, merito fatetur idem Sanchez.*

Satius ergo fore videtur, curare, ut ignoret potius, quam ut noscat, & coram, ejus authoritas ludificiatur.

7. Prudenter *paulo post.* Tamburinus sic monet.

Hæc dicta sunt, quando ex ejusmodi matrimonio non timetur fore, ut sequantur gravia mala, sive scandala, sive alia incommoda, tunc enim, ut notat Sanch. l. c. num. 4. contra Charitatem, ex alio capite, quam ex solo parentis involuntario, peccati labe, posset emergere.

CAPVT XI.

De Voto Paternæ Mortis.

1. Baron. X. *Permittit filiis vota paternæ mortis, ut vacuam hereditatem adeant.*

Verba hæc sunt accusantis; sed quæ sequuntur, sunt verba innocentis Rei.

1 Tam.

2. TAMB. *Inquires primo, an sicuti (ait l.5. in Dec. c.1.§.2.) inimico licet velle malum punitionis modo dicto, ita universim possit quis proximo malum ex aliquo motivo desiderare?*

Resp. Certe non statim ac illud licet, sequitur & hoc licere, nam inimico desideratur illa punitionis pœna, quam juste meretur, at proximo nullam merenti pœnam malum desiderare, iniquum per se est. Id ergo diligentius excutere hac occasione, ne gravemur. Et solent quidem afferri exempla. An possit filius mortem patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse filius paterna hæreditate fruatur? An mater possit desiderare mortem filiæ, ne illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Prælati, ut Prælatura ipse succedat, vel ut ab eo Prælato sibi infenso liberetur? & similia. Si solum desideres, vel cum gaudio excipias ejusmodi effectus, hæreditatem, molestiæ carentiam, Prælaturam, &c. Facilis est responsio. Licitè enim hæc optas, vel amplecteris, quia non gaudes de alieno malo, sed de proprio bono. Certè non potest quis licitè gaudere de fornicatione, de comestione carnis, ut festo die vetita, &c. nec illa desiderare, ut tunc fiant, quia gauderet de peccato, illudque desideraret. Lege Castropal tom.1. tract.2 d.2.punct 10.§.2. num.21.) tamen posito, quod hæc cum peccato quis commisit, potest de habita prole sibi complacere, deque viribus refectis, quia non de peccato gaudet; sed de effectu sequuto, qui bonus est: Ita in casu nostro.

4. Rursus, si desideres sub conditione, facilis item est responsio, licitè posse. Si quis enim hunc actum eliciat. Si meus pater moreretur, ego hæreditate potirer. Si mea filia occumberet, ego molestia liberarer, & gauderet ille tunc non de patris, vel filiæ morte, sed de hæreditate, deque molestiæ carentia, culpam odii non committeret, utpote qui simili modo de bono suo gaudeat, non autem de alieno malo.

5. Denique, si absolutè desideres in hunc modum. Cupio mortem patris, non ut malum patris est, sed ut bonum meum, seu ut caussa boni mei, nimirum quia ex illius morte ego ejus hæreditatem adibo. Vel sic. Vtinam moriatur mea filia, nam sic sexcentas sollicitudines exutiam, &c. Si inquam, hæc desideres, major est resolvendi difficultas, quia tunc eligis malum velle illis, quamvis ut caussam tui commodi, quod non videtur culpa vacare.

6. Et ita quidem putat Bonacina tom.1. d.4.circa 4. Decal. præceptum q. unic.p.3.n 3.his verbis: *Secundò sequitur, illum graviter peccare, qui grave aliquod malum corporis parentibus exoptat. V. G. cupiendo illis mortem, ut quamprimum in hæreditatem succedat. Ita* Sylvest. Navarr. Graff. Reginald. Tolet. Clavis Regia, Molfes. Hæc Bonacina.

7. Nihilominus Castropal. tom.1. tract.6. d.4. de Charit. p.1. num.11. *postquam firmavit, posse malum proximo desiderari propter bonum Iustitiæ, vel bonum publicum, vel ipsius proximi, unde licere ex zelo Iustitiæ desiderare punitionem, & condignam mortem malefactori, gaudere de morte peccatoris scandalosi, qui non amplius erit caussa ruinæ plurimorum, cupere effrænato filio mortem, ne longiore vita graviora peccata committat, gravisque condemnetur, optare patri seni, infirmoque, vel filiæ inopi mortem, ne in tormentis vivant, & similia; quia hæc desideria sunt finaliter de bono proximi. non de malo postquam hæc firmavit, sic addit. Credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex dispicentiæ personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum, inde sequutum. Sic docere videtur Emanuel Sà, ubi absolute dicit, te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Reip. bonum, & honestum, & hosti tibi, alioqui valde nocivo mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum. Item de morte ejus gaudere ob bonum inde sequutum* Azor. & Bonac. tom.2. disp.3.circa primum Decal. præceptum q.4. p. uit. §.7.num.7. *affirmant, licere matri mortem filiarum optare, eo quod ob deformitatem, vel inopiam non possit eas juxta suum desiderium nuptui tradere, & idem esse dicunt, si ob illarum caussam male tractaretur à marito; posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. Consentit eis Ioann. Sanchez, qui sic inquit; licitum est tibi optare, vel proximo mortem, ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito inflictam, & alia hujus generis, dummodo desideres ut à Deo infligenda, non ab homine injuste, vel à Dæmone. Ratio est, quia hujusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo ipsius proximi, quam de bono inde secuturo, ergo non habet malitiam, quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit; cum tota species actus inefficacis ex fine desumatur. Hæc Castrop. qui etiam respondet ad quasdam rationes in contrarium. Recte autem dictum est (morte naturali) nam si occasionem injustam desiderares, te sine dubio peccaturum, paulo ante vidimus.*

8. Vereor autem, ne Bonacina modo à nobis numer. 31. *fine allatus, sibi adversetur. In alto enim loco contrarium docuit, ut meritò eum pro se Castropalaus citare potuerit. Ecce Bonacinæ verba* tom.2. d.3. circa primum Decal. oræceptum, q.4.p.ult.§.1.num.7. *cit. jam modo à Castrop. adversantia suismet verbis* dicto num 31. *à nobis allatis. Ex dictis sequitur, eum graviter peccare contra Charitatem, qui alicui malum exoptat ex dispicentia personæ, & non ob bonum ipsius, vel alterius.* Et paulò post. *Secus si gaudeat de malo, vel tristetur de bono ex bono motivo, actus enim inefficax specificatur à motivo, ab eoque bonitatem, & malitiam sumit. Ob id à mortali excusatur, qui de sanitate alicujus tristatur, quia ex recta valitudine occasionem sumit peccandi.* Et post pauca. *Idem dicendum videtur de matre, quæ mortem filiabus exoptat, quia occasione ipsarum male secum agitur à marito, aut injuriis afficitur; non enim proprie detestatur filias ex dispicentia ipsarum, sed in detestationem proprii mali. Hæc Bonac, ex quibus vides opinionem Castrop. esse satis probabilem.*

9. Hæc. Tamb. quæ si tibi fortasse non arrideant, ne uni Tamburino succenseas, sed Castropalao, sed Bonacinæ, sed aliis, quorum doctrinam ille refert, & Emanueli Sà expurgato à tuo R. M. Sacri Palatii, V. Charitas *num.*8. qui, si ejus ratio penetretur, multum favet dictis à Castropalao.

Nota nihilominus, quam caura sit horum locutio, (*credo, si cum debita moderatione faciæ*) & illud (*non est desiderium de malo, sed de bono venturo*) & illud (*est actus inefficax, qui specificatur à bono.*)

CAPVT XII.

De rege quoad bellum gerendum.

1. BARON. XI. *NEc minus liberalis est in Reges, quam in privatos. Dat*

illis Regibus) *Ius belli si aliqux illis faveat probabilitas ex Iure in eum, qui parem, aut majorem habet probabilitatem rei possessæ adjunctam.*

2. Hîc Baronius videtur nodum ponere in scirpo. Tamburinus disertissime docet in prædicto casu, non posse unum Regem intentare bellum adversus alium; addit tamen esse aliquos nobiles DD. ajentes, posse, & id ita esse probabile ex extrinseca authoritate illorum, ut id non sit recipiendum, quasi sit universalis doctrina, sed in aliquibus casibus; Baronius autem, & dicit illam esse sententiam Tamburini, & quia ille ait aliorum doctrinam esse in aliquibus casibus probabilem, ipse durum nodum, vel addit, vel supponit, quasi data esset, ut doctrina universalis.

Proferatur textus Tamburini.

3. TAMB. num.29. *Rex, seu Respublica* (art. 1. in Decal. cap. 3. §. 4. num. 29. (*ad gerendum bellum, vel habet probabilitatem in Iure, vel in facto. In Iure est, quando est opinio Doctorum, Regnum in aliquo casu certo, posse occupari. Fac, v.g. Regem alicujus Regni esse spurium, certe si adesset opinio Doctorum probabilis, ejusmodi Regem licite posse à suo Regno repelli, esset hæc probabilitas innixa in jure. Probabilitas fundata in facto est, quando duo, pluresve scripturis, vel testibus contendunt probare Regnum ad se pertinere.*

4. Num. 30. *Dico, in Probabilitate orta ex Iure, quemlibet Regem licite bellum gerere contra alium posse.* Sic Joann. Sanc. d. 44. à num. 57. *Ratio est, quia, ut est toties dictum, potest quis sequi opinionem probabilem omissa probabiliore. Quid si alter possideat? ut est in casu proposito* num. præc. *Resp. tunc ex mea sententia non posse; quia ut supra, §. 3. num. 14. dixi, & mox* num. sequenti *repetam, possessionem favere possidenti; est lex Canonica ab omnibus observanda. An tunc recurri valeat ad Iudices, mox tangam*, num. 33.

5. Num. 33. *Dixi (ex mea sententia) nam ex bonorum authorum opinione posse, video; qui nihil obstante predicta unius Regis possessione, putant in dicto casu ab alio Rege bello impeti Regem possidentem posse.* Lege item Castrop. tom. 1. d. 2. p. 7. num. 1. Joan. Sanc. d. 44. num. 58.

6. Num. 32. *Quid si sit opinio practicè probabilis fundata probabiliter in Iure, quod dictus Rex possit Regnum ab alio possessum occupare? Resp. tunc sane, etiam in mea sententia, posse: nec mirum, quia jam supponis eam opinionem esse practice probabilem. At ego adverto, hanc opinionem nunquam fore practice probabilem ex principiis intrinsecis (nam esto ex authoritate extrinseca* numer. 31. *dicta) posse Regnum ab alio Rege possessum occupari, si ejusmodi Rex cum probabilitate juris sit in ejus non controversa possessione, quia nemo, ut toties cantavimus, per hominem privatum (qualis profecto est Rex, Respublica quacumque respectu alterius, qui sit suæ absolutæ potestatis), nemo, inquam, spoliari potest à sua possessione, nisi certo moraliter constet, possidentem inique possidere.*

6. Num. 33. *In probabilitate ex probationibus facti negant absolute plerique, posse tunc Regem bellum gerere, sed debere recurri ad Iudices, modo late tractato à* Castrop. l. cit. num. 5.

8. *Sed sic est distinguendum: Potest primo Regnum, de quo disceptatur, esse in possessione unius ex Regibus, & tunc ob probabilitatem ortam ex facti probatione non potest contra ipsum intentari bellum ab alio Rege, etiam probabiliores habente rationes facti.* Joan. Sanch. d. 64. numer. 50. Joan. Delugo tom. 1. de Just. d. 16. sect. 5. numer. 98. *quia obstat lex Canonica pluries repetita, cui omnes deles subsunt, quam queno.* supra, §. 5. num. 14. *mus, & inculcavimus.*

9. *Certe in hoc casu possessionis, quando probatio fa ex probabilioribus rationibus uni favet Regi, & in ea quem* num. 10. *huc remisimus, non est improbabile, pos* l. c. *prosequitur; illum si placet, adi, non enim po bis est otium, ea, quæ raro contingunt, universe per currere.*

10. Num. 34. *Potest secundum dictum Regnum tenere, hoc est in nullius Regis esse possessione, & tunc etiam nullus ex Regibus poterit in ejusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occuper.* Ita Vasq. & Tenor. quos sequitur citatus Merolla, tom. 1. d. 3. cap. 4. dub. num. 204. *Ratio est, quia obstat Ius Vacantis, dum enim non est certum Ius pro aliquo ex Regibus, ipsum Regibus liberum manet. Sic Salas* p. 2. tract. 8. d. sect. 13. num. 128. apud Castrop. cit. num. 10. *pro let enim Regni libertas, si non constat de servitute; quæ tunc Regnum vel se gubernet, vel se alteutri ex Regibus gubernandum sponte tradat, vel certe recurrat ad Iudices eo modo, quem idem Castropalaus ibidem affert.*

11. Num. 35. *Postremo, si certus sit Rex, Regnum a alio Rege possessum esse suum, illum admoneat, ut Regno eonsignet Domino; si renuat, bellum gerere contra ipsum poterit.* Ita Vasq. Molin. Salas apud Castrop. ex numer. 13. *quamvis enim Rex, qui occupat Regnum non cognoscat veritatem, adhuc injuriam materialiter facit, quam propulsare licet illi, qui de suarum est.*

12. Limitationes autem necessarias antea arrurat Tamburinus, in quas Baronii oculos non incidisse mirum non est (quare sincere illum nunc excuso siquidem illæ alio loco sunt ab eo, in quo agunt de Rege. Sunt enim, ubi est universalis Disputatio in Probationibus æqualibus circa Jus, vel circa factum & sunt hujusmodi.

13. TAMB. num. 14. *Verum, quandoem* (art. c. 3. §. 3. num. 14.) *de qua sunt æquales rationes quæ probationes Iuris, alterae ex partibus possidet: an possidenti non possidenti ea attribui, major est controversia. Quo men privatos (nam quidin hoc casu facturus sit Index, de cam mox §. 4. à num. 1.) non posse sibi à parte, quæ possidet palam, vel occulte, eam auferre* Ita Thom. Sanch. lib. in Decal. c. 3. num. 7. & lib. 4. in Decal. c. 40. numer. 18. *Castrop.* tom. 1. tract. 1. dist. 3. p. 2. numer. 11.

Ratio est, quia licet quis habeat opinionem probabilem, imò probabiliorem quo ad Ius, aliquam rem esse suam, non habeat certitudinem saltem moralem rem vere esse suam non est probabile, posse facere spolium authoritate propria contra possidentem. Vlterior autem ratio est, quia maxime militat illud, in pari causa melior est conditio possidentis. Par autem moraliter semper est causa utriusque litigantis, donec utriusque causa in re probabilis perseverat, & alterutra non transit in certam.

14. Num. 15. *Non ignoro aliquos apud* Joan. Sanc. d. 43. num. 59. *docere habentem rationes probabiliores quo ad Ius, posse licite alterum similes probabiliores habentem occulte à possessione spoliare, siloque rem vindicare, modo res non sit deducta ad forum contentiosum. tunc enim ratio dictat, ut expectetur Iudicis sententia: eo modo cesset scandalum, & turbatio. Non inquam, id ipsum, nam propter ea propter authoritatem Doctorum externo, hæc sententia non est censenda, saltem quoad aliquos casus improbabilis.*

15. *Et certe quamvis Ioannes Delugo*, de Justit. tom. 1. d. 16. num. 106. *non audeat universaliter hanc sententiam approbare; tamen in particularibus quibusdam eventibus, quos Doctores asserunt*, (*asseram ego mox* num. 25. exemplo 19. & 20. & §. 4. num. 31. nonnullos) *non invitus approbat; quia, inquit, fortasse in particularibus casibus Doctores id propter aliquod caput concedere valuerunt; cum tamen non viderint caput aliquod generale, unde in omnibus casibus idem concedere potuerint.*

16. Audisti, Lector, illud (*modo non sit deducta ad forum contentiosum*) & illud (*modo cesset scandalum, & turbatio*) quæ certe turbatio solet magna sequi, quando proceditur ad bellum. Et illud restrictivum (*saltem ad aliquos casus*) & illud (*Doctores non audent, hanc sententiam universaliter approbare*) & illud, *non viderunt caput; unde in omnibus casibus idem concedere potuerunt.*

17. Quod si Joan. Sanch. aliique nempe Suar. Thom. Sanch. Navar. Reginald. Malder. Victoria, Covarr. Filliuc. quos pro se Joan. Sanch. *disp. 44. à num.* præsertim 58. aliquid plus concedant, quam concedat germana Tamburini doctrina, fides apud illos sit, cum Tamburinus non approbat sententiam Joan. Sanch. absolute. Et, quando addit *suprà n.* meo 5. & 6. *num.* autem suo 31. & 32. ex bonorum Doctorum authoritate inferri bellum posse, video, ostendit se id videre, non tamen absolute approbare. Et, quando *num.* meo 14. suo autem *num.* 15. dicit, eam sententiam non esse censendam improbabilem, addit limitationem (saltem quo ad aliquos casus) non ergo universaliter.

CAPVT XIII.

De subditis quoad Gabellas.

1. BARON. XII. *Habet etiam rationem subditi; eximit illum à Vectigali, cujus non habeat compertam æquitatem.*

2. Hæc audes comminisci, & ne legisti quidem Textum Authoris? Faciam ego ut hîc legas, & sane absque magna ingenii contentione intelligas. Doctrina Tamburini hæc ipsissima est.

3. TAMB. *Subditus* (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3 ver. Gabella) *qui omnibus expensis dubitat, an Gabella sit juste imposita, teneturne illam solvere? teneri docent alii, ut Less. & Malder. apud Caramuelem mox citandum, quia possessio justitiæ præsumenda est pro Principe. Non teneri putant Villal. Castrus, Aragon, Molin. Filliuc. Sylvest. aliique apud Caramuelem mox citandum, quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de Justitia. Caramuel lib. 3. Theolog. mor. num. 1466. asserit tributa, sive nova, sive prisca non poni leviter, sed magna consideratione; ergo dubiâ nequaquam erit tributi justitia, sed certa, vel probabilis. Si certa omnino debebitur, si probabilis non debebitur, quia probabilia neminem involuntarium cogunt, nisi in ea Rep. esset lex acceptata, ut subditi teneantur ad obediendum, etiam in materia probabili. Omnes hæ tres sententiæ sunt probabiles, quia bonis fundamentis innituntur, & Ianuarius quidem* p. p. resp. 51. *citans Lessium, aliosque contra Suar. docet, non teneri quempiam ad Gabellas, non solum quando dubie, sed nec quando opinabiliter solum sunt justæ, cujus doctrinæ fides sit apud ejus authores.*

4. Duas igitur hîc secernit Author quæstiones; altera est, an, quando, omnibus expensis, dubitatur, num Vectigal, seu Gabella sit justè imposita; liceat eam non solvere. Et licere, dicit, esse probabile cum Villalobos, Castro, Aragonio, Molin. Filliuc. & tui Ordinis Sylvestro; & cum priore parte dicti Caramuelis, quia tunc dubia est obligatio solvendi, at possessio libertatis, & rerum subditi, certa. Altera est, quando Gabella est solum opinabiliter (quod idem est, ac probabiliter) justa, licite possit ab ejus solutione se subtrahere subditus; & dicit, Januarium citantem Lessium, aliosque docere, utique licite posse. Sed noster Tamburinus expressis verbis vel non assentitur, vel decernere refugit. Nam sic addit: *Cujus doctrinæ fides sit apud ejus Doctores.*

5. Qua igitur ratione absolute asseris, Tamburinum eximere subditos à solutione Vectigalis, cujus non habent compertam æquitatem, cum ipse, vel non requirat ad obligationem solvendi, ut compertam, hoc est, certam habeant æquitatem subditi; vel si habeant opinabilem, id est, probabilem, remittat ad eorum Doctorum fidem.

6. Et consequenter quando illas tres sententias esse probabiles, censet Tamburinus, cum quæstio proposita solum fuerit de casu, in quo res est anceps, seu dubia, solum pro eo casu dubii tres illas sententias ipse approbat. Nam, quoad posteriorem partem dictam à Caramuele, quando scilicet justitia vectigalis est probabilis, jam id erat Tamburinus relicturus apud aliorum fidem. Video clarius potuisse, & distinctius loqui Præceptorem meum, addendo sic Cujus doctrinæ fides sit apud ejus Doctores, & apud Caramuelem quoad posteriorem partem sui dicti. Sed excusandi sunt Scriptores, nam multa sæpe omittunt, quæ accuratus lector ex contextu, & ex præcedentibus, & subsequentibus ex sex ipse intelligat.

CAPVT XIV.

De Iudicibus.

1. BARON. XIII. *Non sunt expertes ejus liberalitatis, & beneficiorum Iudices. Quæ omnia profert ex inexhausto probabilitatum Thesauro, & Promptuario.*

XIV. *Inde asserit illis Ius rerum omnium, quarum lis apud ipsos movetur, ut visum fuerit abdicationis, & adjudicationis quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria.*

2. Et rursus audes dicere omnium? omniumne legisti in Tamburino, nec notasti, quam caute ipse ratiocinetur? Et, ut fiat dignum patella operculum, addere audes de tuo consecutionem illam, *Quam vendere quis vetat, cum sit gratuita, & arbitraria?* Tamburinus hanc consecutionem prorsus inde in suo Decalogo negat, quia antecedens, unde colligi posset, improbabile omnino putat. Sed hunc locum Baronius, vel non legit, vel dissimulavit; legam ego, & benevolis lectoribus legendum mox tradam, utpotè qui fideliter loca Authorum referre, profitear.

3. Sed prius illud agamus, quod prius proposi-

tum est, nempe illud (omnium) postea de consecutione superaddita.

TAMB. *Si omnibus expensis*, (ait lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. ver. Judex) *lis civilis sit dubia, neutro ex litigantibus possidente (nam alterutro possidente,) lis non erit dubia, sed probabilis pro ipso possessore, ut suprà §. 4. à num. 1. vidimus, quem locum omnino recole, si lis, inquam, civilis sit dubia, Iudex non potest, nisi rem dividere, idque propter officium Iudicis, ut ibidem late dictum est. In lite, seu causa criminali Reus erit liberandus, ut ex* ibid. num. 10. *dictis colligi potest.*

4. Hoc nempe est *rerum omnium, quarum lis apud Iudicem movetur?* & hoc item est (*ut visum illis fuerit.*) Verum legamus etiam locum, ad quem nos remittit Tamburinus. Ubi quam frequenter, & quam contentiose infringatur istud (Omnium) apertissime constabit.

5. TAMB. num. 1. *Dico primò si sint rationes* (ait lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 4. *æqualiter probabiles circa factum inter civiliter litigantes, Iudex non potest sequi, quam maluerit, opinionem, sed tenetur rem modo mox explicando dividere. Sic* Salas, Villalob. Coninck. Sanch. aliique apud Castrop. tom. 1. tract. 1. d. 2. p. 10. numer. 2. quibus adde Layman lib. 1. §. 3. numer. 16. *Ratio est, quia juxta nuper dicta hic aliquid obstat, ne probabilem quamlibet opinionem Iudex sequatur; est autem ipsum munus Iudicis. Præscribit enim lex, imò ratio ipsa dictat, ut ex officio, vel ex pacto tacite inito cum Reip. Iudices inquirant diligenter, quantum possunt, veritatem, & judicem secundum allegata, & probata, merita causæ ponderando. Adjudicent ergo rem melius probanti; vel si major ratio non adsit pro alterutro, dividant utrique. Quid si res sit individua? aliqua ratione res componatur inter partes, dando uni rem, alteri æstimationem suæ partis, & ni sic litigantes quiescant (cum non sit major ratio, cur uni res adjudicetur, alteri pretium) forte poterit lis, quodad hoc, definiri. Ita* Merolla tom. 1. d. 3. c. 4. dub. 3. concl. 4. n. 170.

6. Num. 3. *Ex hac conclusione vides primò, cur privatus possit authoritate propria dare crumenam illam modo dictam Petro, vel Paulo, ut libuerit; Idem autem non possit Iudex ex officio, qui tenetur eam dividere.* Vide suprà §. præced. num. 27. v. septimo si sint. *Ratio enim est, quia Iudex debet sarta tecta custodire merita causæ ex pacto inito cum Republica; cum privatus, quia à simili pacto libet existit, ut utatur jure suo, sequendo opinionem, quam malit, probabilem; & sic illa circumstantia muneris Iudicis facit pro ipso proxime improbabilem opinionem illam, quæ proxime probabilis est pro privato.*

7. Num. 4. *Vides secundò, cur aliqui* (*& quidem meritò*) *limitant hanc conclusionem, ut Iudex in aliquibus civilibus causis, puta dotis, matrimonii, libertatis, pupilli, peregrini, viduæ, locorum piorum, quæ sunt causæ privilegiatæ non possit rem dividere, sed obligetur ad ferendam sententiam pro his Privilegiatis. Ratio enim est, quia lex, quam servare tenentur Iudices, decrevit, ut hisin paricasu faveretur: id, quod si est otium, vide fusius apud* DD. Lege cap. fin. de sent. & re judicata. Mascard. de probat. v. optulo, n. 14. concl. 1143. 10.

8. Num. 5. *Dico secundò, si rationes circa factum inter eosdem civiliter contendentes, probabilius pro uno probent, quam pro altero, tenetur Iudex probabilius probanti rem per suam sententiam adjudicare. Sic* Sanch. d. 44. n. 51. §. in secundo. *Ratio ducitur ex eodem principio, quia Iudex ex legibus, & pacto inito cum bono publico, ferre sententiam debet pro melius probante causam suam. Excipe, nisi majoritas probabilitatis sit exigua, ut (quia modica) pro nihilo reputanda sit: tunc enim recurrendum erit ad præcedentem conclusionem vera dictam.*

Num. 6. *Major autem probabilitas omnibus diligenter à Iudice, sive ex parte facti, sive etiam ex parte iuris perpensis, prudentis arbitrio est ponderanda; & quidem non raro tanta potest esse major probabilitas, ut etiam is, cui minor probabilitas favet, possideat, debeat per Iudicem à possessione depelli; id enim Iudici ex officio incumbit, ut dictum est.*

9. Num. 7. *Dico tertiò, si rationes circa ius pro utrisque æqualiter pro collitigantibus civiliter, nec impediunt rationes circa factum, ut impediret, si de facto alter possideat, vel quod dixi* num. 40. *Iudex non potest, ut ego tantum puto, rem, cui maluerit, adjudicare, sed modo jam ante dicto, debet rem dividere. Ratio efficax mihi videtur esse, quia non video, cur hic non militet eadem ratio data à Iudicis munere, modo inculcata. Quæso, lector, rem naviter perpende, nam summam paritatem, ut dicam identitatem invenies. Dixi (ut ego certum puto) nam propter extrinsecam bonorum Doctorum authoritatem. Asserentem in hoc casu posse Iudicem pro suo amico, si maluerit sententiam pronuntiare, potest, ut probabilem si velis, amplectere, cum limitationibus dictis.* nu. 4. *Lege* Merol. tom. 1. d. c. 4. numer. 182. *Ita Sanch.* in Decalog. lib. 1. c. 9. numer. 45. *Franc. Delugo* p. 1. de cur quæst. & numer. 66. *Texeda* tom. 1. contra Mar. lib. 2. contr. n. 15. aliique.

10. Num. 8. *Dico quartò, multò magis res adhuc dividendo modo dicto est in Civilibus, si sint rationes tam circa Ius, quam circa factum æqualiter probantes.* Sic Merol. l. c. num. 166. *Bannez, Sanch. Layman, aliique eosdem. Id enim multo fortius probat dictum Iudicis munus, ita ut aliqui, qui nobis adversantur in practica conclusione, altero hanc præsentem amplectantur.*

11. Num. 9. *Dico quintò, si rationes circa Ius proximè magis pro uno, quàm pro altero in litigantibus civiliter non potest Iudex nec dividere etiam pro rata probabilitatis, nec tribuere cui maluerit, sed ferre sententiam debet pro habente majorem probabilitatem in Iure. Semper excipe, nisi majoritas sit exigua; nam tunc juxta regulam communem, parum pro nihilo reputandum erit, & judicandum, ac si essent rationes æquales modo jam dicto.* Ita Sot. Val. Tanner. Suar. Sanc. Bresser. aliique quos citat, & sequitur Pater Bardi, de consc. d. 27. num. 10. *Ratio autem nostri dicti est, ipsum munus Iudicis toties repetitum, quod hic ubi agitur de re, juxta quod Resp. vult Iudices dirigi, permaxime militat.*

Scio, Doctores non infimæ notæ contrarium asserere, ut Ioan. Sanc, Salon. Salas, Texed. Gasp. Hurtad. aliique apud Bardi l. c. putant enim in hoc casu posse Iudicem, cui voluerit, rem adjudicare, quia semper probabiliter, atque adeo prudenter adjudicabit. *Sed profecto non probabiliter proxime propter novam hic superadditam rationem muneris Iudicis; nolo tamen à probabilitate saltem extrinseca tantorum sententiam Doctorum excludere.*

12. *Non nemo hoc est Pater Bardi* l. c. à numer. 14. *admittit hanc doctrinam in hoc quinto nostro dicto allatam, illamque peracriter probat. Sed deinde* l. cit. numer. 21. *non admittit doctrinam à nobis modo* num. 8. *in quarto dicto traditam. Verum nec ipse tentat disparitatem asserre, nec solidam asserri posse videtur.* Hæc omnia habet Tamburinus.

13. Quo-

13. Quot divisionibus, & limitationibus, Tamburinus Judicis potestatem restringit? & nihilominus Baronius dicit, *ipsum concedere illis ius rerum omnium, quarum lis apud eos movetur.*

Venio nunc ad consecutionem, quam ex suo inexhausto thesauro, & propriæ voluntatis Promptuario educit Baronius, hoc est ad illam (*quam vendere quid vetat, cum sit gratuita, & arbitraria*) de hac venditione sic habet noster Author.

Venditio Sententiæ Probabilis.

14. Tamb. *Occurrit hic non absimilis difficultas* (ait lib. 8. in Decal. tract. 3. c. 7. §. 13.) *in Iudice. Supponamus probabilem esse eam opinionem, de qua latè dixi lib. 1. c. 3. quam præter ibi citatos sequitur Dicast lib. 2. de Just. tract. 1. d. 5. dub. 7. à num. 280. licere Iudici ex duabus opinionibus æquè probabilibus unam eligere, & juxtà illam proferre sententiam. Iam inquiro, licitène, & justè accipiet Iudex pecuniam, ut potiùs illam eligat, quæ mihi favet, quam illam, quæ meo adversario?*

Respondeo: cùm illam sententiam ego improbabilem judicaverim, & pluribus reprobaverim ibidem, consequenter assero, locum hic non habere quæstionem hanc, eam tamen legat, qui velit apud Less. lib. 2. c. 14. d. 9. num. 64. Val. 2. 2. quæst. 63. art. 4. d. 5. q. 7 p. 4. Salon. 2. 2. quæst. 62. art. 4. contr. 2. Ac *probabile judicat* Fag. lib. 8. in Decal. præcept. c. 26. num. 34. *licet probabilius putet oppositum.*

15. Ubi in his postremis verbis cùm dicit Author (*at probabile judicat Fagundez.*) falsum refert hujus judicium, & non approbat, cùm ipse modò dixerit, eam sententiam improbabilem esse, & à se pluribus reprobatam.

16. Undè etiam videre potes, tametsi modo *num. meo. 9. num. autem suo 7. & iterum num meo 11. num. autem suo. 9. fine*, dixerit Tamburinus, propter authoritatem extrinsecam posse Judicem ex duab. probabilib. Opinionib. eligere, quam malit, tamen hic, dum inculcat eam libertatem in Judice fuisse à se reprobatam, audeo suspicari, si quid antea fortè Tamburinus concesserat, ipsum nunc retractasse, dum tam expresè, ut dico, docet, eam sententiam fuisse à se reprobatam pluribus.

Præterea recole, quod supra *cap. 12 num. meo 15.* dixit ex Delugo Tamburinus, hoc est, in aliquibus casibus fortasse Doctores aliquid, propter aliquod caput concedere valuisse, cum tamen non viderint caput aliquod generale, undè in omnibus casibus idem concedere potuerint. Recole, inquam, id, fortasse enim simili modo aliqui ex illis Doctoribus, qui concesserunt eam libertatem Judici in sententia ferenda, non propterea statim concedent, sententiam illam, posse ab eodem vendi. Ab hac enim consecutione dum illi abstinent, fortasse indicant aliquid vidisse, undè illam deducere non potuerint. Baronius verò nimis citò eam consecutionem efformare non dubitavit.

CAPVT XV.

De Furibus.

1. Baron. XV. *Qui adeò largus est in Iudices, non est parcus in Furibus, &*

Reis. Permittit, constante gravi necessitate, cuique non solùm propria occultare bono publico, sed etiam aliena surripere.

Duo hic consideranda proponuntur, alterum (*instante gravi necessitate permittit propria occultare bono publico.*) Alterum (*permittit in eadem gravi necessitate, etiam aliena surripere.*)

2. Quoad prius, afferam Tamburini germanam doctrinam, & à Doctoribus comprobatam de occultatione propriorum Bonorum, quæ solet fieri Fisco, volenti occupare bona confiscata. Id enim (puto) intelligit Baronius per illud (*bono publico*) nam si per hæc verba intelligat bonum publicum Reip. quod periclitaretur, si occultarentur bona privatorum necessaria ad dictam Rempublicam conservandam; certè valdè diversa quæstio esset, quam latè, & cordatè cum suis necessariis distinctionibus tractat Tamburinus *lib. 5. in Decal. c. 1. §. 1. à num. 6.* qui locus, quia ad rem nostram minimè pertinet, legatur ab eo, cui est otium, & id sciendi cupiditas. De occultatione igitur bonorum facta Fisco, quæ videtur tandem aliquo modo facta Reip. atque adeò bono publico, ita habet Tamburinus.

3. Tamb. *Secunda Regula* (ait lib. 2. in Decalog. c. 1. §. 4. num. 10.) *ex DD. mox citandis. Sive dicamus, talem hæreticum amittere dominium suorum bonorum à puncto commissi criminis, sive non amittere, certum sit non obligari in conscientia, ante sententiam se spoliare suis bonis, seu ea Fisco tradere. Ratio hujus Regulæ est, quia extra potestatem legislatoris humani est posse per legem obligare delinquentem ad exequendam contrà seipsum pœnam gravem, & acerbam; cum bono communi repugnet talis obligatio; est enim humanæ infirmitati contraria, multisque transgressionibus obnoxia; at gravissima pœna est, suæ substantiæ amittendæ quempiam executorem constituere. Ex hac Regula vides quantum juventur delinquentes, non solùm in hæresi, sed etiam in aliis criminibus, quibus ipso facto annexa est pœna confiscationis: possunt enim sine scrupulo retinere, & frui suis bonis, donec detur sententia declaratoria saltem criminis. Possunt item, ante eam occultare sua eadem bona & Fisco non tradere, nec Fiscus ante dictam sententiam potest sibi ea accipere, quia delinquentes adhuc jure possident. Solùm posset Fiscus ea sequestrare, & alicui custodienda tradere, ne distrahantur. Possunt denique ea dando, alienare, vel vendendo, modo ea recipienti damnum evenire non possit; quia licet illa alienatio annullanda veniat, tamen donec annulletur, valida est. Sicigitur ex futura annullatione damnum proventurum non sit recipienti, non est unde illicita censeri possit.* Ita Sanch. lib. 2. in Decal. c. 12. num. 69. Farin. de hæresi, quæst. 190. §. 5. num. 82 Bonac. d. 3. de contr. q. 8. p. ult. §. 3. n. 4. aliique ab his citati.

4. *Tertia Regula ex Doctoribus citatis* (adde & Castrop. disp. 5. punct. 18. num. 3.) *Post sententiam licet possit delinquens retinere ea bona, paratus tradere si exigantur, nec obligetur ea offerre, seu manifestare Fisco, tamen non potest positivè resistere ejus executioni. Ratio posterioris partis Regulæ est, quia post sententiam Fiscus acquisivit perfectè dominium illorum bonorum. Ratio prioris est, quia nimis durum esset, obligare delinquentem ad exequendam tantam pœnam contrà seipsum, quare præsumitur, tamdiu lex concedere ea bona fruenda delinquenti, donec Fiscus exigat.* Quam legem sequitur Covarr. Simanc. Azor. Molin. Sanch. Bonacin. Suar. Farin. ab eodem ibid. cit. *Scio Castropalaum* l. cit. num. 6. *contrarium nobis esse in hac priori parte Regulæ; quia si delinquens, ait, amisit*

omninò dominium, & possessionem per sententiam ; non poterit tuta conscientia ea retinere. Scio, inquam, hoc ; sed ei sufficienter respondetur ; ita quidem futurum fore, nisi lex, ut dictum est, concederet ; concedit autem, ne quid nimis acerbum, & extra humanas vires præcipere, convincatur.

5. *Atque ex hac Regula fit primò, posse delinquentem ita iis bonis frui, non exigente Fisco, ut postea Fisco exigenti non obligetur ad restarciendum consumptum ; quia ut dictum est, donec is non exigit, conceditur delinquenti suorum bonorum liber usus.* Ita iidem.

Fit secundò, non posse eundem delinquentem, imò & eius hæredem, vel quemcumque possessorem eorum bonorum ex proposito, tunc (scilicet post sententiam) occultare, ne Fiscus ea occupet, nec iidem possunt negare, se ea habere, si à Fisco interrogentur ; nec tradere alteri clam conservanda, quia sic positivè resisterent, ne Fiscus jam exigens consequeretur ea bona, quæ per sententiam sua jam omninò sunt. Ita iidem. Hactenus Tamburinus.

Hæc sunt perspicua adversus priorem cavillationem Baronii, transeo ad posteriorem, de rapiente aliena, gravi instante necessitate. Sic autem habet Tamburinus.

An extremè, vel graviter indigenti, liceat furari.

6. *Quid sit extremè* (ait lib. 8. in Decalog. tract. 2. c. 6.) *quid graviter, quid communiter indigere, satis explicuimus in superioribus* (lib. 5. cap. 1. §. 1. num. 13.) *quæ omnino sunt recolenda, ut etiam quæ sunt bona necessaria ad vitam, quæ ad statum, quæ superflua. Quibus habitis, tria pro certis ab omnibus teneri puto, tria esse controversa.*

7. *Certum est primò, extremè indigentem posse quodlibet surripere, quod sit necessarium ad extremam indigentiam sublevandam. Ratio communis est, quia res temporales sunt à Deo datæ, ut vita omnium rerum temporalium nobilissima conservetur, quod vitæ conservandæ ius, cum nemo à se abdicare potuerit per rerum divisionem Iure Gentium introductam ; fit, ut in ea necessitate omnia sint communia, nec illorum Dominus possit sine peccato ejus speciei, quam mox § 2. à num. 4. decernam, impedire, imò si impediret, posset cum moderamine inculpatæ tutelæ ab indigente occidi. Si tamen sit, qui probabiliter indigentem sublevet, vel ipse exercendo artem suam sibi succurrere possit, non peccabis impediendo, vel non dando, & ipse si ate sumeret, fur esset, & latro.* Ita Castrop. tom. 1. tract. 6. d. 2. de charit. p. 2. num. 4. *quia in his circumstantiis non est in necessitate.*

8. *Certum mihi est secundò, idem esse dicendum in valde gravi necessitate, quod in extrema.* Ita idem num. 13. & p. 9. num. 5. Lessius lib. 2. c. 12. num. 71. Vasq. aliique quos refert Delugo loc. cit. sect. 7. num. 153. contra Turr. Azor. Cajet. ab eod. relatus. Dicast. lib. 2. de Just. tract. 2. d. 9. dub. 9. num. 256. alios citans. *Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facilè vergit ad extremam, à se quisque, quoquo modo potest, avertat.*

9. *Verum oro utriusque his certis adverto, à proximo extremè, vel graviter indigente, te extremè item indigentem non posse illud surripere, quod indigentiam sublevet, nec te indigentem graviter ab graviter indigente. Ratio communis est, quia tunc sine controversia melior est conditio possidentis, atque adeò hic habet potius ius utendi rebus ita ne pereat, vel ne cadat ex gravi ad extremam, quam alius.*

An posito, quod surripueris, obligeris in pari necessitate restituere, alia est quæstio, alibi, Deo dante, dicenda.

Certum est tertiò, sicuti potest indigens in prædictis casibus pro se surripere, sic etiam alium pro ipso surripere in iisdem casibus posse, si is alius non habeat, unde possit indigentem sublevare. Ratio est, quia tunc is surripit tanquam indigentis, & ut ejus Instrumentum ; sed si habeat unde possit de suo, non vulgaris est difficultas. Verum quia non est admodum frequens, & nimis prolixas exposcit disputationes, satis est eam videre apud Bonac. p. 2. de restitut. part. quæst. 8. p. 3. n. 8. Vasq. c. 2. de Eleemos. dub. 1. 2. 3. Delugo de Just. tom. 1. d. 16. sect. 7. à num. 173. &c. nam quæ sequuntur, non faciunt ad præsens institutum.

Hæc est vera Tamburini, Castrop. Less. Vasq. & aliorum doctrina, quam si Baronius, vel Jansenistæ despiciunt, afferant meliorem, & acquiescam.

CAPVT XVI.

De Reo imponente sibi falsum crimen.

1. BARON. XV. SI Reum vitæ, & carceris tadeat, potest, illo authore, sibi falsum crimen imponere morte mulctandum.

Valde liberalis est Baronius, putans solum tædium vitæ, & carceris qui certè modus loquendi videtur significare, molestiam non esse valdè gravem) sufficere ex authoritate Tamburini. Videamus ergò quid hic signate requirat strictius, lib. 3. Decalog. c. 3. §. 6. n. 4.

2. TAMB. *Sunt tamen diligenter duo distinguenda. Potest enim se quis infamare, vel propalando peccatum suum verum, vel impingendo sibi peccatum falsum. Illud sanè facilius est, illud sanè faciliùs.*

3. *Dico enim primò, ad evitanda tormenta gravia, & levia, posse quemlibet occultum suum, quod enorme crimen, manifestò proferre, etiamsi sit morsimmensi quantura.* Ita Less. Salon. Clavis Regia, aliique apud Bonac. d. 2. de rest. quæst. 4. p. 10. num. 7. quos adde Tolet. aliosque ibid. cit. *Ratio est, quia quilibet potest, cum laude mori propter scelus à se patratum non dignum, & ex alia parte obligatio conservandæ famæ, non est tam rigorosa, ut ex dictis patet.*

Dico secundò, ad tormenta, damnaque gravia tuenda posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors ei sit secutura, at non ad vitanda levia. Ita Bartholom. à Fontisto in spec. Confess. d. 21. q. 6. num. 5. & 6. Iustus Lessius lib. 2. c. 9. d. 14. num. 24. *Ratio prioris partis est, quia nemo tenetur cum tanto incommodo vitam sibi conservare, ut alibi dictum est. Ratio posterioris est, quia quilibet tenetur vitam sibi conservare, quando non sine magna difficultate potest ; id est dicere, quando non sine magna difficultate potest sustinere : ideò enim levia non tenetur sustinere, quia nunc potest tormenta levia sustinere : ideò enim levia non sunt, quia sustineri à te possunt, secus essent gravia. In præcedicto semper supponimus, abesse periculum, ne ex dicto famator sui provideri non difficulter poterit per equivocationem ; itemque abesse damnum tertii : quod si forte occurrat*

occurret, ut is idem infamet familiam, providere etiam illi damno poterit, se statim retractando, ac publicè fatendo, se tormentorum vi sibi crimen imposuisse. Verùm debet esse spes, ejusmodi retractationem profuturam, quæ regulariter non adest: nunquam enim illi retractanti creditur à Iudicibus. Hæc noster Author.

Notanda sunt illa verba (*ut in imponente sibi falsum absit perjurium*) cui tamen adhibet remedium, ductum ab æquivocatione; hanc enim adhiberi posse cum causa, supponit ex multis Doctoribus, &c. Et item illa (*ut sit sine damno Tertii*, & quamvis hic adhibeat etiam remedium ex retractatione, concludit, *huic retractationi regulariter fidem non haberi.* Cùm igitur, ut vides, lector, tot cautiones Tamburinus adhibeat, potes non succensere Baronio, qui duobus tam diminutè ejus doctrinam evulgat? quique (quod nimis sæpè conquestus sum) supponere videtur, esse hanc solius Tamburini? Audiamus Joannem Sanchez alios citantem.

6. Joan. Sanch. *Hinc ad vitanda gravia* (ait disp. 47. num. 16.) *tormenta, excusabitur quispiam etiam à veniali labe, falsum sibi imponendo, licet ob illius confessionem esset morte plectendus, quia vita non est digna tanto dolore, & mendacium excusatur æquivocatione in mente retenta, scilicet crimen commisisse non re, sed solùm ut fateatur Iudici ad evitanda tormenta. Hanc docet Lessius, licet solùm à mortali excuset; at par ratio currit ad excusandum etiam à veniali, & non esse mortale docet Navar. Angelus, dicens id licitè fieri, ex quo excusat etiam à veniali, Sylvest. Tolet. Sotus, Vega. Sà, Coriolanus, Ant. Ragucius, & est multorum Recentiorum. Favet enim hæ opinio multis miseris, qui alioqui non solùm corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsa metu tormentorum, &c.* Et paulò post: *Quod etiam verum judico, licet falsam sibi impositionem juret, &c.*

CAPVT XVII.

De eodem Reo imponente falsum crimen testi iniquo.

1. Baron. XVI. *Potest Reus falsum crimen imponere in testem iniquum, idque citrà omnem injustitiam? imò citrà culpam mortalem, & fortè venialem.*

Quod Tamburinus cum Bannez, Ledesma, Jo. Delugo, Dicastillo docet, id non esse peccatum contra justitiam, verum est; at, quod sit sine culpa, hoc profectò est nimis audacter, & falsò dictum. Ecce Tamburini germanam doctrinam.

2. Tamb. *Hæc passim in ore sint omnium,* (ait lib. 9. in Decalog. c. 2. §. 2. à num. 4.) *Illud singulare est, & difficile, an sit alio modo te ab injusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina posis illi objicere, quanta sufficiant ad tuam justam defensionem? Duo assero, unum mihi satis probabile, alterum satis incertum.*

Probabile mihi est, te, si id facias, nec peccare contra justitiam, undè nec obligari ad restitutionem. Ita Bannez Ledesma, Joan de la Crux allati à Delugo tom. 2. de Just. d. 40. sect. 2. num. 26. Dicastillo latè contra quendam innominatum lib. 2. de Just. tr. 2. d. 12. p. 4. dub. 2. num. 404. & apud Dianam p. 9. tract 8. resol. 43. *Ratio est, quia sicuti, ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendaciis, & stratagemate curares, ut ille, v. g in foveam caderet, mendax quidem esses, sed non injustus, cum (quoad Iustitiam) habeas jus te defendendi omnibus viis. Ita in casu nostro, &c. Ratio à priori est, quia defensio vitæ contrà injustè aggredientem aufert à quacumque tua actione ad defensionem necessaria, omnem rationem injustitiæ.*

Incertum mihi est, an id possit fieri licitè sine ulla culpa? & quidem Delugo ibid. sect 2. num. 25. sic habet. Certum est, non licere, quia ad minus erit mendacium, quod nunquam licet (& post quatuor interjectas lineas) *Hoc falsum*, ait, *crimen testis erit probandum per testes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale. Hacille, qui explicat Ioannem de la Cruz, Bannez, Orel. Ledesm. apud Dianam mox citandum, quos in contrarium citat idem Diana p. 3. tract. 5. resol. 4. aitque, eos docere, non esse mortale ex parte injustitiæ, non verò, non esse mortale, ex parte perjurii.*

4. *Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium, & perjurium, sequitur, si solum esset mendacium sine juramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolutè de malo gravi contrà proximum, tamen cum justè à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressè concedunt Hurtad. & Bannez apud Dianam p. 9. tract. 8. res. 43.*

Secundò, etiam accedente juramento, posset adhiberi æquivocatio, tùm à me, tum ab iis, quibus certa est mea innocentia, & sic vitari perjurium, & mendacium, quo solo posito, negant communiter Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrinæ contrarii. Iuramento autem æquivoco etiam in judicio, sicut illegitimum sit, me licite posse uti, docet Castropalaus cum aliis, tom. 3. d. 1. de Juramento, p. 7. num. 1. ergò etiam in Iudicio, ubi injustus est testis. Videbitur igitur alicui posse vitari mortale ab eo, qui, in prædicto casu falso, vel illegitimo testi falsa crimina impingit.

5. *Adhuc tamen incertum id esse, pronuntio, ut quid enim? Si Sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum? Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio, sed adhuc hæreo. Quid enim, si sit necesse publicas scripturas mentiri, possetne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis. Id enim non est Infidelem esse Reip. sed maximè Fidelem, dum ejusdem Reip. sic innocentes defenduntur. Verum, si aperiatur hujusmodi ostium, quomodo stabunt publica Iudicia? Inveniantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt Tribunalia. Dum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica Iudicia firmantur potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio: Quia tamen adhuc durum audio, libenter nodum hinc in aliud tempus evolvendum reservo. An Reo liceat crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam inferius,* c. 3. §. 6. Hactenus ille.

6. Quæ jam lecta sunt, manifestè te convincunt de falsitate Baroni; nam Tamburino videtur difficilis determinatio. Tamburinus hæret ad argumenta: Tamburinus in aliud tempus resolutionem differt, & tu tamen dicis, illius esse doctrinam, id fieri citrà culpam posse? Quæ est istiusmodi licentia fingendi? Olim didici à Poeta Lyrico illud toties decantatum *Pictoribus, atque Poetis, quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Nunc disco, etiam Theologum,

etiam

etiam Magistrum, etiam Prædicatorem posse, imò re ipsa comminisci quæcumque velit.

Hactenus super congerie Tamburino imputatorum, transeamus ad alia, ad quæ Baronius transit.

CAPVT XVIII.

De iis, quæ in §. 2. affert contra Tamburinum Baronius.

TRia in hoc §. 7. 2. *pag.* 3. jacula contorquet Baronius. Primò ait, se fidem habere nolle editioni Belgicæ affirmanti, protectam fuisse in Inquisitione Italica Doctrinam Tamburini in Decalogo allatam.

Secundò, se tamen fidem magnam habere Curatis Parisiensibus, qui curarunt offerre supplicem libellum adversùs ejusdem doctrinam.

Tertiò amplificat, censurat, detestatur opiniones prædictas, quas (cum quanta veritate seu fidelitate vidisti, lector) in §. *primo* imputaverat Tamburino, atque inducit quasdam impias consecutiones ex ejusdem doctrina.

Separatim cribremus singula, initium facientes in hoc Capite à primo, nam de cæteris seorsim in Capitibus sequentibus commodiùs disputabimus.

De Protectione Sacræ inquisitionis Italicæ super Decalogo Tamburini.

2. BARON. Fidem non habet Editioni Belgicæ, & commentitium judicat testimonium in favorem doctrinæ Tamburini.

Profectò fateor, commentitium esse prædictum testimonium de ea doctrina, quam fingit Baronius esse Tamburini. Quis enim approbaret eas propositiones, ut ipse ex magna parte cum falsitate refert? nam paucas cum veritate referri ex supràdictis cuicumque perspectum est. Dico tamen, verissimum esse suffragium Sanctæ Inquisitionis de vera doctrina Tamburini. Legamus priùs testimonium, & deinde illius veritatem indagemus.

Epistola dedicatoria præfixa Decalogo Tamburini, Insulis impresso.

Reverendiss. Domino D. Hieronymo de Vecchiis Abbati Montis Regalis; in Belgio, & Burgundiæ Comitatu cum facultatibus Nuncii, Apostolico Internuncio.

3. THOMÆ *Tamburini è Societ. Iesu viri cumprimis eximii lucubrationes eruditissimas, Practicæ Theologiæ summam continentes, totaque Sicilia, & Italia, celebratissimas nactus, huic etiam nostro Belgio ad suaviorem desideratissimæ pacis auram post diuturnas gravissimorum bellorum tempestates, nunc primum respiranti, communicare cum esset visum, Reverendißime Domine, cœpi circumspicere, cujus potißimum auspiciis istud aggrederer: Cùm ecce venit in mentem, nihil præter modum me facturum, si ad Reverendiss Dominationis Vestræ splendorem accederem, ut istæ sub hoc lucem aspicerent, si ad ejusdem amplitudinem confugerem, ut istas illâ tuereris hic, ac protegeres, quas in Sicilia, quas in Italia à Cavillatorum maledicendi libidine securas reddiderunt Sacri Catholicæ Fidei Inquisitores. Et verò quis dubitet, &c.* Insulis anno 1660.

Reverendiss. Dominat. Vestræ Addict. Servus
NICOLAUS DE RACHE.

4. Hoc testimonium fideliter esse relatum, tum conjecturis, tum accessione alterius testimonii, tum dico esse censendum.

Conjecturæ sunt Primò, verisimile non esse, dedicantem opus, voluisse Nuncio Apostolico per solenne mendacium illudere. Secundò; Dedicationes hujusmodi solent, antequam evulgentur, communicari Patronis, ad quos Dedicatio dirigitur, ne scilicet in aliquo, vel minimo spice ea sit causa offensionis. Quare Reverendissimus Dominus nequaquam, permisisset mendaciis (quæ facilè poterat Romæ convinci) se condecorari. Tertiò, credibile est, ipsum Reverendiss. Internuntium hoc testimonium protectionis enarrasse in Belgio: cùm enim Nuncii Apost. frequentissimo commercio utantur cum Romana Curia, non erraret, qui putaret, ipsi Reverendo Domino Romæ scriptum id fuisse.

5. Sed fac, nihili esse faciendas has conjecturas, aio, esse aliud testimonium, quo prædictum (si bene vore careas) certò confirmetur.

Nam ego juratus, hoc est, testem mei dicti Deum O. M. invocans, affirmo, Virum omni exceptione majorem, magnaque Fide dignissimum enarrasse mihi, se abhinc quinque circiter annos Romæ cùm negotia commorantem audivisse coram, à gravissimo Ministro Sacræ Inquisitionis Rom. ipsum eundem Ministrum præsentem affuisse, quando ad dictam Sacræ Inquisitionis Congregationem opus Decalogi P. Thomæ Tamburini (mihi videtur, addidisse etiam ejusdem tria Opuscula, sed hujus non bene memini) fuit allatum, diligenter fuisse lectum, eaque propositiones, quæ insimulatæ erant cum illis ipsis, comprobatæ, ac nihil inventum fuisse, quod expurgatione, aliavè nota dignum censeretur. Hinc vir ille Sacræ Inquisitionis Minister; addens, alia explicatius se enarrare, ob horum Ministrorum lenne secretum, nequaquam posse.

6. His ego, & quilibet non livore tactus, fidem habere cogimur, si Baronius refragatur, credat sibi Curatis, ut libet. Illud certè commendabile omnino fuit, quod Patres Sacræ Inquisitionis Rom. munitam doctrinæ compendiosa propositione contra quaquam fuere, ut Antigonissæ Tamburini fecerunt, sed Codicem ipsum, sed contextum doctrinæ, sed connexionem propositionum, & similia propriis oculis excurrere voluerunt.

CAPVT XIX.

De Supplici Libello Curatorum Parisiensium.

1. SEcundò Baronius *in d. §. 2. pag.* 73. ait, se fidem magnam Curatis Parisiensibus habere, qui supplicè contra Tamburini Doctrinam libellū obtulerunt.

Miror ego, Baronium hujusmodi Curatorum libellum magni facere, cùm ipse sciat, sive non obtulerint, sive non admissum, sive abillis, ad quos delatum, sive non admissum, sive abillis, ad quos delatum, gebatur, approbatum neutiquam fuisse, quia fortassis non esse germanam doctrinam Tamburini, cognoverunt. Et sanè si umbra tenuissima alicujus reprobationis contra eam doctrinam affuisset, proh quantum in ea exultaret Baronius! sed meritò vel invitus tacet.

Quæ

Quare hîc mihi nullum superest onus hunc libellum refellendi; solùm enim per absolutam negativam pronuncio; & in Superioribus jam ostendi, si propositiones illas suprà *cap.* 1. aliatas continebat hujusmodi Libellus, ut ibi jacent, eas non esse, nec sapere Tamburini Germanam Doctrinam, exceptis, ut modò notabam, paucis propositionibus, quas ex Superioribus colligere quis poterit.

2. Quod tamen profert hac occasione Baronius, æquis auribus audire non possum, nec debeo. Comparat Curatos illos cum sacris Inquisitoribus Italiæ, & audet dicere, eos non esse his inferiores. Hæc sunt ejus verba *dicta pag.* 73.

3. BARON. *Nec Inquisitoribus Siciliæ, & Italiæ (quorum suffragium commentitium censeo) hi Curati Parisienses pietatis, eruditionis, prudentiæ, integritatis opinione, aut etiam amplitudine potestatis in subditos, inferiores sunt, ut ex vera illorum expostulatione gravissima nota non uratur, & illi commendatio accedat ex Inquisitorum suffragio.*

4. Itane tuis Parisiensibus Curatis (licèt aliàs præstantissimis) adularis, ut eos Superiores facias Eminentissimis Cardinalibus Romanam, seu Italicam Inquisitionem moderantibus? Ergò Prælatos gravissimos Sacræ Italicæ Inquisitionis Præfectos, Præstantissimos Viros à Summa Inquisitione Hispanica in Siciliam delegatos, Sapientissimos Doctores, Theologos, Jurisconsultos, inter quos tui Sacri Ordinis plures doctissimi Magistri sedent; ergò, inquam, hos tuis Parochis æquales, vel inferiores existimas? Mirum: sed illud magis, quod addis (*& etiam amplitudine posteritatis in subditos*) sive enim intelligas de multitudine subditorum, sive de amplitudine Jurisdictionis, inquiro, an plures sint subditi singulorum dictorum Curatorũ, seu etiam omnium collectivè sumptorum, quàm subditi totius Regni Siciliæ, totiusque Italiæ: & iterùm inquiro, an Parochorum tuorum Jurisdictio, & amplitudo potestatis se extendat ad ea, ad quæ latè excurrit Jurisdictio Inquisitorum; Verùm hæc ad meum Institutum non pertinent.

CAPVT XX.

De jurgus contra Doctrinam Tamburini; deque consequentibus impiis, quas ex illa malè intellecta deducit Baronius.

1. PRior hujus Cavillationis pars ex se, & ex dictis ruit. Ex se, quia quæ sunt mera verba, vel jurgia, statim atque contorta sunt, languescunt, si Christianâ patientiâ tolerentur. Ex dictis, quia jam in superioribus capitibus hujus Opusculi germanas Tamburini sententias mecum ponderavit, approbavitque quilibet non invidus lector. Et nota artificiosam Baronii amplificationem. Ea enim subindè vertitur circà illud Tamburini verbum (probabilitas tenuis) & in hoc §. 2. Baronius rursùs dicit, quasi à Tamburino dictum sit (probabilitas tenuissima) Imò ut Rhetoricè gradatim amplificet, vocat illam, filum tenuissimæ probabilitatis, & nunquam meminit doctrinæ solemnis Tamburini, qua ea tenuis probalitas dejiciatur ita ab oppositа parte, ut jam amplùs probabilitas non sit; sed jam de hoc in superioribus dictum est aliquid *c. 2. num. 9. & c. 9. num. 8. & mox num. sequenti, & iterùm & cap.* 23,

Expendenda ergò solùm à nobis est pars posterior dicti à Baronio, hoc est, videndæ sunt consecutiones impiæ, quas deduci posse ex Tamburini doctrina cavillari non dubitat. Ejus autem consecutiones in in forma dialectica dispositæ hæ sunt in unico argumento, à me facilioris intelligentiæ gratia collectæ.

2. BARON. *Ex Tamburino omnis tenuissima probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeò ad opetandum citrà culpam.*

Sed Titius, V. G. habet tenuissimam probabilitatem de mortalitate, V. G. Animæ rationalis; quis enim dubitat, esse de hac aliqua levia fundamenta, & consequenter adesse tenuissimam aliquam probabilitatem? Idem de Creatione mundi non facta à Deo. Idem de negatione existentiæ ejusdem Dei Idem de libertate arbitrii non concordante cum gratia & similibus, quis enim dubitat, de his adesse aliquæ levia fundamenta, &c.

Ergò Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeòque citrà culpam si assentiatur his propositionibus: Animæ rationalis est mortalis. Deus mundum non creavit. Deus non est. Libertas non stat cum gratia, & similibus.

3. O Dialecticum excellentem! quia usum distinctionum non usurpasti, ideò, in fallacias fædè lapsus es. Distinguenda enim est Major, & Minor tui syllogismi ex solida doctrina Tamburini. & sic respondendum.

TAMB. *Omnis tenuissima, immò tenuis, immò mediocris probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeò ad operandum citrà culpam, quandò hæc probabilitas absorbetur ab oppositа probabilitate, sicuti absorbetur Cincindela à majore luce, nego majorem, quando non absorbetur, concedo majorem.*

Sed Titius habet tenuem, vel etiam mediocrem probabilitatem de mortalitate animæ rationalis, quæ probabilitas non absorbeatur, seu dejiciatur ab oppositа probabilitate, nego Minorem; quæ absorbeatur, concedo Minorem. Idem dic de Creatione mundi, non facta à Deo, de negatione existentiæ Dei, de libertate non concordante cum gratia, & similibus.

Ergò Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeoq; citrà culpam, si assentiatur illis propositionibus; nego, pernego, & quilibet non cæcus pernegabit impiam consequentiam, quia tunc non operabitur ex illa probabilitate, quia jam dejecta fuit.

4. Quod autem in prædictis omnibus illa sunt levia fundamenta, quæ absorbeantur à solidioribus oppositæ partis, nulla est dubitatio, & fatetur ipse idem Baronius dum dicit, illa esse fundamenta levia. Audi Theologos; immò pro aliquibus ex his consule Metaphysicos; nam ab his illarum veritatum solidissimæ rationes explicantur.

5. Præterea cùm fideles his, & similibus mysteriis constanter, & certissimè assentiantur ex fide divina, non indigent aliis fundamentis, & rationibus probabilibus, seu probabilioribus ad assensum illorum, quasi expectent, quod probabilitas major de his mysteriis absorbeat illam probabilitatem de oppositа parte, sive mediorem, sive tenuem: non, inquam, indigent: siquidem hæc certitudo fidei dejicit omnem probabilitatem cujuscumque gradus, qui possit opponi pro parte contraria.

6. Unum hîc denique moneo lectorem, ut vigilet, quandò in hoc 2. §. repetit Bronius, & impugnat propositiones eas, quas simul congessit §. 1. nam tunc semper erit recurrendum ad responsiones, seu ad explicationes nostras, seorsim, in superioribus Capitibus allatas.

(:†:)

CAPUT

CAPVT XXI.

Primum Paradoxum ex tribus imputatis Tamburino, hoc est,

Iurare verbis æquivocis.

PErgit Baronius *l. c.* §. 3. contorquere in Tamburinum multa multum amarulenta, quæ ut aliàs dixi, ab animo pacato oleoque tranquilliore præceptoris mei sunt silentio superanda. Nulla enim tàm atrox intentari potest injuria, quæ animum illum perturbare queat, qui vel ad patientiam à pietate, vel ad earum despectum à generositate movetur. Jam post hæc, Primum Paradoxum Tamburini sic producit *lib. 3. c. 3. fol. 91.*

BARON. *Hujus generis (Paradoxum) est, quod Tamburinus asserit, certum esse, jurare verbis æquivocis cum causa, perindè licitum, ac sine causa, illicitum esse.*

Addit immediatè in hunc modum.

Quasi paris veritatis, & æquè receptum sit apud omnes, honestari posse quacumque causa juramentum æquivocum, ac sine causa damnari.

2. In Tambur. doctrina non apparet illud (perindè) undè Baronius colligat interpretationem suam, (quasi paris veritatis) neque illud (quacumque ex causa) unde Baronius etiam de levissima agi causa conqueri possit, neque aliquod verbum, undè Baronius possit reprehendere Tamburinum; quasi dicat doctrinam illam esse receptam ab omnibus, quare igitur illa promit? Sed fœcundissimus est nostri Impugnatoris campus; & semper Africa novi aliquid apportat.

Venio ad rem. Duas habet partes hæc doctrina, quam refert Baronius, ut idem ipse notat; Prior est, Jurare cum causa verbis æquivocis, est licitum. Posterior, Jurare verbis æquivocis sine causa, est illicitum.

Quoniam ergò hæc pars posterior certa est omnibus, etiam Baronio id fatenti, cur is appellat hanc doctrinam Paradoxum, per quam vocem à Græcis vocantur admirabilia præter opinionem omnium? Prior autem pars cùm à multis Doctoribus (ut ipse idem Baronius notat, licèt acriter impugnet) censeatur vera, esto à multis falsa, cur eam inter Paradoxa connumerat? Certè si is dixisset, partem hanc priorem à Tamburino dictam esse improbabilem, esse à veritate alienam, posse rationibus fortibus refelli, nihil succenserem: sed cur hoc vocabulo odioso Paradoxi illam appellat? & injuriosiùs, atque falsiùs *in eodem §. 3.* addit, esse hæc Paradoxa à Tamburino inventa, & ab aliis Doctoribus longè distantia? Ultrà opinionem est, & à reliquis Doctoribus longè distans id, quod plures doctissimi Theologi non levibus innixi fundamentis opinantur? Hos plures Doctores mox proferam à meo *num. 6.*

4. Dices. Illud dixi, quia Tamburinus paris veritatis, & certitudinis facit priorem partem cum posteriore. Respondeo, ubinam est hæc paritas, quam inducat Tamburinus? Nonnè illam fingis, sicuti finxisti alia suprà dicta? Tamburinus non dicit esse paris certitudinis unam, & alteram partem, sed solùm dicit; certam esse, unam partem esse licitam, alteram non item, sine ulla prorsùs comparatione, & esto adsit implicita aliqua comparatio, hæc non est in omnibus: Paritas enim non est necesse, ut ambulet (juxtà rusticorum locutionem) cum quatuor pedibus. Comparatio enim in casu nostro solùm consistet in eo, quod utrumque apud Tamburinum sit certum. Quis enim ignorat, posteriorem partem esse minùs tutam ab omnibus, non autem priorem? sed ipse utramque ut certam admittit ob satis firmas rationes, ut mox videbimus. Quare quandò dicit, priorem partem esse certam, non dicit esse certam omnibus, sed sibi, qui modus loquendi in meo Præceptore in suis operibus est frequens; quandò enim sententiam ipse judicat certam, nec solùm probabilem, licèt alii eam non admittant, dicit (certum mihi est hoc, vel certum hoc est,) nam quandò est certum eum aliis, solet addere sic, vel quid simile (certum est apud omnes, &c.)

Verùm hîc duo non sunt omittenda. Primò hæc verba hac de re Tamburini. Secundò, hanc doctrinam non esse ipsius singularem, sed multorum; undè non possit vocari Paradoxum.

De illicito usu Iuramenti dolosi promissorii.

5. TAMB. num. 1. *Certum est primò* (ait lib. 3. Dec. c. 3. §. 2. num. 1.) *jurare sine animo implendi esse mortale.* Ita Less. l. 2. c. 42. d. 8. num. 41. Sanch. tom. 2. de Relig. l. 3. de Jur. c. 17. à num. 7. & communiter, *patet ex dictis: Certum est secundò, jurare animo jurandi, sive res sit levis, sivè gravis, vel juramentis æquivocis. Non esse licitum sine causa, licitum esse ex causa juxtà ea, quæ diximus c. 2. §. 2. & 3. quæ sunt recolenda, quia, quantum ad hoc, eadem est ratio assertorii & Promissorii. Illud est advertendum, facilius ex hoc capite Promissorio mortaliter peccari posse, quam in assertorio, quia in Promissorio aliquid tertiò promittitur; unde facilius potest proximi damnum intercedere, quo notabili accidente, mortaliter peccabitur. Hæc ille.*

Nota verba hæc (*juxtà ea, quæ diximus c. 2. §. 2. & 3. quæ sunt recolenda*) per errorem sivè Scriptoris, sivè Typographi, sivè alterius huc irrepsisse; hos enim *§. 2. & 3. dicti cap. 2. hujus libri* 3. in quo secundo cap. agit de juramento assertorio, hos inquam §. nunquam advenies. Verùm hoc obiter pro studiosis Lectoribus moneo, ne scilicèt quærendo prædicta loca, frustrà laborent.

5. Supereſt nunc illos plures Theologos, qui hanc sententiam amplectuntur, proferre. Ecce apud Castrop. & Joan. Sanchez, illos citatos.

Castrop. *Dixi. esse solùm* (ait tom. 3. tr. 14. d. 1. num. 4.) *venialem culpam, quando hoc juramentum est absque necessitate. Si enim aliqua causa honesta occurrat veritatem intercedit, qualis esset, si ob tuam, tuorumque salutem, honorem, rem familiarem tuendam, convenit te celare, aut si conveniret, ne annueres interroganti impudicitio, aut si conveniret et annueres interroganti impudicitio, nullam culpam committis, sic amphibologice jurans. Et ratio est clara, quia defectus judicii, qui in tali juramento reperitur, poterat, cessat, interveniente causa injusta, sic occultandi veritatem. Sic tenet expresè Navar.* (non cito loca, quæ facilè possunt videri in ipso Castrop.) *Tolet. Sanch. Valen Less. Bonac.*

Quod verum habet, tametsi non rogatus jures, sed tantùm ras ad jurandum, si tamen jurandi, occultandique veritatem honesta causa intercedat, qualis intercedere potest, cum obligaris famam proximi restituere, neque alia via commodiore reparare potes, quam usu amphibologiæ juramenti. Sanch Bonacin.

Ex hac certa doctrina deciduntur plures casus in praxi contingentes. Primo, rogatus de delicto, quod saltem sub opinione probabili non teneris manifestare, vel ex eo quod non juridice rogaris, vel ex eo quod tibi grave nocumentum ex manifestatione proveniret, negare poteris, feciſſe, subintelligendo in carcere, vel ad dicendum. Sic Sanch. Clav. Reg. Navar. Bonac.

Secundo, &c. Hactenus Castropal.

JOAN. SANCH. *sic. Reus* (inquit disp. 46. nu. 17.) *cujus delictum est semiprobatum in causa sanguinis, ob quod morte esset plectendus, aut ad triremes, vel exilium, aut honorum amissionem esset damnandus, veritatem delicti Iudici interroganti aperire non tenetur, eo quod nullus ad sui damnationem jurare constringitur; est namque Ius conservandi vitam adeo strictum, quod nulla lege positiva abrogari possit; & tunc si Reus constringeretur veritatem manifestare, constringeretur suæ damnationis esse totalem authorem: nam quod testis adversus illum testimonium tulerit, nihil conducit ad condemnationem, cum sine delinquentis confessione damnari non possit.*

Paulò post. *Quod possit æquivocatione utendo, veritatem celare, docent Navar Less. Sà, Valer. Sylvest &c. Docet item hanc opinionem Villalob. Octavianus Spatarius, tanquam certam docet. Item Rodriquez tanquam certam, & hanc pro viribus defendit. Item ut probabilem docet Pitigianus, Peyrinus, & Layman, Salsedo, ut sibi certam. Aragon, ut probabilem, & Reginal. Scot. Filiuc. Malderus, & sustinent aliqui viri docti, quos consului. Quæ quidem sententia non solum mihi probabilis, sed certa videtur.*

Quod vero fas sit quoque, in prædicto casu Deum in testem adducere, mihi quoque certum; nam eadem causa, quæ existit ad excusandum mendacium, intercedit pariter ad excusandum juramentum juxta dicenda (disp. 46. num. 17.) *ubi Authores referemus.*

10. Dicta autem disp. 46. num. 17. idem sic repetit.

Nam eadem causa, quæ adest ad excusandum mendacium, æquivocatione retenta, sufficit etiam ad excusationem juramenti, ut docet Angel Sylvest. Navar. Azor. Val. Salon Sanchez, Tolet Manuel. Phliar. Suar. Less. Mar. Delrio, alios adducens Sà, &c.

11. Undenam igitur hunc purum putum errorem hausisti, Baroni, quod scilicet hoc sit Tamburini inventum, & à Doctoribus longissime distans? Præterea si tam multi (ut modo legisti) Castropalaus, Jo. Sanchius, Spatarius, Rodriquez, Salzedo non solum id, ut probabile sustinent, sed ut certum, qua ratione tibi admirabile Paradoxon sit? Legite si est otium lectores ingenui, & obstupescite ad tam injustas injurias, quas in hominem innocentem hîc jactat Baronius; Hanc unam ex remissioribus audite, ne molestum sit.

BARON. ibid. fol. 91. *Hic* (*Tamburinus*) *etiam multis Paradoxis à se primum inventis, quasi Parasangis, à reliquis Doctoribus etiam sui instituti, longissime distat; nec dubito, quin velit videri, quasi in laxandis conscientiis, gloriam, & singularitatem affectasse. Hujus generis est, &c.*

Nunc monet tempus, ut agamus de juramento ficto, hactenus enim locuti sumus de æquivoco.

* * *

CAPVT XXII.

De Iuramento ficto.

1. IN hoc eodem loco transit Baronius ad juramentum fictum, doctrinamque Tamburini de eo, vocat alteram Paradoxi partem, quam certe ego vocarem partem tertiam; sic autem habet.

BARON. ibid. fol. 93. *Altera vero Paradoxi pars sit contra consensum omnium Theologorum. Nam Soto lib. 8 de Just. q. 1. a. 7. Ita habet, Emergit dubium, utrum jurare extrinsecus ficte sine intentione jurandi, sit peccatum mortale; quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem qui dicit se jurare, & non jurat, mentitur, ergo lis est extra controversiam posita inter vetustiores Theologos, Iuramenta sine jurandi animo, etiam ex causa, illicite proferri.*

3. *Cum tamen Tamburinus, certum velit esse, ab omni culpa excusari hujusmodi juramenta. Sed longe recedit non solum ab antiquorum Doctorum, & extraneorum mente, sed etiam ipsius Suarii, qui hujusmodi juramenta accusat & gravis peccati mortalis ex genere suo. Neque enim potest nomen Dei ficte assumi ad jurandum, nisi vane assumatur; id est, ad decipiendum potius, quam ad confirmandam veritatem. Quid autem vanum magis, quam ipsa fallacia, & deceptio, qua non solum irrogatur Dei nomini injuria, sed etiam resolvitur vis Iuramenti, & sanctitas violatur; cum nequeat eius contemptus efficacius induci, quam si tibi persuadeas, posse adhiberi juramentum, nulla intentione jurandi. Id ipsum confirmari posset variis exemplis ex Suar. Cajetan. & aliis. Si liceat ficto animo jurare ex metu, vel alia quacumque de causa, quidni proferre blasphemias? ut arguit Suarez. Quidni Idola colere in specie, animo ab Idololatria alienissimo? ut ex Cajetano urget Sotus, quod tamen ficte Idolatriæ genus imputatur Marcellino Pontifici ingrave crimen, &c.* Hactenus Ille.

4. In primis verbis nimis indistincte asseris, juramentum fictum ex causa esse peccatum. Præterea dum id confirmas ex consensu omnium Theologorum, cur deinde id probas unius Soti testimonio? sed mox videbimus de hujusmodi omnium consensu.

5. Prius enim advertendum est, hîc tres debere quæstiones diligenter distingui. Prima est, an Iuramentum sine animo jurandi, hoc est sine animo vocandi Deum, sit vere, & essentialiter juramentum, & nullus ex mediocribus Theologis affirmabit, esse juramentum; deest enim illi essentia juramenti, quæ est Dei invocatio; Quæritur autem an ita externe jurare cum causa, sit licitum, præscindendo ab alio inconvenienti, sed sit culpa ex ipsa ratione juramenti; nam si addas, dictum aliquod inconveniens, erit peccatum ex inconvenienti illo. Et in hac prima quæstione Tamburini sententia est, id, quando adest causa, & nullum adest aliud inconveniens, non esse illicitum.

6. Secunda quæstio est, an uti hoc juramento, in quo solum oretenus invocatur Deus, ad aliquem decipiendum, sit culpa, etiam si fiat cum causa. Et in hac secunda quæstione, Tamburini doctrina est, esse dupliciter peccatum. Primo, esse peccatum contra justitiam, quo Proximus decipitur. Secundo, esse peccatum contra Religionem, quia jurans utitur Dei sacro nomine, tanquam medio ad firmandum

peccatum; id quod nemo dubitat, esse contemptum Dei; & de hoc loquitur Suarez à Baronio citatus illis verbis, quæ ipse *modo num. 3. me attulit. Neque enim potest nomen Dei ficto assumi ad juramentum, nisi vane assumatur, id est, ad decipiendum*: & poterat citari etiam Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 6. num. 18. & 22.*

7. Tertia quæstio est; an jurare sine animo jurandi, ut item sine animo utendi juramento ad decipiendum aliquem, sed solum mentiendo, dum quis abstrahendo à quocumque alio damno proximi dicit se jurare velle; cum tamen non invocet interne Deum, sed solum externe, sit licitum: Et in hac tertia quæstione Tamburini sententia est, non esse licitum etiam ex causa, quia intervenit mendacium, atque adeo esse peccatum saltem veniale, nemini posse esse dubium. Porro hoc dumtaxat *loc. cit.* docet Sotus: dicit enim *Quandoquidem qui dicit: se jurare, & non jurat, mentitur, ergo lis est extra controversiam, &c.* Hoc enim (ergo) est nota consequentiæ, quæ deducitur ab Antecedente. At in Antecedente locutio fuit hæc *Qui dicit se jurare, & non jurat, mentitur.* Quare hæc erit doctrina extra litem, quam omnes ultro fatemur, nempe etiam ex causa illicita proferri; & quidem, in præciso casu de quo loquimur, venialiter.

8. Jam vero quia has tres Quæstiones Baronius non advertit, ideo tam immerito insurgit contra Tamburinum. Quæstio enim hoc in loco non est, neque Secunda, neque Tertia, sed Prima: siquidem locutio fit de juramento ex vi juramenti, non vero si addantur alia prædicta inconvenientia. Verum ad pauca respicientes facile pronuntiant.

9. Quod autem ex principiis Tamburini juramentum quodcumque si assumatur, tanquam medium ad decipiendum, sit contra Religionem, nec solum contra justitiam, sic ipse docet *lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 4. num. 5. fine.*

TAMB. num. 5. *Sumere Dei testimonium tanquam medium ad inique agendum præsumptio est, & irreverentia contra Deum.*

Et iterum alio in loco, nempe eodem *lib. 3. c 3. §. 3. num. 9.* sic habet.

10. TAMB. num. 9. *Petes, quodnam peccatum est promittere cum juramento rem non licitam? Respondeo cum Sanch.* lib. 3. in Dec. cap. 9. num. 14 *esse mortale Sacrilegium, si Res est illicita mortaliter; quia uteris divino testimonio ad rem iniquam faciendam, quæ est summa Dei Irreverentia; de qua diximus* supra cap 1. §. 4. num. 5. *Unde vides in confessione esse explicandum, an juraveris peccatum mortale, V. G. homicidium cum intentione illud exequendi, vel cum intentione non exequendi: nam prius habet duas species malitiæ, nempe homicidii, & irreverentiæ; posterius, solius perjurii.*

Quod si res sit illicita venialiter, vel sit contra consilia, ut cum veritate jures, te dicturum mendacium officiosum, vel non daturum eleemosynam, non ingressurum Religionem, non acceptaturum officium Prætoris, &c. puto cum Fagundez lib. 2. in præc. Decal secundum cap. 14. num. 1. *esse veniale, quia non videtur gravis injuria Dei, uti divino testimonio ad rem leviter illicitam, ut ibidem diximus.* Hæc ibid.

11. Vides in juramento assumpto ad firmandum peccatum, etiam si sit cum veritate, esse peccatum contra Dei reverentiam, nec solum contra justitiam? ut si quis V. G. cum veritate juraret, se cras occisurum suum inimicum, &c. id quod non est ex ratione juramenti, quia hoc verum esse supponitur; sed ex eo, quod invocatur Deus ad finem malum, seu ad firmandum peccatum sic jurantis. Ex hac doctrina colligis, Tamburinum esse in ea sententia, ut talis invocatio quæcumque, sive cum vero animo jurandi, sive cum animo non jurandi, in casu scilicet, quo invocatio Dei sit solum externa, semper esse contra Dei reverentiam, si dirigatur ad peccatum firmandum, vel ad decipiendum, &c. quia tota malitia assumitur à pravo hoc fine, quo scilicet dolo notatur Deus, seu ipsius sanctum Nomen, dum adhibetur medium ad peccatum firmandum; id quod cum sit intrinsece malum, non potest ex ulla causa excusari.

12. Ne igitur, Baroni, contra Tamburinum proferas Suarii authoritatem, nec paritatem dictam adorante Dæmonem, vel fidem negante solum externus. Ultro enim ipse fatetur, sicuti hæc, quamvis solum externa, sunt in Dei contemptum, ita esse juramentum quando fit ad decipiendum, vel quando adjungitur aliud inconveniens ut dictum est. Sed nostra Quæstio, bone Vir, hujusmodi non est, sed ut primo loco dicta. An juramentum sine animo jurandi, hoc est; An juramentum fictum ex vi solius actus jurandi, præscindendo à prædictis adjunctis sit illicitum, quando fit ex causa? Et non esse illicitum, docet Tamburinus; quia illud non est juramentum essentialiter. Cum jurare sine intentione jurandi, sit simile, ac orare sine intentione orandi, quod, non solum non est, ne materialiter quidem malum, sed aliquando est commendabile, velut quando Artifex, dum labori intendit, canit Pater, V. G. & Ave.

Agrestique suum solatur voce laborem.

Et ex alia parte illa causa facit, ut nulla sit deordinatio, quæ aliàs esset in illo actu exteriore, quatenus conformatur cum animo interiore. Ideo enim illa deordinatio fuisset, quia aliquem deciperem, vel quia mendacium confirmarem; at hæc, aut quid simile in hac quæstione primo loco explicata supponimus, non adesse. Quæ mox afferam ex Sanchez, ultro ea confirmabunt.

13. Nunc o lectorem, ut, claritatis, & meæ Confirmationis ergo, sinat me rescribere Tamburini doctrinam hac de re breviter allatam, & latius Castrop. & Sanchez explicatam.

TAMB. Supra cap. 2. in eo num. 5. *Certum est primo, jurare sine animo implendi esse mortale. Ita Less. Suar. & communiter. Certum est Secundo, jurare sine animo jurandi, sive res levis sit, sive gravis, non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa.*

Hoc dictum Tamburini si bene à Baronio reprehendendum erat, oportebat distinguere, quando quis sine animo jurandi jurat verum, quando vero falsum. Nam hac distinctione præoculis habita, neque Paradoxum est, quod dicitur, à Tamburino, neque singulare. Cognoscamus id à Castropalao.

14. CASTROP. *Dico Secundo* (ait Castrop. Tom. tr. 14. d. 1. p. 8. num. 4.) *Si juras sine animo jurandi, distinguendum est; vel juras verum, vel falsum. Si juras falsum, tam in judicio, quam extra, est peccatum mortale. Si juras verum, probabile est esse solum Veniale extra judicium; in judicio, & contractibus, Mortale. Primam partem conclusionis, nempe jurare falsum sine animo jurandi esse mortale, defendunt Cajet. Sot. Covarr. Petr. Ledesm. Less. Suar. Bonac. Sanch. Rationem reddunt, quia juramentum externum, quod est Divinæ Majestati cultus, effugitur ad falsitatem confirmandam. Unde sicut committur ad falsitatem confirmandam. Unde sicut gravissimum, si idolo tribuatur, sacrificium, aliusque externus cultus, si idolo tribuatur, sacrificium, aliusque externus cultus, si idolo tribuatur, esset peccatum grave, quia applicatur materia indebita actus*

actio solum debita Deo; similiter erit gravis irreverentia contra Religionem, jurare falsum verbis tantum absque intentione, quia externus cultus Deo per juramentum debitus, materia indebitæ applicatur. Caterum hæc ratio solum videtur convincere in juramento externo facto per Idola, vel Creaturam sistendo in ipsa.

Et quæ sequuntur, ea enim non est necesse hîc rescribere, cum non faciant ad nos, ipse autem paulò post sic pergit dicere quæ ad nos pertinent.

15. Caterum retinenda est communis sententia, quia extra casum, quem dixi ex Lessio, nullum inveni Doctorem (etsi plures evolvi) qui affirmaret, non esse peccatum mortale jurare falsum, etiam sine animo jurandi. Et ratio esse potest, quia videtur Deo gravis irreverentia fieri ex eo, quod tantum in apparentia, & nomine tenus in testem falsi invocetur. Nomini enim Dei summa reverentia debetur, &c.

Et infra

Secunda pars Conclusionis, nempe probabile esse, non esse mortale, si verum jures sine animo jurandi, tenet Less. Sanch. Bonac. Ratio est, quia non videtur ex hoc juramento fieri gravis injuria Deo, neque homini. Non Deo, quia esto simuletur adduci in testem, adducitur in testem Veritatis. Sicuti cum simulate oras eo tempore, quo non teneris præcepto orandi, non obinde censeris, Deo facere gravem injuriam: neque etiam ex tali juramento provenit gravis injuria, quia supponimus, graviter inde illum non lædi. Ex nullo ergo capite mortale peccatum esse potest, est tamen absque dubio peccatum Veniale, & grave, quando nulla legitima, & honesta causa fieret, quia est quædam fictio vim Juramenti enervans. Hæc Castrop.

17. Notas, hæc ultima verba? (quando nulla legitima, & honesta causa fieret) quasi dicat, secus si honesta, & legitima fieret causa, quæ est doctrina Tamburini. Quare non est hæc ab illo inventa, ut, Baroni, dicis. Loquitur enim Tamburinus, quando quis sine animo jurandi jurat illud, quod est verum: nam quando est falsum, quia tunc decipitur proximus, ut sæpe diximus ex eodem, est illicitum, & in materia gravi est mortale contra Justitiam. Præterea, etiam in materia levi & in quacumque materia si adhibeatur tale fictum juramentum ad finem peccaminosum, seu ut medium ad firmandum peccatum etiam veniale, est peccatum grave contra Religionem, ut supra vidimus.

18. Hinc fit, ut si Baronius invenisset, Tamburinum loqui de jurante falsum sine animo jurandi, recte dixisset id esse contra consensum omnium Doctorum: nam etiam est contra consensum ipsius Tamburini. Nunc vero cum ex principiis nostri Authoris modo dictis meo *num.* 9. & 10. non possit hæc doctrina intelligi, nisi de casu, quo juratur res vera, nihil poterit contra ipsum afferri. Sed certe excuso Baronium in præsentia, siquidem vere difficile solet esse, principia Authorum in suis quæque locis dispersa inquirere, ut deinde ex ipsorum mente quæstio decidatur.

Porrò ne tibi, lector, sit molestum, prædicta etiam cognoscere à Thoma Sanchez.

TH. SANCH. *At verius est* (ait l. b. 3. in Decal. c. 6. num. 10.) *quod sic distinguit Valentia. Si jurans (sine animo jurandi) dicit verum, tunc solum peccat venialiter, quando vult significare se habere jurandi animum, quia est mendacium, & non perniciosum, ut bene Doctores præcitati; secus si id significare nolit; sed quoddam aliud disparatum, ut mox dicemus, tunc enim* Nulla Culpa *est. Si autem jurat falsum, velitque illa externa juramenti verba referre ad materiam falsam, confirmando illa in eo externo juramento, est mortale, ut probat ratio* num. 8. *adducta, & concordant omnes* DD. num. præced. *relati, & citati* num. 8. *Si autem interiori animo nolit illa ad materiam falsam referri, nec potest ob aliquas rei circunstantias rationabiliter ab aliis putari id velle, ut inde scandalizentur; sed tantum jure suo utens, usurpat ea verba, ad significandum aliquid aliud interius conceptum, quod verum sit, vel usurpat ea tantum materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat juramentum indebitæ materiæ. Immo ego credo, nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit Causa Justa uti ea æquivocatione, & constabit magis ex statim dicendis à num.* 15. *Atque idem fatetur Sotus* num. præced. *allegatus, quando injuste coactus usurparet ea verba materialiter: tunc enim non peccaret, ut, si ita responderet; Ego juro? vel dico; Deus est mihi testis; secus (ait Sotus) si diceret. Dico, quia Deus est mihi testis, quia tunc, ait capi verba formaliter. Sed existimo, potius id pendere ex intentione dicentis, quippe posset hunc quoque dicendi modum capere solum materialiter, vel ad aliquid aliud significandum, ut proxime diximus ex Val.* Hæc Sanch.

20. Notas quantum faveat nobis tuus idem Sotus? Verum hæc dicta sufficiant ad ostendendum, hanc non esse sententiam adeo novam, ut singulare Inventum, vel Paradoxon appellari mereatur.

CAPVT XXIII.

Secundum Paradoxum imputatum Tamburino.

Prima Pars hujus Paradoxi.

De Reo non respondente ad mentem Iudicis non certò legitimi.

1 UT Secundum Paradoxum loco citato efformet, tria dicit Baronius. Primo rediens ad tenuissimam illam probabilitatem à se toties frustra decantatam, ex hac deduci ait, multa incommoda, posita illa alia Tamburini doctrina, qua affirmat posse Reum interrogatum à Judice, non tamen omnino certus, an legitimus sit, ad eius Judicis mentem non respondere. Secundo, impugnat eumdem dicentem, posse idem, etiam constante competentia legitima Judicis interrogantis. Tertio, reprehendit eumdem, quasi sibi contradicentem.

2. Incipiamus à Primo dicto, utque id bene intelligatur, ponamus in forma Syllogistica Baronii ratiocinationem *l. c.* §. 3. *fol.* 93.

BARON. *Quando habeo tenuissimam probabilitatem, non pecco, operando secundùm illam.*

Sed ex quacumque incertitudine de incompetentia Iudicis habeo probabilitatem tenuissimam, quia semper, vel sæpissime adsunt aliqua fundamenta hujusmodi Incertitudinis. Ergo habens quamcumque incertitudinem, non pecco secundum illam, & consequenter possum sine peccato, ad mentem Iudicis non respondere.

3. Huic argumento sic facile respondetur ex germana doctrina Tamburini, sicuti responsum est supra in simili *cap.* 20. *à num. meo.* 3.

Quando habeo tenuissimam opinionem, non pecco, operando secundum illam. Distinguo Majorem. Si

hæc tenuissima opinio non obscuretur à parte oppositâ, sicuti obscuratur parva lux à magnâ, concedo Majorem, si obscuretur, nego Majorem.

Sed ex quacumque incertitudine de incompetentia Iudicis, habeo probabilitatem tenuissimam, me non obligari ad mentem Iudicis respondere: distinguo item Minorem. Si hæc probabilitas obscuretur à contraria parte, ut certe in casu nostro obscuratur, quia levia fundamenta, qua solum incertitudinem pariunt, satis absorbentur à possessione, in qua est Index, & à similibus circumstantiis, nego Minorem. Si non obscuretur, quod posset evenire in alio casu diverso ab eo, qui proponitur, concedo Minorem.

Ergo habens quamcumque incertitudinem non peccabo, &c. nego Consequentiam.

4. Perperam igitur Baronius absolute imponit hîc Tamburino, quasi dicenti, satis esse ad non respondendum menti Judicis, quod habeatur tenuissima probabilitas, multo minus, quod adsit incertitudo. Hæc enim tenuissima probabilitas & hæc incertitudo non est vera probabilitas ex doctrina Tamburini. Unde non rectè per artificiosum Epiphonema sic concludit Impugnator ibidem.

5. BARON. *Tanti momenti est apud Tamburinum æquivocandi libertas, ut illius libertatis servandæ causa, eludi, & perverti possit quacumque Iudiciaria potestas, quantumlibet probabilis & recepta, si aliquod dubium subsit oppositæ sententiæ, quæ faveat Reo, vel tenuissimam probabilitatem afferat.*

6. Non recte, inquam, concludit: Nam ubinam ex ipsius doctrina colligit, receptam potestatem Judiciariam, & quantumlibet probabilem posse tam facile eludi, cum Tamburinus plurimi semper fecerit circumstantiam possessionis? Hanc enim credo à te significari per illud (*receptam potestatem*) quasi dicas per receptam possessionem Judiciariæ potestatis. Addis, satis esse tenuissimam probabilitatem. Addis, satis esse dubium oppositæ sententiæ favoris Reo. Quæ omnia debebant distingui sub illa necessaria pensitatione; an dejiciantur, seu obscurentur ab oppositâ parte. Sed non est hîc omittendum legere quanti ponderis sit apud Præceptorem meum dicta possessio.

7. TAMB. num. 12. *Dixi autem* (ait lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. num. 12.) (*nisi quid aliunde obstet*) *ut signate notarem, hanc limitationem, seu exceptionem semper præoculis habendam esse, antequam decernatur; num aliquid sit solum remote probabile, à quo non possumus licite dirigi ad actiones peragendas, an etiam proximè, seu practicè, à quo possumus. Nam si adest aliqua lex, vel consuetudo disponens de contrario, vel pactum, vel circumstantia urgeret aliqua, una tantum pars excipi tuto valeret. Exemplo res explicabitur: Si Paulus illam inventam crumenam supra dictam, pacifice possideret, non posset quis eam ab ipso tollere, & dare Petro, æqualibus testibus vallato, quia tunc obstaret aliquid: obstaret enim illa lex desiniens, (quod in pari causa melior est conditio possidentis.) & sic, quamvis verum sit, stante æquali probabilitate factî pro duobus, posse alterutri rem attribui, at si alter inveniatur habere rei possessionem, non erit amplius probabile, id est, non erit practicè, seu proximè probabile, posse dari alterutri; sed possidens debet omnino illam possidere, ac retinere. Ita Suar. Thom. Sanch. d. 44. num. 58. & d. 33. num. 29.*

Ut notationem hujus numeri adeo necessariam altius menti figamus, afferamus alia exempla, quæ illam, quò magis explicent, quò confirment, & quæ sequuntur. Hactenus ille.

8. Ex hujusmodi principio, quod in dubio debeat prævalere is, qui est in possessione, resolvit Tamburinus, quid sit decernendum in puncto de Reo, à dubio loquitur, non in probabilitate. Debuerunt jam datæ sunt in superioribus suæ Regulæ. Quod autem in loco hoc de dubio sermonem facio, ex lib. 1. in Decalog. c. 3. §. 3. verb. Reus & Testis.

9. TAMB. Dubitant hi, an legitime interrogentur a dice, obligabunturne ad eius mentem respondere? Sumus hîc, obligari hos legitimo Iudici parere. Nam cum infra lib. 2. cap. 4. §. 3. de tota hac re magnum disputatio

Respondeo, non obligari, etiam si Index præcipiat sub pœna excommunicationis. Ita Fagundez in Decalog. præ... lib. 2. cap. 11. num. 18. Delugo de Just. tom. 2. d. 10. sect. 1. num. 3. Sanch. in Decalog. lib. 6. cap. 3. num. & in Conf. l. b. 6. cap. 2. dub. 31. Pasqual. decis. 129. tio est, quia Reus, & Testis sunt in possessione sua libertas valendi æquivocare ex causa; ergo ab hac non possunt turbari propter dubium legitimæ interrogationis. Causam tem hîc semper intervenit, quia semper ii possunt, vel saltem dire suum Ius, quo possunt non aperire veritatem, cum certa, & manifesta obligatione non debeant.

10. Scio quosdam nostram responsionem admittere, si meatur à Reo, vel Teste magnum malum, non vero exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere, &c. Sed hoc non possum, quia prædicta possessio libertatis in Reo, & Te æque prævalet sive grave, sive damnum tuetur. Legi Dunam, p. 3. tract. 5. resol. 106. qui sine distinctione nume liter nostram sententiam amplectitur. Unde colligit, quo do superior inquirit generaliter super aliquo notorio delic cujus author nescitur, posse te vocatum ad testificandum æquivocare, si dubites, num infamia, vel indicia sint contra delinquentem, licet vere delinquentem scias. Nec contrarium docet Sanch. & Delugo, ut quidam putant. Audi lugo, loc. cit. num. 6. Regulam hanc inquit, non prudenter admonet Sanchez, num. 3. & 4. in rebus levioribus, ubi non sequitur periculum; & in quibus, si certo constat, iudicem esse virum probum, & peritum, tam Reus, quam Testis debent in dubio respondere, & manifestare veritatem. Tamen Delugo ex Sanch. Vides? tunc solum obstringunt in Dubiis res Reum, & Testem, cum Index prudens est, & peritus, ita quia propter has circumstantias præsumendus est Index ito legitime interrogare, ergo jam non sumus in casu Quare si vere perseverat: omnibus pensatis, ejusmodi bium, nunquam bi Doctores videntur nostram Resolutionem in levi damno limitasse, solum aliquando ex peritia, & pru tate Iudicis, legitimam certo esse interrogationem, obtu gerunt.

Illud nihilominus advertendum est, quando periclitantur bonum commune, vel innocentis grave damnum, interrogatum à Iudice, debere ad eius mentem in similibus dubiis respondere, si solum tibi subsit leve periculum, quia pugnarent hîc tua libertas, & bonum grave innocentis: atbono communi semper tuum bonum peculiare est postponendum, & bonum grave innocentis tuo levi damno juste re gares leges Charitatis. Hæc Tamburinus.

11. Ex illis clarulis (si constet Iudicem esse peritum, probum. Quando periclitaretur bonum commune. Quando innocentis grave damnum. Quia pugnarent hîc tua do innocentis grave damnum.) colliges, quam bertas, & bonum grave innocentis) colliges, quam cautè, & solidè discutiat Tamburinus.

* * *

Secun-

Secunda Pars prædicti Paradoxi.

De Reo non respondente ad interrogationem quam vis legitimam Iudicis.

12. In hac secunda Paradoxi parte de duobus insimulatur Tamburinus. Primò, quod concedat Reo, si adest spes vitæ, posse, licitè æquivocando, non respondere Judici, quamvis legitimè interroganti. Secundò, quod idem concedat, tametsi vitæ spes non adsit.

Quoad primum, antequam respondeam, necesse est, hic rescribere germanam Tamburini doctrinam, quæ est hujusmodi.

13. TAMB. *Iam si legitimus est Iudex* (ait lib. 3. in Decal. cap. 4. §. 3.) *legitimeque per semiplenam probationem interroget; unde Reus ex nullo capite ex his excusari videatur à fatenda veritate, celebri quæstione quæritur, an ob periculum vitæ, quod sincere respondendo, subit, possit excusari, atque adeo ipsi negare veritatem cum æquivocatione, liceat?*

14. *Non excusandum, quamvis immineat vitæ discrimen, docet* Sanch. in Const. tom 2. lib. 6. cap. 3. dub. 29. & dub. 33. S. Thom. Sylvest. Navar. Sotus, aliique permulti apud eundem, & apud Joan. Sanch. in Sel. mox cit. præsertim antiquiores. *Ratio potissima est, quia inter partes Iustitiæ potissima est obedientia, qua tenetur quis obedire superioribus, juste, & legitimè præcipientibus. Sed jam supponimus, legitimè præcipere, idque jam noscere Reum; unde ergo excusari poterit à parendo? Adde, non vulgare Reip. detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina negaretur; passim enim, hac impunitatis spe, grassarentur maleficia.*

15. *Duo tamen hi Doctores notant; alterum est ad hoc, ut Reus teneatur, sine æquivocatione respondere (de Reo loquimur, non de Teste, de quo alia est ratio videnda, si placet,* apud cit. Delugo de Just. tom. 2. d. 40. sect. 1. num. 8. & d. 39. sect. 2. num. 14. Thom. Sanch. in Const. tom. 1. lib. 6. cap. 3. d. 56.) *requiri prius, infamiam, vel judicia contra ipsum esse legitimè probata in processu, saltem per semiplenam probationem, quam sine dubio facit unus testis idoneus de visu, & item requiri, ut id totum ipsi Reo sit notificatum. Ratio est, inquit Sanchez,* in Const. lib. 6. cap. 3. d. 32. *quia secus potest reputare Reus, suum crimen esse occultum, & sic excusari à fatenda veritate: & quia* (inquit Sotus apud Sanchez l. cit.) *sicut nemo tenetur ante promulgationem legis, legi obedire; ita nec tenetur Iudici, antequam notificet, se juridice interrogare.*

16. *Alterum est, si forte quis veritatem Iudici occultavit, non obligari ad se coram Iudice tractandum, sive fuerit absolutus, sive damnatus, sive adhuc judicium pendeat, sive non. Sic Sanch.* in Decalog. lib. 3. de Jur. cap. 7. num. 8. *Ratio potissima est, quia est negando suum crimen, peccaverit contra obedientiam, tamen huic crimini satis medebitur, si de illo rite doleat, &c.*

17. *Sed jam alii Recentiores, ut Delugo,* loc. cit. num. 15. Joan. Sanch. in Sel. d. 43. à num. 23. *cum Doctoribus viginti duobus, post accuratam discussionem, advertentes, onus esse supra naturæ vires difficile, Reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra seipsum, docent probabilissimum esse, & tutum, Reum minimè obligari ad fatendum suum crimen, unde tantum malum sibi parari, videat. Potissima ratio illa mihi videtur, quia nemo obligandus est concurrere ad seipsum occidendum, cum sit de jure naturæ, non solum vitam sibi tueri, sed etiam ad mortem suam, quantum quis potest, non concurrere. Adde, esse doctrinam communem, rem multo difficilem reputari moraliter impossibilem, ad quam præcipiendam nulla potestas humana extendi possit. At præceptum de dicenda hac veritate, quod nunc tradit Reo Iudex humanum est, & positivum, ergo non se extendit ad rem tam difficilem, qualis est ea confessio, quæ Reo mortem parat.*

18. *Hinc solvitur ratio adversariorum,* num. 3. allata. *In re enim tam ardua Iudex, Superior non est. Quod si is soleat cogere ideo est quia sequitur contrariam opinionem, quæ saltem ob authoritatem Doctorum probabilis est.* Ita Joan. Sanch. in Sel. d. 43. num. 14.

19. *Ad id, quod additur, negandum est, periclitari bonum Reip. alia enim via, nempe inquirendo testes, & incutiendo timorem torturæ Reo, ut fateatur, potest se tueri Respublica sine necessitate obligandi Reum sub mortali; Et certe patet experientia, nihil adhuc profuisse timorem peccati per tot annos, in quibus opinio prior passim evulgabatur, de qua testatur* Delugo, tom. 2. de Just. d. 40. sect. 1. num. 6. *Quotusquisque enim fuit ille, qui ob ejusmodi peccati timorem suum crimen aperuit? Adde, non esse certum, quod ego pro bono communi, ad quod non teneor ex stipendio, seu ex justitia, obliget mortem subire. De qua re alibi. Interim lege* Joan. Sanch. in Selec. d. 43. num. 41. Hactenus Tamburinus.

20. Advertisti, lector, hanc sententiam in eo casu, quo spes affulget evadendi vitam, excipi à Delugo Eminentissimo æque ac Sapientissimo Theologo, & à Joan. item Sanch. cum viginti duobus aliis? Qua igitur de causa Baronius in unum Tamburinum, tanquam in objectum sibi scopum, suas insimulationes contorquet? & cur hanc sententiam inter Paradoxa numerat, hoc est inter dicta ultra opinionem, quam tamen tot Authores, non spernendis suffulti rationibus, opinantur? Dixisset, hanc sententiam ab ipso existimari improbabilem, vel minimè veram, vel quid simile; nam tunc profecto non ostendisset se à livore contra Theophilum, eiusque causa, contra Tamburinum innocentem inardescere: Et vide veritatem impugnantis, sic addit *ibid. fol.* 94.

21. BARON. *Iis Recentioribus ita mordicus Tamburinus adhæret, ut antiquorum sententiæ nullam intrinsecam, sed solum extrinsecam probabilitatem concedat ab authoritate Doctorum, &c.*

22. Sic ille; ille, inquam, ex suis consuetis somniis, nam Tamburinus affert quidem hujus sententiæ authoritatem extrinsecam, sed exprimit etiam disertissimè rationes intrinsecas. Oro te, lector, ut iterum legas, quæ modo legisti *num.* 14. meo.

23. TAMB. *Non excusandum* (ait l. cit. num. 3.) *quamvis immineat discrimen, docet Sanch. S. Thom. Sylvest. Navar. Sot. alii permulti apud eundem, & apud Ioan Sanch. præsertim antiquiores. Ratio potissima est, quia inter partes Iustitiæ potissima est obedientia, qua tenetur quis obedire Superioribus juste, & legitimè præcipientibus. Sed jam supponimus, legitimè præcipere; idque jam noscere Reum, unde ergo excusari poterit à parendo? Adde, non vulgare Reip. detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina, negaretur; passim enim, hac impunitatis spe, grassarentur maleficia.*

24. Hæ, Deus bone, non sunt rationes intrinsecæ? Abi ergo, oro te, Baroni, in ultimas Insulas, ibique tuas fabellas enarra.

25. Illos multos Doctores, video te, lector, velle cognoscere. Sane libenter producam, ut scilicet sententiam hanc magis confirmem, & clare ostendam, illam nimis immerito fuisse vocatam Paradoxon. Sic ergo scribit Delugo.

26. DELUGO. *Dubitatur sexto,* (ait T. 2. de Just. d. 4. num. 14.) *an semper, quoties præcedit probatio semiplena, vel juridice interrogatur, teneatur Reus rogatus fateri veritatem contra se. Hæc est quæstio celebris, & necessaria ad praxim quotidianam; oportet enim omnino scire, quomodo Confessarius se debeat gerere cum ejusmodi pœnitentibus.*

Communis sententia docet, teneri semper Reum legitime interrogatum fateri veritatem, etiamsi propter eam, plectendus esset. Hanc docet D. Thom. in præsenti quæst. 29. art. 1. Cajet. Henr. Palud. Gabr. Sot. Navar. Covar. & alii, quos affert, & sequitur Lessius cap. 3. num. 12. Tolet. lib. 5. cap. 58. Malder. in præsenti tract. 6. c. 3. dub. 1. & alii innumeri, quos congerit, & sequitur Sanch. d. c. 3. dub. 29.

27. *Secunda sententia negat, illam obligationem esse adeo universalem. Excipiuntur autem ab aliquibus varii casus. Primus est, si timeatur Sententia mortis. Secundus, si damnandus esset Reus ad triremes. Tertius, si confiscanda omnia bona. Quartus, si periclitaretur in honore, & in aliis casibus similibus. Hanc sententiam tenet* Navarra, lib. 2. de Relt. d. 4. num. 137. & sequent. *ubi refert* Panorm. Sylvest. Angel. Armil. & alios.

Eandem sequitur Eman. Rodrig. in sum. tract. de ord. judiciali. cap. 16. num. 1. ubi citatur Salzedo in Pract. Crim. cap. 26. pag. 431. eamque dicit probabilem. Vega in Pract. lib 5. c. 422. & Less. ubi suprà, numer. 16. Sà, Ver. Malder. ubi suprà. Suarez etiam consultus anno 1596. eam dicit probabilem, sicut & P. Salas, P. Henriquez cum aliis Theologis; *ut testatur idem Salas in schedula propria manu subscripta, quam apud me habeo. Unde excessit Turrianus in præsenti* Disp. 10. dub. 2. num. 7. & in Select. Cent. 1. de Cens. Theol. dub. 75. *dum hanc sententiam improbabilem omnino esse, affirmat, & non habere pro se nisi tres, aut quatuor Summistas, quorum in hac re nulla authoritas est; Sed certe ex Recentioribus tot jam eam probabilem dicunt, ut ii, demptis etiam antiquioribus, sufficerent. Villalob.* in sum. tom. 2. tract. 16. diff. 1. num. 10. Filliuc. tract. 4. num. 166. Filliuc. tract. 4. num. 166. Fagund. ubi supr. c. 31. num. 11. & seq. Alcozet. in sum. c. 16. §. & Reg. Reginald. in Praxi, tom. 2. lib. 24. sect. 3. num. 3. Portel. in Dub. Reg. tit. Correctio Fratrum, v. Reus, num. 43. Peyrin. de Religioso subdito, t. 1. quæst. 1. c. 16. Dian. tom. 1. Miscel. resol. 27. Joan. Sanch. in select. dub. 43. n. 29. & seq.

28. *Prima sententia probabilissima est, maxime accedente communi authoritate: Secunda tamen est valde probabilis, & in praxi omnino secura, præsertim in causis Capitalibus.*

29. *Debet autem intelligi, quando Reus sperat posse, negando, fugere condemnationem, alioquin negatio erit omnino inutilis. Probatur hæc sententia, &c.* Hactenus Delugo.

30. Atque hæc, quoad prius, quando spes allucet effugiendi mortem. Quid, quoad posterius, quando spes ejusmodi non apparet? De hoc sic habet noster Author.

TAMB. num. 7. *Doctrinam hactenus à nobis* (ait l. cit. num. 7.) *allatam limitant citati Doctores, asserendo, posse à Reo negari sub æquivocatione crimen, modo aliqua tandem eluceat spes effugiendi mortem; secus enim negatio, ajunt, esset inutilis, si ipse nihilominus convictus esset, & certo damnandus. Ego vero censeo etiam nullatenus teneri à mortali esse etiam ejusmodi Reum excusandum (excipio cum Sanch.* in Decal. lib. 3. cap. 7. num. 11. *ea hæresis; convictus enim de illâ, fateri debet, nonne autem hæreticus cum scandalo pœnam subeat.) Ratio, quæ movet, est, quia ex una parte de jure naturæ est, hominem non posse constringi ad concurrendum ad mortem suam, & ex alia parte ad summum in hoc casu offenditur (si quis offenditur) potestas Superioris in re levi. Si enim Reus convictus est, certoque plectendus, nihil addet confessio, quantum ad punitionem criminis, de qua est serius, cum Judex sit ad damnandum satis instructus; in qua igitur re gravi offenderetur potestas ipsius?*

31. *Sed certe notat Sanchez* lib. 3. in Decalog. cap. 7. num. 11. *Judices Reum interrogantes, nunquam scire earum causæ, probationesque illi aperire, freti quorumdam sententia, quod id, ad legitime interrogandum, non requiratur, Cum igitur Reus statum suæ causæ ignoret, semper præsumere poterit, fore spem effugii, si ipse crimen non fateatur; & sic semper in praxi, etiam in adversarium sententia, posset veritatem occultare*

32. *Denique quod dictum est de periculo vitæ, extenditur communiter ad quodcumque malum grave; puta exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam, &c.* Ita Delugo l. cit. num. 15. *ad hæc enim tam gravia mala fugienda, ac ad mortem avertendam, jus naturæ nos armat, nos urget.*

33. *Quid de malo levi? præcipiat mihi Superior, ut fatear, an dixerim mendacium jocosum, an furtum leve, an silentium in Religione fregerim, ex qua confessione mihi nonnisi malum leve accidere posset? vel præcipiat, ut fatear, homicidium (furtum grave, &c.) ex cujus confessione certus sim (ita suppono) solum malum leve mihi ortum, si negem cum æquivocatione, quodnam peccatum committam?*

34. *Respondeo. A mortali fortasse excusandus esset, quavis contrarius sit* Delugo, tom. 2. de Justit. d. 40. sect. 2. num. 16. fine. *Ratio esse potest, quia, vel de jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam, vel quia, si agitur de pœna levi infligenda, videtur Deus, ut non rigorosum Superioris præceptum; vel, quia exceptione talis veritatis non oritur grave malum Reip. si solum levis pœna sit imponenda. Hic tamen excipio, nisi aliud bonum commune aliter postularet; vel nisi sic deberet amens malum grave impendens Tertio; tunc enim charitas exigit, ut meo levi malo bonum grave Reip. vel proximi promatur.* Hactenus Tamburinus.

35. Non me cohibere possum, quin cautionem hanc repetam, (saltem à mortali excusandum, excipio hæresim. *Non offenditur potestas publica in re gravi, quando praxim semper Reus potest præsumere spem effugii, &c.* nam inde manifestum fit, quam mutilate referantur dicta Tamburini, ut is possit facile ab ignorantibus accusari; at certè, non à sapientibus.

Tertia Pars.

In qua dicitur Tamburinus non sibi constans.

36. BARON. Sic habet l. cit. §. 2. fol. 55. *Hæc duo docet Tamburinus. De jure naturæ est, ne leve mihi vulnus infligam. Et, ad terminum, damna-*

damnaque gravia vitanda potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit inde secutura. Hæc duo non conveniunt: Si enim jus naturæ obstet, ne quis sibi vulnus infligat, qua ratione patietur, ut quis se interimat mendacio.

27. Sed nimis obvia est mihi responsio: hanc secundam partem docet quidem meus Thomas; sed primam non docet certo, sed sub verbo dubitandi. Deinde Tamburinus non dicit, *Ius naturæ obstat, ne quis sibi leve vulnus infligat*; sed, *De jure naturæ videtur, ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam.* Quæ duo sunt longe diversa; nam ex primo sequeretur, peccare in omni casu sibi vulnus leve infligentem, quod falsum est: digitum enim, v.g. licite vulnero. Imò abscindo, ne totum brachium marcescat. At ex secundo sequitur tantum, quod ex jure naturæ me possim defendere à levi vulnere, non quod omnino debeam. Simile quid dicimus, de jure naturæ esse matrimonium. Non enim sic hominem ad matrimonium obligamus, sed solum ostendimus, ejus juris esse, ut matrimium inire possit. Præterea non dicit Tamburinus, (*se mendacio posse interimere,*) sed cum æquivocatione, quod certe mendacium non est. Et item non dicit (*se interimere*) sed per dictam æquivocationem se liberare posse à tormentis gravibus, esto deinde per accidens sequatur mors, à se non intenta; sicuti infirmus potest recusare medicinam, v.g. sectionem difficillimam, quia ut alibi dicitur, & notavit Joan. Sanctus (*suprà c.17. num.* meo 6. allatus) vita non est digna, ut cum tanto dolore conservetur.

Quare falsum est, duo Tamburini dicta sibi non convenire, conveniunt enim maxime. Ejus enim dicta hæc duo sunt. Natura concedit, *ut ego possim me tueri à vulnere levi*, Natura patitur, seu concedit, *ut ego per æquivocationem fugiam tormenta gravia*, esto indirecte sequatur mors, à me nequaquam intenta, nec à me mihi danda. Ubinam vel umbra hic est discordiæ?

Cum hæc igitur sit vera Tamburini doctrina, qua veritate illum contra se pugnasse confingis?

38. Advocatus quidam (narrat Jacobus Masenius in arte argutiarum *fol mihi* 200.) in sæculo plerumque causarum in Judicio victor, postquam Religiosum Ordinem subisset, ac pro Monasterio lites propugnaret, victus plerumque cessit: causam rogatus, cur ante victor, omnia nunc amitteret; non audeo (respondit) mentiri, ut antea. At Baronius, an ab hujus pi hominis documento longe distet ipse consideret. Distat enim ab eo, non solum Parasanga, quæ apud Persas intervallum est 30. stadiorum, ut ipse *suprà, c.21. num.*11. meo dixit de Tamb. sed plus quam Schœno, quæ est 60.

39. Hic præterea non omittam id, quod omisit Baronius, is enim prædictam primam partem his verbis, & jejune refert, & quasi ut certo à Tamburino dictam, *De jure naturæ est, ne leve mihi viduus infligam*, alias autem rationes à longe salutat.

40. At Tamburinus illam sub adverbio dubitandi (*fortasse*) id est, sub incertitudine affert (ut modo innui) nec ejusmodi sententiam munit sola ratione ducta ex jure naturæ, sed aliis; & denique nonnullas limitationes eam admodum linientes adjungit, quæ omnia profusio inst tuto prudenter silentio noster Impugnator obvolvit. Legat iterum Anagnostes germanam Tamburini doctrinam, *lib.*3 *cap.*4, §. 3. *num*,10.

41. TAMB. *Quid de malo levi, v. g, præcipiat mihi Superior, ut fatear, an dixerim mendacium jocosum? An sim furtus obolum? An silentium in Religione fregerim? ex qua Confessione mihi, non nisi malum leve accidere possit? vel præcipiat, ut fatear homicidium, furtum grave, &c. ex cujus confessione certus sim (ita suppono) solum malum leve me incursurum, si negem cum æquivocatione, quodnam peccatum committam?*

42. *Respondeo à mortali fortasse excusandus esses, quamvis contrarius sit Delugo*, T.2. de Justit. d.40. sect.1. nu. 16. fine *Ratio esse potest, vel quia de jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam, vel, quia, si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve, & non rigorosum Superioris præceptum, vel, quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reip. si solum levis pœna sit imponenda.*

43. *Hic tamen excipio, nisi aliàs bonum commune aliter postularet, vel nisi sic deberet averti malum grave impendens Tertio, tunc enim Charitas exigit, ut meo levi malo bonum grave Reip. vel proximi præponatur.* Ita Tamburinus.

Animadvertis, quoties Baronius infideliter agit? Si semel in hunc errorem prolapsus esset, illum benignus excusarem; primus enim lapsus, vel casui imputatur, vel imprudentiæ; at, quia ireratus stultitiæ dari solet, aut inscitiæ; non possum non meminisse illius Lyrici carminis.

Et Citharœdus

Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

CAPUT XXIV.

Tertium Paradoxum.

De instigante jurare falsum, quod jurans verum putat.

1. TErtium hoc Paradoxum sic evulgat Baronius, majore, quam Sybaritæ fastu præturgidus.

BARON. ibid. fol. 95. *Superiora Paradoxa videntur posteriora vincere, & augere. Refert idem Author (Tamburinus l.*b 3. *c.*1.) *quæsitum, an liceret ad falsum juramentum adducere testem, qui bono animo rem putat veram, seu authori ad jurandum, compertum est, esse falsam.*

Ad hanc Quæstionem prius negative respondit Tamburinus ab exemplo ducto illius, qui instigaret ebrium ad incessendum contumeliis parentem, vel infantem ad blasphemandum Deum, vel servum ad laborandum die, quem ignorat, festo.

2. Et paulo post. *At hoc consilium retractavit postea commentitia quadam differentia; quia qui author est ebrio conviciandi parentem, vel servo die festo laborandi, cognoscit eas actiones materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, ac proinde nec intendi, nec persuaderi posse. At juramentum, inquit, quod sine damno proximi bono animo jurantis sit, etiam de re falsa, actus est studiosus Religionis, quem potest, ut finem inspicere, qui persuadet juramentum rei falsæ.*

3. *Atque hujus inventi gaudio, vix sui compos, addit:* Subtilis alicui videbitur, sed certe vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit ita posterum probabilis hæc sententia ab Hurtado inventa, antea improbabilis, dum nec ista nova cognitione accessit illi probabilitas. *Ad minus aliqua tenuissima. Sed revera nulla accessit. Quid enim dicet ad exemplum*

servi inducti ab hero ad colendum agrum, quod opus servile potest studiose fieri à servo, obedientiæ, aut justitiæ causa? Quid de viro cum cognata juncto, cui reddere debitum putat opus justitiæ? Quid si quis ex ignorantia invincibili colat Diabolum, quem credit esse Christum? vel adorat Hostiam, quam etiam ex errore putet consecratam? &c.

4. TAMB. *Audito Baronio, audiamus Authorem: In quibusdam Civitatibus* (ait lib. 3. in Decalog. cap. 1. §. 6. num. 4.) *sunt quædam officia, quæ civibus, non vero exteris, quamquam diu ibi per omnimodam domicilii mutationem sint commorati, distribuuntur. Titius ergo, qui à teneris unguiculis in quadam ex his Civitatibus educatus, credebatur à pluribus naturalis civis, à pluribus autem incola, cupiebat eos, qui verum sciebant, negligere; qui autem sibi favere possent, in testimonium de certa scientia adducere. Verum aliud fieri à se posset, quantum ad juramentum pertinebat, à me peramice sciscitatus est: nam quantum ad cætera, quæ obstare poterant (vere enim id erat contra justitiam, siquidem intendebatur præferri naturalibus) sibi aliunde consuluisse, prætextu quarumdam compensationum asserebat; cumque ego negativè respondissem, ac modo allatam doctrinam Bonacinæ ostendissem, voluit acquiescere, asserens, in hoc casu nec peccaturos amicos, quia verum se jurare putabant, nec ipsum, quia nihil ipse jurabat; unde ergo peccati ratio deduci posset? Dixi, culpam esse inductionem ad illud juramentum, licet solum materialiter falsum.*

Illustravi id exemplis allatis à Delugo, l. mox cit. *Fac, tuum fratrem ebrium esse, quem inducas ad contumelias graves contra communem parentem contorquendas, certe non peccabit ebrius, at in peccatum tu incides, qui mediante fratre injurius esse non verearis patri. Fac te commovere infantem ad blasphemandum Deum, vel conculcandam sacram Imaginem; infans propter infirmam mentem non delinquet. quis autem te unquam excusabit, dum advertens verba illa, & facta esse blasphema, ea in os, & animum infantis immittis? Fac, tuum servum putare, hodie non esse diem festum, si eum tu sine causa compellis ad laborandum, nonne ipse excusabitur, tu vero de præcepti violatione damnaberis? Hæc & similia, quæ traduntur à Doctoribus apud Cassr. tr. 1. d. 1. de leg. p. 24. §. 2. in ea quæstione: An sive excusatis à lege, sive à lege non comprehensis liceat subministrare contra legem, ut audivit amicus, viditque, similem apparere casum nostrum, manus non invitus dedit.*

Non me latet, Petrum Hurtadum, quem sequitur Diana, part. 3. tract 7. de Scandalo Res. 14. & Tancred. tract de Relig. d. 5. de Perjurio, num. 31. *docere, esse probabile, non esse culpam inducere testem ad jurandum in prædicto casu. Sed nec me latet, Io. Delugo,* tom. 2. de Justit. d. 39. sect. 3. à num. 21. *putasse, ejusmodi Hurtadi sententiam apparenter solum posse defendi.*

Verum, ut ingenue fatear, post aliquot à consilio dato menses, subiit mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla allata, quibus nitebatur tota vis consilii mei; ille enim homo excitando ebrium ad injuriandum, puerum infantem ad blasphemandum, servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, quare eas nec velle nec intendere, nec consulere potest. At in casu nostro advertit in eo, qui modo dicto, sine proximi damno, (ut supponimus) jurat, adesse bonitatem virtutis Religionis; jurare enim id, quod sine culpa putatur esse verum, actus est Religionis. Hoc igitur bonum si ex proportionata saltem causa intendit is, qui ad illud juramentum proximum inducit, non peccabit, quod bonum formale cum non sit in ullo aliis actionibus, non est mirum, si in illa proximum inducere nequaquam sine peccato possit. Subtilia aliqui videntur, sed certe vera distinctio: ut si penetretur sensibus sententia probabilis Hurtadi hoc modo explicata secundum. Hæc omnia habet Tamburinus.

5. Nunc expendamus nonnulla: Primò, hæc distinctio inventa non est à Tamburino, sed ab Hurtado, ut mox videbis, & miraris me iterum, iterumque conqueri, quod cæteris omissis, unus meus Præceptor, tanquam sceleris inventor accuseretur, & Theonino dente rodatur?

6. Secundò, Baronius ait (*hujus inventi gaudia vix sui compos* Tamburinus) oro te, lector, ut repetas lectionem prædictæ doctrinæ Tamburini, modo prolatæ; & vide, an sit unum, vel minimum verbulum, quo is præ se ferat ejusmodi gaudium, & ejus generis gaudium, quo vix sui sit compos. Quo igitur in loco hoc gaudium vidit Baronius? extat apud Montuum, *fol. mihi* 783. illud Adagium de eo, qui illud pro alio fallentibus oculis intuetur. Hic, in duobus, tria videt; Acutior est amicus noster, qui pluquam tria videt in nihilo.

Tertiò, dicit quidem Tamburinus, ejusmodi disparitatem, post menses, ejus mentem subiisse, sed potius animi submissionem sic indicat, cum fatetur ingenue disparitatem illam antea non vidisse, quam tamen viderat, & scripserat Delugo, cujus Tamburinus doctrinam legerat: quia illam, ut vidisti, erat, & nihilominus prædictam disparitatem non adverterat. En verba Delugo, quæ etiam ostendunt ipsum non admodum dissentiri ab hac sententia, præsertim in ultimis verbis *num. suo* 22.

7. DELUGO. *Aliter magis apparenter* (ait tom. 2. de Justit. d. 39. num. 22.) *posset id defendi dicendo, juramentum eo casu, nec formaliter, nec materialiter esse malum, quod probari posset ex doctrina à nobis tradita, disp. 23. de pœn. sect. 4. num. 76. nempe voces, & assertiones non vocales directe, & immediate significare solum conceptus nostros, res vero indirecte & mediate. Quare, quando dico, Petrus est in foro, asseris immediate scientiam tuam, ac sic ceres, ego scio, Petrum esse in foro, quod idem dicendum est de juribus; nam immediate addicis Deum in testem scientiæ, & mentis tuæ. Sicut si diceres: Sit Deus testis, quod ego puto, Petrum esse in foro. Unde videtur, nunquam fieri perjurium, etiam materiale, quando aliquis jurat juxta suam mentem, quia semper est verum, id quod immediate, & directe significat, & jurat, nempe se putare, rem ita esse. Tunc autem fieri posset perjurium materiale, quando aliquis scienter juraret contra suam mentem, putans invincibiliter perjurium non esse peccatum, vel non advertens ad ejus malitiam propter distractionem, vel consuetudinem, &c.*

Cum ergo testis in casu nostro putet, rem ita esse, verum jurat, nempe se putare rem ita esse, atque adeo qui juramentum ei consuluit, non consuluit perjurium etiam materiale, sed juramentum verum de scientia, vel opinione, quam revera habet.

8. Num. 22. *Quidquid tamen de hoc sit, ego non video, cur in prædicto casu non liceret petere à testimonium ut juret rem ita esse, sed solum existimare, non ut juret rem ita esse, sed solum existimare, non ut juret rem ita esse, tunc enim procul dubio nec formale, nec materiale perjurium consuleretur, sed verissimum testimonium,*

monium, nempe de existimatione actuali, quam revera habet. Sic Deiugo.

9. Quartò, ait Baronius, Tamburinum dixisse, hanc disparitatem alicui videri posse subtilem. Fateor, sed quid inde? Subtilis vita est ipsi Tamburino ex sui animi submissione, & hujusmodi videbitur fortasse alicui merè Casuistæ, non vero tibi, Baroni; nam si tecum dumtaxat, vel cum tui similibus ingeniosis Theologis se ille loqui putasset, ab hac subtilitatis mentione abstinuisset.

10. Quintò, Baronius præter exempla contra prædictam sententiam de instigante ebrium ad convitiandum parentem, vel infantem ad Blasphemandum, &c. quæ actiones ita sunt malæ, ut nemo possit eas consulere etiam illiamenti, qui putat esse bonas, vel nescit esse malas; affert alia exempla de servo laborante die festo ad obedientiam Domini, de viro cum consanguinea conjuncto, ei reddente debitum ex virtute justitiæ, de colente Cacodæmonem, quem falsò putat ob ignorantiam, esse Christum, &c. quæ, & similia exempla fortius ait militare contra prædictam sententiam; quia actus obedientiæ servi, & illi alii sunt actus virtutum, & tamen non potest illi Dominus laborem in die festo præcipere, nec aliquis excitare consanguineam ad reddendum illud debitum, & sic de aliis. Ergo pari ratione non potes consulere testi, jurare, quod ipse putat esse verum, quamvis sit actus virtutis Religionis, & ipse sic per ignorantiam puter. Verum fere similis Responsio danda est huic, & similibus exemplis, perinde ac data est aliis, antea dictis, & ut clarius id intelligas, relege illa verba modo allegata Tamburini.

11. TAMB. *Ille homo excitando ebrium ad injuriandum patrem, infantem ad blasphemandum; servum ad laborandum die festivo, cognoscit eas actiones esse materialiter pravas, & nullo modo induere ullam bonitatem, &c.* Sic Tamb.

12. Itaque duo hic dicuntur: Primò, illas actiones esse materialiter pravas. Secundò, illas nullo modo induere ullam bonitatem. Dico ergo ex hac germana Tamburini doctrina haberi responsionem ad posteriora exempla. Nam esto adjungantur ibi illi virtutum actus, tamen semper illæ actiones laborandi die festo, reddendi debitum non suæ, colendi Diabolum, &c. remanent, & sunt materialiter malæ. Unde vides, in prioribus exemplis duo illa intercedere, esse scilicet materialiter malas, & non habere adjunctum ullum actum virtutis; at in posterioribus adesse solum illas esse materialiter malas, quod satis est, (quia malum ex quocumque defectu) ut non possim ad illas neminem instigare. Non ita profecto, non ita in juramento, quo de agimus; nam in illo intervenit quidem actus virtutis Religionis; sed hic non satis esset ad nostrum intentum, sed nullo modo, ut est in se, est materialiter malus. Me enim jurare, quod puto verum, ut toties diximus, ne materialiter quidem est malum.

13. Hoc, quod tu non vidisti, Baroni, vidit Cotonius ex Tertio Ordine S. Francisci *lib.* 1. *Contr.* 11. *c.* 1. *num.* 14. cujus verba hic ponam. Nec mirum quod is viderit, assuetus enim erat ad intelligendas Tamburini phrases, utpotè Auditor Præceptoris mei in Theologicis, qui sane ex eo tempore præferebat ingeniosissimum adolescentem. Sic ergo is habet loco cit.

COTON. *Melius ergo, ait, id explicatur, quod in casu juramenti assertorii materia actus est objectum, non prout est in re, sed prout est in judicio. Quare cum quis inducitur ad jurandum id, quod existimat verum, non inducitur ad actum malum, ne materialiter quidem.*

Videant igitur sapientes, an sit commentitia hæc distinctio, ut Baronius putat.

14. Sextò, ait Baronius, hæc à se dicta esse solidiora, quam excogitata à Tamburino distinctio. Advertis? Modo *num meo* 3. is eundem reprehendit de nimio gaudio ex eo, quod dixerit eam distinctionem ipsius mentem subisse: At nunc cum ipse idem Baronius ait, à se dicta esse solidiora quam excogitata ab adversario, sibi blandiri nequaquam cognoscit. Vere, non videmus mantile quod in tergo est.

Porro, quod sint solidiora, judicent sapientes. Quod autem hujusmodi distinctio sit à Tamburino excogitata, fabella mera est, id quod, ut palam faciam, cogor in medium proferre (nec sane extra rhombum) tres illos, qui ab eodem Tamburino citati, ante ipsum eam attulerunt, quos, quia Baronius noluit tunc quando scripsit, legere; æquum est, ut tandem in præsentia legat. Primus sit Diana.

DIANA. *An sit licitum* (ait p. 5. tr. 7. res. 14.) *inducere Petrum ad jurandum de aliqua re, quam ipse exignorantia veram putat esse, licet revera falsa sit. Ut, v. g. si posset aliquis in Academia petere ab alio, ut sub juramento affirmet petentem audivisse per majorem anni partem, & tamen qui petit scit, illud esse falsum, & alter à quo petitur deceptus putat esse verum.*

Negativam sententiam docet Azorius, Suarez, Basilius. Sed ego puto, contrariam sententiam esse probabilem, ut illam etiam vocat, & tuetur Hurtadus de Mendoza in 2. 2., d. 173. sect. 16. §. 199. *quia peccatum illud non est scandalum activum, quia neque formaliter, neque materialiter occasionat proximo ruinam, Non formaliter, quia non vult, ut alter peccando ruat: Non materialiter, quia non petit materiam hic, & nunc malam, sed potius hic & nunc bonam, quia actus petitus hic, & nunc oritur à Religione; ergo illa petitio non est scandalum passivum. Confirmatur, quia, quando nostrum peccatum prævidetur, nullum damnum spirituale illaturum proximo, non habet circumstantiam scandali ergo hæc petitio non habet circumstantiam scandali. Neque item est peccatum contra Religionem, quia Deo nulla irrogatur injuria; ego enim peto ab amico actionem, quæ est in honorem Dei; jurare enim quod inculpate apprehendimus esse verum, est actus Religionis. Ego vero illum actum peto, & non alium; quod autem ego sciam, objectum illud esse falsum, nihil interest, quia ego id objectum non juro, neque volo, ut alius juret, quod scit esse falsum. Tota igitur injuria Dei esset in juramento falso. At juramentum illud non est moraliter falsum, sed verum, ergo in illo nulla est injuria Dei, sed honor. Ignorantia autem invincibilis multum interest hujus instituti, quia illa reddit juramentum honestum, ob quod & meam petitionem honestat. Hinc ad argumentum responderi posset Provocare aliquem ad jurandum cognitum ut falsum, esse contra Religionem, non vero provocare ad jurandum falsum, cognitum ut verum, &c.* Hæc Diana.

Secundus est Hurtadus, sed hunc jam habuisti apud Dianam.

15. Tertius igitur est Vincentius Tancredi, qui *de Relig. tract.* 4 *lib.* 3. *d.* 5. *q.* 2. sic docet.

TANCREDI. *Denique si petas iuramentum ab aliquo, quod sine mendacio præstare non potest, erit sem-*

semper mortale, quia inducere ad peccatum mortale, est mortale. Sed in Iuramento sine veritate semper est peccatum mortale, ergo: Hæc Suar. cap. 14. ad num. 8. *quem in omnibus laudat Sanchez & cæteri supponunt.*

Putat Suar. num. 8. *non licere, petere ab alio, ut juret determinate, V. G. quod Petrus sit Doctor, quod putat verum, si petens sciat revera esse falsum, contra vero posse petere indeterminate: Iura, quod scis de hac re, petenda, &c. & Sanch. addit, esse mortale, & Basilius, & Castrop.*

Sed contrarium est probabile, & tutum, quia nec est incitatio ad peccandum, cum revera jurans non peccet; immo facit actum Religionis jurando; nec est contra Religionem, Cum Deo per illum actum nulla fiat injuria, sed potius honor tribuatur, cum revera sit actus Religionis. Nec, quod ego sciam, esse falsum, reddit malum juramentum, cum ego non jurem, nec petam jurari falsum. Sic Hurtad. de Mendoza in 2.2. d. 172. sec. 16. §. 199. quem citat, & sequitur Diana, &c. Hæc Tancredi.

16. Dicet aliquis, hos postremos Doctores esse Jansenistis infensos, atque adeo eorum doctrinam ab iisdem non admitti.

Respondeo, Ne ab ipsis admittatur, certe admittetur ab aliis sapientissimis viris, quod nobis satis superque est.

17. Illud nolo hic silentio prætermittere, Antonium Cotonium Philosophum, ac Theologum nostro ævo insignem, sane modestius se gessisse, quam se gesserit Baronius. Cum enim retulisset *l. 1. Controv. 11. de Iurament. num. 12. & 13.* prædictam Hurtadi sententiam, citassetque pro ea Tamburinum, quem suum Præceptorem appellat, deinde modestissime loquens, ita insinuat eam sententiam ipsi minus placere, ut tamen nulla censuræ nota illam inurat; immo videatur illi indulgere nonnihil. Sic enim loquitur *num. 14.*

18. COTON. *Melius ergo explicatur id, dicendo, quod in casu juramenti assertorii materia actus est objectum, non prout est in re, sed prout est in Iudicio. Quare cum quis inducitur ad jurandum id, quod existimat verum, non inducitur ad malum, ne materialiter quidem, & certe, ut fatetur* Delugo *n. 23. potest quis inducere alium ad jurandum, non quod res ita sit, sed quod ipse ita existimat, in quo nulla est culpa. Absolute tamen non licet, quia etiam si juramentum cadat immediate supra Iudicium, mediate, & remote cadit etiam super objectum.*

19. Hactenus Cotonius, cujus ultimæ huic doctrinæ Hurtadus respondere posset ex dictis, nimirum eos, de quibus loquimur, non petere, nec jurare, nisi quod immediate verum est; nam ab eo, quod est mediate, & remote præscindunt; perindeac, si quis juraret, V. G. te esse Civem Parisiensem, supposita re sibi moraliter certa, verum juraret, quia juraret illud, quod est moraliter certum, quidquid sit, an re ipsa falsò, vel vere tu Parisiensis civis existas.

20. Septimo reprehendit Baronius Tamburinum, quod sic docuerit.

BARON. fol. 96. *Sed certè vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit in posterum probabilis Hurtadi hoc modo explicata sententia.*

Quibus Tamburini verbis Baronius hæc alia verba subjecit, quæ à Tamburino dicta.

Hæc sententia antea improbabilis, donec ista nova cogitatione accesit illi probabilitas.

21. Hæc verba non sunt in mei Præceptoris Textu, ille autem ea demore (nam frugi usque frugi est) addit ex abundantissimo penu suo. Quæ verba, quamvis parum rem elevent, vel deprimant, nihilominus unum video, alterum suspicor. Video, imponi multa Tamburino, quæ ipse non dicit. Suspicor id à Baronio esse additum ad excitandum odium adversus dictam doctrinam, quasi saltem de veritate suspectam.

Denique in calce hujus imputati Paradoxi illud inconveniens colligit ex data doctrina, his verbis.

BARON. folio 97. *Nec dubium est (inquit) quin ex hac sententia excusare posset Scholasticos Tamburinus, qui, ut suum cursum probent, & muniant sibi iter ad gradus, & subinde ad officia, & beneficia, adhibent in testes amicis duos, qui rei sibi incomperta, suspectissimam scilicet verbo, & si velis juramento, fidem faciant, illum scholasticiones frequentasse.*

23. Nollem esse ita injurius, ut dicerem hic obdormivisse Baronium, sed tamen id innuere cogor. Siquidem si paulò antè retulit Tamburinum docentem, tunc illud juramentum excusaria peccato, quando fine damno proximi, bono animo juratur, &c. quomodo nunc dicit, ex hac sententia Tamburini posse à Scholastico excitari amicos ad testificandum de sua frequentia, cum tunc multa damna interessent? Intercurrit enim Primo damnum quod infertur Scholis, seu Universitatibus; spe enim ejusmodi testificationum non adeo frequentes essent Auditores. Secundo, ipsis studentibus, qui, nacti tam non valde laborabunt de frequentandis lectionibus. Tertio, præsertim ipsi Scholastico ejusmodi juramentum exposcenti. Quarto, quod caput est, maximum fit damnum Ecclesiis, & Cathedris, quæ si ejus generis juramenta concederentur, ab iniquis Ministris subinde regerentur, quod est intolerabile damnum publicum.

Dices, at Hurtadus, Diana, & Tancredi modo dicti non addunt hanc limitationem, qua excludat damnum proximi. Respondeo, id mirum esse, si quod hi hanc limitationem non addant, & Baronius reprehendat Tamburinum, qui addit, & quidem hinc colligat solidam Tamburini, & cautam hanc doctrinam, nam animadvertens, hanc limitationem non additam, non posse eam sententiam admitti, ipse expresse prudenter illam apposuit.

CAPVT XXV.

Injusta Gradatio Baronii.

1. INter cæteras amplificationes Baronii adversus Tamburinum, excedit illa, qua pro gradationem inducit sententiam ejus esse laxiorem, quam sint aliorum è Societate sententiæ, atque id ita audacter, & ita verbis, sententiosis, ut me pudeat tantæ ejus impudentiæ. Jurgiis ergo prætermissis, hæc sunt ejusdem verba *disp. 1. sec. 5. §. 2. fol. 77.* quæ faciunt ad nos.

2. BARON. *Comitolus l. 1. quæst. 15. aunquam patitur, recedamus à sententia, quæ stat pro lege servanda, si sanciat res necessarias ad salutem efficaciæ Medii, vel Causæ.*

Alii ex Societate id concedunt, si opinio tuta, quæ favet rebus necessariis, tum necessitate Medii, tum Præcepti, sit probabilior, & communior, ad eff. præmen-

bus argumentis, majori numero Doctorum, vincat opinionem, quæ stat pro libertate & commodo.

Sanchez, l. 1. in Dec. c. 10 *credit, sin toto vitæ decursu sectanda sit hæc sententia; versanti ad minus in articulo mortis esse eligendam, ne de æternitate periclitetur.*

Tamburinus uno audaci, & præcipiti saltu transilit hos quatuor gradus; quare securitatem pollicetur iis, qui deserunt opinionem pro lege stantem, etiam tutiorem, etiam communiorem, etiam in articulo mortis.

Et paulo post. *Quo vero gradu probabilem liceat sequi? Omnium minimo, non utraque probabilitate, sed altera, vel extrinseca ab uno Authore contra innumeros, vel intrinseca ab aliquo argumento tenuissimæ probabilitatis.*

Quis non obstupescat ista doceri tanta fiducia, & habuisse Laudatorem (Theophilum,) &c. Hæc Baronius.

3. Tot sunt hîc ineptè, & falsò dicta, ut ego contra obstupescam, tantâ audaciâ, hæc ab homine Religiosi Ordinis efferri.

Porro recolendum est Primo, quænam sit germana doctrina Tamburini in hoc negotio Probabilitatum, quam supra exposuimus *cap. præsertim secundo à num. meo 8. cap. 20. & cap. 23.* nimirum esse illam, quæ semper debeat esse ejusmodi, ut à probabilitate oppositæ partis non obscuretur.

Ex hac solenni ejus doctrina clare ostenditur, ipsum potius strictius, non autem mitius loqui, quam prædicti loquantur (si tamen ita loquerentur: nam cæterum mox videbimus, eos infideliter citari.) Ostendo, initium faciens ab ultimo gradu, id est, à dicto Sanchez.

4. Hic (esto) absolute concedit, sectari non posse opinionem probabilem solum extra mortis articulum. At Tamburinus id non concedit sic absolute, sed omnino vult, ut fiat semper comparatio cum sententia opposita; quod, si inveniatur ejusmodi, ut obscuretur, illam non liceat sequi, nec extra articulum mortis, nec in illo.

5. Alii è Societate Jesu concedunt, debere nos sequi opinionem probabilem, si opinio tuta sit probabilior, & communior, id est, firmioribus argumentis, & majori numero Doctorum vincat opinionem, quæ stat pro libertate, & commodo, concedunt, inquam. Sed quid contra Tamburinum? hæc enim est ipsa germana ejus doctrina; nam non solum is id concedit, ut alii, sed prorsus id requirit. Quando enim opinio sit tuta, sit probabilior, sit firmioribus argumentis, sit majori numero Doctorum vallata, certe obscurabit aliam oppositam, quare hæc, amissa (ut ita loquar) probabilitate, non poterit eligi, sed omnino illa alia erit eligenda.

6. Suarez (esto) vult, valere sententiam Comitoli de opinione, quæ stat pro lege semper servanda, si hæc jungat res necessarias necessitate Medii, vel Causæ, At Tamburinus amplius vult, ut nimirum quando opinio, quæ stat pro lege ea est, ut non obscuretur ab opposita parte, non solum recipi debeat, si jungat res necessarias Medii, & Causæ, sed etiam debeat recipi, si res sint necessariæ ex quocumque capite, seu præcepto.

7. Denique Comitolus (esto) nunquam patitur, ut recedamus à sententia, quæ stat pro lege. At Tamburinus, si non sic absolute, certe cum sua solenni exceptione, nunquam patitur, ut recedamus à sententia, quæ stat pro lege, si probabilitas ex parte legis obscuret, seu vincat illam, quæ est opposita. Quando autem vincat, vel non vincat, late ipse prosequitur (ut aliàs notavi) *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. à num. 12.*

Aliæ observationes contra prædicta à Baronio.

8. Recolendum est Secundo, Tamburinum noluisse recipere, ut vidimus supra *c. 2. num. meo 16.* illam sententiam, quæ dicebat, posse nos indifferenter sequi opinionem in minimo gradu probabilem, quomodo ergo, Baroni, nunc de Tamburino absolutè dicis (Gradu omnium minimo?)

9. Recolendum est Tertio, Tamburini sententiam, per quam possumus authoritati extrinsecæ fidere; debere vallari à quatuor conditionibus; hoc est, ut Author, qui illam affert, sit Primo, doctus. Secundo, Rem ex professo tractet. Tertio, firmam rationem pro se habeat. Quarto, nihil appareat contra ipsum convincens, ut vidimus supra *c. 2. n. 7. meo* Quomodo igitur nunc temere mutilans doctrinam ejus, dicis (vel extrinseca ab uno Authore) & nil præterea, tacens tanti momenti conditiones?

10. Recolendum Quarto, quod millies repetii, unde vereor, ne quis mihi exprobret crambem recoctam (sed ignoscat benevolus lector, adigor enim ab Adversario) Recolendum, inquam, Quarto, nunquam Tamburinum admisisse, tenuissimam probabilitatem, & quando admisit tenuem, cum illa exceptione semper admisit, modo ab opposita parte tenebras non conceperit. Cur ergo tu iterum, iterumque inculcas illud (tenuissimæ probabilitatis?)

11. Recolendum Quinto, alios Doctores non Jesuitas, ut vidimus supra *c. 2. à n. meo 13.* sustinere, etiam in fine mortis probabilitatem illam eligi posse. Cur ergo tu unum Tamburinum reprehendis?

Respondebis, quia hic est à Theophilo commendatus. Optima Responsio. Non ergo doctrina te vellicat, sed aliquid aliud.

Qua fidelitate prædicti Doctores citentur.

12. Dictum est modo (esto, esto, &c.) nam cæterum prædicti Doctores, qua fidelitate afferantur nunc, Attica fide, breviter expendam.

Initium sumo à Comitolo, ejus verba sic retulit modò Baronius.

BARON. *Comitolus l. 1. q. 15. nunquam patitur, recedamus à sententia, quæ stat pro lege, quæ una illi tuta est.*

Audiamus nunc Comitolum, ac videamus, an hæc ipse dicat *loc. cit. lib. 1. q. 15.*

Quæstio XV.

COMITOL. *Annua Confessionis sive anni, quo quis de suis peccatis confiteri debet, initium sumendumne sit ab extrema Confessione, an à tempore Paschatis, à doctis quæsitum, & disputatum, Sotus annum Confessionis exordiatur à postrema. Sanctus vero Antoninus confitendi tempus vult esse Pascha, &c.*

Et paulò post. *Posterior sententia (hoc est S. Antonini) verior existimari debet non solum numero, & authoritate Doctorum, sed etiam potissimum ratione, quia Ecclesiæ leges, quæ Generales sunt, debent esse certæ, & fixæ, & certa, & fixa habere tempora, ut & ii, qui parere debent, sciant, quando paren-*

parendum, si, & Iudices, qui non obedientes coercere debent, intelligere possint quando his obtemperatum non est. Id quod fieri non posset, si à postrema Confessione, quæ arbitraria cuique esse potest, anni initium ducendum foret.

13. Hæc Comitolus, & ne verbum quidem amplius. In quibus nulla prorsus mentio probabilitatis, nulla de ejus vi disputatio, nihil de opinione, quæ stet, vel minus stet pro lege; sed solum docet, legem debere esse certam, fixam, & certa, fixaque habere tempora. Quæ quidem recte esse dicta, quis ambigat? Quo ergo organico instrumento, Baroni, ista hæc trahis ad probabilitatem, qua de agimus? fortasse ex illis verbis (leges debere esse fixas, ac certas) sed non advertis, id dici ex parte objecti; id est, quod ipsæ leges certæ & fixæ esse debent à legislatore latæ; nostra autem quæstio est ex parte actus; an scilicet homo possit putare probabiles, vel non probabiles rationes pro dicta lege, vel contra ipsam. At nimis subtiles istæ distinctiones videbuntur amico nostro, quamvis illæ sint hodie etiam Tironibus logicis compertissimæ.

14. Progrediamur ad Suarium, quem sic refert Baronius.

Vult Suarius illius (Comitoli) sententiam valere, &c. si sanciat res de necessitate medii vel causæ, &c.

15. Nimis indistincte affers sententiam Suarii, & tamen distinctio in aliquo tibi Baroni favet. Duo hoc in loco T. 4. d. 26. sec. 6. à num. 5. docet Suar. prius, in materia Jurisdictionis ad absolvendum à peccatis; utitem in materia de Baptismo, deque aliis Sacramentis, debere semper eligi tutiorem viam, & probabiliorem, omissa probabili. Posterius in quacumque alia materia universaliter, quæ pertineat ad factum conscientiæ, idem esse sentiendum. Non refero ejus verba, fateor enim ita illum sentire in citato loco. Sed pronuntio, quoad prius, in eadem omnino esse sententia Tamburin. cum Suario, ut videre licebit ei, qui leget, *lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. num. suo* 20. ubi ipse agit de Ministro Sacramentorum. Quo ad posterius, fateor etiam id Suarium dicere in hoc loco, sed incidenter (nam alibi, ubi de hoc ex professo tractat, favet legitimæ probabilitati; ut mox *num. meo* 19. videbis cum Sanchez) sed noster Tamburinus alios Authores, & eumdem Suarium in hoc alio, ut dixi, loco secutus est, cum limitationibus tamen supra explicatis. Quare si ex fide Baronius loqui voluisset, dicendum illi erat, Tamburinum secutum esse Suarium in eo loco, ubi de re ex professo tractat.

16. Denique accedamus ad Thomam Sanchez loco cit. à Baronio, qui sic illum refert.

BARON. *Sanchez credit, sin toto vitæ decursu sectanda sit hæc sententia, versanti ad minus in articulo mortis esse eligendam, ne de æternitate periclitetur.*

17. Dicis ergo, si bene tua dicta interpretor, Baroni, Thomam Sanchez docere, *si in toto vitæ decursu non sectanda sit sententia eligens partem tutam, vel probabiliorem, omissa probabili, saltem esse eligendam in articulo mortis, ne de æternitate periclitemur.* Ita sane dicis, sed dicis falso. Nam Sanchez ait, etiam in articulo mortis sequentem opinionem probabilem non peccare, quia sequens opinionem probabilem, securus est à peccato; sed addit, si quis habeat peccatum, quod probabiliter credat, non esse mortale, licet ob probabilitatem, quam habet, non teneatur illud confiteri, quia sequitur opinionem probabilem; tamen, quia coram Deo illud peccatum forte vere fuit mortale, ideo necesse habebit, saltem de eo conteri, nam opinio probabilis excusat à culpa, non tamen remittit peccatum, si forte verum fuit. Hæc Sanchez. Falsò igitur Baronius dicit, Sanchez absolute velle, ut sententia probabilis non eligatur in articulo mortis; potest enim eligi per illum, etiam tum, sed cum alia explicatione.

Hæc autem sunt verba Sanchez *l. 1. cit. in Dec. c. 10. à num. 75.* quæ libenter hîc adscribo, quia pertinent id, de quo nunc disputamus, facient ad totam quæstionem de Probabilitate.

18. TH. SANCH. num. 75. *Hactenus agimus quid in Dubio. Superest quando Iudicium est probabile, seu Opinio. Salas ait, licet tamquam probabilius opinetur Pœnitens non esse aliquod peccatum mortale, vel jam Confessione detectum, teneri eum, ad illud confitendum, &c.*

Sed dicendum est, non teneri hunc, fateri peccatum quod probabili opinione credit, non esse mortale, quatenus quispiam licite operari, sequendo probabilem sententiam, si satis probavi c. præc. num. 14. nec contrarius Ecclesiæ testimonio aliquo ostenditur.

19. *Atque ita docent Rosella, Sylvest. Gerf. Henriquez, Suar. To. 3. in 3. p. d. 22. sec. 9. num. 5. & 6. qui optime eo num. 6. ait, hoc esse verum, etsi hic putet tamquam probabilius, illud esse peccatum mortale, quia non tenetur quis sequi probabiliorem opinionem, si satis est probabilem, ut satis probavi cap. præced. num. 14.*

Nota Suarium hoc in loco, ubi de probabilitate serio tractat (ut vel cæcus in ejus Textu citato videbit) non favere solum, sed legitimam omnem probabilitatem amplecti?

Verum pergit Sanchez.

21. *Atque eadem ratione idem est dicendum, quando Pœnitens probabiliter opinatur, se id peccatum fecisse, quamvis probabilius credat oppositum. Sic Suar. qui non obscure etiam docuit Navar &c.*

Et paulò post, id est, sequenti *num. 77.*

22. *Hinc* (ait *excepit Henriquez., nisi Pœnitens sit in mortis articulo, tunc enim ait, teneri illum confiteri illud peccato, quamvis probabiliter credat, non esse mortale, quia etsi opinio probabilis excuset à culpa, non supplet tamen necessarium remissionis peccatorum medium, si forte hoc coram Deo fuit mortale: ubi de confessione nil dixit; & quidem merito, quia probabilis opinio eum excusat à confessionis præcepto, & ei periculo defectus remedii necessarii ad ejus remissionem, si forte fuit mortale, subveniretur satis contritione illa, cum id non teneatur, durante ea opinione, fateri, & ipsa contritio illa remitteret id peccatum in ordine ad claves Ecclesiæ, &c.*

Hæc Sanchez, qui, ut legisti, nimis perspicue docet, probabilitatem vim suam excusandi à culpa exercere, etiam in articulo mortis, quamvis non ponat necessitatem medii, seu supplendi illud, quod est de necessitate medii. Hoc enim posterius nullus, vel laxissimus Probabilista somniavit.

CAPVT XXVI.

An sibi conveniant duo nostri Authoris dicta.

1. SIbi pugnantia docuisse Authorem nostrum, frustra dixisse Baronium, vidimus supra *cap. 23. num.*

d. meo num. 36. Simile quid in præsentia cavillatur, *l. c. §. 2. fol. 79.*

BARON. *Sibi ipsi (Tamburinus) repugnat, &c. Audisti, ad securitatem conscientiæ ipsum requirere probabilitatem opinionis ab extrinseco tantùm, & ab Authore; vel ab intrinseco, & argumentis. Sed quasi hujus doctrinæ ipsum pœniteret, utramque permiscet probabilitatem; dum respondet* lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3. *ad illud quæsitum. An Authoritas unius Doctoris sufficiat ad probabilitatem tutam. Respondet, inquam, unum sufficere contra innumeros, si doctus sit, rem ex professo tractet, firmam rationem pro se habeat, nec appareat contrà ipsum aliquid convincens. At qui hæc omnia ad probabilitatem intrinsecam pertinent.*

2. Dicis ergò Tamburini repugnantiam in eo consistere, quod in priore loco requirat ad securitatem conscientiæ probabilitatem, vel extrinsecam, vel intrinsecam, at in posteriore miscet probabilitates, & requirit ad dictam securitatem utramque; hoc est probabilitatem, tùm extrinsecam, tùm intrinsecam.

Verè usurpabo de te puerile illud, & tritum, *legere, & non intelligere, est negligere*; intellexistine doctrinam Tamburini, undè colligas in posteriore loco ipsum requirere ad securitatem conscientiæ utramque probabilitatem? Immò ipse in hoc posteriore loco signatè dicit, satis esse extrinsecam; exscribamus hîc textum Tamburini *lib. 1. in Decal. c. 3. §. 3. num. 5.*

3. TAMB. *Tunc solùm puto, sufficere unum, tametsi contrà innumeros Doctores is doceat, quandò idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque pro se rationem habeat; nec apparet contrà ipsum aliquid convincens. Ita Azor. Vasq. Ratio est, quia ex tali Authore sic vallato nascitur meritò prudens Iudicium. Quod si ejusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur; idque tu Doctus animadvertas, non vales illius sententiam regulariter excipere, nec illam aliis amplectendam proponere: cùm tamen possit indoctus. Ratio est; quia tibi non potest tunc innasci Iudicium prudens: Indocto potest; vel certè illum (Authorem) sequi eidem indocto, qui sine culpa et Doctori fidem habet, culpæ non datur.*

4. *Dico (regulariter) nam potest contingere, ut ille, sit adeò doctus, ut tibi liceat prudenter judicare, rationem illius firmam esse, sed minùs à te penetratam, vel notam, & item judicare, ipsum, rationem eius in contrarium tibi probatissimam, facilè posse diluere; in hoc enim eventu ejus Opinionem, utpotè* EXTRINSECE *probabilem, si amplectaris, prudenter ages.* Hactenùs Tamburinus.

Equidem lego hîc, posse Indoctum, qui non novit rationem, quâ fulciturille Doctor, hujus sententiam sequi. Id quod quidnam est, nisi mera, puraq; probabilitas extrinseca? Et clariùs lego in postremis productis lineis (utpotè EXTRINSECE probabilem) ergò quibus tu perspiciliis adjutus legisti tantùm (*ut aiis*) INTRINSECE? Verùm id factum est, ut noveris, amice Baroni, in quos errores tè abripuerit maledicendi Orexis.

6. Sed vela contrahamus; atque arma defensiva pro veritate hactenùs, quasi parasphten, tractasse, sit satis: arma enim offensiva ab aliis impugnator expectet. Meum interim Præceptorem iis verbis solabor, quæ S. Hieronymus usurpavit in Epistola ad Furiam de viduitate servanda.

S. HIERONYM. *Fieri non potest, ut absque morsu hominum vitæ hujus curricula quis transeat.*

Laus Deo, Beatissimæ Virgini, ac Sancto Michaëli meæ Civitatis Caltanissettensis Patrono.

BIBLIOPOLA LECTORI.

QUod Germana P. THOMÆ TAMBVRINI Doctrina à D. Sanmarco expoſita, locum quoque in hoc Apologetico obtinuerit, non ideò factum puta, Benevole Lector, quod omnia Tamburini placita probentur; (contrarium enim ſatis conſtat ex dictis, ſuprà parte 1. pag. 681. ac præcipuè in præliminari Epiſtola) ſed ut Vincentii Baronii nimia calumniandi libido etiam in eo Orbi litterato pateſieret. Quem in finem, operæ pretium duxi, etiam hic ad calcem per modum APPENDICIS adjungere, quam nuper ab amico è Gallia accepi, LUDOVICI CARTERII Vindicationem à morſibus eiuſdem Baronis: quæ cùm vix intelligi queat, niſi libellus Carterii antè oculos habeatur, viſum eſt & hunc appendere, cum præſertim in Germania vix aliàs innotuerit. Et quamvis ſit alterius argumenti; quia tamen ex eodem amaro fonte (livore ſcilicet & illaudabili æmulatione) promanat inſectatio doctrinæ Societatis, tam quoad ſcientiam mediam, quàm quoad Theologiam Moralem, non incongruè utriuſque vindicatio aliquatenùs copulatur. Certè Excalceatus ille, qui ſub ementito GERMANI PHILALETIS EUPISTANI nomine, ſcientiam mediam a Examen typis Duacenis nuper revocavit, in Epilogo non erubuit pronuntiare, eò quod Societas verſatilem Molinæ gratiam, excluſâ per ſcientiam mediam Prædeterminatione phyſica, elegerit; ideò dimiſit eos Deus in adventionibus ſuis, ut eorum in Ethicis dogmata apud pleroſque eruditos modò non in levem laxitatis intolerabilis ſuſpicionem traducantur. At quam Suſpicio iſta ſit nequam, facilè patebit hujus Apologetici Lectoribus nullo Janſeniſmi fermento aut confœderatione afflatis; quanquam ad hoc Apologetici lectione opus vix eſt, cum ementitus ille Philaletes ſuum commentum ipſe evertat. Quomodò enim Societas (ut ipſe conceptis hiſce verbis affirmat) ſpecialiter à Deo electa eſt, ut eſſet Magiſtra Veritatis; & tam mox dimiſſa, ut ejus Doctores ſimul in Hiſpania, Luſitania, Italia, Gallia, Belgio, Germania, fierent Magiſtri Scientiæ mediæ, hoc eſt (juxta æmulos falſitatis? Quis cum recta ratione non potiùs oppoſitum inferat. Hoc enim & Eccleſia in V. Lectione Feſti S. IGNATII non obſcurè agnoſcit, cùm de S. Patriarcha pronuntiat: Ethnicæ ſuperſtitioni, & hæreſi bellum indixit, eo ſucceſſu continuatum, ut conſtans fuerit omnium ſenſus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum ſicut alios aliis temporibus viros; ita Luthero ejuſdemque temporis hæreticis Ignatium, & inſtitutam ab eo Societatem objeciſſe. *Sapienti pauca!*

LVDO-

LUDOVICI CARTERII VOCONTII,

Sacræ Theologiæ, & Juris utriusque Doctoris, JUSTA EXPOSTULATIO

De P. M. Xantes Mariales Ord. Prædicatorum, Authore Bibliothecæ Interpretum ad Summam D. Th. quatuor voluminibus distinctæ, Venetiis editæ an. 1660. & per antichronismum anno 1638.

LECTORI BENEVOLO.

Ita à natura comparatus sum, Lector benevole, ut cùm illatam insontibus iniuriam ferre non possim, ad ferendas iniustè oppressis suppetias, impetu quodam naturæ duci ac ferri me sentiam. Hinc nuper accidit, cùm Bibliotheca P. M. Xantes Mariales Ordinis Prædicatorum in meas manus venisset, in qua ea Patribus Societatis Iesu convitia aspersa sunt, quæ vix ullus, quamvis alioquin petulcus hæreticus effutire potuisset, ut non parum inde commotus fuerim & nonnihil vindictarum jam tum coperim meditari. Variæ rationes fecerunt, ut aliquamdiu sustinuerim; his tamen vel sublatis, vel parùm movent ibus, hæc pauca prætermittere volui, ad veritatis & justitiæ defensionem, (nec enim dubito, quin de hoc argumento alures scripturi sint) curavi tamen diligenter, ne dum per æ injustitia defenditur, Christiana charitas lederetur. Innocentissimum defensionis genus adhibui, quod scilicet in mera expostulatione positum est. Expostulo verò tum de ipso Bibliothecæ authore, quem deinceps, brevitatis ergo, Bibliothecarium appellabo (si tamen multi authores non sint, & nomen illius Legio) tum etiam de nonnullis aliis eiusdem Instituti hominibus, qui sedulò navarunt operam editioni, promulgationi, distractioni eiusdem vastissimi operis, quos hic dumtaxat compello; alios enim, ut & S. Ordinem impensè colo ac vereor.

Unum porro enixè te rogo, ingenue Lector, ut judicium sustineas, dum totum libellum lustraveris, quem hac lege censuræ tuæ ultrò subjicio. De multis pauca & præcipua expostulationis capita selegi, ut multa paucis complecterer. Longè majoris molis opus facilè cudere potuissem; sed tuo commodo & meo consultum esse volui; ut in hoc etiam Bibliothecario dissimilis essem. Librorum pretium, ut lapidum non rarò statuendum est, & perexiguus lapillus pluris haud dubiè censendus, quam durus silex, vel deformis rupes. Tuis saltè oculis peperci, quos cum illa insana quatuor voluminum mole oppressisset, brevis opusculi lectione recreandos ac reficiendos esse putavi.

Cæterum, si convitiorum, quibus ille Iesuitas proscidit, atrocitatem & iniuriæ gravitatem serio apud te reputes, nullus dubito, quin huius expostulationis lenitatem, atq; adeò consilium meum magnopere laudes: Vna quippe necessitas, cum aliud remedium non suppeteret, hæc pauca penè invito extorsit; & licet indoles mea eò inclinaret, indè tamen pacis amor & rixæ non movendæ studium me plurimum revocabant. Quicquid sit, dilectis mihi capitibus hoc quantulumcunq; grati animi officium præstare debui, quod si vel ipsis arriserit, vel tibi gratum fuisse intellexero, ad maiora profectò illorum, tuiq; gratia, me accingam. Vale.

CAPUT I.

Huius scriptionis occasio exponitur.

Iam sesquiannus excurrit, ex quo Bibliothecam suam, (Admodùm Reverendi Patres) nutu vestro & consilio, Xantes Mariales vester, quatuor Tomis distinctam, Venetiis mandatam typis, in publicam edidit lucem. Quæsivi non semel ex Patribus Societatis Jesu, quos acriter in hoc opere præfatus author perstringit, eorumque doctrinam, mores, Institutum damnat, & multiplici convitiorum elogio hujus Ordinis authores decorat passim: exiis inquam quæsivi, utrùm illorum quispiam tam falsa & injusta sibi afficta refellendi ac refutandi provinciam suscepisset: Negarunt ipsi ullum esse, non sanè quod multis, ut scribendi animus, ita & voluntas non suppeteret; sed hanc causam ad sacrum tribunal fuisse delatam; totum opus censurâ & confixione dignum ab Eminentissimis Patribus judicatum; proditum iri propè diem conditi decreti promulgationem; ac proindè supersedendum, & nihil interea movendum. Hæc ratio mitigavit me aliquantulùm, fecitq;, ut sustinerem. Ut enim Societati addictissimus sum, tam atrocem injuriam huic illatam ægrè, imò ægerrimè ferebam; sed cùm sesquianno jam elapso, nullum decretum promulgatum fuisset, & nullus ex Societate, præ immoderata & immodica circumspectione rescriberet, libri tamen per totam Europam, non mediocri diligentiâ, dissemi-

dissèminarentur, & à primoribus Ordinis vestri, ut ab amicis certior factus sum, Eminentissimis Cardinalibus, quasi reportatæ victoriæ trophæum porrigeretur; uno verbo, cùm ex Romanis literis accepissem, eò causam istam, vestrorum artibus & authoritate adductam esse, ut de promulgatione decreti desperatum esset, sustinendum ultrà non duxi, ne veritatis & justitiæ causa in discrimen adduceretur. Et ne vasti operis lectio vestros oculos fatigaret, vel crassioris libri editio longiorem moram & procrastinationem afferret, aliquot justæ expostulationis capita apprimè considerata præmittere volui, quæ si vobis fortè arriserint, indè animum mihi facietis, integram & justam vestræ Bibliothecè refutatationem publicandi. Hæc unica & germana fuit hujus scriptionis causa; hunc mihi dumtaxat finem proposui, ut brevem & justam de vobis & auctore vestro expostulationem vobis ipsis, aliisque, quibus hujus Bibliothecæ copiam feci stis, palàm exponerem, ne fortè, quod nonnullis satis familiare est, ex Jesuitarum silentio, publicam & legitimam totius operis contra illos editi approbationem duceretis. Justam autem querelam, vel expostulationem esse, nullus, opinor, inficias eat. Summa pax erat & tranquillitas; & licèt multiplicem Jesuitis expostulandi occasionem identidem præberetis, sustinebant tamen, & studio pacis, taciti concoquebant, ne vel aliquid excideret, quo Christianam & religiosam pacem interturbaret. Multa enim, ut scitis, in librorum editione, confixione, vectura, per summam injuriam à vobis patiuntur, non sine probris aliquandò & convitiis, quæ pro bono pacis, hucusque toleranda & dissimulanda esse duxerunt, nec multa scribendi materia iis deerat, & satis opportuna occasio affulgebat; damnatis enim Jansenii erroribus, quantùm indè ponderis atque momenti Jesuitarum causæ accesserit, vestræ verò subductum sit, probè sciunt, quotquot in secretiora Theologiæ adita penetrarunt: aderant & jam alia incentiva, quæ fortè infrà commemorabo, ne quid reticeam, quod ad certam & indubitatam hujus expostulationis justitiam conducat. Cæterùm ita vobiscum agam, ut stylum Christianum & moderatum esse agnoscatis: nullo calamus felle atque veneno, sed mero justæ & moderatæ defensionis succo imbuetur; non sine admixto christianæ charitatis & modestiæ lenimine: nullum mihi convitium, vel acrius verbum excidet; sed id potissimùm enitar, ut suus veritati sit locus, sua justæ causæ defensio, & tandem mundus agnoscat, an justam vobis expostulandi occasionem Jesuitæ præbuerint, an vos illis potiùs præbueritis.

CAPVT II.

Judicium libri præmittitur,

CEnsoris hoc loco partes non ago; quia tamen hæc vestra Bibliotheca scribendi causam mihi præbuit, quid de libro illo judicem, saltem indicare, mei muneris esse videtur: verbo dicam, hic Liber sine approbatione & cum manifesta fraude ac fictione editus in lucem fuit; nihil in eo conspicuum, præter insignem maledicentiam & luculenta convitia esse video; materiam verò incompositam, rudem & indigestam molem, inconditam rerum farraginem, crambem recoctam; nullam argumentorum vim, nullum rationum robur atque momentum, nullum nisi chartæ & quadruplicis voluminis pondus: omnia denique jam sæpè ac sæpiùs ad nauseam diluta, trita & disputata, nec alio fine accumulata & congesta, nisi ut latior campus convitiis vestris pateret: magnum illa quatuor majorum voluminum mole Jesuitarum nomen, rui posse credidistis, qui tamen librorum molem non timent, sed rationum pondus; saltem ad ostentationem aliquid conferet, & fucum simplicioribus faciendum.

Quanquàm, ni fallor, grandem illam molem eo dumtaxat fine erexistis, ut prolixiorem epigraphen sustineret, quam ex selectis convitiis & calumniis illisque hujuscemodi rerum & verborum adversus Jesuitas, elogiis contexere voluistis. De formata ducta nihil dicam, quia nihil nisi informe aspicit nullus hic rerum ordo, nulla series argumentorum omnia perturbata & incomposita; innumeræ tricæ scholasticæ; stylus demùm plusquam barbarus: totum fortè esse par erat, ut dictionis barbaries, mixtura urbano & parùm humano consilio serviret, ut aperciùs Jesuitas exciperetis, nihil molle, nihil planum aut tersum in stylo, nihil gratum & amœnum in dictione habere voluistis. Hoc igitur meum de vestra Bibliotheca judicium esto. In hoc libro, indigesta materia, informis forma, stylus barbarus, nullæ sententiarum lumina, sed æternæ convitiorum & calumniarum tenebræ, nulla prorsùs nisi aculeorum acumina, omnia demùm verborum eluvie & calumniarum livore fœdata.

CAPVT III.

Pax frustrà turbata.

UBi tantus quatuor voluminum apparatus, et quo præcurrens fama, longè majora spatia in meam cognitionem venit; cogitare primùm cœpi & mecum ipse reputare, prudenter fieri non potuisse, ut sine gravissimis rationum momentis diuturna pax à Thomistis turbaretur, & antiquum bellum restauraretur, certi sunt, inquiebam, victoriæ, incautum hostem & incogitantem aggrediantur: nova lux demonstrationis haud dubiè iis affulsit, sive ad propriam sententiam adstruendam, sive Jesuiticam destruendam; alterutrum enim fatis videbatur: nihil tamen cogitanti mihi occurrebat, quod facilè à me refelli non posset. Ubi autem Bibliothecæ vestræ copia mihi facta esset, & omnia diligenter lustrassem, timore in admirationem conversò, vix oculis meis habui fidem: hæccine, inquibam, est illa Bibliotheca, novis argumentis instructa, quæ ultimum Jesuiticæ doctrinæ excidium allaturæ esse videbatur? in qua tamen nihil novum præter titulos, & rerum farraginem, & convitiorum omnis generis eluviem reperio. Hac de re vobiscum expostulo RR. PP. Pax enim frustrà turbari non debuit, nec antiquum bellum restauràri, nisi aliqua spes victoriæ vobis affulgeret; imò tanta voluminum mole opus non erat, cùm res paucis confici & expediri potuisset, nempè jam ferè à sexaginta annis, tria vobis argumenta contra physicam vestram prædeterminationem, à Jesuitis proposita fuerunt, quæ revera si illa vere potuissetis, nihil turbarum amplius, nihil disputationis supereſſet: primum à libertate hominis petitur, quam prædeterminatio vestra è medio tollit, cum antecedentè ut vocant, necessitatè inducat: secundum à gra-

à gratia sufficiente, quæ in hac vestra hypothesi stare non potest; si enim prædeterminatio adsit, sequitur effectus, illa igitur gratia non est merè sufficiens, sed efficax; si verò absit, effectus poni non potest; illa igitur gratia sufficiens esse, aut dici nequit: tertium à peccato, cujus reverà Deus auctor esset, si ad quemlibet actum voluntatem hominis prædeterminaret.

Varia quidem distinctionum effugia excogitastis; sed jam omnia præclusa fuerunt, illud præsertim toties recantatum, *sensus compositi & divisi*, & variè à variis explicatum, explosum fuit; licèt enim adsit facultas agendi in sensu composito, abest tamen non agendi, vel dissentiendi potestas, & vicissim adest facultas dissentiendi, & abest agendi potestas, in sensu diviso: necest quòd aliqui dicant, componi dumtaxat, vel supponi causam ipsius libertatis: nam reverà prædeterminatio, quæ supponitur, est causa necessaria, voluntatis imperio, vel arbitrio nullo modo subjecta, etiamsi divinæ voluntatis instrumentum sit; ita enim voluntatem hominis ad agendum movet atque inducit, ut fieri non possit, quin ex illa actus secundus, ut vocant, tanquàm ex principio & causa necessaria, consequatur; nisi autem hæc sit necessitas antecedens, quid sit necessarium, intelligi nequit. Alii non necessarium, sed infallibile vocant; at semota scientia Dei, quicquid ita est, ut non esse non possit, necessarium est, talis porrò est ille actus, qui ex prædeterminatione oritur; mera igitur necessitas est, ut patet.

Antequam igitur diuturnam pacem turbaretis, & litè ferè sopitâ denuò excitaretis, tria illa argumenta erant vobis solvenda, quod cum minimè præstiteritis, totus iste apparatus in cassum est. Nisi fortè aliquid auræ apud plebeculam scholasticam captare volueritis; aut certè Jesuitas, quibus hoc scriptionis argumentum interdictum est, incautos obruere: sed hæc quoque fruſtrà: aliquid saltem novi afferre debuissetis, & tot parerga, quæ ad rem non faciunt, omittere: quid enim ad rem variæ quæstiones, quas auctor vester congessit? abstinendum quoque fuerat à convitiis; quanquam, ut jam olim multi observarunt, nihil ferè aliud in hac materia vobis suppetit; dicam iterum, quamdiu tria illa argumenta non solvitis, oleum & operam perditis; mihi credite. Quod argumentis nunquam obtinere poteritis, summa illa, qua Romæ polletis auctoritate, obtinere satagite, & procurate, ut Romanus Pontifex litem decidat; hoc certè ingratum Jesuitis non accidet, immò gratissimum erit; quidquid tandem definiat; hoc unum supererit; reliquæ disputationes inutiles & superfluæ, in quibus tria illa argumenta vobis semper opponentur, vos ad speciem solvetis, & solutiones vestræ ac responsiones, ut minus appositæ, quod & hucusque factum est, explodentur. Cæterùm cùm cùm probra & convitia ad tantam voluminum molem non sufficerent, multa parerga, ut dixi, quæ ad causas vos inter atque Jesuitas vertentes non pertinent, accersere voluistis: sed hæc nihil ad me, quia nihil ad rem. Constat igitur, diuturnam pacem à vobis fruſtrà turbatam fuisse & antiquum bellum restauratum, quod dubito, an vobis fæliciter cessurum sit.

(:†:)

CAPVT IV.

Doctrina Societatis immeritò confixa.

PArum abest, quin oculis meis fidem omnem detrectem, cùm ea lego, quæ in hisce voluminibus de doctrina Jesuitarum hic vester Bibliothecarius scripsit Tom. 1. controvers. prolegom. tom. 4. ferè per totum, & in aliis duobus passim, sententiam Societatis, oppositum scilicèt vestræ prædeterminationi, *Esse blasphemam in Philosophiam, Theologiam & Deum, odiosam, execrabilem, ab omnibus Academiis rejectàm, tanquam monstrum, Apostolica sententia fulminatam, monstrosam, periculosam, novum figmentum à Pelagianis inventum, fundamentum totius Pelagianismi, abortum indignum, contra quem vestri pugnantes fidem catholicam propugnant. Nempè Iesuita toto orbe Ecclesiam depravare conantur, sepultarum opinionum innovatores; venerandæ antiquitatis jurati hostes, humanarum mentium verborum lenociniis depravatores, Sancti Thomæ & Sanctorum Patrum corruptores.* Omitto reliqua, vel ut veriùs dicam, ad sequentes expostulationes remitto, ut primo loco & ante omnia de atrocissima calumnia Jesuitis afficta expostulem, quorum doctrinam de divina scilicet gratia, pro Pelagiana & hæretica traducitis.

In hoc vobis Novatores Heterodoxi suo exemplo præluxerunt; quis enim illorum, qui de hoc argumento scripserit, non dixit, Jesuiticam sententiam de divina gratia esse meram putam Pelagianam? hoc Lutherani, hoc Calvinistæ, hoc Jansenistæ, plenis & rotundis buccis crepant ex pulpitis, & centenis voluminibus in lucem editis exaggerant. Supponunt autem suam sententiam, Jesuiticæ prorsùs oppositam, quod ipsi ultrò fatentur, veram & Catholicam esse; hanc tamen Tridentinum, Innocentius X. & Alexander VII. uthæreticam damnarunt, Perpendite, amabo, ac seriò apud vos ipsi reputate, an fortè laudi vobis vertatur, Hæreticorum exempla imitari. Jesuitæ facilè reponere possent, non sine multiplici fœnore: nempè, ut Hæretici Jesuiticam de divina gratia doctrinam damnant, & Pelagianam esse declamant, ita vestram mirificè laudant, atque approbant, & clamant, eamdem esse cum sua; hæc tamen ut dixi à Tridentino & tribus Pontificibus confixa est. Centies hoc publicârunt & typis mandârunt Montaltius, Wendrockius, Paulus Irænæus, Lanæus, Arnaldus, Maresius: hoc dumtaxat clypeo se tegunt, & non aliam à Thomistica se profiteri doctrinam jurant: idem clamare non cessant, quotquot inter Lutheranos, Calvinistas, & Jansenistas de hoc argumento scripserunt.

Jesuitæ, qui oppositum sibi argumentum adeò facilè retorquere possent, hoc non urgent; imò pro sua in vos humanitate, vos hac nota liberare conātur; quo tamen eventu, viderint ipsi. Illud certè notorium est, quod Eminentissimus Perronius coram Paulo V. Pontifice maximo asseveranter affirmavit, scripsitque ad Henricum IV. Galliæ Regem, se facilè curaturum atque obtenturū, ut omnes Calvinistæ Galli vestræ sententiæ subscriberent; vidimus theses vestros Parisienses, Bononienses, Gallobelgicas, Cracovienses, in quibus Jansenianis dogmatis multùm sanè favetis. Quantū Jansenianæ causæ patrociniū Romæ præbueritis, quia res trita est, saltè à me indicari, æqui boni q;

consuletis; quid Nolanus ea de causa missus in carcerē Sancti Officii, quid Reginaldus, quid alius, qui concionem Caroli Hersan approbavit, quid alii multi ex prioribus vestri Ordinis pro Jansenistis egerint, nemò ferè ignorat: congressus hebdomadarii apud Minervam vestram cùm Jansenianis Doctoribus habiti, adeò publici erant, ut neminem istius causæ non prorsùs imperitum latere possint. Quid demùm vestri de 5. propositionibus senserint, il præsertim, qui ab Innocentio X. ad illas discutiendas deputati fuerant, nemo nescit. Quoties Candidus vester eas pro Catholicis habuit, & habendas esse sanctè juravit?

Hæc Jesuitæ facilè reponere possent, atque adeò argumentum facilè retorquerent, non sine concionis plausu; quis enim cordatus homo non videat, illā doctrinā erroneam censeri non posse, quæ doctrinæ damnatæ opponitur? Clamant quidem Jansenistæ & Calvinistæ Pelagianam esse; sed iidem oppositam, suam scilicèt, ut Catholicam prædicant, nimirùm Augustinianam & Thomisticam: Augustinum ab eorum calumniis multi vindicarunt, nonnulli Thomistas etiam ex Jesuitis; quo tamen eventu, ipsi viderint. P. Sibille vester vindicare conatus est; nullus tamen dubito, quin Jansenistæ illius sententiæ facilè subscribere parati sint: unum omittere non possum, quod à viro doctissimo accepi; Thomistæ, inquiebat ille, Jansenistæ, Calvinistæ idem prorsùs de gratia prædeterminante sentiunt, illam quippè omnes per se intrinsecè ac præcisè efficacem esse volunt; ita ut eâ positâ, necessariò sequatur effectus, & voluntatis dissensus poni non possit, in re igitur ipsa conveniunt; in hoc autem differunt, quod Thomistæ constantissimè negent, ex hoc, necessitatem antecedentem adstrui, aut destrui libertatem; Jansenistæ verò induci necessitatem ultrò admittant, negent tamen destrui libertatem; Calvinistæ demùm utrumque concedant, & ultrò fateantur, induci necessitatem, tolli libertatem: H. sanè pessimè sentiunt, cùm hæreticum sit, liberum negare arbitrium; rectè tamen ratiocinari videntur, ac deducere, ex causa necessaria, necessitatem effectus, ac proindè libertatis destructionem: Jansenistæ malè sentiunt, & malè ratiocinantur; nempè operationem voluntatis necessariam esse dicunt, liberam tamen esse volunt; quia sola coactio, inquiunt, libertati opponitur; errant igitur, quia necessitatem admittunt, malè autem ratiocinantur, quia negant, sequi ex necessario liberi destructionem: Thomistæ denique optimè sentiunt, quia consensum voluntatis, qui ex gratia prædeterminante sequitur, cum libertate conjunctum, & ab omni necessitate liberum esse dicunt; pessimè autem ratiocinantur, utpotè qui ex causa necessaria, sequi necessarium effectum inficiantur. Sic ille.

Ex his, ni fallor, perspicuum est, doctrinæ Jesuiticæ Pelagiani erroris notam perperam à vobis vestroque auctore inustam fuisse. Meminisse debueratis, hæreticos omnes hujus & proximè antecedentis sæculi singulari odio adversus Jesuitas flagrare: quibus verò de causis dicere nihil attinet, cùm omnes sciant, & Jansenistas, quorum doctrina damnata est, vestræ subscribere, eamque pro sua jactare. Is cui tectum vitreum est, in vicinum proximi hortum lapidem non mittat, ut communi paræmia ferunt; & ut rectè monet Tullius in Verrem, *non modò accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.* Ecclesia, inquies, doctrinam Thomistarum de divina gratia nunquam damnavit? ita est; nunquam expressè damnavit; nunquam definivit, ex illa gratia prædeterminante, consensum necessitatem & minimè liberum sequi; quod tamen vobis Jesuitæ ratiocinando, & vi legitimæ consecutionis opponunt: nunquam tamen declaravit Ecclesia, ex præ... gratia prædeterminante, liberam operationem sequi. Procurate, amabo, pro ea, quâ summoperè vel... auctoritate, ut ab Ecclesia hæc controversia defi... tur; hoc sanè pergratum Jesuitis accidet. Jam pr... lusum est in Jansenio, quem aliqui ex Theologis ... putatis damnari posse negabant, nisi Thomis... sententia damnaretur; eos tamen opinio fefell... cet negari non posse, quin ex tertiæ propositio... confixione, nonnihil præjudicii contra vestram ... pothesim affulgeat. Uno verbo, tria esse hominu... genera hucusque comperi, qui doctrinam Jesu... rum damnant; primum est Hæreticorum, aperto... scilicèt hostium; secundum æmulorum, qui bon... Societatis nomen & modicum illum litterarum ... virtutis splendorem æquis oculis ferre non poss... postremum denique illorum, qui liberiùs, & faci... quàm par sit, de rebus, in quibus parùm versati ... pronuntiant.

CAPUT V.

Acta Congregationum temerè jactata.

CLemens VIII. (ait Bibliothecarius vester to... & 4.) *declaravit, doctrinam Jesuiticam de ... gratia Augustini placitis adversari: Paulus V. Bullam ... didit, in qua præfata doctrina damnatur: Valentia ... dem propugnare ausus est, palam luit, semianimis ad sanc... simos Clementis pedes corruit, & tandem teterrima ... in pœnam audaciæ correptus est. Thomistica verò doctr... miraculis confirmata, & affulgentibus ex vultu Patris ... mos radiis illustrata est.* Has aliasque hujusmodi fab... multi refutarunt, Ripalda, Paulus Leonardus, Am... tus, Hennao, Petrus à S. Joseph, alii; auctores gr... vissimi; & quod caput est, gemino decreto Apost... co cautum est, ne hujusmodi acta citentur: cur ... in cassum illa obtruditis? Bulla Pauli merum figm... tum est, & mera bulla, in qua hucusque tot & tam... procellas excitastis: casus Valentiæ commentit... declaratio Clementis fictitia; vobis quidem in v... fuit, iis tamen sanctissimus Pontifex, quamvis ... quin multiplicis gratiæ impulsu eò fortè inclinar... nunquam morem gessit.

Illa verò, ut vocatis, miracula Patris Thomæ L... mos à sacra Congregatione Rituum, vel Roma... Rota, nondum discussa, nec approbata fuere; imm... Cochetii liber, qui ea liberalius refert, Urbani VI... jussu, eo duntaxat nomine confixus est, quod em... dem Urbanum præfati splendoris ex vultu P. Le... emicantis testem oculatum appellasset. Negare ... genuè sanctissimus Pontifex, splendorem illum d... unquam visum fuisse, & librum Cochetii vestri, qu... adeò confidenter hoc adstruxerat, non fine dedec... configi, & in confixorum indicem referri jussit. No... que Illustrissimus Aluares illorum temporum au... reticus esset, cum indè gravissimum mom... deret causæ, quam ipse acriter, verbo & stylo pro... pugnabat. Jesuitæ res gestas facilè addu... lent: nonnemo pauca quædam recensuit; sed pr... modestia sustinuit. Vos verò cum res gestæ deficer... ad supplendam materiam, plusquam antè laborare... & crambem toties recoctam obtruditis.

Illa-

Illud autem potissimùm queror, quòd decreta Sancti offic i parvi faciatis, cùm tamen aliis vestro exemplo vos prælucere par esset. Jansenistæ hujusmodi acta centies cuderunt & recuderunt, quasi Romanum regestum apud illos esset : & ut scholasticum vulgus fabulis, præsertim si aliquid satyræ insit, vel aculei, mirificè delectatur, vix credi potest, quanto plausu acta illa, quæ nunquam acta sunt, exciperentur, quàm longè & latè spargerentur. Bulla illa chimerica, declaratio commentitia, funestus Valentiæ & Sociorum casus, fabulosa miracula, contra doctrinam Jesuiticam, in libris, in pulpitis, in scholis passim opponebantur; grandis & horrenda machina, simplicioribus & minùs cautis esse videbatur, quamvis à citatis suprà auctoribus sæpè disjecta, diffiata fuisset; in omnibus Jansenistarum, Thomistarum, Discalceatorum, ut vocant, libris, acta illa suum locum habebant: Jesuitæ verò, his rejectis, ac refutatis, alia reponebant: ut historicæ concertationi modus poneretur, Romani Pontifices, gemino, ut dixi, decreto vetuerunt, ne quis in posterum hujusmodi acta, aut declarationem, aut miracula citaret: his decretis minimè paruistis; ego pareo, multam enim alioquin acta illa, quæ Jesuitæ habent, & quorum copiam ultro faciunt, scribendi mihi materiam suppeditarent. Dicam obiter, justum tomum à me lectum esse, in quo tota hujus controversiæ historia numeris omnibus absoluta, ad prælum, quàm primùm per leges licebit, parata, non anilibus fabulis, & chimericis commentis, sed authenticis testimoniis nixa continetur.

CAPUT VI.

Jesuitæ corruptores & contemptores SS. Patrum perperam dicuntur.

In gravissimos Societatis auctores Bibliothecarius vester acerrimè invectus est, Bellarminum scilicet, Valentiam, Vasquem, Fasolum, Pozam, quasi sanctos Patres adulterarint, ac de iis parum modestè, parum honorificè, parum piè scripserint. Non cito loca, quæ passim occurrunt.

Quid sibi velit Mariales vester, capere animo non possum; nempè auctores Societatis, quotquot saltem in meam cognitionem venerunt, de SS. Patribus ea modestitia scripserunt, & reverentia, quæ Doctores Catholicos decet. Quantum ipsi ex SS. PP. lectione profecerint, frustra dicerem; ne quæso verbis meis, sed illorum operibus credite. Quid Suarez, Vasquez, Valentia, Molina, Petavius, Bellarminus, Annatus, aliique plurimi in hac parte præstiterint, toti orbi literatio perspectum est; tum in expugnandis ac refellendis Hæreticis, tum in Catholicæ fidei dogmatis confirmandis, tum in legitimo sacrorum codicum sensu eruendo. Et verò dicere ausim, non parum inde lucis honorisque SS. Patribus accessisse, quòd derivata ex eorum monumentis veritatis luce, auctores Societatis doctrinam, fidem, religionem Catholicam magnoperè illustrarint, & ab afflictis vindicarint calumniis. Quis autem dicat, SS. Patres à Jesuitis adulteratos fuisse, eò quòd illorum loca & textus, auctores supra laudati in bono lumine collocarint, & legitimum adstruxerint illorum sensum?

Ipsi etiam Heterodoxi SS. Patrum loca accumulant, Calvinus, quamvis canonicus, totus Augustinianus videri vult, & passim Augustinum adducit ad suos errores confirmandos; Jansenius & Jansenistæ eandem molam versarunt, citaruntque multa millia locorum Augustini, ut aliquem inde fucum suis eroribus & damnatis propositionibus obducerent: Jesuitæ acriter repugnant. Annatus, Martinus, Ripalda, Dechamps, nonnullique alii, & legitimum illorum textuum sensum vindicant; & hinc SS. Patrum corruptores Jesuitæ à Jansenistis eorumque fautoribus esse dicuntur. ita nuper cucullatus transfuga, cujus nomini parco, de Jesuitis graviter expostulabat, quod ii SS. Patres, Augustinum præsertim parvi facerent; dolebatque vehementissimè, quòd prævideret fore, ut Jesuitæ, inducto per vim Pelagianismo, Augustini discipulis frustra reclamantibus, Ecclesiam Dei aliquando perderent : sed hæc homini nullius judicii & nullius conscientiæ condonanda.

Sed ad vos redeo RR. PP. qui fortè idem Jesuitis opponitis; cùm enim multa Patrum loca auctores vestri congerant, ad confirmandas duas illas sententias, quas mordicùs contra Jesuitas defenditis, & pro quibus tanquam pro aris & focis pugnatis, maculati scilicet conceptus Deiparæ Virginis, & auxilii prædeterminantis; Jesuitæ adducta à vobis loca explicant, & allatis collatisq; aliis locis, legitimum illorum sensum explorant; inde autem illos Patrum corruptores appellatis, quo jure (admodum Reverendi) ideone loca illa depravant, quia in bono sensu explicant, à quo fortè auctores vestri deflectunt ? multa certè in hoc genere reponere posse m, vix enim credibile est, quantum in hoc ipsi delinquerint : sed remitto vos ad Petrum à Valle clausa, ad fidem Cajetanam, ad trutinam Marianam, ad Solem veritatis M. de Alva, in quo supra triginta locorum millia à nobis corruptorum lector inveniet; immò quod valdè lepidum est, creatis seu fingitis auctores, qui nunquam extiterunt, ut eos citetis, ad majus pondus & robur doctrinæ vestræ conciliandum. Cajetanus scripturam sacram ita depravavit, ut ab omnium Patrum sensu in re tam gravi discedere veritus non sit; Canus Sancto Stephano errorem & mendacium imponere non dubitavit lib. 2. de locis cap. 18. Caranza post Canum, Honorium ab Agathone anathematizatum fuisse, in Epistola ad Imperatorem scripta, perperam scribit: miror, hæc legi, sciri, cum innumeris propemodùm aliis, quæ brevitatis causa prætermitto, nullam tamen ab iis, quorum maximè interest, censuræ notam inuri.

Quàm verò parum honorificè auctores vestri de Sanctis Patribus scripserint, frustra dicerem, cùm jam nemo ignoret; nonnulla obiter indico à me selecta. Canus de locis lib. 7. cap. 3. *Errare in rebus fidei, quæ non erant eo tempore definitæ, accidit Cypriano, Hieronymo, Augustino.* Lib. 12. cap. 15. *Augustinus in illam magis opinionem inclinat, quæ docet animas à parentibus generari. Quod solebam tanquam erroneum condemnare.* Lib. 2. cap. 4. *Intelligo, D. Augustinum longa oratione contendere, non permissionis tantum, aut patientiæ divinæ esse peccata, sed etiam potentiæ.* Lib. 12. cap. 15. *Quod Augustinus asserit ex lege Moysis esse cæteris evidentius, id ne probabile quidem mihi videri solet.* Lib. 7. cap. 13. *Nemo quantumvis eruditus & sanctus*, neminem excipit, *non alicubi cæcutit, labitur, hallucinatur.* Lib. 4. cap. 2. *Augustinus verba Cypriani in eum sensum accepit, qui à Cypriani mente tam alienus est, quam cælum à terra natura alienum; & illius testimonio Augustinus abutitur.* Sed Cano succedat Bannez 1. part. quæst. 1. art. 8. *Plurimi sanctorum ignoraverunt Physicam & Metaphysicam, & fuerunt Platonici, ut patet in Augustino.* Addit ibidem, *sancti Doctores præter eos, qui canonicos libros scripserunt, spiritu humano lo-*

quuti sunt, & aliquando in his etiam, quæ ad fidem pertinent, errarunt. quæst.23. art.5. dub.circa 2. & 4. concluſ.§.de hac quæſtione hæc habet, *Auguſtini ſententia de providentia Dei circa improbos non modicam difficultatem habet. difficillimè ſuſtineri poteſt. Ille modus dicendi, qui conſequens eſt ad doctrinam Auguſtini, ſatis tutus eſſe non videtur. vitioſa eſt conſequentia Auguſtini, qui nunquam hoc dixiſſet, ſi ad malitiam hujus conſequentiæ attendere voluiſſet. Argumentum illud ex verbis Apoſtoli, quo Auguſtinus convincitur, facilem habet ſolutionem: argumenta contra ſententiam Auguſtini facta difficulter ſolvi poſſunt.* Quæſt.62.art.1.D. *Auguſtinus multis locis videtur aſſerere, omnes Angelos primo inſtanti ſuæ creationis fuiſſe beatos beatitudine ſupernaturali Sententia non caret temeritate.* quæſt.63.art.6. *Argumentum Auguſtini nihil valet.* quæſt.64.art.4.dub.4. *Auguſtini videtur eſſe expreſſa ſententia, dæmones detruſos eſſe in tartarum, reſervarique cruciandos ad diem uſque judicii, quam ſententiam multi temerariam putant.* Si reliqua proſequi vellem, nullus eſſet ſcribendi finis.

CAPVT VII.

Expoſtulatio pro Bellarmino.

CArdinalem Bellarminum Bibliothecarius veſter accerrimè ſugillavit, tom.2 pag.72. *quaſi minùs fideliter ſanctos Patres allegarit, ac minùs plenè adverſariorum inſtantiis ſatisfecerit: hinc, ut fertur, Sixtus V. in procinctu fuit, ſuſpendendi illius opera, quouſque accuratiùs perficerentur:* & tom. 4 pag. 72. *dicitur ſuorum potiùs affectu, quàm proprio judicio ſcripſiſſe, Deum operari, quia voluntas operatur.* Jam nonnulli ex veſtris contra Bellarminum præluxerant, & huic auctori præluxerant; præ cæteris, Magiſter Gravina in illum, dum adhuc in viv s eſſet, ſtylum ſuum acuerat: Sed cum Cardinali Baronio non pepercerit s, expectandum non erat, ut ejuſdem amiciſſimo collegæ parceretis; ita autem unus ex veſtris nomine Combeſis Baronium perſtrinx t, ut nihil unquam acriùs contra purpuratum Patrem ſcriptum eſſe putem: dicit enim, illum eſſe *ridiculum, portentoſum, cæcum, hallucinantem, errantem, oſcitantem, procacem, audacem, falſarium, ſibi non conſtantem, fingentem, inconſideratum, graviter lapſum.* Hæc pauca ex innumeris adnoto, cum nihil al ud in hujus auctoris libro habeas, niſi convitia, quibus non modò ſcriptores Catholicos hujus temporis, verùm etiam SS. Patres, Rom. Pontifices, ipſamque Deiparam immiſericorditer laceravit. Hujus libri confixio indies expectatur, ut Româ ſemel iterumque ad me ſcriptum eſt.

Cæterum, illud quod Bibliothecarius adſtruxit, SS. Patres à Bellarmino minùs fideliter allegari, nemo prudens crediderit, niſi adductis teſtimoniis priùs probaverit. Vel unus locus à doctiſſimo & piiſſimo Eccleſiæ Principe adulteratus appellandus fuiſſet. Mihi credite, ita Sanctos Patres Bellarminus ſuis lucubrationibus illuſtravit, ut eis probro non vertatur, ab eo citatos & laudatos fuiſſe. Illud porrò quod ſubnectit, illum Hæreticorum inſtantiis non plenè feciſſe ſatis, ab omnibus rerum iſtarum peritis, ut frivolum rejicitur. Vellem, ut vel unam ex præfatis inſtantiis ab eo diſſimulatis, vel non plenè ſolutis indicaſſet, ut vel inde pateret, quantum hæc calumnia Bellarmino perperam afficta, manifeſtæ veritati adverſetur. Neque hæc cauſa fuit, propter quam Sixtus V. libros Bellarmini ſupprimere cogitaverat: alia omnino fuit, nempe inſinuatum fuerat ſanctiſſimo Pontifici paulò vehementioris indolis, ex libris Bellarmini, plus damni timeri, quam ſperati lucri, cum inde ſectarii argumenta expromerent; omiſſis ſolutionibus & reſponſionibus, quibus ex pulpitis errores ſuos confirmabant. Hæc ratio Sixti animum non parum commoverat. Quo vita functo, ii, qui ſucceſſerunt Pontifices, non modò Bellarmini opera non confixerunt, ſed ipſum novis honoribus auctum in ſacrum Cardinalium collegium coaptarunt.

Quod demum aſſerit, ſuorũ potiùs affectu, quàm proprio judicio ductum de divina gratia & Dei concurſu ita ſcripſiſſe, anilis fabula vel næniа fuit. Omnes ſciunt; quàm altè, quàm liberè contra veſtram prædeterminationem ſe geſſerit; quid Cardinali de Monte, quid ipſimet Clementi VIII. optimo Pontifici de hoc argumento ſignificarit, & quid P. Eudemon-Joanni intimo ſuo jam morituro mandarit, ut ſcilicet teſtaretur literis, ſe per Dei miſericordiam in ea fide decedere, quam ad eam diem & ſincere coluiſſet animo, & ſuis voluminibus defendiſſet, ac ne de divinis quidem auxiliis, aliter morientem ſentire, vel unquã ſenſiſſe, quàm in controverſiarum libris ſcripſiſſet. Hæc obiter indico, quæ à nullo prorſus iſtarum rerum perito ignorantur: & verò non erat, quod Eminentiſſimum Patrem de re Catholica optimè meritum, quem Maphæus Barberinus, qui poſtea Urbanus VIII. fuit, Sancto Carolo Borromæo virtute geminum fecit; quem Cardinalis à Monte perfectiſſimum exemplar Eccleſiæ uſibus à Deo commodatum eſſe dixit; Cardinalis Bandinus ſacri Collegii ſingulare lumen, & virum ſanctis Eccleſiæ Doctoribus, tam in doctrina, tum in moribus adſimilem appellavit; Cardinalis Verallus alterum ſæculi noſtri Auguſtinum, Cardinalis Cobellurius ſacri Senatus coronam & grande lumen Eccleſiæ; Cardinalis Valerius magnum Apoſtolum hujus ſæculi; Cardinalis de Sourdis malleum hæreticorum, & Theologorum verticem: Cardinalis Centinus ſanctæ Eccleſiæ propugnaculum, Catholicæ veritatis aſſertorem & vindicem; non erat, inquam, quòd tantum hominem adeò acerbè & inclementer exciperetis, in quo unum dumtaxat vobis diſplicere potuit, quod ſcilicet ex ea Societate fuerit, quam ferè ab incunabulis, mala ſua ſorte, ſed nulla ſua culpa, vobis exoſam veſtri hucuſque proſequi, & quà verbis, quà maledictis quà ſimiſtris officiis, lacеſſere non ceſſarunt; mitor adeò diſtinctam & obſtinatam illorum Patrum patientiam, nec enim, mihi credite, modus illis deeſt reponendi cum multiplici, ut jam dixi, fœnore; in hoc ſanè laudo, non tamen vitio verſurus, ſi fortè aliquando, mutato conſilio, cum debito inculpatæ, ut ajunt, tutelæ moderamine ſeſe defendant.

CAPVT VIII.

Expoſtulatio pro Valentia.

HUnc præ cæteris ſugilandum ac perſtringendum auctor veſter ſuſcepit. *Iſte*, inquit, *Auguſtinus locum coram Clemente VIII. cùm nullum aliud reperet effugium, corrumpere non dubitavit: ſed intolerandam meritatem optimus Pontifex non tulit, & Valentiam acriter increpuit, qui tantæ corruptionis fulmine perculſus, abdes Pontificis ſemianimis, ut jam dixi, corruit, mandatum domum, & Neapolim curandæ ſanitatis gratia miſſus, ibi Dei judicio ibidem miſere obiit.* Niſi decretis Pontificiis cautum eſſet, ne quis citet acta congregationum, de hoc

hoc argumento habitarum, resignatis tabulis, anilia commenta, de Valentia, à quibusdam recentioribus sparsa, nullo à me negotio refellerentur. Sed quia in eumdem errorem, cujus auctorem vestrum arguo, nolo impingere, mihi satis erit hæc eâdem facilitate à me negari, qua temerè ab illo adstruuntur: nulla unquam anus tam anilem fabulam contexuit: essetque, quòd moderatiùs & temperantiùs auctor vester virum illum doctissimum exciperet, de re literia & fide Catholica bene meritum, quam ut multis voluminibus egregiè defendit & illustravit, ita in arenam cum vestris commissurus descendens, dum celebris illa controversia de auxiliis Romæ agitaretur, ita calumnias à vestris Molinæ affictas detexit, argumenta Banniſtarum diluit, suspiciones amovit, cavillationes dissipavit, uno verbo adeò strenuè se gessit, ut dolorem inde conceptum nondum vestri concoquere potuerint.

Hæc vera est vestri adversùs illum hominem odii causa, necnon implicabilis iræ, qui nunquam à vobis vapulasset, si paulo remissiùs contra vos egisset. Tot illi hostes propria virtus fecit, utinam paulò æquiores: sunt enim suæ, ut cruentis, ita & umbratilibus ac literariis certaminibus leges, inter quas hæc præcæteris suum locum habet, ut scilicet paribus armis pugnetur. Valentia his dumtaxat armis contra vos pugnavit, gravissimarum rationum pondere, conciliorum auctoritate, luculentis SS. Patrum testimoniis, ita tamen, ut religiosa modestia, etiam in fervore disputationis suas ageret partes, & Christiana charitas suum locum haberet. Vos verò calumniis, plusquam anilibus fabulis, convitiis & figmentis pertidiculis contra illum pugnatis: fingitis illum Pontificiæ correptionis fulmine tactum & percussum ad Clementis pedes semianimem corruisse, & funesta post aliquot dies morte, temeritatis errorisq; sui meritas pœnas dedisse, sed vix crediderim, hujusmodi miraculis doctrinam vestram de divina gratia, quam ille acriter impugnabat, damnatis Jansenii erroribus, ut suprà indicavi, haud parum affinem, à Deo cœlitus confirmatam fuisse.

Res vobis pro votis jam successerat in Bzovio vestro, qui tam multa Thomistarum adversariis, Scotistis videlicet, per meram calumniam imposuit, ut optimi quique ægerrimè tulerint, & vehementer doluerint, stramineam illam accessionem aureis eminentissimi Baronii Annalibus factam fuisse. Nec est, quòd aliquis dicat, predicta illa à vestro Bibliothecario nec excogitata, nec Valentiæ afficta fuisse, cùm multi ante illum eadem scripserint. Fateor ultro à multis hæc scripta fuisse; sed cùm etiam à multis rejecta & refutata fuerint, & pro meris fabulis ab omnibus habeantur, cur denuo sine teste & nova probatione obtruditis? Verbo dicam, Gregorius de Valentia is fuit, qui cùm omnium Catholicorum animos sibi conciliarit, ut habetur in ejus elogio, in odium Hæreticorum, quæ maxima laus est, incurrit: omnibus enim adversariis, contra quos scripsit, silentium, ac silendi necessitatem imposuit; veritas autem, præsertim ab obstinatis per vim extorta, odium parit. Clarissima extant aliorum scriptorum de Gregorio encomia, qui reverà inter Theologos sui temporis nulli secundus fuit; sed his omissis, hoc unum omni exceptione majus obiter suggero, quod Clemens VIII. Pontifex Maximus mihi suppeditavit, qui scilicet illum, Doctorem Doctorum appellavit, ut refert Adamus Contzen lib. 5. Politic. cap. 1.

CAPVT IX.

Expostulatio pro P. Gabriele Vasquez.

IN celeberrimum illum scriptorem ita vestra vehementer efferbuit, eumque densa selectorum convitiorum grandine Bibliothecarius ubique passim, sed præsertim tom. 1. controvers. prolegom. & tom. 2. cap. 6. impetiit; hic enim, si huic vestro fides habenda, *Scholarum Ismael fuit, insanus, mendax, impius, superbus, qui ex nimio proprii ingenii ostentandi ardore, debitam Patribus reverentiam non detulit, sed quasi ex eorum clade sui nominis famam erigere contenderit, ad instar illius, qui Dianæ templo ignem injecit. Denique ut olim Erasmus Lutherizare, & Lutherus Erasmizare dicebatur, ita Vasquez pozare, vel Poza Vasquizare dicendus est.* Quàm bellè, quàm eleganter & concinnè: sed ut hæc plusquàm frivola rejiciam, ea tantummodò elogia apponenda sunt, quibus Gabrielem Vasquez totus orbis literarius cumulavit.

Vir fuit summo & acri ingenio, vitæ integritate singulari, candore animi, ac synceritate admirabili, ambitionis, omnisque fastus contemptor egregius; in quo virtus cum doctrina, & cum pietate sapientia certasse videatur; utroque virtutum & literarum ornamento ita præditus, ut omnium retro sæculorum illustrissimis viris jure ac meritò annumerandus sit; quem Turrianus, Hispanum Augustinum, Erice Complutensis, Academiæ Magistrum, Alarcon totius Societatis lumen, Basilius Pontius Theologorum hujus temporis facilè Principem: alii denique Theologiæ Solem, Magistrum Magistrorum, Angelum vita & intelligentia, Hominem admirabilem, Theologorum Coryphæum & Antesignanum, scholæ Theologicæ & nostri sæculi magnum decus, lumen, & ornamentum; is demum fuit, qui extra ullius injuriam & invidiam, orbis doctor, ut olim Chrysostomus dici potuit, scholarum tamen Ismaelem Auctor vester illum appellat, quasi manus illius contra omnes essent, & manus omnium contra illum. Nescio an Complutensis Academia judicio vestro adeò facilè subscriptura sit, & suo suffragio in vestram sententiam ultrò itura.

Inficias non eo, quin Vasquez nobiles adversarios sortitus sit, quibuscum in arena literaria certandū illi fuit; sed nescio, an quispiam hujus vel superioris sæculi auctor, seu magister, plures sectatores habuerit: nempè huic homini, præcæteris, solemne fuisse ferunt, ut discipuli & auditores in ejus verba jurarent, illiusque doctrinam & sententias mordicùs tuerentur. Patres ab eo corruptos fuisse Mariales quæritur, quos tamen ab eo non parum illustratos fuisse constat; ita enim eorum sensa & mentem explicat, & plerumque ita fœliciter exprimit, ut multa inde lux eorum scriptis affulgeat. Porrò licèt inter disputandum de aliqua controversia, puta de visione divinæ essentiæ, Chrysostomum, & nonnullos ex SS. Patribus ambiguè scripsisse dicat, idque allatis collatisque locis, probare conetur, an propterea tanti criminis reus evasit, ut pro *impio impostore*, qualem illum Mariales vester reputat, traducendus? eique insana ambitio, immoderatum ostentandi proprii ingenii studium, damnatus error, & impietas omni impietate impior (sic purè auctor vester loquitur) jure affingi possint? Hominem refutare potuisset, illiusque interpretationes ac conjecturas novis rationibus refellere, & convitiis

viriis omni acerbitate majoribus auctorem doctissimum & religiosissimum impetere, Christiani decori non fuit, nedum Theologici moris, & religiosæ modestiæ. Sed impar congressus Achilli, leonem catellus allatrat, dormientem Herculem Pygmæus fugillat. Dicam ingenuè quod sentio, ea difficultatum momenta ibidem Vasquez expositi, quæ vix unquam Mariales solvisset: sed cui ratio defuit, probra & convitia non defuerunt.

CAPUT X.

Expostulatio pro Fasolo & nonnullis aliis.

FAsolum, præ cæteris, Bibliothecarius acerrimis dictis proscindit, tom. 4. præsertim, eumque *insanum, furiosum, mendacem, delirantem, blasphemum in Augustinum* esse dicit; nec non illius *præstigias, seu præstigiosa phantasmata, & intolerandam audaciam* exaggerat. Itane verò auctorem piissimum & religiosissimum adeò fæculenta verborum eluvie fœdari oportuit, qui omnem propemodum adultæ vitæ ætatem egit in Societate, & ob insignem modestiam omnibus amabilis & charus fuit? Quid acerbius de Calvino, aut Luthero Xantes ille scribere potuisset? idem Fasolus, quid ad hæc reponendum sit, abundè me docet; nempè sub finem doctissimi manuscripti, quod reliquit de celebri auxiliorum controversia, postquam doctrinam Societatis de hoc argumento egregiè firmavit, & adversariorum rationes dissolvit, ubi tandem ad convitia, calumnias, alia que id genus ab adversariis, Jesuitis aspersa descendit, omissa omni responsione, uno verbo sese expedit, his omnibus in diem judicii rejectis. Eadem hic vobis hoc loco responsio: rationes oppositas Jesuitæ diluunt; contumelias & convitia ultro condonant, ac Dei vindicis justitiæ relinquunt; commendant tamen hostes suos divinæ misericordiæ.

Sed cur tam immanis ira? & quid hic homo peccavit, aut parentes ejus, ut adeò vehementer Mariales illi succenseat? quia sæpè à recentiorum Thomistarum placitis discessit, & D. Thomam ab eorum novis interpretationibus vindicavit; quia sententiam mediam propugnavit, & decreta conditionata impugnavit, uno verbo, quia scriptor Societatis fuit? hæc una ratio stylum vestrum adversùs illum ejusdemque instituti homines instruxit, Molinam, Suarem, Becanum, Tannerum, Amicum, quibus passim *falsitates, ineptias, hallucinationes, mendacia, blasphemias, errores* temerè affingitis, idque mirabili & nova prorsus ratione; cùm nec eorum verba Bibliothecarius fideliter exscripserit, nec loca citarit usquam, sed appellasse contentus, marginalibus aculeis & probrosis notis, scriptores de Theologia bene meritos fœdissimè lacerarit; Molinam præsertim, cui dudum bellum indixistis, turpito licèt conatu. Sed velit nolit æmulus quispiam, Molina vir doctissimus & piissimus fuit. Nempè, ut ea prætermittam, quæ de illo habent Lessius, Eudæmon Joannes, Herice, Fasolus, aliique Societatis homines, qui fortè vobis suspecti essent, non pigeat audire verba Sylvestri Maurolici lib. 5. Ocean. Relig. *cujus eruditus* (de Molina loquitur) *de auxilius partus, positus in fornace examinis Pontificii, & sæpius igne probatus, deprehensum est aurum omnibus numeris purgatissimum: ipse vero Molina in Theologia moralitanta est auctoritatis, tantaque æstimationis in tribunalibus, & apud Iurisias ut sine ullo adminiculo aut copia aliorum auctorum, asserat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigiis.* Addo verba Laurentii Beyerlinck in opere Chronogr. ad ann. 1599. titul. Virt illustres. *Molinæus rerum scientia præcellens* (Molina scilicet) *etiam doctissimos suæ ætatis, eam Theologiæ partem, quam majoribus difficultatum scopulis expositam longo usu didicerat, elegantiore doctrinæ lumine penitus illustravit.* Omitto innumeros alios virorum illustrium testimonia, qui meritis hisce dibus Molinam in cælum extollunt. hæc habeatis apud citatos auctores, quibus, si lubet, addite omnium recentissimum Hennao.

Franciscus Amicus, vir apprimè doctus, stylo facili & presso, candidissimis moribus, & prisca simplicitate, evangelica prudentia temperata. Adamus Tannerus acri ingenio, serio, sedulo, magna apud omnes auctoritate, tum à Religiosis moribus, tum à singulari eruditione. Martinus Becanus magno etiam ingenio, ad omnem literaturam nato, cujus famam celeberrimam reddidit scribendi perspicuitas, amœna brevitas, & plena doctrinæ sanæ soliditas, cum hujusmodi religiosæ modestiæ comitate conjuncta. De Francisco Suarez nihil dico; ipse sibi maximum elogium est. Nihil porrò aliud vestris adversus Molinam aliosque invectionibus obtinuistis, nisi ut aliqui vestre partibus accesserint, qui contra Molinam & Molinistas declamare non cessant. Conjicite facilè quo intelligam. In hoc certè Jansenistæ suo munere probè defunguntur. Illustres socios & fœderatos vobis gratulor. Sed mirari satis non possum, quanta scribendi libertate, ut mitissimè loquar, nempè ab omni verborum asperitate abstinere constituerit, quanta, inquam, libertate Auctor vester uno *replico ergo*, vel *subintroco*, uno vel altero verbo, firmissima rationum momenta dissiciat, vel potiùs dissicere sibi videatur, nec non difficiles nodos explicare, omnesque Jesuitarum machinas diruere. Sed mihi credite, cum iis hominibus agitis, qui in Philosophicis & Theologicis disciplinis saltem mediocriter versati sunt: quibus sanè mirum accidit, quòd tam levi ratione ductus Bibliothecarius vester, propter meras tricas scholasticas, in quæstionem de auxiliis excipiam, in gravissimos & doctissimos homines acerrimè & atrocissimè invectus sit, ea scilicet verborum eluvie, quam vix doctus Catholici contra Heterodoxos adhiberent.

CAPUT XI.

Expostulatio pro Joann. Bapt. Poza.

VIx sine rubore lustravi oculis atrocissima convitia & probra, quibus Joan. Baptist. Potam Bibliothecarius vester cumulavit: Causam Pozæ defendendam ac vindicandam minimè suscepi; fatus, illius scripta à Sancta Congregatione prohibita & confixa fuisse, & in eum, cùm à scribendo pro sua defensione minimè abstineret, graviter fuisse animadversum; sed quòd illum pro *damnato hæretico* Mariales traducat, *& rebellem Ecclesiæ, nostrorum temporum Antichristum, blasphemum, impium, Satanizantem, perfidum Ecclesiæ Hostem, os infernale, Lucifero obstinatiorem apostatam*, aliaque ejusdem furfuris elogia illi passim occinat, præsertim tom. 1. controv. Prolegom. & tom. 4. pag. 460. nunquam haud dubiè sacra Congregatio probabit. Et verò religiosum hominem, qui in Ecclesiæ unione semper vixit, & pissimè vita functus est, universo Clero, & tota civitate, præter morem, ejus inunus, vel exequias prosequentibus, & quem nulla vis

unquam

unquam Ecclesiasticæ censuræ, nullum fulmen Apostolicum afflavit pro mero puto hæretico haberi, atque traduci, idque auctoritate privata, à Xante Mariales nescio quo, intolerandum profecto videtur.

Sed quid tandem *os illud infernale* in cœlum blasphemavit? non excuso illius scripta, in iis tamen nullam hæresim, nihil quòd divinæ fidei adversetur, invenio; vel unum illius errorem in fide auctor vester appellasse debuisset, quem Poza, *afflante*, ut ait, *diabolo*, scriptis mandasset: sed altum de Pozæ erroribus silentium. Ingenuè dicam, quod sentio, in Poza tria vobis summoperè displicuerunt; in primis ardentissimus illius erga immaculatam Deiparæ conceptionē affectus. Poterat quidem, quod ultrò fateor, à nonnullis quæstionibus abstinere, quæ ad sanctissimæ Matris honorem & gloriam nihil aut parum conducunt; sed hæc modicum vos afficiunt, & merus obtentus fuit; ea tantùm, quæ paulò liberiùs scripsit de inmaculato conceptu, vos pupugerunt. Alterum est alienus, quem præ se ferre vobis videtur, à Doctore Angelico animus, cujus aliquas opiniones ab Ecclesia minùs probatas fuisse testatur. Rem non discutio; sed an propterea Antichristus vocari debuit? An fortè S. Bonaventura, an Scotistæ & Nominales, quia Thomistarum placitis ex professo, ut ajunt, desciverunt; an Durandus, qui ferè in omnibus; an Cajetanus, Herveus, Catarinus, qui in multis à Sancto Doctore discesserunt, vel hoc nomine, blasphemiæ, impietatis, damnatique erroris insimulandi sunt? An fortè quisquis Thomista non est, perfidus Ecclesiæ hostis habendus? dii meliora. Reverendi Patres: miror sanè, vereor, osculor Doctoris Angelici doctrinam; non tamen crediderim, eam Christi fidelibus credendam ab Ecclesia propositam fuisse. Sed de hoc iterū infrà.

Ultimum denique in Poza vobis displicuit, quod multa in Sancto Aquinate à vobis expuncta, corrupta, & adulterata, immò & illi afficta fuisse, scribere non dubitarit; Bibliothecarius vester, rationes illas, quibus à se dictis Poza fidem fecit, discutere debuerat; nec erat, quod ea propter *os infernale*, & *satanizans* vocaret; nonnulla ipse indicavit; sed mihi credite, non desunt alii viri doctissimi, qui congestis innumeris ferè testimoniis, idem adstruxerint, ii tamen nec hostes Ecclesiæ, nec impii, nec blasphemi, nec satanizantes, nec spiritu diabolico afflati fuisse dicuntur. Sed præ illis Poza mitissimè loqui visus est; immò ingenuè dicā, si vel obiter indicare per vos mihi licear, ad indagandam explorandamque Doctoris Angelici mentem, vix Pozam ulli secundum esse, vix ullum majorem diligentiam & industriam adhibuisse, ut in hoc argumento verum à falso discerneret. Alia quæ scripsit, non defendo; censuram in eum latam lubens ac devotus osculor. Cæterùm charitatis Christianæ non fuit, ne dum justitiæ, sacerdotem Catholicum tam horrendis maledictis proscindere: *Qui dixerit fratri suo racha*, &c.

CAPUT XII.

Expostulatio prò ipsa Societate.

Cum singulos seorsim Societatis auctores Bibliothecarius vester perstringere non posset, totam Societatem generatim aggressus est, & multa in illam debacchatus. Primò enim Societatis divitias, perinde prorsus describit & exaggerat, atque si ex pupillorum ac viduarum defæcatiore succo expressæ & conflatæ essent; eo scilicet animo, ut populares Jesuitas invidiam conciliet: sed recoctam crambem, & ab iis qui contra Jesuitas scripsere satis superque versatam denuo versare & apponere non debuerat. Quisquis rem hanc penitus inspexit, aliter censet, cùm jam omnibus ferè perspectum sit, multa Societatis Collegia non tantum superfluis opibus non affluere, sed non mediocri laborare penuria, & multo ære alieno gravari. Annui reditus unius antiquæ Abbatiæ, annuos reditus superant vel adæquant, quos Jesuitæ in tota Gallia vel Italia percipiunt. Ad quid porrò juvant divitiæ, nisi ad accersenda commodioris vitæ subsidia? sed in domibus Societatis, ut rerum penuria solitum frugalis vitæ modum non minuit, ita nec copia extendit, vel auget: religiosæ paupertatis ratio semper habetur. De vestris nihil dico, quid enim ad me? si tamen vel ratio, vel necessitas id postularet, non pauca mihi exempla suppeterent, quibus haud ingratæ antitheses & parallela Jesuitas inter & alios in hoc genere institui possent. Parum abest, quin unum ex istis appellem, qui tam copiosam rei domesticæ suppellectilem moriens reliquit, ut aliquot nummorum millia prorsus adæquaret; quingenta induſia linea facilè numerabantur, ex subtiliore ac molliore, ut vocant, Cameracensi. In hoc sanè Jesuitæ patrono, vel defensore non indigent; jam enim illa suspicio evanuit, quam de illis hæretici primùm, tum deinde Politici, populo injecerant. Utinam illæ opes adessent, non immoderatæ quidem, sed quæ saltem sufficerent ad penuriam sublevandam, & contracta nomina expungenda. Quod autem pupillos & viduas suis facultatibus spolient, mera calumnia est: vix sciunt conservare suas, quomodo raperent alienas? vel unum casum Mariales vester appellare debuerat, ut dictis à se fidem faceret. Sed hanc calumniam jam alii refutarūt, Gretserus, Tannerus, & nonnulli alii Societatis Apologistæ. Jesuitæ literis & functionibus Evangelicis operam navant, suntque rei œconomicæ non parum fortè imperiti, ut nonnullis probè perspectum est. Perperam igitur Mariales vester scripsit tom. 1. pag. 71. *De opulentia Societatis*, inquit, *non est quod dicam; satis superque loquuntur lacrymæ, dixerit quispiam, eorum, quorum pauperies vos ditavit: Si religio Templariorum non tantæ fuisset opulentiæ, fortè hodie floreret.* Illustrem sanè comparationem.

Secundum accusationis caput non parum admirationis plerisque attulit; dicit enim Bibliothecarius tom. 2. pag. 72. nihil prorsus esse in scriptis Jesuitarū, quod illorum sit, præter *pedanticam eloquii venustatem*; *sunt enim*, inquit, *Iesuitarum scripta pandorica, ex aliis mutuata, ex alienisque consarcinata*: Itane verò? Jesuitæ literis parum valent? in gravioribus disciplinis parum versati sunt? nonnihil tantum latinitatis & pædagogicæ eruditionis, ad fucum doctrinæ factendum præ se ferunt? Itane verò, inquam, Suarez, Vasquez, Valentia, Molina, Torrez, Lessius, Lugo, Herice, Toletus, Bellarminus, Coninck, Præpositus, Tannerus, Becanus, Fasolus, Amicus, Arriaga, Oviedus, Meratius, Martinonus, Petavius, Annatus, in Theologia Scholastica rudes tyrones fuerunt? Sanchez, Castro-Palao, Reginaldus, Layman, Filiucius, Fagundez, Comitolus, in Theologia morali? Conimbricenses, Ruvius, Mendoza, Telez, aliique fere innumeri in Philosophia? Clavius, Guldinus, Greimberger, Gregorius à Sancto Vincentio, Tacquetus, Lalovera, in Matheſi? in sacra eruditione Sirmondus, Fronta, Ducætus, Turrianus; in prophana Bulengerus, Scribanus, Caussinus, Cerda, Pontanus, Raderus, in historia Salianus, Maffeus, Strada, Cardinalis Palavicinus; in Polemica Gretserus, Cottonus, Richeomus, Gualterius, in sacra scriptura exponenda Cornelius à Lapide, Sanctius, Serrarius, Pineda, Lorinus, Maldonatus,

natus, Ribera? isti omnes, præter alios ferè innumeros, si Mariales fidem inveniat, nulla pollent prædictarum disciplinarum scientia.

Sed bonus sum, qui hanc notam diluo, quam Romani Pontifices suis diplomatis; Eminentissimi Cardinales, Illustrissimi Præsules, gravissimi Doctores, aliique doctissimi homines, suis literis & testimoniis diluerunt, quam demum vox omnium populorum expunxit. In hoc cum recentioribus heterodoxis auctor vester convenit, qui Jesuitas ignorantiæ insimulant: ad populũ phaleras: hoc risu potiùs, quàm refutatione quapiam excipiendum. Nec facilè Mariales inveniat, qui à sedictis fidem habeant, nisi ipse conducat. Quis enim illi homini cedat, qui præ atrocibus maledictis, quibus to. 2. cit. controv. 5 cap. 6. Jesuitas proscindit, horrorem legentibus incutit, non fidem extorquet? hoc loco decretum contra Ribaldei librum appellat, perinde atque si cæleste responsum esset, vel Constitutio Apostolica, vel Canon Concilii generalis in materia fidei, licèt factum sit ab illa Congregatione, cui nullo modo Urbanus interesset. Jesuitissas etiã perstringit: sed nihil illæ prorsus ad Jesuitas, qui à sancta sede illarum abrogationem procurarunt. Nisi à jocis temperandum mihi esset, non modicum res monialium mihi jocandi argumentum præberent: sed abstineo, cùm expostulandi dumtaxat, non jocandi & recriminandi provinciam susceperim.

Quod spectat ad confessionem per literas, à Clemente VIII. damnatam, illam multi ex vestris ante Suarẽ docuerunt, quibus profectò vitio non vertitur; cùm eo tempore confixa nõ esset. Uno verbo, aliquas laudes, quas certè non sine maxima modestia & moderatione Baëza scriptoribus Societatis asperserat, adeò ægrè tulit, ut vel hoc nomine ingenuum illum scriptorem ea verborum atrocitate perstrinxerit, quã Christianæ aures ferre non possunt, & quam nullus juratus hostis, modò ingenuus sit, unquam probabit. Sed in re adeò manifesta diutiùs hærere non decet.

Tertio loco ipsam Instituti Societatis animam petit, Constitutiones scilicet, inter quas unam esse dicit tom. 1. controv. prolegom. pag. 33. *ut non obstante sigillo Confessionis, manifestentur superiori consitentium inclinationes, ne cùm eos ad missiones destinaverit, in destinatione erret.* Citare debuerat partem Constitutionum, caput, numerum; lustravi diligentissimè præfatas Constitutiones, & nihil tale reperi; & verò reperire non potui; cùm illæ continere non possint adeò crassum errorẽ, utpotè quæ à Paulo III. Paulo IV. Julio III. Gregorio XIII. Paulo V. non sine accurato examine, & multiplici commendatione approbatæ, & confirmatæ fuerunt; vel intactæ relictæ. Nunquam autem sedes Apostolica fictitiam illam Constitutionẽ, quæ sacro sigillo adeò adversatur, approbasset. Illud igitur à Bibliothecario vestro temerè, falsò, & calumniosè, nõ sine gravissima injuria sanctissimi Fundatoris & sanctæ Sedis assertum est. Crimine ab uno disce omnes; cùm in re tam gravi, tam sancta, manifestam calumniam affingere non dubitet, quid ab eo in cæteris sperandum; & verò est, quòd viri omnes cordati mirentur, à Doctore Catholico hæc scribi, & ab hominibus religiosis spargi, quæ fortè Scioppio, vel cuipiam ex novatoribus condonari possent, in viris tamen Ordinis vestri primoribus, nullus Catholicus toleranda esse dixerit: Christiani Reges aliique Principes Catholici, & nonnunquam Romani Pontifices Jesuitis utuntur confessariis, quorum certè operam in hoc sacro ministerio non adhiberent, si nullam ab iis sacri sigilli rationem per suas Constitutiones, haberi scirent: crimen est, quod flammis duntaxat ultricibus per sacras leges expiatur; hoc tamen, si Bibliothecario vestro habetur fides, Societatis Constitutiones non excusit modò ac tolerant, verùm etiam imperant. Sed illas Concilium Tridentinum laudavit, & Romani Pontifices multiplici diplomate, non sine accuratissimo examine probarunt & confirmarunt: in quo, ni fallor, Ecclesia, quidquid Canus vester senserit, pro sua erga Societatem charitate, errare non potest. Quid in Ecclesiam Romanam atrocius jactari possit, non video, cui scilicet parum Catholicam affingitis calumniam, quasi apptobarit, laudarit & confirmarit illas Constitutiones, quæ sacri sigilli violationem mandant. Eodem furfuris est, quod ibidem habet, in Societate hanc constitutionem esse, *ut omnia occulta manifestetur superiori prætermissa correctione fraterna*; cum tamen nulla Constitutio his verbis & hoc sensu habeatur. Res trita est, de qua nonnulli jam scripserant, tum in Hispania, tum in Italia: sed omnia, quæ opponi possunt, Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. more suo, solidè refutavit. Quasi verò quispiam juri suo renuntiare non possit, ac velle ultro, ut correctio fraterna in paternam commutetur. In hoc certè Author vester multa correctione indiget, quandoquidem in fratres suos tam iniquè peccavit, publica tamen non privata, cùm publicum peccatum sit, iliudque, meo judicio, gravissimum, utpotè qui de sede Apostolica ita sentiat, ut ab ea sacrilegas Constitutiones approbatas fuisse, scribere non vereatur; ac proinde illam turpiter errasse, in approbatione Instituti Societatis, ad cujus substantiam præfata Constitutio pertinet. Quid de hoc Sanctissimus Pontifex, quid Eminentissimi patres judicare debeant, lectori cogitandum relinquo.

Non est, quod hujusmodi calumnias exaggerem (admodum RR. PP.) cùm res per seipsa manifesta sit, & Mariales vester nescire non potuerit, quàm graves censuræ latæ sint adversùs illos, qui Constitutionẽ Instituti Societatis impugnare ausi fuerint; & potiore jure in eos, qui palmares errores iisdem affinxerunt: hæc ultrà non urgeo, quia res mihi est cum Catholicis, qui Ecclesiasticæ fulmina vereri debent. Si quis unum ex vestris vel tantulùm idque haud immeritò carpat, puta Cajetanum, Canum, Bannem, Govinum, quem Mariales sanctissimum vocat, licèt acleis & convitiis illius scripta hortida sint, exclamat illicò, vibratis anathemata, ferrũ, ignes, & busta jeratis; festucã in aliis ferre non vultis, trabem vestrabales calumnias in hoc vestro, non modò tolerat, sed laudatis, probatis, & collata opera promovet.

CAPVT XIII.

Expostulatio pro scientia media.

NOnnulla de hoc argumento cap. 4. generatim atque obiter indicavi, quæ hic singillatim, præsertim tamen exponam, scientiam mediam, illam scilicet, qua Deus ea cognoscit, quæ sub tali conditione futura sunt, ut *blasphemam in Philosophiam, Theologiam, ut Deum ipsum*, ut citato loco jam dixi, Bibliothecarius vester traducit. Sic olim ex proceribus vestris nonnemo etiam genuflexo, ex scientia media omnes hæreses ortum dixisse dicebat. Sed rationibus agendum fuit, non probris & convitiis, quod sanè ingenuum auctorem non decet: quid porrò novi luminis auctori vestro affulserit, non video, ut rem hanc recoluminibus antè discussam denuo ipse versaret. Argumenta vestra, quibus scientiam illam impugnatis, non solùm soluta & diluta prorsus fuere; & revissimum est, quod nonnemo inconsidera-

tus

tius non ita pridem dicebat, difficultatem quandam insuperabilem superandam, & argumentum insolubile solvendum restare. Quod ubi accepi, risum sanè continere non potui, cùm res jam trita sit, & centies discussa, & nemo hactenus vel probabili ullo argumento ostenderit, objectū sub tali conditione futurū supposito generali decreto, quo Deus causis secundis liberis concursum indifferentē paravit, non esse objectum in seipso scibile, præciso omni decreto præterminante conditionato. Ut enim absolutè futura, decretum prædeterminans absolutum non postulant, ut à Deo cognoscantur, ita nec conditionatè futura, conditionatum. Sed quæso vos, quid tandē blasphemum in Philosophiam scientia media præsefert? quid à recta ratione alienum? si enim Philosophiæ & rationi consonat, id quod est merè possibile, alicujus scientiæ objectum esse; item illud, quod est merè futurum; cur quæso illud, quod nec est merè possibile, nec merè futurum, sed tantùm sub conditione, alicujus scientiæ objectum non erit? Si ego probabilissimè conjicio, quid à me, vel ab alio fieret, si talis conditionatur; quis Deo certam ejusdē objecti notitiā tribuere vereatur? Cognoscit Deus, inquies, futura cōditionata, in decreto conditionato; ut absolutè futura, in decreto absoluto, scilicet prædeterminante: decretum illud prædeterminans tribus illis argumentis, quæ huc usq; solvere non potuistis, nec solvetis in posterum, sæpè ac sæpiùs expugnatū est; nec vos unquā vel ullo probabili argumento evicistis, objectum futurum in decreto dumtaxat à Deo cognosci posse, hoc enim eadem facilitate negatur, qua adstruitur.

Nullam igitur blasphemiam in *Philosophiam* scientia media invexit, nedum in *Theologiam*; quæ sanè hujus scientiæ operâ, liberum arbitrium cum divina gratia probè conciliat, & divinæ voluntati prælucet ad decernendum auxilium efficax illud præsertim, quod *secundum propositum* August. vocat. In Deum denique blasphema non est, cum divini attributi, scientiæ scilicet, indemnitati consulat. Deus enim, ut suus est intellectus, ita est sua intelligentia, & scientia, id est expressio omnis scibilis: si ergo id quod conditionatè futurum supponitur, scibile est, is, qui à Deo illud sciri & cognosci dicit, in Deum blasphemus non est, sed pius divinorum attributorum assertor & cultor. *Odiosam* etiam & *execrabilem* illam scientiā vocat; vobis certè maximè odiosam, quorum adversùs Jesuitas plusquam vatinianum odium excitavit; quamobrem verò? vultis dicam? mera fuit contentio; nascentem Societatem obruere voluistis, quòd forte aliquid boni lumminis diffunderet; Sol ille Thomisticus minimā stellam de suo splendentem ferre non potuit. Molinam hujus scientiæ, non quidem auctorem, sed primarium propugnatorem detulistis; is tamen nō modò indemnis evasit, sed retorto, ut ajunt, argumento, minima illa scilla, aliquot maculas soli vestro inesse ostendit, sed an propterea odio vestro & execrationibus digna censenda est? Cur igitur illam vestri diris execrationibus prosequuntur?

Falsum est illud, quod Bibliothecarius perperam asserit, scientiam mediam ab omnibus Academiis, ut monstrum, rejectam esse. Paucas haud dubiè Academias recenseret, si Thomistas & nonnullos alios excipiam, quæ scientiam mediam non admittant. Nec sanè video, quid monstri insit, objectum per se scibile ab eo sciri, qui omnia scit, etiam præciso omni decreto conditionato. Quòd autem scientia media à Sancta Sede fuerit damnata, pace vestra dixerim, mera est fabula & calumnia. P. Franciscus Annatus, Sacræ Romanæ Inquisitionis decretum libro à se scripto de hoc argumento præfixit, quo doctrina in eo contenta ab omni censuræ labe immunis declaratur. Illa declaratio Clementis VIII. ficticia est, nec illa, aliave Acta, quæ vulgò circumferuntur, auctor vester citare potuit, quod binis decretis ejusdem Sanctæ Romanæ Inquisitionis vetitum fuit. Quid verò tandem de ista controversia futurum sit, nescio; si tamen conicere licèt, damnatis quinq; propositionibus Jansenii, doctrina Jesuitarum, quæ illis ex diametro opposita est, nunquam damnabitur. Unum scio, Jansenistas pasſim doctrinam vestram sibi arrogare, & auxilium prædeterminans per se intrinsecè & præcisè efficax. Accedit, quod nullum unquam Jesuitam vidi, cui pergratum non accideret, prædictam controversiam ab Ecclesia definiri. Nullum tamen ex vestris nactus sum, cui præfata definitio ingrata non esset. Quisquis à Judice damnari timet, de suo jure parum certus est; ille longè certior, qui Judicem importunis precibus sollicitat, ut causam decidat. De hoc argumento multa eaque grandia volumina extant; unus Suarez quinq; suppeditat, digna certè auctore suo, in quibus rem totam apprimè discussam habetis: hic autem de auctore vestro expostulo, qui, cùm rationibus agere debuisset, probris & convitiis, iisque atrocissimis agere voluit. Reponere possem cum fœnore, sed absit; cùm hoc loco meram expostulationem, non recriminationem, ut jam dixi, adhibeam.

CAPUT XIV.

De scripto Francisci Roales denuo edito expostulatur.

Bibliothecarius vester tom. 1. controv. prolegom. libellum famosum, scriptum scilicet acerbissimum & contumeliosissimum Francisci Roalez, horrendis scatens calumniis & contumeliis contra Societatem, vulgat, profert, laudat, & malignis suis, licèt ironicis, commentariis illustrat, immò illud idem to. 4. circa p. 460. rursus seorsim editum habetur, ibique commendat auctor vester *fervorem spiritus, qui per calamum & os celeberrimi Roalez loquutus est*; cùm tamen, quantumvis dissimulet, ignorare non potuerit, libellum famosum pluribus ante annis, anno scilicet 1634. die 1634. die 29. Maii, de mandato Inquisitionis Generalis, nō tantùm severissimè probibitum, verùm etiam Madriti, *tanquam impium, calumniosum, alienum ab omni veritate, plenum calumniis contra aliquos Societatis religiosos, & contra Religionem tam sanctam, de Ecclesia bene meritam.* (sic enim decretum habet) solemni infamia combustum fuisse, ut manifestum est ex testimonio Illustrissimi Inquisitoris Generalis D. Antonii de Soto Major, Archiepiscopi Damas. ex Ordine S. Dominici, ipsius subscriptione & sigillo munitō, item ex testimonio Secretarii Sanctæ Inquisitionis Toletanæ, de modo & fama exequutionis, quorum omnium apographa authentica hisce oculis vidi, de quibus fortè si dubitetis, ea in lucem edere non verebor.

Sed quid quæso hęc ad cōtroversias scholasticas, quas Bibliothecarius discutiendas suscepit? Libellū illum famosum à sua Bibliotheca abesse noluit, cùm ipsa ferè tota famosa sit, sed qua cōscientia? Nefandū est hujusmodi scripta legere, scribere verò piaculū, quid tandem in lucem edere? rem non amplifico, quæ satis per se ipsa patet. Calvinistæ & Jansenistæ fœderato auctori vestro præluxerant, in pargē dis cōtra

Jesuitas hujusmodi libellis. Literas illas Montaltii Apostolico decreto confixas, in quibus plures calūniæ, quàm syllabæ, plures aculei, quàm apices esse videntur; Notas Wendrokii ultricibus flammis, edicto regio, post doctissimorum hominum censurā, publici actoris manu traditas; scripta illa famosæ Ogdoadis toxico & felle condita Bibliothecarius legerat, ut hujus Archetypi maledicentiæ haud impar apographum exhiberet, libellumque in cineres à 27. annis Madriti redactum, in exosam lucem revocaret.

In hoc justitiam & charitatem vestrā, Reven. Patres; licèt enim cuilibet Hæretico, vel impio hic agendi modus condonari possit, religioso tamen scriptori, & Catholico Theologo Doctoris Angelici interpreti condonabunt quidē Jesuitæ, qui malū in bono vincere didicerunt, nemo tamen gravissimi scandali rem esse non dicat, ut ea scribere & in lucem edere auctor religiosus non dubitet, quæ vix sine rubore & reticito nomine, quispiam hæreticus scribere non verereturPar pari non referā; expostulasse apud vos contentus qui librū illum compilari, & typis mandari curastis, eumq; typis mandatū sparsistis, ac per primores totius Ordinis Eminentiss. Cardinalibus multis sanè, si non omnibus, distribuistis. Nec est, quod aliquis opponat libellos famosos contra Ordinē vestrū à Jesuitis editos fuisse; nullum enim unquam libellum famosum contra vos à Jesuitis editum legi. Equidem rei necessitas & veritas aliquando postulant, ut nonnulla publicentur, justæ & moderatæ defensionis jure, quæ cū veritate consentiant nemo tamen libellum famosum dixerit, qui ea dumtaxat contineat, quæ jam publica sint, & cum veritate conjuncta; sed ne obductas cicatrices refricem, calamum sustineo.

CAPVT XV.

Libri confixi Iesuitis perperam exprobrantur.

Hic magnas Tragædias Bibliothecarius vester excitat & aliquot scriptores Societatis, quorū libri Romæ confixi sunt, ea verborum atrocitate perstringit, quæ, ut mitissimè loquar, Theologum non decet, ne dum hominem religiosum. Ii sunt Rabardæus & Poza, aliiq; quos sub Novatorum nomine comprehendit. fateor, ut jam indicavi suprà, Rabardæi librum confixum fuisse à Congregatione Sancti Officii, in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam, ut præfert titulus condicti decreti, non tamen coram Pontifice in Quirinali, aut Vaticano habita; & licèt illius libri doctrinam minimè approbem, illas tamen hæreses satis distinctè non video, quæ in eo generatim contineri dicuntur; paratus licet easdem distinctè damnare, ubi ab Ecclesia distinctè proponentur; vtrū autem prædicta confixio sufficiat, ut liber, auctor, complices & approbatores ab Ecclesia, id est à Romano Pontifice ex Cathedra loquente damnati censeantur, unus forte Dominicus Gravina, non tamen alii Theologi dixerint.

De Poza jam suprà dictum est, cujus errores ab auctores vestro congesti in eo positi sunt, quòd erga Sancti Thomæ doctrinam minus propensus sit; quòd illam ut infallibilem errorique minimè obnoxiam non admittat, quòd in ea nonnulla observet, quæ cum præsentis Ecclesiæ usu parum consentiunt. Pozæ libros à Sancta Congregatione confixos non approbo; hæc tamen, quæ illi Mariales opponit, tam gravis erroris damnare non ausim. Agnosco quidem & fateor ultro, Doctorem Angelicum eatissimum lumen & columen Ecclesiæ esse, eumque non bene modò, verùm etiam optimè de Christo, de Theologia, & Philosophia scripsisse; hocipsum, semoto etiam Christi testimonio (quod tamen adfuisse non negoo) adeò perspicuum est, ut nemo nisi barbarus & amens negare possit; nullus tamen sanæ mentis, optimo jure deducet, infallibilem fuisse, errorique minimè obnoxium, quòd libris dumtaxat canonicis competit; nemo dixerit errare illos, qui oppositam doctrinam profitentur; quod sanè Alexandro de Alex, Magistro Sententiarum, D. Bonaventuræ, Scoto, Gabrieli, Gregorio Ariminensi, aliisque innumeris, in Scoti & Nominalium schola celebertimis doctoribus malè ac pessimè verteretur, alioquin eadem prærogativa D. Bonaventuræ tribuenda esset, quem Ecclesia doctorem optimum, sanctæ Ecclesiæ lumen, doctorem vitæ appellavit, & cui Romani Pontifices, ut dicam infrà, haud inferiora elogia tribuerunt.

Jam verò per vos mihi liceat, unum ex vobis quærere; cur non pauci Jesuitarum libri & nullifer Thomistarum Romæ configantur? fortè palmare illud vestrum obtrudetis, D. Thomæ doctrinam errori obnoxiam non esse; ac proinde nemini unquam accidere, quòd libri, qui eam continent, non damnentur. Multa sanè occurrunt, quæ reponam; primò, prædictam infallibilitatis prærogativam fictitiam esse; deindè doctori Angelici doctrinam, in aliquot saltem capitibus, variam, obscuram, abstrusam videri; hinc multi Thomistæ super his inter se dissentiunt: præterea recentiorum Thomistarum doctrinam in materia de auxiliis D. Thomæ non esse, mitti sanè, iisque gravissimi scriptores demonstrarit; quòd autem spectat ad aliam cōtroversiam de immaculata Conceptione, jam constat, in quam partem Ecclesia propendeat, licèt neutram decident: hæc duo sunt capita in quibus Jesuitæ à vobis dissentiunt; de iis quippe enim, quæ ut plurimùm ad meretricas scholasticas pertinent, sunt parum sollicitiPeniq; facile boni potuit, ut aliquis ex vestris Sancti Doctoris mentem assecutus non fuerit, ac proinde deillexerit veritate; alia igitur causa est, quæ libros vestros à censura & confixione eximat: nempe hæc censura in vestrorum quepotestate posita est. Vestri enim Sanctæ Congregationi Indicis præsunt, ex quo fit, ut & pauci libri vestrorum deferantur; quis enim ad eū judicem adeat, cujus agitur causa? & si aliqui deferantur, vel censuræ decretum supprimatur, vel in longum protrahatur causa, ac proinde oblivione res tota deleatur; unum vel alterum exemplum, quod a cellum omni exceptione majoribus accepi, obiter suggeram.

Liber P. Francisci Combefis, de Monotheletismo jamdudum ad sacram Congregationem delatus est, a censores deputati, qui librum illum recognoscerent, dignum sanè graviore nota, quorum alqui egregio suo munere defuncti sunt; prohibente tamen Secretario, obtineri hucusque non potuit, ut prædictus liber publico decreto cōfigeretur. Aliud lepidius narro. Delata fuit hæc vestra Bibliotheca quatuor voluminibus distincta ad tribunal Sancti Officii, & communi Eminentissimorum Patrum decreto damnata. Decreti promulgatio vestris artibus primò in longum protracta; cum censura mitigata, accessione hujus clausulæ, *donec corrigatur*, quasi verò aliter quam una litura opus delud convitiis & calumniis horridum castigari possit,

hæc

hæc demum causa, eadem industria, vel potiùs potentia adsacram Congregationem Indicis remissa est, nullum unquam finem habitura: est igitur, quod de hac injustitia optimi quiq; expostulent. Sed damnatus est Coquetius, inquiet aliquis; id sanè casu, & præter mentem; cùm enim Urbani VIII. testimonium laudasset, quasi is vultum P. Lemos radiis coruscantem vidisset, ad hæc non parum Urbanus excanduit, à se unquam visum esse negavit, jussitque, ut liber in confixorum album referretur, ut jam suprà indicaveram.

Alii verò libri præsertim Jesuitarum, nullo aliquãdo delatore configuntur, & si fortè à censoribus primũ deputatis liber à censura immunis judicetur, alii deputantur à Secretario, idq; repertis stories recognitionibus, donec tandè aliquis, vel malè affectus, vel parum æquus librũ pro meris quandoq; apicibus & suspicionibus, confixione dignum reputet. Non desunt exempla, quæ jam omnibus ferè comperta sunt; & si vobis arridere intellexero, ea facile appellabo. Cæterùm præter Rabaldæum & Pozam Bibliothecarius vester alios Jesuitas non appellat, quorum libri confixi fuerint, eos tantùm suspecto Novatorum nomine indicat: sed pace illius dixerim, hoc nomine Hæretici dumtaxat nuncupari solent, ut Calvinistæ, Jansenistæ; & quo jure Jesuitas hujusmodi hominibus annumeret, divinare non possum, cùm doctrina Jesuitica Jansenianæ sit prorsus opposita. In eos potiùs appellationis elogium quadrat, quos sibi Jansenistæ, invitos licèt, saltem ut piè credo, in doctrinæ communionem adsciscunt: nempe Jansenistæ plenis buccis clamant, damnari se pro auxilio prædeterminante per se intrinsecè & præcisè efficaci.

CAPVT XVI.

Modus editionis reprehenditur.

IUsto Dei judicio accidit, ut fraudis Architectus propriis casibus irretitus fuerit, & inciderit in foveam, quam ipse fecerat. Profitetur enim Bibliothecarius vester, in prima libri fronte, & tom. 4. initio totum opus typis mandatum fuisse anno 1638. nempè cùm ubique passim agat de auxiliis, ac præsertim tom. 4. latè ac fusè, quod tamen pontificia decreta Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII vetitum est, ne prædicta decreta violasse videretur, finxit, librum typis mandatum fuisse, antequam illa cõderentur; justi stamen de causis anno tantũ 1660. promulgatum fuisse; sed mendacem oportet esse memorem. si enim liber impressus fuit anno 1638. quomodò ea continere potest, quæ anno dũtaxat 1643. contigerunt? Memini tenim Mariales vester to. 1. & 2. decreti contra Rabardæi librum conditi, prædicto scilicet anno 1643. Igitur opus illud anno 1638. typis mandatum non fuit, nisi fortè prophetiam scripsisse, non verò historiam narrasse, auctor iste dicendus sit. Et verò prophetam agit aliquando, falsum tamen, opinor, ut tom. 2. p. 71. ubi ruinam & ultimum Societatis excidium temerè prædicit, eamque cum Templariorum ordine comparat.

Subobscurè deinde indicat, facultatem edendi hunc librum à benignitate Ecclesiæ obtentam fuisse; sed haud dubiè subreptitiam fuisse oportet, cùm nec annum, nec diem, nec modum, nec auctorem concessionis appellet. Prætereà nemo pius unquam crediderit, facultatem ab Ecclesia concessam fuisse, ut tanta vis, seu colluvies convitiorum & calumniarũ ederetur. Ille profectò de optima parente Ecclesia sinistrè sentiret, qui adeò impiam indulgentiam illi affingeret. Denique cùm falsa sit causa pro obtinenda illa facultate allegata, scilicet opus illud jam ab anno 1638. fuisse impressum, vel inde concessio illa subreptitia censenda est. Nihil igitur fraude illa, seu fictione manifestius. Accedit, quòd liber nullam præfert approbationem Ordinarii, nec Superiorum Ordinis, contra leges Lateranen. Trident. & Indicis. Si quidpiam ex iis novatoribus, sic enim Jesuitas adpellat, reticito, vel ficto nomine, hoc ipsum faceret, improbarem utique, sed longè facilius condonandum esse putarem, quàm homini Ordinis vestri, cui cùm prædictarum legum cura singularis credita sit, major in eò fidelitas desideratur.

Si quis vel libellum aliquot foliorum typis mandari curet, sine licentia & approbatione, in eum illicò tãquam in perduellionis reum involatis, & scelestum caput diris omnibus devovetis: Auctor vester quatuor grandiores tomos sine licentia & approbatione in lucem edidit, & tacetis? tacere parum est, approbatis, applauditis, eosque proceribus Ecclesiasticis distribuitis. Puduit antequam ederetur, approbasse, post editionem, dissitrahere non pudet. Fidei hominum recta judicia judicate, & reputate apud vos, utrùm justam de vobis expostulandi causam præbeatis. Cæterùm parum appositè, ut jam suprà monui, Jesuitas auctor vester novatores appellat. Hoc nomen Calvinistis & Jansenistis probè convenit, qui nunquam Jesuitas in suorum errorum communionem adsciverunt, cùm tamen se puros Thomistas in re divinæ gratiæ passim prædicent; at doctrinam Calvini de divina gratia Tridentinum, Jansenii Innocentius & Alexander damnarunt. Reclamabitis utique, sat scio; vos videritis: hæc obiter indico, ut omnes judicent, vobisne an Jesuitis Novatorum nomen aptiùs conveniat. Ex his autem apparet, quam fidem mereatur auctor in multis aliis, quæ toto opere temerè profert adversùs Societatem, ejusque scriptores, quippe qui in re tanti momenti mundo imponat, profitendo librum illum typis mandatum fuisse anno 1638. cùm tamen ea contineat, quæ gesta sunt anno 1643. item hoc opus editum obtenta Ecclesiæ licentia, cùm tamen nunquam illa obtenta sit, aut si obtenta fuit, ipsi Ecclesiæ auctor imposuerit, allegatâ causâ falsâ & fictâ, ad eam licentiam impetrandam.

CAPVT XVII.

Decreta Sancti Officii Mariales eludit.

HÆc omittere poteram; quia tamen satis magni momenti res est, dicam obiter, auctorem vestrũ ita Pontificia decreta interpretari, ut illorũ vim omnem eludat atque infringat. Supposita enim lege, qua cautum sit, ne quid de tali, vel tali argumento scribat, cùm statuisset tom. 4. pag. 1. 2. 3. de aliqua controversia dupliciter scribi posse, opinativè scilicet, & resolutoriè, vel definitivè; opinativè quidem, ut cùm quis defendit aliquam sententiam, allatis scilicet rationibus, & solutis objectionibus, citra tamen ullam censuram partis oppositæ, & relictâ judicio Ecclesiæ

controversia; definitivè verò, ut cùm quis ita defendit aliquam sententiam, ut neget oppositum ab Ecclesia definiri posse: quando autem Ecclesia vetat, ne quis scribat de aliquo argumento, ita intelligi debet, ut alteram partem definitivè teneri prohibeat, non opinativè. Atque ita decreta Pontificia eludere sibi videtur, quibus cautum est, ne quis scribat de controversia divinæ gratiæ inter Dominicanos, & Jesuitas vertente; quod etiam ibidem extendit ad quæstionem de immaculata Conceptione:

Itaque ex mente hujus auctoris, cùm Ecclesia absolutè & sub gravibus pœnis prohibet, ne de aliqua materia scribatur, solùm prohibet, ne quis ita scribat de opinione sua, eamque ita certam teneat, ut oppositum definiri non possit; non tamen, quin juxta morem scholasticorum, libertè possit suam sententiam ut veram propugnare, & contrariam ut falsam impugnare, nisi fortè (quod valde rarò accidit) Ecclesia expresè prohibeat, ne quomodocumque de ea re scribatur, sive opinativè, sive resolutoriè juxta sensum ab auctore vestro expositum; quod sanè videtur communi doctorum & Ecclesiæ sensui, ipsisque verbis decretorum repugnare, occasionem præbere multis abusibus, ipsasque Ecclesiæ leges communiter aut majori ex parte frivolas & inutiles reddere. Et verò per se manifestum est, in materiis hujusmodi longè esse diversum, absolutè prohibere disputationem, & prohibere, ne quis oppositam sententiam ut erroneam, vel hæreticam notet: de his enim tanquam diversissimis diversimodè leges Pontificiæ loquuntur.

Exemplum luculentum habemus in Bulla *super speculam* Pii V. in qua Pontifex num. 2. absolutè vetat, ne quis in populatibus concionibus de immaculata Conceptione disputare, aut vulgari sermone scribere præsumat; ac deinde num. 3. permittit viris doctis, in publicis Academiæ disputationibus, de illa quæstione disserere, & alterutram partem impugnare, vel propugnare; dum tamen, inquit, neutra velut erronea prædicetur: ex quo manifestum fit, primum casum à secundo diserepare, cùm in posteriore plus aliquid, quàm in priore concedatur. Si tamen vestri auctoris distinctio, vel interpretatio locum haberet, unus ab alio differret, ut perspicuum est. Ex quo sanè exemplo, aliisq;, quæ facilè adduci possent, apertè corruit audax illa, & plus æquo laxa & periculosa, immò ut apparet, etiam erronea Bibliothecarii circa decreta ejusmodi Pontificiæ mentis expositio, vel ut veriùs dicam illusio.

Immò vel inde manifesta est auctoris vestri fœlicitas & fidelitas, in confirmandis suis opinionibus, nempè ut suam illam distinctionem probet, idest, talem esse mentem Pontificis prohibentis, ne de aliqua controversia scribatur; ut tantùm prohibeat, ne scribatur resolutoriè. Adducit materiam Conceptionis immaculatæ, de qua, inquit, vetitum est ne ita scribatur, ut alterutra sententia damnetur, ut Sixtus IV. expresè dicit. Hæc ratio nullius momenti est; nam Sixtus IV. nunquam prohibuit absolutè, ne de Conceptione scriberetur, sed tantùm ne alterutra pars erroris damnetur. Deinde Pius V. prohibuit absolutè, ne in concionibus ad populum de illa materia disputetur, quod tamen permittit in Academiis, modò neutra pars, ut erronea, vel hæretica traducatur. Igitur primum prohibet non modò resolutoriè, verùm etiam opinativè, secundum verò resolutoriè tantùm. Paulus V. & Gregorius XV. rem ultra promoverunt, nec enim in disputationibus publicis, partem illam, quæ immunitatem ab originali noxa Deiparæ negat, sustinere, ac propugnare amplius licet, secùs tamen oppositam; vestris dumtaxat inter se ex mendicata indulgentia concessum fuit. Parum igitur appositè hoc exemplum auctor vester adduxit, & æquam utrimq; conditionem esse dixit, cum tamen piè sentientium longè potior sit conditio. Hi nempè piam sententiam in concionibus citra disputationem exponere possunt; item in publicis disputationibus illam adstruere, nec non in libris lingua latina editis; denique ubivis licet dicere, Deiparæ Conceptionem immaculatam esse, maculatâ dici omnibus interdictâ; vobis tantum inter vos, sine teste, id mussitare indultum.

Quò verò spectet Bibliothecarius vester, dum hæc adstruit, nemo non videt. Sciebat, haud dubiè, pontificio decreto prohibitum esse, ne quis de prædicta controversia scriberet, de qua tamen ipse fusè actè nec non ex professo scripserat. Hoc præter nomine fraudem, quasi ipse opinativè tantùm de illa scripsisset, ac proinde pontificia decreta minimè violasset. Sed eum sua fefellit opinio; cùm etiam plusquam resolutoriè scripserit; cùm ille passim doctrinam Jesuiticam ut *blasphemam* traducat; & dicat, *doctrinam Catholicam à Thomistis contra Iesuitas propugnari*, nunquid hoc non est erroris notam adversæ parti inurere, ac definitivè suam defendere? quasi verò aliquid Ecclesia definire possit contra doctrinam Catholicam, & contra id cujus oppositum blasphemum est: itaque duplicis larvæ involucro parum obsequentèr vel observantem animum Bibliothecarius obtegere voluit; sed res pro votis non successit, Obtendit primo loto licentiam ab Ecclesia obtentam; sed subreptitiam esse ostendimus; expositerat enim hæc à se scripta & typis mandata fuisse jam ab anno 1638. cum tamen iis citet ea, quæ gesta sunt anno 1643. Secundò ita decretum Apostolicum explicat, ut cuivis liceat scribere opinativè; at ipse non opinativè modò, verùm etiam resolutoriè scribit: bis igitur decipere voluit, & bis captus remansit.

CAPUT XVIII.

Expostulatio pro Doctore Angelico.

CUm Doctorem Angelicum impensè colam, & sane, quod illius nomine de vestro Bibliothecario graviter expostulem, qui ejus doctrinam admittit jubet, perinde atq; si quintum esset Evangelium, & catholicæ regula veritatis, immò to. 4. curiosit. prælegom. pag. 5. expresè dicit, *omnibus catholicis præceptum* esse à Romanis Pontificibus, ut doctrinam D. Thomæ profiteantur, & totis viribus amplient. Ut ab hoc ultimo incipiam, falsum est, ullum extare præceptum Apostolicum, quo Catholici omnes obstricti sint, ad Doctoris Angelici doctrinam. Illam quidem commendant nonnulli ex Romanis Pontificibus, hortanturque fideles, ut eam discant, & in ea exerceant sese; at numquam præcipiunt; alioquin quotquot doctrinam Scoti, D. Bonaventuræ, immò & Durandi in publicis Academiis profitentur & mordunt, præceptum Apostolicum violant, quod nemo prudens jure dixerit. Nonnego Doctorem Angelicum multis elogiis à Romanis Pontificibus decoratum fuisse, ejus doctrinam solidam esse, perspicuam, sanam, Catholicam, quam ipse Christus suo suffragio donavit. Nihil istorum nego, immò ultro assero, ita laudo,

laudibus longè non imparem esse: nego tamen, præceptum fuisse ab Ecclesia, ut eam fideles sectentur. Legitis haud dubiè bullam Sixti V. 76. quæ sic incipit, *Triumphantis Ecclesiæ*. Multa etiam in hac Sancti Bonaventuræ encomia recensentur; & ad singularem illius doctrinæ commendationem, Sanctissimus Pontifex dicere non dubitavit, *Spiritum Sanctum in eo locutum videri*, quod jam olim dixerat Sixtus IV. ut autem prædictam doctrinam *propagaret, atque illustraret, ad universalis Ecclesiæ majorem & uberiorem utilitatem ex ea capiendam, & Theologiam Scholasticam illustrandam & propagandam*, ejusdem Seraphici Doctoris collegium in urbe instituit, in quo, *ex hujus præcipuè eximii doctoris operibus & commentariis sacra Theologia publicè explicaretur*. Non tamen propterea quis jure dixerit, S. Bonaventuræ doctrinam fuisse canonizatam, eumque infallibilem, errorique minimè obnoxium declaratum fuisse, aut præceptum fidelibus ab Ecclesia impositum eandem doctrinam profitendi. Merebatur haud dubiè apostolicæ commendationis elogium uterque Sanctissimus Doctor, Angelicus scilicet, & Seraphicus, quibus nunquam à mortalibus tot laudes attribuentur, quin pluribus adhuc & majoribus digni censendi sint: nemo tamen prudenter existimet, hoc sufficere, ad infallibilitatis prærogativam conciliandam, & ad nobis persuadendum, illos, qui vel latum unguem à D. Thomæ placitis deflectunt, vel hæreticos, vel suspectos in fide censeri. Nec tantùm scriptis in lucem editis hæc publicatis, verùm etiam ex sacris suggestibus & gymnasticis pulpitis passim declamatis. Duos præ cæteris audiisse memini, quorum alter asserere non dubitavit, sub illa dumtaxat sacra veste (suam autem præferebat) germanam & Catholicam doctrinam habitare; alter verò paulò licentiùs & intemperantiùs omni asseveratione affirmabat, præter Thomistas & Augustini discipulos (scio quos intelligat) rel quos omnes inter scholarum quisquilias habendos esse; tantùm sibi, tam parum aliis tribuebat.

Liberè dicam, quod sentio. Doctrinam Doctoris Angelici magnificiendam esse duco; non tamen crediderim, inter scripturas canonicas reponendam esse, nec eos pro hæreticis, vel suspectis in fide jure haberi, qui oppositâ docuerint, aut defenderint. Quis enim D. Thomæ, quamvis alioquin Doctori maximo, & de Ecclesia bene merito illud tribuat, quod necipsi Augustino, exceptis illis paucis propositionibus, quas Cælestinus Papa confirmavit, approbavitque, nec cuiquam ex sanctis Patribus competit.

Præterea nemo dixerit, Sanctum Bonaventuram, Scotum, Gabrielem, aliosque bene multos, qui doctrinam Thomisticæ oppositam profitentur, vel erasse in fide, vel erroris periculo expositos fuisse, eo dumtaxat nomine, quod doctrinam Thomistarum amplexi non fuerint: deinde in multis, iisque præcipuis doctrinæ Thomisticæ capitibus, inter ipsos Thomistas, non levis dissensio & controversia est. Hinc Cajetanus, Paludanus, Capreolus, Ferrariensis, Javellus, Sotus uterque, Canus pro meris putis Thomistis se gerunt, licèt inter se non conveniant: haud aliter Peripatetici in varias sectas divisi, diversa penitùs sentiunt, licèt singuli Aristoteli adhærere sibi videantur.

Antequam igitur doctrinam Thomisticam ut errori minimè obnoxiam, aliis tantoperè commendetis, convenite primùm inter vos, ut sciamus, quinam vestrùm meliùs sentiant. Et verò Bibliothecarius vester non rarò alios Thomistas confutat, aitque illos Sancti Doctoris mentem minimè fuisse assecutos.

Sed quæso per vos mihi liceat unum quærere, quî scilicet fieri possit, ut illud mihi unquam aliisq; persuadeat. Prævalent, inquit, argumenta à me aliata, idem alius haud dubiè dicturus est; utri quæso fides habenda? hoc ipsum in celeberrima illa controversia de prædeterminatione præcæteris videre est; vix enim duos invenio, inter illos, qui maximo numero de illa scripserùt, qui in explicanda illa doctrina cõveniãt; & nonnulli ex vestris ea rerũ & verborũ obscuritate territi, non veriti sunt scribere, rẽ illã sicut mysteriorum Sanctiss. Trinitatis, non intelligentia & ratiocinio indagandam, sed divina fide & cæca mentis nostræ subjectione tenendam esse.

Itaque ut doctrinam Doctoris Angelici magnifacio, & ab omnibus magni fieri percupio, ita nemini jugum illud intolerabile imponi velim, ut eam in omnibus & per omnia sequatur. Scriptores Societatis mihi credite doctrinam illam doctissimis suis commentariis non parum illustrarunt; eam singuli diversimodè explicare & exponere conantur, in quo & à se invicem & à vestris scriptoribus nonnunquam dissentiunt; cur enim iis non liceat, quod in vestris ferendum esse putatis: singuli abundent in suo sensu, modò in iis, quæ sunt divinæ fidei, conveniant, de reliquis liberè disputemus; mundum enim Deus nostris disputationibus tradidit, at citra convitia & acerbiores censuras, in quo Bibliothecarius vester ita se gessit, ut in hoc genere nihil atrocius excogitari posse videatur, quod reverâ tum Christianæ charitati, tum religioso instituto, tum etiam ipsi justitiæ adversatur. Accedit, quod in uno tantùm, vel altero Jesuitæ à doctrina D. Thomæ discesserunt; scilicet, in quæstione de auxiliis, & immaculatæ Conceptionis. Plus dico, quàm par sit; Sanctum Doctorem in prima controversia Jesuitæ sibi vendicant, & si rectè memini, omninò demonstrant physicam prædeterminationem esse quid novitium à recentioribus Thomistis excogitatum. In altero verò non desunt, qui dicant Sanctum Doctorem de Conceptione pè sensisse, sed adulteratum fuisse. Hoc discutiendum non suscipio; nec enim hujus loci res est; quanquam in editione Autverpiensi, multa, immò plurima loca subducta, adjecta, mutata fuisse, negari non potest, & plerique dolent, quod jam ab aliis instituta locorum collatione ostensum est. Sed demus, Doctorem Angelicum ea reverâ scripsisse de Conceptione Deiparæ, quæ legimus in 1. 2. quæst. 81. art. 3. in corpore articuli; cur quæso in hoc ab eo deflectere non liceat, cùm vel ipse Canus; multùm dico, cùm Canum dico) ab eo sine censura desciverit: hæc enim habet Sanctissimus Doctor; *dicendum quod secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt*. Censuit igitur S. Thomas hoc esse de fide & oppositum erroneum esse, quidquid prætexat Cajetanus. Canus autem lib. 7. cap. 3. *Iseravit*, inquit, *qui asseruit erroneum esse, aliquem præter Christum à lege illa originalis peccati liberari*. Sed in his diutiùs hærere non vacat.

(6.*)

CAPUT XIX.

Expostulatio de P. Alexandro Sebille.

Appendicis loco subnecto postremam expostulationem; & licèt, non nemini fortè videar extra chorum saltare; quid enim P. Alexander Sebille ad vestrum Bibliothecarium? huc tamen plurimum facit. Cum enim parca suprà, licèt obiter, indicarim de consensione doctrinæ Thomisticæ cum Jansenianâ in re divinæ gratiæ, statim opponet aliquis, Thomistas ipsos adversùs Jansenistas scripsisse; unde perspicuum fiat, ab his illos omnino dissentire: unum hucusque legi Thomistarum librum adversùs Jansenii dogmata; is est interpres Thomisticus à P. Alexandro Sebille scriptus, & in lucem editus. Nescio, utrùm alius quispiam ejusdē familiæ de hoc argumento scripserit. Quidquid sit, nonnulla considerata capita vobis aliisque proponenda esse duxi circa hunc interpretem, quæ non parum mihi negotii facessunt.

Primum est, hunc auctorem obtendere speciem impugnandi Jansenium, animo & studio scribendi in materia de auxiliis, ac propugnandi Prædeterminantium opinionem contra Petavium & Richardum (id est P. Stephanum Deschamps) qui tamen contra Jansenium & Fromondū, non verò contra Thomistas scripserant. Hoc autem constat ex lib. 3. c. 1. sect. 5 quâ longioris appendicis nomine interpreti suo subnexuit. In quo sanè, contra summorum Pontificum decreta, fecisse visus est; nec enim obtenta facultas scribendi contra Jansenium, ad materiam de auxiliis extendi debuit; quis enim credat Innocentium X. concessisse facultatem scribendi pro physica prædeterminatione, quæ cum Janseniani dogmatis haud parum consentit?

Secundò, sub eo obtentu scribendi contra Jansenium, scripsit contra Jansenii hostes, scriptores scilicet Societatis, eosq; frequentibus convitiis appetit. Lib. 2. c. 17. p. 181. dicit, Molinā *præsumptionis ab omnibus doctis redarguendum fuisse*; quasi verò nemo nisi inter Thomistas & Jansenistas doctus sit, ab his enim dūtaxat redarguitur. Sed de Molina jam suprà. Lib. 3. c. 1. sect. 5. dicit, Petavium & Richardum in materia libertatis, *Thomisticè non loqui, dicta utriusq; ex S. Thoma jugulari utrumq; falli, errare, hallucinari, rem hanc non capere*, deniq; tota illa sectione paulò liberiùs utrumque sugillat. Petaviū etiam perstringit lib. 3. c. 1. sect. 4. lib. verò 1. c. 14. Societatem Jesu scholam Petavianam per jocum vocat, cujus P. Suarez celeberrimum sit oraculum, qui tamen lōgè ante Petavium scripsit; Janseniſtæ Jesuitas vocant Molinistas, hic Petavianos, sed quo jure; cùm multi ex Societate ante Petavium de universa Theologia scripserint, & Petavius multa quidem de rebus Theologicis, non tamē scholastico modo scripserit. Ibidem concedere videtur Fromondo, Jesuitas homines justo loquaciores esse, & ad instar tintinnabuli noctu diuq; crepitātis. Deniq; corvi, qui ex arca Thomistica avolavit, mentionem facit, idq; per jocum contra Jesuitas, quos vulgus protervū propter atrum vestis colorem, corvos vocat, parciùs ista viris. Hoccine est contra Jansenium scribere, & Angelici Doctoris, qui modestia singularis fuit, sincerum agere interpretem? an potiùs illos sugillare, & contumeliis prosequi, Petavium scilicet, Richardum, seu Deschamps, Annatum, Martinonum, Ripaldam, alioſque, qui contra Jansenii errores egregiè scripserunt?

Tertiò, D. Thom. plus æquo extollit, alioſq; insignes alioſquin Theologos plus justo deprimit; primum quidem lib. 1. c. 15. ubi dicit, illum contra se habet Errhoc omnes S. Patres, qui D. Thom. contra se habet. Errhoc principiū, ut ipse vocat, ibidem adstruit; *Si D. Thomas est contra te, nullus SS. Patrum est pro te.* Accedit, quòd in secunda approbatione, tota Augustini auctoritas à S. Thoma derivatur. Secundùm passim ut lib. 1. cap. 12. Durandum Thomisticum Apostatam vocat. Ita ne pius & doctus Episcopus hoc nomine vocari debuit: Lib. 5. cap. 14. Scotistas sugillat; cap. 10. Gabrielem ut hominem nihil, faciendum traducit; cap. 24. maximos quoſque in schola Scoti Doctores parvæ notæ Theologos vocat; nec ipsi D. Thomæ parcit lib. 1. cap. 14. sect. 3. ubi dicit, S. Doctoris opera, præter Summam, nullius roboris, vel auctoritatis censenda esse. Denique lib. 3. cap. 1. sect. 5. hæreseos notam illorum sententiæ inurere videtur, qui prædeterminationem physicam non admittunt.

Quartò multa habet, quæ ita Jansenianis partibus favent, ut cum iis integra & intacta Jansenii dogmata remaneant. Nonnulla majoris distinctionis gratia in certos numeros distinguo.

Lib. 2. cap. 2. dicit, auxilium prædeterminans non esse ex parte actus primi, sed secundi; unde colligere possem, non esse causam actus liberi supernaturalis, quod est hæreticum; si enim causa est, ex parte actus primi est.

2. Judicium practicum ex parte dumtaxat actus secundi liberi esse contendit, licèt reverà sit ex parte actus primi, nam *video meliora, proboque, deteriora sequor.*

3. Asserit, voluntati liberè operanti semper deesse judicium de bonitate suspensionis actus; unde colligo ipsam non posse suspendere actum, nec enim fertur in incognitum, ac proinde actum illum liberum non esse.

4. Cap. 16. dicit, Pelagianum esse, negare gratiam per se intrinsecè ac præcisè efficacem; ergo omnes illi, qui talem gratiam non ponunt, hoc est, qui auxilio prædeterminans non admittunt, sunt hæretici. Hæc censura decretis pontificiis adversatur; ò si reponere liceret.

5. Ultrò fatetur, gratiam efficacem Thomisticam eandem esse cum Calvinianâ; sed Calvinum ea malè inferre liberi arbitrii ruinam; ac proinde peccare in consequente, non verò in antecedente. Nihil aliud volunt Janseniſtæ, nihil aliud clamant.

6. Lib. 3. c. 1. sect. 4. dicit, ideo prædeterminationem non tollere potentiam proximam dissentiendi, quia ad hanc, hæc duo dumtaxat requiruntur, nimirum judicii indifferentia & ipsa voluntas; *hæc duo, inquit quolibet alio secluso, sufficiunt.* Hanc potentiam Jansenius & Calvinus facilè admittent; neuter enim dicit, à gratia efficaci tolli judicium indifferens, vel ipsam voluntatem: frustra igitur damnata est tertia propositio ab Innocentio X. frustra quarta; & si ad hanc potentiam proximam nihil aliud desideratur, Calvinus & Jansenius facilè manus dabunt.

7. Sect. 5. dicit ita elicia actum liberum à voluntate prædeterminata, ut pro eodē instanti voluntas habeat potentiā proximā dissentiendi; & tamen pro eodem instanti, dissensus poni non possit. Hæc videntur repugnantia, quòd scilicet voluntas possit dissen-

sum

sum ponere, pro eo instanti, pro quo dissensus poni non potest. Calvinus & Jansenius nihil aliud intendunt, nisi posito auxilio prædeterminante, dissensum à voluntate poni non posse; atque ita si hoc admittatur, censuram omnem facilè eludent; imò Jansenius libro 8. de gratia Christi cap. 4. eodem prorsus modo rem istam exponit.

8. Ibidem habet, suppositionem antecedentem non destruere libertatem; suppositionem, inquam, prædeterminationis; quia inquit, est libertatis causa, antecedit, inquit, Patres mei (Jesuitas alloquitur) ut causa, origo, factrix, effectrix, & operatrix libertatis. Igitur si antecedit, (hoc enim perspicuè infero) ut causa, necessitas inde resultans est antecedens; ut enim suppositio consequens affert necessitatem consequentem, ita suppositio antecedens necessitatem antecedentem affert. Et verò ille effectus necessariò ponitur pro eo instanti, pro quo, supposita tali causa, non potest non poni; hoc etiam quantum faveat Jansenistis, ad retinendam tertiam propositionem, nemo non videt, qui rerum istarum peritus sit.

9. Dicit gratiam prædeterminantem libertati contrariam non esse, quia connaturali agendi modo voluntatis conformatur. Hoc idem habet Fromondus lib. 2. Theriac. cap. 7. sect. 1. & 2. Igitur P. Sebille Fromondum defendit, non ferit. Et verò hac in re P. Annatus lib. de incoacta libert. part. 2. cap. 2. §. 2. Fromondum efficaciter refutavit. Addit autem præfatus auctor, non tantùm requiri connaturalem modum, sed absentiam omnis impedimenti: at lib. 2. cap. 8. *Omnium Thomistarum nomine resolutissimè affirmat*, ideò à prædeterminatione physica vim præternaturalem voluntati non inferri, quia non impedit, neque tollit proximam dissentiendi potentiam; Sed hæc potentia proxima, juxta illum, ut suprà dictum est, complectitur tantùm indifferentiam judicii, & ipsammet voluntatem; & hoc Jansenius & Fromondus nunquam negabunt.

Quintò crediderim sanè, prædictum auctorem bono ac sincero animo contra Jansenistas scripsisse; si quis tamen verè pro illis & fictè contra illos scribere voluisset, hoc certè, & non alio modo scripsisset. Et verò non est dubium, quin Jansenistæ dicturi sint, imò jam sæpè dixerint, quinque propositiones in eorum sensu damnatas non esse; ac se ultro admittere interpretem istum Thomisticum, nec non stare illius responsionibus; aliam agendi necessitatem à se non induci, nisi tantùm illam, quæ ex gratia per se intrinsecè ac præcisè efficaci ortum ducit, quam iste auctor cum reliquis Thomistis adstruit; ac proindè illam libertati minimè officere, quâ positâ, voluntas quidem resistere ac dissentire potest, dissensus tamen poni non potest; qua sublata, voluntas quidem præceptum servare potest, ipsum tamen servari nequit, estque reverà impossibile; concludent igitur, illa sua dogmata firma & inoffensa restare, cùm iisdem armis, quibus impugnari videntur, defendantur. Hæc sanè ut Jansenistis non levem occasionem suos errores obstinatiùs retinendi, ita gravissimum scandalum Catholicis præbent.

***

CAPVT XX.

Conclusio.

HÆc sunt admodùm RR. Patres, de quibus vobiscum expostulo, non alio certè animo, nisi ut suus sit veritati & justæ defensioni locus; & silentium Jesuitarum, quod nimium & immoderatum esse duxi, aliquantulum suppleam. Malus animus, ita me Deus amet, adversùm vos mihi non fuit; sed unus dumtaxat justitiæ & veritatis amor totum hoc à me expressit, vel potiùs extorsit; in votis enim fuisset, ut aliquis ex Scriptoribus Societatis longè doctiorem calamum strinxisset, ad luculentiorem Bibliothecarii vestri castigationem. Pertinacis & obstinati silentii causam non semel animo indagavi; vix tamen assecutus sum. Jam ab aliquot annis acerrimè impugnantur, mille calumniis obruuntur, impetuntur convitiis; doctrina, vita, institutum miris & diris modis proscinduntur: tot libelli famosi singulis fere diebus contra illos in lucem prodeunt. Ipsi tamen vix mutire audent: an fortè illorum criminum, quælis affinguntur, sibi conscii, illa silentio ultro fatentur? nam qui tacet, consentire videtur: absit, ut hoc de illis sibi quisquam persuadeat; nosco illos intus & in cute, ut vulgo ajunt; doctrina illorum sana est, vita religiosa, sanctissimum institutum. Cur ergo tacent? fortè de mandato Superiorum, de consilio amicorum: sed cur hoc prælati mandant? cur amici suggerunt? an fortè ne adversarii plura scribendi occasionem inde arripiant; at secus accidit; nam cùm hi Jesuitas obmutuisse vidissent, cùm perculsos ac territos esse putarent, longè plura in illos debacchati sunt. Nihil sanè potius occurrit, quod dicam, nisi hoc religiosæ patientiæ tribuendum, divino sanè consilio; hoc enim forsitan sublimioris virtutis argumentum in iis desiderabatur, ut etiam sub atrocissimis calumniis & convitiorum flagellis, quamvis in pupilla, doctrinæ scilicet & morum, tacti, exemplo Christi Salvatoris, omnino silerent.

Facere tamen non potui, quin aliquid saltem expostulationis, pro mea erga illos observantia & benevolentia præmitterem, & Catholicos monerem, afflictionem afflicto dandam non fuisse. Vapulabant atrocissimè à Jansenistis; istorum verò impulsu ac ductu, à Parochis, & quibusdam aliis Catholicis: Christianæ certè pietatis non fuit, quod Mariales vester eodem tempore in eos acerrimè inveherecur, & novorum convitiorum accessione, Jansenistarum triumphos redderet illustriores, non sine gravi optimi cujusque offensione. Defendere potiùs debuerat Religiosus Religiosos; in ea tempestate, qua jactabantur, auxiliares manus porrigere, & communem Ecclesiæ & Christi causam contra Heterodoxos strenuè ac piè tueri: at jam afflictos affligere, jactatos jactare, fœdè laceratos fœdiùs lacerare, nulla excusatione, nullo tuendæ veritatis obtentu, nulla demum honesti finis specie, defendi, aut muniri potest.

Ego certè cùm tam obstinatum Jesuitarum silentium probare non possem, calamum continere non potui, ut tam eximios Scriptores de re litteraria, imò & Catholica bene meritos ab injusta nota, afflictisque calumniis vindicarem; expostulando scilicet, ac delata ad publicum cujuslibet lectoris Catholici forum querela, idque brevissimo scripto, quod ni fallor, grandiora volumina brevi excipient, non

certè ut Bibliothecari vestri Bibliothecam expurgent, in qua, ut jam dixi, præter convitia & contumelias, nihil inveni, quod non sit potiùs contemnendum, quàm diluendum. Mariales vester præcipitis indolis & ingenii auctor, sine delectu effutiit, quicquid ira suggessit, & implacabile odium adversùs Jesuitas ipsi dictavit; in tantis perturbati & commotionis animi tenebris, nihil doctæ lucis, nihil luculentæ ratiocinationis affulsit; denique præter densam calumniarum nubem, nihil nisi tricas scholasticas & meras quisquilias ad grandiorem farraginem in cumulum congestas attulit. Refellent, qui volent, ego expostulasse contentus, hic scribendi finem facio.

EPISTOLA SECUNDA,

IN QUA

CONTRA LVDOVICI CARTERII Librum à Barone scripta ut breviter, ita efficaciter refutantur.

I. PLERISQUE certè mirũ accidit, Vincenti, quod in Ludovicum Carterium ita invectus fueris, ut ab eo, in multis, acriorem Theophili stylum superatum fuisse dicas: illud opusculum mihi attribuis, in quo, ut verum fateor, à quorumdam sensu non procul abes, & in hoc, verisimiliùs pronunciasti, quàm cum dixisti, eumdem esse cum Theophilo Guimenium; in quo sanè, theses tuas, ludibrio, & judicium tuum, sibilis exponere visus es: in eo tamen tua te fefellit opinio; alius est à me Carterius, quamvis antiquæ necessitudinis vinculo mihi conjunctus: quia tamen, dum Carterium impugnas, stylum in me collimas, eumque pro me, ac me pro illo habes; demus; etsi minimè concedamus, libellum meum esse; nec enim me hujus scriptionis puderet; cum adversùm me illa scripseris, quæ in Carterium scripsisti, justæ defensionis jure, mihi sanè rescribere competit; & quo ad hoc, perinde est, sive libelli auctor sim, sive non sim; quamquam non dubito, quin ipsemet Carterius, quibus longè uberrimam expostulandi materiem, præ cæteris omnibus, præbuisti, novis expostulationibus, novisque in eas commentariis, & plena eorum, quæ adversùs illum effutire non es veritus, refutatione, priorem libellum, in justum codicem brevi commutet. Sed ad rem venio.

II. Initio statim me carpis (fingo enim me Carterium esse) quod adversùs Mariales tuum scripserim, cui multam in nos scribendi Theophilus occasionem dederat; ac proinde nostros, non verò Mariales pacem turbasse; sed, ut jam dixisse memini, Mariales librum Theophili nec vidit, nec appellavit unquam in sua Bibliotheca; illi ergo tam dira scribendi occasionem præbere non potuit. Deinde quod jam discussi cap. 16. profitetur Mariales, tum in prima libri fronte, tum etiam tom. 4. initio, totum opus typis mandatum fuisse anno 1638. liber igitur Theophili qui viginti post annis, & ultra, editus est, opus illud scribendi Bibliothecario vestro occasionem præbere non potuit; nisi fortè dono prophetiæ instructus futura prospexerit: mihi deinde imponis, quod bibliothecam illam non tam uni Marialeſ, quàm *omnibus Dominicanis* imputaverim; calumnia est; nullibi hoc legis; equidem in præfatione hæc lego; *expostulo verò de ipso Bibliothecæ auctore, quem ideo inceps, brevitatis ergo, Bibliothecarium appellabo (si tamen multi auctores non sint)* &c. *tum etiam de nonnullis aliis*, &c. *qui sedulam editioni, promulgationi, distractioni navarunt operam*, &c. *nonnullis audim? quos interdum taxat compello; alios enim, ut & sanctum ordinem impensè colo ac vereor.* Hoccine est merum artificium, quod mihi exprobras, *ut privati unius culpam Dominicanos omnes redundet*; agnoscis tua verba; ex quibus calumnia perspicua restat.

IV. Deinde, an fortè pro stipite me habes, qui linguæ, oculorum, aurium usu careat, scio, scio, & me cogis, appellabo illos, qui Bibliothecæ, tum editioni, tum maximè distractioni sedulam, ut dixi, operam navarunt; multa certè reticere & tacitè concoquere Christiana jubet prudentia, quorum tamen aliqua, cum perspicua sint & notoria, frustra exponerem; scimus omnes, tuam illam Apologiam Romæ, non Cracoviæ, ut dicis, typis mandatam esse; an ergo Gergoniam appellas & Vocontios? nonne huc quadrat, *Clodius accusat*, &c. Libellus in Gallia editus est ab auctore suo Gallo, illius jussu, aut fortè consilio, cui uterque subditi eramus; & quo deinde libellum, ob styli temperantiam, & quod multa paucis complectatur, non sem el laudagit; dicam omnia, si me cogis, & vera dicam, utjam à me actum est in alia Epist. de causa & censura altera Apologiæ. Tibi porro, qui magister audis in Israel, conjectandum relinquo, quid per Gergoniam & Vocontios intellexerim; nec enim, crede mihi, hæc temerè & casu & sine optimo doctæ analogiæ sensu, de quo fortè aliàs; quamquam ad rem nostram non facit.

V. Voluisses, ante omnia, ut Carterius collatus sincerè inter se Mariales & Theophili dicteria & convitia, tacendi omnino, vel Dominicanis faciendi satis, imposita sibi necessitatem potiùs, quàm de illis expostulandi judicasset; sed in primis, deputatis Dominicanis expostulo, nimirum cui similibus deinde quo jure à me hoc exigis? vix pauca libri Theophili, sit enim illius, quandoquidem vulgati exemplaria, ex recenti prælo excidebant, & de supprimendo libro seriò cogitabatur; crede mihi, vera narro,

narro, & hæc si opus est, authenticis testimoniis confirmabimus, cum aliqui ex vestris, doctissimum illum hominem, ingrato certè officio commotum, à mitiore illo consilio penitus abstraxerunt; indolui fateor, cum hic Lugduni, à testibus omni exceptione majoribus hujusce rei certior factus sum: dum porro tuos appello, cogita de te ipso, & paucis aliis tui similibus. Stultum igitur fuisset, eo tempore librum Theophili refellendum suscipere, ad satisfaciendum aliquot ex vestris, à quibus Theophilus satisfactionem potiùs exigebat; præterquam quod, summæ fuisset imprudentiæ, librum illum refellere, qui vix publica luce gaudebat; denique absit, ut vel minimam præbeam occasionem cupiam, dicendi, me à vobis conductum fuisse:

VI. Descendis ad tu Mariales defensionem, & dicis, illum à nostris acerrimè accusatum fuisse, & delatum ad Eminentiss. S. Congregationis, qui tamen judicarunt, propter unam, vel alteram paginam, in qua fortè aliquid paulo liberiùs scriptum continebatur, ingentes tomos proscribendos non esse, ne D. Thomæ, inquis, in posterum defensio deesset: meum denique de Bibliotheca vestra judicium, liberius & iniquius esse dicis; cum plura bona ibi sint recondita, quæ alibi facilè non reperias. Tuum Mariales, non jam nostri, consule registrum, per tuos facilè obtinebis, sed duo Eminentissimi quibus se conjunxit, qui tunc erat S. Officii, ut vocant; Commissarius, detulerunt: cur igitur nostris imponis? præterea falsum est illud, quod dicis, ad elevandum, in una tantùm, vel altera pagina aliquid vitii inesse; quia toto passim opere errorum & convitiorum colluviem reperias; longus calumniarum & dicteriorum elenchus, cuidam ex tu sporrectus est; sed nullo penitus operæ pretio & fructu. Quod addis de D. Thomæ defensione, merus obtentus est; Auctores nostri Doctorem Angelicum summoperè verentur, eumque à falsitatibus afflictis strenuè defendunt, defendentque in posterum, contra multos; tua & Mariales defensione non indiget; meam denique de Bibliotheca censuram non modò non revoco, sed ratam habeo, eamque non tuo, quia factionis studium te prorsus excæcat, sed lectoris superiorum disciplinarum periti judicio libens subjicio: invenies, sat scio, Palpones, homineseque trioboli, qui captandæ gratiæ inhiantes, elogiorum plaustra in Bibliothecam profundant; nec enim hujusmodi Homines desiderantur unquam, quorum indolem, vota & malas artes singulari tractatu diligenter discussi; sed ad peritos uno dumtaxat veritatis studio ductos provoco.

VII. Exprobras deinde mihi, quod, pro more, nulla ratione probem, quæ à me adstruuntur per totum librum; quia, inquis, per alias occupationes animabus utiliores fortè non licuit: Bonus quidam, idem Romæ mihi opposuit, & ut de isto non potui, ita de te, risum continere non possum; quid quæso rationes, syllogismos & argumenta hic à me postulas? expostulo dumtaxat, de atrocibus Bibliothecarii convitiis & calumniis, & eadem Italico charactere, ad majorem distinctionem excusa, lectorum oculis subjicio; quidnam aliud desideratur ad justam expostulationem? mihi colaphum impingis; Christi Domini exemplo, expostulo, *cur me cædis?* deest, inquis, expostulationi ratio, & argumentum: vah lepidum caput, ne quid acriùs dicam; quando de facto notorio constat, frustra testes & rationes adducuntur; nisi fortè ridiculum illum & ineptum divini verbi Preconem imitari me velis, qui cum solem splendere dixisset, Plinium testem hujusce dicti citavit; sed apage istas nugas.

VIII. Te pupugit unum, quod judicavi obiter, nimirum damnatis Jansenii propositionibus, quantum inde momenti causæ nostræ accesserit, vestræ verò subductum sit, apprimè scire profundiores Theologos: hic tergiversaris, in omnem partem & quoquoversùm te agis ac te versas ad instar colubri; sed quantumvis obstrepas, notorium est apud veros Theologos; & hoc ipsimet Jansenistæ centenis & millenis voluminibus palam denunciarunt: quantum porro iis vestrorum aliqui faverint, non est, quod dicam; quia, ut jam dixi, notorium est; pro quo ad Diarium editum te remitterem, nisi liber confixus esset; in eo tamen egregium fidei vestræ ac zeli vestri monumentum, ad perpetuam memoriam erectum est. Lepidè autem & inopinatò alibi asseris, dictarum propositionum damnationem vestrorum cura, votis & instantiis acceptam referri; præ cæteris, P. Vincentii Candidi: hic certè probatione opus esset Vincenti, longè potiori jure, quàm in expostulationibus Carterii: Cæterùm dum nostros tonantes ex Pulpitis ubique gentium in Thomistas, & horrida bella gerentes inducis, omnes, inquis, præter unum Annatum, in scena fabulam dare voluisti: Jesuitæ justo fortè timidiores silent: multiplicatis voluminibus insultant, inquis; Annati liber de scientia media, vix incolumis evasit; quantum illi negotii duo vestri Tolosani facesserint, nemo nescit; sustineo; hic enim latissimus excurrendi campus aperitur.

IX. Dicam tamen, temerè, ut mitissimè loquar, à te adstrui, nihil omissum à nostris, ut in D. Thomam aliquid ex Cathedra statueretur: quis unquam talia de sanctissimo Doctore? consule Cardinales Eminentissimos, quorum aliqui hodienum superstites vivunt, eorum scilicet, qui hanc causam, Pontificis jussu discusserunt, utrùm aliquis ex Societate, apud eos insisterit, ut in D. Thomam aliquid ex Cathedra statueretur: errores quidem Jansenii ex Cathedra damnandos esse, dixerunt; uti reverà damnati fuere; & unicum Jansenistarum fundamentum, ut ipsi palam testantur, nimirum gratiam à se præcisè efficacem, ac proinde prædeterminantem, tolli, ne quid dissimulem, in votis esset, quorum me compotem fore, aliquando spero; intactis tamen sanctorum Augustini & Thomæ dogmatis; quidquid temerè, ne quid acriùs dicam, blateres, mi Baro, damnari non posse gratiam illam Calvinianam & Jansenianam, nisi sanctorum Augustini & Thomæ dogmata damnentur: idem prorsus Jansenistæ de quinque illis propositionibus jactabant, quæ tamen, intacto Augustino, damnatæ fuerunt; hoc quidem obtrudere non cessatis; sed toties difflatum & explosum, ut retractare pudeat; quid faceres, abacta musca semper redit. Et verò S. Doctorem non modò non aggredimur, sed data opera defendimus à Janseniistis, Bajanis, Banesianis, dum constantissimè negamus, illum huic prædeterminanti gratiæ, quam cum Calviniana eamdem esse Sybilla vestra fatetur, patrocinari; uti nec Augustinum; aliquot loca, sat scio, accumulatis; sed ea in bono lumine collocamus; ita enim cum sanctis Ecclesiæ Doctoribus, quibus aliqui falsitates suas affingunt, agendum esse, putamus; ne vel Canum vel Combefisium imitari videamur.

X. Sub finem paragraphi, dicis, Pontifices suas definitiones exigere ad scripturam, communi Patrum sensu ad literam explicatam, vel ad traditionem ab

ab institutione Ecclesiæ à Christo exceptam, & apud suos servatam; quid est hoc, *apud suos*? nunquid apud Ecclesiam? addis, nullum nescire, adjutum à nostris fuisse auctorem illum, qui triplicem traditionem distinguere ausus est, divinam scilicet, Apostolicam, & Ecclesiasticam; ita ut Apostolica, credendorum fide divina fundamentum esse queat; & ex locis mystico sensu explicatis, definitiones fide divina certè erui possint; carpis autem alibi eumdem auctorem, & miraris, impunè tulisse; sed nodum quæris in scirpo; nempe hæc doctrina sensum catholicum habet; sat video, quo spectes; auctorem illum alium esse non puto, ab Illustrissimo D. Episcopo Placentino, ad Innocentium & Alexandrum oratore Regis Catholici, pro controversia Immaculatæ conceptionis, qui hæc eadem habet in doctissimo libro, quem scripsit, ut probet controversiam illam ab Ecclesia definiri posse; tu autem, cum aliquot ex tuis, omnem aditum ad illam definitionem præcludere velles; nec enim alio animo dicis, scripturæ loca in sensu mystico accepta ad definitionem fidei non satis esse; error est, in quem factionis inauditæ studio excæcatus te præcipitem egisti; quasi verò Ecclesiæ Spiritus sancti assistentia non gaudeat æquè pro tuo sensu ac pro alio: elevare voluisti multa scripturæ loca, quæ in sensu mystico, Deiparæ ab Ecclesia occinuntur; quis hoc non videt? Quod verò spectat ad traditionem Apostolicam; erras etiam, cum dicis, ad diffinitionem fidei non satis esse; æquè enim Apostolorum dicta ac scripta verbum Dei constituunt Ecclesiæ: Dei verbi Dei fidelissima custos est, & sensus verbi Dei errori minimè obnoxia interpres; verbum Dei ab Apostolis accepit, quo ad novum Testamentum, sive scripto ab iis consignatum, seu verbo tenus, quasi per manus traditum: ille igitur auctor nihil hoc dicto peccavit, sed catholicè sensit Præsul doctissimus, juxta atque pissimus; tu verò Vincenti, errare solitus, in hoc etiam ab errore non procul abfuisti, an malus animus ad fuerit non definio.

XI. Ad solutionem trium argumentorum, quæ Carterius, inquis, indissolubilia putat, petita scilicet à libertate, à gratia sufficienti, & à Dei concursu ad peccatum descendis; non dixi quidem, esse indissolubilia, sed à vobis minimè soluta huc usque, nec in posterum solvenda: nobis autem ante omnia opponis, nullum ex nostris auctoribus pontificiis decretis stetisse, quibus cautum est, ne de auxiliis scribatur; nullum, inquis; immo nullum esse, ajo, qui religiosissimè non steterit; nimiam illam non parendi licentiam, vel ipsa decreta falsis interpretationibus adulterandi, tibi, Mariales, aliisque vestris relinquimus; multi sunt ex Nostris, qui cum de universa Theologia scripserint, lacunam tamen illam, quantumvis deformem, præ observantia, reliquerunt ultro, Tannerus, Amicus, Martinon, Ariaga, Lugo, & plerique alii plenissimam hujus rei faciunt fidem; immo cum Martinon facultatem petiisset illa edendi, & in novam editionem inserendi, quæ de hoc argumento, more suo, doctissimè scripserat, & autographam jussus fuisset porrigere, non modò petitam facultatem non obtinuit, sed autographum suum nunquam recipere potuit; quo jure, viderint ii, qui juxta nativa & æterna justitiæ placita & principia, probe sciunt, neminem re sua, nisi vel in pœnam, vel si quando publici boni ratio id postulet, privari posse.

XII. Voluisses fortè, cum tuis, tui similibus, alios enim, ita me Deus amet, non compello, ut decreta illa ad alia quoque argumenta extenderentur, puta ad scientiam mediam, ad futura contingentia, ad libertatem secundùm principia naturalia explicatam, ad omnem Dei concursum, aliaque hujusmodi, ad quæ profectò extendi non debent, ut non semel S. Congregatio declaravit: deinde nonnulli ex nostris, ut Paulus Leonardus, Ripalda, Hennao, & quidam alii fabulas illas rejecerunt, quas Salmanticenses, Joannes à S. Thoma, quæstionarius Tholosanus & nonnulli alii libris in lucem editis nobis affinxerant, ex famosis illis suis Congregationum actis excerptas; nec enim putarunt, per decreta veritum esse; res quippe historica à Theologica disceptatione longè diversa est; novis tamen deinde decretis cautum fuit, ne quis hujusmodi acta citaret, quibus nostri religiosissimè paruerunt; tu verò secus, cum tuo Mariales, aliisque, inter quos reponendum puto insulsum illum Rhythmorum auctorem; Missitem, immo, quod extremæ audaciæ est, dicis, famam illam publicam, hujusmodi decretis, ab Ecclesia supprimi non posse, quo reverà dicto, non modò adstruis hujusmodi acta, sed ita commendas & laudas, ut ex iis famam publicam & omnium populorum fidem prodisse velis; viden, quò te. Addis iterum, nihil eorum, quæ dico, à me probari, ex more, quo à scholis imbutus sum, ut credam, cum puerus semper agere: quasi verò in scholis ea non probemus, quæ adstruimus, in Philosophicis, Theologicis, Geometricis, aliisque disciplinis, quæ ratiocinio stabiliuntur; nullum profectò statuimus ἄπρον ἴδιον pro primo & ultimo doctrinæ nostræ principio, citra divina oracula & Ecclesiæ decreta; dictorum fidem etiam non probatorum nostris auditoribus non præcipimus; vos fortè non ita, quorum aliquos appellare possem, ac præsertim unum, de quo ad me non ita pridem ex Belgio, qui ab eo vinculo eximi summoperè cupiebat, quod Banesianum potius quam Thomisticum appellandum esset; vestri enim sunt Banesium longè liberiùs philosophati sunt. Sed, inquis, multa jactas ad tuorum gloriam; trabem inoculis tuis non vides, mi Baro, & atomum, seu festucam mihi exprobras; pauca certè, eaque ex aliis auctoribus, qui nostri non sunt, saltem ut plurimùm excerpta, quos etiam suis locis appellavi; stomachus tuus ita odii adversum nos felle imbutus est, ut nullam nostrorum, vel ipsius Societatis laudem concoquere possit; hic turpis draneus etiam mel, aliaque dulcissima in venenum convertit.

XIII. Jam verò tribus meis indissolubilibus, ut vocas per ironiam, contra prædeterminationem vestram, argumentis, totidem contra scientiam mediam nostram, insuperabilia ut ais, argumenta profers; ita primum insinuas; si Deus cognoscat creaturas possibiles in sua essentia, futura etiam conditionata, vel absoluta, in eadem essentia, per decretum determinata cognoscit; hoc est, inquis, principium solidissimum & immobile, quo stante, nullum ex nisi commentitium scientiæ mediæ fundamentum; & hoc à me non videri, per summam cœcitatem & inscitiam; hoc secundum credere mavisi quia doctrinam hanc scholæ, qua forte, ut ais, magis tinctus, quàm imbutus fueram, quotidianæ, quibus detineor, occupationes deleverunt. Itane verò? Deo gratias; hæc tamen inscitia mea cum omni genere illa literatura, quam tibi jactanter arrogas, congredi non veretur; propone quodlibet argumenti genus; per me, tibi datur optio; sive Theologicum, sive philosophicum, sive cujuslibet alterius generis, in quo probes inscitiam meam, & vicissim ego tuam illam scien-

scientiam adeo decantatam; propone, inquam, mihi, nam si ego tibi, vereor, ut non jam centena, aut millena, sed centena millena tibi proponerem, quibus non jam imbutus, sed ne leviter quidem tinctus esset; sed dum ad hoc literarium certamen paratior accedat, probemus in hoc præsenti argumento, contra scientiam mediam à te adducto, in quo nihil contra decreta Apostolica.

XIV. In hoc cæcitas mea vel insciti a, doctrina scholarum vix tincta, tot ferè vitia videt, quot verba. 1. Non est argumentum, sed manifesta petitio principii; in eo quippe cardine hæc controversia nostra vertitur, quod dicamus, dari scientiam mediam, qua futura conditionata, ut vocant, in se ipsis, à Deo videntur; vos verò nullam dari, sed videri in decreto; hæc opinor, totius controversiæ summa est; tu vero sic; si Deus cognoscit creaturas possibiles in tua essentia, etiam cognoscit conditionatè futura in eadem decreto determinata; id est, in ipso decreto; hoc ipsum est, quod negamus; hæc ipsissima Thesis est; cur ergo principium petis? cur repetis, non probas asserta? cur argumenti, seu principii loco, quæstionem ipsam, ipsammet controversiam assumis? finge, in hunc modum me argumentari; si Deus non cognoscit futura conditionata in decreto, seu, quod idem est, in sua essentia, decreto determinata, ea cognoscit per scientiam mediam; ridere s, haud dub e, hunc argumentationis modum; nam hoc ipsum est, quod in quæstionem, seu disputationem cadit; cur igitur ridere me vetas, in simili prorsus tam ridiculo, quàm inani argumento, quod tamen insuperabile vocas. 2. Demus, creaturas possibiles à Deo cognosci in essentia, tanquam in medio, qua nimirum essentiam inter & possibilia, necessaria connexio, seu habitudo intercedit; hoc quippe non facit, quin etiam in se ipsis cognoscantur; pessimè tamen inde à te infertur, conditionatè futura cognosci à Deo in essentia, quæ cum illa necessariam connexionem non habent. 3. Non possunt videri conditionatè futura in decreto, nisi statuatur illud decretum; sed, ut tute scis, hoc decretum huc usque negavimus; illud enim est, de quo disputamus, & æquè repugnat decretum illud conditionatum, salva scilicet libertate, pro conditionatè futuris, ac repugnat absolutum, pro absolutè futuris, liberis scilicet, de quibus tantùm hoc loco agimus; unde, ut absolutè futura dicimus, à Deo cognosci in se ipsis, ita & conditionatè futura in se ipsis quoque à Deo cognosci dicimus; nam æquè unum ac aliud objectum scibile est; repugnat autem vel minimum objectum scibile à Deo nesciri; cum essentia divina sit formalis cognitio, repræsentatio, expressio omnis objecti scibilis. Scio quidem, nonnullos docere, nihil à Deo videri, nisi quatenus æternitati suæ coëxistens; sed merum figmentum est Thomisticum, quod nec principii loco habemus, nec etiam verisimilis dicti; nam satis est, ut tantùm objectivè coëxistat, non verò physicè, aut reipsa; & hæc insciti a mea Vincenti Baro summæ tuæ literaturæ porrigit; hæc mea cæcitas, in tuo illo argumento insuperabili, tam multa vitia videt; quod certè in ea opinione, quam de te concepi, non parum me confirmat, nimirum, quod neque nostra, neque vestra rectè capias, ut par esset; & quod tu mihi de quotidianis occupationibus, insulsè objectas, in te sanè longè melius quadret, utpote qui totus sis in illa tua Latinitate adornanda, & frequenti ad pompam tuæ verbositatis apparatu, per intolerabilem jactantiam, ostentando; ignosce, quæso, si hæc liberè dicam; hæc philosophica & Theologica non capis, ut jam P. Ferrier luculenter evicit, dum farraginem illam argumentorum, quæ contra scientiam mediam addensasti excuteret, te reverà nescire, quid tibi velis.

XV. Jam verò dicis, duo à te opponi contra primum argumentum nostrum, eaque nova & solidissima; mutuam scilicet causalitatem & dependentiam voluntatis à prædeterminatione, & hujus ab illa; hoc est, inquis, firmissimum doctrinæ Thomisticæ propugnaculum, quod Eminentissimum Cardinalem Delugo, subtilissimum Theologum in summas angustias redegit; & hæc tantum, ut inde occasionem arriperes, carpendi Hominem, nequid tuis caninis exciderent; & hoc novum dicis; antiquum est, rancidum est effugium, quod germana Philosophia semper abhorruit, quia repugnantia continet; quod vera Theologia semper explosit; quia hoc semel admisso, nulla prorsus veritas Theologica in tuto est; imo dicere non dubitarem, hoc miserum effugium ex insciti a (quod citra recrimination em dictum sit) veræ Philosophiæ ortum duxisse. Addis, Bellarminum doctrinæ vestræ in prioribus editionibus omnino favisse; sed hoc chimæricum est, & vobis toties repositum fuit; denuo tamen repetis; repete quantum voles, in hoc reverà ostendis, tibi rationes deesse, cum ad fabulas aniles confugias. Sed novum clypeum opponis, ab eodem Bellarmino tibi porrectum, (& hoc est alterum c put) posito, inquit, judicio practico, actus voluntatis, cui scilicet prælucet, non potest non sequi; ut docet Bellarminus; igitur actus voluntatis, qui liber est, de hoc enim agimus, ab eo judicio practico pendet, & hoc vicissim ab illo; Bellarminus igitur mutuam causalitatem agnoscit. Deliras, opinor, mi Baro, vel potiùs, cum talpis & piscibus mutis agere putas; quid quæso ad solidum argumentum tam inanis & vana solutio? quæ nihil nisi falsa & crepera continet: 1. Enim quod judicium illud practicum ad omnes actus voluntatis necessarium sit, non ita facilè demonstratur, quidni enim voluntas agere queat, proposito objecto, sub aliqua ratione boni aut mali; nec enim propterea ferretur in incognitum, & rectè adhuc dici posset appetitus rationalis, cui scilicet prælucet ratio, id est, cognitio rationis, seu rationalis; 2. Demus, judicium illud practicum necessarium esse, nullam tamen voluntati seu vim affert, seu necessitatem imponit; nam posito illo, voluntas, pro arbitrio, potest agere, & non agere; sed inquit, Bellarminus docet, voluntatis actum ex illo judicio necessariò sequi; ita fere Thomistæ vestri omnes; secus verò nostri omnes Theologi, præter unum Bellarminum; fateor ultro, illam actuum interiorum œconomiam satis difficilem esse, præsertim si cum placitis Arabum in Scholas invectis componatur; nec Philosophis ita fortè compertam & perspectam, ut de illa certi aliquid hactenus statuerint; sed 3. Demus hoc cum Bellarmino, disputationis gratia, hoc dato, ut ajunt, & non concesso, nunquid Bellarminus lib. 3. de lib. Arbit. c. 9. resp. ad 7. arg. disertè docet, hoc judicium practicum non ab eo voluntatis actu, qui ab eo procedit, sed ab alio pendere; voluntas enim ad judicium illud exerendum determinat; nulla ergo mutua causalitas intercedit, & nunquam illam ex hoc capite probare poteris, in quo, tibi Bellarminus nullo modo suffragatur; nec etiam ex alio capite, quod alibi attingit, nimirum, quod Christus ex Deipara Virgine & SS. Patriarchis ortum duxerit, intuitu meritorum & gratiæ, quæ ab eodem Christo pendebant; hîc etiam occasionem arripuisti, fugillandi Cardinalem Delugo, & subtilissimam rationem, qua hoc argumentum

mentum pro mutua causalitate, indepetitum, doctissimè refellit, & quam ita elevas, etsi solvendo non sit, ut in *aristam*, præ subtilitate, abiisse dicas, invere-cundo scommate eludendi; sed crede mihi, argumentum illud nos minimè terret, cum innumeras Christi Domini actiones, easque infiniti meriti appellare possimus, quæ cum ab organis corporeis minimè pendeant, seu mediatè, seu immediatè, à Christo, Parentibus acceptæ non referuntur, unde mutua causalitas satis excluditur; nempe gratiæ, seu merita Patrum ex iis meritis Christi, & hæc ex doctis actionibus, & hæ ab anima Christi, & nullo modo ab organo, ob scientiam infusam; anima denique Christi à Deo solo, non verò à Parentibus. Sed ne digrediar ab instituto, ad ea, pauca licet, te provoco, quæ à me in 2. appendice summulæ Theologicæ tradita fuerunt.

XVI. Secundum argumentum à gratia sufficiente petitum ita solvis, ut velis, Pelagium agnovisse veram gratiam Christi, interiorem scilicet & supernaturalem, eamque sufficientem; & negasse tantùm efficacem, quam contra illum Augustinus vindicavit. Hoc argumentum novatores tibi suggesserunt, uti & alia multa, qui eo utuntur, ad gratiam sufficientem ablegandam, & efficacem dumtaxat adstruendam; nempe, inquiunt, illa dumtaxat gratia Christi ponenda est & admittenda, quam Augustinus, contra Pelagianos disputans, vindicavit; sed illa est gratia efficax; hæc igitur admittenda, & omnis alia explodenda; igitur & Monstrosa illa, seu Molinistica, quam sufficientem vocant; agnoscis, opinor, Vincenti Baro, novatorum argumentum, quod in Molinistas jactare non cessant; illsque ni fallor annuis, & complexionem, seu consequutionem tuis ultro, & data opera, lectoribus deducendam relinquis. Sed hoc argumentum nullo negotio diffiamus; negamus ante omnia, Pelagium agnovisse veram illam & interiorem gratiam Christi, qua scilicet proxima, plena, adæquata, completa, (da mihi has voces) fiat agendi potestas; sed ne quid Pelagio; vafro scilicet hæresiarchæ tergiversandi, seu tricandi locus restaret, illius potentiæ, seu possibilitatis, ut vocant, obtenta, prudens Augustinus ad gratiam efficacem disputationem convertit; indefigitur argumentum nostrum à gratia sufficiente petitum, non modò non solvitur, sed magis firmatur, cum tuo illo effugio, vel argumento, ut vocas, insuperabili, novatores utantur, ad gratiam sufficientem penitus abolendam.

XVII. Tertium denique argumentum nostrum ex eo petitum, quod Deus esset auctor peccati, non modò non solvis, sed ne attingis quidem, retorsisse contentus, contra concursum Dei, quem nostri admittunt: sed hoccine est solvere Argumenta, ad modum Reverende? concursus ille simultaneus non est causa; alioquin sui causa esset, cum ab ipsa voluntatis actione re ipsa non distinguatur; prævium indifferentem admittimus; determinatum verò, seu prædeterminantem rejicimus, execramur, qui revera si est; ad peccandum voluntatem determinat; unde rectè inferre mihi videor, ex tali scilicet prævio concursu determinato, Deum fore auctorem peccati. Quonam vero pacto Deus ad peccatum non concurrere dicatur, licèt ad actionem illam physicam, cui peccatum subest concurrat, longè aliam quæstionẽ esse, constat, quæ non jam nobis est cum Hæreticis, sed quæ inter Catholicos agitatur; fateor, nonnihil difficultatis inesse; varii varia super hoc; omnes tamen, exceptis prædeterminantibus, in eo saltem conveniunt, Deum peccati auctorem fore, si ad peccandum voluntatem præmoveret, seu determinaret; ac proinde peccandi causam non esse, quia voluntatem ad peccandum non determinat: si pauca quæ in dicta appendice, circa libertatem à me firmata fuerunt, tibi non sint satis, in qua luculenter ostendi, præcisam illam, ut vocant, seu formalem determinationem esse tantùm à voluntate, quotiescumque jusseris, insertia mea longè plura tibi suggeret; sed vereor, ut tritæ paræmiæ sit locus.

XVIII. Stomacharis deinde & mihi succenses, quod in unum congesserim illas calumnias, quas tum Mariales nobis affinxit, ex prolegom. tom. 1. item tom. 4. fere per totum, & ex aliis ductus pudore, me labori pepercisse; voluisses, opinor, ut insanam illam 4. grandium voluminum molem exscripsissem; nonne citavi loca & paginas v. gr. tom. 2. pag. 72. tom. 4. pag. 72. tom. 2. cap 6. tom. 4. pag. 460. tom. 2. pag. 71. tom. 1. pag. 33. tom. 1. pag. 1. 2. 3. &c. nunquid etiam citavi loca Sybillæ vestræ? at negas, ea, quæ ex Marialez exscripsi, in eius libro contineri? cur igitur mihi succenses? scio causam; illa omnia tuo calculo donas; ita prorsus, addisque pejora & atrociora: quod verò pertinet ad Nolanum, Reginaldum, Candidum, ad congressus cum Jansenianis, aliaque hujusmodi, urgere ultra non decet; res notoria est; ad Diarium te provoco: illud Penonii dictum, notorium & tritum est; nec ad congregationum acta, ut mihi objectas, pertinet: de utriusque porro partis justitia, judicent periti; hoc certè nemo sui compos negaverit, novatores in hostram sententiam atrocissimè invehi, debacchari, & dira omnia evomere; vestram vero tibi ascisere, & mille tubis canere, se cum Thomistis, & secum Thomistas in gratia prædeterminante omnino convenire: quod vero attinet ad congregationum acta & M. Pennam, sustineo, ut decretis pontificiis religiosè pareamus; quæ tu parum reverenter ubique fere procalcasti: alia convitia, quæ mihi larga manu aspergis, ultro condono; illam tamen calumniam indicandam saltem esse, duxi, qua indubitanter pronuncias, me malle tuos illos, (probe scis, quos intelligam) eam Ecclesiam Hæreticos manere, quàm conversionem Ecclesiam Thomistis accedere; egregium sanè dictum & dignum homine religioso strictioris observantiæ; Thomistas accedant, permelicet; sed modò damnatis erroribus sincerè renuncient; sed hoc eos ultro condono, præsertim cum ab illis tuis acceptis, qui declamare millies auditi fuerunt, damnari se propter auxilium prædeterminans Thomisticum: dices fortè, hæc à me adstrui citra probationem; sed res notoria probatione non indiget; si tamen ita jubes, ex illorum libris mille loca tibi suggeram, in quibus renunciant palam, & jactare non cessant, se puros putos Thomistas esse; tu videris.

XIX. Nihil deinde aliud in subsequentibus articulis, seu paragraphis, nisi quod nova convitia & calumnias contra Jesuitas & Societatem universam impensè accumulas, ut saltem famosa illa veltri Mariales Bibliotheca inde auctior evaderet, & ceu in qua luculenter ostendi, præcisam illam, ut vocant, seu formalem determinationem esse tantùm à voluntate, quotiescumque jusseris, insertia mea longè plura tibi suggeret; sed vereor, ut tritæ paræmiæ sit locus.

XVIII. Stomacharis deinde & mihi succenses, quod in unum congesserim illas calumnias, quas tum Mariales nobis affinxit, ex prolegom. tom. 1. item tom. 4. fere per totum, & ex aliis ductus pudore, me labori pepercisse; voluisses, opinor, ut insanam illam 4. grandium voluminum molem exscripsissem; nonne citavi loca & paginas v. gr. tom. 2. pag. 72. tom. 4. pag. 72. tom. 2. cap 6. tom. 4. pag. 460. tom. 2. pag. 71. tom. 1. pag. 33. tom. 1. pag. 1. 2. 3. &c. nunquid etiam citavi loca Sybillæ vestræ? at negas, ea, quæ ex Marialez exscripsi, in eius libro contineri? cur igitur mihi succenses? scio causam; illa omnia tuo calculo donas; ita prorsus, addisque pejora & atrociora: quod verò pertinet ad Nolanum, Reginaldum, Candidum, ad congressus cum Jansenianis, aliaque hujusmodi, urgere ultra non decet; res notoria est; ad Diarium te provoco: illud Penonii dictum, notorium & tritum est; nec ad congregationum acta, ut mihi objectas, pertinet: de utriusque porro partis justitia, judicent periti; hoc certè nemo sui compos negaverit, novatores in hostram sententiam atrocissimè invehi, debacchari, & dira omnia evomere; vestram vero tibi ascisere, & mille tubis canere, se cum Thomistis, & secum Thomistas in gratia prædeterminante omnino convenire: quod vero attinet ad congregationum acta & M. Pennam, sustineo, ut decretis pontificiis religiosè pareamus; quæ tu parum reverenter ubique fere procalcasti: alia convitia, quæ mihi larga manu aspergis, ultro condono; illam tamen calumniam indicandam saltem esse, duxi, qua indubitanter pronuncias, me malle tuos illos, (probe scis, quos intelligam) eam Ecclesiam Hæreticos manere, quàm conversionem Ecclesiam Thomistis accedere; egregium sanè dictum & dignum homine religioso strictioris observantiæ; Thomistas accedant, permelicet; sed modò damnatis erroribus sincerè renuncient; sed hoc eos ultro condono, præsertim cum ab illis tuis acceptis, qui declamare millies auditi fuerunt, damnari se propter auxilium prædeterminans Thomisticum: dices fortè, hæc à me adstrui citra probationem; sed res notoria probatione non indiget; si tamen ita jubes, ex illorum libris mille loca tibi suggeram, in quibus renunciant palam, & jactare non cessant, se puros putos Thomistas esse; tu videris.

XIX. Nihil deinde aliud in subsequentibus articulis, nisi quod nova convitia & calumnias contra Jesuitas & Societatem universam impensè accumulas, ut saltem famosa illa veltri Mariales Bibliotheca inde auctior evaderet, & ceu inculcarentur; hinc denuo Societatis opulentiam, viduarum ab ea spoliatarum lacrymas, intolerabilem nostrorum superbiam, simplicia Societatis vota, Constitutiones ejusdem, quo ad correctionem fraternam & S. Confessionis sigillum, aliaque hujusmodi revocas in exosam lucem; Denuo Pozam, Bellarminum, Vasquium, Ruizam, Valentiam, aliosque iisdem, quibus antè honorificis titulis, hoc est selectis maledicentiæ elogiis condecoras; subscribis in omnibus tuo

Biblio-

Bibliothecario, immò longo illum post te relinquis intervallo, & atrocioribus convitiis miseros Jesuitas immisericorditer dilanias, & mihi acriter succenses, quod tantulū elogii ac laudis doctissimis hominibus de re literaria & sacra benemeritis asperserim: sed cur mihi, cum nihil ex me, sed ex appellatis auctoribus omnia excerpserim? unum porro gravius urges, & hic summæ insciliæ, aut malitiæ me insimulas, utpote qui temerè de Bibliothecario vestro expostulem cap. 12. eo quod tom. 1. contr. proleg. pag. 33. scripserit, per constitutiones Societatis licere, non obstante sacro confessionis sigillo, manifestare superiori confitentium inclinationes, ne cum eos ad missiones destinarit, erret in destinatione; quid verò ego, ad hæc? dixi primo loco, nihil tale haberi in constitutionibus nostris, deinde subjunxi tam crassum errorem à sede Apostolica approbari non potuisse, quæ tamen constitutiones nostras toties approbavit; quare subdidi, hanc assertionem Bibliothecarii esse temerariam, falsam, calumniosam, denique hoc ultimum addidi, Jesuitas multis Principibus à confessionibus esse, quorum illi operam, in hoc sacro ministerio, non adhiberent, si vel minimum suspicarentur, per constitutiones Societatis, nullam, aut minimam, sacri sigilli rationem haberi; sed hæc, inquis, mera calumnia est; nunquam enim Mariales somniavit prædictam S. sigilli relaxationem in confessionibus Principum & sæcularium, quas P. P. Societatis excipiunt, locum habere, ut Ludovicus putat; quis unquam hoc putavit, aut dixit? nonne confessiones nostrorum disertè appellavi, & subjunxi, Principes, si hoc rescirent, inde occasionem capturos, nostrorum operâ in hoc S. ministerio nunquam utendi? sed hoc ipsum, cum tuo Bibliothecario, saltem quoad nostros, ultro concedis, & affictam nobis ab illo calumniam confirmas, quia, inquis, *ex abdicatione propriæ famæ*, nota ex confessione aperiri, nihil vetat, vah os maledicum, quod nullum lixivium abluat unquam, & nullum periculum abstergat; quasi verò eas constitutiones habeamus, quibus & propriam famam abdicemus, & ex abdicatione famæ, nullam S. sigilli rationem habere liceat; error est in fide, mi Baro, eòque luculentior, quod à sede Apostolica constitutiones illæ approbatæ fuerint, in quibus per te & Mariales tuum, hunc errorem contineri, constat; sed fortè cum tuo Cano & paucis Caninis, sedem Apostolicam in hujusmodi, errori obnoxiam esse, dices; ut ut sit, atrocissimam, horrendam, tartaream, & diabolicam calumniam esse, nemo non videt.

XX. Transis deinde ad Canum & Bannez; utriusque verba fidelissimè retuli, in sanctos Patres non parum injuriosa; hoc negas, aisque, nulla fere apud Canum extare; quid aliud agerem; lectores ad codicem remitto; appellavi librum & caput; lineam scilicet appellare potuissem; omisi, ne tempus tererem, facturus tamen, si jubes: hic autem verba frustra multiplicas, volvisque inanes periodos, & hominem nullius fidei me vocas; nullius fidei, inquis; Baronianæ, ...enianæ, concedo; humanæ & Catholicæ nego; ne quæso in me, quod in te appositè quadrat; nullus unquam ad eos propriùs accessit; gutta guttæ similior non est; quæ palam extant in libris, negant extare; tu quoque fili? ignosce Lector, si multa præ modestia reticeo, & truncatas dictiones signo punctis, & suppleo, quid addam, satis superque habeo, sed, ita me Deus amet, nescio, quæ Christianæ, religiosæ & humanioris vitæ ratio stylum etiam fere invitum continet: duo tamen liberè dicam; primum est, te in hujusmodi habere quos immiteris, eos scilicet, quibus antiquo fœdere junctus es, quibus id præ cæteris, ac præsertim solemne est, mentiri scilicet, non utcumque, quod tritum & commune est, juxta illud, omnis homo mendax, sed in perspicuis & notoriis; intelligenti pauca: alterum est, quod eadem illa ex Cano & Bannesio, ad speciem observantiæ, à me excerpta tuo calculo donas; novum certè defensionis genus; delicta enim multiplicas, ut defendas, & ut reum eximas culpæ, admissæ noxæ, socius & particeps esse voluisti: quid autem mihi, per solutam licentiam, falsi crimen imponis? tria tantùm ex Cano, à me ficta & falsata fuisse, dicis; agnoscis reliqua, & tuo suffragio probas, ne hujus temeritatis, ut mitissimè loquar, socius Cano deesset, primum ex lib. 7. cap. 3. excerpsi, his verbis, *errare in rebus fidei, quæ non erant eo tempore definitæ, accidit Cypriano, Hieronymo, Augustino.* Hic meam fidem, immò perditam infidelitatem accusas, & grande piaculum, busto dumtaxat & furca luendum; confecta est, inquis, hæc propositio, iis verbis, quæ nulla fere extant apud Canum; immò nullum ex his apud Canum non extat; en totum locum ex Can. lib. 7. cap. 430. Ultima linea, & 431. initio, *nempe, aliud fuit, errare in rebus obscuris, & quæ non erant, eo tempore explicatæ ac definitæ, aliud in apertis, & quæ tunc etiam in Ecclesia firmissimè credebantur*: illud, id est errare & accidit Cypriano, aut Ambrosio, aut Augustino; conferamus tuam propositionem cum alia; *accidit Cypriano* &c. nunquid hoc non dicit Canus, Hieronymum paulò ante, & paulò post in eodem ordine ponit; quid porro *accidit? errare in rebus obscuris*, quænam porro? fidei certè, in quibus propriè tantùm erratur, sed quæ non *erant eo tempore definitæ*; quis neget, eamdem propositionem? meam quidem paucioribus verbis, sed quæ apud Canum extant, & totius propositionis sensum plenissimè habent.

XXI. Secundum locum excerpsi ex lib. 12. cap. 15. non 14. ut dicis, pag. 891. lin. 26. totidem verbis, hisce, nimirum, *Augustinus in illam magis opinionem inclinat, quæ docet, animas à parentibus generari*: omisi hæc æquè injuriosa, *quæ si vera sententia est, non est animus sua natura immortalis*; tum resumpsi, *quod solebam tanquam erroneum condemnare*; sed locus integer habet; *quod solebam equidem non tanquam hæreticum, sed tanquam erroneum condemnare*; illud autem, *quod solebam* &c. cadit in primam illam opinionem, quæ docet, animam non esse immortalem, quam hoc eodem capite, pag. 189. circa finem, concl. 1. hæreticam dicit, ubi hæc habet, *animum hominis esse mortalem, fidei Catholicæ manifestè repugnat*; igitur illud *quod solebam*; in hanc non cadit, alioqui ne sibi repugnaret, non diceret, *non tanquam hæreticum*; unde prospicuum fit, earum ea fidelitate à me citatum fuisse, qua vix major excogitari possit; cur quæso fingerem, cum hujusmodi loca multa temeritate condita toto passim opere præstem? quintus locus excerptus est ex lib. 7. cap. 3. pag. 428. lin. 10. Unde facilè conjicere poteras, mendum esse in numeris, cum typi habeant cap. 13. pro 3. loca etiam Bannesii fideliter a me relata fuerunt; quod æquè facilè à me ad oculum demonstrari posset; sed cur frustra intus tempus? ad Lectorum oculos provoco, qui legere sciant, & latinè intelligant; pudeat virum ingenuum, tam inverecundæ quàm religioso scriptore indignæ licentiæ: omitto recriminationes tuas; in quibus Vasquium, Adamum, Sirmondum appellas & 22. illas propositiones Hispanicas; scimus, ex quo sacco, hæc farina vel potius hic furfur prodierit; si omnes calumniæ

ab Heterodoxis aliisque perditissimis hominibus nobis affictæ discutiendæ ac diluendæ essent, quis unquam finis; vita & scripta sint nobis defensionis loco: illud fortè procurandum esset, ut authentico instrumento constaret, ea quæ ex Cano & Bannesio exscripsi, in eorum libris contineri; sed quid magè authenticum, quàm libri, qui prostant; sed ne bullato quidem diplomati fidem haberes; fœdere tibi junctorum exemplo; quæstio facti est, &c. quod demum attinet ad loca falsata, novam certè Bibiothecam instruerem, si ea solùm quæ tu ipse falsasti, & nonnulli ex recentioribus fœderatis etiam falsarunt, vel obiter affingere, seu recensere vellem.

XXII. Transis ad scientiam mediam, pro qua nihil habeo, quod dicam, jam te remisi suprà ad P. Ferrier, qui singulari opusculo tuos errores palam fecit, evicitque, rem istam à te non capi: ut luculenter ex iis evincitur, quæ sine delectu & tumultuosè in art. 5. congessisti, ubi exponis, non certè Molinæ sententiam, sed aliam chimæricam, quam nullus capiat; illa autem, quæ de hoc argumento scribis ita involvis, ut risum inde potiùs, quàm stomachum peritis lectoribus moveas; dixi *peritis*, alios enim nihil moror, qui cum aliquo, latinitatis tuæ nitore delectentur, te habent maximi Doctoris & conspicui hominis loco; quod deinde subnectis in hanc rem, de Aristotele, de Logica, de futuris contingentibus, aliisque, ita sunt absurda, inepta & absona, ut vel inde dum ea scriberes, tui compos non fuisse videaris; tanti est, ardentissimo factionis odiique studio abripit risum meum increpas; quid faceres; abstinere non possum; ridicula enim, quæ dicis, immò plusquam ridicula risum non movere non possunt: ne quæso Aristotelem, Vincenti Baro, quem non intelligis, seu verius, non legis; sincerè dicam quod sentio, neminem unquam de rebus Theologicis differentem auditum à me, aut lectum fuisse tam miserè ineptientem; dico, in singulis fere verbis; verba autem dumtaxat habes, prætereaque nihil, quam formulam à te mihi surreptam, mihi denuo vindico. Tuum illud argumentum formidabile, cujus ne minimam quidem commemorationem à nostris factam esse, dicis, argumenti nomine indignum est, cum merum sit falsitatis & ignorantiæ pronunciatum; dicis enim, pro eodem rationis signo, propositionem conditionatam, & absolutam esse; deliras, mi homo; propositio conditionata, per nos dirigit decretum absolutum; quod tamen præsupponit propositio absoluta; unde est pro priore signo; viden, quò tandem tuum illud formidabile, quod mera est principii petitio; omitto præmissos paralogismos, qui una dumtaxat elidunturnegatione; possibilis creatura inquis cognoscitur tantùm in causa, ergo & futura, nego antecedens; nam creatura possibilis per seipsam est etiam objectum scibile, uti creatura existens actu; sed Deus essentialiter omne scibile cognoscit; nec alio quopiam determinativo, ut sic loquar, indiget; distinguo vero consequens; ergo & futura, necessaria, concedo; contingentia & libera, nego: in tantùm enim cognoscitur aliquid in causa, in quantùm cum causa necessariam connexionem habet, unde cum futurum liberum, seu contingens nullâ habeat necessariam connexionem cum causa, in causa profectò non cognoscitur: addis, æternam esse futuri cognitionem; rem magnam narras, quid tum; igitur, inquis, causam illius futuritionis æternam esse oportet; non aliam certè, quam decretum; concesso antecedente, nego consequentiam; tum quia falsum est, objecti ab æterno cogniti causam ab æterno esse debere; quid enim hoc non probaret, deinde futuritio illa, quam ab æterno esse dicis, non est propriè quidpiam existens; igitur non habet causam, sed est mera relatio, seu connotatio; denique futurum illud, contingens scilicet, atque liberum, in causa, ut dixi, non cognoscitur, sed in se; est enim objectum scibile; igitur neque peto principium, ut dicis, sed tu, ut supra evici; neque naturæ lumen ejuravi; juratem tamen, ita te factionis studio prorsus extinctum; neque scientia media nititur petitione principii, sed principio evidentissimo; nempe quod essentia divina absque alia quapiam determinatione & causa, sit per seipsam formalis & essentialis repræsentatio, expressio, cognitio omnis scibilis; sed fututum conditionatum, tam est objectum scibile in se, quàm futurum absolutum; & tam futurum, quam præsens & præteritum; igitur essentia divina est formalis illius cognitio, vel expressio; in decreto, inquis; dico præscindendo ab illo decreto, quod & libertati, & gratiæ sufficienti, & Deo à peccato immuni repugnat; unde stant, stabuntque, tria illa argumenta. Abi ergo cum tuis decretis & Colosso tuo Babilonico, de quo multa reponere possem, nec deesset appositа sanè analogia, in qua & pedes illi ex ferro & creta, & lapillus ex monte devolutus, aliaque id genus suum locum haberent; sed tibi cogitandum & pensandum relinquo.

XXIII. Ad defensionem Sybillæ te accingis; ultimo, & nullam mihi fuisse causam, de illo expostulandi, rotundè pronuncias; immò Sybillam laudas; quod in Molinam acriùs invectus fuerit, quem tu etiam, pro more, probris & convitiis dilaceras, eumque maximum damnum Ecclesiæ attulisse, permignem modestiam, scribis; ad rel. qua nihil nisi verba subdis, à me non capi veram interpretationem sensus compositi & divisi; capio, mi Baro, & ultra capio, à te non capi, cum ex te repugnantia involvat; ut & illud, quod dicis, suppositionem antecedentem, causæ scilicet habentis cum effectu necessariam per connexionem, non esse causam necessitatis; capio, liquam, hæc esse repugnantia, & à te non capi; quia caepere non visi lepidum porro est, quod subnectis; annotari scilicet à me nono loco, ideo gratiam efficacem libertati contrariam esse, quia connaturali agendi modo voluntatis conformatur. Quandiute, Baro ubinam hoc à me scriptum legisti? improbavi certè Sybillæ dictum, quod scilicet, gratia prædeterminans libertati contraria non sit, quia connaturali agendi modo voluntatis confirmatur; hoccine quia est, dicere, ideo contrariam esse libertati, quia conformatur? nego, ideo hominem liberum esse, quia est animal; igitur ideo liber est, quia non est animal; vides, opinor, ineptiam hujus consequutionis: dixi tantùm hæc eadem Fromundum docuisse, & à nostris, Petavio scilicet, Ricardo, Annato, strenuè retutatum; sed quandoquidem Petavii mentio facta est, expostularam de Sybilla, quod Societatis scholam Petavianam, & Jesuitas Petavianos appellasset, quæ quàm justa esset expostulatio, nemo non videt; & mihi succenses, quod Gallorum gloriam inde obscurem, & invideam, cum aliunde pauciores, pro aliis nationibus, ex Societate, Gallia scriptores habeat; itane verò? in nostris scriptoribus parum fatuversatus es, quasi verò plusquà centenos auctores in

Gallia

Gallia non numeremus; vis tibi suggeram aliquos indiscrimtnatim Petavium, Monceu, Metatium, Martinonum, Garassum, Fenestrum de Bugis, Dechamps, Bagotium, Bellonum, le Blanc, Serrarium, Brietum, Possinum, Rapinum, Chanutum, Moineum, Tesonum, Mambrunum, Bourcum, Sautellum, Joninum, Raimondum, Magnesium, Sirmondum, Parderium, Chrisolium, Abrahamum, Frontonem Duceum, Philippum Labe, Laloveram, de Billi, Fontnerium, Mimburgium, Baunium, Caussinum, Haineuvium, Sanjurteum, Bouhourtium, Gauderium; omitto innumeros, immò aliquos ex primoribus facilè prætermisi: Una Provincia Lugdunensis tam multos scriptores tibi porrigere posset, quotum maximum librorum numerum vix ac ne vix quidem perlegendo esset; nimirum Theoph. Raynaudum, de Rhodes, Lorinum, Colombi, Galatinum, Reginaldum, Salianum, Janinum, de Bussieres, Guesnæum, Albium, Rousseletum, Poiræum, Milliæum, Ricardum, Leotaldum, Voellum, Dechales, Chiffletium, Ferrandum, Clementem, Valaderium, Arnulphum, Monetum, Labbè, Pomeyum, Cottonum, Richeomum, Suffrenum, Jacquinotium, de Barri, Lambertum, Michaelis, Filerium, Goletum, me quoque, saltem ad numerum, inter tot recenserem, nisi timerem, ne ex insitia mea, quam elogio tuo decorasti, aliquid labis, aut notæ doctissimis illis scriptoribus, quibus junctus essem, accederet, non habet igitur tam paucos Gallia nostra ex Societate, ut fortè putares; tua saltem numerus superat vota.

XXIV. Adhibes deinde nescio quam distinctionem voluntarii à libero, quæ ad rem nostram nihil facit; nec auctores nostri cum Fromundo de voluntario disputarunt, sed de libero; in quo certissimum est, Sybillam cum eo convenire. Quod dicis & juras, gratiam prædeterminantem esse Augustinianam, eadem facilitate negatur, qua asseritur; quod subnectis, stante Augustino, te minimè casurum; temerarium dictu est; quod ab illis tuis accepisti, qui centies & millies illud ipsum ingeminarunt, indemni & intacto Augustino, se non posse damnari, damnati tamen fuere, indemni Augustino: quod verò spectat ad inconcussa illa dogmata jam supra dixi, quid de hoc sentiendum sit; quod ad dis, de judicio practico, jam supra satis superque discussum est atque diffla-tum; quis enim capiat, idem esse prius & posterius, causam & effectum, ante & post, pendens non pendens, esse simul & non esse, aliaque hujusmodi repugnantia, quæ ut monstra, germana Philosophia, immò quivis rationis compos semper abhorruit, mihi demum parum grati animi notam inuris, erga sanctissimum Prædicatorum Ordinem, cujus quamplurimi Societatem multiplici beneficiorum genere sibi devinxerunt: ita est; non paucos appellare possum, & jam aliàs appellavi, puta B. Ludovicum Bertrandum, Barth. de Martyribus, Joann. Miconem, Granatensem, Mancium, Pennam, &c. Quibus Societas incredibiliter obstricta est; idque maximè nos solatur, quod sanctissimis illis & piissimis viris grata & accepta fuerit; pauci reverà sunt alii, qui non parum molestiæ nobis crearunt. Cæterum sacrum Ordinem (ita me Deus amet) impensè colo & vereor. Et hæc pro Carterio, seu prome, cum me Carterii loco habeas; hæc, inquam, raptim potiùs & cursim indicata, quàm dicta sint satis, expectabis tamen à Carterio novum expostulationum auctarium; amplissimam certe materiam præbuisti: novi hominem, crede mihi; is est, cui terrorem centum Barones non incutiant: hoc unum fortè in eo quispiam desideraret, ut paulò acriorem stylum adhibuisset; non deerit in posterum; sed eo tempore mos gerendus illi fuit, quem totus Christianus orbis adorabat. Vale Lugd. pridie nonas Aug. anno 1669.

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in hoc secundo volumine Apologetici continentur.

A.

Aborsus.

QUI dubitans de animatione fœtus aborsum procuravit, non manet irregularis. 455. & seq.n.1.
Sit necne licitum aborsum intendere obvitam, vel honorem prægnantis tuendum? 493.n.1. & seq.
Absolutio, *Vide* confessarius. Reservata
Absolvi nequit pœnitens extra articulum mortis, confessione dimidiata. 359. & seq.n.19
Absolutio Sacramentalis in casu necessitatis conferri potest, nullo expresso peccato in particulari, ut moribundo, qui confessionem petiit, etiam in absentia confessarii, si testis sit, qui deponat, etsi infidelis, vel hæreticus. 335. & 336.n.4. & 8. & licet depositio fiat in absentia infirmi. 337.n.2
Sufficit testis exauditu. 338.n.6. exponitur decretum Clem. VIII. 336. & seq.n.5. & 339. n.11. & seq. dubia doloris signa in casu necessitatis ad absolutionem sufficiunt. 341.n.1. unde tempore pestis, absolvi posset sacerdos virtute confessionis generalis in introitu præmissæ. 242.n.5
Fidelis, qui christiano modo vixerit, absolvi potest in articulo mortis, licet nec confessionem petierit, nec ullum doloris signum ediderit. 342. n.4. & seq.
Quid si ut Catholicus non se gesserit? 344.n.17. & 347.n.38.
Quoties moribundus potest licitè absolvi juxta Doctorum probatæ authoritatis opinionem, peccat mortaliter Confessarius contrariæ opinionis, si non absolvat. 346. & seq.n.35. & 348. n.41. ubi, an sub conditione elargienda absolutio. ibid.n.42. Mortuum à peccatis absolvere nunquam licet. 340.n.14. seq. Nec moribundum absentem. 349. & 353.n.22. & seq. Neque sub conditione. 356. n.41. Si absolutio absenti valida foret, esset etiam licita in casu extremæ necessitatis. 351.n.14. & seq.
An laicus possit absolvere à Censuris? 359.n.8. an à venialibus. 360.n.9
Ad absolvendum requiritur approbatio, & jurisdictio. 360.n.10. In articulo mortis omnes sacerdotes, etiam excommunicati, æquè absolvere possunt ab omnibus peccatis & Censuris. ibid.n.11
Nec pœnitens tenetur, si vixerit, comparere pro absolutione Censuræ, ni sit hæreticus. ibid.n.12
Invalidè absolutus à Confessario habente jurisdictionem circa reservata liber manet à reservatione. 253.n.12

Academiusmus.

Academiusmus nobis objicitur. 44. Stultitiam hujus doctrinæ de ipsis authoribus credere nolunt Augustinus. 49
Actus amoris Dei, & proximi. *Vide* præceptum.

Actus Conjugalis.

Actus Conjugalis an in loco sacro sit prohibitus. 304.n.13.
Non impedit ad Eucharistiam accedere eodem die. 459
Si voluptatis causa exerceatur, an venialem culpam importet. 482.n.7.

Adamus.

Proponitur argumentum contra nos ex opinione probabili Adami. 22
Adamus nullam habuit opinionem, antequam peccaret, cognovit certò obligationem præcepti. ibid.
Incidit in hæresin ante esum pomi. 23
Confirmatur ex Concilio Tridentino certitudo ejus obligationis non edendi. 24
Cognovit certò obligationem præcepti. 22

Adulatio, Adulator.

Adulatio est deterior quam litigium. 39
Adulatione deterior est amaritudo. ibid.
Adulatoris descriptio. 38

Adulter. Adulterium. Vide *Scandalum.*

In adulterio triplex malitiæ species invenitur. 234. & seq.n.65.
Licet uterque sit conjugatus, unum adulterii peccatum resultat. 273.n.1
Est tamen utriusque status in confessione explicandus. 274.n.3
Adulter, qui in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ maritum occidit, non manet irregularis, licet periculum in quod se conjecit, præviderit. 458.n.9.
An teneatur se defendere contra invasionem maritii. 459. n.14.
An marito liceat quandoque permittere uxori peccatum adulterii. 199

Antichristus.

Antichristi asseclis nulla aderit legitima probabilitas. 463

Anima-

Index Rerum.

Antoninus.

Dominus Antoninus suffragator nostræ sententiæ, unà cum Adriano. 88
Respondet præcipuis argumentis nostrorum adversariorum. ibid.

Approbatio.

Approbatio Inquisitorum pro Decalogo Tamburini. 576 Theophili. 554 Censoris Librorum Venetiis. Censorum Librorum Insulis. ibid.

Artifex.

Artifices quinam excusentur à jejunio.

Attentio.

Attentio in oratione alia interna, alia externa.
Attritio. *Vide* Contritio.
Sensus Concilii Tridentini circa atttritionem.
Quid significetur per nomen attritio.

Authores.

Authorum pro nostra, & pro opposita sententia numerus & qualitas. 114
Suspiciuncula adversus nonnullos authores oppositæ sententiæ. 115

Authoritas.

Authoritas unius quandò facit probabilitatem.

B.

Baptismus. Vide *Ordo.*

Baptismus. 132.137
Baptismus aquæ est Sacramentorum janua.
Deficiente intentione ministri, nec validum est, nec ejus defectum Deus supplet. 410.n.1.& n.6. & 7.
Si ministet hæreticus ritu Catholico baptizet, potest Catholicus esse patrinus. 463.n.12
In dubio de valore Baptismi ordo sacer susceptus iterari debet sub conditione. 188.n.16.& 433. n.12.
Baptismi præceptum quando obliget. 537. n.6. & fol. 539.n.15.

Baro.

Consecutiones quas perperam inducit Baro. 577
Argumenta sine distinctione inducta à Barone. ibid.
Baro fatetur se libris carere, & tamen audet refutare librum ex solis testimoniis Doctorum compositum. 560
Vincentii Baronii notæ in Amadæum Guimenium in illam retortæ. Prima circa sententiam D. Thomæ de probabilitate opinionum, & ignorantia invincibili. 172.n.25
Secunda, circa opiniones æquè probabiles. 165. n.3.& 4.
Tertia, circa authores faventes probabilitati opinionum. 172.n.26
Quarta, circa sententiam Soti pro opinione fa-

vente libertati. 166.n.61
Quinta, circa attentionem sub lethali requisitam ad horas Canonicas. 208.n.10.& 11. ubi aliæ quatuor notæ in eundem retunduntur.
Decima, & undecima, circa numerum peccatorum in unico actu. 269.n.3.& 4.
Duodecima, circa dispensationem in voto solemni castitatis. 277.n.5. Ubi qualiter ab errore Tabienam excuset. n.7.
Decimatertia, circa distinctionem specificam incestus. 286.n.20. Duplex alia nota circa modum confitendi peccati contra naturam. 291. à n.42. usque ad 46.
Decimasexta, circa firmitatem judicii. 301. n.103. Duplex nota circa absolutionem Sacramentalem defuncti, 340.n.15.& 17
Duplex alia, circa electuariorum esum in die jejunii, & circa authores allegatos. ibid. n.18. & 19.
Vigesimaprima, circa obligationem restituendi, qua adstringitur Confessarius illam non injungens pœnitenti. 369. n.3. Duplex nota, circa intentionem ministri. 411.n.6.& 413.n.10. & 11.
Vigesimaquarta, circa opinionem de baptismo martyrii. ibid.n.12
Vigesimaquinta, circa opinionem Cardinalis de Lugo de Baptismo. 415.n.19.
Vigesimasexta, circa defloration em virginis sponte consentientis. 293.n.54
Vigesimaseptima, circa injustum aggressorem honoris, 293.n.55
Vigesimaoctava, circa pactum amicitiæ de dono conferendo. 293.n.57
Vigesimanona, circa opinionem Cajetani de Excommunicatione. 294.n.58
Vigesima, circa opusculum sexagesimum quartum & sexagesimum quintum D. Thomæ. 298. n.85.
Trigesima prima, circa furti quantitatem in Confessione explicandam. 285.n.16 & 17
Trigesimasecunda, circa falsam citationem Thomæ Sanchez impactam. 292.n.49.
Trigesimatertia, circa gravitatem peccati Sodomiæ. 513. n.8. & 9. Triplex nota circa præceptum jejunii, & abstinendi à lacticiniis in jejuniis quadragesimæ. 527. & 528.n.3.& 4.
Trigesimaseptima, circa collationis quantitatem 530.n.14.in fine.
Trigesima octava, circa præceptum amoris Dei. 533. n.14.
Trigesima nona, circa verba M. Bannez. 533. n.14. & seq.
Quadragesima nota, circa dilationem Baptismi. 537. n.7.
Quadragesima prima, circa offerentem alteri occasionem peccandi. 539.n.3.& seq.
Quadragesimasecunda, circa desiderium mortis alienæ. 546.& seq.n.4 5.& 6
Quadragesimatertia, circa pretium periculi omittendi sortem, 549.n.2
Quadragesimaquarta, circa opinionem Soti, & Bannez de pretio pro periculo expensarum in recuperando pretio. 550.n.6.& 7
Quadragesima quinta, circa opinionem Cajetani de pretio, quo vilescunt merces ultroneæ. 550. n.8.

Quadragesima sexta, circa ejusdem opinionem, quoad debita immatura. 550.n.10.& seq.
Quadragesima septima, quoad prohibitionem Soti de prohibitione usuræ. 551.n.13
Duplex alia circa montes pietatis. 551.n.13.& seq.
Nota quinquagesima, circa desiderium mortis inimici. 552.n.18.& seq.

Beneficium. Vide Hora.

Ut beneficium ad horas Canonicas recitandas obliget, opus est suppeditet fructus, qui ad tertiam partem congruè sustentationis beneficiarii sufficiant. 219.n.13 & seq. Quæ sit in hoc tempore tertia congruè pars. 218.& seq.
Beneficiarius qui ex bonis patrimonialibus injurisustentationem, vel in eleemosynas expendit, potest sibi tantundem compensare ex fructibus beneficii. 497.n.9

Bilanx.

Bilancis Improportio ad potentiam rationalem. 72

Bona Confiscata.

Bona confiscata quando possint occultari. 573

Bonitas.

Bonitatis & malitiæ moralis mensura, & præponderantia magnitudinis in bonitate. 108

Bulla Cœnæ.

Bullæ Cœnæ casus referuntur. 378.n.1. Nequeunt regulares virtute privilegiorum ab illis absolvere etiam occultis. 379.n.4.& 5.
An verò ejusmodi casus occulti sint post Tridentinum Episcopales facti, ac proinde toties, quoties virtute cruciatæ absolvi possint? 378.n.3.
Prælatos Regulares, Generalem & Provincialem posse suos subditos ab his casibus absolvere probabile est. 379.n.7. Ubi an ab hæresi occulta? An superiores etiam locales idem possint? ib.
Bulla Cruciatæ. *Vide* Irregularitas, Juramentum, Oratorium, Reservata, Votum.

C.

Cajetanus.

Cajetani sententia de usu licito opinionum. 105

Calumnia.

Calumnia ad defensionem. 140
Casus Reservati. *Vide* absolutio. Regulares. Reservata,
Censor.
Censor Librorum non debuit permittere librum Baronis 562
Censura. *Vide* Irregularitas.
Qua censura dignus sit, qui propositionem, à Pontifice damnatam, ut falsam, temerariam, & scandalosam, defendere ausus fuerit. 357.n.44.
An Pontifex in his censuris ferendis, possit errare? ibid. & 384.n.22.& seq.

Charitas.

Charitatis præceptum. 142.143.144.145

Christus.

Christi Crucifixores, & assecla Antichristi destituti omni probabilitate. 42

Cæcus.

Cæci quinam dicantur & duces cæcorum in Evangelio. 33

Cambessius.

Cambessius. 158

Circumstantia.

Circumstantiæ, quæ speciem peccati non mutant, etiamsi intra eandem notabiliter aggravent, non sunt de necessitate præcepti confessionis. 274
Circumstantia conjugii vel voti, si ex parte utriusque delinquentis se habet, in confessione id explicandum. 278.n.12
Quod votum sit solemne, vel simplex non est necesse aperire, 277.n.3.& 6.
Neque celari circumstantia ordinis sacri, vel voti, quoties peccatum contra castitatem patratum fuerit. 277.n.7
Ubi singularis Tabienæ, & Baronii opinio refertur, & refellitur. Qui votum juramento confirmatum violavit, satisfacit regulariter, si juramenti violationem fateatur. 278.n.9
Circumstantia peccati cum filia confessionis, pertie loquendo, non est de necessitate confitenda. 280. n.6
Furti quantitas, quando, & quomodo explicanda. 282.& 284.n.13.& seq.
Incestus omnes esse ejusdem speciei, ideoque opus non esse distinctionem gradus in confessione exprimere, qui senserint. 286.n.15.& seq.
Peccata contra naturam specie infima distinguuntur, ideoque eorum diversitas in confessione explicari debet. 290.n.40
An ejusmodi peccata inter consanguineos malitiam incestus contineant? 288.n.30
Circumstantia status personæ, quæ est objectum simplicis delectationis venereæ, potest in confessione celari. 296.n.73
Circumstantia stupri non datur, quando virgo sponte consentit. 292.n.52.& fol.294.n.61.& seq.
Potest vero species alia peccati contra justitiam et violatione virginis (& corruptæ etiam) quandoque intervenire. ibid.n.63
Qualitas mali voliti in efficaciter ex odio non est necessario explicanda, sicut nec qualitas contumeliæ, vel injuriæ per detractionem, aut judicium temerarium illatæ. 299.n.91.& seq.
Quid de qualitate personæ? n.94
Judicii temerarii malitia specie distinguitur à detractione. 300.n.99
Communio. 141

Compensatio.

Non est compensationi locus in debitis ex sola gratitudine. 498.n.12
Justam compensationem non impedit Monitorium, licet sub pœna excommunicationis manifestationem omnium bonorum præcipiat. ibid.n.11.
An filius ex bonis Patris possit sibi compensationem facere, & quando? 497.n.6.& 7.& 9.

Complacentia.

Complacentia in peccatis præteritis, 115

Con-

Index Rerum.

Conceptio.

Conceptionem purissimam B. Mariæ Virginis in primo instanti animationis, qui licitum esse colere, & credere negaret, de hæresi vehementer esset suspectus. 154. n. 5

Confessarius vide *Absolutio.*

Jus eligendi confessarium. 135
Confessarius potest se conformare opinioni pœnitentis, si inter Doctores probatæ authoritatis probabilis habeatur, licet ipse falsam, & improbabilem existimet. 154. n. 7
Imò & tenetur quandoque 386. n. 3.
In articulo mortis omnes Sacerdotes habent æqualem jurisdictionem ad absolvendum à quibuscumque peccatis, 189. n. 22. & 360. n. 11
Nequit Confessarius seclusâ necessitate pœnitentem absolvere, quin omnia sua peccata clavibus antea non subjecta ipsi subjiciat. 259. n. 18
Sui complicis peccatum audire, & absolvere potest. 281. n. 21. & 22
Confessarium eligere, qui possint, 360. n. 2. in fine & seq.
An parochi & simplices etiam Sacerdotes 361. n. 3. & 9. & fol. 363. n. 15.
Nullus verò sæcularis etiam Sacerdos potest eligere non approbatum ab Ordinario, aut beneficium parochiale non habentem. 364. n. 18.
Nec potest Parochus pro suis ovibus Sacerdotem non approbatum, aut beneficio alio parochiali non fruentem, ad confessiones exponere. 364. n. 23. & 365. n. 26
Pro confessionibus Regularium excipiendis, non est necessaria Episcopi approbatio, quid si militares? 364. n. 18. & 19
Regulares, licet Prælati, aut Magistri in Theologia, nequeunt, si approbati ab Ordinario non sunt, confessiones sæcularium excipere, 365. & 367
Confessarius, qui ex ignorantia graviter culpabili, non injunxit pœnitenti onus restituendi, potest probabiliter excusari ab obligatione; sed probabilius est ipsum teneri, altero non restituente. 368. & fol. 381. n. 5.
Confessarius tenetur credere pœnitenti, circà dolorem & propositum 370. n. 3.
Nisi ex circumstantiis oppositum colligatur. 371. n. 7
Confessarius sollicitans in confessione denunciari debet. 281. n. 24
Licet eidem sollicitanti fuerit facta confessio: & opposita sententia est damnata. ibid.

Confessio.

Confessio. 133
Confessio facta laico. 128
Confessionis præcepto, non fit satis per confessionem voluntariè nullam. 260. n. 21
Confessio invalida iteranda, & quomodo. 259. n. 17 & 310. n. 1.
Rustici frequenter excusari possunt à confessionibus iterandis. 313. n. 3.
Non datur confessio valida, fructu gratiæ habitualis carens, quæ informis dici solet. 319. n. 4. & seq.
Quando datur distincta confessio cum dispositione requisita, novus gradus gratiæ confertur. 260. n. 20
Confessionis integritas, alia materialis, formalis alia, ab hac integritate nullus eximitur, à materiali verò plures causæ excusant. 231. & seq.
Quæ ab uno peccato confitendo eximit, ab aliorum confessione non excusat, si communicandi, vel celebrandi necessitas urgeat. 232. n. 6
Ubi n. 7. singularis Soti opinio refellitur. Integritatis præcepto satisfacit, qui unum individuum peccati, pro alio in confessione subrogat, si ejusdem sit speciei, & æqualis malitiæ, 232. n. 3. & fol. 234. n. 14
Non licet in confessione peccata palliare, confitendo nova ut antiqua. 236. n. 9. & seq.
Qui probabiliter credit se jam confessum fuisse, non tenetur præcepto confessionis; etsi probabiliùs in oppositum incliner. 237. n. 1. & seq.
Quid si dubitat. 247. n. 37.
Qui dubitat, an peccaverit? annè mortaliter? valdè probabile est, non teneri ad confessionem. 240. & 241. n. 6.
Sed oppositum est probabilius. 246. n. 33
Si peccatum fuerit sub dubio confessioni subjectum, debet, illo cessante, ut certum iteratò explicari. 249. n. 11
Quid de illo, qui de peccatis decem, v. g *plus minusve* se accusavit. 250 n. 13. & seq.
Nequit in controversiam vocari obligatio confitendi peccata oblita, cùm memoriæ occurrerint. 251. & seq.
Et contraria sententia est damnata, & scandalosa. ibid. n. 2.
Qui ex verecundia, aut ex gravi culpa, omittit in confessione peccatum, invalidam efficit, à fol. 256. usque ad 259. n. 16.
Quid quando dolor non est integer? ibid.
Numerus personarum, quibus unicâ actione fit injuria, debet in confessione aperiri. 272. n. 9.
Et similiter in adulterio, & sacrilegio, quando conjugium, vel votum ex parte utriusque se habet. 273. n. 17
Peccatorum numerus, qui ad confessionis integritatem pertinet, ex necessitate præcepti, non physicè, sed moraliter accipiendus. 261. n. 1. & seq. præcipuè n. 8. 9. & 10.
In actibus internis, quando pluralitas peccatorum sit in confessione explicanda. 263. n. 13. & seq.
An fine non obtento, sufficiat in confuso dicere media ad ejus consecutionem applicata inexplicato numero. 264. n. 18
Quando plures actus externi unius actionis humanæ partes reputantur, unum peccatum constituunt: ubi qui & quando. ibid. n. 19
Plures malitiæ in eodem actu, an constituant plura peccata. 271. n. 5. & 272. n. 9.
Ubi an in confessione explicandæ.
Confessionis sacramentalis Minister est solus Sacerdos. 359. Ubi quid de confessione laico facta, D. Thomas senserit.

Confirmatio.

Non est de necessitate præcepti. 434
Unctio in fronte est de necessitate Sacramenti. 435. n. 12

Conjugati.

Conjugati quando non teneantur jejunare. 565
Delinquens cum conjugata, unum adulterii peccatum committit, est tamen utriusque status in confessione explicandus. 273. n. 11. & 12.

Consanguinitas.

Consanguinitatis & affinitatis gradus, an specie differant? an proximior à remoto? 286. à n. 19.
An diversitas in confessione explicanda? 288. n. 27. & seq.

Consilium. Consulere vide *Scandalum.*

Malè vitio vertitur Vasqui, Sanchi, & Salas, quod dicant Consiliarium modò juxtà unam, modò juxtà oppositam partem consilium dare posse. 76
Qui Doctores quoad casus conscientiæ consulendi. 157. n. 18. & seq.
Qui plures consulit sincerâ intentione inquirendi, & inveniendi, si fortè detur opinio probabilis excusari ab obligatione, securus est in conscientia. ibid. n. 17

Consuetudo vide *Lacticinia.*

Consuetudo peccandi non esse circumstantia ex necessitate in confessione explicanda. 307. n. 3.
Quid si Confessarius interroget. 309. n. 13. & seq.
Quomodò se excusare debeat, qui consuetudinem peccandi habet. 330. n. 18
Consuetudo non sufficit ad contemptum. 214. n. 15

Contemptus.

Non requiritur ad peccandum mortaliter contra legem, vel præceptum. 214. n. 15

Contritio & Attritio.

Alia est perfecta, quæ extra Sacramentum peccatorem justificat: alia imperfecta, quæ attritio dicitur. Contritio perfecta non requiritur ad valorem, neque ad effectum Sacramenti pœnitentiæ. 313. & seq.
Contritio involvit actum amoris Dei. 561
Contritio. 144
Contritio perfecta semper est conjuncta cum infusione gratiæ, & remissione peccatorum. 314. n 5.
Ad valorem & effectum Sacramenti pœnitentiæ. 314. n. 7
Et ad utramque necessariò requiritur vera attritio. 314. & seq.
Undè non sufficit voluntas suscipiendi Sacramentum, & ejus effectum, nec displicentia de lethalibus commissis. 315. n. 4. in fine, & 316. n. 6. & seq. fol. 317. n. 1. & n. 4. & seq.
Attritio debet esse ex motivo universali ad omnia peccata mortalia. 318. n. 6. & 319. n. 6
Infamia, aut aliud malum temporale, prout à Deo in pœnam peccati infligendum, est sufficiens motivum attritionis, quæ est pars hujus Sacramenti. fol. 319. n. 4
Quicunque alius doloris actus viribus naturæ elicitus absque auxilio gratiæ, neque ad effectum, nec ad valorem Sacramenti sufficit. 320. n. 6. 321. n. 16
An verò requiratur quoad substantiam supernaturalis, an quoad modum sufficiat. ibid. n. 7
Ad valorem confessionis de venialibus, aut de mortalibus jam confessis, vera alicujus attritio est necessaria. 322. & seq. & 327. n. 1. in fine.
Reliqua autem venialia, quorum sola displicentia datur, imò & vel ex oblivione, vel etiam scienter omissa simul remittentur, 324. à n 15
Et fortè omnia, quorum complacentia desinat. ibid.
Rectè tamen & utiliter clavibus subjiciuntur. 326. n. 24. & seq.
An ad valorem, & effectum sufficiat dolor de multitudine venialium. 326. n. 7
Distinctus doloris actus, ad singulas confessiones non requiritur, sed idem actus non retractatus sufficit. 328. & 329. n. 7.
Quæ unio inter confessionem, & dolorem sit necessaria. 331. n. 10
Non quolibet peccato subsecuto dolor retractatur. 332. n. 13
Qui nil de confessione cogitans, doloris actum elicit, potest eo non iterato postea confiteri. ibid. n. 14.
Absolutionem debet dolor præcedere; non est necesse quoad confessionem ibid. n. 1. & seq.
Propositum expressum, & formale vitandi omnia mortalia, non est de necessitate Sacramenti, sufficit veniale, quod, in dolore ex motivo universali concepto, continetur. 333. n. 4
Qui quidem dolor non solùm ad effectum, sed ad valorem etiam Sacramenti est necessarius. ibid. n. 6. infine.
An sufficiat dolor virtualis inclusus in proposito formali, & expresso in motivo universali, omnia se extendente. 335. n. 1. & seq.
Timor relabendi componitur cum vero, & efficaci proposito non peccandi. 314. n. 9
Qui in articulo mortis, attritione prævia, absolutus est à peccatis, non tenetur ad actum contritionis eliciendum. 188. n. 20
Quando obliget præceptum contritionis. 536. & 538. n. 13.

Controversiæ.

Controversiæ inopinabiles quadruplici specie continentur ex Augustino. 68

Correctio.

Correctio fraterna. 140

Cotonius.

Antonius Cotonius tertii Ordinis S. Francisci laudatur & citatur. 587
Et iterùm. 588

Crimen.

Crimen falsum, an reus imponere possit civi, antisti iniquo,

Index Rerum.

D.

Debita.

DEbita. 127. 128. & 129

Debitum Conjugale.

Concubitus conjugalis in loco sacro sitne prohibitus? 304. n. 13. & seq.
Extra casum necessitatis, ni occultè exerceatur, malitiam sacrilegii continet, & Ecclesia manet polluta. 304. n. 16. & 306. n. 23
Quid requiratur, ut casus necessitatis habeatur? Quid ut actus notorius. 305. n. 17. & 18.
Concubitus propter delectationem veneream, an culpa vacet. 482. n. 7.
Conjux dubitans de valore matrimonii, post adhibitam diligentiam, veritate non comperta, potest debitum petere. 169. n. 17. & 19
Debita immatura. Vide *venditio.*

Delectatio.

Quid sit delectatio venerea? 296. n. 74. & 477. num. 10.
Si morosa sit, est peccatum mortale. 298. n. 86
Etiam viduis & sponsis de futuro. ibid. n. 88.
Deliberatè quæsita, vel admissa nequit ex parvitate materiæ excusari à culpa mortali. 479. & seq.
Et præcipuè. 480. n. 23. & 24.
Objectum simplicis delectationis venereæ, non constituit diversum specie peccatum, nisi intrà genus luxuriæ ad diversam speciem pertineat, ut actus fornicationis, & peccatum contra naturam. 296. n. 75. & 297. à n. 81
Delectatio de copula specie distinguitur à delectatione de vindicta, & ideò in confessione explicanda. 297. n. 83
Ubi quid senserit D. Thomas. Si verò non de simplici delectatione; sed de sola jactantia loquamur, diversitas specifica objecti non variat hujus speciem, nec erit necesse in confessione objecta distinguere. 297. n. 84
Delectatio de copula habita, eam subsequens, idem cum illa est peccatum. 265. n. 25
Delectatio sensibilis, quæ ex objecti mollitie, sensu tactus percipitur, non est venerea, nec per se mala. 477. n. 9. & fol. 478. n. 13.
Delectationem ex cibo, & potu non immoderatam intendere nullum est peccatum. 481. n. 5.

Decalogus.

Decalogi transgressionem esse deteriorem sub Evangelio quam prius, frustrà opponitur contra probabilistas. 33

Denuntiatio.

Denunciatio. 138

Desiderare.

Desiderare alicui malum an aliquando liceat? 596

Desiderium.

Desiderium mortis. 122. 123. 139.

Dies festus.

Die festo quibus conceditur exercere servilia.

Disparitas.

Disparitas inter suadentem amenti conculcare sacra, & suadentem jurare falsum putatum verum.

Dispensatio. Vide *Episcopus. Papa.*

Dispensatio in solemni voto religionis. 125
Dispensatione utens postquam causa cessavit, mortaliter peccat. 470. n. 5
Dispensatio sine causa obtenta, non excusat à venia- li ejus usum. 472. n. 8

Distractio.

Distractio mentis in oratione.

Doctus.

Docti & indocti discrimen, in usu licito opinionum. 85
Et iterum ex Cajetano. 106

Doctor.

Doctor unus quando parit probabilitatem. 557

Dubium.

Distinctio dubii propriè & impropriè talis. 99
In dubio melior est conditio possidentis in omni materia. 168. n. 15. & seq.
Opiniones probabiles contrariæ dubium speculativum generant de honestate actus. 169. n. 19. & 471. n. 24.
Dubium de præcepto naturali, vel divino, quod factâ diligentiâ vinci non potest, ignorantiam invincibilem præcepti constituit. 168. n. 16. & fol. 169. n. 19. & n. 20.
Quanta debeat esse diligentia. 170. n. 22
Licitum est agere contrà dubium speculativum, non verò contra practicum. 169. n. 17. & 174. n. 31.
In dubio de justitia rei præceptæ, an subditus teneatur obedire? 203. n. 3.
Qui dubitat an votum emiserit, eo non tenetur. Qui dubitat, an recitaverit officium Divinum, tenetur recitare, & qui dubitat, an confessus fuerit, tenetur confiteri. 247. n. 37. & 38.
An peccata de quibus dubitat, commiserit? nec ne? 240. n. 1. & seq.

E.

Eleemosyna vide *Præceptum.*

Episcopatus.

EPiscopatus Ordo. 132

Episcopus.

Episcopi consecratio, quot Episcopos requirat? 186. n. 8.
Qua certitudine tenendum, unum sufficere ex commissione Pontificis? 189. n. 24. & 25.

Epis-

Episcopus potest dispensare cum habente votum castitatis, ut matrimonium contrahat, si frequentes lapsus patiatur. 194. n. 23
Potest etiam dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio casuali occulto, & ex voluntario omninò occulto. 448. n. 7

Eucharistia vide *Reservata.*

Eucharistiæ institutio. 135
Hostiam non consecratam loco consecratæ porrigere peccatori occulto, nunquam licet. 408. n. 10
Præceptum annuæ communionis adimpleri nequit sine licentia Parochi extrà suam parochiam. 416. n. 9. in fine. & fol. 417. n. 1
Quid de viatico nonnulli senserint? ibid. n. 10.
Qui conscius est peccati mortalis, in præcedente confessione obliti, tenetur ante communionem illud confiteri, si absque nota & scandalo possit. 417. & fol. 419. n. 8.
Quid si non præmissâ confessione ex justa causa semel communicaverit. 419. n. 5
Quid si ad linteum altaris existat? 420. n. 11
Quid de Sacerdote post Missam inchoatam? 421. n. 12. 13
Quid de illo, qui recordatur non esse jejunum. 419. n. 8
Sacerdos, qui non præmissâ lethalis confessione celebravit, quandò excusetur? *quamprimùm* confiteri. 422. n. 5
An verba Tridentini, *quamprimum confitendi*, præceptum importent; qualiter intelligenda? ibid. n. 5. & 6. & 423. n. 13. & seq.
Qui pluries sacrilegè communicavit, si postea conteratur, vel attritus confiteatur, eos gratiæ gradus recipiet, quos ex opere operato recepisset, si hæc numero dispositio singulas communiones præcessisset. 426. n. 15
Ad Eucharistiam accedere potest (confessione præmissâ) qui eodem die contra castitatem. defecerit. 427
Et à fortiori, qui actum conjugalem habuerit. 429. n. 8

Excommunicatio vide *Hæreticus, Libri.*

Excommunicatio. 138
Excommunicatio inferentis Clerico violentas manus. ibid.

F.

Falsarius.

Falsarius. 126

Falsum Iuramentum.

Falsum juramentum putatum verum, an possit quis suadere? 585

Festus Dies.

Die festo quibus concedatur exercere servilia. 564

Fidei præceptum.

Fidei præceptum. 558

Fides Divina.

Fidei divinæ certitudo obscurat omnes probabilitates in contrarium. 577

Filius.

Filius quando credere se possit natum ab adulterio. 567
Filius an licitè contrahat matrimonium inconsulto patre. 968
Filius mercatoris potest exigere salarium à patre pro operâ in officio impensa, & tantundem sibi compensare, quantum deductis expensis, extraneo conferendum foret. 496. & seq.
Filius spurius, sivè sæcularis, sivè Clerici, non est capax hæreditatis parentum. 502. n. 18

Furtum.

Furti quantitas ad mortale sufficiens. 282. n. 5. & 283. n. 12. in fine.
Cui speciei justitiæ opponatur. 281. n. 3
An quantitas necessaria sit in confessione explicanda. 284. n. 13
Furtum rei sacræ, vel non sacræ, quæ in Ecclesia custoditur, malitiam sacrilegii continet. 301
An diversæ speciei. 302. n. 5
Furtum quantitatis levis, qua grave damnum scienter completur, est peccatum mortale. 510. n. 3
Quando grave damnum censendum? ibid. n. 9. in fine.
Qualiter circa obligationem restituendi discurrant, qui in furto quantitatis levis gravem culpam non agnoscunt. 509 n. 2. & 4
Levi quantitate restituta, cessat gravis obligatio restituendi. 511. n. 12
Peccatum mortale furti ex suo genere gravius est, quàm Sodomia, secundùm speciem verò longè levius. 512. præcipuè 515. n. 16.
Furem occidere quando liceat. 488

G.

Gabellæ.

Gabellas quandò subditi solvere tenentur. 571

Gradatio.

Gradatio injusta Baronii. 588

H.

Hæreticus.

Cum hæreticis, qui propriis nominibus denunciati non sunt, & seclusо periculo perversionis, non est aliter prohibitum communicare, quam cum excommunicatis toleratis, seu non denunciatis. 461. n. 3.
Hæreticorum libros legentes excommunicationem incurunt, etiam cessante periculo perversionis. 464. & seq. n. 6.
Non verò qui audit alium legentem, licet ejus consilio vel mandato. 463. n. 1. & seq.
De hæresi vehementer esset suspectus, qui negaret esse licitum colere & credere conceptionem

nem purissimam B.M. Virginis in primo instanti infusionis animæ. 154. n. 5

Homicidium vide *Irregularitas.*

Injustum invasorem honoris occidere licet, quando aliter defendi nequit. 293. n. 55. ubi in Baronium animadvertitur.
Injustum accusatorem, testem vel judicem occidere non licet. 486. & seq.
Quid de occisione furis. 488. n. 1
Quid de occisione Banniti extra territorium mandantis. 490. n. 1

Horæ Canonicæ.

Horæ Canonicæ. 129. & 130
Horas Canonicas recitare cum voluntaria distractione interna, non est peccatum mortale, sed venialè. 208. n. 9
Neque orare, actualiter peccans mortaliter. 207. & 208. n. 7. & 8.
Præcepto recitandi non satisfacit Clericus sæcularis, qui mentaliter tantùm recitat. 210. & 211.
An satisfaciat, si oculis per librum discurrat? 210. n. 11. 12. & 13
Quid de Regularibus. 209. n. 1. & seq. & 214. n. 11
An qui privilegio non gaudet, teneatur ea voce recitare, ut seipsum audiat. ibid. n. 14.
Loco unius officii nequit aliud longè brevius recitari. Nec probabile est, posse quotidiè de Resurrectione à fol. 211. usque ad fol. 216. n. 25
Quid de Monialibus. 216. n. 26
Quid de Equitibus militaribus conjugatis retinentibus Cavalleratas. 220. n. 19
Ad obligationem recitandi ratione beneficii, vel pensionis, necesse est ut ad tertiam partem congruæ sustentationis sufficiat. 219. n. 12. & seq.
Quid veniat nomine congruæ? ibid. n. 15
Quæ quantitas modò requiratur? 218. n. 9. & 10.
Qui Horas Canonicas recitare omittit, tenetur restituere tertiam saltem partem fructuum diei correspondentium, si beneficium simplex, vel pensionem habeat. 210. n. 17. in fine, & 220. n. 18.

Hostis.

An hosti aliquando possit desiderari malum. 569

I.

Jejunium vide *Lacticinia.*

Jejunio Ecclesiastico qui teneantur. 565
Ad peccandum contra præceptum jejunii non requiritur contemptus. 156. n. 12.
Qui ex causa, sive licita, sive illicita, factus est impotens jejunare, præcepto non ligatur. Peccavit tamen in causa, si extra casum necessitatis, eodem die illam adhibuit prævidens eventum. 523. n. 2. & seq. & 527. n. 21. & seq.
Explicantur nonnulli authores, qui pro parte contraria afferri solent. 524. à n. 8.
Referuntur, qui illi assentiuntur. ibid. n. 6. & 526. n. 17
Præceptum jejunii an ex jure, an ex consuetudine ortum habuerit. 527. n. 1. & 528. n. 5.
Qui in die jejunii comestionem interrumpit, non peccat post quadrantem instaurando. 264. n. 20. & 21.
Qui in die jejunii invitat ad cœnam eum, qui paratus est violare jejunium, an peccet? 539. n. 8

Ignorantia.

Dispositio ignorantiæ vincibilis & invincibilis. 29
Invincibilis quatenùs sit, seu possibilis, seu impossibilis, & excuset, vel non excuset quo ad legem naturalem & divinam. 31
Ignorantia invincibilis sæpè excusat à peccato formali, & reddit meritoriam operationem, alioquì malam. 103
Applicatur id ad doctrinas fidei & morum. 111
Ignorantia invincibilis est, quæ studio superari non potest. 169. n. 19. & 171. n. 24
Tam juris quam facti excusat à peccato. 172. n. 27. & 28.
Opinionum probabilium oppositio ignorantiam invincibilem legis efficit. 169. n. 19. & 20.
Quanta diligentia adhibenda pro veritate invenienda, ut ejus ignorantia invincibilis constituatur. 170. n. 22.

Impedimentum matrimonii.

Impedimentum criminis ut incurratur, quæ requirantur, an etiam ejus notitia ut talis, nempè scire crimen illud esse impedimentum dirimens matrimonium. 441. & 444. n. 15.

Incestus.

Utrum incestus sint diversæ speciei, juxtà mentem S. Thomæ. 134
Incestus inter Consanguineos & affines, & inter primum, & quartum gradum ejusdem, lineæ non distinguuntur specie secundùm plures, sed oppositum est verius. 285. & seq. & fol. 288. n. 26.
Similiter inter Consanguineos in linea recta, & in transversali. 288. n. 27.
Et inter primum gradum lineæ rectæ, & reliquos ejusdem lineæ, secùs inter alios gradus inter se. ibid. n. 28
Quid senserit D. Thomas? 286. n. 20. & seq.
Incestus etiam malitiæ datur in peccatis contra naturam, in gradibus, in quibus jure naturæ est prohibitum matrimonium. 288. n. 31. in fine & seq.
In quibus ut prohibitum. 289. n. 33

Indigens.

Indigenti quando furari liceat. 574

Inquisitio.

Inquisitionis sacræ testimonium de doctrina Tamburini. 576

Inquisitores.

Inquisitores comparantur à Baronio cum curatis Parisiensibus. 567

Intentio.

Intentio orandi necessaria in oratione. 563
Intentio Ministri Sacramenti. 130. 131
Ad valorem Sacramenti requiritur intentio Ministri, quæ & qualis esse debeat? 410. & seq.

Quid

Quid senserit D. Thomas. 413.n.13.& seq.
An defectus intentionis suppleatur à Deo quoad gratiæ habitualis infusionem, & peccatorum remissionem.410.& seq. & 412. n. 10. & 431 n. 7.
Quid quoad hoc supplementum Baronius scripserit. 411.n.6.

Irregularitas.

Irregularitas incurritur ex homicidio, etsi omninò occultum sit. 446. n. 7.
Non tamen est Pontifici reservata, si homicidium voluntarium sit omninò occultum. 448. n. 7.
Quandò sit omninò occultum. 445. n. 1. & fol. 446 n. 6.& seq.
Potest dispensari ab Episcopo, & à Prælatis regularium cum subditis. 448. n. 7. & n. 10. 449 n. 1.
Possunt etiam Prælati Regulares dispensare, licet publicum, dum ad forum contentiosum deductum non sit. 450. n. 4.
Si homicidium sit omninò occultum, possunt Regulares dispensare, etiam cum sæcularibus in irregularitate. 451. n. 5
Virtute Bullæ cruciatæ dispensari nequit in irregularitate ex delicto. 452. n. 2
Ex homicidio, sola irregularitas ex delicto incurritur. 453. n. 5. & seq.
Non est irregularis adulter, qui cum moderamine tutelæ occidit maritum. 457
Licet hoc prævisо periculo, ejus domum fuerit ingressus. 458. n. 9.
Non est irregularis maritus, qui adulterum in flagranti crimine repertum occidit. 459. n. 13
Damnati ad triremes, non incurrunt irregularitatem ratione triremium. ibid. n. 2.& 462. n. 5

Iudex.

Judices quid possint in sententia probabili, an illam vendere illis liceat. 571. & seq.
Judex quomodo se gerat in ambiguis. 167
Judex in ferenda sententia, an probabiliorem opinionem circà jus teneatur amplecti? 181. n. 2. & seq. 182. n. 11.
Quid circa factum? 182. n. 12
Judices contra communem sententiam judicantes, peccant mortaliter, 183. n. 13
An teneatur judex reddere acceptum pro injusta sententia? 498. 501. n. 14
Judex adquirit dominium munerum, quæ sponte data accepit, nec tenetur ante sententiam Superioris illa restituere. 504. n. 12
An mortaliter delinquat accipiendo? 505. n. 15.& seq. 507. n. 28.

Iudicium.

Judicium practicum moraliter certum de operatione licita, rectè cohæret cum judicio speculativo formidoso de honestate actus. 175. & seq. 166
A dubio speculativo circà illicitum, potest judicium practicum discordare. 169. n. 17. 174. n. 31.
Ad honestè operandum, judicium practicum moraliter certum requiritur. 179. n. 55. & seq.
Quomodo judicium practicum moraliter certum procedere possit ex principiis probabilibus. 175. n. 37. fol. 176. n. 40
Ut judicium sit temeratium, quid necessarium sit? 300. n. 109
Ubi an firmiter credere compatiatur cum formidine partis oppositæ? ibid. n. 110
Temerè de aliquo judicare esse Judæum, est peccatum mortale inter Hispanos. 301. n. 114
In quo distinguatur judicium temeratium à suspicione. 302. n. 119

Iuramentum.

Juramentum æquivocum.
Juramentum fictum. 573
Juramentum ad firmandum peccatum, semper est peccatum. 573 ibid.
Juramentum falsum putatum verum, an possit quis suadere. 586

L.

Lacticinia.

Lacticinia. 122
Consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiniis jejuniis quadragesimæ, vim legis habet. Nec ex sola consuetudine, sed ex præcepto in jure contento, gravis obligatio suborta est. 528. n. 1
Quæ non solùm dies jejunii, sed Dominicos etiam dies quadragesimæ comprehendit. 529. n. 8
An Regulares excepti in Bulla Cruciata, possint in Dominicis quadragesimæ lacticiniis, & ovis ejus virtute vesci. 529. n. 9
Quid de privilegio Ordinis militaris S. Jacobi de Veles ad usum ovorum & lacticiniorum in jejuniis quadragesimæ? Ubi an alii Ordines participent? 529. n. 10. & seq.
Quid de alio privilegio ferè simili, Minoribus concesso à Paulo III. 530. n. 13
An pro collatione serotina ova, & lacticinia deservire possint, & in qua quantitate? ibid. n. 14
Quid de Electuariis, in die jejunii D. Thomas scripserit? 340. n. 18. 341. n. 20.

Laxitas.

Ostenditur non minùs reprehendi in sacris litteris nimium rigorem, quam nimiam laxitatem. 58
Probatur illius, quam hujus excessum esse periculosiorem. 128

Lex.

Legis tum additione, tum detractione, tam doctrinali, quam executiva, offenditur maximè Deus, & Dei sapientia infinita. 110
Lex est perfectiva hominis, & ejus perfecta cognitio, non tam est onus, quam donum, licet adjiciat majorem obligationem. 78
Lex Pontificia ut obliget, an requiratur, quod in singulis Diœcesibus sit authenticè promulgata? 383. n. 2. & seq.
Acceptatio legis à majore parte populi non est necessaria, ut obligare incipiat. 469. n. 12
Primi non acceptantes, peccant mortaliter. 467. n. 1.

Quid

Quid de his, qui dubitant de acceptatione à majori parte populi post congruum tempus non elapsum? 469. n. 14
Quando super lege supplicatur, ejus obligatio suspenditur. ibid. n. 16.
Causâ dispensationis cessante, legis obligatio revivisc it. 470. n. 15
Legis dispensatione sine causa obtenta utens, veniale iter peccat. 472. n. 8
Leges contra spurios qualiter explicet M. Sotus. 502. n. 18
Leges contra Judices, & alios Ministros quoad receptionem munerum. Vide verbo *Index* & ubi suprà 502. & seq.
Quot actus requirantur, ut lex usu non recepta intelligatur? 505. n. 15
Leges in præsumptione fundatæ, an ea cessante obligent? ibid. n. 17.
Cessante fine legis in particulari, legem cessare, qui teneantur? 506. n. 18.
Leges purè pœnales, & etiam mixtas, probabile est non obligare in conscientia, sed oppositum de mixtis probabilius. ibid. n. 19. & seq. 507. n. 28
Fide sanctum est, Principes sæculares posse obligare vasallos in foro conscientiæ. 508. n. 31

Libellus.

Libellus supplex Curatorum Parisiensium. 576

Liber.

Libri Hæreticorum vide *Hæreticus.*

Si libri prohibiti non sint de hæresi suspecti, an incurrat excommunicationem, qui legerit, vel retinuerit, etiam si non absolutè prohibiti, sed donec corrigantur. 465. n. 13. in fine. 466. n. 15
Fin is adæquatus prohibitionis non est periculum pervertionis, ut imponitur nonnullis. 464. n. 5. 6
Ubi quidam Jesuitæ vindicantur.

Libertas.

Libertas alia est contradictionis, alia contrarietatis. 57
Utraque inest opinanti. 61
Exponitur id, & limitatur. ibid.
Confirmatur ex libertate ad credendum, & ad judicium temerarium. 62
Exponitur textus celebris Philosophi in eam rem. 59
Urgetur paritas ex libertate contradictionis. 71
Necessitas libertatis opinandi pro usu licito opinionis reipsa minùs probabilis. 75
Astruitur sufficientia ejusdem libertatis pro eodem usu pro idonea distinctione. 80

Locus.

Locus sacer, violatur sanguinis & seminis effusione publicâ, secùs si occultâ. 302. n. 6.
An malitia sacrilegii vitetur, quoties occultè res contingat. ibid. n. 9. & seq. 303. n. 11
Quid veniat nomine loci sacri. 306. n. 24.
An de tactibus impudicis in Ecclesia occultè, vel publicè habitis, sicut de effusione seminis theologizandum sit? 305. n. 19. & seq.

Luisius à Valentia.

Luisius à Valentia. 147

M.

Matrimonium.

Matrimonium. 130
Matrimonium inire an filius invito patre possit.

Mendacium.

Mendcium cum æquivocatione. 583
Mentiri nefas Religioso. ibid.

Milites.

Milites justè pugnantes in bello injusto. 104

Minores.

Ordinis Minorum difficultates circa regulam, earumque decisio, favent nostræ sententiæ 94

Missa.

Missam qui possint omittere die festo, 564
An is audiendæ Missæ præcepto satisfaciat, qui assistit duntaxat honesto & reverenti corporis habitu. 2. Etiam cum intentione non satisfaciendi. 3. Qui habet impuram voluntatem inspiciendi libidinosè mulieres. 4. Qui unam partem Missæ ab uno Sacerdote, alteram ab alio audit. 5. Qui eodem tempore audit dimidiam partem unius, & dimidiam alterius, vel qui audit quatuor partes diversarum Missarum, quæ simul conjunctæ, integram efficiant. 136

Monialis vide *Horæ.*

Montes pietatis.

Montes pietatis. 128

Mors.

Morte instante quæ opinio recipienda, 558
Mortis paternæ votum. 570

Mutuum.

Mutuum vide *Debita.*

O.

Occasio.

Occasio proxima peccandi, quæ censenda. 370. n. 4
An absolvendus, qui eam non reliquerit? & quoties absolvi poterit? ibid. n. 5
An habenti occasionem differenda sit absolutio, an de præcepto, an de consilio hoc sit? 372. n. 10. & seq.

Occultum.

Delicti occulti nomine quid veniat in Tridentino. 447. n. 2. & seq.

Onus.

Onus grave & importabile quale sit, & dicatur. 108

Opinio.

An Saul habuerit opinionem probabilem quando pepercit Amalec. 24
Oſtenditur nullam probabilitatem habuiſſe. 25.26
Rejicitur confuſio opinionis cum falſitate & errore. 28
Obſervatur ſpecialis quædam opinionis, & opinantis acceptio apud Auguſtinum. ibid.
Reprobatio opinionis in genere, & operantis ſub opinione, eſt iniqua & diſſona. 33
Exponitur diſcrimen opinionis ab intelligentia, ſcientia, fide, & præſertim à dubitatione. 50
Cur cuique placet ſua quælibet opinio, cum opinabilitas hæc præ alia non æſtimetur. 73
Multiplex definitio opinionis probabilis. 56
Uſus licitus opinionis cujuſvis practicæ verè probabilis. 82
Opinionis probabilis inadæquata conſideratio, quot & qualia pariat incommoda. 41
Controverſia de uſu licito opinionis probabilis eſt difficilis, & æquivocationi obnoxia. 115
Opiniones mites rigidis præferendæ cæteris paribus. 84
Accurata utrarumque, ſeu magis, ſeu minus tutarum comparatio. 108
Majus eſt periculum opinionis rigidæ, quam mitis. ibid.
Oſtenditur rigidam opinionem eſſe tutam materialiter, ſeu ex parte materiæ tantùm, atq; incongruenter dici rigidam ſtare pro lege, mitem contra legem. 111
Opinio reflexa nihil confert ad honeſtandam actionem, niſi variet opinionem directam. 76
Varietas opinionum circa legem. 120.121.122.
Opinionis definitio. 1.& 2
In quo differant probabilitas practica, & ſpeculativa. 151.n.2
Vir doctus poteſt ſibi opinionem probabilem efficere. 152
Et quandoque aliis etiam Doctis. 155.n.10.157.n.17
Quid ſi ab inquiſitione fuerit expuncta. 153.n.4
Non ex eo, quod opinio typis data circumferatur, debet probabilis cenſeri. 156.n.15
Qui Theologi ad opinionem probabilem inveniendam conſulendi ſunt. 157.& ſeq.
Plures conſuli poſſunt ex intentione recta circa licitum. 157.n.17
Non eſt obligatio eligendi in praxi tutiorem opinionem. 158.& ſeq.
Quod præcedit, licet opinio tutior, id eſt pro lege militans, ſit probabilior. 166.n.5.& 11
Quam certitudinem hæc aſſertio habeat. 387.n.8
Opiniones plures, quia ſibi probabiliores, etſi minus ſecuras, amplexus eſt D. Thomas. 161. n.17. & ſeq.
Quomodo explicandus in quotlibeto. 8. art. 13. 171 n.23.& ſeq.
Opinionum diverſitas non conſtituit conſcientiam dubiam. 173.n.29.& ſeq.
Sed ignorantiam invincibilem malitiæ? 169.n.19 & ſeq. 171.n.24.
Quæ ignorantia ſit invincibilis? ibid.
Quæ diligentia requiratur pro veritate inveniendâ. 170.n.22
Omnes opiniones practicè probabiles æquè tutæ ſunt quo ad imputabilitatem. 179
Neque pro lege eſt tutior, quam quæ contra illam. ibid. n.57. 180.n.61.
In quo ſenſu una dici poſſit ſecurior alia. 179.n.56
Extra caſum neceſſitatis nequit eſſe practicè probabilis opinio circa licitam adminiſtrationem Sacramenti, valoris tantùm probabilis. 187.n.14. 188.n.17.
Niſi proximus damno imminenti cedere poſſit.
Opinionis probabilis uſus poſſit necne prohiberi. 352.n.18.
Improbabilitas opinionis ex inconvenientibus ejus praxi rectè deducitur. 488.n.12
Quam opinionem teneantur judices amplecti in ferenda ſententia. Vid. Verb. *Index.*
Quam miniſtri regis in imponendis tributis? Vid. Tributum.
Quam reges ad bellum indicendum. 184.n.7

Orationis Neceſſitas.

Orationis neceſſitas. 502
Ejuſdem præceptum quandò obliget, ibid.

Oratorium.

Oratorium erigere in domo privata virtute Cruciatæ nemini licet. 223.n.11
Nec Commiſſarius Cruciatæ poteſt licentiam concedere. 223.n.16
Nec Epiſcopus, nec Nuncius. 221.n.6.in fine.
An verò ſaltem poſſint Oratoria approbare? ibid. & 223.n.13.
Mortuâ perſonâ, cui à Summo Pontifice indultum oratorii fuit conceſſum, nequit virtute Cruciatæ in eo celebrari. 227.n.9
Poteſt verò ea vivente in diebus etiam in indulto exceptis. 226.n.4.& ſeq.
Regulares, ni ab Epiſcopis prohibeatur, poſſunt in domibus privatis ſecularium altare portatile erigere, & in eo celebrare, vel ſi infirmitur, celebrari facere. 228.& ſeq. 230.n.12.& ſeq.
An vero poſſint aliquando Epiſcopo prohibente 229.n.10.11.& 230.n.14.
An celebrare extra Eccleſiam, vel oratorium ſit mortale. 228.n.13

Ordo.

Non baptizatus baptiſmo æquæ, non eſt capax Ordinis. 13.& 431.n.3.
Qui de valore ſui baptiſmi dubitat, omnes Ordines tenetur ſiterato ſuſcipere. Imò etſi probabilis, aut probabilior etiam opinio pro valore militet. 188.n.16.& 433.n.12
Qui ſub conditione recipit Ordines propter dubium vel ſolum opinionem de valore ſacerdotii, poteſt eodem die omnes Ordines, omiſſis etiam ſolemnitatibus ſuſcipere. 432.n.5
Quænam ætas ad Ordines requiratur an à die conceptionis computari queat. 435.& ſeq.
Quid quo ad Regulares? 438.440.n.12

Oſcula.

Oſcula habita ob delectationem veneream, quæ ex illis conſurgit, omni alia ſeclusa prava intentione, ſunt peccata mortalia. 476.n.8
Etiam inter ſponſos de futuro. 479.n.16
Oſcula antecedentia, &. ſubſequentia copulam unum peccatum cum illa conſtant, quod ea in confeſſione expreſſa ſufficienter explicatur. 263.n.17. in fine. 265.n.24.

Si oscula præcedant absque intentione ultrà progrediendi, & tamen copula subsequatur, sufficit eam confiteri. 265. n. 2
Sensibilis delectatio, quæ ex mollitie percipitur, non derivat in oscula mollitiem gravem. 407. n. 9
Quæ delectatio sit venerea? 408. n. 10.

P.

Pactum.

PActum de retrovendendo. [129

Papa vide *Votum.*

Dispensavit sæpè in voto solemni castitatis, & in matrimonio rato. 159. n. 10
Errare non potest in his, quæ ad mores pertinent. 154. n. 5. 357 n. 44
Neque in censura, quam propositionibus, quas damnat, inurit. 384. n. 21. & seq.
An ut caput Ecclesiæ decernat, quando in congregatione sanctæ & generalis inquisitionis Romanæ doctrinam aliquam damnat & prohibet. ibid. n. 23
Papa dispensans sine causa in propriis legibus, venialiter peccat. 472. n. 8

Paradoxa.

Paradoxa tria Tamburino imputata. 578

Peccatum.

Exponitur accuratè distinctio peccati, quod per seipsum est tale, à peccato quod est pœna peccati. 39
Observatur ea in re differentia quoad modum loquendi inter Augustinum & Scholasticos cum laude utrorumque. 30
Peccatorum materialium frequentia multipliciter demonstratur. 303
Peccatum mortale non est propositum non vitandi ullum veniale. 472. & seq.
Peccata venialia, quæ & qualiter remittantur virtute Sacramentorum. 322. 323. n. 10. & seq.
Peccata mortalia extrà Sacramentum non remittuntur, absque actu perfectæ contritionis. 411. n. 5.
Peccatum in genere subjectum est materia sufficiens absolutionis sacramentalis. 336
Peccata in confessione oblita non absolvuntur directè. 253. n. 10.
Plures actus externi, unum peccatum constituunt, quando sunt partes ejusdem actionis moralis 245
Quod aliquando contingit, etiamsi per contrariam voluntatem fuerint intercepti. 265. n. 23
Plures copulæ, etsi ab eadem voluntate absque interruptione proveniant, plura sunt peccata, sicut & plures occisiones successivè. 268. n. 8. & 9.
In unica actione pluribus injuriosa unum est peccatum. 269. n. 5. 270. n. 6
Sed numerus personarum in confessione explicandus. 272. n. 9

Pensio vide *Horæ Canonicæ.*

Pollutio vide *Circumstantia, Eucharistia.*

Pollutio est peccatum contra naturam distinctum specie à Sodomia, & bestialitate. 290 n. 40
In loco sacro, quando speciem sacrilegii contineat? vide *Locus sacer.*
An malitiam habeat incestus inter consanguineos & affines? vide *Incestus.*

Præceptum vide *Lex.*

Præcepta fidei. 560
Præceptum cui non assignatur tempus, quando implendum. ibid.
Præceptum amoris Dei maximum & primum est, daturque speciale amandi Deum super omnia ex virtute charitatis. 531. n. 1. & seq.
Et contrarium dicere est damnatum ab Alex. VII. 532. n. 8.
Non adimpletur hoc præceptum per dignam susceptionem Eucharistiæ semel in anno. 532. n. 11. & seq.
Obligatio eliciendi actum charitatis Dei, oritur ex præcepto affirmativo hujus virtutis. 535. n. 24
Amoris interni datur speciale præceptum. 534. n. 21. 535. n. 22. & 26
Præceptum amoris Dei non solùm obliget in articulo mortis? 536. n. 1. & seq.
Sed etiam aliquoties in vita, ex vi præcepti charitatis: & quoties status justitiæ ad aliquam operationem est necessarius, & non est aliud medium ad justificationem obtinendam. 538. n. 11.
Sitne contra præceptum amoris proximi, desiderare illi mortem propter tuum commodum? 546. & seq. n. 8. & 548. n. 13. & seq.
Præceptum succurrendi proximo eleemosyna corporali, quando obliget. 540. & seq.

Prædicatores.

Statutum Ordinis Prædicatorum pro doctrinis mitibus. 109

Prælatus Regularis, vide *Irregularitas. Reservata.*

Principia.

Principia universalia non esse deserenda propter difficultatem, aut ignorantiam circa aliquod particulare. 49

Privilegium vide *Irregularitas.*

Privilegiorum revocatio, quam solemnitatem requirat? 382. n. 15. 383. n. 19.
An per non usum revocentur? 453. n. 6
In confirmatione privilegiorum unius Ordinis, comprehenduntur omnia aliorum Ordinum, quorum est participatio. 450. n. 6.
Quæ privilegia communicentur? vide 529. n. 11

Probabile.

Probabile Theologorum solo nomine convenit cum probabili academicorum, & opponitur illi contradictorie. 45
Idem probabile differt toto cœlo à probabili Aristotelico. 49
Aristotelicæ definitiones probabilis nil conferunt ad rem Theologicam. ibid.
Suadetur id ex ipso Aristotele, & ostenditur exemplis. 50
Utraque pars contradictionis simul potest esse probabilis ex mente Philosophi. 49

Idem colligitur ex Augustino. 69

Probabilitas.

Quænam sit verè talis. 557
Et deinceps tenuis, quæ, ibid.
Probabilitas perperam contra ponitur veritati. 27
Perabsurdè confunditur cum variis prætextibus, cum ignorantia vincibili, ac affectata, & cum infidelitate superadditis variis horridis exemplis. 39

Vide *Opinio probabilis.*

Probabilista.

Portam cœli esse angustam, ratione eorum, quæ certa sunt, nec indè quidquam concludi adversus Probabilistas. 34
Adulatio nihil pertinet ad Probabilistas. 37

Prudentia.

Prudentia humana quatenus certa & incerta. 99

R.

Regnum.

REgnum vacans Rege, quemnam obliget pro suo Rege. 570

Religiosi vide *Lacticinia.*

Nequeunt ordinari ante legitimam ætatem à Tridentino præscriptam. 438.440.n.12
Non fruuntur in foro conscientiæ privilegiis per Tridentinum revocatis, & assertio opposita est damnata ab Alex. VII. 441.n.14.
Absolvi non possunt à reservatis virtute Bullæ Cruciatæ. 385.390.n.24.& seq.
Nil possunt virtute privilegiorum circà casus Bullæ Cœnæ, licet sint occulti. 378.379.n.4.
Quid circà dispensationem in Irregularitate ex homicidio procedente. 449.& 450
Possintne dispensare cum habente votum absolutum castitatis, ut matrimonium contrahat, si frequentes lapsus patiatur. 194.n.23.196.n.7.
Non possunt Regulares virtute privilegiorum Ordinis excipere sæcularium confessiones, in aliqua Diœcesi, quin approbationem ab illius Episcopo obtinuerint, secus virtute Cruciatæ. 366.n.7.8.
Quod procedit, licet sint Prælati, vel graduati in Theologia, vel jure Canonico. 366.n.4.8. 367.n.11.
Non possunt Religiosi confessarii absolvere sæculares à casibus, quos Episcopi sibi reservant. 380.n.1
Ubi ante decretum Alexandri VII. potuerint? ibid. n.2
Possunt ab aliis casibus Pontificiis etiam reservatis toties quoties absolvere. 382.n.16.& seq.
Regulari asserenti se habere licentiam, ut à reservatis absolvatur, potest Confessarius fidem præstare, quando oppositum sibi non constat. 392.n.1
Quid possit confessarius circa Regularium confessiones, si opinionem cruciatæ eis faventem probabilem censeat. 393.n.5.

Reservata.

Casus reservati in Religione.
Qui in Diœcesi Toletana? 373.n.6
Qui in Bulla Cœnæ. 380.n.1
Qui reservationem casus ignorat, probabile est illam non incurrere, ac proindè à quolibet confessario absolvi posse. 378.n.1
An sola censura, an etiam peccatum seorsim sit reservatum. 374.& seq.
In advertentia reservationis æquivalet ignorantiæ. 375.n.6.& 7
Dubium juris, vel facti, reservationem aufert. ibid.n.8
Qui de reservatione dubitans confessus est, non tenetur iterum confiteri, licet peccatum reservatum fuisse agnoscat. 375.n.23
Si Superior concedat facultatem cum onere comparendi, & subditus ea utatur, manebit adstrictus comparere. 376.n.6.
Undè oriatur hæc obligatio? 376.n.2
Qui bonâ fide sola reservata confitetur Sacerdoti non habenti jurisdictionem, invalidam confessionem facit. Secus si alia non reservata simul confiteatur. ibid.n.3.& seq.
Reservatorum absolutio ex jurisdictione probabili valida est, licet posteà constet de falsitate opinionis. 384.385.n.6.
Quando superior injustè negat facultatem probi solutione reservatorum subditi, habetur pro concessa. Si tamen confessarius electus absolvere illum nequeat, potest urgente necessitate communicare contritus. 388.n.5
Secùs verò dicendum, quandò pœnitens injustè resistit confiteri. 395.n.14.396.n.16.
Ex urgente causa potest inferior Sacerdos à reservatis absolvere cum onere comparendi: licet peccatum habeat annexam excommunicationem. 397.n.8.
Quid si superior in crastinum adiri possit. 399.n.6
Quod si pœnitens non habens Bullam cruciatæ intendat illam assumere. 398.n.14
An simplex Sacerdos possit cum onere comparendi aliquando absolvere. 398.n.12
Nemo tenetur confiteri reservata cum onere comparendi. 399.n.4
Si verò urgeat necessitas communicandi, vel celebrandi, probabile est, inferiorem Sacerdotem posse absolvere à reservatis absque onere comparendi, sed contrarium est probabilius. 399.n.5
Ubi an in tali casu possit sola non reservata illi confiteri, & ante communionem teneatur? 400.n.8.9
Quid si nullum lethale non reservatum habeat. ibid.n.10
An privilegio Cruciatæ uti obligetur. ibid.n.11.12

Restitutio.

Acceptum pro delicto patrato contra justitiam, ut pro injusta sententia, homicidio, &c. nemo tenetur restituere, nec consummato delicto recipiens peccat. 498.499.n.5.6.7.& seq. 501.n.14
Judices recipientes munera gratis à litigantibus oblata, non tenentur restituere. 504.n.12
Confessarius non obligans pœnitentem restituere, an teneatur, illo non restituente. 368.369.n.5

Qui

Index Rerum.

Qui minutis furtis ad gravem quantitatem pervenit, si eam, qua gravis completa fuit, restituat, liber manet ab onere sub lethali restituendi. 511. n. 12.

Restitutio precii simoniacè accepti, cui restituendum. 522. n. 12. 13.

Restrictio Mentalis.

Quando liceat uti restrictione mentali. 205. n. 17. & seq. 22.

Revisores.

Revisores librorum de rebus fidei, vel ad mores pertinentibus tractantium, mortaliter peccant, si muneri suo deficiant, vel minus apti obeant. 156. n. 15.

Reus.

Reus quando potest æquivocatione uti. 578. & 582

Rex.

Rex, regem quando impetere bello potest. 570

S.

Sacerdos.

Sacerdos quando obligatus sacrificare ex præcepto. 572

Sacramentum. Vide. *Opinio.*

Sacramentum Confessionis & communionis quando tenemur suscipere. 562

Minister Sacramenti nequit validum conficere, absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia. 413. n. 13.

Nec aliud sentit D. Thomas. ibid.

Si minister sit ad conficiendum consecratus, mortaliter delinquet, si in peccato mortali conficiat: ut si absolvat, vel consecret, vel baptizet. 406. n. 32.

Quid si ut laicus absque solemnitate. 404. n. 23

Licitum est, si causa subsit, in administratione Sacramentorum uti simulatione. 409. n. 13

An sacerdos, qui in peccato mortali plures absolvit, plura peccata mortalia committat? 267. n. 5

Sacrificium Missæ.

Varia circa missæ auditionem sententiæ. 136

Sacrilegium. Vide. *Locus, votum.*

Salarium. Vide. *Filius.*

Scandalum.

Scandalum. 139. 140

Scandalum activum contrahit speciem illius peccati, cujus causa est directè vel indirectè, & aliam insuper contra charitatem. 279. n. 14. & seq.

Quomodo sit in confessione explicandum. 289. n. 16.

Qui actionem pravam alteri consulit, ex ignorantia verò istius invincibili excusandam à peccato, quam culpam contrahat. 272. n. 11. 12.

Ubi an liceat juramentum consulere ignoranti invincibiliter veritatem? Scandali circumstantia non datur, quando pravum exemplum nil movet. 280. n. 15

Secus quandò aliquem spiritualem ruinam passurum prudenter judicatur. ibid.

Qui fœminam verbis inhonestis solicitat, absque pravâ intentione, & absque ullo spiritualis ruinæ periculo, an mortaliter deficiat? 484

Qui uxorem adulteram suspicatur, possitne illi consulere actionem de se indifferentem, ut in adulterio deprehensam corrigat. 530 & seq. 539

Ubi quid de permissione peccati alieni. 572. n. 9. & seq.

Scriptura Sacra.

Scripturæ Canonicæ controversiæ, quæ? Quibus præferendæ sint ex Augustino. 69

Et quid indè pro nobis. ibid.

Scrupulosus.

Scrupulosis quomodo subveniendum. 75

Simonia.

Simonia. 136. 137

In quo formaliter consistat. 520. n. 1

Qui pecuniam pro beneficio promittit, absque animo standi promissis, non est Simoniacus, nec pœnas incurrit: Peccat verò lethaliter peccato scandali. ibid. & seq.

Quid si ex animo promiserit; sed tamen posteà promissis non steterit. 521. n. 9. & seq.

Pactum amicitiæ non constituit Simoniam. 293. n. 57.

An qui habet jus litigiosum in beneficio, possit pecuniam alteri offerre, ut à litè abstineat?

An etiam possessionem relinquere? 522. n. 14. & seq.

Pretium Simoniaci receptum an restituendum, & cuinam? ibid. n. 12. 13.

Sinnichus.

Referuntur quæ dicit Sinnichius adversus nostram sententiam de opinione probabili, & ejus authores. 26

Reprimitur adjuncta ejus comparatione cum Urbico, ex Augustino. 27

Occurritur omnibus ejus conatibus. 27. 28

Notatur inconsequentia ejus, & contradictio in puncto principali. 44

Sodomia. Vide. *Circumstantia, Furtum.*

Sodomia. 123. 124

Spes.

Spei præceptum quandonam obligat. 560

Stuprum. Vide *Circumstantia.*

Tactus. Vide. *Delectatio, Oscula.*

Tamburinus.

T.

Tamburini doctrina, pietas, prudentia. 554
Congeries impugnationum Baronis contra Tamburinum. ibid.
Dicteria Baronis in Tamburinum. 555
Malè notatur de inconstantia sui dicti. 584
Ejusdem pia parens, & Dominicano Ordini addictissima. 564

Testis.

Testis quandò æquivocare potest. 582

D. Thomas.

D. Thomæ sententia de usu licito opinionum. 85

Tributum. Gabella

In imponendis tributis, opinio probabilior est tenenda. 182.n.11
Quandò est opinio probabilis negans obligationem solvendi tributum, vel servandi taxam non peccat, qui ad praxim reducit. 202.n.1.& 2. 203.n.4.
Quandò detur locus huic opinioni. 184.n.6
Subditi tenentur solvere tributa, quandò evidenter non apparet esse injusta. 183.n.4
Quod intellige, quando regii ministri probabiliori opinione ad ea imponenda ducti sunt, secus si probabili tantum. 184.n.6
An justæ Gabellæ ex obligatione solvendæ sint, licet non exigantur. 185.n.9
An ex probabilitate injustitiæ tributi rectè inferatur non esse obligationem solvendi? *Vid. sup. &* 203.n.2.& 5.

V.

Venditio.

Actus peccaminosi, etiamsi injustitiam contineant, sunt pretio æstimabiles, quatenus tibi utiles nec operanti molesti. 498.n.2.& seq.
Qui merces pretio summo venditas, paulò post nullo præcedente pacto, redimit infimi, nulli facit injustitiam. 519.n.26
Vendens credito, potest carius vendere propter periculum probabile in recuperando pretio. 550.n.6.
Merces ultroneæ vilescunt, pro tertia parte, ibid. n.8.
Quidsi venditor necessitate ductus vendat. ibid. n.9.
Debita immatura si liquida sint, & absque difficultate exigibilia, nequeunt anticipata solutione minoris emi. 550.n.10.& seq

Verba.

Verba inhonesta, an sint lethalia omni alia finistra intentione secluſa. 484.468.n.11

Veritas.

Causa honesta occultandi veritatem. 579

Virgo.

Exponitur parabola 10. Virginum ex Augustino, & ostenditur eam nihil pertinere ad Probabilistas. 57

Votum.

Votum paternæ mortis. 568
Votum simplex castitatis, vel religionis emissum ab illo, cui salubrius est nubere, probabile est non esse validum; sed probabilius oppositum. 194. n.20.
Potest ad contrahendum dispensatio ab Episcopo, aut commutari virtute Bullæ Cruciatæ. 194. n.23
Secus si solemne. ibid.n.25
Quæ conditiones requirantur, ut votum castitatis sit Pontifici reservatum. 195.n.1.&c.
Ubi quæ vota sint reservata. ibid.n.3.
Quid de voto virginitatis. ibid.n.4
Quid de voto absoluto castitatis nonnulli senserint? 196.n.8.& seq
Votum cedens in alterius utilitatem, si ab eo fuerit acceptatum, nequit ab Episcopo dispensari, nec virtute Cruciatæ commutari. 201.n.6
Qui voto castitatis adstrictus (peccato alterius speciei) occasio fuerit aliis peccandi contra castitatem, non peccat contra votum, & ideò non tenetur in confessione illud explicare. 277. n.2.
Si verò alter voto castitatis ligatus sit, contra hujus votum delinquet. 279.n.10
Votum solemne castitatis non distinguitur specie à simplici. Undè sufficiet de peccato contra votum castitatis se accusare, non explicando qualitatem voti. ibid.& 277.n.56
Verum castitatis votum Religiosi emittunt, & contrarium nequit dici absque errore. ibid. n.7. in fine.
An qui ordinem sacrum suscipiunt, maneant ex voto ad castitatem obligati. 278.n.7.& 8
Si ex Solo præcepto Ecclesiastico teneantur, & voluntas in actum externum non prodeat, nec efficaciter in illum tendat, non erit sacrilegium. Secus si ex voto, cui simplex etiam delectatio venerea opponitur. ibid.n.8
Quid de voto non sumendi Eucharistiam, die copulæ habitæ?
In votis absolutis castitatis, & religionis, possunt Episcopi jure ordinario dispensare in casu urgentis necessitatis. 196
An verò Regulares virtute Privilegiorum, & alii Confessarii virtute Cruciatæ commutare possint. ibid.à n.8.

Urbicus.

Urbicus ab Augustino acriter reprehensus. 27

Vsura Vid. *Debita.*

Usura est prohibita in novo testamento. 551.n.13.
Pro obligatione non repetendi mutuum intra certum terminum, nequit aliud ultra sortem exigi. 518.n.12. 520.n.30. ubi contraria opinio damnata notatur.
Montes pietatis, prout hodie in Ecclesia permituntur, usuræ labem non continent. 551.n.15. ubi de Concilio Lateranensi. n.15.16.&17
Possitne pro fide jussione non periculosa aliquid exigi. 519.n.22
Pecunias apud usurarium deponere, quando liceat. 539.n.5.&seq.
An ab eo, qui pro alio mutuum petit, liceat aliquid supra sortem exigere. 549.n.5. in fine.

X.

Xantes Mariales Ordinis Prædicatorum acriter perstringit Societatem Jesu in edita à se Bibliotheca Interpretum. 593
Refutatur modestè à Ludovico Carterio. 594. &seq.
Refutatur Vincentius Baro, qui perperam jactat se refutasse Ludovicum Carterium. 610

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN